

4: 918

Fol. 2369

c 56.

marq. pl. III du Vaudeville
pl. 1 x 1 = 2 1/2 x 1 pouce
pl. 838 = 14 pc sont notables



Augustin
RB 135861
fol. 2171 a

HERBERT
SILBERER

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/jojacobimangetim00mang

JO. JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

Et Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Pruſſiæ Archiatri,

BIBLIOTHECA CHEMICA CURIOSA,

SEU

Rerum ad ALCHEMIAM pertinentium

THESAURUS INSTRUCTISSIMUS:

Quo non tantùm

ARTIS AURIFERÆ,

Ac SCRIPTORUM in ea Nobiliorum Hiſtoria traditur; LAPIDIS Veritas Argumentis & Experimentis innumeris, immò & Juris Conſultorum Judiciis evincitur; Termini obſcuriores explicantur; Cautiones contra Impoſtores, & Difficultates in TINCTURA UNIVERSALI conficienda occurrentes, declarantur:

Verùm etiam

TRACTATUS OMNES VIRORUM

Celebriorum qui in MAGNO ſudarunt ELIXYRE, quique ab ipſo HERMETE, ut dicitur, TRISMEGISTO, ad noſtra uſque Tempora de CHRYSOPOEA ſcripſerunt, cum præcipuis ſuis Commentariis, concinno Ordine diſpoſiti exhibentur.

Ad quorum omnium Illuſtrationem additæ ſunt quamplurimæ Figuræ æneæ.

TOMUS PRIMUS.



GENEVÆ,

Sumpt. CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCC. II.



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

POSTQUAM Encyclopædiam Medicam favente Deô absolvimus, eamque variis Voluminibus, *Bibliothecâ* nimirum *Anatomicâ*, *Bibliothecâ Medico-Practicâ*, ac *Bibliothecâ Pharmaceutico Medicâ*, comprehensam hactenus dedimus; jam pro Auctariô, ac in Curiosorum gratiam *Bibliothecam Alchemicam* subjungimus. Grande sanè quibusdam argumentum, & nulli etiam inter eos quos minimè agitat auri sacra fames spernendum: siquidem præterquàm quòd jam ab ipsis Mundi cunis dignum visum est quod ab iis qui Sapientum nomine veniebant, non frustraneô ac infructuosô labore tractarerur, ut abundè demonstrat Borrichius aliique inter Doctos non pauci; inde ad Medicorum Filios multæ, eæque sanè artificiosę Præparationes inter alias operationes sponte suâ quasi enatæ profluxerunt quibus Medicina nostra non tantùm ornata, sed etiam hominum sanitas, tum præsens corroborata, tum absens tutiori, breviori, & jucundiori quàm prius methodo, revocata est. Valeant itaque Misochemici illi qui magnô conamine, ac tam declamatoriâ voce contra nobilem Artem insurgunt, seu potiùs debacchantur, adeantque Viros undiquaque celebres, magnum scilicet Clauderum, Borrichium mox memoratum, Morhofium & alios tum Veteres tum Recentiores, quorum rationibus si mentis præjudiciis occœcatę pertinacia evinci non possit, nihil prope est quod pro magni Elixyris defensione ulteriùs moliamur.

Faremur equidem inter eos qui fastuosô Adeptorum nomine gloriantur, quique ut alii Midæ, quicquid attingunt se in aurum protinùs vertere posse jactitant, non paucos reperiri, tum fatuos & deliros, qui melancholica sua somnia, ac vapores ex hypochondriis malè affectis in cerebrum elatos, illudque suô contagiô inquinantes, pro revelationibus Cœlestibus & Divinis inspiratibus laborum suorum fidis directricibus venditant; tum tenebriones ac improbos deceptores, qui omnem lapidem movent ac undecunque cursitant, ut malis suis artificiis, magnificisque promissis incautos alliciant & allectos expolient; tum ventosos (si ita loqui licet) homines, qui dum divitiarum aviditate toti turgent, & in aliquem ex Chemicis Autoribus obscuriùs, ut moris est, scribentem, illabuntur, illius sensum sibi absolutè patere confidentiùs opinantur, ac eâ mente magnum Opus aggressi, non minùs quàm montes aureos sibi suisque pollicentur, quamvis inde nihil quàm temporis, facultatumq; in id adhibitarum jacturam, imò sæpiùs infamiam sint reportaturi. Fatemur præterea prudentiores Viros, eosque qui in Chemicis Libris evolvendis, attentiusque ac piâ cum mente perlegendis impalluerunt, non statim ut plurimùm rectam ingredi viam quâ ad auream itur Hermetis Arcem, defessosque sæpiùs ex itinere revertere, quod identidem repetunt, fœliciorem tandem eventum ex iteratis tentaminibus sibi promittentes. Ardua etenim res est ac difficultatibus plena materiæ Philosophicæ acquisitio & possessio.

Verùm nihil de nobilitate ac veritate alicujus Scientiæ, aut Artis ex eô decedit quòd variè aberrantes, imò fraudulentos ac cerebri imbecillioris homines in sinû suô alat; Sic enim reprobanda veniret omnis Religio propter immistos impios, sacrilegos, hæreticos & fanaticos. Exulare deberet Medicina & alia quæcunque Ars generis humani bonô enata & exculta, propter multos qui indoctè, imò malignè ipsas profitentur. Refugiendus esset omnis cibus & potus, quia ex iis in malè affectis prognati sunt morbi quandoque non pauci. Præterea respectu difficultatis in Lapide adipiscendo; quis nescit jam olim pronunciatum, ardua esse quæ pulchra, ac in hujus veritatis emblema virtutis domicilium à Poëtis in rupium quàm maximè abruptarum cacumine positum fuisse? Quid ergo mirum si transmutationis à Philosophis decantatæ via operanti cuique protinus non ita explicabilis fiat,

ut primô acceſſu liberum illi ſit ad divitiarum culmen pervenire, maximíque omnium in hâc miſeriarum valle Dei donorum poſſeſſorem ſtatim fieri? Sique hujus Artis amaſiis frequenter accidat ut poſt multos ſudores & ardores pro formosâ quam expetebant Rachele, in lippam incidant Leam; donec reſumtis laboribus refatigatiſque ſubinde furnis ac vaſis, ſcopum exoptatum, ac magnis precibus, orando ſcilicet & laborando exquiſitum, tandem attingant. Illud etenim in aliis multò minoris momenti negotiis plùs quàm familiare eſt; nec ſanè æquum foret ut quiſquis etiam illotis manibus Magnum Opus adoritur voti compos ſub primô fieret tentamine.

Nec nobis hic oggerant Adverſarii impoſſibilitatem tranſmutationis pro quâ in toto Operis hujus decurſu à Viris doctis pugnatur: Nam etiamſi per nos ipſos aliquid in metallis demonſtrare minimè valeamus, nec propriis oculis eas tranſmutationes uſurpare contigerit quibus aurum & argentum è plumbo, mercurio & aliis inferioribus metallicis materiis magnô autorum ſuorum lucrô conficiuntur; habemus forſan in aliis rebus non minùs ſtupendas, imò dicam multò mirabiliores metamorphoſes: Nam ſi ſpiritus vini defœcatiſſimus & maximè alcooliſatus, totus quantus & ſervatô eôdem materiæ pondere, in terram; ſi ſalia volatilia acerrima, in aquam inſipidam; ſi arborum frondes & rami, in lapideum ac ferruginoſum quid; imò ſi etiam, ut ad metalla tranſeam, ferrum in cuprum per novam particularum inſinuationem, converti queant, ut tum propriâ, tum alienâ experientiâ plùs quam probarum credimus: Quis non videt de plumbô aut mercuriô in aurum &c. minorem eſſe diſtantiam, quam de mox enarratis materiis inter ſe, ac propterea poſſibilitatem tranſmutationis & acceſſionis earum ad invicem deſtruere objectiones omnes quæ contra tranſmutationis metallorum poſſibilitatem in diſtantiâ ab invicem, ac particularum diverſitate fundatas, magnâ cum fiduciâ à Tincturæ oppugnatoribus afferuntur.

At ne ſolis rationibus pro prædictâ poſſibilitate, Lapidiſque veritate pugnare videamur, & in controverſiâ facti hiſtoriis etiam in majorem probationem agamus, præter eas omnes quæ à Clariſſimis Viris Borrichiô, Clauderô, Morhoſiô, Sachſiô, Helvetiô, Beccherô aliiſque in primô hujus Bibliothecæ Librô, fusè adducuntur, ſubjungemus jam alias tùm è propriis ſchedis, tum aliunde rurſus petitas. Duas habet Joh. Jacob. Heilmannus Bipontino-Palatinus in Præfatione ad Theatri Chemici Volum. VI. ubi de veritate Lapidis tam acriter diſputat. Erat, *inquit*, circa annum 1603. Civis quidam Argentinenſis nomine Guſtenhover Aurifaber, is ad Imperatorem Rudulphum ſecundum, Myſterii Naturæ Scrutatorem ſolertiſſimum, de verâ Scientiâ Alchemiæ fuit delatus. Imperator igitur Civem iſtum ſibi mitti vult. Magiſtratus civem ne aufugeret, turri cujus cuſtos Bentz vocabatur, mancipat, eique, habitô conſiliô, quòd iter ad Cæſarem faciendum eſſet per tres ſpectatiſſimos Liberæ Reip. Argentinenſis Viros Doctorem Hartlieb Syndicum, Junth Archigrammateum, & Collefel-Senatorem, nunciat. Quos in perpetuam rei memoriam Guſtenhover tigillis, ſollibus, carbonibus & plumbô inſtructos ad ſe invitat. Sequenti igitur die, rebus ad tranſmutationem paratis, & liquefactô in tigillis plumbô, unicuique illorum perexiguam pulveris projectitii portiunculam chartæ involutam in manus tradit, & ſeparatim in tria tigilla injicere jubet. Quô factô poſt exiguum temporis intervallum, cujuſlibet globulus bombardicus plumbeus in puriſſimum aurum erat tranſmutatus. Hanc hiſtoriam Glaſerus quindecim Virorum Scriba & Colleffelii Senatoris in Conjugio ſucceſſor, poſtmodum Regis Succiæ per Alſatiam Commiſſarius, & tandem Regis Galliæ in tractatione pacis Monaſterienſis interpres, anno 164-. mihi tunc Pariſiis habitanti recenſuit, & globulum in aurum tranſmutatum monſtravit. Cæterùm hunc Guſtenhoverum ex Monachi cujuſdam donô quem in tempeſtate pluviosâ, nymbosâ, hoſpitiô exceperat Tincturæ aureæ poſſeſſorem quidem non verô factorem artis gnarum fuiſſe conſtans fama fuit.

Præter hanc hiſtoriam, illa quoque notatû eſt digniſſima, quam Dienheimius Medicinæ Doctor & Profeſſor Freiburgenſis in Briſgoviâ, in libellô de Lapidis Philoſophici veritate, de Sidoniô Scotô, itineris ſui ex Italiâ Socio meminit, quem poſt multas in itinere habitas de Lapidis Philoſophici poſſibilitate Diſputationes, ſe præſente in ædibus Doctoris Medici Zwingeri Baſileæ circa annum 1603. plumbum in aurum tranſmutaſſe, ſeque partem ex illô in rei memoriam donô accepiſſe fideliter refert. Qui Scotus referente Doctore Tolden, poſtea annô 1604. Coloniæ ad Rhenum ſub turelâ Magiſtratus impavidô animô apertè Tincturam, verificandæ Artis causâ exercuit. *Hactenus Heilmannus*; cujus enarrationi reſpectu poſterioris exempli ſubjungimus quod habet Celeberr. Georgius Wolffgang. Wedelius in ſuâ ad Philalethæ Introitum apertum ad occluſum Regis Palatium Præfatione, quòd ſcilicet portiohem illius plumbi in verum aurum à Sidoniô converſi adhucdum aſſervet Theodorus Zwingerus, aliùs mox memorati nepos, ut ipſe in ſuô Magneris curioſiſſimô Scrutiniô affirmat.

Promptum eſſet alias rurſus adducere hinc inde petitas hiſtorias, at ne nimium excreſcat hæc Præfatio, ab ulteriori illarum tranſcriptione abſtinebimus, duas à fide digniſſimis Viris oculatiſſimiſq; earundem teſtibus nobis cum omnibus circunſtantiis enarratas, ſubnectere contenti. Primam communicavit Clariſſ. ac Spectatiſſ. Dominus Gros Verbi Divini Miniſter dum viveret, fideliſſimus, & Medicinæ Doctor Practicuſque fœliciſſimus, rei Chemicæ non parum gnarus, & hæc eſt.

Vir quidam *Italus* anonymus annô ni fallor 1650. Genevam noſtram appulit, & in hoſpitium cui

Crucis

Crucis viridis insigne appensum cernitur exceptus est. Ibi cùm per diem unum, aut alterum commoratus fuisset, ab hospitii Magistro, nomini *De Luc* (cujus filius etiamnum hodie illic, eandem professionem exercens, inhabitat) expetiit ut sibi aliquis Linguæ Italicæ guarus exquireretur, quôcum varias Urbis partes peragrare, curiosioraque in eâdem occurrentia visere liceret. Mora minimè facta est; cùm etenim Domino *De Luc* Dominus *Gros* 20. tum circiter annos natus, & in hâc nostrâ Civitate studiorum causâ commorans, satis notus esset, ab eô scisciturum ivit utrum officium à prædicto Virô *Italo* expetitum ipsi præstare vellet. Petitioni lubens ille annuit, extraneoque à latere positus ipsi per quindecim dies comes fuit assiduus. Verùm hôc elapsô temporis intervallô, conqueri cœpit *Italus* quòd sibi deficerent nummi, sicque comitem suum non parum perturbavit, cùm pertimuerit ne à se ipso, eorum itidem tum satis egenô, tali adhibitô exordiô mutuam sumere vellet pecuniam. At ipsum fefellit suus timor; nam subinde ex eô percontatus est *Italus*, num aliquem nôsset aurifabrum cujus follibus aliisque instrumentis uti liceret, quiq; varia pro opificiô quôpiam peragendô necessaria suppeditare non recusaret. Indicavit quendam nomine *Bureau* Dominus *Gros*, ad eumque *Italum* continuò deduxit. Ille non invitè & catillos, & stannum purum, & mercurium currentem, & alia à Viro *Italo* expetita subministravit. Quid fit? Aurifaber è propriâ cum exiisset officinâ ne sua præsentia extraneo molesta foret, hicque famulum unicum cum Domino *Gros* sibi comites passus esset, in catillorum alterum stannum, in alterum verò mercurium currentem immisit, prioremque cùm igni follibus incitato admovisset, metallumque contentum sic promptè fudisset, posteriorem ad mercurii tantùm excalfactionem remissiori ac placidiori dedit vulcano, hunc q; sic dispositum stanno fuso admiscuit, nec factâ morâ aliquid ceræ cui pulviseulus ruber immistus erat in consociata metalla projecit. Hinc tumultus aliquis, fumusque multus in catillô exortus; ac longæ non fuerunt discordiæ, siquidem momentô quasi tranquillata sunt omnia, materiaque mox in formas effusa massas sex ponderosiores atque verè auricolores præbuit. Hinc advocatus est aurifaber officinæ magister, ab eôdemque *Italus* exquisivit ut examini rigido ac severo subjiceret materiam quam ipsi offerebat, minimam scilicet è massis illis quas è formis post mox memoratam è catillo effusionem eduxerat. Aurifaber lapide lydiô ac inductâ aquâ fygiâ minimè contentus, portiunculas materiæ sibi traditæ per cupellæ seu cineritii tum fortè parati fortunas, antimoniique voracitatem, cùm sine ullâ ponderis diminutione aliquandiu vexâsset, ductilitatemque eximiam & ponderis perfectionem in metallô vidisset, mirabundus exclamavit se nunquam tale aurum tractâsse, cùmque ejus massulam in omnium quæ suppeditârat pretium multâ cum gratiarum actione ab *Italô* accepisset, abiit *hic* cum Domino *Gros* ad Monetarium publicum nomine *Bacuet* cui aurum suum obtulit, & pro eô duplionum Hispanicorum quantitatem æquiponderatam habuit. Tum viginti dupliones Domino *Gros* pro officio sibi amicè præstitô dono dedit, & postquam hospitii sui magistro pecuniam pro impensâ quam apud ipsum fecerat ad absolutam satisfactionem numerâsset, quindecim præterea dupliones addidit, ut ex iis per dies aliquot cum Dom. *Gros* & Dom. *Bureau* apud quem operatus fuerat, lautè viveret, sibique cænam opiparam continuò interim parari jussit, ut ex ambulatione quadam redux cum prædictis viris comedere liceret. Verùm sic ille evasit nec ampliùs visus est, sui desiderium imò admirationem relinquens iis qui ipsum nôrant, & præterea pecunias prædictas quibuscum ad totalem earundem consumptionem pro donatoris institutô apparatè vixere.

Secundam historiam annô 1685. mihi exposuit Vir Reverendiss. ac Illustriss. magnô suô meritô jam Episcopatum in Anglia occupans; qui identidem tum mihi exhibuit frustillum metalli de quô mox dicendum ponderis unciæ ad minimum dimidiæ. Historia autem hæc est. Vir quidam ignotus & veste sordidiori amictus aliquando Illustriss. Boyleum adivit, atque post aliquod de laboribus Chemicis colloquium ab eô exquisivit ut per famulos (scil. prædicti Boylei) antimonium cum aliis quibusdam materiis metallicis admodum vulgaribus, & in ipsô Nobiliss. Boylei laboratoriô tum fortè fortuna occurrentibus, in catillum projiceretur, catilluque in furnum fundendis metallis aptum immitteretur. Quod cùm peractum fuisset, contentáque catilli jam fusa cernerentur, idem Vir ignotus prædictis famulis pulviseulum exhibuit, quem in eundem catillum conjicerent, momentôque abiit jubens ut catillus in furno contineretur ad ignis absolutam extinctionem, & præterea promittens se post aliquot horas reversurum. Verùm cum promissi oblitus, nec per totam illam diem, nec per subsequentem visus fuisset, ut nec etiam unquam postea, Dominus Boyleus tigillum è furno educens in illô conspexit materiam verè auream, quam examinibus omnibus subjiciens pro aurô probô habere coactus est, præterquàm quòd ponderis esset paulò inferioris: Atque hæc est illa ipsa materia cujus portionem non sine admiratione vidi apud Illustrissimum Virum historiam mihi benevole ut in hujus enarrationis initiô dixi communicantem.

Adstructa hucusque rationibus ac historiis Artis Auriferæ seu transmutationis metallicæ possibilitate ac veritate, nihil ampliùs in tam litigiosô adderemus argumentô, ni Lectori Curiosô nos gratificaturos arbitraremur si hic processus duos adferremus; primum quidem ex Clariss. Caroli Musitani Mantissa ad Minsichti Armamentarium Chymicum adjecta exscriptum; Secundum verò à quodam Illustriss. magnô pretio nuper redemtum ac nobis communicatum, at hactenus experimento proprio minimè probatum.

Primus

Primus Proceſſus hic eſt. Fiat vini ſpiritus rectificatiſſimus, qui per repetitas ſublimationes ita phlegma deponat, ut totus cremabilis, ſulphureus & volatilis, evadat verum alkool, & ita fugax, cujus gutula effuſa terram non attingat, ſed evaneſcat in auras, & hoc erit primum noſtrum menſtruum. Tunc recipe mercurium ex cinnabari redivivum more ſolito per cornutam, & habebis mercurium puriſſimum omni labe, impuritate & ſophiſticatione expertem. Accipe dictum mercurium redivivum, quem adhuc ſale & aceto deſtillato expia, in vaſe vitreo perpetuò diſturba & fortiter concute, ut acetum atra imbuatur larva, quod decanta & recens affunde, & hoc toties reitera donec non ampliùs nigreſcat. Tunc advertes mercurium valdè coruſcum, ut fulgor, quod optimi mercurii erit pro opere noſtro argumentum. Tum recipe hujus mercurii reſuſcitati partes quatuor, mercurii meteoriſati propria manû parati partes octo, in mortario ligneo, & piſtillo ligneo unà miſce, quouſque nullum mercurii vivi granulum ampliùs appareat, quod non ægrè terendo & miſcendo aſſequeris. Poſtmodum hanc miſturam aludeli inde, & igni arenæ committe, & temperatum ſublimationis adhibe ignem, quem ſenſim ſenſimque intende, donec materia tota meteoriſetur, hanc dextrè collige, & iteratò, ut prius operatus fuiſti, quinquies meteoriſa. Tunc ſublimatum ſummoperè nectareum & cryſtallinum poſſidebis. Hoc eſt ſal noſtrum, ſal ſapientum, quod mira operatur. Hoc tere in mortario ligneo, & in pollinem redige, pone in cucurbita vitrea, ſuperfunde ad duorum, vel trium digitorum eminentiam ſpiritum noſtrum igneum ſuprà præparatum, & Hermeticè claude, & in lentiſſimo igne digere per horas 74. aliquoties in die movendo, & agitando. Hoc exacto tempore, deſtilla lento igne, & eructabit vini ſpiritum unà cum ſpiritu mercuriali; hunc in vaſe bene clauſo, ne exhalet, aſſerva. Reſiduo ſali reaffunde ſpiritum noſtrum igneum, ut ſuprà claude, digere, deſtilla & cuſtodi, & toties repete donec ſal noſtrum ſit toraliter ſolutum & per alembicum aſcenderit cum ſpiritu noſtro igneo. Magnum jam opus perfeciſti; jam mercurius noſter partialiter factus eſt volatilis; jam ſenſim aptus erit ad Solis vel Lunæ recipiendam tincturam. Verùm magnum perfeciſti opus; immenſas ergo Deo redde grates, qui huc uſque hoc opus mirabile produxit. Jam vides quòd hoc opus toraliter ſit naturale, & partialiter artificiale. Nec hoc magnum opus tibi cimmeriis obvolutum tenebris deſcripſimus, ſed Sole clariùs, ut noſtri Priſci nobis ſemper parabolis, hyeroglificis, fabulis & ænigmatibus impoſuerunt. His ergo omnibus numeris abſolutis, accipe ſpiritum noſtrum mercurialem, ſpiritum igneum, qui ventre ſuo chalybem noſtrum magicum occultat, & inde retortæ vitreæ, cui recipiens connecte, juncturis optimè clauſis, & lentiſſimo igne ſpiritum vini igneum abſtrahe; & remanebit in vaſis fundo quinta eſſentia mercurialis, ſive anima mercurii, quam fortiori igne propelle per retortam, ut planè volatilis fiat, ut omnes loquuntur Philoſophi:

Si fixum ſolvas facieſque volare ſolutum,
Et volucrum figas faciet te vivere tutum.

Hæc eſt Luna noſtra, fons noſter, in quo ſe lavent Rex & Regina. Serva hanc pretioſam quintam eſſentiam mercurialem jam ſummè volatilem in vaſe bene clauſo ad ulteriorem uſum. Nunc progrediamur ad auri vulgi operationem, quam ſine fuco, verborum ambagibus & invidia communicamus, ut ex auro vulgi aurum noſtrum Philoſophicum habeamus, ſic ut ex vulgi mercurio, Philoſophorum mercurium, mediante philoſophica operatione noſtra paravimus. In nomine ergo Domini recipe aurum vulgi, purifica illud vulgari more per antimonium, & in granula converte, quæ ſale & aceto laventur, & ſatis purum erit. Hujus ergo auri recipe partem unam, cui ſuperfunde eſſentiæ noſtræ quintæ, ſeu mercurii animæ partes tres, ut numerant Philoſophi, à ſeptem nempe ad decem, ita etiam & nos numeramus, eſt itaque numerus noſter Philoſophicus, igitur à tribus & uno exordimur. Matrentur ſimul, ut ſponſus cum ſponſa ad procreandos ſui generis fœtus, & mediante calore noſtro Philoſophico, videbis aurum vulgi ſubmerſum, & planè in deliquium coïviſſe, quoniam eſt ſui generis, & aurum ex hoc fonte originem ducit: propterea matris inſtar eſt ipſi, & ratione hujus mirabilis fontis convertitur aurum vulgi in aurum noſtrum, quod Philoſophorum nullus huc uſque detexit. Jam conſummatum eſt matrimonium; jam de duobus factum eſt unum, ita ſulphur Philoſophicum in promptu eſt, & ut aiunt Philoſophi, *ſulphure ſoluto, lapis in promptu eſt.* Gaude & exulta, quia Attalicum theſaurum poſſides, & interim roga Deum, ut cœpta tua ulteriùs ſecundet, ut huc uſque propitius fuit. Accipe ergo in Dei nomine vas noſtrum Philoſophicum, in quo Rex & Regina, tanquam in thalamo ſe amplectuntur, & colloca in balneo noſtro Philoſophico, & eò uſque relinque, donec aqua terra facta fuerit; tunc facta eſt pax inter aquam & ignem, jam elementa nullam ampliùs contrarietatem habent, quia cùm elementa converſa fuerint in terram non ampliùs contratiantur, quoniam in terra cuncta elementa quieſcunt: Inquiunt enim Philoſophi, *Cùm videris aquam coagulare ſe ipſam, ratus es ſcientiam eſſe veram, & operationes tuas eſſe verè Philoſophicas.* Aurum vulgi jam non eſt ampliùs vulgi at noſtrum, ſeu Philoſophicum, ob operationes noſtras, primò ſummè fixum, deinde ſummè volatile, denique ſummè fixum, & in elementorum converſione tota ſcientia pendet. Primum aurum erat metallum, nunc ſulphur cuncta metalla in ſuum ſulphur convertere potens. Jam tinctura noſtra facta eſt totum ſulphur, quod energiam habet omnes morbos in priſtinam vertendi ſalutem. Hæc eſt noſtra medicina univerſaliſſima contra omnes humani corporis etiam deploratiſſimos morbos. Infinitas ergo omnipotenti Deo redde grates pro omnibus his quæ nobis contulit, & tu, cùm

adeptus

adeptus fueris, amabo, ne inopum obliviſcaris, ne Deus tui obliviſcatur. In hoc noſtro Opere magno duo fermentandi & projiciendi modi deſiderantur, quibus ſuppreſſis non facilè qui hos non callent operis artificium aſſequuntur, ac proinde fermentandi modus talis eſt. Accipe ſulphuris noſtri prædicti partem unam, & projice ſuper tres partes auri puriſſimi in crucibulo fuſi; & in momento videbis aurum vi ſulphuris converſum in ſulphur auri rubeum inferioris qualitatis ut primum ſulphur; cujus accipe iterum partem unam, & denuò projice ſuper tres partes auri fuſi, & iterum convertetur in ſulphur, ſeu maſſam frangibilem; cujus iterum accipe partem unam ſuper tres auri partes, & habebis metallum malleabile & extenſibile. Si ſic invenies, bonum, aliter adde aliud ſulphur, & iterum abibit in ſulphur. Tunc ſatis fermentatum erit ſulphur, ſive medicina noſtra ad naturam metallicam. Projiciendi modus talis erit. Recipe hujus ſulphuris fermentati partem unam, & projice ſuper decem partes Mercurii vivi in crucibulò calefacti, & habebis metallum perfectum; ſi non ſatis coloratum eſſet, funde iterum & adde aliud ſulphur fermentatum, & ita coloratum. Si frangibile evaderet, adde mercurii vivi ſuffi.ientem portionem, & erit omnibus numeris abſolutum. Jam habes hic, Amice, deſectiptam univerſalem medicinam, tam pro ſalute ad quoſcunque humani corporis morbos profligandos, & ad vitam producendam, quàm ad tranſmutanda in aurum perfectiſſimum cuncta metalla. Redde itaque Omnipotenti Deo infinitas gratias, qui humanarum calamitatum miſertus, tandem hôc noſtrô ævô inexhauſtum theſaurum nobis revelavit, & nos ad commune commodum patefecimus: præ omnibus pro tanti muneris largitate, ne delinquas in conſpectu ejus oramus, aliter ſi feceris, ſine aurô evades Midas auritus.

Secundus Proceſſus hic eſt. Recipe ſalis alkali, ſalis gemmæ, ſal. armon. & tartar. vini albi ana ℥j. diſſolvantur ſeorſim in aquâ pluviâ deſtill. filtrentur & evaporentur in vaſe vitreô ad Salis puri exſiccationem. Hic labor ter repetitus, exhibebit ſalia idonea operi de quo in ſequentibus, ac propterea illa erunt ſeorſim aſſervanda in vitreis vaſis mundis, ac probè obturatis.

Recipe uniuſcujuſque ſalium præmemoratorum ℥vj. terantur in alkool ſuper porphyrite lapide, aut aliô quôcunque durô, quô pictores in coloribus comminuendis utuntur, adde reguli antimonii, ex tartari & antimonii partibus æqualibus cum quarta nitri parte modô ordinariô parati, ℥iij. Mercurii vivi in ſpir. vini & acetô probè loti, ℥iij. Regulus cum ſalibus ſimul conterantur in pollinem ſubtiliſſimum, cui in ligneum mortarium immiſſo, mercurius currens adjiciatur, continueturque detritio ac agitatio materiarum donec dictus mercurius omnino abſorptus videatur. Immitte hanc materiam in vas vitreum circulatorium, in eamque conjice ſpiritus urinæ rectificatiſſimi ℔ß. cum ejuſdem urinæ ſal. volatil. ℥j. & ſal. fixi ℥ß. lutentur junctura lutô infrà deſcribendo & per 15. dies integros in digeſtione lentâ reponatur. Poſtque reapertô vaſe adde ſpir. vini rectificatiſſ. ℔ß. obtura ut prius vas pelicanatorium, & repone rurſus per alios octo dies in digeſtione lentâ, quâ materiæ probè uniantur. Reaperiatur vas, & additâ ſpir. ſangu. humani rectificatiſſ. ℔ß reobturetur ut priùs, lentaque continuetur digeſtio per alios quindecim dies. Hiſce peractis contenta omnia vaſis circulatorii in matratium longioris colli immittantur hocque in cinerum balneo reponatur, ut lentô igne deſtillentur; quæ deſtillatio menſtruum operi noſtro neceſſarium tibi exhibebit. Recipe menſtrui per deſtillationem prolecti partem dimidiam, eamque ſuper materias in vaſe circulatoriô reſtitantes, ac non bene ſolutas reaffunde, itaut materiis prædictis tres digitos ſuperemineat, lutô rurſus obturetur vas, inque capſulam cineribus plenam immittatur ad eam profunditatem ut quicquid materiæ eſt in iis bene ſepultum cernatur; adhibe ignem digeſtorium, illumque in eodem tenore per ſeptimanas ſex integras continua. Quibus exactis clarum menſtruum decanta, novumque reſiduis materiis affunde, luto juncturas obtura, ac rurſus per integros duos menſes ut priùs digere: poſteaque decantatô menſtruô, & novô additô, cum exacta materiarum ad fundum uſque vaſis agitatione, & per ſpatulam ligneam commotione, lutum inducatur, vaſque digeſtioni paulò intenſiori, regiſtris ſcilic. furni aliquantulum adapertis, per tres menſes reponatur. Hôc exactô temporis ſpatiô vas è capſulâ ſua eximatur ac aperiatur, menſtruumq; contentum ad ultimam uſque guttulam decantetur; rurſuſque fæcibus ſpiritum roris majalis ad quatuor digitorum eminentiam affunde, obturetur vas ſine lutô & per tres dies calori lento committatur: abſtrahe ſpiritum roris, novumque adde, & digeſtionem rurſus per tres dies repete, eundem laborem toties iterando quoties neceſſarium fuerit pro totali ſalium acrimoniæ ablutione, ac uſque dum materia contenta coloris videatur griſei cineritii. Materiam poſtea ſpiritui roris majalis miſce, probè ablue & in vitreum vas fundi largioris promptè projice, & poſtquam conſederit, quantum fieri poterit, quicquid erit lympidi liquoris decanta, eamque materiam ſuper calore cinerum exſicca, ita ut in pulverem abeat griſeum, quem ſuper lapide porphyrite quàm ſubtiliſſimè conteres. Tunc habebis materiam tuam probè paratam. Recipe igitur hujus materiæ cerâ, aut chartâ ceratâ obvolutæ ℥j. cupri veteris, ad modum inferiùs deſcribendum purgati, ℥iiij ß. aut ℥v. immitte in crucibulum aptum, crucibulumque carbone latô coopertum in ignem intenſiorem conjice, ita ut materiæ contentæ per horæ quadrantem quàm maximè bullient. Poſt prædictam materiam in formas furfure triticeô conſperſas infunde, eaſque linteô madidô obvolutas frigeſcere ſine. Tunc materiam è formis eductam cupellæ cum octo plumbipuri partibus impone: habebis argenti puri ℥iij. & auri ℥ß.

Pro *Luto* conficiendo ac usurpando ad operandum. Primò ori vasis pelicanatorii, seu circulatorii, adaptetur obturamentum ligneum, seu subereum non porosum, quod exquisitè ungatur albumine ovi probè conquassatò. Tum recipe calcis vivæ, minii, lithargyrii, ac crystalli Veneti in alkool pulverati partes æquales, albi Hispanici partem dimidiam, cum ovorum albuminibus agitando commiscentur, & postquam bene unita fuerint, extende super obturamentum, linteum forte, sed non nimis crassum, illudque lutò prædictò liniatur; plures lintei ac luti applicationes iterando, donec vas satis obturatum sit.

Cuprum purgatur sequenti modò. Recipe Sal. commun. tartari vini, aluminis ana ʒß. conterantur in pulverem subtilissimum, ac dissolvantur in aquæ communis ℔vj. Rubefiat cuprum in igne intensiori, ac ter in aquâ prædictis salibus imprægnatâ extinguatur. Sic erit purgatum.

Sal volatile & fixum, ut & *spiritus urinæ* sic parantur. Recipe urinæ puerorum 12. circiter annos natorum & vinum bibentium q.s. reponatur in magnis vasis vitreis, ita ut repleantur ad tres quartas, obturentur exactè, & per sex septimanas in locò calidò pro putrefactione collocentur: post contentum destilletur ex balneo arenæ tenuis cribratæ. Postquam omnia ascenderint, non tamen ad desiccationem, ne scilicet matracium abrumpatur; (in hac autem destillatione duo dies integri sunt insumendi) quando, inquam, ea omnia quæ ascendere debent ascenderint, recipe spiritum destillatum, illumque fœcibus restitantibus reaffundendo, secundò, ac etiam tertiò, cum eôdem labore destilla, observando tantùm ut tertiâ vice materiæ ad siccitatem absolutam propellantur. Infunde liquorem destillatum in vas longissimi quàm fieri potest colli, superque eô adapta capitellum superiùs adapertum, cujus aperturæ item capitellum aliud minus ac cæcum impone, junctura probè lutando; tum matratium in cinerum balneò colloca, ac per tres horas ignem ita admove, ut primò lenis admodum post intensior paulò fiat, donec quasi sudoris guttulæ undique in eô deprehendantur, tunc enim indicium habetur quod sal volatile ad capitellum cæcum evehitur; cùmque liquor ebullire inceperit, matracium è cineribus ad dimidium extrahatur, remotoque igne frigescat capsula, ut eâ frigefactâ, vasisque extractis, sal volatile capitelli parietibus adhærens educi queat. *Sal fixum urinæ* paratur ex fœcibus primæ destillationis, scilicet illas pluries calcinando, dissolvendo, filtrando, ac evaporando, donec scilicet sal adeptus sis fixissimum, album, quod tandem in crystallos facilè cogitur. *Spiritum* autem *urinæ ardentem* quod attinet. Recipe liquorem post extractionem salis volatilis modò præmemoratò factam, residuum, repone in matraciò longioris colli, ac destillando ad tres quartas, habebis spiritum urinæ ardentem.

Spiritus Sanguinis Humani ita paratur. Recipe sanguinis hominis sani, inter 20. & 30. annum constituti q. s. contineatur in vasis vitreis largioribus & apertis per 24. horas, tuncque serum effundendo, partem coagulatam in vasa vitrea immitte illaque probè obturata, in locò calidò per mensem integrum, scilicet ad absolutam putrefactionem, repone. Tuncque ut mox de urinâ dictum est destilla.

Spiritus vini ita paratur. Recipe vini generosi q. s. destilletur ex cineribus modò ordinariò, donec scilicet phlegma ascendere incipiat. Recipe rursus aliud vinum, illudque eôdem modò destilla; laboremque repete donec satis tibi sit spiritus vini, quem in matratium longioris colli immittas, hujusque matratii orificio aptetur linteum quod postquam circumligatum fuerit in prædictum collum paulò profundiùs intrudatur, cavum quod sic efficitur crustulis panis albi replendo; operiatur cavitas sic repleta panno albo laneo, oleò olivarum imbutò, capitellumque vitreum pòst aptetur, ac lentò igne materiæ destillentur: Spiritus purus in vas recipiens abibit, dum phlegma totum crustulis panis, ac panno oleò imbuto, adhærebit. Si idem secundò repetas, nobiliorem spiritum nanciscēris.

Spiritus roris maialis paratur sequenti modò. Recipe roris aut pluviæ maialis, aut itidem nivis exeunte Martio aut ineunte Aprili collectæ q.s. ex iisque modò ordinariò spiritum destilla.

Exaratis jam duobus processibus, multis forsan non displicituris, quamvis non æque Magni & Nobiles, ac suis Authoribus reputati sunt, nobis videantur, ut nec sanè alii innumeri per totam Bibliothecam respersi, clauderemus Præfationem nostram aliquid tantùm de compilationis dispositione ac distributione subjiciendo; verùm priùs diluenda venit illa objectio quâ Chemici impietatis ac prophanationis eò arguuntur quod Sanctissimis Scripturæ Divinæ Oraculis, in opere suò, magnò artis opprobriò, non parum, ut quibusdam placet, abutantur. Præterquam quòd etenim Adeptorum doctrina nihil magis quàm pietatem & morum Sanctimoniam spirat, quandoquidem undiquaque edocet nullum unquam in laboribus Philosophicis profecturum qui cor Sæculi impuritatibus vacuum non habuerit, quique se integritate morum, charitate in proximum, & aliis in genere virtutibus Christianis Deo Maximo Operis Præsidi ac Directori commendatum non fecerit. Quis non videt Sententias è Sacris Codicibus desumptas, prophanò sensù apud ipsos minimè usurpari, quandoquidem se continuò coram Deò consistere; ac ipsum furnis non aliter quàm dumeto ardenti Mosi in desertò conspicuo, insidere arbitrati, non tantùm cum corde humili, & discalceatis, ut ita dicam, pedibus, Magnum Veteris Populi Legislatorem imitati, ad Luminum illum Patrem accedunt; sed etiam omnem navant operam ut se verbis & operibus,

Magno

Magno omnis doni perfecti Donatori ac Distributori, puros & acceptos præbeant : Nihilque propterea in Sacris Paginis intactum relinquunt quò Numinis gloriam devotò celebrent animò, canticisque in ejusdem conspectû, non secùs ac Pius ille Rex David coram Arcâ, Divinæ præsentiæ symbolô, ac monumentô, seu potiùs, si ita loqui licet, Numinis habitaculô, cùm post longam absentiam Hyerosolymam reportaretur, magnâ vi exultent : atque non aliter excipiunt homines qui insanire eos, ac in tantâ verborum exultatione prophanare reputant, quàm idem Rex Conjugem suam Mical sibi quosdam motus aliô forsan omni locô & tempore indecoros, exprobrantem excepit. Quid igitur mirum si viri taliter affecti, Deoque continuò & quasi de facie ad faciem se assistere opinantes, toti in virtutum, ac præcipuè Misericordiæ Divinæ erga humiles, celebratione occupentur ? Absit interea ut probemus quæ phantasmatis suis forsan quandoque nimiùm abrepti de Trinitate, atque Incarnationis & Passionis Christi Salvatoris nostri mysteriis, liberiùs quàm par est & verè abusivè laboribus suis quidam quandoque applicant.

Tractatus Collectionem hanc constituentes, eorumque dispositionem quod spectat ; monendus venit Lector nos hic præter Epistolas quasdam Sendivogio adscriptas, manuscriptos Codices quàm pauciſſimos inseruisse, quamvis innumeri, tum Româ, tum Basileâ, tum ex aliis locis, à Viris in hisce studiis quàm maximè versatis nobis amicè offerrentur ; quia scilicet non ita tutum est iis uti, postquam quicquid selectius in totâ Europâ repertum est, jam ab aliis in eodem argumento qui variis temporibus compilationes instituerunt, consarcinatum est. Itaque ideam à Magno Borrichio in suô Chemicôrum Celebriorum Conspectu propositam complere contenti, undecunque conquisivimus quô illi satisfaceremus, imò intersertis etiam subinde aliis Studio Chemico apprimè facientibus, & secundùm ordinem temporum quibus Autores scripserunt dispositis, perfectiorem etiam traderemus. Verùm quia non satis Curiosis omnis ordinis fuisset si Tractatus præcipuos super Magnô Opere conscriptos in unum collectos corpus exhiberemus: ni priùs de Alchemiæ Historiâ, Lapidis veritate, ac Terminis Artis aliquid prælibassemus ; totum primum Bibliothecæ nostræ Librum, ex hisce confectum damus, ut videri poterit in argumentô ipsi præmissô. Respectu verò Dispositionis Tractatuum, Bibliothecam complentium facillimum erit illam in Indiculô mox subsequuturo videre, ac propterea ab eâ ulteriùs explicandâ jam abstinemus.

INDEX
TRACTATUUM ET CAPITUM
IN
BIBLIOTHECA CHEMICA
CVRIOSA CONTENTORVM.

BIBLIOTHECÆ CHEMICÆ CVRIOSÆ

LIB. I. SECT. I. SUBSECTIO I.

De Ortu & Progressu Chemiæ Dissertatio, Autore Olao Borrichio Medico Regio & in Academia Hafnienſi Profeſſore publico. Tom. I. Pag. 1

SUBSECTIO II.

Conſpectus Scriptorum Chemicorum Celebriorum eôdem Autore. Tom.I. p.38

LIB. I. SECT. II. SUBSECTIO I.

Athanaſii Kircheri de *Lapide Philoſophorum* Diſſertatio. 54

Cap. I. Quid ſit Lapis Philoſophorum, & an ejus ope verum & naturale Aurum arte produci poſſit. Ibid

Cap. II. Utrum vera & realis transmutatio unius metalli in aliud detur. 59

Cap. III. De Lapidis Philoſophorum & Tincturæ conficiendæ modô & ratione. 62

Cap. IV. Perfectum Artis Magnæ Magiſterium à Lullô, Azothô, cæteriſque examinatur. 66

Cap. V. Quo Alchymicos Proceſſus antè adductos ſubſiſtere non poſſe docetur. 68

Cap. VI. Omnia Chryſopœias tentamina ex Arnoldo Villanovano &c. demonſtrantur. 70

Cap. VII. Objectiones pro dictis Proceſſibus eorumque Autoribus, confutantur. 75

Cap. VIII. De dolis & deceptionibus, modiſque queis Alchimiſtæ verum aurum ſe conficere poſſe uti olim jactitarunt, ita & hodierno die jactitare adhuc non ceſſant. 79

Cap. IX. Quòd Dæmon ut plurimum ſe Alchimiæ cultoribus immiſceat. 81

De Alchimia Sophiſtica, id eſt de illa Alchymia quæ aurum & argentum Cupro, Plumbo, Stanno, jungens, inde Aurum magnô augmentô conflat.

Cap. I. De variis variorum Sophiſticis operationibus falſis & illicitis. 82

Cap. II. De licitô, vel illicitô Chymicorum Aurificiô, quod per appoſitionem vocant, ſive quô pars ad partem, id eſt Auro metallum quodlibet junctum, illud multiplicet. 85

Cap. III. De Chryſopœia artificiali Chymicorum. 93

An Aurum Chymicum ſit licitum.

Cap. I. Utrum Aurum Chymicum, quâcunque tandem ratione factum, licitè pro verô vendi poſſit. 101

Cap. II. Deciſiones Juridico-Canonicæ de Aurô Chymicô falsô & verô 104

Cap. III. Quidnam propriè apud veteres Alchymiſtas Lapis Philoſophorum fuerit, & quid tandem priſci Philoſophi, eorumque moderni Sectatores, per eum intellexerint, aperitur. Ibid.

Conſectarium antitheticum, quô totum aliud per Magnæ Artis Magiſterium, ab eô quod falſi Alchymiſtæ promittunt, à veris Philoſophis intelligi ex hac uſque dictis ſummatim oſtenditur. 109

SUBSECTIO II.

Interpellatio brevis ad Philoſophos pro *Lapide Philoſophorum* contra Antichimiſticum Mundum Subterraneum Athanaſii Kircheri Jeſuitæ Autore Salomone de Blauvenſtein To.I. 113

SUBSECTIO III.

Tractatus de *Tinctura Vniverſali*, ubi in ſpecie contra R. P. Athanaſium Kircherum pro exiſtentiâ Lapidis Philoſophici diſputatur, Autore Gabriele Clauderô M D. Tom. I. 119

Cap. I. Exhibens occaſionem ſcribendi. Ibid.

Cap. II. Tradens quid ſit Tinctura Univerſalis. 121

Cap. III. Quòd detur in rerum naturâ. 126

Cap. IV. Ventilans an conſultum ſit Chriſtiano immediatè in Tincturam Univerſalem inquirere. 141

Cap. V. Declarans è quâ materiâ præparetur Tinctura Univerſalis. 148

Cap. VI. Monſtrans quô modô præparetur Tinctura Univerſalis. 159

SUBSECTIO IV.

De Metallorum Tranſmutatione ad Virum Nobiliſſimum Joelem Largelottum, Seren. Princip. Cimbrici Archiatrum, Epiſt. Danielis Georg. Morhofi, Profeſſor. Kilonienſis. Tom. I. 168

SUBSECTIO V.

Aurum Chymicum D. Philippi Jacobi Sachs à Levvenheimb. 192

SUBSECTIO VI.

Vitulus aureus quem mundus adorat & orat, in quo tractatur de rariſſimô Naturæ Miraculô Tranſmutandi Metalla, nempe quomodo tota Plumbi Subſtantia, vel intra momentum, ex quavis minimâ Lapidis veri Philoſophici particulâ in Aurum obryzum commutata fuerit Hagæ Comitis; Autore Joh. Fridericô Helvetiô. Tom.I. 196

Cap. I. De veritate Lapidis Aurifici. Tom.I. p.197

Cap. II. De eadem veritate varia Scripta 199

Cap. III. Hiſtoria, de quâ præcipuè in hoc tractatu Autor. 201

Cap. IV. Colloquium inter Eliam Artiſtam & Medicum. 205

SUBSECTIO VII

De Iure Artis Alchemiæ, hoc eſt variorum Autorum & præſertim Juriſconſultorum Judicia & Reſponſa ad Quæſtionem, An Alchemia ſit Ars Legitima? Colligente Joh. Chryſippô Fanianô. Tom.I. 210

LIB. I. SECT. III. SUBSECTIO I.

Lexicon Chymicum, Autore Gulielmo Johnsoniô Chymicô. Tom. I. 217

SUBSECTIO II.

Petri Joh Fabri Medici Regii Gallici Celeberrimi Manuscriptum ad Serenissimum Holsatiæ Ducem D. Fridericum olim transmissum, *Res Alchymicorum obscuras extraordinariâ perspicuitate explanans.* Tom. I. 291

Cap. I. An Lapis Philosophorum sit in rerum naturâ. 292

Cap. II. Lapis Philosophorum quid sit in rerum natura. 293

Cap. III. Quale habet corpus Lapis Philosophorum, & quâ veste induitur. Ibid.

Cap. IV. Quibus nominibus insigniatur Lapis Philosophorum. Ibid.

Cap. V. An Lapis Philosophorum cum Terrâ suâ & Spiritu sufficiat in se ipsô ad ultimam perfectionem obtinendam? 294

Cap. VI. An aurum, vel argentum, vel quodvis aliud metallum requiratur ad perfectionem Lapidis nostri consequendam? 295

Cap. VII. Quare Lapis noster sit trinus & unus? Ib.

Cap. VIII. Qualis sit Philosophorum Mercurius, qui in se omnia necessaria habeat ad Lapidem Philosophorum consequendum? Ibid.

Cap. IX. Quale sit Sulphur Philosophorum, quod Opus nostrum cum Mercuriô perficiat. 296

Cap. X. Quale sit Sal Philosophorum cujus opè Mercurius & Sulphur perficiantur in Lapidem Philosophorum? Ibid.

Cap. XI. De solutione salis nostri ut per sublimationem & destillationem Mercurium & Sulphur nostrum habere valeamus. Ibid.

Cap. XII. Quo tempore coctionis Mercurii nostri metalla perfecta illi sint addenda. 297

Cap. XIII. An in Mercuriô nostrô peragendô, sint variæ & distinctæ operationes. Ibid.

Cap. XIV. An in Butyrô & pinguedine nostrâ sint Mercurius, Sal & Sulphur inseparabiliter conjuncta? Ibid.

Cap. XV. Aurum & Argentum vulgi quare mortua dicantur, & quâ viâ à mortuis resuscitari dicantur? 298

Cap. XVI. An in Cineribus vel in Balneô Mercurii nostri putrefactio fieri possit, ut inde Butyrum & pinguedo nostra extrahatur? Ibid.

Cap. XVII. De Fermentô Philosophorum, quid & quale sit? Ibid.

Cap. XVIII. Quid sit & qualis Dràco noster, caudam suam devorans? 299

Cap. XIX. Quale & quid sit Mare nostrum in quô sunt duo pisces mirâ pinguedine præditi. Ibid.

Cap. XX. Qualis & quæ sit Hydra Chymica septem habens capita? Ibid.

Cap. XXI. Qualis sit illa Conjux & Mulier maritos suos omnes enecans & interficiens? 300

Cap. XXII. De Salamandrâ Chymicorum, quæ & qualis sit? Ibid.

Cap. XXIII. Quid sit nigram feram in Sylvis esse, quæ dum nigredinem deponit, mirâ albedine induitur? Ibid.

Cap. XXIV. Quid sit apud Chymicos alatus Leo, & sine alis alter, & ex duobus Leonibus unum fieri debere? 301

Cap. XXV. De Lapide conficiendô. Ibid.

Cap. XXVI. De Purô Naturæ, quid & quale sit & quotuplex? Ibid.

Cap. XXVII. Purum Minerale & Metallicum quomodo præparandum sit & habendum? 302

Cap. XXVIII. Quâ viâ ex tribus regis [illegible] Mercurius Philosophorum? Ibid

Cap. XXIX. De Liquore Alkaest, quid sit & qualis sit? 303

Cap. XXX. An ex liquore Alkaheſt simplici vel composito Lapis Philosophorum confici possit? Ib.

Cap. XXXI. Cur Liquor Alkaheſt reducat omnia in primam materiam sine ulla diminutâ sui actione? Ibid.

Cap. XXXII. An liquor Alkaheſt postquam metalla perfecta in materiam primam reduxerit, sit ex metallis dissolutis separandus, vel cum ipsis relinquendus, ut coquantur simul ad perfectionem ultimam? 304

Cap. XXXIII. An Liquor Alkaheſt habeat in se Sal, Sulphur & Mercurium Philosophorum? Ibid.

Sequuntur Epistolæ aliquot prædicti D. Fabri 304. & seq.

SUBSECTIO III.

Oedipus Chymicus, obscuriorum Terminorum & Principiorum Chymicorum Mysteria aperiens & resolvens; Autore Joh. Joachimô Becherô Spirensi M. D. Tom. I. 306.

Titulus I. De Primâ Materia Chimicorum. Ibid.

Titulus II. De Principiis Substantiæ, nempe Sulphure & Sale. 312

Titulus III. De Principiis Qualitatis, nempe Mercuriô, Sulphure & Sale. Tom. I. 315

Titulus IV. De quatuor Elementis Chimicè sumptis, nempe Igne, Aere, Aquâ & Terrâ. 324

Titulus V. De Generatione, Spermate, Menstruô, Matrice, Pondere, Calore. 326

Titulus VI. De Chimicorum sex operationibus realibus, Secretione, Decretione, Solutione, Coagulatione, Destructione, & Plusquamperfectione. 328

Titulus VII. De Septem requisitis Artificis, nempe de Terminis, Instrumentis, Materiis, Operationibus, Scriptis Chimicis, Methodô Chimiæ studendi, Methodô chemicè philosophandi. p. 331

LIB. I. SECT. IV. SUBSECTIO I.

De *Alchimiæ Difficultatibus* Liber, in quo docetur, quid scire, quidque vitare debeat veræ Chemiæ studiosus ad perfectionem aspirans; Autore Theobaldo de Hoghelande Tom. I. 336

Pars I. De Impedimentis artificem remorantibus quô minùs ad pretiosæ hujus scientiæ notitiam & finem pervenire possit. 340

Pars II. In quâ de difficili librorum intellectu agitur. 346

Pars III. In quâ de difficultate Praxeos agitur. pag. 355.

Pars IV. Quæ Artem Chemicam cuique vitandam concludit. 365

SUBSECTIO II.

Cato Chemicus, Tractatus quô veræ ac genuinæ Philosophiæ Hermeticæ & fucatæ ac sophisticæ Pseudo-Chemiæ, & utriusque Magistrorum Characterismi accuratè delineantur. Tom. I. 368

Cap. I. De Chemiæ Ortu. ibid.

Cap. II. De verâ Chemiâ. 369

Cap. III. De veræ Chemiæ Scriptoribus. 370

Cap. IV. De veræ Chemiæ Subsidiis. ibid.

Cap. V. De falsâ Chemiâ. 371

Cap. VI. De Phreniticæ Diagnosi. 372

Cap. VII. De Phreniticæ Prognosi. 375

Cap. VIII. De Phreniticæ fraudulentis Magisteriis. 374
Cap. IX De Mysteriô Lapidis Philosophici. p. 377

BIBLIOTHECÆ CHEMICÆ CURIOSÆ.

LIB. II. SECT. I. SUBSECT I.

Hermetis Trismegisti Tabula Smaragdina. Cui titulus *Verba Secretorum Hermetis Trismegisti* W. Chr. Kriegsmanni & Gerardi Dornei Commentariis illustrata. Tom. I. p. 380
Cap. I. Tabulâ Hermetis invitis quibusdam asseritur. 383
Cap. II. Phœnicium Idioma non Græcum Tabulæ nativum esse defenditur. 384
Cap. III. Inscriptiones Tabulæ, duoque incisa illustrantur. ibid.
Cap. IV. Sequentibus quatuor incisis lux illata. 385.
Cap. V. In Septimi atque Octavi Incisorum sensum inquiritur. ibid.
Cap. VI. De nonô, decimô & undecimô Incisô disseritur. 386
Cap. VII. Reliquorum binorum Incisorum mens exposita. 287
Cap. VIII. Constituitur Argumentum Tabulæ. ibid.
Cap. IX. Apologia studiorum Chemicorum adversum Censores. 388
Hermetis Trismegisti *Tabula Smargdina* cum expositionibus Dornei. 389
Argumentum in Tabulam. ibid.
Clarior expositio verborum Hermetis. 390
De Practica Operis Spagirici ad Medicinam vitæ longæ parandam. 396

SUBSECTIO II.

Hermetis Trismegisti Tractatus Aureus de *Lapidis Physici Secretô*, in septem Capitula divisus, cum Scholiis Anonymi. Tom. I. 400.

LIB. II. SECTIO. II SUBSECT. I.

Turba Philosophorum ex antiquô Manuscriptô Codice excerpta, qualis nulla hactenus visa fuerat editio. Tom. I. 445
In *Turbam Philosophorum Sermo unus Anonymi.* 465
Allegoriæ Sapientum supra Librum Turbæ Philosophorum. 467
Turbæ Philosophorum aliud exemplar. 480
Allegoriæ super librum turbæ. 494
Ænygma ex visione Arislei Philosophi & Allegoriis Sapientum. 495
Exercitationes in turbam Philosophorum. 497
Exerc. I. Definitio lapidis & quibus initiis constet. ibid.
Exerc. II. De Calido naturali. ibid.
Exerc. III. De prima materiâ metallorum, & quomodo ex seminali procreatione generentur. ibid.
Exerc. IV. De primô Elementô Lapidis, quod est Terra. 498
Exerc. V. De dimissione aquæ, vel roratione super Terram. 499
Exerc. VI. De conversione naturarum & commixtione. ibid.
Exerc. VII. De Conjugio Solis est Lunæ. ibid.
Exerc. VIII. Quod Artis fundamentum unum quid sit est lapis unus. ibid.
Exerc. IX. De solutione & divisione Elementorum. 500
Exerc. X. De Solutione corporum in Aquam. De Gumma & divisione Aquæ. ibid.
Exerc. XI. Rursus de Aquâ, & divisione Aquæ in partes. 501
Exerc. XII. De divisione Aquæ & vasis apertione. ib.
Exerc. XIII. De siccatione Aquæ, coagulatione, & calcinatione ac ignis regimine. ibid.
Exerc. XIV. De Animâ, Spiritû, & corpore. 502
Exerc. XV. De conjunctione corporum & copula eorum. ibid.

SUBSECTIO. II.

Arthephiæ liber qui *Clavis majoris Sapientiæ* dicitur. Tom. I. 503

SUBSECTIO III.

Liber de *Compositione Alchemiæ* quem edidit Morienus Romanus, Calid Regi Ægyptiorum: quem Robertus Castrensis de Arabicô in Latinum transtulit. Tom. I. 509

SUBSECTIO V.

Gebri Regis Arabum Philosophi perspicacissimi, *Summæ perfectionis Magisterii* in suâ naturâ; ex Bibliothecæ vaticanæ exemplari undecunque emendatissimo edita; cum verâ genuinaque delineatione vasorum & fornacum, denique Libri *investigationis Magisteris* & *Testamenti* ejusdem Gebri, item Commentariorum aliquot additione castigatissimâ. Tom. I. 519
Lib. I. Cap. I. De impedimentis artificis in opere. 520
Cap. II. De impedimentis ex parte corporis. ibid.
Cap. III. De impedimentis ex parte animæ. ibid.
Cap. IV. De impedimentis ex fortuitô casu. ibid.
Cap. V. De his quæ artifici considerandæ sunt. ibid.
Cap. VI. De persuasionibus sophistarum. 521
Cap. VII. De principiis naturalibus super quibus actiones suas fundat natura. 522
Cap. VIII. De solutionibus ad persuasiones sophistarum. ibid.
Cap. IX. De rationibus negantium artem à datis. 524
Cap. X. De supponentibus in spiritibus artem fore. ib.
Cap. XI. De supponentibus in corporibus, lapidibus, salibus, aluminibus, bauraciis, vel crescentibus Artem fore. 525
Cap. XII. De Principiis naturalibus Mercurii, sulphuris & arsenici. 526
Cap. XIII. De Sulphure. 527
Cap. XIV. De Arsenicô. ibid.
Cap. XV. De Mercuriô. ibid.
Cap. XVI. De Corporibus metallicis, quæ sunt effectus principiorum naturæ. 528
Cap. XVII. De Sole ibid.
Cap. XVIII. De Lunâ. ibid.
Cap. XIX. De Saturnô. ibid.
Cap. XX. De Jove. 529
Cap. XXI. De Venere. ibid.
Cap. XXII. De Marte. ibid.
Lib. II. Cap. I. De Sublimatione, ad quid inventa sit. 530
Cap II. De diversitate sublimationis & qualiter debeat ordinarie fieri. ibid.
Cap. III. De Fœcibus & Fornace. 532
Cap. IV. De spissitudine furni. ibid.
Cap. V. De lignorum proportione. ibid.
Cap. VI. De formâ aludelis. ibid.
Cap. VII. De Sublimatione Mercurii. 533
Cap VIII. Sublimatione Marchasitæ. ibid.
Cap. IX. De Sublimatione Magnesiæ & Tuthiæ. 534
Cap. X. De Sublimatione diminutorum corporum. Tom. I. 534
Cap. XI. De Descensione. ibid
Cap. XII. De distillatione triplici, scilicet per alembicum, descensorium & filtrum. 535
Cap. XIII. De Calcinatione. 36

Cap. XIV. De Calcinatione cum ſalibus. 537
Cap. XV. De Solutionibus. ibid.
Cap. XVI. De coagulatione Mercurii & rerum ſolutarum. 538
Cap. XVII. De coagulatione Mercurii per præcipitationem. ibid.
Cap. XVIII. De Fixione & modis ejus. 539
Cap. XIX. De Ceratione. ibid.

Lib. III. Cap. I. De Sulphuris & Arſenici eſſentiâ. 540
Cap. II. De Mercurii eſſentiâ. 541
Cap. III. De eſſentiâ Marchaſitæ, Magneſiæ & tuthiæ. ibid.
Cap. IV. De Solis eſſentiâ. ibid.
Cap. V. De eſſentiâ Lunæ. 542
Cap. VI. De Martis eſſentiâ. ibid.
Cap. VII. De Veneris eſſentiâ. 543
Cap. VIII. De Jovis eſſentiâ. 544
Cap. IX. De Saturni eſſentiâ. ibid.
Cap. X. De duplici Medicina cujuslibet corporis imperfecti & argenti vivi ſcilicet albâ & rubeâ. 545
Cap. XI. De Adminiſtratione & mundificatione corporum, diverſificando ſecundùm diverſitatem eſſentiarum ſuarum. 546
Cap. XII. De Præparatione Saturni & Jovis in communi. ibid.
Cap. XIII. De præparatione Saturni in ſpecie. 547
Cap. XIV. De præparatione Jovis in ſpecie. ibid.
Cap. XV. De præparatione Veneris. ibid.
Cap. XVI. De præparatione Martis. 548
Cap. XVII. De mollificatione durorum corporum & induratione mollium. ibid.
Cap. XVIII. De Mercurii lavacrô. ibid.

Lib. IV. Cap. I. De præparatione ſubſtantiæ Argenti in projectione Medicinæ. 549
Cap. II. De triplici ordine Medicinarum. ibid.
Cap. III. De differentiâ omnium Medicinarum. ibid.
Cap. IV. De Medicinis Veneris in primô ordine. 550
Cap. V. De Medicinis Martis in primo ordine. ibid.
Cap. VI. De Medicinis lunæ in primo ordine. ibid.
Cap VII. De Medicinis ſecundi ordinis. 551
Cap. VIII. De adminiſtratione Medicinarum ſecundi ordinis. ibid.
Cap IX. De ſupplemento defectuum poſt adminiſtrationem Medicinarum ſecundi ordinis. ibid.
Cap. X. De Medicinis Argenti vivi & ingreſſu earum. 552
Cap. XI. De Medicinis tertii ordinis. 553
Cap. XII. De adminiſtratione ſolaris & lunaris Medicinæ. ibid.
Cap. XIII. De examinationibus quibus cognoſcitur utrum magiſterium ſit in perfectione. ibid.
Cap. XIV. De Cineritii examine. 554
Cap. XV. De Cementi examine. ibid.
Cap. XVI. De Ignitionis examine. 555
Cap. XVII. De Fuſionis examine. ibid.
Cap. XVIII. De examine expoſitionis corporum ſuper vapores acutos. 556
Cap. XIX. De Extinctionis examine. ibid.
Cap. XX. De examine in mixtione Sulphuris. ibid.
Cap. XXI. De examine Calcinationis & Reductionis corporum. 557
Cap. XXII. De examine in facili & difficili mixtione Argenti vivi. ibid.
Cap. XXIII. Operis totius in unâ ſumma recapitulatio. ibid.
Liber *Inveſtigationis Magiſterii* Gebri Philoſophi perſpicaciſſ. T. I. 558
Teſtamentum Gebri Indiæ Regis. De Sulphuribus Animalium, Piſcium, volatilium, vegetabilium & aliorum. Tom. I. 562
Joh. Braceſchi Brixiani *Dialogus veram & genuinam librorum Gebri ſententiam explicans*, cui præmittuntur propoſitiones 126. idem argumentum compendioſa brevitate complectentes. Tom. I. 565
Joh. Gernardi, D. *Exercitationes perbreves in Gebri Arabis ſummi Philoſophi libros duos Summæ perfectionis.* Tom. I. 568
Lib. II. Sectio. III. Subsect. I. T. I. 613
Rogerii Baronis de *Alchymia* Libellus cui titulus *Speculum Alchemiæ.* ibid.
Cap. I. De Definitionibus Alchemiæ. ibid.
Cap. II. De principiis naturalibus & procreationibus Mineralium. ibid.
Cap. III. Ex quibus propinquius materia elixiris ſit elicienda. 614
Cap. IV. De modo agendi, & Igne moderando & continuando. ibid.
Cap. V. De qualitate Vaſis atque Fornacis. 615
Cap. VI. De coloribus accidentalibus & eſſentialibus in opere apparentibus. ibid.
Cap. VII. De modo projiciendi Medicinam ſuper quodlibet imperfectorum. 616
Rogerii Baconis de *Secretis operibus Artis & Naturæ* & de *nullitate Magiæ* Epiſtola. Tom. I. 616
Cap. I. De & contra apparentias fictas, & de & contra invocationem ſpirituum. 917
Cap. II. De Characteribus, Carminibus & eorum uſu. ibid.
Cap. III. De virtute ſermonis & redargutione magiæ. 618
Cap. IV. De Inſtrumentis artificioſis mirabilibus. 616
Cap. V. De Experientiis perſpectivis artificialibus. ibid.
Cap. VI. De Experimentis mirabilibus. 620
Cap. VII. De rerardatione accidentium ſenectutis & de prolongatione vitæ humanæ 621
Cap. VIII. De occultandis ſecretis naturæ & artis. 622
Cap IX De modo faciendi ovum Philoſophorum. ibid.
Cap. X. De eodem ovo ſed alio modo. 623
Cap. XI. De eodem, ſed rurſus alio modo. ibid
Adnotata ad Rogerii Baconis Epiſtolam Tom. I. 624

SUBSECTIO II.

Avicennæ Tractatulus de *Alchemiâ*. Tom. I 626
Cap. I. De Mercurio & ejus natura, nec non de ſulphure in eo contento. ibid.
Cap. II. De natura corporum perfectorum id eſt, Solis ac Lunæ & eorum ſulphure. 627
Cap. III. De conjunctione corporis & ſpiritus & lapidis diſſolutione in primam materiam 628
Cap. IV. De extractione aquæ ex Terra 629
Cap. V. De Fundatione, ſeu etiam fuſione aquæ ſuper terram ſiam. ibid.
Cap. VI. De modo ſublimationis terræ. 630
Cap. VII. De Multiplicatione & Fixione lapidis. 632
Cap. VIII. De modo projiciendi Medicinam & tingendi quodlibet metallum in ſolem & lunam. ibid.
Avicenna de *Conglutinatione lapidum*. Tom. I. 636

Index Tractatuum & Capitum

SVBSECTIO III.

Aristotelis de *Perfecto Magisterio* Tractatus Tom. *I.* 638

Aristotelis Tractatulus de *Practica Lapidis Philosophici.* Tom. I. 659

SUBSECTIO IV.

Arnaldi de Villa novâ Philosophi & Medici excellentissimi liber dictus *Thesaurus Thesaurorum & Rosarium Philosophorum*, omnium Secretorum maximum secretum, de verissima compositione Naturalis Philosophiæ, qua omne diminutum reducitur ad solificum & lunificum. Tom. *I.* 662

Arnaldi de Villanova liber dictus *Novum Lumen.* 676

Arnaldi de Villa nova *Perfectum Magisterium & Gaudium* transmissum ad inclytum Regem Aragonum, quod quidem est *Flos Florum, Thesautus omnium incomparabilis* & *Margarita*, in quo reperitur veri compositio Elixyris tam ad album quam ad rubeum, videlicet ad Solem & Lunam sub compendio declaratum. 679

Arnaldi de Villanova Epistola super Alchemia ad Regem Neapolitanum. 683

Arnaldi de Villanova *Speculum Alchemiæ* 687

Arnaldi de Villanova *Carmen.* 698

Arnaldi, de Villanova *Quæstiones* tam *Essentiales* quam *accidentales* ad Bonifacium Octavum cum suis *Responsionibus.* ibid.

Arnaldi de Villanovâ *Semita Semitæ.* 702

Arnaldi de Villanovâ *Testamentum.* 704

SUBSECTIO V.

Magistri Raymundi Lullii *Testamentum*, & primum de *Theorica.* Tom. I. 707

Magistri Raymundi Lullii *Testament. Pars Practica* super *Philosophico Lapide.* 763

Joh. Gerhardi *Analysis Partis Practicæ* Raymundi Lullii in *Testamentô.* 778

Raymundi Lullii *Compendium animæ Transmutationis Artis Metallorum*, Ruperto Anglorum Regi transmissum. 780

Raymundi Lullii Majoricani *Testamentum Novissimum* Carolo Regi dicatum. 790

Raymundi Lullii *Testamenti Novissimi* Pars altera. 806

Raymundi Lullii *Elucidatio Testamenti.* 823

Raymundi Lullii Liber dictus *Lux Mercuriorum* in quo explicatur quod in aliis Libris occultatum est. 824

Raymundi Lullii *Experimenta* in quibus veræ Philosophiæ Chemicæ Operationes clarissimè traduntur. 826

Raymundi Lullii Liber *Artis Compendiosæ* quem *Vademecum* nuncupavit. 849

Raymundi Lullii *Compendii Animæ Transmutationis Artis Metallorum* aliud Exemplar. 853

Raymundi Lullii Epistola de *Accurtatione Lapidis Benedicti* missa Ann. 1412. Roberto Anglorum Regi. 863

Raymundi Lullii Liber *Potestas Divitiarum* dictus, in quo optima expositio Testamenti Hermetis continetur. 866

Raymundi Lullii *Clavicula* quę & *Apertorium* dicitur, in qua omnia quę in opere Alchemiæ requiruntur, apertè declarantur. 872

Raymundi Lullii Compendium Artis Alchemiæ & Naturalis Philosophiæ, secundùm naturalem cursum. 875

Raymundi Lullii Tractatus *de Lapide & Oleo Philosophorum.* 879

Raymundi Lullii *Codicillus*, seu *Vademecum* & *Cantilena*, in quo fontes Alchemicæ Artis, ac Philosophiæ reconditioris uberrimè traduntur. Opus 74. capitibus comprehensum. Tom. I. 880

Joh. Bracescbi Brixiani *Lignum vitæ*, seu Dialogus ex Italicô in Latinum versus à G. Gratarolo Physicô, quo Raymundi Lulli Scripta explicantur. 911

Anonymi Liber Mutus Alchemiæ Mysteria filiis Artis nudis figuris, evidentissimè aperiens. ad finem Tom. I.

BIBIOTHECÆ CHEMICÆ CURIOSÆ

Lib. III. Sect. I. Subsectio I.

Petri Boni Lombardi Ferrariensis Physici & Chemici excellentissimi *Margarita pretiosa novella* correctissima, exhibens introductionem ad Artem Chemicæ integram, ante annos plus minus quadringintos composita. Tom. II. Pag. 1.

Part. I. Cap. I. Introductio generalis ad partem speculativam Artis Pag. 2

Cap. II. Introductio generalis ad partem practicam Artis. 5

Part. II. Cap. I. Probatur Artem Chemicam non esse veram. Pag. 9

Cap. II. Probatur Artem Alchemiæ esse veram. 16

Cap. III. Ponitur determinatio generalis & ostenduntur causæ & modi difficultatis istius quæstionis, ut & causa & modus processus pro solutione quæstionis istius. 22

Cap. IV. Ostenduntur modi & causæ difficultatis istius. 24

Cap. V. Ostenditur quod Ars hæc sit tantùm unica, non solùm quoad materiam, sed per omnem modum. 27

Cap. VI. Ostenditur quod hæc Ars sit naturalis & sit divina, & quod per ipsam Philosophi antiqui fuerunt vates de futuris miraculis divinis. 29

Cap. VII. Ostenditur error omnium desiderantium rectè operari, qui est in fine operis, scilicet in compositione Elementorum, & quod hęc Ars est pro omnibus Sapientibus. Tom. II. 31

Cap. VIII. Ostenditur quomodo hæc Ars inventa sit & quibus data sit, & quibus non, & quare sic obscurè scripserunt eam Philosophi. 33

Cap. IX. Ostenditur hunc Lapidem similari omnibus rebus mundi, & quot sint nomina ejus, & quot Philosophi hujus scientiæ tetigerunt eam cum omnibus aliis scientiis. Et solvuntur opiniones Antiquorum

Antiquorum, quis Aristoteles in Philosophiâ reprobat. 34
Cap. X. Improbantur Sophistæ, Deceptores & Impostores; & ostenditur Artem de se esse brevem & levem; item demonstratur nobilitas & veritas ejus. 36
Cap. XI. De Fermentô & modis, conditionibus & proprietatibus ejus, & conversione quam facit, secundùm Philosophos hujus Artis. 39
Cap. XII. Ostenditur quid sint Elementa Lapidis Philosophorum, quô modô in ipsô conveniant & in Auro, & in omnibus mixtis, & similiter in Cœlestibus, secundùm Antiquos Philosophos hujus Artis. 46
Cap. XIII. Ostenditur quid sit Tyriaca & venenum in Lapide Philosophorum, secundùm Antiquos Philosophos. 49
Cap. XIV. Ostenditur quid sit Coagulum, & quid Lac in Lapide Philosophorum, & quis Masculus & Fœmina secundùm Philosophos. 50
Cap. XV. Probatur hanc Artem esse veram tripliciter, 1. Autoribus, 2. rationibus, 3. à simili & exemplis. 52
Cap. XVI. Solvuntur rationes contrariæ, cum quæstionibus intercedentibus notabilibus. 52
Cap. XVII. Roboratur solutio dictæ quæstionis ostendendo materiam metallorum cum causis suis & proprietatibus, ac passionibus; ex quâ materiâ fit Lapis Philosophorum. 60
Cap. XVIII. In quo ex dictis probatur quod Sulphur sit pars materialis cum argentô vivô auri & Lapidis Philosophorum. 62
Cap. XIX. Probatur quòd Sulphur solum sit materia Lapidis Philosophorum, & Auri secundum antiquos Philosophos. 63
Cap. XX. Præmittuntur quædam ad solutionem ultimæ rationis Philosophi & aliarum non solutarum, prius loquendo de actu & potentia, & de perfectô ac imperfectô in rebus. &c. 66
Cap. XXI. Probatur quòd ex Aere & Ferrô non potest fieri Aurum & Argentum per Alchemiam, & solvitur. 70
Cap. XXII. Probatur metalla imperfecta non converti in Aurum à naturâ in mineris; & solvitur. 71
Cap. XXIII. Tractatur de principiis Metallorum in generali, & eorum generatione, & transmutatione ad metalla, secundum naturam, ostendendo quo modo Ars potest sequi Naturam &c. 72
Cap. XXIV. De Principiis metallorum in specie, & metallorum generatione secundum intentionem naturæ, & de signis generationis; ostendendo quomodo Ars debet similiter modô sequi Naturam, & similibus signis & similibus principiis in generatione Lapidis. 74
Cap. XXV. De similitudinibus generationis fœtus ex spermate & sanguine menstruô, & avis ex ovô, comparando generationem Auri ex Sulphure & argentô vivô, & Lapidis Philosophorum ad generationem ipsorum. 76
Cap. XXVI. Imponitur finis Tractatui, concluditur & epistolatur vera esse quæ dicta sunt. 79

SUBSECTIO II.

Johan. de Rupescissâ Liber *Magisterii de confectione veri Lapidis Philosophorum*, clarè & absque palliatione editus ab eô virô utique à Deô illustratô. Quem Libellum composuit ad hoc Divinâ præmonitus revelatione. Tom. II. p. 80
Ioh. de Rupecissâ *Liber Lucis*: 84

SUBSECTIO III.

Liber *Rosarium Philosophorum* dictus, compositus & in unum compilatus diligentissimè Tom. II. p. 87
Rosarii Philosophorum aliud Exemplar, ex compilatione omnium Philosophicorum Librorum, per Toletanum Philosophum maximum. 119
Rosarium abbreviatum Ignoti è Manuscripto vetustissimô. 133

SUBSECTIO IV.

Guidonis de Montanor Philosophi Galli *Scala Philosophorum*. p. 134

SUBSECTIO V.

Clangor Buccinæ; Tractatus mirabilis simul & arcentissimus ex quâdam vetustissimâ scripturâ excerptus. De *Lapide Philosophorum* fideliter simul & Physicaliter, omnibus Philosophis edisserens. 147

SUBSECTIO VI.

Correctio Fatuorum, Tractatus perutilis & authenticus. 165

SUBSECTIO VII.

Marsilii Ficini Florentini Liber de *Arte Chemicâ*. 172

SUBSECTIO VIII.

Calid filii Jaici Liber *Secretorum Artis* ex Hebræo in Arabicum & ex Arabicô in Latinum versus, incertô Interprete. 183

SUBSECTIO IX.

Kalid Regis Philosophi acutissimi Liber *Trium Verborum* ex Manuscriptô longè aliis præcellentiore. 189

SUBSECTIO X.

Merlini *Allegoria* profundissimum *Lapidis Philosophici arcanum* perfectè continens. 191

SUBSECTIO XI.

Anonymi *Thesaurus Philosophiæ*. 192

SUBSECTIO XII.

Aurelia Occulta cum Senioris Zadith Tractatulô *de Chemiâ*. 198

SUBSECTIO XIII.

Anonymi veteris Philosophi *Consilium Conjugii*, seu de *Massa Solis & Lunæ* Libr. III. vere aurei & incomparabiles ex Arabicô in Latinum sermonem reducti. 235

LIB. III. SECT. II. SUBSECTIO I.

Richardi Anglici Libellus utilissimus περὶ Κημείας, cui titulum fecit *Correctorium*.

SUB-

Index Tractatuum & Capitum

SVBSECTIO II.

Georgii Riplei Philosophi doctissimi Angli, Ordinis Canonici Regularis Brittlintonensis Liber *Duodecim Portarum*, nequaquam mutilus, sed integer. 275

SVBSECTIO III.

Thomæ Northoni Tractatus *Crede mihi*, seu *Ordinale* dictus 285

SVBSECTIO IV.

Johan. Dausteni Philosophi expertissimi *Rosarium arcanum Philosophorum Secretissimum.* 309

SVBSECTIO V.

Dialogus inter *Naturam* & *filium Philosophiæ.* 326

SVBSECTIO VI.

Dionysii Zacharii *Opusculum Chemicum.* 336

Nicolai Flamelli *Commentarius* in Dionysii Zacharii *Opusculum Chemicum.* 350

Nicolai Flamelli, *Tractatus brevis, seu Summarium Philosophicum.* 368

SVBSECTIO VII.

Joh. Aurelii Augurelli P. Ariminensis *Chrysopæia*, & *Vellus Aureum*, seu *Chrysopæia major & minor* ad Leonem X. Pontificem Maximum. 373

Nathanis Albinei Doctoris Medici *Carmen Aureum* ad Janum Cusinum. To.II.p.387

Nathanis Albinei Ænygma. 388

SVBSECTIO VIII.

Generosissimi Domini Bernardi Comitis Marchiæ Trevisanæ Liber de *Secretissimo Philosophorum Opere Chemico.* 388

Ejusdem Bernardi Trevirensis Responsio ad Thomam de Bononiâ, Medicum Caroli VIII. Francorum Regis super eôdem *Opere*. 399

SVBSECTIO IX.

Basilii Valentini Benedictini Ordinis Liber de *Magno Lapide Antiquorum Sapientum.* 409

Basilii Valentini Liber *Duodecim Clavium*, quibus ostia ad antiquissimum Lapidem Antecessorum nostrorum aperiuntur, & arcanissimus Fons omnis Sanitatis recluditur. 413

Basilius Valentinus, de primâ Materiâ *Lapidis Philosophici.* 421

Basilii Valentini Brevis Appendix, & perspicua repetitio aut iteratio in librum suum de *Magno Lapide Antiquissimorum.* 422

SUBSECTIO X.

Congeries Paracelsicæ Chemiæ de *Transmutationibus Metallorum.* 423

SVBSECTIO XI.

Sendivogii Poloni qui vulgo Cosmopolita dicitur *Novum Lumen Chemicum.* 463

Sendivogii Poloni *Dialogus Mercurii, Alchemistæ & Naturæ.* 475

Sendivogii Poloni Tractatus de *Sulphure*. 479

Sendivogii Poloni Apographus Epistolarum hactenus ineditarum super *Chemiâ.* 493

Orthelii *Commentarius* in *Novum Lumen Chemicum* Michaelis Sendivogii Poloni XII. figuris in Germaniâ repertis illustratum. Nunc ex Germanicâ linguâ in Latinam translatum. 516

SVBSECTIO XII.

Hydrolithus Sophicus, seù *Aquarium Sapientum*; hoc est *Opusculum Chemicum*, in quo via monstratur, materia nominatur, & processus describitur quomodo videlicet ad *Universalem Tincturam* perveniendum, hactenus nondum visum. 537

SVBSECTIO. XIII.

Johan. Franc. Pici Mirandulæ Dom. Concordiæque Comitis, *Opus Aureum* de *Auro* tum *æstimando*, tum *conficiendo*, tum *utendo* ad Conjugem. 558

LIB. III. SECT. III. SUBSECT. I.

Johan. Grassei, alias Cortalassei Jurium Doctoris & Urbis Straledunsenſis Syndici & Philosophi insignis nostri Sæculi *Arca Arcani artificiosissimi*, de *Summis Naturæ Mysteriis*, constructa ex Rustico ejus majore & minore, & Physicâ naturali rotundâ, per visionem Cabalisticam descriptâ. 585

SVBSECTIO II.

Anonymi Discipuli Johan. Grassei dicti Cortalassei, *Mysterium* Occultæ Naturæ; De *duobus Floribus Astralibus Agricolæ minoris* in ejus Arcâ Arcani Artificiosissimi contentis. 619

SVBSECTIO III.

Anonymi, qui tamen Dom. d'Espagnet creditur *Enchiridion Physicæ* restitutæ, in quô verus Naturæ Concentus exponitur, plurimique Antiquæ Philosophiæ errores per Canones & certas demonstrationes dilucidè aperiuntur. 626

Ejusdem Anonymi *Arcanum Hermeticæ Philosophiæ.* Opus in quô *occultæ Naturæ & Artis* circa *Lapidis Philosophorum* materiam & operandi modum, canonicè & ordinatè fiunt manifesta. 649

SVB-

SVBSECTIO IV.

Anonymi Philalethę vulgò dicti *Introitus apertus ad occlusum Regis* Palatium. 661
Anonymi Philalethæ dicti Tractatus de *Metallorum Metamorphosi.* 676
Anonymi Philalethæ dicti *Brevis Manuductio ad Rubinum Cælestem.* 686
Anonymi Philalethæ dicti *Fons Chemicæ Philosophiæ.* 693
Johannis Ferdinandi Hertodt à Todtenfeldt Philosophiæ & Medicinæ Doctoris Inclyt. Stat. Moraviæ Physici Provinc. & Academiæ Naturę Curiosor. Orphei ad Collegas Ephemeridum Collectores Epistola contra Philaletham. 697
Anonymi ad præcedentem Epistolam Responsio. 699

SVBSECTIO V.

Anonymi *Liber Praxeos Alchemicæ* cum Additionibus Libavii. 700

SVBSECTIO VI.

Nicolai Bernaudi à Cristà Arnaldi Delphinatis Philosophi & Medici, in *Ænygmaticum* quoddam *Epitaphium* Bononiæ ante multa Sęcula Marmoreo Lapidi insculptum, *Commentariolus.* 713
Extractum è Caroli Cęsaris Malvasii Tractatû super eôdem Epitaphio conscripto. 717

SVBSECTIO VII.

Anonymi Pantaleonis dicti, *Bifolium Metallicum*, seu *Medicina duplex* pro Metallis & Hominibus infirmis à Proceribus Artis Hermeticę sub titulo *Lapidis Philosophici* inventa elaborata & posteritati transmissa jam verò denuò recognita cum omnibus circumstantiis requisitis & manipulationibus, sine dolô methodicè tradita, & hujus Divinæ Scientię amatoribus proposita. 718
Pantaleonis *Tumulus Hermetis apertus*, in quô ad Solem meridianum sunt videndę antiquissimorum Sophorum absconditę veritates Physicæ, recentiorum quorumdam erroneæ opiniones de laudatissimô illô liquore Mercuriô Philosophorum, ita ut jam cuilibet, etiam mediocriter ingenioso, Regia via pateat ad hoc mysterium perquirendum, inveniendum, & præparandum, in gratiam errantium illuminatus. 728
Pantaleonis *Examen Alchemisticum*, quo ęcu Lydiô lapide Adeptus à Sophistâ, & verus Philosophus ab Impostore dignoscuntur; institutus in gratiam Magnatum & eorum qui ex defectû multæ lectionis & Vulcanię experientiæ punctum Chemicum plenariè non intelligunt; ne tam turpiter à perditissimis istis fumivendulis ac impostoribus thrasonicis, in opprobrium Artis mere Divinæ, decipiantur. Necessarium, ac summè proficuum Opusculum, quale à mundô conditô typis non fuit exaratum. 736
Pantaleonis rursus, ut ex Stylô apparet *Disceptatio de Lapide Physico*; in quâ *Tumbam Semiramidis* ab Anonymô *Phantasticè* non *Hermeticè sigillatam:* jam verò *Reclusam*, si Sapiens inspexerit ipsam, promissis Regum Thesauris vacuam inveniet. 744
Tumba Semiramidis Hermeticè sigillata quam si Sapiens aperuerit, non Cyrus ambitiosus, avarus, Regum ille thesauros divitiarum inexhaustos, quod sufficiat inveniat. 759

SVBSECTIO VIII.

Ludovici de Comitibus tractatus de *Liquore Alchaest, & Lapide Philosophorum*, eorumque materiâ, operandi ratione, difficultate, viribus ac inter se convenientiâ, item de *Sale volatili tartari* &c. 764
Ludovici de Comitibus Maceratensis Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris *Metallorum ac Metallicorum naturæ Operum ex Orthophysicis fundamentis recens Elucidatio.* Quâ eorum omnium principia, causę, proprietates, generationes, generationumque modi, apertè ac fideliter enucleantur. Indeque *Artis Chemicæ Theoricæ* ac *Practicæ* veritas & ordo revelatur, methodô breviori, clariori, diligentiori ac firmiori, quàm ab aliô quocunque, seu ex veteribus, seu ex Recentioribus. Scriptore huc usque præstitum fuerit. 781

Lib. I. Cap. I. De modo universali quo Metalla & Metallica per naturam in suis locis generantur. 784
Cap. II. De causâ efficiente Metallorum. 786
Cap. III. De Materia Metallorum. 788
Cap. IV. De principiis secundariis, Sale, Sulfure & Mercuriô. 789
Cap. V. De Sulphure. 789
Cap. VI. De Mercuriô. 791
Cap. VII. De Sale. 792
Cap. VIII. De Materia Metallorum juxta veram Sententiam. 793
Cap. IX. De fine ad quem Metalla creata sunt & generata. 794
Cap. X. De loco generationis Metallorum. 796
Cap. XI. De Metallorum Vitâ. 797
Cap. XII. De possibilitate Transmutationis Metallorum per Artem. 799
Cap. XIII. Quod levis ab aurô color, & tinctura nullô artificiô sit separabilis. 801

Index Tractatuum & Capitum.

Lib. II. Cap. I. De Puritate & Impuritate Metallorum. 803
Cap. II. De Congelatione & Liquefactione. 805
Cap. III. De Fixione, Volatilitate & Cremabilitate. 806
Cap. IV. De Coloribus, Odoribus, & Saporibus. 808
Cap. V. De Pondere, seu Gravitate & Levitate. 809
Cap. VI. De Ductibilitate, Mollitie & Duritie. 811

Lib. III. Cap. I. De Differentiis Metallorum. 812
Cap. II. De Transmutationis Metallorum impossibilitate. 814
Cap. III. De Speciebus singulis Metallorum. 816
Cap. IV. De Auri naturâ & proprietatibus. 817
Cap. V. De Argenti naturâ & proprietatibus. 818
De Argenti vivi naturâ & proprietatibus. 820
Cap. VI. De Cupri vel Aeris naturâ & proprietatibus. 823
Cap. VII. De Stannô. 824
Cap. VIII. De Plumbi naturâ & proprietatibus. 825
Cap. IX. De Ferri natura & proprietatibus. 827

Lib. IV. Cap. I. De Sulphure vulgari & Sulphureis. 828
Cap. II. De Mercuriô & Mercurialibus, ut Arsenicô, Auripigmentô. 831
Cap. III. De Sale communi. 833
Cap. IV. De Atramentis, Alumine & Nitrô. 834
Cap. V. De Pyrite & Marchasitâ. 835
Cap. VI. De Stibiô. 835
Cap. VII. De Artificiali Metallorum generatione, multiplicatione, transmutatione & nutritione. 836

Appendix *Symbolæ Crucis* aliqualem explicationem exhibens. 840

SVBSECTIO IX.

Claudii Germain Doctoris Medici Vniversitatis Parisiensis, *Icon Philosophiæ occultæ*, sive vera Methodus componendi *Magnum Antiquorum Philosophorum Lapidem.* 485

Christiani Adolphi Balduini S. R. I. Academ. Naturæ Curiosor. Collegæ cognomine Hermetis, *Aurum Superius & Inferius Auræ Superioris & Inferioris Hermeticum.* 856

Cap. I. De Auro in genere. 859
Cap. II. De Aurâ effluviis variarum rerum repletâ. Ibid.
Cap. III. De Aurâ in quâ etiam materia Hermetica, sive Spiritus Mundi volitat. 860
Cap. IV. De Aurô in Aurâ. 863
Cap. V. De Magnete universali Aurum ex Aurâ attrahente. 864
Cap. VI. De modô attrahendi Aurum ex Aurâ. 866
Cap. VII. De tempore attrahendi Aurum Auræ. 867
Cap. VIII. De coloribus Auri Auræ. 868
Cap. IX. De Auro Auræ potabili. 869
Cap. X. De Virtutibus Auri Auræ in Regnô Animali. 869
Cap. XI. De Virtutibus Auri Auræ in Regnô Minerali. 872
Cap. XII. De Virtutibus Auri Auræ in Regno vegetabili. 874

Melchioris Friben. M. D. Naturę Curiosor. Cleandri ad Collegas Epistola, sive *brevis enumeratio hactenus à se in Chemiâ actorum.* 875
D. I. B. *De Spiritu Mundi* Positiones aliquot. Tom. II. p. 876
Andreæ Cnôffelii *Responsum ad Positiones de Spiritu Mundi*, quod in se continet *Reserationem Tumbæ Semiramiäis.* 880
Trames facilis & planus ad *Auream Hermetis Arcem* rectà perducens. 887
Dan. Stolcii de Stolcenberg Boemi *Hortulus Hermeticus* è Flosculis Philosophorum cuprô incisis conformatus, & brevissimis versiculis explicatus; quô Chemię studiosi pro Philothecâ uti, fessique Laboratoriorum ministri, recreari possint. 895

BIBLIO-

BIBLIOTHECÆ CHEMICÆ CURIOSÆ

LIBER PRIMUS

Quo, per varios variorum AUTHORUM TRACTATUS *in Sectiones & Subsectiones melioris ordinis gratiâ distributos,*

ALCHEMIÆ, SCRIPTORUMQUE de ea præcipuorum Historia traditur; Veritas Argumentis pro & contra allatis, Experimentisque non paucis, & Jurisconsultorum Judiciis adjectis, comprobatur; Termini, tum Res ipsas, tum etiam Operationes spectantes, explicantur; Ac tandem Cautiones in Arte contra Impostores adhibendæ; & Difficultates in eâdem occurrentes abundè declarantur.

SECTIO PRIMA.

De Alchemiæ ac Primariorum in eâ Scriptorum Historiâ.

SUBSECTIO PRIMA.

De Ortu & Progressu Chemiæ Dissertatio:

Autore OLAO BORRICHIO Medico Regio, & in Academiâ Hafniensi Professore Publico.

CHEMIÆ incunabula in antiquissima prospiciunt tempora. Natam ante diluvium ex Tubalcaini (qui aliis Nationibus Vulcanus est) historiâ sagaciores colligunt, eo inducti, quod ferri, ærisque metalla, illa Tubalcaini Magisteria inveniri, fingi, formarique nequeant, nî ratio priùs cognoscatur, minerarum naturas investigandi, coquendi, purgandi, segregandi; quæ universa reperire non nisi Divini ingenii est, reperta autem prosequi, fabri cujusvis proletarii. Neque enim inficiandum, plus non modò laboris, sed &, quod præponderat, plus subtilis genii ad metalla æris mallei ictibus reddenda obedientia requiri quàm ad illa auri, argentique; quòd etiam rudis & terrestribus involuta mixturis auri gleba uno, alteróve cum igne conflictu transeat in purum, putumque obryzum; & si *Psalmum Davidis* XI. malumus, septem denique excoctionibus in absolutæ perfectionis statum provehatur argentum; cùm terrea æris gleba, quod *Erkero*, *Agricolæ*, & quotidianis Pyracmonum metallicorum credimus experimentis, non ante duodecimos ignes vel malleo legitimè obtemperet, vel Mercatori sive justo colore, sive ductili tenacitate probetur. Quanquam autem hodie metalurgi etiam in Chemicis parum exerciti, metalla ex mineris permistis facilè excoquant, Magistro viam præeunte, necesse tamen, primum Inventorem, Magistrumque

giſtrumque Chemicum eſſe; ita hodie pyrium illum pulverem quivis è circulo Carbonarius præparaverit, *Bertholdo Svvartzio* Chemicô, poſt *Rogerium Baconem*, pedum viam oſtendente; quem ante, ſolida quinquaginta, & hoc amplius, ſecula ignoravere. Nec niſi à *Cornelio Drebbelio* Chemico profectus eſt vel vitri calendarii, ſeu thermoſcopii uſus, vel egregii coloris igneo (*Scarlatto* Italis dicti) quo ſuperbiunt panni Belgici, inventum, cùm utrumque nunc pari felicitate plebeii imitentur artifices. Scilicet, primi rerum inventores inter infinita diverſiſſimi generis experimenta ætatem conſumunt, antequam ſolidam artem, & ſtabilem, perpetuoque exſpectationi reſpondentem abſolvant. Quamvis proinde res ipſa loquatur Tubalcainum, hoc eſt, judice *Voſſio*, *Bocharto*, & ipſâ vocis ſimilitudine perſuadente, Vulcanum primum, ſupra illis æris, ferrique magiſteria experiundo proceſſiſſe, juverit tamen in complementum rationum, veraciſſimum Scriptorem *Diodor. Siculum* audire, qui à peregrinatione Ægyptiacâ redux ita *Antiquit.* Lib. V. Η Φαισι δ λέγεσιν ὡρετὸν γεννέσθαι τῆς περὶ τὸν σίδηρον ἐργασίας ἀπάσης, καὶ τ περὶ τ χαλκὸν, καὶ χρυσὸν, καὶ ἄργυρον, μὴ τῶν ἄλλων, ὅσα πρὸς ἐκ τ πυρὸς ἐργασίαν ἐπιδέχεται· μὴ τὰς ἄλλας δ χρείας τὰς τ πυρὸς ἀπάσας περιεξεύρειν. κ παραδῶναι τοῖς τε τὰς τέχνας ἐργαζομένοις, μὴ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις i. e. *Vulcanum aiunt inventorem eſſe omnis illius circa ferrum, & æs, & aurum, & argentum operationis, omniumque cæterorum, quæ ignis actionem recipiunt. Quin & reliquos omnes ignis uſus adinveniſſe, atque tum artificibus, tum aliis omnibus hominibus communicâſſe.* Conſpirat Homerus *Odyſſ.* o.

Δώσω τοι κρητῆρα τετυγμένον, ἀργύρε δ
Ἔξιν ἄπας, χρυσῷ δ' ὕπ χείλεα κεκράανται,
Ἔργον δ' Ηφαίσοιο —— —— —— i. e.
Craterem tibi donabo mirâ arte paratum,
Argento ex ſolido, labra undique circuit aurum,
Vulcanus fecit. —— —— ——

Aurum enimvero fuiſſe jam ſtatim ab initio, vel terra Hevilath *Gen.* XI. abunde docuerit. Quin & artes Vulcani etam circa aurum, aut quiddam ei ſimile, curioſiùs tractandum occupatas fuiſſe, ſublime illud *Pindari* ingenium jam olim ſubolfocit, Ὀλυμπ. ζ. Βρέχε θεῶν βασιλεὺ ὁ μέγας χρυσαῖς νιφάδεσι πόλιν Αφαίςε τέχναισι i. e. *irrigavit magnus Deorum Rex urbem* (ſc. Rhodum) *nivibus aureis, Vulcani artibus.* Hîc qui corticem tantùm rerum intuentur, præter fabulæ contemnenda deprehendunt nihil; qui autem oculorum altero venerandam inſpiciunt Antiquitatem, altero Naturam rerum, magnum inde exſculpunt Naturæ myſterium. Enimvero in nivibus illis plebi calcatis oleum latere aurei coloris, quod terris fœcunditatem immulgeat, non difficulter Vulcani ope oſtendet Chemicus ſagax, ſi iſtuc impellat neceſſitas. Nec abre *Pindarus* iterum Ἰσθμ. ζ. ingeminavit: χρυσῷ νίφοντα τὸν φέρτατον Θεῶν. Quò fabulam Danaës de Jove in pluvium aurum converſo, inque gremium amatum depluente trahant quibus vacat, & cum ingenioſa *Sappho* χρυσὸν παῖδα Διὸς appellent, dum ego ad Tubalcainum, ſive Vulcanum revertor; qui non utique de nihilo Chryſor dictus eſt *Philoni Byblio* ex *Sanchuniathone* apud *Euſebium*; neque ſine ratione nobiliſſima Chemiæ palæſtra Memphis in templo Vulcani, ex *Zoſimo Panopolite*, *Euſebio*, *Syneſioque* diu effloruit.

Zoſimus autem ille *Panopolites*, antiquiſſimus Scriptorum Chemicorum *Conringio* æſtimatus, Chemiæ exordia, ut diluvio priora, libro Ἰθμὲθ inſcripto ad Angelos ἐγρηγόρας referre videtur: Verba *Zoſimi*, quæ juxta mecum in Manuſcriptis Biblioth Reg. Pariſinæ exſtantia legit, adeoque in notis ad *Euſebii Chronica* jam ante expreſſit Scaliger, ita habent: Φάσκουσιν αἱ ἱεραὶ γραφαὶ, ἤ πι βίβλοι, ὦ γυναῖ, ὅτι ἐξ ἡ δαιμόνων γνῶσιν, ὁ κρῆτ γναιξίν. Ἐμνημόνευσε καὶ Ἑρμῆς ἐν τοῖς Φυσικοῖς, καὶ σχεδὸν ἅπας λόγ Φανερὸς καὶ ἀπόκρυφ τοῦτο ἐμνημόνευσεν. Τοῦτο ἔν ἔφασεν αἱ ἀρχαῖαι καὶ θεῖαι γραφαὶ, ὅτι Ἄγγελοι ἐπεθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ παρελθόντες ἐδίδαξαν αὐτὰς πάντ τὰ τ Φύσεως ἔργα, ὧν χάριν προσκρίσαντες ἔξω ἐραν ἐμείναν, ὅτι πάντα τὰ πονηρὰ, καὶ μηδὲν ὠφελοῦντα τὴν ψυχὴν ἐδίδαξαν τὰς ἀνθρώπους. Ἐξ αὐτῶν φάσκουσιν αἱ αὐταὶ γραφαὶ, ἡ τὰς Γιγάντας γεγεννῆσθαι· ἐστιν ἓν αὐτοῖν ἡ πρώτη βίβλος χημᾶ περὶ τούτων τ τεχνῶν· ἐκάλεσαν δ ταύτην τὴν βίβλον χημᾶ· ἔνθεν καὶ ἡ τέχνη χημία καλεῖται. i. e. *Dicunt, ô mulier, Sacræ Scripturæ, ſive libri eſſe geniorum aliquod genus, quod mulieribus utitur. Meminit & rei hujus Hermes in Phyſicis, & ferè omnis doctrina cùm manifeſta, tum apocrypha illud ipſum memorat, Hoc ergo memorant Veteres & Divinæ Scripturæ, quòd Angeli cupidine mulierum ineſcati edocuerint illas omnia Naturæ opera. Hinc offenſâ contingente, extra cœlum manſere, quòd mala omnia, & animæ nil profutura homines docuiſſent. Ex illis natos Gigantes tradunt eadem Scripturæ. Eſt igitur prima eorum traditio χημᾶ, de his artibus: appellarunt autem librum illum χημᾶ: hinc & ipſa ars* Chemia *vocatur. Chema* Arabibus ex *Bocharto* eſt occultare, quia ſcilicet Chemiæ ars occulta. Non diſſimilia excidere *Clementi Alexandrino*, *ſtrom. quinto*, niſi quòd à voce *Chemiæ* temperet: Παρεσθήσομεν, inquit, ὡς οἱ Ἄγγελοι ἐκεῖνοι οἱ τ ἄνω χλῆρον εἰληχότες καπηλεύσαντες εἰς ἡδονὰς, ἐξεῖπον τὰ ἀπόῤῥητα ταῖς γυναιξὶν, ὅσατε εἰς γνῶσιν αὐτῶν ἀφῖκτο, κρυπτόντων τ ἄλλων ἀγγέλων, μᾶλλον δ προόντων εἰς τὴν τ Κυρίᾳ παρουσίαν· ἐκεῖθεν ἡ τ προνοίας διδασκαλία ἐρρύη, ἡ ἡ τ μετεώρων ἀποκάλυψις, id eſt, *Adjiciemus quemadmodum Angeli illi, quibus ſuprema ſors obtigerat, ad voluptates delapſi mulieribus aperuerint reticenda illa, quæ ad ipſorum pervenerant cognitionem, aliis interea Angelis occultantibus, ſive potius in adventum Domini conſervantibus: illinc providentiæ doctrina profluxit, & rerum ſublimium manifeſtatio.* Credibile utrumque ex lacunis Apocryphis *Enochici libri* iſthæc hauſiſſe, & tantillum interpolâſſe: eò enim ducunt verba perſonati illius *Enochi ex Syncello* per *Scaligerum* in *Euſebiano opere* confidenter allata: Καὶ ἐδίδαξαν (ſc. Angeli ἐγρήγοροι) ἑαυτὲς καὶ τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν φαρμακείας κ ἐπαοιδίας. Πρῶτ ὁ Ἐξαήλ ὁ δέκατ τ Ἀρχόντων ἐδίδαξε πιεῖν τὰς μαχαίρας, κ θώρακας, κ πᾶν σκεῦ πολεμικὸν, κ τὰ μέταλλα, τ γῆς, κ τὸ χρυσίον πῶς ἐργάσονται, κ πιήσουσιν αὐτὰ κόσμια ταῖς γυναιξὶν ἡ τ ἀργύρου· ἐδίδαξαν δ αὐτὲς ἡ τὸ στίλβειν, κ τὸ καλλωπίζειν, κ τὰς ἐκλεκτὰς λίθους. *Et docuerunt ipſos, fœminaſque ipſorum venenorum temperamenta, atque carmina, quæ noxia averruncarent. Primus Hexael, decimus Principum, docuit artem conficiendi gladios & thoraces, & omne inſtrumentum bellicum, metalla etiam terræ, & quomodo aurum tractent, argentúmque, ut pulchra fœminis videantur. Docuerunt ipſos quoque ſplendidum, ſpecioſumque reddere vultum & electos lapides.* Non diſcordat *Tertullianus*, *de cultu fœminarum*, *c. X. Angeli peccatores*, inquit, *illecebras detexerunt, aurum, argentum, & opera eorum tradiderunt, etiam calliblepharum, vellerumque tincturas inter cætera docuerunt, damnati à Deo, ut Enoch. refert.* Verùm enimverò in eo tum *Clem. Alexandrinum*, tum *Zoſimum*, tum denique

nique *spurium Enochum* (genuinum *Enochi* scriptum magnæ venerationis in Æthiopiâ exstare *Duretus* tradidit: sed quod memorabile, *Eupolemus* apud *Eusebium* docet Astrologiam ab Enocho perveniſſe ad Abraamum, à Mathusalemo ad Enochum, ab Angelis ad Mathusalemum. De *Enochi* libris varia *Aldrete*) à vero deflexiſſe constat, quòd temerarios illos Angelos à filiis Dei, hoc est Patriarcharum, diluvio superiorum libēris nescierint discernere: neque enim Angelorum fuerit, in quàcunque tandem illos reponas orcheſtrâ, mulierum amoribus irretiri, & Samsonis exemplo pellices in arcanorum suorum admittere conscientiam. Ut adeóque nihil vero sit propius, quàm Angelos hos, id est, Sethi, Tubalcainique Nepotes, proborum Parentum improbos filios, cùm à Patribus reticenda Naturæ mysteria edocti essent, Cainitidarum meretricum victos amoribus intempestivâ garrulitate Majestatem secretorum profanâſſe, eóque inter alia iram in se accendiſſe Numinis. Verùm largiretur aliquis liberalior *Zosimo*, *Clementique* geniis ἐγηγόροις initia Chemiæ in terras propagatæ accepta esse referenda, nihil adeo hoc obesset artium Reginæ; cùm noviſſe eam, quam primos Auctores à Deo agnoscunt didiciſſe, magnis illis mentibus vitio nequaquam vertatur, sed cognitam scelestâ futilitate divulgâſſe. Neque verò gladios, & aheneos thoraces, & cætera bellandi instrumenta paraviſſe crimini cuiquam imputatur; neque gemmas expolire, metalla pretiosa excoquere, calliblepharon temperare, in erubescendis hodie numeratur artibus, quæ artificia tamen eorundem ministerio Angelorum in terras demigraſſe *Enochi* Scriptum alleverat. Et quid demum id detraxerit Oratoriæ facultati, quòd serpens antiquus eloquentiſſimè olim, & primus omnium rhetoricatus sit. Quod si proscribenda, quæ ab Angelis quibuscunque vel per somnos monſtrata, magnum hodie pharmacorum salutarium amputaremus numerum, quod ut proclive, ita alieni operis, & supervacui foret ex nocturnis ægrorum in templis Æsculapii, Serapidis, Isidis incubationibus, apud *Aristophanem*, *Plautum*, *Ciceronem*, *Jamblicum*, *Philoſtratum*, *Herodianum*, *Pauſaniam*, *Strabonem*, *Servium*, *Galenum*, *Celſum*, *Ætium*, alios demonſtrare. Adeo enim non improbari Deo illud mitigandorum metallorum artificium, ut sacro Numinis spiritu gubernante perdiscatur, atque adolescat, facilè confecerint illa *Exod.* XXXI. *Dixit Deus Moſi, vocavi Beſeleel filium Uri, filii Hur, ex tribu Juda, implevique eum spiritu Domini, & sapientiâ ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore & gemmis & diverſitate lignorum.* Liquet hinc opinor, ipso Numine Magistro artem ingeniosè tractandi metalla velut inspirari, non plebejo alicui Zebulonitæ, aut Gaditæ, sed nobili ex stirpe Regiâ, ex Judæ tribu cerebro.

A diluvio Artem Chemicam in Chami familiâ aliquamdiu delituiſſe multa persuadent. Ut præteream *Kirckerum in Obel. Pamphyl.* ex Veteribus ostendentem, Chamum nobiliores artes cataclysmo superiores laminis metallicis inscriptas secum in fatalem arcam traduxiſſe, *Manethonem* vetustiſſimum ad partes vocare alienum non fuerit. Is ergo *Manethon Sebennyta*, *Heliopolytanus* Flamen sacer Ægyptius, Ptolemæo Philadelpho (ut ex *Eusebio* patet) opus suum immensi laboris, tribus voluminibus exceptum inscripsit, quò veterem omnem Chamigenarum Ægyptiorum historiam, scientiámque complexus est, non hauſtam illam ex musteorum librorum turbidis sæpe lacunis, non ex propagatis per manus vulgi fabulis, sed ex columnis in Seriadicâ terrâ positis, bonâ fide versis in linguam tritiorem hieroglyphicis, petitam. In hanc rem *Joſephus lib. I. cont. Apion. Manethon itaque Vir Ægyptius genere, ſed Græcâ diſciplinâ eruditus, ſicuti palam eſt, ſcripſit enim ſermone Græco, patriam hiſtoriam, ex ſacris, ut ipſe ait, interpretatus libris, in multis reprehendit Herodotum, tanquam ex ignoratione rerum Ægyptiacarum mentitum.* Paulò post: *Hic docet Hycſos, id eſt, Reges Paſtores, ſive captivos Paſtores* (i. e. Israëlitas) *obtinuiſſe Ægyptum annis undecim & quingentis*, &c. *Suidas* ita: Μάνεθως Διοσπολεὺς ὁ Αἰγύπτιος, ὁ Σεβεννύτης φυσιολογικὰ (scil. scripsit) βιβλία λ', ἐξ ὧν, καὶ ἄλλα τινὰ ἀστρονόμια. Ex hoc *Manethone*, cujus lacinias tantùm nobis reliquit temporum iniquitas, sua hausit *Julius Africanus*, ex Africano *Euſebius Pamphilus*, ex Eusebio *Georgius Syncellus*, ex Syncello *Joſ. Scaliger*, ut agnoscatis quibus gradibus laboriosâ investigatione contendatur ad veritatem. Didicit ergo præeuntibus vetustiſſimis his columnis *Manethon*, ut *Euſebiana* docent Scripta, primum *Thoyth* Ægyptium scientias, quæ ante diluviales undas viguerant (& quod inde consequitur, Chemiam) inscripsiſſe columnis, literis hieroglyphicis, sed linguâ Sacrâ, sive Ægyptiacâ, eamque doctrinam omnem à diluvio versam Græcè & hieroglyphicis iterum notis in libros translatam ab *Agathodæmone*, altero Mercurio, patre *Tat*. Atque hæc utcunque clariſſima luce radiantia ab unguibus duorum Germaniæ luminum (*a*) *Conringii*, *Urſinique* tuta jam ultimis his temporibus esse non potuere, quæ integritatem suam tot seculis conservaverant illibatam. Et primò quidem, non memorabimus, quoties Conringius, nobiliſſimus alioqui scriptor sibi in opere illo *de Hermeticâ Medicinâ* exciderit, dum praxeos Chemicæ incuriosior, nunc ad solum judicium suum, nunc ad Hartmannum, Angelumque Salam Vicentinum, tanquam oracula provocat; sed ad tribunal Antiquitatis, in quo sibi foro triumphare videtur, litem nostram expostulabimus. Primum ergo *Conringii* argumentum est: *linguam Ægyptiacam diluvio poſteriorem eſſe, adeoque nihil ante diluvium columnis Seriadicis illo idiomate potuiſſe inſcribi.* Acutum telum videtis, sed quod retundi possit. Initio quidem non negaverit, sat scio, *Conringius*, quæ ipsius prudentia est, Ægyptum, tam vicinam Mesopotamiæ & Paradisi pomœriis, tam fœcundam rerum omnium provinciam, frequentatam populis, incultamque ante illa generalium inundationum tempora; utque negaret, ab Urſino statim reprimeretur, docente Caini posteros in Ægypto regnum condidiſſe, & mox ex *Geneſ.* VI. ante diluvium regnâſſe passim in orbe Tyrannos famâ super æthera celebres, adeóque nihil plausibilius, quàm proximam primæ hominum officinæ Ægyptum ab iis possessam. Nam quod

(*a*) Conringius quippe de Hermeticâ Ægyptiorum Medicinâ Tractatum vulgavit, quô non mediocriter carpit Chymicos & veteres & hodiernos, tum in Praxi Magni Secreti, tum in Praxi Medicâ. Verùm ejus rationes, ut & alias itidem ab Urſino allatas, doctè & nervosè admodum exagitat Clariſſ. Autor nostri, sicque pro antiquitate & nobilitate Artis pugnat, ut in sequentibus videbimus.

quod Ægyptum diu mari tectam referant quidam, accumulato demum Nilotico limo increviſſe, & caput extuliſſe undis, id *Conringium*, ſi urgeret, non tegit; tum quòd hoc ad tempora eluviem illam publicam præcurrentia nulla ſimilitudo veri adſtringat; tum quòd oſtendat eruditè *Kircherus* tegmen illud haudquaquam de toto capiendum Ægypto, ſed de modico illo ſpatio, quod Delta & mare interjacet. Neque aliò ſpectant iſta *Strabonis l.* 1. *Geogr. Sed & Ægyptum*, inquit, *conſtat priſcis temporibus mari fuiſſe inundatum uſque ad paludes, quæ ſunt ad Peluſium, Caſiumque montem & Lacum Serbonidem*: iſtæc enim omnia infra Delta oſtenduntur; & ad Delta habitatæ olim planities, ſi non ante, certè Iſraelitarum genti à Joſepho illuc traductæ. Illos ergo diluvio antiquiores Ægyptios locutos utique non negaverit *Conringius*. Obducet, *locutos, ſed non Ægyptiacè, quod linguarum illud crama diluvio poſterius ſit.* Agnoſco non locutos primos illos Ægyptios eâ linguâ, qua poſteriores, ſed ut docet *Manethon*, linguâ Sacrâ, quæ Ægypti incolis tunc fuit Ægyptiaca. Enimverò quid prohibet Sacram hanc, ſive Eberinam linguam, quando Ægyptiis univerſis, hoc eſt, omnibus terram illam, quæ poſt Ægyptus appellata, incolentibus familiaris eſt, Ægyptiacam quoque appellari? ſicut Danica noſtra, quæ Norvegiam quoque pervadit, ibi quidem opportuniſſimè nuncupatur Norvegica; & Sclavonica Pragæ ſalutatur Bohemica lingua, Varſaviæ Polonica, Moſchuæ Ruſſica, cùm nihilo ſecius eadem lingua ſit, & paucis duntaxat dialectorum minutiis diſtincta. Alterum *Conringii* argumentum, quantumcunque aliis videri poteſt, mihi quidem ægre ſatisfacit. *Nonne literæ hieroglyphicæ*, inquit, *ſigna rerum ſunt, non autem ſonorum? quì potuit itaque per literas hieroglyphicàs vel Ægyptiacè aliquid ſcribi, vel Græcè?* Imò verò potuit, *Conringi*, æquè enim hieroglyphica ſonos expreſſerint, ac res: imò per ſonos accommodatiſſimè rem animis repræſentabunt. Verbi gratiâ, ſi in tabellâ exprimam vultum *Jani Bifrontis*, numero XVIII. inſcriptum, ſignificabit figura iſtæc, hieroglyphicâ Danicâ linguâ *Athenienſes*; nulla alia lingua vim figuræ ex ſono aſſequetur. Ita ſi Germanus reddat Imaginem *Urſi* in *campo* ſeſe volutantis, cujus jugulo appictum ſit *Lugdunum Batavorum*, intelliget ſagacior Germanus alius ex ſolo ſono vim hieroglyphici, ſc. *Barnefeldium* jugulo paſſurum: idem *Barnefeldii* fatum exprimeret hieroglyptes Danus *puero pelle* incincto & cum *ſandapilâ* tricante. Quod ſi inter altercantes de religione Theologos ſubitò in pariete more Belzazaris figura dextræ *fornicem* arctè ſtringentis coruſcaret, nemo alius myſterium enodaret, quàm hierophantes Danus, qui evidenter inde colligeret, tenendam firmiter religionem in Saxoniâ per *Lutherum* inſtauratam. Hoc inſtitutum proſecutus honoratiſſimus Collega *D. Mothius*, jam olim Hieroglyphicis Germanicis juventutem in variis Europæ Academiis, hiſtoriam univerſalem, linguam Græcam, aliáſque diſciplinas promptiſſimè edocuit, cùm Pariſini ſiguras illas inſpectantes, audientéſque in ſtuporem formarentur, rati rhombos eſſe Theſſalicos, aut Magica Canidiæ ad Lunam cœlo deducendam lenocinia. Ita credibile fuerit Hieroglyphica Eberina, ſive Ægyptiaca diluvio vetuſtiora, ut magis ſacra & diviniora ſuccedentibus illis linguarum mixturis, non ſenſus modò, ſed & verborum pronunciatorum ſonos exprimi voluiſſe. At enim quì potuit *Mercurius* illa columnarum arcana vertere Græcè ſtatim à diluvio, cùm lingua ea nè tum quidem nata eſſet? Cæterùm repetendum hìc ex *Cicerone libro III. de Nat. Deor.* jam olim quinque numeratos *Mercurios*, quorum ultimum ante linguam Græcam natam obiiſſe quis probabit? nam quòd ſecundum vertiſſe ſcribat, illum patrem Tati, in hoc, Mercuriorum numero turbante, hallucinatum Manethonem non diffitebor. Tertiò, inſtat *Conringius: vix probabile videri columnas illas, quæ doctrinam ſcriptam comprehenderent, à diluvio ſuperfuiſſe.* At quid mirum, *Conringi*, ſi columnæ æreæ, lapideæque aquarum inundationes contempſerint? quin & palus ligneus in aquis depactus ad ſæcula durat, & non duraret annum unum æs & ſaxum? luculentius profectò eſt *Joſephi Antiq. Jud. Scriptoris* teſtimonium de columnâ illâ, quam in Syria diluvio ſuperſtitem collocat, quàm ut à nuda hodierni ſcriptoris auctoritate elevari, calcarique debeat. Verba *Joſephi Antiqu. Jud. lib. I. cap. III. Seth virtutis ſe ſtudiis totum dedidit, & cum ipſe Vir optimus evaſiſſet, etiam Nepotes ſui ſimiles poſt ſe reliquit: qui quòd eſſent omnes bonâ indole præditi, & terram patriam abſque ſeditione incolerent, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & ſideralem ſcientiam ejuſque cultiorem tractationem invenerunt.* (σοφίαν τε τὴν περὶ τὰ ἐφάνια καὶ τὴν τούτων ἀκρίβωσιν ἐπενόησαν) *Ne autem inventa illa ex hominum memoriâ dilaberentur, ac perirent prius, quàm pernoſcerentur, ſcientes Adamum univerſalem rerum interitum prædixiſſe, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utrique ſua inventa inſcripſerunt: ut ſi lateritiam diluvio contingeret deleri, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet*; *aiunt lateritiam illam ab ipſis poſitam, quæ & uſque ad hoc tempus durat in terra Syriâ*, μένει δ' ἄχρι δεῦρο καὶ τὴν Συριάδα. *Serenus* apud *Caſſianum* tradit Sethum naturalium rerum notitiam paternâ quaſi hæreditate acceptam poſteris commiſiſſe. Eſto tamen, ut ad ſuperiora relabamur, non viderit Syriacam illam columnam Joſephus, ſuffecerit vidiſſe illos, à quibus rem percepit: nec ſaxeam illam *choream Gigantum* (Incolæ & Camdenus Stonehenge appellant) viderunt omnes, illuſtre illud in Angliâ Danicæ quondam potentiæ monimentum, quod in planitie jam pridem Salisburienſi admirabundi ſpectavimus, & tamen meâ fide ſecuri eſſe poſſunt, qui Angliam viderunt nunquam, tale quiddam in Angliâ exſtare. Oſtenduntur in Bibliothecâ Vaticanâ, ſi *Vrſino* fides, octo columnæ quadratæ, in quibus Adami, filiorumque, & Sethi literæ proponuntur. Atque ut ego quidem nec pro antiquitate columnarum *Adamicarum* pugnaverim: nec pro veritate dicti *Anniani illius Beroſi: Noham multa naturalia ſecreta mandaſſe literis, quæ ſolis Sacerdotibus Scythæ Armeni commendant*: ita frequenti lectione convincor vetuſtiſſimos quoſque Heroas & Legumlatores columnis memoriam rerum commendaſſe; nam ut Herculis ad Gaditana littora omittam columnas, quid clarius *Diodori Sic.* verbis *lib. I. cap. II. Oſiris*, inquit, *in itinere ſuo per orbem columnas multis in locis ſtatuit expeditionis ſuæ teſtes.* Iterum *Diodorus*: *Hercules cùm genere eſſet Ægyptius, poſtquam virtute ſua magnam orbis partem perambulaſſet, in Lybia poſuit columnam. Strabo Geogr. lib. XVII. Seſoſtris totam permeavit Æthiopiam uſque ad cinnamomigeram progreſſus regionem, oſtenduntur que adhuc quædam ejus monumenta & columnæ & inſcriptiones,* στῆλαι καὶ ἐπιγραφαί,

Quid

Quid evidentius *Jamblichi* teſtimonio? qui *de Myſter. Ægypt. lib. I.* manifeſtè docet *Pythagoram, Platonemque varia in Ægypto ex columnis Mercurii didiciſſe*; item, *columnas ibi refertas eſſe Mercurii doctrinis.* Quid clarius oraculo *Procli Lycii?* qui *commentar. primo in Timæum* in hunc modum diſſerit: *Ægyptiis jam olim facta*, inquit, *per memoriam ſemper redeunt nova: memoria autem ex hiſtoria eſt; hiſtoria ex columnis, in quibus paradoxa, & quæ digna admiratione tum in actionibus, tum inventionibus deſcripſere.* Quid illuſtrius loco *Platonis in Critia: Imperium*, inquit, *in Atlantide, regebatur ſecundum Neptuni mandata, ex præſcripto Legum, literarumque à Majoribus in columnâ quâdam orichalceâ, circa medium Inſulæ in templo Neptuni deſcriptarum.* Hæc ſe *Plato* à *Solone* hauſiſſe fatetur, & *Solon* à Saitico Ægypti Sacerdote. *Galen. libro I. contra Jul. cap. I. In Ægypto olim*, inquit, *artium inventum unumquodque à communi eruditorum conſeſſu probatum columnis inſcribebatur quibuſdam in ſacris locis poſitis, haud appoſito auctoris nomine.* Sed quid inſcriptum Sethianis Columnis? ſcientia rerum cœleſtium, ſi audimus *Joſephum*; prognoſticon interitus mundi prioris, ſi *Beroſo Anniano* credimus; curioſarum rerum notitia, & maleficæ quoque Magorum artes, ſi fidimus *Sereno* apud *Caſſianum*; ſeptem artes liberales in VII. æneis & VII. lateritiis expreſſæ columnis, ſi *Petro Comeſtori in hiſtor. Eccleſ. Gen. cap. XXXVII.* debemus aſſenſum. Sed *cur non ibi expreſſa exſpectatiſſima illa humanæ ſalutis reparatio*, obducit *Urſinus?* quia *Urſine*, illa forſan ceu cabbala pretioſa per manus à parentibus ſine ſcripto devolvebatur ad liberos. Et quid ſi ille Sethianus *Thoyth* non fuerit ita ſollicitus de religione, quàm de propagandis ſuis artificiis? quis coget voluntatem liberam? nam quæ reliqua ſunt *Urſini* momenta contra *Manethonis* columnas, *Exercit. de Zoroaſtr. Hermete* &c. debiliora ſunt ipſis columnis. Quin & vis ea veritatis eſt, ut agnoſcat poſtea *Urſinus*, columnas eas verè exſtitiſſe. Ingreditur tamen cum celebratiſſimo *Ioan. Ger. Voſſio* controverſiam *Urſinus*, & acerbè inſurgit. Scripſerat *libro de Idolol. Voſſius, exiſtimare ſe Manethonem fide quidem optimâ expreſſiſſe iſta, unde profitebatur. Quod ſi fefelliſſet*, ſubjicit, *redarguiſſent eum Sacerdotes alii, ſi non ob aliud, ſaltem ut ſic gratiam Regis Ptolemæi Philadelphi ſibi conciliarent, nunquam enim defuiſſe, qui ſibi bene eſſe mallent, quàm alteri.* Ad hæc *Urſinus: quis ſpondebit*, excipit, *non refutatum fuiſſe Manethonem? quis redarguit Hermappionem? qui obeliſcum poſt in Circo Romano poſitum literis hieroglyphicis inſcriptum interpretatus legitur apud Marcellin. lib. XVII. & quidem ut cenſet Kircherus, falſiſſimè.* Bona verba, *Urſine!* tua providè inverſa tibi regero: quis ſpondebit refutatum *Manethonem?* quis ſpondebit non refutatum *Hermappionem?* cui demum mortalium nota eſſe poſſunt, univerſorum, qui periere librorum argumenta? ut taceam ſuſpectiores eſſe Italis ſagacioribus hodieque *Kircherianas* illas obeliſcorum interpretationes, & Romæ adhuc plus fidei haberi à multis *Hermappioni*, quàm Germano illi *Athanaſio.* Sed ecce decumanum alium *Urſini* fluctum! *Quin & ratio*, inquit, *urgentiſſima docuit cæteros Sacerdotes non obluctari Manethoni, ne converſis jam Bibliis per LXX. Interpretes culina Sacerdotum frigeſceret & ara, cognito fuco.* Frigida hæc ſunt, *Urſine*, & audaciæ propiora. Primò enim unde colligis verſa jam fuiſſe in Græcam linguam ſacra Biblia, offerente ſuum ſcriptum *Manethone*, cùm diu vixerit *Ptolemæus?* Secundò, *Manethonis* dynaſtiæ, ut oſtenderunt jam antea *Scaliger*, *Voſſius*, alii, non adverſantur Sacris literis, ſed inſpiciente rem occulato antiquario, egregiè, paucis exceptis, concordant. Tertiò, ſcierant Reges Ægyptii jam ante intima ſacrorum ſuorum penetralia, & omnia arcana Sacerdotum, cum quibus, ut ex *Diodoro Siculo*, aliiſque evidentiſſimum eſt, familiariter converſabantur, ut proinde Sacra Scriptura Græcè verſa non potuerit frigus inducere Sacerdotum culinis. Et quis pollicebitur credidiſſe *Ptolemæum*, ſcriptum illud ſacrum Hebraicum Divinæ fuiſſe authoritatis? contrarium vel ex eo ſe manifeſtat, quòd nec Ptolemæus ipſe, nec Succeſſores longâ ſerie pretium poſuerint Judaicæ religioni, aut illi ſeſe adjunxerint. Quinimò uſque adeò poſt verſa etiam Biblia florebat Sacerdotum Ægyptiorum auctoritas, ut ad Porphyrii quoque ævum ſacra duraſſe Serapidis in Ægypto teſtis ſit locuples *Euſebius Pamphilus.* Non quieſcit adhuc *Urſinus*, ſed ita ſpeciosè: *Diodorus*, ait, *CCXXX. annis poſt Manethonem venit in Ægyptum, nec audit ea, quæ ſcripſit Manethos, ſed ea fere, quæ annis CLIX. ante Manethonem ſcripſerat Herodotus, regnaſſe in Ægypto Deos, & Vulcanum &c.* Opportunè hæc, *Urſine*, nam neque *Herodotus*, neque *Diodorus* homines Græci, inviſique, ad arcanos Ægyptiorum libros inſpiciendos admittebantur; templis iſta reſervabantur & Regum tablinis. Græci peregrinatores advenientes plurima hauriebant è fœculentæ plebis lacunis, pauca è Sacerdotibus, & ignobiliora, quod ex *Strabone*, *Origene*, *Clemente Alexandrino*, *Plutarcho* oſtendere proclive foret, ſi eò nos detruderet neceſſitas. Quin nil mirum, ſi *Manethonis* librum non viderit *Diodorus*; multi Scriptores ducentorum annorum intervallo intercidunt, multi aliò aſportantur, multi in Muſæis Principum aſſervantur pauciſſimis inſpecti; multi ut vera ſcripſerint, certis de cauſis in fabularum detorquentur ſimilitudinem: Nec Phyſicæ Manethonis meminit *Herodotus*, fuiſſe tamen conſtat ex *Diog. Laërtio*, qui in procœmio, Manethonis Φυσικῶν ἐπιτομῇ uſum ſe oſtendit. Nec *Apotelesmatum Manethonis* meminit vel *Diodorus*, vel *Herodotus*, ſupereſſe tamen hodieque docuerit Bibliotheca Medicæa, ex qua fragmentum *Manethonis* περὶ Νόσων Florentiæ jam pridem deſcripſit honoratiſſimus Collega *Eraſm. Bartholinus*, cujus initium:

Νῶϊ δ' ἄγε μοι κέρη λιβηθελὰς ἔννεπε Μῶσα,
Ὅσσα φέρει νόσοις ἀλγήματα δία Σελήνη.

Quin & *Manethon* laudatus *Tertulliano*, in *Apologet. Reſeranda*, inquit, *antiquiſſimarum etiam Gentium archiva; Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, per quos notitia ſubminiſtrata eſt, aliqui, Manethon Ægyptius & Beroſus Chaldæus, ſed & Iromus Phœnix Tyri Rex.* Appoſitè *Philo Byblius* apud Euſebium conqueritur Sacerdotes Ægyptios tenebras offundere hiſtoricæ veritati, & quanquam *Sanchuniathonem* ſciant veraciſſimum eſſe Scriptorem, nihilominus eos operâ ejus inſuper habitâ iterum ad fabulas recurriſſe; & iſtud in causâ eſſe docet *Byblius*, cur Græci ignorato verborum Ægyptiacorum ſenſu myſtico circa fabularum interpretationem induſtriam ſuam occupaverint, diſpari ſæpè ſucceſſu. Idem ergo *Manethoni & Sanchuniathoni* fatum. Atque utinam tam cerros nos redderet de fide hodiernorum pleroumque Hiſtoricorum experientia, quàm reddit de fide Manethonis

Euſebius, atque *Ioſephus*; *Euſebius* docet Manethonem alia ex columnis Seriadicis antiquiſſimis deſcripſiſſe; *Joſephus* alia ex Sacris libris, i. e. Sacerdotum Manuſcriptis vetuſtiſſimis in fanis utique aſſervatis; unde ſua depromant Hiſtorici, in unico facto enarrando toties diſcordioſi, ipſi viderint, dum ego ex *Strabonis* Geogr. lib. XVII. *Manethoni* ſuccurro: *Sacerdotes Ægyptii*, inquit, *in libros ſacros referebant* (εἰς τὰ ἱερὰ γράμματα) *& confirmabant, quæ ſubtilioris aliquid habebant cognitionis.* Ecce fontes apertos, unde hauſit *Manethon!* Sed quæ admirabilis fuit *Manethonis* ingenuitas, ipſe tradente *Joſepho lib. I. contra Apion.* confeſſus eſt ſe quædam è fæce hauſiſſe; verba *Ioſephi*: *Ea verò quæ Manethon non ex Ægyptiis literis, ſed ſicut ipſe confeſſus eſt, è fabulis quorundam ſine nomine addidit, particulatim adjiciam.* Sed penè ultrà inſtitutum nos provexit animoſa *Conringii*, *Urſinique* Antiquis contradicendi vehementia; in viam redeamus. Diximus in Chami familiâ jam olim domicilium elegiſſe *Chemiam*, hoc eſt, in Ægypto Chamigenarum patrimonio; Id ut evincatur, initiò obſervandum, Ægyptum ipſam jam olim non tantùm in *Pſalm. Davidis CV. terram Cham* nuncupari, ſed hodieque Coptitis *Chemi*, docente *Bocharto*; quin & jam olim *Plutarcho in Iſide & Oriſide*, *Chemiam*, quaſi *Chamiam*. Neque in obſcuro ratio eſt, enimverò poſtquam Chami filius *Mizraim* Ægyptum poſſeſſor invaſerit ex *Geneſ. XI.* nil mirum, paternarum quoque artium quædam apud ipſum remanſiſſe veſtigia, Ægyptumque ex nomine Patris illius, *Chamiam*, *Chemiámve* appellatam. Hæſiſſe autem in animo *Mizraimi* quiddam ſcientiæ paternæ, inter alia patet ex *libr. IV. Recognit. Clementis Romani*, qui ita diſertè: *Ex liberis Noæ unus Cham*, inquit, *cuidam ex filiis, qui Mizraim appellabatur, à quo Ægyptiorum, Perſarumque genus ducitur, malè compertam tradidit diſciplinam. Hunc gentes quæ tunc erant, Zoroaſtrem appellarunt.* Hæc *Clemens*. Quanquam autem ille ad Magicas artes *Mizraimi* ſive *Zoroaſtris* diſciplinam detorqueat, illuſtris tamen *Naudæus* luculento Opere magna illa ingenia *Zoroaſtrem*, *Hermetem*, *Pythagoram*, *Virgilium*, *Paracelſum*, *Cornelium Agrippam*, *Rogerium Baconem*, *Petrum Aponenſem*, cæteroſque Magiæ infamis ab imperitâ eruditorum plebe poſtulatos, ita maſculè ab intentato vindicavit crimine, ut *Del Rio* cum ſociis aqua hæreat, & hæſura ſit. Accedamus *Chemiæ* incunabula propiùs. Prodeat ergo in ſcenam *Euſebius*, *Pamphilus*, & ex antiquo Scriptore ita peroret: Δημόκριτος Ἀβδηρίτης φυσικὸς φιλόσοφος ἤμαζεν ἐν Αἰγύπτῳ, μυηθεὶς ὑπὸ Ὀσάνε ἐξ Μήδε σαλέντος ἐν Αἰγύπτῳ ταῦτα τὰ τωικαῦτα βασιλέων Περσῶν ἄρχειν τὸ ἐν Αἰγύπτῳ ἱερῶν, ἐν τῷ ἱερῷ τῷ Μέμφεως, σὺν ἄλλοις ἱερεῦσι καὶ φιλοσόφοις ἐν οἷς ἦν ἡ Μαρία ἣν Ἑβραία σοφὴ καὶ Παμμίξης. Συνέγραψε περὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, ἐκ λίθων καὶ πορφύρας λοξῶς. Ὁμοίως δὲ ἡ Μαρία, ἐπωλώθησαν παρ' Ὀσάνε, ὡς πολλοῖς ἐκ σοφοῖς αἰνίγμασι κρύψαντες τὴν τέχνην. Gemella his tradit *Syneſius*, & quod ſuperat, antiquus ille *Zoſimus Panopolites*, quod pluribus in luculento Auctore expreſſum oſtendit ſe mihi in Regiâ illâ Bibliothecâ Pariſinâ, ut neque pro laciniis *Syncelli*, *Panodoríve*, quò inclinant fruſtra *Scaliger* & *Conringius*, haberi queat. *Michael Pſellus* celebrati nominis Scriptor epiſtolâ ad *Xiphilinum* Patriarcham clariſſimè: *Democritus Abderites*, inquit, *poſtquam in Ægyptum perveniſſet, ſacris initiatus eſt à Magno Oſthane in templo Memphitico ſimul cum aliis Ægypti Sacerdotibus:* & poſt pauca: *Scripſit autem Democritus de tinctura Solis & Lunæ, deque pretioſis lapidibus & purpurâ.* Is ipſe *Democritus* primus in Græciam invexit auream illam ſententiam: Ἡ φύσις τῇ φύσει τέρπεται, ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ, ἡ φύσις τὴν φύσιν κρατεῖ; nam *Democritum* primùm hæc ſcripſiſſe non ſuſtinebo, memor me in *Manuſcripto Iſidis* Lutetiæ Pariſiorum notâſſe, hæc ipſa verba ſed ſacris characteribus interiori ſacrario delubri Memphitici inſcripta quondam radiâſſe. Quòd *Oſthanem* hîc vellicat *Scaliger*, ut *Democrito* haud quaquam σύγχρονον, id aliquid nihil eſſe putamus, quòd plures haud dubiè numeraverit Media *Oſthanes*, ut plures Verona *Scaligeros*. De alio *Euſebius præp. Evang. lib. I. cap. X. Eadem inſuper Oſthanes de Deo tradit in eo, quod Octateuchum inſcripſit volumine.* Certè & primi Oſthanis & ſecundi meminit *Plinius lib. XXX. cap. I.* Vixiſſe autem in Ægypto *Democritum* manifeſtè oſtendit *Diodorus Siculus lib. III. cap. VI. & lib. II. cap. VI.* hæc adjicit: *Exiſtimant Democritum quinque illis annis, quibus in Ægypto vixit, plurimùm in Aſtrologia profeciſſe.* Hîc ne hallucinemur, intuendum, Aſtrologiam jam olim duplicem fuiſſe, ſuperiorem illam ex ſtellarum cœleſtium deportatis in terras radiis petitam; inferiorem autem ex lucentibus illis magnæ matris telluris ſyderibus, hoc eſt, ſplendidis metallorum glebis derivatam; & hoc eſt, quòd modo ex *Pſello* obſervatum nobis, *Democritum* ſcripſiſſe de Tinctura Solis & Lunæ, id eſt, ut expreſſiori nomenclaturâ reddam, de ſubtili, coloratóque ex auro, argentóque liquore. Sed quando minuti quidam Ariſtarchi, & in meliori antiquitate hoſpites, ut invidiam creent ſalubertimæ Arti, frequenter obſtrepunt, vocabulis ludere Chemicos, & aſtrorum titulis metalla ſalutare, inuſitato veteribus exemplo, invento *Paracelſico*, utque longiùs proſpiciat, *Lulliano*, agedum ex Antiquis craſſam illam, ignorantemque temeritatem expugnemus. Prodeant ergo in lucem vetuſta Perſarum ſacra, de quibus *Origenes lib. VI. contra Celſum* ita diſertè: *Deinde ut in libro contra nos ſcripto Celſus variam eruditionem ſuam oſtendat, Perſica quædam inſerit Myſteria, ubi dicit: Hæc indicat & Perſarum doctrina & Mithræ ſacrum iis gentile: eſt enim in eo duarum cœli revolutionum ſignificatio, tum ejus, qua ſtellæ fixæ feruntur, tum ejus quâ planetæ, & animæ per eas tranſitûs tale ſymbolum: ſcala eſt in altum aliis ſuper alias portis ſurrecta uſque ad ſummum octavæ portæ fornicem: prima portarum plumbea eſt, ſecunda ſtannea, tertia ahenea, ferrea quarta, quinta miſti nomiſmatis, ſexta argentea, ſeptima aurea. Primam faciunt Saturni plumbo notantes tarditatem ejus ſyderis; ſecundam Veneris comparantes ei ſtanni ſplendorem & mollitiem, tertiam Iovis æratam & ſolidam, quartam Mercurii, eſt enim laborum patiens & negotiator, æquè ac ferrum celebratus hominibus, quintam Martis propter miſturam inæqualem & variam, ſextam Lunæ argenteam, ſeptimam Solis auream, coloribus ſuis ea ſydera referentes.* In quem *Celſi* locum manifeſtus is error librariorum culpâ deprehenditur irrepſiſſe, quòd portam ſecundam, quæ primò ſtannea appellabatur, mox ab artis ignaro appelletur Veneris, ita enim ex artis præceptis refingendus *Celſi* locus: ſecundam faciunt Jovis, comparantes ei ſtanni ſplendorem & mollitiem; tertiam Veneris æratam & ſolidam; quartam Martis, eſt enim laborum patiens, æquè ac ferrum celebratus hominibus; quintam Mercurii propter miſturam inæqualem & variam, & quia negotiator eſt; ſextam Lunæ argenteam;

argenteam; septimam Solis auream. Sed cur in Mithræ sacris planetæ illi metallici inducuntur? Mithram nullum alium fuisse quàm Mizraimum, corruptâ à Persis voce non inconvenienter probat *Kirckerus in Obelisc. Pamphyl.* proinde cùm *Hermes* sive *Chanaan*, ille *Chemiæ* pater, fratri *Mizraimo* amore junctissimus metallorum haud dubiè arcana varia aperuerit, non mirum mysticam ejus rei in sacris *Mizraimi*, seu Mithræ factam mentionem. Quanquam non abnuendum, postea, ut alia omnia, ita vocem Mithræ ad aliud quiddam significandum sese accommodasse, & pro sole tandem usurpatam: hinc antiqua apud *Gruterum* inscriptio: SOLI MITHRÆ. & mox: OMNIPOTENTI DEO MITHRÆ PISONIANUS PATER PATRATUS. Idem Serapidi sive Sarapidi contigisse certum est, quæ nomenclatura initio Regi Ægyptio, post Deo Ægyptio, tandem Soli attributa, unde legere est apud eundem *Gruterum*: ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩΙ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ. Quin & pro Sole vox auri jam olim publicè substituta in Inscriptione Gruteriana: DEO INVICTO AURO SECUNDINIUS DONATUS FRUMENTAR. Unde non mirum in illâ ultro citroque commeantium frequentiâ ad Indos quoque partem illius astrologiæ metallicæ penetrasse, id quod vel ex *Philostrato* conficiemus: *Apollonius*, inquit, *cum Iarchâ Brachmane secretò philosophatus muneris loco ab eo tulit annulos septem, totidem planetarum dictos nominibus, quos singulos gestaret per subjectos planetis dies; sc. ut annulum aureum gestaret die Solis, argenteum die Lunæ, ferreum die Martis, hydrargyrinum die Mercurii, die Jovis stanneum, æreum die Veneris, & plumbeum die Saturni, quod singulis planetis singula respondeant metalla.* Probè Didymus in Iliad. ε. Ἐπεὶ δὲ ὁ Ἄρεως ἀστὴρ, ὁ σιδηρῷ καλούμενος. sc. stellam Martis ferream appellat. Apparet eodem quoque *Plato* in *Critia* respexisse: *Muri*, inquit, *urbis Atlanticæ exteriorem superficiem omnem ære tenui vestierunt, interiorem stanno, ejus denique qui arcem circundabat, orichalco igneo fulgore coruscо: Regia vero contra arcem constructa ita: in medio sacrum & inaccessum Clitonis Neptunique templum aureo ambitu circumdatum. Exteriora templi Neptuni fastigia argento omnia exornavere, culmina ipsa & apices auro.* Antea dixerat: *habitabant superiora ejus Milites soli prope Minervæ, Vulcanique templum: loca ejus ad Boream versa colebant.* In quem locum ita jam olim eruditissimus *Marsil. Ficinus: commemorat*, inquit, *& Plato metalla, ut per septem illa metalla, septem planetarum intelligamus influxus generationem omnium rerum moderantes. Aurum quidem Soli, argentum Lunæ, plumbum Saturno, electrum Jovi, ferrum & æs Marti, Veneri orichalcum, Mercurio stannum Platonici tribuunt.* Ne autem hæc *Platonica* aliunde hausta existimemus quàm ab Ægyptiis, *Plato* ipse in *Critiâ* antequam descriptionem insulæ Atlantidis moliatur; *si satis*, inquit *meminerimus, renunciaverimusque nunc vobis, quæ quondam à Sacerdotibus* [sc. Ægyptiis] *tradita, à Solone huc fuere advecta, videbimur theatro huic, ut arbitror, satis officio nostro functi.* Et mirum quàm hîc omnia de Vulcani templo, de incolarum ædibus, Arcton respicientibus cum Herodoto conspirent. Id unum hîc noto, Solonem per Memphiticas illas occultandi artes eò usque non potuisse penetrare, quò post apud Iarcham *Apollonius Thyanæus*, qui convenientissimè stellas superiores stellis inferioribus accommodat, utcunque aliis de causis apud *Eusebium*, *Tortoletumque* & meritò vapulet. In eo enim lapsi cum *Solone Platonici*, quòd Veneri solùm adscribant orichalcum, quòd electrum Jovi, quòd Mercurio stannum, cùm ex Ægyptiorum per *Arabas* jam notâ praxi, Veneri æs debeatur, plumbum candidum Jovi, hydrargyron Mercurio, neque enim orichalcum aliò spectat quàm æs, cum aliud nihil sit quàm æs, jam in venâ suâ cadmiæ fuliginibus penetratum, quod apud Darienem contingit; jam ab artificibus cadmiâ admistâ fulgidius redditum: Electrum autem species metalli non est, sed mixtura ex quatuor auri, & unicâ argenti portione, sive per artificium, sive naturæ sponte compacta, docente inter alios *Plinio*. Hinc cùm ex *strom. V. Clem. Alexandrini*, Ægyptii hieroglyphico charactere solem expressuri circulum forment, cùm Lunam redditturi, figuram Lunæ cornuum præ se speciem ferentem effingant, illi ipsi characteres hodie ad aurum, argentumque notandum etiam vulgò frequentantur. Hinc ex mystica illâ *cruce Isiacâ* (quam *Hermeticam* alii vocant, alii, quod idem est, *Thauticam*) in omnibus penè Ægyptiacis simulacris hodieque spectatâ, jam olim alii, & inter eos *Franc. Deé* Londinensis, & nuper *Kirckerus* in *Oedipo*, *Kriegsmannusque* opportunissimâ enodatione omnes planetarum cœlestium & terrestrium figuras elicuere. Quin ex Augustéi seculi *Manilio* constat creditum, partes humani corporis quiddam cum cœlestibus astris habere cognationis; hinc singulis dodecatemorii signis singulas attribuit corporis partes, tauro cervicem, geminis humeros; cancro pectus &c. Imò penè ab omni ævo illa cœli & terræ, planetarum superiorum & inferiorum conjugia sapientibus videntur fuisse perspecta. Appositè *Elluchasen Arabs libr. de Ritib. Ægypt. Philosophi Ægyptii*, inquit, *quemadmodum in historicis eorum inveni summo studio inquisivere catenam illam magnam, quâ mundus superior inferiori colligatur, id est, explorare conati sunt vinculum illud, quò mundus Angelicus mundo jungitur sydereo, id est, duodecim signis Zodiacis, & septem planetis, & quomodo hic mundus mundo elementari connectitur, & ex omnibus, quæ ei subjecta sunt, rebus, ex mineralibus, lapidibus, herbis, plantis, animalibus, proprietatibus, & omnibus eorum operationibus cognovere tandem longo usu & experientiâ, & ratiocinio, omnes formas & similitudines inferiorum jungi formis, & similitudinibus superiorum; & hoc pacto multa, eaque admirabilia in usu Medico præstiterunt.* Paucis eadem olim expressit *Iamblicus de Myster. Ægypt.* *Mundus*, inquit, *unum animal est, in quo partes quamvis loco distantes, propter naturam tamen unam ad se invicem feruntur.* sc. ut Sol, cor, & aurum sibi in multis respondeant, ità Luna, cerebrum, & argentum &c. Eant nunc atrati *Chemiæ* obtrectatores, & nudius tertius nata tum ejus principia, tum vocabula imperitè vociferentur. Eat *Conringius*, negetque ex sulphure & Mercurio composita fuisse metalla ante *Paracelsi*, aut, ut spatiosissimè, ante *Isaaci Hollandi*, *Lullique* ætatem. Quid adhæc *Hesiodus*? quid *Pindarus*? quid *Diodorus Siculus* respondent, si hausta ab Ægyptiis probè assequerentur? *Hesiodus* sanè *in Theogon.* narrat Thejam cœli filiam ex Hyperione Solem & Lunam progenuisse. Similia tradit *Diodor. Sic. lib. IV. Antiquit. cap. V.* Expressius tamen profundorum sensuum architectus *Pindarus*; qui cùm statim initio abrupti operis exclamasset: ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δ' αἰγυμένον πῦρ' adeoque pressiùs omnia scrutantibus per ὕδωρ ἄριστον hydrargyron insinuasset,

ſinuaſſet, per ἀιθόμενον πῦρ ſulphur inardeſcens, tanquam intima auri principia, tandem in Iſthmiis clariùs adhuc rem proſequitur: Μᾶπερ, inquit, ἁλίκε πολυώνυμε Θεία, στο γ' ἔκατι καὶ μεγαοθενὴς νόμισαν χρυσὸν ἄνθρωποι θεῖόπιον ἄλλων. h. e. Mater Solis celebertima Theja, tui causâ etiam homines exiſtimarunt aurum præpotens præ cæteris metallis. Scilicet per Thejam, qui acutiùs vident, τὸ θεῖον metallorum perſpiciunt, hoc eſt *ſulphur*, per hyperionem verò, *Mercurium*; quid enim citiùs alta ſcandit mercurio, ſi vel modeſtiſſimum ſubjeceris ignem? Enimvero non fabulæ ſunt antiquorum fabulæ, ſed arcanorum naturalium promi condi. In hanc rem *Plutarchus de Phyſicâ Græcorum Theologiâ*: ὅτι μὲν ἓν, inquit, ἡ παλαιὰ Θεολογία καὶ παρ' Ἕλλησι καὶ Βαρβάροις λόγῳ ἦν φυσικὸς ἐκκεκαλυμμένῳ μύθοις i. e. Antiqua & Græcorum & Barbarorum Theologia Phyſicus ſermo erat obvelatus fabulis. Mox inſtitutum perſequens per *Latonam* explicat noctem, per *Iunonem* terram, per *Apollinem* Solem, per *Iovem* calorem. Et paucis interjectis: *Ægyptii*, ſubjicit, *Oſiridem Solem eſſe ajunt, Iſidem Lunam, Iovem Spiritum cuncta permeantem, Vulcanum ignem, &c. quæ Manethon omnia fuſius proſequitur.* Ita opportunè *Tzezes* Perſei fabulam de Sole & exhalationibus aquæ interpretatur. *Euſebius* quidem ut ſacris intentus negotiis ægrè concoquit fabulas veterum ad naturam rerum explicandam adhiberi, ſed condonandum venerando Patri, quòd oſtendat ſe hic parum obſervâſſe illud *Senecæ: In eodem prato à bove inveniri gramina, à cane leporem, à ciconiâ ſerpentem. Quod ſi*, inquit *Euſ. Præp. Ev. lib. III. cap. XIII. Æſculapium Solem eſſe velint, quomodo is, ob turpem quæſtum & infamem Iovis fulmine conflagravit*, ut cecinit Pindarus? Non urgebo plures fuiſſe Æſculapios, quod ex *Cyrillo* & *Clemente Alexandrinis* promptum oſtenſu; Græcum illum Æſculapium cum Dioſcuris expeditioni Argonauticæ interfuiſſe diſcimus ex *Apollonio Rhodio*: Ægyptium autem alium Memphitanum inducit *Clemens Alexandrinus ſtrom. prim*: quem eundem *Admonit. ad Gent.* fulmine ictum ex *Pindaro* docet, in Cynoſuridis jacere. Sed quod ad rem facit, Sacerdotes Ægyptii, docente *contra Celſum Origene lib. I.* populum fabulis paſcebant, *ipſi ſub nominibus Deorum patriorum philoſophabantur.* Neque verò neceſſe eſt fabulas per omnia reſpondere; neque difficile fuerit illam Solis ſive Phaëtontis deflagrationem commodè ad naturæ leges interpretari, ſi huc vocârit neceſſitas. Sed inſtat rurſus *Euſebius lib. II. cap. VIII. Ex quo intelligimus*, inquit, *Romanos novam iſtam Græcorum in fabulis Deorum evolvendis Phyſiologiam probare nuſquam voluiſſe.* Sed quid Romanis, Martiis illis pullis, cum interiori Naturæ ſacrario? Fortia & facere, & pati Romanorum erat; ingenioſa & ſubtilia, Nationum aliarum: hinc ad curioſa omnia, Græcorum ingenio & manibus utebantur.

Hactenus ex *Zoſimo*, *Syneſio*, *Pſello*, aliiſque vindicata *Chemiæ* antiquitas, & Ægypto primi ejus natales adſcripti; juverit tamen expreſſam penè invicto *Conringio* audire confeſſionem: *Omnino tamen*, inquit, *& ipſe exiſtimo Ægyptiorum Hierophantas, omnium mortalium Principes χρυσοποιησιν jactitaſſe, & ab his Chemiæ profluxiſſe exordia.* Hæc *Conringius*, qui poſt tamen quaſi oblitus ſui, & Ægyptiorum, Chemicorumque odio exæſtuans, omnem Ægyptiorum ſapientiam elevat, obterit, peſſumdat, utcunque in *Moſe* & *Salomone* à Spiritu Dei deprædicatam: *Venere ab Ægyptiis*, inquit, *ad Græcos ea tantùm, quæ ad Religionem, magiam, leges civiles, & Mathematicas pertinent diſciplinas*, item: *omnem in univerſum Ægyptiorum ſapientiam & tenuem fuiſſe, & impiæ ſuperſtitionis plenam, nec cum Græcorum ſtudiis conferendam.* Quò ergo refers, *Conringi*, ea quæ ſequuntur Ægyptiorum inventa? Panopolin, illam λιθαρσῶν κατοικίαν παλαιάν ex *Strabone lib. XVII.* Quò refers illud *Epiphanii ad finem Panarii? Erant*, inquit, *ex Ægyptiis qui faciem certis inunctam ſuccis in ahena ferventia citra noxam immergerent.* Quò refers moly & nepenthes *Homericum*, ab Ægypto accerſitum? Quò refers ſex illos libros Medicos Hermetis, *Clementi Alexandrino* collaudatos? Quò refers immigrationem animarum in alia corpora? quam ex *Diodoro Siculo lib. II. cap. IV.* certum eſt *Pythagoram* in Ægypto didiciſſe, cùm Sacerdotum acutiores haud dubiè metempſychoſin illam ad nobiliorum metallorum animas in viliora plumbi, ferrique corpora introducendas iſta docendo tacitè reflexerint. Quò refers artem ex albo illo in Ægypti finibus marmore aurum extrahentem ab antiquis Regibus inventam? de qua operosè *Diodorus Siculus lib. Antiqu. IV. cap. II.* Quò refers illam nitri ad Memphim conficiendi rationem ex *Strab. Geogr. lib. XVII?* Quò refers artem cædendi, conficiendi, erigendi tot pyramides, tot obeliſcos, tot labyrinthos, mauſolea, coloſſos, fana, ſphinges ſaxeas? quæ omnia in Ægypto frequentiſſima, & cæteris nationibus præ deſperatione ſucceſſuum intentata? Cui uſui ex lapide illo nigro ad Memphim tot confecere mortaria ex *Strabonis lib. XVII*? Quò refers artem Medicam, quæ in Ægypto adeo familiaris, ut *Laërtius* ſcripſerit Ægyptios omnes eſſe Medicos? Quò refers Ægyptiam gallinarum pullitiem? de quâ pulchrè *Diodor. Sicul. Antiqu. lib. II. Qui aves*, inquit, *& anſeres nutriunt, præter earum, quæ apud homines alios habentur, procreandi naturam, adeo illis indulgent, ut in numerum avium dictu mirabilem abeant. Non enim ovis incubant aves, ſed ipſi ingenio, & naturali arte ex ovis præter cæterorum conſuetudinem educunt fœtus.* Apparet hîc *Diodorum* non omnia, quæ ad pullitiem illam faciebant, per invidiam gentis penetrâſſe, alioquin vel verbulo furni illius excluſorii meminiſſet. Quò refers mumias Ægyptias, & rationem balſamo condiendi cadavera, Ægyptiis utique ante *Moſis* ætatem conſuetam? Quò refers cœruleum illum colorem delicatiſſimum à Regibus Ægypti inventum auctore *Theophraſto lib. de lapidibus.* Quò refers tot machinas mechanicas, tot horologia, tot lucernas inexſtinguibiles, tot chordas Memnonis in Ægypto celebres? *Eben Rhodam Arabs tractatu de Medic. Ægypt.* narrat. Ægyptios olim minutim ſecuiſſe mumias ſuas, addidiſſe frumentum, vinum, myrobalanos, auri folia, ſimiliaque catholica medicamenta, totaque maſſâ intra vas Chemicum concluſâ inde vel ſalem elicuiſſe, vel liquorem, omnium morborum panaceam. Hæc *Eben Rhodam* ex fide *Kirkeri*. Quò refers illa? Quò refers Anatomen Ægypti Regibus ex *Plinio* familiarem? Quò refers ſtatuariam, ab Ægyptiis ad Græcos derivatam? de qua iterum *Diodorus: Conſtat*, inquit, *omnes quantivis pretii ἀγαλματοποιοὺς Ægyptum frequentaſſe, & inter alios Teraclem & Theodorum, qui Samiis illud Apollinis Pythii ſimulacrum perfecere.* Claudamus hanc ſcenam verbis *Diodori Sic. Antiqu. lib. II. Artes quoque*, ait, *apud Ægyptios videmus admodum excultas, & ad*

ſummum

summum perductas. Viderat autem *Diodorus* ipse Ægyptum, Julio, & Octavio Augustis, Romanum orbem florentissimo rerum, & artium statu temperantibus. Excutiat quæso hæc & similia magnus *Conringius*, ut aliud aliquid in Ægypto præter Politica, Mathematica, Religiosa & Magica delituisse agnoscat; videatque quantumcunque reluctetur, Ægyptiorum sapientiam Græcanicâ fuisse illustriorem. Clarissimè *Diodorus lib. II. cap. IV. Profectus est*, inquit, *in Ægyptum Orpheus, Musæus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Plato, Pythagoras, Eudoxus, Democritus Abderites, Hi in Ægypto certè perceperunt omnia, quæ illos apud Græcos fecere admirabiles.* Et tamen hi Græci non nisi lacinias & penè crepundia Ægyptiorum percepere, multo maxima retinentibus sibi Barbaris, ut ex *Strabone*, aliisque convincitur. Et quid Græcos adeo extollit *Conringius?* homines laboriosos illos quidem, sed ab aliorum pendentes nutu, ab aliorum ingeniis mutila etiam carpentes, & patriæ suæ obtrudentes tanquam miracula, cùm integra, vera, & solida ratò possent. Hinc Saïticus ille Ægyptiorum Sacerdos, ut est in *Platonis Timæo*; *O Solon, Solon*, inquit, *vos Græci pueri semper estis, neque senex est vestrûm quisquam, neque canum apud vos ullum disciplinæ genus.* Hinc *Euseb. Præpar. Evan. lib. X. Vetustissimos*, inquit, *Græcos semotas regiones laboribus maximis oberrando ab emendicatâ doctrinarum, quibus florebant Barbari, stipe suam illam Theologiam conflâsse deprehendimus.* Atque hinc est, quòd non temerè legamus, vel Pythagoram, vel Solonem, vel Platonem, vel alios Græcorum antiquissimos hieroglyphica Ægyptiorum intellexisse, utcunque omnium oculis in tot obeliscis conspicua. Benè *Diodorus lib. IV. Literas, quas sacras appellant* (i. e. hieroglyphicas) *Soli Sacerdotes norunt à parentibus suis privatim acceptas.* Cæterum obducet animosior aliquis, parum videri simile veri *Chemiam* jam olim in Ægypto floruisse, alioquin enim & *Platonem*, & *Solonem*, & *Pythagoram*, & *Diodorum*, & Græcorum penè infinitos Ægyptum quondam sollicitis itineribus circulantes deprehendisse aliquid istorum mysteriorum, eorumque in scriptis suis quædam dubio procul reliquisse vestigia. Excipiet ictum hunc in mei gratiam *Strabo*, & speciosum telum infringet: *Eudoxus*, inquit, *Geogr. lib. XVII. cum Platone in Ægyptum profectus est, & ambo cum Sacerdotibus XIII. annos conversati, ut tradidere nonnulli. Iidem Sacerdotes cùm scientiâ rerum cœlestium præstarent, sed eam in arcanis, neque cum quoquam dignarentur communicare, tempore tamen, & obsequio victi nonnulla apparuere præcepta, Barbaris interim plurima omnino occultantibus.* Scilicet inter profanum vulgus æstimati Græci, quos à sacris suis arcet Eleusis; & tamen sagacissimi hi Græci visi sibi sunt intimæ admissionis amici Ægyptiorum. Hinc apud *Clem. Alexand. strom. I. Pythagoras* Discipulus traditur Sonchedis Archiprophetæ Ægyptii, *Plato* Discipulus Sechnuphidis Hieropolitani, *Eudoxus* Conuphidis Ægyptii. Proinde non mirum quòd *Strabo Geogr. lib. XVII.* in hanc rem differat, *Heliopoli domos amplas vidimus, in quibus Sacerdotes habitaverant, homines Astronomiæ & Philosophiæ dediti, ostendebantur & ædes in quibus Eudoxus & Plato egerant.* Platonem tamen non Ægyptios tantùm, sed & Hebræos agnovisse Magistros oppidò verisimile. *Eusebius* enim *Præp. Ev. lib. XI. cap. VIII. Certum*, inquit, *apud Ægyptios tum temporis degisse Platonem, cùm Hebræi patriâ secundò pulsi Persis dominantibus in Ægypto versarentur.* His adjice præclara illa *Origenis lib. I. contra Celsum: Videtur*, inquit, *mihi idem facere, ac si aliquis in Ægypto peregrinatus (ubi sapientes Ægyptiorum eruditi literaturâ domesticâ, multa de Diis patriis philosophantur; plebeji verò fabulas audientes, quarum ignorant rationem, vehementer nihilominus sibi placent earundem cognitione) putet omnem se Ægyptiorum exhausisse sapientiam ex vulgi colloquiis, cum nemine Sacerdotum conversatus, nec à quoquam Ægyptiorum de talibus mysteriis edoctus. Clem. Alexand. strom. V. Ergo*, inquit, *omnes ut semel dicam, qui de rebus Divinis,* [hoc est magnis, admiralibus] *egere tam Græci, quàm Barbari, rerum quidem occultavere principia* (τὰς ἀρχὰς τῶν πραγμάτων ἀπεκρύψαντο) *veritatem autem ænigmatis, signis, symbolis, allegoriis, metaphoris, tropis tradidere.* Quadrant huc illa *Diodori Siculi: Quæ Sacerdotes* inquit, [sc. Ægyptii] *cognita in arcanis habent, nolunt, ut veritas ignota sit, ad multos manare, pœnâ iis etiam adjectâ, qui ea prodant in vulgus.* Ergo peregrinatores Græci prohibebantur ab interiori arcanorum Ægyptiacorum cognitione, ut, linguâ, animo, relligione dissidentes, ut inconsultâ garrulitate infames, quanquam aliquid succi inde traxisse perspicaciores, qui vel *Orphei* apud *Clem. Alex.* alioque *fragmenta*, vel *Pindari Lyrica*, vel *Homeri* bestias nigras, campumque nigrum inauratum, eruditissimè attactum *Blasio Vigenerio* in *Philostratum*, vel *Pythagoræ* femur penitùs intuentur, remoto fabulæ velo, nequeant dubitare. *Plato* equidem, ut nihil attulerit aliud post XIII. annorum molestias, unam secum in Hellada revexit sententiam in *Symposio* suo descriptam, ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει, ignobilem illam quidem, si plebejis inspiciatur oculis, si lynceis autem, admirandam totius scientiæ Chemicæ matrem, omniumque sublimationum, volatilisationum, fixationum, reverberationum, filtrationum, præcipitationum [venia sit vocabulis Artis] solidum, unicum & suffecturum fundamentum, in quo pleniùs assequendo si Naturæ consulti plus operæ impenderent, quàm infructuosis privationum, formarum, nugarumque universalium commentis adstruendis, nudam tandem aliquando spectarent Dianam, quam ipsi novis quotidie generalium dissertationum tenebris reddunt veltitissimam. Neque hoc *Platonis* aliud est, quàm arcanior illa ante attacta sacrarii Memphitici inscriptio: *Natura naturâ gaudet, natura naturam retinet, natura naturam vincit.* Neque inde abludit illud Divini *Hippocratis lib. de Diætâ: Concors concordi adhæret, discordia rebellant.* Quas igitur veluti sapientiæ Ægyptiæ plumas invenerunt scrutantes Græci, magno nihilominus ipsis stetere. *Pythagoras*, verba sunt *Clementis Alex. strom. I. circumcidi se passus est, ut adyta Ægyptiorum ingrediens mysticam discceret Philosophiam. Plato non inficiatur se ea, quæ in Philosophiâ sunt præstantissima, mercatum esse à Barbaris.* Similia tolerasse *Anaxagoram* credibile est, antequam eò provectus fuerit sapientiæ, ut putealem limum contrectans tremores futuros terræ certò prædiceret, notante *Marcellino lib. XX. cap. XLIII.* Sed quid *Moses* ex Ægypto secum retulit? respondet Martyrum Antesignanus *Act. VII. Mosen omnem Ægyptiorum caluisse sapientiam.* Interpretatur rem *Philo Judæus lib. I. de vita Mosis: Didicit*, inquit. *Moses ab Ægyptiis Arithmeticam, Geometriam, Rhythmicam, Metricam, Harmonicamque theoriam, & omnem Musicam, tum Symbolicam Philosophiam, quam literis*

literis ſacris deſcribunt: reliquas liberales Artes Græci docebant. Ex propinquis autem regionibus vocati Aſſyrii ſuas literas, Chaldæi ſideralem ſcientiam; hanc & ab Ægyptiis didicit, Mathematicæ cum primis deditus. Cœterùm utcunque Ægyptios Muſicam reſpuiſſe tradat *Diod. Sicul.* ut noxiam, effœminatamque diſciplinam, nihil hoc officit verbis *Philonis*, quòd in Aulis Principum quandoque tradantur, diſcanturque etiam mollicula, pathica, & oculos, aureſque morantia, quæ plebeji uſus nec ſunt, nec eſſe merentur. Nam perſonatus ille *Juſtinus Martyr*, *Auctor quæſt. & reſponſ. ad orthodox.* cum docet Moſen Aſtrologiam, & Geometriam, ut proletarias artes ab Ægyptiis nequaquam hauſiſſe, ſed mathemata duntaxat hieroglyphica, ſolis initiatis in adytis ſecretioribus propinanda, vehementer hallucinatur, tum quòd Aſtrologia, & Geometria neutiquam inter plebejas Ægyptiorum artes numerentur, ſolis Regibus, Sacerdotibuſque penetratæ, ut ex *Diodoro*, *Plinio*, aliis liquet. Probè *Origenes comment. ad cap. III. Rom.* *Apud Ægyptios*, inquit, *nemo Aſtrologiæ ſecreta rimatur, niſi ſuſcepta circumciſione, Literas hieroglyphicas nemo diſcit niſi recutitus*; tum quòd vana illa quæ Aſtrologiam comitati ſolent ſyrmata, ſciſſe nemini vitio vertâtur, ſed exercuiſſe, ut proinde cognitio artium profanarum in *Moſe* vituperari nequeat, cùm uſum earundem nemo ipſi jure exprobaverit. *Clem. Alex. lib. I. ſtrom.* ſcientiam Moſis Ægyptiacam ita pleniùs definit: *Cùm autem jam eſſet ætate grandior, Arithmeticam & Geometriam, Rhythmicam & Harmonicam, & præterea Medicinam ſimul & Muſicam ab iis edoctus eſt, qui inter Ægyptios erant inſigniores; & præterea eam, quæ traditur per ſymbola & ſigna Philoſophia quam in literis oſtendunt hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem tanquam puerum Regium Græci eum docuere in Ægypto, ut dicit Philo in vita Moſis. Didicit autem literas Ægyptiorum, & rerum cœleſtium ſcientiam à Chaldæis & ab Ægyptiis. Unde in ejus geſtis dicitur eruditus fuiſſe, in omni Ægyptiorum ſapientiâ. Eupolemus verò in libro de Judæa Regibus dicit, Moſen primum fuiſſe ſapientem, & Grammaticam primùm tradidiſſe Judæis, & Phœnices accepiſſe à Judæis, Græcos autem à Phœnicibus.* Non poſſum hîc ſatis demirari *Ioh. Henr. Urſini* genium, qui, ut, quod intendit, doceat *Moſen* nihil adeo ab Ægyptiis didiciſſe præter gubernandi artes, & ex *Ezechiele Tragico* παιδεύματα βασιλικὰ, inter alia *libro ſuo de Triſmeg.* &c. *Cùm hunc Philonis locum*, inquit, *recitaſſet Clemens Alexandrinus, virgulam ex Eupolemo addit cenſoriam.* Primò enim non adducit *Clemens* Philonis verba ſimpliciter, ſed ex aliis addit: Μωσῆς ἐπὶ μὲν ἰατρικῷ ἅμα καὶ Μεσοπολῷ παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐδιδάσκετο; quæſo agnoſcat in poſterum *Urſinus* Moſen quoque in Medicis numeratum fuiſſe. Secundò, neutiquam inficiatur *Clemens* Moſen ea didiciſſe omnia, quæ narrat *Philo*, ſed verò encyclopædiam artium à Græcis doctum fuiſſe Moſen, id demum eſt, quod ex *Eupolemo*, & providentiſſimè negat, ſatis gnarus Græcorum literas à Phœnicibus derivatas (*Joſeph. lib. I. contr. Apion. Græci antiquiſſimum literarum uſum habuiſſe creduntur à Phœnicibus & à Cadmo ſe didiciſſe gloriantur*) Phœnicum à Judæis, Judeorum à Moſe, Moſis ab Ægyptiis, Ægyptiorum à Chaldæis & Abraamo [qui judice *apud Euſebium Artapano* primus docuit Ægyptios Aſtrologiam] Abraami à Poſteris Noachi, Sethique: horum ab Adamo, illius à Deo. De Abraamo diſertè *Joſephus Antiqu. lib. I. cap. IX. Rex donato magnâ pecuniâ Abraamo poteſtatem fecit congrediendi cum præſtantiſſimis quibuſque, doctiſſimiſque Ægyptiis: quò factum ut virtutis nomine, in maximam æſtimationem veniret. Nam cùm ea gens in diverſos ritus, opinioneſque ſcinderetur, & per mutuum contemptum atque inſectationem infenſis inter ſe animis ageret, colliſos inter ſe de eorum religione ſermones, & à ſeipſis confutatos vaniſſimos eſſe, nihilque prorſus veritatis habere declaravit: ob has diſſertationes in pretio habitus, ut qui magnam tam intelligendi, quàm eloquendi, docendique facultatem præ ſe ferret. & numerorum ſcientiam & ſyderum benignè illis communicavit; nam ante Abraami ad ſe adventum Ægyptii rudes erant hujuſmodi diſciplinarum, quæ à Chaldæis ad Ægyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem pervenerunt.* Eupolemus apud *Euſebium præp. Ev lib. IX. cap. XVII. Abraam Camarinæ, quæ Babyloniæ civitas eſt, quamque Urien nonnulli appellant, Græci Chaldæopolin, natus cùm ſapientiâ omnibus anteiret, tum vero Aſtrologiam & Chaldaicam invenit, Solis & Lunæ converſiones & reliqua id genus omnia Phœnices edocuit.* Idem mox: *Cœterùm cùm apud Heliopolin Abraamus Ægyptiorum Sacerdotum conſuetudine plurimum utereretur, multa ipſos, nec non Aſtrologiam, quæque ad eam pertinent omnia, illo docente didiciſſe tradit.* Mox iterum: *Sic tamen illorum inventionem Babyloniis atque Abraamo tribuit Eupolemus, ut principem illorum Auctorum Enochum fuiſſe ſtatuat, quippe qui primus omnium Aſtrologiam invenerit, non autem Ægyptii.* Et mox: *Græci Atlantem Aſtrologiæ inventorem eſſe volunt, ſed nimirum Altas idem eſt, qui Enochus, qui Methuſalem patrem habuit: hic ab Angelis omnia didicit, quæ tandem ad nos, cognitionemque noſtram pervenere.* Hæc Eupolemus. Similia penè de Abraamo tradi ab Artapano fidem facit *Euſeb. præp. Evang. lib. IX. cap. XVIII. Artapanus*, inquit, *in rerum Judaicarum hiſtoriâ ſcribit Abraamum in Ægyptum cum tota ſua familia, veniſſe ad Regem Ægyptiorum Pharetonem* (ut agnoſcamus Pharaonem) *quem cùm Aſtrologæ præceptis inſtituiſſet, ac XX. continuos annos ibi tranſegiſſet, in Syriam denuo remigrâſſe, pleriſque ſuorum ob regionis ubertatem in Ægypto remanentibus.* Quin & Phœnicibus Aſtrologiæ præcepta ab Abraamo inſtillata eſſe Autores ſuſtinuere *Euſeb. præp. Evang. lib. IX. cap. XVIII. Incerti*, inquit, *Auctores tradunt Abraamum Aſtrologiam optimè callentem primùm in Phœniciam, ubi Phœnices eadem ſcientiâ imbuerit, ac deinde in Ægyptum migrâſſe.* Sed nos ad Moſen poſtliminio regrediemur. Verùm enimvero *Urſine* præter βασιλικὰ illa παιδεύματα [& βασιλικὰ erant Geometria & Aſtrologia] ſcivit & alia Moſes. *Euſeb. præp. Evang. lib. IX.* Μωσῆς δέ, inquit, καὶ λίθων δυνάμεις οὐ μάλα ἐξεπαίδευεν· ὁ γὰρ ἱερεὺς ὢν τῆς τοῦ Ἀρχιερέως στολῆς, τὴν τούτων κέκτητο θεωρίαν i. e. *Et ſanè Moſes, qui lapidum etiam vires apprimè callebat, non obiter cùm de ſummi Sacerdotis cultu diſſereret, in eorundem conſideratione verſatus eſt.* Et nè in mechanicis auri, argentique hoſpitem fuiſſe arbitremur, non incommodum fuerit expendere Deum, quidem *Exod. XXXI. excitâſſe Beſeleelem ad excogitanda varia in auro, argento, & ære artificia*, eundem tamen Deum optimum maximum abundantiori ſpiritu ad eadem gubernanda implêſſe Moſen. Ut non fruſtra *Philo Judæus lib. II. Alleg. Leg*: *Vocavit Deus Moſen & Beſeleelem, ſed inventes tabernaculum & vaſa ejus omnia priùs à Moſe, deinde à Beſeleele delineata & parata. Moſes enim eſt exemplarium artifex, cæterum Beſeleel imagines eorum exprimit. Artapanus apud Euſe-*

bium

bium præp. Evang. lib. IX. Mosi, inquit, *& navigiorum, & machinarum, quibus adducti sursum lapides inter se postea conjungantur, & armorum Ægyptiacorum, instrumentorum partim hauriendæ vel deducendæ aquæ, partim bello necessariorum, ipsiusque adeo Philosophiæ inventionem acceptam referunt. Quibus ipse rebus non modò populorum sibi amorem conciliavit, verùm etiam parem superis honorem à Sacerdotibus qui Ἑρμῆ illum ob sacrarum literarum ἑρμηνείαν appellârunt, facile impetravit.* Sed verò quas tum literas sacras interpretatus est Moses, cùm nullæ essent? an hieroglyphicas? non pugnaverim. Id tamen satis concoquere nescio, *Mosen* à Sacerdotibus vocatum *Hermetem*; obstat enimverò *Mosis* ætas *Hermete* recentior; id quod postea, spero, clarè elucebit. Ut taceam *Isidem* Ægyptiis dici Medicinæ inventricem, illam ipsam tamen ab *Hermete* fuisse edoctam monente pluribus *Diodoro Siculo*; hæc autem ante Mosis tempora contigisse, quòd Medicina Ægyptiorum *Mose* fuerit antiquior, advocatis ad condiendum balsamo Jacobum Medicis. Verba *Genes. L. Præcepit Joseph Ministris suis Medicis, ut aromatibus condirent Patrem.* Nisi forsan Sacerdotes *Mosen* vacaverint *Hermetem* alterum, id quod nihilominus odia Ægyptiorum adversus Israelitas internecina vix permiserint. Credibilius fortassis Judæorum Sacerdotes ita appelasse *Mosen*, ad imitationem Ægyptii illius *Hermetis*, antè, cùm in Ægypto viverent, auribus suis toties occentati. *Plinius lib. XXX. cap. I.* Magnum facit Mosen, sed hæsitat, dum cum Jamne componit. *Philo Judæus de eo, quòd deterior potiori soleat insidiari*; docet *Mosen* non priùs descendisse in Ægyptum cum sophistis conflicturum, quàm postquam egregiè meditatus esset differendi facultatem. Cæterum nè longiùs abeamus, agnoscunt *Rabbini* in capite primo Mosaicæ Geneseos plus mysteriorum naturalium, quàm in omni Barbaricâ Philosophiâ, tantum subtilitatis, ut nemini suorum ante annum ætatis trigesimum lectionem ejus judicent temere indulgendam. Sed utrum Chemica quoque scierit, tractaveritque *Moses*, in suspenso relinquimus, nisi quòd parùm adhuc cum *Conringio* fabulari libeat. Ita ergo ille: *Multo minus est*, inquit, *quòd moremur nonnullorum fabulas, quasi Moses vitulum aureum comminuens, Chemicum egerit.* Cur autem hæ fabulæ Conringi? spondere ausim neminem, nisi nobilem Chemicum id præstiturum, quod Mosen hîc præstitisse docent verba Spiritus Dei, si, ut jacent, interpretanda sint; Audiamus *Exod. XXXII. Cepit Moses vitulum illum aureum, quem fecerant, combussit igne, & comminuit tenuiter, inseminavitque aquæ, deditque filiis Israel potandum.* Audiamus *Deut. IX. Cepi*, inquit Moses, *vitulum, cremavi igne, valdè divisi tenuiter, donec instar pulveris esset, quem projeci in fluvium ex monte profluentem.* Hinc fuere, quos pungit *Conringius*, qui colligerent, *Mosen* Chemicâ arte aurum ita divisisse, ut in pulviseulum in aquis dissolubilem attenuaretur, neque enim aurum ullo modo vel per se in pulverem comburi, vel pulverem ejus ita in aquâ profluente tatisceré, ut bibi possit. *Sennertus de Cons. & Diff* subjicit vocem שרף non solùm notare *comburere, sed & fundere, liquare, & quocunque modo in pulverem comminuere.* Demus hoc *Sennerto* [quanquam non tantùm LXX. *Interpr.* tum illud *Exod. XXXI.* distertè reddant, κατέκαυσεν αὐτὸν ἐν πυρὶ, tum *Deut. IX.* κατέκαυσα αὐτὸν ἐν πυρὶ, & *Buxtorffius*; aliique explicent; *exurere, incendere,*] adeo tamen id nodum non solvit, ut liget arctiùs: neque enim quisquam fundendo, eliquando, urendo, simplici igne, ita intima auri viscera exenteraverit, ut poculentum evadat, & non statim projectum in fluvium, sidat in fundum, nisi Chemiâ & quidem arcaniori Duce. Reddatur, si vacat pulvis ille auri tenuissimus sive elimando, sive tundendo, terendóve; uratur vel decies, mox aquæ infundatur, petet è vestigio fundum & hiatum potantis eludet. Non adducam illud *Nicolai Lyræ* testimonium, qui in hunc Exodi locum commentando refert tradere Doctores Hebræos, reos filiorum Israel bibentes hanc aquam pulvere vituli infectam in barbis postea colorem aureum retinuisse, alios non item; hoc enim si verum, miraculum spirat, non opus Chemiæ. Posse autem aurum corrumpi, & à suis velut annellis exire, ut reclamaret tota Pyracmonum cohors nihil efficeret, docente ipso Dei Spiritu 1. Pet. I. v. VII. & v. XVIII. aurum esse φθαρτὸν & corruptioni subjectum. En verba: Εἰδότες ὅτι οὐ φθαρτοῖς, ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ ἐλυτρώθητε. item ἠμιώτερον χρυσὸς τὸ ἀπολλυμένον. Quod si quis minùs dictum propriè existimet, sciat, idem tridui experimento posse demonstrari. Alii ex suaveolenti, & odoratissimo illo halitu, quem non ita pridem inventum in monte Nebo *Mosis* sepulcrum exspiravit, si *Hornio in Hist. Eccles.* fides, Chemicum aliquid laborarent extorquere, quod similes penè odores polliceatur *Chemia*, sed nostrum non est vel hariolari, vel morosiùs indulgere conjecturis: sufficerit nobis illud *Philonis de mund. opific. Moses Philosophiæ assecutus fastigium, & oraculo de præcipuis Naturæ arcanis edoctus.* Ad summam, efficiat alius non Chemicus quæ hîc præstituit *Moses*, & *Mosen* non fuisse Chemicum agnoscemus; dicturi tum demum clariùs cum *Philone de præm. & pœnis: Hunc solum* [Mosen] *memoriæ proditum est sine auro, argentoque, ac reliquis opibus regnum administrâsse.* Sed quando aurum sustinemus φθαρτὸν esse, & corruptioni obediens, non ab re fuerit utcunque præter institutum, illud *Conringii* de *Herm. Med.* demirari: *Constat*, inquit, *à nullo denique animali, lapides, metalla, & metallicos succos corrodi.* Quid adhæc *Jul. Obsequens Observ. XLIV. Servilio Cepione*, ait, *& Servilio Gemino Coss. aurum in Capitolio corvi rostris non tantùm devorârunt, sed commederunt etiam.* Item, *Mures Antii coronam auream arroserunt.* Idem *Observ. XXXIX. Mures in æde Jovis aurum roserunt.* Idem *Observ. LXXIX. P. Africano & Lælio Coss. Frusinone aurum sacrum mures arroserunt.* Æstimaverit hæc inter ostenta superstitiosorum credulitas, nos didicimus non temere Deum è machinâ advocandum. In hanc rem *Borellus Hist. & Obs. Med. Cent. III. Obs. LXXXV. Dominus la Pierre*, inquit, *nobilis Castrensis dum machinarum bellicarum custos esset, & director narrat mures supra centum libras globulorum plumbeorum pro tormentis bellicis destruxisse, & voravisse.* Fatetur idem *Borellus* vas stanneum sibi à muribus corrosum tempore pestis. Quòd ferri superficiem subigat tandem ventriculus Struthionis, Florentiæ animadversum. Ita legimus & argenteos clypeos à muribus Lavinii arrosos, & ferrum in officinis ferrariis apud Chalybas. Existimare libet singularem illam dulcedinem, quam in plumbo & stanno [de cæteris metallis res incomperta ferè] etiam sine acidorum misturâ deprehendit ignis Chemicus, murium palato sapere, cum hominibus, si ore copiosiùs assumatur, veneni

more

more vitæ minetur periculum. Tacebo non omne aurum dentibus ita malè morigerum eſſe, ut Europæum noſtrum. Appoſitè oculatus teſtis *Flacurtius Hiſt. Inſul. Madagaſcar.*: *Ce qui eſt de remarquable*, inquit, *c'eſt qu'il n'y a nul Grand dans toute cette Iſle, qui n'ait de l'or de ſes Anceſtres, & cet or n'eſt en aucune façon ſemblable à l'or que nous avons en Europe, étant plus blaffard, mais preſque auſſi doux à fondre que du plomb.* Et paulò poſt: *Les Orfevres du Païs de Madagaſcar ne ſauroient employer nôtre or, diſans qu'il eſt trop dur à fondre.* Et rurſus: *L'or de Madagaſcar eſt tres-facile à fondre, dont il y en a trois ſortes, ſavoir celuy qu'ils appellent or de Malacaſſe, qui eſt blaffard, & ne vaut pas plus de dix écus l'once: & eſt un or qui eſt fort doux à fondre, & preſque auſſi aiſé que le plomb. Il y a de l'or de la Mecque, qui vaut bien l'or de Sequin, & le troiſiéme eſt celui, qu'ont apporté les Chrêtiens, qui eſt à leur façon de fondre plus dur.* Sed contrahenda jam vela iſtæc.

Verùm quo auctore cœperit primùm in Ægypto *Chemia*, opportunè aliquis percunctabitur. Equidem nil dubitamus *Hermeti* ſive *Mercurio* tum Medicinæ, tum Chemiæ adſcribere originem, quicquid etiam de utroque reluctetur *Conringius*, eò quoque in *Hermetem* provectus odio, ut in medio relinquat, *fuerítne aliquando Hermes quidam humani ſanguinis, an verò Dæmon aliquis*, &c. (*a*) Uſque adeò & ſupera & infera movenda, ut color quæratur indignationi. Sed nos provehimur. Repertorem diſciplinarum & artium omnium Ægyptii Sacerdotes agnoſcebant Hermetem *ex Diod. Siculo lib. II. cap. I. & ex Strabon. lib. XVI.* at Medicinam & Chemiam inter artes Ægyptiacas eſſe jam ante oſtenſum; & demonſtravit operosè *Kircherus in OEdip. Ægyptiaco.* Iterum *Diodorus lib. Antiqu. I. cap. II. Mercurium Ægyptii honorant ut repertorem rerum plurimarum, quibus vita hominum conſuleretur. Is imprimis obſervator aſtrorum curſus fuit, & vocum harmonias adinvenit. Palæſtræ etiam, numerorumque, & ad corpora curanda Medicinæ artis inventorem volunt.* Καὶ παλαίστρας ἀρετὴν ἐπάρξαι, καὶ τὸ περὶ τὸ σῶμα πρέπουσης πλάσεως ἐπιμεληθῆναι; nam certè πρέπουσα πλάσις σώματος Medici operis eſt. Idem *Diod. lib. I. cap. II. Aſſerunt & Ægyptii*, inquit, *Iſidem plurium ad morbos medicamentorum fuiſſe inventricem*; at unde hauſit ſcientiam ſuam *Iſis?* reſpondet *Diodorus: tradi, exſtare in Nyſâ Arabiæ ſepulchra Iſidis & Oſiridis, eſſe autem utrique dicatam columnam ſacris literis inſcriptam, in columnâ autem Iſidis hæc legi: Ego Iſis ſum Ægypti Regina à Mercurio erudita, &c.* ſcilicet in illa ingenii magnitudine parum ſibi ſubtrahere viſus eſt *Hermes*, ſi Reginæ, ut inclareſceret illa quoque, partem aliquam ſcientiæ ſuæ, quæ ad Medicinam ſpectabat, relinqueret; non ignarus in hoc etiam muſtaceo laureolas quærere ſequiorem ſexum. Secutæ *Iſidem* illo laudis thyrſo percuſſæ, *Cleopatra* in Ægyptô, in Cariâ *Artemiſia*, in Palæſtinâ *Maria* quædam (cujus ſcriptum Pariſiis mihi oſtenſum, quanquam forſan ſuppoſititium) ut taceam recentiores, Italorum *Iſabellam Corteſiam*, Gallorum *Aiguilloniam*, Britannorum *Kentiam*, Danorum *Bertam Friſiam*, *Annam VVecheriam* Germanorum, & alias infinitas maritorum, & familiarium beneficio in re Medicâ inclytas. Sed nos ad *Mercurium*. Diſertè *Jamblichus de myſter. Ægypt. Scriptores*, inquit, *Ægyptii putantes omnia inventa eſſe à Mercurio*, (ergo & Chemica) *libros quoque ſuos Mercurio inſcripſere*. Ad rem *Iulius Matern. Firmicus lib. III. cap. I. de Peroſyri & Nicepſo: Mundi*, inquit, *genituram eſſe voluerunt, ſecuti Æſculapium & Anubim, quibus potentiſſimum Mercurii Numen iſtius ſcientiæ ſecreta commiſit.* Hinc diſcimus, *Æſculapium*, qui inventor Medicinæ habetur, ſcientiæ Orgiis à *Mercurio* imbutum fuiſſe, (ſive hîc vivam vocem urgeas, ſive ſcripta, diſquirere nunc alienum eſt) adeòque *Mercurii* diſcipulum: nam de *Apolline*, quem itidem primum Medicinæ agnoſcunt Magiſtrum, res certa eſt, clariſſimè enim *Diodorus Siculus: Iſis*, inquit, *Horum filium à Titanibus occiſum, inque aquis inventum non reſtituit tantùm vitæ, ſed immortalem reddidit. Quem quidem Horum, Apollinem interpretantur, ac medendi, divinandique artem à Matre Iſide edoctum multum hominibus tum oraculis, tum medelis emolumenti attuliſſe. Horus* ergo ſive Apollo (unde ſcriptor hieroglyphicorum *Horapollo*) Medicinam hauſit ab *Iſide*; *Iſis*, ut ante monitum, à Mercurio. Uſque adeò evidens eſt, non duntaxat, quod *Clemens Alexand.* pulchrè demonſtrat, *Moſen* pleriſque Græcorum Diis antiquiorem eſſe, ſed & *Mercurium* aliis Medicinæ inventoribus antiquiorem, eorúmque Magiſtrum ſalutandum. Nam & Api vetuſtiorem Hermetem nemo dubitavit. Docet quidem *Clemens Alexand. ſtrom. prim. Medicinam primùm ab Api quodam Ægyptio inventam, deinde ab Æſculapio auctam eſſe ferunt.* Sed illud explicandum eadem ratione quâ iſta ejuſdem *Clementis: Noricos conflandi æris, ferrique purgandi rationem primos tenuiſſe*: nimirum ſalvâ Tubalcaini, & Hermetis, tanquam primorum omnium auctoritate. Ipſe *Clemens Alex. ſtrom. primo* ex *Arcadicis Ariſtippi* docet Apim illum Argorum Regem Memphim ædificaſſe, ut inde quoque Hermetem, ſive Chanaanem, quippe Memphi, & quod conſequitur, Api longè antiquiorem eſſe convincatur. Scripſiſſe & Medica *Hermetem* inter alios tradit *ſtrom. VI. Clem. Alexand. Sunt ergo*, inquit, *XLII. libri Mercurii valde neceſſarii, ex quibus XXXVI. quidem, qui omnem Ægyptiorum Philoſophiam continent, diſcunt ii, qui ante dicti, reliquos autem ſex* οἱ Παστοφόροι, *ut qui pertineant ad Medicinam, nempe de conſtructione corporis, de morbis, de inſtrumentis, de medicamentis, de oculis & poſtremò de mulieribus.* Chemiam autem Hermeti debere primordia non inde modò conficitur, quòd Ægyptiis ipſis,

(*a*) Quòd verè extiterit Hermes apud Ægyptios, quòdque Vir fuerit magni nominis, ſcientiarumque apud eam Gentem Pater, ſequentibus probat Clariſſ. Autor noſter ſuô de Hermetis, & Ægyptiorum Sapientia Libro contra Conringium rurſus ſcripto. *Qui*, inquit, *Phœnicibus Taautus Ægyptiis jam Thoor, jam Thoth, jam Thoyth, jam Theuth appellatus traditur, ut ex Phylone Byblio, Platone, Tullio, aliiſque conſtat; Voſſio etiam Thouth, lib. de Idolol. Græcis Hermes, Latinis Mercurius, verè fuiſſe hominem, ab Ægyptiis Deum reputatum aſſerit Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. Antiquiſſimum item fuiſſe hominem & in omni genere doctrinæ inſtructiſſimum, docet Lactantius lib. I. Idem habent Philo Byblius apud Euſeb. Præpar. Evangel. lib. I. Plutarchus de Iſide & Oſiride; Diodorus Siculus Bibliothecæ lib. I. Cicero lib. 3. de Natur. Deor. Plato in Philebo atque in Phædro; Sanchoniathon item apud præcitatum Euſebium; & alii*; de quibus videri poteſt prædictus Autoris Liber, cùm nobis impræſentiarum paucula hæc ex eodem delibaſſe, ſatis ſit, quô ſcilicet aliquatenus conſtet Hermetem noſtrum non ita Chimæricum fuiſſe, qualem ſibi gratis nimiùm fingit Conringius.

ipsis, docente *Kirckero*, sapientia Hermetica appelletur, sed & ex inscriptione illâ Copticis literis saxo prope Memphim insculptâ, quam inde descripsit *Michaël Schatta* Coptita Memphitanus, non difficulter colligitur: reddita Latinè verba ita se habent: *Cœlum sursum, cœlum deorsum: astra sursum, astra deorsum: quod sursum, omne id deorsum: hæc cape, & beaberis.* Hæc enim verba *tabulæ Hermetis Smaragdinæ* tam similia sunt, quàm ovo ovum, adeò ut ex illâ in saxum translata videantur. Sed de *tabulâ Smaragdinâ* mox plura. Nos Hermetem in cæterâ ingenii magnitudine auri quoque calluisse naturam vel ex *Chronico Alexandrino* conficiemus: *Jaunum*, inquit, *à Pico Jove, Italiæ & Occidentis Rege natum affirmant: huic à Planetâ Mercurii nomen fuisse inditum; reperisse aurum, ejusque conflandi rationem, convasatisque rebus suis, & multo auri pondere in Ægyptum fugisse, ubi à Misremo* (i. e. fratre Misraimo) *Rege Chamigenâ receptus, cùm propter sapientiam, & artes varias in magno versaretur honore, defuncto tandem successisse.* Cæterùm quid dubitamus ex *Homero* Chemiam *Hermeti* vindicare? Hìc nè nugari semper existimemus fabulatorem Melesigenem, initio ex *Diod. Sic. lib. I. cap. II.* monendum, *Homerum ad Ægyptios profectum multa ab eorundem Sacerdotibus percepisse.* Percepit enimverò non solùm mysticum illum Martis & Veneris in Odyss. Θ. concubitum; non solùm profundas illas de bestiis nigris, & campo nigro aurato subtilitates, à solo Chemico ad oculum demonstrandas, sed & illo occultissimi sensûs hymno, quo Mercurio supplicat, ista percepit:

--- --- Ἑρμῆς πυρὸς δ' ἐπεμάσσετο τέχνῃσιν.

& mox: Ἑρμῆς τοι πεφύτευται πυρήϊα, πῦρ τ' ἀνέδωκεν.

Dices, quid inde sequitur? sequitur, opinor, quod quæritis. Paulò post enim, ubi Apollo aëreum Hermetis hujus antrum ingressus penetralia tria clave lucente reserâsset, spectatus in antro

Πολλὸς δ' ἀργυφέου τε καὶ ἄρρυτος ἔνδον ἔκειτο.

& quæ adduntur reliqua, manifestissima, nisi cæcutiamus, *Chemiæ* vestigia. Hìc nè quis instet, dubium esse, utrum Homero debeant natales assuti illi Homerico operi Hymni, mihi quidem hoc loco satis erit pro Homericis à plerisque haberi, & antiquissimos esse; quænam enim præcisè Homerica sint, etiam in *Odysseâ & Iliade*, neminem hodie mortalium scire posse, & nè olim quidem in Græciâ fuisse satis perspectum; neque hic vacat ex *Laërtio*, aliisque, pleraque, etiam *Aristotelica* scripta in suspicionem adduxisse, & collocâsse inter spuria. Verùm missis Homeri hymnis, si vel primum *Odysseæ ω*, versiculum attento lumine intueamur

Ἑρμῆς δ' ψυχὰς Κυλλωίῃ ἐξεκαλεῖτο
Ἀνδρῶν μνηστήρων, i. e. *Mercurius procorum masculorum animas evocat*, nihil χημικώτερον dici potuisse deprehendemus. Enimverò si præparatis metallorum masculis ingeniosè jungatur Mercurius, animas eorundem prævià sublimatione facilè evocat, secúmque attollit. Conspirat amicè illud vinculum, quod Marti injecere Otus & Ephialtes Aloëi filii *Iliad. ε.* à cujus nexu post totos demum tredecim menses vindicatus est, sed non nisi beneficio Mercurii; *tandem*, inquit Poëta, *Martem furatus est Mercurius*, i. e. in altum extulit, Hinc Pythagoræ, teste *Laërtio* Mercurius appellatur ταμίας τῶν ψυχῶν, idque nisi fallor, convenientissimè, & Homero *Odyss. κ.* χρυσόῤῥαπις. Propterea illud *Servii in 1. Georg. Virg. Sciendum sanè de Planetis quinque duos esse noxios, Martem & Saturnum, duos bonos, Jovem & Venerem, Mercurius verò talis est, qualis ille, cui jungitur, unde & fingitur Deorum minister, quòd eorum obtemperet potestati*, nequaquam de solis Planetis cœlestibus capiendum, sed accommodatissimè quoque de terrestribus. Sed hæc aliàs. Quantus autem fuerit Heros Ægyptius ille *Hermes*, vel ex eo judicare est, quòd ipsa quoque Ægyptus Stephano Byzantino in voce Αἰγυπτος appelletur Ἑρμοχύμιος, sive ut prudenter emendat *Vossius de Idol* Ἑρμοχήμιος. Accedit & aliarum gentium de *Hermete* judicium. *Galli*, ex *Jul. VII. Comment. VII. bell. Gallici*: *Mercurium Deum maximè colunt, hunc omnium inventorem artium ferunt.* Unde hæc Galli? an rarus ex oppressi reliquiis Brenni nuncius reversus Gallias illâ Hermetis imbuit reverentia? an à reliquiis Gallorum è Galatiâ redeuntibus hausere Druidæ? Et in Græciâ cultus Mercurius. *Strabo lib. VIII.* Ad Olympia crebra sunt in viis Mercurii donaria, id est, Ἑρμεῖαι. Hebræi proverbio quoque jactant, spargere lapides in Merkolis, *hoc est*, in honorem Mercurii, de quo *Drusius*. Quò & *Salomonis* illud *Proverb XXVI. sicut qui projicit, lapidem in acervum Margemah*, creditur respexisse. Illam projectionem Indis quoque familiarem esse, in honorem *Mercurii* testis est *Vincentius Bellovacensis lib. IV. Specul. Histor.* Saxones *Hermeti* columnam erexere Irmensul, quasi Hermes-Seul, à Carolo Magno, capto Eresburgo, destructam. Gandavenses *Hermeti* struxere aram; referente *Theodorico Abbate S. Trudonis*; Walachria Zelandiæ dedicavit ei idolum, ut est in *Chronico Zelandiæ*. De causis conjectorum ad statuas Mercuriales lapidum, utcunque non inconvenienter commentetur tum *Cornutus de natur. Deorum*, tum *Sarisburiensis in Polycratico*, rectiùs tamen haud dubiè sese expediissent Chemiæ beneficio. Hìc cum aras, columnas, statuas Mercurio erectas tradant Autores, ansam captavit *Conringius* dubitandi: *homóne fuerit olim, an ex Dæmonum phalange*, quanquam dubium omne discutiat *Plutarchus*, *Diodorus*, alii, hominem videlicet fuisse cœlestissimi ingenii, & benefici, Osiridis notarium sacrorum, Isidis Magistrum, brachio quidem breviorem, quemadmodum Typhonem rufum, Martem candidiorem, Osirim nigriorem, &c. Meretur & audiri *Clemens Alexandr. strom. prim. Quin etiam ex iis*, inquit, *qui aliquando fuere homines in Ægypto, opinione autem hominum Dii, fuerunt Hermes Thebanus & Æsculapius Memphitanus, & rursus Tiresias, & Manto Thebis.* Item *Augustinus lib. VIII. de Civit. Dei*: *Non attendunt, in omnibus literis Paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri Deos, qui non fuerint homines.* Plato in Philebo: *Postquam intentatam vocem excogitavit sive Deus aliquis, sive homo Divinus, qualis apud Ægyptios Theuth quidam fuisse fertur.* Hermes ergo, sive Mercurius *Clementi* Thebanus, scilicet Thebis Ægyptiis natus creditur, *Sanchuniathoni* apud *Eusebium* Phœnix, aliis Græcus; quæ diversitas pronum ad sinisteriora judicia *Conringium* eò denique perpulit, ut scriberet confidenter: *nè quidem securè credi posse, fuisse apud Ægytios aliquem Hermetem Trismegistum, auctorem multæ apud illos sapientiæ.* Itane *Conringi* optime, vocandum erit in dubium, fuerítne in rerum Naturâ *Homerus*, quòd de ejus patriâ disceptârint Græcæ civitates

Smyrna, Rhodos, Colophō, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Itâne existimandum, nullum vixisse *Thomam à Kempis*, quòd de Patriâ Scriptoris ejus adhuc pugnetur? Itáne nullum *Petronium Arbitrum*, quòd *Valesius* nuper Massilienſem cum faciat, omnibus hactenus contraria opinantibus? Itáne

nullum Cadmum viderunt ſecula ? cùm Diodorus eum Thebis Ægyptiis ortum memoret , cæteri in Phœniciâ : ſcilicet , quia *Hermes* non ita multò poſt diluvium floruit , quâ tempeſtate rari ubique vel nulli ſcriptores , non mirum de ejus Patriâ à poſteris Ægyptiorum diverſas foveri opiniones. Nos cùm momentis poſt adducendis moti Hermetem arbitremur non fuiſſe alium , quàm Chanaanem , rogamus *Conringium*, ut præcisè nobis Chanaanis natale ſolum definiat , & nos iterum pollicebimur nos *Hermetis* patriam ad amuſſim definituros. Sufficerent jam dicta evertendis *Conringii* rationibus , docendóque tam Medicinam quàm Chemiam Ægyptiam ab Hermete profectam eſſe ; mantiſſæ tamen loco pauca adjiciemus : *Tertulliano* Hermes Phyſicorum Magiſter eſt , *lib. de Anim. cap. II. & adverſ. Valentin. cap. XV. Diodoro Siculo cap. XVI.* oleæ inventor. Et quando edocta à Mercurio Iſis pharmaco Ἀθανασίας filium Horum vitæ reſtituit , conſequitur inde manifeſtò , *Mercurium* illius pharmaci primum fuiſſe architectum. Nec immeritò exiſtimari poteſt , ab Hermete profectum initiò , medicamentum illud, quod ſuâ quoque ætate uſurpatum Dioſpolitanis Ægypti mulieribus tradit *Diodorus*,quod & olim Helenæ ex Ægypto tranſmiſſum , νηπενθὲς illud , & ἄχολον *Homero* deſcriptum. Vox *Diodori lib. II. cap. VI. Homerum in Ægypto fuiſſe tum alia multa indicia feruntur, tum maximè potio ab Helena in præteritorum oblivionem Telemacho data. Namque potionem ad abolendum luctum , quam Poëta Helenam compoſuiſſe ſcribit , Thebis Ægyptiis à Polydamnâ Thonis uxore factam conſtat, ubi nunc quoque mulieres hoc medicamine utuntur. Apud ſolos verò Heliopolitanos quoque olim inventa tradunt & iræ & doloris pharmaca.* Nullius hîc ſuperſtitionis indicium.Credibile Dioſpolitanas mulieres ſulphur illud narcoticum opiatorum cicurare rectiùs potuiſſe , quàm hodiernos pharmacopœos. (*a*) Nec eſt, quòd autumet *Conringius: nepenthes illud vi ſupra naturæ poteſtatem aſſurgente egiſſe* ; ut enim mittam Poëtarum inſtitutum , omnia in majus extollere, & in præconiis non minùs quàm vituperiis excedere mediocritatem , adeóque ex muſcâ Libycos ſæpè formare elephantes ; certè hodiéque narcotica ſunt , quæ tantùm non id omne præſtant , quod à nepenthe ſuo exſpectat Homerus ; in quem numerum & Maſlach Turcarum , & Goënſium pellicum Daturam refert experientia. Licet enim opiata nobis quoque haud rarò frequententur uſu , Aſiaticis tamen, Turcis, Perſis, Indis & frequentiora ſunt , & tutiora , & efficaciora ; ſive autem aëris ibi temperamento , ſive corporum , ſive præparandi modo id adſcribendum , nunc non diſputabimus , contenti revocâſſe nobis in memoriam , vexatam non ita pridem à nobis apud illuſtrem *Bourdelotium* Pariſiis controverſiam : *Cur Turcæ ſumpto opiato per ſomnos mox videantur ſibi vivere in Paradiſo : Chriſtiani in inferno ?* Ex Ægypto autem profectum eſſe nepenthes illud *Homericum* , adeóque ex fontibus *Hermetis* , ecce luculentum *Plinii libro XIII. cap. II. teſtimonium ! Homerus quidem* , inquit, *primus doctrinarum , & antiquitatis Parens , multus aliàs in admiratione Circes , gloriam herbarum Ægypto tribuit. Herbas certè Ægyptias à Regis uxore traditas ſuæ Helenæ plurimas narrat , ac nobile illud nepenthes , oblivionem triſtitiæ, veniámque afferens, ab Helenâ utique omnibus mortalibus propinandum.* Neque propterea negamus plurima vana , ſuperſtitioſa, magica , ridicula tum Medicinæ , tum reliquis artibus Ægyptiis paulatim ſeſe ingeſſiſſe, ut in pinguiori frumento infelix non raro lolium dominari aſſolet ; quò & referimus Ægyptii illius ἀγερωχίαν docentis ineptias *Galeno quoque lib. de Marc. cap. II. & IV.* prudenter irriſas.

Poſteaquam ergo liquidum reddiderit tot clarorum ex Antiquitate Scriptorum auctoritas, ſtabile jam olim in Ægypto Chemiæ fuiſſe domicilium , reſtat diſquirere accuratiùs , quam Ægypti provinciam , quam urbem elegerit ſibi palæſtræ loco illuſtre ſtudium. Ubi adverrendum Heliopolin , Dioſpolin ſeu Thebas Ægyptias , Ammon - No , & No - Ammon ſacris vocatas ſcriptoribus ex *Bocharto* , habitam Aſtrologiæ exactioris & Aſtronomiæ primariam ſedem , ita enim credimus *Hecateo Mileſio* , & *Diodoro Siculo libro V. cap. L. & Straboni lib. XVII.* cæterùm arcanam *Chemiæ* officinam Memphis potiſſimum inclaruiſſe, id quod ex *Panopolite Zoſimo* , & ipſo Ægyptio , ex *Syneſio* , ex *Pſello* jam ante demonſtratum. Sed cur Memphis potiùs , quàm Heliopoli ? In *Diodori lib. II. cap. II.* videor mihi rationem ejus quaſi per nebulam conſpicere : *Octavus*, inquit , *Ægyptiorum Rex Chemmis Memphi regnavit annos L. ædificavitque trium pyramidum maximam , inter ſeptem clariſſima opera numeratam*. Scilicet credibile, voluiſſe Chemmin , ut ars nomini ſuo ſimillima, in ſuâ quoque urbe præcipuè excoleretur. Accedamus propiùs ad hunc ignem. Memphis varia radiabant delubra,collocante ibidem *Strabone lib. Geogr. XVII.* non tantùm Veneris templum , ſed & Apidis , Serapeúmque ; verùm præcipuè admirationi fuit ibi *templum Vulcani* , magnificum illud , & Dædali quoque ingenio nobilitatum , quod Chemiæ arcanioris ſacrarium fuiſſe ex artibus jam ante expenſis , ratio perſuadet. De quo ita *Herodotus : Memphi exſtructum eſt ſpecioſum Vulcani templum, cujus veſtibula ſpectant Aquilonem.* Veſtibula illa *ex Diod. Sic lib. II. cap. VI.* Dædali opera ſunt. Iterum *Diodorus lib. II. cap. I.* Rex Ægypti Miris ædificavit Memphi Boreale illud propylæum reliquis excellentius. Quod autem ſpectent Boream, non ſuis caret rationibus ; ruminandum proinde Vulcaniæ Philoſophiæ candidatis , tum quid Aquilonii venti plus præſtent in Naturæ inveſtigatione Auſtrinis, tum cur *Jobus cap. XXXVII.* ex *Aquilone* ſcribat *aurum adventare*. Ut taceam illud Herodoti, *Ad Septentrionem Europæ plurimam auri vim eſſe conſtat.* De illo cardinum mundi diſcrimine hæc eruditiſſimus *Petrus Poterius : Uncia una* , inquit , *olei ſulphuris per retortam acti , intra menſem , alteram unciam dabit pro ratione tempeſtatis: nam ſi Auſtralis ſit tempeſtas, & humida , plus ; ſi Septentrionalis & ſicca, minus.* Normanni Gallorum jam diu obſervavere ſaginandis avibus ineptum Auſtri flatum, convenientiſſimum Aquilonis. Sed hæc aliàs. Nos

(*a*) Opium ſive gummi illud ex inciſis papaverinis capitibus reſudans per ſe ſanè nobiliſſimum eſt medicamentum , nec multa indiget præparatione ut omnes illos exerat effectus quos de ſuô, ſeu Helenæ, Nepenthe deprædicat Homerus ; & quantumvis apud nos non perveniat, niſi rariſſimè , lachryma illa papaveris Thebaici pura , ſuccóque ex ejuſdem capitibus expreſsô, ac cum multis terreſtreitatibus, & quiſquiliis ipſum forſitan non parum corrumpentibus, ad extracti ſolidi naturam condenſatô,purioris opii defectu utamur , miras tamen ejuſdem virtutes ad cœlum uſque non extollere non poſſumus.

Nos revertimur ad templum Vulcani : Iterum *Herodotus : Psammetichus omni potitus Ægypto Vulcani templo vestibula fecit alia Austrum spectantia, alia orientem* ex *Diodoro* ; magis hæc forsan in speciem, quàm ad occultam aliquam Naturæ vim ostendendam. In hoc ipso Memphitico Vulcani delubro Sesostris suas & uxoris ex uno lapide solido statuas collocavit, monente *Diodoro Siculo lib. II. cap. I.* Quid quod & *Isis*, admirabilis illa morborum domitrix, & auctrix pharmaci ἀθανασίας ad Memphim in Luco Vulcani sepulta jaceat, si vera tradit *Diodor. lib. I. cap II.* Rursus *Diodorus lib. II. cap. IV. Sacerdotes primùm in civitatem Nili vitulum perducunt, in quâ eum nutriunt XL. diebus, deinde in navim contectam habitaculum aureum habentem introducentes, & Memphim ducentes ut Deum, in Vulcani fano locant.* Adhuc *Diodorus lib. II. cap. VI. Ager est Aureæ Veneris prope Memphim.* De Sacerdotibus hujus templi ita *Herodotus : Hæc*, inquit, *à Sacerdotibus Vulcani, qui Memphis sunt, audivi.* Ab urbe Memphiticâ non procul distabant, ut tradit *lib. XVII. Strabo*, duæ nitrariæ fodinæ, eæque feracissimæ, commodum Vulcaniæ officinæ ad liquores acidulos efficacissimos instrumentum. Cæterùm quid impulit Ægyptios ad pulvinaria Vulcano sternenda ? edisserit rem *Diodorus Sic. lib. I. cap. II. Quidam Sacerdotes*, inquit, *affirmant, primum in Ægypto regnasse Vulcanum, ignis inventorem, eôque beneficio Ducem ab Ægyptiis constitutum.* Hinc Ægyptus olim quoque Ἡφαιστία dicta *Stephano Byzantino*, & *Eustathio in Dionysium.* Et paulò ante *Diodorus* : *Ægyptii*, inquit, *ignem Vulcanum interpretantur, magnum illum Deum existimantes, & multum ad generationem, perfectionémque rerum conferre. Palæphatus*, & cum eo *Chronicon Alexandrinum : tradunt Vulcanum primum fuisse Ægypti Regem, atque esse inter Deos relatum, quòd precibus suis artem fabricandi arma de Cœlo impetrasset ; post eum regnasse Vulcani filium Solem.* Scilicet hoc Chemiæ antiquæ, & arcanioris olim institutum, per Vulcanum producere Solem. *Euseb. de Præp. Evang. lib. II. cap. I.* tradit ex Ore Sacerdotum quorundam Ægyptiorum, Vulcanum ignis inventorem, primum Ægyptiorum Regem numerandum, ei autem in Imperio successisse Saturnum. Idem *Euseb. lib. III. cap. XI. Deum Cneph ex ore ovum effudisse narrant Ægyptii, ex eóque fatum alium esse Deum, qui ipsis Phtha, Græcis Vulcanus appelletur, ovum autem illud mundum interpretantur.* Sed omnísne ignis Auctor erit Vulcanus? non omnis, purior enim ille & cœlestis, judicio *Phurnuti*, Jupiter est Græcis, à ζῆειν ζῶς dictus ; impurior autem ille, sive inter fulmina nubium coruscans, sive in domibus ardens, sive in montibus ignivomis, sacrificiis, fabrorum officinis elucens, Vulcanus est, Græcis Ἥφαιστος ab ἧφθαι, hoc est, *esse accensum*. Ignis autem focorum præsertim publicorum Vesta appellatus. Interea quis fuerit Vulcanus ille Ægypto adoratus non abs re fuerit, sollicitiùs disquirere. *Cicero lib. V. de Nat. Deorum*, quatuor recenset Vulcanos ; *primum* Cœlo natum, qui ante diluvii undas vivens Tubalcainus videri possit ; *secundum* Nilo natum, custodem Ægypti ; *tertium* Jove & Junone natum ; *quartum* Mænalio, insularum Vulcaniarum Dominum, quem non injuriâ à Græcis confictum ad imitationem cæterorum existimaveritis. Duo illi intermedii in unam conspirant personam, Vulcanus enim iste Jove natus, & tam magnifico ab Ægyptiis cultu delinitus, is ipse est, quem è Nilo procreat *Cicero*, quemque Ægypto admovet custodem. Enimverò plusquam verisimile est, utrumque esse unum illum Mizraimum Chami, hoc est, Jovis filium, Ægypti primum à diluvio Monarcham, & artium Vulcaniarum, à parente traditarum in Ægypto, ut ante attactum, propagatorem. De quo apertè *Diogen. Laërtius libro I.* scribit : *Vulcanum Nili Ægyptii filium Philosophiæ aperuisse principia.* Scilicet ita, ut frater Hermes omnia rectiùs, solidiúsque. Ex superioribus equidem constat Ægyptum in sacris terram Cham appellari, & à *Plutarcho* Chemiam ; Chamum autem eundem esse, qui gentilibus Jupiter dicitur, ostendit non tantùm *in Euterpe Herodotus :* Ἄμμων δὲ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. Accedit Jovis Hammonis templum, formatum in arenis Libyæ, quò Chamum ablegatum esse evidens est, ut steriles Asiæ arenas possessor incoleret ; sed & vis vocis testatur idem ; quid enim Ham nisi *fervere* Hebræis, quid ζῶς à ζῆειν Græcis, nisi *bullire* ? ut mittam Jovem Cœli Dominum fingi, quòd Chamo obtigerit Africa Sole verticali perusta. Ultimò, nil temerè frequentiùs legitur apud *Phurnutum*, Auctorésque alios, quàm Jovem genitalia patris sui exsecuisse, idem Chamo usu venit, oculos suos, contemplando verenda paterna, conscelerati ; natáque Poëtis fabulandi occasio ex Hebræâ voce, quæ & nudare significat, & exscindere. Saturnum autem haud aliud esse quàm Noachum, ita speciosis urget argumentis eruditissimus *Bochartus in suo Phaleg*, ut contra ire penè temerarium judicari possit. Ostenso jam, Vulcanum illum à diluvio viventem Mizraimum fuisse, reliquum nunc est, ut ostendatur, *Mercurium* tot in Ægypto artium inventorem, Vulcani illius fratrem habendum esse, hoc est, *Chanaanem.* Id verò persuadent multa : Primò, Jovis uterque filius traditur, uterque enim Chamo satus. Secundò, utrique mercatura curæ ; Chanaan Mercatorem signat, *Mercurius* Mercatorum agnoscitur Deus. Tertiò, ad fratrum ministeria damnatur in sacris Chanaan, & ad Jovis, Deorúmque ministeria in profanis Mercurius. Quartò, nota callida Mercurii furacitas Chananæorum seu Phœnicum in commerciis exprimit vafritiem. Quintò, *Mercurius* ex *Sanchuniathone*, *Diodoro*, aliisque primus literas & Astronomica invenit ; Cadmus Chananita sive Phœnicius ex *Plinio* primus in Græciam invexit literas. Hinc astrorum periti Phœnices maritimos suos cursus, quibus hodiernorum exemplo Batavorum, omnia persultabant maria, diducente rem in *Phaleg Bocharto*, ad stellas dirigebant, à quibus Astronomia ad Græcos tandem devoluta est, auctore *Strabone lib. Geogr. XVI.* Tandem sextò, Chanaan in sacris existimatur Chamo patri assistens erubescendo se oblectâsse spectaculo ; nec minus in paganis *Mercurius* Jovi fingitur adstare lasciviæ minister, & amorum proxeneta.

Ex hujus *Mercurii*, sive *Hermetis* scriptis nihil ad nostras pervenit manus, quod tutò, affirmatéque ab ipso *Hermete* profectum audemus spondere. Fuisse olim non dubitamus : Benè *Diodorus Siculus lib. I. cap. IV. Sacerdotes Memphis secretiora quædam scripta habent.* Hermetis illa fuisse ex *Clemente Alexandrino* demonstratur. Manifestè *Plutarchus* Trajani seculi scriptor, *de Iside & Osiride : proditum memoriæ est*, inquit, *in libris, qui Mercurii dicuntur.* Neque enim cum imperiosissimi styli *Ursino* vel *Hermetem* fabulis accensendum, vel libros omnes, qui *Hermetis* nomine venditantur, toto corpore spurios esse arbitramur, doctis cen-

ſuram relinquentes. Eandem ferè, quam *Urſinus*, cantilenam jam ante cecinit *Conringius*. Utrique multum debet literatus orbis, ſed idem recordatur ceſsâſſe nunc Oracula, & licere vel à quovis Ariſtarcho ad novum tribunal provocare. Inſpiciamus ergo acuta illa *Urſini* tela: *Primus omnium*, inquit, *Mercurii librorum, quantum equidem recordor, meminiſſe videtur Manethos ille Sebennita (poſt Mnevin Legiſlatorem, ſi quæ Diodoro fides eſt, qui leges ſuas à Mercurio ſibi traditas finxit) poſt Herodotum, cui libri iſti ignorati fuerunt, annis CLIX. ante Chriſtum ferè CCLXXXIII. Nam quòd Philo Byblius, qui, ut Suidas indicat, poſt Adrianum Imperatorem vixit, (* & diu ante, Urſine) *altero poſt Chriſtum ſeculo, Sanchuniathonem ex libris Mercurii profeciſſe mentitur, ſuo loco diſcutiendum eſt: Et citat ille Philo librum Mercurii Thaauti de Origine Mundi apud Euſeb. l. de Præp. Evang. cap. VII. quem ex iis, quæ ex eo deſcribit, fabuloſiſſimum fuiſſe oportet.* Equidem quis omnium primus meminerit ſcriptorum Hermetis, poſt deplorandum illud Bibliothecæ Ptolemaicæ naufragium, poſt tot bella, incendia, poſt eum tot ſeculis literarum contemptum, nemo prudens ſuſtinuerit definire. Demus tamen, *Manethonem* inter primos habendum; at verò, quod caput rei eſt, Manethon non hauſit ſua ex ſui ævi ſcriptoribus, ſed ex vetuſtiſſimis columnis, (quarum nonnullæ *Hermeti* forſan æquævæ) in terra Seriadicâ collocatis, ut ante oſtenſum. Mneves finxit ſe leges ſuas à Mercurio traditas accepiſſe, monente *Diodoro libro I. cap. XLIV.* Sed niſi & tum recens fuiſſet *Mercurii* memoria, & ſcripſiſſe eum aliquid, conſtitiſſet, imprudenter ſatis Mneves, Rex alioquin ſapiens, ad leges à *Mercurio* ſibi traditas provocâſſet. Neque enim tum aliter Deus æſtimari potuit Ægyptiis *Mercurius*, quàm ex eorum genere, quos nuper homines fuiſſe conſtaret, ut ex *Plutarcho*, & *Clemente Alexandrino* demonſtratum. Et velle eum, quem ex *Diodoro Siculo* à Sacerdotibus Ægyptiis vivâ voce informato, conſtat, primum inveniſſe literas *lib. I. cap. XVI.* negare aliquid ſcripſiſſe, quæ demum inſolentia eſt? ut nihil dicam auſterius. Huc referenda illa *Platonis* in *Philebo*: *Qui literas invenit, eum vel Deum, vel hominem Divinum fuiſſe oportet, qualis apud Ægyptios Theuth fuiſſe perhibetur: qui vocales literas conſideravit, mutas diſtinxit, artem Grammaticam docuit.* Rurſus *Plato* in *Phædro* narrat, *Theuth inventas à ſe artes Arithmeticen, Geometriam, Aſtronomiam, literas &c. exhibuiſſe Thamo, ut inter Ægyptios dividerentur.* Nunc ad *Sanchuniathonem*. De eo ita *Porphyrius libro IV. contra Celſ.* docente *Euſebio*: *Inſcribendâ*, inquit, *hiſtoriâ rerum Judaicarum veritatis amantiſſimus eſt Sanchuniathon ille Berythius, qui univerſam ſuam hiſtoriam cùm ex publicis urbis, tum è ſacris tabulis hauſtam ſummo veritatis ſtudio Phœniciâ linguâ conſcripſit. Suidas* ita: Σαγχωνιάθων τὸ γένος Φιλόσοφος, ὃς γέγονε κατὰ τὰ Τρωϊκά. Περὶ Ἑρμοῦ Φυσιολογίας: (ſcilicet ſcripſit) ἧς μεταφράσας τὰ Τυρίων τῇ Φοινίκων Διαλέκτῳ Ἀβιβαλίῳ θεολογίαν καὶ τὰ ἄλλα. De eo ita apud *Euſeb. de Præp. Evang. lib. I. cap. IX. Philo* Byblius: *Sanchuniathon vir multæ & eruditionis, & curioſitatis, cùm operam in rerum plurimarum ſtudio poſuiſſet, cumque omnium gentium hiſtoriam uſque à primâ univerſi conſtitutione noſſe vehementer cuperet, præcipuam quandam in perveſtigandis Thaauti (* i. e. Mercurii) *ſcriptis diligentiam adhibuit, quòd ſatis intelligeret, omnium, qui ſub ſole ſunt, principem Thaautum literas inveniſſe, & librorum ſcriptionem cœpiſſe.* Quænam autem ſcripta Mercurii evolverit *Sanchuniathon*, oſtenditur apud *Euſeb. de Præp. Evang. lib. I. cap. X. Sanchuniathon ex Phœnicum Theologiâ principium hujus univerſi ponit aërem tenebroſum ac ſpirituoſum, chaóſque turbidum & caliginoſum.* Mox: *Ex ſpiritus hujus & corporis conjunctione prodiit Mot, id quod limum nonnulli, alii aquoſæ corruptionis mixturam eſſe volunt, ex quâ ſecutæ productionis ſemina, ipſaque adeo rerum generatio exſtitit. Hæc in Thaauti de mundi ortu Commentariis reperta ſunt.* Scripſiſſe & Phyſica Hermetem neceſſe eſt, quod vel iſta *Sanchuniathonis* ibidem citata perſuaſerint. *Thaautus (quem Ægyptii* Θωὼρ *appellant, Alexandrini Thoyth, Græci* Ἑρμῆν*) Draconis, Serpentumque naturæ divinitatem aliquam tribuebat, quam etiam opinionem Phœnices & Ægyptii poſtea comprobârunt, nam hoc genus animalis præ cunctis reptilibus vi & copiâ ſpiritus abundare docet, igneamque ejus eſſe naturam Sc.* πνευματικώτατον γὰρ τὸ ζῶον πάντων τῶν ἑρπετῶν, καὶ πυρώδες. Seponantur nunc ſtudia partium, & patebit vel ex hoc loco Mercurium fuiſſe Chemicum. Enimverò quòd ſerpentis prærogativam ex ſpiritus ignei abundantiâ collegerint præeunte Hermete Ægyptii, illud utique magiſterio Chemico debent, cujus ope ex ſerpentibus ſpirituum cum oleo efficaciſſimo magna vis elicitur: nam ex tactu & inſpectione ſerpentis, omnes beſtiam judicabunt frigidiſſimam, unde & delicatulæ quædam Venetæ vivis ſerpentibus ardente Sirio colla quandoque circumdant, ut frigidulo eorundem fotu injurias æſtus ſolaris ulciſcantur. Poſtea refert *Philo* lecta quoque *Sanchuniathoni* arcana quædam volumina Ammonæorum. Compendio ad hæc reſpondet *Urſinus*: *Mentitur*, inquit, *Philo.* Satis imperiosè: Mitiùs de eo *Suidas*: Φίλων, inquit, Βύβλιος γραμματικός· ἔτος γέγονεν ὅτε τῶν χρόνων ἐγγὺς Νέρωνος, καὶ ἐκλογῆς βιβλίων βιβλία ιβ'. ὧν τὰ πόλεων κ' ἐς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδείξας ἤνεγκε, βιβλία λ'. περὶ τῆς βασιλείας Ἀδριανοῦ, ἐφ' οὗ καὶ ἦν ὁ Φίλων. Nullam in Philone notat ſiniſteritatem *Suidas*, ſed ardentior Urſinus: *Mentitur*, inquit, *Philo:* Cur verò? *Ipſum nomen figmentum indicat. Mihi cum ludibrio Chriſtiani nominis dictus videtur, quaſi ſcopulus præparatus aſinæ, hoc enim tria Hebraica vocabula notant, San-chuni-athon.* Sed iſtæc verò violentia eſt, *Urſine:* Vocem Phœniciam eſſe agnoſcit *Porphyrius*, & tradit ſignificare philalethen apud *Theodoret. II. de cur. Græc. affect.* Similia docet eruditiſſimus *Aldrete*. Tu autem, ut anſam invenias exagitandi hominem, ad explicationem Hebraïcam (ſimilem quidem, non eandem) inconceſsâ deſcendis ſolertiâ; Sed eſto, agnoſcatur Hebræum nomen; Iſaſcharíſne nomen etiam credendum erit ſpurium, quòd Jacobus ei aſinum inter limites decumbentem aſſignaret? Nullíne ergo Romæ vixere illuſtres Aſinii, nulli Scrofæ, nulli Verres; quòd à beſtiis ignobilibus derivati hi tituli? Excipies *Porphyrium* de *Sanchuniathone* quædam tradere, quæ veritati hiſtoricæ minùs congruant. An id luet *Philo*, ſi peccaverit *Porphyrius* in circumſtantiis? Ergóne nulli fuere in rerum naturâ Judæi, quòd in proſequendâ illorum hiſtoria alia deliquerit *Juſtinus*, alia *Tacitus*? Quod ſi *Sanchuniathonis* ſcripta confinxiſſent *Philo* & *Porphyrius*, omni dubio procul obſervâſſet id vel *Euſebius* vel *Theodoretus*, & merces illas adulterinas meritâ notâſſet cenſurâ. Sed nullam falcem in hanc ſegetem immiſere Patres ætate *Philoni* & *Porphyrio* proximi; è contrario, ſcripta hæc ut genuina & ſin-

& sinceriſſimæ monetæ admiſere volentes. Et quis mendacii fructus *Philoni*? quis *Porphyrio*? neque enim eo provectus ſtoliditatis credendus Porphyrius, ut putaret allatis illis *Sanchuniathonis* verbis debellare ſe poſſe Chriſtianiſmum. Quid quod & viſum ſibi integrum *Sanchuniatonis* ſcriptum fateatur alicubi Kirckerus. *Sed Herodoto ignoti fuere Manethonis libri*? Quis fidem ſuam interponet? viderit forſan, ſed contempſerit. Eſto tamen, non viderit. Ergonè negandi fuiſſe? Multa oſcitanter tranſeunt viatores, etiam inſignia & rara. Pauci noſtrûm, qui peregrinati ſunt in Galliis, *Bernhardum Palliſſium*, curioſiſſimum ſcriptorem agnovere; pauci qui in Britanniis *Forteſchuum*; pauci qui in Luſitaniis, *Ludovicum Camoëſium*, pauci qui in Hiſpaniis, *Didacum Alonſum Barbam*, pauci qui in Italiâ, *Ferrantem Imperatum*, & tamen jam diu ſcriptis iſti Auctores omnes inclaruere. *At Mercurii ille Liber Philoni laudatus fabuloſa propinat*. Neque nos *Mercurium*, licet hominem ſapientiſſimum ita eximimus humanæ ſorti, ut eum in ſcriptis ſuis labi non potuiſſe arbitremur. Quid quod forſan luculentæ ejus purpuræ progreſſu temporis panni aliquot aſcitii ab imperitorum manibus aſſuti; neque enim ipſæ ſacræ literæ carent ſuis apochryphis. Obtuſiora ergo ſunt *Urſini* tela, quàm ut vel *Manethonem*, vel *Sanchuniathonem* in numerum ſpuriorum queant referre. Sed ad Hermetem redeundum. *Iamblichus*, inquit *Urſinus*, *trabali, ut ſic dicam, mendacio Mercurium dixit librorum XXXVI. millia & IↃXXIX. ſcripſiſſe*. Quàm in proclivi *Urſino* eſt mendacii reos arguere Antiquos? Urbaniùs illuſtris *Bochartus* tot libros totidem verſus interpretatur; quomodo & de Zoroaſtre *Plinius lib. XXX. cap. I.* niſi malis pro tot libris totidem philyras agnoſcere quòd in Ægypto ſcriberet *Hermes*, libro Niloticâ chartæ vicem ſupplente. Sed quot libros exiguo admodum tempore ſcripſiſſe traditur *Eſdras*? quomodo orbis non caperet ſcribendos de geſtis Salvatoris libros? quomodo totum bibliotheca non capit *Livium*? Explicandi ſunt Auctores, *Urſine*, non ſtatim obelis configendi, Quam ergo trabem in trabali hoc, ceu vocas mendacio quæſiviſti, vide nè in proprio invenias oculo. Quid quòd nihil facilius quàm *Iamblichum* ex *Iamblicho* expedire; apertè enim de *Myſt. Ægypt.* alibi: *Ægyptii*, inquit, *Scriptores, putantes omnia inventa eſſe à Mercurio, libros ſuos Mercurio, inſcribebant.* & alibi: *Qui enim ſub Mercurii titulo circumferuntur libri, opiniones Mercuriales continent, etſi ſæpe Philoſophorum Græcorum ſtylo loquantur: ſunt enim ex linguâ Ægyptiâ in Græcam translati à Viris Philoſophiæ non imperitis*. Scilicet agnoſcit *Iamblichus* non omnes libros, qui *Hermetis* titulo ſuperbiunt, ab *Hermete* ſcriptos, alios enim opinionum, ſententiarum, & ſcriptorum *Hermetis* eſſe commentatores, & interpretes. Qui hodie nomine *Hermetis* ſe orbi commendant libri, pauci ſunt, & multorum telis obnoxii. *Poemandrum Hermetis, Sermonem ſacrum, Clavem, Sermonem ad Aſclepium*, & *Minervam* cum paucis aliis quaſi ex orco revocavit magni ingenii Philoſophus *Franciſcus Patricius*; defendit *Fluſſates Candalla*, aliique qui tamen ſuccumbunt oneri, quòd ex *Voſſio, Caſaubonoque* evidenter oſtendantur ſcripta illa recentioris eſſe officinæ, & quaſi ſemi-Platonica, & ſemi-Chriſtiana. Nos cum *Jamblicho* Hermeticas ibi ſententias contineri exiſtimabimus, quas cum Platonicâ & Chriſtiânâ Philoſophiâ concordare non mirum, utcunque ex *Hermetis* fontibus derivatas. *Plato* inde hauſit Toythi, id eſt *Hermetis* Magiſtri non immemor, in *Phædro* ſuo. Patres Eccleſiæ Chriſtianæ Hermetica ſcripta legerunt, laudaverunt. Meminere eorundem *Euſeb. in Chron. Cyrillus* [qui ſermonem Hermetis ad Aſclepium vocat ad partes] *Nazianzenus, Lactantius, Clemens Alexandrinus, Tertulliano cap. II. de anim. & adverſus Valentin. cap. V.* Hermes Phyſicorum Magiſter ſalutatur. Unde & *Zoſimo* laudantur *Phyſica* ſcripta *Hermetis*. Eſto, admiſcuerit aliquid primus, ſecunduſque ſeculi Chriſtiani genius, non propterea ſuppoſitia ſunt univerſa. Sanctius exiſtimandum erit primorum Eccleſiæ candidatorum inſtitutum. *Jacobus Golius* præter *Gebri Scripta Arabica*, ex Oriente ſecum attulit *Hermetem de Venenis & Antidotis*, & *Aſtrologiam Hermetis*, ſcripta Arabibus magnopere æſtimata: In Bibliotheca *Th. Erpenii* libellus Arabs exſtabat titulo *Hermetis de Lapidibus pretioſis*; quo credibile eſt uſum jam olim *Albertum Magnum* erudito, & *Conringio* quoque laudato *de Mineralibus* opere, in quo ad *Hermetis* tribunal frequentiſſimè provocatur. Sed attributa *Hermeti Iatromathematica* ad Ammonem Ægyptium jam olim publico donavit *David Hœſchelius* Anno M D.LXXXXVII. Auguſtæ-Vindelicorum Græco-Latina, quæ tamen Anno M. D. XXXII. jam ante quoque Noribergæ Soſiorum prælo ſubjecta. Verùm quid de ſeptem illis *Hermetis* capitulis judicandum, Theatro Chemico inſertis? illa junioris cujuſdam Hermetis eſſe res loquitur. Quanquam enim modus docendi reconditum quiddam ſpiret, & ſatis Ægyptium, quia tamen priſcorum ille Auctor meminit Philoſophorum, alioſque citat Philoſophos; quia in quatuor elementorum pugnâ multus eſt; quia literas Græcas ad partes vocat (quæ ævo Thaautico fuere nullæ) quia toto opere Chriſtianum redolet, neutiquam genuinus Hermetis vetuſtiſſimi cenſendus fœtus. Quod cœtera ſpectat modò recitata, liberum cuivis eſto judicium, ſpuriáque æſtimanda ſint, an genuina. Genuina eſſe plures dubitant, quanquam ſi dubitâllet ſufficeret, pauca hodiè *Hippocratis, Homeri, Ariſtotelis ſcripta*, quod vel unus teſtabitur *Laërtius*, inveniremus. Nos in denſis illis Antiquitatis tenebris, ubi hariolari promptum, ſcire difficile, fidem noſtram non interponemus, eò tamen proniores, germana *Hermetis* non eſſe, ſed cum Jamblicho, Hermeticas continere ſententias, hoc eſt, dicta quædam *Hermetis* aliter atque aliter interpolata. Cœterum de *Smaragdinâ Hermetis tabulâ quid cenſendum? Kirkerus in Oedip. Ægypt.* ita rem perſequitur. *De Smaragdinâ*, inquit, *tabulâ altum eſt apud omnes Auctores ſilentium; quisnam fuerit ille Hermes, quando vixerit, ubi inventa hæc tabula, quo inventore, quâ linguâ conſcripta. Eſtné poſſibile tam celebre Hermetis monimentum curioſiſſimos Græcorum Philoſophos, qui datâ operâ in Ægyptum proficiſcebantur, latuiſſe? Solus Albertus Magnus in libro de ſecretis Chymicis (qui tamen inter ſuppoſititios Alberti libros numeratur) ait Alexandrum Magnum in ſuis itineribus ſepulchrum Hermetis omnium Philoſophorum Parentis inveniſſe plenum omnibus theſauris, non metallicis, ſed aureis ſcriptis in tabulâ Zatadi, quam aliàs Smaragdinam vocant. Sed unde hæc Albertus? quo Auctore? Bernhardus Caneſius Alkimiſta, primus, quod ſciam, eam mundo obtulit, aitque in eâ totum opus, & totius mundi theſaurum contineri. Addo quòd omnia penè, quæ in tabulâ iſtâ habentur, ex Hermetis Pymandro & Aſclepio, Jamblicho & Proclo hinc*

hinc inde extracta ſint, &c. Cæterùm *VVilh. Chriſt. Kriegsmannus* ſingulari Opuſculo alia omnia judicat: *Ut taceam*, inquit, *traditionem de tabula hac, ſæculis aliquot poſt diluvium, in antro prope Hebron à muliere Zarâ manibus cadaveris Hermetis, exemptâ, nullâ ſui parte malè ſe habere, ſi de Abrahami uxore Sara intelligatur: cùm tempora denati Hermetis, id eſt Chanaanis Noachi nepotis atque Saræ congruant; ac locus (urbs Hebron à Chanaanis ſive Hermetis filio Heth exſtructa, ad quam ſedem fixerat Abrahamus) convenientiſſimus rei ſit; mos adhæc Phœnicum, poſterorum Hermetis, corpora demortuorum uncta cavernis ſepultum abſtrudendi, pulchrè concordet.* Sequatur & hîc quam quiſque volet ſententiam; verùm intueatur priùs mecum, ſi vacat, fragilitatem rationum Kirckerianarum. Unde ſecuros nos reddet *Kirckerus* de illo Antiquitatis ſilentio? verſavítne manibus omnes, qui periere, Aûctores? forſan unus *Manethon*, unus *Sanchuniathon*, ſi extaret integer, audaciæ nimiæ convinceret Jeſuitam. Neceſſe eſt *Albertum illum Magnum*, utcunque forſan ſuppoſititium ab alio hauſiſſe, quæ tradidit, & quis novit, anne ab antiquo Scriptore? Sed non fugiſſet ejus notitia peregrinatores Græcos. Quidni? non admittebantur peregrini in conſcientiam arcanorum Sacerdotalium, ut jam ante diſputatum Quis Græcorum illos XLII. *Hermetis* libros inſpexit, Sacerdotibus Ægyptiis familiares? quos fuiſſe tamen in Ægypto teſtis eſt luculentus *Alexandrinus ille Clemens*. Quis Græcorum mumias Ægyptias imitari didicit? quis pullitiem? quis chordas Memnonis? Aut, ſi hodierna placent, quis Danus in Moſchoviâ peregrinator modum temperandi cotia Ruſſica incolis extorſit, elicuitve hactenus? Quis advena Gobelinios Pariſienſes ad nobilem illam ſerici, panníque tinctúram aperiendam potuit huc uſque permovere? Quin & gratum illum chirothecarum Romanarum odorem ſcrutantibus exteris hodiéque inimitabilem reddidit artificum taciturnitas. Idem *tabulæ Smaragdinæ*, recondito illi Chemicorum oculatorum theſauro accidiſſe non alienum. Et ut preſſiùs intendamus hanc chordam, quotus quiſque veterum *tabulæ Iſiacæ hieroglyphicæ* meminit, admirabilis illius ex ultimâ antiquitate gazæ, quam cum periiſſe itidem in Italiâ ſcriberet, doleretque nuper *Kirckerus*, ego in Italiâ ſuperiori anno ſpectavi, illam ipſam antiquam, germanam, & Cambyſe vetuſtiorem, in Aulâ Ducis Sabaudiæ, Auguſtæ Taurinorum, officiosè monſtrante magno illo Italiæ lumine *Dn. Marchione de Pianezza*, primo Ducis Sabaudi Status Miniſtro, quam ſi *Hervvartius, Pignoriúſve* rei ſublimitate victi nondum ſatis ad amuſſim excuſſerint, nihil hoc officiet elegantiſſimæ tabulæ antiquitati. Merentur hic locum illa *Kirckeriana ex OEdip. Ægypt.* allata: *Anno M. DC. XXX.* inquit, *in miſerandâ Mantuæ Urbis direptione ita evanuit tabula Iſiaca (ſive Bembina) ut tametſi ſummo ſtudio inſtitutum ſit, ut ſciretur, quid tandem de eâ factum ſit, in hunc uſque diem nemini explorare licuerit. Hanc tabulam, quam evulgavit Hervvartius, irrefragabiliter concluditur ab Ægyptiis, & in Ægypto, ante Cambyſis in Ægyptum factam irruptionem confectam eſſe.* Scilicet, veluti hîc diligentiam quærentis Kirckeri fugit hactenus tabula Iſiaca, ita multo magis fugere potuit Smaragdina Græcos vel non quærentes, vel quærendam ignorantes. Credibilius *tabulam* illam *Smaragdinam*, ſiquidem *Hermetis* eſt, uti non ſine ratione æſtimatur, in bellicis illis Ægypti colliſionibus, jam Phœnicibus, jam Cambyſe Cyri filio, jam Cornelio Gallo Auguſti ſeculo, Ægyptum vexantibus, & Dioſpolin, atque alia Sacerdotum adyta penetralia evertentibus, raptam, alióque aſportatam fuiſſe, & raptore forſan pereunte, in cœno, aut palude obtritam, quod celebratiſſimo illi *aureo cornu Danico*, contigiſſe certum eſt, quantumvis Kirckerus, aliíque in Chemiam obliqui eodem confutandi artificio facilè oſtenderent aureum illud cornu in Cimbria repertum fuiſſe nunquam, quòd in *Danorum hiſtoriis* nullum illius exſtet monimentum evidens. Vidi ego ante biennium Romæ ex ſuggrundario templi Minervæ poſt plurimorum tenebras ſeculorum in lucem ex inſperato produci, eruíque *Obeliſcum* egregium *Ægyptium* hieroglyphicis hinc inde diſtinctum notis; illéne Kirckero æſtimandus ſpurius, quippe nulli vetuſtiſſimorum auctorum ſcriptis attactus? Erectum id loci fanum olim Iſidi fuiſſe non tantùm *Nardinus* jam ante evicerat, ſed & dimidiati vituli ex lapide lydio ſimul ex eodem ſuggrundio effoſſi perſuadebant, Apim bovem ſimulacris referentes. Accedit, vel ex eo non parum fidei adſtrui *Smaragdinæ tabulæ*, quòd jam ante erudierit nos Jamblichus, & Lycius ille *Proclus* varias olim in Ægypto Hermetis extitiſſe ſive *columnas*, ſive *tabulas* inſcriptas Mercurii doctrinis, quarum quid prohibet unam velut ex naufragio ſalvam remanſiſſe? ut non infelicior *Hermes* judicetur *Duillio*, primo illo Pœnorum in undis debellatore, cujus adhuc columna roſtrata, mille aliis pereuntibus, in Capitolio poſt viginti circiter ſeculorum à primâ fabricâ intervallum ſalvâ triumphat. Pergit *Kirckerus: in hac tabula univerſalis quædam productio rerum naturalium ad perfectiſſimum ſtatum deſcribitur, poteſtque juxta analogiam quandam non tantùm terreſtribus & metallicis, ſed & vegetabilibus, animalibus, cœleſtibuſque optimè applicari. Senſus igitur tabulæ nihil eſt aliud quàm theoria quædam præſtantiſſimæ eſſentiæ, quam Elixir vitæ, aurum potabile, quintámque eſſentiam vocant.* Verùm in Alkymiâ illâ Ægyptiacâ, quam in *Oedipo* ſuo proſequitur, mirum ſe præſtat Kirckerus Andabatam, quod alibi, ſi res poſceret, pluribus; hîc nullum alium tabulæ ſenſum attribuit, quàm theoriam auri potabilis, & tamen neſcio quâ vertigine circumactus eodem puncto, applicari optimè quoque poſſe vegetabilibus, animalibus & cœleſtibus adjungit. Eſto tamen, poſſit omnibus applicari, dum convenientiſſimè Chemico applicetur Magiſterio, id quod nemo experitur clariùs, quàm qui ſacris Chemicorum ritè initiatus, manus interverſat, quod Hermes intendit. Sed quid prohibet ſpectare hîc fluctuantem *Kirckerum? Theoriam*, inquit, *lapidis Philoſophici habuere Ægyptii non praxin.* Mox: *Ægyptii ex omnibus fere materiis aurum eliciebant, potiſſimum verò ex limo Nilotico, ex ſaxis omnis generis:* Item, *Nili arenæ ex Æthiopicis montibus impregnatæ auro devehebant ſecum auriferam arenam. Deinde ad Thebas, Æthiopiam, & Arabiam ſaxifodinæ erant ingentes auro feraces; ex terrâ illâ duriſſimâ igni plurimo coctâ aurum provenit, ut fusè Diodorus Siculus lib. III. cap. II.* Iterum *Kirckerus: Non negârim tamen Ægyptios artem calluiſſe, quâ aurum, argentumq; ex hydrargyri reliquis metallis commiſti fixatione conficeretur, ſed de hoc ex profeſſo in Mundo ſubterraneo.* Volo, nolo; nolo, volo: quod dictum eſt, indictum eſt. *Theoriam*, inquit, *habuere, non praxin.* Sed fruſtra eſt, Kirckere, illa in practicis diſciplinis theoria, niſi praxi ſtabiliatur.

ſtabiliatur. Et veram habuiſſe theoriam nemo niſi ex praxi eorum oſtenderit. Si praxin non habuerint, unde infinitæ illæ Regum Ægyptiorum divitiæ, proverbio quoque jactatæ? neque illæ longâ ſæculorum ambage collectæ, ſed paucis à diluvio ſeculis ſtatim magnæ, ſtatim in tot monimentis, pyramidibus, obeliſcis, mauſolæis incredibili ſumptu erectis oſtentatæ. Hinc Ægyptiorum theſauros vel Moſis ævo magnos fuiſſe, ut nihil aliud teſtaretur, certè Apoſtolus Hebr. XI. v. XXVI. liquidum reddit: Μωσῆς μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ χριστοῦ. Inſtitutum hîc Apoſtoli evidens eſt; oſtendere enim parat ingentes quidem Ægyptiorum id temporis theſauros Moſi ſpectatos, cognitóſque fuiſſe, majoris tamen apud ſacrum pectus æſtimatum pro nomine Chriſti opprobrium felici tandem exodio terminandum. Nam fodinæ Ægyptiorum, de quibus Diodorus, & raræ, & laborioſæ tractationis, & proventûs modici, nec vel Macedonicis *Philippi*, vel Bebelo in Pyrenæis *Hannibalis*, vel Potoſianis *Hiſpanorum* comparandæ; interea & anhelans Philippi Macedonis inopia *Juſtino* quoque perſtricta; & Hannibalem quandoque ad delectus novos deſtituebant ſubſidia; & Hiſpanorum Regem plus hodiéque ex venditione chartarum ſigillo Regio munitarum conficere nummorum, quàm ex utriſq; Indiis, jam nuper ſagax peregrinator demonſtravit. Regum autem Ægyptiorum opes adeo nec modum capiebant, neç menſuram, ut in ambitiosè profundendo ſemper occuparentur, ſemper locupletes. Hinc pyramides illæ ſumptuoſiſſimæ ob nimiam opum Ægyptiorum oſtentationem *Plinio* quoque vellicatæ, & *Strabo lib. XVII. Juxta Thebas ſeu Dioſpolim in Obeliſcis ſunt inſcriptiones, quæ Regum illorum divitias & potentiam declarant.* Sed de Ægyptiorum opibus immenſis *Kirckerus*, aliiq; conſulendi. Ut ex ungue leonem æſtimemus in unâ pyramidum maximâ erigendâ, quam *Herodoto* & *Diodoro* teſte trecenta ſexaginta hominum millia annorum viginti ſpatio exſtruxerant, in ſolas cæpas & allia, mille ſexcenta auri talenta impenſa; in lapidum verò vecturam, ſtructuramque viginti annorum ſpatio, mille ducentos milliones inſumptos hiſtoriæ Ægyptiorum memorant. Summam autem divitiarum Salomonis non niſi ad DCCCLXXII. milliones aſcendiſſe docet *Kirckerus*. Nec minoris conſtitiſſe labyrinthum Ægyptium *Ammiano* credimus. Sed inſtat: *Aurum eliciebant Ægyptii ex omnibus ferè materiis, potiſſimum verò ex ſaxis omnis generis, & ex limo Nilotico.* Hæc gratis jactantur, *Kirckere*, neque enim vel ex *Diodori lib IV. cap. II.* vel *Agatharchide apud Photium*, qui laborioſas Ægypti fodinas deſcribunt, oſtenderis ex aliâ materiâ apud Ægyptios vulgò elicitum aurum, quàm ex quâ hodie eliciunt Pyracmones Germani, hoc eſt ex ſaxo vel molli, vel duro, ſive, ut ex arte loquar, vel ex ſpatho, vel quartzo fodinarum. Ex limo Nilotico nihil hauſtum, utque Nilus aliquid abraſerit Æthiopicis rupibus, ſecumque ultra Catadupas aſportaverit, modicum illud fuit, nec ex limo expreſſum, ſed inter arenas collectum Niliacas. Sed quod ſubjungit *Kirckerus*; *hydrargyri quandam fixationem Ægyptiis notam fuiſſe*, eo ipſo priorem ſuam deſtruit ſententiam, oſtenditque non theoriam duntaxat Chemiæ apud Ægyptiorum Sacerdotes viguiſſe, ſed & efficacem praxin. Quod & ipſe ſui immemor agnoſcit in *Œdipo Ægypt.* *Artem*, inquit, *quandam auriferam primævos homines, nemini niſi Regibus, familiarumq; capitibus, eamq; non ſcriptis, ſed oretenus traditam poſſedisſe, ſive ea in auro ex omnibus rebus educendo, ſive in cæteris metallis unum in alterum tranſmutandis conſtiterit, adeo certum eſt, ut de eo nemo, niſi totius hiſtoriæ ignarus dubitare poſſit.* Cùm autem de hoc ſe ex profeſſo traditurum *in Mundo ſubterraneo* ſpem faciat, intuebimur, quo eventu fidem ſuam liberaverit. Evolvatur ergo ille longâ ſpe noſtrâ inferior *Mundus ſubterraneus*, & elucebit nè attactam quidem efficaciter eſſe hanc, ut vocibus artis non abſtineam, fixationem, tantùm abeſt juſto opere explanatam. Ad omnia alia in illo opere, docto ſanè, & laborioſo, ſed nondum ſitim Doctorum reſtinguente devolvitur, etiam plebeja & cuivis fabro argentario, cuivis docimaſtæ cognitiſſima; præcipua autem naturæ interioris arcana ex intimis fundamentis eviſcerata nos nobis inde promittebamus. Unum tamen horribile ſecretum viſus ſibi eſt aperuiſſe, in quo diverſis in locis triumphat; ſed ecce januam Eleuſines ſe ſe pandentem! *In centro ſalis*, inquit, *latet formale quoddam coagulativum, ſpiritus nempe ſalis inviſibilis, qui rebus omnibus conſiſtentiam virtute ſuâ fixativâ confert; hujus virtute metalla, & mineralia ſuam acquirunt corpulentiam. In ſalis intimo throno & centro eſt aliquid immutabile & omnia coagulans. Terra pura nihil aliud eſt, quàm ſal coagulatus, in cujus centro ille ſpiritus delitescit, qui virtute ſuâ omnia figit, denſat, animat. Virtutes omnes in hoc terreno globo à ſale dependent, reliqua terra non niſi excrementum eſt.* Iterum alibi: *Latet in ſalis centro ſpirituoſa quædam ſubſtantia: ut enim nitrum aqua congelata, ita & ignis congelatus dici poteſt, utpote qui in ſuo intimo centro & naturæ thalamo totius naturæ theſaurum, atque ignem vitæ clauſum continet, quem ſi quis eâ artis felicitate fixare, eúmque aureâ vel argenteâ tinctura imbuere poſſit, illum arcanum illud ſummum & inæſtimabile, quod jam à tot ſæculis ab universâ Philoſophorum ſcholâ indagatum fuit, poſſeſſurum nil dubito.* Proſequitur rem alio loco: *Ut dicta in compendium reducamus, dico ſalem communem eſſe terræ ſemen, condimentum naturæ, omnium corporum baſin ac ſuſtentaculum, elementum terræ genuinum ac proximum; hic prout à variis mineralibus tingitur, ita quoque in alium ſpecie differentem ſalem, ut nitrum, alumen, vitriolum convertitur, quo non obſtante originis ſuæ incunabula ſemper inviolabili jure tenet, quo dempto colore idem eſt, qui fuit prius.* Rurſus alibi: *Sub ſale uſuali velut ſub involucro latet vis quædam mirifica ſalino-ſulphureo-Mercurialis rerum omnium conſtitutrix, cui ſulphurea vis calidum, Mercurialis humidum radicale, ſal denique ſubſiſtentiam largitur. In hoc eſt ignis vitæ, omnium rerum proximum principium.* Paulò poſt: *Depures ſalem quantumcunque volueris, ſemper in eo veram reperies terram, quæ etſi omni ſale deſtituta videatur, cœlo ſereno & ſoli per aliquot dies expone, & novo ſale gravidam reperies.* Mira de lente! quæ de nitro propinat, Glauberianiſmum veterem ſapiunt, non recentiorem: enimvero *Glauberus* quamdiu ſpiritum communem ducit, tamdiu quotannis Philoſophiam ſuam perpetuus reformator aliter atque aliter immutat, ut nil habeat Proteus, Vertumnúſve ultra hunc diſcipulum, de quô magnopere glorietur. Sed quanto aliter philoſopharetur de ſale *Kirckerus*, ſi vel *Carteſii* acumina, vel Chemicorûm antiquorum teſtimonia, vel denique ignium veracium experimenta, contemptis adulantium epiſtolis, conſuluiſſet frequentiùs? Initio, ambigit *Kirckerus*, cuinam ſali immenſa illa præconia admetiri tutius ſit, nunc ſali communi de-

votus, nunc in nitrum propenſior. Neque id juverit dixiſſe: *ſalem communem, prout à mineralibus variè tingitur, nunc in nitrum, nunc alumen, nunc vitriolum converti, & tamen rurſus in ſalem communem redire.* Manus noſtræ oculatæ ſunt, *Kirckero*, credunt quod vident. Nil tale demonſtrant Vulcaniæ officinæ. (*a*) Nitrum flammis tortum in acidum degenerat liquorem; ſi injectis uſtuletur carbonibus vivis, in ſalem lixivum, à natura ſali communis alieniſſimum; ſi cum ſulphure, clauſo vaſe ſatis percoquatur, intendente tandem virium extrema folle, in ſaxum; in ſalem communem nullo hactenus artificio. Deceptum ex eo hariolor *Kirkerum*, quòd nitri ſpiritus ſali affuſus cryſtallos ſuas denique in ſpeciem redivivi nitri reformet: cœterùm mentitur hic ſal eſculentus nitrum, non eſt. Quod enim nitrum, inde reſultat, non ſali id adſignandum, ſed ſpiritui nitri, hoc eſt particulis nitri attenuatis, ope ſalis ſe iterum conjungentibus, ut formam induant priſtinam. Neque verò vel nitrum, vel alumen, vel vitriolum, dummodo probè purgata, in ſalem eſculentum communem degenerabunt unquam. Sed perdimus verba in re confeſſâ: Largimur tamen hoc *Kirkero*, ſalem communem in nitrum, alumen, vitriolumque abire, ubi ab ignium ſubterraneorum motu particulas ſuas immutaverit, adeoque in minutiores confractus portiunculas ſalſum ante ſaporem, nunc in acidum converterit, ſi admiſceantur tamen ad compoſitionem nitri, ſalis lixivi ramenta; ad aluminis, ramenta plumbi; ad vitrioli hoc eſt chalcanti, ferri, æriſvè tenuia reſegmina. Utcunque autem iſtæc ſe habuerint, latere tamen in ſalis ſive communis, ſive nitri centro aliquid immutabile & omnia coagulans, figenſque, hoc eſt quod verbis conceptiſſimis negamus; tum quòd utrumque hunc ſalem & quidem totum, pauciſſimis fœcibus relictis, non difficulter artifex Chemicus in ſublime agat, inque ſpiritum volatilem reformet; tum quòd utrumque hunc ſalem in terram inſipidam, & viribus præterquam tenuiter ſtipticis, caſſam redigere in proclivi ſit, non tantùm præcunte viam *Blaſio Vigenerio*, curioſo *De igne & ſale* tractatu, ſed & præter experimentum, quod obvium eſt, & facile, mihique ſæpe tentatum, docente id fieri poſſe ſpiritu Dei *Matth. V.* Ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ ἐν τίνι ἁλισθήσεται, εἰς ἐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰμὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Marc. IX.* καλὸν τὸ ἅλας, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; Sc. ſal etiam puriſſimus obtundente aculeos ejus igne convenienti, & repetito [nempe ut ſæpe igneſcat, ſæpe volvatur, ſæpe coaguletur] linguam non magis ferit quàm quævis terra figularis, ſed commoritur, ab aliâ terrâ albâ inſipidâ, nè ab ipſo quidem *Kirkero* diſtinguenda. Vidit hoc per tranſennam *Kirkerus*, ſed non ſatis ad ultimam metam proſecutus eſt. *Depures* inquit, *ſalem quantumcunque volueris, ſemper in eo veram reperies terram, quæ etſi omni ſale deſtituta videatur, cœlo ſereno & ſoli per aliquot dies expone, & novo ſale gravidam reperies.* Quod ſi *Kirkerus* illam ſuam purgandi ſalis methodum provexiſſet ad ultimum terminum, notâſſet dubio procul totum ſalis corpus in terram demum inſulſam commutari, & quidem ſi vim adſtringentem demas, penè ineffi-cacem. Debuiſſet autem terram illam, quæ ipſi ſale omni deſtituta videbatur, ulterius peruſſiſſe, inque aquis decoxiſſe, donec non videretur tantùm, ſed & eſſet omni ſalino ſapore exuta, tum demum obſervâſſet illam terram in aëre non plus combibere de novo ſalis, quàm aliud quodvis in calcem redactum corpus. Etenim quando nemini inter experimenta ætatem traducenti dubium eſſe poſſit, aërem, quem bibimus quotidie, ſalinis quoque vaporibus turgeſcere, vel ad oculum oſtendendis, neque mirum cuiquam videri debet ſalis illud cadaver poſt admiſſas in aëre volitantium corpuſculorum impreſſiones, denuo quoque ſalinum quiddam linguæ objectare, cùm omnia penè corpora vim ignis paſſa, adeoque apertiora, manes patiantur eoſdem. Sed contra Kirckerianam illam ſalis prærogativam palmarium id eſt, quòd ſolvens & ſolvendum, figens & figendum eſſe ejuſdem ſpecici oporteat, id quod in metalla & ſalem communem non cadit. Illud ergo, quod inſtituit forſan *Kirkerus*, Mercurium ſalino hoc corpuſculo in ſtabilem cogere maſſam, quæ ignium violentiam refutet, tum demum continget, cum bibet Germania Tigrim. Alium quendam ſalem coagulantem jactant antiqui Chemiæ Magiſtri, toto cœlo à ſale eſculento diverſum. Sed nos ex diverticulo in viam.

Ex quo longâ ſeculorum ambage inter Sacerdotes Memphitanos, & quidem in templo Vulcani, quod *Zoſimo & Herodoto* debemus, Eleuſis illa Chemica ſecretô inambulâſſet, carpentibus hinc inde lacinias ejus, qui in Ægyptum ſtudiorum gratiâ deſcendebant, peregrinatoribus, tandem *Orpheo, Homero, Democrito*, aliiſque curioſioribus Græcorum obſtetricantibus, in Hellada cœpit immigrare, quanquam initio nebuloſior, & umbræ quàm Junoni ſimilior, arcente Ægypto Græcos homines, tanquam ἀεὶ παῖδας, tanquam vulgus profanum, ab arcanis ſuis, & tenebris fabularum omnia involvente. Hinc illud præeuntibus Ægyptiis *Porphyrii* apud *Euſebium præp. Evang. lib. III. cap. VII.* Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας ὀπίθεσθε βέβηλοι· & mox *lib. IV. cap. VIII.* ταῦτα μοι ὡς ἀῤῥήτων ἀῤῥητότερα κρύπτειν (ſc. decet) ἐδὲ γὰρ οἱ θεοὶ φανερῶς αὐτὰ ἐθέσπισαν, ἀλλὰ δι' αἰνιγμάτων. Hinc illæ apud Auctores Grajorum frequentatæ querelæ, *Platonis* apud *Strabonem, Pythagoræ* apud *Clementem Alexandrinum*, aliorum apud alios. Quin & eò progreſſam Ægyptiorum invidiam conſtat ex *Herodoto* & *Strabone*, ut ante Pſammetichi imperia nulli Græco homini licuerit Ægyptium calcare ſolum. Igitur nil mirum, ſi Græci, quæ curioſa ægrè Ægyptiorum extorſere manibus, non ſtatim illa ipſa in patriam regreſſi, omnibus promiſcuè obtruderent, contenti per fabuloſa ſententiarum tormenta veritatem aperuiſſe. Pythagoras certè numeris ſuis & metempſychoſi aliò reſpexit, quàm vulgo notatum; *hinc Euſeb. Præp. Evang. lib. XI.* Οἱ περὶ Πυθαγόραν ἀπεκρύψαντο πάντα, i. e. Pythagorici omnia occultavêre. Scriptorum Græcanicorum primus *Orpheus* Argonauta cùm velleri aureo, ex Colchide deportando, mixtus Heroibus reliquis, operam ſuam locâſſet, iter illud celebratiſſimum verſibus complecti

(*a*) Equidem ſal commune per varias & repetitas calcinationes, ſolutiones, evaporationes ac coagulationes, in corpus abit ad ignem inſtar ſevi fuſibile, quod ab aliquibus nitrum creditur; cùm tamen ex eo nec pulvis pyrius, nec alia ex nitro verô paranda, conficiantur, ac propterea ex hoc phænomenô ſalis communis in nitrum converſio utique non probetur. Hæc interea præparatio, in metallicis minimè eſt inutilis ac rejectanea quandoquidem cupro dealbando non parum confert.

plecti non dubitavit, alia omnia fabulæ involucro obvelans, quàm fabulam. Id quod fragmenta scripti illius *Clementi Alexandrino*, aliisque attacta & collaudata facilè ostenderint, nam de *Argonauticis* ejus vulgi manu tritis, Orpheóne debeantur integra, an recentiori cuidam, hîc sermonem non libet diffundere, contento adjecisse illud *Josephi contra Apion. lib. I. Neque enim*, inquit, *scriptum omnino ullum est apud Græcos, de cujus fide certò constet, Homericâ Poësi antiquius.* Fuisse autem illud vellus aureum aliud quàm *Straboni* his sacris non initiato visum, vel solus testabitur *Suidas* in χρυσόμαλλον δέρας: τοῦτο δὲ οὐχ ὡς ποιητικῶς φέρεται, ἀλλὰ βιβλίον ἦν ἐν δέρμασι γεγραμμένον, ἔχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι ἀφὰ χημείας χρυσόν. Eodem tendit *Eustathius* ad *Dionysium Afrum*, & *Apollonius Rhodius* in *Argonauticis*, quod primum Phœnici *Mirandulano* observatum. Hæc cùm ita evidentia videat *Conringius*, ut torquere aliò totâ suâ nequeat facundiâ, invenit tamen quod invidiosè obduceret: *Id utique constat*, inquit, *neminem aurei velleris fabulam ad χημεῖαν traxisse, nisi demum post Magni Constantini ævum; omni autem antecesso tempore, qui potuisset hoc ignorari, si ullo vel in minimo usu conatus Chemicorum fuissent.* Unde verò ista audacter *Conringi* optime? tibinè inspecti omnes Alexandrinæ bibliothecæ codices, antequam deflagrarent? Ita sub præoccupatis judicibus, & cùm litem capere nolint, dictatoriâ voce pronunciantibus luget sæpe Diva Chemia, nunquam damnata nisi ad alienum tribunal, nisi in foro peregrino. *Qui potuisset ignorari*, pergit *Conringius*, *si conatus Chemici in usu fuissent?* imbelle telum! Quì potuit tot secula ignorari, Conringi, ratio conficiendi mumias Ægyptias? ratio pullitiei Memphiticæ? ratio tendendi chordas Memnonis? ratio lucernarum inextinguibilium? percursantibus licet Ægyptum Græcorum curiosioribus. Quì potest hodieque ignorari temperatura corii Russici? machærarum Turcicarum? purpuræ Gobelinicæ? chirothecarum Romulearum? porcellanæ Chiniticæ? laccæ Japonicæ? intrantibus omnia maria & terras Mercatoribus. Sed quàm obtusa altera illa Conringii lancea! *nullum*, inquit, *artis hujus scriptum ostendi hodie Constantini Magni ævum superans, idque magnum novitatis esse argumentum.* Initio quidem novitas nulli Artium crimini est, quam commendat utilitas; sed largiatur aliquis scriptum Constantino Magno antiquius ostendi hodie nullum, non vides, *Conringi*, ad gloriam artis hoc pertinere, quòd eodem tempore & lux Evangelii in Romano Imperatore accensa sit, & lux Chemiæ per publica scripta in Romano orbe. Quanquam illa ratio sit debilissimi roboris; *nullum scriptum Chemicum existare antiquius ævo Constantini Magni, ergo Chemiam nudius tertius natam esse.* Quid ad hæc *Plinius lib. XXX. cap. I.* certè ostendit artes quoque sine scriptis perennare, utcunque; difficiliùs: *Ante Osthanem*, inquit, *nulla Magorum extitisse monumenta, mirum, artem tam longo ævo, nec claris, nec continuis successionibus custoditam.* Et quidni duraret, cùm totum artificium paucis admodum verbis tradi possit, docente *Sendivogio*; adeoque per manus à patre ad filios facilè propagari. Denique *Conringi* eruditissime, non spectas institutum Chemicorum; non hoc ipsis propositum, ut artem scripto pellucente comprehendant, quis Pastophorum Memphiticorum artem descripsit? quos tamen ipse agnoscis Chemiæ locavisse operam. In vulgus ita spargebant Ægyptii Sacerdotes: *Aurum & argentum sterilis ac vitiati soli morbosos esse colores*, tradente ex Plutharcho *Eusebio de Præp. Evang. lib. III. cap. VIII.* ipsi alia omnia mente intuebantur. Quæ tradidere de Arte, *Homerus*, *Hesiodus*, *Pindarus*, *Apollonius Thyanæus*, alii, nè centesimo cuique intelliguntur, ita fabulis, tropisque involuta sunt, interea oculati Chemici non fugiunt attentionem. De reliquis sparsim quiddam delibatum; quod *Apollonium* spectat, non is ego sum, qui vel *Philostrato* in omnibus accedam, vel *Eusebio*, *Tortoletoque* Thyanæum illum flagellantibus per me quicquam velim detractum; sed nimirum observo viros magnos quandoque ita studio partium duci, ut dum genio obsecundent, etiam virtutes [quas sapientes tamen in hoste quoque venerantur] invisi capitis, quo jure, quaque injuriâ trahant in culpam. Scripserat infelix *Philostratus: Apollonium interrogâsse Brachmanes, aureanè apud Indos aqua inveniretur.* Hîc verò excipit irridens *Eusebius: O admirabilem! ô plenam sapientiæ quæstionem!* sed in quo tamen sibi hîc exciderit sapientia *Thyanæi*, non perinde capio; erant enim, & hodieque sunt aquæ Gangeticæ apud Indos auriferæ. Quid quod experimenta *Erckeri*, *Agricolæ*, & cæterorum de genere hoc, ad amussim ostendant, quantum in profluentibus rupium vehatur auri, quantum metalli alterius. Nisi forsan sagacitatem Philosophi existimare libeat, respexisse ad ὕδωρ ἄργυρον *Pindari*, sive ὑδράργυρον illud admirabile, cui natales debent metalla universa. Quòd si puteum illum cæruleî coloris, stupendarumque virium constantiùs intuèamur, quem spectatum quoque in Indis Apollonio memorat *Philostratus*, in eo non difficulter hydrargyri mores recognoscemus, ut reliqua multa prætereantur. Quid quod ex capite quodam *Proverbiorum Salomonis* cum *Majmonide*, & *Cornuto de Natura Deorum* providenter collato facillimè ab attento homine eruatur ratio interficiendi in pulverem rubicundissimum Mercurii, quod in istis locis nullus, opinor, mortalium ante me vel quæsivit, vel invenit. Scripsere antea Chemici, & à Chemicis eruditi, sed quod *Zosimus* eleganter docet, λοξῶς, & obliquè, nè majestatem secretioris Naturæ, universa clarè tradendo profanarent. Fabulæ antiquorum in recessu nihil minus ostendunt quàm inania, quod sapientissimè de Physicâ Græcorum Theologiâ declamans, pluribus ostendit *Plutarchus*. Sed non desistit mordere Suidam *Conringius*, quòd ex antiquo aliquo Scriptore de vellere aureo sententiam suam aperuisset Chemiæ æquiorem. Postquam enim alibi infelix Suidas scripsisset: Χημεία ἡ τοῦ ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευή· ἧς τὰ βιβλία διερευνησάμενος ὁ Διοκλητιανὸς ἔκαυσε, διὰ τὰ νεωτερισθέντα Αἰγυπτίοις Διοκλητιανῷ τούτοις ἀνημέρως, ἢ φονικῶς ἐχρήσατο, ὅτι δὴ καὶ τὰ περὶ χημείας χρυσοῦ καὶ ἀργύρου τοῖς παλαιοῖς γεγραμμένα βιβλία διερευνησάμενος ἔκαυσε, πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον Αἰγυπτίοις ἐν τῇ τοιαύτης προσγίνεσθαι τέχνης, μηδὲ χρημάτων αὐτοὺς θαρρύνοντας θρασύτητι τοῦ λοιποῦ Ρωμαίοις ἀνταίρειν. *Conringius* ut omnia suspicionibus decoloret: *cùm unus* inquit, *id narret Suidas, quis ausit illi uni tutò credere? vixit ille ut eruditi censent, demum ante hos quingentos annos, adeoque post Diocletianum totis octingentis, quales non solent esse idonei testes.* Ista verò manifesta vis est, *Conringi*. Vixerit ante quinque demum secula *Suidas*, quæ scripsit tamen, non ex suo velut araneus confinxit, sed agnoscit se mutuatum ab antiquioribus, *Eudemo Rhetore*, *Helladio*, qui Theodosio juniori σύγχρονος, ab *Eugenio Augustopolitano*, *Zosimo Gazæo*, *Cæcilio Sicilienſi*,

Sicilienſi, *Longino Caſſio*, *Luperco Berytico*, *Juſtino Julio Sophiſtâ*, *Pacato*, *Pamphilo*, *Polione Alexandrino*, Scriptoribus antiquis, & Diocletiano proximis; ut non poſſit ita elevari *Suidæ* teſtimonium, auctoritatibus vetuſtis innixum. Quiſnam Apollo *Conringium* ſecurum eſſe juſſit, à nemine niſi Suidâ hoc enarratum? cùm ſciat *Conringius* juxta cum ignariſſimis, quid libri, qui vel à Photii ævo periere, complexi ſint. Dixerit tamen unus *Suidas*: pluris cordato judici fuerit unus Neſtor, quàm decem Ajaces. Habet ſanè, habet Diva Chemia, quòd de Tyrannide magnorum literatorum meritò conqueratur, à quibus ut imperioſis quidem, ſed in hac palæſtrâ ſæpe imperitis Cenſoribus injuſtè non rarò vapulavit. Hinc *Salmaſius* nil crepat, niſi pſeudo-Democritos, pſeudo-Oſthanas; *Scaliger* cùm verſum *Manilii*: *Materiamque manu certâ duplicarier arte*, non aſſequitur, ſtatim animos à crimine ſumens, inſertum vociferatur ab homine Alkymiſta; quo nomine *Biturigi*, *Barthio*, imò bracteatoribus maluit debere ludibrium, quàm occaſionem non captare in Chemicos invehendi. Cœterùm ulciſcitur ſatis inconſultos illos Criticos ſua temeritas, & poſterorum attentiùs omnia ſpeculantium maturior cenſura. At inſtat *Conringius*: *cui fiat veriſimile exuſtos hos libros, & non potiùs in Reipublicæ commodum aſſervatos*? Apparet *Conringium* bellis aut rarò interfuiſſe, aut certè non vidiſſe, quid novis molitionibus Civium exacerbatus Princeps, quandoque audeat, jubeat, moliatur. Multa apertis oculis commendant Imperatores accenſi, quorum deferveſcente irâ, ducuntur pœnitudine; multa donant judiciis Aulicorum. Demus, conſultatum in Aulâ Diocletiani, de ſecuriſſimâ pacandi Ægyptios viâ; reſponderint alii, tollendos libros ipſorum Chemicos, & Romam aſportandos illos rebellionis architectos, ut Romanas augerent divitias; exceperint prudentiores, eſſe inter illos libros, plures ſuppoſititios, in devia abducentes, quàm germanos; quòd ſi omnes promiſcuè Romam deportarentur, Martiam gentem ad vanos illos fortaſſe citiùs adhæſuros, quàm ad legitimos, adeoque maſculam illam bellandi virtutem Romanis à ſtirpe inſitam in ciniflonum fumos abituram. Quid veriſimilius quàm ſecutum providi Diocletiani mandatum, exurendam potiùs illam rebellionis materiam, nè militares denique animi ambigua ſcrutando nimiùm effæminarentur? Notum erudito Imperatori, Romanorum non eſſe, ad humiles artium curas deſcendere, ſed Martem & ſanguinolenta ſpirare, & regnandi artibus inclareſcere, ſecundùm illud Anchiſæ apud Virgilium:

Excudent alii ſpirantia mollius æra,
Credo etiam ducent vivos de marmore vultus:
Orabunt cauſas melius, cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera ducent;
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes. ——, —— —

Victa Ægyptus multis ante Diocletianum ſeculis; quis tamen Romanorum interea, vel mumias Ægyptias imitari didicit, vel hieroglyphica percepit, vel pyramides & obeliſcos abſolvit, vel infinita alia Ægyptiorum inventa aſſecutus eſt? Benè de Græcis ſub jugum miſſis Poëta:

Nondum tradiderat victas victoribus artes
Græciâ facundum, ſed malè forte genus.

Quid multis? vel ex eo in ſubtilioribus artificiis imitandis negligentiam Romanorum agnoſcimus, quòd conqueratur etiam *Plinius* artem fundendi in ſtatuas equeſtres æris ſuâ ætate periiſſe, ante urbe tôtâ cognitiſſimam. Et nè degeneraſſe, exiſtimemus in hoc genere Romulidas, ante biennium accuratior illa Muſivaria ars Romæ iterum intercidit, cum ingenioſo *Calandrâ* ſepulcro illata. Veriſſimè *Petronius*: *Priſcis temporibus*, inquit *tum adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuæ, ſummumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum ſeculis diu lateret. Democritus omnium herbarum ſuccos expreſſit, & nè lapidum, virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta conſumpſit. At nos nè paratas quidem artes audemus cognoſcere, ſed accuſatores Antiquitatis vitia tantum docemus & diſcimus.* Non vacat jam alios Sileni Alcibiadas inſpicere, hoc eſt Grajas plures reconditorum ſenſuum fabulas, poma Heſperidum, [de quibus Chemicè intelligendis *Euſtathius in Iliad.*] debellatam Herculi hydram, Martis & Veneris mixturas animarum, alia, ad partes vocare. Volverunt hoc ſaxum *Majerus*, *Caſtelnovidarienſis Faber*, *Keslerus*, volvantque, dum ego Græcos in duas tribuo claſſes, & cuivis ſua admetior præconia. Primi ergo ſeculorum aliquot Græci, licet in Ægypto frequentiſſimi, libâſſe tantùm videntur artem Chemicam, non hauſiſſe, ſi pauciſſimos excipias; adeoque quæ revexere ſecum in Græciam, utcunque vera, & interiorem Chemiam ſpirantia, oraculis tamen fuere propiora, quæ ipſi per invidiam Sacerdotum, non probè intellexerint; ſimiles *Platonicis Sibyllis* & ipſis, cùm ôeſtro vaticinandi agerentur, veriſſima pronuntiantibus, ſed quæ ſibi reſtitutæ non caperent, non aſſequerentur. Sed quantum in praxi Chemicâ profecerit ſive *Democritus*, ſive *Homerus*, ſive *Pythagoras*, ſive *Pindarus*, ſive denique primus *Orpheus*, hîc non diſputabimus, contenti in ſcriptis eorundem manifeſta Chemiæ ſpectare veſtigia, ipſis forſan, Auctoribus, quæ ab Ægyptiis audierant, non ſatis quandoque intellecta. *Hippocrates* certè *lib. de Diætâ*, noverat quoque principium artis, cum ſcriberet: *Concors concordi adhæret, diſcordia rebellant*, cæterùm quod ſtupenti ſimilis demitor, adeo nec ipſe, nec *Galenus* uſum hujus ſententiæ aſſecuti ſunt, ut nullo ſaltem ſpecioſo argumento evinci poſſit, eis vel ſimplicem, & aniculis noſtris tritiſſimam deſtillationem aquæ roſarum, vel aceti, vel ullius herbæ innotuiſſe. Scierint utcunque alia Chemicorum Magiſteria, & craſſiori Minervâ deſcripſerint, aquas ſtillatitias hodiernas ſciviſſe, nullum indicium eſt. Noverat *Plato* filtrationem Chemicam per lanam inſtitutam, quam & clariſſimè in *Sympoſio ſuo* expreſſit. Calcinationes noverat *Hippocrates libro de hæmorrhoidibus*, & alibi; florem æris toſtum, alumen Ægyptium uſtum, chalcitim toſtam, argenti ſpumam aduſtam commendans. Idem nobili *de Flatibus* opuſculo ad deſtillationum myſteria tam prope acceſſit, ut non niſi à Deo aliquo inde retractus videri poſſit. *Liquefit*, inquit, *quicquid ignea illa vis attigerit, ſitque inde ſpiritus, qui cum ad poros corporis irruerit, ſudores fiunt, nam ſpiritus addenſatus in aquam vertitur, & poros penetrans extra prorumpit, eodem planè modo quo à ferventibus aquis vapor elevatus, ſi obſtaculum aliquod inveniat, ad quod impingere oportet, incraſſatur denſaturque, guttæque deſtillant ab his corporibus, quibus vapor ipſe fuit impactus.* Vidit hæc haud dubiè magnus *Cous* in ollarum contingere operculis, palæſtriſque balneatorum, & tamen, quod admirabile, naſum operculo ſuo aptare haud didicit. Niſi forſan exiſtimare libeat, ſciviſſe quidem iſta *Hippocratem*, ſed invidiâ legitimè cautariâ

publicare

publicare detrectâsse, juxta illud in *Lege*: τὰ δ' ἱερὰ ἔοντα πρήγματα ἱεροῖσι ἀνθρώποισι δεικνύτω, βεβήλοις δὲ ἀθέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ἐχρήσιν ὑπισήμης. Nam quòd alius vir sagaciſſimus ſpiritum vini *Hippocrati* perſpectum arbitratur, *libro* ejus *de geniturâ* confirmatus, ubi ita Medicorum Phœnix: *Vinum*, inquit, *in flammas injectum, efficit, ut flamma exiliat, & modico tempore augeatur, poſt ceſſet*, hoc eſt, quod optarem inde poſſe evidenter exſculpi, ſed in ambigua deſinit expoſitio; enim verò quodvis vinum, imò lympha quævis flammæ infuſa id præſtat, quod nemini quàm fabrilibus notius eſt officinis. Quod *Ariſtot. libr. Meteorologic. IV. cap. IX.* ſcribit: *vinum dulce flammam emittere*, (ἀνίησι φλόγα) parum ad rem facit, cùm de muſto ipſum loqui textus convincat; muſtum quippe, dum fermentatio in cellis inſtituitur, ita quandoque inardeſcit, ut Oenopolas ex inſperato igneo ſuo vapore ſuffocet. *Ariſtotelis* autem animo hîc non obverſari ſpiritum vini vel ex eo conficimus, quòd manifeſtè ſubjiciat vinum hoc non inebriare, id quod ſtillatitio vini liquori non convenire vel Ambubajarum collegia vociferabuntur. Magnopere enim excidit ſibi magnus *Sennertus* quod ita: *Familiare*, inquit, *eſt hodie etiam Saxonibus vinum calefactum incendere, ſaccharo & aromatibus condire, potumque ita delicatum conficere*; neque enim celebratiſſime *Sennerte*, Saxones tui vinum incenderunt unquam, ſed vini ſpiritum, quòd nec Pannonica veſtra, & Tochavienſia, nec Hiſpanica, imò nè generoſa illa Græcanica quidem vina, ut nimiô adhuc lymphæ frigore obruta inflammari ſe patiantur, niſi deſtillationibus præmiſſis. (*a*) *Ariſtoteles lib. Meteor. II. capite I. & Galen. VII. de uſu part. capite XIII.* proximè quoque deſtillationis attigere ſecreta, ſed metam attingere non licuit. Deſtillationem tamen per deſcenſum appellatam *Galenus* aſſecutum ſe docet *libro de facile parabilibus*. Noverat *Galenus* ſublimationem *lib. IX. de med. ſimpl. Facult.* edoctus forſan *à Dioſcoride*, qui idem tradit *lib. II. & lib. V. de mater. Medicâ*. Calcinationes noviſſe ſe oſtendit *Dioſcor. lib. I. de mater. Med.* & *Gal. lib. VI. de compoſit. Pharmacor.* Balneum Mariæ ſic ſatis commodè deſcribit *Gal lib. IV. de ſanitate tuendâ cap. VIII.* niſi quòd aquæ loco ſubſtituat oleum. Nam in *Meſue*, *Æginetâ*, *Albucaſi* evidentiora ſe producunt Chemiæ argumenta. Salia lixiva per tranſennam vidit *Galenus* ſed in formâ ſolidâ vix unquam: De *Simpl. Med. Facult. cap. XLI.* ita rem proſequitur: *Abluto cinere fit lixivium. Cinerem autem uſtorum corporum reliquias Latini nuncupant, ſive naturæ ſint lapideæ, ſive arborum, animaliumve particulæ. Fit ergo lixivium pro ejus quod eluitur, naturâ; ejus quidem quod empyreuma ſive igneam naturam habet acerrimam, ipſum quoque acerrimum eſt; ejus quod tale non eſt, etiam moderatius. Quare & ſepticis vocatis facultatibus commiſcetur, utpote cauſticam caliditatem poſſidens, ſed propter ſubſtantiæ tenuitatem, citra dolorem adurens.* Ingenium ſalium lixivorum ſic ſatis commodè exprimit hîc *Galenus*, cauſtica eſſe docens, ſed citra dolorem adurentia, in micas tamen, glebulaſque ſalinas redigendi modum non perinde videtur aſſecutus. Ut mirer ipſum hæc neque ab Umbriæ agricolis, cùm Romæ tam diu viveret, didiciſſe; neque evolviſſe *Ariſtotelis Meteor. lib. II. cap. III.* ubi ita *Stagirites*: *Huic ſimile quiddam fit in Umbriâ: eſt enim ibi locus harundine, & juncis frequens, quos exurunt, cineremque in aquâ decoquunt, donec parum ſuperſit humoris, qui ubi refrixit, in ſalem abit copioſum*: neque denique in *M. Varronis de Re Ruſt. lib. I. cap. VII.* iſtæc notâſſe: *In Gallià Tranſalpinâ intus ad Rhenum, cùm exercitum ducerem, aliquot regiones acceſſi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur, ubi agros ſtercorarent candidâ foſſitiâ cretâ: ubi ſalem nec foſſitium, nec maritimum haberent, ſed ex quibuſdam lignis combuſtis, càrbonibus ſalſis pro eo uterentur.* Inuſitatum quiddam, ruſticam Umbriæ gentem, & Rhenanum popellum ultra Galenum experimenta ſua provexiſſe. Sed quid adhæc *Conringius*: *Non eſt*, inquit, *quòd propter ſalium iſtorum inventum Paracelſicos multum laudes; illa enim cur ægro dederis, cùm ſuppetant longè ſuaviora, viribus iisdem? illa certè quæ calci ſunt ſimilia, & cauſticam vim referunt, non temerè eſſe ore aſſumenda conſtat.* Nititur hîc contra torrentem *Conringius*; cur enim illa non aſſumenda ore, quæ longo annorum lapſu Umbri, & Rhenani homines ad quotidiana cibi condimenta adhibuere, ſine ullo ſanitatis diſpendio? quæ hodieque Oceani accolæ paſſim ex algâ in cinerem exuſtâ conficiunt, & ſine noxâ uſurpant? quæ ad febrium exacerbationes ſiſtendas feliciter, quotidie propinant Medici? Neque verò ſalia iſtæc calci vivæ cognata ſunt; neque, (*b*) uti bene docet *Galenus*, cauſtica, niſi ſine dolore; neque quicquam iis potentius in exarmando acore illo viſcerum inimico. Ad ſummam, inſpiciat *Conringius* tentata mille in ſale abſinthii, centaurii, cardui benedicti, geniſtæ, juniperi, aliorum, felicia experimenta, & haud dubiè cenſuram ſuam nunc circumſpectior Judex mitigabit. Utque efficaciùs credat, *Plinii* illud adjicimus *lib. XXXVI. cap. XXVII.* ex *M. Varrone* mutuatum: *Lix*, inquit, *cinis eſt foci: inde enim cinis lixivus potus medetur, ut licet videre gladiatores, cùm deluſerint, hac juvari potione*. *Dioſcoridem* tamen juſta ſuſpicio eſt, aliquid ſubolfeciſſe *Galeno* non penetratum, tum quod *lib. V. de mat. Med. cap CX.* alembici diſertè meminerit, notiſſimi illius ad deſtillationes inſtrumenti, *Heſychio* quoque attacti; περικαθάπτουσιν ἄμβικα, inquit *Dioſcorides*: περιαλείψαντες πηλῷ, nam particulam *Al*, mantiſſam Arabum eſſe docent aliæ voces, *Almanach*, *Almageſtum*, *Alkymia* ex Arabicis profectæ idiotismis; tum denique quod *Dioſcorides*, ſumptuoſiſſimæ fœminarum Cleopatræ comes adhæſerit, quæ in oculis Antonii, ex *Plinio*, unionem illum

(*a*) Vina noſtra rubra generoſiora poſt calefactionem, more Anglis familiari, ſæpius conflagrare vidimus. Scilicet vina illa de vaſe in vas dum proiiciuntur calida, flammaque propiùs admovetur, particulæ ſpirituoſiores calore ac tranſvaſatione agitatæ in auras dum abeunt, ab illâ accenduntur flammâ. Idem etiam in noſtris viſitur culinis dum piſces aliaque vino incoquuntur, quippe ex reverberante ſuper vas flammâ vinum contentum, ſeu potius ejus ſpiritus inter avolandum accenduntur; illudque, aut aliquid ſimile forſan obſervaverat Hippocrates.

(*b*) Ipſam etiam aquam calcis, ſalibus ejuſdem quàm maximè prægnantem, ac mercurium in ſpiritibus acidis ſolutum promptiſſimè ac abundantiſſimè vi horumce ſalium alkalicorum præcipitantem, quotidie inus aſſumendam, ſine aliquâ, vel minimâ quidem noxâ, ægris noſtris propinamus, nec ad cauſticam illorum ſalium virtutem cum vulgo, experimentis noſtris meliora edocti, multum exhorreſcimus.

illum famoſum ſubitò in aceti liquore merſando diſſolvit, obſorbuitque, quas in Romano, Grajovè aceto vires hodie non deprehendimus, de veritate hiſtoriæ ſecuri temperatum ingenio Chemici liquorem interpretamur. Nam *Cleopatræ Chemica* adhuc extant, utcunque forſan ipſa ingenium tantùm hunc diſſolutioni commodaverit, *Dioſcorides* manum; ut ſolent abjectiora magnarum artium miniſteria famulis delegari. *Galenum* autem in deſtillationum arcanis cœcutiiſſe vel iſtæc confecerint, quæ *lib. I. de Simpl. Med. Facult.* gemebundus proponit: *Non multum*, inquit, *abeſt, omnia vellem ſubire pericula, ſi quam machinam, artemvè invenire liceat, ſicut in lacte contrariarum partium, ſic & in aceto ſeparandi.* At ſi deſtillationis percepiſſet machinam, facilè & paucis horis ex aceto, phlegma, ſpiritum, oleum, terram, quatuor diſtincta elementa elicuiſſet.

Ita Ægyptiis artes ſuas avariſſimè retinentibus pauci, ſeculorum, Salvatoris tempora præcurrentium, Græci ad intima Chemiæ penetravere cubilia; cæterùm ex quo Cornelio Gallo, Julio Cæſari, Antonio, Auguſto, Romanis aliis pervagatiſſima Ægyptus, in formam redacta eſt provinciæ, Sacerdotumque excuſſa violentiùs penetralia, ſenſim ad Græcos, & Romanorum curioſiores, quanquam & hi pauci, Chemiæ arcana demigravere. Hinc Chemicis Grajorum ſcriptis partim latinè verſis, editiſque, partim adhuc in *Bibliothecâ Vaticanâ, Venetâ, Pariſinâ Regiâ, Eſcuriali, Colonienſi, Monachianâ*, deliteſcentibus toti hodieque plutei referciuntur. Quos inter inſpecti, excuſſique mihi Πλάτων, Ἀριστοτέλης, Ἑρμῆς, Δημόκριτος, non illi quidem, ut liquet, antiquiſſimi, ſed multis tamen Germanorum, Gallorum, Anglorumque Philoſophis Chemicis præferendi; ventilati quoque Ζώσιμος ὁ Μέγας, Ἰωάννης ἱερεύς, Ὀλυμπιόδωρος, Στέφανος ὁ Φιλόσοφος, Σοφὰρ ὁ ἐν Περσίδι, Σωσιμος, Διόσκορος ὁ ἱερεὺς μεγάλης Σεραπίδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Ὀσάνης ἀπ' Αἰγύπτου, ἡ Μαρία τ Ἑβραία, Πελάγιος, Πορφύριος, Ἐπιβύχιος, Κλεοπάτρα ἡ γυνὴ Πτολεμαίου βασιλέως, Ἀγαθοδάιμων, Ἡρακλείος ὁ βασιλεὺς, Θεόφραστος, Ἀρχέλαος, Κλαυδιανὸς, Σέργιος, & cæteri, quorum alios juxta mecum agnovit eruditiſſimus *Leo Allatius*, & ipſe homo Græcus, ſuppoſititios, & Auctorum illuſtrium nomina mentientes, licet artem ex arte ſatis convenienter perſequantur: alios tamen germaniſſimos eſſe, & rerum, quas tradunt, callentiſſimos, adeoq; ipſum ſe in Græcia vidiſſe homines ex *Zoſimi*, *Olympiodori*, *Archelai* ſcriptis eò cognitionis provectos, ut in oculis ſuis artis veritatem reapſe demonſtrarent. Quo excitatus ipſe, niſi fata grandævi capitis interceſſerint, publico brevi indulgebit *Phyſica & Myſtica Democriti*, *Olympiodorum*, *Heliodorum*, Theodoſio magno Imperatori dedicatum, *Theophraſtum*, *Hierotheum*, *Archelaum*, & nonnullos Anonymos ex Bibliothecâ Vaticana depromptos. Cæterùm omnes hos longo poſt ſe intervallo reliquit illuſtris *Zoſimus Panopolites*, quem ſequitur impari licet gradu *Anepigraphus*, *Michael Pſellus*, *Pelagius*, *Iſis*, *Blemmidas*, *Nicephorus*, alii, in Regia Pariſienſi Bibliothecâ verſati *Labbeo* olim, & nuper mihi, magnamque partem deſcripti. Nam Romanos quod attinet, ſerò victis artibus pretium poſuere, hinc & Græcorum manibus, ſi quid formandum in ſtatuis admirabile, in architecturâ nobile, in picturis illuſtre, in Medicinâ ingenioſum, plerumque utebantur, ipſi dominandi artibus intenti. Solus, quantum novimus, Cæſarum primorum Cajus Caligula Chemiæ miniſterio ad opes mox profundendas anhelavit, de quo *Plinius lib. XXXIII. cap. IV. Invitaverat*, inquit, *ſpes Cajum Principem avidiſſimum auri, quamobrem juſſit excoqui magnum auripigmenti pondus: & planè fecit aurum excellens, ſed ita parvi ponderis, ut detrimentum ſentiret.* Hæc *Plinius*. Scilicet, didicerat haud dubiè ex Chemicorum ſcriptis *Caligula*, Arſenicum ad operis Philoſophici complementum requiri, nihil enim eo frequentiùs ingeminant Scriptores Græci: hinc cùm auripigmentum Syriacum matrem ſciret eſſe arſenici, in eo, ſed ſtultè coquendo ſpes avaras inaniter conſumpſit. Certum quidem eſt illud antiquæ Sibyllæ: Ἐννέα γράμματ' ἔχω, πτερασύλλαβός εἰμι, νόει μέ, nulli convenientiùs aptari, quàm arſenico, auripigmenti ſoboli, quicquid etiam obturbet ſive *Io. Auratus*, ſive *Kirkerus*; per arſenicum ſive arrhenicum tamen haud aliud Sibyllæ, Græciſque Auctoribus intellectum eſſe, quàm maſculum illud ſulphur, quo cogitur in obedientiam Mercurius, res ipſa demonſtrat. Sed intueamur folium illud Sibyllæ:

Ἐννέα γράμματ' ἔχω, πτερασύλλαβός εἰμι, νόει μέ;
Αἱ τρεῖς, αἱ πρῶτοι, δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
Αἱ λοιπαὶ δ' τὰ λοιπὰ· καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πάντα,
Τῶ παντὸς δ' ἀριθμῶ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,
Καὶ τρεῖς δεκάδες σύ χ' ἑωτά· γνῆς δ' ὅς εἰμι
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τ παρ' ἐμοὶ σοφίης.

Primus, quòd ſciam, ſuperioris ſeculi *Emarus Ranconetus* Præſes Lutetianus olfecit Sibyllam myſterium hîc Chemiæ inſinuare, & voci Ἀρσενικὸν feliciſſimâ dexteritate accommodavit, ut eſt apud *Cardan. lib. de Variet. Rer. cap. X. Joannes Auratus* non Ἀρσενικὸν, ſed Σωτὴρ θεὸς intelligi quondam putavit; & nuper in *Mundo Subterraneo Kirkerus*: *de Salvatore*, inquit, *intelligendum*, nam ὁ ἄνθρωπος θεὸς *reſpondet numero*, In quo mirum quantum ſibi excidat diligentia Kirckeri, cùm nihil reſpondeat omnium; neque enim adſunt novem literæ, quod poſtulat Sibylla, ſed XIII. neque quatuor ſyllabis abſolvitur, ſed ſex; nec numeri quadrant ullo modo, Quod ad *Auratum*, illum quoque Muſis iratis talia commentum docet eruditus *Jac. Gohorius*. Vox ejus. *Incredibile eſt Sibyllam hîc intelligere Salvatorem, tum quòd paulò poſt expreſsè & clariſſimè hoc ipſum nomen pronunciet* Ἰησοῦς Χριστὸς, σωτὴρ, σταυρός; *tum quòd numerus deſit quinarius, quem vult Auratus ſignificare myſterium crucis, quod tamen etiam in ἀλφαβήτῳ notatum eſt.* Cæterùm illam magni operis materiam, non in arſenico vulgi eſſe quærendam, & ratio, & manus oculatæ perſuadent. Quanquam enim æs perfunctoriè tingat, & nobiliori imbuat colore, invisâ tamen fugacitate, ubi ad flammarum ſupplicia deventum, non exſpectat, quod bene *Geber*, ignis pugnam: ſed proripit ſe ſe, & venenato nidore æra vicinum infamat. Si ingenioſo aquæ ſimplicis tormento [quod mihi alia omnia penſati memini accidiſſe] ad ignes conſtanter tolerandos longâ aſſuetudine roboretur, metalli corpora poſt adeo non ſubit, ut cinerei more pulviſculi fuſis innatet. Cum auripigmento & ſandarachâ ferè eodem res redit: auripigmentum ſuapte ſponte vi ignis agitur in ſublime? & ſandaracha [Rauſch gelb] non niſi intermiſtis vel harenis, vel cinere aliquo ſive metallico ſive vegetabili.

bili. Quod ex utroque ascendit, siquidem spongiosi instar pulviſculi ſummo tegmini, ſive alembico adhæreſcat, terribile venenum eſt; quod in medio reſtitat, mitius, æmulatúrque anthraca ſive rubinum, & facilè Lunam ingreditur, tingítque lurido rubore, ſed itidem inconſtanti. & ad vehementes flammarum impetus in auras abituro. Si invento ſubtili ignibus aſſueverit, à Lunâ non ultra ſorberi ſe ſe permittet. Licet proindè cuncti ferè Scriptores Chemici Græci, *Zoſimus*, *Olympiodorus*, *Anepigraphus*, alii, in laudibus Arſenici prolixè occupentur, putandum tamen illos ad vim vocis, non ad vulgi uſum reſpexiſſe, adeóque cum θρστικὸν, ſive ἀρρενικὸν maſculum quiddam Græco idiomate ſignet, antiquam Sibyllam ſulphur quoddam ignibus omnibus infatigabile per nebulam hîc oſtendiſſe, quando metalla etiam nobiliora ex Sulphure tanquam maſculo, & Mercurio tanquam fœmellâ Chemicorum ſchola componat. Ut vel hinc liqueat quam non improvidè ſcripſerit olim *Hermolaus Barbarus Inſtaurator politioris literaturæ: Arſenicum ſive Arrhenicum Chymiſtis Democriteis quandoque androdamanta appellari, quandoque comarin Scythicam, quandoque hæc ipſa nomina ſulphuri lapidis Philoſophici accommodari.* Sed nos ad aliud Sibyllæ folium properantes, relictis in medio, quæ de vulgatis Sibyllinis carminibus *Schmidius*, *Blondellus*, aliíque operosè diſputant, in *Cumanæ Sibyllæ* oraculis à *Virgilio* attactis oculos tantillum defigemus. Quanquam autem antrum illud Sibyllæ, quod ad lacum Avernum Cumis proximum nobis non ita pridem intratum eſt, recentius quiddam oleat, quàm ut inde remugiiſſe fatidicam illam antiquiſſimam exiſtimare libeat, etiam præter fabricæ ingenioſa, recenti *Iul. Cæſaris Capaccii* ſcripto de *Antiq. Puteolorum* alia omnia oſtendente (neque enim contrarium eſt illud *Petronii Traguriani: Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipſe oculis meis vidi in ampullâ pendere; & cùm pueri illi dicerent; Sibylla tethilis, reſpondebat illa, apothan in helo;*) fuderit tamen illa oracula ſive Cumis antiquis, ſive in vicinis urbi montibus, ego declamitantem non interpellabo, dum mihi licuerit ex *Virg. Æneid. VI.* has ejuſdem voces expendere, ipſi fortaſſis *Virgilio*, cùm ab alio mutuata caneret; haud ſatis intellectas:

Accipe quæ peragenda prius. latet *arbore opacâ*
Aureus, & foliis, & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus ſacer: hunc tegit omnis
Lucus *& obſcuris claudunt convallibus umbræ.*
Sed non ante datur telluris operta ſubire
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo avulſo non deficit alter
Aureus; *& ſimili frondeſcit virga metallo.*
Ergo altè veſtiga oculis, *& ritè repertum*
Carpe manu; namq; ille volens, facilíſq; ſequetur,
Si te fata vocant: *aliter non viribus ullis*
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Hæc de materiâ Chemici magiſterii fudiſſe Cumæam vatem opinio eſt variorum, quos inter *Robertus Vallenſis*, *Glauberus*, aliíque; nec inficiandum ſub illo fabulæ involucro arcanum ſenſum deliteſcere, forſan *Virgilio* ipſi, qui ex alio hæc mutuatus eſt, incognitum; quem qui *Glauram Augurelli*, & *juvenem Arcadicum Palingenii*, in exquiſitius vocaverit conſilium, ipſo *Marone* rectius forſan interpretabitur. Ad mentionem aurei illius rami, ſuccurrit non tantùm illud eruditi *Ioſ. Acoſtæ hiſt. nat. lib. IV. cap. I. Los metales ſon como plantas encubiertas en las entrannas de la terra, y tienen alguna ſemejanca en el modo de produxir ſe, pues ſe veen tambien ſus ramos, y como tronco de donde ſalen, y en alguna manera parece, que crecen los minerales al modo de plantas*; ſed vel maximè germinatio illa metallica, quam in acidulis liquoribus contingere notamus, ſubeunte atomos metallorum Mercurio, animo obverſatur, quæ ſubito ex ſervo illo fugitivo in aquas legitimè cauſticas immiſſo vepreti Philoſophici eruptio vix ſine admiratione à quoquam ſpectari poteſt, à nemine profectò ſatis adhuc pro merito excuſſa eſt, utcunque *Bartoletus* in *Encyclop. Herm.* & *Petrus Ribola*, & *Kirckerus*, aliique ſic ſatis prolixè modum operandi perſcripſerint, de cauſis tam inopinæ, celeriſque quaſi è nihilo productionis ſenticeti incurioſiores. Quanquam plures in puteo Democriti germinationes metallicæ hactenus deliteſcant; unam ſed elegantiſſimam, & curioſi otio non indignam ſibi inter labores metallicos natam deſcribit plenè *Lazar. Erckerus* in *Op. Metall.* unam ex Lunæ minutiis balſamo ſulphuris ſingulari modo incoctis mihi Pariſiis genitam probè memini; ſed unam præ omnibus admirabilem viſam ſibi *San-Simonius* & ſæpè & ſanctè me audiente, coràm affirmavit, quam quia nec in ullo Auctore Chemico, Hermete, Lullio, Rogerio Bacone, Villanovano, *Aperta Arcâ Arcan. Artef.* aut ullo denique ſcripto expreſſam, hactenus invenire licuit; non gravabor hîc in curioſorum gratiam pleniùs attingere. Ante hos viginti circiter annos, cùm Condæus Princeps Hiſpanorum partibus addictus, per Flandriam, Brabantiámque bello fulminaret, filium ſuum, nunc Ducem de Anguin, Bruxellis ſtudiorum causâ reliquit, magno ſapientum Virorum ſatellitio ſtipatum, quos inter *San-Simonium* hic Heidelbergenſis domo, longâ aſſuetudine Gallus, hodiéque dicto Principi à ſecretis, Vir, ſi quis alius, animo, & fide Germanus, & à nugis alieniſſimus. Adit ergo *San-Simonium* hunc Bruxellis tum viventem, &, ut fit, animi gratiâ, Naturæ ſecreta per otium ſollicitiùs inveſtigantem *Leodienſis* quidam, ignoti vultus, ignoti nominis, in corporis cultu modicus, &, *Audio*, inquit, *Domine, te ad curas quandoque Chemicas deſcendere, & nobili hoc otio genium oblectare, ſed ab ignaris rerum ſecretarum Magiſtris pendere nimium, eoq; nihil hactenus ſpectâſſe admirabile; ecce! ut oculis tamen uſurpes coram, non omnia vana eſſe, quæ Chemicum profitetur ſtudium, pulviſculum hunc minutum quidem, ut vides, & vix granum hordei unum pondere æquantem tuæ fidei committo, câ lege, ut poſt horas ſex revertenti mihi reddas integrum, interea ut curioſitati tuæ obſequaris, ita procedito: cape ſis ex profluente, vel quâvis aliâ fontanâ aquâ libras tres, quatuorve, quibus vitro exceptis pulviſculum hunc incerne, mox repetito opere vaſculum ſubinde quaſſa, ut aqua ex pulviſculi admixtione tenue quiddam abradat, ſecúmque concorporet. Elapſis horis aliquot, ſubſidentem pulviſculum, translato per inclinationem in vas aliud liquore, ſicca, ut mihi bonâ fide reſtituas.* Paret *San-Simonius*, & dicto obedientem ſe oſtendit, ambiguus futuri. Redit ſub veſperam *Leodienſis*, pulviſculum ſuum recipit, & ad *San-Simonium* verſus, *Vires*, inquit, *aquæ tuæ jam me abeunte periclitare, infuſiſque aliquot Mercurii vulgaris unctis, germinationem utilem exſpecta.* Et ſimul paucis ultro citróque dictis recedit. San-Simonius rei bene gerendæ cupidiſſimus, Mercurii mox uncias octo obiter infundit, & aliquandiu, ſi quâ argenteus ille ramus in illuſtre germen ſeſe por-

rigere moliatur, oculis inconnivens ſpectator vitro frigido aſſiſtit. Dictum, factum. Surgit paulatim ex globo ſuo Mercurius, & mille ramulis argenteis, quaſi totidem filis tenuiſſimis, æqualiſſimiſque per univerſam, quâ patet, aquam gloriosè ſe explicat, ſupra etiam ſupremum aquæ marginem filamentorum extrema protendens. Superficies autem lymphæ, quòd ſtudiosè cuſtodiendum, interea oleoſo quodam liquore, hinc inde reſperſa notabatur; quòd, opinor, craſſum quiddam, heterogeneúmque contineat vulgati uſus Mercurius, cujus interventu à coagulatione prohibetur, quo, per ſubtile artificium, remoto, partes ejus ſe facilè mutuis faciebus amplexantur, hæréntque tenaciter, & conſtantis metalli titulum ſibi vendicant. *San-Simonius* poſtridie aquâ vitro alii infusâ, filamenta hæc omnia colligit, expreſſoque manu humore, ad vicinum mox fabrum argentarium deportat, rogat officiosè, velit per omnia examina ſcrutari metalli hujus ingenium, & conſtantiam ejus in ignibus periclitari. Mirum quiddam, & inauditum deprehenditur, poſt univerſa ignis ſupplicia argentum probatiſſimum, & nihilominus ſine igne ita ſe permiſerat cicurari in feneſtrâ, Octobri menſe, utcunque aër Bruxellenſis ad frigidum id temporis inclinet, ſuppeditante ſatis virium, ad expellendum illud excrementitium oleum, ſale illius pulviſculi, ab aquâ, per intercurſum primi, ſecundique elementi Carteſiani ad motum incitato. *San-Simonius* audacior ſucceſſu, reſtanti aquæ novum infundit Mercurium, novum videt nemus conſurgere priori gemellum, inque ſinceriſſimam argenti maſſam immutatum; experitur idem tertiò, quartò, quintò, ſextò, felici ſemper eventu, langueſcente tamen paulatim, & noviſſimè fatigatâ aquæ virtute; quò factum, ut plures ad ſpectandum miraculum in domum ſuam invitaret, quos inter Principes aliquot Angli Bruxellis tum fortè commorantes. Aperit ſe hîc ampliſſimus differendi campus, ſed ego inſtituti memor, contentus autes velliçâſſe Pamphilis, manum de tabulâ, ut ad reliqua deveniatur. Mihi interea, ut ad Virgilianos illos auri ramos poſtliminio revertar, ſatis hîc erit obſervâſſe, Antiquos, cùm ſapientiſſimè de rebus naturalibus philoſophari parant, vulgò oſtendere ſe fabulas tantùm propinare, aut ridicula conviviorum acroamata. Quod licèt ex Phæacum illo in *Hom. Odyſſ.* θ. convivio, ubi citharœdus Martis & Veneris congreſſus artificio χημικωτάτῳ, quaſi aliud agens perſequitur, abundè eluceat, extra *Virgilium* tamen jam evagari non eſt conſilium; qui non modò Silenum ex temulento ſopore vix excitatum inducit *Eclog. VI.* ſapientiſſimè de rerum Naturâ perorantem:

Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarúmque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: utque his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis:
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas &c.

Sed & *Æneid. I.* in Didonis convivio quâm profundè

— — — — citharâ crinitus Iopas
Perſonat auratâ, docuit quæ maximus Atlas,
Hîc canit errantem Lunam, Soliſque labores
Unde hominũ genus, & pecudes, unde imber & ignes,
Arcturum, pluviáſque Hyadas, geminóſque Triones.
Quid tantùm Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni: vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Nunc ad tertium Latinorum teſtimonium properemus, non contemnendum Chemiæ monimentum:

AM. PP. D.

ELIA. LELIA. CRISPIS.

Nec Vir, nec Mulier, nec Androgynæ.
Nec Puella, nec Juvenis, nec Anus,
Nec caſta, nec meretrix, nec pudica,
ſed omnia:
Sublata nec fame, nec ferro, nec veneno,
ſed omnibus;
Nec cœlo, nec aquis, nec terris,
ſed ubique jacet.
Lucius Agatho Priſcius
Nec Maritus, nec Amator, nec Neceſſarius;
Neque mœrens, neque gaudens, neque flens
Hanc neq; molem, neque pyramidem, neq; ſepulchrum,
ſed omnia,
Scit & neſcit, quid cui poſuerit.
Hoc eſt ſepulchrum intus cadaver non habens:
Hoc eſt cadaver ſepulchrum extra non habens:
Sed cadaver idem eſt, & ſepulchrum ſui.

Vetuſtiſſimum hunc gryphum alii aliter interpretantur, *Marius Michael Angelus* de aquâ pluviâ, *Agathias* de Niobe in lapidem conversâ, *Richardus* de animâ rationali, *Joannes Turrius* de materiâ primâ, *Gevartius* de Amore, *Zaccharias Pontinus* de tribus defunctis ſimul conjunctis, *Nicolaus Barnaudus* de lapide Philoſophico, *Fortunius Licetus* de generatione, amicitiâ & privatione. Prolixè rem proſequitur *Licetus*, ego tamen variis de cauſis vel *Michaeli Angelo*, vel *Barnaudo* accederem, ut ingenioſiora, & quorum magna pars demonſtrari poſſit coràm, afferentibus; quanquam nunc non libeat hiſce immorari.

Indubitatum quoque Chemiæ apud Italos argumentum miniſtrat inextinguibilis illa maximi Olybii lucerna *Appiano*, *Hermolao Barbaro*, *Ludovico Vives* quondam deſcripta, & in agro olim inventa Patavino, duplici urnæ incluſa, in exteriori quidem hæc ſignata:

Plutoni ſacrum munus nè attingite fures,
Ignotum eſt vobis, hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico maximus Olybius.
Adſit fœcundo cuſtos ibi copia cornu,
Nè tanti pretium depereat laticis.

Interioris urnulæ hæc notabatur inſcriptio:

Abite hinc peſſimi fures
Vos quid voltis veſtris cum oculis emiſſitiis?
Abite hinc veſtro cum Mercurio petaſato, caduceatoq;
Maximus maximo donum Plutoni hoc ſacrum fecit.

Hîc de lucernis illis Antiquorum inextinguibilibus prolixè differere ratio inſtituti non patitur. *Conringius de Cal. Innat.* magnâ veri ſpecie ita denique erumpit: *Proinde vereor*, inquit, *nè fabuloſæ ſint narrationes de lucernis Patrum, avorúmque memoriâ repertis, quas ferunt ſine alimento per complures centum annos in ſepulchris luxiſſe. Kirckerus in Mundo Subterraneo* aliâ viâ rem aggreditur, & explicatiùs. *Non fuere*, inquit, *unquam lucernæ perpetuo ardentes, viſa quidem flamma ex putrilaginoſo aëre multorum annorum centuriis clauſo, vel primo introeuntium halitu, vel extrinſecus aëris ſubeuntis acceſſu antiperiſtaticâ quadam virtute derepente accenſa.*

accensa. Ita sæpe in cœmeteriis flammulæ videntur. Bene Auctor Arabs : Fuit in Ægypto, inquit, *campus cujus fossæ erant plenæ bitumine liquido, hinc Philosophi constituebant canales, ex his locis ad cryptas subterraneas, in quibus lucernam ponebant; lucerna habebat filum ex lino quod uri nequit; hoc pacto lucerna semel accensa arsit semper ob perpetuum bituminis affluxum.* Profiteor & ego neque me ex *Fortunii Liceti* de *Lucernis Antiquor. Opere*, nec ex Historiis tum apud Auctores *Herm. Barbarum, Fr. Maturantium, Bern. Scardeonum*, alios, existantibus, tum auditu in Galliis, Italiâ, Germaniâ perceptis tantùm profeciſſe, ut verè arſiſſe quicquam in ſepulchris tamdiu hactenus aſſequar ullo ingenii conamine, utcunque lucidum quiddam, ſcintillanſque ibi quandoque apparuiſſe, & mox admiſſo aëre diſparuiſſe *Kirchero* facilis adſtipuler. Putârim ego lucernam Olybii ex genere oleorum ſubtiliſſimorum fuiſſe, eóque ſplendorem reddidiſſe lucernæ, quòd radios luminis in ſe incidentes particularum ſuarum lævium & politiſſimarum incurſu retorſerit in aſtantium oculos. Nam ut præteream *Manfredum Septalium*, Virum optimum, Mediolani ſanctè mihi affirmaſſe, ſe in vitris lacrymalibus antiquis inveniſſe olei ignoti genus, quod inaurabat lapides illitos; ex ſolo certè nitro diuturnâ patientiâ excocto accepi Pragæ non ita pridem in officinâ Chemici corpus prodiiſſe carbunculi inſtar in tenebris & lucens, & ſplendorem ſuum aliquandiu frigido licet vaſe conſervans. Cujus dicti fidem ut in medio relinquo, ita ſcio ante biennium, cùm Romæ in clivo Scauri domus integra per decem, & eo ampliùs ſæcula infra ſcolymi & herbarum aliarum radices in horto civis cujuſdam ſepulta erueretur, pulcherrimæ illa fabricæ, & operis Corinthii, me inter rudera ſollicitè urnulas ejuſmodi lucernarum antiquarum quæſiviſſe, ſed incaſſum; inveniſſe tamen vaſa lacrymalia plurima vitrei generis, quæ diuturnitate temporum victa in plures, eáſque elegantiſſimè pavonaceis coloribus diſtinctas philyras abierant, ſimiles talco Moſcovitico (ſi colores dempſeris) in folia non difficulter fiſſiles, ſale ſive vitrorum innato, ſive terreo, laminulas, quod æqualiter ubique premeret vicina, procurante; quibus jam ſeparatis ratio dictat ſalem in proximas vitri partes graſſatum eandem exercuiſſe tyrannidem, donec ita ſenſim integra vitri maſſa, craſſa illa initio, & adhuc quibuſdam locis craſſa, in ſquammas exemptiles degeneraret; ut vel hinc colligatur fruſtra eſſe Anatomicos, qui humorem oculi cryſtallinum ex laminis conſtare aſſerunt, eo inducti quòd coctura prævia in philyras ſe patiatur diduci. Idem enim illi, quod vitris lacrymalibus fatum eſt, quippe dum calor, ut qui æqualiter quoque particulas ſuas diffundit, primo ad certam humoris illius cryſtallini profunditatem ſe ſe inſinuat, eam cogit; denſátque potentiùs; poſt ſuccedente calore novo repetito penetratur in cryſtallinum altius, unde nova condenſatio, ſed à priori, ob aliter diſpoſitas particulas, facilè ſeparanda: ſimilia cocto ovi albumini ſæpe contingunt. Sed hæc extra oleas. Ad rem propius illud, aquas cauſticas (fortes vocant) eſſe veluti lucernas perpetuò ardentes, non quòd perpetuò luceant, ſed quòd perpetuò attactum penè quidvis ignis more adurant. Hinc ſi ſpiritum terebinthinæ aquæ ſimili ſuperfuderis, ita paulatim rubicundiſſimo tingetur colore, ac ſi ignibus diu fuiſſet excoctus; quin & quandoque magno ſtrepitu accenditur, quod & mihi accidiſſe recordor. Exploſum quidem jam diu illud *Julii Cæſ. Scaligeri*, quod Chemicis attribuit: *Carbones Juniperi tantâ esse vi, ut per annum integrum ignem servent incorruptum.* Ad hæc liberaliter *Conringius*: *Id quidem*, inquit, *procul adeo est à vero, ut nè quidem diem unum pruna juniperina possit supersse: quod rectè notavit etiam Porta.* Sed in hoc parum ſibi cavit *Conringius*, non advertens illud Juris-Conſultorum: *Levem circumstantiam sæpe variare totum casum*, de quo forſan alibi; ſicut & de ſemine quodam herbaceo agris noſtris familiariſſimo, quod his ipſis diebus, poſtquam ſemel in igne apud me incanduerat, exemptum, & in frigido loco repoſitum ad uſque quinquaginta ſolidas horas candere adhuc, & adurere mihi deprehenſum eſt. Calorem autem perpetuum varii variè moliuntur, alii rotarum jam per aquas, jam aërem, jam pondera circumactu, alii miſtis contrarii generis ſalibus, alii thermarum naturalium elementa ſcrutando, imitandóque, in quo operoſus eſt *Henricus Rochaſius*, in *Phyſic. Demonſtrat.* alii continua illa Ætnæ, Veſuvii, Heclæ, pabula inquirendo; quibus omnibus ingenioſius quiddam excogitavit nobiliſſimus, mihíque amiciſſimus *Abbas Boucaudius*, in cæterâ ingenii magnitudine arcanioris quoque naturæ candidatus excellens. Depangit is in tellure ſpongioſiori haſtam viginti circiter pedum, formatóque jam profundo foramini, & à fortuitorum illapſu ſecuro decem admodum libras Mercurii vivi infundit, qui pondere ſuo, & terræ mollioris ſubjectæ obedientiâ ſenſim depreſſior, eò denique proſerpente menſium aliquot deſcenſu promovetur verſus infima telluris, ut caloris ſubterranei cunabulis denique illabatur; quo facto indefeſſus (ut in thermis) per incumbens foramen exhalat fervor, & vitra, aliáque impoſita moderato fotu recreat; atque ita præter inventi ſubtilis gloriam nullis poſtea ſumptibus calor perpetuatur. Id tamen juxta mecum agnovit, non ubique locorum æquè felicem ſperari poſſe hujus artificii ſucceſſum, tum ob ſubjectæ telluris ſoliditatem, tum ob ſaxa quandoque properantis in Tartara Mercurii iter ſufflaminantia, tum ob aquarum ſcaturigines impetum vivi argenti quodammodo inhibentes. Quicquid horum fuerit, inventi genius vel ex eo lucem fœneratur, quòd non tantùm *Acoſta Hiſt. Ind. lib. III. cap. XIX.* tradat *in Grancavelicâ Peruviæ, unde extrahitur minera Mercurii, fontem perennem esse aquæ calidæ*; quòd non tantùm ſolennis querela ſit, molitorum catarrhactas, aggeréſque (quibus aqua ad molas circumagendas neceſſaria ſiſtitur, ut operi ſufficiat) à Mercurio per inimicas manus quandoque injecto perforari, cùm aquarum, molarúmque diſpendio, ſed & notum omnibus, provocatúmque hypogæa profundiora, puteóſque hyeme vinctis rigore omnibus aliis, tepidum fumum in aëra eructare, viſceribus telluris interioribus caloris materiam aſſiduè miniſtrantibus. Sed interrogemus quoque vitrum ductile, utrum Chemia antiquis Romanis ante Conſtantinum planiſſimè fuerit ignorata. *Plinius libro XXXV. cap. XXVI. Ferunt*, inquit, *Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset, & totam officinam artificis ejus abolitam, nè æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur: eáque fama crebrior diu, quàm certior fuit.* Idem proſequitur, ſed paulò diductiùs *Petronius Traguianus*: *Fuit tamen*, inquit, *faber, qui fecit phialam vitream, quæ non frangebatur. Admissus ergo Cæsarem*

eſt cum ſuo munere, deinde fecit reporrigere Cæſari & illam in pavimentum projecit. Cæſar non pote validius, quàm expavit: at ille ſuſtulit phialam de terrâ: colliſa erat, tanquam vaſum æneum. Deinde martiolum de ſinu protulit, & phialam otio bellè correxit; hoc pacto putabat ſe cœlum Jovis tenere. Utique poſtquam illi dixit: numquid alius ſcit hanc condituram vitreorum? vide modò. Poſtquam negavit, juſſit illum Cæſar decollari; quia enim ſi ſcitum eſſet, aurum pro luto haberemus. Agnoſcitis ſtuporem Tiberianum & deſpuitis, ſimulque admirabile illorum temporum artificium intuemini. Sed fac Petronium Tragurianum quædam immiſcere ſpuria, certè ſpurius non eſt *Dion Caſſius* qui *libro LVII.* ſcribit eadem; ſpurius non eſt *Joannes Sareſburienſis*, qui *Polycrat. lib. IV. cap. V.* ita diſertè: *Apud Petronium Trimalcio refert, fabrum fuiſſe, qui vitrea vaſa faceret tenacitatis tantæ, ut non magis, quàm aurea, vel argentea frangerentur. Cùm ergo phialam hujuſmodi de vitro puriſſimo, & ſolo, ut putabat, dignam Cæſare, fabricâſſet, cum munere ſuo Cæſarem adiens, admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata devotio donantis. Faber verò ut admirationem intuentium verteret in ſtuporem, & ſibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæſaris phialam recepit, eámque validius projecit in pavimentum, tanto impetu, ut nec ſolidiſſima, & conſtantiſſima æris materia maneret illæſa. Cæſar autem adhæc non magis ſtupuit, quàm expavit. At ille de terrâ ſuſtulit phialam, quæ quidem non fracta, ſed colliſa, ac ſi æris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde martiolum de ſinu proferens vitrum correxit aptiſſimè, & tanquam colliſum vas æneum crebris ictibus reparavit. Quo facto ſe cœlum Jovis tenere arbitratus eſt, eò quòd familiaritatem Cæſaris & admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat. Sed ſecus accidit. Qu ſivit enim Cæſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum. Quod cùm negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens: quia ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent, quaſi lutum. An vera ſit relatio & fidelis, incertum eſt, & de facto Cæſaris diverſi diverſa ſentiunt. Ego verò ſapientiorum non præjudicans intellectui, devotionem potentis artificis malè remuneratam arbitror, & inutiliter humano generi proſpectum, cùm ars egregia deleta ſit.* Neque verò hîc ſive *Plinius*, ſive *Petronius* de veritate experimenti oſtendunt ſe ſe ambigere, ſed quòd neuter ſacris Chemicis imbutus capiat rei ſublimitatem, inter aliorum diffidentiam, & ignorantiam ſuam medii, veritatem hiſtoriæ arbitrio intelligentium cenſendam relinquunt. Ut proinde Chemicus tertius rem definierit, qui non modò ex artis ſuæ Scriptoribus *Libavio*, *Goclenio*, *Quatramio*, *Valenſi*, aliis, convincitur vitrum arte reddi ductile, ſed & cryſtallos in duritiem, ſplendorem, & conſtantiam gemmis nativis æqualem promoveri. Audiatur *Lullius Teſt. ult. Vidiſti*, inquit, *Rex mirabilem illam projectionem, quam feci tecum Londini in camerâ tuâ ſecretâ Sanctæ Catharinæ verſus partem caſtelli, quam feci ſuper cryſtallum ſolutum cum aquâ argenti vivi, & converti eum in maſſam unam adamantis finiſſimi, & virtuoſi pluſquam naturalis, ex quo feciſti columnulas pro tabernaculo Dei.* Atque nè porrò inficiantium pertinacia æſtimetur inexpugnabilis, ductilem illam maſſam Chemicam mecum attentiùs intueantur, *cornu Lunæ* appellatam, quæ cùm aliud nihil ſit, quàm contrariis ſpirituum acidorum particulis inverſa argenti textura, vel ad candelam tamen ſe promptiſſimè fuſilem, ſequacémque oſtendit, & ſi in tenues philyras effundendo abeat, pellucidam, vitri æmulam, malleóque quodammodo obedientem; unde fuere qui phialas ductiles confeciſſe ſe memorent, facili experimento imitandi. Accedit & altera ex officinâ meâ non levis ad rem perſuadendam illecebra, quòd ſal ductilis non difficulter obtineatur; (quid autem commune vitrum præter fortem ſalis & arenæ mixturam) hoc genus ſalis cùm Lugduni Batavorum experiundo reperiſſem, Dn. *Sylvio* illuſtri & Profeſſori, & Chemico, *Stenonio*, *Marcgravio*, aliiſque nobilibus ingeniis oſtendi, nunquam antea, opinor, vel viſu temere, vel lectione animadverſum. Conficitur autem is ſal ductilis, nè quid diſſimulem, ex ſale armoniaco, in amplo vitro ſæpè ſoluto, ſæpè & lentè in ſtirias coacto, unde tandem cryſtalli emergunt longitudine reſpondentes amplitudini vaſis, quarum aliquot notavi ad ſex digitorum tranſverſorum longitudinem porrectas, ſimiles facie externâ ancipitibus gladiorum laminis, quas cùm leniter inflecterem, obſequentiſſimè ductui manus parebant, & reſtituebant ſe ſe poſt plures curvaturas priſtinæ rectitudini ad nutum meum, eandem patientiam toto menſe, quoties libebat, oſtendentes, donec tandem ſubeunte humido aëre in aquam fatiſcerent. Alioquin modica induſtria vitrum etiam frigidum ita reddiderit flexile, ut Plinianæ hiſtoriæ faciat ſatis, non item Petronianæ. Certè in publicis nundinis Lugdunenſibus ante hos quatuor annos, me inſpectante, ingenioſior quidam ex eorum numero, qui ſpiritu vitrum in varios formant habitus, vitream maſſam ad flammam lampadis priùs liquefactam in fila tenuiſſima ducebat, verſatilique rotæ netricis orbi vel tricies circumvolvendo facilè induebat, reſtante etiam poſt frigus admiſſum vitri in omnem partem flexurâ malleum ſolum formidante. Neque vero neceſſe eſt, ut ſi vitra plebeii uſus timeant marculum, ideo quoque vitra omnia metallica, quippe tenaciori humido vincta eoſdem ſemper patianter manes. Vitris enim metallicis adeo non demitur unctiuſcula illa ſua tenacitas acerbitate ignis, ut facillimè iterum reſtituantur in priſtini metalli corpus, quod mille experimentis liquidum reddidit vulgatum illud Saturni vitrum; nam de Joviali, ut ſiccioris temperamenti res impeditior. Cæterùm commune illud Saturni vitrum ductile non eſſe, cùm ſenſus evincant, ductile fieri non poſſe ratio nulla perſuadet, admotis ex arte ſalibus (ut in cornu Lunæ) invertentibus. Utrum ex ſtibio, id eſt Saturno ſapientum, cornu flexili ſimile quiddam elaboraverit infelix ille artifex Romanus, in medio relinquo, ad ſpecioſiſſimam illam *Jobi* filiam interrogandam curioſos ablegans, quam ex Divino Scriptore *Kerenhapuch* i. e. cornu ſtibii, ſeu Antimonii appellatam didicimus. Cur autem vitrum vulgati uſus malleum non ſuſtineat eruditè inter alia perſequitur *Anon. de lap. Phyſ. condit: Humiditas*, inquit, *in lapidum ſubſtantiâ terreſtri non eſt ligata per ſiccum, in minimis partibus unius & alterius, ſed in groſſis partibus humidi & ſicci, ita ut partes humidi cum terreſtribus conjaceant ſicut hami catenarum, ut ait Albertus: in metallis verò minimum terrei eſt mixtum cum minimo aquei, & è converſo, & plurimum unius cum plurimo alterius, & unum ab altero non ſeparantur ratione homogeneitatis partium* (ecce quomodo obſervet Chemicus ὅμοιον ὁμοίῳ πελάζειν.) *& unionis elementorum, quod contra eſt in*

lapidibus.

lapidibus. Quàm eruditè hæc, & penè Carteſiano more ſubtiliter extulit Chemicus mente ſapiens, utcunque linguâ ſcabroſior? Hinc conficitur, illum, qui ad eam tenuitatem partium homogenearum redegerit vel commune, vel, & opportunius forſan, metallicum vitrum, effecturum quoque ut metallorum mores ſequatur, & ductuli tenacitate ingenium ſequax & flexile oſtendat. *Carteſius Princ. Phil. part. IV. Vitrum eſt valde fragile, inquit, quia ſuperficies, ſecundum quam ejus particulæ ſe invicem tangunt, ſunt admodum exiguæ & parvæ.* Evigilet ergo in eo curioſorum induſtria, ut vitri particulæ in eas redigantur minutias, ut pluribus omnino ſe punctis contingant, & ductile vitrum non erit pòſt factu difficile. Hìc vehementer & eruditè ſe opponit C. M. *in Obſerv. ad Art. Vitrar. Antonii Neri. Add hereunto*, inquit *that the nature of malleability conſiſts in a cloſe and throughout adhæſion of parts, an a capacity to the change of figure in the minuteſt parts. Both vvhich are inconſiſtent vvith the nature of Glaſs. For the materials of Glaſs, Sand, and Salts, have ſuch figures as ſeem incapable of ſuch adhæſion in every pare one to another. For all ſalts have their determinate figure vvhich they keep too, in their greateſt ſolutions and actions of the fire upon them, as many inſtances might evince, and that figure is various according to the ſalts. Salt-peter, and all alkalizate-ſalts are pointed, and by their pungency, and cauſtickneſs ſeem to be made up of infinite ſharp pointed needles. And as for ſand, the figure therof is various, nay, infinite, as it appears in Microſcopes. Novv hovv can any man imagine that ſuch variety of figures in ſand can ſo comply vvith the determinate figures of ſalt, as to touch one an other in minimis, vvhich is neceſſary to make it malleable?* &c. i. e. *His adde, quòd natura malleabilitatis* (ut ita expreſſiùs reddam quàm politiùs) *in arctiſſimâ partium cohæſione, & ſequaci ad immutandam in minutiſſimas partes figuram promptitudine conſiſtat; quorum neutrum convenit moribus vitri. Nam materiæ, unde conficitur vitrum, arena & ſalia, deſtituuntur figuris ita firmiter ſe ſe amplexantibus. Salia univerſa peculiares oſtendunt & determinatas figuras, quas in ſolutionibus maximis, & acerrimis flammarum complexibus retinent pertinaciſſimè, quod pluribus exemplis oſtendere promptum eſſet. Hæ ipſæ figuræ variæ ſunt, ut varium eſt ſalium ipſorum ingenium. Nitrum & ſalia omnia lixiva in acumina deſinunt, & ob illam pungendi, adurendique vim formata videntur ex infinitis acicularum acutiſſimarum cohortibus. Quod ad arenam, ejus figura varia eſt, imò infinitæ varietatis, quod vel microſcopia demonſtraverint Quis jam ſibi perſuadeat eam figurarum in arenâ varietatem ita cum determinatis ſalium figuris poſſe conjungi, ut partes earundem ſe tangant in minimis, id quod ad malleabilitatem tamen* (hoc eſt ductilem ſub malleo obedientiam) *requiritur.* Quibus cùm vix quicquam ſpecioſiùs dici potuiſſe appareat, vix quicquam minus ſolidum deprehenditur. Largimur non inviti & ſalibus diverſas figuras, & arenis, ſed easdem inviolatas manere poſt illam flammarum acerbitatem, hoc eſt quod ab erudito Anglo cupimus demonſtratum. Cùm enim violentus ille ignium genius, præſertim ſi diutius duraverit, pervertat omnia, acuta obtundat, obtuſa acuat, porrigat curva, incurvet porrecta, ad ſummam, miſceat, loco moveat, turbet univerſa, quis ſpondebit vel ſuas arenis relinqui in vitro figuras, vel ſuas ſalibus? Relinquuntur figuræ ſed fortuitæ, ſed quas ultimus ille ignis permiſit impetus, cùm ſingulis, dum calet maſſa, momentis figuræ alioquin varientur, aliter atque aliter in hõras inſultante flammâ. Agnoſcimus in vitro vulgatis uſus poros, tum quòd bidui, triduíve flamma non ita omnes arenæ, ſaliſque angulos poſſit obtundere, & ad æqualitatem redigere, ut non alios formet, etiam in ſolido arenæ, ſaliſque corpore anfractus, tum quod exſpirans ultimò ignis non niſi per meatus, utcunque tenuiſſimos in auras evadat, quos propterea patulos quòdammodo relinqui apertum eſt. Hinc D. *Hyddens* Amſtelredamenſis, Carteſianæ delicium Philoſophiæ, ante biennium vitra flatu in tenuiſſimos, ſed tamen adhuc integros, ſolidoſque diſtendebat globulos, quos cùm vacuos impleſſet aquâ communi, notavit ſenſim per ipſam vitri ſubſtantiam penetrare aqueas guttulas, & vas ita ſenſim exhauriri, quòd ob tenuitatem vitri rectiores pori tranſitum humoris neſcirent intercludere. Scribit quidem hìc Commentator ſalia in flammarum aſtu non deponere figuras ſuas, de quo ita cenſendum: ſalium alia, ſi ſola affligantur ignibus, conſtantiam figurarũ ſuarum diu tueri, ſin miſta cum materiis aliis, celeriter amittere: ſed & ſi ſola percoquantur diutiùs & mox ſolvantur, coagulentur, iterumque perurantur, ſolvantur, uranturque crebriùs repetendo, tandem omnes ſuos perdere aculeos, & in terram inſipidam convervi, quod mille experimentis oſtendi poſſet. Sin miſceantur, ut in confectione vitrorum, cum arenis poſt paucorum dierum flammas, ſalium vix tenue in vitrorum ſubſtantiâ deprehendi veſtigium, utcunque corpore ſuo compoſitionem vitri intraſſe evidentiſſimum. Quin memini me non ſemel vitra Veneta in alkohol redegiſſe, mox ſuperfuſâ aquâ deſtillatâ calidâ ſalem inde coctura molitum elicere, ſed non niſi tantillum obtinuiſſe, & id ne centeſimâ quidem parte vitri corpori reſpondens, neque, quod advertendum, angulis cum ſale illo lixivo, qui ante mixturam intraverat, conveniens. Sunt vitra, nec inficior, quæ parum cocta, & multo ſale abundantia pluviâ tempeſtate imminente ſudorem veluti ſalſum exſpirant, ſed illa eadem, ſi percoquantur diutiùs, nec ſudabunt, nec ſalis relinquent indicium, invertente particulas ejus ſuperventu flammarum. Hinc nobiliſſimus *Magalotti* cùm in laboratorio Medicæo Florentiæ varia omnino herbarum ſalia, ex corticibus, radicibus, lignis, ſeminibus vi ignis expreſſa, & miris figurarum varietatibus oculos efficientia mihi non ita pridem humaniſſimè oſtenderet, adjecit ex ſuis & *Dn. Rhedi*, Archiatri Magni Ducis Florentini experimentis, illa omnia, ſi diuturnâ torquerentur ignis carnificinâ, in cubos denique abire; quos ſi ulteriùs adhuc fatigaſſet Vulcani artibùs, haud dubiè in albam, inſipidamque terram denique abiiſſent univerſi. Tacebo jam, Commentatorem contra vitrum commune ſe hìc armare, cùm metallicum fuiſſe, ductile illud vero appareat ſimilius. Quin ſpectamus quotidie naturam flexile vitrum moliri; quid enim eſt talcum illud Moſcoviticum [Mariæ glaciem appellant] quàm vitrum naturale tenuiſſimum & flexile? ſunt varia animalium cornua, & ungulæ flexiles, pellucidæ, & malleo quodammodo obtemperantes. Non memorabo diverſa gummata, gelatinas, ichthyocollam, alia; ſalem meum flexilem intueatur Commentator, & ab eo ſolo rationes

ſuas de figurarum conſtanti diverſitate turbari animadverteret. Ut venerer hîc acumen magni *Carteſii*, qui licet flexilem ſalem non viderit, ſubtili tamen meditatione eò uſque provectus eſt, ut dari poſſe prædixerit *Princip. Phil. part. IV. Nempe particulæ*, inquit, *quarum materia paulò ſolidior eſt, quales ſunt ſalis, meatibus iſtis interceptæ atque contuſæ, ex teretibus & rigidis planæ ac flexiles redduntur: non aliter quàm ferri candentis virga rotunda crebris malleorum ictibus in laminam oblongam poteſt complanari.* Transferantur hæc ad rigidas vitri particulas, & cauſa diſceptata eſt. Verbo; quòd ſi & diu ſubigantur ignibus vitra, ut angulis, hamiſque ſuis exarmata coëant fideliùs, & tenaci quodam Chemici artificii imbuantur glutine, non video rationem ullam, quæ cogat nos ambitiosâ inficiatione tot Antiquorum teſtimoniis petulantiùs obſtrepere. Reſtabant alia, quæ Chemiam olim quoque in Italiam demigraſſe convincerent, niſi circumciſum illud dicendi ſpatium intercederet, juberetque *Julii Materni Firmici*, *Æneæ Gazæi*, *Morieni Romani*, *Cedreni*, *Euſtathii*, *aliorum* teſtimonia ſeponere, & ad Arabas deſcendere, illos Chemiæ poſt Ægyptiorum, Græcorumque tempora maximos helluones; quos inter *Geber* primo poſt Mahumedem, ſeculo inclaruit, ſcriptor luculentus, ſolidus, & prudens, cujus Operum latina verſio proſtat ubique, Arabica in Muſæo viri optimi *Jacobi Golii*, *Lugduni Batavorum*. Græcum fuiſſe *Gebrum* hunc *Leo Africanus* pertendit, ut forſan Græcum natione, ſed Arabicè ſcribentem agnoſcamus. Etenim nè quiſquam præpoſterus exiſtimet Arabas Græcis eruditione priores fuiſſe, delibandum ex *Hottingeri Analect. Hiſt. Arabicorum ſcriptorum annis octingentis*, *Islaniſmo verò*, *& Alcorano nullum neque Theologum*, *neque Philoſophum*, *neque Hiſtoricum eſſe antiquiorem. Demum Almanſoris, & Almamonis operâ & impenſis effectum, ut antiqui ferè omnes Chaldæorum, Ægyptiorum, imò & Græcorum, Romanorumque Scriptores in Arabicam linguam traducti ingentes nunc paſſim per Africam, totoque Oriente impleverint Bibliothecas.* Confirmat ferè omnia hæc *Albufarajus Arabs* Hiſtoricus *dynaſtiâ nonâ*. Atque huic Arabum diligentiæ multa hodiéque Antiquorum ſcripta debemus, quæ jam in Europâ perierant, ex illorum verſionibus reſtituta. Varia *Galeni* ex Oriente ſecum attulit *Jacobus Golius*, Arabicè reddita, etiam quæ hodie in Græco Galeni textu Europæo deſiderantur. Secutus id quoque ſtudii genus maximus Arabicæ Scholæ Magiſter *Ibnſina*, ſeu *Avicenna*, ſeculo Chriſtiano undecimo, quem Alkymica ſcripſiſſe teſtis eſt incorruptus *Albertus* ille *Magnus lib. III. de Reb. Metall. cap. IX.* & ſcriptum ejus in ore & oculis noſtris. De *Avenzoare*, & *Avenroë* res ita liquida non eſt, Chemicáne tractaverint, an Galenica duntaxat. Verſantur autem hodiéque in publicâ luce multa Arabum ſcripta Chemica, *Senioris Zadith* filii Hamuelis, *Halidis*, *Abubali*, *Adreſi*, *Alphidii*, *Alchindis*, *Bubachari*, *Zamberti*, *Bulcaſis*, aliorum. Sed & in hodiernum uſque diem Saracenis, Arabibúſque & Africanis ingenioſioribus nulla ars Chemicâ exultior, quod cùm ante hos centum quinquaginta annos *Joannes Leo Afer* à Muhamediſmo ad Chriſtianam converſus fidem de Feſſæ incolis agnoverit, tum & ante triennium idem ſe Tangerii in Africâ notaſſe *Thomas Parry* eruditiſſimus Anglus Oxonii, me præſente confeſſus eſt. His ipſis Africanis, Arabibúſque in Sinarum regionem ad commercia ventitantibus credibile Sinenſem Chemiam debuiſſe incunabula, de quâ *Pantogia*, *Trigautius*, & noviſſimè *Martinius*, *Kirckeruſque*. Nam ab iiſdem in Hiſpaniam, & denique in plures alias Europæ melioris regiones derivatam eſſe nemo ambigit; cui enim dubium, Saracenos Hiſpaniam inundantes unà ſecum artes ſuas tranſtuliſſe? quas ita efficaciter ad maris mediterranei defixas littora fuiſſe conſtat, ut hodiéque Montispeſſuli ex ultima illorum progenie vivant Pharmacopœi. His Auctoribus inflammati, edoctíque *Arnoldus de Villanova* Gallus, *Raymundus Lullius* Majoricanus, *Albertus Magnus* Germanus, *Rogerius Baco* Britannus, *Rupeſciſſa*, aliique ſuperiorum ſeculorum Chemici Europæ occidentalia novis deſtillationum artificiis imbuerunt, ad Medica & metallica commendatis. Nam Græci proprio adhuc ſucco victitaverant, & artem ab Ægyptiis hauſtam nondum apud ſe ſè patiebantur emori, utcunque Muhamedicâ preſſi ſervitute. Cæterùm quando ſeculum illud Chriſtianum duodecimum magnis aliquot luminibus Europam nobilitavit, Italiam quidem *Petro Aponenſi*, & *Thomâ Aquinate*, Galliam *Arnoldo Villanovano*, Hiſpaniam, ſive ſubjectam illi Majoricam *Raymundo Lullio*, Britanniam *Rogerio Bacone*, & *Jo. Duns-Scoto*, Germaniam *Alberto Magno*, Daniam *Saxone Grammatico*, non ab re fuerit, paulò accuratiùs expendendis quibuſdam magnorum eorundem Naturæ geniorum, qui curioſam hanc artem excoluere, tantillum immorari, ut à quorum fontibus Chemia in totam Europam, longè, latéque propagata, adhuc majeſtatem ſuam, fruſtra allatrantibus licet invidis, ignaviſque maſculè tuetur.

Horum natu maximus *Rogerius Baco*, ingenio ſublimis Monachus, circa an. Chr. M.CC.V. floruit, nam in Epiſtolâ illâ luculentâ *de Operibus Secretis Artis & Naturæ*, *atque Nullitate Magiæ* ad *Guilhelmum Pariſienſem* (quem circa an. Chr. M.CC.XXVI. ex *Petavio* vixiſſe conſtat) præſcriptâ ita: *Tranſactis*, inquit, *annis Arabum ſexcentis & duobus*, *rogaſti me de quibuſdam ſecretis.* Annus autem Arabum ſive Hegiræ ſexcenteſimus ſecundus incidet in annum Chriſti milleſimum ducenteſimum quintum, ſiquidem obſervetur annum tum Hegiræ primum, eſſe annum Chriſti ſexcenteſimum vigeſimum ſecundum, tum conſtare annum Arabicum diebus trecentis quinquaginta quatuor, & ſingulis annis triceſimis, ex minutiis accedere dies undecim. Hujus *Rogerii Baconis* tria adhuc ſcripta verſant curioſiores, de Chemiâ duo, & de *Secretis Artis & Naturæ Operibus*, atque *Nullitate Magiæ* unum, in quibus, præſertim ultimò oſtendit ſatis reconditam vaſtiſſimi ingenii ſcientiam, oſtendit ſe Mechanicum, Phyſicum, Medicum, Mathematicum, Chemicum ſupra captum temporum illorum admirabilem, cui multa debent recentiores, quæ ſua inventa eſſe jactantiùs vociferarentur. Sed audiamus ipſum loquentem: *Per figurationem*, inquit, *ſolius artis inſtrumenta navigandi poſſunt fieri hominibus remigantibus, ut naves maximæ fluviales, vel marinæ ferantur unico homine regente majori velocitate, quàm ſi plenæ eſſent hominibus navigantibus:* (hoc nuper in Belgio tentatum) *Currus etiam poſſunt fieri, ut ſine animali moveantur cum impetu inæſtimabili* (an reſpexit currus veliferos? quos aliquot ſæculis poſtea Chinenſibus uſurpatos cognovit Europa, expertuſque eſt ad Schevelingam *Arauſionenſis Princeps*) *Poſſunt etiam fieri inſtrumenta volandi, ut homo ſedens in medio inſtrumenti revolvens aliquod ingenium, per quod alæ artificialiter*

artificialiter compositæ aërem verberent, ad modum avis volantis. Fieri etiam potest instrumentum parvum in quantitate ad elevandum & deprimendum pondera quasi infinita, quo nihil utilius in casu; nam per instrumentum altitudinis trium digitorum, & latitudinis eorum, & minoris quantitatis, posset homo seipsum, & socios ab omni periculo carceris eripere, & elevare, & descendere. Potest etiam de facili fieri instrumentum, quo unus homo traheret ad se mille homines per violentiam ipsis invitis, & sic de rebus aliis attrahendis (hæc cognitionem statices produnt, cui innixus fundamento D. *Wilkins* Anglus libro *Mechanical Power* inscripto, docet uno oris flatu posse vel maximam in sylvis quercum eradicari) *Possunt etiam fieri instrumenta ambulandi in mari, & in fluviis ad fundum sine periculo corporali* (hæc postea à Drebbelio attentata sunt) *& infinita alia possunt fieri; ut pontes ultra flumina sine columnâ, vel aliquo sustentaculo & machinæ & ingenia inaudita.* (Talem quoque nos in Angliâ pontem spectavimus, quem post descripsere duo eruditi Galli, *Demonconisius*, & *Sorbierius.*) *Possunt figurari perspicua & specula, ut unum appareat multa, ut unus homo exercitus, & ut plures, & quot volumus Soles & Lunæ appareant. Nam natura sic aliquando figurat vapores, ut duo Soles, duæ Lunæ, & aliquando tres Soles apparuerint simul in aëre, ut Plinius recitat secundo Natur. Hist. Et quâ ratione plures & infinitæ possint res unâ apparere, quia postquam excedit suam virtutem, nullus est ei numerus determinatus, sicut arguit Aristoteles cap. de vacuo, & sic omni civitati & exercitui contrario possunt fieri terrores maximi, ut vel propter multitudinem apparitionum stellarum, vel hominum super ipsos congregatorum dispereant, præcipuè si sequens documentum cum illo primo habeatur; possunt enim sic figurari perspicua ut longissimè posita appareant propinquissima, & è contrario, ita quod ex credibili distantiâ legeremus literas minutissimas, & numeraremus res quantumcunque parvas,* (in hos usus alii telescopia, alii vitra polyhedra non ita pridem cœperunt elaborare, alii speculorum mirum genus) *Possunt & sic figurari corpora, ut maxima appareant minima, & è contrario, ut alta appareant infima, & è contrario; ut occulta videantur manifesta; ut quæ in civitatibus & exercitibus contrariis fiunt, possint ab inimicis deprehendi.* (Quàm imperitè igitur microscopia, macroscopia, cameræ obscuræ, polemoscopia, nostrorum creduntur inventa temporum, quæ Rogerio huic cognita fuisse apparet omnia?) *Possunt etiam sic figurari perspicua, ut homo ingrediens domum videret veraciter aurum & argentum & lapides pretiosos, & quicquid homo vellet, quicunque festinaret ad visionis locum, nihil inveniret.* (Hæc jam cognitissima re ipsa ostendit mihi Lugduni in Gallis *Servierius*, Mediolani humanissimus *Septalius*, Romæ *Kirckerus*) *Non igitur oportet nos uti Magicis illusionibus, cùm potestas Philosophiæ doceat operari quod sufficit. Sed de sublimioribus potestatibus figurandum est, quòd ducantur & congregentur radii per varias fractiones & reflexiones in omni distantiâ, quâ volumus, quatenus comburatur quicquid sit objectum.* (Hoc & *Archimedis*, & *Vilettii* specula caustica superat) *Hæc sufficiant pro exemplo figurationum, quamvis infinita alia miranda proponi possent in medium. His verò sunt quædam annexa sine figurationibus. Nam in omnem distantiam, quam volumus, artificialiter componimus ignem comburentem ex sale petræ & aliis, item ex oleo petroleo & aliis. Præterea possunt fieri lumina perpetua & balnea ardentia sine fine. Præter hæc verò sunt alia stupenda Naturæ. Nam soni velut tonitrus & coruscationes fieri possunt in aëre, imò majore horrore, quàm illa quæ fiunt per naturam; nam modica materia adaptata, scilicet ad quantitatem unius pollicis sonum facit horribilem, & coruscationem ostendit vehementem, & hoc fit multis modis, quibus Civitas, aut exercitus destruatur, ad modum artificii Gedeonis, qui lagunculis fractis & lampadibus, igne exsiliente cum fragore inæstimabili infinitum Madianitarum destruxit exercitum cum trecentis hominibus.* Hîc apertissimè loquitur *Rogerius* de nitrato illo sclopetorum pulvere, quem, quòd præscius futuri videatur suppressisse Rogerius, *Bertholdum Schvvartzium* Cimbrum circa ann. Christi M.CCC.LXXX. suo Marte postea inveniisse constat ex *Th. Bartholino*, sæculi delicio, *lib. de Med. Dan.* idque primum Baconis inventum esse ut clariùs patescat, ipse postea Rogerius ita mysticè: *Accipe*, inquit, *salis petræ Luru. Vopo vir can utriet sulphuris, & sic facies tonitrum & coruscationem, si scias artificium.* Tacebo quæ de astroite ad acetum decurrente, de quadraturâ circuli, de variis experimentis Chemicis commentatur; ex quo perspicuè constat *Rogerium* mente altiùs ingressum esse secretiora Naturæ, quàm sæculi sui ineptientibus vulgò persuasum, quorum calumniis, cùm Oxonii viveret, sæpe impetitus tanquam infamis Magiæ candidatus, non semel causam dicere coactus est, semper tamen imperiti obtrectatorum gregis triumphator. Enimverò solenne illud bruti popelli carmen est, Magum esse, si quis altiùs paulò attollit oculos, & profundiùs Naturæ arcana rimatur. Sed quodnam ferunt laborum maleficorum pretium isti abominati spiritus calumniatores? quod merentur, hoc est, nominis sui perpetuum à posteritate opprobrium. Itaque non tantùm *Naudæus* Rogerium efficacissimè vindicavit, sed & *Spondanus in Annal.* in hunc modum Philosophum asserit: *Hoc anno* MI CC. LXXVIII. inquit, *damnata est doctrina Rogerii Baconis Angli, propter aliquas novitates suspectas, quippe qui in omni doctrinæ, facultatis & scientiæ genere versatissimus, & ad miraculum subtilis* (*unde & Doctor mirabilis communiter audiebat*) *dum Mathematicam & Philosophiam naturalem curiosius, quàm par erat*; (scilicet quàm par esse videbatur) *inquireret, vulgò habitus est præstigiator, & Magus. Pitsæus docet hæc illi ex invidiâ, vel ignorantiâ aliorum advenisse, dum ea damnarent, quæ suam vel effugiebant industriam, vel superabant captum.* Ita fatum hoc commune fuit *Rogerio* cum Episcopo Salisburgensi *Vigilio*, quem, ex *Aventino*, ab officio abstinere jussit, & hæreseos postulavit Romana Curia, quòd ex Astrorum scientiâ confirmatus dari statueret Antipodas. Similia accidisse *Copernico*, *Galilæo*, *Carteſio*, nemini ignotum. Cæterùm unde *Rogerio* tam profunda eruditio? præter ingenium quod suâ sponte rapiebatur ad sublimia, agnoscit passim in scriptis suis ex lectione non tantùm *Aristotelis*, *Plinii*, *Solini*, *Ptolemæi*, *Hippocratis*, *Gellii*, *Ovidii*, *Isaaci Medici*, *Platonis*, *Josephi*, aliorúmque se profecisse, sed (quod nostri erat propositi demonstrare) diligenti quoque manu versâsse *Avicennam*, *Averroëm*, *Albumazarem*, *Gebrum*, *Abuhali*, *Alpharabium*, subtilissimos Arabum Philosophos. Extat hodieque Oxonii domus *Rogerii Baconis*, incolis *the house of Frayer Bacon*, appellata, quam cùm ab alterâ Tamesis urbem lambentis ripâ ostenderet mihi *Edmundus Dichinsonus*, Medicus insignis, adjecit, *Rogerium* monachorum quorundam obtrectationibus

quotidie proſciſſum in ulteriori ripâ fixiſſe ſibi ædes, tum nè in citeriori, adeoque in urbe vivens, juriſdictioni eorundem foret obnoxius, tum ut oſtenderet ſe tamen oculos adverſariorum non defugere, ſed vitæ reliquo de ignorantiâ inviſæ cohortis triumphare.

Arnoldus de Villa Nova, Philoſophus, Medicus, & Chemicus excellens, in Galliæ Narbonenſis oppido *Villeneufve*, docente *Symphoriano Campegio*, lucem hanc mortalem infans aſpexit, primus Chriſtianorum, Arabum magiſterio ad ſummum artis culmen ultimis his ſeculis [ſi *Rogerium* forte excipias] evectus. De eo *Jo. Andreus* illorum temporum Juris-Conſultus *Addit ad ſpeculat. tit. de crim. falſi. Noſtris* inquit, *diebus habuimus Magiſtrum Arnoldum de Villâ Novâ in Curiâ Romanâ ſummum Medicum, & Theologum, de quo ſcripſi de Obſerv. jejun. conſilium, qui & magnus Alkymiſta virgulas auri quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti.* Oſtendit hic ſatis in *ſpeculo Alkymiæ*, aliiſque ſcriptis Doctores ſuos, *Gebrum, Dauzim, Morienum, Smaragdinam Hermetis tabulam, Avicennam, Eximaum, Turbam Philoſophorum, Algazelem.* Inclaruit paulò ante annum Chriſti M. CCC. Lullii, ut ipſe *Lullius* ſæpe agnoſcit, in Chemicis Magiſter. De eo *Lullius in Teſtam. ult. lib. III. Nec ego, nec Magiſter meus Arnoldus uſus eſt aliô furnô, quam ſequenti.* A Rege Siciliæ Friderico magnopere honoratus, ab eodemque ad ſanandum miſſus Pontificem, in itinere ex morbo deceſſit Genuæ illatus tumulo Extant hodiéq; varia ejus ſcripta & Medica, & Chemica nobilem genium ſpirantia Extant *Quæſtiones* ejus *univerſales* ad *Bonifacium* VIII. Pontificem Romanum, quem ex *Spondano* certum eſt Anno Chriſti M.CCC.III. humanis exemptum. Et quod inuſitatum accedit, uſque adeo in domo Villanovani ſedem ſibi hæreditariam elegiſſe viſa eſt ſcientia Chemica, ut trinepos Arnoldi, Villanovanus *Montpeſatius* inter primos Provinciæ Gallicanæ Barones, ante triennium, in oppido Avenionenſi ad ſpectandum artis ſuæ experimentum honorificè me invitaverit.

In hiſtoriâ *Raymundi Lullii* altius ducenda nobis exordia, turbante nuper conſtantem totius Europæ de ejus ſcientiâ Chemicâ opinionem *Vincentio Mutio* Hiſpano, Libro cui titulus: *Hiſtoria del Reyno de Mallorca.* Prolixa *Mutii* diſſertatio in compendium relata huc ferè redit: Pater *Raymundi Lullii*, Ramon Lull dictus, clariſſimi ſanguinis Barcinonenſis, comes Regis Jaime in occupandâ Majoricâ; Mater nobiliſſimæ domus Comitum de Eril Catalanenſium. His natus Parentibus *Raymundus Lullius* in inſulâ Majorcâ Anno Chriſti M. CC. XXXV. primùm quidem literis ſe devovit, ſed ad arma mox, & amores propenſior tempus in meditandis ad amicam Eleonoram verſibus ſedulus contrivit. In quâ cùm aliquando in templo attentiùs contemplandâ defixus hæreret, illa amatorem puellariter accedens, cùm delicias factura putaretur, recincto celeriter ſtrophio mammas oſtendit, cadaveroſas illas, & putridas, ſubjectumque pectus horribili carcinomate obſeſſum. Unde *Raymundus* quaſi infernâ turbatus imagine obſtipus immutuit, & præ mœrore contabeſcens, diu niſi in tenebris ſolatium invenit nuſquam. Ita conſternato tandem conſpiciendam obtulit ſe ſe forma Salvatoris affixa cruci, eâ efficacia, ut *Raymundus* poſtea tectas vano fulgore mundi delicias contemnere inciperet, nunquam ad volutabra amorum priſtina regreſſus. Ex eo, licet ultra jam trigeſimum ætatis annum progreſſus grammatices præcepta ſedulò evolvere, famulo ſuo Magiſtro linguam Arabicam ediſcere, & Anno Chriſti M. CC. LXXV. in deſerta evagari, tempus, precibus, inediæ, ſacrificiis, pœnitentiæ & lacrymis impendere, præcipuè autem ad fidem Chriſtianam inter paganos propagandam indies accendi. In quo dum occupatur, apparet ei iterum Salvator ſpecie ardentis Seraphini, jubetque uti artem communem de omnibus conſcribat ſcientiis. Obſequitur *Lullius*, penſumque abſolvit. Interea Jacobus Arragonum Rex *Lullii* excitatur inſtinctu monaſterium erigit in Inſulâ Majoricâ luculentum, reditibuſque lautis inſtruit, commiſsâ eâ XIII. Fratribus Ordinis Minorum curâ, ut Arabico illic inſtituti ſermone poſt ad profanas gentes convertendas accingantur. Ex eo tempore variis excurſibus orbem latè pervagatus eſt *Lullius*, Artem ſcientiarum docuit Pariſiis, peregrinatus in Palæſtinâ, Cypro, Ægyptô, Romæ, Jeroſolymis, Armeniâ, Bohèmiâ, Britanniâ; Gennæ varios conſcripſit libros, quò invitata nobilitas Gennenſis pecunias ipſi obtulit ad iter in terram ſanctam neceſſarias. Approbavit *Lullii* ſcripta Pariſienſium cenſura; *Bzovius* in eum, præter meritum, obliquior. Certum quidem, *Lullio* omnes ſcientiarum fontes apertos fuiſſe, adeoque etiam Chemiam, falsò tamen ipſi atribuitur ψευδεπιγραφης, cùm & doctrinâ & moribus alienum a Chemicorum vulgarium ineptiis ſe fuiſſe ſatis oſtendat. Ad ſummam, poſtquam decretam iterum in Terram Sanctam impreſſionem inhiberi, ſuſpendique obſervâſſet, Principibus negotium adeo ſanctum ſegniter promoventibus, ipſe in Africam extremâ ſenectâ navigauit, docuit Tuneti, Bugiam ingreſſus, ubi ob prædicatam legem Jeſu Chriſti martyrio coronatus eſt. Deligatus enim ad palum extra urbis pomœria lapidibus obtritus exſpiravit, Anno Chriſti M. CCC XV. Junii XXIX. Opera ejus poſt velitationes diverſas in Concilio Tridentino approbata. Atque hæc quidem de vitâ Lullii, de ſcientiâ verò Chemicâ, quam Lullio detrahit, in hunc modum diſſerit *Mutius* paragrapho, cui titulus: *El venerabile Raymundo Lulio no hizo experiencias Chimicas: Quanquam Gregorius Tholoſanus tradat Raymundum Lullium obtuliſſe Edoardo Sexto Anglorum Regi ſex auri milliones à ſe ſe confectos ad bellum in terram ſanctam promovendum; quanquam oſtendantur hodieque Soberani (genus numiſmatis aurei) Raymundo adſcripti; quanquam Chemica ejus ſcripta circumferantur, intuendum tamen, nec ſcripta illa germana Raymundi eſſe: nec Soberanos ab ejus fabricâ profectos, nec demum quicquam ab eo oblatum Edoardo Sexto, ut qui vix trimus puer luſerit in Aulâ parvulus, obeunte in Africâ Lullio.* Gravis adverſaria profectò, & tantò ſpecioſior, quò apparatiùs ſe tuetur *Mutius* Antiquitate hiſtoricâ. Experiemur tamen, ut ſemel hanc arenam ingreſſi, qua fide agat *Mutius*, & quo robore argumentorum *Lullium* formidandus athleta impugner. Principio ergo ita confidenter: *Libri* inquit, *Lullii ſuppoſititii ſunt, quòd multa illis inſpergantur Hebraea, quæ lingua Raymundo incognita fuit.* Sed ficulneum hoc telum; ſi enim poſt annum ætatis triceſimum Grammatices præcepta, & linguam Arabicam didicerit, & ſolidos poſtea annos quinquaginta vixerit ſobrius, ſanctus, peregrinator & convertendis hominibus, quorum longè plurimi Hebræi, addictus, nulla ipſum interea vocabula

Hebræa

Hebræa didiciſſe creditu abſonum eſt. Sed fingamus eum in Hebræis non multum olei conſumpſiſſe, ideóne voces quaſdam Hebraicas operi ſuo potuit inſpergere? præſertim cùm humani ingenii vitio oſtentent etiam plerique familiari ſermone linguæ illius cognitionem, cujus vix prima hauſere rudimenta; nec ſolus in Latinâ Comœdiâ *Plautus* immiſcuit Punicam illam loquendi ſartaginem; nec ſolæ Quiritium puellæ apud *Juvenalem*: ζωὴ καὶ ψυχή exclamabant, ad occurſum ſponſi, cùm Græcanici ſermonis hoc unum didiciſſent? nec ſolus *Julius Cæſar* in oſtentationem accuratiùs deſcribit pontes, quos in Galliis cum exercitu tranſmiſit, quàm prælia, quæ ibidem victor ſuſtinuit, utcunque pontium illorum fabricam architectis ſuis debuerit, victoriam præliorum virtuti ſuæ. Verùm accedamus propiùs, oſtendat *Mutius* illa multa in Lullio Hebraica! *Agazoph* nominat, & *Ubidrugal*, & *Recfage*, & *Adulphur*, & *Periminel*, & *Opteſi*, & *Eſchateſi*, & ſimilia, quæ cùm Lullius partim ex Arabico detorſerit, partim ex Latino, Hiſpanicóque in ſenſum ſibi cognitum deflexerit, adeóque ipſe *in Theoricis* vocet linguæ Oritanæ [an legendum Mauritanæ] fœtus *Mutius*, vir bonus, ſed linguarum præterquam ſuæ Caſtellanæ, imperitior, Hebraica eſſe ſibi perſuaſit, quemadmodum ſuperiorum barbaries ſeculorum viſis Hebraicis, Arabicis, Perſicis, *Græca ſunt*, ingeminabat, *legi non poſſunt*. Ita hodie mediterranei Anglorum agricolæ omnes ſibi obvios mortales alienigenas, Germanos, Italos, Danos, Suecos, Polonos, honorato titulo *Frenchs doggs* appellant, rati ſe tum demum pulchrè rem geſſiſſe, quòd præter Gallos, & Anglos tertium genus hominum in terris vivere haud quaquam arbitrentur. Pergit *Mutius*: *Lullius*, inquit, *libro de Mercuriis, narrat ſe Mediolani Anno Chriſti* 1333. *chymica quædam experimenta abſolviſſe, cùm obierit totis octodecim annis ante hoc tempus.* Incuſet hîc lapſum typographi *Mutius*, *Lullium* ſanè vindicant Manuſcripta, nec omnes, inſpexit Mutius impreſſos codices. Quid proclivius oſcitanti Soſio, quàm pro numero ſubſtituere numerum? pro unitate ternarium? nihil evidentius, quàm Chemicos Auctores peſſimâ hinc inde fide excuſos eſſe. Quod autem *Lullius* Mediolani & fuerit, & Chemica ibi tractaverit, notiſſimum eſt, oſtenditurque adhuc domus illic nobili iſto habitatore quondam ſuperbiens; in cujus veſtibulo conſpicuæ figuræ, ſtatuæque ingenium, artemque Chemici ſatis demonſtrant; ut illæ *Flammelli* Pariſiis in periſtylio cœmeterii S. Innocentium. Sed nondum deſinit *Mutius*: *In genuinis ſuis*, inquit, *ſcriptis aliter docet Lullius, nam in Arte Magnâ part. IX. cap. de Elementativâ, ſub principium ita ait: Elementativa habet veras conditiones, ut una ſpecies ſe non tranſmutet in aliam, & in iſto paſſu Alkymiſtæ dolent, & habent occaſionem flendi. Item libr. de Mirabil. Orbis docet aurum Chymicum non eſſe niſi apparenter aurum.* Advertendum hîc Lullium non niſi poſt editos libros quàm plurimos, non niſi ultimis vitæ annis ad Magiſteria Chemicorum intimia penetrâſſe. Et retractavit ſcriptorum ſuorum alia *Auguſtinus*, & damnavit quædam poſtea Lutherus, quæ tanquam vera admiſerat initiô. Dies diem docet, & progreſſu ætatis, matureſcente judicio multa caſtigamus, quæ juventuti noſtræ fuere in deliciis, & ex adverſo: id quod probe animadverſum magno *Zwingero*, qui [ut jam *Lacinii* teſtimonium præteream] in luculento illo ſuo *Theatro* narrat Raymundum conatum fuiſſe *Arnoldo Villanovano* (qui demum circa annum Chriſti M. CCC. florere cœpit, hoc eſt, extremâ penè Lullii ſenectâ) idque multis rationibus, ψευσοπολησιν in opinione hominum, non in conſtanti Naturæ lege fundatam, *Villanovanum* autem tandem diſpurationis pertæſum poſtridie oſtensâ in oculis Raymundi illâ genuinâ metallorum in nobilius metamorphoſi, hominem denique facile in ſuam pertraxiſſe ſententiam. Accedit, quòd multi publicè in Chemiam debacchentur, privatis autem ſtudiis nihil ament teneriùs, quorum & aliquos in itineribus mihi contigit videre. Dandum putant quandoque aliquid moribus, judiciiſque ſeculi, licet ſæpe iniquis; quanquam non ſic merita eſt Diva Chemia, ut ex vulgi ſalivâ dependeat, & inertis popelli judicio ſive abſolvatur, ſive damnetur. Verum his miſſis, ſcripſerit ultimæ ſenectutis periodo *Lullius*; *unam ſpeciem non tranſmutari in aliam*, id ipſum tamen ſano intellectum ſenſu nullus Chemicorum inficiabitur. Explicat rem Magiſter Lullii *Arnoldus Villanovanus libr. de perfect. Magiſter. Species*, inquit, *metallorum tranſmutari non poſſunt; & hoc verum eſt, ut ipſi aſſerunt, niſi ad primam materiam redigantur.* Quæ verba utcunque pauciſſima multum habent in receſſu. *Rogerius Baco ita*: *Species*, inquit, *non transmutantur, ſed ſubjecta ſpecierum optimè & propriiſſimè, circa ſingularia enim omnis ſenſibilis operatio.* Similia Chemici alii magno numero. Opportunè *Avicenna lib. II. tract. I. cap. IV. de Operat. Medicin. ſing.* qui vulgò æſtimatur quartus Meteor. Ariſtotelis. *Sciant Artifices Alchemiæ ſpecies ſive formas metallorum vere tranſmutari non poſſe, niſi fortè in primam reducantur materiam & ſic in aliud, quàm priùs, permutentur.* Dixerit *Lullius aurum Chemicum mentiri aurum, non eſſe*; id verum agnoſcimus de adulterinis Pſeudo-Chemicorum fraudibus, de Chemicorum autem verorum artificiis prodigiosè falſum, & pluribus vel hoc anno experimentis artificum coràm refutatum.

Deſcendamus tandem ad capitale *Mutii* argumentum: *Non obtulit*, inquit, *venerabilis Martyr Lullius Edoardo Sexto auri quicquam; etenim natus eſt Lullius Anno Chriſti M. CC. XXXV. regnante apud Anglos Henrico Tertio, cui ſucceſſit Edoardus Quartus: illi circa Annum M. CCC. V. ſubrogatus Edoardus Quintus. Anno verò M. CCC. XXVII. regnare cœpit Edoardus Sextus, obiitque Anno M. CCC. LXVII. quinque annis major ſexagenario, ut proinde natum eſſe oporteat circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum duodecimum. Cæterùm cùm Lullium Anno M. CCC. XV. Bugiæ confiee lapidatum, quomodo Edoardo illi quicquam obtulerit, ut qui cœperit imperare ſolidis undecim à morte Lullii annis; aut quomodo potuit Lullius de invaſione in Terram Sanctam paciſci cum puero trienni?* Ut diſtinctè agamus, primò quidem natum eſſe *Lullium* Anno Chriſti M. CC. XXXV. *Mutio* non inviti largiemur, quòd hæc ſalvâ veritate ſubſiſtere poſſint & cum *Petavio* docente *floruiſſe Lullium circa annum M. CC. XC.* & cum *Symphor. Campegio*, *claruiſſe Lullium Anno M. CC. LX.* & cum *Gaſſaro*, *vixiſſe Lullium regnante Imperatore Henrico VIII. Anno Chriſti M. CCC. XI.* & cum *Spondano*, *Clementem Pontificem hortatore præcipuè Raymundo Lullio Anno Chriſti M. CCC. XI. ſtatuiſſe, ut ubicunq; Romanam Curiam reſidere contingeret, nec non in Pariſienſi Galliæ, Oxonienſi Angliæ, Bononienſi Italiæ, Salmanticenſi Hiſpaniæ Academiis lingua Hebraica, Arabica & Chaldæa*

dæa publicè edocerentur, & earundem linguarum libri in Latinam fideliter traducerentur (ut vel hinc diſcamus familiarius Lullio cum linguâ Hebræâ interceſſiſſe commercium, quàm *Mutio* antè perſuaſum fuerat) Hæc enim probè collata ſibi non adverſantur; de termino duntaxat mortis Lullianæ diverſum quiddam à *Mutio* prodit *VVolf. Juſtus in Chronolog. Med.* nimirum *vixiſſe adhuc Lullium Anno M. CCC. XXI. ſedente ad clavum Imperii Ludovico Bavaro*, ſed exciderit *VVolfgango* ſuus calculus, nil moramur, in Edoardorum ætate Mutium oppidò hallucinatum demonſtraturi. Quod enim ſcribit *Mutius* Edoardum Sextum Anno Chriſti M. CCC. XXVII. regni ſui auſpicatum primordia, id verò ab hiſtoriæ veritate alieniſſimum eſt; Appoſitè Hiſtoricus Anglicanus eorum temporum *Polydorus Virgilius: Henricus Octavus*, inquit, *ex Joannâ Seymer genuit filium Edoardum Sextum, qui nunc regnat admodum adoleſcens, certè natus ad imperium. Natus eſt autem Anno Chriſti M. D. XXXVIII.* Mirum verò temporum adeo ignarum eſſe *Mutium*, & ſimul adeo confidentem. *Camdenus* artificium illud *Lullii*, unde, tot aureæ roſæ nobiles prodierunt, in tempora *Edoardi Tertii* exiſtimat incidere; tolerabiliùs id quidem ſi commodè explicetur, alioquin enim ſi perfunctoriè inſpiciatur, nec *Camdenum* defenderit hiſtoria, nec *Seldenum*, qui *Edoardo Quarto* rem adſcribens in *Mar. Clauſ.* ita inſurgit: *Nummus* inquit, *à Regibus noſtris ſæpius cuſus eſt aureus, Nobilis roſatus dictus, qui in alterâ parte navi in mari fluctuante, Regeque, enſe, & ſcuto armato in ipsâ navi, ut in throno ſedente inſignitur, ut ita imperii Anglorum exhiberetur marini ſymbolum, cujus author primus exſtitit Edvvardus Rex tertius, cùm claſſe numeroſiſſimâ navium ſcilicet undecies centum mare ſuum tutaretur. Typus, quem adjecimus, eſt, puto, Edvvardi Quarti.* *Camdenus* inſcriptionem hujus numiſmatis ſymbolum vocat Chemiſtarum, *Edvvardo Tertio* materiam pecuniæ illius ſubminiſtrantium. Cæterum quando *ex Polyd. Virgilio* conſtat *Edoardum Secundum* ad uſque annum Chriſti M. CCC. XXVII. imperium ſuum extendiſſe, hoc eſt ad XI. à morte Lullii annos; quando huic *Edoardus Tertius* ſucceſſerit, nemini horum à *Lullio* Midæ peculium oblatum eſſe evidentiſſimum eſt. Quid ergo? vacillátne fides hiſtoriæ? minimè gentium, *Edoardus Primus* ille eſt *Lullio* familiaris Princeps, ille eſt aureo imbre irrigatus. Huc omnia conſpirant; convenit *Lullii*, *Edoardique Primi* ætas [Edoardus hic ex *Spondano* obiit Anno M. CCC. IX. *Lullius* Anno M. CCC. XV.] convenit propoſitum *Edoardi Primi* debellandi Terram Sanctam, de quo ad ſatiem *Polydorus* nominatus; conveniunt tempora cæterorum Principum, *Caroli*, & *Ruperti* Siciliæ Regum, *Edoardo Primo* æqualium, notorumque, quibus ſua etiam ſcripta tranſmiſit *Lullius*. Hinc eſt quòd in operibus Lullianis ſæpe legamus Edoardi nomen, nunquam additamentum vel ſecundi, vel tertii, vel ſexti, quippe primum nemo vocaverit, niſi cui ſucceſſerit ſecundus. Clariſſimè ipſe libr. de Transm. Animæ: *Non vidimus*, inquit, *partem, in quâ iſta conchylia ſupradicta reperias niſi in Cypro prope civitatem Famaguſtæ, & in regione Portugalliæ prope civitatem Lisbonæ, in ripâ maris, & in quâdam Angliæ villâ, quæ dicitur Conilla, & in alio loco, qui dicitur portus Sylvenæ. Vidimus enim omnia iſta, dum ad Angliam tranſitimus propter interceſſionem Domini Regis Edoardi illuſtriſſimi.* Obducet cum *Camdeno Seldenus*, tum demum cuſas nobiles illas roſas navigeras, cùm *Edoardus Tertius* regni gubernaret habenas, ut qui dominium maris mille, & quod ſuperat, navigiis, ſuis Britannis aſſeruerit. Cæterùm quot præcisè navigiis mare inſederit *Edoardus Tertius*, inſtituti hîc noſtri non eſt, ad amuſſim expendere, quanquam *Polydorus Virgilius*, nobilis Anglorum ſcriptor in Gallicâ claſſe Anglis oppoſitâ, pugnante *Edoardo Tertio* numeret naves quadringentas, in Anglicâ verò non niſi ſexaginta ſupra ducentas, victoriam quidem Gallis tum extortam, ſed nequaquam incruentam illam, cadentibus ultra quatuor Anglorum millibus; nobis ſatis fuerit oſtendiſſe Edoardo Primo ſimilem obediiſſe fortunam, ut proinde navis illa Roſarum nobilium priùs *Edoardo Primo* vindicari debeat, quàm *Tertio*. Prodeat iterum *Polydorus: Igitur claſſis Gallica*, inquit in hiſtoriâ Edoardi Primi, *pugnandi ſtudio in Anglos curſum flectit, qui nequaquam certamen retardantes, pugnam acriter capeſſunt. Fuit ab initio anceps certamen, cadeſque multo deterrima, qualem in tam validarum claſſium concurſu eſſe oportuit, eſtque ea dimicatio aliquandiu extracta; demum fuſa, disjectaque eſt Francorum claſſis. Amiſſarum navium numerum neque Annales, neque Scriptores, quos ſequimur, ponunt, omnes tamen ingentem plagam acceptam ſcribunt.* Oſtendit itidem potentiam *Edoardi Primi* navalem *Edvvard Leigh in Elect. Obſerv. Reg. Angl.* Nam in hunc modum vernaculâ ſuâ inſurgit: Edvvard the firſt having prepared a great Fleet of Skips for à journey into Flanders, and being at Winckelſey, vvhere the Skips vvere to meet, it happeneth, &c. id eſt, *Edoardus Primus validâ inſtructus claſſe, ut in Flandriam bellatum concederet, loco conventui navigiorum deſtinato, contigit ut &c.* Hic Edoardus Primus juvenis, Patre adhuc imperante, cum exercitu res magnas geſſit in Terrâ Sanctâ, morte tandem *Ludovici Sancti* Gallorum Regis, quem itidem Chriſtianas res ſtrenuè propugnantem Africa exſtinxit, ſufflaminatus in mediis conatibus interquievit, in Angliam regreſſus; quem propterea *Lullius* propagandæ fidei Chriſtianæ inter Pagânos ſollicitè intentus, ſex illis auri millionibus, ad reditum in Terram Sanctam feſtinandum animare parabat. Nam Edoardorum Regum præterea nemo vel terram Sanctam invaſit, vel adeo invaſurum ſe ſe oſtendit. Quid autem præſtiterit in Terrâ Sanctâ *Edoardus Primus* tum ipſe, tum Eleonora uxor, exemplum fæmineæ in maritos devotionis, meretur extra Britannias quoque audiri. Sic ergo *Edvvard Leigh: Edvvard the firſt vvas abſent in the holy Land, vvhen his Father died. At his firſt coming to the holy Land, he reſcued the great city of Acon, from being ſurrendred to the Sultan, after vvhich, out of envy to his valour one Anzazin, a deſperate Saracen, vvho had often been employed to him from their Generall, being one time, upon pretence of ſome ſecret meſſage, admitted alone into his chamber, vvith a poyſonet Knife gave him three vvounds in the boty, tvvo in the arm, and one in the armpit, vvhich had been mortal if out of unſpeakable love, the Lady Elenor his VVife had not ſucke out the poiſon of his vvounds vvith her monih, and licked them vvith her tongue, and thereby effected a cure, vvhich othervviſe hab been incurable. So ſoveraign à medicine*, ſaith Speed, *is a vvomans tongue annointed vvith the vertue of loving affection*, id eſt, Edoardus Primus moriente Patre in Terrâ Sanctâ aberat. Quò ut ventum, urbem validam

Aconium

Aconium jam jam alioquin Sultano cessurum asserui. Quo factô Anzazinus quidam deploratæ Saracenus audaciæ, virtuti Edoardi, & fortitudini invidens, cùm sæpe antea nomine Ducis sui legatus Edoardum convenisset, die quodam secreti obtentu negotii in cubiculum Principis admissus, tribus ipsius corpus conficit vulneribus, cultro venenato inflictis, duobus pertundit brachium, uno alam humeri, omnibus lethiferis, ni uxor Edoardi Eleonora ore suo vulneribus impresso venenum omne, amore mariti incredibili instigata exsuxisset, & linguâ demulsisset, eo medicinam afferens malo alioquin immedicabili. Usque adeo Divini remedii instar est lingua fœminea, ut Speedius tradit, quam sincerus amor inunxerit. Neque tamen, quod arbitratur hîc *Leighius*, lethiferum est venena exsugere ex vulneribus venenatis, & *Marsos*, *Psyllosque* vidit Antiquitas, & *Jacobum Viperarium* nuper Florentia, & *Paulum Angelinum* Romæ ego similia sine noxâ attentantem: sed de toto hoc negotio erudite nuper *Franc. Redi de Viperâ*. Cæterùm ut ad Rosas illas Raymundinas regrediamur, ex dictis conficitur, ab Edoardo quidem Primo, quippe navigiorum robore pelagus sibi vendicante in orbem invectas esse, sed ab Edoardo Secundo, & Tertio frequentatas, ut ita *Seldenus* cum *Camdeno*, & uterque cum historiâ redigatur in concordiam. Obducet aliquis, Edoardum Primum tributis exhausisse non populum modò, sed & clerum, ut hoc nomine, fulmine Bonifacii Octavi Pontificis deflagrârit præsissimè, neque verò istuc descensurum fuisse optimum Principem, si *Lullium* illum egestatis debellatorem cognovisset familiariùs; sed in procinctu responsio est, *Edoardum Primum* totos XXXIV. annos imperâsse, gravissimis semper bellis implicitum, sex milliones vel sexies absorbentibus, *Lullium* verò in Anglia neque diu hospiratum fuisse, neque Regi ad alia quàm convenerat pecuniam effundenti, arte suâ diu obsecundâsse. Sed cur de *Lullio* nihil *Polydorus*? Quia privata Principis describere nec adeo Historici est, nec Polydoro, ut homini Urbinati scire privata omnia contigerat. Neque verò *Bogislaus* à *Kemnitz* nobilis Suecorum Historicus, cùm vitam *Gustavi Adolphi* persequitur, meminit illius artificis, qui in Pomeraniâ, Rege presente, χρυσοποιήσεως veritatem ostendit, licet hodieque supersint ducati ex Chemico illo auro confecti, quorum etiam superiori anno exemplar spectatum mihi Argentorati apud Virum humanissimum, *Etiam Brachenhofer*, quindecim virum. Nummi illius aurei facies altera insignia Gustavi Adolphi præfert, altera ☿ & ♀, Chemicorum insignia. Neque historia *Ludovici XIII.* Galliarum Regis *Duboisii* meminit, utcunque notum hodieque Parisinis omnibus, illum ipsum in oculis & Regis, & Cardinalis Richelii, militare excubiarum plumbum momento in obryzum convertisse, cujus adhuc frusta possidet Dux Aiguillonia consanguinea Richelii. Plura hîc, & evidentiora adjicere proclive esset, nisi displiceret verba impendere rei confessæ. Ad summam, restat adhuc (*Mutio* erroris manifestè convicto) illud quod ex *Greg. Tholosano* affert Mutius, inconcussum: *Raymundum Lullium Edoardo Regi Angliæ sex auri milliones à se confectos obtulisse ad bellum contra infideles in Terrâ Sanctâ promovendum*. Restat inconcussum illud *Roberti Constantini in Nomenclat. Script. Medic: Hunc ego inquirendo*, memorat, *comperio apud Anglos re quidem vera præstitisse, quod suis libris profitetur, & in arce Londini jussu Regis, verum aurum confeciisse: mihique genus nummi ostensum est, quod adhuc appellant Nobile Raymundi, auri scilicet puri & obryzi, summæque indicaturæ*. Restat inconcussum illud *Lulli in ult. Testam: Converti unâ vice in aurum ad L. millia pondo argenti vivi, plumbi & stanni Londini*, unde aureas illas Rosas nobiles Anglorum primùm profectas memorat Camdenus. Idem hodieque asseverantissimè confirmant Anglorum curiosi; addit-que *Edmundus Dichinsonus* Lullium in cœnobio Westmonasterienssi vixisse non ingratum hospitem, enimvero pluribus ab ejus discessu annis resartâ, quam incoluerat, cellulâ, multum adhuc pulveris chrysopœi in cistulâ repertum, magno inventoris architecti emolumento.

Sed ultra exspectationem longiùs progressi, irritante *Mutio*, breviores in *Alberti Magni* Historiâ ducemus lineas. Nascentem circa Annum M.CC. gremio excepit Lavinga Sueviæ urbs; Episcopum creavit Ratisbona; Theologum, Philosophum, & Medicum insignem reddidit acre, & indefessum studium. Versantur hodieque monimenta ingenii ejus in luce publicâ ad invidiam doctâ, subtilia, nervosa. Vel soli ejus de Mineralibus libri ex ungue leonem ostenderint, laudari quoque Conringio, pareo alioquin Mineralium laudatori. Neque præterea censendum, ea quæ vel *de secretis Mulierum*, vel *de virtutibus herbarum, animalium* inepta, ejus nomine vulgò circumferuntur, genuina esse Alberti: ut quæ magnam partem anicularum deliramentis propiora sint, & tanto Philosophô indigna. *Gratalorus* scriptum *Alberti Magni* Chemicum edidit, jam ante hos centum annos plenum scientiæ & reconditorum sensuum, utcunque non paucis spurium & illud æstimetur, quod inter cætera Alberti opera non recenseatur vulgò, cæterùm quando nil frequentius, quàm certis de causis scriptorum alia seorsum evulgare, unde nec *Fallopii*, nec *Prævotii* secretiora, nec *Scaligeri*, nec *Grotii* abstrusiora cum cæteris eorundem edita operibus, non video cur adeo libellum illum Chemicum ipsi attributum trahant in culpam. Quin nec inter *Avicennæ* opera vulgò invenies quicquam Chemicum, si tamen *Sorsano* debemus assensum, & Chemiæ studium deperibat ipse, & ad posteros propagabat.

Ex eo tempore in immensum penè invaluit Chemicum in Europâ studium, adeo ut hodie mole Scriptorum laboret, experimentorum infœcundius. Collegit *Petrus Borellus* ad MMMM Authorum Chemicorum, cùm plurimos interea prætermiserit, rei victus immensitate. Quamvis autem in illa Philosophorum Turbâ, in illis magnifici apparatûs Theatris Chemicis plus fumi deprehendatur, quàm scientiæ solidæ, plus sæpe ineptiarum, quàm rationum, devorandum tamen illud tædium, & putandum est, sacra hæc non aliter constare, quàm ut ex infinitô spinarum numerô paucæ duntaxat rosæ queant decerpi. Nec mare totum piscibus scatet, frustra sæpe jactantur retia; nec sylvæ omnes abscondunt ferarum latibula, & tamen molossorum venaticorum globis percursantur omnes. Nulla hodie politior natio est, nullum ingenium sublime, quod fistit facilè curiositatem suam, nisi & Chemica delibaverit. Venerantur Itali suos *Marsilios Ficinos*, *Palingenios*, *Fioravantas*, *Locatellos*, *Caneparios*, *Ant. Nerios*, *Carellos*, *Bonos Ferrarienses*, *Cornachinos*, *Bartholetos*, *Thom. Bovios*, *Angelos Salas*, & tempore quidem posteriorem,

riorem, ſed inexhauſtâ magni genii capacitate priorem univerſis *Franciſcum Joſephum Burrhum*, Phœnicem Naturæ, & gloriam non tantùm Heſperiæ ſuæ, ſed Europæ. Admirantur ſuos Galli *Flammellios*; ſuos *Beguinos*, *Chryſippos Fannianos*, *Chriſtophoros Pariſienſes*, *Caſtagnios*, *Stephanos Claveos*, *Colleſſonios*, *Spagnetos*, *Fabros Caſtelnovidarienſes*, *Poterios*, *Gohorios*. Jactant ſuos Germani *Treviſanos*, *Alanos*, *Paracelſos*, *Thurneiſſeros*, *Baſilios Valentinos*, *Majeros*, *Crollios*, *Libavios*, *Hartmannos*, *Lamſpringos*, *Burcgravios*, *Cunrados*: Placent Britannis ſui *Rogerii Bacones*, ſui *Nortoni Briſtollienſes*, ſui *Riplæi*, *Macollones*, *Charnochi*, *Daſtini*, *Chauceri*, *Kellæi*, *Robinſonii*, *Govveri*, *Lygdatii*, *Blumfieldii*, *Redmanni*, *Fluddi*, *Mouffetti*: Triumphant Belgæ in ſuis *Iſaacis Hollandis*, ſuis *Drebbeliis*, *Helmontiis*, *Evvaldis Vogeliis*, *Balbianis*, *Hoghelandiis*. Nec eſt quod prætereant Scoti ſuos *Butleros*, ſuos *Alexandros Sidonios*, paucos illos, ſed ſcientia illuſtriſſimos: nam quod *Sendivogium* ſpectat, Polonum hominem, certum eſt nequaquam illum auctorem fuiſſe libri illius celebratiſſimi, qui mutato *Divi Leſchi* nomine prodiit, ſed ipſum nobilem *Sidonium* ſeu *Sethonium*, cùm Cracoviæ animam ſe agere intelligeret, & ſcriptum ſuum, & uxorem fidei amici *Sendivogii* commendâſſe, adeoque *Sendivogium* à morte *Sethonii*, uxorem duxiſſe viduam illam, & ſcriptum ſuo nomine evulgâſſe, id quod prudentiſſimus ille Reginæ Polonicæ à ſecretis conſiliis *Denoyæus*, & ipſe in reliquâ ingenii magitudine Chemiæ indefeſſus amator, pluribus nobis non ita pridem Pariſiis oſtendit. Ex Daniâ noſtrâ cùm plures liceret, duos nominâſſe libet, alterum, nobilem illum *Tychonis Brahæi* genium, non in Aſtronomiâ magis cœleſti admirabilem, quàm in ſubterraneâ illâ aſſiduum; alterum, *Petrum Severini Ripenſem*, Civem meum, Profeſſorem olim Hafnienſem, & mox Archiatrum *Friderici Secundi*, Danorum Regis glorioſæ memoriæ, Chemicum ſine controverſiâ excellentem, cujus ingenio multum debet ſplendoris ſui, alioquin inanior futurus Paracelſismus; cujus calamum veneratur germania, adorat penè *Daviſſonius*, invidet Bombaſteo gregi *Verulamius Baco*.

Cæterùm obducet moroſiot aliquis, mirum videri, quòd tot omnium nationum cœleſtiſſima ingenia in arte tam lubricâ, & vix unquam ſpei reſpondente bonas horas occupent, deſerendum tot patrimoniorum naufragiis infame ſtudium, & ad ſecuriora appellendum navigium. Neque is ego ſum, qui ſtultis, temerariis, profanis auctor eſſe velim, ut ſacra hæc Eleuſinia illotis, quod dicitur, manibus involent, temeritatem alioquin ſuam ſerâ tandem pœnitentiâ expiaturi, cùm providentia in cæteris artibus utilis habeatur, in hac planiſſimè ſit neceſſaria; neque is ſum, qui Crœſi divitias amatoribus Artis vel propoſuerim unquam, vel proponam, certus Divæ Chemiæ, præſertim iatricæ [quæ meæ profeſſionis eſt] aliud inſtitutum eſſe, ſcilicet ut arcana naturæ omnis generis perveſtiget, ut Elementorum intima ſcrutetur, ut plantarum abdita proferat in lucem, ut animalium texturas recognoſcat, ut telluris opaca ſubeat, ut pharmaca gratiora, & ſubtiliora temperet, ut inſpiciat, verſetque omnia, & Creatorem in operibus ſuis admiretur, laudet, extollat. Hæc perpetua Chemiæ noſtræ opera erunt, hæ columnæ noſtræ Herculeæ, quas ultra nec tendere decretum, nec adeo proſpicere. Amet, qui volet, ambigua flecti acroceraunia, non omnium eſt adire Corinthum; viderit hoc anno *Elector* Coloniæ, *Helvetius* Hagæ Comitis, *Blondellus* Aquisgrani, provectos utra illas Charybdes quoſdam Diſgenitos, quod & mihi Amſtelredami olim ſpectatum, oſtendente *Gothofredo* quodam *Gerſtorffio*, nobili Pragenſe, (*a*) cæterùm quia è millibus vix unum excipit indulgens illa fortuna, vetantibus altiora fatis, tenendi erunt nobis portus tuti, nec ventorum ludibriis vela ſine rectore permittenda; ſatis nihilominus arcanorum plenâ manu ſuggerit nunquam effœta hæc ſcientia, ut ad ſolium Jovis non ſit adſpirandum. Imprimis non temere habenda libris Chemicis fides, niſi ad unguem cognitâ Auctorum experientiâ, quòd plurimi poſt inſumptos in quærendis fruſtra immenſis labores, aliis libros malè conſarcinando viam oſtendere parent ſibi ignotiſſimam, hoc inſtituto, ut plures ſecum in culpam pertrahant, nè ſoli videantur inſaniiſſe; non diſſimiles Pœno illi Heliodoro ad Gades tumulato, cujus ſepulchrali marmori hæc inſculptæ: HELIODORUS. INSANUS. CARTHAGINIENSIS. AD. EXTREMUM. ORBIS. SARCOPHAGO. TESTAMENTO. ME. HOC. JUSSI. CONDIER. UT. VIDEREM. SI. ME. QUISQUAM. INSANIOR. AD. ME. VISENDUM. USQUE. AD. HÆC. LOCA. PENETRARET. Scilicet dulce quiddam & ἑλκυστικὸν reputatur, alios ſecum videre in communi luctantes naufragio. Ejusmodi cenſenda vegrandia illa, *Majeri*, *Fabri Caſtelnovidarienſis*, *Fioravantæ*, *Penoti*, *Birelli*, aliorum volumina; talis cenſendus *Fernelii lib. de Abd. rer. cauſ.* proceſſus, quem ab irridente ſe *Mollanſio* theſauri loco obtinuit, ipſe Chemiæ ſecretioris ignarus, uti rem diducit *Blaſius Vigenerius in Philoſtr.* à ſimilibus prudenter abſtinendum Chemiæ metallicæ ſectatoribus, & potius uni *Zoſimo*, uni *Villanovano* uni *Lullio*, uni *Gebro*, ut indubitatis Magiſtris preſsè, & providè inhæreſcendum; nam Chemiæ Medicæ ſtudioſo nullus adeo liber formidandus, ſi cum judicio evolvatur, cùm non prodierit unquam ſcriptum tam jejunum, ut non aliquâ parte prodeſſe valeat. Neque nihil facit ad penetranda Chemiæ Myſteria ſubtilis illa *Carteſii Philoſophia*, ut de omnibus, vel minimis particulis in conſilium ire jubens, ut cos ingeniorum Chemicorum, & via patens ad ſublimiora. Quanquam non diffitendum, cùm in Mathematicis dominaretur demonſtrationibus

(*a*) Hanc hiſtoriam ſic plenius alibi explicat Clar. Auctor noſter. Vidi, inquit, pulviſculum ante hos decem annos apud Gothofredum Gerſtorffium, qui ex Nobili Pragenſe, in Medentem, præter opinionem, transformatus Amſtelredami conſidebat. Is cùm dono Parentis decrepiti (cujus Parens munus illud à vivô Paracelsô, ut faſſus eſt obtinuerat) lapidis philoſophici fruſtillum poſſideret, multis hinc inde apud Curioſos experimentis veritatem χρυσοποιΐας oſtendit, & in meô etiam muſæô, vix quadrantis horæ ſpatiô, modicam argenti laminam in puriſſimum aurum ſine ullâ fraude, quod attentiſſimè inſpiciens teſtor, convertit. Cùmque in re eſſet non lautâ, interrogatus cur non ad inſtar Midæ opuleſceret, repoſuit neque Parenti ſuo, neque Avo, neque etiam ſibi artem cognitam, ſperare tamen ſe illam poſt alia atque alia experimenta Dianam, ideoque miſſis aliis in Patria fortunæ invitamentis cum ſpe divite peregrinari. Spem tamen ejus mors inopina deſtituit.

nibus Carteſius, in metallicis victum diverſitate φαινομένων hæſiſſe, & ad experimenta, quibus dirigeretur in ſpeculatione ſubtilis genius, ſeriò anhelâſſe, contra multorum tamen Carteſianorum ingenium quibus nihil hodie familiarius, quàm *ſe à priori omnia videre, neque indigere experimentis.* Modeſtiùs ſanè ſubtilis Magiſter *Princip. Philoſ. part. IV. Atque ſic*, inquit, *tria hîc habemus, quæ pro tribus vulgatis Chymicorum principiis, ſale, ſulphure, ac Mercurio ſumi poſſunt, ſumendo ſcilicet ſuccum aerem pro ſale, molliſſimos ramulos oleagineæ materiæ pro ſulphure, ipſumq; argentum vivum pro illorum Mercurio. Crediq; poteſt omnia metalla ideo tantum ad nos pervenire, quod acres ſucci per meatus corporis C. fluentes quasdam ejus particulas ab aliis disjungant, quæ deinde materiâ oleagineâ involutæ, atq; veſtitæ facilè ab argento vivo calore rarefacto ſurſum rapiuntur, & pro diverſis ſuis magnitudinibus ac figuris diverſa metalla conſtituunt. Quæ fortaſſe ſingula deſcripſiſſem hoc in loco, ſi varia experimenta, quæ ad certam eorum cognitionem requiruntur, facere hactenus licuiſſet.* Recognoſcite hîc, cognitionem mineralium exactiorem germen ephemeron non eſſe, ſed experimentis ſeculorum indigere. *Carteſius* citra pulverem & cœli vorticoſa expedivit, & Cometarum inordinata, & maculoſa Solis, & magnetis admiranda; hîc autem *ſumi poſſunt* timidè ſubjicit, & *credi poteſt.* Prædicandam Viri modeſtiam! neque enim *ſumi debent*, ſuſtinuit ſcribere, nec *credi oportet*, difficultates penè ineluctabiles animo proſpiciens. Ut enim alia taceam, quomodo argentum vivum vulgi admitti meretur, tanquam principium, cùm in plantis, & animalibus deficiat? In hominum quandoque ſanguine inventum non inficiamur, ſed quorum corpus lue Venereâ afflictum vexavit unguentum Mercuriale. Ad graminum radices quandoque in Poloniæ pratis repertum, & in valle Sangii ad Taurinorum Auguſtam concomitatum radicibus doronici agnoſcimus, ſed aliunde illuc tranſlatum, non innatum plantis. *Molliſſimi ramuli oleagineæ ſubſtantiæ* ægrè in auro, argento, adamante demonſtrabuntur. Sulphur fixum iis ineſſe non abnuerim, ſed illud conſtare oleagineis ramulis [uti conſtare putatur ſulphur commune] difficilimè quiſquam oſtenderit. Metalla denique omnia ex inferiori terræ cortice eructari itidem creditu difficile, tum quòd minera ferri, paludoſa dicta, in ipſo ſummo terræ cortice natales ſuos oſtendat, tum quòd paucæ ſub aprico cœlo inveniantur arenæ, quæ non aliquid metalli vehant, tum denique quòd pyritæ globoſi, ſeu marchaſitæ mammoſæ ære prægnantes & ferro, ſub Dio, in agris ingenti ſæpe copiâ inveniantur, ut in Nivernenſibus Galliarum, ſine matrice, ſine fodinis, de quibus ſapienter *Paracelſus: Cœlum*, inquit, *illorum fodina eſt.* Quæ verba dum attentiùs trutinor, ſubit memoriam experimentum Illuſtriſſimi Equitis *Kenelmi Digbæi*, Cancellarii Reginæ Britannicæ, quod ipſe mihi Londini humaniſſimè communicavit: *Vivebam*, inquit, *Pariſiis, tempeſtate Cromvellianâ Patriam flagellante, & fallendæ triſtium memoriæ idemtidem Chemicis vacabam ſtudiis, cum curioſior quidam de terræ Arcevilenſis virtutibus metallicis mira ſubinde auribus meis occentaret. Quid multis? rapior impetu denique & Arcevilum* [diſtat unum ab urbe Pariſienſi lapidem] *feror, jubeo libras circiter viginti terræ illius rubicundulæ erui, inque urbem mecum deportari. Poſtridie divido terram hanc in duodecim partes æquales, inq; duodecim vaſculis terreis, iisq; amplis diſpono, aëriq; libero committo in ſolario ædium mearum, tegmine ligneo, quòd à pluviâ, & ventorum fortuitis defenderet, perfunctorie ſupra vaſcula ſuſpenſo. Iubeo bis, tervè quotidie materiam aquâ pluviâ tantillum irrorari. Exacto demum menſe, argillam vaſe primo exceptam, aquæ pluviæ copioſiori incoquo, vehementiùs intendens ignem; aquam percolatam lentâ evaporatione cogo in ſpiſſamentum, & in fundo veri vitrioli rudimenta, colorem, ſaporem, angulos evidenter deprehendo. Continuo irrigationem vaſculorum cæterorum, & exeunte menſe ſecundo, in ſecundo vaſe laborem præformatum repetens ſulphur germanum reperio. Verbo, menſe tertio plumbum ſe mihi offert, quarto ſtannum, quinto ferrum, ſexto æs, in quo argenti tenuia aliquot ramenta. Reliqua ſex vaſcula ſuperveniens tempeſtas dejecit, & finem experimentorum ſpectare prohibuit.* Pariſios ut poſtea ventum, eadem ſe tentâſſe, eadem reperiſſe teſtabatur *D. de l'Oberie*, Senex venerandus, & *D. Locques* Spagyricus Regius, niſi quòd in ordine extractionis tantillum variarent. Cernitis, opinor, quid aër præſtet, quid cœlorum influxus, ut ad fictos ingeniosè cortices deſcendere non adeo ſit neceſſum. Sed nos ad experimenta, quæ vel ipſo judice *Carteſio* utramque hîc paginam faciunt, ſed illa tamen non à quovis facta, ſed ab exercitatorum ſenſuum ingeniis, quibus nihil temerè perſuadetur; nihil temerè rejicitur. Ad experimenta ergo Naturæ cultoribus provocandum frequentiùs, quàm vulgo fieri ſolet; ſine experimentorum apparatu nihil facile admittendum, quòd ſine iis Phyſica, Medicina, Chemia, aliæque artes mutæ ſint, & ingloriæ; reviviſcant ergo, in Academiis, palæſtriſque ſapientum aliis experimenta, ut generoſa Chemia, ſummum illud Naturæ, & erectiorum mentium delicium, Lycéis noſtris cum fructu omnium, præſertim Medentium refloreſcat, nè artem ſacram à Tubalcaino in Chami domum propagatam, à Chamigenis profectam in Ægyptum, ab Ægypto in Græciam, & deinde in Latium, hinc ad Arabas, Chinenſeſque, tandem in Hiſpaniam, Gallias, totamque adeo Europam regyrantem patiamur in noſtro quoque Aquilone per ignaviam, veternumque ſeculi obtorpeſcere.

SUBSECTIO II.

Conſpectus Scriptorum Chemicorum Celebriorum,

OLAO BORRICHIO Auctore.

I.



RTEM Chemicam antiquiſſimis temporibus cœpiſſe luculentè emicare in Ægypto, & quidem auctore *Hermete Triſmegiſto*, nemo inficiabitur illorum omnium, qui Veterum monumenta, tam expreſſa hodie typis, quàm *Manu Scripta* ſollicitè conſuluerunt: de quo argumento diſertiùs fidem facient, quæ alibi de antiquâ Hermetis, & Ægyptiorum ſapientiâ commentatus ſum adversùs *Hermannum Conringium*. Hunc autem Hermetem haud alium fuiſſe, quàm Chanaanem varii perſuadere laborant, inque iis illuſtris *Bochartus* & *Kriegsmannus*. Utcunque fuerit, prima Artis magnæ ſemina jam inde ab Adamo in poſteros religioſiores, & magis taciturnos propagata fuiſſe, dubitare nefas; quæ excitarunt alacriùs nonnulli, proprio fortaſſis impetu, in quibus Tubalcainus, ſivè Vulcanus, item Chamigenæ, alii etiam, ipſo Deo inſpirante, quod de Bezeleele refert Divinus Moſes *Exod.* XXXI. & XXXV. Quæ ad metamorphoſin autem metallorum faciunt, uberiùs excuſſit *Hermes*, ceu ex Antiquitate liquidum: licet quæ in hoc genere per nebulam inſtituit aperire poſteritati, ſcripto nuſquam legatur conſignâſſe, ſed juſſiſſe inſculpi columnis quibuſdam in abdito Syringarum Ægyptiarum, quod ex *Zoſimo Thebano*, *Olympiodoro*, *Calliſtrato*, *Pauſania*, *Martiano Capellâ*, *Pſello*, non difficulter colligas. Ex columnarum ejuſmodi attentâ ſpeculatione Artis primordia videtur hauſiſſe *Agathodæmon*, (quem & *Hermetem ſecundum* plures appellant) nam à ſolâ *Tabulâ Smaragdinâ*, quæ itidem primi *Hermetis* eſſe traditur, tantum ſuo Marte lumen nequiit exſculpere, ut quæ inter generales quaſdam præceptiones ſe continet, diverſiſſimis operibus, pro ingenii cujuſvis fœcunditate promptè accommodandas; quamvis & id in confeſſo ſit, nulli omnino rei faciliùs, ſequaciùs, ſimpliciorique ingenuitate, quàm arcano Chemicorum magiſterio poſſe applicari.

II.

Sunt autem ex iis, qui ſacris his non ſunt initiati, quos inconſultus ardor illuc rapit, ut innocentiſſimæ *Tabulæ* præter fas, & æquum iraſcantur, moribuſque Veterum non conſideratis, ſuppoſititiam proclament; quos inter agmen ducit *Athanaſius Kircherus*, qui tamen ex ipſo libro, quo in *tabulam ſmaragdinam* invehitur, immemor ſui integritatem ejuſdem non parum confirmat, aſſerens propè Memphim ſaxo hæc verba inſculpta legi: *Cœlum ſurſum, cœlum deorſum: aſtra ſurſum, aſtra deorſum; quod ſurſum, id omne deorſum: hæc cape, & beaberis.* Quæ utique ita ſimilia ſunt tabulæ Hermetis, ut ex illâ in ſaxum hoc tranſlata fuiſſe videantur. Conveniunt itidem mores Antiquorum, quibus ſolenne, rariora legum, geſtorum, artium lapideis tabulis, columnis, obeliſcis committere, teſte *Joſepho*, *Diodoro Siculo*, *Tacito*, aliis. Quid quòd *lex Moſaica* lapideis olim tabulis exçepta; Quas non ex proletario, aut ubivis obvio ſaxo fabrefactas fuiſſe docet *Epiphanius*, ſed ex gemmâ ſapphiro, id quod & hodierni Rabbini profitentur. Hic ne quis obducat, ſmaragdos ejus magnitudinis, quæ tot ſententias caperent, non inveniri, conſulat *Plinium*, apud quem Apion Pliſtonices agnoſcit in labyrintho Ægypti coloſſeum Serapin è ſmaragdo novem cubitorum. Ut taceam, inter artificia magnæ Artis eſſe, ſimiles gemmas producere, neq; enim ignotum illud *Senecæ*, *Democritum inveniſſe*, *quemadmodum decoctus calculus in ſmaragdum converteretur.* Sed de inventione hujus tabulæ audiendus *VVilh. Chriſtoph. Kriegsmannus*, qui in Tabulâ ſmaragdinâ vindicatâ ita: *Ut taceam*, inquit, *traditionem de tabulâ hâc ſeculis aliquot poſt diluvium, in antro prope Hebron, à muliere Zarâ manibus cadaveris Hermetis exemptâ, nullâ ſui parte malè ſe habere, ſi de Abrahami uxore Sara intelligatur, cum tempora denati Hermetis, id eſt, Chanaanis, Noachi nepotis, atq; Saræ congruant, ac locus (urbs Hebron à Chanaanis, ſive Hermetis filio Heth exſtructa, ad quam ſedem fixerat Abrahamus) convenientiſſimus rei ſit.* Neque inſolens fuerit, ſi *Hermes* in antris Ægyptiis veſtigia Artis reliquerit hieroglyphicis ſignata notis, & præterea, ut nobiliſſimum inventum ſuum ad proprium quoque ſtatuerit ſepulcrum: quippe idem olim Archimedi conſilium fuit, qui non contentus inventa ſua calamo permiſiſſe, juſſit præterea *Sphæram & Cylindrum*, tanquam inventi ſui gloriam ſepulchro ſuo ſuperimponi, de quo diſertè *Cicero*. Id interea non diſſimulandum, me hactenus in Scriptoribus Chemicis Græcis *Tabulam Smaragdinam* non inveniſſe, utcunque ab illis ſpectatam eſſe, & ad Latinos derivatam non dubitem: ſed nimirum quis Manu-Scripta Græcorum Chemica excuſſit omnia? niſi malis cum *Gaulmino* ſtatuere Tabulam illam à victoribus Perſis vel in Ægypto, vel vicinià repertam, in Perſidem jam olim tranſlatam fuiſſe, eoq; nomen ejus diu Græcis ignoratum. Succedentibus autem ſæculis meminit ejuſdem tabulæ *Ariſtoteles junior*: de perfecto Magiſterio, meminit *Senior Zadith*, *Mag. Ortholanus*, *ſive Hortulanus*, *Avicenna*, *Arnoldus de Villâ novâ*, *Iſaacus Hollandus*, *Albertus Magnus*, *Bernh. Treviſanus*, & an. Ch. 1330. *Petrus Bonus Lombardus*, ut poſteriores ferè infinitos præteream: id quod perpendat *Kircherus*, qui ab *Alkymiſta Caneſio* primum orbi fuiſſe oſtentatam pertendit.

III.

Præter *Tabulam ſmaragdinam* extant quidem varia *Hermetis* (poſteriora, haud dubiè) opuſcula Chemica, ſæpè à Græcis, Latiniſque ad partes vocata, ut ſunt Ἑρμοῦ φυσικαὶ βαφαὶ, Ἑρμοῦ Ἀρχικὴ βίβλος, item, Ὅσα ἀπὸ Ἑρμοῦ καὶ τῶν φιλοσόφων ἤσαν ἑρμηνεῖαι, per *Olympiodorum* ſcripta; denique *variæ ſententiæ Hermeticæ* in antiquo *Syneſio*, in *Turba Philoſophorum*, in *Margaritâ pretioſâ Petri Boni Lombardi*, in *libro Secretorum Calid*, in *Seniore Zadith*, *Hortulano*, *Roſario*, *Rupeſciſſâ*, *Iſaaco Hollando*, *Alberto Magno*, *Arn. Villanovano*, *Ariſtotele Chemico*, *Bernh. Treviſano*, *aliiſque* laudatæ;

quæ

quæ an ex Germanis *Hermetis secundi* scriptis haustæ sint, multis ambiguum est. Id constat, ab omnibus Hermetici studii amatoribus, imò quod superat, ab omnibus in praxi Chemicâ ad complementum operis feliciter provectis germanas æstimari. Sed quid de *septem Capitulis Hermetis*, quæ publici juris sunt, pronunciandum? extra omnem dubitationis aleam ea recentiori cuidam Scriptori, sive *Hermeti tertio* attribuenda sunt, & quidem pio, atque ad Deum anhelanti Magistro, quique post varia experimenta, quibus frustra insudavit, solius Dei vivi inspiratione artem, quod fatetur, perdidicit; quæ utique in *secundum Hermetem*, ex columnis, tabulisque *Hermetis primi* institutum cadere nequaquam possunt. His adjice, quòd *ultimus* hic *Hermes* filios præteritorum Philosophorum sæpe alloquatur, & ad *libros antiquorum*, imò vero, alicubi ad *Avicennam* provocet, quodque quatuor elementorum cognitionem profiteatur, quæ utique ævo *Hermetis secundi* neutiquam conveniunt. Quanquam autem *Septem illa capitula Hermetis* juniori cuidam Chemico, & si figuratum genus dicendi intueamur, homini Arabi in Artis operibus versato debeantur, redolent tamen securam, sed reconditam experientiam, siquis stipulas à frugibus attentè secernere non fastidierit, & disjecta hinc inde veræ methodi membra restituerit legitimo ordini. Unde cùm *Artephius* magnus in hâc disciplinâ Magister, ingenuè profiteatur, suam se consecutum esse scientiam ex lectione veridici *Hermetis*, credi posset, eum ex hoc libro sapere didicisse, nisi ætas *Artephii*, ut verisimile est, his septem capitulis vetustior à *secundi Hermetis* scriptis nobilem illum succum traxerit. Physica Hermetis Trismegisti, & cætera, quæ ejus nomine circumferuntur, *Poëmander*, *Asclepius*, alia, recentiora sunt, & sapientum plerorumque judicio à Platonico quodam semi-Christiano consarcinata.

IV.

Proximum *Hermeti primo* locum sibi vendicat *scriptum Isidis*, filio ipsius Horo dedicatum; atque ideò proximum, quia Isis Osiridis Regis uxor ab Hermete, consiliario suo edocta, secundum *Diodorum Siculum*. Esse autem scriptum illud, quod nunc in lararіis doctorum custoditur, spurium multa ex ipso textu allata docuerint, licet suâ venere, & arte nequaquam destituatur. Inscriptio libelli: Ἶσις πρὸς Φήτις τῷ υἱῷ Ὥρῳ. Vox ejus inter cætera: Προεῖπον ὅτι ὁ αὐτὸς αὐτὸν γόνιμος ἐξ ἄνθρωπος ἄνθρωπον αὐτείρη, ὅτως καὶ ὁ αὐτείρων θηλύζει, ὁμοίως τὸ ὅμοιον. Quæ vel una sententia si pressius animo infigatur, plurimos in subjectis haud rarò absurdis laborantes in rectiorem viam reduxerit. Nec inconsultum illud: Ἡ δὲ φύσις τῇ φύσει τέρπεται, καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ. Accedit horribile illud sacramentum, quo obligatur Horus, ne commissum sibi arcanum cuiquam patefaciat, nisi vel taciturno filio suo vel amico securissimo. Tractavere & antiquissimis temporibus Chemica Philosophi Chinenses non procul ab ævo Isidis: atque inter eos *Hoangtius*, M M D. ante natum Christum annis, quemadmodum ex *Martinio* constat, an tamen *de Arte* quicquam in literas retulerint, non perinde liquet.

V.

Sophar Persa, Magister Ostanis Medi, *Pammenes*, *Maria Hebræa*, *Ostanes Medus*, Democriti Præceptor, *Joannes Archipræsul*, nihil quantum observatum nobis, scriptum reliquere de hoc magisterio, si exceperis minutias quasdam, item lacinias nonnullas hinc inde in Turbâ, & alibi inspersas, sed Democritus magni Ostanis, in templo Memphеos doctoris Chemici, discipulus varia, ἐν Αἰγύπτῳ enim ὑπὸ Ὀστάνου μυηθεὶς συνέγραψε περὶ χρυσοῦ, καὶ ἀργύρου, καὶ λίθων, καὶ πορφύρας λοξῶς, quemadmodum non modò *Eusebius Pamphilus*, sed & *Synesius* ad Dioscorum clarissimè attestantur. Ex cujus tamen scriptis nihil adeò in manus nostras incidit, nisi libellus, qui inscribitur, Δημοκρίτου βίβλος προφωνηθεῖσα Λευκίππῳ (an Leucippo?) item, Δημοκρίτου φυσικὰ, & Μυστικὰ, uterque temporum injuriâ, & incuriâ librariorum, oppidò mutilus, & malè sibi cohærens, neque planè rejiciendus tamen, quod in uno quandoque dicto adhuc salvo clavis totius Magisterii delitescat. Sed quâ viâ conciliabitur *Eusebius Zosimo? Eusebius* tradit Democritum de Arte λοξῶς, hoc est, obliquè scripsisse, *Zosimus* autem docet ipsum scripsisse perspicuè. Vox *Zosimi* libr. mystico: *Sed & Ægyptii*, inquit, *incusant Antiquos, præcipuè autem Hermetem, quod Artem nec publicè tradiderint, nec privatim, occultéque imò ne quidem Artem talem dari significaverunt. Solus autem Democritus scripto remostendit, aperuitque. Sed illi* (Hermes & reliqui Antiqui) *columnis insculpsere in locis quibusdam tenebricosis* (Syringas intelligit) *& quidem literis symbolicis spuriis tum sacras has Artes, tum chorographiam Ægypti, ut si quis ingredi auderet, propriâ industriâ & labore interpretationem characterum ejusmodi spuriorum vagam, errantésque explicationes non assequeretur.* Meâ quidem sententiâ ideò culpantur hîc Veteres, quòd ne vulgo quidem clarè significaverint, dari in rerum Naturâ metamorphosin metallorum, *Democritus* autem laudatur, quòd publicè testatus sit dari, licet de modo ad complementum artis perveniendi obliquè & per mæandros mentem suam exposuerit.

VI.

Ex magnis Artis hujus Antistitibus sequitur Democritum, licet longo admodum intervallo *Zosimus Panopolites*, de quo legi meretur *Anepigraphus*, vetus Scriptor Græcus, libro de Ratione dealbandæ aquæ Divinæ: *Dicemus & quiddam*, inquit, *de Artis sacræ coryphæis. Primus eorum est Trismegistus, à triplici Artis operatione in Græcis cognominatus: hic omnibus antiquior est, tanti mysterii Parens. Hujus vestigia secutus Joannes, Summus in Urbe sanctâ Sacerdos. Post eum prodiit Democritus, artis hujus Magister, Philosophiæ nomine celebris, & licet Abderitanus origine, omnium tamen hujus Artis Interpretum præstantissimus. Tandem illuxit orbi Zosimus, qui & ipse, ut plurimarum rerum peritissimus nomen vulgò Magni obtinuit. Et hi sunt OEcumenici, seu universales Philosophi. Horum dissertationes exposuere Olympiodorus & Stephanus, qui & ipsi Commentarios de hac Arte reliquerunt.* Hujus *Zosimi* variæ exstant Scripta in Bibliothecâ Regiâ Parisinâ, sed itidem Sosiorum vitio malè multata; in quibus legas, *Zosimi Opusculum de compositione Aquarum*, *Zosimi Panopolitæ scriptum genuinum de sacrâ & divinâ Arte*; *Divini Zosimi librum de Virtute*, & *Interpretatione*; *Zosimi opus de Instrumentis & caminis*; *Zosimi libellum de Asbesto*, tandem & *Zosimi Thebani libellum mysticum*, item *Zosimi Scriptum ad Theosebejam*. In quibus monumentis licet varia, ut fit, aliena, figurata, allegorica se ingerant, plura tamen adsunt egregia monita, & ex intimis penetralibus Artis in scenam producta, quæ legisse, imò sollicitè expendisse, Candidatum studii Chemici nequaquam pœnitebit, dummodò simul experimenta, & lectionem aliorum quoque celebrium Scriptorum conjungat.

VII.

Sequitur *Scholion Synesii Philosophi in scripta Democriti*, dedicatum olim Dioscoro, magni Serapidis in Urbe Alexandrinâ Sacerdoti; quod equidem vetustius esse apparet *Zosimi* scriptis, ut in quibus liquidò citatur. Sed præcessit *Zosimus* gloriâ, ut œcumenicus magister, & sine controversiâ absolutæ perfectionis artifex: nam *Synesio* nonnisi in secundis locus est. Docet tamen varia sic satis intelligenter, nodos ligat & dissolvit: an tamen ad ἀκμὴν pervenerit Magisterii, non ita liquidum apparet. Et verò contingit id genus scriptoribus, idem ferè, quod funambulis, qui nisi rectissimâ viâ chordam percurrent, labuntur in præcipitia non sine periculo; nam quinquaginta annotum magister, hîc tyro adhuc censendus, nisi metam sibi propositam præcisè attigerit.

Hic mediocribus esse Magistris
Non Dii, non homines, non concessere columnæ.

VIII.

Olympiodorus Alexandrinus, principatu Imperatoris Theodosii Senioris paulò vetustior (quod alibi declaravi) commentarium reliquit de *Scriptis Zosimi*, de *dictis Hermetis*, & aliorum Philosophorum, sic satis prolixum: in quo cum curâ equidem applicat se interpretandis Philosophorum veterum dictis, lucemque iis non pœnitendam affundit, an tamen mentem eorundem in articulo principe assequatur, definire non ausim, ob ingerentem se hinc inde in mediâ explicatione caliginem. Benè quidem ex Mariâ Hebræâ ita commendat; ζόξατε ἄῤῥενα καὶ θῆλυ, καὶ εὑρήσετε τὸ ζητούμενον, sed quis ille mas sit, & quomodo ante conjunctionem præparandus, non perinde adjungit. Bene ex *Zosimo* observat, ὅταν τὰ πάντα σποδὸς γένωνται, τότε νόει, ὅτι καλῶς ἔχει; sed optarem illum simul addidisse, anne digitum intenderet in illud *tabulæ Smaragdinæ*: Vis ejus integra est, cùm versa fuerit *in terram*. Bene iterum ex *Mariâ* ita monet: Ἐὰν μὴ τὰ σώματα ἀσωματώσῃς, καὶ τὰ ἀσώματα σωματώσῃς, καὶ ποιήσῃς τὰ δύο ἕν, οὐδὲν τὸ περισσεύον ἐστιν: sed quomodo corpora in spiritus transeant, obliviscitur. Bene inducit Bibliothecas Alexandrinas adhuc salvas (unde de ævo ipsius judicare licet) atque in iis tradit exstare, quid sit παρθένος γῆ, quid γῆ σαρκική, quid γῆ ἀσωμάτωδης, sed ipsius erat, opinor, ut interpretis, ista diductiùs & explicatiùs prosequi.

IX.

Theophrastus Junior Philosophus Christianus versibus jambicis de *Arte sacrâ & divinâ*, ceu vocat, commentarium scripsit, non illum pœnitendæ lectionis, in quo præcipuè inducit draconem 20. diebus in fimo equino sepultum, donec suam ipse caudam deglutiat; hinc necandum, extrahendum fel ejus, hoc facto corpus ejusdem inalbescere, & sensim aucto calore in purpuram terminari. In processu ipso abstrusè agit, dum nullum draconi retinaculum adjungit, nullum corpus, cui in statum volatilem evehendo deserviat: nec id satis ex disciplinâ videtur, quod alborem jam nascentem solius tridui labore in perfectam tradat abire flavedinem. Id quod me eò inducit, ut existimem, Theophrastum hunc theoriæ peritiorem fuisse, quàm securæ praxeos.

X.

Hierotheus Philosophus jambis illigavit dissertationem suam *de Arte sacrâ & divinâ*, idque piè, & eruditè: Laudandus egregio conatu, cui eventum quoque respondisse verisimile est. *Materia*, inquit, *una est, & simplex, omnibus cognita nomine, non usu, in quâ præparandâ labor brevis, sed, nisi aspirante Deo, inutilis. Et quidem materia*, pergit, *triplici formâ spectandam se offert, licet unam essentiam perfectè in se contineat. Huic marem adjunge ex viciniâ Romæ oriundum, eumq; purpureum, generabunt prolem novam parentibus aissimilem, sed venustiorem*: & quæ sunt alia, ad declarandum, forsan & ad occultandum adjecta. Ex hoc autem scripto nemo facilè magnum in Arte lumen sibi pollicebitur, ita frequentet luxat ea, quæ ad rem faciunt, & sententiam in medio cursu amputat.

XI.

Archelaus, Philosophus Christianus, mentem suam *de Arte Sacrâ* jambis expressit, opusculum, ut apparet, ex intimâ magisterii cognitione profectum: spondet optatum Lectori suo exitum laboris, dummodo mundâ conscientiâ, precibus ardentibus, vitâ sobriâ, & à turbis inanibus vacuâ se operi accingat. Multus autem in eo est, ut doceat humidum jungendum sicco, calidum frigido, singulari artificio, ita substantias ob cognationem se invicem penetrare, & simul stabili sede locari, nec postea unquam à potentiâ ignis divelli. Sed præstat Auctorem ipsum consulere, qui, si quid judico, ita profundè cubilia reconditæ Artis ingreditur, ut *Zosimo* palmam dubiam faciat.

XII.

Anepigraphus Philosophus solutâ dictione persequitur *Modum dealbandæ Aquæ Divinæ*, & sententiæ suæ potiora figuris, paraboliſq; involvit, de homine aram ardentem intrante, de aquilâ æneâ in fonte puro se quotidie lavante, & quæ sunt id genus alia, quæ partim Zosimo debere se agnoscit, partim Ostani. His adjicit, non nimis irrigandam esse animam, nè vi suâ privetur, & aufugiat. Ad summam, artificem esse multa loquuntur, licèt à Latinis Chemicis in hoc diffideat, quod pertendat, *non primum fieri dealbationem, & post sequi flavedinem, sed peragi utrumque tempore indivulso*. In eo autem concordat cum Latinis, quòd doceat, magnâ industriâ incumbendum esse dealbationi (quam vocant) ut flavedo eò floridior, solidiorque mox superveniat.

XIII.

Heliodorus Philosophus Christianus, ad Theodosium, Regem magnum (ceu appellat Imperatorem Theodosium) jambos misit de mysticâ Philosophorum Arte, in quibus (quicquid etiam de ætate ejus sentiat *Reinesius*) ita subjectum lapidis jubet eloqui: *adsum ego quærentibus in medio ipsorum jacens, qui me inspiciunt, nesciunt quod ego ipse præsens sim, & tamen quærunt me operosis, & inanibus laboribus: ego interea omnium servus, etiam jumentorum; nec necesse est, ut me in Pontico mari quærant, licet ibi quoque sim, & nube involutus ascendam; si quis me rectè abluat, mirabili splendore coruſco, patremq; meum occido, & illo demum evado multò præstantior. Tu interea lacte me conveniente nutri, sed parcè, & frugaliter, sum enim ad copiosum alimentum infirmior, donec robur adultum consequar. Nigredinem in albedinem commuta, nam hæc est dealbatio illa secunda, quam filii Sapientum videre desiderant, & quæ postea transibit in corallium, & vinum sanguinis ad instar rubicundum. Quo facto laboris præmium lætus percipies, & de paupertate triumphabis.* Et hæc quidem more Chemicorum Latinorum per ænigmata ita declarantur, ut ex aliis scriptis & propriis quoque experimentis oporteat OEdipum advocare, si quis inde laboret proficere. Extant & alia quædam *Manu-Scripta* Chemica Græca, *Pelagii*, *Cosmæ Hieromonachi*, *Pappi*, *Comarii*, *Stephani Alexandrini*, *Blemmedæ*, *Pselli*, aliorum, (de quibus eruditè celeberrimus

Morhoffius

Morhofius in Polyhist.) quæ eandem ferè, quam jam adducti, tundunt incudem, hoc est, indulgent sibi inusitato dicendi genere, ænigmata, gryphos, parabolas, inversa verba amant, atque ubi subinde humano more loqui perrexerint aliquantillum, mox Lectoris attentionem circumcidunt, in avia & aliena declinantes, eo instituto, ut sagacibus tantùm, & iis, qui ætatem inter experimenta consumpsere intelligantur (quibus & non rarò loquuntur apertissimè) non initiatos, ut profanum vulgus longè arceant, & frustrentur. Quod & ipsum scribendi tormentum frequentatum videas Latinis, imò verò plerisque aliis diversarum Linguarum Philosophis, idque ob rationes easdem.

XIV.

Non est necesse hîc multis probare ex *Firmico*, *Suidâ*, *Gazeo*, & aliis, continuâsse in hoc studio sapientiæ Græcos, cùm utique constet, Franciscum I. Regem Galliarum, proavorum nostrorum memoriâ in Græciâ coëmisse magnam Librorum *Manu-Scriptorum*, ut alterius, ita quoque Chemici argumenti supellectilem, quæ adhuc in Bibliothecâ Regis Christianissimi *Manu-Scriptâ* perennat. Ut taceam, *Leonem Allatium*, Bibliothecæ Vaticanæ præfectum, & Græcum gente, mihi in familiari colloquio Romæ confessum esse, Artem Chemicam à Græcorum curiosioribus in patriâ adhuc impigrè exerceri, sibique in animo esse, Græcos Scriptores Chemicos publicæ luci, cum interpretatione latinâ exponere; id quod doleo, per decrepitum illustris Viri senium, & supervenientem demum obitum impeditum fuisse. Interea nemo hodie offendatur scriptis Chemicorum Græcorum, ut transcriptorum vitio rancidis, & in barbaras sæpe sordes exeuntibus; quid enim mirum, purissimos etiam infantes ab impuris tot seculorum nutricibus subinde contaminatos sordescere? Arabes, Maurique, sive à Græcis Artem hauserint, sive à Chamigenis Africæ rectoribus, nobis hîc perinde fuerit, dum constet, varios illius gentis Scriptores Chemicos cum Mauris olim in Hispaniam trajecisse, & ad propagandam per Europæ regiones Artem, suam contulisse symbolam, à quibus hodiéq; sparsæ per Medicinam, Pharmaceuticen, Chemiam voces plurimæ leguntur. Imò vix quisquam Chemica etiam nunc in publicum emittit, nisi Arabum notionibus, atque emblematis distincta. Et nè credamus studium hoc ibi cessâsse, testis est luculentus *Joannes Leo* (qui Granatæ quidem oriundus, sed educatus est in Barbariâ) in descriptione Africæ, illud ut alibi, ita præsertim Fessæ adhuc invalescere, licet multi eodem abutantur. Quid quòd Angli varii, inque iis doctissimus *Th. Parry* Oxonii mihi asseveravit, multos Afrorum his mysteriis enodandis incumbere, imò esse non paucis mirabile illud *Paracelsi* & *Helmontii* menstruum, *Alkahest* dictum, satis supérque cognitum, de quo certum reddidere varii, cùm Tangerii in Africâ viveret.

XV.

Supereſt, ut progrediamur ad Latinos, Arabes, Mauroſque vetuſtiores, item ad curioſiores, & recentiores aliarum gentium Europæarum Scriptores Chemicos, licet ætatem plerorumque definire, in manu noſtrâ non ſit, imò fortaſſe in nullius, quòd ex compacto latere vivi voluerint, & notitiam ſeculi ſui evitare. Quod igitur Philoſophos illos Arabes, Mauroſque ſpectat, illi ab anno Chriſti DCCXII. cum Saracenorum copiis paulatim Hiſpaniæ infuſi diſciplinas unà ſuas per Europam variò diſſeminarunt. Ex illorum ſententiis magnam partem conflata eſt, aliis quibuſdam Latinis, Græciſque adjunctis *Turba Philoſophorum*, quæ antiqua dictorum Chemicorum farrago paſſim citatur ab *Alano*, *Alberto Magno*, *Petro Bono Lombardo*, aliiſque ſuperiorum ſeculorum Magiſtris. Quis autem fuerit ille Ariſteus, qui Pythagoricos diſcipulos ita in unum coëgit, nemini hodie compertum. Id ſatis evidens, dictionem ſapere mores Antiquorum Chemicorum, & in Græcis, Arabibuſque ſimilia plura occurrere. *Kircherus* in *Turbam* obliquior eſt, ſed immeritò, ſit plena tautologiis, barbariſmis, gryphis, & quandoq; ineptiis, dummodo ſub his ſpinis non rarò colligantur roſæ. Sæpe intermiſcent hi ſcriptores variis male conſarcinatis collectionibus ſententiolam unam illuſtrem vix auro redimendam. Ita *Bernhardus Treviſanus* in hoc Magiſterio Roſcius, agnoſcit ſe, poſt inanem infinitorum librorum lectionem, ab uno *Parmenide* in *Turbâ*, rectam in viam reductum fuiſſe.

XVI.

Artephius, cujus opus Chemicum in propatulo eſt, inter vetuſtiores quoque non injuriâ numeratur; ſiquidem, ut profitetur ipſe, mille circiter annos vixit, ope Tincturæ univerſalis, antequam jam decrepitus librum hunc ſuum, miſericordiâ in errantes invitatus exararet. Exaravit autem libellum laudatum ante quatuor, minimùm, ſæcula, ut quem *Rogerius Baco*, A. Chriſti MCCV. non dubitavit allegare. Eſt autem hic ſcriptor, ut repetitionibus ejuſdem materiæ, & circuitionibus, alieniſque ſæpe moleſtus, ita de cætero candidus, verax, & abſolutus haud dubiè magni Operis Magiſter, quem legiſſe, & iterum, iterumque legiſſe, ſerium Candidatum Artis non pœnitebit. Ex anteceſſoribus ſuis neminem adeo laudat, præter Magiſtrum Belenum, agnoſcitq; ſe veram magni Arcani cognitionem ex lectione ſcriptorum *veridici Hermetis* conſecutum eſſe.

XVII.

Morienus Romanus, Chriſtianæ religionis aſſecla, libri *de transfiguratione metallorum* Auctor, in priſcis quoque Chemicis meritò cenſendus. Edoctus ab *Adfar Alexandrino*, deliciis ſæculi generosè contemptis in agro Hieroſolymitano vitam eremiticam ſponte elegit, poſteaque à tranſeuntibus cognitus, aliorum interventu Regi Ægyptio Calid cœpit innoteſcere; cum eoq; de ſecretis Artis variè diſſeruit, ita tamen, ut more Philoſophico alia manifeſtè proderet, alia in medio ſermonis curſu prudenter celaret. Neque tamen ita recondidit ſenſus ſuos, ut non pateat filiis Artis aliquanto provectioribus. Et hic *Morienus* de primâ & principe materiæ rudis præparatione ita dilucidè ſe ſe explicuit per intervalla, ut haud ſciam, an ullus hactenus plenius mentem ſuam aperuerit, meliuſque meritus ſit de universâ inveſtigantium catervâ. Antiquum eſſe ſcriptorem vel illud docuerit, quòd à *Rogerio Bacone* nonnunquam allegetur, ſed & evidentiùs idem teſtatur editio *Morieni* Hanoviana, ad cujus calcem iſta legas: *Explicit*, inquit, *liber Alchymiæ de Arabico in Latinum translatus anno milleſimo, octuageſimo ſecundo, in menſe Februarii, & in ejus die* 11.

XVIII.

Geber Arabs, notiſſimus libris *de ſummâ perfectione Magiſterii*, & *inveſtigatione ejuſdem*, quo præciſè vixerit ſæculo ambiguum eſt: certum tamen, antiquum eſſe, & *Petro Bono*, *Calide ſecretorum ſcriptore*, *Villanovano*, *Avicenna*, *Alberto Magno*, *Hortulano*, *Efferario* (*ſive Fratre Ferrario*,) *Iſaaco Hollando*, *Jodoco Grevero*, *Alano*, *Treviſano*, *Dionyſio Zacharioque* vetuſtiorem, quod ab his omnibus in teſtimonium veritatis

veritatis advocetur, neminem autem horum teſtem alleget, contentus pronunciâſſe, *hanc eſſe ſententiam Antiquorum Philoſophorum*, & ſe libros Antiquorum redegiſſe in compendium. Eſt autem *Geber*, ſi unum excipias Hermetem, parens veluti Chemicorum, & ſummus in Arte illâ ſtator, eóque *Rogerio Baconi* magiſter magiſtrorum appellatur: quodque ille neſcivit, omnes propemodum ignorant. Senſit tamen & *Geber* ſuos calumniatores, quid mirum? cùm ne Jupiter ipſe placuerit univerſis. Aiunt ſophiſtam eſſe, præſertim in Medicinâ primi & ſecundi ordinis; aiunt ſubdolum eſſe, & cùm ſine ænigmatis ſcribat, clandeſtinum ſibi reſervare ſenſum. Verùm enim verò, ſi quæ variis locis tradit, juſto doctrinæ ordine brevi tabellâ ſiſterentur, jam præmanſum ingeretur ori tyronum; nunc, ut palam ipſe præ ſe fert, ſparſit hæc in capitibus diverſis, ut attenti, ſollicitíque obſervatores omnem, quod dicitur quercum excuterent; nec perſuadet ratio ulla, debere hæc ſtatim obvia eſſe illotis, malignis, ſomniculoſis.

XIX.

Rogerius Baco in *mirabili poteſtate Artis & Naturæ* capaciſſimum declarat genium, & admirandam in rebus novis, inuſitatíſque inveniendis dexteritatem; fatiſque oſtendit ſibi ea jam olim fuiſſe explorata, quæ poſtera tandem ſæcula vera fuiſſe deprehenderunt. Incuſatus ob id ab inertium Monachorum vulgô, ſolâ innocentiâ ſe tutatus eſt, & imperitiam cavillantium refutavit contemptu, unde & defenſorem ſui tandem invenit illuſtrem *Naudæum*. Nec dubitat nobilis ſcriptor *Jo. Balæus* eum nominare Philoſophum acutiſſimum, & ſæculi ſui miraculum. Scripſit varia *de Lapide Philoſophorum*, *Alkymiæ ſpeculum*, de *radiis ſolaribus*, de *ſpeculis uſtoriis* &c. obiit, referente eodem *Balæo*, Oxonii, anno Chriſti M.CC LXXXIV. apud Franciſcanos ibidem ſepultus. Quæ in Chemicis publicavit, obſcuriora ſunt & variis proceſſuum ineptiis referta, eſt tamen ubi expergiſcitur, & ſagacibus monitis, quantus in ſe lateat artifex, evidenter oſtendit. Quin & quæ *de Arte* tradit ad Raymundum Gaufredum, demorſos ſapiunt ungues. Nec malè ipſe poſt allatam experimentorum variorum inutilem farraginem, Candidatis hanc regulam præſcribit: *Dimittite experimenta, capite rationes, & invenietis*. Id ipſum ſi in *Lullii*, alio ſimque ſcriptis obſervetur, multos cuſtodiet à præcipitiis.

XX.

Ariſtoteles Chemicus (cujus opus circumfertur *de perfecto magiſterio*, item *Practica Philoſophici Lapidis*) non is eſt, qui ſe velit haberi *Stagiritam* Alexandri Magni Præceptorem, ſed qui profitetur ingenuè, ab Arabibus Philoſophis, imò ab ipſo *Avicenna* ſe didiciſſe: ſcriptor doctus, & methodo perſpicuæ inſiſtens. Præcipuum inſtitutum ejus *Tabulam Smaragdinam* enucleare, & indubitata veræ praxeos tradere elementa, in quo negotio nec judicium temere deſiderabis, nec in experiundo felicitatem. Multum habet in receſſu vox ejus: *Fac pacem inter inimicos, aquam & ignem, & habebis magiſterium*. Quòd ſi in quibuſdam ſcriptis ejus mentio injiciatur Alexandri Magni (ut fit in meo quodam *Manu Scripto* quadringentorum annorum) factum id exſcribentium temeritate, & ſuperiorum temporum incuriâ.

XXI.

Frater Ferrarius (quem alii Efferarium appellant) nubilus ſcriptor eſt, in quo licet ſcintillæ quædam veritatis ſubinde emicent, ſuffocantur tamen multitudine ineptiarum, adeo ut, qui ad lectionem ejus lucis nihil adferr, nihil ex eo ſplendoris conſequatur. Is cùm ſæpiùs probet ſententias ſcriptorum *Turbæ*, *Gebri*, *Platonis Chemici*, *Morieni*, nuſquam *Villanovani* meminit, *Lullii* nuſquam, ut vel hinc appareat, eum his vetuſtiorem æſtimandum. Junior *Ferrario* rectè judicatur *Joannes Ticinenſis*, ſcriptor multæ caliginis, & quo ſine inſigni damno poſſet carere hæc diſciplina. Ex evidentioribus ejus apophthegmatis eſt hoc: *Tu qui gliſcis donum Dei contemplare, hujus rei fontem peramabilem, Lunam, ſolem tranſmutare, tibi mando voce clarâ lympham inſtillabilem*. Item, *Lapis candens fit ex tribus, nulli datur niſi quibus Dei fit ſpiramine ex matris ventre quos beavit, & ad artem deſtinavit ſacroſanctimine*.

XXII.

Arnaldus de Villanovâ, patriâ Gallus (cujus etiamnum ſtirps, & natorum nati mihi cogniti vivunt in agro Avenionenſi, nè adhuc quidem Chemiæ imperiti) floruit circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum. Ætatem ejus vel ex eo definias, quòd opus ſuum, *Semita Semitæ* inſcriptum Benedicto XI. Pontifici Romano dedicaverit anno circiter MCCCIV. quòd anteceſſori ejus, Bonifacio VIII. quæſtionum aliquot Chemicarum enodationem poſcenti ſatisfecerit, quòd Regi Arragonum Friderico (qui poſt, anno ſcilicet MCCCII. Rex Siciliæ conſtitutus) circa finem vitæ adhæſerit; atque ab eo ad ſanandum Pontificem Clementem V. miſſus in itinere maritimo naufragus circa annum Chriſti MCCCX. obierit Genuæ ſepultus, de quo *Joannes Imperialis* in Muſæo Hiſtorico, & alii. Hunc in Aulâ Romanâ ſpecimen χρυσοποιήσεως edidiſſe *Jo. Andreas ICtus* liquidò atteſtatur, & contradixit hactenus nemo. In publico verſantur ſcripta ejus Varia: *Roſarium Arnaldi* (nam aliud eſt *Roſarium Philoſophorum*) *Flos Florum*, *Epiſtola Chemica ad Regem Neapolitanum*, *Novum Lumen*, *Practica Arnaldi* ad Papam quendam, *ſpeculum Alkymiæ*, *Quæſtiones Bonifacii VIII. cum reſponſis Arnaldi*, *ſemita ſemitæ*, &c. De quibus, ut verbo nos expediamus, ita cenſemus; In *Roſario ſuo* occultat ſe ſe, & curſum ſermonis aliena inſerendo ſæpe amputat: In *Flore Florum* Regi Arragonum dicato procedit diſtinctiùs, quæ tamen ibi de amalgamate Veneris & ſpiritu Vini inculcat, omnia figurato ſenſu intelligenda. In *Epiſtolâ ad Regem Neapolitanum* recto ſubinde tramite incedit, ſed mox iterum prævaricatur. In *Novo Lumine* paulò clariùs ſe explicat per intervalla, agnoſcitque inter alia ingenuè, ſe per alienam doctrinam, cognitionem Elixiris hauſiſſe. Et poſtea: *Nunquam vidi*, inquit, *quenquam, præter Magiſtrum meum, qui opus ſuum in debitâ materiâ applicaret*. In *Practicâ ſuâ* methodum procedendi, regimen caloris, qualitatem carbonum, tempora colorum ſatis apertè deſcribit, notatque putredinem aliquando quadrageſimo die, aliquando nonniſi centeſimo (ſcilicet ob materiam non ritè purgatam, ob calorem ſegniùs adminiſtratum) ſupervenire, imò aliquando nè tum quidem apparere, adeſſe tamen ſub pelle eminentiori materiæ, adeóque elementa ſatis ſecurè conjuncta eſſe. Inter ea primum opus præparationis & hîc præterit. In *ſpeculo Alkymiæ* de primo opere velut in tranſcurſu quædam attingit, ſed mox ad ſolennes ſe refert tenebras, cùm tamen illo ignorato cætera omnia ignorari neceſſe ſit. In *Reſponſis ad*

Bonifacium

Bonifacium VIII. intelligenter progreditur, sed & de nodo Gordio solvendo ibi nihil. Interea *Gebro* contrarius videtur, scribens, *Lapidem non posse fieri ex solâ aquâ vitæ Philosophicâ*, quanquam enim & hanc viam operosiorem agnoscat *Geber*, procedere tamen asseverat; forsan, quo calle non incessit ipse, eo neque incedi posse autumans. In *Semitâ semitæ* Pontifici Romano, Benedicto IX. inscriptâ admonitiones quasdam inspergit non pœnitendas, legique illud opusculum cum curâ meretur.

XXIII.

Raymundus Lullius, ut notior, celebriorque omnibus ferè Chemicis, ità judiciis doctorum magis fuit expositus. De ejusdem vitâ, morte, gestis (excipio scientiam ipsius arcaniorem, quam vivus dissimulavit) nemo rectiùs censuerit *Vincentio Mutio* (libro II. de Historiâ Majoricanâ) viro erudito, cordato, & testimonii fide dignissimis instructo. Titulus libri: *Historia del Reyno de Mallorcâ, que escrivio Vicente Mut, su Coronista Ingeniero, y su Sargento Mayor por su Magestad, Anno 1650 fol.* Approbavit censurâ suâ scriptum hoc *Fray Miquel Torres*, Letor jubilado, & definidor de la Provincia de Mallorca 1. Octobr. Anno 1650, idque nomine & auctoritate Episcopi Majoricani, Thomæ de Rocamora. Scriptus autem hic liber in Regali conventu S. Francisci civitatis Majoricanæ, quod ideo adducitur, ut de morte *Lullii*, qui ibidem sepultus recubat, constet evidentiùs. Nam quæ de vitâ *Lullii* scribit Anno 1605 *Ivan Segvi* (non Segti) nec *Mutio* adversa sunt, nec ignota, nec à *Bzovio*, Lullii inimico magni æstimantur. Secundum ergo hunc *Mutium* natus est *Raymundus Lullius* in Insulâ Majoricâ anno Christi 1235. nec dissentit vel *Segvi*, vel *Lucas Vadingus*: obiit autem anno ætatis octogesimo, hoc est, anno Christi 1315, vigesimo nono Junii, & quidem Bugiæ in Africâ martyrio coronatus. Eundem mortis Lullianæ annum designat. Jf. *Bullart* in Academ. scientiarum, eundem *Ludov. Morerius* in grandi Dictionario Historico, eundem *Ioann. Imperialis* in Historico Musæo: eundem *Odoricus* in Annalib. Ecclesiasticis. Et quid multa? leguntur, ex fide inspicientis *Mutii*, sepulchro ejus insculpti hi versus in eâdem insulâ (nam à morte eò transportatus fuit à *Stephano Colon*, & *Ludovico de Pastorgâ*)

Raymundus Lulli, cujus pia dogmata nulli
Sunt odiosa viro, jacet hîc in marmore miro,
Hic M&CC. Cum P. cœpit sine sensibus esse.

ubi Mccc designant annos 1300, & P, ut decima quinta litera alphabeti indicat 15. *VVolff. Iusti* testimonium (quod in Chronolog. Medicâ videtur his adversari) ut ab imperito aliquo Chronologo excerptum, parum, immò nihil habet ponderis. Multò minus id suadet dissensum, quòd in scripto *Lullii* de Mercuriis narretur *Lullius* Mediolani cum sociis anno Christi 1333. lapidis Philosophici opus absolvisse; neque enim ulli rerum & temporum gnaro ignorari potest, quàm fœdè ab imperitis manibus collutulata sint *Lullii* scripta. Et vel unico illo idem clarissimè ostenditur, quòd *Lullius* in *Compend. Animæ* inducatur tanquam inscribens libellum suum *Ruperto Anglorum Regi*, & mox ibidem adjiciat, missum *Ruperto* librum per *Edoardum Regem Anglorum*, cùm constet apertissimè, seculo Lulliano nullum Rupertum Anglis imperasse. Deinde in *Testamento Lullii ultimo* hæc leguntur: *Robertus antecessor Regis Caroli tyrannus incarceravit Lullium, & thesaurum ejus distribuit cum multâ sanguinis effusione, sed malâ morte periit.* Quæ recitâsse, est refutâsse, cùm historiæ temporis illius adversissimæ sint.

XXIV.

His ita in antecessum libatis restat sæpe vexata quæstio, an *Raymundus Lullius* potuerit Edoardo id nominis (post *VVilh. Conquestorem*) tertio, ita appellato, Anglorum Regi sex milliones ex auro Chemicâ arte confecto subministrâsse ad bellum contra infideles gerendum, & Edoardum acceptis pecuniis arma mox vertisse in Gallos. Id quod licet Anglorum nonnulli, & ab iis invitati alii viri docti scribere sustineant, fieri tamen potuisse nego, immò pernego. (*a*) Edoardus enim tertius non nisi triennis erat, obeunte in Africâ *Lullio*, nec gubernaculis Regni Anglici admotus est, ante annum Christi 1326, hoc est, multis à morte *Lullii* annis, de quo testantur *Anglorum Historici* uno ore, & Belgæ, Galli, Germanique similiter. Aut ergo traditionem illam *de sex auri millionibus* falsam esse oportet (licet *Cambdenus*, *Seldenusque* pertendant veram esse) aut Edoardo I. patuit illa Raymundi liberalitas: Nam Edoardus II. infelix Princeps, nec bella gessit, nec in Palæstinam cogitavit; sed *primus* magnas ibi res gesserat, Parente adhuc vivo; & sceptro admotus parabat in Syriam certis conditionibus reditum quemadmodum ex *Odorici Raynaldi* Annalibus, ex *Floro Historico* Westmonasterienſi, aliisque colligimus. Vox *VVestmonasterienſis*: *Edoardus I. gravi morbo implicitus*, inquit, *prope Burdegalam decubuit, ab eo recreatus crucem induit, atque à Legato Papæ Christianorum exercitûs dux creatus est. At postea leviſſimâ ex causâ devota DEO arma in Gallos vertit.* Convenit præterea Edoardi I. ætas Carolo, Rupertoque, Siciliæ, sive mavis, Regni Neapolitani Regibus, Edoardi primi affinibus. Ideoque Edoardus primus ex Syriâ reversus beneficè exceptus est à Carolo primo Siciliæ Rege, fratre Ludovici Sancti. Hujus Caroli filius, Carolus secundus dictus, succedit Patri, anno Christi MCCLXXXII, Romæque, à Pontifice coronatur anno MCCLXXXIX, liberatus tandem à carcere Arragonio per Edoardum primum. In hujus Caroli secundi, demortui locum subrogatur Robertus, anno MCCCIX, sex annis ante mortem *Lullii*, disertè testantur *Chr. Besoldus*, *Felinus Sandeus*, *Collenutius*, alii. Ex hac strictâ trium Regum amicitiâ effectum est, ut Lullius his omnibus scriberet; omnes demereri conaretur. Sed si horum ætas cum Edoardo tertio conferatur, jam omnia discordabunt. *Cremeri Abbatis* traditio patitur suos manes, & non vixisse Cremerum sub Edoardo primo, unde probabitur? Quis etiam credat *Lullium* venisse in Angliam primo equidem victum precibus *Cremeri*, & aliquot demum annis postea (post miserias

(*a*) Cùm scribunt Raymundum Lullium tot thesauros Edoardo iij. pro Bello Sacro contra Sarracenos concessisse, computationem suam non ineunt illi Auctores à Wilhelm. Conquestore; nam sic Edoardum qui bellum Sarracenis intulit, primum nominare deberent; sed eam à fundatô regnô ordiuntur. Quô tamen iterum sensu, ille non tertius, verùm quartus dicendus foret; siquidem præcesserant Edoardus Alfredi filius, cognomine à capillitio albo, senex; Edoardus Edgaris filius, inter sanctos à quibusdam numeratus: & rursùs Edoardus Ethelredi filius, primò pacificus vocatus, postea Sanctorum albo inscriptus. Verùm hæc non ita sunt magni momenti ut iis ulteriùs enucleandis immorari debeamus.

carceris ab Edoardo intentatas) ad ejuſdem Edoardi interceſſionem ? Diſertè enim *Lullius* in *Compendio Animæ tranſmut. Vidimus*, inquit, *hæc omnia, dum ad Angliam tranſimus propter interceſſionem domini Regis Edoardi illuſtriſſimi.* Quis credat Edoardum, fugiente Lullio, non mancipaturum fuiſſe carcere præſentem adhuc Cremerum, ſocium ejus & arcani quoque deſiderati participem ? Colophonis loco annectatur illud *Theodori Mundani*, ſapientiſſimi Philoſophi, in nuperis reſponſis ad *Edmundum Dickinſon*, anno MDCLXXXVI. Oxoniæ impreſſis ; *Inculpatæ fidei regiſtris*, inquit, *innoteſcit, quòd patriotæ veſter Riplæus per multos annos ſucceſſivè centies mille libras Equitibus Rhodienſibus miſit, ad ſuſtentandum bellum adverſus Turcas: & Raymundus Lullius Edvardo primo Angliæ Regi ſex myriadas aureas in ſacro bello terrâ ſanctâ geſto expendendas miniſtravit : quas ipſe in Ædè S. Katharinæ prope turrim Londinenſem fecerat.*

XXV.

Verùm ultra inſtitutum progreſſus ad *Lullium* redeo ; qui palam agnoſcit, quâ eſt ingenuitate, ſe proprio Marte nihil ſolidum potuiſſe in Chemicis invenire, adeoque ante cognitum *Arnoldum* ſcripſerat (quod imperitiam ejus Chemicam perpetuam malè interpretatur *Mutius*) *Alkymiſtas habere occaſionem flendi.* Verùm ut ipſe explicet fontes ſcientiæ ſuæ in hoc genere in *Codicillo ſuo* ita inſurgit : *Cum ſolâ præſumptione & temeritate ſcientiæ hujus naturam firmiter intelligere credebamus, nec idem ullo modo intellexeramus, donec tempus adfuit, in quo ſpiritus non immediatè, ſed mediate per Magiſtrum Arnoldum de Villâ Novâ, qui immediatè ſuâ largitate inſpiravit in nobis, reficientur.* Item *in Experimentis : Non potuimus*, inquit, *fixare hæc olea ; donec ab amico Vilbanovano edocèremur.* Item in *Teſtamento ultimo : Arnoldus Magiſter meus non uſus eſt alio furno, quàm ſequenti.* Interea nemo negaverit, plurimas ineptias per inſcitiam temporum, librariorum, invidorum, *Lullii* ſcriptis aſſutas fuiſſe, quas à nucleis ſecernere curioſi eſt, & in Magiſterio ignis probè ſubacti. Fortaſſis & quædam ex *Raymundi Lullii de Terragâ*, hominis inepti placitis, & *germano Lullio* poſterioris, ejuſdem ſcriptis, injuriâ temporum ſe ſe immiſcuere ; id quod *Majoricano* tamen *Lullio* vitio verti nullo modo debet. Quod ad ſcientiam *Lullii* in Chemiâ ſecretiori attinet, nemo facilè ipſum vicerit hinc ſubtilitate ingenii, & ſententiarum illuſtrium, de intimis Artis myſteriis, copiâ, illinc occultandi ſe ſe calliditate, & prævaricandi ſtudio.

XXVI.

Quicunque proceſſus Lullianos, ſequitur, jam vergit in præcipitia ; nuſquam enim magis fruſtratur Lectorem, quàm in hoc paſſu : aliquando ſinceriſſimè loqui putabis cùm nihil planè veri ſubſit : echeneidem quæris in alto mari, aciculam in ingenti metâ fœni amiſſam, & tamen, ſi inquiras ſollicitè eſt in illo mari echeneis, eſt acicula, ſed duce fortunâ opus, ut nemore in tanto aureus ille ramus inveniatur. Proinde non tam verbis *Lullii* inhærendum, quàm ſparſis hinc inde profundis ſcientiæ illius monitis, obſervationibus, præceptis. In prolixâ illâ *Lapidis Theoriâ* praxin diverſis locis aperit ſatis intelligenter, ſed in adjunctâ *Praxi*, mera ferè obtrudit putamina. In *Tranſmutatione Animæ* rectè quidem profitetur, materiam eſſe animam metallicam, ſed quæ de ſpiritu vini, & aliis, permiſcet, omnia longè alio ſenſu capienda. In *Codicillo* multa egregiè præcipit, quæ alibi fruſtra quæras, multa etiam aliena ingerit, quæ cum cantu Sirenum, furdâ aure prætereunda. In ſuo *Vade mecum* viâ quadam nativâ incedit, ſine multis proceſſuum labyrinthis, ſed præcipuum magiſterii punctum tacitus omittit ; In *Experimentorum libro* lubrica ſunt ferè omnia, & pauca ſani coloris. In libro *De Mercurio*, ſibi ſimilis apparet, hoc eſt ; caliginoſus & anceps. In *Elucidatione Teſtamenti* diſtinctiùs, apertiuſque incedit, non ſine fructu Lectoris attenti. Inter alia hîc bene, *Tres lapides*, inquit, *deſcripſimus mineralem, animalem, vegetabilem, cum unus duntaxat ſit lapis noſtræ artis, iſque mineralis, quia minera eſt, animalis, quia animam habet, vegetabilis, quia creſcit, & multiplicatur.* De cætero, vulgatum illud ſuum κρύψεως ſtudium nè hîc quidem oblivi ſcitur. Vox ejus ibidem. *Librorum noſtrorum*, inquit, *compoſitio nihil aliud eſt, quàm ſagacis ingenii ſubtilitas ad Artem noſtram celandam.* Eſt tamen & hîc, ubi ſe aperit, & quaſi furtim ſcintillas veri manifeſtat, ſecundum illud *Poetæ*,

Quo minimè credis gurgite, piſcis erit.

Ex *Accurtationibus*, qui plumbum Philoſophorum intelligit, aliquid commodi poteſt exſculpere, alioquin vagabundus errabit. In *Repertorio* illud non perfunctoriè conſiderandum : *Sol non jungitur Mercurio niſi per ſubſtantiam mediam.* Item ; *Facit enim terra in decoctione ſuâ multas glandoſitates, ſive gibboſitates, ad modum ampullarum, in quibus apparent omnes colores mundi.* In *Teſtamento ultimo* de neceſſariâ illâ præparatione primâ quiddam velut in tranſcurſu attingit, cætera gryphis ſimilia. In *Poteſtate divitiarum* verbis ditior eſt, quàm monitis ſalubribus. In *Claviculâ* illud ſeriò intuendum : *Argentum*, inquit, *vivum vulgare non poteſt eſſe argentum vivum Philoſophorum, quocunque artificio præparetur ; quia vulgare non poteſt detineri in igne niſi per aliud argentum vivum corporeum, quod ſit calidum & ſiccum, & magis digeſtum. At noſtrum eſt magis digeſtum, cui ſi jungitur vulgare, nunquam ſeparantur, immò vertuntur ſimul in purum metallum, immò in Medicinam tranſmutantem.* Præter hæc Lulliana, quæ in publico exſtant, varia adhuc *Manu-Scripta* Lulliana circumferuntur, quæ inter lecta mihi *Inveſtigatio ſecretorum Divini Raymundi Lullii, Matrimonium Solis & Lunæ, Clavicula ſecreta, Liber Magiæ Naturalis, Liber de ſecreto ſalis urinæ, Teſtamentum Mineralium, Lapidarium* ; ſed plura hinc inde audio deliteſcere in latebris Eruditorum. Quòd ſi tamen ex mihi inſpectis *Manu-Scriptis* judicium de reliquis ferendum, qui ex editis libris Lullianis ſapere in hoc argumento non diſcit, ex *Manu-Scriptis* vix fructum colliget duraturum.

XXVII.

Margarita pretioſa Petri Boni Lombardi, anno Chriſti MCCCXXX. in civitate Iſtriæ *Pole* concinnata, ab ovo, quod dicitur, progreditur, & prolixè, more Ariſtotelico veritatem Artis Chemiæ per rationes non erubeſcendas confirmat, atque tuetur ; opuſculum tyronibus utile, incredulis in rectam viam redigendis penè neceſſarium. Id tamen ex lectione hujus ſcripti colligere mihi videor, Artem, quantum quidem ſola theoria polliceri poteſt, cognitam ſatis fuiſſe huic *Lombardo*, verùm, cùm hæc ſcriberet nondum certâ praxi ſtabilitam. Vox ejus pag. mihi DCCCXXXXIII. *Tenemus*, inquit, *quod ſcripſimus, ſicut ſecundum rationem noſtram, & experientiam nondum completam perpendere potuimus.* Neſcio cur *Gabriel Plats* Anglus peculiari ſcripto omnia ferè *Lombardi* enervare, & in fumos vertere ſatagat.

XXVIII.

XXVIII.

Avicenna (aliis Ali-Ibn-Tsina) *Chemicus*, sive fuerit vetustior ille Arabs, seculi XI. scriptor, sive, ut credibilius, alius eo recentior (quod *Gebrum* subinde alleget) nobis hic haud magno habetur discrimine. Id certum, quæ de Arcanis Chemicis commentatus est, olere lucernam, & satis prodere experrectum in his sacris ingenium: neque temere invenias alium in toto procedendi curriculo, in materiâ, coloribus, projectione clariùs differentem, & ratiocinantem subtiliùs. Epistola tamen *Avicennæ de Re rectâ* &c. inter nubes vagatur, & caligine suâ magis adeo turbat, quam instruit veritatis avidum.

XXIX.

Joannes de Rupescissâ, auctor scripti *de confectione veri lapidis*, vidit, ut vero simillimum, viam, quâ itur ad palatium Regis; sed dum in Vitriolo Romano, ejusque spiritu callidè materiam operis magni collocat, alia omnia animo concipiens, Candidatis Artis magis adeo obest, quàm prodest in vento tamen fornacis Philosophicæ non incommodè ipsis gratificatur. Vix post *Lullium*, quem iterum, iterumq; allegat. Quæ *Alberto Magno* attribuuntur scripta Chemica, ejúsne sint, an recentioris alicujus dubitari solet, quòd vulgò *Alberti* libris reliquis non socientur. Quam ut nos hîc controversiam mittamus, id putamus satis constare, scripta hæc ingenii maturi esse, nec dedecere acutum Philosophum: videmus eum in citationibus optimorum scriptorum ita versatum, in tabulæ smaragdinæ explicatione ita solertem, ut de scientiâ ejus Chemicâ non nisi optimè sperare liceat. Inter alia, vox ejus: *Quod quærebam, tandem inveni, non ex meâ scientiâ, sed ex spiritûs sancti gratiâ.* Id tamen non inficiandum, opuscula hæc, quæ *Alberto* quoque attribuuntur, *Alkymia*, *Concordantia Philosophorum compositum de compositis*, *secretorum opus &c.* nondum initiatis ob solennes tenebras, parum profutura.

XXX.

Rosarium Philosophorum, à quocunque tandem compositum, vestigia sequitur veracium Philosophorum non impari gressu, multam tamen etiam arenam sine calce admiscet, nec secretum Artis nisi parcissimè delibat. Inter apophthegmata ejus hoc est: *Via universalis est facilis, & rara, particularis difficilis, & laboriosa.* Item, *Conceptio est cùm terra in nigrum solvitur pulverem, & incipit aliquantulum de Mercurio secum retinere.* Auctorem autem, cùm hæc scriberet, nondum vidisse operis coronidem, argumento sunt, quæ sequuntur: *Hæc omnia*, inquit, *vidi in diebus nostris usque ad Leonem, depinxi tamen usque ad complementum, licet non viderim*; laudanda ingenuitas. Quæ de carbonibus juniperi adjicit, non sustinent exspectationem. Esse autem hoc scriptum *Rosario Arnaldi* posterius, ex eo colligas, quòd etiam Arnaldum alleget. *Scala Philosophorum* Anonymi varia monet satis aptè, sed ubi ad nodum Gordium venitur, conticescit. *Opus Mulierum*, & *Ludus puerorum* minoris sunt momenti, quàm ut cum nobilioribus Artis Magistris conferri mereantur.

XXXI.

Correctio fatuorum Anonymi, scripta, ut patet, post ætatem Villanovani, non inutilis est Candidatis Artis libellus, præceptionibus etiam egregiis frequens. Inter quas enim illa: *Sulphur vulgi metallis est extraneum, & contrarium, quia semper inficit, & denigrat, & corrumpit, quocunque modo præparetur. Si autem calcinatur, in terram abit, ut pulvis mortuus.* Sequitur *Incertus* quiddam de Arte Chemicâ, non imperitus ille quidem, sed caligine nimiâ circumfusus, licet dictio ejus probè latina sit, immò polita, & nitida. *Liber Secretorum Calidis*, filii Iazichi, est profundi & reconditi sensus, cui tamen si nihil luminis afferas, parum inde lucis reportabis. Expendi meretur illud ejusdem *Quis est ex illis probatoribus, qui valeat duo, vel diversa conjungere, quorum centra sunt diversa, nisi post conversionem naturæ eorumdem & mutationem substantiæ.* *Merlini Allegoria* nihil habet, quod improbetur, ita placitis aliorum Philosophorum respondet.

XXXII.

Clangor Buccinæ non latsat alienis, sed instruit necessariis, varia etiam adjicit, quæ non ita clarè ab aliis definiuntur: dignum sanè opusculum, quod Curiosis sæpe legatur & probetur. Multos emendâsset, (nisi sibi saperent) illud ejusdem: *Corpus perfectum in suâ crassitie permanens minimè virtutem habere potest separandi terram sulphuream à commisto imperfecto, & convertendi ipsum commistum ad suam perfectam naturam*, Item, *si non sublimaveris debitè, id est, donec nullas materia relinquat fæces, erit aurum & argentum inde veniens obscurum.* Hic mirari subit Interpretem *Parvi Agricolæ*, qui ex unâ librâ crassi subjecti asserit se ultra octo uncias puræ & præparatæ materiæ posse elicere, *Scriptorem* autem *Clangoris Buccinæ* vix drachmas duas. Verba *Clangoris* hæc sunt: *Ex integrâ librâ menstrui vix medium lothonem habebis, qui facit ad tinctturam.* Sed nimirum *Interpres Agricolæ* de minerâ saturni dictum explicat, *Clangor* autem in liquorem alium nobiliorem digitum intendit.

XXXIII.

Thesaurus Philosophiæ Anonymi, liber classicus est, & à fundamentis pandere mysteria artis laborat, quantum quidem religio Chemica indulget. Nec facilè alius præparationis secretum aperit diligentiùs; cùmque memor sacramenti necesse habeat quædam abrumpere, mutilare alia, subjicit ingenuè: *Sic ea transponunt, quæ stultis pandere nolunt. Cymbalum aureum* Anonymi, non inficetum scriptum est, sed nec pleni robotis tamen. Alii per certa intervalla ignem solent intendere, hic in eodem statu à principio ad finem perdurat. Audiamus loquentem: *In omnibus* inquit, *gradibus ignis unus & æqualis esse debet, talis scilicet, ut materia non eleveur, sed in fundo quiescat.* Et id novum: *Pendeat*, ait, *vas in summitate furni, quò melius calor circumeat, non autem testæ, aut cineri imponatur.*

XXXIV.

Aurelia occulta Philosophorum Senioris, opus pium in theoriâ, in praxi saniorum dictis congruum; ut ideoque tyrones non injuriâ ad legendum invitet. Parabola ejusdem ingeniosa, & per nebulam veritatis viam commonstrans. Unum hic audax *Senioris* promissum cernitur: *Ars hæc*, inquit, *XII. horis addisci, & octidui spatio in opus, ac effectum deduci potest* Quin immò vel unicâ horâ addisci potest, sed octidui spatio absolvi operis complementum quis credat: præter unum illum *Helvetii prænonstratorem*, qui totam operationem inclusit triduo. *Senior Zadith* Arabs non sine acumine persequitur argumentum suum, verùm & sæpius Oedipo conjectore indiget, clarior omnibus dictis ejus *figura* illa est *novem Aquilarum*, quæ si penitus inspiciatur, distertiùs mysterium enucleat, quàm sententiæ *Senioris* universæ.

XXXV.

XXXV.

Conſilium Conjugii de maſſâ Solis & Lunæ Anonymi, in tres diſpeſcitur libros, quorum ſecundus præſtantior eſt, ut rationibus, monitisque ſalutaribus refertus; primus & tertius non pœnitendi, ſed ſecundo neutiquam pares. Ex horum lectione niſi proficias, crede vel fata, vel hebes ingenium obſtare. *Lilium inter ſpinas*, verè ſpinoſum opus eſt, &, ut paucis multa, tenebricoſum. *Practica Ortolani*, ſive *Hortulani* itidem ob inductas tenebras intellectu difficilis.

XXXVI.

Dicta Alani nubila ſunt, & provectum requirunt lectorem. *Secretum Jodoci Greveri* ſatis recto tramite circa initia procedit; eſt tamen, cur ſuſpicer eum ad complementum operis non perveniſſe, quid enim perfectionis materiæ jam præparatæ accedet ex multis Antimonii floribus, quos largiter ſuperaddit? Ut taceam, non videri, materiam à *Greveri* ante conjunctionem legitimè purgatam eſſe. *Correctorium Richardi Anglici* prudenter, & ex arte elaboratum eſt, ſed ita ut per intermiſta aliena genus profanũ arceatur. Unicam ejus ſententiam advocare huc non piget, ut meditatione profundâ dignam: *Mercurius crudus*, inquit, *diſſolvit corpora, & reducit ea in primam materiam, ſed Mercurius corporum hoc facere non poteſt; eſt enim propter cruditatem ſui ſulphuris, quod in primâ habuit terrâ albâ, ex quâ cum aquâ clarâ factus eſt initio; quia illud crudum ſemper appetit corrodere, quod ſuæ naturæ vicinius eſt. Sed Mercurius corporum facere id non poteſt, quia per congelationem illud crudum ſulphur, quod antea in illo fuit, eſt alteratum in naturâ, & ideo non corrodit ſicut primum, nec ſeratum aperit, ſed unius vis non manat in alium, licet ſint fluctualiter conjuncta.*

XXXVII.

Georgii Riplæi XII. Portæ publicum jam diu applauſum conſecutæ ſunt, tanquam germanæ magni Operis janitrices, & quidem meritò; nam ſtylo ita temperato apertæ ſunt, ut prædeſtinatum, hoc eſt, attentum, piumque lectorem non difficulter admittant, irruenti autem manibus illotis Centauro opponant modeſtè obicem. Intelligeretur etiam vulgò *Riplæus*, ſi tractu continuo proceſſum ſuum proſequeretur, nunc, more *Gebri* ſpargit variis locis mella ſua, quæ jungere, & in favos ſtipare circumſpecti eſt. Inter prima Artis tentamenta trutinentur Candidati illud *Riplæi*: *Lapis noſter eſt vapor potentialis metalli: inviſibile profectò eſt hoc menſtruum, quanquàm cum ſecundâ aquâ Philoſophicâ apparere poteſt formâ aquæ claræ.* Floruit *Riplæus* Edoardo IV. regnante, eidemque anno Chriſti MCCCCLXXVII. opus hoc dedicavit; artem didicit non à *Lullio*, licet eum quandoque alleget, non à Cremero, de quo omnia incerta, ſed ut ipſe agnoſcit: *ſecretum in longinquis regionibus didici, & mihi indigno Divinitus concreditum eſt.* Ita tamen Divinitus, opinor, ut interceſſerit, Deo volente, Magiſtri opera; id quod perſuadere videtur dictum ipſius alibi pronunciatum, ubi: *hoc meus Doctor*, inquit, *mihi oſtendit* Simili ratione in *Codicillo Lullius* profitetur ſe Divinâ inſpiratione artem edoctum; & nihilominus in eodem libro ita ſe explicat, ut non immediatè ſed mediante *Villanovano* geſtum id eſſe agnoſcat. Cætera ſcripta, quæ *Riplæo* attribuuntur, & in Germaniâ leguntur impreſſa vel *Riplæum* non fatentur Auctorem, vel ab eodem nondum veris myſteriis initiato profecta ſunt.

XXXVIII

Circa ætatem *Riplæi* prodiit in hoc genere *Thomæ Northoni Ordinale*, quod & in linguam Germanicam tranſiit: item *Samuelis Northoni Conſiderationes in Alkymiâ*, & *Ejuſdem Alkymiæ complementum. Conſiderationes Samuelis* tenebris involutæ ſunt, in *Complemento* paulò clariùs ſe expedit. *Thomæ Ordinale* magis probatur, & quantum conjicere licet, viâ Regiâ procedit. Scripſit principatu Edoardi IV. quem narrat ejus fuiſſe humanitatis, ut *Daultonum* ad ſe productum à *Delviſio*, tanquam magni ſecreti Chemici conſcium, immunem, liberumque à ſe demiſerit; *Delviſium* autem poſtea capite truncatum fuiſſe, de quo conſulatur *Stovv* in Annalibus. Sed de *Thomæ Northoni* ſcripto, ut & reliquis linguâ Aglicâ per *Eliam Aſhmole* publicatis, nimirum *Gothofrido Chaucer*, *Monacho nigro*, *Carpentario*, *Charnoc*, *Blomfeldio*, *Robinſono*, *Gevvero*, accuratiùs judicabunt, qui idiotiſſimorum linguæ ejus, quàm ego, intelligentiores ſunt. *Somnia Daſtini* ab *Aſhmole* Anglicè edita, cùm jam ante in linguam latinam abierint, illa & mihi exprimunt ſententiam, eſſe *Viſionem Darſtenii* (ita interpretor *Daſtin Dreams*) bene conceptam, & ſecundum præcepta Artis legitimè diſpoſitam *Roſarium* autem *Dauſtonii Angli* eſſe quidem obſcuriori filo contextum, ſed non ſine evidentibus hinc inde magnæ Artis veſtigiis. Imprimis unum *Dauſtenio* excidit dictum, quod multis aliorum ſententiis præferendum eſt.

XXXIX.

Thomæ Aquinati etiam locum inter Chemicos indulgent nonnulli: attribuitur eidem libellus, qui *Secreta Alkymiæ* inſcribitur; item alius, *de Eſſe, & Eſſentia Mineralium*. Quicquid horum ſit, ipſa hæc ſcripta non ſunt magni momenti, immò indigna tam nobili Auctore, & caligine obſepta Agnoſcit tamen, quisquis eſt ille *Thomas*, ſe regulas Artis ab Alberto traditas ſectatum. Et mox: *Sequere*, inquit, *Divum Albertum Magnum, Magiſtrum meum*: id quod cum ætate utriuſque parum convenit; obiit enim *Thomas Aquinas* anno Chriſti MCCLXXIV, & *Albertus Magnus* demum anno MCCLXXX. ſecundum *Petavii* calculum, quomodo ergo Thomas appellare potuerit Albertum (licet antea Magiſtrum ſuum) *Divum*, non ſatis aſſequor. Opuſculum *Ioannis Mehung* obſcuri nominis eſt, & luce optatâ deſtitutum. Neque aliter cenſendum de *Epiſtolâ Antonii de Abbatiâ*, de *Johanne Belye*, *Joanne de Laſnioro*, de *clave Sapientiæ Alphonſi*, & ſimilibus. *Naturalis Philoſophia magni Lapidis Jo. Saigner* magis adhuc exerrat, ut cujus opus ex ſale communi variè ſoluto, & divexato procedit, id quod à fontibus Antiquorum Philoſophorum alienum eſt.

XL.

Vellus aureum, ita dictum, Rorſarchi anno Chriſti MDXCIX. impreſſum ſcatet nugis, & impoſturis. Quæ ibi *Salamon Triſmoſin* ſive ex propriâ Enchireſi, ſive ex itinerum ſuorum curriculo in unum compegit, omnia, ſi ut jacent, intelligenda, ſpirant ineptias. Nec ferè aliter de *Hieronymi Crinoti* proceſſibus ſentiendum. Nec ſuccedit augmentum *Trithemii* ibidem ſignatum, ut nec *Tinctum Barthol. Korndorfferi. Speculum Ulrici Poyſelii* pedem luto effert, & ſuprâ cæteros aliquid conatur; ſic & *Dialogus Philoſophiæ*. Quæ ex *Rogerio Bacone* eidem Operi annectuntur, non contemnenda ſunt, eorundem tamen non tàm verba, quàm ſenſus ſpectandus.

XLI.

Dionyſius Zacharius Gallus varios errores ſuos recenſet, atque poſt eos, in portum veritatis ſe perveniſſe aſſeverat; dignus, cui in hoc negotio

habeatur

habeatur fides, cùm & sapienter in Opere suo, ad morem Antiquorum versetur, & monitis efficacibus Candidatos à lapsu & errore præmuniat. *Studiosos amatores*, inquit, *rogo & admonitos volo, priusquam operari incipiant, ut omnibus dubiis, quæ circa operationes in compositione necessarias, versantur, collatis, & quæ sibi mutuò contradicere videbuntur, ænigmatum æquivocationibus, & id genus aliis, animum adeo resolutum, atque liberum habeant, ut videant, ac intelligant, non nisi meras esse concordantias, non diversorum, sed vario modo prolatorum in unum & eundem sensum. Hæc est unica via cognoscendæ veritatis in hâc Arte præsertim.* Fatetur autem *Dionysius Zacharius* in rectam viam reductum esse ex lectione *Testamenti Lullii, & Codicillo Ejusdem*, collatis cum Epistolâ, quam *Lullius* vicinus morti scripsit Regi Roberto, &c.

XLII.

De *Nicolai Flamelli* scientiâ Chemicâ adversis certatur sententiis. Qui Chemici professione sunt Parisiis, ostendunt figuras ad sepulchrum ejus hieroglyphicas, quibus Arrem totam succinctè inclusam volunt; qui ab his dissident, omnia alia de corrasis divitiis ejus congerunt, de quibus pluribus agit celeberrimus *Morhofius* in *Epistolâ* de metallorum transmutatione; ego rem in medio relinquo. *I. Aurelio Augurello*, licet non humillimi spiritus carmine Artem exponat, parum in his sacris tribuendum existimo, quia parum scientiæ ejus Chemicæ defert *Lilius Gyraldus*, & alii populares ejus, quibus vel facie, vel famâ erat cognitissimus. Certum quoque est, Leonem *X.* Pontificem Romanum, librum hunc sibi dedicatum irrisisse, & laborem ejus inanem crumenâ vacuâ ad *Augurellum* remissâ instituisse compensare, addito mordaci dicterio, nihil illi qui hanc Artem calleret deesse præter crumenam, cætera de suo posse subministrare.

XLIII.

Isaacus Hollandus quis fuerit, quando præcisè vixerit obscurum est; *Paracelsi* pleraque ipsi deberi, sunt qui existiment, sed incerto itidem rumore: juniorem tamen esse *Alano* & *Villanovano*, ex eo conficitur, quòd utrumque in scripto suo advocat in testimonia. *Opera* ejus *mineralia* scatent processibus, sed ambiguis, & ex quibus nihil certi, etiam post multos labores colligere licet, ita ex laboribus in labores credulum tyronem invitant. Est tamen, quando minimè creditur, ubi veram aliquam, operi magno necessariam inspergit sententiam, sed & id adeo rarò, ut deprehendi nisi ab eo, qui aliunde lumen accepit, nequeat. *Colloquium Bejeri* cum spiritu Mercurii habet, quod abhorreas, si quidem veram refert historiam; habet quod instruat, si Auctor sub velo fabulæ veritatem instituit patefacere. Quæ sub nomine *Lamspringii* circumferuntur, respondent quidem Antiquorum sententiis, sed secretum Artis oblivione sacrâ sepeliunt.

XLIV.

Bernhardus Trevisanus, magni nominis Chemicus, & sine controversiâ absolutus disciplinæ hujus [licet extremo senio post infinita laborum inania] magister floruit circa annum Christi MCCCLXXXX, familiaris Th: Bononiensi, Caroli VIII. Gallorum Regis Archiatro; cui etiam de toto arcano epistolam scripsit, prolixam illam, & solidis incumbentem fundamentis, quam hodieque Curiosi *Scripto Trevisani de Arte* longè præferunt, & meritò; nam licet & in *scripto suo* prudenter & doctè versetur, articulum tamen illum de secreto Artis ita necessarium ibidem præterit, & utilissimas ad præparationis elementa monitiones silentio involvit, de quibus *in Epistolâ* hinc inde, licet satis parcè commentatur; id agit tamen ut provectiores facilè assequantur, quo metam intendat. Tyrones id hîc assequuntur, ut à spuriis Magistris discant, Trevisani exemplo, abstinere, fortunam tamen operandi feliciter, necesse est, hauriant ab aliis.

XLV.

Basilius Valentinus, Benedictini ordinis Monachus, notissimus scriptor hodie, sed qui diu à morte suâ doctis tandem cœpit innotescere, aperta, ceu perhibent, per ictum fulminis columnâ Templi Erffurtensis, in cujus medio diffracto scriptum ejus hactenus delituerat: Sed & hæc, utcunque in vulgus etiam typorum ministerio sparsa, nullius certâ nituntur auctoritate. Scriptum ipsum omnibus ferè germanum, vereque aureum æstimatur: verum enim vero neque *duodecim ejus claves*, ut jacent secundum literam, cuiquam hactenus (quantum constat) servierunt ad intrandum Regis palatium; neque illa, quæ ita sanctè commentatur de Vitriolo, deq; particularibus ceu vocant, quenquam optatæ adstituerunt metæ, utcunque toties sacramenti religione fidem suam de veritate obstringat. Ego, quantum ex omnibus colligere licet, verum nihilominus Artificem puto fuisse *Basilium*, sed vel ab editoribus castratum, vel quæ de *balneo pugilum*, quæque de *vitriolo* inculcat, alio longè sensu intelligenda, quam prima fronte promittunt. De cætero, nemo dubitat *Basilium* ætatem inter experimenta consumpsisse; sed experti itidem notarunt à scriptis ejusdem, qualia hodie doctis exponuntur, parum in magno opere præsidii posse exspectari. Quin & nonnulli mihi familiares viri docti, & enchiriseos Chemicæ gnari *Vitriolum* ad mentem *Basilii* exquisitissimâ diligentiâ evisceraverunt, sine ullo emolumento.

XLVI.

Tehophrastus Paracelsus pro avorum ætate celebris, famam, quam medicandi dexteritate acquisivit, mordaci in Medicos dicacitate aut corrupit, aut sanè imminuit. θεοσοφιστως peritum fuisse nè quidem inimici ipsius rotundè sustinent negare, & *Oporinus*, domesticus ejus, aliique oculatos se testes fuisse perhibent, de quo plura *in Opere meo adversus Conringium*. Et sanè hospitem omnino esse oportet in lectione *Paracelsi*, qui inficiari sustinebit, multa ipsum, & variis in locis de hoc Arcano disseruisse. Agnoscit quidem semel atque iterum *Lapidem* ab aliis descriptum sibi ignotum esse, sed rursus alibi scientiam suam in hoc genere prædicat, & procedendi modum *libro de Vexatione Alkymistarum*, atque alibi proponit, licet satis suo more tectè, ut sunt ejus professionis magistri ad simulandum, dissimulandumque in eodem ferè ludo edocti, & ideo in scribendo, pollicendoque lubrici, ut si, dum adhuc in vivis sunt premantur à potentiori, ictum securiùs eludant. Nolim interea spondere cuiquam, fore, ut ex lectione *Paracelsi* ad exspectatam perveniat metam, quòd ipse passim testetur, nolle se præmansum in os cujusquam ingerere.

XLVII.

Michael Sendivogius (sive is Auctor est *Novi Lumini Chemici*, sive *Sethonius Scotus*, quem Germani *Sidonium* vocant non multum refert) inter classicos Artis hujus scriptores omnium hactenus

judicio

judicio ſolet numerari. Auctor ingenuus (quantum permittit religio Philoſophorum) & ſine proceſſuum commentis, ſine inverſis lubriciſq, verbis ſententiam ſuam aperiens; in parabolâ etiam liberior, & propior veritati : ſed ne quid diſſimulemus, in illa ingenuitatis imagine callidus, & aliò vertens calamum, aliò mentem; adeo ut qui preſſiùs, ſecundum literam ipſum ſequuntur, facilè abripi poſſint in devia. *Dialogus ejus* inter Mercurium & Alkymiſtam, lepore ſuo & jocis blanditur, ſed in principe nodo non ſe ſatis explicat. Exſtat & *Tractatus Sendivogii de ſulphure Philoſophorum*, non is perfunctoriè ſcriptus, ſed tamen, ut ex certis liquet indiciis, *Sendivogio* nequaquam attribuendus.

XLVIII.

Aquarium Sapientum (Waſſerſtein der Weiſſen) à *Iacobo Bohm* tantopere commendatum, incerto Auctore, experitur doctorum judicia. Ipſe Scriptor Adeptorum [ceu vocant] claſſi ſe adſcribit, multuſque eſt in limo laudando, de quo ita erumpit. Thuſt du den Thon / auch geſang herfahn / So biſt du warlich ein weiſſer Mann. Item : *etiam ex ſtercore, & limo poteſt aurum conficere*. Quòd ſi tamen limum vulgarem intelligat (id quod vix crediderim) procul vero abeſt. Et agnoſcit haud dubiè celeberr. *Clauderus*, qui in eadem ſententiâ hæſit, proceſsûs ſui imbecillitatem. In proceſſu operis & coloribus ſe conſequentibus ſtudiosè delineandis fideliter occupatur *Aquarium*, & errores in operando per imprudentiam commiſſos ita ſtudet emendare, ut de novo incipere non ſit neceſſum. *Io. Chryſippus Fannianus*, diligens, & eruditus ſcriptor agnoſcit ſe ex purgato plumbo, item ex cinnabari vulgari poſſe ſolem elicere, an cum fructu viderit expertus. Conatur autem perſuadere, metamorphoſin ope ſalis cujuſdam fuſilis procurari; quod ut non de nihilo eſt, ita ſalem illum naturæ metallicæ eſſe oportet, alioquin hebeſcet vis ejus, nec metalla conſtanter ingredietur. Ex Magiſtris autem Artis eſſe hunc *Fannianum*, nullum ex ſcripto ipſo judicium eſt.

XLIX.

Elucidarius Chriſtophori Pariſienſis inter generalia ſe Antiquorum præcepta continet, unde parum lucis accedet tyronibus; Minus adhuc ex *Elucidario Brotofferi*, qui non eſt niſi farrago ex variis ſcriptoribus ſine magno delectu conſarcinata præcipuè ex *fratribus Roſeæ Crucis*, unde promiſſa magnifica exſculpes prætereaque nihil. *Lucas Rodargyrius* ficto nomine ita appellatus, ante hos centum annos de *ſolutione Philoſophicâ* ſcripſit, non inficetè quidem, ſed nec Antiquis Philoſophis per omnia congruenter. Vult enim menſtruum Philoſophicum per vegetabilia reddi fortius; vult circa finem operis, aliâ viâ incedendum, quâm optimus quiſque hactenus inceſſit. De coctione, & ponderibus ſic ſatis examuſſim loquitur. Verſus ejus rotundi ſunt, & ita comptè diſerti, ut ab imperitioribus cenſeri non difficulter poſſint omni ex parte veraces.

L.

Io. Picus Mirandulanus ſcriptum eruditum de Auro reliquit, naturam ejus, & quæ iſtuc ſpectant, ex Auctoribus & proprio ingenio, magno apparatu declarans, legique meretur tyronibus in Artem primum introducendis. Poſt eum legatur *Theobaldus-ab Hoghelande*, qui de difficultatibus Chemiæ, ex ſuâ, aliorumque experientiâ nervosè diſſerit. Neutrum tamen inter *Adeptos* [quos vocant] communis fama collocat. Laudant docti in hoc genere *Gerh. Dorneum, Penotum, Libavium, Gaſtonem Dulcem*, *Kelleum Anglum*, *Edm. Deanum*, *Dienhejmium*, *Laurentium Venturam*, *Barnardum*, *Lagneum*, alioſque ejus cenſûs plures, ut ſtrenuos inquiſitores, & diuturnos Pſyches noſtræ procos, ſed ut Magiſtros nequaquam. *Dorneus* in ſuo *Vitriolo* infructuosè conſenuit; *Barnardus*, cùm tandem ſciret ſe nihil adeo ſcire, hortatur Philo-Chemicos, *ut quàm primùm lapidem invenerint*, eum Principi Mauritio, & ordinibus General. Belgii offerrent, ſcilicet egregiè memor Philoſophici ſacramenti. *Penotus* etiam noſocomio Helvetico immortuus eſt. *Nicolaus Niger Happelius*, auctor *Cheiragogiæ Helianæ*, item *Diſquiſitionis de Heliâ Artiſtâ* plus ex diligenti librorum lectione viſus eſt ſapuiſſe, quàm ex Vulcani ergaſterio; unde quæ in experimenta adducit dè Mercurio ferri, plumbique, omnia irrita ſunt, nec in manu oculati Magiſtri fidem ullam inveniunt.

LI.

Aureum Vellus Guil. Mennens, puro ſpeculatori probari poteſt, blanditurque inexpertis; ſed qui veracium ignium judicia conſulunt, rident omnia alia, facileque intelliguntur ea, quæ in Rore majali, & meteoris deliteſcunt, non eſſe ejus acuminis, vivacitatis, ut metallorum penetralia ingredi, aut in iis cum fructu durare poſſint. Et tamen *Mennens* ex ſacris, ex profanis multa aggerat, & ſpeciosè colorat, ut gratiam opinioni ſuæ concilet. *Dn. Nuyſement* libro, *de vero ſale Philoſophorum* multa hinc inde diſputat de ſpiritu Mundi univerſali, cujus radicem inveſtigat in aere, ſed nimis ſubtiliter in aere piſcatur, cùm id Natura pedibus quaſi noſtris ſubjecerit, quod ille ex ſublimi inſtituit captare. Mentiuntur talia veritatis ſpeciem, præſertim apud ſimplices contemplatores, ſed ubi ad praxin ventum eſt, ſperantem ludificantur. Licet enim non malè dicantur *radices metallorum volitare in aere*, *corpora eorum quieſcere in terrâ*, proxima tamen metallorum ſemina è tellure eruenda ſunt, cùm remota non unius Neſtoris ætate in proxima vertantur.

LII.

Henricus Conrad de *Igne Magorum*, déque variis ignium generibus juſto opere commentatur, ſed mirum, quòd verum illum Philoſophorum ignem nè verbo quidem attingat, & nihilominus in aliis cenſendis prolixus eſt. *Andreas Goldmayerus* Harmoniam Chemicam digeſſit, ſed quæ non eſt niſi indigeſta farrago ex variis Chemicorum ſcriptis collecta, quæ cùm plures Lapides Philoſophicos, eorumque parandi modum edocere ſuſtineat, nè unum quidem rectè & ex diſciplinâ proſequitur.

LIII.

Manifeſtatio Majeſtatis Divinæ (Offenbarung Göttlicher Maieſtät) cujus Auctor putatur *Ægidius* Guetmann / verſatur toto opere, eoque ſatis prolixo in explicandis tribus prioribus verſiculis capitis primi Geneſeos, in quo dum ſe ſe exercet, multa hinc inde Chemica inſpergit de metamorphoſi metallorum, nec ea inconvenienter; licet ad ipſam praxeos methodum ſpecialiter non deſcendat. Sed quia in illo *Opere* varia alia ingeruntur, eaque in ſcholis Theologorum non ubique toleranda, nemini Candidatorum uſum ejus diuturnum ſuaſerim. Idem proponendum eſto judicium de *Opere Iac. Bohme*, Philoſophi, ut vocant, Teutonici, quod *Myſterium magnum* inſcribitur,

inscribitur, ubi de Chemicis varia hinc inde inculcat, sed opinor, ex nudâ Contemplatione; nam in praxi minus peritum fuisse, vel id judicio fuerit, quòd *in Epistolâ ad Amicum*, excusâ Amstelredami apud Betke, respondet cuidam discipulo suo, putare se integros sex requiri annos ad opus ab initio ad finem usque absolvendum. Nec adhuc constat, quenquam ex lectione sive *Guetmanni*, sive *Bohmii* ad intima artis pervasisse.

LIV.

Iohannes Thornburg, Episcopus Vigornienſis, in Chemicis librum scripsit, titulo: *Nihil, aliquid, omnia*, in quo ita orditur. *Quisquis in componendo Philosophorum lapide ad aliquid vult pervenire, à nihilo incipiat, & ad omnia, per aliquid progrediatur.* Scriptum pium est, & rationibus Philosophicis appositè distinctum, adeo ut Auctorem in viâ Regiâ ambulâsse non dubitem, licet fortassis ad complementum praxeos non licuerit pervenire, Causam ipse eloquatur: *Nemo autem judicet*, inquit, *ex scriptis meis, posse me Philosophorum lapidem componere. Nomen non arrogo tantum; sed si placeret sapientissimo potentissimoq; Regi nostro Iacobo* (quo regnante florebat) *gratiose filiis Philosophiæ veniam indulgere, non obstante statuto contra auri multiplicationem edito, tentarent procul dubio boni Viri adhuc sub silentio secretiores, an scientia eorum responderet rei veritati, aut rei veritas superaret scientiam.* Unam hîc sententiam ejus allegare libet, quæ haud scio, an omnibus se probatura sit: *Probabile videtur*, inquit, *quòd viscera terræ post maledictionem, pro perfectis imperfecta, & pro sanis leprosa metalla plerumq; producebant. Neq; enim opinor, quòd filii Adam nisi propter peccatum Patris, unquam eguissent vel stanno pro candelabro, vel ferro pro calcibus equi, vel cupro pro lebete, vel plumbo pro tecturâ domûs, non magis quàm ante peccatum eguisset Adam ficuum foliis.* Præcipuè lectori suo ad initia Artis pleniùs imbibenda commendat caput decimum *Samuelis Otreb Britanni*, quod & ipsum videtur ab initiato compositum fuisse, licet omnia alia vulgaris oculus ibidem inveniat.

LV.

Parvus Agricola (Der klein und grob Bauer) Auctor *Apertæ arcæ arcani artificiosissimi*, plerisq; æstimatur in Chemiâ summus Artifex; sed quæ mihi de eo dubitandi ansam præbuere hæc ferè sunt: 1. Si ex minerâ Saturni vulgaris, aut Antimonii, etiam præstantissimâ, (quò videtur inclinare) materiam magni operis elicere satagit, non sequitur vestigia Antiquorum, adeoque extra oleas, haud dubiè, evagatur, 2. Ex epistolâ hujus *Agricolæ* ad Ernestum, Electorem Coloniæ satis evidens est, ipsum ne tum quidem, ex propria confessione, ultra primam materiæ veræ præparationem. processisse Scriptam autem esse hanc epistolam triennio totò post editam *Apertam Arcam*, mihi asserevanter concredidit Amstelredami *Dn. Raschius*, & ipse in arenâ Chemicâ vetus & exercitatus gladiator. Immò ut in eodem articulo persistamus, possessor *Manu-Scriptorum* verissimorum hujus *Agricolæ*, natione Livonus, qui jam ab annis triginta (ut scribit in *Mysterio occultæ Naturæ*) totum Opus cognitissimum habet, agnoscit ibidem se Mercurium universalem tantùm adhuc obtinuisse, nondum tamen ad optatum finem perductum. Fierine posse credibile est, ut aliquis de totâ præparatione securissimus triginta annis non ultra primas lineas progrediatur? 3. *Iohannes Harprecht*, Professoris Tubingensis filius, (qui sub nomine filii Sendivogii latere amat) Secretarius quondam Rigæ Baronis Cronsternii, mihi totâ hyeme anni MDCLVII. adfuit, atque in familiari conversatione fassus est, sibi eadem *Manu-Scripta* parvi Agricolæ, hoc est, *Johannis Graßéi*, sive *Chortalassæi* ab amico Livono concessa, & sæpe lecta esse, immò descripta; neque dubitare se de processuum veritate, materiam autem Operis Chortolassæani haud aliam esse, quàm mineram Saturni è Misniâ aptiùs hauriendam, sibi autem hactenus nullam fuisse occasionem experiundi (ut erat sanè id temporis in ergasterio ignium planè hospes) eoque festinare in Belgium, ut veritatem *Manu-Scripti* oculatis manibus periclitetur. Quid multis? venit Amstelredamum, varia ibi scripta edit tanquam germanissimus Adeptus *de sale Philosophorum*, item *Lucernam salis Philosophici*, &c. assumpto filii Sendivogii titulo; ubi quidem piè, & subinde Antiquis sapientibus convenienter incedit, verùm an cùm illa scripta ederet, verè fuerit Adeptus, dubitare me nõ dissimulo, non modò quia nuper ante docimasiam metallicam planè ignorabat, sed præcipuè ob duas causas in scriptis ipsius adhuc obvias: quarum *una* est, quòd tradat *materiam magni Operis initio dulcem esse*; (& hoc Saturni mineram indicat) *altera*, quòd scribat, *crudum adhuc spiritum tingere licet fugaci colore*: quæ duo Antiquorum materiæ non congruunt. *Harprechtum* autem illa hausisse ex scriptis *parvi Agricolæ* vel id argumento fuerit, quòd hic in *Apertâ* suâ *arcâ*: *Possum*, inquit, *spiritu ex metallis* (aut ex minerâ) *corporaliter elicito, momento tingere cuprum in aurum, sed non constanter.* 4. Particulare (ceu vocant) *parvi Agricolæ* etiam suos patitur manes; licet enim ex minerâ Saturni, peculiari eliciatur per spiritum salis armoniaci tinctura viridis, ut respondeat Agricolæ interulæ viridi (Den grünen unterzuck) nihil tamen inde extorquetur, quod in cineritio ultimum ignis supplicium sine fugâ exspectet.

LVI.

Arcanum Hermeticæ Philosophiæ opus, editum ab eo, qui sub his verbis, *penes nos unda Tagi*, se recondit, creditúrque Senator Parlamenti Tolosani, *Donjanus Espagnet*, id enim nomen ex superiori ænigmate elicitur, omnium quos hactenus legerim, // 13.
prudentissimè, candidissimeque (quantum permittit taciturnitas imperata Philosophis) in arcano // 13.
hoc argumento versatur, nullis diverticulis, nullis //
ambagibus lectori illudens. Utrum autem *Espagnet* // 13.
ipse auctor fuerit hujus scripti, an editor tantùm, in ambiguo est, dubitantque Gallorum curiosi, quibus *Espagnet* satis superque innotuerat. Id inficiari nefas, filium *Espagneti* senioris, & ipsum *Espagnetum* nomine, jam tum annorum circiter sexaginta, itidem Senatorem Tolosanum (ut olim pater) mihi anno seculi labentis sexagesimo quarto familiari conversatione notum fuisse virum probum, eruditum, Chemicum, & uni *Lullio* addictissimum, quo nemo mortalium, opinor, *Lullium* fideliùs excussérat, quòd in eo solo toto scientiam Chemicam delitescere asseveraret, ideoque nullo alio Chemico scriptore sollicitum se ostendit. Is à me privatim interrogatus, Paterne verè fuisset *Adeptus*? an scriptum superius publico exposuisset? de secundo fassus est, primum autem asserere non sustinuit. An pater, memor silentii huic studio debiti, filio nihil revelârit, an certi nihil scierit in suspenso relinquo. Quicquid horum sit, obstrinxit nihilominus Pater sibi Curiosos omnes insigni beneficio, quòd // 13.
librum hunc aureum publico asseruerit. //

LVII.

Sequitur alterius Galli ſcriptum, *Les œuvres de David Planiscampy*) in quo Chemica varia, *Tractatus de Auro potabili*, ſeu medicinâ univerſali, item ſcola *Tranſmutatoria* &c. Auctor Gallis pleriſque ſagacioribus non admodum probatur, ut jactor nimius; mihi tamen videtur non nihil ſubolfeciſſe de vero ad Lapidem itinere, ſed in viâ mediâ declinâſſe ad avia, adeoque ſperata Heſperidum poma non decerpſiſſe. Sed & alius Gallus mihi notus, *Ludovicus du Buiſſon*, ſcrutator indefeſſus, vir multæ lectionis, qui cùm initio famæ *de Auro potabili* ſcripſiſſet, neque tamen in medendo ſuperaret alios Medentes, rogatus à me cauſam reſpondit, ſe *aurum* ſuum *potabile* confeciſſe ex bracteolis auri ſpiritu terræ arvorum nigerrimæ diſſolutis, ex eo autem, obſervatum ſibi eſſe, non adhibitum fuiſſe legitimum menſtruum, & hinc vim ejus medicam hebetiorem deprehendi. Pòſt meliora, ceu ſibi pollicebatur, edoctus à Duce Megapolitano in arcem Stinkenburg, ad experimenta Artis ſuæ edenda benevolè invitatur: ubi, quòd fortaſſis grandia promiſiſſet, nec præſtaret, in carcere demum contabuit.

LVIII.

Tumba paupertatis Philoſophi incogniti, edita Gallicè, ſed mox in linguam Germanicam verſa (Das grab der armut nuncupata) Auctorem fatetur *Atremontium*, equitem Gallum, qui cùm Haſniæ, ad dies aliquot, apud me viveret poſt varia // in Oriente itinera, ſecretum ſuum, quâ erat humanitate, mihi benignè communicavit, quod & ego 13.è // hîc publico non invidebo. Nimirum inſtitutum ejus // hoc libro eſt, tam diu Mercurium vulgi cum auro // ſubigere, toties iterum inde deſtillando evocare, 13.è // donec tota auri maſſa evadat levis, ſpongioſa, irre- // ducibilis, & ſplendore omni caſſa: cui tum affun- 13.e // dit (mihi enim clavem characterum ſuorum aliàs // omnibus ignotam aperuit) acetum optimum ſtilla- // titium, illudq; tamdiu inde abſtrahit, &, ceu vocant, // cohobat, donec abeat aurum in ſubſtantiam fuſilem, // intrantem, tingentem. Mihi ut hæc methodus laborioſiſſima occurrit, & ab Antiquorum ſcriptis aliena, ita tentaminibus aliorum, quibus magis arridebit, eandem volens relinquo.

LIX.

Anonymi Verbum dimiſſum ſpirat indolem Veterum Philoſophorum, atque multa adducit placitis Adeptorum ſolennia; ſed & multus eſt in alienis, & à ſcopo abducentibus. *Vincentius* Koffsky in ſuâ *Tinctura radice* meras tenebras Ægyptias vendere 13.è // apparet, ſed quæ tamen ſubinde radiis quibuſdam // lucis diſtinguuntur. Qui hunc adit ſine lumine, & // ſine lumine recedet. Scriptum traditur opuſculum hoc anno Chriſti MCCCCLXXXVIII. Sed & non ita pridem Hamburgi prodiit ſcriptum: // Ein altes Tracktâtlein von den gebenedeyten // Stein; in quo *Auctor* nonnunquam præſertim in 13.è // *rhythmis*, quaſi aliud agens, veritatem patefacit, ſæpius autem latet poſt carecta, & circumfundit ſe tenebris. *Aliud*, editum Argentorati, Eröffnetes Philoſophiſches Vatterherz; nuncupatum, etſi ingenuam magni Operis explicationem promitat: ſcientiam tamen ſuam quaſi in vaginâ recondit, unde nemo evadat ſapientior. *Aliud*, cui titulus: das Pontiſche oder Mercurial-Waſſer der weiſen inter ſpeculationes ſe continet, nec vel ſibi, ut credibile eſt, nec aliis facem accendit.

LX.

Introitus Apertus ad occluſum Regis palatium Philalethæ, claſſicis ſcriptis jam diu à totâ Chemicorum familiâ accenſetur; eſt autem primâ fronte candidus, ingenueque diſertus ſcriptor; verùm ubi nodus ille vulcanius de *Arcano Artis* occurrit, *geminas Dianæ columbas* oſtentat, de quibus hodieq; ad ravim uſque diſſident Candidati, & quibus ignoratis totum ædificium corruere neceſſe eſt. Sed & illa per *columbas Dianæ* via, plena eſt tædio, nec Antiquis, immò nec ipſi *Philalethæ*, opinor, calcata; quod longè propior alia detur, Antiquis, & hodiernis Adeptis familiaris. Ubi autem illa primæ, & abſtruſiſſimæ operationis ſalebras evaſiſti, praxis reliqua *Philalethæ* non difficulter ſuccedet.

LXI.

Johannes Segerus VVeidenfeld de *ſecretis Adeptorum* opus practicum nuper concinnavit, & illud magnæ induſtriæ lectioniſque omnino variæ argumentum. Decretum illi, hoc ſcripto omnes veros Chemicos in ſpeciem diſſidentes redigere in concordiam; atque ideo omnium proceſſus, etiam primâ fronte pugnantes approbat, tanquam veros, dummodo in illis aliquid ſpiritûs vini Lulliani vel tacitè, vel explicitè reperiatur; creditque nullum adeo dari proceſſum, in quo is non deliteſcat vel ſub proprio, vel alieno nomine. Sed ut hæc ipſi conceſſeris (quod tamen vix ferent delicatiùs judicantes) nuſquam docet, quid ſit ſpiritus ille vini Lullianus, quo genio incaleſcat, ex quâ progerminet radice, ut proinde, quam diu hoc ignotum eſt, menſtruum quoque verè univerſale ignorari neceſſe ſit. Quin & difficile eſt creditu, ſpiritum illum Vini Lullianum innoxiè permiſceri tot aquis fortibus, Regiis, tot lixiviis, falſis, acidis, ut nihil de integritate ſuâ deperdat. Circumſpectiùs, meo judicio Veteres, omnes hîc aquas fortes exterminarunt, quòd quemadmodum bene *Lullius* in ſuo *Vade mecum*, *non ſit bonæ* matris filios ſuos interficere.

LXII.

Anonymus ille illuſtris, qui *Pantaleonis* nomen induit, magnæ eruditionis, & experientiæ Roſcius, in *Bifolio* ſuo *metallico* in *Tumulo Hermetis aperto*, & in *Alchymiſtico Examine* prodit clariſſimam in his ſacris lucem, promptum, ſubactumque judicium, & liberrimum in cenſendo acumen. Credibile eſt, *Diſceptationem* de *Lapide Phyſico*, contra *Auctorem Tumbæ Semiramidis* ab eodem calamo profluxiſſe, ita iiſdem principiis, fundamentiſq; innititur is Scriptor, quibus *Pantaleon*. Et ſi ſcapham ſcapham appellare fas eſt, is *Tumbæ Semiramidis Auctor*, in quem invehitur *Diſceptator*, magnis excidit auſis, liquidoque imperitiam ſuam in Hermetico opere declarat; nec potuit fortiùs, generoſiuſque contundi, quàm ab illo *diſceptatore*, hoc eſt, opinor *Pantaleone* præſtitum eſt.

LXIII.

Iohannis Friderici Helvetii Vitulus Aureus non equidem artificium Lapidis aut deſcribit, aut profitetur, ſed, quod tamen ad notitiam Candidatorum pertinet, factam ab Adepto projectionem (ut loquuntur) ejuſque diſcurſum graphicè exponit: in quo illud mirum, quòd artifex iſte tam levi negotio, tam exiguis ſumptibus, tam anguſto temporis intervallo abſolvi negotium aſſeveret. Vox ejus: *præparari lapidem quatriduo, & id ope ſalis cujuſdam cœleſtis, nec ultra novem florenos toti opificio impendi.* Quòd ſi ejus ſtandum auctoritate, major hic magiſter cenſendus *Lullio*, qui in *Accurationibus* profitetur, curâ ſingulari adhibitâ; diebus

triginta

triginta totam præparationem expediri. Quòd idem potuisse *Chortalasseum* tradit hæres ejus Livonus. Sed si id veritati consonum, cur idem librorum ejus hæres totis ex eo triginta annis præstare nihil potuit? sunt, qui existiment *Mariam Hebræam* triduo negotium potuisse transigere, immò tandem & trihorio, juxta illud vulgatum: *Maria lux horis ligam ligat in tribus horis.* Verùm haud dubiè de repetitionibus post absolutum iterum, iterumque lapidem hæc intelligenda, Ut ut sit, sat cito, si sat bene.

LXIV.

Anonymi tres Tractatus de Metallorum transmutatione per Mart. *Birrium* evulgati, abundant rationibus, præceptis & monitis Philosophicis, nec dubium, quin sint hinc inde de optimâ notâ. Ex aphorismis illis hi expendantur: *Id purum, quod in imperfectis metallis est, propter cruditatem suam in igne avolat - - - Totus sol semen est, ubi dissolveris - - - In tingendo pars una tincta contiguæ parti est instar fermenti - - - Ordo colorum determinari nequit, quia is varius est, pro varietate menstrui perfectioris aut imperfectioris.* *Anonymi Cabala Chymica* Hamburgi anno MDCLXXX publicata, ex arte sublimioris Chemiæ secretum suum persequitur, gratior tamen illa provectioribus in hoc studio, utiliorque quàm iis, qui nondum sine cortice natare didicerunt.

LXV.

Anonymus in Lucernâ Mercuriali (neu angezündt hellbrennendes Mercurial Liecht) Errores suos anteactos ingenuè depingit, ut tyrones à similibus præcipitiis absterreat, sed ubi ventum est ad cardinem rei, circumcidit præcipua, non invidiâ, sed amore silentii Philosophici. Nec quisquam etiam facilè divinaverit, quid illa ejusdem sibi velint: materiam jam puram tradendam esse quatuor spiritibus igneis, futuris per biennium ejusdem custodibus. *Cyrus refrigeratorius Ierusalemitanus* multa promittit magnificè, sed quò tendat amplissimis illis promissis, ignotum non modo aliis legentibus, sed forsan & illi ipsi. *Radix Chemiæ Anonymi* totus in eo est, ut liquorem Alkahest vel conficiat, vel commendet: cujus tamen an verus sit possessor, ex hoc scripto nequaquam constat. Et verò fac esse ad Lapidem tamen conficiendum is liquor non desideratur.

LXVI.

Fridericus Geisler in suo *Auro potabili* vult genuinum solis menstruum ex rubrâ quadam terrâ, sive *aretz* præparandum esse; per terram autem illam rubram sive bolum rubentem intelligat, sive (ut suspicio est) vitriolum in calcem rubicundam perustum, opportunum solis radicibus intimis aperiendis menstruum non ministrabit, qui hæterogeneum nequaquam dissolverit homogeneum, quippe natura non gaudet nisi suâ naturâ *Anonymi particulare ex universali* procedit ex Mercurio per terram aliquam rubram (an colcothar) in statum fixum transformato. Neque negare fas est simili Mercurio vim suam in morbis, sed in cupellâ procul dubio constantia illa evanescet. *Vera fundamenta Chemiæ* anno MDCLX edita parum instruunt sitientem veritatis animum, parum tangunt nervum difficultatis, licet aliàs variè nec indoctè de Lapide, atque liquore Alkahest philosophentur.

LXVII.

Anonymi Mercurii caducei (Zweifacher Schlangenstab) Auctorem orgyis mysteriorum Chemicorum initiatum fuisse, non difficulter adducor ut credam: saltem ita opportunè de materiâ, de toto opere sermonem instituit, ut in theoriâ probè subactum esse oporteat, de praxi ejus nisi definiero. Penè omiseram *Anonymum de principiis naturæ, & artis Chemicæ*, Geismariæ luci publicæ expositum, qui licet diu hæreat in elementis, non desinit tamen arcem rei subinde invadere, & puteum hunc Democriti attentè scrutari. *Helmontium*, colloco inter argutos quidem, & nobiles Philosophos, (ut Mercurio diaphoretico, corallatoque felicem) sed inter Roscios magnæ Artis nequaquam, quòd & ipse se agnoscat in frugiferâ illâ metamorphosi metallorum Hermeticâ hospitem fuisse & totus liber ipsius persuadeat idem, utcunque beneficio liquoris Alkahest medicinam, post Paracelsum locupletârit. Sunt nihilominus, qui suspicantur *Helmontium* nunquam propriis manibus hunc liquorem præparâsse, sed possediisse ab alio præparatum, adeoque graviter alicubi conqueri, lagenam, quâ Alkahest continebatur; sibi furtim ablatam fuisse.

LXVIII.

Phœnix Adropicus de morte redux Anonymi, quantum ex caliginosâ ejus delineatione licet exspiscari, ex rubrâ quadam terrâ per validam destillationem oleum quoddam χαλκτῶδες exprimit, & postea oleum rubicundum (an & hîc colcothar locum habet?) quo imbuit scobem solis & lunæ, fovetque blando calore, donec conjungantur, immò figantur. Et hæc quidem parum versatis in hâc palæstrâ non difficulter persuadentur, sed cùm olea ejusmodi bolis constanter expressa sociari auro, ob naturæ utriusque discordiam, nequeant, vereor ut thesaurus ille transeat demum in carbones. *Alterius Anonymi Phœnix* Philosophic. in pervestigando Artis secreto spem suam videtur in aquâ pluviâ collocare, quo eventu, viderit ipse. Ego qui ex eadem salem cubicum & rubicundissimam tincturam oleosi generis sæpe extraxi, argentum exteriùs aureo colore imbuentem, ingressum tamen ejus in metalla, licet post longas decoctiones, nunquam potui observare. Quod idem judicium esto de rore majali, cæterisque in aëre natantibus liquoribus. *Johannis Rissii Phœnix Philosophicus* Hamburgi editus, anno MDCXXXVIII. magis adeo concinnatus videtur propitiando facundissimi Poëtæ genio, quàm investigandæ Artis hujus sinceritati; ita quæ de cucurbitâ ex osse balænatio confectâ, & succo cancrorum, scobe chalybeâ, & silicibus imbutâ commentatur, ad captandum ex sublimi spiritum universalem, olent suavem ad irridendos stolidos fabellam:

LXIX.

Joh. Christophorus Steeb. in *Elixire solis per dulcem liquorem* comparato, recipit (quæ verba ejus sunt) Magnesiæ solis rubicundissimæ partem unam, Mercurii Philosophici partes duas, hæc jungit ad aram Vulcani, &c. Sed quid hîc intellectum velit per *Magnesiam solis*, per *Mercurium Philosophorum*, oppidò ambiguum est. Non prætereundum hîc *Vellus aureum Moglini*, in quo potissimùm agit de Auro potabili, cujus natales sint aurum, & terra rubra. Si hariolari liceret, putarem, à *Moglino* intelligi mucilaginem illam, quæ rubicundâ facie, aquis stagnantibus, æstate fervidâ incumbit; sed cùm neque exercitatissimæ dextræ *Kunchelius*, nec alii in Artis operibus probè subacti ex illâ massâ aliquid potuerint elicere, quòd intimam solis texturam dissolveret, vero simillimum fuerit, nec, fortunam *Moglino* aspirâsse faventiorem.

LXX.

Huginus à Barmâ in *Regnis Saturnii* Arcanum Hermeticum ita depingit, ut adyta ejus præcipua videatur penetrâſſe. Inter alia: *Mercurius noſter*, inquit, *mollia indurat, dura mollit, volatilia fixat; & fixiſſima volatilia reddit: viva mortificat, mortua vivificat, ac reſuſcitat, humida ſiccat, ſicca humectat.* Hunc qui ſibi reddiderit obnoxium, haud dubius eſt Hermetis antiqui hæres. Interea *arcanum* ejus *corallinum*, quod ita liberaliter publico communicat, vix multos inveniet imitatores, propter & diuturnum in laborando tædium, & ſuſpicionem imperfectionis, quòd in præparatione deſideretur enucleatio liquoris Alkaheſt, cujus unius miniſterio, ſecundum *Helmontium*, Mercurius debitam hîc conſtantiam addiſcit.

LXXI.

Johannes de Monte-Snyders in ſuâ *Medicinâ univerſali* id potiſſimùm agit ut metalla per mineralia deſtruantur [hoc eſt, ut impurum eorundem ſulphur, operi noxium removeatur] & poſt deſtructionem ope butyri Reguli Antimonii reviviſcant, in ſtatum, & vitam meliorem. Deſtruit autem eadem pulvere illo ſolenni Paracelſico (quem *verbenas adole* vocant) qui recipit tartari partes duas, nitri quatuor, ſulphuris octo. Proceſſum totum, ex ore *Monte-Snyderi* exceptum graphicè delineat *Kenelmus Digbæus* in *Secretis* ſuis jam in ſcripto poſthumo luci publicæ expoſitis. Et quidem verè inter adeptos cooptandum eſſe *Monte-Snyderum* plures exiſtimant, inque iis celeberrimus Aquisgranenſium Medicus, *Dn. Blondellus*, qui mihi fruſtillum auri ab eodem Aquisgrani confectum unà communicavit, addito oculatorum Aurifabrorum, qui metamorphoſi adfuerant teſtimonio. Ego qui nec quicquam *Monte-Snydero* per me, nec amiciſſimo Blondello detractum velim, putarim Artificem quidem eſſe *Monte-Snyderum*, ſed vix noto illo proceſſu veſtigia Antiquorum in magno Opere ſignata eſſe ſecutum, utcunque particulare quoddam fortaſſis naturæ hoc pacto extorſerit.

LXXII.

Fons fontium Arcani Naturæ aperti, quem *Anonymus* Germanus anno MDCXXVIII publici juris eſſe voluit, ſic ſatis aptè, ex diſciplinâ Veterum, ſe explicat, adeo ut non difficulter credam intima Artis penetralia eidem patuiſſe; id quod & ipſe non obſcurè præ ſe fert. *Johannis Othonis Helbigii* ſcientiæ Chemicæ, *Introitu in veram, & inauditam Phyſicam*, aliiſque ſcriptis Orbi literato oſtentatæ famam, cùm ampla & magnifica eſſe cœpiſſet, oppidò imminuit *Anonymus*, retexendo Arcanum ſecreti ejuſdem ſymbolum, *Vis alienæ teſſæ*, in ſententiam hanc Latinam: *Eſſentia Salivæ*, quæ Antiquorum unanimi de Lapide opinioni nequaquam reſpondet, licet eorum nonnulli, inque iis *Morienus* videri poſſit iſtuc collineâſſe, cùm aliud prorſus intuens ita ſcriberet: *Materia hæc, ô Rex, in te eſt, immò à te capitur.*

LXXIII.

Theodorus Mundanus epiſtolâ, *de quintâ eſſentiâ Philoſophorum*, ad illuſtrem Archiatrum Britannicum, *Edmundum Dichinſon*, ex multis ibidem ſignatis veſtigiis colligitur verus ſine controverſiâ Magiſterii Philoſophici poſſeſſor; ſed ita per ambages & diverticula incedit, ut circumſpectum eſſe oporteat, qui, ubi ſeriò, ubi ſimulatè loquitur, poſſit internoſcere. Neque enim ut jacent, intelligenda ſunt, quæ prolixe affert pag. CLXXXXVII. ſequ. quæque ad infinitos, immò eos ſupervacuos labores aperiunt feneſtram. Interea vel ex hoc ungue leonem æſtimamus, ſed qui unguem ſuum callidè tegit, quoties propter inſidiatores neceſſe eſt. Vir cæteroquin maturus judicio, pietate gravis, & ab ineptiis ſeculi alieniſſimus.

LXXIV.

Vilhelmus Schroter, Baro, & Socius Societatis Regiæ Anglicanæ in *Inſtructione ſuâ neceſſariâ de Chryſopoeâ*, ſaris declarat ingenium locuples, ſenſus argutos, experientiam omnino variam, ſed in ſinum intimum Naturæ metallicæ ſe admiſſum, quâ eſt ingenuitate, Lugduni in Batavis mihi olim cognitâ, nuſquam ſuſtinuit profiteri. Meditationes quidem ſuas de ſubjecto magni operis hinc inde proponit, ſed quas nemini deſiderat obtrudere. Quæ de Wagnereckii artificio inſpergit, mihi quidem ferè perſuadent, Wagnereckium in progreſſu operis rectam inſtitiſſe viam, ſed principio non ſatis ſollicitè purificâſſe materiam, atque inde ſecutam in projectione infirmitatem.

LXXV.

In Nucleo Alchymiæ, Irenæi Philoponi Philalethæ via illa, quam calcavit in *Introitu aperto* ipſius anteceſſor Philalethes, aperitur, muniturque uberius. Hanc autem initio operis, mille faſtidiis, longoque obſeptam eſſe labore, non potuit diffiteri primus Philalethes. Sed ſi quis ſemel primos in hac viâ progreſſus fecerit ſalutares, in praxi poſtea ſine magno ſudore verſabitur. Interea, varia addidit, hic *Irenæus* diligentiæ ſingularis argumenta, ut: *uni libræ Mercurii in projectione non decedere niſi ſcrupulum unum*; id quod facilè oſtenderit, non eſſe tantum aquoſæ humiditatis, aut fæcum arſenicalium in Mercurio quantùm Auctores quidam prædicant; *Item pondus Jovis tingendo creſcere, excluſo aëre, qui in poris ejus antea continebatur: Solem affuſâ tinctură viſum ſibi abiiſſe in vitrum album, quod permiſtum aliis metallis pondus ſolis expediit, non colorem, &c.*

LXXVI.

La vera Dichiaratione di tutte le methaphore, ſimilitudini, & enimmi, degl' Antichi Filoſofi Alchimiſti, &c. per *Evangeliſtam Quattrami* Venetiis A. MDLXXXVII excuſa vix aliud eſt, quàm perpetua in ſpurios ſeculi ipſius Chemiſtas invectiva; pauca enim de verâ metallorum naturâ Philoſophicorum attinguntur, & ea non quidem inutilia, ſed ad conciliandum in magno opere lumen parum profuturâ. *Nuova miniera d'Oro* di *Flavio Girolami*, Venetiis A. MDLXXXX. edita, in eo præcipuè verſatur, ut majeſtatem, veritatemque Artis Chemicæ ſtrenuè vindicet, id quod etiam diſertè, eruditeque exſequitur. Scriptor variæ, vaſtæque lectionis, nec à rationibus Philoſopho dignis imparatus; qui tamen operi praxeos vix manum admovit ipſe, contentus dignitatem Artis primariæ pro virili propugnâſſe.

LXXVII.

Lux obnubilata ſuâpte naturâ refulgens, de lapide Philoſophico (quem *Anonymus* vetuſtior verſu Italico expreſſit, recentior *Anonymus* illuſtravit commentariis, Venetiis A. MDCLX) paucis quidem, ſed efficacibus aphoriſmis docet, ſe plenam Artis cognitionem aſſecutum eſſe; quam tamen ex conſuetudine Artificum & celat ſimul, & ſimul revelat. *Breve Teſoro Alchimiſtico Joſephi Marini*, Venetiis A. MDCXLIV, evulgatus, hæret in particularibus, ceu vocant, iisque maximam partem incertis, & exſpectationi non reſpondentibus. Nec aliud ferè

ferè judicium ferendum de *Lapide Lydio Naturæ Aureæ*, quem scripsit A. MDCLXIX. *Sertimontius*. Laudatior *Justinus Pustevinec*, qui licet præcipuè stylum adversus Sophistas convertat, circa finem tamen opusculi, de veritate Magisterii & vestibulo Operis sobriè, & ex arte disserit.

LXXVIII.

Ludovicus de Comitibus, variis scriptis Chemicis inclutus, & Venetiis mihi olim familiaris, multa mecum de secreto Hermetico disputavit, candidè, humaniter, docteq; omnia, sed ex quibus tamen exsculpere non licuit, ipsũ ultra theoriam in hoc genere processisse. Accedebat jam tum Viro optimo fatale malum, cæcitas, absque quâ fuisset, meditationes suas fortassis ad optatam provexisset metam. Liquorem *Alkahest* visum sibi aliquando professus est, sed alienâ manu præparatum, adjiciens, enchiresin ejus laboriosissimam esse, præparari ex Mercurio dulci vel trecentis sublimationibus fatigato, & pòst in cellâ tandem in liquorem fatiscente: totam conficiendi legem à se communicatem esse Dn. *Vaibel*, Ducis Neoburgensis Archiatro, eumq; in eo esse, ut rem experimento permittat.

LXXIX.

Petri Arlensis de Scudalupis opus præ se fert non levem in his sacris experientiam, sed ex quâ nihil adeo hodie proficies, ita Parentis experimenta castravit filius, successor imperitus, de quo disertiùs scribit celeberrimi *Dan. Georg. Morhofii Polyhistor. G. Clauderus methodum conficiendæ Tincturæ Universalis* non ita pridem scripto consignavit, docto quidem illo, & candido, sed cùm certam argillæ speciem pro genuino Magisterii subjecto agnoscat, mentem tabulæ Smaragdinæ non satis liquidò assecutus esse videtur. Nisi forsan credere oporteat, Virum celeberrimum magis adeo ita scripsisse, ut peritorum experiretur judicia, quàm ut in eam se constanter ingredi sententiam testaretur. Ad summam, quicquid ex istiusmodi argillis (quarum non paucas ad examen vocavi) exprimitur, vel fugax est in igne, vel cadaveris instar metallis fusis non permiscetur, sed obiter tantùm incumbit, quod contra ingenium veri subjecti esse quivis animadvertit.

LXXX.

Magni Philosophorum Arcani Revelator nuper adeo Genevæ in hanc scenam prodiit; sed pauca ita revelat, ut lectori veritatis avido usui, aut luci esse possint; quin & habet aliquid rhapsodiæ simile, unde lectionem ejus tyroni puto infrugiferam. *Icon Philosophiæ Claudii Germain* novo instituto ad Mercurium Arsenici, tanquam sacram anchoram confugit, illo in subjecto certum Artis magnæ principium latere existimans. Nobis autem iste arsenici Mercurius (qui non difficulter elicitur) nihilo generosior est vulgari, quicquid etiam de Imp. Caligulæ experimento tradat *Plinius*. Etsi seriò ita arbitratur *Cl. Germain*, cur non perstitit in Opere, etiam à morte Reginæ Poloniæ? [cui manum in operando locaverat] sed nimirum arsenicum & Sibyllæ, & Antiquorum aliorum, designat non fugax illud minerale, sed ἀρσενικὸν ἓν, hoc est, masculum quiddam, quod Mercurium sive vulgi, sive corporum cogat in obsequium.

LXXXI.

In infinitum propemodum excurreret dissertatio, si vel ad omnes qui secreta ejusmodi pollicentur, se se diffunderet, vel unà Iatro-Chemicos, *Hartmannum, Crollium, Libavium, Schroderum Bequinum, Glauberum, Minsichtum, Zwelferum, Rolfinciun, Glaserum, Februarium*, &c. complectetur: quorum industriam, ut in suâ palæstrâ laudabilem meritò commendamus, sed unà putamus, hos omnes plus temporis collocâsse in extorquendis naturæ per violentiam suis dotibus, quàm in genuina ejus virtute modestè & suavis ter elicienda. Unde satis appositè *Sendivogius*: *Si hodie*, inquit, *revivisceret ipse Philosophorum Pater Hermes, & subtilis ingenii Geber, cum profundissimo Raymundo Lullio, non pro Philosophis, sed potius pro discipulis à nostris Chemistis haberentur; nescirent tot hodie usitatas destillationes, tot circulationes, tot calcinationes, & tot alia innumerabilia Artistarum opera, quæ ipsorum scriptis hujus seculi homines invenerunt, & excogitàrunt. Unicum tantum nobis deest, ut id sciamus, quod ipsi fecerunt, Lapidem scilicet Philosophorum, seu Tincturam Physicam.*

LXXXII.

Coronidis loco id unum nunc reliquum est, ut quibus peculiaris Numinis æterni providentia Dianam hanc nudam spectare dedit, peculiari etiam sanctimoniâ viræ cæteris mortalibus præluceant, memores dirarum Philosophicarum, si cuiquam indigno Eleusinia hæc sacra aperiant. Audiatur *Rosarium Philosophorum*: *Qui revelat*, inquit, *secretum Artis, maledicetur, & morietur apoplexiâ*. Nec mitior *Lullius* in practicâ: *Sub anathematis pœnâ*, inquit, *prohiberis, ne alicui discooperias, nam à Deo maledictus est, qui discooperit. Et ideo Philosophi sic celaverunt, &, Deo dante, celabunt futuris temporibus*. Iterum *Lullius* in *Testamento novissimo*: *Nè thesaurum*, inquit, *indignis dispergas, nè Deus judicium à te deposcat*. Tandem & *Idem* in *Theoriâ*: *juro tibi*, inquit, *supra animam meam, quòd si ea reveles, damnatus es, nam à Deo procedit, & ei debetur*. Eodem modo fulminat *Aquarium Sapientum*: *Si*, inquit, *cuiquam indigno, aut impio Arcanum revelaveris, æternæ salutis facies jacturam*.

Tantum.

SECTIO SECUNDA.

Veritas Alchemiæ, atque Lapidis exiſtentia, ex Argumentis pro & contra allatis, Experimentis variis, immò Juriſconſultorum Judiciis, comprobatur.

SUBSECTIO PRIMA

De Lapide Philoſophorum Diſſertatio, ex ATHANASII KIRCHERI è Societate Ieſu *Mundo Subterraneo* deſcripta.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Lapis Philoſophorum, *quidnam* Elixir *ſeu Tinctura Philoſophica, & an ejus ope verum & naturale* Aurum *arte produci poſſit.*

NIX ullum in Phyſiologia argumentum tot, tantiſque, tamque acribus Auctorum velitationibus exagitatum, tanta opinionum varietate diſcerptum, (quibus intricato opinionum fune ſeſe nunc in hanc, nunc in illam partem trahere, lite in hanc uſque diem pendente, contendunt) quàm hoc de *Chryſopœia* thema ſanè curioſiſſimum reperi. Ego ſanè ultrò citroque ſingulorum rationes penitius ponderans, quid ſentiam eo quo par eſt candore aperiam. Quod dum facio, non cum Pſeudochymicaſtris rudi & illiterato hominum genere, ſed cum Philoſophis mihi negotium eſſe, *Lector* ſibi perſuadeat.

Quatuor principales circa *auriferam Artem* ſententias reperio. Prima eorum eſt qui Chryſopœias Artem ἀδυνάτον putant. Secunda eorum qui ex Mineralium metallorumque glebis arte ſeparant, quam *metallurgiam* vocamus, de qua nulla eſt prorſus difficultas, cùm iſtiuſmodi aurum, argentumq; primùm in humanæ negotiationis commercio locum meritò obtineat. Tertiam ſententiam Theologi potiſſimùm tuentur, qui aſſerunt *aurum* quidem poſſe produci quaſi verum, quod tamen pro vero non liceat vendere æquali pretio, quo verum venditur, neque in Medicinis illud adhibere licitum eſſe, quod nos impoſterum *Sophiſticum* appellabimus, fitque, cùm auro & argento aliud quodpiam metallum conveniens adjungitur, unde per artem tertium quid reſultat, & ſub auri nomine venditur, eoque Collybiſtæ ut plurimum utuntur, quam & *legam* vocant. Quarta ſententia propria Alchymiſtarum eſt, qui arte Chymica *aurum* non ſolum verum, & genuinum, ſed & naturali multò nobilius, excellentius, puriuſque produci poſſe exiſtimant. Nos media via incedentes, neque χρυσοποίας ἀδυναμίαν, neque etiam eo modo id fieri, quo Alchymiſtæ illud produci poſſe exiſtimant, aſſerimus. Quod ut oſtendamus, primò de *Lapide Philoſophico*, circa quem totus cardo controverſiarum verſatur, cujus ope metallica corpora imperfecta in aurum, vel argentum pro medicina rubri, vel albi ratione tranſmutari, tingi, & per projectionem in infinitum multiplicari poſſe aſſerunt.

Lapis Philoſophorum.

Lapis Philoſophorum definitur ab Alchymicis, magnum in arte myſterium, & univerſalis medicina, quæ non modò corpus humanum validum in ſuo vigore conſervat, læſumque priſtinæ ſanitati reſtituit, ſed etiam metalla imperfecta depurando, decoquendo, nativum colorem miniſtrando ad ſummum finem, quem natura intendit, brevi temporis ſpatio in purum *aurum*, *argentumque* tranſmutat in infinitum multiplicabile. Alii talem ei definitionem aſſignant: *Lapis Philoſophorum* eſt puriſſima, fixa, ſimpliciſſima ſubſtantia metallica, quæ ſupra metalla projecta infinita quantitate, illa in verum *aurum* aut *argentum* convertit, & humanum corpus in ſuo vigore conſervans: vel, qui metalla à natura ſummè depravata, frequenti ſolutione ad ſecundam generationem perducit. Hoc alii

Elixir

Elixir vocant; alii *Tincturam*, quæ omnia metalla in aurum argentumque substantialiter tingit, ita ut si mare foret Mercurius; illa universum, superjecta *lapidis benedicti*, ut vocant, medicina, illud sit in aurum, argentumque pro lapidis rubei, aut candidi ratione transmutatura, juxta illud Augurelli:

Ipsius ut tenui projecta parte per undas
Æquoris, argentum si vivum tunc foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

Ita dicunt *Isaacus Hollandus*, *Paracelsus*, *Villanovanus*, quibus dici vix potest, quantum se rectè sentientium Philosophorum ludibriis sannisque exposuerint. Quòd verò merum figmentum sit in *sequentibus* ampliſſimè dicetur; ut proindè haud incongruè, uti ex definitione patet, lapidem *mysterium* dixerint, cum revera totus, & sensu, & re mysticus dici possit, veteresque Philosophi, prorsus aliud per istiusmodi lapidem, *Elixir*, Tincturam intellexerint, quàm id quod moderni Alchymistæ sibi imaginantur. Mirum & illud est, hunc omnium penè rerum similitudine describi: hunc enim vocant *Cœlum*, *Chrysosperma*, *Semen auri*, *Terram benedictam*, *Aquam vivam*, *Aquam vitæ*, *Sigillum Salomonis*, *Ignem naturæ*, *Lac Virginis*, *Mercurium Philosophorum*, *Draconem*, *Aquilam*, *Corvum*, *Laton*, *Elixir*, omnium morborum medicamentum, de quo qui bibit non moritur, & similia partim ridicula, partim irreligiosa, quæ omnia, ne tot nugis diutius immorer, vide in *Hermetem* fabulosum, *Trevisanum*, *Isaacum*, *Morienum* fictitium, *Lullum*, *Paracelsum*, cæterosque Arabes in turba Philosophorum. Ut verò adducta Chymicorum de *Lapide Philosophorum* dissensio luculentius intelligatur, primò de materiâ Lapidis verè mysteriosi; deinde *de modo* eum conficiendi, dicamus, ex quibus haud dubiè propositæ Dissertationis veritas eluceſcet.

Natura ex quatuor elementis tria generat principia, Salem, Sulphur, & Mercurium, atque ex iis simul debita proportione junctis metalla generare, arbores producere, animalia gignere, & ubi ad terminum suum pervenerit, tanquam ultimo fine jam adepto, cessare. Quæcunque enim sub Lunæ circulo continentur, in tria distribuuntur genera, non plura, nec pauciora, triplici regno distributa, Mineralium, Vegetabilium, Animalium. In hisce tribus Natura suum sibi imperium vendicat, & iis agit, movetur, operaturque, ut siquid aliud extra illa quæras, id verius *in Utopia*, quàm in Naturæ imperio quærere censearis. Ad naturæ itaque exemplar veluti prototypon attendere debent Alchymistæ, ut finem suum consequantur. Nam uti in *præcedentibus* diximus nisi communem omnibus metallis materiam assumpserint, ad magnæ Artis opus perficiendum, nunquam assurgent.

Quæritur itaque, Quænam sit admirabilis illa Chymicorum *materia*, ex qua tantos venantur auri, argentique thesauros? In hac materia determinanda, uti explicari vix potest, quantum inter se auctores tum re, tum nomine dissentiant, ita vel ex hoc ipso capite Artis incertitudinem sat superque ostendunt: vel enim unus veritatem attingit, vel omnes simul. Sed sicuti illud incertum est, ita in posteriori veritas tot contradictionibus involuta, locum habere non potest. *Villanovanus* insectatur *Lullium*; utrumque impugnat *Paracelsus*; hunc *Libavius*, omnium bipedum quadripedumque nequissimum impostorem intitulat; omnes verò reliqui contra *Libavium* insurgentes, Sycophantam livore plenum, mordacitate Satyrica efferum vocant, omnes tandem singulos fatuos, & ignaros rerum intitulant: & cum de re convenire non possint, in se invicem innumeris conviciis opprobriosisque nominibus, canum instar, sæviunt, ut proinde veritatis indagandæ loco, non nisi convicia, scommata, calumnias, & maleferiatæ gentis opprobria audias.

Non minor est de *materiæ* denominatione dissensus: Nonnulli Scoriam ferri, quidam Salem, aut Alumen, aliqui Magnesiam, Cadmiam, Chalcanthum: non defuerunt, qui Arsenicum benedictam hanc *materiam* esse adeò firmiter sibi persuaserint, ut de eo illud *Sibyllæ* indigitatum velint, sed & recitemus versus, sic autem Sibylla dicit.

Ἐννέα γράμματ' ἔχω, τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με,
Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάσται
Αἱ λοιπαὶ δ' τὰ λοιπὰ, καὶ εἰσιν ἄφωνα τὰ πέντε.
Τῶ παντὸς δ' ἀριθμῷ ἑκατονταάδες εἰσὶ δὶς ὀκτὼ,
Καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδες, σιώ γ' ἑπτὰ γνὼς δέτας εἰμὶ
Οὐκ ἀμύητ@, ἔσῃ θείης παρ' ἔμοιγε σοφίης.

Quæ sic interpretor.

Sunt elementa novem mihi, sum tetrasyllabos autem,
Percipe me, primæ tres syllabæ efficiuntur
Ex binis omnes elementis, cætera restant
In reliquis, quorum sunt non vocalia quinque:
Totius numeri bis sunt hecatontades octo,
Et ter tres decades cum septem, si scieris me,
Non te, qua potior, Sapientia Diva latebit.

Hisce Versibus *Cardanus*, *Ronconetus*, & *Paracelsus*, primam lapidis materiam divina quadam revelatione per *Sibyllam* indigitatam asserunt, aliamque non esse, quàm *Arsenicum:* Ratio, quia Arsenicum est tetrasyllabum, & novem literis constat. Hanc verò frivolam conjecturam esse hinc patet; quod *Sibylla* non de materia lapidis, sed de nomine Dei mystico, hoc loco, uti ex contextu Prophetiæ patet, locuta sit. Unde ego penitiùs oraculi sensu expenso, ibidem *Sibyllam* sub allegorico, & ænigmatico numerorum calculo quem Græci ἰσοψηφίαν vocant, nomen Christi indicasse reperio: nomen videlicet ὁ Ἄνθρωπ@ Θεὸς homo Deus, sive Deus homo. Jam utrum ita sit, videamus. Primò dicit, *sunt elementa novem mihi*, & totidem literæ reperiuntur in ὁ ἄνθρωπος; habet & idem hoc nomen *quatuor syllabas:* tres syllabæ efficiuntur ex binis elementis, ἄν, θρω, πος. *Cætera restant in reliquis*, id est, Θεός. *Sunt autem horum quinque non vocalia*; videlicet in assumpto nomine ἄνθρωπ@ consonantes quinque, ν, θ, ρ, π, ς. Numerus verò, qui inde resultat, *sunt bis hecatontades octo*, id est, 1600. & *ter tres decades*, i. e. 90. cùm 7. adeò ut totus numerus sit 1697. Si itaque ὁ ἄνθρωπος Θεὸς in numeros resolvatur, habebis eundem ferè numerum, de quo *Sibylla* loquitur, ut in margine patet 1674. Ἀρσενικὸν verò resolutum, nonnisi 560. continet, qui numerus oraculo ἀνισόψηφος, quantum ab oraculi verbis dissideat, quis non videt? Sed hæc παρέργ@.

α	1
ρ	100
σ	200
ε	9
ν	50
ι	10
κ	20
ο	70
ν	50
	560

ο	70
α	1
ν	50
θ	9
ρ	100
ω	800
π	90
ο	70
ς	200
θ	9
ε	5
ο	70
ς	200
	1674

Sunt alii, qui ad *Lapidis materiam* bufones, capillos, ovorum putamina, & ne quid turpitudinis desit,

ſit, fluorem menſtruum, aut ſanguinem humanum, mumiarumque condituram aſſumunt. Quidam tandem in terra, aqua, aëre, in ſtabulis, ac latrinis inquirendum eſſe cenſent; & quamvis ſapientiores hæc omnia de ſale ubique reperibili ſub allegoria quadam intelligi debere putent: multi tamen, uti *Bacon*, ſub reali ſenſu, uti ex operationibus ejus patet; hæc accipiunt. Qui tamen propius accedere videntur, ſunt ii, qui *Sulphur & hydrargyron* propriam lapidis materiam aſſerunt. Sed ne ſiquidem inter ſe concordant, dum nonnulli ſulphur, & hydrargyron minerale, quidam illud quod Philoſophorum vocant, intelligunt; & in hoc plerique celebrioris nominis Philoſophi conveniunt. Quid verò ſit Sulphur, & Mercurius Philoſophorum, paulò poſt patebit. Qui verò Sulphure, & Mercurio vulgari lapidem fieri poſſe ſentiunt, ſummoperè hallucinantur. Quamvis enim immediatè naturam imitari conentur; occultos tamen Naturæ motus, proceſſus, ſemitaſque incomprehenſibiles uti ignorant, ita in perpetuis quoque tenebris hærebunt.

Qui denique argentum vivum, & ſulphur, quam primam metallorum materiam audiunt eſſe, decoquunt, meritò oleum & operam perdunt; cùm argentum vivum, & ſulphur, ex quibus aurum & argentum generatur, non ſit ex mente Chymicorum, illud vulgo, cum illa duo ſuam perfectionem graduum conſecuta ſint: argentum ſiquidem vivum, ſi vel minimo igni admoveas, fugiens tenues evaneſcit in auras, atque mixtum quoque ſecernitur, adeò ut nullis clauſtrorum repagulis ſtringi poſſit. Sulphur quoque igni appoſitum in alias, & alias formas convertitur, cum tamen amborum conjunctio ad finem uſque digeſtionis in generatione metallorum ſit neceſſaria.

Falluntur quoque, quotquot in Matcheſitis, Tutia, Antimonio, Arſenico, Auripigmento *lapidem* illum quærunt: cum in iis Sulphur prorſus inſeparabile ſit, quod tamen ultimate reſolvant, ſeparentque, nigil unquam efficient, adeo ut eo à dictis ſpeciebus Mineralium ſeparato, reliquum abire in pulverem neceſſe ſit. Qui verò in vegetabili natura *lapidem* quærunt, hi prorſus à Schola Chymicorum eliminandi ſunt, cùm ſingulæ rerum ſpecies in proprio ſuo naturæ gradu generatione perficiantur: homo hominem, bos bovem, planta plantam ſuæ ſpeciéi. Fruſtra itaque laborant, qui ex *vino* uti *Lullus*, lapidem confici poſſe putant; fruſtra qui ex humano ſanguine aut urina, aut ovorum teſtis, uti *Rogerius Baconus*: ſtultè enim in natura quæritur, quod in ea non eſt: *non enim de ſpinis uvæ, nec de tribulis ficus colligi poſſunt.*

Toto itaque cœlo, & contra Naturæ dictamina errant male feriati quidam Alchymiſtæ, qui *Lapidem* extra propoſiti ſui fines in neſcio quibus rebus incongruis, diſſimilibus, heterogeneis quærunt; materia, ex qua Lapis conficitur, lapis mineralis naturę ſit oportet: ſunt autem mineralia alia minora, majora alia. Minora ſunt, quæ ſine argenti vivi additione producuntur: ut ſunt lapides, ſalia, & corpora pure ſulphurea. Majora ſunt, quæ ex argento vivo conſtant, quorum alia malleum, uti aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum, ſtannum. ſuſtinent: alia non ſuſtinent, uti Antimonium, Magneſia, Marchaſita, diverſæ pyritum ſpecies, quæ licet Mercurio imbuantur, is adeo tamen male contemperatur dictis corporibus, ut figi nulla ratione poſſit, ac proinde ex conſequenti materia Lapidis eſſe non poſſunt. Neque quicquam ad *Lapidis* fabricam conferunt minora mineralia; uti ſunt ſalia, nitrum, alumen, ſal plumæ, &c. tum quia eorum productio cum argenti vivi generatione in forma, natura, & compoſitione differunt: tum quia unius ſpeciei una eſt natura, & ſeminis proprietas, ex qua producitur; accedit, quòd metallicis corporibus planè contraria quoad naturam reperiantur; ſalina enim corpora metalla corrumpunt, rodunt, & deſtruunt, & prout fixa, aut non fixa, pura, aut impura fuerint, omnia in nihilum redigunt, & quò ſubtiliora ſunt, eò magis metalla à ſua natura aliena reddunt, illorumque humidum innatum, in quo lapidis ſecretum latet, comburunt. Unde quicunque aquis fortibus, & acutis, cæteriſque corroſivis metalla in materiam primam revocare conantur, *Siſyphi* ſaxum merito volvunt, cùm prorſus heterogeneæ naturæ ab iis, ex quibus Chymici Lapidis fabricam moliuntur exiſtant: neque ſulphurea corpora quidquam ad rem faciunt, cùm ſemper inficiant, denigrent, & corrumpant. Cùm itaque metallis ſint contraria, quomodo medicinam metallis ſalubrem præſtare poſſint, non video: & tamen vix ab ullo ferè Auctore proceſſus artis, ut poſtea videbimus, præſcribitur, in quo & ſalia, & imperfecta metalla non ingrediuntur; ſunt enim præcipui, vel ipſo fatente Paracelſo lib. 3. de Natura rerum, *Mortales metallorum hoſtes, omnes aquæ fortes, omnes aquæ regiæ, omnia corroſiva, omnia ſalia, Sulphur crudum, Antimonium, & Mercurius. Salina quippe corpora antipathiam ſuam, vel in hoc oſtendunt, quòd omnia metalla mortificent, calcinent, corrumpant, & in nihilum redigant.* Sulphur *virus ſuum fumo oſtendit, eo nempe Veneri ſuam albedinem ſuffocat, & ex colore flammeo albam reddit, metallis verò albis, ut Lunæ, Saturno, & Marti, ſublato candore rubedinem ſubfuſcam inducit: Aurum quoque ex aureo colore nigrum, & deforme reddit*: Antimoninm *iis, cum quibus miſcetur metallis fumo ſuo naturalem colorem ſurripit alio ſubſtituto:* Mercurius, *ſine quo tamen nihil in magno opere fit, metallis mixtus in amalgama ſolvitur, fumi ſui tyrannide omnia fragilia, & immalleabilia reddit, calcinat, & dealbat: hic potiſſimum pernicioſus hoſtis eſt: Nam mox, ac Mercurius perticæ ferreæ illitus fuerit, perticam non ſecus, ac Vitrum frangibile reddit. Saturnus, ſeu plumbum aurum diſrumpit, deformat, & invalidum reddit, ſtannum quoque omnia metalla dura, & ad malleum inepta facit.* Quid itaque ad *Lapidis* opus conferre poſſint tot hoſtium ſeſe invicem interimentium ſtrages, quis concipiet? Quòd verò nonnulli *Vitriolo* utantur, in tantum eo utuntur, in quantum æreis corpuſculis refertum eſt, adeò ut Vitriolum nihil aliud eſſe videatur, quam cuprum liquidum & aquoſum: quamvis ex eo ſolo tinctura fieri non poſſit, niſi ei puriſſimi Mercurii ſubſtantia cum ingenito ſuo ſulphure jungatur. Cùm itaque ex hujuſmodi Lapis obtineri non poſſit, ratio ſuadet, ut Alchymiſtæ, ſi Lapidem conficere velint, materiam aliquam accipiant, in qua tria principia ſine omni labe inveniantur: Quæ qualis ſit, & an dari poſſit, examinandum reſtat.

Metallorum geneſis aliunde non procedit, niſi à Sulphureo Mercuriali vapore, qui pro ratione terreni, aut Matricis puræ aut impuræ, Metallum nunc purum, nunc impurum producit; atque hunc vaporem ſemen metallorum dicimus. Eſt autem *Sulphur* duplex, uti & Mercurius: Innatum, & adveniens: *Innatum Sulphur*, quod & vivum dicitur, ac ſimul cum ſemine confunditur: atque hoc

ipſum

ipsum est, quod metalla promovet, materiam dispositam in aurum, & argentum convertit, nisi ab adveniente aliquo alio obruatur; &, ut diximus, nihil aliud est, quàm vapor ille purissimus, & igneus, qui vim coagulandi mercurium habet. *Adveniens* verò, sive externum *sulphur*, sive minerale in suo Naturæ statu jam constitutum, grossum, fœculentum, adustibile, unctuosumque, tantum abest, ut metallorum perfectionem promoveat, ut potiùs adustiva sua qualitate & mole sua mirum in modum impediat; semen verò innatum purum, si puræ matrici fuerit concreditum, id eodem in loco purum etiam metallum sine longo Naturæ labore, miro quodam naturæ magnetismo generabit, scopum suum assecutum, dum id facit, ad quod semen ordinatum fuerat. At contra, si semen hoc in matrices impuras variisque terrestrium glebarum quisquiliis contaminatas inciderit, secundum majoris, minorisque impuritatis gradum, metallum, aut minerale quoque nunc perfectius, modò imperfectius producet, ut suo loco fusè deduximus. Si vero in genesi terrestris, & adustibilis fœculentia sese admiscuerit, pro fœcum copia, *antimonium*, *marchesitam*, *pyritem*, aliaque non ductibilia mineralia gignet, quæ quia de mercurio participant, liquefieri quidem possunt, ad perfectionem autem à Natura promoveri non existimantur. Sin autem sulphureæ fœces paucæ, & subnigræ se se commiscuerint, & Mercurius non satis coctus fuerit, *argentum vivum vulgi* fiet. Sed si fœces malæ, mali saporis, & fœtidæ, nec non virtutis debilioris fuerint, illæ Mercurium inficient, illudque fragile, ponderosum, luteumque reddunt, quod uti non bene coagulatur, ita quoque in *plumbum* degenerat. Si vero sulphur malum fuerit, non bene cum mercurio miscibile *stannum* generat. Si verò sulphureæ illæ fœces petrosæ, immundæ & terreæ fuerint, *ferrum* producent; & si sulphur ejusmodi rubeum, & adustum fuerit, *æs* gignetur.

Atque ex his fusiùs forsan, quàm par est, luculenter patet, quid Alchymistis agendum sit, ut ex dictis intentum illud *semen metallicum* extrahant, quod tametsi in iis inesse negare nequeamus, eductionis tamen ratio tanto est incertior, quanto modus naturæ, quæ illo semine in metallorum genesi utitur, nobis est ignotior, imo vix humano ingenio investigabilis; neque ab artificibus ulla adhuc ratio, quæ intentæ *Lapidis* confectioni satisfaciat, inventa fuit. Non ignoro, tale sulphur spermaticum in solo auro & argento latere purissimum, sed hoc ab auri incorruptibili & indestructibili substantia separare, hic Rhodus, hic Saltus.

Quidnam autem illa prima materia, sive *Mercurius Philosophorum*, seu Sulphur spermaticum, aut vapor ille metallogeniticus sit, difficile est per experientiam, utpote ab omni sensuum ministerio remotissimam, cognoscere. Dicunt Alchymistæ, esse tertiam quandam naturam communem, & alteratam ex diversa commixtione, & digestione sulphuris, & hydrargyri, in qua vis mineralis ad generandum mixtum inexistit, quæ duo agunt, & patiuntur inter se perpetuo, donec traducantur à forma corporum imperfectorum primò generatorum in formam aliam, & tandem perveniant continuatis digestionibus & purificationibus ad ultimam illam, & perfectam formam, quæ est *forma auri*, in quâ est ultimus motus terminus; ubi etiam agens, id est, sulphur omninò à sua materia separatur. Hoc uti vel ipsi Alchymistæ fatentur, multi quidem quæruntur; paucissimi inveniunt; aut si invenerint, præparationes tamen, id est, proportionem in *Lapide* conficiendo debitam ignorant; & tamen omnes fatentur, ex hisce solùm medicinam elici per artem, in quibus habitabit potentialiter per naturam, & in quibus perfectio puræ materiæ, adeoque omnia metalla reperiuntur. Ex quibus apertè colligitur, illos supponere illud, quod incertum est, & in inaccessio Naturæ gazophylacio adhuc latet absconditum; subjectum, inquam, infinitis adhuc difficultatibus, necnon contradictionibus intricatum, perplexumque. Sed ut ad materiam paulò ante descriptam revertamur, quæro; quænam sit illa natura communis? respondent esse materiam alteratam ex diversa complexione, ac digestione Sulphuris, & Mercurii resultantem. Quæro, utrum illa commixtio sit *Sulphuris, & Mercurii vulgaris, utrum Philosophici? Si prius*, jam sibi apertè contradicent, cum illa in Lapidis opus assumi debere minimè censent; *Si posterius*; Quæro quidnam sit istiusmodi *Sulphur*, & *Mercurius Philosophorum*? Dicunt esse primam metallorum originem, atque adeo apertum circulum committunt, notumque per ignotum definiunt. Quæro iterum *quomodo* illa *separentur*? Respondent à forma corporum imperfectorum, quæ jam in statu suo constituuntur, in formam aliam, quæ est auri. Quæro *quomodo* in formam auri transmutari possit, cum imperfectorum corporum forma aurum non sit, neque etiam dare possit quod non habet: aut si per semen id fieri dicant, quomodo illud semen per tot digestiones, ignique tormenta non penitùs destruatur? Respondent, formam hanc educi ex potentia materiæ in aliam formam auri per varias operationes, quibus materia elaboratur. Sed jam examinandum est, quomodo, quo studio, quâ laboris pertinacia *materiam*, nec dum tamen adhuc iis cognitam præparare studeant, ut tandem inde mirificus ille fœtus emergat. Sic autem procedunt.

Processus in Lapide conficiendo *usurpatus à Philosophis.*

Artifices itaque *primam materiam*, de qua in præcedentibus locuti sumus, postquam invenerunt, si tamen invenerunt, primò eam calcinandam censent, & ab omnibus suis sordibus purgandam, calorem restituendo, humoremque innatum conservando: nam in calcinatione, uti aiunt, Chymica nulla debet fieri corporis diminutio, imò potius multiplicatio; deinde calcinatæ materiæ crassitiem in quandam liquidam substantiam attenuantes, in suam *primam materiam*; (si Diis placet) reducunt, quam vocant aquam mineralem, quæ manus non madefacit, tuncque fit unum in genere, in numero non item; cujus Solem appellant patrem, matrem Lunam, & mediatorem Mercurium, juxta *Tabulam Hermetis*; & alteratur corpus sua propria forma, sed nova illi inducitur immediatè, cùm nihil in rerum natura omni spoliatum forma reperiatur.

Hoc pacto jam separant ex ipsa jam soluta substantia quatuor elementa, illaque dividunt in duas partes; in *ascendentem* aut spiritualem, & *inferiorem*, sive terrenam: quæ duæ partes sunt unius tamen naturæ; nam inferior est fermentum ipsam figens, & superior est anima totam ipsam vivificans: harum tamen divisio est necessaria; ut facilius

lius tranſmutentur tandem inter ſe omnes, & pars terrena tranſeundo in aquam, nigreſcat, & aqua poſtea tranſeundo in aërem dealbetur, & aër in ignem convertatur, pericycloſi perfecta.

Separatione elementorum facta, *conjunctionem* faciunt aquæ, & aëris cum terra, & igne, ut unum quodque elementorum in altero diſpergatur, ſervata proportione; tribuuntque hac ratione mari tres partes aquæ ſuæ, fœminæ verò novem, & tunc ſimile ſuo ſimili applaudit & par pari gaudet, propter concupiſcentiam adhærentiæ materialis maxime & formæ ſulphureæ.

Hæc itaque conjuncta *putrefaciunt*, humido tamen calore, ne igne accenſo Mercurius ſeparetur, vel in altum feratur propter naturam ſuam ſpiritualem, ut hac corruptione alteretur materia, & elementa naturaliter dividantur, & regeneratio ſubſequatur: Nihil enim naſcitur, vel creſcit, ne inanimatum quidem, niſi putrefactione facta.

Poſt putrefactionem ad *coagulationem* accedunt, atque eodem calore temperatiſſimo perpetuo materiam alterante, tam intrinſecus, quàm extrinſecus operantur, donec materia albeſcat, & perlarum referat ſimilitudinem, fitque tum ſpirituum volatilium cum corporibus confixatio, ac vera coagulatio. Album hoc, *ſpinam* vocant, & ſulphur album incombuſtibile, quod nunquam ab igne recedit.

Ad *cibationem* denique ſe conferunt, nempe ad ſubtilis ingroſſationem, & craſſi ſubtiliationem, commiſcendo aquam ſuam cum cinere, & lac ſuum cum terra foliata, moderatè quidem, ut ſic albedo & rubedo, bonitas, quantitas, & virtus ipſius creſcat, & augeatur, atque coquendo, materia nutriatur.

Tunc materiam *ſublimant*, ſublimatione non vulgari, quæ tamen qualis ſit concipi non poteſt, illamque ſic ab immunditiis omnibus expurgant, corpus extollendo ac ipſum ſpirituale, & ſpiritum corporalem, ac fixum reddendo, ſalſedinemque ſulphuream minuendo, ut totum dealbetur, ac citiſſimè liquefieri poſſit.

Abſoluta ſublimatione materiam *fermentant*, ſpiritum cum ſua terra dealbata, & calce tanquam cum ſuo fermento conjungendo, aut animam cum corpore incorporando: Non enim poſſunt oſtendere ſuas virtutes permanentes accidentia ſpiritualia, niſi cum corporibus fixis conjungantur, tanquam cum fermento, quod reducit ſibi appoſitum ad ſui naturam, colorem & ſaporem, per mutuam hanc & communem corporis & ſpiritus impreſſionem, ſine qua opus perfici non poteſt, quemadmodum nec paſta ſine fermento fermentari.

Ad majorem autem nobilitatem materiæ, illam exaltandam cenſent, ſpiritum augendo, terramque ſublimando, & ſubtiliando per naturalem rectificationem, omnium elementorum *circulationem*, & veram graduationem ipſorum, donec ad perfectum amplexum reducantur. Tunc Salamandram ſuam ſolutionibus, & coagulationibus reiteratis in virtute augent, & cum novo fermento in virtute & quantitate, idque in infinitum.

Ultimò faciunt *projectionem* ſuper imperfecta, ponderis unius ſupra plura ſecundùm medicinæ perfectionem: quantò enim magis ſubtiliatur, & tingitur, tantò abundantiùs operatur, & ſic naturam imitando, imperfecta metalla perficiunt, ac in Lunam, & Solem convertunt, ex propriaque ipſius materia purificata arte, & ſubtiliata, deinde decoctione, & digeſtione fixata, donec in album, & tandem in rubrum prodeat colorem, volatiliſque rurſus facta, & iterum fixa, donec ingreſſum habeat, & perfectè tingat, ſuam conficiunt medicinam, ſuumque pulverem, quem *Lapidem Philoſophicum* vocant: idque variis operationibus, diverſis rebus, pluribus vaſis, multiſque fornacibus, ut ex prædictis, artis imperiti fortè conjicient: cum tamen vero Philoſopho, in toto hoc magno licet opere, ſit unica operatio, unicaque vita, res una, vas unum, ſolus ignis, ſolaque fornax, ut omnes illi una ore fatentur. Sed relictis verbis rem ipſam accedamus: Ex hiſce enim veluti in aërem projectis verbis nihil adhuc ſpecificari, quis non videt? Utrum verò lumen aliquod ex ipſa Alchymiſtarum in magna illa *Lapidis* fabrica capiamus, jam videndum reſtat: ex iis enim quid ſperandum, quid deſperandum, luce clarius patebit: *Quomodo* itaque *prima materia metallorum educenda* ſit & præparanda, ex ipſa Alchymiſtarum ἐγχειρήσει oſtendamus.

Paracelſus Materiam primogeniam metallorum hac ἐγχειρήσει præparat.

Sciendum itaque, ait, *reſuſcitationem metallorum duplicem eſſe; unam quæ metalla calcinata per reductionem in ſuum primum metallicum corpus redigat: alteram, quæ metalla in ſuam primam materiam reducat, hoc eſt, in argentum vivum; atque ita quidem in poſteriori proceditur. Calcina metalla per Mercurium vulgi, hanc calcem, & tantundem argenti vivi pone in ſublimatorio, ſtent aliquamdiu, donec ambo in amalgama coagulentur; poſtea eleva Mercurium per ſublimationem a calce, elevatum iterum tere cum calce metallica, & ſublima, ut antea: hoc toties fac, donec calx metallica tandem ſupra candelam, ut cera, vel glacies, liqueſiat, tunc probe factum eſt. Hoc metallum ponatur in digeſtione ad ſuum tempus, & mutabitur totum in Mercurium vivum, hoc eſt, in primam ſuam materiam, qui quidem* Mercurius Metallorum & Philoſophorum *appellatur, quem plurimi Alchymiſtæ quæſiverunt, ſed pauci invenerunt. Ita jam paratur Mercurius vivus ex omnibus metallis, nempe Mercurius* ☉ ♀ ♂ ♃ ♄ &c.

Verba clara ſunt, ſed ſi expendantur ritè, non reſpondent praxi: primo enim *calcinat* datum metallum per Mercurium Vulgi, quem omnes artifices reprobant, tanquam operi ineptum: deinde calcem in tantum *ſublimat*, donec in amalgama coaguletur, quod ſine dubio nihil aliud, quàm mixtum ex calce & mercurio eſt, deinde hoc iterum *teri* præcipit, & toties hanc operationem peragit, donec tanquam cera ſuper ignem candelæ liquefiat: deinde digeſtioni ſive *putrefactioni* ſubjicit ad certum tempus puta menſem Philoſophicum: donec totum in *Mercurium* convertatur, quem *Philoſophorum* dicit. Ego verò dico, nullum in hac operatione alium nobis *Mercurium* exhiberi, quam quo primo Metallum calcinavit, & ſi per Sublimationem, putrefactionemque omnibus terreſtribus fœcibus ei commiſtis quàm optimè depurgatum; non tamen hinc ſequi, hunc *Philoſophicum Mercurium* à Mercurio vulgi indeſtructibili diſtingui, cùm nonniſi gradibus puritatis, uti in omnibus ſublimatis videre eſt, differat. Quod verò dicit, *totam hanc calcem in Mercurium converti*, naturalibus repugnat principiis, cùm enim in calce metallica ſulphur ſuam partem habeat, ſulphuream calcis partem in ſpecie differentem Mercurium converti, dici neque poteſt neque debet; cùm nulla in rerum natura vel adeò depurari queat, quæ non poſt ſe nonnihil earum terreſtrium partium,

ex

ex quibus constat, relinquat. Accedit, quod Mercurius etiam vulgi ex se, & sua natura incorruptibilis, & indestructibilis sit; neque enim igne ita domari potest, ut dum tenues evanuit in auras, obvio frigore non statim in naturam pristinam, id est, fluidam revertatur, nulla ne minima quidem parte consumpta, uti jam sæpius experimento comprobavimus. Falsum itaque est, quod *Paracelsus* hoc loco promittit.

Joannes Azoth aliter conficit & præparat *primam materiam metallorum* in ordine ad Lapidem. *Mercurius*, inquit, est prima operis nostri materia, & postea fit menstruum solutivum corporum, lac virginis, & nutrimentum nigræ terræ simulque azoth ablutionis. Ex ipso Mercurio nostro solo elicitur omnis virtus artis. Est in Mercurio quidquid quæruntsapientes. Quomodo verò Mercurius ille præparetur à *Joanne Azotho*, qui sua pleraque ex *Raymundo Lullo* descripsit, accipe.

CAPUT II.

Virum vera & realis transmutatio unius metalli in aliud detur.

Est hoc præcipuum fundamentum eorum, qui *Auriferam Artem* profitentur, quo artem veram, & realem esse demonstrare se posse existimant; & ego illis libens subscriberem, si non quoad praxim, saltem quoad theoriam; si mihi occultæ naturæ semitæ, si abditæ Naturæ in operationibus suis industriæ, quibus in rerum genesi utitur; si præcisa & absoluta combinandarum rerum proportio haud ignotæ forent.

Verùm cum *Ecclesiastici* testimonio cunctæ res sint difficiles, nec eas sermone quis explicare queat: Hinc exoritur illa animorum in indagandis rebus naturæ perplexitas, mentisque stupor, quo perculsa quantò in intima rerum indagine plus se profeciss videt, tantò à veritatis limine remotiorem adhuc sese deprehendit; ut proinde solis Angelis, dæmonibusque intimus naturæ Nucleus abditi caloris nidi, rerúmque possibilium cum activis coaptatarum modus, ratio & absolutissima proportio cognita sit.

Quæ admiranda rerum scientia, si humano intellectui communicaretur, is haud dubiè ad illud tandem, quod jam ab innumeris ferè Philosophis unicè quæsitum, tanto, tamque pertinaci studio, multorum annorum spatio, irrito labore exoptatum fuit, pervenire posset. Felix sanè is, & ter, quaterque beatus, quem aliquando in Naturæ indagine beatus error fortuito casu ad magni alicujus inventi adyta perduxerit. His tamen difficultatibus non obstantibus nonnulli artis certitudinem tantâ constantiâ tuentur, tantâ pertinaciâ defendunt, ut ad fidem ignaris rerum faciendam, non dicam sub dubio, sed vel Geometrica apodixi artis veritatem infallibilem demonstrare se velle expressè videantur. Ego sanè uti artem ἀδωνατον non facilè asseram, ita quoque quoad theoriam, probabilem tantùm esse, at vix possibilem hominibus confidentiùs assero, hoc vel maximè capite motus, quod inter tot Theoricos nullus sit, qui hujus rei praxin, nisi forsan Diabolo Magistro, aut solitis impositionum fucis, ostenderit, de quo in sequentibus fusius.

Diabolum enim multa posse ex vera scientia in transmutatione rerum naturalium, constat, quæ nos ne toto quidem ingenii conamine concipere possumus. Quis enim ex aërea substantia corpus corpori humano, aut animali cuicunque tandem haud absimile, humana industria formet? quis industria humana elementa perturbet, tempestates excitet, mare inflet? quis insecta, atque omnis generis imperfecta animalia derepente producat? certè præter Angelum, aut dæmonem, utpotè qua pollet potentia humanâ superiori, neminem alium hoc præstare posse, quis non videt? & tamen cum talia, ac tanta operantur, non ea miraculosè, sed ex occulta nobis Naturæ potentia, & efficacia præstant, inter quæ *artem* quoque *auriferam*, quam juxta naturæ exemplar perfectè norunt, adnumerandam censeo. His itaque prælibatis, jam quid sit *Metamorphosis* illa, seu transmutatio, quâ Chrysopœi tanta miracula perpetrare se posse jactitant, examinemus, ex quâ quid fieri, quid non fieri possit, luculenter patebit.

Metamorphosis, seu *transmutatio metalli* unius in aliud, dupliciter considerari potest; primò per se, propriè & immediatè; secundò per accidens, impropriè, & mediante alio. Illa *propriè*, *per se* & immediatè transmutantur, quibus immutationis inest aptitudo, & capacitas, quæque commune quoddam subjectum, quod immutationem recipiat, habent, & quæcumque tandem subjecta propriè actionem permutantem recipiunt; atque hoc pacto species mutari impossibile est; sed speciei duntaxat illius individua: atque hæc sententia est *Rogerii Baconis*, qui hisce nihil aliud intelligit, nisi quod species rerum in abstracto permutari non possint, sed in concreto, id est, specierum individua. Metamorphosis verò *impropriè*, sive per accidens & mediatè sumpta illa dicitur, cui nulla inest permutationis aptitudo, neque commune subjectum permutabile, neque ipsius actionis permutantis subjectum immediatum: sed hæc omnia consequuntur ex aliquo subjecto: hoc autem pacto species, & accidentia transmutari possunt. Verbi gratia: Argenteitas, quæ est Argenti species in abstracto sumpta, transmutari non potest in speciem auri, quæ est aureitas, neque argenteitatem, aureitatem fieri possibile est; hoc enim sumpto modo permutari species non possunt, quia non subjectæ per se accretionibus sensibilibus, nec in se compositionem habent partitam, vel contrariam, quæ sit causa permutationis vel ejus subjectum, sed per accidens quidem, & impropriè, & mediante, verbi gratia, igne transformantur, mutatione particularium, partibiliumque rerum, quæ uti corruptibilia sunt, & composita, sensibilibusque accretionibus objecta, sive subjecta, ita quoque ea per varias depurationes, digestiones, sublimationesque, quarum subjectum est metallica materia, in aliud transformantur: unde hoc argentum, vel aurum factum est subjectum alterius speciei, quam alia complevit purgatio, aut digestio.

Ex hac definitione patet, *Baconium* per ejusmodi definitionem nihil aliud intellexisse, quàm metallicam quandam transmutationem, qua per varias digestiones, putrefactionesque aurum fit subjectum alterius speciei, de quo nemo Philosophorum hucusque dubitavit; & experientia apertè docet, in mineralibus, metallicisque corporibus; quorum subjecta unius speciei materia uti naturaliter in alia aliaque differentium specierum mineralia procedit, ita varias quoque transmutationes perficit, ut fusè in præcedentibus de

Metal-

Metallorum geneſi oſtendimus, & ex tanta lapidum, gemmarum, cæterorumque mineralium ſpecie differentium varietate patet.

Unde concludo, Aurum, Argentum, æs, plumbum, &c. etſi ſpecie differant, quia tamen unicam ſubjectam materiam habent, quam nos ſuprà *halitum*, ſeu *vaporem ſulphureo-ſalino-mercurialem* diximus, hinc à metallis in ſpecie quidem differunt, non tamen in materia; quia hujuſmodi halitus à Deo Elementis concreatus, aurum, argentum, aut plumbum non eſt, ſed veluti ſemen quoddam, quod intra differentes Terræ matrices effuſum, pro differentia matricum, differentia & mineralia, & metalla varia induſtria, ſolutione, inquam, digeſtione, circulatione, & tandem coagulatione producit, quæ innumeris exemplis in *octavo libro* de lapidifici ſucci mirabili vi, ad quodvis in ſaxum convertendum, oſtendimus.

De admiranda verò vegetabilis naturæ, quâ non ſolum una herba in aliam tranſmutatur, ſed & ex herbarum putreſcente ſucco, animaliumque putredine, differentis ſpeciei animalia producuntur, metamorphoſi, in *ultimo hujus Operis libro*, magno experimentorum apparatu diſſeremus. Quis nutrimenti tum hominum, tum animalium in carnem, ſanguinem, *tranſmutationem* negat? Quid ignis non poteſt? Illius ope omnia tum mineralia, tum vegetabilia, animaliaque in cinerem, & ex cinere in vitrum convertuntur? Ex quibus apertè patet, non Alchymicas ſpecies, ſed ſubjecta ſpecierum tantummodo transformari poſſe. Atque has naturæ per ſe operantis leges immutabiles eſſe, nemini dubium eſſe debet, atque adeo in ſuis operationibus, utpote ab Archetypo Divini intellectus immediatè dependentibus errare non poſſit. An verò artis humanæ induſtria quiſpiam ad ſimilis tranſmutationis apicem pertingere queat, hoc ipſum eſt, quod hic quæritur; hoc enim nobis cum Alchymiſtis faceſſit negotium.

Paracelſus Tranſmutationem nihil aliud eſſe dicit, quàm cum res ſuam formam amittit, atque adeo alteratur ut prorſus priori ſubſtantiæ, & formæ ſuæ non ſit ſimilis, ſed aliam formam aſſumat, aliam eſſentiam, alium colorem, aliam virtutem, aliam naturam & proprietatem, ut ſi metallum fiat vitrum, vel lapis: ſi lignum fiat carbo, argilla lapis & later, pellis gluten, linteum papyrus, hordeum equus, aut caper, frumentum homo; hanc tamen *tranſmutationem* in Chymico negotio ſine *Lapide Philoſophorum* & hunc Lapidem ſine ſeptem Chymiæ gradibus, quos in præcedentibus expoſuimus, factu impoſſibilem judicavit.

Paracelſus itaque, ut verum artis tranſmutatoriæ ſpecimen det, primò variorum metallorum unius in aliud μεταμόρφωσιν, *docet lib. de tranſmutat. metallorum*; putatque ſe demonſtrare poſſe, *metalla* ſpecie non diſtingui, ſed ſecundum majorem tantummodo, & minorem puritatem. Nos autem ex propriis ejus experimentis, quam ille dicit *tranſmutationem*, illam veram non eſſe, ſed impropriam & accidentalem tantùm, ſic ex ejus verbis oſtendimus. *Tranſmutatio*, inquit, *metallorum, magnum ſecretum in Natura eſt, & difficulter fieri poteſt multorum impedimentorum, & adverſitatum cauſa, attamen contra naturam non eſt, neque contra Dei ordinationem, ut multi falsò loquuntur.*

Ut autem minora, & impuriora metalla, ut vocant, Jupiter, Saturnus, Mars, & Mercurius, in majora & puriſſima, perfectiſſimaque metalla, utpote in Solem & Lunam tranſmutentur, abſque tinctura, & Lapide Philoſophorum, fieri non poteſt: in reliquis tamen in ſe invicem tranſmutandis cum difficile non ſit, apponimus.

EXPERIMENTUM I.

Tranſmutatio Martis in Venerem, ſive Ferri in Cuprum.

Tranſmutatio hæc variis modis fieri poteſt. *Primò* ſi limatura ferri in aqua vitrioli coquatur; *Secundò* ſi laminæ ferreæ cum Vitriolo calcinato cœmententur: *Tertiò* ſi candentes laminæ ferreæ oleo Vitrioli extinguantur: Addo ego, ſi laminæ ferreæ tenues aquæ vitriolatæ ſolummodo imponantur. Atque haſce *Paracelſus* veras *tranſmutationes* eſſe dicit, quod nos, uti in præcedentibus fusè docuimus, negamus: cùm hanc mutationem nihil aliud eſſe aſſeramus, quàm corpuſculorum æratorum in Vitriolo latentium, ad *ferrum*, quod naturaliter appetunt, confluxum: Cùm enim ſingularis magnetiſmus ferrum inter & cuprum, uti & vitriolum ſive calcinatum, ſive in aquam reſolutum ſit, hinc fit, ut ſtatim ac ferrum invenerit, illud tenaciſſimo amplexu ſtringat, & acrimoniâ in ſcoriam revolvat, quibus uti vitriolata corpuſcula unita ex miro, quem ad eas habent, conſenſu, commiſcentur; ita quoque facile in putiſſimum æs decoquuntur; cujus rei experimentum quotidie exteris in meo Muſæo oſtenditur. Si enim tranſmutatio vera, & realis foret, tum corpuſcula vitriolata, ſive calcinata, ſive cruda, & fixa, ſive aquæ inſint (ejuſdem enim generis & naturæ ſunt) in totam ferream ſubſtantiam converti deberent, quod experientiæ repugnat: atque adeò *Paracelſus*, hoc loco ſua opinione falſus eſt. Sed videamus alias ab eo allatas *tranſmutationes*. Poteſt quoque, *inquit*, limatura ferri quaſi in plumbum reduci, & tranſmutari, ita ut prorſus molle fiat, ut nativum plumbum, ſed non facile fluit. Fit autem hac ratione.

EXPERIMENTUM II.

Ferri in plumbum tranſmutatio, ſecundùm Paracelſum.

Cape limaturam ferri, & tantundem optimi pulveris liquefactitii, miſceantur, ponantur in tigillo, & in furno ventoſo fiat ignis fortis talis, ne ferrum fluat, ſed quaſi in cœmento ſtet integram horam, poſtea fortifica ignem ſtrenuè, ut candeſcat, & fluat; denique tigillum per ſe frigefieri ſinito, & invenies regulum plumbi in tigillo, mollem, & ductilem, ut nativum plumbum.

Hanc dicit eſſe tranſmutationem ferri in plumbum, in qua ſibi ipſi contradicit: cùm expreſſe dicat, limaturam ferri quaſi in plumbum, id eſt, in plumbi ſimilitudinem quandam deduci, & tranſmutari poſſe: addit, id non facile fluere, ſed molleſcere tantum. Cauſam ergo iſtius rei meliorem aſſigno, & eſt, quod ferrum uti ex ſulphure aduſto, & exigua humiditate conſtat, ita quoque aduſto ſulphure cum reliqua loppa per ignis efficaciam abſumpta partes ad fluxionem aptiores reddantur. Non itaque hæc tranſmutatio eſt, ſed mera fit *depuratio*, quemadmodum ſæpè in noſtro Collegii Romani Ergaſterio, ex Marte regulum fulgidum, & ſplendentem fieri vidi, ex ſcobe ferri, & antimonio compoſitum, quod vel ipſe *Paracelſus* ſubdolè reticet, dum loco antimonii dubia voce utitur pulveris liquefactitii, qui addi debet,

debet, ut inde regulus non plumbi, sed Martis emergat. Patet itaque ex hisce denuo *Paracelsi* in suis experimentis fallacia. Sed jam videamus quomodo *æs in plumbum* transmutet, & utrum hæc vera transmutatio dici possit.

EXPERIMENTUM III.

Transmutatio Æris, sive Veneris in plumbum, sive Saturnum.

Primò, inquit, *omnium, cuprum Mercurio sublimato, & Arsenico fixo in album redige, candidum ut Luna, postea id granulato; hujus & boni pulveris reductitii recipe ana, & primò quidem cœmenta, postremò in regulum funde & habebis verum plumbi regulum.* Hanc veram transmutationem esse non posse, hinc patet, quod Mercurius, & Arsenicum ubi avolaverint, cuprum albâ tinctură præditum relinquant; adusti sulphuris parte, cum reliquis scoriis consumptâ; unde per ignem veluti depurgati candidam, & molliorem, magisque fluidam substantiam reguli instar acquirit. Atque hoc sequenti apposito experimento luculentissimè comprobari potest, quomodo sine ulla difficultate regulus ille, quem plumbi dicit, in pristinum statum cupri reduci possit, quod non fieret, si vera, & realis transmutatio foret.

EXPERIMENTUM IV.

Plumbi in Cuprum reductio.

Laminas *plumbi*, sive etiam regulum, quem paulò ante ex cupro eduxerat, vitriolo calcinato, vel croco Martis stratificato, cœmentato, denique liquefacito, & videbis putatitium plumbi regulum in optimum æs ponderosum, & malleabile reductum. Causa est, quod ex prima reductione cupri in plumbum putatitium æri decesserat, id modo per vitrioli calcinati, & croci Martis additionem in pristinum statum æris, seu cupri rubri reducitur; quam quidem meliori jure *immutationem*, quàm transmutationem dixerim, & ex sequenti experimento patet. Si enim tale cuprum in subtiles laminas redactum, tutiâ, aut calaminari pulvere, ut Chymicè loquar, stratificetur, cœmentatumque postremo fundatur, id in *aurichalcum* transire reperies, splendore auri haud absimile. Vide quæ suprà de cupro in aurichalcum immutando uberius locutus sum: neque enim in hoc experimento ulla substantiæ fit mutatio, sed cuprum solum modo ex rubro in aureum colorem tingitur: Cùm hoc, ut alibi ostendimus, denuo ex aureo in rubrum reduci possit.

EXPERIMENTUM V.

♄ in ♃ transmutatio, sive Plumbi in stannum.

Quomodo verò in stannum plumbum immutari possit, *Paracelsus* hisce verbis docet. *Plumbum in laminas subtiles redactas, stratifica cum sale armoniaco, cœmenta, & postremo funde, ut suprà dictum est. Hoc pacto plumbo omnis nigredo & obscuritas tollitur, & in albedine pulcherrima Anglico stanno simillimum videbitur.* Cujus quidem rei ratio alia nulla est, nisi quod Sal armoniacum, Mercurium sat copiosum in plumbo latentem in fumum resolvat, quo ablato unà cum fuligine plumbi in duriorem, splendidioremque substantiam, videlicet *Stannum*, quod & ideò plumbum candidum vocant, degenerare necesse est: neque hæc transmutatio propriè dici possit: cùm idem Mercurius in locum ejus, qui avolarat, per Sal Armoniacum, stanno denuo junctus, id denuo in plumbum atrum reducere possit: uti experientia me docet.

Hisce transmutationibus præmissis, *Paracelsus*, ut realem transmutationem persuadeat, addit arcanum in lapidosa substantia arcanorum omnium maximum: Verba ejus pono: *Similiter sciatis de magnete, qui in decuplam potentiam & virtutem transmutari potest: nempe hoc modo:* Arrigite aures Magneticæ artis Doctores, quam ingens vobis secretum pandat Paracelsus. *Recipe Magnetem, & in carbonibus candefac, ita quidem ut calescat valdè, sed tamen non sit ignitus.* Quomodo autem candefactio magnetis ab ignitione differat, equidem capere non possum, *Quem statim in oleo croci Martis, qui ex optimo chalybe sit factus, extingue, ut imbibat quantum capere potest: hoc pacto magnetem adeò efficacem reddit, ut per eum claves ex pariete evellas, & similia mirabilia operari poteris, quæ alius magnes nunquam facere potest.* Et in alio loco asserit; *Si magnetem in sale Echenēidis sepelias, tantæ virtutis futurum, ut ex ipso puteo ferrum attrahere possit.*

Hæc sunt arcana *Paracelsi* Sacramenta, utique tanto ineptiora, quanto falsiora sunt. Si solemnis hic Magister vel prima Magnetis principia novisset, tam stolida non effutisset. Quis enim nescit, uti in *Arte mea Magnetica* per frequentia experimenta docui, Magnetem carbonibus tumulatum, statim omni virtute tractica destitui, adeoque nihil Magneti adeo contrarium esse, quam calorem intensum, non dicam ignis, sed vel ipsius Solis, quem sine detrimento sui sustinere nequit, experimento frequenti compererim. Quis autem credat huic impudentissimo jactatori magnetem in sale Echeneidis, quam *Remoram* vocant, sepultum, tantam virtutem acquirere, ut è puteo ferrum collapsum extrahat, aut quomodo hujus rei experimentum à se factum cum veritate dicere potest? cum de Echeneide sive *Remora*, utrum unquam in rerum natura extiterit, inter Naturalis historiæ Scriptores maximè controversum sit. Unde autem is tot remoras habuerit, ut ex iis salem extrahere potuerit, quis conjicere poterit? Vides itaque, *Lector*, hujus hominis in asserendis rebus præceps ingenium, audaciamque prorsus intolerabilem. Patet itaque, *Paracelsum* ejus ingenii fuisse, ut si quid audiret novum, & admirabile in rerum Natura, sive verum, sive falsum, id ipsum statim ad suas ineptias transtulerit, ne intima quævis Naturæ mysteria, verius fabulas, nescire videretur.

Audiverat is, & legerat forsan de *Remora* tanta virtute tractiva prædita, ut vel ipsas onerarias naves, palmaris magnitudinis piscículus sisteret: Unde statim eam ad magnetem roborandum assumpsit, non inquirens, utrum illa verè existat in Natura, & utrum eandem virtutis tractivæ speciem cum magnete obtineat; sed hujusmodi impostura uberius in sequentibus aperientur.

Jam ad Rhombum, uti dici solet. Secuti sunt hanc discipuli ejus, nescio qua δοξομανίᾳ perciti. Cùm enim plerique avidissimè in *literalem metallorum transmutationem* ferrentur, neque tamen spem, aviditatemque suam ullo explere modo possent, aut magnificis

magnificis pollicitationibus, queîs artis magnæ finem ſe conſecutos eſſe gloriabantur, ſatisfacere valerent: quidam audacia pluſquam Thraſonica, dum dolis, fuciſque liberalius indulgerent, temeritatis cum ſumma inſaniæ nota condignas luerunt pœnas Nonnulli cautiores ne pſeudotechnias crimine notarentur, fucoſo ad tegendam imperitiam induti pallio, *Lullum*, ejuſque ſectatores, *Uſtadium*, *Rupiciſſam*, cæteroſque Magiſtros *Paracelſi*, mordaci penna ſecuti, indignis probris perpetuo vellicare non deſtiterunt. Cœlum *Lullianum* quintamque eſſentiam, veluti rem ludicram, & nullius in tranſmutatoria momenti irriſerunt deſpexeruntque; imò cùm ab eo omnia deſcripſiſſent, ſub alio tamen ſenſu, ne plagiarii criminis convincerentur, novam quidem, ſed ſubdolam Chryſopœiæ telam texuerunt ex parabolico, magico, & philoſophico *Hermetis*, Turbæ Philoſophorum & *Villanovani* roſario deductam, quam tamen ne inſcitiæ arguerentur, *Ovidii Metamorphoſi*, *Æſopi Apologis*, *Ariete Colchico*, *Cantico Salomonis*, aliiſque, quæ quovis modo ad intentum facere videbantur, allegoricis ratiociniis tegendam cenſuere, eo demum impietatis pervenerunt, ut ſumma *Chriſti Servatoris noſtri* beneficia, Incarnationem, Nativitatem, Paſſionem, Mortem, Reſurrectionemque, cæteraſque cœleſtis doctrinæ partes, & abdita Evangelii Sacramenta, *Lapidi*, impio ſanè auſu, accommodare non ſint verecundati.

Quidam rurſus *Paracelſi* Sectatores audita voce (*Medicina*) metallorum imperfectorum correctrice, eam non ſolùm ad Medicam tranſtulerunt facultatem, ſed & ſimilibus tranſmutationibus pharmaceuticen polluerunt, non conſiderantes otioſam ſupervacaneamque eſſe metabolicam illam metallorum medicinam, ſi unâ generali in Solem converterentur omnia. Hinc rurſum in tranſverſum acti quidam, dum modum perfecta metalla in aurum tranſmutandi neſciunt, ad apparentes quaſdam imperfectorum metallorum in imperfectas commutationes, id eſt, Martis in Venerem, Saturni in Jovem, Stibii in plumbum, tranſformationes converſi, veluti opera in perfectis metallis deſperata, Lapidem *Siſyphi* veriùs, quàm Philoſophorum inſano labore, & ſine fructu, non ſine ſapientum riſu volverunt, revolveruntque.

Quercetanus Paracelſi aſſecla cum innumeras tricas in tranſmutatione occurrentes cognoſceret, ne in inutili opere, & operam, & oleum perderet, ab Alchymia ad Chymiam medicam transfuga, rationem ſui conſilii hiſce verbis dat. *Quid enim tum poſtea, ſi aurum facere poſſis ex argento vivo, & mercurialibus metallis, eaque arte tibi ipſi miſeriam concilies, interim ſalute humanâ, quæ auro, gemmiſque pretioſior eſt, neglectâ.* Rectè utique, ſi quoque eam ſe neſcire addidiſſet. Caſtris itaque *Paracelſi* relictis, *Lullum* ſecutus, alium ſibi lapidem volvendum cenſuit, quem libro edito *de Veterum Philoſophorum veræ Medicinæ materia, præparationis modo, ejuſque in morbis ſanandis potentia*, ex quinta vini eſſentia extractum propoſuit. Atque hunc, ait, verum eſſe à priſcis intentum Philoſophorum Lapidem: illudque ex illo fictitii *Morieni* epiphonemate probat. *Lapis noſter eſt aqua extracta & ſeparata à corpore noſtro, quæ dicitur prima materia; aurum enim Philoſophorum*, ait Quercetanus, *ſeu lapis, nihil aliud eſt, quàm quædam arte compilata medicina temperata, quæ tanquam forma ſeparata à ſuo corpore ad tantam ſubtilitatem reducta eſt, ut in quodvis objectum, inſtar formæ cœleſtis præparatam à natura ſibi materiam operetur.*

Sed quid, quæſo, lapis vegetabilis cum minerali, aut metallico, convenientiæ, aut proportionis habeat, diſpicere nulla ratione poſſum: Anne ex beſtia herbam, plantamque, aut ex planta metallum educere contraria naturæ via queat, ipſe viderit. Alii, quos pudet tantæ loquendi inconſtantiæ, & perplexitatis, *Lullum Quercetanum*, cæteroſque *Lulli* ſequaces, dum Lapidem ex quinta Auri eſſentia conficiunt, excuſant; omnia videlicet à *Lullo* de cœlo ſuo vegetabili prolata, ſub puro metaphorico ſenſu accipienda eſſe. Sed qui legerit *Lulli* Librum, cui titulus eſt *Cœlum Philoſophorum*, is ex ipſo Magiſterii proceſſu, luce meridiana clariùs perſpiciet, *Lullum* nil ibidem aliud exhibuiſſe, quam Panaceam quandam, omnium infirmitatum humani corporis curationi mirè opportunam; unde abjecta metallorum tranſmutatoria ceu conclamata, ſoli vegetabili huic lapidi tanti ad ſanitatem non ſolùm conſervandam, ſed & prolongandam, momenti incubuit. Qui verò ad inæſtimabiles aureæ naturæ theſauros plus æquo adſpirant, ſi rejecto & vegetabili, & animali lapide, ceu incongruis & heterogeneis, ſoli minerali conficiendo, indefeſſo quidem, at fruſtraneo prorſus labore incubuerunt: & ut ingentia Naturæ ſacramenta ſoli poſſidere viderentur, iis artis proceſſum, ſententiarum monſtris incoluerunt, quæ nec aſſequi poſſis intelligendo, nedum ſcribendo imitari, nedum æmulari excogitando. Et ne iis injuriam facere videar, totius tranſmutatoriæ artis proceſſum ad incudem hîc revocandum duxi; ut *Lector* vel ex ipſa ἐγχειρήσει, & procedendi modô, luculentiſſimè videat, conſiſtere non poſſe quod tot contradictionum nodis intricatum, tot abſonis ſimilitudinum involucris tectum, tot denique rerum coaptandarum difformitate confuſum eſt.

CAPUT III.

De Lapidis, & Tincturæ Philoſophorum conficiendæ modo, & ratione.

NOn dicam hoc loco de Pſeudochymiaſtrorum, ſed de primi ordinis Alchymiſtarum in Lapidis ſtructura proceſſu, ut ex eorum modo, & ratione, quid de reliquis ſperandum ſit, eluceſcat: quos inter Principem locum poſt Arabes, *Hermetem* fictitium, *Gebrum*, *Raſin*, *Halid*, *Hamuel*, alioſque innumeros obtinent, *Lullus*, *Villanovanus*, *Joannes Azoth*, auctor fictus, *Rupiciſſa*, *Treviſanus*, *Bernardus*, *Iſaacus Hollandus*, *Paracelſus*, & quotquot in diverſas Sectas diviſi hanc artem excoluerunt. Arabes Lapidis, tincturæque artificium hoc modo propoſuerunt, Auctore *Gebro*, quem ſecuti ſunt.

Sumatur Lapis in Capitulis notus, id eſt, *argentum vivum*, ſeu *Mercurius Philoſophorum*, *quem* Zebach *vocant*, *poſt præparationem; ante præparationem verò lapides illi, ex quibus elicitur. Aſſiduò fiat ſuper illo opus ſublimationis primi gradus inſtantia operis donec mundetur ab impuritate corrumpente, fitque*

sitque purissimus & ultimò volatilis. Quomodo autem hoc fiat per sublimationem in sequenti processu manifestabitur. Tertiò figatur hic per modos fixionis, donec ignis asperitate quiescat: sic consistit meta secundi gradus; id est, *elixir jam suo gradu fixum habes. Quartò tractetur etiam Lapis tertio gradu, qui in ultimo præparationis complemento consistit, ut jam fixum lapidem per modos sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum: hinc solves, iterumque volare facies, & coagules denuo, donec fluat, absque fumo tamen, & ingrediatur, & tingat, alteretque in complemento Solifico, & Lunifico vero, vel donec projectione sui aurum, & argentum efficiat completum, quæ res multiplici repetitione ejusdem laboris indiget: latet hic thesaurus incomparabilis, arcanum pretiosissimum, & supra omne arcanum scientiarum hujus mundi.* Ita *Geber.* Et quoniam hæc omnia gratis dicta sine ulteriori explicatione videri possint: Hinc apponam *Raymundi Lulli*, & *Joannis Azothi* qui quasi de verbo ad verbum sua *ex Lullo* descripsit processum, qui uti Arabum descriptioni conformis est, ita quoque *Lullum* ex Arabibus eum descripsisse, nulli dubium esse debet.

Raymundi Lulli & Joannis Azoth *ad magni Lapidis tincturæque complementum processus.*

Dividitur Alchymistarum turba circa hunc processum in duas sectas; quorum alii ad Lapidis confectionem requirunt aurum minerale purissimum: alii sine ullo auri additamento negotium confici posse putant: & uti illi verum, & genuinum semen terræ suæ Philosophicæ, ita hi Lolium inserunt; ita tamen ut ad desideratum auri fructum pervenire se posse putent, quo nihil stolidius esse potest. Sed jam ad processum *Lullianum, Azothicumque*.

PRAGMATIA I.

Sublimatio Mercurii.

Primò quidem in sua Clavicula docet *Lullus* nonnullas ad *Lapidem* tinctuamque Philosophicam compositiones aquarum, ad operis executionem necessarias; Et primò quidem *sublimationem hydrargyri* docet, cui jungi præcipit unam vitrioli Romani libram, & decem salis communis uncias. Sed quia operatio fusior, quàm ut *Lector* eam ferat, eam omittendam duxi. Mercurius itaque hac operatione ad summam puritatem deductus, servandus est. Secundò præparare docet *aquam*, quam *vitæ* vocat, hoc pacto.

PRAGMATIA II.

Aquæ vitæ præparatio, quæ quidem nihil aliud est, quàm Aqua fortis.

Cape Vitrioli Romani libras duas, Aluminis calcinati tantundem, halinitri libram unam, contrita mitte in cucurbitam, & alembico rostrato addito distilla *aquam fortem* secundum artem; primò igni lento bene clausis juncturis, deinde fortiori, & tandem fortissimo, ut alembicus rubefiat: tunc cessa. Optimum feceris, si hujus aquæ libras tres aut quatuor obtineas. Postea ut *regiam aquam* habeas, sic operare: In præparatæ jam *aquæ fortis* libra solve salis armoniaci trientem, & ex viridi colore abibit in citrinum, & poterit aurum solvere cutemque flavo tingere, quam analogicè *Chelydoniæ succum* dicunt. Solvit etiam cinnabarim, sulphur, argentumque vivum sublimatum: hanc serva in vitro bene obturato, loco tepido.

Hac peracta docet præparare *aquam Mercurialem* eo, qui sequitur, modo.

PRAGMATIA III.

Aquæ Mercurialis præparatio.

Cape aquæ Regis paulò ante præparatæ libram unam; Mercurii supra sublimati puri, densi, clari, ponderosi uncias sex, quas cucurbitæ forti committes. In eam injicies paulatim Mercurium, deinde orificium obstrue, ne salis armoniaci vis exspiret, & in cineres temperatè calentes colloca, & sic aqua Mercurium solvet, & si post solutionem aliquid remanserit, id nova aquæ regiæ superinfusione solvatur, & sic procedes donec totum sit dissolutum. Posteriores solutiones appone priori, lento motu, ne efferveseat, & clauso vitro aquam in suum usum referunt.

Hujus *aquæ* perfectionis signum est, si injecta cuprea bracteola argenteo colore tingatur. Atque hæc est *aqua*, quâ omnia corpora metallica in Mercurium seu primam materiam reduci existimant. Quomodo verò hæc aqua ad summam puritatem duci queat, sequenti modo docet.

PRAGMATIA IV.

Aquæ Mercurialis depurgatio, qui Mercurius Philosophorum *dicitur, & Metallica corpora in primam materiam reducit.*

Aquam Mercurialem paulò ante descriptam in cucurbitam longi, & angusti colli infunde. Pone in fimum equinum bene digestum quatuordecim dierum spatio in vase exactè clauso; sine ibi in putrefactione & fœcibus ex aquæ corpore separatis ad vitri fundum subsidentibus, relinquetur aqua flava, & citrina, deinde vitrum ex fimo transferatur ad furnum cineris, & per alembicum, juxta artem, aquam distilla igne lento, & prodibit aqua clarissima ponderosa, quam in hac operatione Lac virginis, acetum acerrimum, aquam perennem dicunt; continuato ignem, donec totum liquorem clarum eduxerit, quo facto igni diminuto furnum refrigescere sine, aquam serva.

Signum perfectionis est, si gutta in Laminam æream candefactam superaffusa, eam statim penetret, albo relicto vestigio. Atque hæc aqua ad summam puritatem deducta, omnibusque corrosivis qualitatibus exuta, corpora metallica in primam materiam reducit, unde & *Mercurius Philosophorum* dicitur. Quomodo verò hujus ope metallica corpora in primam materiam reduci queant, sequenti praxi docet.

PRAGMATIA V.

Quomodo corpora metallica in Mercurium seu primam materiam resolvantur.

Si *Argentum* in Mercurium tibi solvendi sit animus, sic operare. Argentum purè fulminatum, & repurgatum redige in scobem elimatam, vel tenuissima folia per bractearium in papyri formam extensa; hæc cum sale præparato in marmore contere, ut pulvis exactus fiat, quem aqua calente ablutum ab omni salsedine sicca, siccatum pone in concham, imbibitum oleo tartari

reſicca', identidem repetendo. Tandem arefactum tere in calcem, tritum in cucurbitam aut phialam pone: affunde, quam paulò ante præparavimus *Aquam Mercurialem* ad altitudinem duorum digitorum; & hoc peracto pone ſupra ignem lenem in cineribus, & aqua Mercurialis vertet calcem in Mercurium. Si tota non eſt converſa effuſa priori aqua cum Mercurio, affunde novam, & procede ſimiliter; aquam effunde cautè in aliud vitrum, Mercurium verò repone in patinam ſeu calicem vitreum; eum, ut mundus fiat, aqua ſalſa abluе; deinde exſiccata humiditate exprime eum per pannum, vel coriaceam burſam, ſi nihil remanſerit, bene fit; ſi quid verò inſolutum remanſerit, repetitio inſtituenda eſt, donec expreſſus per pannum Cotonæum nil remanſerit.

Signa perfectionis hujus *Mercurii* prima ſunt, tarditas in curſu major, quam argenti vivi vulgaris. Secundum, ſi ſupra laminam ignitam poſitus, exhalatuſque poſt ſe relinquat notam fixitatis. Hunc Mercurium ſi augmentare velis, accipe Mercurii paulò ante præparati uncias quatuor, vel quot voles: Adde limaturæ argenti puriſſimi dimidium, & fiat amalgama. Hoc miſce cum argenti vivi optimè depurgati partibus duodecim: mitte in vitrum quod benè claudes; infer in ignem cinerum blandum, ibique detine menſem ut fiat reſolutio in Mercurium: tunc dicetur ſummè volatilis ſuperare ſummam fixi, & tunc eundem facit volatilem; & hanc operationem pro libitu ad quodvis augmentum repetere poteris. Hoc *Lullus* & *Azothus* dicunt eſſe totum & unicum ſecretum Philoſophorum. Idem verò proceſſus valet, ſi pro argento aurum capies.

Atque hactenus omnia rectè, & ſcitè dicta ſunt, utpote quæ experientiæ non contradicant. Reſtat itaque ut modo doceamus, quomodo, & an ope hujus id, quod tantopere jam à tot ſæculis deſideratum fuit, id eſt, *Lapidem* illum, ſeu tinctúram conſequi poſſimus, & quâ viâ, & ratione tinctura Phyſica ab Alchymiſtis beneficio præmiſſi apparatus confici poſſit.

Dicunt itaque tinctúram albam, & rubeam, quam *Elixir* vocant, ex ſolo Mercurio Philoſophorum ſupra Mercurium, & omnia corpora metallica imperfecta projectam, in vera, perfecta, naturalibuſque meliora tranſmutari poſſe, ex ſolo, inquam, *Mercurio Sapientum*, qui non eſt Mercurius vulgi, ſed eſt prima metallorum materia; ex qua omnis virtus Alchymica elici dicitur; cui nullam rem extraneam, præter aurum, & argentum in fermentatione Lapidis veluti coadjutores quoſdam, per quos opus verum Chymicum perficitur, addi debere cenſent. Nam ut *Nicolaus Barnaudus* dicit, materia Chryſopœiæ eſt aurum finiſſimum ex minera tractum, non fabrile, aut miſtum, ſed optimæ notæ. Aurum, *inquit*, obryzum, quale *Geneſis cap. III.* in Hevilah ad Philon Paradiſi fluvium, aut in Ophir provenit; Veruntamen uti utriuſque Regionis locus, ſituſque mirum in modum ab Interpretibus controvertitur, ita quoque ridiculum eſt, Chymicos ad incognitas hujuſmodi aurifodinas Lapidis gratia relegare. Miror ſanè hunc auctorem eoſdem non ad Rhiphæos quoque montes, ad gryphos Hyperboreos præſtantiſſimi auri cuſtodes, ut tandem aurum negotio Chymico congruum conſequantur, remiſiſſe. Sed relinquamus has Alchymiſtarum nugas: Alii aurum ἄπυρον, ſive ignem non expertum ſeligunt ad ſuum intentum.

Quidquid ſit, ſine auro, & argento melioris notæ nihil prorſus conficies, quibus & nos penitus, penituſque ſubſcribimus, quamvis hæc non ſit veterum Philoſophorum intentio. Sed jam operationes, queîs *Lapidis tinctura per ſublimationem*, quâ veluti unica cæteri ſeptem operationum gradus, quæ ſunt diſtillatio, adſcenſio, deſcenſio, coagulatio, putrefactio, calcinatio, fixatio continentur, perfici aſſerunt, videamus, atque examinemus. Sic autem procedunt.

OPERATIO I.

Quæ vocatur *Mercurii corporalis præparatio.* Mercurium Philoſophorum ſuprà præparatum pone in phialam; orificium claude Hermeticè, ne poſſit expirare: pone eum ad ſuffocandum in ſuo lectulo, bene ſtrato temperati caloris per menſem Philoſophorum ſub tenui calore, donec per ſe ſudet, nec amplius aſcendat, aut deſcendat, ſed quieſcat, & coaguletur in nigram terram, quod *Caput Corvi* vocatur, & terra, fæx nigra, æs Philoſophorum, ſulphur nigrum vir & maſculus dicitur, una res diverſis nominibus: atque ex hac prima operatione per coagulationem ex liquido fit ſpiſſum, ex frigido-humido, uti aiunt, calido-ſiccum per elementorum ſeparationem.

OPERATIO II.

Quâ *nigra terra dealbatur*, ſic procedit: Capitis Corvi, ſeu nigræ terræ cape partes duas, adde eis aquæ Phyſicæ reſervatæ, id eſt, Mercurialis ſupra præparatæ partem unam, ita terram ſiccam aqua imbibat, donec totam conſumpſerit, ipſaque aqua penitus tranſierit in corpus tetræ nigræ. Cùm primùm fuerit commiſta, claude vitrum, & pone in cupellam cinerum; adhibe calorem temperatum, & tanquam in molli ſtrato exſiccetur continuo calore per octiduum: tunc enim incipiet paulatim dealbari. Eximе ex vitro, & iterum pota lacte virgineo: poſtquam bibit, repone in ſuum alveolum, ſeu phialam, lectumque caloris temperati, ut iterum exſiccetur, ſicuti ante, & hoc per quatuor vices. Per hanc itaque operationem *terram nigram* ſeu Caput Corvi ob omni fœditate ſufficienter purgatum, ad *albedinem* intentam reduxiſti; quam quidem ſerva diligenter, habes enim, quod deſiderare, ut loquuntur, potes, terram albam foliatam, ſulphur album, Magneſiam albam, qua fieri putant conjunctionem auri, & argenti, & mortuorum corporum vivificationem, qua imbibitione quilibet fructus emergit centuplus, adeo ut ad intentum nil aliud reſtet, niſi fermentatio, qua fœtus, quadantenus animari dicitur; juxta illud in Turba Philoſophorum: *Serite aurum noſtrum in terram albam foliatam, & portabit vobis fructum centuplum*, cujus virtutem tantam eſſe dicunt, ut multiplicetur in infinitum; atque hoc eſſe *Elixir* illud deſideratum album, tingens Mercurium, & omne corpus Metallicum imperfectum in Lunam, ſive Argentum veriſſimum: addunt tamen fermentum corpus mortuum intrare non poſſe, niſi mediante aqua Mercuriali, quæ inſtar Paranymphæ matrimonium compleat.

Habes hic, *Lector*, univerſam pragmatiam ad Lapidis, tinctúræque confectionem, & ab omni parabolicarum locutionum obſcuritate vindicatam, quoad literam, quantum fieri potuit, clariſſimè expoſitam, evolutamque, ut proinde nemo

Alchy-

Alchymistarum conqueri possit, aut terminos minùs rectè intellectos, aut multa studio, & ad artem occultandam, omissa fuisse: quod tamen si asserunt; Dico, nulli unquam artifici chrysopœo fidem habendam, sed ad aliquam sibi famam magna artis scientia comparandam quidlibet pro quolibet summa & intolerabili impostura posuisse: quibus quidem loquendi modis, dici, vix potest, quantum Artis possibilitati præjudicent. Cùm itaque verba clara sint & praxis methodicè prolata ab omnibus facilè in praxin reduci possit, jam restat, ut ad Physicam bilancem singula ponderemus; & an hujusmodi intentum *Chrysopœias arcanum* obtineri possit, ostendamus: Neque enim sibi *Lector*, persuadeat velim, tam me credulum esse, ut quicquid Alchymistæ mirandarum rerum effutiunt, tanquam Evangelii Sacramentum reverear, & adorem: præsertim cùm plerique nulla abditarum rerum physicarum scientia polleant, neque combinandarum rerum artem calleant, qua sola veritas à falsitate, legitimum ab illegitimo, absonum à consono secernitur; neque me tam imperitum existiment, ut de Arte Chymica æquum judicium ferre non queam: Quæ cùm ita sint, jam telam cœptam ordiamur.

Si quispiam hanc à *Joanne Azotho*, qui à *Lullo* totam accepit, propositam Lapidis ἐγχείρησιν penitius subierit, & cum aliis ejusdem farinæ auctoribus comparârit; is primò inveniet, magnam esse in modo operandi diversitatem: Qui in nonnullis quidem conveniunt, in aliis tamen, pluribúsque adeò differunt, ut negotium in duas sectiones abierit. *Paracelsistæ* non solùm sine *auri* aut *argenti* mineralis assumptione Lapidem fieri posse contendunt, sed solo Mercurio Philosophorum intentum operis finem se consequi posse sibi imaginantur, dum Spiritum Mercurii vini ope extractum, quem tùm in vena cinnabrii, aut fossili vena minii, tum in liquore sublimati nidulari dicunt, eliciunt; sed quomodo sine auro, & argento rubrum, aut candidum elixir quidpiam in aurum, in quo nunquam fuit, tingere possit, quis crederet? nisi forsan cinnabrium, minium aut antimonium (quod pro liquore sublimati ponit) nonnihil auri continuerit, sumpserit; At hoc pacto rubrum quidem, aut candidum elixir faciet, inde tamen nunquam multiplicativam virtutem tincturæ extrahet, sed tantum solummodo auri extrahet, quantum in cinnabrio, minio, antimonio in minera auri commixtum fuit. Ex quo apertè *Paracelsi* impostura patet, qui ex pura minera Mercurii promiserit id, quod in ipsa per Naturam non est. Quæ & scitè sanè docet vel ipse inter cæteros non minimus Alchymista *Basilius Valentinus cap. de reb. natur. & Lullus* huic subscribit hisce verbis: *„Mercurium nostrum ex auro & argento per aquam Mercurialem factum, jungendum esse cum proportionali quantitate argenti vivi.* Quomodo verò ex eo cinnabaris, aut minium fossile (in quo plerumque solus Mercurius nidularur) ita præparari queat, ut inde fiat lapis aurificus, quis credet? quomodo id dabit, quod non habet? Dicunt forsan, ex semine χρυσογόνῳ in intimo ejus centro existente. Sed quis, rogo, semen auri in cinnabari, nisi ei à natura accretum fuerit, quærat? nemo sanè nisi principiorum Naturæ ignarus & consequenter impostor; sed de hac fucata metamorphosi in sequentibus pluribus.

Venio ad eos, qui *aurum obryzum*, nobilioriſque notæ *Argentum* assumunt quidem ad Lapidis opus; sed & hi inter se in modo discrepant. Quidam aurum, ex quo semen Mercuriale extrahitur, in suam pristinam naturam reduci posse credunt; Ita *Nicolaus Barnaudus* in Lapidis sui confectione. Sed videamus modum operandi.

Accipe, inquit, *auri obryzi ℥. ij. Mercurii magno artis studio elaborati decuplum, misce, & igne languido dissolve, usque dum Mercurius exspiret, aurique impositi pondus maneat in atrum pulverem redactum, qui tamen liquatus in pristinam auri naturam converti possit. Ex hoc pulvere elicit ope balnei roris Mercurium, usquedum pulvis in calcem niveam devergat; quo per septemplicem elutionem purificato, prodibit inde tandem* Azoth, *Spiritus vivens, cujus terra fermentum est, aqua mas, calx fœmina, quorum complexu nascitur infans, id est*, Lapis.

Hanc calcem purificatam, seu solem Philosophorum obturato vase putrefacito, seponitoq; ad digerendum 40. diebus, usque dum in humorem album, & crassum liquescat, cui justis dierum intervallis aquam mercurialem sensim affundes relinquesque, donec vires suas recuperet, coibitque iterum, & hoc toties, donec totam suam aquam imbiberit, tunc uterus clausus est, ne quid exspiret, nascieturque desideratus lapis; quem si posueris supra Mercurium in novo tigillo aperto, tunc ad dragmas duas pones $\frac{1}{12}$ *grani partem: da fortem ignem, postea adde boracem, & habebis unam drachmam* auri, *& si multiplicationem nôris, lapide non indigebis.* Hæc, *Barnaudus.*

In hac pragmatia multa mystica verba reperio, sed utilitatem nullam, nullum tantæ pollicitationis emolumentum. Hoc unicum ex textu colligo, post tot mensium labores, post tot vigilias & sudores, sumptusque impensos, qui duas *auri obryzi* uncias pro primo materiali corpore posuerat, præter hydrargyri positi jacturam, nonnisi unam auri drachmam reperisse, non quidem ut ipse putat ex Mercurii in aurum transmutatione, sed illud ipsum aurum, quod primò posuerat, tametsi vel ad $\frac{1}{12}$ grani partem diminutum; quod sanè nemo mirari debet, cùm per tot ignis, & aquæ tormenta id partim in excrementitias partes, auri admixtas, partim in fumum, partim denique aquarum corrosione absumptum fuit. Ne tamen nihil fecisse videatur, *Lectorem* ad multiplicationem materiæ adhortatur, quam tamen consultò Alchymistarum more, ne tantum secretum pateret, reticuit. O miseros Philosophos! Si non alias nobis divitias promittitis, quàm tanto dispendio, tanto laboris magisterio partas; certè tantùm abest, ut inde *Cræso* ditiores, ut potiùs ad incitas brevi tempore redactos verbis, factis, fumoque nos elusos, *Iro*, *Codroque* pauperiores reperiamus. Quidquid igitur agant, certè hæc Philosophicæ solutionis nomen non meretur, sed Metallurgis, & Aurifabris (qui tamen majori & compendio, & facilitate, quin & emolumento intentum obtinent) propria, uti rectè *Libavius* ostendit, dici debet.

Non desunt, præterea, qui *aurum* quidem melioris notæ ad operis perfectionem, utpotè ex quo Mercurium Philosophorum, primam artis materiam extrahere solent, adscisçunt; at hi hoc pacto illud præparari debere præcipiunt, ut nullo modo amplius in pristinam naturam restitui possit. Ita *Morienus* in turba Philosophorum: *In nostro magisterio, sive aurum, sive argentum, sive hydrargyron, aut Mercurium assumas, ita mutantur omnia,*

ut neutiquam reduci queant : Aurum enim noſtrum poſt diſſolutionem ita alteratur , ut nulla alia re, quàm aqua noſtra Mercuriali liquari poſſit , Unde non eſt amplius eſſentialiter aurum , ſed modificatum , quod aurum hoc pacto ſive mortificatum , ſive modificatum , nil quidem aliud eſt , quàm quod ſymbolicè terram nigram , lapidem nigrum , corpus mortuum , caput corvi appellant Artifices ; quod poſtquam per aquam Mercurialem , & calorem vivificatum fuerit , tunc iis dealbatur Laton , ſeu Æthiops , id eſt, caput corvi , ſeu terra nigra : Ideò præmoneatur filius doctrinæ , ne nimium urat atrum illum pulverem , ſed relinquat ita diſpoſitum , ut queat iterum aqueſcere , quæ erat antiqua ejus natura, nempe fluida, & liquida. Ita *Turba Philoſophorum.*

Quæ verba ſi ritè expenderis , in iis ingentem contradictionis nodum reperies : Vel enim *aurum* illud per aquam Mercurialem reſolutum in terram, ſeu pulverem nigrum , erit aurum , vel non erit aurum : Verum aurum id non eſſe *Turba* expreſsè dicit : Si non eſt verum aurum , quomodo illud per aquam Mercurialem in tincturam veri auri exaltari poteſt ? cum aurum non verum , verum aurum producere impoſſibile ſit , niſi verbis tantùm ludamus. Ecce primam contradictionem. Altera elucet in *argento vivo* in magiſterium aſſumpto , uti ex textu patet , quod tametſi in priſtinam formam reduci non poſſit , in fine tamen apertè dicit , atrum pulverem per Mercurium iterum aqueſcere , quæ ejus erat antiqua natura. Mercurius itaque , juxta *Turbam* reduci , & non reduci in priſtinam ſuam naturam poteſt , quod manifeſtam implicat contradictionem , quo in vera Philoſophia nihil abſurdius eſt.

Sed dicent , per *ſemen auri* aquæ Mercuriali inditum , in novum aurum Mercuriali multò nobilius reſuſcitari. Sed quæro jam , quidnam iſtiuſmodi *ſemen* ſit ? Dicent , eſſe ſemen auri per Mercurium in primam materiam extractum , reſolutumque. Urgeo , quomodo probas illud *ſemen* per tot diſſolutiones , calcinationes , cæteraque tum ignis , tum aquarum roſivarum tormenta non eſſe deſtructum ? Si enim cujuſcunque tandem herbæ ſemen coxeris , & recoxeris , deinde coctum , recoctumque terræ ad repullulaſcendum commiſeris ; Dico tantum abeſſe , ut inde quicquam in novum germen ſuſcitetur , ut potius deſtructâ per tam frequentem decoctionem formâ , & ſeminis vim vegetabilem unà perire neceſſe ſit. Nam uti rectè *Philoſophus* , à privatione formæ ad habitum non datur regreſſus ; tantum enim inde conſequeris , quantum ſi ſaxum ad refloreſcendum terræ commiſiſſes. Sed dicent , aliter ſe habere cum ſeminibus vegetabilium , aliter cum ſemine metallicorum corporum, eò quod in aqua Mercuriali ex auro minerali extracto *ſemen* lateat *auri* , quod unà cum aqua Terræ nigræ , Capiti Corvi , Pulveri atro (ſic aurum minerale aſſumptum per calcinationes penitus deſtructum , mortificatumque vocant) ſuperaffuſa , corpus mortuum reſuſcitando , albâ, vel rubeâ tincturâ , pro argenti , aurique ratione in Lunam, vel Solem convertat.

Contra , ſic arguo : Vel enim *ſemen* illud eſt ſuæ ſpeciei multiplicativum , vel non. Si prius dixeris , jam neceſſariò illud vegetabilium numero adſcribere cogeris , adeoque id in ſecundum naturæ gradum exaltabis , & conſequenter mineralibus , metalliciſque corporibus vitam tribues , quô in Phyſicâ nihil eſt abſurdius. Si verò non niſi analogicè tantum vegetabile eſſe dixeris , idem dixeris , hominem pictum hominem verum generare poſſe , quod ridiculum , ne dicam ſtolidum eſſet aſſerere. Si verò dixeris , id quadam modificatione eſſe verum ſemen auri , uti *Turba* loquitur , errorem majorem incurres , cùm modificatio , ſive modus , utpote purum putum accidens nil ſubſtantiæ ex communi Philoſophorum ſententia ſuperaddat. Cùm itaque nulla ratio ſuperſit , quâ *Turba* non verum aurum , id eſt, Caput Corvi , in verum aurum per aquam Mercurialem tranſmutare ſe poſſe probare queat ; Nihil aliud reſtat dicendum , quàm quod *auri* illius exigua portiuncula , quæ poſt peractum tanti laboris , expenſarumque magiſterium relinquitur, non ex ſemine auri aquæ Mercuriali inexiſtenti , quod jam à prima ſua origine per tot alterationes hererogeneam , & ab auro vero oppidò differentem formam acquiſivit , ſed ab auro minerali primitus aſſumpto natura ſua indeſtructibili, à fœcibus tamen terreſtribus ei accretis ritè depurgato , prodierit. Sed hæc in *ſequentibus* fuſiùs proſequemur , ut quàm turpiter Alchymiſtæ contra prima Philoſophiæ principia peccent , luculenter patefiat.

CAPUT IV.

Perfectum Artis Magnæ Magiſterium à Lullo , Azotho , *cæteriſque examinantur.*

Sed jam revertamur ad ἐγχείρησιν quâ *Lapidis* myſterium completur , quod juxta Philoſophicam amuſſim ritè examinatum præter parabolicas locutiones nil certi in tanta methodorum varietate , & differentia , qua Auctores inter ſe contendunt , ad *Lapidis* confectionem conſtituendam facere reperiemus. *Azothus* emendat *Lullum* , *Libavius Azothum* , *Paracelſus* omnes ; ita ut vix quiſquam (uti hucuſque partim demonſtratum fuit , partim in ſequentibus comprobabitur) cum altero conſentire videatur. *Lullus* itaque in *Clavicula* ſua , (quam *Joannes Azothus* auctor ſuppoſititius expoſuit) poſt hydrargyri ſublimationem , poſt aquæ vitæ , fortis , regiæ , Mercurialis aquæ præparationem , poſt ejuſdem purgationem, ſolutionemque corporum in Mercurium ; poſt tot inquam inexhauſtos labores tandem procedit ad ultimum *Lapidis magni* complementum , quod in *fermentatione* conſiſtit , hoc modo.

Proceſſus continuatio de univerſali *Azothi* fermentatione Lapidiſque complemento.

Si terram albam ad Elixir album volueris fermentare , ut ſtet in complemento tinctura ſuper corpora diminuta , & ſuper Mercurium in omni probatione. Recipe terræ dealbatæ , ſeu foliatæ , id eſt, corporis mortui partes tres , & de aqua vitæ reſervata partes duas , fermenti partem unam , & dimidiam, fermentum autem album ſit præparatum in calcem albam , fixam , ſubtilem , ſi opus album intendis præparare. Si verò rubeum , tunc fit calx auri citriniſſimi , & non eſto aliud fermentum , quia fermentum argenti eſt argentum ; & auri, aurum; cum in his corporibus inſint radii tingentes cætera corpora rubedine , vel albedine pura , & in his ſecundum naturam puriſſimæ ſubſtantiæ , ſubſtantiarum , reperta ſit ad ſpecimen

lapidis

lapidis pertinens. Fac unamquamque speciem cum sua specie, quodque genus cum suo genere, cum albo est albificandum, cum rubro rubificandum: non misceas opus unius lapidis cum opere alterius, alioquin errabis.

Terra alba foliata est corpus; fermentum *est anima, quæ tribuit corpori vitam, aqua mediante, quæ est spiritus. Confice ergò has tres partes in unum matrimonialiter, super lapide mundo conterendo, & unum chaos per minima producendo, ut fiant una hyle confusa, & ruducantur in unum corpus demum inseparabile: postea ponas in suam phialam aptam, i. e., thorum calidum temperatum, ut coaguletur, & fixetur, fiatque unum corpus album. Hoc facto, rursus exime lapidem candidum benedictum, ipsumque contere subtiliter in lapide mundo, & iterum cum tertia parte aquæ suæ imbibito, ut haustum bibat. Impone eum in alveolum suum clarum, mundum, & loca in lecto suo temperatè calido, ut incipiat iterum sudare, & haustum aquæ bibitæ permitte in visceribus ejus exsiccare. Sic reitera vice multiplici, donec excellentissimum* lapidem *album per hos gradus reiterationis præparaveris fixum, & stantem in igne, perque omnia corpora imperfectorum metallorum velocissimè gradientem & sustinentem pugnas super ignem aqua fusili: qui lapis tingat Mercurium, & omnia imperfecta in argentum verum melius omni naturali. Nota, quod quando hujus complementi ordo reiteratur, solvendo, coagulando, conterendo, assando, tantò magis hujus medicinæ bonitas multiplicetur, magisque tingat, itaut si in prima sui ablutione pars una tingat* 100, *in secunda vertat* 1000, *in quarta* 100000. *in quinta* 1000000, *in sexta infinita millia; non sufficit una contritio & imbibitio.* Hæc *Azothus.*

Sed ne illotis, ut ita dicam, manibus tantum mysterium aggressus esse videar, aut ne ex non intellectis terminis imperitiæ dicam incurram, *terminos* hujus operationis juxta mentem Alchymistarum prius exponam, deinde quid de re ipsa statui possit, aperiam.

1. *Terra foliata alba* nihil aliud est, quàm caput corvi jam dealbatum, ex qua fit elixir illud Solificum, Lunificumque.

2. *Stare in complemento tinctura* est, argento vivo, metallisque imperfectis, quæ & diminuta dicuntur, per projectionem argenti perfecti, colorem, & naturam perseveranter & in momento conferre.

3. *Terra alba* dicitur corpus mortuum, respiciendo ad subsequentem mox animationem; quid itaque hæc animatio sit, postea exponetur.

4. In compositione memorantur *Corpus, anima, spiritus.* Terram foliatam *Corpus* vocant, fermentum *animam*, quæ corpori vitam tribuit aqua mediante, qui est *Spiritus*; hæc tria tamen à diversis differentibus nominibus appellantur, uti videre est apud *Isaacum Hollandum* de Lapidis Fabrica, ut proinde consistere non possit, quod tot tricis involutum est; Si ars vera sit, certè una ad eam via, una operatio, una methodus ut sit necesse est, nisi toto cœlo quis aberrare velit. Quantâ verò ad terram foliatam aqua mercuriali animandam industriâ opus sit, dici vix potest; dum vix constare possit, quantum aquæ requiratur mercurialis. Si enim magnam ejus copiam accipias, vix, aut ne vix quidem terram coagules: exiguam, siccitas antevertet legitimum humiditatis terminum, itaut coagulationem justam nullo modo assequi liceat; quemadmodum itaque operis perfectio in individuo quodam consistit, ita quoque ab intellectus nostri imbecillitate attingi non potest.

5. *Reservata aqua* pro spiritu sumitur, quo matrimonium consummatur, estque divisa in duas partes ad imbibendum, & coagulandum & iterum in duas partes ad matrimonii copulam.

6. *Fermentum* in hac praxi non est aliud, nisi argentum nativum purissimũ de minera in calcem per mercurium redactum: hoc dicunt tantæ virtutis esse, ut non secus ac paululum fermenti totam massam triticeam in tumorem extollat intimeque penetret; Ita & hoc fermentũ Philosophicum exaltatur adeò, ut instar seminarii perfectissimi acquirat vim, complura sibi similia secundum speciem procreandi, utpote quod totum in aurum verum, & formale vertat; adeò quidem, ut in minutissimis portiunculis sit instar totius, possitque inde augeri in infinitum, adeòque quod Philosophi spiritualibus substantiis dant, ut sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte, hoc Alchymistæ tincturæ suæ perperam & imperitè attribuunt,

7. *Matrimonialis copula* est primus ortus lapidis, cætera fuere tantùm præparationes, de quo verissimè dicunt ea ignoratâ totam artem nesciri; adeò enim confusè, & differenter de hoc cum terra foliata matrimoniali conjugio loquuntur, ut ne ipsi quidem, quid dicant, sciant.

8. *Oleum Mercurii* nihil aliud, quàm Mercurius Philosophorum.

9. *Chaos* est mistum, vel pasta, in qua omnia sic corporantur, ut nec quicquam eorum, ex quibus constat, appareat; unde & *hyle* ab aliis vocatur, seu materia prima, in qua omnia habent rationem potentiæ passivæ, ex qua tamen spirituum calore externo & calore interno in actum forma desiderata producitur.

10. Per Solem intelligit vim Sulphuream, per Lunam Mercurialem; unde copula. Atque hæc est summa perfectionis lapidis *Lullo, Arnoldo, & Ioanne Azotho* suppositio Auctore, quam de verbo fere ad verbum ex *Lullo* descripsit, proposita. Quod omnes consequenter Artis magnæ Auctores Chrysotechni tanquam Artis archetypon, tum ob methodum, tum ob claritatem verborum; queis arcanum describit, respexerunt, quem & nos ad processum artis facilius discutiendum consultò seleginus; cæteris datâ opera neglectis. Fuit inter alios *Cornelius Drebellius*, qui totam artem ex *Lullo* descriptam sub recondita Physiologia, quæ in admirandis elementorum tum in invicem transmutatione, tum in effectibus inde resultantibus consistit; exhibuit. Ego autem eum verius λιθοτεχνίαν Alchymistarum ad mirandas Naturæ operationes rerumque transmutationes traduxisse, quam contra putârim, uti suo loco dicetur.

Sequitur *Joannes ab Asia* Anglus qui ne artem ex *Lullo, Arnoldo, Azotho* discripsisse dici posset, eam fumosa verborum obscuritate ita involuit, ut non nisi ex *Azothi* doctrina supra tradita intelligi possit. Tertius ex Alchymistis occurrit *Melchior Cibinensis*, qui *Ladislao* Hungariæ & Bohemiæ Regi artem exhibitam non Philosophico, nec Sapientibus usitato more, sed vesana quadam vecordiâ captus parabolis, allegoriisque ex *Canticis Canticorum* assumptis, sacrosancta adorandaque Liturgiæ mysteria carbonibus suis, atroque fumo obscurata non minus irreverenter, quam impiè contaminare non erubuit. Legat qui volet Artis summa in Theatro Chymico, & non sine risu unà indignationi mixto mirabitur, quonam tandèm modo in hominis ingenium cadere queant, tam audacter, & sine fronte

non myſteriis, ſed ſceleribus; non ſcientia, ſed impoſtura mundo illudere tam turpiter voluiſſe.

Hunc ſecutus *Georgius Riphæus* Anglus, qui præter ea quæ de *Azothi* traditionibus jam diximus, nil peculiare & diverſum habet, præter verba mito artificio tecta, & cum omnia pluſquam Thraſonicis ratiocinii ampullis promittat, nil tamen adfert, niſi obſcuritatem ſummam pari confuſioni junctam, adeóut ne ſeipſum quidem, quid dixerit intellexiſſe videatur. Hiſce accedit *Sendivogius* Polonus, qui, cum in duodecim tractatulis de Lapide Philoſophorum, promiſſis inauditis Mundum concitaſſet, ac ſpecimen artis ſuæ coram Duce VVirtenbergenſi exhibitum, unà cum *Mollefelſio* impoſtore, in ſiniſtriorem impoſturæ ab utroque præſtitæ ſuſpicionem traxiſſet Principem; hic quidem veſtibus exutus, turrique incluſus, tandem ſceleris convictus dignas malitiâ, nequitiâque ſuâ pœnas luit: *Sendivogius* verò penè nudus è carcere elapſus, poſtea nunquam comparuit; ut vel hinc appareat quid de hiſce ſperare queas.

Poſt hoſce ſe tandem ſiſtit *Paracelſus*, qui Alchymicæ artis principatum ambiens, dum Aſtronomica Magicis, Cabaliſticiſque, Phyſica Theologicis conjungit, non tam nova placita, quàm monſtra opinionum peperit: quidquid enim in Archidoxis ſuis & de Natura rerum libris, de Magnæ Artis myſteriis tradidit, ea partim ex *Lullo*, partim ex *Iſaaco Hollando*, ſuppreſſo utriuſque nomine decerpta, ſui juris, inventioniſque fecit; in quibus tamen præter peregrinorum monſtruoſorumque nominum farraginem, nihil ab iis cæteroquin diſcrepans & quoad ſubſtantiam alienum reperias.

Primus itaque *Lullus*, dum eſſet Arabicæ Linguæ haud ignarus, Arabum libros de Alchymia ab omni abſtruſitate vindicatos, uti mihi utramque doctrinam comparanti patuit, Latinæ linguæ reddidit, quin & in Libro quem *Claviculam* vocat, poſteritati donatam, artem juxta genuinum ſenſum exhibuit; cui tamen in omnibus *Arnaldus Villanovanus*, uti poſtea videbitur, contradixit.

Hoſce itaque Principes Alchymiæ ſecuti innumeri alii, qui uti auro divitiiſque avidius inhærebant, atque admirandorum effectuum fructus, quos benedicti, ut vocant, verius maledicti lapidis beneficio ſe conſecuturos ſperabant, ita omnem operam, ſtudium, facultates omnes, imò vitam ipſam ſine ullo fructu fœde proſtituerunt. Hinc nullus fere, non dicam Philoſophus, ſed vel ex infima plebe opifex inventus fuit, qui non ad tanti momenti artem animum applicuerit; Philoſophi & Medici verò, ut nonnihil ſupra alios ſe ſcire jactitarent, artem quoque typis evulgarunt: Principes unà cum vulgo, tantiſque pollicitationibus præſertim circa Chryſopoeiam, ſive avaritia, ſive curioſitate tantæ raritatis allecti, neglectis Rerumpubl. negotiis, intra abdida ergaſteria, quæ *Laboratoria* vocant, ſe ſe unà cum Carbonariis ciniflonibus ad artis fructus percipiendos artemque exercendam concluſerunt. Sed quid tandem? Exhauſto, indignante populo, ærario, præter fumum, carbones, cineres, nil aliud dignum retulerunt. Quis enim unquam Principem hujus falſarii operis exercitio quicquam ad artis veritatem conteſtandum, aut lucratum fuiſſe, aut indè ditiorem extitiſſe aſſeverare poterit? Imo multos, quorum famæ data opera conſulo, adeò fatalibus horum nebulonum exercitiis, non dicam dementatos, ſed ita obcæcatos fuiſſe conſtat, ut inde domum cæteroquin opulentam, in ultimam ruinam deduxerint. Sed ne Alchymiſtis injuriam facere videar, jam ad rationum pondera progrediamur, quibus Deo dante, Alchymiam, ejuſque paulò antè adductos proceſſus non tantùm vanos & irritos, ſed & indignos eſſe, qui à Principibus aut admittantur, aut in admiratione habeantur, luculenter demonſtrabimus.

CAPVT V.

Quo Alchymicos *Magnæ Artis* proceſſus, *paulò ante adductos, ſubſiſtere non poſſe docetur.*

QUamvis ingens, (qua continuò agitantur veluti fluxu quodam & refluxu in magni *Lapidis* ſtructura Alchymiſtæ) contradictionum varietas ſufficientiſſimum falſitatis argumentum eſſe poſſit; ne tamen mihi obganniant, veritatem ſub contradictione non niſi ab artis filiis intellectam, occultari; reconditam verò ſub illa jacere à Philoſophaſtrorum capacitate longè remotam, uti *ſcholæ Hermeticæ* epigraphe docet: *procul hinc procul eſte profani*: Contradictionem quidem videri, non tamen eſſe. Sed hæc argumenta, uti neſcio quid ἀλογίας præ ſe ferunt, ac belluinæ Philoſophiæ, quam humanæ ſimiliora ſint, ita ſtultis quoque ſolvenda relinquimus, quibus ſolis nihil facilius eſt, quàm album nigrum, grave leve, aurum non aurum eſſe, perſuaderi poteſt.

Dicunt Alchymiſtæ, *Aurum* quod lapidem conſtituit, *non eſſe aurum*; Mercurium in arte magna non eſſe Mercurium; & tamen Aurum, & Mercurium ad opus magnum aſſumunt, dicuntque, aurum prius, uti & Mercurium in aliam formam meliorem abiiſſe. Quæro, ſi in formam meliorem tranſiit, vel illa forma ſpecificè, ut cum ſcolis loquar, ab auro minerali diſtinguetur, vel accidentibus tantum. Si prius, non niſi mente captus illud aurum ſpecie diſtinctum eſſe aſſeret, cùm in quocunque tandem rerum genere ſpecies unica ſit, & alteri incommunicabilis, Nam ut rectè Philoſophus L. 7. Met. *Species rerum ſicuti numeri ſeſe habent*. Plerique Alchymiſtæ dum aurum Chymicum non verum aurum dicunt, conſequenter ſpecie diſtingui aſſerunt; Alii qui aliquid altius ſapiunt, aurum quidem eſſe contendunt, ſed auro minerali, & natura genito, multò nobilius, & excellentius utpote vivum, & multiplicativum. Quæro *unde* provenerit *tanta illi auro excellentia?* Reſpondent ex depuratione, & ſemine vivificativo auri naturalis. Iterum quæro, quânam ratione iſtud ſemen extrahi potuerit non remanente ſubjecto, in quo ſubſiſtat? Reſpondent ſubjectum, & ſemen eſſe Mercurium ex auro abſtractum. Contrà; vel ille mercurius eſt mineralis, vel non; ſi prius, jam videndum eſt, quomodo ii per tot ignium, roſionisque aquarum tormenta, caloris impatiens, non evanuerit? Si poſterius, jam erit; Mercurius, & non Mercurius, & conſequenter ex non Mercurio ſine matrice aurum producetur multò nobilius naturali: ſed hæc uti contradictoria ſunt, ita refutari non merentur. Sint itaque hæc omnia puræ putæ chimeræ, & ſtolida deluſæ imaginationis, ac deliræ mentis Phantaſmata: Si enim, quod ex Mercurio illo imaginario producitur verum aurum non eſt, quomodo verum aurum inde prodibit, cum ex non vero, verum facere ἀδύνατον ſit; aut ſi à minerali auro ſpecie differat, quid aliud concludere poſſumus, niſi quod ex iſtius modi auro, aurum à naturali ſpecie diſtinctum producat,

ducat, essentiâ, proprietate, viribus, toto cœlo diversum; quo quid in Philosophia naturali absurdius, stultiusque dici possit, aut debeat non video.

Sed cùm hujus insaniæ eos puderet nonnulli veluti ex tripode quadam Apollinis arcanum tot, fabulis, tot barbarorum nominum monstris obvelant, ut imperitæ quidem plebi *Hermetes* redivivi, veris tamen Philosophis non nisi aurati, ne dicam auriti asini videantur. Restat itaque nisi in omni bona Philosophia stupidi videri velint, ingenuè fateri, aurum Chymicum sine auro minerali nulla ratione confici posse, quod & ipsum suprà ex *Lulli*, *Azothi*, *Arnoldi* verbis sat, supérque ostendimus. Quod uti verissimum est, ita quoque totum illud aurum Chymicum, quot tot laboribus excoquunt, illud idem esse, quod à principio in artis provectionem assumpserunt, & si purgatione, ac depuratione tot distillationibus, sublimationibus, calcinationibusque facta, non nihil diminutum, & consequenter nobilius comperiatur. Quod verò mercurium in primam metallorum materiam prius reduci debere asserunt, iterum nil dicunt: Vel enim illa materia visibilis est, & sensibus obvia, vel non: Si prius, quomodo eam in operationibus suis videre queunt, cùm prima, sive secunda rerum materia insensibilis sit? Si posterius jam non prima materia, sed compositum erit, sua prima materia & forma constans. Restat de *Semine auri restaurativo*, atque per tincturam in infinitum multiplicativo, uti processus promittit, non nihil, ut veritas patefiat, dicere.

Jactant se se maleferiati illi Pyrotechni, non aurum duntaxat verum *lapidis admirandi* beneficio confici posse, sed & tincturam sive albam, sive rubeam illius ope tantæ efficaciæ tantæque fœcunditatis esse, ut fermentatus lapis possit 100 partes mutare imperfectorum metallorum in metallum perfectum; quem si secundo imbibas, id est, solvas, & coagules adeò fœcundus reddatur, ut una pars centies plus possit, id est, mille partes: si tertiò, 10000, decem mille, Si quartò, 100000, tingat; & hoc pacto per millecuplam proportionem tingere dicunt lapidem in infinitum & ultra, adeóut quidam stultâ jactantiâ non dicere sit veritus, *Lapidem* Oceanum si mercurius foret, eum in aurum tincturum.

Atque adeò tumidos fluctus maris imbuat auro.

Hæ sunt stolidissimæ Philosophastrorum jactantiæ, utique tantò intolerabiliores, quantò impudentissimis suis mendaciis Mundo altiùs, & sine pudore ullo, imò prorsùs insolentiùs imponunt. Si enim ad libram calculatoriam revocetur sæpius repetita *Lapidis imbibitio*, sequetur necessariò ex eorum promissis ad duodecimam imbibitionem Lapidis, duodecim milliones millionum auri provenire; qui numerus tam excessivus est, ut vix animo concipi possit; imo universus Telluris globus auro Chymico ex hujusmodi projectione resultante obduci queat. Quænam jam stupidi Alchymistæ, vasa, fornaces, materiam, aut quem locum, in quo artem suam exerceant, reperient: Universa enim telluris moles non sufficeret, nisi forsan in officina diaboli illud coquant, quod illis libenter permiserim. Sed ne falsi computus convincar, Tabulam subdo.

TABULA

Lapidis multiplicativa Auri.

Projectio	I.	1000
	II.	10000
	III.	100000
	IV.	1000000
	V.	10000000
	VI.	100000000
	VII.	1000000000
	VIII.	10000000000
	IX.	100000000000
	X.	1000000000000
	XI.	10000000000000
	XII.	100000000000000

Centum milliones millionum tingunt.

Hanc tabulam hîc apponendam duxi, ut vel ipsi pueri, mulierculæ, & infimæ plebis peripsemata Alchymistarum promissa, & machinamenta, verius nugamenta videant, & irrideant.

Felices homines, quibus hæ nascuntur in ollis, Divitiæ!

Cùm enim tinctura illa auri multiplicativa, ex Mydæ virgula inventa, præterquàm quòd, uti postea ipso experimento comprobabimus, fabulosa sit, quis rogo, sanæ mentis Philosopho persuadebit, semen hoc Mercuriale *lapidis Philosophorum*, quod tamen quid sit, nesciunt, & apud omnes adhuc Alchymistas est controversum, quis inquam tantæ fœcunditatis vim putabit habere, ut in infinitum aurum multiplicare possit? unde sic argumentor. Vel hoc semen anima vegetativa erit præditum, vel non: Si prius dixeris, jam omnibus inanimatis, uti sunt mineralia, & metallica corpora, secundum Naturæ gradum, scilicet vitalem assignare, atque adeò omnia vitam formaliter in semet ipsis habere, asserere cogeris; quod uti contra omnia Philosophiæ naturalis Principia est, ita confutari non meretur. Si verò non vegetabile dixeris, quomodo ergo vitali motu privatum, se se in tantam fœcunditatem propagare poterit; Si vitâ prædita id non possint, qui vita destitutis id concedi posse dicent? Si miseri fumivenduli arcanum Naturæ processum in metallis producendis nossent, talia, & adeò pudenda effutire non auderent. Quod ne toties repetere cogar, *Lectorem* ad primum hujus operis Caput, relego.

Quidnam verò illud, *quod lapidi tantam tingendi virtutem dederit*, scire cuperem. Dicunt summam & perfectissimam depurationem Mercurii ab omni terrestri fœce longè remotissimam. Sed & si quis vinum septies cohobatum ad summam subtilitatem reduceret, indè pariter sequeretur, illud elixiris vitæ vel unicam guttulam integrum aquæ dolium in vinum nobilissimum transmutaturum, quod & rationi, & experientiæ repugnat; neque quisquam hanc instantiam evertere poterit, quicquid Alchymistæ de sua cœlesti, & supra naturali Elixiris virtute & efficacia, quæ in rerum natura non est, effutiant. O stupidum genus hominum! dum lapidi suo eam operandi virtutem attribuere, idque efficere temerario ausu contendunt, quod unanimi omnium Philosophorum studio jam à bis mille annis, & amplius quæsitum, disputatumque de *infinito* fuit, argumentum, inquam, ab altissimis ingeniorum phœnicibus tanto tempore agitatum, & in hunc usque diem lite pendente nec dum decisum, ipsi lapidis solius imaginarii perfectione se conficere posse glorientur. An non sciunt istiusmodi naturæ eversores, nullam in rerum natura substantiam ignis ope ita in infinitum subtiliari posse, quin tandem in purum aërem omnibus evanescentibus spiritibus desciscat,

aut

aut evaneſcat; præſertim in mercurialis aquæ ſubtiliſatione, quam ſi in cujuſcunque tandem firmitudinis, & ſoliditatis vaſa Hermetica, vel quacunque luti ſignatura clauſa conjeceris, dico tamen fieri non poſſe, ut ſagaciſſimus ſpiritus ſolitâ ſuâ aſtutiâ, vel per ipſos poros elapſus non exſpiret: quod *Iſaacus Hollandus* celebris Alchymiſta in ſuo de lapide Philoſophorum libello fateri non erubeſcit: *Si tinctura*, inquit, *ad quartum exaltationis gradum pervenerit, adtantam devenit ſubtilitatem, ut nullis amplius repagulis contineri queat; imò vitrum cujuſcunque tandem, etiam decem digitorum craſſitiei, ac adamantinæ duritiei continere eam non poſſit.* Si itaque ad quartum gradum ſubtiliata contineri non poſſit; quid dices de tinctura ad decem, centum, mille gradus exaltata? An neſciunt hi, quò plus aurum depuratur, eò plures ab auro portiones decidere? cùm nihil in rerum natura ſit, quòd ita ſublimatione depurgari queat, quin ſemper aliquid depurgandum remaneat, donec tandem quaſi ad nihilum reducatur, ut experientia docet in cohobationibus per diſtillationem frequentiſſimè repetitis, niſi tamen Alchymiſtæ materiam ſuam ad ſimpliciſſimum corpus reducere ſtudeant, quod uti fieri non poteſt, ita ſupinæ ignorantiæ rerum naturalium merito ſuo convincuntur.

Undè ex his tam luculenter oſtenſis, clarè patet, *lapidem* hunc auri in infinitum multiplicativum, purum putum deſultoriæ imaginationis figmentum eſſe. Quem enim quæſo, Alchymiſtæ aſſignabunt, qui hujus experientiam ſumpſerit? neminem ſanè, niſi mendaciſſimum, ne dicam mendiciſſimum impoſtorem. Adde hiſce, quod fieri non poſſit, ut hujuſmodi tinctura humano ingenio confici poſſit vel ipſo atteſtante *Paracelſo*, Libro de tranſmutatione metallorum; verba ejus ad longum cito. *Per hominem*, inquit, *impoſſibilis eſt elementorum, videlicet in arte magna ſeparatio, quæ licet appareat, non eſt vera tamen, quidquid de* Raymundo Lullo *dicatur, & de Anglico ſuo nobili aureo* Roſenobili, *quod falſo fabricaſſe putatur; habet enim ipſamet natura in ſemetipſa proprium ſeparatorem, qui quod ſeparat, iterum conjungit abſque ullo hominis auxilio, novitque omnium optimè unius cujuſque proportionem elementi, & non homo; quicquid ſcribentes erroneis ſuis, frivolis, falſiſque proceſſibus, receptiſque de volatili ſuo hoc auro (* uti paulò antè oſtenderat *) Lullus, Richardus Anglus, Rupiciſſa, craſſis ſuis erroribus fabulantur.* Cui jam in hac arte credendum eſt? *Paracelſo*, an Alchymiæ primis coryphæis? certe neque hos, neque illum artem penetraſſe, neque quid dicerent, ſciviſſe, ſi dicam, certò & optimo fundamento me affirmaſſe, nemo negaverit.

Sed procedamus ad pondus, numerum, & menſuram, exactiſſimamque *proportionem* ad quam *lapidem* fabricari debere aſſerunt; quam quidem proportionem, uti ſolus Deus Optimus Maximus totius naturæ Architectus, qui quælibet Naturæ mixta quomodo in amici conjugii conſortium copulentur, novit, ita ab omni humani ingenii induſtria quàm remotiſſima eſſe quis non videt? hanc tamen in magni operis fabrica prorſus neceſſariam eſſe, omnes fatentur Alchymiſtæ; quæ in indiviſibili conſiſtit, arte pervenire poſſe, nemini ſapientum perſuaderi poſſe exiſtimo: *Nam (ut* Paracelſus *loquitur) ſi unius plus quam alterius ex magni lapidis ingredientibus acceperis, tunc utique ſemen in agrum projectum ſuffocari neceſſe eſt, itaut non poſſit tamdiu vivere, donec à Mercurio Philoſophorum unitum, igne perficiatur: Si verò minus acceperis, ſolvi non poterit omnino, unde fiet, ut arefactum nil fructuum adferat.* De quo & *Arnoldus* conqueritur: *Si terræ plus, aut minus addideris, quàm natura patiatur, anima ſine ullo fructu nulla ſubſequente neceſſaria fixatione ſuffocabitur. Idipſum de aqua quoque ſentiendum eſt, ſi plus, aut minus acceperis. Si enim plus ſumſeris aquæ, materia ſupra modum humida redditur; ſi minus, eam plus æquo ſicciorem reddes, durioremque.* Rurſus, ſi plus æris adfuerit (verbis loquor *Paracelſi*), id tincturæ nimium imprimitur; ſi parum, corpus pallidum evadet. Item ſi vehementior ignis exiſtat, aduritur materia; ſi remiſſior, poteſtatem ſiccandi non habet hæc ſolvendi, nec alia elementa calefaciendi.

Quid facient in hoc deſperato negotio miſèri Alchymiſtæ? Certe *Arnoldus* & *Paracelſus* cùm modum non invenirent Lapidem Siſyphæum ad deſideratum finem evolvendi, totum proceſſum non humanæ adaptationi, ſed ſolius naturæ operationi, committendum cenſuere: Nam ut *Paracelſus* diſcurrit: *Novit natura ſuas operationes, & elementorum pondera, quorum ſeparationes, rectificationes, copulationeſque ipſa exequitur abſque adminiculo cujuſvis operationis, aut mineralis artificii, dummodo contineatur in igne ſecreto materia, & in occulto vaſe.* Certè nihil melius dicere poterat. Relinquant itaque *Naturæ*, quod à ſe præſtari non poſſe putant, utpote quæ jam à naſcentis mundi primordiis, artis ſuæ infallibili induſtria in utero ſuo nobile hoc metallum tanta abundantia produxit, ut fucato Chymicorum auro non indigeamus: Novit enim illa, quomodo ſecreti ignis ſubterranei beneficio activa paſſivis conjungendo metalla producat, ignem ſecretum Alchymiſtarum, ceu inidoneum averſatur: Novit illa occulta ſubterreſtrium matricum vaſa, non retortas, alembica, cucurbitas, ſimileſque Pſeudopyrotechnorum monſtruoſos uteros.

CAPVT VI.

Omnia Chryſopœias tentamina fruſtranea eſſe ex ipſis Alchymiſtarum Coryphæis, Arnoldo Villanovano &c. *demonſtratur.*

Paracelſus Monarchiam Alchymicæ Reipublicæ affectans, cùm modum lapidis conficiendi nullo ingenii conatu penetrare ſe poſſe videret, novas fictitii illius Lapidis rationes iniens, *Lapidis* varios, novoſque in ſuo de tranſmutatione metallorum libro, proceſſus condidit, qui etiamſi quoad ſubſtantiam nihil à proceſſibus *Lulli, Arnoldi, Rupiciſſæ, Ricardi, Baconii*, ex quibus omnia ſua ſuffuratus eſt, differunt; exotico tamen monſtruoſorum nominum amictu ita aliena inventa obvelavit, ut corniculæ pennis veſtitus, non monarcham, uti ſe dicit Chymicorum, ſed cuculum inter aves conſtituiſſe videatur. *Ego*, inquit, *meritò poſt longas meas experientias Spagyros corrigam, & falſum, & erroneum à vero ſeparabo, cùm prolixis admodum inveſtigationibus meis repererim, quo juſtè ſimilia reprehendere queam, & immutare.* Et paulò poſt, recitatis longis veterum laboribus: *breviorem tamen*, inquit, *viam habuiſſent ad rubei leonis theſaurum perveniendi, ſi concordantiam Aſtronomiæ meæ cum Alchymia didiciſſent, quam in* Hermetis *apocalypſi demonſtravi. Cùm verò dies quilibet, ut Chriſtus loquitur, in fidelium conſolationem, propriam ſuam eſſentiam habeat, Spagyris ante mea tempora labor fuit ingens, & gravis,*

qui

Kirckerus Mundus subt.

qui jam auxilio Spiritus Sancti affluentis hoc posteriori seculo mea theorica sublevabitur. Et paulò pòst: *Tam prolixo labore, tædioſaque reiteratione Spagyri veteres non indiguiſſent, ſi ex mea Schola didiciſſent opus; longè citiùs, ac minoribus impenſis votum fuiſſent aſſecuti.* Hæ ſunt jactantiæ *Monarchæ Chymicorum.*

Quid verò Aſtronomia Bombaſtiana mundialiumque corporum analogia ad Lapidem faciat, diſpicere nulla ratione poſſum. Cùm natura rerum ſemper eodem modo agat, quacunque planetarum conſtitutione, ſiderumque aſpectibus; Metallorumque geneſis ſive naturalis, ſive fabuloſa à cœlo, & ſtellis Alchymiſtarum non niſi remotiſſimam, ut in præcedentibus oſtendimus, dependentiam habeat, Sine Aſtrologia itaque, ſiderumque influxibus, in magno artis opere, *Paracelſo* dictatore nil perfeceris. Quid verò Spiritus Sancti aſſiſtentia non ſolum cum vaniſſimo opere, ſed & cum impio homine habeat, non video, quid expetat Traſonicum pectus. Cùm enim humana arte id fieri, conſentientibus aliis quotquot fuerunt Alchymiſtis, nequire videret, artem non niſi à Deo per revelationem concedi voluiſſe ſequentibus verbis oſtendit: *Arcana plura tranſmutationes exhibentia reperiuntur, & ſi paucis, id eſt, Solis* à Deo *illuminatis artis filiis cognita, quæ licet alicui revelentur à Domino Deo, non ideò ſtatim erumpit rumor cum arte; ſed omnipotens cum ipſis dat pariter intellectum hæc & alia celandi uſque ad adventum* Eliæ Artiſtæ, *quo tempore nil tam occultum, quod non revelabitur.* O ridiculam Philoſophiam! Quænam conventio *Chriſti* ad *Belial?* Quid revelationi Divinæ cum arte improba, & fabuloſiſſima? An hi neſciunt, tantum abeſſe, ut Deus ad artem tot Satanicis illuſionibus expoſitam ſuper naturali auxilio concurrere cenſeatur, ut potius eam expreſſis verbis, veluti remis veliſque vitandam in ſacris litteris innuerit: *Qui divites volunt fieri, id eſt, Alchymiſtæ, incident in multas tentationes, & laqueos Diaboli.* Eſt-ne poſſibile, DEUM OPTIMUM MAXIMUM hanc artem tot Sanctis & Spiritu Dei plenis Hominibus, quos ſciebat eâ non abuſuros, revelare omiſiſſe? Solis vero Alchymiſtis, *Paracelſo* & ſimilibus, hominibus ut plurimùm improbis, malis artibus deditis, avaris, & Divinis myſteriis abutentibus, tantum donum inſpiraſſe? Sed hæc in *ſequentibus* fuſiùs proſequemur.

Verſent itaque, volvant, revolvant, involvantque Lapidem illum tantorum mirabilium patratorem, quantumcunque velint, nil tamen ex eo, præter vocum quiſquilias, & excrementa, poſtea quoq; carbones, cineres, favillas evolvent. Verba peregrina, ut ſunt *Azoth, Anathron, Viſiur, Rebis, Martagon, Sernec, Ribric, Realpas, Salraberi*, & innumera in Libris Chymicorum, potiſſimum *Paracelſicis* obvia (quæ non rarò in converſatione familiari cum iis habita cachinnum mihi moverunt) parum ad rem faciunt, ſi aliunde nulla ſuppetant ad artis veritatem demonſtrandam ſubſidia; neque tantarum rerum pollicitatio, ac quorundam moroſorum ciniflonum jactantia quicquam ad artem comprobandam conferunt, dum ex nimia *Arcani Lapidis* poſſeſſione faſtuosè tumentes, ea ſub variarum rerum ſimilitudinibus pollicentur, quæ animo concipi non poſſunt, ne dicam, ſcientiâ humana comprehendi. Certè ad tantam inſaniam curandam nullo alio medicamento opus foret, quàm Hellebori vomitorio, tanti à *Paracelſo* æſtimato, quo Leones iſtos ruſos, Aves *Hermetis*, lacertas virides, ſerpentes, Drachones, Phœnices, caudas pavonum, capita corvi, veſpertiliones, & ſimilia Chimerica Phantaſmata unà cum cœlo, omnibuſque planetis imaginariis evomant, uti non incongruè de iis non nemo in Chymico opere Beguini jocatus eſt; ut tandem purgato cerebro melius ſapere diſcant. Certè hi *Lexiphanem* ſecuti videntur, qui hauſto veratri ſucco ſtatim, *topper, ſtlempus, redantruo, gnarneres, aſcalabotion, carbaſter*, formidanda vocabula eructavit: Sed & idem iis accidit, quod coco illi Plautino, qui repudiatis vulgaribus condimentis, allio, fœniculo, coriandro, ſimilibuſque, ſuum tantummodò crepet, & ſuperciliosè commendet *Cilicendrum, Pelindrum, Sanſcapſidem, Caraſtriam, Hippalopſiden*, quorum odore quotidiè cœnet Juppiter; quotquot autem iis veſcantur, vel ad ducentos annos vitam producant.

Non dubito, quin Alchymiſtæ hic contra me œſtro furoris perciti inſurgent, meam ſive ignorantiam, ſive indiſcretum zelum ſint accuſaturi; nil moror, neque titivillitio, quidem ut cum *Plauto* loquar, empſitem quaſcunque furor illis ſuggeſſerit calumnias; veritatem loquor, eam experimenta luculentiſſima mihi perſuadent; natura ipſa quid poſſit, quid non poſſit mihi una veritatis ponderatrix, exacta operationis ſtatera dictat. Sed inſurgent iterum, & contra audentiùs urgent. Iniquum videri, *Lullum, Arnoldum, Paracelſum*, unica artis oracula falſitatis in conſtruendo *Lapide* præſumptuoſiùs arguere. Sed ſi vel ipſi citati magnæ artis Coryphæi, & Anteſignani, idem, quod ego, ſentiant, quis me reprehendet? Et ne imperito judicio artem nimium convellere videar, hoc loco fuſiſſimum de irrito Lapidis magiſterio diſcurſum, quem *Arnoldi Villanovani* apud *Paracelſum* lib. *de tranſmutat. metallor. Gerardus Dornius* ejus interpres inſeruit, apponendum duxi, ex quo, quæcunque hactenus de Alchymiſtarum vanis & irritis laboribus dixi, luce meridiana clariùs patebunt.

Diſcurſus Arnoldi Villanovani *apud* Paracelſum, *lib.* de Tranſmutat. metallorum.

Maximam hujus artis difficultatem obſervans *Arnoldus*, ait in ſuo Roſario: Varia huic materiæ lapidis nomina præfinierunt, occultiſſima quædam à ſimilitudinibus potiſſimùm allata; vegetabilem appellarunt, mineralem, & animalem, non juxta literalem ſenſum, ut facilè norunt ſapientes divinorum arcanorum & miraculorum ejus lapidis experti fingere. Hujus exemplum præ ſe fert *Raimundi Lullii* Lunaria, quæ flores mirandarum virtutum edit, Philoſophis tamen familiariſſimos. Non fuit imponentis nomen hoc opinio, ut per id intelligeretur aliqua ſuper metalla projectio, vel præparatio ſimilis ex eis fieret, verùm abſtructa mens Philoſophorum longè aliò ſpectat. Simili nomine materiam appellarunt *Martagon*, cui etiam hinc occultam operationem Chymicam applicaverunt, cùm tamen id prorſus nihil denotet, præter quandam arcanam ſimilitudinē. Error etiam non minus in vegetabilium liquoribus ortus eſt, quibus Mercurium coagulare plurimi conati ſunt, & poſtmodum fixatoriis aquis, in Lunam convertere exiſtimantes, eum, qui hâc viâ metallorum auxilium coagulare poſſet maximum aſſequi magiſterium. At quamvis non nullorum vegetabilium liquores id efficiant, non aliunde fieri, quàm ob reſinam, pinguedinem, aut Sulphur terrenum, quo plurimum abundant, judicabitur: Hoc Mercurii humiditatem attrahit, ejuſque ſubſtantiæ permiſcetur, coagulando præter omnem utilitatem. Nam crāſſum,

& ex-

& externum ſulphur, nullum in vegetabilibus ad perfectam projectionem in Alchymia aptum eſſe compertum eſt, quodque non ſine maximo diſpendio experti ſunt multi: Et ſi non nulli ſucco Tithymali albo, lacteoque propter calorem intenſum, & acutum in eo exiſtentem coagulaſſe Mercurium exiſtimarẽt, cum ſolo frigore in occulto potius contrario manifeſto id falſum eſſet; Unde *Lac virginis* appellarunt, falſum tamen fundamentum hoc fuit. Non ſecus de ſucco Chelidoniæ exiſtimandum, licet colore ſuo hominum imponat oculis, ac ſi dotatum eſſet auro. Colligentes inde vanum quid, certo, ac determinato tempore vegetabile hoc eradicarunt, ex quo animam, vel *quintum eſſe* venati ſunt, unde coagulantem, ac permutantem tincturam efficerent: Verùm & hinc nihil præter fatuum errorem ortum eſt. Alii ſuccum hunc ad ſpiſſitudinem, quam *Conſiſtentiam* vocant, excoxeruut, ac Soli ut in duram maſſam coagularetur, expoſuerunt, quæ poſt modum in minutiſſimum pulverem tuſa Mercurium, ut opinabantur, projectione verteret in Solem, quod falſum eſse compererunt. Aliqui admiſcuerunt huic pulveri ſal armoniacum, alii colchotar Vitrioli, opinati ſe hac via tandem ad optatum finem pervenire poſſe. Poſtmodum ſolutionibus in flavam aquam adduxerunt, ut ſal hoc tincturæ præberet ingreſſum in Mercurii ſubſtantiam, nihil tamen indè factum fuit. Nonnulli prædictorum loco ſuccos perſicariæ, bufonariæ, dracunculi, foliorum ſalicum, tithymali, cataputiæ, flammulæ, ac ſimilium, ſimul unà cum ipſo Mercurio per dies aliquot vitreo vaſe concluſos in cineribus tenuerunt; accidit, ut indè Mercurius in cinerem, vel pulverem potiùs verteretur, ſed perperam, & nullo fructu. Decipiebantur enim iſti vani vulgi rumoribus, quibus proſeminatum erat Mercurium abſque Metallis eſſe coagulandum, ut antè meminimus. Multi ex vegetabilibus ſalia, olea, ſulphura, &c. extraxerunt, ſed fruſtra, cùm per hæc nulla Mercurii vera coagulatio, neque perfecta tinctura, vel projectio fieri queat, ſimilitudine ſola Philoſophi, non ſubſtantia materiam ſuam arbori cuipiam aureæ ramorum ſeptem comparant, intelligentes eam in ſuo ſpermate metalla ſeptem concludere, ac in ipſo latere, quapropter vegetabilem eſſe dixerunt; tum etiam quia non aliter, quàm naturales arbores ſuo tempore varios flores proferunt, materia *lapidis* colores pulcherrimos palam facit in florum ſuorum productione.

Item quia ex terra Philoſophica materia quædam exurgit, ceu virgultum *Spongiam terræ* ſimilitudine dixerunt arboris ſuæ fructum ad cœlum tendere. Ideo protulerunt in vegetabilibus Naturæ totius artis cardinem verti, & non in vegetabilibus materiæ: tum etiam, quia ſuus *lapis* animam, corpus, & ſpiritum in ſe continet, ut vegetabilia. Non diverſa multum ſimilitudine materiam hanc *Lac Virginis* eſſe dixerunt, & roſei coloris benedictum ſanguinem, qui tamen ſolis prophetis, & filiis Dei convenit. Indè Sophiſtæ collegerunt materiam Philoſophicam in animalium, vel hominum ſanguine conſiſtere: Occaſione ſumptâ, quod ex Vegetabilibus nutriantur. Alii quidem in *Capillis*, in ſale urinæ, in renibus: alii in ovis gallinarum, in calce, in lacte & ſimilibus quæſiverunt, quibus omnibus Mercurium figere poſſe putarunt. Extraxerunt aliqui Sal ex fœtido *lotio*, nec defuerunt, qui lapillos in renibus inventos materiam eſſe crederent: Alii membranas *ovorum* aſperrimo lixivio macerarunt, quibus etiam ovorum cortices admiſcuerunt, his attribuentes arcanum fixationis ad Mercurium perficiendum. Alii *ovorum* albumen argento comparantes, & auro vitellum in ſuam materiam elegerunt admixtis ſale communi, armoniaco, tartaroque uſto, ſimul iſta vitro concludentes balneo maris putrefecerunt, idque dum albus color in rubicundiſſimum ſanguinis inſtar abiret; hoc ipſum in fœtidiſſimum diſtillarunt liquorem, ad opus, quod quærebant prorſus, inutilem. Alii putrefecerunt albumen, & vitellum ovorum, & indè baſiliſcus generatus eſt, quem in rubicundiſſimum pulverem exuſſerunt: eoque tingere putabant. Hujus rei fuit Auctor *Gilbertus* Cardinalis in ſuo *Tract. de Alchymia*. Pleriſque *fel* boum & aliorum animalium ſale communi permiſto, macerata deſtillarunt in liquorem, quo cæmentationum pulveres imbutos exiſtimarunt metalla ſua tingere poſſe myſterio quodam, quod *partem cum parte* vocant, & indè nihil actum eſt. Aliqui *Tutiam* eligentes additionibus aliquot, ut ſanguine draconis, & aliis ejuſmodi frivolis nugis ſeducti cuprum, aut electrum in aurum permutare conati ſunt. Alii juxta Venetorum artem, ut aiebant, viginti plus, minuſque *ſtelliones* ollâ concludebant, fameque redigebant ad inſaniam, ut unam alia famelica devoraret unica ſuperſtite, quam cupri, vel electri limaturis paſcebant, exiſtimantes genus hoc animalium in ventriculo ſuo digeſtione ſola permutationem optatam efficere. Poſtremò hoc animal exuſſerunt in rubicundiſſimum pulverem quem cum crederent aurum eſſe, miſerè decepti ſunt. Nonnullis tandem in piſcibus *Truttis* nomine, per liquationem concrematis aurum invenerunt, non alia de cauſa, niſi quia genus hoc piſcium in fluminibus ſquamulas, aureaſque ſcintillas à torrentibus eò delatas, & nonnunquam ex monte defluentes colligere, ac devorare ſolitum ſit, à natura doctum; rarò tamen id ipſum contingit. Tales impoſtores potiſſimùm inveniuntur in aulis Principum.

Non eſt ſanè materia Chymicorum Philoſophorum in animalibus quærenda; hoc omnes admonitos ſemel velim. Eſt tamen quod ſciatur, Philoſophos *lapidem* ſuum *animalem* appellaſſe, quia in poſtremis ſuis operationibus virtute hujus ignei nobiliſſimi myſterii, liquor obſcurus, ac rubeus inſtar ſanguinis ex ſua materia, ſuoquè vaſe guttatim exſudat; indè præſagium protulerunt poſtremis temporibus hominem puriſſimum in terras venturum, per quem liberatio Mundi fieret, hunc ipſum guttas roſei, rubeive coloris, & ſanguinis emiſſurum, quo Mundus à labe redimeretur. Pariformiter & ſanguis ſui lapidis in ſuo genere, leproſa metalla, nec non homines liberabat à ſuis infirmitatibus contagioſis. Quare non immerito dixerunt ſuum lapidem *animalem* eſſe: de quo *Mercurius* ad Regem *Chalid* loquitur ad hunc modum: Myſterium, *inquit*, hoc ſolis Dei Prophetis permiſſum eſt cognoſcere, quo fit, ut lapis animalis vocetur: Nam in ſanguine lapidis hujus latet anima ſua: componitur etiam ex corpore, Spiritu, & anima; ſimili ratione vocarunt ſuum *Microcoſmum*, quod rerum omnium totius mundi ſimilitudinem habeat, & indè rurſus animalem eſſe dicunt; veluti *Plato* Magnum mundum animal vocat. Acceſſerunt ignari credentes lapidem eſſe triplicem, atque triplici genere ſecretum, ut pote, vegetabili, animali, & minerali, quo factum, ut etiam in mineralibus quæſierint. Hæc verò ſententia longè diſtat à Philoſophorum opinione: aſſerunt enim ſuum *lapidem* uniformiter vegetabilem, animalem, & mineralem.

Notandum

Notandum ad hæc, Naturam minerale sperma suum in varia genera distribuisse, videlicet, in sulphura, salia, boracia, nitra armoniaca, alumina, arsenica, atramenta, vitriola, tutias, hæmatiten, auripigmenta, realgaria, magnesias, cinnabarim, antimonium, talcum, cachimias, marcasitas, &c. in quibus omnibus mundum adimplevit materia nostra. Quamquam in aliquibus dictarum specierum sese miro nonnunquam patefacit aspectu, quod ad imperfectorum metallorum transmutationem attinet. Longa siquidem experientia ignis, per exercitium multifariam transmutationem ostendunt in materia mineralium, non solum ex coloribus aliis in alios colores, verùm etiam ex una essentia in aliam, & ex imperfectiore in perfectiorem. At licet ipsa natura quandoque his mineralibus mediis ejusmodi demonstrationes faciat, multis præparationibus intervenientibus non propterea volunt Philosophi suam *Lapidis materiam* potissimum ex ullo mediorum mineralium progredi, tametsi Lapidem suum mineralem vocant; unde Sophistæ ab hac appellatione sumentes occasionem, ipsum Mercurium variis torturis persecuti sunt; aliqui sublimationibus, coagulationibus, præcipitationibus, mercurialibus aquis fortibus, *&c.* quæ omnes erroneæ viæ vitandæ sunt, cum cæteris Sophistarum præparationibus mineralium, purgationibus, & fixationibus spirituum, atque metallorum. Proinde Lapidis plurimæ præparationes, quin imò omnes, quæ de mineralibus describuntur ad hunc modum, uti *Geberi*, *Alberti* cognomento *Magni*, ac similium sunt Sophisticæ purgationes tantùm, cæmentationes, sublimationes, distillationes, rectificationes, circulationes, putrefactiones, conjunctiones, solutiones, ascensiones, coagulationes, calcinationes, & inceratione prorsus inutiles, cùm in tripode, furno reverberatorio, athanore, liquefactorio, acedioso, fimo, cinere, arena, similibúsq; tum in cucurbita, pelicano, retorta, phiala, fixatoria, & id genus aliis, id ipsum de sublimationibus Mercurii per minerales spiritus ad album, & rubeum, ut per vitriolum, salpetræ, vel aliud alumen, aut per crocum Martis, &c. judicandum est, de quibus falsò fabulatur *Joannes de Rupecissa* Tractatu suo de Lapide Philosophorum albo, & rubeo, quæ simul ementita cum aliis somnia sunt omnia, bonos, ac simplices Viros miserè seducentia; fugienda sunt etiam illa particularia sophistica *Geberi*, ut sunt septenæ sublimationes, aut mortificationes, item revificationes Mercurii suis cum præparationibus per sal urinæ, vel per sepulchrum factis, quæ singula sunt ad Lapidem falsissima.

Quidam alii mineralium, ac metallorum *sulphuribus* Mercurium fixare conati summè decepti fuerunt. Vidi nihilominus hac arte Mercurium in corpus metallicum per ejusmodi fixationes adductum, similitudine quidem in omnibus, & per omnia bonũ argentum fingentem, ac repræsentantem, verùm in examine testæ, vel cupellæ, falsum, ut extitit, etiam apparuit. Sophistarum nonnulli tentarunt ex isto Mercurio septies sublimato, ac toties dissoluto fixum oleum emungere, medio quidem aquarum fortium, quo metalla quævis ad perfectionem adducerent: at frustraneum illud opus relinquere coacti sunt. Aliqui *Vitriolum* septies purgarunt, solutione, calcinatione, coagulatione, & duarum partium armoniaci salis additione, sublimationeque, ut in aquam albam solveretur, cui tertiam partem addidere Mercurii vivi, ut ea coagularetur aqua, totiesq; postea Mercurium à dicto Vitriolo, & armoniaco Sale sublimarunt, ut in lapidem purum abierit; hoc affirmarunt ex vitriolo conceptum rubeum sulphur esse Philosophorum, cujus quidem solutionibus, & coagulationibus progressi sunt, in projectione autem factum est nihil. Alii Mercurium coagularunt per *aquam aluminis*, & in massam duram alumini similem, quam aquis acutissimis fixarunt inutiliter.

Sophistæ plurimas rationes fixandi Mercurium sibi præsumunt, frustra tamen, quod in eo perfecti, constantisve nihil habeatur. In vanum igitur addunt ei mineralia per sophisticos processus, quibus omnibus ad majorem excitatur malitiam, vivus quoque magis ac magis efficitur, impurúsque potius, quàm perfectus. Non est igitur ab eo Philosophorum petenda materia, cùm sit imperfectum quid, quod si ad perfectionem etiam adduci queat, Sophistarum progressibus valdè difficile fuerit, imò impossibile; cùm in eo nihil habeatur, quod in perfectionem excitari, cogíque queat. Nonnulli sumpserunt *arsenicum* aliquoties sublimatum, ac multoties oleo tartari dissolutum, coagulatum, idque fixare prætenderunt, quo cuprum in argentum verterent, id ipsum & nihil præter Sophisticam dealbationem quandam attulit. Etenim hoc minimè figi potest, nisi tingens in eo spiritus probè cognitus fuerit, in quo quidem omnes ferè dormitarunt Philosophi, frustrà conantes ex arsenico boni quidpiam efficere. Quicunque igitur spiritum hunc ignorarint, spem ipsum figendi nullam etiam habeant, aut virtutem ullam ei tribuendi per aliud, quô transmutationis perfectionem acquirat.

Quamobrem notum facio cunctis in eo suam operam impendentibus, *dealbationem*, de qua mentio facta est, ex falso fundamento depromptam, eaque falso cuprum dealbari solùm, & non aliter immutari. Sophistæ *Venerem* etiam ad hunc modum larvatam, atque fucatam, duplo sui admiscuerunt Lunæ, mixturam vendiderunt aurifabris, atque monetariis. Postremò verò sese in falsos monetarios transmutarunt, nedum ipsi qui vendiderant, verum etiam qui emerant. Aliqui ex Sophistis albi loco rubeum *arsenicum* sumpserunt, & hoc ipsum, ut prius, in falsam artem abiit: quoniam quocunque modo præparetur, nihil præter albedinem exhibet. Nonnulli progressi sunt ulterius ad *sulphur commune*, quod flavum, ut erat, coxerunt aceto, lixivio, vel urinis acerrimis per diem, & noctem, usquedum album emerserit; postmodum elevarunt à calce communi, & calce ovorum, coxerunt, ac sublimarunt, idque multoties: combustibile semper nihilominus extitit, licet album: eo tamen crudum fixare Mercurium in aurum conati sunt frustra: cinnabaris tamen inde pulcherrima, & omnium optima, quam viderim unquam, resultavit; hanc fixare putantes oleo sulphuris per cœmentationem, & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit: verùm secus, atque res ipsa desiderabatur, evenit. Alii *sulphur commune* redegerunt in formam hepatis, olei lini, laterini, vel olivarum admixtione coquentes in aceto, postmodum super marmoreum lapidem effundentes: Hoc ipsum distillarunt in oleum citrinum igne lento primùm, sed suo damno sunt experti ejus se nihil, quod optabant, scilicet Lunam in aurum, minime vertisse.

Ut igitur mineralium infinitus est numerus, ita præparationis etiam eorum est multa varietas, quarum hoc loco facere mentionem distuli, quod peculiarem tractatum requirant.

Cavendum etiam à *Sophisticis oleis* Vitrioli, & Antimonii, item ab oleis metallorum perfectorum,

ctorum & imperfectorum, etiam auri & argenti: quoniam etſi horum operatio potentiſſima ſit in rerum natura, tamen verus eorum proceſſus in hunc uſque diem eſt pauciſſimis cognitus. Abſtinendum etiam à Sophiſticis *præparationibus Mercurii* vulgi, arſenici, ſulphuris, & aliorum ſimilium per ſublimationem, deſcenſum, fixationem, cum aceto, ſalepetræ, tartaro, vitriolo, ſale armoniaco, ea tamen via, rationeve, quam docent Libri Sophiſtarum. Item fugite *Sophiſticas tincturas* à Marchaſitis, & Croco Martis deſumptas, & ab ea Sophiſticatione quæ pars cum parte dicitur, Lunæ fixæ, ſimiliúmque nugarum. Nam etſi aliquam ſuperficialem veritatis apparentiam exhibeant, quæ quidem Lunæ fixatio parvi laboris eſt, atque induſtriæ, tamen ejuſmodi progreſſus præparationis eſt nullus ac invalidus.

Ex hoc ampliſſimo *Arnoldi* & *Paracelſi* ratiocinio luculenter patet; nullam methodum in hunc uſque diem à prima *Lapidis Philoſophorum* in Europa publicatione, præſcriptam fuiſſe, quam *Paracelſus* hoc in diſcurſu, ceu vanam, irritam, & inutilem non repudiaverit; in quo vel maximè irridet & *Gebri*, & *Lulli* methodum, aurúmque quod *Ricardo* Angliæ Regi à ſe Arte Chymica confectum, ſub forma roſæ nobilis obtulerat, falſum, & ſophiſticum fuiſſe apertis verbis docet. *Rupeciſſæ* quoque operam nihili ducit, adeò ut combinatis omnibus modis nulla relinquatur, quæ quovis modo illi ſatisfaciat. Quid tandem agat magnus hic Chymicorum Monarcha? *Lapidis* opus tam admirabile deſtruere, non erat aliud, quam tantoperè ambitam à ſe Rei Chymicæ Monarchiam deſtruere. Ut itaque præ omnibus aliis quidpiam altius, ſublimiuſque ſapere videretur, atque inter Alchymiſtas, veluti inter viburna cupreſſus appareret, alium Lapidis conficiendi modum à ſe divinitus illuſtrato inventum præſcribit. Sed quodnam illud tam ingens arcanum eſſe poteſt, quod nulli hucuſque, ſoli verò *Paracelſo*, neſcio cujus numinis afflatu inſpiratum, in mentem venerit? rem curioſitate plenam, & haud indignam conſideratione pandamus: quod ut ſcitiùs fiat, verba magni proceſſus, quibus eum deſcripſit, præmittamus.

Tanto, inquit, *labore non indiguiſſent veteres illi Spagyri, ſi ex mea Schola didiciſſent opus. Proinde dico vobis ego* Paracelſus (nos poma natamus) *roſei coloris à leone ſanguinem accipite, & ex aquila gluten, quæ poſtquam ſimul conjunxeritis, juxta veterem coagulate proceſſum.* Tincturam *habebitis* Philoſophorum, *quam infiniti quæſiverunt, invenerunt pauciſſimi. Quædam itaque ſimplicia componit Alchymiſta, quæ corrumpit, ut eſt artis, indeque præparat aliud, ac tantiſper, donec unum fiat: hoc plus efficit, quàm ipſa natura per ſe poſſit. Rectè, probeq; ut me intelligas, Leonem tuum in Oriente quæras, & Aquilam ad Meridiem in aſſumptum hoc opus noſtrum. Inſtrumenta meliora nam reperies, quàm Hungaria, & Iſtria producunt: at ſi cupias id ex unitate per dualitatem in trinitate cum æquali permutatione deducere, tum iter ad Meridiem dirigas oportet, ſic in Cypro votum conſequeris.*

Hiſce verbis ſummum, & in hunc uſque diem incognitum arcanum, veriùs ridicula ſimilitudine obvelatum exponit. Sed *OEdipum* fucus non latet. Quid enim aliud per *roſei coloris ſanguinem à Leone extracti* innuit, niſi ſulphuream Arſenici tincturam ruberrimam? quid per *Aquilæ gluten*, niſi Hydrargyrum ſublimatum? quæ ſimul juncta, & coagulata dant deſideratam Philoſophorum, ut ipſe putat, tincturam.

Hanc autem interpretationem veriſſimam eſſe, vel ipſe ex Sibyllino oraculo, ſi Dîs placet, monitus fatetur. Sic enim *Sibylla* dicit:

Sunt elementa novem mihi, ſum tetraſyllabus autem:
Percipe me, primæ tres ſyllabæ efficiuntur
Ex binis omnes elementis, cætera reſtant
In reliquis, quorum non ſunt vocalia quinque &c.

Hoc oraculo, dicit *Paracelſus Sibyllam* nil aliud innuiſſe, quam magni operis materiam, quod eſt ARSENICUM, (id ipſum videlicet, quod in priori diſcurſu tanquam inutile ad artem reprobarat) eò quod juxta Ænigma *Sibyllæ* illud novem literis conſtet, ſit tetraſyllabum, cujus tres ſyllabæ primæ ex binis elementis conſtituuntur ſic AR, SE, NI, cætera reſtant in reliquis, & tota vox quinque conſonantibus componitur, & ſunt R, S, N, C, M. Atque hæc rectè quidem congruunt, ſi ſequentia quoad numerum, qui in literis latere dicitur, correſponderent. Veruntamen *Sibyllam* multò differentem ſignificationem per hoc indigitaſſe, cùm ſupra eam expoſuerimus, non reïterandam duxi. Dato tamen, non conceſſo, *Sibyllam* vocis ſuæ ſuſurro magni Prophetæ mentem concitaſſe: Arſenicum mirandi Lapidis materiam dicto ænigmate indicaſſe: at quid tum? anne ideo veluti unum ex fidei articulis, quos tamen huic poſtponit, tenendum cenſet? Apage cum hiſce veratro purgandis infatuatorum Prophetaſtrúm deliramentis. Nos ſcimus, quid *arſenicum* ſit, quibus polleat viribus: Nonnihil quoque auri in ſe continere ex *Caii Caligulæ* pyrothecnia Plinii teſtimonio didicimus, ſed hoc unicum magni operis materiam eſſe, nec ipſe uti ex *præcedenti diſcurſu* patuit, neque Chymicorum alius ullus ſenſit, ne dicam docuit; quod cum ne eum quidem lateret; aliquid *arſenici* tincturæ in ſuo proceſſu jungendum cenſuit, videlicet *gluten aquilæ*, hoc eſt, ſublimato Mercurio Leonis ſanguinem ſaturandum duxit. Præterea in proceſſu *Leonem* hunc, id eſt, arſenicum, in *Oriente* quærendum aſſerit, Plinii motus authoritate, qui *Caium* Principem Arſenicum ex Syria quæ eo abundat, Romam ad aurum inde extrahendum, ex Oriente aſportari juſſiſſe dicit; *Mercurium* verò in Hiſtria, quæ fœcundiſſimis ſcatet Hydrargyri fodinis, loco, qui hydria dicitur (de qua in præcedentibus affatim egimus) quærendum cenſet. Si verò hæc omnia ſub proportione 1. ad 2. legitima permutatione conjunxeris, id efficere non poteris, niſi *itinere* ex Hydria *in Meridiem directo* tuum *in Cypro votum* conſequaris; quo nihil aliud innuit, niſi materiam in Cypro Inſula, Hiſtriæ Meridionali, quæ eâ abundat, quærendam eſſe. Atque hoc eſt admirandum illud ſecretum Lapidis, quod *Paracelſus* à *Sibylla* illuſtratus Mundo ſe prodidiſſe vaniſſimo conatu fingit: Quodnam autem id ſecretum ſit, audite & ridete: nil id aliud, quàm *Vitriolum* eſt, Cypro familiare, quin & nomen, ut Arſenicum ἐννεασύλλαβον, cujus arcanum ſub acroſtichi indigitat, ex ejuſdem propriis verbis demonſtro. Arcanum enim tecturus Cyprum inſulam, in qua ſub acroſtichide materiam indigitat; *Viſitabis interiora Terræ*, id eſt, Cypri, *Rectificando invenies occultum Lapidem, veram Medicinam.*

Si enim initiales horum verborum literas in unum colligas, habebis nomen *Vitriolum*, uti ſequitur:

Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies
Occultum Lapidem Veram Medicinam.

O quàm grande myſterium nobis aperuit hic magiſter,

Magister, solis pueris forsan incognitum ! Quis nescit, *Vitriolum* in omnibus hucusque processibus principalem locum tenere ? Anne igitur hoc tam peregrinum fuit *Paracelso*, ut solus ipse hoc arcanum cœlitus sibi inspiratum censuerit ? An non apertissimæ impostoræ criminis convincatur, vel hoc ipso, dum quod in præcedenti suo discursu tanquam materiam inutilem rejecerat, jam ceu arcanum incomparabile in suum magisterium recipiat ? Certè si *Paracelsus* apud Philosophorum plebem magni nominis existimationem acquirere studebat, illud, quod impostorum, & Sycophantarum proprium est, meliori modo exequi non poterat, quàm si nugamenta sua sub affectato & altissimo verborum, rerumque abstrusissimarum ratiocinio, ut nonnihil esse viderentur, obvelaret, & Simiam quam agebat rutilo vestiret amictu. Si hoc Philosophorum est, certè jam pueros, delitas mulierculas, sutores, barbitonsores hac arte mox in summos Philosophos evadere posse, nil ambigo. Plura in *Paracelsi* monumentis detego huic haud absimilia, quæ si cuncta confutare vellem, non jam exiguis foliis, sed integro libro opus foret: ut proinde mirari satis non possim, quomodo viri cæteroquin Philosophiæ, & Chymicæ periti, *Paracelso* aurem adhibere audeant, cùm tamen exceptis paucis, quæ Physicam sapiunt, cætera omnia partim Cabalicis, partim Astrologicis, Magicisque placitis involuta, pleraque etiam ambitiosa nominum, verborumque barbarico modo confictorum famulitio sociata, hominem nonnisi ambitione plenum demonstrant, qui sibi per fas, & nefas, literaturæ Iatrochymias principatum contumaciùs præscribere non sit verecundatus; certè si quæ scripsit, in quintam essentiam distillaveris, vix quinque uncias bonarum rerum, quæ ejus propriæ sunt, extraxeris. Sed jam ad alia.

CAPUT VII.

Objectiones contra dictos Processus, eorúmque Auctores, confutantur.

OBjiciunt mihi *primò* Alchymistæ, iniquum videri Artem jam tot millibus annorum, uti perperam sibi persuadent, communi Sapientum calculo acceptam repudiare velle. *Secundò*, aurum quoque tum veterum, tum modernorum industria, Arte Chymica confectum ex testimoniis fide dignissimis constare. *Tertiò* Viros Alchymistas, veræ artis Professores, homines Deo devotos, & religione sacra obstrictos, qui complura divino lumine illustrati exercuerunt, censoriâ virgâ tanto rigore verberare, apertæ impostoræ criminis convincere, minimè tolerari posse.

Hæc sunt præcipua puncta, quæ Alchymistæ ad artis suæ veritatem demonstrandam Antagonistis objicere solent. Ad quorum singula jam tempus est, ut respondeamus.

Quod itaque iniquum videatur Alchymistis, artem jam à tot millibus annorum in veritatis suæ professione durantem à me reprobari; id non iniquo, sed æquissimo jure me asserere sibi persuadeant velim. De *antiquitate Artis* quidquid sit, jam suprà à temporibus Romanorum Imperatorum nil de ea cognitum fuisse satis ostendi; qui verò eam vel ab ipso *Adamo*, uti *Paracelsus*, ejusque sequaces derivant, uti incertæ, inutiles, frivolæ conjecturæ sunt & nullo prorsus fundamento nixæ, ita quoque tempus perdam, si ea confutare velim; cùm Alchymistarum proprium sit, ut vel ad primam aliquam auri mentionem in sacris libris occurrentem, statim Spiritum Sanctum hoc ipso nil aliud, quàm admirandum hujus lapidis arcanum indigitasse, majori forsan fide, quam vel ipsa sacrosancta fidei mysteria credant.

Sed relictis hisce vanitatibus, ad ea nos convertamus, quæ majus ad vanitatem Alchymiæ comprobandum pondus habere videntur; & est de *Auro Chymico* à sapientibus Viris nullo non tempore facto. Quibus, ne amplioribus verborum ratiociniis tempus teram, Respondeo, aurum eos confeciſſe, haud ægrè fateor: non tamen illud, quod illi virtute Lapidis sui per tincturam auri in infinitum multiplicativam conficere se posse, somniarunt: quomodo autem, & qua arte aurum confecerint; paulò pòst pluribus modis ostendemus. Aurum verò illud centuplo auro naturali nobilius, excellentius, illustrius, exquisitioribusque dotibus præditum, per dictam Lapidis tincturam in infinitum multiplicativam unquam perfeciſſe, nego, atque iterum iterumque nego.

Sed urgent, quod aliquando factum est, id & in hunc usque diem fieri posse, nemo facile negârit, sed aurum tale factum fuisse, testimonia Chymicorum innumeris historiis demonstrant, Ergò. Minorem probant inductione: *Raymundi Lulli*, *Arnoldi Villanovani*, *Rupicissæ*, *Bernaudi*, *Trevisani*, & quorum non tandem ? *Raimundum* enim *Lullum* in præsentia *Ricardi* Regis Angliæ aurum purissimum Arte Chymica confeciſſe; *Arnoldum* quoque in præsentia *Roberti* Regis Neapolitani præstitisse. Sed omnia hæc uti ex ejus suprapositio discursu patuit, *Paracelsus* Chymicorum Monarcha falsa asserit: monetam quoque auream, quam *rosam nobilem* dicit vulgus, quamque ex auro à se confecto cudisse dicitur, Sophisticam prorsus, & nullius momenti fuisse asserit, cui plurimi ex Angliæ Medicis subscribunt. *Rupicissa* quoque tantùm abest, ut aurum confeciſſe dicatur, ut potius de se contrarium asserere videatur *lib. primo de quinta essentia art. 1. c. 22.* ubi primò se transmutationem metallorum non docere, eò quod Ordinis *Sancti Francisci*, cui se consecraverat, legibus prohiberetur: falsam autem esse Chrysopœiam, & periculosam, nec nisi relevatione Divinâ doceri, hisce verbis ostendit: *Conteſtor*, inquit, *omnibus Evangelicis Viris, Deo invocato, in teſtem, quòd ſi Diabolo inſtigante in operationes Alchymicas illabantur, facile in reprobum ſenſum dentur. Et ſcio, quia eſt via perditionis, & mali: adeò, quod nullus Philoſophorum ſcripſit veritatem in libris, niſi fictè & ſub parabolis, quæ non valent intelligi, nec comprehendi ingenio humano. Et nota etiam, quod nullus valeat ad ſublimia hujus artis pervenire, niſi fuerit per altiſſimam contemplationem, & ſanctiſſimam vitam deificata prius mens ejus, itaut non ſolùm cognoſcat omnia interiora Naturæ; ſed etiam cognoſcat tranſmutabilem tranſmutare naturam, & hoc pauciſſimis eſt conceſſum. Et communiter hi fictionum & ſophiſticationum ſectatores ſunt, & efficiuntur falſificatores monetæ, & ſigillorum Prælatorum, & Principum, vagabundi deceptores, & damnabilis vitæ, de quibus verificatur ad literam iſtud* Pauli 2. ad Corint. 3. *dicentis:* ſemper discentes, & nunquam ad scientiam pervenientes; *quia quando non poſſunt ad ſcientiam perfectam pervenire, ad ſophiſticationes inutiles ſe convertunt, & communiter malo fine claudunt.*

Hæc rectè quidem omnia dicta sunt à *Rupiciſſa* celeberrimo sui temporis Alchymista; qui utinam

utinam, ſicut falſum, inane, imò diabolicis illuſionibus expoſitum Alchymiæ ſtudium deteſtatus eſt, ita quoque illud ſe neſcire dixiſſet, eo ſanè egregium genuitatis teſtimonium de ſe præbuiſſet: Verùm cùm non humano ſtudio, ſed *revelatione Divinâ id accepiſſe* ſe aſſerat, eundem aliorum impoſtorum numero non poſſum non adſcribere; ait enim utramque Chymiam divinitus ſibi inſpiratam, Medicamenta, inquam, quæ miraculi inſtar ab omnibus morbis ſanant, quin vel ipſa metalla imperfecta in aurum, & argentum valent momenti ſpatio commutare, in carcere, per Divinas revelationes ſe accepiſſe, dicit: quomodo verò carceri incluſus non illuſus à Satanâ veritatem aſſertionis à ſe factæ explorare valuerit, quis capiet? Panaceam verò illam omnium morborum medicatricem cœlitus ſibi inſpiratam quis credet, cùm eandem quaſi de verbo ad verbum, uti unum cum altero comparanti patebit, ex *Lullo* deſcripſerit. Certè virum vanitatibus iis qui & καινοδοξίαν ambiunt propriis, uti & vaticiniis deditum fuiſſe Franciſcus Picus teſtatur his verbis: *Joannem de Rupiciſſa doctum alioquin Theologum, eò legimus inſaniæ deveniſſe, ut, quæpiam de futuris à ſemet affirmata, nec minis, nec carcere, quo à ſui ordinis Miniſtro detinebatur, recantare voluerit, quin & impenſius ea ſemper aſſeveravit. Tandem ſpiritus mendax in ore ejus inventus eſt, & jam centum, & eò amplius anni fluxere, quo mendax apparuit.* Quæ eadem apud Philippum Bergomenſem legunturtur.

Hac mentis inſaniâ omnes ad unum laborarunt Alchymiſtæ; & quamvis *Lullus* poſt converſionem ſuam ſanctam vitam duxerit martyrio conſectatam, & rejecta vanitate veritatem amplexus, omnes de Alchymiâ Libros *Vulcano* dare decreverit, niſi diſcipulorum induſtria clam ſubducti fuiſſent; ante converſionem tamen eundem liberam vitam duxiſſe, & vanitatibus plurimum deditum fuiſſe, ex vita ipſius colligitur. Artem quippe ſuam Divinitùs ſibi collatam in præfatione ad artem operativam his verbis oſtendit: *Quadam nocte*, inquit, *ſemel à ſomno ſurgenti mihi viliſſimo, & indigno peccatori, hæc ſequentia fuerunt revelata, quæ quidem ſecreta fuerunt prius revelata* B. Ægidio *in Eremo degenti.*

Si itaque *Lullus* Artem magnam Lapidis calluit, aurumque (uti de eo teſtatur *Robertus* idem Alchymiſta) in Anglia revelatione Divina, quâ gloriatur, confecit; certè id humanâ arte fieri non poſſe, hoc ipſo docuit. Utrùm verò Aurum illud Lapidis ope, modo Alchymiſtis falſariis ſolito confecerit, poſtea examinabitur. Certè quidam hiſtoriam controvertunt; alii eam ſtrenuè negarunt, vanamque *Paracelſus*, & *Bernardus Treviſanus* oſtenderunt, quorum hic *Chymicos*, inquit, *libros à* Lullo *conſcriptos negare non poſſumus, qui tamen potius à via recta ſeducunt, quàm ad ſcopum dirigant.*

Ex quibus omnibus allatis Alchymiſtarum ad fallacias fictum factumque ingenium luculenter patet; ut proinde nulla Arti Auriferæ fides habenda ſit; unde vel ipſi cum Ixionis rotam in Alchymicis culinis diu, multumque verſantes cum irrito conatu, ſumptibus maximis, inutili labore expenſis, nil in magnæ artis opere proficerent, veluti deſperatione in tranſverſum acti caſtris Hermeticis deſertis, ſeſe ad Chymiam illam multò nobiliorem, vilioremque, quæ in humani corporis cura, morborumque omnium medicatione conſiſtit, uti libri eorum docent, ſe contulerunt.

Sed progredior ad *tertiam objectionem*, qua Alchymiſtas dicitur homines Deo devotos, miſericordes, & erga pauperes beneficos eſſe, & conſequenter à Deo præ cæteris in Artis magnæ opere illuminatos fuiſſe. Jam *ſanctitatem* horum hominum pauliſper expendamus. Qualis *Lullus* ante ſuam converſionem fuerit, ſuprà declaratum fuit, & ſi divina luce poſtmodum illuſtratus errores, & vanitates ſuas cognoverit, unde in pœnitentiæ operibus eremiticam vitam, vaniſſimo ſtudiorum priſtinorum exercitio repudiato aliquantiſper ſectatus eſt, deinde etiam charitatis erga proximum operibus totum ſe impendens, tandem in Africa, dum fidem Chriſtianam propagaret, lapidibus obrutus vitam felici Martyrii fine concluſiſſe fertur. Vide vitam ejus non minus piè, quàm eleganter à *P. Cauſino* deſcriptam. *Arnoldum* verò aurum apud *Robertum* Regem Neapolitanum, ſophiſticum feciſſe, *Paracelſus* oſtendit ſatis; quàm autem Magicis Artibus deditus fuerit, *Franciſcus Picus* teſtatur, eum magicas ligaturas naturæ viribus attribuiſſe, & præterquam quod rerum naturalium non adeò gnarus fuerit, multa quoque ſuperſtitione infectum fuiſſe, in libello *de parte operatrice* oſtendit, Prophetiæ quoque donum affectaſſe citatus *Picus* refert: *Arnoldus*, inquit, *Hiſpanus, præter ea, quæ de futuro Anti-Chriſti adventu conjectatus fuerat, revelationem quandam multarum, atque magnarum rerum factam adducit in libro de myſteriis Cymbalorum & adventu Antichriſti ad Monachos Scalæ Dei, quæ centum annos præfixit eventibus: præteriere ducenti anni jam elapſi, & necdum impletam eſſe prænunciationem conſtat.*

Hunc præterea eò dementiæ veniſſe conſtat, ut ſe *hominem perfectum* Chymica Arte perfeciſſe jactaret, & cùm jam, inquit, in Vitro Chymico embryonem omnibus organis, membriſque præditum comperiſſet, ab opere deſtitiſſe, ne Deum ad animam ei rationalem infundendam cogere videretur. O impia dogmata! ô Satanicas hominum machinationes! habes hîc Archichymiſtæ *Arnoldi* diabolicæ ἀνθρωποτεχνίας auctorem, flammis, quàm laude ingenii digniorem, & tales tamen nebulones Deo devotos Chymicaſtri putant? Sequitur *Paracelſus*, quem cùm omnium ſcelerum colluvie contaminatum fuiſſe ferant, quis eum aliquid ſive in Medicina, ſive in magnæ Artis opere, præſtitiſſe ſibi perſuadebit?

Sed ne ei injuriam feciſſe videar, Auctores hîc adnectam fide digniſſimos, qui quid de virtutibus *Paracelſi* primò Amanuenſis & famulus ejus *Oporinus*, quid *Henricus Bullingerus*, *Eraſtus*, *Geſnerus* compopulares ejus ſcripſerint, audite, & horrere; *Bullingerus*, ut quam religionem coleret, experiretur: *Contuli*, inquit, *cum eo ſemel atque iterum de rebus variis, etiam Theologicis, & Religionis, ſed ex omnibus ejus ſermonibus pietatis nihil intelligere licuit, Magiæ verò quam ille neſcio quam fingebat, ut plurimum, Aurigarum individuus, quorum converſatione delectabatur, ſocius & compotator.* Et paulò poſt, *Oporino*, & *Eraſto* ſubſcribentibus. *Breviter*, inquit, *ſordidus erat per omnia, & homo ſpurcus, rarò aut nunquam ingrediebatur cœtus ſacros, & viſus eſt Deum & res divinas leviter curare.* Ecce egregiam viri ſanctitatem. Utebatur in morbis profligandis plerumque exorciſmis magicis, quam rem cùm ægrè ferrent

ferrent Viri docti, in ea semper verba prorupisse fertur Germanica:

Si Deus juvare nolit, juvet Diabolus. Oporinus de vita & moribus Magistri sui *Paracelsi* in quadam ad *Joannem Veierum* epistola inter alia sic scribit: *Adeò erat totis diebus & noctibus (dum ego familiariter ipsi per biennium convixi) ebrietati, & crapulæ deditus, ut vix unam, alteramque horam sobrium eum reperire licuerit, atque dum maximè ebrius esset, domum reversus dictare mihi aliquid suæ Philosophiæ solebat. Noctu, toto quo ipsi convixi, tempore, nunquam se exuit, plerumque nonnisi ebrius ad extremam noctem ibat cubitum, atque ita ut erat indutus, adjuncto sibi gladio, quem carnificis cujusdam fuisse jactabat, in stratum se conjiciebat, ac sæpe media nocte surgens per cubiculum nudo gladio ita insæviebat, ita crebris ictibus in pavimentum, & parietes impetebat, ut ego non semel caput mihi amputatum iri metuerem: Interea se vaticinari quædam simulabat, arcanorumq; quorundam cognitionem præ se ferebat, orare autem nunquam vidi, neque audivi.* Testatur & hæc *Gesnerus* Medicus & Philosophus, nec non Rerum Chymicarum peritissimus. *Nostro*, inquit, *tempore vixit* Paracelsus, *Medicinam per diversas Helvetiæ, Germaniæ, & Poloniæ Regiones vagabundus exercuit, dum pecuniâ careret, quâ modicâ acquisitâ, vino & ludis deditus, uti constans fama est, nemini medebatur; dæmone utebatur familiari, uti ex ejus discipulo audivi, natura, & eloquentia, quam litteris, & studio doctior: prorsus inconstans, nunc Theologus, jam Medicus, modo Magus, sæpè compotator, & aleator inter rusticos.* Imò semet fatetur percussorem fuisse, teste *Erasto*, & aliquoties ob id, vel etiam ob alia in carcerem conjectum.

Atque hæ sunt virtutes *Paracelso* Propheta dignæ. Quàm verò contumelioſus in omnes præteritorum sæculorum Medicos, *Galenum, Hippocratem*, & quotquot eos secuti sunt, fuerit, quàm inauditâ animi contumaciâ, tum in repudiandis meliorum auctorum scriptis, tum in propriis exaltandis fuerit: legat, cui otium est, librum, quem *Paramirum* inscripsit, & stupebit immoderati animi insolentiam prorsus intolerabilem. Et hoc est, esse Deo devotum virum: Si enim præter cerebrum temulentiâ vini perpetuò fumans, & ventrem, alium Deum non cognoscebat; Si Dæmoniacæ magiæ, & cabalæ, pravarumque artium cultor; quis tantam ejus, quâ gloriatur, scientiam, Divinæ revelationi acceptam feret? quomodo in tot, tantisque vitiis, ac peccatis subjectam animam, sapientiam Dei, aut paucis concessum Prophetiæ donum introire posse putabis? Certè talia minimè Deum habent Magistrum: quis in animum inducet suum, hominem illum, cùm vel maximè fureret, maximè sapuisse? quis sanæ mentis homines à furibundo, & insipiente nebulone in sapientiæ studio superatos esse censebit?

Hippocrate neminem doctiorem omnes fatentur, de Medicinâ simplici neminem, qui plura sciverit, scripserit potiora, tanta fide, nihil ut scripserit, quod nos nescire voluerit, tanta solertia, ut pauci post illum sciverint, quod ille ignoraret; πλειστάτῳ πραγματείαν ejus *Galenus* miratur, agnoscit gratis hujus immensum studium, quo Græciam & Latium uno concluserit volumine, vetustis dederit novitatem, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lumen, fastidiosis gratiam, dubiis fidem; hunc tamen unà cum *Galeno* & *Avicenna* nauci ducit, de quibus ebriosus helluo præfatione in Paragranum, *Se*, inquit, *litteras à* Galeno *ex inferno accepisse: se cum* Avicenna *in vestibulo inferni de suo auro potabili, tinctura Physicorum, quinta essentia, Lapide Philosophorum, Mithridatio, & Theriaca disputasse*. Quæ omnia, uti à sapientis animo longè remota sunt, ita quoque non nisi ebriæ nec non temulentæ mentis dictamina esse censeas; quod & in sequentibus, intolerabili prorsus jactantia, & sine exemplo talibus verbis indicat: *Hoc*, inquit, *sit vobis dictum, ô Medici, stultissimus pileus occipitii mei plus scit, quàm vos, & omnes vestri Scripteres, & calceorum annuli sunt doctiores, quàm vester* Galenus & Avicenna; *& barba mea plus experta est quàm omnes vestræ Academiæ: quin & horam ipsam sentiam, quando sues nos in lutum trahent; vos me sequi oportebit, non ego vos; me sequemini omnes Arabes, Græci, Latini, Galli, Itali, Germani, Sarmatæ, omnes, inquam, me sequemini, non ego Vos; nullus Vestrum vel in abditissimo angulo, ubi omnes mingunt, manebit. Ego Monarcha ero, mea erit Monarchia, ego geram Monarchiam meam & cingam lumbos vestros.* Hæc sunt verba *Paracelsi*, quorum farraginem ingentem in Libro, quem *Paragranum* vocat, reperias, ubi tot verbis obscœnis, inhonestis, & quæ castas aures mirum in modum flagellent, in totius sapientiæ consultissimos viros sævit, nil ut stultius, superstitioſius, nihil obscœnius, immodestiusque ab homine rationis compote proferri queat, adeoque non tam à Deo illuminatus, quàm à Dæmone obsessus videri possit. Quid enim à ratione magis alienũ est, quàm omnium Græcanicæ Scholæ sapientum, gloriosa monumenta, excrementa, sordes, peripsemata dicere? non illos plus scire, uti in *suo Paragrano* dicit, quàm intelligat Vacca Helvetica. O quàm melius fuisset, si *Paracelsus* in *Paragrano* suo parasset granum salis, unâ librâ Hellebori commixtâ; quo purgato cerebro melius sapuisset; & quo impudentissimus nebulo, Scurra trivialis, & Thraso insolentissimus, furiis infernalibus agitatus à tanta mentis amentia liberari potuisset.

Ego sanè summâ diligentiâ omnes ejus libros me sagaci mentis oculo evolvisse testari possum, tum curiositate, tum veritatis amore impulsus, ut quidnam in iis lateret, quod nonnulli tantoperè admirarentur, cognoscerem: sed postquam ritè omnia annotassem, præter paucula, quæ tamen sua non erant, nil nisi nugas, affectatas verborum formulas, conjecturas in aëre fundatas, experimenta falsissima, non tantùm circa naturalium rerum proprietates, sed etiam circa mineralium, lapidum, gemmarum, metallorumque virtutes, eorumque causas, ut plurimum à fossoribus, & pharmaceutriis mulierculis acceptas: quæ omnia hoc loco contrariis experimentis comprobare possem, si & tempus & operis argumentum id permitterent, comperi. Sunt ferè omnia partim ex *Lullo* & *Arnoldo*, partim ex *Isaaco Hollando*, & *Basilio Valentino* suffurata, quos tamen nè plagiarii criminis reus constitueretur, præterquàm quòd eos, à quibus suam doctrinam surripuerat, de inutili eorum labore, opprobriosè reprehendit, ea quoque tanta similitudinum caligine involvit, ut in limpidissimis aquis aterrimi coloris profusione sepiam verius, quàm polypum egisse videatur. Vidi præterea, quæcunque de Cabala scripsit, omnia ad unum ex superstitioſis Hebræorum, Saracenorumq; officinis desumpsisse, uti in *OEdipo Tom. 1. de Cabala Hebræorum, Saracenorumq;* fuisse demonstravi. Utriq; Cabalæ Hebraicæ, & Saracenicæ tantam fidem impius homo habuit tum in suo Paragrano, & Paramiro, tum in Archidoxis, quin & in libris de origine morbo-

morborũ inviſ. in Manuali de Lapide Philoſophorũ, Libro de vexationibus Alchymiſtarum, ut omnes Vet. Teſtam. Prophetas, nonniſi Cabalæ ope Vaticinia ſua peregiſſe, non minùs ſtolidè, quàm impiè aſſerat: quarum tamen neutram non dicam intellexit, ſed ne legere quidem, linguarum inſcitiâ præpeditus, potuit: Sola enim Judæorum, & Turcarum quorundam familiaritate uſus, ex Satanicis illis officinis nonnulla, utique quanto magis impia; & diabolica, tanto cariora ſuis hinc inde ſchediaſmatis inſeruit, magnum utique ſub ipſis quid latere ratus, quod à Satana doctore, & magiſtro ſuo prodiiſſet. Quidquid enim Cabaliſtæ de Enſalmis, exorciſmis, ſuperſtitioſis amuletis, periaptis, phylacteriis docent, eos in ſuum penum veluti ſacroſancta myſteria adſcivit: Ex hoc in orbem promanavit impium illud, & Satanicum figmentum, quod *Philoſophiam Moſaïcam* impiè more ſolito vocant, & *anguentum armarium* multiplici modo, conficiendum docent; in quo nihil ferè ingredi reperias, quod non è manu Carnificis extortum fuerit, quemadmodum gladius neſcio cujus famoſi Carnificis, *Paracelſi* individuus comes ſuprà allatus ſatis demonſtrat. Ex hoc fonte *tranſplantatio morborum*, innumeris ſuperſtitionibus & deliramentis referta prodiit; quæ uti indigna ſunt, quæ referantur, ita quoque, cum ea in *Arte noſtra Magnetica* aliiſque operibus confutaverimus, de iis modò ſileo.

Quàm verò Magiæ deditus fuerit *Paracelſus*, ipſe de ſe teſtatur libro de *Compoſitione Metallorum*, ubi de *Electro*, atque inauditis omnibus ſæculis ſub eô latentibus virtutibus cùm diù diſcurriſſet, tandem infert; *Non poſſum tamen non commemorare quale quantumque miraculum in Hiſpania viderim, cùm apud quendam Necromantam eſſem, qui habebat campanam duarum fortè librarum ponderis, hujus ille magico pulſu, multa, & varia ſpectra, & ſpirituum viſiones accerſebat & adducebat. Nam cùm in campanæ parte interiori verba quædam, & Characteres aliquos inſcripſiſſet, ſimul ac ſonus, & tinnitus ejus ſentiebatur, apparebat ſpiritus ejus formæ, quâ volebat. Præterea Campanæ pulſus ejus fuit potentiæ, ut multas alias viſiones ſpirituum, hominum etiam, & pecudum, quas vellet, produceret in medium, & abigeret: hujus generis multa apud eum vidi: hoc tamen obſervabam, quod, ſi quid novi operaturus erat, characteres, & nomina renovaret, & mutaret. Non autem eò perveni, ut homo arcanum, & myſterium Verborum, atque Characterum mihi communicaret. Cœpi tandem ipſe hac de re penitiùs ſpeculari, ita ut in mentem mihi venirent, quæ hoc loco tacebimus. Sciatis autem plus in campana illa, quàm verbis momenti fuiſſe. Volo autem vos mihi vehementer credere, materiam campanæ illius, noſtrum electrum fuiſſe.* Hæc *Paracelſus*. Verùm cùm ante decem annos circiter, hujuſmodi *campanæ eclypon* in formam pelvis, & innumeris Magicis Characteribus inſignitum (quod *Marchionis de Villena* celeberrimi Magi fuiſſe, Hiſpani dicunt) ex Hiſpania ad me per eruditiſſimum Patrem *Thomam de Lyon*, ſummum Theologum & Virum πολύγλωσσον ad me tranſmiſſum fuiſſet, ea intentione, ut quid ſibi tot, tantique Characteres, & figurarum exoticarum exhibitio vellet, exponerem; quod juſſum fuerat, præſtiti, in qua quidquid Necromantiæ artes reconditum habent, veluti in epitome quadam compilatum inveni. Explicationem hujus vide in *OEdipi tom. 2. parte 2. Syntag. de Magia Ægypt.* ubi, quæ *Paracelſus* tantoperè noſſe appetebat, omnibus Dei timore imbutis, remis veliſque; veluti Satanæ retia vitanda admonui.

Unum præterire non poſſum, & eſt, quod *Paracelſus* Philoſophiæ naturalis paulatim limites tranſgreſſus, ſupracitatum *Arnoldum* non degeneris ingenii hominem ſecutus, arte ſua Chymica verum hominem generare ſe poſſe jactet.

Verum ut quanta impii Alchymiſtæ contra omnia divina humanaque Naturæ jura. Satanicâ Machinatione audeant, proceſſum ſubdo. Sic itaque ait Libro I. *de Natura Rerum. Quæſtio*, inquit, *fuit, inter nonnulles ex antiquis Philoſophis, (quorum tamen præter* Arnoldum, *alium novi neminem) an arte, & natura fieri poſſit, hominem gigni extra muliebrem uterum, & matricem naturalem? Ad hoc reſpondeo, quod id Arti Spagyricæ, & Naturæ nullô modô repugnet, imò bene poſſibile ſit; ut autem id fiat, hôc modô procedendum eſt: Sperma Viri per ſe in cucurbitâ ſigillatâ putrefiat putrefactione ventris equini, (eſt hoc Vas Chymicis uſitatum) per quadraginta dies, aut tamdiu, donec incipiat vivere, & moveri, & agitari, quod facilè videri poteſt: poſt hoc tempus aliquo modo homini ſimile erit, attamen pellucidum, & ſine corpore; ſi jam poſthac quotidie arcano ſanguinis humani cautè, & prudenter nutriatur, & paſcatur, & per quadraginta ſeptimanas in perpetuo, & æquabili calore ventris equini conſervetur; fit ut verus, & vivus infans, habens omnia membra infantis, qui ex muliere natus eſt, ſed longè minor. Hunc nos homunculum vocamus, & hic poſteà, eo modo, quo alius infans ſumma diligentia, & ſtudio educandus eſt, donec adoleſcat, & ſapere, atque intelligere incipiat. Hoc jam unum ex maximis ſecretis, quod Deus mortali, & peccatis obnoxio homini patefecit; eſt enim miraculum, & magnale Dei, & arcanum ſupra omnia arcana, & meritò in ſecretis ſervari debet uſque ad extrema tempora, quando nihil erit reconditum, ſed omnia manifeſtabuntur.*

Dicit deinde tales olim fuiſſe, & etiamnum ſupereſſe ex hujuſmodi Chymiurgia Satyros, Nymphas, Eveſtros, Montanos Dæmunculos, Pygmæos, & gigantes exortos; hi enim homines arte producti, cùm ad ætatem virilem pervenerint, in homines evadunt miraculoſos, & inſtrumenta fiunt magnarum rerum, victoriis ingentibus inclyti, & illuſtres; præterea omnes hi, uti arte obtinent vitam ſuam, ita omnia quoque Naturæ ſecreta, & abſcondita acquirunt. Valde dubito, ne vel ipſe *Paracelſus* ex hiſce tam admirandis partubus unus ſit, cùm enim neminem plura ſe ſciviſſe, in ſuo *Paramiro* glorietur; præterea ἀπρόδοκτον à nemine alio ſuam de abditis Naturæ myſteriis ſcientiam didiciſſe pluribus in locis teſtetur: Dicerem profectò, eum ſi non ex utero matris, certè vel ex Ephialte quodam aut Incubo, vel alio horrendo quodam, dæmone, veluti ex putrido, & virulento fungo conceptum natumque ſpurium hoc monſtrum prodiiſſe, Faunorum Nympharumque filium, Dæmoni, quàm homini ſimiliorem.

Ex hâc ſtultâ Chymiurgia patet, quàm hujus hominis in rebus aſſerendis, & inconſulta quadam præcipitantia quælibet effutiendi audacia ſit, & temeritas in iis rebus, inquam, à quibus, non dicam, Deus, & Natura, ſed vel ipſa ratio abhorreat. Quis Medicorum, Anatomicorumque neſcit, extra vas muliebre hominem generare tam impoſſibile eſſe, quàm impoſſibile eſt ſemen bruti terræ injectum, inde ſimilis ſpeciei brutum educere? quis in vitrea cucurbita *calorem*

materno

materno calori prorsus heterogeneum, & naturæ ipsi contrarium assignabit? quis *nutrimentum* per vasa & venas umbilicares proportionatum, quin & *materni seminis* ad formandum fœtum necessariam portionem, per sanguinem humanum, uti ipse præscribit, jam extra venas mortuum & prorsus inefficacem assignabit? certè id neque Angelo, neque Dæmoni concessum esse, quis non videt? Quis verò Embryoni jam organizato animam rationalem infundet? Anne forsan DEUM OPT MAX. ab hujusmodi Satanicis ministris ad horrendæ geneseos concursum sollicitari posse putabis? Sed hoc vel sentire impium, blasphemum, & atheum esse, quis nescit? Dato verò per impossibile, *animam* huic diabolico Embryoni infundi, an non sequeretur indè hujusmodi monstrum humanum, uti à communibus humanæ generationis legibus exemptum est, ita quoque *à Peccato originali*, & cœteris humanæ conditionis miseriis peccato subditis immune futurum? quo quid magis impium, & blasphemum dici possit, non video. O Divinæ clementiæ patientiam & longanimitatem, quæ tam monstruosorum hominum portenta non, *Core & Abironis* exemplo, subvertat! Sed hæc sufficiant ad enormes, & planè prodigiosos Bombastici partus ob oculos veritatis amantis Lectoris ponendos. Huic similes sunt illi fratres qui à Rosea cruce nomen habent, impium genus hominum & diabolico commercio tumidum: cujusmodi fuerunt *Cornelius Agrippa*, omni diabolicarum artium eruditione clarus, quem & à Dæmone tandem suffocatum dignas sceleribus pœnas luisse ex vita illius sat superque constat. Talis *Sendivogius*, talis *Robertus de Fluctibus*, talis *Marchio de Villena*, & innumeri alii, quorum piget meminisse, omnes Magi, & Alchymistæ, quorum dogma fuit, licitum esse, à Diabolo discere non nihil, dummodò naturalium rerum scientiam concernat; & hi quidem ab humani generis hoste instructi, *aurum* fecisse dicuntur, & omnia *morborum* genera curasse, sed hoc pacto, ut unum semper ex decem occiderent; horum insana dogmata talia sunt, ut æterno silentio, & tenebris, quam luce digniora sint. Unde eruditus *Conringius* in suo de *Hermetica Medicina* insigni sanè Libro, rectè refert. *Paracelsus quantumcunque acuti fuerit ingenii, tamen non fuit moribus temperatis; quales exigit veritatis palæstra, certè ipsi mores magnum patiuntur Paracelsinæ doctrinæ præjudicium. Ecquid enim ab homine mago, veræ, & solidæ doctrinæ exspectare liceat? Equidem haud negarim, Dæmonem homini non nihil etiam veræ scientiæ inspirare posse; sed hactenus compertum non est Dæmonis auxilio quemquam ita sapuisse, ut non simul in quam plurimos errores sit deductus, patre mendaciorum unam veritatem proditam, mille mendaciis compensante.* Cùm itaque talis fuerit Paracelsus, quis tantum mendaciorum fabrum unquam aurum confeciisse, ne dicam artem noviisse sibi persuadere poterit? Non nescio, complures illum habuisse assecias, & innumeros tractatus de *Aurificio* prodiisse, & quotidie prodire; qui tamen omnes, uti debili, & infirmo eorum, quos allegavimus, doctorum fundamento nituntur; ita quoque quidquid dicant, scribant, jactitent, jurent, periurent de benedicti, verius, maledicti *Lapidis* structura, nil sanè adducent, quod fidem mereatur. Sed ne cæcus de colore, surdusve de sono, injustè judicare videar, jam tandem, quibus modis tum principes, tum plebeios homines, quibus artibus, qua dexteritate deceperint, & etiamnum decipere non desinant, ut veritas tandem elucescat, aperiamus.

CAPUT VIII.

PSEUDOCHYMICUM.

De dolis, & deceptionibus, modisque, queis Alchymistæ verum aurum se conficere posse uti olim jactitarunt, ita & hodierno die adhuc jactitare non cessant.

FUsiùs forsan quàm par erat, in præcedentibus de solitis in *Arte magna* processibus egimus, & ni fallor ex modo operandi ostendimus fieri non posse ab iis, quod tanta verborum debuccinatione Alchymistæ, ceu infallibile opus, artemque nonnisi Angelis forsan, tanquam rerum naturalium præsidibus cognitam deprædicant. Quàm enim principiis Naturæ contrarium sit, res inanimatas de specie in species toto cœlo differentes transmutare, vitam dare corporibus mortuis, multiplicare in infinitum, id quod nec ex parte agentis, nec patientis ullam in se vitam vegetativam habet quis non videt? Diximus quoque fieri non posse, ut ad naturæ exemplar operantes intentum finem acquirant, siquidem per tot calcinationes, sublimationes, dissolutiones, putrefactiones, fermentationesque, tantum abest, ut unica illa, & tantoperè desiderata *auri forma* exeat, ut potius per tot ignis, aquarumq; acutissimarum tormenta, in mille alias formas traducta, tandem tota illa intenta forma pereat, & destruatur. Accedit, quòd *graduum* calor incognitus, & rerum adaptandarum combinatio in indivisibili consistat, ad quod attingere humano ingenio denegatum est. Adduximus quoque vel primorum *Alchymistarum contradictiones* ubique passim obvias, quæ luculento sane testimonio indicant, consistere non posse, quod tot difficultatibus, litibus, dissidiis, jurgiis, expositum est, cùm veritas una & simplex sit, quæ semel revelata, nunquam sua destituitur certitudine. Verùm cum circa aureum argumentum totius negotii cardo versetur, hominesque naturæ quodam pondere veluti in id, quod ipsos fœlices efficere, omniumque bonorum possessione beare potest, feruntur, certè mirum non est, artem ex se & natura sua appetibilem tanto studio, tantis laboribus, tam acri conamine quæri, tam anxiè desiderari, tam facile vulgò credi, eam tandem adhibito studio acquiri posse; *Sed amantes sibi somnia fingunt.*

Atque hanc unicam causam esse puto; cur, uti hodierna die, ita præteritis sæculis nulla ars hac auriferâ fuerit sollicitiùs quæsita, nullâ ardentiùs desiderata, nulla tot fallaciis, & impostoris exposita. Diabolo humani generis hoste ut plurimùm hujusmodi mortalium moliminibus, dum spe artis diteiscere volunt, sese immiscente. Unde in Mundum irrepserunt superstitionum portenta, diabolicæ illusiones, Rerumpub. damna irreparabilia, Regum, & Principum ruinæ. Unde ut falsitas & impostura solennes hujusmodi homuncionum detegantur, ad Divini Numinis gloriam, & totius reipublicæ literariæ bonum, hoc loco *fraudes*, & *deceptiones*, quibus non solùm principes, sed & doctos ipsos unà cum plebeiis dementare solent, apponendas existimavi.

Quis non miratur, & attonitus hæret ad stupenda opera quibus lucri causa *Agyrtæ*, circumforanei, circulatores, funambulones, cæterique hujus farinæ homines dexteritate manuum, corporis-

que agilitate plebem imperitam circumveniunt; quæ etiamſi vana, futilia, falſa; & deceptoria ſint; tantam tamen apud circumfuſam hominum multitudinem fidem merentur, ut ſi non dæmonum præſtigiæ, ſaltem Naturæ miracula videri queant. Aureos montes promittunt, imo arte Chymica ſe mare in aurum, in argentum arenam maris fucato illo ſuo Mercurio converſutos promittunt; & ne fide vacillare videantur, non nulli tali *Sophiſmate* fidem ſuam liberant: accipiunt certum quendam *pulverem*, quo tantoperè gloriantur, rubrum, vel album, poſtea ſimulant certâ ſummâ pecuniariâ ſe ad artis complementum indigere, quâ datâ unà cum pulveribus in catinum metallo, quod convertere ſe dicunt ad ignem virgâ colurnâ perfectè miſcent, & tandem Mercurio ſuperaffuſo, totam maſſam in *aurum* ſe convertiſſe aiunt. Maſſam examini ſiſtunt, quam ubi aureo radiare, vel argenteo colore nitere vident circumſtantes, veluti ſtupidi, & attoniti ad inuſitatum rei miraculum hærent; beatos ſe prædicant, ſi tanto ſecreto per breve diteſcendi compendium participes eſſe poſſent; unde nihil non promittunt, ut ſecreti potiri queant: potiti ſpurium auri partum producunt, quod Collybiſtis oſtenſum, nil niſi metallum illud ordinarium tinctura inutili imbutum reperiunt, tantumque auri, quantum pulveris injecti pretium fuerat extrahunt.

Quidam *pulverem auri, vel argenti*, modo quem poſtea docebimus, indunt baculis fiſtuloſis ligneis, adjuncta pice græca, aut reſina Colophonia, ut ad ignis odorem facile ceræ ad inſtar, in fluorem reſolvatur: Hoc peracto, crucibulo igni appoſito, quovis metallo referto aureum pulverem in fundunt, materiam circumagunt, & pulvis fiſtuloſo inditus baculo in fundum abit naturæ priſtinæ reſtituitur, Mercurius verò in fumum ignis æſtu reſolutus, reliquis metallis ſeparatis *aurum* in fundo reperiunt, magna ſtupidorum admiratione.

Nonnulli fraudem adornant, *pulveribus aureis* carboni grandiori excavato aut etiam follium canali inditis, quibus dum metalli ſpumam ſe diſſlare ſimulant, pulverem aureum mira dexteritate in cucurbitam, in qua liquatur, unà efflant; & hac fallacia finito jam magiſterio, auroque extracto, præſentibus infallibilem artis certitudinem perſuadent.

Refert *Ieremias Maderus* in Acromaticis hujus fraudis & deſultoriæ artis feſtivum ſanè exemplum: Duos ait Chymicos ſocietatem initam pacto firmaſſe, ut alter Chryſopoeiæ certiſſimam artem ſe tenere profiteretur: alter verò Rhizo tomum ageret, ſeu Agyrtam empiricũ, & inter cœtera ſcobem auri atro infectam colore, pro Lunario pulvere venderet. *Erneſtus* Marchio Badenſis mirè huic pyrotechniæ deditus erat: hunc ergò ille prior adit, aureos montes pollicitus, atque *divitis atria Cræſi*. Quæruntur omnia, & jam pulchra fraude conſtitutis omnibus, unam tantum ſpeciem ex iis, quæ intentum effectum præſtarent, cui nomen *Reſch*, id eſt, *caput rei*, ſupereſſe, hujus autem pulveres facilè apud quemvis Pharmacopœum ait inveniri, potiſſimum apud *Rhizotomum*; ad quem Marchio puerum pulveris emendi cauſa mittit; alter interim commodo in palatii aditu loco merces ſuas expoſuerat, & ut ſolet hoc genus hominum, nil ſibi deeſſe ſtentorea voce prædicabat, adit eum Principis puer, utrum ſibi radix *Reſch* dicta, eſſet, interrogat, ille protinus *Reſch* de fumoſa pyxide depromptam pro 1. ſolido appendit; puer domino coëmptam *Reſch* refert radicem in *pulverem* contritam. Impoſtor cum pulverem mox inſpergit hydrargyro, aurumque producit, liquatumque aurum deprehenditur. Marchioni res mirè grata, & ipſe in Magiſtrum beneficus, ac gratus non ſpernenda pecuniæ ſumma donatum dimittit. Chriſopœiam pergit urgere, & quidem durante *Reſch* feliciſſimo ſucceſſu, conſumpto pulvere undique conquiri juſſit aurificam materiam: negabant omnes, quicquam ſe ſive de nomine *Reſch*, ſive de ejus virtute audiviſſe, nedum legiſſe, aut in ullo alio pharmacopolio comperiiſſe. Marchio itaque fraude cognita impoſtores inquiri juſſit, ſed fruſtrà: abierant, fugerant, evaſerant, unde damno ſuo doctior didicit, non credendum eſſe iis, quos non noſſet, in arte mille impoſturis expoſita.

Sunt porrò alii, qui *pulverem aureum* ſolvunt in aqua uſque dum ſub colore olei ſubſiſtat: poſtea dicunt ſe cum pulvere hoc ligare metallum in aurum convertendum. Alii fingunt extrahere animam ex auro & argento, ope cinnabrii, à quo ſeparatus Mercurius, illud reſtat fixum, cui deindè ſubdolè miſcent aurum, vel argentum, deindè unà ſimul per Chymicam ſublimationem cinnabrium extrahunt, quod in aurum virtute animæ converſum aſſerunt. Alii dexteritate manuum, quibus abſcondunt aureum pulverem, & poſtea jubent adſtantem ſibi porrigi neſcio quod inſtrumentum, & interim proiiciunt intra crucibulum *mentitum aurum*; quo indè extracto adſtantem dementare ſolent. Sunt etiam qui certa ſcriniola diverſis *pulveribus* unà cum pulvere auri, & argenti mixtis implent, quibus & ad fraudem tegendam exotica herbarum, mineraliumque nomina imponunt: poſtea adeunt unum ex iis, quem norunt Chymicis deditum, eidem ingens magnæ Artis ſecretum paucis nummis emendum exponunt, experimento artis aurificæ ſe veritatem docturos pollicentur, dummodo expenſæ in auro conficiendo rependantur; & ſi veritatem rei non deprehenderit, omnia ſua confiſcationi ſe ſubjecturum promittunt. Jubent itaque emere *pulverem auri*, jam per aquam regiam in ſubſtantiam morbidam, & friabilem reſolutum: opus auſpicantur, & cum admiratione adſtantis educunt aurum putiſſimum. Unde ſpectator tanti boni acquiſitione audacior factus, plus æquo credulus, & ſimplicioris animi homo, pro arte, quantum velit & libuerit rogat; impoſtor ait tantum & tantum, acceptaque pecunia ſe protinus ſubducit; alter deſiderio nimio communicatæ artis percitus, dum pulverem illum exotico quodam, & monſtruoſo nomine baptizatum, ardentius quærit, nec apud Pharmacopœos, aut Herbarios materiam reperit, tandem ſe eluſum crumena, & nummis vacuum reperit. Alii *vaſa aurea, & argentea* ſuſcipiunt, & colore cupri, aut ferri tingunt: impoſitoque iis Mercurio, aurum, & argentum ſeparant, & hoc pacto extrahunt id, quod corroſione Mercurii ex auro abraſum fuit, pro auro, & argento vendunt, ex cupro vel ferro eductum. Nonnulli fingunt Mercurii ex plumbo extractionem, & hunc in argentum ſe fixaturos promittunt; quod uti innumeris modis fictitiis ſuppoſitiiſque præſtant, ita quoque graviſſimum iis, qui talibus nebulonibus fidem adhibent, damnum inferunt.

Didici & egomet non ſemel hujuſmodi tenebrionum inſolentiorum audaciam, qui datâ operâ me, quem Naturæ arcanis deditum norant altiſſima, magnæ, verius perditæ artis ſecreta communicaturi conveniebant, hoc tamen pacto, ut ego ſumptus

in artis

in artis ſpecimine faciendo præberem : promiſi me facturum, ſi prius modum, & *rationem* oſtenderent, quod quamvis inviti, coacti tamen modum mihi revelare cœperunt: ego ſtatim fraudem ſubolfaciens, poſtquam eos apertæ impoſturæ conviciſſem tandem ut iis audaciam cõdonarem, deprecati, paupertate ſe preſſos, ſimilibus vitam ſuſtentare falſi ſunt: ego primò egregiè increpitos deinde quoque aliqua eleemoſina donatos dimiſi ; monitos tamen, ut meliori arte vitam tolerent, ne ſuo tempore hanc temeritatem *aurea reſte* ſuſpenſi luerent.

Miſſus mihi fuit non ita pridem, libellus Hebraïcâ linguâ conſcriptus, arcanorum Naturæ, verius mendaciorum, refertiſſimus, in quo inter alia herba deſcribebatur, *Boriza* nomine ; quâ metallum quodlibet in aurum converti poſſe, inſulſus ille Rabbinus aſſerebat. Quoniam verò res digna eſt, operationem ridiculam jungo, ex qua apparebit, quàm incongruis rebus, hominibus imponere ſoleant hujus farinæ Sycophantæ. Sic autem dicit: בוריצא והיא עשב שמה לונאריא *Boriza & eſt herba, cui nomen lunaria.* Sed omiſſis verbis Hebraïcis utpote longioribus, ipſam ponamus interpretationem: Audi itaque & ride *Lector*, ſtulta promiſſa. *Hujus herbæ ſuccum mitte in argentum vivum, & fac bullire in hoc ſucco, & fiet brodium rubrum, ex hoc fac pulverem, qui projectus ſupra cuprum, id in aurum mutabit, & una uncia hujus pulveris ſufficiens eſt ad centum uncias cupri in aurum convertendas. Naſcitur hæc herba ad fontes, & flumina, & in montibus altis*, (ut ego reor verius in Utopia.) *Caulem habet rubrum & violaceum, & lac habet inſtar croci* (Chelidoniam ego interpretor.) *Accipe ſuccum de hac herba & pone ſuper argentum, & fiet cuprum.* (O grande emolumentum!) *Et ſi de hac ponas ſupra plumbum, proveniet aurum : Succus hujus herbæ poſitus ſupra ferrum, fiet argentum, & pulvis hujus herbæ poſitus ſupra argentum, faciet aurum, & ſi poſueris eum in urina cum ſpica nardo, & biberis quotidie unam unciam, ſenes in juvenes tranſmutabit.* Sed ſtulta hæc machinamenta Cabaliſtarum, non Philoſophis, ſed deliris mulierculis confutanda relinquamus.

Innumera hoc loco ex Arabum ſolennibus fraudibus adducere poſſem, quæ paſſim in eorum libris de mineralibus Naturæ reperiuntur, & de aurificio inferuntur. Verùm cum indigna ſint, quæ referantur, ſilentio ſupprimenda duxi.

CAPUT IX.

Quod Dæmon ut plurimum ſe Alchymiæ cultoribus immiſceat.

VEriſſimè dixit S. Paulus Epiſtolâ ad Timoth. c. 6. v. 9. *Qui divites volunt fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, qua mergunt homines in interitum & perditionem : radix enim omnium malorum cupiditas eſt, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Ita eſt. Eſt *divitiarum* immoderata *cupiditas*, rete cacodæmonis, quo magnam humani generis partem, uti olim, ita ſemper in hunc uſque diem in ultimam animarum ruinam, trahere non deſinit. Cùm nihil in humanis rebus ſit, quod majori cum deſiderio quæratur, cui majori anxietate incumbatur, quàm theſaurorum divitiarumque accumulationi ; harum enim poſſeſſione, & injuſta uſurpatione ad omne vitiorum, ſcelerumque genus portam apertam fuiſſe, innumera exempla nos docent dum divitiis pollentes, quicquid volunt ſive potentiam ſive ambitioſam honorum, dignitatumque acquiſitionem, ſive vitam mundanam ſuperbiâ tumentem, cæteriſque carnis oblectamentis refertam ſpectes, obtinere poſſunt. Unde mirum non eſt, *Alchymiam* unicam tantarum divitiarum fallaciſſimam pollicitatricem, tanti æſtimari, tantoperè, tamque anxio ſtudio ab omnibus, cujuſcunque tandem conditionis hominibus ambiri. Non ignorat humani generis hoſtis ardentem hanc auri ſitim, unde incautos mortales tantò periculoſioribus artibus, quantò illæ occultiores ſunt, adoritur: Accidit itaque, ut dum nimio deſiderio auro inhiant, inſuperabilibuſque ut plurimum difficultatibus, quæ in arte magna occurrunt, præpediuntur, omni ſpe ad artem perveniendi ſublatâ; cum nihilominus inter ſpem metumque anxii tantopere exoptatæ divitiarum poſſeſſioni ſollicitius incumbunt, tandem deſperatione in transverſum acti, vel theſaurorum inventionibus ſe dedant, vel cacodæmonis magicis artibus advocati in artis perficiendæ opem implorent, & ſic tandem pacto obſtricti Satanico, in omne impietatis barathrum prolapſi, ſine fructu ullo, vitam miſerando fine concludant. Multos ego novi hujuſmodi illuſionibus deceptos, præſertim curioſioris doctrinæ ſtudioſos, qui ſine prævio examine, ſine luce, inconſulto, auſuque prorſus temerario Alchymiæ vanitatem amplexi, juſto DEI judicio, à diabolo decepti, in mille errorum præcipitia illiſi perierunt; quàm enim Dæmoni cordi ſit homines ſimilibus artibus deditos adoriri, ampliſſime in *Oedipi parte* 1. *de Idololatria* demonſtravimus. Non enim ſolummodo Demones ſe illis magicarum artium ludibriis, ſed & omnibus vanis, & inſaniis falſis, uti Aſtrologiæ, quæ ex hiſce originem ſuam nanciſcuntur, divinatoriis & cabaliſticis, omnibus illis ſpeciebus, quæ à Μαντέια nomen habent, occultè ſe miſcent, queîs curioſos credulitate nimia circumveniunt, adeò ut qui adverſus eorum inſidias vigilare negligunt, evaneſcant in cogitationibus ſuis, & cum ſapientes, & mirabilium operum patratores ſe credunt, ſtulti fiant, donec tandem eum, quo proficiunt, magiſtrum, ſocium habeant tum impietatis, tum æterni exitii ; præſertim Alchymiæ deditos miris modis adoritur, quibus oculorum aciem ita quandoque perſtringit humani generis hoſtis, ut pyrotechniam exercentes, aurum, argentumque verum per tranſmutationem ſe confeciſſe jurarint : licèt poſtea cùm ſæpius etiam magna cura adhibita idem opus tentaſſent, nunquam tamen ſucceſſum ullum ſe reperire potuiſſe, teſtati ſunt. Innumera hujus rei paſſim leguntur apud Auctores : *Delrium*, *Pererium*, *Quibertum*, *Hogelandum*, quos *Lector* adeat.

Ego hoc loco tantum narrabo, quid oretenus mihi à viro Chymicæ artis peritiſſimo, cujus nomen conſultò reticeo, ſimili illuſione à Dæmone decepto, relatum fuit. Audierat is de meis circa hoc ſtudium experimentis; unde me convenit, rogans, *quid de magnæ artis myſteriis ſentirem* : egò ultra citroque argumentum diſcutiens tandem concluſi, *magnæ artis myſterium, uti & lapidis, meras ſpeculationes metaphyſicas eſſe, & allegoricos illos ſenſus, quos tum Arabes Alchymiſtæ, tum Latini hujus artis primipili, ſub tantis rerum ſimilitudinibus, & Ænigmatis occultarent, tales eſſe, ut cuilibet rei facilè accommodari queant, uti in* Hieroglyphica Ægyptiorum Alchymia fusè deduxeram.

Reſpondit : *benè dixiſti* Pater. *Audi quid mihi* acciderit:

accideritt: Ego à puero in hoc ſtudii genus pronus, complures annos cùm in eo, ſine ullo profectu conſumpſiſſem, & quodam die intento ab Alchymiſtis ſcopo, id-eſt, Lapidi conficiendo totus incumberem, & arcanum me penetraſſe planè mihi perſuaderem, convenit me vir quidam antehac ignotus, humaniſſimis verbis ſalute imprecata rogavit, quidnam agerem, & cui rei tanta ſollicitudine incumberem? primò quidem cum reſpondere morarer, ait; video ex Chymicis tuis vaſis, & materiarum congerie te magnum quid in arte Chymica moliri; ſed quod intendis, minimè te conſecuturum crede. Ego reſpondi, ſi tu aliquid melius nôris, id me doceas velim: dixit obſequar voluntati tuæ perlibenter; ſede itaque, & ſcribe veram procedendi methodum. Ego ſtatim arrepto calamo dictantis verba in duodecim puncta diviſa, excepi, exceptâ methodo ait, jam ea in praxim te operante, eo prorſus ordine, & juxta præceptorum præſcriptionem, redigamus. Quo peracto, jubente magiſtro exemi ex vaſe Chymico materiam inſtar olei relucentem, & ſuperaffuſo liquore mox congelatam maſſam reperi, quæ in pulverem redacta, & ſupra 300. libras hydrargyri projecta, illud in obryzum & nobiliſſimum aurum, multò naturali excellentius, nobiliusque convertit, quod apud Aurifices optimi, & perfectiſſimi auri examen ſubiret; Ego ad inuſitatum rei eventum attonitus, vix me ipſum præ gaudio capiebam: Iam in redivivum Cræſum *me evaſiſſe, & totius mundi divitias me obtinuiſſe, credebam; quas autem gratiarum actiones tam liberali magiſtro rependerim; tu mi Pater melius concipere poteris, quàm ego multis verbis explicare, & cùm rogarem, undenam eſſet, & ubinam tam divinum ſecretum didiciſſet? Reſpondit ſe* Mundum peragrare, *nullius aut ope, aut opibus indigere, amicis ſuis in deſperato artis magnæ exercitio, inutili labore ſe fatigantibus ſubinde ad proſequendum ſtudium, de arte ſua nonnihil liberali manu communicare, & hiſce dictis hoſpitio, quod humaniter obtuleram, recuſato, ad publicum divertit: poſtero die ſummo mane, noctem enim in perpetuis vigiliis præ nimio adeptæ artis gaudio tranſegeram, munifico benefactori iteratas gratias acturus, ad hoſpitium me confero; quæro hoſpitem, ſed nullum ea nocte hoſpitem ſe habuiſſe dicit Hoſpitii præſes: omnia hoſpitia urbis accedo, qui de eo, qui quærebatur, nil ſe audiiſſe dicunt: omnes domus celebriores, in quibus eum pernoctaſſe ſuſpicari poteram, examino, ſed fruſtra: evanuerat, abierat, evaſerat, ſummo meo dolore: Sperabam enim multò plura ab eo me acceptarum hujus artis arcana. Domum ita reverſus, ſine mora ad novæ adeptæ artis ſpecimen juxta præciſum præceptorum, quæ dictaverat tenorem edendum me accingo, & operatione peracta, nullum rei ſucceſſum reperio, & quia credebam, hunc errorem contigiſſe vel ex inadvertantia mea, vel ex omiſſione aliqua rerum ingredientium, repetii operationem eâ diligentiâ, quâ major fieri non poterat; ſed rurſus ſpe mea fraudatus, iterum, iterumque operationem inchoabam tot, tantisque expenſis, ut omne illud aurum in prima projectione acquiſitum expenderim: & uti ſpes auri, mirum in modum reddebat inquietum, ita quoque opus reiterando tot expenſas faciebam, ut res penè me in deſperationem redigeret. Et cùm animi mei afflictionem religioſo cuidam & docto, & pio viro aperuiſſem, ille ſtatim ſubjunxit: non vides Domine, hanc apertiſſimam eſſe diaboli, qui tibi ſub ſpecie hominis apparuerit, illuſionem? & ut te ad proſecutionem operis excitaret, primo auro aliunde accepto, ſolita ſua fraude tibi illuſit, ut deinde te opus inutili labore proſecuturum tandem vel ad facti alicujus conſenſum alliceret, aut etiam tandem omnibus bonis conſumptis, te ad deſperationem adduceret, atque indè animæ corporiſque tui prædâ potiretur. Ego ſanè ad hæc exhorrui, atque ex iis, quæ hoſpes ille peregrinus coram, mihi retulerat verbis, hunc alium eſſe non potuiſſe, quàm Satanam cognovi. Unde ſtatim pœnitentiâ præteritæ vitæ ductus, domum reverſus, omnes diſcuſſi fornaculas, vaſa iniquitatis Chymicæ confregi, libros quoque ea de re conſcriptos, quos poſſidebam, vulcano tradidi, totumque ab ea die me magis proficuis, utilioribuſque ſtudiis addixi. Sit DEUS in æternum benedictus, qui à tantis periculis me pro ſua infinita miſericordia liberavit.* Hanc Hiſtoriam veridicam hîc apponere volui, ut ex illa pateat, quantoperè Dæmon hominibus auri cupidis ſtudeat illudere, quot, quantiſque modis in' ſuas caſſes, tum præſtigiis, tum mille artium technis attrahere ſatagat. Qui plura hujuſmodi deſiderat, legat *Hogelandi* ſimilia experti de vanitate Alchymiæ commentarios, alioſque auctores, quos ſupra allegavi.

De Alchymia Sophistica, *id eſt, de illa Alchymia, quæ Aurum & Argentum, Cupro, Plumbo, Stanno jungens, inde Aurum magno augmento conflat*, eodem Kirkero Autore.

CAPUT PRIMUM.

De variis variorum Sophiſticis Operationibus falſis & illicitis.

Tanta nonnulli mortalium aſtutiâ, & calliditate, tanta ad aſtus tegendos loquacitate, & facundiâ à natura præditi ſunt, ut tantum non quilibet pro quolibet, non dicam, imperitiori plebi, ſed & vel ipſis Principibus vendant, dum experimenta tam abdito dolo adornata exhibent, ut vix in eorum præſentia quiſpiam ſive Philoſophus, ſive Theologus hiſcere audeat: adſtantes verò rerum mirabilium exhibitione adeò conſternuntur, tam altam de rerum peractarum veritate fidem concipiunt, animoque imprimunt, ut nullo argumentorum pondere nulla rationum firmitudine ab ea avelli poſſe videantur. Si quis fortè nonnullius fallaciæ ſub experimento latentis impoſtorem inſimulare velit, ſtatim ſe opponunt, his, & ſimilibus verbis: Quicquid dicant Philoſophi, iis ſanè contra ſenſatam *experientiam* Subſcribere non poſſum, nec volo: Oculis meis vidi, manibus contrectavi, rem omni exceptione majorem: fruſtra cerebrum fatigatis in iis rebus refutandis, quas non poſſumus non credere. Hi ſanè neſciunt, idem iis contingere, quod Cani *Æſopico*, qui fruſtum carnis dum juxta flumen comederet, videns in aqua relucentem

lucentem canis figuram, qui majus carnis frustrum rictui insertum habere videbatur, dimisso minori, majus sectabatur in aqua, & sic utrumque perdidit.

Magna sanè res, & valde sagacis ingenii, res similes, falsasque à veris discernere, ut proindè non valeat illud *oculis propriis vidi*, cùm dici vix possit, quot modis homo decipi queat, quàm facile phantasia decepta aliud se videre, aut sentire, quàm revera sit, sibi persuadeat.

Unde mirum non est, reperiri nonnullos Pseudochymicos, homines ad omne fraudis genus fictos, factosque, qui exigua fictitii *pulveris* portione ad ignem, exiguo temporis spatio, plumbum, stannum, cuprum, ferrum, Mercurium in purissimum *aurum argentum*que præsumptuosius convertere se posse pollicentur, præsentibus ad tantum arcanum veluti stupefactis, & attonitis; quod tamen sapientibus, natura dictante, prorsus ἄλογον, & omni ratione carens videtur: & quamvis nil notius sit, quàm quod ad ignem cupellæ, ut vocant omnia reliqua metalla ab auro, & argento separentur: nesciunt tamen hoc fieri posse ab illo pulvere, quam *animam auri* perperam dicunt: aiunt enim arte Chymica unam auri unciam se reducere ad duodecim granorum quantitatem, unum verò ex iis granis supra unciam cujuscunque tandem metalli projectum, iis corpus dare, & proinde in aurum convertere: cum, uti nugantur hoc granum nil aliud, quàm ipsam auri animam dicant.

Quis jam hîc Philosophiæ naturalis adeò expers est, qui nescit, *materiam formam quamcunque recipere non posse*, nisi apta sit & convenientem habeat dispositionem ad talem formam recipiendam. Si enim natura non habebat virtutem sufficientem, dum generabat cuprum, ferrum, plumbum & Mercurium ad auri formam ei introducendam, quomodo forma seu anima auri (quæ tamen forma à corpore separata dici non potest, nisi pueriliter in Philosophia nugari velimus,) pulvis, inquam, ille, quam *animam* dicunt *auri*, animam, inquam, oppidò corpulentam, quomodo in metalla deserto subjecto proprio, in plumbum, stannum, ferrum, cuprum, quorum jam unum quodque sua propria forma constitutum est, introduci queat, quis talem Philosophiam concipiat? an non jam duæ formæ erunt in uno & eodem subjecto? quod absurdum si negent, dicant quæso, quidnam de animâ plumbi factum sit? forsan annihilatam esse dices; sed ne supinam ignorantiam reveles, vide quid dicas. Si autem forma in pulvere subjectata separata fuit, anne subjectum sine forma subsistere posse existimabis? Sed & hoc æquale priori absurdum est. Vides igitur, quam stolidè philosophentur ii, qui talia ex asinina quadam ignorantia fieri posse imperitis persuadere contendunt.

Hic itaque *pulvis* quem illi *animam* dicunt, cujuscunque tandem metalli in aurum transmutatricem, anima *auri* nequaquam dici potest, sed est *aurum verum*, & naturale, virtute aquarum fortium, aut Mercurii rosiva virtute in pulverem versum, compositum perfectum, materia & forma constans. Si enim pulvis talis in metallum quodpiam projectus, illud in aurum converteret vi animæ, certè non est ratio, cur pulvis ex absinthio verbi gratia confectus, & supra aridum, mortuumque absinthii caulem projectus, non pari ratione id in herbam resuscitet, quod idem de pulvere ex animali combusto facto, & in cadaver ejusdem, aut alterius animalis conjecto, dicendum est, indè enim animal resurgere, non esset nisi hominis oppidò stolidi credere. Cùm itaque *motus*, Philosopho teste, sit *vita cunctis existentibus per naturam*; qui fieri potest, ut quod animam non habet, uti sunt metalla, vitam tamen dare possit? ô summam mortalium cæcitatem! ut astuto aliquo *Agyrtæ*, & *Ardelioni*, qui uti præter garrulam loquacitatem nullâ rerum scientiâ pollet, ita fucos dolosque alto corde evomit, & talibus tamen, non dicam à plebe, sed vel ab ipsis Principibus fides habeatur, itaut apud eos veluti quoddam Apollinis oraculum non solùm æstimentur, sed & tantum non adorentur. Sed progrediamur ad alia Sophismata.

Sunt quidam, qui se jactitant, augmentum ad aurum possidere, quod viginti quinque, aut etiam quinquaginta pro centum præbet. Dico, id quod promittunt, aurum verum non esse, cùm illud ignis ope per cæmentationem separetur ab iis, quibus junctum fuerat: quod de auro vero dici non potest. Est itaque *tinctura* solummodo quædam, quæ ad apparentiam externam aureo splendore ita perstringit oculos, ut etiam Monetarii illo colore decipiantur: cujusmodi quoque nonnulli faciunt cum certis menstruis aquæ vitæ, tutia, sublimato, quæ soluta auro & ære usto, in aquis fortibus, aurum augmentare videntur; ajuntque illud pro puro auro absque scrupulo conscientiæ se divendere posse, eò quòd à Principe jam ceu verum aurum approbatum sit, in quo tamen valde hallucinantur, uti in sequentibus ostendemus. Faciunt enim tales idem, quod in Apologo Lupus, cui sub conscientia impositum fuerat, ne plus animalium pro quotidiano suo victu occideret, quàm sex libras carnes eorum penderent; ille verò vaccam cum vitulo obvio videns, utrumque invasit occiditque, in conscientia judicans, vaccam nonnisi quatuor, vitulùm verò non nisi duas libras carnium pendere, quæ sex libras conficiunt ei pro victu constitutas.

Patet itaque, insigni errore involui qui putant, augmentari aurum posse cum illo, quod aurum non est, & quamvis dicant, illud *à Monetariis* & Collybistis approbari; Dico, id evenire ex Monetariorum sive negligentia, sive ignorantia. Negligentia arguitur ex eo, quòd aurum hoc sophisticum laboris vitandi gratia, nulla adhibita solita cæmentatione, vel ut vocant, cupellatione; per res obvias tantum, & vulgò notas exiguique laboris, superficietenus examinare solent. Ignorantiam verò monstrant, quod uti officium illud certa pecuniæ summa coëmerunt, aut etiam favore Principum ad istiusmodi tanti momenti officium promoti sunt, ita quoque, cùm ne prima quidem Metallurgiæ artis Principia teneant, modum & rationem probandi, examinandi, & judicium solidum de auri, & argenti bonitate ferre nesciunt; unde innumera in Rempubl. detrimenta emergunt, pluribusque ad similes fraudes, dolosque, porta ad omnem licentiam aperitur.

Sunt alii, qui *duo* diversi generis *secreta* se possidere jactant, quæ, dicunt, totus mundus pro veris auri & argenti transmutativis non potest non acceptare. Quorum *prius* est: Accipiunt aurum & argentum æquali portione ad cupellam probè prius experta, deinde de tutia, croco Martis, croco Veneris, de singulis quatuor accipiunt uncias 7. quibus intra vesicam positis paulatim dicta specierum mistura incorporatur. Hoc peracto, relinquitur vesica in fimo equino per quindecim dies, & digestione peracta, eximitur tota mistura, & in cineribus calidis exsiccatur in pulverem, cujus quarta

pars

pars ſupra unam argenti projecta, mutat id in aurum 24. uti vocant carattarum; *Alterum* ita ſe ſe habet. Accipiunt aurum, & argentum, in ſcobem prius limata, & dum funduntur, iis tantum ex tutia, & ſublimato jungunt, quantum aurum & argentum, unà cum ingredientibus ponderant; deinde contrita, & quam optimè molita ponunt in vaſe ſublimatorio, & ſublimatione paracta reſtat in fundo maſſa, quæ cupellæ commiſſa, aurum ſeparat octodecim caratt. Hoc eſt arcanum, quod multi magni æſtimant. Ego tamen ritè omnia examinando, quid crocus vegetabilis, improportionatus, ad tincturam eſſentialem, faciat neſcio: cùm tutia, crocus Martis, & Veneris ad tincturam ſufficiant: Si verò in hoc magiſterium Sol, & Luna ingrediuntur, non video, quomodo tutia, ferrum, cuprum, auro aliquid præter tincturam addere queant: etſi enim in unam auream maſſam coaleſcant, tota tamen aurum purum non eſt, ſed apparens; cùm beneficio cupellæ omnia appoſita metalla ab auro ſeparari queant, nil itaque utilitatis in hujuſmodi ſecretis latet, niſi quod aurum, & argentum quod poſuerunt, id ipſum recipiant; & ad minimum, uti malleo facilè cedit, ita quoque uſum aliquem in ſupellectile concinnanda habere poteſt.

Sunt præterea, qui dicunt: Novi ego concinnare tincturam pro argento, quo augere poſſum aurum ad triplum beneficio *pulveris* confecti de cupro folioſo, Mercurio, & cinnabari, quæ calcinata per aquam ex Vitriolo, & Sale nitro anaticè compoſitam, ad primam circulationem, & deinde per ignem fuſionis, addendo hiſce duas partes auri & argenti cupellati: poſſum & facere cinnabrium ita fixum, ut argentum in aurum tingat optimum, ſic autem procedo: *Cinnabrium aquis fortibus impoſitum macero 24. horis, deinde aquam exiccatam aqua ſalſa ſubmergo, deinde aqua dulci detraho ſalſuginoſum in dulcedinem, & cum pulvere remanenti facio ſtratum ſupra ſtratum, & cæmentatum tandem in aurum optimum, & puriſſimum fundo.* Ego verò examinando hunc proceſſum, non invenio, quomodo ex cinnabrio fixo aurum tantæ puritatis emanare queat, cum illud dare non poſſit, quod non habet. Si verò dicas, illud à natura accretum tenere aurum: & ita res ſeſe habet, dico pulverem aureum admixtum unà cum accreto cinnabrii auro, tantùm, quantum primò poſitum fuerat, prodere, etſi paulò purius: nec in hac operatione quicquam utilitatis video, niſi labores, & expenſas inutiles. Scio quidem cinnabrium argento vivo turgere, ſed id in aurum quacunque præparatione converti poſſe, nunquam nec vidi, nec audivi, niſi forſan hydrargyron cinnabari veluti materiei minerabili exiſtens in aurum tingatur, quæ meta vanitas eſt.

Alius quidem ſic ait. Poſſum & ego facere aurum reale, cujus ſignum eſt, quòd in aqua forti reſtat quartatum cum argento, & aliud non requirunt Monetarii, & Collybiſtæ. Sic autem procedo: *Accipio quantum ſatis eſt, æris aut cupri folioſi, & tantundem argenti cupellati, quæ miſta ſimul funduntur, in virgas tenues diducuntur; poſtea ſumo ſulphur fuſum, intra quod virgas prius ſulphure imbutas pono, carbonibuſque acconſis urgeo, uſque dum totum ſulphur combuſtum ſit, & hoc toties facio, donec virgæ totæ in ſquamas abeant; deinde ſquamatam maſſam cupellæ committo, & remanebit aliquantulum minus, quam prius fuerit argentum; deinde ex argento hoc fiunt unciales virgæ, & imponuntur lateribus crudis, & adhuc lutoſis, ita tamen, ut infra & ſupra habeant ſtratum ex ſale præparato; & hoc peracto ponuntur intra fornacem, & ubi cocti fuerint, & virgæ videbuntur eſſe Leonini coloris: eas in aquis fortibus pones, & habebis pro omni uncia unam drachmam auri puriſſimi 24. caratt.* Experientia quidem ſibi conſtat. Sed ego dico, hanc auri drachmam non ex tranſmutatione cupri, aut argenti in aurum, ſed drachmam auri tum ex argento, quod aliquâ auri portiunculâ nunquam caret, aut etiam forſan ex cupro extractam, & potenti igne ſeparatam fuiſſe.

Alius nonnemo jactitando ſe dicit: Ego novi modum argentum faciendi abſque tanto labore. Si quæres, quomodo? Dicit, Accipio *Arſenicum* involutum linteo, quas *pezzas* vocant, & communi oleo coquo, coctum ſæpius ſublimo, & fiet ceræ ad inſtar fuſibile, cujus quintam partem projicio ſupra cuprum illudque in candidum tinget ſex legarum, ſi verò pono unam partem argenti cupellati, id ſuſtinebit examen argenti, ſex, ut vocant, legarum. Quod idem habebo, ſi accipiam duas partes argenti, unam cupri, & unam antimonii hæc fuſa dabunt argento vero haud abſimilem maſſam. Ego ſanè novi idem fieri, ſi accipias ferrum, illudque ex ſulphure molle reddideris, hoc ſi cupro ſeu veneri miſcueris, dum igne fluunt, ſe invicem ex naturali quadam ſympathia, qua Mars Venerem deperit, protinus amplexabuntur. Hæc verò ſi argento miſcueris, ac cupellæ commiſeris, cuprum ſuperabitur, & reſtabit argenteo-ferrea maſſa. Sed quis hoc argentum verum eſſe dicet; cùm aqua forti à ferro ſeparatum, argentum ſolum id quod poſitum fuerat, remaneat.

Porrò non deſunt, qui impudenter ſe jactitent, ſicuti mecum ſimilibus diſcurrentem audiſſe memini, Ego modum novi, faciendi *mineram argenti*, & alteram *auri*, ex quibus tantum capio, quantum ad multos ſuſtentandos ſufficit. Sic autem procedunt tales: Accipiunt quatuor uncias Mercurii Lunaris & 32. argenti Cupellati, ex quibus extrahere ſe dicunt pro ſingulis unciis, drachmam unam; hôc peractô, accipiunt argentum cupellatum in ſcobem limâ prius reductum, cui addunt unam unciam ſalis communis, quibus ſublimatis, ac probè omnibus in pulverem redactis, ponunt in crucibulo ſupra carbones ſuccenſos, & ſtatim fluet, & intra exiguum tempus intra crucibulum videbitur circulus, & in fundo maſſa ex Mercurio, quæ eximitur, & reliquum eſt argentum cum ſale ammoniaco & ſublimato. Mercurium quem exemiſti ſerva, eſt enim magni pretii ad multiplicationem. Sic autem age:

Accipe ex hoc Mercuriô 4. uncias, & unam de argento limato, quæ veſicæ indita vitreæ per duos menſes fornaculæ imponantur urgeanturque, uno ſingulis ſeptimanis ignis aucto gradu; deinde miſtura projecta, ſeu præcipitata in colorẽ Leoninum tranſmutabitur, & eſt illa tantopere deſiderata medicina ad multiplicandam mineram. Sic porro multiplicationem inſtitues: Dictæ medicinæ ſingulis quatuor unciis appone unam unciam argenti cupellati, & quinque uncias Mercurii vulgaris, & in ſimili vaſe vitreo poſita committantur igni menſtruo ſpario & reperies talis medicinæ unam partem converſam in argentum, vel aurum, ſi unciam medicinæ addideris. Atque hoc eſt *Secretum*, quod aliqui dicunt, ſe obtinuiſſe, neſcio à quo Medico, ſeu Secretario Magni Turcarum Imperatoris, aut etiam Soldani Perſarum in Utopia forſan nato, dum iis in partibus dura ſervitute premerentur. Sed qui *Sophiſticum* hoc machinamentum cupellæ commiſerit, is ſtatim Mercurium

in

in fumum abiisse, scorias verò minerales in fundo separatas, & argenti tantum, quantum imposuerant, reperies, quamvis prius unà cum scoriis mistum, integram argenti massam exprimeret.

Alius mihi transmutationem metallorum neganti veritatem rei hoc *magisterio* persuadere conatus est; Ego accipio pulverem, videlicet medicinam, quæ super 22. Mercurii partes projecta, eum in aurum vel argentum convertit secundum quod medicina ex auro aut argento præparatur. Sic autem procedo: Duplicem aquam præparo, unam ex duabus partibus sublimati, alteram ex antimonio, deinde extraho oleum ex duabus partibus antimonii, & ex una sublimati, præparati tamen sine alumine, & sine ullo arsenico, tantummodo cum sale & vitriolo in pulverem redigo. Hæc pono intra retortam bene lutatam, clausamque emplastro ex calce & albugine ovi confecto, deinde distillantur, quæ ex crassa & nigra materia post sæpius iteratam cohobationem, tandem in subtilissimum clarissimumque liquorem abibunt; rursum aqua mercurialis septies rectificetur, & toties, quoties rectificatio fit, sextam olei Antimonii partem superaffunde, deinde divido totum mixtum in duas partes, in una argento, in altera auro posito foliato, quæ clauso vase intra breve tempus in fluorem abibunt, ad instar pinguedinis liquefactæ. Hæc duo vasa intra certum quoddam receptaculum undique clausum, lampadis bimestri calore, lychno semper aucto, & intra prius vasculum medicinam atram, in altero albam reperies. Atque hæc est medicina, quæ projecta supra Mercurium, in aurum vel argentum cum convertit, (utique haud aliud, quàm quod priùs impositum erat.)

Dic rogo bone Vir, quid faciunt in hoc *Magisterio* Sublimatum, oleum Antimonii, Sal, Vitriolum? cum pulvis aureus & argenteus, & ultra alia quantitas auri & argenti, oleo & aquæ mercuriali impositæ, totum illud aurum & argentum tibi restituant, quod posueras? Quid rogo in dictis salibus concipi potest, quod ullum auri effectum præstare possit? Novi enim hosce sales ad nihil aliud prodesse, nisi ad dissolutionem, depurationemque auri, & argenti. Inde verò medicinam parari posse multiplicativam auri & argenti per projectionem factam, prorsus nego; estque mera & vanissima persuasio eorum, qui nonnisi aurum sitiunt & somniant; certè hujusmodi medicinam, quam & tincturam vocant, tantum in sua supra materiam projectione facta, posse existimo; quantum si una gutta aquæ projiceretur supra unam vini mensuram: quo facto, quid aliud ex hac projectione, nisi idem vinum sine ulla vini in aquam transmutatione emergeret?

Sed ad hæc summa pertinacia respondit; Tu mi *Pater*, negas veram & realem transmutationem jam tibi demonstratam; sed ut clarius eam tibi demonstrem, accipe sequens *experimentum*. Cape cinnabrium pulverizatum, & fiat stratum de dictis orbiculis cinnabrii, & unum de metallis, alternatim stratificando unum super alterum, ponantur in cæmento 24. horis, igne non fusibili, deinde exime materiam, quam vasi cæmentatorio impones, & cinnabrium in illud metallum, quod stratificatum fuerat, cum cinnabrio conversum reperies.

O pulchrum experimentum! Quod si verum esset, quàm exiguo tempore, & tanta facilitate plures divites fierent, potissimum si stratificatio super aurum, vel argentum fieret. Sed *experimento* mihi constitit, alium quempiam Pseudochymicum tali secreto argentum confeciisse, at postquam ritè examinatum fuit tanquam falsarium accusatum, pecuniam, qua dictum argentum vendiderat, non sine carceris, & capitis periculo restituere coactum fuisse. An nesciunt hujus farinæ Chymici, unumquodque differentium specie metallorum habere suam propriam formam substantialem, & unam solam formam accidentalem, quæ dat tincturam talis, vel talis coloris, quæ etsi incorporata humido radicali talis, & talis metalli, in hunc, vel illum colorem mutent, aureum, argenteum, cupreum, stanneum; illa tamen non adeò intimè metallorum penetrant substantiam, quin separari queant.

Post hunc alius se se obtulit, qui transmutationem veram demonstrari posse aiebat ex eo, quod ferrum in cuprum perfectum mutaretur hoc experimento. Laminæ ferreæ, subtiles, & tenues imponantur aquæ vitriolatæ, & statim reperies quod ex naturali sympathia cuprea materia adhærens ferro, post se cuprum relinquet. Verùm cùm illi contrarium ipso experimento sumpto ostendissem, & hanc *veram transmutationem* minime dici posse & debere monstrassem, sed & resolutionem solummodò ferri in scoriam, & corpusculorum cupreorum in aqua vitriolata sparsim prius existentium, jam ferri attractu congregatorum unionem quæ deinde fusa cuprum reddant. Hæc inquam cùm demonstrassem, obmutuit sive pudore, sive suamet ignorantia convictus.

Simile experimentum admiratione dignissimum appono. Si *capilli*, sive rasura capillorum, in ferreo vase coquantur, usque dum sub forma glutinis compareant, deinde vas fortiori igne urgeatur, fiet, ut si alios capillos huic brodio glutinoso immiseris, illi cupreis spiritibus in vase latentibus adeò imbuantur, ut *fila* purissimi *cupri* videantur, neque quispiam sibi persuadere possit, capillos esse, quæ tanto splendore radiant. Idem fiet, si *ferrum* sulphure cœmentatum, & friabilitatem quandam nactum combusti vitri pulvere inspergatur, hoc enim cùm purum ferrum sit, *cuprum* tamen apparebit.

Quomodo verò experiri possis, quantum *cupri*, *vitriolo* aut vitriolatæ aquæ *insit*, ita age. Vitriolum coquatur aqua usque dum totum solvatur in liquorem; liquor hic projiciatur supra Mercurium, & ubi reliqueris aliquantisper ita permanere, posteà posito liquore intra retortam igne dato distilla, & evanescente mercurio, cuprum remanebit in fundo, quod ponderatum, in aqua quid cupri fuerit, cognosces; & hoc pacto poteris facilè reperire, qualecunque tandem *metallum* fuerit, *quantum auri*, & *argenti* in se *contineat*. Quæ experientiæ non monstrant transmutationem, sed solummodò *immutationem*, sive unius ab altero separationem, uti in præcedentibus variis exemplis ostendimus.

CAPUT II.

De licito, vel illicito Chymicorum Aurificio, quod per appositionem *vocant, sive quo pars ad partem, id est, auro metallum quodlibet junctum, illud multiplicet.*

NOtandum primò, *Aurum* purum, obryzum, & naturale, communi Chrysurgorum sententia,

gradum illum bonitatis obtinere, quam periti artis vocant 24. carattarum. Eſt autem *Caratta* ponderis genus tribus granis, & conſequenter 24. carattæ, 72. granis conſtans. *Granum* Græcis σιτάριον, minimum ponderum eſt, quorum ſexaginta unam drachmam conſtituunt. *Obolus* pendet grana decem, ſeu ſcrupuli dimidium. *Scrupulus* pendet obolos duos, ſeu grana 20. *Drachma* pendet grana 60. ſeu ſcrupulos tres, & eſt $\frac{1}{8}$ unciæ. *Uncia* duodecimam partem libræ conſtituit, & conſtat octo drachmis. *Libra* ſeu λίτρα duplex eſt, Civilis & Medicinalis, hæc 12. illa 16. uncias pendet. *Marca* continet uncias octo, ſeu ſedecim lotones, & his utuntur Aurifices. Hiſce præmiſſis jam opus aggrediamur.

Dicimus itaque, Artem Alchymiſtarum ſubinde licitam eſſe, dummodo aurum quod producit 22. carattis non inferius ſit. Eſtque duplex; Monetaria, quam & Collybiſticam & vulgò *Legam* vocant; altera Alchymica dicitur, quæ per additionem, ut vocant alterius metalli ad aurum vel argentum factam, aurum multiplicat. Utraque licita eſt, ſi intra terminos ſuos conſtiterit. Monetaria, pro monetarum cuſione ut plurimum auro, vel argento addit aliud metalli genus, uti æs, ſive cuprum, quam *legam* vocant; quæ tamen uti diximus 22. carattis non inferior ſit, ſicuti ex altera Alchymica, quamvis hæc in uſum monetarium non facilè aſſumi poſſit, ſed in utenſilia ſolummodo, & aureæ, argenteæque ſupellectilis apparatum, Monetaria tamen pro libitu Principis quacunque lega pecuniam cuſam parvam in proprio quidem principatu, non tamen extra eum diſtrahere poteſt. Sed cùm hæc vulgò nota ſint, iis non immorabimur, ſed hoc loco ſolummodo examinabimus *Alchymicam artem*, *utrùm additione* aliorum metallorum mineraliumque *verum* & purum *aurum*, *utrùm miſtum* tantùm *produci poſſit?* Quod ut majori cum methodo fiat, primò nonnulla ſupponenda ſunt.

Supponitur primò, *non eſſe ullum metallum*, aut minerale, *cui non aliquid auri*, *argentive admixtum* ſit, in uno quidem plus, in alio minus: quod tum primum infallibile ſmicroſcopii experimentum docuit. In mineralibus enim, metalliſque ſive perfectis, ſive imperfectis in pollinem contritis, mox ubi ſmicroſcopio applicato diſpeximus, ſemper nonnulla auri, argentique grana deprehendimus; quemadmodum nos in auro, argentóque nonnulla ex aliis metallis imperfectis commixta invenimus; ut proinde inde cognôrim, *nullum tam* eſſe *perfectum metallum*, *quod non cæterorum quoque miſcellam* quandam *adjunctam habeat*, quæ quidem miſcella inde originem ſuam traxiſſe videtur, quòd in mineris auro, vel argento refertis, ſemper heterogeneas, ſive mineralium, ſive imperfectorum metallorum glebas adjunctas reperias, quemadmodum ſupra in *Sectione de Metallurgia* fusè oſtendimus; unde fit, ut alterutra diverſarum glebarum, quamvis vix niſi oculis armatis perceptibili commixtione metalla coaleſcant.

Secundò. Idem in diverſis ſalium, ſive ſuccorum ſpeciebus, præſertim *Vitriolo* concreto, ſive in liquorem ſoluto reperimus: cùm enim aqua vitrioli ex pyritis minera, quam tranſit, continuo minima quædam tum pyritis, tum ei commixti auri corpuſcula abradat, hinc accidit, quod eam, dum confusè, & ſparſim per aquam ſine unione diſſipantur, mox alio metallo, ei juncto, præſertim ſympathico, id confluxu quodam magnetico appetant, & ab eo attracta uniantur, quæ tum primùm manifeſta fiunt, ubi ſive cupellæ ſive cœmento commiſſa fuerint.

Tertiò. Hoc idem in Antimonio, Marchaſitis, Magneſia, Tutiis, Cadmiis, Arſenico, Auripigmento, Ochra, ſimilibuſque videre eſt, quæ ſemper nonnihil *auri*, ſive *argenti* admixtum habere, is ſolus negaverit, qui ejus rei Smicroſcopii uſu experimentum non ſumpſerit; unde mirum non eſt, vehementer Alchymiſtas decipi, dum in aurum id ſe tranſmutaſſe putant, quod primò iis inexiterat, quæ in *ſequentibus* amplius deducemus.

Sed experimentis jam noſtram doctrinam confirmemus. Accidit in noſtro Collegii Romani Pharmacopolio, ut dum in crucibulo tartarum igne reverberii calcinaremus, ea calcinatione peracta *in fundo crucibuli aureum globulum*, piſi magnitudine reperiremus: de quo mox variæ præſentium natæ controverſiæ, nonnullis ex tartaro id extractum opinantibus; quibuſdam ex aliis tartaro admiſtis rebus defluxiſſe ſentientibus. Ego quod erat, ſuſpicatus, aurum ex crucibuli materia, vehementiâ ignis colliquatum fuiſſe aſſerebam: Annuit meæ opinioni Excellentiſſimus *Jordanus*, Dux Braccianenſis, Chymiæ peritiſſimus tum forte præſens, qui & aſſeveravit, hujuſmodi *crucibulum* fieri ſolere Baſſanellæ ex terra quadam aureis ramentis perfœcunda, quæ crucibulis inſenſibiliter miſta, deinde vehementiori igne ſollicitata, liquefactaque in forma globulorum mercurii in crucibuli fundo collecta reperiatur; idemque contigiſſe aliis tum aurifabris, tum pharmacopœis. Tartaro verò, eo quod ex vegetabili natura originem ſuam trahat, aurum, ſive quodcunque aliud metallum ineſſe non poſſe: Globulus deinde trium ferè unciarum cupellæ commiſſus, dedit unam auri unciam, duas verò argenti, quod unà aureis iſtis ramentis commiſſum erat.

Ex quo luculenter patet, quàm facilè hallucinentur Alchymiſtæ, ſi ſubinde poſt variam ingredientium in aliquam compoſitionem miſcellam, auri quidpiam, aut argenti repererint; undenam enim id profluxit, ex demonſtrato experimento patet. Pari modo decipiuntur ii, qui ſubinde, dum *herbas* nonnullas in cineres ad ſalem extrahendum redigunt, aurum reperiunt; & audivi id ſæpius in Hungaria juxta aurifodinas accidere; Rationem hujus hanc damus, quòd ſpiritus auriferi in radices, ac reliquam herbarum ſubſtantiam delati, ibidem ambientis aëris frigiditate, & humiditate plantarum coagulentur, & ſpiritibus identidem affluentibus, tandem in corpus quoddam exurgant, quod deinde in vaſis igne candefacti fundo liquefactum reperiatur. Quo experimento imperiti rerum naturalium ſibi prorſus perſuaſerunt, nonnullas plantas vim habere mirificam, metalla in aurum perfectum tranſmutandi. Sed quoniam hæc in *præcedentibus* confutata ſunt, iis non immorabimur.

Reſtat itaque, ut jam varios *Chryſopœiæ* modos, operationes, & magiſteria proponamus, queîs nonnulli Alchymici per *additionem* quorumcumque tandem mineralium, impoſito priùs auro, & argento, augmentum ſe dare poſſe dicunt. Eſtque hic modus verus, & licitus quoque, dummodo à Magiſtratu per peritos Aurifabros & Chryſurgos ſuum

ſuum & pondus, & qualitates obtinere oſtendantur. Ego ſanè *Lullum*, *Arnoldum*, *Rupeciſſam* alioſque ſuprà enarratos Chryſopœias Auctores, non alio, quàm ſequentibus modis aurum ſuum, ſi tamen quandoque verum aurum eos feciſſe comprobari poſſit, confeciſſe mihi perſuadeo. Qui verò putant non hoc eos modo, ſed per Lapidem Philoſophorum confeciſſe, audacius aſſerunt; ut lis decidatur, qua arte illi aurum obryzum purum, & naturale fecerint, quo fuco tincturam auri in infinitum multiplicativam præparaverint, aperiam.

ARCANUM I. CHYMICUM.

Quo ex una Argenti puriſſimi uncia, Auri drachma educi poteſt.

Communicatum mihi fuit hoc ſecretum à *Jacobo de Nigroponte* inſigni Iatrochymico, ſeque ſæpe ſæpius rei veritatem experimento comperiſſe atteſtatus eſt. Sic autem proceditur: *Accipe Lunæ cupellatæ unciam unam, deinde plumbi purificati uncias quinque, quæ fuſa ſimul in aquam communem granulatim projiciantur: hoc peracto, accipe Cinnabrii mineralis unciam unam, ſive antimonii unciam unam, quæ contrita in pulverem, unaque commixta, fac ſtratum ſupra ſtratum in crucibulo cum dictis granis, & pulvere: ita ut primum, & ultimum locum in ſtratificatione pulveres obtineant: deinde quàm exactiſſimè crucibulum luto ſapientiæ ſigillatum ponatur ſeorſim, uſque dum exiccetur, exiccatum adignem per quinque circiter horas; primò quidem igni lento, & poſtea forti ſollicitandum ponatur. Tandem ab igne remotum, ubi refrigeratum fuerit, in aperti crucibuli fundo materiam reperies panis inſtar, quæ cupellæ commiſſa dabit aurum purum putum, quæſitum.* Hoc eſt experimentum factum à *Jacobo Nigropontano*; qui tamen expreſsè dicit, nullum inde emolumentum percipi poſſe; ſed id ſolùm mihi ſe communicare ſecretum experimentum, quo quid Natura poſſit, quid non poſſit, oſtenderetur. Certè qui ſuppoſitiones noſtras paulò ante propoſitas bene intellexerit, is ingenuè fateri cogetur, iſtiuſmodi aurum non per tranſmutationem quandam, ſed vel per ſeparationem auri ab argento, vel cinnabrio, aut antimonio, vel ab omnibus ſimul, quibus primò inexiſtebat, factam, prodiiſſe.

ARCANUM II. CHYMICUM.

Quo hydrargyrum in optimum Argentum converti dicitur.

Fuit hoc arcanum à magno quodam Principe cujus nomen conſulto reticeo, mihi communicatum, qui & ſummo ſuo emolumento arcani veritatem ſe comperiſſe faſſus eſt. Sic autem proceditur: Quatuor ad hujus arcani complementum neceſſaria ſunt. Primò *Vas Chymicum* cum luto ſapientiæ; Secundò *Tigillum cupreum*; Tertiò *Locus* unà cum lampade asbeſtino ellychnio inſtructa; Quartò *ingredientia*, quæ ſunt argentum, aqua fortis, mercurius, & oleum Vitrioli. Accipe itaque primò pro Vaſe Chymico Vas vitreum, inſtar Cylindri tantæ latitudinis, ut manu id facile penetrare queas, ejus capacitatis, quæ mediam aquæ, aut vini menſuram facilè admittat; *Figuram* ejus expreſſam vide in ſchemate.

A. Secundò, intra hoc Vas immittes optimæ *aquæ fortis* uncias octo, & optimi prius cupellati *argenti*, minutimque limati *uncias tres*, quæ ſimul commixta intra horæ quadrantem in aquam reſolventur. Hoc peracto, aquæ huic appones *argenti vivi*, probè priùs à fœcibus purgati libram unam; modus purgandi Mercurii eſt per coriaceam burſam expreſſio; hoc etiam peracto vas vitreum luto ſapientiæ probe claudes:



EXPLICATIO FABRICÆ.

A. *Vas vitreum materia* C. *refertum.*
B. *Operculum Vaſi* A. *collutatum.*
G. H. *Tigillum arena refertum.*
D. *Lampas oleo olivarum referta.*
E. *Ellychnium ſubereis alis inſtructum.*
F. *Flamma lampadis.*
L L L *Spiracula ſubſequentis loculamenti.*
V X I K *Loculamentum intra quod vas* A. *vitreum collocatur.*
V X M N O P. *Abacus cui loculamentum ſuperponitur; in medio* R S *pertuſum, ut flamma fundum vaſis* G H *prope attingere queat.*
T Y *Tripes ſupra quem lampas ponatur.*
Tota fabrica deinde claudatur.

fit autem *lutum ſapientiæ* ex farina tritici, calce viva, & argilla anaticè commixta, & albugine ovi ſubacta. Poſtea accipe tigillum cupreum ſub forma pelvis latitudinis ſpithamæ, altitudinis tranſverſæ palmæ manus: quod arenâ candidâ munitum ad dimidium uſque altitudinis vaſis adimplebis. Hujus pelvis arenæ vas vitreum jam oblutatum impones eâ induſtriâ, ut tranſverſi digiti diſtantia à fundo vaſis intra arenam elongetur, minimè verò fundat. Hoc quoque peracto, accipe lampadem, vel quodlibet aliud vas ex quacunque materia operi exequendo opportunum oleo olivarum refertum, intra quod ellychnium asbeſtinum innatet ſubereis alis

ſuffultum ; quod accenſum tantum det luminis , quantum candela ex cera domeſtica , & mediocris craſſitiei dare ſolet. Hanc lampadem impones intra aliud quoddam receptaculum undique clauſum , ſuprà tamen , & è lateribus quædam foramina habeat , ut per ea fumus , & fuligo exire poſſit , atque ignis aëre neceſſario frui ; & hujuſmodi complexum ponatur intra cameram , quam ſtufam ſiccam vocant , ſive in loco tepido calore imbuto. Deinde pones tigillum unà cum ſuo vaſe vitreo oblutato ſupra lampadem , ea induſtria , ut flamma fundum tigilli non immediatè feriat , ſed ab eo tranſverſi digiti ſpatio remota ſit ; atque hoc pacto relinquas 14. dierum ſpatio in ſua digeſtione : quibus elapſis vas aperies , eique octo uncias *olei* ex *vitriolo* confecti & denuò clauſo per lutum vaſe , lampadi , uti prius , ſuper impone ; & præteritis aliis 14. diebus vas denuò aperies , & in fundo vaſis reperies unam *libram argenti* in uſum aurifabrorum , quod tamen cupellam adhuc deſiderat. Tres libræ partes in tuum uſum , lucrumque exemptas ſepone , at quartam libræ partem denuò vaſi Chymico reſtitues : Cui tantum Mercurii ſuperaddes , quantum una quarta argenti pars pendet ; atque unà duas uncias aquæ fortis optimæ , & totidem uncias olei vitriolici , ita ut argento vivo impoſitæ res ſuperemineant ad mediam vaſis partem ; tantum enim ex tota materia illud impleri debet , non ultra ; deindè denuò vas oblutatum lampadi committatur ad 14. uſque dies , quibus elapſis aperto vaſe invenies , uti prius unam *argenti libram* ; à qua tribus partibus in tuum lucrum ſeparatis , quartam intra vas relinque , tantumque iterum argenti vivi ſuperaffundes , quantum $\frac{1}{4}$ libræ pendet , unà junctis duabus unciis aquæ fortis , & duabus olei vitriolici , uti ſupra , clauſumque vas , oblutatumque denuò lampadi committas , & elapſis 14. diebus idem reperies , id eſt , unam *libram argenti* , à qua $\frac{1}{4}$ abſtractis in tuum uſum , unam relinque vaſi , cui denuo tantum argenti vivi unà cum duabus aquæ fortis , & olei vitriolici unciis adjunctis , vas clauſum denuo lampadi ſuperimpones ; & hoc pacto eodem ſemper in multos annos continuato proceſſu , argentum mirum in modum , uti putant , augmentare poteris. Obſerva tamen , ſingulis diebus lampadem repleri debere oleo , ne oleo conſumpto flamma æquo remotiùs à fundo tigilli recedat , ellychnium emunctione non indiget , cùm inconſumptibilis asbeſti filis contortum ſit : neque intereſt , ſi ultra 14. dies vas in ſua digeſtione relinquas , cùm quò in ea moratur longiùs , eò materia perfectiùs digeratur , argentumq; purius evadat. Qui verò plura hujuſmodi Chymica vaſa in operis executionem aſſumpſerint , iis quoque major argenti vis in lucrum cedet : majori verò vaſi , & materiæ , major quantitas , & ellychnia plura correſpondere debent : Atque hoc eſt Chymicum artificium , quo quempiam toto vitæ tempore commodè vivere poſſe ait is , qui id mihi communicavit. Jam verò , *an iſtiuſmodi argentum verè & propriè argentum* ſit , & qua de cauſa tantum incrementum capiat , examinandum , reſtat.

In hoc itaque *tres uncia argenti* puri ingregiuntur ; octo unciæ aquæ fortis ; argenti vivi libra una , olei vitrioli unciæ octo , quæ juncta ſimul , dant 21. uncias , id eſt , duas libras exceptis 3. unciis , à quibus ſubtractæ 3. unciæ argenti puri , remanent octo unciæ , aperto autem vaſe extrahis inde unam libram argenti. *Quæritur* , unde & quomodo 7. unciæ argenti ipſi accreverint ? Reſpondeo , cùm argento vivo puro puto , uti & aquis fortibus , aut Vitriolo argentum actu non inexiſtat , niſi minimæ illæ particulæ , ſive corpuſcula argenti ſingulis priùs à Natura commixta fuerint , uti ex ſecunda ſuppoſitione patet : quæ ſemimenſtruo ſpatio igne macerata , & circulata tandem exiguo illi trium unciarum argenteæ portiunculæ ſymphatico confluxu cohæreſcunt , atque adeò unam argenti maſſam 12. unciarum conficiunt : quia tamen ſola illa corpuſcula pauciora , quàm ut ſeptem unciarum corpus argenteum conſtituant , videri poſſint , neceſſe eſt , ſalina quoque corpuſcula , quæ tum in Mercurio , tum aquis fortibus , & vitriolo ſparſim continebantur , argenteæ maſſæ una counita in 12. unciarum argenti maſſam excreverint. Quod niſi dicamus , fruſtrà totum Mercurium , aquam fortem , & vitriolum in argentum tranſmutatum fuiſſe dicemus. Cùm fieri non poſſit , ut id , quod ex ſe , & ſua natura actu , & eſſentialiter non habet , hoc tamen dare poſſit. Reſtat itaque , totam *ſeptem* unciarum argenteam maſſam ex ſolis iis argenteis corpuſculis , dictis ingredientibus commixtis , unà cum ſalinis corpuſculis iis inexiſtentibus conſtitutam fuiſſe ; & clarè patet ex undecim unciis liquoris , aut ſcoriæ poſt operationem peractam ſuperfluæ ; quæ minimè reſtitiſſent , ſi per tranſmutationem coaluiſſent : cum per hanc totum in totum converti , ut vera tranſmutatio dici poſſit , debeat. Quæritur itaque , *utrum argentum* hoc pacto comparatum , *verum* argentum dici poſſit ? Reſpondeo , quod ita , etſi id cupellæ commiſſum multò minori copia ob heterogenearum partium commixtarum ſeparationem , prodeat. Unde quoque patet , negotium minimè ſuccedere , ſi dictis ingredientibus nulla corpuſcula argentea inexiſterint , vel pro majori minorive eorum commixtione plus , minuſve argenti emergat. Addo , vix ex hac pragmatia tantum argenti prodere , ut ſumptus impenſos reſtituat.

ARCANUM III.

Quo pars cum parte juncta aurum prodit.

Accipe unam unciam argenti puri , quod albo ſulphure prius purgatum ſit , & duas uncias *auri* laminati , ſimul liquefiant : deinde accipe $2\frac{1}{2}$ uncias , ſtratificentur ſimul in terreo , vel ferreo vaſe , & calcinentur in ardenti arena , quod calcinatum eſt , in pulverem redigatur , cui æqualis ponderis mercurium ſublimatum junges , ſuperaffuſo quinque unciarum pulvere , omnia ſimul per retortam uſque in oleaceum liquorem tribus vicibus diſtilla , atque intus præcipitatum manebit , quod minutim conteres , cui adjunge ſequentis fluoris uncias quatuor ; Sic autem fit hujuſmodi fluor : Accipe albi Tartari unciam unam , ſalis nitri 3. Boracis 2. Salis Armoniaci $\frac{3}{5}$ vitri venetici $\frac{1}{5}$ omnia ſimul conterito minutim ; de hoc inquam quatuor uncias præcedenti præcipitato junges , poſitaque in mundo tigillo , coopertoque igni expones ad unam horam , & habebis regulum , quem minutim contritum cœmenta , quod fit eo qui ſequitur modo : Accipe è Scobe Chalybis q. ſ. duas uncias ſulphuris priùs calcinati ,

antimonii

antimonii uncias quatuor, igne forti fusioni committantur, unâ circiter horâ; deinde accipe ex hoc contrito duas uncias, unam unciam æris viridis sive æruginis, unam unciam cinnabaris, unam unciam salis armoniaci, calaminæ 4. uncias: quæ tamen prius communi sale æqui ponderis calcinata denuo solvas, & tribus vicibus acero forti incocta relinquas ad exiccandum, hoc pulvere regulum suprà relictum cœmentabis, quo peracto habebis, quod propositum fuit *aurum*, omne examen sustinens, utique paulò plus auri, quàm quod, dictas ob causas, imposueras.

Sequuntur Arcana, quam Confirmationem *vocant, & est sulphur fixum Lunam in Solem tingens.*

Supponam hoc loco nonnulla Arcana Chymica, quæ ex abditis & variis figurarum emblematumque involucris, ex mystica tum Arabum, tum sequacium *Lulli* officina deprompta erui, ex quibus *Lapidem* Veterum *Philosophorum* nil aliud, quàm quod hîc ponimus, fuisse patebit: Dici enim vix potest, quantum fallaces ad affectatam Lapidis structuram convincendam faciant figuræ emblematicæ; quantum allegorica verborum, nominumque intricatio, dum plerique non plebeii tantùm, sed & sapientes protinus ad id, quod vel ipsis admirandum, vel ad summam beatitudinem consequendam proficuum esse potest, pleno quasi impetu ruant, nulla rerum habita consideratione, sine ulla adhibita rationis statera in illud veluti vertigine agitati & anxia auri fame rabidi prolabantur; Quod vel inde patet, quòd nonnulli ex *Paracelsi* asseclis, uti mysterium illud sub acrostichide contentum, de quo supra mentionem fecimus, non tantummodò venerati sint, sed & variis figuris emblematicis, & symbolicis adornaverint, ut opus magnum quod conficere ignorant, arcanis saltem symbolis & fucata nominum dispositione, id summum quippiam & inauditum se proferre ostentarent. Sed quia res ad vanitatem Alchymistarum demonstrandam, digna est, hîc Emblemata supponam.

Ex Chymicis Manuscriptis fraus extracta.

Fiet Inde Xenophontis Verum Mandatum.

Hæc sunt mira illa arcana, quæ sub ridiculis figuris & emblematicis fatui ciniflones mundo exhibent, quarum interpretationem jam apponemus, ne *OEdipum* eorum dolus, & fallacia subterfugisse videatur; magno enim semper conatu in istiusmodi eruendis incubuimus. In *prima Figura* circulus ambit trigonum cruce insignitum cui ☉ & ☽ figuræ includuntur: in circulo habentur hæc verba: *Sala Vera Laudat Philosophia Habentes Voluntatem Rectam; Fiat Inde Xenophontis Uberatio Mira.* Si ex hisce nominibus initiales vocum litteras in unum coëgeris, prodibit SULPHUR FIXUM, quod & trigonum unà cum annexa cruce, nota ♃ sulphuris apud Chymicos usitata significat; ubi apertè patet, Alchymistam dum *sala* pro *sola* ponit, Linguam Latinam ne quidem intellexisse.

Secunda Figura habet tres circulos cum trigono cruciato & inscripto, in primis duobus circulis eadem verba, quæ in prima Figura, ne mysterium latens, & legentibus, arcanumque admirantibus statim pateret: Initiales enim vocum literæ id, quod prius notant SULPHUR FIXUM, quod nota quoque Chymica ♃ demonstrat. Verba verò in tertio circulo posita eadem sunt, quæ in prima Figura circa trigonum descripta scilicet, *Lege omnes Sophos ergo sic tuos*; queîs verbis stupide constructis indicant, omnes Sophos, seu Philosophos per Sulphur fixum primam Lapidis materiam intellexisse.

Tertia Figura stupidi cujusdam Alchymistæ fuit, qui verba mysteriosa ex *Paracelso* extracta in hanc figuram transtulit, circulo ambiente trigonum. In circulo habentur hæc verba: *Visitetis Inferiora Terræ Rectificando Invenietis*, & in altero semicirculo: *Occultum Lapidem, Veram Medicinam*, quorum vocum initiales literæ VITRIOLUM indicant, & sub Figura hæc verba ponuntur

Fiet Inde Xenophontis Verum Mandatum.

Quorum initiales literæ dant FIXUM. Sub hac itaque figura Lapidis materiam indicant *Vitriolum fixum*.

Habebitis hîc, quotquot Alchymiæ dediti estis Sulphur fixum, & Vitriolum fixum, verum utique Lapidem, non Philosophorum, sed fossorum proprium, quem ubique facile reperiatis; & quid tandem? hoc enim jam cognito, tantum scio, quantum prius: nosse enim cuperem, quis usus tam mysterioſi Lapidis; quid, rogo, cum tali Lapide, Sulphure, & Vitriolo fixo faciemus? anne aurum inde educemus? tantum sanè puto extrahi posse, quantum ex Carbonariis culinæ quisquiliis. Annon hoc est contradicere omnibus priscis Philosophis, qui primam Lapidis materiam non Sulphur, non Vitriolum, aut Arsenicum, sed Mercurium unanimi consensu posuerunt. Imò expressè omne sive minerale, sive metallum ab operatione lapidis proscripserunt, his verbis: *Metallum, quod opus nostrum ingreditur, non est aurum, & argentum vulgi, non aliud imperfectum metallum aut minerale quodcunque, sed proprium Philosophis.*

Hoc pacto *Paracelsus* arcanum Lapidis extra omnes mineralium limites collocat; cùm tamen in processu nulla alia re nisi metallicis, mineralibusque utatur. Ego verò intentionem eorum penitius concipiens causam video, quare secretum hisce schematis obvelandum censuerint: Legerant ii processum ad aurum graduandum, quem dum non intelligerent, saltem ne quidpiam nescire viderentur, illum insulsis hujusmodi emblematis abdidêre. Sed ne nihil hîc intactum reliquisse videar, apponam totius rei processum juxta intentionem veterum, cum emolumento quodam, non tanto tamen, quantum Alchymistæ sibi imaginantur; unde non tam lucri causa, quam experimenti, quod sanè pulchrum est, clarè exponendum duxi.

Nota primò, per *confirmationem* hoc loco à Chymicis nihil aliud intelligi, quàm tincturam quandam, quod idem ac sulphur fixum, quæ tinctura totius operis complementum merito, ut ipsi sentiunt, dicitur; nam instar fulminis omnia metalla penetrat, iisque convenientem colorem dat; & quemadmodum totum magisterium consistit in tribus hisce: pondere, fixatione, & colore, quæ per triangulum circulo inditum significantur:

ita illa intra materiam introduci debent, ut Luna Soli mixta in aurum immutetur, etiamſi verò pondus, & fixationem obtineas, illa tamen cupellæ commiſſa ſubſiſtere non poterunt ſine confirmatione, ſive tinctura, quod *Sulphur fixum* vocant: quomodo verò illa tinctura, ſeu ſulphur fixum conficiatur, appono.

PROCESSUS I.

Confirmationis, ſeu tinctura ☾. in ☉. convertentis.

Accipe unam ſemiunciam ſulphuris optimi, & tres ſemiuncias crudi antimonii, quæ fuſioni commiſſa dabunt regulum colophonia reſina fuſum. Ex hoc accipe duas ſemiuncias, ſive unam unciam cum dimidia, atque unà ex ☉ & ♃, ex ſingulis unam ſemiunciam, quæ tigillo commiſſa ſimul fundantur, & deinde quatriduum noctu, diuque in olla optimè oblutata intra calidam arenam ad digeſtionem exponantur, & hoc pacto tres memoratæ res non amplius ab invicem ſeparabuntur, & volatilia fiunt juxta naturam, & albedinem antimonii: atque hæc eſt *aqua penetrativa*, & vocatur aqua, quæ tingit ad 18. gradus. Hanc aquam reſerva ad uſum poſt exponendum, & à peritis vocatur aqua ad 18. graduativa.

PROCESSUS II.

Solutionis Sulphuris fixi ad volatilitatem.

Jam proceſſum, quem Philoſophi ſubticuerunt aut neſciêrunt, nos in apertam lucem ſincerè educemus. Hac verò ratione ſulphuris fixi ſolutio ad volatilitatem præparetur.

Accipe *auri* ſemiunciam, ſive unum lotonem, quod in pulverem limatum igni leni 8. horis imponatur; deinde accipe tres ſemiuncias, ſeu 4. drachmas tartari ad albedinem calcinati, ſemiunciam ſalis, & 4. lotones ſalis armoniaci, ſimul omnia miſce, ex hoc mixto cape ad unam ſemiunciam, tres quintas unius unciæ auri, (*Nota benè*, nos per quintas partes, drachmas intelligere, & per lotones ſemiuncias) contere ſimul unà cum ſupradicta materia impoſita humili alembico, cui ſuperaffundes aquam fortiſſimam, & alembico poſito in balneo *Mariæ* diſtilla ſexies, & tribus vicibus ultimis cum nova aquæ regiæ appoſitione; hoc enim pacto aſcenſione materiæ peracta, eam leni calore expoſitam relinques ſpatio 24. horarum, ſepara deinde à calce aquam fortiſſimam, ad dulcedinem uſque, tandem exicca, & fige arte nota, & habebis propoſitum, cujus uſus ſequitur.

Accipe ex ſupra dicto Proceſſu primo expoſitâ aquâ argenteâ ad 18. graduativâ unum lotonem, ſeu dimidium unciæ, & tantumdem auri præparati, & tantundem ſtanni, antimonii verò 4. drachmas, quæ ſimul juncta, & evaporata relinquunt corpus, ex quo ſumes 2. ſemiuncias, & 3½ unc. antimonii crudi, quæ fuſioni committantur, quo facto aurum in ſe trahit tincturam ad 18. grad. Luna conſiſtente, obtinebitque ſulphurei coloris ſupremum gradum, optimo *auro* parem. Hanc pragmatiam quoque apud *Lullum* in ſua clavicula, & *Iſaacum Hollandum* reperio, quamvis aliis verbis, ſymbolicoque verborum involucro tectam; eſtque ad mentem veterum ſapientum; hoc tantum excepto, quod ingredientia in opus hoc, additionem auri, & argenti vulgi, reliquorumque mineralium admittant, quam tamen ſubdolè negant Veteres, ne aut ſecretum, ſi quod eſt, pateat, aut ne fraudis convincerentur.

Alter per 2. confirmationis Proceſſum.

Sume ½ unciæ, ſive lotonem Lunæ in 18. gradus exaltatæ, uti in primo proceſſu præſcripſimus, aurique præparati in ſecundo proceſſu, lotonem cum dimidio unà cum lotone 1½ ſtanni, ponantur omnia ſimul in tigillo terreo, & regulum inde reſultantem evaporare ſinas: adde deinde inſuper unam unciam ſtanni, & habebis materiam per regulum unitam: deinde ex auro in ſecundo proceſſu præparato, & ex antimonio crudo accipe 1½ unc. ponantur in veſica deſcenſoria, diſtillatione urgeas uſque ad reguli ſublimationem; hunc deinde, pulvere ex veteribus calceorum ſoleis adufto ſtratificabis, & deinde quartabis ad ſummum, ut termino Chymico utar; & habebis deſideratum aurum ad 18. grad. tinctum. Hoc iterum breviùs perages. Sume uti ſuprà ex præparatâ Lunâ 18. grad. exaltata, & ex auro præparato, quibus junges regulum ♃. tanto pondere, quantum ☽ poſita pendet; veſicæ ſimul omnia committantur, quo facto, huic maſſæ commiſcebis bis tantum antimonii crudi, quantum maſſa pendet, quam deinde igne evaporare ſinas, quod reliquum eſt, per ♄ abſtrahe, & habebis aurum ad 18. grad. uti dicunt, exaltatum; quod tamen aliud *aurum* non eſt quam illud auri & argenti quod impoſueras; ad ſummum depuratione *exaltatum*, cujus tincturâ & reliqua mineralia commixta, participent.

PROCESSUS III.

Quomodo veteres vi lapidis, ſive ſulphuris fixi, exaltarint aurum ſuper omnes gradus auri mineralis obryzi.

Hic proceſſus fit per Regulum graduatum, in quo latet ſulphur fixum unà cum ſua additione; eſtque tinctura qua Luna in 26. grad. aurum convertitur, & omnia examina ſuſtinet, & ſic proceditur: Sume duas uncias antimonii crudi, & 1½ unc. auri. Unam unciam cupri, ex recremento chalybis, ſive ex limaturæ ferri ſcobe ¼ unc. ex quibus fuſis regulus exibit, deinde ſume Biſmuthum, ſive plumbum cinereum, & antimonium crudum; ex utroque tres uncias, & inſuper 3. uncias plumbi communis; ex quo fuſo exibit alius regulus. Hoc peracto, accipe ex ſupra adducto Proceſſu primò præparatæ & in 18. grad. exaltatæ Lunæ, ½ unciam, quam tigillo committe, cui junges ex regulo graduato paulò ante præparato ⅕ unciæ partem; atque ex regulo cinerei plumbi, ſeu Biſmuticho ½ unc. ſepties in retorta abſtrahe, & habebis additionem *auri* ex regulo cum ☽ ad 26. grad. *exaltati*, aurum omne examen ſuſtinens, optimum, & uti dicunt, auro obryzo excellentius quod de ſumma depuratione dictum velim.

PROCESSUS IV.

Quo ſulphur fixum per commune ſulphur obvium Lunam obiter purgatam in Solem *tingit.*

Sume ⅟ unc. auri puri communi ſulphure ſulphurizati uſque dum fragile reddatur, & ſulphur conſumptum ſit; Recipe hoc aurum præparatum, & denuo recenti ſulphure ſtratificetur ad ſulphuris

combustionem, & hoc pacto septies procede. Deinde sume aurum sulphurizatum, contere illud supra marmor in pollinem, & impositò ei in alembicum superaffunde aquam regiam, qua abstracta usque ad oleitatem reaffunde illud supra aurum, addita recenti aqua fortissima, seu regia, & hoc tertiò facies; quo peracto, superaffuso illi fortissimo spiritu vini, exponatur leni calori, & hoc peracto spiritus vini ad se attrahet omnes alios spiritus, qui leniter spiritu vini abstrahantur, & in fundo materiam liquidam reperies, quam bifariam divides, primam partem in corpus coagulabis arte notâ, vocant præcipitatum, quem in pollinem redactum vitreo vasi repones, & alteram dimidiam materiæ liquidæ partem ei affundes, & iterum in unum corpus coagulari sinas, & habebis opus consummatum. Hujus pulveris ope Lunam purgatam cæmentabis, & habebis aurum quæsitum, itaut una pars hujus pulveris ad decem partes Lunam purgatam in fusione, illas in *aurum* tingant; quamvis semper in cupellæ examine minus reperias; & nonnihil sophisticum oleat.

PROCESSUS V.

Confirmationis tinctura, seu sulphuris fixi per cæmentum nobile perficiendum.

Sume 2 uncias auri puri, & 1 ½ unc. communis cupri, quæ simul fusioni committantur, in corpus; dum fluit materia accipe ½ unc. sulphuris circiter, quam paulatim intra fusionem projicies; hoc facto exceptam materiam contere cum ½ unciæ cinnabaris mineralis minutim, deinde contritum impone vasi, eique sequens oleum superaffunde benè commixtum. Oleum sic fit: Accipe vitri antimonii 2. uncias; unam unciam salis nitri probè purgati; hæc contrita in pollinem humili vase, in cinere calidô exponantur, vase charta obstructo, in fusione relinquantur non nimis longo tempore, quo peracto frigefactæ materiæ superaffunde fortissimum ex vino acetum, usque dum materiam cooperiat, & deinde per alembicum acetum abstrahe, & hoc quatuor vicibus repetes, & quinta vice fortius, usque dum nihil amplius ex aceto supersit; quod sequitur oleum sanguinis instar ruberrimum est; à quo phlegma aceti abstractum dabit oleum requisitum: hoc oleum superaffunde supra dicto pulveri in vase recondito, cum dicto pulvere bene commisce, usque dum paulatim coaguletur; deinde iterum dicto affuso oleo, ut prius coaguletur, atque hanc operationem tertiò repetes, & habebis cæmentum præparatum ad Lunam in aurum convertendum. Hæc ferè eadem invenies apud *Paracelsum lib. de gradationibus*, quamvis tot, tantisque obscuritatibus involvit, ut vel ipse nesciat, quod asserit aut saltem si scivit invidia tactus reticuisse videatur, atque hujusmodi tincturam vocat *tincturam Philosophorum*; ego verò eam non nisi *Sophisticam* & metallurgicam assero. Atque ex hisce meis interpretationibus luculenter mihi innotuit fallax Alchymistarum ingenium, qui ne artem magnam nesciviſſe viderentur, miris eam figuris obtexerunt, aut si ingenium iis ad emblemata excogitanda aptum defecerit; saltem steganographico artificio rem cooperire non desistunt. Cùm ante plures annos Vaticanam Bibliothecam lustrarem; fuit mihi à custodibus exhibitum ingens arcanum, quod veram lapidis conficiendi rationem continere arbitrabantur, cùm tamen exoticorum characterum, quibus id descriptum erat, monstra, omnem de eo penetrando spem ademissent, ad me tum temporis hieroglyphicis interpretandis deditum, recurrerunt; ut si fieri posset, sigilli apertionem tentarem: promisi me tentaturum. Et domum reversus, Characteres protinus arte mihi consucta in alphabetum digessi; arcanum detectum postero die custodibus Bibliothecæ monstravi; qui sanè magis subitaneam Characterum enodationem, quàm ipsam artem mirari videbantur. Arcanum tale erat.

Arcanum Philosophorum, ut ex Saturno facias Aurum *perfectum.*

Recipe libram semis Mercurii, & uncias duas sulphuris: amalgama utrosque simul, itaut de alterutro nil appareat, sed remaneat pulvis niger ex his duobus, quem recipe, & pone in phiala stricti oris, & pone super fornaculam, seu furnellum olla mediante cum cineribus cribratis, ut scis, & fac, quod cineres non ascendant ad materiam, & da in principio ignem levem per octo dies, ad hoc ut spiritus, non ascendant, & si quid ascenderit in illis octo diebus, reduc cum illo, quod *in* fundo vasis remanebit, frangendo vas singulis octo diebus, post primam materiam factam, quæ erit nigra, & sic frangendo vitrum, tere materiam tuam, & repone in alio vitreo vase, & sic facias omni octavo die, donec videas materiam tuam in colore cineris; tunc diminue cineres per unum digitum, ita quod non remaneat de cineribus nisi per duos digitos & superpone igni, & tamdiu permitte donec materia sit rubea; & quando videris eam rubeam, diminue iterum de cineribus per digitum, & sic per consequens, quousque sit albissima ut nix, & quod postea revertatur in colorem rubeum, de qua medicina recipe unam unciam, & projice super octo Saturni præparati, & fiet Saturnus niger, & durus ut ferrum; de quo ita duro & nigro projice unciam unam super uncias octo Saturni, & fit rubeus, de quo rubeo projice unciam unam super octo libras Saturni præparati, & habebis *aurum* perfectum. Laus Deo. Ita Magister *Odomarus*. Non ut ego puto tota substantia, sed tinctura, quæ commixta simul cætera mineralia in unam substantiam imbuit.

Hoc est arcanum, tot characterum diversitate tectum, in quo tamen nihil est, quod tibi quæsitum emolumentum polliceatur; cùm plumbum in aurum sine Mercurio Philosophorum ex auro, vel argento extracto, communi omnium Philosophorum consensu transmutari nequeat. Sed Mercurius tali ratione præparatus, & super quodvis metallum projectus, illud in id, quod est, transmutare perhibetur: unde & hoc arcanum prorsus sophisticum est, ut proinde nulli in ejus ἐγχειρήσει oleum, & operam perdere consulam: vides ex hoc fuco, quàm parum sincera sint omnia illa arcana, seu potius receptæ, uti vocare solent, tot figurarum symbolis adornatæ: tot occultis literarum notis tectæ. Ego sanè hoc testari possum, me nullum lapidis arcanum sub hujusmodi Zyphris occultatum reperisse (quorum tamen ingentem copiam à sua obscuritate vindicarum, & arte mihi propria solutam, apud me reperio) quod non vel ad fucum faciendum, vel ad vexationem ingeniorum adornatum fuerit. Cujus apertum signum esse potest, quod hujusmodi receptas, seu arcana postea, vel in *Lulli* Clavicula, vel *Paracelsi* archidoxis, vel etiam apud triviales scriptores, *Portam*, *Veckerum*, *Alexium*, aliosque claris verbis exhibita invenerim. Sic luditur

Orbi à clancularíis hiſce ciniflonibus. Sed jam ad Tertiæ figuræ quam *Paracelſi* eſſe diximus, interpretationem, calamum convertamus. *Paracelſus* ſanè, uti jam ſæpe diximus: unus inter cæteros, hujuſmodi impoſtoribus, merito ſuo adnumerari poteſt: cum dici vix poſſit, quàm illa arcana, quæ prius vel ex *Lulli*, *Arnoldi*, vel *Iſaaci Hollandi*, aut *Valentini Baſilii*, aliorumque manuſcriptis deſumpſerat, quàm inquam, mirè affectata verborum obſcuritate, aut ænigmaticis involucris, ne plagiarii criminis convinceretur, texerit: & cùm omnia dicere videatur, nihil tamen adferat, quod mentem *Lectorum* non dubiam, ſtupidam, & quidnam de arcano obvelato ſentire aut credere liceat, ignaram prorſus ancipitemque relinquat: eos verò ipſos, ex quibus deſumpſerat, inſuper ignaros rerum, & falſarios dicere non verecundetur.

Sed adducamus verba intolerabili jactantia plena, quæ in præfatione libelli de tinctura Phyſicorum de ſe profert. *Hoc*, inquit, *Seculo Monarchia cunctarum artium* Theophraſto Paracelſo *Philoſophiæ*, *& Medicinæ principi mihi contigit: Ad hoc enim à Deo* (verius à Satana) *ſum electus, ut Phantaſias omnes excogitatorum, & falſorum operum putatitiorum, & præſumptuoſorum verborum per ipſum extinguerem, ſive ſint* Ariſtotelis, Galeni, Avicennæ, Meſue, *vel cujuſcunque fuerint, etiam eis adhærentium.* Non ſufficit ei præſumptioni audaciam conjunxiſſe, ſed & prophetam quoque de ſua Monarchia vaticinando egiſſe reſtabat, quod hiſce verbis innuit: *Theorica*, inquit, *namq; mea procedens ex luce Naturæ nunquam labefactari poteſt ob ſui conſtantiam, nec immutari, quinquageſimo poſt ſeſquimilleſimum octavo vivere primum incipiet anno.* Certè cum jam centum & quinq; anni à vaticinii termino elapſi ſint, tantum abeſt, ut hucuſque quicquam tantâ ſcientiâ dignum prodierit, ut potius pſeudopropheta & impudentiſſimus impoſtor ab omnibus paſſim habitus, & apologeticis ſcriptis demonſtratus ſit, itaut ejus ſcripta quoque à Sacro-Sancta Romana Eccleſia, tanquam impia, Chriſti fidelibus pernicioſa ex Catalogo Librorum Orthodoxorum expuncta & prohibita ſint; de quo conqueri videtur ſequentibus verbis; *Practica*, inquit, *ſequens tandem admirandis, incredibilibuſque ſignis comprobabitur, itaut mechanicis, & plebi communi palam ſit futurum, & ipſi penitus intelligent, quam contra Sophiſtarum nugamenta, conſtans, immotaque ſtabit ars illa* Paracelſica, *licet illa Sophiſtica Papiſticis, & Imperialibus privilegiis in ſuis ineptiis confirmetur, & tueatur*, Concludit tandem. *Hoc arcano*, inquit, *poſtremum ſeculum, ut gratiæ dono, verique ſpiritus illuſtrabitur manifeſtè, compenſabiturque, ſic ut ab exordio mundi ſimile germen intellectus, & ſapientiæ haud amplius auditum ſit.* Qui paulò antè vaticinii eventum ſuum ſortiri 1558. aſſerebat jam illum ad ultimum ſeculum Antichriſti, vel ut alibi loquitur, ad adventum *Eliæ Artiſtæ* prænunciat.

Quis rogo tale unquam jactantiæ monſtrum vidit, aut de ſimili arrogantiæ Bombilione audivit? Sed ne tantarum ineptiarum cauſam decidamus, jam quid præſtiterit in hac arte dignum, videamus. Sic autem in Libro intitulato *Aurora Philoſophorum* dicit. Accepit hic vitriolum fixum pro materia prima Philoſophorum, quod & in tertia figura demonſtravit hiſce verbis: *viſitabis interiora terræ rectificando invenies occultũ lapidem veram medicinam. Fiet indè Xenophontis verum mandatum*, cujus initiales, uti ſupra oſtendimus, literæ vitriolum fixum exhibent: & per terram quidem intellexit ipſum vitriolum, per interiora terræ dulcedinem ejus, ac rubedinem: *in occulto enim*, inquit, *vitrioli ſubtilis, nobilis, & purgatiſſimus ſuccus, ac purum oleum latet, cujus projectionis modus calcinatione, vel diſtillatione non eſt aggrediendus, quia viriditate ſua minime privari debet, qua ſi tamen privetur, unà id & viribus & arcano carere neceſſe eſt.* Habemus arcanum, faciat jam cui lubuerit, ex eo aurum quantumcunque libuerit: Ego ſanè hæc non artis magnæ ſpecimina, ſed mera malè feriatorum hominum nugamenta judico: Et ne *Paracelſo* injuriam facere videar, hîc Magiſterium, quo lapidem fieri poſſe ad aurum tingendum exiſtimat, adducam, ut ex ipſo quid ſperandum ſit, colligi poſſit. Sic autem procedit in 13. *lib. Auroræ Philoſophorum.*

Primò *Vitriolum minerale*, quod multis jam locis tanquam ad artem ineptum rejecerat, jam tamen veluti pœnitentiâ ductus, id magiſterium ſuum aſſumit, & uti id multis viſcoſis, lutoſiſque imperfectionibus obnoxium eſt, ita quoque à ſuis impuritatibus per ſæpè iteratam rectificationem liberari debere, præſcribit, uſque dum viriditas ejus manifeſta fiat, & nè viror hic in pallorem vertatur, non ſoli exponendum, ſed valido hypocauſto conſervandum præcipit probè contra pulverum injurias munitum.

Secundò. Aliquot menſium ſpatio, vitro poſtmodum clauſo *digeſtioni* committat, uſque dum variis coloribus intercurrentibus tandem ſuprema rubedo appareat, quod commune omnium Philoſophorum præceptum eſt; quæ tamen uti nullam adhuc fixitatem pollicetur, ita quoque amplius ab inquinamentis purgandum dicit aceto, donec ſemotis fæcibus ab omnibus impuritatibus prorſus liberum fuerit, & abſolutum: atque hanc dicit tincturæ veram & optimam rectificationem, de qua *oleum*, quod vocat, *benedictum* elici debet hâc pragmatiâ.

Tertiò. Ab hac tinctura vitro indita, alembicoque ſuperpoſito, ne ſpiritus exhalet, optimæ notæ luto oblitis commiſſuris, ſpiritus igne ſuavi, lentoque, puto cinerum vel arenarum, pellicendus eſt, *oleum* obtinebis, omni balſamo dulcius, omni acrimonia carens, & in fundo cucurbitæ terra ſubſidet candidiſſima, nitens, & nivis adinſtar refulgens, quam ſerva à ſua rubedine jam ſeparatam. Jam tandem ſequitur illud cœleſtis matrimonii arcanum, quo anima & corpus id eſt *tinctura*, ſive *oleum benedictum* terræ candidæ jam purificatæ ſuperaffuſum, adeò ſe ſtringunt, ut impoſterum ab invicem ſeparari nequeant. Atque hæc eſt *terra* illa *foliata*, quam Phialæ vitreæ inditam repones, eidemque ſenſim oleum ſuum affundes, & corpus animam ſuam in momento recipiet amplectenturque. Matrimonio itaque completo, reſtat jam, qui id *fœcundum* fieri poſſit, explicandum.

Quartò. Hanc itaque terram foliatam, oleo ſaturatam benedicto, intra furnum arcanorum, videlicet Athanor, quadraginta dierum ſpatio circulandam expones, oleumque habebis abſolutiſſimum mirandæ perfectionis: quo Mercurius, & reliqua metalla imperfecta vertuntur in aurum, in infinitum multiplicabile. Hac praxi: *Recipe mercurium corporalem, id eſt vulgi, portione duarum partium, quem tribus ejuſmodi ponderis partibus olei dicti ſuperaffundes, mancantque ſimul 40. diebus; atque proportionem obtinebis ponderis & ordinis, qua multiplicatio ſit in infinitum.* Atque hoc eſt arcanum arcanorum omnium maximum, quod *Paracelſus* non Philoſophis, rerumque naturalium peritis, ſed plebi imperitæ,

peritæ, & oppidò credulæ persuadeat: hoc enim purum putum mendacium esse jam demonstrare aggredior.

Primò omnium Philosophorum Chymicorum consensu prima magni magisterii materia est Mercurius non vulgi, non vitriolum, aut si quod aliud est minerale, sed *Mercurius Philosophicus* est; ut vel ipsemet fatetur in *citato libro c.* 10. ubi refellit omnes istos, qui lapidem quæsierunt in mineralibus, & tanquam stolido labore deditos arguit, cum tamen ipse primus sit, qui opus per *vitriolum minerale* attentaverit.

Secundò Mercurius hic Philosophorum non ex vitriolo, aut alio quopiam sive metallo imperfecto, sive minerali concreto succo, sed ex auro, & argento perfectis metallis extrahendus est, ut lapis inde fabricari possit: In hoc vero magisterio nulla neque Mercurii Philosophici, neque auri, aut argenti additi fit mentio, sed solius Vitrioli: nil itaque facit; cùm Vitriolum dare non possit, quod non habet, etsi innumeris purificationibus, digestionibus, calcinationibusque vexatum: tantùm itaque præstat hîc *Paracelsus*, quod quivis pharmacopœus, dum ex Vitriolo prius purificato, rectificatoque Spiritum, & oleum ruberrimum omnis acrimoniæ expers extrahit, uti frequens experientia in nostro pharmacopœio nos docet. Concedo etiam sedimentum in cucurbita remanere candidissimum; sed quod *oleum Vitrioli* paulò ante extractum huic terræ affusum, & 40. diebus circulatum, & tandem supra mercurium vulgi projectû, illum in aurum convertat, hoc nunquam nec vidi, nec audivi. Quid enim quæso in vitriolo est, quod auro pondus dare possit? quid rogo ei naturales virtutes? quid colorem tribuet? cùm in Vitriolo nil horum inesse comperiatur: in oleum quidem rosei coloris diuturna coctione vertitur vitriolum, sed non in talem, qualem aurum natura sua appetit, fulvo colore spendentem; quem solum Vitriolum sine alia rerum additione dare non potest; nisi dicas, id ex corpusculis cupreis, aureisque liquori intermistis tincturam auro dare, quod jam Sophisticum est; certe *Lullus*, *Arnoldus*, cæterive Alchymiæ primipili, in omnibus magisteriis, uti ex *Clavicula*, & *Rosario* patet, nonnihil auri, & argenti materiæ loco fermenti commiscent, ut proinde omnes in Turba Philosophorum, sine Sole, & Luna nihil in opere hoc fieri clament: quos omnes hic adducere possem, si res mereretur.

Sed dicent *Paracelsistæ*, hoc Magisterium non ad literam, sed sublimiori parabolico sensu intelligendum esse. Respondeo, hoc proprium impostorum esse: aliud ore & penna, aliud animo significari. Certe ex hujusmodi *magisterio parabolico* quid aliud sperare possumus, nisi aurum parabolicum, quod non arte, aut natura, sed ex stulta hominum imaginatione natum est. Similia magni magisterii specimina edidit in citato *Libro cap.* 11. ubi arcanum verum, & perfectum ex arsenico producit ad albam tincturam, ubi in *Gebrum*, *Albertum*, *Rhasin*, & *Polydorum* tanquam falsarios invehitur, idque in iis carpit, in quo ipse peccat; imo totus est in exaltando arcano tingentis spiritus, qui ex eo trahitur: cujus enim pars una super sedecim partes imperfecti metalli projecta eas in Lunam excellentissimam tingit, tinctura utique nulla alia, nisi ea, qua experientiâ trita cuprum rubrum in album commutare solemus, de qua in *experimentis sequentis Libri* Quæ porrò *Paracelsus* de electri virtutibus dicit, *lib. de Compos.* illud uti ex argento, & cupro originem suam habet, ita quoque cum variis rebus coctum, in massam auri sophisticam tandem degenerare necesse est.

CAPVT III.

DISQUISITIO I.

De Chrysopœia artificiali Chymicorum.

EST in rerum natura quidem intrinsecus principiorum cujusvis corporis *motus*, quem non incongruè *fermentationem* appellare possumus, cum tendentia ad perfectionem ejusmodi corporis, vel ob mutationem ad aliud: quod vel maximè in elementarium motionum varietate eluceſcit, quæ uti ex corpusculis minimis constant, ita quoque vel proprio Naturæ impetu, aut occasionaliter in motum concitatæ, se mirum in modum exagitant, & exagitantur, se invicem diducunt, & involvunt: quæ Naturæ benignitate subtilitatem consecutæ, mox avolare nituntur, sed à crassioribus reticulis, ne prorsus avolare queant detinentur: interim crassiores à subtilibus mira lucta in tantum incidunt, attenuanturque: donec unà cum subtilioribus exaltatæ, evectæque, aut debitam perfectionem acquirant, aut alterationes à Natura designatas compleant, quæ est totius *Meteorologiæ summa*: hinc enim Raritas & Densitas, opacitas & perspicuitas, flaccidiras, liquiditas, fixitas; hinc per humidum, & siccum mollities, asperitas, flexibilitas, ductilitasque rerum omnium originem habet. Sed jam ad argumenti propositi scopum revertamur.

Nemo Philosophorum hucusque negavit, *totum ex partibus vel similaribus, vel dissimilaribus cõstitui*: Undè quoque cuncta metalla tam perfecta, quàm imperfecta, fossiliumque quorumcunque tandem mixta ex corpusculis, quorum singula naturam totius sapiunt, constare non Democritorum atomis, sed veris, & realibus, imò armato oculo subinde sensibus haud inviis; quæ in concretis corporibus simul unita unum quidpiam constituunt; at igne aut alio quovis calore, aut igni, calorique analogis nonnullis rebus, uti aquis fortibus, succisque acidis per continui dissolutionem separata, mox veluti assumptis alis, mira agitatione in spiritus resoluta, tumultuantur. Horum aliqua in fundo vasis pertinaciter manent, & *fixa* dicuntur; quædam in altum evolant, mox frigore obvio reditura; nonnulla prorsus in fumum evanescunt; sunt quæ evolantia veluti pœnitudine ducta ad fixum à quo evolaverant, suapte sponte postliminio revertantur. Et quoniam nullum in rerum natura corpus ita expurgatum est, ut non in eo nonnulla *heterogeneæ materiæ miscella* resideat, quæ uti calore, ita quoque plerumque naturâ pro dissimilaris naturæ conditione differunt. Hinc accidit ut quæ similitudine naturæ gaudent, ad similia nescio quo porenti *magnetismo* confluant, aurea ad aurea, argentea ad ea quæ argentum appetunt, ferrea ad ferrum, ad plumbum plumbea, salina ad salem, ea potissimum, quæ in concretis succis, liquoribusque aluminosis, nitrosis, vitriolatisque nidulantur, Sulphurea, Arsenicalia, Marchasitica, Orichalcica, quæ aureo colore fulgent, aureis se corpusculis jungunt: plumbea, & stannea, & quæ ex Antimonio, Magnesia, Cadmia, Bismutho, similibusque constant, ad argentum, vel ad stannum, vel ad plumbum naturæ quadam cognatione concurrunt.

Ex quorum variè combinatorum concursu nascitur

citur ingens illa colorum varietas ; quam in Chymica pavonis caudâ ſatis mirari non poſſumus. Quæres quomodo illud fiat? Dico id ex diverſa mineralium vario colore tinctorum commixtione mox ac reſoluta fuerint, fieri ; quorum aliquo ſimili & colore, & proprietate dotata ſunt; alia in hanc partem, alia in aliam, quædam hinc, quædam illinc confluant, atque hoc differenti, & disjuncto corpuſculorem ſimilium confluxu, eam, quam diximus *colorum varietatem* exhibeant ; ſi verò ulterioribus ignis tormentis materiam ſollicites, contingit, ut ſingulis à tanta corpuſculorum confuſione vindicatis, unicuique ſeparatus locus aſſignetur, quibuſdam in aquas, aliquibus in ſpiritus reſolutis : nonnullis in ſcorias, aut vitream materiam coaguleſcentibus, aliis in fundo reſidentibus. Separata itaque materia, ſola illa quæ perfectorum metallorum amicitia tripudiant, à cœteris, quæ inferioris conditionis ſunt, ſeparatis, auro junguntur, & ab eo tincturam acquirunt, & inſuper tinctæ reciproco beneficio, auro quoque molem addunt.

Quoniam verò omnia in triplici Naturæ regno mixta conſiſtentiam, & fixitatem à ſale Chymico terræ elemento obtinent, atque omnia metallica, & quæcunque tandem mineralia ex corpuſculis ſalinis quoad molis conſiſtentiam conſtituantur ; inde fit, ut illæ diſſoluto mixto in fuſione metallica *auro* prægnante, ejuſdem tinctura imbuantur, & inſuper eidem confluxu ſuo quantitatem molis majorem, quam prius habebat, tribuant. Sectantur itaque tincturam auream omnium potentiſſimam, ejuſque ſplendore amiciri ambiunt cunctæ reliquorum mineralium particulæ ; uti quemadmodum ex Chymicis operationibus paulo pòſt adducendis meridiana luce clarius apparebit. Cum *Chymia* vel ex hoc capite omni laude digniſſima ſit, quod ex *reſolutione mixtorum* in ſpiritus, ſive in Mercurium, ſulphur, ſal, aquam, terram factâ corpuſcula ex quibus componuntur manifeſta, & ſenſibus obvia per experimentum exhibeat, & luculenter demonſtrant elementaria corpora, quæ non in ἁπλᾶ καὶ ἀσυνθέτα, ſeu *ſimplicia* & *incompoſita*, ſed in eas ſubſtantias, in quas partes ultimò ſenſibiles fiunt, res phyſicæ reſolvuntur.

Experimenta per Præcipitationem.

1. Si ſolveris *plumbum* aut lithargyrium cum aceto diſtillato, extrahetur aqua quædam limpidiſſima aquæ fontanæ, aut aceto diſtillato adeò ſimilis ut unam ab altera diſcernere vix queas : hanc vitro impones, acetumque diſtillatum ſimillimi coloris ei ſuperaffundes, & ſtatim aqua lithargyrii in candidiſſimum colorem lactis inſtar vertetur.

2. Si *Antimonium* cum nitro calcinatum aquæ fontanæ incoxeris, habebis colaturam limpidiſſimam, & ferè inodoram, ſi tamen huic quemvis acidum liquorem ſuperaffuderis, indè aqua croceo colore tincta, & peſſimi odoris prodibit.

3. Si *ſtannum* calcinaveris, eique ſalem tartari liquefactum commiſceris, habebis aquam cœleſti colore tinctam, id eſt, cœruleam.

4. Si ſolutioni *gallarum* limpidæ, ſolutionem Vitrioli commiſceris, prior mox in nigerrimum colorem mutabitur, quod atramentum dicunt. Sed ſi huic ſpiritum Vitrioli aut aquam ſtygiam affuderis, atramentoſus color denuo in limpidiſſimam aquam revertetur, quam ſi denuo in nigrum colorem reducere velis, id oleum tartari ſuperaffulum præſtabit.

5. Si in charta cum infuſione limpida *vitrioli* quidpiam ſcripſeris, ea utique ſcriptura legi minimè poterit, utpotè aquâ limpidâ exarata, at ſi aquâ gallarum Chartam imbueris, mox ea nigro colore conſpicua nulla difficultate legetur. Verùm mirum dictu, ſi ſpiritu vitrioli eam dilueris, uti prius, diſparebunt, quam tamen iterum tartari liquore affuſo nigredini ſuæ reſtitues.

6. Si *violarum* cœruleæ tincturæ oleum vitrioli affuderis, mox purpuraſſent : cui ſi guttas aliquas ſpiritus cornu cervini junxeris, colorem purpureum in viridem vertes. Iterum lignum acantichum, quod & nephriticum dicitur, è Braſilia allatum, aqua communi dilutum, tincturam grarè rubicundam vino rubello non diſſimilem deponit ; huic ſi parum aceti diſtillati infundas, liquor inſtar vini albi limpidus comparebit; at guttæ quædam olei tartari eum denuo in purpureum educent ; huic ſi iterum ſpiritus vitrioli infunditur, inſtar vini Hiſpanici pallide flaveſcet.

Si *Gummi Laccæ* unà cum alumine addito aquæ limpidæ in veſica coxeris, pulcherrimus inde color rubini ad inſtar extrahetur. Inſigne dentifricium.

7. Si *Syrupum* ex confectione coralliorum ſpiritui vini affuderis, habebis *lac virginis* : id eſt, candidum inſtar lactis liquorem, non minus jucundum viſu: quam guſtu ſuavem; Quæ quidem experimenta in noſtro pharmacopœio facta ſunt. Innumera alia hoc loco adducere poſſem hujus generis experimenta. Verùm cùm illa partim in *præcedentibus* monſtrata ſint, partim in *ſequentibus* ſimus exhibituri, illis diutius immorari ſupervacaneum duximus. Quare nil reſtat, niſi ut dictorum experimentorum cauſas inquiramus.

DISQUISITIO II.

Hujuſmodi itaque phænomenorum ratio aliunde petenda non eſt, niſi à corpuſculis intra cujuſlibet liquoris poros contortis : quæ quoad ſitum, & poſitionem ab aliquo alio liquore infuſæ diverſimode alteratæ lucis ſuæ radios tranſmittunt, multifariam refringunt, reflectuntque : atque hinc ſupradictas *colorum* vices emanare neceſſe eſt, dum unus alterum interimit, atq; alius alterum interemptum denuò reſuſcitat: Nam ut paulò antè diximus cùm ſubjecta colorum aliam, & aliam ex corpuſculis, particuliſque compoſitionem habeant; nonnullæ ſiquidem diaphani corporis particulæ, quemadmodum luci ſimillimæ ſunt, ita limpidiſſimæ quoque, & inſtar cryſtalli tranſlucentes comparent, è quibus limpiditas illa liquorum originem ſuam ſortitur ; quædam verò opacorum corporum particulæ cum aliæ compoſitionem habeant, colore, & natura differentem, illæ ſuperaffuſæ limpidis, eas pro coloris diverſitate nunc in flavum, modò in purpureum, jam in cœruleum, & tandem in nigrum tingentes, opacitatem inducent : Nam prout particulæ in liquore contentæ ab alio infuſo modò propiùs adactæ ſe invicem complicant, & modò ad has, vel illas poſitionum ſeries ordinantur, inde coloris diverſitatem conſequi neceſſe eſt : Etenim liquor hujuſmodi corpuſculis minutiſſimè confractis impugnatus, quaſi militum ſtatis ordinibus diſpoſitorum aciem exprimit, qui modò ſe contrahunt, modò dilatant, nunc hanc, jam aliam figuram exprimunt.

Cùm itaque duo liquores diaphani commiſſi *atramentum* conficiunt; ratio eſt, quod particulæ in utriſque

utrisque contentæ, limpidæ videlicet, & illæ, quæ opacioris naturæ indolem sapiunt, sibi invicem approprient, & veluti clausis ordinibus collocatæ, luci radiorum aditum intercludant: cur verò à vitriolo, aut alio aliquo liquore infuso atramento expulso pristinam *claritatem* acquirant, ratio est, quòd vitriolum subtilissimis, & acerrimis spiritibus constet, hinc fit ut corpuscula spirituosa dum pro summa sua edacitate atramentosa illa gallæ corpuscula mox ac invadunt, diaphana scilicet opaca conficiant, discindant, prorsusque segregent; Imo corpusculis diaphanis vitriolicis similium corporum infusione, magnum ex cognatione naturæ incrementum præbent; unde pristina claritas exoritur. Quoniam verò oleum tartari pinguibus, glutinosis, opacisque corpusculis, totum constat, hinc fit, ut illius jam restitutæ aquæ claritas, novo superaffuso liquore, corpuscula vitriolica denuò congregata, obfuscata, & viscositate quadam veluti agglutinata, liquorem limpidum denique in pristinam *nigredinem* tingant. Quamvis enim in liquore utroque claritas primo emineat nec ulla coloris differentia sensu advertatur, commixti tamen liquores mox veluti pugna quadam exorta, dum acerrimè luctantur, alter tandem alteri pro virium ratione subjacere cogitur. Quod verò violarum tinctura oleo vitrioli superaffuso *purpurascat*, ratio est, quòd illa vitrioli tinctura cœrulea tincturæ violæ addita illam in tertium quid, id est, purpureum cœruleo vicinum commutet: eum enim, in quocunque tandem liquorum commixtorum genere, colorem acquirunt, quem salina corpora diversimode tincta, & commixta exhibent.

Quomodo verò lithargyrii aqua limpida superaffuso aceto distillato pariter limpido in *lacteum colorem* vertatur, si quæras? Dico id fieri ex corpusculis plumbeis in cerussam aceto resolutis: unde ex aceto superaffuso cerussaceæ particulæ aquæ lithargyrii inexistentes statim ex similitudine naturæ confluentes, aceto fundum petente, condensantur, constipanturque, unde colorem, quem naturaliter insitum habent, eundem jam constipata exhibent.

Vidimus jam ni fallor luculenter, unde diversitas illa colorum, ex unius liquoris in alium præcipitatione exurgat; jam examinandum pariter est *quomodo*, ut ad institutum revertamur nostrum, *variæ illæ colorum differentiæ in Chymicis operationibus nascantur, & quidnam illi sint spiritus nunc volatiles, jam figentes, modò unum ab aliquo separantes, & quomodo corpuscula illa salina omnibus mineralibus inexistentia, tandem in unum pro similitudine naturæ cogantur*, experimentis Chymicis ostendamus.

Experimenta Tincturarum.

1. *Experimentum.* Si *aurum graduatum* facere velis, sic procedito. Primò aurum coloris debilis, & pallidi adjecto tartaro per antimonium fundatur, cujus vehementia tum sordes, & peregrinæ misturæ comburantur, & tunc color exaltatus fit rubicundior; quòd si non satis est una opera, adiiciatur secunda, & tertia; Regulus conflatus indè rectificetur cum plumbo in catino cinereo, seu cupella, vel testa, ut vocant, & habebis *aurum graduatum*, quod quæsieris; fit autem hoc commodè, cùm auro superfluitates Mercuriales, sulphureæ, & similes inexistant, cùmque variis misturis fugacibus, & imperfectis metallis vitiatum est. Si causam hujus graduationis quæras, Dico aliam non esse, quam auream tincturam, quæ partim in antimonio, partim plumbo latet, in quibus ignis efficacia particulæ aureæ solutæ mox ad aurum amicè confluentes, illique jam à sordibus expurgato, non tincturam tantum dant nobiliorem; sed & augmentum præstant, quamvis semper Sophisticum.

2. *Experimentum* Si æri *colorem argenteum* conciliare velis, id talco calcinato stannoque adjequeris, aut argento per colliquationem, aut etiam projectione pulveris, qui fit ex alba calce Mercurii, nutrita oleo tartari, & habebis quæsitum. Nonnulli parum periti putant illud æs dealbatum per plumbum reductum, & sublimatum in cupella, argentum futurum: Sed cùm hujusmodi æs cupellæ commissum in sua, ex quibus coaluit, reducatur, certè irrito conatu intentum prosequuntur, poterit tamen hoc putatitium argentum servire ad varia utensilia Nos aliquando lusimus factâ aquâ ex argento vivo sublimato cum sale ammoniaco per deliquium, in qua æs, ferrumque restinctum argenteo colore imbutum comperimus.

3. *Experimentum.* Plumbo nigro *candidum colorem*, & aureum conciliare. Fiat ex arsenico albo, calce tartari, sale gemmæ & ammoniaco pulvis, quem aceto persusum macera 7. diebus, maceratum postea id ad siccum excoquito; pollinem hujus super eliquatum plumbum nigrum proiiciunt, & candidum reddunt, argenteo colori haud absimile, ad varia utensilia paranda valde opportunum; pulchrum quidem experimentum, at exiguæ utilitatis, cùm expensæ in eo faciendæ pluris sint, quàm quæ in stanno vero emendo insumerentur; Aureum eidem plumbo *colorem* ita concilia. Fiat medicina ex ærugine, galamina citrina, sulphure, cinnabari, auripigmento, & sale ammoniaco, quæ in pulverem redacta impastentur felle taurino, aut oleo è vitellis ovorum, postea resiccetur, & super prunis in patinis versetur citra adustionem, ac tandem hoc peracto in plumbum fusum proiiciatur, & obtinebis plumbum aureo colore fulgens. *Ratio* hujus dependet ex iis ingredientibus, quæ omnia uti aureo colore imbuta sunt, & insitam aurei fulgoris tincturam habent, ita facilè confluunt ad id, quod naturaliter appetunt, illique adhærent. Hæc nostra sunt, qui plura desiderat, legat *Birellum* l. 6. c. 2. l. 12. c. 41. In hujusmodi itaque experimentis multi putant, moventem causam esse qualitatem ἐνεργητικὴν, ex potentia materiæ, seu ut nonnulli loquuntur, quæ ex profundo, latibulisque in corticem, & aspectum producat colorem, in quo est aliqua perfectionis nota: Sed nos hunc effici dicimus ex *prædominantibus* corporum resolutorum *particulis* metallum aliquod respicientibus: quæque non potentia, sed actu materiis inexistant. Hæ enim confusa stipantium elementorum turba uti minimæ latent, ita vel sublimatis elementis, vel ipsis è profundo evolutis, constipatæ tandem sensibus apparent, idque sequenti experimento comprobamus.

4. *Experimentum.* Sume plumbum Indicum, quod Caloëmum dicitur, hoc confunde cum plumbo cinereo (quod alii marchasitam, vel bismutum excoctum, quidam albæ magnesiæ regulum dicunt) in cochleari ferreo pruniisque admoto, mox quod prius argentei erat coloris, in *varios colores*, aureum, argenteum, nigrum, cœruleum, viridem, purpureum, ad miraculum usque transmutatum videbis; cujus quidem rei ratio alia non est, nisi quod Bismutho, communi Chymicorum opinione, mercurio feraciissimo omnes colores insint, quæ tum vel maximè se conspiciendos præbent,

præbent, cum ignis efficacia ; & frequenti coctione materiæ ex differentibus mixtorum particulis compoſitæ ad ſuperficiem extractæ fuerint ; biſmuthum enim uti variâ miſcellâ ſcatet, ita & corpuſculis, quæ igne diſſoluta, ſympathico amicorum ad amica confluxu deteguntur, unde mira illa varietas. Sed de hiſce affatim in *ultimo hujus operis libro, de Arte Metallica.*

Nihil in Alchymicis operationibus celebrius eſt, quam *opus fixationis*, qua ſola metalla in aurum, argentumque verè;& realiter tranſmutari Alchymiſtæ ſibi imaginantur : quod num ita ſit, exponamus : præſtant autem id triplici magiſterio, ſalium, oleorum, liquorum. Eſt autem *fixatio* nihil aliud ex mente alchymiſtarum, quàm cùm corpus recipit ſpiritum tingentem, & aufert ejus volatilitatem, quod per frequentem reiterationem fit, donec fiat corpus perpetuæ durationis, totumque in igne maneat, juxta illud commune Alchymiſtarum: *fac volatile fixum, & fixum volatile*, donec inferius fiat ſuperius, & contra ; id eſt, donec partes ad homogeneam naturam perveniant uniformem, & ſimilarem ad exemplar auri puri.

Hinc tantum in metallis, mineralibusque fixandis ſtudium, & contentio : Alii quidem id per aquas fixatorias, & per ſales cum cæmentis mirabilibus: quidam ſublimationibus, reverberationibuſque diuturnis idem quæſiverunt, cujuſmodi ſunt illi, qui argentum vivum ferreis canalibus incluſum, ignibus cogere ſunt conati : Nonnulli ad medicinas figentes ſtyptica, & adſtringentia elegerunt, cujuſmodi ſunt vitriolum, alumen, ærugo, crocus martis. Non defuere, qui per ea, quæ ignem ſuſtinent, volatilia ligari, figique poſſe ſibi imaginati ſunt ; quo cum ſucceſſu, videamus.

5. *Experimentum* Fixatio per cinnabarim. *Cinnabaris artificioſæ vulgaris trientem contere in marmore duro addita aqua forti, deinde hoc cucurbitæ inditum, ſequenti oleo imbue : Extrahe per acetum forte lithargyri eſſentiam & dempto aceto lithargyri pulverem in vitro perfunde vini ſpiritu fortiſſimo, & denuo illum extrahe per modum tincturarum. Extractiones coque ad olei conſiſtentiam, quod oleum cinnabari paulò ante paratum affundes ; coquatur mixtum ad ſiccitatem uſque, & novo reaffuſo oleo, idque tertiò, donec materia prunis ferventibus injecta, fumum non edat, habebiſque paratum ad fixandum metallum in argentum.* Hæc eſt *fixatio Cinnabaris*, in qua multi opera, & oleo perdito, dum deſperarent de effectu, ad plumbi coctiones converſi, ætatem quoque irrito labore in iis conſumpſerunt. An non vident, nullam hic ſolidam fixationem ſperari poſſe ? cum ea tandem cupellæ, aut cinericio commiſſa, totque coctionibus, diſtillationibuſque ſoluta, tandem in id reſolvantur, ex quibus coaluerant. Quid autem ex cinnabari, quod mercurio turget ; quid ex lithargyro, quod plumbum calcinatum meritò dicere potes, ſperes ? non video ; maſſam quidem obtinebis, ſed heterogeneis materiis conflatam : quæ uti nullo amicitiæ vinculo junguntur, ita facile ſeparari queunt : vel enim hydrargyron figetur, aut non ? prius ſane dici non poteſt, cum nil magis controverſum ſit quàm *hydrargyri fixatio*. Si poſterius, oleum, & operam perdidiſti. Quidnam verò rogo eſt illud, quod metallum in aurum aut argentum figat ? Certè nil prorsus reperies ad hunc effectum producendum, niſi in cinnabari Mercurium, & in lithargyrio plumbum : verùm cùm illa heterogeneæ ſpecies ſint, illæ ut in aurum convertantur, fieri non poteſt. Patet itaque ex hoc inſcitia Alchymiſtarum.

Non ignoro quoſdam conari figere cinnabarin vitriolo per octiduum ſub calente arena detento, donec ut plumbum in igne fluat : ſed hæc non niſi *impropriè fixatio* dici poteſt. Quidam ſic quoque cum argento. Si enim cinnabaris duodecim libras cum una argenti marca confuderint, argenti ſedecim beſſes, ſeu drachmas ſibi promittunt, quorum dimidia pars ſit aurum, à quo Mercurium ſublimatum ſe fabricare jactant, qui ſæpe in ſublime actus, in albam figatur medicinam. Sed hæ otioſæ Alchymiſtarum oſtentationes ſunt, quæ præter cineres, & ſumum nil aliud poſt ſe relinquunt.

Videamus modò, quomodo *Paracelſus* fixationem inſtituat per aquas fortes gradatorias, olea, liquores, quæ ſunt veluti menſtrua quædam, quorum ope metalla figi dicuntur. Sic autem procedit *Libro* de gradationibus *Recipe cinnabaris, arſenici, antimonii ana l. 1. Salis petræ l. 2. ſulphuris totidem conterantur, miſceantur, & diſtillentur in aquam fortem igne violentiſſimo, poſtmodum accipe hujus aquæ partes duas : aluminis communis, aluminis plumoſi partem 1. vitrioli, viridis æris, croci martis, ſimiliter partem 1. hæc omnia ſimul diſtillentur in aquam fortem igne violentiſſimo. Tandem ad hanc integram aquam ſume capitis mortui 2. partes, antimonii, viridis æris, cinnabaris, ſulphuris partem unam. Hæc à ſuis deſtilla fœcibus fortiter impellendo in vas recipiens. Deinde in hac aqua clarificata ſolve partem 1. cum 1. partibus florum æris & croci martis, & in ea digerantur : & tandem in fundo plus auri, quàm arti credibile ſit. Ita Paracelſus.*

Quæres itaque undenam hoc *aurum* in fundo reſiduum affluxerit. *Paracelſus* id tranſmutationi adſcribit ; Ego verò dico, *aurum* illud, ſi aurea illa corpuſcula, quæ arſenico, antimonio, ſulphuri, croco Martis, cinnabari, ærugini prius inextiterant, frequenti diſtillatione à corporibus ſuis reſoluta, & iis innata virtute in fundum à cæteris ſeparata confluxiſſe. Si vero aurum iſtiuſmodi nobilis quantitatis fuerit. Dico, ex ſalinis corpuſculis aluminis, vitrioli, ſalis petræ poſt evaporatam humiditatem auro juncta, & ab eo, tincta in unam maſſam coaluiſſe ; cujus experimentum facies in cupella probatoria in qua illa denuo ſeparata ab auro, ſolum illud aurum, quod dictis mineralibus inerat, relinquunt. Sed examinemus alterum experimentum, quo per oleum tincturam expedit.

6. *Experimentum.* Quo per oleum Antimonii Luna in ſolem verti dicitur. Sic autem operatur *Paracelſus. Recipe Antimonii lib. 2. Mercurii ſublimati lib. ſ. deſtillentur ambo ſimul igne violento per alembicum, & aſcendet rubedo quædam inſtar ſanguinis ſpiſſa, quæ tingit & graduat unamquamque Lunam in ſolem, hunc pallidum ad ſupremum gradum coloris permanentis adducit.* O beatos Pharmacopœos : qui ex oleo antimonii tam facilè argentum in aurum convertere poſſint ! Nos ſanè ſæpiſſimè in noſtro pharmacopœio oleum hujuſmodi ex ſtibio, & Mercurio ſublimato rubicundum educere ſolemus, illiuſque phialas habemus : Sed hujuſmodi effectum nunquam comperire licuit, cùm id fuſum argentum tingat quidem non nihil, ſed quod cupellæ commiſſum mox priſtinæ albedinis evaneſcente tincturâ, unà cum priori mole reſtituitur. Sed dicent forſan aliqui ; hoc *Magiſterium* non ad ſenſum literalem, ſed *myſticum* intelligendum eſſe. Quod ſi ita : Ego ſanè id veriùs in myſtico Lunæ, id eſt, vertiginoſi cerebri, quam in materiali

materiali fusorii vasis concavo concreviſſe, dixero.

7. *Experimentum*. Quo per oleum seu liquorem Luna in Solem converti dicitur. *Fiat oleum ex Mercurio sublimato, & aqua forti multoties distillato, donec in oleum fuerit conversus, in hoc oleum impelle spiritum aquæ fortis igne violentissimo, deinde impone Lunam, & convertetur in Solem granatim; tandem cœmento regali cœmentetur, & optimum aurum obtinebitur.* Hæc quidem facile dicuntur, sed non ita sese ea habere comperiuntur. Nihil itaque in hoc aliud nobis exhibet; quam *accidentalem* quandam *tincturam*, & extrinsecam; quæ in cinericio probata, mox argentum pristino colore imbutum relinquit, evanescente tinctura.

Sequuntur modo *transmutationes metallorum* unius in aliud; de quibus uti in præcedentibus ostendimus, tot concertationes sunt, quot Auctorum phantasiæ, qui si nossent, in quo vera, realis & naturalis rerum transmutatio consisteret, certè aliud de transmutatoria Chymicorum arte sentirent. Ego sanè præter naturam ipsam non puto, artem ad transmutationem naturalem pertingere posse, quicquid dicant Alchymistæ; quod ut intelligatur; Notandum est, *triplicem* hoc loco *transmutationem* considerari; *Naturalem*, quam sola natura novit, & abstractæ à materia intelligentiæ. Altera est quæ *propriè alteratio* dicitur, & nihil aliud est, quàm metallicarum, mineraliumque particularum toto per ignem dissoluto, exagitatio, & ex hac separatio, quâ libertate donatâ unum quodque ad corpus illi magis syngeneum, & cognatione naturæ vicinum confluit; quod tamen per transmutationem veram unius in alterum fieri dici non potest; ne penetrationem corporum admittere cogamur; cum illa Solis, & Lunæ, fixorumque salium corpuscula incorrupta semper in corpore permaneant; atque juxta hanc transmutationis imperfectæ speciem, omnia huc usque tradita fieri censenda sunt. Tertia transmutationis species nihil aliud est, quàm *mixtio* quædam *unius cum alio*, quæ uti nulla difficultate solvi possunt, ita quoque nil in arte magna præstare, notum est.

Sunt præterea nonnulli, qui heterogeneas species in opere magno in unum homogeneum transmutari posse somniant. Verùm uti secundum bonæ Philosophiæ leges *penetratio corporum non datur*, (quod tamen fieret, si æqualis pondere massa iis quæ imposuerant, componeretur,) ita quoque transmutatio illa gratis effecta est. Quandocunque ergo ex diversis mineralibus aurum, vel argentum educatur, appareatque corpus unum; nil tamen id aliud censeri debet, quàm *miscella* quædam ex variis terrestribus, & aqueis materiis commixta, atque adeò arctè coüinita, ut difficulter corpuscula heterogeneæ naturæ ab invicem separari valeant; non tamen corpus hoc, aut pure aurum, aut argentum dicendum est; cùm vehementioris ignis repetitione, tandem corpuscula heterogenea separata, solum illud aurum, quod natura produxerat, relinquant; cujus rei damus hoc experimentum.

8. *Experimentum*. Accipe tres uncias Argenti, 9. unc. Cupri, 9. Mercurii, commixta exponantur igni carbonum per horas 24. Si deinde illud complexum prius aqua probe lotum, & exsiccatum per 7. aut 8. horas igne forti sublimetur, singulis operationibus fundum vasis bene lavando, & quod exemptum est, cum sublimato stratifices, hac operatione peracta totum in duram massam coalescet; ex quâ cupellæ commissâ ad minimum quinque, aut *sex uncias argenti* obtinebis.

Quæritur hîc; unde argenti tres unciæ ultra eas uncias, quas imposueras, accesserint? Respondeo, non ex transmutatione, quam sibi falsò persuadent Alchymistæ, sed ex argenteorum corpusculorum cupro commixtorum in *resolutione* corporum ad sui similia, videlicet argentea confluxu, quod non fieret, si cupro argentum prius, & quidem copiosum non inexistisset; ut proinde nemo putet; cuprum, aut mercurium in argentum conversum esse, sed corpuscula cuprea, & mercurii adeò arctè, & tenaciter argento impositio mixta coüniuntur, ut nonnisi extremis ignis tormentis separari valeant, & hoc idem patet ex alio *Experimento*: Accipe unam unciam plumbi, unam ex marchasita stanni, & 2. unc. ex mercurio, quæ simul mixta veluti in mercurium fluentem vulgi solventur, ita ut plumbum, & marchasitam in mercurium vera transmutatione conversa quispiam putare possit.

Sed si eum examini stiteris, prorsus sophisticum reperies, non verum mercurium: Mercurius enim mineralis cucurbitæ inditus igne appositio statim avolat, quod in hac mistura non fit, nam unam plumbi unciam, & unam pariter marchasitæ unciam cum duabus mercurii, quibus mixtum constabat, recuperabis; mercurium quidem elapsum in recipiente, plumbo verò, & marchasita in fundo cucurbitæ remanentibus. Si verò quidpiam ex tali massa cupellæ commissa nonnihil auri, vel argenti superfuerit, id neutiquam transmutationi, uti Alchymistæ jactant, transcribendum est, sed particulis argenteis, quæ plumbo prius inextiterant.

Non dicam hîc de transmutatione metallorum imperfectorum in imperfecta, cùm jam quomodo id fieri possit, alibi dixerimus; sed de *transmutatione imperfectorum metallorum in perfecta*. Inter cætera sanè maximè laborarunt Alchymistæ, ut argentum vivum in argentum, aurumque converterent: sed utrum id præstiterint, lis adhuc pendet, neque dici potest, quemquam id præstitisse, nisi aut abdita quadam impostura, aut altioris humano intellectûs magistro. Sed jam audio mihi oggannientes Alchymistas: A compluribus id præstitum fuisse; quod ut monstrent, varias historias adducunt de iis, qui in conspectu multorum aurum purissimum fecisse dicuntur; quare nonnullas hîc subjungemus.

Erat, inquiunt, *Rotoburgi* ad Tubarim *Monachus* quidam, cujus tamen nomen consulto non addunt, ne mendacii convincantur; hunc super hydrargiri unciam in crucibulo calefactam, pulverem quendam projecisse ferunt, quo facto strepitus sit exortus, statimque argentum vivum in rubedinem versum fuisse, quod ulterius forti igne sollicitatum, eliquatumque tandem confluxerit acceptâ metallicâ soliditate, quod & ab aurifabro examinatum, aurum optimum reputatum fuerit. Sed quomodo id factum sit postea ostendemus.

Penotus Alchymista in Epistola ad *Guibertum* dicit; *Scoto-Britannum* quendam uncias 4. & ½ plumbi beneficio pulveris rubei minimæ quantitatis in verum, & purum aurum convertisse.

Alius adducit *Hogolandæum* testem, qui Germanum quendam (Individuum vagum ego veriùs interpretor) in Urbe quadam Venetæ ditionis argentum vivum in verum aurum mutasse refert. Audio *Libavium* mihi objicientem, *Scotum* quendam Coloniæ ex plumbo, ex ferro, &

plumbo Roterodami, Amſtelodami, Francofurti, Argentinæ, Baſileæ aurum feciſſe, pollicitum quoque eſſe, in ſexaginta mille aureis experimentum, ſi jubeatur, ſe facturum. Promittere magna, & alta facile quiſque poteſt, ſed illa effectu ipſo præſtare, merito quiſpiam dubitare poſſet. Quiſquis tamen ille Scotus, ſive ut nominis etymon docet, tenebrio fuerit, neſcitur: unde ego eum veriùs unum ex Agyrtarum numero fuiſſe (quorum proprium eſt, non uno loco ſtabiles, ne criminis falſi accuſentur, ſed vagabundos per orbem ad emungendas ſtultæ plebis crumenas circumcurſare) ex tot locis, urbibuſque peragratis, non incongruè conjicio.

Penotus ut ſua circa tranſmutationem experimenta facta creditu digna probet, *Kellæum* exaltat, quem ait Pragæ integram argenti vivi libram in puriſſimum aurum unica rubicundiſſimi liquoris guttula, ſe præſente tranſmutaſſe; Ita mulus mulum fricat. Quod idem præſtitiſſe *Nicolaum Bernaudum Hogolandæus* teſtatur, qui tamen poſtea multa dæmonis ope contingere ſuo periculo ſe didiciſſe aſſerit. Certè *Bernaudum* in Libro de Interitu Alchymiæ *Guibertus* peſſimum hominem, & Atheiſmo addictum, & deteſtabilis illius *de tribus Impoſtoribus* Libelli Auctorem extitiſſe, non incongruis teſtimoniis comprobat. Vide itaque *Lector*, quænam fides hujuſmodi nebulonibus habenda.

Neander in epiſtola quadam *Paracelſum* hydrargyron in aurum convertiſſe ſe præſente teſtatur. Etenim quod tot verbis commendat dictus *Neander*, totidem *Libavius* evertit. *Paracelſiſtis*, inquit, *Chryſopœia ad nihil ferè aliud, quàm ad ſuſpendium proficientibus confert, quemadmodum ipſe* Paracelſus *de ſuis diſcipulis ſcribit, quod carnifex* 21. *ſibi abſtraxerit, quale fatum, & cæteri ſuâ impoſturâ merentur.* Sunt qui *pulvere* quodam nunc nigro, modò viridi, aut rubro, fuſa metalla ſpargentes, in aurum convertere videntur. Et ut divitias ſuas mundo luculentius perſuadeant, pulverem illum ſumma jactantia jam in flumina, modò in lutum temerè projiciunt ſparguntque, ut pulverem ejuſmodi aurifabrum, cujus copia illis nunquam deſit, veluti flocci facere videantur. Ego ſanè pulverem hujuſmodi veriùs ex Muſcerda, quàm ex auro confectum æſtimem. Si enim quæras, unde tantum ſecretum habeant, te Bruxellas in Brabantiam ad neſcio cujus cœnobii confeſſionariam ſedem relegant, in qua tali, & tali loco ſecretum reconditum reperias. Si ultrà quæras, cur parentes tanto theſauro non ditent; reſpondebunt, ſe dum vivunt, ſecretum prodere nolle, poſt mortem ſecretum tot, tamque horrendis characteribus deſcriptum reperiunt, ut nemo tantus *OEdipus* eſſe queat, qui id omni humana induſtria adhibita evolvat.

Hujus farinæ hominem Florentiæ fuiſſe audio, quem vulgò *Prete Nero* vocabant, de quo mira narrant: ego verius hujuſmodi homines, ſi non ſolenni quodam dolo, & aſtutia pleno, ſeu fucoſo pulvere aurum exhibuerint, ſaltem ab eo, qui omnis iniquitatis auctor eſt, Magiſtro didiciſſe cenſeo. *Tarviſinum* aurum coram Magiſtratu Veneto feciſſe Alchymiſtæ narrant: *Fallopius* verò tum Medicinæ, tum Chymiæ eximius Doctor, de eo in tractatu de foſſilibus ita deſcribit: *Tarviſinus*, inquit, *ille Pharmacopola aurum præſente Senatu Veneto feciſſe dicitur; ego autem dico, quod quemadmodum luſit Senatores illos, ita quoque punitus eſt, & ſua Brachia illud ſciunt, & profectò fecit tantum auri, ut fame ferè moriatur, & in ſua officina vix ſunt vaſa pharmacalia; unde ſciatis, quòd ſunt meræ nœniæ, quod ars facit aurum, & non habetur, niſi effodiatur.* Non dicam hoc loco de auro *Raymundi Lulli*, *Arnoldi*, aut *Rupiciſſæ*, vel ab ipſo *Paracelſo* tanquam fictitio reprobato, de hoc enim in *præcedentibus* fusè egimus.

Si itaque hujuſmodi hiſtorias quiſpiam ſecundùm omnes circumſtantias curioſiùs, & ἀκριβεστέρως examinârit, is tandem nil aliud, quàm otioſæ plebis figmenta ab Alchymiſtis data opera ad arti nonnullam auctoritatem conciliandam excogitata reperiet; adeò ut hujus farinæ homines idem facere videantur, quod Aſtrologi, qui ad artis ſuæ certitudinem ſtabiliendam miros prædictionum eventus narrant. Librum integrum hic attexere poſſem de paradoxis Aſtrologorum, verius pſeudologorum vaticiniis, quæ tamen ſi ad Aſtrologicæ diſciplinæ trutinam rectè ponderentur, nonniſi anilia deliramenta cenſeas, nullo aſtrologico fundamento nixa, nullo aphoriſmo contenta, & explicata: cùm itaque *Aſtrologia*, & *Alchymia* genuinæ ſorores ſint, quarum prior, uti futuræ vitæ ſtatum, conditionemque prænunciat, ita altera ad beatitudinem ingentibus divitiarum theſauris accumulatam anxiè aſpirat, mirum non eſt, iis humani generis hoſtem plerumque ad mortalium animos tum futurorum notitiâ ſollicitos, tum ſpe divitiarum avidos ineſcandos occulto commercio ſeſe immiſcere. Sed ut jam ad inſtitutum revertamur.

Dico itaque, ſi quandoque ex hiſtoriis conſtet, ex *pulvere* quodam (hoc enim individui vagi termino mendaciorum fabri plerunque utuntur) tum *hydrargyro*, tum aliis metallis ſuperinjecto, verum, & purum *aurum* productum fuiſſe, ego quidem haud difficulter his ſubſcripſerim, at illud aurum ex Mercurio, aliiſque metallis imperfectis per tranſmutationem veram, & realem, naturalemque emerſiſſe pernego. Si ergo quæras, *qua via* & *ratione* id exhibitum fuerit: Dico duplici methodo id perfici potuiſſe; primam primò, ſecundam poſtea demonſtrabimus.

Qui ex *pulvere hydrargyro ſuperinjecto* in aurum illud ſe tranſmutare oſtentant, id verum quidem aurum aſſero, at fallaciſſima aſtutia productum; quod ut conſtet, proceſſum addo; ita autem operantur: Notabilem auri copiam in lamellas aureas minutim conſciſſam catino imponunt, huic vel hydrargyrum, vel aquam regiam ſuperaffundunt, & intra certum temporis ſpatium in liquidam ſubſtantiam exeſam, diſſolutamque reperiunt. Hoc deinde crucibulo impoſitum igni committunt, cujus efficacia hydrargyron ex ſe, & ſua natura fugaciſſimum, uti & plumbum, vanas evaneſcit in auras, relicta in fundo nigra ſubſtantia, quam probè exſiccatam *in pulverem nigrum* convertunt, quem ad uſum reſervant. Si vero *viridem* pulverem deſiderant, eum ærugini incoquunt, ſi *rubrum*, oleo antimonii rubertimo tingunt: habent itaque hoc pacto pulverem unum, & eundem, nigro, viridi, & rubro colore imbutum, quem in ſeparatis vaſis reſervant.

Cùm itaque artis ſpecimen exhibere volunt; Primò quidem mira quadam *aſtutia* pulverem tanti ponderis, quantum auro producendo ſufficit, in fundo vaſis Chymici quod crucibulum vocant, ad tegendum pulverem, hydrargyro, aut alio quovis metallo, ſuperaffundunt; deinde igne ſuppoſito metallum unà mixtum hydrargyro, ſollium flatu in fuſionem deducunt: quo peracto, dicti pulveris

minimam

minimam quantitatem, vel per se, vel per alios, ne decipere videantur, injiciunt: hoc pacto pulvis hydrargyro evanescente in fundum abiens reliquo pulveri associabitur jam liquefacto, deinde reliquo metallo supernatante separato, in fundo instar melleæ consistentiæ liquamen reperiunt; quod aqua ablutum, tandem pulcherrimum, & splendidissimum, purissimumque aurum, omnium fuci ignarorum admiratione pro admixti pulveris pondere reperiunt.

Hisce addo historiam, quam passim ad artis veritatem comprobandam plerique Alchymistæ allegant, quam ex Arabum Alchymistarum Schola depromptam, veriùs in Utopia, quam in Galbania Urbe Ægypti (in qua ne vestigium quidem hujus Urbis tum à priscis, tum à modernis temporibus in Geographia Ægypti memoria apparet) contigisse censeo. Venisse aiunt hominem quendam ad aurifabrum quendam (hoc enim individui vagi termino Alchymistæ, dum miros Artis effectus deprædicare volunt, cumprimis utuntur) portantem duos scyphos argenteos, quos sibi fundi ac liquefieri jubebat; queis eliquatis, alter premens *pulverem* quendam *viridem*, dum adhuc in crucibulo flueret, argento superinjecit; & post ingentem tum fumum, tum strepitum excitatum, paulò post argentum in purissimum aurum conversum reperit. Aurifaber ad tantum spectaculum attonitus, & pulveris faciendi desiderio percitus, hospitem ea, qua fieri poterat submissione rogabat; ut arcanum sibi tam admirandum revelaret, quod haud ægrè præstitit. Hæc Historia narratur in Arabico libro de *Solis & Lunæ Congressu*, secretumque sequenti processu à me ex Arabico in Latinum conversо, docet, uti sequitur.

EXPERIMENTUM.

Accipe dicti pulveris ex auro confecti unam partem, ex croco martis, ære adusto, & sale ammoniaco è singulis unam partem: dissolvatur sal ammoniacum, & probè tribus antedictis ingredientibus id commisce, deinde commixta ponito intra cucurbitam, & igne lento vel ad solem, vel ad ignem cinerum digere in tantum, donec omnia bene contemperata, & incorporata sint, & cùm materia humido consumpto congelata fuerit, inde dictum pulverem facies, quem reservabis ad usum. Hoc peracto, accipe vas ventricosum cum collo stricto, intra quod plumbum, & intra collum unam laminam auream subtilem, sive supra orificium aureum denarium pones, ita ut soluti plumbi vaporem hauriat. Deinde accipe supra dictam laminam versando, & reversando supra dictum vaporem, & hoc pacto lamina ita fragilis fiet, ut digitis in pulverem conteri possit. Atque hic est *pulvis* argentum in aurum commutans. Æs ustum, quod arcanum ingreditur, ita præparari debet: *Æs simili modo pulverizatum, aqua simplici vel muria toties lava, donec prorsus siccum fuerit, & ex hoc fac pulverem.* Ecce secretum Arabum tibi paucis manifestatum. Quod quidem experimentum certum est, sed tamen simile illi, quod per additionem conficiunt; aurum enim in sat competenti quantitate sumptum, atque ex dictis speciebus, croci Martis, & æris usti præparatum, sale quoque ammoniaco rite expurgatum, ac tandem supra argentum fusum, illud tinctura sua, quæ dictis speciebus copiosa inexistit, non solum argentum in aurum tingit, sed etiam molem, & augmentum non exiguum illi commixtum confert; uti tamen illa longa Cupellæ, aut Cinericii tormenta sustinere nequeunt, quin tandem in id, quod erant, separentur, ita quoque hîc nullam veram, & realem transformationem admittere possumus. Hoc ipsum secretum postea etiam reperi paucis imminutis apud *Paracelsum*: qui tamen id tanquam ingens arcanum ne patefiat, ænigmatis etiam, more impostoribus solitô, involvit.

Novi & ego Principem, cujus famæ consultò parco, qui commercio, cum uno ex iis ciniflonibus, qui hujus farinæ magisteria promittunt, inito; magnam ei, si artis suæ experimentum verum, & reale coram se sumeret, remunerationem pollicitus erat. Hic aureos montes jactitans, mare in aurum transmutare gestiebat. Ad opus itaque fit progressus. Crucibulo imponitur certa Mercurii duarum videlicet unciarum quantitas, cui additur non nisi granum quoddam *pulveris rubri* adinstar præcipitati, quod elixir rubrum vocabat, transmutativa vi, qua pollebat, mirum in modum commendatum; hisce insuper affundebat certam quantitatem liquoris aurei coloris, quem in phiala quadam vitrea tenebat; & dum eum supra Mercurium funderet, Principi dicebat: Sciat vestra Celsitudo, hunc esse magnæ artis ingressum, quo pulvis cum Mercurio perfectè penetratur; Siquidem sine hoc pulvis, & Mercurius sibi invicem commisceri non possent: & deinde cooperto crucibulo cum certa quadam cera rubra atque igne sub crucibulo posito, & follibus agitato igne, statim cera mercurio mista in fumum abiit & projecta deinde intra canalem materiâ, aurum nobilissimum, stupente, & attonito Principe eduxit.

Miratus autem sum, fraudem non advertisse Principem, uti postea ipse experientia doctus advertit: Quid enim facilius est, quàm aurum in aquam resolvere, uti Spagyristis notum est, qui *aquis fortibus* & aurum, & argentum in aquam resolvunt, auro, quoad colorem simílem; & talis fuit aqua impostoris, cui ad fucum tegendum granum forsan ex arena, aut latere sumptum, cærimoniæ ergo, ut magnum quidpiam præstitisse crederetur, apposuit: aqua verò aurea hisce superaffusa, & liquefacta, mercurio exspirante aurum id, quod sub aquæ forma infuderat, reddidit. Atque hæc sunt Alchymistarum miracula, digna non catena aurea, qualem à Principe præmii loco acceperat, sed quam carnifices similibus dare solent, fune aureo. Tanta est hujusmodi nebulonum audacia, ut etiam suis nugis, & fraudulentis artibus mentes Principum dementare non erubescant.

Tales sunt, qui jactitant, ex Mercurio Lunam fixam, quam postea rebus quibusdam tingunt, qui multiplici examini cupellæ resistunt, uti sunt nonnullæ tincturæ, quæ quantalibet fusione repetita, vix tamen separari possint, adeoque argentum ad 18. carattas graduant, ob spirituum mineralium, qui in aquis fortibus nidulantur, vehementiam; adeò enim metallis perfectis sibi sympathicis adhæresunt, tam pertinaciter agglutinantur, ut non nisi ingentibus ignium tormentis repetitis vicibus separentur. Audivi nonnullos, qui certò certiùs artem se tenere jactitabant, & sæpius sese experimento artis veritatem comperisse; quo minus tamen votis suis potiti sint, suam vel inadvertentiam, vel omissionem alicujus circunstantiæ, aut similis rei necessariæ prætendunt; consultiùs sanè pro inadvertentia ignorantiam, pro omissione falsam damnatæ artis promissionem fateri poterant, & debebant.

Quam verò periculosum sit fidem habere iis qui tanti momenti negotium cujusmodi *Ar-*

tem Chryſopœïicam dicimus, inconſulta veritate rei temerario auſu per Pſeudochymicos, attentare aggrediuntur. Addam hîc hiſtoriam meo tempore tranſactam, ex qua, quid de Arte magna ſentire poſſis, patebit. Complura jam labuntur luſtra, queis ingens fama rumorque orbem pervaſit, Auguſtiſſimum *Ferdinandum III. Cæſarem*, jam tandem à tot ſæculis attentatum, neque hucuſque obtentum Magnæ Artis Auriferæ arcanum felici ſucceſſu adeptum eſſe, per ſapientes artis filios (verius dicam Pſeudochymiaſtros) qui & ad conteſtandam veritatem, complura variis inſignita hieroglyphicis ſymbolis *aurea numiſmata* Cæſari inſcripta ad perennem repertæ artis memoriam publicæ luci plauſu incredibili, verius non credibili, tradiderunt. Ego ſanè tunc temporis Chymiæ ſtudio intentus de ſparſo rumore ſtupefactus, mirabar, illud arcanum, quod paulò ante, ſi non prorſus ἀδύνατον, ſaltem admodum difficile, perplexum & humano ingenio impervium eſſe demonſtrâram, jam primo detectum fuiſſe, Cæſarique communicatum: Verùm dubius & anceps ad veritatem rei propiùs perdiſcendam ab ipſo Auguſtiſſimo Cæſare, confidenter, tanquam munificentiſſimo ſtudiorum meorum Mecænate veridicam relationis atteſtationem, quærendam cenſui; datis itaque abſque mora litteris ad *R. P. Gans*, pro tempore Cæſari à Confeſſionibus, inſtantibus precibus ab eo contendens, ut ab Imperatore meo nomine quàm humillimè, & quàm ſuppliciter, tranſactæ rei veritatem, per duas ſolummodo particulas (*ita* vel *non*) exquirere ne dedignaretur: dictus Pater, poſtulationis meæ curioſitatem ſine mora & tempore opportuno exhibuit Cæſari; queis lectis Cæſar profuſè ridere cœpit, & deinde Patri paucis ſe verbis *P. Kirkeri* poſtulationi ſatisfacturum, dixit, hoc ſequenti Verborum tenore. Verba ſunt Imperatoris: *Experimentum quod in noſtra præſentia de artis magnæ arcano fieri juſſimus, curioſum quidem fuiſſe; ſed quod Imperatoriam Majeſtatem locupletare poſſet, minimè invenimus; imò, ne tertiam quidem expenſarum partem, quibus experimentum factum fuerat, recuperare non valuiſſe hiſce conſtare voluimus.*

Ecce dignam ab Auguſto ore Cæſaris atteſtationem: ex qua patet quàm luculentiſſimè dictam magnæ Artis *Chryſopragmatiam*, tantum abeſt, veram, ſinceram & legitimam fuiſſe, ut potius vel ex hoc capite eam ſophiſticam, ſpuriam, & nullius utilitatis, & emolumenti, imò valdè damnoſam cenſere debeamus, quæ hic apponenda cenſui, ut ſtulta Chymicaſtrorum promiſſio, cunctis approbatione Cæſarea manifeſta fiat. Sed jam ad rem.

Atque hic eſt impoſtorum modus, quo ſimplices mortalium animos faſcinare ſolent. Ex quo colligitur. Si quis ditioris fortunæ impoſtor ad 100. aut 200. aut etiam 1000. libras auri in pulverem reduceret (quod nonnulli ad nomen ex hac arte fictitia immortale ſibi comparandum, feciſſe leguntur) illi haud dubiè ubique locorum hujuſmodi falſa artis miracula omnium ſtupore, & admiratione, exiguo temporis ſpatio ſine tot, tantiſque concoctionibus, ſublimationibuſque, multorumque menſium fermentationibus, patrare poſſent: Quod utinam non feciſſent hi, quos jam recenſuimus, cum cæteris majorum gentium Diis, in *præcedentibus* paſſim indigitatis. Rurſum fuerunt nonnulli, qui invento in agro theſauro derepente divites facti, & ne fiſco à legibus conſtituto portionem cedere cogerentur, hanc artem profeſſi dicuntur, qua exiguâ pulveris portione hydrargyro, cæteriſque metallis adjectâ, metalla in aurum convertere ſe poſſe, ad auri divitias aliunde acquiſitas hac aſtutia obvelandas oſtentarint. Plenum ſanè aleæ exercitium, quod multi aureis & patibulis, & laqueis luerunt; uti *de Bragadino*, *Scoto*, ſimilibuſque ſuprà adductis legitur. Quàm autem facile ſit, hac fraudulentia imperitis, & auri cupidis hominibus imponere, quis non videt? dum concipere non poſſunt, quomodo exigua *nigri pulveris* portione intra exiguum temporis ſpatium metallicis corporibus ſuperinjectâ, ſtatim aurum prodeat; Unde ſtupore & extaſi invaſi, dum de occulta fraudis induſtria ne quidem ſuſpicari licet, ſolum quod factum eſt, mirantur; unde fama vulgata, cum à peritioribus interrogantibus, ea proponuntur dubia, quæ nonnullam impoſturam olere poſſunt, ea ſtatim non ſine indignatione rejiciunt, nil de rationibus audire volunt, imò decies, & centies illud contraponunt, Ego oculis meis vidi; ego in præſentia talium, & talium, tali modo, tali officina factum obſervavi, pulverem manibus meis propriis ſic jubente artifice, injeci; aurum productum aurifabris examinandum dedimus, & omnibus examinibus adhibitis, illud probum, purum, vulgari multo excellentius reperimus. Alii verò de tam memorabili eventu certiores facti identidem clamant; Ego audivi ab iis, qui præſentes fuerunt, manibuſque tractaverunt, & in hunc uſque diem apud talem, & talem dicti pulveris portio ad perpetuam rei memoriam conſervatur, ut ſi quid velint, haberent, quo veritatem experirentur, & jam ipſo facto nonnulli ejus rei periculum cum deſiderato eventu fecerunt; ut proinde de artis veritate dubitare nemo debeat: & qui de arte veriſſima nullam fidem habent, è numero ſapientum exterminentur.

Atque hoc pacto mendacia mendaciis concatenantur, quæ non ſolum in publicam famam diſperguntur, ſed & libris ſummo Reipublicæ damno, & aliorum animos hac lucroſa novitate pelliciendos, committuntur, vel μετὰ τὸ ὑπερβολῆς, ultra id quod poſſint, augentur; ut proinde ridiculam illam *tincturam auri* in infinitum multiplicativam, originem ſuam non aliunde, quàm ex hiſce traxiſſe cenſeam; iſque ſolus neſcire poterit, qui experientiâ doctus quid natura poſſit, quid non poſſit, novit, multipliceſque hujuſmodi ad fraudes, & dolos proclivium nebulonum induſtrias perſpectas habet. Nemo itaque impoſterum dicat; Ego vidi, ego audivi, ego manibus artis veritatem contrectavi, cùm idem iis, quod agyrtis, circulatoribus contingere ſolet, accidat; qui dum ventrem ſe perfodere, ſerpentes, & bufones devorare, nummos plumbeos, cupreos, ferreoſque annulos repentina tranſmutatione in aurum convertere ſimulant, tanto circumfuſam plebem ſtupore replent, ut negare minime poſſe videantur, quod tanta evidentia demonſtratum fuerat. Res lubricæ ſenſus ſunt, ac dici vix poteſt, quàm facilè ii non dicam plebem imperitam, ſed & doctos ac ſapientes faſcinent, ut id, quod non eſt, ex corrupta tamen phantaſia, id verè eſſe ſibi perſuadeant, præſertim ſi à peritis, ſtudioſiſque fraudum architectis ſimili doloſæ artis induſtria demonſtrentur. Sed hæc de primo puncto dicta ſufficiant.

Progrediamur itaque ad *ſecundum* ſupra propoſitum

tum *auri conficiendi modum.* Alchymistæ verò, qui sine fraude in transmutandis in Solem, & Lunam metallis incumbunt, si sincerè procedunt, *aurum* quidem, sed non purum, & obryzum; sed mixtum, & *sophisticum* producunt. Apponamus nonnulla experimenta.

9. *Experimentum.* Non agam hîc de Auro per Lapidem conficiendo, quod Philosophicum vocant: istiusmodi enim verum abstracti intellectus figmentum, ob rationes in *præcedentibus* positas esse dicimus; sed de auri augmento, quod per additionem, vel partem cum parte, exsurgit.

Hoc itaque pacto, ope *cinnabaris*, & hydrargyri Solem, & Lunam faciunt. Accipe optimi auri partem prius per Mercurium crudum in calcem reductam; hac alembico impositâ, sequentem paulò post *aquam* superaffunde, deinde octona cohobatione abstrahe; hoc peracto, aurum solutum in alembicum ascendens phlegma suum abstrahit usque ad densitatem; qui quidem infusus spiritus ab auro solvi nequit, nisi per oleum ejus, quod supra præparatam Cinnabarim affundatur, ita ut parum suprà emineat; deinde coagulare sinas boracis beneficio reductam, & habebis *aurum* quæsitum.

Aqua calcinato per Mercurium auro *superaffundenda* sic præparatur. Sume salis nitri 1½ lib. Arsenici 3. lib. æris viridis 8. lotones, seu semiuncias, ramentorum ferri, seu chalybis unam lib. totum complexum retortæ inditum distilletur in aquam: ex hac aqua affunde Mercurio sublimato octo lotones, abstrahe bis, & totum in aquam solvetur Lunæ fixandæ opportunam. Sume iterum ex vitriolo sublimatum sulphur, & fiat stratificatio, ut Chymicè loquamur, supra 4. lotones, vel quod idem est, semiuncias, Lunæ fixæ & 2. lotones sulphuris, deinde sensim evaporare permittas, sulphure rectificato junge quater tantum vitri Saturni, & dum in fusione est, ei calcinatam Lunam infundas, bisque fulminatum impone per 20. dies, in aquam jam præparatam, & habebis *argentum* fixum cum mediocri auro non puro quidem, sed Sophistico.

10. *Experimentum.* Mercurium fixare. Sume 1½ lotonem æris viridis, sive æruginis; unum lotonem mercurii crudi, quod viridi æri impastatum sublimetur in cucurbita terrea vitriata tam diu, donec æs viride cum mercurio uniatur, & habebis fixum. Rursum accipe totum complexum, quod in marmore prius minutissimè tritum impones retortæ per ignem fortem distillandum, & quod nondum fixum est, ab ære viridi recedit; hoc accipe, & reduc per sequentem *fluorem* in puram Venerem, quod sequenti plumbo in tigillum positum abstrahatur, & manebunt ex una drachma Mercurii tres drachmæ argenti auro gravidi.

Fluor ita fit. Sume urinam, quam in lapidem concoques, & spiritum avolare permittes, ex qua ter tantum unà cum tartaro accipies, & operaberis uti paulò ante dictum fuit.

11. *Experimentum.* Ex Mercurio vulgi Lunam factam in aurum convertere. Primò fiat aqua regia ex vitriolo, sale nitro, ana unâ lib. deinde æris viridis, & salis armoniaci ana 4. lotones; ramentorum ferri ½ lib. quæ omnia commixta, & minutim contrita igne forti resolve in aquam: & hanc aquam alembico impositam calore balnei leniter abstrahe usque in olei consistentiam; deinde ex antimonio crudo quantum volueris, & illi ex oleo paulò ante præparato affunde ad eminentiam digiti, deinde hoc cucurbitæ humili impositum abstrahe toties, donec oleum antimonio perfectè uniatur: & habebis *pulverem*, quem *rubrum* leonem vocant. Accipe itaque ex Mercurio fixam Lunam, in Lamellas tenues tunde, si hasce in tigillo stratificaveris, ac in cœmento per 24. horas reliqueris, tunc habebis *argentum* in aurum purissimmum, non tamen nisi colore exaltatum.

12. *Experimentum.* Aurum debilis coloris exaltare. Accipe Mercurii sublimati, & cinnabaris ana 2. lotones, Antimonii unum lotonem; & bis tantum aceti, cui æruginis tantillum quantum duobus digitis capere potes, commisceas; paulatim indantur ollæ separatoriæ, sive retortæ, & exibit liquor visu pulcher; deinde accipe ⅓ cinnabaris partem, quam imbibas liquore paulò ante elicito, liquoremque denuo retortæ vitreæ commissum à cinnabari abstrahe; postea alembico Hermetis sigillo munito inditum per 12. dies in arena coagulari sinas, & habebis *pulverem.* Quo peracto accipis aurum pallidum, & imperfecti coloris, vel Lunæ fixæ 8. lotones, sive 4. uncias, supra quas ex pulvere præparato 6. drachmas fusioni expones, habebisque exaltatum ad eum gradum, quo major desiderari non potest. Quod idem fiet absque pulvere hoc pacto. Extensas in lamellas tenues argentum, vel aurum, pone in oleo, seu liquorem suprædictum antequam coaguletur, & tenui calori, ut supra 24. horis expone, usque dum videas oleum parum ebullitione commoveri, & habes quæsitum.

Superest jam ut videamus an Aurum Chymicum *sit licitum.*

CAPUT I.

Vtrum Aurum Chymicum, quacumque tandem ratione factum licitè pro vero vendi possit?

PRopono hoc loco Quæstionem, quam majori jure Jurisconsulti sibi vendicant; ne tamen quicquam omisisse videamur, eam non omittendam duxi.

Hanc Quæstionem de *auro Chymico* antequam ordiamur: Notandum primò, quadruplicem artem hoc loco considerari posse. Prima est *Ars Metallurgica*, quæ ex minera auri, & argenti singulari artificio purum ab impuro, heterogenea ab homogeneis, separat: reliquum ignis ope in purum aurum, & argentum decoquit, de quo artificio in Metallurgia, seu arte metallica amplissimè actum est: & uti hæc ars tantoperè humano generi necessaria est, ut sine ea ob summum metallorum usum nulla Imperiorum, Regnorum, & humanæ negotiationis administratio consistere possit, ita quoque tantum abest, ut à legibus illicita censeatur, ut potius eam omni laude dignam veluti humani commercii stabilimentum, censeant Jurisconsulti.

Altera *Chrysopœia* dicitur, qua Alchymistæ per transmutationem veram, & realem unius metalli in aliud, non solum in aurum naturale, sed & eo excellentius se convertere posse gloriantur: Quod si verum esset, certè illud aurum vendere, & distrahere sine ullo scrupulo possent.

Tertia, *Ars Spagyrica* dicitur qua nonnulli Chymici aurum verum, & naturale variis metallis, uti argento, cupro, ferro, plumbo, arſenico, marchaſitis, ſimilibuſque cominixtum, ſingulari arte ſeparant, ex arenis fluminum riparumque per frequentia ignis tormenta ſecernunt, & in lamellas fundunt; atque tale, purum nempe, & naturale aurum nulla lex prohibet.

Quarto eſt aurificium illud, quo Alchymiſtæ per additionem, ſive *partem cum parte*, uti vocant, aurum augmentare, eique debitam tincturam dare norunt; atque duplicis generis eſt, una dicitur *Collybiſtica*, altera *Sophiſtica*: de qua variæ ſunt agitationes inter Juriſconſultos.

Nos ſingularum propoſitarum partium dubia per Canones, tum Civiles, tum Canonicos tunc expediemus, ubi prius de Extravagante edita à Joanne XXII. Pont. Max. nonnulla præmiſerimus.

Joannes XXII. Gallus, patria Cadurcenſis ex Provincia Aquitaniæ anno 1316. ad Pontificatum evectus, præter Conſtitutiones *Clementis V.* prædeceſſoris, multas quoque & ipſe publicavit, quas *Extravagantes* vocat, in quas *Zenſilinus de Caſſaneis* uberes Commentarios edidit. Inter alias Extravagantes una quoque habetur, quæ intitulatur *de Crimine falſi*: In qua condemnat omnes illos, qui auro conficiendo operam dant: Artem miris modis exagitat. Sed ut multa paucis amplectar, ſubjungam hic dictam *Extravagantem*, in qua quicquid nos hucuſque de Alchymiæ falſitate adduximus, Apoſtolica authoritate confirmatum reperies.

EXTRAVAGANS

De Crimine falſi.

JOANNES XXII. PONT. MAX.

Præfatio in Extravagantem.

Alchymia hic prohibentur, & puniuntur Aurum facientes; & fieri procurantes, quoniam tantum de vero auro, & argento debent inferre in publicum, ut pauperibus erogetur, quantum de falſo, & adulterino poſuerunt. Etſi eorum facultates non ſufficiant, pœna per judicis diſcretionem in aliam commutabitur, & infames fiunt. Et ſi ſint Clerici, beneficiis habitis privantur, & ad habenda inhabiles efficiuntur. Vide Extravagantem ejuſdem *Joann.* quæ incipit: *Prodiens*, & eſt ſub *eod. tit.* collocata.

EXTRAVAGANTIS TENOR.

Spondent quas non exhibent divitias pauperes Alchymiſtæ, pariter, qui ſe ſapientes exiſtimant, in foveam incidunt, quam fecerunt: Nam haud dubiè hujus artis Alchymiæ *alterutrum ſe profeſſores ludificant, cum ſuæ ignorantiæ conſcii, eos qui ſupra ipſos aliquid hujuſmodi dixerint, admirantur; quibus cùm veritas quæſita non ſuppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, iidemque verbis diſſimulant falſitatem, ut tandem quod non eſt in rerum natura, eſſe verum aurum, vel argentum Sophiſtica tranſmutatione confingant: eoque interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, ut fidis metallis cudant publicæ monetæ Characteres fidis oculis, & non alias Alchymitum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant. Hac itaque perpetuis volentes exulare temporibus, hac edictali conſtitutione ſancimus, ut quicunque hujuſmodi* aurum *vel* argentum *fecerint, vel fieri ſecuto facto mandaverint, vel ad hoc ſcienter dum id fieret, facientibus miniſtraverint, aut ſcienter vel auro, vel argento uſi fuerint vendendo, vel dando in ſolutum, verum tanti ponderis aurum, vel argentum pœnæ nomine inferre cogantur in publicum pauperibus erogandum, quanti Alchymitum exiſtat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè conſtiterit deliquiſſe, facientibus nihilominus aurum, vel argentum Alchymitum, aut ipſos, ut præmittitur, ſcienter utentibus, perpetuæ infamiæ nota reſperſis. Quod ſi ad præfatam pœnam pecuniariam exſolvendam delinquentium ipſorum facultates non ſufficiant, peterit diſcreti moderatio judicis pœnam hanc in aliam, puta carceris, vel aliam, juxta qualitatem negotii, perſonarum differentiam, alioſque attendendo circumſtantias commutare. Illos verò qui in tantæ ignorantiam infelicitatis prorupérint, ut nedum nummos vendant, ſed naturalia juris præcepta contemnant, artis excedant metas, legumque violent interdicta, ſcienter videlicet adulterinam ex auro, & argento Alchymico cudendo, vel fundendos cudi, ſeu fundi faciendo monetam, hac animadverſione percelli jubemus, ut ipſorum bona deferantur carceri, ipſique perpetuò ſint infames: Et ſi Clerici fuerint delinquentes, ipſi ultra prædictas pœnas priventur beneficiis habitis, & prorſus reddantur inhabiles ad habenda.*

Hæc eſt conſtitutio *Joannis XXII.* P. M. de qua mira ſparguntur. Alchymiſtæ fingunt, Pontificem Alchymiæ ſtudioſiſſimum cùm ad Artis magnæ opus pertingere non poſſet, ex deſperatione hanc tam rigidam conſtitutionem condidiſſe. Certè *Platina* in ejus vita poſt mortem ingentem auri copiam apud eum inventam refert, quod ſi verum eſt, iſtiuſmodi tamen auri theſaurum minime Chymicæ artis beneficio comparatum fuiſſe credendum eſt, quod tamen Alchymiſtæ per fas, & nefas convincere volunt, Pontificemque hanc conſtitutionem ea de cauſa, ne quiſquam præter eum ad artis arcanum pertingeret, ex invidia condidiſſe.

Quidquid ſit, ego de Vicario *Chriſti* talia ſuſpicari nolim: Unde ſi *Platinæ* credendum eſt, ego hunc auri Theſaurum, uti paulò ante diximus, Artis magnæ beneficio minimè comparatum fuiſſe, puto; cùm vel ipſemet eam in ſua *Extravagante* apertis verbis damnet: Sed ex variis collectaneis, ſive reditibus, ſive ex auro propria induſtria, aut etiam dono, in peculium acquiſito, theſaurum ſupradictum excreviſſe veriſimilius eſſe judico; cùm Pontificibus media nunquam ad ſimilia procuranda deſint.

Incidi non ita pridem in Librum Gallica Lingua conſcriptum, cui Titulus eſt; L'ART TRANSMUTATOIRE DU PAPE JEAN XXII. DE CE NOM. In quo agitur de modo, & ratione, qua magnæ artis beneficio, aurum verum & naturale dictus Pontifex in ſuo Palatio Avenionenſi fieri curaverit. Sic autem incipit: *Or commence le livre d'Alchymie que le Pape Jean fit ouvrer en Avignon, duquel ouvrage il en avoit* 200. *roolez d'un chacun peſant un quintal.* Deinde totius Magiſterii proceſſum fusè deſcribit. Ego ſanè cùm modum in eo operandi penitius examinaſſem, nil ſanè in eo ſingulare, quod aut veterum Alchymiſtarum ingenium, aut primorum in Arte Magiſtrorum præcepta, ſtylumque ſuperet, præter vulgares quaſdam receptas, & aliunde deſcriptas, me reperiſſe ingenuè fateor. Unde & conſequenter hunc nonniſi ſuppoſititium partum eſſe, non ſine manifeſtis argumentis conjecturans, quem ex Alchymicis deſperatis nonnemo, tum ad artis veritatem confirmandam, tum ad nonnullam exiſtimationem

mationem ei sub nomine, & auctoritate Pontificis conciliandum, in lucem publicam protruserit. Sed ne cuiquam injuriam facere videar, id ex ipso processu ante peritorum oculos exhibito me evicturum confido.

PROCESSUS

Alchymicus Ioanni 22. Pontifici perperam adscriptus. Quem ex Gallica lingua in Latinam à me translatum, de verbo ad verbum sic interpretor.

Accipe acetum fortissimum, 4. lib. calcis albæ: sinas stare hoc pacto per 4. dies; quinto verò die, mitte materiam in alembicum vitreum, eamque distilla, distillatam bene reserva. Hoc facto, accipe salem, & urinam cum Indico Alexandrino lib. 1. salis ammoniaci lib. 6. semilibram salis communis præparati & aceti pariter similibram: Dictarum rerum 3. libras, priùs aceto calefactas distilla, & postea mittes salia, quæ ubi fusa fuerint, ea simul mittes in Alembicum distillanda; ubi distillatum fuerit, si in fundo quid remanserit mistum, & sordibus necdum exutum, distillationem repetes, aquâ, quæ egreditur, denuo superaffusâ; & hoc toties repetes, donec tota aqua ex materia fuerit egressa; quo peracto, in fundo vasis massam reperies congelatam instar glaciei aut crystalli, quam diligenter serva seorsim. Iterum accipe sulphur vivum lixivio forti maceratum, quod sublimabis jungendo 43. Mercurii sublimati. 43. uncias calcis, & Lunæ 4. uncias; quæ omnia ponantur in aqua juxta præceptum inferiùs ponendum. Dissolutas itaque dictas res in Alembicum pone, & postquam forti igne distillaris, in fundo massa remanebit, quam extractam supra laminam vitream in cella, aut altero quopiam loco humido reponnes, donec in liquorem resoluta fuerit, quem iterum serva. Deinde accipe massam supra nominatam prima operatione extractam, eamque laminæ vitreæ loco humido, uti priùs, expone ad dissolutionem: qua peracta, hasce duas aquas primâ, & secundâ operatione productas simul commisce, & in unam massam congelari sinas, quâ congelatâ habebis medicinam perfectam; ex qua exiguam partem supra 18. Mercurii partes projectam, si fusioni commiseris, totum intra exiguum tempus *in Lunam optimam*, omni examine adhibito probam, conversam obtinebis.

Atque hic est primus processus, in quo, vel summa scriptoris negligentia patet; ponit is 43. calcis argenteæ uncias, unà cum totidem unciis Mercurii sublimati, in quo manifestus error est: cum enim argentum in calcem redactum, in pristinam naturam reducitur: necessario argentum calcinatum pluris constitit, quàm lucrum ex transmutatione Mercurii non importet; quemadmodum unicuique patet ex proportione 43. unciarum argenti ad 18. partes Mercurii, quas in argentum transmutari processus dicit; quare nos errorem correximus, addendo 4. Lunæ calcinatæ partes. Quicquid autem hic author dicat certè ex hoc processu nihil aliud sperandum est, nisi massa quædam argentea ex congelatione Mercurii, & calce conflata: proinde processus hic, totus quantus sophisticus est, & indignus, cujus quis inutili & irrito labore experimentum sumat. Sed jam ejusdem auctoris de *auro* purissimo conficiendo processum examinemus. Sic itaque ait.

PROCESSUS II.

Pour faire Soleil bon & fin, id est, *Aurum optimum, & purum efficere.*

Accipe æs ustum, sulphur vitrioli, ex unoquoque 2. libras. Quorum unumquodque separatim, minutim supra marmor teras, & deinde probè commixta Alembico committe, luto sapientiæ, ne quidpiam spirituum exhalet; probè munito; quod intra cineres furnelli positum calore tenui materiam distilles, aquamque eductam in ampulla vitrea reserves. Postea accipe duas drachmas auri puri, & 4. drachmas argenti vivi; quæ simul aurificum more amalgames. Hoc peracto, amalgamatum cum aqua suprà in ampulla vitrea reservatâ, quàm optimè per triduum sequens subigas, sive pictorum more teras; hoc etiam peracto, materiam dicta ratione subactam igni levi commissam per 12. horas concoque; hoc exacto, denuo cum dicta aqua tere, & probe quod molitum est, recoque, idem semper repetendo 18. vicibus, donec colorem vermilii observaveris; deindè accipe hujus materiæ pondus: explora, & projice unum pondus supra 18. plumbi, & habebis aurum purum per omnia examina probatissimum: *Plumbum* verò, supra quod projici debet medicina, longo labore præparatur, hoc modo.

Accipe plumbi lamellas tenues, quas sale in pulverem minutim contrito intra vas terreum stratificabis, stratum supra stratum continuando tamdiu donec totum vas plenum sit, deinde junctluras vasis arctè claude, remanente tamen supra foramine ad fumum eiiciendum apto: deinde hoc vas igni congruo per 6. horas committes, & postmodum aperto vase lamellas plumbi corrosas, candidissimas reperies, quas lixivio forti, & calido impones, & sal descendet unà cum lixivio, laminis puris, & candidis pariter in fundo remanentibus, quas deinde exemptas supra affusa teres usque dum aquam claram comperies: hoc peracto repete tritionem cum pulvere remanentis aquæ; addita aqua aluminis, & salis communis, & tartari, siccetur que ad ignem, & hoc toties facies, donec tota materia candidissima compareat, hoc pacto totum in olla fusioni committas; & habebis plumbum, *quod in aurum converti debet, præparatum.*

Atque hic est processus, qui quantus est, partim ex Clavicula *Lulli* extractus est, ut proinde vel ex hoc ipso suppositititius partus innotescat, cùm *Lullus* multo post Joannem 22. Pontificem mundo claruerit: neque verisimile est, *Lullum* hunc processum à *Ioanne* 22. mutuasse. Judicet jam *Lector*, quid de hoc desperati operis processu sperandum sit.

Plurimos alios suppositititius ille Auctor adducit processus de transmutatione hydrargyri in argentum, & aurum: verùm cum illos ex aliis descripserit, & ejusdem prorsus farinæ sint, qui apud *Riplæum*, *Birellum*, *Isaacum*, *Lullum*, *Arnoldum*, cæterosque reperiuntur, in iis describendis majorem temporis, quàm Sophisticorum hujusmodi secretorum rationem habendam censui. Nihil porrò restat, quàm ut *Aphorismos juridicos de Chymico auro* à diversis Jurisconsultis positos hic apponamus,

CAPUT II.

Deciſiones Juridico-Canonicæ.

De Auro Chymico falſo, & vero.

1. QUæritur, an Alchymia ſit Ars licita? Reſp. Illa licita eſt, quæ verum, genuinum, & naturale aurum producit. Ita *Oldradus Conſil.* 74. *& Ioannes Andradus, in titulo de crimine falſi additione ad ſpeculum.* Si verò aurum Sophiſticum producit, illicita eſt; ita plerique & Juris tum Civilis tum Canonici Doctores Ita Joannes *de Plat. in L.* 1. *c. de arg. præt. Ioannes de Clavaſio in ſumma*, verbo, Alchymia.

2. Quæritur. An verum & reale aurum ab Alchymiſtis per tranſmutationem confici poſſit? Reſp. quod non. Ita *Avicenna* apud *Albertum*, de quo in præcedentibus fuſe, quia tale aurum Alchymicum non niſi externam auri ſpeciem habet, verum tamen aurum non eſt, ita *D. Thom.* 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. *Card. Alex. in c.* 1. *quæ ſunt reg. in uſibus feudorum.*

Si tamen vera tranſmutatione id efficeret quiſpiam, tum verum quoque aurum futurum, nulli dubium eſſe debet. Sed audiamus verba *D. Thomæ*: quem multi aurum Alchymicum non ſolum approbaſſe, ſed & effeciſſe, ad veritatem artis tanti viri teſtimonio ſtabiliendam perperam dicunt; ſed qui vel ex ipſis ejus verbis facilè confutari poſſunt. *Alchymia*, inquit, *quamvis ſit difficilis, non tamen eſt impoſſibilis, quod & nos dicimus, ſaltem angelis aut dæmonibus notam, qui ſolu norunt occultas naturæ ſemitas, juxta quas perfectè operari poſſunt.* Si itaque aurum, quod fit per Alchymiſtas non eſt verum, & tale quale fit à natura, ejus venditionem pro vero fraudulentam & injuſtam eſſe; ſi autem verum eſt, pro vero auro vendi poteſt: (uti eſt illud, quod ex variis metallis, quibus commixtum eſt, extrahitur:) de auro vero Alchymico ſic dicit, 2 ſent. diſt. 7. q. 3. ar. 1. *poteſt quidem ars virtute naturalium agentium aliquas formas ſubſtantiales inducere in materiam; ſunt tamen quædam formæ, quas nullo modo ars poteſt efficere, quod propria activa, & paſſiva principia earum non poteſt invenire, & adhibere, ſed benè aliquid ſimile illis efficere, ſicuti Alchymiſtæ faciunt aliquid ſimile auro, quantum ad accidentia exteriora, ſed tamen non faciunt verum aurum, quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis, quo utuntur Alchymiſtæ, ſed per calorem ſolis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis.* Ex quibus verbis luculenter patet, *Divum Thomam* longe aliud de Alchymia ſenſiſſe, quàm quod iis ipſi affingunt per ſuppoſititios partus.

3. Quæritur. An aurum Alchymicum vendere, & ſolvere liceat pro vero, & naturali, & an per hoc venditio aut ſolutio reddatur juſta? Reſp. ſi aurum alchymicum à naturali in nullo differat, id vendi, & ſolvi poſſe: ſecus, minime licere. Ita *D. Thom.* & *Albertus* ſuprà adducti, *Andreas de Iſernia, Baldus & Card. Alex. in diſt. c.* 1 *Quæ ſint regalia.* Qui enim per alba albificant, & per citrina citrinant manente ſpecie metalli prioris in materia, hi procul dubio deceptores ſunt; & hoc modo fere omnes in toto, vel in parte procedunt, & ipſo *Alberto* teſte, multis ſubſtant deceptionibus. Et puniuntur tales, juxta conſtitutas leges, ita *Ioannes Andr. in add. ſpec. titulo de Crimine falſi.*

Nam præter intereſſe *inquit*, majoris valoris aurum, & argentum habet quoque quaſdam virtutes, quæ non inſunt aliis metallis, neque in auro & argento per Alchymiam Sophiſtico, veluti contra melancholiam, aliaſque animi ægritudines à peritis medicis obſervatas. Et ſubſcribit hiſce *Frat. Bartol. de Sancta concordia in ſumma*, Verbo *Empti.* §. 4. *fab. de Monte de empt. & vend p* 8.

4. Quæritur. An aurum, quod quis diabolo Magiſtro, vel arte magica didicit, vendere poſſit? Reſp. quod quemadmodum non eſt licitum, aliquid à Diabolo diſcere, ita quoque tale aurum, mala arte acquiſitum, vendere non licet, cùm ſemper ſuſpicio alicujus deceptionis à Satana, veritatis oſore ſanctæ, ſubeſſe poſſit. Et hoc pacto prohibitam eſſe & artem, & aurum ex ea productum, uti habetur C. *de auro pub. per ſe* 10.

CAPVT ULTIMUM

ET

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΟΤΙΚΟΝ.

In quo breviter quidnam propriè decantatiſſimus apud veteres Alchymiſtas Lapis Philoſophorum *fuerit, & quid tandem priſci Philoſophi, eorumque moderni Sectatores per eum intellexerint, aperitur.*

VIdimus hactenus admiranda Naturæ opera, quæ tum in metallurgia, tum in auri conficiendi modo, & ratione occurrunt; Diſcuſſa quoque omnia ea, quæ de admirandis *Lapidis Philoſophici* myſteriis priſci tradiderunt; multis quoque, & magni ponderis rationibus oſtendimus, neminem hucuſque fuiſſe, qui per tranſmutationem veram, & realem Mercurium, aut cætera metalla imperfecta in verum, & naturale *aurum* traduxerit; Sed omnem illam Alchymiſtarum operationem fuiſſe falſam, & Sophiſticam, quin & aurum argentumve inde productum, aliud non fuiſſe, quam aurum cæteris adjunctis rebus aut commixtum, aut fuco introductum, ut proindè ex dictis rectè, & jure merito inferre queamus:

Omne *aurum, argentumve*, quod hucuſque à diverſis *Alchymiſtis* confectum traditur, vel calliditate quadam, & doloſa impoſtoriæ artis aſtutia, vel arte magica ex pacto cum Satana facto, vel denique ex minerali auro in pulverem reducto confectum fuiſſe; quod tamen, ſi cupellæ, & cinericii, aut cæmenti trutinæ commiſeris, non ſubſiſtat, ſed in ea ex quibus coaluerat, reſolvatur; quod tum primum mihi innotuit, cùm non ita pridem cum peritiſſimis auri ſeparatoribus hîc Romæ ea de re longo ratiocinio diſcurriſſem, qui ſancte affirmarunt, ſe à diverſis Alchymiſtis diverſos tum auri argentique partus examini oblatos accepiſſe; & nonnullos quidem cupellæ, ad ſeptem depurationum repetitiones ob pertinaciſſimam ſpuriæ miſcellæ adhæſionem reſtitiſſe, tandem verum aurum præſtitiſſe, non intentâ ab Alchymiſtis tranſmutatione conflatum, ſed uti poſtea ex confeſſione eorum percepit, ex marchaſita auro prægnante, metallurgica arte decocto, cum lucro $\frac{2}{3}$ auri ex una libra marchaſitæ extractum. Et quamvis innumera hujuſmodi artis miracula ipſis exhibita fuerint, nil tamen à quo tempore artem ſpagyricam profeſſi fuerant, ſe comperiſſe aiebant quod non fucum ſaperet, aut quod ex falſis miſcellis ſophiſtica compoſitione non coaluiſſet,

coaluisset. Quod & Albertus lib. 3. de metallicis confirmat; *Aurum enim Chymica arte ad se deveniſſe*, ait, *quod ubi ſex, aut ſeptem ignes ſuſtinuiſſet, tandem conſumtum in fœces reſolutum fuerit. Dum itaque Alchymiſtæ dicunt, aurum ſe facere ex Mercurio, cæteriſque metallis, quod cupellæ quovis modo reſiſtat, ne credas eis, cum longioribus ignis tormentis tandem heterogeneis partibus ſeparatis, auri ſuperſit, quantum impoſuiſti.* Non opus hisce fuisset, tot repetitis examinibus veritatem reperiri, cùm id magna plumbi copia cupellæ commissa facile vel unico examine sine errore, arte paucis nota, comperire potuissent.

Concludo itaque; quicquid quondam Arabes, quicquid *Lullus*, *Arnoldus*, *Rupeciſſa*: quicquid *Iſaacus*, *Baſilius*, *Ripleus*, *Sendivogius*, *Paracelſus*, ejusque sequaces de auro à se confecto tradiderunt, non verum, & naturale, sed Sophisticum fuisse, iis artibus quas recensuimus, conflatum. Unde quicquid innumeris hucusque de Arte magna *Lapidis* evulgatis libris editum fuit, id nil aliud, quam quod diximus continere, adeò certum est, quam certum est, mortuum naturaliter reviviscere non posse; quod tamen de suo lapide mortui corporis resuscitatore passim jactant. Unde frustra laborant, qui ex Theatro Chymico, Turba Philosophorum, ex operibus *Iſaaci Hollandi*, *Comitis de Treves*, *Baſilii Valentini*, *Treviſani*, *Bernaudi*, *Boni*, *Joannis Petri Fabri*, *Libavii*, *Mylii*, *Rhenani*, *Portæ*, *VVeckeri*, *Alexii*, vel ex innumerorum Manuscriptorum codicibus, eorumque receptis ad transmutatoriæ artis arcanum pertingere se posse sibi imaginantur.

Quod adeò certum est, ut vel ipsi primi artis Magistri id fateri coacti sint; quos *Paracelſus* Alchymistarum Monarcha *lib. de tranſmutatione metallica*, & in libro intitulato *Aurora Philoſophorum*, citat. Verùm cùm ejus circa Alchymistarum vanos labores fusissimum discursum supra *Sect. 2. cap. 6.* verbo tenus allegaverimus, eò *Lectorem* remittimus. Quo tametsi omnium hucusque Alchymistarum conatus tanto rigore reprobet, ipse tamen in eo, quod in aliis carpit, peccasse reprehenditur: dum in tribus, nempe Arsenico, Vitriolo, Antimonio, totius Magisterii arcanum consistere dicit, uti in *præcedentibus* docuimus.

Quicquid igitur hucusque aut scriptum de *Arte Magna*, aut in ea traditum fuit, id totum, uti diximus, vel Metallurgica, vel Sophistica arte præstitum fuit, adeò ut nullum inde aliud emolumentum resultare queat, quàm quod *vera Chymia* nunquam satis laudanda docet. *Primò* enim aurum, argentumque ex mineris metallicis extrahendi, excoquendi, depurandique modum tradit. *Secundo* ex varia auri, argentique reliquis metallis, mineralibusque commixti nonnulla tinctura cum adjuncta mole reperire monstrat; quod licet auro, argentoque ipsis commixto semper imperfectius sit, ad Ecclesiasticam tamen supellectilem, mensales apparatus, cæteraque utensilia licitè servire potest. *Tertio* magno Regum, & Principum emolumento modum docet, auro, & argento colligandi cuprum, stannum, similiaque metalla, quam collibisticam, vulgo *legam* vocant, quam quisque Principum jure suo in statibus suis usurpare pro libitu potest. *Quartò*, Loco auri irrito labore quæsiti, multa præclara, & humano generi proficua, tam in vegetabilibus, quàm animalibus arcana in medicamentorum usum, quæ potissimum in extractis, magisteriis, quintis essentiis consistunt, auri pretio haud imparia detexit.

Cum itaque nulla *auri* tantoperè à cunctis desiderati, per Alchymiam conficiendi spes sit, meritò quispiam mihi objicere: imò me temeritatis arguere posset, dum eam artem præsumptuosiùs confutare allaboro, quam veneranda antiquitas tanquam verissimam, certissimamque semper supposuit, quamque tot, tantisque Philosophorum scriptis comprobatam videmus: quos quidem omnes impostoræ arguere, non sapientis, sed imprudentis calumniatoris, vexationem esse plerique mihi opponere possent. Quarè ne injuriam iis facere videar, ac meipsum à cavillationis dicâ eximam: Quid veteres Philosophi per *Lapidem Philoſophorum*, quid per *Artem magnam* intellexerint, ea, qua fieri potest perspicuitate & claritate tandem aperiam.

Mercurius Triſmegiſtus totius reconditæ doctrinæ auctor, cum Abdita quævis in Naturæ majestate eluceſcentia summa ingenii subtilitate penetrasset: ne tanta in mundanis recessibus sacramenta cuivis obvia fierent, ingeniosam illam hieroglyphicorum architecturam adortus est quâ singula magni momenti mysteria sub Symbolis quibusdam ad pantamorphæ Naturæ similitudinem excogitatis, ita recondidit, ut tamen iis, quos dignos judicaret, & sibi ingenii perspicacitate similibus haud impervia relinquerentur. Unde electis in hunc finem Sacerdotibus, & Philosophis, quibus unica ad Regni solium spes erat, mentis suæ arcana per dicta symbola expressa, ne unà secum tanta inventarum rerum emolumenta interirent, communicavit, saxisque contra omnem temporum injuriam incidi curavit. Quoniam verò tantarum rerum scientia paucis verbis exprimi non poterat, symbola quædam idealia, quæ analogiam quandam multa complectentem tenerent cujusmodi Hieroglyphica sunt, subtili sanè indagine excogitavit, quibus omnia ea, quæ sine multis discursibus describi non poterant, & solo, & mystico unius symboli conceptu, patefierint, de quibus vide nostrum *Oedipum*.

Cùm itaque omnia in omnibus sub certa quadam analogia latere conspiceret, imò superiora in inferioribus, hæc in superioribus, mediisque, mira quadam ratione contineri intueretur, quadruplicem Mundum distinxit: Archetypum, Genialem, Sidereum, & Elementarem, uti supra in *Oedipo* de *Alchymia Hieroglyphica Ægyptiorum* & *in Obeliſco Pamphilio* amplè demonstratum fuit; in quibus ordines rerum, & entium gradus eo ingenio posuit, ut nullum infernum Mundi ens existeret, quod non suum, tum in Sidereo, tum Geniali Mundo, secundum intentam analogiam, ens haberet, consonum & proportionatum: quæ quidem in Archetypo Mundi, ideali quadam analogia, secundum nostrum concipiendi modum disparata, revera tamen sub unius simplicis essentiæ divinę ratione considerantur. Atque hinc catenæ illæ, σειραὶ vocant Ægyptii, de quibus in citato *Oedipo* passim egimus, originem invenerunt. Habet superior mundus suum, Solem, Lunam, cæterosque Planetas, quibus è superiori Mundo Intelligentiarum totidem Præsides Genii consignantur: habet & ea inferior Mundus.

Cum itaque in Sidereo Mundo Sole nil excellentius, nil præstantius, diviniusque reperisset, & in inferioris elementaris Mundi miscella nihil *auro* pulchrius, efficacius, excellentiusque cognovisset illud ob Soli analogas virtutes, inferioris Mundi *Solem* nuncupavit: hoc pacto videns Lunam esse

Soli

Soli præſtantiâ proximam, *Lunam* inferioris Mundi *Argentum* eſſe voluit, & ſic de cæteris, planetis, ſingulos ſingulis inferioris Mundi correſpondentibus metallis ἀναλόγως connectendo.

Hinc factum eſt, ut per Symbolum, v. g. Solis, quadruplicem ſenſum exhiberet, ſeu ut ſolis Archetypi, Generalis, Siderei metallici, ſeu Elementaris arcana ſub quadruplici analogia, veluti unum quippiam conſideraret: itaut quæcunque de divinitate ſupremi Numinis myſteria traderet, eadem ſuo modo de myſteriis Genialis Mundi, Siderei, & Elementaris intelligi poſſint. Cùm verò nihil in univerſa Natura metallicis operationibus mirabilius cognoſceret, modum, quo in iis generandis Natura procederet, ſub iiſdem myſteriis, quibus Supremi Numinis cæterorumque Mundorum ſacramenta exhibuit; quem poſtea Græci in omnibus ſecuti, naturam rerum haud abſimilibus ænigmatis abſconderunt; de quibus *Lector* conſulat *Oedipi ſecundam ſecundi Tomi partem*, ubi fusè Hiſtorias Deorum, ſeu fabuloſam narrationem *de Oſiride, & Iſide, Horo, Typhone*, huc reſpexiſſe oſtendimus, unà cum Græcorum Mythologia, quâ naturam rerum in Elementari Mundo mira operantem indigitatam fuiſſe ſignificavimus. Non reſtitit hic *Hermes*, ſed ex mineralium Mundo ad vegetativum & animalium Mundum progreſſus, Solem, Lunam, Planetas in omnibus ſecundum intentam analogiam invenit: ita ut nihil eſſet in rerum natura, quod non ſub monſtruoſa, animalium cæterarumque rerum ſimilitudine exprimeret. Hinc *Solem*, ſeu *Oſirin* μύδρον, id eſt *petram ignitam*, omnia virtute ſua pervadentem. *Typhonem* verò, ſeu *Vulcani* Subterraneum ignem, omnia corrumpentem reſtaurantemque vocavit.

Ibidem & *Tabulæ Hermeticæ*, ſive *Smaragdinæ*, quæ non immeritò Alchymiſtarum oraculum dici poteſt, interpretationem reperies; quæ tantum abeſt, ut Lapidis fabricam doceat, ut potius non aliud, quàm univerſæ Naturæ proceſſum in generatione, & corruptione rerum eluceſcentem exponat. Addo, hujus Tabulæ à nullo Scriptorum ante tempora *Lulli*, mentionem factam fuiſſe, neque Arabum monumentis inſertam reperio. Unde nemini dubium eſſe debet, quin tota ſuppoſititia ſit. Si enim ab *Hermete Abrahamo* ſynchrono compoſita fuit, cur tantum ac tam celebre monumentum, *Plinium, Solinum, Ælianum*, cæteroſque rerum naturalium curioſiſſimos Scriptores, cur cæteros Hiſtoricos tum priſcos, tum neotericos latuit? Et ſi unquam illa viſa fuit, quæro ubinam? quo loco? qua urbe? Si ſcripta fuit: quæro qua lingua? quo idiomate? quo charactere? cum ex pervetuſto hoc monumento primævos poſt diluvium characteres, literaſque de quibus tanta inter Auctores eſt controverſia, noſſe multum interſit. Unde cæcus eſt, & inſenſatæ mentis homo, qui ea non dicam credere, ſed ne in animum, quidem, ut ea vera eſſe ſibi perſuadeat, & induci poſſit. Sed de hiſce amplius, & ex profeſſo actum vide in *Alchymia Ægyptiorum hieroglyphica*, ubi Auctorem nugacem, & fumivendulum aperta demonſtratione detectum videbis,

Arabes poſteri non prævidentes, nec verba priſcorum Philoſophorum intelligentes, queîs, quod hi rerum omnium vim motricem, quam Solarem ſive Solem intellexerunt. Verba Arabica quæ in operis, quod apud me eſt, de Alchymia Arabicè conſcripti principio continentur, latinè ſic ſonant.

Dicunt nonnulli, quòd ſcientia univerſalis Alchymiæ, *nihil aliud eſt, quàm exigens & exactum, concupiſcens & concupitum, quærens & quæſitum.* Ita *Oman.*

Dicit Hermes quod dicta Margarita *in omni exiſtit & eſt aqua viva, perpetua, primordialis inventurque in omni re & in omni domo. Beatus cui contigit intelligere ſecretum ejus, & convenienter eô uti. Dixit autem, quod ſecretum ejus eſt* aqua, *& aqua accipit nutrimentum ab hominibus. Dixit autem Mercurius omnia quæ in mundo ſunt pluris venduntur dicta illa aqua, eſt enim apud unumquemque, & unuſquiſque, indiget ea. Eſt apud eum, nec deſerit illum, neque egreditur ſpiritus ejus. Dixit Alba Amil de dicta aqua differens, quòd hæc invenitur in omni loco, in campis, vallibus, montibus, & apud pauperem & divitem, robuſtum, & debilem, eſtque hæc parabola, quam omnes ſapientes reſpiciunt; & eſt ſpiritus humidi.*

Atque totus ille univerſi conceptus Hieroglyphicus nil aliud notat, quàm vim quandam Naturæ rerum omnium motricem, quam *Ariſtoteles* non incongruè ἐντελέχειαν, alii calorem ſeu ignem quendam univerſis Mundi membris exiſtentem, qua omnia moventur, corrumpuntur, alterantur diſſolvuntur, digeruntur, fermentantur & fixantur. Atque hic eſt *Ignis* ille *cæleſtis*, *Sol* inquam, qui in fluxu ſuo in elementarem Mundum, ignem ſibi haud diſſimilem in intimis terræ receſſibus latitantem accendit, & fovet? hic verò, quem & Vulcanum, ſeu Archæum Chymici vocant, omnia, quæ in utero ſuo tellus, veluti in fornace quadam continet, generat, fovet, conſervat; hic ſulphureo-ſalino-mercuriales vapores per intimas terræ fibras undiquaque diffuſos, ubicunque matrices (quarum innumerabilis copia à Mundi Architecto in ſubterranei Mundi ergaſterio, veluti Chymica quædam vaſa, conſtituta ſunt) proportionatas inciderit, ibi vel *aurum, argentum*, aut aliud quoddam metallum; aut minerale pro terreſtris matricis conditione producit. Extra verò Telluris corpus idem Ignis, ſeu Solaris vis omnia, quæ in vegetabili, ſeu animali Mundo continentur, vivificat, fovet, alterat, corrumpit, reſolvit, concoquit, ſublimat, quod ſublimatum reducit, fermentat, digerit, fixat, omnis generationis, & corruptionis naturalium corporum cauſa. Atque hanc admirabilem Naturæ vim, quæ in igne, ſeu calore ſive cœleſti, ſive elementari conſiſtit, nullo non tempore vetuſtiſſimi omnium Ægyptii conſiderantes, radios quidem Solares vivificos, digitos *Oſiridis* omnium diſpoſitores dixerunt; Naturæ verò tanta patrantis artem *Iſidem*, id eſt, *prudentis Naturæ progreſſum*, ut *Plutarcho* placet, quâ omnia, quæ videntur, efficiuntur, appellatunt. Et hanc quidem *Iſidem* in cœleſti Mundo *Lunam*, in Elementari *Rheam*, ſive Lunam ſubterraneam dixerunt. Ut proinde hiſce Ægyptii minimè Alchymiam, quâ per tranſmutationem Mercurium, aut quodlibet aliud metallum in aurum converti poſſe indigitaverint, ſed prudentem, & *admirabilem Naturæ* ſolummodo *progreſſum* in auro, argento, cæteriſque metallis, tum in intimo *Typhonis* regno, id eſt, Subterraneo Mundo, tum extra eum in vegetabilium, animaliumque Oeconomia producendis, & conſequenter μεταλλαγίαν βοτανοϊατρίαν tantoperè ad humani generis uſum neceſſariam intellexerint, quos & Græci, aliique ſapientiores Philoſophi, & Alchymiſtæ ſecuti, nullo non tempore ingentibus ænigmatum, parabolarumque nodis abſconderunt.

Uti

Uti in *Alchymia noſtra Hieroglyphica* citato *Oedipi* loco uberrime docuimus.

Verùm ne quicquam ad invidiam arti conciliandam aſſeruiſſe videar; hîc ordine veterum ſapientum dicta adducam, ex quibus apertiſſimè elucebit, veteres Alchymiſtas nil aliud per *artem tranſmutatoriam*, quàm *ignem naturæ*, ſive vim illam igneam Solarem, aut Vulcaniam, & per analogiam quandam *Salem Naturæ*, quorum utrumque per intimos Univerſi ſinus diffunditur, intellexiſſe. Hic enim, uti ſupra diximus, ſolus, & unicus omnia illa præſtat, quæ Alchymiſtæ falſi ſapientum interpretes per ignem illum Vulcani, & culinarem fieri poſſe exiſtimarunt: Nam ut rectè Philoſophus l. 2. de Cœlo, *Cœlum lumine & motu largitur propriam caliditatem unicuique rei.* Fieri autem non poteſt, ut humanâ induſtriâ calor ita artemperetur, ut quem Natura in auro producendo, adhibet, illum Alchymiſtæ adæquent, cùm Natura in omnibus rebus ſuis producendis, æquabili calore, & quaſi indiviſibili conſiſtente utatur. Falluntur itaque in operationibus ſuis, cùm vel ipſa *minera*, & matrix nil aliud, quam tenuiſſimus ignis ſit, ſive Sal Naturæ ſulphureo-mercurialis, qui ex potentia in actum deductus tandem aurum generat, mixturam nempe ex aqua, aëre, terra, conflatam, quæ per ſulphureo-ſalino-mercurialem vaporem, humidi reſolutione purificata in cinerem ignitum per ſalem ei inexiſtentem convertitur.

Atque hoc eſt *Elixir* illud *album* in rubedinem verſum, id eſt, per ignem ampliorem continuò ſuccedentem, quod *aurum Philoſophorum*, & aquam permanentem, ignis tormentum, nutrimentumque vocant: id eſt, illud humidum radicale cineris, ſive aqua permanens, in illo calore ignis, qui ei loco animæ, & ſpiritus vivi ſervit, à Mercuriali humido, differt tanquam ſtabile ab inſtabili, fixum à non fixo, utpote quod in fundo vaſis non perſiſtat, ſed in fumum reſolvitur, fugitivumque lavat combuſtibilis materiæ nigredinem, & fœtorem, quem inſitum habent partes ſulphureæ, & pingues cineri inexiſtentes, dum in fuliginem nigram abeunt, quam Alchymiſtæ *terram damnatam*, volatilem, fœtidam, putridam, ſurphurque comburens dicunt. Contrà verò cinerem calcinatum ob ſalis fixi copiam, *ſulphur* dicunt *incumbuſtibile*, ſiquidem igni appoſitum, purificatumque, tandem in vitrum conflatur; atque hujuſmodi cinerem ſapientes *Salamandram*, utpote quæ vivat, & nutriatur in illo, appellandam cenſuerunt: alii quoque *Phœnicem* dixerunt, eò quod cineres accenſi nil aliud ſint, quàm corpus illius Phœnicis, quod proprio cinere ſeipſâ reſuſcitetur, & renovata vivat. Atque hujuſmodi ignis à ſapientibus denotatur per *draconem* illum terribilem, qui omnia devorat, & in ſe convertit, uti & per *Baſiliſcum* omnia interimentem: eo enim ipſo, quod cinis ſit ignitus, hoc ipſo in eo exiſtit calx viva, ſal, ſulphur, & argentum vivum. Atque hoc eſt juxta mentem ſapientum, *ſuſcitare mortuum*, & occidere vivum, id eſt, talem cinerem privare vitâ, quæ eſt conjunctio Orientis cum Occidente, cœli, & terræ, ſpiritualis, & corporalis, conjunctio Solis, & Lunæ, cùm flamma clara ſit ipſe cinis, & aqua volatilis, quæ in ſe gerit fumum rubeum, & hic tandem decoctus in fundo vaſis Chymici fixatur. Atque hæc eſt aqua, quæ dealbat, quæ denigrat, quæ rubefacit, vivificat, occidit, ſublimat aquam, calx diſſolvens, & coagulans, putrefaciens, & corrumpens, & in germina diverſa à ligno degenerat; & teſte Philoſopho, *appoſito igni combuſtibile creſcit in infinitum.* Atque hic eſt primus naturæ proceſſus, ignis videlicet, & Naturæ, quem ſub varia ſymbolorum adumbratione deſcripſerunt ſapientes.

Aros in Turba Philoſophorum, dicit, *hunc omnis homo cognoſcit & qui eum non cognoſcit, nihil cognoſcit.* Sed hic ignis vix ab ullo Alchymiſtarum cognitus eſt. Ergo ignis Philoſophorum non eſt ille, quo opus perficiunt Alchymiſtæ.

Morienus ait, *illa res, quæ multum valet, non intrat in Magiſterium; apud Alchymiſtas tantum valet, ut omnem ſubſtantiam in eo procurando perdere videantur, ut eum acquirant.*

Pythagoras in Turba clamat cum aliis, *noſtrum opus eſt opus mulierum, & ludus puerorum.* Opus autem Alchymiſtarum eſt inventu adeò difficile, ut in quo id conſiſtat, lis adhuc pendeat.

Dicunt omnes ſapientes in Turba: *Cum opere noſtro nemo ſtare poteſt, neque id tangi poteſt ſine damno, tangit omnia, omnia corrumpit*; aurum vulgi vulgare adeò familiare, & domeſticum eſt Alchymiſtis, ut id ſemper manibus verſent ſine damno.

Arnoldus dicit: *Aurum potabile, & Elixir rubrum, quod eſt aurum Philoſophorum, eſt aurum potentiale & inviſibile:* Aurum Alchymiſtarum contrà eſt actuale, reale & viſibile omnibus ſenſibus obvium.

Alfidius dicit in Turba: *Aurum Philoſophorum ubique optime præparatum, & purificatum reperitur, vili pretio venditur, utpote quod unicuique proſtet, tam pauperi, quàm diviti.* Aurum Alchymiſtarum pauci habent, utpote quod vix ulli unquam niſi Sophiſticum viderunt, aut tetigerunt. Iterum alio loco dicit Alfidius: *In auro hoc Philoſophorum producendo, omnes operationes uno, & eodem tempore fiunt*; Aurum Alchymiſtarum diverſas operationes requirit, præter ingens temporis diſpendium.

Raymundus Lullus dicit: *Sine hoc auro, quod nos ignem Naturæ dicimus, neminem vitam ſuam ſuſtentare poſſe*; Unde ſequitur, omnes, qui auro Alchymico carent, jam dudum eſſe mortuos. Præterea dicit, aurum hoc facere vitrum malleabile; quod pateſit, dum vitrum fornace decoctum pro libitu artificis in quamcunque formam tendi, tundique poteſt, & liquefactum aquæ frigidæ immerſum adeò fragile fit; ut manibus haud ſecus ac ceram tractare liceat: quod de auro Alchymiſtarum dici non poteſt; liquefactum enim nec tendi, nec tundi poteſt, neque in aqua naturali frangibile fit.

Dicit Valgus in Turba: *Sol noſter conſervat calidum, & humidum radicale in juvene, in ſene illud reſtaurat: Ignis noſter coquit omnes cibos, qui ſerviunt, nutrimento, calefacit ſenes frigidos, & ſiccos.* Quod aurum Alchymiſtarum non facit, cùm neque digerat, neque digeratur, uti calor ignis.

Dicitur in Turba: *Aurum noſtrum Sol eſt, ſol luminoſus, qui calefacit, alterat, corrumpit, putrefacit, digerit, generat, rarefacit, ſolvit, illuminat cæteras ſtellas*: Quod de auro Alchymiſtarum dici nullâ ratione poteſt, cùm nec ex ſe luceat, neque in tenebris ſplendeat, ut cœleſtis & elementaris ignis.

Clamat Turba: *Aurum noſtrum in infinitum multiplicari poteſt*, quod non niſi de igne Naturæ dici poteſt, minimè de auro Alchymiſtarum. *Aurum noſtrum*, aiunt, *ſemper igni ſine ulla ſui corruptione reſiſtit.* hoc autem de auro Sophiſtico dici non poteſt, quod aquis corroſivis calcinatur, corrumpitur & in aliam formam reducitur.

Dicunt: *Elixir noſtrum eſt venenum omnium potentiſſimum, quod omnia interimit*: quis neſcit, ignem hoc præſtare, non aurum Alchymiſtarum?

Hortulanus

Hortulanus in Turba dicit: *Lapis in noſtro opere vocatur omne id, per quod quatuor elementa ab invicem ſeparari poſſunt, ex qua ſeparatione naſcitur ſubſtantia quædam cryſtallina, ſicut lapis natus ex quatuor elementis, & cælum dicitur à Philoſophis, & quinta eſſentia: quæ quidem ſenſibus inpervia eſt, niſi quando accipit corpus per coagulationem*, quæ omnia uti cineri in vitrum decocto reſpondent, ita lapidi Alchymiſtarum non congruunt.

Hermes, qualiſcunque ille ſit, ait in ſuis allegoriis: *Lapis, & medicina noſtra ignea eſt; quod enim igni ſimile, igneum eſt, & non ignis; quod eſt aëri ſimile aëreum, & ſic in aliis, eſt ignea, ſed non ignis medicina noſtra, ſed ex igne; quæ extrinſecè propalam ſine noſtro periculo bibi non poteſt, intrinſecè tamen clam bibi debet, & vivificat omnia, & exhilarat.* Quæ de auto Sophiſtico dici non poſſunt.

Lucas in Turba: *Pluribus*, ait, *rebus non indiget Ars noſtra, niſi una, & illa una res in unoquoque gradu operum noſtrorum in aliam vertitur naturam; hujuſmodi autem gradus ſunt ſecundum diverſas proportiones miſcibilium elementorum, quæ in ejus operatione eveniunt, & quamlibet operationem in gradu ſuo ſecundum ordinem, quem natura tenet in via, & proſecutione generationis ſuæ nomine alicujus metalli notaverunt: Nam primum gradum vocaverunt ferrum, ſeu Martem, ſecundum æs, ſeu Venerem, tertium plumbum, ſeu Saturnum, quartum ſtannum, ſeu Jovem, quintum argentum, ſeu Lunam, ſextum Solem, ſeu Aurum, & infinitis aliis nominibus illa ſua metalla metaphoricè nominarunt, & totum hoc ad occultandam Naturæ artem, & ſcientiam.* Quæ verba falſi interpretes poſtea ad artis operationes applicaverunt. Certe uti ſub hiſce, non ſolum in mineralium regno, ſed & in vegetabili & ſenſitivo animalis naturæ regno mirus, & naturæ proceſſus in ſingulis juxta ſuum gradum diſponendis intelligitur, ita quoque proceſſus artificialis in *magni lapidis* ſtructura non niſi analogice & improprie convenire poteſt. Nam ut recte Eſferarius Monachus docet; *Cauſa cur materia Lapidis tot diverſis nominibus appelletur, alia non fuit, niſi illa, quæ ſequitur. Veteres enim videntes* Naturæ proceſſum *in corporibus producendis, obſervabant primò materiam metallicam fumos ſubtiles continuò generare, qui dum per vaſa naturæ elati undequaque diffunduntur, hanc* ſublimationem *vocarunt; obſervantes poſtea ad naturæ exemplar materiam ſublimatam denuo deſcendere in fundum, quam* diſtillationem *dixerunt. Cum verò materiam paulatim denigrari, & fœtere comperirent, illam* putrefactionem *appellarunt. Iterum cùm materiam ex nigredine ſua evolutam paulatim in cinereum colorem deſciſcere notarent, illam* incinerationem, *& albificationem dixerunt. Poſtquam verò terram aquæ ſuæ miſceri, & coctione minui viderent, illam* ceration*em dixerunt; & deinde in ſolidam ſubſtantiam degenerantem*, coagulationem; *& tandem materiam omni humore exutam*, fixationem *denominarunt.* Ex quibus clarè patet, veteres hiſce verbis unicè Naturæ operationes in producendis mineralibus indigitaſſe, & deinde eandem imitatos Stalactica arte plurima reperiſſe naturæ humanæ apprimè neceſſaria, *Lapidem* verò fictitium Alchymiſtarum ne quidem iis in mentem veniſſe.

Geber in Capitulo de Medicina, ait: *Niſi Medicina ſit talis, quod corpus liquefactum in momento denudat à forma prima quæ ſub aqua erat, & removeat omnes imperfectiones, & ſimiliter reducat ad ultimam ſimplicitatem materiæ primæ, & in eodem momento inducat aliam novam formam ſcilicet ſolis, nondum eſt perfecta ars, & natura* Queis quidem verbis nil aliud niſi Naturæ infallibilem in auro producendo effectum deſcribit, quem vix aut ne vix quidem imitari poteſt Alchymiſta.

Saturnus Triſmegiſtus in Turba ait: *Cæcus eſt, qui de re aduſtibili putat facere artem, cum operatio divina ſit ex pura ſubſtantia, quæ in igne perdurat ſine aliqua combuſtione (uti nos de cinere ignito diximus); omnes enim aliæ res per combuſtionem ignis deſtruuntur, & conſumuntur.* Quæ omnia de Naturæ igne, ſive Sole, non de igne ſpuriæ Alchymiæ intelligenda ſunt.

Iterum Triſmegiſtus: *Philoſophi non ſcripſerunt libros ſuos niſi filiis eorum, filios verò eorum intelligo, qui intelligunt dicta eorum, & non ſecundum literam: Nam operatio ſecundum intentionem literæ, eſt diſſipatio divitiarum, & temporis perditio. Multi habent* lapidem *noſtrum, ſed neſciunt virtutem ejus, & ſi ſcirent virtutem ejus, nihil valeret, niſi etiam ſcirent operationem ejus. Operatio autem fieri non poteſt niſi per maximum donum* Dei, *vel per peritiſſimi magiſtri doctrinam, & totum id à voluntate Dei dependet.* Quæ verba adeò clara ſunt de falſa Alchymiæ doctrina, ut ab Idiotis facile intelligantur. Huic ſubſcribit vel ipſe Alchymiſtarum Monarcha in libro de tranſmut. metall, *Quicquid ardet ſulphur eſt, & nil flammam concipit, niſi ſulphur; quicquid in fumum tranſit, Mercurius eſt, & nil ſe ſublimat, ſive aſcendit, niſi Mercurius; quicquid in cinerem redigitur ſal eſt, nihilque præter ſal cinis fieri poteſt.* Quo quidem apertè ſignificat, tria proxima Naturæ principia; ex quibus omnia conſtant, uti jam ſæpius dictum fuit. Hæc igne, ſeu Solari vi, ſeu ſpiritu cœleſti exaltata non mineralium tantùm, ſed & vegetabilium, & animalium Oeconomiam dum pervadunt, omnibus, & ſingulis vitam. animam, ſpiritum, largiuntur; dum diſſimilia ſeparant, ſimilia calore ignis diſſipata congregant, & ad intentum à natura finem diſponunt. Hoc pacto in hoc Mundo Sol à Deo creatus eſt, ut quieſcentem ignem in omnibus ſuſcitet, igne ſuo reliquos planetas circumſitos, in cœleſti Mundo accenſos, illuminatoſque ad fœcundos influxus ſollicitet; in Vulcani verò regno ſubterraneo per Archæum in minerales materias agendo tandem analogos iis planetas producat. Unde apertè patet, *Solem Philoſophorum* nihil aliud fuiſſe, quàm ignem illum Naturæ omnia animantem.

CONSECTARIUM.

Ex hucuſque dictis conſtat, Sapientes per *aurum*, & *argentum Philoſophorum*, cæteroſque planetas valde differentem à vulgaribus metallis ſignificationem dediſſe; unde cæcus eſt, qui hæc nimia auri ſiti dementatus non videt, aut ſi videt, pertinaciter negat. Aurum per ſubſtantialem tranſmutationem argenti vivi, cæterorumque metallorum à nullo unquam mortalium, niſi forſan aut inſigni fuco, aut arte magica confectum fuiſſe in *præcedentibus* multis, variiſque modis oſtendimus. Qui verò auctoritatem *Alberti*, & *D. Thomæ*, arti ſuffragatos fuiſſe putant, valde hallucinantur, cùm prorſus contrarium dixerint. Sed audiamus verba *D. Thomæ l. ſent. diſt. 7. q. 3. art. 1.* ubi expreſſis verbis ſupra allegatis ſubſcribit: Aurum Alchymiſtarum verum aurum non eſſe, ſed auro vero ſimile; ſi tamen alibi dixit, verum aurum illos facere, hoc intelligendum eſt, quod ex variis mineralibus & metallicis corporibus aurum verum, &

genuinum

genuinum educere queant; quo apud metallurgos nil tritius est; hoc tamen *D. Thomas* non per transmutationem, sed per separationem tantùm arte educi posse dicit, uti ex supracitatis verbis patet: cui Avicenna in comment. supra meteor. adstipulatur his verbis: *Sciant Artifices Alchymiæ, species metallorum transmutari non posse, quamvis similia illis fieri possint; etsi enim tingere queant ipsum æs colore, quo volunt, donec sit multum simile auro, & abstergere immunditias plumbi, ita ut videatur argentum; semper tamen secundum substantiam manebunt æs, & plumbum.* Albertus consentit l. 3. de mineralibus c. 9. dum dicit: *Qui per alba albificant, & per citrina citrinant, remanente specie prioris metalli in materia, procul dubio deceptores sunt, & verum aurum, & argentum non faciunt, & hoc modo ferè omnes, vel in toto, vel in parte procedunt; propterea que ego experiri feci aurum Alchymicum, quod ad me delatum est, & postquam sexies, aut septies ignes sustinuit, tandem amplius ignitum consumitur, & perditur, & quasi ad fœcem revertitur.*

Picus Mirandulanus Alchymiæ haud imperitus, de eversione singularis certaminis *l. 29. sect. 7.* etsi attem haud impossibilem dicat, tantas tamen adnexas habere difficultates, quas vix superare liceat; unde concludit: *Non*, inquit, *danda est opera illi arti, non quia impossibilis est; sed quia tantæ est difficultatis, ut utilius sit eam omittere, quàm exercere, & multi quidem ditissimi ad magnam inopiam redacti sunt, eò quòd maximis sumptibus impensis vel nunquam assecuti sunt, quod hæc ars pollicetur, vel certè rarò, & parum, ita ut sumptus multò lucro sit major. Quare satius est, aliis artibus utilioribus operam dare, quæ majori ex parte finem suum præstant, quàm huic, quæ rarissimè propter res naturæ absconditas, finem suum assequitur.* Hæc *Mirandulanus*.

Videamus jam, quid *Arnaldus*, quem veluti oraculum suscipiunt, & venerantur Alchymistæ. *Sunt*, inquit, *aliqui fatui, & cæci, qui dicunt, se scire facere aurum potabile de auro vulgari, vel credunt, quod est optimum ad sanandum omnes ægritudines; & sunt aliqui Medici qui faciunt bullire ducatos in aqua, dicendo hoc esse optimum ad sanandum, quod est totum oppositum, (salva semper eorum reverentia) quod sit illud aurum potabile; neque quod illa aqua sit bona ad bibendum pro sanando, sed bene dico, quod Ducati sint optimi pro eruendo confectiones, & pro Medicis solvendis; & etiam verum est, quod bonum esset, habere vas plenum Ducatorum, & ostendere infirmo, quia ei multum conferret videre aurum. Qui ergo hanc Medicinam intelligunt de auro vulgari, sunt cæci, & plus quàm cæci, & deceptores.*

Non ignoro, plerosque in consortium artis ad auctoritatem quandam ei conciliandam adsciviſſe *Trithemium*, at qui opera ejus evolverit, totum contrarium eum sensisse reperiet. Verùm ut mens ejus plenius, pleniusque patefiat, hîc ejusdem verba apponam, quibus vanitatem Alchymistarum graphicè sanè depingit; ita autem loquitur *Polygraphiæ* libro, *folio* 598. veteris editionis. *Multas*, inquit, *habet Alchymia domesticas familiares, quæ dominam suam perpetua vigilantia custodiunt, seque ejus nomine supponunt, ut eam conservent à commercio importunè amantium tempore sempiterno intactam: vanitas, fraus, dolositas, deceptio, sophisticatio, cupiditas, falsitas, confidentia mendax, stultitia, inopia, paupertas, desperatio, fuga, proscriptio, & mendicitas pedissequæ suæ Alchymiæ, quæ dominam simulantes, amatam eam inviolatam custodiant, & semetipsas illius quæsitoribus pecuniosis, avaris, stupidis, & fatuellis libenter prostituunt.* Hæc *Trithemius*, quæ meritò epitomes instar esse possunt eorum, quæ huc usque dicta sunt: cùm tamen plerique, uti *Paracelsi* Magistrum, ita arcanorum artis magnæ conscium fuisse, asserere non verecundantur.

Ex quibus clarissime patet, vel ipsorum Alchymistarum testimonio artis hujus vanitas, & nullitas. Sed dicent forsan hoc loco illa omnia de Pseudo-Alchymistis dicta esse, non de veris Philosophis. Veruntamen cùm nec ullus ex primis illis Philosophis inventus sit, qui verum, purum, & genuinum aurum per *transmutatoriam artem* confecisse, uti in præcedentibus fusè docuimus, demonstrari possit. Certè vel hoc ipso omnis cadit, Adversariorum oppositio. Primipilos illos artem τῆς πλὴν ψευδείας novisse, imò possibilem esse non contradicam; sed eos in praxin eam reduxisse; id est, quod quærimus; de quo sola nostra lis pendet, quam quidem meliùs expedire non posse judicavimus, quàm per ipsas contradictiones, quibus Alchymistæ seipsos conficiunt, sese lancinant, impetuntque; Ex quibus patebit, consistere non posse, quod tam putridis fundamentum nititur. Et quantum quidem ad jactantiam artis attinet, planè gigantes; si verborum vim, & efficaciam, non nisi nanos plumbeis pugionibus decertantes reperias. Sed ut contradictiones apertiùs videas, hic *Consectarium Antitheticum* apponendum duxi.

Consectarium Antitheticum, sive Contradictorium.

Quo totum aliud per *Magnæ Artis Magisterium*, ab eo, quod falsi Alchymistæ promittunt, à veris Philosophis intelligi ex huc usque dictis summatim ostenditur.

Falsi Alchymistæ,	*Veri Alchymistæ & Philosophi,*
1. Ad Lapidis confectionem requirunt distillationes, sublimationes, conjunctiones, separationes, congelationes, dissolutiones, contritiones, dealbationes, rubificationes, sine quibus ut ad finem pertingant, fieri non potest, ita *Hugortius Lilius.*	1. Aiunt, nil horum ad lapidis structuram conferre: alias enim, quibus Natura utitur, esse distillationes, sublimationes, conjunctiones, separationes, congelationes, contritiones, dealbationes, rubificationes. Ita *Hugortius Lilius* de *Lapide Philosophorum.*

2. Pſeudo-Alchymiſtæ ad opus ſuum requirunt aurum, argentum, ferrum, ſtannum, plumbum, mercurium.	2. Veri Alchymiſtæ aiunt, nullum ex vulgaribus metallis ingredi arcanam lapidis confectionem, non aurum, argentum, non ferrum, non cuprum, ſtannum, plumbum, aut mercurium vulgi.
3. Pſeudo-Chymici requirunt aquam, acetum, ſalia diverſi generis, ſulphur, antimonium, arſenicum, auripigmentum, realgar, & ſimilia.	3. Veri Alchymiſtæ dicunt, aqua noſtra non eſt aqua, quali utuntur falſi Alchymiſtæ; acetum noſtrum non eſt acetum vulgi; neque ſalia ſimilia ſalibus mineralium, nec ſulphuri ſulphur eſt, non arſenicum, auripigmentum, realgar & his ſimilia.
4. Lapis Pſeudo-Chymicorum fit mineralibus combuſtibilibus, & impuris, variis operationibus.	4. Noſter lapis fit mineralibus incombuſtibilibus, & puriſſimis, mediante igne naturali.
5. Pſeudo-Chymici differentes gradus ponunt in ſuo magiſterio, quæ ſunt ſeptem operationes in *præcedentibus* allegatæ, & occupantur circa metalla & mineralia naturalia.	5. *Hermes* in ſuis allegoriis dicit, regimen circa *Saturnum* nil aliud eſſe, quàm putrefactionem; circa *Jovem* operatio eſt lotio; circa *Martem* ſeparatio. Eam circa *Solem* operationem nihil aliud eſſe, quàm ipſum lavare à nigredine Martis; circa *Venerem* operatio nil aliud eſt, quàm conjunctio, id eſt, humidi cum ſicco, & calidi cum frigido, & vocatur cuprum allegoricum. Operatio circa *Mercurium* nil aliud eſt, quàm combuſtio; & circa *Lunam* nil aliud eſt, quam calefactio, aſſatio.
6. Dicunt Pſeudo-Chymici omnes operationes Chymicas eſſe differentes, diverſos fumos, vaſa, ignes ad opus requirunt diverſos.	6. Dicunt veri Alchymiſtæ, eſſe ſolummodo unam operationem; & omnes operationes non eſſe niſi unam rem; non diverſos requiri furnos, vaſa, ignes; ſed unum furnum, unum vas, unum ignem, æquabili calore vigentem, qui calor eſt.
7. In Pſeudo-Chymicorum magiſterium intrant metalla, terræ, lapides, ſucci concreti.	7. In Philoſophicum magiſterium non intrant metalla, terræ, lapides, ſucci concreti.
8. Pſeudo-Chymici dicunt, in tinctura Philoſophorum dari penetrationem corporum, dum per eam corpora tranſmutant.	8. Veri Chymici Philoſophi id negant, ceu falſum contra naturam principium. Sed tincturam ſolo Naturæ beneficio perfici volunt.
9. Pſeudo-Chymici aiunt, beneficio animæ ab hydrargyro extractæ quodlibet aliud metallum in aurum, vel argentum tranſmutari poſſe.	9. Veri Chymici negant, unam, & ejuſdem ſpeciei formam, poſſe informare aliud quodlibet metallum ſpecie differens; quemadmodum anima quercus non poteſt informare pinum aut juniperum; ſic nec plumbum, aut æs, aurum vel argentum.
10. Pſeudo-Chymici dicunt, ex minera naturali extrahi debere materiam Lapidis Philoſophici.	10. *Geber* & cæteri veri Philoſophi dicunt, materiam in rebus omnibus reperiri, in omni loco, & tempore, in homine, in animalibus; *Seniore* teſte, in *Turba Philoſophorum*; omnis homo cognoſcit lapidem, & qui eum non cognoſcit, nil cognoſcit.
11. Materia Lapidis Pſeudo-Chymicis eſt Mercurius humidus, & frigidus.	11. Materia Lapidis Philoſophorum eſt Mercurius calidus, & ſiccus.
12. Pſeudo-Alchymiſtæ aurum corruptum in aliam formam abire aiunt.	12. Veri id fieri negant, aurumque uti perfectâ miſturâ conſtat, ita quoque corrumpi non poſſe.
13. Falſi Alchymiſtæ aurum, quod faciunt verum aurum dicunt.	13. Veri Alchymiſtæ id non verum aurum eſſe, dicunt ſed ſimile, & analogum auro vero.
14. Falſi Alchymiſtæ de auro Alchymico loquuntur materialiter.	14. Veri de eo loquuntur myſticè, & allegoricè, neque quicquam aliud eſſe dicunt, quàm *vim* quandam *igneam*, ſive ignem Naturæ per univerſi Mundi ſemitas diffuſum.

Ex his luculenter patet. Quid de *Alchymia Tranſmutatoria* tot contradictionibus involuta ſperandum ſit, præſertim, ſi hiſce horrenda nominum, vocumque confuſio, terminorumque, quibus in arte exponenda utuntur, differentium abuſus, ſenſuumque diſparitas accedat, qui ſanè tot, quot capita ſunt; ut interim ſileam acerrimas, quibus ſe invicem impetunt, impugnationes: ut nullus aut quid ſentiat, quid intelligat, quid capiat, diſpicere poſſe videatur. Ut proinde nemini bonas horas in arte tam confuſa, atque adeò, ſine ullo ordine, & methodo digeſta, tot fabulis, & nugis conſarcinata, tanta pecuniarum, expenſarumque jactura, ut conſumat conſulam.

Neſcio

Nescio tamen, quo fato acciderit, ut pleroſque, & quod mireris, etiam viros cæteroquin ſapientes *aureæ* hujus Nymphæ φιλομανίᾳ ita dementaverit, ut magico quodam filtro ab ea intoxicati videantur. Et quanto quidem hujuſmodi impoſtorum audacia major eſt, tantò plerumque major adhibetur fides ab iis, qui χρυσομανίᾳ hujuſmodi infatuati illos audiunt. Quorum quidem nonnulli tantæ temeritatis ne dicam impudentiæ ſunt, ut coram Regibus, & Principibus de artis ſuæ certitudine interrogati, plus quàm Bombiliana arrogantia, reſpondeant his verbis, & ſimilibus: Ego locum non habeo, neque facultatem divitiaſque ad artem meam exercendam poſſideo: Sed ſi veſtra Celſitudo, vel veſtra Majeſtas mihi neceſſarios ſumptus ſuppeditare dignata fuerit, ego tantum ipſi *auri* conficiam, ut ejus ope, uſuque ſe facilè Mundi Dominum conſtituat: De quibus tamen meritò id pronunciare poſſis: *Artem habent ſine arte, partem ſine parte, quorum medium eſt, mentiri, vita eorum, mendicatum ire.*

Alii verò contrario modo procedere videntur, qui nullius mortalium beneficio ſe indigere jactitant; Regum, Principumque favorem deſpiciunt, eorumque divitias, theſauroſque præ ſuis contemnunt, nulli ſervire dignantur. Virgulam *Midæ* ad omnia in aurum commutanda ſemper paratam, præſentemque ſe habere gloriantur, nulla re egere contendunt; cùm interim per orbem vagabundi nullibi ſtabiles, ad vitam ſuſtentandam deficiente pecunia ad dolos, fraudeſque converſi, ſimplicioris plebis marſupia mira dexteritate emungant; pro auro pulveres, pro unguentis axungias, pro zybetho muſcerdas vendant, donec tandem in flagranti crimine deprehenſi, impoſturas patibulari exaltatione, aut ſi mitius agatur, remorum in triremibus dominio luant.

Quis unquam Regem aut Principem Alchymica Arte potentem vidit? quis ejus ope Mundi Dominum conſtitutum audivit? & tamen jam centeni, & milleni anni tranſeunt, queîs ſemper ſtulta hæc Alchymiſtarum pollicitatio, durat; tantum tamen abeſt, ut inde deſideratus effectus conſecutus ſit, ut potius contrarium eveniſſe ſciamus. Quot enim hujus artis maleficio bonis omnibus jacturâ ad incitas redactos legimus? quot obſervavimus deſperatione in tranſverſum actos illicitis artibus, dæmonumque commercio implicatos, dum ad id, quod ſperant, adſpirant, miſeranda tandem morte vitam concluſiſſe. Sileo hîc ingentia damna, quæ hujuſmodi Reipublicæ inferunt; dum, ut cum *Alberto* loquar, alba albificant, citrina citrinant, falſas cudunt monetas, donec tandem deprehenſi, *Vulcani*, cujus beneficio malè uſi fuerant, pœnas luant.

Sunt & alii, qui dum nil niſi arcana ſpirant, nil jam, quod manifeſtum ſit publico, arcanum eſſe putent: Sentiunt perire ſibi, quod aliis communicatur: fiduciam, ſeu ut vocant, fidem populi, occultarumque virtutum exiſtimationem vendicant: etiam dum per magica tentamenta, ſigilla, pentacula, verba, characteres, attactus, conſtellationes, ſpecula, homunculos à ſe arte factos, Unguenta ſympathetica, Braſidillas, Magurreones, Theſaurinellas, Eueſtros, ſimiliaque diabolicæ officinæ monſtra, per Magico-Cabaliſtica, Micro-&-Macro-Coſmica triuna myſteria comminiſcuntur.

Quæ cùm ita ſint; Regum, Principum, Magiſtratuum, Academiarum eſt, tam improbam, & fraudulentam Pſeudochymicorum audaciam coërcere, proſcribere, & prorſus exterminare, ne paulatim numero impoſtorum auctо ad omnem licentiam, & improbarum, illicitarumque artium cultum feneſtra ad omnem impietatem aperiatur: formam ſanæ cenſuræ omnibus meritò imitandam olim dedit Athenæum Pariſinum de Chymicis Scriptis *Petri Palmarii*, quod ex *Libavio* extractum hîc appono.

Cenſura Pariſienſis in Librum Alchymicum Petri Palmarii.

Auditâ renunciatione Cenſorum, quibus demandata eſt provincia examinandi Libellum à M. Petro Palmario *editum, cui titulus eſt*, Lapis Philoſophicus dogmaticus, *auditis etiam reſponſionibus ejuſdem* Palmarii *in eum finem articulo ſpeciali citati; Collegium Medicorum in Academia Pariſienſi legitimè congregatum, unanimi conſenſu libellum illum erroribus, fraudibus, impoſturis, & mendaciis plenum damnat, & indignum luce judicat. Statuit, ut* Palmarius *intra ſex menſes ejuſmodi errores, fraudes, impoſturas, & mendacia ſcripto publico agnoſcat, & abjuret, profiteatur ſe in* Hippocratis, Galenique *doctrina & Scholæ Pariſienſis diſciplina conſtanter permanſurum; Interea privetur omnibus Scholæ emolumentis erogandis Noſocomii pauperibus. Huic decreto ſi intra ſemeſtre non ritè ſatisfaciat, è doctorum regentium Catalogo expungatur, omnibuſque Scholæ emolumentis, Academiaq; privilegiis ſpolietur, &c. Datum Pariſiis* 28. *Jan.* 1609.

Talis fuit, quam ſuprà exhibuimus *Joannis* 22. contra Alchymiſtas Conſtitutio, quæ hujuſmodi *Chryſopœos* non ſolùm profligandos, ſed & ſummo rigore juſtitiæ quibuſcunque pœnis, ceu de crimine falſi reos puniendos, eorumque libros flammis conſecrandos decidit. Quod ſi hodierna quoque die fieret, non tot ſcandalis, tot impoſturis, tot portentoſis ingeniorum partubus in commune tum politicæ tum literariæ Reipublicæ detrimentum Pſeudo-Chymici quà ſcriptis quà factis ſævirent. Sed idem, quod *Tacitus* olim de Aſtrologis contigiſſe dixit, id in hunc uſque diem de Aſtrologis & Alchymiſtis verificari videmus. *Tale*, inquit, *genus hominum ſemper proſcribetur, & ſemper tamen retinebitur.*

Non neſcio futuros ex Chymicaſtris veritatis oſoribus, qui petulanti lingua contra me ſint inſutrecturi, meamque mihi inſcitiam ſint objecturi. Sed nil moror, non mihi cum tonſoribus, ac imperita Alchymiſtarum plebe negotium eſt, ſed cum Philoſophis, rerum uſu, & experientia doctis ἀληθεοφίλοις, qui ſi ritè meam de Alchymia Cenſuram æquâ rationis trutinâ expenderint, illud, quod dixi, non facilè negârint. Germanus ſum, germano pectore veritatem profiteor. Poteram & ego innumera ſub ſpecie veri, *tranſmutatoriæ artis* arcana adducere, ſed abſit ab humano pectore tale ſcelus. Novi quid Natura poſſit, quid non poſſit: Novi. Naturam ab Arte ſuperari nunquam poſſe, niſi forſan hi θεογιγαντομάχοι quidpiam excellentius, quod fatentur paſſim, arte humana, quam Deus per naturam, quam *Plato* artem Dei appellat, efficere irreligioſiùs attentent, ipſi quid dicant, viderint.

Sed forſan hoc loco mihi obſtrepent: Mirari ſe, carbones, cineres, & furnellos nunquam expertum me, arcanorum præterea Chymicorum imperitum, nihilominus in artem à me non exer-

citam temerario auſu inſurgere non eſſe veritum. Non eſt, quod ipſis reponam; num expertus, num imperitus ἀπειρατος καὶ ἀνεγχειρητικὸς ſim, meum non eſt determinare: meam in *Empirica Philoſophia* exiſtimationem Orbi Literario ex operibus qualiacunque tandem ex ingenii mei imbecillitate hucuſque prodierunt, decidendam committo: æqua ac iniqua judicia æquo animo laturus. Verum tamen eſt, manus carbonibus, lutoque non me commaculaſſe, facieni barbamque favillis non oppleſſe, noxios, ac virulentos mineralium halitus tanquam malorum omnium lernam ea de cauſa ſemper deflexiſſe, ne eorum ſocietati jungerer, qui ambuſto fumis, fuliginibuſque cerebro quam graviter laborarunt ſemper, tam turpiter philoſophati ſunt. Ego *experimenta rerum* unicè ſemper me ambiſſe fateor, ea tamen, quæ fumos, lutum, carbones, quæque culinam, tonſtrinamque non olerent, verùm quæ honeſto labori non adverſarentur, illas tamen viliſſimi laboris ἐγχειρήσεις nequaquam repudiandas duxi, ſed eas non ſine exiguis expenſis à Manipulatoribus, ut vocant, me præſente in Collegii Romani Ergaſterio, rebus omnibus ad Chymica experimenta perficienda neceſſariis inſtructiſſimo, conductis in hunc finem, uti paulò ante dixi, Manipulatoribus Germanis, Polonis, Gallis, Italis, fieri curavi, adeóque certò tibi perſuadeas velim, nil in hoc opere experimentorum adferri, quod partim per memet, partim per dictos laborum peritos Chymicos in mea præſentia, non comprobatum ſit. Meum erat jubere, modum præſcribere; illorum, juſſa præſcriptaque executioni mandare, quemadmodum Medicos dedecet compoſitiones medicamentorum facere, venam aperire, clyſteres inferre; ſed id partim Pharmacopœis, partim Chirurgis, quorum id proprium eſt, commendare aſſolent. Architectus calcem, & cœmentum non præparat, ſaxa non expolit, ſed in ſua præſcriptione latomis, & murariis juxta prototypon coagmentanda committit. Sed ut tandem huic libro coronidem imponamus.

Lectorem noſſe velim, mihi hoc loco tantum cum Alchymiſtis iis, qui lapidem illum inutili labore haud ſecus, ac *Diogenes* dolium illud ſuum, nunc volvunt, revolvunt, devolvunt, circumvolvunt, cæteriſque Pſeudo-Chymiſtis negotium eſſe; ne proinde me aut *Chymiæ* contrarium eſſe exiſtiment; novi enim ejus ſummam dignitatem, & excellentiam, eamque ſemper veluti unicam Philoſophiæ naturalis, ac Medicinæ ſecretioris portam qua ad intima quævis Naturæ Myſteria aditus nobis concedatur, ſatis deprædicare non deſino, neque μισοχυμικὸς apud Medicos, Chymicoſque uſu rerum, & longa experientia ſingulares, dum forſan ſeveriùs in Alchymiſtas invehor, intelligi velim; neque Principes, qui non divitiarum cauſa, ſed laudabili curioſitate ducti, hujuſmodi experimentis ad mentis relaxationem conciliandam poſt graviora negotia oblectantur; neque hos tactos velim, qui non auri amore, ſed veritatis inquirendæ gratia hujuſmodi exercitiis ſubinde vacant.

CONCLUSIO.

Atque ex dictis *Lector* haud dubiè luculenter intelliget, quantum nullo non tempore ſacra *auri ſitis* humanas mentes oppleverit, quanta cura, & ſollicitudine ejuſdem poſſeſſionem ambierint, quibus laboribus ac periculis ad illud acquirendum ſeſe expoſuerint, vel ipſa monſtrante Natura, aurum inventione laborioſum, cuſtodiâ difficile, quæſtu anxium eſſe, uſu inter voluptatem & dolorem conſtitutum, ut proinde nemo veræ ſapientiæ deditus illud multum quærere aut deſiderare debeat. Beatus proinde, qui deſpectis repudiatiſque hujuſmodi vilis terræ lenociniis, iiſque non niſi neceſſariis contentus, tranquillam & ab omnibus animi Pathematis depurgatam vitam ita componit, ut illud *Sapientis* verè & ex animo exequatur conſilium: *Paupertatem & divitias ne dederis mihi, ſed victum tantum tribue neceſſarium.*

Deſinamus itaque in hoc perpetuo caducarum rerum æſtu firmitatem quærere, glandes porcis committamus, bobus fœnum, ranis, corviſque ſenſibile tempeſtatum præſagium, ſordidam auri voraginem avaris. Nos altioribus nixi principiis, quæ ſtabilia, non quæ fluxa, in hac ſublunaris Mundi œconomia, non quæ volubili ſubjiciuntur tempori bonis, ſed quæ ſempiternis ſupra cœlum theſauris ab omni ærugine, bruchorumque detrimentis longe ſemotiſſimis comprehenduntur, omni ſtudio mentiſque contentione invigilemus.

FINIS.

SUBSECTIO

SUBSECTIO SECUNDA.

Interpellatio brevis ad Philosophos pro LAPIDE PHILOSOPHORUM, *contra Antichymisticum Mundum Subterraneum Patris* Athanasii Kircheri *Jesuita, Authore* SALOMONE DE BLAVVENSTEIN.

Sophi, Philosophi, Physici, Metaphysici, Chymici, Alchymici.

PATREM Athanasium Kircher Jesuitam nuper ex hypogeis, ichthyotrophysque suis subterraneis, nescio quâ adhuc nyctalopiâ oculorum intellectualium laborando, badizantem reducem, ad lapidem vestrum Philosophicum tam durum impegisse, stomachabundique instar illum præ nimiâ irâ mordentem in Vos Projectores à Deo benedictos atræ bilis vitiô ex mundi sui subterranei venenosis fuliginibus infestum stomachum movisse, ut in omnium odium contemptumque vos indiscriminatim abduceret, planius est, quàm ut debeat explanari.

Quapropter ne maledicta quibus in vos liberiùs, quàm doctiùs modestiùsque debacchatur feratis, & sermones ejus malè feriatos, quibus in Vos membratim grassatur, patiamini, vulgusque ideo impostorum, quarum Vos ibidem identidem in arte totus ruralis postulat, si silentio has prætereatis, reos esse suspicetur, vestram fidem, vestrum candorem, vestram experientiam, expertus quoque duxi interpellandam.

Nullus ambigens quin mihi Alumno vestro pro virili sitis gratificaturi, & pro possibili effrænatum hujus Antichymistæ calamum sitis correcturi, ubi illius frivolas, quas contra Lapidem invulgare aggreditur rationes, breviter & perspicuè facili buccâ exsufflavero, rimasque per quas lippis oculis in laboratoria nostra introspicere attentat, Philosophorum sapientiæ lutô obstruxero. Non tamen est animus illum quem verbis tumidis & lapsantibus araneosum texit contextum ex integro allegare, quo tanquam Architæ crepitaculum in libri undecimi mundi subterranei sectione secunda nihil non blaterat, quæ tamen jam olim scopis sapientiæ eversa, facta sunt verorum Philosophorum peripsemata; Sed brevitati studens Aliisque plenius Eum refutandi provinciam deferens ad ratiocinii limam P. Kircheri argumentorum scrupulos revocare, quibus cum suis Gigantibus Philosophorum gesticulatur oppugnare Cœlum, ut non ex ungue Leonem; sed ex ungula quilibet pergam facile, qualis hac in arte existat, possit dijudicare.

Licet enim P. Kirchero in Astronomia, Astrologia, Statica, Optica & aliis disciplinis, inter Literatorum hujus temporis confessus, insignes lubens assignavero gradus; In Chymia autem, Alchymia, aliisque huc spectantibus absconditæ naturæ myrotheciis Illum excusso emunctóque esse judicio æstimare, scripta illius, quæ hoc in passu publicæ orbis scenæ audax magis, quam versatus propinat, delibata seipsis oblectantur.

Qui enim in dijudicandis litibus & arbitriis inter dissentientes æquus erit æstimator: adducendis P. Kircheri rationibus quibus Alchymiam subvertere irritô conatu nititur, albâ amussi ponderatis, Ille pronunciatum Hannibalis adversùs Phormionem semper togâ indutum, nunquam Bellonæ discipulum, multa nihilominus de sago seu Imperatoris officio facundè magis, quam expertè differentem: *Multos deliros senes vidi; sed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidi neminem &c.* imperterritè contra P. Kircherum quoque personabit.

Sibi quoque P. Kircherus imputare debebit, si posteaquam adeo libuit doctrinâ, ingeniô & calamô abuti, ut præstantissimorum virorum famæ parcere nesciverit, omnibúsque impostorum Theta inusserit, impicaverit, sordidaverit: etiam quæ minus arriserint, vim vi repellentibus similibus armis, hoc in brevi scripto percipere cogatur, & ultra crepidam prosiliens sutor in ordinem redigatur.

Nam qui importunâ nimis & impudenti temeritate fretus, in chartas projicit & venalia orbi literario exponit quæ libent, hic quoque quæ non lubent, sæpius audire neutiquam debet gravari. Ad Rhombum. Ordine secundum novenarium, quem invitâ minervâ & aletheâ aggregat de Lapide Philosophorum capitum numerum, singula erudero, & propono argumenta.

Capite Primo

CONtra Lapidem Philosophorum hæc in substantia adducit: cætera verba Thersitis sunt, quibus inexpertè cornicatur.

Alchymici 1. *non conveniunt in definiendo Lapide Philosophorum.*

2. *Varia nomina illi imponunt.*

3. *Inter se non sunt unanimes.*

4. *Magna est difficultas in conficiendo Lapide.*

5. *Circulus in determinatione Materiæ.*

6. *Nullum lumen in Processu de Lapide Philosophorum capimus.*

7. *Verba Theophrasti & Azoti non concordant praxi.*

Ex singulis concludendum est secundum P. Kircherum: *ergo non datur Lapis Philosophorum.*

O misera Conclusio; Actum est de Philosophis, heu. Ridete. Brevius totum hunc apparatum contraho. *Obscura sunt quæ de Lapide Philosophorum scribuntur ab aliquibus.* Et sic hunc formo syllogismum:

Quandocunque obscura sunt, quæ de aliquo ente ab aliquibus Autoribus scribuntur, tunc illud ens non datur, atqui *obscura sunt quæ de Lapide Philosophorum ab aliquibus Authoribus scribuntur,* ergo *Lapis Philosophorum non datur.* Quis Trivialium, quis vel mediocriter versatus hanc majorem concesserit, nisi omnia mysteria fidei, omnia abdita Sacramenta impiè cassaverit? Eu tu mi Pater Kirchere (abstrahendo à Lapidis veritate vel falsitate) si Lapidem conficere nosses, teque id scire divulgare velles, ne hæc ars ignavia hominum interciderent, aliter scriberes?

non faceres, niſi totus delirares. Quanta enim inde inordinatio exordiretur, ſi omnibus liceret eſſe divitibus auroque abundantibus, quis Tonſor non videat? Nec fruſtra ait Salomon in ſuis Proverbiis cap. 10. *Sapientes abſcondunt ſcientiam: os autem ſtulti, confuſioni proximum eſt.* Et ſi primi in hac ſcientia Patres, Kirchero teſte, hic *Sect. 4. cap. ultimo.* elegerint Sacerdotes & Philoſophos quibus unica ad Regni ſolium ſpes erat; ut mentis ſuæ arcana per Hieroglyphica illis exponerent, quando dumtaxat docebant exponebantque, quomodo natura produceret metalla, variæque deprehenderentur Mixtorum Symphatiæ: Qui ſuccenſet Philoſophis, dum obſcurè de lapide ſuo ſcribunt, cum & ferè omnes in propriis ſcriptis de ſe non ſolum idipſum confiteantur, imò quod ſtudioſè & libenter ſibimet contradicant, in ipſorum monumentis nihil reperiatur frequentiùs, ut naturæ graves indagatores in illis inveniant quæ ſe exercendo contemplentur, ignavum vulgus nihil non offendat, quò ab hac arte abſterreatur, omnes tamen ad unum veros Philoſophos qui verè talem theſaurum poſſident eſſe unanimes in materia Lapidis, vel ipſa natura dictat, cæteros verò ex Philoſophorum albo eliminandos eſſe, quiſque facilè præbebit conſenſum. Quod autem variis terminis uſi, varias ipſis impoſuerint ſignificationes quas ad lapidem vel ex parte vel ex toto retulerunt quid refert? ſi enim Aſtronomis non vertitur vitio, ubi pro imaginatione varia, variis imaginibus cœlum ſidereum imaginativè depingant, iiſque varia variorum animalium nomina affricent: cur non licebit Philoſophis Alchymicis pro variis mutationibus, quas in lapidis præparatione venantur, variis quoque vocibus illas verè ſimilitudinariè exprimentibus, Lapidem ſuum exornare; denique non omnes Lapidis divitiis nobilitatos fuiſſe contendere volo, qui de Lapide ſcripſerunt, ut commune quoque hic exulet adagium: *Scribimus indocti, doctiq; pœmata paſſim.* Sed pro comperto habetur multos animò prurientes ſimilia exaraſſe: vel ut vitam tolerarent, vel aliquod nomen apud indoctos ſibi conciliarent, ſicut & in patulo eſt, veros Philoſopos quoſdam vel invidiâ adactos, vel aliquâ alia ratione preſſos contrariò colore veritatem defuraſſe. Ex quo facilè conſectarium elicitur: Quæ de Paracelſo, quæ de Azotho, quæ de aliis oriuntur, fuerint ut fuerint, veros Philoſophos non tangere,

Quod autem P. Kircher ait de difficultate in lapide conficiendo, ex ipſius inſcitia oritur, dum divinat lapidem confici debere ut metalla in mineris ſuis ſubterraneis plaſmantur. Notum enim eſt, ſi Philoſophi in ſuo ŏpere cogerentur temperare calorem ut natura, ſulphureo mercurialem vaporem adhibere ut natura, matricem excogitare ut natura, priùs Artifici deficerent etiam neſtorei anni, quàm omnia ad fabricandum lapidem in paratis haberentur: verùm hæc ulteriorem refutationem non merentur, ad caput ſecundum.

Capite Secundo

IN quo quærit de poſſibilitate tranſmutationis, ne unicam rationem proferę, quâ impoſſibilitatem tranſmutationis aſtruat, poſſibilitatem tollat. Initio ſolùm crambem coctam recoquit & naturæ laborem in metallis generandis plangit; quem laborem nos quoque naturæ in prima metallogeneſi cedimus *Sed nihil ad nos.* Deinde aſſerit ſpeciem non poſſe mutari in ſpeciem. *Et ego aſſero, quia nulla datur à parte rei ſpecies abſtracta ab individuis.* Hic concedit Bachonio ſubjectum unius ſpeciei, nempe materiam primam, poſſe fieri ſubjectum etiam alterius ſpeciei *Et ego concedo, quia materia appetit omnes formas.* Denique cum Paracelſo tricas quærit & quinque experimenta, quibus tranſmutationem aſtruit, evertere conatur. Quamvis ad propoſitum nihil nobis cum Paracelſo, quia ut ſupra dictum, ab omnibus Authoribus, authoritatibuſque in particulari abſtrahimus, nec ſub incudem vocare volo, quidnam in arte tenuerint, quidque ignoraverint. Unicum tamen contra P. Kircherum dum ſcilicet Tranſmutationem ferri in cuprum per aquas vitriolatas difficulter eludi per corpuſcula venerea, quæ vi magnetica attraheret Mars. Nimis enim clarum eſt torum ferrum in Venerem mutari ut ipſe Agricola Chymicis aliàs inviſus teſtatur *lib. 1. de natura Foſſil. cap. 2. & lib. 11. de re metallica.* Qui etiam *lib. 11.* cum Lazaro Erckor, Faxio & ipſa experientia conſonat æs ad regulum excoqui non poſſe, quamdiu aliquid ferri in ære lateat. Hoc autem æs ex ferro factum optimò modò ſic excoqui poſſe, vel ipſi hebetes Ruſtici in Goſlarienſi vicinia ſciunt. Et certè ſi tot corpuſcula ærea ab hac aqua advehantur, cur ſine ferro minore labore non ſeparantur? Denique fictitia eſſe hæc corpuſcula ſi labores ſpagiricos in evaporatoriis hæc aqua ſubeat, quiſque oculis cernet quæ tam liberè cum muco emungit P. Kircher. Verùm hæc non moror, remitto, P. Kircherum ad rudes fuſores & Carabarios, qui cum cachinno hæc corpuſcula ex ſuis officinis, ne hircquos gravent, viſuique noceant exſufflabunt. Quid multis? poſſem & ego dare aliud Epicherema P. Kirchero ſi mihi per 3. horas duntaxat adeſſet, & incredulo palpandum præbere, quomodo ex puro puto argento, toto quanto, fiat putum aurum additione ſimplicis ſalis præparati ſine aliquo vel minimo addito. Nec tali maniâ laborare exiſtimem P. Kircherum quod etiam in Sale communi creet corpuſcula aurea. Quouſque homines inexpertos ducit cœca ignorantia: Tranſmutationem negat ita liberè, ut ſibi imaginatur illam non dari: nec unicam rationem affert quæ ſolum illam impugnare auſit? Verùm totus in hac arte rudis mutos Philoſophorum aliquorum libros hic rodit, qui tamen ad rei veritatem nihil faciunt. Non enim ſequelam hanc approbabit ratio *Quia tres vel quatuor Philoſophi ſive veri, ſive ſuppoſititii de lapide Philoſophorum hoc vel illo modò malè vel benè ſcripſerunt: ideo datur vel non datur lapis Philoſophorum.* Et certè quid facilius in praxi, quid in intellectu clarius, dari tranſmutationem metallorum, ubi ſemel ſibi quis perſuadere, quod vetat, poterit Metalla non ſpecie, ſed ſolummodo per majorem, vel minorem digeſtionem (quæ fit per ſulphuris ſui maturationem mediante decoctione) diſtingui? Jam enim ab immemorabili tempore ſcamna in ſcolis noſtris triverunt deſcriptiones Metallorum: quod nempe *Aurum* ſit metallum è ſulphure rubeo ſubtiliſſimo puriſſimoque factum. *Argentum*, metallum ex puro albo mercurio & ſulphure ſimiliter claro & albicante genitum. *Æs*, metallum è ſulphure craſſo rubeo & mercurio paululum impuriore. *Ferrum*, metallum è mercurio immodico & ſulphure ſpiſſiore utroque impuro & adurente. *Plumbum*, metallum impurius è mercurio admodum impuro, craſſo & fœculento, & ſulphure quoque impuro. *Stannum*, denique ſit metallum ex mercurio albo in ſuperficie & rubeo intrinſecus & ſulphure

non

non bene commixto natum. Hæ descriptiones ita communes sunt ut vix præ nausea, illas adhuc semel hic potuerit calamus eructare. Depura igitur quæ impura sunt, matura quæ minus cocta, frixa quæ nimis elixa & semper transmutationem non substantialem, quia falsum est substantialiter, ut jam dictum metalla inter se differre; sed accidentalem perages. Et certè ad pontem Asinorum relegandi, qui talem specificam distinctionem aliqua tolum δοξομανίᾳ furiosi astruunt cùm ignorent, quid sit distinctio specifica. Ostendant mihi hic aliquas proprietates sequentes ex aliquibus differentiis, quæ aliquam genericam contrahant naturam, ut essentiam constituant specie ab alia distinctam. In metallis non reperient nisi colores & majorem minoremve ductibilitatem, fixitatem & puritatem. Quis jam, vel mediocriter quamcumque Philosophiam veram doctus, dicet colores, vel majus & minus facere distinctiones specificas, nisi ipse à Philosophis aliis specie distingui velit. Adeoque P. Kirchero sufficit asserere ἀδύνατον esse transmutationem metallorum, non audet differere, quasi illius oraculis ex tripode ignorantiæ dictis cogeremur assentiri, vel potius vellemus assentiri. Plus ultrà.

Capite Tertio

OPerosè lapidem Philosophorum conficiendi modum & rationem narrans narrat. *Quorum Philosophorum?* Aliquorum Arabum, Raymundi Lulli, Joannis Azoth, Bernaudi. *Quid inde?* ait inter se discrepare: aliquos aurum requirere, aliquos non. *Quid plura?* Artifici Chrysopœjo nulli fidem ullam habendam. *Quare?* quia ad aliquam sibi famam acquirendam quidlibet pro quolibet posuerint, & cùm verba clara sint, praxis non correspondet. *Quid tum?* ergo non datur lapis Philosophorum. O præclara consequentia! Inserite illam vestris annotatis Philosophi, vel cerre sculpatur in silice, ne pereat. Quantum audio, quantum capio. P. Kircherus vult tradi sibi hanc artem claris, rudibus, planis, apertis, perspicuis, pinguibus & crassis terminis, & hoc in libris totô orbe divulgatis. O ruditas, ô crassities, ô pinguedo animi, qui ignes, abyssos, dracones, homines, monstraque subterranea quærit, hanc artem nobilissimam in officinis Typographorum investigat & venalem venatur! Intelligitne Kircherus quid sit aurum Philosophorum, quandonam aurum vulgi, & quomodo requiratur ad lapidem, quomodo Philosophi inter se reconciliari possent? *Quomodo intelliget nisi aliquis ipsi explicet?* mittatur ergo ad illum Oedipus, vel Philippus, qui ignorantem quid legit doceat. Sed quia nullus nullo comitante spiritu comparet, iterum invehitur in Philosophos & dentatô calamô totus spirans passionem illos lacessere aggreditur. Quo defatigato & nihil proficiente iterum anilem incipit litem & ad rationis entitatem convertitur bombum bombilans & hoc de semine auri argumentum torquens. Vel enim semen auri illud est suæ speciei multiplicativum, vel non, si prius erit vegetabile & consequenter metallis est attribuenda vita; si verò semen non sit nisi analogicè vegetabile, idem dixeris hominem pictum hominem verum generare posse. Si verò dixeris id quadam modificatione esse semen auri, uti turba dicit: errorem majorem incurres cum modificatio sive modus, utpote purum putum accidens nil substantiæ superaddat. *Est-ne hic finis homiliæ super verbum semen?* Accipe Glossam. Quis unquam verus Philosophus asseruit Lapidem Philosophorum cum semine convenire nisi similitudinariè, hôc modô: sicut semen projicitur in terram ut inibi mortuum fructum centuplum afferat, ita lapis Philosophorum ptojectus super metalla imperfecta illa in aurum vel argentum tingens fructum centuplum affert. Vides similitudinem cadere super projectionem & non super semen, alias lapis Philosophorum deberet aliquamdiu in metallis recondi, ibidem germinare, florescere, nihil mutando de terra sua metallica ut semen facit, quæ sunt falsa. Et certè si Argumentum Kircheri valeret, homo comparatus asino vel appellatus asinus, asinus esse per fas & nefas essentialiter cogeretur, ut cuilibet applicanti textum textui patebit. Sed ludicra ludicris. Non tam pinguibus manibus sacra Philosophorum tractentur. Prosequitur,

Capite Quarto

ET perfectum Artis Magnæ Magisterium à Lullo, Azotho cæterisque examinat. Huc itaque semper tamquam ad arcem & caput, ut putat examinis albis quadrigis properat Kircherus; cùm tamen semper buccinis canam surdo allegationes scriptorum ob diversos ad quos collimarunt fines hujus artis veritati nec derogare, nec illam statuere, & nisi rationes adducantur similia responsione indigna judico. Quid veris Philosophis qui hunc thesaurum possident cum Theophrasto, Azotho, Trebellico, ab Africa? quid cum Cibinensi, Riplæo, (quem ex ignorantia vocat ubique Riphæum) Sendivogio, Lullo & centum aliis de quorum ἐγχειρήσει vel nihil vel parum P. Kirchero constat. Modestiâ tamen suâ me judice P. Kircherus majorem sibi hominum benevolentiam adglutinasset, si non omnes eodem pectine depilasset, aliquorumque famæ magis Christianè novisset parcere, maximè Michaelis Sendivogii Equitis Poloni, cujus adhuc clara posteritas longâ majorum serie decoratur, suspicitur, honoratur, quem tamen in hoc capite ut impostorem ore durissimo & inverecundo calamo tamquam Duci Würtembergensi imponere voluisset ex rei gestæ crassa, si non affectata & supina ignorantia non puduit traducere. Rem gestam itaque veris recito ex meliori fundamento periodis. Müllenfelsius, nescio à quo tincturam aliquam suffuratus, aliquoties factâ projectione palam Duce & pluribus sæpius tinxerat, artemque hunc conficiendi lapidem se callere asseveraverat, inque hunc finem pecuniam à Duce extorserat. Sendivogius hujus artis quoque gnarus famâ Müllenfelsii percitus illum in Calegiæ Metropoli: vel ut veritatem rei perscrutaretur: vel ut Müllenfelsii aures vellicaret, convenit. Conventum impositorem offendit. Offensum Duci, coram quo quoque projectionem Sendivogius peregerat, denuntiat. Müllenfelsius subolfaciens quod rei erat, se tenebrosum in conspectu hujus Lucis subsistere tandem non posse, Sendivogium extra civitatem invitatum supposititi Principis decretô quod falsificatô sigillo subsignaverat officialibus exhibito, extraneum hunc hospitem custodiæ ut mandarent, astu vulpinô procuravit, Vestesque quibus innocuum spoliare jusserat, tincturæ inveniundæ & subripiendæ gratia perscrutatus de Principis, ut ajebat, commissione Sendivogium nequiter custodiæ reliquit. Sendivogius ita delusus cum custodia arcta non esset, Hamburgum evasit. Quò totam rei gestæ seriem

Duci literis conqueſtus, effecit ut poſt examen Müllenfelſius impoſtor arctiori Carceri traderetur, examinaretur, & poſt culpæ confeſſionem ſuſpendio conſumptus fieret infamis ligni appendix ſimiliſque farinæ furunculis, quæ horrerent, veſtigia teſtaretur. En veriſſimam, genuinam, ad amuſſim examinatam & ſinceram commemorationem. Eat nunc P. Kircher contra Chriſti Evangelium & evaginatâ linguâ Sendivogium impoſtorum nigro inſcribat. Eat & incautus mundo ſuadeat illum non comparuiſſe. Næ famæ hujus clariſſimi Viri quam furatus eſt ex conſciente ratione manet obnoxius. Coronidis hic loco cavillat cenſuratque P. Kircherus aliquos Principes, qui dum huic Philoſophiæ nimis operoſam impendunt operam, res publicas ſibi concreditas negligunt. Si qui ſint, ipſi viderint, ipſiſque concionetur Kircherus ſeverus nimis forſan cenſor. Mallem rationes contra lapidem quas hic videtur velle adferre, ubi caput his verbis concludit; *Jam ad rationum pondera* (bullas) *progrediamur, quibus Deo dante* (philautiâ inſtigante) *Alchymiam, cujuſque paulo ante adductos proceſſus* (nihil ad nos) *non tantum vanos & irritos; Sed & indignos eſſe qui à Principibus aut admittantur, aut in admiratione habeantur, luculenter demonſtrabimus.* Arrigite aures ventilentur pondera, ſequenti igitur

Capite Quinto

PRoceſſus jam relatos & examinatos iterum refert ad nauſeam & examinat, perpetuas agendo nugas. Verùm quia ſupra buccinis crepitavimus, addamus & tympana: Proceſſus nempe aliquos obſcurè ab aliquibus in chartam projectos non urgere, ſed permittamus hoc iracundiæ Pater Kircher: probet dumtaxat nobis primam ſuperius aſſumptam aſſumpti partem ſcilicet: *Et Alchymiam & Proceſſus iſtos &c.* indignos eſſe. Proceſſus Kircher non intelligit. Alchymiam indignam, vanam, & irritam eſſe ipſi incumbit demonſtrandum. Videamus igitur quid contra eam hoc capite afferat.

Primò *Contradictio ſufficientiſſima in Philoſophorum ſcriptis reperta id demonſtrat.* Tranſeat reperiri contradictiones. Quid inde? nego illas quidquam demonſtrare, quidquamve arguere: jam dudùm enim conceſſimus non omnes hanc adiiſſe Corinthum, quos ſcribendi Cacoëthes inſtimulavit, nec ſcripta veritati lapidis derogare, nec falſitatem, ſi aliàs lapis, & nihil aſſerere, P. Kirchero detur, demonſtrare. Sic placet diſſerere, ſed audiamus qualeſnam contradictiones in Philoſophorum ſcriptis offenderit: Dicunt Alchymiſtæ, ait, aurum quod lapidem conſtituit non eſſe aurum; mercurium in arte magna non eſſe mercurium; ſed aurum & mercurium in aliam formam meliorem abiiſſe. *Qualis hic contradictio mi Pater?* Aurum & mercurius non ſunt aurum & mercurius ut ante; ſed aliam formam induerunt. Certè Logicæ præcepta non benè calles. Inſtas: *Illa forma melior eſt vel ſubſtantialis vel accidentalis. Concedo non ſubſtantialis tranſeat, nec etiam accidentalis, nego.* Ubi eſt tua probatio P. Kircher? proſequere argumentum. Sed ſiles, taces, obmuteſcis. Quare enim auri accidentalis forma qualitatis prædicamento ſepta, & habens latitudinem ſcilicet gradus & gradus, non poſſet majorem & majorem adipiſci perfectionem? & conſequenter, cur aurum non poſſet dici non aurum quod prius erat & aliud adjectivè, modo non dicatur aliud ſubſtantivè? Quare idem de mercurio dici non poſſet. Interroga triviales Logicos. Ubi eſt ergo Contradictio quam toties triumphalis, Quirinali inferre promittis. *Quaris ergo, unde provenit auro tanta excellentia?* Reſpondeo, ex ſuo principio excellenti, excellentius ipſi addito quod Philoſophi intelligunt per ſuum ſemen auri vivificativum, per ſuum mercurium, per ſuum Azoth, per alios terminos quoſcumque. *Anxiaris ut nos angaries & replicas, quid eſt iſtud Principium auri excellens, excellentius auro additum?* Reſpondeo, Procul hinc, procul eſte profani. Plura unus ſtultus hic quæret, quam decem ſapientes ſint illi reſponſuri. Hic Rhodus, hic ſaltus, Libenter ut audio rem ſcires, libentius occultabimus. Oedipos alios require, vel naturam mitius diſce perſcrutandam. *Rides & exclamas: ô helluina Philoſophia!* Deridemus & reciprocamus ô Belluinum Philoſophum, qui hanc artem tam pinguiter mundo vult propalari. *Concludis: ergo nulla eſt hac Philoſophia.* Quare, quia illam neſcis? negamus, repugnamus, reluctamur. Proſequitur &

Secundo objicit ſtultam eſſe Alchymiſtarum pollicitationem, & ſtolidiſſimas jactantias. *Quare?* quia dicunt Lapidem ita fœcundum ut in infinitum poſſit multiplicari in virtute, ut ſi mare eſſet mercurius, poſſet totum tingi in aurum. Qualis in hac Theoria difficultas (in praxi enim ad ſummum quater à nobis poſſe repeti laborem qui ut inſipienter Antichymiſta blaterat, non fit per projectiones; conſtat ob vim Lapidis fulminatricem) major quàm in hac? ſi tota terræ machina eſſet pulvis pyrius, ipſiſque ſcintilla ignea admoveretur, tota conciperet ignem. Vel ſi Atlas quidam ſuccollans præ magnitudine cœlo ſepem ſerpentem calearet, vel à ceraſte imperceptibili ferè punctura læderetur, totô vaſtô corpore, venenô palante, brevi temporis intervallo inficeretur. Quare ad tantam perfectionem aliqua tinctura reduci non poſſet, ut ſemper & ſemper magis & magis tingeret ſi ſemper additione ſui principii intenſivè intenderetur. Et cur quam ſuperabundanter habet tincturam, metallis, quæ ex hoc principio in gradu remiſſiore ſunt plaſmata, communicare nequiret, modò metalla ad illam recipiendam eſſent diſpoſita? Et ſi experientiâ teſte, Kircheroque referente in tantam aurum redigatur ratiratem ab ipſa natura ut in exhalationem & ſpiritum quaſi abiens filamentorum in modum, lignorum medullis vel aliorum corporum meditullio ſe inſinuans ibidemque vi aſtrorum condenſatum verum puriſſimumque ſodalitate præditum auri ramentum ſe manifeſtat. Quale anno 1663. apud illuſtriſſimum quemdam Hungariæ Magnatem mihi familiarem Ratisbonæ in comitiis ſarmento innatum & extuberans vidi. Sicuti quoque multoties acinos aureos in uvis prope Tockaium repertos, in manibus habui. Quid mirum, ſi lapis Philoſophorum in perfectione tingendi abſolutus in minima quantitate in igne ſuper aliud metallum purificatum projectus, ſe tanquam ſpiritus extendat, & certam metalli quantitatem pervadendo, quaſi fulminando, in majorem fixitatem & citrinum colorem perducat? Hic tamen non volo diſputare utrum in infinitum ſyncategorematicè hæc virtus intendi poſſet, cùm hoc pendeat à quæſtione Phyſica infinita: *num in qualitatibus latis v. g. calore, detur ſtatus?* ad quam eos quibus hæc quæſtio placet, ablegamus. Si hæc Kircher capere necdum poſſit, ſuæ ruditati & hebetudini in hac arte adſcribat.

Nec

Nec est paritas in spiritu vini qui cohobativè purificatus unicâ suæ substantiæ guttâ hoc modo secundum P. Kircher, integrum dolium in vinum nobilissimum transmutare posset. Quæ enim proportio Metallis cum vino, ut quidquid fiat in metallis etiam locum debeat habere in vino & e contra. Deinde spiritus Vini depuratur semper suæ impuritatis aliquid amittendo; lapis Philosophorum non depuratur; sed intenditur semper sui perfectivi aliquid accipiendo. Denique spiritus vini fit ex vino, imò ex fece vini, quia nihil aliud est nisi sal volatile vini, lapis autem Philosophorum non fit ex auro aut aliis metallis; sed ex Principio auri seu aliorum metallorum. Et si stolidè forsan quærat, quare quoque non detur tinctura vini, ut aliorum metallorum? *Respondeo* 1. quare vinum non habet tale ut cœtera metalla principium? *Respondeo* 2. sicut ad hanc quæstionem responderi solet, cur homo est homo, & cur asinus est asinus? quia hoc est hoc & illud est illud. Quia vegetabilia sunt vegetabilia & habent talem naturam, metalla sunt metalla & habent aliam. Et quia semper in falsa sua suppositione cornicatur Kircherus, quasi lapis Philosophorum esset aurum depuratum, per suarum portionum decisionem. Consectariè falsas semper fabricat conclúsiones & suam ignorantiam in hoc mysterio confitetur. Persequitur Alchymistas &

Tertio objicit Quem, quæso, Alchymistæ demonstrabunt qui lapidis Philosophorum experientiam in tingendo sumpserit; neminem sanè, nisi mendacissimum, ne dicam mendicissimum impostorem. Licet hoc impudens objectum nullam meretur responsionem; sed tali multâ esset expiandum, quæ apud Germanos talibus objectionibus tanquam dignum patellæ operculum infligi; tamen respondeo: Et Principes & Magnates & Illustres, & Imperatorem Ferdinandum III. Fœl. record. Ipsum, hujus tincturæ experientiam sumpsisse dum unicô granô hujus tincturæ integram argenti vivi Marcam in verissimum aurum convertit. Et illa Persona honestissima quæ Imperatori Pragæ hanc tincturam dederat, etiam duobus abhinc lustris alibi in præsentia cujusdam Eminentissimi Principis Electoris, aliorumque Magnatum tinxit uno grano 60000. mercurii in verum aurum, sicut Clariss. Medicus Johannes Joachimus Becherus (ut, quos scio alios non referam indigno Antichymistæ) in suo Oedipo Chymico testatur. Investiget P. Kircher, antequam talia scommata evomat, quæ fuerit illa persona & reperiet illam nec mendacissimam nec mendicissimam fuisse. Scio alios licet raros & singulis horis forsan possem ipse alicui dare experimentum veritatis ut confunderem spiritum mendacii in ore P. Kircheri, si expediret. Et parum interest si à mendaci mendacibus forte quoque adscribar. Fingat P. Kircherus ita esse, & maneat similis figulus, donec semel confundatur, & ad retractationes scribendas se accingat. Quæ ulterius in hoc capite referuntur, nugæ sunt ad nauseam jam refutatæ & P. Kircheri puerascentis quisquiliæ, quibus ne una quidem, præter biliosi stomachi signum, salis mica inest: Accedámus igitur ad

Caput Sextum

IN quo omnia Chrysopœiæ tentamina frustranea esse ex ipsis Alchymistarum Coryphæis Arnoldo, Theophrasto, Villanovano demonstraturum se promittit. Sed En tibi lector qualis imperitia ex Arnoldo & Villanovano ex nomine & cognomine duas facit personas, certè putaverim vix ullum chymicum à Kirchero lectum. Quousque imperitia hujus hominis aduncô nasô orbem literarium suspendet? hic iterum cuculum sequitur & eodem semper cantu verberat aërem, videturque ex hoc capite Philosophorum lapidem destruere velle quia male seu non satis manifestè Paracelsus & alii suis scriptis ejusdem compositionem inseruerunt. Insuper patitur scandalum non pusillorum; sed verè pharisaicum, quod sibi inspiratum lapidem aliqui asserant. Si lapidem habuerint (à quo semper astraho, quia satius judico de mortuis jam, & hoc sæculo defunctis, vel bene scribere, vel silentio defectus illorum præterire) quare dicere non possent se à Deo inspiratum, & largo modo revelatum obtinuisse lapidem cùm omne donum de sursum sit, & nihil sine DEO in quo vivimus, movemur & sumus, in hac peregrinatione & Lachrymarum valle peragere valeamus. Sed videamus quomodo ex Villanovano frustra probet Chrysopœjæ tentamina frustranea esse. *Trahit discursum Villanovani, in quo ex Philosophorum lapide integrantibus partibus eliminat omnia vegetabilia, omnia mineralia friabilia & sophistica mercurii & metallorum præparationes?* Ergone ut in titulo vanè gloriosus gloriatur Villanovanus, Theophrastus & alii lapidem Philosophorum negant, dum ex jam dictis non fabricari asseverant, ut pluribus, ne inanes expendant sumptus Christianâ charitate caveant? *O gerræ germanæ & adepol liræ liræ*, Plautus inclamitaret, si hæc audiret. Atqui hæ nugæ temni possent, modò illarum inscitia magno Philosophorum incommodo non esset nec Kirchero patrocinaretur. Concludit hoc caput, rejiciendo Arsenicum & vitriolum, cum revera nesciat quid per arsenicum & vitriolum Philosophi intelligant; quasi, ut supra inculcatum, Philosophis licitum haud esset pro libito suæ materiæ imponere nomina, & quasi cochlearibus ori omnium ingerere deberent; quod singulari Dei gratia obtinuerunt, & cujus revelatio toti mundo obesset.

Cùm jam satis sit debacchatus infrunito ore sine ulla ratione Kircherus contra Lapidem, rationes Philosophorum pro lapide quas sibi faciliores ut facilius solvat licet solvere non possit, coacervavit: aggreditur itaque

Caput Septimum

OBjiciunt inquit mihi *primò* Alchymistæ antiquitatem artis; *secundò* Aurum confectum hac arte tum à Veteribus, tum à modernis ex testimoniis fide dignissimis constare; *tertiò* viros Alchymistas veræ artis Professores, homines Deo devotos & religione sacrâ obstrictos fuisse. Hæc sunt argumenta secundum Kircherum Alchymistarum, quasi verò alia argumenta ipsis non suppeterent, quêis artem suam stabilirent? quæ tamen Kircherus cautè evitavit, licet nec has objectiones, ut jam visuri, solvere potuerit.

Ad primum igitur reponit artem à temporibus Romanorum Imperatorum non fuisse cognitam. *Unde hoc probat?* Ex sua libera quælibet falsa pro veris, incerta pro certis, & econtra effutiendi libidine. Certè omnes Libri Alchymici contrarium clamant, quibus omnibus faciliùs fidem Historicam adhibuero, quàm Kirchero suam vanitatem concessero;

& ſi eſſentiæ, veritateſque rerum ab æterno exiſtimentur apud Metaphyſicos fuiſſe, Hanc artem, quam veram veneror & ſcio, hâc quoque venerandâ canitie decoratam ſuſpicio. Quis autem primò eam in praxim redegerit, ut id à multis aliis artibus deploratur, ita quoque hic obſoletum eſſe curioſi rerum indagatores graviter conqueruntur. Quod autem aliqui Adamum, Chamum alioſque inventores hujus artis eſſe ſcribunt, ad cabalam pertinere autumo, Adam enim terram rubram ſeu rufam, Chamum calorem ſeu calidum Alchymici interpretantur, quod imperitus Kircherus ne quidem in ſuo œdipo, ſphynge potiùs potuit animadvertere. Quidquid ſit diu ante tempora Chriſti hanc artem floruiſſe conſtanter plura monumenta etiam manuſcripta, de quibus Kircherus numquam adhuc eſt informatus & apud quoſdam ſervantur, teſtantur. *Quod autem majores per ſua Hieroglyphica, quibus hanc artem myſticè tradiderunt, ne interiret ut aliæ artes, & occultarunt, ne in multorum perniciem omnibus innoteſceret, ſolum intenderent docere quomodo metalla producantur, variaq; ſymphatiæ deprehendantur* ut vult Kircherus: merum otioſum ipſius Kircheri figmentum eſt, ita ut qui libros eorum evolvit, plenâ meridie P. Kirchero candelam accendet, ut ſine conſpicillis conſpicillo fiat & cernat.

Ad ſecundum reſpondet omnia illa experimenta eſſe falſa & impoſturæ obnoxia. *Quare?* quia Kircherus non judicatus dignus, ut illi facta fuerit demonſtratio, & quia ipſe non vidit. Quid facilius quàm omnia negare, nihil probare, contra quos fuſtibus agendum eſſe jam olim Ariſtoteles Cenſor fuit. Ut autem liberius neget aurum ex quo poſtea cuſa eſt moneta, quam Roſam nobilem vocant à Lullo non confectum eſſe teſtem hic Paracelſum invocat, quem tamen ubique fere falſarium mordicus laceſſit & inſectatur. Item ex Rupeſciſſa textum (in quo ne verbulum tamen de experimentis artis falſis facit, ſolum difficultatem illius aſſeverat) inconcinnè inſerit quem tamen hominem Religioſum, & ſancto ordini ante mortem devinctum jam mundo defunctum, conviciatrice lingua confodit & omnem fraternam charitatem exutus, Illum Impoſtorum numero adſcribit, utque ſe bene feciſſe oſtendat, aliquos viri defectus, quos palliare debuiſſet potius, iterum rememorando, ſceleton ipſius corrodere ſatagit. Sic liberum eſt feſtucas in aliorum oculis cernere, trabes autem quæ proprium impediunt obtutum, non curare. Sic depuduiſſe licitum eſt ut omnium ſcripta negentur. Ex quo tamen ſequitur *baculus in angulo* in propoſito: Imaginemur enim illos quos recenſet artem haud calluiſſe & in aurum alia metalla non tinxiſſe, ergone propterea experimenta in arte neganda, ô inſania.

Ad tertium quaſi Paracelſus omnes conſtitueret Alchymiſtas, depoſtfœtantes Paracelſi ipſius defectus colligit & ſe vitiorum ſtercore conſpurcat Kircherus, fuerit ut fuerit Paracelſus jam à ſupremo judice judicatus eſt, Chriſtiane obiit, & Saliſburgi in noſocomio apud S. Sebaſtianum ipſius reconditur cinis, & legitur in Epitaphio quod Lepram, Podagram, Hydropen &c. arte ſuâ ſuſtulerit. Et ſi unus famulus de Paracelſo malè, alii attamen benè de illo locuti ſunt; inter quos eſt Franciſcus Miſnicus, qui poſt obitum Paracelſi, honorificentiſſimam de illius arte & vita ſcripſit Epiſtolam. Sed requieſcat Paracelſus. Requieſcat ſimiliter Arnoldus, quem pro more ſuo quoque inſequitur Kircherus, eò quòd Theoricè homunculum in vitro produci poſſe adhibito calore debito ſpeculatur. Et inter alia Kircherus ut magnus Theologus, *ſcilicet*, homunculum illum non fore obnoxium peccati originalis, quaſi verò iſte homunculus ſi talis produci poſſet, à quo abſtraho, non tam benè per ſperma à parentibus deciſum generaretur, ac ille qui generatur in utero matris. Kircherus ſemper rudis. Requieſcant etiam Fratres Roſeæ Crucis, quos magos detonat & inter quos etiam innocentiſſimum Sendivogium, qui in die extremi judicii ſuam procul dubio famam repetet, recenſet. Requieſcant plures alii, ſi malè vixerint. Judicati ſunt, malefactorum mercedem receperunt: Ex hoc tamen non ſequitur quod caput rei erat: *Ergo nullus Alchymiſta vir Deo devotus. Ergo omnes Alchymiſtæ malè vivunt.* Judicent Tonſores. Sequitur

Caput Octavum

IN quo agit de Dolis modiſque Alchymiſtarum; ſed abeant in malam crucem omnes impoſtores, deceptores, & doloſi. Quid viris cordatis, cum hac hominum ſpuma & farragine? Et ſicut non admittet hanc Kircherus ſequelam: *Aliqui Jeſuitæ ſunt, fueruntque doloſi, & Athei ut P. Valerianus ex aliquorum factis demonſtrare conatur*, ergo omnes Jeſuitæ ſunt tales; ita nec admittitur quòd ob hunc vel illum, hos vel illos malè feriatos, qui Alchymiſtæ non ſunt, ſed furciferi, omnes Alchymiſtæ ſint tales. Quia autem nihil aliud habet hoc capire, niſi quod certet cum quorundam & maculetur impoſturis accingor ad

Caput ultimum & Nonum

IN quo larvam aſſumens ſanctitatis, Philoſophos Dæmonibus terrefacere geſticulatur, aſſerens Dæmones ut plurimum ſe Alchymiæ operationibus immiſcêre, & in confirmationem neſcio quam fabulam fabulatur. Certè inficias non eo qui nullum alium in hac arte inveſtiganda præfigunt ſibi terminum, niſi divitias, non bene intendere, uti & hoc communiter aſſeri debet de foſſoribus, mercatoribus & aliis, ſed laborare ut inveniantur medicamina morborum, ut modus reperiatur quo ſine ullius damno innocentiſſimam quis vivat vitam, ut inventis aſſiſtatur proximus, honor Dei propagetur, & multa bona opera exerceantur: nonnè hoc ſanctum & beneplacens intentum? nonne hic ſimplex oculus qui totum corpus radiis ſanctitatis reddat lucidum? Et ſi P. Kircher ad propoſitum loqueretur, aliquidve dicere videretur, nullis hominibus pro ſuſtentanda vita, liceret eſſe ſollicitis.

Hic eſt Mus

Sophi, Philoſophi, Phyſici, Metaphyſici, Chymici, Alchymici:

quem operosè obſtetricante ſibi invidiâ parturivit Kircherus. Tantæ molis erat lapidem reprobare, qui fit in caput Anguli. Ex his omnibus perſpicitis ne unicam Patrem Kircherum rationem in arenam protuliſſe, quâ vel fundamentum hujus artis tangeret, multò minùs dejiceret; ſed illum nihil penſi moderatiqué habuiſſe, ut ſuis dictis talem habitum affingeret, qualem vanæ gloriolæ & alicujus Traſonicæ æſtimationis acquirendæ putavit conducere. Quidquid enim profert vel eſt rapſodia aliquorum circunforaneorum falſorum proceſſuum, vel aliquorum authorum ſcripta obſcura tangit, vel calumniæ ſunt intolerabiles, vel

fabulæ

fabulæ ex Patre Delrio & aliis tamen Kirchero modestioribus transumptæ, ut æquus lector, qui Narcissum exuerit, æquus erit æstimator. Ex quibus attamen tantum abest ut deducatur impossibilitas lapidis; verum solidiùs sapientum fabricæ sapientiæ cœmento inseratur. Si Kircherus abusus spuriorum Alchymistarum insectatus fuisset: non solum tolerandus sed laudandus foret; ubi verò usum Alchymiæ tollere, hancque nobilissimam scientiam, quæ verè donum Dei est exulem mundo voluit non solum culpandus, verum etiam ad palinodiam cogendus. Et quia multorum famæ detraxit, ut pœnam talionis subeat abstringendus, nisi putaverit in hoc tentamine personam sibi comicam impositam esse quæ Lectores suos ludat & nebulam pictam in pariete oculis venari jubeat. Jactat se Germanum germanâ veritate uti; Germanum concesserim; sed ignorantem Artis, sed Italianizatum. Veritas autem hoc Opere illius extorris est. Rationi quoque magis consentaneum judicassem, si disciplinæ suæ limites non prætergressus, illi diligentem operam navasset & illotis manibus falcem in alienam messem non misisset. Intolerabilia enim aliqua in hoc Mundo subterraneo & impertinentia invenietis utpotè Tom. 2. *lib.* 9. *sect.* 1. *de venenis. pag.* 123. Mercurium nedum calidæ, sed calidissimæ, esse naturæ, additâ hâc ridiculâ ratione, quia tenuem in substantiam abit, dum calore percutitur. Quâ eâdem ratione aquam calidissimæ naturæ esse dixeris quia abit in vapores. Terram calidissimæ naturæ esse, quia abit in exhalationes &c. quæ mediocres Philosophi scholis exturbabunt. Rationem Philosophi quam dat, non intelligit: dicit enim Philosophus attenuationem rerum à calore, condensationem provenire à frigore. Intelligendus vero est Philosophus: quando nempe corpora relinquuntur suæ naturæ & non alterantur. Adeoque Mercurius non alteratus est densissimus. Deinde Tom. 2. *lib.* 8. *sect.* 4. *fol.* 95. historicè refert hominem in Helvetia cum Draconibus subterraneis sub terra nutritum sale Petræ; cum tamen *Tom.* 2. *lib.* 9. *sect.* 5. *fol.* 3. & alibi dicat hominem non posse nutriri nisi cibis animâ aliquando informatis. Denique multa habet de Pyrophylaciis, de Hydrophilaciis, de Panspermia, de Medicis & aliis quæ manifestam involvunt falsitatem, quæque particulari volumine ubi vacaverit, studebo confutare non ut agam P. Kircheri Instructorem, quia ut ait Diogenes: νεκρὸν ἰατρεύειν καὶ γέροντα νουθετεῖν ταὐτόν ἐστι. Mortuum curare & senem erudire idem est; sed ut orbi literario innotescat P. Kircherum potius egisse Rapsodum, quam æquum rerum naturalium ponderatorem. Philosophi favete, valete.

Omnia Deo Devotorum & veræ Artis Alchymiæ cultorum censuræ, quæ hic scripsi, subjecta sunto.

FINIS.

SUBSECTIO TERTIA.

Tractatus de Tinctura Vniversali, *ubi in specie contra* R. P. Athanas. Kircker. *pro existentia* Lapidis Philosophici *disputatur*, Authore GABRIELE CLAUDERO M. D.

CAPUT PRIMUM.

Exhibens Occasionem scribendi.

ALIQUOT Annorum transiit series, cùm, quod jam facio, facere constitueram, id est, Literato, curioso atque in Dei honorem, Proximique commodum inhianti Proximo meo publicè communicare pro Ingenii modiô, ac simplici mentis sinceritate, quæ de *Universali materiâ* Regum opes suô pretiô non æquante, sed superante, Ejusque præparatione à Viris variis occultiora Naturæ arcana seriô scrutantibus & audiveram, & videram. Verum enimverò, cùm inter agens & patiens proportio debeat esse decens, meritò me deterruit.

I. Rara Rei hujus arduæ, Humanamque Sapientiam tantum non transcendentis gravitas. Cùm mecum habitans nôrim, quàm curta sit Ingenii mei suppellex; & quàm plures illustrioribus dotati sapientiæ donis, non sufficerint huic oneri ferendo, nec Lectori satisfacere valuerint; Præcipuè cùm nunquam ferè ipse Operi huic magno manum admoverim.

Si enim curioso Naturalium Scrutatori tot ac tot tædiosæ & laboriosæ obviam eunt difficultates in indagandis aliis rebus Medicis; v.g. Quàm multa fert, facitq;, quàm sudat & alget *Botanicus*, antequam flosculos suos & herbas decenter excolat, debitò eas tempore colligat, ac usui reservet; quam sedulus & indefessus est, ut experiatur harum virtutes? Exempli loco produco saltem Purgantia: Quam multi enim exsiccârunt & consumserunt Cerebella sua, in indagatione, an hoc Bilem, illud Melancholiam, istud Pituitam; an verò in genere saltem cruditates omnes Massæ Sanguineæ, & Viscerum Coctionis expurgent. Per quot secula tracta fuit controversiarum serra, an hæc operationem suam exserant humores attrahendo, vel fugando, vel stimulando? an occulta item, vel manifesta qualitatè agant? An purgantia sint venenata, &c.

Theatrum Anatomicum si ingredimur, ingredimur sanè Augiæ stabulum! Inter mille enim alios Hercules ibi sudantes ac purificantes solus nunc prodeat *Harveus*: Quantum temporis, quantum sudoris, quantum laboris fastidiosi impendit ille, in dilucidando

dando Generationis Animalium negotiô ? Quot perdidit Menses, imò Annos, antequam de inventâ Sanguinis circulatione triumphare valuerit. Quid dicam de Farragine Controversiarum theoreticarum ? Quid de Principiis *Chymicorum, Galenicorum, Helmontianorum, Carteſianorum, Sylvianorum, Charletonianorum*, &c. Quomodo Ingenia humana harum varietate agitantur, macerantur, cruciantur, turbantur? ut proinde de hisce loquendi nec principium, nec finis ferè sit inveniendus?

Si tandem, ceu Practici, ante ægrogantium Nos sistimus Lectos, quas, quales, quantas ibidem videre est difficultates; quot, quantaq; dubia torquent Nostros animos antequam genuinâ morbi cognitione, utpote verô sanationis fundamentô, potiamur;

Quot, quantaque dubia mordent animos nostros, antequam morbô cognitô necessariam adferre valemus medelam? Solum jam adduco inter mille alios vertumnum illum, *Scorbutum*, vix perscrutabili Symptomatum variorum diversitate stipatum ? Quàm variè eludit iste medicamenta probatæ aliàs efficaciæ ? Quantos clavarum Herculearum inflictûs reddit irritos ?

Si inquam, (repeto) curioso Scrutatori naturalium tot ac tot tædiosæ ac laboriosæ obviam eunt difficultates in indagandis rebus aliis Medicis, quantum laboris, quæso, Atlanteum & Herculeum hocce de *Tinctura Universali* arcanum requiret? Ubi suum inveniet *Alexandrum Magnum* nodus hicce Gordius ? Cùm hæc multis Parasangis antecedat reliqua omnia interquè ea emineat,

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Quis valet superare has Syrtes, hanc Scyllam, hanc Charybdin ? Quis *Jason* potest enecare hunc Draconem, pro obtinendô *Aureo Vellere* ? Cui contingit adire hanc *Corinthum*, ubi viri literatissimi, viri acutissimi toties spe suâ exciderint ?

II. Me deterruit sterilis scripturiendi pruritus, plures hodiè infestans ; dum nonnulli aut gloriolæ ostentandæ, aut vilis lucelli aucupandi gratiâ ex aliorum libris convasant nonnulla, ex iisquè sua clanculariè suffurantur, ac veluti Æsopica Cornicula alienis plumis sese vestiunt, nihilque dicunt, quod jamdum non sit dictum & scriptum ; ac veluti Pediculi aliorum sanguine sese conservant ac nutriuntur; aut exsucca tandem & sterilia proponunt. Præprimis verò non sine rei literariæ ac imprimis *Medicæ* opprobriô vagantur & oberrant scripta innumera *Alchymica* Enthusiasticis, ridiculis, inutilibus, Thrasonicisquè nugis ac vanitatibus plena, adeò ut plures ingenui, si atheum, scurram, scelestum, fraudulentumquè aliquem nominare voluerint, unicâ *Alchymistæ* voce id perficiant. Ut proinde ingenuus & curiosus lector non immeritò fastidiat, tale scriptum recens editum, si oculis offeratur.

III. Me deterruit ulcerosa sæculi nostri consuetudo, ac detestabile Sciolorum & Philautorum alios rodendi cavillandique studium. Cùm enim aliquis pro Talenti sibi concrediti pondere in *Dei* Honorem, Proximiq; commodum, publicæ scriptum aliquod committit Luci, Lector curiosus & ingenuus obstringitur à Conscientiæ suæ legibus, ut lecta ventilet, & si nonnulla scriptis rectiora noverit, candidè & amicè impertiat, ac placidè sine scopticis dicteriis ac barbaris rixis dissensum suum solidis rationibus & experientiâ stabilitum aut publicè, aut privatim communicet, atquè ita inde, tanquam è silice ignis, veritas Mundo utilis eliciatur. Quemadmodũ post alios non ita pridem fecere clarissimi Angli, Dn. VVillisius Nathanaeli Highmoro, & Dn. Lucas Schrœckius, Collega honorandus, Dn. Friderico *Hofmanno* in suâ Pharmacop ab illô placidè dissentiens. Utinam autem contrarium quotidiè experiri non cogeremur ! Vix enim Tractatu aliquo publicè edito, non pauci in illud, veluti rapaces Harpyæ invidô ac malevolô oculô & animo involant, Linguæ viperinæ aculeis pungunt, atq; è bonis hujus & illius ingenii floribus non, veluti Apes mel; sed veluti araneæ, venenum, juxta commune dicterium exsugunt & conficiunt. Ut ita Veterum illud suspirium, Homo Homini Diabolus, proh dolor ! suo adhuc gaudeat fomento. Atque inde fit, ut plura summè utilia inter privatos Cancellos delitescant, publicoque subtrahantur, futura Blattarum ludibrio & nutrimento.

Dolendum quoque est in specie, quod ob diversitatem *Religionis* ac *Regionis*, & cum Natio altera alteri politicè adeò ingenuè non faveat, ab Incolis Medicis ad talia scripta odium etiam transferatur ; infernalisque Invidiæ & rixæ Promus condus ideò quoque laboret ac obtineat, ut plura utiliter cogitata supprimantur. Exempla, utpote satis obvia, in re tædiosâ adducere superfedeo; Unicum saltem addens, inutilem adhuc fervere litem inter varios Reipubl. Medicæ Antistites, Germanos, Italos, Gallos, Anglos, cuinam sit imponenda Corona triumphalis pro *Chirurgiâ infusoriâ* & *transfusoriâ* primùm detectâ. Cùm tamen facilè accidere possit, ut nonnulli simul unum & idem meditentur ac inveniant, licèt diversis in locis degant, nec literariô utantur Colloquiô ; quod itidem hîc fortè factum credo, nec ulli aliquid Honoris sum derogaturus, cùm de hac primùm scribentes omnes suâ curiosâ & laboriosâ naturalium indagatione *Orbi* Medico, imò literato sint notissimi. Idem possum propriò testari exemplô : Meditabar, egregium præstare usum variis adfectibus Essentiam *Castorei* & Spiritum *Salis armoniani*, censebamque nobilius adhuc medicamentum parari posse, si legitimâ dosi, digestione & circulatione hæc duo jungerentur, & unirentur; Propterea anaticâ quantitate, hæc duo miscui, infundendo in duplum Spiritûs Melissæ vel cochleariæ, pro aliquali dilutione & saporis correctione; (si cui lubet, poterit *castoreum* statim extrahi dictis Spiritibus, & postea misceri Spiritº Salis armoniaci;) vidi tunc sæpiûs raram efficaciam in symptomatibus plurimis Nervorum, *Apoplexiâ, Epilepsiâ, Scorbutico-Hypochondriacis, Torminibus Ventris, affectu hysterico*, quem vocant, &c. Mentionem hujus faciebam coram amico ; Ille mihi mittebat illud idem non ita pridem à se primùm paratum ; quasi unius cogitationes alteri fuissent cognitæ.

Ad hæc illa ipsa *Chirurgia infusoria* septuaginta jamdum abhinc annis fuit descripta à Germanô celeberrimô, Andr. *Libaviô*, qui in defensione Syntagmatis Arcanor. contra Henningum *Scheunemannum*, cap. 4. p. 7. 8, edit. Francofurt. 1615. in hæc erumpit verba: *Adsit Juvenis robustus, sanus, sanguine spirituosô plenus, & macilentus, vix animam trahens. Magister artis habeat Tubulos argenteos, inter se congruentes. Aperiat Arteriam robusti, & Tubulum inserat, muniatquè, ægroti arteriam findat & Tubulum fœmineum infigat. Jam duos Tubulos sibi mutuò applicet, & ex sano sanguis arterialis calens & spiritualis saliet in ægrotum, unaquè vitæ fontem afferet, omnemque Languorem pellet. Sed quomodò ille robustus non langueſcit ? Danda ei sunt confortantia, & cibi* &c. Hucusque *Libavius*.

Ita imperscrutabile *Dei* judicium, per tempus aliquando

aliquando hoc vel illud occultat, aut ob noſtram indignitatem & fermentatorium peccatum, aut ut eò adcuratiùs Nos Poſteri ſcrutemur naturam. Sic quoque à pluribus anxiè hactenus quæſita Veneris dealbatio, & ſine fracturâ malleabilitas; cùm itidem tamen à vereri quodam Chymico plures ante annos Typis exſcripta doceatur. Quoniam autem nonnulli in re monetaria, aliiſque jam eâdem nefariè abutantur, plura non licet de hac addere. Sic Ludovicus *Locatellus*, in Theatro ſuo arcanorum Italicè edito tectè deſcribit *Terram foliatam Tartari*, quod poſt paucos annos itidem facit ſub *Salis eſſentialis Tartari* nomine curioſiſſ. & laborioſiſſ. *Zvvölferus*; unde poſtea addito *Vitriolo Martis* paratur *Tinctura* rariſſimæ efficaciæ; cùm tamen Philippus *Müllerus*, in Tractatu ſuo Miracula Chymica inſignito, & Dan *Sennertus* Inſtitutionum Medicar. Libri 5. Part. 3. Sect. 3. cap. 15. p.m. 1427. longis abhinc annis eam deſcripſerint.

Religionem quod concernit, notum non minus eſt, diſſidia iſta Theologica à *Cacodæmone* ſæpius etiam ad Medica ſcripta extendi, atque ideò plane extra rhombum unum ab altero tranſverſis oculis adſpici, ac invidioſæ linguæ aculeis lædi; Cùm potiùs deceat Chriſtianos, utpote ſub eodem Chriſti vexillo militantes contra Atheos, Gentiles, Turcas, &c. Chriſtianis amore, auxilio, adplauſu obviam ire, præcipue in rebus, ubi Publici emergit utilitas; ſejunctis talibus ſcandaloſis, extraneis, ad rem Medicam non facientibus.

Dictis tamen hiſce obſtaculis non obſtantibus, ab Amicis incitatus, Legibuſque Academiæ Noſtræ curioſæ, quibus elaborare Scriptum de re aliquâ medicâ jubemur, ſatisfacturus, crenam operi admovi; adcurata animi expendens lance, magnum illum *Patrem familias*, Matth. 25. rigoroſam de Talento concredito expeiturum olim eſſe rationem; Præcipue cùm viderim, noſtro hoc ſæculo in vinea Medica inſtare fortaſſis horam 9. aut 11. diei, quia plus ibi hactenus eſt laboratum, & ſummopere adhuc labores fervere, ac in antecedentium Sæculorum ullo factum eſt.

Quot enim, quæſo, hucuſque noviter ſunt inventa? Prodeant ſaltem pauca, loco plurium; e. g. Sanguinis Circulatio, Venæ lacteæ, ductus & lacteæ Thoracicæ, Vaſa Lymphatica, ductus ſalivales, lacrymales, legitimus viſceris *Pancreatis* cum ſuo ductu, ſuccoque Uſus olim incognitus &c. Quid dicam de utiliſſimo incremento Doctrinæ de Fermentatione, de Generatione Animalium; Ut taceam mille alia curioſa, & ſumme utilia in aliis Theoreticis & Practicis rebus Medicis; Quantum acceſſit Lucis Rei *Botanicæ*? Quantis Enchiriſibus aucta *Chymia*? Cùm igitur non minùs hactenus *Materiam Univerſalem* frequentiùs & adcuratiùs ſint aggreſſi nonnulli, ac confidam Ego, me mea (tenui licet) notitia hac in re aliquid lucis poſſe adferre, partim, ut miraculoſam Operum Divinorum Magnificentiam & Amplitudinem ab injuriis per *Tincturæ* exiſtentiam negantes Ei illatis vindicem; partim, ut juvem recta via ingredientes, (Si cuidam ingenuo magnum hunc laborem tentare, forſean libuerit,) partim, ut dehorter plures aut ex inſcitia, & ſtupiditate, aut ex malitiâ à verâ ſemitâ deviantes, atque ita Magnates fruſtrà Auro emungentes, ac Ipſos cum ſeipſis decipientes.

Sanctiſſimè tamen proteſtor, meamque appello ad Conſcientiam, nullô plane aliô fine hæc à me inſtitui, quam ut imperſcrutabilis *Operum Divinorum* Gloria amplificetur, Proximique commodum promoveatur, ac ut de Publico bene merear; (cùm non Nobis ſolis ſimus nati; verùm ad Dei Imaginem conditi Homines, Homines-Chriſtiani, ne ſaltem veluti Bruta, edamus, bibamus, dormiamus, & poſtea ſtupidi obmuteſcamus; Sed ut Noſtrâ Divinæ Auræ Particulâ prudenter operemur, atque per hanc ab iiſdem Nos diſtinguamus;) Et hæc omnia quidem pro Talenti mei Pondere, ſine invidioſis in alios ſtimulis, ac oſtentationibus faſtuoſis omnibus, nec non reverenter ſemper habitô meliori aliorum Judicio, atque ut ſuo quemlibet abundare Genio permittam.

CAPUT II.

Tradens, Quid ſit?

DE *Tinctura Univerſali* diſſerere nonnulla conſtitui: De re tali, quam anxiè deſiderarunt, ac deſiderant Mortalium innumeri; & quidem non immeritò, quoniam res Mundanas omnes, quales quales etiam ſint, ipſa Invidia quoque teſte, pretioſitate ſuâ non æſtimanda mirum-quantum ſuperat; De re tali, quâ majorem & cariorem *Divina* Miſericordia, inter tot millena millia donorum medicamentoſorum, aliorumque poſt Lapſum Adamiticum Generi Humano non exhibuit. De re tali, quæ meritò non eſt adnumerata ſeptem illis Mundi miraculis à veneranda antiquitate aliàs abunde & ubique decantatis, cum hiſce omnibus illa ſola incomparabiliter ardua utilitatis ſuæ gravitate antecellat.

Quamvis autem neutiquam mea ſit mens, magnum opus conſcribere, aut largis ambagibus multa de *Nomine definitione nominali & reali*, *ſignis*, *fine & uſu* Ejuſdem proponere, qualia pluribus inſcriptis ad nauſeam toties repetita & tranſcripta reperire licet. Nec mihi res ſit cum Chymiatriæ Tyronibus, novitatum avidis, ac in vitium erroreſque flecti cereis; multò minùs cum nefariis iſtis *Pſeudo-Chryſopœis*, Ardelionibus, in veræ Artis ignominiam natis, atque fraudulentis Ciniflonibus; Sed cum ingenuis, expertis, Arcana Naturæ pia curioſitate tractantibus, quorum conatus, meditationes, ac labores, *Tincturam* ſeu immediatè, ſeu mediatè concernentes Talento meo concredito adjutum iri; Alios item tam pro Animarum, quàm pro Corporum ſuorum ſalute, ut in arduo hoc negotio cautiùs mercentur, aut illud, *Noli me tangere*, Capite quarto ampliùs deſcribendum obſervent, fore edoctos, ſpero, confido,

Nihilominùs tamen, ut Curioſus Lector eò facilius intelligat & aſſequatur Animi mei Senſa, nonnulla de jam dictis, nimirum (1.) *Nomine*, (2.) *Definitione*, (3.) *Signis*, (4.) *Fine & Uſu*, præmittere, conſultum judicavi.

I. *Nomen* igitur quod concernit, notum eſt, *Tincturam Univerſalem* tot *Nominibus* quaſi eſſe inſignitam,

Quot Thebis portæ; quot divitis Oſtia Nili;

inter quæ non pauca ſunt abſurda & ludicra; Cùm enim Veterum Chymicorum nonnullis, peculiare & inſolitum illi Nomen imponendo, Emphaticum quoddam, & occultum tacitè & allegoricè indigitare placuerit, ſucceſſivè factum eſt, ut Chymicaſtri, Naſutuli, ac Thraſonici Aurifices, quò aliquid feciſſe & cognoviſſe videantur, ac facile credulis raram de ſe ſpem excitent, oſtentatorias denominationes *Eidem* impoſuerint, cum phantaſticis Emblematibus, ſtolidiſque Signaturis;

non ſine veræ *Artis* opprobrio, ac ſcopticâ Miſochymicorum irriſione; propterea hîc nominare talia nomina, meritò abhorreo. Placuit autem Eandem vocare *Tincturam Univerſalem*; Tincturam quidem partim, quod à diverſis *Lapis Philoſophorum* κατ' ἐξοχὴν dicatur *Tinctura*, partim quòd vox Tincturæ ſit egregia denominatio Chymica. Non quidem intellectum hîc volo per *Tincturam* quendam liquorem aut liquidum, qualis eſt *Tinctura bezoardica*, *Martis*, *Tartari*, *fl. papaveris err.* &c. cùm me non lateat, quòd à plurimis, dictum *Lapidem* in forma Pulveris vel Salis ſeſe oſtendere, doceatur, uti inferius patebit. *Univerſalem* verò nominavi, ad differentiam remediorum particularium, ubi v. g. unum valet contra Febres malignas, alterum medetur Hydropi, hoc ſanat Phthiſin, illud ſedat dyſenteriam, illhoc pellit menſtrua intempeſtive ceſſantia, aliud verò ſopit nimium horum fluxum; Vel, ut Nonnulli Neoterici loqui amant, hoc corrigit & præcipitat præternaturale Sanguinis acidum, illud depurat vitioſum maſſæ ſanguineæ alcali. Noſtra verò *Tinctura*, modo extraordinario operans, ſanat morbos omnes, quales-quales ii ſint, à quacunque etiam cauſa, ſive ab alcali, ſive ab acido præter naturaliter ſeſe habente ortos; (quantum quidem *Cœleſtis* Medicorum Primas talium morborum ſanationem huic vel illi individuo utilem judicat;) Nec minus Metalla ignobiliora & imperfecta in nobiliora & perfectiora tranſmutat.

II. *Definitionem* pono talem: *Tinctura Univerſalis eſt ſupremum & perfectiſſimum Artis Medico-Chymicæ Myſterium, è primis Naturæ principiis unitis paratum, quô Corpus Humanum vegetum in ſtatu naturali conſervatur, ac à morbis defenditur, morboſumque vigori priſtino reſtituitur; Metalla inſuper imperfecta ſingularibus ſolutionibus & depurationibus in verum Aurum vel Argentum exaltantur & tranſmutantur.* Dixi

I. *Supremum & perfectiſſimum Artis Medico-Chymicæ Myſterium.* Si enim adcurato ſtudio ac indefeſſo labore contra hunc vel illum morbum ſpecialem curiosè paratum, felicique ſucceſſu exhibitum Medicamentum aliquod, v. gr. *Tinctura bezoardica, antimonii genuina, antihecticum Poterii*, &c. dicitur, (& quidem non immeritò) Artis arcanum aut Myſterium; Si item in re Metallicâ quoddam curiosè inventum, v.g. Præparatio *Orichalci*, meretur nomen arcani, quid vetat, ut *Tincturam* noſtram, utpote incomparabile & generale remedium, vocitemus perfectiſſimum Myſterium?

II. Dixi, *è Primis Naturæ Principiis unitis paratum*; Cum è rebus macrocoſmicis primariis & generalibus, ad naturam Elementorum propius accedentibus, ſecretâ Artis dexteritate tractatis & combinatis, v. g. *è Spiritu Mundi & Sale Terræ*, (uti inferius dicetur,) non verò è rebus magis compoſitis & ſecundariis, v.g. Lapidibus, Metallis, Herbis, ſimilibuſque perfectis, veluti reliqua Medicamenta, componatur.

III. Dixi, *quô Corpus Humanum vegetum in ſtatu naturali conſervatur, & à morbis defenditur, morboſumque vigori priſtino reſtituitur.* Cùm enim Hæc paretur è talibus, è quorum diſpoſitione Vita & Mors noſtra dependet, nimirum rebus primis & principiis univerſalibus, quibus mediantibus bene & naturaliter conſtitutis mundana cuncta, & ſic etiam præcipue Corpus Humanum, vivunt, creſcunt, nutriuntur, conſervantur; Ex illis contra per atomos impuras & putridas corruptis ſuccedunt morbi maligni ac peſtilentes in Hominibus & Brutis, Vegetabilium item corruptio & Putredo, &c. Ideò etiam neceſſariò ſequitur, Medicamentum ex hac *Materia* curiosè per genuinas Artis Enchiriſes depuratum, longoque labore ac diuturna Patientia ad ſummam perfectionem perductum, modo extraordinario & univerſali corpora noſtra conſervare, Vitam, quoad fieri ob alias circumſtantias poteſt vegetam ſuſtinere, morbis omnibus ſeſe opponere, iiſdemque ſufficientem præbere medelam. Hoc quidem non perficitur more in aliis morbis ſolito, dum contraria contrariis tolluntur, v.g. Dum nimii fluxus ſanguinis, aut ventris adſtringentibus, econtrà alvi aut menſtrui obſtructio aperientibus & pellentibus ſanantur; Sed roborando *Calidum innatum*, & Vitæ Balſamum, ſpiritibuſque Cordis ac Cerebri ob neceſſarium partibus Corporis alimentum ſubminiſtratum debilitatis balſamicas Vires novas addendo; his enim florentibus & puris exiſtentibus, Sanguis circulô legitimô circumvolutus decenter expellit viis ſolitis impuritates & excrementa, ſartatecta ſervantur Viſcera Sanguinis depurationi & coctioni deſtinata, ſuoque ſatisfaciunt officio; Corpus nutritur; & ita viret, viget, floret Oeconomia Microcoſmi. Et hoc tam diu, uſque dum *Divina Majeſtas* Nos, Exemplô Patriarcharum, Joſephi, Moyſis, Davidis, Hiskiæ, &c. Morte naturali (conſumtô nimirum vitæ Pabulo,) mori jubeat; aut unum alterumque morbis inſanabilibus percutiat, veluti Antiochum, libro 2. Maccab. capite 9. & Ægyptios ulceribus, Exod. 9. verſ. 9. Si verò adfectus aliquis turbaverit dictam Rempublicam, refocillato per hanc Ambroſiam & Nectar Cœleſte *Archæo* Noſtro, ille denuò contrà audacior ire, acceptiſque novis viribus Hoſtem quemcunque (remediis aliis, probatæ alias experientiæ, etiam non obedientem) aggredi, atque ita maſſæ ſanguineæ cruditatibus incraſſatæ, & inquinatæ, & quæ inde dependet, Viſcerum, totinſque Corporis diſpoſitioni naturalem vigorem reddere valet. Cui lubet, conſulat hâc de re, præter alios, Davidis Lagnei Harmoniam Chymicam, qui curiosè & utiliter varia è variis collegit, item laborioſum rerum naturalium indagatorem, Joanne Joach. *Becherum*, Phyſicæ Subterran. Supplemento, pag. 100. Dixi

IV. Tandem, *quô imperfecta Metalla ſingularibus ſolutionibus & depurationibus in verum Aurum & Argentum exaltantur & tranſmutantur.* Dum nimirum eorum Principia è quibus cuncta conſtant, mediante aſtrali hujus *Tincturæ* Virtute decenti proportione uniuntur, ac perfectis Solis & Lunæ Elementaribus radiis illuſtrantur; atque ita à ſcabioſis ſuis excrementis depurata qualitates internas & externas Auri perfectiſſimi æquant aut ſuperant, ſinguliſque Probationum Examinibus abundè ſatisfaciunt. Cùm juxta plures Chymico-Philoſophos metalla non tam ſpecificè quàm gradualiter differre, amplè ventilatum & perſpicuè demonſtratum ſit.

Me quidem non latet, dari plures, Metallorum tranſmutationem & exaltationem planè negantes; cùm autem illorum rationibus jam dum ſatisfactum ſit à variis veris per ignem Philoſophis, neque mea ſit intentio, alibi dicta hîc repetere, aut diffuſe diſputare, hoc unicum ſaltem addo; Rationes

Eorum

Eorum eò certiùs fieri irritas ratione *Tincturæ Universalis*, cùm multæ ac diversæ dentur *Viæ particulares*, quas dicunt, neutiquam concurrente Menstruo aut *Viâ* nostrâ *Universali*, magis magisque hoc Sæculo innotescentes, per quas in re medica nihil plane perficitur, sed saltem Metalla imperfecta & impura, item aliquando Mineralia, & his affinia, in nobiliora Metalla & puriora transmutantur, dum nimirum dictis Metallis ignobilioribus, item antimonio, Marcasitæ, vel Bismutho, &c. mediantibus Salibus, aliisque, v. g. Sale armoniaco, Sale Tartari, borrace, nitro, arsenico, Mercurio sublimato, lapide calaminari, &c. ope ignis fortioris fusoria per decentem ingredientium mixtionem malleabilitas, ponderositas, color desideratus, fixitas, & perseverantia in igne & super cupellam, &c. ingeniosè & laboriosè communicantur.

In specie Veneris in Lunam exaltatio satis curiosa, *Venerem albam* quam vocant, in multorum jam est manibus & oculis. Quamvis autem dictæ transmutationes per vias particulares ut plurimùm fiant sine fœnore insigni, dum sæpius factæ impensæ vix, & ne vix quidem, redeunt; nihilominus tamen hujus possibilitas & veritas consistit firma & irrefragabilis.

Si igitur transmutatio per *Vias particulares*, quas dicunt, est vera & possibilis, teste experientia frequenti, quis, quæso, Eandem denegare audebit magis perfectæ, imò perfectissimæ *Tincturæ Universali?* Ex superabundanti, num sit viri prudentis & Philosophi contra Au- pfiam disputare, judicent alii.

III. *Signa* quod attinet, quemadmodum res cunctæ Forma sua externa cognoscuntur, v. g. hoc est Homo, hoc est Equus, hoc est Rosa, Rubinus, &c. vel inter medicamenta, hoc est Elixir Proprietatis, Balsamus Sulphuris, Crocus Martis, Crystalli Tartari, &c. ita etiam *Tinctura* Nostra, tanquam Ens reale, Physicum sese quâdam debet ostendere figurâ. Cùm autem hæc sit

Rara Avis in Terra, nigróque simillima Cygno,

atque uti Mors dicitur horribilium horribilissimum; ita Nostra *Tinctura* non minori Jure dicitur rariorum rarissimum. Unde *Ejus* ob raritatem evenit, ut de externa illius Facie adeò plura producere Testimonia non liceat, partim, quod Chymici *Eandem* aliquando vocitent *Tincturam* vel *Elixir album* (quod sufficit pro magnis usibus quidem in Medicina, metallorumque transmutatione in Lunam) aliquando vero *Tincturam* vel *Elixir rubrum*, (quod ad ultimam & plenariam rei perfectionem est perductum,) partim & præcipuè, cum ulceroso nostro sæculo, proh dolor! res sit eò delapsa, ut, si quidam Medici Novatores & nasuti vel præparârint laude quidem dignum aliquod medicamentum, vel etiam tale clanculum cuidam subduxerint, aliterque tinxerint atque miscuerint, statim inde projiciant ampullas & sesquipedalia verba, ac modò *Panacéam*, nunc *Medicinam Universalem*, jam *Sulphur Philosophicum*, mox *pulverem Horizontalem*, sive *Aurum potabile* verum, & centum aliis pomposis nominibus in ora omnium disseminent, atque ita confundant ac turbent curiosos atque Philochymicos. Si etiam unus & alter res metallicas superficialiter saltem tractaverit, vel ad summum *Venerem albam* parare didicerit, aut tandem possibilitatem transmutationis metallorum in *Viis particularibus*, licèt sine fructu, viderit, statim sese pro vero *Tincturæ Universalis* Possessore venditare non erubescit.

Propterea censeo, vitio non adeo quasi esse vertendum Medicis nonnullis, Chymiam Medico-metallicam per plures annos adcurata methodo & laboriosè tractantibus, *Deo* autem sic volente, primarium laboris finem, *Tincturæ* nimirum acquisitionem, non obtinentibus; econtrà talium vaniloquorum atque fumivendulorum fallaces nugas ad nauseam visu & auditu continuè percipientibus, si, quasi è justa indignatione, *Tincturam Universalem* planè Non-Ens judicaverint.

Sed ad rem: Me non statuere, quod *Lapis Philosophorum* sit talis liquor, qui communiter *Tinctura* vocatur, superius de Nomine monui; Sed rectius cùm illis, qui eandem vel viderunt, vel è qualitatibus suis internis judicant, judicamus, *Tincturam Universalem*, quoad Figuram externam, consistere in Pulvere salino, vel sali potius analogo, rubicundo, sublucido, insipido, valde ponderoso, in Solis aut candelæ calore, uti cera, fluente, in aëre non fluido, in violentissimo etiam Ignis examine manente fixo, & incremabili.

Sal enim est vere perfecta & balsamica substantia, ubi volatilior *Tincturæ* pars cum parte fixiore in Macrocosmi Laboratorio per Artem optime potuit uniri & concentrari. Rubedo & splendor indicat Operis perfectionem & igneam penetrantiam, (Rubeus enim & albus color in Natura pro magis perfectis & durabilibus non immerito habentur,) Ille pulvis, quem *Helmontius* viderat flavi fuit coloris; quod rei ipsi nil derogat.

Nam dubium hocce nonnullis fortè oriens bene prævidit & sopivit Heinricus *Kunraht* Amphitheatr. p. m. 202. In Pulvere, inquit, *est croceus*; *In massa v. integra instar rubini rubens*, & Franc. Ofvv. *Grembs*, Arbor integr. & ruinos. Hominis, Libro 3. Cap. 3. p. m. 500. Tincturæ *Pulvis*, inquit, *est instar Croci*; *Sed toto corpore, instar Rubini*; id est, *Tinctura Universalis* si pulverisatur, acquirit colorem Croceum; Tota vero Ejus substantia post fusionem Crucibulo exemta, colore rubro est rubiniformis. *Tincturam* infra capite sequente ex *Helvetio* adductam quod attinet, illa fortè nondum ad ultimam & summam perfectionem aut maturitatem fuit traducta.

Reliquæ dictæ qualitates indicant adcuratam & absolutam particularum volatilium & fixarum unionem, perfectamque corporis incrassati fixitatem, in quâ cardo totius operationis consistit. Mihi licuit semel esse tam felici, ut viderim apud Virum magnum hoc Regale donum Dei nondum plane perfectum, in formâ pulveris salini ex albo rubentis & quasi splendentis, eò fere colore, quem exhibet Talcum, vel aliquando sal volatile in destillatione Roris majalis Recipienti adhærens; fatebaturque, sese tandem in hoc arduo labore post varios casus, post tot discrimina rerum, eò devenisse, ut *materiam Universalem* Methodo inferius detegendâ caute tractaverit, ac eò perduxerit, quod se jam in cauda Pavonis, quod vocant Chymici, oculis omnium exponat. Alius Amicus mihi dedit Sal crystallinum, vel potius pulverem Sali analogum insipidum, leni Solis aut Fornacis calore, uti cera fluidum. Hi crystalli dulces per triennalem laborem, juxta modum infra Cap 6. describendum, ad talem fuere deducti vel coacti figuram. Ego tam Donatoris, quam propria Experientia, testari possum, dictum pulverem Salinum

methodo universali quodammodò paratum, non tamen planè absolutum, in Morbis variis alia, alias efficacis operationis remedia eludentibus, v. g. Hydrope, Phthisi, Hæmoptysi, &c. laudabile Ægrotis indigis attulisse Solamen, ac valetudinem desideratam sæpius reddidisse.

Statuo igitur per jam dicta, *Tincturam* ut plurimùm Pulveris salini vestem induere; Quod cum aliis adcuratè quoque evincit Petr. Johan. Faber, In manuscripto huic dissertat. adnexo, cap. 3. Nulli tamen volo contradicere, qui *Eandem* sic perfectam postea in Oleum, vel aliis modis, vel mediante quinta Essentia vini in liquorem aliquando resolvi, doceat; quemadmodum ipse *Paracelsus* plus vice simplici unam vel alteram guttam hujus *Olei universalis* ægrotantibus propinavit, uti fusè tradit cum aliis Andr. *Libavius*, Alchymiæ lib. 2. Tract 2. cap. 9.

Signa è Qualitatibus internis quodammodo superius in Definitione tetigimus in Puncto sanitatis conservandæ aut reddendæ, ut & metallicæ transmutationis, dum nimirum, unius grani portiuncula tam morbis (per alia remedia etiam insanabilibus,) medendo, quam imperfecta metalla exaltando extraordinariam, & quasi miraculosam Humano Generi opem exhibet; atque ita de se ipso testatur. Proinde cùm talia è pluribus scriptis ac Artis Filiis, cum quibus mihi res est, jam dum cognita, cramben ab aliis toties coctam heic proponere, supervacaneum puto.

IV. *Finis & usus.* Cùm Natura & Natura Naturans, *Deus*, nihil faciant frustra, sed cuncta fiant propter certum aliquem finem, dubito sanè, an quidam sanæ mentis de usu *Tincturæ Universalis* dubitet, aut frustrà *Eam* fieri credat. Cui autem Fini Illa è generali *Divinæ* Majestatis Cornu copiæ sit destinata & creata, quæ in Definitionis explicatione ac de signis hactenus dicta, docent; nimirum ut sanitatem vegetam Hominibus conservet, ac deperditam restituat; Metallaque imperfecta & ignobiliora in nobiliora & perfecta transmutet. Hâc enim morbi omnes, quales-quales, quanti-quanti sint, efficacem alias aliorum remediorum Virtutem eludentes ac insanabiles habiti, *Deo* jubente, sanantur, adeò etiam ut in Lepra, ac similibus adfectibus desperatis, quos dicunt, summè mirabiles ediderit sæpius operationes.

Operationi autem perficiendæ, Adeptorum nonnullorum Elogiò, sufficit granuli unius portiuncula; ad præservationem quidem *Tinctura alba* aliquoties saltem in anno; Elixir vel *Tinctura* verò *rubra* adhùc pauciorlbus vicibus quorannis exhibenda. Quâ sic sumpta, Homo est bene dispositus, vegetus, rubicundus. Ad sanandum vero propinata, morbum aliis per mensem vix sanabilem tollit unico, vel altero die; adfectum aliàs annuô spatio vix eradicabilem sanat 12. dierum tempore, Symptomata vero summe inveterata & contumaciâ per unum mensem.

In Regno minerali non minori energia, ac in massa sanguinea vel Regno animali, separando impuritates, unicum itidem granum *Tincturæ* vertit plures uncias Metallorum imperfectorum in Aurum vel Argentum, illis in fusione stantibus injectum. Ab hisce duobus præcipuis, & superioribus laboribus dependent varia alia, v. g. Lapides ignobiliores facit immutari in pretiosos & Gemmas, uti Crystallum in Rubinum, Topasium. Non minùs è rebus medicamentosis, v. g. Auro & Argento communi fixo, è Perlis, coralliis, antimonio, &c. Veram valet extrahere *Tincturam*, quod alia menstrua, qualia sint, tam perfectè præstare nequeunt.

In Regno vegetabili contra Naturæ cursum & modum maturat & fœcundat arbores, plantasque omnes. Sic granulum *Tincturæ* Aquâ solutum Veris tempore affusum Viti, aut alii arbori, Mense Maio producet post flores, ramos vel racemos, & fructûs. Eodem modô vina vappescentia renovantur & resipiscunt.

Qui curiosus Philosophiæ Nostræ naturalis Scrutator plura & ampliora desiderat Experimenta, evolvat inter plures alios Theatrum Chymicum, ibi multos in unum collectos reperiet Tractatus suis satisfacientes meditationibus. In specie verò in hujus volumine quarto Harmoniam Chymicam Davidis *Lagnei*.

De modo autem operandi post superiùs dicta addo breviter: Cùm *Tinctura Nostra* specialissimâ prærogativâ medeatur morbis omnibus; non verò, uti alia inter medicamenta hoc Phthisi, illud Hydropi, aliud Febribus, aut Arthritidi adhibeatur, ideò etiam peculiari ratione suam absolvat operationem; dum nimirum roborat Calorem nativum, à cruditatibus massæ sanguineæ, & à materiâ morbosâ debilitatum, Spiritus exsuccos & efficaci Virtute depauperatos refocillat, Sanguinisque massæ suum renovat Balsamum, & quæ præternaturaliter se se habent, in ordinarium revocat circulum; Anima enim nostra pro Oeconomiâ Microcosmicâ sartâ tectâ servandâ solius Calidi innati & spirituum utitur Ministeriô, quibus decenter sese habentibus, & vegetis existentibus, & conservatô ita in Cordis lampade Balsamicô Vitæ oleô, quælibet Viscerâ, & Partes corporis amicâ & æquali Temperie confœderatæ legitimè suis funguntur officiis.

Non aliter, ac si Natura in Macrocosmo per atomos aëreas, per radios Solares, Rorem, Pluviam, &c. unamquamque Creaturam in vigore sibi consueto conservat, fœcundat, nutrit. Aut veluti Lampas uno eodemque modo radios lucidos satis diu de se spargit, si ipsi decenti quantitate, & successive oleum novum, pabuli loco infunditur. Vel uti aqua paludosa & stagnans purificatur, & ab ulteriori corruptione defenditur, si aqua fluvialis limpida in eam derivatur. Vel, ut rude ab Opificibus depromam exemplum: Sartor modò uno eodemque mediante acu facit vestes sericeas, laneas, coriaceas; Sutor è diverso corio facit itidem calceos æqualiter. Fabri ordinum omnium ex Auro, Argento, Cupro, Ferro, &c. mediante malleo extendunt suas laminas, variasque inde formas & figuras & vasa fingunt. Non aliter *Archæus* Noster Nostrâ utitur *Panaceâ*. Plura ad hanc rem facientia videantur capite sequenti post Responsa ad objectiones Kircherianas.

Laudabilem autem hujus operationis modum non adeò extendendum volumus, uti Zoilorum Familia cavillatur, ac si Eadem Vita Humana, *Deo* etiam quasi invito, possit prolongari, Juventus reddi, Senectus prohiberi. Sed *Tinctura* Nostra morbos præsentes exturbat, & ab absentibus præservat Corpora Nostra, quantum *Cœlestis* Medicorum Primas, qui percutit, & sanat, qui est Arbiter vitæ & mortis, sanationem Nostram *Divino* suo Honori, ac Hominis cujusiibet saluti, quâ mundanæ, quâ æternæ, proficuam reperit.

reperit. Nisi enim ille adfuerit, vitesque infuderit, nil & vilis dictamnus, & glorioſa *Panacea* juvat, juxta communem verſum. Ea enim omninò ſubjecta eſt cum omnibus creatis potentiſſimò & inevitabili *Pancratoris majeſtatici* FIAT. Medicamentis autem uti omnibus, ita etiam hâc *Tinctura Univerſali* utimur, non ut mortem evitemus, ſed ut eam tolerabili in ſtatu, ac vegetâ ſanitate expectemus. Minime tamen *Tinctura* Noſtræ efficaciam ſubjicimus craſſæ nonnullorum explicationi dicti illius è *Jobo*, cap. 14. v. 5. *Poſitus eſt Hominis Vitæ Terminus, quem non poteſt tranſgredi*; quaſi ex abſolutò *Dei* decretò inevitabiliter cuilibet Hominum Vitæ Terminus adeò immobilis eſſet prædeſtinatus, ut abſolutâ neceſſitate, nullò habitò reſpectu ad cauſas ſecundas, & contingentia, ut certâ Horâ, & definito Genere Mortis mori cogamur, eumque anticipare aut prolongare ſit ſimpliciter impoſſibile.

Hoc enim modò intellecta & declarata *Jobi* verba exiguum uſum relinquunt Theologiæ, pauciorem Medicinæ; periclitatur ambarum dignitas, hæc Corporum, illa Animarum noſtrarum ſaluti præfixa; & quaſi fruſtra à *Deo* eſſent procreatæ tot reum Medicamentoſarum Myriades miraculosè operantes.

Poſuit quidem *Deus* Opt. Max. cuilibet Homini Terminum Vitæ, ut tamdiu vivat, quamdiu per ſuam complexionem ac Temperamenti ſui diſpoſitionem poteſt; Verum enim verò Idem *Dominus* Hominibus ad ſui Imaginem conditis, & in quibus τὸ τῶν ἄστρων στοιχεῖῳ ἀνάλογον, aut aliquid *Divini* habitat, (de quo eleganter Melch. *Sebizius*, & Hier. *Iordanus* in peculiaribus Tractatibus,) dedit Rationem, & liberum reliquit arbitrium, quibus decenter utantur, ac Vitæ ſuæ normam inde emetiantur.

Si igitur aliquis hiſce abutatur, ac compotationibus, ingluviei, libidini, incandeſcentiæ, mœrori, aliiſque diætæ erroribus (quorum dantur innumeri,) indulgeat; Si item temerarius huic vel illi periculoſo caſui fortuito, ſine vocatione legitima, ſeſe exponat, neque etiam medicamenta à *Deo* ideo ordinata ægrotans uſurpet, ille ſanè Vitæ filum ſibi abrumpit, tam ob rationes Phyſicas, quia Coctiones Viſcerum neceſſarias turbat, ſanguinem impurum reddit, Calidum innatum ſpirituſque vitales abſumit, ac ita Naturæ vim infert; cauſa enim Senectutis, & hanc ſecuturæ Mortis naturalis eſt corruptio & putredo ſanguinis ſpiritibus ſuis neceſſariis depauperati; quam ob rationes Theologicas, quia ſua propter Peccata gratioſum Patrem cœleſtem vertit in ſeverum Scelerum Vindicem. Ille enim pro ſua Clementiâ iſtam aliquando extendit ad plures annos, aliquando vero abbreviat, vel propria Hominum quoque culpa anticipare permittit. Ut pauca ſaltem adducam Sacræ Scripturæ Teſtimonia (1.) pro prolonganda Piorum Vita militat Eſaias, cap. 38. v 5 de Hiskia, Rege: *Audivi Preces Tuas, & vidi lacrymas Tuas, & adjiciam ad dies Tuos quindecim Annos.* Proverb. 3. v. 1. 2. *Fili mi, ne obliviſcaris Legis meæ, & Præcepta mea Cor Tuum cuſtodiant; longitudinem enim dierum, & Annos Vitæ, & Pacem apponent Tibi.* Et capite 4. verſ. 6. & 10. *Audi, mi Fili, ſuſcipe verba mea, ut tibi multiplicentur Anni Vitæ.* Et capite 10. verſ. 27. *Timor Domini apponet dies, & Anni Impiorum abbreviabuntur.* Exodi 20. verſ. 12. *Honora Patrem & Matrem Tuam, ut ſis longævus ſuper Terram.* Et capite 23. verſ. 25. 26. *Si ſervietis Domino veſtro, DEO, implebo numerum dierum Veſtrorum* 1. Reg. 3. verſ. 14. *Si ambulaveris in viis meis, & cuſtodieris Præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulavit Pater tuus; longos faciam dies tuos. Deus* omniſcius aliquando Piis Vitam decurtat, ne torqueantur diutiùs miſeriis Humanis, ac eripiantur futuris ærumnis. Sic Sap. 4. v. 14. *Placuit Deo, & erat grata Anima illius, propter hoc properavit educere illum è mediis iniquitatum.* Sic *Deus* ob Pietatem *Enochum* & *Eliam* vivos ad ſe rapuit, nec naturalem Vitæ Terminum eoſdem experiri permiſit.

Impiis autem Pœnâ *Divinâ* dies abbreviatur, juxta Pſalm. 55. verſ. 4. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Et 73. v. 19. *Quàm ſubitò deficiunt iniqui? Pereunt, & eorum finis eſt horribilis.* Eccleſiaſtic. 7. v. 18. *Ne impia agas multa, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in Tempore non Tuo.* Geneſ. 38. verſ. 7. *Sed Ger, Primogenitus Judæ, erat impius coram Deo, hinc ipſum faciebat mori.* Ibidem v. 10. *Hoc factum Onam diſplicuit Deo, hinc Eum etiam ſinebat mori.*

Omnipotens hic Polarcha ad juſtam iram commotus horribiliter peſſundedit impios, v. g. Exodi 12. verſ. 29. Primogeniti Ægyptiorum omnes unâ nocte necabantur. Exodi 14. v 28. Exercitus *Pharaonis* totus in Mari rubro ſuffocabatur Gen. 17. Antediluvianorum numerus innumerus, exceptâ *Noæ* pii Familiâ, Aqua ſubmergebatur. Geneſ 19. v. 14. *Sodomitæ & Gomorrhæi* igne ſubvertebantur. 2. Reg. 19. v. 35. In caſtris *Aſſyriorum* unicâ nocte occiſi 185000. milites, &c. *Achabus* Rex, 1. Reg. 22. Prophetæ *Michæ* diſſuaſiones negligens, & periculoſum intrans prelium periit. Econtra *Ninivitæ* Pœnitentiam agentes ſeveram certè & proximè inſtantem averterunt ruinam.

Ex quibus inconcuſſum ſtare conſequens judico, Terminum Vitæ à *Deo* eſſe Nobis poſitum neceſſitate conditionatâ, ab Hominum Pietate vel Impietate, Diætâ, aliiſque cauſis ſecundis & contingentibus, pendente.

Aliàs enim ſequeretur, ob commiſſa piacula rotâ plexos, ſuſpenſos, &c. cauſam Mortis poſſe adſcribere *Deo*, Terminum Vitæ illorum ita diſponente, quod certè magna in Miſericordiam *Divinam* injuria. Accedit quod illi tam rigoroſe in Theoriâ controvertentes, in Praxi ſe ipſos refutare extra omne dubium ſoleant, vel potiùs cogantur, niſi Autochiriæ crimen deteſtabile committere velint. Quis enim horum erit tam abſurdus, ſi ipſe, vel ſuæ Familiæ membrum improviſò vulneratum copioſè ſanguinem profundat, ut non ſtatim Chirurgum accerſat pro ſanguine ſiſtendo; aliàs enim infallibiliter cum cruore ſimul Animam effundet.

Quis Catharrô Apoplecticô correptum aliquem non ſtatim juvat refocillantibus, penetrantibus? quis à Terrore Lipothymiam patienti cordialibus volatilibus non approperat? Quem latet, agonizantes, & Mortis candidatos, pedem in Cymbâ Charontis jamdum habentes, ſi non aliquot ſeptimanas, tamen totidem dies per remedia confortantia ſæpiùs ſuſtentari? quod ſupervacaneum ſanè foret, ſi Terminus Vitæ à *Deo* prævisus eſſet planè immobilis.

Non tamen uberiùs litigabo cum illis, qui ſtatuunt, Terminum Vitæ à *Deo* poſitum non quidem poſſe tranſcendi aut extendi, niſi extraordinario Dei juſſu ac permiſſu; è contra verò ob Vitæ mores impios, errores diæteticos, temerariam

vitam, aliaque contingentia innumera innumeris modis abbreviari poſſe, & quidem adeò, ut inter aliquot centum, imò millia Hominum vix unus vel ăker Terminum à *Deo* ſibi definitum attingat; atque ita antè diem ſuum moriantur plerique, præcipuè ſæculò hoc noſtrô ferreo-terreô.

Sufficit mihi, ſi obtinuero, medicamenta tam omnia, quàm in ſpecie *Tincturam* Noſtram, non ludicrè, fruſtra & inutiliter exhiberi ægrotantibus.

Verùm, ne in hoc præter mentem ſim prolixus; id inſuper magis ad Cathedram Theologicam, quàm Medicam pertineat, Benevolum Lectorem remitto ad Hutterum, Hunnium, Gerhardos, Heinrici, Hulſemannum, Calovium, Muſæum, alioſque plures.

Proinde non ceſſemus, *Deum* orare, ut ſit mens ſana in corpore ſanô, ac commendare Ipſi vias Noſtras, qui faciet; Et, Si ob peccata commiſſa Nos ægrotare, atque in Medici manus incidere ſinat, juxta Syracidem cap. 38. v. 15. honoremus Medicum, propter neceſſitatem, ibidem v. 1. *Deus* enim Medicum & medicamenta produxit è Terra, & Vir ſapiens ea non ſpernit, ibidem v. 4.

§. Stante igitur hoc, ut ad Propoſitum redeam, quòd medicamentis omnibus uti jubeamur à ſacrô Codice, & quòd non tam abſolutè ſimus prædeſtinati huic vel illi vitæ Termino, quis, quæſo, *Tincturæ* Noſtræ *Univerſali* debitum honorem, & præ aliis præcellentem energiam infringere audebit? aut ſi auderet, valebit?

CAPUT III.

Quod detur in Rerum Natura.

DE Exiſtentia *Tincturæ Univerſalis* non tam multis Annis & Luſtris, quàm Sæculis acerrimè fuit dimicatum & controverſum; Verbis quidem ſæpiùs tam mordacibus, & dicteriis tam acerbis, ut tantum non crediderim, in Præliis, ubi plurimi tamen occiduntur, animos aliquando non tanto fervore ebullire contra Adverſarios, quam inter literarios hoſce Hoſtes contingere ſolitum fuit. Multi ſunt affirmantium, negantium plures. Inter utriuſque autem factionis aſſeclas varios reperire eſt, non Cucurbitam pro Cerebro habentes; ſed ſubtili pollentes ingenio: ut proinde τὸ ἐπέχειν non immeritò ſecurius, quiſquis ſit Philochymicorum, eligeret, quam ut tantis viris controvertentibus ſe immiſceat. Nihilominus, cùm Amicus quidem Plato, amicus Ariſtoteles, magis tamen amica veritas, & cum in nullius verba jurare jubeamur, pro hâc melius elicienda, & divulgandis miraculoſi Creatoris Myſteriis, placet pro tenui meô virili nonnulla proponere, & quidem ſtando à parte affirmante.

Affirmativam autem defenſuri, ante omnia laboremus, neceſſe eſt, ut negantium objectionibus & contradictionibus ſatisfaciamus. Pro meliori dilucidatione eos diſtinguimus in ſolidè negantes, & ſtolidè negantes: Per ſolidè negantes intellectos volo illos, qui ſolidâ eruditione, ſpecioſiſque ratiociniis muniti, ſuum propoſitum defendunt; Et hi vel ſunt Medici, vel Chymiatri, vel Philoſophi ſpecialiter ſic dicti, id eſt, ſpeculativi. Per ſtolide negantes vero indigito illos, qui ſine realium fundamentorum ac argumentorum pondere, ex ſola aliorum relatione, vel ex invidia, aut in Artem veram, ex hujus abuſu concepto odio veritati ſeſe opponunt; & hi itidem aut ſunt Medici aut Sophiſtæ, aut Chymicaſtri, & his Analogi.

I. Chymicaſtros quod attinet, ii non tam operoſæ indigent refutationis, illorum conatu firmis non innitente fulcris. Dum enim tales Fumi- & Nugi-venduli Principiis Medico-Chymicæ Artis non legitimè ſunt initiati; ſed vel è Lectione nonnullorum Scriptorum Chymicorum, vel è diſcurſibus cum Artis Filiis habitis audaciores facti, vel quaſi per tranſennam videntes aliquoties particulam unam vel alteram Particularis cujuſdam, uti dicitur, Laboris (ſæpius Enchiriſibus præcipuis non ingenuè detectis,) vel ſaltem metallicarum fuſionum & purificationum gnari, rei tam pretioſæ tractationem aggrediuntur illotis, quod dicitur, manibus, id eſt, ſine Precibus, ſine intentione Chriſtianum decente; ſed ſaltem ob ſacram Auri famem & nummos aucupandos. Tale ludicrum Fundamentum & Principium neceſſariò inſequitur effectus falſus & inſperatus; hinc dum Oleum atque operam perdiderunt, ac Bona dilapidârunt omnia pro *Lapide*, (uti nervosè loquitur *Ovvenus*,) omnibus volunt perſuadere, planè non dari *Tincturam Univerſalem*.

Deinde inter ſtolidè negantes ſeſe offerunt nonnulli è Medicis Galenicis, (nonnulli dico, neutiquam loquor de omnibus, nulloque modo in Eorum opprobrium hæc prolata ſunto, cùm magnificiam Eorum Methodum & Medicamenta, eademque tantùm-non quotidie ægrotis præſcribam, atque Galenicos inter ipſos dentur plures Viri ſummè literati, ſummè curioſi, occulta Naturæ ſeriò & decenter ſcrutantes; multò minus loquor de Medicis Dogmaticis, qualem meipſum profiteor, qui Doctrinam Galenicam & Chymicam prudenti dexteritate combinant, & fraternè uniunt) qui quidem fundamentis in ſtudiô medicô legitimè poſitis, Arti ſervandorum Hominum aut theoreticè aut practicè ſuam navant operam; econtrà nimis rigoroſè inhærent opinionibus ſuorum Præceptorum, & quæ in Galeni ac Averrhois (Medicorum quidem honorabili memoriâ digniſſimorum,) Scriptis verbotenus non continentur, negligunt.

Pro eô igitur quod dotibus ingenii, ſæpius apprimè raris & egregiis, rectè uti, ac præter ordinaria negotia aut theoretica aut practica curioſitate indefeſſa ſcrutari naturalium rerum qualitates, ac aliorum inventis ſua addere deberent, quemadmodum quidem laudabiliter id præſtiterunt omnium Nationum Medici veteres, Arabes, Ægyptii, Græci, Latini, &c. (aliàs enim Hygiéa Noſtra tantum Honoris faſtigium minimè attigiſſet) iſti eadem, quæ in Profeſſionis principio Schedulis conceperunt, ſucceſſivè iterum proponunt & propinant; vel iis Formulis Receptarum, quas Praxin medicam inchoando, memoriæ mandârunt, continuè utuntur, chordâ ſemper eâdem oberrantes, crambemque toties coctam apponentes. Reſiduum temporis Vacunæ pro ſacrificiô offerunt, ab Amicô ad Amicum per Urbem repunt, cyathoſque ſorbillando diem producunt, ut Terentii utar verbis; atque ita maximam Talenti ſui partem ſepeliunt: Et cùm ab aliis audiverint, non dari *Tincturam Univerſalem*, nec videant *Eam* publicè venum exponi, veluti Pilulas ſine quibus, Trochiſcos alhandal, rhabarbarum &c. Jovem jurant lapidem, & mordicùs ſimul hoc defendunt; licèt in rei veritatem nec ratione nec experimentis inquiſiverint. Abſurdiſſima enim omninò eſt concluſio: Hoc

medicamentum

medicamentum latet Medicorum plurimos, ergo non datur. Nec valere argumentationem à rei ignorantiâ ad rei negationem, nôrunt peritiores.

Hôc modô, autem, quod non minùs dolendum, tales non solùm suffurantur aureum Tempus Proximi & Successorum utilitati destinatum; sed etiam detestandum hanc pigritiam & ingenii torporem transplantant in Studiosam Juventutem [veluti canis Æsopicus, fœnum non devorans, pecora autem huic inhiantia, abigens;] dum cereis hujus Ingeniis talia dogmata imprimunt, quem noxium odorem Testæ illæ, eô recenter imbutæ, posteà servant continuum, de rerum naturalium scrutatione neutiquam solliciti.

Quemadmodum autem inter Medicos dictô modô tam pigri dantur socii, ita non dissimilis inter Philosophos alitur secta, dum nimirum isti acumen ingenii pro adcuratiore Artium & Rerum naturalium veritate magis magisque indagandâ à *Deo* ipsis concessum torpescere sinunt, illis saltem inhærentes opinionibus, quas in Juventute cerebellorum suorum receptaculis imposuerunt; nec quomodo scientiis augmentum ac decus accedat, invigilant, aliorum curiosas & serias meditationes ventilando, credentes saltem, quòd Philosophi antiqui credunt; (minimè omnium tamen mea mens est, quasi venerandæ Antiquitatis statuta & inventa hic velim sperni, aut abrogari, vel etiam ludicras novationes approbare; sed saltem reverenter iis habitis excogitata Seculi Nostri lauro digna cum iisdem combinari; multò minùs loquor in genere de veris Philosophis, quòd DEO & Proximo nati sint, decenter observantibus,) atque ita è præsuppositis aliorum hoc negantium, negant dari *Tincturam Universalem*; quamvis ipsi ferè nesciant, quid propriè hæc sit; sed saltem ex invidô fervore & abusu Artis, & à Pseudo-chymicorum fraudibus conceptô; Cùm facilè mihi persuaderi patiar, plures talium Philosophunculorum nullam Fornacem Chymicam vidisse, imò ne Mercurium quidem Vulgi cognovisse. Et hi tam facili succumbunt refutatione, quàm nuper memorati Medici, cùm, juxta ipsum Axioma Philosophicum, contra principia negantem, vel non intelligentem, minimè sit disputandum.

Desides isti Sophistæ aliorum relationibus temerariè statim fidentes, nec manûs oculatas habentes, non absurdè sunt æquiparandi illi Sutori in celebri quâdam Civitate Germaniæ: Notum enim est, ibidem certô quotannis die, Libertate Democraticâ permissum esse, & cuilibet è Vulgô licere, de Senatoribus, aliisque Personis publicis pro lubitu liberè loqui, ac Eorum Vitam & actiones impunè taxare. Unde accidit quâdam vice, [referente mihi virô fide dignissimô] ut Sutor quidam, percipiens, Hos laudari ab his, illos culpari ab illis, quò etiam aliquid feciisse videretur, ac de damno Josephi sese sollicitum esse, ostenderet, ultra crepidam sapiens in hæc eruperit verba: Rector nostri Gymnasii debet docere Logicam Philippi, & ille docet Logicam Rami. Dignum sanè tantô Oraculô è tantô Tripode dicterium! Solidè negantes quod concernit, illi sunt aut nonnulli è Chymiatris, aut è Medicis Galenicis, aut è Philosophis speculativis; qui variis contra *Tincturæ* realem existentiam & veritatem insurgunt argumentis. Inter quæ locum sibi vendicet primum:

I. Quòd plures solidioris Eruditionis Viri indefessò in Naturæ penetralia penetrandi studiô ac ardore in hanc quidem inquisiverint, tam legendo, & adcuratè ventilando aliorum Scripta, quàm manum ipsam Operi admovendo, materiam cautâ ac laboriosâ methodô per operationes Chymicas tractando, frustra tamen omninò laboraverint; Ut nihil dicam de hôc, quòd plures Thrasonici indoctique Ciniflones & fraudulenti Nummisugæ locô Auri seriò quæsiti & aucupandi aureum Tempus perdiderint, ac Aurum suum à Parentibus magnô sudore partum & collectum in fumos resolverint, inutiliter decoxerint & colliquefecerint, dum Operi huic insudaverint.

II. Quod nullus sese Orbi literato & curioso manifeste & realiter ostendere valuerit, tanquam Triumphator Capitolium hoc chymicum intrans, ac reverâ desideratô laborum fine potius; cùm tamen id non centum aut mille; sed tantum non innumeri præcipue nostrô hôc Seculô, infeliciter & frustra tentaverint.

III. Cùm morbi diversi à diversis oriantur causis, necessario illis diversa quoque opponenda esse remedia, v. g. Hic morbus requirit purgantia, alius adstringentia, ille humectantia, iste exsiccantia, & sic porrò. Unde sequitur, unum idemque remedium neutiquam posse contrariis operationibus perficiendis sufficere, aut duobus Dominis ritè servire; Ad hæc multos morbos pro sanatione non tam requirere robur Naturæ aut Calidi innati, quàm auxilium manualis operationis, v. g. in Luxationibus, Fracturis.

IV. Si unicô medicamentô possent sanari morbi omnes, frustrà à *Deo* essent creatæ innumeræ rerum medicamentosarum myriades, quòd absurdum; dùm earum contemptum expressis verbis prohibuerit severum mandatum *Divinum*, juxta Syracidis cap. 38.

Ad Primam objectionem respondeo, quod non pauci solidioris literaturæ in Re medico-chymica Viri, factis omnibus faciendis, propositum non attigerent scopum, causa est Eorum plurimos, (si non omnes) aut labores suos non instituisse in genuina & primâ *Tincturæ* materiâ; sed esse seductos per scripta chymica allegoricè & sub nominibus falsis materiam describentia; cùm ferè nullus in Tractatu publicô scapham nominaverit scapham; sed sub mutuato *salis armoniaci*, *nitri*, *chalybis*, *lunariæ*, &c. &c. nomine Eandem saltem proposuerit. Aut si illi materiam quidem veram quodammodo subolfecerint, eam non integram Labori destinarunt, sed opus sunt aggressi in una saltem materiæ parte, nimirum vel aëreâ & volatili, vel terrestri & fixa. Aut rem tentarunt non in materia proxima seu propinqua, ad *Tincturam* commoda, sed in aliqua nimis remota, & in corpore fixiore, tractationi huic non adeò apta & obediente. Aut omiserunt unam vel alteram Enchirisin, cùm arduum hoc Opus poscat cautissimum ingenium, cautissimam manum. Aut si indefessæ illorum curiositati ac labori nihil erroris potuerit imputari, aliquando imperscrutabili Dei voluntate accidit, ut concepta spe excidant, nec obtineant, quod velint laborantes. Talia autem evenisse Viris in re medico-chymica alia supra laudem positis, confitentur partim publica horum scripta, partim querelæ & discursus Amicis concrediti.

Ad 2. repono argumentum; hoc non adeò evictæ esse veritatis; de genuinis enim *Tincturæ Universalis* Possessoribus, licet rarissimis, gloriari posse Orbem, & in specie seculum Nostrum,

paulò inferiùs uno-plura convincent Exempla. Quamvis enim ii, quibus licet eſſe tam felicibus, non buccinis & tympanis ſoleant divulgare, qui ſint; cùm oleat faſtuoſam oſtentationem, contrafieturque piis veri Adepti moribus; nulla tamen inde eſt conſequentia, Ergò nullus eam obtinet. Injuriam inſuper mirum-quantum magnam inferimus Creaturæ Creatori, Argilla Figulo per hanc dubitationem, aut negationem, ac imminuimus Honorem è mirabilibus ipſius Operibus emergentem. A rei enim ignorantiâ ad rei negationem ſi aliquis argumentatur, craſſiſſimam extorquet concluſionem. Sed hâc de Controverſiâ circa finem capitis 4. videantur plura & prolixiora.

Audio hic ogganientem Sophiſtam quendam: Si *Tinctura Univerſalis* non tam apertè eſt tractanda, & communicanda, quomodo, quæsò, poterit cedere in Proximi emolumentum? quomodo ſanitatem huic vel illi ſervabit integram? quomodo læſam reſtituet? Hôc modô omninò erit comparanda Theſauro abſcondito, inutili. Verùm licet poſſeſſor non oſtentatorio Agyrtarum ritu publice proponat ac propinet ſuam *Tincturam*, nihilominus humili & taciturnâ dexteritate plus poterit prodeſſe *Divino* Honori, ac commodo Proximi, quam centum fraudulenti Blaterones verbis ſeſquipedalibus, exſuccis tamen; vel etiam alii medicamentis ad minora à *Deo* conditis.

Ad hæc ſi Noſtra Ars primiceria, uti aliæ frequenter & apertè exerceri à *Deo* permitteretur, & cuilibet indigne inhianti concrederetur, atque innoteſceret, Hominum ſane plurimi huic incumberent; jucundo fine, inter alia nimirum nummorum aucupio, capti & allecti; (Cum notum ſit, quid non mortalia pectora cogat Auri ſacra Fames,) Unde tamen varia in Animarum & Corporum Humanorum, perniciem certò forent metuenda abſurda, incommoda, ſcandala.

Accedit, quod intempeſtiva hâc manifeſtatione temere ſeſe exponerent Vitæ periculo; Qualem mihi retulit Venetiis celeberrimus Otto Tackenius, de aliquo non ignoti nominis: Ille enim adhuc Monachus, videt quendam è ſuis Confratribus plurimum Temporis impendere in labores chymicos ſecretos; hinc Ejuſdem ſibi familiaritatem magis magiſque concilians, non deſinit Eum fatigare querelis, quæſtionibus, precibus, uſque dum ipſi concrediderit, quod Theſaurum huncce incomparabilem poſſideat; ac tranſmutet Mercurium in copioſum verum aurum, ſanetque pauciſſima *Pulveris* portiuncula morbos ab aliis deſperate rélictos. Per temporis ſpatiolum fraternam vel ingenuam colunt Amicitiam; poſtea vero infidus iſte Frater Fratrem ſummè fidum extra Cœnobium occidit, ſurripiens ipſi ſecretiſſimum hocce ſecretum, deteſtabilis lucelli gratia. Sceleratus iſte, abjecto Monachi Cucullo, Venetias petit, ibidem aſſumto Comitis Nomine pomposè vivit; minimè occultans, ſed glorioſe jactans, ſeſe regiam hancce arrham obtinere.

Quid fit? Peregrinus quidam aliquot ſeptimanis huic ſeſe aſſociat, ſtabilito per Potum Fraterno Amicitiæ Fœdere; poſt navicula, Gondolas ibi vocant, hic, ſtipatus aliquot miniſtris clanculùm armatis ſpaciatum educit illum ſolum in domum à Populi frequentiâ remotam, ibi in hæc erumpens verba: Mi Fratercule, ſcias, me eſſe Comitem celeberrimæ (quam nominabat) Familiæ, Belli injuriis ad incitas ita redactum. Cùm autem Sanguis generoſus apud me hæreditaria quadam benignitate ebulliens, ſub ſordido & abjecto paupertatis pallio latitare amplius non valeat, per Fraterni Noſtri Amoris Leges Te oro & obteſtor, velis tantô pecuniæ numerô mihi ſuccurrere, quantus ſufficiet pro cogenda & colligenda Legione militari. Sine tuo autem incommodo poteris mihi gratificari, cùm juxta propria verba, *Tinctura Univerſalis* ſis dotatus. Redhoſtimenti locô Tibi offero denuò officia mea uſque ad ſanguinis, imò Vitæ profuſionem paratiſſima. Summè hinc perterritus iſte Oſtentator, & ponderans, quod tantis alterius gratiâ expenſis faciendis propediem poſſit demonſtrari Vacuum in ſuâ Crumenâ, præcipuè, cùm jamdum bona *Tinctura* pars ſit conſumta, ſine ſpe novæ parandæ, atque tales Fratres egeni facilè plures ſint ſucceſſuri, aureô ex hoc fonte Aquam vitæ gratis potaturi. Proinde omnes, quas invenire poteſt rationes profert, imprimis verò, quod modicum *Pulveris* tingentis ſibi ſit reſiduum, nec tam ſubitò recens parari poſſit. Ille verò, ubi res ipſa deſideratur, verbis minimè contentus, monſtrat occultata Famulorum arma, mortem minans Homini in Leges Amicitiæ tam perfidè peccanti, niſi citò ſuæ ſit ſatisfacturus petitioni. Hic Vitâ ſeſe periclitari videns, promittit, quamprimùm ſeſe paraturum, quòd ille petierat, alibi autem id fieri non poſſe, niſi propriâ in domo. Conſentit ille, adjunctis tamen putatitio Chyſopœo cuſtodibus ſemper lateralibus. Tingendi autem planè neſcius hic Lucifuga ſub tenebris nocturnis aliquando commodam arripiens occaſionem, per ſupremam domûs contignationem irrumpens in domum adjacentem, fugâ Vitæ ſuæ conſulit. Paulò aliis circumſtantiis hanc deſcribit Hiſtoriam Theobaldus ab *Hohelande*, Tract. de Alchymiæ difficultatibus, pag. 168. Aliudque huic non diſſimile addit Exemplum, quod ibi legere, ſi libet, licet.

Ad 3. Argumentum regero, cùm è medicis Inſtitutionibus infallibiliter conſtet, morbos à diverſis oriri cauſis; ideò omninò illis diverſa etiam opponenda eſſe remedia; nimirum, quando agitur de medicamentis particularibus, v. g. aut purgandi, aut adſtringendi, humectandi aut ſiccandi qualitate præditis. Tales autem qualitates non quadrant, nec ſunt extendendæ ad *Tincturam Univerſalem*; Hæc enim paratur è rebus primis & univerſalibus, ideoque ſingulari gaudet Harmoniâ & analogiâ cum Vitæ noſtræ ſpiritibus ac Calidô innatô; Quod ab hâc Balſamicâ recenter imbutum Virtute, [uti præcedente capite jamdum dictum] modô Archæali & imperatorio corrigit, depurat, atque ejicit è maſsâ ſanguineâ omne id, quod circulatoriam ejuſdem quomodo-cunque turbat officinam; quemadmodum aqua paludoſa in ſtagnô purificatur, & ab ulteriore corruptione præſervatur, ſi aqua fluvialis limpida in eam derivatur.

Nec Me ferit objectio, quod pro hôc vel illô morbô tollendô requirantur purgantia, vomitoria, ſudorifera, diuretica, calculos vel Menſtruum pellentia, &c. qualis virtus, utpote in multis contraria, non poteſt ſubſiſtere in unô ſubjecto. *Archæus* enim noſter non ſemper obtemperat in operatione medicamentis propinatis, licet talia juxta Methodi medendi Leges cautâ Medici experti Mente manuque offerantur. Notum enim eſt Practicis, nec Antagoniſtæ poterunt negare, poſt remedium ſaltem ſanguinem purificans, & acidum

Menſenterii

Meſenterii aut ſanguinis præcipitans & edulcorans, (nonnulli Veterum vocitant Hepaticum, ſtomachicum, &c.) aliquando inſequi vomitus, aliquando alvi fluxus, aliquando ſudores, aliquando largam Urinæ excretionem. Nec rarò poſt ſumtum purgans, v. g. rhabarbarum, folia ſenæ, jalapium, &c. Cui Vis vomitoria à nullô Autorum eſt adſcripta, inſequi vomitûs; & vice versâ, ſumtô vomitoriô ſuccedere alvi fluorem; Nonnunquam etiam purgantia magis per vias urinarias, quâm per Guttur inferius expellenda expellunt. Et hoc fit ideò, quòd Natura Noſtra noxium & moleſtum per vias ſibi commodiores & proximiores expellere optimè ipſa noverit, quòd ſagacitas Medici, qui Naturæ ſaltem eſt Miniſter minimè verò Dominus imperans, non ſemper penetrare valet.

Nihil heic dicam de illo, quòd hæc ſarcinæ impuritatum in maſſa ſanguinea ulterius ferendæ impatiens, ſæpius criticas inſtituat ſua ſponte evacuationes, ſine medicamentorum ope; ſed propria in conſervandam Microcoſmi Rempublicam Providentiâ, ſudores, vomitiones, diarrhœas, &c. non ſine laudabili & manifeſta euphoria, (Quamvis nonnulla Criſis fiat imperfecta, dum Natura eruditatibus nimium preſſa conatur quidem expulſionem, ſed debilitata oneri dejiciendo non ſufficit.)

In ſpecie verò reſpondeo, Non latere Chymiatros, imò nec invidos, eò deventum eſſe, & magis magiſque eò pertingi adcurara Pyrotechniæ induſtria ac indefeſſo labore, ut ex *Antimonio*, *Mercurio*, aliiſque rebus medicamentoſis tam raræ efficaciæ parentur remedia, quorum virtus & modus operandi ad ſolum aliquod excretorium ſeſe reſtringi neutiquam patiatur; ſed operetur ſaltem vel roborando Balſamum vitalem; vel moderatè & lentè per inſenſilem tranſpirationem vel per diureſin, vel per ſudorem, vel per vomitum, vel per Hæmorrhagias Narium, Uteri, Hæmorrhoidum, &c. materiam peccantem & ſuperfluam exturbent, prout *Archæus* laudabili medicamenti energia adjutus eandem pro faciliore exturbatione reperit diſpoſitam. Si itaque tales effectus producit calor innatus, vel ſuâ ſponte, vel remediorum particularium ope quomodo, ſis, eandem Virtutem denegare quis audebit, vel jure valebit *Tinctura Univerſali*, utpote cujus penetrabilis excellentia & extraordinarius juvandi modus reliqua omnia multis paraſangis ſuperat?

Sanatio adfectuum externorum, v. g. Luxationum, Fracturarum, &c. propriè & immediatè à nullô medicamentorum internorum peti poteſt; Cum talia ab externis, v. g. faſciis, ligamentis, Emplaſtris, &c. ſuam topicam expectent atque accipiant medelam; nihilominus mediatè conſolidationem & reſtitutionem omnino maturat *Tinctura* Noſtra, dum Spiritus Terrore, Hæmorrhagiis, dolore, vigiliis, aliiſque accidentibus diſſipatos renovat, atque ita ſimul inflammationes, gangrænam, &c. arcet, ac ab his corpus præſervat.

IV. Argumenti quarti, quaſi *Tinctura Univerſalis* fruſtraneam redderet creationem, & operationes aliarum rerum medicamentoſarum, nulla plane eſt conſequentia.

Cùm enim imperſcrutabile & ſapientiſſimum Conſilium *Divinum* per tot ac tot Secula è millenis Hominum millibus oppido pauciſſimos illius beaverit cognitione, propter plerorumque indignitatem, aut propter abuſum præcavendum, aut, ut *Deus* per plures Creaturarum ac remediorum è triplici Regno, animali, minerali, vegetabili orrorum diverſiſſimorum diverſitates Nos [itidem mirabile Suarum Manuum opus] in majorem rapiat admirationem, ac Pietatis addat ſtimulum, aliaſque ob cauſas Nobis incognitas, nihil planè aut parum decedet Honori reliquarum rerum medicamentoſarum. Potuiſſet quidem omnipotens Vitæ & Sanitatis Autor, (qui eſt miraculoſus in operibus ſuis,) vel morbos plane à Nobis arcere, vel unicô ſaltem Majeſtatico FIAT morboſum omne tollere; Potuiſſet, dico; ſed ita Ipſi non placuit; ut cum devoto Eccleſiæ Patre loquar.

Sic ſacrarum Literarum manuductione novimus, mirandum *Orbis Conditorem* pro ineffabilis miſericordiæ beneplacito Populo ſuo Iſraëlitico non uno, ſed diverſis modis tam in re medica, quam militari, aliiſque auxilium præſtitiſſe. Medicorum Primas, *Chriſtus* ipſe ſanavit diverſis modis, aliquando unico verbo, & quidem ægrum inviſens, uti Matth. 8. v. 31. Marc. 2. v. 12. Joh. 5. v. 28. vel non inviſens, uti Matth. 8. v. 13. & 16. & cap. 15. v. 28. Aliquando tangens, v. g. Matth. 8. v. 3. & 14. vel ſine tactu, Matth. 9. v. 6. Luc. 17. v. 17. Viſum cœcis reſtituit nunc ſine remediis v. g Matth. 9. v. 30. nunc mediantibus remediis, Marc. 18. v. 25. vel Johann. 19. v. 12. Regis *Hiskiæ* Carbunculo juſſit imponi Ficus pro maturatione, per *Eſaiam*, cap. 38. v. 21. *Naëmannum*, Imperatorem exercitus Syriaci, leproſum ſepties juſſit lavari in Jordano *Eliſæus*, 2. Reg. 5. 14. *Moyſes* corrigebat amaritiem Aquarum in Deſerto injectione Ligni à *Deo* edoctus, Exodi, 15. v. 25. *Petrus* & *Johannes* uno verbo mandarunt claudo nato, ut ambularet, Pedibus officium ſuum ſubitò & perfectè facientibus, Actor. 3. v. 6. Econtra permiſit *Deus* Noſter imperſcrutabilis, ut cuncta ſcripta auro contra cara de rebus naturalibus & medicamentorum facultatibus [quæ ſingulari è revelatione conſignaverat Regum Sapientiſſimus *Salomon*,] jamdum perierint, maximo Poſterorum cordolio & detrimento, quorum arcanam & ampliſſimam cognitionem à Cedro Libani uſque ad Hyſſopum parietis Huic ſoli (poſt Ipſum verò nulli,) detexerat. Idem, qui variis modis ſanavit, & per miniſtros ſanare ſuos juſſit, diverſimodè etiam percuſſit Populi ſui Hoſtes; ſic in Caſtris Aſſyriorum unica nocte unicus Angelus necuit centum octoginta quinque millia Militum. Non diſſimilis ſtrages facta in Primogenitis Ægypti, Exodi, Cap. 13. v. 15. Ut *Joſua* cladem inferret magis cruentam, Sol & Luna ſupernaturaliter ſubſiſtere jubebantur, *Joſuæ* cap. 10. v. 12. Per ſolum *Davidem* mediante *Goliatho* cæſo, fugabantur *Philiſtæi*. 1. Sam. 17. v. 49. Mediante calliditate *Judithæ* & per mortem *Holofernis* Exercitus totus Aſſyriorum, Libr. Judith. cap. 13. Sæpius obviam ire Hoſtibus, & pugnare juſſit omnem Exercitum Iſraëliticum; ali quando verò ſelegit ſaltem aliquot centum, uti videre eſt libr. Judic. cap. 17. v. 7. Non minùs variis ſane modis diſtribuit ſua dona Idem Deus ſuis Miniſtris; Tam facile enim potuiſſet *Moyſi* Linguæ balbutientis difficultatem prætendenti; Exodi, cap. 4. v. 10. hoc vitium corrigere, atque Apoſtolos docuit Linguis incognitis & peregrinis loqui; uti pateſcit ex Actor. 2. v. 6.

Ex dictis abunde clareſcere judico, infinitam Potentiam *Divinam* non debere adeò reſtringi, quaſi unico ſaltem remedio Nobis opitulari velit, aut

aut poſſit; ſed potius eandem modis innumeris ſanitati ac Saluti Humanæ invigilare pro gratioſo ſuo Beneplacito.

Superſunt adhuc variæ rationes, præcipue Galenicorum & Philoſophorum, non exſuccæ quidem, nec omninò enerves; Cùm autem illi viri clariſſimi in Chymiâ practicâ non ſint verſati; Sed dicta ratiocinia fundârint ſuper falsâ Hypotheſi, nimirum veram & genuinam *Tincturæ* Noſtræ materiam ignorantes, datò hôc unô abſurdô, ſucceſſivè ſequuntur plura, ut proinde contra Principia negantes, nec intelligentes non ſit diſputandum; Cùm Labores chymicos ulnâ Philoſophicâ ſpeculativâ & theoreticâ emetiri, non ſimul conſideratâ ipſâ Chymicorum Praxi, ſit abſurdum. Medicina enim, & Ejuſdem Filia Chymia duobus incedit cruribus, Ratione & Experientiâ; adeoque dicta ratiocinia Brevitatis ſtudiô heic lubens prætereo.

Progrederer nunc, remotis contradicentium argumenris ad ulteriorem Scopi mei dilucidationem, & *Tincturæ Univerſalis* exiſtentiæ demonſtrationem. Verùm acerrimus ſeſe adhuc offert Alchymico-Maſtix Antagoniſta, ſpecioſarum objectionum armaturâ formidabilis; hactenus omnibus ipſi contrarium ſentientibus ſolô ferè nomine horribilis; *Kircherus* ille eſt; Athanaſius, dico, Kircherus, qui Nomen, quô in ſacrô Baptiſmate fuit inſignitus, ab immortalitate, fruſtrâ ſibi eſſe impoſitum, neutiquam paſſus eſt.

Quantum enim Lucis laborioſa ſuâ dexteritate, & ratô ingenii acumine accenderit pluribus Scientiis currente hôc Seculô, novit non tam Noſtra Europa, quàm integer Orbis. Ille uti plurima alia, ita etiam Rem Phyſicam concernentia adcuratè ruminavit, & ſubtili Philoſophiâ ventilavit, uti pateſcit tum è variis ejuſdem ſcriptis, tum præcipuè è Mundô Subterraneô. Ibi, Tomô ſecundô, in Fodinas metallicas deſcendens, poſtea quoque ingreditur Chymicorum Laboratoria; aggrediturque multifariè Chymiam practicam; in ſpecie verò Libri 2. Sectione 1. 2. 3. 4. &c. In Alchymiam vehementer invehitur, ac *Lapidis Philoſophici* realem exiſtentiam ſimpliciſſimè negat, Metallorumque tranſmutationem πύξ ἢ λάξ impugnat. Quamvis enim primò placidum ſeſe rerum Alchymicarum Ventilatorem promittat, dum Sect. 2. cap. 1. p. m. 250. ita diſſerit: *Ego quid ſentiam, eô quô par eſt candore, aperiam. Quod dum facio, non cum Pſeudochymicaſtris, rudi & illiteratô Hominum Genere, ſed cum Philoſophis mihi negotium eſſe, ſibi Lector perſuadeat.* Et ibidem, paulo inferiùs: *Nos media incedentes viâ, neque Chryſopœiæ impoſſibilitatem, neque etiam eô modô, id fieri, quo Alchymiſtæ illud produci poſſe exiſtimant, aſſerimus.* Attamen in ſequentibus Capitibus, priorum dictorum quaſi oblitus, Bile ſibi commotâ, non contra ſolos Pſeudochymicaſtros inſurgit; ſed in genere pro plenariè annihilandâ Alchymiæ poſſibilitate, ſemper & ubique omnes movet lapides, Ejuſdemque Cultores vocitat Impoſtores, Agyrtas, ſceleſtos, maleferiatos; (& ut paucis omnia,) Impietatis & Improbatis Eos accuſat.

Proinde non immeritò irritatus quidam ingenuus Artis Filius, Salomonem *de Blawenſtein* ſeſe nominat in Interpellatione pro *Lapide Philoſophorum*; ut & Johannes *Zwölferus* in Mantiſſâ Spagyricâ Pharmacop. Regiæ adnexâ part. 1. capit. 1. pag. m. 324. ſequ. cum aliis, emiſſa negationum Spicula in ſinum ipſi retorſerunt. Et quamvis hactenus neque *Kircherus* ipſe, neque alius, quantum mihi quidem conſtat, horum reſponſionibus ulteriori contradictione ſeſe opponere fuerit auſus; Nihilominùs placet hiſce nonnulla addere; neutiquam quidem litigandi, multò minùs Virum Summum calumniandi animô; Tanta enim illius ſunt merita in rem Literariam, & in ſpecie quoque in illam Philoſophiæ partem, quæ ad Phyſicam, & Medicinæ Fundamenta ſpectat, ut, quam diu Orbis erit, ille jure meritò Athanaſius fuerit nominandus; ſed ſaltem pro veritate magis magiſque eliciendâ, difficilibus, materiæ hujus intricatæ nodis ſolvendis, & pro ſalvandô antiquô Chymiæ Honore. Cùm *Kircherus* inter Antagoniſtas potior ſit, quàm decies mille aliorum, ut Iſraëlitici Populi verba de *Davide* mutuer; & Ipſe è pluribus ſerio collegerit, clariùs diduxerit, atque amplificaverit argumenta contraria.

Primo itaque dico: Orbi literato eſt notiſſimum, Ex hujus Viri incomparabilis Cerebro prodiiſſe plura ſcripta Philoſophico-theoretica Lucernam olentia, quam ex Equo Trojano Viros callidos armatoſque; tanta enim hæc ſunt numerô, tanta ſunt pondere, ut unius Hominis ingenium fere non ſufficiat huic oneri ferendo. (Nihil dicam de pluribus gravioribus, quæ procul dubio ſeveræ Ordinis ſui Leges in rebus Theologicis Ipſum præſtare juſſerint; & quantum temporis ſibi ſumſerint ſacra officia.

Stante hôc, ſequitur, huic operationibus Chymicis manum decenter admovere non licuiſſe, neque in Chymia practica adeò verſatum eſſe potuiſſe, neque neceſſariam Autorum talium Lectionem ipſi fuiſſe familiarem. Veluti quidem Scripta Ejuſdem ſuperius adducta de Alchymia abunde illud demonſtrant, & ipſa hoc dubium ſolvunt. v.g. dum ex Arnoldo *Villanovano*, item è Bernhardo *Trevisano* duas facit Perſonas, Nominibus & Cognominibus Eorum aliquoties interponendo alios Authores; Cùm tamen Chymia unum ſaltem Arnoldum Villanovanum, & unum Bernhardum Trevisanum noverit. Propterea quamvis ille vir ſummus in Diſciplinis thoreticis & ſpeculativis, Invidia ipſa etiam teſte ſupremum fere aſcenderit Scientiæ culmen, neutiquam tamen inde ſequitur, Eundem quoque in Practicis, præcipue in hac re extraordinarie ardua deciſivam poſſe ferre ſententiam; Cùm hæc toto Cœlo, ac tota Terra differant, & curioſa Laboratoriorum Chymicorum inventa non obediant menſuræ ad ulnam Philoſophicam; Ut nihil dicam de immiſſione falcis in alienam Meſſem, vel quòd ne Sutor ultra Crepidam.

II. Inter *Kircheriana* argumenta hoc videtur præ reliquis plus roboris præ ſe ferre: E fundamentis, inquit ille, Philoſophicis firmiſſimo innititur fulcro, nullam ſpeciem poſſe mutari in aliam; v.g. Homo non poteſt degenerare in Bovem, Bos in Caprum, Gallus in Turdum, Carpio in Lucium, &c. Ergo nec Cuprum, nec Mercurius, nec aliæ Metallorum ſpecies, utpote jamdum perfectæ poterunt mutari in Aurum & Argentum.

Sed reſpondeo, concedendo quidem, Species Animalium, & ſimilium ſummè perfectorum neutiquam poſſe converti in aliam; Hæc tamen ad alia omnia ſeſe minimè extendi patiuntur; Tranſmutationem enim in animali & vegetabili Regnis eſſe poſſibilem, plurima apud varios Autores evincunt Exempla; ſuffeiat mihi verò ſolus *Kircherus* ipſe, qui Tomo 2. dicti Mundi Subterranei Libr. 12. *de Panſpermia rerum*, in ſectionis primæ &

ſecundæ

secundæ capitibus hinc inde amplè differit, quomodo è Semine Universali & mirifica plasticæ Virtutis efficacia, nascantur & mutentur alia in alia, v. g. Bombyx, aliæque Erucæ in Papiliones, &c. imò, quod majus quomodo Regnorum etiam diversitas hanc inversionem admittat, v. g. quod Insecta transeant in Herbas, & hæ in Insecta, & hæc quidem vel per opus Naturæ vel per Opus Artis. In specie vero Sectionis 3. cap. 4. de Emphyteutica vel insititia Arte, (Pfropfen/) p. m. 385. in hac erumpit verba: *Sunt res nonnullæ adeò è Naturæ quadam similitudine sibi amicæ, ita consonæ, ut mox una alteri applicita in mutuum consortium ruant, & sese mirâ amicitiæ Legibus amplexentur.* Huc usque *Kircherus.*

Norunt enim Dendrophili, Arborum fere omnium, imò etiam Sylvestrium naturam obedire Artis expellentis Furcæ, nec uspiam recurrere; (contra dicterii *Horatiani* probatam in aliis veritatem,) sed assumere surculi insiti qualitates; Etiamsi non unius [v. g. Pyri in Pyrum,] sed diversæ sint speciei, v. g. Mali surculus commodè & curiosè inseritur in cydonium, Pyrus in morum, &c. *Idem* in opere allegato, Libr. 8. sect. 2. itidem uti latè, ita adcuratè describit Homines, Bruta, Arbores, Plantas aliaque innumera, mediante succo lapidifico vel facultate petrifica in Lapides esse conversos, vel putrefactos, quorum Exempla ubivis jam sunt obvia. Ibid Libri 10. sect. 4. cap. 6. inquit: *Consentiunt Metalla cum variis Lapidibus.* Et paulò post: *Cuncta Metalla Argentum vivum in Amicitiam receperunt, quia lubentissime omnibus copulatur.* Et ulterius: *Imò inter ipsa Metalla Sympathia & Antipathia observatur.*

Si igitur jam prolata *Kircheriana* veritati sunt consona, uti sanè sunt, quotidianæ Experientiæ & Autopsiæ Testimonio; nimirum, si Insecta jamdum perfecta mutantur in volatilia; Si Insecta degenerant in Herbas & vice versa; Si Surculus insitus Arbori perfectæ suas innatas suffuratur constanter qualitates Si res perfectæ quælibet è triplici Regno ad petrificationem sunt aptæ; Si inter metalla observatur Sympathia, &c. sane non video, quomodo rebus metallicis deneganda sit transmutationis possibilitas. Cum metalla homogeneis constent principiis, ac inter sese differant saltem gradu, vel secundum majus & minus: proinde jure hæreditariæ analogiæ unum alteri, præcipuè ab Arte adjutum, radios suos illustriores poterit communicare, ut ita dicta metallorum imperfectorum transmutatio non tam proprie sit vocanda vera transmutatio, sed potius muturatio & exaltatio.

Quamvis enim Anima & Vita metallis & mineralibus propriè non competat, veluti Regno Animali & vegetabili; tamen uti nec viva, ita quoque nec mortua appellari poterunt, ceu loquitur aquilizans *Sperlingius*, Synops. Physicæ Libr. 6. cap. 4. Sed analogum, & inter hæc quasi medium possident; cum crescant, augeantur, &c.

Sed mei non est scopi alibi dicta heic repetere, uti aliquoties monui; Cum igitur jamdum huic Controversiæ à variis sit satisfactum, adeoque ad Eosdem Lectorem remitto. In specie verò Enndem descendere jubeo ad Joh. *Tackii* Chrysogoniam animalem & mineralem, Petr. Johan. *Fabrum*, Panchymici Libr. 3 cap. 5. p. m. 369. & cap. 6. p. m. 370. II. *Becheri* Physicam Subterraneam, Ejusque Supplementum.

Verùm quid molestus sum benevolo Lectori rationibus adducendis, vel has apud alios quærendis, cùm pro me militet pluribus jam nota Autopsia, & rerum omnium Magistra, Experientia? Unicum enim solidum Experimentum practicum plus habet ponderis, quàm centum rationes Philosophicæ speculativæ, licet acutissimæ; propterea etiam Chymiatri non inconcinnè audiunt Philosophi per ignem.

III. Ut impiam, mendacem, & absurdam ostendat Alchymiam *Kircherus*, Lib. II. Sectio 2. cap. 5. ulteriùs ita contra Tincturæ augmentationem insurgit: [ut ampla Ejus verba contraham,] *Iuxta Alchymistarum assertiones pars una Lapidis primâ vice tingere, vel imperfecti metalli mutare potest centum partes; Si denuò solvas vel imbibas, convertit mille partes; tertia vice transit in decies mille; quartùm verò in centies mille partes; & sic porrò, si adscenderis, in duodecimâ projectione poteris convertere centum milliones millionum; aut si Oceanus consisteret locô Aquæ è Mercuriô, posset exaltari in Aurum & Argentum; vel totus etiam Mundus Aurô posset obduci.* Ex inde concludit, *ipsos Pueros, mulierculas, & infimam Plebem stulta maleferiatorum Alchymistarum machinamenta, promissa & nugamenta videre, & irridere posse.*

Verum enim verò, Fateor quidem, me Testem Autopten non esse hujuscemodi multiplicationis, nec ex ore aliorum de hâc mihi singularia multa constare; Tamen cum possibilitatem & existentiam *Tincturæ* credere cogamur Viris variis probatæ Pietatis; probatæ Eruditionis, veluti mox secutura evincent, in medio relinquo, aliorumque arbitrio trado, an dicta multiplicatio pro verâ sit habenda, nec ne; Tres tamen è Neotericis (de Veteribus pluribus taceo,) adduco Testes, in qualis Trigæ ore veritatem consistere, aliàs ab omnibus conceditur, nimirum Heintic. *Kunrath*, in Amphitheat. p. m. 206. Autorem *Tumbæ Semiramidis*, cap. 9. p. m. 94. & Joh. Frid. *Helvetium*, qui Tract. Vitulus aureus insignitô circa finem Historiæ refert, sese post novam additionem Lunæ ad Aurum nuper mutatum infusione aliquoties expertum esse hancce multiplicationem.

Quibus hoc saltem addo, *Kircherum* hôc in locô concludere magis Philosophicè, quàm Christianè, Bile procul dubiô spiritibus Capitis præter solitum imperante.

Omniscius enim Cardiognostes nulli hoc Magnale concredit, qui avaritiam, arrogantiam, similesque nefarios abusûs pro fine Laborum suorum habet, aut qui Mundum vult inaurare, aureosque Montes in debili suô Cerebellô exstruit; sed saltem iis, qui tacitâ Animi tranquillitate, & piâ devotione hoc Secretum *Divino* Honori, Animæ propriæ saluti, & Proximi emolumento destinant. Aut si eô ipsô quâcunque ratione fuerit potitus improbus quispiam, non tamen diu eum id possidere patitur *Divina Majestas*; veluti paulò inferiùs ampliùs dilucidabitur. Proinde absurdam hujus argumenti vanitatem Antagonistis Nostris in sinum refundimus; cùm illud ideò suâ sponte corruat & evanescat; & ut intentiones ab impietate & improbitate oriundas priùs removeant, antequam Mentem, crenam, aut manum admoveant operibus Chymicis *Tincturæ* Nostræ, amicè & Christianè rogitamus.

IV. Cæterùm, quæ producit multiplicia & varia variè congesta ratiocinia, nimirum, quòd materiam & operationes occultent & describant variis nominibus alienis, & difficilibus allegoriis,

hoc

hoc vitiô adeò illis, quibuscunque ita libuerit, non erit vertendum; Si enim Hieroglyphicis, & variis Metaphoricis locutionibus uti licet in aliis Scientiis, quomodo in hâc summi momenti arte poterit esse adeò absurdum, & Sarcasmô dignum? Quòd item dissentiant plurimùm Alchymici, ratione Nominis, ratione materiæ elaborandæ, ratione modi præparandi, hæc possibilitatem tamen non infringunt, sed difficultatem Laborum saltem arguunt, quam ambabus manibus concedo.

Ne una quidem facilè poterit mihi nominari Disciplina, quæ non scateat variè contrariantium & disceptantium dissidiis. Do instantiam: In Religione Christianâ maximus est inter Theologos de variis dissensus, minimè tamen inde concludere licet, ergo non datur Christianissimus? vel, ut specialiùs loquar de Theologiâ Romano-Catholicorum; *Kircherus* vix, & ne vix quidem mihi concedet hoc Argumentum: Inter *Franciscanorum* & *Dominicanorum* Ordines irreconciliabile diu vixit dissidium, plures item alii Ordines non adeò consentiunt *Societati Iesu*, neque hæc illis; *Sorbona* item *Parisiensis* sæpiùs contradicit Decretis *Papalibus*; Ergò non datur *Ecclesia* Romano-Catholica!

V. Nec vehementius Nos feriunt Exempla adducta, quòd nonnulli pro genuinis *Tincturæ* Possessoribus olim habiti, fuerint Homines impii, scelerati, impostores. Præter illud enim, quod producta testimonia pleraque quasi invitè & coactè suum deponant Symbolum, aut sint ab invidis propositа, aut insufficientia; Etiam in contrarium plures & firmiores possunt prodire Testes, non solum è Veteribus; sed & præcipue è Nostro Seculo probatæ fidei Viri. Adeoque demirari satis nequeo, quomodo vir hic vere religiosus (uti Ejusdem Conversatio & Scripta testatum eunt,) & Philosophus consummatæ Eruditionis passus fuerit, ut in hac re tantus Bilis fervor ipsi in sanguinem adscenderet, & dum in specie de abusu voluerit-debuerit loqui, in genere summè venenata injuriarum spicula emiserit contra hoc studium, quod excoluerunt, suosque Medicos & Chymicos excolere jusserunt, & adhuc jubent plurimi Imperatores, Reges, Principes, & alii tam verè pii ac probi, quam verè literati.

Dolemus ipsi, & mirum-quantum dolemus infelicem Divinæ Artis sortem, quod tantus numerus muscarum & papilionum vagantium splendorem Solaris hujus Luminis radiantem turbaverit, & adhuc turbet! Sed veluti proprias comburunt ipsi alas, & postea ipsis ridiculum murem enixis de Partu suo dolendum est; ita stolidi horum conatus & abominanda fraudulentia neutiquam poterit converti in Viros bonos omnes, pro Candore suo ac Talenti concrediti pondere Naturalia rimantes-mirantes.

A particulari enim ad universale institutam argumentationem nullo valore gaudere, novit optimè Vir acutissimus. Idem enim vix subscribet huic conclusioni: Jesuitæ Anno 1594. ob malos mores *Gallia*, & Anno 1606. Dominio *Reipublicæ Venetæ* sunt expulsi omnes. Ergo Jesuitæ quilibet sunt impii, scelesti, fraudulenti. Petrus *Iarrichius*, Jesuitici Ordinis olim miles veteranus peculiari Tractatu, Anno 1665. & 1676. impresso in 12. describit specialibus exemplis, & additis Nominibus majora inter Homines cognita fere omnia Scelera esse perpetrata in Provincia Guienna Galliæ in tribus Societatis Jesu Collegiis ibi nominatis. An igitur Jesuitæ omnes sint impii, scelesti, fraudulenti? Ventilatis nunc dissentientium opinionibus & rationibus, progredior ad demonstrandam *Tincturæ* possibilitatem. Cùm autem antea dixerim, Medicinam & ejus Filiam, Pyrotechniam, duobus inniti fulcris, Ratione nimirum, & Experientia, propterea curioso eadem ostendere Lectori, ante omnia erit commodum & consultum.

Rationem primò quod attinet, cum *Tinctura Universalis* præparetur è rebus primis & universalibus, ac principiis rerum omnium Macrocosmicis generalibus, Cœli atque Astrorum influentia imprægnatis, è quarum dispositione vegetatio & interitus, Vita & mors Macrocosmi, ac omnium Sublimatum dependet, sequitur omnino, Eandem per genuinas Artis Enchirises curiose tractatam, ac secreta Chymiatri dexteritate, diuturna Patientia ac sudore resolutam, circulatam, atque ad perfectionem deductam modò etiam universali, aliisque remediis majore integram Corporum Nostrorum sanitatem conservare, morbis sese opponere, iisque sufficientem suppeditare medelam; nec minus Metallorum imperfectorum exaltationem & maturationem præstare posse, idque ob singularem Harmoniam atque sympathicam analogiam, quam Spiritus vitales Nostri cum *Tinctura Universali* & Ejusdem Materiâ ex quâ mutuò inter se habent.

Quamdiu enim stabit, (veluti à prima Creatione firma stetit) nec infringi poterit analogia & consensus Cœlestium & Sublunarium; quamdiu *Superius* erit sicut *Inferius*, & *Inferius* sicuti *Superius*; Quamdiu Harmonia Macro-& Microcosmi durabit inconcussa, tamdiu etiam, invita Invidia, utilissimis Veritatis suæ radiis coruscabit *Tinctura* Nostra, ac negantium, dubitantiumque nubeculas dissipabit. Cum multi, Viri quoque summe sagaces, tam difficulter sibi persuaderi patiantur, quod ægritudines omnes unico remedio sint sanabiles, ii fortassis animum eò facilius mutabunt, si certo respectu præsupponam *Tincturæ Universali* morbum universalem, nimirum Spirituum Sanguinis impuritatem. Pro horum enim laudabili vel vitiosa dispositione Massa Sanguinea aut decenter aut illegitime absolvit & perficit suum circulum, Partibusque Corporis singularis necessaria advehit, à quô dependet Nobis Sanitas aut Morbus, Vita aut mors. Quemadmodum enim è *Cornu Cervi* paro remedium sudoriferum, è *Colocynthide* purgans, è *Manna* laxans, ex *Absinthio* stomachicum, è *Castoreo* nervinum, &c. juxta qualitates unicuique rei medicamentosæ à *Protoplasta* miracolose impressas: Ita quôque è *Tincturæ* materia legitime incomparabile affunditur Oleum Lampadi ignis Vitalis, quô Spiritus Cordis suppressi in actum ducuntur, recenter illustrantur & recreantur; Illustrati verò & recreati Virtute balsamicâ Massam sanguineam imbuunt ac renovant; hinc acceptô necessariô pabulô quodlibet membrum ritè suô fungitur Officio pro conservandâ Microscomi œconomiâ, internæ Partium dissensiones præcaventur, aut præsentes abrogantur.

Quemadmodum *vinum*, unum idemque, uno eôdemque modô, tempore ac dosi excessivè & largiùs hausturn pro uniuscujusque Potatoris Complexione, & *Archæi* dispositione Spiritus magis movet, & exaltat ita, ut *Sempronius* reddatur iracundus, imò furibundus, ut vel ipsi *Turcarum Imperatori* Mortem minetur; *Cajus* verò fiat timidus, & ove placidior; *Mevius* imbibat somnolentiam

nolentiam ac ſtupiditatem ; *Titius* in Venerem ruens ſit Taurus ; *Sejus* canat ac ſalter lætitiâ turgidus ; *Sulpitius* verò triſtis lacrymetur, &c.

Ac veluti Idem *Vinum* in doliô per legitimam culturam, & decentem additionem modicæ *Vini* particulæ, utpote, ſibi analogæ pluribus Annis in ſtatu ſuô naturali, imò melioreſcente, poteſt ſuſtentari; & ſi in vappam ex incuriâ, aliiſque circumſtantiis vult degenerare, per eandem Oenoſophi periti manum induſtriam priſtinus illi redditur vigor ut deſideratum ſuum C. O. S. cuilibet oſtendere valeat. Plura huc pertinentia videantur circa finem Capitis præcedentis.

Eôdem modô *Tinctura Univerſalis* in Regnô vegetabili & minerali ſuas exſerit, & communicat vires creatis omnibus, nutrimentum, depurationem & vigorem ipſis ſubminiſtrans.

Verùm, cur aucupo Lectoris Aſſenſum auxiliô Rationum, cùm pro me militet rerum omnium Magiſtra, Experientia? Cur Oculorum aciem fatigo in inquirendis Nodi hujus Gordii extremitatibus, cùm pro hoc ſolvendô & extricandô in promptu ſit gladius *Alexandri Magni*; cùm publicè atteſtetur ipſiſſima, cui nemo ſanorum refragatur, Autopſia? Unicum enim ſaltem Experimentum è practicâ Laboratoriorum Chymicorum Philoſophiâ depromtum vel centum rationibus Philoſophiæ ſpeculativæ rubore ſuffundendis & enervandis, *Helmontii* elogiô, ſufficit. Ne autem curioſo Lectori tenuem meam opinionem obtrudere arguar, prodeant è pluribus nonnulli probatæ autoritatis Viri pro me locuturi; Quorum Verbis fide Noſtrâ digniſſimis pro firmiore declaratione ſubjungam poſtea variorum quoque Hiſtorias. Et cum Antiquorum aliàs ſemper reverenter habitorum Teſtimonia quibuſdam videantur ſuſpecta, (quaſi cariem aut ſitum contraheret immutabilis & firmiſſima Veritas) de his jam non controvertam, cùm copia horum larga & varietas mihi ſuppetat; ſed ſepoſitis illis ſubſtituam Seculi noſtri Autores, quorum glorioſa Fama indelebilis, atteſtatumque irreprehenſibile in recenti Nobis memoria adhuc hæret; Et quidem non modò Chymicos; Sed & Philoſophos ſpeculativos, Medicos Galenicos; imò Theologos, & Politicos. Ubi priùs moneo, unius vel alterius quidem verba ſaltem loqui de *Metallorum Tranſmutatione*; ſenſum verò contextûs indigitare *Viam Univerſalem*; cùm inſuper è Viâ aliquâ Particulari, quàm vocant, tam arduus & dives effectus minimè ſit ſperandus; nec non, quod jucundior ſit ſermo inſtitutus de confectione Auri, quàm de aliquâ re medicamentoſâ; Poterunt autem conſuli poſt varios alios, prolixè de operationibus medicinalibus differentes *Helmontius*, Johan. *Tackius*, &c. Inter Teſtes

I. Primus eſto *Sperlingius*, ipſius Philoſophiæ ſpeculativæ Lumen, qui inſtitutionum Phyſicar. Libri 6. cap. 7. Quæſt. 1. p. m. 1096. ita hâc de re effatur: *Reclamare Experientiæ, & imperitorum confidere ratiunculis, nefas eſt; Nulla autoritas valet ſcribentibus adverſus Experimenta; Experimenta autem talia paſſim reperire eſt. Et quamvis ſit res plena difficultatum & periculorum, tamen difficilia pulchra. Si quæ Fraudes etiam hîc occurrant, non Arti; ſed Impoſtoribus adſcribantur.* Idem ſequenti Quæſt. 2. p. m. 1100. *Senſum dimittere in iis, quæ ſenſibus manifeſta ſunt, & rationem quærere, infirmitatem intellectus eſſe*, meritò ſtatuit cum *Ariſtotele*, Libr. 8. *Phyſicor.*

II. Coruſcans Climatis Septentrionalis Phoſphorus, Caſpar *Bartholinus*, Phyſic. ſpecial. part. 4. c. 2. p. m. 356, *Metalla varia* inquit, *in Aurum mutari poſſe, miror peritiores negare; Cùm oculatus ipſe Teſtis eſſe poſſim, & plures Experientiæ apud varios occurrant. Cùm ridiculæ ſint objectiones dubitantium contra Senſus & Experientiam.*

III. Martinus *Delrio*, (celeberrimus Societatis *Kircherianæ* Socius,) Diſquiſ. Magicar. Libr: 1. cap. 5. Quæſtion. 1. ſection 4. p. m. 71. ſic loquitur: *Quia tot hac de re ſunt narrationes diverſorum, videtur procacis Animi & perfrictæ frontis, nulli credere.* Et pag. ſeq. *multos Ego commemoravi, qui non Chymici tantùm; ſed & Medici & Iuris Conſulti graviſſimi, teſtantur; rem ipſam factam exhibuiſſe. Et hodiè nominare poſſem quos novi, Viros graves, in dignitate poſitos & Deum timentes, qui de ſe ipſis idem confitentur. Quos mentiri, vel impoſturis, aut præſtigiis, aut dæmoniacis artibus uti, nunquam in animum meum poſſim inducere, & ſint injurioſi Viris honeſtiſſimis, qui queant, id ſuſpicari.* Quid adhæc ConFratris Tui doctiſſimi & celeberrimi verba reponis clariſſime *Kirchere*?

IV. Robertus *Fluddius*, Tract. de Summô Bonô, p. m. 23. ita loqui amat: *Quæ major eſt deliratio & vecordia, quam eam declinare, & pro nihilo habere ſcientiam, in qua nil olfecerint, nec Naturam, nec Naturæ Majeſtatem, nec proprietates agnoverint. An omnes fuere ſtulti, Viri eruditiſſimi, non ſolum plures Ethnici; ſed & Thomas Aquinas, Picus Mirandulanus, Rogerius Baco, Raim. Lullius, Arnoldus Villanovanus, Jodocus Greverus, Baſilius Valentinus, Georgius Ripleus, Morienus, Bernh. Treviſanus, Richardus Anglicus, Nortanus? &c.*

V. Heinr. *Salmuth*, in Notis ad Guid. *Pancirolli* Nova Reperta, Libri. 2. Titul. 7. de Alchym. p. 147. *Adeo clara Veritatis hujus lux eſt, ut & ex ipſis Adverſariis aliqui eam non diffiteantur.*

Et paulò poſt: *Cur tot præſtantes Viri diverſarum Gentium, tot tamque præclara de hac Arte edidiſſent Volumina? An in nugis ſuæ Famæ & Gloriæ præſidium quærebant? Sunt Ægyptii, ſunt Arabes, ſunt Chaldei, Germani, Hiſpani, Angli, &c. quos quis enumeret? Agricola Eorum, & numerum & Studium admiratur, quamvis tranſmutationis Adverſarius.* Et pag. 148. *Laurentius Ventura, Libr. de Arte Chymica, gloriatur ſe 25c. Volumina Chymica in nobilem Bibliothecam (Heidelbergenſem,) Illuſtriſſimi Comitis Palatini intuliſſe, & præter illa adhuc quinquaginta alia habere. In Judiciis, ubi de Cenſu, de Capite, de Fama agitur, duobus aut tribus Teſtibus credendum eſt: Et ita difficiles ſumus erga Viros tot doctiſſimos, tot integerrimos, quorum Scripta proſtant propter paucorum ratiunculas, quibus toties reſponſum eſt. Plura & ampliora videantur apud ipſum Autorem.*

VI. Cornelius *Martini* Philoſophiæ Profeſſ. in Acad. Julia, In Analyſi Logic. cap. 8. inquit: *Ego de hujus Artis veritate aut falſitate nihil apud Vos commentabor, neque eam aſſerere volo neque tamen tot tamque præſtantibus Viris, (inter quos ſunt doctiſſimi Philoſophi, Iuris-Conſulti, Medici, etiam Theologi, nec-non Viri Principes, qui Libris editis ſanctè affirmant, ſe oculis ſuis vidiſſe, & manibus non tantùm palpâſſe; ſed & confeciſſe tranſmutationem unius Metalli in aliud,) Ego fidem derogare debeo; hoc enim mihi videtur eſſe imprudentis; non Philoſophiæ Studioſi.*

VII. Franc. Oſvv. *Grems*, Arbor. integr. & ruin. Hominis Libr. 3. cap. 3. p. m. 491. *Nihil intereſt*, inquit:

inquit: *licet nonnulli sint qui dicant, se nullos vidisse, qui Aurum è Plumbo, & Medicinam universalem confecerint; Nam ii ipsi, dum optant videre sine labore, sine merito, Arcanorum Scientia intuitiva digni non sunt; Unde Deo & Artifici nihil derogant quamvis non credant. Uti enim verissimum est, quod ipse Helmontius fatetur, inter centum vel mille artifices vix unum esse, qui arcanis potiatur, ita nec mirum est, quod rarissima hæc Avis ob oculos Noctuarum haud circumvolitet. Sed permittente Deo condignæ sunt Arcanorum revelationes studentibus, laborantibus, & Deum timentibus; Dii enim laboribus vendunt omnia.*

VIII. Joh. *Schröderus* vel ob solam elaborationem Pharmacopœiæ Medico-Chymicæ æterna Fama, & Vita æterna dignissimus, in diversis dicti operis locis adcuratè de *Tinctura Universalis* Materia & præparatione disserit; adducam unicum Testimonium è Libri 3. cap. 19. p.m. 361. ubi de vero & genuino *Auro potabili* (cujus præparationem capite sexto proponam,) ita sentit: *Illam Metallorum separationem contra multorum Experientias hinc inde adnotatas impossibilem statuere pertinacium potius est, quam Virorum cordatorum; quinimo non modo cuidam ex amicis meis; sed & mihi Sors favit, ut oleum rubicundissimum aquæ supernatans ex auro elicuerimus.* Et pag. 366. jam prolata verba denuo recitat, addens: *Id quod repeto, ne de certitudine dubites.*

IX. Quamvis Viri hujus ingenui autoritas apud omnes, quibus Ejusdem Vita & Scripta sunt cognita, invidorum & contradicentium negativam facile elidat & eludat, nihilominus ex superfluo addo, Serenissimum quendam *Hassiæ Landgravium è Domo Homburgica* Mihi asseverasse, quod dictum *Auri Oleum Schröderianum* ipse præparari curaverit; & bonô effectu usus eôdem fuerit; Hoc simul addens, præparationem dicti olei requirere manum Pyrotechni adcuratam, & indefessam, & parcissimam saltem portiunculam longo labore obtineri potuisse.

X. Modo dictis consona affert Petrus *Borellus*, Observat. Medico-Physic. Cent. 1. Observat. 6. *Multis* inquiens, *exantlatis laboribus & vigiliis in arcanis Naturæ perquirendis secretum pro Auro solvendo tandem nactus sum; id est, Menstruum benignum amicè Aurum intra paucas horas solvens, & sine fumo, imò sine igne quoque dissolutum potest ad naturam Salis & Olei reduci: Hujus effectus miraculosi vires in morbis pertinacibus mirati sumus, &c.* Quamvis quidem *Tinctura Universalis* & Aurum in verum Oleum modo inferiùs dicendo resolutum, non sint plane unum & idem; tamen Veritatis salvandæ gratia horum Testimonia hîc conjungo, quod ambo prodeant è *Via Universali*, ambo item in re medicamentosâ incomparabilis sint Virtutis & ambo æqualiter à non-expertis & invidis exîstere negentur.

XI. Heinr. *Kunrath*, in Amphitheatrô introduct. in Figur. 3. Thes. 1. p. m. 291. ita testatur: *Lapidem Philosophorum Experientia, rerum omnium etiam sola sufficiens Magistra infallibiliter attestatur; cui refragari nonne esset plusquam stultum? Hunc ab aliis tamen præparatum virtuosè efficacem vidit Pontifex Romanus, Cæsarea Majestas, viderunt & Reges Orbis Terrarum non pauci, viderunt Romani Imperii Electores nonnulli, viderunt Principes, Comites, Barones, Nobiles, Doctores &c. Sciens loquor; Hos omnes cito Testes; Tu Physico-chymico-Mastix Eos interroga in subsidium Veritatis, Veritatis amantes; rem ita sese habere testabuntur libentes.*

Quoniam itaque ob modò allegatam tantorum Testium Autoritatem quasi auribus percipio, assensum Virorum ingenuorum, & video Invidorum ruborem, pergo nunc ad ipsas aliquot Neotericorum relationes Historicas.

I. Agmen ducat Philosophus per Ignem, id est, neque solis rationibus speculativis, neque solis operationibus experimentalibus fidens, sed ea prudenter uniens *Helmontius*; hic tractatum in Operibus suis, Arbor vitæ insignitum, ita exorditur: *Cogor credere, Lapidem aurificum & argentificum esse; quin distinctis vicibus manu meâ unius grani pulveris super aliquot mille grana Argenti vivi fervent is projectionem feci, adstante multorum coronâ, nostri omnium cum titillante admiratione. Negotium in Igne successit, prout Libri promittunt.*

Et paulò pòst: *Dabat mihi fortè semigranum illius pulveris & inde unciæ novem & tres quadrantes Argenti vivi sunt transmutatæ. Illud Aurum autem mihi dedit Vir peregrinus, unius Vesperi Amicus. Utcunque ergò Lapis Philosophorum sit reverâ in Rerum Naturâ, &c.* Idem in dissert. Vita Æterna inscriptâ eadem confirmat: *Lapidem Chrysopœiæ vidi aliquoties, meisq; contrectavi manibus. Erat enim coloris, qualis croco in suô pulvere, ponderosus tamen, & micans, instar vitri pulverati. Datus mihi fuit semel quadrans unius grani; Granum autem voco sexagesimam partem unius drathmæ.*

Hunc ergò quadrantem unius grani, chartæ involutum, projeci super uncias octo Argenti vivi fervidi in crucibulò; & confestim totum Hydrargyrum cum aliquantô rumore stetit à fluxu congelatumq; resedit, instar offæ flavæ. Post fusionem autem ejus stante folle repertæ fuere unciæ octo Auri purissimi, granis undecim minùs. Itaq; unicum granum illius pulveris transmutasset in Aurum optimum Argenti vivi partes 19186. Inter Terrena ergò reperitur præfatus pulvis, quodammodo similis, qui ferè infinitum Metallum impurum transmutat in Aurum optimum, Sibiq; uniendo, ab ærugine, rubigine, carie, & morte defendit, ac velut immortale facit, &c. Similia ferè repetit & inculcat Tractatu, quem inscribit, demonstratur Thesis, p.m. 534. thesi 58. Et Tractatu, Potestas Medicaminum, Thesi 65. circa Finem.

II. *Helmontium* insequitur Joh. *Zvvölferus*, Vir de Re Medico-Chymico-Pharmaceutica egregiè meritus; Hic in Mantissa Spagyrica Pharmacopœiæ suæ Regiæ adnexa, Part. 1. cap. 1. p. m. 328. sequu. acutissimi aliàs *Kircheri* de *Tinctura Universali* incredulitatem nervose impugnans, vel potius expugnans addit: *Si tanti Viri reverentia apud Rever. P. Kircherum pondus non habeat, incredulus sim, si plures adducam, quos possem & vellem. Tamen priusquam finem faciam, adjiciam è Penu Austriaca, aut potius glorioso Ærario magnum & augustum Chrysopœiæ Tributum, quod olim ter felix Cæsarum, Ferdinandus III. Sanctissimæ memoriæ Princeps, perenni Gloria & Fama, ad aram Appollinis suspendit Trophæum; & est Numisma conflatum Auro purissimo, minime sophistico; cujus adcuratam delineationem æri incisam ibi proponit.* Uni illius Faciei fuit impressa Efficies Hominis, Capite Soli radios spargenti similis, manu dextra cytharam Apollinis, & sinistra Virgam serpentiferam Mercurii tenens; pedibus vero adnexas Mercuriales alas gerens, cum inscriptione:

DIVINA METAMORPHOSIS, EXHIBITA PRAGÆ XV. JANUAR. ANNO MDC. XLVIII. IN PRÆSENTIA SAC. CÆS. MAJESTAT. FERDINANDI III.

Altera varò Facies ostendebat verba sequentia.

RARIS HÆC UT HOMINIBUS NOTA EST ARS,

ARS, ITA RARO IN LUCEM PRODIT. LAUDETUR DEUS IN ÆTERNUM, QUI PARTEM INFINITÆ SUÆ SCIENTIÆ ABJECTISSIMIS SUIS CREATURIS COMMUNICAT. *Dictum Numisma constat ex Auro, quod è Vulgari Mercurio vivo tinctum fuit, cujus Libras tres integras ipse* FERDINANDUS III. *Imperator gloriosæ memoriæ manu propria in libras duas & dimidiam Auri puri, beneficio unius grani Tincturæ Philosophorum transmutavit. Fuissent quidem integræ tres libræ Mercurii transmutatæ, nisi tingenda Mercurii massa semilibra illa proportionem Tincturæ superâsset.*

Neque hic locum habent infidæ multorum retorsiones, fuisse magnum hunc Monarcham, ab Imperatore quopiam illicio quodam inescatum, suppositio quopiam Auro ad majora aucupanda.

Exulent procul indignæ ejusmodi naniæ Viro probrosæ, Cadere hoc in Principem tam circumspectum, & Seculi nostri Salomonem non potuit; utpote qui technas, & mille gyros & anfractus ejusmodi Tenebrionum & Pseudo-alchymicorum ex asse perspectos habuit, quibus obviavit, ut veritatem & abdita Naturæ erueret.

Quare huic veritati propugnandæ non immoror; Sed L. B. perpendere volo, ac subducere calculum, facta Hypothesi, quod si unum granum Libras duas cum dimidia tingat, hæ autem duæ libræ cum dimidia contineant grana 6470. quod tum quoque una pars Tincturæ totidem, hoc est, 6470. Mercurii tingendo tranmutet,

Addo confirmationis loco, quod hæc metamorphosis & Metallorum Transmutatio jam Temporibus Magni Rudolphi sæpius fuit celebrata; quod in Germania notissimum. Unde FERDINANDUS III. *hoc Numisma in tantum redamavit, ut illud consueto Aulæ Thesauro magnifico adjungi passus non fuerit; sed secretissimo & Conclavis sui Scriniolo incluserit, nullo aut paucis arbitris. Unde accidit, quod, cum recentissime Ego apud Sacratissimam Majestatem* LEOPOLDUM I. *per Aulicum Thesaurarium, Nobiliss. Dn. Ioh. Ladner, hujus rarissimi Numismatis, ac verè Thesauri mentionem fecissem, neque Sacratissimus Cæsar, neque Thesaurarius hujus notitiam, ac copiam habere perhibuerint usque dum, me humillime instante, Clementissimus Imperator in secretissima arcula reperit, mihique ad 14. dierum spatium ut domi meæ æri incidendum custodirem, clementissime concessit.*

Exhibuit autem hoc granum Tincturæ FERDINANDO III. *Vir quidam Nobilis, cognomentô Richthausen, quem deinde ad Baronis fastigium erexit propriô motu Sacra Majestas, & Domini de Chaos Titulô insignivit. Per hunc utpote Amicum olim singulariss imum & mihi unius & alterius unciæ obrizi, & ex Mercurio tincti Auri copia obtigit; uti de facto tanquam pretiosum Thesaurum Mihi servo & recondo.* Dictum Dominum de Chaos Tincturam non ipsum elaborasse; sed aliunde accepisse constat.

III. Joh. *Tackius*, Archiater Hasso-Darmstadinus, & Professor Primarius in Academia Giessena, in Chrysogon. Animali & Minerali. p. 2. inter alia hæc profert: *Multi Chrysogoniæ Scientiam tanquam impossibilem, indigne & præter meritum calumniantur, contra virorum in Naturæ mysteriis enutritorum Autopsiam, & manualem operationem absque omni fraude & impostura.* Et pag. 3. *Nam Divina Metamorphosis Divo Imperat.* FERDINANDO III. *Pragæ 15. Ianuar. 1648. exhibita, hodieque Eminentissimi Electoris Moguntini Autopsia omnium fictas contra Veritatem rationes plane convincunt & destruunt.* Ibid. & pag. 4. post varia Exempla recentia adducta addit: *Sufficiat memori illa recolere mente, quod Serenissimus Princeps ac Dominus meus ex liberali donatione Eminentiss. Electoris, & Archi-Episcopi Moguntini adhuc in delitiis habeat Frustrum Auri, coram oculis Dn. Electoris factum. Qui enim tantorum Virorum, & tot diversarum Gentium consensui non credit, ille neque rationibus credet, neque vel ipsa Experientia se victum fatebitur, dum ille sibi soli complacens, nil, nisi quod ipse scit & facit, rectum, justumque & Veritati Consonum profitebitur.*

Et Johann-Joachimus *Becherus* in Oedipo Chymico Tit. 7. p. 185. testatur idem: *Tot extant, inquit, de Artis certitudine præclara argumenta, ut prorsus cœcum & insipidum esse oporteat, qui ejus veritatem neget; Taceo reliquorum Seculorum Historias, quorum nullum est, quod non argumentis veritatem hujus Artis concernentibus plenum sit; placuit unam è multis hujus Nostri Seculi demonstrationem Pragæ in præsentia P. D.* FERDINANDI III. *Imperatoris exhibitam, ærique incisam hic apponere; Lustro abhinc eadem Persona, quæ Pragæ, etiam hic Moguntiæ, in præsentia Eminentissimi Principis Electoris, aliorumque Magnatum, in sat magna quantitate præstitit, cujus Aurum etiamnum reservatum, & hujus loci Monetæ Præfectus, qui è tali Auro ducatos excudit, testis esse potest.* Idem aliis exemplis hoc confirmat Supplem. in Physic. Subterran. c. 5. p. 84. 85.

IV. Johan. Frider. *Helvetius*, Sereniss. Principis Auraici Archiater, & indefessus Naturalium scrutator, (qui in Amphitheatrô Physiognomiæ Medicô suô, ut & in Diribitorio Medicô dedicatione finitâ curiosè Se ipsum subscribit & vocat Philosophiæ & Medicinæ semper Studiosum) Historiam memoriâ dignam describit in Tractatu, Vitulus Aureus, inscriptô; Relata Ejusdem proponam, cùm liber in paucorum sit manibus, contractiùs tamen: *Anno 1666. die 27. Decembr. in ædibus meis me invisebat Vir plane incognitus, Persona honesta pariter gravitate, atque seria comitatus autoritate, plebejo amictus habitu, ratione sermonis, gestuum & Staturæ Batavo-septentrionalis, (*Nord-Holländer:*) ratione verò Ætatis quadragenario similis. Finita salutationis comitate, referebat, sese amore in Artem Chymiatricam jamdiu Amicitiam meam desideraisse, præcipuè, cum legerit nonnullos meos Tractatus, ibique dubitantem de Arcani Philosophici Veritate meam mentem perceperit. Hâc occasione ex me quærebat, annon credere possim, in rerum Natura adhuc in quodam loco dari tale magnum Mysterium, cujus beneficio Medicus morbos omnes valeat universaliter curare, nisi æger jam laboret defectu vel Pulmonis, vel Hepatis, vel similis nobilis Membri principalis? Mihi respondenti, me nunquam talem Adeptum offendere potuisse, licet plura de Rei & Artis Veritate legerim; & simul quærenti, num ipse sit Medicus? regerebat negando, sed sese Fusorem Orichalci profitebatur, atque jam inde ab ineunte Vitæ suæ Ætate teneriore ex Amico suo multa visu rara cognovisse, & cumprimis rationem eliciendi per ignis torturam Arcana Medica è Metallis; Et hujus causa se etiamnum esse amatorem scientiæ prænobilis medicinalis. Post varios sermones deprompsit è marsupio pyxidem eburneam, in qua cõtinebat tria ponderosa fragmenta grandiuscula, parvam juglandem fere æquantia, quæ coloris erant vitrei, subpallidi, sulphurei, quibus adhærebant interiores squamæ crucibuli, in quo liquefacta fuerat hæc nobilissima substantia, quippe cujus*

æstimatio fortassè ad viginti Auri Tonnas foret excretura. Post hauſtos varios ex hoc Ore Philoſophico diſcurſus notabiles, de miraculoſa operatione Lapidis tam quoad Corpus humanum, quàm quoad Metalla, quærebam, cur præſens hic Lapis Philoſophicus colore ſit imbutus ſulphureo, cum alias legiſſem, Lapides Philoſophorum eſſe condecoratos colore rubinato, purpureo? Ad quod breviter: Mi Domine hoc nihil facit ad rem; hæc enim materia eſt ſatis matura. Porro me ipſum deprecante, ut pro præmio, memoriaque ſempiterna mihi donare vellet fruſtulum pyxidi incluſæ Materiæ in forma ſeminis Coriandri; abnuebat, reſpondens: O, minimè; hoc enim mihi non eſt licitum, etiamſi tot ducatorum aureorum velles refundere mihi, quot capere poſſet tota hæc Tua Camera, idque non propter Materiæ pretium; ſed propter aliam quandam conſequentiam. Hinc à me ſtatim petebat fruſtulum optimæ Monetæ aureæ, atque interim pallium ſuum, & Tunicam paſtoritiam deponebat, nec non Thoracem aperiebat, ſub cujus induſio in ſerico linteo viridi gerebat quinque magnas pendentes Taleolas aureas, complentes magnitudinem interioris ſpatii Orbis ſtannei; ubi inter conferendum reſpectu coloris & flexibilitatis inter ipſius Aurum & meum maxima elucebat differentia. Iſtis autem Laminis ille ſtylo ferreo, ſequentia inſcripſerat: Priori: Amen! Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Dominus Deus Noſter; omnia plena ſunt ipſius gloria! Leo. Libra. Alteri: Iehovæ mirabilis Sapientia mirifica! Facta Ego ſum die 26. Auguſti. Anno 1666. Tertiæ: ☉. ☿. ☽. Mirabilis Deus, Natura, Arsque Spagyrica nil faciunt fruſtra. Quartæ: Sacerſancte Spiritus! Halleluja! Phy Diabolo! Ne loquere de Deo abſque Lumine. Amen. Quintæ: Æterno, Inviſibili, Trinuni, ſolum-ſapienti, omnium optimo & omnipotenti Deorum Deo, Sancto, Sancto, Sancto Gubernatori meritò laudando.

Mihi porrò inſtanti, undenam obtinuiſſet omnium maximam hanc Mundi Sapientiam, regerebat: Accepi hæc myſteria ab Amicô extraneô, qui aliquot diebus in domô meâ pernoctans, ſe ideò huc veniſſe aſſeverabat, ut mihi Phylochymico varia artificia detegeret, v. g. Quomodo è Saxis & Cryſtallis pulcherrimi conficiantur Lapides, multò pulchriores Rubinis, Sapphiris, & id genus aliis, quomodo Martis crocus unicô Horæ quadrante parandus, ut ſubitô ſedet Dyſenteriam peſtilentialem. Item in vitrum aquâ pluviali plenum immiſcuit perpuſillam pulveris albiſſimi quantitatem, quod Potionis ſapiebat ſaporem Lactis dulcis; hujus hauſtuli dimidium mihi propinabat, unde videbar evaſiſſe valde hilaris. Iubebat idem, ut ciſtam plumbeam pluvialem è pariete depromerem, & in olla nova liquarem, hinc Artifex plumbo fluenti injiciebat modicum pulveris flavi, & aucto aliquantiſper igne effudit ex olla in cutina ſuper lapides Aurum optimum. Hujus fruſtri Aurei cape, inquiebat, decimam ſextam partem, & tibi reſerva pro memoria; reliquas quindecim partes autem cura diſtribui Pauperibus. Tandem etiam me docuit hanc ipſam Artem Divinam.

Meus his Hoſpes, pergit Helvetius, *aliquot petitionibus non ſubſcribens, abiit, promittens reditum elapſis tribus ſeptimanis; hac tamen proteſtationis Lege, ſi ipſi tunc licitum foret, nec interdictum. Finito dicto tempore gratus hic Hoſpes promiſſis ſtetit, & poſt longam diſſertationem magis Theologicam quam Medicochymicam aſſeverabat, quod hoc Myſterium ſpectaret non niſi ad magnificandam ſolùm Dei glorioriſſimi Famam dulciſſimam, & quod Hominum pauciſſimi cogitarent, quomodo ſeſe per ſua opera tanto Deo condigne ſacrificarent, ac ſi fuiſſet Paſtor Eccleſiæ.*

Poſt longas & largas Preces meas dabat mihi fruſtulum æquans magnitudinem ſeminis raparum dicens: Accipe de maximo Mundi Theſauro, quem pauciſſimi Regum magnorumque Principum videre potuerunt. Cum poſtea petierim majuſculam portionem, cum tantillum minimi fruſtuli non ſufficeret forte pro tingendis plumbi aliquot granis. Tunc datam mihi antea particulam Pollicis ſui ungue diſſectam dimidiam Igni injiciebat, alteram mihi reddebat, eandem ſufficere dicens, atque illâ pluſquam unciam ſemis plumbi poſſe tranſmutari in Aurum. Simulque craſtino die rediturum, ac projectionem præſiturum promittebat, ſi ipſe non prohiberetur. Verùm, poſtquam ipſum uno & altero die fruſtra expectaveram, drachmas ſex plumbi in crucibulo fluere curavi: ſimulatque plumbum liquefactum fuerit, injectus globulus cereus pulverem tingentem continens, qui globulus cum ſibilo & flatuoſitate in crucibulo bene obturato ita perficit operationem, ut intra Horæ quadrantem tota plumbi maſſa fuerit tranſmutata in Aurum. Hoc Plumbum Lapidi Philoſophorum mixtum & in Igne liquefactum pulcherrimum monſtravit colorem viridiſſimum; ſimulatque in poculum fuſorium effuderim, colorem acceperat ad inſtar ſanguinis; ſed poſtquam refrixerit, optimi Auri colore ſplendeſcebat. Cum adſtantibus ſumme conſternatus, currebam ad Aurifabrum, qui decenter, & rigoroſè id examinans pro Aurô obryzô proclamabat, & ſeſe mihi pro quâlibet hujus unciâ quinquaginta Florenos ſoluturum promittebat.

Fama rariſſimum hoc præſtigium ſubitò per Urbem portante, die ſequente curioſitas plures Viros nobiliſſimos ad ædes meas compellebat, qui viſô illô, quod plures Reges non viderunt, petebant, ut denuò examini apud Aurifabrum ſubjicerem; quô aliquoties factô, ſemper eandem reperiebamus Veritatem; & cum particulam argenti addi curâſſem, nunquam - non aliqualis Auri multiplicatio, vel additi argenti in Aurum tranſmutatio ſucceſſit. Modò dictum Aurum Ego adhuc poſſideo; quiſnam autem fuerit ille Elias Artiſta, aut ubi jam degat, nôrit DEUS. Ampliora videſis, apud Authorem ipſum, *Helvetium*, qui ſimiles tranſmutationes paulò ante à *Küfflerô*, & *Grilliô* factas aliaque varia curioſa ad Arcani hujus dilucidationem facientia proponit.

V. Johannes *Riſt*, Theologus Holſatus, ob Hymnos Angelicos, variaque alia Scripta curioſa Literato Orbi non incognitus, in opuſculô, quod omnium nobiliſſimam *Mundi* ſtultitiam inſcribit, duas producit Hiſtorias *Tincturæ Univerſali* realiter demonſtrandæ multum Lucis accendentes; Cùm autem ſatis amplè eaſdem deſcribat, contraham paulò relationem: *Retulit mihi*, inquit. pag. 243. *Mag. Anthonius Buſcherus, concionator Aulicus Oldenburgicus, Vir ob Vitæ Pietatem, Doctrinæ puritatem, Arcanorumque naturalium ſcrutationem memoriâ digniſſimus, Virum-Theologum eximium, adfinitate ſibi junctum devotas ad DEUM O. M. & ſerias ablegâſſe Preces, ut ipſi detegeret, è qua materia pretioſiſſimus ille Theſaurus Philoſophorum conficeretur. Satisfecit gratioſus Polarcha devotæ hujus petitioni; hinc erogatis ab uno & altero Principum ſumptibus ſub Favonio Divino laborem eſt aggreſſus, & Mentis vigilantis, manuſque indefeſſæ dexteritate eum eò perduxit; ut ultima manus operi propediem fuerit imponenda, pluresque confluxerint aliunde curioſi, miraculoſas operis figuras, colores, &c. admirantes, ſtupentes. Sed Liberi hujus Viri ingenii expendentes, quantum Honoris faſtigium ſint aſcenſuri, quantum - quantum Divitiarum*

ipſis

ipsis sit accessurum, per hoc brevi ad colophonem deductum Parentis opus, Triumphum ante Victoriam canebant; aliis enim spretis intempestivè nimis & fastuosè gloriabantur, quomodo pomposam & delicatam velint vivere Vitam, vix aliter ac opulentus iste, quem depingit sanctus Lucas, cap. 16.

Verum enim verò, justissimus rerum omnium Iudex non permisit, ut regale hoc donum ad abusum dejiceretur, hinc Parentem subitaneo & periculoso percussit morbo, qui deplorans pravos Familiæ suæ mores, & quod Cœlesti hoc munere seipsam redderet indignam miserabiliter dolens, ad plures abiit. Hoc sepulto, sepulti simul quasi erant ad tempus hujus arcani labores. Postea verò illi, qui impensas suppeditarunt Laboratori, consultum judicabant, arduum hoc opus concredere Viro in operationibus Chymicis ingenuè exercitato; sed res è voto non ita succedebat; Nemo enim audebat admovere manum tantæ rei, de cujus præcedente laborandi aut tractandi methodo sibi nil constabat specialius. Proinde Pulverem hancce rubicundum aut potius auricolorem, ut & Oleum & liquorem rubiniformem partim commiserunt fidelitati docti & conscientiosi cujusdam Chymiatri, qui in sanandis morbis aliàs desperatis & insanabilibus miraculosa edidit sæpiùs specimina, hæc tamen ut plurimum tacitè, inscia Famæ divulgantis buccina. Bona autem Thesauri hujus pretiosi pars ab Hæredibus ludicris ludicrè fuit pro vili pretio divendita pluribus, & quidem illis, qui quid possident, non intellexerunt. Magnus tamen quidam Consiliarius Ducalis arrepta Pulveris portiuncula, laborem denuo suscipi curavit, & inde Venere, Iove & Saturno in verum Aurum transmutatis, incredibiles sibi comparavit, sitisque moriens reliquit Hæredibus Divitias.

VI. Laudatus *Ristius* lib. cit. pag. 255. modo dictæ aliam subjungit Historiam non minùs memorabilem: *Familiaritate*, inquit, *usus sum Viri cujusdam præcipui, leges, quibus Christiani sumus, accuratissime observantis, Hic mihi sæpius retulit, sese diuturno tempore Deum seriis Precibus fatigasse, Ut ad cognitionem materiæ Lapidis Philosophici pertingere valeret. Subscribit tandem Cœlum Voto Ipsius, hoc detegit Amico suo intimo; & quomodo res sit tractanda, deliberant; Concludunt tandem laborem securius institui extra Urbem pro evitanda sinistra Zoilorum, & Sciolorum Censura; hinc in Sylva exstruunt vile tuguriolum, & operario Chymico perito rem committunt, sub alternante tamen directione dictorum Amicorum.*

Opere sub manibus feliciter succedente, sæpius non sine stupore, & summa miraculosi Creatoris admiratione adspexerunt colores pulcherrimos ab aliis ample depictos, quos in Vitro transcurrit Materia, sub cauto moderati Ignis regimine, & patienti Manus dexteritate. Cognoscentes tandem, Tincturæ absolutionem, aut perfectionem instare; cucurbitam cautè aperiunt & quasi attoniti, nec sine decenti gratiarum actione accuratius adspiciunt, quod hactenus per transennam viderunt, Opus mirabile, quod tantus-tantus Artistarum numerus conspicere frustra optavit, & adhuc optat; & concludunt, dictam materiam perfectam, post quatuor dies pro usibus desideratissimis medicamentoso-metallicis sese exempturos.

Inter mille hæc gaudia, inter mille hos Triumphos paululum discedunt à Laboratorio, Vitro primùm legitimè munito & clauso, de arcanissimo hoc Arcano deliberaturi, ac Deo gratioso gratias acturi relicto ibidem solo Laboratoris Famulo. Hic lætis Sermonibus Suorum Dominorum de instante tam pingui præda non minùs turgidus factus, suo in Cerebello quoque sibi aureos montes fabricatur, iisque absentibus pro augenda animi recreatione Cucurbitam aperit, denuo Thesaurum captivum diu adspicit, Oculos pascit, atque ob inde Sibi Suisque secuturam felicitatem sui oblitus, obliviscitur plane Vitrum claudere; hinc Aer frigidus violenter & copiosè intrans, illud vel in mille particulas divellit, & quidem tanto sonitu & fragore, ut modo abeuntes Directores crederent quasi dimidia Sylva horribili Tonitru ac Fulmine pessundaretur.

Hinc Terrore maximo alas pedibus adnectente advolant, reperiunt Famulum extra portam tugurioli jacentem quasi mortuum, domum verò (illo prius refocillato,) ingressi, tam magnus & intolerabilis splendor occurrit oculis, ut quasi obcæcati per tempus fuerint; apparuitque tota Domus interioris Facies, quasi Auro purissimo crassè fuisset obducta. Relata autem revera ita contigisse, sanctissimè mihi aliquoties adfirmavit; Rarum insuper hoc Spectaculum diebus sequentibus à plurimis aliis adductis & adcurrentibus ita fuit visum. Reliquias hujus præter omnem expectationem crepti spolii parcissime corraserunt, è parietibus, tecto, area domicilii, mundârunt usuique caute reservarunt. Testatur laudatus Ristius, hac Tinctura mirabiles, & tantum non incredibiles operationes esse exhibitas, tum in proprio suo Corpore enervato, tum variis aliis ægrotis pedem unum jamdum in Charontis cymba habentibus per dictum Amicum illius possessorem; speciales Historiâs videsis, apud Authorem.

VII. Johan. *Kunkelius*, Chymicus secretus Sereniss. Electoris Saxoniæ, in observationibus de salibus fixis & volatilibus, Aurô potabili, &c. c. 7. inquit: *Cæterùm facilè credo, dari tale Medicamentum, quod Corpus Humanum sanet; an autem idem debeat esse,* [nimirum quòd Metalla transmutet,] *nescio. Neque jam aliquid dicam de Theophrasto qui plures Homines sanâsse dicitur; ut & Metalla; hic enim, præter Lapidem suum aliis etiam usus est remediis. Sed jam adducam saltem 1. Exemplum Serenissimi Electoris Saxoniæ, Augusti, beatiss. memoriæ, & Serenissimæ Ejusdem Uxoris, qui Lapidem quadruplici modô per quinque Annos obtinuerunt, exceptis particularibus, quorum minimum tinxit 1604. partes. 2. Exemplum Serenissimi Filii Ejusdem, Christiani I. beatissimæ memoriæ, qui itidem per quinquennium post obitum Parentis nobile hoc Domum Dei possedit.*

VIII. Inveterata est apud plures opinio, Serenissimam *Rempublicam Venetam* callere & possidere Chrysopœiam. Proinde inter varios discursus quæsivi è Medicô celeberrimô, Ottone *Tackenio*, ibidem vivens ut certiorem me redderet, de hujus rei Veritate; Hic subridens respondebat: Quamvis arcana statûs Nostri mihi peregrino non omnia possint esse cognita & detecta; nihilominùs de hâc re valdè dubito; potiùs credens, illius Chrysopœiam consistere in prudenti Reipublicæ totiusque Statûs Gubernatione; cùm nemo sine insigni admiratione considerare & intueri valeat, quàm extraordinariâ Sapientiâ, & sagaci dexteritate ad Clavum Regiminis sedeat Magistratus. Aliàs etiam minimè fuissent sufficientes [si quidem *Divinam* Omnipotentiam & directionem exceperimus:] tolerandæ diuturnæ virulenti Belli Turcici truculentiæ, sumtibusque contra hoc erogandis. Non tamen nego, nonnullos ex ipsis quoque Venetis dictam opinionem de *Tincturæ* possessione præteritô tempore foviisse, cui fenestram aperuit fortasse casus quidam Trasonicus; & narrabat mihi sequentem Historiam: unde & *Tincturâ* Nostræ Veritas & Exhibitoris summa audacia simul patescit: *Paucis ab hinc annis, inquiebat, comparere*

comparere jubebar in plenô conſeſſu Noſtri Ducis, totiuſque Senatûs magni. Cùm autem optimè norim, ſimile mandatum nemini fieri ſine prægnante cauſa, ideò de hac mirari & rimari ſatis non poteram. Ex Me debitô tempore comparente publicè ita quærebatur: An Tu intelligis Aurum conficere? Ad quæ ſubridens Ego reponebam: Sereniſſime Dux, Patres Patriæ Sereniſſimi, de poſſeſſione ſpecialiſſimi hujus Doni Divini minime gloriari poſſum; nihilominus non nego, me eſſe inſignem Philochymicum, cum è Chymiæ cultura & cognitione maximus accreſcat Arti Medicæ, quam profiteor, ſplendor.

Porro quærebar, an poſſem cognoſcere, num pulvis pro aurifico habitus, ſit genuinus, an verò falſus? Ad quæ Ego; me non latere ſigna, quæ à pluribus Autoribus pro Tincturæ notitia prodantur; proinde nullum fore dubium, quin facilè ſit cognoſcibilis. Ad hæc porrigebatur Mihi portio Pulveris cineritium colorem præ ſe ferentis, adnexis his verbis: Superioribus Annis vixit in Noſtra hac Urbe Comes quidax extraneus ſatis ſplendidè; Ut autem eò honeſtiorem viveret Vitam, conciliavit ſibi nonnullorum è Noſtratibus Nobilibus, imo Senatoribus Amicitiam, Quibus non ſolum faſſus eſt aperte, quod calleat Chryſopœiam; ſed & in nonnullorum præſentia ignobiliora Metalla in Aurum verum mutavit. Pro majore ſibi fama & gloria comparanda Sereniſſ. Senatui dono dedit hunc, quem vides, Pulverem, quò eodem maximam auri quantitatem poſſint conficere pro lubitu. Ut autem, illa conſumpta commodo Publico porro conſulere valerent, dedit ſimul modum, præparandi dictum Pulverem adjecta in Scheda ſcriptum.

Antecceſſores Noſtri tunc Temporis large utentes incomparabili Pacis Auro, ac inde Republica ſummè florente, de alio Auro conficiendo jure meritò non erant ſolliciti: Iam vero truculento iſto Turcico Bello Theſauros publicos exhauriente, ac aurea Pace orbati alium in Terra Aurum quærere cogimur. Ego adcurata Oculorum trutina ponderans Pulverem exhibitum, reſpondi: Vereor, Sereniſſima Patrum conſcriptorum Corona, ut deſideratum præſtet effectum Pulvis præſens; Cùm facies Ejuſdem externa ſigna ab aliis definita non oſtendat; Hinc caro per Miniſtrum citò efferri aliquot carbones ignitos, quibus ſuper vitri portiuncula impoſui dicti Pulveris modicum; ſed hoc incaleſcens, uti debebat, non fluebat; propterea Pulverem hunc eſſe Opus Mentis & manus fraudulentæ, publice indigitavi. Iubeor poſthæc inſpicere & ventilare deſcriptionem Proceſſus; Verum primo quaſi intuitu video, hunccce Proceſſum eſſe Ariſtotelis, Chymici, qui deſcribitur in Theatri Chymici volum 3. p. 100. His perceptis, mirari ſatis non poterant omnes mecum Hominis audaciſſimam temeritatem.

Aperuit mihi ſimul laudatus *Tackenius*, maleferiatum iſtum Oſtentatorem fuiſſe *Bragadinum*, qui alteri quidam Poſſeſſori veram *Tincturam* ſurripuerat. Cùm autem non didicerit poſtea cautius mercari; ſed porro alis Icaricis alibi juſto altiora peticrit; paulo pòſt conſumpto Pulvere verè tingente, corniculæ hujus Æſopicæ fraus detecta; hinc non immeritò Bavariæ Elector ipſum juſſit exaltari, atque evadere in Literam longam.

IX. Dum olim exteras aliquot regiones viſitare conſtitueram, pro ſcopo meo primario (nimirum, ut uterer erudita converſatione Medicorum & Chymicorum hinc illinc celebrium,) eò felicius & facilius obtinendo Patronus meus inæſtimabilis, celeberrimus ille Profeſſor & Practicus Lipſienſium, D. Jo. *Michaelis* intentionem meam egregie juvabat Literis ad varios commendatitiis. Horum in numero continebatur quidam Chymiater primicerius & incomparabilis, νῦν ἐν ἀχμοις, [Nomen hujus, & cuinam fuerit à Conſiliis Medicis, ob diverſas rationes prægnantes hic reticeo,] Poſt varias ſermocinationes verè doctas in hæc erumpebat verba: Ego Me nunc non immerito Seniorem Chymiatrorum jactare poſſum, cum per quinquaginta, & quod excurrit, Annos eandem excoluerim Artem. Poſtquam enim Annis aliquot ſedulam Medicinæ & Chymiæ in Academiis & Praxi Medica navaveram operam, fui conſtitutus Archiater Magnæ hujus Domus, (quæ eſt una è præcipuis Europæ; clarius eam nominare non licet,) ſimulque conſtitutus Director Laborum Chymicorum ſecretorum, quorum proceſſus à majoribus hæreditariè acceperat.

Commodiſſima potitus hac occaſione, adcurate & gnaviter in Naturæ penetralia penetravi (Sumtus enim & Amanuenſes pro lubitu mihi ſemper ſuppeditabantur;) & ita non ſolùm varia rara inveni medicamenta, ac Mineralium qualitates egregie ſum ſcrutatus; ſed etiam.

Poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum,

ac poſt plurimum Annorum meditationes atque Labores vix tolerabiles, licuit mihi eſſe tam *beato*, ut aquiſiverim veram *Philoſophorum Tincturam*, in puncto qua medico, qua tranſmutatorio, Veterum requiſitis reſpondente. Dum ultimam imponebam manum Labori huic deſideratiſſimo eumque poſt unius & alterius ſaltem diei digeſtionem abſolvere decreveram, me accedit Chymicus quidam, tenui veſtitus habitu, ac pauperculo Ciniſloni ſimilis: honeſtæ tamen Faciei, [Lingua & mores eum Germanum eſſe prodebant,] qui ſeſe nominis mei in re Chymica famoſitate irritatum, pro nonnullis colloquiis Chymicis inſtituendis, huc acceſſiſſe, referebat. Diſcurſus ſucceſſivè inſtituti evincebant, hunc in arcanis veræ & purioris Chymiæ plurimum profeciſſe, ut ſic non parum mirarer, ſub ſordido hoc pallio, vel Veſte latitare tam raram Sapientiam; donec ad eam tandem deveniremus familiaritatem, quò mihi fateretur, ſeſe *Lapidem Philoſophicum* poſſidere; extrahebatque è ſacculo ſcattulam, hujus 2. ferè drachmas continentem, monſtrabatque Ejus qualitates in ægris periculoſe decumbentibus, & in Metallis impurioribus mirum quantum efficaces. Et hic *Pulvis* meo erat tam ſimilis, quaſi in uno Laboratorio, imò in uno vitro ſimul fuiſſent præparati.

Cæterum Vitam Vir dictus vivebat ſumme devotam & humilem, ſermonibusque ſuis ut plurimum immiſcebat, actiones noſtras omnes, ac præcipue tales labores arduos eſſe inſtituendos in promovendam Nominis Divini gloriam, ac pauperum ſolatium, abuſuſque horum ſumme vitandos.

Una vice ipſi memorabam, Dominum meum valde mihi indignaturum eſſe, niſi Hoſpitis hujus, uti rariſſimi, ita gratiſſimi præſentiam Ipſi patefacerem, cùm ſit ſumme curioſus. Quamvis autem meus hic Hoſpes me dehortaretur, quippe qui Vitam in ſilentio & ſpe piè & quaſi ſolitariè, Deo & Proximo inſerviendo deberet conſumere; non verò in Aulæ ſplendore, ac apud Magnates, Mundique Proceres tumultuoſe vivere; nihilominus ipſo invito acceſſi Dominum meum, &

Quis novus hic noſtris ſucceſſerit ædibus Hoſpes

detexi. Dominus meus, ut ſibi ipſum adducam, jubet lætitia turgidus.

Dum redeo, ille interea abiit ſine valedictione

mihi

mihi meisque facta, ut hucusque Ego nescíam, unde venerit, aut quorsum tenderit, aut quis fuerit. Inopinus hic abitus & Superiori meo, & Mihi non modicum quidem mœroris afferebat; Nihilominus eramus contenti, quod nunc eò certius nossemus, genuinum *Tincturæ* maximæ jamdum absolutæ præparandi modum, & quod *Deus* Opt. Max. Nobis quasi per Angelum indicasset, sumptus & labores nostros non fuisse frustraneos; sed veram metam Nos collimasse & pervenisse. Ex unâ enim & eadem Materia, uno eodemque modo & Nos & Ille *Eandem* composueramus, uti cap. 5. dicetur.

Quid fit autem? Paulò post Dominus meus ablegat me, onustum Thesauro hoc inæstimabili aliorsum ad Virum quendam magnum, partim, ut Nobiscum ille triumpharet de arrepta aurei Velleris præda, partim ut rubore suffunderetur, cum sæpius hunc laborem dilusisset serio, ac frustra aureo Hamo nos piscaturos, diu fuisset ominatus. Stipatus autem eram militum cohorte, Bellona tunc in Patriâ & vicinâ dominante. Verùm in itinere Nos invadebant copiæ militares hostiles, quæ infelices meos defensores partim occidebant, partim vulnerabant, partim in fugam vertebant; Me autem honestè vestitum cum aliis nonnullis captis privabant vestibus, meisque omnibus, quæ mecum portabam.

Precibus omnibus frustra adhibitis, petii tandem saltem, ut redderent hunc Pulverem chartæ & scatulæ argenteæ inclusum, cum Mihi valetudinario cederet in quotidianum Medicamentum, (Ipsis enim detegere, qualis revera esset Pulvis, consultum non judicabam; mihi enim certè non reddidissent,) Sed placuit imperscrutabili *Divinæ* Voluntati, ut indigna ista Manus Mavortia rabidâ & invidâ furens truculentiâ, Thesaurum huncce regias opes æquantem in auras dispergeret, reservata sibi argentea scatula Pulverem tenente. Qua incredibili Mentis consternatione & confusione domum redierim, judicet quilibet.

Proinde denuo relictis aliis negotiis totus-totus eram in nova præparatione maximæ hujus *Tincturæ*; severissime quidem ad hoc itidem Me stimulante Domino meo. Quamvis autem maxima sedulitate, noctéque diéque quasi incumberem huic Labori, omnes item enchirises mihi fuerint optime cognitæ, ac in recenti memoria; nihilominùs nunquam denuò ad optatum finem perducere processum huncce, vel solo nomine quoslibet ad sui desiderium cogentem valui, licet aliquoties à principio cautè & curiosè fuerit tractatus. Deo enim proculdubiô sic volente, aut rumpebatur aliquando vitrum, aut omittebatur aliqua enchirisis, &c. Donec tandem, accedente torpore senili, torpescere quoque hunc laborem fiverim. Propterea de *Tincturæ* hujus *Universalis* Veritate autoptes possim esse Testis, & quidem dupliciter de meâ nimirum & alterius; Lucrum autem inde speratum & emergens aliis dignioribus relinquens. Hucusque Vir ille magnus.

X. Prodiit duobus abhinc lustris in lucem Amstelodami Tractatus sub hoc Titulo: *Introitus apertus ad occlusum Regis Palatium, Autore Anonymo Philaletha.* Incognitus hic Autor veluti varia ad rem hanc facientia per integrum Opusculum partim perspicue, partim obscure proponit, ita in specie de stabiliendâ possibilitatis veritate, Cap. 1. p. 2. inquit: *Possem omnes hac de re citare Philosophos; at Testibus non egeo, quia ipsemet Adeptus, & lucidiùs scribo, quam antehac ullus.* Et cap. 13. p. m. 25. de Virtute medicamentosâ incomparabili sic loquitur: *Hoc nuper sum expertus in Locis quibusdam peregrinis, ubi Medicinam moribundis quibusdam desertis, atque afflictis corporis miseriis exhibui; & ad miraculum sanitatem recuperârunt. Murmur statim factum est de Elixire Sophorum, ita, quod non semel, summis cum molestiis, mutatis vestibus, raso Capite, crinibusque aliis indutus, alterato nomine, noctu fugam facerem, aliter in Manus Hominum nequissimorum mihi insidiantium (ob solam suspicionem unà cum Auri siti sacerrima conjunctam) incidissem.* Et pag. m. 28. de Transmutatione metallica hæc proponit verba: *Novimus Nos, quod, dum quondam vendere Argenti purissimi tantum, quantum 600. Libræ, tentaremus extra Patriam nostram mercatori similes induti, Metallici, quibus obtulimus, statim Nobis dixerint, arte factum esse argentum. Causam, cur id affirmarent, rogantibus nobis nil aliud respondebant, quam argentum, quod ex Anglia, Hispania, &c. affertur, discernere non jam discituri sumus; ai hoc est ex nullorum genere. Quod nos audientes, clam nos subduximus, & reliquimus tam Argentum, quam pretium nunquam repetendum.* Fugâ autem ita sibi consulit Autor ob imminentes à nebulonibus insidias, cùm, uti paulò antea dicitur, à nullo alio loco Argentum adeò finum affertur, ac Arte Nostra productum est.

XI. Clariss. Christ. Adolphus *Balduinus*, Collega honorandus, in Phosphoro Hermetico, Auro Auræ adnexô, pag. ultimâ è Friderico *Gallô* refert, *hunc vidisse imprimis mirificam rem! nimirum illi ostendisse secretò monarchum, è nobili Trautmannsdorffiorum Genere oriundum, (quem à reliquo Viventium cœtu Religio sua abduxit,) Tincturam; Magnitudinem si spectes, non multum fabam excedentem, eamque majusculam, Colorem autem eum fuisse, qui & Granati lapidis esse solet, quales è Bohemia adferuntur non pauci. Præcipua ipsi dos splendor; lampadem credidisset in vitro ardentem.* Idem rarum transmutationis Metallicæ & perspicuum adducit Exemplum dicto in Tractatu Aurum Auræ inscripto, cap. 11. p. m. 148.

XII. Dum hæc scribo, nimirum Anno 1677. mense Jun. sancte Mihi affirmat Amicus fide dignissimus, *Vienna* redux, ibidem Virum quendam peregrinum oculos, aures, & linguas omnium in se vertisse, & quasi fatigâsse, dum Luem Veneream, aliosque morbos durissimam Herculis clavam poscentes paucissimis dosibus medicamenti sui unici & universalis eradicaverat; nec minus Metalla ignobiliora sæpius in Aurum verum converterat. Monetam argenteam dictus amicus se ipsum, ait, vidisse, dimidia parte ita tinctam, & in aurum conversam; altera verò parte, nativam adhuc speciem servante. Bonam portionem dictæ *Tincturæ* Augustissimo *Cæsari*, *Leopoldo* exhibuit, ut ingens ignobilioris Metalli copia tingi, & multa Aureorum millia inde cudi possint; atque ut ipse quoque sub potentibus Cæsareis Alis eò securius viveret, cùm variæ ipsi à variis jamdudum sint structæ insidiæ. Possessor autem dictus *Tincturæ* hujus fatetur, se ipsum illius conficiendæ, imo totius Artis Chymicæ prorsus ignarum esse; sed *Eandem* aliunde ad suas pertigisse manus. De quo dies forte plura edocebit.

XIII. Artem nostram *Europæ* Confinia transvolitasse, & ipsam *Sinam* quoque intrasse testatur Johan. *Nihofius*, in descriptione *Sinæ* pag. 295. & Erasmus *Francisci*, in Exterorum Artis & Morum speculo, Libr. 1. Histor. 16. p. m. 98. seq. & quidem

ex *Trigautio*, & Martino *Martinio*. Quamvis autem dicti *Sinenſes* hâc inſanum-quantum abutantur, ut propterea etiam vix, & ne vix quidem, deſiderato potiantur fine, tam in Re medicamentoſa, quàm in Re metallica; illá enim Reges nonnulli immortalitatem adipiſci poſſe falsò ſibi perſuadebant; hâc verò ob inſatiabilem & damnabilem Auri & Argenti famem; nihilominùs adducam duo Exempla, ſtolidam hâc in parte Sinenſium vanitatem, ſimul tamen Artis veritatem demonſtrantia:

1. Sinenſium vanitatem abſurdam haurias è dictô *Franciſci*, loco cit. p. 99. Imperator *Hiaonus* à Chymico ſibi perſuaderi paſſus eſt, ut menti ſuæ fixum immotumque ſederet, ſi certum aliquod medicamentum ab eô paratum aſſumeret, Eum mortalitati non fore obnoxium. Fidus Ejuſdem Amicus (potiùs Conſiliarius aut Miniſter) fruſtra ſæpius tentaverat has impreſſiones Animo Ejuſdem exturbare. Aliquando tandem memorabili dolô ad frugem perduxit, dum potum præſentem, cui mixtum erat medicamentum dictum, Cæſare talia neutiquam cogitante, ebibit ſubitò. Cæſar valde irâ percitus, ſtricto gladio illum aggreditur, mortem minans. Sed ille ſubridens dixit: *Quomodo Tu me poteris occidere, cùm hauſerim potum Immortalitatem Nobis, uti credis, conciliantem?* Quibus verbis ponderatis ad ſaniorem rediit mentem, erroremque riſu dignum faſſus eſt Cæſar, Sapientiamque Amici decenter laudavit. *Olearius*, in Itinerariô Perſicô paulò aliter deſcribit Hiſtoriam allegatam; nimirum Poculum, è quo bibere conſueverat dictus Imperator Sinenſium, fuiſſe præparatum ex efficaci tali Auro Chymico.

2. Aliud Exemplum Sinenſe pro Artis Veritate militans eſt tale: Idem Cæſar *Hiaonus*, cujus módo mentio facta, è creſcente debilitate ſenili judicat, Mortem eſſe in propinquo, propterea pro continuandâ eâ, quâ Regimini publico ſemper laudabiliter præfuit dexteritate, convocat Conſiliarios ſecretioris Conſilii, & poſt varia alia jubet, ut apertè, & juxta Conſcientiam proponant, ſi quædam pro Subditorum & Reipublicæ commodo forent melioranda, abroganda, mutanda, &c. Ad quæ quidam Conſiliariorum: Nimis vacivas, gratioſiſſime Cæſar, dediſti aures illis, qui Artem Vitæ prolongandæ, & Immortalitatis acquirendæ docent; maximoſque in eoſdem ſumptus impendiſti; quonam effectu id factum, ipſe jam experiris, Viribus Tuis à Senectutis carie conſumtis; proinde humillime petimus, velis Animum mutare, ac Artem hanc multa dicentem & pauca probantem deſerere. Quibus Cæſar reſpondet: Vera profers; Hactenus enim Me ſeduxerunt iſti fraudulenti; hoc tamen propria mea culpa factum; cùm nimium fuerim credulus; jam verò certè patet, ipſorum verba non eſſe Veritatis radiis illuſtrata. Finis enim meæ Vitæ certò eſt in propinquo, quàm mihi prolongare, Mortemque plane evitare, ſperaveram. Multa abſurda hac Arte inſtitui, magnas impenſas feci, & per hanc hoc unicum obtinui, ut canitiem hance meam obtinuerim ſine morborum inſultibus, & ab ægritudine præſervatus, Artem enim Alchymicam in hoc multum præſtare poſſe, nullus dubito. Immortalitatem autem conciliare cuidam neutiquam valet.

XIII. Coronidis locó produco quendam, qui veluti Sorex ſe prodit; ille eſt aliquoties hactenus citatus celeberrimus *Kircherus*; Hic Mundi Subterranei Lib. 11. ſect. 2. cap. 9. p. m. 283. pro Alchymia ſummis opprobriis afficienda cotraſis variis apud Superos & Superiores rationibus, tandem planè ad Acherontem deſcendit; ſtatuens, Dæmonem utplurimum ſeſe Alchymiæ Cultoribus immiſcere. Quamvis autem hoc fieri poſſe in genere concedam, præcipuè apud iſtos, qui ſine legitima vocatione, ac malo è propoſito Laborem hunc magnum ſunt aggreſſi, ac proinde operato fine potiri non valuerunt; hinc formidine inſtantis ignominiæ & Paupertatis, deſperati quaſi redduntur, ac illuſionibus fraudibuſque Diabolicis periculoſis ſeſe ſua ſponte exponunt; Cùm inſuper tenebricoſus iſte mille artifex pro capiendis atque decipiendis reproborum & ſecuriorum Animabus, Facultatum aliarum quoque Cultoribus, Chymia neutiquam concurrente, ſeſe aliquando immiſceat, teſtantibus plurimis Exemplis; pro acquirenda Sapientia, Honore, Divitiis, Generoſitate, Impenetrabilitate, &c. tandem denuo argumentatur à particulari ad vniverſale, modo in Philoſophia irrito Vir hic magnus.

Ne autem iterum ipſe tenuia mea opponam Verba diſſentientia, loquatur pro me cum aliis curioſiſſimus Eraſmus *Franciſci*, qui in extraneo Artium & Morum Speculo, lib 4. cap. 1. p. 1214. inquit: *Proinde Alchymiæ Hoſtes nihil evincunt larva Diabolica; reſtat enim ipſis, ut probent, Diabolum parare Tincturam Univerſalem, vel Aurum purum immittere Crucibulo, ſubducto viliore Metallo. Quamvis enim Exempla nonnulla poſſent dari, quod aliquot avaros ſeduxerit ac deceperit, vel alios juverit, inde tamen univerſalem concluſionem ſubnectere non licet. Corruit potius Antagoniſtarum ſuſpicio, Diabolum, hoſtem Hominum infenſiſſimum, citius conficere Venenum, quam Tincturam Univerſalem, utpote medicamentum incomparabile.* Et paulò poſt: *Verum, uti dictum, hoc realiter fieri in hoc vel illo caſu, & quidem ſemper, clara indiget probatione, quæ deficit contradicentibus. Nihil ergo adſcribendum eſt Fonti Stygio, quod manifeſtis ratiociniis è Fonte Naturæ oriundis eſt demonſtrabile.* Hucuſque laudatus Eraſm. Franciſci.

Minimè autem Nos ferit Hiſtoria producta *Kircheriana*, quam verbis inde magis contractis addam: *Vir Chymicæ Artis periiſſimus mihi retulit ſequentia; Cùm Ego plures Annos in Alchymia ſine ullo profectu conſumſiſſem, & quodam die intento ab Alchymiſtis ſcopo, id eſt, Lapidi conficiendo totus incumberem, & arcanum me penetraſſe, plane mihi perſuaderem, convenit me Vir quidam antea ignotus, ac humaniſſimis verbis ſalute imprecata rogavit, quid agerem, & cui rei tanta ſollicitudine incumberem? Video,* inquit, *ex Chymicis Tuis veſis & materierum congerie, Te magnum quid in Arte Chymica moliri; ſed quod intendis, minime Te conſecuturum, crede. Ego reſpondi: Si Tu aliquid melius noris, id me doceas velim; dixit, obſequar Voluntati Tuæ, & mihi in calamum dictabat veram procedendi methodum. Hæc juxta præſcriptam methodum operando in Praxin redegi. Labore peracto exemi materiam in vaſe relucentem inſtar olei, & ſuperfuſo liquore mox congelatam maſſam reperi, quæ in Pulverem redacta, & ſupra 300. libras hydrargyri projecta, illud in Aurum obrizum naturali nobilius, apud Aurifices omne examen ſubiens, convertit.*

Ego ad rei inuſitatæ eventum attonitus præ gaudio vix me capiebam; jam in redivivum Cræſum me evaſiſſe cenſebam. Poſt maximas gratiarum actiones quærebam, undenam eſſet. Reſpondit: ſe Mundum peragrare, nullius ope aut opibus indigere, Amicis in-

deſperate

desperato Artis magnæ exercitio inutili Labore se fatigantibus ad prosequendum studium, nonnihil de Arte sua communicare. Hisce dictis hospitio, quod humaniter obtuleram, recusato, ad publicum divertit. Postero die summo mane Benefactori iteratas gratias acturus ad diversorium me confero. Sed Tabernarius dicit, se nullum ea nocte habuisse Hospitem; accedo omnia Urbis diversoria; sed omnes dicunt, se nihil de eo audivisse. Domum reversus statim ad novum Artis Specimen me accingo juxta tenorem præscriptorum Præceptorum; sed operatione peracta nullum rei successum reperio, & quia credebam, hunc errorem contigisse ex incuria, aut unius vel alterius intermissione, maxima diligentia repetii operationem; sed rursus spe mea fraudatus, iterum iterumque operationem inchoabam tantis expensis, ut omne Aurum ex prima projectione acquisitum expenderim.

E dictis *Kircherus* cum amico suo concludit hoc opus fuisse illusionem Diaboli sub specie Hominis apparentis. Verùm ut nihil de hoc dicam, quod Amicus non ingenue, sed juxta Animi passiones rem narraverit; quis enim crederet, quendam in Chymia peritum ad *Tincturæ* elaborationem, licet aliquoties inchoatam in præscripti unici processus labore consumere posse 300. libras Auri naturali nobilioris? Nec capere possum, quomodo extemporaneô modò potuerit conficere *Tincturam*, præsente Hospite, cùm tamen postea 300. Libras Auri priùs confecti in illius præparatione frustra impenderit.

Hoc saltem dico, Illum pro scopo Laboris habuisse Auri famem & divitias acquirendas, uti sensus Historiæ manifestè docet, hinc ipse frustra laboravit, postea Adeptus hoc facile subolfaciens, aut veram laboris methodum ipsi perfectè, non communicavit, aut *Deus* Cordium Scrutator, Labori non benedixit, (qua de re capite sequ. plura proponentur,) Unde & factum, ut ille Adeptus clanculariè & tacitè abierit. Tales enim Adepti volunt esse occulti, nec Mundo similes, veluti testantur Historiæ Thesi 8. & 9. allegatæ.

Plane similem quoque refert celeberrimus Jesuita *Del Rio*, disquisit. Magicar. Libr. 5. capite 5. quæst. 2. sect. 4. p. m. 72. *Antonius Tarvisinus*, inquit, *Pharmacopola coram Andr. Gritto, Duce & præcipuis Patritiis Venetis Argentum vivum in Aurum commutavit. Narrabat ille à Gallo quodam, domi suæ per aliquot menses hospitaliter excepto eum se Pulverem honorarii loco accepisse; sed ut eô, tanquam arcano uteretur. Se vero non tam privati commodi, quàm publicæ Fidei studio erga Rempublicam Venetam, Hospite inscio, Venetias navigasse, rem Patriæ Patribus indicasse, specimen Artis exhibuisse; privatim quoque in Corneliorum ædibus non semel. Interea verò Gallum illum insalutatis omnibus discessisse, neque se quicquam amplius de ipso rescire potuisse.*

Uu autem ad Historiam Amici *Kircheriani* regrediar, Rationi sanæ non videtur congruum, hic confugere ad illusionem aut communicationem Diabolicam. Quam, quæso, claùda hæc est consequentia: Vir ille peregrinus volebat pernoctare in diversorio quodam publico; sed talem in nullo reperire potui. Ergo, ille fuit Diabolus specie Hominis apparens? An non poterit ille divertisse in domo privata, obscura, vel iter suum in alium locum instituisse? cùm tales velint latere, & apud indignos esse incogniti, ceu modò dictum, & in sequenti dicetur. Æquus Lector conferat dictam Historiam cùm antea allegatis, & nullam intervenire discrepantiam fatebitur.

Supereressent varia adhuc perspicua Testimonia, v. g. Glorioßissimi Imperatoris *Rudolphi*, certi hujus Mysterii Possessoris, variorum item aliorum, è quorum ore hausi veritatem rei; Cùm autem satis jam fuerim prolixus, & cavendum mihi sit, ne molestus sim æquo Lectori; à reliquis verò, quorum Cerebella tanta pertinacia obsedit & stupefecit incredulitas, ut modo adductam tamque claram Virorum magnorum Fidem spernant, dubiamque reddant, nullum assensum obtineri posse crediderim, licet vel Sapientissimus *Salomon*, vel ipse Sanctissimus *Moyses* cum ingeniosissimo suo *Bezaleele*, ad artificiosas Metallicas operationes Divinitus electo redirent, ac de rei certitudine testarentur. Propterea hæc dicta sufficiant.

Coronidis loco, & obiter quasi, hic addo, ex allatis Historiis patescere; dari etiam in Rerum Naturâ divites Chymicos, neque de essentia Eorum esse, ut sint pauperes; veluti in Artis Chymicæ opprobrium circumvolitat Invidiæ scomma; Hoc enim saltem ferit infelices & indignos Artis Discipulos, qui vel plane veram Materiam & enchirises ignorant, vel malo proposito rem aggrediuntur, ut proinde à vero scopo aberrent, ac spe sua excidant, temeritatisq; suæ dignas luant pœnas.

CAPUT IV.

Ventilans, an consultum sit Christiano, immediatè in Tincturam Universalem inquirere?

MUltis sanè superflua, imò absurda & insipida videbitur hæc Quæstio; Cum tam prolixus fuerim in demonstranda hujus possibilitate; Quia etiam tam incomparabilis utilitatis, & miraculosæ sit efficaciæ hæc *Tinctura*, uti superius de Ejusdem Usu amplissimè deprædicatum & diductum, tantùm abest, ut dubitandum esse videatur de elaborandi studiô, ut potiùs curiosi ac Philochymici omnes ad tam utile, imò Divinum opus exercendum stimulentur, & impellantur; Cùm irrefragabili piarum atque sanatum Mentium Testimoniô neutiquam tempus commodius impendi possit, quàm in Labore aliquô Dei O. M. Gloriam, ac Proximi commodum, modis extraordinariis præcipuè, promovente.

Verumenimverò quamvis negari minimè possit, si Artem hanc ipsam per se consideremus, omninò consultum videri, eidem quembibet incumbere, aut Ejusdem exercitiô animum applicare; Tamen si perpendamus ponderosissimas nonnullas circumstantias, summeque dubios heic intervenientes eventus, & plurimùm variantia accidentia, neminem jure mihi hujus Quæstionis ventilationem vitio vertere posse, certè credo, si sequentia æquâ animi lance perpenderit.

Pro hâc Controversia eò feliciùs & faciliùs dilucidandâ & sopiendâ præmitto hanc Thesin. *Deus O. M.* (cujus opera sunt magnifica, & cogitationes Ejusdem nimis profundæ, quas Vir insipiens non cognoscit, nec stultus intelligit, juxta Psalmum 92. v. 7. 8.) *Regale hoc donum revelat ac concredit saltem pauciſſimis*, & quidem illis, quos extraordinariâ vitæ simplicis integritate, ac inculpatô puræ Fidei, Pietatisque studio pro *Divinæ* Gloriæ augmentô, Ægrorumque, ac Pauperum solatiô illud adhibituros, nec æternô propriæ salutis dispendiô eôdem esse abusuros cognoverit. Per dictam

revelationem

revelationem tamen minimè intellectam volo fictam aliquam inſpirationem Enthuſiaſtico-Quackerianam; ſed quòd Labor hic inſtitutus methodo naturali minimè è votô ſuccedat ſine ſpeciali directione & permiſſione *Divinâ*.

Audio hîc ſtatim nonnullos appellare ad Experientiam contradicentem, & contraria producere Exempla, v. g. *Paracelſi*, & aliorum, qui Actionibus Suis impiis, ac Vitæ Chriſtianô indignæ impuritate propoſitum Axioma facilè ac manifeſtè deſtruant. Theophraſtum *Paracelſum* quod attinet, controverſiam quidem hanc non facio propriè meam, cùm mei non ſit propoſiti, hîc Ejuſdem Mores & Vitam examinare, aut ventilare. Nihilominùs breviter dico, Illum laudari ab his, veluti culpatur ab *Oporinô*, aliiſque. Omninô tamen multa Theologica in ejuſdem Scriptis planè Atheiſmum olent, ac duriuſculè ſonant in Auribus verè Chriſtiani; Econtra verò è pluribus ibidem legitimus Ejus erga *Divinam Majeſtatem* cultus quodammodo poterit demonſtrari, ut proinde pateſcat, Illum fuiſſe Hominem Ingenii vagabundi & inconſtantis. Rei verò Medico-Chymicæ Eundem plurimum utilitatis exhibuiſſe, nec Invidi negare poſſunt; Ut enim taceam reliqua omnia, immortale meretur Nomen vel ob ſolam inventionem *Elixiris Proprietatis*, atque Mixturæ ſimplicis, (quam arcanum Caduci Ipſe adpellitat,) è qua alii poſtea *Tincturam Bezoardicam* compoſuere. Sed, qui plura de *Paracelſica* Vita deſiderat, præter alios conſulat radiantem Phoſphorum Septentrionalem, Olaum *Borrichium*, in Tractatu Hermetis, Ægyptiorum & Chymicorum Sapientia vindicata inſcriptô.

Ut Ego ad objectum ſuperius dubium redeam, eique ſatisfaciam, regero: Poſito, *Paracelſum* (aut alios Poſſeſſores *Tincturæ*) Atheiſmi poſſe convinci, ac Ejus Mentem Levitate, imò Impietate execrabili fuiſſe imbutam; hôc tamen mea Theſis non infringitur; Nam *Deus* cognoſcens hunc abuſum eſſe hoc regali dono, illud illi, tanquam indigno iterum abſtulit, dum ille, qui varios pedem jamdum in Cymba Charontis habentes ope ſua Medica retraxerat, Ipſe morte immatura ad plures abire fuit juſſus. *Paracelſum* enim Anno Ætatis ſuæ 43. vel juxta alios 48. mortuum eſſe, teſtantur Hiſtoriæ. Quod quidem Mortis tempus *Tincturæ* poſſeſſori non immeritò præcox & immaturum nominandum. (Ut taceam inſuper una hirundine non probari Veris præſentiam.)

Poteſt enim juſtus *Polarcha*, & ſolet pro meritis Noſtris & dare, & auferre; Quemadmodum Regem *Saulum*, quem antea è toto Populo elegerat, ob malos mores poſtea iterum deſerebat. Non minus Benedictio Domini divitem faciebat ſine labore Regum Sapientiſſimum *Salomonem*, quamdiu omnipotenti huic Rerum Directori commendabat vias Suas, adeo, ut non ſine ſtupore legi poſſit, 1. Reg. 10. quantam Auri farraginem cumulaverit; Argenti autem tantam-tantam fecerit copiam, ut nihil vel vili æſtimatum, vel lapidibus æquiparatum illud fuerit. Poſtquam verò Polygamiam & Idololatriam cum Ethnicis inſectabatur Ille, ſevera, eaque juſta percitus incandeſcentia *Deus O. M.* Regnum non modo maximam partem detrahebat Filio; ſed etiam cornu copiæ ſuum largiſſimo antea alveo Benedictionem effundens ita conſtipabat, ut Redituum Director Argentum paulo antea lapidibus non carius habitum à Subditis extorſurus lapidibus obrutus ad plures fuerit miſſus.

Ac veluti idem miraculoſus *Deus* è ſexcentis millibus, & ultra Judæorum Ægypto ideo miraculosè eductorum, utpote benedictæ ſuæ Gentis, duos ſaltem, *Joſuam* nimirum, *Calebum*, promiſſam Terram intrare permiſit, reliquis omnibus proper varia crimina perpetrata rejectis, & in deſerto mortuis; Nec pepercit ob commiſſum diffidentiæ erratum maximo *Moyſi*, cum quo ſæpius facietenus quaſi collocutus, ac familiariter, ut ſic dicam, eô uſus fuerat antea. Sic *Judas Iſcharioles* Collegii Apoſtolici erat Membrum, ut proinde olim potuiſſet inter primarios Eccleſiæ Doctores lucere veluti Splendor Cœli, ac Stellæ; Quam malè autem avaritia ſeductus rerum ſuarum, ac imprimis Animæ curam geſſerit, *Divinæ* clementiæ paſſus jacturam, etiam Pueri Noſtri è Sacris norunt.

Quam brevem perſenſerit fructum à liberatione Sodomæ imbre Sulphureo-igneo ſubverſæ & ſubmerſæ *Uxor Lothi*, *Divino* Mandato inobediens, docet Liber Geneſios, cap. 19. v. 27.

Sic Omnipotens, Cujus Manuum opera ſunt Cœli, & Pedum ſcabellum eſt Terra, è tot Mundi Regnis, è tot Provinciis, è tot Urbibus conſtituerat *Hieroſolymorum* Urbem quaſi ſedem exercitii Pietatis, Ejuſque Templum habitaculum cultus ſui *Divini*, ibidemque habebat Ignem & Focum ſuum juxta Populum ſanctum è cunctis aliis electum in glorioſiſſimi Nominis ſui ſanctiſſimi memoriam. Quomodo autem ingratum & impium hunc Populum ſeſe deſerentem deſeruerit, loquitur in omnium ore dictę Urbis Excidium Excidiorum omnium horribilium horribiliſſimum.

Eidem Fato ac Pœnæ, ceu jam de *Paracelſo*, Atheiſmi incuſato dictum obnoxii ſunt alii indigni, ſi qui dantur, Myſterii hujus Poſſeſſores. Cuicunque enim Hominum licuerit eſſe tam beato, ut hoc fuerit adeptus, idque poſtea ad uſus illicitos & impios adhibuerit, illi certe in propinquo eſt vindicta *Divina* interitum minans. Juxta enim Hiſtorias capite præcedente allegatas, ut & aliorum Experientiam, *Deus* tunc vel permittit, ut ante diem ſuum moriatur dictus Poſſeſſor; vel ut ab aliis ipſi eripiatur Theſaurus, & hoc quidem aut clanculum aut manifeſte, ſæpe non ſine Vitæ ſuæ diſpendio; vel ut aliis modis hic improviſo peſſumeat. Similiter alii aliis hoc ſuffurantes, aut per fas & nefas comparantes brevi ſaltem Temporis ſpatio, ac ſibi infauſto eventu de hujus poſſeſſione poſſunt gloriari; cum illegitima & prava intentione (ut plurimum Auri fame impulſi,) id obtinuerint, ſecundum commune dicterium: Væ Tibi, qui ſpolias; nam mox ſpoliaberis ipſe. Objectionem illam ſcopticam, quod Paracelſus, aliique *Tincturæ* Poſſeſſores non fuerint longævi, nonnulli quoque ſolvunt per rationes Phyſicas; Vitæ nimirum abbreviationem fortaſſe talibus accidere poſſe ob *Tincturam* frequentiore ac largiore doſi ſumptam, dum à ſumme efficaci & penetrabili hujus Virtute Calor innatus quaſi ſuffocatur. Videmus quidem communiter multos mori ob Spirituum reſolutionem & defectum; non paucos tamen etiam ob Spirituum ſuffocationem, Sanguine plethorice & flatuoſe nimis ebulliente, & p. n. fermentante, v. g. in febribus ardentibus, in copioſe hauſto vino generoſo, ejuſque Spiritu, &c. Aut veluti videmus Ellychnii flammam diu in ſtatu ſuo ſuſtentari vegetam, ſi debita olei portio ipſi affundatur; cito autem ſuffocari & extingui, ſi largiore olei affuſione obruatur.

Sopitâ hâc *Paracelſicâ* controverſiâ, regredior ad dilucidandum propoſitum meum axioma, (nimirum,

(nimirum quod Deus O. M. Arcanum hocce saltem concedat & concredat pauciſſimis verè piis.) Proinde rebus ſuis optimè conſulit ille, qui antequam mentem manumque maximo huic labori eſt appliciturus, priùs ſecum habitet, ac per ſubtile cerebelli ſui cribrum transjiciat & tranſcolet cogitationes ſuas, & ſe ipſo adcuratè quærat, quiſnam ſit, hoc eſt, ad quæ negotia pertractanda Deus, maximus ille Paterfamilias Talentum ſuum deſtinaverit ? Illi igitur, qui vocationem legitimam ſibi promittere poterunt, eam obtinent vel *mediatè* vel *immediatè*. 1. *Immediatè* quidem hæc præcipuè competit Medicis. Horum enim Studia & meditationes niſi Conſcientiis ſuis ſtigmata velint inurere, ſunt inſtituendæ, non ſolùm, ut Medicamentis diuturna Anteceſſorum Experientia comprobatis Corpora humana, à morbis præſervent, & per illa iiſdem hos exturbent ; Sed etiam ut Regnorum animalis, vegetabilis, & mineralis res naturales magis, magiſq; ruminent, in harum qualitates tam Philoſophia ſpeculativa, quam præ primis pyrotechnica laboriosè & adcuratè inquirant, nec ſaltem credant, quod Veteres crediderint ; ſed aliorum Inventis pio & licito faſtu & æmulatione ſua addant, adeo, ut, quò plus ſint potæ, plus ſitiantur aquæ. 2. *Mediatè* verò, decenter & legitimè ſeſe vocatos credere poterunt Proceres & Magnates *Mundi* ; In ſpecie illi, quorum ditiones *Cœleſtis* Diribitor & Gubernator ditavit Metallifodinis, ac ſimilibus ad has pertinentibus, variaſque ita naturalia ſcrutandi occaſiones præbuit.

Quemadmodum enim Rex aut Dux aliquis in Territorio ſuo ſummus eſt Epiſcopus, atque Animæ ſuæ Saluti conſulturus, Rerum Theologicarum, curam debet gerere, & de ſubditorum Animabus omniſcio Rationum Examinatori ſtrictam olim reddere cogetur rationem ; Ac veluti Idem ſupremus eſt Legiſlator Juſtitiæque Adminiſtrator, Virtutes ſtabilire, Vitiaque exturbare tenetur. Ita non minùs, ſi Talentorum ſibi concreditorum debiram vult exercere diſpenſationem, Metallorum, Mineralium, imò analogorum omnium, rem Phyſicam concernentium, quibus ſubjecta Terra dotata eſt, per Viros Rerum Medico-phyſico-metallicarum apprimè gnaros rigoroſam meritò inſtituat inquiſitionem, num inde aliquid emergere poſſit, quô Dei Gloria, commodior ſubditorum ſuſtentatio, ac Proximi utilitas magis magiſque promoveri ; Sanitas item præſens conſervari ; ac amiſſa reſtitui valeat.

3. Hiſce *mediatè* vocatis ſubjungimus & adnectimus alios Viros magnos & divites, qui Chriſtianâ & laudabili curioſitate ad rerum metallicarum, aliarumque Phyſicarum indagandarum culturam rapiuntur, ac opes ſuas piô ac devotô fervore, aut hæreditariô ſæpe ſtimulô huic impendunt. Si quando igitur unus & alter modô dictorum dictô modô, id eſt, piâ devotione ac verè Chriſtianô propoſitô incitatus, atque Animum curis publicis, meditationibuſque aliis utilibus fatigatum recreaturus, dum miraculoſas Naturalium operationes ſcrutatur, aut doctos miniſtros ſuos ſcrutari jubet, ſimul audeat aggredi elaborationem *Tincturæ Univerſalis*, rem fortè faciet *Numini Divino* non inviſam ; caveat modò ne limites curioſitatis tranſcendat, aut per hæc obliviſcatur Muneris ſui ordinariè obeundi, aut invitô marſupiô ſuô tam arduа rentet. Si verò fortaſſe eveniat, ut locô deſideratæ Pyxidis aureæ accipiat ſaltem Argentô aut Plumbo repletam, (præſuppono tamen, in methodo elaborandi non fuiſſe peccatum ; aliàs habet, quod ſibi ipſi adſcribat errorem, & inde ſecutum irritum effectum,) ægrè minimè ferat ; ſed contentus ſuo Groſſo accepto, juxta Matthæum cap. 20. v. 9. certiſſimè ſibi perſuadeat, Illum, qui Animarum Noſtrarum Saluti invigilat, optimè noviſſe, talem eventum ipſi fuiſſe magis conducibilem. Per adeptionem verò pyxidis argenteæ vel plumbeæ indigito ; licet ſpe ſuâ nimirum *Tincturæ* adeptione, primariò exciderit Operator, nihilominùs rarò omnem ille ſit perditurus Operam ; cùm hoc modô, ut plurimum inveniantur tam in re Medicâ Medicamenta egregia, quàm in re metallicâ, &c. enchiriſes raræ pro Valetudinis & crumenarum commodo. Ut enim nihil dicam, quàm egregia Menſtrua pro ſolvendo Auro, Argento, Coralliis, &c. & varia utilia alia inveniantur, dum meditationes & labores impenduntur *Tincturæ Univerſali* à legitimè vocatis ; unici Exempli loco adduco ſaltem Spiritum Mundi, & huic analoga Medicamenta ſpecialia, laudabilibus effectibus ſeſe pluribus in morbis manifeſtantia ; de quo videatur Nietnerus, peculiari de hoc Tractatu, Frid. Hoffmannus, Clavis Pharmaceutic. Schrôder. Lib. 3. cap. 3. pag. 140. 141. & lib. 3. cap. 9. p 211. item alii plures. Optandum eſſet, ut nonnulli è Mundi Primatibus potius reditus ſuperfluos impenderent in adcuratiorem rerum naturalium perſcrutationem, unde *Dei* Gloria, ac Subditorum (quorum quomodo curam geſſerint, rigoroſum & horribile ipſis olim imminet Examen,) Salus, Sanitas, & Suſtentatio commodior emergeret ; quam, ut ex Ambitione, Avaritiâ, &c. delicias quærant in Bello ſæpe ipſis inutili, imò ſumme noxio, ſimilibuſque rebus Ruſticorum Cruore, Lacrymis & Sudore anxio perfuſis. Negari enim neutiquam poteſt, beneficentiſſimum *Creatorem* ditaſſe varia Loca Theſauris inæſtimabilibus, in Terræ non ſolum profunditate latitantibus ; ſed etiam ſæpe ſuperficietenus, ſub vili quidem & ſpreta utplurimum facie, Noſtro viſui expoſitis, vel ipſam illam Poſſeſſoris ditionem, ſi venderetur, pretio ſuperantibus. Si modò Territoriorum nonnulli Domini, (nonnulli dico, quum alii deſideratum laudabiliter præſtent ; aliis vero præſtandi occaſio deficiat,) Oculos aperirent ; & qui Horum ſunt Manus & Oculi, (Conſiliarios & Redituum Directores intelligo,) in hos inquirerent, vel Eruditos inquirere juberent ; Quod deſiderium quidem præprimis florente aurea Pace intellectum velim ; Cùm enim inter Bella ſileant Leges ; tantum abeſt, ut Bellona ſimilia curioſa tractari ſit admiſſura ; ut potius Sanguinem plebis, (metamorphoſi Philoſophis & Chymicis etiam acutiſſimis incredibili,) per nimias taxationes, & extorſiones ferè crudeles in Aurum & Argentum ſit tranſmutatura ; Qua verò Conſcientia id fiat, meum non eſt, hic inquirere, aut decidere. Proinde Poſſeſſoris deſidiæ & indignitati eſt adſcribendum, quod ſimilia occultè ſepulta lateant arcana.

Quibuſcunque verò aſſignatum eſt Vitæ Genus aliquod à Medico-chymicâ rerum Phyſicarum perluſtratione, ſeu *mediatè* ſeu *immediatè* inſtituendâ, uti jam dictum, alienum, illi certè credant, ſeſe carere legitimâ ad hoc opus vocatione ; hâc verò utpote ſummè neceſſariâ deficiente, ii ſibi porrò perſuadeant, ſeſe ſuâ ſpe ac fine infallibiliter excidere ; aut ſi fortè *Tincturam* improviſò obtinerent, poſſeſſionem hanc futuram ipſis eſſe brevem, irritam, imò periculoſam. Si enim *Cardiognoſtæ Cœleſti*, Corda & Cogitationes noſtras obſervanti in magno

magno illo Rationum die cogemur rationem reddere de quolibet inutili Verbo, teſte *Scriptura Sacra*, quam rigoroſa, quæſo, expectanda erit inquiſitio, de Talento concredito, non tam ſermones, quàm labores Noſtros ipſos concernente, an illud decenter & legitimo modo fuerit expenſum. Minimè enim ſupervacaneè aut ludicrè dictum judices dicterium *Syracidis*, c.3 v.23. 24. 25. *Non Tibi conducit, ut proſequaris illa, quæ non habes in mandatis; Et Tui quod non eſt muneris, frivole ne aggrediaris, jam dum enim plus Tibi eſt commiſſum, quàm poteris exequi. Qui verò periculum amat, in illo peribit.*

Tales autem ſine debitâ vocatione laborantes optato ſcopo non eſſe potituros; Sed Bona ſua pro *Lapide* acquirendo dilapidaturos eſſe, vel inde conſtat, quòd ob finem vero Chriſtiano indignum, nimirum Avaritiæ, Arrogantiæ, aliiſque illicitis & impiis ſtimulis incitati Laborem tentent & inſtituant.

Nec habent, cur majorem ſibi ſpem hoc de Trophæo concipiant omnes illi Naſutuli *Philiatri*, utpote levioris armaturæ milites, qui vix veſtibulum Theatri medico-chymici ingreſſi, ac primis ſaltem labris guſtantes Nectar & Ambroſiam Phyſicam, ſine jactis Fundamentis decentibus in hac Arte ſummè difficili, nec prius ſucceſſive cognitis ſcitu neceſſariis, cum *Icaro* altioribus nimis præcipitanter inhiant, nihil, quam arcana crepant, & meſſem quaſi inſtituunt, antequam ſerant.

Similes, imò adhuc inferiores ſunt hiſce omnes illi indocti Ciniflones ac vagabundi Laboratorculi, qui auſu temerario, illotiſque, quod dicitur, manibus in arduum hoc Studium irruunt, ac pro accipiendo hoc Eridos Pomo manum indignam præcocius extendunt; falſo credentes, incumbere elaborationi *Tincturæ Univerſalis* unum eſſe idemque cum præparatione *Vitri Antimonii*, *Salis Tartari*, *Spiritus Nitri*, &c. aut cum communi Metallorum fuſione, ac ſeparatione, &c.

Quamvis autem præcipuum meum ſit propoſitum, hîc tractare de *Tinctura Univerſali*, & quæ ad hanc *Viam* pertinent, nihilominus obiter quaſi, & propter analogiam mentio itidem facienda illarum Tranſmutationum, quæ *Via Particulari*, quam dicunt, inſtituuntur, dum nimirum Metalla ignobiliora, item alia varia Mineralia & Metallica mediantibus Salibus, aliisque modis, in Aurum & Argentum exaltantur. Quicunque igitur meditationes, labores & nummos ſuos talibus Particularibus impendunt; illi non minus de legitimâ Vocatione ſibi proſpiciant, aliàs, ſi ſua ſpe fruſtrentur, & non obtineant, quod volunt, non habent, de quo mirentur; ſed expendant antiquum illud: *Quilibet ſuæ Fortunæ Faber.*

Hi ipſi hactenus recenſiti currentes, licet à *Deo* non mittantur, ſunt præcipui è Profanatoribus *Tincturæ* noſtræ; dum enim cœcutientes, aut cœco cœcum ducente, uti modo dictum, tantum Opus tentant, ſine vero ſcopo, à ſcopo meritò aberrant; & cùm in florente vegetæ Ætatis Æſtate cum Formica rebus ſuis domeſticis non adeò cautè & prudenter proſpexerint, accedente famelica Ætatis ſenilis Hyeme, facta irreparabili & Famæ, & temporis, & nummorum divinitus concreditorum jactura, nimis tardè dolent per intempeſtivam Auri novi perquiſitionem proprio Auro ſeſe ſpoliatos, ſero cum Phrygibus ſapientes, nec alienis periculis cauti facti. Propterea non immerito omnium ſubſannationibus & ludibrio ſeſe exponunt; Inde autem fit, ut alii circumſtantiarum ſimilium ignari, ac rem ſuperficiariè expendentes, illud, quod abuſui Artis deberent imputare, Arti ipſi adſcribunt; atque ita inveterato illi plurimorum in hanc odio perpetuum additur fomentum, maledicuſque Linguæ invidæ acuitur ſemper aculeus.

Hoc fit eodem quaſi Fato, quod jam ex ſuo abuſu experitur nobiliſſima *Poëſis*; dum nimirum rudis & illiterata iſta verſificum mendicantium Secta, ut illa hodie à pluribus vili æſtimetur, feneſtram aperit. Cùm tamen Viri illius juxta Cor Dei, Davidis, Pſalmi, ut & innumerorum aliorum cantilenæ ferrea impiorum Corda emollientes nihil aliud ſint, quàm Poëmata Sacra. Ut nihil dicam de vaſta illa & immenſa Gnomarum au Dicteriorum aureorum farragine, quam Poëtæ quà antiqui, quà Neoterici, quà Ethnici, quà Chriſtiani Oculis & Auribus omnium, incomparabili Proximi emolumento, expoſuere, & adhuc exponunt.

Cùm igitur pauciſſimi, uti dictum, hoc myſterium adipiſcantur, ſecuriorem eligunt viam omnes illi, qui ſibi ipſis diffidentes, verentur, ut fragilitate Humana victi, imperſcrutabili *Divinæ* Voluntatis mandato omnia dirigente, ac ſua Sorte (acquirendo fortè pyxidem plumbeam,) ſint contenti. ſi integram & plenariam *Tincturæ* elaborationem non adoriantur, aut tententent; ſed ſecundum vulgarem illam Chriſtianorum normam, *Ora & labora*, in Vinea Domini fodiant, id eſt, munere ſuo fungantur, curioſitatibuſque naturalibus non adeò ſublimibus perſcrutantis immediatè & ſeriò incumbant. Spe freti certiſſimâ, Deum, providum Noſtrum Tutorem & Benefactorem ſuis fidelibus dormientibus dona diſtribuentem, & hoc regale non minùs improviſò illis eſſe exhibiturum, ſi æternæ Animarum Saluti conduceret. Veluti *Divina Majeſtas* olim ad majora opera ſua obeunda ſæpiùs elegerat ſpretos & abjectos, v. g. *Moyſen*, fugitivum, gratioſum Regiæ Filiæ favorem adſpernentem, *Davidem* Opilionem, *Saulum* Agaſonem, Deiparam *Mariam* humilem, Apoſtolos piſcatores, &c. Siquidem fateri cogentur plures Rerum Phyſicarum Indagatores, ſeſe ſæpius, dum intenſo fervore invigilant aut inſidiantur enchiriſeos cujuſdam, aut alterius rei adeptioni, ſua ſpe excidere; alio verò tempore ſuperficiariè quaſi hoc vel illud tractantes, reticula ſua maximam Piſcium copiam conſtringere, illudque ex inſperato, quod antea ad faſtidium & laſſitudinem uſque fruſtra quæſiverant, cœlitus accipere; quod Ego multorum, propriaq; Experientia ſtabilire poſſem.

E contrario, quemadmodum *Deus O. M.* dignis ſuis, quos ad hoc opus elegit, inter dormiendum quaſi exhibet id donum, ita illi omnes, qui *Deo* quaſi abnuente huic inhiant, veluti cœcutientes, aut cœcos cœci ducentes, à Scopo aberrant, quamvis inſigni polleant ingenii acumine, ac oculatiſſima circumſpectione rem tractent; vel, ſi etiam talium nonnullis licuerit eſſe tam felicibus, ut Opus hoc maxima ſui parte, vel quoque plenariè abſolverint, tamen deſideratiſſimus illius uſus aut plane non, aut breviſſimo ſaltem temporis ſpatio à Deo illis conceditur. Cujus rei plura mihi certiſſimè conſtant exempla; ut unius ſaltem & alterius meminerim, addo ſequentia: Primo rogatum volo amicum Lectorem, ut regrediatur in Caput antecedens, ubi nonnulla adductorum Exemplorum *Tincturæ* exiſtentiam firmiſſima veritate demonſtrantium pro hac mea ſententia apertè militabunt & teſtabuntur.

II. Retulit mihi Chymiater Lipſienſium maximè

maximè famigerabilis, D. Johannes *Michaelis*, sese aliquoties non sine maximâ Animi delectatione Oculis usurpâsse Materiam è *Materiâ Universali* præparatam vitro inclusam, in locis tenebricosis, & noctu radios scintillantes, instar candelæ, diffundentem, apud celeberrimum Serenissimi *Saxoniæ Electoris* Campi-Mareschallum, Joh. Georgium ab *Arnheimb*, cujus rerum bellicarum heroice gestarum non oblivisceturus *Europa* Nostra, Hic negotiis militaribus fatigatus inter alias utiles curiositates Chymicis operationibus spiritus suos refocillavit, & quod sibi ipsi adeo commode non licebat, per alios fieri curavit. Flamivomi autem hujus arcani Historiam mihi clarius detexit Nobilissimus Aulæ Nostræ Præfectus, & Consiliarus bellicus, Johann-Christophorus *Pflug*, qui tunc apud dictum Arnheimium inter nobiles erat Ephebos; Hic enim præcipue, cum Famulo cubiculario aliisque, alternis vicibus per duos fere annos nocte dieque in itineribus, Castris, &c. Vitrum oblongum, sigillatum, Pulverem obscure viridem continens, in manu gestare, ac perpetuo movere & agitare in mandatis habebat. Ad motum, per tempus magis continuum apparuerunt multa grana pisorum & lentium magnitudine quasi ignis scintillantia. Cessante verò per temporis aliquot spatium motu fortiore, evanuit etiam radians & igneus Pulveris splendor. Unde acceperit Vir generosus dictum vitrum cum pulvere, non adeo certe constitit Nobilissimo *Pflugio*, nisi quod noverit, Ipsum cum Anglo quodam Hamburgi degente ob varia curiosa & arcana secretum sæpius exercuisse colloquium literarium. Ipse vero Dn. Campi-Mareschallus aperuit Dn. D. *Michaëlis*, huncce Pulverem esse *Tincturam Universalem*, maxima parte absolutam & perfectam, sibi à magno Artis Filio, Thesauri loco concreditam & donatam: Sed audi eventum: Cum Fatis urgentibus generosissimus ille Archistrategus in hostiles inciderit manus, simul hoc Vitrum ab iisdem indignis direptum manibus abiit, excessit, erupit; & procul dubio confractum à milite ac Possessore quodam imperito, pulverem pyrium huic pulveri anteponente.

III. Chymiatro consummatæ Eruditionis & Experientiæ concreditur à quodam *Europæo Principe* processus, vel. descriptio *Laboris Universalis*; de quô certissime constat, eundem ab Antecessoribus modo præscripto fuisse elaboratum, ut denuo hoc opus tentaret, & felici auspicio absolveret. Hic secundum Conscientiam & Scientiam facit facienda; sed infausto aliquoties effectu; Vel enim Vitra rumpebantur, vel quædam enchirisis, ipso minime talia cogitante, aut suspicante, erat omissa. Hinc expendens, vim unitam esse fortiorem, & quod plus videant Oculi, quàm Oculus; & plura perficiantur manibus, quam manu, concedente suo *Superiore*, pro re denuo caute aggredienda, & dextrè finienda duos sibi adscisit socios, veteranos in Castris Chymicis Milites. Triga hæc Medicorum in Laboribus pyrotechnicis, rerumque naturalium perlustratione exercitatissima, ut tandem tandemque post tantas meditationes, tantos sudores, tantasque exhibitas impensas reportent, hucusque denegatum ipsis dignum Trophæum, nimirùm *Tincturæ Universalis* acquisitionem, concludunt, sese velle *materiam catholicam*, adcuratè priùs ponderatis, & sanctâ Fide invicem communicatis omnibus circumstantiis, unâ eâdemque methodô, tractare; fervente autem inter manûs Opere sese invicem frequenti literarum commerciô, ingenuisque consiliis, cum diversis in locis hæc fierint, adjuvare.

Aliquot mensibus è votô succedebat negotium, & eò feliciorem hujus eventum sibi promittebant, cùm id sagaciori ingeniorum dexteritati, ac concordi consultationum in Principiis Physicis solidè fundatarum fundamento esset superstructum, atque indefessâ Labor agilitate & industriâ continuaretur. Verum enim verò hisce omnibus nihil obstantibus, DEO non placuit, ut sibi propositum attingerint scopum; Horum enim unus moriebatur, alter ob inopinatò intervenientes curas domesticas non adeò decenter observabat necessarias enchirises, hinc à rectâ aberrabat sæpiùs semirâ. Tertius indefessô quidem fervore invigilabat Operi; sed irritô itidem effectu; vitrum enim debitè excultum, & quidem jamdum aliquot mensibus exactis, expectationem præter omnem, rumpebatur; Hinc opus ab ovô, quod dicitur, denuò ordiebatur, non minore, ac prius perspicaciâ. Factis ita per tempus omnibus faciendis, res adeò è votô succedebat, ut aurei montis Partum sibi certè pollicererur; sed vitrum tam molliter tractatum, tam modestô Ignis moderamine fotum, non sine stupore omnium, in multa dissiliebat frusta. Unde subolfaciens Director, *Pollicem Domini* hîc latitare, suos digitos Operi ampliùs admovere, & quidem non immeritò, religioni sibi duxit.

Nisi prolixitatem nauscarem, suppeterent adhuc varia Exempla, Labores tales arcanos indefessâ quidem sedulitate, & curiosâ dexteritate, infelici tamen & irritô eventu in variis Magnatum Laboratoriis fuisse tractatos; dum nimirùm aut improvisò mortuus Laborum Director, enchirisium præcipuarum solùm gnarus, aut rupta vitra expectationem præter omnem, aut alias ob causas spe suâ firmissimè sibi conceptâ ita excidebat Possessor.

IV. Nec DEUS semper prima statim vice annuit Labori in Viâ hâc catholicâ instituto; uti quidem plerumque fieri & facilius solet in aliorum Processuum tractatione. Sic novi Medicum, qui Tempus amplissimæ suæ Praxeos exercitio subtractum perlustrandæ *Materiæ Universali* destinabat, & hoc quidem per integros viginti annos, [quantum Patientiæ hoc requisiverit, facile quilibet judicare poterit,] Per illud temporis spatium sorte sua contentus invenit successivè diversa remedia raræ efficaciæ; Tandem justus *Deus* sic benedicit hujus industriæ, ut inventa sua medicamenta, ita exaltare & depurare didicerit, quo adeptus sit medicamentum, non quidem *Universale*, tamen huic analogum; cum morbos varios ab aliis relictos, medicamentisque aliàs probatissimis infeliciter propinatis, sæpius sanaret.

V. Adnectam his aliud Exemplum, quod quamvis non sit Panacea, nihilominus, cum præcipuum ferè inter Medicamenta particularia mereatur locum, non adeo inconcinnè hic subjungitur; cum *Deus* O. M. propter nostram indignitatem, abusum, aliasque causas, similia magna Arcana sæpè Nobis subtrahi permittat. Supra laudatus D. *Michaëlis* volebat præparare Mercurium cum Auro verè fixâtum & præcipitatum utpote remedium, in defectu *Tincturæ Universalis* ac inter medicamenta particularia nullî alii facile cedens; sed plures Morbos alia Medicamenta eludentes, edomans. Proinde *Mercurium Antimonii* cum *Croco Auri* juxta *Basilium Valentinum* composito sumendo mercurii partes tres, &

calcis Auri partem unam, diuturna trituratione mixtum includebat ovo Philoſophico, quod dicunt Chymici; Hoc quotidie debebat inverti pro faciliore mixtura, & feliciore contentorum circulatione, immittebaturque leni arenæ calori.

Laborem autem huncce concredebat manui laborioſæ ingenioſi Dn. Matthiæ *Zittemanni*. Hic per integros octodecim Menſes vel ſequiannum laudabili vigilantia uno eodemque in teporis gradu continue regebat dictum Vitrum. Poſt labores tam longos, tamque moleſtos, cum jam ultima ipſi foret imponenda manus, atque ad uſum Pulvis extrahendus, quadam nocte audit inſignem fragorem dictus Dn. *Zittemannus* in laboratorii confinio dormiens; hinc conſternatus è Lecto proſilit ac mala ominans, Vitro ſuo adproperat; ſed reperit ſaltem in arenâ pauciſſima pretioſiſſimi hujus pulveris granula, cum minutis Vitri fracti fragmentis, reliquo, & continente & contento omni in mille particulas diſrupto, ac per totum Laboratorium diſperſo.

Pro meliori dictorum dilucidatione, &, quod non liceat cuilibet pro lubitu indignis manibus in Arcanum hoc arcaniſſimum involare atque è Cœleſti Cornu copiæ illud quaſi eripere, in inexpertorum, & avaritia, ambitione, &c. obcæcatorum gratiam, ingenue-Chriſtiana impulſus Charitate ex aliorum Experientia ſequentes ſubjungam perſuaſiones.

I. Rogo omnes intempeſtive & nimium ad hoc Opus avidos; ut evolvant Regum Sapientiſſimi *Salomonis*; Proverbia; ibi cap. 30. v. 7. 8. 9. aurea memoriæ æternæ inſculpta eſt Gnoma, quam merito tenetæ Noſtrorum Liberorum Ætati inculcamus: *Duo à Te rogo, Domine, quæ mihi ne deneges, antequam moriar; Vanitatem & Mendacia fac à me longe aliena: Paupertatem & Divitias ne mihi des; ſed ſaltem Victui meo neceſſaria. Ne forte ſatiatus alliciar ad negandum, & dicam, quis eſt Dominus; aut egeſtate compulſus, furer, & perjurem Nomen Domini mei.* Ventila, ſis, mi Chriſtiane, ventila, ſis, accurate dictum dicterium Corda feriens, oſſium medullas penetrans; Petitur enim in hoc, ut amoveantur Divitiæ, (quibus anxie inhiant Chriſtianorum plerique,) addita ſimulratione, Herculea cujuſcunque etiam Philoſophiæ ſpicula contraria retundente, nimirum, cum ita facile à Mille Artifice Diabolo, mediantibus luxurioſis varie inſidiantibus Mundi illecebris ſeductus, dictis Opibus poſſem abuti, atque ideo perjurium commitere in *Deum* meum, illumque deſerere in æternam Animæ meæ ruinam & interitum.

Stante itaque hoc, veluti perpetuo inconcuſſum ſtabit, quod Divitiarum amotio legitime petatur hoc in dicto, quâ conſcientia, quæſo mi Chriſtiane, qui ad prolatæ Sententiæ Authorem, de genuino Nummorum uſu ſibi ipſi diffidentem, Tyrunculus es in exercitio Pietatis, poteris quaſi impottune ac Deo invito aggredi, & tentare laborem talem, qui ſi abſolveretur, & à Te obineretur, quod deſideras, comitem haberet periculoſam, & Tibi forte exitioſam opulentiam? Cæterum confidas, velim, ſi Tibi conducibile foret, facillimum eſſe *Deo* O. M. permittere, ut in Vinea ſua fodiens, id eſt, deſignato munere rite fungens & naturalia ſcrutans, Theſaurum huncce inæſtimabilem reperias.

2. Ex Hiſtoriis poſſibilitatem *Tincturæ* demonſtrantibus Capite præcedente adductis pateſcit, quam vaſtum Auri cumulum Poſſeſſores vel præſentem & confectum obtinuerint, vel mediante *Lapide* tingente extemporanea metamorphoſi pro lubitu perficere valuerint; & in ſpecie *Helmontius*, in citato Tractatu, Arbor vitæ dicto.p.m. 630 hæc profert verba: *Ille, qui Mihi primum dabat pulverem aurificum, habebat ſaltem & ad minimum Ejus tantundem, quantum, ad ducenta millena Librarum Auri commutanda ſat forent.* Item quarta ab *Helvetio* adducta Hiſtoria docet, Adeptum illum toridem Pulveris tingentis ſecum habuiſſe in promptu, ut viginti Auri Tonnas ſubito parare, ſi ipſi libuerit, licuerit. Nihilominus hic, & alii vilibus induti Veſtibus, Vitam vivebant humilem, devotam ac à pompa & luxuria Mundana omni alienam.

Hic Te denuo rogatum volo, mi Chriſtiane, velis interiora Cordis Tui ruminare, ac Animi ſenſa penitius trutinare, Si *Divinæ* placeret Voluntati, ut vel centeſima, imo milleſima talis Portio ad liberas tuas pertingeret manus, num in ſilentio & ſpe Vitam piam, probam & tranquillam ſis tranſacturus; an non potius Adamiticum peccandi deſiderium tantas ſit excitaturum illicitas Cupiditatum mundanarum fermentationes, ut Fidei tuæ ſcintillula neutiquam impedire poſſit, quin iiſdem Divitiis ſis abuſurus ad varia æternam damnationem Animæ tuæ parientia?

3. Ne autem infirmâ Verbulorum meorum tenuitate Tibi perſuadere velle videar, Amice Lector, Teſtes producam non ſaltem Philochymicos, multò minùs Miſochymicos, ſed, audi, è plurib aliis loquentes magnos Alchymiæ Patronos, ſuperiùs citatos, *Helmontium*, *Zvvölferum*, *Helvetium*. *Helmontius*, in diſſert quam Arbor Vitæ inſcribit p. m. 634. memoratu digna hæc profert verba: *Quantum attinet meam Perſonam temeritatis ſcribendi inſuetam. Novit Deus, quòd ſcribam, quæ ſcio vera. Ago illi gratias, quòd cùm contuliſſet in me Talenta quinque, feciſſemque me indignum, & hactenus repudium coram eô factus eſſem, placuit Divinæ Bonitati auferre à me oria & relinquere adhuc bina; Ut me ſic ad meliorem frugem expectaret. Maluit, inquam, me depauperare & tolerare, ut non eſſem utilis plurimis, modò me ſalvaret ob hujus Mundi periculis. Sit ipſi æterna Sanctificatio.* Idem ibid. pag. ſequ. *Nemo vere Philoſophus Aulædus eſt, nec Principes ſequitur, iisque adulatur; quippe quia nulla re indigus, ſpernit quæcunque Princeps dare poteſt.* Idem in Tractatu Medicaminum Poteſtas notato, inquit circa finem: *Tandem ac tandem Chymia pro ſui apice Univerſale ſolvens parat, quo cuncta remeant in primum Ens, præbetque dotes nativas, abſterguntur labes originales corporum, &c.* Sermonem ita concludit: *Ah! utinam mihi Lagena ſemel poſſeſſa non ablata! Sed novit Deus, cur Capræ caudam tam brevem dederit; Sit Nomen Ejus in Secula exaltatum; fiatque ejus ſolius ſola ſanctificans voluntas.* Idem modo citatâ Diſſert. Arbor. Vitæ. p. 633. *Sed inutilis huic vitæ ſepeliar. Quia Spiritus Janitor Lagenam abſtulit mandato ejus, coram quo totus Mundus Fungus eſt. Sit ipſi laus, qui dedit, quique abſtulit, quod ſuum erat.*

Zvvölferus, Mantiſſæ Spagyricæ part. 1. cap. 1. p. m. 330. ſequentia profert: *Hæc de Tincturâ Philoſophorum, quam Rever. Pater, Athan. Kircherus categorice negavit, adſtruendâ ſufficiant. Quamlicet perpauci obtineant; è Rerum tamen naturâ proſcribere minime decet. Habet enim & illa,*

quemad-

quemadmodum Arbor Scientiæ Boni & Mali Proto-Parentum Nostrorum, suum de Cœlo genium, qui romphæa bis acuta eam protegat, & curiosos ac indignos arceat; cùm pauci sint, qui Virtutem & divitias affluentes jungere noverunt. Unde accidit justo Dei judicio, ut ii, qui ejus vel jam compotes facti, aut eminus eam prospiciunt, confusionem patiantur, eam ex accidenti deperdant, remoram ac obicem Deo opponente; NB. *Ne Aurum & Argentum nundinantes Animæ propriæ patiantur detrimentum*.

Helvetius, in superius allegato suo Tractatu, *Vitulus Aureus* nominato, quamvis jucunde, ample & diserte de *Tinctura* disserat, ac ejus realem existentiam autopsia comprobet, nihilominus hujus elaborationem dissuadet, pag. 10. sic loquens: *Nolim, ut quis credat, meum esse scopum primarium, tanquam si Filiis hujus sæculi dignis & indignis persuadere velim, ut in hoc opere laborent. Minime gentium; sed potius dehortabor curiosos Artis hujus indagatores omnes & singulos; ut sanctè abstineant ab istiusmodi periculosissimo Arcano, tanquam ab aliquo Sancto Sanctorum.* (Veluti inter plures Sacerdotes & Levitas unico saltem, nimirum summo Sacerdoti permissum erat intrare hoc Sanctum Sanctorum, reliquis omnibus ad varia alia negotia destinatis.)

Adhæc Capite præcedente demonstratum est, Sinenses multum quoque Temporis largissimosque sumptus impendere pro acquirendo *Philosophico Lapide*. Quam infaustis autem eventibus hoc volvant Saxum, Aurumque suum frustra dilapident Viri illi acutissimis alias Ingeniis & eruditione pollentes, amplissime clarissiméque colligi poterit è Lectione Autorum ibidem citatorum, adeò ut Alchymici ab Incolis communi symbolo pronuntientur Impostores. Cùm Aurum, quod capiendum illis erat, minime capiant; quod verò possideant, amittant, neque eas exhibeant, quas spondent, divitias; Eorumque marsupia, quasi sint confecta è pelle Chamæleontis, quæ non alia re quàm Vento & Aëre impletur; ut elegantibus utar Verbis Thomasi *Garzoni*, nella Piazza universale, Discorso 13. de gli Alchymisti, p. 140. Vel ut nervosè jocatur Clariss. D. Jo. Dan. *Maior*, Collega honorandus, in Navigatione in novum Orbem sine nave & velis, Thesi 36. qui è Charactere Dei sui putatitii, Auri nimirum, Centrum perfectionis (⊙) amittunt, relicto saltem nullitatem indicante circulo vacuo, (O)

Quamvis autem dicti *Sinenses* summè sint ingenioſi, maximóque polleant in Re literaria acumine, nihilominus apud nullum Historiæ Sinicæ Scriptorem invenire mihi licuit aliquem, qui de accepto hoc aureo vellere triumphare potuerit, præter solum Regem *Hiaoum* superius adductum, qui tamen in hoc saltem aliis felicior, quod gloriari potuerit, sese suam canitiem obtinuisse sine Morborum insultibus, & ab Ægritudinibus esse præservatum, mediante Chymico hoc Remedio. Proinde censeo, tam circumspectos plurimorum Labores non forte fortuna ita accidisse infaustos & frustraneos; sed *Deum O. M.* Operatores hosce coram Mundo oculatissimos, & Sapientia turgidos tanti Mysterii revelatione indignos judicasse, dum isti, utpote Ethnici, non *Honorem Divinum*, Proximique commodum Laboribus suis scopum præfixerint, sed Auri fame, aliisque stimulis impiis impulsi fecerint, quod fecerint.

4. Dum ita ingenuæ disuasioni sum intentus, audio nonnullos talia obloquentes: Si verum est, dari in Rerum natura *Tincturam Universalem*, mirandum sanè est, cur summè benignus Bonorum omnium Autor non largiùs, & pro aliàs solita sua in Genus Humanum effictim amatum Munificentia hancce distribuerit; sed reliquerit lucidissimum hunc Solem obscuris ignorantiæ tenebris & nubibus oppressum, reliquerit eam paratu non difficilem, sed difficillimam, tractatu non periculosam, sed periculosissimam. Cur non ad minimum (Si propter indignorum abusum, vulgo innotescere *Eandem* non consultum duxerit,) pluribus vera Pietate & Probitate Orbi Christiano sese commendantibus concrediderit, cum uberiore hac manifestatione incredibilis tam ad conservandam & recuperandam Valetudinem Ægrotantibus, quam ad sustentandam vitam Pauperibus emergere potuisset utilitas & levamen?

Huic objectioni respondeo, De *Tincturæ* existentia Me hic supervacaneum judicare, cramben toties coctam proponere; sed remitto dubitantes ad Caput antecedens, ubi oculares plurium demonstrationes responsi loco satisfacient. Hisce spem præter omnem non contentus pro responso habeat axioma illud Philosophicum, quod contra Autopsiam disputare, sit insipidi.

Si itaque revera hæc existit, inexcusabilem fere facit injuriam *Divinæ Majestati* omnis de hac dubitans. Nisi enim fœdum ingratitudinis scelus incurrere velit Christianus, obstrictus est, cogitationes suas applicare, ad amplificandam & extollendam nunquam satis laudatam, nec laudandam miraculosorum Operum *Divinorum* Magnificentiam.

Ad Quæstionem verò ipsam dico, eandem esse nimis curiosam, imò quasi ineptam, & frivolam. Quis enim, mi Homo, ingressus est Senaculum cœleste, & quis *Sacro-Sanctæ Mono-Triados* Consiliis interfuit? Quomodo poteris, argilla ex figulo quærere, quid facis? Si liceret, de talibus hæsitare, & controvertere, vellem te etiam interrogare nonnulla, v. g. Da mihi, si potes, ex Tua hac mota Hypothesi, rationem, cur permisit *Deus* ut Regum Sapientissimi, Salomonis Scripta de Rerum naturalium Qualitatibus absolutissima, à Cedro Libani ad Hyssopum parietis transeuntia perierint; cùm tamen ex iisdem amplissima potuissent ægrotantibus emergere emolumenta & levamina? cur idem *Deus O. M.* non citius ex Indiis, &c. transmisit Nobis Europæis sub *Christi* Vexillo militantibus tantum pretiosissimorum Aromatum aliarumque rerum medicamentosarum cumulum, tantam item Auri & Argenti copiam, quæ potuissent cedere jamdudum, uti jam cedunt, in solatium ægrotorum, in auxilium Pauperum? Vel cur idem *Deus* Nos, Populum suum, non à Morbis præservat, ut ita plane supersedere possemus remediorum usu? Vel, cur Angelus non frequentiùs descendebat in piscinam Bethesdam pro sanando primùm ingrediente? Joan. 5. Aut cur idem singulis vicibus non plures simul sanabat, ut miserus ille claudus reconvalescentiam per totos triginta octo annos non debuisset frustra expectare ab Aquæ commotione? Ut taceam mille alia;

Possem item opponere, quæ acutissimi Philosophi Sinenses contra infinitam Misericordiam & Omniscientiam clementissimi Nostri *Protectoris & Nutritoris* objiciebant Jesuitæ *Xaverio*, pro propaganda Christiana Religione, & convertendis argutis hisce Ethnicis lapidem moventi omnem; nec Vitæ proprię parcenti, veluti videre

eſt apud Eraſmum *Franciſci* in Exterorum Artis & Morum Speculo, Hiſtor. 11. p. m. 55.

Ne autem in leges Pietatis peccem, nec falcem in Meſſem Theologicam immittere videar; crenam revoco; ſecurius ad τὸ ἐπέχειν confugiens, cùm in tam arduis non conſultum ſit, nimium philoſophari. Supra laudatus Schröderus mihi faſſus eſt, quod oleum ſuum Auri bis ſaltem præparaverit. Hinc non immeritò mirari & quærere poſſet aliquis, cur tantum myſterium non ſæpius compoſuerit? verùm reſpondeo: Deus imperſcrutabilis talia Regalia non vult divulgata & tanquam uſualia haberi Medicamenta. Propterea potius exclamamus: Quam miraculoſa ſunt Opera Tua Domine! atque ſuſpirare cogimur cum Heinſio: Quantum eſt, quod ignoramus! Quantillum eſt, quod ſcimus! Et maxima pars eorum, quæ ſcimus, eſt minima pars eorum, quæ neſcimus. Notatu digna ſunt verba Heinrici Kunrath, Amphitr. Iſagog. in Figuram tertiam, p. m. 200. *Si quæris, cur unus tantum ſit Mundus, & cur unus tantum Philoſophorum Catholicus Lapis? reſpondeo, quia plures Deus noluit, Ratio eſt, quæcunque voluit, fecit.* Pſalm. 115. v. 3. *Cur vero noluerit, Tu quære ab Eo; Ipſe ſolus novit.*

Adcuratè enim minime valet indagare innata Humani Ingenii imbecillitas, cur *Polarchæ* omniſcio non libuerit Anteceſſoribus Noſtris ac nobis quælibet Naturæ arcana revelare; ſed etiam *Poſterorum* ſedulitati nonnulla occulta & inexperta ſervare indaganda & detegenda. Multa ſiquidem ſuperioribus ſeculis fuiſſe cognita, quorum cognitio jam iterum evanuerit; econtrà verò plura latuiſſe, & adhuc partim latitare noſtro tempore in Anatomicis, Botanicis, Chymicis, aliiſque rebus tam Medico-Phyſicis, quam aliis variis Scientiis, fateri coguntur omnes illi, qui manifeſtiſſimis Experientiæ teſtimoniis inconſideratè reluctari non audent. Præter meam opinionem fortè hæſitantes ablegatos volo ad *Pancirolli*, ſuique Commentatoris, *Salmuthii* deperdita, & nova reperta; Ibi enim invenient, niſi ſtupor Animos obſederit, quam miraculosè & variè

Ludat in Humanis Divina Potentia rebus!

Hiſce unum ſaltem addo: miratus ſum ſæpius, (cùm notum ſit, quid non mortalia Pectora coëgerit, & cogat Auri ſacra Fames,) quòd impiger extremos currens Mercator ad Indos (& qui negotiis mercatoriis præſunt, Proceres *Orbis*) paſſi fuerint hucuſque, ut *Terra Auſtralis incognita*, quam dicunt, illud Nomen ſuum incognitum non mutaverit; Hoc eſt cur nullus exortus ſit novus *Columbus*, novus *Magellanus*, novus *Draeus*, &c. qui tot Myriadibus ignorantium ſuperſtitem huncce *Mundi* angulum indefeſſa inquiſitione detegere & propalare fuerit auſus; cum dubio procul omni *Divina* munificentia, uti ubique, ita & ibidem tam ſanitati, quàm œconomicis noſtris rationibus plura magno incremento & emolumento futura recondiderit?

Poſtquam multi hac de re varias mihi communicaverant rationes inſufficientes, tandem quidam, qui integro decennio *Novam Bataviam* in *India Orientali* incoluerat, rerum nauticarum & mercatoriarum apprime guarus ſolidam & fide dignam mihi aperuit rationem: Tentata quidem eſt, inquiebat, plus vice ſimplici Transfretatio verſus terram Auſtralem incognitam; ſed vano & infelici ſemper effectu, & hoc ideò, quod *Acus Magnetica* (Nautarum utpote Hodegus,) more alias ubivis ſolito hic operari deſinat, nec ſuum quærat *Septentrionem*; ſed vagabunde circumgyretur; ut proinde neſciat Nauclerus, quo ſuum dirigat curſum. Exinde omnibus pateſcere credo, *Divinam* Sapientiam hoc *Orbis* reſiduum Poſteris Noſtris, ſi qui futuri ſunt, indagandum & Magnalia ſua ibi forte latentia propalanda reſervaſſe.

Stante igitur hoc, quod varia Mundo utilia & proficua, aut adhuc deliteſcant occulta & ſepulta, aut iterum evanuerint, ex imperſcrutabili *Dei* conſilio, ſuperflua ſanè erit controverſia, cur *Deus O. M. Tincturam* noſtram, aut ſimilia regalia dona non in ora & manus omnium, aut plurium ſaltem diſſeminari conceſſerit.

Cùm verò per ultima hæc octo vel decem Luſtra in *Domini* illius *Magni* Vinea, juxta *Matthæum* cap. 20. plus ſit foſſum & laboratum in rebus Phyſicis, hoc eſt, plura Arcana Chymico-Anatomico-Botanico-Phyſico-Pharmaceutica ſint manifeſtata, ac in antecedentibus totidem Sæculis, videtur inſtare nona vel undecima Hora diei; Ut ita fortaſſe gratioſiſſimus Bonorum omnium Autor ante inſtantem *Orbis* ruinam extraordinariè non modiô aut trimodiô; ſed totô horreô, ſit admenſurus dona ſua hactenus nondum divulgata.

CAPUT V.

Declarans, è quâ Materiâ præparetur Tinctura Vniverſalis.

TAndem, tandemque hic claris Literis, Verbis perſpicuis, proponitur Materia illa, quam innumeri tamdiu verè & apertè nominari fruſtrà deſiderârunt atque expectaverunt anxiè; quamplurimi quidem tot Sæculis antea nominârunt, & deſcripſerunt ſermonibus ſummè obſcuris, hieroglyphicis, ac Emblematibus tenebricosô obſcuritatis velamentô obductis; non-pauci item ſermocinationibus planè ridiculis, quaſi fanaticis, ac ſtolidis, figuriſque Enthuſiaſticis venum expoſuere; ut crediderim, Eoſdem ipſos neſciviſſe, quid dixerint, quid ſcripſerint; optandumque fuiſſet, ut planè tacuiſſent; cùm ita incredibilem confuſionem & turbationem excitaverint in Animis res Phyſicas ſcrutantibus; Et tantùm abeſt, ut iſtis ſuis narrationibus rei huic abſtruſæ & intricatæ dilucidandæ facem accenderint aliquam, ut potiùs novâ, eâque denſiſſimâ caligine illam obduxerint.

Propterea arrige nunc Aures Avare; Arrige Aures Ambitioſe; Arrige Aures pauper Alchymiſta, miſer Laboratorcule, qui hactenus veſtiviſti cutem Tuam fumô, ſudore, ſanguinemque exſugente miſeriâ, qui corpus nutriviſti ſpe exſuccâ, promiſſis, vanitate; Arrigite Aures ſinguli & omnes, qui curioſitatis ſtimulô acti, aut alium quemcunque ſcopum intendentes, hactenùs inhiaſtis conſecutioni *Tincturæ Univerſalis*. Sic enim ſedatâ Fame Auri, extinctâ ſiti Argenti, Divitiarum ſaturi poteritis indulgere veſtris Geniis, ac Vobis vivere; poteritis impoſterùm, neglectis laborioſis ſervitiis, vel officiis, curarumque domeſticarum moleſtiis, ſine ſudore facierum Veſtrarum in aurea libertate toti eſſe Veſtri. Arrige autem Aures Philiater; Hæc enim cognita ſuperſedere poteris (niſi ſola curioſitate Tibi talia pertractare arrideant) fœtidis ſectionibus Anatomicis, laborioſis collectionibus Botanicis, ingrata carbonum in operationibus Chymicis tractatione, tædioſis lucubrationibus, diuturnis

diuturnis tot ac tot Annos expoſcentibus Laboribus ac Cerebrum frangentibus meditationibus Philoſophico - Phyſico-Theoretico-Anatomico-Botanico - Chymico - Practico-Pharmaceutico-Chirurgicis ; Sic poteris una fidelia parietes dealbare omnes, remediô unicô morbos ſanare omnes, & quidem non tam cito, tuto, jucunde, quod ſemper deſiderarunt Medici quilibet; quam penitus citiſſimè, tutiſſimè, jucundiſſimè.

Verum enim verò fige pauliſper cogitationes tuas, jube parum ſubſiſtere pedem tuum, quiſquis es horum modo adductorum, antequam ulterius progrediaris. Si enim forte compulſus aviditate rei deſideratiſſimæ, oculis tuis properaveris ad lectionem Capitis hujus motu præpoſtero vel ſuperficietenus ſaltem inſpexeris Caput antecedens, ſupervacaneam cenſendo ventilationem, an conſultum ſit in *Tincturam* inquirere; cogor autem Tibi vellicare, ac ſeriò denuo commonefacere, ut prius ritè frangas Nucem; antequam è Nuce Nucleum eſſe velis, ceu Terentiana jamdudum mönuit Gnoma; Hoc eſt, ut præcedentia, & circumſtantias prius ponderes, antequam ad ipſum accedas Opus.

Proinde regredere, ſis, in dictum Caput antecedens; vel ſi grave & moleſtum foret forte, integrum illud ruminare, conſule ſolùm ultimas aliquot illius paginas, & fideliter ibidem doceberis, ſi modo doceri geſtis, quam ſubtilibus meditationibus ventilari, teneris Manibus tangi, modeſtis Oculis adſpici velit Myſterium hocce; Myſterium quod non abſurde æquiparatur Herbæ illi, quam *ſenſitivam*, aut *Noli me tangere* vocitant Botanici.

Huc non inconcinne infero vetus & argutum cujuſdam de delicato Alchymiæ Studio ſingulos monentis dicterium: Curioſus inſcripſerat Operibus *Theophraſti Paracelſi: Alchymia eſt Ars ſine Arte; Subjectum ejus eſt Pars cum Parte; Proprium mentiri; & ultimò mendicatum ire.* Sed alius ſubſcripſerat: *Falleris, Amice; ignoras enim, quid ſit Alchymia; Alchymia enim eſt caſta Meretrix, quæ multos invitat, paucos admittit amaſios.*

Si dixerint fortè ſive curioſi quidam ingenui ſive Momi: Quam abſurdus eſt hic Autor, quod audeat Scriptô publicô Materiam Univerſalem non modô perſpicuè depingere & manifeſtare; ſed etiam, quomodo tot ac tot Seculis deſiderata, ac maximoperè ab omnibus occultata *Tinctura* inde ſit elaboranda, detegere. Si enim vera non ſint, quæ ſcribit, omnium omninò exploſione foret dignus, quòd toti Orbi literato manifeſtum obtrudere conetur mendacium. Si verò Veritati fuerint conſentanea, ac Propoſitum Methodô promiſsâ ſuccedat, reſpondeatque eventus, mirandum ſanè eſſe maximè, quòd ille non ſibi ipſi, ſuæ Familiæ, ac Amicis, (ad minimum antequam artificium propalaret, ac in Vulgus diſſeminaret,) bonam hujus Arcani partem conficeret; ut ita à curis, negotiiſque Practicis liber, ſuus prorſus eſſet, & non alterius; ac cum illo Villico potius ob divitem Meſſem turgido facto, juxta Lucam; cap. 12. v. 10. Se ipſum bono ac hilari Animo eſſe, Horreumque amplificare juberet? Illi, ne neſciant, velim, me ingenuè & apertè fateri, quod abſolutis Studiis Academicis, & peregrinationibus in Patriam redux, poſt devotas & repetitas Preces inter Meditationes meæ vocationis Medicas alias, alioſque labores Chymicos quidem conſtituerim, aggredi arduum hoc Opus; ſed poſtea animum mutaverim, Manumque retraxerim quaſi nolens-volens, partim quod certiſſimè Mihi conſtaret, imperſcrutabili Dei Conſilio placuiſſe, nonnullos ſummo ingeniorum acumine, plenariaque Artis Medico-Chymicæ Experientia dotatos, nullis ſimul (aliquando pluſquam Regiis,) ſumptibus parcentes, remque ipſam cautâ & indefeſsâ dexteritate & juxta Artis leges omnes methodicè tractantes, (veluti è duobus præcedentibus patet Capitibus,) locô *Philoſophici Lapidis* acquirendi lapidem laviſſe, ac Aurum quærentes inconfectum, confectum dilapidâſſe, (juxta analogiam Fabulæ de cane Æſopico pontem cum fruſto Carnis tranſeunte,) aureumque inſimul Tempus perdidiſſe.

Proinde Ego tam fragilitatis Humanæ ob fermentum Peccati Adamitici hæreditarium, quam Tenuitatis meæ in Re Medico-literaria Mihi conſcius, non immeritò obſtupui & abſtinui. Partim verò, in quo præcipuus hujus Rei cardo eſt, eo minus Icarium quaſi huncce volatum inſtitui, quod perſenſerim, ſupremum *Medicinæ Autorem* & Directorem Me ab hoc opere avocaſſe, Talentumque meum aliis negotiis, nimirum quaſi verè & merè practicis deſtinaſſe. Sæpiùs enim ob labores Medico-Practicos in Aulis alibique concatenatos, ob frequentia itinera, & ſimilia, tantùm abfuit, ut negotio huic incomparabiliter ſerio, totum fere hominem, ac integrum operatoris Cerebrum requirenti decenter invigilare potuiſſem, ut potius per unam atque alteram Septimanam mihi ſæpius non licuerit eſſe tam otioſo, quò curioſæ cuidam meditationi, aut Librorum lectioni incumbere, uti debuiſſem & voluiſſem, valuiſſem. Nihilominus cùm *Divinæ* placuerit *Majeſtati*, nonnulla de ſummo hoc arcano Mihi indigno concredere; Quædam enim ex Ore & Laboribus Chymicis ſecretioribus, Evergetæ mei incomparabilis, Chymiatri Lipſienſium per Europam notiſſimi Dn. Dn. Joannis *Michaëlis* didici; Didici quædam è Literis correſpondentialibus, quas vocant, aliunde ad Eum perſcriptis, ab Ipſo conciſis ac Igni deſtinatis, pio autem furto à Me ſurreptis, denuo compoſitis, ac clancularie deſcriptis, collectiſque; Didici quædam, dum contenta epiſtolarum talium arcanarum reſponſoriarum aliorſum ab Eodem mittendarum, (à latere in menſa illi quotidie aſſidens,) obliquis oculis exhauriebam, unguibuſque meis, aliud quaſi agendo, cum aliter & manifeſtè mihi non liceret, pro juvanda memoria interim inſcribebam; Cùm plura Diſcipulis, aliiſve ob datam ſilentii fidem detegere illi non erat conceſſum.

Didici item quædam, & potiora quidem, dum laudatiſſimus modo dictus Præceptor in meo per exteras Regiones Itinere Chymiatris magnis me hinc inde fideliter & ſecrete commendaverat; qui percipientes aliqualem meam hoc in ſtudio cognitionem, cognitionis ſuæ non minus me ingenuè faciebant participem.

Quia etiam Regum arcana ſunt occultanda; *Dei* autem Magnalia divulganda, *Raphaëlis* Angeli Elogio, Libr. *Tobiæ*, capite 10. Atque uti Sanctiſſimus *Paulus* loquitur I. ad Corinthios 3. v. 6. *Ego plantavi, Apollo humectavit*; Et quemadmodum in re militari Conſiliarii Bellici diſponunt, quomodo negotia pro Patria ſarta tecta ſervanda, vel amplificanda ſint tractanda, Hoſtiſque ad incitas redigendus; Manum autem ipſam operi non omnes admovent; Alii verò, nimirum Milites, Conſilia exequuntur & perficiunt. Ita Ego aliis quos *Deus* ad talia regalia & extraordinaria

Dona magis ſelegit, ea hac de re mihi indigno cognita ſincerô Corde, & ingenua Fronte exhibeo.

Ipſe verô egomet ſorte mea contentus, ingentes reponô gratias clementiſſimo *Pantocratori*, quod largam ſuam Benedictionem in me talia non merentem effuderit; Dum nimirum pro comparanda Artium bonarum & imprimis Medicæ Supellectile, conſumpto plane Patrimonio, in Patriam rediens, cum *Biante* ferè omnia mea mecum portabam, & Patriarchæ *Jacobo*, *Jordanem* tranſeunti ſimilis eram, è Geneſ. cap. 32. v. 10. Nunc vero cum *Davide* meritò exclamo, 1. Chronicor. 18. v. 16. Quis ſum Ego, & quæ eſt Domus Parentis mei?

Non minùs gratias eidem ago quòd Philoſophiæ meæ Pyrotechnicæ adeò benedixerit, ut præter alia mihi detexerit raras nonnullas enchiriſes in laboribus Chymicis apprimè utiles; peculiare item pro variarum rerum ſolutione commodum Menſtruum. Qualia autem hæc ſint, cùm huc non pertineant, reſervo Obſervationibus meis Medico-curioſis, Deo vitam concedente, propediem edendis. Ubi mirari ſatis nequeo, quomodo hæc, utpote manifeſtiſſimæ & facillimæ operationis, hucuſque latere & fallere potuerint, non quidem tam debile meum Cerebellum, quàm tantum numerum Chymicorum oculatiſſimorum & ſapienti Experientiâ exercitatiſſimorum.

Quia inſuper non ita pridem hæc repererim quaſi improviſò ac aliis intentus inſudanſque; in illa autem & ſimilia per aliquod Annos plus vice ſimplici inquiſiverim rigoroſo quidem fervore, at fruſtraneô eventu; Exinde quoque robur accedit Sententiæ meæ in antecedentibus propoſitæ; nimirum, quòd nemo valeat Deo Opt. Max. quaſi invito extorquere pro intempeſtivi deſiderii ſui ſatisfactione & expletione tam (& præcipuè quidem) Myſterium *Tincturæ Univerſalis*, quam aliorum quoque arcanorum communicationem, & inventionem.

Propterea denuò rogatos & monitos volo importunos tales Operarios, qui acceptô ſuô groſsô non ſunt contenti, juxta Matthæum capite XX. ne impetuosè & illotis manibus irrumpant in occultum hocce Gazophylacium, & Sanctum Sanctorum; ſed ſecundùm generalem & adcuratam Chriſtianorum Cynoſuram, ORA ET LABORA, legitimæ ſuæ Vocationis, ac antiqui illius, DIC, CUR HIC, curam gerant, in ſudore Faciei veſcantur ſuo Pane, ac in ſilentio & ſpe expectent, quantum Majeſtas Divina pro ſuâ Clementiâ è gratioſo ſuo Cornu Copiæ ipſis in Corporum & Animarum commodum ſit admenſura. Mihi locô *Tincturæ Univerſalis*, locoque magnarum Divitiarum ſufficit cum Divo *Paulo* Gratia Divina, juxta 2. ad Corinth. 12. v. 9. & quod *Amor meus* crucifixus ſit.

Antequam nunc ipſam aggredior materiæ tractationem, priùs monendum judico, me minime latere, quod *Materiæ* hujus *Univerſalis*, Ejuſdemque Præparationis manifeſtationem diſſuadeant plurimi; Partim quidem hoc faciunt Viri ingenui & prudentes, ideo, ne Perlæ projiciantur Suibus, aut Regalia & occulta Artis noſtræ in indignos diſſeminentur; atque ita iſti indigni hac occaſione potentes fiant ad Peccata perpetranda per Divitiarum abuſum. Partim verò hoc conantur naſuti, arrogantes, impii, hoc ſummum læſæ *Majeſtatis Divinæ* crimen cenſentes, taliſque Proditori, quem vocant, Apoplexiam, malaque alia omnia imprecantes: Hi enim malitioſæ invidiæ ſtimulo, & cùm velint videri coram omnibus, quaſi plenaria hujus rei notitia ipſis competeret; quamvis juxta veterem hiſtoriam, cum Mercatoris illius luſcinia vox ſaltem ſint, prætereaque nihil, atque multa dicant, pauca verò probent, vel potius probare & demonſtrare valeant, ac publice erubeſcere cogerentur, niſi dictæ occultationis clypeô ſeſe à claris probationis radiis defenderent.

Verum enim verò, quemlibet Ego ſuo abundare ſenſu permitto; Ipſe verò potiùs aſſentior hiſce diſſentienti meo *Sennerto*, communi illi Præceptori, ac Germano Hippocrati, qui Libro de Chymicorum cum Galenicis conſenſu & diſſenſu, capite 18. p. 315. inter alia ſic loquitur: *Si quidam ſunt, qui Medicamenti Univerſalis notitiam habent, Illud verò planè occultant, ne! illi valde iniqui ſunt, & in Genus Humanum injurii, charitatiſque Chriſtianæ obliti, qui tantum Theſaurum cum Servo illo nequam occultant, eoque nulli proſunt, &c.* Hucuſque *Sennertus*. Proinde Egomet illud, quod de hôc arcanô mihi conſtat, Mundo ingenuè & apertè ſum declaraturus; *Divinæ* relinquens Directioni ac arbitrio, cuinam hocce detegere penitùs ac concredere voluerit; alibi enim jamdudum monui indignos & malè hoc collocantes, licèt ipsô Argô fuerint oculatiores, hîc cœcutire; & licèt Salomone Sapientiores, Spirituum Vertiginem experiri.

Hac occaſione non poſſum non, quin quodammodo repetam, quæ primo Tractatus Capite monui; nimirum, me ad Conſcientiam meam appellare, quod nullo alio plane fine crenam Operi huic arduo admoverim, quam ut Majeſtatico illi præcepto, Homines omnes ferienti, Matth. 22. verſ. 37. (quo jubemur, ut diligamus *Deum* toto Corde, & Proximum veluti Nos ipſos,) pro virili obediam; atque Talentum mihi cœlitus concreditum non in Terra defodiam. Quilibet enim Medicus conſcientioſus hunc ſuis actionibus ponat ſcopum, ne chorda ſemper oberret eadem, aut ſaltem ſtupida ſimplicitate credat, quod Anteceſſores crediderunt; ſed ſtudeat, Naturalium Rerum cauſas reddere certiores & evidentiores; ne in eodem ſtatu per ignaviam Noſtram quaſi torpeſcat Medicina; ſed amplior, ac illuſtrior tradatur Poſteritati; Eique ſic ſimul ſtimulus addatur, hancce ad majus majuſque ſemper gloriæ ac honoris faſtigium evehendi. Cùm enim viderim, partim plures variarum in re literaria Facultatum Aſſeclas, viros eleganti & ſolida doctrina conſpicuos è falſis Hypotheſibus, diverſiſque rationibus ſuperiùs adductis, partim verò non paucos alios, ſerò cum Phrygibus ſapientes ex Animi levitate, atque indignatione, quod Tempus inutiliter perdiderint in conficiendo Auro, &c. planè negaſſe exiſtentiam hujus *Tincturæ*, atque ita maximam *Divino* Honori (cujus tamen promovendi ſtudium Chriſtianis omnibus incumbit,) intuliſſe injuriam, dum abrogare ita volunt unam è Creaturis ſummè miraculoſam, ac quaſi primiceriam. Propterea in Capite tertio non ſolum hancce præparandi poſſibilitatem ſat prolixis circumſtantiis, firmiſque uti ſpero rationibus demonſtravi; ſed etiam nunc Materiam ipſam, quam ex aliis didici, modumque hanc ex ea conficiendi, ad contradicentes eò feliciùs & faciliùs convincendos ſubjungam. Facile quidem mihi perſuadeo, Propoſitum hocce meum non quorumlibet Genio eſſe

ſatis-

satisfacturum; cum ommibus placere sit impossibile, ac veluti Divo *Paulo*, Romam abituro prædicebat Propheta, Act. Apostolor. cap. 21. v. 11. Ipsum ibidem expectare vincula & catenas; ita scripto huic meo obviam ituras prævideo irrisiones, convitia, contradictiones, Nasos aduncos. Infernalis enim Discordiæ promus-condus lapidem movet omnem; ne pessumeat illud Dicterium, quod Homini Homo *Diabolus*, & quod Figulum Figulus odio prosequi non cessat. Confido tamen, apud Viros saniores, ac purioris Literaturæ Me veniam esse impetraturum, Eosque excusatum me vel inde eò facilius habituros, quod insudaverim Materiæ summe abstrusæ, & non tam multis Annis vel Lustris, quam pluribus Seculis præ omnibus aliis controversæ & ventilatæ, ceu fatebuntur Medici atque eruditi omnes. Quod si igitur uni vel alteri penitior & clarior suppetiverit hujus rei scientia, & si noverit hisce à me propositis quiddam rectius, rogo, ut candidus impertiat, ac placide exponat Mundo literato; atque ita faciet rem non modo Academiæ Nostræ Naturæ Curiosorum; sed etiam Christianissimi legibus dignissimam. Illos vero qui cavillandi studio se prosequentur, ac scommatibus adorientur, è fundamentis Ethicæ Christianæ nihili æstimabo, *Davidem Simei* convitianti non obloquentem secutus, nec asininæ illi calcitrationi me opponam, quemadmodum integro hoc Tractatu Egomet sane nunquam vel minimo etiam verbo lædere quempiam, animum induxi. Misereor potius illorum, quod Christianæ Proximo debitæ Charitatis sint obliti; *Deumque* gratiosum oro & obtestator, quò majus imposterum illis erga Proximum innocentem excitet Amoris fermentum, ut ita meliorem propriarum Animarum curam gerere discant.

Materiam ipsam mihi nunc descripturo tam amplus sese offert diversarum opinionum hanc summe confuse aut occulte tractantium ac depingentium campus, ut, utrum eloquar, an sileam, ferè nesciam; integrum sane efficerem Tractatum, si easdem proponere conarer. Librorum enim publice de hoc vagantium tantus est numerus, ut facile sufficeret pro onerandis aliquot curribus, imò navibus. Et quod admiratione dignum majore, inter illos numero, uti dictum, plurimos plures diversam, & singuli fere singulares fovent sententias, ut omnes tantum-non invicem ad minimum in nonnullis principalioribus Hypothesibus, & necessariis circumstantiis dissentiant, vel saltem dissentire videantur, & quamvis me minimè lateat, quòd in horum unô vel alterô ingenui & prudentes nonnulli Artis Filii veram & genuinam Materiam vel quodammodo tangant, vel etiam satis perspicuè proponant publico, Lectores tamen tantorum Naturæ Arcanorum planè aut saltem quarundam enchiriisium ignari, nec manûs ipsas operi antea admoventes, per inspecta scripta alia Chymica spuria Materiam aliquam remotam, & erroneam commendantia turbantur, quomodo verum à falso discernant, & quo se vertant, nescientes; adeò quidem, ut lucidorum veræ Materiæ radiorum claritas non sufficiat pro dissipandis obscurorum istorum Tenebrionum & vespertilionum tenebris, pro refellendis lucridis Simiarum talium operibus.

Sane, dum in memoriam mihi revoco notatam diversarum Sententiarum farraginem, vel Mixturas simplices, parum abest, quin simul in indignationem, commiserationem & risum rapiar. In indignationem quidem, expendens, quod multi è fastuosa arrogantia hac de Materia projiciant ampullas, & sesquipedalia Verba, (postquam è malè intellecto scriptô Chymicô nonnulla exsuxerint,) ac tantis ænigmatibus, tantisque obscuritatibus obvelent, tamque occulte Orbi curioso sua obtrudant, ut Nodos hosce Gordios solvere sit omnium difficillimum, si non impossibile, & neque Davus, neque Oedipus aliquis Mentem & Sensus Autorum istorum penetrare valeat; ut crediderim, illos ipsos partim nescire, quid intenderint, quid scripserint; ac proinde optime in eos quadret illud Dicterium, quod quidam obscurissimo Poëtæ Persio opponebat: Si non vis intelligi, cur scripsisti?

In commiserationem verò, dum non pauci miselli, talium blateronum, & vaniloquorum promissis spe Auri olim arripiendi turgidis patiuntur Sibi imponi, suaque capita turbari ac repleri, inauratis vaporibus; atque ita videntes, multos alios occupari circa magnum hoc negotium, ne *Diabolus* ipsos inveniat otiosos, illud idem aggrediuntur, tamen quasi semiebrii, sine methodo, sine decentibus Artis fundamentis, illiterata & stupida in simplicitate; Atque ita frustraneis his *Tantali* Dapibus avide inhiant, *Sisyphi* Saxum hocce volvunt indefesso & laborioso fervore, Manibus tamen suavissimo dulcissimæ Spei melle vel balsamo illitis, atque sub spe exsucca senescunt; non aliter, ac illi, qui cellam cerevisia recenti aut Musto fervente plenam ingrediuntur, quasi ebrii reddunturs, sine vera grati ipsius liquoris perceptione ac usu.

In Risum verò, dum horum Nugi-fumi-ventivendulorum aliqui, videntes, quod veris per Ignem Philosophis nonnullis per allegorias, secretas descriptiones, variaque à rebus usualibus & cognitis deprompta, aliter verò penitus intelligenda Nomina (ne hoc magnale dignis & indignis simul communicetur, nec Perlæ projiciantur Suibus; uti loqui amant; aliasve ob causas,) id describere placuerit, itidem, ut etiam aliquid coram *Mundo* esse videantur, publice exponunt falsa & ficta sua Arcana per ridicula Emblemata, & stolida Hieroglyphica, vel ipsi Heraclito cachinnum extorsura, per hyperbolicas item paraphrases & excursiones; adeô, ut nullus unquam Philosophus tam absurdas Chymæras, aliaque Rationis Entia Animo concipere fuerit ausus. Atque ita Geniis suis blandiuntur, crumenasque ob frequentem titillationem & purgationem ad atrophiam vel marasmum proclives solantur, dum quod fieri (& quidem frustra) sperant, gaudio intempestivo, & quasi ecstatico-entusiastico ex se rapti jamdum factum credant, Triumphum ante Victoriam canentes.

Proinde seducti nonnulli, etiam non mediocris Eruditionis Medici & Chymici, locutionibus dictis tam variè dissentientium, tam variè sibi contradicentium metaphoricis & occultis, pro laborum suorum scopô tanquam genuinam Materiam selegerunt summè diversa, ferè innumera. Multi quidem confisi sunt in *Aurô* ipso, utpote Metallorum Rege, Sole & Phosphoro; In hoc enim latitare incomparabilem vim balsamicam, & restaurativum *Archæi* Nostri debilitati, non habemus, cur dubitemus, nec ullus negare audebit. Quàm anxiè hinc per operationes Pyrotechnicas omnes illi *Aurum* notatum, & cum hôc seipsos laceverint, cruciaverint, torserint, quasi inviti testatum eunt libri plurimi. Et cùm *Aurum* inter remedia particularia principem facilè obtineat locum, judicârunt;

inde eò feliciùs adſcendi poſſe præ aliis omnibus ad Univerſale; Cùm etiam inter res metallico-minerales, nec Invidiâ contradicente, ſit perfectiſſimum, eò citiùs & commodiùs inde ſperandum eſſe exaltationem ad *Tincturam Univerſalem*.

Non minùs multi alii toties-totiesque fruſtrâ inſudavere reliquis Metallis omnibus hic huic, ille illi, iſte iſti; præcipuè quidem *Mercurio*, *Veneri*, *Saturno*, *&c.* Plures denique Nomen huic vel illi corpori mixto Chymico aliàs dari ſolitum, à veteribus autem Pyrotechnis Arcano cuidam impoſitum atque hic diverſô ſenſu accipiendûm, juxta verbalem tenorem intellexerunt, & ſic cum aliis Seipſos deceperunt, dum nimirum Mentes Manuſque fatigârunt in Chymicè tractandis variis Rebus naturalibus, præprimis quidem è Regno minerali, *Antimoniô*, *Vitriolô*, *Nitrô*, *Sulphure*, *Sale communi*, *Sale armoniacô*, *Sale gemmæ*, *Alumine*, *Arſenicô*, *Magnete*, *Mercuriô ſublimatô*, *Borrace*, *Lapide calaminari*, &c. ut & è Regno Animali *ſanguine*, *mumiâ*, *ſpermate*, *ſecundinâ*, *urinâ*, *Ovis*; nec non è Regnô vegetabili, *Vino*, *Sale Tartari*, *Fuligine*, *Lunaria*, *Sanguine Draconum*, *Rore Solis dicta Herba*, &c. Quo vero eventu & ſucceſſu id factum, loqui jubeo talium infelicium Alchymiſtarum, & Pſeudo-Adeptorum vel querelas publicas, vel Amicis concreditos amicorum ſuorum morſus, vel pudorem tacitum, ob marſupium corrugatum, & loco ſperati Hydropis Hectica correptum & conſumtum.

Minime quidem negamus, dicta Corpora Phyſica, & ſimilia conſtare è genuina *Materia Univerſali*; cum res omnes Mumia hac Balſamica ætherea ſint imprægnatæ, ea creſcant, nutriantur, conſerventur. Verum talia Corpora ob ſuam maturitatem ſunt Materia ſaltem remota, imo partim remotiſſima; minime vero propinqua vel proxima; dum in hiſce dictus Balſamus nimium eſt fixatus & coagulatus, copioſisque cruditatibus heterogeneis conſpurcatus, ut proinde ad primævam ſuam operi huic incomparabili ſumme neceſſariam minime reduci queat puritatem & homogeneitatem; Cùm nihil plane alieni aut extranei *Tincturæ* Noſtræ compoſitionem ingredi poſſit, ac debeat; Materia enim ejus abundanter in ſe habet, quod ad ſuam perfectionem habere debet; veluti in manuſcripto ſecreto loquitur *Petrus Iohannes Faber*, cap 5.

Aliis tandem licuit quidem eſſe tam felicibus ut propinquam & veram *Materiam* arripuerint, & tetigerint; cito tamen à regia hac via iterum aberrarunt, dum non unitam & integram Labori deſtinarunt; ſed huncce ſaltem ſunt aggreſſi in dimidia *Materiæ* Parte; hoc eſt, vel nimis alta & ſuperiora petiverunt, eligentes partem ſolummodo aëream & volatilem; vel adhæſerunt nimium inferioribus; quærentes, quod deſiderant, in ſola parte fixiore vel terreſtri. Alii denique omiſerunt enchiriſeum neceſſariarum unam aut alteram; cum opus hocce ſuperficiarie ſeſe tractari neutiquam patiatur.

Non defuere etiam multi qui *Materiæ* veræ admiſcuerunt aliena, heterogenea, & jamdum compoſita & fixa corpora. Ut proinde propria ſua Culpa potiri optato fine minime valuerint.

Præmonitis hiſce, Veram *Materiam Univerſalem* declaraturus, breviùs, & adcuratiùs ſimul, illud præſtare nequeo, quàm per duo verba ſequentia, depromta è ſecretô Manuſcriptô, quod Sereniſſimo *Holſatiæ* Duci, ac Norvvegiæ Hæredi, Dn. *Friderico*, beatiſſ. Memoriæ, tam in genere rei literariæ, quàm in ſpecie Medico-chymicæ Mœcenati incomparabili communicavit magnus Naturæ Myſta *Petrus-Iohannes Faber*; *dum cap.* 25. ſtatuit, *Tincturam Univerſalem* præparari è *Puro Naturæ*; vel, uti *Clariſſ. Chriſtian-Adolphus Balduinus*, *Tractatu de Auro Auræ*, *cap.* 3. *p. m.* 37. unicô verbo Eandem appellitat, *Uranogæam*, hoc eſt, Cœlum Terrificatum.

Ne autem obſcurum per æque obſcurum curioſis obtrudam; ſed ſcapham ſcapham nominem, pro horum verbulorum dilucidatione ſubjungo ſequentia: E ſuperioribus pateſcit capitibus *Tincturam Univerſalem* perficere ſuam operationem non veluti alia Medicamenta particularia, dum innata è qualitate unumquodque agit in ſibi contrarium, v. g. dum remedia alia extirpant Morbos ab acido præternaturali & nimio oriundos; vel, dum hoc medetur Epilepſiæ, illud ſanat Phthiſin, iſtud eradicat Febres, aliud ſe opponit Arthritidi; quoddam Menſtrua tarda pellit, iſthoc nimia ſufflaminat; Unum eſt ſudoriferum, alterum purgans, tertium vomitorium, quartum vero adſtringens; & ſic porro. Sed illa efficaciam ſuam exterit roborando *Calidum innatum*; veluti in Antecedentibus latius dictum.

Anima enim Noſtra unice hujus & Spirituum utitur miniſterio pro integra conſervanda Oeconomia Microcoſmica. Hac enim *Tinctura* incomparabile affunditur oleum lampidi ignis vitalis, quo Spiritus cordis ſuppreſſi recreantur, recenter illuſtrantur, & in actum denuo ducuntur; recreati hi, & illuſtrati Balſamica ſua virtute maſſam ſanguineam imbuunt, & renovant; hinc accepto neceſſario pabulo ac nutrimento, quodlibet Membrum, rite ſuo, ad quod deſtinatum eſt, fungitur officio; Internæ partium diſſentiones præcaventur, aut præſentes tolluntur; & quæ circulatoriam Sanguinis Officinam turbant, ſedantur, expelluntur; breviter multa: præſens ſanitas conſervatur, & amiſſa reſtituitur.

Non minus *Tinctura* laudata in Metallorum imperfectorum exaltatione aut tranſmutatione energia quaſi imperatoria deſideratum abſolvit Opus.

Stantibus & præſuppoſitis hiſce modò dictis, (nimirum, quod *Tinctura Univerſalis* minime operetur eâ methodo, qua alia Medicamenta, qualia-qualia ſint, ſpecialiter hoc contra hunc, illud contra illum morbum, aut ab alcali, aut ab acido vitioſo vel nimio ortum; Sed hæc ſola contra adfectus omnes à quacunque etiam cauſa morbifica progenitos modo Archæali agat, ac pugnet;) ſequitur, Ejuſdem Materiam ex qua neutiquam poſſe quæri in corporibus mixtis fixis perfectis, unde ſuam haurit originem reliquorum Medicamentorum cohors; ſed altioribus rebus natales debere, atque ex occultioribus Naturæ arcanis ortum ſumere. Proinde ex effectu, vel à poſteriori, (veluti in rebus Phyſico-Medicis non infrequens eſt,) argumentantes, dicimus, effectum Univerſalem præſupponere ſimilem, id eſt Univerſalem cauſam, ut ſic neceſſario ſit quærenda, & expectanda ejuſdem præparatio in Rebus primis & univerſalibus, Principiisque generalibus rerum omnium Macrocoſmicis, Cœli, Aſtrorumque influentia imprægnatis, è quorum diſpoſitione vegetatio & interitus, Vita & Mors Macro- & Microcoſmi dependet. Hæc ſunt illud *Purum Naturæ* ſuperius allegatum Petri-Johannis *Fabri*; Hoc ille in citati Manuſcripti Capite 26. definit, *quod ſit nihil aliud, quam quinta Eſſentia Cœli & Elementorum omnium, quod in Centro terræ excoquitur, & hinc per poros terræ amandatum producibilia*

producibila omnia producit, præservat, alit.

Quamvis de hujus Universalis principii definitione, ac essentia dilucidanda è diversis Naturæ Proceribus varia lucernam olentia producere possem, (Siquidem curiosum Lectorem remitto tam ad Theatrum Chymicum, & Musæum Hermeticum, quam inter plurimos, & præcipue Neotericos ad Petr. Joh. *Fabrum*, in Panchymico, &c. ad Johannem *Tackium*, in triplice Phasi Sophico, ad D. *Nuysement*, de sale & spiritu Mundi; ad Joh. Joachimum *Becherum*, in Physica subterr. & ejusdem supplemento; ad Heinr. *Kunradum*, in Amphitheatro; ad positiones de spiritu Mundi *Anonymi*, annexasque huic Notas aureas Andr. *Knöphelii*, Anno 5. Miscellaneor. Curiosor. German. adjunctas.) Placet tamen pro firmiore veritatis eruendæ & propalandæ fundamento ac solatio instar plurium sola allegare verba Athanasii *Kircheri*, utpote Viri ob rarissimas Ingenii dotes in putiore literatura, ac specialiter in Physicis Theorematibus, similibus, exceptâ Chymiâ Practicâ, incomparabilis.

Quamvis enim hic manifestus sit Hostis, ac acerrimus Antagonista *Tincturæ Nostræ*, nihilominùs tamen tam in aliis Scriptis, quam imprimis in Tomo secundô Mundi sui subterranei adcuratè & nervosè describit *Materiæ* nostræ Materiam; horum tamen inscius planè, alienôque scopo proposita proponens. Ex quibus denuo clarescit, quam miraculosa suis operibus & creaturis, uti ubique, ita etiam præ aliis in hoc nostro *Divina Majestas*, dum magnus hic vir nescit, quantum sciat in rebus Chymicis, & quam immerito & injuste tantus sit Chymico-Mastix; Cùm econtra tot ac tot Nasituli, Philauti, Chymicastri crepent in similibus sese multa scire; cum tamen omnia, vel ad minimum plurima & potiora arcanissimi hujus Mysterii nesciant.

Modò dictus immortalis *Kircherus*, Mundi Subterranei Tomô II. Libr. 12. Sect. 1. cap. 1. p. m. 327. inter alia, in hæc erumpit verba, de Rerum Panspermiâ, seu de Virtute seminali catholicâ loquens: *E sacris Mosaicis Oraculis, quæ meritò omni humanæ cognitionis certitudini multis parasangis anteferre debemus, constat, Conditorem omnium, Deum in Principiô Rerum Materiam quandam, quam Nos non incongruè Chaoticam appellamus, è nihilo creâsse. Glorioſius enim Deus creavit omnia simul, intra quam, quicquid in Naturâ rerum mixtarum, substantiarumque materialium postea producendum erat, veluti sub Panspermiâ quadam, confusum latebat.* Et paulò post inquit: *Quæ cum ita sint, meritò hôc locô quæri potest, quænam fuerit illa Panspermia, vis seminalis Rerum omnium productrix? Dico, fuisse Spiritum quendam materialem, seu ex subtiliori Cœlestis Auræ, sive ex Elementorum Portione compositum, fuisseque vaporem quendam Mercurio-Salino-Mercurialem*, (facile hîc quilibet subolfacit vitium typographicum; dum pro Mercurio-Sulphureo-Mercurialem legendum Salino-Sulphureo-Mercurialem, Autorisque Mentem sequens statim pagina explicat,) *Semen Universale Rerum, Elementis à DEO concreatum, originem omnium eorum, quæ in Mundô condita sunt, Entium corporeorum. Hic enim pro naturâ Matricum, quibus inditus? in Matricibus quidem inanimatis Mineralia & Metallica Corpora, in Vegetabilibus Plantas omnis generis, in sensitivâ naturâ Animalia juxta cõgruam unicuique naturam insitione mitifica producit, & in tot corpora mixta, quot species Rerũ sunt, combinatione ineffabili, soli Deo nota, individuatur.*

Et in disquisitione, pag. sequ. *Unde non immerito hoc, tanquam semen Universale Naturæ, Spiritum Salino-Sulphureo-Mercurialem, unam Substantiam triplici virtute distinctam nuncupandam censuimus; Proximum rerum omnium principium, elementis, quæ hujus vehiculum quoddam sunt, & Materiam remotam, ab initio rerum inditum, & ad rerum omnium constitutionem compositionemque à Deo destinatum; Cum nihil sit in rerum Natura, quod ex hac triplici virtute, in uno sale Naturæ contentâ non constituantur.* Plura, sis, vide apud Authorem, in hoc, aliisque locis pluribus.

Quemadmodum igitur *Spiritus* hic *Mundi Universalis*, Anima hæc Universi, Sal hoc Naturæ Astrale, Unum hoc à quô omnia, Balsamum hoc catholicum, Mumia hæc generalis, genuinum hoc Aurum Philosophicum, desideratissimus hic Philosophorum Mercurius, putissima hæc Cæli ac Elementorum omnium Quinta essentia, Superiora & Inferiora omnia fovet, nutrit, conservat, sine cujus influxu perpetuo nihil dictorum cunctorum vivere, vel subsistere potest, ita quoque ex hôc Subjectô jure-meritò quærimus *Tincturæ* Nostræ *Universalis*, nomini ejus convenientem Universalem Materiam.

Cùm verò Spiritus hîc igneus, Sal hoc cœleste summè sit volatile, invisibile, ac quasi insensile, ideò infallibiliter indiget cujusdam Corporis vel Materiati, per quod, ac in quod agat, vel quô mediante operationes suas in actum deducere valeat. Sed quônam modô ac mediô sit concentrandum ac incrassandum verum hoc Jovis Nectar, Solare Sulphur hoc Philosophorum, quomodo capienda sit hæc Hermetis Avicula, variè sese exercuerunt, suaque cerebella exsiccarunt, atque in hujus captutâ non leviùs sanè, quàm in ipsâ materiâ inveniendâ, & cognoscendâ hallucinati sunt Chymiatrorum plures; partim non infimi quoque subsellii. Proinde etiam, non minùs ac ipsam Materiam, magni Artistæ occultarunt, vel obscurissimè publicô exposuerunt Chymicum hoc suum Rete, suum Magnetem, suum Chalybem, quem vocant; adeò quidem, ut non pauci verorum Chymicorum Philosophicum Mercurium, vel Spiritum illum aëreum satis manifestè detexerint; quomodò autem hic sit figendus, cum sale fixô conjungendus, fermentandus, &c. hîc aut Aqua iis ipsis hæret, aut illi hæsitant, idque occultant, ut Aqua aliis hæreat.

Quoniam igitur ex hactenus dictis clarescit, quòd è Chaoticô illô Ente primô res omnes generentur; quod ex hoc unô fiant omnia, Deô in generali creatione sic volente & ordinante; Dum nimirum illud semen catholicum influit in cuncta corpora materiata, ibique subsistit in horum Matrice; tunc Virtute per Protoplasten inditâ ab irradiante seminis Astralis influxu excitatur aliqualis mixtio, vel unio; (Neoterici magis nervosè vocitant fermentationem;) runc è dictô subjectô pro hâc vel illâ Creaturâ efficiendâ dispositô oritur hæc Arbor, hæc Planta; hoc Minerale, hoc Metallum; Et ita porro procedit rerum omnium generatio, nutritio, auctio, conservatio. Sic ipse homo certe traducitur & generatur è semine Parentis.

Generatio autem hæc minime perfici alibi potest, quam in Utero Materno; ubi hujus fit Mistio & Fermentatio cum illis, quæ Mater operi confert. (Loquor de modo generationis ordinario; lusus & errores Naturæ, Exemplaque extraordinaria me non feriunt;) Sic quoque Semen

Brutorum

Brutorum non generat, niſi in Matrice apta. Idem eſto judicium de Regno minerali & vegetabili. Quamvis enim v. g. Semen braſſicæ, raporum, cochleariæ, &c. &c. ſæpe-ſæpius, vel etiam diu exponas aëri, radiis Solis vel Lunæ, Rori, Pluviæ, extra dubium dicto hoc Spiritu architectonico imprægnatis, neutiquam tamen perfecte, & ſolito more producet ſibi ſimile, niſi communicetur terræ, mediante ſale fixo ad Generationem & Fermentationem diſpoſitæ.

Proinde Materiam *Tincturæ Vniverſalis* perfectam & genuinam nullo plane alio modo exiſtere poſſe, ac jam dictum, ſtatuo. Hinc eandem lectori propono ſub tali deſcriptione, aut definitione: *Materia Tincturæ Vniverſalis eſt Subſtantia, è primis catholicis, & purioribus rerum omnium principiis orta, mediante Aere⌣, ſub forma Salis volatilis, inviſibilis, ac ſumme penetrabilis, legitimis & balſamicis Anni temporibus cum ſale Terræ centrali fixo, quod ejuſdem cum Sale volatili eſt Originis, unita ac fermentata.*

Dixi, 1. *Subſtantiam è primis, catholicis & purioribus principiis rerum ortam⌣.* Quid per hæc Principia indigitetur, modo adducta è *Kirchero*, aliaque docent, ut ample eadem hic repetere, ſupervacaneum judicem; duobus ſaltem verbis addens, quod hæc ſint pars ſubtilior, purior, & magis perfecta, ac quaſi quinta eſſentia vel extractum Cœli & Elementorum; per quorum influxus Aſtrales & æthereos non modo generantur, ſed etiam conſervantur, ac nutriuntur, res omnes, & hoc per peculiarem à *Deo* implantatam ſuperiorum ac inferiorum familiaritatem ac harmoniam.

Dixi 2. *mediante Aere⌣.* Quamvis enim dictum *Ens Vniverſale* in omnibus contineatur Elementis, illudque de horum Eſſentiæ puritate participet; nihilominùs Aër ob ſuam tenuitatem ac penetrabilitatem magis commodus eſt, locò vehiculi occultum hoc Principium tam generativum, quàm conſervativum quibuslibet ſublunaribus communicandi. Conſtat enim Phyſicâ experientiâ, huncce loca omnia, etiam abſtruſiſſimos Mundi angulos permeare, veluti perpetuum quoddam Mobile, aut nunquam otioſum Macro-& Micro-coſmi Oeconomum inibi contentis pro naturali uniuscujuſque deſideriò advehere novam Generationi, Nutritioni ac Suſtentationi aptam materiam.

Adponam adcurata Verba Joh. Joach. *Becheri*, ſupplem. in Phyſic. Subterran. Cap. 5. p. 70. 71. prolata: *Hic eſt ille Spiritus, qui in Aëre habitans, omnia, etiam inſecta Terræ, vivificat, Fluminum Aquas fermentat⌣; in venis Sanguinem movet, & tingit; in mineris Metalla producit; in vegetabilibus in flores & fructûs excreſcit; omnibus omnia in omnibus; in Nubibus pluit, tonat, ningit; in Terris creſcit, floret, germinat, in Animalibus vivificat, alternat, digerit; in Mineris fumat, penetrat, figit; arte applicitus Vitam conſervat, Morbos curat, Metalla tranſmutat; in Volatilibus volatilis, in fixis fixus, in Animalibus animalis, in Vegetabilibus vegetabilis, in Mineralibus mineralis, Philoſophicus Chamæleon; in omnibus autem naturæ perfectiſſimæ, proprietatis penetrantiſſimæ, ſubſtantiæ tenuiſſimæ &c.* Huc uſque *Becherus*.

Propterea inconcuſsò innititur fundamentò antiquum illud Chymiæ dicterium, quòd occultus in hôc lateat cibus. Tantum enim contribuit conſervationi ac Vitæ omnium *Aër*, ut citiùs Cibò ac Potu, quàm hôc ipsò carere poſſimus; adeò, ut firmâ ſtet connexione hic Circulus: *Quamdiu vivimus, tamdiu reſpiramus; Quamdiu reſpiramus, tamdiu Aërem attrahimus; Quamdiu Aërem attrahimus, tamdiu vivimus.* Siquidem continuâ conſtat experientiâ Aërem clarum & laudabiliter diſpoſitum communicare creaturis omnibus ſanitatem, ſtatumque vegetum; Si vero atomi impuræ à Globo terraqueo elevatæ illum conſpurcant & turbant, communi miſeria inſequuntur Hominum non modo & Brutorum calamitates morboſæ, ſed aliarum quoque rerum corruptiones ac interitus. In animalibus enim Sanguinis circulum in ſtatu naturali fovet, ſanguinem volatiliſat, ejuſque cruditates præcipitat, & diſſipat. Sic nôrunt Philoſophi per ignem plures, *caput mortuum ſpiritus vitrioli* libero expoſitum aëri per temporis ſpatium, (ita tamen ne manifeſtis radiis ſolaribus, aut pluvia alteretur,) ab aëreis atomis nova virtute olim ſibi indita imprægnari, & quaſi reviviſcere; ut ſpiritum priore puriorem ac ſubtiliorem deſtillatione emittat. Quam encheriſin itidem *Sale Tartari*, ac aliis alcalibus, item in coctione *Nitri*, *Vitrioli*, *Aluminis*, variiſque rebus procedere, jam diſcunt Pyrotechni curioſi, id eſt, qui non ſolum credunt, quod Anteceſſores noſtri (ſummo quidem honore digni) crediderint, & cognoverint; ſed qui arcana naturæ ſcrutantes in ſudore faciei veſcuntur ſuo pane.

Sic propria teſtor Experientia, Me *Venetiis*, *Patavii*, ac alibi in *Italia* obſervaſſe apud unos-plures Pharmacopæos rariorum ac novitatum avidis nonnulla publice exponentes, quod viperæ aliquot ſaltem dies natæ, vitro capaci, ligatura bene munito incluſæ, Vitam non modo ſuſtentaverint; ſed & ſolitum corporis augmentum acceperint; & hoc, neceſſitate ſic urgente, ſine ſolidioris alimenti uſu, ex ſolo illo dicto occulto *Aeris* omnia penetrantis cibò.

Non minus elapſi Anni Menſe Septembri Araneam magnam (die Creutz-Spinnen) incluſi vitro capaci, illudque ligatura bene munivi, experturus, quamdiu ſine craſſiore cibo ipſi ſolito, veſpis, muſcis, &c. viva ſupereſſe valeat. Hæc ad quinque Septimanas vegeta ſatis in vitro degebat, tranſcurrebat, aliquando fila texebat. Tunc vitro ſubito aperto indebam ſimilem araneam recens-captam, has ambas aliquoties inveni acriter dimicantes & pugnantes, donec poſt 12. dies poſterius immiſſa à priore morſu fuerit læſa in corporis denſa & gibboſa parte materiam ſubflavam pinguem effundente, hinc mortua; Prius vero incluſa, finita decima ſeptimana, quietiorem ſeſe ſucceſſive gerebat, atque ob nutrimentum ſolidum, ſolitumque tam diu denegatum debilitata, tandem moriebatur. Jam non attingo exempla hominum longa & inſolita abſtinentia ſeſe ſuſtentantium, ubi ſua itidem, omne extra dubium contulit, aër; De quibus conſulantur *Fortunius Licetus*, *Sennertus*, alii.

Dixi 3. *Sub forma Salis volatilis, inviſibilis ac ſumme penetrabilis.* Spiritum hunc æthereo-aëreum, verum illum & proximum *Dei* O. M. pro conſervandis ſuis Creaturis omnibus amanuenſem, non immerito Salis nomine deſcribunt Chymicorum plures; cum ipſi propriæ qualitates ſalinæ apprime conveniant. Sal enim generaliter ſumpta ejus voce indicat Subſtantiam ſumme perfectam & balſamicam; adeò ut centrum cujuſvis fere rei in ſale lateat. Sic videmus in reſiduis plantarum, &c. combuſtarum, aut calcinatarum cineribus ſal eſſe præſens, efficaciam ſuam cuilibet, excoquenti vel elixivianti manifeſte demonſtrans.

Dixi autem hoc *Sal volatile, inviſibile⌣, ac penetrabile⌣,*

trabile, cum ob ſupremam eſſentiæ ſuæ puritatem ac tenuitatem viſum & tactum noſtrum effugiat, ac ob incomparabilem ſuam penetrabilitatem ubique reperiatur. (Artificioſæ illæ, & natura quaſi invita factæ vacui demonſtrationes Valeriani Magni, Dn. de Guerike, &c. valde curioſæ me non tangunt, cum hic agatur de motu aëris ſpontaneo & naturali.) Quomodo autem aër cum ſuis contentis alia loca occultiores etiam abyſſos penetret, cum à multis, uti prolixe ita perſpicue jamdum ſit Publico communicatum, hic repetere, extra meum eſt propoſitum; propterea Lectorem ad illos remitto.

Dixi 4. *Cum ſale terræ Centrali fixo.* Ex hactenus dictis manifeſte pateſcere nullus dubito, Materiam Materiæ Noſtræ Univerſalis quidem conſtare è ſale hoc catholice principiante, è concentrata hac Cœli, Elementorumque eſſentia. Cum autem hoc ſit ſumme volatile ac fugitivum, ideò etiam, ceu de rebus aliis omnibus monitum ac probatum, retinaculi, corporeitatis, aut materiati cujuſdam indiget, in quo operationes ſuas perficere, atque in actum deducere valeat. Et quemadmodum Aër huic Materiæ inſervit, ut mediante ejuſdem vehiculo, volatilitate ſumme penetrabili loca omnia tranſeat, ita è contra *Creator* dignatus eſt Terram, ut ſit ejuſdem Receptaculum, vel potius Macrocoſmi laboratorium.

Verum enim vero, cum non quodlibet fiat è quolibet, juxta commune Phyſicorum effatum, neque è quolibet ligno fiat Mercurius, juxta vulgare adagium, ſic non eſt, ut quiſquam ſibi perſuadeat, quamlibet terram, quodvis minerale aut Metallum æque apta & diſpoſita eſſe, tanquam Materiam proximam, pro legitime recipiendo æthereò hoc hoſpite, pro capienda & debite retinenda hac Hermetis avicula, quam dicunt Artis filii. Sed primus & primarius *Orbis Architectus* omniſcia ſua providentia pro fœtu hoc miraculoſo concipiendo, fovendo, nutriendo, pariendo non elegit aurum, argentum, adamantes, ambram, perlas, aut ſimilia pretioſa ſubjecta; ſed in viliſſima & nauci æſtimata quadam terra (quam itidem dignatus eſt olim, ut Materiam præbuerit *Adamo* ad *Sui* Imaginem condito,) per hoc ſal centrale fixum fœcundam & fertilem condidit Matricem.

Præ aliis igitur ad opus noſtrum eligenda terra pinguis, ſubnigra, vel è nigredine rubeſcens, & nitroſa, ſalinis nitri atomis turgida, qualis pro nitri excoctione adhibetur, item fertilis illa, quæ pro agris fœcundandis in uſu eſt, & Marga (Märgel) audit; limoſa item, mixta aliquâ arenoſâ parte.

Minime autem conducit terra nimium viſcoſa aut tenax, cum in tali corpore nimis glutinoſo non adeo large & copioſe inhærere, ac ſeſe inſinuare valeat ſal aëris volatile. Multo minus ſit nimium ſicca & arenoſa, cum Spiritus Mundi aut minus ſufficienter ſeſe agglutinet, aut tranſeundo ob laxitatem Corporis magis profunde terram penetret, & interiora petat; ſed ſit moderatè pinguis, & ſimul quodammodo arenoſa, ut ſic ab admixtis arenæ corpuſculis, & ſtriis pinguiuſculum Terræ corpus poroſum, dilatatum, & quaſi retiforme reddatur; quo gratiſſimus hic Hoſpes eò commodius hîc habitare valeat.

Hæc eſt vera Minera, verum Metallum, verum Nitrum Philoſophicum, hæc eſt vera Terra virginea & pura, qualem deſiderant, qualemque innumeris ferè occultis nominibus deſcribunt Artiſtæ. Debet quidem omnino pro recipiendo lubrico hoc aëris Mercurio corpus eſſe glutinoſum, terreſtre, minime tamen nimis fixum, qualia ſunt Metalla, Nitrum & Mineralia, aliaque ſimilia corpora perfecta, utpote quæ multis heterogeneis, difficillime ſeparabilibus conſpurcata impuritatibus; ſed naturæ ſit inter hæc mediæ. In tali enim terra uberrime reperitur ſal centrale fixum, inibique faciliùs & copioſius poteſt obtineri, inque Fermentationem commoveri, quàm ex aliis ſubjectis.

Dicitur autem centrale, quod ſal aëris aſtrale & volatile huic, quaſi terræ centro inhiet, utpote legitime diſpoſitæ matrici. Minime autem in proprio centro terræ hæc combinatio eſt quærenda & expectanda; ſed potius in Philoſophico hoc centro; cum quælibet minera, & quælibet Terræ particula ſuum habeat centrum è Phyſicæ chymicæ fundamentis.

Terram dictam, ceu genuinum *Spiritus Mundi* diverſorium, ac materiam proximam aperuit mihi unus & alter chymiatrorum ſaniorum, ex illis quorum in ſuperioribus capitibus mentionem feceram, quod hac ipſa fuerit uſus ad *Tincturæ Univerſalis* laborem, eidemque optato eventu, ac feliciter ita ultimam impoſuerit manum. Alii itidem fatebantur, licet opus hoc non planè licuerit abſolvere, cum certo certius illis conſtiterit, omnipotentem Dei digitum hoc impediviſſe, & clauſulam ab ipſis deſideratam inhibuiſſe; nihilominus rem juxta puriorum chymicorum methodum, mentem & monita ſucceſſiſſe per tempus ex voto, taliſque circumſtantiis; quales ab hoc opere feliciter ad finem tendente ſunt ſperandæ.

Sicco pede hic tranſgredi non poſſum nonnullos pro materia propinqua (& quidem non adeo inconcinne & abſurde, ſi ſecundum methodum Philoſophicam & legitime tractetur,) venditare ſequentem: Reperitur pluribus *Germaniæ* in locis v. g. prope *Caſſellas* Haſſiæ, prope *Numburgum* Thuringiæ, &c. in terra pingui, & limoſa lapis rotundus vel oblongus, nucum juglandum vel ovorum magnitudine, coloris ſubnigri vel cineritii, nullius ſaporis. Hic confractus in fruſtula, pauciſque ſeptimanis aëri, à pluvia & radiis Solis actualibus munito expoſitus, à Spiritu Mundi attracto redditur ponderoſior, dilabitur in pulverem vitrioli-co, id eſt, ſubdulci ſapore imbutum, qui aliquando manifeſto vitriolo viridi impræ gnatur; aliquando vero & ſæpius per coctionem vel elixivationem elegans tale vitriolum inde extorquetur. Hoc ſuperficiaria ſaltem manu tractatum exhibet egregiam *Tincturam* purificantem, aperitivam, antiſcorbuticam. Mente verò Chymica ſagaciore reſolutum, inde paratur *Oleum vitrioli dulce* veterum aliquot Philoſophorum. Imò juxta alios majora habet in receſſu. De hiſce conſulatur Joh. Rud. *Glauberus*, Furnor. Philoſophicor. Part. 2. cap. 10. 11. 12. p. m. 59. 60 61. ſequent. & alii.

Hiſce ſubnecto, Magnum Patronum Mihi detexiſſe, Terram, de quâ ſuprà egimus, pinguem & fœcundam pro Materiâ propinquâ, imò proximâ omninò poſſe haberi; dari tamen adhuc magis proximam ſi obtineri poterit, nimirum Terram illam flavam, quæ circa & ſupra Auri Mineram in *Hungariâ*, *Tranſilvaniâ*, aut alibi reperitur. Hæc enim præter id, quod Rete præbeat ſatis commodum capiendæ aëreæ Hermetis Aviculæ, participat de Sulphure Auri latentis volatili, quô mediante eò citiùs & meliùs ſe commoveri, exaltari ac in actum deduci patiantur Entia Noſtra Univerſalia; & hoc ob analogiam Sympathecicam quam

Aurum,

Aurum Metallorum nobiliſſimum cum ſuperioribus habeat; quamvis minime ſtatuamus, quaſi Auri magis perfectæ & fixiores particulæ hîc requirerentur.

Pro cujus Rei dilucidatione addo, celebertimum illum, Mihi nunquam ſine magnô Honoris titulô nominandum Dn. D. *Michaelis* è dictâ terrâ Solari Hungaricâ juſſiſſe præparari, & extrahi per Amanuenſes ſpiritu aliquô appropriatô Tincturam; Poſtquam igitur aliquot diebus ſuper notata terrâ in Cucurbitâ vitreâ ſteterat menſtruum pro ſolitâ digeſtione abſolvendâ; ecce! omnes eæ partes cucurbitæ, menſtruô terræ Solaris quæ tangebantur, firmiter Aurô obductæ conſpiciebantur, adeò, ut difficillime poſtea hoc Aurum à vitri lateribus abradere licuerit; Hæc autem extractio vel Tinctura egregium & raræ virtutis præbebat confortans & ſanguinem purificans.

Fateor tamen eundem virum magnum ſequenti Anno itidem inſtituiſſe ſimilem Extractionem; at quamvis laudabilis efficaciæ obtinuerit remedium, cucurbitæ tamen inauratio neutiquam ſuccedebat; eam procul dubiô ob cauſam, quòd una terra atomis aureis & aëreis ſit magis imprægnata ac dotata, ac pro ſpiritu *mundi* recipiendô aptior, quàm altera; vel quod fortaſſis eadem non bonis conſtellationibus & debito tempore fuerit collecta. Hæc de terra ſolari dicta in medio relinquo; poſſetque eadem adhiberi eô modô, quo pro maturanda *Tinctura Univerſalis* perfectione nonnulli Aurum debito tempore addunt labori; veluti caput ſequens docebit. Sufficit, quod ſuperius adducta terra pinguis & nitroſa à ſagaciſſimis chymiatris mihi cognitis pro verè proximo, univerſali & catholico ſubjecto labori fuerit deſtinata, eventu optato, nec auro perfecti auxilio per ſe indigeat.

Ex hoc ita præſuppoſito commodiorem & efficaciorem præberet *Materiæ noſtræ* Materiam terra circa fluvios auriferos in India occidentali reperta, cùm ſulphure Auri volatili vel Auro immaturô largiſſimè ſit imprægnata. Querebatur enim mihi in *Batavia* præcipuum quoddam dictæ Societatis *Indicæ Occidentalis* Membrum, quod arenæ aureæ, uti notum, ibidem collectæ, dum ea fuſione vel liquatione in corpus cogitur, ob nimiam, & reliquo Auro inſolitam volatilitatem, multum ponderis decedat, vel in auram avolet, ejuſdemque fixatio à pluribus rerum chymicarum & metallicarum apprimè gnaris fruſtra hucuſque fuerit tentata.

Cæterum, me neutiquam latet, aliquos peritorum è Neotericis Chymicorum materiam aliquam magis aptam judicare *Operi Univerſali* medicamentoſo, aliam verò ad Metallorum tranſmutationem catholicam. Quod egomet omnino in ſuô honore relinquo; ſaltem addens, quod talia oleant particularitatem, vel ſint analoga remediis ac modis particularibus; neutiquam vero ſint, nec vocari poſſint vera *Tinctura Univerſalis* vel Veterum ille *Lapis Philoſophorum*, proprie ſic dictus, cum communi teſtimoniô vel aſſertione hic uti umque perficere valeat.

Dixi 5. in definitione, quod ſal terræ fixum ejuſdem ſit originis cum ſale volatili Æthereo; id eſt, licet hoc quodammodo diverſæ videatur Eſſentiæ cum ſale volatili aſtrali influente, cum hoc ſit naturæ volatilis, illud vero fixæ; nihilominus poſtea mediante fermentatione amicè congruunt & uniuntur. Ut ita ſal hoc terræ fixum, veluti omnia, natales debeat quidem ſuos ſpiritui Elementari, tamen poſtea amandatum ſit à Creatore, ac concentratum in fixam ſubſtantiam ad terram fertilitate imbuendam, ut & hujus matricem ad arduum opus noſtrum diſponendam. Hoc enim ſale fixo abſente minime fœcunda foret matrix *Terræ*, imo planè inepta pro recipiendo, legitimè fovendo, conſervandoque ſale volatili aëreo.

Dixi 6. Quod ſint unita & fermentata. Ex his duobus enim, quæ antea etiam fuere quaſi unum, hoc eſt, quæ iiſdem Principiis ſunt orta, ejuſdemque ſunt naturæ, neceſſariô denuò debet fieri unum; volatile enim redditur fixum, & fixum volatile; vel volatile figitur à fixo & fixum volatiliſatur à volatili, poſt aliquam eorum contranitentiam & pugnam; ut ita *Superius* fiat ſicuti *Inferius*, & *Inferius* ſicut *Superius* per univerſalem illum magnetiſmum, vel Sympatheticum conſenſum Superiorum ac Inferiorum ab *Archæo catholicô* in agenre & patiente inſtitutum. Unionem autem dictam decenter & perfectè fieri non poſſe, niſi mediante aliqua fermentatione, teſtatum eunt adcuratiores Pyrotechni, dum nimirum per humidum terræ pingue & unctuoſum retinetur ſal volatile, atque ita in illa, tanquam Macrocoſmico laboratorio, per virtutem Matrici terreſtri innatam principiorum horum principiantium atomi heterogenea hactenus contentæ ſub ſubſtantia poſt amicam & lenem efferveſcentiæ pugnam denuo conjunguntur, ac in deſideratiſſimam hanc tranſplantantur Materiam.

Verum quia generalis hæc unionis & fermentationis actio ac modus à variis Naturæ Miſtis uti ample, ira adcurate fuerit jamdudum tractata; meus autem ſcopus non ſit, alibi ventilata & propoſita hic ventilare ac proponere, ideo curioſum Lectorem ad ſuperius citatos Chymiæ Proceres, alioſque ablegatum volo; In ſpecie ſaltem addens, magnum Kircherum, ut Antagoniſtam *Tincturæ Noſtræ* ſumme fervidum, magnam lucem itidem accendere huic actioni & operationi, licet plane hujus inſcium, aliiſque intentum; Dum nimirum generationem Metallorum, Mineralium, Lapidum, vegetabilium, aliarumque rerum omnium more ſuo, id eſt, adcurate & ſolide depingit & enucleat. Cum autem ampliſſime eam rem tractet, neque omnia ab eo ibi allata huc referre operæ ſit pretium, ideò ille ipſe conſulatur tum in Mundi ſubterranei Tomo II. Libr. 8. Sect. 1. cap. 3. & 4. p. m. 6. 7. ſequ. Libr. 10. Sect. 1. c. 3. & 4. p. m. 167. 168. & Libr. 12. Sect. 1. cap. 1. & 2. p. m. 327. 328. 329. tam variis aliis in locis.

Dixi 7. Quòd fiat legitimis Anni Temporibus; hoc eſt, Neceſſarium etiam, inter tam varia alia quoque eſſe requiſitum, neceſſariamque enchiriſin, ad genuinam & proximam Materiam eò perfectiùs obtinendam, uniendam & diſponendam conſiſtere in hôc, ut ipſa colligatur, vel præparetur tempore fœcundô & balſamicô. Quamvis enim firmiſſimâ conſtet experientia, *Mercurium* hunce *Philoſophicum* nunquam feriari, aut eſſe otioſum; ſed ſemper & continuô circulô influere tempore diurnô, noctûrnô, vernali, æſtivô; autumnali, hyemali; ac imprægnare quodlibet materiatum ſublunare virtutis balſamicæ tantô quantô pro ſui generatione, nutritione, conſervatione indiget. Nihilominùs Auram unô tempore magis eſſe maturam, magiſque gravidam virtute balſamicâ Æthereâ, ac alterô; ac modò largiùs, modò parciùs Mundi animâ eſſe imprægnatam, radioſque

ſolares

solares, motûsque lunares diversimodè & manifestâ alteratione operari, & mulieres, & rustici nostri nôrunt.

Ante omnia enim eligendus est aër purus, præprimis siccus, sine vento violento & inclemente atomos spiritûs Mundi displodente. Cùm autem Archæus Astralis circa Æquinoctia & Solstitia sit magis fœcundus, & occupatus in operationibus & influxibus suis, vel etiam tunc purior, ideô præprimis observetur, ac in honore habeatur tempus circa Æquinoctium vernale, mense item Aprili & Majo, cùm tunc aër turgeat largissimè effluviis generantibus, vegetantibus, nutrientibus; nec minùs circa Solstitium Æstivum, Sole existente in Leone; ut & in Æquinoctio Autumnali; Reverenter tamen insimul semper habeantur aliæ constellationes, prout aëris puritas & claritas prædominetur. Melior item effectus est sperandus Lunâ crescente. Tales enim leves quasi enchirises vel solæ sufficiunt, ut Te ipsum decipias, speratoque operationis eventu excidas. De quibus uberius capite sequente, ubi de quomodo agetur.

Hæc est ingenua & genuina bono animo instituta manifestatio Materiæ *Tincturæ Universalis*, materiæ illius, quæ inauditis & quasi incredibilibus Nominibus metaphoricis, locutionibus parabolicis, ac Ænigmatibus hieroglyphicis descripta, depicta, publico communicata; rectiùs forte dixerim, per hæc magis occultata, magis obscuritatum tenebris involuta, avidas curiosorum intentiones magis confundens, magis turbans; Hæc fuit hucusque innumerorum desideratissimè desiderantium desideratissimum desiderium.

Lectorum cuique liberum esto, utrum dictis fidem adhibere, an derogare placuerit; mihi perinde erit: Denuo tamen affirmo me proposita partim oculis, partim auribus hausisse ex Ore magnorum Chymiatrorum, fide publica summe dignorum, hæc propria experientia sanctè attestantium.

Rogatos quoque volo veros & peritos artis Filios, (cum spuriis illis, & Pseudo-chymicis, nummisugisque ciniflonibus, nulla mihi res est, ceu aliquoties monitum,) ut modò prolata de hac materia conferant tam cum genuinis scriptis chymicis, quam in specie cum Tabula Smaragdina Hermetis Trisinegisti, de cujus extraordinaria eruditione præter alios consulatur Nobilissimus Olaus Borrichius, in libris de Hermetis, ac Chymicor-Sapientia vindicata, ac de ortu & progressu Chymiæ) utpote communi fere operum chymicorum cynosura & lapide lydio; & examinent, num verba perspicuè hic adducta bene solvant Tabulæ illius metaphoras, ac invicem congruant; Hæc ipsa autem ita sonant: *Verum sine mendacio, certum & verissimum; Quod est inferius, est sicut id, quod est superius, & quod est superius, est sicut id, quod est inferius, ad perpetrandum miracula unius rei. Et sicut res omnes fuerunt ab uno, meditatione unius; Sic omnes res natæ ab hac readaptatione. Pater ejus est Sol, mater ejus Luna; portavit illum Ventus in ventre suo. Nutrix ejus Terra. Pater omnis Telesmi totius Mundi est hic. Virtus ejus integra est, versa fuerit in terram. Separabis Terram ab Igne, subtile à spisso, suaviter cum magno ingenio. Adscendit à terra in Cœlum, iterumque descendit in terram, & recipit vim Superiorum ac Inferiorum; Sic habebis gloriam totius Mundi; Ideò fugit à te omnis obscuritas. Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis; quia vincet omnem rem subtilem, omniaque solida penetrabit. Sic Mundus creatus est. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus hic est. Itaque sum Hermes Trismegistus; habens tres partes Philosophiæ totius Mundi. Completum est, quod dixi de opere Solis* Hucusque Tabulæ verba.

Cùm igitur hactenus sit demonstratum, Materiam *Tincturæ Universalis* debere necessariò componi, tanquam Principiis suis essentiis, è Sale volatili æthereô, & sale fixô terræ per amicam fermentationem unitis, clarescit, illos omnes, qui duas hasce partes non conjunxerint legitimè; sed vel in parte volatiliori, vel fixiori solâ miditationes ac labores suos impenderint, propriâ suâ culpâ scopum verum non attigisse. Quisquis etiam fuerit ille spiritum Astralem capiendi modus.

Quamvis enim hæc operatio fuerit instituta per calcinatos silices, marmor, magnetem, calcem vivam, sal tartari, capita mortua, & plura similia attractioni destinata, nemo tamen plenam & perfectam sibi inde promittat spem ad arduum hoc opus obtinendum; & quidem ideô, quod talia materiata ob absentiam humiditatis unctuosæ vel pinguis, & salis fixi non sint disposita ad decenter perficiendam Fermentationem & unionem; vel si sale fixô partim non careant, tamen illud non est purum; sed heterogeneum quiddam. Secundum Artistas enim nostros nihil alieni aut extranei debet accedere maximæ huic præparationi; Cùm purissima Nostra Materia in se contineat uberrimè quibus indiget.

Minimè tamen hæc intellecta velim, quasi debitum Honorem detraham Spiritui Mundi; nam hic non modò continuè adducit ex Pandorâ suâ pro Macrocosmi & Microcosmi vegetatione Sal Astrale, & Ignem Æthereum; sed etiam egregia inde parati poterunt medicamenta, de quibus videantur, præter superiùs allegatos Naturæ Mystas, Nittnerus, Tract. de spiritu Mundi, & Frid. Hofmannus, Clav. Pharmaceut. Schröder. libri 3. cap. 3. p. 141. aliique plures.

Paulò mitius experiuntur fatum Ros, præprimis majalis, Aqua pluvialis, præcipuè martialis aut tonitrualis, & Nix; Non obstante enim hôc, quod imprægnata quidem sint sale Elementari volatili, eique vehiculum præbeant ad Inferiora; aliter tamen considerari minime poterunt, quam Materia remota partim ob jamdum admixtas impuritates heterogeneas nonnullas; partim, quod necessarium sal terrestre fixum ipsis maximam partem deficiat. Ut proinde non pauca, eaque difficilia obstacula occurrant illis, qui per hæc magnum hocce opus sint aggressuri; perfectam & plenariam *Tincturæ* acquisitionem sibi hoc modo promittentes, quemadmodum nonnulli de tali insperato successu, ipsis accidenti, testari possent, si vellent.

Quæ de spiritu Mundi dixeram, hic quoque repeto, nimirum, me ambabus manibus concedere, imo ipsum pro virili deprædicare incomparabiles horum virtutes, quas in sublunarium quorumcunque commodum largissime advehunt; de quibus cùm fusiùs loquatur maximus liber, *Scriptura sacra* ipsa, multis sane in locis, ut & libri plures Medici, ego taceo; hoc saltem adjiciens, quod insigem quoque usum medicamentosum exhibebeant humano generi, adeò, ut Petrus *Borellius*; Histor. Medic. cent. 1. Observ. 6. laboriosa & curiosa operatione è rore majali rarissimam paraverit. Auri solutionem; quod quoque testatur *Nollius*, cum aliis. De pluribus aliis medicamentis, partim

laudabilis efficaciæ jamdum propoſuerunt varia alii Autores, hinc illa repetere ſupervacaneum cenſeo; Lectorem potius ad eoſdem remittens; In ſpecie tamen allego clariſſ. Dn. *Morhöfium*, qui Epiſt. ad Dn. Dn. *Langelottum* de Metallorum tranſmutatione p. 35. ſequ. varia curioſa de rore majali proponit.

Ex antecedentibus innotuit benevolo Lectori, meum ſcopum eſſe, tractare de *Tinctura Univerſali*, id eſt, Myſterio non modo morbis omnibus ſeſe opponente; ſed etiam Metalla imperfecta in perfectiora & puriora exaltante; Non poſſum tamen non, quin adnectam, quòd unus & alter in Pyrotechnia aliàs quidem bene verſatus & excitatus ſtatuat, dictam *Tincturam* quoad uſum Catholicum Medicum præparatu plane impoſſibilem eſſe; metallicam verò tranſmutationem perfici poſſe per ſalia ſimpliciter conſiderata, minime concurrente influxu vel operatione Aſtrorum Æthereo, veluti hoc in Tractatu partim rationibus Phyſicis, partim variorum experientia & teſtimoniis demonſtravimus; Spiritum autem Mundi & ſal terræ centrale, ut & horum analoga, rorem majalem, aquam pluvialem, Nivem, &c. nihil plane conferre imò ſupervacanea, fruſtranea, inepta eſſe.

Fateor quidem, me neutiquam hic pluribus litigando aut controvertendo extravagari velle; ſed patiar unumquemque abundare ſuo ſenſu; potius inſuper opto, chriſtiana monitus, motuſque charitate, ut quilibet mortalis experimenta ſua Proximo ac Poſteritati utilia profutura communicet, & immortalia relinquat; tamen pro veritate in naturalium ſcrutatione melius eruenda, ſine bile omni dico, me minime latere, quam adcuratè hactenus, non quidem tam prioribus atque noſtro ſeculis, quam aliquot ſaltem luſtris Philoſophi per ignem inquiſiverint in doctrinam ſalium alcalium & acidorum; ut proinde gratuler nobis, quod Divina clementia mirabiles horum operationes, incomparabilemque energiam in rebus medicamentoſis, & Metallariorum, & quæ his affines, magis magiſque patefieri conceſſerit.

Gratulor quoque potius Chymiæ in ſpecie quod in tantum honoris faſtigium fuerit elevata, ut contra tot, tantorumque negantium, virorum partim in re literaria & chymiatrica ſanè magnorum autoritatem, mediante efficaci ſalium, & quæ his affinia ſunt, caute mixtorum virtute, poſſibilitatem tranſmutationis metallicæ cuilibet incredulo hodie ad oculum demonſtrare valeat, veluti & ipſe oculos & manus meas ejus rei poſſum appellare teſtes. Concedo inſuper, opus hocce ſic extendi & exaltari poſſe, ut præter dictam poſſibilitatem in ſimilibus mixturis metallicis neutiquam fruſtra ſemper inſtituatur labor; ſed aliquando non ſine lucello ac fœnore operetur operator.

Verum enim vero, quod mediantibus ſolis ſalibus, v. g. borrace, ſale tartari, cineribus clavellatis, Arſenico, mercuriô ſublimato, nitro, alumine, lapide calaminari, & ſimilibus, (ſolis dico, quatenus propria horum qualitas, juxta hoſce Autores, opponitur *Tincturæ Univerſali* tranſmutanti, vel influxu æthereo opem conferenti,) dicta corpora impuriora metallica, mineralia; & his confinia, ut ut variè & verè Phyſicè mixtis ita perfici, horum firmiſſima repagula reſolvi, ac divelli poſſint in tantum auri vel argenti augmentum, quale capite tertio nominatum, & certa diverſorum experientia munitum eſt, ut videlicet unicum *Tincturæ* granum aliquot centum, imo millia granorum tingere valeat, hoc ſanè nondum credent plures Pyrotechniæ medicæ cultores, uſque dum rationes firmiores, clarioraque in lucem producantur experimenta. Effectus enim univerſalis aliam, quam univerſalem præſupponere non poteſt cauſam.

Nam in omni actione proportio requiritur neceſſaria inter effectum & cauſam; Dum igitur ſalia, per ſe intellecta, fundunt corpora impuriora metallica aut mineralia, perfectioris & purioris ſubſtantiæ pars major extorqueri inde minime poterit, aut expectanda erit, quam vel illud corpus metallicum ratione eſſentiæ in ſe continet, vel ſalia addita, ratione innatæ qualitatis, communicare poterunt.

Hinc talia ſalia è Philoſophiæ Pyrotechnicæ fundamentis nervosè & decenter mixta pro ſua virili, hoc eſt, quantum pro naturæ ſuæ viribus valent, in ſubjectum corpus agunt ſubtili penetrativitate, ibique contentas & reperiendas diſperſas valde & fixas atomos auri vel argenti cribrant, vel percolant quaſi, & ſeparant à cruditatibus impuris. Ipſa autem ſalia multo ſunt pauperiora, quam, ut ope innatæ qualitatis tali corpori aliquam portionem puriorem auream contribuant, vel ut illud ditent, ac imprægnent virtute aurifera; ultra enim poſſe ſuum nemo obligatur; nec ullus plus poterit dare, quam habet in receſſu.

Hoc modo per ſalium penetrabilitatem paratur *Venus alba*, item è Zinko; Cuprô, &c. varia Auro & Argento quoad figuram externam analoga; Examen autem igneum Cupellæ, vel etiam crucibuli evincit, & demonſtrat differentiam talium à genuino auro & argento manifeſtam.

Propterea plenaria & tam larga metallica tranſmutatio è conjunctione & auxilio ſalium propriè conſideratorum minimè erit ſperanda; ſed opus hoc omnino ſub favonio Divino diriget influxus Aſtrorum; cùm ſal æthereum inſignem habeat familiaritatem & analogiam cum corporibus ſalinis communibus; & hæc illius ſint quaſi ſpongia, matrix, vel receptaculum attractivum, & ita ſeſe facilè & libenter uniunt invicem, ſubjectaque hæc terreſtria virtutibus cœleſtibus irradiantur continuò, & fœcunda redduntur. Aſtra enim regunt Homines, (& ſublunaria) ceu regit aſtra Deus.

Sic Fridericus *Hofmannus*, in Clave ad Pharmacop. *Schröder*. Libr. 3. cap. 9. p. 195. cum *Morhofio*, ex Epiſt. de Metallor. tranſmutat. ad *Langelottum* p. 29. 30. nervosè inquit: *Magna Naturæ architectonicæ ſunt inſtrumenta ignis & ſalia; ſed varia, ut varia ſunt corpora, corporumque miſtiones, quorum miniſterio, pro ſubjectorum ingenio in compoſitione & diſſolutione eorum utitur. Ea tamen eſſentiam illorum non ingrediuntur. Miras in corporibus tum aliis, tum metallicis beneficio ſalium Natura facit viciſſitudines*, &c. &c. Non minus adcuratè philoſophatur Johannes Joachimus *Becherus* in Supplem. in Phyſicam ſubterran. cap. 5. p. 76. qui cum acutiſſimo Ken. *Digbæo* de plantarum vegetatione, dum granum unum hordei artificialiter nutritum & præparatum 249. caules, & 18000. grana produxerat, ſic loquitur: *An exiſtimas, tantummodo eſſe ſal nitrum, quod attractum in ſemen aut radicem hanc fertilitatem adfert? minime gentium; Illud extemplo exhaurietur, nec tam immenſæ progeniei materiam ſubminiſtrare poſſet. Sal nitrum eſt ibi inſtar Magnetis, quod attrahit ſimilem*

similem salem, quo aër redditur fœcundus. Hinc Cosmopolita ansam arripiebat, ut diceret, quod in aëre occultum sit vitæ alimentum, &c. &c.

Salium (secundum suam naturam intellectorum) ad arduum hoc opus, perpetrandum insufficientiam demonstrant quoque à Protoplasta sic ordinatæ, perpetuo circulo continuantes in Sublunaria omnia influentiæ cœlestes, teste quotidiana experientia in singula tria Regna æquè Imperium suum exercentes. Quamdiu igitur dictus Astrorum influxus in Sublunaria non poterit negari, quamdiu harmonia Superiorum & Inferiorum firmo stabit talo, ceu stetit à primo rerum creationis principio, & quamdiu contra autopsiam non audebit disputare vir prudens, tam diu etiam magna hæc metallorum transmutatio non aliter quàm universali hac ætheris irradiatione erit possibilis. Artem etiam æmulam & ministram, vel ad summum aliquando adjutricem esse Naturæ, non verò magistram, Sole, cùm sudum est, clarius apparet.

Pro regno quolibet vel unicum subnectam exemplum; & ut jam à minerali incipiam, dico, caput mortuum vitrioli post destillationem planè exsuccum aëri per tempus expositum primævam & innatam suam qualitatem recipit; quod adhuc largius & felicius experitur terra mortua è coctione nitri & aluminis residua, ut postea majori fœnore prioribus usibus coctionis possit destinari. Illud idem in pluribus aliis sic etiam procedere, norunt sagaces Chymici. Nobiliss. *Langelottus*, in Præfatione in *Tilemanni* experimenta, ut & in epistola ad Naturæ curiosos, p. 19. inquit, *veram auri solutionem fieri non posse, nisi per sal aëris, unicum solvens catholicum.* Si itaque salia communia, sine auxilio salis aërei, tantum non possunt, ut referent aurum, quomodo vilioribus corporibus plane poterunt communicare nobilissimam hanc & fixissimam auri essentiam?

In Regno animali, Homo per aliquot menses, vel septimanas hypocaustum non deserens, vel carceri inclusus redditur cachecticus, præcipuè ideo, quod sanguinis massa non decenter circulata, nec à sale aëris influente debitè volatilisata, nec spiritus nostri novo robore balsamico aërearum atomorum, more solito, sint recreati & fœcundati.

Sic Auram unius Provinciæ, imò Urbis esse salubriorem altera; Homines item uno in loco esse vivaciores, ac in altero, quis est in œconomia Physica tam rudis, ut negare audeat? sic v. g. in Italia, ob radios Solis magis exaltatos, aërisque tenuitatem conspectui nostro sese offerunt plures ætatem senilem ingressi, quam in Batavia inter maximam etiam Hominum frequentiam, cujus causam non immeritò adscribimus evaporationibus putridis è locis pluribus uliginosis, aquisque stagnantibus, hic copiosè in auram adscendentibus, illamque corrumpentibus. Imò in una atque altera urbe pro puriore vel impuriore aëris dispositione tam Homines, & quidem præcipuè, quam etiam Bruta & vegetabilia vitam suam vivunt modò vel vegetam vel morbosam; dubitans in memoriam sibi revocet adfectus contagiosos, pestilentiales, item catarrhales, quos dicunt.

Regnum vegetabile quod attinet, frutices, Herbæ, & similia Vegetabilia contra Hyemis injurias in cellam repositæ vivunt quidem, aliquando etiam protrudunt folia, flores, quod quoque dicto tempore præstat ramus ceraforum, &c. Hypocausto calefacto immissus. An autem hæc colore & odore ac vigore sint æquiparanda illis in horto crescentibus, roris, vel aquæ pluvialis, similiumque aëriferorum balsamo quotidie refocillatis; an item cerasi ramus in hypocausto fructus producat, testem appello experientiam, rerum omnium magistram. Sic poterit curiosus, contrarium sentiens vegetabilia tempore æstivo frequenter humectare aqua fontana sale volatili, aëris non adeò volatilisata & fœcundata, & experietur debiliorem vegetationem, vel plenarium interitum herbæ. Quantum fertilitatis sæpius vel unica pluvia regno vegetabili adferat, notum est non modo lippis & tonsoribus; sed & Rusticorum pusionibus, & aniculis.

Sic Aromata, aliaque innumera sub nostro Climate non crescere ob radios Solares magis opacos & steriles, norunt omnes. Crocus autem, Rhabarbarum, Tabacum, aliaque transplantata, analoga saltem, non vero æquali virtute operantur. Notum est nonnullis Botanicis, florem mirabilem nostrum Peruvianum, ceu vocatur, esse galapium Indorum; sed summe debilem edere purgandi effectum, & extero galapio minime comparandum. Hinc non inconcinne statuit Clarissimus *Balduinus* Tractat. de Auro Auræ. cap. 3. p. 40. rorem in Germania minus salis Mundi esse feracem, ac in cæteris calidioribus regionibus, præsertim Ægypto.

CAPUT VI.

Monstrans quomodo præparetur Tinctura Universalis.

CApite præcedenti ingenuè proposui, cuinam materiæ natales debeat *Tinctura Universalis*, quantum quidem de ardui & incomparabilis hujus mysterii notitia detegere tenuitati meæ per veteranos nonnullos in veræ Chymiæ castris milites placuit Divinæ Sapientiæ. Nunc operæ erit pretium, ut subjungam eodem candore, eaque ingenuitate proximo exponam, quanam methodo legitima illius præparatio sit obtinenda & instituenda. Post materiam enim cognitam hujus ignorantia similis omnino est fugitivis illis, famem, sitimque augentibus *Tantali* dapibus; vel *Adamanti* radios lucidos non spargenti, nisi remota corticis exterioris impuritate & crassitie; vel carni crudæ per coctionem esurienti stomacho non accommodatæ; vel panno pro frigore arcendo in vestem non consuto.

Antequam vero ipsam aggredior tractationem, denuo, & quasi ex superabundanti moneo, quod quidem cuilibet liceat legere & mirari miraculosa *Majestatici Dei* opera; illos verò, quos in superioribus indignos nominavimus, benevolè iterum iterumque rogatos volo, ne obliviscantur cautelarum ibidem propositarum. Si verò mentem aut frivolam manum intempestivo ac impio scopo huic operi admoverint, accidatque eventus frustraneus, inspiratus, tristis, jacturam temporis aurei, aureorum nummorum, ac Famæ plusquam aureæ non sine mundanæ & æternæ Salutis periculo perpessam solummodo propriæ pravæ concupiscentiæ adscribant.

Quamvis enim quilibet in suo officio aut professione Talentum concreditum legitimè ut observet, Conscientiæ stimulo adstringitur; tamen, qui

manum adplicat operibus medicis, unum de rebus inter mundana magis arduis aggreditur, licet à multis leviter ſaltem judicetur & tractetur. Nam non hic luditur de corio Brutorum, ſed Hominum; non agitur de auro, de gemmis, de Chocolada, ſed de Homine ad *Dei* imaginem condito, in quo aliquid Divini habitat, quemque Chriſtus pretioſiſſima Sanguinis ſui purpura redemit; Agitur item de ipſius Medici animæ ſalute; Dum hic aliquid neglexerit de illius ægroti ſanguine in magno illo rationum die rationem ſibi reddendam, certè imprimat memoriæ. Si itaque in ſtatu communi medico & medicamentoſo tam ſeveras definit leges Conſcientia, facile concludendum eſt, non cuilibet liberum eſſe frivola mente, ludicraque manu tractare *Tincturam Univerſalem*, utpote, quæ eſt τὸ πάνυ rerum medicarum.

Quemadmodum igitur debita veræ materiæ cognitio maximus innumeris operatoribus fuit lapis offenſionis, ita non minus ingenua hujus jam cognitæ elaborandi via tot ac tot ſibi ipſis impoſuere, tot ac tot in acquirendo aureo hoc Vellere variarum opinionum ac diverſarum deſcriptionum procellis agitati naufragium ſunt paſſi; tot ac tot in turris hujus Babylonicæ exſtructione diverſitates linguarum ſenſuumque exortæ ſunt innumeræ.

Cùm enim cuidam operatori licuerit eſſe tam felici, ut genuinam arripuerit materiam, & neutiquam erraverit, pro laboris materia fortaſſis eligendo aurum, plumbum, mercurium, vitriolum nitrum, ſimiliaque corpora nimis fixa; neque etiam ſaltem in partem materiæ cœleſtem & volatilem, aut fixam & terreſtrem inquirendo; vel materiæ veræ heterogenea admiſcendo, aut materias remotas tractando; tamen quia totum hoc arduum negotium conſiſtit in ſolis his duobus, vera nimirum materiæ cognitione, ejuſque debita præparatione; quilibet credat, velim, ſi inter centum alia in hac methodo pyrotechnica conſideratu neceſſaria, vel unica enchiriſis omittatur, ſola ſufficit ad oleum operamque plenariè perdendam. Vel, ſi oleum & opera non plenariè perdatur, tunc ad ſummum acquiritur, in re medica quidem remedium laudabilis efficaciæ, minimè tamen univerſale; in re metallica vero levidenſe ſolum lucellum obtinetur; veluti in antecedentibus capitibus ampliſſime demonſtratum.

In ſpecie multi ideo ſpiritum vertiginis ſunt paſſi, vel Fortunatas Inſulas ſua nave non attigere, in Portu Bonæ at fruſtraneæ Spei infauſto ſidere hæſitantes; quod nimis ſuperficiarie, & manu feſtinante hancce operationem, operationibus omnibus operoſiorem, & magis ſeriam inſtituerint; ſibi falſo perſuadentes, eandem ſpatio paucorum dierum vel ſeptimanarum, aut ad ſummum aliquot menſium integrè abſolvi poſſe; atque hoc modo præcipiti diverſa & minime omittenda infallibiliter omittentes. Negari quidem non poteſt in variis Alchymicorum libris hoc ita definiri, ab iiſdemque nominari opus mulierum aut puerorum. Quod ita factum judico, vel, ut imperitos indignoſque Artis ſcrutatores ſeducant & confundant more ipſis ſolito; vel intellecta volunt ſua verba de labore *Tincturæ* poſteriore, qui potiſſimum conſiſtit in hoc, ut materia beneficio longæ digeſtionis vel circulationis per æqualem lenioris ignis gradum ad deſideratam ac perfectam deducatur maturitatem; poſtquam prior & antecedens laborioſis depurationibus, tædioſis deſtillationibus, diuturnis fixationibus & volatiliſationibus poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum fuit conſummatus.

Unicum hac de re adducam è Neotericis exemplum: Refert clariſſimus *Helvetius* in Tractatu *Vitulus Aureus* inſignito, *Adeptum* illum, cujus Hiſtoriam cap. 4. propoſuimus, ipſi aperuiſſe, quod hiece labor quatridui tempuſculo perfici poſſit; quod ſane, tenui quidem meo judicio, pro hujus *Adepti* mendacio officioſo reputo. Dum nimirum laudatus *Helvetius* nimium ſuum fervorem intenſumque pro cognoſcendo hoc arcano deſiderium propalavit, & quidem ita, ut Uxor more plurium Mulierum Batavicarum ultra Sexus ſequioris leges curioſa, ut & reliqua ejuſdem Familia, linguis, oculis, auribus, manibuſque huic operi interfuerint. Proinde hoſpes hic rariſſimus Virum de Re Medica alias optime meritum procul dubio pro genuino *Adepto*, quos vocant, non habuit, ſed materiam cum elaborandi methodo occultavit, ipſumque, ne manum admoveat operi, ſeriò monuit.

Dictis hiſce tamen ego nullius experientiæ aliquid derogare, aut præjudicare audebo, quia ille, qui Mundum integrum creavit, modo ſubitaneo, & extraordinario, methodoque peculiari atque ſupranaturali facile poſſet cuidam quoque *Tincturæ* præparationem detegere, & donare. Verùm, cùm Deus O. M. ſua Bona vendiderit & adhuc vendat labore, quis, quæſo, tam facile credat, ut ille Bonum hoc optimum, Bonum hoc ſummum otioſis & indignis, tanquam aſſam columbam advolare concedat?

Propterea ad ipſam progredior elaborationem; de qua magnus Chymiater, (qui paucis abhinc annis debita Naturæ ſolvit,) mihi devoto animi fervore literas Michaëlitanas ipſi in itinere meo offerenti poſt varios diſcurſus fideliter ſequentia verba detegebat: Quam certè ego credo, Chriſtum eſſe Dei Filium, tam certè ſcio, hanc materiam eſſe veram & proximam, & hanc præparandi methodum genuinam.

Philoſophus quidam Pyrotechnicus per catenam vel circulum elementarem hoc opus nervosè ſic deſcribit: *Fac ex igne aërem, ex aëre aquam, ex aqua terram, è terra ignem.* Sed cum hocce dicterium plures forte legant, quam intelligant, addo per ignem intelligi debere tenuiſſimam & puriſſimam Superiorum partem, quæ in aëre quodammodo incipit incraſſari, poſtea hoc mediante in aquoſam humiditatem, ac tandem in terram, vel potius in ſal terreſtre fixum, amicæ fermentationis adminiculo convertitur. Per idem verò fermentum ſal fixum hoc terræ volatiliſatur, & quaſi igneum redditur, depoſitis terreſtribus ſuis ſcoriis, atque quiſquiliis; vel ut brevius explicem: *Materiæ partem volatilem fige, & fixam volatiliſa.* Ego autem ſcapham voco ſcapham ita: Dixi ſuperius, laborem noſtrum commodè diſtingui in partem ejus priorem & poſteriorem. Prior conſiſtit in hoc: Menſe Septembri, circa Æquinoctium autumnale Sole Libram ingrediente, paretur fovea aliquot ulnas pro tuo lubitu longa & lata, duas autem ulnas, vel ad ſummum tres, profunda, ſub dio, aut in loco aëri libero expoſito, versùs Orientem vergens; ſi verſus Occidentem huic collis eſſet oppoſitus, eò foret commodius. Dicta fovea eodem tempore impleatur terra limoſa, pingui, è nigredine rubeſcente, fœcunda, nitroſa qualem capite antecedente deſcripſimus. Æqualiter tamen ſaltem ſit repleta, ne terra ſuper foveam protuberet;

protuberet ; aqua enim pluvialis affluens & elabens simul terram sale volatili aëris imprægnatam suâ efficaciâ privaret.

Hæc autem non profundius effodiatur , ac ulnæ longitudo penetrat ; ac prius separatis superius gramine , similibusque scoriis superfluis. Locus autem liber sit à brutorum aditu , muniaturque ab aliis impuritatibus , ut ita eo felicius & facilius influxu Astrorum , ut & successivè modo per rorem , modo per pluviam , & nivem , toto semestri hyemali fertilis reddatur , ac sale volatili aëris largius imprægnetur.

Postea circa insequens æquinoctium vernale , Mense Martio , vel etiam Mense Aprili , aut Maio, prout nimirum temperies aëris est fœcunda & serena , aliæque constellationes coincidunt laudabiles, (tales enim circumstantias plurimum conferre, ac necessarias esse operi , fatetur experientia verorum Chymiatrorum) Terra descripta eruatur è fovea in patinis largis , & vasculis latis , non adeò profundis, tempore nocturno exponatur aëri libero; radiisque lunaribus ; muniatur tamen tecto à Pluvia , (quamvis enim hæc ipsa aliàs sit aliquale vehiculum *Spiritus Mundi* , hîc tamen tenuitate sua aquosa diluit , & dissolvit illum extraordinariè & largius in subjectum hoc optimè capax influentem) interdiu verò ac Cœlo tempestuoso , ac flantibus ventis violentioribus sal illud summè tenerum & sensibile dissipantibus removeatur.

Expositio autem hæc continuetur ita ad minimum sex septimanis , vel aliquot Mensibus , præcipuè usque dum præterierit Solstitium æstivum , atque Sol Leonem fuerit ingressus. Ubi monitum volo ; quicunque Pyrotechnorum operationem hancce audet maturare ; eandem incipiat Mense Martio , statim è Terra eruta materia, licet per hyemem non digesta , præparata , ac imprægnata fuerit. Quamvis digestio notata hyemalis longe præferenda magisque commendanda. Adhæc , si possibile est , dicta terra ante effossionem per tres septimanas pluvia non tangatur , cùm eadem glutinosum terræ corpus liquidius reddat , ne tam copiosè huic inhærere possit æthereus ille hospes ad opus summè arduum , præcipuè temporibus illis Anni balsamicis & quod cardo rei est , Cœlo existente pluvioso *Spiritus mundi* non poterit communicari purus, sed vaporibus crassis terrestribus elevatis est coinquinatus.

Tunc recipe terræ hujus ita sale astrali volatili, & centrali terræ fixo , uberrime fœcundæ redditæ aliquam partem , (poteris laborem in aliquot vasis simul instituere pro majori copia acquirenda,) destilla per retortam vitream optime lutatam (terream enim præprimis non lutatam pars volatilior potior penetrat, ac avolat,) igne primum leniori, nec ultimò etiam Fortius aucto Spiritum vel partem volatilem materiæ nostræ. Destillatum iterum affunde residuo ; stet ita in vitro bene munito pro circulatione, fermentatione, resolutione, melioreque unione promovenda , in leni digestione per sex & plures septimanas; tunc denuò destilletur spiritus modo jam dicto, denuo affundatur residuo , stetque ita per tempus ; & hoc aliquoties repetatur, ut sal volatile salis fixi partem volatiliset.

Postea Spiritus septem vicibus in balneo maris per alembicum rectificetur , ut per repetitas hasce cohobationes liberetur ab omni heterogenea ac inutili aquositate , insimulque secum super alembicum ducat partem salis fixi volatilisati , per repetitas circulationes cum parte volatili amicè conjuncti. In residuo capite mortuo cùm lateat adhuc bona portio salis fixi , hoc elixivietur phlegmate proprio in spiritûs destillatione & rectificatione separato,(nihil enim heterogenei misceri debet materiæ nostræ , cùm jamdum in se contineat omnia sibi necessaria,) sal inde evaporatione præparetur, quod per sæpius repetitam solutionem & coagulationem dicto phlegmate proprio factam ac in summam puritatem , & albedinem crystallisetur. Et hoc plerumque demum post vigesimam operationem solutionis perficietur. Tunc spiritus rectificatus & sal crystallinum denuo uniantur pondere vel proportione philosophica , quæ consistit in hoc , quod fixum recipiat de volatili quantum desiderat, vel necesse habet , quod in superfusione lenior strepitus ortus docet ; Ut plurimum tamen requiruntur spiritus volatilis partes decem ad salis fixi partem unam. Hac igitur proportione misceantur spiritus & sal ; indantur retortæ vitreæ optime lutatæ , (terream enim, ceu dictum antea , præprimis non lutatam pars potior volatilior penetrat , ac avolat,) destilla observatis bene ignis gradibus; nisi enim antiquum illud *festina lente* observaveris , experieris , quam fragile sit vitrum , quam fallax tua expectatio , quam irritus tuus labor ; ultimò tamen semper ignis fortiùs est augendus juxta leges quarti gradus. Destillatum iterum superfundatur residuo ; postquam aliquamdiu stetèrit , denuò in nova retorta vitrea bene lututa destilletur ; & hoc toties repetatur , usque dum prodierit liquor lacteus pinguis , in frigido coagulabilis , in calido liquabilis , veluti butyrum , quod plurimum sexta vel septima accidit destillatione. Dictus hic liquor adhuc aliquoties itidem est rectificandus pro meliori volatilis & fixi unione. Atque hæc dum absolvisti , absolvisti anteriorem , eamque laboriosiorem operis nostri partem ; obtinesque verum *Aurum Philosophicum* , adhuc tamen immaturum.

Priori huic parti tandem succedit Pars posterior ; Pars posterior dico , quæ eò magis grata, cùm laboris tam tædiosi , tam desideratissimi finem afferat ; eò magis quoque grata, cum in hoc cessent graves , molestæque operationes, eidemque leni modò digestione , longiori otio , patientia ultima imponatur manus. Postquam igitur dicto modo per crebrius repetitas digestiones , solutiones , rectificationes scoriæ ac impuritates è materia remotæ, postquam Principia decenter depurata , conjuncta , pars volatilis , fixata , & fixa volatilisata, restat nunc ut blanda circulatione in catholicam illam Tincturam traducantur , & in veram quintam essentiam concentrentur.

Propterea dicti liquoris portio indatur phialæ vel cucurbitæ parvæ , ut tertia saltem ejus pars repleatur , vitrum Hermeticè & cautè sigillatum imponatur cineribus, vel arenæ , (alius præponit Balneum vaporis , vel etiam maris ; de quibus plura paulò inferiùs , ubi de ignis agitur regimine :) digeratur ita leniore ignis gradu , & videbis Materiam inclusam miris gyris ascendere , descendere , elevari , deprimi ; & ex circumgyratione penitiorem atomorum volatilium & fixarum unionem & combinationem concludes; donec pedetentim & successive materia colore nigro imbuatur , quod *Caput corvi* vocitant Chymici. Mirandum sanè est , quomodo materia tamdiu , tam curiosè & laborioſe , tam diversis modis depurata nigrescat , & videtur excrementitiis adhuc scatere impuritatibus , aut tales fœces deponere ? Quod

ideo hîc monitum volui, ne quidam per hoc ſibi imponi patiantur; ſed ſciant, colorem huncce eſſe vere Philoſophicum. Cùm ad *nigredinem* ita in labore tuo pertigeris; expectanda erit poſtea *albedo*, & ultimò *rubedo* pellucida, licet colores alii quaſi intercalares interveniant illas, v. g. Poſt nigredinem apparent figuræ variegatæ, quam *caudam pavonis*, vel *iridem* vocitant; poſt *albedinem* vero flavedo. Apparente ita per tempus, veluti dictum, reali & perfecta *nigredine*, modicè augeas ignem tuum hucuſque valde modeſtum; & oculos tuos exhilarabit lentè oriens pulcherrima illa *Iris* vel *Pavonis cauda* paulatim degenerans in *Terram albiſſimam* quaſi foliatam, ſcintillis argenteis per vitrum radiantem.

Conſpectus hicce *Cygneus color* oſtendit & offert tibi perfectam *Tincturam*, vel *Elixir album*, quod quamvis non ſit plenaria *Tinctura Univerſalis*, tamen unum vel alterum hujus granum virtute quodammodo generali morbis omnibus medetur, ac impuriora metalla in veram Lunam convertit.

Poſtquam tibi licuerit eſſe tam felici, hæc ita abſolvere, tunc iterum paululum exalta ignis gradum, cautiſſima tamen, & parca ſemper manu; & ſucceſſivè gratiſſima illa *albedo* per varios colores, præprimis *flavedinem*, in fine *crocatam*, vel è flavo rubeſcentem, ultimo adipiſcetur perfectionis ſuæ gradum nimirum *rubedinem*, dum pedetentim, & lento modô ſeſe materia transformat in granum, vel corpuſculum globoſum rubiniforme pellucidum.

Hoc eſt illud conſummatum rerum Phyſicarum omnium myſterium, veriſſimum rerum quarumlibet medicamentoſarum centrum. Cujus incomparabilis efficacia tam in ſanitate præſente conſervanda, ac amiſſa reſtituenda, quàm in metallis ignobilioribus magis nobilitandis, ac in Aurum conſtanter tranſmutandis partim è ſuperiori cap. 3. patet; partim ejuſdem cognitio, & operandi modus non latet Chymicos prudentes, cum quibus mihi res eſt, ut ita eadem prolixius hic deprædicare ſuperfluum plane judicem.

Quantum temporis requiratur, antequam Fortunatarum harum Inſularum portum tangere liceat, tam adcuratè definiri non poteſt, cum antecedens, eaque laborioſior operis pars citius ab unô, quam ab alterô abſolvatur. Varietas enim enchiriſium in depuratione, digeſtione, cryſtalliſatione, &c. laborem aut prolongare, aut abbreviare valet. In poſterioris verò partis negotio, moderata nimirum digeſtione, itidem operator alter alterô eſt peritior, imo felicior mediante ignis regimine, in quo cardo rei conſiſtit. Cautus tamen & expertus, & ita ſimul patiens Pyrotechnus non adeo facile errare poterit, ſi modo certam & orthodoxam ſibi præfigat regulam, mutationem colorum depictam in materia incluſa conſpectui ſeſe offerentium. Quamdiu enim vel plane non, vel nondum perfecta adeſt *nigredo*, tamdiu requiritur ignis ſumme lenis. Colore autem dicto apparente, augendus eſt paululum ignis, donec *albedo* acceſſerit, & diſceſſerit. Tunc iterum modicè ignis eſt augendus; (cavebis tamen, ne quid nimis,) uſque dum illuxerit deſideratiſſima illa *rubedo*, & tunc continuandus eſt per temporis ſpatium calor. Quo diutius enim digeritur vel circulatur materia, eò maturior, eò perfectior certiſſime Tibi erit exſpectanda *Tinctura*. Quandocunque enim admodum lenis adhibetur ſaltem tepor, neceſſaria partium volatilium & fixarum mixtura tardiore quoque motu ad ſuam perfectionem, ad ſuum finem tendit; Si vero juſtò celerius ignem augeas, materia contenta molliori ac delicatiori inhians tractationi vitrum rumpit, atque ita laboris præcocem & infauſtam facit periodum.

Faſſus ſiquidem mihi eſt Chymiater celeberrimus ſanctâ fide, quod magni Principis juſſu ac ſumtibus aliquot annorum ſpatio Philoſophiæ Pyrotechnicæ incubuerit, ac tandem primicerium hoc opus chymicum fuerit aggreſſus, alacri mente, & manu indefeſſa. Poſtquam autem ad duos annos, & quod excurrit, huic methodicè inſudaverit, ac jamdum ex *albedine* tantum non perfecta per vitrum radios lunares ſpargente maximam optati eventus ſpem conceperit, una vice improviſo, fortaſſe ob ignem paulo fortius actum, vitrum penitus diſruptum in cauſa fuiſſe, quòd loco præmii, præter olei operæque perditionem, nihil reportaverit. Quid in Laboratorio *Michaëlitano* acciderit laborioſo ac provido Dn. *Zittemanno*, dum Mercurius cum Auro præcipitatus per octodecim menſes cautiſſimo igne tractatus, paulo nimirum ſaltem tepefactus vitrum ruperit, ac evolverit; capite 4. meminimus.

Proinde illa loquendi formula, dum poſteriorem operis hujus partem vocitant opus mulierum & ludum puerorum, cum grano ſalis debet intelligi; nimirum, hîc non requiri adeò difficiles enchiriſes ac tædioſas diverſitates, veluti in antecedentibus; ſed ſolummodo neceſſe eſſe, ut longinqua mora, otio, ac lenta patientia moderati caloris beneficio abſolvatur; præcipuè cum modo præmiſſa doceant, non minus & hic adcuratè tractandum eſſe ignem. Sic exore magni Chymici, *Tincturæ* elaborationi incumbentis, percepi, ipſum carbones fornaci injiciendos partim humectare, ne præcipiti flamma incenſi inopinatum & triſtem cauſentur effectum, domicilio vitreo raræ illius avis impatientis diſſiliente.

Petrus Johannes *Faber*, in Manuſcripto aliquoties citato præfert digeſtionem humidam ſiccæ id eſt, mavult, ut circulatio perficiatur in balneo humido Mariæ, quàm in arena aut cineribus. In magni cujuſdam Principis Laboratorio ſic procedebatur: Phiala vel cucurbita parva ad quartæ ſuæ partis repletionem onerata *Tincturæ* materia continuandæ poſteriori laboris parti deſtinata & mixta indatur pyxidi ligneæ, pro phialæ figura tornatæ; hæc imponantur ita tripodi ferreo, qui reponatur in balneum mariæ cupreum duas ulnas altum; Huic infundatur aqua, duos tamen digitos tranſverſos profundius, quàm ut pyxidem ligneam tangat. Tepefiat hæc aqua, tam leni tamen ignis ſervato gradu, ut ſit analogus ovo cui gallina incubat.

Quidam in hiſce Naturæ ſummis arcanis optime exercitatus mihi aperiebat loco magni ſecreti, ſeſe ſolum uti igne ellychnii, vel lampadis, modeſta olei affuſione nutrito; cum verebatur, ne materiæ in vitro contentæ ab atomis carbonum ignitorum penetrantibus aliquid heterogenei, cujus plane eſt impatiens, accedat.

Chymici etiam genuini pro ſimilibus arduis proceſſibus ritè tractandis abhorrent utplurimum ignis actualis violentiam; ſed ſæpius & ſecurius adhibent ignem, quem dicunt frigidum & humidum, dum ita per excitatam curioſam mixtionem & modeſtam fermentationem res deſtillandæ, circulandæ, figendæ, &c. in ſe ipſas quaſi agunt, &

quod

quod ab igne communi periculosâ vehementia expectandum, sic caute, secure & lente perficiunt, Quæ de arcano igne ad *Tincturæ* operationes adhibendo proponit Joh. Joach. *Becherus* in Physic. subterran. Lib. 1. Sect. 5. cap. 3. p. m. 494. sequ. ibidem poterunt videri.

Dixi aliquoties in hoc & præcedente capite, materiam *Tincturæ* nostræ continere in se omnia pro acquirenda sua perfectione necessaria; neutiquam vero alieni quiddam eidem misceri debere; prout hactenus proposita & declarata erudient Divino Fato electos, dignosque ad hoc judicatos. Non possum tamen hic silentio præterire, haud absurdè, vel contra Artis fundamenta Aurum aut Argentum vulgare & perfectum addi aliquando solere & posse. Cum per hæc nobiliora metalla, ob syncretismum, & Analogiam, quam habent cum Superioribus, labor citius ad finem perducatur desideratum. Cuicunque igitur non libuerit dicta methodo hunc juxta sua principia sola & pura tractare per circulum philosophicum, uti loquuntur ille non adeo aberrabit à vera semita, si justo tempore ac modô addiderit Aurum vel Argentum vulgare, vel perfectum. Cum hac additione autem ita est procedendum: Postquam absoluta priore operis parte aggressurus es posteriorem, longinqua illa, tarda & patienti digestione perficiendam; tunc partibus decem materiæ dictæ universalis admisce partes duas argenti, si saltem *Tincturam albam*; totidem verô auri, si *Tincturam rubram*, vel opus absolutissimum desideras, (debent autem sumi Sol vel Luna purissima, vel in pulverem aut crocum redacta; quò melius enim antea eadem sunt resoluta, eò citius materiæ sese uniunt eventu optato. Commodior Auri crocus habetur, dum hoc cum antimonio purificatum amalgametur cum Mercurio, hinc superfundatur Spiritus vini summè rectificatus, qui evaporetur, vel destilletur aliquoties, & fiet pulvis optimè levis, tenuis, & porosus)

Ego quidem eligerem, vel huic præferrem *arenam* illam *auream Indiæ Occidentalis* nativam superius memoratam, ob suam volatilitatem sulphuris innati citius communicabilem.

Facta hac materiæ & Auri mistione progredere in processu tuo, lentè festinando, laboremque per rotam aut circulum philosophicum, veluti hactenus clare descriptum, continua. Si forte Aurum vel Argentum prima vice non fuerit integre mixtum materiæ universali, tunc adde denuò materiæ, hujus portionem Auro; ac veluti hucusque, ita adhuc aliquot septimanis vel mensibus illa tractes, & unientur successivè, juxta tuum desiderium.

In Capite dissertationis hujus secundo proposui ex nonnullorum Neotericorum (cum Veterum fides hic, non adeò rectè quidem quasi dubia reddatur,) autoritate & experimentis possibilem *Tincturæ* augmentationem. Quamvis autem de hujus veritate ipse ego testari non valeam; sed peritiorum Chymicorum judiciis, ac censuræ hoc relinquam; nihilominus de hujus praxi instituenda heic curiosis subjungam, quæ unus illorum integrum hoc negotium arcanum, ceu superius monui, fideliter mihi detegentium significavit, ita autem procedi debere affirmabat: capias *Tincturæ* tuæ rubiniformis pellucidæ partem unam, huic adde denuò liquoris illius lactei butyrosi in finita prima operis parte confecti partes decem; sigillentur Hermeticè, digeranturque per unam vel alteram septimanam solitis illis lenioribus ignis, gradibus augendo tamen successivè calorem, & quidem ultimò fortissimè; atque ita maximè est fixatum, ac multiplicationi aptum. Hic labor ita aliquoties reperiatur novi liquoris affusione; & pervenies ad illum multis incredibilem perfectionis gradum. Hujus pars una si injicitur decem partibus Auri fluentis, hoc omne simile reddetur *Tincturæ* injectæ pro exhibendis illis miraculosis in medicamentosa & metallica operationibus.

Atque ita, ceu promiseram, possibili perspicuitate, necessariisque circumstantiis ingenuè Orbi literato communicavi, post desciptam *Tincturæ Universalis* Materiam, hujus quoque præparandi modum, utpote quibus duobus tota res innititur. Faxit Majestaticus Superiorum & Inferiorum hoc est, Cœli & Terræ Architectus; ut inde, juxta scopum ac intentionem meam glorioſus Nominis sui Honor augeatur, incomprehensibilis Mysteriorum Divinorum varietas amplificetur, Proximi commodum promoveatur, Animæque propriæ salus juvetur!

Absolutis nunc iis, quæ ad propriam *Tincturæ Universalis* tractationem pertinent, lubet curiosis arcanorum naturalium Scrutatoribus annectere nonnullos labores, quos magni non minùs Medicinæ Chymicæ Antistites in eâdem hâc *Via Universali* instituerunt, licèt supremum Chymicæ culmen per *Tincturæ* acquisitionem non attigerint, vel etiam eorum pars illud attingere, animum nunquam induxerint; Cùm Materiæ catholicæ aut saltem partem unam vel volatilem vel fixam, aut materiam aliquam remotam, aut mixtis heterogeneis Operi suo destinaverint.

Proponam tamen hæc quodammodo brevius, ne quasi extra oleam vagari videar, cum propositum meum fuerit agere in specie de *Tinctura Universali*. Ex descripto autem hactenùs labore poterunt facile ad suum scopum applicare necessaria cordati & prudentes Chymici. Si vero una vel altera enchirisis deficeret, vel non succurreret nonnullis illis spondeo meam serviendi promptitudinem, veluti manifesto candore publice in præcedentibus me Orbi literato ostendi.

Propterea prodeat I. labor ex *Spiritu* vel ex *Aquâ Aëris*. Multi, quibus Deus non detexit integram materiam *Tincturæ Universalis*, (partem volatilem & fixam intelligo,) argutè ratiocinantes, quanta - quanta sit Aëris necessitas pro sui vegetatione, nutritione & conservatione Sublunaribus omnibus; & quod Aëre puro simus sani, vegeti; Aëre vero impuro existente, ægrotantes; misere sese macerarunt, quomodo occultum huncce cibum, Nectar hoc Jovis nimium tenue ac volatile capiant, incrassent, & in constantem liquorem potabilem reducant; veri chalybis Sendivogiani, vel Terræ sale centrali fixi impregnatæ ignari. Modos aquam Aëris capiendi plurimos possem producere; sed ex hiscè sufficiant rariores, & miraberis laboriosam, eamque laudabilem horum naturalia scrutantium curiositatem. Anglus quidam, & alii sic procedebant: Mense Martio, Sole Arietem ingrediente, vel etiam Mense Aprili vel Majo, postquam per unam vel alteram septimanam Pluvia Terram non humectaverat; sed ros saltem largè per 6. 8. 10. dies descenderat, præterita noctis meridie, instante aurora, & dum apparere incipiunt radii Solares, terram pinguem & fœcundam (qualem capite præcedenti descripsimus) defende asse vel ligno, ulnam unam cum dimi-

dia longô à radiis Solaribus. In aſſeris hujus medio ſit foramen rotundum, cui adcuratè intrudatur cucurbita vitrea ſatis capax, cujus orificium optime ſit munitum, & circumligatum linteo, glutine piſcium (Hauß-Blaſen /) viſcoſum & tenax reddito; linteum foraminulis miliiformibus ſit pervium, vitrum duorum digitorum latitudine per aſſerem tranſeat, ne Terra eôdem tangatur. Tunc ſpeculum cauſticum in aſſerem vel lignum ſimilis latitudinis in medio ſtrictè infigatur; ponatur è regione cucurbitæ ad diſtantiam unius palmæ. Speculum dictum radiis Solaribus ita appone, ut hi per hoc penetrent ad cucurbitam. Hoc ita continuetur tribus horis, & cucurbita incaleſcet, ſpiritûſque Mundi è terra per lintei foraminula tranſibit in vitrum, aquoſitate exterius circa linteum hæſitante, (nàm hujus gluten non permittit, ut pars aquoſa ſimul tranſeat.)

His peractis, cucurbitæ remotæ orificium optime claude linteo, uti nuperum, glutinoſum, tamen non perforatum, ne evolet fugitivus hic hoſpes. Hôc modô ſpiritus Mundi ſingulis matutinis poterit capi donec neceſſaria tibi ſuppetierit quantitas; aliô tamen ſemper in locô; extrahitur enim eô circuitu ſal aëris volatile è Terra, quem aſſeris ambitus à ſplendore Solis defendit. Spiritus & ſal volatile circumſpecta dexteritate & cauto ignis regimine rectificentur, miſceanturque ſpiritui è ſale fixo terræ ſeorſim igne aperto, & forti deſtillato; circulentur per tempus; paratum inde eſt medicamentum rariſſimæ in morbis etiam periculoſiſſimis efficaciæ. Ad *Tincturæ* tamen *Univerſalis* faſtigium penitus adſcendere hæc mixtura non valuit, cum principia debitam per mixtionem antea non fuerint unita.

II. Quæ acutiſſimus Kenelmus *Digbæus* Tract. de immortalitate Animæ refert, amicum ſinceriſſimæ fidei ope vaſorum vitreorum collegiſſe radios Solis in pulverem fuſci vel purpurei coloris præcipitatos, illud fere convenit cum præcedentibus; adhuc magis verò frequenti experimento, quod Philoſophus Pyrotechnicus pro rariſſimo habeat arcano: Speculum rotundum cauſticum optimè politum, ubi radii in centrum concurrunt, exponatur in libero aëre Soli, maximo æſtu fervente; continuetur ita aliquot diebus, illud ſemper removendo, & circa centrum ſpeculi adhærebit ſal niveæ albedinis, quod cultro abradatur in vitrum; per dies aliquot ita ſalis hujus mirabilis una vel altera uncia poterit colligi.

III. Frid. *Hofmannus*, Clavis Pharmaceut. *Schröderianæ* lib. 3. cap. 3. p. 140. refert, famoſum illum *Burrhum*, & Vice-Colonellum *Kranach* magnam aquæ Aëris copiam ſibi comparaſſe beneficio capaciſſimi cujuſdam filtri vitrei, cujus orificium inferius clauſum glacie, vel aqua frigidiſſima, nitro vel ſale ammoniaco imbibita repleti, & radiis Solaribus expoſiti, dum ad hujus exteriorem ſuperficiem in Aëre catervatim natantes vapores delati in vitrum ſuppoſitum à Solis fervore immune deſtillarunt.

IV. Alium pro Aëris captura & incraſſatione modum deſcribit Medicus Italus clariſſimus, Fabritius *Bartholettus*, in methodo ſua ad Dyſpnoeam, dum per inſtrumentum vitreum ibi depictum, tubæ non adeo diſſimile, aëreum humorem attrahit, ac colligit, quem poſtea coagulat in Cryſtallos adfectibus thoracicis, aliiſque apprimè utiles.

V. Alius ita inſidiabitur Aviculæ Hermetis: Sub tecto domus, vel in ſuprema contignatione ponatur fornax chymica communis cum capella cineribus plena, hiſce imponatur phiala magna, hujus collo intrudatur alius canalis vitreus, qui in inferiore ſui parte habeat appendicem, veluti roſtrum decurtatum alembici deſtillatorii. Canali dicto vitreo agglutina filtrum vitreum, cujus immiſſum foraminulum vix æquet magnitudine granum ſinapi. Poſt mediam noctem ignis lenior indatur fornaci, canalis cum ſuo filtro extendatur verſus Orientem per feneſtram, cætera optime clauſam ſtet ita, uſque dum Sol fuerit ortus, & vaſculum appendici illius canalis annexum ſuſcepit bonam liquoris aërei partem, quæ effundatur aliquoties, novuſque capiatur ſervetur in vitro optime munito.

6. Alii cum Mich. *Sendivogio* & Johan. *Staricio* hoc utuntur inſtrumentô: Fiat vas cupreum, retortæ deſtillatoriæ ſimile, poterit hoc conjungi è 2. 3. & 4. partibus, orificium hujus ſit ſummè ſtrictum, ut vix aciculæ oculeo tranſitus pateat; (juxta mentem Sendivogii,) in parte inferiore adaptetur canalis cum ſuppoſito vaſculo recipiente; unius palmæ latitudine ab hoc ſit canaliculus vel ſiphô. In medio hujus inſtrumenti fiat margo vel retinaculum, (ein abſatz) cui imponitur ſpongia magna, & ſuper hanc marmor vel ſilices in fornace figulina calcinati diſpergantur. Deſcriptæ hujus machinæ orificium emittatur per feneſtram; per canaliculum inferius accommodatum attrahe ore tuo aërem, hic enim ſeſe inſinuabit marmori calcinato; hoc communicabit illum ſpongiæ ſubjacenti, & ſic deſtillabit per canalem liquor aëreus in vas ſuppoſitum. Hypocauſtum requiritur huic operi calefactum, & quo major in hoc calor; frigus vero quo exteriùs intenſius, antiperiſtaſi eò magis deſideratus tibi eſt ſperandus effectus. Operatio quoque largior ſuccedit tempore nocturno, quam diurno, cum aër tunc denſior magiſque coagulatus.

7. Pater *Caballus*, celebris in ſcientia chymica Italus, inter varia alia memoratu digna & utilia diverſos quoque conſignavit modos capiendi Spiritum aëris; quod non minus quoque fecerunt alii; cum autem partim congruant quodammodo cum hactenus adductis, aut his ſint cognati, partim ne in his ſim prolixior, eos jam non tango.

An vero dictis modis omnibus acquiſitus liquor aëreus adeô ſufficienter & debitè ſit imprægnatus genuino & puro *Mundi Spiritu*, judicent alii. Proinde etiam deſiderato neutiquam potiuntur fine operatores, *Tincturæ* nimirum *Univerſalis* acquiſitione præcipuè, quoniam ipſis ſimul deficiat dimidia operis pars, ſal Terræ fixum, chalybs Sendivogii vel magnes Philoſophicus. His tamen non obſtantibus, ex hac aqua præprimis ſi temporibus balſamicis & juxta alias circumſtantias in capite præcedente tractatas, parantur laudabilis efficaciæ remedia, qua de re tecte, vel ſine modo elaborandi agunt Petrus Joh. *Faber*, *Nietnerus*, Frid. *Hofmannus*, & plures alii. Sic quidam optimam famam ſibi comparabat ex hac aqua compoſito medicamento ſequenti: Captam aquam per tempus collocabat in cellam pro putrefactione; hinc deſtillabat cautè per cucurbitam vitream; deſtillatum ſuper reſiduum digerebat, pòſt rectificabat; prodeuntem liquorem denuo affundebat capiti mortuo, ponebat in cellam, & ſuccedebat egregia cryſtalliſatio; cryſtallos exemtos diluebat aqua pluviali, quod variis morbis,

bis, etiam contumaciſſimis feliciter exhibebat.

II. Labor ex *aqua pluviali*, qui eſt talis: Menſe Martio, circa Æquinoctium, vel etiam Aprili aut Majo, colligatur aquæ pluvialis, vel etiam tonitrualis magna quantitas, evaporet coctione continua, tamen non adeò forti, donec incipiat craſſeſcere; tunc deſtilla in cucurbita vitrea, uſque ad liquidiuſculi extracti conſiſtentiam. Tunc terram aliquam pinguem & fœcundam, vel Solarem, cujus ſuperius aliquoties mentio facta, humecta dicto extracto vel ſale copioſa aqua pluviali diſſolutô, ut fiat maſſa craſſa. Expone ita eam duas ſeptimanas aëri; poſtea dicto modo iterum humecta; ſtet iterum per 2. ſeptimas, & hoc tertia, & quarta vice. Poſtea deſtilla è cucurbita leni igne; & prodibit ſpiritus quaſi pinguis cum ſale volatili. Spiritum aliquoties caute & lente rectifica, cui à phlegmate libero miſceatur ſal ſuum volatile. E capite mortuo elixivia ſal fixum aqua pluviali, hoc repetita depuratione & coagulatione cryſtalliſetur. Hujus pars una miſceatur cum partibus decem ſpiritus ſale volatili imprægnari; adde croci auri partem 1. vel 11. digere leni igne, & circula, tali cautela ignem regendo, veluti paulo antea de *Via Univerſali* monitum. Quò diutius ſteterit, & quo diligentius colitur, eò perfectius & generoſius obtinetur arcanum, *Tinctura Univerſali* analogum tam medicamentum, quam metallico-tranſmutatorium.

III. Labor è *Nivi*: Eâdem methodo, quâ quidam meditationes & labores adplicuit quæ pluviali, alius inſudavit, *Nivi*, & inde parato ſali Quamvis autem tam copioſo ſale non turgeat volatili, veluti aqua pluvialis, eandem tamen fere de hoc ſibi promittere potuit ſpem, cum ex eodem, Aſtralibus influxibus non privato oriatur principio.

IV. Labor è *Rore*: Multum temporis non minùs impenderunt nonnulli ingenioſi Pyrotechni in ventilationem phyſicam ſudoris illius Cœleſtis, *Roris*, & imprimis majalis; atque hoc quidem non immerito, aut ſine artis fundamento; cum nec vulgus neget huncce eſſe quaſi quotidianum & ordinarium vehiculum Virtutis illius balſamicæ Æthereæ, omnia vegetantis, nutrientis, & conſervantis; qua de re *Sacræ Paginæ*, & multi multorum autorum libri prolixè ſolida afferunt teſtimonia.

Quamvis autem eſſentia Roris maximam partem conſiſtat in ſale volatili aëreo, nihilominus novi induſtrium Medicinæ Myſtam, qui inde extrahebat remedium, mirabilem exhibens varios contra morbos opem, aliis fruſtra & infeliciter exhibitis, ſequenti modo: Menſe Majo mane ante Solis ortum in agris triticiferis aut pratis colligi curabat *Rorem*, non more ſolito per lintea, (cum hæc tenui poroſitate abſorbeant potiorem partem balſami unctuoſi ſalini aërei,) ſed per patinas terreas. Imponatur cellæ in vaſis vitreis per unam vel alteram ſeptimanam, ut fæces quodammodo deponat; tunc deſtilla in maris balneo cautiſſimo ignis regimine, aliàs certe rumpunt vitrum ſpiritus, ſale volatili copioſè gravidi, ad exitum ſtimulati. Hi cum ſuô ſale volatili repetita eaque leniſſima rectificatione ſeparentur, à ſuo phlegmate, ac in vitro optimè muniantur, aliàs evolant inde, unde venerant primô, id eſt, in Auras. Fæces à deſtillatione reſiduas calcina, & propriô phlegmate inde elice ſal fixum. Spiritum dictum ſale volatili gravidum ſali fixo per ſolutionem purificato ſuperfunde, & ita in phialâ per aliquod tempus moderato calore circulando, in ſuam perfectionem exalta.

V. Labor è *Sale Terræ centrali fixô*. Quemadmodum ita multi inſudarunt ſudori huic aëreo, utpote parti volatili, *Rori*, ita quoque non pauciores inhæſerunt ſaltem ſali Terræ, ſeu parti fixiori; itidem non infelici, aut irrito plane eventu. Et cum inſtitutum fuerit opus per deſtillationes, extractiones, digeſtiones, ſalificationes fere eaſdem, uti in Antecedentibus dictum, prolixior hic non ero tædioſa repetitione frequentiori; nihil enim ab iis differt, niſi quod huic non univerint neceſſariam partem volatilem.

VI. Chymiater non infimi ſubſellii liquorem ſequ. è perfectis trium regnorum corporibus concentratum in ſecretis habebat: ſumantur ſalis Mundi vel aëris unciæ duæ; ſalis terræ uncia una; ſalis Microcoſmi uncia dimidia; ſalis tartari drachmæ duæ. Diſſolvantur ſpiritu vini optime rectificato, circulentur in cucurbita munita; poſtea deſtillentur & deſcendet tandem liquor rubeus, eaſdem cum Auro potabili obtinens vires. Doſis ſunt grana decem ad viginti. Sal Mundi vel aëris ſic paratur: Terræ Lemniæ quamtum vis, in loco alto expone aëri libero per aliquot ſeptimanas; poſtea aqua pluviali ſal extrahatur. Sal terræ ſecundum artem paratur è turffis, bituminoſa Batavorum terra. Poterit tamen loco hujus & Terra Lemnia alia ſumi.

VII. *Oleum Auri Schröderi* aquæ innatans, cujus ſuperius cap. 3. mentionem fecimus, ita elicitur: elixivietur è terra pingui (v. g. marga,) ſaporem ſalſum præ ſe ferente, ſuper quam creſcit trifolium, & ſimiles herbæ pingues, non profundè in terra exiſtente (ut ſic *Spiritu Mundi* eò meliùs ſit impræguata,) ſal aqua pluviali martiali evaporatione inſpiſſetur, & purificetur, aliquoties ſolvendo: Ex hoc ſale formentur globuli cum terra pingui, deſtilleturque ſpititus per retortam. Spiritus egreſſus rectificetur. Hinc elixivietur ſal è capite mortuo, ejuſque pars addatur ſpiritui rectificato. Sic habes menſtruum, quod ſolvit Aurum foliatum. Spiritum dictum ſuperfunde Auro foliato; ſtet ita aliquandiu, ut ſolutio penitius peragatur, attrahaturque ſal ex aëre; (quo diutius ſtat, eò melius eſt,) Tandem abſtrahe aliquoties ſpiritum vini rectificatum acuatum modico ſalis urinæ volatilis, vel ſpiritus ſalis armoniaci; ſtet ita aliquandiu, & menſtruum colorabitur, & ſupernatabit oleum rubicundum, quod per balneum Maris abſtrahatur & ſeparetur à menſtruo. Si hæc operatio inſtituitur Menſe Martio, ubi Spiritus Mundi in Macrocoſmo maximè viget & vegetat, erit eò efficacior. Doſis ſunt pauculæ guttulæ; poteritque quilibet ſibi imaginari efficaciam rariſſimam, cum oleum & ejus rubor nullô modô à menſtruo; ſed à radicaliter ſolutô Auro dependeat. Huc uſque Schröderus.

Quibus addo, virum huncce magnum quidem duriſſimi Auri repagula modô pluribus incredibili ita reſolviſſe, ut remedio incomparabili ſit potitus, tamen plenariè ad *Tincturam Univerſalem* non adſcendit, cùm non omnes enchiriſes ſuperius notatæ de Via Univerſali fuerint obſervatæ, præprimis plenaria unio & influxus ſalis volatilis cum ſale fixo terræ.

VIII. Dantur adhuc variæ *Auri Tincturæ*, ſolutiones, vel extractiones, quæ quamvis firmiſſima illa Auri clauſtra penitus non penetraverint, tamen non plane ſunt rejiciendæ, præcipuè ſi participent de Sale Terræ fixô, vel de ſale Aëris volatili, & ſic vero *Auro Potabili* ſunt affinia, aut analoga, qualem

qualem deſcribit Clariſſ. Dn. *Langelottus* in Epiſt. ad Naturæ curioſos, & alibi; aut quali elaboratione meam dignata eſt tenuitatem Divina Sapientia.

Varia alia menſtrua ſecundum magis & minus in Aurum ſolvendum agere valentia excogitârunt varii Dædali chymici. Sic non contemnendæ virtutis eſt *Tinctura* ex *croco Auri* ad mentem *Baſilii Valentini* parato oleo cinamomi extracta. Beatiſſimus D. *Michaëlis* modo notatum crocum Auri extrahebat ſpiritu è minera Saturni exhibebatque ſæpiſſimè verè refocillante Archæi debilis ſolatio. Illuſtris quidam Chymicus magni æſtimat Spiritum è pane optimè fermentato, aliquoties cautè rectificatum, poſtea ſpiritu vini alcoholiſato mixtum & circulatum. Efficacior foret ſpiritus panis rore majali aut aqua pluviali deſtillatus, & ſumme rectificatus, tunc radiis Solaribus ac aëri expoſitus, in vitro; ubi poſt paucas horas limpidiſſimus ille ſpiritus rubini colorem aſſumit; de qua re conſulendi Anglus celeberrimus *Robertus Flud*, & Joh. *Tackius*, in Chryſogon. animali & minerali pag. 76.

Alius faciebat ſtratum ſuper ſtratum è foliis Auri & lapide pumicis; dum in tigillo fluunt igne forti, pumex ſpongioſus attrahit partim Auri reſoluti *Tincturam*, quæ inde facile poterit elevari ſpiritu vini per ſpiritum ſalis armoniaci exaltato, &c. *Hartmannus* magni æſtimabat crocum & Tincturam Auri, dum Aurum limatum raſurâ cornu cervi in furno figulino reverberabat, Auro inde colorem incarnatum acquirente. Quidam ſucceſſive miſcebat ſpiritum aliquem alcalicum & acidum, qui qualitatibus ſuis contrariis ſe ipſos ita corrodunt & fatigant, ut penitus dulceſcant, & ex liquore hoc dulcificato egregium ſperabat Auro ſolvendo menſtruum. Alii utuntur adminiculo cryſtallorum ſalis dulcium; ſpiritus ſalis tartari volatilis; ſpiritus ſalis armoniani; ſpiritus & ſalis ſanguinis Humani; cornu cervi; urinæ; olei, ſpiritus & ſalis fuliginis, ſuccini, &c.

IX. Quidam in ſingulis tribus Regnis ſpecialiter quærunt *Lapidem* vel *Tincturam Univerſalem*. Exempli loco hic ſaltem ponam *Lapidem Animalem*, quem laborem non eſſe plane de nihilo, facile ſubolfacient illi, quorum præcordia de meliore luto; modus elaborandi autem eſt talis: Collige urinam puerorum Venerem non expertorum, 12. ad 15. annorum octoginta vel centum libras, Sole exiſtente in Ariete; putrefac in cella per duos Menſes; poſtea indatur cucurbitæ vitreæ, ad tertiæ partis repletionem; deſtilla ſpiritum leni igne, uſque dum ſtriæ deſinant; remove hunc, & optime muni; appoſito alio recipiente continua deſtillationem phlegmatis, igne per unum gradum auctô; quod itidem ſeorſim ſerva. Liquorem ſic reſiduum effunde, inde retortæ terreæ, appone recipiens, deſtilla per gradus, uſque dum rubræ decidant guttæ; auge ignem, & prodibit oleum; magis exalta ignem, ut igniantur ultimo, pro capitis mortui calcinatione.

Hoc modo procede collecta integra urinæ quantitate. Tunc rectifica ſpiritus tuos per arenam in cucurbita leni igne; ſpiritus & ſalia volatilia elicita conjungantur ſemper, & rectificatio hæc repetatur ſepties vel tamdiu, donec fæces non remaneant; ſed omne in ſpiritum & ſal volatile degeneraverit. Tunc phlegmata reſervata etiam ſepties rectifica; ſemper removendo fæces reſiduas. Poſtea è capite mortuo optimè calcinato extrahe Phlegmate ſal fixum; hoc rectifica, ut fiat cryſtallinum, & in leni calore fluat, ac ita volatile ſit redditum; muniatur optime ab aëre.

Tandem remanentiæ, è quibus ſal extractum, calcinentur, edulcorenturque adeò, ut fiat terra plane mortua, & ſicciſſima. Huic affunde oleum tuum; (à quo quantum poſſibile ſeparetur phlegma reſiduum,) mixta optimè deſtilla ex retorta per gradus, igne forti. Oleum deſtillatum ſuperfunde terræ cuidam bolari optime calcinatæ, edulcoratæ, & exſiccatæ; procede deſtillando, uti jam factum, & quidem ſepties repetendo; ſemper adhibendo novam terram; & ita oleum verè depuratur, ac perdit fœtorem. Terras hac conjunge, calcina per ſemihoram, ſuperfunde aquam puram, & hæc redditur cœrulea, hæc evaporet, & acquires ſal viride, quod *Veneri* aufert innatum ruborem, redditôque Lunæ analogam figura externa.

Sequitur nunc conjunctio & fixatio: Sumantur ſalis fixi partes tres, indantur cucurbitæ optimè operculo munitæ, impone arenæ in capella; ſubmitte ignem lentum, & ſal reddetur fluidum veluti cera, tunc ſerva lenem hunc ignis gradum. Poſtea cape olei tui partem unam, remoto cucurbitæ operculo; infunde guttam unam hujus, ſubitò clauſa cucurbita, donec materia tumultuans pacata, & ſal fixum abſorpſerit Oleum infuſum; hoc ita continuetur, ad plenariam olei conjunctionem vel conſumtionem.

Dein accipe ſpiritus ſuperius dicti partes duas, inſtilla ſucceſſive, & guttatim quaſi ſali fixo, uti jam de oleo notatum. Spiritibus omnibus infuſis, ac in unam ſubſtantiam redactis, ſigilletur vitrum Hermeticè; impone balneo æquali ignis in gradu, donec incipiat rubeſcere; balneo hinc exemtum imponatur cineribus; (cineres cum materia in vitro eandem habeant altitudinem;) digeratur ita eôdem calore, uſque dum appareat pulcherrima *rubedo*; hinc impone arenæ, ut hæc cucurbitæ corpus rotundum cooperiat;) ſingulis tribus horis uno gradu ignis exaltetur; in quarto verò gradu ſervetur per 24. horas.

Atque ita fixus & perfectus eſt Lapis, cujus tres guttæ medentur omnibus morbis. Guttula una libram integram vini vel aquæ ruberrimæ tingit. Si huic *Lapidi* additur quarta pars olei Auri, antequam vas ſigilletur, ac per 48 horas ſummo ignis gradu foveatur, evadit in ſal vel *Lapidem rubiniformem*, quod metalla omnia impura depurat. *Elixir album* ita poteris obtinere: miſceantur ſpiritus dicti uncia ſemis, ſalis fixi uncia una, olei lunæ uncia una cum dimidia; procedatur, ceu jam de *rubeo Elixire* dictum; & ſic acquiris non modo egregiam *Tincturam* pro ægrotorum ſolatio; ſed & *Saturnum*, *Venerem*, *Iovem* ac *Mercurium in Lunam* tranſmutantem.

Hâc pro vice propoſita addimenta ſufficiant, ne in peculiare Tractatûs corpus excreſcant, amicè rogitans, ut æquus lector eâdem mentis ingenuitate, qua ſcripta ſunt, accipiat.

Denuò confiteor; hæc dicta quidem me ipſo maximam partem non eſſe elaborata; nihilominus ſancta fide teſtor, quod ea cuncta à Chymicorum ſeculi noſtri Primatibus fuerint inventa aut elaborata, è quorum non tam manuſcriptis, quam ore & actuali converſatione egomet plurima hauſi. Quemadmodum illa rationalium Pyrotechnorum cum quibus mihi præcipuè res eſt, æquæ ſubjicio cenſuræ; ſperans fore, ut illi, pro veritate magis magiſque eruenda & amplificanda ſua quoque amicè, ſint collaturi ſymbola; atque ita laudabilibus

bus Anteceſſorum noſtrorum inventis alia, aliaque ſimilia, aut majora cum *Deo* & die addituri.

Cæterum, quæ Petrus *Borellius*, in Bibliotheca ſua chymica, Anno 1654. Pariſiis, & Anno 1656. Heidelbergæ edita meminit, Mariam *Rante*, Anglam, ſtatuiſſe ac prædixiſſe, *Lapidem Philoſophorum* Anno milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo primo in Vulgus fore notiſſimum, ſagaciorum judicio ac deliberationi relinquo.

Coronidis loco adhuc unicô Te volo, mi Lector: Bona tua pars mihi fortaſſe indignabitur, quòd è lectione hujus Diſſertationis optatum ſcopum non attigerit, dum nimirum crediderit, ſeſe ſubito reperturum quod pueri in faba; ac ita per *Tincturæ* acquiſitionem certè ſibi promiſerit acquiſitionem divitiarum, Famæ glorioſæ, ac honoris, à ſanatis morbis deſperatis, metalliſque ignobilioribus melioratis. Quod gaudium conceptum, quam ſpem promiſſam dubiam ego ac difficilem reddiderim, atque turbaverim per varias circumſtantias, imò dehortationes plurium, cap. 4. adductas. At, fruſtra quereris, amice Lector, fruſtra me accuſas; propria tua, minime vero mea illud accidiſſe culpa, tibi perſuadeas. Cur enim falcem audes mittere in alienam meſſem aggrediendo extra tuæ vocationis terminos mirum-quantum ſeria? Cur ſutor ultra crepidam intempeſtivo & illicito deſiderio tam arduis inhias? Doleo ſane vicem tuam, quòd cum pluribus ad talia *Fato Divino* non fueris electus; ac ingenuè rogito, velis impoſterum manere in ſtatione, quâ fueris poſitus, ac diligenter ruminare magnum illud tuum in hoc Mundo DIC, CUR HIC; de quibus caput antecedens quartum ad nauſeam tuam uſque te erudiet. Præter varias enim rationes ibi adductas, nimirum quod extra vocationis limites vagari non liceat, addo ex ſuperabundanti hic adhuc unicum: Libro 1. *Maccab.* cap. 5. v. 55. ſequ. legitur, *Iudam Maccabeum* cum Fratre ſuo *Jonathane*, pro perſequendis ac ad incitas redigendis Fidei & Patriæ hoſtibus exiiſſe; *Ioſephum* autem, & Aſariam, præfectos militares domi reliquiſſe, ut defendant Territorium, & quietè ſaltem ſeſe gerant. Hi percipientes dictum *Judam Maccabeum* & Fratrem, quocunque ſeſe verterent, victoriis victorias addere, generoſa æmulatione incitati pro aucupandâ non minus glorioſa fama, ac pro Lege & grege militaturi irritabant hoſtiles *Gorgiæ* crabrones contra manifeſtum Gubernatoris *Iudæ* mandatum. Quibus autem Triumphis redierint, niſi memoriæ tuæ è *Bibliorum* lectione ſuccurreret, loco citato poteris videre.

Ut autem Bilis tibi commota quodammodo reddatur tranquilla, ut ſpiritus tui mœrore depauperati, terrore turbati refocillentur, conſtitueram pro redimenda vexa proponere ac propinare tibi nonnulla alia ſolatia lectu non modò jucunda; ſed etiam proficua. Verum, quia Amicis aliquot de edenda hâc Diſſertatione aurem vellicantibus certa promiſerim fide, quod hæc inſtantibus Nundinis Lipſienſium Paſchalibus in publicam ſit proditura lucem; dictæ Nundinæ autem jamjam inſtent, cogor hac vice filum abrumpere, eademque reſervare alii occaſioni, vel uſque dum auctior, Deo vitam concedente, edatur hæc Diſſertatio; ideoque, ut benevolè mihi ignoſcere velis, decenter rogito.

Non poſſum tamen non, quin *valetudinis* ſolatium ſaltem heic adnectam. Hoc in ſpecie vos concernit, dilectiſſimi Philiatri, pro juvando ægrotante Proximo, qui fortaſſe partim noxio & præpoſtero fervore ad tam ſeria properare, animum applicuiſtis. Diſcite impoſterum cautius mercari, ne pœnitere magno pretio emere cogamini, ac poſitis debitè Artis Medicæ fundamentis ſecurius per gradus ad tam alta adſcendite; Cum Chymia rationalis & Chriſtiana, ut ſic loquar, velit expectari. Scrutamini potius magis demiſſa, ac prius aliis medicamentis laude dignis obtinendis per ſolitum *Ora & labora* invigilate. Quale veſtro pro ſtimulo jam ſubjungo: Per unum & alterum Decennium multorum fruitur applauſu remedium titulo *Tincturæ Nephriticæ* vel *Solaris* decoratum ac venditum; & quidem non adeò immerito; cum in morbis ſcorbuticis, &, qui his affines, à Tartaro ſanguinis, meſenterii, & renum acido ortis laudabilem opem, operamque contulerit, & adhuc conferat. Ego quidem non dico, quaſi illius ingredientia, modumque præparandi hic deſcriberem, cum me non lateat, Poſſeſſores eandem velle occultatam; ego verò proximo nulli nocere audeam. Hinc appono ſaltem pro Ægrotorum commodo illius apprime ſimilem, quæ eſt talis: Sumatur Tartari albi, Nitri optime purificati, mineræ Antimonii, ſilicum ſulphure aliquo ſolari volatili præditorum (quo quidem plures ſilices ſunt imbuti,) partes æquales; pulveriſata & optime miſta humectentur aqua roris majalis vel pluviali; non tamen nimis largè; aliàs obtines quidem Tincturam copioſiorem; ſed ob virtutem magis dilutam non adeo efficacem; veluti eandem parant avari nummiſugæ. Serventur ita in loco temperato per aliquot ſeptimanas, aut potius menſes; (quo diutius ita ſubſiſtunt, eò melior expectanda erit operatio, cum Nitrum magis, magiſque reſolvat, penetret, ac uniat reliqua,) Hinc deſtilla per retortam tubulatam, quam vocant. *Lipſiæ* in laboratorio celeberrimo *Michaëlitano*, cujus nunc eſt Poſſeſſor Dn. *Zittemannus*, huic operi commodiſſima conſpicitur fornax, dum huic loco capellæ adaptatum eſt vas ollæ ferè ſimile, in lateribus 2. 3. vel 4. canalibus præditum, quibus apponuntur vaſa recipientia. Huic dicto modo ſucceſſive per cochlearia injice materiam mixtam, uti ſolet in retortam tubulatam, & ſubito prodibit *Tinctura* egregiè rubens, cujus doſis 30. 40. 50. guttæ.

Exhibetur ad præſervationem 2. 3. 4. vicibus in ſeptimana, præmiſſis tamen univerſalibus. In ſanando verò aliquo morbo ſcorbutico, hypochondriaco, nephritico, &c. bis vel ter ſingulis diebus. Præter virtuoſam hancce efficaciam oculos Tuos paſcere poteris in manifeſtâ ac perſeverante illa *Tinctura Rubedine* per canalem ſimul prodeunte, qualem conſpectum in hoc vel illo medicamento fruſtra deſiderarunt ac quæſiverunt tot ac tot Chymici magnæ & probatæ in aliis experientiæ.

Eandem veniam, quam pagina præcedente petii, heic denuò exorare cogor. Nimirum, promiſeram in ſuperioribus, me meæ huic diſſertationi adnexurum eſſe celeberr. Petri Joh. *Fabri* ad Sereniſſ. Holſatiæ Ducem, Dn. *FRIDERICUM* tranſmiſſum Manuſcriptum raritate, curioſitate, ac inſolita in vocabulis ac terminis chymicis explicandis perſpicuitate commendabile. Ob modo dictam enim de jamjam inſtantibus Nundinis Lipſienſibus rationem, atque ideò datam nonnullis amicis fidem, ejuſdem publicationem nolens-volens itidem differre, aliique reſervare occaſioni, cogor.

Te nondum dimitto, curioſe Lector; ſed unicum ſaltem

ſaltrem adhuc addo. Memoriæ tuæ procul dubio adhuc inhærent, quæ capite tertio pro adſtruendâ & demonſtrandâ *Tinctura Univerſalis* poſſibilitate partim per rationes, partim per variorum experimenta propoſui. Cùm autem tunc meam mentem, crenamque fefellerit exemplum aliquod notatu digniſſimum, non poſſum non, quin illud hic, rariſſimi Corollarii ac ſuperpondii in vicem adponam: Dum Anno meſſiano 1656 Mundo noſtro ultimum dicebat vale Dux quidam è Germaniæ Primatibus Sereniſſimus, alterius cujuſdam magni Principis, conſanguineitate, & ingenuæ amicitiæ ac familiaritatis fœdere illi juncti, (qui Anno 1669. quoque ivit eò, quò Nos tendimus omnes,) Lingua gravitate ac autoritate inſigni ſemper pollens in ſtupentes diverſorum Miniſtrorum præſentium aures ſequentia reponebat verba: certiſſime mihi conſtat, beatiſſimum huncce ſemper ſecum portaſſe particulam *Lapidis Philoſophici*, magnitudine ſua fabam æquantem, collo appenſam in ſerico rubro, ſecretiſſimi ac inæſtimabilis theſauri loco diu ſibi reſervatam, quam meis hiſce Egomet oculis vidi, manibus hiſce meis tetigi. Cùm autem rei hujus vix aliquis habebit notitiam, vereor, ne Amanuenſes, aliique, utpote myſterii hujus planè ignari, illud ſint adjecturi, cùm quid videant, quid poſſideant, penitus ignorent. Equibus verbis *Tincturæ* quidem ſtabilio poſſibilitatem; ſimul tamen denuo pateſcit, omniſciam Dei Providentiam ob cauſas nobis occultas ſupremum hocce arcanum neutiquam velle divulgatum.

Cùm enim certiſſimè mihi conſtaret, prolata hæc verba ex ore tam religioſo, tam reverenter à quibuſvis meritò habito & habendo veritati eſſe maximè conſentanea, miratus poſtea ſum ſæpiùs, quî factum ſit, ut laudatiſſimus ille Dux theſaurum huncce incomparabilem tamdiu otioſum latitáre, ac feriari conceſſerit; nec illum adhibuerit pro ſolatio ægrotantium, pro ſolatio pauperum; præcipuè, cùm in infauſto illo Bello inteſtino Germanico plus vice ſimplici indiguerit ſimilium aureorum adminiculorum; acerrimum enim ſeſe exhibebat Patriæ preſſæ, & ſæpius tantum non oppreſſæ Propugnatorem. Potuiſſet ſane dicta illa parva fabæ quantitas excreſcere & fermentare in vaſtam molem auream; præprimis ſi ſagax quidam adfuerit Pyrotechnus, qui *Tincturæ* multiplicationem decenter calluerit. Verumenimverò, quod aliquoties dixi; heic repeto, nimirum ſub rebus tam arduis latitare Nobis imperſcrutabile τὸ Θεῖον.

FINIS.

SUBSECTIO QUARTA.

De METALLORUM TRANSMUTATIONE *ad Virum Nobiliſſimum & Ampliſſimum* IOELEM LANGELOTTUM, *Sereniſſimi Principis Cimbrici Archiatrum Celeberrimum* Epiſtola DANIELIS GEORG. MORHOFI *Profeſſoris Kilonienſis.*

QUOTIES Slesvvigam excurrens Te inviſo, Vir Clariſſime, plerumque doctior, quam acceſſeram, recedo. Præterquam enim quod eruditiſſimis tuis ſermonibus aures animoſque ſæpe tenes, ſubinde nova quædam, cùm ex omni politioris literaturæ genere, tùm è naturalis potiſſimum ſcientiæ penetralibus, quæ ad Te vel Amici perſcribunt, vel ipſe ingeniosè inventa moliris, mecum, quæ tua humanitas eſt, communicare non gravaris. Cujus honeſtiſſimæ ſuaviſſimæque converſationis fructus cum non exiguos ſæpe perſentiſcam, fructum non ſolùm, ſed & voluptatem cepi maximam è ſermonibus, qui inter nos de ingenioſiſſimæ tuæ Epiſtolæ, non ita pridem publicatæ, argumento ſerebantur, cum ante menſes aliquot Tibi adeſſem. Præclara illâ ſunt omnia ac ſubtiliter excogitata, quæ de digeſtionis, fermentationis ac tritus uſu in Chemicis laboribus monuiſti. Mirabilis eſt illa auri per molam, quam vocas, Philoſophicam comminutio, quam illic doces Curioſiſſima ſunt, quæ de fermentatione Tartari, ejuſque ſalis volatilis ſpiritu, Opii Eſſentiâ, Mercurii eductione ex Antimonio, Corallorum in rubicundam mucilaginem analyſi, jucundè non minus quam utiliter diſſeris: ut profectò iſthoc nomine multum tibi literatus orbis debeat ac Chemici præcipuè, quibus non pauca arcana, quorum dubia hactenus fides fuit, Te demonſtratore patuerunt. Magnam certè apud illuſtres Collegii Regii Londinenſis ſocios ſcripto hoc publicato gratiam iniviſti: nam & ſummis extulerunt laudibus, & hâc quaſi promulſide illecti, quæ promiſiſti, Acta Laboratorii Gottorpienſis, uberrimam ex iſtis præmetiis meſſem ſibi polliciti, impatienti deſiderio efflagitarunt. Teſtantur id humaniſſimæ literæ, quas non ita pridem nobiliſſimus Dn. Oldenburgius ad me ſcripſit: quarum vel ideo mentionem hîc facere volui, ut exſtaret hæc quaſi publica commonitio, quæ oblivionem, inter continua illa negocia facilè obrepentem tibi excutere ac aurem vellicare nonnunquam poſſit. Nec minus ſe Tibi obſtrictam agnoſceet Celeberrima Naturæ curioſorum in Germaniâ noſtrâ Societas, cui epiſtolam tuam inſcribis: non parum enim ſibi de novo, quo exteris ſe oſtentet, documento gratulabitur. Atque illi quidem illuſtres & in rerum naturalium ludo principes hoc ſeculo Viri, quia in his cauſis ſedere judices poſſunt, penitiuſque omnia rimantur, majorem inventis tuis authoritatem laudibus ſuis conciliabunt, quam ego meique ſimiles: qui admirari hæc, aut commemorare aliis tantum, ſed judicare parum aptè poſſumus, nec debemus, ne, quod

Græci

Græci proverbio dicunt ἐν ἀλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι videamur. Factum tamen est, nescio quomodo: ut, cum nuper à manu tua gratissimum acciperem munus, doctissimam nempe epistolam tuam, occasione auri per molam Philosophicam soluti, in sermones de metallorum transmutatione abriperemur; Tibique quæ hujus argumenti in medium tum proferebam non displicerent: adeò quidem ut vel publicâ luce non indigna judicares. Erant verò illa pro adstruenda transmutationis veritate, partim è naturalis sapientiæ adytis; partim ex Historiâ cum veteri tum recentiori petita, ut illa memoria dissertanti suggerebat; non præclara illa quidem satisque culta: tibi tamen quod affectui tuo imputo, non ingrata. Ego quidem statim tum monebam, ne me noctuas Athenas ferre, id est, de re tot hominum calamis trita, ac penè protritâ, addo etiam invidiosâ, scribere juberes, præsertim cum præclarissimi Viri, Conringius & Borrichius jam pridem omnem hujus rei fundum occuparint: cæterorum verò scriptorculorum tanta turba sit, ut nostra vel ingloria, vel inutilis hîc opera sapientioribus videri possit. Tu verò diversum quid à me sentiens urgere non destitisti, ut hoc, quicquid est, opellæ, in me susciperem. Quâ in re tandem, quoniam ita voluisti, refragari Tibi diutius nec debui, nec volui, modò tu videris, ne vel te fallas ipse, vel alii, quibus amplior fortè spes ostenditur, per te fallantur. Nos verò ita rem aggrediemur, ut primò de transmutationis possibilitate pauca quædam attingamus: deinde de autoribus, qui artis hujus arcana vel tradiderunt vel propagarunt; denique de ipsis artis hujus experimentis non planè in triviis decantata, aut in vulgus cognita in medium producamus

I.

Primùm, cùm de Metallis quæritur; an commutari illa possint: commutatio verò corruptionem unius & generationem alterius metalli necessariò supponat; dispiciendùm in limine hujus Dissertationis esset: quomodo natura in terræ visceribus illa componat. Sed quis ignorantiam hic suam non profiteatur? Nam cum profundis adeò tenebris res ipsa immersa sit, quis doctrinam hanc in aprico ponet? Nullius à tot sæculis, in hunc usque diem comparuit, cùm tamen tam acutum nunc res naturales cernimus ad ipsas usque particularum particulas, qui exerto digito metallorum causas monstrare ac ponere ob oculos possit. Hinc meræ ubique conjecturæ & palpitationes, nihil certi: cum quæ de naturâ eorum cognoscimus, è superficiariâ tantum contemplatione proficiscantur. Altius fortassis Natura eorum principia recondit, quam ut pervenire eò humana molimina possint. Operationes, quibus illa utitur, lentæ, ac integris sæculis nonnunquam ducuntur, & per cuniculos: ut omnem observatoris, quanquam solertissimi, industriam facilè effugiant. Metallurgi indocti sunt, ac causarum naturalium ignari. Qui ingenio profundiori illas rimari possunt Philosophi non facile periculis, quæ rem illam comitantur, se exponunt. Hinc desertam habemus nobilissimam scientiæ naturalis partem, quâ non satis perspectâ etiam in reliquis hallucinabimur. Ab interiore enim globi hujus terreni compositione, partiumque ejus præcipuarum, inter quas succi cujusdam & medullæ instar principem sibi locum salia & metalla vendicant, & horum exhalationibus omnis ille aër, qui globo huic circumponitur, variè afficitur multaque hujus athmosphæræ phænomena dependent. Scriptores Metallicos si excusseris, parum invenies quod saturare pectus possit. Quicquid tamen eâ in re præstitum est, Germanis debetur, quorum vestigia legunt exteri, si qui sunt, qui hoc argumentum tractârunt. Pauca sunt apud vetustos Scriptores, *Platonem*, *Aristotelem*, *Plinium*, historiæ Metallicæ monumenta. E recentioribus, post *Alberti M. Libros de Mineralibus*, *Andreæ de Solea* Liber de Incremento & Decremento Metallorum, qui Basilio Valentino vulgo adscribitur, ac cum ejus XII. clavibus edi solet, quanquam integro sæculo hunc ille superet, præclarè scriptus est ac multa habet recondita: sed obscura pleraque sunt, nec apertè satis scripta. Diligentissimus ac eruditissimus Scriptor *Georgius Agricola* est, qui & historiam & operationes metallicas pro virili suâ executus est. Quibus addi possunt, quæ Germanicâ Linguâ scripta sunt *Lazari Erkeri* in arte docimasticâ principis, *Fachsii*, *Mathesii*, *Albini*, *Zachariæ Theobaldi*, quique pleraque sua è cæteris collegit, *Lohneisenii* opera. Sed nec *Andreas Cæsalpinus* contemnendus. *Bernardus Cæsius* in alia omnia dilabitur: nam locos potius communes de rebus metallicis congessit, qui ad naturam metallorum pernoscendam parum faciunt. Nec prætereundi sunt fossilium, quæ in variis terræ partibus inveniuntur, Nomenclatores; *Kentmannus*, *Schwenckfeldius*, *Cretschmarus*, *Merrettus*, *Aldrovandus* in Musæo Metallico, *Wormius*, *Athanasius Kircherus* quanto hiatu magnifica multa promisit de mundo suo, quem ita vocat, subterraneo! Sed vehementer ille corvos deludit hiantes. Quanquam enim vastus liber sit, adeò tamen rerum inops est, ut & illa, quæ necessariò sunt, nonnunquam omittat; superflua multa conscribat; cramben toties coctam toties recoquat; multa ex aliis describat; in multis impingat; nova parcâ manu ferat. Longè illo ingeniosior est Physicæ subterraneæ scriptor *Beccherus*, qui eo Libro, & ejus supplemento non pauca affert, quæ magnam rei metallicæ lucem inferre possunt. Nec laude suâ privandi *Honoratus Fabri* & *Hamelius*, Philosophi præstantissimi, quorum ille in Libris Physicis; hic tractatu de Meteoris & Fossilibus hanc Philosophiæ naturalis partem non leviter illustrarunt. Superiore anno *Websterus* Autor Anglus patria linguâ Metallographiam edidit, sed è Germanis Scriptoribus, & quibusdam ex eis, quos modo enarravimus, præcipuè congestam, cum paucis quibusdam suis observatiunculis. Sed nec autores omnes ipse novit, nec delectum satis accuratum instituit. Quanquam laudari tamen Viri istius debeat diligentia, quâ collecta sub certis capitibus habemus, quæ in autoribus ipsis non sine tædio aliquo conquiruntur. Quæ Vir illustris *Robertus Boilius* de Origine Metallorum & Mineralium commentatus est, procul dubio, ut omnia Viri illius, eximia erunt & elaboratissima, quantum è libello, ipsis, de quibus agit, gemmis pretiosiore, non ita pridem publicato augurari licet. Sed ea hactenus ad manus nostras non venerunt. Interim è tantâ Scriptorum Metallicorum segete parum admodum excusseris, quod intimam Metallorum naturam in conspectum tibi producat.

II.

Qui aquam omnium corporum faciunt elementum, idem quoque metallis substernunt. Quam veterum quorundam Philosophorum sententiam resuscitarunt è recentioribus *Helmontius*, *Bernhardus*

Bernhardus Paliſſy, *Henricus de Rochaz* : ac confirmat, quæ viget apud nonnullos de liquore ſolvente Catholico, quem Alcaheſt ipſi vocant, opinio, cujus beneficio in liquorem inſipidum corpora naturalia, ac ipſa adeò metalla abire creduntur. Quæ hypotheſis multorum animos ſollicitos habuit, multas Chemicorum fornaculas calefecit : ſed labore planè irrito. Nam nunquam fuit, qui vidiſſe ſe talem liquorem aſſeverare potuerit : cum ſint tamen non pauci, ut ex hiſtoriis notum eſt, qui ipſum magnum Philoſophorum Lapidem non ſemel viderint. Quin adverſatur ſibi ipſe Helmontius, qui alio in loco reſolvi in puram & limpidam aquam corpora hoc liquore vult; alio fœces remanere dicit. Ante tempora certè Paracelſi & Helmontii iſta in Chemicorum Scholis inaudita fuerunt: alia enim omnia, *Villanovani*, *Lullii*, *Baconi* ſimiliumque Philoſophorum ſcripta loquuntur. Et ſi rem ipſam conſideres, naturæ rerum repugnare videtur. Diſtinctæ enim ſunt liquidarum & conſiſtentium rerum naturæ : ac licet hæ nonnunquam per illas vinculis, quibus cohærent, exſolvantur, ut diſipatæ oculorum aciem effugiant, nunquam tamen inter ſe commutantur, nec ab illis principium ac originem trahunt. *Bernhardus Paliſſy* Gallus, homo quidem plebeius, ſed tamen ingenioſus, libris patriâ linguâ de naturâ fontium, metallis, gemmis, conſcriptis, ex aquis omnia, metalla quoque & lapides duriſſimos produci vult: aquas tamen duas ſtatuit; alteram materialem; alteram congelantem. Quæ ſi rectè perpendas, diverſitatem principiorum perſpicies, ut nihil novi hîc præter nomina deprehendas. *Henricus de Rochaz* popularis ejus, qui de aquis metallicis ac ſecretis fodinarum metallicarum quædam edidit, Phyſicam itidem reformatam ſcripſit, aquam quidem materiale rerum principium facit, ſed ſalem illi adjungit, principium corpora conſolidans. Propiora tamen etiam in compoſitione corporum admittit. In eandem ſententiam propendet Vir illuſtris *Robertus Boilius*, libello nuper de Gemmis edito, quarum primam originem ſubſtantiam fuiſſe liquidam ſtatuit, quæ ſi tincturis quibuſdam mineralibus, dum fluidæ vel molles ſunt, imbuantur, colores pro ratione mineralis obvii acquirant. In Opacis quales Hæmatitæ, Jaſpides ſimileſque lapilli ſunt, terram metallicis ſuccis impregnatam, acceſſione liquoris petreſcentis, ſeu ſpiritus petrifici in lapidis formam coagulari putat. Multa ſunt in illo libro præclara, quæ ad hanc doctrinam illuſtrandam faciunt. Meminit hîc cujuſdam liquoris caſu oblati, qui gemmas ſolvere potuerit. Terram plenam eſſe menſtruis aliiſque liquoribus variorum generum exiſtimat, è fodinis, per quas vagantur, variè imprægnatis, qui quibuſdam caſibus vice menſtrui fungi, alio vero modo concurrere ad productionem corporum mineralium poſſint. Quin ipſam aquam communem variis mineralium effluviis infectam, ut eſt plerumque (quod *Thurnheuſerus* Libro de Aquis mineralibus docet) id præſtare poſſe credit. Quod argumentum plenius ſe Libro de Subterraneis menſtruis executum eſſe teſtatur. Hæc cùm recito, in memoriam mihi revoco, quæ *Abrahamus è Porta Leonis*, Medicus Hebræus Libro de Auro, in quo de Auri in Re Medica facultate diſputat, de Aquis Fabarienſibus prope Rhenum, commemorat: quod ſuccum aureum à naturâ nondum concretum obtineat, unde mirabiles illæ virtutes in ægris curandis oriantur; nulla enim in illis auri ramenta cerni ait, quæ tamen in propinquis Rheni fluviis appareant, illa medendi facultate deſtitutis. Sed in his ſuccum illum concreſcere in aurum corporeum putat: unde rejicit uſum vini, in quo aurea lamina extincta, quod illud nullas è corporei auri ramentis vires nanciſci poſſit. Quæ omnia, an ex vero dicantur, eſto aliorum judicium. In rebus obſcuris & à ſenſu remotis conjecturis tantum locus eſt. Quod ſi menſtrua illa ſubterranea admittimus, non omnino de nihilo eſſe quis crediderit. Eandem telam nuper quoque texuit *Thomas Sherley* Regis Angliæ Medicus in Diſſertatione, quam de cauſis lapidum publicavit. Quâ occaſione ſimul in originem omnium corporum inquirit, quæ ex Aquâ & Seminibus ſuis produci vult. Eam præmiſit, ut viam ſterneret Tractatui Medico, quem de cauſis calculorum in corpore humano ſcripturus eſt. Non pauca hîc erudita & curioſa, quæ ad hoc argumentum & naturam petrificationis ſpectant, afferuntur, quibus hîc ut immoremur, inſtituti noſtri ratio non permittit. Summâ denique curâ & induſtriâ rem illam demonſtrandam ſuſcipiet ingenioſiſſimus *Steno*, in Diſſertatione de Solido intra ſolidum naturaliter contento, cujus prodromum ſuperiore, ut puto, anno publicavit. E quo totum opus, velut ex ungue Leonem, judicare facilè eſt. Corpus naturale vel ſolidum eſt, vel fluidum: Illud, ſi ſecundum naturæ leges productum eſt, à fluido productum eſſe ait : Creſcere illud, dum particulis ejus novæ apponuntur particulæ, ab externo fluido ſecretæ : fieri autem appoſitionem hanc vel à fluido externo immediate, vel mediante fluido interno uno vel pluribus. Quæ omnia eleganter illuſtrat comparatione corporis humani cum productis terræ inſtitutâ. In omnibus locum productionis accuratè inſpiciendum docet: id eſt corpora vicina, quæ ad incluſorum productorum figuras componenda. Sic in ſaxorum examine multa detegi poſſe judicat, quæ in mineralium ipſorum examine fruſtra tentantur, quandoquidem perquam probabile ſit, omnia illa mineralia, quæ ſaxorum ſpatia vel fiſſa vel dilatata implent, pro materiâ habuiſſe ex ipſis ſaxis expulſum vaporem : Quod an perpetuæ & indubitatæ fidei ſit, ego in medio relinquo, nam aliunde etiam impleri fiſſuræ poſſunt, quàm vaporibus è ſaxis ipſis expulſis. De Cryſtalli productione multa ſubtiliter diſquirit: an inter fluidum & fluidum, vel inter fluidum & ſolidum; an verò in ipſo fluido producatur : nam è fluido productam eſſe dubium illi nullum eſt ; frigore tamen concretam, aut è cineribus ignis vi in vitrum exuſtam negat. Neque enim vi ignis tantum vitri fieri productionem, ſed & abſque ignis violentiâ fieri poſſe & humano artificio putat : modo quis inſtituat accuratam analyſin ſaxorum, in quorum cavitatibus optimæ cryſtalli formantur : Certum enim eſſe, ut ex fluido concrevit cryſtallus, ſic in fluidum eandem poſſe reſolvi, modò quis verum Naturæ menſtruum imitari norit : Nec obſtare : quod corpora, à quibus menſtruum totum vi ignis ablatum eſt, non amplius reſolvi poſſint : cùm alia ſit ratio eorum corporum coagulatorum, quæ in medio fluido ſeu menſtruo concreſcunt, cujus partes inter coagulati corporis particulas relinquuntur. Fluidum enim, in quo cryſtallus creſcit, eodem modo ſe habere ad cryſtallum, quomodo aqua communis ſe habet ad ſalia. Cum vitro per ignis violentiam parato aliter res ſe habet, nam humor ejus penè omnis expellitur. Memini tamen ego etiam

in

in vitro vulgari tantum obtinere posse singularem quendam liquorem, ut ad tempus saltem flexibile illud reddat, si non solvit: quò imagines ex eo fingi possint, aut characteres illi imprimi, cujus mentionem feci in Epistola ad Clar. Dn. D. Majorem, *de Scypho vitreo per sonum fracto* scripta. Addo, cùm è diversis corporibus jam tum concretis, quæ nonnisi propriis singula menstruis resolvi possint, componatur vitri corpus: vero est simile, nullum dari posse menstruum, quod in corpora sic juncta operetur. Ad hujus doctrinæ illustrationem mirificè facit historia artificialium gemmarum per aquam & pulverem coagulantem confectarum, à me in dictâ epistolâ commemorata: quam recensere hic nolo: cùm in tuis non tantùm, sed & in omnium manibus sit Dissertatio typis ante annum divulgata. Lucem etiam addere poterit experimentum, quod vidi, cum Amsterodami commorarer, apud *Birrium* Medicum, ediris quibusdam in Chemiâ libris non ignotum. Is mihi lapillos monstravit satis pellucidos ac elegantes, & ad modum gemmarum politos, quos è liquore quodam, quem præmonstrabat, se parasse aiebat. Ponderosus ille erat longe ultra vulgaris aquæ indolem, claritate tamen & perspicuitate eam æquabat. Sapiebat tamen nescio quid leviter stypticum & salsum. Hunc ille non solum pro insigni medicamento habebat, sed & mira se in solutione corporum eo efficere posse memorabat. Vino Rhenano cum guttulas aliquot infunderet, sensim è flavo in saturum rubrum colorem, sed temporis aliquo intervallo, concedebat: & si rectè memini, etiam crystalli in fundo subsidebant. Ego non dubitavi è Tartari sale confectum esse, nam similem saporem deprehendi: quanquam ille celaret hæc arcana. Ex isto liquore cùm præcipitasset pulverem, eum igni vitrificatorio exposuit, usque dum in substantiam crystallis similem concrescceret: è qua gemmas illas formari sibi fecerat. De duritie illarum nihil mihi constat, cùm nec tactu, nec visu ea deprehendi possit. Si non superarunt, saltem exæquarunt vitri duritiem, cum polituram sustinere potuerint. E corporibus, quæ ad metallorum naturam propius accedunt, præcipuè corpora lamellata in fluido & ex fluido concreviisse *Steno* censet. Quo in genere Talcum est, cujus solidum corpus in fluidum resolvi posse ait, cum ex fluido illud concreviisse extra controversiam sit. Illos autem à vero longissimè aberrare, qui ignis torturâ hanc ab illo gratiam extorquere nituntur: *mitius enim* (ait) *à naturâ haberi solitum Talcum, tantam in venustatis amatoribus sævitiam indignatur, & vindictæ loco Vulcano cedit illam sui resolventis partem, quam sibi inclusam conservat.* Denique & ipsa metalla perfectiora è liquore certo originem suam habere videri possent, si vera essent, quæ *Franciscus Lana* in Prodromo all' arte Maëstra *c.* 20. suo edoctus, ut perhibet, experimento nobis prodidit: Cujus ipsa verba, ut plenior rei fides sit, hîc adducam: *Non direi questo*, inquit, *se io medesimo non havessi havuto fortuna di havere aliquanta di una simile miniera, dalla quale con non molto artificio fu cavata una poca quantità di certo liquore aureo, che era la vera semenza di oro, ma per non esser conosciuto, tutto fu consumato con gettarlo sopra una quantità di argento vivo bollente, il quale tutto subito congelossi, & accresciuto il fuoco restarono cinque parti di esso perfettamente fisso, cioè, à dire una mezz' oncia di quel liquore fisso, due oncie e mezza di argento vivo; che se fosse stato maggiormente depurato, e poi congionto come anima al suo corpo proportionato, sarebbesi con esso potuta formare la vera pietra, ma sin hora non ho mai potuto ritrovare altra miniera simile a quella*, id est: *Non dicerem illud, nisi mihi ipsi bona fortuna talem mineram* (de minera auri loquitur) *suppeditasset, è qua non magno artifi io expressa fuit exigua aliqua quantitas certi liquoris aurei, verum auri semen: sed quia pretium ejus non intelligebam, totus ille liquor consumptus fuit projectione supra argentum vivum, quod statim congelavit, ac igne aucto superfuerunt quinque partes ejus perfectè fixæ: videlicet dimidia uncia istius liquoris fixi, duæ & dimidia argenti vivi. Quæ si magis depuratæ fuissent, ac postea conjunctæ quemadmodum animæ cum corpore sibi adæquato, potuisset eo verus lapis confici: Verum ad hunc usque diem non potui illi similem invenire mineram.* Hæc Autor ille magnâ quâdam fiduciâ scribit; quorum tamen fides penes ipsum esto. Quin extraxerit ille è minerâ talem liquorem, qui figere potuerit argentum vivum; an vincet, inde semen auri se habuisse, aut è commistione corporum illorum lapidem, quem vocant, Philosophorum potuisse produci? Nos, ut tandem nostram quoque de his opinionibus sententiam in medium proferamus, ita arbitramur: nec gemmas, nec metalla è solâ aquâ simplici posse produci. Metalla, quia corpora habeo secundùm mista, quæ decomposita alii vocant, in partibus suis constituentibus primò mistis, agnoscunt fortassis liquorem primogenium, sed qui in ipsa metallorum productione non apparet, ac inutilis est in metallo per artem producendo. Sed de his inferiùs plura. Quod ad gemmarum, & crystallorum ex aquâ concretionem spectat, ea nondum satis expedita mihi quidem videtur. Quanquam enim, quia texturæ simplicioris esse videntur, ob pelluciditatem, ad aquæ naturam propius accedere videantur; dubia tamen non pauca rem illam urgent, quæ alio se modo eam habere posse persuadeant. Esto, pellucidas esse: sed tamen & duræ sunt, & fragiles: quod indicio esse possit, minus inesse iis humoris, quam ipsis metallis, quorum lentor inspissatum liquorem non obscurè ostendit. *Bernhardus Palissy*, qui ex aquâ productas vult, non è simplici sed è gemmis componi putat, quarum altera, quam coagulantem vocat, nihil aliud quam Sal est, ut explicat *Sorellus*, aut alia quædam substantia lapidifica, quæ ab aquæ naturâ diversa est: ut itaque ex ipsis ejus principiis pateat, crystallum non esse corpus ὁμοιομερές. Crassam satis communium lapidum misturam arguit observatio illa *Peireskii*, à *Gassendo* in vitâ ejus relatâ: qui ex aquâ limum viscosum eruit, ad contactum aëris in lapidem abeuntem. Quid vetat, etiam in crystallis & gemmis diversos succos vel terras, sed naturæ purioris misceri? Sed Aquarum in crystallorum incunabulis vestigia invenit solertissimus *Steno*, unde eas concretas judicat. At fortassis illæ vehiculorum vice fungebantur, quæ naturas gemmarum constitutivas ad loca illa deferrent, extra autem corpus ipsum consistebant. Nec crederem ego idoneum hinc argumentum peti: quod cum crystalli, gemmæ hoc vel illo liquore solvantur, è liquoribus quoque illæ sint compositæ. Multos ego dari vel per artem parari liquores posse credo, quorum particulæ ita sint comparatæ, ut spatia mistorum nonnullorum pervadant illaque compage suâ solvant, quæ ad constitutionem tamen eorum nihil conferunt. Inventus casu quodam in Angliâ fuit liquor blandissimus vegetabilis, qui marmor durissimum pervadens coloribus admistis in interioribus substantiæ particulis

tingeret. *Berigardus*, ut refert in Circulo ſuo Piſano *p.* 534. phlegmate illo debili, quod primo ſtillicidio ex aceto acerrimo defluxit, facile uniones & alia multa diſſolvit, poſtremo verò illo, quod vi ſummâ ignis extrahitur longè acriùs & coloratius, nihil effecit. Iis tamen liquoribus nec marmor, nec uniones, natales ſuos debuerunt. Quin habeamus illum liquorem, è quo vel concrevit, vel præcipitata fuit ſubſtantia cryſtallum componens, non tamen crediderim, quod putat ſubtiliſſimus *Steno*, eodem reſolvi in liquidam naturam poſſe. Denique & hoc veroſimile alicui videri poſſit: gemmas, ſi non omnes, ſaltem aliquas è diverſis corporibus, per ignem vehementiorem, eodem modo, quo à nobis vitrum conficitur, compingi poſſe. Certè qui artem χρυσοποιητικὴν profitentur, etiam gemmas, ſi rectè memini, per ignem fabricare docent; & earum quaſi typum quendam ob oculos ponunt, adulterinæ illæ, quarum *Antonius Neri* præparationem tradit.

III.

Alii iterum ſunt, qui metallorum originem à Sale petunt. Qui verò ſic ſentiunt, non idem omnes ſentiunt. Quidam enim univerſale aliquod Sal comminiſcuntur, quô neſcio quæ miracula in univerſa Natura, atque adeò in regno minerali ſe effecturos ſperant. Quæ opinio à Paracelſi tempore primum invaluit, ac à nonnullis ejus aſſeclis, & Fratribus Roſeæ crucis, ad hæc uſque tempora propagata eſt. Extat quoque ſpecioſus de vero Sale Philoſophorum liber à Gallo *Nuiſement* ſcriptus & in Latinam Linguam à *Combachio* converſus, ubi ſententia illa & proponitur & propugnatur Sal illud cœleſte, æthereum, aëreum, univerſi nominant, quod vel ex rore, vel aëre, vel nitro, vel excrementis etiam animalium extrahunt. Tale aliquod an detur, ego quidem definire non auſim: vetuſtiorum certè Chemicorum ſchola ignoravit. Ex aëre extrahi poſſe ſal, non negaverim, ſed univerſale illud eſſe vix crediderim. Vagantur in aëre particulæ ſalinæ variorum generum, quæ ignibus ſubterraneis & Solis calore ſubtiliatæ in athmoſphæram provehuntur, prout ſoli ſubjacentis indoles illas ſubminiſtrat, nitroſæ, vitrioſicæ, aut alterius cujuſdam naturæ, vel ſic ſeorſim, vel inter ſe miſtæ. Quibus ego vires catholicas tamen non adſcriberem. Commodè hîc mihi hujus Diſſertationis occaſione incidit, quod Amſterodami apud Virum ſolertiſſimum *Theodorum Kerckringium* vidi. Is veri ac genuini vitrioli ſed impuri quantitatem non exiguam monſtravit, quam ex aëre Amſtelodamenſi multis aquarum ſalſarum & ſoli paludoſi effluviis imprægnato machinæ cujuſdam beneficio extraxerat. Magna ſcilicet Naturæ Architectonicæ inſtrumenta ſunt Ignis & Salia: ſed varia, ut varia ſunt corpora corporumque miſtiones, quorum miniſterio, pro ſubjectorum ingenio, in compoſitione & diſſolutione eorum utitur. Ea tamen eſſentiam illorum non ingrediuntur. Miras in corporibus tum metallicis, tum aliis, natura facit viciſſitudines beneficio Salium, quæ ſubterranea æſtuaria per omnem telluris compagem omneſque venas & fodinas metallorum ordine tumultuario diſpergunt. Unde plerumque varia inter ſe ſalium & ſulphurum corpuſcula in mineris deprehenduntur: quæ tamen ad metallorum conſtitutionem pertinere quis temerè non dixerit. Vidi in Angliâ Brabantum aliquem, qui ſolo moderamine ignis, ſine ullâ alius rei additione, è Saturni minerâ verum vitriolum, verum ſulphur, ſal commune, nitrum, producere; acetum, tincturam ac plura alia parare poterat. Quod ille artificium ut rem ſecretiſſimam tegens nonniſi C C. aureorum pretio vendere cogitabat. Acceperat à Doctore quodam Pariſienſi illud, non quidem contemnendum, ſed quod ad ſummam rei metallicæ nil faceret. Neque enim ex illis componebatur corpus metallicum, quæ fortuitò tantùm ad mineræ locum confluxerant. Nam ex aliis alia fortè produxiſſet: quanquam ille in Minerâ plumbi & Antimonii tantum experimentum fecerat. Auri & Argenti mineras, puto, hoc artificio ſuo non expugnaſſet. Quin eſt in quâlibet terrâ peculiaris quædam ſubſtantia ſalina vel ſingularis vel aliis miſta, quam differentiam cœcum quendam nautam guſtu deprehendere potuiſſe mihi narravit Vir fide digniſſimus. Nam cum mari terræ vicino bolis immitteretur, terrâ, quæ bolidi adhæſit, guſtatâ, nominare citra errorem potuit locum, in quô verſarentur. Hamelius *lib.* 2. *de Foſſilibus cap.* 9. huic quodammodo ſententiæ favere videtur: primum enim metalli rudimentum facit ſubſtantiam quandam ſalſam in aquam reſolubilem, quæ paulatim excoquatur, neque aëris amplius vel aquæ injurias reformidet. Sed hæc merâ conjecturâ dicuntur, & citra ullam veri ſpeciem. Nam quæ illa foret ſubſtantia ſalſa? nec nominare illam poteſt ipſe, nec inter cognitas ulla eſt, quæ id præſtare officium poſſit.

IV.

Sunt porrò, qui ſale illo univerſali relicto, quod ubique venantur & nuſquam inveniunt, ad nota ac vulgaria illa deſcendunt. Cùm enim, nitri, vitrioli, ſalis communis vires in divellendis corporibus metallicis videant, alia quædam ſub illis latere arcana ſuſpicantur. Animos addunt tot paſſim hiſtoriolæ, quas vel fando acceperunt, vel literis conſignatas legerunt. Quales ſunt de argento ſpiritus ſalis beneficio è plumbo extracto apud *Johannem Frid. Helvetium in Vitulo aureo*; de bonâ auri quantitate è vitriolo quodam Hungarico educta apud *Beccherum in Phyſicâ ſubterraneâ*. Quæ per ſeparationem potius argenti & auri latentis, quam per ſingularem aliquam ingenerationem contigerunt: nolo enim hominum, qui illa memoriæ prodiderunt, fidem in dubium revocare. Ac fateor non temerè me credere, quæ *Salomon de Blauenſtein*, ut fictо proculdubio ſe nomine appellat, quique artis χρυσοποιητικῆς ſe verum alumnum ipſe profitetur, in Interpellatione ad Philoſophos pro Lapide Philoſophorum contra Mundum ſubterraneum Kircheri cap. 2. ſcripſit. Ita verò ille: *Quid multis? poſſem & ego dare aliud Epicharema P. Kirchero, ſi mihi per tres horas duntaxat adeſſet, & incredulo palpandum præbere: quomodo ex puro puto argento, toto quanto, fiat purum putum aurum additione ſimplicis ſalis præparati, ſine aliquo vel minimo addito.* Quid ille ſale ſuo ſimplici præparato intelligat; equidem ignoro: ſi commune, fateor, nihil poſſe mirabilius fingi, quod adeò veterum Chemicorum principiis repugnet. Præ cæteris in vitriolo & nitro ad inſaniam uſque laborârunt nonnulli: Aliqui integris voluminibus iſta executi ſunt: cumque ipſi cœci eſſent; aliis tamen viam commonſtrare voluerunt, rapientes in ſenſum ſuum Chemicorum dicta, quæ ipſi, nominum varietate decepti non ſatis intellexerunt, nec è conſenſu autorum interpretari rectè potuerunt: quibus Vitrioli, & Nitri nomina aliud quid ſignificant, ac illi putant. Quot non proceſſus, ut vocant, ab

Impoſto-

Impostoribus, è vitriolo circumferuntur ? Extat & è Vitriolo Processus cujusdam *Jodoci v. R.* qui addi solet operibus *Fr. Basilii Valentini*, ad summam hominum & metallorum medicinam, magno apparatu descriptus, ac operosus, quem Amicus, qui ad præscriptum ejus operatus est, nullo, nisi effectu ipso mendacem invenit. Cætera in illo sat bene se habent. Quos non *Glauberus* strepitus cum nitro suo fecit, è quo tot libris scriptis miracula magno hiatu promisit. Non pauca eximia sunt & præclara : plurima ex ingenii potius, quam fornacum calore nata. Cæterùm aureos montes non vidimus. In multis tamen ejus fidem sequitur Libro de Fossilibus Hamelius, quam exploratam prius habere oportebat. Non negaverim equidem stupenda in rerum naturâ horum salium ac nitri imprimis effici beneficio posse, sed metallum ipsum producere posse dubito. Planè enim ad aliam Mineralium familiam pertinet, nec ad lentum illum & viscosum humorem metallicum constituendum aptum natum est. Interim si sub acrioris spiritus forma comparent, tyrannicum in corpora illa exercent imperium ; si in subtiliorem & blandiorem naturam clementiori igne rediguntur, vel ab auro ipso tincturam elicere, ac secum per alembicum auferre videntur. Quæ formassis alicujus in medicinâ usus, in metallis verò emendandis, cum corporeæ tantùm naturæ sit, inefficax est. De Salis nitrosi subtilis spiritu è rore Majali extracto mira passim prædicant nonnulli. Nollius hujus salis spiritu & oleo, quod è rore Majali conficitur, in agone constitutos revocari, tincturam ex auro evocari posse scribit. Mirum quam triumphat hoc arcano Borellus *Cent. 1. obs. 6.* qui amplius aliquid indagavit : *Multis*, inquit, *exantlatis laboribus & vigiliis, in arcanis naturæ perquirendis secretum auri solvendi tandem nactus sum, id est menstruum benignum, amicè aurum intra paucas horas solvens, & sine fumo, imò sine igni quoque dissolutum potest ad salis naturam & olei reduci, cujus grana 3. 4. vel 6. juxta ætates varias propinata intra quatuor horas circiter, sudoribus copiosis febres malignas purpuratas, epidemicas & pertinaces curarunt. Sciant verò Lectores, à spiritu roris illud factum fuisse juxta Sendivogii doctrinam. At dicent multi: cur non ejus copiam mihi comparo ? Sed sciant expensas lucrum superare. Notandum est* (addit porro) *collectores auri Fluvii Gard juxta Urbem Vigam asserere, roris guttas unicuique auri paleæ adhærere mane in arenâ, eòque nutriri. Rorem illum coctione longâ abhinc nigrum, albissimum & citrinum reddidi, sed sine projectione fuit.* Adjecit deinde quædam de modo præparandi, quæ illic legere poteris. Quin observatum est, auri folia, si rori ipsi, non spiritui injiciantur, ac cum illo per aliquod tempus lento igne digerantur, tandem disparere : cum verò postea per filtrum ros percolatur, in fundo ejus substantiam velleri vel nivi similem, cujus felicissimus in cordis affectibus usus sit, remanere. Quod rori vel spiritui roris tribuitur hîc ; alii spiritui vel essentiæ mellis, quod & ipsum rore constat, tribuunt. Aurum enim solvere dicitur, ejusque tincturam per alembicum rapere, quæ auri potabilis instar esse possit, & mira in transmutatione metallorum præstare. Ac vidi ipse auri aliquam tincturam hoc modo paratam ab homine, qui nescio quos thesauros inde sperans magno pretio Principi alicui hoc secretum vendiderat. Quod si quis gratis scire cupiat, adeat Johannem Nardium Florentinum *Disq. Physicâ de Rore cap. 23.* ubi modum præparandi docet, Matheſius *Sarepe. Conc. 3.* aureum nummum rore vel pluviâ Majali aliquoties aspersum atque à Sole siccatum vel terrâ absconditum ponderosiorem fieri notavit. Hæc quanquam speciosè satis omnia dicantur, nondum tamen me movent, ut in auro conficiendo vel radicitus solvendo aliquas vel nitro vel spiritui roris aut mellis partes tribuam. Agunt illi liquores vel potiùs salia liquoribus permista, non aliter, quam modo vulgari, ut quævis aquæ corrodentes: sed quia attenuata & subtiliora, subtiliores etiam particulas avellunt, quas citra molestiam aliquam ignis propellere per alembicum possit, suis tamen naturis nondum disjunctas. Hæc mea de nitri vel salis nitrosi in rore contenti circa metallica operationibus sententia est: cujus tamen magnas vires in Vegetabilium ac animalium generatione non ignoro. Ejus illustre Exemplum proferam, nisi displicet, Vir Amplissime, hic ultra argumenti nostri carceres excursus. Anguillas arte produci posse, nec fando audiveram olim, nec in aliquo rerum naturalium Scriptore legeram, quod in Belgio roris beneficio facere agricolas nupero itinere medio didici. Primùm ego fidem habere narrationi huic nolui : sed incidi postea in *Abrahami Mylii* scriptum de origine animalium & migratione populorum, ac idem apud illum artificium legi pag. libri 10. cujus verba referam : *Mense Maio*, inquit, *cum largiter rorabit, seca & discinde ligone ex campo graminoso ante ortum Solis duos æquales cespites, eosq; impositos, alterum alteri, ubi graminosi sunt, repone in margine alicujus piscinæ à parte aquilonari, ubi Sol radios suos maxime emittit. Videbis inde propullulare quasi examen pullorum anguillarium ante horas paucas elapsas. Sic quidam cum non pœnitendo fructu piscinis suis anguillarum numerosam copiam ingenerant.* Et verosimile hoc experimentum facit, quod nullum reperiatur in anguillis semen, nulla organa generationis, ut multa fuerit de earum origine Scriptoribus Historiæ naturalis disputatio. Si Piscatores interroges, è vermiculis quibusdam, qui certo anni tempore in omnis generis piscium carne nascuntur, produci docent. Quos & ipse non semel deprehendi. Leges etiam inter acta Philosophica Anglica *p.* 35. quæ observavit *Thomas Henschavv* Nobilis Anglus, de vermium è rore putrefacto generatione. Ac memini ego apum ex Hydromelle putrefacto generationem notatam à quopiam fuisse. Rori denique soli in acceptis ferenda est illa Plantarum è cineribus resuscitatio, de quâ *Caramuel*, *Harsdofferus* in libris suis ; *Voigtius* singulari Dissertatione egit: quamque integri libri materiem facturum se promisit *Kircherus*. Magna itaque hujus Salis vis est in vegetabilium ac animalium productione: metalla quanquam vexari ac affici variè ab illo possint, emendari tamen, mutari, augeri, fœcundari, ut in vegetabilibus fit, minimè possunt.

V.

A Salium familiâ rectà ad metalla itur. Inter quæ primum omnium compellari solet argentum vivum, mirabilis profectò substantia, quæ mille se in formas fingit atque refingit, quâcunque etiam arte tractetur. Plinius vomicam liquoris æternivocat : Liquida enim & fluida est. Cumque miro amore aurum amplectatur, eique per intima se uniat, & præ reliquis metallis humor tantùm aliquis & rudimentum metalli videatur : plurimi sanè primum metallorum ens, ut ita loquar, in illa deprehendere sibi visi sunt : Nec desunt hodie qui idem statuunt, tot in illo mari aliorum naufragiis nondum cautiores facti. Accedit venerabile

illud Mercurii nomen, quod in Chemicorum ſcriptis adeò frequens eſt: conſpirant tot deſcriptiones, tot requiſita, ut vel cautiſſimus iis omnibus fallatur. Aliqui Virginem Mercurium volunt, quem natura produxit à flammis voracibus nondum tentatum: aliqui è metallis cæteris per artem extractum. Quod an fieri poſſit, dubitatum hactenus fuit; ſed veritatem ejus artificii, tua, Vir Clariſſime, Epiſtola commonſtravit. Sed hunc ego nihil à vulgari illo differre ſtatuo; quicquid etiam aliis videatur. Nam cùm mirabilis ſit illa & imperceptibilis penè Mercurii in minima diſſipatio, quæ fit in mineris per ignes ſubterraneos, facilè ſe metallis inſinuat ac commiſcet; ſed non radicitus. Quædam ejus particulæ primâ metalli fuſione evaneſcunt in auras: quæ tenaciùs hærent, remanent, ac tandem ſalium ope eruuntur, & à reliquis particulis ſeparantur. Facilius autem id efficitur in mineris, in quas pronior illi ingreſſus eſt, ac promtius iterum expellitur. Quando per fuſionem particulæ metallicæ propius junctæ ſunt, difficilius ſuccedunt omnia. Ex Antimonio & plumbo extrahi non difficulter poteſt, facilius ex ejus mineris. Tere mineram plumbi in minutum pulverem, ac ſtylum in illo aureum moveto parumper, & adhærebunt ſtatim auro particulæ quædam Mercuriales. Nec metallis tantùm, ſed & ligno ſe miſcet. Habui ego ab amico fruſtum ligni, quod ex arbore è terrâ metalliferâ prognatâ reciſum fuerat, in quo per omnes ejus fibrillas & venulas diſſeminatæ erant argenti vivi particulæ, ut valido motu etiam excuti poſſent, quod fieri facilè poterat: quia, laxiores ſunt in ligno quam in metallo viæ. Oſtendebam, cùm Londini commorarer, Illuſtri Dn. *Boilio*, qui & arte tale lignum parari poſſe credebat. Sed eſto. Eodem tamen modo, ſcilicet per ſublimationem, tam à natura, quàm ab arte fit. Memorat Autor Libri, cui titulus *l'Europe vivante tom. 1. part. 2.* è relatione cujuſdam Nob. Angli de Operario, qui diu in fodinis Mercurii laboraverat, cui particulæ ejus minimæ totum corpus adeò pervaſerant, ut fruſtum cupri oris ejus halitu ac digiti affrictu ita inalbeſceret, ac ſi ipſius Mercurii corpus quis affricuiſſet. Falli itaque omninò credo, qui, quod à metallis Mercurium educi poſſe vident, ex eo illa intrinſecus componi ſtatim exiſtimant. Quanquam, fateor, adeò ſpecioſæ hæ ſunt rationes, quas ſupra adduximus, ut facile in iſtam ſententiam aliquem adducent. Sed tot experimentis hactenus nil actum eſt, ac uno omnes Chemici cordatiores ore clamant: nihil ſibi eſſe rei cum Mercurio vulgi, nolle ſe argentum vivum currens, quod ovum ſubventaneum alicubi vocat *Lullius*, ſed aliam quandam ſubſtantiam metallicam, immaturam, non tamen in radice ſuâ impuram, quam illi Mercurium ſuum vocant; argenti vivi, abſque illo, nullum eſſe in metallorum tranſmutatione uſum. Quod ſexcentis illorum effatis firmare poſſem, niſi ſcirem hæc tibi eſſe cognitiſſima. Novi tamen aliquos, qui viâ, ut vocant, particulari, nobilius ex argento vivo metallum ſe confeciſſe, quanquam ſine lucro, glorientur, de quo in ſequentibus dicam. Quanti porro in Antimonium inſumpti fuere labores, è quo ſperarunt non pauci maximum illud naturæ arcanum. Sed non eſt in illo genuinus Mercurius metallicus, qualis ad corpora perfectiſſima metallica componenda requiritur: ut patet è fragili hujus textura. Sulphuris fortaſſis purioris aliquid reconditum eſt, unde particularis quædam tranſmutatio concedi poſſit. Quod & innuere videtur *Baſilius Valentinus* in Curru triumphali Antimonii, ac commentator ejus *Theodorus Kerckringius*. Nam ad magnum opus, ipſis fatentibus, nihil rei confert. Utiliſſima tamen latent in illo remedia, præcipuè in morbis ab infectione ſanguinis oriundis, quos ad miraculum edomare valet: Ea ad cœlum uſque laudibus extollit *Baſilius Valentinus*, ac experimentis ſuis firmat *Kerckringius*. Non deſunt qui vel ex uno metallo immaturo, vel duorum, perfecti & imperfecti, conjugio, ſolâ diuturnâ coctione, quæ naturæ operationes ſubterraneas imitetur, perfectius aliquod metallum ſe facturos putant, cum in naturâ plumbi mineras, ſucceſſu temporis in argentum commutatas deprehendant metallurgi. Fuit in eâ ſententiâ ſagaciſſimus rerum naturalium ſcrutator *Baco Verulamius*, qui in *Hiſtoria Naturali Cent.* 4. methodum præſcripſit, quâ poſſibile ſibi videbatur, ignobilius metallum in nobilius commutare. Poſtquam requiſita ejus operis recenſuit, tandem *num.* 327. ita rem inſtituere jubet: *Anguſta paretur fornax, temperatuſque excitetur calor, & quidem talis, ut metallum perpetuo liquefactum conſervet, non vehementior; quod ad rem maximè facit. Materia ſit argentum, metallum maximè cum auro ſymbolizans, cum eo quoque decima Mercurii vivi pars imponatur, duodecima nitri juſto pondere, quæ vegetando corpus & metalli aperiendo ſerviunt. Operatio per ſex menſes ad minimum continuetur. Velim & oleoſus quandoque injici ſubſtantias, quales adhibentur recuperando auro, tormentis ſeparationum exaſperato; in eum finem, ut partes arctius laviuſque diſponantur; magnum inſtituti momentum. Aurum enim, ut conſtat, compactiſſimum, omniumque metallorum ponderoſiſſimum eſt, maximeque flexibile & extenſibile.* Hæc *Baco Verulamius*; quem verè ſic ſtatuiſſe confirmavit mihi Amicus Londinenſis. Nam quanquam paſſim in ſcriptis tenuiter de ſtudio Chemiæ metallicæ ſentiat, privatis tamen ſtudiis diligentiſſime rem illam, nec ſine magnis ſumptibus, eâque, quam hic ſibi præſcripſit, methodo tractavit. Sed nihil omninò effecit, nec efficere iſtâ viâ potuit, ut facilè, qui harum rerum intelligens eſt, animadvertit. Sic & *Fr. Lana* loco, quem ſupra laudavimus, Aurum cum Mercurio amalgamatum, ſi longo igne maceretur, tandem in Elixir Philoſophicum mutari putat. Illud verò non contemnendum eſt, quod ignis accuratam haberi rationem voluerit *Baco*: quo ſolo interdum plus efficitur, quam ſexcentis aliis ſubſidiis. Quare nihil magis ipſi veteres etiam Chemici inculcant, ac ſcio ipſe ejus experimenta bene multa. Quis neſcit Talci calcinationem rem haberi difficillimam? Torreas ſummo igne pro lubitu, ad diuturnum etiam tempus, & vim omnem flammarum pertinaciter eludet. Vidi tamen vel intra dimidiæ horæ ſpatium, pauciſſimo igne, rudi ad ſpeciem artificio, totam ejus ſubſtantiam ita calcinatam, ut colore flavo ablato, ſpongioſa facta ſub digitis in minutiſſimum pollinem comminueretur. Quare patet, non adeò indomabile igni eſſe Talcum, ut quidam crediderunt, qui aliquod auro ſimile ſibi in eo, præcipue flavo, viſi ſunt deprehendere. Quâ in opinione non omninò falſi fuerunt: nam & hodie metallurgi ſeparare ex eo aurum norunt, ac latet in eo ſulphur aliquod purius, quam credas fortaſſis. Dixitque mihi aliquando Amicus, noviſſe ſe Medicum, qui ſulphure per ſingulare artificium ex hoc corpore extracto, curare immedicabiles morbos potuerit, in alterum illi à maximo Elixire locum poſuerit. Teſtatur & Martin. Martini in *Atlante Sinico p.* 79.

Talcum

Talcum in calcem redactum vinoque mixtùm ac epotum Sinicis Medicis ut singulare Medicamentum ad vitam longam commendari. Videri ergo hoc experimento potest, quam etiam in Vulcani regno sæpe

—— *Peragat tranquilla potestas,*
Quod violenta nequit;

quam cedant mitioribus flammis interdum corpora duriora, fortioribus resistant. Cui Dissertationi, quoniam jam in eâ sum, amplius insistam, & nisi loquacitas Tibi mea molesta est, lectissimis speciminibus confirmatum ibo; quanquam non è proximo omnia; aliqua è longinquo tantum rem nostram illustrent. Cum Amsterodami viverem, confessus mihi est *Theodorus Kerckringius*, se ex argento vivo argentum & aurum verum fecisse: monstrabat enim quatuor frusta metallica annularis digiti crassitiem æquantia; quorum primum stanno simile; alterum argento; tertium subflavum erat; quartum colore respondebat auro. Hæc solo regimine ignis, ex argento vivo, addito exiguo quodam pulvisculo (quem ex Antimonio confectum ego suspicabar, nec ipse visus est diffiteri) se feciisse asseverabat. Ac videtur ipse nonnullis in locis Commentarii super *Basilii Valentini* currum triumphalem id innuere. Vidi & apud eundem insigne artificium, solo ignis ministerio, nec ullâ re aliâ additâ, solvendi succinum. Nam ostendit mihi cadavera infantum succino obducta, ut omnia membra transparerent. Monstravit etiam phialem vitream tali succino soluto, iterumque congelato impletam. Quam splendidè jam magnatum cadavera condi ac à putredine conservari possent: nam citra ullam corporum evisceration em, contra omnem injuriam aëris & humorum, novâ hâc è succino tunica quasi cataphracti jacerent. Quid non lucri ex hoc invento nasceretur, cum succini fragmenta, quo majora eò pretiosiora sint, ac in Oriente ultra aurum æstimentur: illa verò hîc quantitate, quâ quis velit, exhiberi possint. Ergo quod tot modis à solertissimis Chemicis tentatum est, unico nunc ignis regimini debetur. Diu multumque, fateor, animum in succini naturâ cognoscendâ exercui: & facit profectò inventi istius novitas, ut ne nunc quidem, quamquam loco alieno mihi temperem. De Succini natalibus res dubia. Aliqui maris sobolem habent; aliqui ex terrâ prodire statuunt, quæ mihi sententia verosimilior videtur: testanturque animalcula & insecta terrestria passim in succino reperta: quod fusius aliquando deducet Clarissimus Collega noster *D. Major* in libro de Succini natalibus non maritimis. Nascitur verò frequenter in locis, ubi Pinus & Terebinthi crescunt, quod argumento esse posset, à simili quâdam viscosa substantiâ; qualis in arboribus illis reperitur, per terram dispersâ nasci, & à particulis salinis maris proximi vel aliundè coagulari. Nam pene consimilem naturam arguunt multa, similis inflammabilitas, ac odor, qui à Terebinthinæ Cypriæ incensæ odore vix differt; quodque è succis illarum arborum per artem confieri possit; hodieque conficiant Chinenses, teste Martino in *Atlante Sinico p. 65. Putant quidam*, inquit ille, *ex defæcatis illud oriri pinorum medullis, temporis longinquitate induratis ac pellucentibus. Et vidi ego sanè ex pice pinea seu resina per decoctionem illud arte fieri divendique à Sinis ita egregiè effictum, ut vero invidiam facere possit.* Ego quidem persimilis naturæ oleosum humorem dissolvi posse existimo. Potest & impurum succinum arte corrigi, & subtiliari, docente *Glaubero* lib. de Furnis Philosophicis, per Spiritum Salis rectificatum: sed tum duritiem illam deponit, nec durat, nisi in loco frigido vel temperatè calido. Si calor plus justo intensior, diffluit. Novi qui tentarint experimentum bono eventu; si quis solidare iterum succinum alio artificio nosset, jam naturæ artibus superior esset. Exhibet tamen & illa nonnunquam inelaboratum, quale fuit illud, quod alterâ sui parte molle; alterâ durum, & cui sigillum imprimere potuit Nobilissimus *Dn. Oldenburgius*, de quo memorat ipse in *Actis Philosophicis p.* 2061. Pingere etiam Natura illud solet variis characteribus, quale frustum nuper ad me misit Nobilissimus *Dn. Johannes Tinctorius*, Serenissimo Electori Brandenburgensi à Consiliis, in quo litera D. perspicuo naturæ ductu delineata, etiam cæteras, ut est humanissimus, Alphabeti literas, sic in succino depictas, submissurus. Cum itaque hanc de succini origine sententiam vero simillimam judicem, falli puto autorem libri qui *l' Europe Vivante* inscribitur, *qui tom.* 1. *part.* 2 oriri illud putat à melle, quod in littore Maris Indici in petris ab apibus congestum, post Solis coctionem in mare prolapsum, sale marino induretur, & ad aliarum regionum littora à mari ejiciatur. Allegat nescio cujus Chemici autoritatem, qui in fracto succino substantiam mollem melli sapore similem invenerit, quodque eadem post solutionem ejus per spiritum Vini Tartarisatum remaneat. Quæ omnia absurda esse quivis facilè videt, ut non sit opus iis immorari. Sed nos de Succino, occasione solutionis ejus, quæ per solum ignem fit, satis diximus. Redeamus nunc ex isto divertículo in viam, ad usum scilicet Ignis in Chemicis laboribus, si rectè administretur. Cujus aliud exemplum è superioribus repeti hic velim de homine Brabanto, qui in uno ignis artificio viginti penè numero diversissimas ex unicâ Saturni minerâ educere potuit. Quomodo verò absque igne, spiritus quicunque, ex animalibus, plantis, lignis, lapidibus aliisque corporibus eorumque partibus eliciendi, quod artificium proponit *Magnus Pegelius* in Thesauro rerum selectarum *p.* 109. id inter cætera ejus arcana sepultum remaneat. Nam (ut hoc in transcursu commemorem) publicavit ille Autor, qui Medicus & Philosophus in Academia Rostochiensi fuit. Anno 1604. lemmata quædam singularium inventionum, tam Physicarum quam Mathematicarum, inter quæ non pauca sunt ab illo vel cogitata vel indicata, quæ hoc nostro tempore ab aliis inventa & in lucem producta sunt.

VI.

Porrò qui metallorum causas in terra non inveniunt, è cœlo eas, vel principem saltem eorum partem constituentem deducere moliuntur. Hinc certos quosdam Planetas ad certa Metalla damnant, quibus illa originem suam debere creduntur, imo iisdem nominibus salutantur, ut hæc nova quasi astra subterranea habeamus. Quæ sententia quanquam ideò exagitatur à nonnullis, quod evidens hujus rei ratio dari nequeat, contemnenda tamen omnino non est, cum non χθὲς καὶ πρώην nata, sed antiquitate suâ se tueatur, ut doctissimus in præclaro opere de ortu & progressu Chemiæ docet *Borrichius*, cujus ego scrinia non compilabo. Globorum magni hujus Orbis, præcipuè Planetarii, tùm quâ totum systema, tùm quâ partes nobiliores, inter quas in terrestri globo

omninò referendi ſunt ſpiritus metallici, per vaſtiſſimum hoc corpus diſperſi, nullam eſſe conſpirationem, aut mutuam efficacitatem, nemo mihi temerè perſuaſerit. Sed cum obſervandi facultas ultra humanum ingenium ſit, nihil accurati definire poſſumus, explodere tamen & exagitare non debemus, ſi quæ ab aliis, antiquioribus præcipuè, de eo tradita invenimus. Solis & Lunæ vires in hæc inferiora facilè ſentimus. Illi cum auro; huic cum argento ſingulare commercium vulgò tribuitur ne quid de cæteris metallis nunc dicam. Solis & auri ſimilitudinem oſtendunt ſplendor, calor, qui à ſulphure optimè digeſto, quod à Sole huic metallo ingenerari creditur, provenit. Quod ſi *Honorati Fabri* ſententiam, quam tamen ex Hypotheſi pronunciat, audire volumus: Solis ipſius ſubſtantia ex auro liquefacto conſtat. Mirum ergò, ſi non hæc ſemina etiam per terram ſpargeret, ac in eâ ſubſtantiam ſibi ſimilem produceret. Refert *Digbæus*, ſed ex fide amici, radios Solis per vaſa vitrea & concava certo quodam modo diſpoſita in purpureum & minutiſſimum pulverem præcipitari. Quis non è credulis illis, cum hæc legit, de ſulphure naturæ exclamet? Sed qui hæc Digbæo narravit, ſibi ipſi blandè impoſuit. Volitant enim in aëre ſemper particulæ vel ſalinæ, vel alterius generis, quæ igne hoc ſpeculari collectæ ac ad ruborem exuſtæ vel calcinatæ. Scripſit jam antea Paracelſus de Solari pulvere è ſpeculis per radios Solis collecto, quo ritè præparato excitare in nobis igneam naturam poſſimus, & cum dæmonibus igneis aliquod inire commercium. Sed hæ impoſturæ. De Sole vulgaris opinio eſt, quod plumbo ac cupro, quo templa & ædes tegi ſolent, aurum ingeneret. Quam licet anilem fabulam vocet *Honoratus Fabri*, novi tamen qui è plumbo ac ſtanno veteri per repetitas calcinationes & reductiones non contemnendo lucro aliquid auri & argenti expreſſerint; ſive id à cauſis quibuſdam latentibus productum, ſive ſeparatum fuerit. Nam, quod plumbum ac cuprum in tectis repoſitum attinet, continuis pluviis, in quibus ſubtiliſſimæ particulæ ſalinæ reconditæ, & calore ſolis, in iis metallis, ut nullum metallum ſolitarium eſt, maturari aliquid purioris metalli potuit. Albinus *in Chronico ſuo metallico p.* 29. obſervat: ſemper in ſodinis Schnebergenſibus argentum copioſum, ſub Saturni in ſignum Cancri ingreſſum, accedente Lunâ, repertum fuiſſe. De Unionibus Garcias ab Horto prodidit: eos poſt plenilunium captos cum tempore minui & decreſcere: qui verò ante plenilunium capiuntur, huic vitio non eſſe obnoxios. Annon notum eſt de Gemmis, cujus maculæ æquales ſubeunt cum Lunâ mutationes? Deprehendimus in animalium corporibus, in vegetabilibus, Lunæ vires. Quas multis rationibus in libro de Motu marium impugnatum it *Iſaacus Voſſius*, cum aliud doceat Experientia.

VII.

Lutrabimus nunc Chemicorum ludum: & eorum oracula audiemus. Illi nobis Mercurium ſuum & ſulphur inculcant. Si excutias, quid rei ſub illis nominibus lateat (nam vulgari illa accipi ſignificatione nolunt) ſexcenta tibi vocabula obtrudent, deſcripriones obſcuras & ænigmaticas, in quibus venari aliquos ſenſus oportet, eoſque ut lacera Hypoliti membra hinc illinc colligere. Quos ubi aſſecutus fueris, conſenſum tamen in illis reperies: niſi quod noviſſima Chemicorum ſecta, poſt Paracelſi tempora tertium, duobus illis, Mercurio & Sulphuri, principium, Sal ſcilicet, addidit, Nolo hîc prolixius diſquirere de iſto principiorum numero, & an illa omni corpori conveniant, ac quantum à communibus diſcrepent; id enim doctiſſimè copioſéque diſputatum eſt ab illuſtri Viro *Roberto Boilio* in Chemiſtâ Sceptico & *Hamelio*, libro de conſenſu veteris & novæ Philoſophiæ *lib.* 2. *c.* 4. Veteres vero illi ante Paracelſum, duo hæc, Mercurium & Sulphur non communia, quæ hodierni noſtri volunt, ſed metallica tantum ſtatuerunt principia. Quâ in re audiendos illos præ cæteris puto cum metallorum naturam uſu ipſo rectiùs didicerint, quàm ii, qui rationes tantum & opiniones ſuas ſequuntur. Remota illa corporum principia, elementa ſcilicet, & atomos ad ſe pertinere non cenſebant: è quibus metalla immediatè non componuntur, unde non niſi ſoli naturæ aliquid producere datum eſt. Propiora principia etiam manibus hominum tractari ac in opus aliquod deduci poſſunt. Si cum curâ illorum libros legas, ac inter ſe ſententias illorum conferas, non abſurda illos docere videbis, & quæ conciliare quam optimè cum veterum Philoſophorum, *Platonis* ac *Ariſtotelis*, ſcholis poſſis, ut conciliavit Hamelius *de Foſſilibus lib.* 2. *c.* 9. qui & eo in loco varias diverſorum Philoſophorum circa generationem metallorum ſententias congeſſit, ac dijudicavit: ut nos iſto labore ſuperſedere poſſimus. Per Mercurium & Sulphur non intelligunt illi, quæ vulgo ſic vocamus, nam illa potius recrementa metallica illis ſunt, quam vera principia. Mercurius, vel potius argentum vivum quantum è ſcriptis illorum colligere poſſumus, illis eſt ſubſtantia metallica, è perfectorum metallorum familiâ, immatura, ad levem calorem fluidiſſima, ponderoſa, volatilis, ſummè ductilis, non currens, ut vulgaris Mercu-
„ rius, unicum & ſummum naturæ metallicæ agens,
„ quod illi ſexcentis nominibus deſcribunt, nul-
„ lo tamen appellant aut demonſtrant. Hoc ita
„ crudum in naturâ inveniri ajunt, undè ſummâ arte eliciunt ſubſtantiam puriſſimam, viſcoſam, quæ propior materia eſt metalli conſtituendi. Hoc quidem etiam reliquis metallis commune eſt principium, ſed prout ſulphur vel purius vel impurius illud temperat, aliam vel aliam miſtionem ſortitur: unde vulgo diverſæ illæ metallorum ſpecies conſtituuntur. Quæ an ita vocandæ ſint, inutiliter diſputatur, nec Alchemiſtarum rem magnopere vel juvat vel affligit. Hanc materiam in perfectorum metallorum incunabulis inquirere, cumque inter perfecta metalla ab auro compacto ſperari nihil poſſit, ab argento, vel aliquo, quod illi cognatum eſt, petere jubent. Quod innumera autorum loca innuunt, quibus integrum implere volumen quis poſſet: E quibus illa quaſi per lancem ſaturam dabo. In capitulis, quæ Hermeti adſcribuntur, ita Lapis ipſe loqui fingitur: *Luna mihi propria eſt, & lumen meum omne lumen ſuperat.* Arnoldus in Semitâ ſemitæ illa Hermetis: *Pater ejus eſt Sol, Mater Luna*, ita explicat: *Per Solem intelliginus aurum, per Lunam argentum.* & ſubjicit: *Jam igitur ſufficienter tibi demonſtravi &c.* Roſarium majus: *Magneſia noſtra eſt Luna plena, Mercurius Philoſophorum, id eſt: materia, in qua continetur Mercurius Philoſophorum. Et eſt ille quem natura paululum operata eſt, & in metallicam formam formavit: tamen imperfectum reliquit.* Autor Anonymus: *Oportet quod Sol habeat ſui ſpermatis & ſuæ tincturæ receptaculum & idoneum & ſibi conſonum, &*

illud

illud est Luna, id est argentum. Sendivogius, vel potius Setonius, tractat. XI. vocat *menstruum ex Sphærâ Lunæ, quod possit calcinare Solem.* Scala Philosophorum: *Adjuva ergo solutionem per Lunam & coagulationem per Solem.* Turba aliquoties vocat *sputum Lunæ* Sed quis omnia enumeret? Videmus hinc, quorsum illi digitum intendant. Hanc illi materiam ignem, aquam, acetum vocant, quod in metalla perfecta ita operetur, quemadmodum ignis in corpora inflammabilia, aqua in salia & glaciem, acetum in corpora, quæ ab illo solvi possunt. Inquirendæ ego fodinæ essent, an tale quid inveniri in illis possit: nam è metallorum scriptoribus sapere hic non licet. Describunt illi non paucas argenti immaturi, aut informis species; sed quis eas vel vidit unquam vel exploravit? Exhibet interdum illud specie lenti humoris, qui postea in optimum argentum coagulatur, cujus memorabilem historiam refert Albinus, Berg-Chronic. *pag.* 110. quam hic apponere ipsis Autoris verbis fortassis non erit injucundum: In des Grafen zu Hohenstein Bergwercken am Harß/ fürnehmlich auffm Enders-Berg/ auf dem beruffenstem Zechen/ der Samson genant/ hat sich dieses gedenckwürdiges und unerhörtes zugetragen/ daß man alda ein weiß flüssend gediegen Silber angetroffen/ einem Queckſilber gleich/ welches aus dem Gang und drauſſen geflossen/ daß mans mit Händen zusammen gerafft/ und so bald es ins Fewer kommen/ von stund an fein worden/ dessen ich von glaubwürdigen Leuten berichtet bin. Wie etliche reden/ ist das Ertz gleich wie eine Buttermilch gewesen/ so bald es aber eine weile in der Lufft gehalten worden/ oder auch in Gefässen verwahret/ darinnen mans weich zubehalten vermeinet/ ist es hart worden/ gleich einem Sand oder Grieß/ und ist die weisse Farbe auch in braun oder rüstig verändert worden. Hæc ille de mirabili hâc materiâ, penè iis respondentia, quæ de suo *Gur* memorat Mathesius, quod tamen ad argenti puri naturam nondum accessit. Idem Albinus *pag.* 127. ejusdem libri, de mineris argenti diversis notabilia adducit, quæ illic legi malim, ne chartas spissioribus testimoniis impleamus. Fortassis & illa contemplatione digna sunt, quæ *Nierenbergius Hist. nat. lib.* 16. *cap.* 19. de singulari quodam metallo ad argenti solutionem adhibito refert: *Argentum vivum*, inquit, *notum tantum fuit barbaris, sed nullius usus: namque loco illius ad argenti beneficium aliud metallum sufficiebatur, inventum in alio colle humiliori, qui juxta Potosi tumulum jacet. Vocant Indi huayna Potochi, id est: Potochi adolescentem. Hîc inventum quoddam vilius metallum, & pene plumbum, admixtum argento pro hydrargyro fuit. Illud Zuruchec dixere, quod significat* faciens dilabi, *quoniam ejus inflatione argentum liquefieret, nec adureretur.* Hæc sunt, quæ de primo Metallorum principio Mercurio, in Chemicorum scriptis vestigia deprehendimus, quæ tamen adeò illi tegunt, ne quis altius ad eorum arcana penetret. Nil enim studiosius, quàm rem istam celant, unde omne alchemiæ negotium dependet. Alterum illis principium, Sulphur est, spirituosum, penetrans, coagulans materiam metallicam, cujus illi fontes non dissimulant. Ab auro, sed per materiale illud elici volunt: reliquorum enim metallorum sulphura, ut impura contemnunt. Primos ejus natales aliqui à Sole & sideribus deducunt, sed ea omnia incerta: aliqui ab ignibus subterraneis: quô quidem non adeò absurdi sunt. Cum enim terra compages sit omnium naturarum primarum, quæ ad mistorum generationem sunt necessariæ, concludi illic necesse est magnam ignis vim, sine quo generari nihil aut misceri potest. Eum familiares sibi habere naturas oleas oportet, variorum generum, quibus primo miscetur, unde ad exteriores partes halitus oleaginosi jam puriores propelluntur, vel magis vel minus excocti. Qui vel aquis vel terræ commisti alias aliasque species producere videntur. Non sunt inter illa tantum nobis vulgò cognita, sulphur, bitumen & similia, sed longè plura nobis incognita, quibus ignis maximè familiaris est, & ad mutuam permistionem sponte contendit, adeò ut separari nequeant. Combustio enim rerum oleaginosarum, nihil aliud esse videtur, quam separatio ignis ab istis materiis, in quibus habitat. Quare cum Sulphur illud Chemicorum reverà sit oleaginosa substantia, sed incombustibilis, & tamen ignis, ut illi loquuntur, corporatus, aut naturæ ignis, è tali primâ mistione illud descendere per est verosimile. Sulphur illud nec ab astris, nec ab igne centrali deducendum putat Hamelius *de Fossilibus lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 246. cui ejusdem cum vulgari sulphure naturæ videtur, nisi quod longâ alteratione in fixum, purum & incorruptibile evasit. Cujus sententia non omnino spernenda videtur. Memini enim in Chemicorum scriptis, & nisi fallor, *in Richardi Anglici Correctorio* legisse; quod in interiori vulgaris sulphuris natura reconditum lateat incombustibile sulphur illud, ac posse auro, cui sulphur suum extractum est, ex ejus quasi visceribus restitui. Quod mihi in mentem revocat historiolam, quam legi in libro quodam Manuscripto verbis germanicis consignatam, de auro beneficio sulphuris vulgaris è cupro extracto, vel potius in cupro ad maturitatem redacto: quam integram hîc apponam: D. Gregorius Euseb. von Madrit hat mir erzehlet/ daß ein Chimicus zum Montano kommen und um eine kleine Gelegenheit zu laboriren gebeten/ die ihm denn geworden: da hat der Laborant Kupfer genommen ein Zentner/ und dasselbe immer im flusse gehalten/ und immer Schwefel nachgetragen/ und damit das Kupfer zur reiffe bringen wollen: Endlich haben sich die Nachbaren des Gestancks halber beklaget/ da hat ihn Montanus gehen lassen: Er aber hat sehr beklaget/ daß ers nicht absolviren können. Nach etlicher Zeit reist Montanus die Esse ein/ worinnen er laboriret/ und findet einen Zec von 10. Unzen Goldes im Ofen stecken/ welches hineingelauffen war durch einen Riß. Montanus hat ihm vergebens nachgeschrieben/ es welcher dem Fürsten von Anhalt selbst erzehlet. Hujus ego rei fidem in medio relinquo: neque enim alicui autor sim, ut sumptus in rem incertam faciat; omittere tamen nolui cum rem nostram illustraret. Cæterum de partibus metallorum, quas Chemici ita distinxere, dubium nullum superesse videtur. Nam quod quidam putarunt constare substantiam Auri partibus similibus, falsum est, cum Sulphur seu tinctura ab eo possit separari. In ignobilioribus, Cupro præsertim, fieri illud posse experimentis plurimis constat. De gemmis idem testatur Hamelius de Fossilibus lib. 2. cap. 7. *Sunt qui alias minoris*

notæ gemmas, ut Amethiſtum, Saphirum, Chryſolithum, laminulæ ferreæ impoſitas calce vivâ, vel chalybeâ ſcobe condant & vivis carbonibus operiant, ut igne ſenſim auctо nativis coloribus exuantur, atque adamantis ſpeciem præ ſe ferant: nam ſi duritiei lapidi adſit & perſpicuitas, vix quidquam ab Adamante differt. Quæ res ſi ſuccederet, magnum haberemus ex ignobilioribus gemmis nobiliores conficiendi arcanum. Arte factarum colores corrodentes liquores interdum eluunt. In Vegetabilium ordine idem fieri poteſt. Quid magis tingit quam crocus; Et tamen ab eo ita colorem omnem ſeparari poſſe, â Nobiliſſimo quodam Viro edoctus, ſcio, ut omnem Croci odorem & ſaporem ſub cryſtallinæ perſpicuitatis liquore repræſentare poſſim, nihilque croco ſimile quis videat, merum tamen crocum aut ſubtiliſſimam ejus eſſentiam guſtet. Quod non leviter mirati ſunt, quibus illum liquorem oſtendi, qui magno etiam cum fructu in medicina adhibetur. Ex auro, quamvis tenacius illic hæreat, ſulphur ſeu tincturam, quam etiam animam auri vocant, ſeparari poſſe teſtantur Chemici tam veteres quam recentiores, quod firmat etiam *Franciſcus Luna*, loco ejus libri, quem ſupra laudavimus. Fitque hoc modo, ut quantum ponderis habuit aurum, è quo tinctura educta eſt, tantum argenti ipſa tinctura, ſi illi ſuperjiciatur, colore ſuo tingat inque aurum ipſum convertat. Quòd cum fit, candida ex auro maſſa remaneat, æquè ut prius ponderoſa cui per cæmenta hinc color reddi ſuus poteſt. Simile quid de tali auri tinctura ſuper argentum vivum, publicè Venetiis projectâ refert doctiſſimus Vir, *Alexander Taſſonus*, Italus, libro gentis ſuæ linguâ ſcripto, cui titulum fecit; *Penſieri diverſi, libr.* 10. *cap.* 26. Cujus verba ipſa apponam: *Fra le doti curioſiſſime dell' Alchimia niuna s'agguaglia a quella dell' eſaminazione dell' oro, che di maſſe grandi il reduce in pochiſſima pulvere di color purpurino, chiamata da alcuni lapis Philoſophorum, che poi gittandoſi in quantità di Mercurio fatto bollire a lento fuoco, il convertiſſe in oro, ſe con la prima quantità ſi conforma: ma ſi il Mercurio eccede la quantità del primo oro, l' affiſa in argento. E la prova fu publicamente moſtrata in Venetia, pocchi anni ſono.* Id eſt: *Inter curioſiſſimas Alchimiæ dotes, nulla eſt, quæ comparari poſſit cum illo auri examine, quo maſſam ejus grandem reducunt in exiguum pulverem purpureum, qui vocatur quibuſdam lapis Philoſophorum. Ille argento vivo, ſuper ignem lentum calefacto, injectus, ex eo tantum in aurum convertit, quantum reſpondet primo ponderi (maſſæ ſcilicet aureæ, unde extractus eſt pulvis.) Quantum Mercurii illud excedit, figit in argentum. Cujus experimentum paucis ab hinc annis publicè Venetiis factum eſt.* Hæc Autor ille de hâc Auri tincturâ, quam, ſuo ex judicio, lapidem philoſophorum vocat. Quæ duo toto inter ſe cœlo differunt. Venetiis tamen publicè rem geſtam teſtatur. Ac ipſam Rempublicam Venetam tale habere arcanum multi credunt, quod communicaſſe cum Senatu ejus *Joh. Auguſtum Pantheum*, Sacerdotem Venetum dicunt, qui & ipſe librum quendam obſcuriſſimum ſcripſit de arte, quam barbaro nomine vocat *Voarchadumiam*, aliam planè ab Alchymia, eumque Venetorum Principi dedicavit. Reperitur in Theatri Chemici volumine ſecundo. Conjecerunt & ſagaciores ex eo, quod nulla moneta aurea vel argentea peregrina publicum illic valorem habeat; ſed in aliam monetam commutetur: Cumque ipſi fodinas auri non habeant, *Secinos* tamen auream monetam cudant, quæ ratione coloris gradu aliquo ſuperet omne nativum aurum, licet optimum. Forſan & huc referat aliquis, quod Matheſius *in Sarepta conc.* 11. de Venetis commemorat: multum illos rubri Sulphuris è Carinthiâ annuatim petere, quo ad tingendum utantur. Sed de eo pronunciari nil certi poteſt, omnia enim plena ſunt conjecturis. Præ cæteris memorabilis hiſtoria eſt de ſulphure aureo extracto, quam unà cum judicio *Roberti Boilii* ex ejus *Tentaminibus Phyſiologicis, tentamine* 2. *de Experimentis, quæ non ſuccedunt*, adducam: *Rem hic commemorabo*, inquit, *mihi ſeriò à D. D. K. Viro, ſi quis alius, à falſiloquii conſuetudine alieniſſimo, narratam; Is mihi affirmavit, quod cum laboratorium ſuum in Batavia amico cuidam peregrè proficiſcens utendum conceſſiſſet, ibique aliquot Aquarum Fortium ſpecies ad Tincturam ſuam eſcarlatinam comparatas reliquiſſet, amicus iſte paulò poſt ipſius diſceſſum ipſi per literas ſignificavit, ſe Aurum in quâdam Aquâ forti digerendo, Tincturam ſive flavum ſulphur ab illo prolicuiſſe, eandem volatilem reddidiſſe reſiduâ metalli ſubſtantiâ ad ſalſedinem vergente, & cum hâc tincturâ aureâ argentum non ſine lucro in perfectiſſimum aurum tranſmutaſſe. Hoc audito, D. D. K. ad laboratorium ſuum ſubitò reverſus, ipſe cum eadem aquâ forti aliquoties volatilem auri tincturam impetravit, quæ ſimiliter argentum in verum aurum convertit, & cum percontarer utrum tinctura iſta argentum auro, è quo ipſa eliciebatur, pondere æquale tranſmutare valeret, ſe ex uni â auri unciâ tantum ſulphuris ſive tincturæ obtinuiſſe profitebatur, quod ſeſquiunciæ argenti in nobiliſſimum metallum vertendæ ſufficeret. Et hoc (* addit Boilius) *pronius credo, tum quoniam ſubſtantiam flavam ſive tincturam ſeparari ab auro poſſe, experimentis nonnullis mihi certius conſtat, quam ut dubitare de eo liceat: tum etiam, quoniam argento ſulphur quoddam ineſſe, quod maturatione aurum evadat, inde mihi fit probabile, quod nonnulli in re metallicâ exercitatiſſimi & obſervationum ſuarum fide teſtati ſunt, aliquando ope liquorum ſolventium (quod etiam D. Franciſcus Baconus alicubi notavit) aliquando verò communis ſulphuris (probè excocti & ſalibus idoneis conjuncti beneficio aliquot puriſſimi auri grana ex argento fuiſſe extracta. Cæterum Doctorem noſtrum conceptæ ex hoc experimento divitiarum ſpes prorſus fefellere: nam paulò poſt tempore iterum ſuſceptam ipſius operam eluſit: culpam autem in aquam fortem rejicit, ideoque operationem denuò aggreſſurus eſt. Verùm quandoquidem omnes illius conatus hactenus in irritum ceciderint, probabile videtur, errorem ab aliquâ latente causâ fuiſſe profectum: nam iſtiuſmodi caſus quibuſdam citra omnimodum remedium obtigiſſe novimus.* Ex iis itaque, quæ prolixè adduximus, facile perſpiciemus, ſulphur eſſe, ut in omnibus metallis, ita in auro diſtinctum ac ſeparabile, unde color ejus dependet. Atque hinc pulchrè ratio explicari poteſt, unde flavus in auro color oriatur. Nam cum ſulphur purpureum plerumque ſit, cætera auri maſſa candida; è purpurearum ac candidarum particularum accurata miſtione flavum oriri colorem neceſſe eſt, non ſecus, ac cum è cupro & zinco inter ſe juſta proportione commiſtis, ſubſtantia oritur, quæ flavo colore & externâ facie auro optimo componi poſſit. Quod ſi itaque ſulphur abeſt, vel extrahitur, candidum ſit aurum, quod lunam fixam appellant vulgò, cum pondus auri habeat, & in aqua forti perſiſtat. Huic aureus ille color ſi reddi poſſit, ut reddi poſſe docent, multum inde lucri poſſet acquiri. Quanquam & *Boilius*, loco

ſuprà

suprà memorato, inter incerta experimenta referat. Præterea diversam sulphuris seu coloris in auro naturam ostendit, quod intendi ac augeri per cæmenta sulphureæ naturæ, quamvis impuræ possit. Potest aurum cum certis quibusdam substantiis ita misceri ac igne torreri, ut cu n in Regulos, ut vocant, funditur, primus penè rubeat, secundus citrini sit coloris, tertius sit longe colore debilior, ut vix aurum credas. Quo apparet, optimas sulphuris particulas primâ effusione præcipitari, ut primo stillicidio optima quæque decidere solent, ac jungi arctiùs, & disjungi posse. Non semel mihi narratum est à Viris hujus rei peritis, posse aurum Rhenanum cujus color pallidior est, & vilioris eam ob causam pretii, per cæmenta ita tractari, ut colore suo ipsum Hungaricum provocet. Idem confirmavit mihi, cum in Angliâ essem, Nobilis quidam Bohemus de Veneto quodam, qui ista arte tantas acquisiverat divitias, ut Senatus in se inquisitionem concitaverit. Unde factum est, ut detectis opum suarum causis, lucrum etiam ex eo tempore cessaret. Illud jam olim factitatum quòque fuisse in Galliâ, suspicio non levis est; quam injecit mihi Thomas Freigius *Physicor. lib. 26. p. 708.* qui quidem aureos Rhenanos nobiliori auro commistos illic fuisse existimat: Nam Galli Rhenanum aurum exportare prohibuerunt: tot milia aureorum quotannis in Galliam à mercatoribus missa, quæ illic tamen rarò comparuerunt. Recusi itaque procul dubio sunt, sive nobiliori auro mistum fuerit Rhenanum, sive aliis subsidiis in splendidiorem colorem excoctum. Mirum certè est, quod cum tanto numero olim cuderentur aurei isti, ut illic computat *Freigius*, adeò tamen rari fuerint.

VIII.

Atque hæc hactenus de metallorum productione ex sententiâ Chemicorum dixisse sufficiat. Quibus experimenta nostra jungenda, explorandi metallurgi, inspiciendæ, si fieri potest, fodinæ, eæ præcipuè, quæ perfectiora metalla generant, consulendi libri, quibus tamen ego oculatam fidem præfero, sic de metallorum inter se commutatione rectiùs judicabimus. Ut itaque de transmutatione metallorum, utrum illa fieri humana operâ possit, vel minus, quicquam tandem statuamus, & fieri eam posse, & factam fuisse credimus. Quæ ab aliis hîc toties apposita crambe est, totiesque recocta, eam iterum non recoquimus. Quot non dissertationes, ac integra de hoc negotio volumina scripta, quibus argumenta in utramque partem & afferuntur & discutiuntur. Sed his ego recensendis, nec otio meo, nec tuâ, Vir Amplissime, patientiâ abutar. Præcido primum omnes illas quæstiunculas: *An Metalla vivant? An animam habeant vegetativam & certum semen? An specie illa sint distincta, an accidentibus? an mutua possit esse specierum commutatio?* quæ omnia plurimam partem à solis ingenii contemplationibus dependent. Vivere Metalla Berigardus *Circulo Pisano* 8. speciosâ dissertatione evicit, & Jordanus Brunus *libro* 5. *de Universo & Innumerabilibus c.* 12. totam tellurem ac omnes ejus partes vivere statuit, argumento è lapidibus ducto. Ac ille quidem eodem modo, ut dentes & ossa in corpore humano, nutriri putat. Alii rursus negant, illi præprimis, qui Peripateticos sequuntur, Scaliger, Cæsalpinus, Jacobus Aubertus, *libro de ortu Metallorum*, Fallopius. Semen illi metallis tribuunt; hi negant. Similiter de specificâ vel accidentali metallorum differentiâ multæ sunt disputationes quibus chartas hîc implere nec instituti ratio admittit, nec nostra valde refert. Cæterum vegetationem metallorum demonstrare alicui ac ob oculos ponere possunt, si quis pertinaciter negaverit, Arbores illæ Philosophicæ ex argento vivo productæ, & mirabilis illa arboris argenteæ, in aquis ex eodem metallo germinatio, quæ à *San-Simonio* Bruxellis, injecto pulvere, quem homo Leodiensis ignotus illi dederat, peracta est, teste Cl. Borrichio *lib. de Ortu & progr. Chem. p.* 103. Quo colligas, semen argentificum, aut aliquid semini analogum, isto in pulvere delituisse.

De transmutationibus metallorum in universum plenè hîc quidem agere animus non est: sunt enim in imperfectioribus illis variæ mutationes, quales ferri in cuprum, plumbi in stannum & similes, quas pauci in dubium vocant; in ipsis denique metallis variæ sunt puriorum ab impuris separationes, quæ magno interdum cum lucro instituuntur, sed eæ cum arte χρυσοποιητικῇ nihil commune habent, ostendere tamen aliquam verosimilitudinem possunt. Ferri in cuprum mutationem multi negant. Sed obstat *Erkeri*, viri in istâ re scientissimi, autoritas, pluraque alia exempla, ut in dubium vocari non possit. Ferri in chalybem, plumbi in stannum mutatio fit per separationem partium puriorum ab impuris. In minerarum purgationibus multa adhuc latent arcana, quæ si quis rectè explorare noverit, lucri satis inde reportaturus esset. Novi Virum Nobilissimum, qui è mineris nonnullis argentiferis Hungariæ, sulphure multo & arsenico abundantibus, quæ, cum igne fusorio tractantur, maximâ sui parte cum sulphureis illis halitibus in fumum abeunt, argenti vim decuplo majorem per liquorem extrahere potest. Liquor enim ita comparatus est, ut omnes sulphureas substantias è minerâ contusâ extrahat: dumque illi liquori supernatant, vel miscentur, argenti purissimi partes subsidunt Quales mineræ cum admodum frequentes sint, ac in Norvvegiâ etiam, ut audivi, reperiantur, quas ob exiguum commodum abjicere solent metallurgi; quanta hinc se & alios ditandi occasio obvenire posset, si quis rem istam seriò & cum cura ageret? E luto per oleum lini ferrum se produxisse, singulari libro, *Supplemento Physicæ subterraneæ*, scribit *Beccherus*, qui quidem reverâ generatum illic ferrum putat. Quod mihi, ut fatear, persuadere hactenus non potuit. Quid enim oleum lini ad metallicam naturam conferre valeat, quàm separare fortassis partes heterogeneas, novum verò aliquid à naturâ suâ diversum producere non potuit? Latitarunt sine dubio in luto isto particulæ ferreæ quæ per omnes adeò lapides omnemque terram dispersæ, lutum præcipuè, quod vel ipso suo colore aliquid, quod ferream naturam sapit, prodit, quæ operatione ista evocatæ fuerunt. Et sanè *Gilbertus lib.* 1. *de magnete cap* 8. nullam terram dari quæ ferreâ non imbuta sit materiâ, testatur: præcipuè verò omnem argillam & terram argillaceam. Belgæ è cespitibus sulphureis bituminosis cuprum & ferrum nonnunquam emunt. Quod mihi minus mirum videtur: cum & ipsum aërem, ipsasque plantas & arbores subtiles quidam halitus metallici pervadant. Quibus non absurdè, meâ quidam sententiâ, vegetabilium quorundam & productorum in fundo maris naturas adscribit *Alexander Achilles*, homo ordinis militaris, libro Germanico *de causis terræ motûs & mineralium.* E quibus illud memorabile est, quod corallorum productionem exhalatio-

exhalationibus auri; unionum verò argenti vaporibus, qui è terris ſubjectis iſtarum minerarum feracibus evehuntur, adſcribat. In cujus rei fidem affert experimentum de virgulâ venarum argentiferarum indice, quæ ad uniones vel oſtrea æquè ut argentum ſe inclinaverit. Quæ de alternis venarum metalli & carbonum foſſilium proceſſibus ſimilibuſque habet idem Autor, ea metallurgis judicanda relinquo. Ad hanc Experimentorum claſſem, ſcilicet ad modos, quibus puriora metalla ab impuris ſeparantur, referendum etiam puto, quod *Stocmannus* in Oratione Inaugurali Roſtochii in Academiæ jubilæo A. 1619. habitâ, de argento in aurum per cæmentum mutato narrat. *Propriam*, inquit, *fidem teſtor, quod aliquando hiſce oculis viderim, laminas & bene magni ponderis argenti fruſtra per ſubviride cæmentum ita perfici, ut auri naturam induerint optimæ notæ, idque ſpatio paucarum horarum, & igne non magno.* Mira hæc, fateor, operatio per cæmenta eſt; ac vellem accuratiùs narraſſet rem omnem: nam magna mihi ſuſpicio eſt, ſophiſmate aliquo impoſuiſſe viro illi, qui hæc exhibuit. Talibus enim operandi modis plerumque dignoſcendi Pſeudo-Chemici, qui adeò ſpeciosè fraudes ſuas tegere poſſunt, ut vel oculatiſſimos nonnunquam fallant: per inſidias enim auri pulverem vel carbonibus, vel inſtrumentis quibus operantur, recondunt, ut arte factum quis putet; quod verum eſt & nativum. Quorum quinquaginta & ampliùs fraudes ſanè ingenioſiſſimas recenſet *Michael Mejerus in Examine Fucorum Pſeudo-Chemicorum detectorum:* quem vel ideò librum legendum ſuaſerim, ne fallamur ab agyrtis & impoſtoribus, quorum unicus labor eſt, ſpe lucri aliis oſtensâ ſibi lucrum quærere: quo fit, ut innoxia Alchemiæ ſtudia in invidiam adducantur, honeſtique homines vel ut res inanes ludibrio habeant, vel ut fraudulentas deteſtentur. Quot non obtruduntur paſſim, tàm libris editis, quam ſchedis, quæ circumferuntur, operationum metallicarum formulæ? ſed nequam omnes & dolosæ: à quibus caveat ſibi, qui nec opum ſuarum, nec temporis vult diſpendium facere. Et vereor ſanè, ne & illæ, quæ apud Franciſcum Lanam occurrunt de ſtanni & argenti vivi in verum argentum mutatione, ad eorum claſſem ſint referendæ. Leguntur & apud *Iohannem Franciſcum Mirandulanum, libro de Auro*, tranſmutationum metallicarum quædam hiſtoriæ, qualis eſt illa *lib. 3. c. 6.* de argento vivo per neſcio quos ſuccos & folia herbarum in aurum commutato, & quædam ſimiles, quibus fortaſſe doctiſſimo Principi impoſuerunt, qui hæc narrarunt: iſta enim adeò ſunt à ratione aliena, ut fidem apud illum invenisse mirer. Quæ de auro per ſeparationes ac plurimorum metallorum commiſtiones producto refert, fortaſſis vera ſunt, non tamen cum magno lucro conjuncta. Quid non talium rerum tentavit & publicis etiam ſcriptis jactavit Glauberus? Quæ ſi vera eſſent omnia, jam ab Indis & Americanis aurum & argentum tam ſumptuoſis petere navigationibus neceſſe non haberemus. Quod eſt eorum, qui Ephemerides Eruditorum Gallicas ſcripſere, judicium.

IX.

Sed nos miſſis illis omnibus ad veram illam veterum Alchemiam, quâ ignobiliora metalla in aurum converterunt, nos convertimus. Quam cum plurimi impugnarint, nemo tamen acerbius ac immodeſtius, &, ut verum fatear, indoctius eam ejuſque aſſertores tractavit, quàm *Kircherus in Mundo ſubterraneo:* totam enim ut impoſturiam rejecit. Hiſtorias tranſmutationum ſine diſcrimine pro fabulis habet. Ubi ſolida argumenta exſpectes, perpetuæ leguntur ejus in Impoſtores Chemicos declamatiunculæ. Quos ut tales demonſtret, farraginem præparationum ſophiſticarum, quales paſſim ab agyrtis circumferuntur, in medium producit. Cum his larvis penè ubique pugnat. Quæ de Chelidoniâ, ſucco lunariæ ad metalla commutanda adhibendo & ſimibus Chemici ænigmatica memorant, ille ſuo ſenſu accipit; cum tamen illi per ſuccum Lunariæ longè aliud quid intelligant, illud ſcilicet, quod è ſphærâ Lunæ principium petunt, cujus ſupra mentionem fecimus. Quo oſtendit, ne quidem legiſſe ſe Chemicos, contra quos tamen pugnat. Refutavit eum *Bovicinius* ſingulari libro, quem *Lancem Peripateticam* inſcribit; qui tamen hactenus ad manus meas non pervenit, & quidam *Salomon de Blauenſtein.* Sunt & nonnulli, qui, cum artem per ſe impoſſibilem dicere vereantur; ab homine tamen, ob cauſas occultiores, niſi fortè ab Angelo aut Dæmone, in effectum deduci poſſe negant. Quâ in ſententiâ *Honoratus Fabri* eſt. Sed malignos quidem ſpiritus ab his ſacris ne abutâtur, arcebit Deus: boni aliud habebunt, quod agent. Quid verò impedit, homines in metallicis, datis ſcilicet cauſis proximis, eadem agere, quæ in vegetabilibus agunt quotidie hortulani? Neque enim è primis elementis illi ſemina colligunt, ſed jam à naturâ parata excolunt, ornant, augent, quod ruſtici omnes faciunt & agricolæ. Inepti ſunt & in ſocietatem humanam injurii, qui arti amplius aliquid, quàm naturæ licere negant: ac miſerè profecto nobiſcum ageretur, niſi ſemper ars naturam juvaret. Quam tamen ipſam aliquid auro producere interdum perfectius, oſtendit hiſtoria apud Beccherum *Phyſ. ſubterran. lib. 1. ſect. 3. c. 3.* de minerali rubro, pro realgar habito, ac cum argenti quinque partibus commiſto, quæ in purum putum aurum converſæ fuerunt. Alii, cum experientiam negare nec velint nec poſſint, caſu illud factum arbitrantur: inter quos eſt *Jac. Rohault in Phyſicâ ſuâ* Gallicâ linguâ non ita pridem editâ *part. 3. c. 6.* cujus iſta planè inepta eſt ratiocinatio: *Cum ignoretur*, inquit, *quæ ſit figura & magnitudo particularum metalla componentium, & earum, quæ inſervire tranſmutationi poſſunt, nec modus repertus ſit, quo illæ conſtringi poſſint, exiſtimandum eſt, ſi verum eſt, aliquando à Chemicis plumbum converſum fuiſſe in aurum, pari caſu id eveniſſe, ac ſi, cum ex altiori loco arenam in tabulam quis projecerit, granula ita diſponerentur, ut legere quis integram è Virgilii Æneide paginam poſſet.* Fruſtra itaque omnes eſſe putat, qui de tali arte ſolliciti ſint. Vide quæſo quantum hominis acumen ſit! Quid ad artificem particularum conſtitutio, è quibus corpus vel corporis partes primo componuntur? Ergo, qui aliquid rerum naturalium arte productus eſt, primum è particulis rerum cauſas colligit? Naturæ illud opus eſto. Artifex ea, quæ jam in promptu ſunt conjungit, ac naturæ ſuæ adjumento perficienda relinquit. Aurum aliqui arte nullâ corrumpi, reſolvi aut in meliorem redigi naturam poſſe objiciunt, cum ſit jam perfectiſſimum. Quod quidem verum eſt, quam diu naturæ iſti non conjungis aliam, quæ deſtruere aut reſolvere illud poteſt: qualem ſe ſcire Chemicorum ſchola fatetur, extra quam unicam nulla in hoc univerſo eſt, quæ præſtare illud poſſit.

Nam

Nam quod *Honoratus Fabri Phyſ. tract. 7. prop. 34. & 35.* corruptibile eſſe aurum ex eo judicat: quod ſalibus ſolvatur, qui humorem ejus, ut loquitur, exugant, faciantque ut ab igne conſumatur: quod vel à vapore in patinarum operculis atteri & attenuari poſſit, planè non admittendum videtur. Aurum, ut rectè idem ſtatuit duplici particularum plexu conſtat, interiori ſcilicet & exteriori. Interior eſt, quo miſcibilia & ipſa corpora primogenia ſibi implicãtur; Exterior quo partes miſtæ ipſius ſcilicet auri continentur. Exteriorem plexum diſturbare multa poſſunt, tritus, pulſus, ſales, ita ut in inſenſibiles particulas abeat, quarum tamen quævis auri formam retinet: nec corrumpi ideò dici poteſt aurum, ut vult Honoratus Fabri, quod inſenbiles particulæ in palpabile aurum reduci nequeant. Interiorem plexum nihil, niſi quod ex ipsâ auri natura primogeniâ eſt, à vinculis ſuis ſolvit. Quem itaque Canonem Honoratus Fabri ſic format: *Si aurum nullo modo corrumpi ſeu deſtrui poſſet, Chemicorum ſors adeò mala non eſſet:* rectiùs ita pronunciabo: *Si aurum corrumpere & deſtruere poſſent Chemici, optimè cum illis ageretur.* Species hinc & formas ſplendida iſta nomina, alii crepant; converti illas non poſſe audacter aſſerunt: qui tamen non animadvertunt, quotidianum hoc eſſe naturæ negotium, ut ſubinde in alias aliaſque formas Protei inſtar ſe vertat. Inepta igitur eſt, quæ hoc fundamento innititur *Kircheri* objectio: Quod ſi μεταμόρφωσις iſta in metallis fieri poſſit, fieri etiam in animalium ac vegetabilium genere poſſe. e. g. Si pulvis ex abſynthio confectus ſupra aridum mortuumque abſynthii caulem projiceretur, pari ratione id in herbam reſuſcitaturum: idem & de pulvere ex animali combuſto facto, & in cadaver ejuſdem vel alterius animalis conjecto dicendum eſſe: item ſi vini ſepties & amplius diſtillati gutta dolio aquæ infunderetur, aquam in vinum abituram. Non enim ratio ſubjectorum eſt eadem, nec eodem modo in omnibus natura operatur. Materia metallorum proxima communis eſt, non item vegetabilium & animalium. Metalla è paucis partibus miſcentur, ac ſimpliciorem texturam habent: Vegetabilia & animalia tot diſſimilibus partibus conſtant, ac alio planè modò producuntur. Quid vero pulvis alicujus herbæ in aridos caules operetur? Quanquam tamen & hoc ſatis mirabile ſit, quod è pulvere ejus certo modò præparato herba quaſi reſuſcitari poſſit: An in pulvere combuſti alicujus animalis tota ejus vis lateat? Memini tamen, è pulvere combuſti cancri, ſi ſuper rivulos ſpargatur, aliquibus cancros produci. Sic & in ſpiritu vini ſubtiliſſimo volatili non tota eſſentia vini latet, quæ aquam in ſui naturam convertere poſſit. Neque talis aliqua ſpirituum ſubtilitas, quæ vaſe nullo teneri poſſit, ut ineptè putat in metallorum converſione requiritur. Niſi enim ad fixam naturam ſpiritus fugitivi reducantur, nullius ſunt uſûs. Quod verò de aquæ in vinum converſione attulit, non adeò abſurdum eſt, ut ille forſan exiſtimat. Narravit mihi Clariſſimus Collega meus *Caſpar Marchius*, Vir in Vulcani palæſtrâ exercitatiſſimus, de *Laurentii Eichſtadio*, Mathematico celeberrimo, cujus tum ille domeſticâ informatione utebatur, potuiſſe illum certo quodam pulvere in aquam juſtâ proportione injecto, perfecti vini ſapore eam imbuere, idque in conviviis animi gratiâ non ſine admiratione convivatum factitaſſe. Ac latent fortaſſis non pauca, etiam in vegetabilium ac animalium genere, talia arcana humano ingenio nondum invèſtigata. Fruſtra itaque eſt cum ſuis objectionibus *Kircherus*. Quandoquidem verò tranſmutationis nomen adeò Miſochemicis odioſum eſt, ac ſenſus illorum repugnat: nam, formam in viliori metallo, quod ſpecie ab altero diverſum habent, deſtrui; novam ſub exigui grani ſpecie, penè infinitâ vi multiplicativâ prædití, quæ figat & ſe ipſi ponderoſius corpus reddat introduci inſolens illi videtur & ἀδύνατον; videamus, quomodo fieri tale quid poſſit. Velim itaque primum, auferant nobis invidioſum illud tranſmutationis nomen: ſolâ enim miſtione res tota poteſt expediri. Communis, ut vidimus, metallorum materia eſt, Mercurius, ſubſtantia ponderoſa, ductilis, liquabilis: illis enim notis à reliquo foſſilium genere metallicum diſtinguitur: adeò, ut quò minus ductilitatis corpus aliquod habet, eò minùs metallicæ naturæ habet. Subſtantia illa, & altera quæ ſulphur vocatur, ſive rubræ ſit naturæ, ſive candidæ, quo puriores ſunt & impuriores, diſtinctionem ſuam metalla recipiunt. Inter perfectius miſta, aurum eſt, & quod ſecundum ab illo gradum habet argentum; illud è puri ſulphuris rubri; hoc è puri ſulphuris candidi familia arctiori tamen & propiori, ob æqualem puriorum partium miſtionem, cognatione juncta, quam cætera illa plumbum & ferrum, ſtannum & cuprum, quæ in ſe mutuò, immediatè ſaltem, non converteruntur, ut cuprum & ferrum, plumbum & ſtannum; præ cæteris vero illa, quæ ſulphur in ſe candidum habent, Hydrargyrus, plumbum, ſtannum, argentum, facilius aurei ſulphuris operationibus obſequuntur, quàm illa, quæ à rubro ſulphure ortum trahunt: habet enim eorum, ut cupri & ferri, ſulphur majorem impuritatem cum quãdam pervicaciâ conjunctam, quàm cæterorum, quorum Mercurius copioſior eſt, & ſulphur immaturum facilius excoqui in rubrum perfectius à perfecto ſulphure poteſt: nam in imperfectum rubrum vulgaribus etiam operationibus convertitur. Hinc Chemici lubentius vel plumbo vel hydrargyro in auri confectione utuntur, quam ferro aut cupro. Quando itaque Elixir ſuum componunt Chemici, materiam metallicam tot operationibus depuratam cum puriſſimo ſulphure auri conjungunt, & in ſubtiliſſimam, fixam tamen naturam, convertunt, omni auro longè perfectiorem, quæ iteratis reſolutionibus & coagulationibus majores ſemper perfectionis ſuæ gradus acquirit. Incredibile hic Miſochemicis videtur, pulviſculo grani quantitatem æquante mille & amplius, grana vulgaris metalli in aurum tingi poſſe: & vident tamen illi quotidie, exiguam croci partem ſufficere, ut mille vel amplius partes aquæ cum illâ miſceantur, ac flavo ſe colore tingant. Jam cogitent mihi illi admirabilem auri etiam vulgaris naturam, quàm illud dilatari & extendi vel per rudem mallei operationem poſſit. Quis credat, ex nummo aureo tot bracteolas cudi, & tres quatuorve bracteolas, quibus argenteus Cylindrus inauratur, dum ille in filum tenuiſſimum & longiſſimum ducitur, illas ſimul produci, ut ſemper ſuperficiei adhæreant, ac ipſum filum tot ulnas longum inauratum habeamus. Quid ergo non faciet aurum in naturam centies vel milies ſubtiliorem redactum? Illud itaque Elixir viliori metallo, plumbo e. g. ſed priùs à ſcoriis & ſordibus ſuis per certos pulveres purgato, dumque funditur, injectum ſtatim cum Mercurio plumbi, tanquam ſibi congenere, ejuſque partibus

purioribus miſcetur unà cum ſulphure quàm arctiſſime ſecum juncto, dum partes heterogeneæ vel ſeparantur vel fumo avolant. Falluntur enim, qui totam illam plumbi maſſam in aurum converti putant. Mercurius per mutuum illum partium conſenſum ſtatim ſe ſociat Mercurio ſubtiliori, ejuſque ſulphur adjunctum etiam in interiorem ſui naturam recipit, excluſo illo, qui ſibi adhæret, impuriori. Nec eſt quod quis celebrem illum particularum motum & complexum miretur, cum & vulgaribus operationibus hoc fieri videamus. Inſere liquori perſpicuo, in quo argentum ſolutum eſt, alterius naturæ metallum, ſtatim ut farina diſperſa è latebris ſuis prodiens argentum fundum petet, cum ſales ſe alteri metallo applicant. Infunde argentum vivum laminis auri ignitis, & uno momento in ſubſtantiam butyro ſimilem, quam amalgama vocant, per mutuum complexum commutantur. Eſt ſcilicet mutuus quidam naturarum conſenſus nobis incomprehenſibilis, per quem inuſitata ſæpe in naturâ phænomena ſe oſtendunt: qualia non per generationes, vel tranſmutationes, ut vulgò loquimur, fiunt: ſed per alteratas partium interiorum miſtiones, vel fermentationes. Fermentatio enim, cujus Tu, Vir Ampliſſime, vires mirabiles etiam in epiſtolâ tuâ deprædicas, eſt, quæ omnia naturæ miſta, ipſa etiam metalla, vinculis ſuis ſolvit & in ſubtiliores naturas mirâ vi ἐνεργείας præditas extollit. Hujus ego exempla aliquot è natura vegetabili proferam, unde lux metallicis etiam mutationibus inferri poteſt. Novi Virum Nobilem, qui ſingulare aliquod fermentum excogitavit; quo dolia lignea imbuit: quibus infuſa aqua in acerrimum acetum, quale unquam è vino parari poteſt commutatur. Quæ vis in vaſis illis non perdurat tantùm, ſed & continuo uſu in infinitum augetur. Quod ille arcanum ſibi ſervat, nec facilè cum lucroſum eſſe poſſit, in publicum proferet. Memini quidem, Andream Matthiolum, de aquâ, per panis toſti aliquoties aceto vini imbuti & exſiccati injectionem, in acetum commutandâ, quædam alicubi memorare, ſed hoc cum artificio comparari nullo modo poteſt. Memorabile itidem eſt, quod refert Thaddæus Hagecius *opuſc. de cereviſ. c.12.* roſarum odore afflato aceſcere cereviſiam è tritico paratam. *Illud*, inquit, *mirabile videtur & non niſi fortè ad ἀντιπάθειαν quandam referendum, quod roſarum fragrantium odorem averſetur triticea cereviſia. Hæ enim in Cellarium repoſitæ, aut ſi ſaltem pincerna coronato ſerto roſaceo illud fuerit ingreſſus, illico pervertetur & aceſcet.* Quod certè non niſi per momentaneam quandam fermentationem à roſarum fragantium particulis ortam fieri potuit. Sic, ſi quis poculo, in quo panis fermentatus eſt, per ſiphonem è dolio cereviſiam infundat, cereviſa omnis aceſcet derivatâ in cereviſiam, quæ in dolio exiſtit fermentatione. Ex adverſo liquor aliquis dari poteſt, qui cereviſiam & vinum corruptiſſimum guttis aliquibus inſtillatis ex tempore in priorem ſtatum vel meliorem etiam reſtituit. Illud vidiſſe ſe & guſtu ſuo examinaſſe mihi aſſeveravit Mercator Anglus *Carolus de Corſellis*, Vir honeſtus & fide digniſſimus. Liquor rubri coloris fuit, ſed noluit homo ille artificium prodere, quod ex Oriente reportaverat. Fermentationis beneficio, ſi *Vreeswvikio*, qui id in nupero ſuo tractatu Belgicè ſcripto *de Sale Philoſophorum* aſſeruit, credimus, è quolibet pene vegetabili, avenâ, piſis, braſſicæ etiam foliis & ſimilibus ſpiritus ardens vinoſus produci poteſt. Quod ſi itaque tam miranda in vegetabilibus, nonnunquam uno momento per fermentationem, quæ quaſi tritus quidam naturæ eſt, fieri poſſunt: cur in metallis fieri talia poſſe negamus? In quibus carere poſſumus generationis & tranſmutationis nominibus, cum ſola miſtio auri tincturam alteri metallo inferat, & arctiori partes interiores plexu jungat; unde auctum pondus eſt, quod in lateribus coctis vel ſolus ignis præſtare poteſt.

X.

Venio nunc ad alteram diſſertationis meæ partem, de Antiquitate hujus Artis & Autoribus, per quos illa tradita eſt & propagata. Quo in argumento cum dudum ſummo ingenio ac induſtriâ verſati fuerint viri præclariſſimi: *Conringius libro de Medicinâ Hermeticâ: Reineſius in defenſione Chymiatriæ: Borrichius libro de ortu & progreſſu Chemiæ*: quid opus eſt cramben illam à nobis recoqui? Suſpenſo ergo pede hanc viam ingredior, ita tamen, ut nonnuulla interdum tollam, quæ illi reliquerunt. Negari vero non poteſt: ea, quæ vulgo hic afferuntur antiquitatis argumenta, omnia eſſe conjecturæ plena & incerta: quanquam tamen Borrichius in rerum iſtarum tenebris ita verſatus fuit, ut non exiguam etiam antiquitati Chemiæ lucem intulerit. Natales certè ejus altius ſpectare, quam crediderunt aliqui, ſi non omninò evicit, id tamen effecit, ut perquam probabilis res illa videatur. Mitto, quæ è fabuloſis Enochi ſcriptis petuntur documenta, aut quæ Bochartus de Chamo ejus autore conjicit. Hermetem aliquem fuiſſe, hujuſque ſcientiæ quædam tradidiſſe non negamus: quanquam non omnia, quæ ſub nomine ejus circumferuntur, ab illo fortaſſis ſunt profecta. Tabulæ Smaragdinæ, quæ illi adſcribitur, origo eſt incerta: mentitur tamen Kircherus, qui ante Lullii tempora extitiſſe negat: cum Johannis de Garlandia, qui Hortulanus aliàs dicitur, ac ſeculo Decimo, teſte *Balæo*, vixit, jam tum in eam commentarium ſcripſerit. *Kriegsmannus* illam linguâ Phœniciâ publicavit, ſed unde illam habeat, ſi rectè memini, non indicavit. Hactenus ergo rei veritas in ſuſpensô eſt. Apud Ægyptios hanc artem inter arcana habitam multa argumento ſunt. Nam, quanquam nil diſertè proditum literis ſit: hieroglyphica tamen illa quædam hujus condidiſſe videntur. Neque enim credibile eſt, homines illos non profectò ſtupidos ac inertes, fallendi temporis gratiâ has quaſi cucurbitas pingere voluiſſe, aut morales quoſdam, aut alios vulgares ſenſus ſub iis occultaſſe, cum occultandi nulla cauſa eſſet. Servare his monumentis ſapientioribus majora quædam naturæ arcana voluerunt. Quid in in menſæ Iſiacæ figuris ſibi volunt *Leones Lunati?* facilè interpretabitur qui in Chemicorum veterum ænigmatibus non planè hoſpes eſt. Quid ſignificent *Serpentes cum capite accipitrino* aliud quàm naturam fixam volatilem? Cui reſpondet iſtud Chemicorum effatum: *Bufo gradiens ſuper terram, & Aquila volans eſt myſterium noſtrum.* Sed omnia alia comminiſcuntur, qui hæc interpretantur, præcipuè Hervvartus, qui menſæ Iſiacæ imagines, ridiculis planè argumentis ductus de magnete & pixide nautica explicat. Hinc plurimas Græcorum fabulas natas fuiſſe veroſimile eſt, quas ingeniosè ſatis ad Chemicos ſenſus explicat *Michael Mejerus*, Vir doctus, *in arcanis ſuis arcaniſſimis*, ſive *Hieroglyphicis Ægyptio-Græcis vulgo nondum cognitis*, qui tamen ob amorem artis fortaſis nimium ingenuo ſuo indulget. Quem ſequuntur in hoc inſtituto

instituto *Vigenerius*, *Commentario in Philostrati tabulas, & Pet. Ioh. Faber, in Pan-Chymico suo.* Negare certè ipse Conringius non potest, docendi ac scribendi rationem apud Ægyptios, Chemicorum ordini semper familiarem, & ad hos ab illis derivatam videri posse. Kircherus verò nostrer quasi è tripode pronunciat (*Oedip. Ægyptiac. tom. 2. classe 10. de Alchymiâ Ægyptiacâ*) Ægyptios praxin Lapidis Philosophorum haud intendisse, sed rem quandam in inferiori mundo Soli analogam & quintam quandam essentiam pro morbis omnibus curandis & vitâ in omni felicitate traducendâ. Hanc ob summam subtilitatem & perfectionem cœlum appelasse: *Hoc Elixir*, inquit, *sive quinta essentia tam eminentis virtutis erat, ut cuicunque distillatæ ex quibusvis herbis aquæ affunderetur, virtutem ejusdem, quæ certum aliquod corporis membrum respiciebat, in decuplum augmentaret. Verbi gratiâ, si aquæ ex hepaticâ extractæ apponeretur, illa aqua decuplo validiorem in hepatis curâ effectum præstaret; eratque hæc aqua ad eam temperiem per continuas cir ulationes reducta, ut frigidis apposita decuplo ea frigidiora; calidis addita decuplo calidiora, siccis juncta decuplo sicciora, humidis denique admixta decuplo ea humidiora efficeret. Quæ omnia fusè ex mente Ægyptiorum prosequitur Balsan Arabs in libro de Elixiris vitæ compositione. Hanc aquam*, (porro addit) *& lapidem dicebant eò quod ex lapidibus pretiosissimis fuisset extracta, aquam vitæ, vegetabile naturæ Semen, animam solarem similibusque lapidi Hermetici impositis denominationibus nuncupabant.* Gemina illis Lullius in suo de quinta essentia libro scribit, quam & ipse cœlum vocat, in quam falsò Kircherus in mundo subterraneo dicit cogitationes suas convertisse Lullium, postquam lapidis Philosophici spem abjecerat. Non pauca enim in isto libro sunt mendacia. Quod si vera sunt quæ de Ægyptiorum Elixire adducit, suo profecto gladio se jugulat: nam quod ista præstare potuit, facilè etiam in metalla vires suas exseret. Ante Christum natum Chemiam ignotam fuisse, & omne opus χημευτικὸν putat *Cl. Conringius*, cum tamen jam tùm Herodotus vitreorum operum mentionem fecerit, quæ inter χημευτικὰ omnino referenda sunt. Kircherus quoque magnâ ut solet, audaciâ: *Nos*, inquit, *quantum fieri potuit, antiquitati hujus perditæ artis incumbentes nullam ante Christum à quopiam scriptore hujus artis mentionem fieri deprehendimus.* Ibidem Arabes facit primos hujus lapidis autores, sed qui tamen successerint Græcis illis autoribus qui circa tempora Constantini Magni περὶ χρυσοποιΐας scripserunt. Quæ an cum sanâ mente consistere possint, dubito: qui enim primi sunt, aliis quomodo succesêre? Id vero vehementer miror adeò oblivioşum aut cœcum fuisse, ut cum aliàs sæpè exscriberet, eum in *Martinii Atlante Sinico* locum vel præterviderit, vel in memoriam sibi non revocarit, quo de antiquitate artis Chemiæ apud Chinenses agit. Ita vero ille p. 71. *Scribunt de Yotan parvo lacu* (forte legendum *loco*) *ad Pukiang, quod in eo Hiangius arti Chemicæ, vulgo Alchymiam vocant, operam dederit, idque BIS MILLE QUINGENTIS EOQUE AMPLIUS ANNIS ANTE CHRISTI NATIVITATEM.* Addit ulterius Autor ille: *Quare habent etiam hic unde antiquissimos natales suæ scientiæ atque artis accrescerint Chemicorum filii, potius quàm à fabuloso suo Mose, aut Maria ejus Sorore, ac Pythagoreis, uti à suppositiis illis Græculis decoctoribus factum vidimus.* Hæc Vir ille, nec ipso Kirchero negaturo, fide dignus, quem Chemicæ arti aliàs favisse non constat in monumentis Chinensium legit: quæ eâ fide ac diligentiâ scripta esse scimus, ut parem nulla gens historiis suis adhibuerit: Quam ob causam testimonii hujus autoritatem ipse etiam autor commendat. Hæc si legisset Vir Clarissimus, Conringius, non opinor, scripsisset *Medic. Hermet. lib. 2. c. 14.* quod ab Arabibus ad Chinenses χρυσοποιΐας studium pervenerit. Errat & Fallopius, qui artem ante Muhamedanam sectam exortam negans, à quodam Mahometis nepote primùm excogitatam putat. Occurrunt plura apud eundem Martinium loca, ut in Provinc. 8. 1. Urbe Nanchang. p. 86. *Hoc in loco, qui extra mœnia est, fabulantur, olim fuisse virum quendam, qui egenorum complurium necessitatibus succurrerit, multaque populo liberalissimè erogavit; quippe in Chemicâ arte non fictitium, sed verum argentum elaboravit.* Provinc. 9. urb. 2. p. 110. *Prope Xeu civitatem mons est Zukin, in quo ingens auri frustum repertum contra plures morbos fuit adhibitum, unde illud Chemicâ arte factum vulgò autumant.* Provinc. Hugnang. p. 75. *Nullus fere memoratu dignus mons occurrit præter eum, quem Kicuchin vocant, hoc est, novem virginum. Nempe in eo sorores novem Virginitatem perpetuam servasse & Alchemiæ deditas fuisse scribunt.* Quæ cum extare in historiis suis omni exceptione majoribus documenta viderent Sinenses, factum est, ut insanâ auri & præcipuè argenti ex hydrargyro conficiendi cupidine, & olim flagarent, & nunc quoque ducantur, testibus scriptoribus novissimis.

XI.

E Græcis scriptoribus libros Democriti, Zosimi, Synesii, Pselli, Heliodori, qui præter Æthiopica, quæ & Chemici argumenti videntur, eo præsertim loco, ubi de Phœnice, ad Chemicos sensus confictâ fabulâ, agit, librum περὶ χρυσοποιΐας scripsit, abundè examinarunt *Reinesius, Conringius Borrichius, Salmasius*, ut illis quod addam nihil amplius habeam. Vitri flexilis historia, quæ inter fabulas tamen referenda non videtur, etiam proximè post Christi nati tempora in usu fuisse opera χημευτικὰ plusquam vulgaria ostendit. Lucernas veterum perpetuas in tumulis repertas Hermolaus Barbarus ex auro, Chemico modo paratas putat, & pluribus argumentis vincere laborat, *Claud. Guichard. libro de Funeribus Græcorum & Romanorum*, ante Kirchmannum Gallicâ linguâ scripto *l. 1. c. 8. n p. 83 ad p. 86.* Cujus in rei fidem affertur à Borrichio Inscripto illa lucernæ in tumulo Maximi Olibii inventæ; de quâ judicium meum suspendo, cum Virum in Inscriptionibus dijudicandis peritissimum pro non genuina habere sciam. Cognatum tamen hoc lucernæ exextinguibilis artificium cum magno Chemicorum opere ostendit historia, quam mihi narravit Vir honestus, & fide dignissimus. Is cum Lovanii literis operam daret in notitiam Burgundi alicujus pervenit, à quo in musæum suum, singularis artificii videndi gratiâ, invitatus fuit. Obductis itaque fenestris, ne externum lumen impediret, vitrum aliquod augustioris oris, liquore purissimo plenum, cui insertum erat filum aureum, produxit Burgundus, & lucernâ filo admotâ, tàntum repente lumen exortum fuit, ac si in medio sole versarentur: incredibilis vero suavitatis odor totum musæum complevit. Suppressâ postea flammâ hospitem, sed sub juratâ silentii fide, dimisit. Increbuit hinc post discessum Burgundi quidam de χρυσοποιΐα ejus rumor, & Amsterodami magnam ab eôdem pecuniæ vim in homines miseros erogatam comperit, qui hæc

mihi narravit. Non fuit tamen in ullâ gente fortaſſis frequentius Chemiæ tàm Medicæ, quàm metallicæ ſtudium, quàm apud Arabes, ſive à Græcis, ſive aliunde habuerint. Ab illis primum liquores confectos ſub Eſſentiarum nomine è Vegetabilibus, quibus mirandas virtutes adſcribunt, & de quibus Lullius, Rupeſciſſa, Drebelius aç plurimi alii ſcripſere, ſatis conſtat. Nec deſunt hodie, qui iſtis vigorem juvenilem, cujus ſigna pili & ungues mutati, reduci poſſe vel credunt, vel experimenta ejus vidiſſe ſe aſſeverent. Videri poſſunt, quæ è relatione cujusdam Regis Galliæ Chemiatri ſcribit illuſtris Boilius *part.2. libri* cui titulus: *of the uſefulneſſe of natural philoſophy p.* 182. *& ſeqq.* De Guilielmo Poſtello etiam nonnulli, ac, ni fallor, ipſe alicubi ſcribit, tali remedio canos ſuos in nigerrimi coloris pilos ſibi commutaſſe: quanquam alii tinxiſſe illos artificio quodam velint. Videatur *Scævola Samarthanus Elog. lib. 3. & Verdierius in Bibliothecâ Gallicâ.* Chinenſes quoque, teſte Martino in *Atlante Sinico p.*77. ſimplicem aliquam herbam, jactant, quam *mille annorum* vocant, ac immortalem eſſe ſcribunt: quâ in aquâ maceratâ ac epotâ albi crines in nigros commutentur, atque vita producatur. Spiritus Vini, quo in Eſſentiis conficiendis uſi fuerunt Arabes, ab illis certè primum ad Europæos devenit, docente ejus uſum primùm Arnoldo Villanovano. Diu is in officinis ad medicinam tantùm ſervatus fuit, antequam gulæ in delicias cederet, cujus occaſionem notat Alexander Taſſonus, libro, cui titulus: *Penſieri diverſi lib.*10. *c.*26. quam ipſius verbis ex Italico converſis referam: *Aquæ vitæ uſus innotuit primum è libris quorundam Medicorum Arabum, qui illam in Medicinæ gratiam confecerunt: qui ejus uſus perduravit uſque dum Mutinenſes magnâ copiâ per provincias Septentrionales eam vulgarunt, idque effecerunt, ut in potus ordinarii genere haberetur, quod ita factum eſt. Conficiebatur primum aqua vitæ tantum è vinis corruptis exiguâ quantitate, ut ultra guttam bibi vix poſſet. Erat autem aliquando per totam Italiam copioſiſſimus vini proventus, ut Mutinenſium vinorum quæ Venetiis vendi ſolebant, cum debiliora cæteris eſſent, ac emptores non invenirent, bona pars corrumperetur. Mutinenſes aquam vitæ ex iis deſtillabant, quibus vina nondum corrupta, ſed quæ vendi non poterant, miſcuerant, atque ut majori copiâ conficerent, bis ſtillatam Venetiis non ſine lucro vendiderunt. Veneti cum intelligerent, Metallorum foſſores in Germaniâ potu tali indigere, qui vigorem & calorem corporis conſervaret, venalem illis potum mittentes magnum inde quæſtum confecerunt. Mutinenſes poſtea majori copiâ, cum vino abundarent, aquam vitæ ſtillarunt: cum bonorum vinorum pretium creſcere ex eo viderent. Et vidi ego centum dolia unâ vice Venetias miſſa.* Hæc occaſione Spiritus vini ab Arabibus primùm confecti, loco minimè alieno adducere viſum fuit. Iidem etiam metallicis operationibus diligentiſſimè vacarunt: ac ab iis primum uſus aquarum fortium ad Europæos pervenit. Fortaſis & Turcæ ipſi ab iis quædam didicere. Nam meminit Paulus Rycotius, qui non ita pridem omnium accuratiſſimè Imperii Turcici ſtatum Anglicâ linguâ deſcripſit, *lib. 2. c.* 20. cujuſdam *Hirek* (qui vixit circa annum Chriſti 716.) quod χρυσοποιίας gnarus aurum multum inter ſectatores ſuos diſtribuerit, ac Xenodochia multa erexerit. Sed Arabum Chemicorum hiſtoria obſcura eſt & incognita: non pauca tamen extare creduntur in *Leonis Africani libro de vitiis Philoſophorum Arabum* manuſcripto hactenus, quem ſervat in Bibliothecâ ſuâ *Iſaacus Voſſius.* Magnam in eâ copiam Manuſcriptorum Chemicorum vidi ab Autoribus tàm cognitis, quàm incognitis. Plurima enim illic ſunt nomina, quorum nulla in Chemicorum ſcriptorum Nomenclatoribus mentio eſt. Quanquam & multa illic, ut fieri ſolet, miſcentur inepta & futilia. Poſſem Tibi integrum hîc eorum catalogum ſiſtere (nam habeo ab amico) niſi tædioſum foret, & diſſertatio noſtra, quæ jam dudum epiſtolæ limites egreſſa eſt, brevem me eſſe juberet. Scriptorum Chemicorum hiſtoriam accuratam, ut in aliis quibuſdam diſciplinis, hactenus non habemus, nec fortaſſis habituri ſumus: quod ars ipſa unà cum Doctoribus ejus tot tenebris ſit involuta, ipſique ſummo ſtudio ſe celaverint. Poteſt tamen longè accuratior haberi, quàm eſt iſta, quæ à *Borello* edita eſt. Scripſit is *Bibliothecam Chemicam*, in quâ MMMM Autores, ut titulus habet, recenſet. Sed adeò is confuſus eſt, ut ſibi nunquam viſis authoribus, quos è *Joh. Baptiſt. Nazari* libro Italicè de *tranſmutatione metallicâ* ſcripto, qui ſyllabum illic Chemicorum quorundam congerit, excerpſit: nonnunquam fictis & mentitis è turba Philoſophorum depromptis, chartas cumulet, adeoque indiligenter libros conſignet, ut ſomnianti excidiſſe potius, quàm ſtudio aliquo ſcriptus liber videatur. Promiſit idem Autor in catalogo operum ſuorum, quem dedit in frontiſpicio Dictionarii Gallici ſui, cui titulus: *Treſor des Recherches & antiquitez Gauloiſes & Françoiſes*, multos ejus argumenti libros: *Cribrum Philoſophorum Chemicorum: Topographiam Chemicam: Vitas Chemicorum quorundam: Bibliothecam Chemicam chronologicè concinnatam, cum ſecundâ parte & vitis Autorum compendioſis: Librum de projectionum Chimicarum hiſtoriis: Theatrum Chimicum gallicum; Diſſertationem de eo, quod lapis Philoſophorum debeat propalari, at de materiæ ejus revelatione. Volumina ſeptem in folio de materiâ ac proprietatibus mineralium &c.* Sed hactenus præter titulos nihil vidimus. Ac erit fortaſſis, ut, quod ille promiſit, alius accuratius exſequatur. Novi enim Virum Nobilem, qui ut multorum arcanorum chemicorum ſupra vulgarem doctrinam peritiſſimus eſt, ita incredibili planè labore & inuſitatâ multorum annorum diligentiâ, omnes quos indagare ullâ in gente potuit, ſcriptores Chemicos, veteres, recentiores pervolvit, inter ſe contulit, omnemque eorum hiſtoriam, quoad fieri potuit, è tenebris eruit, ut vivere ego non credam, qui ſimilem laborem ſuſceperit; aut futurum unquam, qui ſuſcepturus ſit. Fortaſſis & *Ioh. Gerhard. Voſſius* ratiora quædam nos docuiſſet, in *opere ſuo artium, ac conſtitutione omnium artium & ſcientiarum*, ubi de Chryſopœia ſe acturum promiſerat *Theol. gentil. lib. 6. c.* 5. Sed vel ineditum adhuc vel inelaboratum illud relictum ab Autore fuit cujus fortè παραγραφάτιον eſt liber de Scientiis Mathematicis & Philologiâ.

XII.

Cum vero tam ampla ſit ſcriptorum Chemicorum ſeges, major impoſtorum, quorum diſcrimen noſſe ingenii eſt in lectione horum autorum jam tum ſubacti: è vaſto illorum numero nobiliores excerpemus. *Geber* Arabs, quem Regulum aliqui fuiſſe volunt, inter antiquiores à Chriſto nato referendus eſt. Ejus ſcripta aliqua habemus multis circumductionibus & ambagibus plena. De eo ita ſentiunt ſagaciores: illum & ſummum Philoſophum, & ſummum Sophiſtam fuiſſe, ſub præparationibus enim & vocabulis notiſſimis omnia alia intelligit. Ejus ſcripta vehementer variant, ac

nuper

nuper *Georgius Hornius* in Belgio quædam edidit à prius editis diversa. Ex Oriente codicem scriptorum *Gebri* altero tanto locupletiorem exportavit *Christianus Ravius*, ut ex *spolio Orientis*, quod hic Kilonii publicavit, videri potest. Ejus antiquus quidam commentator est *Paganus*, de cujus scriptis nihil hactenus editum est: nam inter scrinia Philo-Chemicorum hactenus delituerunt. Perspicuo utitur scribendi genere, quali nemo pene è cæteris. Gallus ille fuit, quantum perspicere licet: ac errant, qui illum cum *Gebro* ipso confundunt: putant enim id nomen illi inditum à *Lullio*, quia Mahumedanus fuit, At revera alius est, & fuerunt ejus nominis complures, hodieque sunt in Galliâ. Ac fuit fortassis ex ejus familiâ *Iacobus Paganus*, cujus *Guibertus* in libro *de Alchemiæ interitu* meminit, qui ad finem magnum opus perduxerat, quod illi nescio quo casu turbatum fuit, unde *Guibertus* pro Dæmonis illusione habet, irrisus propterea à *Libavio Defens. 2. Alchemiæ transmutator not.* 8 Qui an idem *Jacobus Paganus* sit, de quo memorat. *Joh. Pier. Valerianus lib. 1. de Literator. infelicitate*, equidem ignoro. Laudat & ipse Lullius *Pagani summam Hebraicam*, quo mendum esse puto, ac legendum *Gebraicam*. Reperitur & in *Bibliothecâ Borelli p.* 147. liber manuscriptus gallicus, cui hic titulus: *Oeuvre parfaite & pratique selon Lulle, qu' il avoit eue de Paganus*, id est, *Opus perfectum & consummatum secundum Lullium, quod habuit ille à Pagano.* Quod hanc mihi suspicionem primùm injecit intelligi illic fortè per *Paganum, Villanovanum*, ob similem nominis rationem: nam ab illo artem *Lullius* didicisse perhibetur. Sed quoniam *Lullius* aliquoties *Pagani* mentionem facit, & *Pagani* gentis; *Villanovani* Patriæ nomen est, verius illa distinguuntur. Ab hoc ad *Arnoldum Villanovanum & Raimundum Lullium* me confero, quos *Gabriel Naudæus in defensione hominum Magiæ insimulatorum* gallicè scripta, Chemicorum Deos tutelares per contemptum vocat. Ille Magister Lullii in hâc arte, ut constat è testimoniis ab aliis adductis. *Raimundus Lullius*, Vir ex antiquâ & nobili Lulliorum Barcinonensium familiâ oriundus, & pro genio illorum temporum ingeniosissimus fuit: Injuriam enim illi facit Naudæus, qui ut indoctum Monachum longè Arnoldo minorem habet. Magnam vim librorum, tum in omni doctrinâ, tum in Chemiâ conscripsit, quorum quingentos aliqui; aliqui vel mille numerant. Chemicorum, qui quidem editi, per quàm multi sunt: ineditorum longe plures. Eorum, si rectè memini, penè sexaginta sunt in Bibliothecâ Viennensi, quorum catalogum mihi ostendit Nobilissimus Dn. *Oldenburgius*: exstantque etiam in Bibliothecâ Vossianâ non pauci. Invehitur in illum *Bzovius ad A. C.* 1372. tribuens illi hæreses ac errores: aliqui etiam magiæ insimulant. Sed confuderunt duos ejus nominis. Alter enim è Judæo conversus ad fidem Christianam 60. Majoricano illo posterior fuit, qui magicos libros de invocatione Dæmonum scripsit. Videri ea de re potest *Franciscus Penna in notis ad Directorium Eimerici part. 2. ad quæst.* 20. & 27. *Raimundus in Erotematibus de malis ac bonis libris part. 1. erotem. n.* 246. Plusçula etiam in *Odorici Rainaldi continuatione Annalium Baronii* de iis, quæ ad *Lullium* & *Villanovanum* spectant, legere me memini. Sed jam liber non est ad manus. Id quoque in more positum esse video Scriptoribus Pontificiis, ut hominum suorum scripta Chemica vel dissimulent, vel pro suppositis habeant, cum tamen scripta ab illis fuisse longè sit certissimum. Id & in *Villanovani*, & in *Lullii* operibus recensendis factum ab illis est; ac *Villanovani* opera omnia, quæ uno volumine edita sunt, dissertis verbis Chemica, ceu ficta & spuria excludunt. Idem in nonnullis Scriptoribus Anglis fecit *Centuriarum Balei* compilator *Pitsæus*. Ubi enim ille vel è *Lelandi* monumentis, vel antiquâ traditione Operum Chemicorum à Viris illustribus conscriptorum mentionem facit, pertinaci silentio plagiarius *Pitsæus* omnia abscondit, ne ulla ejus rei memoria relinquatur. Quod fortè ob contemptum artis χρυσοποιητικῆς factum est; ne scilicet in re, Pontificum decretis improbatâ, vel se indignâ, operam posuisse viderentur. Constanti famâ traditur, & ut *Cambdenus* in Reliquiis suis (*Remaines*) *p.* 172. ait veritate non scriptâ, *by an unwritten verity* (nisi quod Lullius passim illud ipse fateatur, ac Cremerus Abbas Westmonasterienſis in Testamento suo testetur) confactum fuisse à Lullio in Angliâ in arce Londinensi aurum pro Rege Edoardo III. ut eo in bello adversus infideles uteretur: unde postea moneta illa cusa, quæ *Rosa nobilis* vel *Nobile Raimundi* vocata fuit; cujus effigiem Seldenus *Maris clausi lib. 2. c.* 25. exhibuit, alterâ parte rosâ insignitæ: alterâ navi, cum inscriptione symboli Chemicorum: *JESUS autem transibat per medium eorum.* Ejus rei veritatem Robertus Constantinus se inquirendo comperisse testatur in *Nomenclat. Script. Medic.* ut calumnia itaque sit *Alexandri à Suchten*, qui Nobile Raimundi à Rege Raimundo, qui nullus in Angliâ fuit, non à Raimundo Lullio originem habuisse persuadere nobis contendit. Et auget ejus fidem, quod ipse etiam Cambdenus loco memorato observat, nullam fuisse in Angliâ auream monetam cusam ante Edoardi III. tempora. Fortassis ista χρυσοποιία occasionem Edoardo dedit, ut legem diceret de non exportando auro & argento, nec eo multiplicando. Quod Vir quidam doctus, quidam etiam è gente Anglicâ; ita acceperunt, ac si omnis Alchemia sub multiplicatione auri & argenti interdicta fuerit. Sed is error est. Is enim hujus legis (quæ Anglicâ linguâ scripta in libro statutorum *Poultoni* invenitur) sensus est: non esse miscenda cum auro & argento alia metalla: id enim per multiplicationem hîc intelligitur, quod ipsa legis verba innuunt. Ac stulta omninò fuisset multiplicationis Chemiæ prohibitio. Id quoque referri hîc meretur, istâ historiâ præcipuè motum Henricum IV. Regem Angliæ, quatuor edicta publicasse ad omnes Nobiles, Milites, Doctores, Professores, Sacerdotes, quibus eos adhortatur, ut Lapidis Philosophici præparationem inveniant, aut si quis sciat arcanum illud, revelet sibi: quo æris alieni onere liberari Respublica possit. Speciatim verò ad Sacerdotes lepida hâc ratione usus est: quod, cum sint adeò felices in pane & vino in corpus & sanguinem Christi transubstantiandis, facilè etiam ignobilius metallum in nobilius convertere possint. Sed frustra res omnis fuit, ac nemo comparuit. Mentionem horum edictorum facit *Joh. Pettus* libro Anglicâ linguâ scripto, cui titulus: *Fodinæ Regales, or the history, Lawes and places of the chief mines and mineral works in Engeland &c. part. 1. c.* 27. & ipse Londini apud custodem Regiorum diplomatum inquisivi, qui autographa hodieque supereſſe in Archivo testabatur. Non defuerunt tamen, qui tot existentibus documentis, historiæ de Lullio ejusque aurificio veritatem in dubium vocare ausi sunt, moti præcipuè temporum incertitudine. Nam, ut notiora

transeam, *Vincentius Mutius* Hispanus libro, cui titulus: *Historia del reyno de Malorca, non paucis argumentis productis omnem χρυσοποιίαν* Lullianæ famam elevare laborat, quorum præcipuum est: fato jam functum fuisse in Africâ Lullium *Anno* 1315. cum puer triennis esset Edoardus III. quem Conringius etiam scrupulum injecit. Quia tantum apud Borrichium pondus habuit, ut historiam hujus rei contra communem ipsorum Anglorum sententiam, in tempora Edoardi I. rejiceret. Verùm cùm Vincentius Mutius, ut Borrichius jam tum probavit, in Anglicâ historiâ hospes fuerit, vero est simile, in Lullianâ etiam impingere. Natus fuit Lullius, si Mutio credimus, A. C. 1235. Edoardus III. *Anno à nato Christô* 1327. ætatis quarto & decimo regnare cœpit, undecimo scilicet à morte Lullii creditâ: cujus primi anni illustre specimen dedit, in defendendâ ab injuriis oppidanorum Cantabrigiensi Academiâ, teste *Cajo lib. 1. Hist. Acad. Cantabr. p.* 67. Admittamus nativitatis tempus: mortis tempus falsò assignari certus sum. Nam præterquam, quod *VVolff. Justus in Chronol. Med.* vixisse adhuc Lullium Anno 1321. sedente ad clavum imperii Ludovico Bavaro, scribit, ipse de se Lullius, testis inter omnes fide dignissimus, *libro de Mercuriis cap.* 40. narrat, se Mediolani A.C. 1333. cum sociis quibusdam suis Lapidis Philosophici opus absolvisse. Quo in loco, quanquam typographi erratum causatur Borrichius, ex aliis tamen Lullii locis idem probatur, ubi disertis verbis, non ciphris, scripta hæc habentur. Sic enim circa finem Testamenti novissimi sui Lullius: *Factum habemus testamentum per virtutem Dei in insulâ Angliæ terræ, in Ecclesiâ Sanctæ Catharinæ apud Londinenses, versus partem Castelli, ante Cameram, regnante Edoardo per Dei gratiam, in cujus manibus ponimus in custodiâ per voluntatem DEI præsens testamentum, anno post incarnationem millesimo trecentesimo trigesimo secundo, cum omnibus suis voluminibus.* Verùm hîc alius ex alio scrupulus oritur. Vixit Lullius *anno* 1332. Londini, ac ibi libros in arte Chemicâ scripsit, fortassis & aurum tum confecit: & *libro de Mercuriis* tamen anno sequenti in Italia se opus suum absolvisse scribit. Aut itaque bis Angliam adiit, quod placuit quidem *Eliæ Ashmol*, Nobili Anglo, *notis in Theatrum Chemicum Britannicum à se editum p.* 443. sed probabile non videtur, libros Chemicos Lullium scripsisse, antequam plenam artis suæ notitiam adeptus fuerat: aut error aliquis in annorum numeris latet, quod vero esse simile probari è *Lullii Testamento Novissimo cap.* 14. potest: ubi Anno 1330. opus suum se Mediolani absolvisse memorat. Potuit itaque ex eo tempore adisse Angliam, invitatus à *Cremero Abbate VVestmonasterienſi*, quem & ipsum Edoardi III. tempore vixisse constat. Is enim cum per Italiam peregrinaretur, ad notitiam Raimundi artisque communionem admissus secum illum duxit. Juvat ipsum audire in *Testamento* suo hæc narrantem: *Quanto magis legi, tanto magis erravi usque dum in Italiam divinâ providentiâ me contulerim, ubi Deo optimo maximo visum fuerat, me in sodalitium unius viri non minus dignitate, quàm omni genere eruditionis præditi, Raimundi nomine, destinare, in cujus sodalitate diu remoratus sum, sicque favorem in conspectu boni hujus Viri nactus sim, quod ille aliquam partem hujus tanti mysterii aperuerit, propterea illum multis precibus ita tractavi, quod mecum in hanc Insulam veniret, mecumque duos annos manserit. In cujus temporis tractu sum absolutivè tantum opus consecutus. Posteaque hunc Virum egregium in conspectu inclytissimi Regis Edoardi deduxi, à quo meritâ dignitate recipitur, & omni humanitate tractatur, ibique multis promissis, pactis conditionibusque à Rege inductus, erat contentus, Regem permissione divinâ suâ arte divitem facere. Hâc solummodo conditione, ut Rex in propriâ personâ adversus Turcas, inimicos Dei, bellum gereret, impenderetque super Domum Domini. Sed proh dolor hoc promissum erat irritum à Rege violatumque, tum ille vir pius in spiritibus penetralibusq; cordis sui afflictus hinc trans mare lamentabili miserabilique more anfugit, quod cor meum urit non mediocriter.* Ex iis itaque, quæ hîc jecimus, argumentis, satis, ut puto, patet, non mutandos esse Edoardos, quod vult Vir Clarissimus, sed historiam omnem ad Tertium ejus nominis referendam: cætera enim, quæ illic in contrarium adducit, non tanti mihi videntur, ut aliam sententiam persuadeant. Fuerit itaque Lullius, cum in Angliâ testamentum suum novissimum scriberet, si annum nativitatis, quem nominavit Mutius, supponimus, nonaginta & septem annos natus: quod à vero alienum censeri non debet cum extremâ demum senectâ secreti tanti participem factum fuisse constet, ac in *Petri Pacifici Legatione Persicâ* ad annum centesimum & quadragesimum quintum vitam beneficio auri sui potabilis produxisse legamus: cujus tamen an aliud exstet fide dignum testimonium, dubito. Vitam ejus scripserunt *Symphorianus Campegius & Carolus Bovillus*, ac alii nonnulli. Scripsit & popularis ejus Vitæ Lullianæ historiam, sed quam videre nunquam contigit, nisi titulo tantùm in Catalogo selectissimæ bibliothecæ *Raphaelis Tricheti du Fresne*, hoc modo notatam: *Vida del admirable Doctor Roman Lull compuesta por Juan Segti en Malorca* 1605. 8. Quæ si ad manus fuisset, paratiora hinc fortè ad dissertationem nostram illustrandam habuissemus subsidia: in quâ diutius hæsimus, cum nullum exstet illustrius ad omnem posteritatem exemplum. Lullio σύγχρονος fuit *Petrus Bonus*, qui *Margaritam*, uti vocat, *pretiosam* scripsit unà cum *introductione ad Alchemiam*, quâ barbaro quidem stilo, sed more tunc temporis Scholasticis usitato, Principiis peripateticis doctrinam Chemicorum stabilivit. Scriptus liber est A. 1330. in civitate *Polæ*, provinciâ Istriæ. Primùm edidit *Toxites* Medicus Argentoratensis Basileæ *A.C.* 1572. quæ editio melior est eâ, quæ in *Theatro* habetur. Scripsit idem, ut in fine libri hujus fatetur, alium de eâdem materiâ, quem ipse potius abolere, quam in lucem mittere voluit. In epitomen ejus aliorumque nonnullorum scripta redegit *Ianus Lacinius*, Monachus Calaber in *Collectaneis*, ut vocat, *Chemicis*, Noribergæ apud Petreum impressis, & in *pretiosâ Margaritâ* Venetiis apud Aldum eleganti typo, cum iconibus etiam vasorum ad Alchemiam necessariorum, editâ. *Rogeri Baconis* Angli scripta in summo etiam Philo-Chemicis pretio, & meritò quidem habentur. Ejus pauca habentur in *Theatro Chemico*; aliqua opuscula seorsim edita Francofurti. Plurima ejus manuscripta latent in Bibliothecis Anglicis; ac magno ære redimitur, quicquid ejus viri haberi potest. Fuit ultra seculi sui genium ad stuporem in omni eruditionis genere doctissimus. Qui epistolam ejus *de secretis artis & naturæ* leget, tot in rebus naturalibus & mathematicis, jam tum illi inventa videbit, quibus nostra nunc secula triumphant. Pulveris certè pyrii prima excogitatio huic tribuenda est, non *Bartholdo* illi *Svvartzio* Cimbro. Iniquior enim populari suo est *Cambdenus*, qui in *Reliquiis* suis *Baconi* abjudicatam *Svvartzio* tribuit:

tribuit: cùm ille duobus, ni fallor, sæculis prior jam tum pulveris istius indicium faciat. Habuit certè è Baconum familiâ felicissima semper ingenia Gens Anglica, & nuper *Franciscum*, immortale abstrusioris doctrinæ decus, & magnum sæculi nostri ornamentum. Famosus ille Anglorum Propheta *Merlinus* à *Balæo* inter Possessores magni arcani refertur, totamque ejus Prophetiam, in quam *Alanus ab Insulis* commentatus est, Chemici argumenti esse multi contendunt: ac extat de illo in *Arte Auriferâ* aliquod scripti Alchemici fragmentum. De Fratre *Valentino Basilio* omnia incerta sunt, quæ memorantur, quanquam diligentissime in ejus historiam inquisitum fuerit ab Imperatoribus Germanicis. Ejus scripta in multis apparent mutilata. Nam monstravit mihi *Ericus Mauritius*, Collega quondam meus conjunctissimus, nunc illustris Cameræ Spirensis Assessor, magnum non Jurisprudentiæ tantùm, sed & omnis elegantioris doctrinæ decus, quas è Manuscripto Codice Bibliothecæ Viennensis insignes lacinias enotaverat, quæ in impressis exemplaribus non comparent. Non paucos etiam in Chemicorum ordine Poëtas habemus, qui & ipsi ποιηταὶ à Scriptoribus Græcis Chemicis dicti sunt, inter quos est *Johannes de Meung Clopinell*, Autor Gallus, Doctor etiam Theologiæ, sed lepidi ingenii homo, è quibus falsò duos facit *Naudæus* in notâ illâ, quam citat *Hornius in Præfatione Gebri sui:* dicit enim autores fabulæ de Rosa fuisse Johannem de Meung & Clopinellum: cùm tamen alterum verum nomen sit, alterum à patriâ desumptum. Scripsit is fabulam Comicam de Rosâ (*le Roman de la Rose*) inchoatam à *Guilielmo de Lorris*, cujus vetustum exemplar ad manus meas pervenit. Multa hic admiscet Chemica, quæ indicio sunt, altius quid illum sapuisse. Et mihi quidem dubium non est, permultos tales libros amatorios fabulosos ab omni ævo fuisse scriptos, qui tegerent hæc sub involucris istis arcana. In Heliodori Æthiopicis, quem Chemico studio fuisse addictum constat, ejus rei vestigia clara deprehenduntur: cumque ab Ægyptiis & Arabibus primum id genus librorum frequentatum fuerit, ut docuit nos in pulcherrimâ suâ Dissertatione *de l'Origine des Romans, Daniel Huetus*, per est verosimile, multos è libris istis ad Artem Alchemicam, quam illi profitebantur, tegendam fuisse scriptos. Plura de Clopinello hoc lepida commemorant *Fauchet de antiquis Gallorum Poëtis lib.* 2. 126. & qui ex eo plurima capit in Bibliothecâ Gallicâ *Verdierius*. Scripsit & alios quosdam de erroribus Alchemistarum versus, in quos commentatus est *Nicolaus Flamellus*, Scriba Parisiensis, quem & ipsum possessorem Arcani Chemici habent; maximas enim impensas in templa & magnificas structuras fecit: quanquam *Georgius Hornius* in Præfatione Gebri è Naudæo referat, Flamellum non operationibus Chemicis, sed aliis quibusdam artibus, è Judæorum relegatorum bonis, tantas parasse opes, quas Lapidis Philosophici figmento occultarit. Idem refert *Croix du Maine* in Bibliothecâ suâ *p.* 343. Pluribus verò argumentis non contemnendis imputatas illi fraudes confutat, Chemicæque ejus scientiæ veritatem demonstrat *P. Borellus in Dictionario antiquarum vocum Gallicarum p.* 158. *& seqq.* Nam quod de Judæis è Galliâ pulsis, unde opes suas acquisiverit, objicitur, centum & amplius post Flamelli tempora factum id fuisse dicit, qui opus magnum Anno 1382. confecit: Calumniæ verò occasionem hinc datam, quod cum Judæis conversatus fuerit, qui-

bus opus habuit ad interpretationem Libri Hebraici ab Abrahamo Judæo quodam scripti, unde lapidis confectionem didicit. Qui liber tandem in manus Cardinalis Richelii, paulò ante mortem ejus pervenit, ut narravit Borello *Dominus de Cabrieres*, Nobilis Gallicus, qui ipsum illud αὐτόχειρον vidit. Immensæ fuerunt Flamelli divitiæ, quas liberalissimâ manu in miseros homines, Templa & Xenodochia impendit, ut Parisiis penè nullum sit Xenodochium aut Ædes Sacra, in quâ ejus effigies & figuræ quædam hieroglyphicæ Chemicæ non compareant. Quæ cùm innotescerent Regi, in mandatis Magistro libellorum supplicum tunc temporis *Cramoisio* dedit, ut de iis inquireret. Flamellus verò, ut hanc à se amoveret molestiam, pyxidem pulvere aurifico plenam *Cramoisio* obtulit, quam diu in istâ familiâ asservatam fama est. Ejus testamenti tabulas, Codicillum, cum quadraginta aliis schedis, inspexit Borellus, copiam eorum faciente *Domino de Sauvale*, è quibus id comperit: Uxoris ejus Petronellæ sororem, *Perierio* cuidam nuptam, unum è filiis Nicolaum habuisse, quem Borellus arcani Chemici hæredem à Flamello institutum ex eo conjicit. Fuit *Perierius* aliquis Medicus, hujus pulveris possessor, quem cognatus ejus *Boisius* post mortem ejus inter schedas inventum abstulit, sed suo exitio. Nam cùm imprudenter passim experimenta faceret, seque autorem gereret, artem vero ipsam, quod ab eo poscebatur, docere non posset, suspendio affectus est, dicente sententiam Richelio. De auro per pulverem *Boisii* confecto memorabile est, quod narrat idem *Borellus p.* 488. quod cum plumbo in cupella positum, bonam plumbi partem in sui naturam converterit. Quod ideo factum, quia ipse veram pulveris ad metallum tingendum proportionem ignoravit. Circumferuntur quidem aliqui processus de Lapide Philosophico sub *Boisii* nomine: nam vidi ipse aliquem inter schedas Anglicas manu Digbei scriptas, quas possidet *Caspar Marchius* Collega meus honoratissimus: sed falsi procul dubio sunt, & ab impostoribus conficti. Plura legi apud ipsum Borellum possunt. Inter Latinos Scriptores non ineleganti carmine Libris tribus χρυσοποιΐαν *Johannes Aurelius Augurellus* descripsit, ut alios incultiores præteream. Anglorum de istâ arte Poëtas & eorum fragmenta collegit *Elias Ashmol* in primâ parte *Theatri Chimici Britannici*, & notas adjecit, quibus non pauca continentur ad historiam Chemicorum Anglorum facientia. Cæteræ ejus partes frustra exspectantur. Magna de *Paracelso* superiore sæculo fama fuit, quo de homine varia sunt doctorum judicia. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Præcipua suæ doctrinæ *Isaaci Hollandi* scriptis editis, unde multa descripsisse quidam volunt, & Doctoris cujusdam Chemici informationi debet. Ingeniosum fuisse ac magnorum arcanorum possessorem nemo tamen negaverit. Id magnam homini invidiam conciliavit, quod ubique in Medicos debacchetur & profundam naturæ ignorantiam objiciat, quanquam fervore tum opus erat, si aliquam novæ suæ autoritatem conciliare vellet. Id quoque in eo desiderari potest, quod Philosophorum veterum scholis non satis imbutus miras & monstrosas sibi opiniones, ac nescio quæ Astra ac Entia multorum effectuum principia finxerit, forte Lucretianum illud animo volvens:

Omnia enim stolidi magis admirantur amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt.

Denique & magiæ illum accusant, à quâ tamen, vel

ſaltem praxi ejus, illum defendit Naudæus in *Apologiâ hominum pro Magis habitorum part.* 1. *c.* 14. & æquius fortaſſis judicabunt, qui non ab ipſo ſed ab aliis Scripta ejus edita perpendent. Multos habuit adverſarios, & quidem inter ipſos Chemiæ veteris Profeſſores, qui eum ut Sophiſtam & Impoſtorem paſſim depingunt, inter quos Libavius aliique fuerunt. Conringius quoque accuratè in ejus vitam & ſcripta inquiſivit, libro de Medicinâ Hermeticâ. Sed tamen non paucos defenſores ac in doctrinâ ſuâ ſectatores habuit. De diſſenſu ejus à veterum Chemicorum ſcriptis jam ſuperiùs dixi. Quanquam veroſimile ſit longo ex uſu ſemper doctiorem Paracelſum in multis ſub finem vitæ aliter quàm olim ſenſiſſe. Exſtant quædam χρυσοποίας ejus teſtimonia, quibus tamen alii habent, quæ opponant. Si manus à Theologiâ abſtinuiſſet; minus opinor in ſe invidiæ derivaſſet. Nam & hujus dogmata ad principia Chemica refingere voluit: ac vidi tria, ſi rectè memini, manuſcripta Paracelſi volumina in Bibliothecâ Voſſianâ, quibus in Libros Novi Fœderis commentatur. Hinc orta illa *Fratrum Roſeæ Crucis* ſocietas, ſimilia Theologo-Magico-Chemica dogmata jactans, cujus doctrinam inanem & ſophiſticam detexit *Libavius* & *Naudæus peculiari ad Gaſſendum epiſtolâ*. Non paucis tamen, etiam viris doctis illi homines impoſuere; *Michaëli* quoque *Mejero*, qui aliquot libris eorum cauſam egit. Mirum quanta inde ſequentibus annis ſeges Chemico-Enthuſiaſtarum orta fuerit; quanta librorum ſophiſticorum turba, planè alia à veteribus illis docentium. Nam plurimi illorum maluerunt ἀεροβατεῖν, & vel à ſpiritu mundi, vel ſale univerſali, aut aliâ re incomprehenſibili, Chemica principia deducere; quàm cum veteribus in incunabulis ſuis, terræ ſcilicet viſceribus, illa quærere. Novit ex hujus farinæ ſcriptoribus multos, atque inter illos *VVeigelii Librum de Igne & Azot*, manuſcriptos omnes, magno pretio Amſterodami venditos. Sed non eſt ut illis immoremur. *Theobaldi ab Hogheland*, qui ſe ficto nomine appellat *Evvaldum Vogelium*, tractatus Chemici à peritis ejus artis præ cæteris æſtimari ſolent. Scripſit Librum de *Difficultatibus Alchemiæ*, aliumque de *Lapidis Phyſici conditionibus*. Nec memini unquam ab eo de *vanitate Alchemiæ* quicquam ſcriptum, ut vult Kircherus. Habemus & alium ab eo librum, quo hiſtorias tranſmutationum metallicarum conſignavit. Perſpicuâ dictione uſus eſt, & cæteris luculentius ſcribit. Multis arcani poſſeſſor creditur; initium operis ſe habuiſſe ipſe non diffitetur. Filius ejus *Cornelius ab Hogheland*, qui de *Dei exiſtentiâ* ſcripſit & de *Oeconomia animalis*, nihil quidem ipſe habuit arcani, ſed ſcripta Theobaldi quædam ſecutus, multa cum Carteſio operatus eſt, ut narravit mihi amicus, nullo tamen ſucceſſu. *Petrus Johannes Faber*, qui fortaſſis hodie etiam vivit, *à Comite de Fliſco Decad. de Fato p.* 132. pro vero poſſeſſore habetur. *Noſtris*, inquit, *temporibus Petrus Joh. Faber Lapidem Philoſophicum compoſuit*. Multis certè ſcriptis id ipſe orbi perſuadere voluit. Verùm apud me, niſi idoneis documentis fulciantur, talia non facilè fidem inveniunt. *Arcanum Hermeticæ Philoſophiæ*, opus quod *Enchiridio Phyſicæ reſtitutæ Spagneti* additur, eleganter ſcriptum eſt, & genuinum ſe facilè ipſo habitu oſtendit: nec leve argumentum eſt, quod ab *Anonymo Philalethâ*, quem verum hodie vivere poſſeſſorem, è relatione illuſtris Viri ſcio, aliquoties ejus mentio fiat, qui interdum, ubi non nominat, integras ex eo periodos exſcribit. In utroque verò ita ſibi reſpondet dictio non inculta, ut ab uno autore omnia profecta quis exiſtimare poſſit. Nam *Spagnetum* non eſſe Autorem Arcani Hermetici, ſed editorem tantùm, *Borellus in Bibliothecâ* ſuâ prodidit: Anonymus vero Nobilis Galli, non *Spagneti* nomine eum citat. Eſt verò is, qui ſe *Philalethen* vocat, gente Anglus, de quo hæc mihi Londini narravit Vir Illuſtris & fide digniſſimus, qui & ipſe Virum hunc benè novit. Appulit is aliquando locum aliquem Indiæ Orientalis, cujus nomen mihi excidit, hoſpitio *Georgii Starkey* Pharmacopolæ, ſ popularis ſui, exceptus. Cum hujus filio familiariter converſatus nomen illi ſuum ſub jurisjurandi fide revelavit, ac tincturæ particulam dedit, unà cum libro quodam edendo, cujus pars aliqua ſub titulo: *Introitus apertus ad occluſum Regis palatium*, ante aliquot annos, curante *Johanne Langio*, Amſtelodami edita: altera pars alio titulo à *Birrio* Medico Amſtelodamenſi, ſed cui Philalethæ nomen incognitum, prodiit. Diu ineditus liber per manus Philo-Chemicorum vagatus eſt, & mentionem ejus facit *Georgius Hornius in Præfatione Gebri* à ſe editi: ſed injurius in bonum hunc Autorem eſt, quo nemo, ut apparet, candidius & majori perſpicuitate in hoc argumento verſatus eſt, eum vocando Sophiſtam, quod ad ejus præſcriptum operatus nihil profecerit. Latinâ Linguâ Librum ſcriptum eſſe arguunt omnia: non potuit enim mihi ſententiam ſuam probare, qui Anglicâ linguâ Αυτόγραφον, à Langianâ editione in quibuſdam diſcrepans, nuper publicavit. Dictio ipſa Latina, verſiculi περιμιώδεις nonnunquam è Poëtis citati facilè id evincunt. Quæ in Anglicâ editione nonnunquam interſeruntur laciniæ, ab aliena manu eſſe videntur, & loco alieno aſſutæ. Bina ego aliquando habui exemplaria manuſcripta latina, quorum alterum à communicatione ipſius *Starkey*, cujus nomen in frontiſpicio, & India patria poſita erat, profectum: unde hiſtoriæ, quam ſupra narravi, fides firmatur; alterum ab alio amico habui. Quæ tam à Birrio, quàm à Langio edita ſunt, in illis conjunguntur Sed deeſt in editis *à Birrio tract.* 3. parti, cui titulus: *Fons Chemica Philoſophiæ*, integrum caput præliminare de *calcinatione Philoſophicâ*, quod in ſcriptis habetur: ubi alia quoque eſt librorum partitio, ac integri nonnunquam verſus & periodi habentur, quæ in editis non comparent. Ille verò *Starkey*, qui ab Autore hunc Librum habuit, Angliam poſtea redux aliquoties pulveris ſui experimenta Londini fecit: cumque ipſe ad operis confectionem accedere vellet (præcepta enim aliqua à Doctore ſuo acceperat) fruſtra laboravit. Audio tamen in librorum ſuorum aliquo, cui titulus: *Marrovv of Alchimy* i. e. *medulla Alchemiæ*, mentionem quandam de his rebus facere: ſed adipiſci librum in Angliâ non potui, quâcunque etiam diligentiâ quæſitum. Cæteri ejus libri de *pyrotechniâ*, & quos in *defenſionem Helmontii* ſcripſit, non adeò rari ſunt. Intempeſtivum hîc eſſet, & Tibi, Vir Ampliſſime, tædioſum, cæteris quibuſdam minutioribus recenſendis tempus inutiliter terere: nam & ipſe longè eos rectiùs noſti, quàm ego, qui hæc Tibi ſcribo, & præcipui eorum junctim quibuſdam voluminibus: *Arte Auriferâ*: *Theatro Chemico*: *Muſæo Hermetico* (è quo multa ſe arcana didiciſſe fatetur *Petrus Ioh. Faber*, quod penè in cœlum laudibus extollit) *Theatro Chemico Britannico* ab *Elia Aſhmol* edito, in lucem prodierunt. Multa quæ ad artem ipſam & Autorum hiſtoriam pertinent, *Michael Mejerus in Symbolis*

aureæ

aureæ menſæ : ſeptimanâ Philoſophicâ, & *Libavius* in ſcriptis ſuis eruditè nec indiligenter tractarunt. Atque hæc de Autoribus hujus doctrinæ dicta ſunto : quos ſcio multos ſpernere ob horridam dictionem, rerum obſcuritatem, & morem philoſophandi hoc ſæculo inſolitum. Sed iniqui ſunt cenſores, qui talia vitio hominibus illis vertunt. Fruſtra enim ab illo ſæculo quis exſpectaverit elegantias : res ipſa, ne planè indignis illa pateret, non niſi ænigmaticâ ſcribendi formâ proponi volebat. Nec ſordere modus philoſophandi tum publicus in Philoſophiâ naturali debet. Modo rem videat, verba & notiones æquus arbiter facilè condonabit. Latuerunt nonnunquam intra Cœnobiorum parietes præclara ingenia, quæ, cum otio abundarent, ſibi relicta, nec rerum domeſticarum curis angerentur, in multa arcana meditatione ac experimentis aſſiduis penetrare potuerunt, à quibus aliis negotiis diſtenti ſubmoventur. Hinc apud Monachos plura artis Chemicæ documenta, quàm alibi invenimus. Qui fructum aliquem è ſcriptis illis reportare cupit, ſingulari arte ἑρμηνευτικῇ opus habet : nam terminos primùm noſſe debet, occultiores illos, quorum integrum Lexicon facilè quis conficiat. Vulgarium enim Lexica complura ſcripta : ſenſus è locis ſimilibus per collationes mutuas inveſtigandi : cujus aliquod ſpecimen *Lagnæus in Harmoniâ ſuâ Chemica* dedit. Nec alio conſilio, quanquam tumultuariâ operâ, congeſta eſt *Turba Philoſophorum* in *Arte auriferâ*, à qua tamen multum diſcrepat illa, quæ reperitur in *Theatro Chemico*. Aliam Gallicâ linguâ *Bernhardus Comes Trevisanus* concinnavit.

XIII.

Reſtat nunc, ut de artis hujus experimentis, quæ ad notitiam hominum pervenêre, quædam hactenus ignota in medium producam : neque enim animus eſt recoquere, quæ à *Theobaldo Hogheland* aliiſque collecta ſunt χρυσοποιΐας exempla : & multa ipſi jam in ſuperioribus recenſuimus. Primo loco hîc nominabo tot experimentis celebrem nobilem Scotum *Alexandrum Setonium vel Sidonium*, qui magnam libri Hoghelandæi partem conficit. Sed ad Hoghelandi notitiam omnia non pervenerunt. Oſtenſa mihi fuit Amſtelodami lamina quædam aurea, *à Iohannis Antonidæ van der Linden*, Medici Profeſſoris Clariſſimi filio Medico, quæ particula erat Auri, quod Scotus ille Enchuſæ, ubi medicinam faciebat Pater *Iohannis Antonidæ*, Amſtelodamenſis Medici Avus, in ædibus nautæ *Iacobi Hauſſen*, è plumbo confecerat, à quo habuit particulam illam Medicus Enchuſanus. Tempus verò ille manu ſuâ accuratè ſignaverat : Annum 1602. diem 13. Martii, horam quartam pomeridianam. Occaſio notitiæ, quæ Scoto cum nautâ fuit, è naufragio orta eſt. Nauta enim ad littus Scoticum eô tractu, quo prædia ille habebat, ejectus, humaniter ab illo habitus, hoſpitio Enchuſam venientem exceperat. Is poſtea in Germaniâ plura artis ſuæ ſpecimina oſtendit, ut pene exitium ſibi ipſi ſtruxerit, à quo per Sendivogium, Polonum, vel Moravum, ut alii volunt, liberatus præmii loco pyxidem pulvere aurifico plenam illi obtulit. Diem interea Setonius obiit. Sendivogius viduâ ejus in uxorem ducta, quam artis habere notitiam putabat, magna ſpe excidit : nec præter donatum pulverem quicquam habuit. Quem cum ille partim multiplicatione inutiliter tentata, partim projectionibus frequentibus coram Magnatibus exhauſiſſet, in magna vitæ pericula & in paupertatem ipſam à tantis divitiis incidit. Quæ omnia ſummâ diligentiâ deſcripſit *Dominus des Noyers*, Reginæ Poloniæ à Secretis, cujus epiſtolam *Dictionario ſuo Borellus p.* 479. inſeruit. Nam altera illa, quam & ibidem habet, relatio *Budovvskii* Oeconomi Sendivogiani fidem non meretur. Nihil quicquam quod ad ſummam rei faceret, Sendivogius ſcivit. Librum tamen Setoni, qui ſe Coſmopolitam vocavit, duodecim ſcilicet Tractatus imprimi curavit. Alter Tractatus de Sulphure ſpurius *Domino de Noyers* habetur, cujus ibi multa affert argumenta. Illud mirabile de Imperiali, cujus dimidiam partem in aurum tinxerat Sendivogius, alterâ parte manente argenteâ. Pars verò aurea tota poroſa fuit, quo patet pulveris aurifici vis in metalli particulas. Hunc nummum ſæpe oſtendit Pariſiis *Dn. de Noyers*, qui ejus poſſeſſor fuit. Novi ipſe amicum, qui ſimilem ab illo nummum vidit alternis ſtriis aureis & argenteis interſtinctum. Quem hoc modo tinxerat Sendivogius. Penicillo aquâ imbuto lineas in nummo duxit : his lineis pulverem inſperſit, ac ſuper ignem, uſquedum candeſceret, poſuit. Quâ itaque parte lineæ ductæ mutatio in aurum facta eſt, cæteris manentibus argenteis. Sed illud non potuit abſque notabili pulveris jacturâ fieri, cujus major quantitas in ignitum, quàm fuſum metallum impendenda eſt. Quâ ratione etiam clavi ferrei tingi poſſunt, copia tincturæ ſupplente quod deeſt habilitati materiæ, quæ tingitur : quemadmodum ſpiritus petrifici ligna ſimileſque materias in lapidem convertunt, quoniam illorum tanta copia eſt, ut omnes occupare poros & meatus poſſint. De Setonio quædam χρυσοποιΐας ſpecimina Hamburgi data *Lavaterus* in Libro *de Cenſu* recenſet. De *Eduardo Kellæo* Anglo, res eſt notiſſima, eum coram Imperatore Rudolpho ac Pragæ in ædibus *Thaddæi Hagecii* tinxiſſe, referente id etiam *Gaſſendo, libro de Metallis cap.* 7. Habitus erat vulgo pro vero poſſeſſore; ſed tincturam aliunde habuit. Cùm verò integra ejus hiſtoria vulgo non ſit cognita, adſcribam, ut ex ore illuſtris viri, qui à famulo Kellæi illam habet, mihi eſt narrata : Notatu enim digna eſt, ac multa habet memorabilia. Fuit Kellæus non Nobilis Anglus, ut quidam putarunt, ſed homo plebejus, Notarius & Advocatus Londinenſis. Is quia Linguæ veteris Anglicanæ peritiſſimus fuit, in aliquorum gratiam vetera quædam inſtrumenta auſus eſt corrumpere : cujus criminis cùm convinceretur, auribus abſciſſis Londino relegatus eſt, teſte *VVeavero* in *monumentis funeralibus*. Profectus itaque Kellæus verſus Walliam, Angliæ Provinciam, ac in oppido aliquo, cujus nomen mihi nunc excidit, apud Cauponem ejus loci divertit. Hîc ante feneſtram poſitum invenit librum antiquiſſimâ linguâ Wallicâ (cujus ille erat peritiſſimus) de arcano Lapidis Philoſophici ſcriptum, è cujus lectione occulta quædam tegi ſuſpicatus eſt. Cùm itaque quæreret è Caupone, unde hunc librum haberet : reſpondit ille : repertum fuiſſe in ſepulchro cujuſdam Epiſcopi, quod eſſet in vicino templo. Res autem ita acta erat. Cum fureret plebs in ſacras imagines ac cruces eo in loco, fama magnarum opum in ſepulchro Epiſcopi reconditarum commota illud aperuit, atque nihil aliud, quàm librum iſtum & duos globos eburneos invenit. Cùm ergo ob ſpem illuſam indignarentur, globum alterum eburneum fregerunt, in quo rubicundiſſimus ac ponderoſiſſimus pulvis inventus : cujus magna pars, cum guſtu ac odore deſtitueretur, rejecta ac pedibus conculcata fuit. Caupo verò iſte, ut antiquitatis

tatis aliquod documentum ſecum tulerat, & librum, & alterum globum integrum (in quo tinctura alba) cum parte pulveris rubicundi ſuperſtite. Rogante itaque Kellæo, ut pulverem ſibi oſtenderet, alterumque globum eburneum, quo ad luſus ſuos jam uſi fuerant pueri, protulit omnia, ac denique libram Sterlingiam offerenti Kellæo vendidit, ut res uſui ſibi non futuras. Kellæus verò cum multa magnifica ac ſplendida in iſto libro legeret, ac diras in eos, qui eſſent abuſuri hoc theſauro, Londinum reverſus eſt, ac in ſuburbio ſubſiſtens, nuncium ad *Johannem Dee, Doctorem Theologiæ*, vicinum quondam ſuum, inſignem mathematicum, & rerum Chemicarum æſtimatorem miſit, quò is quàm citiſſimè ad ſe veniret, magnum aliquod ac memorabile viſurus. Advolavit ille à Kellæo ſtatim compellatus: Tu verò dic mihi, quid eſt projectio? ſubridens *Iohannes Dee*: Tu verò, ait, rem illam mihi trade, quâ projectio inſtitui debet, & ſtatim te docebo. Tum ille re omni narratâ ac pulvere prolato ad aurifabrum cum *Iohanne Dee* abiit, facturus ejus rei experimentum. Ac revera tunc plumbum in aurum mutatum hâc tincturâ viderunt. In ſpem itaque addiſcendi hujus arcani *Ioh. Dee* arrectus unà cum *Kellæo*, ac totâ familia in Germaniam prius, hinc Pragam in Bohemia commigravit, forte ut fodinis Metallicis propiores, tentare quædam ad libri præſcriptum poſſent, aut ſecuriores illic, quàm in Patriâ viverent. At Kellæus ſplendidâ iſtâ fortunâ elatus, ac parum circumſpectus in projectionibus publicè coram Imperatoribus & Magnatibus faciendis, magnam primò exiſtimationem ſibi acquiſivit, magnis ac plus quàm regiis largitionibus, quas recenſet *Elias Ashmol in Theatro Chymico Anglico, notis ad Librum Eduardi Kellæi*, quem edidit fortè ut à Caupone habuit; aut ut ipſe interpolavit. Nam Principibus non ſolùm & legatis multa donavit, ſed & ancillæ ſuæ quatuor millia librarum (credo Sterlingiarum) in dotem dedit. Qui aliunde illum habuiſſe tincturam ignorarunt, crediderunt, tantum ignobilioris metalli illum in aurum mutare potuiſſe, quantum auri pondus fuerat, à quo pulverem vel liquorem fortè extraxerat. Quare autores fuerunt Imperatori, ut non uncias, ſed libras conficere juberet: quod ille quidem facturum ſe promiſit; at non præſtitit. Sed non habuit fortaſſis tantùm, quantum libris tingendis ſufficeret. Cùm itaque jam ſera eſſet in fundo parſimonia, & Imperator, cui artis, quam ipſe neſciebat, manifeſtationem Kellæus promiſerat, illum urgeret, carcereſque minaretur, ad artes magicas confugit, ac ſpiritus conjurans rationem tincturæ parandæ ab illis diſcere voluit. Quotidie ferè inſtituta cum ſpiritibus colloquia, quæ quàm diligentiſſimè notavit omnia *Iohan. Dee ſingulari Diario*, quod poſt mortem in manus *Merici Caſauboni, Iſaaci Filii*, incidit, qui illud edidit, ut convinceret homines atheos de Spirituum exiſtentiâ. Liber ſpiſſus eſt in folio, miris nugis, precibus, conjurationibus, ſomniis refertus; ſed è quô perfectè omnem hiſtoriam horum hominum ediſcas. Pervenit ejus rei fama ad Eliſabetham Angliæ Reginam, quæ cum Kellæum fruſtra hactenus invitaſſet, *Ioh. Dee* tandem precibus ſuis in Angliam revocatum lautæ conditioni præfecit; Is verò ſpes ejus implere non poterat, ac mortuus demum eſt in Angliâ, cum Kellæus antea è crure fracto, dum funiculis ſe è carcere demittere voluit, diem ſuum obierat. Ejuſdem mihi hiſtoriæ veritas *à Ioachimo Polemanno* confirmabatur, qui eam ſæpe ex ore *Digbæi* audiverat. *Elias* verò *Ashmol* hujus planè ignarus pro vero Polleſſore illum in notis ad Theatrum ſuum habuit: qui & ipſe aliud Diarium manu *Iohannis Dee* ſcriptum, ut mihi narravit, poſſidet, è quo plurima ad Kellæi hiſtoriam facientia excerpſit. Sed recentius procul dubio eſt diarium, quod Caſaubonus edidit: nam in *Ashmoli* illo paſſim notatum eſt: quot uncias auri hoc vel illo die confecerit. Memorabile eſt hoc, quod fragmentum Vaſis cujuſdam culinaris in argentum mutaverit, ita ut extrema fragmenti Vaſi accuratè adaptari potuerint, quod ad Reginam Eliſabetham unà cum ipſo vaſe tranſmiſſum eſt. De *Butlero*, de cujus lapillo mirabiles curationes recenſet Helmontius, cum ejus hiſtoria nemini, quod ſciam, prodita ſit, ut ex ore ejuſdem Viri illuſtris habeo, recitabo. Fuit *Butlerus* Nobilis Hibernus, cumque Juvenis in Africam navigaturus eſſet, à Piratis captus Regulo cuidam Arabi pro mancipio venditus eſt. Is poſſeſſor magni arcani fuit; ut ſunt in Arabiâ multi, & hujus ſervi ſui miniſterio ad opera quædam vulgaria Chemica uſus eſt. Qui cùm eſſet ſagaciſſimus, ſubolfecit ſecretiores Domini ſui labores, ac in pyxidem aliquam incidit, quâ recondebatur magnus ille naturæ theſaurus. Cujus rei cùm jam certus eſſet, cum mercatore Anglico illic vivente pactus eſt, ut ſe ab hero ſuo redimeret. Redemit ille: *Butlerus* verò pyxidem illam tanti arcani cuſtodem furto ſubripuit, atque in Angliam navigavit, ubi privatim coram aliquibus projectionem fecit. Ea fama pervenerat ad Medicum quendam Hibernum, popularem ejus, quem permovit, ut relictâ familiâ ſuâ ac praxi medicâ, ipſe Butlero, ſpe arcani potiundi, famularetur. Multum temporis interceſſerat, cùm nihil deprehendere potuit Medicus, & omnia clanculum ageret Butlerus. Tranſegit itaque cum hoſpite pretio dato, ut locum aliquem obſcurum poſt Butleri conclave ſibi concederet, quo per rimas aut foramina quædam obſervare illum poſſet. Accidit itaque, cum aliquando plumbi & hydrargyri quantitatem emere juſſiſſet Butlerus, ac ſtatim in vicinam urbem negotii cauſa ablegaſſet, ut ille tempus jam idoneum ſuſpicatus ſimulato abitu domi remanſerit. Quare poſt conclave in ſellis duabus vel tribus ſibi ſuperimpoſitis conſtitit, ut per foramina priùs à ſe facta deſpicere in conclave Butleri poſſet. Vidit itaque furnum parare Butlerum, plumbum ac hydrargyrum igni apponere. Vidit de pavimento, effracto lapide, producentem pyxidem aliquam rubicundo pulvere plenam. Cumque quantum ſatis erat, è pyxide ceperat Butlerus, ac jamjam liquefacto plumbo ac hydrargyro calido immiſſurus erat: Medicus nimio videndi deſiderio incenſus propius ſe foramini admovit; cum corporis ſui pondere ſella ſuprema inclinata præcipitem illum dedit. Quo ſtrepitu attonitus Butlerus obſervatorem ſuum penè transfixiſſet, niſi interceſſiſſet hoſpes; Medicus verò ille ſtatim herum ſuum coram Magiſtratu Londinenſi, ut Monetæ falſarium, accuſavit. Quo in carcerem conjecto, ac ſuppellectile ejus perluſtratâ nihil quidem inſtrumentorum monetariorum, ſed quadraginta auri libræ inventæ ſunt. Quod cùm falſum primò ſuſpicarentur judices, genuinum omni examine deprehenderunt. Quoniam itaque documenta non eſſent, quibus convinci poſſet Butlerus, è carcere iterum dimiſſus eſt. Idem Butlerus ducem de Buckingam, cùm iter ſuum in peregrinas regiones inſtituturus eſſet, (*narrabo, quæ ex ipſius Ducis Oeconomi ore accepit qui hæc mihi narravit*) adiit,

ac

ac aliquam Cambii schedulam ad Mercatorem Batavum ultro obtulit, si fortè apud peregrinos pecunia illum aliquando deficeret. Risit Dux; sed ne inofficiosus videretur, schedulam accepit, eam ut nullo sibi usui futuram negligens. Accidit itaque, ut Ducem Amstelodami viventem Mercator aliquis Butleri nomine salutaret, ac ducenties millia aureorum ejus nomine offerret, si pecunia egeret. Obstupuit summâ istâ oblatâ Dux; sed accipere detrectavit. Cùm verò postea per Angliam innotesceret de Butleri divitiis, per artem Chemicam paratis, ac saluti suæ diffideret, in Hispaniam navigans unà cum tincturâ aquis submersus est. Medicus verò ille laqueo postea multatus est, quod populares suos rebelles pulveris pyrii conficiendi rationem docuerit. Atque ita Butlerus furti, Medicus proditionis pœnam dedit. Hanc historiam è relatione ipsius Medici Hiberni Vir ille illustris habuit. *Jacobus Cor* Regi Galliæ Carolo VII à Consiliis, Vir illustris & magnorum munerum, à Borello inter Possessores tanti quoque arcani habetur, &, si rectè memini, *Claudius Seissellius in Historiâ Ludovici XI.* tradit, adjutum fuisse Regem Carolum, auro ejus Chemico in bello contra Anglos. Borellus in *Dictionar. à p.* 272. *ad* 279. varia ejus χευσοποιίας probandæ argumenta affert. Inter quæ & illud refert: quod vitrum malleabile confecerit, clarissimum quidem & perspicuum, sed quod Solis tantum corpus videndum exhiberet; radios verò non transmitteret. In eo tamen miserè labitur, quod à Lullio artem didicisse putet, qui penè integro à Lullio seculo distat. Non contemnendum & illud aurificii specimen est, quod ipse tentavit *Berigardus circ. Pisan.* 25. *Referam*, inquit, *tibi fideliter, quod olim mihi contigit, cum vehementer ambigerem, an aurum ex hydrargyro fieri posset: accepi à Viro industrio, qui hunc mihi scrupulum aufferre voluit, drachmam pulveris, colore non absimilis flori papaveris sylvestris, odore vero sal marinum adustum referentis, atque ut abesset omnis suspicio jocosæ fraudis, vasculum è multis venalibus unum accepi, carbonem & hydrargyrum, quibus nihil auri occultè, ut fit à circulatoribus, subjectum esset. Decem istius drachmæ pulverem injeci subjecto igne satis valido, statimque omnia exiguo intertrimento in decem fere drachmas auri optimæ naturæ coaluerunt, quippe quod aurificum judicio nullam non subiit tentationem. Hoc nisi in solo loco & remoto ab arbitris comprobassem, suspicarer aliquid subesse fraudis: nam fidenter testari possum, rem ita esse.* Hæc ille, Vir elegantis doctrinæ & minimè vanus. Quibus subjicio quæ Hamelius refert libro *de Fossilibus lib.* 2. *c.* 10. *p.* 252. *Paucis*, inquit, *abhinc annis* (editus vero est liber anno 1660.) *aurifaber Parisiensis, quem, si necesse foret, nomine designarem, aliquot granula pulveris aurifici à Polono in Patriam remeante accepit, cujus ope plumbum fusum in aurum purissimum commutavit.* Addit porro ad collocutorem (nam Dialogus est) se convertens: *Est homo nasutissimus, ac tibi forte, mi Theophile, à nomine & facie notus. Thuillius* quoque Commentario in Emblema *Alciati* 189. auri factitii talis meminit: *Quid quod ego ipse hisce oculis vidi, hisce manibus contrectavi massam auri à quodam mihi satis noto & familiari confectam, & in Archiducali Academiâ Friburgi Brisgoiæ publicæ Disputationi, quæ fieri id posse negabat, illatam.* De Libero Barone *de Chaos*, qui antea Richthausen / dictus fuit, satis nota sunt specimina, quæ coram Imperatore Ferdinando III. fecit: quorum testis exhibetur nummus, cujus effigies in *Zwelfferi Mantissâ Spagyricâ* & apud alios visitur. Unde verò is pulverem habuerit, è relatione cujusdam Amici scio. Sed illa privatis aliquando colloquiis reservo. Habuit idem Rubinum uniformem, arte ab alio quodam confectum, quem ad manus Reginæ Christinæ ex occupatione Pragensi perveniisse Amicus mihi narravit. In historiam transmutationis in *Cornelii Martini*, Professoris Helmstadiensis ædibus à Nobili quodam factæ, quam narrat *Zwelfferus Mantiss. Spagyr. p.* 329. inquisivi diligentius: sed non potuerunt eam mihi confirmare Amici Helmstadienses: nisi quod *Cornelium Martini* multam laboribus Chemicis impendisse operam testentur. Ac ipse in *Analysi Logica c.* 8. suo testimonio veritatem artis comprobat. Narrationem de pulvere aurifico Imperatori à sene quodam incognito oblato, ac rei experimento, habet *Monconisius Itinerario suo part.* 2. *p.* 371. qui & *p.* 378. & 379. historiam transmutationis per Baronem de Chaos factæ recenset & *pag.* 372. aliam de projectione coram Electore Moguntino factam, & *p.* 381. iterum aliam de auro Chemico Gustavo Adolpho à quodam Mercatore Lubecensi oblato. Similiter & *in Miscellaneis Medico-Physicis Naturæ Curiosorum de Ann.* 1670. de Rudolpho II. hujus artis gnaro, quam cubiculario suo manifestavit: de milite quodam, qui plumbum in argentum convertit, cui pyxis argentifico pulvere plena furto subrepta, historiæ antehac ignotæ referuntur. Sed quis omnium illorum testimoniorum numerum iniret? Non pauca his jam à me allatis addere possem, ab amicis, quorum certa fides est, mihi narrata. Sed ista mihi ac aliis amicis privatim scio, nec in publicum ea proferre licet. Sufficere, ut arbitror, ea, quæ adduximus, possunt ad expugnandam eorum pervicaciam, qui nullis argumentis & vix suis convinci sensibus possunt. Quorum sanè hominum plurimi sunt. Cùm enim maxima eorum pars rerum naturalium vicissitudines & absconditam potestatem ignoret, aut ingenii sui normâ metiatur, fieri plerumque solet, ut quod novum illis aut insolitum videtur, primum in dubium vocent; hinc, cum ingenio consequi non valent, ut rem inanem & fictam contemnant: cæterosque cupidine inquirendi ductos rideant aut infectentur. Illorum quanquam reprehendenda arrogantia & malitia est, horum tamen laudanda quidem est, sed non suadenda inconsulta industria. Cùm enim tot tantisque difficultatibus obsepta sint hæc studia, imprudenter profectò facit, qui in rem omnium incertissimam & sumptus & bonas horas impendit. Nisi enim θεὸς ἀπὸ μηχανῆς intervenerit, aut Doctor aliquis, frustra omnem pro lapide consequendo lapidem movebimus. Accedit fatalis, qui comitatur illa studia, contemptus, homini honesto gravis: detrahit enim de judicii opinione apud Viros prudentes malè instituta utilium provisio, cùm molimur rem inanem, tot imposturis infamem, tot aliorum damnis & periculis nobilitatam. Quam ob causam inter perdita ingenia refetebat Cardinalis Perronius (ut ex schedis illis, quæ à FF. Puteanis consignatæ sunt, constat) quæ in studiis illis, vel multiplicatione cubi, vel perpetuo mobili, vel Astrologiâ judiciariâ tempus suum ponunt. Rectiùs itaque agunt, qui præcipitio hoc relicto ad plana se conferunt & in vicina naturæ opera contemplationes minore cum damno & periculo conjunctas defigunt. Unde & sapientiæ naturali & Medicinæ nova semper lux inferri possit. Quod facere Te, Vir Amplissime, cum magno Virorum celeberrimorum applausu videmus, qui nova subinde

ex

ex officinâ tuâ Chemicâ arcana exspectant. Ego verò quem aliena planè studia sibi mancipatum habent (neque enim vel legibus Romanis , vel humanioribus studiis, quibus hactenus vaco, quicquam cum Re Chemicâ commercii est) per transennam ista inspiciens vobis intra Cancellos vestros dijudicanda relinquo. De Epistolâ hâc , jam in librum molestâ & tædiosâ tibi Dissertatione abeunte , quod libitum est , statues : quæ si lucem ferre apta nata non est , tuâ sententiâ in ignem eat , victima Vulcani aris immolanda. Vale. Dab. Kilonl a. d. xxvi. Febr. Anno clɔ Iɔc LXXIII.

FINIS.

SUBSECTIO QUINTA.

Aurum Chymicum D. PHILIPPI IACOBI SACHS à Lévvenheimb.

Chrysophili certant, an adhuc sub Iudice lis sit.

NUM aliud Aurum præter id , quod Natura in intimis terræ visceribus excoquit , per novercantem artem produci possit Naturali prorsùs analogum , aut quod Philosophi per Ignem & adepti volunt , multò excellentius ? Sunt plurimi , qui id *absolutè negant* , & variis rationibus ducti , & exemplis tot Impostorum territi. Sic etenim *Marcus Bragadinus Mamugna* dictus ex Creta oriundus , olim Capucinus , post vitæ ostentatione multiplicandi Auri artem callere creditus , Venetiis in Ædibus Jacobi Contareni Patritii fucum faciens , aliquali transmutatione ficta Anno 1590. Monachii Ducis Bavariæ jussû secuti percussus est. *V. Thuan. T. iii. hist. Lib. 99. c. fin.* Sic *Joh. Henricus Mullenfelsius* Barbitonsor , (qui innocenti Sendivogio insidias struxerat) ob detectam fraudem infamis Ligni appendix factus est , & contubernalis furum in crucibus. *V. Blaueſtein contr. Kircher. de Lap. Philoſoph. c. 4.* Eandem Fabulæ Catastrophen sortiti fuerunt alii tres Aurifices Anno 1591. notante *Mart. Zeilero Cent. 1. Epist. 9. p. 42.* Nota historia & singulari tractatû confirmata est, de quodam destinato Crucis Candidato, qui Magnum Ducem Hetruriæ pulverisato Auro & Crucibulo injecto , sub nomine pulveris *Usufur*, circumvenit, non minùs quàm alius Sycophanta, qui Ernestum Marchionem Badensem, Auro itidem pulverisato & à Rizotomo sub nomine *pulv. Radicis Resch* emendo circumvenit, quam postremam historiam describit *Kircher. in Mundo Subterr. L. xi. sect. 2. f. 281.*

Adducunt varias talium Impostorum strophas & fallacias , dum 1. *alii* baculos Ligneos quibus Metalla circumagitant prius in solutiones auri & ☽. intingunt , & iis imprægnant. 2. *alii* Carbones pulverisatos solut. ☉ & ☽. cum metallis miscent. 3. *alii* atramentum ex ☉ & ☽. temperant , cum quo inscribunt Chartæ materiam reducendam. 4. *alii* in Charta scriptas literas loco arenæ cum Calce ☉ & ☽. aspergunt. 5. *alii* tigillos adhibent cum duplici interstitio quorum inferius ☉ vel ☽. repletum , illudque in operatione disrumpunt. 6. *alii* baculos adhibent internè excavatos & ☉ vel ☽. repletos 7. *alii* Carbones implent ☉ iisque tigilla cooperiunt. 8. *alii* clam summâ celeritate manibus ☉ vel ☽ injiciunt. 9. *alii* loco ☿ comm. sumunt amalgama ☉ & plures alii modi, quos Ingenium nequissimorum excogitat, & recensentur à *Crügnero in Informator. Chymico p. 53. Kircher. in Mund. Subter. L. xi. sect. 2. f. 281. & Michaël. Meiero, qui in Examine Fucorum Pseudochymicor. ultra 29.* alias describit technas *à p. 32.* usque 37.

Adducunt *negantes* quoque tantam Chymicorum discrepantiam , quòd magnâ animi contentione serram trahant invicem reciprocam in conquirenda materia, dum alii Sulphur , alii Vitriolum, alii ☿ in massam aluminis congelatum , alii Arsenicum, alii ☿ non communem, sed qualem Sol radians mense Martio ubique diffundit , & mense Octobri maturus colligendus sit (verba sunt ex *Fonte Chymico , Philoſph. p. 90.*) quidam etiam materiam viliſſimam quærunt vix aliquot obolis constantem. *Inde Kircher. in Mund. Subt. L. xl. f. 2. c. 1. f. 250.* mediâ vult viâ incedere , & neque Chrysopœiæ ἀδωαμίαν : neque etiam eo modo fieri quo Alchymistæ illud produci existimant , ut sit genuinum & naturali multò nobilius purius que afferere , rejicitque Lapidis operationem , quæ consistit in Calcinatione Rerum , in 4. Elementorum separatione, in Conjunctione, Putrefactione, Coagulatione, Cibatione , Sublimatione , Fermentatione , Circulatione , & tandem projectione , sed contra hanc Kircheri sententiam acerrima arma sumit *Salomon de Blavvenſtein in Interpellatione brevi ad Philoſophos contra Alchymiſticum Mund. Subterran. apud Bernates 1667. edita* ; nec non *Valerianus Bonvicinus in Lance peripatetica , qua vetus Arcani Phyſici veritas appenditur , & Authoris Mundi Subterranei nova objecta revocantur ad pondus.* Mitius eundem Kircherum oppugnat *Zvvölffer. in Mantiſſ. Spagyr. part. 1. c. 1. f. 324. Innumeri contra Transmutationem asserunt* , & quis enumerare possit *Turbam* istam *Philoſophorum* , quæ pro certitudine Lapidis depugnat, & præparationem docere conatur ; Catalogum eorum exhibet ex Arabibus, Græcis, Hispanis, Gallis, Italis, Anglis, Germanis *Joh. Dan. Mylius in Tractat. III. Basil. Chym. præf. L. 1.* eorumque Scripta enumerat *P. Borellus in Biblitheca Chymic. Paris. 1654. in 12. edit.*

Nostri instituti non est tantorum Virorum tantas componere lites , nec adducimus elapsorum seculorum testimonia , *& Raimundi Lullii , Arnoldi Villanovani , Paracelsi , Michaëlis Sendivogii , Anton. Bragadini Veneti , Trevisani , Turnheiseri* aliorumque , quos fama refert *Aurum Chymicum* confeciſſe Exempla ; Cum curiosa *nostra ætate* aliquot *Experimenta* facta fuerint certissima, rationum in negantem partem adductarum pondus deprimentia , illa Curioso Lectori exhibere , præsente observatione

observatione non ingratum fore confido, historias tales à fide dignis acceptas adducendo & enarrando, quamuis paucis concessum sit Colchos navigare & modum investigare, quomodo Aureum vellus surripiendum sit, nam ut Poëta canit:

Quàm paucos tanto dignantur munere Divi!

Nec optandum etiam esset, ut ista Ars nimis fieret familiaris & frequens, si quidem quod ingeniosissimus *Thom. Campanella in de Monarch. Hispanic. c. 16. p. 113.* judicat melius fuisse divitias Mundi novi non fuisse inventas; Mundum enim novum perdidisse veterem, mentibus hominum avaritiam inserendo, & mutuum amorem inter homines extinguendo, propter Auri amorem, quod produxerit magnam inæqualitatem inter homines, reddens alios nimis divites, unde insolentia, vel alios pauperes, unde avaritia & Latrocinia: id de Chrysopœia quoque affirmare possemus, quod Auri Copiâ penitus homines corrumperentur.

Sit ergo Historiarum Transmutationis.

I.

Metalla reliqua in Aurum reduci posse inquit *Dan. Sennertus in L. V. Nat. Scientiæ c. 1.* nostro seculo sæpius probatum est. Quid *Alexander Sedonius Scotus* Coloniæ, Basiliæ, & aliis locis præstiterit, notissimum est, quâ de re videantur Historiæ transmutationis metallicæ ab *Evvaldo de Hogelande* descriptæ, & scripta *Andr. Libavii*, quæ pro *defensione artis illius transmutatoriæ* edidit.

II.

Tot tamque præstantium virorum testimoniis, exclamat *Cornelius Martinus Antverpiensis in Analysi Logic. c. 8.* inter quos sunt Doctissimi Philosophi Jure-Consulti, Medici, etiam Theologi, necnon Viri Principes, qui libris editis sanctè affirmant, se oculis suis vidisse & manibus non tantùm palpasse, sed & confecisse transmutationem unius metalli in aliud, ego fidem derogare nequeo, hoc enim imprudentis esse videretur, non Philosophiæ studiosi. Hic *Cornelius Martinus* cùm disputaret in Academia Julia contra Lapidem, & negaret Eundem plurimis argumentis, è corona Nobilis quidam adstans Carbones ac ♄ sibi afferri jussit, & in præsentia Cornelii, aliorumque Tincturam quandam liquato metallo injiciens, ejus virtute liquatum ♄ in ☉ transtulit, & exclamavit, ☉ adhuc calidum porrigens Cornelio: *solve mihi hunc syllogismum*. Unde & Cornelius priorem mutavit Sententiam. *Zvvolff. Mantiss. spagyr. fol. 328. col. 2.*

III.

Joh. Baptista Helmontius nobilissimus Philosophus de se ipso *in tractat. Arbor. Vit. Oper. p. 795.* Cogor credere Lapidem Aurificum & argentificum esse, quia distinctis Vicibus manû meâ unius grani puta supra aliquot mille grana ☿ Vivi ferventis projectionem feci, adstanteque multorum cœtu omnium cum titillâre admiratione negotium in Igne succesit, prout libri promittunt. Ille vir peregrinus unius vesperi amicus, qui mihi ☉ dedit (dabat autem forte semigranum, cum quo Uncias IX. atque ¾ ☿ transmutavi) habebat saltem & ad minimum ejus tantundem, quantum ad ducenta millena librarum ☉ commutanda sat forent. Eadem *Idem confirmat in de Vit. ætern. circ. f. p. 743. & fusius in tractat. Demonstr. thesis §. 58. & seq. p. m. 672. Edit. Amstel.*

IV.

Anno 1648. S. Cæs. Majest. Ferdinando III. Pragam granum unum fuit transmissum L. P. cum quo Lib. iij. ☿ in ☉ fuerunt conversæ *Harsdœffer in Speculo Historic. hist. 80.* Ab aliis accuratiùs historia ita describitur; Qui in præsentia S. Cæs. Majest. pulveris grano unico ☿ in ☉ reduxit Nobilis fuit cognomine *Richthausen*, quem S. Cæs. Maj. ad Baronis fastigium evexit, & Dn. de Caos titulo insignivit. Ex isto transmutato ☉ S. Cæs. Maj. Numisma aureum excudere jussit in cujus binis faciebus singulares inscriptiones. In una parte facies Juvenis nudi, Loco capitis Solem radiatum habens in dextra manu elevata Lyram Apollinis tenens in sinistra depressa Caduceum ☿, cum ascriptione: *Divina Metamorphosis Exhibita Pragæ XV. Ian. 1648. in Præs. S. Cæs. Maj. Ferdin. III.* In altera nummi facie: *Raris hæc ut Hominibus nota est Ars, ita rarò in Lucem prodit. Laudetur Deus in æternum, qui partem infinitæ suæ scientiæ abjectissimis suis creaturis communicat.* Illud Numisma cum in Secretissima Imperatoris arcula reservatum inventum fuisset, à S. Cæs. Majestate Leopoldo, clementissimè *Zvvölffero* ad excusionem & in æs incisionem concessum fuit, uti ipse *Zvvölff.* attestatur *in Mantiss. Pharm. spagyr. f. 329.* ibique depictum cernere licet, & inseruit ejusdem nummi effigiem in Oëdipum suum Chymicum *Joh. Joach. Becherus p. 185.* Quomodo verò ille Dn. de Caos pulverem istum & unde acceperit; describit Historiam *Dn. de Monconys* Gallus (prout Eminentissimus Archiep. Moguntinus, dum cum Duce de Chevreuse in Comitiis 1664. Ratisbonæ degeret prædicto Gallo in familiari & convivali colloquio retulit) *in Itinerar. II. p. 378.* cujus verba ex Gallico translata ita sonant: Vixit quidam nomine *La Busardiere* in ædibus Magnatis cujusdam (quem Generos. Comitem de Schlick fuisse, pronuper Generosus quidam Comes affirmare ausus est) Pragæ. Is morbo oppressus, mortique vicinus ad familiarem suum nomine *Caos* scribit, rogatque, ut quamprimùm Pragam veniat: sed æger exspirat aliquot horis ante Dn. de Caos adventum, qui dum venit, interrogat, num æger aliquid reliquisset! Præfectus ædium ipsi monstrat aliquem pulverem, quem Dominus suæ Curæ commendasset arctiori, quanquam nesciret, quem usum habeat. Hic pulvis à Dn. de Caos clam fuit ablatus summa cum dexteritate. Rediens Dominus Hospitii à suo Præfecto inquirit, quorsum pulvis devenerit, minaturque suspendium nisi procuret ut pulvis restituatur; Præfectus cum duobus sclopetis minoribus armatus, adit Dn. Caos, & nisi pulverem reddat, mortem certissimam proponit, quia nemo præter ipsum hunc abstuliisset, quem ille quidem reddidit, servata tamen meliore parte, aut forte supposito alio, quod tandem innotuit. Nam cum Königsmarckius Pragam occupasset, & simul hujus Domini ædes diripuisset, unà surreptus fuit hic pulvis, quem cùm Dominus repeteret à Königsmarckio per literas, significans nihil aliud esse, quàm pulverem contra calculum, respondit Konigsmar. pulverem non fuisse inventum, si tamen contigisset ipsum inveniri, quod voluerit ipsum propriis dicare usibus. Cum hoc pulvere plurimas fecit projectiones Dn. Caos, quarum prima in præsentia defuncti Imperatoris, qui ex isto ☉ nummum curavit fieri, in cujus una facie ☿ 19. in altera inscriptio diei & anni, quando excusus. Hactenus *Dn. Monconys, qui in nummi à se non visi*

delineatione differt à Zvvölffero oculato, & inde fide digniore Teste.

V.

Præter hoc exemplum retulit Dn. *de Monconys* ibidem in Ratisbonæ Generos. *Comes de PAR*, Camerarius defuncti Imper. & rerum Naturalium Curiosissimus, quòd incognitus Homo Imperatori obtulisset parum de pulvere restante in fundo parvæ Pyxidis, qui unà cum pyxide impositus massæ fusæ ex ☿ & ☽ partibus æqualibus, pyxide permanente illæsa à conflagratione, Tincturam exhibuisset tam fortem, ut postquam massa ista extraordinariæ rubedinis facta & dissecta fuerit, interius plurimas venas rubras instar sanguinis exhibuerit, indicium exhibentes pulverem adhuc fuisse nimis fortem. Postquam resusa ista massa, cum additione novæ materiæ istius ponderis, ut primâ vice, omne in ☉ conversum fuit plusquam 24. carattorum, ratione coloris. Ille homo acceperat pulverem ab alio, mysterium itaque parandi ignorabat. *Moncon. Itinerar. T.* II. *p.* 371.

VI.

Item Generos. *Comes de PAR* retulit, alia vice quendam senem adiisse Imperatorem, & aliquid de pulvere quodam attulisse, & rogasse, ut probaretur pulvis, quia crederet, eundem fortè aliquem usum præbiturum: Imperator mandat, ut intra triduum rediret, interim Pharmacopolam accersiri jubet (& eundem quidem, apud quem Ratisbonæ Dn: Comes de Par 1664. mense Martio hospitabatur,) ut probaret pulverem sibi ab incognito datum, & convertit uncias viii. ☿ in perfectum ☉: quo viso Imperator quærere curavit hominem istum in hospitio, quod nominaverat, sed eundem jam abiisse nunciatum fuit, nec unquam plus comparuit. *Moncon. Itiner. T.* II. *p.* 371.

VII.

Pharmacopæus Ratisbonensis *Strobelberger* narravit *Dn. de Monconys*, quomodo Mercator quidam Lubecensis, (qui aliàs parùm negotia mercaturæ tractasset, sed caluisset artem figere ♄ & convertere in ☉) Regi Sueciæ Gustavo Adolpho dedisset massam ☉ centum Librarum, quando Lubecam transiverit, ex quâ Rex cudere jusserit ducatos & ut innotesceret, quod istorum ducatorum Aurum, agnosceret natales ♄ una parte impressa fuit Effigies regia, ab altera verò insignia Regia adjunctis signis Chymicis Sulphur & Mercurius ab utroque Latere. A dicto Pharmacopæo talem accepit aureum Dn. Monconys, ut veritatem videret comprobatam. Post mortem Mercatoris, licet à plurimis annis Mercaturâ abstinuisset, nec unquam ea negotia ipsi prosperè cessissent, hæreditatem reliquit 1700. Millium Coronatorum Monconys *Itiner. T.* II. *p.* 381. Horum ducatorum mentionem quoque fecit ante aliquot annos, cum Conjugis ipsius Sanitatis curam gererem admodum Strenuus & Nob: *Dn. Ludovicus de Schonleben* Hæreditarius in Gure & Vice-Colonellus, Rerum Chymicarum studiosissimus, nec solùm talem monstravit, sed & ex liberalitate eundem Musæo meo dono concessit, signo Sulphure & ☿ notatum. *Dominus de Morey* Eques Anglus & Nobilissimum Regiæ Societatis membrum in Epist. ad Dn. de Monconys scripta (*in Itinerar. Anglic. Dn. de Monconys T.* II. *p.* 70.) cum dubitet, an talis Ducatus istic locorum in Anglia reperiri possit, rogat *eund. Dn. de Monconys*, ut talem ipsi Londinum transmittere curâret Societati Regiæ in ejus memoriam offerendum.

VIII.

Moderni Electoris Moguntini Antecessor *GEORGIUS Fridericus de Greiffenclau* medius inter *Joh. Sviccardum de Cronberg & Anselmum Casimirum Warnboldum* Archiepiscopos Moguntinos, aureos ex ☿ in ☉ converso cudere jussit, cujus Ingenio & arte, non adeò cognitum est, notati illi ducati Signo ☿ uti ipsemet manibus meis tractavi, talemque in Musæo raritatis ergò servo.

IX.

Ante laudatus *Dn. de Caos* præter factam *Projectionem* in præsentia Imperatoris, aliam fecit coram Vicario summo Moguntino, & coram ipso quoque Eminentissimo Archiepiscopo. Hanc ut ipse Elector *Dn. Monconys* retulit, effecit cum omnibus cautelis, quas alias Philosophi in tali operatione solent adhibere: Sumsit parvam pilulam instar lenticulæ ex pulvere illo cum gummi tragacanth. paratam, ut unita invicem meliùs cohærerent. Hanc Pilulam involuit cera ex candela cerea forte ibi ardente, desumta: hanc Ceram intrusit fundo Crucibuli superimposuit uncias iv. ☿ & igni immisit, supra infraque & circumcirca cum carbonibus nigris crucibulum contingendo. Ubi ignis maximè inflatus fuit, spatio dimidiæ horæ viderunt rejectis carbonibus ☉ fusum, cum radiis tamen maximè rubris, qui alias ordinariè sunt virides. Putauit ergò Aurum adhuc nimis restare generosum, necessarium itaque ut imminuatur adjectione ☽. Elector ipsemet injicit aliquot frusta Argentea, & post perfectam fusionem ubi in fusorium effusum fuit, facta massa aurea pulcherrima, sed paulo acrior inventa, cujus causam retulit *Caos* provenire ex odore orichalci, qui fortè inventus fuisset in fusorio, optimum itaque esse, si adhuc in officinam monetariam mitteretur pro fusione, quod ubi factum, reportatum fuit inde pulcherrimum & dulcissimum. Præfectus monetæ affirmavit, se nunquam pulchrius vidisse, quod superaret 24. carattos, & quod maximè admirandum, quomodo aciditas ista unica fusione mutata fuisset in tantam dulcedinem. De hoc auro particulam promisit Emin. Dn. Elector. *Dn. Monconys. Vid: Monconys Itiner: T.* II. *p.* 378. Hoc ipsum quoque confirmat *Joh. Iacob Becherus in Oedipo Chym. titul.* 7. §. 6. *p.* 186. Idem, *inquit*, qui Imp. Ferdin. Tincturam dedit ille binis abhinc lustris Moguntiæ in præsentia Eminentiss. Princip. Electoris aliorumque Magnatum in sat magna quantitate præstitit, cujus ☉ etiamnum istius Loci monetæ Præfectus, qui ex tali ☉ ducatos excudit, testis esse potest.

X.

Idem *Elector Moguntinus* affirmavit, se vidisse cum pondere unius grani pulveris, tres marcas ☉ ex ℔ ij. ☿ factas, & cum Crucibulo extractæ viderentur nimis rubræ, quòd adjectione dragm. iij. vel 14. ☽ omnia in ☉ fuerint conversa *Dn. de Moncon. T.* II. *p.* 372. *dicti Itiner.*

XI.

Quomodo ignotus, plebeio amictus habitû, præ se ferens hominem ex Hollandia septentrionali oriundum, 27. Decembr. 1666. Hagæ Comitis in Ædes *D. Joh. Friderici Helvetii* venerit, ipsique frustum pulveris dederit, æquans magnitudinem seminis raparum, cum quo cerâ

cerâ involuto & in dragm. vi. liquati ♄ injecto, ex transmutatæ fuerint in ☉, narrat *Idem Helvetius in tractat. singul. edito sub nomine Vituli Aurei c. 3. p. 26. seq.* Hoc ☉ ubi Examinatori Generali Monetarum Hollandiæ Borelio oblatum, per probandi formam, ut vocant, quartam examinatum adeò insigne repertum fuit, ut adhuc de ☽ in proba adjecta aliqualem partem in ☉ transmutaverit: Idem ignotus homo in pectore gestavit quinque taleolas magnitudine interioris Ipatii Orbis stannei cum inscriptionibus singularibus ibi adductis, beneficio hujus Tincturæ ex ♄ paratas. Ibid. *p.* 31.

Hisce rarioribus Exemplis adhuc aliquot subjungere placet, pro majore confirmatione quæ inter alia eruditissima Colloquia mihi enarravit hujus Septuages. Anni vere, dum *Vratislaviæ* decumberet, Generos. Comes *HERMANNUS in Gleichen & Hazveld, Baro in Vildenberg & Trachenberg. &c.*

XII.

Toto Orbe decantatissimum tempore Rudolphi II. Chymiam præprimis floruisse ipsumque Imperatorem denique post tot labores & sumtus Artem Transmutandi addidicisse. Hanc dicitur uni è cubiculariis famulis revelasse; eâ tamen lege, ut nulli revelaret, nisi sub articulum mortis filio, aut hujus in defectû filiæ: fuit quoque inter alia simulachra in Palatio Cæsareo Pragæ Fœminæ nudæ, quæ porrecto digito versùs terram monstraret, nemo tamen divinare potuit, quid hoc significaret. Tandem tempore Sereniss. Archiducis *LEOPOLDI WILHELMI* factum, ut ultima filia ex ista Cubicularii prosapia morti vicina locum Archiduci revelaret, ubi secretum esset absconditum, scilicet eo in loco, quem ista statua digito indicaret. Inquisitio hinc accurata facta est, inventi plurimi lapides sibi super impositi, tandem cùm fossores devenirent ad cameram quandam fornicatam subterraneam, factâ aperturâ tam gravis strepitus prosiliit, ac si aliquot maxima tormenta disploderentur. Omnibus attonitis cessante strepitu nihil invenerunt inibi aut viderunt, quàm omnia intus nigro squallore & pulvere obducta fuisse. Eundem igitur locum *ipse Sereniss. Archidux Pragæ monstravit Generali & Comiti Melchiori Hazveldio.*

XIII.

Fuit aliquot abhinc annis Cranichfeldi in Thuringiæ oppido (cujus unam partem Generos. Comes *Hermannus Hazveldius* possidet) vidua quædam Ducissa Saxoniæ quæ literas scripsit ad *Franciscum Hazveldium, Episcopum Herbipolitanum*, in bello Germanico militem quendam sauciatum, ex commiseratione, ibi locorum sumtibus Ducissæ curatum fuisse. Postquàm ille sanitati restitutus, doluit se nihil habere, quo posset gratam demonstrare mentem, petiit tamen; ut ipsi ♄. cum Crucibulo & Carbonibus daretur, extrahit binos calamos pulvere quodam repletos, quem ♄ aspersit, & in ☽. statim convertit. Quæsitus unde hæc accepisset, testabatur, se tres tales calamos Wurzburgi in cœnobio Franciscanorum, in quadam cellula invenisse tempore direptionis occultatos. Quo audito Episcopus prædictus Herbipolitanus seriò investigavit, quinam Monachi circa ista tempora Cœnobium inhabitassent, nihil tamen expiscari ulterius potuit.

XIV.

Vixit Hanoviæ in Aula Tutoris Comitum Juniorum tum temporis Hanovienssium, Exul quidam Nobilis Bohemns, qui à Patre cum reliquis Fratribus aliquot pyxides accepit Tincturæ ad tingendas aliquot centurias marcarum ☉. Is cùm falsò in suspicionem venisset de surreptis eo, tempore per furtum gemmis accusatusque petiit, ut sibi liceret ad Fratres proficisci, quo sumtus acciperet, quo possit licet innocens istarum gemmarum pretium exsolvere. Interim Pyxidem remotis aliquot tegulis in parietem abscondit, addito cultro & foramen rursus optimè claudit, & calce rursus dealbat, ne ulla aliqua suspicio sit, ibi aliquid esse reconditum. Reversus Hanoviam audit detecto furto innocentiam suam satis declaratam esse, unde pristinæ dignitati restitutus consuetum petit cubiculum, sed dum Tincturam quærit, pyxidem quidem videt adesse, pulverem verò unà cum cultro ablatum. Quare licet maximè perterritus fuerit, tamen ut Comiti Tutori pretium suæ jacturæ demonstraret, petit, ut ipsi Cera & ♄ daretur, hæc pyxidi vacuæ indit, optimè movendo ut pauca granula adhuc in pyxide restanti adhærerent. Tandem hæc invicem mixta unà cum pyxide injicit adstanti matulæ cum urina, & subitò per corpus matulæ summò cum strepitu transit materia aurata, optimum exhibens ☉, quod Aurum factitium unà cum pyxide hinc inde inaurata adhuc Hanoviæ asservari prædictus *Dn. Tutor confirmavit Generos. Dn. Comiti Hermanno Hazveldio &c.*

XV.

Dn. de Morey & nobilitate generis & Eruditionis clarissimus Anglus in Epist. 17. Aug. 1664. ex arce Whitehall Londini ad Dn. de Monconys scripta (Itiner. Anglic. T. II. p. 70.) testatur pariter Principem Palatinum Rupertum ex ore moderni Emin. Electoris Moguntini audivisse factam in ipsius præsentia feliciter projectionem Auri; & quod ille ipse Princeps Rupertus an. 1662. Regi Britanniarum dedit insigne Auri frustum Oeniponte facti ab illo eodemque homine qui pulv. exhibuerit Electori Moguntino, quam Historiam Dn. de Morey narraverit præsenti Dn. Monconys & simul probam quam cum illo fecerit jussû Regio &c.

FINIS.

SUBSECTIO SEXTA.

VITULUS AUREUS, quem Mundus adorat & orat, *in quo tractatur de rarissimo Naturæ Miraculo* Transmutandi Metalla, *nempe quomodo* Tota Plumbi Substantia, *vel intra momentum ex quavis minima Lapidis veri Philosophici particula* in Aurum obryzum *commutata fuerit, Hagæ Comitis* Autore IOANNE FRIDERICO HELVETIO.

JOB. XXXVII. ℣. 5. *Deus mirabilia facit, sed nos ipsa intelligere non possumus.*

SENECA Epist. 77. *Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia & ad honestæ vadenti contemnendus est ipse contemptus.*

VIRO Amplissimo, Præcellentissimoque Dn. THEODORO KETJES, *Archiatro multis peregrinationibus celebratissimo, vel inter ipsos Turcas, Practicoque apud Amstelodamenses felicissimo, Amicorum meorum intimo.*

Nec-non *VIRIS Nobilissimis, Excellentissimis, Experientissimisque, pariter atque accuratissimis in Vulcania Anatomia Perscrutatoribus* Dn. JOH. CASPARI FAUSIO, *Sereniss. Elect. Palatin. Heidelberg. Consiliario & Archiatro aulico,*

Juxta ac Dn. CHRISTIANO MENTZELIO, *Seren. Elect. Brandenb. Consiliario ac Archiatro Aulico*

Dnn. Patronis meis ætatem colendis atque Amicis integerrimis.

Nobilissimi, Excellentissimi Expertissimi, nec-non in Vulcania Anatomia accuratissimi Dnn. Perscrutatores, atque Amici integerrimi.

NEC volui, nec potui Amicis meis deesse honoratissimis, quominus in lucem ederem atque pervulgarem Veritatem Artis Spagyricæ antiquam per unum pretiosissimum Arcanum miraculosum, quod non tantum hisce oculis egomet vidi, sed ipse etiam Plumbi in igne volatilis massam impuram adhibito pulveris transmutatorii pauxillo vel intra momentum in Aurum transformavi fixum atque quodvis Ignis examen perseveranter sustinens: usque adeò ut nullatenus cuiquam amplius dubitandum sit similiter illis, qui hactenus, Arcanum hoc nusquam gentium dari, sibi pariter atque aliis persuaserunt; sed è contrario persuasissimum habeamus, quod in rerum Natura Mercurius ille Philosophorum Primo materialis exstet, qui est instar Fontis exundantis effectibus admirandis, iisque omne rationis humanæ reprehensibilis acumen ac lumen effugientibus, prout elucebit ex hoc meo Opusculo, quod Vobis Patronis meis primariis, tanquam Defensoribus Dominisque sapientissimis nuncupare ac consecrare volui. Interea loci tamen consciatis obsecro, me non in eum conscripsisse finem, ut quenquam docerem Artem mihi ipsimet incognitam, sed ut tantummodo verum Arcani hujus Processum recenserem. Ecquid enim Veritati magis velificatur ac patrocinatur quam ipsa Veritatis Lux vera? Brutorum quippe animantium est, Vitam silentio transire, idque nominatim in iis quæ potissimum spectant ac requiruntur ad propagandam sapientissimi pariter atque potentissimi Dei Creatoris gloriam. Quare quum indignum atque ingratum sit Divinæ Majestati, hominem quem oportet esse Divinæ Naturæ consortem, cum brutis obbrutescere, ego vobis Amicis meis fidelissimis, Scientiæque hujus Patronis, quantum pro tempore vires animi concesserunt, historiam hanc rarissimam offerre, bonâq; fide omnia commemorare, in animum meum induxi. Missis igitur quibusvis verborum phaleratorum lenociniis atque lemniscis, è vestigio ad ea, quæcunque de hoc Elia Artista *& vidi & audivi, enarranda me accingam. Enimverò ego quidem non fui in tam intima Ipsius familiaritate versatus, ut me instrueret in Modo præparandi Medicinam Universalem Chymiæ Physico-artificialis Methodo; tales tamen mihi in Medendi Methodo suppeditavit rationes, ut ipsum suis laudibus condignis nunquam satis evehere valeam. Æquis igitur animis, Curiosissimi Dnn. Fautores atque Artis Chymicæ veræ Amatores, hoc levidense munusculum accipite, aut, si mavultis, animi duntaxat recreandi gratiâ illud perlegite, utpote in quo enarraturus sum omnia, quæ diversis inter nos vicibus & quidem ad formam colloquii peracta sunt; humillimè apprecando, ut eadem, quâ alios Tractatulorum meorum accepistis benevolentiâ, & hunc novellum accipiatis, quippe quem Vobis admirationis movendæ augendæque causâ demissè dedico atque officiosè dono. Bene valete, avete, favete.*

N. E. E. D. V.

Humillimus JOH. FRIDERICUS HELVETIUS.

CAPUT I.

Excellentissimi, Experientissimique DOMINI,

Antequam ego de Philosophico PYGMÆO *vincente ac vinciente* GIGANTES *in hoc Secretorum* THEATRO *scribere aggrediar, annuite quæso, ut pace vestra verbis* Helmontii *excerptis ex Libro de Arbore Vitæ fol. 630. utar huc transcripturus.*

„ *Cogor credere Lapidem Aurificum & Argentificum esse*; sed Amici Artis Spagyricæ, non sum nescius, quod multi inter prudentissimos, etiam ut ipsimet exquisitissimos inter Chymicos inveniantur, qui non solùm sua bona, sed & aliorum insimul hoc magno Secreto Vulcanico consumpserunt, quod Experientia in hodiernum usque diem satis superque probat. Videmus enim proh dolor! quotidie, quomodo isti incauti Chymistæ imò digniores qui dicantur ALGEMISTÆ, & simpliciter *Laborantes*, à Diabolicis ejusmodi Muscis Aurificis Argentificisque astu deludantur. Scio etiam, quod multi hominum stupidorum insurrecturi, & veræ meæ Experientiæ Veritati (de Vero Lapide Philosophico) contradicturi sint. Scilicet, hic vult, Opus esse Diaboli; alter verò, esse OKOSBOKOS; ille vult esse modò Auri Animam, scilicet quod cum unius uncia Auri possit iterum tingi uncia una Plumbi, & non plus, sed hoc repugnat attestationi Kiffleri, prout breviter memorabo: alter quidem ibidem credit Veritatem & possibilitatem, sed tanti esse pretii ait, ut labore neutiquam dignum sit, & ejusmodi complura. Tamen non admiror. Nam secundum hoc tritum;

Quorum rationem non intelligimus, miramur,
Quæ verò pernoscere volupe est, rimamur.

Sed in Naturalibus quid vult homo delapsus à fonte Lucis in Tenebrarum ABYSSUM, præsertim verò, cujus sapientia in hoc studio Philosophico naturali sterilis, & sophistica est, & his plerisque stultis & ineptis hominibus hoc proprium est, rem intellectam statim contemnere; sed hi nesciunt, quod plura forsan quærenda adhuc sunt quàm possessa. Ergo rectè dixit Seneca in Libro de Moribus: *Nondum felix es, si non te Turba deriserit.* Sed mea non refert, sive credant, sive contradicant, quæcunque ego de Transmutatione Metallorum scribo. Interea loci ego vel hoc unò satis contentus acquiescо, quod his meis vidi oculis & feci manibus. Enimverò, quod de se prædicant Philosophi, ego quoque hanc Sapientiæ æternæ scintillam, sive Lapidis Philosophorum Magnesiam Saturninam Catholicam, nec-non Ignem saxa perforantem manibus meis contrectavi, imò thesaurum tantæ æstimationis, ut ille vel pretium viginti tonnarum auri æquaret. Quid quæris? Credo, quod vidi cum Thomæ oculis in digitis, videlicet in rerum natura inter Adeptos etiamnum hac nostra decrepiti mundi ætate illum Saturnum Secretissimum Hyperphysico-magicum haberi, atq; non nisi soli cuipiam Christiano-Cabalistico cognitum esse. Atque beatissimum Medicorum censemus illum, cui innotescit hæc alma nostri Mercurii Potio Medica, sive Filii nostri Æsculapii Medicina contra vim Mortis, contra quam alias nulla nascitur Panacea in hortis. Cæterum Deus Opt. Max. non promiscuè omnibus revelat mortalibus sua Salomonis dona. Mira quippe ipsis apparent, si quando creaturam insita sibi potentia magnetica occulta conspiciunt per sui simile deduci in actum, exempli gratiâ, vis magnetica ingenita potentialis in ferro à magnete, vis magnetica in Auro à Mercurio, vis magnetica in Argento à Venere seu cupro, atque ita consequenter in omnibus Metallis, Mineralibus, lapidibus, herbis & plantis, &c.

Præterea non immeritò quæram, quotusquisque Philosophorum sapientissimorum est adeò sagax, ut vel dexterrimi ingenii sui acumine capiat, quali obumbraculo facultas fœminæ cujusdam prægnantis imaginativa tingens venenosa sive monstrosa vel intra momentum perficiat opus suum, dummodo ab externo aliquo Objecto in actum deducatur.

Credo equidem, permultos fore deblateraturos, quod sit opus Diaboli mortomagicum; sed stulti congerrones sibi metuunt ab exsplendescente vera Veritatis luce, qua efflictim feriuntur atque anguntur noctuarum oculi.

Quinetiam Sydera sunt causa tactæ rei non contemnenda, etiam Ego vel Tu cœlestes ipsorum influxus mente complecti nesciamus. Neque etiam Plantæ, quas terra nobis suppeditat, abjiciendæ sunt, etiamsi Ego vel Tu ex signatura ipsarum externa nesciamus rectè dijudicare de effectu virium ipsis ingeneratarum, quas pro sua potentia insigniter exerunt ad sananda ac conservanda corpora humana. Num idcirco cæteri quoque ad unum omnes sunt Lumine interno læsi ac rudes omnium rerum abstrusarum, quod Ego vel Tu caremus scientia, quomodo vires ad eundem finem creatæ in actum deducendæ sint, & id genus millena alia. Tametsi tu ignoras splendorem in Angelis, candorem in cœlis, perspicuitatem in aëre limpitudinem in aquis, colorum varietatem in floribus, duritiem in lapidibus ac Metallis, proportionem in Animalibus, Imaginem Dei in hominibus regeneratis, Fidem in credentibus, Rationem in Anima, attamen in ipsis inest pulchritudo, qualis perpaucis mortalium est penitus perspecta planeque cognita, &c.

Quidni verò possit inesse tam mira Virtus in Lapide Philosophorum, quam quidem ego vidi, veruntamen propterea nolim, ut quis credat, istius ergo hunc meum esse scopum primarium, tanquam si filiis hujus seculi condignis æque atque indignis persuadere velim, ut in hoc elaborent opere; Minimè gentium; sed potius dehortabor curiosos Artis hujus indagatores omnes atque singulos, ut se sanctè abstineant ab istiusmodi periculosissimo Arcano tanquam ab aliquo Sancto Sanctorum, imò & accuratè sibi caveat Arcani studiosus à Pseudo-Philosophorum lectione atque consortio. At enim spero, me curiosis Naturalistis seu Physicorum Arcanorum investigatoribus satisfeciisse, si modò impræsentiarum descriptum communico atque publico, quæcunque inter ELIAM ARTISTAM & ME peracta fuerunt de Lapidis Philosophorum Natura: quippe quod est Ens effulgentius Aurorâ, aut Carbunculo, splendidius Sole aut Auro, pulchrius Luna aut Argento, usque adeò ut hoc conspectum à Me Lumen ac Numen recreabile ac amabile nunquam ex Animi mei mente sit ulla oblivione exstinguendum atque delendum, etiamsi vel à nullis

literatorum fatuorum ac illiteratorum aſinorum ignorantium & non niſi ſola Eloquentiæ faſtuoſæ coronâ ampullantium credatur. Nam ſub hanc exulceratiſſimam Mundi maligni ſenectam nihil eſt à calumniis empæctarum adeò tutum ſecutumque, quin ab Ignorantia debacchantium Cacozelotarum idiotica indignum in modum accipiatur ac traducatur. Tam longè autem iſtiuſmodi tenebriones omnes à recto Veritatis calle aberrant, ut progreſſu temporis in ſuis ipſorum illaqueati erroribus miſerè contabeſcant ac evaneſcant: Veruntamen aſſertio noſtra æterno Veritatis triumphatricis fundamento ſuperſtructa perſtat atque perſtabit ad conſummationem ſeculorum omnium uſque, etſi hæc Ars mortalibus nondum eſt cognita omnibus. Adepti namque Viri pro antiqua Experientiæ ſuæ fide aſſeverant, quod hoc naturale Myſterium (quod anxii multi ſiniſtrè quæſiverunt ac requiſiverunt) ſolum inveniendum ſit apud JEHOVAM Saturninè collocatum in Centro Mundi. Felices interim prædicamus illos, qui Artis adminiculo curant, qualiter lavare poſſint Philoſophicam hanc Reginam, ſive quomodo Terram Virgineam Catholicam in cryſtallino artificio Phyſico magico circulare debeant, imò ut KHUNRADUS, illi ſoli & nulli præter ipſos alii videbunt coronatum Regem Philoſophorum, & Internè igneum prodire ex ſui ſepulchri vitrei Thalamo, in corpore ſuo glorificato igneo externo pluſquam perfecto cum omnibus Mundi coloribus, tanquam carbunculum lucentem, ſive cryſtallum diaphanum compactum & ponderoſum, Salamandram aquas exſpuentem atque ipſius beneficio in Igne Metalla leproſa (ut ipſemet ego ſpectavi) abluentem. Quid? quod illi videbunt Artis ſpagyricæ ABYSSUM, ubi adeò diu in Minerali Regno Regia hujuſmodi Ars velut in gremio omnium tutiſſimo jam inde ab aliquam multis annis jacuit ac latuit. Taceo, quod illi quoque laudati Artis hujus filii genuini colluſtrabunt non tantum tale Numicii flumen, in quali olim Veneris juſſu ÆNEAS à Mortalitate ſua ablutus ac abſolutus, illico in immortalem Deum transformabatur: Verum etiam fluvium *Pactoli* Lydium totum in Aurum tranſmutatum, ſimulatque in eodem ſe Midas Mygdonius laverat. Quinetiam illi Artis hujus rivales candidi ibidem ordine longo conſpicient partium DIANÆ nudæ Balneum & NARCISSI fontem atque Scyllam in mari ambulantem ſine veſtibus propter radios ſolis ferventiſſimos; partim etiam collectum à ſe Pyrami Thisbeſque ſanguinem, cujus ope mora candida tinguntur in rubra; partim quoque ADONIDIS ſanguinem ab deſcendente Veneris Dea transformatum in Anemonæ roſam; partim etiam AIACIS ſanguinem, ex quo pulcherrimus Hyacinthi flos enaſcebatur; partim quoque ſanguinem *Gigantum* à Jovis fulmine ictorum; partim etiam affuſas ALTHEÆ lachrymas, quando ſuas ipſa ſibi veſtes aureas exutas deponebat; partim quoque guttulas ab decocta aqua MEDEÆ, ex quibus ſtatim gramina ex terra procreſcebant; partim etiam Potionem MEDEÆ coctam ex variis herbis perpetuo triduo in plenilunio collectis ad ſanationem patris ſenis Jaſonis; partim quoque Medicinam ÆSCULAPII; partim etiam Folia cujus ſapore tota GLAUCI natura mutatur in Neptunum; partim quoque ſuccum JASONIS expreſſum, cujus beneficio ipſe in terra Colchorum accipiebat VELLUS AUREUM, poſteaquam propter illud generoſè in Campo Martis non ſine vitæ periculo armatus depugnaverat; partim etiam *Heſperidum* hortum, ubi ex arboribus *Mala* decerpi *aurea* poſſunt; partim etiam HIPPOMENEM cum ATALANTA pro palma certatim decurrentem eademque Tribus Malis aureis à *Venere* donatis retardantem pariter atque ſuperantem; partim quoque *Cephali* Auroram; partim etiam *Romulum* à Jove transformatum in Deum; partim quoque Animam *Julii Cæſaris* à Dea Veneris in Cometam transfiguratam atque inter ſidera collocatam; partim etiam ſerpentem Junonis *Pythonem* poſt Deucalionis diluvium ex terra putri à ſolis radiis calefacta enatum; partim IGNEM à quo MEDEA ſeptem candelas accendebat; partim quoque LUNAM à Phaëtontis incendio inflammatam; partim etiam arefactum OLIVÆ ſurculum denuò virescentem Baccis; imò novellam ac tenellam OLIVÆ arborem; partim quoque *Arcadiam*, in qua Jupiter ambulare aſſolebat; partim etiam PLUTONIS habitaculum, ad cujus veſtibulum Cerberus triceps excubabat; partim quoque illum MONTEM, ubi HERCULES membra ſua omnia à matre accepta ſuper lignum exurebat, & Patris verò partes permanebant fixæ atque in igne incombuſtibiles, & nil de ipſius vita diſperdebatur, ſed ipſe tandem in Deum tranſmutabatur. Adde quod illi germani Philoſophorum verorum filii ad extremum introibunt in TEMPLUM Domus ruſticæ transformatæ, cujus Tegmen ex Auro fuerat fabrefactum puro. Certè facere non poſſum quin adhuc ſemel voce exclamante dicam cum Adeptis: O felix terque felix ille Artifex, qui conſequitur à clementiſſima ſummi JEHOVÆ benedictione Artem conficiendi præparandique SAL iſtud quaſi divinum cujus efficaci operatione Corpus Metallicum ſive Minerale corrumpitur, deſtruitur, demoritur: Anima tamen ipſius interim revivificatur ad glorioſam Corporis Philoſophici Reſurrectionem. Quinimo feliciſſimus hominis illius filius, qui Artem Artium iſthanc ad Dei gloriam ſuis exorat ac impetrat precibus. Enimverò certum eſt, quod nullo hoc Myſterium modo alio ſciatur, niſi è fonte fontium Deo hauriatur ac imbibatur. Quocirca quilibet ſerius Artis hujus ineſtimabilis Amator hoc ſibi ſolum negotium præcipui dari credat, ut perennibus fidei vivæ votis precibuſque in omni opere ſuo imploret ſolicitetque almam Spiritus Sancti gratiam. Dei namque ſolius eſt mos ſolemnis, ut candidè liberaliterque nemini Dona ac Bona ſua niſi ſolis candidis, liberalibuſque ingeniis ſive Mediate ſiva Immediate communicet. Hac namque Pietatis Practicæ viâ ſanctâ omnes Artium arduarum inquiſitores inveniunt, ſi quando in opere ſuo ſe Theoſophicè per Colloquia cum JEHOVA ſolitaria corde & ore puro religioſe exercent. Cœleſtis namque SOPHIA amicitiam quidem noſtram ambit, monſtrando & offerendo nobis ſuos pleniſſimos gratioſæ bonitatis ac benevolentiæ rivulos eoſque nunquam exhauriendos. Atqui felix ille, cui ab uno aliquo hujus Arcani Adepto monſtrabitur Via Regia, qua eundum ſit. Præſcire ſanè videor, me hac Præfatiuncula non omnibus ex æquo Lectoribus ſatisfeciſſe, perinde tanquam ſi ego preſumam ipſos docere Artem mihi ipſimet incognitam, de quorum tamen parte bona meliora ſpero. Inſtituti namque fuit mei, Vobis non niſi quandam enarrare Hiſtoriam. Itaque bibite Amici mei, ex ſequente Dialogo ſeu ſcaturiente Colloquio vobis à me benevole propinato, quoadusque omnem mentium veſtrarum ſiticuloſarum ſitim reſtinxeritis atque expleveritis.

Nullus

Nullus enim dubitarim, quin hoc Sapientiæ divinæ ſtudium vobis faerit quovis Nectare atque Ambroſiâ dulcius. Nihil aliud communicabo, nihil commune habeo, niſi illud Jul. Cæſ. Scaligeri, *Sapientum finem* eſſe *Sapientiæ Communicationem*, juxta illud Gregorii Nyſſeni: *Qui natura bonus eſt, idem & omnino cum aliis ſua bona libenter communicat. Proprium enim bonorum eſt, aliis prodeſſe.*

CAPVT II.

De hujus Arcani Magni Veritate legitur in diverſis illuſtrium Virorum Scriptis, inter quos præter cæteros ſunt ſubſequentes.

PARACELSUS

De Signatura Rerum Naturalium lib. 9. folio 356. ſic ſcribens:

PHyſicorum Tincturæ verum eſt ſignum, quod per ipſius vim tranſmutativam, omnia mutentur imperfecta Metalla, ſcilicet Alba in Argentum & Rubra in Aurum optimum, ſi minima modò pars hujus Medicinæ bene præparatæ in Crucibulum injiciatur ſuper Metallum liquefactum, &c.

Ibidem.

Nam invincibile Aſtrum Metallorum vincit omnia: mutat in Naturam ſibi ſimilem, &c. Hoc Aurum Argentumque nobilius & melius eſt iſto, quod è fodinis petitur Metallicis, ut præparentur ex ipſo Arcana Medicinalia.

Ibidem.

Ergò dico, quod quilibet Alchimiſta, qui Auri habet Aſtrum, omnia tingere poſſit Metalla rubra in Aurum, &c.

Ibidem.

Noſtra verò Tinctura Auri, Aſtra in ſe habet, eſt fixiſſima ſubſtantia, & in multiplicatione immutabilis. Eſt pulvis habens colorem ruberrimum, ferè croceum, tota tamen corporalis ſubſtantia, eſt liquida ut Reſina, perſpicua ut cryſtallus, frangibilis ut vitrum, eſt coloris Rubinati & maximi ponderis, &c.

Item legite in PARACELSI *Cœlo Philoſophorum.*

Item Paracelſus lib. 7. de naturalium rerum tranſmutatione.

Tranſmutatio eſt Myſterium Magnum naturale, Metallica, & non contra Naturæ curſum, neque Dei ordinem, ut tamen multi hominum de ea falſiſſimè judicant. Nam Imperfecta Metalla ſine hoc Philoſophorum Lapide neque in Aurum, neque in Argentum mutantur.

Paracelſus in Manuali de Lapide Philoſophorum Medicinali.

Lapis noſter eſt cœleſtis Medicina & plus quam perfecta, quia illa omnes abſtergit Metallorum ſordes, &c.

HEINRICUS KHUNRADUS

in ſuo Amphitheatro Sapientiæ æternæ fol. 147.

Sum diu peregrinatus, inviſi alios, quos Experientia aliquid ſcire, ac judicio valere confirmato autumabam, nec ſemper fruſtra, &c. (inter quæ, Deum teſtor, ordinatione mirabili, ab Uno habui LEONEM viridem catholicon, & SANGUINEM LEONIS, hoc eſt, Aurum non vulgi, PHILOSOPHORUM, oculi vidi meis, manibus tetigi, lingua guſtavi, naribus olfeci. O quam mirabilis Deus in operibus ſuis!) præparata, inquam, dono dederunt, quibus apud proximum meum egenum in caſibus deſperatiſſimis, fructuoſiſſimè ſum uſus, & modos præparandi (JEHOVÆ inſtinctu miſericordiæ) ſincere revelarunt, &c.

Ibidem.

Hæc Methodus mirabilis, quam dedit mihi Deus mirabilis; hæc via, qua ambulavi, ſolus, inquam, Deus, immediatè & mediatè, ſubdelegatè tamen Natura, Ignis, Ars, Magiſtri tam Vivi, quam muti, Corporales & Spirituales boni, vigilando ac dormiendo dedit mihi, &c.

Item lege fol. 202.

Non ſcribo fabulas, manibus tractabis, oculiſque videbis tuis AZOTH, ſcilicet Mercurium Philoſophorum Catholicon; qui cum Igne Interno & Externo, harmonia tamen ſympathetica, cum Igne Olympico ob neceſſitatem inevitabilem, Phyſico magicè unito, ad Lapidem noſtrum conſequendum, ſolus Tibi ſufficit, &c.

Ibidem.

Videbis LAPIDEM PHILOSOPHORUM, Regem noſtrum & Dominum Dominantium prodire ex ſepulchri vitrei ſui THALAMO à THRONO, in ſcenam mundanam hanc, in corpore ſuo glorificato, hoc eſt, regeneratum & pluſquam perfectum! Videlicet Carbunculum lucentem, ſplendorem temperatiſſimum, & cujus partes ſubtiliſſimæ ac depuratiſſimæ concordi miſtionis pace, in Unum inſeparabiliter ſunt ligatæ, ſummeque æqualem, diaphanon ut cryſtallus, compactum & ponderoſiſſimum, facillimæ fuſionis in igne, ut Reſina, & ante Hydrargyri fugam, ſicuti cera, attamen abſque fumo fluentem, Corpora ſolida & clauſa ingredientem ac penetrantem, ſicuti Oleum papyrum, in liquore quovis diſſolubilem, liqueſcentem eique commiſcibilem, friabilem ut VITRUM: in pulvere croceum, in Maſſa verò integra, inſtar Rubini rubentem: (quæ rubedo, perfectæ fixionis & fixæ perfectionis eſt, Signatura) permanenter colorantem, aut tingentem: in tribulationibus examinum quorumvis, etiam Sulphureis aduſtivi, & aquarum comedentium tentationibus, igniſque perſecutione vehementiſſimâ, fixum, ſemper durantem & incremabilem, ac Salamandræ inſtar permanentem, &c.

Ibidem. pag. 203.

Lapis Philoſophorum Mundo majore, in partibus illius, fermentatus, ratione fermenti transformat ſe, in quodcunque voluerit, &c. Hinc filii doctrinæ, aliquantulum noſſe poteris, cur Philoſophi AZOTH ſuo nomen impoſuere Mercurii, qui corporibus adhærer, &c. *Ibidemque.* Fermentatur cum Metallis, videlicet, Lapis in albedine exiſtens ſumma cum argento puro ad album: LAPIS verò ſanguineus cum auro obryzo ad rubrum; eſtque Opus hoc trium dierum, &c.

HELMONTIVS. *de Vita æterna f.* 590.

Enimverò vidi illum aliquoties, meiſque contrectavi manibus &c. *Vide ibidem.* Hunc ergo quadrantem unius grani Chartæ involutum projeci ſuper uncias octo argenti vivi fervidi in crucibulo, & confeſtim totus Hydrargyrus, cum aliquanto rumore ſtetit à fluxu, congelatumque reſedit inſtar

flavæ ceræ, poſt fuſionem cum ejus, ſtante folle, repertæ fuerunt octo unciæ Auri puriſſimi, granis undecim minus; itaque unum granum iſtius pulveris tranſmutarat in aurum optimum partes argenti vivi ſibi æquales 19186. inter terranea ergo reperitur præfatus pulvis, quodammodo ſimilis, qui ferè infinitum Metallum impurum tranſmutat in aurum optimum ſibi uniendo ab Ærugine, rubigine, carie & Morte defendit, ac velut immortale facit, contra omnis Ignis & Artis torturam, transfertque in virgineam puritatem Auri, requirit ſaltem fervorem, &c.

Idem Helmontius de Arbore Vitæ fol. 630.

Cogor credere, Lapidem Aurificum & Argentificum eſſe, quia diſtinctis vicibus, manu mea unius grani pulveris, ſuper aliquot mille grana argenti vivi ferventis projectionem feci, adſtanteque multorum coronâ noſtri omnium, cum titillante admiratione negotium in igne ſucceſſit, prout tibi promittunt libri, &c.

Ibidem.

Qui mihi primum dabat pulverem aurificum, habebat ſaltem ad minimum, ejus tantundem, quantum ad ducenta millena librarum Auri commutanda ſat foret, &c.

Ibidem.

Dabat enim mihi fortè ſemigranum illius pulveris, & inde Unciæ novem, atque $\frac{1}{4}$ Argenti vivi tranſmutatæ ſunt. Iſtud autem Aurum dedit mihi peregrinus unius veſperi Amicus, &c.

Præterea.

Nobiliſſimus, Excellentiſſimus, Virque in Arte Vulcanica Expertiſſimus Dn. Theodorus Ketjes, Doctor atque Practicus Medicinæ feliciſſimus Amsteldami hujus dedit mihi Monetæ Momentaneæ Figuram, uti legitur

Numni craſſities



In altera nummi facie ſequentia eo quo poſita ſunt ordine legebantur:

RARIS
HÆC UT HOMINIBUS
EST ARCTA RARO IN LU-
CEM PRODIT: LAUDETUR DEUS
IN ÆTERNUM QUI PARTEM
SUÆ INFINITÆ POTENTIÆ
NOBIS SUIS ABJECTIS-
SIMIS CREATURIS
COMMUNICAT

Item.

Sic etiam legitur, quod annis LX. Alexander Scotus ejuſmodi projectionem fecit, in Civitate celeberrima Coloniæ & Hanoviæ, &c.

Præterire non poſſum exempla notatu digna de poſſibilitate Tranſmutationis.

Lege Extractum ex Epiſtola ſcripta Dn. Doct. Kufflerl verum.

Kufflerus: Pro primis in meo inveniebam Laboratorio Aquam Fortem. Pro ſecundo iterum aliam in Laboratorio *Caroli de Roy*, iſtam Aquam Fortem ſuperfundebam ſuper Solis calcem ſcilicet Auri vulgari modo præparatam, & poſt tertiam cohobationem, ſublimavit ſecum Auri Tincturam in Retortæ collo, quam cum Argento, vulgari modo, præcipitato miſcebam, & vidi, quod unius unciæ Auri ſublimatæ Tincturæ, in Crucibulo cum ordinario fluxu, tranſmutavit, ab duabus unciis argenti præcipitati, unciam unam & ſemis in aurum optimum, tertia verè pars argenti adhuc reſtantis, Aurum erat album & fixum, cæteræ verò partes duæ erant argentum optimum in omni ignis examine fixum. Hæc mea eſt Experientia, poſthac verò nunquam talem reperire potuimus Aquam Fortem: & Ego Helvetius hoc vidi Aurum abſque tinctura, Album.

Item.

Adhuc aliud Exemplum rarum Anno 1664. Hagæ Comitis factum ab Argenti-fabro quodam, cui nomen eſt Gril, quemadmodum ille per Spiritum Salis non vulgari modo præparatum maturavit Plumbum, ut ex libra una tres acceperit partes Argenti optimi, unciaſque duas Auri fixiſſimi.

Hagæ-Comitis quidam Argentifaber & Alchymiæ diſcipulus multum exercitatus, ſecundum naturam Alchymiæ verò homo pauperrimus, abhinc aliquot annis ab amico aliquo mihi optimo, ſcilicet panni tinctore *Johanne Caſparo Knöttnero* petebat Spiritum Salis non vulgari modo præparatum. Cui Knöttnero danti ac ſciſcitanti, *Utrum eſſet iſto Spiritu Salis accepto uſurus ad Metalla, nec ne*, Grillus, *ad Metalla*, reſpondebat, & poſtmodum ſuperfundebat hunc Spiritum Salis ſuper plumbum, quod ponebat in vitream patinam uſualem ad condituras ſeu confectiones. Elapſo verò duarum ſeptimanarum tempore apparebat ipſi ſupernatans curioſiſſima, ſplendidiſſima Stella argentea, quaſi ab ingenioſiſſimo artifice cum Circulo parata: Unde Grillus ille gaudio ingenti perfuſus, nobis ſignificavit, ſe jam vidiſſe Stellam ſignatam Philoſophorum, de qua fortaſſe in Baſilio legerat. Ego aliique Viri multi honeſti adſpiciebamus maxima cum admiratione hanc ſtellam Spiritui Salis ſupernatantem, in fundo interim remanente plumbo coloris cineritii & ad inſtar ſpongiæ tumefacto: atqui interjectis ſeptem vel novem diebus, menſe Julio à maximo aëris calore humiditas illa Salis Spiritus abſumpta evaneſcebat, ſtella verò fundum petebat, atque ſe iterum ſuper plumbum iſtud ſpongioſum terreum ponebat. Id quod admiratione dignum, & à non paucis ſpectatoribus conſpectum fuit. Grillus denique ille ſumptam iſtius cinerei plumbi partem cum adhærente ſtella, ſub Teſta cupellavit, & inveniebat ex libra plumbi hujus una uncias duodecim Lunæ cupellatæ, & ex his XII. unciis adhuc uncias Auri optimi duas. Atque ego Helvetius etiamnum commonſtrare poſſum nonnihil hujus plumbi ſpongioſi cum ſtella adhuc adhæreſcente, & præter ſtellæ folia quoque Argentum Aurumque ex ipſo factum. Quod quum ſubdolus

dolus pariter atque stolidus ille Grillus isti *Knöttnero*, an suo usus Spiritu Salis esset indicare noluerit, sed identidem attentaverit, num addiscere ex ipso artem conficiendi posset; *Knöttnerus* laudatus interjecto aliquammulto tempore, qualem Salis Spiritum (instructus quippe variis ejusdem erat generibus) ei communicasset, oblitus fuit, nesciens eundem tam citò reperire; interim ipse tandem cum tota sua familia est peste correptus & exstinctus, alter verò in aquis submersus vitam cum morte commutavit; sed nemo indagatorum post utriusque obitum artem conficiendi similiter illis ambobus adinvenire potuit. Certè movet admirationem, quod Interna Plumbi Natura à simplici Spiritus Salis maturatione tam nobili forma externa appareat; neque minore etiam admiratione animos mulcet, quod Lapis Philosophorum mirificus ocyssimè Metalla transmutare possit, utpote cujus virtus potentialiter insita perinde ut ferro à magnetis contactu, in actum deducatur. Sed de his satis pro Artis filiis.

CAPUT III.

Quum promissa, quantò citius implentur, tantò gratiora habeantur, ego procul ulla dilatione è vestigio ad destinatum mihi pollicitanti scopum meæ Historiæ referendæ revertar, de qua sic habetote:

HAgæ Comitis in ædes meas horâ aliquâ pomeridianâ VI. Calend. Januar. seu XXVII. Decembris ann. à salutifera Christi nativitate CIↃ IↃ C LXVI. advenit vir quidam mihi quidem planè ignotus, sed honesta gravitate pariter atque seria autoritate comitatus plebejo amictus habitu similiter Memnonitæ cuipiam, staturâ præditus mediocri, facile longiuscula eaque nonnullis morbillorum punctûris respersâ, crinibus quidem nigerrimus, minime tamen crispis, mento imberbis, ætatisque suæ agens annum præterpropter tertium quartumve supra quadragesimum, oriundus, quantum conjectura assequi possum, ex Batavia Septentrionali, vulgo dicta *Nord-Hollandia*.

Finita salutationis comitate, novus hic hospes maxima cum reverentia à me petebat, ut sibi darem liberum ad me aditum, quippe qui Artis Pyrotechnicæ causâ meum noluisset neu potuisset præterire domicilium, adjicens, se non tantum jamdudum tentâsse ad me forsitan vel per officiosam amici cujusdam operam provisere, verum etiam aliquos Tractatulorum meorum perlegisse, nominatim verò illum, quem contra Dn. DIGBÆI Pulverem Sympatheticum edidissem atque in eo meam de Vero Mysterio Philosophico dubitationem prodidissem. Hac itaque capillata occasione arreptâ, ille ex me quærebat, annon credere possim, in Rerum Natura adhuc loci dari tale Mysterium Magnum, qualis beneficio Medicus morbos valeat universaliter curare omnes, nisi æger jam laboraret defectu vel pulmonis, vel jecoris, vel consimilis nobilis alicujus membri principalis. Ad quod ego respondi: Tale remedium est Medico omni apprime necessarium, sed nemo hominum quisquam scit, qualia & quanta sint Secreta adhuc recondita in Natura, neque per totam vitam meam ego unquam talem vidi Adeptum, tametsi multa legi ac relegi in Philosophorum scriptis de rei vel Artis veritate. Quin etiam perquirebam ex ipso, Annon ipse ceu colloqnens de Medicina Universali, Medicus esset: sed ille respondens per inficiationem, profitebatur, se non esse nisi fusorem orichalci, atque jam inde ab ineunte vitæ suæ ætate teneriore ex Amico suo multa visu rara cognovisse & cumprimis rationem eliciendi per Ignis torturam ex Metallis Arcana Medica, atque istius causa se etiamnum esse amatorem prænobilis illius Scientiæ Medicinalis. Cæterum longe post alios Discursus de Experimentis Igneis in Metallis sic ille ELIAS ARTISTA me interpellavit: Nonne Tu (si quando alicubi isthoc Summum conspiceres Secretum, scilicet *Lapidem Philosophorum*) ipsum cognosceres, utpote qui volutatus es in scriptis variorum Chemicorum præcellentissimorum de Ejusdem substantia, colore, effectuque miro? Cui respondi: Neutiquam. Licet enim de eo legerim in Paracelso, Helmontio, Basilio, Sendivogio consimilibusque Adeptorum exstantibus literarum monumentis, nullus tamen putarim, à me Philosophicam Materiam etiamsi eam coram præsens præsentem viderim agnosci posse, utrum ipsa esset vera, necne. Interea loci expromsit ille è suo marsupio pyxidem eburneam artificiosissimè fabrefactam, in qua possidebat tria ponderosa fragmenta grandiuscula fere parvam juglandem æquantia, qualia coloris erant vitrei, subpallidi Sulphuris, quibus interiores adhærebant squamæ crucibuli, in quo liquefacta fuerat hæc nobilissima substantia, quippe quanta æstimatio fortasse ad XX. tonnas Auri excretura. Posteaquam autem fideicommissarium illud Lapidis istius κειμήλιον per horæ fere quadrantem his manibus meis tenueram, atque ex ore proprietarii philosophico multa scitu digna de miro ejusdem effectu ad Corpora humana atque metallica combiberam, animo sane tristissimo afflictimque afflicto hunc Thesaurum Thesaurorum ego illi domino possessori, qui eundum mihi pro temporis tantillo utendum dederat, reddidi, idque tamen more vincentium semetipsos non sine tanta, quantâ per erat, actione gratiarum maxima. Sub hæc roganti hominem, Quî fieret, ut hic Lapis ipsius Philosophicus (quùm alias legissem, Lapides Philosophorum esse condecoratos colore rubinato sive purpureo) esset colore imbutus sulphureo? ipse mihi respondebat: O Domine, hoc nihil facit ad rem. Materia quippe est satis matura. Porrò deprecante me ipsum, ut pro præmio memoriaque sempiterna mihi donare vellet frustulum Medicinæ pyxidi inclusæ in forma seminis coriandri abnuebat respondens: O minime! Hoc namque mihi licitum non est, etiamsi tot Ducatorum aureorum mihi refundere velles quot capere posset tota hæc tua camera plena, idque non propter Materiæ precium, sed ob aliam quandam consequentiam; Imò certè, si possibile esset, ut Ignis ab Igne comburi posset, ego protinus totam hanc substantiam exhibitam coram oculis tuis in edaces Vulcani flammas conjicerem. Paulo post vero eundem interrogantem, an ego non aliam etiamnum insuper haberem Cameram, cujus fenestrarum prospectus ac situs à platea esset publica aversus; illico introducebam hunc Phœnicem seu Avem in his terris spectatu rarissimam in Cameram meam optimè exornatam, qui tamen ante intrandum suos (prout in patriis est Hollandorum moribus) non excutiebat calceos quantumvis multum nive madentes. Cogitabam quidem ego inibi tunc temporis: Forsitan ille jam pro me Thesaurum quendam habebit

habebit paratum; ſed ſpes mea decollavit. Enimverò ille à me ſtatim petebat fruſtulum optimæ monetæ aureæ, atque interim Pallium ſuum atque Tunicam paſtoritiam deponebat, nec-non Thoracem aperiebat, ſub cujus induſio in ſerico linteo viridi gerebat quinque magnas pendentes Taleolas aureas complentes magnitudinem interioris ſpatii orbis ſtannei, ubi inter conferendum reſpectu coloris atque flexilitatis inter ipſius Aurum atque meum maxima elucebat differentia. Iſtis autem ille ſtylo ferreo verba ſequentia, quæ ad preces meas mihi elargiebatur deſcribenda, inſcripſerat:



Præterea quum ego admiratione affectus ex ipſo ſciſcitarer: Mi Domine, dic mihi quæſo, unde hæc eſt tibi maxima totius Mundi ſcientia? Ipſe reſpondit; Se ex Amici cujuſdam communicatione extranei talia magnalia accepiſſe, qui per aliquot dies hoſpitatus in ipſius ædibus fuiſſet, profitendo, ſe eſſe Artis amatorem, atque veniſſe ad condocendum ipſum Artes varias, ſcilicet, quomodo præter alia, ex ſaxis atque cryſtallis pulcherrimi conficiantur lapides multo pulchriores Rubinis, Chryſolitis, Sapphiris & id genus aliis. Item quomodo intra quadrantem horæ crocum Martis præparare poſſit, cujus unica doſis infallibiliter dyſenteriæ peſtilentiali medeatur; præterea quoque Liquorem Metallicum, cujus ope intra quatriduum omnem Hydropis ſpeciem certiſſimè curare polleat: nec non limpidam quandam Aquam melle dulciorem, cujus adminiculo Tincturam Granatorum, Corallorum vitrorumque omnium ab artificibus conflatorum intra duarum horarum ſpatium in arena dunraxat cálida extrahere poſſit, & conſimilia plura, quæ ego non obſervavi neu memoriæ mandavi, eò quod Intentio mea ferebatur plus ultra, nimirum ad Artem exprimendi ram nobilem ſuccum ex Metallis ad Metalla, ſed umbra in lymphis præripiebat canibolum carnis. Inſuper quoque mihi narrabat Artista, ſuum Artis Magiſtrum ab ipſo petiiſſe, ut ipſe adferret Vitrum aqua pluviali plenum, in quam ipſe perpuſillam pulveris albiſſimi quantitatem immiſcuit, jubendo, ut ego (pergit commemorare hic magiſtri illius diſcipulus) ab Argentifabro peterem Unciam unam Argenti cupellati laminatam, quod intra horæ quadrantem fuit ſimiliter glaciei in aqua calida liquefactum. Tum confeſtim ille mihi hujus ſui à ſe accelerati hauſtuli dimidium propinabat, quod potionis genus tantum non ſapiebat ſaporem lactis dulcis, unde mihi videbar evaſiſſe valde hilaris.

Quibus enarratis, continuò ab ipſo requirebam, in quem alter ille hoc egiſſet finem? Numnam Potio fuiſſet Philoſophica? Ad quod mihi ipſe reſpondebat: Te adeo curioſum eſſe non oportet.

Deinceps ab eodem mihi referebatur, quomodo ipſe juſſu laudati Artiſtæ à pariete deſumſiſſet plumbeam ciſtam pluvialem, & quando plumbum in olla liquefactum nova fuerat, Artiſta ille ex ſuo ſacculo deprompſiſſet capſulam pulveris ſulphurei plenam, cujus aliquantillum ſaltem ſimul atque idem cum cultri mucrone, in iſtud plumbum liquefactum injecerat, ac ſtatim juſſerat, ut follibus duobus Ignis fortiter à nobis inflaretur ad excitandum flammam ſtrenuam; ipſe paulò poſt ex olla Aurum effudit optimum ſuper lapides rubros, qui in culina erant.

Commodùm ego (addebat narrator hic mihi jucundiſſimus) iſthanc Veritatem Tranſmutationis Metallorum conſpexeram, quum tremore admirationis ita obſtupefactus fui, ut ferè verbum proloqui neſcirem. Sed magiſter ille mihi rurſus animando dixit: Confidens modo eſto contentus; decimamque ſextam hujus Maſſæ partem, quam pro memoria conſervabis, tibi abſcinde, reliquas autem quindecim partes elargire diſtribuendas inter pauperas, & feci audiens dicto.

Quippe ipſe (ni fallor memoria) iſtiuſmodi Eleemoſynam magnam in Sparrendamenſem erogavit Eccleſiam; Utrum autem diſtinctis dederit vicibus, nec ne; vel numeraveritne in Auri ſubſtantia, an Argenti, ex ipſo non perquiſivi.

Ad poſtremum autem ille (ut ipſe de ſuo mecum colloqui pergebat magiſtro) me perdocuit hanc Artem divinam magnam.

Conſummata igitur omnium jam in medium allatorum narratione, humillime ipſum deprecatus ſum, ut Tranſmutationis effectum ſuper impura Metalla mihi monſtraret ad reddendum me certiorem de iſtis ab ipſo mihi narratis & ad confirmandam mihi fidem ſecurè credendi veram Veritatem rei. Sed ipſe tali cum diſcretione me, ut repulſam ferrem, dimiſit, adpromittendo tamen, ſe fore poſt tres rediturum ſeptimanas, ac mihi quaſdam in Igne monſtraturum Artes curioſas pariter atque Modum projiciendi, hac tamen proteſtationis lege, ſi ſibi licitum tunc foret. Elapſis tribus hebdomadibus ille, prout condixerat, reverſus me domi meæ invitavit ad prodeambulandum ſecum per horam unam alteramve, ut & ambo fecimus, habentes inter exſpatiandum quoſdam Diſcurſus de Naturæ Secretis in Igne, ſed interim ille facundus comes in via erat verborum de Secreto Magno cædendorum præparcus, aſſeverando, quod hoc ſingulare Myſterium ſpectaret non niſi ad magnificandam ſolam glorioſiſſimi Dei famam dulciſſimam, & quod hominum pauciſſimi cogitarent, quomodo ſeſe ipſi per ſua Opera tanto Deo condigne ſacrificarent, haud ſecus ac ſi fuiſſet Paſtor Eccleſiæ. Ego

verò

verò interea loci identidem ipsius aures sollicitavi, ut mihi Metallicam monstraret Transmutationem. Quid quod obsecrabam resecrabàmque ipsum, ut dignaretur mecum cibum capere, atque in ædibus meis satis amplis pernoctare, usquadeo ut vix ullus rivalis seu amator persuadentioribus uti potuisset verbis ad adducendum quandam Amasiam in voluntatem gratificandi sibi præ aliis; sed ille tantæ constantiæ spiritu agitabatur, ut omnia mea molimina evaderent frustranea. Intermittere tamen non potui quin ipsum denuo alloquerer sic: Mi Domine, tu vidisti Laboratorium meum satis expeditum, ut mihi Transmutationem Metallicam commonstrares. Quicunque enim est stipulanti adstipulatus, eidem se obligavit. Immò vero respondebat ipse, cum hac exceptione sum ego tibi nonnulla post reditum meum participanda pollicitus, si mihi non foret interdictum, sed licitum.

Sub quæ omnia atque singula gratis tentata, ipsi instanter obnixéque supplicabam, ut (si nollet neu ratione cœlestis interdicti posset mihi monstrare expetita) mihi saltem tantillum sui Thesauri donaret, quantillum sufficeret ad transmutandum quatuor grana Plumbi in Aurum. Ad quas preces ipse paulò post effundens flumen Misericordiæ Philosophicæ, mihi frustulum dedit æquans magnitudinem seminis raparum, dicendo: Accipe de maximo Mundi Thesauro, quem pauciſſimi Regum Principumve magnorum nunquam videre potuerunt. Atqui dicenti mihi: Mi Domine, hoc tantillum frustuli minimi fortasse non foret sufficiens tingendis quatuor Plumbi granis; respondebat ipse: Redde illud mihi. Sed simul atque illud ipsi spe reddideram maxima recipiendi particulam aliquantò majorem, ipse istud sui pollicis ungue dilectum, in ignem conjecit frustillum ejus unum, alterum verò chartæ cæruleæ involutum reddidit mihi dicens: Adhuc sufficit tibi. Ad quod sane tristissimo vultu perplexoque animo respondebam: Ah Domine! quid hoc sibi vult? Antea dubitavi, & jam credere non possum, quod tam minima istius Medicinæ quantitas sit suffectura ad transmutanda quatuor plumbi grana. O si Tu, respondebat ipse, non rectè in tigillo potes tractare plumbum propter nimiam quantitatem, tunc sume drachmas duas, vel unciam semis, vel paulò plus plumbi; Tingi namque plus non debet quam potest. Cui dicebam; Me hoc ægrè posse credere, quod tam parum Tincturæ foret tantam plumbi substantiam transmutaturum in Aurum. At ipse respondebat: Verum est quod dico. Interim ego maxima cum gratiarum actione Thesaurum meum diminutum atque in superlativo gradu concentratum in capsulam meam inclusi, dicendo; Me hoc fore postero die periclitaturum, ejusdemque indicium nemini hominum cuiquam unquam facturum. Non sic, non sic, respondebat ille, sed omnia, quæ ad Dei omnipotentis gloriam tendunt, singulariter Filiis Artis indicare debemus, ut Theosophicè vivant & Sophisticè neutiquam moriantur.

Postmodum sum ego ipsi confessus; Me, quum massam Medicinæ ipsius in manu mea habuissem, eo temporis articulo, an inde nonnihil mihi possem digiti ungue deradere, tentasse, sed fortasse non nisi Atomum quandam invisibilem arripuisse; & verò (quum unguem expurgassem, & collectam in chartæ involucro materiam in plumbum liquefactum injeciſſem) nullam vidisse Auri transmutationem, sed totam ferè plumbi massam ex crucibulo in auras avolâsse, substantiam autem relictam in terram fuisse vitream transmutatam. Ad quæ inaudita ipse ridens dixit: Tu dexterius potuisti furtum patrare quam Tincturam applicare. Demiror, quod tu adeò expertus in Igne non melius intelligas Plumbi fumi naturam. Quippe si prædam tuam saltem involvisses in ceram flavam, ut conservata à plumbi fumo fuisset, tunc ita potuisset se penetrare in Plumbi fundum, ut hoc transmutasset in Aurum. Sed jam in fumo peracta Operatio Sympathetica fuit, atque Medicina ita cum fumo permixta avolavit. Enimverò omne Aurum, Argentum, Stannum, Mercurius, consimiliaque metalla à vaporibus corrumpuntur plumbeis, & redduntur similiter vitro fragili. Interea loci meum exhibui ipsi crucibulum, qui inter perspiciendum relictam substantiam, deprehendit adhærentem crucibuli parietibus croceam Tincturam pulcherrimam, dicens: In crastinum hora nona ad te rediturus, monstrabo, quod Medicina tua plumbum debeat transmutare in Aurum. In qua ipsius pollicitatione securus acquievi. Interim tamen vehementer etiam atque etiam petebam, ab ipso Informationem, An hoc Opus Philosophicum paretur amplis nummorum expensis ac longa temporis morâ. O amice, respondebat ille, tu perquam accuratè affectas scire omnia; hoc tamen tibi aperiam, nullum posse obesse sumptum, neque ullum tempus longum. Quod verò ad Materiam, ex qua nostrum perficitur Arcanum, attinet, rescisas velim, duo duntaxat Metalla ac Mineralia dari, ex quibus præparetur, sed quia multò abundantius in istis Mineralibus Philosophorum Sulphur suppetit; Ergo ex Mineralibus conficitur. Vicissim autem ex ipso quæsivi; Quale esset Menstruum, & utrum in vitris, an vero in crucibulis fieret operatio, respondebat; Menstruum esse Sal quoddam cæleste, sive cælestis virtutis, cujus beneficio Philosophi terrenum Corpus Metallicum duntaxat solvunt, solvendoque mox educitur Nobile Elixirium Philosophorum. In crucibulo autem à principio ad finem usque in Igne aperto perficitur operatio: Opus verò totum non diutius nisi quatriduo & inchoatur & planè consummatur, in quod Opus totum non impenduntur impensæ plures tribus florenis. Addebatque, quod neque Minerale ex Quo, neque Sal per Quod, magni sit pretii. Regerenti autem mihi: Mi Domine, hoc est mirum, quippe quod repugnat variorum Scriptis Philosophorum, conscribentium, ad minimum esse huic Operi elaborando septem aut novem menses, respondebat solummodo ab Adeptis veris subintelliguntur Philosophorum scripta vera. Ergo de Tempore nil certi tamen scribere voluerunt, imò nemo Artis amatorum sine communicatione alicujus Adepti veri in æternum non inveniet Artem præparandi hoc Mysterium; cujus respectu ac ratione etiam ego à Te, Amice, peto, ut (quia Operis veri vidisti Materiam) ne Te obliviscaris & tua in Igne bona ne amittas inhians hujus Artis perscrutationi; nunquam enim eam invenies. Cui dicebam: Mi Domine, quia quanquam ita ille Tibi, ut Tu mihi incognitus es, ignotus fuit, nihilominus tamen Tibi monstravit viam inveniendi Operationem hujus Arcani, forsitan etiam Tu mihi aliquantillum de Secreto isthoc, si velles notificare posses, ut superatis rudimentis omnium difficillimis, inventis (quod dici solet) fortassis possem addere; unius quippe inventi occasione aliud invenire non æque difficile est. Sed respondebat Artista: In hoc verò Opere res sese ita habet. Nisi enim rem à capite

operis

operis ad calcem uſque ſciveris, nihil ejus ſcis. Sat quidem tibi dixi, tamen ignoras, quomodo Philoſophorum conficiatur atque iterum fragatur Sigillum Hermetis vitreum, in quo Sol, Metallicis ſuis radiis mirè coloratis ſplendorem emittat, & in quo ſpeculo ſeſe Narciſſi oculis Metalla adſpiciant tranſmutabilia, atque ex qualibus radiis Adepti ſuum colligant Ignem, cujus ope Metalla volatilia figantur in fixiſſima, ſive Aurum, ſive Argentum. Sed hac vice ſat eſt: quia (Deo volente) in craſtinum adhuc ſemel dabitur occaſio conveniendi, ut colloquamur de hac Materia Philoſophica, & prout dixi hora nonâ tuam adveniam domum, monſtraturus tibi projiciendi Modum: ſed valedictione pro nocte fauſta me ille Elias Artista ad lucem uſque hodiernam reliquit exſpectantem triſtiſſimum; imò Mercurius Philoſophorum cum ipſo in auras avolavit, quia de ipſo denuò ne verbum quidem fando inaudivi: tamen ille (quippe qui promiſerat, ſe ſequenti mane ſeu diluculo ad me reventurum fore) alium quendam hora ſemidecima ad me miſit virum incognitum, mihi ſignificantem, quod ille amicus, qui pridiana veſpera mihi pollicitus erat, ſe me fore reviſurum, propter negotia alia avocantia venire non potuiſſet, hora tamen tertia pomeridiana me fore ab ipſo reviſendum. Cæterum poſteaquam deſiderio vehementiſſimo ad horam ſemioctavam uſque nequicquam exſpectaram, incepi dubitare in rei veritate. Inſuper quoque uxor mea ad me venit in laudati viri arte valde curioſa indagatrix, vexans me ratione Artis Philoſophicæ in memorato viro ſevero ac probo ſitæ, dicendo: Agedum, attentemus, quæſo re, Operis veritatem ſecundum ea quæ dixit vir ille. Certè namque alioquin hanc ego noctem imminentem totam traducerem inſomnem. Cui autem reſpondebam: Præſtolemur quæſo uſque in craſtinum, num forſitan adhuc ſit tunc reverſurus. Interim verò, ut filius meus accenderet ignem, juſſi, cogitans: Ille ſanè vir alias in diſcurſibus ſuis tam divinus deprehenditur jam prima vice mendacii reus. Secunda verò vice dum experimentum capere volui ex materia furtiva ſub pollicis ungue retruſa, ſed fruſtra, quippe quoniam plumbum in Aurum non fuit tranſmutatum; tertia denique vice ille tam parvum materiæ fruſtulum dedit ad tingendam plumbi maſſam adeò magnam; ſane quam ille me in tranſennam induxit. Interea vero loci juſſi ceram afferri flavam, cui poſſem involvere materiam, quæſivi plumbum, abſciſſurus inde ℥ß ſeu drachmas 6. uxor mea involvit Lapidis materiam in ceram, & ſimul atque plumbum liquefactum fuerat, ipſa globulum injecit, qui globulus cum ſibilatione & flatuoſitate in crucibulo bene obturato ita perfecit operationem, ut intra horæ quadrantem tota plumbi maſſa in Aurum optimum fuerit tranſmutata. Certè ego tametſi vel Ovidii vixiſſem ſeculo rariorem non credidiſſem Artis Chymiæ Metamorphosin, quinimò ſi centum inſpectaſſem oculis Argi, vix admirabilius vidiſſem ullum Naturæ Opus. Nam hoc plumbum Lapide Sophorum mixtum atque in Igne liquefactum certè pulcherrimum nobis monſtravit colorem imo viridiſſimum; ac ſimul atque in poculum effuderã fuſorium, colorem acceperat ad inſtar ſanguinis, ſed poſteaquam refrixerat, optimi Auri colore ſplendeſcebat. Certe ego cum omnibus mihi adſtantibus efflictim conſternati, è veſtigio cum plumbo aurificato adhuc calente deproperando commeavimus ad Aurifabrum, qui illud poſt prævium examen dijudicavit eſſe Aurum omnium præſtabiliſſimum, quo melius in toto reperiri nequeat mundo, adpromittens, ſe vel pro ſingulis ejus unciis eſſe quinquaginta florenos perſoluturum.

Poſtridie ejus diei per Hagam noſtram univerſam fuit rumor de mira hac Tranſmutatione Metallica dilatus atque diſſipatus; unde & multi viri illuſtres Artiſque amatores ad me proviſerunt, nominatimque ex illis nominibus magnis ad me acceſſit Examinator Generalis Monetarum hujus Provinciæ Hollandiæ Dn. Porelius cum aliquot illuſtriſſimis viris aliis, obnixè rogantibus, ut ſibi communicarem ſaltem minutum Auri mei artificioſi fruſtulum ad explorandum illud per examina legitima, quibus propriæ curioſitatis gratia libentius gratificatus ſum atque unâ nos contulimus in ædes cujusdam Argentifabri admodum curioſi, cui nomen eſt Brechtelio; in cujus laboratorio illud fuit exploratum per illam probandi formam, quam Artifices periti *Quartam* nuncupant, quando ſcilicet tres aut quatuor partes Argenti liquefiunt in crucibulo cum una parte Auri, atque deinceps iſta mixtura frequentibus mallei ictibus redigitur in lamellas, quibus ſuperfunditur ſufficiens Aquæ Fortis quantitas, abs qua Aqua Forti diſſolvitur Argentum, Aurum verò inſtar nigri pulveris petit fundum; & poſtea depleatur Aqua Fortis, pulvis verò aureus in crucibulo viciſſim in Aurum conflatur.

Hoc autem opere peracto, cogitavimus ſub initium, dimidiam Auri partem avolaſſe, ſed reapſe contrà erat ac putarâmus, quippe qui comperiebamus, quod aurum adhuc aliquantam Argenti partem inſuper in Aurum tranſmutaverat, videlicet drachmæ Auri duæ tranſmutaverant duos Argenti ſcrupulos præ Tincturæ abundantiâ in Aurum ſibi homogeneum ſeu ſimilare.

Quod quoniam addubitavimus, num forſitan Argentum fuiſſet minus probè ab Auro ſeparatum, continuò cum ſeptuplo Antimonii confecimus Mixturam, atque poſt Examen hoc in Antimonio amiſimus octo grana Auri; ſed quando iterum evaporare feci Antimonium, novem iterum grana Auri inveniebam, tamen coloris parum pallidi, ita ut in Proba Ignis optima nihilum hujus Auri amiſerimus: atque hoc probandi genus infallibile ter perfeci, atque inſpectantibus viris Nobiliſſimis Illuſtriſſimiſque comperi, quod quælibet Auri drachma ſibi pro augmento acquiſierat ſcrupulum Auri, Argentum verò eſt optimum & valdè flexibile: atque ita drachmæ quinque Auri adhuc ex Argento ſibi attraxerant ſcrupulos quinque, & (ut ſimul ac ſemel omnia reſidua complectar) totum pondus quantitatis laudati pulveris minimi tranſmutavit drachmas ſex & ſcrupulos duos Metalli vilioris in Aurum adeo fixum, ut vel intenſiſſimam quamque ignis torturam perſeveranter ſuſtinere valeat. Ecce! ita vobis hactenus Hiſtoriam commemoravi omnem ab ovis (quod dicitur) ad mala uſque. Aurum quidem ego habeo, Eliam verò Artistam, ubinam terrarum aut gentium ipſe impræſentiarum hoſpitetur, prorſus neſcio, utpote qui præter cætera mihi dixit, ſe fore hac æſtate ſolum natale verſurum, in Aſiam tranſmigraturum atque Terram Sanctam inviſurum. Rex cœli Optimus Maximuſque (ſub cujus divinarum alarum umbra ille hactenus delituit) comitantibus Angelis ſuis adminiſtratoriis prædeſtinatum ipſius iter ita fortunet, ut longævam vitam vivens, toti Chriſtianæ Reip. Talento ſuo ineſtimabili ſummopere ſuccurrat

& poſt

& post hanc vitam hæreditatem vitæ æternæ herciscundam, gloriosè cernat, *Amen*.

CAPUT IV.

Vt igitur jam munus promissi conficiam, ex tempore ad Dialogum seu Colloquium inter ELIAM ARTISTAM *&* MEDICUM *me recipiam.*

ELIAS ARTISTA.

SAlve Domine Helveti! Me, nisi umbra tibi fuero molesta, incessit libentia confabulandi aliquantisper tecum, quippe qui inaudivi, te esse curiosum rerum naturalium indagatorem. Enimverò libellos tuos perlegi, & præter cæteros cumprimis totum Tractatulum agentem contra Dn. *Digbæi* Pulveris Sympathetici effectum, ubi gloriatur, se omnia indistanter sanare velle vulnera. Certè ego illis, quæ in hoc Speculo Creaturis naturaliter implantato sive sympathetico, sive antipathetico conspiciuntur, incredibiliter delector. Quippe inexhaustos divini Luminis ac Numinis Thesauros non minus abundanter quàm liberaliter nobis concessos optimè nosse possumus ex Creaturis omnibus quæ vel sub Cœlo ætheræo nascuntur, vel in Terræ ventre, vel in Maris utero ad finem eundem producuntur, ut suis ipsorum beneficiis potentialiter insitis salutem corpori hominum mortali restituant.

MEDICUS.

O Domine! Talis invisentis novi hospitis præsentia mihi nunquam molesta erit umbra, sed potius amicorum gratissimus. Nam Philosophica de Naturæ Secretis confabulatio est unica animi mei recreatio, necnon tale conveniens nutrimentum salutiferum, quale nemo hominum prius unquam gustare dignè potest, quàm ad illud convivii ritè dispositus fuerit. Intra quæso, amice, in cameram.

ARTISTA ELIAS.

Itane, Domine! Hîc totam, ut mihi videtur, habes Vulcaniam officinam, & fortassis hæc omnia Spagyricè atque exactè per Ignis torturam ex Minerali Regno prolicita sunt: sed in quem quæso finem tot Medicamenta? Ego credo, quod Deus in Rerum natura naturaliter talia dat medicamina, qualium pauciissimis multò citius tutiusque redintegrare labefactatam prostratamq; hominis sanitatem possimus, nisi vel morbus sit lethalis ex Naturę defectu, vel læsæ alicujus internæ partis nobilis detur putrefactio, vel tota humidi radicalis absumptio, utpote in qualibus casibus desperatis nulla Galenica cura, aut Paracelsica tinctura medicari potest. At enim in morbis ordinariis non item, ubi tamen non rarò hominum pleriq; ante fatalem vitæ terminum (absit Nemesis dicto) ex almo prædulcis hujus Lucis Regno in terram mortuorum umbrosam transmigrare necesse habent, dum vel salutem corporis sui negligunt, vel eandem fidei Medicorum remedii præsentissimi imperitorum committunt.

MEDICUS.

Quantum ex Dominationis Vestræ Discursu intelgo, ipse, ni augurando fallor, vel est Medicus, vel Chymiæ peritus. Certè equidem, prout Dominus dixit, credo ego, in Rerum Natura dari alia medicamenta præstabiliora, quemadmodum & aliorum Philosophorum asseverant complures, dari aliquod, quamvis paucis cognitum, *Medicamentum Universale*, cujus beneficio possimus vitam ad metam fatalem usque prolongare, morbos omnes alioquin incurabiles curare atque alia hujuscemodi plura. Sed quotusquisque sapientissimorum hujus Mundi omnium potest nobis monstrare viam perveniendi ad tam nobilem fontem, unde tam mirificus succus hauriatur medicamentosus Medicum nobilitans? Nemo forsitan hominum.

ARTISTA ELIAS.

Medicus quidem ego non sum, sed saltem Orichalci fusor, & à teneris ferè unguiculis meum in Pyrotechnia ingenium excolui atque ita internam Metallorum Naturam perveștigavi. Quod quum jam meum sit supersedere quidem assiduitate elaborandi quicquam accurati per Vulcani artem, animus tamen meus se adhuc istiusmodi oblectat laboribus atque curiosissimæ Artis Spagyricæ amatoribus, utpote qui pro certo credam ac habeam, quod Deus Opt. Max. nostra ætate Filiis suis Spagyricis, ORANDO atque Physico-Chymicè LABORANDO gratis seu pro nihilo Mysteria Naturæ Metallica divendat.

MEDICUS.

Mi Amice, libens hoc concesserim, quod pro nihilo Deus Bonum laudatum perinde ut cætera Dona omnia suis divendat filiis; perrarò tamen inaudias, Ipsum Filiis suis pro nihilo vendidisse vel vendere hoc Nectaris vinum medicamentosum. Quippe certo compertum habemus tantam Chymicorum turbam superioribus vixisse seculis omnibus, qui, prout jactatur adagio, aquam cribro haurire contenderunt, dum hunc Lapidem Philosophorum Universalem præparare præsumpserunt. Taceo quod ex libris illorum, qui Adeptorum gloriâ triumphant, nemo unus possit addiscere Modum præparandi, neque conscire Primam eorundem Materiam, usqueadeò ut inibi perscrutans omnes ad imas montium radices, nunquam in summa eorundem juga conscendat, ubi Ambrosia & Nectare Macrosophorum vescatur.

Interea loci est boni Medici, ut ipse, si quando istiusmodi Elixirio Universali deficitur, non sine perpetuo conservandæ Conscientiæ puræ seu salvæ studio, morbis ægrorum fidei sua commissorum adhibeat istiusmodi curationes seu talia restaurandæ sanitatis remedia, qualibus ratione effectus inesse certò comperit virtutem sanandi.

Quocirca in desperatissimis quibusque morbis ego juxta cum plerisque Practicis semper sum talibus Medicamentis simplicissimis usus, ut inde male habentes citò convalescant, seu in statum sanitatis pristinum pristinove meliorem restitui queant.

Enimverò varia atque diversa Salium genera in glandulis & vasis lymphaticis post putrefactionem hujus vel illius nutrimenti assumpti gignuntur, quæ postmodum in variis etiam efflorescunt humoribus ad diversos morbos sive internos sive externos. Experientia namque condocente, quot constitutiones seu complexiones corporum humanorum habentur, tot quoque morborum diversitatibus eadem sunt obnoxia, etsi sit uniusmodi atque idem morbus, prout nobis conversatio quotidiana comprobat in combibentibus Vinum, unde sane quam diversæ operationes manifestò se produnt.

Quippe PETRUS, simul atque Vinum bibit, laborare infit animo iracundo, ne dicam, furibundo.

E contrario PAULUS vinum combibens, imbibisse videtur animo timiditatem propemodum agninam.

MATTHIAS verò cantat, & LUCAS illachrymat.

Item.

De Contagio Veneno Scorbutico, nempe PETRI ſuccus radicalis in vaſis lymphaticis & in glandulis convertitur in Acidum oppilans corporis totius meatus & organa omnia: unde ſub cute enaſcuntur maculæ brachiorum pedumque cæruleæ diſcoloreſque; tempore peſtis vero extuberantia quaſi piperis grana.

Earundem autem.

PAULI partium ſuccus mutatur in Amarum aperitivum: unde ſub cute ſuboriuntur maculæ brachiorum pedumque rubræ, puncturis pulicum æmulæ, in peſte verò Anthraces.

Earundem verò

MATTHIÆ partium ſuccus convertitur in Subdulce facileque putrefactu: unde ſub cute pullulaſcunt Tumores brachiorum pedumque aquoſi, prout ferè conſpicias in Hydropicis; in Peſtilentia verò peſtilentes Tumores.

Earundem autem.

LUCÆ partium ſuccus mutatur in Acre Salinum atque exſiccans; unde ſub cute proveniunt brachiorum pedumque præcipitationes fermenti ordinarii carnis, atque exſiccationes, ſicuti plerumque uſu venit in Atrophia, imò ſæpiſſimè in Atrophia vera: in peſte verò Bubones ardentiſſimi cum inſania ad mortem uſque proveniunt.

Ecce, Amice, nemo Medicorum quiſquam per unicum Univerſale Medicamentum medicari hujus Scorbutici ſive Peſtilentialis ſive Febrilis Veneni malum poteſt, ſed mediante quidem Particulari quodam à Deo nobis in Natura condonato remedio vegetabili aut minerali. Enimverò unicâ herba Scorbuticâ ſeu Cochleariâ vel Acetoſâ, aut Fumaria aut Beccabungia, imò etiam multò minus remedio quodam ex his ſpeciebus diverſis in unum conflato poſſum ſuccurrens allevare aut tractare Scorbuticos omnes; quippe quoniam inter Cochleariam & Acetoſam herbas datur Antipathia, ſicut inter Ignem & Aquam: atque ita eadem emicat Antipathia inter herbam Fumariæ & Beccabungiæ. Ergo

PETRI Correctorium Scorbutici veneni tingentis Salini acidi fit cum herbæ Cochleariæ Sale volatili Amaro.

PAULI verò Correctorium Scorbutici veneni tingentis Salini amari, fit cum herbæ Acetoſæ fixo Sale acido.

MATTHIÆ autem Correctorium Scorbutici veneni ſalini tingentis ſubdulcis ac humectantis fit adminiculante herbæ Fumariæ fixo ſulphure amaro exſiccante.

LUCÆ verò ſcorbutici veneni tingentis Salini acris ac exſiccantis fit ſuccenturiante herbæ Beccabungiæ ſive rubræ braſſicæ Mercurio dulci humectante, prout etiam ex harum herbarum ſignatura externa dijudicatu facile eſt de Interno remedio ſpecifico contra hos ſcorbuticos morbos diverſos. Certè, mi Amice, ſi hoc à prudente Medico obſervatum fuit, ille dubitat de Medicamine Univerſali.

ARTISTA ELIAS.

Omnia, quæ ſermocinatus es, facilè conceſſerim; Medicorum tamen pauciſſimi hac medendi Methodo utuntur: ſed interim impoſſibile non eſt, quo minus in Regno etiam Minerali ſummo detur Medicamentum Univerſale, cujus unius beneficio poſſimus patrare atque adminiſtrare omnia, quæ mihi à te de multijugibus enarrantur remediis ex Regno Vegetabilium infimo. Atqui Deus Opt. Max. ob rationes nonnullas momentoſas hoc magnificentiſſimum ſcientiæ ſupereminentis Chariſma Philoſophis promiſcuè omnibus non condonavit, ſed perpaucis duntaxat revelavit, uſqueadeò ut Adepti ad unum omnes uno ore confiteantur, Scientiam eſſe veram atque de illius veritate nullatenus dubitandum.

MEDICUS.

Domine, præter commemoratas in medium proferuntur etiamnum aliæ obſervationes adverſus Medicinæ Univerſalis operationem enixè pugnantes, partim ratione ætatis, ac virium hominis, partim ratione ſexus aliarumque circumſtantiarum, dum diſcernitur vel inter tenerum & robuſtum, ſive à natura ſive ab educatione, vel inter marem & fœminam, vel inter juvenem & virginem, vel inter principium, medium aut finem morborum; vel internoſcitur, utrum morbus ſit inveteratus, an verò nuperrimè ægrum invaſerit; vel deniq; utrum Fermentum in hoc morbo promoveatur, an verò in alio præcipitetur. Efferveſcentia fit vel in ſtomacho vel in inteſtinis. Profectò de miro Medicinæ Univerſalis effectu datur Turba Contradictionum Magna. In ſuis quippe digitis plerique rationalium Medicorum carent perſpicillo Dn. Thomæ à Didymis.

ARTISTA ELIAS.

Sanè quam philoſophatus, Domine, es recte ac bene, imò Orthodoxè contra *Vniverſale Medicamentum*, juxta illud notorium ac pervagatum: *Quot capita, tot ſenſus.* Quippe quemadmodum Muſica ſuaviſona non cujuſvis Midæ mulcet aures, neque eadem narrata Hiſtoria Hiſtoricis oblectamento eſt omnibus, neque linguis omnibus idem ex eodem cibi vinique guſtu ſapor gratus ſapitur ac capitur: Ita etiam mirè variant Imperitorum judicia de miro *Medicinæ* hujus *Univerſalis* effectu in Corpora humana ac Metallica. Nam hujus Univerſalis Medicinæ, operandi Modus impenſe differt à Particulari Medicina, quæ nihilominus tamen quadantenus dici poteſt Univerſalis, velut herba *Cochlearia*, omnem curans ſcorbutum maculis inſignitum cæruleis; vel *Acetoſa*, omnem medicans ſcorbutum maculis notatum rubentibus; vel *Becabungia* ſanans ejuſmodi Atrophiam, vel *Fumaria* medens iſtiuſmodi Tumoribus, &c. idque cumprimis apud tales Medicos, apud quales iſta mihi antea narrata obſervatio eſt quantivis pretii. Præterea differentia exſtat maxima inter Univerſale Philoſophorum Medicamentum, utpote quo Spiritus recreentur vitales, & inter Particulare proletariæ curationis Medicamentum, quo corrigitur humorum venenum, quale contra naturam ebullit in hoc homine acidum, in illo amarum regnans; in uno prædominatur ſalſum, in altero verò acre. Atque niſi procul ulla procraſtinatione humores iſti corrupti ſtatim ex corpore expellantur per ordinaria Naturæ emunctoria ſive per alvum, ſive per veſicæ lotium, ſive per poros ſudaſcentes, ſive per oris ſputum, ſive per nares, certè corruptio unius evadet generatio alterius, puta morbi. Ex quavis namque ſcintilla, niſi in tempore eam exſtinxeris, incendium orietur maximum. Quinetiam ſi defectus motus Spirituum vitalium datur, impoſſibile eſt, hoc fieri poſſe. Ergo Medico conſcientioſo id unicè curandum eſt, quomodo poſſit promovere Spirituum vitalium motum ad calorem naturalem digeſtibilem; idque cumprimis optimè ſecuriſſimeque præſtatur per operationem noſtri Medicamenti Univerſalis, à quo notabiliter recreari deprehenduntur. Nam ſimul atque hæc Medicina plus quam perfecta

modo

modo laudato ex sede occupata malum morbificum exturbaverit, illico sanitatem amissam vicissim infundit, idque solum ex ipsa harmonia sive sympathia, quam Spiritus Vitales & hæc Medicina inter se mutuo habent. Quocirca ab Adeptis nominatur Naturæ Mysterium, & senectutis defensivum adversus morbos omnes. Quid? quod vel tempestate pestilentissima grassantibusque passim morbis contagiosis plenissima ex homine faciat Salamandram citra ullam sui læsionem ignitas istiusmodi plagas cœli irati epidemicas perferentem ad supremum Vitæ exhalandæ Terminum usque.

MEDICUS.

Quantum igitur ego, perdilecte Amice, intelligere valeo, ilthæc Medicina non facit ad humorum depravatorum emendationem, sed potissimum conducit ad Spirituum vitalium recreationem. Cæteroquin apud Chymicos Practicos hoc traditur Secretum, quod per Artem Spagyricam possit commonstrari, quomodo purum separetur ab impuro, & quomodo per eandem immatura reddantur matura, & amara corrigantur in subacida, & subacida in dulcia, & acria in mitia, & mitia in acria, & acida in dulcia, & dulcia in acida. Quinetiam ista laudatissima Philosophorũ Medicina juxta captus mei rationem non potest prolongare vitam ultra Metam cœlitus præfixam, sed duntaxat præservare ab omnium venenorum effectu morborum alias mortiferorum, usqueadeò ut verum sit, quod, prout vulgo creditur, vitæ humanæ prolongatio dependeat tantummodo à solo Dei omnipotentis nutu ac manu. Missis autem istis, hæc mea etiamnum manet Quæstio, Num quidnam ex hujus Medicinæ Universalis usu convertatur natura hominis pristina in novam, ita ut homo piger degeneret in hominem alacrem, & homo qui antea à natura melancholicus & tristis fuerat, postea Jovialis, hilaris, gaudioque plenus evadat, consimilesque alterationes, reformationes, permutationes seu vicissitudines in natura hominis contingant.

ARTISTA.

Minime gentium, Domine. Potestas quippe tanta nulli unquam condonata Medicamento est, ut hominis naturam mutare valeat. Enimverò Vinum inebrians à diversis sumptum Individuis in ebrioso naturam hominis non mutavit, sed tantummodo provocavit, quod in ipso naturaliter potentialiterque inest, atque in actum deduxit, quod quasi mortuum in ipso fuerat. Eodem se modo habet operatio Medicinæ Universalis, quippe quæ per Spirituum vitalium recreationem provocat sanitatem ad tempus duntaxat in homine suppressam, utpote in quo antea naturaliter fuerat, perinde atq; Solis calor herbas aut flores non immutat, sed eosdem saltem provocat, atquè ex propria ipsorum natura potentiali in actum saltem revocat. Melancholicæ namque temperaturæ homo in suas densiores melancholicas resuscitatur, & verò homo Jovialis hilarisque in suis actionibus lætis recreatur, atque ita consequenter: Præservativumque in desperatis morbis omnibus est præsentaneum seu optimum. Hinc præsagiens obventurum sibi fore quippiam adversi, mavult prævenire quàm prævenire. Quinimò si ulla daretur Vitæ prolongatio per Medicamentum quoddam Philosophicum contra talem Dei Omnipotentis prædestinationem, certè profectò non Mercurius Trismegistus, neque Paracelsus, neque Raymundus Lullius, neque Comes Bernhardus, neque consimiles illustres hujus Mysterii Magni possessores complures mortem mortalium reliquorum communem oppetiissent, sed forsitan suam in hodiernum diem usque vitam protraxissent. Ergo fanatici ac lymphatici foret hoc perscribere, imo stolidissimi, idem credere ac sentire de uno aliquo Medicamentorum in tota rerum natura.

MEDICUS.

Quæcunque, mi Amice, de Universalis Medicinæ operatione non minus regaliter quàm fundamentaliter dixisti, lætus lubensque concesserim quidem ego, sed quandiu laboro ignorantiâ præparandi rectè illam, nihil ago nisi idem quod cymbam exiguo ludere cupiens lacu in Oceanum vastum, quippe qui certè ad illam inde sine ullo fructu reddendam littori compelletur. Et quàmvis enim de laudata illa Præparatione plerique Virorum illustrium nonnihil conscripserint, illud tamen tali quasi cautionis umbrosæ carbaso involverunt, ut Lectorum assiduorum pauciissimis innotuerint vestigia ipsorum latenter demonstrata, quæ sequenda tantisper forent, dum pervenirent, quo pervellent. Quotusquisque etiam tot instructus est sumptibus, quot possit sibi coëmere codices illos omnes, in quibus sparsim de istiusmodi Hypothesi ita tractatur, ut illis perlegendis maximam vitæ brevis partem insumas, antequam inde sufficientem tibi cognitionem manualemque operationem colligas. Maneamus igitur in nostro Laboratorio, à Deo etiam benedicto, juxta illud: *Ora ac Labora; & Deus dat omni hora.*

ARTISTA ELIAS.

Satis rectè argumentaris, Domine; ex Philosorum namque scriptis rarissimè addiscitur hæc Ars Artium, sed perbenè ac clarè ex manuductione alicujus Adepti intelligitur sensus ipsorum. Transeamus autem hinc ad Metallicum hujus nobilissimæ Tincturæ Effectum Transmutativum, de quo Participes seu Adepti conscripserunt libros multi multos, atque plerique ipsorum discipuli genuini in Igne multum laborantes ad finem Arcani ipsorum præoptatum albis, quod dicitur, avibus pervenerunt.

MEDICUS.

Animadverto, Dominationem Vestram trahi voluptate transeundi à Medicinæ Usu ad Transmutationem Metallorum infinitam. Cæterùm quamvis ego facilè credere possim Possibilitatem Artis, dari nimirum inter Adeptos Experimentum istiusmodi Chymicum, prout etiam in superioribus mentionem feci de illo Experimento, quando Dn. Doctor Kiflerus obstetricante unius unciæ Auri Tincturâ in Aurum optimum transmutavit unciam unam semis Argenti; ut nihil insuper dicam de Experimento Helmontii, neque Scoti in celeberrimis Civitatibus Coloniæ & Hanoviæ, neque de illustri ac pervagato illo Exemplo maximo, quod Pragæ coram Cæsare Ferdinando III. mediante unico Tincturæ grano libræ Mercurii tres sunt in Aurum nobilissimum transmutatæ, usque adeò ut ego non minus in necessitatem quàm in voluntatem credendi adducar, Artem esse Veram posse, etiamsi pleno nondum suffragio sufficienter concipere queam, utpote qui possessorem ejus verum nunquam per vitam meam omnem his meis oculis vidi.

ARTISTA.

Mi Domine, Verum dixisti, Artem tamen fore Artem, etiamsi tu credere abnueres; haud secus atque in Magnete videre est, quemadmodum ille per suam sibi insitam vim sulphuream ex ferro

per contractum ſtatim magnetem facit, etiamſi credere tu nolis, latenter in ipſo tam miras ineſſe operationes, tamen veræ permanebunt: Ita etiam de Lapide Philoſophorum habeto, cui Intus ineſt, quicquid quærunt Sapientes; & quoniam caliginoſa ipſorum ſcripta à pauciſſimis inveſtigatorum intelligi & explanari poſſunt, votis erat omnibus optandum, manibuſque conandum, unam aliquam totius Artis Epitomen Laconicam ita confiteri, ut inde exiguo temporis ſpatio ac labore pauculo omnia combibi neceſſaria poſſint, quorum adminiculo tranſitus ad Autores reales detur facillimus. Quod quum jam in medium exempla protuleris nonnulla, ex quibus connitebaris petere confirmandam rei aſſeverare poſſibilitatem, jam ipſemet tibi ego commonſtrabo veram Secretorum Philoſophorum Materiam. Ellam! Proba.

MEDICUS.

Hæccine, mi Domine, imò hæc ipſa ſubſtantia ſulphureaque flavaque vitreaque eſt Materia Philoſophica? Numnam tutè es ipſemet ſcientiæ hujus poſſeſſor? Credo ſane quod me ludificaris. Quæſo Domine, dic mihi veritatem, Utrum res ſeſe ita habeat, necne?

ARTISTA ELIAS.

Imò, Dn. Doctor, Precioſiſſimum Mundi Theſaurum, jam in tuis habes manibus. Quia hic eſt Verus Lapis Philoſophorum, quo nemo alter habuit unquam meliorem, neque habebit alium: atque egomet elaboravi ipſe Compoſitionem ab initio ad finem uſque. Quod ſi tibi conclave adhuc eſt aliud, oſtendam tibi Metallum ab iſthoc Lapidis genere tranſmutatum in Aurum. Quorſum introductus, *Adſpice*, inquit, *has quinque Taleolas utpote beneficio ipſius Tincturæ Philoſophicæ ex Saturno ſeu Plumbo paratas, quas in perpetuam Magiſtri mei memoriam geſto.* Tibi verò, qui multa perlegiſti Adeptorum ſcripta, ex viſa hujus Lapidis ſubſtantia & natura ſat benè conſtare poterit notitia de Materia vera.

MEDICUS.

Quantum ex te inaudio, Magiſtrum habuiſti, à quo Artem potius condidiciſti quam proprio labore atque inventione acquiſiviſti. Verum enimverò tametſi ego jam iſtam ſubſtantiam, quam eſſe Tincturam Philoſophicam veram prædicas, conſpexerim juxta cum Taleolis his quinque aureis; relinquor tamen etiamnum ignarus ac dubius, utrum verum ſit nec ne. Quocirca maximopere à Te etiam atque etiam peto, ut mihi condonare velis tantillum illius Materiæ fruſtulum, quantillum ſufficiat ad tranſmutandum quatuor ſaltem grana Plumbi in Aurum, ut hoc pacto mihi ſcrupulum dubitationis omnem eximas atque me tantò certiorem de rei veritate reddas. Ecce! capeſſis fruſtulum complens magnitudinem unius ſaltem grani ſeu ſeminis cannabini, ut inde ſive in morbo aliquo deſperato, ſive in Metallica Tranſmutatione ſpecimen ſeu Proba exhiberi poſſit.

ARTISTA ELIAS.

Fateor quendam bonæ conditionis virum atque mihi prorſus incognitum monſtrando me perdocuiſſe 1. Poſſibilitatem Tranſmutationis 2. Præparandi quoque Modum: atque hæc eſt Ars iſta infallibilis, de qua tibi nullatenus eſt dubitandum. Ut autem tantillum fruſtuli, quantillum petis, tibi condonem, nullis mihi modis licitum eſt, etiamſi vel tot ducatos mihi redonare velles, quot tota hæc camera capere poſſet ab imo ad ſummum uſque, idque non propter æſtimationem materiæ, quippe quæ nullius eſt precii, ſed propter aliam quandam rationem momentoſam, cujus reſpectu ſi fieri poſſet, ut ignis igne exuri valeret, ego jam cum dicto totam hanc maſſam præ tuis oculis in flammas ejus edaces conjicerem. Quare interim à te peto, ut adeò avarus ſcientiæ tantæ captandæ eſſe nolis. Quia hic plus penes me tu vidiſti hodie, quàm multi Regum Principumque alibi ſpectare voluerunt, ſed nunquam conſpicere potuernnt. Cæterum meditor mecum de reditu ad te, interjecto trium ſeptimanarum curriculo, ubi tibi in arte Chymica Artes quaſdam pulcherrimas juxta atque Manuductiones monſtrabo. Quinetiam ſi tunc temporis conceſſum mihi fuerit ut tibi Tranſmutationem oſtendam, Curioſitati tuæ affatim ſatisfaciam. Interim valere ac ſalvere te jubens peto, ut tibi à tali labore magno arduoque caveas, ne famam pariter atque ſubſtantiam tuam in cineribus miſerè diſperdas ſimiliter aliquammultis avaris ejuſdem Artis ſummæ Inquiſitoribus.

MEDICUS.

Nunc quid faciam, mi Domine? Si fortaſſe Tibi ex Philoſophico tuo Juramento confirmato iſta potiuncula argenti in aqua pluvia diſſoluti licitum non ſit, ut dones mihi illud fruſtulum Tincturæ miræ, certè reſciſcas, quod, prout tu ſuſpicaris, ego ſum animo anxius enixéque avidus Scientiæ hujus prænobilis combibendæ, & credo, quod vel ipſe primus Mundi Patriarcha Adam olim ob comeſtum utriuſque Sophiæ malum ex Paradiſo exterminatus (ſi adhuc in vivis hac noſtra eſſet ætate) nullus intermiſſurus foret, quin denuò de hoc malo aureo ex ATLANTIS horto comedere pervellet.

Veſtra Dominatio inquit, *Hoc multos Principum non potuiſſe videre, quod ego vidi.* Vidi equidem ego Materiam, de qua tu tam rara prædicas, interim verò non conſpexi Effectum Tranſmutativum, niſi quod tuis fidem adhibeam verbis. Quod quum Dominatio veſtra me ſoletur, ſe quidem jam hinc profecturum, ſed interlapſo trium hebdomadum ſpatio ad me rediturum, ut mihi Artes Chymicas perpulchras juxta atque projectionem, ſi licitum fuerit, commonſtret; hujus bonæ ſpei fruitione ego hac vice acquieſcens, gratias interim tibi ago ampliſſimas pro tua mihi exhibita Amicitia maxima, ſingularique fidei præmonentis cura, ut in Labores Chymicos Famam fortunaſque meas omnes ne profundam atque dilapidem amiſſurus. Certè ego tantorum Arduorum nondum ullum feci unquam periculum, neque attentaturus ſum, niſi prius Dominatio Veſtra mihi gratis atque ex pura Amicitiæ benevolentia demonſtrare voluerit præparandi modum ac viam. Interim verò Veritatem Artis admiror, atque etiam ſpectatæ tuæ in me Amicitiæ ratione mihi gratulor, utpote qui hoc mihi detexiſti, Te ADEPTUM eſſe.

Quòd ſi vel Rex vel Princeps vel cæterorum Magnatum quiſquam conſcirent aut reſciſcerent, Te Artis hujus poſſeſſorem eſſe, atque proinde te (quod Deus prohibeat) raperent ad quæſtionem, & cruciarent te ſuis Tortoribus, numnam Artem eſſes aperturus?

ARTISTA.

Nemini unquam aliàs præterquam uni alicui ſeni probo ac juſto viro juxta ac tibi Lapidem Philoſophorum monſtravi, atque inſimul revelavi, me poſſeſſorem eſſe: ſed nemo hominum unquam impoſterum tale quid videre atque audire debet. Quinimò etiamſi quis Regum vel Principum me (quod

ſanè

sanè Deum meum non facilè permissurum fore spero) esset in vincula conjecturus, ego tamen nequaquam, more circumforaneorum Medicorum seplasiariorum, vagabundorum impostorum seu paupertinorum Alchimistarum, ipsis Artem prodere vel directe vel obliquè vellem, sed quavis truculentissima fidicularum prunarumque vivarum torturâ excarnifari, excruciari atque enecari mallem.

MEDICUS.

Amice bone, danturne Autores, qui de hujus Artis veritate scribunt explanatius illis multis omnibus, qui tam obscura de illa eructant verba, ut eadem vel ipsemet fortassè non intelligant, nisi commentarios annotationesque evidentiorem adhibeant Paraphrastarum; quemadmodum tu forsitan à posteriore perlegisti, atque proinde omnium optime calles, quales veri sint Adepti.

ARTISTA.

Domine Doctor, libros quidem ego non lego, neque perlegi multos; multos tamen inter alios Autores non offendi curiosiorem SENDIVOGIO, nominatim autem in libro qui inscribitur *Cosmopolita*, Belgicè BORGERDER-WERELT. Nec non fratrem BASILIUM in suis XII. Clavibus. Quantum ad SENDIVOGIUM attinet, hunc Autorem utendum habebis, simul atque rediero, prout dixi: utpote in cujus verbis obscuris delitescit veritas, perinde tanquam in Mineralibus Metalliciisque Corporibus externis, etiam nostra Philosophorum Tinctura est inclusa atque retrusa.

MEDICUS.

Gratiam tibi, Domine, habeo pro tanta amicitia maximam. Interea loci vel exspectabo, quæcunque pollicitus es; & quod Dominatio vestra de Tincturæ objectis edisserit, facilè assentior, ac largior, utpote qui credo, quod miræ efficaceseque Metallorum Essentiæ occultantur sub externis Corporum corticibus folliculisque, quanquam perpaucos in Igne adeò exercitatos expertosque comperio, ut secundum Artis dictamen enucleare nucem sciant. Enimvero omne Externum robustumque cujuspiam Animalis, Vegetabilis aut Mineralis Corpus est instar talis terrestris Provinciæ, in qualem, prout *Isaacus Hollandus* perscripsit, Essentiæ præclaræ spiritualiter immigrent. Quocirca opus est, ut Artis filii sciant qualiter Fermentum salinum quoddam idoneum Metallicæque naturæ gratum edomare, dissolvere, separare & concentrare possint non magneticam modo Virtutem tingendi Metallicam, sed qualiter etiam more Philosophico in suo homogeneo Aureo vel Argento eandem multiplicare valeant. Et videmus enim, quod Creaturarum Corpora omnium facile non solum destruuntur, sed protinus etiam, simulatque Interea vivere desinunt, in Orcum tenebrasque antiquas rapiuntur, in quibus latitabant: antequam in lucem per Dei Creatoris creationem producebantur. Quotusquisque autem hominum est nobis hanc in Regno Metallico Artem commonstraturus?

ARTISTA

Recte dixisti, & optime judicavisti de naturali rerum destructione; atque si Deo misericordissimo visum placitumque fuerit, ipse ad Te, perinde atque mihi gratiose facere dignatus est, vel tua sperantis opinione citius non neminem ADEPTORUM ablegare poterit, qui Tibi monstret Philosophicum Modum destruendi Metalla atque colligendi Animas ipsorum Internas. Interim vero invoca Deum Opt. Max. cujus pervigilis oculis te commendo, identidem apertis super filios suos sibi per Christum Jesum regeneratos. Iterum vale, atque sic habe, me tibi fore Amicum permansurum. Me namque oportet rursus proficisci hinc, sed spero, me te esse brevi in florente sanitatis statu revisurum.

Ita novus ille mihi valedixit atque abiit Amicus, Amicum suum relinquens me tristissimum per tempus trium septimanarum, quibus exspirantibus ille, prout condixerat, rediit atque Tincturam mihi dedit quemadmodum ex tota Historia jam supra vobis ad perlegendum enarrata ac præscripta cognoscere potuistis. Posteaquam ille Homo Dei Philosophicus vicissim à me abierat, ego eundem nunquam amplius revidi & ne verbum quidem de eo ullum ex aliquo vel pegasariorum vel tabellariorum vel intimorum audire potui.

Verum enimvero ipse apud me pro stimulis reliquit acrem sui memoriam alta mente repositam pariter atque opinionem PARACELSI asseverantis, quod per Metalla ex Metallis atque cum Metallis emundatis, Spiritualibus & ab ipsamet fæce antea depuratis fiant Metalla ac Aurum Argentumque Philosophorum vivum, tam ad Corpora humana quàm Metalla. Quocirca si hospes illæ paucæ conversationis amicus mihi exactè monstrasset Modum præparandi hoc cœleste Sal Spirituale, per quod & cum quo ex corporeis terrestribusque substantiis possim quasi in eorum Matrice colligere Spirituales Solis aut Lunæ radios, certè ille de suo mihi lumine lumen tantum accendisset, ut videre & callere potuissem, quomodo Magneticè, in aliis Metallis corporeis Animam eorum Internam ita per Sympathiam transmutare debuissem, ut ipsiusmet ope corpus ejusdem sibi simile clarificâssent seu transformâssent vel in Aurum vel Argentum, secundum seminis rubri indolem in Corpus rubrum, aut seminis albi naturam in Corpus album. Nam dixit mihi ELIAS ARTISTA, quod SENDIVOGII Chalybs sit illa vera Mercurialis humiditas Metallica, qua adminiculante sine omni corrosivo in Igne aperto crucibuloque Artifex auri possit fixos Solis aut Lunæ radios à suo Corpore separare, atque deinceps volatiles Mercuriales reddere pro Tinctura Philosophica sicca, quemadmodum ipse mihi monstravit, atque nonnihil communicavit ad transmutandum Metalla. Enimverò hoc mecum omnes dictâ Chymiæ experientiâ imbuti asseverare atque confirmare necesse habent, quod PIROTECHNIA est matrix ac nutrix variarum nobilium scientiarum artiumque. Illi quippe ex coloribus de Metallorum Chao in Igne facilè dijudicant, quale ipsi insit Corpus Metallicum. Ita enim in singulos dies adhuc in terræ gremio procreantur Metalla, lapidesque pellucidi ex proprio nobili semine vaporoso, semine Spirituali tingente Sulphureo, in suis diversis matricibus salinis. Nam Sulphur commune sive Metalli alicujus puri vel impuri, adhuc cum suo corpore conjunctum, cum sale petræ duntaxat mixtum inter ardentem ignis fervorem facile in durissimam fixissimamque mutatur terram. Terra verò hæc deinceps vicissim ex aëre facile in aquam limpidissimam mutatur, & hæc Aqua postmodum fortiore igne secũdum admisti Sulphuris Metallici puri aut impuri naturam, convertitur in vitrum, coloribus variis perbellè tinctum. Ad eundum ferè modum ex ovi albumine progignitur pullus per calorem naturalem. Ita etiam ex vinculo vitæ seminali alicujus Metalli confit novum idemque nobilius Metallum, per calorem ignis Salini naturæ convenientem; tametsi pauci Chymicorum rectè ac perfectè sciant, quomodo Internæ

Metallorum vires ſemper moventes magneticæ ſecundum ſuam ipſorum vel harmoniam vel diſcrepantiam dicantur; quare hoc Metallum cum Metallo altero Sympathiam vel Antipathiam habeat adeò ſingularem, veluti videamus in Magnete cum Ferro, in Mercurio cum Auro, in Argento cum Cupro Sympathiam impenſe ſingularem; contra verò notabilis offendatur Antipathia in plumbo contra ſtannum, in ferro contra aurum, in Antimonio contra Argentum, in plumbo contra Mercurium, & conſimiles aliæ occurrunt in Regno Animali ac Vegetabili Annotationes ſexcentæ Sympatheticæ & Antipatheticæ, prout legas ac telegas in variis Autoribus, qui perſcripſerunt de iſtiuſmodi Curioſitatibus, ex quarum accurata abſolutaque cognitione creantur atque æſtimantur veri Philoſophi atque Naturæ Magiſtri.

Hucuſq; quod egomet ipſe vidi & feci, id deſcripſi, excudendum curavi atque vobis, Candidi Lectores, ex mera liberalitate gratis communicavi juxta illud Senecæ: *In hoc ſcire aliquid deſidero, ut alios doceam. Si cum hac Exceptione detur Sapientia, ut illam incluſam teneam, abjiciam.* Quicunque verò de vera Veritate rei dubitat, tantummodo in Jeſum ſuum crucifixum Fide viva credat, nova in Ipſo creatura per viam Regenerationis ſtrictam fiat, in Eodem anchoram Spei ſuæ omnem figat & φιλανθρωπίαν in quoſvis proximos pariter atque potiſſimum opera miſericordiæ philadelphicæ pia in egena Chriſtianæ Religionis membra ritè exerceat, uſquedum poſt curriculum vitæ omne juſte ſancteque conſummatum hora ſua fatali ac emortuali hinc per undabundum Mundi hujus tempeſtuoſi ac ſcopuloſi Oceanum in tutum tranquillumque æterni Sabbatiſmi beatiſſimi portum ſalvus enaviget atque novum cum Philoſophis cœleſtis Hieroſolymæ triumphantibus Canticum cantet. Participatum ab eo qui

Veſtrum ſum Omnium

Fideliſſimus addictiſſimuſque

JOHANNES FRIDERICUS HELVETIUS
Medicinæ Doctor & Practicus
Hagæ Comitis.

FINIS.

SUBSECTIO SEPTIMA.

De IURE ARTIS ALCHEMIÆ, *hoc eſt, Variorum* AUTHORUM *& præſertim Iuriſconſultorum Iudicia & Reſponſa ad Quæſtionem*, An Alchemia ſit Ars legitima? *colligente* IOH. CHRYSIPPO FANIANO.

Ex Sybilla.

Εννέα γράμματ' ἔχω τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με
Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται: δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
Αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά. Ἓ εἰσιν ἄφωνα τὰ πέντε,
Τῶ παντὸς δ' ἀριθμῶ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς, ὀκτὼ
Καὶ τρὶς τρεῖς δεκάδες σὺν' ἑπτὰ γνῶς δὲ τίς εἰμι;
Οὐκ ἀμύητος ἔση τῆς παρ' ἐμοὶ σοφίης.

Interpretatio ex Cardani LIB. *de varietate rerum.* X. CAP. LII.

CUM in hos ſermones incidiſſem probari hanc artem illuſtris Emarus Ranconettus præſes Lutetianus demonſtravit carmine Sibillino: adeoque ad amuſſim, ut cum ambigua ſoleant eſſe talium reſponſa, hac in cauſa clariora ſolis luce ænigmatis verba fuiſſe videantur. Itaque quæ ille doctus vir miro expreſſit artificio, prout ab illo accepi, dum Lutetiæ eſſem, ſubjungam. Ea autem ſunt ἐννέα γραμμάτ' ἔχω, &c. ut ſupr. Dicit igitur eſſe nomen novem conſtans literis, quod quatuor continet ſyllabas, quarum tres primæ duas tantum continent literas, reliquæ reliquas, ſcil tres. In hoc nomine ἀρσενικὸν, videntur omnia pulchre congruere: nam quatuor conſtat ſyllabis ἀρ, σε, νι, κὸν: quarum primæ tres, duas ſingulæ continent literas: quarta & ultima, tres: ita ut ſint in univerſum novem elementa. Atque hæc omnino clariſſima ſunt experientia, quæ manifeſtè Græce proferuntur. Subjiciit deinde, quod ex his quinque ſunt mutæ, ut intelligamus quatuor tantum eſſe vocales α ε ι ο: reliquas quinque appellavit mutas, id eſt, non vocales, quæ ſunt ρ σ ν κ ν. Inde addit, quod numerus, qui literis his ſignificatur mutis eſt ἑκατοντάδες δὶς ὀκτὼ καὶ τρεῖς δεκάδες, id eſt, bis centum & octies atque ter tribus decadibus continetur: quod eſt novies atque octies decem, hoc eſt centum ſeptuaginta, ut totus numerus ſit C C C L X X. is autem ſignificatur quinque literis mutis, ſi eam quæ replicatur, id eſt, ν ſemel tantum ſumpſeris. Nam aſſumptis ρ σ ν κ, tantundem conficitur; apud Græcos ρ, ſignificat C. σ, CC. ν, L. κ, XX. collecta faciunt CCCLXX. Inde ſubjungit σὺν' ἑπτὰ, quod eſt, τ, CCC ſignificans, & ἑπτὰ ſeptem, ſcilicet decades, nam refertur ad ſuperiora. Solum videtur elocutionis congrua ratio tribus modis repugnare δὶς ἑκατοντάδες, & ἑπτὰ δεκάδες & σὺν pro cum. Abjicit autem, ν alterum: cum hoc Sibylla haud dicat, & pro χ ſeu γ. legit, τ. Nam codex habet σὺν χἑπτὰ, quod eſt, cum ſeptem ſcilicet additis: dixit: quod facile verum eſſe poteſt inter χ & τ parum intereſſe, quoad formam. Tandem concludit qui hoc noverit, non erit ſuæ ſapientiæ expers. In quo & illud mirum videri poſſet, quod tam procul vates abſcedat à propoſito. Sed hæc & majora longe ſunt vatum privilegia, & maxime lymphaticarum & fanaticarum. Accedit illud quod res ipſa verbis, & nominis expoſitioni congruit

congruit, ut alias docuimus: nam & arsenico æs in argenti similitudinem transit, & in auripigmento aurum continetur. Si non hoc, aliud quippiam Sibylla indicare poterit valde utile. Utcunque sit omnino vel admirabilis est interpretatio vel inventio: Saltem ut non indigna essent libris de subtilitate si illi jam non perfecti essent. Sic igitur in arsenico fundamentum alicujus præsentis utilitatis atque initium operis, sicut in calchanto initium transmutationis ferri in æs, nam & confestim color immutatur.

Ex Thoma Aquinate in lib. Aristot. meteor 3. ad finem.

Metallorum propinqua materia sunt sulphur & argẽtum vivum sicut Alchemistæ dicunt: ita quod in locis lapidosis terræ, per virtutem mineralem generantur diversa metalla, secundum diversam commixtionem eorum: unde etiam ipsi Alchemistæ per veram artem Alchemiæ, sed tamen difficilem propter occultas operationes virtutis cœlestis, quæ mineralis dicitur, quæ ex eo quod sunt occultæ, à nobis imitari possunt per prædicta principia, vel per principiata ab ipsis, faciunt aliquando veram generationem metallorum.

Ex eodem in 2. 2. q. 77. art. 2.

Si autem per Alchemiam fieret aurum, non esset illicitum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis, ad producendum veros & naturales effectus: sicut Augult. dicit in lib. 3. de Trinit. cap. 8. de his quæ arte dæmonum fiunt.

Ex eodem in 2. 2. q. 96. art. 2.

Quod simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum vel illicitum iis rebus vel effectis uti.

Ex Suida, in dictione χημεία.

Chemia est auri & argenti confectio: cujus libros Diocletianus conquisitos cremavit, propterea quod Ægyptii res novas adversus illum moliti fuerant, quos duriter atque hostiliter tractavit: eodemque tempore libros de Chemia auri & argenti ab antiquis scriptos conquisivit, atque incendit: ne deinceps Ægyptii atte illa divitias compararent, neu pecuniarum abundantia confisi deinceps adversus Romanos rebellarent.

Ex eodem in dictione δέρας.

Vellus aureum quod Jason per mare Ponticum cum Argonautis in Colchidem trajiciens accepit, & Medeam. Æetæ regis filiam. Hoc autem non ut poetice dicitur, sed liber erat in pellibus conscriptus, continens, quomodo per Chemiam aurum conficeretur. Verisimile est igitur illos per id tempus vellus aureum nominasse propter fructum & emolumentum, quod ex eo libro percipi poterat.

Ex Plinio lib. 34. cap. 4.

Aurum faciendi est etiam una ratio ex auripigmento: invitaveratque spes Cajum Principem avidissimum auri: quamobrem jussit excoqui magnum pondus: & planè fecit aurum excellens: sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret, illud propter avaritiam expertus; quamquam auripigmenti libræ XIIII. permutarentur: nec postea tentatum ab ullo est.

Ex Cardano lib. subtil. 6.

Quod tamen permutari metalla possint, multis visum est, ob experimentum æris jam superius adductum. Videntur etiam permutare colorem, & pondus ad ignem, quare & substantiam verisimile est posse permutare. Creditum est etiam quosdam id feciſſe, ut apud illustrissimum Venetorum Principem paucis ante annis assistentibus sapientibus civitatis à quodam Tarvisano pharmacopola, cujus rei adhuc manent vestigia. Cumq; herbarum species quædam invicem vicissim permutentur, haud mirum videri debet metalla permutari posse. Verum hon ita se res habet, nam aut nulla aut omnia possunt invicem permutari. Ferrum enim & æs, cum ambo pondere & tenuitate similia existant, nullumque eorum ignibus resistat, si colorem mutent & duritiem ex altero in alterum possunt traduci, aut verè aut saltem absque manifesto discrimine: reliquorum metallorum nullum in aurum & argentum mutari potest, solum illud dubium est, an argentum in aurum possit mutari? quod fieri posse existimo: nam argento ut aurum fiat desunt densitas, ob quam ponderosius fieri oportet, & color: ut hæc metallo addi possunt, si densius reddatur argentum pinguedo abolebitur, & ignibus melius resistet, atque, ut dixi pondus acquiret.

Et paulo post.

Quod videtur assecutus pharmacopola ille Tarvisinus, qui coram Principe & sapientibus Reip. Venetæ, argentum vivum in aurum commutavit.

IURISCONSULTORUM ET SUMMORUM in V.I.D. Responsa & Consilia, ad quæstionem

An Alchemia sit ars legitima?

Ex Oldrado consil. 74. de sortileg. num. 1.

AN Alchemista peccet, vel sit ars prohibita? Et videtur quod sic. Et quod ars Alchemia sit prohibita, quia dicit text. 26. q. 1. c. episc. & quod quisquis credit posse fieri aliquam creaturam aut in melius mutari aut transferri in aliam speciem, aut in aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, infidelis est & pagano deterior. Præterea isti Alchemistæ sunt multa discentes, & ad veritatem scientiæ nunquam pervenientes 25. q. 5. *nec mirum.* Et sic dant occasionem multis deceptionibus. Nec est scientia quæ ducat ad pietatem, ut consuevit dici in astrologia *ar. 37. dist. si quis.* & no. Inn. *Ex. de Sorti. c. qui.* Non enim posset fieri sine auri decoctione, quæ videtur à jure prohibita *C. de Auri pub. perse. l. 1. lib. x.* In contrarium videtur, quod isti qui è stanno vel plumbo vel alio vili metallo producunt aurum vel argentum dum tamen hoc non faciant per artem magicam vel aliam legibus odiosam: ut dicit lex *C. de thesaur. l. 1. lib. x.* non sunt reprehendendi, sed potius laudandi Isti sunt metallarii, qui labore proprio sibi & Reipub. commoda comparant. *C. de metall. l. 1. lib. xi.* & jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videtur resultare, favent eis. Nam possunt invito Domino ingredi fundum alienum ad metallum inquirendum. *C. de metall. l. 2 & l. quosdam.* Et ibi no. quod alias non liceret, *de acquir. rer. dom.* nec ipsi dicunt unam speciem mutari in alteram (ut eis imponitur) quia hoc non est possibile. Sed dicunt quod ex una specie metalli (scilicet stanno) potest alia species metalli (scilicet aurum) produci. Nec hoc est inconveniens. Nam & videmus quod quandoque ex re mortua producitur viva: ut videmus in vermibus ex quibus producitur sericum, & aliis pluribus. Et ex herba producitur vitrum: Multo magis ex metallis; in quibus est major convenientia & similitudo. Nam (ut ipsi tradunt. & habetur in libro

de proprietatibus rerum in *C. de Alchemia*) omnia metalla procedunt ex eodem principio ſcil. ex ſulphure & argento vivo. Sed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco quam in alio, in una minera fit ſtannum, in alia aurum, & ſic de aliis. Cum ergo ars imitetur naturam ut *ff. de adopt. l. ſi adoptio*, non videntur iſti Alchimiſtæ peccare, ſi per virtutem iſtam, quæ eſt in herbis, vel lapidibus, vel elementis volunt de ſtanno facere argentum. Nam cum ſint quaſi ex eodem principio & ſimilia, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. *Inſt. quib. mod. toll. oblig.* §. 1. Multæ enim ſunt virtutes inſitæ herbis & lapidibus *16. q. ſi. c. ſi.* Inſunt enim (ut dicit B. Auguſtinus) rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit oportunitas temporalis & cauſalis prorumpunt in ſpecies debitas, ſuis modis & finibus *26. q. 5. nec mirum. circa fin.* Si ergo ipſi hoc attribuunt Deo non videntur peccare. Præterea video, quod non eſt magna pœna in eo qui dat, ſive obligat æs pro auro, etiam ſcienter. *ff. de pig. act. l.* 1. *& de crim. ſtellion. l.* 3.

Ex Panormit. ſuper c. ex tuarum de ſortileg. extr.

Sed juxta prædicta poteſt quæri de alia quæſtione, quam facit & ponit Oldrad. *conſ.* 69. numquid Alchemia ſit prohibita & numquid eam exercentes peccent? Et videbitur quod ſic. Quia una ſpecies convertitur ſeu tranſmutatur in aliam, cum plumbum efficiatur argentum, vel æs aurum, &c. Sed citra Deum nemo poteſt unam ſpeciem in aliam tranſmutare: *ut 26. q. 5. in §. quiſquis ergo.* Oldrad. tamen concludit oppoſitum: quin imò una ſpecies non mutatur in aliam diverſam, cum omnia metalla procedant ex eodem fonte, videlicet ex ſulphure & argento vivo. Sed ubi eſt melior influentia aſtrorum, & cum herbis & lapidibus (quibus inſunt multæ virtutes) poteſt naturaliter una ſpecies metalli converti in aliam ſpeciem magis pretioſam: quod eſt notandum.

Ex Johan. Andr. in addit. ad Speculat. tit. de crim. falſi.

De Alchemiſtis dubitari ſolet, an incidant in pœnam falſi: quidam eis adaptant verba Pauli 1. *Tim.* 4. *in prin. quæ vide 26. q.* 5. nec mirum, ibi, & juxta Pauli ſententiam &c. ſimiliter multis deceptionibus dant cauſam: nec eſt ſcientia pietatis 37. *diſt. ſi quis.* dicitur etiam illam artem, ubi ad aurum tenditur, non fieri ſine auri decoctione, quod eſt lege prohibitum: *C. de aur. pub. perfec. l.* 1. *lib.* 11. In contrarium qui ex magiſterio artis, ſine arte magica, vel alia legibus prohibitis *C. de theſaur. l. unica. lib.* 10. de vili metallo facit pretioſum, commendandus eſt, quia in hoc auget rempub. *C. de metal. l.* 1. *lib.* 11. & iſti metallarii privilegiati ſunt, contra præalleg. *l. un. de theſ. & ff. de acq. rer. dom. l.* 3. ut ingredi poſſint alienum fundum eo invito, & *eod. tit. de metal. l.* 3. nec mutant unam ſpeciem in aliam diverſam, ſed unam metalli ſpeciem faciunt meliorem, ut de ſtanno vel ære argentum vel aurum: nec mirum cum videamus ex vermibus produci ſericum, ex herba vitrum, ut habetur in *lib. de prop. rerum* ubi de Alchemiſta: quia omnia metalla proceduut ex ſulphure & argento vivo Sed ex virtute elementorum major eſt influentia in uno loco quam in alio, ex quo evenit, quod uno loco vel minera, fit ſtannum, alio argentum, alio aurum. Cum igitur ars imitetur naturam *ff. de adopt. l. adopt.* non videntur Alchem peccare, ſi per virtutem herbarum, lapidum, vel aliorum elementorum meliorant metallum in metallum pretioſius, cum ambo ejuſdem ſpeciei & principii fuerint. Facit *Inſtit. quib. mo. tol. obl. poſt. princ.* conſentaneum eſt verbis tolli quod verbis inductum eſt. Aug. dicit *in lib. de civit. Dei*, quod ſunt in rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ rationes occultæ, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus. Habetur hoc ad litteram *26. q. nec nec mirum, ante medium cap.* item videmus quod non eſt grandis pœna illius qui etiam ſcienter dat æs pro auro, tenetur enim crimine ſtellionatus, cujus pœna eſt extraordinaria *ff. de pig. act. l.* 1. *in fin. ff. de crim. ſtellion. l.* 2. Plus noſtris diebus habuimus magiſtrum Arnaldum de Villanova in curia Rom. ſummum Medicum & Theologum, de quo ſcripſi de obſerv. jeju. conſilium, qui & magnus Alchemiſta virgulas auri quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti.

Ex Andr. Iſernino, in Tit feud. Quæ ſunt regalia.

Quid de Alchemia & Alchemiſtis? dic quod ſi faciunt aurum ſophiſticatum non debere vendere pro puro, quia eſt falſitas. Nec liberatur ſophiſticatum ſolvendo *ff. de pig. act. l. eleganter §. qui reprobos. electum non eſt aurum. ff. de leg.* 1. *l.* 4. Si verò faceret verum aurum, non quod cuderet pecuniam Principis inde ſine juſſu Principis, hoc aurum eſſet facientis. Quia non eſt illicitum verum aurum pro vero vendere. Nil enim prohibet artem uti aliquib. naturalibus cauſis ad producendum veros & naturales effectus, ſicut dicit B. Aug. *de Trinit.* de his quæ arte dæmonum fiunt. h. d. Thomas 2. 2. *q.* 79. de his quæ fiunt circa voluntariam permutationem *q.* 2. *quid de Alchemia addc.* utrum liceat facere Alchemiam? dic ſec. Oldra. *in conſil. ſuis*: quod ſic, dummodo non fiat per artem magicam, vel per aliam artem legib odioſam. Vide in *ſumma Angel. in verbo, Alchemia Bart. abhor.*

Ex Baldo Perußino, in eundem Tit. feud. num 5.

Item monetæ: id eſt, auctoritas faciendi monetas publicas. And. de Iſer. quærit hic, de his qui faciunt Alchemiam: & dicit, quod ſi impenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, ſine aliqua falſificatione formæ vel materiæ, non punitur Alchemiſta: quia eſt ars perſpicaci ingenio inventa, & tanquam à philoſopho. Super hoc etiam conſuluit D. Oldrad. *in conſil. ſuis*, & loquitur Jo. And. *in addit. ad Specul. in rubric. de crimine falſ.*

Ex D. Fabiano de Montè S. Sever. in Tract. de empt. & vend. quæſt. 5. *num.* 8.

Sed hic quæritur incidenter, an Alchemiſta, vel faciens Alchemiam, puniatur de falſo? Dicas quod non; quia eſt ars perſpicaci ingenio inventa, ubi expenditur tantum pro tanto, & tale pro tali ſine aliqua falſificatione formæ vel materiæ, ſecund. Andr. de Iſern. & Oldrad. *in conſiliis ſuis*, ut refert Bald. *in d. c. quæſint regal.* Idem etiam tenet Jo. Andr. *in addit.* Spec. *in tit. de crimin. falſ. in rub.* hoc inſuper firmavit Abb. Sicul. *in c.* 2. *de ſortileg.* ubi allegat. Oldrad. *in conſil.* 69. quod licet non poſſet una ſpecies in aliam commutari, niſi à Deo *26. q.* 5. *c. epiſcopi*, tamen hic una non tranſmutatur in aliam cum omnia metalla procedunt ex eodem fontu & origine, ſcilicet ex ſulphure & argento vivo, ſed ubi eſt melior influentia aſtrorum, ibi producitur metallum pretioſius, unde per influentiam aſtrorum, & cum herbis & lapidibus pretioſis quibus inſunt multæ virtutes, poteſt una ſpecies metalli in aliam tranſmutari magis pretioſam, ſecundum eum. Sed adverte quia S. Thomas *ſecunda*

ſecunda

secundæ q. 77. dicit. hoc verum quando sciretur ars vera, & fieret verum aurum, quia nihil prohibet uti arte naturali: alias dicit hoc non esse tutum, si daretur aurum alchemicum pro vero, cum multæ proprietates insint in vero quæ non sunt in alchemico, ut lætificandi & multas infirmitates depellendi.

Ex Alberico de Rosate in Diction. in verbo Alchemia.

Alchemia an sit licita? vid. infr. *Alchemia.* & vide infr. *emptio. §.* 5. *vers. ex hoc patet.* An Alchemia sit ars reprobata, & an Alchemista peccet? videtur quod sic: quia si quis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius transferri in aliam speciem nisi ab ipso Creatore, infidelis est & pagano deterior 26. *q.* 3. *cap episcopi circa fin.* Item Alchemistæ multa discunt, & ad veritatem scientiæ nunquam perveniunt *&c.* 7. quia nec mirum circa medium, ex quo dant causam multis deceptionibus, nec est scientia quæ ducit ad impietatem, ut consuevit dici de Astrologia *ar.* 37. *dist. c. si quis* & no. per *Innoc. ext. de sortileg. c.* 2. Alchemia enim non potest fieri sine auri decoctione, quæ videtur à jure prohibita *C. de auri pub. persecut. l.* 1. *lib.* 10. In contrarium quod qui è stanno vel plumbo, vel alio vili metallo producit aurum vel argent. dum tamen hoc non faciat per artem magicam, vel aliam legibus odiosam: ut dicit *l.* 1. *lib.* 10. *de thesaur.* non est reprehendendus: tales enim sunt metallarii, qui labore proprio sibi & Reip. commoda comparant. *C. de metal. l.* 1. *lib.* 11. & jura propter publicam utilitatem quæ ex eorum officio videtur resultare, eis favent. Nam possunt invito domino ingredi fundum ad acquirendum metallum *l.* 2. *& l. quosdam* & ibi no. quod alias non liceret; ut *ff. de acq. re dom. l.* 2. *& d. l.* 1. *de thesaur. lib.* 10. nec ipsi dicunt unam speciem immutari in aliam, ut eis imputatur: quia hoc non est possibile, sed dicunt quod ex una specie metalli, potest alia species transferri, ut aurum vel argentum. Nec hoc est inconveniens, nam videmus aliquando ex re viva produci mortuam, ut in vermibus producentibus seticum & ex herba producitur vitrum multò magis in metallis in quibus major est convenientia. Nam ipsi dicunt & notant in libro de proprietate rerum de Alchemia, omnia metalla procedunt ex eodem principio sc. ex sulphure & argento vivo, sed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco quam in alio, & in una minera fit stannum, in alia argentum, & in alia aurum: & sic de aliis. Cum ergò ars imitetur naturam, ut *ff. de adopt. l. adoptio.* non videntur Alchimistæ peccare, si per virtutem herbarum, lapidum vel elementorum faciunt de stanno argentum: nam, cum sint quasi ex eodem principio & similia in habentibus symbolum facilior est transitus. *Inst. quib. mod. toll. obl.* §. 7. multæ enim sunt virtutes insitæ herbis & lapidibus 16. *q. ult. c. fin.* Insunt enim ut dicit Augustinus rebus corporeis per omnia elementa, quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus, *& vigesima sexta q.* 3. *nec mirum circa finem, & decima sexta q. vult. circa fin.* si ego ipsi attribuunt Deo non videntur peccare. Et non est magna pœna si oppignorasti æs pro auro etiam scienter, ut *ff. de pig. act. l.* 1. *& de crim. stell. l.* 2.

Idem Alber. in Dictio. in verb. emptio.

An venditio reddatur illicita & invalida propter defectum rei venditæ vel propter ejus bonitatem latentem dicit *Tho. in* 2. 2. *q.* 77. *art.* 2. circa rem quæ venditur triplex defectus considerari potest, unus secundum speciem rei, ut si vendatur aurichalcum pro argento, aut vinum aqua mixtum sicut purum: alius defectus est secundum quantitatem ponderis vel mensuræ, ut si quis scienter utatur pondere defectivo, vel mensura injusta: tertius defectus est ex parte qualitatis, puta si animal infirmum vendatur quasi sanum. In his tribus casibus si venditor scienter offenderit, fraudem committit & venditio est illicita, & tenetur ad restitutionem. Si verò ignoranter, non peccat, tamen cum ad ejus notitiam pervenit, tenetur compensare damnum emptori. Et ex eo patet quod illicitum est vendere aurum vel argentum alchemicum pro vero, quia non est purum, sicut est verum aurum, nec habet omninò easdem proprietates: sicut est lætificandi: nec valet etiam contra certas infirmitates sicut verum aurum. Si verò per Alchemiam fieret verum aurum, non esset illicitum vendere pro vero, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus causis ad producendos veros & naturales effectus, sicut dicit Aug. *in lib. de Trinit.* De his quæ arte Dæmonum fiunt.

Ex Alberto Bruno in tractatu augmenti & diminut. monet. in 1. *præsuppositione num.* 13. *&* 14.

Juxta prædicta habemus advertere, quod in monera ut sit proba, tria principaliter considerantur, scil. materia, forma & æstimatio seu valor, juxta *l.* 1. *conjuncta l fin. cum ibi notatis C. de ver. num. lib.* 11. Et not. per Baldum *in cap. quanto, de jurejurand.* Debet enim primò materia esse proba *d. l.* 1. *& l.* 1. §. 1. *ff. de contr. empt. & d. c. quanto.* Unde non liceret de Alchemia cudere monetam, quod est intelligendum de Sophistica, non de ea quæ reperitur esse verum aurum vel arg. quod esse potest juxta notat. per Joan. And. *in addit.* Specul. *in Rubr. de crimine falsi,* qui refert tacito auctore verba Oldra. cujus solet esse fur. *in consil.* 74. incipiente, *an Alchemista* Et latius Joan. Aud. *in c.* 2. *de sortil.* Et Bald. & And. de Isen. *in c.* 1. *in tit. quæ sint. regal. in usib. feud.* Et per S. Thomam *secund.* 2. *quæst.* 92. unde concludunt Alchemiam esse veram scientiam & permissam. De quo aliquid per Albertum de Rosate *in Diction. in verbo de Alchemia.* Et dicit Joan. Andr. *ubi supra,* quod suo tempore fuit magister Arnaldus de Villanova, summus Medicus & Theologus, & magnus Alchemista, qui per illam artem faciebat virgulas aureas, quas consentiebat omni probationi submitti. Et fecit in illa scientia librum unum, qui mille homines depauperavit, aut quia non verum, aut quia non intelligitur. Et cum haberem quendam socium in legibus, multum insudantem in illa arte volui videre unum mirabile experimentum ad effectum, ut plura scirem. Nam habuimus nobiscum unum antiquum Alchemistam pauperrimum tamen. Et me presente ille meus collega reduci fecit unam unciam argenti pretiosissimi ad instar auri in pondere, fusione, cum malleatione salvo colore, quia non erat croceus, sed mutatus, ad instar plumbei coloris. Et ille collega meus habebat modum dandi colorem ei croceum. Et illa materia patiebatur & sustinebat aliqua experimenta, sed non extremum experimentum, & admixta tantundem auri pretiosi videbatur aurum viginti characterum, & plus & minus: secundum quod illa materia erat melius dispositа. Et quidam magnus Prælatus, ac multi antiqui Alchemiæ mirati fuerunt de illo experimento. Et unus antiquus Alchemista, putans se divitem, putabat reducere illam materiam ad

veram

veram ſpeciem auri: & non potuit: putavitque ipſam artem illuſoriam, maximè ex quo tot viri in quadraginta aut quinquaginta annis non viderant tam notabile experimentum, quod nihilominus erat ſophiſticum, ita ut aliud experimentum videre noluerim. Nec liceret inconſulto Principe materiam æream immiſcere in auro vel argento cudendo: *per l. quicunque nummos, ff. de falſ.* & notatur *in l. 2. C. que fal. monet.*

Ex Guidone Papa in ſingular. 388. §. *de his.*

De his qui faciunt Alchymiam utrum debeant puniri? Dic quod non. Dum tamen faciunt ſine aliqua falſitate materiæ vel formæ: quia eſt ars pro ingenio adinventa, tanquam à Philoſopho. Ita dicunt Andr. Iſern. & Bald. *in c. 1. quæ ſunt regal.* & refert Baldus Oldradum ſic conſuluiſſe in ſuis conſiliis.

Joh. de Platea in l. 1. ca. ad R. C. de argent. pret. quod theſaur. infert. lib. 10.

Quæro incidenter, dictum eſt ſupra de perſecutoribus & excoctoribus auri naturalis, quid de perſecutoribus auri artificialis, an Alchemiſtæ tale aurum licite perſequantur & ſolvi poſſit, an verò committant falſum, Jo. Andr. *in add. ſpec. in tit. de falſ.* commendat Alchemiſtas, qui ex magiſterio artis, ſine re magica vel alia lege prohibita. *l. unic. C. de Theſaur.* de vili metallo faciunt pretioſum, nec mutant unam ſpeciem in aliam diverſam, ſed unam metalli ſpeciem faciunt meliorem ut de ſtanno vel ære argentum vel aurum: procedunt enim omnia metalla ex ſulphure & argento vivo, ſed ex virtute Elementorum in uno loco fit ſtannum, in alio aurum, in alio argentum, & ſic de ſingulis. Cum igitur ars imitetur naturam. *l. adoptio ff. de adopt.* non peccant Alchemiſtæ, ſi per virtutem herbarum, lapidum, vel aliorum Elementorum, unum vile metallum in pretioſius reducunt, cum ambo fuerint ejuſdem ſpeciei & principii. Inſunt enim rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ rationes occultæ, quibus cum data fuerit opportunitas temporis atque cauſalis prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus; dicit *lex. 26. q. 5. nec mirum.* Et de iſto Alchemiſta vide Andr. de Iſern. & Bald. *in tit. quæ ſint regal. col.* 10. Quia tamen talis operatio multis ſubjacet deceptionibus, ut *d. c. nec. mirum,* nec eſt ſcientia pietatis 37. *diſt. ſi quis Grammaticam*, conſulo ab ejus exercitio abſtinendum, quamvis magiſter Arnaldus de Villanova ſummus Medicus & Theologus, & magnus Alchemiſta faceret in curia Romana virgas aureas quas conſentiebat omni probationi ſubmitti. Hæc quidem operatio ſi in piam cauſam convertendam peragatur, Dei omnipotentis permiſſione perficitur, &c. nec mirum &c. nec ideo quiſquam. & 37. *diſt.* legamus.

Sequitur contraria diſputatio Angeli in ſumma in verbo Alchemia.

Utrum liceat facere Alchemiam? Reſpondeo: Oldrad. in conſiliis ſuis tenet quod ſic, dummodo non faciant per artem magicam, vel per aliam legibus odioſam, ut dicit *l. unica. C. de Theſaur.* quia tales metallarii ſunt, qui labore proprio & ſibi & Reipublicæ commodo comparant. *C. de metall. l. 1.* & jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videtur reſultare, favent eis. Nam poſſunt invito domino ingredi fundum ad metallum inquirendum *l. 3. & l. quoſdam* & ibi *not. C. de metall.* quod alias non licet *d. l. un. & ff. de acq. rer. domin. l. 3.* Ratio eſt, quia (ut dicitur in *lib. de proprietate rerum in v. de Alchem.*) omnia metalla procedunt ex eodem principio: ſcil. ex ſulphure & argento vivo, ſed ex virtute elementorum quæ habent majorem influentiam in uno loco, quàm in alio, in una minera fit ſtannum, in alia argentum. Cum ergò ars imitetur naturam: *ff. de adopt. l. adoptio.* non igitur eſt peccatum, ſi per virtutem quæ eſt in elementis aut herbis, Alchemiſtæ de ſtanno volunt facere argentum. Quia cum ſit in eodem principio, & in habentibus ſymbolum facilior ſit tranſitus. *Inſt. quib. mod. toll. obl.* §. 1. Cum multæ virtutes ſint inſitæ herbis & lapidibus *26. q. 5. nec mirum. circa medium.* Sed his non obſtantibus, credo quod ſit illicita, ex multis reſpectibus, tum primo, quia nullus invenitur, qui habeat veram hujuſmodi artem, licet dicatur de multis: Sed falſum ex experientia, tum quia videmus, quod communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum. Unde de ipſis dicitur 2. *ad Timoth.* 3. ſemper addiſcentes, & nunquam ad veritatis ſcientiam pervenientes: experientias multas faciunt, & nunquam ad perfectum attingitur, tempus vitamque conſumunt: nec id quod operantur habet veritatem cum auro vel argento, ſed ſolum apparentiam. Ideo ſimpliciter ſunt condemnandi Alchemiſtæ. Et hoc evidenter probatur, quia nemo in publico eam vult facere ut appareat quod malè agant, quia oderunt lucem. Et ſi aliquando aliquid veri faciunt, aut fit cum damno computatis expenſis, vel ex aliqua deceptione imponendo aurum verum, vel aliqua fallacia diabolica, quæ ut eos attendere faciat hujuſmodi, facit eis verum aurum ex appoſitione auri veri occultè aliquando. Cum ergo ſit tale exercitium contra utilitatem publicam, ut patet ex conſumptione rerum, & quia (ut communiter) faciunt ex his monetam falſam. Ideò ſimpliciter ſunt condemnandi eam facientes.

Concluſio ex Hieronymo de Zanetinis, qua diſputationi & argumentis Angeli reſpondetur in c. 1. Ex. de accuſat.

An Alchemia ſit peccatum, & ars reprobata? Alber *in Dict. juris civ. in ver. Alchemia arguit* & Jo. And. *in addit. ſpec. in tit. de crim. falſi.* Jo. de Ana. *in cap. 2. de ſortileg.* & per de Anchar. *in c. 1. eod. tit.* Baldus *in c. 1. quæ ſunt regal.* & Tho. *Secunda ſecundæ q. 77. ar. 2.* & finaliter videntur tenere, quod non videntur peccare, ſi attribuunt Deo: quia non mutant unam ſpeciem in aliam (ut eis imponitur) quia hoc eſt impoſſibile: Sed dicunt quod ex una ſpecie metalli (ſcilicet ſtanno) poteſt alia ſpecies metalli ſcilicet aurum vel argentum produci. Nec hoc eſt inconveniens. Et videmus quandoque quod ex re mortua producitur viva in vermibus, ex quibus producitur ſericum. Nam omnia metalla procedunt ex eodem principio ſcil. ex ſulphure & argento vivo: ſed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco quam in alio, & in una minera fit in ſtannum, in alia argentum, in alia aurum, & ideo eſt licita: dummodo non fiat per artem magicam vel aliam legibus odioſam *l. 1. C. de theſaur. lib.* 10. Sunt enim laudandi. Adde tamen ſummam Angelicam, *in ver. Alchemia.* quæ tenet, quod ars iſta ſit illicita ex multis reſpectibus: tum primo quia nullus invenitur qui habeat hujuſmodi veram artem, licet dicatur de multis, ſed falſum ex experientia: tum quia videmus, quod communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum. Unde de ipſis dicitur illud ad *Tim. cap. 3. & d. c. nec mirum 26. q. 5.* ſemper addiſcentes & nunquam ad ſcien-

ad scientiam veritatis pervenientes. Experientias multas faciunt & nunquam ad perfectum attingunt, tempus vitamque consumunt. Nec id quod operantur habet veritatem cum auro vel argento, sed solum apparentiam. Et ideo simpliciter sunt condemnandi Alchemistæ. Et hoc evidenter probatur: quia nemo eam in publico vult facere, ut appareat quod male agant: quia oderunt lucem & si aliquando verum faciant, aut fit cum damno computatis expensis, vel aliqua deceptione, imponendo aurum verum, vel aliqua diabolica fallacia: quæ ut eos attendere faciat hujusmodi, facit eis verum aurum, ex appositione veri auri occulte aliquando. Cum ego sit tale exercitium contra utilitatem publicam, ut patet ex consumptione rerum, & quia ut communiter faciunt ex his monetam falsam, ideo simpliciter sunt condemnandi eam facientes. Ego vero teneo communem opinionem: Artem istam esse licitam, quia rationes Summæ Angelicæ non concludunt artem ipsam esse illicitam, eo quia nullus habeat artem veram: quia hoc non est ex defectu artis, nec etiam aliæ rationes concludunt: ut de se patet. Et idem tenent Thom. & Alber. An autem lucrum ex Alchemia sit licitum, & venditio reddatur injusta, dicit Tho. *ubi sup.* quod si per Alchemiam fit verum aurum, non est illicitum ipsum pro vero vendere: quia nil prohibet uti arte & aliquibus naturalibus ad producendos naturales effectus: aut non habet veram speciem auri, & est injusta venditio, postquam est aurum sophisticarum.

Thom. Arfoncini I. V. Doctoris de Iure Alchemiæ responsum.

Ad propositam quæstionem breviter respondeo: si communis Doctorum opinio facit jus (ut inter omnes peritos constat) sequitur ut Alchemia sit licita. Verum est autem antecedens: quia Oldr. Bald. Jo. Andr. Pan. And. Isern. Alber. de Rosat. Alb. Brun. Guid. Pap. & alii complures, tam civilistæ quam canonistæ illam comprobarunt. Unus solus contradicit Angelus, *in sua summa angelica.* Sed præterquam quod unius Doctoris contra communem nulla est auctoritas, ut omnes sciunt, certe fuit unus magnus canonista Hieron. de Zavetin. qui in *c. 1. de accusat.* omnibus & singulis suis argumentis exactissime respondit. Hoc est fundamentum adamantinum ex auctoritate magnorum & clarorum Doctorum & Jurisconsultorum: ut omittam auctoritatem Thomæ de Aquino, qui duobus aut tribus locis Alchemiam apertissime comprobavit. Plinius *quoque lib. 34. c. 4.* scribit Caii Imp. temporibus fuisse Alchemistas. Neque ad rem pertinet quod dicit, illorum artificium non fuisse quæstuosum. Primum quia in quæstione, an Alchemia sit ars licita? non quæritur an sit lucrosa aut fructuosa, sed tantum an jure divino vel humano prohibeatur. Deinde quia fieri potest ut illi artifices, de quibus loquitur, non satis periti fuerint cum alii peritiores esse potuerint, ut vulgo dicimus, inter artifices latam esse differentiam *l. inter artif. ff. de solut.* Mira sunt præterea quæ Suidas de Alchemia & artificiosa auri confectione narrat: quod Ægyptii potuerunt alere bellum diuturnum contra tyrannum Diocletianum, freti arte sua, id est, artificio.

Sed videamus alia quædam argumenta. Scribit enim Arist. *lib. Metaphys. 2. & 4.* quod ars naturam in quibusdam imitatur, & quod multa naturalia confici & perfici arte possunt: & colchotar & calchantum exempli causa nominat dicens quod illa duo attramenta, non tantum nascuntur in mineralibus, sed etiam confici arte possunt. Tertium exemplum ponatur de sale. Nam (ut ait Plinius *lib. 31.*) sal aut fit aut gignitur. In Polonia est sal minerale, in Gallia est factitium, & hujus eadem est proprietas natura, & efficacitas, quæ illius. Quartum est electrum, quod Plin *lib. 33. c. 4. & multi alii* scribunt esse non tantum naturale, sed etiam factitium. De quo factitio & artificiali textus loquuntur *in l. 4. ff. de legat. l. 1. 7. §. voluntas ff. de acq. rerum dom. §. duorum Instit. de rer. divis.* Quintum est argentum vivum, quod prædictus *Plinius lib. 33. c. 1.* dicit esse aliud nativum aliud factitium: & hoc ad alterius differentiam nominat hydrargyrum. Guilielmus Philander *in commentariis Vitruvii*, quatuor ejus genera numerat: duo nativa & duo fictitia: atque ibidem ostendit & chalybem & sandaracham & æruginem & calchantum & cinnabrium, alia naturalia gigni, alia hominum arte confici. Quæ cum ita sint, non absurde concludere possumus: Sicut ars in tam multis aliis naturam imitari potest, non esse inconveniens dicere, illam in auri & argenti operatione naturam imitari posse. Certe Cardanus *libro de subtilit. 16.* scribit, & multi dicunt sibi hoc esse cognitum quod ex ferro potest fieri cuprum chalchanto adhibito, & Cardanus *eodem libro* testatur pharmacarium quendam Trevisanum, coram Illustrissimo Principe Venetorum & sapientibus Senatoribus argentum vivum in aurum convertisse. Verum est quod Julius Scaliger negat se id credere, sed nititur argumento infirmo, videlicet quod si Veneti hoc vidissent, quia tanta sunt avaritia (ut ipse scribit) ut etiam cum Turca hoste Christiani nominis fœdus faciant, nunquam illum pharmacarium dimisissent, sed tormentis eum coegissent artem suam revelare, & forte eum in gabalo suspendissent. Sed verisimile est pharmacarium illum fide publica, fortasse etiam obside, aut alia securitate sibi cavisse & providisse. Nec certe de omnibus omnia suspicari honestum est. Illud constat, innumeros, & superioribus seculis fuisse, & nunc esse graves viros qui eam artem factitarunt, & sibi quæstuosam fuisse prædicarunt. In quibus fuerunt Albertus Magnus, Comes Trevisanus, Augurellus, Avicenna, Geber, Lullius, Bonus Ferrariensis, Morienus ac Tolod. & præsertim Arnal. de Villanova, summus medicus. Videmus etiam nostris temporibus Joh. Fernelium in arte medica Principem existimatum, *in suo libro de abdit. rer. caus.* eandem artem ad unguem tenuisse: & in ea exercitatum fuisse, quamvis circa finem joculariter ex tribus Augurelli versibus incautum lectorem eludat. Unius autem illius Fernelii authoritas aliorum multorum Medicorum contradicentium authoritati (ut quidam dicunt) præponderat.

Sed principaliter & ante omnia in quæstione; An ars aliqua sit licita? considerandum est, An divino aut humano aliquo jure sit prohibita. Nam licita aut illicita ita discernuntur *l. 1. ff. de concubin. l cum senatus ff. de rebus dub. l. 1. & per tot. tit. ff. de collegiis & corporibus.* Quantum ad divinum, certe nullum textum reperio, ubi Alchemia & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator divinus Moses in Levitico, & Deuteronomio persequatur. Neque puto illum magis prohibuisse destillationem & alembicationes, & auri argentive confectionem, quam jocalium & annulorum & cæterorum ejusmodi ornamentorum conflaturam: quibus Salomon & alii Reges ornabantur. Quantus etiam laminarum & bracteārum auri usus apud populum Dei fuerit præsertim in templo Hierusalem, nemini ignotum est. Quantum autem ad jus civile, certe nulla litera in *Digestis, Codice, Inst.*

Inſt. vel Novell. oſtendi poſſet, quæ ad prohibitionem Alchemiæ pertineat, quin potius Fuſorum ars comprobatur & laudatur & præmiis decoratur *l. 1. C. de excuſat. artific.* Sic Vaſcularii fuſores frequenter nominantur, quaſi artem (ſine controverſia) legitimam exercentes. *in l. apud Labeonem §. ult. ff. de præſcript. ver. l. vult. ff. de oblig. & action. l. penult. ff. de aur. & argen. lega.* Et de Metallariis quod legitimam artem exerceant dubitari non poteſt ex *tit. Cod. de Metallariis lib. xi.* Quantum ad Jus canonicum, opponi ſolent duo textus: ſed facile eſt utrique reſpondere. Primus eſt in *c. ſpondent. Extravag. de crimine falſ.* Ubi Papa Johannes xxii. Alchemiſtas reprobat, non tamen eos morte damnat, ſed tantum infamia perpetua. Sed textus ille non eſt infinite & generaliter ſcriptus de omnibus Alchemiſtis. Verum ſpecialiter & proprie de iis tantum, qui (ut textus verba proferam) aurum vel argentum ſophiſtica tranſmutatione confingunt. Quare ad eos qui non reprobum, & adulterinum, ſed probum & verum aurum conficiunt, textus ille non pertinet. Sicut Joh. Andr. *in addit. ad Specul.* teſtatur, Arnaldum de Villa nova ſuo tempore facere ſolitum virgas auri quas omni probationi ſubmittebat. Itaque omnes Doctores tam civiliſtæ quam canoniſtæ, non curarunt illam extravagantem Papæ. ut ſuperius diximus. Quin etiam Jo. Augurel. Magnus Poeta, opuſculum ſuum de Alchemia libere dedicavit & præſentavit Papæ Leoni x. cui gratiſſimum illud munus fuiſſe conſtat. Hæc igitur ad illum textum reſponſio ſufficiat: ut illud omittam, quod multi hodie non recipiunt auctoritatem illius legiſlatoris, qui fuit Papa: & dicunt quod ſi in uno capite auctoritas illius approbatur, etiam in altero capite proximo, ubi de Franciſcanis & aliis Monachis quædam pro ſuo libitu conſtituit, & approbanda eſſet *l. qui non cogitur ff. de judic.* Alter *textus* qui opponitur, eſt *in c. epiſcopi 26. q. 5.* qui ſumtus dicitur ex concilio Auquirenſi & ſic ſcriptum eſt: Quisquis credit poſſe fieri aliam creaturam, aut in melius aut in deterius tranſformari in aliam ſpeciem, vel aliam ſimilitudinem niſi ab ipſo Creatore, qui omnia fecit, infidelis eſt. Primum ridiculoſa eſt allegatio ex conſilio Auquirenſi quod nunquam fuit aut eſſe potuit. Corrigendum eſt AQUILEIENSI. Sed magis deridicula eſt allegatio illius textus ubi damnantur, qui credunt transformationem fieri in aliam ſpeciem, Certe nihilo magis hoc pertinet ad noſtram quæſtionem quam quod Imperator ſcribit, poſſibile eſſe res omnes in pecuniam converti *l. 2. C. de conſtit. pecun.* Nam textus ille non loquitur de ſpeciebus metallorum aut ſimilium rerum, ſed de ſpeciebus perſonarum: hoc eſt de mulieribus ſortilegis, quæ dicebam quod nocte transformabantur in varias ſpecies animalium, & per ſylvas ac nemora cum Diana vagabantur. Itaque *in §.* ſiquidem ſatanas (inquit textus) transformat ſe in diverſarum ſpecies perſonarum. Quare deridiculum eſt textum, qui de diabolica transformatione perſonarum loquitur, contorquere ad transformationes metallorum, quæ induſtria & ſolertia quorundam artificum fieri poſſunt, ſine ullo diabolico vel magico artificio: ut Thom. de Aquino in prædictis locis oſtendit. Quin etiam textus eſt ſub eadem *queſt. in C. nec mirum*, ubi ſic ſcriptum eſt: Inſunt rebus corporeis per omnia elementa, quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis aut cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas. Addam etiam illud quod legibus noſtris comprobatur medicamentum factum ex venenis, aut rebus venenaris, quaſi ea quæ natura veneroſa ſunt, arte & ſolertia emendari, & commutari ad ſalubritatem poſſint, ut de Mithritido innuit *textus in l. quod ſæpe*, §. *venena. ff. de contr. empt.*

Reſtat illud argumentum, quod multi alchemiſtæ faciunt falſam monetam: multi etiam fuerunt ſortilegi, impii, athei, necromantici. Dicitur etiam quod Raimundus Lullus & Paracelſus fuerunt magicis artibus inquinati. Horum diſputatorum laudanda eſt pietas & probitas: ſed tamen rogandi ſunt ut cogitent, artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe. Quoniam aliud eſt ars, aliud artifex: Aliud eſt uſus artis aliud abuſus *l. quicunque & l. ſeq. ff. ad leg. Corn. de falſ.* ubi ars monetaria probatur: ſed tamen damnantur qui nummos aureos aut argenteos tinxerint aut finxerint. Sic in *l. 1. ff. de extraord. cognit.* artis medicæ profeſſores laudantur, inter quos tamen dicuntur eſſe impoſtores, qui incantationibus & imprecationibus & exorciſmis utuntur. Sic Mathematica ſimpliciter damnatur *l. 2. C. de malefic.* cum tamen non omnes Mathematici damnandi ſint, ſed impoſtores ſoli. Sic venenarii capite puniuntur *in l. capitalium. §. venenarii ff. de pœn.* cum tamen ne venena quidem ipſa damnentur ut modo dictum eſt *ex l. quod ſæpe ff. de cont. empt.* quod ſi artes propter artificum abuſum damnandæ eſſent, quænam hodie probaretur, An Jurisprudentia? in qua ſunt tot rabulæ? an Medicina, in qua tot ſunt venefici? an Theologia, in qua tot ſunt ſophiſtæ? Judicium igitur & delectus adhibeatur: ſeparentur paleæ à granis in area: mali piſces à bonis in ſagina: adulterini nummi à probis in Repub. Sophiſticantes aurum vel argentum à peritis artificibus, acerrimæ contra falſarios & monetæ corruptores animadverſiones, inquiſitiones, informaiones conſtituantur. Sed (ut ait Juriſconſul.) alieni admiſſi pœna ab iis quos nulla culpa contingit, removeatur. *l. ult. D. de bon. damnat.*

FINIS.

LIBRI

LIBRI I. SECTIO III.

Termini Artem spectantes explicantur.

SUBSECTIO PRIMA.

LEXICON CHYMICUM, *Authore* GULIELMO IOHNSONIO *Chymico.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

NON possum non admirari, quòd *Adversarii* Paracelsi, *cùm nihil calumniarum justè habeant, quod illi obtrudant, illum obscurè scribere, & verbis excogitatis sua de studio arcana contegere solummodo accusant, uti Adversarii de* Johanne Baptista Vanhelmont, *illum continuè agitando & irritando, sua, multo sudore & sumptu, acquisita arcana depromere, in lucem proferre, & invidis inhiantibus etiam sine gratitudine volens nolens palam patefacere stimulant. Sed ea jacula quæ in hunc eminentem torserunt Virum, in seipsos meritò retorqueantur. Nec possum non incusare* Wierum *Medicum intuentem* Paracelsum, *agros suos penè usque ad miracula curasse, quos ipse nec potuit, nec voluit, turpiter ab* Oporino Theophrasti Paracelsi *amanuensi emendicasse Epistolam, quam postea in lucem produxit, ut consulto & de industria, verba istius Epistolæ invidiosè torquendo, & sinistrè interpretando incomparabilis illius Viri honorem conspurcaret, quanquam plura sunt in ea Epistola, quæ ad laudem* Theophrasti, *quàm quæ vituperium pertinent, & quæ ibi vituperat, longè aliter intelligenda sunt, quàm vel* Oporinus, *vel alii interpretati sunt; quæ* Oporinus *ipse, ambulans in prato ad* Rhenum *cum* Michaele Toxite *Medico, cùm* Basilea Argentoratum *unà navigarent, cum pœnitentia agnovit, uti ipse* Toxites *testatur; quem etiam prodigiosæ memoriæ* Fullerus *noster sui oblitus, eodem tramite investigavit, & sine indagine traduxit, qui si cum Scriptoribus de* Paracelso, *vel cum ejus libris consuluisset, accessus mutuos inter* Erasmum Roterodamum, *sui (si non fallor) imparem, & multos alios ejusdem temporis non vulgares Medicos, &* Paracelsum, *levi intuitu circumspexisset. Sed Epitaphium* Paracelsi, *in muro prope* S. Sebastianum, *in Nosocomio spectemus, ab Antistite* Salisburgense *erectum. Habet hæc verba: Conditur hic* Philippus *Aureolus* Paracelsus, *Insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropisin, aliáque insanabilia, corporis contagia, mirifica arte sustulit, & bona sua in pauperes eroganda, collocandáque honoravit.* Anno Domini 1541. *die* Septembris 24. *vitam cum morte mutavit. Sed hæc de* Paracelso *hoc tempore sufficiant. Si obscurior est* Paracelsus, *& ejus Scripta magis intricata sunt, quàm exili valeant assequi ingenio, ut fateri coganiur, illorum insciliæ tribuendum est, alioqui ea non dicerent obscura, & non intelligibilia. Et reprehensio de rebus non intellectis, cœcitas & stoliditas dici possit. Nec est Doctrina* Paracelsi *repudianda, quia* Græcorum *& infidelium Scholis non arridet. Non enim magis assentiendum est* Græcorum *figmentis, quàm certo Dei Verbo, cui soli Christiani inniti debent: Sed potius lucem naturæ, Verbo Dei suffultam, quàm* Græcorum *tenebras sequamur. Illius gloriam sectantur, sed recta non quæritant via.*

Quicquid præclarum est vendit Deus omne labore.

Si Paracelsum *vincere contendent ejus Adversarii, non hominum præsertim infidelium authoritatibus id faciant, sed Scripturarum Dei, quibus vera Philosophia innititur. Nec* Paracelso *assentimur, uti viro doctissimo: Amicus* Plato, *amicus* Socrates, *sed magis amica* Veritas. Nec *temerè legendus est* Paracelsus, *nam uti nemini aditus patefecit adito templi nisi Sacerdotibus, sic* Paracelsi *abditis, nisi doctis & probis viris nemini datur admissio. Qui hæc paucula abstrusa collecta, seriè & sedulò legat, & animadvertat, aditum ad* Apollinis *Templum ei præbeant.* Hermeticorum *involucra sunt, quibus involuta & implicata est rei veritas signatæ, ut falernum in uva, & aurum in scoria. Mea propria non esse fateor, modò per me in fasciculum reducta, & digesta, ut ad perficiendum inceptum meum, (via aliquantulum à me patefacta) alii magis habiles & idonei stimulentur. Oportet discentem docenti credere; habetis Doctores ipsos instruentes, me solummodo ad limen præbentem viam. Faxit Deus, quod pro vestro commodo suscepi, mihi non vertatur in vitium, sed in gratiam, in cujus spe*

Vestrûm studiosus acquiesco
G. J.

LEXICON CHYMICVM.

A



ALCES, ab ἀλκὴ, fortitudine, magna Beſtia : animal eſt gregarium, biſulcum, ad Cervi figuram accedens quo tamen majus eſt, natura timidum, morbo comitiali obnoxium. Referunt non quodlibet hujus ſpeciei animal malo Epileptico corripi, & fœminæ ungulam hac facultate nequaquam pollere, ſed Maris ſolum; nec pulli, ſed adulti, idque eo tempore quo in Venerem ferri incipit (inter Feſtum aſſumptionis Mariæ & nativitatis ejuſdem.) Plus etiam unguibus poſterioribus, quàm anterioribus tribuunt, & horum, quidam pedi (quod vulgatius) dextro, alii ſiniſtro. Sunt qui velint has ungulas, ab animali adhuc vivente, dicto tempore præſcindendas eſſe. *Andre.* Bacc. lib. de Alce.

Ungula & Nervis utuntur Medici in doſi à ſcrupul. ſſ. ad ſcrupul. i. cum vehiculo ſpecifico.

Ungula ſpecifica virtute celebratur adverſus Epilepſiam, tum præcavendo, tum curando, idque uſu tam interno, quàm externo.

Internè propinantur ſcobs, & præparata ſubjuncta ſpecifica.

Externè includitur particula annulo, & geſtatur digito (vulgariter) maritali, qui minimo proximus eſt, ita ut palmam reſpiciat: vel geſtato, eidem digito in annulo de induſtria tornato. Inditur itidem pugno, & applicatur pulſui, immittitur etiam in aurem, (ſiniſtram) & ſuſpenditur de collo ut cutim attingat.

Refertur odore dignoſci, quem gratum ſuffitu exhibet.

Acle, Ebulus, ſeu Sambucus humilis. Planta frequens & bene nota.

Hujus plantæ granorum, *Tragæam*, ſecundùm præſcriptionem ejus confectam, *Quercetanus* ad ſiſtendos omnis generis fluxus, præ multis aliis medicamentis, non immeritò valde decantat.

Abeſamum, Lutum rotæ.

Abeſum, Calx viva.

Abicum, Coopertorium.

Ablutio, eſt exaltatio crebris infuſionibus, res immundas abluens, & ad puritatem reducens. Eſtq; Imbibitio & Cohobatio.

Ablatio, eſt abſtractio per partem ſuperiorem. Perficitur variis modis in ſiccis quæ lenius adhærent, deterſio fieri poteſt per Leporinum pedem, & ſimilia: Quædam penna, cultello, ſpathis, *&c.* auferimus: quædam detergemus aſtricto panno, vel ſcopis ſetaceis, ferreis, ligneis.

Abric, Kibrit, Chybur, eſt Sulphur.

Abeſſi, Idem quod *Rebu*. Nempe ultima ciborum materia.

Achachi, eſt aqua aluminis.

Acalai, eſt Sal.

Acartum, eſt Minium.

Acaid, eſt acetum, vel acetoſum.

Achamech, eſt ſuperfluitas argenti.

Acacia ferrea, eſt Cochlear ferreum.

Acazdir, Alcani, Alomba, eſt Stannum.

Accatum, eſt Aurichalcum.

Achates, primum reperta in *Sicilia*, juxta flumen ejuſdem nominis, deinde in aliis locis. Proſunt contra Araneorum ictus: Et Aquilæ eas imponunt nidis, ut defendant pullos contra venenata: & ſedant ſitim, & confortant viſum.

In *Achate* apparent variæ impreſſiones: Nemora, Flumina, Jumenta, veſtigia Lupi vel Leonis, ita expreſsè à natura inſculpta, ac ſi Gemmarius data opera feciſſet. *Plin.*

Adamas, naſcitur & extra aurum, & in auro nobiliſſimo.

1. Extra aurum duplex Indicus cognatus colore Criſtallo tranſlucido, & laterum ſexangulo, tenore turbinatus in mucronem, aut duabus contrariis partibus junctis magnitudine nuclei avellanæ.

2. *Arabicus*, Extra aurum naſcens, eſt præcedenti minor.

In auro nobiliſſimo.

1. Milii grani magni magnitudine, quem vocant *Cenchron.*

2. *Macedonicus* in *Philippico* auro par ſeminis cucumi.

3. *Cyprius*, in *Cypro* inventus vergens ad colorem æreum, efficax in Medelis.

4. Sideritis ferrei ſplendoris, pondere reliquos antecellens, ſed his natura diſſimilis: hic frangitur ictibus, ab alio *Adamante* perforari poteſt.

Hi duo poſtremi ſunt degeneres, & nominis tantùm habent authoritatem.

Optimi *Adamantes* incudibus deprehenduntur; nam reſpuunt ictum, ut ferrum utrinque diſſultet, incudeſque ipſi diſſiliant; quippe duritia eſt inenarrabilis, contemtor & victor ignis, nunquam igne caleſcens.

Rumpitur hic lapis, ſanguine calido recenti hircino, præcipuè cùm hircus prius vinum bibit, vel comedit petroſelinum, & montanum ſiſeleos.

Adamantes, expetuntur à ſculptoribus ad gemmas & reliquas materias exculpendas, & formandas, & tum ſolo ferro debent includi.

Reliquas res metallicas non patiuntur, & à plumbo ipſi ſolvuntur.

Adamas, ligat Magnetem, & viribus privat, nam juxta ferrum poſitus, non patiatur abſtrahi; aut ſi admotus Magnes, ferrum apprehenderit; ferrum rapiat & auferat.

Adamas, Venena irrita facit, abigit lymphationes, lemures, incubos, ſuccubos: reddit animatos, fortes, propterea anachitis dicitur. Valet contra rixas & jurgia, & curat fluxas gingivas. *Serapius.*

Adamantes, in *Bohemia* adeo excellentes viſuntur, ut elegantia, & ſplendore Orientalibus præſtent, Aſtrologi *Adamantem* Lunæ dicarunt.

Adarnech, eſt auripigmentum.

Adarces, Res eſt in maritimis locis naſcens, præcipuè in *Cappadocia*, ſeu *Galatia*: tanquam concreta ſalſilago, humidis & paluſtribus locis emergens, ſiccitate arundinibus, ac herbis agglutinata. Indiacum nativum velut in arundinibus Indiæ ſponte naſcitur; vel ut ſal Indum in Canna.

Adarces, Eſt ſimilis in colore flori lapidis

Aſii,

Asii, & in forma halcyonio melli, & aliquando cavo proxima, ut possit videri lacustre quasi halcyonium, & quia ita pendet arundinibus, pericalamitum, & calmochium quondam dicebatur: hodie nisi fallor, balla marinum vocant.

Dioscor. & *Plin. Adarcem*, nasci ait circa arundines tenues è spuma aquæ dulcis ac marinæ, ubi se miscent, & habere vim causticam.

Adarris, Est flos Aquæ Maris.

Adec, Est lac acetosum. Vocatur etiam *Adhebe*.

Ader, est lac recens sine butyro. Vocatur etiam *Adho*, vel *Adoc*.

Adehem, & *Alhohonec*, Est Lamina.

Adarige, est Armoniacum.

Adabisi, vel *Adebezi*, est testudo.

Adibat, est Mercurius.

Ados, est aqua, ubi ferrum extinguitur.

Adorat, est pondus quatuor librarum.

Adram, est sal gemmæ.

Adraragi, est Crocus hortulanus.

Adsamar, est Lotium.

Aër, est Aura, halitus, spiritus, ventus.

Acetum amineum, est album.

Acetum de fæcibus *aceti* distillatum, est acerrimæ igneæ naturæ, ut omnia metalla, lapides, ac similia, quasi aqua fortis consumat. Dicitur *acetum* radicatum nonnullis, qui est liquor ille acerrimus *aceti*, qui abstracto phlegmate in fundo restat. *Par.* lib. 7. de natura rerum pag. 456. Fit à Cristallis fæcum aceti distillando per retortam cum cohobiis: vel acetum vini bonam pone in retortam, distilla lento igne phlegma, & refunde hoc capiti mortuo sæpius, & digere in fimo, tandem distilla & primo quod erit seorsim cape, quod posterius igne fortissimo prolicitum prodit, est Acetum radicatum.

Acordina, est Tuthia *Inda*.

Acortinus, est Lupinus.

Acureb, est vitrum.

Acusto, est nitrum.

Alaurat, est sal nitrum.

Acetum, Philosophorum est aqua mercurialis, quam aliàs lac virgineum appellant, quo metalla solvi perhibent, hydor sophorum.

Acetum, radicale est acetum distillatum ex sua radice, vel matrice, dicitur etiam aqua solvens.

Adamita, est Tartari quædam species.

Adech, est interior & invisibilis homo noster, qui singulorum exemplaria præfigurat in animo nostro, quæ manibus suis postea fingit ac imitatur: exterior iste homo noster visibilis, uterque juxta suam naturam operatur, invisibilis invisibilia, sensibilis ea quæ sub sensum cadunt, sub eadem forma.

Æs, seu *Cuprum*, à Chymistis Veneri tribuitur, est corpus metallicum lucidum, rubedine fusca participans ignibile & fusibile.

Est quasi medium inter aurum & argentum, inter Solem & Lunam, ut Chymistæ loquuntur. Fit ex argento vivo impuro, num fixo, terrestri, adurente, rubro, non claro, & ex tali sulphure, deficit ei fixatio, puritas & pondus. Sulphur malum & debile, tanquam pater malæ complexionis cõiens cum generosa matre id est cum argento vivo bonæ substantiæ, generat æs, filium tam lividum fuscæ rubedinis. Habemus æs duplex. 1. Purum, quod in ærariis metallinis & argentariis reperitur: quod sine excoctione tale est. Venulæ implicatæ interdum cernuntur, interdum etiam totæ bracteæ quæ lapidem amplectuntur. 2. Quod excoquitur, ex pyrite, id est, Marchasita, item ex aliis speciebus, ut ex lapide fissili Issebiæ: & ex nonnullis terræ generibus luteis & purpureis: Chrysocolla & cæruleo, ut aurum.

Æs, non semper cuprum denotat, sed quandoque aurum vel argentum à natura sine alterius metalli aut lapidis permixtione, purum, & per se generatum metallum, ex quo moneta cudebatur olim ut modò ex aliis arte humana separatis. Primò natum in *Galilea*, sed in parva quantitate. Nostris temporibus visum est simile, sed rarò, nec nisi pro miraculo reperiri contingit.

Æthna, dicitur ignis subterraneus, invisibilis, & sulphureus, qui lapides sub montibus aduric in carbones gagati persimiles, resina & bitumine quodammodo pleni sunt, ut carbonum ex ligno vice nonnullæ nationes utantur, & præsertim fabri ferrarii. Nonnullis locis videndum se præbet uno tempore magis quàm alio, ut in *Siciliano* Regno, eo monte qui nomen hoc ipsum habet, item in Regno *Neapolitano Puteolis* non longè à *Neapoli*. Olim veteres causam ejusmodi flagrationis admirati, nec valentes eam post multam indaginem reddere, tandem eo desperationis devenerunt, ut inter celeberrimos Philosophos, Physicos, atque Medicos, Empedocles unus in medias Æthnæ flammas devorandum se conjecerit, verecundia potiùs quàm ignorantiâ victum. Item *Caius Plinius* ejusdem ignis fumo se non aliter suffocandum exhibuit. O vesana hominum ingenia, qui dum ignorare nihil volunt, experiuntur multos labores sustinuisse, ut nihil scirent, præter ea quæ damnosam mortem inferunt, existimantes, satiùs esse non vivere, quàm non scire, quæ tamen non ignorabunt esse transitoria. Mulierculæ quidem absoluta coquina, prunas ardentes in ollam norunt concludere, ne per nimiam rimulam aëri pateat aditus, ad hunc modum prorsus emoritur & suffocatur ignis, qui nisi per aërem, & in ipso vivit. Si tamen priusquàm extinctus sit omnis, ut vel scintilla supersit, facto spiraculo reviviscit, ac in pristinum statum redit. Non secus de æthneo judicandum, qui suam in mundi centro ducit originem, terraque ut olla continetur. Verùm non caret suis spiraculis circum terræ globum hiantibus, per quæ, modò per hoc, jam denum per aliud vitam & nutrimentum haurit ex aëre. Si verò suis careat spiraminibus, haud aliter quam de ollari mulierum igne fiat necessum est. Videte quæso quàm aniles causæ Philosophos infideles moverunt, atque torserunt in mortem usque, Latiorem ignis hujus naturalis rationem, ubi de mysterio magno increato Paracelsum interpretatus suo libro, qui de luce naturæ inscribitur, invenietis Hactenus de æthna mineralium igne, ac patre generali dictum sit, quantum loci ratio patitur.

Æthnici, dicuntur spiritus ignei, vel spirituales homines igne fragrantes, qui variis modis, & formis apparent; ut igneæ flammæ, titiones, globi, sphericæque prunæ, idque in sulphureis montibus.

Alcali dicitur sal omne quod extrahitur è cineribus, vel calce cujusque materiæ per lixivium elixatum, proprium omnibus rebus, liquidæ & solidæ.

Æs, dum ita. 1. Est in sua vena in fodinis scil. ubi plurimum est pyrites, id est marchasita, nativas illas causat species Vitrioli, Colchitis; Misii, Sorii, Diphrigis.

2. Excoquitur & tum fit. 1. Cadmia fictitia cum ejus

ejus ſpeciebus. 2. Pompholix. 3. Spodium uritur, & fit æs uſtum. 4. Extinguitur & fit ſquama æris. 5. Excuditur & fit ſquama æris. 6. Jam inexcoctí ſuperficie, fit ærugo raſilis.

Æs uſtum noſtro tempore, fit ex ipſo ære cremato, ſulphure & ſale. Laudatur potiſſimum Memphiticum, & Cyriacum à *Dioſc.* Aſtringit, ſiccat, reprimit, extenuat, attrahit, ulcera purgat: & quoties jungitur ulceribus cum aceto, conſumit ea quæ ſunt impedimento in ulceribus.

Æs uſtum, eſt Crocus Veneris. *Par. l.* 5. de natura rerum, pag. 420.

Æs Hermetis, verè & propriè, eſt corpus imperfectum nondum præparatum, ſicut eſt initio: Eſt Mercurius, pulvis ſolis, caput corvi, æs noſtrum, terra citrinata, continens & contentum, plumbum noſtrum, Aurum ex metallis extractum, Venus, Vitriolum, Auripigmentum, Arſenicum, Nummus, Anima, Leo viridis, quia germinat, aqua permanens, vinum, ſanguis, &c.

Æris, vel Cupri ſpecies 26. numerantur à *Rul.* pag. 10. & 11. ſi plura ſcire cupis, & diſtinguit æruginem æris in 65. ſpecies à pag 15. ad pag. 20.

Ærugo vel viride æris, eſt
- 1. Raſile eſt.
  - 1. Nativum in Metallis Cypriis, lapidibus nonnihil æris habentibus, quibus ærugo efflorescit: hæc pauca ſed optima, & reperitur in fodinis æratiis.
  - 2. Factitium fit in ſuperficie æris, & eſt triplex.
    - 1. Raſile quia raditur
    - 2. Vermiculare à ſcoli erme, quæ in vermicularem creſcit.
    - 3. Aurifabrorum quæ eſt factitia Chryſocolla.
- 2. Sciſſile.
  - 1. Nativum quod eſt vera Chryſocolla, id eſt glutinum auri.
  - 2. Factitium, Aurifabrorum, viride raſile, Chryſocolla factitia.

Ætites, à Germanis dicitur, vel propter colorem, vel propter virtutem illam, quod aquilæ ſine illa parturire nequeant: alleviat enim partum, & continet gravidis partus cum vulvæ ſunt lubricæ; eſt gemma variarum ſpecierum.

Ætitis, ſex ſunt ſpecies.

1. *Ætitis* mas, Africanus, in rutilo niger, valde durus, qui terram candidam friabilem in ſe continet.

2. Fœmina, Hildeshennius, lutei coloris, mollis, cui ochra nativa adhæret, & ineſt terra dura lutea.

3. Alius in quo lapis liber & ſolutus jacet, & conquaſſatus ſonat.

4. Subrutilus, durus, cui lapis ferrei coloris adhæret.

5. Motteſchanus, capiti humano, ſimilis rotundus, & duriſſimus, cui flores Criſtallini quadranguli ſpecie adamantum, qui formati ſunt adhærent.

6. Lapis concavus, ferrei coloris, in ferri vena repertus, in quo nihil niſi aër continetur: qui plura ſcire deſiderat, legat *Rulandum*, pag. 21.22.

Affronitrum, eſt ſpuma nitri, quæ eſt ſalſa, vel eſt ſal *Cappadocium*.

Affeos, & *afros*, eſt ſpuma.

Affroton, ſpumeus.

Affrodina, eſt Venus.

Affenicum, eſt anima.

Afformas, eſt vitrum.

Affax & *affaris*, eſt atramentum.

Affrengi, eſt Minium.

Affidra, & *Almat*, eſt Ceruſa.

Aſrob, eſt plumbum noſtrum.

Alahabar, *alchonor*, *alaſtroh*, *alomba*, *agar*, *algit*, *galerit*, eſt Calx.

Ahuſal, eſt arſenicum ſulphur. *Akibot*, *alchibit*, *alchimit*, Sulphur.

Alafor, eſt ſal alkali.

Alatans, eſt lithargyrium plumbi.

Ahenum, eſt vas merallicum ex cupro aut ferro duorum pedum altitudinis, ejuſdemque ferè latitudinis cuſum: Hujus faſtigio cooperculum ſequentem in modum formatum, illiuſve limites ritè claudens imponendum eſt. Fit lamina cuprea ad aheni capacitatem rotunda, in cujus centro (quoniam vim cucurbitæ inſervire debet) ad amplitudinem imponendi vaſis, foramen excavatur, ut vas per illud prominere poſſit. A latere verò alterutro prope aheni finem, aliud parvum foramen, per quod calida ſuffunditur, & defectus expiratæ aquæ ſuppletur, perforatur. Uſus hujus aheni cum operculi in balneis frequentiſſimus eſt.

Akon, Cos, eſt lapis, quo cultri acuuntur aliaque inſtrumenta. Hujus variæ ſunt ſpecies, coloris nigri, candidi, flavi, nigerrimi. Species cotis eſt quam vocant lapidem Heracleum, & lydium, qui notus aurifabris, & dicitur coticula.

Alabaſtrites, eſt lapis ex ſpeciebus marmoris notus Venetiis.

Ejus ſunt tres ſpecies.

Prima candicat, de quo olim fiebant Imagines Sanctorum, & monumenta Sepultorum.

Secunda nigras habet maculas.

Tertia in ruffo interdum candicat, propterea *Onix* dicitur, qui unguis humani colorem repræſentat, & hanc ſpeciem propriè intelligit *Dioſcorides*, cùm inquit, *Alabaſtrites*, qui & *Onix* dicitur crematus, durities cum pice aut reſina diſcutit.

Alaſalet, eſt Armoniacum.

Alartar, eſt æs uſtum.

Albanum, eſt ſal urinæ.

Albor, eſt urina.

Alborca, eſt Mercurius.

Albaras, eſt Arſenicum.

Alberick, eſt album æris.

Albetud, eſt Galbanum.

Albi, id eſt ſublimati.

Albir, eſt pix de corticibus taxi, ſupponitur eſſe ſubſtantia, de qua fit incauſtum.

Albos, eſt Crucibulus.

Albotar alfidus, eſt Ceruſa.

Albotim, vel *albotai*, *Albotra Helcalibat*, eſt Terebinthina.

Alcady, eſt attramentum album.

Alzegi, Attramentum.

Alcaol, eſt lac acetoſum, vel Mercurius.

Alcanna, vel *Alcona*, ſunt arbores ſubtiles longæ, habentes nodos, ſicut Canna, quibus haſtarum loco utuntur Arabes. Sumitur pro ligno Guajaco.

Alcebris vivum, eſt Sulphur.

Alchitram, eſt oleum Juniperi, pix liquida, arſenicum præparatum ad abluendum.

Alchitram, eſt Fæx diſtillationis. Item ol. Juniperi

Alcoliſmus, eſt comminutio vel corroſio.

Alcol, eſt Acetum.

Alchohol, eſt Antimonium, ſive ſtibium.

Alcone, eſt Aurichalcum.

Allor, eſt æs uſtum quaſi grana *Alkalid*, & *Alcob. Altimar*.

Alcore, eſt quidam lapis, habens folia ſimilia argẽto.

Alcubd,

Alcubd, Alumbair, est butyrum crudum.

Alech, est Vitriolum.

Alecharit, est Mercurius.

Alechil, est tripes.

Alecloria, est gemma cristallo similis, vel aquæ limpidæ. Præ se fert crystallinam speciem, magnitudine fabæ in ventriculis gallinaceorum, ceu ut *Albertus* vult galli castrati; post quartum annum reperitur. Dicitur reddere divites & bellicosos se portantes. Et propter hoc ferunt Milonem Crotoniensem in certaminibus fuisse invictum. Conciliat gratiam puellis, & restinguit sitim.

Alefantes, est flos Solis.

Alembic, est Mercurius.

Liquor *Alcaheſt* Paracelsi, omne corpus visibile resolvit in sui primam materiam, servata seminum potestate; De hoc aiunt Chimici, vulgus cremat per ignem, nos per aquam, *Vanhelmont.*

Liquor *Alcaheſt*, est magnæ virtutis, ad præservandum hepar ab hydrope, & omnibus ejus speciebus, quæ ex hepate veniunt. Vide præparationem in *lib.* 2 de natura rerum *cap.* 3. *cap.* 482. Mercurius præcipitatus pro hepate.

Alcohol, vini, quando omnis superfluitas vini à vino separatur, ita ut accensum ardeat, donec totum consumatur, nihilque fœcum aut phlegmatis in fundo remaneat.

Alcool Paracelsi, *Alcool* rerum aut corporum quorumcunque nihil aliud est quàm purior & mundior substantia ab impura separata; ut *Alcool* Antimonii Paracelso nihil aliud quàm hoc Autor vult, ut Antimonium non modò atteratur pistillo, & mortario, sed etiam in volatilem suam substantiam, à suo naturali colore non immutatam. Idque solo ignis & caloris beneficio regimineque fieri necesse est ut postquam vulgariter contritum fuerit. Philosophicè tandem alteratur sublimationibus, quæ pistilla sunt Philoso. & mortaria. Docet alio loco hanc sublimationem fieri debere sine omni capite mortuo. Constat itaque nihil fœcum affuisse ante sublimationem; Flores citrinos aut rubeos elicere non possunt, qui à vulgari tritione antimonium sublimant in suliginem albam.

Sed ejusmodi sublimatio fieri debet igne admodum temperato, ut antimonii pulvis minimè liquefcat, ascendat nihilominus, ut farinæ flos parietibus adhærere cernitur molendinorum.

Alembicus, est capitellum, quod vasis inferioribus ad vapores recipiendos imponitur.

1. *Alembicus* rostratus, est qui humores resolutos per canalem aut rostrum, ad vas recipiens demittit.

2. Alius *Cæcus*, hoc est sine rostro sublimationibus inserviens. Hic in sublimationibus nonnunquam in vertice perforatus est, aliquantulum, humores ascendentes emittens.

Alcaheſt, vel *altaheſt*, Mercurius dicitur præparatus, nonnulli volunt esse tartarum, mens tamen autoris facilè deprehenditur præparationis ejus descriptione.

Alchimia, est impuri separatio à puriore substantia.

Alcol, aliquando scriptum *alcool*, vel *alcohol*, est pulvis in minutissimum pollinem factus, ubi nihil additur ad nudam vocem, alioqui restringitur per adjunctum.

Alcol, vini est, aqua ardens rectificata.

Alcubrith, vel *alazer*, aut *alcur*, est idem quod sulphur.

Alkibrie, alcabrick, algibich, est sulphur vivum.

Alcofol, (vel ut nonnulli volunt) *alcoſol*, est stibium sive antimonium: Item *alcimad*, est stibium.

Alandahal, est colocinthis.

Alembroth, est sal Mercurii, vel sal Philosophorum & artis, clavis artis.

Alembrot defecatum, est sal tartari & magisterium magistrorum.

Almizadir, est viride æris.

Alteyplumbi, est materia dulcis ex plumbo. *Alkyplumbi.*

Alusar, est Manna.

Amalgama, est impastatio auri, argenti, vel alterius cujusque metalli cum argento vivo. *Amalgamatio*, vide pag. 121.

Amianthus, est lapis alumini scissili vel plumoso natura conditioneque similis, igne non uritur, quapropter & salamander appellatur.

Amidum vel *amilum*, est albissima farina concreta in panes ad solem.

Amigdalæ, apud Chirurgos, caro dicitur superflua, quæ nascitur ad linguæ radicem.

Amnis alcalisatus, est aqua transiens per calces terræ, ex qua desumptum est *alcali.*

Andena, est calybs ex regionibus orientalibus advecta, quæ liquescit igne, haud secus atque aliud quodque metallum, fundique se permittit in formas.

Anathron, vel *anachthron*, species est salis, quod super petras in modū usneæ albæ & lapideæ nascitur, nonnulli sal nitrum appellant. Fallo putarunt antiqui fel esse vitri, cùm sit potius fel lapidum.

Anatrum, est vitrum in colores varios liquefactum, quod vulgari vocabulo smaltum appellant, vel terra saracenica.

Anthos, extra vegetabilem rorismarini significationem, & ad metalla usurpatum, significat elixir ex auro, vel ejus quintam essentiam.

Anatomia essata, parens est morborum.

Anticar, est Borax.

Anatris, vel *antaris*, est Mercurius.

Aniaday, vernum tempus significat æternum, & novum in futuro mundum, & paradisum.

Aniadum, est Cœleste corpus, quod in nobis Christianis plantatur à Spiritu Sancto per Sacrosancta Sacramenta: vel est homo spiritualis in nobis regeneratus.

Aniadus, est rerum efficacia.

Aniada, sunt fructus & vires Paradisi & Cœli, sunt etiam Sacramenta Christianorum, in Physicis verò significant astrales vires, atque Cœlestes, ut sunt, quæ per influentiam, imaginationem æstimationem, & Phantasiam nos ad vitam longam provehunt; ex dono Dei tamen, & ad æternam solicitant.

Anodina, sunt indormitiva medicamenta.

Anodus, est id quod ex nutrimento separatur à renibus.

Anontagius, lapis Philosophicus.

Anima Saturni, est Altey, atque dulcedo plumbi suavissima, quæ per acetum extrahitur.

Annus Philosophicus, est mensis communis.

Anatosier, Aliocab, Alemzadar, Amizader, est sal Atmoniacum.

Alfol, Alcob, Azonec, Alacap, Aracab, Aquila.

Ales, est sal compositum.

Alexir; est Medicina Chymicè præparata. *Elixir, Elci* Medicina.

Alezaram, est lotura plumbi.

Agallium, est Aquilegium spinosum, resta bovis, sive aratri remora dicta.

Agresten, significat potum ex pomis vel berberis, siceram, seu vinum è pomis, factitium.

Alexanthi, *Altingat*, eſt flos æris.
Alfacta, eſt diſtillatio.
Alfadidam, eſt ſcoria ferri.
Alfatida, eſt Cuprum uſtum, vel Limatura Veneris.
Alfuſa, eſt Tutia.
Algali, eſt Nitrum.
Algamet, Carbones.
Algeria, *Algerie*, eſt Calx.
Aligulus, eſt Confectio.
Alcafiel, eſt Antimonium.
Alkalia, eſt Vas.
Alkale, eſt oleum Gallinæ.
Alkali, eſt vitriolum foſſile ſeu fuſile calcitura in Aludal.
Aludel & *Alutel*, eſt vitrum ſublimatorium.
Alkali, eſt aliis lapillus ſalis, modò ex calcibus reverberatis per humorem extractus, diſſipatoque humore coagulatus. Sed *Alkali* tunc nominatur præcipuè, cum relicto impuro, ſegregatóque corpore, eſſentia formæ hujus lapilli elaboratur. (Cum verò integræ res calcinatæ & diffuſæ ad ſolidam conſiſtentiam reducuntur, ut cùm ſal communis ſolvitur humore, & iterum coagulatur: Item cùm margaritæ calcinantur totæ, ſolvuntur & coagulantur viciſſim magiſteria per ſe ſunt, at *Alkali* ex ſimilitudine vocatur.
Alkautum, eſt æs uſtum, vel ſpecies aromatica ſecundùm quoſdam Arſenicum.
Alkaut, *Almarkaſita*, eſt Mercurius.
Alkaranum, eſt Duenec viride. *Duenege* eſt vitriolum.
Alkara, eſt cucurbita.
Alkin, & *Alkal*, eſt Cinis clavellatus.
Alkir, eſt fumus vel Carbones.
Alkitram, pix liquida.
Alkol, eſt plumbum exquiſitum de Minera Lapis *Lazuli*, Antimonium.
Alcol, eſt Tartarus. *Theophraſtus* ſic ait: *Alcol*, eſt purior ſubſtantia rei ſegregata ab impuritate ſua. Sic *Alcol* vini, eſt aqua ardens rectificata.
Alkoſor, eſt Camphora.
Alkimia, eſt pulvis de baſiliſco.
Alchimilla, eſt Saniculus.
Allabrot, eſt quoddam genus ſalis confectum.
Alma, eſt aqua.
Almagra, eſt Bolum, Cuprum, Laton, & lapis ipſe, vel terra rubea, lotum, vel lotio.
Almakiſt, *Almacauda*, eſt Lithargyrum *Almarcab*, *Almarchaz*.
Almarcazida, *Argyritis*, eſt Lithargyrium argenti.
Almarcat, eſt Scoria auri. *Alinetai*.
Almartack, eſt Lithargynus cinis.
Almechafide, eſt Cuprum.
Almene, eſt Sol lucidum. Sal gemmæ.
Almizadar, *Almiſadar*, *Amizadir*, *Aſanon*, *Almiſadis*, eſt Sal armoniacus præparatus.
Alnec, *Allenec*, *Alkalap*, *Aleth*, *Aſabum*, *Almiba*, eſt Stannum.
Aloe, eſt Epaticum. *Aloe*, *Alepatick*.
Alofil, eſt pannus, quo vas operitur.
Alos, *Alo*, *Alix*, *Alec*, *Alkalat*, *Alkalac*, eſt Sal.
Aloſanthi, eſt flos ſalis.
Alſelat, *Altimar*. *Aycupher*, eſt æs uſtum, *Alkofar*.
Altambus, eſt lapis rubeus. Scilicet ſanguis venarum hominum.
Altaris, *Antarit*, *Alozet*, eſt argentum vivum.
Althanaca, *Alernet*, *Albimec*, eſt Antipigmentum.
Altinuranm, eſt Vitriolum.
Altingat, eſt flos æris.
Altimio, eſt Fæx plumbi.
Aludel, eſt vitrum ſublimatorium.
Aludir, *Antaric*, *Alkon*, *Azomſes*, eſt Mercurius.
Alufir, eſt rubedo.
Aluech, *Aluach*, eſt Jovis corpus purum.
Alumboti, eſt plumbum uſtum.
Alias, *Alafar*, eſt Vas.
Alſech, eſt Alumen Jameni.
Alumen, Omnibus eſt notum. Variæ ſunt ejus ſpecies. Eſt gemmæ optimum Et eſt Mercurius, quia ſolvit. Eſt Jamenum, Roccum, Scillum, Rotundum, Zacharinum, de Belgamo, Genuenſium nitrum, Foſſile, Fuſile, Plumoſum, Liquidum, Capillare, Commune, Placodes, Uſtum, Liparinum, &c. Ex Agricola & Kentmanno de rebus Metallicis, & foſſibilibus plura legas. *Albertus* quatuor aluminum genera ponit. 1. Simplex vulgare. 2. Nigrum. 3. Album. Perſcriptum, in libro de Mineralibus. *Rulandus* numerat *pag.* 33. ad 36. diverſa aluminum genera, ultra 32. vide plura *Rulando pag.* 72. ad 74.
Alumen, Saccari, quomodo fiat, habes *lib.* 7. de Natura rerum, *pag.* 451. Para.
Aluminis diverſi præparatio varia, *lib.* 4. de præparationibus, pag. 656. 657. ad ulcera putrida, paralyſin, alvi profluvium, *&c.*
Ales crudum, ſunt guttulæ cadentes ſæpe in nocte Menſe *Junio*.
Alunibur, eſt Luna.
Alunſel, eſt Stilla.
Aluſen, eſt Sulphurata.
Alzemafor, eſt Cynabrium.
Alzilat, eſt pondus trium granorum.
Amalgamatio, eſt calcinatio Metallorum familiarium per hydrargyrum. Licet non ſemper ad finem calcis contendamus, eo modo, ſatiſque eſt ita metallum ſolutum eſſe, ut duci poſſit, inſtar pultis, ſeu malagmatis aurifabrorum: tamen corroſio fit per eam, in pulverem minutiſſimum, quem item calcem nominant.
Vel *Amalgamatio*, eſt Calcinatio Metalli per argentum vivum, & fit quando Metallum in tenues partes, bracteas, vel laminas ductum, cum ſex, novem, duodecim, argenti vivi partibus commiſcetur, & coadunatur, ut fiat maſſa undique ſui ſimilis, atque ita metallum diſcontinuatur & calcinatur. Argento enim vivo per evaporationem ſuper igne lento abluto, metallum inſtar tenuis calcis relinquitur.
Amandivus, Lapis eſt gemma varii coloris. Extinguit & reprimit omnia venena, quare non eſt gemma contemnenda. Conſule *Albertum*.
Ambra, eſt Sperma Ceti.
Amene, eſt ſal commune.
Amentum, eſt alumen ſciſſum.
Amethyſtus, eſt gemma Indica, coloris violacei *Plin.* quæ inde venit optima. *Rulandus*. pag. 37. numerat ſex ſpecies viliores orientalibus.
Amianthus lapis, naſcitur in *Cypro*. *Dioſcor*. ſimili alumini ſcillo, verùm *Amianthos* proculdubio, eſt alumen noſtrum plumoſum, & hinc æterna candela fieri poſſit: non eſt magnæ virtutis, ſed exiccat.
Albeſtos, eſt coloris ferrei, reperitur in montibus *Arcadiæ*, cùm ſemel accenditur, vix aut nunquam extinguitur, cùm ſit unctuoſus & humidus.
Amogabriel, eſt Cinabrium.
An-pater, Sulphur.
Anfir-filius, Mercurius.

Anfiarto-

Anſiarto-Spiritus, Sal,
Anaton, ideſt *Anatron*, eſt Sal nitri.
Anatron, eſt fæx vitri.
Anatron, eſt Baurac.
Anatron, eſt ſagimen vitri.
Anatron, eſt ſpuma vitri.
} Synonima.

Ancora, eſt Calx.
Andurac, eſt Auripigmentum rubeum.
Anfuka, eſt Coagulum.
Anhelius, eſt fumus, alibi, fimus equinus.
Antonii ſancti ignis, eſt inflammatio naturalis.
Annora, eſt calx ovorum, vel calx viva.
Anthos, propriè eſt Roſmarinus: ſed ad metalla tranſlatum, quintam eſſentiam, ſive Elixir auri ſignificat interdum medicinam extractam ex *Borillis*, à corpore ſuo, *Par.*
Athonor, eſt furnus.
Anticar, *anucar*, *ancinar*, eſt Borax.
Antimonium, *Alhoſol*, eſt lapis de vena plumbi. Marchaſita Saturni, Magneſia Saturni, Stibium, Rubeum invenitur Indeuburgi.
Antimonium, Spagyrice præparatum, eſt Supremum venenorum omnium antidotum: Venena enim naturalium continent antidotum ſui veneni. *Bas. Val.* 14.
Summum *Antimonii* arcanum, quod lapidem ignis *Antimonii* vocat, tantæ eſt virtutis & energiæ, ut lapidem ferè Philoſophorum imitetur in curatione morborum omnium & in tranſmutatione metallorum. *Bas. Val.* 15.
Bas. Val. Concludit tanta eſſe ſecreta, & arcana naturalia latentia, in Antimonio, ut nemo mortalium capax eſſe poſſit ea ipſa omnia inveſtigare, quò enim magis inveſtigamus, eò abſtruſiora & pretioſiora, inveniuntur. *pag.* 16
Aphebriock, eſt Sulphur.
Aphrodiſia, eſt ætas Venerea.
Aphronitrum, ſicut ſal, & ſpuma ſalis ſe habent adinvicem, ita ſe habent nitrum, & ſpuma nitri, adinvicem. Eſtque in his ſalis ad nitrum, & è contra nitri ad ſalem. Item ſpumæ ſalis ad ſpumam nitri magna cognatio. Spuma nitri, aphronitum, flos petræ, vel parietis, (ſicuti ſpuma ſalis) res eſt leviſſima, gleboſa, & friabilis, ſpumoſa mordens, coloris penè purpurei, & hæc optima. Nos ſpumam nitri, & aphronitrum dicimus, & ſpumoſum aphronitrum, quod naſcitur muris & petris. Variat ſpuma nitri ſecundum petras, & muros ubi naſcitur: hujus virtus eſt ſimilis ſali aduſto. Sunt fermè unum aphronitum, id eſt ſpuma nitri, flos petræ, & flos *Aſiæ* petræ: Sed differunt ſubſtantia paulum, nam ſi reſolvitur igne, eſt flos petræ *Aſiæ*: ſi non reſolvitur, eſt ſpuma nitri noſtri. Jenæ in Thuringis pulcherrima aphronitri reperitur ſpecies, quæ reſpondet plurimum flori *Aſiæ* petræ à *Dioſcor.* deſcriptæ.
Aquala, eſt Arſenicum vel Sulphur.
Aquila, eſt aurum guttando.
Aqua Cerebri, aqua Tartari.
Aqua Elſabon, eſt aqua ſolis communis.
Aqua fœtida, eſt aqua Mercurii.
Aqua fortis, eſt quæ ex acribus & corroſivis, certa proportione commiſtis, violentis ignibus diſtillatur, igneam vim in corrodendo validam habens, Validiſſima vocatur ſtygia, quæ ſalem ammoniacum cum reliquis regit, & in ea aurum ſolvatur. Diverſis fient virtutibus aucta miſtura, ex conſilio, ut ſit certis rebus accomoda. Gradatoria dicitur, quæ ad gradandum tincturas adhibetur. Et fiunt inſtar fortium ex eadem materia, ſed additis tingentibus, ut cinnabar. alum. In quibus notandum eſt, quod nulla tingat niſi facto ad minus, octavo, vel decimo cohobio ſuper fæces, quod aliter non fixentur.
Ambra, Quidam vocant hoc ſperma cœti, alii fructum arboris, vel gummi ſub mare creſcentis, alii jecur piſcis, alii ſtercus cujuſdam piſcis, alii naſci in ſpecie fungorum ſub mare dicunt. Conſule *Serap.* & *Almanſo.*
Aqua holſobon, eſt aqua ſalis panis.
Aqua Lilii, eſt auripigmentum.
Aqua Mercurii.
Aqua Marina.
Aqua nitri, eſt ſal alkali vel aqua fortis.
Aqua permanens, eſt Sol & Luna ſoluta, in aqua ſimulque junctis. Dicitur etiam aqua cœleſtina, & Mercurius Philoſophorum.
Aqua philoſophica, nominatur quibuſdam acetum ſublimatum: aliis vinum circulatum, aliis, aqua perennis, non madefaciens manus.
Aqua Palaſtina, eſt flos æris, vel viride æris,
Aqua pluvialis, eſt aqua dulcis.
Aqua rubicunda, *aqua Megi aqua ſegi*, eſt aqua vitrioli,
Aqua Salmatina, eſt de ſale facta.
Aqua Saturnia, eſt aqua generata ex tribus primis in meatibus terræ reſoluta in lapillis diaphanis, quales ſunt aquæ radicatæ acetoſæ *&c.* *Aqua vitri.*
Aqua vitæ eſt Mercurius: interdum ſumitur pro vino diſtillato, & pro aqua compoſita ex variis ſpeciebus ex vino diſtillato.
Antimonium, Cordiale maximum aquarum omnium.
Antimonii, Mortificatio, eſt ejus ſublimatio, *lib.* 5. de natura rerum *pag.* 429.
Antimonii oleum in magna Chirurgia *pag.* 62.
Aqua Cæſaris, aut regis compoſitio, In *lib.* de *perſicaria*, *pag.* 742.
Aqua Theriacalis, in *lib.* de *Perſicaria*, *pag.* 742.
Aquam ſalis petræ, & ammoniaci modus faciendi *lib.* 5. de natura rerum, *pag.* 417.
Aqua ſtillatitia, eſt extractum ſpecificum conſiſtentiæ, & diviſionis aqueæ concretione halituum, è rebus elicitorum, per diſtillationem productum. Eſt duplex,
1. *Stillatitia*, Aquæ ſimpliciter ſtillatitiæ ſunt, quæ mitiores ſunt virtute & conſiſtentia dilutiores, diſtillando ſimplicius productæ. Nam elementum phlegmaticum crudius eſt & minus tenue, ab externa aqua parùm penè differens. Aqua enim ſtillatitia ſimpliciter, minus ignis habet & plus aquoſitatis, quam ſolvens: ſed plus ignis & minus cruditatis quàm phlegma.
2. *Aqua ſolvens*, diſtat à ſtillatitia ſimpliciter acredine ignea penetrante, ſeu acumine, & diſtillatione laborioſiore, ut quàm minimum habeat aquei elementi ſimplicis, ſed igneum potius fluorem, quaſi eſſent ignes aquei, aquæ ardentes, *&c.* à Gebero nominantur aquæ acutæ, ab aliis clavis philoſophorum; cujus vim in aliquibus aſſequitur à tota ſubſtantia hydrargyrus, vulgus diſtinguere ſolet inter ſtillitatitias ſimpliciter ita dictas, & illas corroſivas.
Aquarius, eſt Ferreum.
Areton, eſt Laton. Vide *Laton.*
Aquilegia, *Theophraſtus*, vocat Geniſtam integris floribus, *Aquilegiam.*
Aquilena, eſt conſolida regalis.
Arbores, eſt cutis defœdatio maculoſa, neque ulla eſt in principio exulceratio; ſed in proceſſu temporis: idem quod *Morphea*,

Arcos, eſt Æs uſtum, *aycophes azuphora.*

Aremaros, eſt Cynabrium.

Area, eſt Capitis adverſi fodinarum.

Arenamen, *arenarmei*, eſt bolus Armenus.

Antera, eſt medicina tracta de hyacinthis; ſimilitudine ſumpta à flavo citrinove colore floribus innaſcente. Liliorum, & ſimilibus.

Aphoriſmus, ut pro conſueto ſumitur, ſcilicet regula generali in medicina.

Aqua cœleſtis, eſt vinum rectificatum, ut cœli quodam modo naturam & ſimilitudinem induat, multis peractis revolutionibus.

Aqua cœleſtina, eſt aqua mercurialis. Mercurius Philoſophorum.

Aqua corrodens, eſt acetum, & omnis liquor corroſivus.

Aqua fæcum vini, eſt ea quæ fit ex calce fæcum vini ſuper marmor diſſoluta in modum olëi Tartari.

Aqua lubricata, eſt ea quæ fit cum mucilaginoſis, ut ſunt ſaccara, Julep, & ſimilia.

Aqua permanens eſt ea quæ fit ex duobus perfectiſſimis corporibus metallicis per philoſophicam ſolutionem.

Aqua Saturnia, eſt ea quæ naturam in ſe retinet primorum trium, ut ſunt aquæ thermarum à natura dictorum naturaliter medicatæ, per quæ tranſeunt.

Aquaolves, eſt acetum ut ſupra diſtillatum, & aqua fortis.

Aquaſter, eſt viſio noſtris oculis aliquando repræſentans aliquid quod verè non eſt, at ſolùm apparentia quadam, non re ipſa exiſtit.

Aquila, quæ avium Regina eſt, uſurpatur nomine pro ſale armoniaco propter levitatem in ſublimationibus. Verùm Paracelſus in multis accipi vult pro mercurio præcipitato. *Aquila* Mercurii ſpiritus.

Aquila philoſophorum, eſt mercurius metallorum, id eſt metallum in primam ſui materiam redactum.

Arbor maris, eſt corallum, quod fruticis inſtar in mari creſcat vegetetque. *Gorgonion, Dendires, Lithodendron, Corallion.*

Arcanum in genere, ut occultiſſimum quid ſignificat. Paracelſo pariter occultam in rebus naturalibus virtutem corpoream, & ceu vitæ perpetuæ ac immortalis è cœlo in eam derivatæ participem, quæ multiplicari poteſt arte Spagyrica ſupra priorem conditionem. Virtus cujuſque rei milleſies plus operatur, quàm res ipſa.

Arcaltes, eſt Paracelſo, terræ fundamentum, ſive columna, quod à ſuis conſortibus ſuſtentari non videatur, ſed ab alio magnali & arcano Dei videlicet, hoc ipſum Archaltem vocat. Archates, *Rulandus.*

Archeus, eſt ſummus, exaltatus, & inviſibilis ſpiritus, qui ſeparatur à corporibus, exaltatur & aſcendit, occulta naturæ virtus generalis omnibus, artifex, & medicus. Item Archiatros ſupremus naturæ medicus, qui rei cuique ſuum Archeum peculiarem, & membro cuilibet occulte par Arem diſtribuit. Item Archeus primus in natura, vis eſt occultiſſima res omnes producens ex Iliaſte, divina virtute nimirum ſuffulta duntaxat.

Ares, eſt naturæ diſpenſator in tribus primis principiis occultus, unde ſingula conſtant, qui rebus omnibus formam, ſpeciem, & ſubſtantiam cuique ſuam peculiariter diſponit, ut propriam, & non alienam induat naturam ſpecificam. Notanda eſt igitur inter hæc tria pulcherrime ordinata, divinitus in natura differentia, ut pro ſcholarum conſuetudine loquar. *Iliaſtes* eſt generis generaliſſimi ſubſtantia conſiſtens in prima rerum omnium univerſali materia, hanc in tria genera primum diſponit, videlicet in ſulphur, mercurium, & ſal, primus naturæ diſpenſaror Archeus; indeque res producit omnes in proxima ſua genera. Tandem accedit Ares alter naturæ diſpenſator, ex generibus formas & ſpecies producit in individua. Quarum quæque ſingularem radicem, caulim, florem & folia habet.

Ardentia, ſunt quæ in cibum & potum non aſſumpta, ſunt uſtionibus obnoxia natura propria, ut iſta carabe, terebinthina, gagates & ſimilia.

Aridura, eſt corporis vel membrorum omnimoda conſumptio, vel ſyderatio, ut vocant. Sphacelus, telia, necroſis.

Arles crudum, guttæ ſunt menſe *Iunio* cadentes, roris inſtar in Majo ſtillantis.

Aromata, cuncta ſunt quæ ſuavem, & gratum admodum odorem de ſe præbent ac fragrantiam, quæ alias aromatica generaliter appellantur.

Arcanum Materiale, eſt extructum ſpecificum materiæ corporis vicinius. Cum materia corporis fit ex duplici elemento humido, & ſicco (aër enim & ignis formalia ſunt potius, & efficientem habent rationem) Itaque hoc arcanum duplex eſt, ſtillatitia, & coagulum ſpecificum: Arcanum ſpecificum, eſt extractum naturæ interioris cujuſque ſpeciei ſubſtantiam referens proprius, ut in illa agnoſci queat.

Archeus Paracelſi, eſt aura vitalis, ſeminum & vitæ directrix & τὸ ἐνορμυν *Hippocratis*, *Vanhelmont.*

Archeos, Species inviſibilis oberrans, & ſe à corporibus ſeparans, medici vis, & virtus naturæ.

Arena, Hujus ſpecies ponit *Ruland.* 23. *pag.* 54. qui ſi placet videat.

Arſar, *arſag*, eſt arſenicum.

Argentum, A Chymiſtis Luna cui etiam tribuitur: eſt metallum proximum poſt aurum, album albedine pura, mundum, durum, ſonans. Tinctura ejus albedinis eſt ex argento vivo puro, ferè fixo, claro, albo, & tali de ſulphure mundo, fixo, albo, claro quod cecidit ſuper ſubſtantiam argenti vivi, deficit ei pauca fixatio, color & pondus. Eſt quaſi filia naturæ præponentis aurum, cöeunte argento vivo, & ſulphure albo, non urente.

Reperitur argentum in fodinis. 1. Quod ſtatim eſt ſuum, quod ſine opificio fornacum fit, quod purum in venis reperitur, quod tale eſt ſine excoctione: quod tale ortu generatum eſt, quod eſt ſui coloris, cui ſemper aliquid ſaxi ferme adhæret, adhuc abrepti in valle, ut videmus effodi ex fodinis. Hoc argentum purum tenuiſſimis bracteis amplectitur lapidem: interdum præ ſe fert ſpeciem capillorum, inter virgulatum interdum globi fert ſpeciem, quaſi filis convoluti candidis, aut rubris, interdum præ ſe fert ſpeciem arboris, inſtrumenti, montium, herbarum & aliarum rerum. *Rulandus* affirmat ſe vidiſſe integrum piſcem: Chriſtum crucifixum, cum *D. Maria*, ſerpentem etiam, & ſcorpionem, *&c.* ex puro argento in viſceribus terræ formatum. *pag.* 56.

2. Rude à Germanis, variarum ſpecierum, coloris rubei, plumbei, purpurei, nigri, cineracei, ruffi &c.

Quod excoquitur ex metallis, ut pyride plumbagine à Germanis. Qui plura de argento

ſcire

scire desiderat, legat *Ruland.* à *pag.* 56. ad 66.

Argentum vivum, Chymistæ Mercurium vocant, est aqua viscosa in terræ visceribus, subtilis substantiæ, albæ terræ, per calorem temperatissimum unita totali unione, perque minima, quousque humidum fuerit, temperatum & à sicco, & siccum ab humido æqualiter.

Estque *Argentum vivum*, altera pars lapidis philosophorum secundùm Chymistas. Et principium alterum, materque omnium metallorum, & secundùm quod coit cum patre, & masculo suo sulphure, causat perfectionem, & imperfectionem in metallis, & metalla quoque (ut fœtus) plus à matre, sic loquendo, quàm patre habent: hinc plurimum trahunt originem, & in hoc plurimum resolvuntur, Argentum vivum est duplex, 1. Nativum, 2. Artificiale.

1. Nativum, sui coloris, sine excoctione, quod tale reperitur intra metalla in lacubus in quos è fibris effluxit, est mater, & elementum Metallorum. Est & lapis in iis venis, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur.

2. Artificiale quod fit vel coquitur, ex minio ipso lapide nativo, sive ex vena minii: & reperitur in fodinis. *Dioscor. lib.* 5. *cap.* 6. docet hujus conservationem, usum, venenum, & antidota. Græci, tam nativum quam fictitium vocant hydrargyron.

Nota argentum vivum dum est liquidum, in officinis nostris, dicitur crudum argentum vivum: dum verò est mortificatum, in officinis vocant concrematum, seu sublimatum, à nonnullis. Chymistæ ponunt argentum vivum frigidum & humidum quarto gradu, liquidum in tertio, album secundo gradu, tenebrosum primo.

Argentum vivum, id est Spiritus, vel Mercurius, servus fugitivus, fumus albus, *Rulandus* enumerat *pag.* 68. ad 70. varias species argenti vivi, usque ad 23.

Argillæ dicuntur, quia similes sunt his argillis quibus figuli utuntur.

Harum argillarum varia sunt genera quæ discernuntur reperta in fodinis, quorum *Rulandus pag.* 7. refert. 16. genera: ex his omnibus pigmenta fieri possent, si non tam humidæ forent: ollæ ex his optimæ forent; si argillæ rectè elaboratæ à figulis in ollas more solito informarentur.

Argistata, est Incerata.

Argyros, est Argentum: inde Lithargyros, lapis argenteus; Lithos, n. est lapis.

Asabon, est Sapo.

Asagen, est sanguis draconis. *Asegen*, & *Azogen.*

Asagi, vel *Azegi*, est vitriolum vel atramentum rubeum.

Asamar, est viride æris. *Asingar*, vel *Asugar.*

Aseb, asep, est alumen, res est metallica, seu vena terræ quæ habet mediam substantiam inter calchantum & sal, & reperitur in fodinis: Estque Salsugo quasi terræ *Plin, lib.* 35. *cap.* 15. fit ex aqua limoque, hoc est terræ, exundantis natura: corrivatum hyeme æstivis solibus maturatur.

Estque vena quasi terræ, quæ per nimium calorem, in album colorem transducitur, & omne Calcanthum alumen continet. *Azub, azel.*

Ased, est Leo.

Asdenigi, est Æmatites. *Azedegim.*

Asenec, est Sol.

Asmaga, est permixtio vel commixtio quorundam metallorum ad invicem.

Asoper, est Fuligo.

Asseres, qui continuæ lateribus imponuntur, etiam dissectæ arboris extimi.

Asubedegi, est lapis scindens alios lapides.

Atac, est tach, vel nitrum.

Atebras, est vas sublimatorium.

Attingat, est flos æris. *Atincar*, Borax.

Attingir, est Capsula terrea.

Atureb, est vitrum.

Aurancum, & *aurantum*, est testa ovorum.

Auraric, azoch, azog, azet, Besec, est Mercurius.

Avis Hermetis, *Æs Hermetis*, *avis volans*, quia in altum evolat, & tamen iterum in teram propter nutrimenta descendit, unde nutrix omnium est terra.

Auripigmentum, est Arsenicum luteum. A Germanis *Operment* vocatur, pictores uti solent. Est crustosum aureo colore micans; Est affine quoddam sulphuri, ex simili materia & odore. Estque sterquilinium terrestre (ut ita dicam) in cavernis terræ, quod per longam decoctionem transit in substantiam auripigmenti. Vide plura, *Ruland. pag.* 87. ad 90. si placet.

Azarnet.

Aurichalcum, est Cuprum.

Aurum Philosophorum est plumbum.

Aurum vivum, est argentum vivum.

Auver, est aqua pura, vel lenis.

Azaa, est Marga, Terra rubea.

Azci, est atramentum. *Azec*, est atramentum viride.

Azeg, *azegi*, *azeci*. est vitriolum. *Azuric*, est vitriolum rubeum.

Akem, est butyrum coctum. *Azemasor*, est Minium vel Cinabrium.

Azuc, est corallus rubeus. *Azubo*, Vas Chymicum.

Azimar, & *azamar*, est Vermilio, vel Minium. *Azimar*, est æs ustum.

Azungia Vitri.

Azoch, est Laton, est cuprum aureo colore tinctum lapide calaminari *&c.*

Aroph, est mandragora. *Aroph.* Paracelsi curat calculum.

Arsaneck dicitur, arsenicus sublimatus.

Arsenicum, est fulgur metallorum, est etiam sal ipsorum & Saturni, quod alias *artanec*, vel *artanech*, reperitur nonnullis locis.

Artetiscus dicitur, qui membri defectum patitur alicujus.

Arthoicum, est oleum rubeum ex radicibus herbarum unà cum pane simul in fimo digestis, arte tractum.

Asphaltum, est bitumen ex limo terræ & aquæ tractum ad similitudinem picis Est flos æris etiam.

Ascendentia, signa dicuntur, vel astra firmamenti cœli, & præcipuè syderei spiritus.

Asaphatum, est serpigo, vel impetigo, aut inter cutanea scabies in poris generata, vermiculorum instar, edunt, si comprimatur cutis, fila oblonga nigro capite prosilientia.

Assala dicitur, nux myristica.

Assaliæ, vermes dicuntur in ligno nascentes, vel inter asseres, alias teredones. *Aselli*, Millepedes.

Asthma pulmonis est morbus, vel peripneumonia unde gravia suspiria.

Astrum, hoc loco dicitur, virtus & potentia rerum ex præparationibus, acquisita, ut sulphuris astrum est ejus accensio, qua vertitur in oleum præstantissimum. Item astrum salis est ejus in aquam vel oleum resolutio qua pariter majores vires induit quam antea habuerat. Mercurii pariter astrum, est ejus sublimatio, qua miram acquirit vim

vim & potentiam naturali sua majorem atque subtiliorem.

Athanor, vel *athanar*, est furtus in arte Spagyrica potissimum reverberatorius, nonnunquam etiam alterius usus, juxta arbitrium artificis adaptatus. Vide plura apud *Ruland. pag.* 76. ad 78.

Atramentum, varia significat juxta adjectionem, ut sutorium est cuperosa, interius rubeum calcanthum, scriptorium ad pennam aptum, fuligineum ad typographiam: item album, viride cœruleum, atque distillatum ex viridi, quod Romanum vocant, aut ex alio quopiam. *Atramenti*, varias species numerat *Ruland pag.* 78. ad 80.

Attractiva, dicuntur medicamenta, alias magnetica, quæ vim ad se trahendi habent, ex similibus etiam attractivis composita.

Auguristæ, dicitur superstitiosus artifex, qui suam artem in speculis, crystallis, & in aquis exercet, præcipuè in volucrium cantu volatuque, ut ex eis præsagiat: aliorum etiam ritus ob eandem causam observat.

Aurum potabile, est liquor auri sine corrosivo, quod paucissimi norunt eorum etiam qui parant in dies in hominum perniciem potius quam ad salutem.

Aurum vitæ, est aurum præcipitatum, & in summam rubedinem cinabris tritæ similitudinem reverberatum præstantissimum quod ex proprio suo mercurio fit, ac præcipitatur.

Austromantia, alia est superstitio quædam excogitata, ex ventorum observationibus, ut quum astra ventorum in summam, ultra consuetudinem, vehementiam erumpunt, inde futuri præsagium homines otiosi magis quàm curiosi pronunciant.

Axungia, de mumia, quæ interdum munia de medullis etiam scripta reperitur, est medulla ossium.

Azoth, est argentum vivum ex quovis corpore metallico tractum, & propriè mercurius corporeus. Paracelso præsertim est, universalis & indifferens medicina rerum speciem omnem exuta, & intensissimam induta vim, atque centralem quandam virtutem generalissimam, reliquas omnes medicinas in se concludit, non aliter quàm prima reliquas omnes substantias, exclusis accidentibus. Hanc in ensis pomo conclusam quocunque locorum jërit gestasse secum perhibetur.

Atramentum sutorium, est vitriolum, id est Calcanthum, *Rul. pag.* 80. ad 86.

Aurum, Alchymistis dicitur Sol, & soli tribuitur. Et corpus metallicum, citrinum, fulgidum, ponderosum, æqualiter in ventre terræ digestum, aqua minerali diutissime lavatum: ex argento vivo, puro, fixo, claro, rubeo: & ex sulphure mundo, fixo, rubeo non adurente. Aurum est subtilissima substantia argenti vivi. Videmus enim argentum vivum facilè aurum suscipere, quod proximum sua natura est, ut mater filium suscipit. Deinde aurum, ex pauca substantia mundi sulphuris, & puræ rubedinis constat, plus tamen habet argenti vivi quam sulphuris, plus habet à matre quam patre. Sulphur purissimum cum matre argento vivo, pater coiens, optimum generat filium aurum. Breviter argentum vivum coagulatum, sulphure, puro igne, non tamen adurente fit aurum. Hic est filius delectus, quem proponit facere, ad quem semper contendit natura. Est metallum omnium temperatissimum calidum & siccum secundo gradu, fixum & rubeum tertio gradu dicunt.

Aurum est duplex 1. Nativum purum 2. Coctum.

1. Nativum purum, quod à natura tale est, cujus massas *Hispani* vocant, Palucas, reperitur in fluminibus, ut in *Tago*, *Albi*, *Sala*, *Schwartza*. 2. In montibus *Arabicis*, in fodinis & puteis, partim ejus scintillæ quasi adhærent ad *Saxi* quoddam genus candidissimum vocatum à *Germanis* Quartz. 3. In capitulis piscium quos Forellas vocamus.

2. Coctum, quod conflatur seu coquitur. 1. Ex pyrite coloris cineracei, & galeneæ, (*which is a vein of Lead and Silver together.*) 2. Ex terra quadam purpurea, vapore & halitu terræ ita temperata & affecta, ut sit fœcunda auri, ex qua in camino excoquitur aurum. 3. Ex Chrysocolla. 4. Ex cæruleo. Plurimum facit ad auri bonitatem regio. *Arabicum*, *Hispanicum*, *Hungaricum*, *Germanicum*, certis distant gradibus, plura scias *Ruland. pag.* 92. ad 94.

B

Baculus ferreus, est instrumentum cusum ad sustinenda imposita vasa.

Bayda, est vas quod distillatur.

Bagedia, est libra 12. unciarum. *Berdadia*, etiam est Libra.

Beiac, est Ceruса. *Balziam*, est faba.

Balasius, Purpureo seu roseo colore flammescit, & rutilat, à nonnullis placidus dicitur, aliqui putant esse Carbunculum, colore ac virtute diminutum, quod admodum virtus fœminea, à virtute maris differat. Pluries compertum est quod exterior pars unius lapidis attestatur balasio, interior, carbunculo, & ex hoc dicunt balasium esse domum Carbunculi. Varias cogitationes aufert, & luxuriam reprimit, conciliat amicorum discordias, & in humano corpore sanitatem inducit. Et potatus cum aqua sanat oculorum infirmitates, & hepatis doloribus subvenit.

Balitistera, est Terra rubea.

Barach panis, est nitrum salis.

Barcata, est Meatus Ignis.

Barna, est vas vitreatum.

Basura, est semen. *Baul*, est Urina.

Batitura rami, est squama veneris. *Batitura æris*, est squama Metallorum.

Baurac, est sal gemmæ saphirium lithargyrum albificatum, est etiam sal vitri, fæx vitri, spuma vitri, fel vitri: testudo argenti vivi,

Baurac, etiam est attinchar, quodlibet genus salsuginis.

Bezar, vel *Besar*, Lapis viridis pretiosus.

Bianchetunsim pythium, est ceruса. *Biladen*, est Chalybs,

Bitumen, est sulphurea terra, succus pinguis bituminum varia sunt genera.

1. Liquidum oleo simile petroleum.
2. Liquidum odoratum Saxonicum.
3. Odorarum camphoræ nativæ.
4. Nigrum crassum quod à picis colore nomen habet, à lacu *Sodomæo*, quo Mauri cadavera implent. Nigrum crassum è Palestina.
5. Fossibile carbonibus simile.

Bodid, est ovum.

Bos, est Calx viva.

Bolus, est Coagulum specificum, quod essentiale chymicum, ut sit essentia quædam liberata ab impuris, & alienitatibus, per coagulationis (quam necessario antecedit solutio) nodum segregata, constitutaque quomodo solent boli eluti in specie fieri, ut fit eis consistentia, & forma homogenea, qualis est bolaris, novemque etiam tabulis, id quod ad essentiam parum interest.

Ruland.

Ruland ponit sex species, quarum *Armenius* verus magno habetur in pretio apud *Turcicos* Impeperatores, qui utuntur eo contra Febres, Pestem, & Anginam, *pag.* 105.

Bonati, est vitreati.

Borades, est Limatura.

Borax, est chrysocolla. *Batrachum*, & vocatur attinchar naturale.

Borax, est affronitrum attinchar, vel nitrum. Vocatur capistrum auri,

Botanum, est plumbum ustum.

Botus barbatus, est vas super vas, in quo funditur aurum.

Botus barbatus { Vas fusorium. / Descensorium. / Crucibulum. / Cuneo factum ad fundendum.

Bractea, est Cuneus ferreus latus. Laminæ Solæ.

Brachium, est Cuprum.

Braricia, est Vitrum.

Brase Carbones.

Blumati terreum, est vas vitreatum. *Buccatum*, est vitreatum.

Buccellare, est Cibare, & Frustillare.

Bulbus, est Cepa Marina. Et Bulbus creditur esse squillam.

Bulga, in quam bacillo agitatæ aquæ infunduntur.

Bulga, per se hauriens aquas.

Burnea, est pix.

Burac, est omne genus salis. Alii verò distinguunt ut *Baurac*, *borago*, *borax*, *uritar augar*.

Butiga, sive gutta ruonio vel rubeo, est inflatio totius faciei.

Buffonitis, est gemma seu lapis qui è Bufonis capite erui traditur, (errant qui Chelonitum vocant, quem proprio titulo descripsi.) Hunc lapidem viri Principes semper gestare secum meritò deberent. Nam si venena vel intus in homine lateant, aut ipsi extrinsecus admota sint, etiam præsens ille colorem mutat, & guttulas quasi sudando emittit. *Ernestus Burgravius.*

Buffali, ex Cornu, annulus conflatus, & digito annulari gestatus, spasmi convulsionibus mederi dicitur.

Burgravius.

Balneum Mariæ, vel maris, ut multi vocari volunt, est furnus distillatorius aquam continens, in qua calente vasa chimica ponuntur ad putrefactionem suæ materiæ quam capiunt, ad separationem, & id genus humidarum ascensionum perficiendas operationes.

Balneum roris, vel roritum, est furnus in quo super vaporem aquæ duntaxat, vasa distillatoria suspenduntur, ut aquæ corpus non contingant, alio nomine vaporosum, aut vaporarium vocavimus.

Balsamum, est substantia corporum à putredine conservans. Balsamus alias à nonnullis scribitur. Est internus, & externus. Internus in humano corpore, temperatissima quædam est substantia non amara, non dulcis, non acerba, neque Sal minerale, sed sal liquoris, quod à putrefactione validissimè præservat humana corpora: dicitur etiam naturæ corporis gluten temperatissimum. Breviùs sic definitur. Est salis interioris liquor suum à corruptione corpus tutissimè præservans naturaliter. Externus verò terebinthina vocatur à Paracelso, nullam ignis violentiam passa sed digesta. Item est omne quod celeriter sanat, à germanico sermone ad Chirurgiam adaptatum nomen duabus dictionibus *bald zamen*, id est celeriter conjunctum. Dicitur etiam oleum ex omni corpore distillatum & ad summum gradum puritatis adductum, *Belesor*, est Balsamus.

Balsamus de mumiis, est, balsamus de carne tractus.

Balsamus elementorum externus, est liquor mercurii externi, aliàs mumia elementorum externorum, & propriè rerum firmamentalis essentia, quam etiam nonnulli quintam vocant.

Blachmal, est materia liquefactione plurium una metallorum confusa in sulphur injecta.

Barnabas, vel potius *barnaas*, est sal petræ urinarium, quod etiam acetum acerrimum dicitur.

Basiliscus minor, est stellio.

Berillus, est speculum ex crystallo superstitiosè consecratum ab auguristis, *Ruland. pag.* 101. 102. ponit *octo Berilli* species.

Berillistica, est ars in ejusmodi specillis visiones observandi.

Besachar, fungus dicitur.

Besonna verò muscarum fungus.

Bisematum, est omnium levissimum, pallidissimum, & vilissimum plumbum.

Bitumen perversum, est liquor incertus.

Bolus, dicitur lutum quod minerale nullum in se habet.

Borhor, aut *cossi*, sunt apostemata parvula quædam pustulosa faciei candida.

Botin, est terebinthina certo suo tempore collecta, quum plus virium à cœlestibus hausisse putatur. Est etiam balsamus ex eadem tractatus artificiosè, alias burimo.

Botium, est apostema proveniens in gula, veluti struma.

Boxus, dicitur viscus in arbore nascens, ut viscus quercinus, *&c.*

Brassadella, vel *brassatella*, est ophioglossum, aut lanceola, quam etiam linguam serpentinam vocant.

Brunus, est ignis sacer in membris, alias Erysipelas vulgò ignem *S. Antonii* vocant, nonnulli vindictam ejus.

Bruta, cœlestis est virtutis influentia quæ per animalia bruta rationalibus manifestatur, ut in chelidonia per hyrundinem, in sale per ciconiam clysteris usus, & id genus alia multa.

Butyrum Saturni est, quod supra *altey*, atque dulcedo plumbi.

Blas Cordis, est spiritus vitalis, & consequenter sui caloris fomes, spiritus verò sic animatus, & Cordis mater, in Scholis pene neglectus. *Vanhelmont. pag.* 183.

Blas regiminis, agit circa effluvium corporale prout Luna mare tnmefacit. *Vanhelmont. pag.* 336.

C.

Cabala, *Cabalia*, Ars *Cabalistica*, est Scientia occultissima, quæ divinitus unâ cum lege *Moisi* tradita fuisse fertur, quæ nobis Dei doctrinam de *Messia* patefecit, cum Angelis amicitiam cultoribus suis contrahit, rerumque naturalium omnium cognitionem tradit, ac divino lumine mentem pulsis tenebris illustrat. Vox est *Hebræa*, *Latinè*, dicitur Receptio, quod unâ cum lege quam postea scriptam populo tradidit secretiorem, & veram legis Enarrationem *Moyses* in monte divinitùs acceperit, quam scribere nefas erat. Sed ordinariis revelationum successionibus, alter ab altero, quasi hæreditario reciperet jure, ne à prophana multitudine divina mysteria cognita vilescerent aut violarentur. *Persæ* fuerunt hujus diligentissimi

cultores

cultores & ſuos ſapientes magos appellarunt, quales fuerunt illi tres, qui *Bethlehemum*, ex Oriente Chriſtum adoratum venere & non reges ut vulgus hactenus exiſtimavit. De hac Reuchlinus Germanus, & Picus, Italus Mirandulæ dominus, & Petrus Galatinus copioſiſſime ſcripſerunt. Et Galatinus affirmat veteres Rabbinos per hanc Cabalæ ſcientiam, Trinitatem, Chriſtumque Dei Filium agnoviſſe. Non igitur ſtulta multorum opinione ars eſt, ſed potius ſcientia certa & cœleſtis per quam *Theophraſtus* ut de ſe ipſo ſcribit, Dei beneficio doctrinam ſuam conſecutus eſt, nec à ſpiritibus, malis quicquam habuit: quare falſo, hac calumnia ab invidis gravatur. Conceditur hanc ſcientiam apud multos in abuſum deveniſſe veluti alias ſcientias. Scribit enim *Theophraſtus Hebræos* degeneraſſe ut in doctrina Dei, ita etiam in hac ſcientia, Quare poſtea in veram ſcientiam, falſamque artem diviſa Cabala fuit. Acceſſit etiam litteralis quæ meritò inter artes incertas numeratur, præſertim ſi *ex Hebræo* fonte non procedat. Vera enim Cabala in S. literis ſuum habet fundamentum. Multa de hac ſcientia *Theophraſtus* in libris de Philoſophia ſagaci ſcripſit; nec dubito, quin lapſu temporis nationes exteræ ſincerius de *Theophraſto* judicabunt quam Germani quidam modò. Cum clarius luce ipſa ex ejus monumentis conſtat eum fuiſſe ſummum philoſophorum, & medicum incomparabilem: & qui nullum Chriſtianæ fidei articulum negaverit; & ſi quædam S. Scripturæ loca aliter quàm vulgò ſolent, recentioribus quibuſdam doctiſſimis hominibus ipſi adſtipulantibus interpretatus eſt: ſed de Chriſto Salvatore multa præclara docuit, ut ex ipſius libris patebit.

Michael Toxites, *M.*

Cabulator, eſt ſal nitrum.

Cabebi, eſt ſquama ferri. *Cabeth.*

Cabel, eſt ſtercus.

Cacabus, eſt vas continens chores tres.

Cacochyla, eſt malus ſuccus in corpore. *Cachochymia.*

Cacia ferrea, eſt Cochlear ferreum.

Cadaria, eſt Tutia.

Cadmia, eſt duplex. Nativa, & Factitia. Vide titulum Æris. Plura leges de *Cadmia* ſpeciebus apud *Ruland.* à *pag.* 110. ad 121.

Cadmia Acinaſa, eſt Tutia. Item *Cadmia*, eſt liquor candidus,

Cal, Arſenicum citrinum. Item acetum.

Calamina, eſt lapis Calaminaris.

Calcadis, eſt vitriolum album. Aliàs ſal Alkali.

Calchanthos, vel *Calchanthum*, ſignificat.

1. Florem æris.
2. Calcitidem, quæ ſpecies vitrioli.
3. Vitriolum.
4. Æs uſtum, vel petrinum.
5. Vitriolum viride. *Calchanthum*, & *Colcothar*, granulis atramenti & generantur, & nutriuntur. Sale ſoluto, & ipſa ſolvuntur, quod eſt in Venere. Congelant frigore; Venus de quibuſdam mineralibus in mineris participat. Si rubedo adſit, aquoſitas abundat, ſi viriditas, aër exuperat. *pag.* 123. & 124. *Rulandi* plura de *Calcantho* videas.

Calchantum, *Calcadis*, eſt ſpecies atramenti.

Cataton, eſt Trochiſcus de Arſenico.

Callcithios, eſt ærugo æris. Item Marchaſita.

Calcata, Atramentum citrinum.

Calcatar, *Calcotar*, *Calcadinum* eſt Atramentum rubeum, Vitriolum,

Caldar, eſt ſtannum.

Calcocos, eſt Æs. *Calcithos*, eſt æs viride. *Calcamonon*, Æs uſtum.

Calcitari, eſt Sal Alkali. Alkael, *Cali* eſt cinis clavellatus.

Calcidicum, eſt Medicamen de Arſenico.

Calmet, *Cojmec*, eſt Antimonium. *Coſmet. Cuſmet.*

Calufaz eſt oleum Indi.

Caluſa, *Cyptas*, eſt Cryſtallus.

Calor naturalis, eſt quando radii ſolares vel per ſe materiam ſibi applicatam excoquunt, vel in ſpeculo concavo collecti rei applicantur. Hujus ignis uſus eſt apud artifices diſſolvere & calcinare.

Calor cinerum, quando partes fixiores per cineres eliciuntur. Hic medius eſt inter balnei, & arenæ calorem, proinde illius ope, non modò ſubtiliores & ad naturam aquitatis ſimplicis approximantes, ſubſtantiæ propelluntur, ſed etiam colores, & fixiores partes eliciuntur.

Calor fimi, eſt quando vaſe in fimo poſito, materiam continente, digeſtio fit. Hic calor uſus eſt in infundendis, digerendis, & putrefaciendis rebus. Adhibetur interdum fimus equinus, in quo vas ſepelitur, aliquando vas ligneum fœno vel ſtramine impletum, cui vapore fervente aqua applicatur, fimi in locum adhibetur.

Calor digerens, eſt quo materia diſſolvenda digeritur, & aut athanore, aut fimo perficitur.

Calor fortis, eſt quando igne auctiore & intenſiori res ſeparantur.

Calor arenæ, Medius eſt inter cinerem, & ſcobis ferri, & eſt quando vas materiam continens in catino arenario, arena circundatam ſubſtantiam fixiorem, & quam cineres propellere nequibant, protrudit. Ubi advertendum arenam ſubtilem, non adeo violentum calorem præbere, quàm groſſam.

Calor ſcobis, aut ſcoriæ ferri ſuperiore intenſior, & aperto vicinior eſt quando ex ſcobe, vel ſcoria ferri res propelluntur.

Calor carbonum, eſt quando calor prunarum flagrantium materiam, vel vas proximum tangit. Hujus uſus eſt in infuſionibus, cæmentationibus, probationibus, calcinationibus, & diſſolutionibus.

Calor flammarum, eſt quando adhibito conveniente alimento flammæ materiam attingnnt. Hic calor vocatur ignis vivus, quo reverberantur, & calcinantur omnium metallorum corpora, nec non ſpiritus tandem propelluntur.

Calor veſicæ levis, eſt quo ex materia veſicæ appoſita, applicato alembico ſubſtantia humida prolicitur.

Calcinatio corporum, eſt combuſtio, quæ fit igne majori, vel eſt rerum coagulatarum in calcem ſolutio. Eſtque Calcinatio vel Corroſionis vel Ignitionis.

Calcinatio corroſione ſicca eſt, quando corporibus calcinandis non humor, ſed ejus in locum corrodentes materiæ ſiccæ adjunguntur, quibus calcinantur. Eſtque cæmentum, & commixtio.

Calcinatio corroſione vaporoſa, eſt quando corpora metallica in tenues laminas redacta per aërem corrodentemque fumum calcinantur.

Aliquando corpora laminata ſuper aquis fortibus, aliquando ſuper aceto, vel recrementis uvarum preſſarum ſuſpenduntur; aliquando præſertim nobiliora metalla, plumbi fuſi, vel argenti vivi afflatu fragilia redduntur, & comminuuntur: aliquando alii modi adhibentur. *V. G.*

Calybem, in crocum ſubtilem per vaporoſam corroſionem redigere geſtiens, ita procedo. Primum paro aquam fortem ex ſalis petræ & vitrioli ad albe-

ad albedinem calcinati partibus æqualibus, eamque in cucurbitam vitream fundo. Post in cucurbitæ superiori parte laminas chalybis suspendo, lutoque vasis artificium obduco, ne spiritus aquæ fortis ullo modo exhalare queant, ac viginti quatuor horas in arena calida vaporare permitto. Deinde aperto vase laminas eximo, quibus crocus, vel pulvis subtilissimum adhæret, quem lagopode detergo. Porrò laminas iterum in dicto vase suspendo, & modo superiore procedo, idque tantisper donec nullus crocus ulterius à spiritibus extrahitur, aut in laminis reperitur. Sic plumbum super aceto suspensum calcinatur in cerussam, sic cuprum super recrementis uvarum, atque ita reliqua metalla vaporibus corroduntur.

Calcinatio humida immersiva est, quando corpus liquori alicui immergitur, qui corrodat indeque calcinet: perficiturque amalgamatione, aut præcipitatione.

Calcinatio reverberii, est in Calcem solutio, Calx autem generali significatu est pulvis quilibet in partes impalpabiles comminutus, quem & alcool nuncupare consuevere. Itaque sub se comprehendit calcem propriè dictum, Alcool, quod est à levigatione cinereum, & corrosionis atoma.

Calcinon, per reverberium est duplex.

Calcinatio specialiter dicta, & cinefactio.

Calcinatio Specialis, est qua principaliter dicta calx in combustione reverberante efficitur. Itaque à Græcis aptius appellari poterat τιτανῶσις quod τίτανον efficiat, cujus species quædam ἄσβεςος, quam in extinctam seu vivam, è calcario lapide confectam nominant. In hac vel res solitaria calcinatur, vel cum additamentis combustionem penitus adjuvantibus, ut sunt sulphur nitrum, *&c.* quæ tunc adjicimus, cum valida admodum est indomitaque rei compages. Alioqui volatilia citius dissiparentur, quàm à flamma vincerentur fixa. Sed spiraculum debetur nitrosis ut vas sit tutum. Vide *Calcinatum* majus & minus.

Calor, est Liber aut Impeditus.

Liber qui proxime materiam, aut vas materiam continens tangit. Hoc calore proliciuntur, quæ contumacius liquorem emittunt, seu fiat ob siccitatem aut paucitatem, seu quod ob viscositatem & homogeneitatem terreis partibus pertinacius adhæreat: & calcinationis fusioni, & aliis operationibus inserviat.

Calor impeditus, est quando ignis à materia vel vase, ne illud proximè tangat ab alio vase impeditur.

Calor liber, est Carbonum vel flammarum.

Impeditus est arenæ vel scobis.

Caballi, vel *Cabales*, sunt lemures, & astralia hominum corpora, qui ante prædestinatum vitæ curriculum repentina morte quapiam extincti sunt. Isti post modum oberrare putantur super terram, lemurum instar, donec terminus prædestinatæ vitæ completus sit, ut quod vivere corporaliter debebant, spiritualiter adimpleant, si credere fas est, veræque Religioni Christianæ dissonum esse non comperiatur ex Scripturis sacris, unde petendus lapis lydius, quo reprobatur omne quod ex auro non conflatum est evangelico.

Cacedonium tartarum, est materia peccans in corpore humano, ob separationem facultate segregativa factam, non succedente mox expulsiva.

Cafa, dicitur pro camphora.

Cahos, præter omnium rerum congeriem. Theophrasto est aër; & pro Iliaste supradicto, vel Iliastro sumitur. Et *Chaos*.

Calcanthum, est vitriolum.

Calcinatum majus, dicitur omne quod arte spagyrica dulce factum est, quod ex propria sua natura non erat, ut mercurii dulcedo, plumbi vel ejus anima, salis & similium, quæ celerrimæ consolidationis existunt.

Calcinatum minus, est omne quod à natura dulce est, & citissimè curat, ut saccarum, manna, tereniabin, nostoch, & similia quæque.

Callena, species est salis petræ.

Calleruth, est indicium desiderii ad primum perpetuum, ut quum quidpiam in primam materiam redire cupit, ex qua prodierat.

Calliette, sunt fungi flavi in plantis juniperinis.

Calx mercurii, est præcipitatus mercurius.

Calx veneris, est viride aëris.

Calx Saturni, est minium.

Calx Jovis, est spiritus Jovis.

Calx martis, est crocus calybis vel ferri.

Calx salis, est aurum calcinatum.

Calx Lunæ, est argentum, *calx argenti*, vel azurinus flos ejus.

Calx permanens, vel fixa, est incremabilis materia.

Calx peregrinorum, est tartarum.

Calx lignorum, est cinis eorum, qui in vitrum aut aliam materiam non convertitur.

Chaomantia, est ars qua præsagium sumitur ex aëre.

Claretta, est albumen ovorum.

Cambuca, est apostema, vel ulcus in inguine. Panus inguinis.

Carbones cæli, sunt stellæ.

Carbunculus, est apostema, vel pestilens ulcus ab *atro* sanguine.

Cardonium, est vinum herbis medicatum.

Carena, est vicesima pars guttæ.

Cassatum, est sanguis in venis invalidus, & mortuus, sanguinis boni transitum & motum obstruens. *Para.* in archidoxis.

Caseus præparatus, est residentia viscosa, manens in fundo lactis ex caseo defluentis.

Cathimia, est argenti spuma.

Cauda vulpis rubicundi, est minium ex plumbo.

Cautela, in arte spagyrica, est habitu comparata quædam industria, qua facilius obeunt suas operationes, ac perficiunt artis hujus professores.

Cauterium, *Kautir*, est Instrumentum Chirurgorum, quo aperiunt cutem & carnes exustionibus, est etiam medicamentum in ejus locum surrogatum, quod suo corrosivo citra dolorem aperit.

Celsa, musculus alias dicitur vitæ, pulsus per singulas corporis partes oberrans.

Coadunatio, est elaboratio, qua uniuntur disgregata. Appellatur nonnunquam excellentioris speciei nomine Coagulatio, unde extitit illud dogma Philosophorum, quod Chimicum artificium, in solutione & coagulatione consistat, quo tamen respicitur ad lapidis mysterium, potius. Ita coadunatio est solutionis reductio in his, in quibus fieri potest. Ejus species sunt duæ. Compositio & coagulatio.

Coagulatio, est rerum ejusdem naturæ è consistentia tenui fluidaque ad solidam coactio. Itaque quæ resolutione aquea, aërea, ignea sunt attenuata, per hanc in corpus homogeneum reducuntur. Et sic coagulatio comitatur multas operas, veluti divaporationem, exaltationem, sublimationem, distillationem, *&c.* Et duobus modis. Segregatione, & Comprehensione. Estque vel Frigida, vel Calida.

1. *Coagulatio frigida*, eſt quando res in calido reſolutæ, in frigido coagulantur,

2. *Coagulatio calida*, eſt quando calore conveniente, res diſſolutæ coagulantur.

Coagulatio per ſegregationem, eſt cùm quibuſdam ſegregatis reliquum concreſcit. Itaque concretio σύμπηξις appellari principaliter poterat. Peragitur calore, quo divaporat, ſeu exhalat paulatim humor, qui erat cauſa fluoris.

Coagulatio per comprehenſionem, eſt cum totum ſimul comprehenſum, remiſtamque ad uniformem ſubſtantiam coagulat.

Coagulum, eſt Mercurius.

Coagulum ſpecificum, eſt eſſentia materialis terrea, concreta in conſiſtentiam ſiccam per coagulationem.

Coagulatio eſt quadruplex, *lib.* 7. de natura rerum. *pag.* 452. *Paracel. pr: to:*

Coagulum, *Coagulans*, Sulphur Philoſophorum prima materia unde aurum noſtrum. *Fermentum fermenti*, ſpiritum coagulans. Sulphur coagulans Mercurium.

Cobaſtoli, eſt Cinis.

Cobatiorum fumus, eſt Robolt.

Cocilio, eſt pondus 11. unciarum.

Cœlum, Formæ rerum eſſentiales. Quinta eſſentia.

Cœlum Spagyricum, eſt ſuprema pars vaſis Philoſophici,

Cœlum Philoſophorum, vocatur in quod tranſcendit longè naturam elementorum vulgarium, ut lapis Philoſophorum, medicina catholica, omnis quinta eſſentia.

Cœnum, eſt fimus.

Cœmentum, eſt corroſio ſicca, quâ corpus aliquod metallicum, cum ſalibus corrodentibus, & aliis rebus exſiccantibus, ſtratificatum confringitur, & calcinatur. Fit autem Calcinatio hoc modo --Corpus cœmentandum in tenues laminas redigitur, & in fruſtula forcipe ſcinditur: ſpecies autem corrodentes pulveriſantur, & aceto, urina, vel aqua forti madefiunt ut fiant inſtar pulticulæ (nonnulli iſtis ſiccis utuntur) Deinde hujus particulæ vel pulveris aliqua portio pyxidi cœmentatoriæ inditur, illiqúe lamina ſuperponitur, & laminæ alia pulveris portio aſpergitur, quod ſtratificatio, & ſtratum ſuper ſtratum dicitur. Hanc alia lamina ſubſequitur, idque tantiſper donec pyxis impleta, aut nihil laminarum reliquum eſt, & tandem pulvere ſuperpoſito clauditur, lutoque aliquo tenaci junctura pyxidis munitæ obturantur, & igni, vel, (quod ſatius eſt) ſuo furno imponitur, & ſecundùm gradus cœmentatur, 4. 6. 8. 12. vel 24. horis imò etiam aliquot diebus, (pro re nata) inibi conſervatur. *V. G.* cum præparare velim crocum Martis ſeu chalybis per cœmentationem, accipio calcis vivæ recentis quantum opus eſt, cumque urina virili aliquantiſper madefacio, ut fiat inſtar pulpæ. Poſtea hac pulpa pyxidis cœmentariæ fundum ad digiti lati craſſitudinem tego, eique laminas chalybis ſuperaddo, & vas, (ut ſuperius) impleo, ac luto obfirmo. Omnibus rite paratis, pyxidem in furno noſtro cœmentatorio pono ignemque tertii gradus ad 4 uſque 24. horis continuum. Tandem exempto vaſe materiam, in illo contentam, in morrario probè contundo & per ſetaceum pello, ut fiat pulvis ſubtiliſſimus, ubi calcem à chalybe omnem calida abluo reſiduumque arefacio, & accipio crocum Martis præſtantiſſimum. Eo modo etiam fit crocus Veneris qui operationibus multis inſervire poteſt.

Cæruleum, Græcis κύανος, κύανον, Latinis cæruleum propter colorem, Laſuli, venenatus color, à Germanis vocatur Laſur. hæc quaſi imitantur Arabes, qui Laſuli vocant. *Rulandus pag.* 161 ponit. 17. genera, 162.

Coloratio, per hauſtum liquoris ingredientis, eſt frequens admodum colorationis modus per liquidam tincturam, quam res colorandæ potare ſeu combibere coguntur. Id fit pro natura earum diverſa. Quæ poroſa ſunt, macerantur in tinctura liquida, vel etiam coquuntur unâ, aut irrigantur, perfunduntur que ſæpius reſiccationibus interpoſitis donec color placeat. Ita vulgò tingunt vellera, linamenta, ſerica, pannos, *&c.*

Coloratio externa eſt cum ſuperficiebus duntaxat color exaltatur. Id fit variis modis, quibus aliter atque aliter diſponitur ſubjecti facies externa ad lumen diverſimode terminandum, unde oritur color diverſus, iſque in eadem ſpecie illuſtrior, & veluti interpollis, vel obliterata priore ad diverſam nobilior.

Coloratio, per calorem ſolùm modus eſt colorandi, cùm è potentia in actum, ſeu ex occulto in manifeſtum color protrahitur, adhibito calore duntaxat alteratorio. Neque ſolùm principali extractionis fine hoc fit, ſed & inſervit tincturis arcanis.

Coloratio, per abſolutionem eſt cum fuſcedines ſpirituales aliæque ſordes colorem obſcurantes, mutanteſque aquis acribus eluuntur, itaque color illuſtratur, exaltaturve.

Combuſtio, eſt ignitio, corpora comburendo, in calcem redigens; Incineratio vel vitrificatio.

Comiſdi, eſt Gummi Arabicum.

Compoſitio, eſt diverſorum, coadunatio. Eſtque miſtio & conglutinatio.

Conder, eſt Thus, Olibanum.

Calx in chymica ſignificatione, eſt pulvis quilibet ablationem ſuperfluæ humiditatis, in partes tenuiſſimas & quaſi impalpabiles comminutus.

Calx viva, *non extincta*, abeſtos, fit variis modis. In quibuſdam locis fit lapidibus vel calculis toralibus, coloris cæſii vel cinerei, candidive cuniculis nempè actis in agris ad littora vel ſimpliciter collectis calculis ad littora, aut etiam erutis propriis fodinis, ut fit ad Sulam & aliis locis Fit ad mare ex teſtis oſtreæ, vel marmorum buccinorum, & de corticibus ovorum. Eſt autem *Calx viva* duplex, coloris candidi, & cœrulei. Vis omnium eſt adurens, ignea, mordens, cruſtas inducens, urit in ſumma, diſcutit & extrahit. Odit naturaliter aquam quâ accenditur, amat oleum quo facillimè commiſcetur.

Calx Extincta.

Calx manica alba, eſt Calx alba peregrinorum, vel ex oſſibus piſcium majorum, albis vel conchis marinis quas in pileis geſtant confecta.

Calx aſſata, eſt Alumen ex pomis. *Calx major.*

Camet, *Cames*; eſt argentum.

Canales cuniculi. *Canales* recludere. *Canales* occludere.

Cancinpericon, eſt calidus equi fimus.

Canna, Syphunculos.

Cantacon, eſt crocus hortulanus. *Capiſtrum auri*, eſt Borax.

Capſa, cujus fundum eſt filis ferreis contextum.

Canze, *carnit*, *canna*, *cuſanum*, Sunt varia vaſorum genera.

Capſæ, In quas venæ diſtribuendæ injiciuntur.

Capitellum, eſt aqua ſaponis. *Caput mortuum*, eſt terra

terra mortua, vel fæx. Vide *Theophraſtum pag.* 28. de natura rerum.

Carbunculus, ſumitur pro gemma, habetque nomen ab ignis ſimilitudine, cum ipſe ignem non ſentiat propterea pyruſta dicitur *Ruland.* ponit 6. genera eorum *pag.* 132. Maſculi ſunt flammæ lucidioris, ac in ſole flagrantis. Fœminæ languidius refulgent.

Carmiti, eſt obulus.

Carſia, eſt aqua ſalis.

Catillus ferreus ex acie temperatus.

Catinus arenarius, eſt vas terreum, in modum pilei rotundum cum margine trium vel quatuor digitorum, ex terra tenaci factum.

Catma, Limatura auri. *Catrobil*, eſt Terra.

Catillus cinereus, eſt vas fuſorium, ex cinerum de levi ligno elixatorum, & ab omnibus carbonibus, aliiſque ſpurcitiis defæcatorum partibus duabus, nec non cinerum de oſſibus medulla carentibus (ne tamen de porcis, quæ ſummum diſpendium inferunt, deſumpta ſint) optimè tritorum parte unâ cum cineviſia bona, ad maſſam madefactis, & probè invicem commixtis, in ſuo mortariolo paratum. Cineribus ſiquidem madefactis, hoc mortariolum impletur, & pistillum (vulgò monachus dictum) pulſibus ligneo malleo factis in illud cuditur, ac tandem inſperſis cribro ſetaceo cineribus de æqualibus vituli, aut cornu cervi, unus atque alter pugillus ſuperadditus, atque ut arefiat, eximitur. Fit & in majori forma catillus cinereus, qui in ungulo ferreo formatur.

Cathochites, Veluti magnes ferrum, ſugda lignum, gagates & ſuccinum paleas attrahunt & retinent: ſic cathochites carnes & manus retinet, innato gummi ſeu glutino lentiſſimo.

Cardir, eſt Stannum.

Cedria, Gummi Cedri.

Cementatio, eſt gradatio per cementum.

Cementum, eſt mineralis acuta materia & penetrans, cum qua metalla ſtrata, ad cementandum reverberantur. Et eſt vel ſimplex vel mixta, & eſt in forma pulveris vel paſtæ.

Cementare, *Stratifiiren*, eſt alternis res quaſdam ponere.

Centrum Ovi, eſt vitellum Ovi.

Cepa porci, eſt Squilla.

Cerdacc, eſt Mercurius.

Ceracio, (Hanc *Geber* definit) eſſe mollificationem rei duræ, vel ſucci non ſubſibilis, ad liquefactionem. Dicitur *Ceratio*, quòd medicinam philoſophicam inſtar ceræ igni admotæ facile liqueſcentem reddat. Quando Philoſophi argentum vivum in aurum aut argentum convertere volunt, neceſſe eſt ut habeant medicinam fluentem, quæ ſubitò (ut *Gebri* verbis utar) ante fugam ejus, in profundo illi adhæreat, ipſique per minima conjungatur, & illud inſpiſſet, atque ſua fixatione in igni conſervet quouſque adveniat illi majoris ignis tolerantia, ejus humiditatem conſumentis, & convertat illud per hoc artificium in momento in ſolificum, & lunificum, ſecundùm illud ad quod medicina fuerit præparata. Fit autem *Ceratio* quando corpus ſiccum, & durum ſuo humore, reiterata, frequenti imbibitione profunditur. Signum perfectæ ceratio-nis Arnoldus nobis deſcribit, in 2. magni roſarii, *cap.* 27.

Si videlicet ſuper laminam ignitam medicina projecta velociſſimè, ſicut cera, ſine fumo ſe reſolverit. Sed illam Philoſophis committo.

Cerare, eſt incorporare, vel miſcere.

Cerebrum arietis.

Cerebrum bovis, eſt tartarum combuſtum, *Cerober*, eſt aqua.

Ceruſa, eſt plumbi ærugo. Omnibus eſt nota, & in pharmacopoliis nomen ſuum retinet. Nam ex plumbo vel albo, vel nigro fit pulvis. Alii autem definiunt quod ceruſa ſit ærugo, aut cinis plumbi. Si ex plumbo albo fit, *Hiſpanica* dicitur & eſt candidiſſima. *Dioſcorides*, quando fieri debet, docet *lib.* 5. *cap.* 53. Et addit quomodo torreatur, donec ſimilis fiat ſandaracæ, & quomodo ceruſa lavetur. Leviſſima omnium ceruſa ad candorem fœminarum adhibetur. *Ovid.* de medicamine faciei. *Para.* habet ejus compoſitionem.

Chambar, eſt Magneſia *Chucef*, eſt teſta figulis.

Ceraunia, Inveniuntur in *Germania* ad flumina, ut Albim *Ceraunia* gemmæ Cryſtallo ſimiles infecto colore cæruleo diverſæ formæ, nonnunquam ſicuti clavæ, nonnunquam tanquam pyramides, ut repæſentarent caput Zuccharinum. Integræ nunquam inveniuntur, forſitan propter vim fluminis qua excutiuntur nubibus, & reſultationem in terram. Dicuntur provocare dulces ſomnos, valere contra fulmina, & ad prælia & cauſas vincendas valere. *Solinus*, *cap.* 23. de *ceraunis*.

Chalchitis, una eſt lapis chalchitis, id eſt lapis ærarius, id eſt Marchaſita, ſeu ipſa pyrites, unde æs coquitur: quem Macer, & Meſue lapidem Hellatum dicunt. Altera ſignificatio chalchitis, eſt alumen capillare, & ærarium, quod in pyrite concreſcit. Hinc aliquoties dicitur alumen concretum, Sic *Dioſcor.* Chalchitin, id eſt alumen aduri dicit more Chalchitidis. Videas plura de Chalchitide apud *Rul. pag.* 141. 142.

Chalcute, eſt æs uſtum *Chalcos*, eſt æs,

Chambelech, eſt Elixir.

Chaomantia, eſt Ars quâ præſagium ſumitur ex aëre.

Chelidonia, eſt

Chelidonius lapis, vel Gemma *Chelidonia*, reperitur in ventriculis hirundinum, captis pullis hirundinum creſcente Luna, *Dioſcor. lib.* 2. *cap.* 47. Sc. his, qui primo partu excluſi ſunt, diſſectis illorum ventriculis reperiuntur duo lapilli magnitudine, ut ipſe vidi, ſeminis lini & ejuſdem formæ: unus niger, alter ruffus apparet. Vel ut vult *Dioſcorides*, unus colore varius, alter purus *Ruland.* dicit ſe vidiſſe nigros & ruffos lapillos. Ruffi ſeu purpurei, dicuntur valere contra inſaniam, & epilepſiam; & gratiam conciliare. Nigri ſedant iram, valent contra febres, malos humores, conducunt & oculis.

Cengdam, vel *cenigotam*, eſt inſtrumentum Chyrurgicum, quo cranium capitis epilepſia laborantibus aperitur, *Ceniplam*.

Cinificatum, idem quod calcinatum.

Cerviculæ, ſpiritus eſt oſſis de corde cervi,

Chymus eſt fæx. Chymia fæculentia. *Chymus*, Maſſa.

Chiromantia penes Paracelſum, non ſolùm circa lineamenta manuum conſideratur, verùm etiam in reliquis indiciis in toto corpore, obſervatis venis atque ductibus,

Cineritium, eſt cementum auri vel argenti, quod à nonnullis regale vocatur.

Cherva eſt cataputia.

Cheiri, Paracelſicum abſolutè poſitum abſque ulla adjectione, ſi de mineralibus fiat ſermo, argentum vivum denotat, ſi verò de vegetabilibus, flores vegetabiles. Cum per adjectionem reperitur

ad hunc modum, flos cheiri, ex argento, ſignificat album elixir, vel ejus quintam eſſentiam, non ſecus atque flos anthos, auri rubeum elixir

Cherio, eſt externorum elementorum occulta accidentalis virtus, & non qualificata natura caliditatis vel frigiditatis.

Cherionium, eſt id, in quo natura non poteſt alterari, ut Cryſtallus à natura induratus liquefieri non poteſt, ut ille qui fabricatur arte.

Cherubin, eſt virtus & influentia cœleſtis, dominatio atque poteſtas ſuper omnes dominationes & poteſtates à Deo procedens in terram, & ſuper omnes homines. De hac divina gloria legitur ampliſſimè apud Paracelſum, in expoſitionibus Pſalmorum *David.*

Cliſſus, eſt virtus rerum occulta vadens & rediens unde primum exivit, ut virtus radicum in caulem tranſit, ac reliqua quæ ſurgunt ex eis tandem in eas revertitur poſt autumnum, ibidem per hyemẽ totam deliteſcit uſque ad primum ver, & æſtatem.

Citrinulus, eſt cryſtallus pallidus.

Citrinulorum, pharmacum eſt ex colcothare, id eſt vitriolum calcinatum, & in ſuum alcali reductum: comparatione facta ad cryſtallum, ob tranſparentiam ejuſmodi ſalis pallidam, diaphano cryſtallo perſimilis.

Citrinula, eſt flammula, herba Paracelſo multùm familiaris, ut paſſim in ſuis ſcriptis reperiatur.

Citrinatio, eſt reſuſcitatio.

Chybur, vel *cibur*, eſt Sulphur. *pag* 488. *para.* de natura rerum.

Chifir minerale, à nonnullis interpretatur aurum, verùm ego ex præcedentibus judico eſſe quodcunque ſulphur generis metallici.

Ciſt, vel aliàs *kiſt*, eſt capacitas duarum menſurarum vini, vel ſeſquimenſuræ juxta locorum diverſitatem, circiter libras quatuor,

Cœli planetarum, apud Paracelſum proprii ſunt orbes ipſorum, ſpheræque, non fictitiæ, quibus tribuuntur motus ab infidelibus, quos etiam æquè cognoverint in cœlo, atque potuerunt, in terris *Empedocles*, & *Plinius*, Phyſicorum Hiſtoriographus, Æthnicas flagrationes inveſtigare. Si quod in terris eſt ignoraruut, quod immenſo diſtat intervallo, qui bene dijudicare potuerunt aliter, quam per fallaces conjecturas? ſiquidem ob ſuam infidelitatem, veri nullius fieri participes ex ſuis ſpeculationibus ac imaginationibus æquum eſſet. Cum veræ viſiones meditationum fidelibus duntaxat reſervatæ ſint à Deo, falſæ contra procedunt ab inimico veri, ſpeculationeſque ſequuntur infidelium, quibus in ſortem ea pars contingit.

Cohoph, Paracelſo familiariſſima dictio, repetitiones ſignificat diſtillationum, ad fæces reddito liquore ab eis tracto ſæpius, qui vel materiæ proprius eſt naturalis, vel in vehiculum adjectitius.

Cohos, eſt omne quod cutis in toto humano corpore concludit, alluſione ad cahos facta, quo jam in ordinem divinitus redacto, & non prius informi, cuncta comprehenduntur quæ creata ſunt ad minoris ordinati cahos vel cohos utilitatem.

Chelonitos, prope villam quæ nunc craſſe dicitur *Calpu*, ubi eſt ſcaturigo cujuſdam fontis irruentis in Albim, locus amœniſſimus & fœcundiſſimus chelonitis gemma eſt inventa, variarum ſpecierum. Primum quæ forma omnino repreſentabat cochleas marinas, eſt & chelonitis alia forma, nempe oblongam referens aquaticam concham tornatilem, quæ hinc inde reperitur ad flumina, ut ad Albim. Videntur hæ chelonitides habere vim oſtracitis. Nonnunquam Chelonitis perfecta & ſola illa, nonnunquam vix inchoata nonnunquam perfecta, ſic tamen ut pro parte alteri lapidi adhæreret; interdum duæ vel tres perfectæ vel imperfectæ una erant: interdum magnitudine magnæ fabæ: interdum adeo parvæ, ut formæ viſum fugerent; interdum fulvæ candidæ nitentes in morem onychis: interdum nigræ lineis egregiis cochleæ marinæ in modum expreſſis.

Reperitur etiam Chelonitis candicans, veluti onyx guttulis quibuſdam. Alias Chelonitidem volunt reperiri in corde teſtudinis. Sed *Plinius* Cheloniam illam vocat, & dicit eſſe oculum *Indicæ* teſtitudinis.

Chemia, eſt ars ſeparandi ex quolibet mixto eſſentias, continuandique magiſteria artificum. Docet id auferre quod gradum diminuit, detinet, & impedit, docet falſum à legitimo ſeparare, & ad perfectionem res adducere. *Theophraſtus lib.* 3. *Parag.* Ducit facilius cocta & præparata quam cruda & imperfecta. Quidam derivant à χέεσθαι fundere. Cur verò, quia corpora omnia liquat, ut conſtat ex dictis.

Chriſti-pabulum, eſt urina virginis.

Chroma, eſt color. *Chryſocalcos*, eſt Auri chalcum.

Chryſos, ſeu *Chryſion*, eſt aurum.

Cibatio, eſt corporatio.

Cininum Oleum, eſt Rhaphanticum.

Cinnabaris, verum Cinnabarim, veteres dixere ſanguinem draconis, & adhuc nomen retinet. *Rulandus* aſſentitur eis, qui cinnabarim ſuccum, ſeu lachrymam alicujus herbæ vel arboris potius eſſe volunt quod ipſe guſtus & ſapor indicat. Ferunt arborem eſſe in Libya, & finitimis regionibus proceram, ex qua ille Draconis ſanguis manat: perinde atque in Rhetis è larice, & apud *Germanos* à picea, & abiete tempore veris manat reſina, quam medicamentarii *Itali* pro terebinthi reſina vendunt, cùm vera terebinthina Maſticæ Chiæ colore dicitur eſſe ſimilis. Platearius quoque ſentit ſanguinem draconis, eſſe arboris aut herbæ ſuccum in *India* aut *Perſia.*

Cinnabaris Metallicus, eſt Minium, Factitium, vel Nativum.

Theophraſtus verum illud Minium Cinnabarim, ob coloris ſimilitudinem nominat, ut alii *Græci*, (non quod ſit verè cinnabaris, id quod *Diſcorides* & *Plin.* libris citatis etiam volunt) Poſtremò cum minium nativum, ut Sandaracha rubet, nota illorum differentiam. Ex Minio ſæpe elaborato ſive rudi conficitur argentum vivum, quod è Sandaracha minime fieri poteſt: Imò dum lavatur vena minii, ut poſtea teratur, pars ipſius in argentum vivum mutatur, idque rurſus ſiccatum & contritum edit ad ſuum colorem: Eſt ſicuti dicimus minium, nativum, & factitium; ita agente vel uſu, dicitur rubrica ſinopica, rubrica fabrilis.

Factitium, quod conficitur ex argento vivo & ſulphure à Chymiſtis: à *Germanis* dicitur factitium Cinnabari vulgare. Eſt alium minium adulterinum etiam, quam illud quod Cinnabarim vocant, quod hodie ſolùm minii nomen retinet, & conficitur ex plumbo: Eſt & tertium genus adulterinum, in argentariis & plumbariis metallis, exuſto lapide quodam in venis reperto.

Cinefactio, eſt qua fiunt Cineres, Licet nonnunquam & fuligo metallica, & Alcali nominentur cineres, propriè tamen crematilibus, ſeu inflammatilibus competit. Horum combuſtorum reliquiæ ſunt propriè cineres.

Cinis hederæ, est cinis clavellatus. *Cinis* Clavellatus, est Alcali.

Cinis ex cinere, est aqua extracta. *Cinis cineris*, est congelatum coagulans,

Cinis fermentitius, est cinis ille non tantùm utilis Medicis, Fermentum fermenti, Chirurgis, sed & Chymistis, continet vim salis at leniorem. Corrodit excrescentias carnis, *&c.*

Cineris vena, est Fraxini.

Circulatio, est liquoris puri per circularem solutionem & coagulationem in Pellicano agente calore exaltatio. Liquidarum n. rerum, quæ attenuari sive resolvi in aërem, indeque vicissim in liquorem redire possunt in tantum: & sequitur potissimum extractiones, quibus fiunt essentiæ. *V.C.* Multum operæ & studii in vera spiritus vini extractione impenditur, ut ille sine omni phlegmate haberi possit. Quotiescunque n. elevatus fuerit, semper aliquid phlegmatis secum ducit. Proinde circulationis modum hujus exemplo demonstrabimus.

Sumitur vinum generosissimum quod ad manum haberi potest, illudque in capaci circulatorio funditur, sigillatoque orificio in balneo maris ad 14. dies ponitur, ut continuè aqua ferveat; Postea eximitur, & in phialam funditur, calidumque hyemis tempore in frigida nivali aqua apposito & agglutinato alembico cum receptaculo, æstate autem in cella, vasi conchas glaciales continenti imponitur, & spiritus purus ab omni phlegmate liber alembicum transcendet, & in receptaculum dilabitur. Quando nihil amplius ascendit, receptaculum amovetur, phialaque eximitur cum vino quod nullum verum spiritum sed tamen vinum adustum (ut vocat *Theophrastus*) continet Spiritus hic vini adhuc in circulatorio positus, tam diu rotatur, donec amplius de vitro in vitrum fundi nequit, sed per distillationem seu humidam elevationem promovendus est. Quando autem materia, in quam agere debet receptaculo imponitur, facilè illam amplectitur, & fugam relinquit.

Circulatorium, est vas vitreum, ubi infusus liquor, ascendendo & descendendo, quasi in circulo rotatur. Varia sunt hujus generis vasa, sed duo præcipue sunt majoris momenti & usus duntaxat. Pelicanus nimirum, & diota.

Circulus, est instrumentum rotundum vitris abscindendis ex ferro factum, perfringuntur hoc modo. Circulus candefactus vitro apponitur, illudque tamdiu stringit, donec ferveseat & incalescat, cumque adhuc fervet frigida gutta immissa, aut frigidi halitas affluxu dissilit, atque dirumpitur.

Comminutio, est cùm in minutissimas partes per collisum cum aliquo rem redigimus. Et inservit ei nonnunquam rei exsiccatio, tostio, cribratio. Nam cum non omnia possint simul attenuari subtilissimè, per angustum cibrum excutienda sunt subtilia, & opus cum crassiotibus repetendum.

Colliquatio colliquefactio, est plurimum fusilium in igne ad unum compositum per igneam eliquationem conjunctio.

Colophonia, est pix Græca gummi pini vel resinæ,

Clareta, est Albumen ovorum, ovi albor, leucon, qui leucoma.

Chymia, Ἀπὸ τῦ χύω fundo. Sub solutione etiam coagulatio à chymicis antiquis subintelligitur: unde pervulgatum illud. Solve & coagula. Ars Chymia, est ars physica separandi purum ab impuro ad conficiendum medicamenta, tam corporibus humanis præservandis, quàm metallicis ad summam perfectionem perducendis, accommodata.

Clepsidria, est subductio liquoris per vasis solidi subtus perforati oculum. Ea res olim fiebat in horariis machinis, unde nomen habet; quanquam non aqua tantùm subducatur, sed & oleum, & fusiones mineralium. Oculum autem metallurgi in sua fornace foramen per quod hinc subducitur, unde hoc appositum vocabulum est quanquam in ejus locum tubuli, epistomia, crenæ, canales *&c.* inveniantur, *Clarum*, est quod fit è Cristallo.

Climia, Ereps, est Cathimia auripigmenti.

Clyssus, est species composita, ex ejusdem rei speciebus variis seorsim elaboratis,

Clyssus, totam rei essentiam complecti potest, quandoquidem abjectis impuritatibus & fæcibus quicquid in ea est essentiale ad unum redigitur compositum, vel extractio subtilitatis omnium plantæ partium in unum esse commune coiens: Et duobus modis uniri potest, sive, ut omnes è diversis partibus extractæ essentiæ, conjungantur, & incorporentur: Sive ut oleum, in una sit cucurbita, in altera sal, in tertia liquor, atque ita unico alembico subjecto distillentur per communem canalem & sic uniantur. Sed non ita facilè hoc succedit. Non enim pariter scandunt aquæ & sales. Itaque in diversis oleis & aquis id fieri possit.

Corpora cœlestia Spagyrorum, Sunt virtutes astrales in sua materia.

Chrysei, Sunt Stellæ quæ emittunt lucidos flavos radios.

Chrysites, est gemma pretiosa, apud *Plinium*, *lib.* 37. *cap.* 10.

Chrysites, est squama auri, vel aurum qui provenit ex plumbo probato & liquefacto.

Chrysite, est terra aurea, in qua parvis terræ partibus immistæ sunt parvæ auri partes.

Chrysocolla, terra viridis. Græcis & Latinis est Chrysocolla, quasi gluten auri. Duplex est, Nativa, & Factitia, *Dioscor. lib.* 5. *cap.* 54. de nativa agens primas tribuit *Armeniacæ*, secundas *Macedonicæ*, tertias *Cypriæ*. Habet *Dania* & *Germania* multis locis excellentes. Effoditur in *Hungaria*, *Burgundia*, *Goldbergæ* in *Silesia*, & hinc aurum conflatur. Hunc nativum quidam boracem vocant, non autem est lapis borax de bufonibus. Posse dici Chrysocolla viride scissile: sicuti ærugo æris viride rasile dicitur. *Plin. lib.* 33. *cap.* 5. definit Chrysocollam nativum humorem esse in puteis per venam auri defluentem, crassescente limo rigoribus hybernis usque in duritiem pumicis, laudatiorem in ærariis metallis, proximam in argentariis, tertiam auraria, quartam plumbariam. *Dioscor.* Factitiam enumerat inter ærugines simpliciter æris, qua utuntur aurarii, & olim utebantur medici. Fit hæc nativa ex urina infantium, & hæc *tincar* & borax dicitur. Sic cognata sunt hæc metalla, ærugo æris nativa, quæ dicitur viride æris rasile. Chrysocolla nativa habet vim discutiendi & exedendi. Conflatur ex nativa Chrysocolla & ceruleo optimum aurum; Nota quod in lapide illo ubi terra viridis, id est, κύανον, insint. Tertium quiddam candidum scintillarum modo lucet, quod vocant micam, & felium argentum Metallici. Habet colorem argenti, sed argentum non est. *Serap.* dicit nativam Chrysocollam, quæ in ripis maris invenitur esse ex speciebus salis cal. & siccam quarto gradu.

Dicitur azor, Rebis, aqua Sulphuris, vinum

aineum, Flos, &c. *Ruland. pag.* 148. enumerat ſex ſpecies Chryſocollæ.

Chryſocolla eſt venenata plus juſta doſi accepta ſecund. *Dioſcor.* ſed medici utuntur cautè ad partum facilitandum.

Cloretes, gemma. Secundùm *Plinium*. eſt gemma pretioſa viridis coloris, inſtar graminis.

Coaſpites gemma. A Coaſpi fluvio nomen accepit ſecundùm *Plin.* 37 *cap.* 10. Gemma pretioſa.

Concha vel Alveolus vitreus, eſt vas plerumque vitreum in modum alvis formatum, cum ore & manubrio.

Chryſolithum gemma unà cum hyacintho mittit Æthiopia, &c. aureo colore tranſlucentem: unde & nomen habet. *Plinius* dicit eſſe pallidi coloris die, & noctu & ignei. *Albertus* chryſolithum aurei coloris gemmam horis matutinis dicit pulcherrimam apparere, in aliis horis non adeo formoſam, & ſibi diſſimilem, corrumpique eam & fugari ab igne, quia ab illo inflammetur. Facit autem idem ejus ſpecies eſſe Marchaſitam auream, quam vocat & alium lapidem coloris cærulei & rubei.

Vis chryſolithi eſt bonos excitare ſpiritus, melancholiæ adverſari, lemuribus nocturnis, curare ſcabiem & ulcera, & mitigare calorem febris.

Cloroſis, Morbus, qui apud nos vocatur virgineus. *The green ſickneſſe.*

Cheras, Item ſtruma, eſt tumor in quo grandula oriuntur. Vocatur etiam ſcrofula.

Cloritium, eſt gradatio coloris per paſtam acutam, quam coleritium etiam nominant. Itaque tingendi quidam modus eſt metallis principaliter deſtinatus. Nec valet niſi in ſuperficie, non enim alte penetrare poteſt propter corpulentiam, niſi diluatur liquore copioſo paſtu, atque ita commutetur in formam lixivii.

Colcothar, apud Paracelſum proprie intelligitur vitriolum & ſerpens, aut lacerta viridis, quæ propriam caudam devoravit, hoc eſt, quod aqua propria fixatum eſt ad hunc modum, videlicet. Ab ipſo tota ſua per diſtillationem abſtrahitur aqua, quæ rurſum capiti ſuo mortuo trito redditur, & reaffunditur, abſtrahitur, ut prius atque refunditur toties cohobando, uſque dum eò deveniret, ut nullam de ſe præbeat amplius aquam, quantumvis urgeatur igne ſeverius. Communius etiam intelligitur caput mortuum, ſimplici modo citra cohobationem rubificatum ex vitriolo, quod etiam atramentum rubeum appellatur à nonnullis. Et ironicè vocatur à Paracelſo *Henricus rubeus*, in deriſionem aliquorum ementitorum chirurgorum & circulatorum, qui hoc ſolo medicamento conabantur omnia cum ulcera, tum vulnera, curare, & huic unico remedio, tanquam anchoræ ſacræ innitebantur perdentes potius ægros quàm ſervantes. Nec deſunt adhuc qui hac tempeſtate vitriolum, ſulphur & alumen concremata, vulgo paſſim per omnes fere nundinas exponunt magno pretio venalia, quæ vili pecunia compararunt, lapidem ſanctum prædicantes è longinquis & ultra marinis regionibus allatum, imò ex proxima pharmacopolia, quo cuncta curantur ulcera & apoſtemata, præſertim loculorum negotiatoris ulcus in apoſtema rurſum intumeſcit ruſticorum nummullis. Sic mundus in ævum decipi concupiſcit, ut nullo unquam admonitus exemplo vel periculo reſipiſcat. Habeat igitur quod quærit.

Colica, eſt tartarus reſolutus, morbus inteſtinorum fixus in inteſtino colo. *Colica* diatheſis.

Colcritium, eſt liquor compoſitus ex corroſivis metallorum inimiciſſimis materialibus, quo probatur aurum ad lydium lapidem affricatu, & cui nullum metallum præter aurum ſolum reſiſtere poteſt, unde cognoſcitur è veſtigio ſi quod aliud auro permixtum ſit, hoc omne mox evaneſcit mutato colore ea parte qua coloritium illitum fuerit, cætera non madefacta colorem affricari auri ſervante. Putum vero ac purum nihilo prorſus immutatur eo liquore.

Cometz, eſt gutta ſemis.

Complexio, eſt natura patris. Aliàs eſt qualitas calidi, vel frigidi: hoc habet naturam agnatam ſibi humidam illud verò ſiccam. Duæ ſunt igitur complexiones, & non quatuor. Nam calidum propria natura ſimplici non permixta ſemper eſt ſiccum, & ſi quandoque humiditatem admittit à frigido mutuatur, ut hoc ab illo ſiccitatem, quam aliquando recipit accidentaliter.

Confirmamentum, eſt aſtri corpus in homine, vel eſt ſyderium in homine, vel aſtrale corpus.

Confortativa, aut *confortantia*, ſunt medicamenta quæ corda hominum atque naturam corroborant, ut expulſiva virtus ejus valeat accidentia noxia quævis excludere coho. Potiſſima totius medicinæ methodus in qua totus ſpagyricus labor potiſſimum inſudat, Nam ſibimetipſi natura medicus eſſe debet, homo, cui medici nomen tribuitur, miniſter naturæ tantùm, & ſervus veri medici. Si quid ultra præſumat, temerarium eſſe naturæ perſecutorem, imò perditorem hominum, eſt quod ſciatur, nec id celatum oportuit

Congelativa, ſunt medicamenta fluxus omnes ſiſtentia, comprimentia & exſiccantia.

Congluten, vel *conglutinatum*, eſt quod ex putrefactione in materiam glutinoſam vertitur.

Cor, inter mineralia, dicitur aurum. Ignis etiam, vel maximus ardor,

Corbatum, eſt cuprum.

Cornu cervi, in chymicis, eſt alembici roſtrum. Eſt etiam in medicinalibus apud Paracelſum herba vulneraria, ob ſimilitudinem foliorum ad ejuſmodi cornua alludentem naturaliter, ex arte ſignata.

Corpus, eſt ſubjectum in quo virtutes rerum deliteſcunt.

Corpora ſuper cœleſtia, ſunt ea quæ per mentem in imaginatione ſolùm, & non per oculos carneos cognoſcuntur. Spagyrorum ſubjecta ſunt mirabilium operum.

Confuſio, quæ eſt ſyntheſis, eſt Commiſtio actu liquidorum, quæ per ſe fluere poſſunt. Itaque & conſiſtentia, tum partibus, tum toti aquea eſt ſeu fluida. Quæ enim eliquata ſunt, poſteaque confundantur, ut pix, & cera, vel reſina &c. principaliter ſunt colliquationis, licet miniſtret illis confuſio obiter, cum & ſine confuſione poſſent congredi.

Chybur, eſt ſulphur; *Chybur* hoc modo paratur, quo nihil ad pulmonem melius valet. Miſceatur *Chybur*, calcibus mineralibus, & inde ter ſublimetur: hoc *Chybur* da ægroto, quod avertit omnes defectus pulmonis, eumque integrum & abſque omnibus morbis conſervat. Eſtque balſamus pulmonis & pectoris, neque ſimile arcanum in viribus rerum quærendum eſt: nam in nullo exterior pulmo eſt poſitus magis, majuſque arcanum ad pulmonem latet, niſi in ſolo *Chybur*, *Para.* de natura hominum, *pag.* 488.

Conjugium, Copulatio.

Conglutinatio, eſt per glutinem compoſitio, manente natura conglutinatorum. Eſt reductio, ſeu reſtitutio in integrum. Glutinum autem pro natura cujuſque

cujusque varium est & dicitur hîc omne, quod visciditate tenaci conjungit alteri, aut etiam coërcet.

Conterfehe., Liquot quem exsudant parietes fornacis.

Contus, Agage or long pole, Contus, ferreus Contus fossorum, Contus tertius.

Cornelius, vel *Corneolus*, potius gemma seu lapis. Alius est insignitus rubedine, alius remissior coloris carnis; alius insignitus candidis pinnulis, alius candidis lineis, alius omnino obscurus in rurubedine, alius multum nitet; sicut minium. — *Corncoli*, vis est stringere sanguinem, sistere menses, emorrhoidas: Fertur mitigare iras, abstergit in dentifricio dentes. — Et sigilla annullorum crebro fiunt ex *Corneliis*.

Corocrum, est fermentum.

Corallus, Corallium, Bassad, Beseth, Bassath, est nihil aliud quàm frater marinus, qui alto extractus induratur atque emergit, & protinus concrescit obfuso aëre. Sic lapis lyncurinus, ex urina lyncis congelatur aëre in gemmam corallium. Teste *Plinio*, & Sol. Uniones molles in aquis, exemti protinus aëre durescunt, Contrarium fieri in alnis & filice dicit *Pontan.* in meteoris *c.* 44. de amaris fontibus.

——— *Videas lapidescere Sarni.*
Cærulæo sub fonte alnum, filicisque maniplos,
Et paleæ intortos lento cum vimine culmos,

Nam sicut planta coralliorum aëre congelata fit lapis: ita alnus & filix herba in ala fontis Sarni sunt lapides: plura videas apud *Ruland.*. à *pag.* 117. ad, 73. *Corallium* nigri coloris rarum est, & magno in pretio, contra morbum præsentissimum est remedium. Proculdubio ex viscositate terræ factum est induratum calore proprio & aqua. Ars quoque imitando naturam corallia facit quæ optimè mentiuntur nativa. Consule Chymistas quosdam, qui illa componere probè sciunt,

Cortex æris, est bracitum, flos æris.

Coticula, experiri aurum.

Craticula, est instrumentum ex bacilis ferreis quadratis digitalis crassitudinis, juxta se in acutum ita positis, ut semidigitale spatium inter illos intersit, factum focis conficiendis, carbonibus sustentandis inserviens.

Creta nigra, est sulphur nigrum.

1. *Creta argentaria*, in quam micæ argenteæ internitent.

2. Rara mollis.

3. Dura.

4. Lutea mollis Waldenburgica, quæ facillime lineas ducit,

5. Tophacea.

6. In cinereo violacea dura.

7. Cerulea, quæ effoditur in Thuringia prope oppidum Mogellam, qua fabri in pingendis parietibus utuntur.

8. Viridis dura.

9. Subviridis.

10. Nigra mollis.

11. Nigra mollis argenteis maculis nitens.

12. Nigra dura.

13. Fabrilis candida, ex qua Catalani ad Matronam parietes & muros extruunt, unde Argariæ potus extructus.

Crocus, Aurichalcum.

Crocus, Flos.

Crucibulum, est vas fusorium ex terra igni contumacissima factum, acutiore basi, & feretri in ampliorem capacitatem forma triangulari vel rotunda desinentem, ad fundenda & eliquanda mineralia & metalla formatum. Fit etiam crucibuli species, quæ vulgo testa appellatur, fundamentis metallis adæquatum.

Crystallus lapis, est concretus gelu vehementiori ex nive glacieque, nec reperitur alibi quam ubi maximæ hybernæ nives vigent. Et glaciem esse certum est, quia impatiens est caloris. Et veluti Electra, ita crystalli arte parantur & abstergunur. Infestantur Crystalli vitiis quamplurimis, scabro, rubigine, maculosa nube, occulta vomica, præduro & fragili centro & sale, capillamentis rimarum. Crystallus habet usum medicum in cremandis corporibus. Posita sub lingua dicitur restinguere sitim, trita & cum melle mixta mulieribus auget lac. Veteres Astrologi crystallum Soli dicarunt. Crystallus per congelationem chymicam lapillus est factus.

Congelatio, ejusmodi fit, humore aqueo recedente, & congelabili succo consistenti, in formam lapilli quod sine calore evidenti in cella fieri potest. Si tamen pars aquositatis divaporando dissipatur, opus procedit citius. Itaque lixivia glaciei solent decoqui ad crassitiem sapalem, aut sedimento facto, quod aqueum innatat deperi. Reliquum congelat eo facilius.

Crystallus, est lapis albus, transparens, glaciei persimilis coloris: constat ex igne & frigiditate. *Para. pag.* 545. *lib.* vexationum.

Cucurbita, est vas plerumque turbinatum, in cucurbitæ vel pyri formam utero turgescens. Cucurbita alia fundo globoso prædita est, alia plano.

Cucurbita cæca, est vas in quo dissolutiones salium fiunt, aliarumque rerum.

Cubil, est terra rubea.

Cultotum, est calcinatum.

Crepinum introversum, est Tartarum correctum. *Para.* in Chirur. magna, *pag.* 459. *folio.*

Crepinus, est morbus Gallicus *Parac.* in chyrur. magna. folio. 463. *pag.* 2.

Cupri vitriolum quando fiat. *lib.* 5. de natura rerum, *pag.* 416.

Cupri balsamus quomodo fiat *ibidem pag.* 418.

Cupri sublimatio, in Chirurgia magna, *pag.* 62.

Cooptatione, Multæ res in distillatione fixantur, & præsertim si res fixandæ aquam in se contineant, ut vitriolum; quod si fixetur, Colchotar vocatur: Alumen, si propria aqua fixetur, vocatur alumen sacchari, quod & in liquorem resolvitur, qui si putrefiat per mensem, aquam parit dulcedine saccari, quæ quidem magnæ virtutis est, & præstans arcanum in medicina, ad restinguendum ignem microcosmicum hominibus Metallicis.

Cuporosum, est æs ustum.

Cuprum, Æs. Idem Venus. Cancer.

Curtuma, Cursuma, est Chelidonia minor.

Cynnia, Cynna, Carora, est Vas simile urinali.

Cyramia, Crocomma, est fæx olei, & de Croco.

Corrosio, est Calcinatio res coagulatas per corrodentes spiritus in calcem reducens. Estque vaporosa vel immersiva.

Corrosio, stratificatione fit Calcinatione, cum id quod corrodendum est vicissim in vase aliquo sternitur cum pulveribus corrosivis. Est autem id, vel in lamellas ducendum, frangendumque, vel in particulas convenientes comminuendum, veluti limaturam, *&c.*

Corrosio, per pastam fit cum laminæ metallorum vel lapidum inducuntur pulticula coloritii, & veluti emplastrantur, illa lamina reponitur alicubi, donec sit corrosa. Oportet pulticulam esse

ex ſeparabilibus, ut ſalibus, calcantho, aceto.

Corpus inviſibile eſt anima, ſiquidem tenet medium inter corpus viſibile, qua de cauſa corpus ea parte vocatur, & inviſibile dicitur, quia participat cum ſpiritu inviſibili. Notandum interea has definitiones phyſicas, & non theologicas eſſe, ne quis anſam calumniandi ſibi faciat.

Corpus phyſicum, eſt ſubjectum naturæ.

Conſolidativa, ſunt externa chirurgorum medicamenta, vulnera & ulcera carnibus recentibus explentia & cicatricem obducentia.

Conſolida, quæ alias dicitur à Paracelſo Aurea Sophia, eſt herba quædam flores habens citrino colore tinctos & rotundos ut flammula, frondes verò hyſopo non abſimiles, in Carinthia vulgaris admodum, in aliis regionibus non uſque adeo frequens, neque nota.

Conſtellatio, dicitur ſupernorum aſtrorum, vel corporum in inferna virium atque virtutum impreſſio, & operatio, qua conveniunt in concordantiam quandam naturalem. De hac habetur excellentiſſima præ cæteris ars & ſcientia phyſica, quæ proprie Phyſionomia ſignata rerum naturalium, in ſympathia ſuperiorum ad inferiora dicitur, non extans, ſed cum pleriſque aliis Paracelſicis ſcriptis excellentioribus ſuppreſſa. Quæ ſi prodiret in lucem, tum demum cognoſceretur ab invidis naturæ perſecutoribus, & ipſius, qualis Philoſophus & Phyſicus extiterit Germanus Apollo Paracelſus quantoque intervallo Græcos & infideles Philoſophos omnes à tergo reliquerit.

Conſtrictiva, ſunt Chirurgicalia medicamenta ſtiptica, ſua virtute labia vulnerum comprimentia. De his lege ſupra ſecundo tractatu de ſpecificis.

Contorſio tormentum eſt inteſtinorum, Seu Miſerere mei.

Contractio, & *contractura*, membrorum eſt impotentia, viriumque ſuarum naturalium deſtitutio.

Corroſiva, ſunt Chirurgorum medicamenta ſuperfluas & invalidas carnes exedentia. *Cathæretica*, nemomena, ſeptica.

Conſervativa, Phyſicorum præſertim ſunt medicamenta, vitam & corpus corruptionibus præſervantia. Talia potiſſimum ex eis rebus petenda, quæ longiorem vitam at temperationem à natura nacta ſunt, qualia ſunt inter vegetabilia quæcunque ſemper virent hyeme pariter ac æſtate, longiorique tempore perſeverant: inter animalia quæ diutius ac ſanius vivunt: inter mineralia, quæ mumialis eſſentiæ liquoriſve plus habent: & inter metalla, quæ ſunt ærugini minus obnoxia. Talia non ſunt conſerva roſarum, violarum, & cætera, quæ conſervatione ipſamet indigent, ac mutuantur à ſaccaro. pudet priſcorum inventa recenſere.

Coöſtrum, intermedia pars diaphragmatis.

Cotoronium, eſt liquor.

Coruſcus, eſt Auricula muris.

Cortex maris, eſt acetum Philoſophorum.

Cruor ſalis, eſt ſal ſeparatum à primo ſale, vitio ſecundæ digeſtionis.

Cycima, eſt lithargyrium.

Cydar eſt Jupiter.

D

Daura, folium eſt ellebori, alias aureum.

Demotinus lapſus, repentina mors.

Deſcenſorium, eſt furnus chymicus, in quo deorſum fluit liquor à craſſa materia ſeparatus. Illa eſt calida aut frigida. Vide ſeq.

Derſes, eſt occultus terræ vapor, ex quo naſcitur omne lignum & creſcit.

Diapenſia, eſt alchimilla.

Diaphanum eſt id quod tranſparendo lucet.

Diaphoreticum, eſt medicamentum ſudoris expulſivum.

Diaſatyrion, eſt confectio venerem excitans.

Diateſſadelton, eſt Mercurius præcipitatus.

Dienez, ſunt ſpiritus duriorum lapidum habitatores.

Dabat, eſt viſcus.

Dach, Saxi ſpecies.

Dactyletus, eſt Hermodactylus.

Daeb, *Deheb*, *Deab*, eſt aurum.

Danic, eſt pondus ſex granorum.

Damſir, *Denſir*, eſt Arena.

Daram, eſt Gemma.

Dabeſſis, eſt teſtudo,

Degegi, eſt Gallina.

Dehene, eſt ſanguis. *Dem*, *Dihin*.

Dehenes, *Duenes*, eſt attramentum.

Dehenez, *Duenec*, *Duhenec*, eſt vitriolum Romanum.

Deliquium, eſt deſcenſio frigida, quando corpora coagulata cellæ, aëri, puteo, aut alio frigido & humido loco ſuper marmore, tabula vitrea vel in manica Hippoc. (ut vocant) expoſita externæ humiditatis hiſce coporibus ſeſe adjungentis adjuvamine, in liquorem reſolvuntur, & in ſubjectum vas defluunt & diſtillant. Reſolvuntur autem in frigido potiſſimum pulveris calcinati ſalia, & ejuſmodi alia corpora ſalium naturam redolentia, ſed omnia quæ frigido reſolvuntur, in calido rurſus coagulantur.

Deliquium in aëre, eſt liquatio concreti, quæ fit inſinuante ſe humiditate externa, & ſiccitatem reſolvente ut fluat. Ita reſolutum quod eſt, liquor vocatur, & conſiſtentiam habet aqueam. Quamquam n. & lapides calcarii diſſipentur ab humiditate aërea, vel aquea; hoc tamen nec liquatio, & liquor quod, inde exiſtit, appellatur: Deliquium eſt duplex, ſcilicet, Vaporoſum & Embapticum.

Diliquium vaporoſum eſt, cum res in ſubtilem pulverem redacta aëri vapido exponitur, & humeſcendo in liquorem ſolvitur. Ille vero aër vapidus modò calidior eſt, modò frigidior, qualis eſt ſubterraneorum irriguorum. Et res ſolvenda niſi per ſe ſit apta, ad ſalis potiſſimam, vel ſimilium naturam elaborando adducitur, quod fit maxime calcinando, aut ad eam ſiccitatem redigendo, quæ humiditatem externam avide combibat, & prompte diffluat. Neceſſe enim eſt tenacem compagem ſolvi, & friabilitatem quandam ſalis induci.

Deliquium Embapticum, eſt cum res in humorem demerſa eo uſque detinetur, donec delicuerit. Hoc fit dupliciter, nam res aut vaſculo contenta immergitur, ut ipſa humoris ſubſtantia non accedat, vel ſaltem tenuiſſimus ſudor permeet, veluti cum in vaſe certo, vel veſica bubula imponitur, & cum delicuit, extrahitur, quæ res ſi humor eſt calidus (quod fiat plerumque) ſimulacrum balnei eſt: aut in ipſum humorem ſinitur diffundi, ſeu nudè, ſeu lintea petia interveniente, qua ſimul ſegregentur ſordes, & hic quoque vel frigidus liquor eſt, quo pacto gummi, ſucci inſpiſſati, ut ſaccarum, *&c.* ſolvi poſſunt, vel indiget calefactione, ut in manna, & ſimilibus pinguedinem ſuccumve tenacem habentibus. Humor ille qui eſt medium ſolutionis, talis eſſe debet, ut ſi eum ſegregatum cupimus, facilè poſſit denuo ſeparari, nec peregrinam qualitatem

invehat soluto, nisi studio quærimus simul alterationem ejusmodi.

Denequat, est Borax.

Denodatio, est solutio.

Derquet, est vernix.

Destillatio per inclinationem, est quæ fit vase continente materiam in latus inclinato, rostro deorsum vergente. Illud vas cum plerumque sit retorta, etiam distillatio per retortam opus nominatur. Nonnunquam distillatio per descensum dicitur, quod parva fit elevatio, indeque maximè deorsum reflexio, vel quod spiritus maxime deorsum revocentur, & sine alembico in curvatura coagulante descendat.

Descensio calida, (vulgo distillatio per descensum) est liquoris è corporibus dissoluti inverso vase distillatio. Dissolvuntur inprimis hac descensione omnis generis ligna, & ossa & alia, quorum liquor propter gravitatem ascendere nequit, fit hoc modo. Accipio cucurbitam terream, eique dissolvendorum fragmenta impono, eaque ne inversa cucurbita decidant, nonnullis majoris fragmentis, vel bacillis transversè juxta se positis tego. His peractis aliam cucurbitam, in qua parum aquæ sit, huic inversæ applico: ita ut superior exacte cum inferioris orificio conveniat, sed inter utramque laminam aliquam satis fortem, ferream instar lancis concavam, & perforatam collocatam esse decet, quæ decidentia fragmenta, ne in suppositum vas dilabantur detineat. Tandem optimo luto clausuras obfirmatas arefacio, vasque in sua fornace pono, & vas recipiens in arena vel cineribus colloco, ut ab ignis violentia totum humorem depressum eo facilius recipiat.

Descensio frigida, est quando liquor dissolutus in frigido descendit. Estque deliquium vel sideratio.

Distillatio est prolectatio, qua essentia extrahitur forma liquoris, & coagulata defertur per stillicidium, translata à vase materiæ in excipulum deorsum locatum. Quod ita distillandum est, resolubile in consistentiam humidam esse necesse est, aut cum humore esse, sive is connatus sit, sive foris adjectus: sunt autem talia, maxime vaporosa, & qui spiritus oleosos habent. Unde si distillanda per naturam non sunt talia, per artem eo sunt deducenda. Et est inventa distillatio essentiæ extrahendæ gratia principaliter, quanquam & famuletur abstractionibus, depurationibus & similibus.

Distillatio per ascensum est, cum antequam distillat extractum, sublimatur specie aërea. Debetque ea esse continua ab initio ad finem, cum opere interrupto vix ascendat id quod reliquum est.

Distillatio per descensum est, cum absque elevatione prolectatus humor deorsum distillat.

Diathesis, est natura, dispositio, vel affectus.

Dihalegi, dicalegi, ditalem, est Stannum.

Dionysius lapis, seu gemma, à *Baccho* nomen habet. Fertur resistere ebrietati, quia resolvit & expellit vapores unde fit ebrietas. Est gemma nigra seu fusca, dura mixta seu sparsa rubentibus maculis, guttulis, seu notis quæ trita ex aqua saporem & odorem vini facit.

Diaphriges, tria sunt genera: ut videas apud *Ruland pag.* 184. & 185. Sic vocatur, quod à sole, & à sarmentis uratur, torreatur, & arescat. Nativum genus ex materia simili calchanti constat, humor n. est instar limi per venas delabens. Eructat ex ipsa terra. Illud colligitur è sarmentis & sole aduritur, inde bis coctum dicitur. Hoc nativo nonnulli chyrurgi utuntur.

Diaphrygis prima species factitia, est fæx æris perfecti subsidens & fit simul cum flore æris, obfusione frigidæ aquæ sublato ære, fornacum in ima parte cohærens invenitur, habens astrictionem & gustum æris. Alterum factitium genus est simpliciter, quando pyrites ut calx concrematur in camino, donec rubescat ut rubrica. Hæc species adulteratur ochra exusta, verùm sapore possunt discerni: *Diaphrygis* species usta ex pyrite ipso, aut ejus materia, saporem habet æris æruginisque astringentem & exsiccantem linguam. Ochra autem adusta, nequicquam talem habet saporem nec vim.

Astringit, purgat, extergit, siccat excrescentia consumit, & ad cicatrices ulcera perducit.

Digestio, in athanore fit, quando turri athanoris carbonibus usque ad summum impleta, ignem in foco accendimus, & ferrea spatula, vel registro, pro nostro arbitrio, ostiolum calorem ad athanos transmittens dilatamus. Quidam naturæ operationem æmulantes (ut ajunt) continuum, eundemque, à principio actionis usque ad finem, calorem requiri contendunt: Alii in gradus dispescunt, ut principio nimirum ad albedinem usque primus gradus inde ad flavedinem secundus ad finem autem qui est uberrimæ rubedinis tertius adhibetur. Huic sententiæ *Ruland.* adstipulatur.

Discessus fit, Cùm penitius unita caloris solventis potissimum efficacia separantur, & discedunt. Hoc perficitur exspiratione & resolutione commistorum.

Discessus per exspirationem est cum pars in spiritum attenuata discedit. Et tunc principaliter nominatur exspiratio, cum in aerem liberum elevatur, & dimittitur: Quando n. excipitur, distillatio, vel sublimatio nuncupatur, quæ operationes nonnunquam etiam pro exspiratione famulantur. Est autem respiratio in humidis vapidisque.

Distillatio, seu elevatio humida recta est, qua partes humidæ subtiliores in æthera & elevatæ, & frigidis alembici cameris adhærescentes in humorem condensantur, & per ejusdem canalem guttatim in appositum vas distillant & dilabuntur, fit autem hoc pacto. Materia distillanda inditur cucurbitæ, non nimis satis amplæ, (altitudo enim vasis artificem detinet quem amplitudo juvat) & imponitur alembicus magnus qui spiritus ascendentes facilius capiat, & in humorem resolvat. Postea pro ratione rei elevandæ ad calorem adæquatum ponitur, appositio receptaculo humorem dilabentem accipiente, omnibusque juncturis probe clausis ignis accensus secundùm gradus adhibetur, eo usque quo omnis humiditas in alembicum descenderit. Exemplum à vegetabilibus producemus, Rosis recentibus impleo cucurbitam ad tertiam partem, illamque in balneo maris pono, aqua adhuc frigida: postea alembicum rosarum rub. foliis, quibus aculei lutei discerpti sunt, compleo cucurbitæque impono, & appositio receptaculo, junctures lutatis ignem accendo. Tunc humor ascendens alembicum occupat, & ex rosis tincturam extrahit, condensatusque in aqua receptaculum distillat roseus. Animadvertendum autem est, quod si aculei non decerpentur aquam tincturam pure rubeam extrahere non posse. Tamdiu continuato calore pergo, donec nulla aqua transcendat amplius, & rosæ in alembico albescant. Hoc adduxi propter artificium, tincturam ex rosis sua ipsius aqua extrahendi. Quando aliquid per vesicam elicimus, tum cùm per alembicum cucurbitæ annexum aliquid elevamus.

Distillatio,

Diſtillatio, & elevatio humida obliqua eſt, quando vaſe oblique jacente humor elevatur; Fit autem hoc, vel per latus, vel per retortam.

Diſtractio eſt, qua partes diſtrahuntur qualibet manente in ſuâ homogenia. Itaque quaſi divulſio quædam hic fit diverſorum ante cohærentium, aut unitorum, circa reſpectum extractionis unius in altero exiſtentis vel comprehenſi.

Diſtractio autem eſt duplex, divaporatio aut calcinatio.

Divaporatio, eſt in ſiccis humidis ſeu halabilibus exhalatio. Nam Chymici habent tam humidum ſpiritum quam ſiccum. Inſtituitur in aliquo vaſe pro rei conditione olla, ſartagine, cucurbita *&c.* Et fit gradibus caloris diverſis.

Doal, vel *Elemptis*, eſt Sol.

Dolec, eſt vitriolum rubeum, vel atramentum rubeum.

Domicilium, in quo Sal coquitur.

Dracatium, eſt Saturnus.

Draco, eſt Mercurius.

Draconites, ſeu *drachates* gemma eſt, quæ fit è cerebro draconum; ſed niſi viventi abſcindatur, nunquam gemmaſcit invidia animalis mori ſe ſentientis. Igitur dormientibus draconibus caput amputatur, & ita aufertur. Animæ enim actus ad multa confert, quæ mortis corruptio humoribus alterat, coloris candidi eſt. Fugat omnino venena, & venenoſos morſus curat. Noſtri quoque hydri & chelydri in capitibus gemma nonnunquam ferunt, quas draconites à ſimilitudine vocare poſſis. Habet & Syphar (*the skin which an adder caſteth*) *Chelydrorum noſtrorum*, ſuas in medicina virtutes; ſanat enim ſuffitu mire ſedem & vulvam prolapſam.

Pavonis, ſtercus prodeſt comitialibus

Dragantum, eſt vitriolum.

Daumir, eſt ſpecies ſerpentum ingredientium compoſitionem theriacæ.

Darchem, eſt Cinamomum ſelectum purum.

Diuretica, Medicamenta urinam provocantia.

Diaceltateſſon Paracelſi, eſt argentum vivum vulgi, coagulatum in Alteheſt, & tinctum cum aqua ovorum, fitque arcanum corallinum de eſſentia & conditione aureitatis, quia eſt etiam horizontale. *Vanhelmont.*

Duumviratus, ex ſtomacho & ſplene unicum facit connubium, & thorum unum, in quo ſpleni vices mariti tribuit primorum motuum, & ſtomacho primi ſenſus, eſt ergo ſtomachus Lienis, & Lien ſtomachi complementum, ſub unico thoro amborum eſt principatus unius Duumviratus. *Vanhelmont.*

Duo fratres { *Saturnus* & *Jupiter.* / *Venus* & *Mars.* / Aurum & Argentum.

Duo fratres *Edar* & *Micati*. *Edir*, eſt ferrum ſive *Chalys*.

Dyota, eſt vas circulatorium à duabus auribus vel una utrumque brachium lateribus applicatum habente dictum. Hujus inferior pars eſt in modum cucurbitæ, cui impoſitus eſt alembicus in ſummo canalem, qui liquori infundendo inſerviet, habens, in loco autem conveniente duobus roſtris incurvatis, & in cucurbitam à capitello humorem condenſatum devehentibus præditum.

Dyoptra, eſt aſſerculus perforatus, ſeu tabula lignea manubriata circa medium, in latum fiſſa, ut per eam faciei prætenta, abſque oculorum injuria, ignis atque operis modum contemplari poſſimus.

Digeſtio, eſt operatio chymica, vel ſpagyricus gradus alludens ad ſtomachi humani digeſtionem, in quo & per quem materia decoquitur in ſeparationem puri ab impuro. Nonnunquam uſurpatur pro furno vel vitro in quo magiſterium hoc adimpletur.

Diſcus ſolis, eſt argentum vivum ex auro.

Divinatio, eſt incertum quoddam præſagium à cogitationibus ex propria luce deſumptis, ut cum dicitur hoc mihi mens aut cor præſagivit, vel animus meus angelus indicavit, & ſimilia vulgo prolata.

Divertalium, aut divertallum, eſt generatio quæ fit ex elementis.

Dubelec, eſt apoſtematum concavitas in genere, cum ſolutione continui.

Dupelcolep, eſt compoſitio ex corallo & carabe.

Duelech, eſt tartari ſpecies in humano corpore, lapis ſpongioſus valde periculoſus.

Duenech, eſt antimonium. *Azet*, *Duenez*, Limatura ferri.

Durdales, ſunt ſpiritus corporei inhabitatores arborum,

Draguncalus, eſt braſſatella ophiogloſſum.

Dulcedo ſaturni, eſt altey, vel ceruſa.

E

E *Delphus*, dicitur omnis qui ex elementorum natura prognoſticat.

Edir, eſt calybs vel ferrum.

Electrum, penes *Theophraſtum*, eſt mixtura compoſiti metalli ex omnibus juxta Planetarum obſervatas conjunctiones, in unicum metallicum corpus conflatis & colliquatis. Ex ſimili conſtabat Virgilii campanula tempore Regis Artus, quæ adulterio contaminatos, tam viros quam mulieres, de ponte in aquam præcipitavit ſolo ſonitus clangore, liberato Rege à ſuſpicione, quam ſiniſtre de ſua conceperat uxore. Fertur etiam (quod experimento nonnullis ſpagyris conſtat) ex ſimili rite conflato cōpoſitoque metallo, cyphus guſtatorius fabrefactus, venenum aut toxicum nullum admittere, quod ſi forte injiciatur, ebullire quicquid liquoris eo continetur, edito ſtrepitu maximè perceptibili, ac ſi nitrum in prunas conjiceretur.

Aliud narrat Paracelſus tractatu de ſimilis electri compoſitione, ſe vidiſſe quendam *Hiſpanum*, habentem ejuſmodi campanulam, pondere vix ſeſquilibræ, per quam inſcriptis nonnullis characteribus & verbis, tot ſpectra prodigiaque, quot velles, convocabat, edebat, & abigebat pro ſuo arbitrio. Voluit is perſuadere Paracelſo vim & energiam campanulæ totam in verbis & characteribus magis quàm in ſonitu, vel metallo conſiſtere. Verùm Paracelſus rem non ita ſe habere ut aſſerebat, etſi pro variatione ſcripturæ varia etiam ederentur prodigia, maximam potentiam in metallo ſitam eſſe deprehendit. Hæc dicta ſolùm ut ſciatur quid Electrum apud Paracelſum denotet, non ſemper carabem paleas attrahentem, neque cyprium æs calaminari lapide tinctum, alio nomine laton.

Eſſila, eſt tinctura ſolis calore facta, vel in facie, vel in alia quavis parte corporis in cute.

Elementum, apud Paracelſum eſt corruptibilis ac tranſitura mundi eſſentia, & omnium, quæ patiuntur mutationem, anxietatem, atque neceſſitatem in diem uſque poſtremi judicii, conſumptioniſque hujus inferioris mundi. Eſt etiam eſſentia ſpirituum in elementis degentium ac deliteſcentium, & aſtrum eorum,

Elementa,

Elementa, matrices rerum sunt, in & ex quibus generantur, subalterna tamen elementis Paracelsi, quod illorum singula quatuor illa contineant, ac sint generaliora. Non prætereundum hoc loco, quod in Physicis notatu maxime dignum, & minus hactenus animadversum. Quo quid in occulta natura simplicius, eo generalius à spagyris & adeptis Philosophis esse comperitur: & quanto specialius, tanto compositius ac materialius, ut ita loquar ex arte. Exemplo, quanto magis ab individuorum essentia species removetur, tanto proximus accedit eorum materia ad elementa simplicia, nec non forma ad influxum, vel influens universale simplicissimum, attamen, generalissimum. Non sic in manifesta natura, in qua partes specialiores imò deteriores magisque degeneres existunt, quo remotius à suo toto recedunt. Hinc fit, quia rerum naturalium in se continent omnia potentialiter. Verissima est igitur spagyrorum sententia de occulta natura ad manifestam, & è contra diversitate.

Electri annulos ait Paracelsus, digitis gestari solitos vidimus quos quicunque induissent, nunquam vel spasmo, vel odontalgia corriperetur, nec in Epilepsiam incideret. Adeo ut simul atque Epileptici digito, quem annularem vocant, annulus talis applicatus est, in paroxysmo vehementissimo, subito ille depulsus & quasi digitis absersus evanuerit, & æger à lapsu confestim resurrexerit. Intuiti etiam sumus & experti, si quis annulorum istorum in digito annullari gestetur, & abditus quidam morbus foras erepturus est, annulum istum exsudare videas jugiter, & ab insigni quadam symphatia decolorari pene alterarique cernas ad oculum. Observatu porro dignum est Electrum hoc nostrum, adversus infestos spiritus, & Genios noxios esse amuletum præstantissimum. Cœlica enim Electro inest operatio quædam, omniumque Planetarum agit in illo influentia, cum harmonia quadam superiorum, & inferiorum omnium. Sed Electrum quod in venis metallicis ex auro & argento natura concretum est, uti *Mathæsius* scripsit, non tam numerosa pollet virtute, ac illud quod Artificium industria ex septem metallis in igne fabrefactum est, uti *Geber*, *Raymundus Lullius*, *Theophrastus Paracelsus* & alii hujusce rei artifices testantur. Et tam magno in pretio habuerunt veteres istiusmodi Metallum, quod varia sibi ex isto fictitia conflabant in usum domesticum, & vasa ex Electro inter supellectilem asservabant rariorem præ aureis & Smaragdinis.

Ægritudo, duplex. Futura & Accidentalis.

De futuris morbis sunt omnes febres præter quotidianam.

De accidentibus sunt species hydropisis, icteritia, colica, *Para.* de gradibus.

Electri Theophrasti compositio. Proportio ponderum & metallorum conflandorum.

Recipe *Cupri* & *Chalybis*, *ana* quinque partes.
Solis & *Lunæ*, *ana* decem partes.
Stanni, & *Plumbi*, *ana* duas partes.
Mercurii, unam partem.

Metallorum unumquodque purgandum, poliendumque ex præscriptis legibus, quarum Consulti sunt Chimioperiæ *Theophrastea* periti. Nam unice cavendum est, ut monet Chymistarum *Apollo* de speculi constellatione, ne quid corpora tardent noxia, quod *Platonicorum* erat monitum, etsi in re dispari.

Vide plura in *Burgravii Achille* redivivo, *pag.* 80. ad perficiendum Electrum.

Ehel, est Salviæ vel Juniperi semen.

Echis, est vipera masculus. *Echidna*, est vipera fœmina.

Linguæ viperinæ erepta furca palpitanti adhuc viperæ contra venenata valet: Item & totum ejus caput abscissum & arefactum, ut testatur *Nicander* in theriaca.

Edes, est aurum, *Elempius*, *Edetz*, Aurum, Elementum. Idem *Eyeb.*

Edic, *Edich*, *Ebdanie*, est Mars.

Effides, est Cinis plumbi, vel Ceruса.

Egilops, est avena.

Elaboratio, est operatio manuaria, qua res in substantia, eaque potissimum materiali mutata elaboratur. Id elaborare appellamus dum remotis ignobilioribus materiæ partibus, quæ seu obiter adhærent, seu quovis modo adminiculum præbent essentiæ, præstantissimam elicimus. Itaque maximè viget hîc impuri à puro segregatio, est & Solutio, aut Coadunatio.

Elanula, est alumen.

Elaquir, vitriolum viride.

Elemptis, est Sol.

Elevatio est subtiliatio, quando partes spirituales à corporeis, subtiles à grossis, non fixæ, à fixis, instar fumi vel ignis elevantur, & à summitate capitelli condensantur. Est duplex.

Elevatio sicca, (vulgo sublimatio) est qua partes siccæ subtiliores elevantur, cum adhærentia sui vasis. Sequenti modo hæc peragitur.

Accipio materiam aliquam sublimandam, eamque vel solam vel aliis admixtam materiebus, vasi alicui vitreo, aut terreo inferius lato vel rotundo includo, ita ut duabus partibus vacuis tertia impleta sit. Vasi huic sive cucurbitæ alembicum cœcum in vertice parvo foramine perforatum impono, luto obduco & ne spiritus aut partes sublimatæ exhalare possint, obfirmo. Deinde in catinum arenatium tribus digitis à fundo & parietibus intercedente arena, vel in ignem liberum pono caloremque per gradus augeo. Primo gradu omnis humiditas abeat, necesse est quod imposita vitro lamina aliqua ferrea lævigata facilè exploro. Cum enim humiditas aliqua adhuc residua est illa laminæ adhæret, sed quando omnis humiditas discessit, spiritus sicci ascendunt & hinc alembici foramen superstrato aliquo vitro adæquato luto bono, ne spiritus exspirent, claudo. Tandem ignem tantisper foveo, donec omnis materia sublimanda elevata est, Nonnulli loco cucurbitæ scutella, vel concha aliqua terrea materiam continente, cum vitreo cono parietibus vasis inferioris ritè accommodato utuntur. *V. G.* Accipio sulphuris citrini optimè purgati, *lib.* 2. salis communis, & vitrioli *Hungarici* parum calcinati *lib.* 5. pulverisata singula, & invicem mixta pono in cucurbitam, impositoque alembico cæco, in vertice perforato, accendo ignem primi gradus, donec humiditas evanuit tum clauso orificio gradatim procedo, quousque omne sulphur subtilius ascendit, hoc sulphur (à Chymicis flores sulphuris dictum) ex alembico exemptum secunda vel tertia vice, semper addendo quartam partem salis & vitrioli per sublimationem redintegratam rectifico, & accipio flores sulphuris pulcherrimos pluribus affectibus resistentes.

Elevatio humida, (distillatio communiter dicta) est partium humidarum in halitus extenuatarum à siccis & grossis subtiliatio. Est recta vel obliqua.

Elevatio

Elevatio per latus, eſt quando humor ex vaſe in latus inclinato prolicitur.

Elevatio per retortam, quando humor ex retorta propellitur. Uterque modus in rebus graviores & tenaciores ſpiritus referentibus uſum ſuum habent.

Elidrium, eſt gummi Maſtix. *Elidrion*, Mercurius.

Eloanx, eſt auripigmentum. *Elome*, eſt auripigmentum.

Elopitinum, Dragantum, Vitriolum.

Elas maris, eſt plumbum uſtum.

Elpis, eſt ſcoria argenti.

Eliz, *Elzimar*, eſt flos æris.

Ema, Græc, αἷμα, eſt Sanguis.

Ematites, eſt lapis ſanguineus.

Embula, eſt canna vel fiſtula.

Ens primum, eſt extractum minerarum, quæ nondum attigerunt ultimam perfectionem, ſuntque ſeminalis potentiæ fœcundiores. Nominari ſolet materia prima, quæ eſt cujuſque generis & vim ad id proximam habet, ex qua primam motus naturalis ad ſubſtantiam exiſtit. Petitur Ens è mineralibus potiſſimum. Hic enim metallorum & gemmarum actu quidem. Illic vacuæ ac potentiæ fœcundæ inveniuntur. In vegetabilibus quæritur ex plantis, cùm adhuc ſunt in herba vel immaturis fructibus. Animalium claſſis non multa præbet, niſi è ſanguine conficere velis & ovis. Ita & ranarum, ſimiliumque ſpermata ad hunc vocantur uſum.

Epar, eſt aër, vel æther. *Epatum* eſt Aloë Epaticum.

Epipolaſis, eſt cum ſublimatum ad ſuperficiem duntaxat aſcendit, eique inſider. Primum è centro ad ſuperficiem eſſentiæ extrahuntur, ſed nonnunquam eadem operatio inſervit repurgationi. Duplex eſt, humida & ſicca.

Epipolaſis humida, eſt cùm è re in humore excedente collocata, ſublimatum enatat, emergitque uſque ad ſummum, ubi ſubſiſtens apparet. Itaque ſublimatio per enatationem ſeu emerſionem appellari poteſt. Adjuvatur hæc levitatis naturalis inclinatione & diſſidio diverſarum ſubſtantiarum: & procurator per calorem, non modo actualem, ſed & potentialem.

Epipolaſis ſicca, eſt cum immediate ex re ipſa ſublimatum efflorescit, eique cohæret proximè in ſicco. Et peragitur modis variis opera caloris elevantis, & clauſuris apertis viam egreſſu laxantis.

Epoſilinga, eſt ſquama ferri.

Eſebon, *Alſebon*, eſt ſal commune.

Eſſentia, eſt extractum ſimplex è rebus tota ſua natura perfectis productum. Nominatur eſſentia, quod in elementariis loculamentis nata, & comprehenſa, totius ſubſtantiæ miſturæ pars ſit perfecta, natura & eſſentiali ratione virtuteque inſtructa. Poteſt fieri ex omni miſtorum genere, minerali, vegetabili, animali magno cum proventu. Eſſentia eſt duplex, ſuccus & myſterium.

Eſſentia quinta dicitur, quia eſt aliquid præter elementa, nec ex craſi horum ortum, divinum auctore & effectis.

Etheſius, lapis eſt Cryſolithus.

Exaltatio, eſt Sublimatio. Eſt etiam operatio, qua res affectionibus mutata, ad altiorem ſubſtantiæ & virtutis dignitatem perducitur, vel eſt ſubtiliatio res ſenſim diſſolvendo, in puriorem & majorem virtutis ſuæ gradum tranſponens, & fit circulatione, aut ablutione.

Exhalatio, eſt cùm ſpiritus ſicci per calorem in aërem elevati diſcedunt; Et fit potiſſimum in ſiccis tritis, poſitiſque ſuper tabulis ferreis, vel catinis plani fundi, vel etiam clibanorum pavimentis. Igni ſuccenſo, vel circum ſuprave adhibito torrentur donec halitus ſint abſumpti ut in venis metallicis evenit.

Expreſſio, eſt extractio per prælum, quo res coacta ſubſtantiam forma liquida effundit. Ejus uſus excellit in ſuccis & oleis quibuſdam extrahendis.

Extractio, eſt digeſtio è corporea concretione, partes ſubtiliores & puriores ab affuſo aliquo menſtruo apprehenſas, relictis fœcibus diſſolvens. Vel eſt ſegregatio eſſentiæ qua è corpore ſuo extrahitur; ſed non fit ſine ſolutione continui, & divulſione, & extractiones ſunt nobiliores diſtractionibus.

Elephas, eſt aqua fortis. Aliàs lepra, Elephantiaſis, heracleus morbus.

Elixir propriè, eſt fermentum, cujus minima quantitas ſui generis ingentem molem, in paſtam ſibi ſimilem penetrando conglutinat. Paſta Paracelſo hoc loco ſpiritus eſt vitæ hominum, internuſq; vitæ balſamus. *Elixir* autem externus arte balſamus ab externis conquiſitus, ac præparatus in ſpagyricum fermentum.

Emunctorium, eſt locus expulſionis corruptorum, per quem exitum habet, valida pellente natura ſuffulta viribus externorum.

Entali, eſt alumen ſciſſum, & quandoque ex ſale gemmæ conflatum arte ſpagyrica.

Entale eſt vas.

Enur, eſt occultus vapor aquæ ex quo naſcuntur lapides.

Erodinium, eſt indicium alicujus rei, vel futuræ hiſtoriæ, quæ tantiſper adhuc latet homines, donec adveniat, tum demum vocatur ex incerto notum & certius præſagium.

Eſcara, vel *Eſphara*, dicitur caro nigra & emortua, quæ per cauterium, vel medicamentum corroſivum, à bona vivaque carne per chirurgos ſeparatur, ac decidit.

Eſſaræ, ſunt puſtulæ parvæ ſcabiei bullarum inſtar, niſi quod carnem habeant exuberantem, ut ſunt puſtulæ ab urtica factæ.

Eſſatum eſſentiale, eſt vis, potentia, & virtus, quæ vegetabilibus & mineralibus ineſt.

Eſſatum vinum, eſt diſtillatum & rectificatum herbis ac ſimilibus expletum, ad earum eſſata eſſentialia extrahendum, ut vinum de chelidonia, perſicaria, pulmonaria, meliſſa, & cæteris, pro aſthanate.

Eſſentia quinta, juxta Paracelſi definitionem, eſt materia quædam ab omnibus quæ natura produxit, ac vitam habent corporaliter tracta, ſeparatáque ab omnibus impuritatibus & mortalitate vel corruptione, atque ab omnibus elementis ſubtiliſſime repurgata. De hac lege latius in Archidoxis, in qua omnis rerum Medicina.

Eſſodinum, eſt certum rei futuræ præſagium ex indicio, contrarium Erodinio ſupra definito.

Eſtihomenus, eſt corruptiſſimum apoſtema, totum membrum depaſcens inſtar lupi, vel herpetæ mordacis, ignis ſacri ſpecies.

Eveſtrum, eſt firmamenti perpetuum in elementorum quadruplici mundo. Eſt etiam Propheticus ſpiritus, qui per ſignum, vel præcedens aliquod indicium præſagit, ac aliquid futuri certo prædicit.

Excrementa, generaliter sunt omnia superflua per naturam ejecta. Mulierum excrementa sunt menstrua.

Exitura, generaliter est omne apostema quod saniem ejicit.

Exorcista, superstitiosus est artifex, qui manes & spiritus adjurationibus evocat, ac apparere facit.

Extractum, est quod à corporea concretione, relicta crassitie elementari extrahitur. Et est quasi Medulla & pars nobilissima substantiæ totius in elementis producta, & quasi seminata, in quorum etiam sinu conservata est, & ad nobilitatis suæ perfectionem innutrita. Et habet radicem quadantenus ab elementis, unde exitit familiaritas congenerationis & sustentationis: Sed principaliter à vi Dei creantis, & per cœli occultos influxus in natura etiam conservantis dependet. Hinc extracta, præsertim nobiliora æthereæ & cœlestis naturæ dicuntur æmula, beneque præparata ad salutem humanam adhibita, Deo simul benedicente multum in re medica valent. Et si his aliqua fides est, in segregatione cœlestis lucis à terra obscura, non omne abscessisse æthereum ex Platone putant, aut saltem postea in ortu mistorum aliquid inde repetitum, quod comprobat ratio agentium è cœlo corporum in hæc inferiora.

Exzic, est Sal.

Elixir, est medicina fermētata de 7. metallis. *Para.*

F.

Faba, est tertia pars scrupuli.

Faba agrestis, est lupinus.

Fabiola, est flos fabarum.

Fatum, imarmeni, perpetuum & insensibile quiddam astrorum cœli, Solis & Lunæ.

Flagæ, sunt spiritus qui norunt occulta & secreta hominum.

Fel draconis, dicitur argentum vivum ex stanno.

Fel vitri, est spuma vitri. Est etiam sal vitri, *Fax vitri.*

Fermentum, est materia firma tanquam fixa, quæ suæ naturæ materiam ad suam firmatam conditionem præparat, quam etiam ante præparationem non magis quam illa habebat, ut fermentum panis est farina firmata vel consolidata in pastam, quæ farinam similem raram & discontinuam, in aliam pastam fermentatam adducit.

Flagæ, sunt etiam spiritus in speculo apparentibus à rebus.

Faleanos, alio nomine, est Arsenicum, vulgariter Auripigmentum.

Fasdir, Sasdir, est Jupiter.

Faulex, est Chalybs.

Fecla, est fæx vini, vel aceti.

Fæces candidæ, id est rubeæ & croceæ sunt aquæ.

Fedum, est Crocus.

Felilech, Faules, est ferrum.

Fœmina, est Sulphur.

Ferrum Indicum, Chalybem præcedit proximè.

Ferrum, est Metallum lucidum multum, parum-rubeum, albedine non pura participans, durum. Si sulphur fixum, terreum argento vivo fixo terreo commixtum fuerit, & hæc ambo non puræ, sed lividæ albedinis fuerint, si superat sulphur, fit ferrum. In summa. Si argentum vivum fuerit porosum, terreum & immundum & sulphur immundum, fœtidum & terreum, & fixæ substantiæ (uti si morbidus cum matre menstrua coit) generatur ferrum.

Ferrum, à Chymistis Marti tribuitur. *Ferrum* est duplex. Nativum & Conflatum, seu Excoctum.

Omnia majora metalla quando coquuntur habent recrementum, sic dicimus.

Recrementum { Æris, Argenti, Ferri, Plumbi.

De speciebus ferri, & metallis ferreis, & de rubigine ferri consule *Dioscor. lib. 5. cap. 26.* & de ejus viribus. Habet rubigo ferri egregiam vim medicam, restringendo, ligando, siccando, Calidum & siccum est secundo gradu. Hac sanasse Telephum proditur Achiles Recrementum ferri, vocant scoriam & stercus ferri, & lapidem sideritin, licet hoc nomine etiam appellatur magnes, qui trahit ferrum. *Ruland.* multa ferri genera enumerat à *pag.* 207. ad 211.

Ferrugo, est scoria ferri, caca ferri.

Fermentatio, est rei in substantia, per admistionem fermenti, quæ virtute per spiritum distributa totam penetrat massam, & in sui materiam immutat exaltatio. Ideo enim inventa est ut ex symbolico ignobiliore efficacia medicinæ fermentantis nobilissima fiat substantia, ad quam naturā pervenire finit, Potissimum autem in metallis, quorum natura ad mutua proclivis est locum habet & imitatione massæ fermentatæ nomen invenit. Vel *Fermentatio*, est fermenti cum re fermentanda incorporatio. Sicut enim parum fermenti pastæ, multam farinam in suam naturam & pastam potest convertere; ita etiam fermentum Chymicum fermentandum, cui adjunctum est, sibi assimilat. Et quale fermentum tale & fermentatum. Intelligunt Philosophi per fermentum verum corpus, & veram materiam, quæ proprio suo Mercurio conjuncta, illam in suam naturam convertit. Deinde etiam lapidem ipsum volunt esse fermentum corporis perfecti. Cùm enim lapis adeò sit subtilis, ut super corpus imperfectum projectum, in modum olei supernatet, nec cum illo permisceatur, opus est corpore aliquo, primam illius affinitatem redolente, quod illum recipiat, atque in alia corpora introducat. Nam quam primum corpus illud lapide infectum, & fermentatum est, statim in tinctura abit.

Fermentum album, est argentum.

Felda, Fermentum etiam, est Elixir.

Feruzegi, est stannum metallum.

Fex, Intelligimus fecem vini, ut *Dioscor. libro 5. c. 72.* docet. Deinde addit fecem aceti, & quomodo siccata crematur, ut halcionium, & aliis modis.

Fider, Fidex, est Ceruſa.

Felletin, Laminæ ferri.

Filius unius ostum, est vitriolum; aut auripigmentum.

Filius Veneris, est aurichalcum.

Filtratio, est subductio per filtrum: est colum chymicum, & colatura seu percolatio appellari potest, fit potissimum in humidis, è quibus aquosiras tenuis transit; resistentibus spissis & oleosis. Praxis sic habet. Carta emporetica convolvitur, aut complicatur, vel loco ejus pannus vilosus consuitur in sacci formam, aut vasi applicatur, veluti infundibulo, *&c.* Liquor infusus finitur paulatim in excipulum distillari: unde hæc operatio, distillatio per filtrum dicitur.

Firex, est Oleum

Firfir, est color rubeus.

Firmamentum, est Lazurium.

Fisarum, est confectio Salis Armoniaci.

Fistula, Sinus arctus, oblongus, & callosus syrinx.

Fixatio, rei ignem fugientis, ut cùm amplius non fugiat, ſed in eo fixa permaneat per ignem aſſuefactio, ſive ea fiat per calcinationem, ſive per decoctionem lentam & diuturnam, ſive per crebram ſublimationem, ſive per crebro reiteratam ſolutionem, & coagulationem, ſive tandem per rei fixæ additionem perficiatur.

Fyada, eſt Mercurius fumus albus.

Flammula, Juniperi eſt ſpongia citrina adhærens Juniperi fruticæ.

Flox, eſt flamma.

Flos æris, eſt viride æris.

Flos, eſt bolus per ſublimationem extractus. Ex centro & imis partibus elevandus & producendus eſt, ut in ſummitate forma ſicca coagulet. Flos ſpirituoſa rei ſubſtantia eſt. Turbith verò magis terrea. Omnis flos per ſe eſt volatilis & ſpirituoſus, quanquam ingenio magiſtrali poſſit figi & ad naturam Turbithi aliquando adduci.

Fluores, ſunt lapides ex fodinis ſimiles gemmis ipſis, ſed minus duri. Metallici vocant fluores, ſiquidem ignis calore ut glacies ſole, liqueſcunt & fluunt. *Fluores*, ſunt quaſi contrarii metallis iſtis mediis ſeu remotis qua in ſpiritus & aërem ſolvuntur. *Theophraſtus* ſi ipſas noviſſet, ἐυσυῤῥους vocaſſet, quod fluxu in terra fierent. *Ruland.* ponit varia fluorum genera, à *pag.* 217. ad *pag.* 222.

Focus, in quo plumbum purgatur. Anglicè *Smelts houſe*.

Folia daturæ, quaſi folia aurea.

Fom, eſt ſonus, vel vox.

Fulminatio, eſt gradatio metallica cum excoctione ad purum in cineritio, cujus perfectio, veluti effulgente ſplendore, indicatur. Nomen operi eſt quod corruſcatio, velut in fulmine apparente fulgure fiat. Nam poſtquam abſumptæ, ſegregatæque ſunt alienitates, (veluti fluores adjecti plumbum mineralia conjuncta) nubecula quædam ſulphurea obequitat per ſuperficiem, unde poſtea purpureus elucet ſplendor, quem fulgur vel fulmen, aut etiam florem nuncupare ſolent, qui cùm diſparet relictus regulatus refrigeratur.

Fumigatio, eſt per fumum aërem & corrodentem calcinatio. Diverſo modo Metalla nobiliora afflatu plumbi fuſi, vel hydrargiri, fragilia redduntur, & poſtea comminuuntur terendo cum ſale.

Furogi, eſt gallus.

Furnus, locus in quo ignis ad materiam chymicè tractandum dextrè & convenienter accommodatus. Eſtque Apertus vel Tectus. Videas plura de furnis. *Ruland.* à *pag.* 226. ad 233. & in *Glaubero*.

Fuſio, eſt liquatio per calorem.

Ex ferro cuprum, & ex ferro plumbum elici poteſt. *Par. de natura rerum*, pag. 460.

Fuſio, per Antimonium, qua verum aurum non modo à metallis imperfectis, ſed etiam ab ipſo argento ſeparamus, & fit hoc modo. Accipio aurum aliis metallis mixtum, ipſique tres partes antimonii pulveriſati commiſceo, & in crucibulo igni contumaci in furnum ventoſum pono. Poſtea juvante (ſi placet) folle probè liquefactum in pyramidem calefactam, ſevoque illitam transfundo, ubi labris malleo concuſſis regulus aurum continens in apice reſidebit, quem malleo detrunco. Antimonium porro reſiduum, rurſus in tigillo igni ad tertiam etiam vicem impono, & prædicto modo procedo, ut omne aurum ex antimonio protrudatur. Tandem regulos hoſce ſingulos in catillo terreo prope follem pono, carbonibuſque ſuperpoſitis in modum fornicis ignem accendo, tam diuque flammam ſuperinduco, quouſque omni antimonio evaporato, aurum purum purumque reſideat, quod ſtatim coagulatur.

Fulmen, eſt argentum purificatum.

Fimus equinus, eſt digeſtio facta per fimum equinum, cineres, vel aquam.

Filum Arſenicale, eſt lapis Philoſophorum.

Fiſtula, eſt morbus.

Ficus cutis, eſt verruca innaſcens cuti ad crura equorum, medicamentum aptum ad matricem.

Fido, dicitur argentum vivum & nonnunquam aurum.

Fida, eſt argentum, & aliquando aurum. *Fidda*, eſt Luna.

Filius unius diei, eſt lapis Philoſophicus. Et etiam ovum.

Filum arſenicale, eſt arſenicum ſublimatum.

Flegmon, apoſtema commune.

Flos cheiri, eſt auri eſſentia.

Flos ſectarum croe, nonnulli volunt eſſe flores ex croco, ob additionem croe, putantes errorem illorum qui ſcripta Paracelſi manu non exactè legerunt *e*, pro *ci*. Ego vero per tranſpoſitionem deprehendi eſſe florem moſcatæ nucis, ut ſonath anthos denotat.

Fœnix, vel *Phœnix*, eſt filius unius dici, ut ſupra. Alii florem chelidoniæ extractum.

Fœdula, eſt fungi ſpecies.

Folia daurea, quaſi folia aurea.

Fons Philoſophorum, dicitur balneum maris.

Formæ rerum, influxus dicuntur cœleſtium, quos à ſuperioribus habent inferiora quævis, occulta potentia, vis, atque virtus unius cujuſque rei.

Formicæ, apoſtemata verrucalia, porralia.

Fugile, eſt aurium in regionibus apoſtema, vocatur *parotis*.

Fuligo metallorum, propriè dicitur arſenicum, ſed uſurpatur pro mercurio.

Fumus albus, eſt Mercurius.

Flumen hoc loco, ſunt flores cupellati argenti, in ipſius cum plumbo repurgatione, unde, fulminare metalla, idem eſt ac repurgare, quæ perfecta dicuntur.

G.

Gamathei ſunt lapides quibus cœleſtes vires, & ſupernæ conſtellationes imprimuntur, mirandis characteribus, imaginibus & figuris inſigniti vel celati, quales aliquando natura fabrefactos videre ſæpiſſimè contingit è montibus erutos, quandoque ſecundùm ripas aquarum.

Glacies dura, eſt Cryſtallus.

Gladialis, eſt ars, qua juxta firmamenti curſum aſtrorum, gladii cuduntur & enſes, quibus & incudes reſiſtere non poſſunt, unde vocatur alias incuſina.

Gelion, dicitur pro folio.

Geomantia, eſt ars & ſcientia terrarum notiſſima. Sed hoc loco dicitur, quum aſtra terræ ſeſe palam faciunt hominibus, ut inde prophetiam aut præſagium ſumant quod ſortitur effectum. Dicitur etiam, Aſtronomia terræ, quæ dupliciter operatur, aut per aſtronomicas calculationes, vel per puncta.

Geluta, eſt herba carlina.

Gemma tartarea, dicitur lapis vel calculus generatus, ex diaphano & perſpicuo tartaro.

Genula, eſt planta degenerans ex tranſplantatione pa ſtinacæ.

Gibar, eſt medicina metallica.

Gibum, eſt Caſeus.

Gigantes,

Gigantes, sunt elati vel proceri supra vel præter naturam homines, aut citra leges naturæ.

Gilla, vel *Grillus*, apud Paracelsum est vitriolum sua sponte resolutum in aquam. Nonnulli putant à natura talem exhiberi liquorem. Sunt qui hoc nomine salis armoniaci aquam appellant.

Gluten, est Paracelso, sinonia, vel ut nonnulli volunt sinovia, liquor viscosus albus & clarus, in omnibus juncturis instar albuminis in ovo, perspicua materia, in qua si generetur tartarus ob sal resolutum quod habet in se quandoque coagulatum, oritur inde podagra, cujus etiam locum, & verum domicilium esse asserit.

Glutinis tenacitas, est resina mineralis, ut terebinthi resina arboris suæ.

Gluta dicitur vis tenacis picis & efficacia.

Gnomi, dicuntur humunciones vel spiritus potius corporei sub terra viventes, aliàs pygmei, cubitali vix altitudine.

Græca magia, est ars superstitiosa à Græcis inventa, vel saltem culta, visiones vanas tractans, qua efficiebant ut apparerent ea, quæ verè non erant, indeque magnam apud ignarum vulgus sapientiæ captarent existimationem, cùm nihil aliud esset quàm oculorum aciei per obfuscationem vel obtusionem, transmutatio, ex imaginationibus hominum sumens exordium, quorum assensus cum infideli conatu per omnis mendacii machinatorem conjungebatur in similitudinem. Quid non molitur in vanis hominibus hac via nequam artifex?

Gravus, lapis est porphyrites, cujus usus ut marmoris in arte spagyrica, ad spontaneas rerum solutiones potissimum est idoneus.

Guarini, sunt homines ex influentia cœli vivantes.

Guma, est argentum vivum, Mercurius.

Gunicula, est valeriana, phu.

Gutta rosacea, est rubedo, præsertim in facie, similis illi quæ tinctura est in origine lepræ.

Gagates lapis, Fit in mari & flumine *Gagas*, procul dubio è petroleo, id est, naptha subtili, vel liquido bitumine naturali. Sicuti altera gagatis species, lapis Thracius, fit è nigra naptha aut bitumine cùm stillat vel fluit in mare vel flumina, prope maria, bitumen vel naptha liquida, petreolum illud.

Gagas calefactus, & succinum, motu attrahit fila & stipulas, ut magnes ferrum, & gemma Sagda lignum: Et uterque igne accensus flagrat: Sed succinum non ardet, aquis licet oleo quodammodo ardeat propter resinæ, unde fit, debilitatem. *Gagates* verò quia ex bitumine fiunt, eo magis in aquis ardent, & aquæ accenduntur, propter vim bituminis, sicut oleo restringuntur. Succinum verò seu electrum non bitumen est, sed tantùm lacryma arborum populi, vel etiam pini.

Dicitur lapis gagates à loco & amne nomine *Gagas* in *Cilicia*, ad cujus ostia seu fauces ad mare prope urbem *Plagiopolum* hic lapis reperitur Ut *Dioscorides*, *lib.* 5. *cap.* 92.

Galactes lapis dicitur, quia lacteum succum resudat, coloris cinerei gustu dulcis, præcipuè in aqua, *Dioscor.* dicit, quod *Galactites*, ex uno colore lactis est, & eundem vocat Leucogogeam, & synephitem, succo lactis & sapore notabilem in educationem nutricibus lactis fœcunditatem infantium, alligatus collo salivam facere dicitur. Ferunt illum ore liquescere & memoriam adimere. Mittit hunc lapidem amnis *Achelous*, & *Nilus*.

Gala, est Lac. Unde *Galaxia*.

Gangrena, incipiens partis affectæ mortificatio.

Gatrinum, est Cinis clavellatus.

Gebalum, est reparandum. Cogulare idem.

Gecharsam, *Disdaha*, est rana.

Gemma ex araneo domestico, ingentis magnitudinis. In horum capitulis ferunt gemmam reperiri præsentissimam contra omnia venena & incantamenta: Nec mirum est gemmam talem habere vim, cùm telæ araneorum sunt magni momenti ad quam plurima.

Gemma Berillus 1. Berillus. 2. Chrysoberillus. 3. Chrysoplirasius.

Gemma Prasius, lapis colori porri similis.

Gemma Opalus.

Gemmæ Ceraunix. 1. Ceraunius longus. 2. Rotundus.

Gemma Iris, est lapis sexangulus, candidus, qui quavo radios solares excipit, arcum cœlesti similem jacit in parietem: Sunt Irides etiam adulterini,

Gemmæ Rubetarum, Phrynus bufo seu rubeta, fœdum animal degens in antris. Hujus species in *Gallia*, & *Hispania* est, quæ cornuta maculis croceis & nigris lucentibus nomine Borax in capitibus ferunt gemmas ejusdem nominis, coloris interdum in candido fusci; Interdum in medio cœruleum habet oculum, si vivæ boraci extrahitur adhuc vel palpitanti: Interdum niger est notulis lucentibus nigris, ut nostri sunt bufones. Forma erat rotundus magnitudine mediocris fabæ. Interdum virides, interdum versicolores etiam Boraces reperiuntur. Vulgo tales lapides Cropodinos vocant. Interdum in his forma bufonum apparet sparsis pedibus. Gestantur hi annuli à principibus: nam ubi venena sunt, præsens lapis colorem mutat, & quasi sudans guttas emittit: Mirè expetuntur à nostris bufonibus boraces lapides, ita ut saltu eos rapere nitantur. Sed an ex cerebro, an ex viscositate spumæ nascuntur Boraces, quæstio est. Sed si bufones suspenduntur aëre, ut arefiant, præsentissimo remedio sistunt fluxum sanguinis.

Geometria finitur, à decempeditura, agri mensura.

Gersa, est Ceruса.

Gesor, est Galbanum.

Gi, est terra.

Gich Gepsim, est Gipsum.

Gilvus helvus, est medium inter album & ruffum melinus. Citrinus.

Gir, *Gith*, est Calx viva.

Girgies, Albi lapides fluminis.

Gimer, est Tartarum.

Gisisimi, est Gummi.

Glassa, est genus Vernicis.

Glisomargo, est Creta Candida.

Gerhulle, est saxi species.

Gineſt, est saxi species.

Glimmer oder, habet colorem argenti, sed argentum non est, felium autem argentum dicitur à similitudine, quod eorum oculi noctu lucent tali modo.

Glomer, est rotundum.

Gluten, est fel Tauri.

Gluten, Sinonia, vel synovia est pars corporis nobilissima, subtilis, pura, alba, perspicua, sal resolutum dulce, & humor naturalis: Vide *Gluten*, alio loco.

Gobeira, *Mesbila*, *Agabor*, } Pulvis.

Goſel, eſt animal Cornutum.

Gradatio, eſt metallorum in gradu affectionum exaltatio, qua pondus, color, & conſtantia potiſſimum ad gradum excellentem perducuntur. Neque enim in ſubſtantiam per ſe transfigurandam vim habet; ſed duntaxat qualitates vel quantitates in gradu extollit, vel ex occulto in manifeſtum producit, nihil mutata ſpecie priore: velut ſi natura dedit aurum album, gradatio id rubificat, ſi volatile, figit, ſi impurum purificat, &c.

Granatus, Species eſt proculdubio carbunculi, eſt gemma rubea, perlucida ſimilis balauſtiis, coloris roſacei, obſcurior carbunculo. Altera ejus ſpecies intra ruborem violæ ſparſum colorem habet. Ejus patria eſt *Æthiopia*, & *Arena maris*. Granatus lætificat cor & pellit triſtitiam. Hujus fœminam, non pæaniten, ſed pæantiden vocat. *Plin.* & *Sol.* Teſtatur fieri prægnantem & *Para.* mederique concipientibus & parturientibus.

Granum viride, eſt fructus arboris terebinthini.

Granum nil, eſt ſemen Indicum.

Granulatio, eſt in granula comminutio, ei inſervit fuſio. Eſt enim propria metallorum, & perficitur variis modis. Fuſa metalla in aquam effunduntur, cujus vi deverberata diſſiliant. Fundi verò in catino vel trulla cochleari ferreo debent. Nonnunquam aquæ imponuntur ſcopæ è viminibus exilibus, ut eo melius diſſiliant. Loco ſcoporum tabella, vel colatorium anguſtiſſime pertuſum, vel crates ad uſum venit.

Graſſa, eſt Attinckar vel Borax.

Gratiola nota herba, magno olim pretio ad nos allata, circa *Norimbergiam* reperta fuit; in agro Argentoratenſi proximè urbem copioſè provenit.

Grus, Ciconia.

Guaril, eſt ſtellio.

Guma gumi, Ol. Sul. Coagulum.

Guma Paradiſi, Auripigmentum.

Guma Cupri, eſt ſtillicidium Veneris.

Gummi aſinar, eſt gummi amygdali.

Gummi arboris nucum, eſt tremulæ arboris.

Gummi Cedri, Cedria, vel cidrina, Kedria, Alkitran, Xerbin.

Gutteo, eſt gumma quæ eſt marinum.

Gutta ruonia, ſeu Butiga, vel gutta rubea, eſt inflammatio totius faciei.

Gemmarum mortificatio quomodo fiat *Pard. lib.* 5. de natura rerum *pag.* 428.

Gemmarum tranſmutatio fit oleo ſulphuris *lib.* 7. de natura rerum *pag.* 462.

Gypſum, Forſitan fit ex lapide ſpeculari quem vocant Sparodesſpergulas, propter vitri ſimilitudinem. Eſt autem *Gypſum*, cognata res calci, ſed non eſt ita calidum. Differunt quod calx reſtincta humore aliquo acquirit calorem; *gypſum* verò non accenditur reſtinctum. Vis illi eſt aſtringere, obſtruere, potu ſtrangulat. Uſus ejus eſt tantùm extrinſecus, propter ejus nimiam exſiccationem, & ſtrangulationem.

Gypſum eſt duplex.

1. Foſſile & nativum, & è terra effoditur, ſumma tamen tellure, eſt res ſimilis ferè nitro, latis nonnunquam venis: notum *Theophraſtus* & *Plin.* reperitur ad Albim.

2. Alterum *Gypſum*, eſt factitium. Et fit ſeu coquitur (utar enim verbo *Plin.*) ex lapide albo ſimili alabaſtriti, cujus lapidis, quaſi venæ reperiuntur in ſaxis Jenæ, & ad ſylvam Hercynam, Salveldiæ ad fodinas. Lapidem *Ruland.* putat eſſe quaſi medullam induratam ſaxi: aut ſpecies videtur eſſe aphronitri, aut *gypſi* veri, aut lapidis calamina.

Secundo *Gypſum*, factitium fit ex lapide illo ſciſſili ſpeculiari, qui à Germanis dicitur *Sperglaſs*, glacies Mariæ, quia repræſentat formam glaciei. Et hoc eſt optimum *Gypſum*, ut teſtatur *Plin. lib cap.* 24. *Ruland. pag.* 249. enumerat 16. ſpecies *gypſorum*.

H.

Hal, dicitur ſal. *Hal*, aliàs *Hol*, eſt etiam Acetum.

Halcyon, vel *alcion*, eſt glacialis avicula.

Harmel, eſt ſemen rutæ ſyveſtris.

Haro, ſpecies eſt filicis. Similis Polypodio.

Hadid, eſt ferrum.

Hæmatites, vocatur à German. *Blutſtein*, propter colorem ſanguineum, quo tingit, & etiam ſpectatur præcipuè, qui foſſilis eſt in fodinis, & propter effectum etiam quem habet in ſiſtendo ſanguine in omni fluxu ſanguineo. *Ruland.* ex *Plin.* & *Dioſcor.* enumerat ſex ſpecies, *pag* 250. 251.

Hager, eſt Lapis.

Halimar, eſt Cuprum.

Halcyonium, eſt nihil aliud quàm maris ſpuma concrera, & intus res ſciſſilis, ſtimulans in faucibus & oculis, unde hodie ſpuma maris in officinis dicitur, Sed non ſpuma ſalis illa, ſeu maris, licet ſit cognatio quædam. Spuma enim ſalis illa eſt lanugo, ſeu ramentum ſpumoſi maris coagulatum in petris, *Halcionium* verò ſpuma maris concreta, ſciſſilis & ſpongioſa *Ruland.* à *Dioſcoride* enumerat *pag.* 253. 5. genera halcyonii.

Hel, eſt mel.

Henricus rubeus, eſt colcothar vitrioli, vitriolum in rubedinem calcinatum.

Helebria, eſt ſpecies veratri nigri, rubeos flores edentis.

Heliotropium, eſt meliſſa Paracelſi.

Hæmorrhoides, eſt ſanguinis in ano profluvium.

Hydromantia, eſt ars ſumpta ex aſtris aquæ, quum in ea ſeſe palam faciunt hominibus, ab inundationibus, inuſitatis, fluctuationibus, aliiſque apparentiis.

Hydropiper, eſt perſicaria, rubeis tincta maculis.

Hinnicula, genicula, vel ut ſupra gumicula, eſt valeriana. Verum puto variationem ex errore ſcribentium.

Homunculi, ſuperſtitioſæ ſunt imagunculæ loco vel nomine alicujus fabreſactæ, ut aſtralem hominem inviſibilem contineant, cujus cauſa fictæ fuerunt in ſuperſtitioſum uſum.

Horizon, mercurius auri.

Humor vitæ, fomentum eſt & pabulum calidi naturalis, aliàs humor radicalis, quæ omnia viventia, ne areſcant, ſuſtentat.

Humoris receptaculum, Aizucht.

Hyarith, eſt Luna.

Hyacinthus, eſt gemma differens ab Amethyſto, dilutus eſt hyacintho, gratus primo aſpectu, evaneſcit antequam ſatiat, marceſcens celerius nominis ſui flore. *Plin. lib.* 37. *cap.* 9. Mittit *Æthiopia*, *Arabia*, & *India Hyacinthos* & Chryſolithos. *Arabes* tres ejus faciunt ſpecies, Coloris rubri, Citrini, & Antimonii.

Hyacinthus provocat ſomnum, valet contra toxica, exhilarat hominem, confortat Cor. Veteres Aſtrologi dicarunt *Hyacinthum* Jovi *Ruland.* enumerat *pag.* 256. ſex ſpecies.

Hydrophobia.

Hypogloſſum, *Hippogloſſum*, Epigloſſum. Uvularia, Bonifacia, Lingua pagana, bis lingua.

Jaſpis,

I.

Aspis, est lapis hæmatites.

Jassa, herba trinitatis, persicaria, *pag.* 457. Mag. Chyrurg.

Icteritia rubea, est Erysipelas.

Idiotæ, sunt contemptores verarum artium, etsi falsarum sint peritissimi professores.

Ignis leonis, est elementum ipsum ignis.

Ignis persicus, est ulcus ardoris incendio torquens.

Ignis pruinus adeptus, est essentia quinta vitrioli (vel vini) cum tartaro rectificata.

Ilech primum, est principium primum. *Ileias*, *Ileadus*.

Ilech supernaturale, est conjunctio supernorum & firmamentalium astrorum, cum terrenarum rerum astris inferioribus, atque vino.

Ilech magnum, est ascendens vel astrum medicinæ, quod unà cum ea sumitur, in qua etiam occultum est, non secus atque in firmamento superiora sydera, item in homine inferiora.

Ilech crudum, est compositio ex materia prima trium primorum principiorum. Mercurii, Salis, & Sulphuris, è quibus omnia sunt composita.

Ileidus, est aër elementaris: in hominibus verò spiritus est qui transit per omnia membra.

Iliaster, aut *Iliastes*, vel *Iliadum*, est prima rerum omnium materia, constans ex sulphure, mercurio, & sale, quadruplex juxta quatuor elementa.

Primus, est cahos terræ.

Secundus, cahos aquæ.

Tertius, cahos aëris.

Quartus verò cahos ignis.

Item quatuor sunt hominum *Iliastri* concernentes longævam vitam.

Jacens, est fundamentum montis.

Jaspidis species *Ruland.* enumerat (à *pag.* 257. ad 259.) 22.

Idum, est pulmentum.

Idragira, est aqua alkali,

Iffides, est Ceruса vel Cinis plumbi.

Ignis pro Lapide Philosophico *Ruland.* 9. Ignis species enumerat, *pag.* 260.

Ignis calor, est naturalis, vel artificialis.

Ignis algir, est ignis fortissimus.

Ignis elementaris, est Sulphur, Sed non vulgi.

Ignis sapientum, est fimus equinus calidus.

Ignis clare ardens, est sulphur.

Ignis extinctus, est sulphur extinctum.

Elementum *ignis Veneris*, est oleum è sulphure Cupri. *Vanhelm.*

Ignis Gehennæ, est specificum corrosivum. *Para.* 7. *Archidox*, descript. *pag.* 227.

Ignis quatuor sunt gradus artificibus attendendi, sicut eos prisci Philosophi observarunt. Æstimantur non sensibus tantum, sed & effectu in rebus ipsis, & judicio sensibus conjuncto, potissimum verò visui, & tactui.

Primus gradus est lentissimus, instar teporis leviusculi, vel ignaviusculi, vocaturque calor balnei mitis, aut fimi, vel digestionis circulatorius, *&c.* Qui ad tactum ita describitur, ut cum digitus hominis teneri semper ferre possit, & cùm habeat suas intentiones, & remissiones, nunquam tamen evidentem aut acrem sensum gignere debet. Hujus generis est ignis vaporosus Philosophorum, qui describitur incubatu gallinæ excludentis pullos, aut hominis rectè dispositi natura. Is plerumque talis est qualem suppeditat fornax vaporarii moderatè incensa, aut qualis est catini arenarii fornaci insistentis, vel hujus locati in catino arenario flamma modesta.

Secundus gradus est intensior, adeo ut jam evidenter feriat tactum, neque tamen vim afferat organo. Appellant calorem cinerum, quod mediocris ignis sub catino cinerario incensus, talem præbeat. Cineres enim ob raritatem non admodum aërem concipiunt.

Tertius gradus est cum læsione tangentis, & confertur arenæ ferventi, vel scobi ferreæ, ut dicatur ignis arenæ: vel limaturæ ferri, *&c.*

Quartus est summus gradus, & plerumque destructivus. Nominant ignem reverberii, & viva flamma lignorum, vel congestarum prunarum follibus alacriter inflatarum, procuratur. Hi gradus cùm referuntur ad effectum in certis rebus, valde mutantur, Ita enim fit, ut qui ultimus esset in planta, primus sit in stibio, vel alia re firma.

Sed licet balnei calore intelligatur gradus primus, tamen in operatione per balneum omnes quatuor possint habere locum.

1. Ut sit primus, cum modice aqua incalescit.
2. Secundus cum jam acriter sentitur.
3. Tertius cum urit.
4. Quartus cum fervore maximo etiam corrumpit, quæ omnia in oleo evidentius conspiciuntur.

Ignis Alchimistici gradus. *Para.* de natura rerum *lib.* 7. *pag.* 457.

Ignitio, est Calcinatio, corpora ignis violentia in calcem reducens. Estque combustio & reverberatio.

Imbibere, est terendo inspissare.

Imbibitio, est ablutio, quando liquor corpori adjunctus elevatur, & exitum non inveniens in corpus recidit, idque crebris humectationibus tantisper abluit, donec cum illo pure coagulatus, amplius ascendere nequit, sed totus fixus manet. Hæc plane philosophica est operatio, nec ad vulgares sese dimittit.

Immersiva corrosio est, quando corpora aliis rebus immersa in calcem rediguntur. Estque humida vel sicca.

Inceratio, est mistio humoris cum re sicca, per combibitionem lentam ad consistentiam ceræ remollitæ. Inde vocatur ἐγκήρωσις: aliàs etiam imbibitio, quæ fit per irrigationem re sicca potante humidam. Nec alia nutritio est medicorum, qua sarcocolla, lythargyrus, & alia paulatim succo quodam potantur, & ad usum evadunt commoda.

Incineratio, est ignitio, corpora vehementiori igne in cineres convertens.

Incinerantur, autem vegetabilia, & animalia, mineralia autem (Chimico more loquendo) propriè non in cineres, sed in calcem redigi dicuntur.

Incorporatio, est commistio, quæ statim humida cum siccis in unum corpus per formam massæ contemperantur. Itaque hic non fit lenta nutritio, sed tantum humoris statim additur, quantum ad corporis misti consistentiam requiritur ut fiat veluti pasta, unde & impastatio nominari potest, in nonnullis subactio. Incorporatæ autem res in calore digestorio relinquantur, ut mutua actione, & passione crasin communem nanciscantur.

Incuba, est sponsa solis.

Indicum Sal, est Sal gemmæ.

Indicum, spuma est duarum specierum: sc. Est indicum nativum partim, quod sua sponte nascitur in arundinibus quibusdam Indiæ. Pictoribus dicitur lapis Indicus impropriè, non enim est lapis; huic

ſimile eſt ferme adarces, qui ita & adhæret arundinibus: ſed adarces fit. Indicum naſcitur ſua ſponte in arundinibus; Partim factitium eſt in officinis tinctorum. Eſtque ſpuma purpurea, innatus cortinis. Optimum eſt factitium illud, cœrulei præbet ſpeciem; habet enim cœruleum in nigro colorem.

Leviter adſtringit, purgat, & reprimit ulcera. Alii ſuccum herbæ ſimpliciter eſſe dicunt, qua nunc tinguntur panni, quam vocant Indicum, id eſt, glaſtum, quod aliud eſt domeſticum notum Thuringis, quo maxime utuntur tinctores. Unde hoc factitium Indicum proprie fit: Alterum eſt glaſtum ſylveſtre. De quibus vide *Dioſc. lib. 2.* de glaſto.

Infundibulum, eſt vas metallicum oblongum cum manubrio interius excavatum, liquata metalla recipiens, & in virgas vel baculos conformans.

Inhumatio, & Inhumare.

In igne ſeptem Planetæ.

In aqua ſeptem metalla.

In terra ſeptem herbæ.

In aëre ſeptem tereniabin.

In animalibus ſeptem ſunt membra principalia. *Para. p. tom. pag.* 872.

Nihil enim eſt in tota rerum natura quod ex iſtis tribus Mercurio, Sale, & Sulphure non conſiſtat; & hæc tria ſunt *Theophraſti* principia, quæ analyſi ſpagyrica deprehenduntur: Nihil præter tria inveniemus, quæ ſingula in ſingulis elementis ſunt. Hæc tria etiam *Johannes Fernelius* animadvertit in ſua medicina de humido innato. Hæc veteres olim etiam tradiderunt. Ita non primus *Theophraſtus* invenit, ſed tenebris obruta in lucem revocavit.

Inſtrumentum metallicum ſignificans mundi partes: *à Compaſſ.*

Iris, eſt gemma cryſtallo ſimilis, ſecundùm nonnullos radix cryſtalli, frequenter exagonus reperitur in *Arabia*, & in inſula quadam rubri maris. Eſt lapis ficciſſimus, idque maximè ſuâ ſubtilitate indicat: voluntque eum naſci ex aqueo ſucco, qui labitur de materia lapidis, qui generatur in luto rubeo. Dicitur verò *Iris*, quia in medio ejus repreſentat Iridem meteoron diſtinctis venulis; vel quia ſub tecto repercuſſus lapis is ſole ſpecies & colores arcus cœleſtis in proximos parietes ejaculatur, teſte *Plin.* Et addit aliquas eſſe ſcabris lateribus, & angulis inæqualibus, quæ cùm in ſole aperto projiciantur, radios faciunt in ſe recandentes diſcurrere, aliquas etiam ante ſe projecto nitore adjacentia illuſtrare. Addit & aliam Irim ſimilem ceræ præduram, quæ in Perſide naſcatur, & huic ſimilem aſpectu, ſed non ejuſmodi effectus gemmam.

Jos, eſt venenum.

Jota, *Jora*, eſt viride rama.

Ipacedes, eſt barba hircina.

Iva artetica, vel *Muſcata*, Medicina propter membra contracta.

Iva potabilis.

Judea metallicus, Berg Richter.

Jumniſum. Jumnizum, eſt Fermentum.

Jupiter, eſt Stannum.

Juſſa, eſt lapis gypſius.

Iliaſter primus, vel *inſitus*, eſt terminus vitæ, imò vita ipſa, vel vitæ balſamus in homine.

Iliaſter ſecundus, vel *præparatus*, eſt terminus balſami, A vita quam habemus ex elementis & elementatis rebus.

Iliaſter tertius, eſt terminus balſami præparatus, aut vita quam habemus ex quinta eſſentia.

Iliaſter magnus quartus, eſt mentis vel animi raptus in alterum mundum, ut raptus *Enoch* & *Eliæ.*

Iliaſter tamen in genere, dicitur occulta naturæ virtus ex qua res omnes habent incrementum, aluntur, multiplicantur & vegetant. De quo latius libro de meteoricis generationibus legitur apud Paracelſum.

Imagines, ſunt metallicæ figuræ vel effigies, in quibus vires & virtutes cœleſtes operantur.

Imaginatio, eſt aſtrum in homine, cœleſte & ſuper cœleſte corpus.

Impreſſiones, ſunt fructus inviſibiles, & ſtellarum in rebus inferioribus.

Impurum alcali, eſt ejus ſpuma quæ aufertur in repurgatione poſt extractionem. *Impurum tartari*, eſt ipſius alcali.

Inanimati, ſunt pygmei.

Inclinatio, eſt vis naturæ, quæ manifeſtatur in homine quorſum magis proclivis eſt ejus vita, actionum & operationum demonſtrationibus.

Incarnativa, chirurgorum ſunt medicamenta vulneribus cutem obducentia, vel carnes concludentia.

Incluſiva, vide ſupra gladialis quid ſit.

Incubus, eſt nocturnus ſpiritus illudens, fallenſque mulieres in ſomno, ac ſi cum eo rem commiſcerent.

Influentia dicitur, attractio virtutem & naturæ ſiderum, ac planetarum ſuperiorum in animum noſtrum, per mentales imaginationes, quas ſemel hauſtas & receptas retinemus, ut nobiſcum mancant. Eaque duplex eſt, una per creaturam ad nos derivatur, ut influentia cœli per firmamentum: altera verò ſine medio quovis datur à datore luminum. Et hæc proprie ſupernaturalis eſt, ut prior naturalis, vel artificialis, atque moralis,

Influentia verò naturalis, eſt ea quam infundunt aſtra ſuperiora firmamenti, & naturali præſcriptio in hæc inferiora, quibus gubernant & regunt per inclinationes in hominum brutis aliiſque, & per vires & efficacias in inſenſatis. Inde colligendum, inclinationem eſſe brutinam quandam vim, & magneticam attractionem, cui per moralem influentiam reluctari ac reſiſtere facile (ſuffulti divino tamen afflatu, alioqui difficillimè) poſſumus.

Innaturalia, vel *ſupernaturalia corpora* ſunt ea quæ concipiuntur animo duntaxat. Inde factum ut quandoque loquatur quis, mihi videre videor hominem præ oculis, qui tamen plus ducentis milliaribus abeſt, vel aliquando vita functus eſt ante viginti annos.

K.

Kachimia, vel *kakimia*, dicitur immatura metalli minera vel ſemi perfectum metallum, & nondum à natura abſolutum, quod adhuc in primo ſuo ente, ut infans in utero ſuæ matris delireſcit. Ejuſmodi *Kalkimiarum* ſpecies tringinta reperiuntur hactenus cognitæ, quas hoc loco recenſere longum foret, ac præter utilitatem.

Karlina, eſt anetum ſilveſtre.

Kibrith, eſt ſulphur.

Kymit elevatum, eſt album cinabrium, ſublimatum.

Kiſt vel *Ciſt*, eſt ſeſquimenſura vel pondus librarum quatuor alicujus liquoris.

Kobolt, vel *cobaltum*, ſive *cobletum*, eſt metallica materia plumbo nigrior & ferro, ſplendore carens metallico, liquationem tamen & malleationem admittit, fixum non eſt, ſed meliora metalla ſecum per fumum abducit, Lapis Cadmia.

Kal, eſt Sal de torrente.

Kald,

Kald, est acetum.
Kali, Cinis clavellatus.
Kalnos, est fumus.
Kamar, vel *Camar*, est Argentum.
Kamir, est Fermentum.
Kanfor, est Stannum. *Kazdir*, etiam est Stannum.
Kaprili, & *Kibrith*, est Sulphur.
Kar, est gemma lucens sicut ignis.
Kasam, est ferrum.
Katimia, *Kadmia* vel lapis *Calaminaris*, Tutia.
Kayl, est lac acetosum.
Kayfir, est spuma maris proprie pumex.
Koma, *Komartos*, est Calx viva.
Konis, est Cinis.
Koft, est fagus, lignum faginum,
Kuria, vel *Kymia*, vel *Kymus*, est Massa.
Kibrius, *Kybrick*, est arsenicus,
Kymum, vel *Kyminum*, est coadunatio.
Kymenna, est ampulla.
Kymolea, est lutum Chrymolea.
Kyram, est nix.
Kiva, est Opoponax.

L

Labor Sophiæ, dicitur Paradysus, alter Mundus.
Lac virginis, est aqua Mercurialis. Etiam *Lac virginis*, est Mercurius Philosophorum, succus Solariæ & Lunariæ.
Lac papaveris, est Opium.
Lacerta, est carnis & corporis cavitas. Et Caro musculis inclusa sine ossibus.
Lacerta rubra, Colcothar, Vitriolum.
Levigatio, seu *Alcolisinus*, est Calcinatio quæ rem pulverando in Alcool adducit. Et est hîc reductio quorundam per glutinationem, quorundam per fusionem, aut fulminationem.
Lacune, est Terra Sigillata.
Lamac, est gummi Arabicum.
Lamina, est Auripigmentum.
Lans, est argentum mortuum. *Lanx*, est amygdala amara.
Laos, est Stannum.
Lapis in Chymia, est omnis res fixa, quæ non evaporat.
Lapis Adiz, est Sal Armoniacum.
Lapis non Lapis, Lapis de virtute & efficacia, non lapis substantia. Avicenna verò & Kodar asserunt, quod lapis non lapis sit Elixir.
Lapis animalis, est sanguis humanus; Item curenta quæ scutum portat in dorso.
Lapidum mortificatio, est eorum Calcinatio.
Lapis Arabicus, similis est Ebori maculoso, cusus usus in dentifriciis & exsiccandis hæmorrhoidibus est. *Lapis Arabicus*, non est alius, quam specularis, seu lapis Lunæ, seu glacies Mariæ, unde olim fenestræ parabantur, lignis levigatis positis loco plumbi, unde fit gypsum optimum *Ruland.* numerat *pag.* 274. 275. quinque species. Sed lapis specularis ipsam pinguedinem non habet auripigmenti: & auripigmenti nulla similitudo cum lapide speculari præter in cruſtis. Lapis specularis, est insignis lapis & humor, quasi concretus terræ, qui non resolvitur, & dum est humor terræ crystalli modo glaciatus, & in lapidem induratus, vocant eum glaciem Mariæ. Quidam dicunt quod sit res cœlestis ad Lunæ claritatem positus, in speciem lapidis coagulatus, & constrictus, præcipuè ille qui est candidissimus, & Aproselinon dicitur. Et quanquam Lapis specularis cognationem habet cum gypso, ita ut gypsum sit ejus caput: tamen ejus usus præclarus est in medelis, cum gypsi usus sit dubius & venenatus, utpote qui strangulat.

Lapis ex cancro. Inveniuntur in ipsis cancris, præsertim in fœmellis cum syphar exuerunt, & deposuerunt, lapides candidi & rotundi, vocati vulgo oculi cancrorum, quia quasi formam habeant oculi: Sed ineptè vocantur oculi, quia non fungantur oculorum munere; nec extra emineant, nec toto durent anno: nec sunt hi lapides extracta essentia à tota bruti testa, ut per plurimas cancrorum dissectiones comperi possunt. *Vanhelmont. pag.* 139.

Vis illorum est frangere calculum vesicæ, propterea etiam colliguntur. Sed illis nihil præsentius est frangere lapidem his, qui de alto deturbantur. *Vanhelmont. pag.* 139. affirmat rarissimum diureticum ex lapide cancrorum colligi, etiam vulnerarium & febrifugum, modo resolvatur in formam pristini lactis. Et nihil est vulneratis vel post partum matribus aptius, quam remedium horum lapillorum. Præcipua est Pulveris Gasconi.

Lapis Magnetis, *Ruland. pag* 275. 276. enumerat 19. species Magnetis, spissus, ferrei coloris est.

Lapides, Trochitæ & Entrochi *Ruland. pag.* 277. enumerat novem species.

Lapides colorati, numerat *pag.* 277. 8. species, sed nihil eorum virtutis.

Lapis Asius, optimus est, *Dioſc. lib.* 5. *cap.* 88. qui colore punicis, levis fungosus, friabilis, scisiles venas lutei coloris ad imum actas habens. Dicitur lapis tantùm propter colorem & substantiam lapidis, nam duritia sua non est lapis, quia levis est & fungosus, vocatur *Lapis Asius*, quod in *Asso*, monte *Troadis* nascitur. Vis ejus astrictoria est, & modice corrodendi superfluam carnem. Hinc Sarcophagus dicitur: Dicit *Plin. lib.* 36. *cap* 17. Sed quadam incuria *Asium* lapidem gustu salsum lenire podagras; & in istis lapidicinis sanari omnium crurum vitia, cum in metallis omnibus crura vitiantur, affirmat in eo corpora defunctorum condita absumi 40. diebus dentibus exceptis. Circa eum, & sub eo, flos nascitur, & salsa lanugo specie nitri, quæ dicitur flos *Asiæ petræ*: admota linguæ mordet aliquantum, quando flos siccatur, & lavatur, varios usus habet in medelis. Aliqui volunt florem *Asiæ petræ* nasci ex rore maris supervenientè imbre.

Lapis Phrygius, optimus, pallidus, modice gravis non solida compage corporis intercedentibus albis segmentis ut Cadmia. Phrygium lapidem gentis nomen habere dicit, *Plin.* & esse glebam pumicosam, utilem tantùm tingendis vestibus.

Lapis Thracius, nascitur in flumine *Scythiæ*, cui Ponto nomen est, vim habet gagatis, accenditur aqua & oleo restinguitur, sicuti accidit in bitumine.

Lapis hic nihil aliud est, quam gagatis species altera nigra. Fit ex nigra naphtha aut bitumine liquido nigro: sicut flavas gagates ex petroleo, id est naphtha liquida candida, cum stillat vel fluit in mare induratur in lapidem, vero colore, tum propio, tum aquæ. Quod lapis *Thracius* fit ex bitumine, testantur odor & substantia bituminosa, colorque niger, & quod sit lapis squalidus cruſtosus, levis ut à *Dioscor.* describitur. Si aduritur, reddit odorem sulphureum, accenditur aqua, restinguitur oleo: per omnia convenit nigro gagati nostro.

Lapis Bezaar, significat omne medicamentum conveniens alicui veneno, sit generatur. Cervus verno tempore investigat cavernas serpentum,

nariumque ſpiritu, extrahit renitentes, eaſque comedit, ut ita purget annuum tædium. Mox petit aquas & flumina quibus ſe immergit uſque ad caput, tamdiu quouſque ſentit ſuperatam vim veneni. Interea lachrymas emittit oculis vi veneni, quæ coagulatæ ſunt bezaar, contra omnia venena, prodeſt cardiacis, *&c.* contra defectus animæ, ſanat omnes ictus venenatos. Eandem vim habet bezaar, os de corde Cervi, uti ſciunt venatores pro forma, ut ſunt ferme cruces in capite lupi aquatici, præterquam quod oſſa ſunt. Oſſa de corde Cervi ſeu hinnulæ partum cuſtodiunt, & prægnantibus mire conducunt. Eandem vim habet lapis repertus in ventriculo, & inteſtinis Cervæ. Medulla ejus conducit omnibus inflammationibus, præcipue vulvæ. Genitale ejus nervoſum arefactum potu ſedat dolorem coli. Ramenta ejus pudendi incitant venerem, ſanguis ejus ſiſtit alvum, & calculoſis prodeſt. Cornu ejus acquiſitum intra feſta, ut vocant Mariæ præcipue extrema ramorum mire comitialibus proſunt, & adverſantur hauſto veneno. Pulmone ejus nihil utilius Phthiſicis.

Lapis Bezaar, eſt etiam alius duplex. Orientalis & Occidentalis.

1. Eſt animal *Perſiæ* ac *Indiæ*, Orientalis partim Cervo ſimile, partim capræ. In hoc animali, lapis reperrus eſt (potiſſimum in proventriculo, hinc & in ventriculo, & aliis cavitatibus internis) figura variante, ovali, rotunda, fiſſili, & intus cava, (meditullio paleam, pilos vel ſimile continente) ſuperficie levi, & ſplendente, ſubſtantia è laminis, inſtar cæparum ſeſe invicem incumbentibus compacta.

Lapis Bezaar Occidentalis, eſt lapis locis iiſdem animatis, ut priori, circa rem heterogeneam, in cavitate media contentam tunicolim concretus. Orientalibus ut plurimum major, ſuperficie ſcabra, calore cinereo, albo nigro, obſcureve virente, qui optimus.

Orientales habentur præſtantiores: Doſi dantur, à gra. tribus, ad decem. Occidentales à gr. ſex, ad viginti. Utiles ſunt in affectibus cordis, venenis, febribus, melancholia, lumbricis, & Epilepſia.

Lapides Bezaar, cancrorum, & ex perlis minus duris, non ſunt de ſaxali natura, ſed potius fiunt ex ſucco lacteo ſemicaſeato, & ſemi petrificato, habentque tophi naturam neutram, inter cartilaginem & lapidem; Prout putamina lapidum in meſpilis, perſicis. *&c.* Neutrum genus & medium ſervant in ligna & lapidem tophicum. Et licet lapis Bezaar, cancrorum *&c.* quoad ſolidam ſui pulveris materiam non digerantur à ſtomacho humano; illis tamen ineſt ſuccus lacteus, & mucilagineus magnæ virtutis, exiguæ tamen quantitatis, qualem contingit è limatura cornu cervini, elixando extrahi, *Vanhelmont*, *pag.* 115.

Lapis Quiris. In nido upupæ reperitur lapis nomine *Quiris*, qui dicitur eſſe ſecretorum proditor, & excitator imaginum in ſomnis variarum.

Lapis famoſus, vel pretioſus, vel etiam ſal de urina.

Lapis ex Perca, Perca piſcis eſt duræ carnis: Eſtque duplex major & minor. In hujus capite binæ reperiuntur gemmæ candidiſſimæ, oſſeæ, magnæ ſeminis lini, proportione tamen piſcis. Hac gemma nihil præſentius in frangendo calculo veſicæ, propterea etiam meritò, caute ab his qui uſum ejus ſciunt, colligitur Eandem vim habere dicitur, exenteratum caput funduli, (*à Gudgeon*) repræſentans vultum virginis ornatum.

Lapis Judaicus, Duplex eſt, major & minor.

Major eſt ſimilis glandi, & lineis quaſi torno ductis quemadmodum egregie deſcribitur à *Dioſcor.*

Vocatur etiam *Thecolithos*, quia oleæ nucleo ſimilis, & quod lingentium calculos frangat, pellatque.

Minor eſt in forma cylindro ſimilis, fractus reſplendet. Ambo urinæ difficultari, calculoſiſque mire proſunt. *Lapides Judaici*, 1. nucleo olivæ ſimilis, ſtriati: Hi lapides in hunc uſque diem in Palæſtina vocari dicuntur olivæ lapideæ, 2. Olivæ ſimilis, ſtriis carens.

Lapis Rebis, *Lapis de montanis*, eſt Teſtudo, Rebis.

Lapis Calcis, eſt ſcoria æris, vel batitura æris,

Lapis aureus, vocatur ipſa urina, alias dicitur quod ſit lapis aureus.

Lapis facile igni liqueſcens, Flus.

Lapis occultus, id eſt benedictus, id eſt Ovum.

Lapis fiſſilis æroſus, Item æs cinerum.

Lapis calaminaris, eſt Tutia.

Lapidum varia genera enumerat *Rul. p.* 284. *ad* 292. (& etiam *pag.* 301.) ab aquatilibus, ex ligno corporati ab animantibus, avibus, & oſſibus, & teſtis ſimiles.

De Lapide Philoſophico, *Ruland.* Tractat. à *pag.* 293. ad *pag.* 300.

Later lictro, eſt argentum vivum.

Latum, eſt aurichalcum.

Lempinas, eſt terra ſigillata. *Lempinas Calcis*, eſt babitura æris.

Lempinas, *Lempina*, eſt auripigmentum.

Leo viridis, eſt Hermetis, Mercurius auri, Duenech, , Antimonium.

Leo viridis, eſt opinione quorundam aurum.

Leo viridis, eſt vitriolum.

Leo Rubeus, Sanguis Leonis.

Leo citrinus foliatus, eſt auripigmentum.

Leo, eſt aurum.

Lepi ferrei, eſt ſquama ferri.

Lepos Calcis, eſt pulvis æris.

Leſſas, eſt aqueum terræ, quod virtute ſeminum induratur, in ligna, herbas, *&c.* ſic aqua vi ſeminis petrificatur, *Vanhelmont. pag.* 45.

Leſſas Paracelſi, eſt ſuccus terræ, recens in radicem tanquam culinam vegetabilis tractus, *Vanhelmont*, videas plus ſub titulo *Leſſus.*

Leta, eſt color rubeus,

Leucaſia, eſt calx viva.

Leux, eſt Amygdala.

Libra, eſt libra penſilis.

Ligna in Saxa, 1. Rami folia, cortices, ligna, carbones, oſſa, conchæ, quæ in ſaxa corporata ſunt, ſucco lapideſcente, in fonte non procul à *Francofurto*, & etiam in *Anglia*, prope villam vocatam *Gnaſborough*, in Eboracenſi provincia, *Ruland*, enumerat in *pag.* 304. novem eorum ſpecies.

Limpidum, eſt purum & purgatum.

Lilium, eſt Mercurius, unde ſemen flores de pellicano Lilii in tinctura Philoſophorum: eſt quinta eſſentia ſulphuris. Sulphur fixum.

Liquatio, eſt cum quod in unum coaluerit, ſolvitur liquando ut poſſit fluere.

Liquatum eſt, quod conſiſtentiam diffluentem, inſtar undoſorum accepit.

Liquefactio, eſt corporis mineralis, vi ignis majoris diſſolutio. Duplex eſt.

1. Liquefactio ſimplex, quando corpus nullum alium in finem quam ut fundatur, liqueſcit.

2. Liquefactio probatoria eſt, quando corpus liquatum probatur, imperfectum à perfecto, ſeparatur, idque per cineritium, aut per antimonium.

Liquatio,

Liquatio, est fusio, aut deliquium,

Lithanthrax, Lapideus carbo. Effodiuntur prope Cygneam: species est Gagatis. Nihil aliud est, quam induratum, & excoctum sub terra bitumen calore, exuruntur, & igne accenduntur, quemadmodum carbones, & *Ruland.* putat eos lapides bituminosos, causam esse quare in multis locis montes flagrant.

Litium, est filum aliquoties complicatum, & omnino traductum.

Lorus, est Mercurius.

Lot, & *Lotium*, est urina, & urina infantium.

Luban, *Luben*, est Thus à Libano.

Lumbrici etiam reperiuntur in homine, in omnibus proprie membris, quorum variæ species sunt: Longi, breves, lati, graciles, sunt etiam teretes, lati & longi, fasciæ dicti, & teniæ.

Luna, est Argentum.

Lutum sigillatum, est terra sigillata.

Lutum Armenicum, est Bolus.

Laudanum, & non ladanum, est medicina Paracelsi ex auro, corallis, unionibus, *&c.* composita. Est etiam materia perlata.

Lapis, pro fixo quovis accipitur.

Lapis Philosophorum, est virtus intensissima, & velut in centrum arte coarctata, quæ distensa tincturam exhibet absque numero, de quo satis. Vocatur Elixir, & medicina universalis.

Lapsus demotinus, est correptio repentina morte facta, periculosior apoplectico.

Laterium, est lixivium, vel capitellum.

Lato, cuprum est aureo colore tinctum calaminari lapide, quod ab idiotis physicis electrum dicitur: componitur ex unico metallo, cum electrum sit ex pluribus. Calaminaris metallum non, at mineralis materia perfectionem non assecuta, & cacominerale corpus existit, metallum destruens potius quam emendans, etsi adaugeat, nam ex ductili friabile reddit. Verum electrum à natura sola compositum reperitur ex auro & argento nullo pretio persolvendum ob admirandas in eo virtutes.

Laudina, est angelica.

Laxa chimolea, est sal adnascens lapidibus, vide supra de anathrone, & infra de usnea lapidea.

Laxativa, sunt medicamina sursum atque deorsum expurgantia.

Leffa, dicitur prædestinatio herbarum.

Leffas, est occultus & bulliens terræ vapor, per quem herbæ & plantæ crescunt.

Lephantes, sive lephantes, est prima tartari species, vel bolus medium tenens inter lapides & lutum.

Lemures, sunt spiritus elementi aëris, quanquam Ethnici umbras & manes defunctorum interpretati sint.

Lithargyrium Paracelso, est spuma Mercurii, vulgo autem argenti, sed plumbi potius argentum repugnantis, ejusdem farinæ habetur aureum, eodem artificio utrumque paratur inter purgandum quæ dicta sunt metalla.

Lithargius, est investigator mineratum, qui pariter eas invenit. *Lithargyri*, *Ruland.* ponit septem species *pag.* 306.

Limbus Paracelso, est magnus & universus mundus, semen & prima hominis materia. Est etiam cœlum & terra superior & inferior sphæra cum elementis quatuor, & quæcunque his comprehenduntur.

Liquor aquilegius, est vinum distillatum.

Liquor essentialis, est qui à membris interioribus attrahitur, ac in carnem & sanguinem transmutatur.

Liquor Mercurii, est balsamus rerum, in quo latet ac consistit omnis vis curationis & persanandi virtus. Ejusmodi mercurius est vehementissimus in tereniabin, & in nostohc.

Liquor mumiæ, dicitur adeps humanus.

Liquor cum adjectione rei cujus est, oleum est ejus, ut liquor terebinthinæ est ejus oleum.

Liquor mumiæ de gummi, est oleum gummi.

Liquidum de resoluto, est quod ex sua natura liquidum est.

Liquor herbarum, fit ex herbis contusis, cum tota substantia vitro conclusis, & in balneo maris diebus aliquot coctis, succo postmodum colato per pannum, calore cinerum spissitudinem mellis acquirit.

Liquor salis, est balsamus naturæ, quo sustentatur corpus ne putrescat.

Locustæ sunt ramorum in arboribus extremitates adhuc recentes atque teneræ, quibus divum Jo. usum esse pro cibo scribit Paracelsus, & non venenatis illis animantibus volucribus, ut hactenus interpretati sunt Theologi. Certe mirum videretur, siquis, tam austerus, ut vivo animalculo cum melle vesceretur in deserto, ubi tanta arborum copia longe saniores cum sylvestri melle præberet escas.

Lorindit, est aquarum commotio, cum concentus resonantia, mutationis indicium, ut alterationis in firmamento cometa.

Laudanum Theophrasti, non ladanum, nec opium est. Effectus enim longe aliud docuit, non enim summo hoc arcano homines occidit, sed quasi mortuos in vitam revocavit: quod Oporinus noster mihi confessus est ipsum hac medicina miracula præstitisse: se etiam *Theophrasti* nomine multis exhibuisse: quorum quidam vitæ omnino, alii vero qui serius usi sunt, rationi aliquot diebus restituti fuerunt, præsertim in peste. Dixit etiam mihi se ipsum aliquando sumpsisse præcipitatum, cumque eum uxor ad iracundiam commovisset, unde nimis incaluerit; properasse se ad fontem, bibisseque liberalius aquam frigidam, inde venenum Mercurii, ita fuisse excitatum, ut toto corpore intumuerit medicique eum morti præsente uxore adjudicaverint. Quod cum ex astantibus visu jam amisso audisset, mox parum de laudano, quod secum adhuc à *Theophrasto* ipsi datum habebat, in os imposuisse: inde in dulcissimum somnum per semihoram, aut paulo amplius incidisse, ubi vigilaverit, tumorem, morbumque omnem, quæ peculiaris hujus medicamenti natura est, admirante uxore, & cæteris præsentibus, evanuisse. Hæc ab ipsius Oporini ore accepi. Liberius multa *Andreas Iocisc*us in sua oratione recitavit, quin & Oporinum penituisse Epistolæ quam ad *D. Vvierum* de *Theophrasto* scripsit, dixitque eodem tempore, mihi in prato ad Rhenum cum eo deambulans, ab ipso fuisse emendicatam epistolam, neque eum scripturum fuisse, si sciviset, ita in vulgus prodituram. Licet præstat eum scripsisse, plura enim in ea sunt quæ ad Laudem *Theophrasti* pertinent, quam ad vituperium, & quæ ibi vituperat longe aliter intelligenda sunt, quam vel Oporinus vel alii interpretati sunt. Sed Laudanum Paracelsi est medicina laudatiss. quæ non ex rebus vilibus, non venenosis, non opiatis, sed omnium quas orbis habet præstantiss. quæ vitam conservant, conficitur: & in omnibus morbis efficax est, præterquam in Lepra, ita à *Theophrasto* appellata, quod omni laude dignissima esset. Duæ saltem res sunt,

ſunt, ex quibus conſtat, majora his inveniri in mundo non poſſunt Et falſa & mentita eſſe ſcio, quæ adverſus hoc Laudanum quidam ediderunt. Vivit teſtis locuples ſenex venerandus *Georgius Veterus* concionator Eberbachi, in ditione Comitum ab Erpach: qui tum temporis cum *Theophraſto Baſileæ* vixit, quando nobilem Canonicum & alios multos curavit: & is medicamenta *Theophraſti* nomine adminiſtravit.

Laudanum purum, dicitur non præparatum cum aliis, ſed quando diſſolutum diſtillatur in liquorem: Hæc refert *Michael Toxites*, *M. D.* & *Johannes Fiſchartus* M. D. de *Theophraſto*.

Laudanum præparatum.

Lutum Magra, Magra eſt Carneolus vel Carniolus.

Lutum ſtellæ, eſt Gypſum.

Leſeoli morbus: eſt icteritia. *Leſeolus* enim Icteritiam, & non alium curat morbum: & probatur ex eo, quod in *Leſeolo* diaphanceitas ſalis eſt maxima, quæ magis quam fuſus topazius tingit & fixat, reperitur. Eſt etiam Icteritia ſal in flavo colore diaphanum, quod ſuo ſimili pelli debet. *Theophraſt. cap. 7.* de tribus principiis.

Lorcha dicitur tota lacertarum dulcedo, uſque ad centrum ſubſtantiæ.

Ludus, eſt lapis veſicæ exciſſus, qui tandem remedium eſt Calculi.

Lumbrici nitri ſunt vermes in fimo, vel in terra reperti à lubricitate ſic dicti.

Luna compacta, eſt Argentum fixum, vel Aurum album,

Luſtum, eſt pinguedo lactis, Cremor, vel flos lactis.

M

Macha, eſt vermiculus volans. *Machal*, eſt fixum.

Magia metaphyſica; eſt ars Chriſtianis licita, & non, ut multi fingunt ignari bonarum artium, venefica neque ſuperſtitioſa, ſed ſupernaturalis, perquam occulta quævis arcana relevantur, ut mechanica induſtrium opus eſt manuale.

Magia in genere, latine ſapientia, duplex eſt. Una eſt naturalis & licita, materque veræ medicinæ, & eſt occulta naturæ ſapientia, in centrum uſque latens & abdita, cum qua ſi humanam rationem conferas, nihil præter meram ſtultitiam in hac reperies. Vere donum eſt Dei, cum quo rerum ſupernaturalium nobis, & naturalium cognitionem exhibet. Alia autem eſt magia illicita, tota ſuperſtitioſa, diabolica, & ab Eccleſia Chriſtiana veraque religione damnata merito, & prohibita, quam Necromantiam appellant execrabilis & nullibi locorum toleranda. Hanc deteſtatur Paracelſus libello quem ſcripſit de occulta ſapientia

Magiſterium Paracelſo, eſt arcanum ex naturalibus rebus extractum, abſque ulla ſeparatione elementali, qua cætera præparari conſueverunt, ſola tamen additione rerum aliarum à quibus quod extractum eſt, ſeparatur. De hoc ſupra latius invenies tractatu ſecundo, item in Archidoxis Paracelſi.

Malek, dicitur ſal.

Magnalia, ſunt opera Dei.

Magneſia communiter, eſt marcaſita. Sed ex arte dicitur ſtannum liquatum, in quod injectus mercurius una permiſcetur in fragilem ſubſtantiam & maſſam albam. Eſt etiam argenti cum mercurio mixtura, & fuſile metallum valde, ut cera liquabile, miræ admodum albedinis, quod magneſia dicitur philoſophorum.

Magnetinus tartarus, eſt lapis in homine duriſſimus, ut magnes, ſed ſpongioſus.

Mandella, ſemen eſt ellebori nigri

Mangoraria, eſt ars in ponderibus applicata, qua grave quodque parvo labore negotioque ſublevatur.

Mandibularum liquor, eſt oleum ex mandibulis.

Manna, non ſolum dicitur ros de cœlo prolapſus, qui ſpecies eſt balſami & fructus aëris, verum etiam pro dulcedine ſumitur ex qualibet re tracta.

Marcaſita, eſt meteria metallica immatura, tot ſpecierum, quot ſolidorum metallorum, eſt aurea, argentea, ſtannea, ferrea, plumbea, & cuprea, quæ poſtrema pyrites, & lapis luminis appellatur, rubeo ſulphure ſcatens, & ſcintillas ex chalibe multas excutiens præ cæteris pyritum ſpeciebus.

Martath, vel *martach*, eſt lithargyrium.

Mathematica, plurimis conſtat. Arithmetica, Geometria, Geomantia, Aſtronomia, Phyſionomia, Chiromantia, Perſpectiva, *&c.* Proinde quiſquis ſe pro Mathematico venditat, has omnes firmiter callere debet.

Mater metallorum, eſt argentum vivum.

Materia ſaphyrea, dicitur liquidum cui nulla ineſt materia peccans.

Matrices omnium rerum in genere ſunt elementa.

Marmoreus tartarus, eſt lapis in homine durus, ut marmor, qui ſupra magnetinus etiam dictus eſt.

Maturativa ſunt, medicamenta chirurgorum apoſtemata quævis ad maturitatem adducentia.

Margarita, ſeu unio nihil aliud eſt, quam genitura, ſeu pars conchæ margaritiferæ. Nam conchæ illæ certo tempore anni, quando eas genitalis anni hora ſtimulat ſeſe pandunt quadam oſcitatione, ſitiunt rorem veluti maritum, ejus deſiderio hiant, ac rorido conceptu ſeſe impleri cupiunt. Mox cum lunares liquantur aſpergines, hauriunt rorem, humorem concupitum matrice quaſi hiante, & fiunt gravidæ. Deinde pariunt margaritas pro qualitate roris concepti. Sipurum rorem conceperint, candore mirabili unio apparet: ſin turbidum rorem conceperint, ſordeſcunt fœtus. Pallent margaritæ cœlo minantem tempeſtates, ſi fuerint conceptæ, ſi tempeſtive hiantes conchæ ſatiantur, margaritæ grandeſcunt; ſi tempore coitus fulgurat, comprimuntur conchæ, aut pro jejunii modo pariuntur uniones. Si tonuerit, pavidæ repente comprimuntur conchæ, & deinde abortus pariunt, quos phyſemata vocant. Ferunt ſi crebra poſt illarum conceptum audiantur tonitrua, illas exſpuere in flumina uniones, ac ſic crebro reperiri in fluminibus, ut volunt in Moſella inter arenas. Fit clarior margarita, ſi conchæ excipiunt matutini aëris ſemen, id eſt, rorem, quam veſperini. Adeo magna affinitas eſt cœli & conchæ in coitu cum rore, qui eſt ſemen quaſi aëris. Propter mirabilem coitum. Margaritæ Veneri dicantur. Dicitur unio, quia nullibi duo ſimul reperiuntur. Dos eſt in candore, magnitudine, pondere, orbe, lævore; In aquis omnis unio mollis eſt ut corallum, exemptus aëre protinus durescit, & fit lapis. Proſunt contra ſyncopen & cardiacam, ſpiritus confortant, valent contra fluxũ ſanguinis, lienteriã, diarrhœam, conferunt viſui retinent menſes, abſtergunt dentes, clarificant ſanguinem.

Marcaſita plumbea, eſt Antimonium.

Magneſia Saturni, Antimonium.

Magnesia, est materia lapidis Philosophorum.
Magnesia, est Mercurius, mistio substantiarum.
Magnesia, est fœmina.
Mars, est ferrum.
Masculus, est argentum vivum.
Masculinum, & fœmininum semen. Substantia Mercurii & Sulphuris.
Massalis, *massierum*, *mossel*, *mater*, est Mercurius.
Materia metallica, Item mistura æris, plumbi, & argenti.
Materia prima, varie accipitur apud *Rul. pag.* 323. ad *pag.* 326.
1. Materia prima.
2. Lapis Philosophicus.
3. Aqua vitæ.
4. Venenum Cambar.
5. Spiritus.
6. Medicina.
7. Cœlum.
8. Nubes.
9. Nebula.
10. Ros.
11. Umbra.
12. Luna.
13. Stella signata & Lucifer.
14. Aqua permanens, aqua vitæ metallica, aqua foliata, stellata.
15. Aqua ardens.
16. Sal nitri, & petræ.
17. Lixivium.
18. Sponsa, conjux, Mater, Eva.
19. Virgo, Materia Hermaphroditica, Catholica Solis, & Lunæ Catholica.
20. Lac virginis, lac ficus.
21. Lac bulliens.
22. Mel.
23. Sanguis spiritualis.
24. Balneum.
25. Syrupus granatorum.
26. Acetum.
27. Plumbum.
28. Stannum.
29. Sulphur naturæ, Calx, alumen.
30. Sputum Lunæ, Sputum incombustibile.
31. Æs ustum, æs nigrum, flos æris, æs hermetis.
32. Serpens Draco.
33. Marmor, Crystallum, Glacies.
34. Gemma Scotiæ.
35. Urina puerorum, urina vituli albi.
36. Magnesia alba, Magnes.
37. Ethesia alba, humidum album.
38. Fimus.
39. Fumus albus.
40. Ens metallicum. Esse. Quinta essentia metallorum.
41. Virtus mineralis Mercurii.
42. Anima elementorum cœlumque.
43. Materia omnium formarum.
44. Tartarum Philosophorum.
45. Fæces dissolutæ.
46. Iris.
47. Aurum indicum, Cor Solis, umbra solis.
48. Chaos.
49. Venus.
50. Microcosmus.

Maturatio, est exaltatio, à rudi crudore ad maturum & perfectum.
Maturatio, est Quadruplex Digestio & Circulatio: quarum utraque peragitur, calore miti gradus primi, vel circiter, in fimo, balneo, amurca, concisis culmis, vaporario sicco, fœno humido gigartis sole, *&c.* deinde est Fermentatio, & Projectio.
Macula, est oculi suffusio, cataracta.
Madic, est lac post butyrum.
Magister, Sal conficiens.
Magister, ferrum excoquens.
Magisterium, est species Chymica ex toto, citra extractionem impuritatibus duntaxat externis ablatis, elaborata, & exaltata. Servantur, hic omnes concretionis naturalis, & homogeneæ partes. Sed ita exaltantur, ut dignitatem essentiarum prope attingant, unde pene eadem relinquitur quantitas seu moles, quam natura per se dedit, quanquam non semper caveri possit, quin cum alienitatibus, & foris adhærentibus nonnihil secedat, & nonnunquam studio propter finem usumque certum quidem negligitur, ex quibus hic maxime valere intelligitur, quam Physici alterationem nuncupant.
Magisterium, Consistentiæ, est cum servata essentia, consistentia ad præstabiliorem est immutata. Et fit pluribus modis, non tam ut ipsi rei aliquid nobilitatis accedat, quam ut ad usum variarum evadat habilior.
Magisterium fixorum, est cum corpora volatilia & spirituosa figuntur ad constantiam. Fixum opponitur inconstanti & volatili; & æstimatur utrumque proprie ad ignem: cujus vim quod sustinet fixum est, quod non, volatile, siquidem ex eo fugit, & velut spiritus, aut favilla evolat. Illud est quod è molli induratur.
Magisterium odoris, est cum res odore exaltatur. Idque potissimum artifices moliuntur, in operibus quibus inter elaborandum aliquid ingrati odoris accidit. Ut in empyreumatis oleorum, aquarum, & similium, & in his etiam quæ alias per naturam odorem pravum, molestum, vel etiam nullum habent, cum tamen ad gratiam rei usu ejusmodi nota sint exaltanda.
Magisterium principiorum, est cum principatum compositum in principia resolvitur denuò.
Magisterium qualitatis est, Cum res formis qualibus elaborata exaltatur, & fit dupliciter, secundùm qualitates occultas, aut manifestas.
Magisterium, qualitatis occultæ est, cum in his quæ crasim totius substantiæ attinent, tantumque effectis per experientiam patent, exaltatio perfecta, *&c.* Ea qualitas si pernicioſa est in usum, in totum aboletur, vel cum aliqua jactura substantiæ: & tunc respicitur perfectio illa, quæ non in re, sed in usu rei est. In salutaribus utrumque observatur. Si aboleri in totum nequit, reprimitur, ita ut citra noxam possit usurpari.
Magisterium qualitatis manifestæ est, cum res in sensilibus formis elaboratur. Hæc triplex est, quotuplicia sensilia, circa quæ exaltanda Chymicus in rebus occupatur. Quædam tamen proprium spectant naturæ corpus, & quędam sunt formaliora.
Magisterium saporis est, cum in sapore fit exaltatio, itaque & pharmacopæia, & coquina, cellaque hinc instrui potest Potissimum autem Chymicus hoc utitur in acrimonia corrigenda, & empyreumatis gustum attinentibus tollendis.
Magisterium sensilium proprium est, cum res qualitatibus sensibilibus propriis exaltantur. Id fit vel in sensu primo, qui est necessitatis animalium, vel in his quæ sunt melioris gratia. Sensus primus tactus est, itaque tactilium qualitatum primarum, quæ

quæ ſunt calor, frigus, humiditas, ſiccitas, magiſterium inde exiſtit,

Magiſterium ſoni eſt, quo ſonus corrigitur à Chymico. Id fit potiſſimum in mineralibus, in quibus aliqua præſtantiæ nota ex ſono capitur, ut in metallis, aut quæ in ignibus periculum minantur propter ſpiritus vehementes cum ſonitu erumpentes obviaque diſplodentes.

Magiſterium pulverum, hoc eſt continuæ conſiſtentiæ in pulverem perductæ, fitque potiſſimum calcinationum modis: unde efficitur, ut calcis vocabulo non raro appellantur, vulgo alcholia; Reſpicitur hoc principaliter ut fracta tenacitate friari res poſſit.

Magiſterium volatilium eſt, cum è fixo fit volatile. Et affine eſt mollitum, quod tractabile ductileque aut etiam fluidum, (nam paulo latius accipitur molle quam apud Phyſicos) efficitur è rigido, duro & intractibili. Artificia quibus hoc perficitur, ſunt extractiones, macerationes, inceratione, ſublimationes, ſolutiones, & ſimilia. Fere enim hic quæritur reſt auratio, humoris abſumpti, vel deficientis, aut ſublatio aſperitatis convictæ, *&c.* in volatili vero, ut ſpirituum naturam induant attenuatione eſſentiæ *&c.*

Magiſterium ponderis eſt, cum pondere res exaltatur. Id autem potiſſimum in auro & argento requiritur, eſtque una ex notis perfectionis, cum inter metalla aurum ſit graviſſimum, ideo etiam externo valori in monetis adjectum pondus eſt. Quod ſi deficit compenſatur arte. Maſſa aurea, vel argentea juſte levior coquitur in urina, cum præcipitato corallino, vel affricatur hydrargyrus auro argentove conſentaneus, & concolor factus: vel coquuntur in lixivio concinnato, ex ſulphure & calce viva, vel cœmentantur cum ſulphure aut præcipitato fixo vel hoc. *Recipe* pulveriſati ſalis ſemunciam, tantundem lateris triti, colcotaris quadrantem, miſce. Auri laminas illinc albumine aſperge, calcem Lunæ, ſiccatum priore pulvere; Fac ſtratum ſuper ſtratum & cementa, vel in pyxide, vel inter tegulas. Aurum inde ſolet albeſcere, indue ergo coloritium, & prehenſum forcipe in igne tene, donec excandeſcat, poſt extingue in urina.

Magiſterium coloris eſt cum rei cujuſq; color ad optimum ſummumque gradum in genere quæſito producitur. Neque vero tam color præſens è gradu inferiore ad ſuperiorem exaltatur, ſed & qui in potentia eſt, ſeu in abdito, in actum vel in manifeſtum evocatur: nonnunquam etiam peregrinus inducitur ad exemplum ejus, quod præſtabilius in ſuo genere: Si color ſimul fixus & conſtans eſt, magiſterium eſt nobilius.

Magia Metaphyſica, eſt ars Chriſtianis licita, non venefica neque ſuperſtitioſa, ſed ſupernaturalis, per quam occulta quævis arcana revelantur, ut mechanica induſtria opus eſt manuale.

Magnes, dicitur lapis Herculeus; & Syderitis, quia ferrum attrahit; Nam Græcis σιδηρὸς ferrum ſignificat. Semper verſus ſeptentrionem ſe vertit. Eſt lapis colore vergẽte ad cœruleum (optimus ſemper eſt cœruleus) denſus, non admodum gravis, attrahens ex naturali quadam dynami ferrum. Et ferrum, quo nihil duritie pugnacius, cedit magneti, & patitur à magnete: & ferrum tactum à magnete alterum ferrum trahit: Sed ſi ſucco allii, vel cepæ magnes illinatur, minime trahit ferrum. Reperitur magnes in ferri venis, magnes combuſtus ſive calore terræ, ſive igni artificiali ſit hæmatites, & venditur pro eo. *Plin.* ponit 5. genera Magnetis, & *Rul. p* 315.

Magneſia, eſt teſtudo vel Sulphur.
Magneſia, eſt fœmina.
Maltheorum, eſt ſal gemmæ.
Manbruck, eſt argentum.
Manheb, eſt Scoria.
Marched, eſt lithargyrium.
Markaſita, eſt Calcitheos.
Maruh oleum, metallum idem.
Marmor: Marmorum genera ponit *Ruland.* varia à *pag* 320. ad 321.
Morcellus, eſt malles magnus,
Martegon, eſt Silphium.
Marſarea, eſt auricula muris.
Marſellum, *Moſel*, eſt Jupiter.
Medeæ gemma, affertur è regione Medorum. Eſt nigra, habens venas aurei coloris, reddens ſuccum croceum, & ſaporem vini, immenſi effectus contra ebrietatem, & ad amorem conciliandum, ut ferunt Magi.
Medium Cœli, Luna, Margeſia.
Medulla candida, fluida, ſaxorum Torgenſium *Ruland.* 14. enumerat ſpecies. 326.
Melanteria, Metallicum calchanti, id eſt atramenti ſutorii, id eſt vitrioli eſt ſpecies, fuſci in cœruleo coloris. Tingitur autem ſecundum diverſas terras in quibus gignitur.

Alias *Melanterion*, eſt clavorum veterum ferreorum raſura, aut atramentum ſutorium, quale ferme quod jam fit à noſtris ſutoribus. Præſtat foſſilis, ea ſcil. quæ ſulphuris trahit colorem & quæ levis, pura, æquabilis, & quæ contacta aquæ (ſeu digiti tantum ut volunt Arabes) confeſtim nigreſcat.

Meliſea, *Meliſſon*, ſumitur pro Manna ex nobilioribus herbis nacta magiſterio.
Meliſodium, eſt plumbum uſtum.
Meluſi, eſt Mercurius, albach meſſalis.
Melanter, eſt Opium.
Menfrice, eſt Maſtix.
Merdaſengi, eſt de aduſto plumbo pulvis.
Mergen baſſech, eſt Corallus.
Meſſbra, eſt Tutia Alexandrina.
Meſel, *Moſel*, eſt Stannum.
Meſt, *Miſal*, *Maſal*, eſt lac acetoſum.
Metallum, Vena.
Metallum, eſt conflatum argentum.
Metas, *Mecal*, *Mehal*, eſt pondus.
Micha, eſt Venus.
Michach, eſt Cuprum.
Miſros, eſt Aſphaltum.
Minerale vas, eſt ex materia minerali factum, vel metallicum, vel terreum.
Miſadir, *Mixadir*, eſt ſal Armoniacum.
Muſaſadi, *Muſadit*, Lixandrum.
Miſſeraſſi, eſt gypſum.
Miſtio, eſt compoſitio.

Undiquaque hujus quatuor ſunt ſpecies
- Inceratio.
- Et incorporatio.
- Colliquatio.
- Et Confuſio.

Miſtura, ex ære & argento æqualis.
Molibotum calchum, eſt æs plumbi.
Molipdides, eſt lapis plumbi, vel plumbeus.
Murmentum eſt glis montanus.
Mechanopeotica, eſt inventio artis aquaticæ, ut fontium in aëra pulſorum, ſtringarum, aquarum exaltationum per fiſtulas & ventilia, folles, ac ſimilia.
Meditatio, dicitur quoties cum aliquo alio colloquium

colloquium habetur internum, qui tamen non videtur, uti cum Deo ipsum invocando, vel cum se ipso, vel proprio angelo bono.

Melaones, vel *Meloes*, sunt scarabei volitantes, colore splendentes aureo, qui attriti suavem edunt odorem, in pratis mense Maio potissimum reperiuntur.

Melibœum, est cuprum. *Melibocum.*

Melissa, non pro opiastro, sed pro manna sumitur ex nobilioribus herbis tracta magisterio.

Meluſinæ, & melioræ filiæ regiæ quondam propter peccata desperabundæ, fuerunt à Satana raptæ, & in spectra transmutatæ, spiritus malignos, lemures horribiles, & in immania monstra. Vivere putantur absque anima rationali, & in brutali solum corpore phantastico, nutriri elementis, atque unà cum istis in extremo die judicii transituræ, nisi cum aliquo homine forte fortuna matrimonium contrahant, tum demum, ut ipse, naturali morte interire posse, ut matrimonio naturaliter vivere virtute hujus unionis. Ejusdem status generis plura spectra haberi creditur in desertis, in sylvis, ruinis, monumentis, arcibus vacuis, & in extremis littoribus maris. Vulgo maledicti vocantur homines, sed proprio nomine spectra vocantur, atque diabolorum sancti, cum quibus versantur cacodæmones, suas illusiones & portenta perficiunt.

Menſis philoſophicus, est tempus digestionis, videlicet quadraginta dierum.

Mercurius, à natura coagulatus, est solidum metallum. Arte verò coagulatur, aut cum metallis, aut mineralibus, vel sine ipsis per se, aut per alia extra mineralem naturam existentia. Vide supra tractatu secundo de coagulationibus ejus.

Mercurius criſtallinus, dicitur qui per sæpius repetitas exaltationes in crystalli perspicuitatem adductus est.

Mercurius corallinus, est qui per ovorum oleum, & alias aquas in rubedinem corallinam adducitur.

Mercurius crudus, est is qui nondum separatus est à sua matrice, vel minera, in qua generatus est.

Mercurius laxus, est turbith minerale.

Mercurius metallorum præcipitatus, est mercurius ex metallis tractus & præcipitatus, qui mercurius metallorum, alias mercurius corporalis dicitur. Semen fœmininum passivum.

Mercurius mineralium, est oleitas vel unctuositas de mineris auri & argenti tracta.

Mercurius regeneratus, est primum ens mercurii.

Mercurialis ſeva, est aluminum aqua, in qua mercurius generatur. Est etiam sal purgativum aurei coloris, quod in salinis cavernis reperitur, fossoribus optime cognitum, utuntur hoc per os ad pneumoniam.

Metallum currens, est mercurius vivus.

Microcoſmus, est parvus & medius mundus, inter firmamentalem & elementarem situs naturaliter, quia de utroque participat: quicquid in illis realiter & actu continetur, in homine pariter habetur spiritualiter atque potentia. Quo fit ut una sit istius & eadem quæ de illis fieri potest, ac debet anatomia philosophica vera, non mortua cadaveris, sed viva, essentialis pariter & essata.

Minium, est mercurius saturni præcipitatus, sed potius Crocus.

Miſſadan, est argentum vivum.

Mitigativa, sunt medicamenta chirurgica, præsertim anodyna, quæ dolorem sopiunt ac mitigant.

Mola matricis, est abortivum quid in matrice generatum.

Menſis philoſophicus, est tempus putrefactionis, seu periodus quod lunæ motum imitatur, qui in aliquibus est 30. in aliquibus est 40. dierum. Philosophicus dicitur, quod in artificio Lapidis Philosophici usurpetur; sed & pauciores dies mensem conficiunt istum, qui definiri solet secundum naturam rei, & absolutionem operis.

Mercurius, unum è tribus principiis corpus, in quo proprietas rerum continetur, item argentum vivum.

Mercurius metallorum, quinta essentia, & aqua permanens, spiritus, semen fœmininum passivum.

Mercurius, argenti pigmentum.

Mercurius, est principium materiale, vaporosum, naturæ aquæ, subjectum nimirum generationis, cui per vim formatur, imprimitur forma, & absolutio adest.

Mercurius, argentum vivum. *CC. S. Z.*

Mercurius, Chambar magnesia.

Mercurius, dividit *Rul.* in 20. species diversas, à *pag.* 331. ad *pag.* 333.

Menſtruum, Sanguis menstruosus, menstruum vegetativum universale, vinum animatum, aqua regis, philosophorum: menstruum extrahens solutivum & vegetativum universale, Sol, Luna.

Miſy, est res metallica, ex speciebus calchanthi, ex humore coagulato, ut chalcitis, misy & sori, chalcitidi generi cognata sunt, quasi ex una radice producta: tenuis est misy, crassius est Sori, sed hodie mysi non cognoscitur.

Omnis *Morborum* causa, à primo capite, & suo primordio indaganda est, ut analogica iis adhibeatur curatio. Quod de omnibus morborum sive Classibus, sive Entibus, ut *Theophrasto* placet, habendum est. Ille horum summa quinque genera statuit: Ens Natura, Ens Astrale; Ens Veneni, Ens Magicum, Ens Divinum. Quorum Entium singula peculiarem sibi curam expetunt, sed de morbis Sidereis, sive Astralibus verum est potissimum: quibus non alia sunt medicamenta proficua, nisi quæ à Firmamentali sunt Curatione, interveniente cœlestis influxus cooperatione, cum iis combinata duntaxat, quæ analogiam habent Minori, & Majori mundo adæquatam, cui vera inest vis Firmamenti, quod vocant Magnetica, & impressio Astronomica, refrænandis & compescendis morbis Astralibus idonea.

Morborum, avita velut semina radicesque, quo pacto ex Microcosmi officina, seu Oeconomia, in Microcosmi familiam, cæteraque animantia, beneficio Mumiæ, Microcosmi Magneticæ, transplantentur, & deriventur, in suo libro inscripto Biolychnium recensentur. *Ernestus Burgravius.*

Est à magnete, quem vocant Antipathico occulta quædam operatio, quæ stringit adversarium, quasi fascino quodam latenti, ut ille à quo exit, invisibili modo, formidini sit cuivis hosti. Atque hujus vires in natura observantur.

Est in Naturæ quadam occulta proprietate, etsi non sine Dei influxu virtus, qualis in Octaviano fuit, nedum Augusto, qui in quovis certamine ludicro cum Antonio inito erat superior. *Burgravius.*

Molochites, gemma est non translucens, spissus virens quam smaragdus, à colore malvæ nomine accepto: contra omnium infantium pericula singulari dynami valet, mittit eam Arabia.

Molybdæna, 1. Vel plumbago metallica. 2. Nata è plumbo & ære. 3. E mixtura plumbi & argenti. E mixtura plumbi & auri. 5. Plumbeis laminis cocta &c.

Morochtus, eſt lapis. In Ægypto naſcitur mollis, ita ut eo lineæ ducantur, candidiſſimus, facile liqueſcens, utilis veſtibus dealbandis.

Mortariolum, eſt modiolus catillorum cinereorum formandorum, in lati circuli modum vel pertuſi catini ex orichalco plerumque factus. Hic *Mortariolum* comitetur pila (vulgo monachus) quod eſt piſtillum cum tubere rotundo, ex baſi lata media prominente, cujus incuſſu catilli fovea formatur. Sed ad catillos majores, hoc eſt, majorem materiæ copiam capientes formandos, utimur circulo ferreo, & conveniente pila foveam producimus.

Metallum omne, eſt Mercurius coagulatus. *Paracel.* 883.

Juxta *Matricum* ordines, ſunt quatuor gradus rerum.

1. Quæ proveniunt ex terra ſunt primi gradus.
2. Quæ ex aëre ſecundi gradus.
3. Quæ ex aqua tertii gradus.
4. Quæ ex igne quarti gradus ſunt. Porro qua virtute ſingulo quoque gradu ſeorſum aliud alio vincitur, punctorum eſt non graduum.

Meliſſa, omnium quæ terra producit, optima ad cor herba eſt, *Para.*

Mos, eſt mycra.

Muria, habet effectum ſalis & aquæ marinæ. Eſtque duplex.

1. Nativa, unde fit, ſeu coquitur ſal noſtrum commune, ut fit Hallis in Saxonia, & aliis locis.

2. Factitia, cùm miſcemus cœleſti aquæ ſalis parum. Hinc ſal leve dicimus cum liquefit ſal injectum, & contra ſal durum, cùm non fit ſal injectum: & ita probatur etiam obiter ſal, an ſit bonum. Hinc ſpecies ſunt garum, liquamen illud è piſcibus & carnibus ſale maceratis, vocatur *Pechel.* Hujus alia eſt ſpecies Oxalme, id eſt acida muria, quæ fit ex aceto, & aqua marina.

Muria, Menſtruum fœtens, aqua fortis.

Muſcula, ſciurus, campſciurus.

Muſtum, immaturum.

Mydiſis, eſt corruptio partium.

Mydriaſis, eſt morbus in oculis ex ſuperfluo humore.

Mylphæ, Defluvia palpebrarum, ſeu ſicca medicamenta, pro defluxione oculorum.

Myopiaſis, eſt morbus in oculis, cùm nihil à longinquo, ſed prope videre poſſumus.

Myricetum, Campus vel locus, ubi geniſta naſcitur.

Myrmecia, eſt cutis excreſcentia quædam. *Myrmeciæ*, ſunt verrucæ in pudendis.

Myron, eſt unguentum. *Myrocopus*, qui facit, aut vendit unguenta.

Myſis, eſt obſtructio pororum.

Myſterium, eſt eſſentia interioris naturæ, totius ſubſtantiæ in ſubtili reconditaque materiæ parte vehens. Unde à ſucco tantum diſcedit, quantum ſuccus à corpore, & quia in intimis receſſibus materiæ corporeæ latet ſubtilemque admodum habet naturam, myſterium vel arcanum ſolet appellari. Excipitur autem vel ex ipſis rebus ſtatim, præmiſſa tamen præparatione debita, vel etiam ex magiſterio interdum, & ſucco.

Eſtque duplex, Quinta eſſentia, & Arcanum ſpecificum.

Magnum Oportet, eſt tribulus, & ſpina terræ, in vita media hominis: de quo *Vanhelmont* ſcripſit ſingularem tractatum.

Myſterium hellebori nigri, eſt ſcilicet de foliis hellebori nigri. *Para.* Per membra principalia vulnus curari debet, ut capitis per cerebella, hepatis per hepatica, & ſic in aliis, *Para.*

Monſtra, ſunt præter naturam orta quædam animantia, quæ cœlum excludit ovo ſuæ putrefactionis illicitæ ac nefandæ commixtionis. Nihil deinceps de ſe generant, quod ex conjunctione duorum contrariorum & ſpecie differentium ſeminum enaſcantur, ut ex homine & bruto: nonnunquam etiam ex veneficis parentibus. Inde ſumpſerunt olim gigantes originem & alii contra naturæ leges monſtroſi homines horrendi viſu, & execrabiles. Non honeſtius hominum malitia factum, qui bruta diverſarum ſpecierum una vi cogunt, ut equum & aſinam, in generationem bajulatorum ſapientiæ hujus mundi: quæ etiam monſtra ſunt ad generationem inepta ac ſterilia, ab iſtis abhorrente natura prorſum ut ab aliis. Narratur hiſtoria quæ non uſque adeo multis elapſis temporibus accidit Salisburgi, de monſtro in conterminis illis Carinthiæ regionibus à venatoribus in ſylva reperto, qui cum canibus illud mordere nolentibus comprehendiſſent, ab iſtis ſolummodo circumſeptum ad Epiſcopum ſuum adduxerunt, humana planaque facie conſpicuum, manibus pedibus ac digitis ſimilibus, reliquis verò membris omnibus piloſum ut brutum. Quatuor gradiebatur ſatis demiſſis pedibus uti porcus. Appoſito cibo ac potu guſtare nihil unquam voluit, verberibus, punctionibus, uſtionibus, ac variis aliis tormentis tentatum eſt, ſi quid vocis articulatæ, vel brutalis ab eo extorqueri poſſet, at fruſtra. Meticuloſum valde, lucem atque hominum fugiens præſentiam, abdere ſe quovis loco nitebatur, tertia tandem luce, quam raro comprehenſa præterire ſolent, interiit.

Morbilli puſtulæ ſunt venereæ, nonnunquam etiam de venereo morbo dicuntur.

Morellum, eſt ſolatrum.

Morphea, eſt ſpecies lepræ, alboræ non abſimilis.

Morus, eſt apoſtema, referens aſpectu morum.

Mulæ, ſunt puſtulæ ex frigore vel calore ortæ.

Mumia, dicitur non ſolum humana caro, balſamo condita, ſed etiam alia quæque, non per ſe mortua, ſed occiſa, & medicata curativæ facultatis.

Mumia medullæ, vel *medullis*, ſunt oſſium ipſæ medullæ.

Mumiæ elementorum, eſt balſamus elementorum externorum.

Mumia tranſmarina, Paracelſo eſt manna.

Mumia verſa, pro converſa, liquor eſt mumiæ.

Mucilago, eſt liquor viſcoſus ac tenax.

Mundificatio, ſunt medicamenta Chirurgorum, invalidam & putridam carnem à bona & viva ſeparantia atque repurgantia.

Muſtus, eſt calx alba in urina, veluti pinguedo.

Miſſador, eſt Mercurius.

Miſterium magnum, eſt omnium rerum materia prima, principium & mater conjunctarum corruptibilium creaturarum Dei. Vide libro ad *Athenienſes.*

N

Nacta, eſt apoſtema pectoris.

Naſda, vel *natta*, eſt gibbus.

Narcotica, ſunt medicamenta ſoporifera, dolores auferentia, vel ut minus torqueant efficientia.

Nebulgea, eſt ſal ex humiditate nebularum decidens ſuper lapides, calore ſolis induratum.

Necrocomica, sunt prodigiosa præsagia, rei cujuspiam futuræ prænuntia, per signa ex aëre super terram decidentia, ut erucæ olim ac alia multa.

Necrolium, est quod mortem pellere, ac vitam conservare potest.

Necrolica, similia sunt medicamenta.

Necromantica, est ars illicita, quæ cum mortuis operabatur olim, ut quum astra manifestabantur apud mortuos. Is dicitur verè necromanticus, qui mortuos apparere & comparere facit, voces atque responsa potest ab illis extorquere, qui circuire cogit ac edere mirabilia. Quicquid mortuorum capitibus, ossibus, acubus, linteis, pharetris, sepulchris ac similibus arripitur vel adimpletur, sub nefariam hanc artem cadit; quæ superstitiosa, & à Christiano quovis detestanda.

Nasda Sinapta, est petroleum vel asphaltum.

Napta, est gumma.

Napta alba, est petreoleum album.

Naphtha, Nihil aliud est, quàm petroleum, oleum liquidum quod ad nos licet corruptum ferunt Agyrtæ. *Naphtha candidum*, est petroleum nostrum. *Nigra*, quæ est forsitan illa Amiavi picea & glutinosa, bitumini persimilis, quæ flagrans nulla alia re extingui possit, quàm pulvere injecto. Hanc nigram naphtham, stercus dæmonum quidam fuisse veteribus voluerunt: nos jam agnoscimus laserpitium, assam fœtidam.

1. Naturalis, quæ est propriè petroleum.
2. Factitia, colamen bituminis.

Sic carbones isti crustosi lapides, qui apud Germanos effodiuntur sunt gagatis species, qui sunt bitumen sub terra induratum vel excoctum calore: & hi carbones ex bitumine causa sunt, quare montes, ut Ætna & Vesuvius flagrent, & magis noctu quàm die: quia de die calor solis deprimit illud incendium vel obfuscat, è contra in nocte, quæ est humida & frigida, materia iterum excitatur humore.

Nar, est pyr, Ignis.

Narbasathar, est flatus mineræ, aurichalcum.

Nataron, *natron*, est nitrum.

Nectar, fit ex correcto & claro vino: correctum vinum rubeum, est coagulatum: clarum est vinum album.

Nitrum, Baurach, Sal petrosum, nitrum quasi sal petræ cal. & siccum in secundo gradu. Est nitrum res cognata sali, & quæ est species salis. Hinc sal lucidum, sal Alexandrinum, sal Anderenæ, sal nitrum unum & idem sunt, Fit verò nitrum ex coagulato humore. Nostra in medelis sunt præstantiora, quia multò magis aperiunt & evocant humores; sed cum judicio illis utendum. Fit apud nos nitrum diversis modis, in stabulis, in ovilibus, in antiquis cœnobiis, in areis multo ante sæculis tritis, in rupibus, cellariis muris.

Ruland. pagina 346. enumerat sex genera nitrorum.

1. Armenum,
2. Arabath.
3. Aphricanum.
4. Romanum.
5. Ægyptiacum.
6. Babilonicum. Arabes soli primum & sextum celebravere.

Est etiam nitrum artificiale factitium: sicut ipse flos parietis, seu petræ, vel flos salis. Coquitur hoc ex sale, vel aqua salis.

Nitrum, est lapis salsus, id est sulphur album.

Nitrum Alexandrinum, est Cinis clavellatus.

Nitrum, Sago, Talck.

Nitrum, Tincar.

Nitrum, est sal albus, scilicet baurac.

Nitron, est fex vitri.

Noas, est Chalcos. Æs.

Nochat, *neuchat*, *neuchor*, Venus, Æs.

Nocasit, est cribrum, vel vas perforatum.

Nigella, Anglicè *Gith*.

Noera, est Coopertorium vasis distillatorii.

Nora, est Calx.

Nora, etiam est Nitrum.

Nora, etiam est quodlibet sal.

Nosididach, est Artus.

Nuhar, est Venus vel Æs.

Nusiadat, est Armoniacum.

Nuba, est Cuprum.

Nutrimentum, est res transmutata in ventriculo per putrefactionem.

Nuba, quoque Mannæ species est, coloris *Rosinfarb*: in Hibernia copiosè invenitur. *Para. pag.* 893.

Nysadir, *nestudar*, est sal armoniacus.

Nitri, spiritus Tartarisatus

Nitri, spiritus Sulphuratus. Vide *Glauberum* pro his tribus.

Nitri, vel Aqua fortis, spiritus Sulphureus.

Nenufareni, dicuntur spiritus aërem inhabitantes.

Neuta, est pellicula, vel oculorum, aut infantum auriculis adnascens, & quandoque totam faciem contegens in partu.

Nigromantia, est ars nefanda & execrabilis, qua diaboli malignique spiritus astute se cogi fingentes ab hominibus, ultro interim obediunt in eorum perniciem tantùm & non aliter, ut repente quid è longinquis adferant, aut ad remotissima loca deferant: noctu potissimum est destinata, quia lucem fugiunt maligni dæmones, umbrarumque sunt ministri ac tenebrarum.

Nitrum, est salsugo quædam ex urinatum congregationibus in sal præparata.

Nitriales, sunt res omnes adurentes & in calcem redigentes, ut sal petræ vel nitrum, Sulphur, *&c.*

Noboch, instrumentum est necromanticum.

Nodi, sunt articulorum tumores indurati.

Nostoch, est jaculum alicujus stellæ, vel potius ejus repurgatione dejectum quid in terram. Invenitur potissimum Junio, Julio & Augusto super latos campos, vel in pratis, instar fungi magni vel spongiæ, foraminosum quid, & leve, tendens in fulvum & ravum colorem, & ut coagulatum jus, tactum contremiscit. Sunt qui per nostoch ceram intelligunt metaphoricè.

Nuba, est secunda species tereniabin aut mannæ, roseo colore, qualis in Hybernia cadere perhibetur.

Nymphæ, sunt spirituales homines ac mulieres, vel corporei spiritus aquas inhabitantes, qualis fuit Melusina.

Nymphidica, metaphoricè spiritus aquarum solventium in arte dici possunt.

O.

OBrizum, est purum aurum in spadiceum colorem arte calcinatum, aut pulveratum.

Odorifera, sunt medicamenta, quæ per suum odorem bonum aut fœtidum morbos expellunt.

Oleum ardens, est oleum tartari ad summum gradum correctum.

Oleitas rerum, in omnibus sulphur earum est.

Oleum vitrioli aurificatum, eſt quod auro dulcoratum eſt artificioſè.

Oleum colcotharinum, eſt oleum ex vitriolo rubeum.

Olympicus ſpiritus, eſt aſtrum in nomine, quod efficit ut umbram de ſe præbeat.

Operimethiolim, eſt mineratum ſpiritus.

Opitulativa, ſunt medicamenta quæ fluxus ſtipant & obſtruunt.

Oppodeltoch, Paracelſi præcipuum eſt unguentum. *Stichplaſter.*

Ordoleum, eſt apoſtema parvum ordeo ſimile.

Orexis, eſt ardor à tartaro excitatus.

Organopeotica, eſt ars bellicorum inſtrumentorum inventrix.

Oriʒeum, eſt aurum.

Orizeum foliatum, eſt aurum in tenuiſſimas bracteas malleo cuſum.

Orizeum præcipitatum, eſt aurum in crocum ſuum redactum, adminiculo croci mercurii.

Orobo, eſt vitrum metallinum.

Oſſa paralleli, eſt univerſale medicamentum in podagra.

Obelchera, *obelkara*, eſt Cucurbita.

Ocob, *ocab*, *ocop*, Sal Armoniacum.

Ochra, *Theophraſtus* ſimpliciter *ochram*, eſſe terram luteam deſcribit, & ſitu diverſa enumerat genera, cùm inquit: In argenti & auri metallis naſcuntur optima pigmenta, ſcil. cœruleum, quod propriè limus eſt. Optimum ex eo, quod vocatur Atricum; proximum marmoroſum, 3. preſſum Cyricum: Si acutè conſideramus *Ochram*, quatuor habemus ſpecies.

1. Lapidoſa ex fodinis, & ad ripas, & littora fluminum.

2. Eſt pulvis, & terra arida, hærens in lapidibus, ut cœruleum, & Chryſocolla.

3. Eſt terra ſicca ſimplex ad ripas.

4. Eſt vel limoſa & tenax ad marmoroſa ex fodinis. Eſt illi vis medica, aſtringere, erodere, diſſipare. Porro ex *ochra* aduſta fit rubrica fabrilis: Factitia fit ex plumbo. Hac plurimum utuntur pictores pro nativa.

Occidens, eſt acetum.

Occidens ſtella, eſt ſal armoniacus.

Occidens, Mercurius, Saturnus, Hermaphroditus, aqua viva, viſcoſa, *&c.*

Olea ſoluta, ſunt quæ per deliquium partium ſubtilium oleoſarum ſeceſſerunt. Eo fiunt modo, quo magiſteria liquorum, niſi quod magiſterio totæ res ſolvantur in liquorem quemvis, hic verò duntaxat partes eſſentiales internæ in pinguem ſuccum, relictis partibus craſſis. Neceſſe eſt autem præparationem procedere, ut defluere poſſint, & ex ſe oleoſitatem reddere: unde plerumque modo magiſteriorum, ut calcinatione, maceratione, coctione, *&c.* apparantur, aut etiam tria ſuccorum, extractorum, & ſimilium, niſi quod extractum ſit naturale, ejuſq; tenuitatis, ut facile ſine prolixa opera diffluat.

Oleum frumenti, dupliciter paratur.

Oleum Paleſtinum, eſt Acetum.

Oleum fixum, eſt quod è rebus ſolatis, & ad purum filtratis, per abſtractionem crebram, ſpiritus vini potiſſimum, ad oleoſam conſiſtentiam eſt redactum. Id enim hic figere appellamus, è diluta, & tenui conſiſtentia, aquoſitate abſtracta, vel digeſta, oleoſum & ſtabilem producere. Ideo ſolvi in liquore res neceſſe eſt, ut craſſis partibus filtratione ſegregatis, tenues in humorem deponantur, unde per talem fixionem reducuntur. Praxis communis eſt ut res ſolvatur in aliquo liquore, adhibitis macerationibus, vel coctionibus, vel deliquio, ſeu ſolo, ſeu cum aliis *&c.* Solutio ſi quid fœcum habet, colatur quoad ſatis: poſtea affunditur vini ſpiritus, digeritur unà, & abſtrahitur iterum, idque repetitur, quouſque oleoſa conſiſtentia placeat.

Oleum diſtillatum, eſt quod per diſtillationem extrahitur, idque vel aſcenſu, vel deſcenſu, ſive inſitum ſit, ſive combibitum. Combibitum omne elicitur ſola diſtillatione: Inſitum verò etiam ſecernitur aliis modis.

Oleum ſtillatitium deſcenſorium, eſt quod diſtillatione per deſcenſum efficitur.

Oleum per elixationem extractum & excoctum eſt, quod coquendo extrahitur. Id fit, vel per elixationem in humore, aut per ſiccam flammam.

Oleum ex aſſatione, fit per ſiccam flammam, cum res per ſe abſque ullo menſtruo, igneo calori adhibitæ oleum accendant: quod colligetur quovis modo.

Et fit dupliciter, { Aſſatione, & / Combuſtione.

Onix, eſt gemma repræſentans candorem unguis: Indica nonnunquam ignea, nigra, cornea, cingentibus candidis venis, oculi modo intervenientibus quorundam oculis, obliquis venis. Dicunt *Onychem*, è lachryma arboris lapideſcere, & fieri. Quia igne concrematus, mittit odorem, & variis apparet impreſſionibus & formis.

Albertus Onichis ſpecies facit { Nigras, / Rubicundas, & / Albas.

Quæ omnes cùm fricentur, ſolvuntur in ſubſtantiam repræſentantem unguis humani ſimilitudinem. *Onix* triſtitiam & timores excitat: melancholiam movet, excitat lites, & ſomnia turbulenta, *&c.* *Ruland. pag.* 354. ponit *Onichis* octo genera.

Opali, mater propriè eſt India. Eſt gemma pretioſa, utpote in qua carbunculi tenuior appareat ignis, & amethyſti fulgens purpura, ſmaragdi virens mare. Magnitudo ejus eſt nucis avellanæ. Sunt *Opali* certa vitia, ſi color ejus exeat in Chryſtallum, vel grandinem, aut in heliotropii herbæ florem, ſi ſal, aut ſcabritia, aut alia oculis occurſantia illi inſint.

Ophites, eſt ſpecies marmoris, & *Ophites* dicitur, tantum propter colorem, quia colore repræſentat ſerpentes.

Illa ſpecies lineis cinereis & nigrantibus, omnino eſt tanquam chelydri in colore ad oſtium Tangræ. Hujus ſpecies eſt Echitos, qui vipereas habet maculas.

Eſt alia etiam ſpecies *Ophitis*, magis accedens ad formam ſerpentis, quia ſquammas habet, ut ſerpens. Et eſt cruſtaceus lapis. *Plin. lib. 36. c. 7.* docet *Ophitem* nomen accepiſſe à maculis ſerpentum.

Et duo facit ejus genera, { Molle candidum, & / Nigrum durum.

Opilare, eſt operire.

Ops Metallum, eſt argentum vivum.

Olare, eſt Vas. *Orbis*, Tympanum.

Oriens, eſt Urina. Sal Urinæ. Vitriolum.

Oriza, eſt riſum.

Ozeman, eſt album ovorum.

Orms, eſt Gallina.

Orogamo, eſt Aurum.

Oſoror, eſt opium.

Oſtrutium tranſplantatum, eſt Angelica.

Othan, Mercurius Philoſophorum.

Ovum, est lapis benedictus.

Ovum Philosophorum, seu Hermetis, est quod ovi formæ Philosophicis operationibus inservit.

Oxos, *Oleum Palestinum*. } Est Acetum.

Ozy, est Acutum.

Oζo, est Arsenicum.

P.

Pandalitium, paneritium, vel *passa*, est apostema in extremitatibus digitorum.

Palantina, & *Persina*, Reginæ fuerunt, quales Melusina, & Melora.

Pannus, est macula à nativitate orta.

Pars cum parte, est massa ex auri & argenti partibus æqualibus cimentata & graduata.

Parthenion, est camomilla nobilior aut Romana, quæ etiam pyrolana sylvana dicitur:

Paradri, sunt mali Genii.

Panes, æris fatiscentes.

Panes, ex pyrite & Cadmia conflati.

Panis, Argenteus.

Panum, æreorum species, tres sunt.

Panum ex ære fossili.

Pater, est Sulphur.

Pater ante filium, Id est interfectio patris. Est Satyrion.

Pater & mater Regis. Vide plura *Rulando pag.* 359.

Patias, est squamma.

Pedagra, est Tartarus.

Pegernus, id est Peregrinus, est Mercurius.

Pelecanus, est vas circulatorium, à figura Pelicani pectus sunm rostro fodientis, pullos suos refarcientis, amplo ventre sensim in augustius collum vergente; quod retortum & curvatum os rursus in ventrem immittit. Hoc vas in fundo canalem, per quem liquor infunditur, habet, qui infuso liquore Hermetico sigillo occluditur, & calori admovetur.

Pelicide, Pelude, est mel coctum.

Penetratio, est submersio.

Pes lucuste, Pes bruste, est alumen Jumeni.

Petra sanguinaria, est hæmatites.

Phanlec, est ferrum.

Phiala, est vas vitreum ex ventre in modum sphæræ rotundo gracilem canalem in proceritatem emittens; Ejus usus frequens est in coagulationibus & solutionibus.

Phibit, est rapax.

Phlotron, est species fluxus ex coostro generatus.

Phrasium viride, est flos æris.

Phtysis, tabes, alioqui Atrophia fere idem, nutrimenti cessatio, aut timore, aut nimia aviditate existens.

Phtysis, est consumptio naturalium humorum corporis proveniens ex ulcere pulmonis.

Phtysis, differt ab *Hectica* { Subjecto, Genere, Accidente.

1. Subjecto, *Hectica* est morbus Cordis. *Phtysis* Pulmonis.

2. Genere: *Hectica* est Febris, *Phtysis* non.

3. Accidente, *Hectica* est morbus generalis, respectu Cordis. *Phtysis* specialis Pulmonis.

Pelos, est Argilla, terra vimida.

Pilum, vel *pili caput*, quo franguntur panes ærei.

Pisare, est Colare. *Pistare*, est contundere.

Pix liquida, est Terebinthina. *Pixari*, est pix.

Plumbum, à Chymicis tribuitur Saturno; & ejus nomine appellatur. Est corpus metallicum, lividum, terreum, ponderosum, parva participans albedine, multum habet de substantia terrea, & in stannum per lavationem vertitur. Quo patet stannum esse perfectius plumbo. Plumbum plus habet de substantia sulphuris fixi ad compositionem suam, quam Jupiter, id est stannum. In summa, argentum vivum, malum grossum mali saporis, fœtidum, debilis virtutis, tanquam menstruosa mater, initur à sulphure marito leproso; aut livido: & Saturninus ille frigidus nascitur filius, cui nomen est plumbum. Deficit illi puritas, fixatio, color, ignitio. Nota quod plumbum purum cujuscunque coloris non reperitur in fodinis. Estque plumbum, quod excoquitur, triplex.

Scilicet, { Nigrum quod verum est plumbum deinde Cinereum; & Candidum.

De plumbo nigro jam agitur, à Græcis μόλυβδος dicitur. Fit & excoquitur ex galena: aut fit ex pyrite. Plumbum elotum habetur in quibusdam officinis, contra ulcera inflammata, & cancrum: sed plumbum crematum habet efficaciores vires eloto: & saccharum Saturni ambobus. Figuli illo utuntur enim cremato plurimum ad pingenda vasa. Videas plura si placet de plumbi generibus apud *Ruland.* à *pag.* 364. ad 370.

Plumbum, dives.

Plumbum, depauperatum.

Plumbago, Galena molybdena, seu lapis plumbarius, unde fiat plumbum, unum & idem sunt. Lapis plumbarius, venæ plumbariæ, terra plumbaria, & materia unde fit plumbum rectè dicitur. Habet easdem vires cum plumbo loto, & plumbi recremento, & eodem modo lavatur: & differt à Molybdena. *Dioscor.* colore tantùm non materia. Color enim facile mutari potest in plumbagine, diversis vaporibus è visceribus terræ excitatis. Si aliquod habebis discrimen, dic lapidem plumbarium molybdenam, cum solum continet plumbum: è contrà cùm plumbum & argentum continet, dic esse galenam.

Duplex est, { Nativa, & Factitia.

De quibus ac eorum variis speciebus videas plura *Rul.* à *pag.* 372. ad *pag.* 376.

Pompholix, *Dioscor.* conjungit pompholigon, spodion, & antispodion.

1. *Pompholix*, est cinis metallicus qui fit in summitate, aut parietibus fornacum, seu domunculorum ubi sunt fornaces extinctis favillis. Cinis differt secundùm diversitatem metallorum, & locum in quo fiat: Efficacior enim est quæ cinerea est, & fiat ex pyrite, quam ex plumbario lapide. Inde melior est omnibus Misnensium continens in se argentum plumbum & æs. Si in lateribus & summis cameris est pompholix, pars quæ in summitate dependet est pompholix, & differt à spodio candore & levitate è contrà pars nigrior, & ponderosior, in ima loca se recipiens est spodium. Differt pompholix à spodio, specie sola non genere. *Arabes* duplicem faciunt Tutiam.

1. Nativam in mineris, albam, viridem & citrinam, repertam in littoribus maris Indiæ.

2. Factitiam, in fornacibus de qua hic.

Arabes duplex habent Spodion.

1. De radice cannæ transmarinæ combustæ.

2. Quod fit ex ebore vero combuſto. Eſt & exuſta ſpodos ex oſſibus Elephanti, canum, & aliorum animalium uſque ad levitatem, cum debet fieri ex ebore uſto.

Antiſpodium, ſit ex cauticulis ſtipticis. Secundum *Dioſcor.*

Spodion fieri poteſt ex plumbo, eodem modo, quo fit ex ære Cyprio. In Miſnia plumbo ſimilis eſt in officinis, ubi plumbum plurimum coquitur.

1. *Pompholix*, eſt fuligo, quæ colligitur in cameris ubi coquitur metallum.

2. *Pompholix*, colligitur de argento.

3. Lutea, quæ adhæret parietibus; quando argentum à plumbo ſegregatur.

4. *Pompholix*, ex ære Mansfeldio.

5. Quæ colligitur quando argentum à cupro ſegregatur.

6. Quæ in caminis colligitur, ubi plumbum candidum coquitur.

7. Candida puriſſima.

8. E lapideis panibus torrefactis, cùm æs coquitur concreta.

9. *Pompholix alba*, quod officinæ nihilum album appellant.

Pompholix, Tutia, & ſpodius, unum & idem ſunt.

Poponac, eſt gummi.

Porſitigon, eſt batitura ferri.

Praſis, Praſinum viride, eſt flos æris.

Præcipitatio, quando corpora per aquas corrodentes, corroſa, & in aqua ſoluta, vel aquæ corrodentis abſtractione, vel alio encheremate, in aliquam calcem repercutiuntur, ſic argentum in aqua forti diſſolutum cupro, ſale communi aut ammoniaco injecto præcipitatur: ſic aurum in aqua regia ſolutum, adhibito pauculo argento vivo repercutitur, cui ſi parum per folium ſulphuris admixtum, idque clauſo vaſe ad ignem poſitum fuerit, ut argentum vivum & ſulphur evaporare & diſcedere poſſint, calx ſubtiliſſima relinquetur: ſimile judicium etiam de aliis eſto. Sed quo magis corpora diſſolvuntur, tanto etiam magis ſubtiliuſq; calcinantur.

Præſmucum, Ceruſa.

Principia, Chymica.

Principia ſunt, quibus res in quolibet miſtorum genere eſt facta, quæ quia inſunt, & jam certam ſibi naturam ſubſtratam habent, in qua vigeant, & cum qua educi poſſunt. Hæc principia alia ſunt ab Ariſtotelicis, & non prima omnium intelliguntur. Sed in quovis genere prima, quanquam illis ſint analoga. Principiorum autem vires tum in elementaribus partibus, tum cœleſti fundantur. Itaque quodammodo hæc ad elementa acceduut, quodammodo ad eſſentias.

Principia autem ſunt tria, { Mercurius, Sal, Sulphur.

Prima temperatura.

Projectio, eſt per medicinam ſuper re mutanda projectam cum repentino ingreſſu, ex mutatione exaltatio. Convenit cum fermentatione, quod rem in ſubſtantia mutet: differt autem quod non fiat cum digeſtione lenta, quâ paulatim miſtilia alterentur, & craſin accipiant, ſed violenta penetratione facta, quaſi in momento ingreſſus transfiguret. Vocatur illa medicina, etiam non fermentum, ſed tinctura.

Prolectatio, eſt extractio per attenuationem partium ſubtilium, ita ut rarefactæ inclinatione ſuæ naturæ, à craſſioribus in diverſum ferantur, ibique conſiſtant. Itaque etiam ejuſmodi res, è quibus aliquid prolectamus, attenuatoriæ vocantur, ſeu rarefactiles; & antequam conſiſtat prolectatum, vel igneum, vel aëreum, vel aqueum ſufficitur, ut ita mediante horum elementorum forma fiat prolectatio, & abſiſtat à terreis fixis vi levitatis ſuæ vel fluxus.

Pſamos, eſt arena.

Pſincus, Pſinkis, eſt Ceruſa.

Pſythos, eſt frigus.

Pumex, Samechi, vel Senech Arabicè, vel lapis Vulcani.

Sunt duæ ejus ſpecies, { Niger, & Albus.

Niger dicitur & tophus, & hic præſtantiſſimus in *Melo* & Inſulis *Æoniis*, aptiſſimi ad corpora leviganda.

Albus eſt levis, ſpongioſus, ſciſſilis: non arenoſus, facilis teri, & candidus. Dicitur pumex lapis, propter duritiem lapidis, non propter raritatem: nam raritate non eſt lapis, & degenerat plane à lapide, quia innatat aquis: reperitur autem Pumex, ubi Alumen & Sulphur naſcitur. Creditur eſſe terram omnino exuſtam in Inſulis, quæ deinde aquis adfertur uſque ad Barchen civitatem Lybiæ. Ideo vocatur lapis de Barche.

Purgator, Argenti.

Putrefactio, eſt miſti reſolutio per putredinem naturalem in calido humido. Humorem enim neceſſe eſt vincere terminans ſiccum agente calore externo, quo facto calor cognatus cum humido ſuo ſubſtantiali ſegregatus à commiſtis, & homogeneiam ſuam ſervat, conſiſtens ſeorſim. Itaque ſi res putrefacienda humore abundat, comminuta in illo ipſo finitur, & ponitur ad digeſtionem fimi vel balnei calidam, foris ſc. adhibito calore humido. Sin ipſa per ſe parum humoris habet, aut nihil, teritur, & proportionali humore conſpergitur, inque ſuo vaſe ad putreſcendum locatur.

Putrefactio, eſt digeſtio ſubſtantiam rei ex vaporum retentione calidi externi acceſſione, ad rem præſtantiorem generandum diſſolvens, eſt putrefactioni proprium veterem naturam rerum conſumere, novam introducere, & nonnunquam producere fructum alterius generationis. Spiritus etiam corroſivi per eam dulceſcunt. & miteſcunt, omnes colores in alios immutantur, item purum ab impuro, impuro ſubſidente deorſum ſeparatur. Fit vero materia in vaſe collocata, vas in fimum ponitur, fimique calor ad tempus præfixum conſervatur. Satius autem eſt vas in balneum roris collocari.

Putrefactio alia, eſt ambigens inter corroſivam calcinationem, & putrefactionem, & vocatur putrefactio ſicca & philoſophica: A quibuſlibet nomen habet nec ſine ratione, ut ſublimatio, ſeparatio elementorum, coctio, ſolutio, *&c.* Fit autem in aqua Philoſophorum ſicca, ſeu aceto acerrimo, nec eſt aliûs rei, niſi Solis, & Lunæ.

Penates, dicuntur ſpiritus ignis elementi & cœli, familiares dicti, quaſi penes nos nati.

Pentacula, ſunt ſigna, ſigilla vel delineamenta mirandis & incognitis aliquando literis & characteribus implicata, quæ collo appenſa creduntur à malignis ſpiritibus, & faſcino quovis præſervare.

Perdetta, ſunt rapæ parvæ & flavæ.

Perdonium, eſt vinum ex herbis.

Periodus, eſt celſa, vel muſculus vitæ, pulſus per univerſum corpus diſcurrens.

Peucedanum, eſt angelica ſylveſtris.

Pilizenii,

Pilizenii, sunt pili circà caudam leporum nascentes.

Pilosella, est auricula muris, herba pilosa.

Pinguedinosa, dicuntur quævis pinguia.

Plumbum Philosophorũ, est ex antimonio tractum.

Potabilia, quæ per os hauriri possunt.

Podagra, est tartarus sinoniæ vel glutinis albi.

Phantasmata, sunt spiritus sylvestres non diabolici, in desertis habitant, & circa littora maris, cum hominibus imaginativis sæpissimè loquuntur, terrefaciunt aliquando; suam originem ducunt ex imaginationibus hominum quales vivi de vel cum mortuis habent.

De his lege latius apud *Paracelsum* expositione prima, quam facit in Evangelium *D. Matt. cap.* 14.

Phionitides, naturales dicuntur inimici, qui sese mutuo persequuntur ad mortem; ut ciconia ranas, felis mures, aranea bufones. *&c.*

Phœnix, dicitur ignis quinta essentia, item lapis ille Philosophorum celebratissimus.

Physiognomia, dicitur ars illa qua hominum proprietas atque natura cognoscitur, à facie usque ad pectus, ut ex habitu de cujusque ingenio & promptitudine judicium fiat.

Pulpezia, vel *pulpelxia*, est stupor, attonitus, plexia, vel syderatio.

Præsagium, est præcedens aliquod notabile signum rei futuræ historiam, ex quo prophetia quandoque sumitur.

Præservativa, sunt medicamenta vitam à suis inimicis, & corruptionibus defendentia.

Prefforium, est torcular, instrumentum quò species contusæ exprimuntur.

Primales, dicuntur corpora fallacia nobis ab astris oculos posita, de quibus *Paracelsus* eodem loco super *Matthæum* fusius differit: dicuntur alias Prumalia.

Pruinum, est prima tartari species.

Pruina, seu *pruna*, est ignis persicus.

Pulsatiles, arteriæ venæ dicuntur, forte proeumatica.

Pusta, est saniei digestio, à pure dicta.

Putredo, est generationis materia prima, sed melius.

Putrefactio, pro corruptione sumitur in alterationem.

Pygmei, dicuntur homunciones vel subterranei spiritus, quos etiam faculas aut scintillas vocant. Non natos esse perhibent, neque habere parentes, sed non aliter ex corruptione terræ, quam ex equino fimo putrefacto scarabei, generari.

Pyromantia, dicitur ars ex igne præsaga, quum ignis astra se palam faciunt hominibus, ut inde veri notitia prorumpat ejus, quod quæritur, ablato quovis dubio, vel suspicione. Exemplo sit quod de buxo fertur, & foliis ejus in ignem projectis, singulis eorum de quibus habetur suspicio, nominibus inscriptis, crepitare fontis foliculum & exilire perhibetur. Non aliter de futuris, conjectura multorum simul, fieri posse putant. Aliud est.

Pyrothechnia, hæc solum operatur in præparationem rerum naturalium ignis adminiculo, sed medio, ac potissimo instrumento potius.

Pyrala sylvana, vide parthenion.

Plumbago, Galena, Molybdena, unum & idem sunt, seu lapis plumbarius, unde fiat plumbum. Lapis plumbarius, vena plumbaria, terra plumbaria, & materia, unde fit plumbum recte dicitur. Habet etiam easdem vires cum plumbo loto, & recremento plumbi, & eodem modo lavatur: & differt à molybdena nativa, ipsius colore, tantùm, non materia. *Dioscor.* Et color potest facile mutari in plumbagine diversis vaporibus è terræ visceribus excitatis. Si aliquod habebis discrimen, dic lapidem plumbarium molybdenam, cum solum continet plumbum: è contra cùm plumbum & argentum continet, dic esse galenam:

Sed duplex est { Nativa, & Factitia:

De quibus, & de diversis eorum speciebus videas plura *Ruland.* à *pag.* 372. ad *paginam* 376. si placet.

Plumbum dives.

Plumbum depauperatum.

Poponax, est Gummi.

Pompholix vera: In officinis vocetur, nil album, nihili. Ex Cadmia inspersa de industria, vel ex ipsa Cadmia proflata follibus fit Cinis metallicus levissimus, fit etiam in summitate fornacum, aut parietibus, vel etiam domuncularum ab extra. Si in horis fornacum est, tum Cadmia est capnitis, si in lateribus, & summis cameris, est pomphylix, pars quæ in summitate dependet pompholyx, è contra pars quæ adhæret parietibus est spodion. Illa adolescentes diligenter observare debent. *Arabes* duplicem faciunt Tutiam.

1. Nativam in mineris, albam, viridem, & citrinam in littoribus maris Indiæ.

2. Factitiam in fornacibus: de qua hic.

Spodion fit.

1. E cannæ radice adusta.

2. Ex ebore vero combusto.

3. Ex ossibus Elephanti, Canum, & aliorum animalium exusta est hæc spodos usque ad levitatem ex ossibus; cum fieri deberet ex ebore usto, Antispodium fit ex cauticulis stipticis secund. *Dioscor.*

Pyrites, & Marchasita idem sunt secundum Græcos & Arabes. Dicitur *Pyrites*, quia ex eo plurimum igis excluditur, & illo utuntur milites ad inflammandas bombardas: & dicitur *pyrites*, quod igneus ipsi sæpe sit color.

Reperiuntur in Germaniæ fodinis varie *Pyritis* species.

1. *Pyrites* argentei coloris, quæ argentum continent & æs, modo solum argentum, modo solum æs, modo argentum & æs simul, modo argentum & plumbum nigrum, modo plura metalla, modo omnino sterilis reperitur. *Pyrites* autem ille videtur plus argenti vivi habere reliquis speciebus.

2. *Pyrites*, fere aurei coloris, est proprie *pyrites*, & *pyrites* æris species æris, cognati priori.

3. *Pyrites* prorsus aureis coloris, plus videtur habere sulphuris: cui nonnunquam admiscetur quarta sequens species.

4. *Pyrites*, colore similis galenæ, sed prorsus materia differt. Coquitur ex eo autem & argentum, & reperitur magna copia Reichensteinii subtilis admodum, plus auri, minus continet argenti, vel aurum solum: Sed Rautisi plus continet argenti, minus auri.

5. *Pyrites*, cineracei coloris, subtilis admodum reperitur Reichensteinii, & admiscetur præcedenti speciei, ut ex illa possit etiam excoqui aurum. Sed hæc species paulo diverso modo reperitur, *Aldenbergi* in *Silesia*, unde conflatur aurum & argentum.

6. *Pyrites* coloris ferrei, per se fert speciem massæ ferreæ, reperitur in fodinis ferrariis quibusdam, non in omnibus.

Pyrites habet insignem vim discutiendi, abstergendi, & excalefaciendi. Quomodo urendus &

lavandus pro medicina docet *Dioſcor lib.5.c.89.* plura videas in *Rul pag. 393.* ad *pag. 396.* de variis *pyritis* generibus.

Pyrites etiam eſt parens ſuccorum 6. *pag. 327. Pyrites* metallorum variorum fertilis 10. *pag. 397. Pyritum* è quibus ignis elicitur 7. gener. *pag. 397.* Argentei coloris. 8. *pag. 398.*

Pyramis, (aliis catinus coniformis) eſt vas metallicum, in modum pyramidis excavatum, ut pars ejus ſuperior lata: inferior autem in acutum vergens pro liquatis mineralibus in regulum formandis accommodari poſſit.

Q.

Quandros, Lapis eſt ſeu gemma, quæ reperitur in cerebro & capite vulturis coloris candidi: quæ replet mamillas lacte, & contra nocivos caſus valere dicitur.

Quanli, eſt plumbum.

Quars, eſt petra fellis.

Quartatio, eſt ſeparatio auri & argenti invicem commiſtorum, quæ ideo dicta quartatio, quod miſturæ ex auro & argento tantum ſit addendum argenti, ut hujus tres partes ſint ad illas unam, fiantque omnino quatuor.

Quinta eſſentia, eſt myſterium ad æthereæ naturæ paritatem virelque præſtantiſſimas exaltatum. Solet appellari cœlum, & cœleſtis ſubſtantia, in qua puriſſima, & ſinceriſſima craſſis hæret, & radix ſubſtantialis, tanquam eſſet defluvium æthetis, vel radius firmamenti, voce Creatoris per ima diſperſus, animæque mundanæ ἀπογέννημα.

Quinta eſſentia vegetabilium, eſt quæ ex vegetabilibus eorumque partibus extrahitur. Fit hæc potiſſimum ex ſucco extracto. Primas obtinet hic quinta eſſentia vini, quam Mercurium vegetabilem nominat Lullius: Alii aqua primi entis, cœlum & clavem Philoſophorum vocant.

Quinta eſſentia animalium, eſt quæ extrahitur ex partibus animalium, ratione miſtionis naturalis, & vegetabilis: Itaque praxis parum differt à vegetabilium apparatu.

Quinta eſſentia mineralium, eſt quæ ex mineralibus conficitur.

Excellunt his quintæ eſſentiæ metallorum & gemmarum.

Quebricum, eſt Arſenicum.

Quebrit, & *Quibrith*, eſt Sulphur.

Quinos, id eſt vena terræ. Cuperoſum.

Quirini ſancti plaga, morbus deſcr. à *Para. Tom. 2. pag. 357.*

Qualitas, dicitur complexio calida vel frigida. Hactenus quatuor qualitates ore omnium prædicatæ ſunt, & quatuor elementis aſſignatæ, cum nihil minus quam elementa ſint, nec iſta qualitates, at ſolum, quod ex elementis generatur, omne, hoc eſt, aut frigidum, aut calidum: Si frigidum, habet in ſe quandam ingenitam & individuam humiditatem, unde ubicunque humidum, ibi etiam frigidum eſſe oportet, non aliter de calido & ſicco judicandum. Nam ſiccitas ineſt caliditati ſoli, nec fieri poteſt ut frigidum ſit ſiccum, aut calidum humidum. Iſtæ complexiones ſunt ex *Ares* ſic diſponente natura, ut uterque parens elementum ignis maſculus calidus, ſperma ſiccum aërem habeat. Terra vero frigida mater, menſtruoſum ſemen aquam, poſſideat, ut iſta ſimul etiam conjuncta videmus aquam ſuæ terræ, & globulum unum efficere minimum, non ſecus atque aërem igni ſuo ſemper continuum, ſphæram unam, illa majorem, firmamento vero minorem, & ideo medium globum dici, mediamque regionem ætheream elementarum. Ex quibus duobus parentibus generatur omnis fœtus naturæ elementaris, ſub complexione vel calida cum ſicco per ſe, vel ſicco reſoluto, aut ſub frigida cum humido per ſe, vel cum humido coagulato. Hinc fit ut ſæpiſſime frigida multa judicentur ex oculo vel manifeſto, quæ calida ſunt in occulo. Exemplo ſit nobis cryſtallus apparentia frigidus & ſiccus, in occulto centroque ſuæ naturæ tamen humidus eſt, quia nihil aliud quam humidum coagulatum. Item petroleum, quod natura ſua ſiccum eſt reſolutum, non perinde ut apparet oculo humidum. Proinde non parvi refert phyſico probe cognoſcere naturam & complexionem rerum; cum ex ſuis parentibus, tum ab externis accidentibus in compoſitione acquiſitis. Hæc etiam in artificialibus ſolutionibus & congelationibus immutari ſolent. In ſumma tam vaſtus eſt graduum in qualitatibus labyrinthus, ut non ſine maxima fallacia, quantumvis exercitatus, hac via tranſire valeat ad ſcopum verum recuperandæ ſanitatis in medicina. Quod etiam à ſuis tractationibus deprehenditur, ut quod hoc loco ſit affirmatum alio negetur apertiſſime. Tum demum ad ſacram diſtinctionis anchoram eis tanquam ad aſylum confugiendum, quibus ſuum delirium demonſtrabitur. Quapropter fœliciſſimum phyſici ac medici judicandum eſt ingenium, quod à confuſione phyſica, noverit in ſpagyricam rerum unionem, infallabilem ſemitam deflectere. Hactenus de qualitatibus dictum, ut videat Lector aliam eſſe de his Paracelſi mentem, & infidelium vel Græcorum opinionem.

Quartatio, dicitur ſummum examen auri, hac via videlicet, ut argenti partes novem ad unam auri commiſceantur liquatione per ignem. Deinceps aqua ſtygia vel forti reſolvantur ambo ſimul. Argentum totum in aquam confluit, auro ſolo ſubſidente pulveris inſtar, ſpadicei nigricantiſque coloris.

Quinta eſſentia, dicitur ſpiritualis materia quædam, corporaliter ex omnibus herbis, plantis, & aliis quibuſcunque rebus vitam habentibus tracta, & ad ſummum gradum ſubtilitatis adducta, ſeparationem ab omnibus elementis & impuritatibus: item vires & virtutes, omniſque medicina incorruptibilis, in quibuſcunque rebus deliteſcens. Dicitur alias rerum forma ſpecifica, quæ ſi à ſpecie removeatur, ad ſuum genus accedit, altiuſque progreditur donec in centro quieſcat. Quod his tribus characteribus elegantiſſime denotatur à Paracelſo. 2. 4. o. Hoc eſt per adjectionem confuſionis & imparitatis impuritatiſque elementorum quatuor, pervenitur ad duplatam quintam eſſentiam in decade ſub unione creata quieſcentem.

Quintum eſſe cujuslibet elementi per ſe ſolum, eſt animal ex eo ſolo productum.

R.

Ragadiæ, ſunt nolæ vel apoſtemata pudendorum.

Rana, eſt apoſtema ſub lingua,

Rabira, Radira, eſt ſtannum.

Rabiel, Roliel, eſt ſanguis draconis.

Rachi, vel Raco eſt Mercurius.

Racri, Ranac, eſt Sal armoniacus.

Ramigi, id eſt *Ramigiri*, Colophonia.

Ramag, eſt Cinis.

Raſar vel Raſtis, eſt Stannum.

Raſtol,

Raſtol, *Raſoes*, eſt æs.

Raſtul, eſt Sal.

Raſaheti, *Rnſatagi*. eſt æs uſtum.

Realgar, eſt auripigmentum rubeum.

Recha, eſt Marmor.

Receptaculum, eſt vas amplum & globoſum diſtillantes humores recipiens. Sed receptaculum pro rei diſtillandæ ratione variat. Nam ſi res vaporoſæ, flatulentæ, & ſpirituales diſſolvuntur, amplum eſſe debet: alioquin à ſpirituum vi magna, magno bombo, ac crepitu, nec ſine adſtantis periculo, rumpitur, atque in fruſtra diſſilit. Si vero res calidæ tenueſque fuerint, collo longo formatum eſſe debet. Si autem res mediæ fuerint, medium receptaculum requiritur.

Recrementa ferri, ſinder.

Rel, *rebus*, eſt acetoſum.

Reſtinctio, eſt gradatio, qua res candefactæ in liquore exaltante reſtinguuntur, atque ita ad nobilitatem perveniunt in eo genere optimorum, hic eſt primus & principalis finis inventæ reſtinctionis.

Retorta, eſt vas globoſum, cujus collum paulatim à ventre procedit, ac ſenſim in oblongum canalem refluxum tranſit.

Reſolutio per medicinam, eſt cum commiſta violenter ſeparantur, adjecto reſolvente, & quantilibet miſturæ partem ſegregante. Eam autem rem è Gebro medicinam nominamus, quanquam etſi liquida ſit, dici queat aqua ſolvens. Fit autem perinde ac in lactis per coagulum acetum vel ſimilia ſeceſſu. Itaque & empyriaſis opus ipſum poterat appellari. In nonnullis vicinum eſt coagulationi, quæ unâ crebro fit.

Raparum radices, ſunt flammulæ radices, Nam per ſe tantum flos & flammula.

Reverberatio, eſt ignitio, corpora igne vivo reverberante, & repercutiente in calcem ſubtiliorem reducens; Eſtque clauſa vel aperta.

Reverberatio clauſa, eſt quando corpora reverberanda in furno reverberii clauſo calcinantur. Hac reverberatione ignis gradus ad amuſſim adminiſtrari poſſunt, ut calor intendi & remitti poſſit, quod in vulgaribus non accedit.

Reverberatio aperta, eſt quando materia in verberatorio fumo omnibus foraminibus apertis calcinatur. Hæc reverberatio valde vehemens eſt, & utimur ea in corporibus duris, & pertinacibus reſolvendis.

REX.

Rinar, eſt limatura. *Rian*, idem

Robes, eſt acetum.

Ron, eſt libra.

Roſa, eſt Tartarum,

Rota, *Rotingenius*, eſt Colophonia.

Rob, eſt ſuccus inſpiſſatus.

Rubeum, Aurum falſum. Cuprum tinctum.

Rutabulum, *vel Vncus*, eſt baculus ferreus longus, in altera parte cochlear, in altera radulam habens, docimaſticis operationibus inſerviens.

Rubrica ſynopica, quam volunt dici lepinum Græcis magram, vel mogan. Latinis ſynopidam. *Dioſc.* eligit eam, quæ gravis, denſa jecinoris colore, non calculoſa, ſibi concolor, & copioſe cum diluitur, ſe diffundens. Interdum à *Byzantio* afferuntur paſtilli coloris fere fulvi, litteris Turcicis ſignati, quos materialiſtæ terram ſigillatam appellant. Olim terra lemnia imagine Capræ ſignabatur, quia illi admiſcebatur ſanguis hircinus.

Lemnus, Inſula in qua fodiebatur illa terra, ſubjicitur Turco, quare facile *Bizantium* portari poſſit Quod ſi color talium paſtillorum, qui afferuntur è *Byzantio* minus quam debet rubricæ reſpondet, cauſa forſitan eſt, quod cum terra diluitur, ut in paſtillos cogatur, nonnihil mutatur. Deinde jam profundius foditur, & ita minus calore aduritur. Turcæ magni æſtimant ad peſtem curandam tales paſtillos. Arabes glebam Armeniacam, quæ non multum terræ ſigillatæ diſſimilis eſt, niſi quod Armeniacæ terræ ſigillum nuſquam impreſſum legatur. Utrum hæc terra ſit tandem ſignata redacta in paſtillos cum literis Turcicis, an ſit rubrica ſynopica dilata, an terra Lemnia, an Armenia, non magni refert, cum eaſdem vires omnium talium habeat: *Byzantii* inquirenda eſſet an è Lemno, an ex Armenia, an è Synope in Thraciam deportaretur.

Rubrica.
- *Nativa foſſilis.*
- *Synopica & Terra Lemnia.*
- *Germanica ex ochra*,
  - *Nativa in fodinis calore terræ aut ſolis aduſta & degenerante.*
  - *Nativa ad flumina calore ſolis, aut terræ exuſta & degenerante quæ cum minium aduritur, ſit illa indurata.*
- *Metamorphoſis egregia, ars à natura fingere didicit, ex ochra rubricam colore & non ut exiſtimat & ſcribit ex rubrica ochram.*

Factitia fabrilis, quæ fit ex ochra juſta arte in navis fictilibus.

Relolleum eſt triplex,
- Incorporatum.
- Innatum,
- & Momentaneum.

1. Incorporata, ſunt omnia Mercurialia, videlicet Mercurius per ſe, Mercurius ſulphuris, Mercurius ſalium.

2. Innata, ſunt tribus, Conſolidativa, Mundificativa, Confortativa,

3. Momentanea, Relolleum, Mors eſt, eſt enim improviſu relolleum, cum tinctura velociſſima *Para.* 871. *pag.*

Ranarum ſperma præparatur, reducendo ſperma in diſtillatione ſolis, deinde diſtillatione per alembicum. *Para.* 879.

Reverberata, ſecundi ſunt gradus. Calcinata tertii. Sublimata quarti gradus *Para.* 890.

Realgar, ex proprio ſignificato, fumus eſt mineralium, ſed methaphorice ſumptum eſt in humano corpore vitioſa natura, ex qua naſcuntur potiſſimum ulcera, eſtque quadruplex juxta numerum elementorum: ut realgar aquæ ſpuma natans ſuper aquas: realgar terræ arſenicum: realgar aëris tereniabin: & realgar ignis conjunctio ſaturnina.

Rabeboja, radix flammulæ majoris,

Rebis, excrementum alvi. *Rebis*, *lapis rebis*, eſt Capillus.

Rebus vero, eſt ultima rerum materia.

Rebiſola, eſt arcanum urinæ ad icteritiam: quæ ſi coquatur, ac deſpumetur, optime poſt triduum quieſcens lapillos rebi ſolos edit.

Rebona, idem quod mumia.

Redus,

Reduc, eſt pulvis, quo calcinata metalla, & mineralia liquantur, iterum in metallinum regulum redeuntia.

Relolleum, eſt virtus ex complexione, ut in hypericone prima virtus eſt, in calido & curativo. Accidentalis vero cherionia & occulta, in eo quod vermibus adverſetur atque corruptioni.

Regale, cimentum eſt, quo repurgatur aurum.

Reſina, dicitur pix flava, & pulchra.

Reſina auri, eſt crocus ex auro tractus.

Reſina pini, id eſt, abietis.

Reſina terræ, eſt ſulphur.

Reſina terræ potabilis, eſt ſulphur ſublimatum in liquorem, balſamum, vel oleum redactum.

Repercuſſiva, dicuntur medicamenta fluxiones retrorſum agentia.

Reverberatorium, furnus eſt, in quo per flammam materialia calcinantur.

Rillus, eſt inſtrumentum aurifabrorum, in quod effundunt liquata metalla in formas oblongas.

Roſca, eſt idem quod ereſypelas.

Rubedo de nigro, id eſt, de talco nigro.

S

SAgani, ſunt ſpiritus quatuor elementorum.

Salamandri, ſunt ſpiritus ignem inhabitantes, vel ignei homines.

Saldini, idem quod Salamandri, homines quos influentia ſuſtentat, & ex elemento ignis nutriuntur. Ut fuit illa gentilis mulier nomine Ziſer. quæ ſtatim atque infirmabatur, ſeſe in ignem conjiciens reficiebatur & convaleſcebat, in eo ſedens gaudenſque, tanquam in aliquo balneo.

Sal aluminoſum, id eſt ex alumine plumoſo tractum.

Sal anathron, eſt ſal ex uſnea lapidea tractum.

Sal cryſtallinum, eſt ſal quod ex urina hominis decoquitur.

Sal colcotharinum, eſt quod ex colcothare vitrioli factum eſt in alcali.

Sal congelatum naſcitur in thermis. Fontibus & aquis medicatis.

Sal enixum, id eſt reſolutum.

Sallena, ſpecies eſt ſalis petræ.

Sal mercurii, dicitur ſpiritus vini, qui inebriat.

Sal petræ, eſt quod in teſtitudinibus cellarum naſcitur in conos oblongos, ex calce reſoluta, vel ex ſpuma ſalis. aqua arctans.

Sal nitrum ex terra decoquitur, in aquam urina diutiſſime conjecta eſt, ut in caulis ovium, ſtabulis equorum, boum & aliorum animalium.

Sal practicum, fit ex mixtura ſalis petræ cum ſale armoniaco partibus æqualibus, in olla figulina non vitreata, filo in cella vinaria ſuſpenſa, reſolutione penetrat ſal extrinſecus, adhærens ollæ, quod ſingulis denis vel duodenis diebus abradendum eſt, inſtar pruinæ.

Sal ſciſſum, ſeu entali, & alumen ſciſſum, idem ſunt.

Sal reſolutum externum, eſt quando quis aliquid comedens ſal eſſe exiſtimat omniaque ſalia ſibi videntur.

Salix, *ſulix*, vel Selenipum, eſt ſalſugo vel muria ſalis, ex ſale reſoluto frigore, vel humiditate penuarii vel cellæ vinariæ.

Sabon, *vel Sabena*, eſt Sapo, lixivium unde ſapo fieri ſolet.

Sadir, eſt ſcoria:

Saffatum, eſt ſpecies ſalis.

Sagda, *vel ſagdo*, coloris praſſii: ut Gagates attrahit paleas & fila, magnes ferrum; ita ſagda lignum, & ita fortiter adhæret ligno, ut avelli non poſſit niſi abſcindatur. Reperitur ad naves tabulis fortiter affixa, unde colligi poteſt mare eſſe patriam ejus. Gemma eſt magnitudine fabæ. Sofi apud Chaldæos ait Sagdam vulgo reperiri. *Plinius* dicit in Samothracia ſpeciem ejus geminæ eſſe nigram ligno ſimilem ſine pondere.

Sagimen vitri, eſt ſal vitri, vel ſal alkali.

Salebrot, *Sal lanibrot*, } Eſt ſal acutum.

Salefar, eſt crocus hortulanus.

Salſa, eſt Argilla.

Salſedo murum, eſt ſal petræ.

Sal, *Hal* Græce, *Melech* Arabice; eſt ſalſugo, vel muria ſalis, ex ſale reſoluto frigore, vel humiditate cellæ. Vel eſt principium terreum, cum virtute terminante & coagulante, & ſic etiam conſervante. Itaque & naturæ proximum eſt & facile cum ea conſpirat.

Sal metallorum, eſt lapis philoſophorum.

Sal alabrot, eſt nitrum atrum.

Sal albus, eſt Borax.

Sal alocaph, eſt Sal armoniacus.

Sal alkali, eſt ſal vitri, Cali, Amaritudinis ſal, Oleum Philoſophorum. Spiritus.

Sal amarum, Alcali & nitri.

Sal armoniacus, eſt ſal ſaparicius, vel defoſſum, vel ſal de Arabia.

Sal atrum, *ſeu Thaber*, idem.

Sal armoniacum, Compoſitum eſt ex urina & fuligine.

Sal de Hungaria, eſt ſal nitri.

Sal ex herbarum, Sal panum, cinere factus, eſt ſal akali.

Sal gemmæ, *Sal adrom*, *Sal metallicus*, *Sal Hungaricus*, *Sal lucidum*, } Idem.

Sal marinus, idem.

Sal Græcum, eſt alumen de alap.

Sal Indicum, à loco dicitur, Sal indicus eſt Mercurius, ſolvendo & coagulando.

Sal factitium, eſt id quod coquitur vel arte fit, & eſt duplex.

1. Marinum *Dioſc.* prædicat id quod ſit candidum, æquale, denſum & è patre Cypriacum, *&c.* Fit hoc ſal marinum ſtagnis completis, marinis aquis exſiccatis ſole ardentiſſimo, quaſi coctione quadam & imbre ſeu aquis dulcibus admiſtis. Nullum enim ſal fit ſine aqua dulci, ut vult *Plin. lib.* 2. *cap.* 106. Admiſcent ſalſis aquis dulces aquas parantes ſal, ut abluant vehementiam acrimoniæ, ut adhuc fieri nonnullis locis *Hiſpaniæ* & *Galliæ* fertur, & ſic fit & exſiccatur in lacu Tarentino, & in *Sicilia*, in lacu Cocanico.

2. Quod coquitur arte, ex muria nativa fontium, ſicuti jam coquitur ſal Hallis in *Saxonia*, in aliis locis, tum Thuringiæ, tum Saxoniæ. Unum vero alterum ſuperat bonitate, ratione muriæ. Ut videmus in Marchiæ quodam loco. In regionibus prope *Lyſbonam*, ad mare magnæ ſunt paludes, multis in locis ſtagnantes aqua marina: in illis fit tale ſal marinum lacuſtre ad littora, relabentibus fluctibus operante ſole qui coquit iſtam aquam marinam in ſal, quod incolæ mox certo artificio, factis quaſi ciſtulis, colligunt, ne iterum auferatur redeuntibus fluctibus, & in littore magnis cumulis coacervant, ubi magis magiſque ſole ſicco excoquitur, & fiunt fruſtra ejus immenſæ magnitudinis, tanquam

forent

forent alumen, aut glacies ipsa fluminum, sed coloris sunt subpallidi, aut nigri, aut viridis. Hoc sal deinde navibus auferturad varias nationes marinas,& certo artificio teritur,ut fiant tanquam arena grandis, cum quo saliuntur pisces. Illud sal lacustre, iterum coctum, fit optimum Sal & candidissimum.

Addit *Dioscor.* modum urendi salem, tum fossilem, tum factitium: quod sal ustum saltaculum, & cotulam dicunt. Mentionem etiam facit spumæ salis, quæ illi nihil aliud est, quam spumosi maris lanugo, sive ramentum in petris exilibus, quod locis maritimis reperitur in littore, quod alluit mare, coagulatum quiddam est, saporem habens salis, & odorem marinum virosum (aliâs spumam salis & alcyonium vocant.) Aliud genus, ex aquis maris sponte nascitur, spuma in extremis littoribus, & scopulis relicta. Hæc omnis rore densatur, & acrior est qui in scopulis reperitur. *Nicandri* interpres definit hoc esse spumam salis quod cum homines sal conficiunt, salsis aquis dulces admisceant, quibus vehementiam acrimoniæ abluant. Nota etiam quod salis sunt infinitæ species, si loca, patriam, colorem, mineram, qualitatem, & alia considerare velis.

1. *Sal Cappadocium*, *Sal panis*, *Sal massæ*, *Sal usuale*, *Sal commune*, } Unum & idem sunt.

2. *Sal Sodomæ*, est sal quod generatur in mari mortuo, ubi aqua est amara. Dicitur *Sal Sodomæ*, à montibus mari adjacentibus, hoc sal videtur esse species spumæ maris, vel salis concreti.

3. Alia est species salis, quæ dicitur *Sal alkali*, vel *alkal*, quod factitium est, & fit de herba *Kali*, *vel ushen*, quod volunt fieri combustione herbæ anthillidis in fovea.

Est & sal lucidinum, nomine nitrum, & *sal Alexandrinum*, & *sal Anderonæ brurach*, aphronitrum, nam nitrum species est salis.

Solis flos Aloxanthos, à mare videtur habere, est quædam efflorescentia maris, & emittit hoc mare medicamentum: alio sub nomine habetur in officinis, nempe dicitur sperma, vel semen Ceti, vel balenæ, seu ambar subalbidum. *Saxones* vocant Walraht, (cito auxilium) alias, (cito auxilians) Baldraht. Forsan ab effectu in nonnullis morbis. Veteres non fecerant mentionem spermatis Ceti, sed floris salis & idem est.

Reperitur in ipso mari, & supra petra in *Nilo*, coloris crocei, aut lateritii, sed ut deponat ruborem, & fiat candidum, purgatur.

Flos salis duplex est, { 1. Tenuissima favilla, & candidissima salis. 2. Sperma Ceti, cito auxilium, cito auxilians.

Sal naptæ, Petroleum.
Sal nominis, est sal gemmæ.
Sal panis, est commune non præparatum, { Sal usuale, Sal massæ.
Sal vitri, Sagimen est vitri.
Sal Sapientum, est armoniacus, sal pensum.
Sal rubeum Indiæ, est nitrum rubeum.
Sal tartari, est album calcinatum tartarum.

Sal tripolinus, *Sal Syrus*, *Sal thabor*, *Sal metallinum*, *Sal grandinosum*, } Idem.

Sandaraca nativa, Metallicum est, & terra purpurea, & reperitur in eisdem metallis, in quibus auripigmentum nativum, est species auripigmenti. illi per omnia similis, odore & substantia, & viribus; præter colorem quod ruffum est & consentit colore cinnabri, *Plin.* dicit arsenicum ex eadem esse materia qua sandaraca: per arsenicum intelligens auripigmentum. Licet Chymistæ discernere studeant, arsenicum hoc auripigmentum, & sandaracam: unum & idem sunt. Et fiunt ex sulphure & argento vivo debili à natura. In summa, Sandaraca est terra metallica rubea, seu purpurea, seu ignea, redolens sulphuris virus.

Sandarachæ, quatuor sunt species, { 1. *Sandaracha* nativa, 2. Factitia Vitruvii, vel Sandix Græcorum, 3. Imperfecte cocta. 4. Nativa cum auripigmento mixta.

Porro quia resina illa Juniperi, Sandarax, & vernix dicitur apud Arabes; unus error alterum traxit; quidam indocti vernicem quo utuntur pictores & artifices, quod fit ex oleo & gummi, habuere pro vera sandarachâ metallica. Sed in nostris officinis non habetur Sandaracha metallica hodierno die.

Sandix, { Olus agreste, Terra rubea, Paulus Philosophicus. Auripigmentum rubeum.

Sal, est unum ex tribus primis, quod corpora rerum conjungit,
Samen, est hordeum vel ordeum.
Sane, *Solacium*, Idem.
Sanguinea, Sal nitri,
Sanguisuca, est filtrum.
Sanguis duorum fratrum, est sanguis draconis, vena terræ.
Sanguis hominis ruffi, Sulphur, Mercurius Solis.
Sanguis humani arcanum. lib. 3. de natura rerum, *pag.* 392.
Sanguis humani præparatio, *lib.* de persicaria, *p.* 749.
Sanguinis magisterium, in Archidoxis *pag.* 155.
Saturni crocus; proprie Minium est.

Sapphyrus lapis, est lapis aureis punctis collucens, cujus aliæ species sunt cæruleæ, aliæ mixta purpura. Optimæ apud Medos. Qui coloris cyanei sunt mares Sapphyri æstimantur esse Orientalem & Judaicam esse optimam prædicant, & hujus species alia est coloris perspicui, cœli serenati, in qua vincat quasi flavus color: alia species habet nubes obscuras, ad rubedinem declinantes: alia nubeculas habet è contra albas.

Sapphyrus, dicitur reddere hominem castum, pium, stabilem. Utimur Sapphyro in corde confortando & in corpore interiore refrigerando: secundum carmen

Corporis ardorem refrigerat interiorem
Sapphyrus, & Cypriæ languida vota facit,

Saraffi, est gypsa.

Sarca, *Sayrsa*, *Sarra*, } est Ferrum.

Sarfar, etiam est ferrum.

Sarda gemma, quæ & sardinus lapis dicitur, & nunc Darneolus vocatur, teste *Plin. lib.* 37. *cap.* 7. olim fiebant vasa potoria: nomen cum Sardonyche commutavit: Nomen habet à Sardibus, ubi primum reperta, laudatissima tamen in Saxicorde in *Babylonia*. *Albertus* sardam acuere ingenium prædicat, reddere homines lætos, quia purgat sanguinem, & bonos spiritus procreat. *Rul.* è *Plin. lib.* 37.

lib. 37. cap. 6. numerat *pag.* 423. *Sardæ* 22. ſpecies.

Sardonix, rubor pellucidus, habet ſpeciem unguis humani, impoſitus manibus, in ſuperioribus partibus apparet onys, in altera parte ſarda.

Saturnus, eſt plumbum.

Sarnicum; *Sacen*, eſt Draconis.

Saura, à Latinis *Lacertus vel Lacerta*, multarum eſt ſpecietum: Inter quas pulcherrima viridis candicante ventre prope dumeta, & ſepes, quarum in ventre diſſecto arundine reperitur gemma Saurites, quæ dicitur contra venena valere, nunc novo experimento oſſa viridis lacerti comitialibus proſunt. Sed oſſa colligi debent hoc modo. Imponas lacertã viridem adhuc vivam, captam in aliquod vas clauſum, plenum optimo ſale, & ſal paucis diebus conſumet carnem ejus, & inteſtina omnia: & ſic facile colligere oſſa poteris, & ad illum morbum proſunt magis oſſa illa, quam ipſa ungula Alcis.

Saxa, Ex fodinis eruuntur quædam ſpecies *Saxorum*.

Rul. p. 425. numerat, 5.
- Saxa arenaria, 5.
- Saxa calcaria, 6.
- Saxa fiſſilia, 13.
- Saxa gravida, 3.
- Saxa tincta ab exhalationibus, 5.
- Et Saxa vilia, quæ natura de diverſa materia compoſuit *pag.* 426. 427.

Saxifragium quivis lapis qui tartarum in homine frangit & diſſolvit.

Sheſten, eſt calx viva.

Schehendenigri, eſt canabis, vel ſemen ejus.

Schiſtos, *ſeu Schiſtum*, eſt ſpecies hæmatitis, ſed pallidior & crocei coloris, & friabilis, ſua natura fiſſilis, concremento, & alterno cohærentium, venarum diſcurſu pectinum modo, armoniaco ſali ſimilis Hæmatites rugentibus venis friabilis eſt, & ſanguineus, vis ejus eſt fortiter aſtringere. Quomodo *Schiſtus* lapis cum auro lichenas crematur, Vide *Plin. lib. 33. cap* 4.

Scobs, eſt cinis clavellatus, id eſt alkali.

Scobes, eſt ſcoria cujuſque metalli.

Scorax, eſt gumma Olivæ.

Scorith, eſt Sulphur.

Scorpius conſtrictus, eſt ferrum præparatum,

Sal tabenzet, eſt omnium albiſſimum tartarum.

Sal tabari, eſt ſal alembrot.

Samech, eſt tartarum. Sal tartari, remedium omnium vulnerum.

Sandaracha, eſt auripigmentum rubeum, natura magis excoctum.

Saphirea materia, eſt liquor in quo non eſt aliqua impuritas vel corruptio, ſed eſt liquidum ab impuro quovis ſegregatum.

Sanguis calcetus, id eſt, inſtar calcis, acer & albus.

Sapo Sapientiæ, eſt ſal commune præparatum in aquam.

Saxifraga, vel *Saxifragia* dicuntur omnia quæ calculum, lapidem, aut arenam expellunt.

Saxifragus, eſt criſtallus pallidus, ſupra citrinolus vocatus eſt.

Scacurcula, eſt ſpiritus oſſis de corte cervi.

Scajolæ, ſunt ſpirituales mentis & animi vires, proprietates, virtutes, atque potentiæ, quæ juxta numerum elementorum, ſunt quadruplices. Sunt rotæ quatuor ignei currus, quo raptus eſt Elias in cœlum, quæ ſumunt originem ex animo & mente hominis, à quo recedunt, & in quem iterum reflectuntur. Sunt quidem phantaſia, imaginatio, ſpeculatio & agnata fides. Sunt etiam & præcipuè quatuor illi principes articuli toties noſtræ fidei Chriſtianæ, uti Baptiſmus, vera fides in Chriſto Jeſu, Sumptio Sacramenti Cœnæ Domini, & Charitas in proximum, quæ fidei fructus maturos exhibet. Per quæ omnia nedum vitam longam, ſed etiam æternam conſequimur. De his latius lege *Paracelſum in Euchariſtia*, & expoſitionibus libro de cœna Domini, & audies quæ ſatis faciant animo pietatis & veritatis avido.

Scirona, eſt ros autummi.

Scuma, idem quod ſquama.

Scbel, panniculus eſt oculorum ex venarum inflatione.

Secta croa, ſupra, ſectarum flos, ad macem interpretati ſumus tranſpoſitione, quod alii viderentur longius rem à rore marino, & croco petere.

Seda iua, medicamenta ſunt ut mitigativa, dolorum, quietem ægris adferentia, ſimul curativa, & ſanativa.

Sephirus, eſt apoſtema durum & exſiccatum.

Semen Veneris, dicitur ſquama æris.

Seraphin, eſt ineffabilis virtus & immenſa potentia cœli, & præſertim angelicus chorus & ſchola cœleſtis.

Serpheta, eſt medicina lapidem liquefaciens.

Serpentina pedemontana, eſt inſignis herba vulneraria.

Sibar, eſt argentum vivum.

Sibedata, eſt hirundinaria. Item lapis quo colores teruntur.

Silo, eſt terra.

Similitudines, dicuntur figuræ cœleſtes, quæ rebus aſſimilantur nos concernentibus.

Simus, eſt gilla, vide ſupra.

Sinonia, eſt gluten album articulorum. Et Sinovia.

Sirones, ſunt puſtulæ ſcabierum in manibus præſertim.

Sirza, eſt eſchara.

Sol in homine, eſt inviſibilis ignis influens à ſole cœleſti, fovens nativum ignem in homine. *Sol*, eſt Aurum.

Somnia, ſunt operationes quæ fiunt inter dormiendum ab aſtris & ſideribus in homine.

Sophia herba, conſolidarum eſt ſpecies nobiliſſima, quo fit ut nonnunquam aurea nominetur, nondum quibuſvis cognita. Illyricis, vero & Liburnis familiariſſima. Si folium ejus ore maſticetur, labia contrahit, & ſi ſupra caulem exiſtens adhuc laceretur, per ſe ipſum conſolidatur, nobiliſſima dulcedine pollet ac balſamo.

Sophiſtæ, ſunt magiſtri noſtri, qui ſe præſumunt omnium ſapientiſſimos, omnia ſcire ac intelligere, nihil etiam ignorare, cum nihil ſit iſtorum Doctorum Græcorum ſapientia, præter meram ſtultitiam, eloquentia, vel facilitate linguæ potius, aſtu faſtuque palliatam, captioſiſque munitam ſyllogiſmis, quorum omnium ſi neges principia, mox ruit eorum Gigantum fabrica Nembrothica.

Scuta taheſi, eſt teſtudo.

Seb, eſt aurum, vel alumen, *Sed*, idem.

Seb, *immaturis coloris*, eſt ſcabioſus.

Scatea, dicitur ſecunda tartareæ urinæ ſpecies, à fœtore nomine ſumpto: eſtque indicativa omnium ex tartaro putrefactionum, ejuſque ſignum.

Scanton, eſt fœtor urinæ. Vide *lib.* 1. tract. 11. *fol. pag.* 2.

Secur,

Secur, Aurum.
Sedaff, est concha marina.
Sedhe, est Cynabrium.
Seden, *Sednia*, *Segax*, } Est sanguis Draconis.
Sedna, & *Sedune*, est Hæmatites. *Sendanegum*, *Sendanegi*. Hæmatites.
Segith, *Sagith*, *Sernech* } Est vitriolum.
Segregatio, est solutio integri in membra dislocata. Hic enim non confluunt resoluta, ut colliquabilia, sed quælibet pars secretim tenetur.
Segregatio, est Distractio & Extractio.
Sel, est Sambucus.
Selatus, *Satir*, *Saic*, *Solat*, } Est argentum vivum.
Selenius, *lapis*, pro lapide speculari habetur. Sed Lapis Arabicus proprie est lapis specularis potissimum illa species quæ ebur repræsentat. *Plin.*
Si Selenites, est lapis specularis, proprie illa est ejus species quæ candidissima, unde fiunt fœnestræ, lignis levigatis, loco plumbi.
Dioscor. Selenitem Aphroselinum dici ait, quia noctu inveniatur imaginem lunæ reddere, & id facit lapis specularis candidus, nam aperte in eo conspicitur luna splendens, veluti in speculo, sed an cum luna augeatur, vel decrescat, nescio. Humor hic lapis concretus esse videtur. *Plin. lib.* 37. *cap.* 10.
Selsas, est filix.
Semafor Feman, est lucidum.
Separatorium, est vas transmittens quodammodo uniforme oblongum, orificio ad capacitatem auricularis digiti aperto, cui materia infunditur, & fundo, in modum acus acuato materiam rursus emittendi gratia, præditum, cum annexis ansis duobus liquoribus invicem separandis accommodatum.
Separatio Elementorum.
Separatio per absessum, est cum partes naturarum diversarum commistione abscedunt à se mutuo, & ad regiones distinctas feruntur absistentes mutuo. Estque duplex, discessus, dilutio.
Separatio per abstractionem, est cum aliquo instrumento partes diversæ, à se mutuo discluſæ altera, ab altera abstrahuntur.
Et hoc fit dupliciter, { Ablutione, & Subductione, sive sint res liquidæ, sive siccæ.
Separatio per dilutionem, ad latus perficitur per lintrem humili margine oblongum, & altera parte in acutum tendentem, qui manibus versari, & hinc inde agitari possit, alteraque parte latiore impelli.
Separatio per dilutionem, est cum terra copiose diluta ita separatur, ut gravibus subsidentibus, levia emineant, medium occupent media. Et quoniam ejusmodi lotio in lutosis, terreisque, vel ad hanc consistentiam redactis, per pulverationem, calcinationem, & alia, locum habent potissimum, veteribus περσωιλυσία recte est dicta. Ministrat autem ei abstractio, depletio, & nonnunquam filtratio, & similes functiones. Soluta enim & turbata & ad sua spatia delata, mox sunt deplenda, & transfundendo per filtrum setaceum, alioquin confunduntur denuo.
Septamen, est serapinum.
Septentrio, est aqua fortis.
Serex, est lac acetosum.
Sericon, est Minium.
Sericiacum, est Arsenicum.
Serapinus, est gummi arabicum.
Serpens spiritus castitatis, est Mercurius.
Servus fugitivus, est Mercurius. Hermes propter humiditatem fugitivam sic nominat.
Sidia, est Lima.
Sifantis, est terra argentina, simphus.
Sigia vel, *Sigra*, } Est Storax liquida.
Sigillum, Hermetis. Orificium vitri.
Sirza, est Eschara.
Silex lapis, quo utimur in igne excitando: Silex dicitur, quasi ex eo saliat ignis. Hoc nomen convenit pyriti. Et cum *Plinio*, pyritis genus est & non species, imo lapis omnis unde excitatur ignis, Silex eidem erit pyrites ab effectu. *Rul. pag.* 43. ad *pag.* 435. refert varias Silicum species.
Siliqua, pondus quatuor granorum.
Simmitium, est Ceruſa.
Sinapisis, est bolus armenus.
Sinopis, est Minium, à Synope urbe.
Sypho, & *Syringe*, } A Water Squirt.
Siricon de plumbo, est cinis plumbi.
Siringæ, est Calx.
Smaragdus, est à veteribus Astrologis dedicatus Mercurio.
Smaragdus, inter gemmas habet tertias, quia nullius coloris est jucundior aspectus: nam irrigua gramina & herbas amicas, frondesque omnes virore superat. Deinde solus gemmarum contuitu implet oculos, nec sciat: primo recreat obscuratos aliarum rerum aspectus colligitque visum. *Plin.* & *Sol.* 12. Ponit *Smaragdini* species.
Smaragdus, adversatur veneno, & venenatis. Ferunt si venenati oculus alicujus animalis, recto aspexerit illum, obcæcari: Præservat ab Epilepsia, sanat lepram, confortat visum & memoriam, retinet coitum, & digito gestatus fertur rumpi in coitu.
Smyris lapis, est durissimus & asperrimus. Annularii sculptores, & alii artifices eo lapide expurgant, & nunc scindunt certo artificio cum illo ipso alios lapides, *Dioscor.* utilem dicit ad erodendùm & urendum, & convenire gingivis ulceratis & dentifricio.
Solatur, est argentum vivum.
Solelasar, est alkali.
Solutum, est liquefactum.
Solutio, est prior Chymicæ practicæ pars, qua rerum coagulatarum compages solvitur, & attenuatur. Hæc multis distincta est speciebus. Sed nomen apud artifices in usu disciplinæ de una familiarius & frequentius usurpatur, quam de altera & nonnunquam certa quædam generis vocabulo solo designatur.
Solutio, est duplex, { Liquatio, & segregatio: vel Calcinatio, & Dissolutio.
Sol sequium, est sulphur.
Sorus, *vel sory*, ex eodem genere est quo Melanteria, ejusdem fere coloris veteres crediderunt sorum, & melanterium idem esse, & profecto utrumque transit in calchanthum leucon, quo pingunt fullones. Sed sorus inest virus grave, ita ut nauseam moveat, quod melanteria non facit. Optimum est *Ægyptiacum*, quod frianti nigrius apparet, in multa dehiscens foramina, subpingue, adstringens, olfactu, & devoratione magnum virus olens.

Spagyria, ſeu ars ſpagyrica, eſt quod purum ab impuro ſegregare docet, ut rejectis fœcibus virtus remanens operetur.

Spara, etiam invenitur in fodinis plumbariis juxta *Barboel* in Comitatu *Darbienſi* in *Anglia*, lapis albus ſimilis gypſo, valens contra calculum.

Spatula, ſeu obex, Latum inſtrumentum eſt in modum ſpatulæ factum, quod furnis compoſitis ad augendum minuendumque calorem inſervit.

Specificum formale, eſt quod ſpecies per formales proprietates ſaltem refert. Et licet materiales virtutes concurrant, formales tamen excellunt, & illæ potiſſimum elaborando reſpiciuntur. Eſt & tinctura, & oleum.

Speculum citrinum, eſt Arſenicum citrinum,
Speculum album, eſt Arſenicum deſcenſum.
Speculum Indicum, eſt limatura ferri.
Specular, Lapis Lunæ, Aſtroſelinum.

Sphæra, { Solis, & Lunæ, Quinta eſſentia.

Spiritus, eſt aqua ſolvens è re ſimplici, & acri producta cum ignei halitus natura. Potiſſima ejus pars eſt halitus igneus: miſtus tamen parte vaporoſa. Itaque & conſiſtentiam ſpecificam obtinet aquam. In tali ſubſtantia vim rei gerit.

Spiritus, ambigit inter aquam & oleum & ad liquorem accedit; Itaque etiam oleum vocatur, præſertim in mineralibus. Et ſpiritus quidam ſunt oleoſiores, quidam aquoſiores. Alias ſpiritus nominantur etiam exhalationes earum, ſicuti fumi metallici, item ſtibii, ſtanni, flos ſalis, vini, &c. Clangor Buccinæ.

Spiritus Chymici ſunt 7. principales.
Spiritus fœtens, eſt ſulphur.
Spodion flos, eſt ærugo æris.

Spodius, *Sucudus*, } Eſt Tutia.

Spodium, eſt cinis auri.
Spodos, 5. ſunt genera.
1. Spodos eſt fuligo cinereis coloris, gravior quam Pomphylix.
2. Lutea, quæ generatur in focis, in quibus metolla eparantur.
3. Subterranea cineritia.
4. Subterranea nigra.
5. Subterranea viridis.
Sponſus, eſt Mercurius.
Spuma eſt Cinis.
Spuma argenti. Glette.
Spuma maris, Halcionium.
Spuma nitri, Affronitrum, Baurach Arabice.
Sputa maris, eſt ſulphur.
Sputum boleterum, Magneſia, aurum ſpiſſum.
Spongia, ſeu fungus marinus, attrahens & aſſervans aquam, eſt Zoophyton, neque animal, neque frutex, ſed tertiam quandam habet naturam.
Avicenna etiam ſic definit.
Spongia, eſt corpus marinum, laxum, rarum: quod cui adhæret ab illa non ſeparatur, habetque animas.

Dioſc. ponit. 2. genera, ſc. { Marem, & Fœminam.

Mas exiſtit denſis, & exiguis fiſtulis, albis cujus ſpeciei duriores dixere olim Tragos.

Fœmina magis exiſtit foraminibus rotundis.

Quidam addunt tertiam ſpeciem, habentem intra ſe lapides duros, & plurimas cavernas. Inveniuntur in ſpongiis in mari in fœmina nuclei, licet raro, in modum pomi perfici, aut amygdalæ enucleatæ, magni momenti in medelis contra puerorum vermes in ventriculis. *Plin. lib. 32. c. 11.* docet omnes *Spongias* naſci in petris, ac aſſi, conchis, piſciculis, limo: præterea in illis eſſe intellectum, quia cum ſentiunt avulſionem contractæ multo difficilius abſtrahantur: & hoc idem faciunt fluctu pulſante, audire enim illas ſonum, & contrahi ad illum: Probat etiam veſci, & ali ſpongias conchis, & avulſione emittere ſanguineum ſuccum, & ex radice naſci, *&c.*

Stuc, vel Stoac, } Eſt coagulatio, vel congelatio.

Stannum, proculdubio Arabibus metallum eſt pretioſus noſtro candido plumbo, ſicuti apud nos Biſemuthum quiddam plumbo pretioſius: aliud enim ſtannum eſſe, aliud candidum plumbum videtur. Et Chymiſtæ ſtannum ſemper intelligunt Zinn noſtrum, & illud tribuunt Jovi, appellantes ſtannum Jovem. Cum *Plin. lib. 34. cap. 16.* dicit plumbi nigri duplicem eſſe originem. Primo, quod proveniat in ſua vena, aut quod naſcatur cum argento; aperte docet plumbi nigri liquorem in fornacibus qui primum fluit ſtannum appellari, cum prius docuerit album plumbum conflari ex lapilliis nigris candore variatis. Inſuper ſtannum adulterari docet, plumbo albo, ſeu candido, item albi plumbi nigriſque libris.

Eſt *Stannum* { Dives, Mediocre, Pauper.

Stybium, vel Stimmi, eſt Antimonium. Sulphur nigrum. A Germanis dicitur *Spieſsglaſs*. Et Antimonium volunt eſſe ſubſtantiam plumbi emortui. Interdum argento permixtum eſt, ita ut non inſigne ſedaretur. Hoc ſi ſæpius liquefit, tranſit in plumbum. Vis ejus principaliter eſt reſtringere, & refrigerare.

Stipte, *Stiptera*, } Eſt alumen ſciſſum,

Stomomutos, eſt ſquama æris,

Stomoma, ſeu acies, eſt chalybis vena pura ex Nariſcis, ſeu Vodlandia prope *Fichtelburgium*, *Ruland. pag. 449.* numerat varias ſpecies. 13.

Stella Occidens, eſt ſal armoniacus.
Stella terræ, eſt Talck.
Stercorum ezeff, eſt lythargyrium.

Stratum, ſuper *Stratum*, } Notum eſt Chymicis.

Squillinum azifa, eſt fimus equinus.
Stupio, eſt ſtannum.
Subductio, eſt abſtractio per inferna.

Eſt duplex. { Filtratio, & Clepſidria.

Sublimatio eſt duplex, { Una per Diſtantiam. Altera per Superficiem.

Sublimatio per diſtantiam, eſt cum inter ſublimandum, & caput mortuum aëreum intervallum intercedit: Et non halabilia duntaxat ſublimantur, ſed & vaporabilia, nonnunquam admodum magni mundi, in quo halitus elevati in medio conſiſtunt.

Subtiliatio, eſt diſſolutio partes ſubtiliores à groſſis ſeparans.

Subtiliatio, eſt duplex { μικροχρόνικη, μακροχρόνικη.

Subtiliatio μικροχρόνικη, quando corpora brevi ſpatio temporis diſſolvuntur.

Eſtque { Elevatio, vel Deſcenſio.

Subtiliatio μακροχρόνικη, eſt quæ tempore longiores diſſolvit.

Eſtque

Estque { Exaltatio, & Digestio.

Succus, est essentia proxime è corpore consistentia chiliformi extracta, Vicinior magisteriis succus est & non nihil corpulentiæ secum vehit, quin si cum mysterio conferatur, corpus dici possit, cum non sit ita elaborata, sed adhuc rudior essentia, & non raro mysteriorum est materia. Habet secum aliquid humidi, plus minus pro rerum natura. Id cum sit vaporabile, aut exhalabile, facile fieri potest ut succus liquidior paulatim per digestionem inspissetur, ut concrescat, unde succus concretus vel respissatus nominatur. Verum Rob, Sirupi decocta, sapæ, tinctus, quorum fermentatione fit extractum potentiale.

Succina seu Succinum, Succina gravidæ, Rul. enumerat 7. species, *pag.* 451.

Succinæ liquidæ, seu pellucidæ, species, *pag.* 45.

Succinæ crassæ, species 11. *pag.* 452.

Succinæ mixtæ, cum aliis succis, species 10. *p.* 453.

Oleum *Succinæ*, efficax remedium est in { Epilepsia, Paralysi, Morbis frigidis capitis. Et multis aliis morbis.

Sulphur, Chybur, Pars lapidis Philosophorum, principium, & pater metallorum, calidum & siccum quarto gradu. Nihil aliud est quam pinguedo terræ per temperatam decoctionem inspissata, quousquo indurata fuerit, & sicca facta. Sulphur generatur ex purissima siccitate terræ, vel terrestri, in qua modis omnibus ignis prædominatur: Et est quasi vapor calidus & siccus, causa & pater metallorum

Vel *Sulphur*, est terra calore excocta, & in substantiam sulphuris mutata, aquosis, terrestribus, & igneis transeuntibus. *Rul.* à *pag.* 456. ad 459. Sulphuris species refert.

Sulphur, est principium formativum, partim aëreum, partim igneum, æthereæ naturæ particeps, per quod virtus est, & vita rebus inest. Quare & balsamus naturæ appellatur. Ita sal terminator est, Sulphur informator, vim plasticam habens. Mercurius vapor unctuosus est, qui ab illis patitur: formam essentialem Chymici Physicis considerandam relinquunt. Alii ista principia describunt. Quamvis viva, mobilis & spirituosa species, quæ in halitum attenuari potest, est Mercurius: sicca, conservans, & acuens est Sal. Urens calida & purissima est Sulphur. Notabis hic peculiarem significationem vocis Mercurii, quam non potes convertere cum hydrargyro ut alias. Ita vita hic non est Galenica, aut Aristotelica, sed Chymica, quæ respicit crasin unde sunt facultates & vires. Et aliud est Sulphur hoc, aliud Sulphur vulgi.

Sulphur, unum ex tribus illis primis omnium rerum, est oleosum illud quod ardet.

Sulphur rubeum, est arsenicus.

Sumbi, est { Acetosus, & Crocus.

Superficies, est album ovorum.

Simar, est { Viride Romanum, vel Viride æris,

Suprema Medicina, cum purum ab impuro, id est, virtus à substantia separatur.

Sortilegium, est præsagium spirituum.

Spagyrus, vel Spagyricus, dicitur quicunque novit optimè discernere verum à falso, à bono sequestrare malum, & impurum à puro segregare, separare, & abjicere binarium, unitate servata.

Spara, est vis mineralis ex Ilech primæ substantiæ, ex primo ente, id est, ex majoribus mineralibus.

Sparallium, clyster uterinus.

Sperma aquæ fortis, est ejus fœculentia.

Sperniolum, vel spherniola, est cruor, liquor est sperma ranarum, viscosa & mucilaginosa materia in aquis concreta.

Spiritus animalis, est vis animæ per quam corpus appropinquat acquisita similitudine, ad cœli proportionem adæquatam & incorruptam.

Squinantia, est apostema colli.

Stannar, est mater metallorum, fumus occultus ex quo metalla generantur.

Stellio adustus, est cinabrium.

Stybium, est { Antimonium. alias Sulphur nigrum. vide Antimonium.

Stiptica, sunt medicamenta constipantia & exsiccantia.

Struma, est botium, Scrophula.

Succubus est spiritus nocturnus muliebris illudens hominibus inter dormiendum, ac si rem haberent cum venere. Masculus imponens mulieribus incubus dicitur. Ephialtes, Suppressio nocturna.

Succus albus, est argentum vivum.

Suffo, est panis porcinus.

Sibar, stella cruta, idem argentum vivum.

Sulphur vitriolatum est sulphur à vitriolo decoctione tractum per aquam communem, cui innatat.

Somna, est operatio syderum in homine, quæ noctu fit in somno.

Sylo, dicitur totus mundus.

Sydia, est Luna.

Sylphes, dicuntur pigmei

Sylvestres, aut sylvani, sunt aërei homines, & spiritus aërei, sylvestres homines nemora desertaque loca sylvarum inhabitantes, nobis statura multo proceriores ac robustiores, qui loqui nesciunt. Quandoque talis à Germanis mercatoribus captus, quem non usque adeo stricte retinuerunt secum, cibum & potum apponentes: edere tamen aut bibere noluit neque loqui. Timore maximo perculsus & anxietate continua post tertium diem occubuit. Diutius inter homines vivere non posse perhibetur, ut monstrum contra naturam ortum inter animantia naturalia, præsertim ratione prædita.

Syphita prava, morbus est vulgo chorea S. Viti dicta.

Syphita stricta, morbus est phantasticus ambulonum, noctu inter dormiendum.

Syrenes, sunt monstra marina ex Nymphis nata.

Sympathia, nihil aliud est, quam Naturæ convenientia quædam, à conservatione virtutis unius ad alteram; Antipathia vero communis affectio duabus aut pluribus rebus mutua, inter se invicem repugnantia discordans. Talis est in natura hac Macrocosmica Aëris hujus & illius, cum hoc vel illo sive concors continuatio, sive discors dissentio, de pestilenti & salubri dico. Quod de Aqua item habendum est. Et de Terra non minus. Sunt enim Terrarum quædam Alexipharmacæ: aliæ venenatorum fortissimæ. Cretam ajunt & Hiberniam non alere Venenata; Cyrenensi agro, nihil est feracius animalium venenosorum, in Affrica tum frequentes, tum immanes sunt bestiæ reptiles.

In Natura Microcosmica, alia est participatio affectus unius erga alterum, qualis est participium cum paribus: alia est resistentia inter se gentium & nationum.

nationum. Et hæc eſt Naturæ cognatio, vel repugnantia mutua, vel earundem ſpecierum inter ſe, vel diverſarum; Earundem ſpecierum eſt, hominis cum homine, leonis cum leone amicitia; vel diverſarum ſpecierum eſt. Talis eſt Delphini cum Homine concordia, odium vero inter hominem & viperam. Eſt etiam *Sympathia*, & *Antipathia* animalium: Quorundam eſt pugna quædam acrior, quæ à paſtu arcent alia, tametſi ea non veſcuntur eodem, talis eſt canis & lupi, vel aliud animal alterius eſca eſt; qualis vulpis & gallinæ, felis & muris, milvi & pulli.

Lacertam amicum homini ferunt animal, Crocodilus infeſtiſſimum homini, Elephantus erga hominem amicè affectus eſt: idem vero murem adeo odit, ut à pabulo abhorreat etiam, in quo murem conſpexerit. Canis cum homine mirabiliter conſociatur: Lupis & hominibus inter ſe perpetua contentio.

Eſt etiam rerum inanimatarum inter ſe pugna vel amicitia: ut in teſtitudinis fidibus deprehendas ad oculum.

Eſt etiam venenorum antipathia mutua: ut inter Scorpium & aconitum.

Eſt etiam vegetabilium mutua *Sympathia* & *Antiphatia* Ineffabilis eſt familiaritas inter oleam & myrtum, adeo ut Myrti brachia & virgulata per oleam jucunde repunt, & ambarum radices mutuo amplexu amice ſociantur, nec alia planta præter Myrtum juxta oleam magis aſſurgit. Magna eſt aſparagi ſocietas cum arundine, ſed vitis laurum non amat. Eſt & *Sympathia*, & *Antipathia* vegetabilium, cum hac vel illa terra.

Populus, Salix, Perſicaria amat aquas. Trifolium, Satyrion, herba Paralyſis, prata. Origanum, Chamæpytis montes: Habent etiam vegetabilia ſua certa tempora producendi.

Eſt etiam mineralium concordia & diſcordia, ac metallorum. Argentum vivum auro amicum, cætera metalla non tranſmittit & ſuſtinet, auro cedit, ut lubſidat: Innatant ipſi omnia metalla excepto auro, id ſolum ad ſe trahit, & complectitur. Stupendam Sulphuris & Nitri quis ignorat antipathiam.

Porro corporibus quibuſdam naturalibus, virtutes quædam inſunt Magneticæ peculiares, ad defectus morboſque curandos. Scorpio propriam inflictam plagam ſanat; Buffo exſiccatus, extrahit venenum Anthracis, vel Carbunculi peſtilentialis. Rana ictum animatorum venenatorum curat. Eſt virtus magnetica etiam & ſpecifica Cancris ad canis rabidi morſum; Talpæ ad Paronychiam; Cranio humano ad Epilepſiam; Serpentibus oleo præfocatis ad ulcera maligna; Sanguini hirundinum ad Epilepſiam; Teſtis ovorum ex quibus pulli excluſi ſunt, ad Calculum; Sanguini turturum ad Apoplexiam & Paralyſin.

T.

Talka, & talcum, eſt materia pellucida ſplendens & clara unionum ſimilitudine, tenuiſſimis foliis compacta, & ſciſſilis, cujus quatuor ſpecies exiſtunt, alba, flava, rubea & nigra.

Taſſus, eſt lumbricus.

Tartarum, eſt vini calculus, aut lapis vaſorum lateribus adhærens.

Tartarus, à ſimilitudine dicitur à Paracelſo calculus in homine, renum lapis, & arena, reliquorum quoque membrorum, ut glutinis albi, cujus tartarum podagræ cauſam ponit.

Tereniabin, eſt pinguedo mannæ. Eſt etiam mel ſylveſtre tendens ad modicam nigredinem, non ex apibus, ſed ex aëre decidens in campos, arbores, & herbas dulce quemadmodum aliud mel. Reperitur in bona quantitate menſibus æſtivis, *Junio*, *Julio* & *Auguſto*. Veteres threr vocaverunt.

Telon, dicitur ignis, tanquam telum.

Temperatum, eſt omne quod propriam naturam domat frœnatque aliam admittendo, ut eſt vinum aduſtum vel aqua ardens.

Tabaiſir, *Arabice*, eſt ſpodium.

Tabula ferrea, eſt inſtrumenrum ſcrobibus hæmiſphæricis, ſeu acetabulis compuncta, ad excipiendum probationum effuſiones.

Tabergeta, eſt albificans.

Talc, eſt vinum coctum.

Tarith, Ruſcias, eſt Mercurius.

Taro, eſt Lentiſcus.

Targar, eſt oleum de Juniperis,

Tain, eſt bolus armenus.

Talcum, creditur eſſe vox Arabica, ſignificans ſtellulas micantes. Chymici foſſores metallorum. ita cognominant lapidem coagmentatum ex foliolis, ſeu ſquamis, qui igne perpetuo ſubſiſtit immutabilis. Harum ſquamæ aquis ſæpe numero diſſolvuntur & finduntur; quod argentum, cattarium, vel talcum dicitur.

Tefra, eſt cinis.

Tegula fornicata, eſt vas terreum ventilabris & oſtio pervium, oblongum ad regendum catillos ne operæ polluantur favillis, utque calor eo temperatius materiam elaborare poſſit formatum. Quidam hanc regulam cum fundo connectunt; alii fundum ab illo ſegregatum faciunt, quod poſitum eſt in cujuſlibet arbitrio.

Tenia, Alias peniculus, penicillus.

Terra Melia, Olim ex *Melo* Inſula ferebatur, colore ſimilis Eretriæ cinereæ aſpera tactu, crepitans deroſa pumicis modo, vim habet aluminoſam. *Dioſc.* Eſt lapis quo ſolent vulgo abſtergere barbitonſores pelves. Pallidus eſt in cinereo & flavo, & abſtergit ſpecula: & omne quod mundum ita eſſe debet. Omnis terra eligenda eſt, recens, mollis non lapidoſa, friabilis, quæ facile reſolvitur.

Terra figula, eſt argilla vel creta.

Terra ampellitis, quaſi vinaria ſeu pharmacitis naſcitur in Seleucia Syriæ, laudabilis inprimis, nigra, bitumini ſimillima, aſſuloſa, carbones referens æquabili ſplendore, ſolvitur oleo: Vim habet diſſipandi, & refrigerandi.

Terræ, in fodinis reperiuntur, quæ quoad colores argillæ ſunt ſimiles, ſed ſola ſiccitate, unde fiunt diſtingnuntur, Quædam eſt candida, quædam nigra, quæ eſt nigritis, quædam lutea, quæ eſt ochra, quædam pumicea, quædam purpurea ſeu rubea, quæ eſt ſandaracha, quædam eſt viridis, quæ eſt chryſocolla, quædam eſt cinerea, quædam eſt cœrulea, Græcis hyanon, Latinis cæruleum.

Terra Lemnia, ſic dicta quia, ex *Lemno* afferebatur. *Avicenna* terram ſigillatam, lutum ſigillatum dicit, quia à Sacerdotibus *Dianæ* ſignabatur imagine *Dianæ*, in cujus tutela erat, vel Capræ, quæ Caprino ſanguine miſcebatur; Unde ſphragida argos (id eſt) ſigillum Capræ nominatur. Pro illa quidam hodie creta figulina ſignata utuntur, ut *Plutearius* monet. Deus homines ex terra ruffa creavit, è contra homo in terram ſolvitur, & terra illi contra venena, & morbos graviſſimos pro antidoro eſt, & volunt illam ipſam terram, *Lemniam* maxime conformem eſſe in temperamento humanæ naturæ quod etiam conſtat.

Eſt

Est *Terra sigillata*, Cæsareæ Majestati, & candida, & rubea scorpione insignita, quæ ab ipso Imperatore confecta, viribus haud cedit terræ *Lemniæ, & Turcicæ*.

Terra Eretriades, *Dioscor.* ponit duas species terræ. Albam, & Cineritiam, quæ cum mollis sit, & trahitur per æramenta, refert lineam violaceam: & illa tum optima est. Vim astringendi, refrigerandi, molliendi, cava explendi, & sanguinolenta conglutinandi habere docet. *Plin. lib. 35. cap. 16.* laxatæ & paratæ.

Terra Chia, Candida & crustosa, est similis terræ Samiæ, tum forma tum virtute. Præcipue illa commendat colorem corporis, detergit in balneis pro nitro maxime cutim mulierum; hæc terra reperitur in *Saxonia* multis locis.

Terra Samia, secundum *Dioscor.* est duplex.

1. Candida levis, tangenti linguæ glutinis modo adhærescens, mollis, succosa, friabilis, cujusmodi est quam alii collyrion appellant.

2. Altera crustacea, cotis modo prædensa, utuntur & lavantur, ut Eretriades, viribus illis sunt vicinæ. Sistunt sanguinis rejectiones, fluxiones vulvæ, prosunt testium & mammarum inflammationibus & venenis, & ictibus serpentum;

Terra Selinusia, eandem habet naturam quam Chia & Samia, præcipue illa candida, quæ resplendet. Vel ut *Plin.* dicit lactei coloris, friabilis & celerrime dilui more.

Terra Cimolia, Hujus terræ *Dioscor.* ponit duo genera. Alia candida, alia ad puram inclinans. Optima vero quæ innatam pinguedinem habet, & tactu frigida sentitur. Vis est diluta, excutiendi, cohibendi, infrigidandi.

Terra rubea, est bolus armenus, Aliquando Auripigmentum.

Terra fœtida, est Sulphur.

Terra foliata, est Mercurius.

Terræ genera, 41. enumerat, *Rul.* à *pag.* 468. ad *p.* 470.

Terdine, est valeriana. *Terdiola*,

Testudo, est spuma maris. Et Limax, anacium album & rubeum.

Thebayco, est Cuprum.

Themianthus, est aurum.

Thisma, Minerarum Venæ & progressio.

Tophi & pumices quorum enumerat *Rul. pag.* 471. ad 473. 25. species Vide *Pumex.*

Thyites, lapis est subviridis coloris, veluti Jaspis repertus in *Æthiopia* de quo parum vel nihil apud scriptores constat.

Tin, ustatum, est Sulphur.

Tiletten, est lamina ferri.

Tapsaria, est aqua hordei. Ptisana.

Tinctura, est arcanum specificum cum essentia & qualitatibus formalibus etiam colorem rei habens, ut in sui similem naturam tingere possit. Hæc si optime elaborata est, in valde tenui perspicua substantia apparet, tanquam esset aër perspicuus & purus, at coloratus certo modo, colore perspicuitatem non prohibente. Itaque sine sedimento longo tempore durari potest. Neque tam elaborandi gratia petitur, quam efficaciter ad sui naturam immutandi, quantum dispositio rei patitur. Itaque in medicina plurium ad valetudinis restaurationem, & sanitatem firmandam adhibetur; ita ut ob validam virtutem etiam renovandi potestatem habere dicatur, cum omnia membra; sanguinem, spiritum & calorem reddat, usu sui vegetum & valentem.

Tinctura, est duplex, { Aperta, & Producta.

Aperta, est quæ in superficie, sponte naturæ se conspiciendam offert: qualis est frequens in mineralibus.

Tinctura producta est, Quæ à centro ad superficiem producitur, & extrahitur. In plerisque enim aliis in occulto recessu calor virtusq; est quod alias dicunt in potentia esse, unde per exaltationum modos est producenda antequam extrahatur. Nobilissimæ hic sunt tincturæ metallorum, quædam etiam in vegetabilium censu reperiuntur.

Titanos, est calx ex gypso.

Topazion, dicitur ab insula maris rubri nebulosa, & ex hac Insula *Plin. lib. 37. cap. 8.* refert hanc gemmam primùm allatam fuisse *Berenicæ* reginæ *Ægypti*. *Albertus*, & *Evax*, item & alii unam ejus speciem similem dicunt auro: alteram croceo colore superare aurum. Dicunt vim illis inesse contra libidines, & reddere eos homines castos, & animatos.

Trapha, est Capsa.

Tricor, est aurum.

Trigas, est Tartarum, trigia, id est fæx.

Tenacitas glutinis, est resina mineralis, ut resina pini est abietis, terebinthina laricis.

Terra auri, est lithargyrium aureum.

Terra argenti, lithargyrium argenteum.

Terra fidelis, est argentum, quod alias terra est cœlestis: & cœlum terrestre, pro luna si sumatur argentum, qua etiam ratione dici posse argentum cœleste, luna.

Terra hispanica, est vitriolum.

Tinkaar, est borax. Capistrum auri.

Tinctura dicitur quod colore suo penetrat & tingit alia corpora, ut crocus in aquam injectus.

Thamatica, dicitur ars per quam inventæ sunt machinarum operationes aëre vel aqua motæ.

Thapneus, est medicina munda & repurgata.

Thisma est minerarũ ductus aut venæ subterraneæ.

Thoruscula dicitur gutta, ut toruscula pini pro resinæ gutta, ex pino vel abiete, toto pro parte sumpto.

Turba magna, est astrorum firmamenti cœli innumera multitudo. Est etiam præsagium quod fit ex omnibus quæ continet inferior elementorum quadruplex mundus.

Turbit minerale, dicitur mercurius absque ullo corrosivo in dulcedinem præcipitatus.

Trachsat, est metallũ in sua minera adhuc existẽs.

Trarames, umbrarum sunt & spectrorum invisibiles, auditæ tamen, actiones.

Trifertes, dicuntur spiritus ignem inhabitantes.

Trigonum, est spirituum astrorum transmutatio quadruplex, juxta numerum elementorum quatuor. Unum quodque regit ac durat ducentos annos. Ut quum trigonum igneum incipit superni Planetæ suam conjunctionem semper habent in igneo signo, donec trigonum hoc durabit, sic de reliquis.

Tronus, & Tronossa, dicitur cœlestis ros ex aëre natus omnium dulcissima species mannæ, densa, tenax, & albissima præ cæteris, ex mercurio regionis mediæ generata, & separata prorsum ab omni sulphure & sale, vere & æstate decidit, maneque reperitur foliis arborum adhærens ut alia manna.

Truphat, est occulta virtus minerarum, quæ quodque metallum cogit ac promovet in suum esse prædestinatum.

Transudatio, est si in distillatione descensoria essentia prolecta transudat, guttatimque in receptaculum defertur, calore supra admoto. Focus enim supra est circa ergastulum, unde igni circulari

agi dicitur. Furno fit deſcenſorio, balneo deſcenſorio, arena deſcenſoria, & ſimili arte.

Tripes ferreus vas eſt, aliud vas materiam calefaciendam continens, recipiens ex ferro fabrefactum.

Tritorium, (vulgo infundibulum) eſt vas tranſmittens in ſuperficie latum, & paulatim acuatum, cum manubrio annexo formatum.

Tumbil, eſt terra.

Tumbaba, *Timpabar*, eſt ſulphur vivum.

Turpethum, eſt coagulum ſpecificum fixum, quo circa etiam abſtractis impuritatibus, & indomita volatilitate ſegregatis, in imo vaſorum conſiſtit, & paratur maxime ex mineralibus, quorum eſſentia, & vis ſpecifica potiſſimum eſt in parte conſtante, aut ſaltem ut uſibus artificioſis accommodata ſit, in hanc formam redigitur. Vox Turpethi ex Arabum ſermone, quo ſeu corticem herbæ ferulaceæ, ſeu radicem ſignant (quanquam poſtea medicinæ ex genere tithymallorum ſimili ſit accommodata) in chymiam irrepſit, propter conformem fortaſſis effectum, qui deprehenſus eſt in Mercurio certis modis in arcanum redacto. Itaque ne quis vegetabile Turbith intelligeret, adjecerunt Minerale.

V

Vegetabilia, ſunt viridantia radicem in terra defixam habentia, truncum & ramos in aëre, ut ſunt herbæ, & plantæ arbores.

Verto, eſt quarta pars libræ.

Vitrum Philoſophorum, eſt alembicus, abſolute tamen poſitum, eſt manica lanea in modum hypocraticæ, velut lingula per quam liquores, clarificantur.

Vinum correctum, eſt alcool vini.

Vinum eſſatum, eſt quod herbarum vires attraxit, vel aliorum quibus affuſum fuit.

Viriditas ſalis, eſt liquor aut oleum ejus viride.

Viſcalcus eſt viſcus ramoſus arboribus innaſcens, ut viſcus quercinus, malorum, &c.

Viſcus proprie, eſt { Pix decocta ex cimis, vel Locuſtis arborum.

Viſcus ſecundæ generationis, eſt cruor qui deſcendit à ſalibus.

Viſio, dicitur ſupernaturalis ſpirituum apparitio; hominum oculis quodammodo conſpicua.

Vitriolum liquefactum, *aut vitriolatum*, eſt vitriolum ex minera tractum, & liquidum, quod coagulari nequit amplius, vel à minera æris tractum calcanthum.

Vitriolum novum, eſt vitriolum album.

Vitriolum Romanum eſt quod maxime viret, ut atramentum viride.

Volans, *&* *Unquaſi*, } Eſt argentum vivum.

Valrat, *Ulcae*, } Eſt folium.

Vapor, fumus.

Vas crudum, eſt vas novum.

Vas minus, quo res foſſiles extrahuntur. *Robel*, dicitur.

Vas metallicum, ex metallo factum, inſervit ſubtiliationi vel fuſioni.

Subtiliationi inſerviens, eſt { Ahenum, vel Veſica.

Vaſa fuſoria, ſunt materiam ipſam capientia quorum adminiſtra ope mineralia funduntur, ut catillus cinereus, & crucibulum.

Vehiculum, eſt liquor; vel ſpiritus, in quo olea, & arcana chymica, ad gratiorem guſtum, vel faciliorem exhibitionem ægris præbentur.

Vena Veneris, eſt verbena.

Venas corio nudare, eſt venam aperire.

Venam, qua parte abundat metallo, luto oblinire, vel terris, ſaxis, aſſere, palo tegere.

Vener, eſt Mercurius.

Venenum, Gifft, Mercurii lapis.

Venus, *Murpur*, } Eſt Cuprum.

Venter equi, eſt fimus equinus.

Ventus albus, eſt Mercurius.

Ventus rubeus, eſt auripigmentum rubeum.

Ventus Citrinus, eſt Sulphur.

Venti, ſunt ſpiritus.

Vermicylum, eſt { Elixir, ſeu Tinctura.

Vermilion eſt, { Cinababrium, vel Minium.

Vernece, eſt Vernix guttoſa.

Ulrach, eſt ſanguis Draconis.

Veſica, eſt vas metallicum ex cupro in forma veſicæ vel ovi duorum aut trium pedum altitudinis, & convenientis latitudinis formatum, circa veſtigium apertum, ut intra ſinum ſuum convenientem alembicum recipere poſſit, qui adeo cum orificio veſicæ quadrare debet, ut tam apte invicem concludi poſſint, ne minimum inde exſpirare queat. Impoſitum capitellum è ſuo vertice canalem, duorum aut trium pedum altitudinis emittere debet, qui in ſummitate aliud capitellum ab aheno aliquo ſemper frigidam continente, qua ſpiritus in alembicum elevari, refrigefieri, & condenſari poſſint, circundatum ſuſtinent. Ex hoc capitello, epiſtomium, ſeu canalis procedit, qui vapores condenſatos guttatim in vas ſuppoſitum deducit.

Hujus *Veſicæ* uſus in vegetabilibus non eſt negligendus.

Viride æris, *Viride Græcum*, *Vel Hiſpanicum* } Eſt ærugo æris.

Vitrum, *vitri* 5. genera ſunt.

1. Ex *vitris Europæis*, præſtantiſſima ſunt quæ Veneta appellantur, & comparantur Cryſtallo.

2. *Vitra Aſiatica*, fuerunt pretioſiſſima Sareptana, appellata Sidonia, comparata fuerunt Electro.

3. Recrementa *vitri*, in candido viridia.

4. Recrementa *vitri* rubentia.

5. *Vitrum* quo tinguntur Metalla.

Vitrificatio, eſt combuſtio, calces, & cineres in tranſparens vitrum convertens.

Vitri fel, *Spuma vitri*, } Germ. Glaſgall.

Vitrum nigrum, Smalta.

Umbilicus Veneris. Lapis eſt ſeu gemma, coloris interdum rubei aut candidi, aut purpurei. Dicitur *umbilicus Veneris*, quia ab altero ejus latere, cum ſit plana ab altero, quo elevatur, duabus lineis, (veluti in domunculis cochlearum) ventrem rotundum quaſi pomum, & *umbilicum* formoſæ puellæ refert. Verum Germani magis reſpicientes ad formam ejus, quam refert à latere elevato prope modum fabæ magnæ, deinde ad patriam ubi reperitur, vocant eam quaſi fabam maris: quia reperitur in cochleis ad mare, in littoribus. Dicitur conciliare gratiam puellis, & plurimum facere ad formam, & amorem, & ad morbos puellarum.

Ungoſa, ſunt hominum pecudumque excrementa.

Ungula,

Vngula, Morbus oculi, clavus.
Vnguentum Croceum, ex Elixir.
Vrina puerorum, est mercurius.
Vsida, est Scoria auri.
Vrsub, *Vsrub*, *Vzurup*, } Est Saturnus.
Vva quercina, Veteribus ignota fuit, res magni momenti. Est autem concretitium quiddam in forma uvæ, ad radices quercuum sub terra tempore veris, ex humore radicum forsitan superfluo, saporis omnino stiptici, colore foras purpureo intus candido, & quasi lactifero, In æstate uva illa perit, & quasi fit lignea. Tempore ergo veris colligi debet ad radices quercuum, & umbra siccari, & deinde pulverisari. Illo pulvere nihil est præsentius in dysenteria, & in omni sanguinis fluxu. *Ruland.* affirmat se aliquos sanasse ægros dysentericos cum illa unica uva quercina.

Vvæ Hermetis, { Distillatio, Solutio, Sublimatio, Calcinatio, Fixatio.

Venus, est Morbus Gallicus. *Par. lib.* de Chirurg. magna folio 463. *pag.* 2. *S. Viti morbus* describitur à *Para.* tomo 2. *pag.* 360.
Vitrioli, albi præparatio ad oculorum vitia. *Para.* de præparationibus, *pag.* 655.
Volatile, dicitur in genere leviſſima quævis & facile ſurſum lata materia, ut cinis, pulvis, & ſimilia.
Vomitivum, dicitur omne medicamentum, quod ſurſum pellens per vomitiones purgat.
Vulcani, vel *Vulcanici*, dicuntur operarii vel artifices ſemper ignem verſantes cudendo, liquefaciendoque.
Vleus æſtiomenum, eſt cancroſum apoſtema depaſcens.
Vliſſipona, eſt herba ſerpentaria, præſtantiſſima ad colicam.
Vmbragines, dicuntur pygmei.
Vmbratiles, aut *Vmbratilia*, corpora tranſmutata ſunt in hominum conſpectum ab aſtris, & ſuis aſcendentibus occultis oblata, quæ non ſecus atque lemures apparent oculis, idque per magicam virtutem & efficaciam.
Vnda, vel *Vndena*, dicuntur homines aërei, terreniqúe ſpiritus.
Vndoſa, dicuntur quorumvis animalium excrementa.
Vnitas Trithemii, eſt ternarii in unionem reductio per abjectionem binarii, eſtque ſupernaturalis & ſpagyrica: Fundamentum abſtruſarum rerum indaginis. Hac poſteriore Philoſophiæ parte, fit tranſitus ad priorem, per medium Philoſophiæ moralis.
Vrina, eſt ſal reſolutum, generatum in hepate, per ſuum emunctorium, ut ſuperfluum excrementum ſalis à natura pulſum.
Vrina vini, eſt acetum, uſurpatur pro hominis urina vinum aſſiduo bibentis.
Vzifur, dicitur cinabaris. Etiam *Vritur* & *Vzifar.*

W.

W *Amas*, *VVarnas*, } Eſt acetum Philoſophorum.
VViſmat, *VViſmadt*, } Eſt leproſum non tractabile, vel malleabile, rude ſtannum.

X.

X *Enethtum*, eſt præſervativum externum contra peſtem collo appenſum, ut argentum vivum avellanæ concluſum, & ſimilia.
Xeni nephidei, ſunt ſpiritus, quibus jucundum eſt, atque pro deliciis habent, deliteſcentis naturæ proprietates occultas hominibus aperire, quibus etiam eſt conceſſum.
Xiſinum, ſeu *Xiſſium*, } Dicitur acetum.
Xenechtum, alii prima virginis menſtrua intelligunt.
Xenechdon Paracelſo, eſt tabella arſenici, ſeu arſenicum contra peſtem, quamvis iſta compoſitio non ſolùm habent arſenicum, ſed etiam ruberas, dictamnum & alia. *Vanhelmont* vocat amuletum hoc, *Zenexton.*
Xiſton, eſt ærugo raſa.

Y.

Y *Arin*, *Yaria*, *Iaria*, } Eſt flos æris.
Ydrargiros, eſt argentum vivum.
Yelion, *Yalos*, } Eſt Vitrum.
Yomo, *Yos*, *Yn*, } Eſt viride æris.
Ygropiſos, eſt { Bitumen, *vel* Pix liquida.
Yridis, vel *Yride*, } Eſt auripigmentum.
Yris, Ferrum.
Yxir, eſt bona medicina.
Yſir, eſt pulvis.
Ycus, *Lagides*, *Daſypus*, { Eſt cuniculus maſculus, cujus ſanguine vitra molleſcere putantur, & etiam ſilices, modo rebus diaphoreticis, impaſtetur quod ab imperitis, falſo hyrci ſanguini aſcribitur.

Z.

Z *Aaibar*, eſt Mercurius.
Zaidir, eſt { Venus, *aut* Viride æris.
Zephena, circuli ſunt extremitatum labiorum in auribus.
Zerna, dicitur impetigo ulcerata.
Zinck, eſt metallica marcaſita, & mixtura quædam naturalis ex quatuor metallis immaturis, cuprea potiſſimum apparet.
Ziniar, eſt viride æris.
Zonnetti, ſunt gnomorum corpora phantaſtica.
Zuitter, *Zyiter*, } Eſt marcaſita.
Zafran, eſt crocus hortulanus.
Zafran, { Eſt Ochra, *vel* Ocrea.
Zaocel, eſt Taxus.
Zaibac, *Zaibuch*, *Zaibar*, *Zeida*, } Eſt argentum vivum.

Zauhiron, eſt crocus orientalis.
Zaras, eſt aurum.
Zarſu, eſt Stannum.
Zandick, eſt aqua foliata.
Zarnich, *Zarnec*, *Zarneck*, } Eſt auripigmentum.
Zatanea, *Zuccar*, *Zuccaria*, } Eſt flos agni caſti.
Zebeb, & *Chara*, } Eſt ſtercus.
Zebd, eſt butyrum. *Zub*, & *Zubd*, } Eſt butyrum crudum.
Zec, eſt dragacanthum.
Zefer, eſt pix.
Zegi, *Zet*, *Zezi*, } Eſt vitriolum.
Zeberech, *Alchas*, } Eſt flos æris.
Zeitabra, eſt fluxile.
Zemech, eſt lapis lazuli.
Zengifur, *Zemaſarum*, } eſt Cinobrium.
Zingar, *Zimar*, *Zynſer*, } Eſt viride æris, vel flos æris.
Zericum, eſt arſenicum.
Zerifari, eſt aqua Caſei.
Ziniat, eſt fermentum.
Zoroba, eſt vitriolum.
Zimar, Philoſophicum.
Zenexton, præſervativum contra peſtem. Inſervit duntaxat, ut necet, & annihilet ſpecificum virus quod tam in aëre externo, quam intus in Archeo eſt conceptum, per modum antidoti contra venenum receptum. *Vanhelmont*, *pag.* 152. 153.

Operæ pretium judicavi *Zenechio Paracelſi* annectere judicium Doctoris *Franciſci Herring*, Medici doctiſſimi, circa geſtationem amuletorum in ejus propriis verbis. Mea ſententia eſt, has Arſenici placentas, circa regionem cordis geſtatas, nihilominus efficiunt, quam præſervationem geſtatorum, imò potiùs perniciosæ & nocivæ ſunt gerentibus, & hanc ſententiam confirmat opinionibus & judiciis aliorum medicorum.

Gerardus Columbus, M. D. affirmat ſe ſæpius obſervaſſe hujuſmodi placentarum geſtatores, ſuper calefactionem corporum incidiſſe in ſubitaneas Lypothimias, Syncopen, & alia formidoloſa accidentia, quæ non deſierunt, donec ſacculi vel placentæ fuiſſent remoti; & etiam obſervaſſe alios, licet non in inſtanti, brevi tamen tempuſculo poſt in malignas, & peſtilentiales febres incidiſſe, à quibus mortem obierunt.

Franciſcus Alphanus, Medicus Salernitanus, affirmat ſe vidiſſe arſenici in ſacculo geſtatorem, pilæ palmariæ certatione ſe minus calefacientem, morte ſubitanea periiſſe.

Mattheus Heſſus, refert etiam cognoviſſe multos qui licet argentum vivum avellanæ concluſum, collo appenſum portaverunt, nihilominus peſte obierunt, licet agyrtæ amuletorum iſtorum geſtatores ſoſpites & incolumes reddere ſeſe juramento aſtrinxerunt.

Legimus etiam *Theophraſtum*, magnum (non ſine cauſa) Periclem haud ſanæ mentis judicaſſe, quoniam amulera geſtaſſet.

Et ipſe *Franciſcus Herringius*, affirmat ſe vidiſſe multos *Londini* in thoracibus fœda cava habuiſſe foramina, ex geſtatione illarum placentarum.

Vocabula aliqua Chymica in hoc Lexico ante omiſſa, ad finem hujus Libri adjunxi.

Alchaeſt Martini Rulandi, *Michaëlis Toxitis*, & *Theophraſti Paracelſi*, & *Alkaheſt Baptiſtæ Vanhelmont*, eorum ſingulis deſcriptionibus mihi videtur eſſe unum & idem.

A *Martino Rulando*, ſic deſcribitur.

Alchaeſt, Mercurius dicitur præparatus: nonnulli volunt eſſe tartarum, (perſuaſi uti judico ex verbis *Baptiſtæ Vanhelmont*, qui ſic ſcribit in *pag.* 118. de Febribus. Diſcite Medentes diſſolvens aliquod quod ſit homogeneum immutabile, diſſolvens ſua objecta in materiam primam liquidam, & nacti eritis intimas rerum eſſentias. Quod ſi ad iſtud ignis arcanum non pertingatis, diſcite ſalem tartari reddere volatilem, ut hujus medio veſtras diſſolutiones perficiatis.) Mens tamen authoris facile deprehenditur à præparationis ejus deſcriptione.

A Michaele Toxite ſic deſcribitur, *Alchaheſt*.

Eſt Mercurius præparatus in medicinam hepatis: & refert nos ad *Paracelſi* librum de viribus membrorum principalium, ubi *à Theophraſto Paracelſo* ſic deſcribitur.

Eſt liquor *Alchaheſt* magnæ virtutis in hepate, ad cuſtodiendum illud ab hydrope, & omnibus ejus ſpeciebus, quæ ex hepate veniunt, proceditur autem ſic: *Alchaheſt* poſt ſuam coagulationem reſolvatur, & poſtea coaguletur in formam tranſmutatam, ut proceſſus ipſius eſt per congelationem & reſolutionem; quod ſi ſui ſimile uniat, tum eſt medicina hepatis ſuper omnes alias medicinas: & etiamſi hepar jam eſſet fractum, ipſe eſt loco hepatis, ac ſi nunquam fractum fuiſſet. Quare vobis Medicis ſummopere opus eſt, ut hanc medicinam experientia diſcatis, & ut ſciatis præparationem *Alchaheſt*, propter multos morbos, qui ex hepate deſcendunt, ut illos averratis. *Paracelſ.* Et inde mittit lectorem, pro præparatione *Alchaheſt* Mercurii ad tabulam *lib.* quart. de gradibus, ad *cap.* ſeptimum, ubi ſub titulo Hepatis vocat hunc liquorem myſterium Mercurii, hactenus *Paracelſus*. A *Baptiſta Vanhelmont* ſic deſcribitur, *Alchaheſt* ſub nomine *Alcaheſt*.

Liquor *Alcaheſt Paracelſi* omne corpus viſibile reſolvit in ſui primam materiam, ſervata ſeminum poteſtate; De hoc aiunt *Chymici*, vulgus cremat per ignem, nos per aquam, *Vanhelmont*. Et in *lib.* 2. de natura rerum *cap.* 3. *pag.* 482. vocatur *Mercurius pro hepate*.

Idem *Alcaheſt Paracelſi* omnia naturæ corpora penetrat & ſubtiliando tranſmutat, *Vanhelmont*.

Ex

Ex quibus apparet, quod in hoc, hi omnes authores nominati consentiunt & concludunt, quod,

Alchaheſt, seu *Alcaheſt*, } Est Mercurius præparatus pro medicina contra morbos hepatis.

Et expressis verbis à *Theophraſto Paracelſo*, & à *Baptiſta Vanhelmont* vocatur liquor, sed hæc pro præsenti sufficiant; Et secundùm hunc primum gustum, me silentem, aut ulterius loquentem Lector audiat.

Ænigma, est involucrum allegoricum verbum, seu oratio obscura rem totam quam significat ambagibus tegens. Antiqui solebant arcana sua, sub ænigmatibus, hieroglíphycis, & involucris tegere; ut nulli nisi filii artis ea intelligerent. Et Medici etiam his aliquando utuntur, *e.g.* Recipe adipem infantis deformis, & lachrymam vitis *Dioniſiacæ* pulverisatæ. Misce. Per infantem deformem ursum intelligunt, & per lachrymam vitis *Dioniſiacæ* gummi hederæ. Alterum solum modo adjiciam. Recipe sphæræ Microcosmi pulverisatæ, & pœoniæ planetariæ masc. pulverisatæ. Misce, per sphæram Microcosmi intelligunt cranium humanum præparatum, (nam nec cranii humani, nec cornu cervini ustio mihi arridet) & per pœoniam masc. planetariam intelligunt pœoniam collectam Sole, & Luna in Leone existente post plenilunium.

Chybur, est Sulphur, *Paracelſus* refert melius nihil valere ad pulmonem quam *Chybur* hoc modo præparatum, *pag.* 488. in *lib.* de natura rerum). Misceatur *Chybur* calcibus mineralibus, & inde ter sublimetur, hoc *Chybur* de ægroto, quod avertit omnes defectus pulmonis, eumque integrum, & absque omnibus morbis conservat. Estque balsamus pulmonis, & pectoris, neque simile arcanum in viribus rerum quærendum est: nam in nullo majus arcanum latet ad pulmonem, quàm in solo *Chybur*.

Caliditatem, tollunt hæc quæ sequuntur, } Opiata, Anodina, Stiptica, Laxativa, Acetosa,

Frigiditatem tollunt, } Pontica, Amara, Cicatrisantia, Corrosiva, Absterſiva, Laxativa.

In quolibet Confortativo, non est curandum, calida ne res sit, an frigida, sed vis arcani consideranda est.

Cerebrum, est radix omnium ligamentorum, cor membrorum, hepar sanguinis, proinde principalia conserva, & minora ab his proficiscentia conservasti. Membra enim principalia non per se, sed per accidens quiddam patiuntur, aufer ergo accidens, & sanabis ægrotum.

Si vitam conservare velis, non solùm cor in esse suo conserves, sed etiam cerebrum, hepar & pulmonem, reliquumque quidvis in esse suo. Nam quamvis cor sit centrum ipsius corporis atque radix, quodliber attamen membrum principale destructum affert mortem.

Gelutta, seu *Geluta*, } Est herba Carlina.

Gelutta & *Meliſſa*, dicuntur à *Paracelſo* in libro ejus de vita longa, renovare & transferre morbum, sine omni virtute gradum in reparationem videlicet & renovationem pristinæ juventutis.

Guajacum lignum, verè lignum hebenum est. *Paracelſ.*

Gradus rerum quatuor sunt, juxta ordines matricum.

Nam quæ ex terra, primi sunt gradus.

Quæ ex aëre, secundi sunt gradus.

Quæ ex aqua, tertii.

Et ex igne quarti gradus sunt.

Porro qua virtute singulo gradu seorsim aliud alio vincitur, punctorum est, & non graduum.

In primo gradu neque nocent, neque juvant res quælibet.

Elixir, est Medicina fermentata de septem metallis.

Humores, non est quispiam hominum dicendus Melancholicus, Phlegmaticus, Colericus, Sanguineus absolutè: nam sanguineus est omnis homo, cùm sanguis sit corporis. Quapropter dici debet, aut Mercurius, aut Sulphureus, aut Salsus à prædominatione. Proinde Notabis, ut quod *Galeniſta Choleram*, tu sulphur rubeum dicito, quod illi *Phlegma*, tu sulphur album cum salibus resolutis, & quod *Melancholicum* dicunt, tu Mercurialem humorem dicito; porro quod ipsi *Sanguinem* purgare dicunt falsum est, sed per pharmaca purgant naturam salis de Alumine, & magalia genera, *Parac.*

Laxativum, *Quodlibet*, *Laxativum*, } in se duo habet mala.

Alterum, quod debilitat.

Alterum quod plerumque plus secum evacuat, quam par est.

Ea igitur utenda sunt cum magna cautione, vel præcavenda.

In primo gradu non est opus confortatione contra debilitationem laxativi.

In secundo gradu conforta cum cinamomo, gyryophitis, zedoaria, calamo aromatico, & similibus.

In tertio gradu per nucem moscatam, folium Indi, grana Juniperi.

In quarto gradu, per terram sigillatam, corallum album & rubrum, carabe, sericum crudum, os de corde Cervi & similibus.

Ut autem mitiges laxativum, utere anodinis & narcoticis.

Epilathera, id est, particularis.

Epilathera, ad hunc modum debet considerari: quod in omnium minutissima quaque gutta, anatomia microcosmi consistat: Quilibet enim Spagyricus gradus, virtutis suæ tinctura est: & cuilibet Medico intelligendum venit in unaquaque gutta, quotquot etiam sunt, tot etiam esse integras anatomias, ut in Microcosmo, & in elementatis.

Magale, est Megalium genus, quicquid fit ex mineralibus, quod ex oleitate consistere potest, proinde pars quælibet corporis, non purgando, sed mundando curatur.

Omne Metallum, est Mercurius coagulatus.

Nectar, est Confectio albuminis ovorum.

Laruſcu, id est auricula Muris.

Halereon, juxta Hermetem, vera Aquila est. *Para.*

Nullo utaris superfluo in *receptis:* nam quo plura conveniunt in receptis simplicia, vel composita, eo indoctior Medicus præscribens censetur: nam nullum receptum ultra sex simplicia in se habere universaliter debet, *Paracelſ.* de gradibus.

Pœonia rectè collecta & præparata, est arcanum Epilepsiæ. *Para.*

Qualitas

Qualitas apud Spagyros, est omne id quod membrum quodvis principale defendit, ut in cerebro inter piam matrem, & ipsum cerebrum.

Lunaria, vel *Cerebella*, } Sunt conservantia cerebrum, unde omnis herba confortans cerebrum hoc nomine vocari potest, *Para.*

Lilium Paracelsi, pro tinctura antimonii reponatur vera compositio Lilii Paracelsi ex libro de vita longa, quæ tandem ad tinctúram inde extrahendam, multum operæ conferre potest : Et est diaphoreticum & hydroticum insigne, & magnarum virium : & exhibetur ad quoslibet morbos, à granis duobus ad quinque vel sex, in vino vel in aqua cordiali : Quod si hæc tinctura antimonii deinceps per multa cohobia menstruo aliquo idoneo, in nobilissimam essentiam exaltetur, contracturam in primis ex podagra, in articulis externis causatam, feliciter curat, si observatis observandis, ad diætam legitimam pertinentibus, & corpus mundificantibus, quotidie, aut alternis diebus, gutta una de tinctura exaltata cum vehiculo appropriato, in aurora exhibeatur, & sudor vel in lecto, vel in Laconico procuretur, (quod in declinatione contracturæ fieri debet) & sic contractura nulla arthritica resistit. Hujus tinctúræ Antimonii compositionem *Beguinus fol* 425. docet.

Spiritus vitæ, est spiritus qui versatur in omnibus partibus corporis, quomodocunque versentur; Et omnia membra sive sint nobilia, sive non, unicum habent spiritum vitæ, cujus est eadem in omnibus virtus, & operatio, unde omnia membra vivunt. Et in nobis vitæ spiritus vivit in forma fumi, ratione secundæ generationis, quæ fit post primam naturam *Paracels.*

Septem, in igne sunt septem planetæ, in aqua septem metalla, in terra septem herbæ, in aëre septem sunt tereniabin, & in animalibus septem sunt principialia membra. *Para.*

Terra sancta, *Martinus Rulandus* Pater vocat crocum metallorum terram sanctam. *Beguinus pagina* 292.

Terra vitrioli dulcis, est salis Colcotharis per calcinationem reductio ad dulcedinem, eluendo ejus salsedinem, *Beguinus, pag.* 374.

Tinctura, aut Sulphur Narcoticum vitrioli, est Insigne anodynum reliquis omnibus meritò anteferendum; quod *Paracelsus* summopere commendat, & magni æstimat. Describitur apud *Beguinum pag.* 431.

Vitrioli Liquor, est arcanum optimum in morbo caduco.

Liquor Vitrioli, optimum est in felle, & est oleum de Colcothar.

Vitriolum Romanum, *Beguinus* scribit Cyprium & Romanum meritò suspecta esse debent, quod sint fere adultera, sophisticata, varia, diversorum colorum, formarum, & virtutum; & quod Romæ nullum foditur.

CONCLUSIO OPERIS.

HOC fasciculo quicquid de Paracelsi *scriptis, vel ex aliis authoribus, ejus tramitem sectantibus, pro mei exigui temporis spatio, & exili ingenio, mutuo collegi, ut non semper opus sit ad quoslibet Authoris libros recurrere, sed ubique locorum ad manum habens, & quocunque iveris, tecum hanc parv. in congeriem deferre queas. Lege & evolve in otiosis horis, in otio negotium & oblectamentum tibi invenies, nec tibi conquerendi ansa in posterum dabitur de obscuritate rerum & verborum, nam quæ variis locis dispersa, & inserta fuerunt, in unum ex multis, ita redegi, ut singula singulis comparata, unum alterum exponat. Sed hic admonitum Lectorem velim, ne voces peregrinas, passim occurrentes, aliter quam definitæ & descriptæ sunt, interpretentur. Nam si ad Græcam phrasim (qui consonare quodammodo videantur) exponat, toto cœlo ab Autoris sententia aberrabit. Et quia Græcorum & infidelium errores, ab his universim dispersos reprehendit, eorum Sectatores* Paracelsum *Sophisticis suis argumentationibus infidelem reddere conantur, & quasi impium, sacrilegum, minus prudentem, ardelionem, hæreticum accusant; Sed hi invidi & buccati, ex libro illo,* Gerardi Dornei, *quem de luce naturæ inscripsit, hisce calumniis facile responsum ferant. Sed nimis acriter, excitavit priscorum Græcorum discipulos, illorum coryphæos pheudo-medicos, & erroneos vocando, hæccine sunt duriora illa quibus perforati, & transfixi ? Sed tam pertinaciter in verba magistrorum jurarint, ut nihil quod non ex eorum ore prolatum est, sapit, nec eorum palatis arridet, quod ex eorum fontibus depromptum : adeo studiosè, & de industria veritati reluctari malint, quam præceptorum errorem manifestum confiteri; & uti equi conductitii è communi via, licet tutior, & magis expedita vobis monstrabitur, deflectere recusatis. Veremini sane ea retractare, quæ per totam vitam professi fuistis, veteri adagio, opinione nimis adhærentes.*

Fumus patrum, non patria, luculentior igne alieno.

Fatentur Paracelsum *excellentissimum fuisse medicamentorum purgatorem, uti qui probè novit, metallicas, & vegetabiles virtutes relictis fæcibus, (separando pura ab impuris) elicere; non suos, cum Græcis, edocens discipulos, ut res una cum corruptis corporibus, non aliter quàm alimenta, in sua medicina devorare; uti nullum esset discrimen inter Medicum & coquum. Et hac ratione multis parasangis antecellit* Paracelsus Galenum, *quod ille tenero cibo & potu solidum corpus ægri nutriat; ille verò contra durorum metallorum virtutibus extractis, spiritus vitæ raros instauret & refocillet. In summa, Græci sibi ipsis totum munus, & officium adscripserunt, naturæ nihil.* Paracelsus *verò hoc omne tribuit naturæ, & Medicum, hujus Ministrum facit, quo fundamento innitens, adversariorum innocuos, licet violentos impetus, non solùm non reformidat, sed vilipendit.*

FINIS.

LEXICON

LEXICON CHYMICUM,

Continens Vocabula Chymica *in priore Libro omissa*, *è* Basilio Valentino, Theophrasto Paracelso, Osvvaldo Crollio, *aliisque Authoribus Chymicis collecta*; *operâ & industriâ* GULIELMI IOHNSONI *Chymici.*

LIBER SECVNDVS.

Lectori Candido Salutem.

SCIAT *Lector ingenuus me hæc collegisse, non pro ignavis & invidis, sed Studiosis; non pro Miso-chimicis; sed verè Spagiricis, qui magis igni quàm excrementis consulunt, (licet eorum usus non sit prorsus despicabilis) quos si paulatim à propria, & communi via avertis, statim aversos & captiosos invenies. Confiteor me in hac adjectione multum debere Viro doctissimo, & in Re Medica peritissimo, cujus adminiculo, auctiùs & accuratiùs Librum perfeci. Expecto Theoninos potiùs, quàm æmulos, sed non refert, quid de me sentiant garruli & jactabundi; multum jactantibus, & parum scientibus, hæc arcana non parantur: Hæc solùm Viris doctis & dignis dico, consecróque, quorum acutis judiciis submitto. Non vocantur asini ad lyram, quam solummodo* Apollo *& filii artis tractare solent. Et mihi magno erit solamini, si hæc mea Spicilegia Virum aliquem acutiorem exstimulabunt ad hoc Opus accuratiùs perficiendum & eliminandum.*

GULIEL. JOHNSONUS Chymicus.

Encomium Prosapiæ, & Vitæ, Viri Doctissimi, & Rei Medicæ peritissimi, THEOPHRASTI PARACELSI.

CUM varia admirandi illius Viri *Theophrasti Paracelsi* scripta sedulò, & intentè perlegissem, & in illo multa arcana Spagyrica, summa observatione digna, non cursim prætereunda, observassem, & varias contra illum calumnias immeritò aspersas audivissem, non potui sine indignatione aliqua, quin virum tam celebrem, jam inde ab incunabulis ita delinearem, ut non solum illum à malevolis ejus adversariis vindicarem, sed toto mundo illius doctrinam, nunquam nimis laudandam, & admirandam publicarem.

Natus fuit *Paracelsus* in *Einzidlen*, regionis *Helvetiorum*, à Patre *Gulielmo* ab *Hohenheim* fundamenta habuit adeptæ Philosophiæ. Dicitur generosus, in omniq́ue scientiarum genere, expertissimus; sed natalium illius splendorem propter locorum intervallum, & regionum discrimen, non æquè agnoscitur ac si nostras esset, sed nos potius ad virum quàm ad progeniem & proavos spectamus. In Libro Labyrinthi latino ejus effigies expressa est, Anno ætatis 45. staturam ostendit proceram, faciem gravem, cum fronte ampla, syncipite calvo, mediocri capillo, circa quam erat inscriptio ei familiaris, quam frequenter solebat usurpare.

Alterius non sit, qui suus esse potest.

Sed ne nimis diu, exteriori insistere videamur; interiorem speculemus virum.

Primò audiamus *Leonem Suavium*, in Epistola sua ad *Ludovicum Sangelasium Lansaci* Dominum, Equitem *Torquatum*, Senatorem sacri Consilii, *Augusti* cubiculi præfectum. Duci C. Virorum Aulicorum de *Theophrasto* sic scribentem.

Theophrastum itaque nostrum laudare par est, atque admirari, qui eam partem Medicinæ tractarit maximè, quæ à superioribus Medicis, vel neglecta perperam, vel minimè intellecta videbatur; nempe de entelechiis & quintis rerum essentiis, è quibus mira remedia, ab *Ægypto* & *Arabia* profecta, Græcis, Latinisque nova atque inusitata eliciuntur, quorum mihi nonnulla usu & experientia comperta sunt. Audiamus etiam eundem *Leonem Suavium*, in Epistola alia, ad *Renatum Perotum*, virum nobilem *Cenomanensem*, de *Theophrasto*. De hoc autem scriptore, ut dicam quod sentio, nostro sæculo graviorem Medicum, subtiliorem Philosophum vidi neminem. Nam diligentes homines rerumq́ue reconditarum studiosi (quibus solis hoc opus cuditur) ex uno discent omnia, & quod lumen in unum locum inferetur, ad alia quoque eadem caligine circumsepta transmittetur.

Quod

Quod ad Librorum *Paracelſi* copiam attinet, audio à *Germanis* propè trecentos recenſeri. O fœcunditas ingenii, quod ad operam ejus Medicam & Chyrurgicam, præter quotidianarum ægritudinem curationes *Nurembergæ* ſpecimen præſtantiſſimæ artis, edere voluiſſe : Oblatos è publico leproſos duodecim, in priſtinam valetudinem reſtituiſſe : rem quidem multorum fide majorem, iis tamen non incredibilem factu, qui conſiderant rara, & inaudita illius remedia, ex flore Cheiri, & Anthos, Arcano Corallino, de eſſentia auri, myſterio Antimonii, & quamplurimis hujus generis, Medicis vulgaribus, ne nomine quidem adhuc notis.

Leo Suavius etiam, ſic de Autoris vita, & operibus ſcribit. *Theophr. Paracelſus* ab *Hohenheim*, in compluribus librorum inſcriptionibus Eremita nuncupatur, nec non ab *Eraſmo Roterodamo* in Epiſtola ad eum conſcripta, quam quidem teſtem ſingularis illius doctrinæ, hic inſerendam judicavi. A quibuſdam, ut *Adamo* à *Bodenſtein*, dicitur Philoſophiæ, & utriuſque Medicinæ Doctorem fuiſſe, ut Chyrurgiam hoc nomine comprehendant, quæ magno publico malo hodie ſeparantur, & diſtinguuntur. Legit *Baſileæ* Librum ſuum de Tartaro, quod exponit fœces omnes humorum interiorum, à quibus varii morbi emanant: Ibi *Frobenium* typographum inſignem morbo periculoſiſſimo liberavit, de quo gratias agit *Eraſmus* ille, virtute & eruditione inclytus, opemque in adverſa valetudine implorat, cum teſtificatione luculenta, raræ illius novæque in medendi arte peritiæ. Nova enim poſuit artis fundamenta, veteraque diruit & evertit, *Hippocratis* & *Galeni Græcorum*, *Avicennæ*, *Raſis*, *Meſuéſque Arabum*, in maximamque partem remediorum ex officina metallica deprompſit.

Rei Medicæ peritiſſimo Doctori *Theophraſto* Eremitæ Erasmus Roterodamus.

NON eſt abſurdum Medico, per quem Deus nobis ſuppeditat ſalutem corporis, animæ perpetuam optare ſalutem. Demiror unde me tam penitus noris ſemel duntaxat viſum. Ænigmata tua non ex arte Medica, quam nunquam didici, ſed ex miſero ſenſu veriſſima eſſe agnoſco. In regione hepatis jam olim ſenſi dolores, nec divinare potui quis eſſet mali fons. Renum pinguedines ante complures annos in lotio conſpexi. Tertium quid ſit, non ſatis intelligo, tamen videtur eſſe probabile mihi, id moleſtum eſſe quod dixiſti. Hiſce diebus aliquot nec medicari vacat, nec ægrotare, nec mori : tot ſtudiorum laboribus obruor. Si quod tamen eſt quod circa ſolutionem corporis mihi poſſit lenire malum, rogo ut communices. Quod ſi diſtraheris, pauciſſimis verbis ea, quæ plus quàm Laconicè notaſti fuſius explices, aliaq; præſcribas remedia, quæ dum vacabit queam ſumere. Non poſſum præmium artituæ, ſtudióque par, certe gratum animum polliceor. Frobenium ab inferis revocâſti, hoc eſt dimidium mei, ſi me quoque reſtitueris in ſingulis utrumque reſtitues. Utinam ſit ea fortuna, quæ te Baſileæ *remoretur. Hæc extempore ſcripta vereor, ut poſſis legere.* Bene vale.

Erasmus Roterodamus. *Suapte manu.*

PEtrus *Haſſardus* in Præfatione Chirurgiæ majoris attribuit *Paracelſo*, libros in Philoſophia 136. in Medicina 70. in Theologia, Juſtitia, Politicis, & Magia complures.

Quorum pleroſque jam *Adamo* à *Bodenſtein* debemus, alios à *Joanne Sculteto* Montano propediem ſperamus. In libro de Tartaro, Aureolus Prænomine dicitur, & *Petrus Haſſardus* nomen etiam *Philippi* illi addit. Verum eſt *Paracelſus* invento principiorum novorum, conatus eſt vetera funditus evertere ; unde magnas ſibi à Medicis ſuæ regionis ætatiſque contentiones excitavit, quos paſſim in omnibus libris ſuis vehementi ſtylo perſtringit. Sed præcipuè teſtimonio eſt libellus 7. defenſiouum, à quo reſponſum adverſus *VVierum* petere licebit.

In Tractatu Philoſophiæ illius ad *Athenienſes* (qui quidem plenus eſt myſteriorum magnorum, primorum, ultimorum) Meloſiniæ, (verbo tenus) pyromantiæ, necromantiæ, chyromantiæ, *&c.* Titulus eſt *Philoſoph. Theop. Bomb.* ab *Hohenheim* Suevi Arpinæ Germani, ad *Athenienſes*. Nec filentio præterire judicium *Valentii* Antra-Paſſii Silerani de *Theophraſto*. Quam magni Philoſophi & Medici *Theophraſti* libros de Medicina atque Philoſophia latinè ſcriptos, nec non *Arabum*, *Chaldæorum*, atque *Græcorum*, ſcripta legendo percurriſſem, deprehendi *Theophraſti* ſcripta, *Avicennæ*, *Hippocratis* atque *Galeni* ſcriptis longè firmiora, certiora & ſolidiora ; ipſius præterea recepta, firmioribus atque certioribus rationibus; & experientiis niti, quàm Raſis, Meſuæ, aliorumque veterum medicorum.

Quinimo *Theophraſti* ſcripta inſtar argenti igne probati, probatiſſima ſunt, & exploratiſſima : & tota ejus practica atque theorica, multa ſingularia intellectu digna complectitur. Novus quidem eſt Medicus, & verus medicinæ inventor, qui non ex veterum ſcriptis, ſed ex ſingulari quodam Philoſophico fundamento deprompta atque deſumpta literis mandavit. Et niſi ipſius libros reipſa, & ſapientia cæteris multo utiliores, & fructuoſiores inveniſſent : *Athenienſes* eum minimè deſtructorem omnium errorum, verumq; ad ipſum medicinæ fundamentum Ducem appellaſſent. Quam ob cauſam Hebræi ipſum alterum *Rabbi Moyſen* vocant, & *Rabino* ſuo *Moyſe* multo acutius & ſubtilius ſcripſiſſe confitentur.

A *Peſſulanis* denique *Germanus Hippocrates*, novuſque *Æſculapius* appellatur.

Alexander Perſius etiam in quadam epiſtola teſtatur, quod noſtra memoria nullus præſtantior extiterit, & talis nullus unquam natus ſit: Græci eum Monarcham appellaverunt propter acutiſſima ipſius atque ſubtiliſſima ſcripta, in quibus vix minimum aliquod ejus verbum reperitur, quod ſit nota aut reprehenſione dignum : Quia autem veterum viam ſectatus non eſt, nonnulli prout intelligunt ea æſtimant.

Petrus Bonzevolus ipſius doctrinam Evangelia naturalia, veritatiſque promptuaria haberi vult.

Nec verò de medicina ſolùm 53. libros, verum etiam 236. volumina de Philoſophia conſcripſit, cujuſmodi *Sabeas Dacus*, nulla unquam audita fuiſſe, eaque *Ariſtotelis* ſcriptis æquiparanda eſſe affirmat.

Carbuctus Theophraſtum præ *Ariſtotele*, haud ſecus æſtimat, atque literas aureas præ cæcis, aut lumen præ Carbonibus, in cujus Philoſophia omnis *Ariſtotelica* & *Platonica* doctrina repudiata eſt, quorum Philoſophorum duas ſectas, *Cyperinus Flanus* claudicantes, *Randus* opinabiles appellat. Libri ejus in varias linguas, communis utilitatis gratia quam in omni ſua vita ſpectavit, non immerito transferuntur. Jam, jam invidi, Miſochimici, ecce hominem veſtrum deſpicabilem, virum ſuſpicite, & in terram cum pudore, & pœnitentia deſpicite, & doctrinam & arcana ejus cum ſtupore agnoſcite.

LEXICON CHYMICUM,

ADROP, est Plumbum.
Amatura, est Petra matura.
Aludel, est vas fictile.
Alcharii, est argentum vivum.
Alchazanon, est lutum rotæ fabrorum.
Acanor, est Olla perforata in lateribus, & fundo.
Altus, est Ustus.
Averich, est Sulphur.
Alchitura, est pix liquida.
Almisarub, est Terra.
Arsiora, est Cerussa.
Ayborzat, est Galbanum.
Arubus, est Butyrum crudum.
Azom, est Butyrum coctum,
Asinum, est Pondus.
Argentum populi, est Sal amarum.
Altafor, est Camphora.
Algatia, est Cibetta. *Lullius.*
Almisa, est Muscus.
Angelus, est Confectio.
Anatum, est testa Ovorum.
Adebesi, est Testudo.
Agrabi, est Frigida.
Azoch, *Abluit Sordes à Latone*, *Laton*, & *Azoch*, } Semper sunt simul.

Hacta, est terra rubea.
Bolesor, est Balsamus.
Bacar, est Pondus.
Bdellerum, est Sanguisugæ. *Kyranides.*
Bitrinati, est Vitreatum.
Bolesis, est Corallus.
Bolus Judaicus, est Althea.

Alusal, est Oleum Indicum.
Cosmet, est Antimonium.
Corbai, est humor Croci.
Calidus, est Trochiscus de arsenico.
Catillia, est pondus novem unciarum.
Cambil, est Terra.
Comidi, est gummi Arabica.
Cassibor, est Coriandrum.
Carsia, est aqua salis panis.
Cardis, est Mars.
Carvinum, est lac quoddam.
Calcitea, est Dragantum.
Casibo, est Cyprus.
Cicorea, est mira solis.
Cicrebrum, est Aqua.
Cor, est Ignis.
Corona Cœlica, quod est extractio à vino albo vel rubro. *Lullius.*

Danati, est pondus sex granorum hordei.
Dabestis, est Testudo.
Daran, & *Damatan*, } Est Gumma.
Daveridon, est Oleum Nardinum.
Dabar, est Vis.
Denoquor, est Borax.

Elkalei, est Stagnum.
Elei, est Medicina.
Ezeph, est Sol.
Es, est Corpus.
Epar, est Aër.
Elidrium, est Mastix.
Epostlingi, est squama ferri.

Ideum, est Crocus.
Firsir, est Calor.
Facinum, est Æs.
Phebus, est puer Virgo.

Azar, est Laurus.
Gluten, est fel taurinum.
Gazar, est Galbanum.
Gersa, est Cerussa.
Gisentera, Terræ intestinę, seu Lumbricia. *Kyranides.*

Eltabatoni, est Terebinthina, & Hetalibat.
Habras, est Staphisagria.
Huuo, vel *Huut*, } est Jupiter.
Hermes odorifera, est Alkermei. *Lullius.*

Ipoacidos, est barba Hircina.
Incuda, est sponsa.

Kab, est lac acetosum.
Kist, est Opoponax.

Lapis Hephestionis, i. e. Vulcani, qui & Pyrites dicitur. *Kyranides.*
Laum, est Amigdala amara.
Luben, est Thus.
Lot, est Urina.
Lamaty, est Gumma Arabi.
Lamerez, est Sulphur.

Asal, est Lac Acetosum Melc.
Madic, est Lac postquam extrahitur Butyrum.
Masardegi, est Plumbum.
Machinar, est ex quo vitreantur vasa.
Malaribio, est Opium.
Maladoram, est Sal gemmæ.
Macra, est Terra rubea.
Moz, est Myrrha.
Magra, est Corneolus.
Maruch, est Oleum.
Metal, est Dragma.
Milcondat, est Sanguis Draconis.
Metalla, solum componuntur ex Sulphure & argento vivo.
Momordica, est morsus Diaboli. *Lullius.*

Nepos, est stagnum æneum.

Otap, est sal armoniacus rubificatus, per aquam vitrioli rubei.
Osatur, est Organum.
Oscieum, est Apium.
Oubelcora, est Cucurbita.

Peludo, eſt Mel coctum.
Patris, eſt Satyrion.
Preſmuchim, eſt Ceruſa, & *Preſmuchis.*
Ponderis cauſa, eſt Denſitas.

Reilli, eſt ſal acetoſum.
Raari, eſt ſal Armoniacum.
Ramigi, eſt Colophonia.
Recham, eſt Marmor.
Riaſtel, eſt Sal.
Rayb, eſt Lapis.

Ale, eſt Pulchrum.
Saclin, eſt Vitriolum.
Sezur, eſt Aurum.
Sedem, eſt Vas.

Tſacoum, eſt Argentum Vivum.
Tirſiat, eſt armoniacus.
Tuſiaſi, eſt ſulphur vivum, & Tifarum.
Tricalililbar, eſt Spuma Maris.

Yercia, eſt Piſcis.
Ycar, eſt Medicina.
Yſir, eſt pulvis Lapis, Aquæ Mercurii.

Zarfrahor, eſt Argentum vivum.
Zaucre, eſt Auripigmentum.
Zerci, eſt vitriolum.
Zerobilem, eſt Zodiacus.
Zeco, eſt Dragacanthum.
Zafaram, eſt limatura ferri, in vaſe æreo aſſata.
Zarca, eſt Stagnum.
Zimen, eſt Vitriolum.

LEXICON CHYMICVM.

A.

ADEPS, in animalibus coagulatur, propter copiam ſalis quam habet, ratione cujus condenſatur, ſi diſtilletur adeps, diſtillatione aſcendit pars Sulphuris, & Mercurii, & remanet in fundo ſalis pars, unde adeps, poſt diſtillarionem non coagulatur, cùm privetur diſtillatione ſale quo turget ad coagulationem ſuam, & tunc eſt oleum adipis, & nunquam amplius adeps dicitur. Et idem dicere poſſumus de reſinis, gummis & terebinthinis omnibus quæ ex vegetantibus effunduntur, congelantur, & coagulantur frigido, ope ſalis quo turgent. At ſi diſtillentur, non amplius coagulantur frigido, quod ſale priventur per diſtillationem, & tunc amittunt ſuum proprium nomen, & olei nomen ſuſcipiunt. *Fab.*

Ablutio Chymica, Hanc ablutionem occultârunt Antiqui ſub Ænigmate Salamandræ, quam igne vivere & ſe purificare narrârunt, & etiam ſub lino albeſtino quod igne albeſcere, & maculas ſuas deponere contendunt, & ſic veriſſimum eſt materiam noſtram igne, & aqua indigere, ut ſe à maculis, & ſordibus naturalibus ſuis, quibus ſcatet, vindicare poſſit.

Ablutio ergo Chymica noſtra non differt à calcinatione & ſolutione noſtra, & putrefactione, & inhumatione, dum calcinamus, diſtillamus, ſolvimus, putrefacimus, & inhumamus noſtram materiam; tunc ipſam abluimus à ſordibus ſuis, & in quantum hæ operationes abſtergunt materiam noſtram à fœcibus & ſordibus ſuis, in tantum hæ operationes dicuntur *Ablutio Chymica*, de qua Antiqui ſeparatim tractarunt.

Alberus, id eſt Staphiſagria.
Aleanna, eſt Ichthiocolla.
Algeroth, eſt pulvis Mercurius vitæ.
Acidum Tartari, eſt Cryſtallus Tartari.
Flos æris, *Arugo æris*, *Stercus æris*, } Ferrum rubeum.

Ænigma, eſt involucrum allegoricum, verbum, ſeu oratio obſcura, rem totam quam ſignificat ambagibus tegens. Antiqui ſolebant arcana ſua ſub ænigmatibus, & hieroglyphicis, & involucris tegere, ut nulli niſi filii artis ea intelligerent. Et Medici etiam aliquando his uſi fuerunt. E. g. Recipe adipem infantis deformis, & lacrymam vitis Dionyſiacæ pulveriſatæ. Miſce. Per infantem deformem, urſam intelligunt, & per lacrymam vitis Dionyſiacæ, gummi hederæ. Alterum ſolummodo, adjiciam. Recipe ſphæræ microcoſmicæ pulveriſatæ, & Pæoniæ planetariæ maſcul. pulveriſatæ, Miſce: per ſphæram microcoſmicam intelligunt cranium humanum inhumatum, præparatum, (nam nec cranii humani, nec cornu cervini uſtio mihi arridet) per pœoniam maſcul. planetariam intelligunt pœoniam collectam Sole & Luna in Leone exiſtente, poſt plenilunium.

Aiζoi, eſt ſempervivum. *Ruland.* de luis Hungariæ curatione, *pag.* 100.

Amethyſtum, Multi vocant gemmam Veneris.

Liquor Alchaheſt, Univerſale illud menſtruum eſt, quod omnia totius univerſi corpora tangibilia perfectè reducit in aquam diaphanam, abſque ulla mutatione (*i.e.* quod formam eſſentialem ſive nativam ſeminis dotem) viriúmve diminutione. Hujus ſtupendi Magnalis præparationem, à *Paracelſo*, vel *Baſilio Valentino Monacho*, olim inventam, & ab *Helmontio* veluti Arcanum, nemini niſi dato prius ſacramenti pignore revelandam ſubdolè defoſſam, me aliquando, ubi dabitur occaſio, coram mundo liberè promulgaturum ſpondeo. Hucuſque Dom. Dr. *Charlton*, in libro de defluxionibus *pag.* 71.

Alchaheſt, Martini Rulandi, Michaelis Toxitis, & Theophraſti Paracelſi, & *Alkaheſt*, Baptiſtæ Vanhelmont, ſingulis eorum deſcriptionibus, mihi videtur eſſe idem.

A *Mart. Rulando*, ſic deſcribitur.

Alchaheſt, Mercurius dicitur præparatus: Nonnulli volunt eſſe Tartarum, (forſitan ex aliorum opinionibus, quorum ſcriptis *Joh. Baptiſta Vanhelmont* in libro de Febribus *pag.* 118. quodammodo videtur aſſentiri.) Diſcite Medentes diſſolvens aliquod quod ſit homogeneum immutabile, diſſolvens ſua objecta in materiam primam liquidam & nacti eritis intimas rerum eſſentias. Quod ſi ad iſtud ignis arcanum non pertingatis, diſcite ſaltem, tartarum reddere volatilem ut hujus medio veſtras diſſolutiones perficiatis. Mens tamen Autoris deprehenditur è præparationis deſcriptione.

Michael Toxites ſic deſcribit *Alchaheſt.*

Eſt Mercurius præparatus in medicinam hepatis, & refert nos ad *Paracelſi* librum de viribus membrorum Principalium ubi à *Theophraſto Paracelſo* ſic deſcribitur.

Eſt

Est liquor *Alchahest* magnæ virtutis in hepate, ad custodiendum illud ab hydrope, & omnibus ejus speciebus, quæ ex hepate veniunt, proceditur autem sic.

Alchahest post suam coagulationem resolvatur, & postea coaguletur in formam transmutatam, ut processus ipsius est per congelationem & resolutionem; quod si sui simile uniat, tum est medicina hepatis super omnes alias medicinas; & etiamsi hepar, jam fractum esset, ipse loco hepatis, ac si nunquam fractum fuisset, quare vobis Medicis summopere opus est, ut hanc medicinam experientia discatis, & ut sciatis præparationē *Alchahest* propter multos morbos, qui ex hepate descēdunt, ut illos averratis, *Par.*

Et inde mittit Lectorem, pro præparatione *Alchahest* Mercurii ad tabulam libri quarti de gradibus, ad caput septimum, ubi sub titulo hepatis vocat hunc liquorem mysterium Mercurii, *Paracelsus.*

Et in libro secundo de natura rerum *Cap. 3. pag.* 482. vocatur *Alchahest*, Mercurius præparatus pro hepate.

A *Baptist. Vanhelmont*, sic describitur: *Alchahest*, sub nomine *Alkahest.*

Liquor *Alkahest Paracelsi*, omne corpus visibile resolvit in sui primam materiam, servata seminum potestate. De hoc aiunt Chymici, Vulgus cremat per ignem, nos per aquam. *Vanhelmont.*

Alio loco, *Alkahest Paracelsi* cuncta naturæ corpora penetrat, & subtiliando transmutat. *Vanhelmont.*

Ex quibus omnibus apparet, quod in hoc hi omnes conveniunt & concludunt, *Alchahest Rulandi*, *Toxitis*, & *Paracelsi*, seu *Alkahest Joannis Baptistæ Vanhelmont.* Est Mercurius præparatus, pro medicina contra morbos hepatis; Et expressis verbis à *Theophrasto Paracelso*, & à *Baptista Vanhelmont*, vocatur liquor. Sed hæc sufficiant pro præsenti de *Alkahest*, seu *Alchahest.*

Acediæ furnus, sive *Incuriæ furnus*, ubi uno igne, & parvo labore, diversi furni foventur. Vocatur à Germanis *Piger Henricus.*

Antimonium vocatur
- Fæx Plumbi,
- Mercurius noster,
- Narcasita,
- Plumbum de Minera,
- Plumbum minerale,
- Plumbum Mortuum,
- Terra nigra.

Aqua ovorum gallinaceorum, vocatur aqua de testudine. Oleum animalis.

Aqua Philosophica, sive *Regia* vocatur, aqua pugilum, quia nitrum & sal Armoniacum, licet sint hostes infestissimi, primo contactu statim congrediuntur.

Regia dicitur, quia aurum solvit, quod est Rex inter metalla. Et ab his Sal armoniacus vocatur *Aquila*, quia *Ganimedem*, seu aurum secum elevat, qui deinceps facile separatur per aquam. *Beguinus p.* 124.

Aqua amoris, fit ex sanguine humano, ad conciliandum amorem inter uxores & maritos, *Beguin. p.* 447.

Aqua sudorifera Microcosmi, sic paratur.

Recipe sanguinis humani, sine phlegmate ℔. j. salis tartari depurati tantundem, vini circulati ad eminentiam duorum digitorum, fiat digestio per mensem, deinde distilletur; Illa tria distillata, liquor flavus, cum pauco oleo, & sale sunt ab invicem separanda: tunc recipe liquorem, solummodo addendo foliorum hellebori nigri, & melissæ, *ana, q.s.* rectifica vicissim distillando, odoremque gratum distillat, compara cum ambræ griseæ, *gr. i.* Moschi, *gr. ii.* fiat liquor pretiosissimus, & vehiculum cum quo aurum potabile, aurum vitæ, & essentiæ appropriantur. Milius.

Aurum fulminans, seu *Corauno Chrysos*, est auri pulvis aqua regis dissoluti, & præcipitati, qui facile concipit ignem: dicitur à Germanis aurum fulminans, quod instar fulminis dissiliendo acutissimum fragorem edit, *à Crollio p.* 212. vocatur aurum volatile.

Arcanum Cardui benedicti, habeas apud D. *Hartmannum* in sua Spagyria, usus ejus est à guttis 6. ad 8.

Arcanum, solis cum Mercurio Antimonii, habeas apud D. Milium, *Lib.* 1. *fol* 78. in *Basilica Chym.*

Auri præcipitatus diaphoreticus, ex Regulo Antimonii, & Mercurii habeas in Milii *Basilica Chym. Lib.* 1. *fol.* 12.

Aurum cum oleo vitrioli, & spiritu Saturni, habeas descriptum in *Basilica Chim. lib.* 1. *fol.* 69. 70.

Arcanum Theophrasti, contra philtra describitur à *Crollio.*

Oleum Cinamomi, & oleum Succini, magni sunt usus in illo morbo.

Arcanum & Tinctura, reipsa non differunt, siquidem arcanum *Paracelsi* propriè vocatur id remedium, quod aliis multis præcellit. Nomen itaque arcani quælibet medicina magnetica & virtuosa cujuscunque speciei meretur.

Arcanum Corallinum Paracelsi, est Mercurius sublimatus rubeus, non corrosivus; licet *Libavius* negat *Paracelsum* hujus *Arcani* fuisse authorem: apparet tamen per Huserum, qui scripta *Paracelsi* edidit, *Paracelsum* ejus fuisse inventorem, & *Rhenano* in libello solis de Puteo emergētis aliquota parte emulgatur.

Argentum, vocatur
- Corpus album,
- Diana,
- Fermentum album,
- Lumen minus,
- Luna,
- Mater sicut Aurum Pater,
- Uxor odorifera, *Toxites*,
- Scoria Argenti,
- Argenti recrementum,
- Spurcities metalli,
- Fœces argenti,
- Lythargyrus,
- Servus nequam.

Argentum vivum vocatur,
- Servus Citrinus,
- Servus fugitivus,
- Servus ambulans,
- Spiritus ambulans,
- Spiritus fatuus,
- Spiritus Volans,
- Sperma Lunæ,
- Sperma acerrimum,
- Argentum Martis,
- Aqua nostra,
- Aqua Philosophorum,
- Aqua congregationis,
- Aqua mortis,
- Vomica liquoris æterni,
- Fel draconis,
- Anima mineralis,
- Aquila volans,
- Dominus elementorum,
- Coagulum,
- Draco,
- Filius fugitivus,
- Lapis noster,
- Lac virgineum,
- Ministerium,
- Mors,

Oculus auri,
Oculus argenti,
Occultum ſcientiæ,
Pater mirabilis,
Scorpio caudatus,
Serpens venenoſus,
Totum ſecretum,
Sputum acerrimum.

Aureus ſyrupus, ſic paratur.

℞. Syrupi de Cortice Citrii mali ℔ß. quintæ eſſentiæ Cinamomi, ℥ß. Tincturæ auri, ʒ.ij. Miſce, & fiat ſyrupus aureus, ſecundum hunc modum paratur, vel alias.

℞. Mivæ Cotoneotum, ℥iv. olei Cinamomi ʒij. Tincturæ auri vitæ tantundem, Miſce, fiat Syrupus aureus.

Aurum vitæ, Dr. *Eglini*, deſcribitur in *Baſilica Chymica, lib.* 1. *cap.* 8.

Anticar, vocatur: Auri gluten, Borrax, Auri fames, Capiſtrum auri, Ignotum Lunæ, Lumen amabile, Oleum aurificum, Sal tincar, Sal ſapientum.

Aurum vitæ, Hujus varia deſcribuntur genera.

1. Aurum vitæ ſuper Alembicum, deſcriptum eſt in *Baſilica Chymica, lib.* 1. *cap.* 2.

2. Aurum vitæ, ſeu pulvis vitrioli ſolis, deſcribitur in *Baſilica Chymica, lib.* 1. *cap.* 2.

Aureus vitæ ſpiritus Rulandi, Nihil aliud eſt, quàm eſſentia trochiſcorum Alhandali cum ſpiritu vini à vino Malvatico diſtillata, cujus extractionis doſis ab ℥ß. ad ℥j.

Aurichalcum, Orichalcum, Corpus majus, Cuprum, Venus, Coronarium æs.

Aurichalcum uſtum, Eſt: Calx Veneris, Cuprum uſtum.

Æs uſtum eſt, Calx Cupri, Calcinatum æs, Venus aduſta, Venus calcinata, Cyprium æs.

Axungia vitri, Cremor ſeu flos Criſtalli.

Arſenicum, vocatur lapis Falconis. *Realgar*

Arſenicum rubeum, vocatur, Auripigmentum rubeum, Terra rubea, Tinctura rubea, Ventus rubeus.

Athanor, eſt furnus philoſophicus, & arcanus dicitur, eſt furnus compoſitus Philoſophorum lapidi arcano elaborando calorem, ubi ignis ad vas non pertingit, convenientem tribuens.

In *Rhenano, pag.* 17. formam hujus exactam videre poſſis.

Aſphaltum vocatur, Bitumen Judaicum, Linimentum Judaicum, Napta, Stercus dæmonis, Stercus tenax, Stercus maris mortui, Terra lenta, Taurus.

Aurum, Apollo, Corpus rubeum, Filius ſolis, Filius unicus diei, Homo ſenex, Lumen majus, Lapis aureus, Lapis animæ, Leo, ut plerique, Ophir, Pater ignis, Rubeus filius, Sol. *Toxites.*

Aurum coctum, vocatur, Aurum limatum, Aurum malleatum, Aurum laboratum, Aurum bracteatum, Aurum ſignatum, Aurum cœlatum, Lamina ſolis, Auri folia. *Toxites.*

Aquæ ſanitatis, Componitur ex ſanguine humano ſano, florib. Chelidoniæ, melle virgineo cum aromaticis variis: Hoc arcanum vocatur à Paracelſo balſamum ſuper omnia balſama; & in Medicina vehementer commendat.

Album Græcum, Flores Melampi, ſtercus canis, ſafiri albi.

Aër Chymicus, Differt ab elementari, quæ compoſitionem mixtorum communium ingrediuntur: Aërem enim Chymicum dicimus aquam igne coagulatam, & in flores tenuiſſimæ terræ ſublimatam, quam Hermetis Avem & Aquilam dicunt, & aërem vocant, quia omnia ſecum elementa in ſe coercent: volatilia tamen & aërea quæque in terram igneam fixam & permanentem continuatione coctionis convertenda ſunt, ut hinc arcanum vitæ abſolvatur, & myſterium ſacrum elementorum omnium perfectum & abſolutum habeamus: Et ſic *Aër Chymicus* cætera elementa in ſe coercens in ignem convertimus Chymicorum, fixum & permanentem, & reliqua elementa in ſe continentem, qui totum abſolvit, & claudit vitæ arcanum, quo vita cujuſcunque rei perfectiſſimè fovetur, nutritur & conſervatur, cum vitales & ſeminales virtutes, quæ in elementis coercentur, perfectiſſimè digeſtæ & concoctæ, & maturæ ſint in ipſo vitæ arcano.

Alexander clamat, quando habuerim aquam ex aëre, aërem ex igne, & ignem ex terra, totam & perfectam poſſidebis artem.

Ariſtoteles inquit, habenda eſt aqua ex aëre, & ibi docet ex quo fonte noſtra aqua ſit exhaurienda Habita hæc aqua convertēda eſt in ignē, ex quo deinde eliciendus eſt aër, ex igne ſiquidē Chymico fixo, cū aqua noſtra fit aër, qui deinde aër convertendus eſt in ignem, ex quo continuata opera fit terra, ex qua deinde ignem habemus: Et ſic vere omnia convertimus elementa, in quorum converſione conſiſtit opus; converte elementa, & quod quæris invenies.

In converſione enim elementorum aërem Chymicum invenies, qui nihil aliud eſſe comperies quàm aquam igne coagulatam, & in flores tenuiſſimos & ſubtiliſſimos terræ converſam.

Ranarum aqua, *Rodoſtomæ*, *Rodoſtagma*, *Hydrorhodina*, } Eſt aqua roſarum.

Aqua vitæ, eſt: Vini latex, Vinum ſublimatum, Vinum igni eliquatum.

Acetum,

Acetum { Alcalhal, Halcal, Hel, Amar, Acrum Vinum.

Apium risus { Botrachium, Herba scelerata, Unguis leprosus.

Apium aquaticum { Ambrosia aquatica, Batra, Caper sylvaticus.

Acetum Rhizoticum, Describitur apud *Minsec*, *pag.* 327.

Anima Vitrioli componitur ad hunc modum.

Recipe aliquot magna capacia fictilia, quo majora & capaciora, eo meliora; imple illa aqua pluviali, & in unumquodque fictile duos, tres vel plures manipulos communis vitrioli immitte: vitriolum autem metire, adauge vel imminue pro fictilium quantitate: vitriolum in aqua colliquescat, & aliquoties circumfusum, in sole vel aëre immotum consistat, ita tamen, ne pluvia, vel res immunda in fictilia incidat: Tunc videbis animam vitrioli instar Iridis, vel caudæ pavonis in aquæ superficie natare, vario colore, quem colorem quam subtilissime cochleari, ab aqua, aliquoties in die exime, aquam circumfunde, & mox in illa quiescente, vicissim apparebit anima, quam recipe, & tantum illius pedetentim colligе quantum putabis sufficere: Et nota quando colores non magis apparent in aqua, quod exempta sit anima, quæ immisso recenti vitriolo est restauranda. Abstracta anima sub initio, est limo terræ simillima, quam sigillo immitte, & in fortissimo igne fine excandescere, tunc illa sanguinis colore tincta, erit fixa & perdurabit in flamma, nec illi minimum decrescet granum, licet plures dies ignis sentiat comburium. M.

Aqua Castitatis, invenies descriptam apud *Adrianum Mynsicht*, *pag.* 286.

Aqua dominarum, invenies descriptam apud *Mynsicht*, *pag.* 289.

Aqua narcotica, Recipe succi florum papaveris erraticor. depurati aqua solani dissolut. ℥. ij. Corticis radicis Mandragoræ, croci orientalis, vel nostri, *ana*, ℥ß. Styracis Calamitæ, ʒij. Ligni Aloës ʒj. Misce & in *B. M.* distillentur ad tertium cohobium.

Aqua Cinamomi Buglossata, componitur ad hunc modum.

℞. Aquæ Buglossæ, ℔vj.
Florum Violarum, Rosarum, *ana*, ℔ij.
Cinamomi optimi acuti, ℔. j.
Corticum radicum Buglossæ, ℥iij.
Florum Boraginis, Melissæ, *ana*, ℥j.
Species, Diarrhod. abbatis, ℥ß.
Misce, & post debitam digestionem in *B. M.* distillentur, & pro usu reserventur.

Aqua febrifuga, ℞. specier. febrifugar. de *Mynsicht*, ℥ iv-
Herbæ Centaureæ minoris, Cardui benedicti, Quinque folii, absinthii, } *ana*, ℥iij.
Macerentur in sero caprino, & in arena distillentur ad tertium cohobium.

Aqua Opthalmica, ex *Crollio* in sua *Basilica Chymica decantata*, sed non ibidem revelata præparatur in hunc modum.

℞. Cancrorum fluviat. vivorum mense *Junio*, Sole & Luna in Cancro existentibus, numer. circa 31. & pro pondere horum adde tantum herb. Chelidon. cum toto contunde hæc una, & iisdem semin. fœniculi contusi, ʒj. Fabarum marinar. præparat. Camphoræ, *ana* ℥ß.
Caryophillorum, Aloës hepaticæ, Tutiæ præpar. } *ana* ʒ. ij.
Misce & divide in tres æquales partes.

Primamque partem in *B. M.* distilla, deinde partem alteram immitte cucurbitæ, & distillatam illam à parte prima aquam affunde, rursumque abstrahe ut prima vice: tum tertiam quoque partem infer & aquas antea distillatas, omnes iterum superinfunde & tertia vice illas distilla.

Et sic verè præparabitur aqua illa de Cancris, & de Chelidonia famosissima.

Cui placet ex fœcibus calcinatis saltem potest extrahere, & majoris efficaciæ ergo admiscere.

Aqua acetosa stomachalis, componitur in hunc modum.

℞. Sacchari purissimi, ℔. j.
Confer. Rosar. Rubrar. optim. Aquæ Rosar. rubrar. *ana*. ℥. iv.
Spiritus Vitrioli bene rectificat. ℥ß.
Fiat mixtura, postea fac colaturâ, & tunc servetur in usum: exhibetur cum vino granatorum, syrup. limonum vel acetositat. Citri, aut vino Malvatico.

Dosis est saporis in acidum mutatio.

Aër, trium elementorum seorsim non capitur, sed vel Mercurio, vel Sulphure, vel Aqua permixtus manet, vel evanescit prorsus.

B.

Balsamum, quod antiquitus magno in pretio fuit apud Ægyptios, colligitur ex arboribus incisis terebinthinæ propemodum instar: Sunt enim hæ arbores, ex quibus colligitur, magnæ magnitudinis, & ad radicem usque ramosæ, duplici septæ cortice, primo duro, & crasso, secundo tenui & delicato, & quod educitur ex harum arborum incisuris, alba & limpidissima est lachryma, suavissimi odoris, & mirabilis virtutis in cicatrisandis vulneribus recentibus, & in aliis multis morbis curandis, tam internis quàm externis.

Et sunt quamplurimæ arbores, diversæ speciei in hoc novo orbe quæ balsamum fundunt, variaq; balsama efficiunt plurimarū virtutum: Et hæc omnia balsama nihil aliud sunt quàm pinguedo aquæ & aëris, seu elementorum sulphur decoctum & digestum in visceribus, & in poris harum arborum, quæ, dum tempore vernante, & æstivo, copioso fruuntur alimento, copiosum effundunt balsamum, nam illud ex alimento dependet, ex pinguiori ejus parte.

Bejæ, & *Garbilii* conjugium quid producunt, invenies *pag.* 703. apud *Fab.*

Baleriæ, Sunt maximi & prægrandes pisces, qui in Mediterraneo Mari brumali tempore reperiuntur: vivunt præda & rapina aliorum piscium, quos persequuntur, ut ex eorum carne sumant alimentum, sed habent aliud spirituale, & subtile, quod exspiratione, & transpiratione suscipiunt magnetica sua trahendi facultate, tum pulmonum vi quibus decoratur, tum calore suo naturali, & primogenio, qui spirituale illud alimentum, ad se trahit ad eorum sustentationem.

Est autem illud alimentum humidum pingue aquæ & aëris, quod invisibiliter, aquis & aëri immixtum est, ad omnia sustentanda, siquidem omnia egent illo invisibili alimento. *Fab.*

Bezoarticum { Solare, Lunare, Joviale, Martiale, Venereum,

Bezoartica, varia ſunt. { Venereum, Mercuriale, Ex Auro, Argento, Stanno, Ferro, Cupro, & Mercurio confecta.

Omnes horum deſcriptiones, in *Baſilica Chymica Crollii*, per *Hartmannum* recenſentur.

Bechium, eſt Tuſſilago.

Belleregi, ſunt Mirabolani.

Benerau, eſt Verbena.

Bolus, vocatur, { Arenat. Armenum, Bolus Armenicus, Bolus Romanus, Lutum Armenum, Terra Armenica, Terra aſtra, Terra rapta.

Butyrum Antimonii, *Mercuriale*, Liquor eſt ex Mercurio & Antimonio ſimul diſtillatis per retortam, in quo Mercurius vitæ continetur, donec præcipitatione.—Aqua diſtillata adjecta ſeparatur.

Bitumen, Limus tenax.

Bitumen avium, & *Viſcus avium*, } Gluten viſcatum.

Berinbruch, eſt lapis, quem prope Spiram, Darmſtadii ad Rhenum incolæ, ab effectu *Berinbruch*, Medici vero Oſteocollam nominarunt, cujus ſtupendam virtutem qui non audierit, legat *Quercetanum*, & *Anſelmum* de *Bood*, *Archiatr. Imperatorium*, & *Crollium*.

C.

Cobaltum, eſt Cadmia nativa.

Cabalatur, eſt Sal nitrum.

Calazia, eſt lapis pretioſus habens in ſe maculas grandini ſimiles.

Calatiæ, Homines laſcivi & impudentes. A *Caleo* nuncupantur.

Cranii humani extractum, optimum apud Chymicos paratur, inhumati.

Calx Chymica, eſt pulvis tenuiſſimus, ablutione ſuperfluæ humiditatis (præſertim ex mineralibus) factus.

Quando vero pulvis vel calx redditur plane impalpabilis, ad ſenſum inſtar tenerrimæ farinæ, tum *Alcohol* appellant Chymici.

Hoc vocabulum, ad ſubtiliſſimum vini ſpiritum reiteratis diſtillationibus ſæpiſſimè rectificatum, & omni humiditate privatum commodè exprimendum transferunt, eum *Alcohol* vini vocant.

Carbo humana, eſt ſtercus humanum.

Cardel, eſt Sinapi.

Carab, eſt Siliqua.

Cyſteolythos, eſt lapis ſpongiæ.

Cinnabaris Antimonii, ſubſtantia eſt rubea inſtar Cinnabaris mineralis in collum retortæ ſublimata inter diſtillandum Mercurium vitæ.

Catillus Cinereus, eſt vas fuſorium ex cinerum, de levi ligno elixatorum, & ab omnibus carbonibus, aliiſque ſpurcitiis defœcatorum, partibus duabus, &c. Vide *Rhenanum*, *pag.* 28.

Catinus arenarius, eſt vas terreum, in modum pilei rotundi, cum margine trium aut quatuor digitorum ex terra renaci factum. In *Confortativo* quolibet, non eſt curandum calidane res ſit an frigida, ſed vis arcani conſideranda eſt.

Si conſervare vitam velis, non ſolum *Cor* in eſſe ſuo conſerves, ſed etiam *Cerebrum*, *Hepar*, & *Pulmonem*, reliquumque quidvis in eſſe ſuo.

Nam quamvis Cor ſit centrum ipſius corporis, atque radix, quodlibet tamen membrum principale deſtructum affert mortem.

Cerebrum, eſt radix omnium ligamentorum, Cor membrorum, Hepar ſanguinis.

Proinde principalia conſerva, & minora ab his proficiſcentia, conſervaſti.

Membra enim principalia, non per ſe, ſed per accidens quoddam patiuntur; aufer ergo accidens, & ſanabis ægrotum. *Paracelſ* in prim. tomo.

Cerauno Cryſon, eſt aurum fulminans.

Chelonia, eſt lapis ſimilis oculo viperæ Indicæ.

Clyſſus, Inter Medicos coætaneos mentio facta eſt de ſpiritu ex Antimonio, Sulphure, & Sale nitri, *ana*, præpar. quem vocant *Clyſſum*, & magni æſtimant, non ſine merito, quia rectè diſpenſatus multum ægris fert commodi, *Glauberus*, *pag.* 99.

Cuculatum majus, Aqua vitæ.

Circulatorium vas, eſt vas vitreum ubi liquor infuſus, aſcendendo & deſcendendo, quaſi in circulo vocatur, uſus ejus eſt in ſubtiliationibus, & circulationibus eſt potius.

Varia hujus generis vaſa à variis ingeniis ſunt excogitata: Ex quorum numero duo duntaxat magis momenti & uſus, nobis placent, Pelicanus nimirum & Dyota, De quibus videas ſub ſuis titulis.

Caliditatem tollunt hæc quæ ſequuntur, { 1. Opiata, 2. Anodyna, 3. Styptica, 4. Laxativa. 5. Acetoſa.

Frigiditatem tollunt, { 1. Pontica, 2. Amara, 3. Cicatriſantia, 4. Abſterſiva, 5. Laxativa.

Paracelſ. tom. prim.

Calcinatio, corporis noſtri mineralis, ſeu fortis ejus deſiccatio, non fit ſolo igne, ut calcinatio vulgaris, ſed etiam cum aqua noſtra, quæ ignis dicitur, cum eo potiſſimum igne calcinatur corpus noſtrum, & in pulverem albiſſimum redigitur, quod tunc temporis cenſetur calcinatum, & non antea, de hoc corpore ita ſcribit Morienus Romanus. Si corpus immundum perfectè non mundaveris & defœcaveris, & ipſum bene dealbaveris, & in illud animam non miſeris, & ejus fœtorem non abſtuleris, donec poſt ſuam mundificationem tinctura in illud incidat, nihil penitus hujus Magiſterii direxiſti.

Calor cœleſtis, cùm ſit multo ſubtilior & tenuior calore centrali terræ, ſic habet aquam ſubtiliorem qua moderatur, quam habeat calor centralis terræ, qui cum ſit craſſior & multo pinguior cœleſti illo calore, habet craſſiorem etiam aquam & pinguiorem qua refrigeratur & moderatur.

Calor enim craſſus & ponderoſus craſſum & ponderoſum expoſtulat refrigerium.

Calor autem tenuis & ſubtilis tenuem & ſubtilem expoſtulat aquam, qua refrigeretur in corde Microcoſmi, ubi ambo reperiuntur Calores. Cœleſtis ex aſtrorum influxu & radio, & terrenus ex alimentis; ambo etiam reperiuntur refrigerati. Aër intrat per bronchia pulmonum ut refrigeret & temperet calorem innatum ſeminalem & cœleſtem; aqua verò in pericardio ſtagnatur, ut calor fixus in eodem corde terreno reſpondens ab eadem aqua moderetur, ne cor tabeſcat, & ſicceſcat continuo, & perpetuo illo fixo & fluenti calore.

Carbo

Carbo lapideus, producitur ex eadem materia, ex qua Bitumen & Naptha: nam non aliud est quam Bitumen congelatum, & induratum à copioso sale quo turget carbo lapideus, & quo differt ab ipso bitumine.

Cerebrum & cor cervi, Converte terram in ignem, & habebis magisterium; terra autem non potest converti in ignem, nisi prius terra convertatur in aquam, & aqua in aërem, qui Cerebrum cervi nostri dicitur, qui deinde facili non negotio convertitur in ignem, & sic cerebrum, & caput cor cervi nostri canibus præbetur devorandum. Dum substantia interior, & purior materiæ nostræ, traditur igni nostro digerenda, & coquenda ut tandem perficiatur & convertatur in igneam substantiam, quæ est ultima perfectio venationis nostræ; corpus, anima & spiritus differunt accidentaliter ratione tenuitatis subtilitatis & crassitiei quibus pollent, non ratione essentiæ, cujus ministerio, unum & idem sunt.

Caloris species *Rhenano* enumerantur cum eorum descriptionibus.

1. Calor Naturalis.
2. Artificialis.
3. Simplex.
4. Calor digerens.
5. Digestio in Athanoro.
6. Calor Fimi.
7. Calor separans.
8. Lenis calor.
9. Calor vesicæ.
10. Cinerum Calor.
11. Fortis Calor.
12. Calor impeditus.
13. Calor Arenæ,
14. Calor Scobis aut scoriæ ferri.
15. Calor Hyeræ.
16. Calor Carbonum.
17. Calor Flammarum.
18. Calor mixtus.

Qui balneum appellatur, quod duplex est Balneum Maris, & Balneum Roris.

Compositorum, & rerum in receptacula jam dicta positarum tria sunt genera. Alia sunt Mineralia, alia Animalia, alia Vegetabilia; & his Analoga. Et quodlibet horum trium in tres quasi species subdividitur: Mineralium enim tria sunt Metalla. Succi, & Lapides: Animalium tria, Terrestria, Aquatilia, Volatilia, Vegetabilia vero.

Tria compositorum genera Aquæ competunt; ut Aquatilia animalia, & duo mineralia, Metalla & Succi.

Tria terræ competunt, ut Plantæ seu vegetabilia, Lapides, Terrestria, Animalia.

Inter quæ etiam unum sit perfectius, & difficilis resolutionis.

Ut in Cœlestibus stellæ:
In Terrestribus lapides pretiosi:
In Aquatilibus Metalla.

Aliud imperfectius facillimæ resolutionis & brevioris vitæ:
In Cœlestibus Meteora.
In Terrestribus, Plantæ.
In Aquatilibus, Succi.

Media ratione se habent, Animalia, Cœlestia, Terrestria, & Aquatilia.

D.

Dactylides, est Lapis Lincis.
Dudaim, est Mandragora.

Dem, *Dehim*, { Et sanguis hominis.

Draco mitigatus, est Mercurius sublimatus, dulcis factus purgans.

Driff, Est { Arena, seu Terra Virginea. *Vanhelmont.*

N. B. de *Dysenteria*.

Si digestio est bona, & non est separatio, tum adest dysenteria.

Si est separatio, & est nulla digestio, tunc est Lienteria.

Si neque separatio, neque digestio, tunc est Diarrhæa.

Si adest putrefactio materiæ stomachi, tunc est fluxus ventris cum variis coloribus.

Draco Chymicus, est materia lapidis Philosophorum.

Dicitur *Draco* multis de causis quod venenosa, & malignitatis plena sit hæc materia, quod multis tingatur coloribus, viridi, nigro, lucido & leucophæo, & multis aliis coloribus varietur *Draconum* modo, & quod in vase suo: dum ignis ipsam materiam agitat, & alterat, horrida appareat, & fœtet quasi *Draco* mortuus & fœtidus, & quod igneas & calidissimas emittat exhalationes, venenatas prorsus & malignas, veluti *Dracones* & *Serpentes*, dum putrefiunt in aliquo loco.

Diana & *Apollo*, dicti uno partu progeniti à *Latona*, nihil aliud sunt quam terra ipsa & spiritus Mercurii, & anima Sulphuris, una cum spirituali sale, quod animam Sulphuris, & spiritum Mercurii simul convertit, & dum spiritus Mercurii prævalet cum spirituali sale, id *Diana dicitur*, & *Sulphur album & natura*, & *Luna Chymica*.

Dum vero anima Sulphuris prævalet in eodem subjecto, & colorat illud in rubeum colorem, tunc dicitur *Apollo noster*, *Aurum nostrum*, *Rex noster*, *Rubicundus Maritus*, & *Sulphur natura rubeum*: de quo clamant Philosophi. Rubicundus maritus candidam duxit uxorem, quod sulphur illud debet conjungi cum albo Sulphure, & simul incarcerari cum aqua sua, ut in eo carcere putrefiant, moriantur, & tandem resurgant in vitam incorruptibilem, ut reliquis imperfectis corporibus, perfectionem integram, & absolutam queant communicare.

E

Elmantes, sunt Lumbrici terrestres.

Elixir, est Liquor spirituosus infusione imptægnatus.

Eleagnon, est agnus castus.

Ens morborum quintuplex statuitur à Paracelsistis.

1. Deale quod immediate à Deo profluxit.
2. Astrale, quod ab astris in cœlo, vel iis, in homine subjectis astris exoritur.
3. Naturale, quod ex naturæ vitio pullulat.
4. Pagoycum, sive mentale, quod morbos ex imaginatione intus, vel ad extra suscitat.
5. Ens veneni, quod continet omnia venena.

Elersna, est Molybdena, plumbago.

Epilathera est particularis.

Epilathera, ad hunc modum debet considerari; quod in omnium minutissima gutta quaque anatomia microcosmi constat.

Quilibet enim Spagyricus gradus virtutis suæ tinctura est.

Et cuilibet medico intelligendum venit, in unaquaque gutta, quotquot etiam sunt, tot etiam esse integras anatomias, ut in Mictocosmis, & in Elementatis.

Veſtrum, eſt corpus hominis ſydereum, quod nobis aut mortem futuram, aut aliud malum indicat.

Paracelſiſtæ, quicquid imaginationem noſtram commovendo curationes miras promovet, Singulariter Ens pagoyum vocare ſolent.

Eſſe, primus actus vitæ.

Secundus vegetare.

Tertius gradus, ſentire.

Quartus & ultimus, eſt ratione uti & intelligere.

Quod ſi Peripathetici non attribuant vitæ nomẽ niſi ſecundo, tertio, & quarto vitæ gradui, ridendi ſunt ipſi, quod obliti ſint vitæ primi gradus; nam ſi eſſe ſimpliciter ſumat originem à ſubſtantia vitali calidi innati, & à vita ipſa, quæ eſt rerum omnium fundamentum & baſis, & centrum, è quo omnia educta ſunt eſſe erit primus vitæ gradus, & eſſe vivere erit.

Elementum, Omne quod ſenſibus noſtris objicitur non eſt terreum elementum, ſed excrementum terræ, ſeu potius eſt mors & deſtructio rerum quam earundem principium. Ex excremento enim illo inferiora hæc omnia morti & deſtructioni ſunt obnoxia. *Fab.*

Et quod in terræ viſceribus reperitur extra ſalis hujus naturam & eſſentiam eſt quid excrementium, quaſi menſtruum terræ, quod natura ſuſcipit ad generationem rerum terrenarum, ut cito pereuntes fiunt hæ res omnes, reperitur in terræ globo: duplex terra, pura & impura.

Pura eſt ſal illud, quod eſt anima & forma terræ, & eſt terreum verum Elementum, ex quo cum reliquis elementis fiunt res omnes.

Impura vero terra, eſt excrementitium quid ex omnibus abyſſi principiis ſeparatum, & terræ globo permixtum, ut hinc una cum terræ puræ, ſeu ſalis puri partibus res omnes corruptibiles componantur.

Elementa ſunt, ex quibus non ſolum res ſunt, ſed in quæ etiam alia omnia, ut in receptacula, repoſita ſunt,

Et hæc ſunt duplicia: Materialia, quæ ſe in compoſito paſſive potius habent, & non tam eſſe, quàm de bene eſſe ſunt; & horum tria ſunt.

Terra, Aqua, Aër, inferiora ſc. Elementa: Et unum formale ſeu eſſentiale, Cœlum ſeu Æther ſuperius Elementum.

Tot enim rerum ſunt receptacula: & in reſolutione Chymica, tria inferiora elementa ſe exhibent in aëre exhalantes; aqueo humore diſtillante, terreo fæculento reſidente: Ignem vero quartum Elementum in Microcoſmo alium non cognoſcimus, quam Cœlum ſeu Ætherem, ab *aithein*, ardendo, fulgendo, vel lucendo ſic dictum.

Et hæc tria, ut à Chymicis propter analogiam quandam ſic dicuntur: eadem ratione ab Hermete Triſmegiſto illo Philoſophorum antiquiſſimo, corpus Anima & Spiritus dicta fuerunt. Sal ſc. per corpus deſignatum; Sulphur per animum, Mercurius autem Spiritus eſt & ſpirituoſa ſubſtantia: Nam ut duo extrema & remotiſſima Corpus & ſpiritus per unum medium Animam ſc. in unam rem ſubſiſtentem conjunguntur, ita Sal & Mercurius per medium Sulphur.

F.

Fæcula, eſt ſedimentum ſucci cujuſque radicis, poſt reſidentiam, effuſis tenuoribus partibus exiccatum.

Filius unius diei, eſt Lapis Philoſophicus.

Filius unicus diei, eſt ovum recens.

Furnus apertus, eſt { Cujus pars ſuperior, eſt aperta. Et eſt probatorius, vel Ventoſus.

Furnus tectus, eſt { vel Simplex, vel Compoſitus.

Furnus Simplex, eſt qui abſolute ſine adminiculo alterius conſtat. Et eſt vel Calcinatorius, vel Diſſolutorius.

Furnus Calcinatorius, eſt qui rebus Calcinandis inſervit. Eſt eſt vel Cæmentatorius, vel Reverberatorius.

Furnus Cæmentatorius eſt, in quo ignis ad res cæmentandas dextrè commodatur.

Furnus Reverberatorius eſt, in quo impoſita materia à flamma reverberante calcinatur.

Furnus aſcenſorius, eſt quando aſcendendo diſſolvimus.

Furnus veſicæ, eſt qui rei in veſica diſſolvendæ inſerviat.

Furnus balnei, eſt ubi in aheno calidam continenti diſſolvimus.

Furus deſcenſorius, eſt cujus adminiculo, propellendo humorem deorſum, rem diſſolvimus. *Rhenanus.*

Fumus rubeus, eſt materia illa tenuis & ſubtilis, calida & ſicca, quæ, fumi modo & inſtar exhalationis aſcendit ex materia noſtra, & ſalem noſtrum rubeum ſeu ſolem noſtrum rubicundum conſtituit.

Fumus albus, eſt materia illa tenuis & ſubtilis, quæ ex materia noſtra fumi inſtar aſcendit, & vaporis, & aquam noſtram Mercurialem conſtituit; quæ cum ſicciori, & crudiori materiæ noſtræ parte conjuncta lunam noſtram nobis commonſtrat.

Flos cæli, eſt ſpecies Mannæ, ſed à Manna differt, quòd non dulceſcat, ſed inſipidi, ſit ſaporis, & quod Manna granulatim condenſetur, & ſuper arbores colligatur; hic vero flos acervatim cumulatur ſuper herbam, veluti magna quantitas muſci narium; frigidiſſimæ eſt qualitatis & penetrantis ſubſtantiæ. *Cœli florem*, ſuperius vidimus: *Aëris florem*, rorem nuncupamus: *Aquæ florem*, ſalis florem aſſerimus: *Terræ florem*, Ambarum dicimus, Sic omnia florent elementa.

Et hi omnes flores mirandas habent virtutes, & naturæ dona, cùm ſint partes tenuiſſimæ & æthereæ corporum, è quibus Calore innato, foras propellente prodeunt *Fab.*

Spagyrici, quæ parietibus locis concavis, & montium cavernis adnaſcitur, nitri florem, & Saturnum venerabilem canatie ſenem vocant *Fab.*

Pater, Mater, & filius proprie apud Chymicos,

Ignea, & aërea, aquoſa & terreſtris ſubſtantia, quæ in tali mixto vigent & florent, patris & matris nomen à Philoſophis ſortitæ ſunt. Cùm autem ex his ſubſtantiis, per putrefactionem, mortem & corruptionem harum ſubſtantiarum, exurgat nova quædam ſubſtantia puriſſima, à prioribus ſubſtantiis diſtincta, hæc ſubſtantia de novo exorta, dicitur filius exortus ex præcedentibus ſubſtantiis, quæ cum alterentur & corrumpantur, in exortu, & partu hujus novæ ſubſtantiæ; ideo dicuntur emori in partu hujus filii Pater & mater à Philoſophis, quem ſanguine & carne ipſorum enutriri coguntur parentes, ne intereat, ſed ad perfectionem deveniat, ſic enutritus & educatus hic filius; niſi enim tota præcedens ſubſtantia in novam & recentem convertatur, perfectio hæc Chymica exoriri non poteſt, *Faber.*

Galena,

G.

Galena, *Plumbago*, & *Molybdena*. } Unum & idem sunt, & Sic probatur.

Primum ex plumbagine nostra fossili, apud Friburg. in *Misnia*, & *Galaria*, & multis aliis locis coquitur plumbum nigrum, & argentum etiam id quod in molybdena, & Galena fieri nequit. *Plin. lib. 34. cap. 18.*

Ergo *Plumbago nostra*, est { Galena, & Molybdena,

Secundo allusio vocabuli, testatur idem esse.

Nam quod *Plin. lib. 33. cap. 6o.* aut *Hispani Galenam*, vocant, *Germani* glantz dicimus nitorem; aut splendorem. Non *Galena* vocatur à *Galecia*, nam nigrum plumbum non fit ex *Galecia*, *Plin. lib. 34. cap. 16.* quod tamen fit ex *Galena*.

Tertia *Plumbago* nostra, est coloris potissimum plumbi, atque ob id Græcis molybdena, & merito Latinis plumbago dicitur, vel lapis unde fuit plumbum.

Galbanetum, est liquor ex Galbano, de terebinth. dilutus.

Gelseminum, est Jaseminum.

Gelutta, seu *Geluta* } Est herba Carlina.

Gelutta, & *Melissa*, dicuntur à *Paracelso*, in libro ejus de vita longa renovare, & transferre morbum, sine omni virtute graduum, in reparationem videlicet & renovationem pristinæ juventutis.

Guajacum lignum, vere lignum hebenum est. *Theophrast. Paracels.*

Ganimedes, est Sulphur album. Et verus *Ganimedes*, *pag. 203. Fabri Panchymici*, quia in Cœlum rapitur, & extollitur seu sublimatur.

In primo gradu rerum, neque nocent, neque juvant res quælibet. *Paracels.*

Gradus rerum quatuor sunt, juxta ordines matricum.

Nam quæ ex terra proveniunt, primi sunt gradus.

Quæ ex aëre, secundi sunt gradus.

Quæ ex aqua, tertii sunt gradus.

Quæ ex igne, quarti sunt gradus,

Porro qua virtute singulo gradu seorsum aliud ab alio vincitur punctorum est, non graduum *Paracels.*

Gamahe, Vim obtinet astralem commovendis spiritibus & principiis Microcosmi.

Garumna, est fluvius in Pyreneis montibus ortum habens.

Est aureo & argenteo spiritu plena, unde aurum. & argentum magna in copia circa ripas & arenas suas expiscatur, non quod ex mineris auri, & argenti, seu fodinis terrestribus aquarum fluxu erodatur, sed quod spiritus ille vitalis natura, qui è centro terræ vaporum ope, sursum effertur, percoquatur in ipsius aquis, & inter arenas, tum calore solis, tum calore sui ipsius nativi, unde in omnibus aquis arenosis, reperitur illud aurum & argentum, in tenuia folia deductum.

Quod spiritus ille aureus in aquis ipsis foliarum instar coalescat, dum coquitur.

Potus hujus fluminis est saluberrimus, modo limum, & saburram terræ lutosæ deposuerit, quam in alluvionibus suis sæpissime excitatis extrahere solet, *Faber.*

H.

Horani, & nostra si velimus observatione confirmetur, cum 14. horis quatuor quos vocant humores seorsim commoveri: sanguinem ab hora noctis 9. ad horam diei 3. Bilem flavam ab hora diei 3. ad horam diei 9. Bilem atram, ab hora diei 9. ad horam noctis 3. Pituitam denique ab hora noctis 3. ad horam noctis 9. nam tanto consensu ignis naturæ, qui in nobis est, cum igne Centrali Terræ; & ignis ille Centralis cum solari consentit. *Meyssonnerius.*

Ita Oeconomia naturalis comparata est, ut bonæ plantæ adversaria nascatur proxima, & sic in aliis multis accidat, dum tamen utraque eodem tempore crescat, floreat, semina effundat & tandem marcescat: sic de spirituum natura, falsi spiritus non opprimunt, ut opprimendo, vel solvendo turbare Mercuriales possint, sed omnia moderata sunt, & sanguinis circulatio fit pacatè defluens à venis in arterias æquis intervallis per cor, non aliter ac fluvius.

Tacitis qui loniter undis
Cæruleus placidis per vada serpit aquis.

Halereon, juxta Hermetem vera aquila est. *Paracel.*

Hara, est Juniperus.

Harmat, est fructus Juniperi.

Hartwerck, est species panum æreorum,

Husacium, est sal armoniacum.

Hele, est Viscus.

Helnesed, est Corallus.

Helunhai, est annulus Salomonis in arte Nigromantiæ.

Hesnic, est quarta pars libræ,

Hidus, est flos æris,

Hisnat, est spuma argenti.

Hispanicum viride, est Viride æris,

Holsebon, *Helsobon*, *Helsaton*, } Est sal commune præparatum.

Hunc, vel *Hucci*, } Est Jupiter, Stannum.

Handel, & *Handal*, } Est Colocynthis.

Henricus piger, est species fornacis.

Heliotropium, Gemma nascitur in *Æthiopia*, *Africa*, & *Cypro*, porracei coloris, *Smaragdo* similis, sanguineis tamen distincta guttis.

Heliotropium, vere dicunt quia dejecta in vas aquæ, gemma solis fulgorem accedentem percussu sanguineo mutat, sed maximè *Æthiopica*.

Eadem gemma juxta aquam, speculi modo accipit solem, deprehenditque defectus, subeuntem Lunam ostendens.

Humores, Non est quispiam hominum dicendus Melancholicus, Phlegmaticus, Cholericus, Sanguineus absolutè: Nam sanguineus est homo omnis, cum sanguis sit pars corporis.

Quapropter dici debet, aut Mercurieus, aut Sulphureus, aut Salinus à prædominatione.

Perinde notabis, ut quod *Galenista* Choleram, Tu Sulphur rubeum dicito: Quod illi Phlegma, tu Sulphur album, cum salibus resolutis: & quod Melancholiam dicunt, tu Mercurialem humorem dicito.

Porro quod ipsi sanguinem purgare dicunt, falsum est: sed per ea Pharmaca purgant naturam salis de alumine, & Magalia genera.

Hydrophobia, est aquæ timor, ex mordicatione animantis rabidi prognatus. *Paracelsus.*

Oleum ligni *Heraclii Rulandi* patris à *Zacharia Brandelio*, adductis rationibus, censetur esse oleum extractum ex ligno *Guiacino*, ut apparet in *pag. 117. & 118.* ejus libri de Chymia edit.

Quercetanus,

Quercetanus, *Pag.* 775. affirmat oleum ligni *Heraclei Martini Rulandi*, quo in ſuis Centuriis Epilepticos ſanitati reſtituiſſe, & dentium dolores ſedaſſe, oleum fuiſſe extractum diſtillatione ex ligno Buxi, non *Gujaci*, ut antea opinabatur.

Joannes Beguinus in *Tyrocinio* ſuo Chymico, ſic ſcribit.

Paratur oleum Heraclinum, ex Corylo, dum floret: non aliter, ac oleum ex ligno *Gujaco*, & creditur eſſe utiliſſimum ad præcavendam Epilepſiam, dentium dolores ſopiendos, & vermes à corporibus profligandos, *pag.* 173.

Et huic opinioni, major pars Medicorum aſſentire videtur.

Sed Medici uti poſſunt eo, quod magis illis arridet, oleo ſecundum placitum.

I.

Jabora, eſt Mandragora.

Ignis rotæ, eſt Circulatio, per Circulatorium, quod eſt vitreum vas, ubi infuſus liquor, aſcendendo, deſcendendo, quaſi in circulo rotatur,

Varia ſunt hujus generis vaſa, ſed duo præcipuè ſunt majoribus uſus, Pellicanus nimirum & Dyota.

Ex *Jove* conficitur Sal, vel liquor Medicabilis.

Iupiter Diaphoreticus, conficitur. { Ex Jove Anglico limato, & Ex Mercurio ſublimato.

Beguinus. Pag. 334. & 334.

Inteſtina terræ, ſunt Vermes terreſtres. *Paracelſ. pag.* 38. ſuæ Chirurgiæ magnæ in folio.

Agnis elementaris, à peripateticis in concavo Lunæ exiſtere fingitur, nos autem cum Moyſe, quarto die, Creationis in ſolem concluſum eſſe aſſerimus. *Rhenanus. Caſman.*

Ignis, ſunt octo gradus.

1. Ignis ventris equi, qui eſt calidus in primo gradu, & humidus in ſecundo.

2. Ignis ſolis, Calidus eſt in primo gradu, ſed ſiccus eſt in ſecundo.

3. Ut ignis furni poſt panis extractionem, eſt calidus & ſiccus in ſecundo gradu.

4. Ignis furni fixionis. Hic fundit & figit, non comburit, quia flamma non eſt, differt à præcedenti, niſi quia in hoc eſt calor continuus, in illo non.

5. Dicitur flammalis, & eſt calidus & ſiccus in tertio gradu: Et hic in ignis furno calcinationis.

6. Eſt calidus & ſiccus in quarto gradu, & hic eſt ignis furni fuſionis.

7 Ignis follium eſt in eodem gradu, qui corpora diſſipat, diſpergit, & fundit.

8. Ignis eſt qui fundit & calcinat, & eſt flammalis, quia in ea ſola flamma operatur, & non diſſipat, ſicut eſt ignis vitrearius, & hic ignis ſicut carbones & flamma, ſed in iſto ſola flamma lignorum.

L.

Liquor, ſæpe apud Chymicos vocatur ignis. Sic oleum è Sulphure Cupri, vocatur ignis Veneris, & ens Veneris.

Ignis Gehennæ, eſt ſpecificum corroſivum.

Et ita ſcribit *Baptiſta Vanhelmont*: Ajunt Chimici vulgus cremat per ignem, nos verò per aquam, vide largius ſub titulo *Ignis*, in priore noſtro *Lexico Chymico.*

Latomus, A hevveror quarrier ofſtones.

Latomia, Aquarry ofſtones.

Laruſus, eſt auricula Muris.

Lunaria, vel *Cerebella* } Sunt conſervantia Cerebrum.

Vnde omnis herba confortans Cerebrum, hoc nomine vocari poteſt, *Paracelſ.*

Liquor Mummiæ, eſt pinguedo humana.

Liquor aquilegius, eſt vinum diſtillatum.

Liquidum reſolutum, eſt { Quod ex primo ente, vel Ex ſua natura liquidum eſt.

Lilium Paracelſi, pro tinctura Antimonii reponatur.

Lilii Paracelſ. vera compoſitio, ex libro ejus de vita longa peti poteſt, quæ tandem ad tincturam, inde extrahendam multum operæ conferre poteſt.

Eſt diaphoreticum & hydropicum inſigne magnarum virium. Quod ſi hæc tinctura Antimonii de inceps per multa cohobia, menſtruo aliquo idoneo in nobiliſſimam eſſentiam exaltetur, contracturam imprimis ex podagra in articulis externis cauſatam curat feliciter. Si obſervatis obſervandis ad diætam legitimam pertinentibus, & corpus mundificantibus, quotidie aut alternis diebus, gutta una, è tinctura exaltata, cum vehiculo appropriato in aurora exhibeatur, & ſudor vel in lecto, vel in laconico procuretur (quod in declinatione contracturæ fieri debet) & ſic nulla contractura arthritica reſiſtit.

Hujus tincturæ Antimonii compoſitionem *Beguin.* docet. *fol.* 425.

Lupus, Antimonium eſt.

Laudanum, quaſi *Laudatum* medicamentum, quod vim opiatam ſive ſomniferam habet. 1. Quod compoſitum eſt, aliquando Laudanum vocatur. 2. Simplex Laudanum Minerale denominatur, cujus plures ſpecies, primas tenet Sulphur vitrioli narcoticum.

Ludus, eſt Tartarum humanum, & in fundis matularum, poſt longam urinæ reſidentiam plerumque conſpicitur.

Laxativum, Quodlibet Laxativum, duo in ſe habet mala. Alterum quod debilitat, alterum quod plerumque plus ſecum evacuat, quam par eſt: Ea igitur utenda ſunt cum magna cautione, vel omnino præcavenda.

In primo gradu non eſt opus confortatione contra debilitatem laxativi.

In ſecundo gradu, conforta cum Cinamomo, cariophillis, zedoaria, calamo aromatico, & ſimilibus. In tertio gradu, per nucem moſcatam, folium Indi, grana Juniperi.

In quarto gradu, per terram ſigillatam, corallum album & rubeum, carabe, ſericum crudum, os de corde Cervi, & ſimilibus.

Ut mitiges laxativum utere anodynis, & narcoticis, *Paracelſus.*

Lixivium, vocatur { Aqua Saponaria, Aqua prima, Capitellum, Cauſtica ſpuma, Gutta prima, Saponaria gutta, Spuma Batava.

Lac Lunæ, eſt Agaricum ſaxatile. *Reſcenberg. p.* 30.

Latona, Terra eſt noſtra quam ſumimus ad Alchymiam peragendam, & hæc terra chymica, præ rebus omnibus aliis creatis virtute, & energia excellit, aurum enim, & argentum, reliqua metalla, & lapides pretioſos omnes in ſe coërcet, imo perfectionem omnium animalium & vegetantium in ſeipſa recludit: Sed cum impura ſit & fæculenta, ut arti noſtræ profit ejus impuritates, & fæculenta excrementa

excrementa separanda veniunt, & hoc est apud Chymicos, faciem Latonæ dealbare. Quocirca humiditatem ipsius terræ radicalem, seu sanguinem ipsius Latonæ, ex venis ipsis exhaurire oportet ut ex essentia & puritate illius, faciem ipsius Latonæ dealbare valeamus, alioquin nihil utilitatis habemus ex Lotione Latonæ nostræ, nisi ex puritate ipsius sanguinis aquam faciamus, qua sola & non alia uti debemus ad dealbandam faciem ipsius Latonæ.

M.

Mastic, est impropria cujusmodi calx præter Minium & Cerussa *Billich. pag.* 41.

Metallum omne, est Mercurius coagulatus.

Magale, vel *Magalium*, genus est: Quicquid fit ex mineralibus, quod ex oleitate consistere potest, proinde pars quælibet corporis non purgando, sed mundando curatur.

Mercurii Manna, Componitur ex Mercurio in aqua forti soluto, & postea in aqua Marina præcipitato, *Beguinus*.

Mercurius Emeticus, sursum præsertim, nonnunquam deorsum movet, hic doceatur modus unus, vel alter si placet,

Fit ignitione per duas horas, per inferiora tantum purgat longiori spatio diaphoreticus evadit. *Beguinus*.

Mellosi, sunt lumbrici terræ.

Melga, est Salamandra.

Matorium, est { Ammoniacum, vel / Galbanum.

Medicina, Nullo utaris in medicina superfluo, in componendis receptis.

Nam quo plura conveniunt in receptis simplicia vel composita, eo indoctior Medicus præscribens censetur: Nullum enim receptum ultra sex simplicia, in se habere universaliter debet *Paracelsus* de gradibus.

Mistura, ex tribus spiritibus, est artificialis & Philosophica commixtio spiritus Tartari correcti, aquæ Thericalis Camphoratæ, & spiritus vitrioli rectificati.

Myagros, est herba Camelina valens contra morbos oris.

Mumia secundum Paracelsum, est caro hominis violenta morte perempti, & aliquandiu in aëre servati, cujus extractionem, sed mysticam docet *Paracelsus, lib.* 3. *cap.* 10.

Alias vocatur ab illo Mumia patibuli, non liquamen illud in sepulchris Ægyptiorum inventum, in quibus cadavera humana, aromatis condita multos per annos servata fuerunt.

Mundi elementares partes, aliæ sunt Continentes Terra & Aqua, scilicet, quæ Aëre involvuntur: aliæ Contentæ & hæ sunt duplices; simplices defluentes à continentibus, Mercurius ab Aëre, Sal ab Aqua, Sulphur à Terra.

Aliæ compositæ inhærentes continentibus, à quibus separatæ moriuntur.

Harum nonnullæ aëri, & sunt vel imperfecte mixtæ, ut Meteora, vel perfecte, ut Homo, Quadrupedes, volatilia, & reptilia quædam.

Nonnullæ Aquæ vel imperfecte mixtæ, ut Zoophyta aquatilia: vel perfecte, ut Pisces.

Nonnullæ Terræ perfecte mixtæ ut Plantæ, quæ à terra avulsæ marcescunt, & moriuntur, ut etiam Metalla Lapides.

Mors, Mors & Mortificatio, nonnisi Animæ à corpore exitit separatio, & Corporis in elementa & principia resolutio; nam axioma Chymicum est. Quando aliquid redit in id quod antea fuit (ut in resolutione Metallorum, quæ omnium difficillima est) sæpius accidet, signum illud esse ultimam resolutionem nondum factam, nec animam à corpore separaram.

Quando autem non redigi potest aliquid in id, quod antea fuit, jam ultima resolutio, & mortificatio facta.

Et forma separata ab Elementis & principiis, & ultimum scopum assecutus est Chymista.

Animam tamen puram & omnino separatam non habebit, sed in tinctura aliqua, quam vocant, consistet.

N.

Nectar, est Confectio albuminis ovorum.

Nepentes, est Laudanum quoddam, videas compositionem in *Beguino pag.* 231.

Nitri calcinationem & spiritum videas in *Beguino, p.* 151.

O.

Oleum Metropium, *Oleum Thasium*, *Oleum ex nucibus Græcis*, *Oleum amygdalarum*.

Oleum aliquando accipitur pro igne, uti *à Vanhelmont*.

Elementum ignis Veneris, seu ens Veneris, sumitur pro *Oleo* Sulphuris ex cupro.

Ovum, filius unicus diei, sumitur pro Vitello ovi *Toxites*.

Ovorum olea, } Compositiones habeas in
Ovorum aquæ, } *Beguino*, *pag.* 163. 164.

Opium, separato Sulphure, *phlogisto*, fœtido, & immaturo, est anodynum.

Opium Thebaicum, censetur esse optimum & præstantissimum, quod ex Cairo advehitur, albicatque, ut etiam vult *Galenus*.

Nec minoris virtutis est illud quod ex Cambaia hodie affertur.

Ex *Syria* vero & *Alexandrina*, & aliis regionibus allarum, nigrum & minus bonum est *Beguinus pag.* 238.

P.

Proteus, est Mercurius, qui se in omnes formas vertit, & denuo propriam recuperat.

Aliquando hujus nomine, vel charactere ☿ insignitur.

Ploma, est herba verbascum.

Pæonia, recte collecta & præparata, est arcanum Epilepsiæ, *Paracels.*

Pavonis stercus, rite præparatum, valet Comitialibus.

Plumbum, vocatur { Aqua omnium metallorum. / Capricornus. / Corpus minus, / Corpus immundum. / Malipodium, / Dominus terræ, / Dominus Metallorum.

1. *Plumbum cinereum*, est quasi sui generis metallum.

Nobilius quiddam est plumbo, deterius argento, & est quasi medium inter species plumbi & argenti,

Metallum unde conflatur, est simile galenæ, unde coquitur plumbum nigrum, sed à galena differt in illo, quod inficit manus tractantis nigrore, nisi plane sit solidum.

Porro solidum cum est, friabile non est, ut galena ipsa, sed secatur,

Est nigrius aliquanto genere argenti rudis

secundæ

ſecundæ ſpeciei, quæ eſt plumbei coloris, licet in ſe metallum illud cinerei plumbi, non raro aliquid argenti continet, & quo loco effoditur argentum, plerumque ſubeſſe ſignificat.

Hoc metallum neſcivere Arabes Chymiſtæ, alias plura feciſſent corpora metallica.

2. *Plumbum candidum*, impropriè ſtannum dicitur, & non ſunt idem.

Plumbum candidum noſtrum, nigro plumbo eſt purius & perfectius quiddam.

Conflatur apud nos, ut plumbum nigrum, tum ex pyrite, tum ex galena.

Plinius & Cæſar, candidum plumbum in *Britannia* provenire teſtantur.

3. *Plumbum nigrum*, *molybdon*, excoquitur vel ex galena, vel ex pyrite fit.

Putrefactio, eſt reſolutio commiſtorum, cum partes inter ſe commiſtæ reſeratis clauſtris internis, operante calore per humorem & reſolvente diſcedunt.

Et hæc eſt via ad præſtantiſſimas illius alchymiæ operationes, facitque non tam Elementa, quam eſſentias Cœleſtes ab elementari compoſitione ſeparatas.

In his attendere oportet, ne fiat reſolutio univerſalis, ſed duntaxat eo uſque, quo capſulis reclusis exire eſſentia poſſit, in qua craſis ſubſtantialis radicata eſt. Hinc patet in miſtis recedentibus magis ab elementari ſimplicitate, aliquid interius eſſe præter elementa, quod putant incombuſtibile & à naturali putrefactione novam ſubſtantiam producit, dum conſiſtit.

Reſolutio iſtiuſmodi duplex eſt. Putrefactio & reſolutio per medicinam.

Pyrites, eſt parens ſex ſuccorum.
1. In quo Chalcitis ignitur.
2. In quo Sory,
3. In quo Melanteri.
4. Cinereus, è quo atramentum continenter effloreſcit.
5. Argentei Coloris in vena argenti vivi.
6. Cromenavius in *Moravia*, ex qua ſuccus in dies exſtillat, qui Sulphuri rubeo pellucido ſimilis eſt.

Pyronomia, ars ex igne præſaga, cum ignis aſtrâ ſe palam faciunt hominibus, ut inde veri notitia prorumpat ejus quod quæritur, ablato quovis dubio, vel ſuſpicione.

Exemplo ſit, quod de buxo fertur, à foliis ejus in ignem projectis ſingulis eorum, de quibus habetur ſuſpicio nominibus inſcriptis, folium ſentis crepitare, & exilire fertur.

Non aliter de conjecturis futurorum multorum ſimul fieri poſſe putat.

Q.

Qualitas, apud Spagyros, eſt omne id quod membrum quodvis principale defendit, ut in Cerebro, inter piam matrem & Cerebrum.

Quinta eſſentia, Dicitur à quibuſdam Medicina κατ' ἐξοχήν.

Ab aliis vocatur Elixir, ob inſignes virtutes quas in præſervatione corporis humani à variis morbis exercet.

Ab aliis cœlum, duplicem ob rationem.

1. Quod ſicut cœlum non ex quatuor elementis, ſed materia quadam ætherea, & quinto quaſi elemento factum nec corruptioni ulli obnoxium eſt.

Ita & quinta eſſentia vera, ab omnibus fæcibus elementorum ſecreta, & quamvis non incorruptibilis, ad eam tamen ſubtilitatem, tenuitatem, & ſimplicitatem ſpiritualem, redacta, ut nihil heterogenei à quo corrumpi poſſit in ſe continere videatur.

2. Deinde ſicut cœlum in hæc ſublunaria potenter agit, rebus omnibus vitam largiendo & conſervando.

Ita hæc quinta eſſentia corporis humani valetudinem conſervet, juventam extendat, ſenectam removeat, & omne morbi genus abigat.

Quinta eſſentia,
Corallorum,
Metallorum,
Mineralium,
Marcaſitarum,
Perlarum.
Sanguinis humani.
Tartariſat.
Vini.

Compoſitionem horum habeas apud *Beguinum*, *Pag.* 472. ad 459.

R.

Raxach, eſt Ammoniacum.
Ramed, eſt Rhabarbarum.
Radix Metallorum, eſt Antimonium ♁.

Roſa vitæ, Fit ex
Aquila vitæ, &
Auro puriſſimo,
Beneficio ſpiritus
Salis extracta, &
Inſtillatione in ſale Margaritarum.

Regulus Martis ſtellati, compoſitio deſcribitur apud *Beguinum*, *pag.* 297.

Rubinus arſenici diaphoreticus, deſcribitur apud *Beguinum*, *pag.* 390.

Reſolutio, quinque ſe offerunt in Reſolutione.

1. Æthereum illud Corpus, ſpirituoſa ſubſtantia, Mercurius.

2. Sulphureum quoddam corpus, ſeu oleaginea ſubſtantia ſulphur dictum: quæ duo tantæ ſubtilitatis ſunt, ut ſi non bene reſerventur, ſæpius evaneſcunt in auram.

3. Sal quantumvis craſſius virtutem tamen non obſcuram habet.

4. Phlegma eſt aqueum Elementum.

5. Terreum eſt elementum caput mortuum dictũ: quæ duo mortua ſunt & nullarum virium

S.

Satyrionis radicem, *Paracelſus* appellat Buteonem, in libro tertio de vita longa, *Cap.* 11.

Sanguis Satyrionis, eſt liquor ſanguineo colore ex radicibus Satyrionis cum pane piſtis, & longa digeſtione, quaſi in oleum ſanguineum, liqueſcentibus.

Sal Petræ, Vocatur
Flos parietis,
Fæx nitri,
Nitrum Græcum,
Sal ſtolidum,

Sal alkali, Vocatur
Sapa ſapientum.
Dominus lapidum, & fixorum.
Sal herbarum.
Sal panum cinere factus.

Sal gemmæ, vocatur
Criſtallus mineralis.
Sal Criſtallinum,
Sal Cappadocium;
Sal Lucidum,
Sal Metalli,
Sal Taberzet, id eſt,
Album.
Sal Adram.
Sal Hungaricus.

Sal armoniacus, vocatur
- Anima sensibilis,
- Aqua duorum fratrũ ex sorore,
- Aquila,
- Lapis Aquilinus,
- Cancer,
- Lapis Angeli conjungentis,
- Sal Lapidum,
- Sal Alocoph.

Sardon, est herba similis apio, quæ mordicata, maximum causat risum, unde mors sequitur.

Sacranus color, est Color purpureus.

Sarcion, est lapis coloris rufi. *Carnation colour.*

Sarcoma, est superfluum carnis incrementum, quo ultra modum corpora saginantur.

Sarcophagus, est lapis quidam vocatus Carnivorus, quoniam cùm cadavera in illo inhumantur, consumit corpora infra spatium quadraginta dierum, dentibus solummodo exceptis.

Non est absimilis Terræ figulinæ, vocatur Acheldama in Scriptura, *Sandes* in ejus relationibus, & *Baptista Vanhelmont.*

Septem, In igne sunt septem Planetæ.

In aqua septem Metalla.

In terra septem Herbæ.

In aëre sunt septem Tereniabin.

Et in animalibus sunt septem principalia Membra, *Paracelf.*

Separatio Elementorum, vide *Ruland pag.* 430.

Spiritus vitæ, est spiritus qui versatur in omnibus partibus corporis, quomodocunque versentur.

Et omnia membra, sive sint mobilia, sive non, unicum habent spiritum vitæ, cujus est eadem in omnibus, virtus, vis, & operatio, unde omnia membra vivunt.

Et in nobis vitæ spiritus vivit in forma fumi, ratione secundæ generationis, quæ fit post primam naturam, *Paracelf.*

Spuma duorum draconum, est Butyrum Antimonii, vide supra.

Stannum, vocatur
- Dominus æris,
- Plumbus argentarius.

Stibium in medicina, est virtutis recognitæ, & nunquam laudatæ satis, rectè & Spagyricè tractatum, ut apud *Basil. Valentinum*, & alios optimos authores, amplius investiges, quicquid blaterant ignari Mysochymici.

Stillus, est Antimonium.

Sulphur, vocatur
- Fumus acerrimus,
- Ignis terræ,
- Insidiator pervigil.
- Lapis Cherubinicus,
- Pyr Solis,
- Scorpio,
- Spiritus Vegetans,
- Terra fœtida.

Aqua Sulphuris vocatur
- Aqua rubea,
- Aqua crocea,
- Aqua fœtida,
- Aqua mortua,
- Sanguis animalis,
- Compositum album.

Sulphur Solis, describitur ab *Hartmanno*, *p.* 119. 120.

Sulphur vivum, vocatur
- Sulphur fossile,
- Lapis pyroneus,
- Lapis sulphuris,
- Sulphur Judaicum,
- Sulphur sine igne.

Sulphur vitriolicum, est Sulphur à vitriolo decoctione tractum per aquam communem cui innatat.

Sulphur, est
- Nativum, &
- Factitium.

Nativum est fossile ex fodinis, vocatur apyron, quasi sine igne, vel quod ignem non experiatur.

Estque Sulphur simplex naturalis à vulgo vivum quod causat, & est Elementum Metallorum.

Ruland. enumerat tres species; Natura calefacit, concoquit, & concutit.

Sulphur, concrescit in terram gleboſam & solidam, & propriè Sulphur vivum dicitur, & eo solo utuntur Medici.

Transluceat, resplendet & viret, & est pingue, & id excellit.

Spiritus, Omnis spiritus fixatur cum calce sui generis.

Sal peregrinorum, compositio fit ad hunc medum.

℞. Salis nitri, salis fusi, salis gemmæ, *ana.* ℥. j. Calangæ, Maceris, Cubebarum, *ana* scrup j. fiat pulvis.

Istius salis ℥. iv. Alcool vini exsiccati ℔. ß. Extrahatur sal Alkali, hujus accipe ℥. ij, Liquoris granorum Juniperi, cist. j. reduc in compositum.

Hæc est ejus præparatio in additione, quam *Hermes* in maximo pretio habuit, ad vitæ longæ conservationem. *Penotus.*

Sol cum Igne naturæ, Luna cum Sale, Venus cum Sulphure, & Mercurius cum Mercuriali spiritu anticipis naturæ harmonicè consonat. *Meyson.*

Spiritus Mercuriales, Esurini dicuntur, quod esurire faciant, quod est de omnium Dogmaticorum consensu.

Sal prædominatur in pituita; Mercurius in Aëre matrice sua Liene continetur; Sulphuris sedes est in Hepate sub dominio Veneris, nam Hepar est vera terra ejus, & matrix in qua purificatur à suis excrementis, quæ Mars accipit in felle, ut Saturnus in sentina Lienis.

Sulphur, conservat ignem naturæ.

Sapores. Hippocrates advertens insignes differentias saporum admixtas esse rebus, nec ex crasi elementorum eas esse, ipse dulci-acido-acerbo-amaras eas vocat.

His ortus morborum adscripsit, & absolvi curationes etiam dixit, qua sane in re ad veritatem propius accessit.

Theophrastus verò *Paracelsus*, artis chymicæ insigniter peritus, hujus ope invenit sapores hos insignes, & quicquid qualitatum, facultatum, & actionum rebus inest, ratione principiorum Salis, Sulphuris, & Mercurii inesse.

Et ab his, Morborum ortus, & Medicamentorum, & curationis indicationes sumpsit.

T

Terra sancta, *Martinus Rulandus* pater vocat Crocum metallorum terram sanctam, *Beguin. pag.* 292.

Terra vitrioli dulcis describitur apud *Beguinum*, *pag.* 375.

Usus illius est in emplastris & hæmorrhagiis narium, habet enim vim emplasticam & Styptiçam, *pag.* 375.

Est salis Colcotharis per calcinationem ad dulcedinem reductio, eluendo ejus salsedinem, *Beguinus, pag.* 374.

Tinctura, aut Sulphur Narcoticum vitrioli, est insigne anodynum, reliquis omnibus merito antereferendum, quod *Paracelsus* summopere commendat, & magni æstimat.

Describitur apud *Beguinum*, *pag.* 431.

Terra Lemnia, vocatur etiam { Terra Saracenica, Terra ſignata, Rubrica Lemnia, Minii gleba, Minium Lemnicum.

Terra Eretria, eſt ſpecies quædam ceruſſæ.

Terra foliata Tartari, fit hoc modo.

Affunde acetum Tartaro bene calcinato, q. v. veluti extracturus eſſes ejus tincturam; Evapora inde phlegma, & rurſus affunde aliud acetum; idque tam diu continua evaporando, & affundendo, donec ſentias acetum in evaporatione.

Tunc tuus Tartarus erit animatus & niger, affunde ei aquam vitæ, tunc ſolve, filtra & coagula.

Hoc toties reiterato, uſque dum terra reddita ſit foliata, ac candidiſſima.

Theriaca, invenies theriacarum varia genera Chymica, & Galenica in Pharmacopœa Spagyrica Milli, *Pag.* 349. & 350.

Tinctura vocabulô Chymici non intelligunt (ut vulgus opinatur,) colores ſimplices à miſto ſeparatos, vel exaltatos.

Sed colores eſſentiæ rerum & qualitatibus formalibus à concreto corpore extractis inhærentes.

Tinctura, nihil aliud eſt quàm arcanum ſpecificum cum eſſentia, & qualitatibus formalibus etiam colorem rei habens, ut in ſui ſimilem naturam tingere poſſit, adſtipulante *Libavio*, Libro ſecundo, de Alchymia, tractat. 2.

Tincturarum variæ ſunt differentiæ.

Aliæ paſſivæ dicuntur, quæ extrahuntur, ut tinctura roſarum, &c.

Aliæ activæ, quæ ſcilicet paſſivas extrahunt, & ipſas tincturas communicant, ut magiſterium ſapientum *Crocus*, &c.

Item tinctura alia eſt naturalis:

Alia artificialis:

Quædam animalis:

Quædam Metallica:

Alia ſimplex:

Alia compoſita:

Quæ interdum olea dicuntur, interdum ſpiritus, interdum quintæ eſſentiæ, prout magis ab his participant, vel cum aliis.

Tegula fornicata, eſt vas terreum ventilabris, & oſtio pervium, oblongum, ad tegendum catillos, ne operæ polluantur favillis, utque calor eo temperatius elaborare poſſit formatum.

Quidam hanc tegulam cum fundo connectunt, alii fundum ſegregatum ab illo faciunt, ſecundum diverſum cujuſlibet arbitrium.

Teragolmien, eſt manu confecta.

Tereniabin, eſt Manna.

Terdina, eſt Valeriana.

Theriaca Germanorum, eſt compoſitio facta ex granis maturis & recentibus Juniperi, in mortario marmoreo contuſis, cum aqua pluviali diſtillata, ut videas largius apud *Beguin. pag.* 231.

Hoc medicamentum putant quidam à *Paracelſo* eo nomine tributum eſſe, verum in ejus ſcriptis, id non invenitur.

Sed electuarium Juniperinum proponit Conſil. Tomo 3. *pag.* 105. longe meliùs hac theriaca.

Talci, ſpiritus compoſitio recenſetur à *Beguino*, *pag.* 134.

Tincturarum, varia genera apud *Beguinum* recenſentur.

Tinctura Antimonii, eſt ejus eſſentia fixata.

N. B. Inter veteres, { *Hermes*, & *Pythagoras*.

Inter recentiores noſtro ævo. { *Arnoldus* de Villa nova, *Raymundus Lullius*, *Comes Treviſanus*, & *Theophraſtus Paracelſus*, Palmam obtinuere. *B. V. pag.* 71.

Theriaca Mulierum, componitur ad hunc modum.

℞. Theriacæ Andromach. ℥ iij.

Bezoartici Jovial. ℥ß

Cornu Alcis, & Cervi Spagyricè calcinat. *ana* ℥ j. ß.

Extract. radicum Angelicæ, Enulæ Campanæ; *ana* ℥ j.

Eſſentiæ Caſtorei, ℥ß.

Magiſt. Matr. perlarum & Corallor. rubror. *ana* ſcrup. j.

Olei ſuccini ℈ ß. Miſce, & cum Rob. Baccar. Sambuc. fiat ſ. a. Electuarium.

Terra matrix, Sulphuris eſt.

Turreis, eſt lapis, quem Bood, & experientia mille teſtimoniis in caſu à fractura, oſſa deſilientia conſervare docent.

Terra pura, nihil aliud eſt quàm Sal Coagulatum.

Sed Sal illud habet reliqua duo principia, { Sulphur, & Mercurium.

Ratione quorum producendi habet virtutem, & nutriendi efficaciam, unde Anima terræ vere dicitur, cujus ope & virtute ſuas exercet facultates. Hinc ſi privetur ſuo ſale, privatur etiam virtutibus omnibus, præcipuè pullulandi, germinandi, & enutriendi.

Ut apparet in Vitro, quod vera terra eſt igne lota, ſed emortua, & privata ſuo ſale.

Unde ſterilis, & infœcunda, nullaſque virtutes & proprietates habet.

Hinc colligere licet virtutes omnes, quæ innumerabiles, hujuſce terreni globi dependere,

A ſale, quod includitur intra terræ corpus & virtutes ipſius ſalis, quod eſt terreum verum Elementum, dependere tanquam ab agente præcipuo.

A ſpiritibus vitæ, qui in eo ſunt innati, & à ſpiritibus cœleſtibus nutriuntur, & ſuo innato calore, ſalis corpus in terra indicant, & in centro ipſius virginem illam unicam Rheam dictam, cœli & terræ filiam producunt, quæ eſt rerum omnium productrix, & conſervatrix. *Fab.* 42.

Tria principia, *Moſes* in ſecundo Capite non ſaltem mineralia intelligit.

Per { *Sahab*, *Bdola*, & *Schoham*,

Sed principia rerum etiam notat, { *Mercurium*, *Sulphur*, & *Sal*.

Aurum enim ſeu *Sahab*, abſolutiſſimus & perfectiſſimus *Mercurius* eſt.

Bdola, Margarita eſt ſeu Unio, optimus & præſtantiſſimus ſuccus, ſeu oleagineus, *Sulphur* denotans.

Schoham, Lapis concretus craſſioris inter principia Salis concreti ſignaculum exiſtit.

V

Vellus aureum, fit ex rore collecto Menſe *Maii* ex tritico ante ortum ſolis, cœlo ſereno, loco aperto, expanſo linteo, & in diſcum expreſſo, & in vas fictile effuſo.

Paratur citra vim ignis arte nova. *Beguinus.*

Venter equi, ſeu ignis ventris equi, ſolutionis corporum vel ſpirituum, inſtrumenta multa ſunt, quorum unum dicitur *Venter equi*, & fit in duobus vaſis,

in

in quorum uno est aqua, in alio fimus equi, ubi est phiala cum medicina, statque in furnello, & desuper comburitur levis ignis, ut aqua tantum evaporet & non bulliat: ibique est Canalis per quem additur aqua quando minuitur.

Proprietas hujus ignis est, quod non destruit oleum, sed augmentat propter suam humiditatem.

Nam alii destruunt propter siccitatem.

Et uti puer ex calido & humido augmentatur, sic equi ignis augmentat oleum sua humiditate.

Ignis equi non fundit, neque comburit, sed domat, & humidum augmentat.

Vitreum vas, quod tantum ex vitro conflatur, est { Phiala, & Circulatorium.

Vide amplius de illis, in suis locis.

Vitrum, vocatur { Lapis omnium colorum, Leo viridis, Minor mundus, Ovum Philosophorum Sager, Vas circulare, Vas secretum.

Unicornu solare, est medicamentum ex auro, ad perfectionem egregiam elaboratum.

Vomica liquoris aterni, est argentum vivum.

Vitriolum Romanum, *Beguinus* scribit Cyprium & Romanum merito suspecta esse debent, quod sint fere adultera, sophisticata, varia, & diversorum colorum, formarum, & virtutum, & quod Romæ nullum vitriolum foditur.

Vitrioli liquor, est { Arcanum optimum in morbo caduco, Et est oleum de Colcothar.

Vitriolorum, sunt diversa genera. { Jovis, Lunæ, Martis, Solis, Veneris, Veneris & Martis. } *Hermophroditicum*.

Hæc omnia describuntur apud *Beguinum*, & alios Authores.

Unicornu Solare, Quemadmodum Unicornu in regno animali ab omnibus hominibus, præsertim à Magnatibus, magno habetur in pretio.

Ita *Unicornu Solare*, in regno minerali, magni est æstimandum propter maximam fixitatem, & solidam perfectionem, modum componendi proposuit *Hadrianus à Mynsicht*, *pag.* 5.

Unicornu Minerale, etiam invenies apud eum, *pag.* 1.

Ventus Chymicus, Venti sunt thesauri naturæ, nec est aliquid in tota natura, ventis ipsis pretiosius & nobilius, vita siquidem & anima rerum omnium, ventis deportatur ad res omnes.

Est enim Ventus spiraculum vitæ temporalis, quod alio vehiculo deferri non potest rebus omnibus nisi ventis.

Et ventus nihil aliud est, quàm tenuissima & subtilissima hujusce materiæ pars, quam ignis naturæ, seu lumen cœleste, quod huic materiæ inest sursum elevat, & fit vapor & ventus, qui summopere custodiendus est, alioquin tota Alchymia esset inutilis.

Custoditur autem ventus ille & vapor, si in vasis vitreis, per quam optimè obturatis, dum erit à materia sua, & corpore contineatur, nam frigiditate vasis, & aëris in vase concluſi, ventus ille, & vapor fit tandem aqua, & Pluvia Chymica, quæ terram suam irrigando fœcundat.

Non secus ac in magno mundo, vapores & venti, qui calore naturali terra sursum in aëre pelluntur frigiditate aëris, & ipsius humiditate, convertuntur in pluviam & aquam, quæ super terram decidit, & suo irroratu ipsam fœcundat, quia tenuissima & subtilissima inferioris elementi pars, quæ reliquorum elementorum vires & energias in se coërcet.

SUBSECTIO SECUNDA.

PETRI IOH. FABRI *Medici Regii Gallici Celeberrimi* Manuscriptum *ad Sereniss. Holsatiæ Ducem* D. FRIDERICUM *olim transmissum, Res Alchymicorum obscuras extraordinariâ perspicuitate explanans. E Musæo* GABRIELIS CLAUDERI.

Salutem, & quæ Christianus.

VÆ offero curiositati, Honorande Lector, promissum in Tractatu meo de Tincturâ Universali Manuscriptum Medici post sua fata adhuc viventis, P. J. FABRI.

Si Rerum Physico-Chymicarum es gnarus, facilliimè subolfacies, Opusculum hoc alterius laude, aut, veluti vinum vendibile, hederâ neutiquam indigere, siquidem tam accuratâ perspicuitate desiderata proponit, ut, salvô tamen doctiorum judicio, pauca habeat paria, superiora pauciora.

Offero quidem Tibi, cùm Magnalia Dei sint divulganda, Resque Physicæ à dignis & eruditis magis magisque perscrutandæ. Candidè tamen Te priùs monitum velim, ut antequam dubiam hancce ingrediaris palæstram, caute priùs Tecum habites, an humeri sufficiant, oneri huic vehementi terendo, an legitimam vocationem ad Opus hocce tam serium apud Te reperias, ac verè piô propositô Dei honorem & proximi commodum sis propagaturus, si dignus cœlitus judiceris, ut εὑρηκα, εὑρηκα, *illud proclamare, Tibi concederetur.*

Cùm notum sit genuinis Artis Filiis, Deum omniscium paucis-pauciſſimis Regale hoc donum concredere solere. Hôc enim scopô, nisi innitatur labor & conatus Tuus, idemsanè erit, ac cum furiente gladium ipse Tuæ manui intruderes; atque impostorum experieris oleo & operâ perditâ, quòd lapidem laveris, quòd bona tua pro lapide dilapidaveris, ac quod contra Philosophi, lupanar ingredientis, monitum, pœnitere tanti-tanti emeris. Vale & fave.

Tuo ad officia utilia paratissimo GABRIELI CLAUDERO D.

Altenburgi, Calendis Julii 1690.

FRIDERICO D. G. Regni Norvvegiæ Hæredi, ac Duci Gleſvvici, Holſatiæ, Stormariæ, & Oſthmarſorum &c.

PETRUS JOHANNES FABER,

LUDOVICI XIV. Galliarum Regis Conſiliarius Regius & Medicus ordinarius *S. P. dicit & præcatur.*

TANTA fuit, & jam eſt tam eximia benevolentia & amicitia Tui erga me, Sereniſſime Princeps, ut nec potuerim, nec debuerim eam ſilentio præterire, quin ipſam publicò ſcriptô patefacerem: Scripto quidem non vili & inutili Tibi Tuiſque, ſed ſummè neceſſario & pretioſo, tanquam pretium inæſtimabile continens: ut benevolentia & amicitia Sereniſſimi Principis erga me, ſi fieri poteſt, in dies magis ac magis accreſceret & augeretur. Si quid enim eſt in rerum ſerie, quod benevolentiam & amicitiam augere poſſit, eſt donum inæſtimabile, & Theſaurus inexhauſtus, fons divitiarum perennis & perpetuus. Nullas ad me ſcripſit Sereniſſimus Princeps epiſtolas, ut de tali Fonte ac Theſauro perenni certiorem & doctiorem facerem Principem. Non ergo egebat Sereniſſimus Princeps majori doctrina, quam præſenti, cum genio quo donatus eſt, quo occulta, ſi quæ ſint, referabit ac patefaciet. Legat ac relegat Sereniſſimus Princeps Tractatum hunc, Lectura enim uſus reliquos, quotquot ſunt, antiquorum Chymicorum libros claros & patentes faciet, & eorum obſcuritatem delebit. Lumen enim ſummum accendit in tenebris, ac fugat ipſas: obſcuriſſima ſiquidem Chimicorum Scripta & axiomata clariſſimè interpretatur, & explicat in gratiam Sereniſſimi Principis. Accipe ergo Sereniſſime Princeps munus hoc cum benevolentiâ & amicitia qua Te mecum devinxiſti & obſtrinxiſti: etenim ad optatum & deſiderium deveniet, modo patientia & otio ſummo utatur. Patientia ſiquidem & otio ſummo eget Opus noſtrum: feſtinatio procul eliminanda tanquam diabolica. Semen enim metallicum cum longo labore perenni, & continuo percoquendum eſt, ut ad maturitatem deveniat, & deponat fæces ſuas inutiles ac ſuperfluas. Non enim niſi puriſſimo ſemine metallico egemus, reliquum tanquam inutile & ſuperfluum rejicimus, & de puriſſimâ metallicâ ſubſtantiâ mercuriali noſtra opus noſtrum peragimus, ut omnes teſtantur Chimiæ autores, ei ipſa natura fidem facit. Nam de puriſſima illa ſubſtantia, non vulgari, aurum & argentum operatur. Sic ars imitando naturam hanc ſolam ſubſtantiam puriſſimam accipit, & de ipſa ſola opus ſuum perficit & complet, ut videatur clariſſime per totum in toto hoc ſequenti Tractatu. Vale Sereniſſime Princeps, & me ama indies magis ac magis, & ero Tuus, verè Tuus ero ſervus. Datum in Ædibus noſtris die 15. Maii 1653.

CAPUT I.

An Lapis Philoſophorum ſit in rerum Natura.

ANtequam demonſtremus, quid ſit Lapis Philoſophorum, perquirendum eſt, an ſit in rerum ſerie & perſiſtat in rerum Natura; multi quidem ſunt naſutuli, & genium ſummum ac acutum ſe putantes habere, qui exiſtimant non exiſtere, nec eſſe in rerum ſerie aliquid, quod metalla imperfecta omnia in verum aurum tranſmutet & reliqua omnia defectum patientia omnino perficiat; at ſi mentem haberent ratione præditam, talia abſurda non excogitarent. Aurum ſiquidem & argentum ſunt in rerum natura, & præ manibus omnium feruntur, & omnium oculis objiciuntur, Cùm ergo aurum & argentum ſit in rerum natura, neceſſe eſt aliquid eſſe, ex quo fit aurum & argentum; non enim creantur de novo à ſummo rerum creatore, ſed fiunt à natura ex materia certa & reali: illa autem materia, ex qua fit ☉ & ☽ perſiſtens in natura, haberi poteſt, & in tantum perfici, ut cum auro conjuncta, reliqua imperfecta metalla perficere queat ſua perfectione. Nam ſi ſola ſimplici coctione naturali in venis montium concluſa aurum efficiat: quid faciet ſi Coctione artificiali multoties iteratâ in vaſe puro vitreo, cum auro conjuncta perfectè iterum coquatur, & ſummam perfectionem acquirat, ut penetret, & poros metallorum imperfectorum adeat? nonne imperfectionem illam penitus fugabit & longiſſimè propellet? Datur autem illa ſubſtantia ex qua fit ☉ & ☽, & ſic in tantum perfici poteſt arte Chimica, ut ſubſtantia metallorum imperfectam perficiat & abſolvat. Ergò cæcus eſt, & verè cæcus, nec animam habet rationabilem, qui lapidem Philoſophorum in rerum ſerie negat perſiſtere. Si argumento huic & rationi fidem adhibere nequit, legat Hermetem Trismegiſtum, Gebrum Arabem, Raimundum Lullium Hiſpanum, & multos alios ferè infinitos autores, qui omnes aliis argumentis & rationibus probant, Lapidem Philoſophorum eſſe, & ipſum ſe ipſos feciſſe & præ manibus habuiſſe: Autoritati tantorum Philoſophorum eſt adhibenda fides; aut aſinorum numero adſcribendi, qui tanta abſurda ex mente ſua deponere nequeunt, fortaſſe, vellent penitus doceri ut haberent hanc artem, qua Aurum & argentum facerent ad libitum; Spectent hoc quæſo: Cœlum potius aurum pluet & margaritas, antequam id fiat: Dii ſudoribus & laboribus omnia vendunt & potiſſimum hanc artem, in quâ acquirendâ ſummopere laborandum & deſudandum eſt. Ergo exiſtimandum eſt, & firmiter credendum, Lapidem Philoſophorum eſſe ac perſiſtere in rerum natura, cùm materia & ſubſtantia, ex qua fit ☉ & ☽, exiſtat, quæ omnino perfici poteſt ut perfectione

ſua

suâ arte acquisita perficiat omnia defectum patientia, sic concludere possumus Lapidem Philosophorum esse & persistere in rerum naturâ.

CAPUT II.

Lapis Philosophorum quid sit in rerum Natura.

EX Capitulo præcedenti colligere possumus quid sit lapis Philosophor. Cùm asseruimus ipsum esse materiam seu semen ex qua fit ☉, ☽, & reliqua metalla, sed hoc nimis obscurum est iis, qui Artem Chimicam summis tantum labris degustârunt. Videndum jam, est, quid sit hæc materia & hoc semen metallicum: non enim videtur illud semen in metallis, & proinde multi negant ipsum, qui non vident: oculatum enim habent cerebrum; credunt tantum quod vident. At Hermes Trismegistus asserit, metalla habere semen, ex quo crescant, dum asserit, in sua Tabulâ Smaragdinâ, superiora esse ejusdem naturæ ac inferiora. Animalia siquidem & vegetabilia, quæ sunt in superficie Terræ, & verè superiora sunt habent semen, ex quo crescant: ergo & inferiora, quæ sunt mineralia & metalla, quæ in inferioribus terræ crescunt, habent etiam semen, ut & superiora animalia puta & vegetabilia: non ergo negandum est metalla ac mineralia habere semen, ex quo fiant & crescant. Sed quale sit istud semen, & quâ ratione fiat in rerum natura, jam perquirendum: semen enim animale & vegetabile fit ex elementis & cœlo, sequenti via: cœlum suis radiis & influxibus, quod illis inest purissimum projicit in elementa & potissimum in centrum Terræ, hinc digeritur & percoquitur naturali centrali ipsius terræ, tum à se ipso, donec purissimum illud Cœli & elementorum omnium fiat Corpus, & hoc corpus fiat spiritus; itaut hæc substantia transeat primo in corpus ex spiritu, & hoc corpus iterum in spiritum, qui unione & conjunctione frequenti cum suo corpore tandem fit spiritualis substantia, habens corporale quod fixum quod dicitur à Philosophis sulphur naturæ, quod tandem in venis montium concluſum centro suo fixo figitur in metallum: quod si purum sit, transit in aurum purum; si impurum, abit in imperfectum metallum, & secundum variam ac distinctam suam impuritatem varia & distincta impura metalla sunt. Et hoc est semen verè metallicum, ex influxu Cœlesti, & purissimis elementorum substantiis Conflatum, quod dum sublimatur, & circulatur per poros Terræ, variâ inquinatione perfunditur; Cùm impuritatem reperiat in poris Terræ impuris & inquinatis, ex quâ impuritate, ut dixi, varia nascuntur metalla imperfecta; utpote plumbum, stannum, argentum vivum, ferrum & cuprum. Si vero purum istud semen in rupibus puris concludatur, coquitur à suo ipso naturali Calore, & naturali Calore ipsius Terræ, in ☉ & ☽. hoc ergo semen metallicum est centrum in matricibus metallorum, ceu locis, ubi generantur Metalla, id est verè lapis philosophor. quia ex ipso puro & purissimo facto coctione artificiali fit lapis, ex quo perficiuntur omnia defectum patientia, unde metalla imperfecta perficiuntur in aurum vel argentum; Cùm talem defectum patiantur in arte Chimica: non mutatur hic lapis & substantia idem omnino est qualis est in natura; sed nesciunt eô uti homines: abutuntur eö, ubi nihil omnino prodest, sed potiùs malum, quàm bonum operatur.

CAPUT III.

Quale habet Corpus Lapis Philosophorum, & qua veste induatur.

HOc Caput totam Artem complectitur, & detegit Sapientibus qui Leonem chimicum cognoscunt, notô enim corpore Leonis nostri, seu Lapidis Philosophorum, reliquum, quod supereſt, nihil aliud est, quam opus mulierum: & ludus puerorum: Coquere tantùm debemus tunc temporis, & patientiam & otium habere, ut perficiamus opus tám desideratum. Si lapis sit quinta essentia cæli & elementorum omnium, Corpus aliud habere nequit, nec alia indui veste, quàm salis Corpore & veste: dum enim coquitur hîc spiritus in Centro Terræ, Coctione illâ non potest indui aliâ veste, quam salis; in sale enim istô videmus omnia elementa: videmus ignem propter calorem & insignem flagrantiam; videmus aërem propter raritatem & candorem; videmus aquam propter diaphaneitatem & humiditatem; videmus Terram propter corporeitatem & massam compactam; videmus Cælum propter insignes Solis, Lunæ & stellarum omnium Virtutes & proprietates, ita, ut causæ omnes, quæ ipsum fecerunt Salem, in ipsô coërceantur & conspiciantur. Quid ergo desiderabimus ampliùs in tantô & unicô subjecto, quod dicitur Lapis Philosophorum, & tamen non est lapis, nec naturam lapidis habet: dicitur tamen Lapis, quia funditur & liquescit in Aquâ; quod non faciunt lapides. Nec enim liquescunt in aquâ & dissolvuntur imo magis ac magis indurantur & crescunt. Aqua enim omnium Lapidum mater & origo, spiritu venereo Lapidis nostri in Aqua persistente, qui materiam Lapideam indurat, & coquit in mediis ipsis aquis. Lapis ergo noster, seu semen Metallicum nostrum & quinta essentia Cœli & elementorum, aliô non potest indui corpore & veste, quam salis. Calor enim ingens in tali materia reperitur, corpusque salis efficit, & naturâ ipsâ postulante. Quia, cùm natura ipsa ex ipso Corpore & Spiritu omnia formare, & procreare debeat, non potest ex alio corpore, quam salis id efficere, quia, sal ad omnia generanda & procreanda proclivis & aptus est. Alia siquidem corpora id efficere nequeunt absque reductione in materiam illam, quæ prima omnium est. Illa autem prima materia non potest reduci in aliam substantiam, aut daretur in infinitum progressus: sed postquam omnia reducta sunt in illam primam materiam, tunc fiunt variæ generationes & infinitæ ex illa materia secundum dispositionem illam materiæ ab agentibus variis, quæ illam materiam variè disponunt, & ex illa producunt omnia mixta producibilia. Concludendum ergo est lapidem philosophorum non alio corpore ac veste indui posse, quàm salis; qui in omnibus Locis, ubi nihil generari potest, reperitur & sedem habet ubi enim generatur aliquid, in eo impenditur illa materia.

CAPUT IV.

Quibus Nominibus insigniatur lapis Philosophorum.

NOn possunt recenseri omnia nomina, quibus insignitur Lapis Philosophorũ, aut maximum exinde exurgeret volumen. Nominibus siquidem

rerum omnium, quæ in rerum natura exiſtunt, inſignitur & nominatur: ſed præcipua & quæ arti noſtræ proſunt, declarabo, & rationes, quibus moti ſunt Philoſophi Chimici, ut his nominibus inſignirent lapidem hunc, patefaciam & explicabo; Dicitur ergo imprimis: Materia rerum prima, quia verè materia hæc rerum omnium prima eſt, & res omnes ex eâ oriuntur, & in illam reducuntur per putrefactionem Naturalem. Dicitur etiam Microcoſmus, quia in ipſa continentur omnia elementa, & Cœlum & proprietates omnes Cœli & elementorum omnium in ipſâ coercentur; cœlum enim, ſol & luna, & ſtellæ omnes in eo comprehenduntur, unde dicunt Philoſophi: in noſtro ſubjecto unicò & verè ſunt Sol & Luna & ſtellæ omnes conjunctæ, & perinde in ipſo ſubjecto ſunt tot & tantæ virtutes, ut ſatis admirari nequeamus. Dicitur etiam lapis Aquilæ, quia in ipſò continetur alius lapis in ventre ſuo occultus. Lapis ſiquidem philoſophorum verus & abſolutus ex ipſo conficitur & perinde in ventre ejus occultatur. Dicitur & Aqua vitæ: reſuſcitat enim Regem noſtrum mortuum, h. e. Aurum, quod verè mortuum fuſione vulgari, dum ex fodinâ ſuâ excoquitur. Spiritus enim ille aureus fuſione evaneſcit & proinde concidit vita ipſius. Vitâ ademptâ & evaporatâ mortuum dicitur aurum; Cùm verò redit, & ipſo conſociatur, dicitur vitam recuperare, & à mortuis reſuſcitari. Dicitur Aqua vitæ, cùm omnes homines ab omnibus morbis vindicet, & vitam illis proroget. Dicitur Venenum, quia metalla enecat, & res omnes, ad putrefactionem conducit, ut inde regenerentur, & ad meliorem ſtatum perducantur. Dicitur & Spiritus, Cùm ſit volatilis, & in Cœlum evolet & clarificet metalla, omnia, iiſque vitam largiatur, tanquam vetus vitalis ſpiritus. Dicitur Medicina ſumma & unica, cùm curet omnes, tum hominum, tum metallorum infirmitates. Dicitur Cælum, cùm hæc materia ſit incorruptibilis, ut cælum, & quaſi cælum operetur inviſibiliter & ſpiritualiter in res omnes naturales. Dicitur Nubes: dat enim aquam cæleſtem, pluviam & rorem, quibus irroratur aqua ſua propria, ut fructum ferat, i. e. Mercurium ſuum. Dicitur Ros. Decidit enim ex aëre aquamque cum ſuis germinibus refocillat & imprægnat, ut inde lac virginis prodeat & ſcaturiat. Dicitur Umbra; obſcurat enim aquas & elementa, & cauſatur eclipſes Solares & Lunares Dicitur Luna, cùm ſit ejus proprietatis & naturæ, frigida & humida, & ſimili modo in inferiora operetur, & ſortiatur lumen à ſole ſuô. Dicitur & Stella ſignata & Lucifer, cùm in opere præluceat manè & veſperi, quod viſu admodum mirum eſt. Dicitur Aqua permanens, aqua vitæ metallica, aqua foliata incorruptibilis; perſiſtit enim in igne, aëre & terra & à nullo elemento corrumpitur. Dicitur etiam Aqua ardens & ignea. Liquefacit enim omnia metalla, plùs quàm omnes carbones & flammæ, quod & ignis præſtare nequit. Dicitur etiam Sal nitri & petræ; habet enim ejus proprietates & qualitates & extrahitur eodem & ſimili modo. Dicitur etiam Lixivium, quia lavat & abſtergit ſordes metallicas, & proprias ſuas, itaut puriſſima deveniat. Dicitur & Sponſa, mater, conjux, Eva & eſt verè Talis. Ex eâ enim naſcûtur regi noſtro Filii regii. Dicitur etiam Virgo pura & immaculata. Manet enim pura & caſta, etſi pariat filios: eoſque & maritum proprium ſtrangulat & enecat, eoſque iterum reſuſcitat in vitam incorruptibilem & immortalẽ. Dicitur Lac virginis, cùm ejus liquor ad modum lactis egrediatur è terrâ ſuâ, & in vas recipiens coaguletur in butyrum, quod calido diffluit & frigidò coagulatur. Dicitur Sanguis, quòd rubeſcat ut ſanguis & rubedinem efficiat, contineatque ſpiritum vitæ, uti Sanguis. Dicitur Balneum quòd lavet & purificet regem noſtrum, & metalla omnia ſudare faciat. Dicitur Acetum fortiſſimum, quod rodat metalla & ea ſolvat. Dicitur plumbum, quòd ſit materia gravis & ponderoſa, & quod nigreſcat, ut plumbum. Dicitur Venus naturæ, quod ardeat & conficiat omnia, & maturet & coquat. Dicitur Sputum lunæ, quòd à luna cæleſti in aquas projiciatur, veluti ſputum. Dicitur Serpens & Draco, cum devoret & abſumat metalla cuncta, & venena in ſe contineat. Dicitur Magneſia, quòd attrahat & alliciat metalla & præcipuè ſolem & lunam propter eorum perfectionem. Dicitur Limus, quod ſtercoret aquam ſuam, & fæcundam faciat & fertilet. Dicitur Ens Metallicum, & verè eſt, cùm Corpora Metallica ex eo fiant, & originem habeant. Dicitur Materia omnium formarum; dat enim ipſas, perficit & conſervat. Dicitur Iris propter colores varios, qui in ipſa apparent, tanquam in iride. Dicitur Cahos, quod omnia elementa & virtutes cæleſtes, in ipſa confuſa ſint & indiſtincta. Dicitur aliis infinitis nominibus & nuncupatur, quæ explicatu non ſunt neceſſaria; quia hæc Superiora ſufficiunt, ut reliqua cuncta explicari poſſint ad Autores Chimicos intelligendos. Intelligunt enim omnes hanc ſolam & unicam materiam Univerſalem & Catholicam, quibuscunque nominibus, ceu veſtibus eam veſtiant & induant.

CAPUT V.

An lapis Philoſophorum cum Terrâ ſuâ & Spiritu ſufficiat in ſe ipſô ad ultimam perfectionem obtinendam.

CLamant omnes Philoſophi Chimici, qui perfecerunt Lapidem Philoſophorum, ſubjectum unicum eſſe in rerum natura, quod in ſe ipſo habet quicquid illi neceſſarium eſt ad perfectionem ſuam ultimam & abſolutam obtinendam. Nihil enim intrat in compoſitionem ipſius alienum & extraneum. Abundanter enim habet, quod habere debet ad ſuam perfectionem: ſuperflua tantùm demenda ſunt, quæ ſunt fæces ſuæ, quæ non ſunt ejus naturæ, & dum fæces hæ ſeparatæ ſunt, coctio tantùm illi neceſſaria eſt, perennis & continua, ut ultimam perfectionem acquirat. Nec Sol aut Luna vulgaris illi addenda ſunt ad perfectionem, quia lapis ipſe habet in ſe ſolem & lunam, quæ ſunt illi conjuncta in centrô ſuô. Unde aiunt Philoſophi. Lapis noſter perfici nequit, niſi Sol & Luna ſimul conjungantur in uno ſubjectô, quod in hoc ſolô reperitur. Naturaliter enim in eo conjuncta ſunt ☉, ☽ & ☿, imò in ipſo ſunt inſeparabilia: Unde illi ſubjecto inſunt omnia neceſſaria ad perfectionem. Unde aſſerunt & clamant Chimici. Eſt in Mercurio quicquid quærunt ſapientes. Quia in ſubjectô noſtrô, qui verus eſt Mercurius, ſunt omnia neceſſaria ad perfectionem; eſt etiam in eo Sal & Sulphur & Mercurius, corpus, anima & ſpiritus, unde trinus & unus eſt, quia illa trina conſtituunt unum ſubjectum homogeneum. Quod enim in eo eſt frigidum & ſiccum, dicitur Sal vel corpus; quod verò in eo eſt calidum & igneum, dicitur Sulphur ſeu anima, quod verò in eo eſt frigidum & humidum dicitur

Mercurius.

Mercurius. Sed coctione continua & perenni illa tria convertuntur in unum hac ratione, frigidum & humidum convertitur in calidum & humidum, & tandem in calidum & siccum; & sic convertuntur elementa quæ in materia nostra reperiuntur, confusa & distincta, & fiunt unum elementum ignem & siccum. Et sic sal, quia in materia est nostrâ, convertitur in mercurium, & mercurius convertitur in sulphur fixum & permanens, quod omnia perficit, & verum est vitæ balsamum; Unde vitam restaurat ac renovat, in omnibus naturæ mixtis non solùm in metallis; sed etiam in animalibus & vegetabilibus cunctis: Sic lapis noster habet in se omnia illi necessaria ad perfectionem absolutam obtinendam. Nec aliud quærendum est, & illi addendum, sive sit metallum perfectum, sive imperfectum; uti clarius videbitur capitulo sequenti.

CAPUT VI.

An aurum vel argentum, vel quodvis aliud metallum requiratur ad perfectionem lapidis nostri consequendam.

VEriſſimum est ac certissimum, metalla quæ materiæ nostræ intima sunt, ac illi materialiter juncta ac implantata sunt sufficere ad perfectionem suam; ut capitulo præcedenti declaratum est. Nihilominus tamen, sola metalla etsi perfecta admodum sint, cùm sint volatilia & tardè coctione nostrâ figantur, Philosophi consulunt, aurum vulgare vel argentum illi addendum esse, ut citius figantur hæc metalla lapidis nostri volatilia, & ita citius perficiantur. Perfectionem enim ultimam obtinere non possunt, quin perfectè figantur & rigorem ignis pati possint. Nec aurum, nec argentum vulgare extranea sunt lapidi nostro. Cùm sint ejusdem naturæ cum his ipsis, quæ lapidi nostro insunt intima, quæ quidem cùm sint perfectè cocta, & natura fixa, fixatione perfectâ figunt, coquunt, & maturant ea, quæ non sunt omnino cocta, neque fixa, & omnino matura: & ideo illa addimus, ut citiùs matureſcant & figantur, & sic citius terminentur in bonum; nam Mercurius fixus & perfectè à natura coctus & maturus, additus mercurio non fixo, crudo & immaturo, citiùs perficitur & terminatur in bonum perfectum; & sic alia principia, quæ in auro & argento perfectè cocta & matura, sua perfectione ultimatâ reliqua principia ejusdem naturæ, quæ incocta sunt lapidi nostro & immatura, perficiuntur & terminantur, ultimâ perfectione eorum additione: ita ergo concludimus & asserimus, nostro, Lapidi nihil addendum, ut suam ultimam & absolutam perfectionem acquirat, nisi ut citius terminetur, & perveniat ad ipsam perfectionem, aurum vulgare addendum esse, vel argentum: quia sua perfectione & maturitate citius perficiunt aurum & argentum, quæ sunt lapidi nostro in intimis suis Thalamis, & receſſibus.

CAPUT VII.

Quare Lapis noster sit Trinus & Unus.

SUmmus rerum omnium Creator voluit Imaginem sui ipsius mundo huic creato relinquere & suæ Trinitatis & Unitatis symbolum aliquod impingere alicui Creaturæ. Artifex enim quilibet suis operibus imaginem sui relinquit. Sic summus Artifex mundum tunc creando voluit creaturis imaginem sui relinquere, ut unusquisque Philosophorum naturam rimando & perscrutando, Deum ipsum videret & cognosceret. Lapis noster ubique reperitur in omnibus naturæ mixtis, & ubique Trinus est & Unus; Trinus, cùm in eo sit Sal, Mercurius & Sulphur, & hæc tria unum constituant subjectum homogeneum & similare. Et perinde unus est Lapis, & sic, in eo reperitur Trinitas & Unitas, ac in Deo. Ut enim Pater in divinis producit ab æterno Filium, & à Patre & Filio procedit Spiritus: sic & in nostro Lapide similitudine quâdam & symbolo Sulphuri quod se habet ut Pater, procedit Sal, qui se habet ut Filius, & ab his duobus procedit Mercurius verus, tanquam Spiritus Sanctus, qui omnia agit, fovet & servat. Unde Sendivogius, novi Luminis Autor, sic ait: Unus dedit duos, & duo unum dederunt Spiritum Sanctum, & sic creatus est mundus, & sic erit ejus finis: Omnia enim in unum transibunt, ut ex uno creata sunt, & sic erit finis rerum omnium. Quia omnia naturæ mixta in principia resolventur, & hæc principia, quæ sunt tria, transibunt in unum principium: & sic erit finis hujus mundi. Sic ergo concludimus, Lapidem Philosophorum esse Trinum & Unum, & symbolum habere Divinitatis, quod est Trinum & Unum.

CAPUT VIII.

Qualis sit Philosophorum Mercurius, qui in se omnia necessaria habeat ad Lapidem Philosophorum consequendum?

HIc Mercurius non est vulgaris & communis, qui vulgariter venditur apud Mercatores, & currit ut aqua, nec madefacit manus, cùm propter siccitatem suam non adhæreat tangenti; quæ siccitas cohibet humiditatem, & impedit, ne humectet. Noster Mercurius & omnium Philosophorum est alius, & distinctus, ac diversus ab ipso. Non madefacit manus, cùm sit sal, & ex salinâ scatebrâ ducat originem ex subtili aqua, subtiliqúe Terra conflatus. Differunt tamen hic Mercurius & vulgi qualitate, cùm noster calidus sit & humidus. Alter vulgaris frigidus sit & humidus, & sic non humectet. Et Mercurius vulgaris quanto magis coquitur, tanto magis manet fluidus & aquosus. Noster verò quantò magis coquitur, tanto magis inspissatur. Vulgaris quantò magis coquitur, tantò magis terrificatur, & in terram non fusibilem & impuram convertitur; Noster verò quantò magis coquitur, tantò magis inspissatur, in talem tamen fusibilem, & igne permanentem convertitur. Hinc facilè colligitur, Mercurium Philosophorum non esse ullô modô vulgarem, nec ullô modô educi posse ex eo, sed tantùm esse humidum radicale metallicum, quod in Lapide Philosophorum reperitur. Unde Sendivogius asserit, Mercurium Philosophorum nihil aliud esse, quàm humidum aëris caliditate mixtum; quod idem est, ac humidum radicale metallicum, caliditate mixtum; oportet enim necessariò illud humidum esse calidum, propter Sulphur innatum, quod in se habet, beneficio cujus coagulatur & figitur in metallum perfectum; si purum & à fœcibus terreis vindicatum sit. Hinc

colligere poſſumus, Mercurium Philoſophorum nullô pactô eſſe Mercurium vulgarem, & ipſum habere omnia neceſſaria ad Lapidem Philoſophorum conficiendum, cùm in ſe habeat ſulphur, & ignem naturæ ſummopere depuratæ, quæ ſufficiunt ad perficiendum opus Philoſophorum, ex teſtimonio omnium Autorum. Sic concludemus, Mercurium Philoſophorum eſſe humidum radicale metallicum ſeu humidum aëris caliditate mixtum, habens in ſe in centrô ſuô omnia illi neceſſaria ad perficiendum opus noſtrum: ut teſtantur omnes Autores, quorum authoritati fides eſt adhibenda, cùm ipſi viderint & palparint ea omnia quæ ipſi aſſerunt. Quocirca nullo pacto ipſa falſa putanda & exiſtimanda ſunt.

CAPUT IX.

Quale ſit Sulphur Philoſophorum, quod Opus noſtrum cum Mercurio perficiat.

MErcurius Philoſophorum explicari non poteſt, quin & ſulphur eorum explicetur. Sunt enim unum & idem in eodem ſubjecto, nec poſſunt ſeparari; quod enim calidum eſt & igneum in Mercurio, eſt Sulphur; quod verò humidum eſt Mercurius. Mercurius ſiquidem ſemper caliditatem illam naturalem & innatam ſecum habet, & caliditas illa nunquam in Mercurio etiam ſeparatur ab humidô iſtô, unde dicitur ab omnibus Philoſophis, Mercurium habere in ſe Sulphur innatum bonum, quô humidum ſuum coagulatur in aurum. Eſt ergo ſulphur Philoſophorum calidum illud radicale quod ineſt Mercurio, rebuſque omnibus, cujus ope & beneficio res omnes ad maturitatem conducuntur & ad perfectionem ultimam & abſolutam. Unde Mercurius Philoſophorum ſolo & unicô ſuo Sulphure maturitatem acquirit & perfectionem, unde in aurum perfectum abſolvitur. Unde ſi aurum liquidum eſſet & penetrabile, verum eſſet elixir ad vitam & ad abſolutam perfectionem rerum omnium & metallorum. Sed non poteſt naturaliter coctione in liquidam & penetrantem ſubſtantiam transformari, quia natura vaſis in naturalibus, ubi Mercurius in aurum excoquitur, non poteſt iterum atque iterum Mercurium purum & liquidum illi addere: quia liquiditas & penetratio dependet ex ſolô Mercuriô, qui cùm ſit liquidius, & ſummopere penetrans, liquidam facit ſubſtantiam, quia ſuperabundat. Unde Ars Chimica in Lapide Philoſophorum conficiendo addit ter aut quater, aut pluries coagulato Lapidi Mercurium ſuum, ut copia mercurii liquiditatem & penetrationem efficiat in lapide: adeò ut lapis noſter aliquando liqueſcat in oleum fixum liquabile, & nunquam coagulabile in ſubſtantiam firmam & duram. Supereſt ergo, Sulphur Philoſophorum eſſe calidum innatum Mercurii ab eo nunquam ſeparabile, quo ſolo Mercurius maturitatem ac perfectionem acquirit, & in aurum tranſmutatur.

CAPUT X.

Quale ſit Sal Philoſophorum cujus ope Mercurius & Sulphur perficiantur in Lapidem Philoſophorum.

CHimici antiqui omnes de Sale Philoſophorum, cujus ope & auxilio Mercurius & Sulphur Philoſophorum perficiuntur in elixir, nullam mentionem fecerunt. Ratiô autem, qua ad tale ſilentium ſunt moti, fortaſſe eſt, quia ipſi noluerunt clavem Artis patefacere. Sal enim noſtrum eſt vera clavis Artis, & abſque illo nec ſulphur nec Mercurius in lucem patefieri poſſunt. Sal enim ipſa occultat & obſcurat, & captiva tenet, tanquam in carcere, ne egrediantur. Unde Sendivogius Tractatu ſuo de ſulphure aſſerit, ſal & ſulphur in fonte, vel circa fontem clariſſimum & limpidiſſimum altercari inter ſe ipſa, & præliari inter ſe adeò, ut ſulphur à ſale in fonte vulneretur, è cujus vulneribus non exivit Sanguis, ut deberet, ſed lac purum, quod in recipiente coagulatur in butyrum, totius operis noſtri fundamentum, ut in eo Tractatu de Sulphure, Sendivogius clariſſimè demonſtrat, aſſerendo, Lac illud, ſeu butyrum in magnum accreviſſe fluvium, in quo Diana ipſâ ſubmerſa eſt, & Sol volendo Dianam ipſam ſalvare à naufragio, traxit Diana Solem & ambo ſubmerſi ſunt in tali fluvio, ibique manſerunt, donec à mortuis ſurrexerunt. Quod omne Lapidem inde confectum indicat lynceos oculos habentibus. Sal ergo Philoſophorum, quod in hoc capitulo perquiritur eſt Clavis artis abſoluta, & eſt ſal illud, quod Cælum omne, Solem & Lunam, ac ſtellas omnes & elementa continet & ſecum concludit, & unà cum Mercurio & Sulphure coercetur in uno & eodem Corpore; quod enim in Mercurio & Sulphure, ſeu in humido & calido radicali metallico corpus efficit, ſal eſt: illa enim duo corporificantur à Sale ipsô. Unde ſine Sale nil in arte noſtrâ efficere poſſumus, nec Mercurium noſtrum & ſulphur videre & palpare valemus. Et qui ſine ſale illô operatur in arte noſtrâ, is cum arcu ſine chorda ſagittat. Qui ergò ſcit ſalis illius effectionem, ut inde Mercurius & ſulphur noſtrum egrediantur & appareant, ſcit fundamentum artis. Studendum ergo eſt, & libros antiquorum omnes perlegendos habemus, ut ſal iſtud primò cognoſcamus, & ejus effectionem: ſine enim effectione ipſius ſalis non poſſumus habere nec mercurium, nec ſulphur ad opus noſtrum perficiendum, at cum effectione ipſa volatilia facimus, quæ in illo fixa ſunt. Abſque aurem illa volatilitate Sulphur & Mercurium in ſale concluſa & captiva tanquam in carcere, habere non poſſumus; & niſi ipſa volatilia habeamus, ipſa depurare non valemus, nec perinde elixir noſtrum perfici poſſet. Cùm ex puriſſimis metallicis principiis ſolùm perficiatur, quæ ſolummodo & effectione & ſublimatione haberi poſſunt, ut frequenti capitulo clariſſimum fiet.

CAPUT XI.

De Solutione ſalis noſtri, ut per ſublimationem & deſtillationem Mercurium & Sulphur noſtrum habere valeamus.

SAl noſtrum difficile ſolvitur, & ſiquid eſt in totâ arte difficile & laborioſum, hoc eſt ſolutio ſalis noſtri. Cum magna enim difficultate, & longo labore putreſcit & ſine putrefactione confici non poteſt. Putrefacere ergò priùs ipſum debemus, antequam ipſum ſolvamus, antequam ergò putreſcere ipſum facianus, ipſum ſummopere purificare debemus, purificatur autem ipſum ſolvendo in aquis ſtillatitiis pluviæ vel roris ſepties rectificatis, & ipſum congelare debemus, & deſiccare ipſum ſolutum deſtillando, & demum efficere, & deſiccare,

donec

donec ad summam & ultimam aurificationem deveniat. Tunc temporis dum purissimum est, & ab omnibus heterogeneis rebus vindicatum, ipsum solvere debemus in maximâ quantitate spiritus sui ipsius, qui etiam septies debet destillari, ut vindicetur pariter ab omnibus heterogeneis suis; ipsumque solutum suo ipsomet spiritu putrefacere debemus in balneo aquæ tepentis per quadraginta dies, aut per duos aut tres menses, donec putrescat & nigrescat in ipso balneo. Tunc destillanda est materia per retortam in cineribus, & super id, quod in fundo remanet, cohobandus est Spiritus, donec egrediatur ut Lac, & coaguletur in recipiente in frigido coagulabile, & calido solubile, & liquabile velut butyrum, quod septies est destillandum in novis & recentibus retortis. Et habes sic verum & perfectum Mercurium Philosophorum, qui per se coctione perenni & perpetua figi potest in sal fixum & permanens quod est verum Elixir. Quod quidem si ad metalla transformanda eò uti velis, projiciendum est super aurum in tigillô liquatum, & sic sal istud aurum ingreditur, & in sal frangibile & friabile permutatur; solubile tamen & liquabile levissimo calore; quod quidem dum est auro imprægnatum, projectum super imperfecta, ipsa transmutat in aurum: quod quidem qualiter & quô tempore faciendum, sequenti Capitulo clarum fiet & manifestum.

CAPUT XII.

Quo Tempore Coctionis Mercurii nostri metalla perfecta illi sint addenda?

SUnt Chimicorum quamplurimi, qui in principio Coctionis nostri Mercurii aurum & argentum addere solent, ut citius terminentur Mercurius, in Sulphur fixum album & rubrum. Quod ego non improbo, sed mentis meæ omnibus laxatis habenis in eorum sententiam & opinionem abeo. Metalla enim perfecta, aurum vel argentum, Mercurio nostro addita & conjuncta, citius ipsum Mercurium percoquunt, & terminant in fixum Sulphur, album vel rubrum quod est perfectionis finis Ultimus & scopus Chimicorum absolutus. Quod si metalla perfecta non addantur vel conjungantur Mercurio nostro, nec in principio, nec in medio, nec in fine, Mercurius noster coctione perenni & continuâ non desistit se terminare in Sulphur album primô & ultimò rubeum, quod est Sanitatis nostræ & prorogandæ vitæ humanæ summum Medicamentum. Fugat enim per se omnes defectus, & curat omnes infirmitates, cùm animalium, tùm vegetabilium quamvis auro & argento non imprægnetur. Habet enim in se ipso Mercurius noster vitam cœlestem & lumen, ut purissimum omnium elementorum semen, cujus beneficio in naturalibus admiranda & miraculosa omnino peragit & perpetrat. Et sic est vitæ humanæ verum & unicum & absolutum Solatium, quò majus in hac terrarum valle possideri non potest. Et certè in hoc perquirendo magis desudare deberent homines mentis & rationis capaces, quàm faciunt, imò hoc inutile & vanum existimant studium: imò captos mente & stultos existimant, qui huic studio & operi navant operam. Sed non est mirum; labor enim virtutis mania semper judicatur. Concludemus ergo in coctione Mercurii nostri in principio Coctionis ipsius addenda & conjungenda esse perfecta metalla, solem tantùm, quia his in metallis perfectis sunt radii, tingentes, & sulphur albumen rubeum perfectè maturum, & perfectè coctum, quô citius terminantur in perfectum finem, sulphur album & rubeum, quæ sunt in Mercuriô nostrô. Unde non perperam faciunt, qui sic operantur, nec ullum errorem committunt, sed omnino secundum leges artis faciunt, & se gerunt.

CAPUT XIII.

An in Mercuriô nostrô peragendô, sint variæ & distinctæ operationes.

VAriæ & distinctæ enarrantur à Chimicis antiquis operationes in conficiendo & peragendo nostrô mercuriô; imò ex tribus naturæ regnis eliciunt Purum Naturæ, ut hæc pura simul juncta Mercurium nostrum conficiant: & operationes, quibus hæc peragunt, sunt sublimationes, destillationes, calcinationes cohobationes, putrefactiones, digestiones & aliæ plures, quæ omnes sub una operatione, nempe sub coctione solâ comprehenduntur. Nihil enim est aliud peragendum, quàm coquendum; Coctione enim sola impura separamus; unde purificamus, sublimamus, destillamus, & alia similia peragimus, donec ignis & aqua, quæ in Mercurio præliantur, & bellum inter se gerunt, se conjungant, & amica fiant; unde illud: Fac pacem inter inimicos & totum Magisterium possidebis. Nec istud faciendum est igne fortissimo; sed levissimo ac molli: minor enim ignis omnia terit, Quia in Principio ignis & aqua in Mercurio conjuncta, non adhuc perfectè & absolutè unita sunt, ideo forti igne separantur, & si separentur, nunquam uniuntur. Ideo connexa sunt linquenda, nec à se invicem separentur; sed conjuncta coqui ac digeri inter se, ut tandem uniantur, & invicem transeant in vas recipiens in forma pinguedinis candidissimæ, sive butyri albissimi: unde Flamellus asserit, vas suum, in quo erat Lapis Philosophorum, semiplenum esse pinguedinis venti Mercurialis, & spumæ maris rubei, hoc butyrum indicans & auro soluto imprægnatum. Non ergo variæ sunt & diversæ operationes in peragendo Mercuriô nostrô; sed unica tantum est operatio, quæ dicitur coctio nostra, in quâ perficitur Mercurius & pinguedo sua separatur & sublimatione perficitur, & destillatione absolvitur: quod omne est sola coctio.

CAPUT XIV.

An in Butyrô & pinguedine nostrâ sint Mercurius, Sal & Sulphur inseparabiliter conjuncta.

QUia Butyrum & pinguedo nostra separantur, per destillationem à terra superflua & inutili, aliquis dubitare posset, an in illa destillatione Mercurius, Sal & Sulphur transeant & pinguedinem illam & butyrum constituant? Certissimum est, nec ullô eget dubio cùm Mercurius, Sal & Sulphur sint simul conjuncta in Terrâ nostrâ si separentur, & per destillationem deveniant in vas recipiens, butyrum seu pinguedinem constituant, quin simul omnia sint conjuncta in butyrô & pinguedine constituenda, nec unquam separari possint. Itaque recipiendo butyrum nostrum, recipimus Sal, Sulphur, & Mercurium. Ideo tria hæc in uno conjuncta sunt, & coagulantur, in unum, & fixa sunt

solâ

ſolâ Coctione perenni & continuâ, & citiùs coagulantur, ſi cum gummi noſtrô connectantur. Unde dicitur: gummi noſtrum coagulat noſtrum Lac, & Lac noſtrum diſſolvit gummi noſtrum, & ſic ſimul conjuncta citius terminabuntur in Sulphur ſive Mercurium, ſive Sal fixum, fuſibile admodum itaut penetret, & intret imperfecta metalla, & tranſmutet in aurum. Unde concludendum eſt in butyro noſtrô & pinguedine Mercurium, Sal & Sulphur ſimul eſſe conjuncta in unum, itaut nunquam ſeparari poſſint, quin ſimul omnia reperiantur.

CAPUT XV.

Aurum & Argentum vulgi quare mortua dicantur & quâ viâ à mortuis reſuſcitari dicantur.

VEriſſimum eſt, aurum & argentum vulgi eſſe mortua, quod in fuſione & liquatione per ignem violentum ſpolientur ſpiritibus vitalibus, quibus creſcunt & vere vivunt, dum in fodinis ſuis ſunt & perſiſtunt. Spiritus enim illi volatiles ſunt, & facile fugiunt dum in igne & per ignem liquantur metalla, manetque tantùm Corpus vitali illo Spiritu ſpoliatum: unde vere eſt mortuum; & proinde dicuntur aurum & argentum vulgi mortua eſſe, & proinde inutilia operi noſtro perficiendo, niſi priùs vitâ denuò donentur & ſeminali Spiritu iterum imprægnentur, & ſic reſuſcitanda ſunt prius, antequam operi noſtro adhibeantur; hoc autem facili viâ peragitur, ſi ipſa metalla in butyro ſeu pinguedine noſtrâ ſepties rectificata diſſolvantur; tunc enim copioſo ſpiritu & vitali ſemine iterum donantur, & copioſius quàm in ſua fodina. Unde verè reſuſcitantur à mortuis, & verè vitalia fiunt, & tunc temporis utilia & perneceſſaria operi noſtro perficiendo. Unde clamant Philoſophi Chimici Metalla vulgi non eſſe recipienda, cum mortua ſint, & accipienda tantum eſſe noſtra, quæ vitalia ſunt, & verè vivant: quod duplici via explicari poteſt: nam metalla quæ intima ſunt in butyro atque pinguedine noſtrâ verè vitalia ſunt & illa eſſe communiter accipienda, intelligunt autores. Nam ex ſolo butyrô noſtrô ſeu pinguedine poteſt perfici opus noſtrum ſola perenni coctione, donec butyrum noſtrum fiat Sulphur album & rubeum, fixum & permanens, quod eſt opus perfectum noſtrum & numeris omnibus & abſolutum: & ſic metalla butyro noſtro intima, quia verè ſunt vitalia, explicari poſſunt, eſſe accipienda ad opus noſtrum perficiendum. Secundò poſſunt explicari, accipienda eſſe vulgaria Metalla modò ſint per ſolutionem butyri noſtri & pinguedinis à mortuis, ut dicitur, reſuſcitata. Et ſic clarum eſt, cur vulgaria dicantur mortua, & inutilia ſint operi noſtro perficiendo, & qua ratione à mortuis ſint reſuſcitanda ut operi noſtro perficiendo utilia eſſe poſſint.

CAPUT XVI.

An in Cineribus vel in balneo Mercurii noſtri putrefactio fieri poſſit, ut inde Butyrum & pinguedo noſtra extrahatur.

IN calido & ſicco humida difficillime putreſcunt, in humido autem facilius putredinem contrahunt, ut videndum eſt quotidie experientiâ ipsâ. Semina enim in terram projecta difficillime putreſcerent; niſi ſæpius ab humidô ex cœlo deſcendente humectarentur & irrorarentur; unde ſæpe eſt neceſſarium, ut pluat, ut ſemina in terram projecta irrorentur, & ſic facilè putreſcant, alioqui germinare nequeunt, quia per putredinem redeunt in materiam ſuam primam; & ſic ſpoliatur ſemen internum granis & ſeminibus concluſum à ſua Compagine materiali, & fit ſpirituale & volatile; & ſic germinat, & ad multiplicationem ſui ipſius diſponitur: & ſic fit in Mercurio noſtro, & Terra noſtra, qui niſi putreſcat, ſemen ſuum internum, quod in intimis ſuis Thalamis concluditur, ſpirituale fieri non poteſt, & ſic ab excrementis ſuis naturalibus ſpoliari nequit, & ſic ad perfectionem ſuam ultimam devenire non poteſt. Putrefaciendus ergo eſt noſter Mercurius in balneo, per dies quadraginta: nam eo tempore facilè diſſolvitur terra noſtra, & cum ſuo humidô proprio connectitur inſeparabiliter ita, ut deinde, dum per deſtillationem pelluntur, conjuncta ſimul reperiantur in unum butyrum, frigido coagulalabile, & calido liquabile, quod eſt totius artis fundamentum, ſine quo corruit tota Alchemia: in ea ſiquidem nil fieri poteſt utile & neceſſarium ad metalla tranſmutanda, nec ad vitam conſervandam & prorogandam, ſine butyro & pinguedine mercuriali noſtra, Cùm in ipſa lumen cœli & virtutes omnes planetarum, & proprietates elementorum omnium verè contineantur. Unde tantum eſt virtutis & energiæ, in ſolo & unico hoc ſubjectô, quantum in toto & univerſali hoc mundo continetur. Putrefieri tantum debet hoc ſubjectum, ut germen inde prodeat & exeat, quod & miranda & mirabilia producere poſſit. Hoc autem fieri debet in balneo potius quàm in cineribus; cum in humido calido putreſcant potius & citius omnia, quam in calido & ſicco, quod putredinem arcet, aut ſaltem retardat.

CAPUT XVII.

De Fermento Philoſophorum, quid & quale ſit.

FErmentum Philoſophorum, & Sulphur album & rubeum, fixum & permanens, quod lapidem noſtrum volatilem in ſuam naturam convertit & fermentat, ideo dicitur fermentum, quia ut fermentum commune & vulgare totam maſſam panis convertit in ſuam naturam, materiam & ſubſtantiam volatilem Lapidis noſtri in naturam fixam & permanentem. Quod quidem fermentum duplici modô intelligi poteſt: vel enim eſt internum vel intimum Lapidis noſtri, volatile primò quod quidem Coctione continua perenni figitur, & dum fixum eſt, tunc temporis dicitur fermentum: quia reliquum Lapidis, etſi volatile eſt, beneficio ipſius fermenti fixi figitur, & convertitur in ſubſtantiam fixam & permanentem. Et ſic verum eſt fermentum. Aliud autem fermentum Lapidis noſtri eſt ex auro communi, vel argentô, quæ quidem dum diſſolvuntur à Lapide noſtro, fermenta dicuntur Lapidis noſtri, quòd ipſum figant & fermentent in ſuam ſubſtantiam, quæ cùm fixa ſit, tranſmutat Lapidem noſtrum volatilem in ſubſtantiam fixam coctione perenni & continua. Et ſic aurum & argentum dicuntur fermenta Lapidis noſtri, etſi aurum & argentum, quæ intima ſunt, & interna Lapidi noſtro non excludantur

dantur à nomine veri fermenti, quia veri fermenti naturam imitantur & sequuntur, cum auri & argenti vulgi sequantur naturam & indolem. Non ergo dubitandum quid sit & quale sit fermentum lapidis nostri, cum sit id omne, quod figere potest Mercurium nostrum, Sal & Sulphur in substantiam fixam & permanentem, fluentem & fusibilem tanquam butyrum. Quod quidem & aurum & argentum vulgi Mercurio dissoluta esse possunt, vel internum & intimum aurum & argentum, quæ in Mercurio nostro reperiuntur, quæ coctione sola perenni & continua possunt figi in substantiam fixam & permanentem: cùm hæc sint ejusdem naturæ & indolis, ac aurum & argentum vulgi, & proinde eandem operationem habeant, in Mercurio nostro perficiendo & absolvendo, ut clarissimum est per omnes autores, qui Lapidem nostrum noverunt, ejusque confectionem perfecerunt, ratione & arte Chimica conducti.

CAPUT XVIII.

Quis sit, & qualis Draco noster, caudam suam devorans.

DRaco noster materia nostra est cruda, & ut è Terra eruitur, quæ draco dicitur, propter venenum, quod in se habet sive continet, & quod horridis vestiatur Coloribus, frigidæ & humidæ sit naturæ, ut Draco serpens, qui Sylvas incolit; & quod purissimum ignem in visceribus suis coërceat, adeò ut vomat ignem & flammam horrendam. Alatus est propter Spiritum & animam illi inseparabiliter conjungendam: alioqui non prodest in arte nostrâ, imò inutile est prorsus, & vanum; ideo oportet & est necessarium, ut caudam suam devorét: est enim cauda sua Spiritus suus, qui, si inseparabiliter suo corpori conjungatur, volabile reddit Corpus suum & proinde arti nostræ perneccessarium. Dicitur autem Spiritus hic cauda Draconis, quòd, ut Draco trahit caudam post se suam, sic & corpus hoc volatilitatem humidam post se trahat, ut poros terræ universæ penetret, & adeat, & sic deferatur alimentum cujuscunque rei ad singula elementorum mixta. Nam Spiritus hic est universale alimentum rerum omnium, unde oportet, ut ubique deferatur per humiditatem suam volatilem quæ dicitur cauda sua, quod ubique deferatur, ubi Draco defertur & transportatur. Dicitur autem caudam suam devorare, quòd humiditatem suam propriam devoret, & in sui substantiam convertat, ut corpus suum volatile fiat, & sic facilius transportetur per poros terræ, ad generationes rerum omnium faciendas, quod alioqui facere non posset, si fixum esset & permanens, & semper in centro Terræ permaneret fixum & constans. Oportet ergo, ut caudam suam devoret, & sic volatilis fiat Draco noster: & perinde perneçessarius arti nostræ perficiendæ, & ad opera Chimica omnia absolvenda.

CAPUT XIX.

Quale & quid sit Mare nostrum, in quô sunt duo pisces mira pinguedine præditi.

NObilis Lambsprinck in suis de Lapide Philosophorum emblematibus narrat, in mari Chimico adesse duos pisces mirâ pinguedine præditos. Quale autem & quid sit mare illud, & pisces isti, jam perquirendum est artis nostræ indagatoribus; alioqui, quid sit peragendum in arte nostrâ, ut opus perficiatur, penitus ignorabunt. Mare ergo nostrum est corpus materiæ nostræ, quòd, cum sit amaro salsum, dum dissolvitur, verum est mare, quod quidem est amaro-salsum; pisces autem duo in ipso natantes sunt & spiritus & anima ipsius corporis nostri, qui quidem capiendi sunt & captandi, & cum suo corpore conjungendi, adeò ut unum fiant corpus volatile & fixum, & à fecibus per liberationem & destillationes septies repetitam omninò purificatum & vindicatum; & sic corpus unum fiat volatile, quod in centrô suô habet occultum fixi & permanentis naturam & indolem, quæ tandem manifesta fit Coctione perenni & continua: & tunc remporis est absolutum & perfectum opus Chimicum, ad naturam nostram refocillandam & conservandam in multos annos, & à morbis omnibus vindicandam; si granum unum istius fixæ Materiæ in vino vel jusculo sumatur singulis hebdomadibus, nec plus, nec magis est eâ medicina utendum, cum sit ignis violentissimus & ardens, qui nostrum ignem vitalem consumeret & destrueret, si plus, quam oportet sumeretur. Major enim ignem minorem consumit: ergo modicè & parcè utendum est. Itaque quam multi Antiquorum reperti sunt, qui vitam suam summa hac medicina abbreviarunt, propter immodicum ejus medicinæ usum. Concludimus ergo, Mare nostrum materiam nostam seu salem esse, & duos pisces in ipsô natantes mari, esse Spiritum & ejus animam, qui extrahendi sunt & purificandi ut denuò cum mari seu corpore conjungantur & unum fiant immensum mare volatile & infixum, at per destillationem & liberationem ab omnibus suis excrementis vindicentur, & sic pura facta coquantur tamdiu, donec fixa fiant, & permanentia in prælio ignis, etsi fortissimo. Quod si iterum priori Spiritu dissolvatur, & volatile fiat, & iterum coquatur & figatur, immensam & ferè infinitam virtutem habet & acquirit ad omnia naturæ mixta conservanda, refocillanda, & defectus eorum perfugandos omnes.

CAPUT XX.

Qualis & quæ sit Hydra Chimica, septem habens Capita.

EXcogitarunt antiqui Chimici cum ratione multâ serpentem hydram in Sylvis & aquosis Locis degentem, septem habentem Capita, cui si Caput unum amputetur, multa alia renascantur. Hæc hydra nihil est, quam materia nostra, quæ cum septem producat Metalla, ideò asseritur habere septem Capita, cui, si unum amputetur, multa alia renascantur: quod evenire solet in materia nostrâ; nam si metallum unum pereat & putrescat in ipsâ materiâ, multa inde renascuntur mixta; ut putrefactione illa in aquosis & tenebrosis locis crescere solet, ibique permanere: sic ex materiâ nostra verè crescit in aquosis & tenebrosis locis; unde eruitur cum septem Capitibus; quæ quidem omnia illi sunt amputanda, & ne redeant ac repullulent, igne & flamma sunt comburenda. Tamdiu enim materia nostra in igne coquenda est, donec in unam verè similarem & homogeneam transeat substantiam fixam & permanentem, unum tantùm Caput habentem, aurum scilicet, quod est fixum

& verè

& verè permanens ; quod nunquam in aliam mutatur ſubſtantiam , niſi iterum novo Spiritu diſſolvatur & ſic redeant varia Capita igne deſtruenda, & iterũ in Caput unum aureum redigenda. Sic multiplicatur lapis , & virtus illius in dies magis accreſcit , cum capita illius varia amputamus illi, & illi caput unicum aureum conſtituimus : quot enim colores in coctione materiæ noſtræ apparent , tot etiam ſunt capita hydræ , quæ omnia tandem ſunt amputanda , & igne ſeu coctione deſtruenda , ut tandem tranſeant in unum ſolum caput aureum, & in unicam ſimilarem & homogeneam ſubſtantiam auri vulgaris naturam referentem ; quod & igne perſiſtat eô gaudens , & quod tingat metalla reliqua imperfecta in aurum verum auro vulgari multo excellentius & præſtantius. Sic concludendum eſt, hydram Chimicam ſeptem capita habentem nihil aliud eſſe , quam materiam & ſubſtantiam Lapidis noſtri, quæ , cum metalla ſeptem producere ſoleat , capita ſeptem habere dicitur ; quæ quidem & horum ſigna & colores deſtrui nequeunt & deleri , nec in unum caput abire poſſunt , quam igne ſolô : ſic & hydræ capita demi nequeunt , niſi igne & flammâ. Et ſic perfectiſſima eſt hæc figura & ſimilitudo , nec perfectius explicari poteſt , quàm prædicta noſtra explicatione. Quæ ſi non omnibus placeat, explicent hi, quibus hæc diſplicet , aliâ viâ & alio ſenſu , ut ſibi ipſis placere poſſint: non enim eſt hydra in rerum natura , nec unquam viſa eſt in aquis, nec in Terris ; ſed eſt myſterium Chimicorum , & figmentum occultum , quo ſecreta ſua & arcana occultant incipientibus , & Philoſophis veris ſolùm manifeſtant his figmentis , & occultis ænigmatibus & logogryphis.

CAPUT XXI.

Qualis ſit illa Conjux & Mulier maritos ſuos omnes enecans & interficiens.

HOc portentum nullus hominum vidit unquam, ſed purum eſt figmentum Chymicorum , ut mercurium ſuum occultent hominibus vulgi, & ſapientibus faciant manifeſtum. Quicquid enim Mercurio conjungitur , morti datur , & neci. Sic Mercurius eſt Conjux & Mulier Chimicorum, quæ omnia interficit & enecat : dum enim vegetabilia ſeu animalia ſive mineralia & metalla , Mercurio Chimicorum conjuncta ſunt , ſtatim redeunt in materiam primam, & ſic à Mercuriô verè recipiuntur & interficiuntur. Non enim poſſunt redire in materiam primam , niſi deſtruantur & proinde morti tradantur. Sic Mercurius Chimicorum ſibi omnia aſſociat & conjungit , & ſic eſt vera Conjux quæ maritos ſuos omnes interficit, cùm omnia, quæ illi conjunguntur tanquam veri mariti illi ſint , & cùm moriantur & redeant in primam ſuam Materiam, eatenus enecantur & interficiuntur. Concludendum ergò eſt nobis, Conjugem & mulierem Chimicorum omnes maritos ſuos enecantem & interficientem eſſe Mercurium eorum , qui cùm ſit diſſolvens verum & omnia reducens in materiam primam, eatenus interficit id omne , quod diſſolvit , & illi connectitur Non poteſt enim diſſolvere , quin in materiam primam reducuntur , eatenus interficiuntur , cum verè deſtruantur, & primâ ſuâ formâ ſpolientur ; quod & verè mori & enecari eſt. Mors enim eſt deſtructio formæ, & introductio novæ. Beati terque , quaterque beati ſunt , qui hanc mortem per diſſolutionem veram rebus omnibus , & præcipuè metallis introducere poſſunt : reſurgunt enim poſt mortem hanc in vitam priori præſtantiorem & nobiliorem.

CAPUT XXII.

De Salamandrâ, Chimicorum , quæ & qualis ſit.

FAlſum & ridiculum eſt , Salamandram vivere igne , & in igne conſervari. Vidi enim ego in Britannia , ubi multæ adſunt in fimis veteribus Salamandræ , quas ego igne deſtruxi & in cineres redegi. Nullo pacto ſiquidem igne vivunt & conſervantur , ſed moriuntur ac deſtruuntur totaliter, ut ſæpiſſime in Britannia expertus ſum. At ſi Salamandra vivat in igne , augeatur & creſcat , hoc myſterium eſt, & excogitatum figmentum ad occultandum aliquod arcanum quod in natura eſt occultum. Chimici omnes aſſerunt , Salamandram ſuam in igne vivere , augeri & creſcere : illud ipſum arcanum eorum eſt , quod ſub Salamandra occultare ſolent. Eſt enim eorum Salamandra eorum Mercurius , ſeu Lapis eorum qui feliciſſimè in igne vivit, creſcit , & augetur & melioratur indies , donec ad ultimam ſui perfectionem veniat. Quæ quidem tunc temporis non timet ignem, & curat morbos omnes, tum hominum , tum metallorum , & quoſcunque defectus naturæ , quos mixta elementaria, & naturalia quæque patiuntur. Sic Salamandra Chimicorum eſt mirum eorum arcanum , & verè aſſerere poſſunt, eam igne vivere , creſcere & augeri , cùm in igne ſolo perficiatur. Nam Mercurius Chimicorum non poteſt perfici & augeri , niſi ſolo igne , ignis ſolus eſt debitus & temperatus , qui Mercurium Philoſophorum perficit & maturat ſolâ temperatâ coctione. Eſt ergo hæc Salamandra vera in igne vivens , creſcens , & ſe multiplicans , cujus ſanguis eſt vera & univerſalis Medicina , cujus ope & auxilio curantur defectus omnes naturales, imò vita in omnibus extenditur in longiſſimos annos & prorogatur : ut factum eſt in multis hominibus, & potiſſimum in Artefio Philoſopho , qui ope & auxilio hujus medicinæ & ſolô ſanguine Salamandræ uſus, vixit annos mille; & in Johanne Levi, qui vixit tempore Caroli Magni annos quingentos & ultra; & in Cuſtode nemorum Regis Galliæ Ludovici duodecimi , qui invento liquore in terrâ ſepulto , corpore eô liquore perunctо vixit annos trecentos ab omni morbo liber : & in aliô , qui adhuc in vivis eſt nomine Eduardô Anglo , qui per mundum & terram univerſalem divagatur , & ſe habere aſſerit quingentos ann. & de quinquaginta, inquam, in quinquaginta annos ſe ſe renovat , & deponit veterem pellem, pilos, dentes , & ungues , & adoleſcentiam miram recuperat , cùm novô vigore , & juventutis robore maximo. Et hoc ſit dictum propter Naſutulos, qui exiſtimãt ridiculum quid purum eſſe, de recuperanda Juvẽtute arcanum. Non enim vanum eſt illud Scripturæ; renovabitur ut Aquila, Juventus tua.

CAPUT XXIII.

Quid ſit, nigram Feram in Sylvis eſſe, quæ dum nigredinem deponit , mira albedine induitur.

MUlti ſunt qui hoc de Fuligine communi interpretantur , Fuligo enim in lignis latet, quæ

quæ ex sylvis exportantur ad ignem nutriendum, unde fuligo in caminis exoritur; Unde dicitur:

Est avis in sylvis, nigro perfusa colore,
Cui si quicquam adimas, tunc erit alba nimis.

At falluntur omnino, & errant toto cœlo; quia sylva Chymicorum est corpus eorum, ex quo Mercurius & Sulphur eorum eruitur; & nigra fera est hæc eadem materia, dum corrumpitur, & putredinem subit in corpore suô; acquirit enim nigredinem in putrefactione; deinde continuatâ coctione albedinem acquirit summam. Et hæc est vera fera nigra, quæ in sylvâ nostrâ degit & commoratur, cui si excrementa, quæ illi sunt superflua, adimas, mirâ albedine induitur. Nam coctione solâ Mercurius noster & Sulphur simul juncta dum coquuntur, maturantur; & dum fiunt matura, colores perfectos acquirunt, inter quos est albedo & rubedo, dum ergo materia nostra coquitur, perficitur & maturitatem acquirit; &, dum maturatur coloribus perfectis & absolutis induitur, albedine puta & rubedine; qui colores perfecti & absoluti in natura reperiuntur, cùm semper perdurent, & persistant in materiâ nostrâ, sic ab igne nostrô perfectè cocta. Nihil ergo est aliud fera hæc nigra in sylvâ nostrâ, quam materia nostra, quæ dum coquitur, nigrescit, Primò deinde albescit, Tandem rubescit, ibique eô colore rubicundô induta quiescit.

CAPUT XXIV.

Quid sit apud Chimicos alatus Leo, & sine alis alter, & ex duobus Leonibus unum fieri debere.

Frequens est apud Chimicos omnes hæc allegoriâ de ipsô eorum Leone, qui sic vocatur, quòd devoret tanquam Leo, omnia, quæ illi objiciuntur, & in suam substantiam commutet. Et hic Leo duplex est, alatus unus & fœmina, inalatus alter & mas; ex his duobus Leonibus, mare & fœmina fieri debet tantùm Leo unus. Hoc enim summum est portentum, & nemo vidit unquam tale portentum. Mysterium est hoc & summum naturæ arcanum in intimis ejus Thalamis occultum. Materia siquidem hæc Chimica est, quæ duplex est, fixa una; volatilis altera: fixa est Leo sine alis, & est mas; Volatilis verò est Leo Chimicus alatus & fœmina, quæ simul conjungenda sunt & coctione perenni, & continua, in unam fixam materiam connectenda. Et sic ex duobus Leonibus fit unus Leo; ex duplici illa materia, fixa & volatili fit unica materia. At totum secretum artis est, cum materia volatili fixam materiam facere volatilem. Nihil alioqui prosunt hæ materiæ, nisi ignis beneficio inter se invicem convertantur: volatilis fixam faciat, & iterum fixa hæc materia volatilis fiat & iterum fixa. Sic Leo Leonem devorat, & aquila aquilam, & avis avem nostram deglutit, & inter se convertuntur. Sic variis animalium nominibus arcanum Chimicum occultatur, & per varias & possibiles inter se actiones demonstratur, sapientibus tantùm, & occultatur ignorantibus & vulgi hominibus qui has allegorias inauditas & ridiculas existimant. Nihilominus tamen sub eorum cortice & putamine nucleus naturæ mirus continetur, cujus oleum miræ est naturæ, & si ex tribus naturæ regnis extractum hoc oleum in unum conjungatur, nihil in terris potentius & efficacius ad sananda & perficienda illa omnia, quæ in tribus regnis defectum patiuntur. Beati ter, quaterque beati qui me capient, & hoc, qualiter factu possibile sit, intelligent, & verè scient in actum reducere. Non enim factu sunt facilia; sed expertum expostulant artificem, & insignem Philosophum, non vulgarem, & ex scholis factum; sed ex ipsâ naturâ, & anatomiâ ipsius, per varias & multiplices operationes adeptum Physicum enatum; qui Artifex admodum rarus est, nec passim reperitur.

CAPUT XXV.

De Lapide conficiendo.

Cum per varia Capitula jam descripta Lapidem descripsimus, & quæ sint illi necessaria, per varias Chimicorum allegorias jam depinximus adeò clarè, ut existimo, ut nemo sit, qui Lapidem Philosophorum existere in rerum natura jam non existimet; Supereſt jam, ut omnibus satisfaciamus, & præcipuè Principi nostro FRIDERICO Holsatiæ Duci, in cujus solius gratiam Tractatum Typis mandari jussimus & permisimus. Lapis ergo noster conficiendus est, ut ex opinione omnium Chimicorum constat, ex puro naturæ; Purum enim naturæ est illud solum, cujus gratiâ natura ipsa agit in omnibus, & omnia conservat. Est enim purum incorruptibile quid, & summum agens: proinde Lapis Philosophorum ex eo confici debet, cùm Lapis in rerum natura omnia conservare debeat, & defectus naturales quoscunque longè propellere & arcere possit. Alioqui Lapis non esset, nec ex puro illo naturæ fieri deberet, & nec purum illud summopere agens, secum possideret. Quare autem purum istud naturæ Lapidem Philosophorum conficere habeat, ratio enim in promptu. Quod debeat confici ex materia naturæ, & substantiâ incorruptibili, omnia secum transmutandi propter ejus summam actionem. Nulla autem substantia talis est, in rerum natura, quam Purum istud naturæ: ergo ex solô istô purô conficiendus est Lapis Philosophorum. Quale autem istud purum naturæ sit, & quâ ratione, & viâ habendum, jam nobis est perquirendum, ut eô notô, ipsum perveſtigare, & invenire valeamus in ipsâ naturâ. Extra enim naturam non est quærendum; aut frustranei essent nostri labores qui tanto operi impenderentur.

CAPUT XXVI.

De Puro Naturæ, quid & quale sit, & quotuplex?

Ex Puro Naturæ omnia fiunt, &, ut dixi sæpius alibi in Operibus meis Typis mandatis, ex puro naturæ cognitio rerum omnium, & totius naturæ dependet. Unde perneceſſarium est Chimico, scire & cognoscere, quid

ſit, & quale ſit, & quotuplex purum iſtud, Purum ergo iſtud Naturæ in centro cujuſcunque rei conſiſtit; & factum eſt ex quinta eſſentia cœli, & elementorum omnium; ut dixi Capitulis primis hujus Tractatûs Cœlum influit per radios ſuos in elementa inferiora, & Purum ſui in elementa inferiora immittit, & præcipuè in Centrum Terræ, ibique decoquitur, & corporificatur in ſalem, qui fit volatilis, & per poros terræ ſublimatur, & nutrit omnia naturalia vegetabilia & mineralia cuncta, unde paſſim reperitur. Itaque triplex eſt iſtud purum, animale, vegetabile, & minerale; & unum tamen ex tribus iſtis regnis, neque differt, niſi qualitate aliqua; in ſubſtantia enim unum & idem eſt. In animalibus quidem eſt ſubtiliſſimum, & proinde volatile omninò, & ideò combuſtibile & deſtructibile; in vegetabilibus itidem, & ideò etiam deſtructibile, & corruptibile; In metallis verò, præſertim perfectis eſt omnino fixum & incorruptibile: in imperfectis verò metallis partim eſt volatile, partim verò fixum, ideoque partim corruptibile & partim fixum & incorruptibile. Et hoc conſideratu eſt digniſſimum, ut inde colligamus, ex quibus naturæ regnis hocce naturæ Purum nobis neceſſarium ſit eligendum. Nam Lapis Philoſophorum incorruptibilis eſt omninò, & proinde ex metallico regno omnino eſt deſumendus. In illô enim ſolô Regno Purum noſtrum incorruptibile reperitur, & in hoc ſolô Regno Purum aliud reliquorum duorum Regnorum etiam conjunctum eſt, unde dicitur animale, vegetabile & minerale. Concludimus ergo; Purum Naturæ in omnibus Naturæ Regnis, & potiſſimùm in Minerali Regnô, & Metallicô reperiri, nihil aliud eſſe, quàm quintam eſſentiam cœli, & elementorum omnium, quod in centro terræ excoquitur, & hinc per poros terræ amandatur, & ſic producibilia omninò conſervat, alit & producit.

CAPUT XXVII.

Purum Minerale & Metallicum quomodo præparandum ſit & habendum?

SAl iſtud Naturæ, in quô Spiritus Cœleſtis & elementorum omnium congelatur, & in Sal convertitur, accipiendum eſt, & purificandum multis iteratis diſſolutionibus in aquâ ſtillatitiâ roris vel pluviæ. Poſtquam habes purum & candidum corpus iſtud Salis, permiſcendum eſt cum terrâ aliquâ purâ, ut cum bolô, aut Lapide Lazuli optimè calcinato ad triplicem quantitatem Terræ ad unam ſimplicem partem corporis noſtri, & in retortâ vitreâ optimè lutatâ reponendum, & inde in igne fortiſſimo deſtillandum, ut exeant ſpiritus omnes in recipiens in forma aquæ fortiſſimæ acredinis & acetoſitatis, & hinc ſepties rectificanda eſt aqua hæc, & ab impurô aqueô elementari vindicanda eſt in balneo, & ſic habes purum & candidum Metallorum ſpiritum, qui in phialis vitreis optimè clauſis eſt conſervandus, donec corpus iterum novum & purum habeas; cui conjungendus eſt ſpiritus in duodecima quantitate, hoc eſt, duodecim partes ſpiritus ſunt accipiendæ, & una tantùm corporis puri, & ambo ſimul conjuncta putrefacienda ſunt per quadraginta dies. Deinde extrahendus eſt ſpiritus per deſtillationem, donec corpus ſiccum ſit, & iterum reponendus eſt ſpiritus ſuper corpus; & multoties hoc eſt iterandum, donec ſpiritus per varias iteratas cohobationes ſuper corpus ſuum maneat cum corpore, & tandem corpus volatile fiat beneficio ſui ſpiritus; & corpus ſic volatile factum novô ſpiritu eſt imbibendum, donec tandem variis, & ſæpe iteratis cohobationibus tranſeat per retortam in vas recipiens in aquam lacteam frigido coagulabilem in butyrum, quod facili & molli igne liqueſcit tanquam butyrum. Hæc aqua lactea ſepties eſt rectificanda per cineres, quæ conſervanda in vaſis vitreis optimè clauſis; quæ quidem, ſi per ſe coquatur in vaſe clauſô, tandem figitur in ſalem fixum, & permanentem album primò, ultimò rubeum, continuatâ coctione. Hoc autem ut citiùs fiat, & terminetur, aurum eſt addendum, ad decimam partem, vel ſeptimam, & ſic citius terminantur in bonum, & ejus fixio peragitur; & ſic habes Mercurium Philoſophorum verum & legitimum, ex ſolô Regnô metallicô & minerali extractum, omnia penetrantem & diſſolventem ſuâ ſubtili admodum ſubſtantiâ; ſunt & alii, qui hunc Mercurium ex tribus Regnis elicere tentant, ſequenti viâ.

CAPUT XXVIII.

Quâ viâ ex tribus Regnis eliciatur Mercurius Philoſophorum.

EX Regno animali eliciatur primò Sal volatile ex ſanguine humanô, vel aliô, vel urinâ humanâ communi viâ per deſtillationem. Ex vegetabili habetur Sal Tartari communiter, ex calcinatione & ſolutione in Aquam Limpidam, donec per varias ſolutiones, & deſiccationes habeas candidiſſimum Salem Tartari qui diſſolvendus eſt in acetô ſtillatitio, donec nihil aceti amplius bibere poſſit. Tunc Sal ille ſpiritu aceti imprægnatus, vel ſpiritu vini, ſublimatur, fitque volatilis. Hic ſal volatilis factus purus, & Putus connectendus eſt cum Sale volatili animali, & cum Spiritu acidô minerali communiter extracto; & ſic tria illa pura ſimul conjuncta in Mercurium convertuntur per circulationem, & in Aquam ſeu Liquorem Alkaeſt convertuntur; quòd hic Liquor totus ſpiritualis ſit, & purus & nitidus trium Regnorum Mercurius quô ſolô in Alchimiâ peragendâ utuntur. Et ſic arcana perficiuntur, & metalla cuncta in primam reducuntur materiam, ut, quid in centrô ſuo poſſideant, perfectè videant & perſpiciant. De liquore illo Alkaheſt multa dicta ſunt ab Autoribus Chimicis Neotericis, à Paracelsô autem pauciſſima. Dicit enim Liquorem Alkaheſt eſſe Mercurium præparatum, dum Centrum ſuum fit ſuperficies, & Superficies Mercurii fit centrum; ſic occultum quod eſt in Mercurio fit manifeſtum, & quod manifeſtum eſt in eôdem Mercurio, fit occultum; ſic tranſmutantur elementa Mercurii occulta in manifeſta, quod ſolùm expetit Alchimia.

CAPUT

CAPUT XXIX.

De Liquore Alkahest, quid sit, & Qualis sit?

TOt & tanta enarrantur de Liquore isto à Chimicis recentibus ut perneceſſarium ſit Principi noſtro Sereniſſimo ſcire, quid ſit Liquor iſte, & qualis ſit, & unde habendus, & eliciendus, ut, quicquid prodeſt Alchimiæ faciendæ, non ipſum lateat Principem. Eſt ergo Liquor iſte mercurialis purus Spiritus metallicus corpore ſuô propriô & naturali conjunctus, & ita connexus, ut duo unum fiant inſeparabile, & indeſtructibile, omnia deſtruens, & reducens in primam materiam; Quæſtio eſt ſumma in Alchimiâ, nec ſolutu facilis, cum duæ aliæ ſubſtantiæ ex vegetabili & animali regno elicitæ, & Mercuriali ſubſtantiæ minerali conjunctæ penetrationem ſuam & in agendo ſummam promptitudinem illi addant; ita, ut perfectionem ſuam abſolvere videantur. Sed qui ſciunt, & verè cognoſcunt purum noſtrum Mercuriale ex regno elicitum & extractum minerali tribus nominibus inſigniri, & verè dici animale, vegetabile & minerale, ex hoc labyrinthô facilè ſe explicabunt, & videbunt in regno minerali, reliqua duo regna, animale puta & vegetabile eſſe connexa adeò ſimul, ut ſeparari nequeant, videbunt clarè admodùm purum noſtrum Mercuriale metallicum habere ſecum duo metallica conjuncta, ita, ut non ſit neceſſarium illa iterum conjungere ad perfectionem ſuam. Si quis non hac ratione contentus ſit, habeat alia mercurialia ex regno animali & vegetabili conjuncta, & pura faciat, & conjungat, & per experientiam certus fiet, an neceſſaria ſint tria illa pura mercurialia ſimul conjuncta ut liquorem Alkaheſt conſtituant & perficiant. Unde jam concludere poſſumus, liquorem Alkaheſt, nihil eſſe aliud quam verum Philoſophorum Mercurium ex regnô minerali elicitum, purô ſuô corpore conjunctum, adeò, ut ſeparari ab invicem nequeant unquam; ſed ſimul permaneant in liquorum lacteum & butyroſum omnia penetrantem & diſſolventem.

CAPUT XXX.

An ex Liquore Alkaheſt ſimplici vel compoſitô Lapis Philoſophorum confici poſſit?

NUllo pacto dubitandum eſt, quin ex Liquore Alkaheſt poſſit & debeat confici Lapis Philoſophorum, cum nihil ſit aliud Liquor hic Alkaheſt, quam Mercurius Philoſophorum, qui eſt præcipua pars Lapidis noſtri. Eſt autem Liquor hic Alkaheſt duplex: ſimplex unus, Compoſitus alter, & tamen unum & idem conſtituunt, & in verâ eſſentiâ conveniunt. Simplex componitur ex acidô metallorum purô, & Sale metallicô etiam purô, & volatili reddito cum ſuo Spiritu. Et qui in præparatione hujus Salis & ejus Spiritus non multum laboraverit, non facile perveniet ad hoc arcanum, quod totius naturæ metallicæ ſummum eſt ſecretum, valdè tædioſum labore & ſudore. Multum enim in cô perficiendo eſt deſudandum aut laborandum. Compoſitus verô Liquor Alkaheſt eſt adhuc factu laborioſior, & paratu multô magis difficilior; ex acido enim mineralium, & puro ſalſo animalium & vegetabilium componitur: quod ſi quis Alchimiſtarum non multum laboraverit in eorum ſalibus volatilibus habendis, puriſque faciendis, nunquam perveniet ad hoc noſtrum arcanum; quamvis enim hic facillimè, ut videtur, deſcribatur, nihilominus tamen multa occultantur, quæ ſi non omnino cognoſcantur, ut fieri debeant, fruſtra tentabitur opus. Hinc falſum putabant nonnulli, quod tamen non, imô eſt veriſſimum; ſed Artificem doctum expertumque omnibus Alchymiæ operibus faciendis expoſtulat. Studeant ergo in Salibus fixis & Alkalibus faciendis & purificandis; deinde hæc fixa ſalia volatilia reddant, & Deo dante, perficient opus, non tamen cum facilitate; ſed ſummo cum labore & induſtriâ pertinaci & continuâ. Non hæc cito fiunt, & ad perfectum finem conducuntur brevi tempore, ſed longo & tædioſo ſudore: multa tuli, fecique, ſudavi, & alſi, antequam hoc arcanum perfecerim. Reliqua deinde, quæ ſuperſunt facillima, & coctione ſolâ perenni & continua abſolvenda ſunt & perficienda: unde opus mulierum & ludus puerorum dicuntur, quod coctione ſola, & otiô, & patientia ad finem perducantur.

CAPUT XXXI.

Cur Liquor Alkaheſt reducat omnia in primam materiam ſinè ullâ diminutâ ſui actione?

CUm Liquor Alkaheſt ſeu Mercurius Philoſophorum ſit purus putus Naturæ ignis incorruptibilis & inalterabilis, facillimè hinc colligere poſſumus, omnia reduci poſſe in primam ſui materiam. Penetrat enim ſummopere & diſſolvit partes miſtorum omnium, donec in ignem primum reducantur ab illô igne naturali. Ut enim aër in aërem habet ingreſſum & aqua in aquam; ſic etiam potiori jure ignis in ignem habet ingreſſum, & ipſum penetrat. Non ergo admirandum eſt Liquor Alkaheſt, cum ſit purus ignis, penetret omnia & diſſolvat ſinè diminutione ſuæ actionis, cum non repatiatur ab agentibus, quæ ipſe Liquor diſſolvit & reducit in primam materiam. Unde non diminuitur ejus actio, quia tunc ſemper ignis igni redditur. Unde, cum ignis non pereat nec diminuatur, ejus actio etiam diminui non poteſt: quod mirantur, nec comprehendere ignari queunt, putantes omnia agentia debilitari agendô, & tandem perire omnino eorum agentium actionem: quod tamen in Liquore Alkaeſt non fit; ſed magis ac magis, dum agit, creſcit ejus actio, & fortior & potentior evadit. Et ratio in promptu eſt, quod Liquor ille ſit igne naturæ plenus, & totus verus ignis naturæ Liquore iſto tectus & circunvolutus. Unde ejus actio nunquam imminuitur, cum ejus ignis creſcat igne diſſolvendorum. Unde concludere poſſumus, Liquorem Alkaeſt igneum verè eſſe, non igne elementari; ſed cœleſti penitus & centrali

incorruptibili & inalterabili, omnia penetante & diſſolvente in primam ſui materiam, quæ eſt ignis naturalis, & centralis, in omnibus rebus repertus, & in liquore iſto Alkaeſt copiosè concentratus, cujus ope & auxiliô ejus actio nunquam diminuitur, ſed ſemper in eo ſtatu permanet.

CAPUT XXXII.

An Liquor Alkaeſt, poſtquam metalla perfecta in materiam primam reduxerit, ſit ex metallis diſſolutis ſeparandus, vel cum ipſis relinquendus ut coquantur ſimul ad perfectionem ultimam.

IN Metallis perfectis reſolutis, & in materiam primam reductis, per liquorem Alkaeſt, quicquid illis eſt neceſſarium, inèſt illis ad perficiendum Lapidem Philoſophorum. Quòd ſi Liquorem Alkaeſt ſeparare, quis cupiat, id facere poteſt, & citius terminabitur hæc metallorum perfectorum diſſolutio in Lapidem perfectum, ſeu in Sulphur fixum Philoſophorum. Tum enim Metalla imperfecta incrudantur & ſumunt ex Liquore Alkaeſt ignem naturæ, purum quidem, ſed crudum, & incoctum, Unde coctione eſt maturandus & ad perfectionem conducendus, donec perfectè figatur. Liquor autem Alkaeſt eſt totus ignis, ſed Liquore Mercuriali diſſolutus; Unde crudus eſt ignis & immaturus, & quantum eſt Liquoris iſtius, tantùm eſt Mercurii crudi; Unde diuturniori coctione eget, ut maturetur; propterea non imprudenter faciunt illi, qui Liquorem ſuum ſeparant, poſtquam perfecta Metalla ab iſto liquore diſſoluta ſunt, quia tunc temporis citiùs coquuntur metalla perfecta diſſoluta, & figuntur quàm ſi relinquantur conjuncta cum Liquore Alkaeſt, quia plus eſt Mercurii crudi, cùm Liquor Alkaeſt relinquitur conjunctus cum ipſis. Concludendum ergo eſt Liquorem Alkaeſt eſſe ſeparandum ex metallis à Liquore iſto diſſolutis ut citiùs figantur; Si verò non ſeparetur liquor iſte, nihil mali eſt; ſed longiorem expoſtulat coctionem, ut ultimam fixionem & perfectionem acquirant metalla perfecta ſic diſſoluta. Sed etiam facilius liquantur in igne; quod quidem eſt ſumma perfectio Lapidis, dum eſt liquatu facillimus. Sic enim in intimis Metallorum imperfectorum receſſibus penetrat, & ſe inſinuat facilius, cùm habeat copiam Mercurii, qui liquiditatem & facillimam fuſionem præſtat in omnibus, & nobilitatem & præſtantiam ita, ut Lapis, qui multoties ſolutus fuerit per Liquorem Alkaeſt, ſeu Mercurium Philoſophorum, ſit præſtantior, & nobilior illô, qui non fuerit tantopere ſolutus, & de novo coagulatus, cùm non habeat tantùm Mercurii, ut ipſe Lapis, quidem multoties ſolutus, & iterum coagulatus fuerit. Solutiones enim & coagulationes ſæpius iteratæ non ſolùm augent Lapidem, & multiplicant quantitate: ſed & virtute & proprietate, ut teſtantur Autores, qui de hac re ſcripſerunt; ita, ut ſi ſolutio prima cadat ſuper centum in projectione, ſecunda cadat ſuper mille; ita, ut Augurellus, Poëta Chimicus, aſſerat in tantum multiplicari poſſe Lapidem ut granum unum projectum ſuper quantitatem infinitam Mercurii Aquæ Oceani ipſius æqualem, in aurum illicò tranſmutaret, modò calefieri poſſet.

CAPUT XXXIII.

An liquor Alkaeſt habeat in ſe Sal, Sulphur & Mercurium Philoſophorum.

IMpoſſibile eſt liquorem Alkaeſt facere poſſe veram & legitimam metallorum diſſolutionem, & omnium rerum reductionem in primam materiam, quin in ſe habeat vera & legitima metallica Principia ſeu Sal, Sulphus, & Mercurium, perfectè in ſe diſſoluta & alcoliſata; alioquin enim non poſſet facere hanc perfectam diſſolutionem. Sola enim naturæ principia perfectè diſſoluta & inter ſe unita, & ſimul conjuncta facere poſſunt hanc perfectam diſſolutionem & rerum omnium reductionem in primam Materiam. Sola enim prima Materia hanc diſſolutionem, ſeu in Materiam primam reductionem facere poteſt, cùm ſimile in ſimile agat: & ideo ſola materia prima reductionem in primam facere ſolet. Liquor autem Alkaeſt eſt materia rerum omnium prima in Liquorem redacta, & ideò etiam habet Sal, Sulphur, & Mercurium rerum omnium in Liquorem redacta; & proinde etiam omnia in Sal, Sulphur, & Mercurium reducit, nullis ferè relictis fœcibus. Quia omne mixtum nihil eſt aliud, quàm Sal, Sulphur, & Mercurius naturæ inter ſe unita in compoſitione mixtorum: ideò nullæ ferè ſunt fœces in reductione tali per Liquorem Alkaeſt, Cum omnia in compoſitione Mixtorum ſint, Sal, Sulphur & Mercurius, principia naturæ; quæ ſola cùm in principio compoſitionis reperiantur, & ſola etiam tantummodo in reductione compoſitionis reperiri neceſſe eſt, aut darentur principia quatuor, vel plura: ideò non reperiuntur excrementa in verâ reductione. In aliis verò diſſolutionibus & reductionibus, quæ ſpiritibus Salium fiunt, plura & copioſa reperiuntur excrementa, quæ quidem non ſunt excrementa vera, ſed ſunt partes principiorum, quæ diſſolvi nequeunt; & cùm diſſolvi nequeunt, excrementa cenſentur ab iis, qui naturam non norunt; ſed ſi illa excrementa recipiantur, & in Liquorem Alkaeſt projiciantur, tunc temporis verè diſſolvuntur, & nihil ſupereſt fœcis & excrementi. Quòd ſi ego ipſe multis in locis aſſeruerim eſſe excrementa in naturâ, & in compoſitione mixtorum, non ego tunc temporis adhuc videram actionem Liquoris Alkaeſt. Maneat ergo firmum & certum, Liquorem Alkaeſt habere ſecum Sal, Sulphur & Mercurium Philoſophorum, quorum ope, & auxiliô omnia reducit in materiam rerum primam, & verè diſſolvit, abſque ullis fœcibus relictis. *Tantùm!*

Huc referri merebantur Literæ ſolertiſſimi Dn. Fabri, quas poſt ſuum ab eo diſceſſum ex Galliâ Narbonenſi accepit Norbergæ, Helianthus.

VIr Clariſſime, accepi pergratam tuam Epiſtolam die 23. Menſis Octobris hujuſce Anni 1642.

1642. Cujus responsum hic habe. Summâ lætitiâ afficior, quod Librorum meorum & Palladii præcipuè lectione fis delectatus; majori tamen sciendi cupiditate & delectamento te irretiri credam Lectione Hydrographi mei, quia clarius & dilucidius Medullam Naturæ detexi in ipso, quam in Palladio, sublimiora quædam & altiora in Palladio naturæ energiam & δύναμιν perquisivi & patefeci; At in Hydrographo facilius & dilucidius sub nomine spiritus, Aquæ Calchanteæ puta, totum Naturæ mysterium filiis Artis Hermeticæ detexi. Sal enim omne, sive sit animale, sive vegetabile & minerale, spiritus est aquæ congelatus, actione & energia sulphurei luminis, apud Philosophos vulgo calidum dicitur: Spiritus ergo hic naturæ δύναμις & energia calido innato suo Salis corpus suscipit, ex quo deinde filii Artis eundem spiritum arte suâ eliciunt, ipsumque attenuant, & tenuissimo ac subtilissimo corpore circumvestiunt, ut eo ipso corpora metallica perfecta attenuare possint, & in eundem spiritum convertere queant; ut virtus illa ingens & præpollens, quæ metallis inest, & sepulta est, haberi possit, energia incredibili illustrata. Si ex Sale minerali & viridi & cœruleo hunc naturæ aureum spiritum educere valeas, eumque attenuare sublimatione queas, & tenuissimo ejusdem Salis corpore ipsum circumvestire possis, habebis florem naturæ universæ spiritualem & præpotentem, cujus virtute florem aureum possidebis, & vitæ humanæ thesaurum, parentis tui unicum solatium. Si esset præ manibus, libenter offerrem, sed, nescio qua occulti fati lege, mihi adhuc denegata sunt hæc naturæ mysteria. Sal vitrioli purum putum spiritu suo acido imprægnatum nulla alia acutiori præparatione sublimatum est arcanum morbi parentis tui; Dosis est ℈ß. in aqua communi laudati fontis summo mane sumptum, & duabus horis transactis assumi debet jusculum optimum. Communica, si placet Domino Capuccio, ea quæ sunt ex Arte, in hac Epistola exarata, & delineata, & Epistolam, quam illi dedico, sartam tectam illi transmitte quæso, & me devinctum, summo amoris vinculo detinebis. Vale, & me existima,

Castelnovidarri 24. Mensis Octobris 1642.

Perpetuum tuum & obsequentissimum Servum & fidelem Amicum

P. J. FABRE.

MIratus sum tuam Epistolam, quam Die prima Mensis Januarii accepi in fœlicitatem hujus Anni, & potissimum miratus sum laborem amici tui super acetum Physicum Vitrioli purum & putum; & cum eodem sale fixo puro & puto conjunctum, nullus ibi error commissus est, nisi fortasse in longanimitate & patientia quæ satis longa non fuit, hæc enim ambo multoties & diu, & percoquenda sunt, ut vult illud tritum Axioma Philosophorum, *Coque, Coque, Coque, & iterum Coque, nec te tædeat prolixitatis, quia in coquendi prolixitate consistit arcanum.* Unde Morienus? Nihil aliud est Opus nostrum, quàm aquæ nostræ super terram nostram remissio, donec ipsa Terra putrescat, unà cum aqua, & mundificentur ambo, quæ quidem putrefactio & mundificatio in brevi tempore fieri non potest, postquam autem putrefacta sunt & mundificata, facili negotio invicem connectuntur, & nunquam amplius separantur, sed fiunt unum quid, tingere, penetrare & permanere, & facilè fluere, Ubi est arcanum. Itaque si patientiam habeat Amicus ille tuus in putrefactione & mundificatione materiæ nostræ, & ejus matrimonio, certissimè possidebit arcanum. Nihil enim est aliud Opus Philosophorum quàm perfecta dealbatio & perfecta rubificatio, quæ in putrefactione & mundificatione consistit. Lege verorum Codicem Philosophorum omnium, qui hac de re scripserunt, nihil aliud invenies præter illud, quod in hâc paginâ tibi exaravi, cùm scire naturam nihil aliud est opus, quàm separare ejus materiæ elementa, & eadem purificare, & ab excrementis mundare, & mundata conjungere, & unum facere, hinc ex hâc præparatione exurgit terræ foliata, seu Sulphur naturæ albissimum, & rubei Leonis sanguis, ex quibus fit verum & legitimum Philosophorum matrimonium, & his conjunctis nihil aliud supereſt, quàm sola & simplex coctio, donec illa duo fiant unum fixum & permanens, & igni perquam facile fluens, penetrans & tingens. Ex Sale ergo tuo cum spiritu tuo extrahe Sulphur naturæ, & rubeum ejus sanguinem, per repetitas cohobationes & conjunctiones, donec Sulphur illud & sanguinem habeat; Hæc divide, conjunge & coque, time & lauda Deum & ama. Fratri & Amico charissimo hæc dicta sint, Vale, & me ama.

Datum in Ædibus die 9. Mensis Januarii, Anno 1643.

Tuus ad omnia fidelis Servus & Amicus

P. J. FABRE.

CHarissime atque Doctissime Amice. Tuam ultimam Epistolam Norimbergæ exaratam Mense Martii accepi, in eâ de difficultate Operis Chimici ex Vitriolo communi doles, neque sine magna causa. Ex cruditate enim ipsius & frigiditate hoc dependet: & scias ejus cruditatem & frigiditatem calore naturali & balsamo vitæ ipsius spiritus vini rectificati corrigere, & ambo simul juncta calore tepido putrefacere: extrahe, sic verum mineralem Mercurium, & Sulphur metallicum, quod septies destillatum, & sic purificatum vera est clavis solutionis nostræ, & quâ solâ viscerantur corpora metallorum, tam perfectorum, quàm imperfectorum, ut sic ex reseratis occultum naturæ fiat manifestum, & manifestum occultum: & hoc occultum metallicum purum putum factum cujus & sola coctione, ut ad fixationem perfectam conducatur.

Hoc est etiam verum Acetum Philosophorum cujus beneficio non solùm plumbi, verùm etiam reliquorum Metallorum habetur natura occulta, quæ Sulphur naturæ & Mercurius sunt, quæque sejuncta & conjuncta post eorum depurationem nostrum perficiunt elixir solâ coctione. Laudo ego, quod in Anatomiâ metallorum labores, hâc enim multa videbis, & si scis acetum vitrioli &

ejus Sal cum Spiritu vini rectificato conjungere, & simul putrefacere, ex hâc putrefactione orietur tibi Mercurius & Sulphur verum, quod solutum erit acerum verum Philosophorum, quo poteris interiora metallorum perscrutari, vale bene. Ad omnia fidelis Amicus P. I. Fabre.

Datum Castrinoviduni die 24. Maii Anni 1643.

Vir Clarissime, Accepi Tuam gratissimam Epistolam die, 1. Sept. Anni 1644. Ex qua percepi te bene non capere præparationem vitrioli secundum legem naturæ & Philosophorum, qui hoc Secretum habuerunt, quocirca tibi est legendus Isaacus Hollandus de mineralibus, quem invenies in Tomo tertio Theatri Chimici, ubi clarissimis verbis invenies præparationem tanti secreti & Thesauri. Ex omnibus Metallis potest educi vitriolum seu Sal fusibile & purum, quod est verus Lapis Philosophorum, in quo solo est Sol, Luna & Mercurius Philosophorum simul conjuncta & viva, de quibus loquuntur Philosophi omnes, & neque de vulgaribus, quæ mortua sunt. Tinctura rubea dicitur aurum, Tinctura alba dicitur Luna, & Humidum radicale, quod conjungit has tincturas dicitur Mercurius. Habes hæc omnia verissima & percipies dicta omnia Philosophorum; vale & me ama, & participem hujusce Literæ fac Dominum Cappuccium, nihil enim amplius & scribere possem & clarius.

FINIS.

SUBSECTIO TERTIA.

Oedipus Chimicus *Obscuriorum Terminorum & Principiorum Chimicorum Mysteria Aperiens & resolvens.* Authore Ioanne Ioachimo Bechero *Spirensi Mathematico, & Medicinæ Doctore.*

LECTORI CHIMICO S.

CUM percontandi gratiâ, num scripta mea Chemica Lectoribus placitura sint, atque in eum finem Tractatum de Metallorum generatione, reductione & perfectione sub Metallurgiæ nomine ederem, insuper in catalogo librorum Francofurtensi plures Tractatus Chimicos promitterem præter expectationem, multorum expectationi, adeo illo scripto satisfeci, ut reliquos promissos Tractatus plurimi à me desiderarent, ac Bibliopolæ urgerent, ut instantibus nundinis, quædam ex Chimicis scriptis prælo committerem, dubius deliberavi, utrum scriptorum meorum alteri præferrem, Tractatum de laudibus vitrioli, an Oedipum Chimicum? illum quidem ob multifariam praxin, hunc verò, ob principiorum explicationem utilem & necessarium; verùm cum plurimi scriptores Chimici, malè apud Tyrones audiant quod sua confusè & obscure tractârint, ne eandem ego incurram censuram, Methodicè & juxta ordinem mihi procedendum duxi; Quare jacto principio de rerum, præsertim metallorum generatione, in Metallurgia ad obscuriorum rerum & Terminorum explicationem me convertam, quo posito fundamento, Tractatum de Laudibus vitrioli superstruam, ædificium hoc Philosophicum, coronide, Tractatu de Corporum Magnetismo exornabo.

Interim Oedipo huic meo, hederam non adeò necessariam fore spero, commendabit seipsum, obscuros Terminos, res & phrases Chimicas; quantum hactenus trita Lexica explicando Chimica, aliosque Autores, qui in hoc pulvere sudarunt, & huic negotio operam dederunt post terga relinquat, judicabis ipse, si sanam tibi invidia mentem relinquat. Deum igitur tibi propitium rogo, ut tractatum hunc, corporis quidem mole exiguum, pedibus autem, nempe fundamentis, sat firmum & grandem, uno verbo Oedipum, *sanâ mente, in corpore sono, perlegas, evolvas, intelligas, Stylum hujus Opusculi quod attinet, oratorium non esse, plus enim ad materiam quam verba respexi, tum quicquid hic leges, raptissimè perscriptum scias, terminorum ergo vocabulis magnâ ex parte barbaris ati debui, sic præcipiente urte, si quis proinde Latinitatis causâ me vellicet, is hîc me Philosophum, alibi experietur Philologum. Vale.*

TITVLVS PRIMVS.

De Primâ Materiâ Chimicorum.

Proœmium.

Prima Materia à Chimicis pro clavi Artis semper est habita, unde, antequam ipsam Regiam ingrediamur, tali clavi opus est, alioquin in Naturæ Secretorum Scriniorum aperturâ, in cassum laborabimus, neque ut genuini, sed ut fures, multis Sophismatibus & dolis intrabimus, Abhorreo recensere quantis nugis, variisque phantasmatibus plurimi hanc primam materiam quæsiverint & quàm in inexplicabilia tesqua aberrârint; principales tamen opiniones circa hanc materiam, paucis exponam. Aliqui eam illud Nihilum esse putabant, ex quo Deus mundum condidit, alii materiam cœlorum, alii Spiritum Mundi, alii primam materiam Aristotelicorum; alii substantiam seminalem specificam, pro eâ agnoverunt, singulas has & diversas opiniones, in sequentibus quinque paragraphis, eâ quâ potero brevitate & veritate examinabo.

§. 1. *De Nihilo & vacuo.*

Deum mundum ex nihilo creâsse, Sacræ testantur Literæ, quid autem id nihilum fuerit hinc & inde controverritur; probabilis & communis sententia, ex vocabuli etymologia desumpta est; Nihilum enim

X Rem. V. 17

enim est id, quod non est, i. e. nihil, seu non ens: verùm sunt qui probant hoc nihilum seu non ens, respectu sui aliquid, respectu autem nostri & rerum creatarum, nihil esse, cum non sit de hâc substantiâ, sicut vulgus spatium aëreum nominat vacuum, cum tamen sit aëre plenum. Hanc sententiam probant ex Paulo, qui affirmat Deum produxisse Entia inexistentia, tale hoc esse, quod nihilum vocatur, ex quo Deus Mundum condidisse perhibetur, ferunt, id ergo Nihilum vocant primam materiam, cum in ordine Creationis nullam ante se habeat; ex hâc omnia corpora producta, & in hanc quoque ea reduci posse, tam ex Sacris Literis, quam ex variis Philosophis probant, præsertim ex Paracelso, qui scribit, corpus in nihilum hoc verò in aliquid reducatur, Auctoris verba sunt, ichts muß zu nichts werden / auff daß auß nichts wiederumb ichts werde. Verùm Paracelsum non de hâc omnimodâ reductione, quæ soli Deo competit verba facere, quilibet animadvertet qui antecedentia & consequentia evolvet, ubi de putrefactione & solutione tractat, ad quas operationes hæc ejus dicta referenda sunt. Finis hujus Philosophiæ est, quod corpora in hoc nihilum velint reducere, ex hoc autem nihilo perfectiora educere, sed ejusmodi operationes nugæ sunt, Primò enim implicat esse aliquid, & esse nihil. 2. Reductio corporum in nihilum, soli Deo est possibilis, quemadmodum eductio. 3. Posito, quod talis reductio esset possibilis, nullam video vel causam, vel medium perfectioris eductionis, cum nulla sit ratio, cur non tam citò ex ea asinum quàm aurum educant. 4. Licet id nihilum esset Pauli non ens, non tamen video quomodo artifex id tractare ac manibus aut igne, aut in vitris elaborare possit, cum non Entis nulla sint accidentia, accidentia autem ad tractationem talem requirantur, si enim non habeat colorem non cadet sub visum, &c.

Sunt quoque qui statuunt, ante Creationem Mundi nihil fuisse præterquam Deum, nullum locum, nullum ubi, eum omnia impleviſſe, neque fuisse vacuum, si enim præter Deum, vel vacuum, vel aliquod aliud illo non creatore fuisset, coæternum ei extitisset, quod absurdum esset; quare statuunt Deum creâsse vacuum quod putant esse illud nihilum impropriè sumptum, ex hoc vacuo mundum conditum, illudque vacuum in eo adhuc disseminatum esse, vel ex hoc unico probant, quod locus vacui à quibusdam Mathematicis neotericis demonstratus sit, verùm hæc ultima ratio maximè fallit, cum falsissimum sit dari in natura locum vacui, & P. Valeriani Magni Capuzzini, suorumque vacuistarum Demonstratio nullum habeat locum, post subtilissima enim Examina & demonstrationes aliorum, ipse ego prædicto P. Valeriano ad oculum suæ demonstrationis fallaciam demonstravi, id enim spatium in phiala (vitrum Chimicis sic dictum, ampullam cum collo oblongo habens) quod ille omni elemento vacuum esse clamat, sanè etiam aëre vacuum esse debet. quod si est, nulla rarefactionis & condensationis mutabilitas in eo animadverti debet, cum subjectum rarefactionis & condensationis aër sit, sed calor, vitro admotarum manuum, rarefactionem in vitro causat, quod ex descensu mercurii in phiala rursusque ascensu, amotis manibus apparet, ergò vel cæco liquet, nullum ibi dari vacuum; denique num imaginarium hoc vacuum prædictum Pauli non ens sit, Theologis discutiendum relinquo: certe in Physicis qui vacuum suum cerebrum, hoc imaginario vacuo replent, næ isti in praxi Chimica & vacuas manus & vacuum experientur Marsupium.

Terminus apud Philophos Chimicos in nihilum reducere, est corpus destruere & alterare, modo naturæ non convenienti, sic in nihilum reducere, non rarò apud illos sumitur, pro corpus comburere.

§. 2. *De Materia Cœlorum.*

Gerhardus Dorn cum suis assectis, statuit materiam cœlorum, esse quintam Essentiam hujus materiæ sublunaris, incorruptibilem, hujus inferioris mundi conservatricem, omnium corporum verum vegetativum, paucis Elementorum animam, quæ corpora sublunaria à corruptione præservat, eaque in maximam suæ speciei perfectionem exaltat, hanc ideo cœlorum materiam omnibus corporibus sublunaribus pro conservatione à Deo inditam esse atque per artem inde separari ac concentrari, hominibus, plantis & metallis, in maximam utilitatem communicari posse; Denique hanc materiam aviculam Hermetis esse quæ à terra cœlum ascendat, cœloque in terram descendat, eam fœcundet, prout hanc sententiam latiùs pertractat, in præfatione supra Lapidem suum Metaphysicum;

Ex hisce tria nobis consideranda occurrunt, 1. An materia cœlorum differat à materiâ nostrâ sublunari. 2. An requiratur ad vegetationem & conservationem ac alterationem corporum sublunarium. 3. An sit parabilis ac arte tractabilis.

Primum punctum quod attinet, memini de eo inter Aristotelicos quoque Controversiam esse, præsertim an in Cœlo sit materia? & si est, an sit eadem cum hâc nostrati; etsi verò quantùm ad priorem quæstionem, in omnem Partem sat dubitationum occurrat, probabilior tamen nobis videtur ea opinio, quæ cœlo materiam tribuit, rectè enim Scaliger scribit. exerc. 359. S. 11. facere corpus sine materiâ, esse facere insomnium sine somno, seu ut idem habet in 1. de plantis, panem sine farina Ubicunque enim Quantitas, figura, & motus localis est, ibi materiam subesse necesse est, nam quantitas materiæ naturam proximè insequitur, & sine eâ nulli rei inesse potest, omnesque formæ & accidentia per se non sunt quanta, sed dicuntur esse quanta ob quantitatem materiæ, cui insunt, quapropter cum cœlum esse quantum, certæ figuræ, finitæque magnitudinis, & moveri localiter, videamus, materiam ipsi inesse omninò fatendum est; qualis verò sit materia, an hæc nostras, an verò aliqua particularis, adeo obscurum est, ut quicquid etiam statuas, facilè, quo te defendas invenias. Plurimorum ex antiquis Philosophis opinio fuit, Cœlum ex uno vel pluribus nostrorum elementorum constare, quæ opinio modò non probatur, etsi aliam ipsi materiam quam nostratem hanc primam assignandam esse non censeamus, novum enim aliquod Ens in censum naturæ inducere, nulla cogit necessitas, cum omnia quæ cœlo, ob materiam competunt, ei nostra hæc rectè tribuere possit. Unde Scaliger exerc. 61. hanc rem sic concludit: materia una ab alia diversa non est nisi per advenientem formam, qua sit hoc aliquid. Materia enim quatenus materia nullum in se actum includit, nihilque determinatum obtinet, sed omnem determinationem à formâ accipit; cœlo insuper inest quantitas, aliæque nonnullæ qualitates, quæ ipsi cum inferioribus hisce sunt communes & à materiâ primâ proficiscuntur; Objiciunt aliqui cœlum esse incorruptibile, nostratem primam materiam corruptibilem &

alterabilem eſſe. Reſpendemus etſi cœlo materiam hanc noſtratem tribuamus, tamen timendum non eſſe, ne ruat & corrumpatur, cum teſte Zabarella. libr. de ortu & interitu. c. 11. materia prima, cum ſit ens mera poteſtate nihilque agat, non eſt adæquata cauſa generationis, & corruptionis rerum, ſed ſaltim cauſa ſine quâ non, agens autem eſt cauſa generationis adæquata omniſque actio agenti adſcribenda eſt, materiæ autem tantùm paſſio. Cauſa ergo cur non fiat generatio & corruptio in cœlo eſt, quia cœlo nihil datur contrarium, à quo poſſit corrumpi, & quia ei nulla ad alias formas recipiendas potentia particularis eſt, quæ ſola opponitur actui & cum privatione, re eâdem eſt. In cœlo enim non eſt privatio formarum corruptibilium, quia cœlum non habet potentiam proximam recipiendi formas ſublunares, ſed cœli forma ita ſibi ſuam materiam devincit & diſponit, ut ad alias formas recipiendas, potentiam particularem non habeat, ſed tantùm illam univerſalem quæ eſt aptitudo ad omnes formas indiſtinctè recipiendas; Ex hiſce liquet cœlum quidem habere materiam, illam autem neque à noſtrâ diverſam neque ejuſdem quintam eſſentiam, ſed eam ipſam formâ tamen perfectiore, quæ quidem non eſt anima, formis vero elementorum nobilior, eſſe præditam & informatum, à quâ ſaltim ſit hoc aliquid.

2. Secundum punctum quod attinet An nempe cœlum peculiari & occulta vi, quam influentiam vocant, inferiora hæc efficiat? Plerique quidem ex iis, quibus cum Aſtrologis lis eſt, ſolum lumen quod variè, pro motuum cœleſtium varietate, variis locis communicatur, ad omnes effectus qui à cœlo proficiſci dicuntur, edendos ſufficere dicunt. Contra tamen ſtatuendum eſt, cœlum non ſolum per motum & lumen, hincque dependentem calorem, ſed etiam per peculiares quaſdam vires, quas influentias vocant, inferiora hæc efficere, multa enim à cœlo proficiſcuntur, quæ lumini ejuſdem adſcribi non poſſunt, lumen enim à corpore opaco, vel denſo impediri poteſt, cum tamen in profundiſſimis terræ cavernis, ſub aquis quo nec calor, nec lumen à cœlo producta penetrat, multa tamen cælo concurrente generentur, & certè cum magneti, aliiſque rebus ſublunaribus, inſignes, ſine lumine, in res diſſitas agendi vires inſunt, eædem cœlo, corpori tàm magnifico denegandæ non ſunt, Quouſque tamen ſe extendat hic cœli influxus & in quas res agat, num vegetationis & rerum conſervationis cauſa primaria ſit, inquirendum: Hoc ſanè negandum non eſt, cœlum res materiales & merè naturales omnes agere, an tamen influxus ille cœleſtis principalis cauſa omnis vegetationis & conſervationis rerum ſublunarium ſit, ſi calorem ſolis excipiamus, meritò dubitamus; poſſe quidem alterare & agere in corpora ſublunaria non negamus, ſicut & concedimus quod accidentaliter vegetationem promoveat, quod verò principaliter requiratur, meritò hæſitamus, cum multa corpora ſublunaria ſint, quæ nullam ab aſtris patiantur viciſſitudinem; accedit levis quorundam corporum per inferiora elementa deſtructio, quæ eis non uſu veniret ſi tota vis conſervativa & vegetativa ex aſtris, quorum potentia major eſt noſtrâ, promanaret atque dependeret.

3. An materia cœlorum ſit parabilis ac arte tractabilis corporibuſque inferioribus ad ſui conſervationem communicabilis? Statuit hoc præfatus Gerhardus Dorn, verùm ut nugas ſuas tegat, affirmat neceſſe non eſſe ut materia hæc ex cœlo petatur, cum ſuboleſcat impoſſibilitatem, verùm inquit, inditam eam eſſe à Deo omnibus corporibus, pro conſervatione & vegetatione, quare ex corporibus ſublunaribus & quidem unoquoque facillimè arte Spagyrica ſeparari poſſit; ſed ſicut hæc Philoſophia à principio non parum ſplendoris Auditoribus objicit, ita profectò heic omni rationis lumine caret; quàm abſurdum enim ſit duas materias & formas uni ineſſe corpori, item ſeparare materiam à forma & accidentibus, illam tamen manu, vitro & igne velle tractare, quilibet videt, ipſe Dorn fatetur præcitato loco, omnes operationes ſpagyricas tantùm miſtorum ſublunarium, accidentium alterationes eſſe, paucis verò lineis pòſt, docet ſeparationem materiæ, quam ſibi præſupponit abſque omni forma & accidentibus, ſanè qui ſic fabulantur, perpetuum in ſuo vitro & cerebro tractabunt non ens.

§. 3. *De Materiâ primâ Ariſtotelicorum.*

Non pauci Chimici ſunt, qui ajunt Chimicorum materiam, unam eandemq; eſſe cum Ariſtotelicis, quare omnibus corporibus ſublunaribus ineſſe atque exinde elici poſſe, autumant: verùm quamdiu talis materia ſui corporis accidentia & formam continet, tamdiu pro prima, univerſali & informi ſtatui nequit, talem verò materiam à corporibus arte non elici aut tractari poſſe quilibet animadvertet, qui ſciet materiam abſque forma & accidentibus tractabilem non eſſe, cùm veriùs Ens rationis quam materia ſit.

§. 4. *De Spiritu univerſi.*

Sunt qui ſtatuunt, ſingularem terræ ineſſe Spiritum, qui omnia corpora vegetat & conſervat, huic habitaculum aliqui rori, alii pluviæ, alii luto, terræ, ſilicibus, non pauci nitro aſcribunt, unde variis laboribus educere conantur, verùm tales videntur Naturam ſubintelligere eamque corporaliter ob oculos ſiſtere velle, rerum enim vegetatio naturæ facultas eſt non materiale aliquod corpus vel ſpiritus, qui in manus artificum veniat, pari enim impoſſibilitate occultas qualitates naturæ ſuis quis oculis videbit, ſuis quæret tractare manibus; Non inficias eo reperiri materias ſubtiles, quibus vegetatio promovetur atque corpora conſervantur; verùm accidentaliter, non eſſentialiter, tum diverſimodè, ſimo enim vegetabilia, bonis ſuccis animalia, ſulphuribus metalla promoventur, ſuaque in vegetatione adjuvantur, unicum ergo ſpiritum pro omni rerum vegetatione velle quærere, eſt idem ac ſtatuere unam materiam protribus regnis, quod abſurdiſſimum eſt.

§. 5. *De verâ Chimicorum primâ Materiâ.*

Cùm Chimica ſcientia practica ſit, ſubjectum, etiam habet materiale & practicum, quare id pro primâ materia ſtatuit, quod primùm ei ſub ſenſum & manus cadit, tale autem Ariſtotelicorum prima materia eſſe nequit, cum illa tantum ratione comprehendi, oculis verò manibuſque apprehendi non poſſit, alia meritò nobis quærenda erit, nempe Ariſtotelicorum ſecunda, quæ Chimicorum prima eſt, puta primæ materiæ Ariſtotelicæ accidentia, hæc enim tractationi Chimicæ inſervinnt; Sciendum autem eſt, qua ratione Chimici accidentia pro primâ rerum materiâ ſumant, eo ſcilicet ordine quo primùm ob oculos cadunt, nempe in ſemine; ſemen enim prima eſt rerum materia, in ordine quo eam tractare licet, ſic ſemen bovis, rapi, plumbi,

est prima materia bovis, rapi, plumbi quæ nobis sub oculos & manus cadit, quare quotiescunque apud Chimicos primæ corporum materiæ mentio fit, semper ejus corporis semen subintelligi debet; varia autem consideranda obveniunt circa Chimicorum primam materiam, 1. An corpus ipsum sit. 2. An semen corpus sit. 3. An una eademque sit in omnibus corporibus 4. An alia materia in ordine semen præcedens sit. 5. Cui usui inserviat & quare à Chimicis tantopere expetatur.

1. An prima materia Chimicorum ipsum corpus sit, seu an ipsum corpus bovis, rapi, plumbi, pro eorum primâ materiâ sit habendum? Respondeo distinguendum esse inter actum & potentiam, inter continens & contentum, bos enim & rapum semen suum actualiter & potentialiter in se continent, quare dici potest bovem seu rapum potentialiter primam materiam Chimicam esse, actualiter verò per metonymiam continentis pro contento, quod de illis corporibus intelligi debet, quæ semen solum in vasis separatis gerunt, non autem de metallis, illa enim non nisi potentialiter pro prima Chimica materia statui possunt: actualiter verò, cum reductione metallum in suam primam materiam retroceſſit; semen enim in metallis non in particulari loco, sicut in animalibus & vegetabilibus conditur, sed in totam substantiam est disseminatum, seu totum metallum est semen corporale per matricem suam dispersum, actu tamen metallum pro prima eorum materia, non nisi potentialiter, seu si reducatur in eam, est habendum.

2. An semen alicujus corporis prima materia Chimica sit, præcedentibus probatum & affirmativè concluſum est, distinguendum tamen inter masculinum & fœmininum semen, illud enim apud Chimicos formæ, hoc materiæ vices obtinet, quare ubi de primâ materiâ Chimica mentio fit, plerumque semen fœmininum subintelligitur, quamvis non rarò etiam pro duplicato semine accipiatur, tum verò aliis quoque nominibus insigniri solet, vocatur enim chaos artis, eo quod duplicatum hoc semen omnia vegetationi suæ necessaria in se contineat nihilque ars præterquam ignem adhibeat, prout Empedocles ait, naturam igne adjuvare possumus, præterea enim nullum aliud habemus auxilium. Vocatur etiam Hyle Radix Duplicata, Vitriolum naturæ, quæ nomina in sequentibus debito loco citantur & explicantur.

3. An alia materia, semen in ordine præcedens, Chimicorum prima materia sit, aut esse possit? Respondemus, omnem materiam, ex quâ semen quoddam fieri potest, si latè sumatur, potentialiter pro primâ Chimicorum materiâ declarari posse, sic in S. Scripturâ sanguis non rarò sumitur pro semine ipso, sic & dici potest, hominem ex herbis, reliquisque animalibus, quibus vescitur, nasci, cum inde in ventriculo, chylus, ex eo sanguis, ex hoc semen, tandem ex illo homo generetur, nec rarò hæc Philosophica Phrasis in Chimicorum libris repetitur, ubi materiam remotissimam nonnunquam sumunt pro propinqua, potentiam pro actu, causam efficientem pro effectu, quod scribendi genus nisi quis benè attendat, mirè Lectorem confundit. Pro concluſione autem abstrahimus in definitione actualis primæ materiæ, ab omnibus materiis, ex quibus potentialiter ac tandem actualiter aliquod semen fieri ac nasci potest, solus enim iste gradus, in quo semina collocata sunt, aptus est ad generationem, quod si vel unico gradu semen tale sive naturâ, sive arte alteretur, extra primæ materiæ gradum collocatur, si propagabis, fiet corpus, suamque inditam exprimet formam, si studebis in gradus remotos reducere, semen amplius non erit, verùm suam generandi & vegetandi amittet potentiam, quod videre licet in seminibus vegetabilibus, illa enim debitis requisitis, terræ imposita producentur in corpus, arte verò tractata reducentur in materiam liquidam, oleosam, viscosam, quam aliqui primordialem aquam, veram nempe primam materiam vocant, verùm falsò, cum experientia monstret, tali liquori omnem generationem & vegetationem, si terræ imponatur, esse ademptam, quare concludo, tùm semen esse veram primam Chimicorum materiam cùm generandi & vegetandi integram potentiam habet, quæ sola igne in actum reduci possit.

4. Quartò an prima Chimicorum materia una eademque sit in omnibus corporibus? Respondemus. Si vocabulum, prima materia Chimica, generaliter sumamus, tum omnibus corporibus inesse; nullum enim corpus est, quod non substantiam seminalem habeat, unde oritur, sin verò specificè capiamus, sciendum est num cum, vel sine formâ, puta Chimicâ (de quâ in sequentibus) sumamus, si cum formâ, dicimus quodlibet corpus suam materiam speciali forma devinctam habere, & sic tot materias, quot corpora seu formæ sunt esse, sin verò solam intelligas materiam absque causæ formantis vinculo, dicimus tantùm esse triplicem, Animalem nempe, Vegetabilem, & Mineralem, Animalem vocari menstruum, vegetabilem Aquam pluvialem, Mineralem, Aquam Mercurialem: adhæc notandum est semina masculina tanquam causas formantes, aut juxta Chimicos formas, in similes tres classes, sc. juxta tria regna dividi, verùm in unaquaque infinitis quasi modis, tot puta, quot in illo regno corpora sunt, differre, cum è contrà in isto una tantùm sit materia, apta ad recipiendas omnes, omnium graduum istius regni formas, quod apertè in regno vegetabili conspicimus, ubi una eademque aqua pluvialis, omnibus seminibus vegetabilibus adæquata est, ita ut efformationem ab istis subeat, hoc de sanguine Menstruali ad animalia, & aqua Mercuriali ad metalla quoque intelligendum est. Possent ex hac proportione tria in dubium revocari. 1. An certum sit, menstruum, aquam vegetabilem & Mercurialem tres istas meterias trium regnorum existere? Respondemus certissimum esse, nam quæ materia à forma specificam formationem subit, illa certa & adæquata materia est, menstruum autem, aqua vegetabilis & Mercurialis, à sui regni formis specificam subeunt formationem, ergo concludendum est, tales esse prædictarum formarum, certas, primas & adæquatas materias. Deinde mirabitur quis triplicitatem harum materiarum. Respondemus, experientia & ipsâ creâtarum rerum serie constare triplicitatem regnorum corporumque istis contentorum quædam enim animalia quædam vegetabilia, alia mineralia sunt. Ad animalia quicquid vivit; ad vegetabilia quicquid semine in terram seminato crescit; ad mineralia referuntur lapides, gemmæ, mineralia, metalla, salia & similia fossilia, omnia itaque corpora ad has tres classes à Chimicis reducuntur, cur autem juxta eas, tres quoque statuantur materiæ, non fortuito factum est; nam cum Creatori libuerit, seminibus & corporibus animalibus dare aliam mixturam & compagine, quæ tantùm unione, aliam

verò

verò vegetabilibus quæ coagulatione, aliam denique metallis quæ fixatione conſtat, neceſſe etiam erat, ut juxta hanc triplicem differentiam, tres quoque darentur materiæ, quarum prima cum ſeminibus unionem, altera coagulationem, tertia fixationem ſubiret; neque enim aqua pluvialis metallicis formis, aut aqua metallica animalibus convenit. Ultimò ſcitu dignum eſt, quâ affinitate materiæ hæ ſibi cohærcant, num una in alteram tranſmutari queat? Dico ratione principii remotiſſimi, ex quo Deus eas ſeparavit, & condidit, illas ex unâ radice nempe aquâ tenui, cognationem maximam ſumere; verùm factâ ſeparatione illas totaliter inter ſe diverſas, ſibique certo reſpectu contrarias eſſe. Legimus quidem in hiſtoriis formam vegetabilem hordei in utero, in quem caſu devenerat grani inſtar cum ſanguine menſtruali tanquam materiâ coïviſſe, eamque in multa grana, maſſæ tamen ſanguineæ, efformaſſe, unde tumore ventris afflicta mulier mortua atque aperta, & hinc is caſus detectus fuit; quâ ratione formæ quædam vegetabiles cum currente Mercurio, cui multùm materiæ metallicæ ineſt, quemque ideo, in varias præſertim arboris figuras efformant, ludant, multis notum eſt, unde liquet Sympathiam quandam ac affinitatem, haſce inter tres materias eſſe, quamvis ipsâ ſuâ ſubſtantia in totum differant, nullaque arte ad invicem commutari queant, imò ejuſmodi commutationes abhorreant. Quis enim unquam aquam pluvialem aquæ menſtrualis vices ſuppleſſe, aut ſanguinem cum ſulphuribus & formis metallicis ſe commiſcuiſſe, ignemque ſuſtinuiſſe vidit?

Quinto, Quare Cognitio primæ materiæ Chimicis adeò neceſſaria atque utilis ſit, & hinc anxiè quæratur? Ex prædictis facilè liquet, cum enim finis Chimici ſit generare, regenerare, perficere, deſtruere, taleſque actus promovere, hi autem abſque corporum materiæ alteratione abſolvi, aut debitè pertractari nequeant, neceſſariò ſciendum eſt, quid hæc materia ſit, qualiter à reliquis differat, & quomodo à Chimicis definiatur. Hoc ergo cognito fundamento ad reliqua nos accingemus, de formâ hîc agendum eſſet, verùm cum in ſequenti titulo illa explicetur, paucula quædam pro concluſione hujus Tituli in elucidationem dictorum de primâ materiâ Exemplorum inſtar apponam.

Corallaria ad Titulum primum de primâ materiâ.

1. Quę ſit Materia Metallorum.

℞. Remota eſt aqua graviſſima ex Mercuriali vapore orta, propinqua eſt Aqua Mercurialis non madefaciens manus, quod & teſtatur *Divus Thomas, in Commentario ſupra Tertium librum Ariſtotelis de meteoris, ſequentibus; Conſiderandum autem eſt circa principia materialia metallorum, quæ ſunt in duplici differentiâ, quædam enim ſunt materia remota ſicut eſt vapor incluſus in locis lapidoſis terræ, alia autem ſunt materia propinqua, & hæc ſunt Sulphur & Mercurius, itaque in prædictis locis lapidoſis terræ per virtutem mineralem generatur Sulphur & Mercurius, deinde ex ipſis generantur diverſa metalla, ſecundùm diverſam eorum commixtionem. Unde etiam ipſi Alchymiſtæ, per veram artem Alchymiæ per prædicta principia, vel potiùs per principiata aliquando veram generationem metallorum faciunt.* Hactenus verba Divi Thomæ, quibus materiam metallorum Mercurium, formam verò Sulphur: hæc duo autem principia propinqua nominat, atque aſſerit poſſibile eſſe, ut his combinatis metallicolæ etiam arte metalla producere poſſint plures demonſtrationes exponet ſequens titulus.

2. Quæ ſit materia Lapis Philoſophorum.

Reſpondeo, juxta Chimicos finis Lapidis Philoſophorum eſt metalla in aurum exaltare mediante ſua forma & materia, quæ metallicæ & minerales eſſe debent, quare concludo formam Lapidis Philoſophorum eandem, cum auro, ſed exaltatam, materiam verò communem eſſe cum omnibus metallis, omniaque metalla exinde conſtare, licet materia hæc in illis non adeò perfecta & cocta ſit, ſicut in Lapide Philoſophorum à cujus forma pluſquam perfecta, plus etiam perficitur quam à formis vilioribus vulgarium metallorum; videmus enim Mercurium à formâ auri adeò figi ut cum eâ ignem omnibus in probis ſuſtineat, contrarium in reliquis metallis accidit, propter formas imperfectiores, nam differentia & præſtantia rerum non à materiâ, ſed à forma petenda eſt, eademque materia prima quæ ſubjacet formæ antimonii, Mercurii, plumbi, ſtanni, cupri, ferri, eſt quoque ſubjectum argenti & auri.

3. Qua ratione forma & materia Lapidis Philoſophorum reliquis metallis communicari, & an duæ formæ & materiæ uno in corpore eſſe poſſint?

Dico formam Lapidis Philoſophorum non aliam præterquam formam auri eſſe, ſed exaltatam, magiſque perfectam; dum autem metallis communicatur (quæ in fluxu illam facillimè propter homogeneitatem metallicam recipiunt:) non facit perire eorum formam, nec tamen ſequitur eſſe duas formas in uno corpore, perfecta enim forma perficit minus perfectam, quæ perfecta ejuſdem eſt naturæ cùm perfecta, tunc non duæ, ſed una eſt forma, perficiens autem forma, ob communicationem ſuæ perfectionis, nonnihil imminuitur in ſuâ qualitate, quare tot gradibus retrocedit, quot minus perfectam perficit, unde forma informans & informata ad temperamentum, auri nempe æquilibrium deveniunt, idem ſentiendum eſt de materiâ, quæ cum omnibus metallis homogenea eſt.

4. An materia à forma ſeparari poſſit?

℞. Diſtinguendum eſſe inter formam accidentalem & eſſentialem, accidentalis enim inſervit ad ipſius materiæ formam, quâ vel ſal, vel aquâ, vel metallum ſolutum aut coagulatum eſt, hanc formam dico eſſe alterabilem, verùm inſeparabilem, materiam enim formam accidentalem, accidentia nempe habere neceſſe eſt, alioquin eadem eſſet cum Ariſtotelicâ, neque artificum manibus tractari poſſet.

Eſſentialem quod attinet, quæ ei inſervit ad vegetationem & ſpecificam informationem, illam certis gradibus ſeparari à materia poſſe ſciendum eſt, ſic tamen ut potentialiter, atque in minimis atomis, minimâ etiam proportione intus comprehendatur & lateat, unde etiam denominatio ſumitur, nam ſi materia peripherice prædominatur, materia; ſi forma, vocatur forma, à potiori enim ſolet ſumi denominatio. Concludo ergò materiam nunquam à ſuâ formâ ſic ſeparari poſſe, ut materia in totum abſtracta à formâ vocari poſſit & è contra; hæc igitur eſt ratio, quare vel materia, vel forma à Philoſophis, Hermaphroditi nomine fuerit inſignita,

insignita, hæc quoque est ratio quare ad operis sui constructionem, ex prædictis duobus principiis, non rarò unum tantùm requirant, cum alterum ei individuè inesse præsupponant, sicut etiam videmus ex sola aqua pluviali interdum vegetabilia provenire, licet nullum aliud semen fuerit adhibitum, eadem enim inter formam & materiam est harmonia, quàm quæ inter elementa, quæ eodem indissolubili vinculo constant, neque totaliter se ab invicem separari patiuntur.

5. An & in quantum possibile atque arti necessarium sit, ut prima materia auri à forma auri separetur?

Sciendum est hanc separationem in omni generatione esse necessarium, ad causandam contrarietatem, prima enim contraria, cujusvis generationis causæ sunt, materia enim devincta suæ formæ, acquiescit, cum id habeat, quod appetit, dum verò forma à materia separatur, eaque libera redditur (puta ab essentiali in quantùm possibile, ab accidentali enim separare nec possibile, nec conducibile est, ipsius tamen formæ essentialis corruptione & separatione, accidentalis hæc quoque alteratur, sed non separatur, alioquin materia fieret invisibilis, cum accidentibus careret) novam appetit formam, quam dum accipit, permittit se denuo ab eâ figi, novumque generationis actum incipit, quo in actu ars non parum naturam & calore, & contrariorum accidentium amotione promovere atque adjuvare potest, quod in floribus arte productis videmus, dum itaque metallicolæ Philosophi, regenerationem auri instituunt, necessarium est, ut forma auri ducatur ad centrum, materia ad peripheriam, i. e. ut forma separetur à materia in quantum possibile, hâc enim separatâ, materia auri actum generationis incipiet, appetendo novam formam, atque patiendo se ab eâ figi ac formari, cum è contra eâ sc. formâ præsente quiescat, vulgare enim aurum à Philosophis mortuum, à metallicolis metallum quiescens vulgo ein ruhend Metall / ideò quod quiescat ac pro nunc sterile sit, sicut semen aut corpus vegetabile, antequam terræ committitur, mortuum apparet, vocatur. Hanc autem formæ corruptionem & separationem, reductionem in primam materiam. i. e. reductionem corporis in substantiam seminalem vocant, quare Aristoteles Chimicus ait: Exultent Alchymistæ quomodocunque velint, nisi reducant corpora in primam materiam, in vanum laborabunt. Operæ ergò pretium erit ut disquiramus num & quâ ratione aurum tanquam corpus fixissimum formâ suâ privari & corrumpi queat? Negativam falsissimè tuetur Angelus Sala in sua Chrysologiâ, verùm quando affectibus frænum damus, etiam Icari instar ea ipso sapientiæ cælo in ignorantiæ pelagus protrudimur, quod huic bono Italo Salæ accidit, nobis, ne idem datâ affirmatione eveniat, rationes addamus; concedendum ergò est, aurum in principio non statim fuisse aurum corporale & actuale prout jam est, seu liquefactione purgatum, seu naturâ sic repertum, quod vulgo fein / oder Wasch Gold vocant, verùm in ordine materiam aliam unde factum est antè se habuisse, quæ materia licet potentiâ, actu tamen aurum nondum fuit, licet longo tempore accedentibus debitis requisitis de illa materia potentia reducatur in actum, sic Esdra in sacris literis ait, parvum esse pulverem unde aurum fit, & Divus Thomas loco superiùs citato, expressissimè materiam auri sulphur & argentum vivum nominat, unde concludo, aurum in ordine suæ productionis aliam materiam viliorem, & imperfectiorem ante se habuisse, unde postea factum est; in hanc posse aurum corporale reduci sequens dictat ratio, nam si causæ fuerunt naturales quæ prædictam materiam remotam & rudem in corpus tam fixum & nobile fixârunt, sane hisce causis naturalibus naturales etiam reperientur contrariæ quæ corpus jam elaboratum rursus resolvant, in eamque materiam remotam reducant; Quæ autem fuerit causa naturalis fixationis auri, neminem Chimiæ tyronem latet, purissimum auri sulphur esse, quod optimis Philosophorum antiquissimorum dictis, Raymundi, Bernhardi, Basilii, Richardi, Riplei, aliorumque insuper, multâ etiam praxi, tam in primâ quam tertiâ meæ metallurgiæ Francofurti editæ parte abundantissime probatum & demonstratum est, hoc ergò posito fundamento, quis negabit materiam auri esse fixabilem, sulphur autem fixans, unde liquet sulphur tanquam formam esse agens, Mercurium verò tanquam materiam, patiens, agens autem & patiens prima contraria esse nemo Philosophus, nemò Physicus inficias ibit; cum itaque forma fuerit agens ejus autem pars contraria patiens, forma autem figat, necesse est ut ejus contrarium, nempe materia contrariam habeat operationem, resolvat nempe & volatiliset, si ergo naturaliter forma auri figit coagulat, & indurat, naturaliter materia ejusdem, potentiam contrariam, nempe volatilisandi, resolvendi & emolliendi habere debet, quare concludo materiam metallorum, clavem, formas metallicas corrumpendi easque concentrandi ac separandi, hanc verò operationem putrefactionis speciem esse, forma enim glutinis instar est, quæ insita suâ qualitate humidam materiam invisicidat, incrassat, agglutinat, in certam denique altringit formam, materiam tamen juxta à Deo sibi assignatam proportionem, certâ quantitate prædictâ sibi ratione devincit, sin autem materia hanc proportionem quantitate nimiâ excedat, tùm ex patiente fit agens, superat enim causam formantem & agglutinantem, dum eam dissipat, dissolvit, atque colliquescere & sic putrescere facit, quod ad oculum in regno vegetabili nobis ponitur, ubi, quamdiu semina vegetabilia certam aquæ tanquam suæ materiæ proportionem non habent, semper vegetant & crescunt, quamprimùm verò, ubi illam proportionem humiditatis, quam semina agglutinare atque in certam formam astringere possunt, habent, paulò plus justo pluit, aut terra alio modo humectatur, unâ etiam nocte putrescere incipiunt, cum eorum forma balsamica tantam materiæ copiam conservare nequeat, verùm cum ea ipsa colliquationem ac putredinem subeat, quæ novæ generationi primum ponunt gradum: Primam ergo materiam cujuslibet regni seminum causam putrefactionis, hanc verò medium solutionis & separationis ac corruptionis formæ esse, nemò dubitabit, præsertim si, quæ in sequentibus titulis principaliter verò sub sexto Paragrapho de solutione pertractantur, attentè & accuratè perlegerit, hoc tamen prædicto Angelo Salæ concedimus, aurum in humidum vegetabilem Liquorem per se neque essentialiter resolvi posse, cum tale humidum manus madefaciens extra ejus compositum aurique constructionem sit.

6. An

6. An prima materia metallorum ſit arte parabilis?

℞. Ariſtotelicè ſumpta negando, chimicè verò affirmando, non enim in mineris omnem materiam mineralem à metallicis formis actu eſſe fixatam & coagulatam, ratio dictitat, alias enim de facto nulla fieret in mineris augmentatio & generatio, cum tota vegetatio mineralis eſſet abſoluta, quod abſurdum eſt, ſi ergo detur in mineris etiam exinde peti poſſit, tùm patet omnia metalla conſtare ex hâc materia, quæ in aliquibus plus, in aliis minus eſt formæ devincta: in illis ergò corporibus ubi minus eſt fixata, minori etiam labore peti poteſt; objicies, ſi abſque putrefactione forma à materia ſeparari, atque aliter materia haberi nequit, putrefactio autem abſque materia cauſari non poteſt, impoſſibile eſt & materiam acquirere & putrefactionem cauſare verùm implicat, idem quærere per idem. ℞. Diſtinguendum eſſe inter materiam quæ omnimodè eſt à formâ fixata prout in auro argento, &c. & inter materiam quæ tantùm aliqualiter & primis gradibus à forma eſt informata, ac quaſi primâ graphide delineata, primò modo dico abſque putrefactione impoſſibile eſſe ut materia à formâ reſolvatur, atque in priſtinum habitum reducatur, altero vero modò, putrefactione opus non eſt, cum perito artifici & abſoluto ſpagyrico difficile non ſit frequenti ablutione, ſublimatione, &c. id reddere volatile quod parùm habet fixi.

7. Quare materia vocetur informis?

℞. Dictum eſt ſuperiùs duas materiæ formas competere, unam eſſentialem alteram accidentalem, eſſentialem eſſe hanc, quæ materiam ad ſpecificam quandam corporis formam determinat, accidentalem verò quæ ipſi materiæ competit, conſiſtens in materiæ accidentiis.

Formamque eſſentialem poſſe à materia ſeparari, ita ut plurimis gradibus retrocedat, non tamen totaliter abſcedat, tunc informem nominant, cum præter formam accidentalem ſibi propriam, nullam certam, alicui corpori ſimilem figuram habeat, veriùs ergò actualiter quam potentialiter, tùm etiam relativè, reſpectu nempe reliquorum corporum certâ formâ ſpecificatorum informis; uniformis quod propriam ſuam formam accidentalem, de quâ ſuperius; omniformis, quod ſucceſſivè omnes formas recipiendi potentiam habeat, vocatur; hæc de primo titulo & primâ materiâ ſufficiant, ejus ſynonyma explicabit ſequens titulus.

TITVLVS SECVNDVS.

De Principiis Subſtantiæ, nempe Sulphur & Sale.

Procœmium.

POſtquam Chimicorum primam materiam & formam in ipſo operis limine intuiti ſumus, decet ut propius accedamus, eamque intrinſecè conſideremus cui negotio facilitando præſens titulus, qui de principiis ſubſtantiæ agit, viam parabit, atque quinque paragraphis omnes amovebit ſcrupulos primo quid ſit ſubſtantia, altero, num dentur principia ſubſtantiæ, tertio quot & quotuplicia dentur, quarto quæ & quid ſint, quinto, quid ſit Sulphur & Sal, materia & forma ſpecialiter explicabitur.

§. 1. *De Rerum Subſtantiâ.*

Per Res intelligimus hoc loco omnia ſublunaria corpora prout illa ex quatuor elementis miſta conſtant, abſtrahimus autem materiam & formam Ariſtotelicam, earum verò accidentia, in quibus hanc conſideramus ſubſtantiam, hoc loco pro corpore, de cujus ſubſtantia hîc agimus, ſumimus; paucis materiam Ariſtotelicorum ſecundam, ſeu corpus Phyſicum quod per ſe ex ſuis principiis ſubſiſtit. Notandum tamen nos abſtrahere à commixtione corporum, cum per ſubſtantiam quodvis corpus in ſpecie & ſingulatirer conſideremus, hinc mixtura ex cupro & argento non raro vocatur ſubſtantia duplicata cum tamen ratione ſubſiſtentiæ una eademque ſit ſubſtantia, facimus autem ad diverſam corporum mixturam & naturam cognoſcendam ac diſcernendam, quare ſi de ſubſtantia loquimur intelligimus unum corpus ſublunare, per ſe ſubſiſtens, purum, non alterius corporis ſubſtantiâ mixtum: Quæres quid ergo Chimici cum eſſentiâ aut quintâ eſſentiâ ſibi velint? Reſpondemus, ſubſtantiam eſſe duplicem, eſſentialem & accidentalem prout in tertio paragrapho latiùs explicatur, per ſubſtantiam ergò eſſentialem, eſſentiam intelligunt, quinta verò apud illos eſſentia eſt, quinque gradibus circulata & temperata, ut in ſexto titulo ſub paragrapho de plus-quam-perfectione, plurimis tractatur.

§. 2. *Num dentur Principia ſubſtantiæ?*

Subſtantia eſt Ens per ſe exiſtens omne, autem exiſtens ſublunare conſtat ex materiâ & formâ, quare formam & materiam ſubſtantiæ principia eſſe nemo non negabit, cum autem tota Philoſophia Chimica ad praxin ſe referat, ſæpius dictum eſt Philoſophos Chimicos ab omnibus iſtis abſtrahere quæ non ſub oculum & manum cadunt, unde, dum de materia & formâ ſubſtantiæ loquimur, non Ariſtotelicè eam pertractamus, verùm Ariſtotelicorum materiam ſecundam, ſubjectum nempe prout eſt corpus Phyſicum, cum ſuis accidentiis in realem corpoream materialem ſubdividimus; ſicuti itaque Ariſtotelici omnia corpora ex materia & formâ conſtare aiunt, ita Chimici eorum materiam ſecundam quoque in formam & materiam dividunt, omnia enim corporis accidentiâ in duas partes redigi in ſequentibus paragraphis explicabitur, ac demonſtrabitur.

§. 3. *Quot & quotuplicia ſint principia ſubſtantiæ?*

Principia ſubſtantiæ duplicia eſſe ſciendum eſt, alia enim eſſentialiter, alia accidentaliter, pro ſubſtantia conſtituenda; eſſentialia ea ſunt, ſine quibus corpus conſiſtere, aut verum mixtum ſeu corpus perfectum dici nequit, accidentalia autem ſunt, quæ corporis mixturam vel pro nutrimento, vel pro augmento ingrediuntur, ita tamen ut vel abeſſe vel adeſſe ſine corporis reali deſtructione poſſint.

Eſſentialia duo ſunt, oleum nempe & aqua, experientiâ enim clarum eſt, omne corpus ſublunare ex hiſce duobus ſubſtantialiter conſtare, nam ſi corpora igne tractes, quacunque operatione, aquam & oleum invenies; ad oleum referri debent, axungiæ, pinguedines, olea, ſpiritus ardentes, ſulphura liquida vel ſpiſſa, omne deniq[ue]

quod

quod igne flammam concipit ex suâ natura, quod potentialiter causticum, quod denique calidum intrinsecè est; Ex prædictis, in omnibus corporibus unam vel alteram invenies speciem. x)

Ad Aquam pertinent, omnes liquores insipidi, Galenistarum phlegma, salia volatilia, fixa, separata tamen à suo Sulphure aut pinguedine, omnes denique humiditates tenues non oleosæ, sive liquidæ sive congelatæ, sive madidæ, sive manus non madefacientes, quod denique intrinsecè frigidum est, nec suâ naturâ flammam concipit; ex his rursus unam vel alteram speciem in quolibet corpore reperies, xx) hæc duo autem sola principia essentialia substantiæ esse, probatur, quod in omnibus corporibus reperiantur, quod uno vel altero exinde separato, corpus suam amittat substantiam, quod corporum generationem & conservationem juxta suam alterationem, unicè aut promoveant, aut impediant; negant quidem aliqui dari in omnibus corporibus Sulphur & Sal, verùm si Sulphur & Sal commune intelligant facile eis veniam damus, sin verò corporibus oleositatem & aquositatem, juxta suorum regnorum qualitatem, detrahant, contra naturam & experientiam faciunt, nullum enim reperietur corpus, in quo ex præscriptâ classe duorum principiorum, unam vel alteram cujuslibet principii non invenient speciem. Praxis enim Chimica docet, animalia & vegetabilia dare Oleum & Aquam destillatione, Spiritum qui ad oleum, Sal quod ad aquam referendum est; Ex metallis, cum fixioris sint dispositionis, alia aqua, aliud oleum, Sulphur nempe, desiderandum est, non enim satis mirari possum, qui metallis Sulphura inesse negant, & Salia, cùm, si vitrioli naturam intelligerent, in quod omnia metalla reduci possunt, multò aliter judicarent, præsertim si virriolum ex Sulphure & Sale constare oculis viderent, manibus tangerent, verùm de his latiùs in praxi sub titulo quinto, sexto & septimo.

Feci mentionem Principiorum substantiæ accidentalium, ea quoque numero duo sunt, terra nempe & aqua, hanc sanè in omnibus, seu saltem in plurimis corporibus invenies, cujus in triplici regno exemplum habeas.

In regno animali impone pro lubitu aliquod animal in retortam adornato vase recipienti, destilla per gradus, ut decet in compositione aquæ fortis, & in vase recipiente aquam, quod galenici phlegma vocant, refertur ad principium substantiæ accidentale; tum eodem loco, Sal volatile quod ad principium substantiæ, denique spiritum & oleum eidem principio substantiæ ascribendum accipies; effractâ retortâ ex residuo salem elicies, qui essentiali principio substantiæ residuam, autem terram mortuam accidentali substantiæ principio competit, hæc ut accuratiùs assequaris sequentem appositi tabulam ex quâ harum rerum per tria regna elucidationem non parvam capies.

Spiritus, Oleum, Sal volatile, Sal fixum } sunt principia essentialia substantiæ.

Phlegma, Terra in capite mortuo } sunt principia accidentalia substantiæ.

Systema hoc pro regno animali inservit cujus nullum corpus invenies, unde hæc non præparare possis. Sequitur pro regno vegetabili, quod idem cum priori est; nisi quod non omnia vegetabilia sal suum volatile in formâ coagulata dent, pro regno minerali sequens erit systema.

Sulphur, Sal } Principia essentialia substantiæ.
in aliquibus fixa tantum
in aliis etiam volatilia.

Acetum minerale in minerarum destillatione accipitur. Terra mineralis, glarea vulgo der Flußstein } Principia accidentalia substantiæ

/ quam omnia metalla habent, unde dum vitrificantur, eam vitri instar relinquunt, prout in titulo quintò uberiùs demonstrabitur. Hæc ergò sunt quæ ex omnibus corporibus elici & quæ ad duplicia principia, essentialia nempe & accidentalia eo jure quo supra dictum est, reduci, essentialia autem in duo; oleum nempe & aquam horumque species superiùs recensitas dividi, possunt; Quatuor ergò sunt columnæ quibus tanquam fundamentis, substantia corporum, duabus autem nempe principiis essentialibus tanquam pedestallo & basi innititur; si quis objiciet, se dubitare, utrum recensitæ species, vel eorum similes ex corporibus omnibus elici possint, is unum vel alterum corpus quod his principiis duobus essentialibus, reliquisque duobus accidentalibus substantiæ carere putat ob oculos nostros ponat, & resolutionem spagyricam ei dare non gravabimur, licet in titulo sexto & septimo lectori ubique obviam ibit; Porrò si quis objiciet plures species ex corporibus quàm hîc recensetur, elici posse, respondemus distinguendum esse inter simplicitatem & mixtionem principiorum; si simplicitatem spectes, sanè nihil invenies quod non vel ad oleositatem, vel ad aquositatem referre possis, sin verò principiorum mixturam attendas, fatemur plurimas species ex principiis componi posse, ut cineres, capita mortua, butyra, croci, flores, vitriola, Mercurii &c. quæ omnia non simplicia sed mixta sunt, atque artifici demonstrabunt, se ulterius resolvi ac dividi posse, donec in prædicta ultima substantæ principia redacta sint, ultra que ulteratiorem separationem, atque ex eâ aliàs species aut principia inveniet nemo.

§. 4. *Quæ & quid sint Principia Substantiæ.*

Ex prædictis satis quidem liquet, quæ & quid sint Principia substantiæ, verùm hoc restat ut explicemus quo nomine principia hæc insigniri soleant. Dictum est principia substantiæ duplicia, essentialia nempe & accidentalia esse, de essentialibus in sequenti paragrapho, de accidentalibus autem hoc loco mentio fiet.

Accidentalia ut dixi substantiæ principia duo sunt, Terra nempe, & Aqua.

Terra pro fæce, basi, fundamento, matrice, Aqua autem pro nutrimento, & phlegmate sumitur. Hæc duo omnibus compositis se immiscent, atque rursus arte inde separantur, hinc omnia corpora terrestreitates & superfluitates habent, à quibus si separentur, sola remanent principia essentialia substantiæ quæ Chimici essentias appellant; Sciendum autem est in actu ad generationem, principia accidentalia requiri necessariò, ut nempe semini matricem & nutrimentum præbeant, atque medium unionis sint, quo Principia essentialia uberiùs copulentur & incorporentur accidentalibus à quibus incrementum ac

x) Primum Aqua essentialis ... est sulphur: quo ... in §5 al 2).

xx) Sciendum porrò ... hùc §5 al 3-4; ... §5 al. 1.) Sedanni: Sunt ... omnibus, ... Terra mercurialis, hùc §4. ... sint primò, rerum essentialia ... simus: quorum in ... naturæ ... hùc §4 ...

corporeitatem accipiunt majorem, ea fere ratione, quâ prima materia Ariſtotelicorum involvitur ſecundæ.

§. 5. *Quid ſit Sulphur & Sal in ſpecie.*

Hactenus actum eſt de Principiis ſubſtantiæ in genere, modò in ſpecie ea conſiderabimus; de duobus autem Principiis eſſentialibus ſubſtantiæ heic agemus cum de accidentalibus in præcedenti paragrapho actum ſit.

Primum autem eſſentiale ſubſtantiæ principium eſt Sulphur, quo comprehenduntur omnes oleoſitates & pinguedines, omneſque ſpecies in tertio paragrapho huius tituli oleo adjunctæ, quare autem hæ ſpecies à Sulphure apud Chimicos denominationem ſumant, facilè concipi poteſt propter pinguedinem & oleoſitatem, ex quâ Sulphur conſtat id factum eſſe, unde à Sulphure tanquam potioti denominationem ſumpſerunt. Velim ergò ut illi qui Sulphura corporibus ineſſe negant, Chimicorum ſcripta priùs perlegant, atque quid per Sulphur intelligant addiſcant, antequam quid ſtatuant, cujus contrarium experientia monſtrat. Sulphur quoque Chimici variis aliis nominibus denominant, non rarò enim Regem, Marem, Leonem, Bufonem, Ignem naturæ, Axungiam Solis, Solem corporum, lutum ſapientiæ, ſigillum Hermetis, ſimum & terram Philoſophorum, oleum incombuſtibile, Mercurium rubeum, plurimiſque aliis vocant nominibus, quibus fixitas aut agglutinatio aliqua denotari poteſt, Sulphuri enim formam, calidum innatum, ſperma, animam, odorem, calorem, ſaporem, fixitatem vel volatilitatem, totamque compagiei cauſam aſſcribunt, neque abſque ratione, prout in ſequentibus titulis experientia demonſtrabitur, hoc hîc notandum erit; quotieſcunque in ſequentibus Sulphuris mentio fiet totieſcunque etiam eas ſubintelligendas eſſe ſpecies, quas in præcedentibus ſub Sulphure recenſuimus.

Alterum eſſentiale ſubſtantiæ principium Sal eſt, quo comprehenduntur omnes iſtæ ſpecies in tertio paragrapho hujus tituli ſub aqua recenſitæ; Sciendum autem eſt per vocabulum Sal, nos non intelligere Salem communem aut Salem corporum, ſalſum acidum aut acerbum, linguamque urentem, ille enim ſapor ex admiſto Sulphure venit à quo abſtrahendum eſt tanquam à forma cum hîc Sal ut materiam conſideremus; communia enim ſalia, quoque ex materiâ & formâ conſtant, quare prout ſunt talia non pro principiis, ſed miſtis ſunt habenda. Materiam autem Philoſophi Salem vocarunt, quod à formâ ſeparatâ, non rarò in ſua accidentali formâ glaciei aut ſalis inſtar congelata appareat, vel quod Sal in aquam cito ſit reſolubile, aut quod aqua coagulata cenſeatur.

Materiæ huic tribuunt aptitudinem ad recipiendam formam Sulphuris, unde materiam humidum radicale, menſtruum, corpus potentiale, rem omnium formarum capacem, eam vocant, inſuper ei varia tribuunt hieroglyphica nomina, Reginam enim, fœminam, Aquilam, ſerpentem, Aquam cœleſtem, ſputum Lunæ, Clavem, Mercurium Philoſophorum, Aquam vitæ & mortis, ceram cui ſigillum Hermetis imprimitur, Aquam glacialem, pluviam Philoſophicam, fontinam, balneum corporum, acetum acerrimum, ſaponem, vocant, quæ nomina cum pluribus aliis in titulo ſeptimo, §. 1. ſub terminorum reſolutione explicabuntur Intellexit ex prædictis procul dubio, Lector quid jam per Sulphur, quid per Sal intelligamus, unde, ſi horum terminorum in ſequentibus mentio fiet non confundetur, præcognitis epithetis & tynonymis. Ut autem uberiorem rationem prædictorum Lector habeat, ſequentem annectam Diſcurſum:

Maxima Philoſophorum pars ſtatuit, omnia ex Aqua eſſe producta, eam autem principio ſuiſſe confuſam, cum chaos, atque ut ſic loquar Alcohol quoddam fuerit, ſeu ut veriùs loquar Alkaeſt, materia nempe Saponata, qualiter ex olei & ſalis commixtione oritur. Hæc aqua Chaos omnium rerum vocata fuit, cum potentialiter omnes formas in ſe continuerit, poſtmodum in duas à Deo diviſa fuit partes, nempe in Aquam groſſam & tenuem, groſſa fuit oleoſa viſcida, & Sulphurata, tenuis autem ſalſa & Mercurialis extitit; groſſam in tres partes generales dividit, ſubtiliorem animalibus, mediocrem vegetabilibus, craſſam autem & fixam metallis ſubſtituit, quæ diviſio, de aqua tenui quoque intelligenda eſt, ea enim etiam triplex exiſtit; triplicem aquam groſſam in quolibet regno ſpecialiter in tot dividit gradus quot ejus regnum continet corpora, horum graduum arte & natura alteratio & commutatio datur, verùm aquæ groſſæ & tenuis unius regni in aliud, nulla datur tranſmutatio, cum ſeparationem & diviſionem hanc Deus confundi non velit ne artifici in ejus potentiam multum nimis liceat, habent ergo Sulphura regni animalis unam aquam tenuem quam menſtruum vocant, vegetabilia quoque Sulphura, unam habent materiam, aquam pluviam. Metallica Sulphura unam quoque habent materiam aquam nempe Mercurialem, & ſic omnia corpora ex duplicata Mercuriali aquâ conſtant, Mercurialem vocamus, à parte formæ quod ſit viſcida, agglutinans, à parte verò materiæ quod, Mercurii inſtar ignis impatiens, rudis omniumque formarum capax ſit, ne verò hæc dicta nugas eſſe putes, ſcias nobiliſſimam Artem Spagyricam ipſa praxi tibi in omnibus corporibus & regnis juxta eorum conſtitutionem hanc duplicatam aquam exhibituram, ut in ſequentibus, præſertim titulo ſexto & ſeptimo pluribus docebitur, concludimus interea Sulphur & Sal prima eſſe ſubſtantiæ eſſentialia Principia.

Corollaria de Sulphure & Sale.

1. Quæritur an oleum poſſit repetiri abſque ulla aqua? dico quod non, cum oleum pro materia certam quantitatem aquæ requirat, quæ ſi igne privatur, corrumpitur etiam oleum ut forma, neque enim forma poteſt eſſe abſque materia, idem ſentiendum eſt de aqua, quam nunquam abſque oleo invenies, ſicut materiam nunquam abſque forma, à prædominante autem ſumitur denominatio, & hæc eſt ratio, cur Philoſophi non rarò materiam pro forma, formam pro materia ſumant, cum quodlibet alterum contineat.

2. An omne oleum & Sulphur aut pinguedo ad formam pertineat? Reſpondeo, quædam ad formam eſſentialiter, quædam accidentaliter neceſſaria eſſe, ad eſſentiam formæ puriſſima Sulphuris pars requiritur, reliquæ craſſiores & minus puræ, accidentaliter ejus incremento & nutrimento inſerviunt, ſic ex ſanguine ſemen fit, ex Sulphure communi Sulphur metallorum, ex pinguedine fimi, roboratur ſemen terræ.

3. Quomodo Sulphur agat in ſalem & è contra? Reſpondeo

Respondeo Sulphur agit in Salem agglutinando, adstringendo & formando, Sal verò agit in Sulpur, dissolvendo, reducendo, & putrefaciendo, Sal autem cum Sulphurein primo gradu constituit aquam viscosam, vitriolatam, quæ prima materia Naturæ & artis est, oleum enim mediante sale potest uniri aquæ.

TITVLVS TERTIVS.

De Principiis Qualitatis nempe Mercurio, Sulphure & Sale.

De tribus qualitatis principiis nempe mercurio sale, & sulph.

Proœmium.

MAgna Chimicis Controversia est cum Aristotelicis & Galenistis, à quibus incertorum principiorum & per consequentiam falsæ Artis arguuntur, eò quod plerisque videantur sibi circa definitionem & numerum Principiorum contradicere. Aliqui enim Sulphur & Sal, alii Mercurium, Sulphur & Sal, alii Spiritum, Animam & Corpus, alii Phlegma, Oleum, Sal & Caput mortuum, pro principiis statuere videntur, ita enim ait Basilius sunt tria, duo, unum quæ nisi attendas in vanum laborabis, vulgò.

Seynd zwey und drey/ und doch nur eins
Verstehstu es nicht/ so trifftu keins

Verùm qua ratione Sulphur, Sal, Phlegma, Spiritus, Oleum, & Caput mortuum sint concilianda, præcedens docet titulus, heic restat, ut doceamus quâ ratione tria Principia qualitatis à substantiæ principiis differant, tum quomodo probentur, atque inter se conveniant.

§. 1. *De Differentia Principiorum Qualitatis, cum principiis substantiæ.*

Diximus antehâc quid sit sustantia, & quæ ejus principia sint, sulphur nempe & sal, ex quibus materialiter omnia corpora constant, non autem implicat principia hæc certas habere qualitates, easque esse vel primas vel secundas, primæ sunt, dum Sulphur cum sale certis gradibus miscetur, quotquot enim gradibus forma materiam informat, tot ea perficitur, siccior atque calidior redditur, quot verò punctis materia prædominatur, tot etiam corpus humidius & frigidius existit, unde gradus quatuor, atque ex his varia exoriuntur temperamenta, quæ suas habent mansiones, prima etiam sexus differentia exinde ortum & causam sumit, quo enim forma validior, hoc etiam perfectior est, materiamque perfectius efformat, juxta cujus informationem aut mas aut fœmina nascitur.

Hæc quoque est ratio cur Galenici corpora ex quatuor temperamentis & humoribus constare affirment, enimverò si multum terræ, vel aquæ, tanquam principiorum accidentalium mixtum ingrediatur, corpus aut fiet melancholicum, frigidum, siccum aut pituitosum humidum, sin verò multùm Sulphuris vel salis tanquam principiorum essentialium substantiam ingrediatur, corpus biliosum, calidum, aut sanguineum, succulentum evadet, prout si singula paritatem observent, corpus producetur temperatum.

Secundæ principiorum qualitates tres sunt, Mercurius nempe, Sulphur & Sal. Duo principia substantiæ enim, in gradu subtiliori posita Mercurii nomine insigniuntur, non quod naturâ aut substantiâ Mercurius, sed quod ob volatilitatem, qualitatis Mercurialis sint, Mercurius enim qualitatis volatilis est planeta.

Eadem duo principia (Sulphur & Sal) substantiæ, si temperata sunt, Sulphurata seu media inter volatilitatem & fixitatem vocantur, Sulphuris autem nomen habent, non quod hic ab eis natura sulphurata requiratur, sed quod in medio constituta qualitatem Sulphuris imitentur, Sulphuris autem qualitas, inter volatilitatem & fixitatem locum medium obtinet.

Eadem duo principia (Sulphur & Sal) substantiæ, si fixa sint Salinosa, seu salis nomine insigniuntur, non quod heic salis specie desiderentur, sed quod qualitatem salis habeant, sali enim plerumque fixitas ascribitur.

Ex his liquet non implicare tria principia qualitatis, & duo substantiæ (quæ etiam quantitatis principia vocari possunt, cum certâ quantitate ex corporibus separari possint) principia verò qualitatis, non substantiâ, sed qualitate quâ substantia prædita est, corporibus inesse, unde principia quatuor sunt, si principia primæ qualitatis; tria, si secundæ; duo si substantiæ principia; unum si hæc unita consideres, sunt; nullum alteri implicans, modò certâ ratione Philosophorum scripta intelligamus.

§. 2. *Quomodo probatur, esse qualitatis Principia, seu Principia essentialia substantiæ, nempe Sulphur & Sal, triplici qualitate, Mercuriali Sulphureâ & salsâ, in corporibus reperiri?*

Dixi ante hâc corporibus essentialiter unum Sulphur, unum Sal inesse, quodlibet autem horum triplicis prædictæ qualitatis esse sequentibus probabo, verùm demonstratione practica opus est, quâ regnum animale primùm aggrediemur; in destillatione alicujus corporis animalis, factâ elixatione, atque omnium principiorum separatione, caput mortuum suo sale liberatum & phlegma ante omnia reponendum, tanquam principium accidentale, postmodum quod reliquum erit, spiritus, olei, salis volatilis & fixi nomine insigniri solet. Spiritum Sulphur esse superiùs demonstratum est, hunc ergo cum sale volatili in classem Mercurialem ponito, spiritus enim Sulphur, Sal volatile, Sal Mercuriale est, ob subtilitatem & volatilitatem, prout antehâc in definitione principii Mercurialis dictum est.

Oleum Spiritui innatans non absque aqua pro sui conservatione est, quam experieris si id rectifices, hoc ergo oleum cum âqua in principium qualitatis medium pone, ultimò salem fixum elixatum ex capite mortuo habebis, qui sal gustu indicabit magnum Sulphuris calorem, & Sulphuream substantiam in se continere, quare Sulphur fixum separabis à Sale fixo, atque ita tertium qualitatis principium, sal nempe & Sulphur fixum habebis, totius negotii compendium juxta tria regna in sequenti spectabis Schemate, ubi tria reperies Sulphura unius tamen substantiæ, licet triplices sint qualitates, unde apertè differentia inter qualitatis & substantiæ principia colligi potest, quod & de Sale intelligi debet.

A { 1. Spiritus Sanguinis. / 2 Spiritus Acetoſellæ. / 3. Flores Sulphurei. } Sulph. Mercur. } Merc.

D { 1. Sal ſanguinis volatile. / 2. Sal abſinthii volatile. / 3. Sal volatile mineral. } Sal Mercur. } Merc.

B { 1. Oleum ſanguinis. / 2. Oleum vini. / 3. Sulphur metallicum. } Sulphur Mediũ } Sulphur.

E { 1. Aqua mixta cũ oleo ſanguin. / 2. Cryſtalli ſalis acetoſellæ. / 3. Sal nitroſum metallorum. } Sal medium. } Sulphur.

C { 1. Sulphur in ſale fixo animalium. / 2. Sulphur in ſale fixo vegetabilium. / 3. Sulphur fixum metallorum. } Sulphur fixum } Sal.

F { 1. Sal fixum animalium. / 2. Sal fixum vegetabilium. / 3. Sal fixum mineralium. } Sal fixum.

Ex hoc Syſtemate ſequens promanat Tabula.

Volatile - Sulphur & Sal - Mercuriale
Medium - Sulphur & Sal - Sulphureum.
Fixum - Sulphur & Sal - Salſum.

Principia ſubſtantiæ Duo — Qualitatis tria.

Licet enim recenſeantur tria ſalia & ſulphura, in ſubſtantia tamen non niſi Duo ſunt.

Ex prædicto ſchemate Lector Chimicus, præſertim Practicus facilè colliget, quò Philoſophi, hâc viſione colliment, ne verò quis imperitus putet, ſpecies in ſchemate recenſitas obſcuras aut dubias, nec pro generali demonſtratione ſufficientes eſſe, ſingulas paucis examinabo, imprimis Sal & Sulphur Mercuriale liteta A. & D. in tribus regnis, numeris. 1. 2. 3. inſignitum conſiderabimus: per Spiritum ſanguinis intelligo optimè rectificatum ſpiritum, ita ut totus quantus Igneus ac Sulphureus ſit, hunc autem dari in omnibus corporibus animalibus, factâ deſtillatione & rectificatione, nemo peritus Chimicus inficias ibit; accedit in regno vegetabili Spiritus vini, qui putum purum Sulphur eſt, prout concepta flamma id ad oculum ponit, huc in circulo vegetabili referri poſſunt, omnes ſpiritus vegetabiles ad ſummum rectificati, qui ardentes vocantur ob ſuam ſulphureitatem, ut verò Lector ſciat unde talium ſpirituum vehementia & fragantia, celare eum nolo, Spiritus hos, nil niſi oleum medium rarefactum eſſe, in quod quoque reduci poſſunt, ſicut in ſequenti paragrapho de principiorum qualitatis convenientia demonſtrabitur; Sulphur metallorum quod attinet, id omnibus metallis ineſſe vel ex hoc liquet, quod Sulphureum vaporem omnia in igne ſpirent, ſicut & in mineris, præſertim ſi ſublimatione & elixatione tractentur, optimè verò Sulphur volatile acquiratnr ex mineris, nondum igne tractatis, hinc exinde flores ſublimati, leviter in cinnabrium abeunt, unde verò cinnabrium conſtet, vel primo Chemiæ abecedario notum eſt, quare eorum ignorantiam & temeritatem rideo qui metallis Sulphura negant ineſſe, cum optimis philoſophorum dictis, rationi & experientiæ contrarietur, optandum eſſet, ut quilibet ſuam coleret Spartam, neque ea quæ ignorat, negaret aut contemneret; novi qui ante annum unum vel alterum ne Gry quidem in Chimicis rebus noverunt, modò temerariè omnia negant, quæ in buccam veniunt, prout naſutus autor non Entium, item verè Scepticus ille Scriptor ac compilator antiquarum & diu refutatum objectionum in Chimicos quos Scepticus Scepticos vocat, exempla ſunt; taceo alios, qui utcunque literati nimis maturè manum cum falce alienæ meſſi immittunt, cum in propriâ quam demetant, ſufficienter haberent. Redeamus ad Sal volatile, quod nemo peritus ſpagyricus animalibus ineſſe, negabit, eſt verò aqua ſubtilis congelata, unde etiam leviſſimè fluit ad ignem, ac humiditate reſolvitur. Dices cur in regno vegetabili tam ratò ſal volatile congelatum reperiatur, ſed in forma aquæ (nonnullis impropriè, phlegmatis, cum grave reſiduum phlegma ab aqua volatili ſeu ſale volatili reſoluto differat,) compareat. Dico Sal volatile materiam aſſociabilem & adæquaram eſſe Sulphuri volatili, à quo non niſi multa deſtillatione, nec tamen penitùs ſeparari poteſt, quare ob vicinitatem, non paucas ſubit alterationes à Sulphure, ab eo enim ſi in deſtillatione comburatur, empyreuma accidit, cum itaque Sulphura Mercurialia in regno vegetabili multò ſint calidiora (ſunt enim omnia ardentia, unde ex omni vegetabili Spiritus ardens præparari poteſt,) Salia autem volatilia ſecum conjuncta habeant, mirum non eſt, quin intrinſeco ſulphurum calore ea liquefiant ac reſolvantur, quod & praxis in regno animali confirmat, in quo, ſi ſal quoddam volatile, congelatum aliquoties deſtilletur, ita reſolvitur & attenuatur, ut nunquam poſtea in forma coagulata haberi poſſit ratio eſt, quod per ignem externum, internus & naturalis ignis Sulphuris latentis in centro ſalis volatilis, (nullum enim abſque altero reperitur quin non characterem alteriùs retineat) adjuvetur excitetur & augeatur, unde ſal volatile calefit, reſolvitur, neque unquam congelatur, ob calorem intrinſecum, niſi potentius frigus extrinſecus accedat, ut hyeme cum omnia congelaſcunt, tum enim in ſpiritu vini, rei hujus experientiam videmus, enimverò is ſpiritus, licet non adeò rectificatus ſit admixtam tamen aquam à frigore & congelatioue præſervat, cum aqua alia ſine eo ſtatim congelaſceret, & hæc eſt differentia, cur in regno animali ſal volatile coagulatum, in vegetabile verò reſolutum detur, quod, quamvis aliqui phlegma eſſe objicient, non moror, cum ea ſit differentia inter ſal volatile à ſuo Sulphure Mercuriali ſeparatum, puta in quantum poſſibile & naturæ conducibile, quæ inter aquam communem & deſtillatam eſt; hæc ratio quoque in regno minerali locum habet, ubi Sal volatile liquidum eſt, cum calido Sulphuri conjungitur, ſin minùs, accidit contrarium. Spiritum ſalis, nitri, vitrioli &c. Sulphur volatile eſſe, nemo negabit, cui lingua in ore eſt, quæ ignem hujus ſulphuris experiri queat, taceo quod peritâ manu levi negotio inde ſeparari in quantùm poſſibile, queat, reliquum quod ſpiritui conjunctum eſt, phlegma vulgares vocant, verùm falſo, cum ſeparato ſulphure, coaguletur, atque verum ſit ſal valatile, quæ coagulatio accidit ob calidi Sulphurei Spiritus abſentiam, ut præcepentibus demonſtratum eſt, non ſemel taliter brevi compendio ex ſpiritu vitrioli ſal volatile, ex ſpiritu ſalis communis inſipidum feci ſal volatile, cum corroſio & vis ſpirituum, Sulphuri Mercuriali inſit, quo ſeparato ex quolibet corroſivo leviſſimi ſaporis ſal fieri poteſt, prout in ſequenti titulo latiùs docebitur. Metallis autem quoque ſal

volatile

volatile ineſſe probari poteſt quod in tale reſolvantur, nempe in flores reſolubiles, volatiles, non corroſivos, quâ ratione autem tale ſal volatile ab eis eliciatur ex prædictis liquet, nempe ſulphuris Mercurialis, tanquam formæ figentis ſeparatione. Accedit Baſilii Valentini autoritas, aliorumque mineralogiſtarum, tùm metallicolarum experientia, quæ in mineris probat, ſalem volatilem ad metallorum compoſitionem neceſſarium eſſe, poſſet autem is modus accipiendi paucis hîc doceri, niſi in alium locum hæc praxis reſervata, atque majoris eſſet momenti, ob alium finem, quam ut temerè publici juris fieret; hæc de principio Mercurii, quo aliqui imperitè deferendo, ex omnibus corporibus currentem Mercurium elicere fataguut ac promittunt, ſed nugantur, cum ipſum ſulphur minerale, ac Mercurius currens mineralis non pro ſimplici & puro principio ſubſtantiæ haberi queat, magna enim differentia inter Mercurium vulgi & materiam metallorum eſt, cum hæc ſit principium ſimplex, id verò ex Sulphure & Sale, reliquorum corporum inſtar, mixtim conſtet, prout ejus anatomia docet. Sequitur Sulphur cum Sale literâ B. E. notatum, cujus exempla poſita ſunt, in tribus claſſibus. 1. 2. 3. animali, vegetabili, & minerali, per oleum ſanguinis intelligo, oleum aquæ innatans, ad quod omnes pinguedines aquæ innatantes referri poſſunt, nullum autem corpus animale invenies quod ejuſmodi oleum non det, quamvis fœteat, ob adultibilitatem, in vegetabilibus non item, cum fortioris ſint compoſitionis, unde olea non tàm citò aduruntur, aut rancent, mirandum profectò quod nullum vegetabile reperiatur, quod non in deſtillatione oleum tale medium det, medium autem vocatur cum neque volatile, neque fixum ſit; fixum non eſt, alioquin aquæ non ſupernataret, volatile quoque exiſtit, alioquin ſpirituum inſtar alembicum tranſcenderet, differt ergò ab oleo volatili & fixo. Qualiter ex lapidibus oleum tale præparetur, docebit ſeptimus titulus, ſcias enim omnia corpora, quæ in calcem redigi poſſunt, oleum pingue & ardens dare, ſi calx iſta debitè ſeparetur cùm vulgari etiam calci Sulphur inſit quod lardi inſtar in tigillo conflagrat, ab aliquibus non ſine bono ſucceſſu in mammarum cancro adhibitum. An metalla verò ſulphur medium habeant inquiſitione dignum eſt, ex præcedentibus patet ea Sulphur volatile habere, quod nullum ſit, unde id, vel in floribus, vel in præparatione cinnabrii, vel ſublimatione cum ſale armoniaco aut lixiviis, non elici queat Metallum, ergo tali Sulphure privatum ulterius tractetur, præſertim extractione ſympathicâ, puta per aliquod menſtruum pingue, ut eſt ſpiritus terebinthinæ &c. & videbis illud diverſo colore juxta diverſitatem metallorum tingi, quæ ſanè tinctura à Sulphure venit, cum inſpiſſata nihil ſalſedinis nobis relinquat ſed ſiccum Sulphur exiſtat, ut enim olea media in regno animali ſubtilia ac valde penetrantia, hinc liquida ſunt, ita in vegetabilibus paululum ſpiſſiora in metallis verò tanquam corporibus terreſtribus planè ficca ſunt, nec aquæ, ob gravitatem & compagem ſuam innatant, ſed ad fundum ſubſidunt, prout in Sulphure antimonii, vitrioli, reliquiſque mineralibus, etiam vulgatis metallis, videre eſt, quæ triplex diverſitas in reliquis qualitatis principiis juxta tria regna quoque locum habet, ubi ſpecies animales ſubtiliores vegetabilibus, hæ verò metallis penetrantiores ſunt.

Reſtat ut de Sale medio aganus; Sæpiùs dictum eſt, per ſalem nos neque communem acris ſaporis neque materiam ſemper coagulatam intelligere, quod & hoc loco præſumendum eſt præſertim in regno animali, in quo ſalem medium coagulatum nunquam videbis ob olei admixti calorem, ſubtilitatem & penetrantiam, ut latiùs in ſale volatili explicatur, aquæ tamen formâ ipſi oleo tenaciſſimè adhæret, prout in rectificatione ejus praxis demonſtrabit; in regno vegetabili verò in quibuſdam, puta pauciori & minùs calido oleo præditis, cryſtallorum inſtar ſola expreſſione herbæ, colatione & ad juſtam conſiſtentiam evaporatione hunc ſalem invenies, ut in acetoſella &c. videre contingit, ſalem hunc meritò tartareum & nitroſum vocamus, cum vegetabilia juxta ejus quantitatem in acetum abeant, neque ullum ſit acetum quod hoc ſale non abundet, unde, ut dixi, non rarò hoc Sal aceti formâ ex corporibus in ipsâ etiam deſtillatione præparatur; hunc autem ſalem medium in metallis dari, nemò equidem capiet, niſi qui Sulphuris aut Mercurii uſum intelligat, quibus tanquam inſtrumentis, non modo ſalia & Sulphura media in metallis elici poſſunt, ſed & vitriola inde fieri, ex quibus leviſſimo negotio vera poſſunt præparari ſalia acida, nitroſa, corpori humano in inflammationibus multùm proficua, prout acetum antimonii reliquarumque minerarum, quod ſubacidum & ſolubile ſal etiam in forma cryſtallorum nobis ob oculos præſtantiſſimum exemplum ponit.

Converto me ad ultimum qualitatis principium, Sulphur nempe & Sal fixum in ſchemate lit. C. & F. ſignatum in triplici regno 1. 2. 3. Salem fixum dari nemo Chimicus negabit, qui caput mortuum alicujus corporis elixabit; per ſalem fixum autem non intelligimus talem fixitatem quæ ſuis corporibus ſit inconveniens, ut enim antehâc dictum, eſſe certos reſpectus regnorum in craſſitie & groſſitate, ita certi etiam gradus in prædictis regnis ſunt, neque enim animale Sal fixum in ſua fixitate, vegetabile, idque metallicum æquat, quare hoc id fixum nominamus quod in ſuo regno & circulo præ reliquis fixum eſt. Eſſe autem hoc Sal quod in corporum cineribus reperitur, reliquis fixius, vel hoc unicum probat, quod non niſi magnâ vi, & quidem ægrè alembicum tranſcendat, cum reliqua ſalia, puta volatile & medium leviſſimo negotio id præſtent; fixum enim in Chimicis id vocamus, quod ignem non aufugit, quoque diutius eum ſuſtinet, hoc fixius eſſe cenſetur, prout in ſeptimo titulo ſub terminis latiùs explicabitur. In metallis autem talem fixum ſalem dari, vitra, & calces eorum ac vitriola luculentiſſime remonſtrant. Sulphur fixum quod attinet nemo qui naturam Sulphurum ex guſtu ac ſapore igneo in ſalibus cognoſcet iis præſertim fixis ineſſe negabit; Igneus enim ille acor ſalium non ex naturâ ſalis, ſed admixto Sulphure promanat, unde Sulphura talia quoq; fixa nominanda ſunt, cum ſalibus fixis tenaciſſimè adhæreant, eandemque in igne fixitatem ſuſtineant, imò in igne eâ augeantur, in metallis verò ſulphura fixa eſſe, vel ſola metallorum vitra aut philiſteæ, ad oculum ponunt, præſertim ſi id fixum Sulphur cum Sale inde extrahatur; in reliquis verò corporibus, cujuſlibet corporis calx ignea ſua qualitate ſatis indicat quale in ſe Sulphur contineat, nec eſt quod quidam nugentur, qualitates has igne vel aqua corporibus imprimi, de Sulphuribus enim & ſalibus

hic mentio ſolum fit, quæ ſi præparatione tantùm fierent, iis mediis deberent procreari, quibus præparatio utitur, quæ ignis & aqua ſunt, igne enim corpora deſtillantur aut calcinantur, aqua verò elixantur, extrahuntur & reſolvuntur, impoſſibile autem eſſe, ut ex igne aqua generetur, ejus contrarietas docet, oleum verò ex igne corporibus communicari impoſſibilius eſt, oleum enim comburitur, ignis etiam oleo, non oleum igne fovetur, quod ſi in corporum calcinatione, ubi in igne tractantur, quis putet, corpora per ignem illam oleoſitatem & ſulphureitatem accepiſſe, is nobis rationem dicat, cur præſuppoſita communicata hæc oleoſitas aut ſulphureitas, in ipſo igne antequam communicetur, non conſumatur; cum ignis alia etiam oleo perdat, corrumpat & conſumat, imò ſcire geſtimus; qua ratione ignis oleoſitatem abſque corruptione geſtare poſſit, non quidem inficias imus ſulphur atque oleum naturâ corporibus inſitum, ab igne extrinſeco, communi elementari foveri, & excitari, non per juxta poſitionem, ſed alterationem, coctionem, majoremque attemperationem.

Aquam quod attinet, non pauci ſunt, qui ſtatuunt dum corpora per aquam tractantur, exinde aliquam pinguedinem ac ſalſedinem acquirere, cum conſtet quamlibet aquam nonnihil olei & ſalis in ſe geſtare, verùm totum aquæ plauſtrum vix paucas uncias olei, nec multò plus ſalis dabit, cum lixivii cinerum plauſtrum, aliquos ſalis dabit centenarios, quare hæc objectio ſatis calva eſt, tùm etiam non obſtat, quod coagulationem ſalium aliqui naſutuli tingendo mirentur, cum ambienti frigori potius quam aquæ aſcribenda ſit; frigus enim rarefactum aërem condenſat, quare corpus, ne detur locus vacui, neceſſariò arctiùs ſe comprimit ac inde congelatur, quod de veris ſalibus intelligendum eſt, de illis nempe, quæ ſuo ſunt privata ſulphure, communia ſalia ex natura ſui ſulphuris coagulata ſunt, tantùm de hoc paragrapho.

§. 3. *Prædicta tria Qualitatum Principia, quas habeant proprietates, & quomodo inter ſe conveniant & alterentur?*

Explicatâ trium prædictorum Principiorum natura, Proprietates conſiderabimus, quas Chimici eis aſſignant; Liquet ex præcedentibus, Chimicos omnia corpora ex ſulphure & ſale conſtare, tanquam ex ſubſtantia, aſſerere: hæc autem ſubſtantiæ principia, triplici qualitate diſtincta eſſe præcedens paragraphus docuit, modo reſtat ut explicemus quæ proprietas, & quis effectus cuilibet parti aſſignetur, & qua id ratione fiat tum quomodo prædicta tria principia inter ſe conveniant, alterentur, ac arte tractentur?

Mercurii principio, nempe ſulphuri & ſali Mercuriali, ſubtiliorem colorem, odorem & ſaporem aſcribunt, Mercurium ſpiritum, atque rerum vitam vocant. Subtiliorem colorem Mercuriali principio tribui non immeritò puto, cùm apertè in vegetabilibus eo tranſpirante, optimum colorem evaneſcere præſertim in floribus conſpiciamus. Sanè color in ſulphure Mercuriali conſiſtit, cum eo ceſſante, aut calore alterato ac educto, prædictus color ſtatim ceſſet, non niſi crudiorem poſt ſe relinquens, cùm enim ſulphur Mercuriale ignis impatiens maximè etiam leviſſimo calore alterabile ſit, neceſſe eſt ut color ejus quam maximè etiam alterabilis atque juxta alterationem ſui ſulphuris mutabilis ſit, quæ omnia ſubtiliori rerum coloti optimè quadrant, accedit & hoc, quod nullus color reperiatur, cujus ſubjectum non pingue, oleoſum, ac aduſtibile ſit. Notandum per ſulphur in omnibus attributis ſemper formam, per ſal autem materiam intelligi, unde hoc loco ſubtilioris coloris, materia ſal volatile, forma verò ſulphur volatile eſt. Subtiliorem colorem in animalibus, etiam in metallis, (quæ ſingula, ut ſuperiùs demonſtratum eſt, ſulphura continent Mercurialia.) dari, experientia monſtrat præſertim in auro, vitriolo & antimonio, auri enim Mercuriale ſulphur, cum ſubtiliori colore ejuſdem, qui flavus eſt, levi negotio extrahi, quod tamen ſulphur cum colore, ex antimonio aut vitriolo rurſus acquirere poteſt, notandum etiam eſt, corporis deſtructionem ob abſtractum ſulphur Mercuriale non ſequi, licet proprietatibus & attributis ſulphuris Mercurialis careat.

Subtiliorem odorem Mercuriali principio tribui dictum eſt antehac, neque abſque ratione, cum corpus privatum ſulphure Mercuriali, omni prorſus odore ſit deſtitutum, id compertum habemus in floribus, inquibus ſi ſulphur Mercuriale deſtruatur, cum ſubtiliori colore etiam odor ceſſat; nam cum ſulphur Mercuriale, ſulphur rarefactum ſit, penetrantioris cæteris naturæ eſt, quare facile ſpirat, odoremque qui ſulphuri aut oleo tribuitur, ſecum rapit, ſanè omnes odores pro ſubjecto pinguedinem habent, qua calido tempore tranſpirante, intenſius etiam olent; tertiò cur ſaporem ſubtiliorem huic principio tribuant, ex ipſius natura patet, nam cum omnis ſapor ſecundùm gradus igneitatis ſuæ ſpecificetur, facile colligi poteſt ſubtiliorem ſaporem ſulphuri Mercuriali tanquam igni penetranti ineſſe, quod in vino præ cæteris compertum habemus, cujus penetrantia in linguam in ſale ſulphure Mercuriali conſiſtit, iſtis enim ſeparatis, quod reliquum eſt, non vini, ſed vappæ ſaporem præ ſe fert. Hoc loco ſciendum eſt, quid corroſio ſit & cui principio tribuatur; dico corroſionem eſſe ſulphur & ſal nimium rarefactum, volatile, Mercuriale, quod penetrantiâ ſua atque igneâ ſulphureitate, linguam ac corpora adurit & corrodit, hanc autem corroſionis cauſam ſulphur Mercuriale eſſe, ipſa aqua fortis monſtrat, cujus ſulphur Mercuriale, ſi præcipitetur, continuò amittit omnem igneitatem & corroſionem, præcipitatur autem per ſulphuris Mercurialis fixationem, fixatio verò peragitur, per ejuſdem condenſationem, condenſatio fit intrinſecâ refrigeratione, hæc ſalibus, unde lixivium præparatur, atque aquæ forti infunditur, abſolvitur; hoc enim lixivio ſulphur Mercuriale, in puncto figitur, atque aqua fortis amittit omnem corroſionem, unde liquidò conſtat corroſionem per ſulphur rarefactum fieri, & hæc eſt ratio, cur ex quolibet ſpiritu aut ſulphure Mercuriali, frequenti deſtillatione nimium rarefacto, magnum poſſit fieri corroſivum, pro quo etiam ſpiritus vini tanquam ſulphur Mercuriale vini rarefactum eſt habendum, ex his liquet ſaporem conſtare ex igneitate, hanc verò in Sulphure & Sale volatili exiſtere.

Tandem quod Chimici huic principio ſpiritualitatem & vegetationem aut vitalitatem tribuant, non ineptè faciunt, hoc enim principio abſente, nullam vegetationem dextrè abſolvi, nullam quoque formam perfectæ naturæ imprimi, experientia docet, eadem quoque teſtatur, vis formantis non parvam partem huic principio ineſſe, cum ſal

volatile,

volatile, non rarò in destillatione corporis unde producitur, subtilem materialem repræsentet ideam ac formam, prout inferiùs sub sale fixo latiùs docebimus. Pro conclusione sciendum est Chimicos omnes spirituum materialium qualitates, puta odorem, colorem, & saporem, in supremo suæ subtilitatis gradu huic adscribere sulphuri & sali volatili, cùm reverà omnis spiritus destillatus inde constet, unde ejus & penetrantia & fragrantia.

Ad principium sulphuris me converto, nempe ad secundum qualitatis principium, cui reliquum colorem, saporem obtusiorem, ita & odorem tribuunt, principium hoc animam & balsamum ac gluten corporum vocant.

Quod color oleo seu sulphuri medio optimè adscribatur, non dubitandum est, cùm eo separato genuinus & naturalis corporis color simul recedat, probant hoc hujus coloris cum sulphure extractiones, ubi extracto sulphuri color inhæret, corpus verò unde sulphur extractum est, talis colore privatur, item omnes colores, medii à sulphure separari nequeunt, verùm ei tenacissimè adhærent, imò ipsius olei instar comburuntur.

Saporem obtusiorem sulphuri medio tribuunt, cùm aliqualiter condensatum, nec tam spirituale, rarefactum ac penetrans sit, prout sulphur Mercuriale est. Unde tantam etiam penetrantiam habere nequit, basin tamen ac differentiam sapori præstat, enim verò juxta commixtionem hujus sulphuris cum suo sale, varii oriuntur sapores, acidi, amari, salsi, dulces, mixti, saporem enim ex sulphure venire, ut antehac, ita in Metallurgiæ meæ tertia parte sufficientissimè demonstratum est, cùm juxta sulphuris hujus alterationem & colores, odores & sapores mutentur, sicut quotidianâ id experientiâ compertum habemus, ubi tractatione Sulphuris diversos arte floribus colores, ejusdem verò alteratione, diversos sapores causamus, eosque alteramus ac immutamus.

De odore non est quod multa faciam verba, cùm clarum sit omne oleum olere, olet autem quod pars olei rarefacta & volatilis sit, unde levi compendio omne stillatitium oleum rarefieri, ac volatilisari potest, ut spiritus instar fragrantissimè oleat, vicissim quodlibet Sulphur Mercuriale, digestione sic condensari potest, ut oleum fiat medium, atque aquæ innatet, odor ergo aquæ rosarum non nisi ejus parti olei rarefacti tribuendum est, quo condensato & separato, omnem amittit odorem; hæc quoque ratio est, cur rosæ in destillatione, tam parùm dent olei medii, nempe stillatitii, aquæ innatantis. Verùm de his in sequentibus, de horum principiorum alteratione.

Cur principium hoc qualitatis nempe Sulphur medium, animam & balsamum vitæ vocent Chimici, sufficientem habent rationem, sicut enim anima, corpus in compage sua per debitum calidum & humidum præ & conservat, ita Sulphur hoc medium tanquam balsamus & mumia, glutine suo, totam corporum compagem & substantiam conservat. Hoc enim sulphure resoluto & dissipato, tota corporis materia & forma, concidit, & corrumpitur: Veritatem hujus experientia monstrat. hoc enim oleo medio à corporibus separato, tota corporis corruit substantia & forma, hoc enim est sulphur agglutinans & informans materiam, cujus basis Sal & Sulphur fixum, cujus erudimentum, Sal & Sulphur Mercuriale est.

Ad ultimum qualitatum principium ad Salem me convertam, huic Philosophi, ultimum coloris, odoris, & saporis gradum tribuunt, insuper corpus vocant.

Ratione coloris, etsi salia fixa plerumque diversum, album nempe colorem habere soleant, aut si Sulphur eductum sit, rubeum, atque ita à colore corporis differant, tamen colori Mercuriali & Sulphureo basin coloris præbent, non secus ac color albus, aut cineritius, pictoribus pro fundamento inserviunt, quibus tanquam principalibus varios colores superpingunt, tandem exornant coloribus superficialibus, quæ omnia in triplici trium principiorum Sulphurum colore, æquè eveniunt, color enim Sulphuris fixi pro basi, color Sulphuris medii, pro ipsa pictura corporis, color denique Sulphuris Mercurialis, pro superficiali exornatione inservit, quæ sanè magna & admiranda plastice ac pictura naturæ est.

Odorem quod attinet, sciendum est, eum in infimo gradu heic subsistere, cùm enim odor, sulphur rarefactum, in hoc autem fixo qualitatum principio, sulphur substantiale condensatum sit, facile liquet non multum id olere posse; Sapore tamen compensat, quicquid odore negligit, Sulphur enim cum hoc loco, cæteris duobus fixiùs sit, non quidem penetrantiùs, sed reliquis sulphuribus intensius & obtusius ignet, linguamque astringit, prout in omnibus salibus fixis id experiri gustu licet.

Corpus denique hoc principium vocant, idque ideò quod animæ, nempe prædicti Sulphuris medii habitaculum & vinculum sit. Tum quod corpori ultimam imprimat formam, & consistentiam, unde juxta diversitatem hujus principii, diversi corporum habitus, longi, parvi, crassi, tenues, duri, molles, lævi, asperi, multifarii denique oriuntur, quare in puncto formæ principium hoc, non parùm cum sale volatili convenit, cujus est primum materiæ imprimere characterem, hujus verò principii est eum indurare, perficere & elaborare, ne verò quis putet nos hic absque autoritate aliorum, huic principio ultimam formam tribuere, addam quæ Cl. Vir D.D. Schröderus (in Pharmacopœiæ Spagyricæ Præfatione supra ejusdem quintam Partem, nempe Zoologiam) sibi de hâc re Excellentissimum Virum, Joannem Danielem Horstium, in Academiâ Marpurgensi Medicinæ Professorem Publicum, in Epistolâ quâdam scripsisse, asserit. Tenorem autem Epistolæ Horstianæ, quem prædicto loco citat, huc apponam.

Quod attinet suscitabilem vim formatricem, certè sæpe que D. Georgius Molterus Med. Wezlar. retulit, non semel se urticam vidisse in aquâ congelatâ.

Mihi est sal Absinthii, cujus ope, vera loquor. totum Absinthium tibi ponam ob oculos, quibus, & hoc subjicit Autor, quod certâ quâdam operatione, sal absinthii volatile elevatum, alembici lateribus adhærendo plantam suam dilucidè repræsentet, hæc D. Schröderus loco citato confirmat, hæc Sennertus, ex Quercetano & Polono, ut & ex Libavio, attestatur itidem Vigenarius Gallus in Tractatu Gallico de Igne & Sale pag. 262. prædictus D. Schröder loco supra citato scribit, sibi cum Parisiis degeret, relatum esse à gravi Viro Medicinæ Doctore, nomine Certain, videlicet sibi, in maceratione cineris canctorum, tam perfectorum, quàm imperfectorum in liquore eo natantium, simili ratione in aquâ stillatitiâ spermatis ranarum, sibi illarum imagines, quondam fuisse repræ-

sentatas, præcitatus D. Horstius asserit, quod & Robertus Flud de Fluctibus in suis Scriptis, Illustrissimus Philosophus D. Dygbi Anglus in Dissertatione suâ de Rerum Vegetatione confirmat; Ego cùm Bresiæ degerem, atque in notitiam Expertissimi D. Schefferi venirem, relatum mihi est ab eo, quod salem fixum habeat, quem si in vitro calori exponit, monticulos varios, aliasque figuras repræsentet; cùm aliquando CC. destillarem, in vase recipienti, ad latera Sal volatile se cumulavit, cornuum que cervi naturalissimam repræsentavit ideam, quod autem vis formans & volatili & fixo insit Sali ac sulphuri, & in metallurgiæ meæ tertiâ parte, & in aquâ fortis clarissimè demonstratur, cùm in præparatione sic dictæ arboris Philosophotum, Mercurium in arboream deducat formam, quævis formatrix magna ex parte Sulphuri nitri & vitrioli adscribenda est. Hæc & experientiâ, prædictorumque authorum authoritate confirmata, Henricus Meibomius Medicus in Præfatione ad Corpus glorioſum Spizelii, non tam gloriosè in dubium revocat, ac tandem negat, verùm cùm nullus dubitem, quin affirmantium authoritas, hujus negantis ratione major fit, non video cur is multis rationibus ad veritatem compelli debeat, qui ab eâ, alienus atque asymbolus studiosè esse desiderat, dicta interim de hoc Paragrapho sufficiant.

§. 4. *Quâ Ratione Qualitatis recensita principia tria inter se conveniant, & quomodo alterentur?*

Primò sciendum est an Sulphura possint uniri cum Sale, id est, olea cum aquâ. Respondeo affirmando, cùm videamus saponem id præstare, unit enim olea aquosis, prout omnia alcolisata hæc faciunt, præsertim si olea in liquore alicujus salis fixi, aliquamdiu digerantur, seu si oleum stillatitium cum oleo per deliquium digestioni committatur: naturam enim ambo acquirunt mediam, saponatam scilicet, quæ se omnibus miscet aquis, unde varia curiosa arte produci possunt. His ergo extra controversiam positis, considerabimus an ipsa Sulphura inter se commutari possint? Abstrahendum heic est, à regnorum diversis Sulphuribus, neque enim ex sulphuribus animalibus vegetabilia, aut ex his mineralia, prout Glauber fabulatur, fieri aut arte præparari possunt, intelligimus ergo hîc commutationem Sulphurum inter se, in suo regno, unde hîc quæro an Sulphur Mercuriale possit fieri Sulphur medium, idque medium tandem possit existere fixum? Dico quod possit, & naturaliter & artificialiter hoc contingere, differentia enim volatilitatis, fixitatis & medietatis in rarefactione, condensatione, coctione, & temperatura consistit, quæ ars omnia & igne & humiditate præstare, atque alterare potest, unde mirum non est, quod ex fixissimis quoque Salibus & Sulphuribus spiritus, magnâ tamen ignis vehementiâ, eliciantur, vicissim quod omnes spiritus subtiles rursus figi possint. Digere spiritum vini, vel abstrahe eum super aliquo sale & videbis Sulphur ejus Mercuriale tandem in naturam mediam nempe oleosam abire, quod & de reliquis spiritibus intelligendum est, verùm magna est prudentia & scientia, posse debito modo cum modestia & absque rerum destructione, earum principia alterare, cui usui corporum natura perscrutanda est, quis nempe corporum magnes, quod eorum vinculum, quæ perfectionis & destructionis causa sit, his enim bene consideratis, in rerum separatione mira conspicies, neque in earum metamorphosi causandâ, quicquam tibi difficile erit, sed de his in titulo sexto & septimo latiùs agemus, hoc loco pro conclusione sciendum est, cùm quodlibet prædictorum trium sulphurum alterabile sit in aliud, suo tamen in regno, dubitandum non esse, ea in corporibus reperiri, eandem rationem cum salibus esse, ego quidem heic mordicùs non defendam, dari actualiter hæc tria principia in omnibus corporibus, hoc tamen firmiter concludo, quod principium sulphuris substantiæ reperiatur in omnibus corporibus, quodque his tribus gradibus alterabile sit, plura in Corollariis. Quâ ratione sapores, odores, colores, reliquaque corporum accidentia, volatilitas puta & fixitas, gravitas item & levitas, forma denique corporum per hæc qualitatum tria principia, Mercurium nempe Sulphur & Sal alterari ac immutari, destrui & perfici possint, partim explicat metallurgiæ meæ pars tertia, non paucis autem titulus quartus, sextus & septimus exponunt.

§. 5. *Cui usui Cognitio Trium Principiorum Qualitatis inserviat?*

Respondeo Duplici, Physico & Medico. Physico trium horum principiorum notitia inservit, ut corporum compagem intelligat, eamque debitè resolvere ac coagulare, imò si lubet immutare sciat, is enim finis nobilissimæ istius Scientiæ Spagyricæ est, unde etiam nomen à Græco Σπάω, separo, sortita est. Objicies facilè esse negotium corpora solvere, destruere & alterare, cum ea ipsa proprio motu id faciant, dico contrarium, imò difficillimum esse, cum corporis incremento & perfectione, id resolvere, purgare, ac denuò dextrè conjungere, atque hunc totum laborem cum utilitate absolvere, sunt multi ciniflones, multi agyrtæ, sophistæ, carbonarii, multi denique naturalium corporum perditores, carnifices non anatomici, aut veri spagyrici, qui corpora juxta sua principia disjungere eaque rursus juxta naturæ leges conjungere sciunt, multi inquam tales reperiuntur, verùm quam ab hâc scientiâ, ejusdemque principiorum cognitione alieni sint, eorum exhibent opera, ex quibus eos cognoscetis, ex istis nempe fructibus, quos corpora illorum Machærione tractata, reportant, atque ob oculos ponunt, multos reperies doctos Physicos juxta Aristotelicos, qui infinitas rerum sciunt aut fingunt causas, quâ tamen ratione corpus debitè resolvere, putrescere, fermentare, coagulare, purgare, fixare, volatilisare, exaltare, perficere, denique juxta naturæ leges tractare debeant, prorsus ignorant, atque ad talia obmutescunt, cùm in Aristotelis Physicâ tale nec quicquam reperiatur, solum enim Aristotelem sapuisse ejusmodi Philosophrasti putant; unde quæ ibi non reperiuntur, contemnunt, pudet enim illos scire id, quod eorum Magister nescivit, ego sanè censerem ut Aristotelis Physicæ adjungeretur doctrina de rerum separatione & conjunctione, neque flocci penderetur illa Physices Pars, quæ omnium rerum artificialium, ac curiosarum operationum Physicarum basis ac fundamentum est.

Medicinæ quidem omnium maximè spagyrices fundamenta inserviunt, qui enim in corpore nostro reperiuntur morbi, ex sanguinis reliquorumq; humorum corruptione maximè oriuntur, verùm, unde quis corruptionem debitè intelliget, nisi ejus subjecti substantiam cognoscat? Omnes humores, ipsam carnem, ossiumque substantiam ex prædictis substantiæ & qualitatum principiis, Sulphure nempe

nempe & sale constare Vulcanus Anatomus docet, ex horum principiorum alteratione variæ ac periculosæ in corpore humano mutationes ac corruptiones oriuntur, quas corrigere profectò nemo dextrè potest, nisi qui prima corporum materialia noverit principia, eorúmque sciat permutare accidentia. Solis enim nominibus æger non curatur, nec sola nomina morborum, ægro causæ morborum existunt. Loquuntur multi de inflammationibus, multi de putredine sanguinis, de intemperie cerebri &c. Sed unde tales causæ oriantur, quamvis varia obtrudant ac accusent, non tamen acu tangunt; taceo, quod ea quæ ignorant tandem imaginariæ cuidam occultæ qualitati tribuant; verùm ut Principiorum Chimicorum ante hæc recensitorum usum in Re Medica explicem, & morbos & medicamenta juxta principia Chimica resolvam, sciendum est Chimicos curare per similia & contraria.

Per similia, dum morbus Mercurialis curari debet per principium Mercuriale, neque enim fixa conducunt volatilibus, aut volatilia fixis prout ex rerum solutione patet, unde tota medendi methodus juxta Chimicos desumpta est.

Per contraria curamus, dum principio substantiæ opponitur contrarium, ut si morbus sit Mercurialis sulphureus, curari debet per medicamentum Mercuriale salsum, hæc enim ratio & experientia dictitant, faciendum esse temperamentum medicamenti, cum morbi causâ: nam cùm Methodus Medendi duplex sit, apheretica & prosthetica, i.e. auferens & addens, auferens autem evacuatione causam morbi tollat, addens verò causæ morbi contrarium addendo, morbum temperet, atque ex causâ morbi nutrimentum faciat: humores enim juxta Galenicos tum peccant, cùm extra temperamentum sunt constituti, atque alterati: facilè colligi potest quæ methodus naturæ convenientior sit, nam si id quod evacuare studemus illâ parte temperaremus, quâ excedit & peccat, morbi sanè causam in alimentum verteremus, corpusque aleremus, quod evacuationibus debilitamus. Plethoram quam quis hìc objicere posset, & jejunium, & moderatum attenuat exercitium; novi ego præstantissimos Medicos, qui periculosos quosque morbos sola attemperatione curant, neque corpus evacuationibus emaciant, prout communibus Galenistis nihil tritius est; neque enim se Medicos esse putant, nisi purgantia præscribant, quæso, quid curatis? Quid evacuatis, quod corpori humano non conveniens esse putatis, sanguinem, bilem atram flavam, pituitam? Nam cur hi humores peccant, ut eliminationem mereantur? Dices vel qualitate vel quantitate, verùm si quantitate, mirum mihi videtur, naturam tam cupidam esse, ut plura appetat, quam quibus indigeat, aut quæ possit secernere, cùm herclè malè nobiscum actum sit, qui rot purgationibus id evacuare cogimur, quod natura nostra pro nutrimento appetit; taceo, si evacuatione opus sit, multas dari alias leviores evacuandi vias, quàm ut necesse sit naturam irritare. Tum si qualitate humores peccant, quæso quali? Corruptione, alteratione, inflammatione, aut alio excessu? Sed quid est corruptio, inflammatio? nonne excessus temperamenti? Ita quidem, quare humorem taliter peccantem temperate potiùs quam evacuare deberetis, cum non suâ substantiâ, sed qualitate peccet, temperatus enim non peccat sed corpus nutrire coadjuvat. Sin autem corruptum evacuatione curare intenditis, necesse sanè est, ut ad ultimam usque eum evacuetis guttam; quæ ejusdem corruptionis cum toto suo est, nec obstat per abstractionem aut diminutionem corrupti humoris reliquum corrigi, corpus quidem ægrum in quantitate corrupti humoris habebit minùs, quod tamen reliquum humoris in corpore est, corruptione non privatum aut intrinsecè correctum est. Multùm conduceret, ut rarefactionem & condensationem humorum bene intelligeremus, multis certè corruptionibus obviam ire possemus, illa enim talium corruptionum non postrema causa est, cùm humores inde ebulliant, aut nimium constringantur. Verùm redeamus ad nostra principia, in quæ morbos dividemus.

Mercuriales morbi sunt duplices, juxta duplex substantiæ Mercurialis principium, sulphurei nempe & salsi, Morbi Mercuriales sulphurei sunt omnes inflammationes subtiles acutæ, corporis, cerebri præsertim & sanguinis non absque malignitate, corrumpitur autem in his morbis, Sulphur Mercuriale sanguinis, reliquorumque humorum sanguini commixtorum, quæ corruptio ex nimiâ rarefactione inde ejusdem inflammatione exoritur, causas tamen habet varias procatharcticas; hoc Sulphur Mercuriale extra suum temperamentum constitutum, agit in suum Sal homogeneum, nempe volatile, tanquam forma in materiam, donec eam, ac tandem reliqua corrumpat principia, totum enim penetrat corpus, furit in massam sanguinis, cerebrum, spirituſque animales interturbans, tandemque calorem naturalem suffocans, hæc ergo morbi causa citiùs & jucundiùs curari nequit, quam per contrarium, nempe per Sal volatile, eo enim tanquam materia frigida, tamen etiam penetrante, Sulphur hoc rarefactum condensatur, astringitur, & in temperamentum reducitur. Quare usus salium volatilium hoc loco ad miraculum usque conducit, imò apud ipsos Galenistas in usu est, simili in casu; quamvis enim sudorem pellat, non tamen ideo corpori impedimento est, verùm id liberat ac temperat, causam sudoris hujus vide in meis Scriptis loco alio, curamus ergo hunc morbum per simile principium qualitatis nempe Mercuriale, sed per diversum substantiæ, nempe Sulphur temperamus per Salem, Oleum per Aquam, similitudo enim principiorum ratione operationis, diversitas verò ob temperamentum requiritur, nam si quis ægro tali Sulphure Mercuriali excedente affecto simile vellet propinare principium substantiæ Sulphureum nempe, puta spiritum vini, aut similem, næ ille oleum igni affunderet, quare naturam temperamentum quærere vel hoc solum exemplum, tum & ipsa ratio dictitat, cujus principii medicamentum sit quærendum. Eadem ratio est, cum excessu salis volatilis, seu Mercurialis: Peccat autem quantitate & qualitate, hâc quidem, dum incrassatur aut nimium subtilisatur ac inquinatur, illâ verò, dum Sulphur Mercuriale deficit; sic enim Sal volatile augetur: utroque modo multum damni ægro affert, cùm enim principium hoc Mercuriale sedes quasi spirituum vitalium ac animalium sit, facile tales inde afficiuntur, unde vertigines, cerebri frigidæ intemperies, epilepsiæ, ac lipothymiæ cordisque defectiones oriuntur, has autem affectiones Sulphure Mercuriali in qualitatibus tertiis convenienti felicissimè curari & experientia & ratio dictitat, fragrantes enim spiritus cerebrum & cor corroborare, spirituſque vitales confortare, præsertim cerebrum, nemo peritus Medicus negabit; ratio autem accedit, cùm enim peccet

Sal

Sal Mercuriale, per contrarium, Sulphur nempe, temperari debet, magna quoque Sulphurum Mercurialium eſt penetrantia, quod in dentibus humanis conſpicimus, qui à Sulphure Mercuriali non levem ſubeunt viciſſitudinem cum ab eo inquinentur ac tingantur, ex ipſis etiam Medicamentis Mercurialibus liquet, quæ ſubtilitate ſuâ totum penetrant corpus, ſunt autem Medicamenta Mercurialia à parte ſalis volatilis omnes ſubtiles aquoſitates, à parte Sulphuris omnes rectificati ſpiritus, mixta autem ſunt communia Salia volatilia, ea enim ob ſaporem, admixtum quoque Sulphur habent.

Jam morbos accedamus qui ex Sulphure ac Sale medio proficiſcuntur, ſunt autem vel ex Sulphuris reſolutione, aut ex ejus coagulatione nimiâ, ut enim morbi Mercuriales partes nobiliores & ſubtiliores, ita hi juxta ſuum principium mediam plerumque afficiunt partem, tum quoque ex præcedentibus notum eſt, totam corporis ſubſtantiam ac compagem ex Sulphure medio tanquam glutine conſtare, unde eo reſoluto periculoſi oriuntur morbi, corruptiones, ulcera, denique ſolutiones continui; putredines, colliquationes, defluxiones, ex nimiâ verò ejus incraſſatione obſtructiones oriuntur, omne enim ſulphureum mucoſum ac viſcidum eſt, prout excretiones & ſputa in corpore humano id ſatis docent, hi ergo morbi qui ex ſulphuris reſolutione proficiſcuntur, curantur ejuſdem agglutinatione, quo loco oleoſa balſama reliquaque Sulphura media agglutinantia, nempe olea ſtillatitia primum locum obtinent, qui verò morbi ex Sulphurum nimiâ incraſſatione oriuntur, per Salem medium reſolvuntur, quod in corporibus abundantiſſimè reperitur, Sal enim tale tartareum ac nitroſum eſt, hinc incidit, atque abſtergit, unde ejuſmodi ſalibus mediis omnis generis ſputa viſcida, mucores ac obſtructiones referuntur, reperiri autem Sulphur tale medium in homine ejuſmodi obſtructionibus obnoxium, vel ſola ſanguinis anatomia monſtrat, ſanguis enim exiccatus, limi inſtar indureſcit, atque igni inſperſus lardo quam ſimillimè urit atque conflagrat, quod ſanè non faceret, niſi ſubſtantiæ eſſet oleoſæ. Bilem ſi exicces reperies plus ſale abundare, quam oleo, id tamen quod ei ineſt, non tam glutinans exiſtit, prout id quod in ſanguine eſt; de quo antehac diximus, unde liquet quis bilis uſus ſit, nempe reſolvere, abſtergere, ut inferius latius dicetur.

Morbos ſalſos quod attinet, qui ex principio Salis & Sulphuris fixi oriuntur, moleſtiores ſunt reliquis, nam cùm ſubjectum habeant, quo vel ſolo exiſtente in corpore, homo ſe ægrè habeat, facillimè colligi poteſt, quantùm cauſent dolorem, ſi exceſſu etiam ſuæ qualitatis peccent. Ut enim juxta tria regna triplicia ſunt corpora, ita triplices habent compoſitiones, fixioris compagis metalla, mediocris vegetabilia, minimæ & leviſſimæ ſtructuræ animalia ſunt; unde ſequitur, prout etiam ipſa docet anatomia ſpagyrica, metalla fixi Salis & Sulphuris quàm plurimum, vegetabilia non adeò multùm, animalia autem omnium minimam quantitatem habere: quare animalia à fixis Salibus & Sulphuribus etiam abhorrent, unde compertum habemus, eorum naturam hoc principium reſpuere, atque per hypercatharſin rejicere, & hæc eſt ratio cur Galenici ſalia fixa diuretica vocent, aut urinam pellere putent, cùm natura talia ſalia fixa reſpuat atque per ipſam urinam ſecernat, idem facit cum Sulphure & Sale fixo antimonii, nempe quod vitro ejus ineſt atque vino elixatur, hoc enim per vomitum tanquam corpori humano heterogeneum, ac humanis conſtitutivis inconveniens excernit, idem ſentiendum eſt de Sale fixo vitrioli, ex quibus omnibus liquet naturam animalem à Sulphure & Sale fixo abhorrere, cùm & illa per excrementa tam urinæ quàm alvi excernat, unde ab ipſis Galeniſtis, quo ſimilia excrementa graviora, hocque Sulphure & Sale fixo magis repleta ſunt, homo excernens ſanior judicatur, cùm enim, ut in præcedentibus demonſtratum eſt, in omni corpore tria prædicta qualitatis ſint principia, in ipſo etiam homine reperiantur, neceſſe eſt ut cibo & potu conſerventur, cibi itaque cum potu, non niſi in corpore humano & quidem primum in ventriculo, mediante elixatione hæc principia ſuppeditant, ſeparari autem ex cibis debent, quæ corpori humano conducunt, reliqua excernenda: conducunt autem principium Mercuriale & medium, quare cauſa elixans ſic diſpoſita eſſe debet, ut Sal & Sulphur fixum intactum reliniquat, quod faciet, ſi ſimilis cum ſolvendo erit naturæ, unde potus, qui in ventriculo, bile, tanquam ſapone inficitur, lixivium Mercuriale & Sulphureum præſtat, quo ex cibis elixatur, quicquid ad conſervationem & nutritionem principiorum in corpore humano requiritur, elixatum ergo ſeu Chylus Mercurialis & Sulphureus eſt, prout de hâc re alibi à me clarè adducuntur demonſtrationes & experientiæ. His præpoſitis, ſciendum eſt, magnam partem boni alimenti, hoc in lixivio ſitam eſſe, id enim ſi virtute ſua deficiat, parum nimis elixat, omnemque oleoſitatem ſeu ſulphureitatem relinquit inſolutam, aqua enim ſapone infecta, oleoſas tollit maculas, quod ſine ſapone non præſtat, & hæc eſt ratio cur ſale & oleo aut butyro ad omnes cibos indigeamus, nempe ut lixivium in ventriculo corroboretur, accidit ergo, ut dixi, non rarò, ut lixivium hoc ſtomachale (ideò ſic voco, à ſimili lixivii communis operatione, ut enim lixivium ſalſa, acida, dulcia, oleoſa, aquoſa omniaque reſolvit, ita lixivium hoc ſtomachale, omnes, quibuſcunque veſcimur, cibos, caſeum nempe, carnes, butyrum, ſalſa, acida dulcia, *&c.* omnia denique quæ etiam fermentationem impediunt, reſolvit) aut impediatur, aut nimium promoveatur. Impeditur verò, omnibus aquoſis, unde aquæ nimium uſus bonam elixationem & per conſequentiam, bonam digeſtionem impedit, ſequitur inde totius corporis cacochymia, ventris dolor, tormina, cruditates, ſudores, ſcabies, variæque putredines, ſolutiones, colliquationes. Viciſſim promovetur nimium bilis, atque per eam lixivium ſtomachale perque id elixatio, rebus omnibus nimiùm ſalſis, nimium oleoſis, unde vina calidiora bonam digeſtionem cauſant, modicè ſumpta, immodicè verò nimium elixant, quod & de aromatibus & nimiùm ſalſis aut conditis intelligendum eſt, à quorum uſu abſtinendum, cum periculoſi ex nimiâ elixatione morbi oriantur. Dum enim elixatio talis nimia eſt, præter Sulphur & Sal Mercuriale ac Sulphureum, nempe medium, etiam ſalſum ſcil. fixum elixat, unde Sulphur & Sal fixum ex cibis extrahitur atque chylo communicatur, cum excerni deberet, quare chylus taliter ſulphureus & ſalſus ab excrementis in inteſtinis ſeparatus, hepar tanquam tranſcolatorium petit, excrementa autem alvi toſta ac ſicca fiunt, urina verò tenuis evadit, ſi nempe Sulphur & Sal fixum ex cibis ob nimiam elixationem chylo communicatum, ab hepate non ſeparetur, ſed libero tranſitu cordi communicetur, ubi ſanguinis induit naturam cui ſalſum hunc & ſulphureum

sulphureum imprimit characterem, unde multæ corporis dolent partes, cum enim ejus partes nervi, & articuli, reliquaque interiora viscera, sanguine foveantur & nutriantur, magnâ cum molestiâ ejus salsedine & sulphureitate fixâ afficiuntur, è contra, si tale Sulphur & Sal in chylo ab hepate separetur, sanguis quidem eo non coinquinabitur, verùm renes & vesica non parum inde afficientur, præsertim si Sulphur quantitate Salem excedat, tum enim hoc Sulphur fixum coagulat suum Salem, unde arena, sabulus, lapilli, ac calculi, sicuti in sanguine & articulis tophos generat, quare dico ortum podagræ primarium, ventriculum ob immodicam elixationem, secundarium autem in malè affecto hepate esse, quo separandum Sulphur & Sal non secernitur, atq; ita unam eandemq; originem podagræ & calculi esse, sola tantùm hepatis officinâ distinctam, quâ materia vel in sanguinẽ vel in vesicam trans-aut remittitur. Vitandi ergo his sunt omnes cibi, multo Sale & Sulphure fixo tanquam suis calcibus præditi, vitanda etiam vina sulphurata & fixo Sale plena, quæ calcata vocari solent, prout in Gallia reperiuntur: unde illic locorum non pauci aut calculo aut podagrâ laborant. Vitandi quoque sunt omnes affectus, quibus bilis irritatur ut in ventriculum se effundat, potumque ibi contentum inficiat, accedunt alia quæ ventriculum ab ejusmodi immodicâ elixatione præservant, imò quæ aut coagulatos tophos, etiam lapillos & sabulum resolvunt, verùm de causâ hujus solutionis, in sexto titulo agetur latiùs. Hoc loco non est mei intenti Medicinam Chimicam scribere, cùm id alibi in Tractatu de corporum Magnetismo abundanter faciam, potuissem alioquin hoc loco plurima addere experimenta multasque rationes quibus hæc dicta probantur & stabiliuntur, sed illa in suum sunt reservanda locum, sufficiat hîc tanquam in prodromo aut speculo multarum abstrusarum rerum, multorum morborum & dextrè appropriatorum medicamentorum, indicationes, causas, ac vias, ad multa alia investiganda, detectas ac expositas esse, alio loco Deo volente plura.

Sed hîc mihi concludenti hunc paragraphum obgannire quendam, ut puto Galeni asseclam scævolam non ambidextrum, qui in unius Magistri verba saltem juravit audio, in hunc ferè modum. Vera quidem quæ hactenus dicta & probabilia, verùm ejus ergo non opus esse ut novis nominibus atque inconsuetis res denominentur, cum ridiculum sit absque necessitate antiqua nomina immutare, atque rebus Mercurium, Sulphur & Sal in cognomentum sumere. Respondeo denominationem debere rei esse convenientem, utrum autem Sulphur & Sal, tum Mercurius, Sulphur & Sal, juxta substantiam & qualitates rerum eis magis aut minus quam hactenus usitati Galenici termini conveniant, quilibet judex esto, sanè ex definitione aut denominatione Chimica alicujus morbi aut medicamenti, uno intuitu, rei natura, subst antia, morbus, accidens, ac cura & Medicamentum detegitur: cujus sequens Tabula testis sit. De cætero sciendum est, hos terminos non novos sed ipso Galeno antiquiores esse, prout id in septimo titulo sub Paragrapho primo de terminis ad oculum demonstrabitur, quod autem non æquè ac Aristotelici vigeant, atque in omnium ore sint, ut cholera, sanguis, melancholia, pituita, *&c.* ratio est, quod Chimiæ studium non tam vulgare aut prophanum sit, cujus & termini & materiæ omnibus Philosophastris noti sint.

Tabula pro Morbis & Medicamentis cognoscendis, combinandis ac Chimicè definiendis.

Morbi:
- Mercuriales ----Mercurialia
- Sulphurei ------Salsa
- Salsi ----------Sulphurea
- Sulphurei scil. --Sulphurea scilic. medii ---- media
- Sulphurei ------Salsa
- Salsi ----------Sulphurea
- Salsi scil. fixi --Salsa.

} Medicamenta.

Sulphurei — — Salsa
Salsi — — — Sulphurea.

Hi Morbi curantur per hæc Medicamenta.

Hæc paucula sufficiant de usu cognitionis trium Qualitatis Principiorum in Re Medicâ, alio loco recensebimus specialiter morbos cum suis appropriatis medicamentis, juxta tabulam præfixam, cujus ratio est, ut morbi curentur per similia qualitatum, per contraria verò substantiæ principia, sic Morbus Mercurialis curatur per principium Mercuriale, Sulphureus verò Mercurialis, per Medicamentum Mercuriale salsum, & sic in reliquis.

§ 6. *De Principiorum Qualitatibus Tertiis.*

In præcedentibus, dictum est Principia Substantiæ juxta suam conjunctionem quatuor temperamenta & quatuor complexiones causare, deinde juxta triplicitatem principiorum, Mercurii nempe, Sulphuris & Salis, tres præcipuas, varias verò alias in accidentibus qualitates causari, puta, ratione coloris, odoris, saporis, compagis, corporalitatis, volatilitatis, fixitatis *&c.* Modò restat ut consideremus qualitates tertias, præcedentes enim secundas vocamus, tertiæ autem reperiuntur in prædictis primis & secundis, in quibus certas sibi mansiones & gradus vel manifestarum vel occultarum qualitatum, juxta à Deo sibi implantatam naturam constituunt; cognosci autem ut plurimum ex qualitatibus primis ac secundis, unde originem trahunt, possunt. Nam juxta Principia Substantiæ sulphurea plerumque sunt sarcotica conglutinantia, vulneraria, cicatricem inducentia, *&c.*

Salsa verò Emollientia, Ora vasorum dilatantia, laxantia &c.

Deinde juxta principia qualitatis vel huic vel alii tribuuntur membro & corporis parti, ut in præcedentibus explicui, Mercurialia enim in genere capiti tribuuntur, tum eadem, juxta suæ substantiæ principia, si sulphurea existunt sunt Anodyna, attenuantia, rarefacientia, discutientia, corrodentia *&c.* Si Mercurialia salsa sunt, astringentia, repellentia, incrassantia, Hypnotica *&c.* existunt.

Eodem modo & reliqua principia suas habent facultates, in iisque certos gradus, prout suo loco hæc omnia fusius explicabuntur, nunc restat, ut pro conclusione hujus Tituli aliqua explicemus dubia.

Corollaria ad Titulum Tertium.

I.

An Tria Principia Qualitatum, Sal, Sulphur & Mercurius in omnibus corporibus reperiantur, & an inde educi possint?

℞. Distinguendum esse inter ipsa corpora & inter ejus partes, Sulphura enim, axungiæ & pinguedines

guedines in hæc principia reduci nequeunt, cum non ſint integrum corpus, ſed tantum ejus pars, ſic multæ reperiuntur Species Metallicæ, quæ tota metallica corpora non ſunt, ſed tantum aut metallorum excrementa, aut eorum nutrimenta, ſimili ratione lapides reperiuntur, qui neque totaliter minerales, neque alia perfecta corpora, ſed tantum eorum partes induratæ exiſtunt, ex quibus prædicta tria principia urgeri non debent, quamvis habito uno, arte id facile in reliqua duo commutari poſſit.

Corpora ipſa quod attinet, alia ſunt perfecta, alia minus perfecta, ex his levi negotio principia eliciuntur, ex illis verò difficilius, præſertim Sulphur medium tanquam compagis anima educitur.

II.

An ex Capite mortuo & Phlegmate eadem tria Principia præparari poſſint?

Dico Caput Mortuum vel Phlegma prout in communi ſumitur, multâ ex parte in hæc reduci poſſe principia, uberiori calcinatione & deſtillatione. Sin verò prædictum Caput Mortuum & Phlegma ſtrictè ſupponamus, qualicunque etiàm tractatione, aliquâ particulâ ob oculos cadet.

III.

Cur tria ſint Qualitatis Principia? Sal, Sulphur & Mercurius.

℞. Sic Deo & Naturæ placuit, ut ſubtilius involveretur mediocri, hoc verò corpore tegeretur, taliter enim, unum quodlibet vinculum eſt alterius, neque uno vacillante tota corruit maſſa, fovetur ergo unum ab altero, unumque alterius matrix eſt.

IV.

Ad quodnam principium referenda ſunt, Sulphur, Mercurius, Sal, communia?

℞. Mercurius communis purum principium non eſt, ſed corpus mixtum exiſtit, conſtans ex Sulphure & Sale tanquam ſubſtantiæ principiis, quæ in principia qualitatis reſolvi poſſunt, quamvis Sulphure & Sale fixo careat, ſubſtantiæ enim principia, nondum bene permixta aut concocta in eo ſunt, unde varia & Sulphura & Salia appetit, prout in præparatione cinnabrii videre eſt, ubi Sulphuri unitur atque alembicum cum eo petit, unde cinnabrium nominatur, eâdem ratione in ſublimatione cum Vitriolo & Sale, Salem attrahit, ejuſque ſe veſtit figurâ, atque ſublimatum vocatur. Hinc clarè liquet, Mercurium, Sulphur & Sal deſiderare, pro ſua coagulatione. Multa etiam Salia ſunt & Sulphura per quæ accidentaliter coagulatur, cùm tamen talia coagulantia ejus naturæ non ſint, cùm ergo Argentum vivum ex Sulphure & Sale volatili ac medio, quod ſatis probari poteſt, conſtet, concludendum illud eſſe corpus imperfectum, & hinc non purum ac ſeparatum principium.

Sulphur commune, ad puritatem principii Sulphuris, propiùs accedit, acidum tamen liquorem, terreſtreitatem inſuper, etiam aliquid Salis fixi continet, unde purum Sulphuris Principium nominari nequit.

Sal commune omnium, minimè pro puro & abſtracto ſubſtantiæ principio habendum eſt, cum triplices in ſe Oleitates tot etiam aquoſitates contineant, prout ejus anatomia demonſtrat.

Cur autem Philoſophi à prædictis tribus corporibus denominationem ſuorum principiorum ſumpſerint, ab eorum natura, quam principia aliqualiter imitantur, cauſam nacti ſunt, ſicut in præcedentibus plurimis expoſitum eſt.

TITVLVS QUARTUS.

De Quatuor Elementis Chimicè ſumptis, nempe Igne, Aëre, Aqua & Terra.

Proœmium.

EGimus hactenus de Principiis, eorumque cognitione juxta Chimicos, nunc ordo vocat, ut Elementa conſideremus. Miſſas hic facio theorias Ariſtotelicorum de Elementis, ut ſunt vel corpora ſimplicia, vel ut ſunt principia miſtorum, denique quomodo ad invicem agant, patiantur, miſceanturque. Hoc loco Chimicis ſcribo, & quidem Chimicè, neque enim ſi aliter ſcriberem, aut aliis terminis uterer, me intelligerent. Quare omiſſis Ariſtotelicorum controverſiis de Elementis, hoc loco generaliter & ſpecialiter, quæ praxi Chimicæ inſerviunt, pro compendio & chartæ anguſtia differam.

§. 1. *Quomodo vocabulum Elementum à Chimicis ſumatur?*

Elementum à Chimicis quadrupliciter ſumitur, 1. Pro vulgari Ariſtotelico, & prout eſt corpus ſimplex cum Cœlo Mundi hujus molem conſtituens. 2. Prout eſt principium miſtorum, corporibuſque ſublunaribus actu, vel potentiâ ineſt. 3. Prout vel Phyſicum vel Mathematicum exiſtit, dum enim Phyſicè operatur, corpora vel producendo, nutriendo, aut corrumpendo, Phyſicum vocatur, tale ſcilicet ut à Phyſico conſideratur, cùm verò Mechanico uſui inſervit, ut ad ligna cremanda, ad impulſum & navigium, ad pondera movenda, Mathematicum vocant, nempe prout mathematicè conſideratur. 4. Elementum non rarò ſumitur pro formâ corporis pro ejus eſſentia aut ſubſtantiâ, ſic Elementum Veneris eſt eſſentia cupri, ſicut enim principia alicujus ſcientiæ Elementa, ita etiam principia ſubſtantiæ, Rerum Elementa vocantur, id nempe unde corpus tanquam ex fundamento componitur.

§. 2. *De Alteratione & Connexione Elementorum.*

Nullum Elementum, adeò ſimplex reperitur, ut nullum admixtum habeat; neque enim abſque altero conſiſtere poteſt. Ita Terræ admixta eſt Aqua, Aër, & Ignis, quod & de reliquis ſentiendum, ab eo autem quod prædominatur, ſumitur denominatio. Elementa exceſſu alterationem, temperamento requiem cauſant, firmiter nunquam ſic connectuntur, ut alterationem non ſubeant, niſi quodlibet Elementum per reliquos gradus ſit alteratum ac diſpoſitum, prout in Metallurgiæ meæ Parte primâ ſub titulo de Variatione Elementorum uberiùs tractatur. Ignis per Aërem agit in Aquam, & per eam nutrit terram, ſecus comburit ac corrumpit eam, taliter & reliqua Elementa agunt in ſe mutuò per media, ſicut de hâc mutuâ actione Chimicâ, Cornelius Drebbel ſingularem edidit Tractatum, ex quo plura peti poſſunt; ſciendum autem eſt, Terram Ignis, Aquam verò Aëris eſſe nutrimentum, Aquæ cum Terrâ eſſe conjugium, quod ergo Elementum cum ſua rota à corpore reſolvi

resolvi debet, id vinculo suo solvatur, nutrimento suo autem relinquatur necesse est, terra agit in aquam formatione & generatione, hæc verò in terram resolutione & corruptione, ita igni cum aëre negotium est, quare si utraq; copula fuerit firma, ac quodlibet elementum alterius induerit naturam, facilè immota quiescent, terra enim in aquam, aërem & ignem; sic quoque reliqua elementa reduci ac alterari possunt. Verùm aqua in aërem mutata, communis aër non est, sed aqueus, quod & de reliquis elementis taliter tractatis intelligendum est, ex quibus denuò conjunctis, vinculum oritur incorruptibile, verùm de his plus in sexto Titulo.

§. 3. *De Igne in Specie.*

Ignem Chimici dupliciter sumunt pro vulgari & Philosophico.

Per Vulgarem, Elementarem, & Solarem intelligunt, quem etiam Naturalem vocant, cùm natura eum nobis suppeditet; Artificialem verò nominant, qui arte rebus applicatur, ut per specula caustica, per attritiones & commotiones, quadrupliciter autem applicatur, primò cùm datur ignis putrefactionis per fimum aut terram. 2. Ignis conjunctionis & separationis per aquam tepidam vulgò Balneum M. vocant. 3. Ignis generationis per aërem tepidum vulgò Balneum roris. 4. Ignis perfectionis, vulgò ignis arenæ, & ignis apertus, qui etiam inflammans, torrens, candens, incubans, calidus nominatur, mirandum sanè, quod, quamvis Ignis externus agens, vulgaris lignorum vel carbonum sit, attamen, juxta prædictos quatuor modos applicatus, diversos causet effectus, neque enim comperies corpora in arenâ putrescere, vicissim in Balneo M. siccari, & hæc est ratio cur corpora quæ digestioni committuntur, juxta ignis differentiam, mox sicca, mox humida, calida aut frigida fiant, quare non tam ignis, quam modi ignem applicandi ratio est habenda, habet enim & ignis in prædictis quatuor modis, quatuor suos gradus, in quolibet, qui gradus juxta ignis potentiam numerantur; Ignis usus vulgaris est, ut ignem corporum, de quo post agemus, excitet, eumque alteret, solo enim hoc igne naturam adjuvare possumus, cùm præterea nullum aliud habeamus auxilium, prout Philosophus Empedocles ait.

Philosophorum ignem quod attinet, sciendum est, eum esse ignem corporum, vocant autem hunc ignem calorem naturalem, nempe Sulphur naturæ, de quo in præcedentibus egimus, unde Sulphur corporum eorum calidum innatum & Philosophorum ignis vocatur, hæc ergo est causa, cur Philosophi non rarò suum ignem à vulgari distinguant, eique diversas attribuant qualitates, nempe quod ignis vulgaris comburat, & siccus sit, Philosophorum verò ignis nutriat, humectet, imò ignis humidus & frigidus sit, hunc ignem quoque incombustibilem, lumen perpetuum, scintillulam corporum vocant, distinguitur autem ab igne corrodente, seu aquis causticis, quæ quidem ex Sulphure, sed rarefacto nimiùm, constant, ut superiùs demonstratum est. Denique sicut ignis vulgaris corpora combureret, nisi aqua munirentur, quamdiu enim caro in aqua coquitur, tamdiu non aduritur, ita Philosophorum ignis suam corrumperet substantiam, nisi aquâ suâ foveretur, sed de his plura loco alio. Hoc hîc addo, elementarem ignem rarefactum, Philosophorum ignem autem condensatum esse, vulgaris ignis sedem & pabulum in aëre, Philosophorum verò in aquâ esse, unde quodcunque superius est, simile est ei quod est inferius.

§. 4. *De Aëre.*

Post ignem in ordinem venit Aër, qui duplex juxta Chimicos, communis & Philosophicus.

Communis rursus duplex existit, nempe Naturalis aut Artificialis; Naturalis aër est qui indies à nobis aspiratur, quique poris omnium corporum inest, hujus causa corpora & dissolvuntur, & congelantur, prout in mea Metallurgiâ latius docetur.

Artificialis Aër est, qui arte applicato calore, frigore, aut aliis mediis, rarefit aut condensatur, extra modum ei convenientem, hâc enim ratione evenit non raro, ut in destillationibus vitra rumpantur.

Philosophorum Aër, Aqua Corporum rarefacta, Sal nempe Mercuriale est, unde non rarò Aër congelatus vocatur, item Aër corporum, qui in generatione præsertim metallorum inhalat, exhalat & coruscat, hîc Aër corporum, eorum Mercurius aut Mercuriale principium est, de quo superius pluribus actum est. Aër communis subjectum est Aëris Philosophici, eo enim transfertur Aër Philosophicus in varia loca, cum vulgarem perpetuâ suâ transpiratione inficit, communicat se ipsum aliis corporibus, proditur autem odore sympathia & antipathiâ, hoc duplici Aëre perficitur, prout hæc latius demonstrat Excellentissimus Vir Dominus Digby in Tractatu suo de Sympathiâ. Sicut Ignis communis proprium est consumere & corrumpere, Philosophorum verò ignis, præservare, ita communis Aër penetrat & siccat, Philosophorum verò Aër humectat & vegetat.

§. 5. *De Aquâ.*

Elementum Aquæ duplex est, datur enim Aqua Communis & Philosophorum.

Communis est vel liquida vel congelata; liquida vel fluida vel vaporosa, destillata *&c.* congelata verò vel frigore ut glacies, vel natura ut crystallus.

Philosophorum Aqua vocatur humidum radicale seu Aqua primordialis corporum, quæ triplex existit, animalis, vegetabilis, mineralis, adæquata, ad recipiendas formas Sulphurum in regno suo, vita & mors rerum, in regno minerali, aqua incombustibilis, aqua cœlestis, spiritualis vocatur. Huic hoc tribuunt Philosophi Encomium, quod in eâ corpora sui regni debitè solvantur, reviviscant, ac regenerentur, unde distinguendum est, quando Philosophi de suâ aquâ loquuntur, quæ non est Aqua communis, sed Balneum & materia corporum, triplicis substantiæ juxta triplicitatem regnorum & corporum hâc aquâ abluendorum, nam dum de corporibus metallorum loquuntur, aquam eis convenientem, nempe Mercurialem manus non madefacientem, extrinsecè quidem volatilis, intrinsecè verò fixæ dispositionis subintelligunt, cùm de aliis regnis & corporibus loquuntur, aliam etiam intelligunt aquam. Est autem Aqua Philosophorum medium, quo eorum terrâ, quæ in hâc aquâ coquitur, ab Igne præservatur, ne amburatur, verùm perpetuâ fixitate dominetur aquæ.

§. 6. *De Terrâ.*

Ultimam Elementorum Classem Terra omnium Mater claudit, hæc sorores suas nempe reliqua

Elementa imitatur & quoque duplex exiſtit, Vulgaris nempe & Philoſophica.

Vulgaris triplex eſt, Animalis, Vegetabilis, Mineralis, ſic & Philoſophica ſubdividitur, differentia autem inter Vulgarem & Philoſophicam eſt, quod illa ſterilis, mortua, hæc viva & vegetans ſit, vocatur etiam matrix, terra foliata, creta, terra virginea, fimus Philoſophorum, terra quam aër in utero portat, ſepulchrum & revivificatio rerum: Sed de his loco alio plura dicam.

Corollaria.

I.

Vulgarium Elementorum, tales ſunt operationes, ad quas illis Chimici utuntur.

Terra inſpiſſat, tranſcolat, attrahit.
Aqua, elixat, reſolvit, purgat.
Aër, volatiliſat, penetrat, ſiccat.
Ignis, ſeparat, alterat, perficit.

II.

Philoſophicorum Elementorum operationes ſunt.

Terra, vegetat, nutrit, corpus ſuppeditat.
Aqua abluit, humectat, agglutinat.
Aër, penetrat, efformat, circundat.
Ignis, exaltat, copulat, fixat.

III.

Differentia Philoſophicorum Elementorum cum communibus talis eſt.

In terrâ Philoſophorum tanquam vero balſamo corpora conſervantur, in communi terrâ corrumpuntur.

Aqua Philoſophorum igne fixatur, aqua communis igne rarefit.

Aër Philoſophorum ignem ſuſtinet, vulgaris eum fugit.

Ignis Philoſophorum vegetat, vulgaris deſtruit.

IV.

Ignis & Terra: Aër & Aqua ſunt Synonyma apud Philoſophos. Terra continet Ignem, Aqua Aërem, Ignis communis mediante Aqua agit in terram Philoſophorum.

V.

Nota. Quæ ſua vocant Philoſophi, reſpiciunt regnum Minerale, in Metallico enim regno potiſſimum verſantur Philoſophi, cùm nobiliſſimus ibi lateat Naturæ Theſaurus, omnis corruptionis expers.

TITVLVS QUINTUS.

De Generatione, Spermate, Menſtruo, Matrice, Pondere, Calore.

Procœmium.

FInis Scientiæ Spagyricæ eſt, Corpora purificare, perficere & alterare: Commodè dupliciter conſideratur, ad Medicinam & ad rerum generationem, ad utrumque corporum ſolutio conducit, hanc autem perfectè ſcire non poſſumus, niſi eorum conſtructionem ſciamus, conſtructio verò perfectè intelligi nequit, niſi rerum generatio & hujus principia nota ſint; quare non parvam acquiret Rerum Chimicarum notitiam, qui fundamentis generationis operam dabit, quæ fundamenta quinque ſunt, prout in ſequentibus quinque Titulis explicantur. Ante omnia autem ſciendum eſt, Chimicos in eo regno magis verſari quod nobilius & compage ſuâ fixius, alterationibuſque elementaribus minùs obnoxium eſt, tale regnum minerale cenſetur, unde dicta noſtra ad id applicanda eſſe, Lector facilè capiet, non autem putet, quemlibet ad cognitionem hanc pervenire poſſe, niſi qui præcedentium duorum regnorum exactam Cognitionem habeat, unde iſtorum cum regno minerali, in ſequentibus ſemper faciemus combinationem, quamvis quodlibet regnum, diverſum quid ab altero habeat, ita animalia præter reliqua animam habent irrationalem, homo verò rationalem; vegetabilia vegetationem; mineralia ut quidam volunt accretionem habent; tum ars in uno regno, præ altero operari poteſt, combinatis naturalibus requiſitis, ita arte in Ægypto excluduntur ova, arte colorantur pulli, arte varia producuntur vegetabilia, formâ, colore, odore, ſapore, differentia, arte denique metalla produci poſſe, nec implicat, nec repugnat, cum & experientia id factum eſſe, & ratio id fieri poſſe, ipſe quoque omnis Naturalis Philoſophiæ parens D. Thomas in authentico ſuo, ſupracitato ſcripto, Commentario ſuprà tertium Librum Ariſtotelis, de meteoris, ſequentibus verbis approbat, *Unde etiam ipſi Alchymiſtæ, per (NB.) veram Artem Alchymiæ, per prædicta principia, ſeu potius per principiatorum conjunctionem & combinationem, aliquando veram generationem Metallorum faciunt.* Hactenus pro veritate Alchymiæ, aurea verba D. Thomæ.

§. 1. De Spermate.

Sperma ex optima ſanguinis ſubſtantiâ conſtare, imò unctuoſum humidum eſſe, nemo negat, quod & quale in regno animali ſit, quomodo acquiratur, quæ ſit ejus differentia & ſympathia, alteratio, corruptio, & unio, ac tandem generatio cum menſtruo, hoc loco non neceſſe eſt quærere, cum harum rerum notitiam, ipſa nobis exhibeat natura.

Sperma vegetabile, illorum ſemen eſt, ſubſtantiæ oleoſæ & unctuoſæ, quod eorum expreſſio demonſtrat, nullum enim vegetabile ſemen reperitur, quod ſeu in deſtillatione, ſeu expreſſione oleum non det ſatis copioſum, & hæc eſt ratio, cur ſemina ſeu ſpermata, ſulphura vocemus, nempe ob oleoſitatem, agglutinationem, & formam, hæc enim ſubſtantia oleoſa, viſcida, aquam tenuem inficit, incraſſat, agglutinat, ac tandem informat, quare non immeritò Balſamus Sulphuris Philoſophorum vocatur.

Sperma ſeu Sulphur Metallorum quid ſit, qualiter naturaliter ac artificialiter operetur, paucis quoque explicabo. Metalla ex duplici fumo & lapide fuſibili generari, accedente nutrimento, ipſa ratio, experientia, natura docet, Ariſtoteles ea ex vaporibus naſci tradit, quod de vaporibus unctuoſis, Sulphureis, ac Mercurialibus intelligendum eſſe, Commentatores in eum defendunt. Maria Moyſis Soror ait fumus complectitur fumum, & herba alba in monticulis, nempe Lapis ſeu Matrix mineralis capit utrumque, his anatomia Metallorum accedit ubi ea in fumum abire praxis & experientia monſtrat, non parùm hæc confirmat αὐτοψία, in mineris, vapores enim iſtos, non rarò cum ſuo damno animadvertunt metallicolæ, quos vapores, die Wetterungen vocant, Sulphureum quidem vaporem, Philoſophi liquorem æthereum nominarunt,

nominarunt, salubris est, cum unctuositate sua phtisicos in mineris curet, atque ab illis liberet morbis, quibus à vapore Mercuriali periculosè laborant.

Paucis vapor hic, Sulphur minerale est Lapides minerales penetrans, inque illis cum socio vapore minerali se figens, hujus vaporis principium remotissimum Sulphur commune esse, cui major coctio atque purificatio à naturâ accedit, non negamus, cum & metallis magnam cum Sulphure communi affinitatem, neque ullam metallifodinam divitem esse, quæ non commune Sulphur aut Vitriolum gerat, videamus. Statuimus tamen, solam naturam hoc Sulphur seu spermaticum metallorum elementum in tantam puritatem posse perducere, atque naturali suo calore perficere, coquere, & variis in terra circulationibus occultarumque seu cœlestium qualitatum impressionibus specificare, ut juxta suæ puritatis, & fixitatis gradus diversa operetur metalla, de hoc Sulphure in tertiâ meæ Metallurgiæ Parte pluribus tractatum est, hoc loco verum esse dicimus quod Geber de hoc spermate minerali ait. Nos omnia experti, & magnâ ratione speculati sumus, sed nihil invenimus in prælio perstans, præterquàm humiditatem unctuosam in igne permanentem. Hoc enim Sulphur non urit, sed est oleum incombustibile, potentiæ fixæ, quæ perfecta est, sicut Hermes ait, in terram mutetur, i. e. si in sua matrice figatur, Sol est Philosophorum, qui Sole seu Igne communi excitatur arte, in mineris verò fovetur calore minerali.

§. 2. *De Menstruo.*

Egimus hactenus de Semine Masculino, sequitur Fœmininum, quod Menstruum vocant, eo quod in regno animali sanguis sit, qui singulis mensibus effluxione, ex utero apud Fœminas, egeritur, unde à menstruali fluxu Sanguis Menstruus aut Menstruum vocatur, quod tamen propriè regno animali competit, impropriè verò vegetabilium & mineralium humiditas sic appellari solet, unde aqua metallorum Menstruum, paucis per abusum quodlibet solvens taliter nominatur.

Menstruum ergo metallorum, ut eodem trito, quamvis improprio utar termino, aqua Metallorum, hæc verò Mercurialis, Mercurialis autem non à Mercurii currentis, sed ejus volatilitatis proprietate desumpta ac nomen sortita est, denique hæc Aqua Menstrualis, & Mercurialis, Mercurius Philosophorum vocatur, cum regnum minerale, & perconsequens ejus Menstruum id sit, in quo Philosophi operantur plurimum, unde hujus regni Aqua, Menstruum seu Mercurius Philosophorum vocatur. Est autem Mercurius Philosophorum non aqua madefaciens manus, sed fumus subtilis frigidus, crudus, Mercurialis, venenosus, paucis Sal volatile minerale vaporis instar cum Sulphureo ac unctuoso prædicto fumo aut sperm ate se miscens, ab eoque formam recipiens, & hoc est quod Maria Mosis soror ait, fumus complectitur fumum, nempe fumus sulphureus complectitur fumum Mercurialem quod confirmat Arnoldus de Villâ Novâ dicens, ex Sulphure & Mercurio ut Natura, sic Ars producit metalla. Denique ut una eademque aqua vegetabilis omnes formas variorum vegetabilium seminum, ita materia, seu aqua metallorum una & eadem variorum diversorum Sulphurum mineralium formam recipit, & secundum ejus dignitatem coagulatur, & formatur, quâ ratione materia per formam coagulari, hæc verò per illam resolvi possit, in titulo septimo de Solutione docebitur. Clarum autem est sperma absque menstruo in perfectam generationem venire non posse, quod & in regno minerali intelligendum, in quo menstruum tanquam aqua vegetabilis (à vegetando, dicta, non à regno vegetabili ut Basilius doctè distinguit) requiritur, ut substantiva metallica, Sulphura nempe Solis & Lunæ in eo plantari possint, sicut doctissimè Philosophatur Raymundus Lullius.

§. 3. *De Matrice.*

Matrix Metallorum à Philosophis tripliciter sumitur, primo pro Mercurio Philosophorum, ille enim Matrix, Vas & Ovum est, in quô eorum Sulphur coquitur & perficitur, secundò pro matrice ipsâ, nempe Lapide Minerali, quo duo prædicti fumi aut vapores capiuntur, & in quo tota fit generatio, non enim in omnibus Lapidibus crescit Metallum, sed tantùm in Igne fluxilibus, esse autem tales Lapides, Matrices Metallorum & ἀυτοψία & Anatomia monstrat; nam Metalla igne tractata vehementiori resolvuntur & corrumpuntur, fumi duo aufugiunt alterati, & lapidem fluxilem vitri instar relinquunt, unde metalla in vitra aut philistæas reduci possunt; in operatione Philosophica talis quoque matrix requiritur, quare principio metallum perfectum addunt ut ejus vitrum operationi inserviat, vel postea massam metalli in tigillo fermentant. Tertio sumitur Matrix pro ipsa minera & metallifodinâ, in quâ hæc omnia operantur, ita loco hujus Philosophi vitrum capax sumunt, non enim est quod objiciamus, fodinas & mineras singulari & arte inimitabili spiritu vegetante esse præditas, sanè vitrum Philosophorum, quod eorum etiam ovum vocatur, si aëre Philosophico supra citato repleatur, adhibitis reliquis elementis, æquè fit vegetativum, ac spatium aut minera, verùm de his alio loco plura, præsertim in Commentario super hæc.

§. 4. *De Pondere.*

Certa proportio spermatis cum menstruo requiritur; hujus enim defectu, mixtum vel corrumpitur vel siccatur, ut videre licet in vegetabilium generatione, ubi defectus aut abundantia pluviæ, vegetabilia notabiliter alterat, est autem pondus duplex, unum ad quantitatem, alterum ad qualitatem mixtorum, quorum postremum pondus secretissimum Philosophorum vocatur, noscitur ex operatione, quando ignis extrinsecus ignem intrinsecum naturæ excitat, isque materiam alterat, unde qualitatum certa oritur proportio, hinc temperamentum ad pondus & ad justitiam exsurgit.

§. 5. *De Calore.*

Calor quoque, tanquam instrumentum ad generationem requiritur, in regno animali unum, in vegetabili duos, in minerali tres, in operatione Philosophicâ quatuor gradus requirit. Primus est putrefactionis, alter digestionis, tertius coagulationis, quartus plusquamperfectionis gradus, verùm de Igne, Calore & ejus subjecto in Titulo de Elementis sub Paragrapho de Igne superiùs egi, proinde uberiore ejus pertractatione supersedeo.

Corollaria.

I.

An ex ſolo Mercurio Philoſophorum poſſit fieri Metallum ? Dico nunquam dari Aquam Metallorum ſine Sulphure, quod ſemper in minimis particulis, tanquam in centro ſecum gerit, ſicut nullum datur Sulphur abſque materia, & taliter longo tempore poteſt ſcintillula hæc Sulphuris latentis in Mercuriali Aquâ excitari, ut partes Mercuriales coquat, temperet, atque in metallum, imò planè in Lapidem Philoſophorum efformet.

II.

An Arte poſſit produci metallum ? Reſpondeo affirmando, ſicut enim Semen vegetabile impoſitum terræ (quæ in ollis ante feneſtras ſervari ſolet) atque debito tempore aqua humectatur ſoliqué exponitur, non aliter quàm naturaliter creſcit, ita habitis & applicatis quinque requiſitis generationis mineralis, etiam metalla produci poſſunt, perfectiora quidem & fortiora. Ars enim naturam adjuvare poteſt, quod in artificiali florum generatione videre liquet, adjuvatur autem natura arte, quinque nimirum prædictorum requiſitorum debitâ applicatione,

TITVLVS SEXTUS.

De Chimicorum ſex Operationibus realibus, Accretione, Decretione, Solutione, Coagulatione, Deſtructione, & Pluſquam-Perfectione.

Proœmium.

HActenus Principiorum rationem habuimus, ſequuntur Operationes, quarum cauſas & fines probè intelligere decet, inſerviunt enim ad cognitionem multarum elaborationum naturalium, referuntur in genere vel ad medicinam, vel ad rerum generationem, ac perfectionem, in ſpecie verò ad ſex Claſſes. Quas ſub tituli initium recenſuimus, in ſequentibus autem Paragraphis explicabimus.

§. 1. *De Accretione.*

Antequam Accretionem elucidemus, præſtat ut ſciamus quæ partes à Chimicis Heterogeneæ, quæ Homogeneæ vocentur ? Heterogeneum autem vocatur quodlibet regnum, reſpectu alterius, ita animalia reſpectu vegetabilium, hæc verò intuitu mineralium in commixtione heterogenea vocantur, nam heterogeneum eſt, quod cum alio corpore ſe non radicaliter miſcet, ut in ejus vel naturam vel mixtionem abeat perfectam, cùm igitur notum ſit, vegetabilia non cum Metallis, & hæc è contra non illis miſceri, colligimus hæc regna cum ſuis corporibus ad invicem heterogenea eſſe, deinde heterogenea vocantur, quæ in alterius naturam non tranſeunt, aut accreſcunt, ut oſſa carni, lapides crudi metallis.

Homogenea vocantur, quæ in uno regno & quæ talis naturæ ſunt, ut ad invicem commutari poſſint, perfectè verò homogenea exiſtunt, quæ prorſus unius ſunt naturæ, atque conjunctæ, continuum quoddam conſtituunt.

Juxta primum modum homogenea ſunt, argentum & aurum, hordeum, frumentum, caro bubula, caro humana *&c.* Juxta ſecundùm verò homogenea ſunt, aqua cum aqua, oleum cum oleo, homo cum homine, aurum cum auro; ſicut partes duplices ſunt heterogeneæ & homogeneæ, ita accretiones quoque duplices exiſtunt partium nempe heterogenearum & homogenearum. Quarum prior impropria, altera verò propria vocatur accretio.

Prima nempe impropria accretio fit, quando in mixto quædam res heterogeneæ accreſcunt aut agglutinantur, à Galenicis res præternaturales vocantur, ut in regno animali, vermès, lapilli *&c.* in vegetabilibus olla, araneæ, crines; in mineralibus, terræ lapides, *&c.* Accidit etiam accretio impropria heterogeneorum, quando res heterogeneæ juxta ponuntur & extrinſecè agglutinantur, ut quando duæ res diverſæ limo agglutinantur aut alio modo, ſicut hedera muro, aut lapidibus ut ſaxifragia, denique quando res diverſæ in generationem miſcentur, ut quando metalla mixto vegetabili ſe ſic adjungunt, ut cum eis creſcant, ac in foliis eorum rurſus in ſubſtantia immutata per reductionem reperiuntur.

Secunda nempe propria Accretio fit dupliciter, juxta duplicem homogeneorum gradum. Primò per juxtapoſitionem, quando res aliqua per ſui ſimile augetur, ut quando vinum vino, aurum auro additur. Secundo per veram accretionem intrinſecam, quæ alteratione & generatione fit, cùm partes aliquæ diſpoſitæ ad recipiendam aliam ſubſtantiam aliaſque qualitates, formâ ſibi conveniente alterantur & accreſcunt, quæ accretionis veræ cauſa efficiens ſoli ſpermati convenit, tanquam reali glutini, id enim cùm ſubſtantiæ unctuoſæ ſit atque viſcidæ, aquam tenuem (quæ accreſcere debet) caſei inſtar primum inficit, incraſſat, tandem formam à Deo ſibi inſitam, factâ inſpiſſatione & accretione ei imprimit, aliquam autem admixti partem pro ſeminis augmentatione, in ſeminalem ſubſtantiam alterat, immutatque, quare in vegetabilibus ipſum quoque ſemen, ſingulâ generatione augmentari videmus, & hæc eſt vera diſtinctio, inter accretionem & immutationem, quam in vegetabilibus apertè conſpicimus, ubi aliqua pars admixti in ſemen mutatur, reliqua verò accreſcit. Hæc accretio in generatione metallorum locum habet, verùm non illa, quam aliqui per ſolam juxta poſitionem extrinſecùs tantùm fieri ſtatuunt, prout in Metallurgiâ latiùs demonſtravi, notandum autem eſt, accretionem promoveri per ſulphuris aut pinguedinis augmentum, unde ſimo pingui ſolum ſaturatur, taliter enim ſemina & eorum vis agglutinans ac cauſa accretionis promovetur; deinde caloris exhibitione, is enim dum tenuia coquit, nonnihil inſpiſſat, atque ſic materiam magis accreſcibilem reddit.

§. 2. *De Decretione.*

Decretio opponitur Accretioni, cujus contrarium eſt; peragitur mediis contrariis, quibus accretio fit, hinc quoque duplex exiſtit, vel enim eſt Decretio partium heterogenearum, vel homogenearum.

Decretio partium heterogenearum fit ſolutione limi vel vinculi, quo partibus præternaturaliter adhæret; ut in metallis, ignis probatione, heterogenea ab homogeneis, ita in regno vegetabili, partes heterogeneæ, quæ impuræ vocantur, deſtillatione aut ablutione, in animalibus, ablatione,

vel

vel purgativè vel chirurgicè separantur, aut imminuuntur.

Partium verò homogenearum decretio, fit vel in quantitate vel in qualitate; in quantitate, quando una pars ab altera dividitur ut si à marca auri sumantur quatuor unciæ, tum marca hæc tot decresceret, quot ei ablatæ sunt unciæ.

In qualitate fit decretio dupliciter, partialiter & totaliter; partialiter cùm mixtum aliquâ parte unctuosâ vel humidâ sic decrescit, ut harum vel aliqua particula totaliter auferatur, vel una in alteram mutetur, unde minor fit, tum hæc pars unde immutatur, decrescit. Totaliter verò mixtum decrescere dicitur, non quidem quod in quantitate, sed quod in qualitate decrescat, cùm suâ in qualitate retrocedit, atque quod antehâc coctum fuit, nunc crudum redditur.

Hæc verò Decretio veræ accretioni planè contraria est, atque per contraria peragitur media; Diximus antehâc veram accretionem per agglutinationem fieri.

Unde claret, veram Decretionem per accretionis contraria contingere, contraria autem agglutinationi est colliquatio, quæ ex putrefactione oritur.

Unde putredinem causam efficientem decretionis statuimus, quâ verò ratione putredo & per eam colliquatio corporibus contingat, maximopere scire præstat.

Ex præcedentibus Titulis, præsertim secundo liquet omnia corpora constare ex aquâ crassâ, & tenui, crassa, pingui, oleosâ, tenuem informante, eique folium, nempe formam præbente, paucis aquam hanc unctuosam sulphuream, balsamum corporum esse, cui à Deo inditum est, quantum aquæ tenuis, tanquam materiæ formare, inspissare, coagulare, figere, astringere in corpus, idque con- & præservare possit, sic Sulphur rorismarini certam proportionem habet, quam in conservandâ suâ admixtâ aquâ observat, ad quam integram nondum habet, omnem sui regni affluentem aquam tenuem assumit, eamque informat, quam primum verò ultra hanc proportionem ei aqua admiscetur, illicò aquæ multitudo superat Sulphur nempe causam coagulantem, & sic ex agente Sulphure fit patiens, vicissim ex aquâ patiente fit agens, dum pinguedo Sulphuris in nimiâ aquâ dissolvitur, atque sic colliquescit, Sulphur enim cessans à suâ actione retrocedit, & sui conservationem quærit, unde se concentrat, & hinc in putrefactione varii conspiciuntur colores, ob Sulphuris mutationem; impeditur putrefactio nimio calore, qui ab humiditate præservat, & nimio frigore quod humiditatem congelascere facit, promovetur calido humido aëre. Sicut ergo Sulphur causa fuit accretionis & coagulationis, ob agglutinationem, ita aqua est causa decretionis & solutionis, ob Sulphuris colliquationem & dissipationem. Et hæc est ratio, cur Philosophi humiditatem, vitam & mortem rerum vocârint, vitam, quòd rebus corpora suppeditet, mortem, quod corpora rursus resolvat. Verùm de Accretione & decretione plura in sequenti Paragrapho de Solutione & Coagulatione.

§. 3. *De Solutione.*

Solutio apud Chymicos triplex est, nempe Solutio continui, partis, & totius.

Solutio continui est, quando corpus in continuo solvitur, continuum autem vocant, quicquid ad unitatem pertinet tam ad partes similares, quàm dissimilares, sic corpus humanum vocatur continuum cum omnibus membris, ita herba cum radice, caule, foliis, *&c.* nullum corpus reperitur quod tam continuum sit ac corpus metallicum, cùm ergo corpora hæc in unitate solvuntur, dicuntur in continuo solvi, hæc solutio continui duplex est, prima peragitur conquassatione, pulverisatione sive pistillo, sive lima, sive alio modo fiat. Ut quando herba in mortario conquassatur, quando metallum aut in folia redigitur, aut pulverisatur, quando animalia secantur, contunduntur. Inservit solutio hæc ad reliquas solutiones, quarum ministra est: dum enim corpus in continuo solvitur, punctula ejus magis superficialia fiunt, unde postea in aliis solutionibus citius resolvuntur, meritò ergo solutio hæc præparatoria vocari posset. Altera solutionis continuæ species per aquas causticas peragitur, quas corrosivas vocant, potiorem usum in metallis habent, quorum corpora de puncto ad punctum corrodunt, atque ita in pulverem redigunt impalpabilem. Circa hanc solutionem notabis. 1. Aquæ corrosivæ proprietatem, auro enim aqua Regis, reliquis metallis aqua fortis competit, quo pinguiùs est metallum, hoc libentiùs ab aqua Regis solvitur, pinguia enim in aqua forti resistunt, causam vide in meæ Metallurgiæ tertia parte. 2. Ipsam solutionem continui, ratione solventis & solvendi, hujus ergo ut primo modo in continuo solvatur, prius in folia aut lamellas redigatur, hæc candescant, sic enim citiùs solventur, illius verò causâ, ut solvens certam habeat proportionem, denique initium, medium, & finis solutionis consideretur, sicut & calor, vasa, tripus ac instrumenta reliqua quæ ad talem solutionem requiruntur. 3. Præcipitationem, quâ nempe ratione solutum sit præcipitandum, ac ab aquâ causticâ separandum. 4. Edulcorationem à spiritibus corrosivis, atque exsiccationem, tum notabis qualitatem, quam à spiritibus corrosivis solutum metallum, quod præcipitatum & edulcoratum, calx vocatur, accepit, ita calx auri qualitatem fulminantem, calces metallorum plerumq; volatilitatem acquirunt, aut difficulter reducuntur, ut Luna, cornua *&c.* 5. Usum & reductionem. Usus solutionis continui metallorum, duplex est, vel ad separationem metalli à metallo, ut auri ab argento, vel ad medicinæ præparationem, cui si reservas usui, ut à spiritibus corrosivis quam optimè liberetur, necesse est; tum reductio calcis Metallicæ salibus fusilibus & concentrantibus fit, quæ reductio Calcis, rursus in continuum. indicat solutionem corrosivam metallorum tantùm solutionem continui esse.

Solutio partis est, quando aliquod seu substantiæ, seu qualitatis principium à corpore separatur, ut quando Spiritus, Oleum vel Sal ex corpore præparatur, aut extrahitur, dupliciter peragitur, primò destillatione, fermentatione, calcinatione, vitrificatione, reverberatione *&c.* secundò sympathicè per extractionem, sic pinguia & sulphurea ex corporibus sui simile extrahunt, unde extracta, tincturæ; & hæc est ratio cur spiritus vini, Therebenthinæ, oleum commune, ex omnibus corporibus sui simile extrahant, ac tingantur.

Solutio partis Medicinæ inservit, nam cùm non omnes corporis alicujus partes interdum requirimus, sed ad diversos affectus, diversis principiis utimur, unde olea, spiritus, salia, separata prostare in officinis necesse est, ars spagyrica docuit qua ratione principia è corporibus elici possint, sic fermentatio vinculum trium qualitatis principiorum resolvit, destillatio principium Mercuriale

& Medium, calcinatio verò ultimum nempe Salem nobis ob oculos ponit, quare ſolutio partis ad Medicinam propriè inſervit, non tam pro præparandis medicamentis, quàm pro cognitione morborum ſolutionis partis, ſicut enim arte corpus ex parte ſolvitur, ita in corpore humano continui, partium, imò totius nonnunquam reſolutio datur, cujus ſolutionis cauſas hîc exponere quidem utile & neceſſum eſſet, verùm in commentario ſuper hæc latiùs explicabuntur, compendii leges hoc loco tranſgredi nec lubet, nec licet, Philochimicus ex prædictis, niſi prorſus ſtupidæ mentis ſit, facilè ſolutionum & coagulationum cauſas tam activè quàm paſſivè, tam in morborum cauſis, quàm in medicamentorum præparationibus addiſcet & enucleabit.

Solutio totius eſt, quando corpus ſic reſolvitur, ut ejus forma, ejuſque qualitates prorſus immutentur, duplex eſt, præternaturalis & naturalis; præternaturalis accidit quando corpus igne præter ordinem & naturam ſuam comburitur, unde forma ſubſtantialis nempe ſulphureitas concentratur, atque in carbone corrumpitur, humidum verò ſeparatur atque diffunditur, ignis vi evaporat & in fumo aut fuligine alteratur; Naturalis verò ſolutio totius eſt, quando corpus putreſcit atque naturaliter in ſua principia reducitur, hæc reductio vocatur ſolutio radicalis & Philoſophica, cùm enim Philoſophorum finis ſit regenerare, ad regenerationem autem, corporis reductio in primam materiam ſeu ſubſtantiam ſeminalem pertineat, hæc verò nonniſi putrefactione contingat, merito putrefactio ſeu ſolutio radicalis, Philoſophica operatio vocari poteſt, cùm autem in præcedentibus, præſertim in Titulo de Reductione in primam Materiam, item Titulo de Decretione, ſufficienter de Putrefactione ſcripſerim, eadem repetere moleſtum & ſupervacaneum eſſet.

Concluſionis loco Artificem moneo, ut diſcrimen inter primam & ſecundam ſolutionis totius ſpeciem attendat, ſunt enim iſtæ è diametro ſibimet contrariæ, in calcinatione corporum Sulphur corrumpitur, & humiditas deſtruitur; in putrefactione verò ſeu calcinatione Philoſophica, humidum apud calidum conſervatur, hâc enim ratione novo poſſunt uniri vinculo, cùm Sulphur concentratum, tandem rurſus peripheriam ambiat, ſuamq; humiditatem figat, unde nova ſequitur generatio, juxta ſententiam Philoſophicam, corruptio unius eſt generatio alterius, hinc liquet ratio, cur Philoſophi dixerint, ſe corpora aquâ ſeu igne humido calcinare, cùm vulgus ea igne communi calcinet, comburat, deſtruat, atque corrumpat.

Tum Lector finem ſolutionum prædictarum attendat, ne erret, nam ſolutio partis optimam, noſtriſque conſtitutivis convenientem partem nobis exhibet, ſed longè diſtat à generatione, quæ ſolutione totius ſecundi modi peragitur, quod enim fermentatum, quod deſtillatum, quod elixatum quod calcinatum, aut denique ſolutione partis tractatum eſt, generationi ulteriori, inidoneum redditur, aliquod enim principium hâc ſolutione & ſeparatione amiſit, ſive qualitatis, ſive ſubſtantiæ, quod ad generationem & totius continui conſtitutionem requiritur.

Errant ergo qui putrefaciendo medicamenta præparare, aut qui ſolvendo partes novam generationem cauſarum conantur, cùm putrefacta ob alterationem qualitatum ultimam, venena & cathartica potiùs ſint, quam medicamenta, viciſſim, olea, ſpiritus, ſalia, medicinæ ſunt, non principia apta ad novam generationem ſuique augmentationem; ſolutionem continui quod attinet, ſciat Lector hanc eſſe ſolutionis partis & totius, utriuſque nempe miniſtram, & per ſe aliud præſtare non poſſe, quàm ut corpora ſecundæ & tertiæ ſolutioni apta atque magis reddat idonea.

§. 4. *De Coagulatione.*

Ut tres ſunt Solutiones, ſic tres quoque exiſtunt coagulationes, quæ reſpectu regnorum inter ſe quoque triplices ſunt, in animali enim regno, utriuſque ſeminalis ſubſtantiæ unio tantùm, in vegetabili coagulatio, in minerali autem regno fixatio exiſtit, quas tres ſpecies in ſequentibus ſub uno nomine coagulationis complectemur; hæc coagulatio ergo triplex eſt, vel continui; vel partis, vel totius, in his tribus gradibus opponitur triplici ſolutioni.

Coagulatio continui duplex eſt, & fit vel impaſtatione, vel condenſatione; impaſtatione, quando pulveres aqua miſcentur, aut limo, unde evaporata humiditate mixtum coagulatur addità autem rurſus reſolvitur, ſic ignis omnia coagulat, aqua omnia reſolvit. Condenſatione peragitur, quando aqua frigore ſuo rem congelat & tum calore reſolvitur ut glacies *&c.* paucis, in hâc duplici coagulatione continui ſequens axioma obſervandum eſt. Quicquid igne coagulatur, aquâ reſolvitur, è contrà quicquid aquâ coagulatur igne reſolvitur.

Coagulatio partis eſt, quando Oleoſitas Salſedini, Sulphur Sali, Oleum Aquæ, Mas Fœminæ, Siccum Humido, Volatile Fixo adhæret, prout in Paragrapho de Accretione antehâc dictum eſt, ſolvitur ſymphaticè & antipathicè cum ſuo contrario, circa hanc coagulationem partium ſequentia nota axiomata. Debile cedit fortiori, ſimile ſimili gaudet, natura intendit perfectius, unius vita alterius mors eſt. Omnis ſeparatio fiat cum modeſtiâ & ſapientiâ, his bene conſideratis, aditus tibi ad magna naturæ penetralia dabitur.

Coagulatio totius eſt duplex, præternaturalis & naturalis; præternaturalis quando heterogenea, naturalis verò quando homogenea coagulantur, per modum generationis, explicata eſt cum ſolutione ſuâ radicali in Paragrapho de Putrefactione, & §. de Accretione ac Decretione verâ & Philoſophicâ, unde hîc de Coagulatione concludo, artificem admonens, ne ſpecies coagulationis confundat; Aqua enim communis nunquam coagulabit ſe eâ, quâ decet, fixitate cum auro, hinc omne ſolvens quod in coagulatione & fixatione ſoluto radicaliter per modum tertiæ ſolutionis & coagulationis adhæret; pro vero ſolvente, & talis operatio, pro verâ Philoſophicâ eſt habenda, contrarium ſubintelligitur. Quare Naturæ leges obſervando, non facilè quis errabit, cùm è contrario inexplicabilem incurret Labyrinthum.

§. 5. *De Deſtructione.*

Deſtructio duplex eſt vulgaris & Philoſophica.

Vulgaris accidit, quando corpora aut contra aut præter naturam tractantur, quod fit variis modis. 1. Quando heterogenea confunduntur. 2. Quando in corporum ſolutione & coagulatione contra ordinem naturæ & petitum finem proceditur. 3. Quando tractantur rebus non convenientibus,

aut

aut quando id ab eis petitur quod ipsa non habent, nec habere à naturâ eis concessum est. 4. propriè autem destrui dicuntur per tertiæ solutionis primum modum, nempe quando corrumpuntur, & præter naturam separantur, 5. Destruuntur quando defectuosa aut contraria principia combinantur, ac dùm multâ præparatione proprias qualitates & vires amittunt, ac naturæ inacceptas induunt.

Philosophica autem destructio fit cum lucro, est corporis reductio, ac retrogradatio, facta per secundum modum tertiæ solutionis nempe per radicalem solutionem, tali enim corpora quasi vilificantur & præ oculis nostris annihilantur atque in terram suam, unde orta sunt, reducuntur, verùm ex tali destructione nova sequitur regeneratio, & in hâc plusquam perfecta & gloriosa, augmentatio, sane quod sic destruitur construitur, quare Philosophi dicunt, facilius est aurum construere quam destruere, cùm destructum Philosophicè, naturali motu proprioque glutine se construat, artificis autem non inexpertâ manu destrui debeat.

§. 6. *De Perfectione.*

Perfectio est duplex, Naturalis & Artificialis.

Naturalis perfectio est, quando corpus in eum suæ perfectionis gradum devenit, in quem à natura positum est, sic monstrum respectu hominis est imperfectum, vinum aliis succis, aurum reliquis metallis perfectius est.

Artificialis perfectio est, quando Natura in suâ perfectione adjuvatur, ut eò citiùs & perfectius operetur, adjuvatur autem separatione heterogenearum, & concentratione ac perfectione homogenearum partium.

Partes heterogeneæ duplices sunt, aqueæ vel terrestres, hæ dupliciter separantur, primò ab invicem, deinde inter se; ab invicem nempe partes aqueæ à terrestribus separantur, destillatione filtratione, congelatione, præcipitatione, aut evaporatione; partes heterogeneæ aqueæ ab aqueis separantur, destillatione, vel præcipitatione; Terreæ à terreis calcinatione, vel sublimatione, sic per destillationem aqua separatur à terra, per calcinationem sal à capite mortuo, per elixationem Sal è cineribus, per evaporationem sal ab aqua; finis harum operationum est, ut partes impuræ separentur à puris, quæ separatio commode per ignem, aërem & aquam fit, per ignem, qui corpora purgat ab adustibilibus; per aërem, qui ea exsiccatione liberat ab humiditate; per aquam, quæ ea abluit & mundat; corpora igne purificanda sicca sint, aëre mundanda porosa fiant & rara, aquâ purificanda fluxilia reddantur.

Partes homogeneæ concentrantur heterogenearum separatione, alterantur accidentaliter & essentialiter. Accidentaliter, mutantur & præservantur, mutantur in colore, odore, sapore, compage, formâ, asperitate, levitate, duritie, mollitie, volatilitate, fixitate, gravitate, levitate, quarum omnium mutationum causas in meæ Metallurgiæ tertiâ parte reperies. Præservantur causarum nocivarum amotione, & sui dispositione, ne quid nocere possit. Verùm hæc omnia ut in accidentiis fiunt, ita à substantia originaliter dependent, quæ Essentialiter alterari & perfici potest; alterari quidem, dum Sulphur plus coquitur & humiditas ita disponitur, ut coctione perfectionem acquirat, heic enim ars naturam sublevare potest, cum habitis naturalibus principiis & calidum & humidum suppeditare potest, humido res augmentantur, calido foventur.

Corollaria.

I.

Quid sit plusquamperfectio, &c. Juxta Chimicos, est corpus naturalibus principiis progressum, sed arte sic elaboratum, ut perfectius sit quàm absque illa Natura sola producere potuisset.

II.

Quid sit aurum plusquam perfectum?

Respondeo. Juxta Chimicos est aurum regeneratum, seu in novum generationis actum productum, in eoque, arte ac ignis administratione sic exaltatum, ut aurum naturale multis gradibus superet, aliisque metallis communicatum, tot perficiat gradibus, quot auri perfectionem superat. Paucis Chimicorum aurum mortuum est aurum vulgi, cùm extra actum generationis mortuum quasi sit, sicut omnis res quæ se non vegetat. Aurum verò vivum, est aurum in actum generationis productum, denique aurum plusquam perfectum, est Tinctura, Elixir & Lapis Philosophorum.

TITVLVS SEPTIMVS.

De Septem Requisitis Artificis. Nempe de Terminis, Instrumentis, Materiis, Operationibus, Scriptis Chimicis, Methodo Chimiæ studendi, Methodo Chemicè Philosophandi.

Proœmium.

REstat ut hoc ultimo titulo septem requisita exponamus, quibus Artifex instructus esse debet, his enim ut vehiculo uti necesse est, quare eorum cognitio utilis & necessaria judicatur; Exponemus autem hîc eâ quâ poterimus brevitate, cùm praxi illa scire, satius sit, quam theoricè multis verbis explicare

§. 1. *De Terminis.*

Termini juxta Chimicos trifariam accipiuntur, nempe Hieroglyphicè, per Characteres, tandem per Verba.

Studium Chimicum ut antiquissimum, ita ante omnes Ægyptiis notum fuit, qui pro more in cippis hieroglyphicis id posteritati commendarunt, prout Pierius & de studio Chimico optimè emeritus Mejerus, denique ex his doctissimè explicuit R. P. Athanasius Kircher. Distinguendum autem est, inter literas Sinensium; & Hieroglyphica Ægyptiorum, quâ aut historias aut secreta Chimica tractarunt. Secreta Chimica tractantur plerumque per animalium figuras, ita Leo rubeus, Sol, aurum; Bufo, corvus, putrefactionem; Columba, Aquila, Serpens, Leo viridis, Lunâ Philosophorum, eorum Mercurium denotant; Sole aurum, Luna argentum; Venere cuprum, Marte ferrum; Jove stannum, Saturno plumbum, Mercurio argentum vivum. Lupo antimonium, Draconе nitrum, serpente arsenicum, &c indigitatur; hanc autem inscriptionem non fortuito esse factam sciendum est, cùm indicantia quandam proprietatem habeat, qua indicatis cõpetunt, quare circa resolutionẽ

Hieroglyphicorum proprietates animalium conſiderandæ ſunt; Venenata & volatilia Materiam; fixa terreſtria formam denotant, hinc ſequens ænigma taliter enucleabis; Rubeus Leo pugnet cum Lupo cano, quem ſi vincet, glorioſus Victor evadet; tum in pellucidum carcerem cum decem aut duodecim Aquilis Virgineis eum occlude, clavemque carceris Vulcano tribue, & incipient aquilæ pugnare ac vincere Leonem, ejuſque corpus dilacerare & diſcerpere; quod dum putreſcet, quærent aquilæ aufugere, fœtoremque vitare, ac Vulcanum rogare ut aperiat, omneſque carceris rimas percontari; at Vulcano inexorabili, omnibus carceris partibus optime occluſis fœtore ex Leonis cadavere, ipſæ quoque Aquilæ corrumpuntur, inficiuntur ac putreſcunt, unde horrenda putrefactio. Verùm cum corruptio unius, ſit generatio alterius, ex duplicato hoc cadavere varia oriuntur; primò prodit corvus, qui rurſus putreſcendo evaneſcet; unde pavo caudâ multicolore prodit, hoc pereunte, columba venit, quæ, cum corvus ſiccum non potuerit invenire locum, eundem invenit, ſed novum, cum priſtina terra diluvio ſit corrupta, hæc autem virginea ac Philoſophorum creta exiſtat, columba hæc omnis corruptionis nondum totaliter expers, ſenſim in Phœnicem immutatur, quam Vulcanus comburit in ipſo carcere, unde ex ejus cineribus novus incorruptibilis ac immortalis oritur fructus, quo omnia reficiuntur ſublunaria.

Hieroglyphicum hoc ænigma taliter explicabis; Aurum purgetur per antimonium, ponatur in vitrum cum decem aut duodecim partibus Mercurii Philoſophorum, ſeu aquæ Mercurialis metallorum, vitrum occludatur, exponatur convenienti calori, forma auri ſuperabitur à materia Mercuriali & putreſcet, unde nigredo & colores varii comparebunt. Tandem, finitâ putrefactione, materia per gryſeum colorem ad albedinem tendet adhibito fortiori igne, citrino, tandem rubeo tingetur colore, & ſic ex volatilitate in ſuam tranſibit fixitatem. Ex reſolutione hujus ænigmatis comparatio poterit fieri ad alia.

Altera claſſis terminorum Chymicorum characteres complectitur, qui duplices ſunt, vel indicant materiam, vel operationem; Characteres Materias indicantes reſpiciunt ortum & differentiam. Ortum hic explicare, cur nempe hoc vel illud ſignum, huic vel alii materiæ apponatur, nec chartæ anguſtia, nec propoſitum patitur, cùm in alium locum hæc reſervaverimus, conſulatur interim Johannes de Dee in ſuâ Monade Hieroglyphica. Differentiam Characterum quod attinet, quomodo nempe quælibet materia ſuo ſingulari charactere inſigniatur, docebimus, ſi Deo libeat, in commentario ad hæc. Characteres qui operationibus tribuuntur, coincidunt cum præcedentibus, quoad ortum & differentiam; operationes verò quæ characteribus tribuuntur, præſertim analyſis Characterum Paracelſicorum, alio loco explicabimus, quid nempe de illis cenſendum ſit?

Sequitur tertia claſſis terminorum quæ verbis tàm propriis quam impropriis materias & operationes Chimicas explicat, verùm neceſſe ſit, in tractatione talium, res verbis denominare, ne hoc loco moleſti ſimus inutili repetitione, heîc concludimus.

§. 2. *De Inſtrumentis.*

Inſtrumenta Chimicorum duplicia ſunt, nempe neceſſaria ad tractationem ignis & ad materias.

Ad ignis tractationem requiruntur carbones exſiccati & duri, tigilla aut crucibula ignem ſuſtinentia, patellæ figulinæ, cineritia, vaſa cementatoria, receptacula, figulina vulgò Handcapellen dicta, infundibulum, conus concavus metallicus, vulgò Gießbuckel / quo ad fundendum regulum antimonii utuntur; forcipes ad imponendos carbones, aliæ ad tigilla, ferreus baculus, pro materiarum in igne commiſtione; Chirothecæ linteæ & madefactæ; Orbis ligneus in centro foramen habens per quod illæſis oculis materia in igne conſpicitur, linteum, quo veſtimenta, ne comburantur, teguntur, igniarium, ignitabulum, ferreum cochlear, furcilla ferrea, malleus, ſecuris, carbones, arena, aqua, ligna ſicca, ramenta lignorum &c. Hæc circiter inſtrumenta ſunt, regimini & tractationi ignis neceſſaria. Inſtrumenta autem requiſita ad tractationem materiarum ſunt, vel vitrea, aut figulina, lapidea, metallica cuprea, ferrea, & lignea. Vitrea ſunt alembici, cucurbitæ, retortæ, recipientia vaſa, ſublimatoria, phialæ, patellæ vitreæ, ſeparatoria oleorum, circulatoria, &c. Figulina ac lapidea inſtrumenta ſunt ollæ, retortæ, cucurbitæ, alembici, ſublimatoria, patellæ, patinæ; lapidea ſunt, Lapis marmoreus, porphyreus, lydius, mortarium lapideum. Metallica ſunt, mortaria, ollæ, patinæ; Cuprea ſunt, vas cupreum pro nitro ſiccando, coquendo, item pro Lunæ præcipitatione, & calcis Lunæ edulcoratione, item veſica cuprea, ollæ, patinæ; Ferrea ſunt, patinæ, candelabra, olla, libra cum ponderibus, duplex, major, minor, quam Docimaſticam vocant. Lignea ſunt mortarium, cribrum, patinæ, ſcatulæ, pyxides, cochlearia, orbes, ſpatulæ, huc accedit, charta emporetica, item alia, manica Hippocratis. Horologium, fila communia & ſulphurata. Calendarium &c. Hæc circiter ſunt inſtrumenta, ad materiarum & ignis tractationem neceſſaria, quibus accedunt varii furni, juxta varias ignis operationes, Lectorem tamen admoneo, ne in his omnibus comparandis curioſior ſit, quam in ipſis fundamentis addiſcendis, ad ἔργον enim magis reſpicere debet, quàm ad parergon. Vidi ego Laboratoria inſtructiſſima patergis, furnis, inſtrumentis & materiis, ut ipſum Hermetem cum omnibus ſuis diſcipulis, illic habitare dixiſſes, verùm idem ipſe ego minoris momenti effectus exinde vidi, quàm aliàs ex abjectiſſimo furnulo, cui non ignis ſumptuoſus lampadum ex ſpiritu vini, ſuperſtratus, quo non vaſa vitrea veneta aut cryſtallina, ſed figulina condebantur. Quare mirandum non eſt, cur Magnates ratò ad artis veritatem perveniant, cùm inſtrumentis comparandis plus indulgeant, quàm rerum fundamentis, nec mirum eſt, quod pauperrimi quidam intima artis penetralia perluſtrarint, ſimplici inſtrumentorum, ſed doctrinæ multiplici apparatu inſtructi, cùm ut tota Natura paucis contenta, ita & hoc loco non luxurietur, unde à peritis Naturæ ſcrutatoribus ejuſmodi ſupellex ſumptuoſa non ratò improbatur. Velim tamen ut Philochimicus neceſſaria inſtrumenta ſibi comparet, propriis manibus tractet loco & tempore convenienti, neque enim huic ſtudio adeò anxiè incumbere decet, ut fama & vita periclitetur aut optimus vitæ flos eo abſumatur, & hoc hîc monendum eſt, Philoſophos inſtrumenta diſtinguere, alia enim vulgaria, alia ſua ſeu propria vocant. Vulgaria ſunt partim hactenus recenſita, Philoſophica verò alibi explicantur; ſuperius enim dictum eſt, quid

quid eorum ignis & aqua ac terra sit, hoc notandum eos nonnunquam vasis & furni Philosophi mentionem facere, atque formam aut matricem metallorum subintelligere, ad hæc similes phrases referri possunt.

§. 3. *De Materiis.*

'Materiæ à Chimicis bifariam accipiuntur, Communiter & Philosophicè?

Vulgares materiæ circa quas Spagyrici in solutione & coagulatione, præparatione Medicamentorum, & generatione aut perfectione corporum artificiali & naturali occupantur, desumptæ sunt ex triplici regno. Animalibus utuntur vel integris, vel ex parte, hinc prostant cornu, medullæ, caro, vel quæ in iis generantur, ut lac, ova, vel eorum opera sunt, ut mel, cera, vel excrementa, ut fel, urina. Plantæ sumuntur vel integræ, vel earum partes, ut Radices, ligna, medulla, cortex, folia & surculi, flores, semina, fructus, succi, gummi, resinæ, olea, liquores, vina.

Metallis præcipuè utuntur, eorumque recrementis, quo pertinent varia terrarum genera, lapides, gemmæ, salia, succi in terrâ concreti, ut naphtha, aquæ thermales, manna &c.

Materiæ Philosophicæ sunt quæ præcipuè ad perfectionem & generationem metallorum spectant; vocatur autem Materia Philosophica, Duplicata Mercurialis aqua; quæ unica & sola clavis est totius artis, quare distinguendum est inter materiam ipsam præparatam & puram, & inter materiam remotiorem, quâ Philosophorum continetur, hanc enim non rarò pro ipsâ materia sumunt, ut cum continens sumitur pro contento, materiam hanc non rarò quoque matricem suæ aquæ vocant, quare cùm de præparatione longâ loquuntur, materiam hanc tanquam testiculum prioris, unde præparari debet, sin verò materiam suam nullâ præparatione indigere, sed opus muliebre esse cùm sola coctione indigeat, ajunt, priorem materiam intelligere eos, Lector animadvertat.

§. 4. *De Operationibus.*

Operationes Chimicorum duplices sunt, vulgares & Philosophicæ, Vulgares igne vel aquâ absolvuntur, operationes ignis quatuor sunt, digestio, sublimatio, calcinatio, & fusio, ad has referri possunt omnes reliquæ, nam digestione peragitur solutio, putrefactio, & evaporatio; sublimatio comprehendit destillationem, rectificationem, separationem, ac cohobationem; Calcinatio complectitur, cæmentationem, reverberationem, vitrificationem; Fusione liquefactio & probæ metallorum peraguntur. Restat ut singulas operationes paucis explicemus.

Digestio est, cum materia lento igni, primo nempe caloris gradui, exponitur, inservit materiæ ut quatuor qualitates in eâ alterentur & temperentur. Per hunc gradum, si continuetur, causatur Putrefactio & materiæ solutio, quia per lentum & continuum calorem, calefacta humiditas, in terrestrem partem agere eamque destruere incipit, unde solutio oritur, quæ vera est si putrefactionem sequatur, sin verò præcedat, corporis destructio est, fortiorem etiam requirit ignem. Ad hunc laborem requiruntur phiolæ, aut cucurbitæ sigillo occlusæ, labor hic in fimo equino, aut balneo ut plurimum peragitur.

Sublimatio est, cum putrefacto & soluto corpore partes volatiles Mercuriales, per secundum gradum caloris excitantur, unde calore elevantur, atque vel in Crystallinum sal volatile cogelatum, vel in subtilissimos resolubiles flores, aut limpidissimam aquam resolvuntur, sublimatio corporis solutionem præcedens id destruit, majorem etiam ignem requirit, per gradum debitæ sublimationis destillatio, rectificatio, separatio & cohobatio quoque peragi potest.

Destillatio est species sublimationis, nam partes volatiles Mercuriales, per putræfactionem aut fermentationem solutæ, à fixis mediante & urgente calore, se sublimant, dum rarefiunt alembicum petunt, in quo aut condensatione congelantur in formam salis, aut destillant per alembicum instar aquæ.

Rectificatio est, cùm superflua humiditas, quæ phlegma vocatur, lento calore, à spiritu (si is gravior existat) vel spiritus à phlegmate (si id spiritu gravius sit) separatur, præcedente destillationis modo.

Cohobatio eadem est cum imbibitione, nam si fixæ parti, destillata & sublimata Mercurialis volatilis pars, conjungatur, & denuò inde destillatione separetur, isque labor sæpius repetatur, tunc fixæ partes tali labore, cum volatilibus quoque fiunt volatiles, tandem volatiles induunt naturam fixarum, huic labori inserviunt cucurbitæ, alembici, sublimatoria, & circulatoria vasa, operatio verò ut plurimum peragitur in cineribus;

Calcinatio tertium gradum ignis requirit, utimur eâ ad separationem partium volatilium vi ignis, differt à præcedentibus, quod corpus in cineres comburatur, ex quibus sal corporum præparari potest, calcinatio ideo vocatur, quod corpora in calcem redigat;

Cæmentatio est cùm corpus quoddam, aut in pulverem aut in laminas redigitur, & cum aliis speciebus ita miscetur, ut in pyxide laminæ cum speciebus alternatim locentur, quod stratum super stratum vocant, tandem pyxis igni aperto circulari carbonum imponatur, atque gradatim, de horâ ad horam, ignis augeatur, qua in operatione, laminæ spiritibus admixtarum specierum penetrantur ac alterantur;

Ignis reverberii fit, si materia flammæ sic exponatur, ut ab eâ penetretur ac ubique circumdetur, sic tamen ne fluat, taliter enim materia impediretur, ne ignis ejus poros penetrare possit, utimur hoc igne ad purificationem & fixationem corporum, quæ plerumque purificantur & in rubeum reducuntur pulverem, ex quo tincturam sulphuris fixi præparant, ac sal elixant.

Fusio est, cum corpus metallicum fluit, ignis vehementiâ liquefactum, absolvitur quarto gradu ignis, quo & metalla purificantur, probantur & vitrificantur.

His in operationibus recensitis, ut ordò servetur necesse est, nam oleum & operam quis perdet, qui solvenda coagulat, vel coagulanda solveret, proinde Methodum Naturæ & artis sequi & utile & necessarium est, ut nempe discamus, quomodo operationes prædictæ rebus applicandæ sint, seu quâ ratione corporum artificiali tractationi inserviant, ita ex animalibus & vegetabilibus præparantur essentiæ, tincturæ, Magisteria, pulveres, calces, salia, spiritus, olea, phlegmata; ex metallis & mineralibus præparantur, tincturæ, essentiæ, salia, Sulphura, mercurii, flores, calces, croci, vitriola, pulveres, amausa.

Ex animalibus & vegetabibus, essentiæ, tincturæ, & Magisteria

& Magiſteria fiunt, quando aquis extrahentibus ut ſpir. vini, juniperi, therebinthinæ, extrahenda ſuperfunduntur, quæ per digeſtionem, ſolutionem, & extractionem, ſaporem, colorem & odorem ex corpore extrahunt, quod extractum deinde per lentam abſtractionem ſolventis inſpiſſatur.

In pulveres rediguntur, exiccata teruntur, pulveriſantur & cribrantur.

Calces fiunt & ſalia, ſi corpora combuſtione in cineres rediguntur, unde aqua affusâ lixivium paratur, quod colatum ad tertias evaporatur, frigori expoſitum in ſalis conſiſtentiam concreſcet.

Spiritus, olea, & phlegmata præparantur, quando corpora prævia fermentatione deſtillantur, quod in vaſe recipiente reperitur, ſpiritus oleum & phlegma eſt, ſeparantur ab invicem rectificatione & inclinatione per ſeparatorium. Phlegma eſt pars aquoſa corporis; ſpiritus verò & oleum eſt ejus pars optima & ignea. Sal cenſetur fixæ diſpoſitionis.

Ex metallis & mineralibus Tincturæ & eſſentiæ ſic dictæ, fiunt per extractionem & ſolutionem ſympathicam de quâ ſuperiùs.

Olea ex metallis fiunt, ſi cum ſpiritibus ſalinoſis eorum calces digerantur;

In Spiritus rediguntur, partim per ſe, partim verò ſi in vitriola rediguntur, vel ſi calcinantur, aut cum Mercurio mortificantur.

Salia ex metallis fiunt vel per Mercurium vel per calcinationem;

Sulphura metallorum acquiruntur per ſolutionem & extractionem variorum ſolventium, ac Lixiviorum.

Mercurii ex metallis, fiunt per additionem ſalium reſuſcitavorum, per putrefactionem, ſublimationem & revivificationem.

In flores rediguntur, ſi ſublimantur, ut Antimonium, Sulphur & ſimilia.

Metalla in calces & crocos præparantur, per aquas corroſivas, aut per calcinationem;

Vitriola ex Metallis fiunt, ſi raſuræ eorum cum Sulphuris floribus miſcentur, calcinantur, elixantur, ac tandem in ſalem inſpiſſantur.

Pulveres impalpabiles fiunt, ſi foliata metalla manibus terantur, & cribrentur. Vitra, amauſa & Philiſtææ fiunt calcinatione, vitrificatione, additis ſilicibus ſale Tartari, aut nitro.

Hæ & plures aliæ ſunt ſpecies vulgarium operationum & præparationum corporum, unde ea taliter tractata, varia ſortiuntur nomina, nempe juxta qualitatem præparationis.

Notandum autem eſt, omnes has operationes vulgares, etiam Philoſophicè in actu ſc. ad generationem & pluſquam perfectionem metallorum, diverſo tamen ſenſu, accipi, ſic communis ſublimatio Philoſophicè ſumpta, eſt ſpiritus è corpore liberatio, mediante ſolutione Philoſophicâ; Deſtillatio & imbibitio ac cohobatio, eſt ejuſdem ſpiritus deſcenſus in corpus, id abluens, atque animans, unde hæc Phraſis in Roſario reperitur ſequentibus.

Nuhn fällt der Thau vom Himmel herab /
Vnd wäſcht den todten Leib im Grab ab.

Hic labor quoque rectificatio vocatur.

Inceratio eſt, quando Mercurius Philoſophorum cum Sulphure eorum tanquam cum cera ac vero glutine Philoſophorum conjungitur, Reverberatio Philoſophorum eſt actio ignis interni in humidum ſuum.

Calcinatio Philoſophorum eſt, quando corpus putrefactione ac ſolutione radicali, abſque igne in calcem redigitur, unde Philoſophorum calcinatio per humidum ignem, nempe Mercurium eorum, Vulgaris verò per ignem ſiccum & corrumpentem fit: ad ſimiles phraſes reliquæ operationes referri poſſunt, de quibus alio loco plura.

§. 5. *De Scriptis Chimicis.*

Scripta Chimicorum duplicia ſunt, Sophiſtica & Philoſophica.

Sophiſtica falſa ſunt, cognoſcuntur quod modum metalla tranſmutandi empiricè abſque ulla ratione publicè ponant, quod contra methodum Philoſophorum eſt, cum illi potiùs de rerum cauſis quam earum effectu ſcribant; Autores ergo talium ſcriptorum, quibus varii proceſſus continentur, pro falſariis ſunt habendi, utpote qui ejuſmodi ſcriptis omnium oculos in ſe convertant, atque amantes alliciant, ut magno pretio explicationem talium proceſſuum à ſe emant, unde ſi proceſſus clari ſunt, illos mentitos eſſe ſciendum eſt, quis enim ſanæ mentis homo artem aurum conficiendi publicè & gratis doceret. Sin verò ejuſmodi proceſſus, aliquâ obſcuritate ſint impliciti, eorum autorum pro explicatione aurum venenari, Lector ſuboleat. Diſtinguendum tamen eſt inter veros Philoſophos & prædictos Sophiſtas, Maximi enim Philoſophi nonnunquam proceſſus poſuerunt, vel pro manipulatione addiſcenda vel pro plebe confundendâ, prout ipſi proteſtati ſunt, ſe nullibi minùs veritatem ſcripſiſſe, quam ubi apertiſſime ſcripſerint. Varios tamen proceſſus, licet ratione finis falſi ſint, attamen, ſi bonas manipulationes contineant, non reprobo, cùm ſingula collecta juvant, taceo quod ex talibus multa praxis, non tamen ſine ſumptibus, addiſci poſſit.

Ex Philoſophicis ſcriptis ea optima ſunt, quæ rerum generationis, corruptionis, ſolutionis & coagulationis præcepta & fundamenta tradunt, hoc nomine mihi præ cæteris placuerunt, Raymundus Lullius, Alanus, Comes Bernhardus, Artephius, Baſilius Valentin, præſertim ejus Theoria ſupra duodecim claves, Richardus, Ripleus, Sendivogius, & alii; Copiam Chimicorum authorum ſuppeditat Theatrum Chimicum & Bibliothecâ Chimica Albinei, utroque opere ſelectiores continentur Chimici, quamvis non omnes pro veris Philoſophis habendi ſint, quorum ſcripta illic continentur, attamen ex oppoſitis contradictoriis veritas eò magis eluceſcit,

Invenies ſpinas, deſine, tolle roſas.

Scripta Chimicorum dividuntur vel in Hieroglyphica, vel in characteres, vel in ligatam, vel in proſam ſcriptionem, Authores Chimicos variarum nationum citat Michaël Meyer in ſuâ menſâ aureâ, quod Scriptum multa antiquitate plenum omnibus Chimiæ ſtudioſis commendo.

§. 6. *De Methodo Chimiæ ſtudendi.*

Methodus Chimiæ ſtudendi tria requirit, Præliminaria, Lectionem & Praxin.

Præliminaria ſunt, ut ſtudioſus Chimiæ animum Deo devotum habeat, atque naturales ſcientias, per naturalia quærat media.

Omnem Cabalam, Magiam præternaturalem exulare procul jubeat. Phyſicæ præſertim ſpagyricæ, quam

quam in prodromo hoc opusculo tracto, apprimè gnarus sit. Terminos artis intelligat. Naturalia sequatur principia, manipulationes addiscat, ut tam ad Theoriam, quam ad Praxin sibi aditus pateat.

Lectionem quod attinet, eos evolvat autores, qui de rerum principiis scripserunt, quare ex ipsis fontibus scientiam bibat, Authorum certum habeat delectum, neque vagus in lectione sit, Concordantias Philosophorum notet, ubi enim concordant, ibi unanimiter consentiunt, contradictoria diverso respectu conciliet, Philosophi enim nunquam sibi contradixerunt, ut quando ajunt aurum vulgi non est nostrum, ibi distingue, aurum prout extra actum generationis est, sterile & mortuum, ergò non Philosophicum est, verùm per aquam vitæ, nempe humidum metallorum radicale, regeneratum & vivum fit &c. de Characteribus, Terminis, & figuris hieroglyphicis sub initium hujus tituli mentio facta est.

Ratione praxis necesse est, ut scias cui Philosophiæ Hermeticæ parti te primum accingas. Philosophia enim Hermetica tres continet partes, Spagyricam, Chimiam & Alchymiam. Spagyrica docet corpora separare atque dividere, ut apta fiant, ad tractionem reliquorum duorum modorum, unde Spagyrica ancilla Chimiæ & Alchymiæ est, hanc ergò ut ante omnia juxta fundamenta aggrediaris necessum est. Chimia docet succum atque optimam rerum substantiam elicere, purgare, perficere, tam ad usum Medicinæ, quam ad generationem rerum, unde Chimica non tantùm tractat metalla, sed etiam vegetabilia & Animalia. Alchymia circa solum aurum atque præparandum magnum Elixir versatur, ad eam in genere tractatio metallorum refertur.

Medicinæ studiosis omnibusque Naturæ cultoribus, Naturaliumque secretorum scrutatoribus, Spagyricam & Chimiam maximopere commendo, cum sine istis quasi muti sint, & tantum in solis nugentur terminis.

Alchymiam autem non item, nam cum scientia profunda sit, singularemque Dei requirat gratiam, cujus interdum nos indignos reddimus taceo quod per abusum ars hæc multis noceret, nollem ut quis anxiè aut sumptuose nimis in eâ sudaret, nisi optimis fundamentis imbutus, aut singulari fato ad artis notitiam pervenerit. Hoc non eò dico, ut quis putet, me artis certitudinem dubiam facere, tot enim ejus exstant præclara argumenta, ut prorsus cæcum aut insipidum esse oporteat, qui ejus veritatem negat, taceo reliquorum seculorum historias, quorum nullum non est, quod non argumentis veritatem hujus artis concernentibus plenum sit, placuit unam ex multis hujus nostri sæculi demonstrationem Pragæ in præsentia P. D. Imperatoris Ferdinandi Tertii, exhibitam ærique incisam huc apponere; lustro ab hinc, eadem persona quæ Pragæ etiam heic Moguntiæ in præsentiâ Eminentissimi Principis Electoris, aliorumque Magnatum, in sat magna quantitate præstitit, cujus aurum eciamnum reservatum, & hujus loci monetæ præfectus, qui ex tali auro ducatos excudit, testis esse potest. Veritatis ergo studium hoc nulli dissuadeo, sed sumptuum & non ratione artis, sed artificis ergò non singulis id consulo, cùm heic verum sit, non cuivis contingit adire Corinthum. Si quis tamen hoc in studio aleam fortunæ experiri velit, is ordinem studii servet, non nisi optimè perlustratâ Spagyricâ & Chimicâ, id aggrediatur, Alchymia enim absque cognitione spagyricæ frugaliter tractari nequit, quare implicat bonum Alchymistam esse malum Spagyricum & Chimicum, non autem implicat bonum Spagyricum & Chimicum non esse bonum Alchymistam, in quem tamen si vult, paucis specialioribus additis brevi evadere potest.

§. 7. *De Methodo Chimicè Philosophandi.*

Sub studio Chimico vulgares ut plurimum complectuntur Spagyricam & Alchymiam quamvis impropriè, cùm licet studia sint affinia, tamen nonnihil differant, ut in præcedentibus dictum est.

Methodus autem Philosophandi etsi has tres scientias plerumque commisceat, tamen ad suas partes resolvi debet, juxta quas triplex est.

Prima Methodus est scientias hasce tractandi per principia, unde corpora constant, nempe per Materiam & formam, per Mercurium, Sulphur & Sal, per Spiritum, Animam & Corpus.

Altera per Elementorum combinationem & alterationem res explicat.

Tertia per ænigmata, fabulas, & figuras Hieroglyphicas doctrinam exponit.

Unde attendendum est, quando propriè vel impropriè philosophati sunt; Hoc hic notandum venit, ne quis circa Operationes Chimicorum proprios & quidem tales fingat conceptus, qui nec scriptis philosophicis nec praxi consentiunt, nam quod D. Hieronymus de Sacrâ Scriptura ajebat, eam nimirum Margaritæ persimilem esse, quæ ex omni parte perforari possit, id de Scriptis philosophicis Hermeticis optimo jure dici potest, cùm ad quamvis opinionem & conceptum trahi possunt. Verùm qui Harmoniam Philosophicorum dictorum, præsertim consentientem praxin, tanquam eorum cynosuram dextrè combinabit, is & eruditè & experientificè philosophabitur, veramque philosophandi Methodum tùm addiscet, quando alios Philosophos veros intelliget, tùm inquam, quam dulcedinem Hermetica Philosophandi Methodus pariat, non sine gaudio & verâ conremplatione sentiet, neque explicanda differentia inter Aristotelicam & Hermeticam Philosophiam, præsertim Physicam, opus habebit.

Corollaria.

I.

An Spagyrica sit necessaria scitu?

℞. Affirmando. Nam cum nullum medicamentum dextrè præparari possit, absque partium impurarum separatione, quæ separatio deltillationibus, multisque aliis modis peragitur, necessaria valde est Spagyrica, sine quâ interiora rerum prorsus ignorantur, sine quâ verbis non re philosopharemur, denique sine quâ cognitio boni & mali, puri nempe & impuri, nos fugeret, magno nostri, ægrorum, omniumque naturalium secretorum scrutatorum damno.

II.

An Spagyrica singulari instructione & tractatione, reliquarum disciplinarum & artium instar, opus habeat?

Respondeo Affirmando. Aristoteles enim in Physicis hujus separationis, alterationis & perfectionis rerum ne verbulo mentionem facit. Galenici ut Galenici, quo nomine Pharmacopœos quoque

comprehendo, multis ſeculis communem etiam deſtillationem ignorarunt, taceo Magiſteriorum, oleorumque ſtillatitiorum & ſalium præparationem, ſolis enim ſimplicibus, & paucis compoſitis mixturis curavetunt ægros, quicquid verò præparationum habent, à Chimicis præcipuè mutuati ſunt, quare concludo, utile & neceſſarium eſſe, ut ſcientia ſeparandi purum ab impuro, idque perficiendi, ac tractandi, ſingulari doceatur Methodo ac libro, & hoc eſt, quod hactenus hoc opuſculo incipere conati ſumus, ſi Deus vitam largiatur, ea quæ heic in genere dicta ſunt in ſpecie aliquando, prolixo ſupra hæc commentario nempe Inſtitutionum Spagyricarum volumine explicabimus, ſicut & de facto, in Alma hâc Univerſitate Moguntinâ, prædicta in Collegio noſtro ſpagyrico (ad quod Lectorem Philo-chimicum humaniter invitamus) ſecundùm rationem & experientiam tàm in Auditorio quam in Laboratorio, elucidare & explicare non ceſſamus.

FINIS.

LIBRI I. SECTIO IV.

De Artis Alchymicæ Difficultatibus, deque ratione impoſturarum devitandarum.

SUBSECTIO PRIMA.

De ALCHIMIÆ DIFFICULTATIBUS Liber, *In quo docetur, quid ſcire, quidque vitare debeat veræ Chemiæ ſtudioſus ad perfectionem aſpirans.* Authore THEOB. DE HOGHELANDE *Mittelburgenſi.*

PROOEMIUM.

NATURALIS Philoſophiæ partem nobiliſſimam eſſe, qua metallorum tractantur principia, cauſſæ, proprietates, paſſiones, & tranſmutationes, nemo niſi injuria, in dubium revocabit. Addidi tranſmutationes, ut non videar de illa parte Phyſices pervulgata loqui tantum, quæ de metallorum materia & forma, generationis loco, ductibilitate, colore, ſapore, odore & ſimilibus determinat, ſed de ea potiſſimum, quæ metallum unum in aliud convertere docet. Hoc autem poſſibile eſſe demonſtratione non indiget, cum experientia fidem faciat, oculati teſtes ubique ferè terrarum confirment, & graviſſimi auctores aſſeverent. Ferrum enim aquis ſponte è terra ſcaturientibus, & facili etiam artificio in æs tranſit, & hydrargyrum cum Sulphure excoctum in argentum mutatur, quanquam abſque lucro, niſi major artificis ſolertia accedat. Superſunt in Gallia, Anglia, Germania, Bohemia, & Belgio, qui ſuis manibus pulvere quodam minimæ quantitatis, quem tamen ab aliis præparatum accepiſſent, in argentum vivum igne excalefactum conjecto, argentum inde vel aurum omni examini ſubjiciendum retulere. Narrat Cardanus coram Principe & ampliſſ. Senatu Urbis Venetæ argentum vivum in aurum converſum fuiſſe à Pharmacopola Tarviſino. Corn. Agrippa dicit ſpiritu auri, aut potius ejuſdem forma aut parte puriore imperfecta metalla & argentum vivum in aurum verti poſſe, ſeque id vidiſſe & noviſſe. Teſtatur Andreas I. C. ſuo tempore fuiſſe in Curia Romana Arnaldum de Villa-nova, & feciſſe virgas quaſdam aureas, quas permiſit ſubmitti omni probationi. Sed quid mirum, ſi metalla inter ſe permutari poſſe, quiſquam credat, quæ materia & eſſentia eadem, ſolummodo ex accidenti, generationis videlicet loco, & decoctione majori vel minori diſtinguuntur, cum idem in arboribus, frugibus & plantis evenire videamus? & certum ſit terras, ligna, virgulta, conchylia, animalium pelles & oſſa in ſaxa & lapides converti aquarum naturalium & ſponte perfluentium vi, & lapidificandi virtute. At quid lapide & lignis aut animalium coriis oſſibuſque diverſius, cum toto genere & ſubſtantia diſcrepent. De terra notius eſt quam ut probare neceſſe ſit: Adferam ſolum quædam relatu digniſſima ex Alberto Magno, qui narrat ſuo tempore in mari Danico juxta civitatem Lubecenſem inventum fuiſſe ramum magnum arboris, & in eo nidum cum pullis avium, qui una cum arboris ramo & nido in lapidem verſi fuerant. Et Fredericum Imperatorem cum audiſſet fontem eſſe cui omnia immerſa in lapidem verterentur, miſiſſe illuc explorandæ veritatis gratia chyrothecam ſigillatam, cujus medietas quum aliquot diebus in fonte merſa fuiſſet cum parte ſigilli, reliqua in parte nihil mutata, medietatem aquis immerſam in lapidem verſam fuiſſe. Sed tranſmutationem metallorum quidem fortaſsè admittent, teſtimonio & conſenſu clariſſimorum virorum convicti; ſed eandem cum lucro fieri, & augmentatione in infinitum negabunt. Iis ego hoc modo occurrendum puto: Si in judiciis ubi de cenſu & capite, aut fama ſive exiſtimatione reorum agitur, duobus aut tribus teſtibus tam lege divina quàm jure civili credendum ſit, id multò magis in arte Chemica uſu venire æquum erit, quæ rationibus, ſimilitudinibus, exemplis ac teſtibus non tribus aut quatuor, ſed propemodum innumeris vera eſſe convincitur. Habemus enim doctiſſimorum & integerrimorum

ntegerrimorum Virorum scripta. D. Thomæ Aquin. Hermetis Trismegisti, Raymundi Lullii, Jo. de Rupescissa, Marsilii Ficini, Arnaldi de Villanova, quem I. C. Jo. Andreas vocat Theologum, summum Medicum & Alhemistam, Rhasis præterea, & Avicennæ, & aliorum multorum, qui omni exceptione majores artem verissimam estantur, & naturæ genetricis suæ æmulam. Cur viris tam præclaris fidem detrahendam, & sciolis quibusdam otius credendum judicabimus, qui perverso judicio artem cavillantur vanam esse & adulteram, nec alia de causa ænigmaticè & obscurè traditam, nisi ut exercerentur ociosorum hominum ingenia. Absit ut existimemus antiquos illos venerandæ auctoritatis philosophos consulto aliquid falsitatis memoriæ commendare voluisse, qui summam veritati inquirendæ semper navarunt, famamque in posteros non ex nugis & inanibus, sed arduis & sublimibus, & vero stabilique fundamento innixis quæsiverunt. Huc accedit etiam diversarum gentium consensus: nec enim Latinorum solum, sed & Græcorum, Ægyptiorum, Arabum, Chaldæorum, Gallorum, Germanorum, Hispanorum & Anglorum, de metallorum metamorphosi monumenta, quotidiè curiosorum hominum manibus teruntur: qui omnes uno quasi ore (quanquam linguis dissonis) clamant, Artem esse verissimam, nihilque, post Legem divinam, in qua est salus animæ, à summo Deo in hoc mundo, homini collatum fuisse magnificentius aut sublimius: & propterea summo studio investigandam, vigilique labore quærendam prædicant. Forte in hoc fallantur qui artem negant, quod cum infiniti Chemicis vacent, neminem videant qui se scientiam adeptum esse glorietur: sed sapientibus & causas eventuum perscrutantibus nihil admiratione dignum contingit. Quotusquisque enim in debita materia operatur? unus vix è millibus. Quid igitur mirum si debito frustrentur fine? Quare non infelsè Avicennas: (Libr. de anima.) Qui accipit quod debet, & miscet, & operatur sicut debet, procedit inde quod debet procedere. Et plerique indocti planè sunt & ἄμουσοι, qui ne communem quidem latinum sermonem intelligunt, quantò minus metaphoras & sapientum analogias? Alii quamvis docti sint & ingenio perspicaci, tamen libros non habent, aut quia expendere & illorum pretia solvere non velint ob avaritiam, aut non possint ob paupertatem, aut quod exemplaria invenire nequeant iis in locis quibus commorantur, & à peregrinatione abhorreant. Illi verò qui libros & artem per Dei gratiam consecuti sunt, meminerunt dicti Salomonis: (Prover. 10.) Sapiens abscondit scientiam, os autem stulti confusioni proximum est: neque enim desunt causæ quare scientes sese non manifestent. Sed si neganda sunt, quæ rarissimè aut nunquam videre contigit, Historiæ omnis tam sacræ quàm profanæ fides imminuetur. Quis enim pluviam de cœlo sulphuream & igneam cum Sodomæ & Gomorrhæ excidio, quis robur Sampsonis & alia quam plurima credat, quorum exempla similia nusquam nisi inter fabulas narrantur? Quis P. Corn. Taciti annales (Lib. 13. in fine.) percurrens non in risum prorumpat, cum legit incendium Coloniæ Jubonum non aqua, sed fustibus & detractis corpore tegminibus fuisse restinctum? Nonne fabulam narrare videtur? & tamen nos id tum accidere potuisse credimus, & etiamnum hodie sæpius evenire in Leodiensi agro certo scimus, dum fossores sub terra carbones bituminosos, saxis similes colore nigro ad focum & ferrariorum fabrorum usum exscindunt. Quis non mera mendacia proferri credat à Georg. Agricola, (De ortu & causis subterraneorum lib. 2. & lib. 4. de nat. eorum quæ sponte effluunt à terra.) cum dicit in Hecla Islandiæ monte, ignem esse qui aquam consumat, stupam verò non comburat? At causarum naturalium inquisitores sciunt bitumen unde ignis ille excitatur, siccis extingui, aquis ali. Frustra sanè Philosophi quam plurima de naturæ miraculis, frustra Medici de morbis rarissimè aut nisi certis locis contingentibus, & eorundem curationibus scripsere, si cuiscunque qui nihil eorum vidit nec novit calumnia locum habeat. Quin tales non absurdè à M. Petro Bono Ferrariensi, pueris conferuntur à principio nativitatis in domo quadam inclusis, qui non putant mundi latitudinem extendi ultra domum in qua concluси sunt, vel ultra quam oculis suis possint conspicere. Quare non potius cum D. Augustino (super Genesin, & in Lib. de Civitat. Dei cap. 31.) fatentur, rebus corporeis inesse quasdam occultas seminarias rationes, quæ cum data iis fuerit opportunitas, prorumpant in causas debitas & species, suis modis & finibus. Cur non credunt D. Thomæ dicenti, (In 2. 2. q. 77. art. 2.) nihil prohibere artem uti naturalibus causis ad producendum naturales & veros effectus. Quamobrem pedibus in sententiam Marsilii Ficini (Cap. 4. lib. de Alchemia, & lib. de vita cælitus comp. c. 3.) non eunt, qui viventia omnia tam plantas quàm animalia spiritu quodam suo se multiplicare affirmat: spiritum autem in metallis crassiori cohiberi materia, qui si aliquando ritè secernatur, secretusque in sua sede connaturali conservetur præter omne falsum possit sibi simile generare. Qui tantorum virorum & tot gentium consensui non cedit, rationibus imò ne ipsa quidem experientia victum se fatebitur, sed potius Diabolo & futilium Magorum nugamentis, quàm Deo, & Naturæ potestati transmutationis effectum adscribet. Interrogavi aliquando virum nobilem & non illiteratum cum familiari sermone illæ artem Chemicam ut vanam rideret, num possibilem crediturus esset, si coram ipso quispiam artis experimentum daret? Negabat. At quid agas cum hujuscemodi hominibus præposteris, qui tantum vulgaria admirantur, nec admittunt nisi a quæ suo palato maximè sapiunt; quibus Naturæ majestas ludibrio est, rerum proprietates explorare, aut metallorum occultas operationes deprehendere tanquam deliramenta quædam risu excipiuntur. Sed à quibus arti possimum contradicitur? Ab iis nempè qui nihil unquam in ea olfecerint, aut nunquam libros chemicos nisi raptim perlegerint, eo planè modo quo canes è Nilo aquam lambunt & fugiunt, qui cum non intelligunt intima naturæ penetralia, scrutantes Philosophos, ingenii tarditate, aut eorum quæ legunt neglectu culpam Philosophis & arti imponunt. At quid iniquius quam ut oderint homines quod ignorant? quid magis temerarium, quàm ut judicium ferat qui imperitus? Ut dudum non frustra exclamaverit Comicus.

Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui nisi quod ipse fecit nil rectum putat.

His accedit aliud hominum genus, eorum videlicet, qui aureo uno aut altero summas divitias subitò consequi volent, qui cum semel ab aliquo elusi fuerunt, artem potius quam impostorem damnant, canum in eo naturam imitati, qui cum judicio careant, in lapidem quo percussi sunt, sæviunt, eo qui illum jecit omisso. Calumniandi verò causam si quis penitus introspiciat in cæteris, non satis demirari poterit multorum arrogantiam & tyrannidem, qui eo solum nomine artem vanam esse, & non nisi mera figmenta à Chemicis auctoribus tradi arbitratur, quod ipsi tantorum mysteriorem, quæ non nisi paucissimis, & statutis à Deo temporibus revelantur, capaces non sint, cum alioqui obscurissima quæque ingenii sui acumine penetrare se posse confidant: quasi eisdem omnia dedisset Deus, & nihil insuper sit in rerum natura, quod eos lateat, aut nihil sciri possit, præter ea quæ ipsi norint. Sunt & qui vana ejusdam gloriolæ cupiditate inducti artem vituperant, & apertis contumeliis lacerant, ut aliis paulò plus

ſapere, & non cum multis inſanire videantur; eo enim morbi genere Naturæ arcana perquirentes laborare ſtultè & ſtolidè nimium affirmant, ſperantes placita ſua experientia redargui non poſſe. Sed falluntur plurimum ſua opinione, cum multi è plebe paſſim ſciant illos delirare, qui naturæ & artis teſtes fuere, rejectis, & poſt habitis iis qui ſcientiam hanc vili pendunt, tanquam indignis: cum enim Naturæ & artis vires aſpernentur, & ipſi merito ab artis Naturæque operibus excluduntur, & contrarium planè quam ſperabant illis evenit, dum pro ſapientibus & doctis, ſtulti & inſipientes, qui artem rident, ab hujus ſcientiæ doctoribus appellentur; affirmante etiam ipſo Avicenna, (Lib. de Anima. c. 2.) *neminem magiſterium lapidis unquam negaſſe, qui eſſet ſapiens. Saltem ſileant, & quæ ipſi ignorant, non condemnent, & cum eodem Avicenna meditentur, hæc ars ſi ſit, quomodo ſit; & ſi non ſit, quomodo non ſit; aut tempus expectent, quo Deus ad Turcarum tyrannidem coercendam, aut aliam ob cauſam aliquem fortaſſe excitet aliquando, qui artem veriſſimam eſſe palam comprobabit, quamvis etiam abſque ea potens ſit Deus nominis ſui hoſtes profligare, & evertere. Aut ſi tacere nolint, Philoſophico diſputandi more & ſine maledictis agant, & primum rationes Petri Boni Ferrarienſis* (In pretioſa Margarita novella.) *& aliorum convellant. Quanquam ars iſta neque rationibus ſatis probari, neque etiam diſputationibus labefactari poſſit. Ideò Raymundus Lullius* (In teſtamento,) *qui exquiſitiſſimè alioquin omnium, quæ in arte fiunt, rationem reddidit, non curavit ipſius veritatem verbis aut argumentis aſſerere, ſed tantum ait, Id quod experimento oculari videtur, probatione non indigere. Et Beatus Thomas de Aq. ad fratrem Rainaldum: Non cures, inquit, de verbis Philoſophorum modernorum & antiquorum de hac ſcientia diſſerentium, cum in capacitate intellectus & in demonſtratione experimentali Alchemia ſedem ſibi conſtituerit. Imò neque expedit ſcire artem hanc eſſe veram & omnino certam, ut illud Plotini* (Lib. 1. c. 1.) *de dubiis Animæ diſſerentis, hic maximè locum habeat, qui dicit: operæ pretium eſſe conſideraverare, utrum omnes de anima dubitationes ſolvendæ ſint, an potius in dubitationibus ipſis lucrum ſit collocandum. Nemini itaque mirum eſſe debet, ſi D. Thomas, Lullius, & alii doctrina & ingenio præſtantes, neglexerunt artem verbis tueri, cum hominum dubitatio lucro potius quam damno illis & poſteris omnibus ceſſerit. Ea enim ratione legitime operantium ſecuritati Deus proſpicit: & eos ex inimicis ſuis utilitatem non mediocrem capere docet. Nec putandum eſt, quod verba ipſis aut rationes defuerint, ſed fortè non potuerunt niſi publicatis Naturæ arcanis, quæ ſi vulgarentur non tam certum eſſet ullum mathematicum axioma, quam hujus ſcientiæ demonſtratio. Neque enim argumenta ferè omnia quæ contra artem adducuntur aliunde proceduntur, quam ex ignorantia eorum, quæ in arte fiunt. Sic de formis ſubſtantialibus, de miſcibilium proportione, de vaſe Naturæ & artis, multi loquuntur, & de ignotis diſputantes, ignota concludunt. Quare omiſſis illis ad propoſitionis meæ ſcopum progredior.*

Philoſophorum hujus artis intentio eſt, virtutem quandam mineralem è puriſſimo auri argentique ſemine artificialiter, naturæ tamen beneficio & juvamine, in forma ſubtiliſſimi pulveris albi vel rubei producere, qui propagari poſſit in infinitum, & poteſtatem habeat argentum vivum, & reliqua metalla vilia & impura in momento penetrandi, & ab omnibus impuritatibus mundandi, nec non ad perfectiorem ſtatum auri videlicet & argenti perducendi: & corpus humanum infirmum reſtituendi, & ad verum temperamentum revocandi, aut ſanum ad terminum à Deo præfixum in ſanitate conſervandi. Hunc pulverem tali tantaque virtute præditum Elixir Arabes, Medicinam, & Lapidem ſuum Latini nominant Philoſophi. Juniores tamen monitos velim Lapidis nomen late patere, & diverſimode uſurpari. Quandoque enim materia artis rudis, quam Natura nobis ſubminiſtravit, Lapis dicitur. Unde Arnaldus ad Lilium. (Cap. 10. roſarii part. 1.) *Quamvis Lapis noſter tincturam in ſe naturaliter contineat, quoniam in corpore terræ perfecte creatus eſt, per ſe tamen motum non habet, ut fiat Elixir perfectum, niſi moveatur arte & operatione. Item Alphidius,* (In clavi Philoſophorum.) *Ex lapide procedit argentum vivum, nam aqua ex eo extrahitur, quæ argentum vivum nominatur. Principia item Elixir conſtituentia lapides vocantur, quæ ſunt tria numero, videlicet Argentum vivum, Sulphur & Tinctura, ſive, Corpus, Spiritus & Anima, vel, Terra, Aqua & Ignis, & ex prioribus duobus reſultans quartum, quod eſt Aër. His enim nominibus illa donarunt hujus artis Sapientes. De argento vivo intelligendum eſt illud Avicennæ:* (In tract. impreſſo.) *Tertius gradus operis eſt reductio lapidis in terram naturalem. Quod exponens Arnaldus.* (Cap. 14. roſ. part. 2.) *Tertium regimen eſt, inquit, reducere aquam humidam ſupra terram ſiccam. De ſulphure, hoc Arnaldi:* (Cap. 6. roſ. part. 2.) *Ignis comminuit groſſitudinem lapidis per calcinationem. De Tinctura, id Marſilii Ficini:* (Cap. 10. Alch.) *Quem Philoſophi lapidem quærunt, eſt ſpiritus inviſibilis & impalpabilis, eſt tinctura, & ſpiritus tingens, quem alter ſpiritus viſibilis atque palpabilis penitiſſimis viſceribus abdidit. Lapis etiam dicitur materia Philoſophorum perfecte ab omnibus ſuperfluitatibus mundata, & à fæcibus terreſtribus in ſublime elata, tincturæ recipiendæ jam idonea. Avicenna* (In tractatulo Baſileæ impreſſo.) *Lapidem exaltatum oportet terere ſuper marmor. Lapis quoque dicitur prima operis totius pars, quæ circa elementorum diviſionem & eorundem depurationem verſatur. Unde Lullius:* (In Codicillo ſuo.) *Generatio tam Lapidis, quam Medicinæ fit & completur ratione ſimilitudinis & ſubtilitatis partium ad invicem. Denique ut unico verbo abſolvam, quocunque gradu Operis materia, & materiæ partes junctæ ſive disjunctæ, Lapis, & lapides dicuntur; imò ad alia, operi Philoſophico omnino extranea, lapidis appellatio etiam transfertur. Quæ in hunc locum conferre placuit, quia erunt dicendorum fundamenta, ſine quorum cognitione vix ſequentia intelligi poſſint, cum & mihi indiſtinctè Lapidis voce ſæpius utendum ſit.*

Quare autem pulvis perfectus ſive Elixir, aut ejuſdem materia Lapis vocetur, has invenio potiſſimum rationes apud Philoſophos, quorum monumenta ad manus meas pervenerunt. Auctor viæ Univerſalis (Cap. 15.)

Philoſophi vocant Lapidem omne illud, à quo per artificium elementa poſſunt ſeparari; quia ſeparatione facta ex ipſis, per eorundem conjunctionem in hoc magiſterio ſuſcitatur quædam ſubſtantia ad modum lapidum, qui per adminiſtionem humidi cum ſicco generantur. Idem Cap. 12. *Compoſitum Philoſophorum vocatur lapis, ex eo, quod res ex quibus componitur, habent ſimilitudinem ad lapides, & ex eis creatur lapis benedictus. Et Arnald:* (In Epiſt ad Reg. Neapolit. cap. 4.) *Eſt lapis in ſimilitudine & tactu, non autem in natura, & vocatur lapis ſive compoſitum quoddam. Auctor Novi luminis: Materiam hanc voco lapidem, quia quandiu durat albedo, & etiam aſſumpta rubedine per longum tempus ſtat durus, & in maſſæ fortis ſpeciem reſilet, quouſque decoctionis continuatione per ſeipſam incipit dirui. Et in Turba Philoſ. Æs noſtrum cum primo coquitur fit aqua, deinde quanto magis coquitur, tanto magis ſpiſſatur, quouſque fiat lapis. Haly.* (Lib. ſecre. Alch. c. 10.) *Sunt lapides, & non ſunt lapides, ſed nominamus eos per ſimilitudinem quam habent ad eos. Michael Scotus* (In libr. de natura Solis & Lunæ.) *aliam tradit rationem, quia videlicet hominum vias labiles reddit.*

Et

Et Auctor Operis aurei. Eo quod vias ignarorum lubricas facit, ad offensam animæ, corporis, & rerum similitudine ducta ab eo, quod sicut impingens in lapidem laditur, ita qui inconsultè sese Chemicis immiscet, jacturam facit bonorum suorum, & corpus & animum affligit. Artem verò negantibus & impossibilem creantibus est lapis offensionis. Tertiam assignat Vincentius (in spec. nat.) *dicens: Alchemistæ docent facere rem, quæ corpora super quibus projicitur transmutat. Hæc vocatur Elixir, & dicitur lapis & non lapis. Lapis quia teritur, non lapis quia funditur & currit absque evaporatione. Quartam redait Latinus ex Rhasi si bene memini, quod Philosophis lapis vocetur omne id quod ab igne non evaporat. Quinta fortasse etiam dari posset propter calcem quam Philosophi in opere suo requirunt, eo quod calx plerumque ex lapide fiat. Unde in Allegoriis Sap.* (distinct. 8.) *Calx est lapis igni incommiscibilis, ideoque calx eorum est corpus spiritu mixtum. Aut quia metalla omnia in lapidibus fere generantur, & Elixir necessario ex metallis fieri debeat, si metalla convertenda sint. Aut propter Salem mineralem: unde quidam, sal metallorum est lapis philosophorum. Salem autem lapidem vocat Lullius* (cap. 17. prax. Testamenti) *quia nimirum assimilatur lapidi in sede sua existenti. Sed potest alia occultior subesse ratio, cur medicina hæc lapis vocetur, quam Philosophi celarint: quamvis prima plurimorum consensu verisimilior sit. Hunc itaque Philosophorum lapidem sive Elixir, aut pulverem spiritualem (non quod natura sua invisibilis sit & impalpabilis, sed quod tanquam spiritus corpora cum metallica tum humana vi sua spirituali celerrime pervadat ac penetret) quoniam omnis generis & cujuscunque conditionis homines, nobiles, ignobiles; docti, indocti; divites & pauperes tanquam metam aliquam sibi proponunt, & ad illam anhelantes festinant, nec laboribus aut impensis quantumvis magnis deterrentur, quominus id quod ardentibus votis concupiverunt, totis viribus prosequantur, putantes se tum demum summam in hac vita beatitudinem consequuturos, si expectatione sua frustrati non fuerint: operæpretium facturum me existimavi, si proposita rei quæsitæ difficultate, majorem laborantium partem conatus fuero à proposito revocare. Vesana quidem opinio multorum animos invasit, lapidem Philosophorum factu esse omnino facilem, levique opera parari, & fortuna, & casu quopiam contingere, modo inquirendi voluntas non desit, est enim, inquiunt, Donum Dei, is largitur cui vult, itaque & mihi, & mihi simili aque artis beneficium conferre potest atque aliis doctioribus. Unde quod pudet referre, rustici etiamnum & imperitæ mulierculæ, de arcano Philosophorum garriunt, & experimenta captant audentque sibi polliceri eam fortunam, quam ne doctissimi quidem viri & vigilantissimi possint sperare nisi ex sola Dei misericordia. Error hic maxime detestandus partim ex Philosophorum quorundam scriptis originem duxit, partim etiam ex meris male fertatorum hominum fabulis. Nam in turba Philosophorum dicitur opus mulierum, & ludus puerorum. Et Rosinus* (Libr. ad Eutychiam) *citans Democritum, opus nostrum leve est, inquit, modicoque eget subsidio. Auctor Tract. qui incipit: Omnis sapientia à Deo, Alberto Magno adscripti. Intendo scribere artem veram, levem & infallibilem. Et versus vulgaris.*

Hæc ars est cara, brevis, atque levis, quoque rara.

Et Comes Bernard. Treverensis, qui passim omnium manibus hodie teritur, & qui videri posset zelo quodam charitatis libellum suum de metallorum metamorphosi scripsisse, nisi constaret peritioribus ipsum diminute nimium scientiam tradidisse, artem ita facilem affirmat, ut si actu vel ipsa praxi ostenderetur, vix fidem inveniat. Cum Parisiis agerem adhuc juvenis memini me audivisse hortulanum quendam in unum acervum congestis herbis inutilibus, & sponte provenientibus ignem injecisse, ut illis in cinerem redactis lixivium pararet: sed cum forte tubus plumbeus ad aquas corrivandas eo in loco fuisset vetustate oblitus aut non animadversus, vi ignis plumbum defluxisse, & in aurum conversum fuisse, virtute non dubia herbæ cujusdam inter alias confusæ, quod postea ablatis cineribus invenerit, & eo divendito pretium retulerit. Profecto isti qui tam otiosè fabulantur si naturæ arcana aliqua ex parte degustassent, aut judicio usi fuissent, non ita facilè mendaciis & impostoris falsissimorum hominum credidissent. Cogitassent utique ex homine hominem, ex leone leonem, ex planta plantam generari, nec quærendum esse in natura quod in ea non est: quomodo enim planta tinget aut figet & ab adustione defendet, cum ipsamet neque tincturam neque fixionem in se contineat, & igne absumatur? Non defuerunt tamen neque hodie desunt, qui summum Philosophorum arcanum tam in animalibus quam in vegetalibus inquirant, & experiantur qualibet obvia, quæ vel in schedis, aut in libris male intellectis, aut impostorum fraude & avaritia compositis reperiunt, sperantes se fortuito inventuros quod Philosophi labore summo & studio continuo quærendum, & precibus à Deo impetrandum censent. Sic non sine immenso periculo Salamandras vivas in ollam diligentissime obstructam conjiciendas & urendas asserunt nonnulli, sperantque se aurum inde relaturos, unde potius mortem timere deberent, cum id feliciter aliis cessisse ex solo auditu credant, aut forte quia Philosophi lapidem suum qui igne perficitur Salamandræ nomine quandoque vocarint, similitudine ducta à Salamandra quam veteres in igne vivere & eo nutriri credebant: aut, quod variis colorum maculis corpus insignitum habeat, instar Lapidis qui de colore in colorem mutatur, & quandoque etiam plures uno tempore colores demonstat. Sed ut respondeam aliqua ex parte ad supra allegata, dico in Turba philosophorum non simpliciter dici artem esse opus mulierum & ludum puerorum, sed post absolutam lapidis mundationem, & ipsius dealbationem, quia deinde sola coctione ad finem deducitur. Sic enim Socrates ibidem: Jam albi plumbi dispositionem vobis demonstravi, quo noto, nihil aliud sequitur quam opus mulierum, & ludus puerorum. Sed quantum difficultatis sit in lapidis elementis secernendis, depurandis & conjungendis, philosophorum libri & experientium frustrati labores testantur. Unde Lilii auctor qui multa dicta Turbæ fidelissime interpretatur, hoc modo scribit. Lapide noto & ejus operatione, nihil aliud est quam irrisio mulierum, & ludus puerorum. Et certe scientibus & expertis lapidem paratu levem concedimus, inexpertis non item. Quod Comes Bernardus artem adeo facilem asserat, possumus præsumere illum de posteriore operis parte sentire, prout superius Socrates in Turba, præsertim cum toto suo tractatu de priore parte omnium difficillima ne mentionem quidam ullam faciat, aut admodum parce, sed parabola sua finem tantum decoctionis complectatur. An possumus dicere ipsi visam facilem, cum post tot expensas male collocatas & quadraginta annorum labores, duorum postea annorum spacio ex lectione librorum divina adjuvante gratia scientiam consequutus sit; quam tot annorum curriculo frustra antea tentaverat. Experientiam autem ipsi non adeo facilem fuisse vel ex eo conjicere possumus; quod scribat se biennio ante artem sciviſſe, quam manum operi serio admoveret. Ab aliis levis dici potuit respectu aliarum artium operativarum, quæ multis & variis egent instrumentis, & corporali exercitio & labore plurimo; cum hæc unam materiam solam, unum vas, unamque fornacem cum igne convenienti requirat: deinde aliæ per totam vitam fere exercen-

tur, hæc autem semel perfecte inventa & exercita repetitione non indiget, cum operans ditatus sit, & voti sui compos factus. Qui etiam negare audeat Philosophos talia protuliſſe, ut alia multa, ad fallendum imprudentes? Sed optarem, ut ii qui hanc artem ita levem existimant, tritum illud adagium mente recolerent, difficilia esse quæ pulchra. Item illud Rogerii Bachonis: In quibus Deus magnam virtutem posuit, in iisdem etiam magnam difficultatem collocavit. Utinam meminissent, Lapidem Philosophorum dici, non rusticorum aut imperitorum, quo vel solo nomine quilibet non planè imprudens merito posset absterreri. Quin consulant Bonum Ferrariensem (in Marg. Novell.) *& respondebit, hujus artis inquisitionem, veritatem & experientiam aliarum rerum omnium inquisitione fortiorem, difficiliorem & occultiorem & longioris temporis videri. Quod cum verissimum sit, seipsum quisque examinet, acremque se & vitiorum & bonorum suorum judicem præbeat, priusquam hujus scientiæ adyta intrare conetur, & diligenter perpendat, num ea quæ in Discipulis suis requirunt Philosophi, in semet ipso deprehendat, quæ multa sanè sunt, & opinione vulgi majora: quæ tanquam in tabula oculis omnium exponere pro viribus conabor. Sed ut dicendorum ordinem aliquem præponam, libellum istum in quatuor partes distinguam. In prima impedimenta circa artificis personam occurrentia narrabo, & nonnullos eventus. In secunda quam difficulter veritas ex Philosophorum scriptis eruatur ostendam. In tertia, quæ circa praxin difficultates oboriantur patefaciam interjectis ubique quantum memoria patietur Sapientum in hac arte auctoritatibus, ne me quisquam difficultatis in majus quam par est angendæ studio quippiam dicere arbitretur, vel ut proposito meo inserviam, & non magis legentium utilitati. In quarta rationibus quibusdam & exemplis artem hanc cuique vitandam, quibus si minus profecero, ut saltem quam minimo dispendio exerceatur, commonstrabo.*

PARS PRIMA.

De Impedimentis Artificem remorantibus quominus ad pretiosæ hujus scientiæ notitiam & finem pervenire possit.

IN omnibus sive maximis sive minimis divinum implorari debere auxilium præcipit Plato (*In Timeo.*) Cùm itaque hæc scientia teste Gebro, Seniore, & aliis Philosophis non sit nisi perfecta inspiratio divina, & arcanum Dei glorioſi, qui eam largitur & subtrahit cui vult, decet inprimis eum, qui huic initiari cupit, Deum trinum & unum supplici mente rogare, ut intellectum ipsius illuminare, & sapientiam ipsi conferre dignetur; neque enim est sapientia nisi à Deo, qui eam sincero corde & bona intentione quærenti & non petenti non negat. Sed quoniam peccatores non exaudit Dominus, necesse est si exaudiri cupiat, ut Deum, à quo omne bonum expectat, amet, revereatur, & timeat. Timor enim Domini principium est sapientiæ, ut ait Regius Propheta. Quare rectissime Alphidius (*in cla. Philosophorum,*) Fili prædico tibi timorem Domini pariter & amorem cum obedientia non ficta. Et Senior. Tu qui in timore Dei studioſus fueris, lapidis hujus secretum & apparentem virtutem videbis, & invenies spiritu altissimi instructus, ut cognoscas quoniam omnis sapientia à Deo est. Et Hermes: (*Tract.* 2.) Fili moneo ante omnia te Deum timere, in quo dispositionis tuæ nisus est. Animum præterea contritum habeat & à peccatis abhorrentem; quoniam, ut inquit Sapiens, (*Lib. Sap. c.* 1.) in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Unde Alphid. (*In cl. Phil.*) Hanc scientiam habere non potes, quousque mentem tuam Deo purifices, & sciat te Deus mentem habere contritam. Et D. Thomas (*Ad fratrem Rainald.*) Cum Deo tuo pacem habendo finem ordinatum in opere tuo semper præfige. Et Geber (*Sum. perfect. cap.* 86.) Filii nequitiæ & malevolæ pravitatis ab hac scientia fugite, quoniam est vobis inimica & adversa, & vos in miseriam paupertatis constituet. Humilis sit, nec hanc scientiam quærat, ut alios excedat, aut de possessionibus & divitiis se jactet. Sic enim Hermes (*Tract.* 2.) Oportet tyronem scientiæ arrogantiæ vitium à se repellere, pium ac probum esse. Et Alphidius (*in clav. Phil.*) Si humilis fueris ejus Sophia & Sapientia perficietur; sin autem, ejus dispositio penitus te latebit. Et Auctor dialogi Naturæ & filii Philosophiæ Arrogantes & ambitioſi non solùm à Deo, sed ab ipsa scientia & omni Dei dono reprobati & indigni inventi sunt.

Sed posset quispiam supradicta in dubium revocare, & hoc modo inferre: Tu Christianum requiris hujus artis studioſum, & pium, neque enim aliter tres in Deitate personas, & unum in Trinitate Deum cognoscet & adorabit, neque illum poterit amare & timere. Desideras præterea animum contritum & conscientiam à peccatis puram, & humilitatem, quæ virtutes propriè in Christianis requiruntur. Constat autem Gebrum, Rhasim, Avicennam & alios Arabes, qui de hac arte scripserunt, Sarracenos & Mahometistas fuisse, nec veri Dei notitiam habuisse, & tamen libri eorum attestantur eos hujus scientiæ peritissimos fuisse, quam etiam ab iis potissimum ad Latinos dimanasse fatemur. Itaque neque pietas, aut Dei timor quicquam ad rem facere videntur, modo ingenium, libri & divitiæ non desint. Respondeo, illis pietatem quamvis præposteram non defuisse; virtutibus maximis eos floruisse, & à sceleribus abhorruisse, prout ex Gebri libris, & loco supra allegato satis conspicuum est; cùm sciamus etiam Turcas hodie plus devotionis habere, & majori cum reverentia templa & ipsa sacra loca adire, plus etiam fraternæ charitatis egenis & miseris exhibere, quam multo maximam Christianorum partem. Itaque mirandum non est, si Deus, qui intentiones hominum non secus atque opera ipsa inspicit, illos victoriis speciosissimis, & hac scientia omnium pretiosissima & aliis denique beneficiis & donis temporalibus remuneratus sit, quanquam verum Dei cultum ignoraverint; quæ omnia parva tamen sunt respectu æternæ felicitatis, quam Christianæ fidei Professores expectant, illis repudiatis. Deinde præstat falsum Deum habere quem vereatur quis, & colat, & cujus timore pravæ hominum voluntates & maleficia coerceantur, quam nullum, prout plurimum Sophistæ; neque enim Alchemistarum nomine digni sunt, qui hanc scientiam eo solum animo quærunt, ut cupiditates suas expleant, & non ad Dei gloriam, aut ad proximi solatium, aut inopiam sublevandam. Sed ad propositum revertor. Artifex præter jam dicta prudens sit & ingenium habeat naturaliter subtile & profundum, & judicio egregio polleat, ut vera à falsis, naturæ potentiam ab operibus contra naturam distingue-

re

re sciat, cùm sæpius ut incautos faliant Philosophi rationes quasdam dictorum suorum adducant, quæ specie & apparentia veræ videntur, & tamen sunt falsæ. Unde Geber : (*Cap.* 13. *de Investig. perf.*) Solum prudentes ad artem allicimus. Idem. (*c.*12. *Sum. perf.*) Trademus artem tali sermone, quem prudentes latere non accidet, hic autem mediocribus profundissimus erit, fatuos autem irreserabiliter excludet. Et Hály (*Lib. Secret. cap.* 2.) Non feci hunc librum ignoranti & nescienti, sed composui ipsum prudentibus & Sapientiam habentibus. Morienes : Providentia & ratio & firma expectatio ab artifice adhibeantur.

Doctus sit, ut quod per ingenium naturale non adipiscitur, huic defectui per doctrinam subveniatur. Hinc via universalis : Abscondimus hanc rem absconditione forti, ut apprehendi non valeat ab indoctis. Latinæ Linguæ inprimis peritus sit, quo enim pacto aliter intelligat, quæ maxima ex parte latino sermone conscripta, & vulgata sunt : nec enim putet quis Libros Chemicos ea facilitate aut veritate in aliam linguam transferri atque aliarum scientiarum libros. In Philosophia naturali & aliis scientiis versatus sit. Unde Arnaldus. Quicunque vult ad hanc scientiam pervenire, & non est Philosophus, fatuus est, quia hæc scientia non est nisi de occultis Philosophorum. Et Morienes. Quicunque hanc scientiam sectatur, cæteras & præcipuè Dialecticam scire convenit, quoniam Philosophi hujus nonnisi sub involucro & figura loquuti sunt. Et Alphidius (*in cl. Phil.*) Nulli hunc Librum composui nisi Philosopho.

Artifex præterea Naturæ & Artis principia non ignoret, quia qui principium ignorat, finem non inveniet. Unde Geber (*Sum. perf. in princ.*) Qui principia naturalia in seipso ignoraverit, hic multum remotus est ab arte nostra, quoniam non habet radicem veram, supra quam intentionem suam fundet. Et D. Thomas, hortor ne aliquis præsumat incipere opus, nisi sit multum peritus & expertus in principiis naturalibus. Avicennas : Cognosce radices mineralium, ut ex ipsis facias opus tuum. Insuper industrius sit & laboriosus, ut quod per ingenium naturale & doctrinam assequutus fuerit, industria sua & labore juvare sciat, & si errare contingat corrigere. Haly (*in Secret. Alch.*) Non est tibi datum hoc magisterium solum pro tua audacia, & fortitudine, & calliditate, sine omni labore ; nam & laborant homines, & Deus tribuit fortunam hominibus. Geber (*Sum. perf. c.*26.) Et tu quidem exerciteris cum laboris instantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immensæ, cum illa enim invenies, & sine illa non. Requirunt etiam Philosophi artificem constantis voluntatis, qui non modo hoc, modo illud attentare præsumat, quia in rerum multitudine ars non consistit, sed ut incepto semel operi ad consummationem insistat, nec opus imperfectum relinquat. Unde Rosinus ex Rhasi : In hoc negotio si agendi difficultas & tædiosa fatigatio opificem negligentem efficiat, ipsum expectato gaudio privat, spem suffocat, efficaciam interimit. Et Auctor Scalæ Philos. Cùm in opere fueris, adsit assiduitas cùm patientia & expectatione congrua, cujus finis damnum & tristitia.

Ne præceps sit in iram, ne si libros primo intuitu non intelligat, illos abjiciat, aut si incepta minus feliciter successerint, vasa, fornaces, & reliqua operi necessaria impetu furoris dissipet & disturbet. Sed è contra, patiens sit & longanimis, naturæque actionem, quæ levissima est, æquo animo expectans. Unde Arnaldus (*Ros. part.* 3. *cap.*2.) Esto longanimis, nec festinanter aut velociter quæras perficere, quia primus error in hac parte est festinatio. Et Geber (*Cap.* 12. *de invest. perfect.*) Festinatio à parte Diaboli est, ideo qui patientiam non habet, manum ab opere suspendat. Ibidem. Hujus operis fundamentum est patientia & mora. Artifex sit sui arbitrii & liber. Arnaldus (*Ros. part.* 2. *c.* 1) In magisterio tria sunt inquirenda : Ingenium subtile artificis, operatio manuum, & arbitrium liberæ potestatis. Otiosus sit nec ullis aliis curis aut negotiis occupatus, sed operi tantùm & Philosophorum libris insistens, hæc enim ars totum requirit hominem. Unde Geber (*Sum. perfect. c.* 6.) Sunt multi curiosi, variis hujus mundi curis & sollicitudinibus detenti, se omni negotio immiscentes, à quibus hæc scientia refugit. Secreti item tenax sit, ne sibi periculum accersat, & aliis maleficiis ansam præbeat. Unde in Alleg. Sap. (*Distinct.*1.) Cela hoc opus ab omnibus, velut verbum in lingua, sive ignis in oculo tuo, noli loqui tibi ipsi ; ne ventus verba tua ad alium deferat, & ad tuum fiant detrimentum. Ecce te cavere feci. Et Via univers. (*Cap.* 1.) Oportet artificem hanc scientiam subtili ingenio indagare, & caute & prudenter loco ac tempore in suis necessitatibus ea uti : quia qui Thesaurum publice portat cupit deprædari. Et Aristot. (*in Secret. ad Alexand.*) Divina providentia juvet te ad celandum propositum. Abstineat ab operibus Sophisticis & in vera artis indagatione tantum persistat. Geber (*Sum. perfect. c.* 7.) Nemo adinvenire nitatur Sophisticam operis metam, sed soli complemento Elixiris sit intentus. Forte enim Deus ex Sophistici operis vindicta tibi artem denegaret, & in devium erroris te crudeliter detruderet, & ex errore in infelicitatem & miseriam perpetuam. Non prodigus sit, nec pecuniam suam præsumpta spe futurorum vane distribuat ; ne si forte artem non invenerit, relinquatur in miseria, vel ne fortè cùm jam ad finem hujus magisterii per suam indagationem approximaverit, consumpta sint ipsius impendia, & verum finem ob paupertatem relinquere cogatur. Nec sit avarus, nihil enim studiis suis & laboribus proficiet, si dispendia interponere timeat, & pecuniæ serviat. Cautus sit in diaboli illusionibus dignoscendis & præcavendis, qui se chemisticis operationibus sæpius immiscet, ut operantes circa vana & inutilia detineat prætermissis naturæ operibus, prout mihi & cuidam amico meo accidisse infra narrabo. Sufficienter locuples sit, nec enim sufficit ingeniosum esse, doctum, industrium & opera naturæ non ignorare, si paupertate premente hanc scientiam cogatur postponere aliis minus nobilibus sectandis, ut inopem vitam sustentet, & de victu & amictu securus sit, Unde Lullius : (*Test. c.* 31.) Hæc ars divitias requirit, sapientiam & libros. Et Philosophus : (*Politic.* 2.) Impossibile est indigentem philosophari. Quamvis enim vili pretio testantibus Philosophis artis complementum possit perveniri (dicit enim Arnald. (*Ros. part.* 2. *c.* 7.) pretium ipsarum medicinarum hujus artis non excedere quinquaginta argenteos. Et alius : Expensæ nostræ artis non excedunt pretium duorum aureorum in prima sui emptione) tamen cum necessariò contingat operantem sæpiùs errare (rectum enim nonnisi errore discernitur, ut ait Baccen. in Turba. Et Alphid. Qui non errat non pervenit, & qui non corrumpit non emendat, & qui non tristatur non lætatur) pauper iterato incipere

& opus ſæpe repetere non poteſt, prout neceſſe eſt. Sic enim Auctor libro de perfecto magiſt. Cùm de hujus rei experientia nemo poſſit eſſe ſecurus, tibi ſuadeo, ut actione incœpta ab ipſa non ceſſes. Si prima vice non rectè fueris operatus, ſecundo, tertio, & etiam amplius ſi opus fuerit reitera, quouſque quod appetis perfectiſſime deprehendas. Neque te ab hac re labor manuum, rerumve impenſa amoveat, quia cum inſtantia vinces, & de manuum labore mercedem, & lucrum de rerum ſumptibus rehabebis. Et Auctor Viæ univerſ. oportet artificem cum multis laboribus & erroribus ad perfectionem pervenire, vix enim hoc opus excellentiſſimum ad finem ſine impedimento perducitur. Librorum magnam habeat copiam: neque enim perſuadeat ſibi quiſquam librum aliquem unùm inveniri, qui continuata orationis ſerie totam artem veraciter deſcribat, ut multi ſtolide opinantur. Id enim eſſet derogare naturæ majeſtati, meritoque ut proditor ſigilli cœleſtis talia auſus ab omnibus condemnaretur, illiique aqua & igni interdicendum, ſcriptaque ejus tanquam orbi peſtifera & publicæ quieti adverſa igne abolenda forent. Ideo non fruſtra ab uno eodemque auctore plures una de re libri ſunt compoſiti, ut videlicet quod in uno diminutum tradiderit, in alio compleat. Sic enim Geber. Non propoſuimus cuncta in uno monſtrare volumine, cùm liber librum aperiat & exponat. Idem alio loco, Sapiens artifex in noſtris ſtudeat voluminibus, colligendo noſtram diſperſam opinionem, quam in diverſis locis propoſuimus, ne malignis ſeu ignaris publicetur. Ea ratione permotus Lullius ſupra ſexaginta in hac arte volumina conſcripſit, alii ſex, octo, aut pauciora. Aut ſi auctor quiſpiam unum aliquem librum ſolum compoſuit, is unam quoque operis partem tantummodo complexus eſt, quod Philoſophi nonnulli in tres, plures, in quatuor, quidam etiam in quinque & ſex regimina diſtinxerunt, multi etiam in duo, eaque inter ſe confuderunt, ut quod primum, quodve medium aut ultimum ſit ignoretur. Vel ſi plures partes operis ſimul comprehenderit, breviter, & plurima falſa pauciſſimis veris interponendo id exſecutus eſt. Sicut Arnal. de Villa Nova, cùm Volumen ſatis magnum de hac Arte compoſuiſſet ſub Roſarii nomine, tamen in fine (*Cap. ult.*) ita concludit: Modos elixiris completo ſermone vobis ſuperius dedi, non ſub ænigmate, ſed ſub plana ſermonis ſerie diſcretionem veſtram dilucidè alloquendo, quoniam teſte Deo nihil in hac arte continetur melius nec perfectius quàm iſta antedicta, brevitate tamen truncata, quamvis intelligentibus ſint ſatis prolixa. Idem alibi. (*In lib. qui flos florum.*) Sapientes denunciaverunt opus ſub brevibus verbis, licet plura alia verba adjunxerint, ut non intelligeretur niſi per ſapientes. Quocirca pluribus libris & diverſis auctoribus artifex opus habet, ad aperiendum, ut ait Lullius, (*Cap.* 31 *Teſt.*) intellectum diverſum qui eſt in multis gentibus, quoniam comprehenditur per doctrinam unius quod nunquam potuit comprehendi per doctrinam alterius fortaſſis datam per figuram, &c. Et Arnal. (*Roſ. c.* 1.) Liber librum aperit & ſermo ſermonem. Et profecto hoc vel ſolo impedimento multi viri docti maximè retardantur, ne votorum ſuorum compotes fiant. Libri enim de hac arte conſcripti inventu ſunt difficiles, ſed majori aliquanto difficultate à dominis impetrantur: qui enim eos poſſident, tanquam Sibyllina oracula cuſtodiunt, quo nihil fieri poteſt abſurdius aut intempeſtivius, nec facile prece vel precio niſi admodum magno aliis communicant. Impreſſi verò quos Doctori medicinæ Guilielmo Gratarolo, & Petro Pernæ Typographo Baſileenſi maxima ex parte ferimus acceptos (quorum hæredibus mea quidem ſententia gratiam referri æquum eſſet, ſi quis artem adipiſceretur) pauciſſimi ſint reſpectu eorum qui adhuc latent. Quinimo ſæpenumero contingit ut hujus Artis tyrones libros falſos & adulteros omni ratione & doctrina vacuos pro veris & bonis coëmant, cùm ii plerunque qui praxim præ ſe ferant inchoantibus magis placeant. Novi ego duos præclaros alioqui viros & prudentes in cæteris, quorum alter cum magno pretio emiſſet practicam Philippi de Rovillaſto Pedemontani manuſcriptam, ipſo tamen ignorante typis excuſam, alter verò cujuſdam Joannis Salinarii ſive de Saulmur libellum Gallicum de Salis præparatione, exiſtimabat uterque veram artis doctrinam & praxin ſuo libello contineri: nec aliud optabant quam artiſtam aliquem ſibi dari, cujus opera uti poſſent ad tantum theſaurum è libris eruendum, cùm ipſi aliis negotiis occupati manus operi applicare non poſſent aut neſcirent. Qui quantumvis amice moniti à me eſſent nihil veritatis iis libris contineri, proinde pecuniæ ſuæ parcerent, nec ſumptus ullos facerent, audivi nihilominus poſtea falſa ſpe lucri irretitos meo conſilio non paruiſſe, ſed aliis ſe deludendos & fallendos expoſuiſſe. Non autem ſatis eſt libros habere plurimos & magno comparatos, niſi illis Lector diligens, aſſiduus, & diuturnus evenerit, neque enim menſium aliquot ſed annorum ſpatiis opus eſt intelligendis auctorum parabolis, ænigmatibus, æquivocationibus, tropis, figuris, & tranſpoſitionibus Idcirco rectiſſime Agadimon in Turba: Qui citò putat ſe ex libris noſtris fructum capere poſſe fallitur, ſatius enim fuerat non inſpicere quidem, quam temerè contigiſſe: Libri enim noſtri magnam injuriam inferunt his, qui ſolummodo ſemel, bis, vel ter ſcripta noſtra perlegunt, cum intellectu omnique ſtudio privati, etiam quod peſſimum eſt, opes, labores, & tempus amittunt. Verumtamen qui curvat dorſum ſuum, ad libros noſtros legendos, iiſque ſtudioſè vacat, memoriam animumque adhibet, nec eſt vanis implicitus cogitationibus, Deum precatur ut Salomon pro ſapientia, non pro opibus, is in regno regnabit indeficienter, quouſque moriatur. Et auctor Perfecti Magiſtri. Rogo te fili, ut inceſſabili lectione Philoſophorum libros ſcruteris, qui enim in legendis libris deſes extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit, quia non poteſt de levi ejus in practica manus aſſueſcere, cujus mens in Theorica renuit deſudare. Ille namque ad operationem ſecurius accedet, in cujus mente plures operationum imagines variæque reſultant.

Et Richardus Angl. (*Correct. c.* 2.) Studium amovet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram ſcientiam, & cognitionem cujuſlibet rei. Ideo omnes hujus artis beneficium diligentes, ſtudiis inſiſtere tenentur, & ex libris veritatē haurire, non ex fabulis fictis & operibus mendoſis; cùm hæc ars veraciter non inveniatur, niſi poſt terminum ſtudii, & Philoſophorum dictorum cognitionem. Idem prorſus affirmant omnes paſſim hujus artis ſapientes, quorum auctoritatibus adducendis ſuperſedeo. Poſt aliquot annorum ſtudia quantumvis felicia, deſideratur etiamnum longa experientia, fundamentum enim artis experimentum eſt. Unde Geber (*De inveſtig. cap.* 2.) oportet operando, perſcrutando & experiendo

experiendo ad intentum pervenire. Idem: (*Ibid. cap. ult.*) exerceat se artifex, donec studendo & experimentando cum laboris instantia ad cognitionem pervenerit. Et Lilium. Heu vobis doctrinæ filii, quilibet vestrum arbores inserens, non sperat fructus habere nisi post tempus, & semina seminans non sperat metere nisi post messes, qualiter ergo vultis vos hanc oblationem habere lecto semel libro, vel primo regimine experto. Non ergo vos tædeat procedere, ad secundam & tertiam partem regiminis, donec Rex diademate rubeo sit coronatus. Non autem falli velim quenquam Comitis Bernardi auctoritate, qui mensibus novem cum dimidio opus absolvit, cum is tantummodò ut suprà dixi posteriorem operis partem intelligat: Minus adhuc aliis credendum moneo, qui breviori temporis spatio opus perfici asseverant. Audiant potius Lullium dicentem: (*Cap. 42. Test.*) Cursum naturæ completæ durare per spatium duorum annorum, unde lapis est unius anni, & elixir alterius omni novo artistæ, qui nunquam fecerit: sed omni bono artistæ, & experto qui est subtilis, sufficit unus annus & tres menses. Ut autem hic Lullii locus melius intelligatur, non pigebit in gratiam juniorum explicare quid vocet lapidem, quid elixir. Lapidis, Elixiris, & Medicinæ, nominibus Lullium & alios auctores promiscuè uti pro opere omni modo perfecto exempla passim occurrunt. Sic enim de lapide & elixire Lullius: (*in pract. test. cap. 42.*) Iste Lapis convertit omne corpus diminutum & imperfectum in infinitum Solificum & Lunificum, secundum quod elixir erit subtiliatum & præparatum. De Elixire solo Rog. Bacho (*in speculo Alch. c. 2.*) Elixir rubeum citrinat in infinitum. De Medicina Arnald. (*Ros. par. 1. cap. 23.*) Si metallum quod convertere debes per medicinam non fuerit sufficientis coloris, addatur plus de medicina. Possem infinitas Philosophorum allegare hac de re auctoritates, si opus esset. Quibus tamen non obstantibus, Lapidis, Elixiris & Medicinæ nominibus opus imperfectum significari nonnunquam, adductis exemplis demonstrabo. Sed quoniam de Lapidis appellatione supra (*in Proœmio*) abundè dixi, cùm ostendi magisterium in omni gradu operis lapidem vocari, de elixire tantùm & medicina mentionem faciam, & primò quidem de Elixire. Arn. in Ros. (*Cap. 24. part. 2.*) Cave tibi in commistione Elixiris, & operare ibi sapienter. Idem. (*Cap. 21.*) Calx quæ mittitur in elixir erit sublimanda, ut sit omnino simplex & una. De Medicina idem Arn. (*Ros. c. 3.*) Medicinam calcinamus ut citius solvatur, & eam solvimus, ut melius mundetur & fundatur. Sed loco præallegato cùm Lullius dicit, lapidem esse unius anni, & elixir alterius, nomine lapidis intelligit priorem operis partem, in qua materia lapidis solvitur, dividitur, mundatur, & denuò in unum conjungitur, ac tandem à fœcibus corporalibus sursum in quintam essentiam evehitur. Elixiris verò voce posteriorem, quæ mundati fixionem & tincturam complectitur, non in hoc solum loco, sed aliis passim. Sic enim in Codicillo, opus infirmare nihil aliud est quam debitam & naturalem formam sulphuri vel lapidi, & postea elixiri & medicinæ tribuere. Idem in Testamento: (*in pract. cap. 22.*) Magisterium nostrum in duas partes est divisum, scilicet in creando lapidem, & componendo medicinam. Aliis nonnullis auctoribus è contrario elixir prior, lapis posterior operis pars nuncupatur, prout Auctori Viæ universalis (*cap. 5.*) Elixir est primum & principale fundamentum, & radicale lapidis pretiosi, quod postea per operationem secundam convertitur in ipsum lapidem, vel medicinam. Bernardus etiam & Rich. Angl. & quidam alii opus distinguunt in tres partes. In Rebis videlicet, elixir, & tincturam, sive medicinam. Ut Rebis sit prima pars dicta à re bina seu duplici, dissolvente videlicet & dissolvendo, elixir verò secunda, in qua à corpore dissoluto anima extrahitur diuturna coctione (putabant enim elixir ab elixando nomen habere, aut propter vocis affinitatem videri ita volebant. Unde D. Thomas (*in comment. super tab. Herm.*) Oportet in principio nostræ operationis, ut res in elixir convertendæ primum elixentur antequam ad compositionem lapidis sit procedendum, tinctura verò tertia pars, quam Lullius etiam medicinam vocat, priores verò duas in unam contractas lapidem maluit nominare. Quibusdam etiam opus in quatuor partes dividitur, qui inter tincturam & medicinam distinguunt, ut tinctura medicinam præcedat quemadmodum etiam Auctor Consilii conjugii massæ Solis & Lunæ, in Ir, Xir, Ixir, & Elixir. Quare attentè & considerate admodum legendi sunt auctores Chemici, cùm sæpenumero voces has & alias multas confundant. Quod non ignoravit Auctor Viæ universalis dicens (*cap. 5.*): Philosophi in libris suis elixir lapidem, & lapidem elixir vocaverunt, non facientes differentiam inter utrumque, ut fatuos excœcarent. Sed ut sermonem unde digressus sum repetam. Experimenta tentantem artificem sanum esse oportet & firmis viribus, ut labori possit sufficere, qui non est exiguus, teste D. Thoma, qui tantum se laborem & fœtorem & corporis detrimentum perpessum adfirmat, ut opus nullo modo nisi cogente necessitate iterum veller attentare. Non cœcum, aut manibus mutilatum. Si enim oculis captus fuerit, materiam ut oportet disponere & commiscere non poterit, neque colores considerare in opere apparentes, proinde neque ignem regere, cùm ex colorum apparitione ignis regimen dependeat, dicente Rosario, colores te docebunt, quomodo ignem administrare debeas. Si manibus carnerit, jam non juvabitur à membris, quibus mediantibus hæc ars perficitur tanquam naturæ ministrantibus. Dixi suprà sufficienter locupletem esse debere artificem, ut videlicet libros necessarios hujus artis emere; & relictis aliis negotiis illos evolvere, deinde ut experimentum doctrinæ suæ capere possit, experiri autem nihil poterit, nisi domum aptam, aut saltem tria quatuorve cubicula habeat; opus est etiam ut sumptum faciat in vasis, fornacibus, & igne noctu dieque continuando, qui nunc carbonibus, nunc oleo, aliave materia, prout feret necessitas, nutriendus erit. Servus insuper quærendus aut socius, qui artifice dormiente, occupato, aut ægrotante, ignem continuum & jugiter perseverantem subministret, nec semen jam diu enutritum emori aut refrigerari patiatur. Hæc omnia si in unum conferantur, videbit artifex non modica sibi pecuniæ summa opus esse. Propterea non sine ratione à Philosophis (*Geb. Sum. perf. c. 7. & Alberto Magno*) hæc ars pauperibus inimica dicitur, quia vult expensas multorum annorum; deinde omninò præcavendum est artifici, ne redigatur ad egestatem, & aliis ridiculo sit, si fortè contingat in opere errare, vel tempus prolongari, ut in pluribus evenit, Cùm itaque ex prænarratis jam pateat, qualem oporteat esse artificem, & difficillimum sit reperire aliquem, in quem tanta animi, corporis, & fortunæ bona Deus con-

geſſerit, meritò tota ars difficilis & periculoſa judicabitur, & quilibet non imprudens tanquam maximè damnoſam vitabit.

Sed inſurget fortaſſe quiſpiam, & dicet: Tu cùm in aliis timorem Domini, integritatem, ingenium ſubtile & profundum, eruditionem, induſtriam, patientiam, conſtantiam, otium, libros, divitias, & alia non pauca deſideres, & te hoc ipſo tractatu fatearis Alchemiæ ſtudioſum, num tibi ea arrogas, quæ in aliis tantoperè requiris? Reſpondeo multa mihi deeſſe, profiteorque ingenuè, ſi æquè impedimenta omnia & difficultates, quæ nunc oculis obverſantur quondam adoleſcens animo concipere & ruminare potuiſſem, aut ſi tam fortunatus fuiſſem cui fidus conſiliator eveniſſet, qui propoſitis omnibus hujus artis remoris me ab incepto revocaſſet, prout me facturum ſpero hoc libello, nunquam me palæſtram hanc ingreſſurum fuiſſe, doluique ſæpius dum temporis deperditi memoria ſubit, me libros Chemicos unquam vel per tranſennam aſpexiſſe. Sed idem mihi evenit, quod aliis non paucis: cum juveni mihi ad naturæ ſecreta inveſtiganda natura prono & mediocriter fortunæ bonis dotato Comitis Bernardi libellus Gallicus fortuitò Pariſiis oblatus fuiſſet, miratus ſum primò magnificum operis titulum, deinde curioſitate motus inſpexi, legi, relegi, in quo cum pauca ambigua, obſcuritatis parum animadverterem, quinimò auctor ultrò exhortaretur ad ſtudium ejus ſcientiæ cui nulla alia eſſet comparanda, deſcriptis ejus virtutibus, cùm præter divitias immenſas, memoriam etiam & ſanitatem pollicereturſerio illam inquirentibus, & adderet eſſe adeò facilem, ut vix credi poſſit, victus fui fateor, manus dedi. Maximo itaque ſtudio confeſtim libros hujus artis impreſſos aut manuſcriptos quotquot invenire potui comparavi, & per aliquot menſes diligenter evolvi. Sed cùm inter reliquos auctores Turbam Philoſoph. maximè citaret, quam ſæpiùs benedictam appellat, egoque duos libellos Turbæ Philoſoph. nomine inſcriptos haberem, unum quidem Gallico idiomate, alterum Latino, qui poſtea opera Petri Pernæ Baſileæ impreſſus fuit, poſtpoſitis tandem cæteris uni præcipuè Turbæ Gallicæ operam dedi, quàm ab eodem Bernard. collectam ignorabam. Primum conſenſum utriuſque libri cœpi admirari, deinde cum Pythagoram de materia lapidis loquentem introduceret hoc modo: Opus noſtrum non indiget in principio niſi duabus naturis unius eſſentiæ, quarum una vilis eſt, altera cara; una dura, altera aquatica; una rubea, altera alba; una fixa, altera volatilis; una corporalis, altera ſpiritualis; una frigida & humida; altera calida & ſicca. Cùm amplius legerem Bern. libellum ſuum de metallorum tranſmutatione concludentem in hanc ſententiam, opus noſtrum fit ex duabus ſubſtantiis Mineralibus unius radicis, ſive eſſentiæ, acceptis omnibus crudis è mineta tractis, mundis & depuratis, junctis per ignem convenientem, prout requirit materia, coctis continuè donec duo unum fiant: Et in hoc uno poſt illorum miſtionem corpus fit ſpirituale, & ſpiritus corporeus, &c. Inſuper cùm legerem in eodem libello, aurum merum eſſe ſulphur in Mercurio. Item in epiſtola ejuſdem apud Thom. de Bononia Caroli VIII. Medicum, Philoſophi aurum in quo activiora ſunt elementa tanquam ſemen maſcul. cum Mercurio, in quo paſſiva exiſtunt elementa ut debitè diſſolvatur conjungi præceperunt, omni re extranea ſemota, præter calorem extrinſecum adhibitum, qui adjuvando excitant intrinſecum naturalem auri, ad digerendum & activè maturandum Mercurium. Cùm item affirmaret Lullius, (*Teſt. c.* 62.) non operandum eſſe ad aurum, niſi cum auro & Mercurio, & ad Lunam niſi cum Luna & Mercurio, & adderet rationem: aurum non eſſe reſolubile niſi cum natura ſua. Et Arn. (*Roſ. Part.* 1. *c.* 10.) diceret Mercurium de natura ſua converſivum fieri unumquodque cum ſingulis quos amplectitur ex planetis, ſi ergo cum duobus jungatur radiis fieri elixir perfectum. Et cùm idem in roſario ſuo (*Part.* 2. *c.* 2.) juberet lapidem groſſum diſſolvi in argento vivo, eo quod ipſum ſolum haberet Solem & Lunam ad ſuam naturam vel materiam primam reducere: non potui aliter ratiocinari quàm aurum & argentum vivum vulgaria conſtituere lapidis materiam. Quamvis autem legerem apud eoſdem auctores, aut ſimiles; Mercurium Philoſophorum non eſſe Mercurium vulgi, tamen eodem Bernardo duce hæc ſic interpretabar: verum eſſe, argentum vivum per ſe non poſſe præbere materiam Lapidis Philoſophorum, nec etiam aurum ſolum, quamdiu ſingula ſeorſim remanent, ſed ſi aurum per argentum vivum ſolutum ſit, & in primam materiam redactum, hoc eſt, in Mercurium, tunc meritò poſſe & debere vocari Mercurium Philoſophorum, qui in ſe contineret vim ſulphuris ſui intrinſeci, quo in argentum & aurum & poſtea in elixir converteretur. Exemplo ducto à maris & fœminæ ſpermatibus, quæ quamdiu ſeorſim locis ſuis aſſervantur, non poſſint dici aut eſſe materia animalis, ſed tum demum, ſi in matrice conjuncta fuerint, de potentia videlicet in actum jam deducta.

Cùm præterea legerem in Turba: Miſce, coque, tere igne, non manibus. Et affirmarent Philoſophi (*Roſarius & alii*) uno vaſe, una fornace, unica diſpoſitione ſeu decoctione opus totum perfici, & tantum materiam ſemel in vas poni debere, ad inſtar fœtus qui in utero foveretur uſque ad ſuam perfectionem, & poſtea in lucem editus nutriretur primum lacte & pauco cibo, deinde auctis viribus majore & ſolidiore. Dicente inſuper Morieno opus hoc Creationi hominis aſſimilari, non potui non credere opus eſſe facillimum. Securus itaque lapidis, non quærebam niſi tempus & commoditatem ut operi poſſem vacare, jamque ſecretum petebam & ſolitudinem, fugiens amicorum & ſodalium conſortia: quod cum diu ferre non poſſem, tandem juvenili fervore abreptus, & curioſus videndi & audiendi extera, peregrinationem inſtitui, & in Italiam profectus ſum. Ubi cum licuiſſet multorum familiaritate & converſatione uti, qui Chemica tractarent, omnes tamen ſedulò vitandos putabam, cùm cenſerem me nihil à quoquam, alios è contrà à me plurima diſcere poſſe. Cùm Italiam ferè totam quam longè lateque extenditur peragraſſem, poſt biennium in patriam redii, ubi nova impedimenta aliquamdiu me retardarunt, quo minus praxi incumbere poſſem. Tandem tamen incepi, & primò quidem, quoniam materialium purgationem deſiderari cogitabam, auri unciam per antimonium probè repurgati, in folia juſſi deduci. Argentum verò vivum initio in ſale communi, mox cum nihil proficere me viderem, à ſale & vitriolo ſublimare, ſublimatum revivificare conatus ſum; ſed cùm ne ſic quidem Mercurius mundior efficeretur, cogitavi tandem non poſſe eum melius purgari aut ſublimari quàm ab auro cum quo maximam habere affinitatem dignoſcitur, dicente Gebro: (*Sum. perfect. c.* 41.

Eliger

Eligendam esse materiam cum qua maximè conveniunt spiritus sublimandi, & cui permisceantur profundius, quoniam illa materia cui magis uniuntur, potentior est in retentione fœcum, quam cui non. Huc accedebat testimonium ipsius Bernardi, (*in Epist. ad Th. de Bononia*) cui plurimum deferebam. Is enim dicit quasdam esse sublimationes Mercurii ab ejus propriis corporibus, quæ sibi per intima amalgamando conjunguntur, & commiscentur, à quibus pluries elevatus & conjunctus superfluitates amittit, & non confunditur in natura, postea autem operi philosophico convenit, & potens est in speciebus metallicis solvendis. Propria ipsius corpora interpretabar aurum & argentum, quia maximè inter metalla argento vivo abundant. Putabam etiam Lullium (*in test. & codicil.*) id velle, cùm dicit nullam humiditatem converti magis propriè & promptè in substantiam sulphuris quam illam, in qua qualitates suimet sulphuris sufficienter sunt introductæ per ingenium naturale, quod fit per artificium. Cùm itaque ab auri pulvere lima quæsito aliquoties argentum vivum sublimassem, nec tamen id splendidius aut pulchrius, quinimò magis immundum invenirem, tum primum cœpi nonnihil diffidere, & securitatem in solicirudinem convertere. Tandem resumpto animo cum Turba Philosophica præciperet, non accipiendam materiam nisi crudam, amœnam, sinceram; Item dicente Bernardo: opus fieri ex duabus substantiis mercurialibus crudis & tractis è minera, cœpi meditari: Si cruda materia accipienda sit, nihil opus esse tempus terere, & animum fatigare in sublimationibus nihil omninò profuturis. Aurum itaque in tenuissimas bracteolas deductum argento vivo per cotium linteumque expresso paulatim imposui, proportionem præscribente Treverensi, (*in Parabola*) recordatus versus vulgati.

Mercurius Solem foliatum destruit omnem,
Hunc solvit, mollit, animam de corpore tollit.

Putabam autem maximè ad rem facere, si non excalefacta sed frigida omnia miscerentur, nam cogitabam nihil stultius posse fieri, quam vehementi igne in principio operis materiam adurere, quam lentissimo igne regendam, & ad instar nutritionis ovorum fovendam docent Sapientes: iisdem dicentibus, cavendum esse ne flores ejus comburantur in initio; credebamque in eo maximè cespitare hujus ævi artistas, qui sumtibus parcentes aut aliis non fidentes aurum vulgato aurifabrorum more amalgamant. Conjunctis omnibus in vitro oblongo hermetice sigillato, & athanori imposito incepi lentum submistrare ignem multis modis antea à me tentatum. Quid referam; omnia pro votis succedunt. Primum admiratus sum vim Mercurii attractivam non vulgarem, recolebamque dictum illud Pythagoræ in Turba. Res quam multifariam narrant Philosophi suum absque igne socium consequitur quemadmodum magnes ferrum: deinde in decoctione colores paulatim emergentes in superficie Mercurii apparere cœperunt, ita ut duas materias agere pati inter se manifestè conspicere videres. Tertiò die majorem superficiei partem occupari vidi tribus coloribus, viridi imprimis, rubeo & cinereo, non confusis quidem, sed terminis suis distinctis & iridis alioqui coloribus non absimilibus. Quoties ejus diei recordor Virgilii versus in mentem venit.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Idque non sine causa, cum error ille sive ludibrium oculis oblatum multorum postea laborum & sumtuum mihi causa fuerit. Si gaudio tunc temporis exultarem, cujusmodi aspectu nemo dubitet, cum paulatim per medios istos colores ac nigredinem me perventurum sperarem, & ulterius decoquendo albedinem & postremò rubedinem consequuturum. Sed gaudium illud non fuit mihi diuturnum, paucis enim post diebus igne fortuito casu nocte extincto, & vase refrigerato, nullam amplius alterationem videre contigit. Atque tum occurrebat illud Augurelli (*Lib. 3. Chrysopœ.*)

—— cum primum desinet ignis,
Cuncta ruent, quæ non nulla reparaveris arte.

Nihil tamen hoc damno commotus, quod id facilè resarciri posse sperarem, cum multis premerer difficultatibus, præcipuè verò rei nummariæ, propter bellum non expectatum in Belgio exortum, & præter opinionem diuturnum, & quod auri folia deessent, quæ præclusis itineribus Antuerpia adferri non poterant, tum quidem cessandum mihi, & meliora tempora expectanda existimabam. Sed variis districto mihi curis & negotiis septennium elapsum est, quo nihil tentare licuit. Tum verò valetudine prospera, in adversam commutata, cum nullum ex vulgari medicina auxilium sentirem, me multa experto & pejora timente, celebrem illam & tantoperè decantatam, & omnium morborum profligatricem & universalem desiderare cœpi, quam si modo adniti vellem mihi non incognitam & facilem credebam. Itaque procuratione negotiorum meorum aliis demandata, secedens ab amicis, dum via superius descripta procedo, primum attractivam illam vim, quam ante septennium in argento vivo admiratus fueram deesse conspicor, nullamque decoctione alterationem invenio, repeto ter, quater, imò sæpius, nunc aurum culpando, nunc aliud, sed frustra. Tandem arbitratus sum argentum vivum quo prius usus fuissem, diversæ fuisse mineræ ab eo quod tunc haberem, dicente Morieno, hujus operis radicem esse in inquisitione specierum, quæ sint meliores ad hoc magisterium, nam unamquamque mineram multorum esse generum. Putabam itaque hydrargyrum ab Hispaniæ mineris petitum cæteris præferendum, quod sciebam aliquando in Belgium deportatum fuisse: præcipiente etiam D. Thoma (*ad Fratr. Rainald. c. 9.*) recipere Mercurium mineralem sive terram Hispanicam quæ nullo prius in opere posita fuerit. Sed cum me imparem sumptibus futurum timerem, fortunis meis in hac publica calamitate afflictis, rem ad amicum quendam meum quem sciebam clam Chemicis operationibus vacantem defero, acceptaque fide narro quæ mihi evenerint, dicoque rem nullius esse difficultatis, modo argentum vivum minerale Hispanicum haberi posset. Ille negotium suscipit se suis impensis id procuraturum; & post aliquot menses quatuor libræ illi transmittuntur, pro duobus aureis cum dimidio singulæ, ita ut quatuor illæ libræ decem aureis Hispanicis illi constarent, sed nihilo meliore eventu. Non tamen animo frangimur, nautis pluribus in diversas orbis partes tendentibus negotium damus, ut undecunque nobis libram unam aut alteram adferant, dato pretio. Sed frustra tentatis omnibus per biennium, cum nihil proficeremus, eadem semper reperta argenti vivi natura, ego ipse Germaniæ mineras adire, earumque differentias præsens agnoscere, & si quid peculiare una ab altera haberet investigare decrevi. Sed cum Idriæ mineram in confinibus Carniæ unius diei itinere à Goritia distantem à fertilitate & abundantia maximè commendaret Matthiolus, (*in Comment.*

super

ſuper Dioſcoridem) illam mihi ante alias adeundam judicavi. Facto itaque per Lotharingiam, Alſatiam, Helvetiam & Lombardiam itinere Venetias uſque, inde Aquilegiam & Goritiam profectus in Idriæ montana perveni, ubi; fortuitò tunc temporis argentum vivum, quod ſponte è minera profluxerat, ex præterlabentis rivuli aquis colligebatur. Cujus quindecim libras ſereniſſimi Archiducis Caroli, Piæ M. liberalitate gratis conſequutus, lætus per Carniam, Carinthiam & Bavariam domum repetebam, exiſtimabam enim in eo ſi alio ullo inventurum me quod deſiderabam, ob cruditatem quæ nullo igne labefactata fuiſſet. Sed cum ex itinere Schonbach Miſniæ ſeu Voitlandiæ oppidum adire propoſuiſſem, ob cinnabaris naturalis & rubicundiſſimi mineram illic celebrem, ac Norimbergam divertiſſem, reperto ibidem ejuſdem mineræ fruſto cinnabarino duarum ferè librarum, non proceſſi ulterius, ſed ad aliam mineram non procul à Crutznach Palatinatus oppido diſtante iter meum converti, unde ſuperioribus annis maxima argenti vivi quantitas in Belgium delata fuerat. Atque cum ex ſingulis locis, quæ adire contigerat, argentum vivum aut cinnabarim mineralem retuliſſem, Coloniæ Agrippinæ de omnibus experimentum capere conſtitui, tranſmiſſa ad amicum omnium mineralium parte. Ibi igitur fixa pro temporis ratione ſede multa tentavi, ſed ut brevibus abſolvam, nihil profeci. Amicus tamen meus ſimili arte dæmonum, ut credi par eſt, ludificatus, prout ex literis ad me datis, & in perpetuam rei memoriam reſervatis cuilibet non incurioſo patere poterit, cùm compoſitum ſuum multis diebus alterari, & de colore in colorem verti vidiſſet, non tamen eodem modo, neque tam celeriter, aut tam manifeſtè atque ego quondam, & ſperaſſet aurum jam ex parte magna ſolutum, poſt vigeſimum primum diem nulla amplius colorum varietate animadverſa, frigore urgente opus dimiſit, aurumque ſuum liquefecit, ſed nihil pondere diminutum invenit. Ne autem quis exiſtimet colores imaginatorios fuiſſe, & ex repercuſſu luminis aut vitri in Athanore concluſi repræſentatos, ſciat vitrum tum amici quàm meum fornaci exemptum & luci expoſitum eoſdem colores retinuiſſe, nec diſparuiſſe, niſi poſt vehementem materialium motum. Id mirum, quod poſtea opus iterato repetere volenti nihil ſimile contigerit, aut alteratio ulla conſpecta ſit. Tamen cùm adhuc toties facto periculo non ſaperemus, atque ille identidem Hungariam & Tranſilvaniam prædicaret, ego ut ſemel animum meum tam gravi cura exolverem, & certi aliquid ſtatuerem, num artem ulterius proſequi vellem, an in totum abdicare, illuc proficiſci conſtitui. Sed vix animi propoſitum amico perſcripſeram, cùm is vita concedit. Nihilominus pergo, & per Auſtriam, Hungariam peto, inde Tranſilvaniam, ubi benigne atque perhumane acceptus à Clariſſimo Viro D. Simone Genga Urbinate, quondam invictiſſ. Poloniæ Regis Stephani Bathorii, tunc vero Illuſtriſſimi Tranſilvaniæ Principis Sigiſmundi ejuſdem ex fratre nepotis architecto, ejuſque opera adjutus in Tranſilvaniæ mineris perluſtrandis aliquamdiu hæſi; demum per Poloniam & Bohemiam Coloniam redii, conſumpto in poſteriori peregrinatione triennio, & ex eo tempore quo Belgio diſceſſi fere ſexennio. Tandem cùm viderem argentum vivum ubique fere idem, incepi ea quæ mihi evenerant attentius perpendere, & diaboli illuſiones timere, qui circa frivola & mendacia homines bonæ alioqui voluntatis detineri cupit, ut relicta ſemita rectiori tempus inutiliter terant, nec aliter veritatem perveſtigare curent, & tandem in deſperationis barathrum præcipitari opus Sophiſticum meditentur. Itaque cùm ad libros meos recurriſſem quos à multis retro annis non videram, aucto nonnihil tot experimentorum eventibus judicio, & praxim qualemcunque lectioni conjungerem, tandem divina favente gratia, ſulphur Philoſophorum agnoſcere incepi, & eorundem ſcripta de die in diem melius intelligere, vidique fruſtra me per tam longinqua & difficilia itinera quæſiviſſe, quod jamdudum domi haberem, cùm auri appellatione non aurum crudum & vulgare, ſed ſuum intelligant Philoſophi; eſt enim vulgare, corpus mortuum, & nihil operatur niſi quod induſtria hominis illi adminiſtratur: nihil etiam opus intrat, quod digeſtum non ſit & cœlum aëris petierit. Quare Lullius (*de intent. Alc.*1.) Quidam cum Mercurio volunt ſolvere aurum & argentum, quæ res eſt inutilis, niſi eorum corpora ſint ex ſubtiliatione facta ſpiritualia ſicut eſt Mercurius, & poſt conjungere & tenere ſuper ignem graduatum. Item Arnald. (*Roſ. p.*1. *c.*6.) Nullum corpus in natura ſua manens Mercurium coagulat, nec etiam ipſe Mercurius medetur corporibus, quoniam in examinatione ab illis recedit, nam groſſa ſimplicibus, & ſimplicia groſſis minus conveniunt. Hæc etſi fortaſſe diffuſius quam inſtituti operis labor brevitatis me admonens poſtulare videatur, non abſurdè tamen, neque abſque multorum commodo factum judicavi, qui alieno edocti exemplo poſthac cautiores erunt, cùm non me ſolum & amicum, ſed etiam alios ejuſmodi technis diabolicis illuſos fuiſſe compertum habeam. Qui quamvis circa inutilia operam impenderent, & experimenta tractarent etiam naturæ contraria, tamen principia aliquando felicia habuere, quæ fortuitò intermiſſa nunquam reſtaurari, aut ad eundem ſtatum reduci potuerunt. Proinde conſulo ut artem quiſque dæmonis illuſionibus adeò obnoxiam vitet, vel ſaltem ne primis progreſſibus quos ſibi animo propoſuit nimium fidat, niſi ratio evidens appareat, & opus reiteratum feliciter ſuccedat; imò hunc caſum inter difficultates artis primarias enumeret.

PARS SECUNDA.

In qua de difficili Librorum Intellectu agitur.

ABſoluta priori Operis parte, quam de impedimentis artificem retardantibus inſcripſi, ad ſecundam devenio, quam difficultatis paulò plus habere cuilibet notum eſt. Si enim artificem quippiam remoretur, id fortè perpetuum non eſt, aut aliqua ratione & modo compenſari poteſt: At hic nihil ſimile; una quæpiam porta aut janua pateat neceſſe eſt, ſi quis in domum undique muratam & clauſam intrare cupiat, quæ niſi patuerit, fruſtra ſibi ad interiora conclavia aditum aut progreſſum pollicetur. Ita omnis luditur opera Chemiſtis, qui per Philoſophorum ſcripta bene examinata & intellecta, ex hac arte fructum aliquem percipere ſperant, niſi tam felici ſydere nati ſint, ut per vocem viventis, aut per revelationem divinam ejus ſcientiam adipiſcantur. Qui aliter lapidem tentat, & caſu ſe inventurum confidit, eum inſanire, & in Anticyram deportandum cenſeo. Quam autem arduum ſit & operoſum libros Philoſophorum de hac conſcri-

conſcriptos intelligere, quis aptius declaret, quam ipſimet ſapiētes? qui illius difficultatem experti ad poſteros more antiquorum recepto eandem tranſmiſerunt. Audiamus quid dicant. Roſinus (*Ad Eutychiam.*) Philoſophi nil poſteris ſuis de hac arte palam facere voluerunt, ita quod ea quæ in libris ſuis figurativè poſuerunt ſciri nequeunt, niſi à Deo vel à docente oſtendantur, Geber. [*Sum. perfect. c. ult.*] Artem inventam non niſi ſolis nobis ſcripſimus, & non aliis, veriſſimam tamen & omninò certam. Lilium: Noſtros libros non compoſuimus niſi nobis & filiis noſtris. & qui ad intelligendum eos venerit, è noſtris eſt; qui autem non intellexerint, nobis contrarius eſt. In eandem ſententiam loquitur Morienes. Sunt libri ſub figura de hac arte compoſiti, quorum pars major multum obſcura videtur nec niſi à ſuis compoſitoribus poteſt intelligi. Hortulanus dicit ſolum illum qui ſcit operationem lapidis, intelligere verba philoſophorum. Sic enim ille: (*In expoſit. tab. Hermetis*) O lector chariſſime, ſi ſcis operationem lapidis, tibi dixi veritatem, ſi verò tu neſcis eam, nihil tibi dixi. Sed ſi interroget, quare igitur ſcripſerint, audiat Auctorem Viæ univerſalis & Gebrum: (*Cap. ultim. Sum. Perf.*) Per hæc quæ dicemus, alliciemus te fili doctrinæ ad ipſam indagandam, & veraciter inveniendam. Sed inquiramus occultandi modos, & cauſam difficilis intellectus librorum chemicorum inveſtigemus. Ea magis innoteſcet, ſi rationem ob quam cæteræ ſcientiæ faciliores ſint perpendamus; contraria enim juxta ſe poſita magis exluceſcunt. Omnis igitur alia ars & ſcientia rhetoricè & ordine quodam in ſcriptis ſuis procedit per capitula, principia, & terminos, cum definitione & expoſitione nominum & inſtrumentorum, quibus pervenitur in cognitionem & notitiam concluſionum ipſius & ſui operis; docet & explanat quibuſcunque poteſt modis: At hæc contrario planè modo abſque ulla notitia principiorum artis, terminorum & inſtrumentorum, tradit opus ſuum, immiſcendo falſa veris, & vera falſis, nunc diminutè nimium, nunc ſuperabundanter, & ſine ordine, & ſæpius præpoſtero ordine, & nititur omnia obſcurè tradere, & occultare quantum poteſt. Nec id ipſum diffitentur Philoſophi. Sic enim Auctor Viæ univerſ. (*Ad Eutychiam.*) Libri iſtius ſcientiæ non ſunt ſcripti ad doctrinam ipſius, ſicut libri aliarum ſcientiarum, ſed ſunt tantum quantum figuræ ipſius ſcientiæ. Roſinus. Scitote quod Philoſophi nunquam verum verbum poſuerunt, quin plurima cum eo falſa commiſcerent, totumque hoc ſecretum fictis nominibus appellaverunt. Geber. (*Sum. perf. cap. ult.*) Non tradimus ſcientiam noſtram ſermonis commutatione, ſed eam ſparſimus in diverſis capitulis & eam ſimiliter occultavimus, ubi magis apertè loquuti ſumus non tamen ſub ænigmate, ſed ſub plana ſermonis ſerie. Et Bion in Turba. Mirum eſt, cur invidi finem ante principium poſuere. Et Auctor Conjug. Solis & Lunæ: Philoſophi finem ante principium in ſuis tractatibus ſæpius poſuerunt, principium in fine interſerentes. Unde quandoque ſuppreſſerunt primum opus & locuti ſunt de ſecundo, quandoque primum opus pertractaverunt dimittentes ſecundum: Quandoque cum radicibus ſcientiæ, quandoque ſine numeris. Propter quod Hermes in lib. radicum qui eſt ſecundus de ſeptem dicit, quod ſapientia auctoris eſt major ſuo libro; poteſt enim auferre principium vel finem cum radice, vel ſine radice ſicut primus inventor; hæc ille. Non eſt itaque mirandum ſi in hac ſcientia ſtudentes & operantes errent valde, quia nemo aſſerere audet certam & determinatam fuiſſe intentionem philoſophorum hanc vel illam, niſi cum actu jam illam habet, aut juxta eſt.

Quid autem moveri philoſophos, ut hanc artem per ſimilitudines & allegorias obſcuras deſcriberent, una traditur paſſim ratio univerſalis, ne inſipientibus, indoctis, & impiis patefieret, & ne indigni in contemtu naturæ tanto theſauro potirentur; particulatim vero invenio cauſas duodecim: Primam adducit Auctor viæ univerſ. Ne cognoſcatur & ſciatur quod hæc ſcientia ſit vera & omnino certa. Et profecto niſi ea incertitudine & dubitatione hominum animi coercerentur, multo plures ſeſe nexibus indiſſolubilibus hujus artis intricarent, avari præſertim & arrogantes, quique dominandi libidine æſtuant. Secundam allegat Hamuel in Seniore: Ut attribuerent illam Deo glorioſo, ut revelaret illam cui vellet, & prohiberet à quo vellet. Hinc Geber. (*Sum. perf. cap. 7.*) Ars noſtra in potentia divina ſervatur & cui vult elargitur, & ſubtrahit. Et Morienes. Scire te convenit, quod magiſterium nihil aliud eſt, niſi ſecretum & arcanum Dei Glorioſ. Tertia deſcribitur ab Hermete, (*Tract. 1.*) ne mali potentes fiant ad peccata perpetranda. Et à Roſino, ne quis malefactor hoc lapide habito illicita ageret, & ad ſuum eſſet detrimentum. Quarta invenitur apud eundem Hermetem, ne videlicet Philoſophi cogerentur reddere rationem illorum, quæ mali inique agerent hujus artis fiducia. Quintam tradit Pythagoras in Turba. Hoc Deus à populo celavit, ne mundus devaſtaretur. Et Alphidius. Quidam Philoſophorum Deum timentes, non tam ſublime & pretioſum hoc arcanum habuerunt, imò opus ſuum manifeſtè ſcribere voluerunt, ſed expaveſcebant hoc agere, eo quod mundum deleret, & plantandi, ſerendi & arandi opus periret. Petierunt ergo à Deo, ut ex hoc mundo ſe extraheret impunitos, quos Deus docuit librum velatum componere, ſapientum tractatus in eo ſcribere. Sextam reddit Rhaſis (*In lum. luminum.*) Si omnia, inquit, prout ſe habent vellem enodare, nullus ultra prudentiæ locus eſſet, cum inſipiens ſapienti æquaretur, & pauper diviti, nec ſub circulo lunari quiſpiam mortalium inediarum defleret anguſtias. Septima dari poteſt, ut unuſquiſque ſapiens cum ſumma diligentia & maximo ſtudio ſcientiam invenerit, magis eam diligat, & caram habeat, & abſcondat, & immortales gratias agat Deo creatori. Sic enim auctor Dialogi naturæ & fil. phil. Multum obligamur Philoſophis, qui hanc ſcientiam taliter nobis tradiderunt, ut eam acquirendo cautos atque ſubtiles, imò & Deo magis devotos redderent. Octava, quod timerent maledictiones & anathemata veterum. Sic enim Mireris: Philoſophi hoc celaverunt, & nullo modo narrare præſumſerunt, qui præceptis, maledictionibus, & anathematizationibus id prohibuere, hoc itaque patentiſſima demonſtratione exponere prout creatura timeo. Et Jo. Rupeſciſſa (*Lib. Lucis.*) Philoſophi quibus magiſterium fuit revelatum conjurati ſunt horribili maledictione Dei, ne ulli hominum hoc divinum opus apertis verbis declararent, ne ad manus parvorum deveniret. Et Lullius. (*In Apertorio.*) Illud ſecretum nulli hominum carnali revelare expedit, quia maledictus eris per tanti ſecreti manifeſtationem, quia nemini revelare licet niſi ſoli Deo. Ipſe enim cui vult, & quibus intereſt revelari, illis revelabit. Nona invenitur in fine Turbæ. Ubi ſic ait. Niſi nomina multiplicarentur in hac arte, ſapientiam noſtram pueri derideren t. Decima traditur ibidem. Si Re-

ges

ges & Principes eam ſcirent, non permitterent ad pauperes devenire. Undecimam docet Mundus in eadem Turba. Si venditores hanc mineram agnoſcerent, non venderent eam tam vili pretio. Duodecima eſt invidia. Unde Roſinus. (*Ad Eutychiam.*) Dei judicium eſt hoc ſecretum invenientes invidiam invenire. Idem. Nemo inveniens hoc arcanum caret invidia, nam factum vellet quod nemo alius ſciret. Non quod invideant bonis & ſapientibus, verum ignaris & vitioſis, ut inquit Hermes. Et Geber. (*Tract.* 1. *Sum. perf.* 86.) Si hanc ſcientiam palliavimus non miretur doctrinæ filius, non enim illi palliavimus, ſed malis & improbis; eam tali ſermone tradidimus, quem latere inſipientem neceſſario accidet, & eodem ad illius inventionis perquiſitionem prudentes allicio. Alioquin niſi rationibus & juſtis de cauſis philoſophi deterrerentur, licenter & apertè opus lapidis deſcriberent, cum ſapientis proprium ſit docere, poſſe & velle, prout ex Alphidio ſupra allegato patet, teſte etiam Hebnebes Hamech in fine quarti 2. Platonis. Non eſt aliquid, inquit, ex voluptatibus hujus mundi mihi dulcius, quàm juvare inquiſitorem in qualibet ſpecie hujus ſcientiæ, in hoc quod quærit. Et Hamuel in Seniore. Si ſim magnæ rationis in ſcientia & aperti mihi fuerint tropi eorum occulti, & manifeſtum eſt mihi quod occultaverunt, & hoc apprehendi per ſcientiam, debeo hoc rectè appropinquare intellectui ſucceſſorum meorum ſermonibus in aperto velatis, ſignificantibus intellectum occultum, &c. Et alio loco. Deus ſit teſtis ſuper nos, & non prohibeatis eos qui ſunt digni ex fratribus noſtris, & non expandatis eos indignis. Non eſt itaque mirandum, ſi libros ſuos de hac arte obſcurè ſcripſerint, aut multis ambagibus velatos, cum non niſi magna ratione id factum ab illis fuiſſe conſtet, & non eventu, aut ut multi opinantur, ut ipſi nimium credùli & decepti alios viciſſim deciperent, quod non cadit in virum probum & philoſophum, qui ſui memoriam nulla labe contaminatam ad poſteros tranſmittere conatur. Neque verò hic ſcribendi modus novus videri, aut improbari debet, niſi eadem ratione veterum omnium in philoſophando conſuetudinem damnemus. Ariſtoteles enim in quadam epiſtola ad Alexandrum ita à ſe quædam edita eſſe ait, ut quaſi non edita eſſe videantur. Et Plato in epiſtola ad Dionyſium: Cave, inquit, ne excidant hæc unquam in aures hominum diſciplinæ eruditioniſque expertium. Extat enim Lyſidis ad Hipparchum epiſtola, ex qua paucula in hunc locum transferam: Meminiſſe, inquit, divinorum præceptorum illius (Pythagoram intelligit) pium eſt, nec bona Philoſophiæ cum illis communia facere, qui ne ſomniare quidem animi purificationem potuere: nec fas eſt ea omnibus porrigere, quæ nos cum tot laboribus adepti ſumus, quemadmodum nec profanis hominibus Eleuſinarum dearum licet arcana patefacere, æque enim utrique iſta facientes injuſti atque impii habebuntur. Et infrà. Multi te publicè philoſophari nobis retulerunt, quod Pythagoras vetuit. Porphyrius [*Initio lib. de reſponſis Philoſ.*] quoque cum omnibus ſcripta ſua communicari vetat. Tu cave, inquit, ne aut lucri aut inanis gloriæ gratia ſceleſtis & indignis hominibus hæc tradas, non enim parvum tam tibi qui edes, quam mihi qui tibi credidi periculum imminet. His autem ſolummodò hæc communicanda ſunt, qui vitam ad animæ ſalutem duxerunt; nam & ipſi Dii non apertè ſed ænigmaticè hominibus iſta tradiderunt. Meminiſſe etiam verborum Salvatoris noſtri [*Matth.* 7.] æquum eſt, margaritas ante porcos non projiciendas, & ſanctum non eſſe dandũ canibus. Sed ut unde digreſſus ſum revertar. Cum Philoſophi conſulto nunc ordinem invertendo, nunc falſa veris commiſcendo, nunc addendo, nunc minuendo obſcuritatem affectarint, illam per ænigmata, tropos ſeu figuras, allegorias, & ſimilitudines ſic auxerunt, ut Theſei filo opus habeat, qui ſe ex inextricabilibus hujus labyrinti ambagibus educi deſideret. De ænigmatibus quidem hoc Ariſtotelis chemici exemplum eſto: Fac de maſculo & fœmina circulum rotundum, & de eo extrahe quadrangulum, & de quadrangulo triangulum, & de triangulo fac circulum rotundum, & habebis magiſterium. Item illud Lulli: (*Teſt. cap.* 5.) Res cujus caput eſt rubeum, oculi nigri, & pedes albi, eſt magiſterium: & mille & alia ubique occurrentia. Tropum licet animadvertere in hoc Senioris. Accipite res à mineris ſuis, & exaltate eas ad cacumina montium ſuorum, & reducite ad radices ſuas. Allegoriæ paſſim apud auctores ſunt obviæ, qualis eſt Ariſtæi viſio, Comitis Bernardi de rege & fonte, Senioris de venatione leonis, Merlini de Rege expediente ſe ad bellum contra hoſtes ſuos, & Antonii de Viva petra de virgine dominandi cupida, & aliorum multorum figmenta, quæ in hunc locum conferre longum eſſet, & cum legentium tædio potius quam aliqua utilitate. In ſimilitudinibus & comparationibus ut diutius paulò immorer ratio ſuadet, cum ex earum infelici intellectu tot errores, & tot impoſturæ originem ducant, tantorumque ſumtuum & quod maximum eſt tam pretioſi temporis jactura fiat. Philoſophi itaque ut ab arte excluderent indignos, eandemque manifeſtè traderent doctis & prudentibus, lapidem ſuum comparaverunt omnibus rebus elementatis ſive eæ ſint corporales ſive incorporales, viſibiles aut inviſibiles, cœleſtes & terreſtres. Unde Mireris: Si ſpirituale nuncupes probabile quid agis, ſi corporale verum dicis, ſi cœleſte non mentiris, ſi terrenum verum refers: in ipſo etiam ſunt cæli, terræ, æſtatis, autumni, hyemis & veris figuræ, & maſculinitas & fœminitas. Item Alph Scito fili quod in Sapientum libris ſunt quatuor elementa, & cujuslibet vegetabilis figura, & cujuslibet animalis, & cujuslibet lapidis; in quo etiam maris, montium, fluminum, cœlorum, terrarumque, & omnium ſegetum, corporum & ſpirituum, ſubſtantiarum & colorum ſimilitudo. Si quis autem à me expectet omnium, quæ dixerunt Philoſophi rationes, is fallitur; neque enim hujus id eſt inſtitui neque laboris, cum ſingularis volumine indigeat, & difficilè admodum ſit mentem cujuſque ſapientis ſemper aſſequi, cum non ſolum formas manifeſtas & proprietates rerum extrinſecas, quæ ſenſibus ſubjectæ ſunt, ſed etiam intrinſecas & occultas, donec arte manifeſtentur, ſæpenumero intelligant. Dicunt enim omne extrinſecum ſuo intrinſeco contrarium eſſe; unde quod in manifeſto frigidum & humidum eſt, in occulto calidum eſſe & ſiccum. Eodem modo de rerum coloribus judicandum, ſicut videre eſt in plumbo quod extrinſecus lividum & nigrum, intrinſecus eſt rubeum, quod patet ex calcinatione ejuſdem, dum in minium tranſit. Idem quoque conſpicitur in vitriolo, quod in manifeſto cæruleum, vel viride aut ad viriditatem declinans, per aſſationem in colchotar rubeum tranſmutatur, atque ita ejus profundum & intrinſecum viſui patefit antea occultum, & è contra, quod antea manifeſtum erat, occultatur. Quare cum à formis & rerum proprietatibus

tam

tam manifestis, quam occultis, & similiter à coloribus, sæpius à statu & conditione operis aut à loco ubi generatur lapis, imò ab omnibus rebus elementatis, nomina mutuarint Philosophi, mirum non est si varient valdè, & diversis nominibus eandem rem vocent: nec enim curant de verbis, ait Rosarius, sed de natura & proprietatibus rerum descriptarum, & nomine unius sæpè intelligunt aliud, nam res non sunt verbis subjectæ, sed è contra verba rebus. Et si semper de virtute intentionis verum dixerunt, sed de virtute sermonis non item. Unde Senior: Sapientes usi sunt diversis tropis in assimilatione, & sunt diversi in nominibus, sed intellectus, in quem innuunt est idem. & Alphid. Corda brutorum animalium, & fel, & succos herbarum, & omne quod est in terra & super terram multiplicaverunt sapientes in hoc opere, parabolas, nomina & actiones, ut ab insipientibus tollerent, & intelligentibus demonstrarent. Scito quod non eges illis nominibus, sed uno tantum nomine quod est aqua, & una actione quod est coquere. Et Mireris. Quilibet sapiens eam proprio nomine nuncupavit, quodlibet tamen nomen verum est & directum. Hanc enim Artem dicunt esse ad instar cœli & stellarum, & verum dixerunt; in eo namque sunt septem planetæ. Hujus autem rei quod sursum elevatur cœlis asserunt esse simile, quod verò deorsum descendit, terram dicunt; quod verò calidum, igni referunt; quod aëreum, vento; quod humidum, marium nuncupant & aquarum nominibus, ac maris animalium; quod de colore suæ viriditatis, vegetabilibus referunt & arboribus; quod conjunctum & siccum, lapidibus; quod verò sequestratum, arenæ referunt, & cinerem esse dicunt; quod mobile volatilibus; quod fluxibile & liquabile olco comparant, quare ejus nomina multiplicata sunt. Et Anastratus in Turba. Hoc secretum invidi assimilaverunt arboribus, metallis, volatilibus, & reptilibus, & quanto plus potuerunt, nomina variarunt. Hæc sapientum dicta quanquam sufficere deberent, tamen ad majorem legentium utilitatem exempla quædam in medium adducere non pigebit, & ab homine quidem incipientes, ad animalia, vegetabilia, metalla, media mineralia, colores, distinctionem humidi & sicci, & si quæ sunt similia progrediemur. Primum itaque Lapis homini comparatur, quia non nisi ratione & scientia humana ad eum pervenitur, & quia non nisi ab homine perficitur aut propter animam lapidis quam hominis animæ compararunt. Unde Auctor Conjugii Solis & Lunæ ex Turba majori ni fallor: Accipe hominem & tunde eum super lapidem, trahendo donec moriatur, & corpus spirituale fiat, postea redde ei animam suam. Mirum est profecto idiotas & indoctos, qui verborum sonum & intellectum occultum attendunt, cum istiusmodi legant, non eadem trahere ad similia. Quis enim ita insaniat, ut juxta literam hominem capiendum putaret, tundendum & occidendum, ut Philosophorum lapis ex eo producatur, & tandem anima semel exemta in eum denuo refundatur? Sic non majore pollent judicio, qui Philosophorum verbis insistentes, ex animalibus, vegetabilibus, mediis mineralibus, & lapidibus Elixir constitui posse credunt. Quos merito subsannat Havel in Seniore. Hi inquit, dixerunt quod pater auri & argenti sit animal terræ & maris, vel homo, vel pars hominis, ut capilli, sanguis, menstruum, secundina; & quidam dixerunt in arboribus, plantis & herbis; & quidam in lapidibus, arsenicis & aliis mineralibus, & alienati sunt à veritate scientiæ. Sed pergamus ulterius. Interdum lapis homo galeatus & altus dicitur, cum nimirum humiditas ejus per cucurbitam & alembicum destillatione excipitur. Sic etiam lapidis compositum Rex & Regina dicuntur. Unde in Turba legimus. Veneramini regem & ejus uxorem, quoniam nescitis quando indigetis his, quæ regem & suam uxorem emendant. Sic vir & mulier dicuntur, masculus & fœmina propter copulam videlicet, & actionem & passionem. Rosinus Artis auri arcanum ex mare & fœmina consistit. Pater item & mater, & filius, respectu generantium & generati. Hermes. Pater ejus est Sol, mater Luna. Et Rosarius. Ipsa ut pia mater fovet filium suum. Quandoque solum de muliere loquuntur subtracto nomine masculi, sicut Theophilus in Turba: Mulier suos fugiens generos illis per se quamvis coacta domestica fit; ubi mulier pro lapidis humiditate, quia instabilis & inconstans fugiens ab igne. Quandoque solum de viro. Non opus est de singulis exempla adducere, cum ubique apud auctores occurrant. Sufficiat monuisse hæc omnia diverso dici respectu, & nunc eos de lapidis principiis, terra videlicet, aqua, & igne, seu corpore, spiritu & anima singulis & separatis, nunc de omnibus & conjunctis loqui. Senem etiam & juvenem lapidem dixere. Unde Rhasis, Lapis noster primo senex, ultimo juvenis, quia albedo est initio, rubedo in fine. Et in Turba: Accipe arborem, & impone ei magnæ ætatis hominem, &c. Cum vero terra paulatim aquam suam ebibit, dicitur puer lactans. Unde Eminganus in Turba: Inspicite lactantem puerum, & non impediatis eum, in eo enim manet arcanum. Vocantur eadem frater & soror, patruus, avunculus, socer, gener, fratres uterini, socii, servus rubicundus, virgo, puella, vir indutus pulcherrimis vestimentis, Rex diademate rubeo coronatus, &c. Eodem modo animalibus lapidem assimilaverunt propter sanguinem quo vivunt, nam anima cujusque animalis in sanguine. Tincturam enim suam sanguini comparaverunt propter rubedinem, & quia calorem & vitam dat corpori sicut sanguis animali, quo privatum privatur & vita. Lilium: Si animalia lento igne regantur, compositum suave fit. Et Acsubufon in Turba: Accipite animal quod dicitur kenkel, & ejus humiditatem quam ejecit. Sed non solum nomine animalis generali usi sunt, sed etiam ad species descenderunt, sic Leonem vocarunt, gryphum, camelum, equum, canem, vitulum, propter rationem supradictam, aut proprietatem aliquam quam habent prædicta animalia & similia communem cum lapide. *(Alb. secr. Ald.)* Unde in Alleg. Sap. Hermes: Si camelorum tuorum tertiam partem consumas, duabus tertiis residuis jam ad propositum pervenisti. Quæ similitudo desumta videtur à longitudine colli camelorum quod est instar cucurbitæ per quam ascendit spiritus, de quo loquitur Haly in secretis. Accipe Canem corascenem masculum, & caniculum Armeniæ, & junge simul, & parient canem coloris cæli. Avium etiam & insectorum omniumque volatilium nomina lapidi donarunt, eo quod sursum elevetur & quasi volet, quamvis etiam propter alias rationes. Sic gallum, gallinam, corvum, aquilam dixere. Alphid. Nulla aqua fit quelles, nisi illa quæ fit de scarabeis aquæ nostræ. Piscibus item assimilarunt, unde Mundus in Turba: Recipe partem de felle piscis, & de urina vituli partem, &c.

Et in ænigmatibus Sapientum. Eſt in mari noſtro piſciculus rotundus, oſſibus & cruribus carens, &c. Animalium etiam partibus, Cordi, hepati, ſtomacho, capiti, cerebro, oculis, ventri, mammis, nervis & venis: Humoribus quoque eorundem, bili, ſanguini, pituitæ, melancholiæ. Unde Morienes. Accipite phlegmaticum, & cholericum, & terite ſanguinem cum eis. Omnibus etiam ex animalibus ortum habentibus, velut ſunt capilli, ſecundinæ, ungues, menſtruo item, ſemini & lacti; quia ſicut animalia ex ſeminibus maris & fœminæ generantur, & menſtrui acceſſione creſcunt & augentur, & lacte quod nihil aliud eſt quam menſtruum aut ſanguis bis coctus nutriuntur, ita & lapis. Hinc, Arnald. (*In libro qui flos florum inſcribitur.*) Nutritur autem lacte ſuo, id eſt, ſpermate ex quo fuit ab initio. Excrementis item animalium, ſtercori, urinæ, & ſudori, propter fæces lapidis, & puri ab impuro ſeparationem, aut malum odorem, & evaporationem humiditatis ſuæ ſuperfluæ, quæ urina infantis Lullio vocatur. Poſſem hic & in plurib. aliis rationes aſſignare ab his diverſas ex ſtellicis Platonis & commentatore ejuſdem Hebnabes Hamech, ſed nolo eſſe longior. Ovo etiam lapidem compararunt, quia ſicut in ovo eſt album & rubeum, videlicet albumen & vitellus, & cortex qui eſt loco terræ, ita & in lapide. Unde Mireris: Nonne vides quod nutritionis gallinæ calore fit ex ovo gallus volatilis? ſimiliter hujus putrefactionis calore, fit ex ovo noſtro gallus volans. Et Hermes: Inquiſita à Philoſophis diſpoſitio una eſt, in uno noſtro ovo. Vocarunt etiam lapidem venenum, & compararunt baſiliſco, draconi, viperæ, ſalamandræ, ſerpenti, lacertis, & aliis reptilibus, & bufoni. Unde in ænig. Sap. legimus: Accipe viperam & priva eam capite & cauda, in iis enim locis latet ejus venenum. Et Hermes: (*Tract.* 2.) Tunc ſit draco alas ſuas comedens, ſeque mortificans. Et Roſarius: Aquila volans in cælum, & bufo gradiens ſuper terram eſt magiſterium. Ratio hæc poteſt reddi, quia ſicut baſiliſcus, & vipera & ſimilia venenata interimunt animantia ſuo afflatu & contactu aut morſu, & venena naturam humanam pervertunt, ita & ſulphur Philoſophorum Mercurium vivum vapore ſuo & tactu mortificat, & naturam ejus immutat. E diverſo dicitur quoque lapis theriaca, antidotum, medicina, medicamentum, quia ſicut theriaca & medicamentis arcetur à corde venenum, aut retunditur vis ejusdem, & corpora ægrota ad ſanitatem reducuntur, ita per Elixir, Mercurio venenum ſuum aufertur, & dum in aurum tranſit, ſalubre temperamentum ei conciliatur, & alia metallorum corpora leproſa & impura mundantur, & in aurum vel argentum tranſmutantur. Idcirco Auctor perfecti magiſterii, ſive Rhaſis is fuerit, ſive alius: Elixir eſt compoſitum ex ſpeciebus limpidis antidotum, medicina & purgamentum omnium corporum purgandorum & curandorum & convertendorum in Lunificum & Solificum verum. Arboribus etiam, fruticibus, plantis, herbis, radicibus, floribus, omnibus vegetabilibus lapidem aſſimilarunt. Unde Balgus in Turba. Quidam fructus exeunt à perfectiſſima arbore primo vere & in exitus initio florent, Et Hermes Viris ſapientum: (*Tract.* 1.) Succus in 150. diebus extrahitur. In ænig. quoque Sap. Radix eſt quæ cum ſuo ſtipite & ſucco teratur, &c. Sic paſſim legimus de roſis albis & rubeis, de Lunaria, mercuriali, portulaca marina, chelidonia & geldo aliisque compluribus. Et hoc quidem propter viridem colorem qui eſt proprie vegetabilium. Quare Mireris: Nullum vegetabile nec fructus ullus appareret germinando, quin ſit ibi viridis color, ſimiliter hujus rei germinatio viridis eſt, quamvis in quibuſdam aut nomenclaturam aut ſicci calorem ſequuti videantur Philoſophi. Sed quoniam de reptilibus & vegetabilibus egi, potuerunt etiam præter rationes jam dictas lapidi nomina quædam impoſita fuiſſe, propter mirabilem varietatem figurarum quæ in ipſo opere apparent, coloribus aliquot ſimul emergentibus, ſicut in nubibus aut in igne formas miras animalium, reptilium, aut arborum quandoque imaginamur, prout in fragmento quodam libri Moyſi adſcripti inveni in hunc modum: Cum corpus fuerit ſolutum, apparebant aliquando rami duo, aliquando rami tres, aliquando plures, aliquando formæ reptilium, aliquando ac ſi ſederet homo ſuper cathedram cum capite & omnibus aliis membris, &c. Gummis etiam, reſinis & aliis liquoribus ex arboribus, fruticibus, aut plantis defluentibus lapidem compararunt. Unde Mundus in Turba. Gumma noſtra fortior eſt auro. Et Maria: Matrimonifica gummi cum gummi vero matrimonio. Partibus item arborum & plantarum, utpote foliis radicibus, corticibus & lignis ſiccis. Metallis quoque tam imperfectis quam perfectis, partim quia omnia metalla ſunt in lapide virtute & potentia, partim etiam ob alias diverſas rationes. In principio enim decoctionis dum lapis niger eſt & crudus admodum, plumbum nominatur, cum vero aliquantulum nigredinem dimittit, & dealbari incipit, ſtannum dicitur: item cum corpus calcinatum privatum eſt humiditate ſua ut fluere non poſſit quemadmodum ſolebat, ferrum vocaverunt, quod niſi difficulter admodum fluit. Unde Anaſtratus in Turba. Sumite ferrum & facite inde laminas tenues, & aſpergite illas veneno. Similiter æs & latonem lapidem appellarunt. Unde in Turba. Non fit tinctura vera niſi ex ære noſtro, propter eandem cum ferro rationem, vel colorem æri ſimilem. Mireris. Æs Philoſophorum non eſt æs, ſed propter colorem æs dixerunt. Argento quoque comparaverunt lapidem cum jam perfecte dealbatus eſt, & non eget niſi fermento Lunari. Auro vero cum perfecte rubet. Argento vivo cum lapis jam ſolutus eſt, & in argentum vivum converſus. Lapidem ſuum etiam dixerunt nummos, pecuniam, domum theſaurariam. Aſtratus in Turba. Accipite ex ære Philoſophorum partem & nummis miſcete. Ad prædictorum intellectum confert illud Roſini: Philoſophi quando dicunt æs noſtrum, pecuniam noſtram, aurum noſtrum, magneſiam noſtram, æs ſibi ipſis relatum dicere voluerunt, ſimiliter de auro, plumbo, magneſia, pecunia ipſis relata. Mediis item mineralibus auripigmento, arſenico, ſulphuri, marchaſitis, magneſiæ, thutiæ lapidem aſſimilaverunt: vel ob adſtrictionem; vel pondus; vel ſcintillas auri & argenti quibus micant, cum idem contingat in opere Philoſophico, juxta illud Morieni: Terra fœtida cito recipit ſcintillas aureas, vel ratione unctuoſitatis, aut ſulphuris quod in ſe continent; ſive alias ob cauſas quæ multæ ſunt: Exempli loco paucula erunt. Parmenides in Turba. Accipite argentum vivum & in magneſiæ corpore coagulate, vel in ſulphure quod non comburitur, Senior. (*In clavi Sap. ma.*) Niſi in auripigmento virtus eſſet congelandi Mercurium, nunquam perficeretur magiſterium. Et D. Thomas: (*Ad fratr. Rainald. ca* 2.) Recipe Antimonium noſtrum, vel terram nigram oculoſam &c. Salibus

item

item omnibus, aluminibus, atramentis. Et salibus quidem, quia aperiunt, incidunt, extenuant, corrodunt, humectant, solvunt, & metalla calcinant, & eadem fluere faciunt. Et quoniam eorum quædam volatilia sunt, ea spiritui, fixa vero corpori compararunt. Alumina & atramenta adstringunt, & cruda humore abundant, calcinata vero sicca magis sunt, & ignea, coloremque rubeum assumunt, instar lapidis, qui primum solutus humiditate superflua laborat, quæ diuturna coctione perit, & tandem in rubedinem convertitur. Aquis etiam corrosivis spiritum suum comparant Philosophi, quia sicut aquæ compositæ ex salibus, atramentis, & alumine, corrodunt & solvunt, metalla, & eadem dividunt, & separant ab invicem, ita etiam spiritus seu aqua Philosophorum corpus suum solvit, & tincturam ab eo separat. Unde Auctor Ros. minoris aquæ fortis laudes & opera describit. Resolvit inquit solidum, & reddit liquidum, mundat immundum, corrodit superfluum, omnia penetrat, durum mollificat, & est clavis totius artis, &c. Lullius etiam frequenter aquis fortibus utitur. Sed quoniam de mediis mineralibus, salibus item & atramentis, nec non aluminibus in tertia hujus libri parte aliquid etiam dicendum est, ad colores transibo, à quibus nomina infinita mutuarunt Philosophi. A viridi enim omnium vegetabilium appellatione lapidem dictum fuisse superius demonstravi; sed cum præter illum & alios intermedios tres præcipuos enumerent Philosophi, nigrum videlicet, album & rubeum, ab illis potissimum lapidem denominarunt. Propter nigredinem enim, ab omnium nigrarum rerum appellationibus nomina desumpserunt. Sic antimonium, pix, carbo, corvus, caput corvi, plumbum, æs ustum, ebur ustum dicitur. Hermes: Caput corvi artis est origo, id est, nigredo. Et Socrates in Turba. Absque plumbo nulla fit tinctura vera quæ vim habeat, id est, absque nigredine. Propter albedinem omnium alborum denominationes acceperunt, quare lapis dealbatus talcum dicitur, marmor, argentum, ebur, flos salis, ossa, crystallus, lumina crystallina, margaritæ, calx, cortices ovorum, luna calcinata, nix, grando, cineres clavellati, terra alba, lapis candidus, pulvis albus stellatus, splendidus. Item ab omnibus rubeis, rubificantibus, & per artem rubificatis. Propterea lapis rubeus, crocus, cinnabrium, minium, lapis, hæmathites rubeus, sanguis humanus combustus, vitellus ovorum, alumen calcinatum, coralli, aurum vocatur. Exempla non adduxi, quia infinita ubique occurrunt. Similiter quia in opere duabus egemus naturis seu qualitatibus, humidi videlicet & sicci, Aquam suam omnis humidi nomine vocarunt, aceti, urinæ, sudoris, lactis, syrupi, brodii & aliorum innumerorum. Baccon in Turba. Reddite ei sudorem suum. Et Borates ibidem. Regite lapidem granatorum syrupo. Maris etiam & marium fluminumque; hinc Miteris tria maria nominavit tria argenta viva, sive tres aquas quibus in opere suo egent Philosophi, mare nempe Ægypti, meridiei, & Indorum. Et Aristhenes in Turba, Accipite corpus, & maris nostri aquæ imponite. Senior: (*In libr. de fig. & ima.*) Sapientes nominaverunt lapidem suum mare, quia ex eo ascendunt nubes eorum & pluviæ. Unde Lucas in Turba: Sumite nubem & cum suo coquite corpore donec stannum fiat. Fellis etiam & fellium nomine usi sunt. Hinc Rosin: Fella de quibus loquuti sunt Philosophi, nihil aliud sunt quam aqua sulphuris. Forte propter colorem bilis flavum, aut quia amara, quæ calida sunt & acuta & pungentia. Olei etiam, butyri, pinguedinis & unguenti appellationibus, tincturam suam intelligi volunt, quia sicuti pinguia omnia tenacius adhærent, nec facile eluuntur è panno & vestibus, aut aliis rebus quibus inciderunt, ita nec tinctura Philosophorum, cum semel corpus suum introiverit. Hinc illud Arnaldi: (*Ros. part. 2. c. 11.*) A qua abluit & mundificat, oleum vero tingit & colorat. Hermes: Terræ nostræ unguentum est sulphur. Senior: Pinguedo & pinguedines sunt nomina aquæ divinæ. Eodem modo terram suam omnis sicci appellatione intelligunt, lapidis, arenæ, calcis, cineris, &c. Unde Attamanus in Turba: Accipite lapides marinos veteres. Et Dardaris ibidem: Accipite album humidum, eoque arenam imbuite.

Nominibus item omnium siccantium, constringentium, coagulantium, aggregantium, attrahentium. Unde etiam assimilatur magneti & ferro, spermati & matrici. Hinc Pythagoras in Turba: Scitote quod res quam multipliciter narraverunt Philosophi, suum absque igne socium consequitur, sicut magnes ferrum, nec sine causa confertur spermati & vulvæ. Sic è diverso aqua vocatur nominibus omnium rerum quæ solvunt, humectant, emolliunt, laxant, rarefaciunt, purgant, lavant, mundificant. Hinc illud: Aqua nostra est sapo sapientum omnia immunda abluens. Sic eadem dicitur culter, inciforium, spata, gladius, quia dividit purum ab impuro, & separat animam à corpore. A terrestribus ascenderunt ad cælestia Philosophi, & res suas comparant Cælo. Unde Hermes: Cælum mas est feminæ, terra vero fœmina masculi. Et Planetis, sicut in Alleg. Sap. Opus nostrum fit ex septem Planetis. Primo ex Saturno, secundo ex Jove, tertio ex Marte, quarto ex Sole, quinto ex Venere, sexto ex Mercurio, septimo ex Luna. Loquuntur etiam de conjunctionibus Planetarum suorum, & oppositionibus, & eclipsibus luminarium, de cauda & capite draconis, quemadmodum Lullius in testamento. (*Cap. 24.*) Et Anastratus in Turba: Luna solis lumini jungitur. Et Alius. Mercurius radiis solis occurrit. Similiter res suas resolutas, fumo, vento, acri, vapori comparaverunt. Hermes: Portavit eum ventus in ventre suo. Et Morienes: Si fumus albus non esset, aurum ethees non perageretur. Et Pythag. in Turba: Hujus artis scientia nihil est quam vapor & aqua. Imò & ad ea quæ non sunt transierunt, & lactis virginis, & lactis volatilium meminerunt. Hermes: Occulta apparebunt, & lac virginis dealbabitur. Apud eundem etiam & in Turba legimus de lacte volatilium. Et hactenus quidem de nominibus ipsius Lapidis sive lapidem componentium, sed ex diversitate operis & regiminis ejusdem non minor oritur varietas. Testis mihi erit Rosinus, (*Lib. de divinis interpretationibus.*) cujus unicum exemplum adducam: Scias inquit quod contritio & dealbatio est necessaria, unde quibuscunque modis res dealbantur & conteruntur, vel subtiliantur, vel dividuntur, vel separantur, vel quibus operationibus hæc fiunt, vel per quas res, ab illis modis, operationibus & rebus receperunt similitudines Et quia quædam res putificantur per distillationem, ut per alembicũ aquæ; quædam per sublimationem, ut spiritus; quædam per solutionem, ut sales; quædam per ablutionem, ut panni; quædam per combustionẽ ut calx; quædam per divisionem, ut metalla ab invicem per cineritium; quædam per colationem, ut per pan-

num & filtrum: cum dicitur ſublima vel aliquid iſtorum, intellige quod debes tunc dealbare, &c. Opus etiam comparant quatuor anni temporibus. Solutionem namque lapidis hyemi conferunt, quia hyemes frigida, humida & pluvioſa. Coagulationem veri, quod Calidum humidum flores producit & germinare facit cuncta vegetabilia. Rubefactionem æſtati, quæ calida eſt & ſicca, fixionem Autumno quo fructus colliguntur. Sed ut his ſimilitudinibus finem imponam, breviter concludo, omnia quæ dici aut tractari poſſunt de elementis, & eorum qualitatibus, de eorum confuſione in materia prima, & eorum diſtinctione, & eorum proprietatibus & paſſionibus, de mundi creatione & ejus principio & fine, de corruptione & generatione, de materia & forma, de actu & potentia, de virtutibus & vitiis, pace & bello, victore & victo, perſequente & fugiente, amore & odio, de forti & debili, de ſano & ægro, de comburentibus & aduſtionem impedientibus, de unitate & multitudine, de conceptione & partu, de vita, morte, & reſurrectione, de paradiſo, ejus celſitudine & gloria, de inferno & abyſſo, & alia multo plura, de hoc lapide venerando dici. Hinc ſenior: Lapis iſte eſt diverſus ab omnibus lapidibus in naturis ſuis & perfectione ſua, & ſuſceptione nutrimenti, & augmenti in præparationibus ſuis, quibus nihil noſtrarum operationum aſſimilatur, quia eſt de ſemine mundi (al. mundo) multam habens benedictionem. Et ſi eſſet ut opinantur de lapidibus ſive terris, aut vegetabilibus, non nominaretur ſapientia, cum nec mors, nec vita in ipſis ſit, nec deſponſatio, nec conceptio nec generatio prolis, nec nutritio, cum noſtræ præparationes quas novimus ex animalibus noſtris & lapidibus noſtris quos vidimus & fecimus ſuper eis, non ex vanitatibus & præparationibus illorum ſint. Hic itaque eſt lapis ille mirabilis, cui nulla alia res totius mundi comparari poteſt, & in quem impingunt imprudentes. Hæc ſunt vincula plus quam vulcania, quibus involuti tenentur qui ſonum verborum ſequuntur, & non intellectum occultum ſub illis velatum. Unde idem Senior. (*In libr. de fig. & imaginibus*) Excæcata ſunt corda & oculi, & ſurdæ factæ ſunt aures ab his ſimilitudinibus & judiciis in omnibus hominibus: Legunt & non intelligunt ſtudent & non percipiunt, ignorant veritatem & projiciunt illam: Qui autem erraverit à veritate, præcipitabitur in vanitate. Et alio loco. Homines non intelligunt verba ſapientum, nec percipiunt quod intenditur, unde falſificant veridicos, & rectificant falſidicos opinionibus ſuis, & ſibi debent imponere culpam, non ſapientibus. Error enim eorum eſt ex ignorantia intentionis eorum, quando audiunt diverſa verba, ſed ignota intellectui eorum, cum ſint intellectu occulto: ipſi vero ſaltem prout & litera & aſſignatio intelligunt, & ſic falluntur, cum ſit ſepultum in occulto.

Declaratis ſimilitudinibus lapidis, & obſcuritate inde orta, tranſeamus ad æquivoca, quæ ſola, ſi nulla alia obſcuritatis cauſa ſubeſſet, non ſatis conſtantem animum à propoſito avertere poſſent. Eſt autem hæc occultandi ratio ſuperiori contraria; ibi ſiquidem una res pluribus & infinitis nominibus appellatur, at hic plures res & diverſæ ſub uno nomine comprehenduntur. Qui ſane tradendi modus altero multo obſcurior eſt, & difficultatis plus habet, cum tanta & tam inuſitata nominum varietas non omnino imprudenti ſcrupulum aliquem & ſuſpicionem laquei facile injiciat; at in æquivocis diſcernendis nemo niſi admodum inſcriptis Philoſophorum verſatus ſatis ingenii aut prudentiæ adferre poſſit. Exempla duo in medium adducam, nec longius progredior quam ad lapidis materiam, quam argento vivo & ſulphure conſtare omnes indifferenter aſſerunt, eaque potiſſimum aſſumam, ut tyrones aſſueſcant libris Philoſophorum intelligendis, cum ſint principia artis, & totius operis, & fundamenta. Quotupliciter igitur Philoſophis dicantur expendamus. Sed primum de Sulphure, quod pro butyrino & vulgari illo aduſtibili uſurpari notius eſt quam ut exemplo indigeat. Accipitur enim pro terra Philoſophica. Unde Lullius: (*In Codicillo.*) Proprium argenti vivi noſtri eſt, quod ex vapore Sulphuris ſui congeletur. Idem: (*In practica Teſt c.* 22.) Sulphur noſtrum eſt terra ſubtilis vel aqua ſicca, in ventre cujus ignis naturæ fortiter multiplicatus eſt. Pro arg. vivo etiam altera lapidis parte. Morienes. Quando Laton cum Sulphure comburitur, & mollities ſuper eum frequenter funditur, tunc omnis ejus obſcuritas atque nigredo ab eo aufertur. Hoc eſt, quando terra Philoſophica aqua ſua ſeu argento vivo irrigatur. Et Roſinus. Nihil agit in Solem quàm noſtrum Sulphur, quod Solem denigrat & conſumit. Hinc etiam aqua ſulphuris nominatur argentum vivum. Unde Belus in Turba. Omnibus in argentum vivum verſis, ſulphuris aquam nominant. Et alius. Aqua ſulphuris eſt aqua viva ab ære extracta, quæ poſtquam extrahitur, potens eſt in decoctione ſolvere & congelare omnia. Capitur item pro anima & tinctura. Lullius. (*In codicillo.*) Anima ipſa eſt ſulphur ac virtus formans & ſigillans ſpecies rerum. Et Hermes. (*Tract.* 2.) Anima eſt unguentum & ſulphur occultum. Idem (*Tract.* 6.) tria ſupradicta, ſulphur videlicet, argentum vivum, & tincturam, unius ſulphuris appellatione complexus eſt. Qui non diſcernit, inquit, duo ſulphura à ſulphure, nihil novit. Et pro elixiris materia immediata, lapide à ſordibus & fæcibus repurgato. Arnald. (*Roſ. part.* 2. *c.* 16.) Pulvis aſcendens ſuperius eſt terra alba foliata, & ſulphur album. Pro lapide etiam perfecto, ſed nondum fixo. Arnald. Quartum operis regimen eſt figere ſulphur album & rubeum ſuper corpus fixum. Item pro lapide perfecto & fixo. Roſarius. Sulphur album & rubeum congelat argentum vivum in aurum & argentum. Pro auro etiam quandoque & argento. Unde Plato, omne aurum ſulphur. Et Ariſt. Spiritus cum ſolverit corpus ſulphureum non figitur, niſi occupaveris ipſum cum ſulphure novo de quo præparatum erat in principio, ſcil. auro vel argento. Lullius etiam (*In pract. teſt. c.* 23.) voce ſulphuris pulverem intelligit dum ait. Per hanc intentionem pores habere verum pondus virtutum noſtri lapidis, nam quando dimittit argentum vivum in forma ſulphuris, tunc oſtendit quod magnæ ignitionis eſt. Quotupliciter ſulphur Philoſophis dicatur oſtendi, reſtat demonſtrandum totidem fere modis argenti vivi appellationem uſurpari. Primo quidem pro vulgari & ubique venali omnibus cognitio, deinde pro altera parte materiam lapidis conſtituente, videlicet humiditate lapidis, vel aqua Philoſophorum. Arnaldus. (*Roſ. part.* 2. *c.* 8.) Aquam diſtillatam ſerva ad partem, quoniam ipſa eſt Mercurius. Idem. (*Ibid. c.* 18.) Contere calcem & imbibe cum Mercurio, & decoque donec corpus unum fiat. Pro ſulphure item & terra Philoſophica, Conſtans in Turba: Nihil aliud curate quam hæc duo argẽta viva videlicet fixum in ære, & volatile fugiens in Mercurio, unum namque

namque retinet aliud & à fuga cohibet. Hermes. Hoc est argentum vivum quod dicitur terra residua, quæ aquam ad se trahit & ebibit. Pro anima sive tinctura lapidis. Hermes. (*Tract. 3.*) Oportet nos duo argenta viva simul mortificare: nempe argentum vivum auripigmenti, & argentum vivum orientale, id est, oportet humiditatem lapidis & tincturam in spiritu deportatam simul figere in corpore. Pro próxima lapidis materia omni modo purificata. Lullius. (*In codicil.*) Collige quod in medio sublimatum invenies, quoniam illud est quæsitum bonum, Lapis noster, & Mercurius. Pro fermento etiam auri & argenti. Iximedrus in Turba. Sulphura tingunt, & fugiunt, nisi argento vivo sui generis juncta sint. Possem hoc loco multo plura adducere similium exempla, nisi brevitatis causa omittenda judicarem. Progrediamur itaque ulterius, & alias quoq; occultandi rationes enumeremus, inter quas est Diversitas; sed quoniam de illa in tertia hujus Tractatus parte diffusius agetur, ubi de materiæ, & regiminum artis diversitate sermo erit, hic tantum de contradictione ei cognata & vicina aliquid effari visum fuit, quæ in aliis scientiis probrosa foret, & vituperio digna, & earum veritatem in dubium vocare posset: in hac autem Philosophi id sibi vitio non vertunt, imò consulto non aliis tantum sed sibi ipsis contradicunt, ut videlicet legentem exerceant, & judicium ipsius explorent, num in delectu naturalium erret, & ea quæ contra naturam sunt potius quã naturæ amica accipiat, an è cóverso: adhirmãte id ipsum Rhasi. (*In lumine luminum.*) In Alchemicorum, inquit, libro profectum insinuavi fermentum annotatione planum, in inquirendo facile, quod non esse fermentum in eodem asserui: sed qui discretione viget, & sapientia floret, si nostri sermonis interiora perscrutari voluerit, tam ipsius locum, quam exordium se inveniisse gaudebit. Auctores alios citemus, & quid de sulphure dicant recenseamus; quòd marem fœminæ scilicet argenti vivi quidam, alii è contra fœminam maris appellant. Et marem quidem Lullius in practic. testamen. (*cap. 22.*) in hunc modum: Sulphur nostrum habet virtutem sigillandi & formandi simile sibi, & ideo dicimus quod est pater & semen mascul. Item Beatus Thomas Aquin. (*In comment. super Tab. Hermetis.*) Purissima & subtilissima substantia sulphuris in ipsis corporibus contenti est quasi semen paternum, activum & formativum Et Rosarius: Quamdiu durat nigredo, obscura dominatur fœmina, quæ quidem prior vis est lapidis, quæ etiam acetum acerrimum nominatur. Per Acetum autem significari aquam lapidis, & argentum vivum supra demonstratum, quod cum dicatur fœmina, necessario terra sive sulphur lapidis mas erit. Atque hi quidem consensu quodam sulphur loco maris habent, alii econtra loco fœminæ; inter quos est Arnaldus. (*In lib. qui flos flor.*) Sic enim ait: Dum terra incipit aliquantulum retinere Mercurium secum, tunc agit masculus in fœminam, id est, Mercurius in terram. Et Lilium: Per lenem decoctionem masculus, id est argentum vivum, è fœmina, id est, à sulphure tingentem accipit spiritum. Cerus quoque in Turba: Accipite argentum vivum in quo est masculina virtus. Quantum autem referat supradictorum notitia, scit diligens librorum lector, cui ubique maris & fœminæ, viri & uxoris, agentis & patientis nomina occurrunt, quæ si distinguere nesciat frustra laborat. Sed posset quis dicere sulphur & argentum vivum vicissim agere & pati, proinde mitum non esse, si nunc maris nunc fœminæ nomen sortiantur juxta illud Lilii. Quod prius egit scilicet fœmina, tunc incipit pati à mare, & quod primo trahebat scilicet fœmina, sive sulphur, nunc trahitur à mare sive ab argento vivo. Adducam in medium alia exempla, in quæ non cadit istius modi suspicio, nempe de lapidis materia, quam unicam esse complures affirmant, prout Arnal. ad Reg. Neapoli. Omnia inquit quæ sunt in lapide sunt ei necessaria, & nullo alio indiget, est enim lapis unius naturæ & una res. Et Lilium: Pluribus rebus non indigetis, sed tantum una re, quæ in unoquoque gradu operum nostrorum in aliam vertitur naturam. Et Rosinus: (*Ad Euzychiam.*) Certum habe quod una res sit ex qua omne quod petis fit. Atque hi quidem unitatem, alii è contra pluralitatem commendant. Et inprimis Geb. (*De investig. perf. c. 3.*) Quærimus ait substantiam unam facere, tamen ex pluribus aggregatam. Idem: (*Ibid. c. 12.*) Unus lapis Philosophorum nuncupatur, quamvis à multis extrahatur corporibus sive rebus. Et in Alleg. Sap. Labem auferà corporibus, id autem non fit nisi in duabus aut tribus speciebus, & in pluribus rebus, in una enim & simplici re minime fit. Et Philotis in Turba: Prima compositio ex pluribus fit rebus. Ostendi contradictionem diversorum auctorum, nunc quomodo idem auctor in eodem libro, & quandoque in eodem capitulo sibi contradicat restat indicandum. Et primum quidem occurrit illud Pythagoræ in Turba: Aqua munda ex solo est sulphure: & statim in sequenti sermone ejusdem libri Belus contrarium asserit dicens: Aqua munda non est ex solo sulphure, verum ex pluribus composita rebus, quæ unum sulphur facta sunt, ex pluribus sulphuribus. Similiter Bacsem in Turba: Philosophi, inquit, opus variis nominibus diviserunt, dixerunt enim commiscere, coquere, sublimare, dealbare, terere, assare, coagulare, rubiginem facere & tingere, hæc plura sunt nomina, regimen tamen unum est. Et statim cum videatur unam actionem continuam prætendere, scilicet decoctionem, subdit oppositum in hanc sententiam. Et si scirent Philosophi unam decoctionem & contritionem sufficere, non tantum eorum dicta reiterarent, quod ideo fecerunt, ut teratur compositum & coquatur jugiter, neque laboris vos tædeat. Arnaldus quoque cum dicat in rosario suo: Quod facis in albo, facis in rubeo, quoniã hæc medicina in essentia est una, & in modo agẽdi similiter una. Item alio loco: Unus est lapis ad album & ad rubeum simul & semel faciendum. Item: Unum est opus ad album & rubeum, & repetat cap. decimo in principio opus auri & argenti per omnia convenire: tamen eodem cap. quasi omnium ante dictorum oblitus, Opus inquit albi est ad albificandum, & opus rubei ad rubificandum: non ergo misceas opus unius lapidis cum opere alterius, quia vehementer errares si secus faceres. Aliud exemplum ex eodem: Indiges quod in subtiliatione & solutione corporum labores, sunt enim fortia, & indigent præparatione longinqua & operatione continua, ut primo calcinentur, & postea solvantur, quoniam cum calcinata fuerint facilius solvuntur, eo quod calor ignis penetrans partes corporis, facit aquam ingredi post ipsum, & sic est magis solutionis susceptivum. Eodem capite quasi oscitans & à somno expergefactus dicit expedire corpora solvi per aquam solam sine calcinatione. Num cogitandum est tantum doctorẽ, & in aliis scientiis præclare versatũ memoria lapsum fuisse? nihil minus, imo studio & quidẽ data opera id fecit, non hoc in loco solum,

ſed multis præterea aliis, prout etiam Lullius & cæteri, quorum exempla non diſſimilia paſſim occurrunt, quæ huc conferre non eſt neceſſe, cum ad aliam velandæ doctrinæ artem mihi ſit transeundum. Ea eſt ut utantur nominibus inuſitatis & incognitis, aut ſi notâ ſint ad aliam prorſus ſignificationem detortis, ita ut peculiari idiomate quo ſe mutuo intelligant loqui videantur. Sic præter metalla quæ planetarum nominibus inſignivere, ut videlicet Aurum Sol, Argentum Luna, æs Venus, ferrum Mars, ſtannum Jupiter, plumbum Saturnus, argentum vivum Mercurius dicatur, infinita alia introduxere, veluti ſunt Laton, Azor, anima, Leo, Draco, terra foliata, Cambar, marteck, kahul, adkibrick, boritis, zandarich, muchal, Corſuphle, fermentum, menſtruum, coagulum, venenum, & ſimilia innumera. Præcipuè vero auri & argenti appellationibus ita omnia intricarunt, ut vix multorum annorum ſtudio hujuſmodi vocabulorum ſignificatio erui poſſit. Sic Morienes: Auri fermentum aurum eſt. Hermes: Seminate aurum veſtrum in terram foliatam. Roſinus: Niſi aurum in aurum ponas nihil habes, quoniam magnum non eſt in parvo. Item in Turba: Non tingit Sol niſi tingatur. Et Lullius, Scientiâ hæc eligit aurum pro patre, & argentum pro matre, quia de iſtis duobus corporibus in eodem ſulphure & arſenico præparatis noſtra medicina elicita eſt, Difficultatem ex vocibus incognitis aut non vulgaribus ortam non mediocriter augent incogniti characteres, cum præter planetarum omnibus fere notos, ſulphuri, ſalibus, atramentis, aluminibus & mediis mineralibus, imò elementis ipſis & calcinationi & ſublimationi aliiſque artis operationibus peculiares donarint; aut literarum tranſpoſitione, aut numeris & notis occultis uſi ſint plurimi in libris ſuis ſcribendis. Sed nihil æque ſtudentibus obeſt atque imperitia eorum qui libros tranſcribunt, dum voces non intellectas, & ut ipſi exiſtimant abſurdas omittunt, aut quod pejus eſt emendare volentes ſenſum omnem & auctoris ſententiam pervertunt, gloſſas etiam ſæpe imperitorum hominum in textum transferunt. Nec diſſimili vitio carent qui libros aliena lingua editos in aliam transferunt, ut in poſteriore editione latina Comitis Bernardi nonnullis locis videre licet, & in Morieno, qui ex Arabico in latinum ſermonem converſus à Roberto Caſtrenſi tantum ab alia translatione differt, ut multis locis alius plane auctor videatur. Stylus etiam auctorum hujus ſcientiæ multiplex & varius non leve impedimentum legentibus adfert. Quidam enim phyſicè ſeu naturaliter & ſecundum naturæ progreſſum ſermones ſuos inſtituunt, alii medicorum tradendi morem ſequuntur, nonnulli arithmetice ediſſerunt, quidam etiam Aſtronomiæ & Geometriæ normas ſectantur. Naturaliter & philoſophice de corruptione & generatione, de actione & paſſione, de elementis & eorum qualitatibus, de materia & forma, de facultatibus, & potentiis animæ, de quatuor anni temporibus, de vaporibus & pluviis, de Iride & ejus cauſa, de viro & muliere, de conceptione & partu, de fœtu & aliis multis loquuntur. Medicorum verò ſtylum ſequuti de ſano & ægro differunt, de mutatione complexionum, videlicet à frigida & humida in calidam & ſiccam, & è contra, de cruditate & digeſtione, de urinæ inſpectione, de Criſi nativitatis & ortus lapidis, quam criſibus acutorum morborum putridarumque febrium comparant ut videlicet viſo motu primo ſuper finem atteſtari quis poſſit. Arithemetici quoque hanc ſcientiam ſuis numerorum diſtinctionibus in parte & in toto obſcurarunt, nam terminos & finem totius operis in numerorum diviſionibus occultarunt, quemadmodum & pondera, cum addant & diminuant ſummam radicis pro libito, integrantes interdum ipſum totum per partes, ne indocti capere poſſint. Exempli loco erit illud Senioris: Intellige principium numeri, primum & ſecundum, & dicis duo, & illa ſunt tria in numero, deinde dicis tria quæ ſunt numero ſex, deinde dicis quatuor & fiunt in numero decem numeri manifeſti, occulti autem quatuor. Et illud Eximeni in Turba: Jubeo vos argentum vivum coagulare ut duo tria fiant, & quatuor unum, & duo unum. Auctor etiam trium verborum (*Cap.* 4.) dicit, quod à tribus oportet extrahere duo, cum à duobus non extrahuntur tria, ſed à tribus intelliguntur duo & ſeptem. Et Hermes in ſeptem tractatibus: Aqua eſt quæ dividit ipſam in alias quatuor, una ſcilicet duabus & trina uni, quarum colori tertia pars eſt, humori vero duæ tertiæ, quæ aquæ ſunt pondera ſapientum. Aſtronomice vero loquuntur Philoſophi de zodiaco & ſignis zodiaci, de polis, de eorundem exaltatione & caſu, de conjunctionibus & oppoſitionibus, & eclipſibus luminarium, de infuſione luminis Solaris in Lunam & ſtellas, de Mercurii natura verſipelli, qui cum bonis planetis bonus eſt, & fortunatus, cum malis malus, & infortunatus, & de planetarum operationibus in hæc inferiora, & ſimilibus, Geometrice vero de terminis & angulis, de quadrato, triangulo & circulo, quomodo item quadratum & triangulum fieri debeat, rotundum, & è contra. Hinc illud Roſarii: converte quadrangulum in rotundum, & habebis magiſterium. Ad furni item fabricam Geometriæ regulas neceſſarias ait Haly. (*Lib. Secret. Alch. in præf.*) Qui hunc librum inquit habuerit, legat aliquid Geometriæ, & ejus menſuras addiſcat, & clibanorum fabricam rectè componat, nec modum excedat.

His ad poſtremum adde quod Philoſophi impoſſibilia videantur præcipere. Unde non ſolum difficilis, ſed omninò fallax & impoſtorius videri poſſet de arte tractatus omnis, jubent enim diſtillari elementa, ablui, & mundari, & demum, quod ridiculum videatur, certo pondere conjungi. Haly: (*Lib. Secret. c.* 9.) oportet accipias lapidem, & ſeparet ejus naturas, id eſt, quatuor elementa, terram, aquam, aërem & ignem. Arnald. (*Roſ. par.* 2. *c.* 8.) Cum habueris elementa diviſa, ablue ea, ſcilicet aquam, & aërem deſtillando, ignem vero & terram fortiter calcinando. Si vero quis ſimilitudinarie hic putet vocari elementa, veluti, exempli gratia, in ceræ aut mellis deſtillatione, ut quod primo egreditur phlegma, aqua vocetur, quod ſecundo loco oleum flavum, aëris nomen obtineat, tertio vero loco oleum rubrum ignis, fæces vero in fundo remanentes terræ nomen ſortiantur, is haud dubie errat, cum dicat prælegato loco Arnal. ignem calcinari debere, quod in oleo rubeo, & facilè inflammabili locum habere non poteſt. Deinde Philoſophi non curant de elementis tangenti adhærentibus, ut dicitur in Turba. De pondere autem elementorum, idem Arnaldus: (*Roſ. par.* 2. *c.* 24. Cave tibi in commiſtione Elixiris, & operare ibi ſapienter, ut ſcias quantum debeas opponere de aqua, de aëre, de terra & de igne, alioqui ſi ſecus feceris, opus non valebit. At quis mathematicus ita ſubtilis unquam inventus fuit, qui elementa inviſibilia, aërem dico & ignem, & impalpabilia menſura

sura aut pondere complexus sit? dicente præsertim Eximeno in Turba, elementorum duo videntur, & eorum virtus & opus scitur, alia autem duo nec tanguntur nec videntur. Nec minus absurdum videtur, quod dicant convertenda esse elementa, cum id videatur solius Dei & naturæ opus. Unde Arist. Chemicus: Converte elementa, & quod quæris invenies. Et sane hac elementorum traditione philosophi artem ita obscurarunt, ut plurimi hac difficultate inspecta cum ipsorum mentem non capiant, à studio librorum resiliant, aut credant hæc omnia mera esse figmenta ad artis occultationem inventa, dicentibus præsertim philosophis, una re, unica dispositione totum opus terminari. E quorum numero me fuisse quondam non inficiabor, quanquam immerito, quando nunc cum Raymundo Lullio fatear ex elementorum divisione & mundatione totam artem dependere. Sic enim ille: Totum magisterium est dividere elementa à metallis, & ea purificare, & à metallis sulphur naturæ dividere. Nam totus labor est in hoc, & tota magisterii fatigatio in elementorum & sulphuris divisione. Et Arnal. Si non dividis elementa lapidis non potest conjungi anima cum corpore. Et Astanus in Turba: Spiritus non conjungitur cum corporibus, donec à suis immunditiis perfectè fuerint denudata. Sunt & aliæ sapientum technæ quibus artem obvelant, quæ in progressu operis manifestabuntur, eas hic volens prætereo: Detexi etiam quasdam in præcedenti hujus tractatus parte, quas repetere & in hunc locum congerere opus non est, sufficiat hic præcipuas & difficilimas enumerasse, quum aliquid relinquendum quoque sit studiosorum investigationi & labori.

PARS TERTIA.

In qua de Difficultate Praxeos agitur.

HActenus de impedimentis quæ ex parte artificis aut ex difficili librorum intellectu oriuntur dixi, consequens est, ut de tertia hujus tractatus parte, quæ circa praxim versabitur, sermonem instituam. Quæ quamvis tota ex intellectu librorum dependere videatur, cum intellectis libris, materia, operis regimen & reliqua quæ sequuntur cognosci posse videantur; tamen cum aliud sit artis rationem investigare, quam attentare & manum operi adhibere, & multa ipsa experientia deprehendantur, quæ per solam theoriam comprehendi non poterant, plurima etiam quæ prima fronte facilia apparent, cum quis praxim aggreditur, difficilima reperiantur, & è contra, singulatim de ea potius agere potius visum. Ego sanè cuilibet certo affirmare possum me nunquam philosophos de elementorum divisione ratiocinantes intellecturum fuisse, nisi operando & experiendo sulphur naturæ & artis deprehendissem. Neque tamen propterea me scientiæ hujus notitiam profiteri quisquam existimet, cum tentantem sæpius luserit experientia, & multorum cognitionem adhuc desiderium, quam ne sperare quidem audeo cum ob librorum defectum, quorum tamen exemplaria supra centum habeo, tum ob impedimenta plurima, quibus non nego me detineri.

Sed tertium hunc Tractatum aggressuro imprimis occurit materia, quæ totius operis philosophici basis est & fundamentum, quo temerè jacto nihil quod solidum sit superstrui potest: Hanc cum unam dicant Philosophi, plusquam mille legionum nominibus, ut ait Rosinus (*Lib. ad Euthychiam.*) nuncupaverunt, nomine videlicet omnis rei, quæ vel in terra, vel in mari, vel aëre reperitur. Hanc omnibus rebus assimilaverunt, hanc monstrum Hermaphroditum, masculum & fœminam, cœlum & terram, & corpoream & spiritualem, chaos, microcosmum, massam confusam, continentem in se omnes colores, & omnia metalla in potentia, & qua nihil sit in mundo mirabilius, cum imprægnet seipsam, concipiat seipsam, & parturiat seipsam. Hanc maximè occultant, nec nomine proprio nuncupant. Unde Rosar. Lapidem per descriptionem suarum radicum nominavimus, nec enim aliter nominare eum possumus. Et Alph. (*In cla. Phil.*) Hic lapis à loco glorioſissimo sublimi maximi terroris procedit, qui multos sapientes neci dedit, qui cuilibet est similis, cujus nomen dici non potest. Et alius: qui lapidem nominat, ejus virtutem ignorat, nam qui virtutem novit, eum non nominat. Imò nec nomen proprium habere affirmant quidam. Sic enim Alph. Si lapis proprium nomen habet, vulgare non audent propter rationes ab ipsis traditas. Hin Rosin. Non parum timui ne Deus amoveret à me gratiam suam, pro eo quod t[illegible]i de hac summa sapientia exposui, eum cuncti p[illegible]osophi citius mori vellent, quam propriis nominibus eam nuncupare. Et innominatus. (*In tract. de lap. philos.*) Nomen lapidis patefacere nemo potest sub animæ suæ condemnatione, quia coram Deo rationem reddere non posset.

Alius. Totius mundi periret status, si noster in libris nominaretur Lapis, vel si quandoque proprio nomine vocant, occultè id faciunt, & sæpè ejus nomini aliquid ficti addunt. Unde Agmon in Turba. Ubi non prodest, ibi magnificè & significanter nominatur, ubi prodest, ibi maximè celatur. Hanc inveniri in omni re, in omni loco, & tempore, quidam Philosophorum asseruere. Unde plurimi elusi illam in vegetabilibus & animalibus, aut ortum & originem ex illis trahentibus, undè elementa separari posse dijudicarent quæsiverunt, sed frustra, cum singula non proferant nisi sibi similia. Hos deridens Senior, Si talibus inquit, diceretur, Ovis peperit hominem, aut volatilia parturiunt pisces, aut palma portavit mala granata, responderent utique: Fabulam narrasti, non generant res nisi sibi similia, & non fert unaquæque arbor nisi fructus suos. Et tamen isti stultis stultiores præparant quod non habet tincturam in se ex omni re quæ tendit ad nihilum, & credunt benè facere, sed nihil acquirunt præter laborem, qui impossibilitate excœcati sunt à veritate. Naturalissimum verò & perfectissimum opus est, unumquodque generare tale, quale ipsum est, ut planta plantam, capra capram, ut ait Philosophus. (2. *de anim.*) Cum autem materialia ista sint à natura metallorum aliena impossibile est ex eis fieri generationem in metallis, quia metalla non generantur nisi ex suis propriis spermatibus. Ideò non sine ratione perquirendum monet Arnald. (*in st. flor.*) quid sit sperma metallorum qui non invenitur in re quod in ea non est, non sunt autem metalla in animalibus & vegetabilibus, sanguine, capillis, menstruis & similibus, quanquam philosophi hujusmodi nominibus aliquando similitudinariè usi sint, prout suprà est declaratum. Ad generationem certè hominis vel animalis, non fit alicujus rei permistio nisi spermatis masculi & fœminæ in vase naturali nempe matrice, ubi convertitur de re in rem præparatione naturali, donec formetur inde

homo & animal, ſine ingreſſione alterius rei niſi ſanguinis menſtruorum ei conſimilis. Et in vegetabilibus ſemen proprium cujuſque arboris vel plantæ terræ committitur abſque additione rei alterius, ùbi ſuæ naturæ alimento enutritum & ſolis calore evocatum germinat & augmentatur. Ita & Magiſterium Philoſophorum commiſtione alicujus non eget extranei, ſed ex proprio ſemine metallico terræ Philoſophicæ per artem præparatæ immiſſo, producit multiplicabilem in infinitum, ſi ſuo proprio menſtruo & humore connaturali alatur, & calor Solis Philoſophorum de potentia ad actum excitetur. Alii in ſalibus, aluminibus, atramentis, & bauracibus Lapidem Philoſophorum inveniri crediderunt, aut per ea perfectiora metalla deduci poſſe ad eum ſtatum ut tingant in infinitum, eo quod per illorum cœmentationes ab aliis metallis impuris illa expurgari, & colorem vegetiorem & magis ſplendidum iis conciliari viderent, & ſcirent inde aquas vi ignis prolectari, quas fortes, graduales, & regias vocant, quibus aurum & argentum ſolvi putant, aut ad altiorem coloris gradum promoveri. Sed de ſolutione iſtiuſmodi non curant Philoſophi, cùm potius ſit corroſio & diſſipatio quædam totius in partes minutiſſimas, quæ denuò in argentum & aurum liquefactione redire poſſunt. Et ſi quis metallis perfectis color accedit, is reiterationibus fuſionum & attractione diuturna evaneſcit, quia non alterant intrinſecè, ſed tantùm ſuperficialiter, nec ingrediuntur, cùm incommiſcibilia ſint cum metallis, nec fuſionem metallicam præſtent, nec in ſe habeant alias proprietatum differentias, quas in Lapide ſuo requirunt Philoſophi. Meritò itaque à non omninò inſulſis & fatuis rejiciuntur. Decipiuntur autem fortè ex eo quidam, quod Sapientes aquam ſiccam quandoque nominent, quod nullis rebus melius convenire arbitrantur quam ſalibus, aluminibus, & atramentis, quæ reſoluta facilè in aquam tranſeunt, & modico calore denuò ad priſtinam formam redeunt. Sed Philoſophi per aquam ſiccam nihil aliud intelligunt, quàm argentum vivum, ea nempe de cauſa quod tangentem non madefaciat, cum tamen liquidum ſit & fluidum inſtar aquæ. Credant Gebro, qui lib. Fornacum (*Cap.* 19.) ſic ait. Studeas Solem & Lunam reſolvere in aquam ſuam ſiccam, quam vulgus Mercurium vocat. Falluntur etiam in eo quod Philoſophi paſſim de Sale loquantur. Veluti Auctor Soliloquii. Qui ſine Sale operatur, eſt veluti is, qui cum arcu ſine chorda ſagittat. Et in Libro Salis & Aluminis. Si Deus non creaſſet Salem, non perficeretur Elixir, & vanum eſſet ſtudium Alchemicum. Et in Allegoriis Sap. Qui ſine Sale operatur vel agit, corpora mortuorum non reſuſcitat. Item Alius. Sales ſunt radices tui operis. Illi ſciant Philoſophos non de Sale communi loqui, ſed de eo quem in opere ſuo requirunt minerali, ſimilitudine ducta à rebus calcinatis, à quibus omnibus cùm poſſit extrahi ſal, meritò etiam ex calce metalli ſui ſalem extrahi dicunt, quo tamen aliud non ſignificant quam terram ſuam. Juxta illud Auctoris innominati: (*Clang. buc.*) Quod inferius in cucurbita manet eſt ſal noſter, id eſt, terra noſtra. Et in Alleg. Sap. Nota quod hæc corpora alumina & ſalia ſunt, quæ à corporibus noſtris fluunt. Et Auctor Scalæ Phil. Secundæ aquæ opus eſt exaltare terram in ſalem mirabilem ſola ſua virtute attractiva. Nonnulli in mediis mineralibus, tutia, magneſia, marchaſitis lapidis materiam quæſiverunt, & præſertim in antimonio. Cùm enim Philoſophi dicant metalla & ſuum lapidem conſtare ſulphure & argento vivo, & hæc facili artificio ex antimonio educi poſſint, nihil obſtare quo minus materia lapidis inde petenda ſit. Sed cùm non ſufficiant Philoſophis ſimpliciter ſulphur & argentum vivum, ſed eadem velint eſſe pura & munda, & omni coinquinatione carentia, homogenea, & non aduſtibilia, ſed perſeverantia ſuper ignem & fundentia, argentum verò vivum & ſulphur illius ſint in radicibus ſuis impura, & immunda, & quæ nullo artificio deputari poſſint, ad hæc heterogenea, & facilè ab igne recedentia, aut non fluentia, omnibus ſanis ſuſpecta erit antimonii, & reliquarum marchaſitarum natura.

Quidam in lapidibus, gemmis, & cryſtallo artis principia inquirunt. Sed ſi ea quæ propius ad metallorum naturam accedunt, materiam Elixiris præſtare non poſſunt, profectò neque gemmæ aut cryſtallus neque lapides cæteri. Si enim id quod magis videtur eſſe tale non eſt tale, profectò neque id quod minus. Hæc itaque cùm alterationes in corporibus metallorum facere non poſſint, quia non ingrediuntur, nec enim quicquam alterat quod non ingreditur, nec fuſionem metallicam præſtent, ſed tantùm vitrificatoriam, aut omninò nullam, ab arte ut omninò aliena repudiabuntur, idipſum præcipiente Alphidio: Cave, inquit, fili, & à corporibus lapidibuſque mortuis te ſepara, quoniam in eis nullum eſt iter, quia vita eorum non augetur, imò tendit ad nihilum, ſicut ſunt ſalia, auripigmenta, arſenicum, marchaſita, tutia, & his ſimilia. Alii in ſulphure communi materiam lapidis præſupponunt. Cùm enim Philoſophi in materia Elixiris requirant homogeneitatem, fixionem, & tincturam, & hæc omnia in ſe contineat ſulphur, meritò lapidis materia aut pars illius cenſebitur, dicente Gebro (*Sum. perf.*) Sulphur habet homogeneam & fortiſſimam compoſitionem, & eſt uniformis ſubſtantiæ. Ibidem: Ipſum dat pondus completum unicuique metallorum, & ipſum fœditate deputat & illuſtrat. Et paulò poſt: Per Deum altiſſimum ipſum illuminat omne corpus, quoniam eſt lumen & tinctura. Item Pythagoras in Turba: Aqua ſulphuris munda ex ſolo eſt ſulphure. Et Acſubofon ibidem: Sulphura ſulphuribus continentur. Reſpondeo. Gebrum doctiſſimè & acutiſſimè, ut ſolet veritatem deſcribere, & miris verborum involucris eandem occultare, non ſecus ac is, qui ſub magno palearum acervo granum frumenti reconderet. Igitur non de communi & aduſtibili, ſed de Philoſophorum ſulphure loquitur; Ideò addit ibidem, non utendum eo ſine magiſterio, quia ſine eo nihil horum præſtat, ſed corrumpit & denigrat. Et alibi (*Sum. perf. cap.* 85.) ubi de natura ſulphuris & arſenici loquitur, ſulphur habet in ſe duas cauſas corruptionis, inflammabilem ſubſtantiam & terream fœculentiam: per primam ipſius natura ſtare in igne non poteſt, quoniam comburit ſemper & comburitur, & nigredinem in omni opere præſtat. Per alteram verò neque fuſionem habet, neque ingreſſionem, quoniam ſi fixum fuerit, prohibet fuſionem, & ipſum nunquam figitur, niſi prius calcinetur, cùm verò calcinatur nullo modo funditur in artificio, quoniam in terrenam ſubſtantiam redigitur. Hæc Geber de Sulphure communi, ſicut etiam Arnald. (*Roſ. part.* 1. *cap.* 3.) & alii omnes, quod quantum à Philoſophorum ſulphure diſtet, quilibet vel mediocriter in Chemicis Libris verſatus facilè conſiderat, cùm illud argento vivo ſit planè extraneum; at iſtud ex intimis argenti vivi

perfectorum

perfectorum corporum viscèribus petitum, nec est aliud quàm ignis simplex, nec urens, vivus, vivificans alia corpora mortua, & ea maturans, & naturæ defectum supplens, cùm ipsum sit superfluæ maturitatis, secundum quod in natura sua est perfectum, ac per artificium magis depuratum. Senior: Satisfecerunt Sapientes hominibus cùm dixerunt, sulphur nostrum non est sulphur vulgi, quia sulphur vulgi comburitur, sed sulphur sapientum album comburit combustione albedinis & meliorationis.

Cùm igitur ex supra dictis omnibus lapidis materia elici non possit, consequens videtur, ut argentum vivum, nobis eandem submministret, quando sola Mercurialis natura omnibus notis Philosophici Lapidis materiæ respondeat. Argentum enim vivum solum cùm sit incombustibile & homogeneum, quia aut cum tota sua substantia in igne manet, aut cum tota sua substantia ab igne recedit, adustionis est salvativum, fusionis effectivum, & corporum perfectivum; cùm corpora illa minùs comburantur, & majoris sint perfectionis, quæ plus de sua natura participant, & possident, quæ verò minus, minoris; affirmante etiam Avicenna: Ipsum solum recipere in se quod suæ naturæ est, & alienum respuere, & cum sit metallicum, continere totum in se quo indigemus ad nostrum magisterium. Sed ne de argento vivo vulgari hæc intelligantur, obstat illius fuga quæ fixi non potest, nisi sulphuris sibi adjuncti virtute aut metallico vapore, dicentibus etiam Philosophis. Mercurium suum non esse Mercurium vulgi. Adhuc cùm imprimis corpus solvendum aut calcinandum præcipiant Philosophi, neutrum in vulgare argentum vivum cadere potest, cùm sit totum aëreum & spirituale. Igitur in corporibus Elixiris substantia quærenda: sed ea sunt aut perfecta aut imperfecta. Hæc autem cum perfectionem quam non habent, aliis dare non possint, cùm ex sulphure & argento vivo impuris, & parum aut nimium decoctis constent, & celeriter ab igne & aliis adurentibus comburantur, Elixir nobis submministrare non possunt, subtilioris enim substantiæ & liquidioris fusionis necesse est illud esse, quàm ipsa corpora vulgi, & majoris fixionis, quam sint in natura sua. Impossibile etiam est, ut ait Arnald. (*Ros. part.* 1. *cap.* 10.) non fixum figere, & immundum mundare, quia non invenitur in re, quod in ea non fuit antea, nec aliquis dare potest quod non habet. Deinde ut ipsa Elixir fierent, oportet ea primum convertere in similitudinem duorum corporum perfectorum, quod frustra fieret, cùm habeamus duo corpora perfecta à natura facta. Nec obstat quod Philosophi sæpius corporis imperfecti aut immundi mentionem faciant. Veluti Morienes: Nisi corpus immundum mundaveris, & ipsum dealbatum reddideris, & animam in ipsum miseris, nihil hujus magisterii direxisti. Item Astanus in Turba: Corpus imperfectum coloratur coloratione firma mediante fermento. Et Geber (*Lib. fornacum cap.* 9.) Pastam fermentandam extrahimus more solito ex imperfectis corporibus. Et ex hoc tradimus tibi regulam generalem, quod pasta alba extrahitur de Jove & Saturno, pasta verò rubea ex Venere, Saturno & Marte. Qui locus Gebri doctissimos Viros multum torsit ut existimarent corpus sive materiam lapidis ex imperfectis metallis petendam, formam verò ex auro & argento vulgaribus: cùm tamen & materia & ejusdem forma ab una re sola desumenda sint, materiam enim lapidis unicam & specie & numero esse constat, quamvis postea in plures veluti rivulos spargatur, prout auctor est Morienes. Hoc magisterium, inquit, ex una primum radice procedit, quæ posmodum in plures res expanditur, & iterum ad unum revertitur. Et Lilium: Anima, corpus, & spiritus simul sunt, & una res est, in se habens omnia cui nihil extraneum introducitur Haly (*Lib. Sec. c.* 9.) Unus est lapis super quem non misceas aliam rem; cum eo operantur sapientes, & de eo exit cum quo medicatur, non commiscetur cum eo aliud, nec in ejus parte, nec in toto. Quando igitur corporis imperfecti aut immundi meminerunt Philosophi, aliud nihil quam terram suam intelligunt, cujus locuples testis mihi erit Arnaldus (*In flos flor.*) Mercurius, inquit, cum terra conjungitur, id est, cum corpore imperfecto, quæ terra mater dicitur, ideo, qui terra est mater elementorum. Non quod ex corporibus vulgaribus, plumbo, stanno, ære aut ferro materiam fermentandam desumi velim, sed ex composito suo in terram verso, quæ imperfecta adhuc est respectu perfectionis ultimæ ad quam illam perducere conantur Philosophi, & ratione tinturæ quæ illi ablata fuit, & postea redditur per artificium. Nec arguit è contra quod Geber expressè dicat pastam albam extrahi debere ex Jove & Saturno, pastam verò rubeam ex Venere, Saturno & Marte. Superius enim à me ostensum est, omnia metalla tam perfecta quàm imperfecta in Philosophorum composito contineri, virtute & potentia & similitudine quadam, prout etiam ex allegoria Comitis Bernardi patet. Cùm itaque Elixir album non egrediatur terminos albedinis & fixionis lunaris pasta ipsius sive corpus dicitur extrahi ex metallis albis, & parum decoctis, Saturno videlicet & Jove, quæ fermentanda erit cum Luna, nam albedinem in opere cruditatis signum esse affirmant Philosophi. Unde Ros. usque ad albedinem non utimur igne forti, quia album crudum est, & semicoctum. Metallum autem crudum perfectum esse non potest. Arnald. Opus album est opus hyemis, rubeum verò æstatis. Pasta verò rubea dicitur extrahi ex Venere, Saturno & Marte, quia rubedinem aut manifestam aut occultam in se habent hæc metalla, ad quam majore decoctionis calore compositum perducitur, quamvis adhuc imperfectum, quia nondum pervenit ad finem in quo completur, nec adeptum est formam qua perficitur, quæ est fermentum solare. Neque mirum cuiquam videri debet, si etiam de Saturno pastam suam rubeam extrahi præcipiat Geber, quem rubedinem in se occultam habere demonstrat minium quod ex ejus fit calce. Et Zenon in Turba: Hoc plumbum rubeum nostri est operis. Sed hæc quidem dicta sint iis, qui Gebri auctoritatem salvam volunt, quem ego magis occultandæ veritatis studio quam alia de causa talia scripsisse suspicor, solitum paucis veris plurima falsa immiscere. Si verò extrahendi verbum hujusmodi interpretationem non admittere quispiam existimet, is sciat eadem significatione id apud hujus artis doctores usitatissimum esse. Regor. Signum bonitatis primæ decoctionis est sui ruboris extractio, & in nigredinem conversio: non quod velit rubedinem extrahi, sed tantùm putrefieri & decoqui donec nigrum fiat. Et in Turba: In ventre nigredinis apparentis est albedo occulta, unde oportet albedinem illam ab ejus nigredine extrahere. Rosinus. Sapientes cum dicunt, accipite sputum Lunæ gummamque simul liquefacite, cumque liquefiunt ista, non jusserunt rubea fieri, sed flores tantummodo

tummodo ex eorum ventribus extrahi. Cum igitur ex imperfectis metallis lapidis materia fruſtra petatur, ſupereſt ut ex perfectis ea proliciatur, hæc autem ſi de ſua perfectione aliis communicent, ipſa imperfecta manebunt, eo quod non poſſunt tingere niſi in quantum ſe extendunt. Si verò ea perficere velimus plus quàm ſunt in natura ſua, neceſſe eſt ea in radice magis mundari, cum oporteat elixir eſſe magis mũdum & purum, nec non ſubtilius, quam ſit ipſum aurum vel argentum. Sed ad eorum neceſſariam mundationem perveniri non poteſt propter fortiſſimam ipſorum compoſitionem naturalem, quæ niſi per corruptionem labefactari non poteſt. At quæ corruptio auro evenire poteſt, quod nec terra nec aqua alteratur, nec rebus comburentibus comburitur, cum in igne etiam melioretur, dicente Plinio: (*Natural. hiſt. lib.* 33. *cap.* 3.) Auro omnium corporum nobiliſſimo nihil igne deperit, in incendiis rogiſque; durante materia: Sed dicet aliquis: Cum nihil ſit ſub Lunari globo corruptionis expers, fieri non poteſt, quin etiam modus inveniatur aurum ipſum corrumpendi. Fateor, qui enim alioqui ſulphur & arg. vivum, & olea inde fieri poſſent, & ipſius denique color ſive tinctura, quam incomparabilis & ſummus arcanorũ naturæ ſcrutator Clariſs. Vir. D. Jo. Baptiſta Porta Neapolitanus noſtri ævi decus, in ſuo quem, de Magia naturali inſcripſit libro, quaſi digito demonſtravit? Sed aurum corrumpere ad generationem ſub conſervatione ſuæ formæ, hoc opus, hic labor eſt. Docent itaq; quidam ipſum cum argento vivo magno artis ſtudio elaborato commiſcere; eo namque modo nec alio quopiam exaltari poteſt ultra perfectionem ſuam naturalem, ſed hoc non pervenit niſi ad artificem ſolertiſſimi ingenii. Quod tamen ſi fiat, jam plures res erunt, cum unitatem in ſuo opere commendent Philoſophi. Deinde materiam ſuam vilem & parvi pretii eſſe affirmant, cum auro poſt gemmas pretium ſit maximum. Qui religioſiores paulò fuere in hac arte, docent aurum cum argento & Mercurio commiſcere, ut aurum ſit loco patris, argentum loco matris. Mercurius ſperma utriuſque. Unde Hermes: (*In tab. ſmaragd.*) Pater ejus eſt Sol, mater Luna, portavit eum ventus in ventre ſuo. Idem, Draco non moritur niſi cum fratre & ſorore ſua interficiatur, non per unum ſolum, ſed per ambo ſimul, ſcilicet per Solem & Lunam. Et Avicenna: Conſulo ut non operaris niſi cum Mercurio, Sole, & Luna, iſtorum enim duorum corporum conjunctio eſt neceſſaria in hac arte ad album & ad rubeum. Et Morienes: Sine ſtultos quærere & quærendo errare circa quamlibet rem, quoniam ad propoſitum non pervenient donec Sol & Luna in unum corpus redigantur. Addunt etiam rationem: Quia ſi in lapide eſſet tantum alterum eorum, nunquam facilè flueret medicina, neque tincturam daret, & ſi daret, in fumum evolaret, quia non eſſet in eo receptaculum tincturæ. Sed qui manum operi adhibere volet, diligenter prius excutiat, quæ ſint illæ ſpecies & res quæ Sol & Luna à Philoſophis nominantur, ne operam & oleum, ut eſt in proverbio, perdat.

Hinc locus me admonet, ut quoniam miranda quædam & non credenda de lapide ſuo prædicant Philoſophi, quæ ſiniſtrè intellecta experientiæ deditum in varios & devios errores perducere poſſent, antequam ulterius progrediar, de iis paucula interferam, quæ non modo ſcitu jucunda, ſed & maximè utilia erunt omnibus veritatis ſtudioſis. Imprimis autem occurrit, Philoſophos Lapidem ſuum omnem rem dixiſſe, quod ideo fecerunt, ut ait Roſarius, (*In lib. de fig. & imaginib.*) quia omnia in ſe habet quibus indiget, & quæ ad ſui perfectionem neceſſaria ſunt. Quod verum eſſe teſtantur paſſim philoſophi, & imprimis Senior. Lapis Sapientium inquit in ipſo & ex ipſo perficitur, radix, & rami, & folia, & flores & fructus. Eſt enim ſicut arbor, cujus rami & folia & fructus ſunt ex ea, & per eam, & ad eam, & ipſe eſt totum, & ex ipſo eſt totum. Idem: Lapis ſapientum quem nominaverunt omnem rem, habet in ſe totum quo indiget ex corpore, ex ſole, ex aquis, ex ſpiritibus, ex animabus & tincturis. Omnibus etiam nominibus nominatur ut ait Roſarius ad ipſius occultationem, & propter naturæ ſuæ dignitatem, & propter diverſa ejus regimina, & mirabilem colorum varietatem in opere apparentium, & participationem omnium elementorum in eo exiſtentium. Pythagoras in Turba: Multis nominibus ipſum nuncupaverunt propter naturæ ſuæ excellentiam. Et Lilium: Quandoque in lapidis operatione colores omnes quæ hodie in mundo ſunt & excogitari poſſunt apparent, & ſic ſecundum diverſos colores in opere apparentes diverſificantur ejus nomina per diverſos Philoſophos. Eſt & alia ratio, quia ex omnibus quatuor elementis hic lapis perfectus eſt, quare cujuslibet rei elementatæ nomine appellatur. Eſt & tertia ratio ut inſipientes illum non cognoſcant, hæc ille. Præterea dicunt Philoſophi lapidem ſuum animalem, vegetabilem, & mineralem, non quod ex animalibus, vegetabilibus aut mineralibus indifferenter fieri poſſit, ut multi opinantur, & fruſtra in illis pecuniam & labores ſuos inſumunt. Sed animalem quidem propter animam quæ propriè homini animalium digniſſimo competit, ſi tamen fas eſt hominem inter animalia connumerari; quamvis anima à Philoſophis his quoque ſicut & vegetabilibus tribuatur, ſed non eadem ratione. Bonellus in Turba: Æs noſtrum ſicut homo corpus habet & animam. Et propter ſanguinem, qui propriè in animalibus, quo ſubtracto moriuntur. Unde Lilium: Spiritus convertit corpus in ſpiritum tinctum, prout ſanguis eſt, quia quod ſpiritum habet, habet & ſanguinem. Et Dardaris in Turba: Non utendum in toto regimine niſi aqua permanente, vis enim ejus eſt ſpiritualis ſanguis. Morienes: Quod corpora maximè coaptat, ſanguis eſt, nam illa vivificat atque conjungit, & ex omnibus unum corpus efficit. Ariſt. Sanguis eſt anima, & anima eſt vita, & vita lapis noſter eſt. Non quod revera in eo ſit ſpiritus, anima, aut ſanguis, qualis in homine, ſed ſimilitudine quadam non ineleganti. Sicut enim homo per ſeparationem animæ à corpore mortuus dicitur, & remanet ipſius cadaver, ſtatuæ potius ſimile quam homini: ita & in lapide ſeparata ipſius meliore & radicali eſſentia, quæ formam dat lapidi & tincturam, quæ eſt Philoſophorum anima, remanebit materia quædam informis, quantum ad formam metallicam, quæ cum non ſit in cura naturæ nomen propriũ non habet, dicente Moriene, omne corpus cum anima caruerit, tenebroſum & obſcurum erit. Et ſicut credimus in reſurrectione animam corpori reſtitutam iri, & corpora deinde perpetua fore & incorruptibilia: ita in hac arte, corpore per ignem & aquam regimine debito exanimato & purgato, anima ſua, id eſt, tinctura non aliunde ſed ex proprio corpore extracta illi redditur, ac tum primum induit colorem & formam metallicam, ſed illuſtriorem quam prius habuit. Quæ dixi communi ſapientum conſenſu vera eſſe productis eorundem ſententiis probabo. Hermes in Alleg. Sap. Spiritus

è lapide

è lapide extractus est albus, anima autem rubea, quibus ei redditis vivit & lætatur, quoniam decore, & lumine pristino ornatur, hilaris est tunc maxime cum resurrexit, quia non amplius moritur. Zion in Turba: Lapidis tinctura vita est quibus introit detrimentum & mors à quibus extrahitur. Bonellus ibidem: Illa natura cui humiditas adempta est, cum per noctes dimittitur mortuo similis videtur, & tunc illa natura igne indiget, quousque corpus & illius spiritus in terram vertatur & tunc fit pulvis mortuo similis in suo tumulo. His peractis reddet ei Deus spiritum & animam, & omni infirmitate ablata confortatur illa res, & post corruptionem emendatur, quemadmodum homo post resurrectionem fortior fit, & junior quam fuerat in hoc mundo. Rosinus: (*Ad Saratanam episcop.*) Spiritus & anima cum extrahuntur à corpore, corpus remanet mortuum, redde sibi animam suam, & tunc vivit, & scias quod mortui resuscitati perpetui erunt. Et D. Thomas Aquinas. (*In comment. super tab. Her.*) Superior pars lapidis est spiritus & anima quæ mortificatum lapidem vivificat & facit resurgere. Senior Anima est præparator sive rector corporis, & extractor, & ipsa est reductor ad corpus suum, quod vivificabit post mortem suam: Per hanc vitam postea nulla erit mors, propterea quod vita infunditur sicut spiritus corpori. Quod autem anima sive tinctura extrahatur non aliunde, sed ex seipso, & ex proprio corpore quamvis ex antedictis satis liqueat, tamen audiamus adhuc Menabadum in Turba: Corpus ait non potest tingere seipsum, nisi spiritus occultus extrahatur è ventre ejus, & fiat spiritualis tinctura. Lilium: Hoc ovum vitam quam habet ex se in generatione extrahit non autem ab alio, vel ab aliis: sed ex ejus ventre flores extrahuntur, & se ipsum germinare facit & quod est intus mittit foras, & quod est foris mittit intus. Idem: Natura naturam vincit mortificando corpus & vivificando, quoniam ex ipso fuit, & in ipsum convertitur, & augmentatur. Comparatum etiam animalibus, propter aëris respirationem. Hinc Bonellus in Turba: Hominum inspiratio ex aëre est, quæ sibi post Deum vita est, similiter æs humore inspiratur, quo vitam suscipiens multiplicatur & augmentatur ut cæteræ res. Atque hæc quidem de lapide animali. Vegetabilem vero dixerunt à similitudine animæ vegetativæ, quæ tamen cum animalibus communis est, & dicitur vis quædam in viventibus convertens alimentum in substantiam aliti, ut ipsum in esse conservet, ad quantitatem debitam provehat, & similem in sua specie generare tribuat. Cum igitur hæ tres potentiæ: Nutritiva videlicet, augmentativa, & generativa, reperiantur in lapide, quamvis non plane eodem modo sicut in vegetabilibus, non absurda ratione vegetabilem nominarunt. Amplius, sicut alendi vis ut suum munus obeat quatuor aliis subservientibus facultatibus indiget, Attractiva videlicet, retentiva, digestiva & expulsiva, eadem in opere desiderantur. Per attractivam enim, substantia Lapidis de Mercurio attrahit id quo in artificio indiget, & quod sibi familiare est, & hoc per virtutem elementativam implere cupiens vacuum. Per retentivam, ut coctionem retineat ratione vacui appetentis. Per digestivam retentum in similitudinem substantiæ immutat, ut argentum vivum in substantiam sulphuris coagulantis. Per expulsivam natura expellit quod ei convenit, non enim aqua, ut quidam ait in Turba, plus ponderis adjicit corpori, quam de humiditate metallina in se habet, quia humiditas aquæ transit, & metallina manet. Ne quis autem hæc mea putet esse figmenta, videat Raymundi Lullii codicillum, & testamentum ejusdem cap. 32. Quod autem lapis crescat & sibi simile possit generare, quamvis probare non sit necesse, cum is sit finis & scopus totius studii chemici, tamen aliquot Philosophorum dicta ea de re proponam, & imprimis Marsilii Ficini, qui in lib. suo de arte chemica (*Cap. 16.*) ita loquitur: Lapidem partes innumeras posse tingere apud Philosophiæ consultissimos ita decernitur: Quemcunque spiritum esse multiplicabilem, sed nullum corpus; & cum lapis noster factus sit maxime volatilis, atque ut ita dicam spiritualis, totusque igneus, & per multijugas solutiones & coagulationes sæpius repetitus, quidni crederes lapidem innumeras partes posse tingere? si emunctis naribus naturæ rationem ejusque dotes mirificas introrsum olfeceris; Quo plus enim solem solveris, & iterato coagulaveris, eo plus tinges. Quanto item plures fœminas vir acceperit, eo plures habebit proles. Auctor quoque thesauri philos. sic ait. Aqua sapientum est ut granum tritici, nutritur enim & putrefit, & corrumpitur, deinde germinat, resurgit & seipsum multiplicat. Et alius: (*Aurora consurgens.*) Philosophi volunt nutrire granum eorum metallicum donec vegetetur, & fructum adferat, tale quale ipsum est. Auctor etiam Dialogi Nat. & fil. phil. Lapis vel medicina quam quæris pullulat & multiplicatur, quemadmodum granum frumenti cadens in terram bonam, quum mortuum fuerit, multum fructum adfert: cum igitur corrumpitur multa alia grana inde producere poteris.

Lapis mineralis dicitur eo quod materia ipsius aut res ex quibus componitur, & constituitur, sint minerales & metallicæ, nec aliunde esse possunt, si metalla transmutata sint. Si quis allegat, eadem ratione lapidem vegetabilem aut animalem dici posse, quod ex vegetabilibus aut animalibus ejus sit origo; respondeo nullam subesse rationem, quinimò planè naturæ repugnare, ut metalla animalibus aut vegetalibus inveniantur, cum illorum principio planè diversa sint & nullo modo simul misceri queant, ut in igne perseverent; & philosophis sufficiat similitudo aliqua quamvis non in omnibus, conveniens ut quidvis lapidi suo attribuat. Nec est quod sibi blanditur quispiam, eo quod argenti vivi fluxibilitas sistatur succis quarundam herbarum & color quandoque illi coagulato & metallis imperfectis alius à naturali inducatur per res, quæ aut ab animalibus aut vegetabilibus ortum habent, cum extrinsece tantum agant, & non alte penetrent, nec inducant formam metallicam nisi corruptam, formam verò auri & argenti nunquam dare possunt. Veras autem esse rationes quas attuli cur lapis animalis, vegetabilis & mineralis dicatur, ipsimet Sapientes mihi testes erunt. Sic enim Rosinus: Recipe hunc lapidem animalem, id est, animam in se habentem, scilicet mercurialem, sentientem præsentiam ac influentiam magnesiæ suæ, magnetis, & calaminarem, ac apicem per motum localem, prosequendo & fugando. Auctor quoque novi luminis: Ostendit quasdam animæ virtutes, movet & movetur, agit & patitur. Pergit Rosin: Vegetabilem, id est, vim suam in natura inditam communicantem suo generi, multiplicantem virtutem influentiæ sicut radix stipiti sive herbis. Mineralem quia de minera extrahitur. Auctor. viæ universalis. (*Cap. 11.*) Philosophi nominaverunt lapidem vegetabilem, quia vegetatur & crescit. Animalem quia corpus habet, animam & spiritum, ut animalia. Mineralem,

quia

quia res ex quibus componitur ſunt minerales in natura ſua, Michael Scotus (*Libr. de Nat. Solis & Lunæ.*) Lapis dicitur mineralis, quia ex ſolis mineralibus fit, vegetabilis quia nutritur & augetur, quæ ſunt potentiæ vegetativæ, animalis quia odore reficitur, & fœtore corrumpitur, quod poſtremum tamen juxta verborum ſonum intelligendum non eſt. Auctor novi luminis (*Cap.* 1.) Hic eſt lapis qui in vertice montium invenitur, & dicitur merito mineralis. Animalis etiam fertur eſſe, quoniam animam habet, vegetabilis etiam dicitur quia vegetatur. Non eſt itaque quod alias rationes inquirant viri docti & alchemiæ ſectatores, credant Sapientibus & Magiſtris ſuis, ſi modo eorum diſcipuli eſſe deſiderant. Nec timeant Elixir ex mineralibus compoſitum minus conducere ſanitati, quam illud quod in vegetabilibus & mineralibus inquirunt, cum omnes tum Philoſophi tum Medici eximias auri dotes & virtutes ſemper condemnarint.

Elixir autem ſive Lapis Philoſophorum de quo nobis ſermo, nihil niſi aurum eſt, ſed millies auro vulgari perfectius: & ſi aurum non eſſet, alchemiæ ſtudium vanum eſſet, cum aurificandi principium ab auro procedere neceſſe ſit, ſicut ignificandi principium ab igne, neque enim perfecta metalla in aurum tranſmutaret, niſi eſſet aurum; ſimile enim à ſuo ſimili generatur. Non nego quin ex melle, vino, & ſimilibus tam ex animalibus quam vegetabilibus deſumtis, Elixiria quædam fieri poſſint ad corpora humana præſervanda, & nonnunquam etiam ſananda, ſed ea nihil ad noſtrum Elixir de quo agimus, cui nullo modo comparanda ſunt, imò in metallica metamorphoſi etiam abdicanda, & pro inutilibus rejicienda. Si Philoſophi dicant aliquando lapidem ſuum recipere adintorium ab aliis rebus & nominent res extraneas, & à metalli natura alienas, tamen plerunque cum additione aliqua id faciunt, videlicet quædam eſſe magis propinqua quam alia. Et hoc eſt unum ex uſitatiſſimis ſophiſmatibus ſapientum in hac arte. Propterea tyronem Philoſophiæ profundæ rationis eſſe voluit Hermes. (*Tract.*) Exiſtimant præterea quidam Lapidem ideò dici à Philoſophis mineralem, animalem & vegetabilem, quod non ſolum humana corpora & metallica ad ſanitatem & verum temperamentum deducat, & in ea vim ac poteſtatem ſuam exerceat, ſed etiam in vegetabilia, quia ut ait Lullius, (*Pract. teſt. c. penult.*) rectificat omnes plantas in tempore veris per ſuum magnum calorem. Nam ſi de ipſo grani milii quantitas in aqua diſſoluta fuerit, & poſita in circuitu ſtirpis vel vitis, vel in corde arboris artificialiter naſcentur flores & folia, & fructicabunt menſe Majo. Quæ ratio quamvis non ſit inconveniens, tamen Philoſophorum auctoritas majoris ſemper apud me ponderis erit, cum præſertim in ea aliquid plus energiæ & latentis doctrinæ deprehendatur, quam ut à quocunque percipi poſſit. Cur vero lapidem ſuum in omni re & quocunque loco inveniri dixerint, modo excutiamus. Oſtendi ſuperius ex variis ſapientum dictis, Lapidem Philoſophorum conſtare Mercurio & ſulphure, ſive aqua & terra, quæ elementa in lapide maximè ſunt conſpicua, utrumque vero demonſtravi lapidem vocari. Cum itaque nulla res corporea ſit quæ non conſtet aqua & terra, & nullus locus humido aut ſicco vacuus, meritò lapidem ſuum ubique reperibilem affirmant. Hermes: Ars noſtra duabus indiget naturis: Humido ſcilicet & ſicco. Et in Allegatoriis Sap. Duo lapides Sapientum in ripis ſunt, & cacumine montium ventreque fluminum, atque in parietibus domorum regalium, inveniuntur & in ſtercore ejecti; quibus verbis aliud nihil intelligi quam aquam & terram, ſive humidum & ſiccum, certum eſt. Sed quia ſpiritus ſive aqua prædominatur in opere, quoniam cum ea, & ex ea, & per eam totum magiſterium fit, hanc præcipuè hujus ſcientiæ Doctores ubique inveniri dixerunt. Hinc Hermes: Secretum cujuſlibet rei & vita in una eſt aqua, & hæc aqua eſt ſuſceptibilis nutrimenti, in hominibus & in aliis, & in aqua eſt maximum ſecretum: aqua enim eſt quæ fit in tritico frumentum, & in oliva oleum, & in quibuſdam arboribus gummi & fructus diverſi, & principium generationis hominum eſt aqua. Hamuel in Seniore: Non eſt rés in mundo quæ magis cognoſcitur quam lapis, unuſquiſque & omnis homo indiget eo, & eſt apud illum, non poteſt etiam eſſe ſine eo, intendit philoſophus, per omnia, quæ dicit, aquam; invenitur enim aqua omni loco, in vallibus, in montibus, & apud divitem & pauperem, robuſtum & debilem. Et Alphid: (*In cla phil.*) Cum dicit; Lapis noſter ex vili re eſt, in oculis hominum pretio carente, faſtidita, quam homines pedibus conculcant in viis, & à qua ſe prolongant: quid aliud quàm aquam intelligat? Auctor Conſ. Conjugii maſſæ Solis & Lunæ, Lapis dicitur vilis quia nullius pretii in oculis ignorantis, & eſt cariſſimus, quia ſine eo non operatur natura, ſcilicet ſine humido, Lapis enim philoſophorum aqueus & humidus eſt humor autem viliſſimus Et Rupeſciſſa: (*Lib. Lucis.*) Natura ſeu materia lapidis eſt res vilis pretii ubique repetibilis, quia eſt aqua viſcoſa. Alii non aquam ſolam, ſed omnia elementa reſpexerunt, quæ in omnibus ſunt rebus. Hinc Comes Bernard: (*Ad Thomam de Bononia.*) Cum Philoſophi dicunt quod lapis ex omni fit re, intelligunt ipſum fieri ex quatuor elementis, ex quibus fit omnis res generabilis, & corruptibilis. Et Roſarius: Ubiq; invenitur propter elementorum participationem. Roſinus. Ut homo ex quatuor elementis eſt compoſitus, ita & lapis, itaque lapis eſt in homine. Quidam humorem radicalem per hujuſmodi dicta intelligi volunt, vel calorem omnibus rebus innatum: quælibet enim res mundi, id eſt, omne corpus elementatum habet in ſe calidum radicale ſeu formale cujus cauſſa perſiſtit, & non eſt res adeo frigida, quin foveatur ſub calido in ipſo incluſo tanquam radice. Nonnulli figurativè hæc interpretari malunt, inter quos eſt Marſ. Ficinus, (*Lib. de arte chem. c.* 27.) ſed magis ut credo ingenii oſtentandi, aut velandæ veritatis ſtudio, quam quod ita ſentiant; ut cum dicatur lapis eſſe ubique, intelligatur eſſe in toto vitro, in omnibus rebus, id eſt in omnibus metallis, quæ res eorum ſunt, juxta illud Hermetis: (*In tab. ſmarag.*) Omnes res natæ ſunt ab una re; ubi D. Thomas & Hortulanus interpretantur res pro metallis; In omni tempore, ſcilicet ſui operis; in omni homine ſuæ complexionis. Lullius quodam loco voluit naturam conſiderari, ut videlicet lapis reperiatur in omni re in qua ſit per naturam, ſtultum enim eſt quærere aliquid quod in re non ſit. Et alius: Lapis philoſophorum eſt in omnibus rebus in quibus nutritur. Et Senior: (*De intent. Alch. c.* 3.) Hunc lapidem dixerunt eſſe in omni re, & hoc eſt ex ſophiſmatibus ſapientum. Certum eſt autem quod ſit in omni re præparationem habente. Lullius (*Teſt. c.* 37.) quoque alibi dicit lapidem in omni loco inveniri ratione ſuarum proprietarum. Quæ quamvis vera ſint, tamen Philoſophorum

sophorum intentio non est alia quam in elementis, & præsertim aqua, prout dixi.

Enumeratis difficultatibus, circa veræ materiæ cognitionem emergentibus, quæ totius artis clavis est, procedamus ad ejus præparationem, & expendamus num in ea Sapientes sint dilucidiores. Nihil enim prodest scire unde constet Lapis, nisi similiter ejus præparatio innotuerit, quam difficillimam omnium rerum appellavit Senior: (*Lib. de fig. & imag.*) Et Baccen. in Turba dicit regimen ejus majus esse quam ratione comprehendi queat. Mandinus ibid: Regendi ignorantia plurimos errare fecit. Senior: (*In cla. Sap. ma.*) Multi cognoscunt lapidem nostrum, & nesciunt virtutem ejus, sed si virtutem scirent, quid valeret nisi scirent operationem? Operationem autem scire non possunt, nisi per donum Dei, vel per doctrinam Magistri qui eam doceat. Et Lullius: (*Test. c. 29.*) Nihil in hac scientia secretum, nisi modus operis & operandi. Verum dixisse Lullium inveniemus, si singulos præparationum modos & varietatem auctorum diligentius excutiamus. Quidam enim ita succincte lapidis regimen descripsere, ut mera tradidisse ænigmata videantur. Sic enim Geber & Auctor perfecti magisterii. Perfecta corporum & spirituum præparatio est per superflui remotionem & absentis additionem. Morienes: Opus nihil aliud est, quam exactio aquæ à terra, & ejusdem super eam remissio. Lullius diversos passim operationum modos describit, nam uno loco (*Test. c. 33.*) sic ait: Duæ operationes sunt tibi necessariæ, corruptio quæ facta sit sub suæ formæ conservatione, & generatio. Alibi (*Test. c. 26.*) sic: Rarefactio & condensatio est via originalis in elementorum transmutatione, in gradibus eorum. Idem: (*Ibid. c. 24.*) De grosso fac simplum, de ponderoso leve, asperum mollifica, durum fac molle, amarum dulce. & habebis magisterium. Rosarius vivum occidite, & resuscitate mortuum. Alius: Solve, coagula, & tinge. Et Emiganus in Turba: Definitio artis est corporis liquefactio & animæ à corpore separatio, & animæ corpori mundo conjunctio. Haly: (*Libr. secret. Alch. c. 1.*) Artificium majus fit per quatuor magisteria. Solvere, coagulare, albificare & rubificare. Philotis in Turba: Totum magisterium est, ut superius fiat inferius, & inferius superius. Aliusquidam (*Efferarius Monachus*) præcipit dividere, mundare, & congregare. Nonnulli diffusius lapidis regimina descripsere, sed non clarius. Arnaldus enim & Lullius & alii quidam quatuor operationis modos assignant: Dissolvere, abluere, congelare, fixare. Auctor Consil. conjug. Solis & Lunæ, vult calcinari, dissolvi, coagulari, item calcinari, & incerari. Auctor. perfecti magist. calcinari, solvi, destillari, & igne levi coagulari. Marsf. Ficinus primo componit, compositum putrefacit, putrefactum solvit, solutum dividit, divisum mundat, mundatum unit, & sic complet opus. Auct Scalæ. P. & Riplæus Anglus, tradunt operationum modos duodecim: Calcinationem, solutionem, separationem, conjunctionem, putrefactionem, congelationem, cibationem, sublimationem, fermentationem, exaltationem, multiplicationem, projectionem. Geber. (*Sum. perf. cap. 38.*) & Arnald. *in flore fl.* octo, sublimationem, descensionem, destillationem, calcinationem, solutionem, coagulationem, fixationem, creationem. Haly: (*Libr. Secr. Alch. c. 13.*) Omnes operationes hujus artis sub sex continentur rebus, quæ sunt fugare, fundere, incerare, dealbare, solvere, coagulare. Senior (*In clavi Sap. ma*) septem docet dispositiones, sublimationem scilicet, calcinationem, solutionem, ablutionem, cerationem, coagulationem, fixionem. Avicenna totidem, sed noneodem ordine, sublimationem, solutionem, putrefactionem, ablutionem, coagulationem, calcinationem, fixionem. Alii alias, quas omnes non est opus in hunc locum conferre. Cum igitur auctores tantopere varient, & necesse sit legentium animos distrahi tanta operum multitudine; quis confidat se lucem in tam densis tenebris conspecturum unquam? An non tanta diversitas necessariò difficultatem parit, dum unus solutionem primum operis gradum appellat, alter calcinationem, tertius sublimationem dicit, & sic in reliquis, si enim primus ordo variat, reliquos etiam variari necesse est. At si saltem in eisdem regiminibus concordes essent, sed ne id quidem, cum singuli ea definiant pro libito. Calcinatio enim, cum dicatur rei per ignem pulverisatio ex privatione suæ humiditatis partes consolidantis: docent tamen nonnulli non igne, sed aqua corpora sua calcinare, inter quos Lullius (*In apertorio.*) Sic enim ait: Calcinatio terræ non fit igne, sicut Sophistæ credunt, sed per proprium spiritum suum. Spiritus autem in hac arte appellatione nihil aliud quam aquam indicari supra dictum est. At quid potest esse diversius, dum unus præcipit humiditate privari corpus, alius aquam jubeat addi? Idem de solutione judicandum, quæ cum definiatur rei siccæ in aquam reductio, quod non potest fieri nisi per unionem solventis & solvendi, ut videlicet corpus spiritus fiat, & spiritus corpus, tamen Arnaldus (*Rof. par. 1. cap. 1.*) contrarium asserens, solvere inquit, est dividere corpora, quod nihil aliud est quam compositi partes separare, & ex uno duo aut plura facere. Eadem ratione sublimationem, quæ à Gebro & aliis definitur esse rei siccæ elevatio cum adhærentia sui vasis, & ab Avicenna, elevatio partium subtilissimarum à partibus fixis, alii affirmant nihil esse, nisi rei grossæ subtiliationem totumque opus Philosophorum unica sublimatione absolvi. Sic enim Arnald. (*Lib. flos flor.*) Aqua nostra corpora sublimatione vulgari, quam intelligunt phantastici, credentes quod sublimare sit superius ascendere, vel elevare per ignem, sed sublimare Philosophis est subtiliare, mundare, defæcare. Sic in reliquis operationum modis maximè dissentiunt, quos si diligentius examinare vellem prolixior fierem. Illud solum adjiciam, cum ex superioribus pateat plura regimina operis describi, nonnulli tamen repudiata in totum varietate unicam tantum decoctionem volunt, ad instar naturæ in locis minerarum, aut instar fœtus in utero; dicente Rosario: Quamvis sæpe dicant Philosophi, impone vasi suo & claude firmiter, tamen sufficit semel imponere & claudere, donec totum magisterium adimpleatur: quod amplius est à malo est. Lullius vero (*Test. cap. 14.*) requirit tres graduales transmutationes, sive potius digestiones, ad instar earum, quæ in humano corpore fiunt, quarum prima est in stomacho, secunda in hepate, tertia in venis, & partibus. Tanta igitur auctorum diversitas non potest non nisi maximam caliginem operantium & studentium oculis offundere. Sed transeamus ad pondera, & primo quantopere referat ea noviſse audiamus ab ipsis magistris, quantumvis enim materia bene præparata fuerit & bene mista, nisi quantitates rerum sint justæ, & secundum rationem, frustra laborat artifex. Auctor perfecti magist. Cave ne ad componendum accedas, antequam invenias componendorum

pondera completa. Auctor dialogi Natu & fil. phil. Debita proportio eſt clavis omnium ſecretorum Arnald. (*Roſ. part* 2. *cap.* 24.) Omnia ſub termino definito & diſpoſitione certa ſubſiſtunt. Idcirco unicuique ponderi pondus, & omni menſuræ menſura opus eſt. Haly: Si quantitas ponderum diſconvenit in compoſito, partibus ejuſdem naturæ tranſcendentibus per augmentum & diminutionem, deſtruitur cum ea proprietas compoſiti, & fit effectus ejus caſſus & vacuus. Chambar in Turba. Si conficias abſque pondere mora evenit, & malum putabitur. Rhaſis. Qui ignoravit pondera non laboret in noſtris libris, Philoſophi enim nihil ſuarum rerum poſuerunt, nec aliud occultaverunt niſi hoc. Vera dixiſſe Rhaſim deprehendent, qui in libris Philoſophorum verſati ſunt; tantum enim in diverſa abeunt ut referre pudeat, & ſi non pudeat, tamen non poſſim. Atqui ſi unicum tantum pondus ſolventis & ſolvendi dicerent, poſſemus utique conjectura aliqua id aſſequi, ſi non prima, ſaltem pluribus vicibus, ponendo tam varias partes in vitris, donec divina favente gratia id aſſequeremur, præſertim cum nihil referre videatur, ſi paulò plus aquæ addatur nec ne, exiſtimandum eſt enim ſi paulò plures aquæ partes addantur, corpus citius ſolvi, ſed tardius coagulari, at ſi pauciores, tardius quidem ſolvi, citius vero coagulari, ita ut omnia in unum recidant; nec videntur Philoſophi hac in parte duodecimam partem prætergredi. Geber enim (*Lib. fornacum c.* 19.) & Marſ: Ficinus (*De arte che. cap.* 19.) duodecim aquæ partes ſumunt, Comes Bernard decem, Senior novem juxta numerum novem aquilarum. Hinc quidam: A novem uſque ad duodecim errare non potes. At turba tres aquæ partes, unam corporis aſſumi affirmat. Alii plus minuſve: Quidam ſuperfundi aquam jubent, ut tribus digitis ſupereminet. Sed eſto, conſequutus ſit quiſpiam primum illud pondus, quod in corporis diſſolutione expetitur, quid de reliquis expectandum ſit, quæ in compoſitione depuratorum elementorum & tinctura additione requiruntur non video; in iis enim multo major varietas conſpicitur, nec enim ad duodecim aquæ aut terræ partes aſcendunt auctores, ſed ad quinquaginta & amplius. Dicit enim Arn. (*Roſ. part.* 2. *cap.* 15.) infunde aquam per vices conterendo, quouſque ipſa terra biberit de ſua aqua quinquageſimam ſui partem. Alii minus aquæ plus terræ aſſumunt, alii contra plus aquæ minus terræ capiendum affirmant, ita ut quis è tot & tantis ambagibus ſe extricare non valeat, præſertim ſi ad naturæ operationem reſpiciat, cujus arcana in combinatione ſulphuris & argenti vivi nulla inveſtigatione perquiri aut ſciri à nobis poſſunt. Huc accedit & alia difficultas, quod Philoſophi non diſtinguant cum pondera præſcribunt, num ea in primo opere, ſecundo, tertio, & quarto aſſumi velint, ſed omnia confundentes, nunc de ſolutione corporis, nunc de elementorum conjunctione loquentes, aliquando vero de utroque ſimul, partium proportiones debitas confundunt. Sed ſi ſaltem aquam & terram ponderandam dicerent quæ palpantur & videntur, jam cum velint etiam aërem & ignem librari, non poſſum non ponderum proportionem difficilimam judicare, & artificum multorum irritos labores errores deflere. Proximum eſt ut de vaſe agamus in quo fit magiſterium, cujus notitia maxime neceſſaria eſt, cum ſit veluti matrix in animalibus, quæ in ea generantur & capiunt incrementum pariter & nutritionem; nihil enim materia aut ejuſdem præparatio aut ponderum cognitio artificem juverint, niſi vas aptum habeat in quo artis & naturæ operationes perficiat. Locus enim principium generationis, & locus generat locatum, nec refert, ut ait Albertus, utrum quid fiat in vaſis artificialibus, an in naturalibus; in utriſque enim, elementales & cæleſtes virtutes operantur, modo artificialia formentur ad modum naturalium. Unde Haly: (*In præf. ſecret. Alch.*) Niſi res magiſterii inveniat vas ſibi idoneum, totum opus deſtruitur, & ejus operarii quæſitum non inveniunt, nec ipſa res prodit in effectum generationis, quia cum non invenerit cauſam ſuæ generationis ſive radicem, & ipſam caliditatem, contingit in operationibus caſus deſtructionis. Et Morienes: Si ſapientes antiqui & qui poſt eos fuere, ſuas expoſitiones de qualitate vaſi in quo conficitur magiſterium non inveniſſent, nunquam quiſquam ad ejus perfectionem perveniſſet. Illud autem cum unicum dicant, ejus inventio non parum impedimenti inquirentibus adfert, neque veriſimile videtur in unico vaſe poſſe tam diverſa artis regimina exerceri, ſublimationem videlicet calcinationem, deſtillationem, ſolutionem, inceration em & ſimilia. Aut igitur unicum eſſe non poteſt, aut tot rei præparationes nil niſi mera figmenta & verborum involucra merito cenſebuntur, niſi fortè aquam Philoſophorum quid intelligat, quæ nonnunquam pro vaſe capitur. Unde Hermes: Vas Philoſophorum eſt aqua eorum. Et Arnald. (*Lib. fl. flor.*) Lapis ut dicunt Philoſophi fit in uno vaſe, & verum dicunt, nam totum magiſterium noſtrum fit cum aqua noſtra, & ex ea: nam ipſa corpora ſolvit, & calcinat, & in terram reducit, dealbat, & mundificat. Item alius: In aqua noſtra fiunt omnes modi operationum, ſcilicet ſublimatio, deſtillatio, ſolutio, calcinatio, fixio, in dicta aqua fiunt tanquam in vaſe artificiali. Sulphur item vas naturæ à Lullio quodam loco nominatur. Quamvis autem cum aqua fieri poſſe dicantur omnes operationes, tamen aquam ipſam vaſe quopiam contineri neceſſe eſt, in quo ſapientes pluries diſcordant. A diverſis enim diverſa præſcribuntur, unus vitrum cum longo & ſtricto collo, ventre rotundo, alter cucurbitam cum alembico, tertius vas cum duabus cannis, quidam vas ſupra, vas nonnulli aludel ſive ſublimatorium præſcribunt & alia infinita. Plures non unum aliquod vas pro toto opere, ſed diverſa requirunt in ſingulis ejus regiminibus, ita ut tanta diverſitas maximæ difficultatis ſit index. Huc annumerandæ ſunt variæ etiam vaſorum formæ à ſimilitudine quadam tam rei quam ipſius operis deſumtæ. Sic enim vas ovum appellat Haly: Accipe inquit ovum, & igneo percute gladio, eſt enim ejus clauſura. Quidam etiam cribratorium & cribrum, quia in eo dividuntur partes, & mundantur, & in eo perficitur magiſterium. Senior: Cribra illud cribro & filo, id eſt, cucurbica & alembico. Et Mireris: Suo cribro ipſum ſepties cribrari oportet. Nonnulli marmor, quia in eo teritur Philoſophorum materia; vas ſuum nominarunt. Dicitur etiam ſepulchrum. Unde in Turba: Effodiatur illi draconi ſepulchrum & ſepeliatur illic mulier cum eo. Et id totum ad ejus occultationem, neque veriſimile eſt Philoſophos id uſquam apertis verbis deſcripſiſſe, teſte Maria, quæ in hunc modum loquitur. Omnia docent Philoſophi præter vas Hermetis quia illud eſt divum, & de ſapientia Domini gentibus occultatum: & illi qui illud ignorant, neſciunt regimen veritatis, propter vaſis Hermetis ignorantiam. Lilii auctor Senior dicit

viſionem

visionem ejus magis quærendam quam scripturam. Non autem tantummodo à vasis formâ oritur difficultas, sed etiam ab ejus quantitate, ne videlicet majus aut minus sit quam æquum est. Si enim majus fuerit dispergentur nimium lapidis vapores sive spiritus subtiles, neque ad corpus suum revertentur. Sin minus fuerit, revolutio elementorum lapidis adimpleri non poterit, & germen ejus suffocabitur. Sicut enim per motum firmamenti fit revolutio elementorum, per quam corpora subtilia nituntur superius ascendere, & quod ponderosum est manet inferius, sic quoque in opere peritorum chemicorum fieri asserunt Philosophi. In vasis item clausura non minima difficultas consistit: sunt enim in eo spiritus subtilissimi, qui si detenti non fuerint peribit magisterium. Unde Rosarius. Conserva vas & ligaturam ejus ut potens sit in conservatione spirituum. Certe si tantum unica esset in opere decoctio linearis & continua, sufficere videretur vas oblongum, cujus collum stringi & candente ferro solidari posset, sed cum sublimari, destillari, & calcinari præcipiant, rationem non reperio, quomodo vapores aeri in vase contineri possint, quocumque etiam modo lutum aut colla præparetur, nisi vas post singulas operationes frangendum sit, quod necesse non esse satis innuunt sapientes, cum dicunt unico vase totum perfici magisterium. Progrediamur ulterius ad ignem, sine cujus cognitione omnis operatio artificum invalida est, cum commodum, & incommodum hujus rei proveniat à commodo ignis, ut ait Haly (*Secr. Alch. cap.* 8.) Et Plat. Ignis addit perfecto commodum & corrupto incommodum, seu corruptionem: unde cum fuerit ejus quantitas bona & idonea, perficiet, sed cum multiplicaverit in rebus ultra modum, corrumpet ambo, sc. perfectum & corruptum. Et Alphidius. Agens in hoc toto mundo est unum, scilicet calor, calore autem privato nullus est motus aut actus, ipsius enim dispositionis radix calor est. Morienes: Maxima hujus operis efficacia in suo igne perpenditur, nam cum eo mineræ aptantur, & animæ in corporibus suis retinentur, ignis quoque est tota ejus natura, & perfecta probatio. Et si sciveris dare ignem, aqua & ignis tibi sufficiunt. Maria. Totum regimen est in temperie ignis. Necessitatem cognitionis ignis recensui; audiamus modo quam difficile sit ignis regimen naturæ conveniens reperire, & perpendamus quid dicat Senior. Homines inquit qui operantur in ista scientia, sunt decepti magis in regimine ignis, quam in alia re, quia nescierunt temperantiam ignis: multi enim sciunt rem, sed regimen ignis ignorant, in quo jacet tota perfectio. Hermes. (*Tract.* 2.) Ignium scientia mirabile munus est. Sed interrogabit fortasse aliquis, quare ignoretur ignis regimen, cum ars naturam imitetur quantum potest; in mineralibus autem videmus viam quasi linearem, calorem videlicet lentum & æqualem, quia metalla in penetralibus terræ excoquit, & ad perfectionem ducit, igitur cognita materia & ejus dispositione & vase, si lento igne omnia regantur, Philosophorum inde lapidem procreari necesse erit. Rectè sane quis ita ratiocinari posset, si semen lapidis purum & numeris omnibus absolutum natura tradidisset, prout frumenti granum aut alterius vegetabilis semen, quod terræ commissum & solis calore fotum, cælique rore madefactum absque hominis adjutorio consurgit in speciem similem ei unde habuit originem. Sed naturæ non est concessum à Deo, ut inquit Lullius, (*Test. c.* 88.) quod lapidem Philosophorum possit generare sine ingenio & operatione manuum humanarum. Ideo præcipiunt Philosophi lapidem corporea mole liberari, deinde mundari à suis superfluitatibus, quod ut assequantur, varia describunt regimina, quæ omnia igne tam lento fieri non possunt. Propterea nonnulli quatuor ignis gradus præcipuos tradunt, præteritis inter hos mediis. Et quamvis unico igne per omnia æquali Elixir perfici posset, difficile admodum judicare esset, unde ignis ille componi, & calor istiusmodi excitari possit, cum in eo maxime varient auctores: Quidam enim balnei calore, cinerum, aut arenæ, materiam suam continendam asserunt. Auctor Lilii ignem flammæ dicit adhibendum qui supra vas reverberet: Dracone, inquit, in vase posito & sepulto, ignis quinque fustium siccatorum in fovea fornacis accendatur, qui sit continuus neque minuatur neque augeatur. Alphid. calorem fimi requirit. Sic enim ait: Igne coquere, est abscondere in equorum stercore humido, quod est sapientum ignis. Alii in vinaceis, serratura lignorum, stipulis, & carbonibus juniperinis calorem illum quærunt. Morienes stercus columbinum & folia olivarum laudat. Multi oleo, sebo, butyro, aut aqua ardente ignem Philosophicum nutriendum putant. Hunc comparant calori hominis sani, aut gallinæ ovis incubantis, aut calori Solis dum est in Ariete. Proinde Comes Bernardus æthereum quendam calorem describit, vaporosum, digerentem, continuum non violentum, subtilem, circundatum, aereum, clausum, incomburentem, alterantem, penetrantem & vivum. Joan. Pontanus, cujus epistola practicæ Philippi de Rovillasco præfixa est, mirabilem admodum ignem describit, & qui vix à quopiam intelligatur, in hanc sententiam. Mineralis est, æqualis est, continuus est, non vaporat, nisi nimium excitetur, de sulphure participat, aliunde sumitur quam à materia, omnia diruit, solvit & congelat, similiter & calcinat & est artificialis ad inveniendum, est compendium sine sumtu aliquo, saltem parvo: & ignis ille est cum mediocri ignitione, qui omnes debitas sublimationes facit, qui non comprehenditur nisi per solam & profundam cogitationem. Putarem ipsum aquam Philosophorum intelligere, quæ sæpenumero ignis à sapientibus nominatur. Sic enim Menardus & Dardaris in Turba, Argentum, vivum est ignis corpora comburens & corpora mortificans magis quam ignis. Et alius: Ignis quem tibi ostendam est aqua. Sed obstare videtur quod dicat aliunde sumi quam à materia. Sic & terra Philosophorum nonnunquam ignis dicitur. Unde auctor Scalæ Philos. Scias quod aqua nostra est oleum, & terra nostra est ignis siccus. Quare cum ignoremus quem potissimum ex tot ignium generibus eligere debeamus, meritò tota ejus inquisitio difficultatum plenissima erit: quas non mediocriter augent Philosophi dum de quatuor ignium generibus sæpè loquuntur: Elementali videlicet, naturali, innaturali, & contra naturam, quorum cognitionem omnimodam artificem habere decet, antequam opus tenet. De igne invenio hoc ænigma: Littus maris, non plenè combustus sanguis hominis, & succus uvæ rubeus est ignis noster. Sub igne autem & furni secretum contineri manifestum est, cum ignis non nisi in furno idoneo fieri possit. Quot autem furnorum genera à Philosophis passim recenseantur ex Gebro (*Lib. fornacum.*) facilè colligi potest, qui solus ut alios auctores prætermittam, septem enumerat, Calcinatorium videlicet, sublimatorium, destillatorium, descensorium, solu-

ſolutorium, & fixatorium; cum tamen unicam ſolam fornacem quærant, quam cum indicare volunt, proprio ipſius nomine celato, furnum ſecretum appellant. Ex cujus augmento vel diminutione contingit ſimiliter artificem errare. Magna enim fornax magnum dat ignem, parvum vero parva, quemadmodum etiam ex ejus ſpiſſitudine vel tenuitate, ſpiſſa enim fornax condenſatum & fortem dat ignem, tenuis vero debilem. Spatioſa item reſpiracula clarum & magnum dant ignem, ſtricta debilem. Quapropter ut proportionem æqualem igni quem quærit inveniat, laborandum imprimis eſt artifici.

Supereſt, ut de ortu & nativitate lapidis aliquid dicam, & de ejus terminis, omnis enim actio naturalis cum ſuum habeat motum & tempus determinatum in quo perficiatur & terminetur majore vel minore temporis ſpatio, ut ait Philoſophus, neceſſario & Lapis Philoſophorum ſuum habebit tempus certum & determinatum intra quod oriatur & compleatur. Volunt autem Philoſophi ipſum naſci poſt accuratiſſimam elementorum ipſius mundationem, & ab omnibus inquinamentis depurationem in albedine quadam, quæ fulget candore admirabili vincens omnes mundi albedines, & ab igne fugiens & evaneſcens, niſi artifex decoctioni finem imponere ſciat, & in ipſa hora animam ei adjungere: exemplo fœtus in matrice, qui à principio conceptionis perficitur continuè uſque ad tempus partus, & tempore nativitatis perfectus eſt de ſe, & ſi tunc non egrediatur ſuffocatur, & moritur, quia tunc eget auxilio expulſivæ virtutis: & cum ortus eſt, tunc eget ultimo perfici, quia motus ambulationis deficit ei, cognitio & loquela. Eodem modo lapis hic oritur perfectus per ſe, ſed deficit ei tinctura, & fixio ſtans, & conjunctio matrimonialis, ideo eget auxilio artificis extrahentis tunc ipſum ſtatim, & complentis eum, antequam evolet ab igne, aut antequam ſeneſcat & morbidus fiat. Hinc Morienes: Radix hujus ſcientiæ eſt in hora compoſitionis ſuæ. Et Alphidius (*In cl. phil.*) Omnis creatura poteſt augeri quouſque perficiatur, cùm autem ad finem perfectionis devenerit, in detrimentum diminutionis tendit, vel deſcendit: per ejuſmodi viam iter ſuum dirigunt univerſa quæ in mundo ſunt. Simile etiam quippiam evenire videmus in iis, quæ noſtræ ſubjacent voluntati, in coctione panis videlicet & confectionibus mellis & ſacchari, quæ cum fuerint in complemento ſuæ decoctionis, perfecta ſunt ab igne removenda, & ſi ulterius coquantur, comburuntur, & deſtruuntur.

Oportet itaque artificem attentum eſſe & vigilem, ut terminum in opere non tranſcendat, & ſequi conſilium auctoris Lilii, qui inquit, hoc opus tencas cum Hermete ut toties continuè iteretur, donec viſui patefiat mutatio, ita quod operis viſio te doceat.

Hunc autem terminum nunquam niſi myſtice & obſcure admodum indicarunt Philoſophi & conſulto variarunt, ne comprehendi aut cognoſci à quoquam verè poſſit: niſi per Dei gratiam & benignitatem cum eo ignoto omnium prædictorum notitia nihil juvet. Quidam enim hunc terminum definiunt anno uno, juxta illud Platonis: Pauciores dies præparationis eſt circuitus luminaris majoris. Alii novem menſibus, quidam centum quinquaginta diebus aut centum viginti, & etiam centum, nonnulli octuaginta aut ſeptuaginta, quin etiam quadraginta. Sunt & qui novem aut ſeptem diebus aut etiam tribus terminum hunc definiant, & aliis modis infinitis, cum tamen non ſit niſi unus terminus & dies, imò hora & momentum ut quidam volunt, in qua fiat totius operis perfectio aut annihilatio. Moyſes: Iſtud opus fit ita ſubito, ſicut veniunt nubes de cælo, ut inquit Hermes, & etiam in ictu oculi. Et Roſinus (*Ad Euthychiam.*) ſimiliter: Hoc opus fit in momento uno, & eſt ejus efficacia in purificatione lapidis ab unguentoſis ſuis, & aliis quæ impediunt virtutem ejus. Hujus termini cognoſcendi difficultatem & periculum innuens Mireris Mimenſidum ſic alloquitur: Si philoſophicè operaris, & terminum in ipſo opere non tranſcendis, benedictus bis eris, hoc ſi ſubito videris, admiratio, & terror & tremor tibi evenient, caute ergo operare. Et Plato: Cave ne in putrefactione pervenias ad terminum nocivum, ſi enim contraxerit opus in ſolutione moram fortaſſe augmentabitur in corruptione, unde cave ab hoc. Et quidam in Turba. Omnibus à te ratione peractis, ſi dealbationem tamen ignoras ſperatam amittis lætitiam. Et Alius ibidem: Si compoſitum pluſquam oportet regatur, lumen ejus à pelago ſumptum extinguitur. Item Haly. (*Lib. ſecret. Alch. c. 7.*) Lapis noſter eſt vita ei, qui ipſum ſcit & ejus factum: & qui neſciverit & non fecit, & non certificabitur quando naſcetur, aut putabit alium lapidem, jam paravit ſe morti, & pecuniam ſuam perditioni; quia niſi hunc lapidem honoratum cum germinaverit invenerit, non conſurget alius loco ſuo. Et Alphid. (*Clavi phi.*) cum iſte lapis dirigitur & ei forma perficitur, tunc eſt aptus operationi, antequam melancholia ſuper ipſum abundet, & antequam aër in eo gignatur, & ſeneſcat. Hermes. (*Tract. 2.*) Si ab anguſtia ipſum extraxeris, & in diebus tibi notis ratione rexeris, comes & conveniens tibi erit, tu vero decoraberis. At Arnaldus. Additamentum diſpoſitionis & præparamentum debent eſſe in magiſterio Philoſophorum, & operantium quia natura motum ſuum præterire non poterit. Certum namque tempus eſt quod ipſa habet ad imprægnandum, pariendum nutriendum & operandum. Unde cum terram imprægnatum habueris, expecta partum, cum vero peperit nutrias eam quo uſque poſſit tolerare omnem ignem: Hanc difficultatem ortus lapidis non parum intendunt Philoſophi, cum terminum hunc cum fine primæ & ultimæ decoctionis ſcienter confundunt, loquentes nunc de termino unius, nunc de fine alterius, ut legentium animos diſtrahant, & veram intentionem ipſorum non capiant. Unde bene nobis conſulit Parmenides in Turba ut ad opus non accedamus niſi cognitis omnibus conditionibus lapidis & naturis, in hunc modum: Intendito noſcere imprimis, quid eſt quod naturam putrefaciat & renovet, & cujus ſit ſaporis, & quæ naturaliter habeat propinqua & longinqua, & quomodo ſe invicem diligant & qualiter poſt amorem corruptio & inimicitia illis accidat, & qualiter illæ naturæ ſe complectantur invicem, & quomodo in igne lento concordes fiant: quibus notis & perceptis, manus veſtras operi applicate. Quod ſi dictas qualitates ignoratis, nolite huic operi appropinquare, quoniam totum eſt noxium, infortunium & triſtitia. Quare cum ea quæ ſupra diximus de lapidis materia, regimine, ponderibus, vaſe, & igne, ſint inventu & cognitu admodum difficilia, tempus autem præciſum nativitatis & ortus lapidis noſſe difficillimum, imo ut quidam volunt ſupernaturale & divinum, & merito tota

ipſius

ipsius praxis difficilima judicabitur. Habent autem & aliud secretum Philosophi, quod miris modis ab ipsis celatum hic pertranseo, cum nihil certi adhuc de eo compertum habeam, eo quod Lullius parcissime de eo loquatur, aliis omnibus quos quidem ego legi tacentibus, excepto uno Seniore, aut interprete ejus Hamuele, qui idem arcanum unico verbo attingit. Videant igitur nunc & oculos tandem aperiant, & resipiscant, qui absque librorum intellectu tam grave & difficile attentant opus. Valeant etiam qui Lapidis opus ita leve & facile fingunt, ut quivis vel rusticus & indoctus, modo fortunatus ejus notitiam habere, aut fructum ex eo aliquem sperare possit cum intellectu præditis satis jam pateat illum neque casu aut eventu, sed nocturno diurnoque studio & labore Dei gratia adiuto parari debere. Quocirca Lullius reddens rationem quare ita raro inveniatur, sic ait. Homines ignorant naturam & naturalem illius commistionem & operationem, nec succurrere possunt naturæ, ratione suæ ignorantiæ quousque per Philosophiam transierint universalem, quæ revelat eis res, quæ illis erant absconditæ atque ignotæ. Ideo lapis noster est & non rusticorum, & penitus nostræ Philosophiæ, sicut filius est patris qui illum genuit. Hactenus Lullius.

QUARTA HUJUS LIBRI PARS & ULTIMA,

Quæ Artem Chemicam cuique vitandam docet & concludit.

SAtis superque de tribus impedimentorum generibus Scientiam hanc perdifficilem reddentibus superius dixisse mihi videor, quibus tametsi maximis, si quispiam non moveatur, aut à proposito revocetur, sed suo confidens ingenio & judicio porro ire pergat, & speret per industriam suam obstacula omnia removeri aut superari posse, & ad intentionem suam pervenire, is aliorum exemplo cautior evadat, & tanquam è specula adspiciat irrita studia doctissimorum hominum, qui libros hac de arte ediderunt. Petractet Jo. Braceschi opuscula, & in eundem animadversiones Tauladani, videat Laurentii Venturæ de arte Chemica librum, qui gloriatur se ducenta quinquaginta volumina hujus scientiæ in Bibliothecam illustriss. Comitis Palatini intulisse, & præter illa quinquaginta adhuc alia habere; & videbit puniendos & prodigiosos istorum errores, ut interim taceam de illis qui nostra ætate Rosarium Arnoldi de Villa nova, & Chemicos Paracelsi libellos declarandos & elucidandos suscepere, qui se paraphrastas, & interpretes fateri non erubescunt eorum quos non intelligunt. Sed sicut istorum dementia ritum, ita aliorum frustati labores misericordiam demetentur, qui cum doctrina & eruditione claruerint, nec laboribus aut sumtibus pepercerint in perscrutandis metallorum arcanis, tamen ab iis veritas abscondita fuit voluntate proculdubio omnipotentis Dei, qui hominum scrutatur corda & renes, magno sane omnibus qui hanc artem inconsulte sectantur exemplo. Si enim tam doctos & præclaros viros, quibus diversorum auctorum libri non defuere, hujus Artis practica, imo ipsa materia latuit, quid mihi aut mei similibus sperandum est, qui ingenio & eruditione minus valemus, quibus etiam ne libri quidem quod in hac maximum est, nisi paucissimi respectu eorum quos se dicit habuisse Ventura ad manum sunt? Quid postremò exspectandum illis, qui musas ne à limine quidem salutarunt, qui neque radices mineralium neq; generationis modum callent? neque unquam naturæ abscondita investigare curarunt, sed tantummodo avaritia vel ambitione, aut similibus pravis affectibus inducti, ad has epulas illotis properant manibus tanquam pecudes ad pabulum? Profecto tam facilem illis artem judico, quam si manibus suis stellas cælo detrahere conarentur. Proinde mirum non est, si malis principiis innitentes, pejorem sortiantur finem, cum decoctis bonis senectutem in mœrore & inopia agere cogantur, & metamorphosim quam in metallis expectabant in se ipsis experiantur, in quos non insulse illud detorqueri posset: Quod habuerunt, scilicet divitias, amiserunt, quod non amiserunt habent, paupertatem scilicet & miseriam. Deinde cùm paucissimis hujus Artis notitia contingat, idque solius Dei beneficio & misericordia, cujus voluntas nobis enexplorata est, & cujus potius judicia timere debemus, nec quicquam de nobis præsumere, cumque tempus quo in hoc seculo versamur adeò breve sit & pretiosum ut nullis opibus resarciri queat, malè admodum sibi consulit, qui incertos & ancipites eventus certis & securis anteponit. Quin potius Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam Architecturam, aut similia sectetur, in quibus vel mediocria ingenia ita proficere possunt, ut alios consilio, & opera vel re juvare, sibi nomen & famam divitias & honores parare, aut saltem familiæ providere possint. Neque enim quispiam à Repub. aut muniis quibuscunque obeundis arcetur, etiamsi summum suæ facultatis aut scientiæ apicem non attigerit, quod rarissime evenenit: neque enim omnes Theologi D. Augustino & Thomæ Aquinati, Jurisperiti Papiniano aut Bartholo, Medici Hippocrati aut Galeno, Architecti Proclo vel Archimedi doctrina scientiave aut experimentis pares sunt, nihilominus tamen & hodiè in pretio sunt quamplurimi diversis inter se eruditionis gradibus distincti in eisdem facultatibus, nec est quod eos temporis amissi ut male collocati pœniteat. At in Chemica arte planè contrarium venit, quam monti cuidam altissimo comparare soleo à parte septentrionali præcipiti & prærupto, ab australi leviter declivi, qui duas regiones discriminet, quarum altera borealis rarissime illustrata, sed nube plerunque opaca & densa caligine operta, ventis validissimis perflata, sylvis horrida, sentibus & dumetis aspera, semitam nullam, sed solum omne luto aut nive glacieque impeditum habet, nihilque producat quod vel ad solatium sit hominis aut necessitatem. Altera contra meridionalis totos dies sole illustretur, aura suavissima ventiletur, collibus vitiferis, arboribusque omnium pomorum feracibus distinguatur, fontibus & rivulis suaviter decurrentibus irrigetur, pratis longe viridantibus & mille florum generibus distinctis, ædibusque pulcherrimis, & umbraculis adornata sit, demum quicquid ad bene beateque in hoc modo vivendum desiderari possit, ibi cumulatissime reperiatur, sed ad quam aditus non detur nisi per montem. Qui Chemica sectari instituit, is imprudenter & sine consilio regionem septentrioni expositam ingreditur, & in maximas difficultates seipsum præcipitat: cuperet oblectamentis alterius regionis australis perfrui, sed viam tritam non invenit, lutum vestigia absorbet, nix & glacies lubricitate fallunt, spinæ & vepres pungunt, tandem præruptus & saxosus mons impedit, quo minus

ad culmen aſcendat, Quid faciat? fruſtra cælum votis & ſuſpiriis fatiget, ni arrepta ſecuri vi & maximo labore arbores & dumeta exſcindat, ſaxa ferro & igni diſrumpat, viamque ſibi inter ea aperiat. Aut ſi Deus & Aſtra illi faveant, è ſummo montis faſtigio ſcalam quiſpiam aut funem dimittat, quo ſurſum attractus, deſuper voluptatis hortum aſpiciat, & tandem plenis manibus fructus carpat, famem fatiet, ſitimque reſtinguat, & poſt exantlatos duriſſi nos labores, exoptatiſſima quiete potiatur. Sed quotus quiſque eſt qui aſtra ita benigna habeat, vel aliena opera montem aſcendat? quis enim audeat manum alteri porrigere, niſi fide, conſtantia, munificentia in pauperes, & vitæ ſanctimonia conſpicuo, quem non arrogantem, non ambitioſum, ſed humilem & manſuetum, non ſuæ ſed Dei gloriæ ſtudioſum jamdudum multis factis periculis ſit expertus. Opus eſt igitur ut quisquis illam regionem inconſulte ingreſſus eſt, retrorſum pedem moveat, aut ſi ulterius pergere volet, ſolitudinem ne timeat, adverſus ventum veſtigia firmet, frigora veſte duplici & pellibus ſuffulta, aliiſque fomentis arceat, ocreas tibiis propter lutum adaptet, baculo ferrata cuſpide greſſum in glacie fulciat, & tandem in monte gradus ſibi paret, ſuoque Marte ad ipſius cacumen aſcendat. Quod ni fecerit, omni fructu laborum ſuorum privabitur, timendumque eſt, ne vel per abrupta montis tandem cadat, & debilitatis artubus vel membris mutiletur, aut cœnoſa voragine hauriatur, vel profunda nive glacieque detineatur, aut ſentibus laceretur, aut fame, frigore & ſiti vitam miſere finiat. In aliis facultatibus & ſcientiis nemo fruſtra laborat aut ingenium exercet, & ſi non ſummum ſaltem aliquem inter ſuos gradum meretur. Chemica vero qui tractat, niſi imperfectorum metallorum in aurum & argentum metamorphoſin vere calleat, qui artis eſt finis & totius ſtudii periodus, fruſtra ætatem ſuam trivit, temporiſque inconſulte amiſſi pœnitentiam aget. Quis igitur niſi imprudens, loquor autem non principibus & magnatibus, quibus parum decedit, ſi centenos aliquot aureos quotannis in re honeſtiſſima & pulcherrima jucundiſſimaque, ſi ratione & conſilio omnia fiant, impendant; ſed meæ conditionis hominibus: Quis iuquam dubia ſectetur, unde nil niſi temporis & operæ diſpendium, egeſtatem & inopiam ſperet & non potius ea unde certa præmia, honor, divitiæ, favor inter ſuos & admiratio expectantur? Quid ſtultius quam ea inquirere, quæ poſtquam maximo labore & impenſis non vulgaribus adeptus ſis, ne audes quidem evulgare? quam miſeram vitam tuam fore exiſtimas cum in ſumma fortuna fortunam deſideres, & ne id poſſis quod velis, compedes tibi injectas ſenties, ut merito cum Horatio dicere poſſis.

Quo mihi fortunam, ſi non conceditur uti?

At poteris aliis bene facere; ſplendidum id quidem & magnificum, ſed ne hoc quidem, niſi occulte. Deinde ut aliis ſis amicus, tibi inimicus eris, ut alios promoveas, teipſum deprimes, & ancipiti fortunæ committes, animo inter ſpem & metum ſemper ſuſpenſus, ut aliis dones, tua prius inſumes, floridam juventutem perdes, & in imum deſperationis barathrum te conjicies; cum ne gratia quidem ulla ab ingratis affinibus, conſanguineis & amicis expectanda ſit, exiſtimantibus te non ex amore ſed abundantia, & parca admodum manu largiri cum poſſis largiſſima, ſi tamen voto potitus ſis; ſin autem, nemo tibi vel teruntium reddet, etiamſi omnia tua inſumpſeris, quinimo ridebere & ludibriis omnium expoſitus contabeſces. Et cum ne unus quidem è decem millibus, qui Chemica tractant propoſitum ſibi finem conſequatur, an non potius timendum eſt, ne cum decem millibus operam ludas, quam cum unico illo rem quæſitam obtineas? Quare omnes & ſingulos an ice rogatos & monitos velim, ut Alchemiam tanquam peſtem & carcinoma aliquod evitent, ſerpit enim ubi ſemel admiſeris, & interiora hominis depaſcitur, rodit animum, nec quietem admittit ſpe ingentium bonorum, quæ non ſecus atque metus mali vitam humanam non ſolum difficilem & laborioſam reddit, ſed ſenectutem accelerat & mortem. Spes quæ differtur, inquit Sapiens, (*Proverb.* 13. affligit animam; id ſi in aliis verum in hac certè arte veriſſimum. Quis jam enumeret morbos, quos fumi, fœtores, argenti vivi crudi & ſublimati exhalationes reliquorumque venenatorum attractiones, diutinæ vigiliæ, labores quotidiani Chemiſtarum corporibus adſerunt? Quis uſtiones ex aquis fortibus aut candentibus metallis, quis animi tædia referat, dum aliter atque præſumunt ſpes ſuas in irritum cadere proſpiciunt? Quis innumeros ſumptus breviter perſtringat, dum hinc vitra, illinc ollæ ferreæ, inde catini aut argilla igni valido reſiſtens, argentum vivum, marchaſitæ auri & argenti aliorumque metallorum, & ſimilia ex ipſis venis maximo terrarum ſpacio diſtantibus petuntur, nebulones, frugiperdæ & ſycophantæ ut fallant, ultro etiam ex aliis provinciis & tranſalpinis accerſuntur? Omitto infamiam quæ hos auripetas plerumque comitatur, & dubia de illis hominum judicia, dum quiſque ut ſentit de illis loquitur, hic impoſtorem, ille falſarium, & monetæ adulteratorem ſuſpicatur: qui minus male, ſuarum rerum prodigum & male ſibi conſulentem, & ad egeſtatem ſponte properantem affirmant; multi etiam miſerentur, tanquam de ipſius ſalute conclamatum eſſet. Sed ante dicta quanquam ab Alchimiæ veræ ſectatoribus tantum abſint, quantum cælum à terra, nec in philoſophantem & naturæ arcana callide perquirentem cadere poſſint, cum is nec multis nec etiam pretioſis indigeat, nec opus ſit ut aliunde petat quæ ubiq; venalia inveniuntur, neque illi periculum ſit à vaporibus aut fumis, tamen antequam eo perveniat ut Philoſophorum ſcripta intelligat, materiam artis & ejus regimen & cætera neceſſaria ſciat; multa dum tentare, plurima expendere contingit, neque omnino forte ab exhalationibus tutus eſſe poterit, neque vulgi judicia ſubterfugere, ut ſileam interim nonnullos probos & doctos alioqui viros, qui audito Alchemiſtæ nomine non ſecus atque viſa crudeli aliqua fera inhorreſcunt, & quodammodo contremiſcunt, & antequam norint impoſtorem judicant. Adeo hæc ars omnium digniſſima non ſine omnipotentis Dei judicio vilis & improba judicatur. Quod quamvis primum incipientibus difficile & injurium videatur, tamen procedente tempore cum Philoſophorum dicta obſcura intelligere & deguſtare incipiunt, & nonnulli eorum quamvis pauciſſimi ad propoſitum perveniunt, tum demum in ſinu gaudent, non tam ob auri argentique ſpem aut copiam, quàm quod ars impoſſibilis & vana ab aliis judicetur, ridentque occulte pridem irriſi aliorum vecordiã & improbitatẽ, cum ſecure etiam ſi quæ ſuſpicio oborta ſit divinæ in eos collatæ gratiæ hominũ loquacitatem contemnere poſſint, provocando ad majorẽ illorum partẽ. Quid? dicerent, putaſnè hunc ſi tantis divitiis afflueret, non hæc aut illa acturum? familiam

nume-

numerosam aleret, emeret, ædificaret, pompose vestitus servorum cohorte comitatus incederet, & magnum quippiam moliretur. Rectè sanè, si omnes eodem essent animo, nisi & olim & nostra etiamnum hodie ferret ætas tales, qui moderate divitias ferre, nec propter illas sese extollere, arrogantiam, pompas, & cætera mundi vana fastidire, & securam semper & ubique continentiam, humilitatemque nullis undarum fluctibus agitatam amplecti didicillent. Sciant hi qui tam diversa meditantur, hanc artem à Deo non nisi pauperibus spiritu dari. Sic enim Alphidius. Hanc artem rationabilibus filiis Adæ, deinde pauperibus propriam tribuit Deus. Audiant Beatum Thomam dicentem, hæc ars invenit hominem sanctum, aut reddit hominem sanctũ non quidem per se, sed quod fieri non possit, quin se ante faciem Dei prosternat & humiliter, & ei immortales gratias agat, qui tantum thesaurum & sapientiam pauciſſimis datam sola Dei misericordia consequutus sit. Itaque nihil mirum si sese intra rationis limites contineat, & tantum meditetur sui negligens quæ ad Dei gloriam, & proximorum charitatem spectant. Et quare tandem in vulgus efferat, quæ sibi mox sint obfutura.

Vulgo nota sunt quæ pauciſſimis ab hinc annis Bragadino evenerunt, qui cum Venetiis metalla vilia in aurum transmutandi artem professus esset, & à populo per excellentiam magnus Alchemista vocaretur, adiit eum Toparcha Picolomineus proscriptus à quibusdam Italiæ principibus, petit mutuum triginta aureorum millia: & cupit imprudenter edoceri præterea artem, unde tantum sibi pareret posthac quantum velit. Bragadinus pavore exanimis cum nec haberet quantum ille peteret, & multo minus artem calleret, nihil tamen ob ejus crudelitatem & temeritatem negare ausus, promittit utrunque: sed cum differt & tergiversatur, nunc hæc, nunc illa excusando, alter acrius instare & mortem minari ni promissum exolvat, nec enim se rideri à quoquam velle aut parvipendi. Cogitur itaque stipatorum caterva se munire adversus insidiantis ferociam quod tamen ipsi parum profuisset, nisi sui immemor dum alteri laqueum tradit Picolomineus ipsemet in casses incidisset, & captus fuisset. Evasit tum Bragadinus, pejori forti suæ reservatus. Posset tamen contingere fortasse ut eadem ars ad indignos aliquando deveniret, quos ad aliorum exemplum Deus non serus vindex atrociter puniat, qui æquè bonis & malis utitur ad nominis sui gloriam. Accepi à nobili quodam viro nostra hac ætate monachum quendam Italum hac arte confisum religioni & ordini suo renunciasse, & in Germaniam venisse ut liberius viveret, cucullam & aspera monasteriorum detestatum: sed dum incautius se gerit, duos in intimam ipsius familiaritatem sese insinuasse, à quibus postea in sylva quadam ex itinere maximo scelere trucidatus sit, quorum alter pulverem apud monachum repertum pro suo diversis principibus & magnatibus ostenderit, & mille impostoris sub falso scientiæ nomine homines illuserit. Quis itaque horum duorum exemplo non sibi caveat, secretumque suum occultet, quod propalatum aut mortem aut ad minimum perpetuum metum, & spontaneum exilium procul à patria & suis adferat. Multis jam dudum controversiis inter Philosophos antiquos agitatum fuit, quid esset summum bonum dum alius virtutem, alius gloriam, voluptatem, dolorum absentiam, sanitatem, fortitudinem, animi securitatem, & similia in cælum laudibus vehit. Non dubitandum sane est, quin maxima eorum pars si lapidis philosophici notitiam aliquam habuissent hunc omnibus antedictis, cæterisque in mundo rebus prætulissent, cum eo divitiæ immensæ, & omnia quæ auro & pecunia parantur haberi, morbi propelli, & sanitas conservari possit. Si enim expertis & sua cumque in arte credendum est, cum unanimiter auctores tradant Elixir istud corpus humanum ad verum temperamentum reducere (intelligo in dispositis) sublimem memoriam, hilaritatem perpetuam, si violentiam externam excipias, prudentiam & audaciam conciliare, quid ni credendum sit organum ita dispositum virtutibus variis, omnibusque fere ut ita dicam corporis & animi bonis efflorere posse? Sed quis summum bonum judicet id, cujus adeptio tam anceps, & postquam adeptus sis, ne audeas quidem evulgare, nisi insidiis undique peti, & mille periculis exponi velis, aut in perpetuo metu & terrore versari? Qui antiquitus eximium quid consecuti sunt gaudebant videri & cognosci, & fama sui frui dum viverent; Hæc sola scientia gaudet in tenebris, & latibula quærit, nec caput nisi post mortem audet exerere: nec id quidem nisi libello aliquo conscripto, & apud amicos deposito, quo fortunam suam posteris, & præsertim Chemiæ studiosis testatam volunt, quos eo munere dignatur summus Deus. Cum gloria in cæteris hominum actionibus & scientiis summum calcar sit ad ardua aspirantibus, in hac arte impedimentum potius adferre, animi vigorem retundere, & feliciter cœpto itinere quemcunque posset avocare. Ac ne divitias quidem summas probus quisque qui felicitatem suam cælo & Dei amore metitur, expetere deberet, cum difficillimum sit animo temperare in summa fortuna, & ab injuriis aliorum abstinere, aut ea non facere quæ reprehensionem & culpam in hoc mundo, & in venturo seculo pœnam æternam mereantur. Cum igitur hæc scientia quamvis præcellens tantopere sit incerta propter impedimenta & difficultates superius enarratas, ut vix quispiam vel sperare illam audeat nisi inconsulte admodum & temere, cum infiniti rem & tempus misere perdant, & hominum ludibriis sese opponant, morbos & egestatem sibi ultro accersant, & senium accelerent: denique cum ars adepta tantum periculorum secum vehat, iterum consulo omnibus, juvenibus præsertim & mediocris fortunæ hominibus, ut quisque famæ suæ & salutis curam habeat, nec hanc semitam terat aut ingrediatur, aut ut ingressus mox pedem retrahat, ne sero nimium cum multis sapiat, & stultitiæ suæ tarde & nihil profutura pœnitentia pœnas luat.

Sed ut is qui consilio meo nullo modo acquiescere, sed magis fortunam tentare maluerit, aliquam etiam utilitatem ex hoc libello referat, præcepta non insalubria dabo. Primo semetipsum examinet, & consideret num conditiones in artifice requisitas habeat, & ante omnia rei familiari prospiciat, ne si proposito vacuus maneat, egestate postea laboret, aut opus inceptum dimittere cogatur. Diversorum auctorum libros sibi accumulet, quia alioqui impossibilis est illorum intellectus, nec lectum semel, bis, terve librum rejiciat, quamvis non intelligat, sed relegat decies, vicies, & quinquagies etiam & amplius: deinde videat in quo maxime concordent auctores, ibi enim latet veritas, sed naturæ possibilitatem imprimis spectet. Unde Philosophus (*Senior in clavi Sap. ma.*) secundum naturam sit tua intentio. Radices

præterea mineralium cognoſcat, ut ex ipſis faciat opus ſuum, alioqui in vanum laborabit. Ne aliena opera utatur, non enim eo animo aliis atque ſibi quiſque operam navat. Deinde hæc ars non ſecus atque regnum aliquod eſt ſocietatis impatiens, niſi fide, innocentia & Dei præcipuè amore animi juncti fuerint. Proinde Geber non temerè inter artis impedimenta ponit membrorum truncationem. At quibus membra magis trunca videntur, quam iis qui aliena opera artem quærunt, & ſeipſos naturalium rerum ſcrutatione indignos profitentur? Qui itaque otium non habet aliis negotiis diſtractus, ut librorum lectioni vel exercitationi artis vacare poſſit, potius ab ea abſtineat, quia nihil eſt quod votis ſuis ſecundum expectet. Aut ſi divitiis abundet, & expenſas non timeat, quærat ſibi virum aliquem probum & eruditum & linguarum aliquot maximè uſitatarum peritum, mediocriter in deſtillationibus, ſublimationibus & calcinationibus communibus verſatum, non quod ea in hac arte admodum neceſſariæ ſint, ſed ut opera Philoſophica à vulgaribus ſciat diſtinguere. Et ſalarium annuum conſtituat, libros & inſtrumenta arti neceſſaria ſuppeditet, ſed eo animo ut jacturam pecuniæ ſuæ non ægrè ferat, etiamſi per aliquot annos nec unde potiſſimum incipiat ſciat artifex. Neque enim lecto aliquo libro fortaſſe falſo & ab impoſtore quopiam compoſito, manum operi adhibendam quis putet, ſed poſt aliquot annorum ſpatia cùm ſe auctores etiam probe intelligere exiſtimaverit. Sic enim legimus in Allegoriis Sapientum. Noli opus incipere antequam ipſum ſcias, quia ſi opus non noveris errabis, & opus tuum in vanum peribit. Semel inceptum niſi magna de cauſa non mutet, etiamſi tardiuſculus videatur properanti. Circumforaneos & indoctos qui ſeſe Alchemiſtas profitentur procul à limine arceat, neque enim quenquam docebunt quæ ipſi ignorent. Si quid ab ipſis diſci poſſit, id totum in variis fornacibus & ignibus, eorumque gradibus conſiſtit, quod dato munuſculo ab iis ſciri poterit, aut ſi ea de cauſa retinendi videntur, vas ſemper ſigillatum & exterius coopertum detineatur: Si materia aſpicienda, aut eximenda, aut miſcendum aliquid, domo amandentur. Caveat ſibi quiſque à libris & chartis quæ varias receptas (ut vocant) continent, & albificationes aut rubificationes, auri argentique multiplicationes, aut auri ex ære & argento extractiones promittunt. Nec credat facile iis qui operis abbreviationes pollicentur, aut Elixiris perfecti augmentationem, natura enim tempus ſuum completum habeat neceſſe eſt quo actionem ſuam perficiat, ſi quis motum illius turbet, non lucrum ſed damnum & incommodum ſibi accumulabit. Nemo etiam Elixiri augmentum dare, aut ejus virtutem intendere poteſt, qui artem integre non calleat, & opus per experientiæ viam antea ad complementum perduxerit. Fugiat ſublimationes, calcinationes, & ſolutiones omnes vulgares, nihil enim utilitatis inde expectandum, cum Philoſophorum regimen à vulgaribus ſit longè diverſum. Evitet omnia quæ magno conſtant. Si in auro & argento artem ſitam exiſtimet parvam eorum quantitatem ſumat, utpote drachmam unam aut ad ſummum duas, ſi principia felicia fuerint, poſtea poterit majori pondere opus repetere. Vilipendat cœmentationes omnes, & olea, aquaſque graduales quibus miranda quædam ſe poſſe efficere jactant nonnulli, cùm parum ſit in illis lucri, plus damni & periculi. Nam demus ut aliquid auri argentique ex metallis imperfectis exprimatur caratione, certè id exiguum erit, & ſumptibus & laboribus vix reſpondebit, nec augmentationem ullam admittet. Damnet vegetabilia omnia & animalia, aut quæ ortum ex eis habent, media præterea mineralia, & non capiat niſi naturam metallicam, circa illam hæreat & operam ſuam impendat, alioqui laborem, impenſas & tempus ſuum deplorabit. Nec tamen propterea etiam ſibi proſperum eventum polliceatur ſi in debita materia operatus fuerit, cum teſte Gebro (*Sum. perf. cap. 7.*) & aliis Philoſophis hæc Ars tota à Deo pendeat, qui cui vult etiam largitur & ſubtrahit, qui eſt ſublimis & glorioſus & omni juſtitia & bonitate repletus: ſi enim Deus ſciret in eo mentem fidelem, ut ait Lilium, utique ei veritatem intimaret. Proinde ſi quis votis ſuis fruſtratus fuerit, non Deo maledicat, nec ignorantiæ ſuæ culpam Philoſophis imponat, aut eos reprehendat, ſed ſeipſum, qui plus de ſe præſumpſerit quam æquum erat, & ſuadenti ut ab arte abſtineret, non obtemperaverit.

SVBSECTIO SECVNDA.

CATO CHEMICUS, *Tractatus quo Veræ ac Genuinæ Philoſophiæ Hermeticæ, & Fucatæ ac Sophiſticæ Pſeudo-Chemiæ, & utriuſque Magiſtrorum Characteriſmi accuratè delineantur.*

CAPUT PRIMUM.

De Chemiæ Ortu.

QUOD humanum ingenium ſe habeat ut primum aliquod mobile, ſatis ex hominum actionibus & meditationibus compertum eſt, ſicut enim hoc eſt in continuo, & perenni motu; ſic nec minus ingenium humanumque quieſcit. Proinde anima noſtra in ſe conſiderata non malè dicitur res cogitans; nam quemadmodum nullum corpus ſine Extenſione concipi poteſt; ſic & ne quidem temporis elabitur punctum, quo non anima cogitet, ejuſque influxu irradietur. Duplex autem cauſa iſtius perpetuæ actionis in anima ſurgentis videtur eſſe, altera Metaphyſica, altera Phyſica. Sit hæc interna, illa externa. De utriuſque ortu, efficacia & liturgia multa forent dicenda, ſi ratio propoſiti id ſuaderet. Solum ſermonem noſtrum hoc loco reſtringemus ad externam cauſam, quæ videtur, exprimi hoc canone à Scholis recepto.

recepto. Objecta movent sensus. Sicque sensus (externos puta) videntur fungi officio nunciorum, qui sensibus intrinsecis, videlicet memoriæ & phantasiæ sistunt occurrentia. Illa autem occurrentia pariunt meditationes, hæ meditationes ut plurimum non quiescunt in nuda speculatione vel contemplatione, sed prout naturæ instinctus vel inclinatio est, operari incipiunt, sicque illa cogitata duntaxat in sermonem vel vocalem vel scriptum erumpunt, vel etiam in opera artificiali desinunt. Tanto autem illa opera perfectiora sunt, quanto subtilius ingenium. Hac occasione omnes scientiæ & artes natæ sunt, & quotidie incrementum sumunt. Huic occasioni etiam suum ortum debet Chemia artium Regina, & Theologiæ dignitate & nobilitate proxima. Hæc autem vel versatur in analysi quorumlibet corporum; (ejus enim objectum est omne corpus naturale sublunare) vel duntaxat respicit Chrysopœiam, Metallorum Metamorphosin. Hanc vel jactant veri Philosophi, & illa est arcana arcanissima, ad quam nemo illotis irruet manibus, vel impura mente; ne etiam promiscuè omnibus pateret ad hanc Divinam Artem aditus, hieroglyphici Characteres primo ab Ægyptiis (apud quos hæc ars supremum tenuit locum teste Suida) fuere inventi, quibus eam includerent, ne Margaritæ projicerentur porcis. Vel circa eam versantur Sophistæ, hi autem non aliter considerandi veniunt quam fuci circa apiarium volantes. Hoc modo non est ars, sed mera impostura, & hi ciniflones, ut qui veram Metallorum ignorant analysin & synthesin, tam exosam reddiderunt artem, ut jam dudum pro impostura fuerit habita; nec injuriâ, hi enim sophistæ tot deceperunt homines, milleque fucos & fraudes, quibus & Magnatum æraria auro & argento evacuarent, commenti sunt. De utriusque artis scilicet veræ & falsæ operatoribus quædam artis filiis in cautionem, & Chemiæ veræ assertionem proferre placet.

CAPUT II.

De vera Chemia.

PHilosophi habent Canonem. Contraria juxta se posita magis eluceſcunt: Et hic Canon & in hac Chemiæ consideratione meretur locum; quippe quantum Chemiæ tribuendum esset, non satis foret evidens, nisi & ejus oppositum simul consideraremus. Quam elegantissima pulcherrimáque creatura esset lux, haud innotesceret, nisi ejus oppositum, scilicet tenebræ essent cognitæ. De oppositorum genesi multa quidem essent dicenda, si crimen Manichæismi effugere liceret, obiter enim notetur. Dogma veteris Manichæismi, non satis nobis compertum esse; Nam quemadmodum fides historiæ dependet ab incorrupto judicio & fide Historici; ita etiam omnes ejusmodi relationes historiæque de veterum hæresibus non possunt sine formidine oppositi sic accipi, quin dubium hoc remaneat, an etiam fideliter acta recensentur. Certum etenim quod hi hæresium relatores non ubiq; boni historici fidem impleant, vel notas boni historici characteristicas habeant quas merent istæ relationes. (Sed non movebimus hanc Camarinam.) Sic neque Chemia vera bene cognita ejusque pretium, Dignitas & Nobilitas, dicam an Majestas, constaret, si non etiam suis coloribus depingeretur Sophistarum impostura. Ut autem filii artis sciant, quantum distent æra lupinis, utriusque aliquam ideam hic adumbraturi sumus. Incipimus autem merito de vera, cujus hæ sunt notæ characteristicæ, quibus à falsa distinguitur. 1. Est simplicissima, & naturæ operationibus adæquata. Dicitur simplicissima, quia omnis compositi expers, neque etiam terminos suæ simplicitatis ullo excedit modo. 2. Naturæ operationibus adæquata; & hoc verissimum, posset hoc ipsum prolixo sermone probari, verum brevitati Sacramentum, magis autem taciturnitati diximus. Nolumus enim esse rei fracti sigilli Hermetici: Hoc solum nota. Dicunt Philosophi. *Natura Naturâ lætatur.* Natura duos habet spiritus architectonicos, Calorem & frigus. Et hi duo sunt præsides in arte. Natura suas operationes 4. anni partibus conformes instituit, ut sunt *Hyems, Ver, Æstas, Autumnus.* Et hæ anni partes sunt in opere Magno Philosophico, Hyems ad caput Corvi, Ver ad columbam vel Cygnum, æstas ad pomum citri, Autumnus ad Cynosbatum. 3. Naturæ operationibus adæquata est ratione organorum vel vasorum. Nota. Una via, una res, una // dispositio, unus actus, unum vas ad complementum Magisterii. // 4. Adæquata est operationibus Naturæ. Natura non patitur violentum. Magisterium Philosophorum omne violentum destruit. Nota. Testudinem gradiendo non superabit Phi- // = B. losophus. 5. Adæquata est operationibus ratione Materiæ. Natura præter elementa, præter vegetabile animale, & minerale nihil sinu suo includit. Artificium Philosophiæ Adeptæ est etiam præter suæ elementa nihil aliud quam vegetabile, animale, minerale. Nota. *Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate.* Et articulum de Trinitate contra Anti-Trinitarios non Logicis, sed argumentis realibus astruit. Adæquata est operationibus ratione formæ resuscitationis. Natura in Semina quæ videntur mortua iusundit vitam, in Philosophia adepta & mortuum vivificatur. Nota. Est *Adrop* & Phœnix Ægyptius. Sicque stabilit articulum resurrectionis. 7. Est adæquata operationibus naturæ ratione mixtionis; Natura in genesi rerum miscet humidum cum sicco & fovet Phœbum in vase terræ. Ars miscet humidum cum sicco, fovet Phœbum Philosophicum in vase suo Philosophico occulto. Nota. Osiris, Isis, & Typhon & Vulcanus. 8. Est adæquata naturæ operationibus. Natura, ex quo quid vult generare, vertit in limum; Philosophia adepta putrefacit, & in limum suam materiam vertit. Nota. Limus est principium corruptionis; & rudimentum generationis. 9. Est adæquata naturæ operationibus. Natura subjecta generationis operi exposita, modo exsiccat, modo humectat, Alchemia modo materiam suam siccat, & humectat. Nota. Pluviam reduc in Terram // = B. sitientem siccam. 10. Est adæquata naturæ operationibus. Natura colorat per gradus. Et in Cynosbato colorando rubedo colorum complementum est: Alchemia & per colores diversos ducit suum Magisterium. Nota. In Magno opere sunt 4. Colores principales. Niger, albus, flavus, ruber. Intentionales sunt cauda pavonis, colla columbarum, anatum, & IRIS. 11. Est adæquata naturæ operationibus. Natura habet suum generationis tempus. Observa genesin Microcosmi, Ars Chemica & suum tempus putrefactionis, coagulationis, ablutionis, &c. Nota. Ægyptus & Persia, vel Asia, Africa, America, Europa, Utopia Mori. 12. Adæquata operationibus naturæ. Natura in genesin vegetabilis non recipit materiam animalis propinquam. Ars Chemica nihil peregrini suo operi admiscet,

miscet. Nota Mixtionem specierum prohibet Deus in Scriptura. Omnia sunt sibi invicem homogenea in arte spagyrica. 13. Adæquata Naturæ operationibus, illa ad genesin Micro-Cosmi Maris & Fœminæ copulam requirit. Ars spagyrica habet in suo opere utriusque sexus simulachrum & iconem. Nota. Gabritius & Bejæ. 14. Adæquata Naturæ operationibus. Natura non facit saltum. Ars Chemica non facit saltum. Nota 1. Niger. 2. Albus. 3. Flavus. 4. Ruber. Hi colores se invicem subsequantur neque alter alterum præcedat. Cæterum opus triste habet exitum. 15. Adæquata Naturæ operationibus. Natura habet in operibus suis perficiendis & absolvendis ut plurimum determinatum tempus, quo finiuntur. Ars Chemiæ & opus suum magnum certa tempus mensura metitur. 16. Adæquata Naturæ operationibus. Natura habet suum fatum physicum. Illud videtur situm in numero, pondere & mensura, juxta dictum Salomonis. Ars Hermetica etiam habet suam legem, Adrastæam, contra quam operator non peccabit, & illa etiam numerum, pondus & mensuram respicit. 1. Numerū ratione vasorum, ratione dierum, ratione graduum. 2. Pondus ratione materiæ &c. 3. Mensuram ratione Chrysidis, Isidis, Typhonis, Vulcani &c. *plura annecterem, sed præstat claudere fontem.*

CAPUT III.

De Veræ Chemiæ Scriptoribus.

VEra Chemia, quam secundum sua signa Diagnostica. Cap. 2. ut & notas Characteristicas delineavimus, & quidem coloribus vivis, & suos habet scriptores. Quos in Duas dispescimus classes. Classis prima complectitur illos autores, quibus hæc symbola tribuuntur & his solum fidendum est. Sol est ejus Conjugii pater, & alba luna mater, tertius succedit ut Gubernator 2. Fumus complectitur fumum, & herba alba *crescens* super monticuli caput utrumque. 3. pharmaco ignito spolianda est densi corporis umbra. 4. Hoc accipe quòd in sterquiliniis suis calcatur: absque scala ascensurus, cades in Caput. 5. Aquila volans per aerem & Bufo gradiens per terram. 6. Omnes *concordant* in uno, qui est bifidus. 7. Lapis habetur ex Matrimonio Chabritii & Bejæ. 8. Ex △ & ☿, ut natura, sic ars producit Metalla. 9. Corpus infantis ex Masculo & fœmina prodit in actum. 10. Elementorum fac æquationem, & habebis. 11. Lapis ut infans, lacte nutriendus est virginali. 12. Saturnus humectat terram portantem Solis florem & Lunæ 13. Fixum fac volatile, & volatile fixum, & habebis totum Magisterium. &c. Quidam Eruditi viri aliquot autorum scripta in certa collegerunt Volumina ut sunt Turba Philosophorum. 2. Theatrum Chimicum, cujus sex sunt volumina. 3. Musæum Chimicum. 4. Syntagma harmoniæ Chimicæ philosophicæ. C. Jani Lacinii collectanea Chimica edita Basileæ. Ne autem Paracelsum præteream, hujus opera in quarto anno 1589. excusa Basileæ magni sunt æstimanda, sumtuum eorum, quos in iis emendis expendis, nunquam pœnitebit: (*reperiuntur de novo excusa Genevæ in fol. 1659.*) Forsan *viatorium* in scripta Paracelsi dabo. Præter recensita volumina sunt alia quæ nunc non tangimus scripta. Altera classis complectitur modernos, inter quos Espagnet & Trevisanus sunt duces. Flamellus, Riplæus &c. merentur etiam suam laudem. Pantaleon est quoque egregius scriptor, sed cuncta involvit nodo Gordio, recte defendit Sendivogium. Duo novissimi sunt Aquilæ Thuringicæ autor, & Helbigius (aliorum hic non fiet mentio, ut ut his duobus merito sint præferendi) In autore Aquilæ duo notandà errata. Primo errat in hoc, quod duplicem statuat viam, siccam & humidam. Vera Chemia solum unicam novit viam. 2. In descriptione materiæ aliquid humani patitur. Supplementum in fine additum est alterius autoris, non quidem Adepti, sed tamen ejusmodi viri, cui sal sapientiæ cognitum Quod ad Helbigium attinet, illum quidèm ut eximium Philosophum veneramur, sed pro Adepto non agnoscimus, quod satis patet ex contextu ejus libri. Mirum in modum sibi plaudit suâ Tessâ, verum autem ejus sensum eruit Anonymus scriptor. Sed dolemus quod tam jejunum defensorem nactus sit, cui non patent fores ad hæc mysteria, quod claret ex judicio, quod hic scriptor dat de *Isaaco Hollando*, quem non intelligit. Nolo Cassium de auro eleganter eruditeque differentem præterire, etiam nobis placuit hoc opusculum, ut ut quædam in eo non ad normam philosophiæ Adeptæ conscripta occurrant. Nihilominus inveniet in eo studiosus philosophiæ Adeptæ, quæ ipsi possunt esse usui & commodo; Sal artis Hermeticæ vivis coloribus in eo descriptum est, sapientiæ sal dictum, verum adhuc quadam veste involutum est iis, quorum oculis annata est tunica præconceptarum opinionum, vide nostrum Chemiæ Microcosmium. Alipuli scriptum fere prætermissem, videtur esse suppositititium, habetur nomen fictum, quoniam nihil in eo occurrit, quòd sapit Arabum indolem vel genium. Quod de libris Hermetis in oriente commemorat commento haud dissimile & quod fertur de superstitibus libris Esdræ. Credo autem uti unque sed sub formidine oppositi. Ænigma de decimo foramine in homine æquipollet vocabulo Tessa. Sed quorsum resuscito Mercurium præcipitatum.

CAPUT IV.

De Veræ Chemiæ Subsidiis.

QUandoquidem cum omni opere & expeditione sic comparatum est, ut sine mediis subsidiisque necessariis non facile subsequatur, imo stultus videretur, qui opus aliquod aggressurus, non prius sibi de mediis & subsidiis apprime necessariis prospiceret & optima quæque eligeret. Quis Nautam non furiosum æstimaret, si sine velis, clavo & pixide nautica necessarioque commeatu iter in Indiam susciperet. Nec minus dementiæ crimen effugiet Adeptæ Philosophiæ studiosus, qui sine administratis oppido commodis necessariisque tale quid in Chemia moliri animum induceret suum. Ille & divitiarum & salutis jacturam faciet. Subsidia autem illa, quæ requiruntur, & sine quibus opus perfici nequit summatim complectitur historia expeditionis Jasonis ad aureum vellus, qua expeditione nec aurum auro, lac lacti, Chemicæ operationi magis convenit; Nos autem subsidia illa dispescimus in tres classes. Prima, quæ opus præcedere debent, enarrabit. Secunda, quæ in ipso opere necessaria, tradet. Tertia, quæ absoluto opere requiruntur, exponet. Antequàm quis Opus aggrediatur, 1° secum bene expendat naturam suam moraliter, an istæ virtutes in ipso inveniantur, quas adepti philosophi ad opus prædicant utiles necessariasque. Ne autem hic prolixus sum, tribus expediam.

diam. Timor Domini initium sapientiæ, Dilige proximum, sicut te ipsum, Eleemosinæ delent peccata. Omnia ad majorem DEI gloriam. Soli DEO Gloria. Beati humiles. Indesinenter orandum. Pietas enim illa, quæ in adeptis eluceſcit, verbis satis prædicari non potest. Est etiam hoc proverbium notum. Chemia vel pium hominem invenit, vel pium facit. Quod non mirum: opus enim hoc sacrum est, in quo Creationis mundi; plasmationis Microcosmi, Mysterii Triados sanctissimæ, Mysterii incarnationis, Mysterii regenerationis novi hominis; Mysterii mortis hominis; & denique resurrectionis vivas quasi imagines vides. Imò solius universæ naturæ operum ideam delineatam spectabilis. Quem non horum admirandorum phænomenorum contemplatio pium probumque faceret. IIº est lectio scripturæ, ut quæ omnis sapientiæ oceanus intelligentiæque promus condus; scrutamini scripturam; Hæc nocturna diurnaque manu volvenda. Cujus lectioni junge Arndii scripta, in quibus pietatis nucleus; Philosophi Teutonici Bohmii opera etiam cum scriptis Sperberi ad manum sint. IIIº Physicæ studeat, non illi contemplativæ sub Tyrannide Peripateticorum plangenti, verum quam correxit hodierna ætas, quam experimentalem nuncupamus. Nobile opus physicum est, quod scripsit Espagnet &c. IVº Familiaria sint scripta Paracelsi, quæ prodiere. Basileæ 1559. in 4. Absque intermissione Adeptorum libros, inter quos Lacinius è præcipuis. volve revolve; liber librum explicat. Sophistarum lectioni noli tempus impendere. Vº Operationes Chemicas, ad unguem habebis cognitas perspectasque, ut scias quid sint: Digestio, Eductio, reductio, solutio, putrefactio, coagulatio, Fixatio & maturatio &c. quæ opera omnia philosophicè non sophistice intelliguntur. Sophistæ sunt ejusmodi simiæ artis qualis Diabolus est simia Dei; Vita hos! In opere dum desudas & maximam partem, quæ modo commemoravi, sunt necessaria. Præterea etiam sis longanimis, patiens, tardus, continuo assiduus, vigil. Festina lente. Omnis præcipitantia à Diabolo. Et in omnibus ritum quatuor anni partium sequaris; principium operis sit hyems & sic consequenter, tuncque est opus mulierum & ludus puerorum. Opere absoluto memineris Soli DEO Gloria! Egeno subsidium, superbiæ studium fugiendum. Humilitati in dictis & factis studendum, caveasque ne sigillum taciturnitatis frangas. Nemini hoc arcanum revelandum, // // & ne quidem ex nobis natis. Hæc sunt licita Media & Veræ Chemiæ subsidia Ab his divottium faciunt ut plurimum Sophistæ. Illi naturam in natura non quærunt, eique potius vim & injuriam inferunt atrocem. Quidam neglecto DEO, *flectere si nequeo superos Acheronta movebo*, blasphemo clamant ore. Et in eum finem cum Diabolo pactum ineunt. Verum in hujus potestate non est. Omne donum bonum à DEO patre luminum. Cui DEUS dat, habet; Diabolus aliquando à quodam consultus, fertur respondisse, solve & coagula, plus dicere prohibeor. Præter recensitos modos Buccinatores alium modum hoc artificium ex Adeptorum Manibus extorquendi non sine pietatis naufragio debitæque reverentiæ erga artem Divinam jactura commenti sunt. Hi bellum indicunt adeptis & nisi prodant naturæ Mysterium quævis mala minantur. Verum bruta hæc sunt è pelvi fulgura. Herculem illi furentem vel Ajacem repræsentare videntur, qui vel invitis Diis sibi spondent victoriam. Quis vero æstimet illorum truculentos vultus, sermones minaces, quos par exitus manet, qui olim Gigantes, Jovi bellum inferentes. Sciant autem hi boni viri, quod Philosophia Adepta sit Oceanus, in quo graditur columba & natat Elephas. Sed ut patet confugiunt ad Helbigium, & Johannem de Monte Hermetis. Quod ad priorem attinet. Solatium, quod hic dare potest, ipsis minime invidemus. Alter naturæ mysta, memor erat sui juramenti, quod DEO & Naturæ præstitit, ne tantum arcanum temere prodat. Hermeticæ artis interest ne hoc arcanum ulli, nisi cui Deus velit revelare reveletur. // 13. c Satis etiam mirari non possum, quod hi 600, tot enim in hoc fœdus coivisse fatentur, viri, se Hermeticos nuncupant. Revera in illorum scriptis, nec vola nec vestigium artis imo neque attis rudimentorum apparet.

CAPUT V.

De Falsa Chemia.

VErtimus vela, & hucusque consideravimus Virginem veris Philosophis desponsatam, à nullo tamen defloratam & tamen multorum liberorum matrem, quos omnes peperit enixaque est salvo virginitatis sacro. Virginem dicimus Chemiam veram & merito; quoniam eam sanctè tractant Adepti. Virgo est & tamen mater, sed admirandæ prolis, Virgo est hermophrodita, in qua uterque sexus, & in utroque sexu æque potens & valida. Statura sua & Gigantem & pygmæum refert, sapienti sat. Huic Lucretiæ, sed tamen à nullo Tarquinio defloratæ, opponitur impudica Thais, quæ pudicitiam suam habet venalem. Estque Chemia phrenetica (ignoscite Viri Buccinatores nomenclaturam hanc à vobis mutuanti.) Hæc à vera innumeris parasangis differt: Vera paucis & solum piis naturæ scrutatoribus cognita: phrenetica illaque insana bellua in omnium amplexus, ut lasciva meretrix, ruit omnibusque se substernit, & horrenda edit monstra. 2. Vera humilis & simplex. Illa phrenetica superba, fastu tumida & turgida, multiplex, Variegata, milleque coloribus tincto paludamento cincta. 3. Vera duntaxat vel purpura vel stola alba armata, Solis & Lunæ insignibus decorata; phrenetica inconstanti colorum lusu sese delectat, & ipso vertumno versabilior, & ad instar chamæleontis ad libitum sui proci (porci) variat colores. 4. Vera caput habet redimitum corona aurea, capillis suæ prolis intertexta: phrenetica caput habet decoratum corona, in qua plures quam in collis annatum, columbarum, caudaque pavonis, colores, inter quos emicat colorum fæx. 5. Vera in manu dextra fert signum Antimonii; phrenetica Aquæ fortis. Vera in manu sinistra attendit // 13. ignem, aquam, hæc signa unita; phrenetica Auri // 13 pigmentum. Vera pectori habet insculptum characterem ☿ sophorum; phrenetica Urinæ, Vitrioli, Salis, Mercurii. Vera ambulat pavimento cui hi characteres inscripti. ☉☽♀☿♄♂, Salis Nitri, aceti destillati, Urinæ, aquæ, ignis, terræ. Phrenetica hæc signa non habet sub pedibus, sed circa eam in aere volant & duntaxat hic ostendunt umbram per refractionem radiorum. ☿ Vulgi modo ei inequitat, modo ab eâ avolat, & videtur agere personam Mimi. ☿ sophicus è longinquo ipsam insequitur petitque restitutionem in integrum: phrenetica torvo aspectu respicit dicens: Te ignoro! 9. Vera testudineo graditur gressu ad majestatem composito, & anni spatio cursum feliciter finit pe-

suas sphæras, per quas in arcem suam ascendit; phrenetica vaga, circumforanea, erratica, inque Labyrintho, cujus nullus patet exitus, currit, discurritque secum ubique rapiens ☿ diversis coloribus instar Morionis in scena variegatum, hicque coram ea hystrionicos gestus edit. 10. Veram subsequuntur Philosophi paludamento purpureo amicti, ramos olivæ & palmas vibrantes. Phreneticam comitantur, contingunt, & circumvallant Milites, Thrasones, aurifabri, Vulcani, satyri, lemures, genii nigri. 11. Vera secura omnis metus expers graditur. Dextrum ejus latus claudit pietas, sinistrum charitas, subsequitur natura grandæva matrona, naturam amanti cedit gratia Divina. Phrenetica timida, anxia, terrore tremoreque plena comites, satellites omnes armati: inter quos Buccinatores omnium armorum apparatum secum trahunt, igne, ense, rota, resti, obviis minitantes. 12. Circa veram coruscat Alma Lux omnium Creaturarum naturalium formosissima & hæc ipsi perpetua comes, neque unquam ab ejus latere recedens. Circa phreneticam tenebræ, nebulæ, horror, umbræ, spectra, quibus omnibus desperatio, furiæ diræ, admixtæ. 13. Vera tacitura pauci & simplicis sermonis; phrenetica garrula jactabunda, gloriosa, phalerati & multiplicis sermonis, ex quo undique eluescit inconstantia. 14. Vera humiliter & submisse clareque loquitur, ex cujus sermone nectar eloquentiæ mellifluæ destillat. Phrenetica rauca, horrisona, barbara. 15. Vera duobus libris intenta scripturæ, & naturæ Codici: phrenetica mille libris circum se jactis stratisque invigilat & cuncta volumina cursorie evolvit, raro librum revolvit. Bajulus librorum est ☿ vulgi, hicque interpretem nunciumque agit, ☿ sophorum interdum miserens, phreneticæ digitum in locum observatione dignum intendit; Verum semper ejus digitum ferit ☿ vulgi, & Buccinatores diras imprecantur & anathematis fulmen minantur. 16. Vera suis cultoribus sanitatem, longævitatem, divitiarumque affluentiam, larga impartitur manu; phrenetica sanitatem, divitias suis amatis servatoribusque aufert, irridet, egenos paupereseque reddit, 17. Vera suos autores honore & gloria illustrat, phrenetica infamia & ignominia mactat inque malam rem vel crucem adigit. 18. Vera suos autores docet candorem, sinceritatem, serpentinam astutiam, columbinam simplicitatem; phrenetica suos procos docet vafritiem, dolum, fraudem, calliditatem vulpinam, rapacitatem lupinam, immanitatem barbaram, feritatem Trigridum & Leonum. 19. Vera nunquam invisit ad palatia regum principum, Comitum, Baronum; Phrenetica crebro frequentat regum Mundique Magnatum aulas & sese etiam intrudit & ingerit in loca prædicta, & parasiti personam ludit. 20. Summa summarum. Vera ut Domina & Regina, phrenetica servit & famulatur, imo abjectissimæ sortis verna est, & serva est, quæ nunquam manu mittitur.

CAPUT VI.

De Phreneticæ Diagnosi.

PRopius cominus eminusque spectabimus hoc sepriceps Monstrum 1. Phrenetica in operationibus suis prorsus naturæ contraria est; phrenetica solvit antequam unit. Vera primo unit antequam solvat. 2. Phrenetica primo vult educere antequam reduxerit. Vera primo reducit suum subjectum, antequam ex eo adæquatum suum subjectum educit. 3. Phrenetica multa habet menstrua, & nullum adæquatum homogeneumque, quibus materiam suam præparat ad opus. Vera habet unum & homogeneum, quo suam materiam præparat, menstruum. 4. Phrenetica menstrua, quibus utitur heterogeneis, cogitur à materia sua rursum separare & abluere. Vera menstruum suum magis & magis cum materia sua unit & nullum heterogeneum recipit. 5. Phrenetica in ☿ vulgi ludit, & alios illudit. Vera in ☿ sophorum laborat & constanter perseverat. ☿ vulgi ne quidem aspicere dignatur, solum veneratur sophorum & non olympicum. Quantum distant æra lupinis! 6. Phrenetica veram & adæquatam materiam non agnoscit, neque secundum externam suppositionem, ut & colorem, multo minus virtutes & qualitates. Vera novit Materiam extus intusque juxta omnium Philosophorum descriptiones ænigmaticas, parabolicas, hyeroglyphicas, quas summatim tradunt superius à nobis recensita Philosophorum Symbola. Nota in gratiam filiorum artis: Nisi ex aere reducatur in terram non perficitur opus. Limus noster in aere primum suæ geneseos rudimentum accepit. Et ventus portavit eum in ventre suo. Ventus autem ille est Etesiarum flatus, Aeris habitaculum deserit, Iride præsente sub tempus auroræ præcipitatur. 7. Phrenetica mortificat materiam Philosophorum, & revivificare non potest. Vera materiam suam etiam mortificat, sed & vivificare potest. Animam in corpus, in cadaver, in sterquilinium refundit, in cadaver cui insidet corvus. In cadaver, quod foras ejiceret vulgus. 8. Phrenetica limi philosophici nullam habet rationem, vel nihilo æstimat. Vera limum agnoscit primum generationis & corruptionis principium. Et sine limo nihil potest ars Chemica. Fac ex aqua Limum & ex limo aquam, & compleveris magisterium. Sed antequam hoc fieri potest, utrique habitaculum in aere dabis. Fiat limus Chimicus & vitrum erit olympicum. 9. Phrenetica nimis diu manibus contrectat materiam sophorum. Vera modo semel præparatam attingit & quidem digitorum extremitate. 10. Phrenetica juxta morem Persarum tractat materiam. Vera mavult incolas terræ temperatæ sequi. 11. Phrenetica sole Zonæ torridæ materiam sophorum in nihilum redigit. Vera Sole temperatæ Zonæ corpus convertit in rude & informe Chaos. 12. Phrenetica adhibet ad opus suum ignem siccum. Vera coquit & reducendo, solvit, educitque igne humido. Nota Philosophorum ignis est aqua. 13. Phrenetica integræ suæ materiæ libra tantum efficere non potest, quantum efficit vera atomo suæ materiæ. 14. Phrenetica materiam suam æstimat, juxta quantitatem; Vera juxta qualitatem. 15. Phrenetica ad suum Magisterium indiget integra materiæ libra. Vera totum absolvit opus aliquot grassis. 16. Phrenetica utitur materia, in qua nulla sexus distinctio; Vera habet materiam sexu distinctam. 17. Phrenetica duntaxat adhibet materiam, cujus proprium est pati. Vera versatur circa materiam, quæ patiendo agit, & agendo patitur. 18. Materia, quam elegit phrenetica, trituram manuum requirit. Vera habet materiam quæ semetipsam terit, & atterit, seque in cinerem redigit, exque cinere reviviscit. Et hic est Phœnix in Ægypto, Bufo in Europa, Aquila in America. 19. Phrenetica habet materiam quæ duntaxat mineralis. Vera habet materiam, cujus natura est vegetabilis, mineralis & animalis. Nota materia Lapidis omnibus ferè subjectis metallicis & mineralibus inesse & elici potest; Verum

duntaxat

duntaxat ex unico sine mixtione heterogenei adæquata & homogenea elici debet, alia non valet ad opus. 20. Phrenetica materiam, quam dubia mente ad corpus eligit ut est ☿ vulgi & ☉ vulgi, utut longissime ab operis complemento absunt, corrumpit, torquet, maceratque & omnem vim generativam vel plasticam adimit. Hunc nullis catenis, & vinculis coercere valet, quin nexum rumpat & avolet in auras; miro modo tractat, quod aquis stygiis urit atteritque, verum à solutione radicali tam longe abest quam longe Cœlum à terra. Quocunque modo aurum à sophistis solutum potest reduci in substantiam suam. Et sic hæc duo mortua corpora (multum enim abest quod non sint corpus, anima & spiritus, vel ☿ & ☉ sophorum) ne quidem radicaliter solvere, multo minus in limum Philosophicum redigere possunt. Quid igitur spei supereſt in sophisticis laboribus, ut quorum objectum sunt mera artis corpora heterogenea, Retollacea entia; & non habent in se Antimonium olympicum, multo minus Sulphur olympicum. Adepta vel vera Spagyria constante mente assumit materiam philosophicam adæquatam, videlicet aquam philosophicam limpidissimam, originis vere Olympicæ in quam si injiciat ☉ olympicum, illud illico solvit in limum nulla humana industria in pristinam substantiam reducibilem, & per omnes colores sic ambulat, donec in amictu purpureo superbiat, & chlamyde ignobilia metalla involvat purpurea. Vidit tale Menstruum Cassius libro suo de auro; ☿ & ☉ vulgi non nisi ad projectionem utitur Divina Hermetica. Idcirco quotquot estis studiosi Adeptæ Philosophiæ & Chrysopeæ manum admovetis, nolite credere sophistis qui materiam operis dicunt ☿ & ☉ vulgi. Est mera impostura & sophistica ☿ & ☉ vulgi solutio. Neque etiam hæc mortua corpora sua radice radicali privata solutionem philosophicam admittunt. 21. Phrenetica materiam suam vulgi è vase in vas crebro transfundit; & varios processus falsos sophisticosque cum ea instituit. Spagyria vera postquam suam materiam philosophicè præparaverit, indit in vas unum, & in illo perficit, nisi forsan casu aliquo rumpatur, sicque vas requirit unum; & quidem numero unum. Quod probè notandum; sed observa quod hæc intelligi debeant post præviam præmissamque præparationem philosophicam. 22. Phrenetica nec ignem merè naturalem novit multoque minus gradus ignis, & adhibet ignem siccum extrinsecum. Vera spagyria utitur igne humido, qui quo ad extrinsecum tactum frigidus, quoad intrinsecam naturam calidissimus ferventissimusque, qui materiam philosophicam blande & lente radicaliter solvit, dummodo in actum propellatur igne olympico. Qui est verus ille Typhon, hic Isidem & Osiridem in unum indissolubile corpus vel systema adigit, quod verum æternitatis simulacrum. 23. Phrenetica assumit materiam, quæ actu est, quod est; vera spagyria assumit materiam Olympiam, quæ duntaxat potentia est, quod est, vel actu primo, non secundo dicitur materia, hinc & Chaos vel Hyle audit. Estque materia prima Aristotelica, vel materia simplex Sperlingiana. Contra quam ad ravim usque disputant scholæ, hancque à scholis rejectam, à Cathedris proscriptam, ratiociniis impugnatam, spretam assumit ad opus suum vera Chemia. Sed tamen quam alienæ sortis etiam æstimetur, nihilominus est originis olympicæ & prosapiæ Regiæ. Qua nullus homo carere potest, nec unquam aliquis ea caruit, vel carituras erit; plura diagnostica signa non recensemus.

CAPUT VII.

De Phreneticæ Prognosi.

EX bene cognita Diagnosi tanto felicius prognosticum formare queunt Medici Diagnosin Phreneticæ Chemiæ præcedenti delineavimus capite. Prognosis phreneticæ Chemiæ felix esse non potest. Qualis enim causa; talis effectus. Chemia phrenetica tota à via Regia devia in vitium errorumque labyrinthum deflectit; probavimus hoc ipsum latè duobus capitibus, Et qualem exitum ut plurimum habeat iste inanis labor innumera testantur exempla passim & ubique obvia. Qualis Tragædia fuerit acta cum Kelleo Anglo, probat historia de ipso conscripta quæ in multis libris potest legi, istius furfuris homines plures sunt; & istorum hominum praxis in causa est, quod tam malè audiat Chemia vel Spagyria vera. Erasmus Roterodamus colloquium aliquod de Alchimistica conscripsit, in quo hos fucos impostoresque vivis depingit coloribus atroque carbone notat. Et revera meliori elogio digni non sunt; sunt etenim artis carcinomata. Hique fuci magis digni catena ex Marte quam arte. Injurii sunt in Deum, ex cujus manu extorquere volunt hoc Magisterium. Quod duntaxat largitur ipsum timentibus, & Mundi vanitatem inanemque gloriam detestantibus; imo solum iis, quorum professio est, Deum sincera puraque mente colere, inque proximum charitate minime fucata flagrant. Injurii sunt in naturam, quam secundum suas præconceptas opiniones interpretantur, eique sæpius vim faciunt, & erga ipsam immorigeri non sequuntur ejus ductum & lumen, sed suæ falsæ phantasiæ dictamen. Et quomodo hi à natura deflectant, aliunde colligi potest ex Capite 6. hujus opusculi; injurii sunt in artem Divinam, hanc hominibus tam reddunt exosam, ut cane & angue pejus detestentur. Injurii sunt in proximum, quem multis modis fallunt, eique imponunt, auro argentoque emungunt, furibus, prædonibus, juratis, omnique scelerum colluvie pejores sunt, parique pœna suppliciique genere digni. Imponunt autem proximo vel falsos processus vendendo, & pro iis magnam pecuniæ summam exigendo, quam postea in ganeis popinisque decoquunt. Vel scribendo libros, in quibus artem Chrysopæam docere volunt, verum ipsis libris nihil omnino sanæ vel solidæ cognitionis inest, & à veræ orthodoxæ Chemiæ principiis aberrant. Horum sophistarum quendam catalogum lubens annecterem, verum si probè accuratiusque expendat quis Diagnosin, facile differentiam inter verum Philosophum & phreneticum sophistam cognoscet. Denique in semetipsos injurii sunt omni illa fraudis impostura. Honeste vivere, suum cuique tribuere, neminem lædere præcipit jus civile. Verum huic regulæ in totum adversantur. Quisnam ergo rerum eventus illos maneat, satis notum; sed antequam huic Opusculo finem imponamus, quædam fraudis horum Ciniflonum specimina dabimus. Ut ex ungue leonem; ex pelle lupum cognoscamus.

CAPUT VIII.

De Phreneticæ fraudulentis Magiſteriis.

FAcetiſſimus Eraſmus Roterodamus in ſuo Colloquio de Alchemiſta in compendium iſtos fucos contraxit, & quadam ſerie iſtos commemorat dolos. Alchemiſtam vel ejuſmodi impoſtorem vivis depingit coloribus, quos ſi bene notemus, facile hoc hominum genus atro Carbone notatum vitabimus, & ab horum impoſtura cavebimus nobis. Buccinatores fucis impoſtoribusque annumerant fratres Roſeæ Crucis, verum enim vero magnam injuriam faciunt huic priorum hominum ſocietati, cujus ergon eſt Timor Domini & charitas proximi: Parergon hoc Magiſterium phyſicum, Quod à plurimis hæc ſocietas in dubium vocetur & pro commento capiatur, ſatis eſt compertum, cumprimis, quia nihil in publicum proferunt, vel ſcripto aliquo ſeſe erudito orbi recommendant. Famam ſuæ ſocietatis, jam multis ante annis, qua homines ad ſuam ſocietatem invitant, publicarunt; quod autem ad illud ſcriptum attinet, in eo nihil cacodoxi continetur, quod orthodoxæ religioni adverſum. Agnoſcunt intèr alia Magiſtratum pro ordine à Deo Inſtituto, eique reverentiam & ſubjectionem deberi fatentur: claret ergo ex hoc, quod hæc ſocietas politiam cum fanaticis non neget, pietatem etiam recommendant, & hoc eſt quod ſcriptura ſacra ſerio inculcat. Prodiit poſtea opuſculum Germanicum Echo fraternitatis inſcriptum, quod etiam videtur eſſe pii autoris ſcriptum. Quidam illud Michaeli Majero tribuunt. Et hic autor defenſionem ſocietatis, quam quilibet fere adoritur edidit tractatum, Silentium poſt Clamores dictum. De hac ſocietate etiam exſtat eximium judicium cujuſdam paſtoris, in quo illa deciditur quæſtio, an Chriſtianus bona cum conſcientia nomen ſuum poſſit dare huic ſocietati? Et Reſpondetur affirmative; ſiniſtre verò de collegio piorum hominum judicant Theologi Leidenſes, judicium hoc in calce ſui libri, Summa Controverſiarum dicti, adjunxit Hornbekius. Sed quid multis? ſic hodie cum mundo comparatum eſt, ut homines impii, vanitati mundi renunciantes, pietatique ſtudentes vatiniano perſequantur odio & calumniis laceſſant multaque iniqua affingant. Experitur & hanc maledicentiam Philoſophus Teutonicus Jacob Bôhm, contra quem calamos acuerunt non ita pridem homines contentioſi. Revertimur ad Fratres Roſeæ Crucis, his duodecim quæſtiones Otto Helbigius propoſuit, quas Buccinatores in ſua ſecunda epiſtola ſolverunt, de quarum reſponſione multa eſſent dicenda, ſi inſtituti ratio permitteret, verum tranſeat hæc nubecula; à nobis verò hæc illis ſint propoſita problemata 1. An Chemia Ægyptiis vere *fuerit cognita*, & ab eis tractata? 2. An aurum corpus hoc compactum radicaliter poſſit ſolvi ullo menſtruo 3. an ex auro poſſint elici Sal, Sulphur & Mercurius, ita ut quodlibet principium ſeorſim in ſua ſubſtantia poſſit oſtendi? 4. An detur verum aurum potabile? 5. An detur Luna potabilis? 6. An Lapis Philoſophorum omnes eas virtutes, quas ipſi tribuunt Adepti, poſſideat? 7. An Weigelius fuerit Adeptus? Quod ſi hoc, an tota ejus Theologia ex hoc fundamento Philoſophiæ fluat. 8. An poſſit reſurrectio mortuorum ex Chimicis laboribus ſic aſſeri, ut Atheus convincatur? 9. An hiſtoria illa ſit vera, quam circumferunt de Tabula Smaragdina? 10. Quid ſentiendam de Theſauris à Paracelſo defoſſis? 11. An expeditio Argonautica ſit vera hiſtoria, an verò fabula quædam hieroglyphica Lapidis Philoſophici confectionem adumbrans? 12. Quid de Elia Artiſta tenendum? 13. Quare veteres Metalla iſtis pinxerint ſignis? 14. An Mercurius ex Sole elicitus, ſit Azoth Philoſophorum 15. An vera Chemia poſſit carere aquis fortibus, Stygiis, Regiis & id genus liquoribus corroſivis 16. An poſſit parari Tinctura corallorum, tantæque ſit efficaciæ, ut communiter dicitur. 17. Anne ad ſpirituum claſſem pertineant cœlum, ignis, aer, frigus? 18. Anne fundamentum aliquod in rerum natura habeat Alphabetus Olympicus? 19. Anne plauſibile videatur, & veritati congruum, quod Pythagoras per ſuam Metempſychoſin intellexerit arcanum arcaniſſimum Lapidis Philoſophici? 20. An in Oriente Gymnoſophiſtæ Dogma de Metempſychoſi pythagorica aſſerant? Et an hoc dogma quoque extendant ad animam hominis? 21. Datur ne vacuum in rerum natura? 22. An ex Antimonio, Biſmuto, Vitriolo, Sale communi, hæmatite, omnibuſque mineralibus poſſit elici vel extrahi Mercurius currens? Hæc problemata amico animo proponuntur, horum ſolutionem ea humanitate benevolentiaque qua proponuntur, petimus, non tamen contentionis ferram reciprocaturi. Redimus ergo unde digreſſi, prodeunt itaque nunc in ſcenam ſophiſtæ. Fuci cum ſuis Magiſteriis: Illas ſophiſtarum technas, fraudes doloſque, quibus utuntur veluti queant, in unum quaſi faſciculum congeſſit Cunradus in quodam Germanicô Tractatu, cujus verba in latinum ſermonem tranſtulit Michael Majerus. Magnus Chemiæ Adeptæ aſſertor in ſuo fucorum examine. Care amice, inquit, monitis meis fidelibus morem geras; ſi ad te advolaverit Heliocantharus aliquis, qui dicat ſe poſſe & velle te docere artem faciendi argentum & aurum, ne cuilibet fidem adhibeas: Nam non eſt ars tam facilis, veluti quis ſomniare poſſet: Quod ſi promiſerit, ſe aurificii ſui probam tibi præſtiturum, qua veritatem videas, potes eum admittere, verum id faciat propriis ſuis ſumtibus: ac ne illi fidas amplius, quam ipſe videas: Reſpice in ejus ſociorumque manus, furnos, Inſtrumenta, organa, materialia & ſpecies, quibus uſurus eſt. Ne multum ejus jactantiam & magnifica verba (quæ optime noverunt) aut quorundam faſtum & ſuperbum veſtitum (qui apud multos cautione non eget) cures aut æſtimes: ſi quoque jurarit, Deumque teſtem vocarit erectis digitis, ne propterea ſolum ei confidas. Nam qui omnem honeſtatem flocci pendit, audet quoque aliud quid facere. Examina & proba per bilancem, aquam, ignem, plumbum, quartationem, & Antimonium diligentiſſime omne id etiam exiguum, quicquid ſit, quo utitur, ſive ſit pulvis, aqua, oleum, liquores, metalla, utpote argentum, cuprum, plumbum &c. aurum & argentum & quantum contineant; imo etiam ligneas virgulas, quibus opus in igne faciendo, aut per cupellam ſeparando, miſcebit circummovendo: Nam illæ ipſæ aliquando aqua acri ſolutionis argenti vel auri imbutæ fuerunt, ut ex earum combuſtione & Cineris reductione non ſemel cognitum ſit, ejuſmodi virgas argentum & aurum in ſe abſcondiſſe; diligenter inſpice, inquit ille, an etiam Chartæ, quibus materialia involuta ſunt, quę adhibentur probationibus miminæ per Cupellam inſtituendæ perſcriptæ aut etiam

etiam aliis maculis notatæ sint: Nam experientia compertum est quod literarum elementa cum argento per sulphur calcinato & denigrato, aut calce auri & aqua forti relicta insperſa & quasi exsiccata fuerint; imo quod & atramentum ipsum, ejusmodi solutionibus argenti & auri præparatum exstiterit, interdum etiam papyrus iisdem imbuta & imbibita inventa sit. Addit idem autor pulveres carbonum aqua solutionis imbibitorum & materialibus in tigillo sic perfusos, ut descensus quasi fiat multum ad hanc rem facere. Tigillos quoque liquet actioni Metallorum inservientes, cum duplici fundo superiori tenui, inferiori crasso, intra quos aurum recordatur, cum instrumento ferreo superiori, ut aurum profluat; ejusmodi deceptores sciunt præparare & usibus suis accommodare, imprimis tigilli aliquoties aqua solutionis argenti macerati & exsiccati, cupro quod in illis liquefit multum argenti ingerunt. Hæc fuit Judæi cujusdam subtilissima impostura. Alius quidam furno liquefactionis cannulam ferream aut cupream, cui pulverem auri indiderat, tecte ita applicavit, ut à nullo posset conspici: Deinde Materialia quædam in tigillo sub illa cannula posuit, circumpositis carbonibus, quibus incensis aurum in tigillum ex cannula profluxisse debuit, nisi dolus præventus fuisset. Carbones illos majores quibus ille in liquefaciendo tigillum superne tegit, optime circumspice, ne habeant foramina & excavati aurum recondant quod ex ignitis in tigillum defluat. Lustra quoque ne virgulâ illa ferrea, qua vertit materialia in tigillo excavata, auro sit repleta. Hactenus technæ quibus impostores illudunt & fucum faciunt; circa vasa & organa aliaque instrumenta fuerunt detectæ: Quomodo materialia exploranda examinandaque sint, ne suæ impostoræ retibus aurum & argentum è loculis extrahant; juxta ejusdem Conradi mentem consideraturi sumus. Plumbum, inquit, cui aliquid argenti vel auri liquefactione immixtum fuerat, ipsis quoque usui fuit, vel granulatum; vel in globulis constitutum; quod penes se habens adhibuit pro alio liquefactionis & examinationis per cupellam. Alius adhuc dolus innotuit de labore argenteo in hunc modum: Impostor Latonem vulgarem adferri curat, quam in frustula exigua scindit, interim habet apud se argentum tinctum colore Latonis (quod optime facere novit) itidem in frustula concisum, quod mutat pro altero & latonem veram in sacculum suum abdit, aliam argenteam miscet cum sophisticis suis materiis & ad cementationis & liquefactionis ignem ponit, ac post separans per cineritium invenit argentum ex Latone factum. Pulvis quoque vulpinus uti vocabatur, in quo calx subnigra solutioni auri admixta fuerat; quem deceptor ille in pharmacopolium tradiderat, atque hinc singulis vicibus aliquantulum emerat, optimas probas præstitit; qui cum non debito modo probaretur, eo quoque magni viri nimis credüli decipiebantur. Sæpenumero amalgamata Saturni aut Jovis, quæ in ignem poni debuerunt dum exsiccarentur (post lotionem cum sale & auro) permutata fuerunt in linteo & eorum vice amalgamata Solis vel Lunæ posita, quæ in parte lintei extrema parata habuit. Similia quoque vitra cum amalgamationibus Saturni, aut Jovis permutare novit pseudochymicus cum aliis vitris amalgamationum Solis & Lunæ, quæ postea extracta sunt. In elevatione tigillorum ex igne, cum eos apprehendit, potest ex cavo manus quid argenti vel auri insensibiliter injicere, veluti gesticulatores nuce Moscata perpetrare solent. Item Cannula sub manicâ latens limatura auri repleta hisce nebulonibus sæpe ex usu fuit. Solent quoque hi Scarabæi non saltem arti Chymicæ injuriam & contemptum inferre, sed quoque ipsi naturæ metallicæ & Chymiæ naturali, dum à furnis ad fodinas Metallicas suas impostoras propagant in hunc modum; argentum & aurum in acribus aquis solutum in cuniculos & venas mineralium infundunt. Sic granulatum argentum vel aurum ex bombardâ in meatus venarum mineralium emissum; ut illis locis adhæreat, venas uberes & mineras dites ostendit. Quin aurum in pulverem vel festucas redactum; arenæ rivorum decurrentium immixtum limum eum aurifetum reddit. Verum ex hac impostura exiguum lucellum in eos redundare potest; nisi forsan persuadeant, hanc esse veram limum auri, itaque consequenter materiam Lapidis philosophici propinquam. Garriunt & quædam de limo auri Buccinatores, sed nemo eorum hoc limo manus suas inquinavit, aut oculis conspexit, si enim primo limum auri noscerent per sua diagnostica signa, tunc velum ignorantiæ ab eorum oculis esset remotum. Vivite interim diu contenti vos Buccinatores cum vestro limo Catholico. Noster limus est Olympicus. (Notâ ex aere in terram dilapsus) Sæpissimè quoque accidit, quod pulveribus sophisticis suis argenti vel auri calcem impudentissime immiscuerint; item antimonium cum auro fusum, pulverisatum (cum extrinsecus nulla sit differentia) loco antimonii vulgariis pulverisati permutatione facta pessime usurparint. (Felix, qui novit nostrum antimonium olympicum; ex quo paratur noster limus auriferus.) Intentus quoque sis ad lagopodem seu peniculum, quo (post probam sui pulveris, qui nec argentum nec aurum continet; factam) reliquum pulverem converrunt; ne calx argenti nigrior, vel auri purpurea intra pilos illos abscondatur, & in pulverem tale nihil continentem incidat. Ad hanc impudentiam hi nebulones profecti sunt, ut quidam ejus societatis clavos dimidia parte aureos altera ferreos ferruminari curaverit, auream partem artificiose nigrefecerit, ut ferro par videretur: ac deinde tandem in aquam rubeam ad hoc intentum præparatam (affirmans hunc colorem esse perfectæ tincturæ in ea solutæ) quæ nigredinem absterſit & monstravit auri colorem: post asseruit clavum ferreum vi operativa suæ tincturæ in aurum fuisse eo usque transmutatum. Si habent prout dicunt præcipitatum Mercurii, bene respicias, ne sit præcipitatus solis; & quid pro quo substituatur. (Talem sophisticum præcipitatum facere docet autor novissimus, qui experimenta Dygbæi edidit. Hic liber præter sophisticos processus & falsa menstrua perpauca continet) Nota processus quò magis ex inscriptione Mundi Magnatum superbiunt, tanto magis suspecti sunt: Sophistæ processibus suis duobus modis fidem conciliare laborant: Primo quod ex laboratoriis Principum proveniât, vel quod ante secula fuerint conscripti, & in antiquis palatiorum, Cœnobiorum, murorũ ruderibus inventi (hi semper sunt falsi.) Quod si pseudo Chimicus sua tinctura præsupposita in argentum vivum projectionem facere conetur, sis intentus ne agilitate manus quid auri ingerat; Antehac non semel saltem contigit quod loco puri argenti vivi, amalgama Solis vel Lunæ in tigillo fuerit; & argento vivo evaporante, argentum vel aurum in fundo remanserit:

atque hoc transmutatum vocitatum fuit. (Nota) Aurum quod hoc modo post evaporationem remanet an sit artificiale vel naturale etiam dignosci potest: hoc enim illo melius teste Helvetio in suo vitulo aureo. Aliqui etiam arbitrantur hoc aurum artificiale cum argento commistum illud ingredi & in aurum convertere, rubeum liquorem antimonii & auri diligentissime proba, quantum auri teneat, nisi velis hac ratione decipi: si per communem probationem id certo experimentari nequeas, ita ut aurum volatile redditum ei admixtum esset, tum animam Saturni adde & procede, sic bene incorporabilis, Argentum quod fuit inauratum denuo fusum at aliàs in fluxione cum auro mixtum vice argenti fini usurpare noverunt: quia ad probas auri maxime facit. Optimas quoque argenti probas, ex Venere soluta in aqua forti, quâ argenti aliquid prius solutum fuit, conficiunt. Aurum finum (quod nonnulli albefacere norunt.) dealbatum, dat in pondere coticula, grophio, coloritio & quartatione bonam Lunam fixam, cui per plumbum commune, gradativum aut cementum dealbatione fugata, optima graduatio accedit. Non nunquam adveniunt cum artificiali, malleabili metallico, & pellucido argento, quod scindi potest. Vix centesimus agnoscit (nec pseudochimicus id fatetur) quod sit artificiosum instar cornu pellucidum argentum. Hoc veluti quidam affirmant, venerem facile fluxibilem, & dealbationes duras, si cum illis in fluxione aliquamdiu stet, malleabiles & argentiferas facere poterit: Imbibe hoc metallicum vitrum in Saturnum, per cineritium, separa, & videbis, quomodo se res ea habebit. Quibusdam quoque hoc corneum argentum pro tinctura alba habitum est, intellige, ad Saturnum supra cupellam in lunam transmutandum, hoc modo tinctura hanc permiscebant Saturno, qui evanescebat, argento remanente fino. Nihilominus transmutatio dicebatur Saturni in Lunam. Aurum quoque Ungaricum admixtum particulis plumbi, pallidioris coloris redditur: deinde per Cementum plumbo separato, redit in Ungaricum aurum: atque hoc illis vocatur, aurum Rhenanum in Ungaricum transmutare: Simpliciores quidam hoc decepti sunt: pergit Cunradius, calcinatum aurum mixtum cum bolo seu terra rubea, ipsis est terra Adamica, ex qua faciunt deinde aurum. Pyrites in acri aqua, in qua argentum vel aurum sit solutum, imbibitus & exsiccatus, donec virescat, venam auream in fodinis ipsis præstat. Argentum vivum (imo cum argento vel auro amalgamatum) facillime in optimum argentum vel aurum coagulare sciunt. Lunam in solem quoque tingunt suis sophisticis impostoris in fluxu: cum vero fit separatio per cineritium, tum Saturnus ipsi vestem flavam exuit & in quartatione videtur, quod illud corpus saltem luna sit: Et aurum saltem est tinctura coloris non fixitatis. Aurum insuper per graduationem cum Venere eo usque exaltant, ut Veneri in colore respondeat: Limaturam hujus solvunt in aqua non nimis acri ad dimidiam partem leniter (idque apud ipsos est, animam Veneris extrahere) ac huic argentum imponunt ad solvendum, à quo deinde separant aurum: postea dicunt, quod possint per animam Veneris ex argento aurum facere. Præparatur quoque tam argentum, quam aurum, ut sit in igne omnino volatile: quo probare nititur, suos pulveres nihil argenti & auri continere, cum in fundo nulla corporalis substantia remaneat: Quis jam existimaret, ejus relationem non esse verissimam? audi, quid facias: si tale quid tibi offeratur: imbibe id ipsum anima Saturni & misce cum celeri fluxu (ex tartaro & sale petræ ana ante incensis) deinde in plumbum mittas liquefactum vel argentum & non aufugiet: Tum procede ut consuetum est, & experieris, quomodo hæc auri vel argenti productio se habeat. Ex nummis grossis, thaleris, auro obductis, argentum cementatione educitur, ita ut figuram externam retineant: at ita hoc perficitur, ut vix sit operæ pretium: dicet per se sit artificium subtile absque utilitate. Quantum doli & deceptionis contigerit, & adhuc contingat cum eo, per se bono, artificio, quod ex auro substantia purissima & aureitas, Salis, Sulphuris, & Mercurii solis simul extrahatur, & in exiguam portionem reducatur in forma pulveris, atque is pro lapide Philosophorum, aut alia tinctura utili habeatur, inque tantum argenti, quantum fuit auri, ex quo extrahebatur, projiciatur, & illa luna in solem tingatur, ubique ferè satis notum est: cum verò id sit absque utilitate, imo etiam cum damno & expensis fiat, eo magis quilibet ab eo sibi cavebit. (Sulphur sic extrahere ex auro haud ignobile Experimentum) dolemus autem, quod hoc ipsum artificium sua impostura dehonestent. Calluit hoc artificium Kelleus, & Cornelio Agrippæ quoque notum, huic fuit exilio damnoque, isti ne quidem tantum attulit commodi, ut se nexu alieni æris contracti liberare, fidem redimere non potuerit, vixit enim miserrimus cum hoc artificio egestate obrutus; idem artificium forsan est novelli adepti, quod si quis tale consilium daret, quale Scotus Italicus comes, (qui cum hoc projectiones Gedani fecit) Cæsari de Kelleo dedit, hic adeptus putatitius cum Kelleo pari ambularet passu. Sed transeat, melius fatum ob Eruditionem meretur. Nota hic obiter. Ex auro posse extrahi Sulphur, uti docuimus hoc loco: ♀ quoque exinde extractum quendam principem possediisse commemorat Majerus in suo viatorio. Quod nunc superest, an sit sal, dicere non ausim. Ex his duobus extractis tantum probatur, quod hæc duo actu sint aurum, & ex eo extrahi valeant à peritis artificibus, utut sine magno lucro sit. Cunradius inter alia quoque hæc tradit: Cupro minus plumbi quam fas sit, apponunt, ac deinde in cupella separant, eo usque dum evanuerit Saturnus, & de Venere aliquantum remaneat: hoc nominant illi in Saturno fixam Venerem. Adhuc impostura pseudochimica super est, si non omnibus major, tamen non minima, quod quidam ex illis (quibus mediis aut viis, id ipsis optime notum, dummodo rationem reddere aliquando de iis possent de perfectissimo & magno universali lapide philosophico, alii autem de alia speciali tinctura Lunæ vel solis (quæ tamen ab aliis præparata fuerint) quid nacti sint, cujus una parte in multas utiliter projectionem & veram transmutationem fecerint. Addunt præterea licet (falsissime) sese hasce præstantissimas Medicinas Metallorum à principio ad finem præparasse, ac posse, ac velle adhuc (si modo aliquot millia talerorum ipsis numerarentur) de novo conficere: Quibus mendaciis magna præmia & præclara bona sibi conciliarunt, quæ ut recipiant, precibus adhuc invitandi sunt: Cum verò lapis sive tinctura (quam alius fecit atque illi mirabili modo, interdum quoque contra conscientiam consecuti sunt) absumta fuerit, imo sæpè (quod dolendum), pessime perdita, tum vero ipsorum Chemica

mica ars transmutationis finem sortita est. Si persuaderi tibi illorum jactationibus passus fueris, quod ex urina pueri & puellæ annorum 7. 8. 9. aut 10. (qui saltem pane albo ex vino toto illo collectionis urinæ tempore, nutriri debent) & ex optimo vino albo Homuncuium Philosophorum (quo juxta eorum narrationem ad omnium artium cognitionem pervenire possis,) conficere voluerint & debuerint, qui cum arcano sanguinis humani, aqua rosacea, & optimo vino conditus argenteo cochleari, ut ipsi mentiuntur, artificiose pascendus (suo tempore) vocem edat, ex vitro subtiliter educendus sit, ne iterum in fundum decidat & pereat, inque suæ primæ materiæ aquam redeat, si, inquam, ad hæc credenda adductus fueris, vide ne ex ebore exigua ossicula, quasi humana facta in vitrum projiciant, tibique persuadeant fortè homunculum adfuisse quidem, sed ex negligentia quadam periisse, ut ossicula saltem sint reliqua, quæ præsentiam ejus attestentur: Ridiculum est, quod narrent, eum esse virum contractæ brevitatis, altitudinis palmæ, indutum plerumque toga talari ex veluto, dormire in lectica exigua clausa, assidere mensæ in sella rubea fericea, loqui de omnibus rebus sapientissime, esse subtilium discursuum, ac re ipsa comprobare, quod sit Philosophorum filius: & quid mendaciorum ejusmodi est, quæ nugæ ante paucos annos tractatæ sunt. In his rebus Cunradius mentem Paracelsi & aliorum non satis assequitur. Analogice, Symbolice hæc intelligenda sunt, quæ loquuntur Philosophi de suo infante. Vix aliquid humanæ, naturalis, artificialis actionis excogitari potest, qua cum non assimiletur vel secundum totum, aut partem ejus philosophicum Magisterium. Nullam itaque habuit causam Gormannus, quod hoc de homunculis Paracelsicis allegoricum figmentum tam sarcastice exciperet. Satis enim cognitum, quod Philosophi opus suum conjugium maris & fœminæ nuncupent. Scilicet quod Mas & fœmina, hic rufus, ista candida, nexum matrimonialem indissolubilem ineunt, hic dicitur Gabricius, & ista Beja. Ex hoc matrimonio vel conjugio nascitur infans, qui est lapis Philosophorum. Ultimo dicit Cunradius de dolis circa aurum potabile hoc modo: de impostoris, quas pseudochimici cum falso suo auro potabili exercent, veluti & aliis sophisticationibus multa adhuc dicenda forent: verum quid agendum? sunt tot nequitiarum pessimarum genera, ut impossibile sit ea omnia agnoscere, multo minus enarrare: Quid bono illi Chemico cum sophisticato auro potabili, ex oleis caphuræ, cariophyllorum, semin. fœniculi & vitrioli, ante paucos annos Pragæ contigerit, ex libro ejus de Medicamentis Chymicis, videri potest: Hodierno quoque die quidam statum suum honestius considerare deberent, & cum sophistico suo auro potabili tacere, si illud non haberent melius, dum folia auri miscent cum sale Tartari, ac superfuso spiritu vini aliquoties incendunt, ac deinde cum spiritu vini ruborem inde, non (veluti falso opinantur & asserunt) ex auro, sed ex sale tartari extrahunt, idque rubeum extractum suum aurum potabile fucose prædicant; Dolus ejusmodi homines omni ex parte comitatur. (Ignosce L. B. si hic digressionem quandam faciam: Notum quippe ex Chemiæ scriptoribus, quam fucate nonnulli Tincturam antimonii vendant, eam autem conficere docent ex Antimonio & Sale Tartari commixtis. Quis autem quæso tam rudis, ut non sciat hoc rubrum extractum esse duntaxat ex sale tartari, & nihil vel parum omnino ex antimonio possidere. *Spiritus vini* rectificatus Sali Tartari affusus dat rubicundam Tincturam. Alio modo, alioque Menstruo Tinctura Antimonii paranda, sed sufficiat in hunc errorem digitum intendisse.) Huc usque dolos & deceptiones pseudochymicorum ex Cunradio adduximus. Quibus unum & alterum deceptionis pseudo-Chymicorum modum adjiciemus Aushelmus Boethius, in libro suo de gemmis, ubi agit de magnete argenteo p. 475. Argentum vivum, inquit, ad se trahere aurum & argentum spagyris & pyrotechnis jamdiu notum est: imo impostores Chimici hujus rei notitia multos defraudant: Dum enim Cinabrii partes se in argentum transmutare posse asserunt, id cum argenti laminis urunt, vocant id cementare. Tum argentum vivum, quod latitat in Cinabrio, ad se aliquam argenti portionem allicit, qua absoluto opere reddita, putant se aliquam, uti dixi, cinabrii partem transmutasse: sed falluntur, cum id argenteis laminis decesserit & sæpè plus (igne aliquid consumente), quam extraxerint. Simili fuco (inquit Boethius) decipiunt, dum ☿ præcipitatum aureæ patinæ imponunt, illumque S. V. perfundunt. Quo accenso & extincto, præcipitatus Mercurius excalefactus non nihil auri ex patina ad se nulla visibili in patina nota aut macula relicta fugit, qui postea eadem forma, qua antea fuit, exemtus quantum attraxit auri, tantum reddit. Quod tamen ex auro attractum esse negant chemici, asserentes ex Mercurii aliqua portione, à vi auri in illum agentis generatum, sed id falsum est, cum tantum auro decesserit, quantum Mercurius attraxerit, hæc Boethius. Similiter Crollius in Basilica sua post descriptionem auri potabilis. Hoc loco, inquit, sincerum lectorem candide de quibusdam impostoris præcavendis admonitum velim, posse illo pulvere, auri volatilis à malitiosis agyrtis, litera longa dignis, vario modo simplicibus & incautis hominibus imponi: Communicatum ipsum aliquando cuidam Philosopho sub sinceritate & pietate pharisaica hypocriticum ac colubrinum dexterrime decipientem animum tegenti, qui hunc pulverem (postquam ei per sulphuris triti admixtionem, per admonitionem vim percutiendi ademisset) de facie incognitum suis impostoris miscens, cum damno aliorum & suo commodo auri multiplicationem pluribus attentavit. Idem furcifer postquam intellexisset, à me lunam in vulgari aqua separatoria solutam, & aqua vulgari solutam repercussam dejicere pulverem in fundum, qui ter vel quater edulcoratus, postea in tigillo ad ignem liquesceret, & post fusionem cornu formam referret, hanc corneam lunam incognitam ad candelam & ignem facile liquescentem & cultro scisilem, aliis mineralibus, & plumbo miscuit, & hac insigni impostura post cineritii examen apud improvidos multos Saturni in lunam transmutationem mentitus est. Huc usque nobis negotium fuit cum impostoribus. Ejusmodi fucorum malorum genera Michael Majerus 56. recenset, alterius hoc jus detergere non placet, conferimus ergo nos ad alia instituto nostro inservientia.

CAPUT IX.

De Mysterio Lapidis Philosophici.

LApidis Philosophici arcani arcanissimi istius Magisterii naturam jam explicabimus Mysticam

cum univerſæ Theologiæ revelatæ Myſteriis ſymbolizantem. Hæc autem noſtra Meditatio, quemadmodum non dubium eſt, mira videbitur, ſcilicet quomodo lapis Philoſophorum ſymbolizare poſſit cum tantis Myſteriis, quæ non duntaxat humanum captum longiſſime tranſcendunt, verum etiam univerſæ naturæ ambitum excedunt, ſuperantque virtutem ac potentiam. Cumprimis poſſet hæc Meditatio ut heterodoxa notari, cum hoc ipſum cum Theologiæ arcanis ſymbolizans ſtatuatur, de quo adhuc ſub judice lis eſt, an talis Lapis in rerum natura exiſtat; imo & ex hoc capite abſona poſſit videri hæc conſideratio, quoniam Scriptura jubet duntaxat credere, & ſolummodo fidem exigit, è contra rationem captivare. Verum enim verò paucis ad has difficultates reſpondebimus: Quod ad primum attinet, dicimus, quod Lapis Philoſophorum ejuſque confectio ſuo modo captum humanum ſuperet, omnes enim Philoſophi, uno fatentur ore & conſenſu unanimi, huic Lapidi ejuſque confectioni multa ineſſe, quæ humani ingenii acumine, niſi cui Deus oculos mentis aperiat, penetrari nequeant. Et hoc verum eſſe probat, quod tot acutiſſimi philoſophi fruſtra in illo inveniendo operam impenderint, cumque ſui animi ſubtilitate, qua hoc arcanum ſcrutati, oleum & operam perdiderint, nihilque invenerint; Quot homines, quorum numerus iniri non poteſt, ex doctiorum familia ſcrutinio hujus incumbunt Magiſterii? quod adipiſcuntur, ne caſſa quidem nace dignum eſt. Integra collegia & ſapientum ſocietates in hoc labore ſuo fruſtrantur fine, triſtemque ſortiuntur exitum. Quomodo autem hoc eſſe poſſibile, niſi captu humano ſublimius eſſet Magiſterium? ſed in eo obtinendo fruſtra laborent homines. Per tot ſecula in expeditione ad hoc aureum vellus fuerunt clariſſimi & quidem illi qui reliquos ſapientia antecedere præcellereque videbantur, aſt præter inanem ſumum nihil conſecuti, niſi quod beneficio analyſis corporum multa fuerint experti, quæ phyſicæ arcano eruendo, humanoque corpori medendo, commodum aliquod afferant occaſionemque ſuppeditent. Ad ſecundum quod attinet, fateri oportet, quod ſi tale quid in rerum natura non exiſteret, quod cum arcanis Theologiæ ſtatuitur ſymbolizans: crimen falſi & cacodoxiæ committeretur. Sed fruſtra ille metus, lapidis philoſophici in natura exiſtentiam tot fide digni probant hiſtorici, totque experimenta aſſerunt, ut qui hoc amplius negat, illi cæco videretur ſimilis, qui cum privaretur ſubito ſolis conſpectu, ſolis flammam fuiſſe extinctam, lucem omnem in tenebras degeneraſſe clamabat. Ad tertium reſpondetur quod & hic fides requiratur: nulla enim ratio tam ſubtilis & acuta, quæ poſſit ætiologiam confectionis virtutis lapidis eruere, ſed & hic exclamare oportet. Hic eſt digitus Dei! imo ipſe lapis philoſophicus divinæ omninò potentiæ concentratum ſimulacrum eſt, imo Icon. Et quod totum hoc univerſum in latiſſima profundisſimaque expanſione concionatur & prædicat de omnipotentia clementiaque divina, totidemque linguis exiguum granum hujus lapidis, æque promte de omnipotentia divina immenſæque miſericordiæ fonte ſuo ſermocinatur modo. Eſt itaque hic lapis Centrum dotium virtutumque univerſi, jure ne ergo ſtatuitur ſymbolizans cum fidei articulis & quidem cum omnibus tam cum illis; quos ex ſolius Scripturæ Sacræ dictamine probamus, quam & illis, quorum & aliqua probatio haberi poteſt ex naturæ operibus, rationiſque ſanæ ratiociniis ſobriis? Et cum articulis fidei etiam jure ſymbolizans ſtatuitur ex hoc, quoniam Philoſophi ad eum obtinendum ſerio hortantur ad pietatem omnesque virtutes Theologicas, & ab ejus poſſeſſione amovent in reatu graviſſimorum criminum delictorumque viventes, Legique Divinæ adverſantes. Tertio & jure dicitur ſymbolizans, quoniam ſuos poſſeſſores prorſus convertere, ex impiis pios, & malis bonos, ex vitioſis virtuoſos conficere videatur, quod mundi hujus vanitates, inanem gloriam abominentur, & erga proximum omnis invidiæ & odii ſint expertes: Deum intimius ejuſque ſacra cognoſcere, charitatique proximi ſeſe dedere annitantur, Et hæc ſunt, quæ præcipit Theologia, imo hæc ſunt quæ videntur eſſe complementum fidei Chriſtianorum, & perfectio Renati in Chriſto hominis, & tandem Beati fruitio in cœlo, ſicque & ſtatum protoplaſtarum innocentiæ ante lapſum adumbrare videtur, imo & ideam æternæ ſalutis referre. Præmiſſo hoc præfamine Myſticam & cum articulis fidei ſymbolizantem lapidis naturam contemplaturi ſumus, quanta autem brevitate licet, hoc expediemus negotium. Creationis opus, quo Deus totum univerſum condidit, hujus lapidis confectio accurate exprimit. In opere creationis erat primo confuſum chaos, ſic ut nulla eſſet rerum diſtinctio. Globus terreſtris ſic aquis immerſus, ut nullibi veſtigium appareret, aquæ etiam videbantur dominari & quaſi cœlum in ſe continere omniumque rerum ſublunarium ſemina, nulla lux, cuncta umbris & tenebris involuta. Opus philoſophorum pari ſe habet modo, in ejus principio tenebroſũ chaos eſt & omnia ſic in unum confuſa, ut nulla res, quæ materiam lapidis conſtituit, poſſit diſcerni, cœlum Philoſophorum aquæ mixtum, & terra aquis immerſa, adſunt & hic horridæ tenebræ, antequam alma luxſolis & lunæ operatorem exhilaret vivificetque. Chaos noſtrum conſiſtit in ſicco & humido, ſiccum tertam noſtram conſtituit, humidum aquam cœlumque noſtrum facit; tenebræ vel caligo Philoſophorum eſt nigrum, nigro nigrius nigerrimum, dicitur etiam nox philoſophica, imo hoc noſtrum nigrum refert tenebras ægyptiacas palpabiles, noſtrum nigrum etiam palpari poteſt, colore nigro tingit attrectantis manum, his meis manibus tractavi, oculis ſpectavi. Hoc nigro apparente jubent Philoſophi gaudere, quoniam eſt ſignum philoſophicæ ſolutionis & bonæ unionis duorum in unam maſſam. Et hoc nigrum in opere philoſophico dominatur tot dies, quot fuerint tenebræ ante creationem exercitus ſiderum, cujus dux ſol, & comes in regimine luna, hic diei, iſta nocti præeſt; lux ſucceſſit tenebris in opere Creationis, ante quam ſol exiſteret: ſic & in opere philoſophico primo lux, eſtque illa optata albedo, quæ poſtea nigro ſuccedit, poſtea ſol in opere creationis fuit à Deo factus & hic fuit quaſi cœli complementum ſcilicet ſyderei, ſic & Sol qui eſt noſtra deſiderata purpura, qua veſtitur noſter lapis, eſt ultimum operis philoſophici complementum. Accedo ad plaſmationem hominis, hic Deus ex terra, quæ videtur mortua, eduxit admirandum illud Microcoſmi plaſma, & in id inſpiravit Deus ſpiraculum Vitarum; quod Deus hic facit in plaſmatione hominis, hoc naturæ archæus facit in formatione vel confectione Magiſterii Philoſophici, ſcilicet in terram ſeu limum philoſophicum philoſophicè ſubactum indit ſpiritum & animam: hinc illa terra philoſophica vivere incipit & in dies incrementum ſumit, donec plene adoleverit; Ex hoc

principio

principio philosophi comparant suum opus Geneſi Microcosmi, & qualis analogia ratione materiæ, vasis, caloris, coctionis, partusque & pariendi temporis hic intercedat, brevi sermone dicere non licet. Accedo hinc ad articulum resurrectionis, & hunc plene processus Magisterii Philosophici probat. Quemadmodum omni animali & plantæ ista incumbat necessitas, ut tandem mortis falcem experiantur & hac falce in pulverem cineremque, per viam corruptionis convertantur. Sic & quoque semen antequam germinet putrescit, post putrefactionem reviviscit, & germinat. Eodem modo in opere Philosophico hic primo materia, quasi moritur, mortua dissolvitur in atram terram volatilem, quovis pulvere leviorem, hæc atra terra à philosophis salutatur cadaver, cui est color obscurus, fœtor instar cadaveris, scilicet fœtor intellectualis, non sensualis, & materia fere corrupta est, omnique vita orbata videtur, non secus ac plantæ semen terræ commissum. Et hanc corruptionem vere esse factam, probat ater ille color apparens, levisque ater pulvis in vitro conspicuus. Hic pulvis successu temporis reviviscit, & quasi in novam revocatur vitam priori vita longe nobiliorem, & quod hæc materia mortua reviviscat, probant diversi apparentes colores, sed potius intentionales quam veri; sicque corpora humana in pulverem suum redacta in vitam, priori nobiliorem resurgent; Metamorphosin in opere philosophico observantes. Ægyptii finxerunt suum phœnicem. Sicque proprie nihil moritur, quin & moriendo reviviscat. Quæ de pulvere plantarum, vel cinere in plantas resuscitando scribunt Philosophi, sunt curiosæ contemplationes & resurrectionis possibilitatem probant: Verum omnium evidentissimè hunc articulum probat opus Philosophorum, sed placet ad sublimiora Theologiæ Mysteria, quæ solum ex revelatione dependent, accedere. Sacræ Trinitatis Mysterium adumbrat nostrum opus Philosophicum. In trinitate tres sunt personæ, sed una duntaxat essentia, inter quas personas differentia duntaxat modalis, non realis intercedit, sed constituunt unam essentiam, ast sic identificantem, ut hæ tres personæ unam duntaxat habeant essentiam, una eademque idiomata. Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Non tamen tres Dii, sed unus Deus, Deus Triunus. Essentia personarum divina identificans est in opere philosophico corpus, spiritus & anima, tres distinctæ res, sed una inter res modaliter distinctas identificans essentia, identificantes proprietates. E. g. Mas, philosophicus, est quoque fœmina philosophica, & viceversa; spiritus est utriusque unus identificans, operationes in omnibus identificantes. Hicque spiritus, qui in triplici entitate identificante inest, est cuilibet entitati sic identificatus, ut in opere nostro patiens sit eodem jure virtuteque agens, quoniam spiritus identificans, in identificatam, vel etiam identificantem Entitatem influit, activat, & patifacit. A Trinitatis Mysterio progredior ad incarnationis Dei arcanum arcanissimum in virgine illibata peractum. Hæ duæ naturæ unitæ, duæ sunt naturæ, unam tamen duntaxat faciunt personam, utut quælibet natura suam peculiarem habeat hypostasin vel existentiam, hic tamen non duas faciunt personas, sed unam, utut illæ naturæ infinitis modis à se invicem sint distinctæ, in corpore tamen virginali sic unitæ, ut una persona facta, cuique tamen naturæ idiomatibus suis reservatis, nisi quod Divina humanæ suæ idiomata, quæ de Deo prædicari possunt, communicaverit, sic illa idiomata Divina in humana natura sint identificantia humanæ naturæ idiomata, in Divina non sunt identificantia sed identificata. In opere philosophico est & duarum naturarum in unam Entitatem unio, quæ duæ naturæ sic inter se differunt, ut perfectum & imperfectum, ut completum & incompletum, sed unita inter se idiomata utriusque sunt identificantia & identificata, non secus ac in unione Divinæ & humanæ naturæ; nexus diversæ in opere philosophico naturæ dependet etiam à corpore virginali & harum naturarum nexus tam firmus est; ut unquam dissolutio possit fieri, neque separatio naturarum futura est in æternum, sicque & pulchra hic symbolisatio & quidem in quatuor fidei articulis. Symbolizat & lapis cum Cœna Domini, quemadmodum eam credunt & asserunt Orthodoxi, imo nullum Dogma est Theologicum, cum quo non symbolizet noster lapis. Si etiam Mysterium regenerationis examinamus, & quidem juxta literalem sensum verborum Christi ad Nicodemum. Hanc regenerationem; dico, ipsissimam quasi sistit & demonstrat nostri magisterii philosophici præparatio, imo & hominis conversi inque statum Beatitudinis evecti imaginem denique vivam habet nostra præparatio, multiplicatio, & fermentatio. Quid multis? Lapidis nostri laboratio est quædam Metaphysica, non verbalis, sed realis, non cathedralis, sed experimentalis. Sed Finio & ablego lectorem benevolum ad nostram Metaphysicam symbolizantem, quam Deo volente, cum erudito Orbe communicaturi sumus.

Soli DEO Gloria.

FINIS.

BIBLIOTHECÆ CHEMICÆ CURIOSÆ

LIBER SECUNDUS,

Quo varii TRACTATUS, iique Selectiores, variorum AUTORUM, qui ab ipso, ut putant, HERMETE TRISMEGISTO ad RAYMUNDI usque LULLII tempora de *Arte Aurifera* nobiliùs scripserunt, exhibentur.

SECTIO PRIMA.

Tractatus Chymicos AUTORUM ÆGYPTIORUM, *ut dicuntur, item eorum qui inter recentiores illis illustrandis insudarunt, in Subsectiones distributos, complectitur.*

SUBSECTIO PRIMA.

Hermetis Trismegisti TABULA SMARAGDINA, *cui Titulus* Verba Secretorum Hermet. Trismeg. W. CHR. KRIEGSMANNI & GERARDI DORNEI Commentariis illustrata.

LECTURO S.

ECCAM *Tibi*, AMICE LECTOR, Tabulam Hermetis Trismegisti Smaragdinam: *quam suo merito Symbolum universi Chemicorum cœtus dixeris; ac Lydium Lapidem, adulterinæ circa Lapidem Sapientum Philosophiæ proditorem. Miraberis, sat scio, denuò eam in publicum me obstetricante edi, toties clarorum ingeniorum curâ excusam ac recusam. Ego verò quàm suspicerem tritum illud*, Manum de Tabulâ: *dummodò doctiorum manus ad tabulam. Indignum, mecastor, ingenti illâ omnium monumentorum luce, ex quo tot miseris modis & verba & mens Hermetis fuêre contemerata, hominem inter eruditos non repertum esse, qui uni saltem periodo nativum decus assereret; quin, devolvi difficile id negotium ad juvenem, qui parum ingenio, minus judicio possit. Enimverò sexcentis ampliùs formis impressam Tabulam tuâ operâ monstrans, nisi vel semel abs Te recensitam repurgatamve ostenderis, ilicet, nihil egisse judicabere. Noli igitur juvenili meâ operâ offendi: quam præstantium Virorum curas diu frustra præstolatus, Hermeticæ Tabulæ locavi, ut Tu, qui delitias hujusmodi caperis, haberes Chemicorum opusculorum, & antiquissimum & pretiosissimum pristino*

nitore.

nitore. Vnde nitor sit iste, quæris? E Phœnicio idiomate; quo ut olim ab Hermete exarata, sic nunc à nobis redonata Tabula est. At illud, inquis, maximam partem interiit. Interiit fateor: veruntamen ita, ut in Ebraismo atque Chaldaismo hodie adhuc vivat. Scilicet hæ linguæ tam arcto consanguinitatis vinculo illi quondam junctæ fuêre, ut si à pronunciatione, ac propriis rerum aliquot nominibus discesseris, discrepantiam omnem ad elementorum figuram referre debeas. Et illa ipsa literarum figura, nonne Ebræis cum Phœniciis communis olim? Ita herclè eruditorum maximi censent. Qui igitur orationem specialiorum, ut ita loquar, rerum vocabulis vacuam, ex lege proprietatis Ebraicæ Phœniciâ literaturâ expresserit, næ is mihi veteri Phœnicum linguâ scripsisse dicetur. Talis verò oratio omninò est, quâ Tabula Hermetica præscripta: ac præterea ejusmodi, ut vestigiis Phœnicismi in Latinâ versione conspicuis intrusa Ebraica dictio planè exæquetur. Ex his jam de nostro instituto existima LECTOR. *Cætera dixi.*

VERSIO TABULÆ SMARAGDINÆ HERMETIS,

Qualis ea vulgò Latino Idiomate, è Phœnicio expressa circumfertur.

VERBA SECRETORUM HERMETIS TRISMEGISTI.

1. *VERUM sine mendacio certum & verissimum.*
2. *Quod est inferius, est sicut quod est superius, & quod est superius, est sicut quod est inferius ad perpetranda miracula rei unius.*
3. *Et sicut omnes res fuerunt ab uno meditatione unius: sic omnes res natæ fuerunt ab hac una re adaptatione.*
4. *Pater ejus est Sol, mater ejus Luna, portavit illud ventus in ventre suo, nutrix ejus terra est.*
5. *Pater omnis thelesmi totius mundi est hic.*
6. *Vis ejus integra est, si versa fuerit in terram.*
7. *Separabis terram ab igne, subtile à spisso suaviter cum magno ingenio.*
8. *Ascendit à terra in cœlum, iterumque descendit in terram, & recipit vim superiorum & inferiorum, sic habebis gloriam totius mundi. Ideò fugiat à te omnis obscuritas.*
9. *Hic est totius fortitudinis fortitudo fortis: quia vincet omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrabit.*
10. *Sic mundus creatus est.*
11. *Hinc adaptationes erunt mirabiles, quarum modus est hic.*
12. *Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ totius mundi.*
13. *Completum est quod dixi de operatione Solis.*

VULGATA TABULÆ SMARAGDINÆ PARAPHRASIS.

1. VErum est, & ab omni mendaciorum involucro remotum.
2. Quodcunque inferius est, simile est ejus quod est superius. Per hoc acquiruntur & perficiuntur mirabilia operis unius rei.
3. Quemadmodum etiam omnia ex uno fiunt per considerationem unius: Ita omnia ex uno hoc facta sunt per conjunctionem.
4. Pater ejus est Sol, mater Luna, ventus in utero gestavit, nutrix ejus est terra.
5. Mater [illegible] perfectionis.
6. Potentia ejus perfecta est, si mutatur in terram.
7. Terram ab igne separato, subtile & tenue à grosso & crasso, & quidem prudenter cum modestiâ ac sapientiâ.
8. In hoc à terra ascendit, in cœlum hoc à terra, & à cœlo rursus in terram descendit, & potentiam ac efficaciam superiorum & inferiorum recipit, hoc modo acquires gloriam totius mundi propulsabis igitur tenebras omnes & cœcitatem.
9. Hæc enim fortitudo omni alia fortitudine ac potentiæ palmam præripiens: omnia namque subtilia & crassa duraque penetrare ac subigere potest.
10. Hoc mundus hic conditus est.
11. Et hinc conjunctiones ejus mirabiles, & effectus mirandi; cum hæc via sit, per quam hæc mira efficiantur.
12. Et propter hoc Hermetis Trismegisti nomine me appellarunt: cùm habeam partes tres Sapientiæ & Philosophiæ universi mundi.
13. Consumatum est verbum meum, quod dixi de opere solari.

VERSIO LATINA TABULÆ HERMETICÆ.

Phœnicii Contextus proprietatem servans.

DESCRIPTIO ARCANORUM HERMETIS TRISMEGISTI.

1. VEre non fictè, certò verissimèque aio.
2. *Inferiora hæc cum superioribus illis, istaque cum iis vicissim vires sociant, ut producant rem unam omnium mirificissimam.*
3. *Ac quemadmodum cuncta educta ex uno fuêre verbo Dei Vnius: Sic omnes quoque res perpetuò ex hâc unâ re generantur dispositione Naturæ.*
4. *Patrem ea habet Solem, matrem Lunam: ab aëre in utero quasi gestatur, nutritur, à terrâ.*
5. *Causa omnis perfectionis rerum ea est per universum hoc.*
6. *Ad summam ipsa perfectionem virium pervenit, si redierit in humum.*
7. *In partes tribuito humum ignem passam, attenuans densitatem ejus re omnium suavissimâ.*
8. *Summa ascende ingenii sagacitate à terra in cœlum; indeque rursum in terram descende, ac vires superiorum inferiorumque coge in unum: Sic potiere*

gloriâ

gloriâ totius mundi; atque ita abjectæ ſortis homo amplius non habere.

9. *Iſthæc jam res ipsâ ſortitudine fortior exiſtet; corpora quippe tam tenuia quàm ſolida penetrando ſubige.*
10. *Atque ſic quidem quæcunque mundus continet creata fuêre.*
11. *Hinc admiranda evadunt opera, quæ ad eundem modum inſtituuntur.*
12. *Mihi verò ideò nomen Hermetis Triſmegiſti impoſitum fuit, quòd trium mundi Sapientiæ partium Doctor deprehenſus ſum.*
13. *Hæc ſunt, quæ de Chemicæ artis præſtantiſſimo opere conſignanda eſſe duxi.*

Eygendliche Oberſetzung

Der Hermetiſchen Smaragd-Tafel ins Deutſche auß dem Phönicischen.

Verfaſſung der geheimen Künſte des Hermes Triſmegiſtens.

1. WArhafftig/ auſſer aller Vnwarheit /gewiß und warlich ſage ich.
2. Die Geſchöpff hie nieden geſellen ſich zu denen dort oben/ und dieſe hinwiederumb zu jenen / auf daß ſie mit geſambter Hand ein Ding herfür bringen mögen/ ſo voller Wunder ſteckt.
3. Vnd gleich wie alles auß einem durch deß einigen Schöpffers Wort entſtanden: Alſo werden auch alle Ding nunmehr auß dieſem einzigen ding/ durch anordnung der Natur gebohren.
4. Sein Vatter iſt die Sonne/ und ſeine Mutter der Mond: die Lufft träget es gleich als in Ihrer Bärmutter; ſeine Süngamme aber iſt die Erde.
5. Diß Ding iſt der Vrſprung aller Vollkommenheit der Sachen ſo in der Welt ſind.
6. Seine Krafft iſt am vollkommenſten/wann es wiederumb in die Erde eingekehret iſt.
7. Scheide als dann die Erde ſein von einander/ ſo ſie im Fewer geweſen/ und mache ihre dicke je ſubtiler und ſubtiler durch Hülffe des allerlieblichſten Dinges in der Welt.
8. In Summa. Steige durch groſſen Verſtand von der Erden gen Himmel/ und von dannen wiederumb in die Erde/ und bringe die Krafft der öbern und untern Geſchöpff zuſammen/ ſo wirſt du aller Welt Herrlichkeit erlangen: Dannenhero auch kein verächtlicher Zuſtand mehr umb dich ſein wird.
9. Diß Ding iſt allen ſtarcken Sachen zu ſtarck; dann es ſo wol die ſubtilſte Ding überwinden/ als auch die härteſte und dichteſte durchdringen kan.
10. Auf dieſen Schlag iſt alles geſchaffen was die Welt begreifft.
11. Dannenhero können wunderſame Dinge gewircket werden / wann es auff ſolche Weiſe angeſtellet wird.
12. Vnd mir hat man deßwegen den Namen Hermes Triſmegiſtus gegeben / weil ich alle drey Theil der Weißheit dieſer gantzen Welt beſitze.
13. Diß ſey geſagt von dem Meiſterſtück der Chemiſchen Kunſt.

EMINENTISSIMO, POTENTISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI PHILIPPO

ARCHI-EPISCOPO MOGVNTINO,

Sac. Rom. Imp. per Germaniam Archi-Cancellario Principique Electori; Epiſcopo Herbipolitano, ac Franciæ Orientalis Duci *&c.* Patrono ejulantium Naturæ Scrutatorum Opt. Max. *Vivere ac gaudere Potentiſſimæ Eminentiæ* ejus Archi-Epiſcopali *atque* Electorali & ſuo, & maximi *Hermetis*, & Divæ denique *Chemiæ* nomine.

Humillimè devotus cliens
W. CHRISTOPHORUS KRIEGSMANN.
juvenis poſt Divina & Humanitatis Studia, arcanis rerum operans.

SOLS, *quâ cum iniquiſſimâ inde à priſco uſque conflictata ævo eſt* Smaragdina HERMETIS TRISMEGISTI Tabula; EMINENTISSIME ARCHI-EPISCOPE PRINCEPSQUE ELECTOR, *me eò tandem audentiæ adegit, ut ingenti nomine Tuo obarmatus tyro, publicè curam perennis ſuſcipere inſtituerim. Scilicet, ut lymphis hauſtro è fonte extractis putredo ſenſim adrepere ſolet cum fœtore; ſi præſertim illapſu variorum coinquinatæ eæ: Sic, poſtquam noſtrorum incuriâ majorum inſigne hoc veteris orbis monumentum invidiâ illâ nativi idiomatis limpitudine exciderat,*

tranſfuſum

transfusum in peregrinas Linguas, Deum immortalem! quot non graveolentibus sordibus squalere cœpit? Accedentibus, qui pro lubitu fœdarent innumeris propè interpretibus. Quorum ut aliqui Chemicarum rerum periciâ monstrabiles extiterint, plures herclè ne mediocriter quidem in eâ quæ ab HERMETE *nomen trahit Philosophiâ versatos certum est. Sed & expositiones in Tabulam à cæteris, ipsiusque adeò Philosophorum Lapidis opificibus collatæ ejusmodi sunt, ut unâ atque alterâ exceptis, magis dignitatem* HERMETICI *nominis erodant, quàm ii hactenus valent, quibus Chemiam,* TRISMEGISTI *inventum, obtrectatoribus ac calumniæ prodere, quotidianum est. Quotus enim quisque cordatorum est, qui aut splendore inscriptionis, aut præconiorum magnitudine illectus, ad diligentiorem se lectionem Tabulæ Smaragdinæ* HERMETIS *nostri accingit, quin, si ad tot discordes, ac non semel ineptos Commentatores fuerit detrusus, illicò resiliat, deque vanitate, de fuco, de impostura denique suspicetur? Certè plerorumque animos, quos sinceros ante nec convitia, nec delator corrumpere poterant, interpretum Hermeticorum temeritas in deterius, ipsâ veritate plangente, nunc corrupit. Atque hinc tam immites in personam operaque* TRISMEGISTI, *virorum aliquot magnorum censuræ sunt: quibus in perniciem Chemicæ Philosophiæ abusi homines nauci, maximo Arcanorum Naturæ antistiti enormi nequitiâ usque adhuc insultant. Sentiens isthæc juvenis ego, cùm unde malo medela pararetur, nusquam invenirem, meo, quod aiunt, Marte rem aggressus, de* HERMETE *primum singulari libro inquirere; mox hâc provincia sic satis defunctus, Tabulam ejusdem cum cura versare occepi. Repetens ergo situ obductam, penitiusque solito proprietatem dictionis (quam equidem, si Phœnicem* HERMETEM *haberet auctorem, Phœniciam fore rebar,) introspiciens, ecce mihi Smaragdus omnis Phœnicissimis scintillare visus est: quibus porrò ad Ebraismum exactis, ea continuò lux undique coorta fuit, quæ dispulsis nebulis clarè intuendam mihi obtulerit abstrusam illam* HERMETIS *mentem, in quam vix è mille uni ingenii perspicacia penetrare licuit. Ita demum causa mihi pervestigata, cur plerique contortis tabulæ verbis veluti delusi, & ipsorummet suam, &* TRISMEGISTI *auctoritatem tot modis iverint attritum. Genii nimirum pristini non vola non vestigium in Latina versione amplius superat; repertu quidem facile iis, qui Orientalium Linguarum expertes, hujus ductum insequi coguntur. Cùm enim ea textus Phœnicius antiquus ad verbum exprimatur, non ad sensum; vocibus Latinis incapacibus Phœnicii nexus atque ponderis existentibus, fieri profectò nequit, ut genuina verborum Trismegisti vis appareat liquidò Phœnicum dialectum non callenti. Cæterum incommodis hinc emergentibus mederi tandem cupiens, ut voluntati complurium Hermeticæ Sapientiæ admiratorum responderem, adornavi noviter juvenilem Tabulæ ejus in pristinum idioma* PHŒNICIO-EBRAICUM *translationem. Quâ, cùm è vestigiis Latinæ versionis verbum verbo reddens, à structura Ebræorum ac Phœnicum adeò non aberrarem, ut potiùs, quo pertinaciùs Latino textui adhæsi, eò proprius ad sacri sermonis Phœniciique proprietatem, elegantiamque accederem; visus sum mihi omnia, certè pleraque reperisse verba, quæ nativa Tabulæ, peregrinis commutavisset simplicis ingenii vetustas. Quorum deinde ad præscriptum novam & Latinam & Germanicam versionem composui; adjecto extemporali in easdem Commentariolo. Sed hæc, & quæ antea dixi cuncta exasciato judicio Tuo,* EMINENTISSIME POTENTISSIMEQUE PRINCEPS ELECTOR, *humillimo animo committo. Enimverò* TIBI, *Principum Germaniæ nostræ facilè maximo, ter maximè quondam* HERMETIS *pretiosam è Smaragdo tabulam, abs me nunc depositam sisto.* TIBI *inquam. Ita namque ipse* TRISMEGISTUS *velle, imò jubere videbatur, ut quæ potentissimus ipse Princeps, Germanorum parens, primariusque conditor, summus Phœnicum Ægyptiorumque Archi-Episcopus, Archi-Cancellarius atque Elector Regum, Chemiæ denique inventor, Phœniciâ dialecto de Secretorum Naturæ maximo reliquit, si quando superato situ gratæ posteritati transcribenda forent, fulta exirent patrocinio Potentissimi item Principis, Germaniæ Parentis, primariique tutoris, supremi Archi-Episcoporum, Archi-Cancellariorum atque Electorum Imperii, & Arcanorum Naturæ quasi cujusdam Numinis; uno verbo, ederentur* EMINENTISSIMO ELECTORE MOGUNTINO JOANNE PHILIPPO *susceptore. Itaque ad Electoralem illam Sedem* TUAM *Moguntinam ipsius* HERMETIS *voluntate abreptus, ne vel jussum tanti sive* HOMINIS, *sive* DEI *migrasse, vel in* POTENTISSIMAM EMINENTIAM TUAM *peccavisse, vel ad* CHEMICÆ *Artis salute atque incremento parum sollicitus fuisse videar dicarve, en* TIBI *Indulgentissimo bonarum Artium Patri, Opusculum isthoc mole perexiguum (Smaragdum enim offero, quem pretium commendet non pondus;) demissis poplitibus.* DO. DICO. DEDICO. *relegato omni verborum & excusantium & deprecantium purpurisso. Cape illud* EMINENTISSIME ARCHIEPISCOPE PRINCEPSQUE ELECTOR, *idque gratiosissimo* SERENISSIMI *vultus* TUI *Lumine sic perfunde, ut augusto isthoc splendore irradiatum, malignos liventis Invidiæ oculos perstringere, ingenuis verò* HERMETIS *filiis faci esse valeat.* Vale. DEUS TE SERVET.

Perscriptum in illustri Comitis Leiningensis Illustrissimi Arce HARTEMBURG, *dum ipse præessem indoli Generosissimi Comitis junioris, paternarum virtutum ex asse hæredis*, mense Augusto Anni Christiani 1657.

COMMENTARIOLI INTERPRETIS TABVLÆ HERMETICÆ

CAPUT I.

Tabula Hermetis invitis quibusdam asseritur.

EX quo Chemicè scribi cœptum est, homo natus inventus nemo fuit, qui vel paria sub angusto orationis tegmine secreta propalaverit, atque Tabula è Smaragdo lapide *Trismegistus Hermes*. Duo tamen (quod Chemicorum querulæ hac de re voces testantur,) usum ejus minus expeditum reddidêre; interitus verborum Philosophi ore delapsorum, & interpretum, ut leniissimè dicam, licentia: quorum sicut alteri versione nostrâ *Phœnicio-Ebraïcâ* consultum sic satis à nobis est; nativis Latinorum in locum repositis: ita nunc alteri *Commentariolus* hic medebitur pro viribus. Eo enim & rationem translationis nostræ reddituri sumus, & castigaturi, si quæ ab interpretibus commissa, & sensum denique, quem vocant, literalem sic enucleaturi, ut prudentioribus comitis instar simus, ad celsas Divæ Chemiæ arces tendentibus. Quæ lectorem meum ipso opere experiri malo, quam pluribus prædicata heic intueri. Ante omnia verò *de Auctore Tabulæ* dicendum venit commentaturo mihi. Viri enim aliquot eruditissimi, nescio quâ vi compulsi, non dubitant sententiam eorum, qui Tabulam hanc in claritatem Hermetici nominis referre consenserunt, falsi arguere, censuique

gerrarum

gerrarum canorarum adſcribere, quicquid de auctore, de ævo, de repertrice denique ejus traditum ab antiquis fuit; quorum equidem ſive omnia ſive verba recenſere in præſenti non ſuſtinemus; jubentes tantùm, ut juxta nobiſcum ii ſeriò expendant, quam in negotio auctorum hujus vel illius ſcripti notum eſt, doctos fovere mentem. Enimverò *de auctore unius cujuſque monumenti non niſi teſtimonio eorum, quibus id compertum videtur, ad argumentum operis dictionem exacto, conſtare* fatentur maximi eruditorum: eòque his indiciis pronunciare ſolent de ſcriptoribus omnis generis; id operam maximè dantes, ut ſi fieri poſſit, fidem potiſſimùm virorum ejuſmodi conveniant, ad quos cura rei libro pertractatæ ſpectat. Id tunc validiſſimum probationis genus putant, ac digniſſimum, cui uni adſenſus habeatur. Ergo jam hos ſecuti *Hermetem* Tabulæ Smaragdinæ opificem ſtatuimus, quicquid etiam aliis differatur aut diſſertum fuerit; cùm, quòd præſtò nobis eſt corona Chemicorum Philoſophorum, quibus unanimi voce de *Hermete* Tabulæ hujus auctore perhibentibus, fides demi nec debet nec poteſt; in re quippe, Παιδείαν Chemicæ Artis concernente: tum, quòd & argumentum ab ingenio *Hermetis* adeò non alienum tabula habet, ut potius alius quàm Hermetici ingenii fœtus haberi nolit; & dictio *Phœnicia* Phœnicem *Triſmegiſtum* arguit; & ipſum nominis *Triſmegiſti* etymon tabulam ſupra ævum Græcorum Latinorumque ſcriptorum in tantum educit, ut cùm iidem ad unum omnes intra tempora corrupti a Græcis vocabuli arcentur, Tabula noſtra liquidò in priſca ſemet integri adhuc nominis ſæcula atque adeò annos ipſius *Hermetis* penetret. Ut taceam, traditionem de Tabulâ hâc, ſeculis poſt diluvium, in antro propè *Hebron* à muliere *Zara* manibus cadaveris *Hermetis* exemptâ, nulla ſui parte malè ſe habere, ſi de *Abrahami* uxore *Sarâ* intelligatur: cùm tempora denati *Hermetis*, id eſt *Chanaani* Noachi nepotis (*vide ſi lubet Conjectan. noſtr. ad Tacit. Germaniam*) atque *Saræ* congruant; ac locus (urbs *Hebron* à *Chanaani* ſive *Hermetis* filio *Heth* exſtructa, ad quam ſedem fixerat *Abrahamus*) convenientiſſimus rei ſit; mos ädliæc Phœnicum poſterorum *Hermetis*, corpora demortuorum uncta cavernis ſepultum abſtrudendi, pulchrè concordet; & perſona denique *Abrahami* in numerum Chemicorum omnium voto recepta fuerit. Summa hæc argumentorum pro *Hermete* Tabulæ Smaragdinæ auctore capita qui accuratè ſecum penſitaverit, pervidebit, ſpero, num tutius non ſit, receptæ inter Chemicos *de Hermete* opinioni inhærere, quàm ad lubricas deſciſcere conjecturas.

CAPUT II.

Phœnicium Idioma non Græcum Tabulæ nativum eſſe defenditur.

DE Idiomate quo perſcripta Tabula eſt opportunum ſit nunc cognoſcere, poſtquam de auctore ejus actum à nobis. *Græcum* illud fuiſſe nonnulli aſſeverant: quos inter miror, imò indignor reperiri virum Chemicarum rerum peritiâ inſigne m, *H. Ar. No. R.* deß Löwen von Mitternacht / ut ſe vocat, *G. F.* und *Prov.* Ille verò erudito ſcripto, cui inſcriptionem fecit, *FAMA REMISSA ad Fratres Roſeæ Crucis*, anno 1616. excuſo, ſcribere in hanc mentem voluit: Es iſt ſhcut zu Tag gemein / daß man Philoſophiam Hermeticam und Ariſtotelicam quaſi contradictorias anführet: da doch nicht genuini vom Hermete mehr vorhanden als die Tabula Smaragdina; und ein paar dialogi; welche doch gantz mit allen illuſtribus ſententiis in dem Ariſtotelem gebracht ſeyn &c. Es muß auch dieſer Hermes natione Ægyptius ſeyn / da er doch Græcus und Rex Athenarum geweſen &c. Und wer wil uns bereden / daß die forma loquendi verboſa, ἀληθὲς, ἄνευ ψεύδους, πιστὸν & ἀληθέστατον, ſolle ſonnen in Linguis Orientalibus gefunden werden / ſonderlich in doctrinâ Magorum, welche nicht anderſt als nur breviſſimi loqui ſeyn. Hactenus vir ille doctiſſimus doctè; at non ſatis validè: Nam quod *de Hermete Athenarum Rege* ait, probatione eget ut quod maximè, *perque* ea penitùs evertitur, quæ peculiari libro, *in Taciti Germaniam Commentario*, de perſonâ *Hermetis* diſſeruimus; quòd videlicet is *Noachi* nepos *Chanaan* &c. ac gentis atque literaturæ *Phœnicum* conditor extiterit. Quo quidem ipſo manifeſtum eſſe videtur, monumenta ab eodem profecta, non *Græcâ*, ſed *Phœnicià* linguâ ſignata olim fuiſſe. Deinde, quis Linguarum Orientalium vel paululùm gnarus tam hebeti mente eſt, ut continuos *Phœnicia* dialecti idiotiſmos *Ebraiſmi* ductu per integram Tabulam non obſervet? Aut, cui quæſo perſuadebitur, ſtructuram verborum horum: Verum, ſine mendacio, certum & veriſſimum, Græciam redolere, & non potius Orienti tribuendam? Certè, quei loquendi ejuſmodi formæ verboſæ dicantur, Orientalibuſque Linguis adimantur tenere nequeo: præſertim cùm nihil æquè Orientale ſit atque dicere: אמן בלי שקר אמן : אמן ואמן. Neque verò quicquam eſt, quod *Magorum* prætenditur *breviloquentia*. Ut maximè enim Tabulam Hermeticam *Magicis* annumeremus, (quod tamen eorum pace non fecerimus, qui quid *Magia* fuerit veteribus norunt,) num ideo in tantas anguſtias Magos conjiciemus, ut rei, & falſitatis & utilitatis nomine traductæ magnitudinem, certitudinemque quatuor aut ſex voculis ingenuos diſcipulos edocere nequeant? Sed quid verbis opus? Transferant ii, quibus Græcia heic tantoperè amata, Tabulam è veſtigiis Latinæ verſionis in Græcum idioma; nobiſque dicant, utrum magis ideam nexus atque fluxus orationis Græcanicæ inducere contextui poſſint, quàm efficere, ut ſtricta Germanorum veſtis Sarmatorum more fluitet, ſi è panno Polonico eam vel maximè curaverint confiçiendam. Tantùm de Idiomate.

CAPUT III.

Inſcriptiones Tabulæ, duoque inciſa illuſtrantur.

JAm ad Tabulam ipſam. Dicitur ea *Smaragdina*; quod Smaragdo lapide parata, tenuiſſe creditur *Hermetis* verba inſculpta; uſitatâ Hermetis ævo ratione artes ac ſcientias poſteritati committendi. Phœnicibus Ebræiſque abſque dubio vocata fuit, לוח ברקת *Tabula Smaragdi*; ut divinæ è lapide tabulæ apud *S. Moſen* לחות אבנים *Tabulæ lapidum* i. e. *lapideæ* appellantur. Cæterum inſcriptio eidem hæc eſt: VERBA SECRETORUM HERMETIS TRISMEGISTI. Quæ prætereunda minimè, quum

quùm initio statim Genius tabulæ Phœnicius rejectâ veste Latinâ prodire nudus in publicum satagat. Loquendi nimirum forma, *verba secretorum*, ex Oriente est, non è Græciâ vel Latio: eoque Ebraismi beneficio explicanda. Vox דבר quæ notatione *verbi* item *rei* plurimum decoris sermoni sacro ac vicinis parit, nonnunquam singulari quadam elegantiâ pro *monumentis literariis* v. g. *Epistolis publicis*, *libellis* &c. sumitur: Cujus rei luculentum indicium capere licet *Esth. c. IX. v. ult.* ubi *literæ regiæ de festis Purim præcipientes*: quarum mentio facta v. 29. vocantur דברי הפרים *verba Purim* i. e: Beschreibung wie es mit dem Feste Purim gehalten werden soll &c. Atque huc etiam pertinet nomen *Librorum Chronicorum* in S. Codice דברי הימים *verba dierum* i. e. monumenta ævi historiam complexa, Tag-oder Zeit-Bücher. Hinc jam mens inscriptionis Tabulæ nostræ fuerit, *Monumentum literarium &c. de Secretis &c.* Quod verò nomen *Hermetis* sic scripsimus: הרמס חלת מחות *Cherem Thlis megüsdos*: ejus rei inferiùs causas afferemus. Porrò in eleganti Ebrææ vicinarumque Linguarum phrasi initium Hermes sumit tabulæ: Illæ namque de negotio magni momenti asseveraturæ, *particulas affirmandi* coacervant, ingeminantes ponderosum illud אמת. Morem servat *Trismegistus*; & quò majorem in legente excitet ardorem, magna se prolaturum constanti istò ac severò vocum affirmativarũ συναθροισμῶ (VERUM, SINE MENDACIO, CERTUM, AC VERISSIMUM,) pollicetur. Facto hoc, egregiè scribere incipit: QUOD EST INFERIUS, EST SICUT QUOD EST SUPERIUS; ET QUOD EST SUPERIUS, EST SICUT QUOD EST INFERIUS; AD PERPETRANDA MIRACULA REI UNIUS. Quæ verba altissimæ indaginis, usque adeò neglectim plerisque interpretum habita sunt hactenus, ut non injuria ambigere possis, num quæ philosophi aliquot eximii illustrandis iis dixêre, non Naturæ potius quam dictorum Hermeticorum intellectu profati sint; abusui verò eorundem altum ingemiscas. Nos ex Ebraismo paucis genuinum eorum sensum indicabimus. Usu hîc interdum venire animadvertimus, ut particulæ *similitudinis* indices sive *inseparabiles*, sive *separatæ* non tam *similitudinem* quam *concursum* aut *societatem* designent. Ita cùm *Achab* rex Israëlis, contra Syriæ regem in aciem processurus; è *Josaphato* Judæ rege quæreret: *Ibisne mecum ad bellandum contra Ramoth Gilead? Josaphat* autem responderet: *Sicut tu, sic ego, sicut populus tuus, sic populus meus, sicut equi tui, sic equi mei erunt*, 1. *Reg. XXII.* 4. idem fuit; ac si dixisset: *Ego tibi, populusque meus populo tuo; equi denique mei equis tuis aderunt socii ad dimicandum cum Syriæ rege.* Ac tales quidem phrases *Rabbini* dicunt adhiberi לקצר הלשון *abbreviandi sermonis causa*; cùm plenè ea sic efferri debeant: *Ego ero sicut tu, & tu eris sicut ego, populus meus erit sicut populus tuus, & populus tuus sicut populus meus &c.* Qualis ut sic dicam *reciprocatio* in verbis nostris Hermeticis est: Quæ hoc idiotismo Linguæ S. exposita, non nudam *similitudinem* superiorum atque inferiorum, (ut interpretibus visum,) sed *concursum* quoque atque *unionem* inferunt; id quod Hermetis Filio probè notandum. Quod deinde additur: *ad perpetranda miracula rei unius*; observari debet, *præfixum* ל *infinitivis* junctum locutiones ejusmodi *gerundio-participiales* constituere, perque *conjunctionem* ut exponi: *Hypallagen* quoque Ebræis illam familiarem esse, qua *concurrentibus duobus substantivis*; *id quod epitheti loco est & adjectivè sumi debet, præcedit.* v. g. Ps. XXXVII. 2. כירק רשא *sicut viror herbæ*, i. e. *sicut herba viridis.* Sic ergò in tabula verba hæc, לעשות אחת דבר אחר hunc giguunt sensum, *ut producant rem unam omnium mirificissimam.* Judica nunc *O Fili Hermetis!* de iis, qui per *miracula rei unius* Lapidem Philosophorum aurificum indigitari volunt.

CAPUT IV.

Sequentibus quatuor incisis lux illatâ.

PErgit *Hermes*: ET SICUT OMNES RES FUERUNT AB UNO MEDITATIONE UNIUS: SIC OMNES RES NATÆ FUERUNT AB HAC UNA RE ADAPTATIONE. Notari hîc meretur *radicem* Ebraicam, unde vox *meditationem* significans defluxa, præter *meditari* etiam *eloqui* denotare; ut nomen מה scilicet *sermonem*, *verbum* reddere queas; significatione in S. Literis aliquoties concurrente. Quod autem dixit Hermes, *natæ fuerunt*, multorum ingenia torsit: quippe cùm capere illud non satis potuerint, quei omnes res natæ ab una re dicantur adaptatione &c. At salva res est: *præterito* Trismegistus usus est *præsentis* loco; ex idiotismo Phœnicum Ebræorumque qui sic loqui consueverunt, cùm significatur *non quod fuit, aut futurum est, sed quod perpetuò fit, aut fieri debet.* Voce *adaptationis* verò non nisi *operatio Naturæ* designatur. Scilicet *Natura* ordo est ac dispositio i. e. מערכה *adaptatio* causarum: ceu mihi *Aristoteles* ac reliqui Philosophi omnes largientur. Phœnicibus verò atque Ebræis non inusitatum fuisse dictionem מערכה ad significandas *Naturæ operationes* adhibere vel inde quivis colligat, quod *Rabinis* hodiè quoque *naturales syderum in hæc inferiora influxus dicuntur* סוד מערכה i. e. *adaptio* sive *ordo atque dispositio astrorũ.* Ex his mens Hermetis non potest non clarissima evadere. Quæ sequuntur, PATER EIUS EST SOL, MATER EIUS LUNA, PORTAVIT ILLUD VENTUS IN VENTRE SUO, NUTRIX EIUS TERRA EST, explicatione literali non egent. Tantum observari velim, dictione רוח h. l. *aërem* indigitari; præteritum verò *portavit* perinde atque superius *natæ fuerunt* præsentis significatu accipiendum esse. Perperam autem *Paraphrastes* hæc, PATER OMNIS THELESMI TOTIUS MUNDI EST HIC, præcedentibus attexuit; voce *Pater* in nomen *mater* versâ. Neque enim ad terram ea trahi debent, quum ad ens mirabile Philosophorum pertineant; quod *pater* est, אב i. e. *causa*, *origo* omnis perfectionis universi hujus. Perperam præterea pronomen *hic* pro particulâ locali habitum. Nam ex Ebræo-Phœniciaco הוא *masc.* est, ac masculinò הבר substitutum, interpretisque incuriâ pro fœmin: *hæc* quod *rei* exigebat, retentum. VIS EIUS INTERGA EST SI VERSA FUERIT IN TERRAM inquit Hermes ulteriùs i. e. *Virtus rei illius est* תמימה *ad summum perfectionis gradum à natura evecta, si redierit* (res) *in humum* &c. non, *si substantia ejus versa* sive *mutata fuerit in substantiam terræ*; ut quidam satis absurdè exponunt.

CAPUT V.

In septimi atque octavi incisorum sensum inquiritur.

NUnc cùm *interprete vulgari* res nobis erit vel invitis. Scribit is: SEPARABIS TERRAM

AB IGNE, SUBTILE A SPISSO, SUAVITER CUM MAGNO INGENIO. ASCENDIT A TERRA IN COELUM, ITERUMQUE DESCENDIT IN TERRAM, ET RECIPIT VIM SUPERIORUM ET INFERIORUM. *Is* inquam ſic ſcribit. Equidem quidvis potius credere velim, quam fidem iis habere, qui *Hermetem* hæc locutum perhibent; uſque adeò his nihil Hermetici, nihil Philoſophici, nihil denique aut ſolidi aut veri inèſt, Ac jure ex interprete quæſivero, à quonam tandem *igne terram*, quâve viâ ſeparē? quàm feliciter item *ſubtili & ſpiſſo*, *ſuaviter* Oedipi acumine *ſeparatis* ad opus Philoſophicum utar? Duram, ædepol, maximi *Hermetis* vicem! qui quum vernaculâ linguâ ſapientiſſimè de arcanorum Naturæ ſummo dixerit coram orbe, interpretis nunc frigore ſermoni adſuescere cogitur, cujus in eodem negotio diſcipulorum ejus infimum quemque & piguiſſet, & tæduiſſet, olim. Sed undenam, ais, verba iſthæc interpreti arrepta, ſi *Hermes* ea ipſi *in Phœnicio Tabulæ exemplari* non præivit? Dicam ingenuè quæ ſentio: audite qui ingenui. Et *Hermes* culpa vacant, & *interpres* ejuſdem. Scripſerat ille: מאור עולה רק מענה במחק: בנרל השכל תפריד הארמה מן הארץ על השמים &c. Hic eo quo diximus modo vertit; reputans 1 vocem מאור cū *verbo* תפריד cōſtrui opportere, 2. רק eſſe *nomen ſubſtantivum*, 3. מ in מענה nomine *præfigi*. 4. *præfixum* ב in במחק *adverbium*, Ebræorum idiotiſmo circumſcribere, 5. verba בנרל השכל ad ſequens inciſum non pertinere, 6. denique *participiis* ירוד עולה atque אוסף *præſens* ex conſuetudine Linguæ S. ſignificari. Sanè ſexcenti è conſultis Ebrææ Phœniciæque dialectorum aliter vix reddiderint, rebus ſic comparatis. Quo nomine interpretem criminis abſolvi æquum eſt. Ac procul omni dubio *Hermes*, rationem eliciendi *Philoſophorum Mercurii* traditurus, verba hæc diverſos ſenſus admittentia conſultò adhibuit; quò non cuivis ſtatim in proclivi foret, pedem in arcana ejuſmodi intrudere. Quicquid tamen ejus rei ſit, nos, quæ noſtra eſt tenuitas, primi, niſi prorſum fallimur, verum ſermonis Hermetici ſenſum extricaturi ſumus. *Verbum* igitur פרה propriè ejuſmodi *ſeparandi modum* notat, qui fit *diſcriminando* ſive *disjungendo* &c. atque ita nudo *accuſativo* jungitur; quod notiſſimum, Deinde מאור האדמה ſcitè voci annectitur ſignificatu *adjectivi*; per elegantiſſimum Ebraiſmum, quo pro *adjectivo* periphraſticè uſurpatur *ſubſtantivum præcedente præpoſitione* מ ſive מן & exponitur: *terram ex igne*, i. e. *ignitam*, *ignem paſſam*, ut *Pſ. XVI.* 4. נסכהם מדם *libamina eorum ex ſanguine*. i. e. *ſanguinea*; vel interprete Vatablo, *ſanguinaria* &c. Porrò dictio רק *præſens* eſt *participii* verbi דקק *comminuit ſubtile atque tenue reddidit* &c. vox autem מענה *denſitatem terræ pinguem* propriè ſignificat, ut patet è 1. *Reg. VII*, 46. ubi Salomonis vaſa ænea fuſa dicuntur במעבה האדמה *in denſitate terræ* i. e. *in humo pingui atque argillosâ* &c. Ac præfixum ב in במחק habendum pro העור ב i. e. *Beth auxilii*, ut Rabbini vocant, quod hoc loco *cauſam adjuvantem* deſignet, cujus virtute aliquid fit. Quid verò voce מתק i. e. *ſuavitas*, *dulcedo* Hermeti appelletur, diſces ferè è verbis *Rabbi Salomonis* ap. CL. Buxtorf: כל מתיקת פרי קרויהדבש *Omnis dulcedo fructuum dicitur Devaſch.* expende tamen & illud, inſigni Ebrææ Linguæ idiotiſmo *ſuperlativum* gradum per *nomen abſtractum* exprimi: quomodo jam hîc *ſuavitas* dicitur pro *re ſuaviſſima*; quæ qualis ſit, tute rimêre. Verba denique בנרל השכל ad præcedens hoc inciſum minimè referenda ſunt; vel eam ob cauſam, quod inſequentia *participia præſentis indicativi* vim habere nequeunt. Quantumvis enim ſolenne Ebræis ſit, *præſens indicativi* per *participia* ſignificare: quæ tamen ratio hujus noſtræ locutionis eſt, *pronomen* participiorum primo adjiciendum erat, ut *tertiâ perſonâ* illud cum reliquis ſumi oportere conſtaret. Ejus verò rei nihil in Phœnicio contextu conſpicuum fuiſſe, indicio eſt defectus *pronominis* in Latinâ verſione. Unde fit, ut *participia* conſueto valore ad artificem operis Hermetici accommodemus, non ad materiam. Quâ ex cauſa nunc illud quoque eſt, quod verba hæc, *in magnitudine ingenii* alteri periodo vindicanda ducamus. Ut ſenſus tandem is emergat: *Diſcriminabis humum ignem paſſam, ſubtilians, ut ſic loquar, pinguem ejus denſitatem beneficio rei omnium ſuaviſſimæ. Ingenii ſagacitate aſcendens à terra in cœlum, iterumque deſcendens in terram, ac virtutes ſuperiorum atque inferiorum coadunans*; SIC HABEBIS GLORIAM TOTIUS MUNDI. Et hæc verba in poſterius hoc inciſum locari debent; ſi non vocibus, at ſenſu. Eſt namque integra periodus (*Ingenii ſagacitate aſcendens &c.*) rerum de quibus verba ab Hermete facta quaſi ſumma quædam, ſemel omnia quæ anteceſſēre complectens, & hoc vult: *Si ingenio aſcenderis* &c. *habiturum te omnia ſcito quæ expetas.* Cave ergò verba iſthæc putes novarum Tibi operationum neceſſitatem, quarum in præcedentibus mentio facta nulla, imponere. Atque hæc de his Tibi habeto.

CAPUT VI.

De *nono, decimo, & undecimo inciſo differitur.*

SUbjungit Triſmegiſtus: IDEO FUGIAT A TE OMNIS OBSCURITAS. *Obſcuritas* h. l. idem eſt, quod *ignobilitas*; & *obſcuri* השכים ſunt *ignobiles*, & *abjectæ ſortis homines*: quibus opponuntur נגדים *viri celebres ac honorati*; ſic dicti à כבר *gloria*, quam vocem Hermes ſcitè *obſcuritati* ἀντίθετον. Quod deinde dicitur: HIC EST TOTIUS FORTITUDINIS FORTITUDO FORTIS: QUIA VINCET OMNEM REM SUBTILEM OMNEMQUE SOLIDAM PENETRABIT, ſic intelligendum eſt, *res ea, quæ ad Naturæ præſcriptum à Philoſopho è materia Philoſophicâ elicitur, eſt fortiſſima omnium*, (Notus enim eſt Ebraiſmus, quando conjugatorum Synonimorumque contignatione *ſuperlativa* locutio effertur;) *quippe cùm tam ſubtilia quam ſolida* (יציק ut id quod è metallis fuſum,) *entia ſubigere atque penetrare poſſit.* SIC MUNDUS CREATUS EST. Quomodo? dic ſodes *Triſmegiſt.* Dicet pro Te in gratiam diſcipulorum Tuorum quidam poſterorum tuorum *Sanchuniathon* ſcriptor Phœnix antiquiſſimus, quique Philone *ap. Euſeb. de præp. Evang. lib. 1. c. 9.* teſte, quæ de primordiis rerum ſcripſit cuncta, è monumentis tuis hauſit. Is ergò ap. *Euſebium lib. 1.* conditi mundi duo quædam principia materialia ſtatuit: quorum alterum quaſi activum, πνοὴν ſive πνεῦμα vocat, alterū paſſivū χάος ἐρεμῶδες, i. e. ex interpretatione *CL. Bocharti* (ſub fin. *Tom. II. Geogr. Sacr. Chanaan* Phœnicio-Ebraicâ dialecto כהות ערב *caliginem veſpertinam* &c. appellat; cui nomen etiam ἀὴρ ζοφώδης *tenebricoſi aëris* dedit. Quo quidem ad *S. Moſen* ferè accedit, qui *Gen. 1.* & Spiritûs (רוח אלהים i. e. ſi

i.e. si ex idiotismo S. linguæ juxta quorundam mentem verteris, *Spiritus vehemens &c.* meminit, & tenebrarum super faciem abyssi. Addit verò, ἐκ τῆς ἀυτῆς συμπλοκῆς τῷ πνεύματι ἐγένετο Μὼτ ὅπερ τινὲς φάσιν ἰλύν. οἱ δὲ ὑδαλώδες μίξεως σῆψιν. i. e. *ex conversione ejus* (chaus) *cum Spiritu emersisse Mot.* (quæ dictio *CL. Bocharto* judice è Phœnicio-Ebraico מוך est, significante *Materiam*, ut Arabic. מארה &c.) *quod nonnulli limum interpretantur, alii, aquosæ mixtionis putredinem.* Atque his quoque *Sanchuniathon* S. Mosi adstipulatur ajenti Spiritum agitasse se (מרחפת i. e. ut *Arabs* nisi fallor, *Lexicographus* apud *CL. Hottingerum* Analect. diss. II. thes. 8. (b) interpretatur optimè, מרחעש מולול פוע *tremens, perpetuo motu & tremore agitatus &c.*) in superficie aquarum. Ex hac jam mistura videntur illi facta Πάσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις ὅλων *semina creationis omnia & generatio cunctorum* &c. Redeo nunc ad Te, magne Hermes, de tuâ circa creationem mundi opinione inquisitum. Scripsisti in Tabula de Spiritu illo universali mundi, quem Philosophi tui suum *Mercurium* dicunt. Ille verò is ipse est, qui initio rerum seminium creaturarum è Chaûs antiqui massa te auctore, produxit adque generationem aptam reddidit. Benè igitur imò optimè ais, *mundum sic creatum esse*, i. e. omnes per hoc universum res, universalis hujus Spiritus ad specialia cujusque entis semina accessu cœpisse. Sapienter verò progrederis: HINC ADAPTATIONES ERUNT MIRABILES: QUARUM MODUS EST HIC. i. e. juxta tuam Linguam: על-כן מערכות יהיו פלאות לאשר דרך ההוא *hinc admirandæ evadunt operationes ea naturales,* (sive per naturam tantùm, sive etiam fiant per artis dispositiones) *quæ ad hunc creati mundi modum instituuntur.* Ea enim mens verborum est: Quandoquidem vox *adaptationes* tam de operationibus Naturæ, ut sic dicam merè naturalibus, quam de aliis, quæ prævià artis dispositione per naturam fiunt, usurpari potest; futurum *erunt* verò loco præsentis ponitur, non infrequenti Ebræis more *præsens* in generalibus sententiis עתיד בלשון ut *R. Aben Ezra* inquit, i e. *sermone futuri* efferendi, ac phrasis לאשר דרך ההוא similis ejus est, quæ Gen. XXXI. 35. occurrit: דרך נשים לי *ad modum fœminarum mecum agitur &c.* Huc usque Hermes secreta sua persecutus est.

CAPUT VII.

Reliquorum binorum incisorum mens exposita.

SUccedit nominis subscriptio hujusmodi: ITAQUE VOCATUS SUM HERMES TRISMEGISTUS, HABENS TRES PARTES PHILOSOPHIÆ TOTIUS MUNDI. Ad fluctus ea & saxa complures præstanti ingenio viros allisit: quorum aliqui, quam tres Philosophiæ partes divisione rerum in *Animalia, Vegetabilia, ac Mineralia* metirentur, suspicari cœperunt, materiam Lapidis Philosophici è tribus iis, quæ vocant, regnis petendam filio Hermetis; auctoritate cumprimis illustris *Trevisanæ Comitis* abusi: cæteri quod particulam *Itáque* ad præcedentia referendam existimarent, nec quei confectio Lapidis Philosophici Trismegistum effecerit Hermetem satis caperent in diversas de argumento Tabulæ abierunt sententias; conjunctas non rarò cum ingenti veritatis dispendio. Ut autem inposterum Syrtes ejusmodi evitare cultores veritatis discant, notent ante omnia particulam *Itáque* in Latinâ versione accentum in penultima habere, non in antepenultima; atque ita è duobus componi; ex *adverb. similitud.* ac *conjunct.*: (que) respicere autem verbum substantivum יש sic enim verba Hermetica è fonte habent חלת חרם ובן נקרא-לי מחזות יש-לי חלת מנות חכמת קל-העולם: *Ellipsis* autem perelegans conjunctionis causalis ש sive אשר *quòd*, incurrit: quâ observatâ, jam sensus erit planus: *Atque ita vocatus sum Hermes Thlismechüstos* (Trismegist.) *quòd habeam tres partes Sapientiæ totius mundi.* Cæterum de tribus illis Sapientiæ partibus è distinctione corporum in חי צומח ודומם ut *Rabbini* vocant, i. e. *animatum, vegetans ac silens* sive Minerale judicandum non est: sed è *cap. 2. lib. III. Metaph. Aristotelis* collato cum *c. 6. lib. XII.* probe tenendum; Philosophiam omnem juxta numerum substantiarum in tres partes tribui. Quarum *Prima* de substantia immobili tractet, ac *Theologia* sive *Metaphysica* dicitur; *Secunda Physica* audit, inque substantia mobili corruptibili occupatur; *Tertia* denique circa substantiam mobilem incorruptibilem versans *Astrologia* vocatur.

Trium harum Philosophiæ partium compos *Hermes* cùm divinitùs iis ornatus judicaretur; revelationum supernaturalium obventu, vocari multitudini Phœnicum cœpit חרם תלת מחזות *Hermes trium revelationum*, i. e. *cui tres revelationes divinitùs contigerunt.* Quod audientes Græci, nominibus è Phœnicio in Græcum solum transplantandis ad ineptias usque dediti, confestim manus appellationi injecerunt eandemque in quandam similitudinem Atticarum vocum corrumpentes, effecerunt, è *Thilismechüsdos* (quo modo absque dubio dictiones, recedente non nihil ab Ebræâ Phœnicum pronunciatione prolatæ) ut esset τρισμέγιστος; ל pro more in ϱ. *Græc.* verso. Reliqua è dictis quivis suopte studio conjicict. Tandem Hermes in his desinit: COMPLETUM EST QUOD DIXI DE OPERATIONE SOLIS. Sed quid dixit *Hermes?* imò *Interpres* præter ejus fortasse mentem. In antiquo nimirum Tabulæ exemplari Phœnicio extabat חמה מפעלת quod ab interprete statim versum: *de operatione Solis.* Eja verò bellam Solis operationem Et quidem haud inficior, חמה *Solis* esse vocabulum. At illud heic sic adhiberi, id verò est quod nego: Quid præter *Solem* dictione eâ disignetur, requiris, è nobis? verbo dicam, *Chemica ars.* Hujus siquidem nomen eâdem quâ Solis orta appellatio, radice nascitur; *vide Conjectan. nostr. ad Taciti German.* idque formâ vocis חמה Quid mirum igitur, si interpretes de etymo *Chemiæ* parùm cogitantes, ad *Solem* dilapsi sint? Cùm rectius vertissent: *Absoluta sunt quæ dicenda mihi sumpseram de opere Chemiæ.* Quomodo ut me monente interpretentur filii Hermetis, è re & Doctoris & discipulorum esse videtur. Vocem פעלה autem rectè de *præstantissimo Chemiæ opere* velutí καθ' ἐξοχὴν usurpari: perinde ac Græcâ dictione ποίησις *Chemia*; vocabulo ποιηταὶ vero *Chemici* olim, *Cl. Reinesio Var. Lect. l. II. c. 5.* testè designati. &c.

CAPUT VIII.

Constituitur Argumentum Tabulæ.

DIxi literam Hermeticæ Tabulæ breviter reliquum esset de iis, quæ ad ipsam rem pertinent aliquid in medium adducere. Verùm enim verò

cùm magni viri sibi ejus negotii curam deposcant, temerarius judicer, si juvenis de arduis hujusmodi disserere occepero. Fama est, de Philosophorum Lapide aurifico argentificoque tabulam præcipere. Itaque clarissimi Chemicorum censent: Hos tamen vanitatis postulat laudatus nobis auctor: *Fama remissa ad fratres Roseæ Crucis*, scribens So muß auch dieselbige Tabula den Methodum Lapidis Philosophici lehren: welchem reclamirt nicht allein Paracelsus in Archidoxis, sondern es beweiset es der Text selber. Denn er saget / das vmb dieser cognition willen er Trismegistus genannt / habens tres partes Philosophiæ wer wil aber glauben / daß vel opificium vel cognitio lapidis mache Trismegistum, habentem tres partes Philosophiæ? Es wäre denn / daß einer von dem Glantz des Goldes so gantz verblendet sey / daß er weder von Gott noch / andern Dingen etwas mehr erkennete / und das Gold pro summo bono achtete. Warlich die cognitio des Menschen ist viel wichtiger als die cognitio lapidis. &c. Docet autem tabula illa de operatione Solis, & influxu Spiritus ætherei, ut verba clarè sonant. Vnd damahls Hermetis tempore ist nicht bräuchlich gewesen / die Metallen mit den Namen der Planeten zu nennen &c. Summa, docet omnem generationem fieri ex spiritu, omnem motum & alterationem naturalem fieri per Spiritum. Est enim Spiritus prior quàm corpus. Daß also die sich Philosophos Hermeticos nennen / nicht wissen was Hermetisch ist / vnd dessen daß sie Hermetisch nennen mit einen Buchstaben wissen darzuthun / oder das gewiß auß Hermete zubeweisen: Ohne was einer dieses / der ander jenes närrisch gnug phantasiret. Hæc ille. Quorum arbitrium sit penes Lectorem. Nos, ne aut plus justo Tabulæ tribuamus aut gloriam argumenti ullo imminuamus modo, largimur utique, Hermeti de lapidum aurificorum argentificorum *Gebri, Lullii, Trevisani, Valentini, Paracelsi &c.* nullo expressè sermonem esse; ita quidem, ut *Garlandi* aliorumque sententia intellexerit per *inferiora* corpus, per *superiora* animam, per *miracula rei unius*, virtutem Lapidis perfecti, per *Solem* aurum, per *Lunam* argentum, per *ventum* Mercurium per *nutricem* fermentum &c. At neutiquam adsensum iis perhibemus, qui Chemicorum manibus Tabulam prorsus excutiendam judicant; eo quòd de Lapide aurifico &c. non tractet. Absit, eò temeritatis prodiatur filius Hermetis. Ut autem quid de argumento ejus ipsimet tandem sentiamus, Lector meus paucis habeat, secutus præclari ingenii aliquot Philosophos, ajo:

Agere Tabulam Smaragdinam de VNIVERSALI PHILOSOPHORVM MERCVRIO, qui & tenuia & solida corpora penetrando enudat; mercedem laborum id si velis ferens, quò ne cùm ubique sit, sic nusquam, alicubi esse incipiat; reliquum verò tibi sic locans, ut Tuo studio gravidus eo redditus. Te Nestoris atque Crœsi bonis faciat abundantem: De quinta scilicet illa quatuor elementorum essentiâ Catholicâ; ad quam hodiè in publicum veluti propellendum Naturæ imperio manus jungunt socias inferiora ac superiora, conferentibus.

Sole, IGNIS fonte, semen;
Luna, AQVÆ dominâ, Sperma;
Vento, AERIS hospite, Menstruum;
Humo, TERRÆ principe, Lac.

Per quam & herbæ florent, & animantia vitam ducunt, & mineræ tumescunt, & æthera pariunt, & Natura denique naturæ est. Habes, amice, quæ de Tabula judico.

CAPUT IX.

Apologia studiorum nostrorum Chemicorum adversum censores.

QUod superest, non equidem dubito, varia de me scriptoque meo variorum judicia fore; ut quisque animo livore aut vacuo aut illaqueato in me atque studia mea erit. Ea verò tantum abest, ut reformidem, ut potiùs, quò vehementius Musas meas potitū iri prævideo, eò incitatiore gressu spatia doctrinæ hujus decurrenda mihi intelligam. Quod si nunc eorum, qui propius me norunt sint, qui ex me quærere gestiant, cur juvenis ego & frequentator Academiarum, quisque antea alio in studiorum genere versatus videar, subitò nunc mutato animo ad *Chemica* descenderim; quasque *Aristoteli* chartas impendere decebat, *Hermeticis*, ac nescio quibus non nugis illeverim? Ij grave sibi non ducant, verba *M. Tullii* (hæc enim commodùm succurrunt,) leviter huc inflexa responsi loco ferte. *Ego fateor*, me Chemiæ Philosophiæ post Theologiam, disciplinas, ac Philologiam esse deditum. Cæteros pudeat, si qui ita Physicis interpretum aliquot Aristotelicorum ineptiis sese abdiderunt; ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat? Qui aliquot annos ita vivo, ut ab illis nullo me unquam tempore aut invidia aut calumnia abstraxerit, aut voluptas avocârit, aut denique somnus retardarit. (quare, quis tandem me prehendat, aut quis mihi jure succenseat, si quantum cæteris ad suas res obeundas, quantùm ad festos dies Bacchanaliorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi ac corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt intempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad Chemica studia excolenda sumpsero? Atque hoc ideo mihi concedendum est magis, quod ex iis Aristotelia quoque lumen atque incrementa sumit Philosophia, ac facultas ea, quæ quantacunque *Divinâ gratiâ* in me erit, nunquam proximi saluti defutura est. *Hermetem* verò, non ego diligam? non admirer? non omni laude evehendum putem? Arquisic à summis hominibus sapientissimisque accepimus cæteris cæterarum rerum studia & doctrinâ & præceptis & arte constare; *Hermetem naturâ ipsâ valuisse, mentis viribus excitatum, & quasi divino quodam Spiritu afflatum fuisse.* Atque hæc quidem *Cicero* pro me cuique curiosorum in aurem.

MANTISSA.

Salve Lector.

OMnia inter scripta superiorum seculorum Chemica, nullum est, quod secundam ab Hermeticâ Tabulâ palmam æquè mereatur, atque *Testamentum Arnoldi de Villâ nova*, scriptoris, si quicquam judico, reliquis longè præferendi: tum, quod omnium, me judice, acerrimè ad Smaragdum Hermetis obtutus est, tum quòd luculentiora cæteris de confectione Lapidis Philosophici tradit, teque, quod caput rei est, è salebrosa *destillationum, sublimationum*, & id genus aliorum anfractu, in mollem simplicis naturæ semitam reducit. Itaque

de

de Te benè mereri volens, nequivi usibus tuis tam præclarum, addo & carum monumentum invidere: maximè quum deprehenderem, non cujusvis esse, *Paraphrasin* in illud eam adornare, cujus nec auctorem nec Arnoldum, si revivisceret, pœniteat; multorum verò interesse scirem planam in Tabulam Smaragdinam expositionem (*qualem profectò Villanovani Testamentum ex se promittit*,) possidere. Quæ ergo in tui gratiam egimus, *Candide Lector*, boni consule, æternúmque ut Valeas cura.

ARNOLDI DE VILLA NOVA TESTAMENTUM

è versione Gallici in Latinum Idioma

ANDREÆ ORTELII Chemici Clariss.

LApis generatus ortusque de terrâ, per elevationem perficitur. Aquæ potione satiatus, infra duodecim horas, ut minimum, inflatur & intumescit circumquaque visibiliter.

Postmodum in balneo positus, vel in aëroso hypocausto moderatè calido & sicco ac purificatus ab extraneo vapore, soliditatem suarum partium acquirit, extenuàtusque superfluâ humiditate fit idoneus ad contritionem. Quo facto, ex purioribus illis partibus exprimitur lac virgineum. Quod mox inde positum in ovum Philosophicum, proprio & continuato calore foveatur, ut pro pullorum exclusione. Varietate colorum suorum nudatus gaudet cum suo compare, colore tinctus instar nivis. Inde pòst absque periculo resistit ignis violentiæ, tantisper, donec pavonis coloribus ornatus, de monumento egrediatur cum regali summáque potentiâ.

IDEM TESTAMENTUM è Paraphrasi nostrâ.

LApis noster è terræ vomicis scaturiens, si igne elevetur perfectas acquirit vires. Limpidissimâ aquâ ad satietatem potus, duodecim circiter horarum spatio extumescet notabiliter. Tunc balneo Philosophòrum illatus, aut hypocausto aëri pervio, moderateque calenti ac sicco, purificabit sese ab extraneo vapore, soliditatemque paulatim induet; atque adeò inutili humore abacto aptus fiet conteri. Ergo jam è purioribus ejus partibus Lac virgineum premendo elice: idque ovo Philosophico inclusum, calore suo fove jugiter, dum pullos videris exclusos. Ille verò cessante mirâ colorum varietate niveo albore nitens, compari jungi gestit. Facto hoc, citra damnum vim ignis sustinebit: ac tandem depositâ veste versicolore, de tumulo procedet regalis potentiæ ac splendoris sine termino compos. *Sed hic terminus esto.*

HERMETIS TRISMEGISTI TABULA SMARAGDINA,

cum Expositionibus GERARDI DORNEI.

VErum est *sine mendacio, certum & verissimum. Quod est inferius, est sicut id quod est superius. Et quod est superius, est sicut id quod est inferius, ad perpetranda miracula rei unius.*

Et sicut res omnes fuerunt ab uno, meditatione unius: sic omnes res natæ fuerunt ab hac una re, adaptatione.

Pater ejus est Sol, mater ejus Luna. Portavit illud ventus in ventre suo. Nutrix ejus terra est. Pater omnis Thelesmi totius mundi est hic Virtus ejus integra est, si versa fuerit in terram.

Separabis terram ab igne, subtile à spisso, suaviter magno cum ingenio. Ascendit à terra in cœlum, iterumque descendit in terram, & recipit vim superiorum, & inferiorum.

Sic habebis gloriam totius mundi. Ideò fugiet à te omnis obscuritas.

Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis. Quia vincet omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrabit.

Sic mundus creatus est.

Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic.

Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ totius mundi.

Completum est quod dixi de operatione solis.

ARGUMENTUM IN TABULAM Smaragdinam Hermetis.

QUid aliud sonare videntur hæc verba, quam idipsum quod Moyses docet ab initio Physicæ Geneseos: ac si diceret Hermes ad hunc modum: Spagiricum artificium docetur meditatione creationis mundi. In qua videmus aquas inferiores fuisse aquas, sicut aquæ superiores fuerunt aquæ, & aquas superiores fuisse aquas, sicut aquæ inferiores fuerunt id quod superiores videlicet aquæ, idque factum ad perpetranda mirabilia quædam opera unius rei. Et sicut res omnes procedunt ab uno Creatore Deo conceptione mentali primum unius mundi duntaxat, sic etiam omnes res natæ fuerunt postmodum materialiter ab hoc uno mundo, per adaptionem. Hactenus comparatione quadam ad similitudinem creationis mundi facta, suum artificium spagyricum docet habuisse primum exordium, deinde ad Practicam à Theorica descendens, inquit: Pater ejus rei quam vos docere volo, sive medicinæ universalis, est Sol terrenus, imò potius igneus, & aquea Luna. Portavit hanc medicinam igneam aër in ventre suo, & nutrivit eam terra. Cognoscitur ejus perfectio, quum sub finem operis terræ formam intensam acceperit. Ecce jam habes summarium præparationis omnis, quæ toti mundo adaptari quadantenus potest imitatione, cujus etiam exitum practices habeto. Separabis inferiores aquas à suis tenebris jam liberas, etsi adhuc spissas, ab aquis superioribus atque subtilioribus, idque suavi admodum igne, & industria maxima. Quo tandem fiat ut ejusmodi spagirica fœtura terrestris, cœlicam naturam induat per ascensum, & deinceps suo descensu, centri naturam terreni recipiat in manifesto, retenta nihilominus in occulto cœlestis centri natura, quam per ascensum acquisierat. Si quæ sit ex toto mundo gloria quæpiam temporalis, in isto comperies artificio, quo quidem obscuritatem, cum corporis tum mentis, à te propulsare protinus valeas omnem. In hoc porrò medicamento, vis & fortitudo fortis supra omnem medendi modum latet. Quandoquidem subtilem ac spiritualem in humana mente morbum vincit, & omnia corporis vita tam interna quàm externa, quantumcunque solida, penetrat ac pellit. Siquidem ad eum factum est modum istud medicamentum

tum, quo mundus creatus eſt. Proinde per id mirabiles curæ morborum fient, quarum hoc loco faciendi modum ac viam habes, à me Hermete Triſmegiſto, per traditionem iſtius artificii ſpagirici ſub verborum ſermone brevi. Sum itaque hac de cauſa vocatus Hermes Triſmegiſtus, quia triplicem totius mundi Philoſophiam naturalem eſſe doceo completam, in operatione Solis ſpagirici. Sed quia brevius hæc fortè videbuntur expleta, minimè gravabor in ſtudioſorum virtutis naturalis veritatiſque gratiam fuſius elucidare pro viribus, quæ nulla charta ſatis explicari poſſunt, ob eorum adeo ſublimem excellentiam.

In Hermetis Triſmegiſti Verba, clarior Expoſitio.

A Veritate ſuæ doctrinæ ſermonem ſuum orditur Hermes, ac ſi loqueretur: En fratres veritatem vobis propono contemplandam. Inde poſt veritatem definire videtur à contrario, verum eſſe, quod mendacio caret innuens, his verbis, *ſine mendacio verum eſt*. Ex adverſo mendacium dici poteſt omne id, quod eſt veritatis expers. Quanquam ſanè melior utriuſque definitio dari non poteſt, nihilominus ob univerſalitatem, non ſatis ab iis, qui ſacris & abditis naturæ myſteriis vix dum initiati ſunt intelligi poteſt. Quamobrem elucidatione plurimum indiget, quam à diviſione ſumendam eſſe deduximus. Bifariam itaque ſumi verum poteſt. Modo phyſico ſumptum, non caret mendacio. Unde conſtat auctorem hoc non intelligere, ſed verum nobis proponere ſpagiricum, id eſt, à mendacio repurgatum. Siquidem natura verax eſt, & ex altera parte mendax, & incorruptibilis, & corrupta. Veritatem in ſui creatione per Dei verbum obtinuit, falſitatem vero ex acceſſorio, cui, quod locum dedit etiam habere cogitur. Nec poteſt natura per ſe verum ſuum à falſo ſuo vindicare aut ſeparare, niſi ſpagirico ſit adjuta magiſterio. Patet igitur Phyſicam verſari tam in falſitate naturæ, quam in illius veritate: Spagiricam Artem verò, in ſola rerum veritate naturalium à ſuo repurgatam mendacio. Itaque veritas cujuſque rei propriè dicitur ejus incorrupta natura. Non eſt quod cum plurimis quiſpiam exiſtimet, Hermetem hoc loco vulgariter tantum eſſe locutum ſuis filiis, ac ſi voluiſſet eis innuere ſimpliciter ſe veritatem loqui, ſed etiam ſub rudi ſermone quibuſvis uſitato, nec non ſub quavis diſtinctiuncula, maximum Naturæ myſterium incluſiſſe: hac de cauſa videlicet, ut qui non ſunt ejus filii, videntes non percipiant, & audientes non intelligant. Etenim arcana tutius occultari non poſſunt, quam ſub manifeſto cortice quum latuerint. Idipſum videmus paſſim in natura facere voluiſſe Deum in omnibus, utpote ſub vili pretioſum, ne reperiatur ab indignis contegere. Quantum auri vilis arena, lutum, & ſpreti lapides velant oculis ea cernentibus, quæ manus abjicit ignorantis, & pes conculcat inſcius? Quam occultè ſteriles in ſuperficie regiones opibus ditavit incognitis, quas negavit fertilibus? Quid conqueruntur adhuc mortales anxii? Cum Deus omnia dederit omnibus, dicens. Quærite, at regnum Dei primum, & omnia adjicientur vobis. Eſt itaque negligentia cujuſque ſuæ paupertatis & inopiæ potiſſima cauſa. Quanquam Deus voluit pauperes eſſe plures divitibus, ut in illos iſti ſuam charitatem exerceant, & inopes ut Chriſtum ſequantur tollentes crucem ſuam: ipſemet enim in tertis omnium eſſe voluit pauperrimus. Hinc fit etiam ut in omni lapide vel arena quavis aurum non habeatur, & ea cognoſcere quæ continet illud, non ſit omnibus datum cœlitus: ne pariter divites omnes fierent. Sed redeamus unde progreſſi, ad rerum naturalium veritatem, quam docet pater Hermes arte ſpagirica quærendam, & à vili nec non abjecto margaritam eſſe ſeparandam. Certum & veriſſimum (inquit) quodvis elementatum aliud in ſe continet quam elementa, quod quidem omnibus minimè notum eſt, ſed pauciſſimis, & longe paucioribus certum. Exempli gratia: Pleriſque notum eſt, aliquos lapides, & nonnullam arenam aurum in ſe continere, verum nemini certo conſtat præterquam illi ſoli, qui ejus rei periculum fecit, & per experientiam artis extraxit: hic ſolus dicere poteſt id certum eſſe. Quod quidem auctor hoc loco vult nobis artem ſpagiricam auctoritate quadam reliquas omnes excellente, quæ eſt experientia, probare, ac ſi loqueretur: Ego ipſe ſum expertus hanc artem ſpagiricam veram eſſe, certam & veriſſimam: Quippe qui non hominum auctoritatibus vel ſcriptis, at experimento ſolo certitudinem iſtius artis didici. Notandum igitur, quod ſupra verum & ſine mendacio phyſico pro parte dixerat, hoc ipſum altius repetere ſpagirico modo, non ſecus atque diceret: Phyſicis corporibus ineſt quædam veritas aut virtus incorruptibilis occulta, de qua per ſpagiricum artificium certior factus ſum, eam fore medicinam certam & veriſſimam, ſi modo liberetur à ſuis compedibus, & à tetro carcere quo detinetur. Ex his luce clarius apparet, naturales Philoſophos, opinione veritatis ab indicio quopiam exterioris Phyſiognomiæ rerum naturalium, aut alicujus effectus apparentia falſa, vel ſcriptorum auctoritatibus duci tantum: ſpagiricos verò Phyſicos eſſe ſolius experientiæ diſcipulos, à qua veritatis etiam certitudinem addiſcunt. Binæ ſunt enim viæ, quas Philoſophos ingredi contingit, opinio & experimentum. Harum alteri duntaxat innixi, ſeſe cum aliis doctrina ſua, vel opera falli neceſſum eſt. Quicunque tamen utramque rimari judicarint alteram ex altera, hi ſuo labore non fruſtrabuntur, nec alii quibus operam ferent aut conſilium. Opinio quidem dubia proponit, Philoſophicis tamen coloribus apparentia vera, quæ demum experientia verificari debent. *Quod eſt ſuperius* (inquit) *eſt ſicut id quod eſt inferius, & è contra.* Proteſtatus de veritate prius, ad ejus probationem ex vera phyſica Geneſi deductam, progreditur. Eſt verum, inquit, elementa hæc inferiora unius & ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, cujus & cælum ipſum, nec aliter differre quam per accidens, uti corruptibile & incorruptibile, purum & impurum, grave & leve, ſerenum & opacum, agens & patiens, mas & fœmina, &c. quæ omnia ſunt accidentia, non ſubſtantiæ. Cœlum porrò eſt incorruptibile, hinc fit ut eorum quæ corruptibilia ſunt (elementa pura) nullum altius attollatur, quam ad firmamenti concavitatem in qua graditur lunæ corpus. Ejus rei cauſam eſſe dicimus, quia non habet patiens in ſuum agens abſolutam poteſtatem, at benè contra, quo fit ut cœlum elementis per influxum, & non hæc illi commiſceri queant. Sed quamvis elementa patientia dicamus, intelligendum reſpectu cœli, ſiquidem in ſeſe mutuo per corruptionis motum agere poſſunt. Ut ignis in terram & in aquam agit, & in ignem aqua. Verum actiones & paſſiones iſtæ, nihil permanentis per ſe poſſunt efficere in elementis, abſque adminiculo cœli. Videtur ex aqua per ignem ſubti-

subtiliatione quadam aërem fieri generarique, qui tamen rursus in aquam, & ignis per hanc & aërem divictus in seipsum, & eo redire cogitur unde surrexerat. Non perinde videmus fieri de cœlicis actionibus in elementa, quoniam ex illis, in iltis generantur corpora naturalia, quæ per naturam, in cœlum aut in elementa rursus non reverturtur, nec nisi contra naturam; uti morte vel magisterio. Sunt & aliæ generationes meteoricis non absimiles (tametsi tales hactenus existimatæ non fuerint) non in cœlo, sed in elementis aëre & igne sub terra factæ, quæ haud secus atque æthereæ juvantur à cœlestibus actionibus & impressionibus ad mineralium generationes, lapidum & metallorum. Cæterum cum non possit in cœlo generatio perfecta, non magis quam in masculo fieri, nec etiam in elementis absq; cœlo, non magis quam in fœmina sine masculo, sed utrumque sit generationis pars altera. Fuit igitur ista differentia necessaria divisione duorum ab uno facta, sicuti postea narrabitur amplius. Dicet fortè quispiam, si ergo cœlum & elementa sunt inter se differentia, qui fit ut auctor eadem esse dicat? Loquitur de identitate substantiæ, non accidentium, quemadmodum explicat in sequentibus. Est enim substantiarum generare, & non accidentium, licet ista nihilominus adminiculo sint, generationemque naturalem promoveant nihil tamen operari per se, non magis quam absque substantiis subsistere possunt. Ejusmodi similitudinem sub unitate substantiæ concludit inquiens: *Ad perpetranda miracula rei unius.* Jam spagiricè explicat ea, quæ physicè prius proposuerat, ad hunc ferè modum: Oportet admirandorum spagiricum artificem, habere cœli notitiam & elementorum perfectissimam, identitatis eorum, & convenientiæ, priusquam ad unicum totius Philosophiæ scopum; & medicinæ terminum universalis pervenire queat, quo medicamentum hoc generalissimum fabricet miracula patrans universitatis per unum quod solum possit indifferenter omnibus mederi morbis; tam incurabilibus (quos vocant) quam aliis quibuscunque. Non est sanè mirandum, etsi pauciissimi sint viri medici, qui hanc artem credere possint, cum summa sit admiratione digna, his etiam qui sunt eam experti, ut Hermetici, ac aliis, quid autem ignaris erit? Verum si quis consideret magnalia Dei, naturæ per ipsum inclusa, licet admiretur aliquantisper, tamen cum veneratione maxima non impossibilem indicabit, si verè sit Christianus. Impossibile nihilominus, ut aliquis mortalium hanc artem intelligat, nisi divino lumine prius illustretur; tum etiam fabricando (ut ajunt) miracula viderit in ea prodere se; quæ doctissimorum mundi sapientum occulta sunt oculis & menti. Illustratus verò divina permissione, quempiam alium verbis philosophicis nonnunquam etiam illustrare quodammodo potest, quæ qui postmodum nondum intellexerit, aut non electum se putet, aut electionis horam non adesse. Nam evenire quandoque solet, ut post multos annos, labores & studia maximis impensis etiam perpessi cum patientia, nonnulli sint electi, multis pulsationibus, orationibus, & investigatione sedula præmissis. Dicit enim primus Spagirorum Dux: Pulsate & aperietur vobis, petite dabitur, quærite à regno Dei, & invenietis. Pauciissimi tamen inveniuntur, qui non pertæsi laborum in finem usque perseverant. Proinde fit ut ab istis nonnunquam ars immeritò malè audiat, ac in hanc, quam sibi culpam adscribere potius debuissent, rejiciant. Ne igitur quibusvis opella mea hac in re defeciisse quoquo modo videatur ex instituto, adferam in medium paucula quædam, quæ mihi concredita sunt hactenus ad intelligentiam istius excellentissimæ præ cæteris scientiæ, patrum antiquorum unicam & universalem medicinam docentis. Audite igitur qui aures ad audiendum habetis. Oportet hujusmodi medicinam ut cœlum esse incorruptibilem, penetrativam, & agilem, quæ non secus ac istud in elementa, in omne corpus physicum agat. Videamus igitur quænam sit operatio cœli in elementis. Certum est ea non vivere, nisi vita brevi, longæque vitæ esse mortua per se, quam à maledictione pròter hominis peccatum una cum eo amiserunt. Non maledixit Deus cœlo propter hominis transgressionem, quo factum ut vitam longam retineat. Hac ratione mortua sunt elementa, quia longa sanaque vita destituta, tendunt etiam ad mortem vitæ brevis; maledictionem terræ videlicet, quæ tantisper ipsis est reliqua, donec ejus inimicissimæ mortis initia, morbi videlicet, fiundiq; prementia finem cursus attigerint in suis productis omnibus. Sunt igitur sicuti cadaver ab anima separatum, prout parte longæ vitæ, quàm nisi cœlum circumquaque influat in iplorum centrum, ab eo sursum ascendere nequeunt igne medio, nec semina spiritualia cœli; matricibus suis etiam in media regione spiritualibus factis, concipere, ut in corporeas matrices deveniant. Siquidem extrema contraria sine medio utrinque participe, nullatenus conveniunt. Rerùm itaque naturalium vita longa & sana, cœlum est. Item vita mortis est propulsatio, & mortis initium, deliquium vitæ. Quicunque medicus igitur ægris corporibus, incorruptibile vitæ longæ sanæque cœlum spagiricum, intrinseco languentique vitæ brevis cœlo noverit conjungere, vitam brevem (dante Deo) sanam instaurabit per miraculum unius. Nam languens & conjunctum incorruptibile; utrumque cœlum unum & idem est per substantiam, quo fit ut per substantiæ similitudinem auctum, quod corruptis opprimebatur prius, obtinet victoriam, & inimicos facilè supprimit. Cæterum quanam arte fieri queat, ut cœlum tractemus nostris manibus, & administremus ægris corporibus; audietur infrà manifestius, & spagiricè.

Quod cœlum igitur est inferius, idem est sicut cœlum quod est superius, & è contra, ad perpetranda miracula rei unius, medicina videlicet universalis. Satis clarè docetur cœlum etiam potentia hic apud nos esse, nec solum apud nos, verum etiam in nobis, & in omnibus rebus à natura productis. Quid manifestius dici posset, quam cæli superioris incorruptibilis vires, atque virtutes passim in inferioribus istis rebus naturalibus, ut in arcis, reconditas, & à nobis reseratione per clavem spagiricam haberi posse, item istas virtutes inferiores à superioribus impressas per influxum, vocari cælum inferius? Vultis audire fusius: Unio corporis & animæ per spiritum, vita est, & istorum dissolutio mors. Quanto magis igitur ad unionem vergit medicina, tanto magis ad vitam accedit à morte procul discedens. Rursus unio nullam multitudinem admittit. Si causa vitæ sit unica, unicus etiam effectus ejus, & unica medicina potest esse vitæ instaurativa: cum nihil aliud sit vita, quam unio quæ dicta est. Cæteroqui Herm. Trismegistum de unione idealis mundi & suæ medicinæ differentem per similitudinem etiam coaptantem audiamus.

Et sicut res omnes fuerunt ab uno meditatione unius, sic omnes res natæ fuerant ab hac una re adaptatione

ne. Haud ſecus enim ac res omnes ab uno Deo mentaliter creatæ ſunt, meditatione vel conceptione unius mundi per ideam, pariter & omnes res productæ ſunt ab hoc uno mundo præmeditato, effectu, & materia, ſervata ſimilitudine prioris exemplaris, ac diviſione quadam in ordinem redacta. Item ut unus eſt Deus tantum & non plures, unum etiam per unum ex nihilo mundum in mente ſua prius creare voluit, ac ſubinde in effectum producere, quo continerentur omnia quæ crearet in ipſo: Deus ut eſſet in omnibus unus. Verum declarare viſum eſt, cur hoc loco ſententiam nonnullorum aliorum commentariorum ſequi noluerim, nec in pleriſque aliis. Percepi ex ſerie verborum, non eſſe Hermetis opinionem, ut per unum in hac particula, *ab uno*, globum confuſum, quem Chaos appellant, intelligamus, ſed potius unum Deum creatorem. Cum poſtea ſubdat, *fuerunt ab hac una re (præmeditata & in effectu adducta puta) natæ per adaptationem*. Non dicit *ab uno*, ut antea dixerat, *fuerunt ab uno meditatione unius* (puta) rei vel mundi. Præterea notanda eſt hæc differentia, quam fecit amor inter eſſe & naſci. Quandoquidem à natura nulla res habet eſſe quod eſt, ſed ab ea ſolum res omnis producitur vel naſcitur ex eo quod eſſe habet ex nihilo; per verbum ſolum Dei ejuſque virtutem, & non ex verbo ſubſtantiam habet: hoc ipſum eſt prima viſibilis creatura, nempe natura. Auctoris vero ſententia depravata mihi videtur, mutilataque per omiſſionem unius dictionis, *creata* videlicet, negligentia potius quam typographiæ, tradutorum, & ad hunc modum reſtituendam eſſe duco: *Sicut res omnes creatæ fuerunt ab uno, meditatione, &c.* Innuit igitur his verbis Hermes medicinam hanc univerſalem, ad imitationem creationis mundi fiendam, non componendam, ut infra dilucidius, *Sic mundus* (inquit) *creatus eſt*. Hæc particula meam etiam confirmat opinionem, non perperam neque temere me quod mutilum videbatur, reſtituiſſe. Colligendum igitur ex his ſpagyricum opus ad medicinam univerſalem, eſſe ad imitationem creationis mundi cum inchoatum, tum etiam completum, & ideo per ſimilitudinem ſupernaturale, quamvis ex naturalibus fiat. Porro concludit auctor ex mundi creatione ſupernaturali, phyſicam generationem, ſimilitudine quidem unitatis naturalis ad ſupernaturalem facta & non unitatis ſpagirici artificii nondum enim ad iſtius operationem pervenit. At compendioſe prius eam firmiſſimis argumentis contra quosvis detractores, & ignaros corroborare conatur quàm aggredi, ne filii ſui reproborum etiam reprobantium nugis remorentur. Subdit enim: *Sic omnes res natæ fuerunt ab hac una re*. Creatarum rerum docet unicum fuiſſe genus generaliſſimum, à quo reliqua genera, ſpecies, & individua nata ſunt, indieſque propagantur in finem uſque ſeculi. Non eſt quod quiſpiam putet rem unam hoc loco, ad creatorem referri debere, ſed ad creaturam unam ſcilicet naturam primitivam: quod etiam præpoſitio, hac, denotare videtur. Nam ſi genitivus unius ibidem *meditatione unius*, referatur ad ablativum *ab uno*, (quod præter omnem loquendi rationem eſſet, potius enim dixiſſet fuerunt ab uno meditatione ejuſdem) certum eſt eum pariter dicere debuiſſe poſtea, *ſic omnes res natæ ſunt ab hoc uno*. Hæc tantum à me dicta ſunt, ut lectorem admoneam à dubia Philoſophorum phraſi (quam amphibologiam vocant) ſumme cavendum eſſe: non quòd Hermetem ad hunc modum ſcripſiſſe dicam, ſed fortaſſis ejus interpretes nudam auctoris ſententiam aliis invidentes omnibus præterquam ſibi, dubiam commentariis ac interpretationibus reddidiſſe. Quod facile percipient quotquot alia commentaria legentes acute rem ipſam perpenderint: utpote ſui lapidis, quem vocant, interpretationem textu longè difficiliorem eſſe, & obſcuriorem intellectu. Cæterum quid unum, & una res apud Hermetem extiterint, eſt quod interpretemur è re medica, & non metallaria, ſed humana. Deus itaque hoc unum eſt, quod ante omnia ſecula ſolum eſſe, vel ens trinum in unitate fuit ab æterno, quodque creare voluit unum, eatenus ſibi ſimile quatenus unum, hoc eſt, naturam unam, primam viſibilem creaturam, & mundum unum: hic enim ſpiritu, anima, & corpore conſtat. Eſt multorum Philoſophorum ſententia, ſpiritum rerum naturalium eſſe medium inter animam & corpus, alii volunt animam eſſe medium inter illa, hac inducti ratione, quod ſpiritus ſit anima ſubtilior, & aptius extremum ad corpus craſſiſſimum comparatum, ut anima ſit iſto ſubtilior, & ſpiſſior ipſo ſpiritu. Mea ſententia judicium litis adhuc ſub judice relinquente, ſuaderem interea, ut non ſeparetur ſpiritus ab anima non magis, quam lux à ſuo luminari, aut hoc à ſuo firmamento. Verum ſub firmamento quoniam vita rerum naturalium à ſolo motu corporum ſenſibus percipitur magis quam ab ipſa cauſa motus, quæ eſt ignis æthereus, hoc argumento ſpiritum eſſe dicunt, anima ſubtiliorem, quæ per motum ſub ſenſum cadit, non ille. Tantiſper igitur hoc loco, poſteriore hac opinione fruar, donec alia melior occurrat. Nam ſi juxta Hermetem concedatur ſpiſſum & ſubtile eſſe extrema, ut verba ſonant: *Separabis terram ab igne*, tum quod antea, *portavit illud ventus in ventre ſuo, id eſt, aer*, neceſſario ſequetur ignem eſſe extremum & ſpiritum Hermeti, quod aeri, in quo geſtatur, ſit longe ſubtilior. Magis enim aeri convenit anima quam igni, ſiquidem in illo fit effectus vitæ motivæ, per cauſam igni propriam. Pariformiter omnis cauſa motus, eſt ſubtilior ſuo motu & effectu. Exempli gratia: Si faber domum extruere debeat, tria potiſſimum illi neceſſaria ſunt, ars aut ingenium pro ſpiritu: motus aut operatio pro anima: deinceps materia pro corpore. Diceret fortè quiſpiam motum hoc loco eſſe accidens, concedimus in artificialibus, at in naturalibus negamus, quia motus iſte utrique ſubſtantiæ ſpiritus & corporis commiſcetur ſubſtantialiter. At in artificiali motu cui nulla ſuffragatur natura, deducto ad ſuum effectum opificio, ceſſat in eo motus omnis. Concludentes igitur dicimus nullum quoquo modo fieri poſſe motum abſque motore & moto. Tria ſunt itaque neceſſaria hæc ad vitam naturalem, ut ſpiritus movens, anima motus ipſe, & corpus motum, quæ ſimul conjuncta, naturale quid unum efficiunt. Summaria Hermetis ſimilitudinis coaptatio, ad ſuæ mentis conceptus approbationem hæc eſt. Non abſimili modo quo Deus primo creavit unum mundum ſola meditatione, pariformiter creavit unum mundum, ex quo quidem res omnes natæ ſunt adaptatione. Sub meditatione ſimplicitatem unitatis in creatione mentali denotare vult, & poſtmodum per adaptationem innuere diſpoſitionem vel ordinem ſub numero, menſura, & pondere materiæ convenientibus. Cum igitur primum ordinis membrum ſit numerus, & primus numerus duo, ſi mundi materia univerſalis per ordinem diſponenda ſit, in duo primum erat (ut æquum eſt) dividenda, ut in Geneſi docetur

ſcilicet

scilicet in cælum & terram. Maxime quod prius numerus duo; materiæ primæ conveniat. Hoc ipsum docet Hermes inquiens: *Quod est inferius, est sicut id quod est superius.* His itaque verbis constat Hermetem Trismegistum ab Hæbræis Genesim edoctum fuisse, licet Ægyptius fuerit, ut August. testatur lib. de civitate Dei, Suidas, &c. Proinde conditor naturæ massam unam suo numine creatam in duo divisit, in cælum superius, & in terram inferiorem partem, ut quod cælum quidem in se ipso non poterat, in sua consorte terra gigneret, perinde ac Adam in Eva; quo pervenisse corresponderent ultima primis, & his illa. Fuit igitur divisio valde necessaria, ut ea generatio quæ sub uno recens olim creato concludebatur, de potentia deduceretur in actum. Sub isto binario, spirituali & corporeo, tertium quid latuit quod vinculum est sacrati matrimonii. Hoc ipsum est medium usque huc in omnibus perdurans, ac suorum amborum extremorum particeps, sine quibus ipsum minime; nec ipsa sine hoc suo medio esse possunt, quod sunt, ex tribus unum. Verum obtrudet quispiam, sententiam esse philosophorum omnium artem intelligentium; non fieri transitum nisi per medium, sed prioris extremi perfecti, ad imperfectum perficiendum. Docere tamen hic videtur Hermes sumendum esse motus initium, ab imperfecto ad perfectum, ad summam perfectionem acquirendam. Sequetur etiam à contrario, ut qui contra sententiam Hermetis niteretur à perfecto ad imperfectum progredi; talem esse consecuturum opus imperfectum; quia præposuit Hermes inferius superiori. Respondetur fatuum esse putare hoc loco doceri transitum ab auctore, cum nondum ad artis tractationem pervenerit, nihilo minus in arte ab initio talis est observandus ordo. Certum est enim elementa hæc inferiora cœlo esse imperfectiora, ut etiam à simplicibus elementis suis in cælum suum adductis constat per unitatem alienam à compositione. Sed quia jam in inferioribus versamur, & ad superiora scandere nequimus; in hoc negotium est, ut ea manibus contrectemus, necessarium nobis erit ab inferioribus istis, quæ sunt præ foribus, ad sua superiora sibi naturaliter permixta, conscendere. Ut ista semper à sequentibus dilucidiora fiant, non nihil eorum quæ proposuimus erit nobis reassumendum. Haud aliter quam apud nos ars nulla suo carere potest artifice, materia, nec instrumentis; naturale magisterium necessario suis & sibi congruis indiget. Ab artificis ingenio vel artificio primum exordiamur, quod est movens causa. Uti lignum & ipsa dolabra nihil efficiunt, nisi faber illa moverit ad actum: cælum & elementa generare nihil poterunt, nisi faber, aut fabri cælestes in instrumento cœlo, motum ut animam excitent, medium instrumentum inter fabrum & materiam elementorum. At qua ratione medium hoc instrumentale, vinculum sit extremorum videamus. Motus hic est duplex & unus, aut ut melius intelligatur dupliciter unus, elementaris & ætherens. Dicamus igitur cum Hermete: Quod inferiora movet, idem est quod movet superiora, spiritus videlicet, quo miracula unius rei multa patrentur, cum physico, tum spagirico modo. Verum ipse motus excitatur in instrumento, animæ videlicet, ac effectum habet in materia & elementis. Necessarium est igitur animam ut instrumentum, esse medium, quo binæ partes extremitatesque in unum conveniant. Exempli causa, fabrum naturalem fabris apud nos ferrariis non inconcinne comparemus. Ferro primum isti, & malleis diversis majoribus & minoribus indigent, incude pariter & igne. Officina vero focaria fabri naturalis, terræ centrum est, in quo naturalis ignis inferior sui motus actionis habet initium, uti noster à cote & chalybe, &c. Attamen æthereus illi datus est, uti nostris habitus magisterii per ingenium & assiduitatem acquisitus. Qui tamen ambo substantia non, sed accidente solo partim inter se differunt, partim conveniunt ut motu, quo rursum differunt, ut circulari, & recto. Similiter animadvertendum, ut incus fabris in terris instrumentum inferius est, & mallei superiora sunt instrumenta activa, naturali fabro solidior elementorum substantia, uti lapides atque terra incudis & materiæ nutricis vicem gerunt: stellæ vero malleorum officium habent. Item inferiorum substantiam volatilem in regione media, superiorum semina concipientem, matricem in utero suo gestantem esse dicimus. Nec follium hoc loco nos oblivisci oportuit; qui naturales venti sunt. Adaptat ergo natura materiam suam, priusquam informet, vel motum animamve tribuat. Proinde concludentes mundi nexum à duplicibus corpore, anima, & spiritu superioribus pariter ac inferioribus, accidente solum differentibus, substantia tamen similibus, fieri dicimus & perfici. Hæc ut melius adhuc intelligantur, operæ pretium fuerit naturæ magisterium dilucidius explicare. Mundum universum constare pluribus partibus generalissimis, quam tribus, quis Philosophorum, nisi temerarius nugator quispiam, audebit affirmare? Sunt enim forma, lux aut vita naturæ, & materia, prima rerum omnium principia. Quodcirca mundum quicunque voluerit in substantia cognoscere, tria primum hæc sibi notissima fore necesse est. A definitionibus igitur eorum erit inchoandum. Universalis porro naturæ materia dicitur elementaris regio tota, quæ licet in elementa quatuor dividatur, ignem, aerem, aquam atque terram; duo tamen habentur præcipua, ignis & aqua. Quoniam aliud nihil esse videtur aer, quam aqua per virtutem spiritus domini super aquas in creatione mundi gliscentis, resoluta: terra vero per congregationes aquarum inferiorum aqua densata, & exicca. Bifariam aliter dividuntur in duo manifesta, terram, & aquam & in alia duo occulta sub illis, ut aer & ignis. Sub aqua namque delitescit aer donec ignis actionibus manifestetur, & ignis sub terra, usque dum hominis appareat artificio, vel alias naturaliter per spiracula quædam emergat, ut in monte Ætna, Puteolis, cæterisque locis. Conatur ignis ex propria natura, dum potest, aquam in se convertere, quod ut facilius perficiat, duobus utitur mediis, secundum ambas utriusque qualitates contrarias: priore ut calore suo frigiditatem: posteriore, ut siccitate sui caloris, humiditatem absumat. Videmus quippe nubes ignis calore suspensas, inter aquam & ignem tenere medium. Quoniam si calor ignis, qui circa suas extremitates remissior est, quam in suæ sphæræ meditullio (in quo maxime intensus) vincatur aquæ resolutæ frigiditate, hujusmodi medium in alterum extremorum vincens convertitur, & ignis, sic disponente natura, suo conatu frustratus, dum unum absumere nititur, eodem generat alterum, quod rursum in id ex quo generatum est redit. Hæc enim circulatio generationis est potissima causa. Non absimile videmus ignem visibilem in corporibus à natura compositis exercere. Lignum exemplo sit admotum igni, quòd priusquam omne humidum aqueum ejus in aerem sit conversum, non

flagrat

flagrat ejus ſulphur: illo tamen aſſumto, pariter & ignis in aerem, & deinceps in ſeipſum redit, ligni partibus ſolidioribus in cinerem vel terram decidentibus. Propterea dicendum non eſt ejuſmodi ligni elementa fuiſſe conſumpta, ſed potius quodlibet elementum à ſuo ſeparatum compoſito, ad propriam ſuam ſphæram rediiſſe. Hac de re facta eſt apud Philoſophos dubioſa quæſtio, Utrum plus abſumeret ignis quam generaret? Sanum dici videtur æquales igni eſſe operationes ætherei & elementaris. Nam ſi plus abſumeretur elementari, quam generaretur æthereo, poſſet aſſignari vacuum in rerum natura, quod abſurdum eſt. Si verò plus generaret æthereus, quam abſumeret elementaris, ſuperfluum non poſſet jam ſuo determinato loco contineri. Alterutro modo, vel alvum naturæ ſolvi aut comprimi foret neceſſe. Brevibus tamen reſpondebitur ac tutius, nihil ab igne conſumi, ſed per tranſmutationis modum, quod ab uno recedit elemento, hoc ipſum ad aliud accedere. Perinde natura ſagax indies ex elementis ad hunc modum tranſmutatis, & forma, novas excitare formas ſolicite procurat, ſut ſper generationem informetur, quod per corruptionem eſt diſpoſitum, ſitque operatio naturæ juxta cæleſtes actionum & impreſſionum motus. Solent plerique nimium curioſi Phyſiologi nondum experti rerum naturalium, nobis hoc argumentum obtrudere, quo Chemiſtarũ quintam eſſentiam oppugnent, verum non expugnabunt niſi validius adferant. Corpora (inquiunt) quatuor conſtant elementis vel eſſentiis, ubi quintum igitur elementum vel eſſe quintum? Fatemur corpora conſtare quatuor elementis materialiter, nec tamen admittimus ex iſtis ſolum eſſe compoſita, ſed etiam forma, quæ ſane aliquid eſt, & potiſſima pars cujuſvis compoſiti, poſt vinculum naturæ quo formæ ſuæ conglutinantur elementa. Non poſſunt enim ſpiſſum & ſubtile propter mutuam inter ſe repugnantiam, in unum per ſeipſa convenire. quapropter neceſſarium fuit per vitæ medium componi: quo facilius conjungerentur. Hoc natura vinculo cuncta componit, quod Philoſophi ſolent nobis ænigmate tradere. Fac pacem (aiunt) inter inimicos, & totum habebis magiſterium. Elementa vero concludentes, dicimus illa tripartita, ut ſimplicia compoſita. Simplicia ſunt quæ nec corrumpuntur, nec patiuntur inter ſe ullam compoſitionem: non quidem ex eis, ſed per ipſa omnia alia elementa inferiora ſuas vires exercent, quas etiam ab illis ſortiuntur. Compoſita ſunt ea quæ patiuntur corruptionem, & componuntur. Decompoſita vero ſunt illa, quæ jam in compoſitione per corruptionem & generationem convenerunt. Quicunque hæc in illa, impura in pura, compoſita in ſimplicia noverit convertere, maximus erit admirandorum operum artifex. Cæterum ad formam devenientes, hanc dicimus (non quod dat eſſe rei, vel nomenclaturam, cum infidelib.) ſed quod ætheream regionem ſuperiorem & inferiorem elementarem movet ad actum, & motus potentiam conceptivam. Per elementorum in ſeſe mutuam tranſmutationem, aptat natura materiam, illi formam tanquam ſemen in matricem includens: hujus virtute prægnans veluti matris uterus, fœtum è potentia producit in actum ſpecificum. Id ſibi Philoſophi volunt. Forma (inquiunt) deducitur de potentia materiæ. Potens eſt enim ipſa materia parere, quia forma generatur in illa. Agit igitur forma in materiam, quod à luce naturæ accepit, videlicet motum atque vitam, ſeque mediam præbet ut artificem. Cæterum lux & vita naturæ, ſpiritus eſt univerſalis actionis in elementa per formam. Hic enim ex univerſali forma naturæ, ſpecificas indies formas, à Deo tamen primo creatas, quæ corruptela deficiunt, renovare non ceſſat. Artificium ejuſmodi duplici perficitur inſtrumento, diſpoſitione, & influxu. Natura movens corrumpendo materiam per actionem in centro excitatam, eam diſponit ad formæ potentiam in regione media ſuſceptivam, & cæleſtium influxum, quæ deinceps ſuo determinato tempore prorumpunt inferius in formas ſpecificas, juxta conditionem luminarium in ſuperiori diſpoſitione formarum concurrentium, ex dicto nonnullorum: Secundum materiæ diſpoſitionem agit forma. Verum obliti diſpoſitionis etiam formarum, vel non intellectæ, tranſcurrunt, eam ſub ſilentio prætereuntes. Reliquum erit ut modo videamus quid Hermes loquatur de genealogia ſpagiricæ prolis. *Pater* (inquit) *ejus eſt ſol &c.* Quid ſol & luna ſint in cælo ſuperiori, non eſt quod explicemus, cum vel plebeis etiam notiſſimum ſit, actiones tamen & virtutes eorum pauci ſunt qui intelligunt, quapropter illas narrandi hoc loco datur occaſio: harum enim vera cognitione, mens legentis ad altiora provenire poteſt, nimirum ſpagirica. Sol itaque cæleſtis eſt luminare diei magnum à Deo poſitum in medio cæli Cur autem cæli medium locum occupet, res per ſe clara, ut ſcilicet omnia ſupra & infra ſe luminaria illuminet, mundumque univerſum radiis ſuis in centrum uſque fœcundet, in quod quidem oculi ſui centrum, & aliorum luminarium aſſidue defixum eſt. Ut fons vitæ corporis humani, centrum eſt cordis ejus, vel id potius quod in eo deliteſcit arcanum in quo viget calor naturalis, reliqua membra calefaciens, illuminans, & vivificans: haud ſecus ſol mundi partes omnes ſuperiores & inferiores calore lumineque ſuo vivificat naturaliter, mediate tamen id efficit. Eapropter mundi cor à calore, & oculus à lumine dicitur. Quippe qui cuncta luſtrat etiam abditiſſima quævis penetralia in centrum uſque terræ. In illo cælicæ virtutes omnes naturales reconditæ ſunt. In ſumma corpus eſt omnium quæ in condito cælo ſunt & in terra nobiliſſimum. Juſta ratione igitur primus poſt Deum pater ac parens omnium vocatus eſt, cum in eo quorumvis ſeminaria virtus atque formalis deliteſcit. Maſculinum & univerſale ſemen primum & potiſſimum eſt ejus naturæ ſulphur, generationum prima pars omnium, ac potiſſima cauſa. Proinde à Paracelſo prolatum eſt, ſol & homo per hominem generant hominem, quod à ſole vita naturalis creaturarum omnium mediate ducat originem, & ex ejus vita ſit omnis vita caduca. Si ſol igitur vivit, neceſſarium eſt ut in aliquo vivat, ſcilicet in humido ſuo radicali, aëre puriſſimo ac ſimpliciſſimo, qui calorem illius, humore ſuo contemperat. Fatuum eſſet cum plurimis credere, ſolem eſſe duntaxat ignem cæleſtem Vita ſiquidem conſiſtit in unione ſpiritus cum corpore per medium animæ, quæ ab hac unione movetur ad actum vitæ naturalis. Alioqui Solem non vivere concluderetur contra veritatem, cum unio naturalis inter duo ſemper fiat, ex quorum concordia tertium quid reſultat unum vel unitum. Imo quod magis eſt, unicum dicimus elementum eſſe ſolem, in quo cuncta continentur elementa ſimplicia, ſicuti in cælo & reliquis corporibus cæleſtibus, at in illo perfectius propter vitam quam aliis infundit, cum ſuperioribus, tum inferioribus. Sol itaque pater eſt virile ſemen omnium naturaliter generatorum, & Luna

mater,

mater, ut infra. Denique docet Hermes lunam esse matrem & uxorem solis, quæ fœtum spagiricum à Sole conceptum in sua matrice uteroque vento gestat in aere, terramque nutricem, &c. primamque rerum generationem in cælo primum concipi, & deinceps in terris perfici, quod infra. Non enim Sol immediatè suos influxus vitales imprimit in inferiora, sed per lunam quæ ter atque decies quotannis à viro suo per conjunctiones concipit, fœtumque pariens demittit, ut audietur postea. Uti indies tamen parit, etiam virtutes indies à viro suo concipit, non aliter & stellæ quævis, licet in congressu fœcundius, ob majorem contiguitatem. Conceptiones & partus ejusmodi non per contactum, ut in terris, at per solos influxus & spirituales fiunt aspectus. Ut quum nobis plena conspicitur, minus virtutum à sole concipit, quam ubi latens omnino fuerit soli conjuncta, propter majorem distantiam, at plus in oppositione quam inter laterales aspectus. Ideo quia potentiores influxus & radii solis recti sunt obliquis. Existimandum non est igitur ex illo vulgari proverbio defectum pati lunam, cum eo tempore maxime virtutibus imbuatur solaribus. At quia tum nobis conspicua non est, cum ob solare jubar omne lumen naturale vincens & obfuscans, tum quia media pars tantum quæ opaca est nobis, obversatur, privata videtur lumine, cum plurimum tamen ejus contineat, à sole quoque plus accipiat, quam in oppositione dum plena prorsus apparet. Non prætereundum esse duximus, quæ de duobus istis luminaribus magnis ratione divini sui matrimonii per creationem ex Geneſi consideratu digna sunt, ex sedula sui conjugii, & inviolata nullis unquam temporibus observatione, juxta sibi divinitus præscriptum ordinem. Bina hæc etsi divisa corpora, tamen ex una sunt eadem substantia, non secus atque cælum & terra ex unica duntaxat abysso. uti hic etiam apud nos, vir & mulier unus homo fuit, factus duo, postmodum in carne rursum una conjunctus. Solis autem virtutum à Luna conceptio, perfecta nondum est generatio, sed initium tantum ejus, quæ inferioribus debet perfici. Est igitur luna medium per quod superiora semina induntur inferiorum matricibus, unde postmodum crassiora pariunt elementata, quæ mixta vel decomposita. Ut spagirico modo repetamus ista paulo altius. Si Sol igitur & Luna vitam infundunt in inferiora, sequitur ambo per vitam, & potentialiter illis inesse, quæ quidem potentia per spagiricam artem elicitur ex quibusvis rebus naturalibus. Nam vita Solis & Lunæ est unio per Jovem, & longa sanaque vita merito dici potest. Si verò per Saturnum fiat unio Mercurii & Martis, ægra previsque vita fiet. Quapropter ubi quodvis compositum in suum Mercurium, Saturnum & Martem reduxeris, ab his quoque Solem & Lunam extraxeris, mediaque Jovis utriusque temperie conjunxeris, unum efficies ex tribus istis excellentius, quam antea per naturam compositum fuerat, sub alia forma tamen. Etenim destructa semel forma Physica, non est alicujus artis eandem restituere, sed ouge meliorem oculis carneis tantum alteratam apparentem. Quanam industria id fiat, natura nos docet à suis quotidianis operationibus, nostris etiam oculis cernentibus ut auctor docet: *Portavit* (inquit) *ventus in ventre suo.* Superius utcunque hunc locum tetigimus, quod satis esse posset acutis ingeniis: quo tamen prodesse valeam omnibus, impigre hanc rem tractare volo, cum sit notatu dignissima, plurimumque faciat è re legentium spagirorum obscuriora scripta. Quo quidem tendit omne meum studium, ut conatus studiosorum hominum abstrusioris hujus philosophiæ, quantum in me est promoveam, sciens enim dum alios instruere conor, ac participes facere mei talenti, meipsum exercens erudio laboribus, gratia verò lumenque pendet à superis. Sol & Luna inferiora quidem, è centro sursum attolluntur inferioris naturæ magisterio, donec ad superiora deveniant in mediam regionem, ibidem existentia superioris Solis virtutes in superiorem Lunam infusas (quia similia naturâ similibus gaudent) ut matrices inferiores, superiora semina concipiunt: quod uxoris hoc sit munus & officium. Jam clarissimè vobis apparet quod Hermes antea docuit his verbis ab exordio. *Quod est inferius, est sicut id quod est superius, & quæ sequuntur.* Etenim sol & luna in cælo superiori, & in inferiori, substantia sunt similia, licet accidente differant, per vitam scilicet longam & brevem. Sub Marte igitur vulcanicas artes exercente in officina sua focaria, centro terræ videlicet, inferior sol delitescit universalis, qui sui parentis impetu per ventum extra cavernas subterraneas erumpit. Ejusmodi follibus Vulcanus, at potius Archeus (ut Paracelsicè loquar) elementorum partes puriores & subtiliores in cœlum à se pellit, utpote solem inferiorem ignis & terræ purissimam substantiam continentem, & lunam etiam inferiorem subtilissimam & purissimam aquæ substantiam sub aeris forma delitescentem, in ejus utero gestantem (ut verba sonant. *Portavit illud ventus in ventre suo*) quo semen inferius universale & fœmineum per aera delatum, jungatur superiori semini universali masculino, & singulis specificatis seminibus aliis in utero venti, & in aëris matrice. Certum est ex aqua & igne constare aërem, item ex igne & aëre, cœlum, & sub ignis appellatione purissimam terræ substantiam comprehendi cum igne simul ascendentem, & sub aëris nuncupatione purissimam aquæ substantiam, juxta vicissitudines transmutationum unius in aliud, ex jam dicto naturali artificio. Proinde venter & uterus naturæ est, matrix conflata ex omnium inferorum elementorum substantia purissima, in volatilem aerem conversa, in qua concipitur per medium lunæ, semen universale solis, etiam per alia luminaria specificatum, ad speciem variam distinctionem. Postquam igitur auctor Hermes tria proposuit elementa, duo sub nominibus solis & lunæ, tertium verò sub appellatione venti, jam sub nutricis comparatione & proprio nomine terram subdit, eamque dicit esse nutricem fœtus naturæ prius in aëre concepti, & ab ejus uberibus omnis fœtus ad alimentum & suæ vitæ sustentationem, lac illud mercuriale sugat, scilicet crassiorem aquæ substantiam inferius apud terram manentem. Pars itaque volatilis (ut auditum est) elementorum, ut imprægnata, mox ad suam partem fixam rediens, parturit fœtum ac nutrit ex fixa substantia, donec ad perfectionem veniat. Spagiri naturales ejusmodi generationum vices non somnolentè, non obiter, nec in vanum contemplati, suam artem spagiricam non melius, sed solidius didicisse potuissent. Quapropter ut ipsi spagiricum solem generent, naturam imitati, compositum à natura suas in partes dissolvunt, per suum Vulcanicum Archeum, è centro solem & lunam artificialiter in utero venti pellunt in altum, & postmodum in sua terra nutriunt, &c. Haud secus enim, quam omne quod generatur à terra sumitnut rimentum, fœtus etiam spagiricus

cus

cus nutrimentum habet à ſpagirica terra: hæc dupliciter intelligitur, aliquando pro inferiore parte vaſis accipitur, ut ſuperior pro cœlo. Quandoque Jupiter ſpagiricus, qui fixus eſt, & à ſudoribus repurgatus, pro terra nobis eſt foliata, in qua & ex qua, pars volatilis, quæ poſt aſcenſum in cœlum, in eam deſcendere coacta eſt, nutritur & perficitur. Theoricam artis ſpagiricæ concludens auctor inquit: *Pater omnis Theleſmi totius mundi eſt hic.* Ac ſi diceret arcanum iſtud quod vobis propono, pater eſt, origo, & fons arcanorum & myſteriorum omnium præcipui & maximi inter cætera totius mundi arcana: quapropter non omnibus propalandum, & minimè prophanis hominibus, & vix ſacris initiatis myſteriis, etiam illis admodum ſub brevi colloquio. Quid enim excellentius, aut homini philoſopho dignius, quàm per integræ naturæ ſuperioris & inferioris cognitionem & uſum, fieri vitæ longæ participem, procul ab hac profligatis ac pulſis omnibus vitæ brevis corruptionibus, atque mentis obſtaculis & impedimentis, quibus olim obtenebrata cæcutiebat? Nunquid longè præſtantius quibuſvis poëmatum figmentis, ad idololatriam potius quàm ad unius Dei cognitionem excogitatis? Tametſi ab aliquibus allegoricè perperam, ac ſi multa præclara myſteria complecterentur, interpretata ſint: nihil minus tamen quam unius Dei ſolius magnalia, tot ſomniatis Deiculorum ac meretricularũ nominibus cecinerunt. Licet Ovidius aliquid ſubodoraſſe videtur in ſua Metamorphoſi, plurima nihilominus frivola ac impia magis immiſcuit, ad hanc rem nihil prorſus conferentia. Quid quæſo ſcripta proſunt infidelium ad ſalutem? certè nihil, imò potius à veritatis ſtudio (dum his attenti nugis) homines revocant. Plutis tamen fiunt hoc ferreo ſeculo, quàm priorum ſcripta virorum unum Deum profitentium in omnibus. Num præſtaret juventutem (à qua, ſi mundus reformari debeat, initium potiſſimum habeat maximè neceſſarium eſt) addiſcere quæ Dei ſolius ſunt opera, quàm hominum ſomnia? Phyſica ſanè ſi ritè ut æquum eſt doceatur ex ſacra Geneſi mundi, in cognitionem Dei per conditoris magnalia ducit, indeque ad adeptam Philoſophiam, & cœleſtem Sapientiam præparat animos & mentes hominum. Proinde ſi quis profundè meditatus fuerit ac ſublimatè, cuncta quæ Deus Opt. Max. in creatione mundi fecerit in hominum gratiam & utilitatem, tum demum intelliget patrem arcanorum omnium, & excellentiſſimum Theleſmi ſacri myſterium, ac artis divinæ potius quàm humanæ ſecretiſſimum opus ſpagiricum, cujus pater, id eſt, ſupremum arcanum, eſt hic in iſto brevi veridico. Cæterùm theoricam ſuam concludens, non docet auctor finem operis ſpagirici cognoſcere, quò ſciamus quando ceſſandum ſit opere. *Vis ejus* (inquit) *integra eſt, ſi verſa fuerit in terram.* Antea audivimus elementum inferiorum ſubtiliores partes cœlicis virtutibus imprægnari, ac deinceps in terram & aquam reverti, nec prius ejuſmodi virtutum conceptiones ſuum effectum generationis conſequi, modò vero docetur à ſimili, complementum operis ſpagirici. Ut quum id quod portavit ventus in ventre ſuo, verſum, aut converſum fuerit in terram, completum erit opus. Longa ſiquidem & indefeſſa coctione liquida (licet etiam non evaporent, ſed retenta) inſpiſſantur, & ſucceſſu temporis exiccantur in pulverem vel terram: vulgo videretur abſurdum, at qui hujus rei fecerunt periculum ſoli credere poſſunt. Verùm tempus longum eſt ac tædioſum, & ſumma exſpectandum patientia. Totum hujus rei negotium prolixitatis, in electione & præparatione magis aptæ materiæ potiſſimum conſiſtit. Quædam enim ſunt remota, alia remotiora, nonnulla remotiſſima. Alia propinqua, alia propinquiora, maximeque propinqua perfectioni. Quæ ſingula ſpagirico artifici cognitu maximè neceſſaria ſunt, priuſquam aggrediatur opus, alioqui ſuum deplorabit errorem. Hactenus de theorica hujus artis inſtructos diſcipulos ſuos ad Practicam deinceps invitat, in infra.

DE PRACTICA OPERIS SPAGIRICI ad Medicinam vitæ longæ parandam.

Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, &c.

POſtquam theoricè demonſtravit ſpagiricam artem, approbans eam à ſimilitudine Creationis mundi, practicè tandem (ut eſt rationi conſonum) à ſeparatione rem aggreditur Hermes, non immemor abyſſi per firmamentum diviſionis inferiorum aquarum à ſuperioribus. *Separabis* (inquit) *terram ab igne*, ut à viro fœminam, quo generare valeant. Oportet ſiquidem in omni generatione duo prius convenire, ut agens & patiens, ſuperius & inferius quod antea, cum in ſacra Geneſi, tum in ſpagirica vocata: nec tantum duo, ſed quæ ab uno ſeparata ſint, vel diviſa. Et ejuſmodi ſeparatio propriè dicitur à ſpagiricis philoſophis elementorum diviſio puriorum ab impurioribus. Docet auctor primam operationem eſſe præparationem & mundificationem partium in hac arte convenientium. Nonnulli putant elementorum quatuor ſeparationem hic intelligendam, quod nemini quidem negatum velim, ſi de ſpagirica ſeparatione loquatur, & non de vulgari. Quandoquidem ſub ignis appellatione duo alia continentur elementa, ſcilicet aer & aqua. Nullus enim ignis eſt aeris expers, nec aer aquæ, cùm actu ſit aqua per ignem reſolura, quo ſurſum aſcendere coacta eſt: terra vero partim aſcendit, partim inferius fixa manet. Nonnulli putant particulam hanc, ſubtile à ſpiſſo referri ad priorem, nempè, ſeparabis terram ab igne: verum ego ſum ejus opinionis, quæ magis ad mentem auctoris videtur accedere, peculiarem eſſe purificationem ac magis philoſophicam illa priore: poterit qui volet credere, qui non, minimè cogitur. Subtile namque dicitur à philoſophis ſpagiricis omne quod ætherеum eſt, aut per ætherei virtutes in ſubtilitatem adductum. Nam uti ſupra dictum, ætherеum & elementa unum eſſe per ſubſtantiam, remotis etiam ab eis utrinque accidentibus, quibus ſolum differunt, in unum facilè redibunt. Eſt igitur auctoris ſententia, per ſeparationem ſubtilis à ſpiſſo, ſubtiliari ſpiſſum elementare, ac in ætherei ſubtilitatem ſpagiricè redigi poſſe. Hæc ſpagirica ſeparatio, ſolutio etiam eſſe dicitur, quæ niſi præcedat, nulla pariter compoſitio ſpagirico fieri poteſt. Quapropter iſta poſterior ſeparatio peroptimè conſideranda eſt, ne cum priori confundatur. Ex ordine dictionum in orationibus (etſi nulla conjunctio ſit intermedia) patet, auctoris menti meam opinionem eſſe conformem. Cùm prius dixerit, *ſeparabis terram ab igne*, ſi hanc ſententiam per eam quæ ſubſequitur expoſuiſſet (ut nonnulli volunt) debuiſſet etiam dixiſſe ſpiſſum à ſubtili, & non ſubtile à ſpiſſo. Quia terra ſpiſſior eſt igne, quem etiam illa præceſſit in priore oratione, aut in poſteriore ordo invertitur ſubſtantivorum. Quo ſatis apparet non eſſe eandem loquutionem, niſi per comparationem diverſarum tamen operationum. Nec dici poteſt adjectivas eſſe ejuſmodi

modi dictiones, quod spissam rem dixisset. Hic unus est Philosophis occultandi modus manifestissimus, à quo reliquos ejus generis addiscas.

Statim atque materiam & operandi modum indicavit; ordine convenientissimo postmodum addit instrumentum spagyricum, & ejus temperamentum occultissimis verbis: *Suaviter* (inquit) *cum ingenio magno.* Qui filii sunt Hermetis, facilè percipiunt quid per hæc verba velit, & non alii. Spagirorum enim, ut etiam naturæ proprium instrumentum est ignis; qui penes istos artifices multifariam consideratur. Est ignis internus, aut externus. Internus est cuilibet substantiæ proprius, & naturaliter insitus; cujus etiam oportet ut artifex habeat optimam rationem. Externus verò; aut violentus est, aut per quatuor gradus temperatus; vel naturali similis ac remississimus; qualem sibi natura poscit in rerum generatione. Utuntur igne violento Chemistæ, vel inter calcinandum, sicciora sublimandum, aut metalla sua liquandum: igne temperato per suos gradus, inter destillandum ascensoriè, vel descensoriè: naturali simili, quum putrefaciunt, digerunt, congelant, aut circulatoriè solvunt, atque fixant. Patris verò Hermetis documentum est, ut filii sui postremo, quo naturam in suis operationibus imitari valeant, utantur, quod per adverbium, suaviter, apparet. Altera pars, cum ingenio magno videlicet, ignem hunc denotat summa diligentia & industria construendum esse juxta calorem naturalem. Varia est ignis ejusmodi struendi ratio, cuilibet pro ingenii sui capacitate relinquenda, modo suavis, continuus, & interruptus sit. Aliqui solent variis fornaculis ingeniosè fabrefactis continuatum istiusmodi calorem ad amussim sibi parare: & nonnulli varia materia suum ignem excitare: quorum omnium auctor hoc loco non meminit, quod brevitati studens ænigmaticæ, recensere, quæ apud alios scriptores nusquam non traduntur; supervacaneum esse ducat. Proinde reliqua prosequitur ex ordine. *Ascendit* (inquit) *à terra in cœlum.* Circulatoria destillatio pulcherrimè declaratur; nec non vas spagiricum ad similitudinem vasis naturalis esse construendum. Videmus enim totum cœlum & elementa similitudinem habere sphærici corporis, in cujus centro viget ignis calor inferioris, materiam subtiliorem elementorum in aera sursum pellentis, & una secum attollentis, ut antea diximus. Haud secus vult Hermes nos habere vas idoneum ad illius imitationem. Cùm tamen impossibile nobis foret artificiale quodpiam vas extruere, quo instar naturæ valeremus ignem in ejus centro accensum artificialiter continere in meditullio suspensum, idque variis de causis, præsertim, quia noster ignis artificialis præter liberum aërem & nudum, in occluso vase statim extingueretur: necessarium igitur fuit nostrum ignem poni extra nostrum vas, & sub ejus rotundi fundi centro, instar solis naturalis. Integrum istius ignis magisterium in eo potissimum consistit, ut sit continuus in eodem statu levis & vaporosus, instar ejus qui in mundi centro, naturale magisterium ascensus in cœlum à terra, sine intermissione indies exercet: ut ex prioribus verbis, *Cum magno ingenio*, nimirum naturali igni (qui dicitur ingenium esse naturæ) persimili. Quorundam Philosophorum occurrit opinio reprobantium, igne subterraneo generari metalla, aliqua etiam ex parte, sed affirmantium etiam cœlesti solum igne generationem fieri: non vident interim quinam Hermeti nedum contradicant; verum etiam toti naturæ. Sol enim cœlestis non intrat materialiter in compositionem rerum naturalium, at solum potentialiter per influxum & impressionem formæ; sed ignis elementaris est potissima pars substantiæ generatorum & materiæ. Huic igni comparandus est internus, id est, Hermetis materiæ naturaliter insitus. Patris Hermetis opinio hæc est: Igne subtus ad fundi centrum vasis extrinsecus agente in centrum materiæ, ab hoc fœtum spagiricum ad superiora propellit, ut verba habent: *Ascendit à terra in cœlum*, hoc est, ab inferiori parte vasis (quæ terra nonnunquam vocatur) ad superiorem, quæ cœlum etiam aliquando nuncupatur à Philosophis. Potest aliter ad hunc modum hic locus intelligi. Solis & Lunæ fœtus ascendit, id est, convertitur aut resolvitur ejus terrea substantia spissa, in cœlum, id est, in subtilissimam substantiam cœlesti similem. Deinceps auctor, postquam suis filiis spagiricam solutionem demonstravit, eosque docuit, quonam instrumento & artificio perficitur; mox inde fixationem subdit his verbis: *Iterumque descendit in terram*, ac si diceret: Posteaquam aliquandiu sub cœlestium virtutum internarum obedientia, spagirorum soluta substantia per ascensus artificium steterit, suo tempore determinato maturitatis ad suam terram redit, hoc est, spiritus iste rursum fit corporeus, qui prius è corpore factus fuit spiritus: ænigmate hoc olim involutum est à Philosophis: Fax fixum (inquiunt) volatile, & rursus volatile fixum, & totum habebis magisterium. Sunt nihilominus aliæ multæ solutiones & congelationes Chemicæ in isto magisterio necessariæ, quæ præparationes potius appellandæ sunt. Fatuum est sanè credere materiam hanc spagiricam non esse prius chemicè præparandam atque subtiliandam, quam ad opus spagiricum assumatur. Hoc ipsum docent quotquot sunt Philosophi naturales ex spagirica, scilicet præparationes esse necessarias, quas operationes vocaverunt mundificationes, subtiliationes, solutiones, & congelationes. Corpus igitur in spiritum solvi necessarium est, & spiritum in corpus redigi, si tamen imitari naturam debeat artifex. Videmus enim fieri naturaliter, ut in nubem aqua resolvatur, & nubes iterum in aquam congeletur, ut fiat quod sequitur: *Et sic recipit vim superiorum & inferiorum.* Concludit auctor suam practicam his verbis quæ congruè correspondent primis theoricis propositionibus: *Quod est superius, est sicut id quod est inferius, & è contra.* Nam per singularem numerum, vim, eumque non geminatum, indicat eandem esse potentiam naturæ superioris, quæ inferioris est, & è contra; non quidem diversam, alioqui dixisset vires, aut singularem numerum geminasset: quin potius docere voluit (ut etiam superiora confirmaret, nempe, *Ad perpetranda miracula rei unius*) vim & potentiam in unione superiorum cum inferioribus esse maximam, ac ad miraculum usque spagiricæ Philosophiæ. Proinde absoluta practica hujus artis, docet filios suos ac discipulos utilitatem ejus medicinæ, & usum duobus modis: priore, his verbis, *Sic habebis gloriam totius mundi.* Nam istius gloria mundi consistere videtur in opibus. Non enim spernunt veri etiam Philosophi divitias omnino, sed abusum earum: imò felicem & gloriosum existimant in hoc mundo divitem, qui suas opes largitur egenis & pauperibus: licet obolus viduæ mulierculæ de victu suo diminutus magis acceptus Deo fuerit, quam opulentorum ingens pecunia superflua, nihilominus quo subventum sit abundè

cuperibus, & non obolo ſolo, D.O.M. nonnullis quandoque ſuis hominibus divitias hac arte donoque ſuo impertivit, ut non exiſtimarent cum pleriſque (ut illis quibus contingunt à parentibus) ſibi ſolis poſſidendas. Verumenimvero, quod hujus partis hactenus paucam admodum fecerim profeſſionem, aliis fuſius copioſiuſque hunc locum elucidandum libentiſſimè cedens relinquo, poſterioremque partem, quæ medicinam corporis humani ac intellectus concernit; aſſumens, hunc libellum in ſtudioſorum utilitatem & omnis Reip. commodum proſecutus, declarabo, & quæ in hanc rem facere videbuntur, pro imbecillitate ingenii. Cùm igitur Deus pauperibus non ſolùm auro vel argento per charitatem fraternam ſubventum eſſe velit, verum etiam remediis ad tollendas eorum infirmitates adhibitis, ut Chriſtus in Evangelio teſtatur per reprehenſionem: Infirmus (inquit) fui, & non viſitaſtis me; poſteriorem itaque hanc docet medicinæ ſuæ ſpagiricæ maximam utilitatem Hermes, in corporis & mentis clarificatione ſitam, inquiens: *Ideo fugiet à te omnis obſcuritas.* Haud aliter quam duplicem nimirum corporis & mentis infirmitatem eſſe ſcimus, duplicem etiam ſpagyricam eſſe medicinam oportet effectu ſolo, non autem eſſentia. Dicit enim, à te fugiet omnis obſcuritas, non dicit à metallis. Per obſcuritatem nihil aliud intelligitur quam tenebræ morborum & ægritudinem corporis atque mentis. Omne ſiquidem corpus infirmum, tenebroſum, colore nedum, verum etiam ſanguine, lotio, ſudore, cæteriſque omnibus obſcuritatem refert; contra ſanum ſplendorem ac ſerenitatem undique palam facit. Mens auctoris eſt in ſumma, docere eos qui medicamentum ſpagiricum adepti fuerint, minima portiuncula, ut quæ vel granulum ſinapis referat, quoquomodo ſumpta, curare morbos omnes indifferenter, ob unionis ſimplicitatem in medicamento efficientem, ut ei nulla multitudinis morborum varietas reſiſtere valeat. Cæterum variæ ſunt mentis obſcuritates & infirmitates, ut veſania, mania, furia, ſtoliditas, & reliqua id genus, quibus obtenebratur & inquinatur animus; hoc uno medicamento ſpagirico perfectiſſimè curantur. Nec ſolum animo ſanitatem reſtituit, verum etiam ingenium atque mentem hominum acuit, ut omnia ſibi ſint ad miraculum intellectu perceptuque facillima, eoſque nihil eorum lateat, quæ ſunt in ſuperioribus & inferioribus. Summatim, omnia corpora rerum naturalium & hominum, iſtorumque mens & animus, ad extremam hujus mundi perfectionem hac arte poſſunt adduci. Deo dante tamen artis inventionem, quæ deſcribitur ab Hermete. Nihil in rerum natura fortius iſto medicamento reperiri poteſt, ideo dicit auctor: *Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis.* Ac ſi diceret: Hæc eſt totius naturæ virium atque virtutum omnium vis & efficacia potentiſſima, ac velut ſupra naturam. Ideo non immerito metaphyſicum opus dici poſſet ex naturalibus ortum ſpagirico magiſterio. Rationem reddit auctor tantæ fortitudinis (inquiens) *Quia vincit omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit.* Quotquot ferme fuerunt hactenus Hermetis interpretes, hoc loco ſententiam ejus ad metalla detorſerunt ad hunc modum: Quia (inquiunt) vincet, id eſt, coagulabit omnem rem ſubtilem (puta Mercurium, vel argentum vulgi vivum) omnemque ſolidam penetrabit, hoc eſt, omne metallum durum, perfectum & imperfectum, ut ſunt Sol, Luna, Saturnus, Jupiter, Mars, & Venus, ad maximam atque minorem perfectionem adducet ſpagiricâm & naturalem. Verum quia hoc negotium è re medica tractandum & illuſtrandum ſuſcepi cuique ſuam opinionem relinquens integram, ex inſtituto munus & officium proſequar, & in hunc modum interpretabor. Quia (inquam) vincet, id eſt, expellet omnem rem ſubtilem, hoc eſt, ſpiritales tenebras mentem occupantes, omnemque rem ſolidam penetrabit, omne videlicet craſſum durumque corporis vitium, à ſolidiſſimis etiam partibus, per penetrationem ſpiritualem eradicabit. Uti ſupra gloriam mundi ad opes, & obſcuritatem ad morbos retulimus, hoc loco ſubtile pro ſpiritu, & ſolidum pro corpore accipimus. Poſtquam igitur auctor ſpagirici magiſterii practicam abſolvit, enumerata etiam utilitate, uſu, & ejus virtutum excellentia, deinceps ignorare ſuos diſcipulos noluit, unde hoc tam arduum opus deſumptum ſit. Proinde admonet eos his verbis: *Sic mundus creatus eſt*, Quaſi diceret, ſpagiricum artificium à mundi creatione perdiſcendum. Non quod velit ex nihilo fieri, ut iſte factus eſt, ſed ex jam creatis à Deo docet ſummam perfectionem in eis creatam & poſitam cœlitus, de potentia ad actum producere. Quapropter creatio hic pro mundi creationis ordine ſumenda eſt, ut talis ſit verborum ſenſus: Spagiricum artificium eundem ſervat ordinem, aut ſimilem ei quo mundus creatus eſt. Etenim opus hoc divinum eſſe potius quàm humanum, aut naturale, quod nihil homo de ſuo huc adferat præter miniſterium, & natura nil niſi id, in quo jam agere deſierat, fatendum eſt. Reliquum erit ut hoc loco Geneſis ſeriem intueamur. Legitur in ea: *Creavit Deus cœlum & terram.* Hermes ait, oportet vos cœlum & terram à Deo creata, & in compoſito poſita, de ſua potentia rurſus in actum deducere, ab inferiori ſuperius dividendo, ut unum ex duobus tertium generet per ſimilitudinem. *Separavit aquas ſub firmamento ab aquis ſupra firmamentum*, & quæ ſequuntur. Quid multis, totam ſi Geneſin cum invocatione divini luminis contemplatus fueris, ſpagiricam artem invenies. Nec ſatis Hermeti viſum eſt, quin ultra progreſſus ad miracula hujus operis deveniat, inquiens. *Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus eſt hic.* Ac ſi diceret, ex ordinis hujus obſervatione, videbis mirabiles mutationum in elementis & cœlo noſtris viciſſitudines, & compoſitiones, quarum modus eſt hic, in imitatione videlicet ejuſmodi divinæ creationis ordinis. Rudem & ignarum exiſtimare videtur eum Philoſophum Hermes, qui mundi creationem intelligeret, has autem ignoraret adaptationes. Proinde orandus eſt Deus ut ſeriem creationis revelare dignetur, qua cognita, ſpagiricum artificium latere nullo modo poteſt. Cæterum auctor inſatiabili deſiderio ſuos completè docendi filios ac diſcipulos, materiam eos latere noluit, ex qua divinum opus hoc perficitur. *Itaque vocatus ſum* (inquit) *Hermes Triſmegiſtus.* Quaſi loqueretur, hac ratione vocatus ſum Hermes, quia ſpagyricæ ſapientiæ ſum interpres, & Triſmegiſtus, quia quod vobis artificium annuncio, ſub ternario latet in unum concluſo. Numero namque Deus impare gaudet, quorum fons & origo ſolus eſt ternarius. Unarius autem non numeratur, quia unum in duo diviſum, per ſuam ſimplicitatem ternarium vincit animatque indiſſolubili nexu. Duo duobus minime conjungi poſſunt, quia in unum & alterum per ſe ſolubilia. Neceſſarium hoc loco foret maximè ternarium & unarium copioſius declarare, verum

quod

quod in sequentibus ad approbationem Artis id observamus, tantisper supersedendum esse duximus, reliquam autem clausulam de materia tractantem enucleandam suscipiamus interea. *Habens*, (inquit) *tres partes Philosophiæ totius mundi.* Ac si diceret, se compertissimum habere mundum universum tribus potissimum quaquaversum constare partibus. Tametsi mundus totus in duas partes visibiles divisus esse videatur, latet nihilominus sub istis tertia non conspicua, ob suam simplicitatem unitati pariter invisibili dicata. Utraque tamen dictarum partium ætherea & elementaris videlicet, rursum in tres partes subdividitur, corpus, animam & spiritum, ut hæc in cœlo & in terris naturaliter sita sint.

Prioris divisionis in ætheream & elementarem regionem, sub occulto vinculo factæ, membrum postremum, quia materiale magis, binario hac de causa destinatum est. Quo factum ut in quatuor elementa subdivisum fuerit. Duo namque, nil nisi quatuor ex prima fœtura generant. Spiritualiter autem in quatuor qualitates primas, idque sub binario quamlibet divisam cernere licet, quod infra latius. Potest etiam triplex mundi totius Philosophia dici, ratione crassioris & decompositæ materiæ. Tria sunt enim genera generalissima, quibus omnia quæ sub sensum cadunt, comprehenduntur, ut sunt mineralia, veget alia, & animalia, quorum omnium arcana Hermeti fuerunt experimento notissima. Ut ab postrema conclusione suæ spagiricæ Philosophiæ testatur, se compleviſſe omnia, his verbis : *Completum est quod dixi de operatione solis.* Quasi loqueretur ad hunc modum : Ego sum expertus quod loquor, & complevi quod vobis annuncio, nimirum solis operationem, id est, universalis medicinæ spagyricæ magisterium esse verum, sine mendacio certum & verissimum, ut respondeant ultima primis. Non sine causa igitur Medicinam hanc solem artificialem vocat, nam uti sol naturalis quibusvis rebus vitam naturalem naturaliter influit, haud aliter sol spagiricus deficientem hanc vitam refocillat & revocat, pellendo morbos eam à suo domicilio pellere paratos. Hæc est illa vera medicina patrum antiquorum, & longæ vitæ radix, universale remedium quod medetur indifferenter morbis omnibus, vitales spiritus adauget, item à corruptione vindicat omne corpus, atque præservat. Quotquot sunt hujus artis ignari, licet ex Academiis doctissimi, solent eam artem improbare. Quid mirum, cùm tale nunquam suis in schollis audiverint? Inde non sequitur esse damnandam, quod ignorent eam docti viri. Multa quidem nostro sæculo prodierunt in lucem, quæ priscis ignota fuere plurimis, non secus ac plurima jam delitescunt nobis, quæ patribus antiquis erant familiarissima. Quid non temporis injuria, nec non hominum ignavia transit in oblivionem? Cæteroqui eorum ambitione, qui sibi solis bene cupientes, reliquis invident etiam ea quæ ab aliis sufturati sunt arcana scripta supprimitur veritas. Propterea non deperit prorsum, at postquam aliquando sepulta jacuerit illis eo tempore, hoc aliis emerget nutu Dei, cujus in pectore quiescunt ab æterno cum ejus sapientia cunctæ laudabiles artes ac bonæ. Distribuit enim bonorum largitor omnium Deus dona sua quibus vult, etiam aufert ab ingratis, qui abutuntur illis. Dubium non est, quin Deus antiquis patribus medicinam aliquam revelaverit per Spiritum Sanctum suum, qua suæ carnis corruptionem tuerentur, & potissimum iis, quibus cum locutus est, & fœdus iniit. Sed postquam hominum sapiendi per seipsos vanus appetitus induxit eos ad quærendum à seipsis, ac in aliis quam in eo, in quo solo salus omnis est, cæcutivit mens eorum, & in labyrinthum ducta, jam hanc, modo aliam herbam, cras istam & aliam radicem, postridie mixtum quid expetiverunt, ut indies experientes absque judicio nunquam scopum attigerint, nec suæ doctrinæ ullam habuerint certitudinem. Quod etiam absurdum maximè videtur, homines sua sorte nunquam sunt contenti. Dedit omnipotens Deus unicuique nationi quod voluit eam possidere, tam in alimentum, quàm ad medicamentum. Alioqui si hæc à longinquis petenda, non nisi divitibus contingent, pauperibus verò moriendum esset ob inopiam. Contra Deus istorum longè majorem curam habet, quam illorum unquam habuit : extant sacra passim testimonia. Sed nostra nos contemnere docet inimicus ille calumniator, alienaque semper appetere, ac ea quæ minus præ manibus sunt, quo nostros appetitus insatiabiles reddat. Habemus apud nos quotquot sumus omnes, & ubicunque degimus ; imò in nobis, licèt non à nobis, omne quod extra nos quærimus ab aliis : quoquo modo dictum. Videamus qui pro parte Gentiles & infideles hoc loco nos Christianos arguant. Natura naturam (inquiunt) sibi similem appetit, & congaudet suæ naturæ, siquidem alienæ si jungatur, naturæ destruitur opus. Mirabile dictum iis, qui non profundè considerant quid natura sit, at illis, qui eam norunt, verius esse hac in re nihil potest.

FINIS.

SVBSECTIO SECVNDA.

HERMETIS TRISMEGISTI Tractatus Aureus *de* Lapidis Physici Secreto *in septem Capitula divisus, cum Scholiis Anonymi.*

ILLVSTRI AC GENEROSO VIRO

LADISLAO WELEN,

Baroni à Zierotin, Domino in Triba, Lontenburck, & Honstein.

Domino suo clementissimo S. P. D.

HERMETEM Trismegistum, apud Ægyptios, *Illustris ac Generose Baro*, maximi Sacerdotis, maximi Regis, maximi Philosophi axiomata, multis modis clarissimisque meritis obtinuisse, nemini est ignotum. Inter alia Is Libris suis, quæ extant, eam Philosophiam præsertim de Naturæ Secretis, admiscuit, quam non nisi ex sanctis divinisque Patribus Ægyptios ipsos accepisse, plurima sunt quæ nobis fidem faciunt plus quàm plenam & certam.

Et istius verò Philosophiæ Patrum de Naturæ Secretis quàm sit arguta ratio, admirabilis jucunditas, evidentissima certitudo, & ineffabilis utilitas, illorum confirmabitur punctis, quos non invidus & iniquus vexat affectus, sed æquus amavit Jupiter, ut in proverbio dici solet. Cùm igitur tanti Auctoris, & secretorum naturæ Scriptoris, & abstrusæ Philosophiæ Patris hic Liber, ab omnibus solidæ Physicæ viris amantibus & doctissimis desideratus, nuperrimè in manus meas incideret, & quidem de quo sibi omnes docti magnoperè gratulabuntur, Commentario supra modum egreglo & pernecessario exornatus; Utique peccati in publica commoda commissi ne reus perhiberi possem, nolui eundem diutius latere, sed è vestigio typis exscribendum curavi. Et hoc unum est, de quo Lectorem Hermeticis πραγματείαις non assuetum admonere visum fuit.

Alterum est de causa, cur hunc Librum Tibi Viro tam literis quàm bello exercitatissimo inscribendum curavi. Illud utique nemo mirabitur, quòd pro ea quæ publicè recepta est, consuetudine, propter & adversùs imperitos & iniquos judices huic libro patronum & vindicem inquirere fategi. Ergo cùm ex familiari multorum Doctissimorum Virorum conversatione, plusquam perfectum haberem. Te, non tantùm cunctis viris doctis, sed omnibus aliis liberalibus scientiis impensè delectari, & in naturæ secreti investigandis omnes contendere nervos; jure quodam singulari antiquissimorum, & eruditissimorum Philosophorum Princeps ille Hermes Trismegistus, quasi redivivus cum doctissimo suo Commentatore Tuæ Fidei & Curatelæ fuit commendandus. Et apud quemnam potius deponeremus Auctorem & Commentatorem de tantis abstrusis & secretis naturæ differentes, quàm apud eum, qui totus totus, quantus quantus est, nil nisi in abstrusis & secretis investigandis occupatus est.

Accipe igitur utrumque sereno vultu, & utrumque adversus iniquos censores, si opus fuerit, virilite tuere. Deus omnipotentissimus felicia subinde excitet ingenia, quæ solidam secretorum naturæ investigationem strenuè urgeant, & ad nominis sui gloriam, & ad publicam generis humani utilitatem expoliant. Vale ἀπαμήκιστον.

T. G.

Obsequentissimus
DOMINICUS GNOSICUS Belga Utr. Med. Doct.

Philosopho ter Maximo,

THEOSOPHO: JURISPERITO: MEDICO:

Hoc est,

COMITI PALATINO
DN. JACOBO ALSTEINIO

Patritio Romano: Equiti Aurei Calcaris, & Regiæ Majestati in Galliis à Consiliis valetudinis. *S. P. D.*

QUEMADMODUM *Chemici Philosophi solent omnes Mundi Lapides in tres præcipuos, tanquam generale reducere, in animalem videlicet, vegetalem & mineralem: Sic Tu quoque*, ALSTEINI, *Vir inclyte*

Patro

Patrone & Mecœnas summe observande, qui à tunctis nomen habes Lapidibus, hac principali nominum triplicitate conspicuè adornatus, instar stellæ matutinæ præ multis aliis fulges: & sic es Theosophus, Jurisperitus, & Medicus. Liberæ enim ac supercœlestis Civitatis municeps factus, hanc à Deo nactus es gratiam, ut cum quibusvis, etiam summi judicii Theologis conferre possis. Aurei verò calcaris Eques, imperterrefacto animo accipis armaturam, & armas te ad Pseudojuridicorum, passim hinc in mundo occursantium, ultionem. Induis enim pro thorace justitiam, & accipis pro Galea judicium certum: & sumis tandem scutum inexpugnabile æquitatis, ut illos in auream justitiæ veritatisque viam reducas. Quanta etiam tua sit in Medicinâ præstantia, novit tantum non Gallia: verum Anglia, Belgia, Helvetia, Italia, Bohemia, Moravia, Hungaria, Polonia: imo tota etiam Germania. Quapropter non solùm Reges & Principes te magnificiunt; sed summum totius Romani Imperii caput, te aliquoties ad colloquium Sophicum sponte accersi jussit. Ut autem paucis multa complectar, tot tantosque honorum titulos unicus sub se comprehendit Comitatus Palatinatus, hoc est Privilegium & libertas in splendidissimum & sacram Philosophorum palatium ingrediendi: ex quo solo hujusmodi dignitatum ornamenta, tanquam spolia Achillis ex bello Trojano reportasti. Sed quæris fortasse, quisnam ego sim Anonymus, qui tam audacter te compellare audeam? Dicam id, & hoc quidem Distichо:

Ignis me genuit: sic nomen ab igne resumo:
Non secus ac LAPIDIS tu quoque nomen amas,

Jam quidem satis me nosse debebas: sed propter alios imbecillioris judicii, nominis mei rationem luculentius exponam. Vulcani naturam habeo, omniaque corpora quibuscunque subjicior, temporis longinquitate demulceo, & in meam verto naturam subtilem & spiritualem: imò Lapidem ipsum, quamvis compactissimum & Adamantis instar durissimum, tandem flecto, solvo, & in tantam adduco mollitiem, ut cera instar fluat. Mollior hactenus, an durior mihi factus sis, ô ALSTEINI, *nondum sat constat. Hoc tamen scio, quia &* JACOB *diceris, me jampridem à te supplantatum. Sed diuturniori hac supplantatione quid quæso effectum iri putas? supplantator nimirum Tu, me tandem victorem sine dubio reddes: sicque Tu* JACOBUS, *ego verò, qui igneâ virtute tandem prævalebo,* ISRAEL *vocabimur: & sub duobus his nominibus, uno eodemque animorum consensu & conspiratione, constanter invicem juncti permanebimus. Ulterius nihil addens de nomine, hunc saltem fœtum meum Philosophicum, abortivum quidem & tumultuarium tibi legendum examinandumque offero: in quo præter infinita alia, quæ brevitatis causa nunc omitto, hoc unum haud dubiè improbabis, quod à consueto Philosophorum tramite discedens de tantis mysteriis, paulò liberius, quàm par sit, scribam. Sed utut se res habeat, non tamen id, qualecunque tandem sit, rudiori promiscuæque plebecula objectandum esse censui, priusquam tuæ subjicerem censuræ. Multo enim rerum usu, me longè antecellis, ita ut tuo judicio, tanquam firmo & solido lubens meritoque acquiescam. Te igitur vehementer etiam atque etiam rogatum volo: ut id placido serenoque accipias vultu: meque tibi unicè commendatum habeas: majora verò magisque expolita aliquando à me, si Deus longiorem mihi vitæ usuram concesserit, expectes. Vale. Aureliis ad Ligirim, 23. Octobr. Anno recuperatæ salutis 1608.*

TUÆ MAGNIF.

Subjectissimus Anonymus.

Sap. 3.

Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent.

Aros in tuba.

Excelsum est hoc apud Philosophos magnos, Lapidem non esse Lapidem: apud Idiotas vile & incredibile: quis enim credit lapidem aquam, & aquam lapidem fieri cùm nihil sit diversius? Attamen revera ita est.

Geber C. 11. summæ perfectionis.

Et hoc est, quod facit eos opinari, impossibile esse ejus constructionem, quia destructionem artificialem (auri videlicet) ex cursu naturæ ignorant. Attentaverunt fortè, quod sit fortis compositionis, sed quàm fortis compositionis sit, non attentaverunt.

HERMETIS TRISMEGISTI TRACTATVS AVREVS DE LAPIDIS PHYSICI SECRETO.

CAPITULUM I.

HERMES.

HERMES enim inquit: In tam longa ætate non destiti experiri, nec animæ à labore peperci, artem & hanc scientiam solus Dei vivi inspiratione habui, qui mihi famulo suo pandere dignatus est.

SCHOLIUM.

TRIA potissimum sunt Artis discipulo seu doctrinæ filio necessaria: Studium, Experientia, & Benedictio divina. Quicquid enim studio & diligenti meditatione in intellectum nostrum primò implantatur ac inseritur, id postea experientia, sive oculari demonstratione, ab operatione manuali producta, confirmatur. In neutra tamen actione felices tibi pollicearis progressus, nisi favorem ac benedictionem divinam, tibi prius quoque conciliaveris. In humanis enim rebus peragendis, primas occupat partes voluntas & decretum Dei: sicut scriptum est, Rom. 9. Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei. Hunc si propitium & benevolum habueris, nullum extimesces obstaculum, licet vel totus etiam mundus, & diabolus ipse tibi adversetur: nihilominus tamen feliciter tuum perficies propositum. Contrà tamen si iratum eundem senseris, omnis labor erit irritus, vanus & inanis, juxta illud:

Nullus est felix conatus, & utilis unquam:
Consilium si non detque juvetque Deus.

Hippocrates ad perfectam medicinam hæc sufficere contendit: Naturam, præceptionem, locum studiis aptum, institutionem à pueris, studium, industriam, tempus. Sed quod præ cæteris summè necessarium est prætermittit, divinam nempe bene-

benedictionem : idque vel ex DEI ignorantia, vel ex ſuorum Deorum, quorum infinitum numerum gens olim ethnica colebat, contemptu. Ac quamvis propterea excuſandus videatur, quod Ethnicus fuerit : ingens tamen inde diſcrimen apparet inter Ethnicos Chymiæ peritos & imperitos. Sed dices, Hermetem quoque Ægyptium ex ethnica gente oriundum fuiſſe. Fateor id quidem, Ethnicus fuit natione : religione tamen proximè acceſſit ad verum & legitimum DEI cultum. Magi, qui veniebant ab Oriente ad Chriſtum, non addicti Judæorum ceremoniis in colendo DEO, neque ex eorundem populo, ſed ex gentilitia familia orti, nihilominus tamen ſingulari DEI gratia illuminati erant : & dubio procul, in divino cultu fideliter & realiter perſequendo non ceſſiſſent vel ipſis Judæis, multiſve hodie pſeudo-Chriſtianis. Sed quinam fit, quod quidam Ethnicorum, ut Hermes, Plato, tres Magi, & ſimiles adhuc plures videntur tàm præclaram, alii verò adeò exiguam aut planè nullam de DEO habuiſſe cognitionem ? Hunc quæſtionis nodum ſolvit D. Paulus in epiſt. ad Rom. cap 1. Ubi geminam proponit Ethnicorum differentiam, quorum alios dicit DEUM cognoviſſe quidem, ſed non ut DEUM glorificaſſe & gratias egiſſe : alios autem occaſionem, DEUM ex natura cognoſcendi, ſuâ propriâ culpâ neglexiſſe. Præterea ſi omnium ætatum tempora percurrimus, conſpicuè videre licet, Ethnicos illos Philoſophos, qui Chymiam ſimul excoluerunt, præ cæteris majori pietatis virtutumque ſplendore emicuiſſe. Abſit enim ut Hermes, Pythagoras, Plato, Anaxagoras, aliique plures Chimici Philoſophi, tam ſcabiosè & impiè loquantur de DEO, ac ipſe Galenus Chymiæ ignarus loquitur de Chriſto & Moyſe. Multò enim majori pietate & veneratione excoluerunt almum illud & divinum æternitatis NUMEN : cujus infinitam poteſtatem & immenſam gloriam ac majeſtatem non obſcurè intuebantur in unico omnis mirabilitatis ſubjecto, in lapide nempe ſuo Philoſophico : in quo tanquam in lucido ſpeculo videbant omnes omnium rerum naturalium, cœleſtium, & elementarium vires atque virtutes. Unde palàm profeſſi ſunt in ſuis ſcriptis : Artem Chymicam aut invenire hominem pium, aut reddere illum pium. Hoc igitur noſtro ſeculo omnes veri Chymici, viri probi ac cordati, DEUMque timentes, meritò imitantur. Galenum autem qui ſequuntur, majori periculo expoſiti ſunt. Verendum enim, ne diſcipuli ex diuturna & crebra Galenicorum ſcriptorum lectione, præceptoris mores & vitia imbibant, & eandem atheiſmi labem fortè contrahant. Si liberet medicam hiſtoriam à centenis tantum annis repetere, plurimos utique viros doctiſſimos & celeberrimos adducere poſſem, qui præceptoris nimio amore effaſcinati, in hanc temeritatis, ne dicam impietatis, ſcenam prodire non ſunt veriti.

Sed his oblivione ſepultis, ſequamur potius Hermetem noſtrum, qui ingenuè, ſineque omni tergiverſatione fatetur ſe in hujus ſcientiæ artiſque poſſeſſionem non per tectum, ut fures, lupi rapaces, & Phariſæi ſolent, ſed per legitimum Philoſophiæ oſtium ex impulſu & inſpiratione ſolius DEI intraſſe. Hujus enim ſacræ Philoſophiæ oſtium unicum ac ſolum verum eſt ſpiritus veritatis : qui ſpirando, ubi vult, aperit & commonſtrat Chymiæ ſtudioſis viam rectam, eoſque deducit in omnem veritatem. Nam in quorum animis ſemel oritur ille veritatis lucifer ac ſtella benedicta, è veſtigio inde fugantur & radicitùs expelluntur omnes errorum tenebræ. Divinitus itaque, nec aliunde, inſpiratur Hermetica Philoſophia : nec eadem plures, quàm unum ſolum authorem, nempe DEUM agnoſcit. Ab hoc uno qui aberat in hac ſcientia perveſtiganda, ſuam miſeriam & errorem haud dubiè tandem deplorabit. Artes reliquas vulgares qui ſcire volet, eas poterit facilè ab artificibus & præceptoribus, in ſcolis ad hanc rem deſtinatis, perdiſcere. Conati quidem ſunt hactenus multi in Scholis & Academiis, Philoſophiæ fundamenta, cauſas & principia quoquè juxta eandem methodum, è proprio cerebro enatam, ſtudioſæ juventuti inculcare : ſed quo fructu, experientia ſatis ſuperque demonſtrat. Puris enim Philoſophiæ fontibus relictis, qui à ſolo Patre luminum deſuper in fidelium corda influunt, ad inanes & aniles quorundam Ethnicorum nugas & hominum otioſorum figmenta atque deliria delapſi ſunt : & non ſolum hunc ſacrum & fertiliſſimum Philoſophiæ agrum, innumeris mendaciorum commentis conſpurcarunt & devaſtarunt : ſed alias quoque ſcientias, puras atque ſanctas, ſuis quiſquiliarum ſordibus ſimul inquinarunt, & tam horrendè deformarunt : ut vix ac nec vix quidem ſcintillam adhuc in illis agnoſcas reſiduam genuinæ ac primævæ integritatis. Tantæ cladis cauſa non minimà exiſtit mendoſum illud & rixoſum artis diſputatricis inventum, de qua paulò poſt infrà dicetur. Hinc in varias adeò partes diſtracta Philoſophia, modò ab hoc, modò ab alio violentos depravationum inſultus paſſa eſt. Quid enim operæ pretium hac in re facerent iſti, qui lumine Naturæ deſtituti, ex proprio cerebro, uno atquè altero argumento dialectico in medium prolato, fabuloſa principia & cauſas, pro artis fundamento, ſimplicioribus ac rerum ignaris obtruderent : Ex qua tanta opinionum varietas emerſit, quantus philoſophantium numerus, ut quem nunc ſequaris aut deſeras, vix perſpicias. Tàm obſtinato ſunt interim quidam animo ut quamvis apud multos authores evidenter ſatis agnoſcant rei falſitatem, tamen mordicus eos, tanquam milites veterani & ſtrenui antiquitatis defenſores, propugnent, ac ignominioſum ſibi fore exiſtiment, ſi à ſententia tot ſeculorum ſerie ſtabilita, & tam longo artificum uſu comprobata, deſciſcant. Nec ſatis eſt, ſeipſos in tam vilia hominum mancipia degeneraſſe, ſed ejuſdem calamitatis participem quoque fieri cupiunt teneram & innocentem ſtudioſam juventutem. Hinc ſuos diſcipulos nolentes volentes in ſuam pertrahunt ſententiam, iiſque voce & ſcripto, minis & objurgationibus, omnem interdicunt philoſophandi libertatem : ſicque claudunt regnum Philoſophicum ante homines, & ipſi intrare non contendunt, nec advenientes intrare ſinunt. Rectiùs facèrent hujuſmodi Miſoſophi, ſi in tam ancipiti authorum electione conſtituti, repudiata Ariſtotelis, Galeni, aliorumque authoritate, ad ipſum fontem ſuos deducerent diſcipulos. Fons autem iſte ubi : Diſce hoc à Sapiente, ſi ſapis, qui lib. Sap. cap. 7. inquit : DEUS eſt Sapientiæ Dux, & ſapientium emendator : in manu ipſius, & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia diſciplina. Ex hoc eodem fonte Hermes quoque noſter ſuam hauſit ſcientiam, ut ipſemet fatetur his verbis : Hanc ſcientiam, inquit, ſolius DEI vivi inſpiratione habui.

Pudeat hodierno ſeculo Chriſtianis nominis Philoſophos, quod ſè patiantur ſuperari ab Ethnicis : quibus olim nihil conſtabat de veritatis luce, nempe de CHRISTO, in hunc mundum venturo : qui

fons

fons omnis scientiæ ac intelligentiæ, ipsaque vera & æterna Dei sapientia, sæpenumerò nos insuper in verbo suo paternè ac fraternè allicit, vocat, & amicè hortatur, viamque ac rationem nobis ostendit amplissimam, qua possimus non tantum in ejusmodi scientiarum abstrusarum penetralia pervenire. sed etiam his majora desuper à patre luminum adipisci: sed ingratus mundus plus diligit tenebras, quàm lucem, potiùs delectatur in impuro ethnicorum impiorum cœno volutari, quàm puro ac salutari Dei verbo obtemperare. Quid igitur expectandum his erit, pro tanta ingratitudine & summa contumacia? Nihil sanè aliud, quàm simile responsum, quale tulisse legimus inobedientes Israëlitas apud Esaiam cap. 30. quod verbis paucis ad nostrum propositum mutatis ita habet: Væ vobis Philosophi & Medici desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum: qui ambulatis, ut sectemini Græcos mendaces, & os meum non interrogatis, sperantes singularem scientiam ac sapientiam in nugis Aristotelis & Galeni: & habentes fiduciam in deliramentis Græcorum, & erunt vobis nugæ Aristotelis & Galeni in confusionem, & fiduciæ mendacium Græcorum in ignominiam.

Noli mihi hic exprobrare illud tritum in scholis, quodvis suo loco & tempore agendum, neque scientias sacras cum profanis confundendas. Nam si me rectè capis, nihil profanum erit in Philosophia: eundem enim cum Theologia authorem habet. Tibi autem fortasse vana ac profana videtur philosophia, qui eam didicisti à nugaci & vano magistro. Rectè igitur tibi erit in confusionem, mihi verò in semiam rectam ad sacras & profundissimas scientias indagandas. Si ex eodem fonte haurires philosophiam tuam, ex quo eam hausit Hermes, nihil utique profani relinqueretur, de quo conqueri posses. Considera quæso tres illas tuæ Philosophiæ partes, Ethicam, Physicam & Logicam: nonne omnium harum authorem censes Deum esse? Præ nimio pudore id quidem vix negare audes, sed quonodo facto id neges, mox intelliges.

In prima parte, quam Ethicam appellas, præcipuè agitur de virtutibus moralibus, quæ à moribus vel ab assuefactione ita dicuntur. Quare? quia prout tua fert opinio, Virtus est habitus bonus inclinans ad rectè agendum: Habitus rectè agendi unde comparatur? Longo usu & assuefactione: Usus autem & assuefactio consistit in arbitrio & voluntate hominis: Ergò virtus moralis pendet non à divina benedictione, sed ab homine, qui ex propriis viribus, usu & assuefactione virtutis habitum sibi comparare potest. Sed quàm absurdum hoc sit, palàm fit ex eo quod inter virtutem Theologicam & Ethicam, differentia, quam pro tuæ opinionis fundamento perperam constituisti, planè nulla sit. Omnium enim ejusmodi virtutum essentia mediatè & immediatè procedit ex Deo; Mediatè per thronos, potestates, dominationes, angelos & archangelos; Immediatè per Deum ipsum. Fortitudinis igitur in Alexandro Magno, Julio Cæsare, Lucullo, Sylla, Mario, cæterisque heroibus ethnicis alius author statuendus non est, quam fortitudinis in Samsone, qui unctus erat Domini. Et ne impiè hoc fortè dictum putes, pro certo habeto: Deum Solem suum oriri facere super bonos & malos: neque hoc solummodo intelligas de Sole cœlesti sive firmamentali, sed de supercœlesti etiam, de Sole nempe justitiæ, qui Filius Dei est ab æterno genitus, in quo Deitas plenarie, omnesque virtutes divinæ corporaliter inhabitant. Unde Corn. Agrippa lib. 3. cap. 38. Qui virtutem, inquit, aliquam possidere cupiunt, orandum illis est, & supplicandum crebrò ad eum, qui in se omnem continet virtutem. Quis autem is est, qui omnem continet virtutem? nonne Christus Salvator noster, & Deus, cum Patre & Spiritu sancto, qui teste Malachia cap. 1. æquè versatus & operatus est in gente ethnica, quàm in populo suo electo. Sic enim scriptum legimus apud Prophetam. Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum. Sed reprobati fuerunt multi ethnicorum, quod cum Dei gloriam & magnificentiam non tantum in externis creaturis, sed in seipsis quoque cognoscerent, aut cognoscere potuissent: Deum non ut Deum glorificarent, nec ipsi pro tam infinitis bonis ac donis gratias agerent: sed fortis fortitudinem sibi, non Deo: justus justitiam sibi, non Deo: dives divitias sibi, non Deo acceptas ferrent. Quod conspicuo Nebuchodonosoris Regis Babylonis exemplo facilè probabimus, si res postulat. Is enim non Deo, sed sibi ipsi adscribit regni sui splendorem & amplitudinem: dum imprudens in hæc erumpit verba: Nonne, inquit, hæc est Babylon magna, quam Ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis Meæ, & in gloria decoris Mei: Sed cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nebuchodonosor rex: Regnum transibit à te, & homines ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & Septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod Dominetur Excelsus in Regno Hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Dan. cap. 4. Quale quæso hoc regnum erat, Israëliticumne sive fidelium electorum Dei? an verò Babylonicum ac infidelium Ethnicorum? Maximè infidelium, in quo tamen nihilominus dominabatur Excelsus. Dominari autem dicitur Dominus in regno hominum, quod idem est ac dominari in hominibus regno præfectis. Ex quo meridiana luce clarius patet, virtutem Theologicam & Ethicam, fidelium & infidelium, ratione essentiæ & originis non invicem differre, sed ab uno eodemque authore, nempe Deo proficisci: fidelibus autem in salutem, infidelibus verò & ingratis cuculis in judicium & æternam condemnationem cedere.

Hinc facilè elucescit discrimen inter Ethicã Hermeticam, quam potius Christianam appellare fas est, & inter Ethicam Peripateticam sive paganam. Hermetica sive Christiana agnoscit Deum, unum omniũ virtutum authorem, ad eundemque colendum, tanquam ad finem ultimum refert omnium quoque virtutum actiones. Peripatetica vero sive pagana in virtutibus excolendis, non Dei benedictione, sed propriis nititur viribus, quod fundamentum est falsissimum, finemque similiter spectat spurium & adulterinum, gloriam videlicet vanam & inanẽ. Et quod miror, hic paganismus nondum exolevit in Christianorum scholis, sed tanquam pars Philosophiæ summopere necessaria excolitur. Ex quo si ulla capitur utilitas, ejus Professores in Academiis hanc capiunt solam, ut conscribant theses ethicas, quas defendendas obtrudunt studiosis, à quibus postea amplum aliquod expectant honorarium: quale non ita pridem quidam de Liberalitate disputans, præsidi suo pro præsidio exhibuit viginti nimirum aliquot

thalerorum imperialium : quam liberalitatem ut summopere in hoc laudavit præses, sic vicissim alios vituperavit, qui minus obtulerant. Hæc scilicet à professione Ethices emanat utilitas, ut Doctores nunc quæstum ex ea faciant : sed dum illi leges & præcepta virtutum aliis præscribunt, sibipsis non cavent, quin interim in horrenda vitia, in avaritiam nempe, & similia plura imprudenter incurrant. Quod si quis præter enumeratam utilitatem, & hãc intrudere conetur, quod nimirum Ethices præcepta plurimum inserviant studiosæ juventuti in moribus externis informandæ : tunc huic telo oppono unicam pietatem, quæ utilis est ad omnia, habens promissionem tam præsentis, quam secuturæ vitæ. In hac una si bene erudiantur, & proficiant adolescentes : tam externorum quàm internorum morũ elegantia, vitæque integritate præstantissimi evadent. Valeat igitur cadaverosa illa & emortua Paganorum Ethica, cum Christiana nostra è vivis divinitatis fontibus profecta, nos non tantùm secularis felicitatis in hoc mundo, sed æternæ etiam beatitudinis in secutura vita participes efficiat. Hujus namque virtutes fiunt ex fide vera in Christum, sine qua nemo hominum Deo placere, aut salvari unquam poterit. Sin verò quis iterum hîc inferat, quasi Ethicam cum Theologia confundam: sciat is me non authorem esse tantæ affinitatis, vel potius identitatis in utraque scientia, sed ipsam æternam Dei sapientiã, à qua tanquam à centro emanarunt omnium scientiarum, artium & disciplinarum radii, & rursus in eandem quoque tanquam in idem centri punctum collimant simul omnes: ita ut quascunque scientias hominum curiositas & superstitio disjunxit & divisit in Theologiam, Ethicam Jurisprudentiam, Politicam, Physicam, Logicam, Astronomiam, Cabalam, Magiam, Chymiam, & alias plures : has omnes complectitur sub se unica Philosophia Hermetica sive Christiana : quæ una unico æternæ veritatis fundamento, firmo & immoto stabilita, plures quidem in aspectum externum producit, quæ tamen omnes in idem redeunt principium internum. Omnia namque ab uno, & omnia ad unum. Hinc D. Paulus rectè & Christianè philosophatur, inquiens : Divisiones sunt gratiarum, idem autem spiritus : Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus : Et divisiones operantium sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, 1. Cor. 12. Redite ergo in viam ô pagani Philosophi, & Deo reddite gloriam, non vestræ inani Philosophiæ, per quam ne seducamini, fideliter vos admonet idem Apostolus, Abdicate falsas de virtutum habitu comparando persuasiones : Deum omnium donorum & bonorum authorem, assiduis exorate precibus, ut vobis mittat intelligentiæ & sapientiæ spiritum, qui vos in veritatis hortum, sanctis & angelicis virtutũ floseculis fragrantissimum deducat : in quem si intromissi fueritis : oculi vestri aperientur, & pulsis errorum tenebris, videbitis philosophicæ lucis claritatem, in qua postea piis votis & meditationibus pascetis oculos vestros : suavissimaque spiritualium melodiarũ consonantia, harmonicoque concordiæ concentu unanimes, Te Deum Laudamus cantabitis, & remotis tandem cunctis inanibus & frivolis disputatiunculis, ætatem invicem in pace transigetis.

Transeamus nunc ad Physicam, alteram Philosophiæ vestræ partem: quæ quàm fœdè ementitis & fictis hominum opinionibus inquinata sit, vel cuivis in hac parte leviter initiato palam est. Hanc non repetitis à primo & vero fonte, qui est Deus, author, conditor, & creator rerum omnium, sed ab Aristotele, quem propterea per excellentiam Philosophum appellatis, quasi is solus sit primus inventor, princeps & monarcha hujus scientiæ. At si Physices principia vera & genuina conferamus cum Aristotelis fictis & commentitiis: tantum discrimen inter utranque animadvertemus, quantum cœlum distat à terra. Hermetici cum Moyse, verè & rectè statuunt, mundum hunc, & quicquid in eo continetur, conditum & creatum esse à Deo, ex nulla alia præexistente materia, quàm per solum verbum Fiat. Ut primum enim Deus dixit: Fiat cœlum : fiat terra, facta sunt: ita ut principium rerum omnium, non investigandum sit aliud, quàm solum hoc verbum, procedens ex ore Dei.

Sed obstant hîc quidam nasuti, dicentes, quod quamvis abnegari non possit, verbum Domini esse causam & principium rerum omnium, tamen id solummodo intelligendum esse de causa efficienti, non autem, de causa materiali. Absurdum enim esse autumant, si quis asserat, hoc Verbum, quod non est, nisi flatus, spiritus & anhelitus essentialis Dei, corporeum, & visibile factũ abiisse in lignum, lapidem, &c.

Sed quàm ridicula omniq; explosione digna hæc sit objectio, ex eo constat, quòd differentia hæc inter causam formalem & materialem locum tantùm habeat in rebus artificialibus: non autem in naturalibus, multò minus in opere creationis. In artificialibus quidem, lignum tanquam subjecta materia, ex qua formatur mensa, separatum quid est ac diversũ à scriniario sive artifice, qui efficientis sive formalis causæ officio perfungitur: In naturalibus autem materia & forma non separatum quid existunt, neq; ullam in iis diversitatem quis inveniet, nisi idem velit quoq; sensuum fideli testimonio relicto, fingere ea, quæ nullus mortalium unquam vel vidit, vel audivit, gustavit, olfecit, palpavit. Sed obstinati illi nimis in sua opinionis perversitate, non sensuum judicio semper standum esse dicunt : illudq; Galeni placitũ, tanquam clypeum æneum huic veritati opponunt, quod 2. de simpl. fac. cap. 2. & 3. author his ferè verbis descriptum habet : Ubi, inquit, sensus hebescit, ibi ad rationem ceu diviniorem hominis partem deveniendum est. Sensus quippe brutis una cum homine communis est : rationis autem lucidior ille oculus ea percipit, quæ sensus aciem nimis hebescentem effugiunt. Sed quàm Sophisticum hoc si hominis versatilis inventum, quo quidvis probare, quidvis etiam diluere, proclive sit homini impudenti : facile percipiet is, qui recto valet judicio, & vel tantillũ in veritatis lumine versatus. Videamus igitur, quomodo Aristotelis principia physica cum Hermeticis conveniant. Diximus, principium omnium rerum creatarum fuisse unicum Dei creantis verbum: quod essentialiter ex ore Dei emanans, adhuc inseparabiliter rebus omnibus inhæret, illas conservat, & vivifico suo vigore ad novam iteratamque generationem continuè à primo creationis puncto usque permovet, & in seculi usque consummationem promovebit. Aristoteles non ex ore Dei, sed ex vertiginoso suo insipido cerebro proponit tria principia, materiam, formam & privationem. Materiam videlicet informem immaterialem. Privationem autem dicit esse tertium principium, quod concludat duo in sese : negationem formæ introducendæ, ne prius sit res, quàm fieri incipiat, & aptitudinem ad illam recipiendam, quæ dynamis seu potentia est. Sed mera somnia mihi videntur narrare peripatetici, quoties ejusmodi fabulosorum & sterilium principiorum mentionem faciunt : imò majo-

rem

rem certitudinem tribuo somniis, quibus interdum utcunque eventus respondet, quàm illis principiis:

Si enim verum est hoc axioma philosophicum ejusdem Aristotelis, ut ipsemet non dubito verissimum esse: nihil videlicet cadere in sensum, quod non prius fuerit in mente: nihilque verè existens in mente esse, quod non cadat in sensum: si, inquam, hoc verum est, falsissimum econtrà & mendacissimum erit hoc de tribus principiis commentum. Quis enim unquam tàm acuto sensu præditus fuit, ut potuerit vel oculis, vel lingua, vel reliquis sensuum organis comprehendere materiam sine forma, aut formam sine materia. Sed inquies, ubi sensus hebescit, ibi ad rationem veniendum est: scilicet idem est, ac dicas: ubi veritatis lux non illucescit, ibi ad mendaciorum diverticula fugiendum est. Hinc emergit manifestum discrimen inter Physicam Hermeticam & peripateticam. Ut enim illa à patre luminum, nempe à Deo desuper hominibus fidelibus donatur: ita hæc à patre tenebrarum & mendaciorum, cacodæmone nimirum, infidelium turbæ, Aristoteli scilicet & ejus asseclis insusurratur. Quamvis autem cogantur Peripatetici nolentes volentes fateri primum ac supremum motorem esse Deum: tamen gloriam Dei non quærentes, illi rursus negant per traditionem suarum fabularum de dictis illis tribus principiis & de æternitate mundi. Dolendum sanè est, tam infirmo ac debili Peripateticorum fundamento superextrui tam elegans ac pulchrum Physices ædificium: quod ex falsis & adulterinis principiis corrumpi quoque & depravari necesse est. Dato enim uno inconvenienti sequuntur innumerabiles falsæ conclusiones. Quod cum maximo suo damno, proh dolor! experiuntur Naturalis Philosophiæ studiosi: qui de causis physicis disputantes perpetuis incertitudinis fluctibus agitantur, adeò ut nusquam locum inveniant, quo pedem turò figere possint. Nihil dicam de Medicina, his iisdem suffulta principiis, qua nulla artium incertior ac mendosior sub sole existit. Theologi quoque hujus calamitatis consortes ex eorum principiorum falsitate, in plurimas hactenus inciderunt absurditates & errores, quos facile evitarent omnes quarumlibet scientiarum ac disciplinarum alumni, si spretis ethnicorum fabulis, Hermeticæ & soli veræ Philosophiæ operam suam addicerent. Credite mihi, inter Hermeticos Philosophos (loquor de veris, non de Sophistis & Pseudochristianis) nullum in scientiis & artibus dissidium aut dissensionem unquam fuisse, nec in æternum fore: in unico enim veritatis centro, quod simplex, stabile, & immotum semper manet, conveniunt omnes.

Tandem adhuc videamus reliquam vestræ Philosophiæ partem, Logicam videlicet, sive Dialecticam: quæ definitur esse ars benè differendi, ratiocinandi, argumentandi, verum à falso discernendi, disputandi, disceptandi, vel potius rixandi, altercandi, controversias excitandi, lites spargendi, excitatas & motas pertinaciter & petulanter fovendi, rarissimè easdem componendi; dubia proposita frigide & jejune, vel vix & nunquam solvendi, & denique in salebroso incertitudinis labyrintho perpetuò versandi. Hac enim arte in utramque partem, ut vocant, pro & contra disputandi in usum vocata, tot infinitarum opinionum portenta in lucem prodierunt, quæ alias suo tenebrarum pulvere obtecta diutius latuissent, nisi horum authores tam speciosis probabilium, hoc est, incertarum, infirmarum, fucatarum, non verarum, ac falsissimarum rationum armis freti in quan vis disputandi arenam descendere se animosè quidem, sed satis protervè ac impudenter obtulissent. Vis scire, unde tot schismata in Ecclesia sint orta? Solo dialecticorum sive disputatorum, vel potius hominum contentiosorum & litigatorum vitio: qui arte benè differendi inflati, in ambitionem & gloriæ cupiditatem inciderunt. Ambitio verò excitavit novam opinionem. Nova verò opinio perperit dubium. Dubium Syllogismos. Syllogismi, pro & contra disputandi libidinem & æmulationem. Æmulatio contentionem. Contentio discordiam. Discordia verò schismatum proxima causa, est à Diabolo. Pax verò & concordia à Deo. Ergò omnes Theologi seditiosi, rixosi & contentiosi sunt à Diabolo, & ejus ministri. Pacifici verò & concordiæ amantes, à Deo, ejusque fideles servi Deus enim noster, non dissensionis Deus est, sed pacis. 1. Corinth. 4. Sed dices, has ultimas enumeratas Logices proprietates, non legitimo artis usui, sed ejusdem abusui adscribendas esse: quem si spectare quis vellet, posset pari ratione arguere, cæteras artes omnes non solum reprehendendas, sed è medio penitus tollendas esse. Recè sanè occurris abusum prætendendo: in quo quidem ambo in eandem imus sententiam. Nihil enim magis ipsemet improbo ac detestor, quàm malum rei usum. Sed opinionum diversitatem tantùm in eo habemus: quod ejusmodi abusus originem aliunde quàm mea fert sententia, derives. Existimas enim artem, quam ex Aristotelis aliorumque authorum volumin bus hausisti, per se esse bonam & laudibilem: abusum autem ejusdem supervenisse petulantum quorundam & scelatorum hominum malitia. Ego verò contrà primariò artem ob culpam ipsorum authorum, jam vitiosæ imperfectionis (omne enim donum imperfectum est à Diabolo: perfectum solum à Deo: ut Paracelsi docet Symbolum) veneno infectam & depravatam esse affirmo: adeò ut idem venenum in artis cultores derivatum, tantæ abusionis pestem introduxerit. Clarius hoc patebit, si artem perfectam & sinceram, cum imperfecta & contaminata conferamus. Contraria enim sibi invicem opposita magis elucescunt. Perfecta nihil aliud est, quàm impressio radiorum divinorum, quorum vi sola, nulla librorum scriptorum, aut axiomatum dialecticorum ope, Philosophus rectè ratiocinatur, & verum à falso discernit. Liber autem in quo conscripti isti radii reperiuntur, est multò major, quàm ut tam augustis Logices carceribus includatur. Est enim abyssus divinitatis, in quo infinitus rationum apodicticarum, certarum, firmarum, verarum, ac planè irrefutabilium thesaurus viget. Ex his locis si Philosophus argumentum aliquod sumserit: certam utique & infallibilem inferet conclusionem, contrà quam omnes paganorum coloniæ non prævalebunt. Imperfecta autem & corrupta Logica, est solummodo mancum mutilumque curiosorum hominum inventum, qui totum hoc universum, cœlum & terram, Deum, angelos & homines, occulta & manifesta certis & paucis quibusdam regulis ac locis Dialecticis, ut vocant, comprehendere temerario ausu conantur. Quid enim ineptius vel auditu absurdius excogitari potest unquàm ex tam strictis & fictis Logices cancellis, ratiocinari velle de infinita Dei majestate & potentia, tam in verbo suo, quam in natura, partim manifestata, partim non manifestata. Infinitum enim perscrutari nemo potest per finitum, sed

per

per infinitum. Quod autem ut fiat, non ad organum dialectices finitum, ſed ad fontem infinitatis, Deum nempe ipſum, omnium artium authorem recurrendum erit: qui ſolus ex inexhaucto & infinito ſuæ benignitatis ſcrinio, petentibus & fidelibus ſuis liberaliſſimè largitur ſpiritum diſcretionis inter verum & falſum, adeo ut de quavis quæſtione propoſita, rectum & inculpatum ferre queant judicium. Cum econtrà pagani, certis axiomatum limitibus in nimiam coacti auguſtiam, de rebus judicandis timidè admodum pronuncient, & è mille propoſitionibus, vix unam veram & ſtabilem, quæ non leviſſimo quovis rationum momento everti poſſit, proferant. Hinc nempe fundi iſtius calamitas, quod diſputantes, copia rerum ſuperati & confuſi, in tot inextricabiles errorum ſyrtes præcipitentur. Quomodo enim inde pedem retrahant, cum canonum locorumque penuria preſſi quò ſe vertant, amplius neſciant. Ne autem idcirco videantur indocti & artis rudes, nominis ſui & exiſtimationis ſalutem quærunt rixis & altercationibus: ex quibus poſteà prolabuntur in convitia & calumnias: ſicque continuata ſerie de vitio in vitium progrediuntur. Vides ergò abuſum Logices primariò adſcribendum eſſe vitioſæ artis inventoribus: ſecundariò verò horum aſſecis & ſectatoribus, qui nimio paganorum ſuorum præceptorum amore excæcati, veritatis lumen minus inſpiciunt, ſed ita antiquam illam erroris cantilenam cum ipſis canere pergunt: nec ab inſtituto deſiſtunt, priuſquam Moſaicam vel Hermeticam ſcholam ingreſſi diſcant, omnium artium & diſciplinarum ſtudia vana eſſe & irrita, niſi à Deo illarum unico authore inſpirentur, & ejuſdem favore & benedictione foveantur, & conſerventur. Sed non abſurdum Davidicum illud Pſal. 13. in modernos Peripateticos & paganos uſurpare nunc licet: Ubi ſcriptum legimus: Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt: Corrupti ſunt, & abominabiles facti, non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Ac licet ex tanto numero vix unus atque alter veritatis lumine irradiatus reſipiſcat: vix tamen palàm id profiteri audet, ſed ex metu reliquorum Phariſæorum, hominum fanaticorum, cogitur tanquam alter Nicodemus noctu, hoc eſt, in occulto ſua artis negotia tractare, niſi velit audire hæreticus, magnus exorciſta, ſophiſta, Ramiſta, Paracelſiſta, Alchymiſta, &c.

At ſufficit his generatim tantùm oſtendiſſe differètiam inter Philoſophiam Hermeticam ſive Chriſtianam, & Peripateticam ſive paganam: ac breviter ſimul originem, cauſam & principium utriuſque lectoris judicio ſubjeciſſe. Qui ex veritate eſt, inquit ipſa veritas, Salvator noſter Chriſtus, vocem meam audit: qui verò amat mendacium, in via ſua, antequam dimidium mundani abſolvat itineris, miſerè peribit. Reſipiſcite ô pagani philoſophi paganiſmum illum veſtrum in Philoſophia & Deo omnibus bonis abominabilem exuite, & Chriſtianiſmum verum induite: hunc non ore tantum profitemini, ſed reipſa & factis oſtendite: ac cogitate, quo ratio uniuſcujuſque verbi otioſi ſit reddenda. Quæ autem major vanitas, quàm ſectari & defendere paganorum delitia, quæ tot manifeſtis abundant nugis ac mendaciis, ut in illorum ſcriptis vix occurrat unica pagella, quæ non totidem errores, quot lineas atque verba contineat, adeò ut iis emendandis una litura ſufficiat. Hæc itaque de inſpiratione divina, tanquam præcipuo artis capite, paulò fuſiùs ab initio tractare volui, ut lectorum animi hoc Hermetis exemplo pellecti, primo ſtatim limine aptiores redderentur ad ea quæ ſequuntur, perveſtiganda & cognoſcenda.

Quemadmodum autem hortulano, cœli clementia & aſtrorum influentia non ſufficiunt ad plantulas ſuas fovendas & educandas, niſi diligens quoque accedat ſoli agrique cultura: ita Philoſophus vix aut nunquam dignabitur inſpiratione illa divina, niſi animum debito modo præparatum & inſtructum adferat. Præparatio autem hujuſmodi in duabus potiſſimum officinis perficitur: In oratorio videlicet & laboratorio: quorum quodlibet propriis & peculiaribus utitur inſtrumentis. Oratorii præcipuè hæc ſunt: Preces, orationes, vota, gemitus, & ſuſpiria inceſſabilia ad Deum Opt. Max. Item ſtudium, diligentia, induſtria, aſſiduitas, indagatio & frequens meditatio in libris Bibliorum & Naturæ. Laboratorii autem in genere ferè ſunt carbones, furnus, forceps, vas, follis, & hujus generis infinita alia, quæ omnia ſingulatim recenſere nimis longum foret. His paucis tantum in laboratorio rectè aptatis, igneque tum in furno Philoſophorum, tum in pectore piè accenſo, artifex tum denium Dei imploret auxilium, nec ceſſet ab inſtituto: donec voti compos, expectatam certamque Dei benedictionem experiatur: non ſecus ac ipſe Hermes, qui poſt varios labores, divinam ſibi gratiam contigiſſe, liberè ac ingenuè profitetur, dum inquit: Animæ non peperci à labore, & hanc ſcientiam ſoliùs Dei vivi inſpiratione habui, qui mihi famulo ſuo pandere dignatus eſt.

HERMES.

Verum rationabilibus judicare vim arbitrandi tribuit ſed nemini occaſionem delinquendi reliquit.

SCHOLION.

DEUS hominem à cæteris animantibus idcc diſtinxit, ut ratione præditus cæteris creaturis præeſſet, & cuncta ſuo dominio ſubderet. Hæc autem rationis vis nihil aliud eſt, quam portiuncula ſive ſcintilluia quædam divinitatis, ſpiritus invisibilis, ſive ſpiraculum vitæ, quam inſpiravit Deus in faciem hominis, & fecit hominem in animam viventem. Gen. 2. In hac rationis luce vult Deus, ut piè & ſapienter ambulemus: & in lege ejus tum ſcripta, tum per Naturam & Creaturam nobis revelata meditemur die ac nocte.

Adam quidem Protoplaſtus in ea luce, qua ante lapſum perfectè ornatus. præ cæteris omnibus creaturis, ſicut Sol inter aſtra fulgebat, tanquam in lucidiſſimo ſpeculo contemplabatur omnia mirabili. Dei. Sed quia poſt tranſgreſſionem legis, hoc rationis lumen in poſteris ejus, à prima ſua perfectione & claritate multum defecit: ad hujus inſtaurationem ſeſe ultò obtulit filius Dei Chriſtus Jeſus, qui nobis fidelibus ſuis factus eſt in animam vivificantem, ſpiritualem, cœleſtem. Hac anima in nobis, tanquam media natura duce, cooperante ſimul ſacroſancto gratiarum ac donorum flamine rurſus à ſomno ignorantiæ, improbitatis & mortuæ Philoſophiæ reſurgentes, & in latiſſimum ſcientiæ, ſinceritatis, & vivæ Philoſophiæ campum excurrentes, in eoque ſtrenuè & aſſiduè nos exercentes, merito gloriari poſſumus, quod in repara ratione lucis, & in viis Domini, prout decet ſapientes, fideliter ambulemus. In hac enim luce ſi ambulaverimus, voluntati divinæ minimè reluctabimur. Deus autem, ut Hermetis eſt ſententia hanc libertatem ſive arbitrium philoſophendi homini permiſit. Contra verò nequaquam Dei voluntas eſt ut homo peccatorum vitiis ſe polluat, aut qualemcunque delinquendi occaſionem obiatam arripiat

ripiat. Hostis enim peccati infensissimus est, nec impunè abibit ullius, quicunque peccatorum dominio obnoxius, fræna nimis laxata non inhibet.

HERMES.

Ego autem nisi judicii diem, aut animæ damnationem, ob absconsionem hujus scientiæ metuerem, nihil de hac sententia patefacerem, nec cuiquam prophetizarem. Volui verò debitum fidelibus reddere; uti author Dei mihi largiri dignatus est.

SCHOLION.

QUi cui dubium est de Philosophia Hermetica, num Christianismo conformis sit; nec ne, huic relata modo verba dubitationis istius scrupulum mox excutient. Quæ enim major possit esse affinitas & cognatio, quæ propiùs accedat ad Christiani hominis veram notam, quàm qualis ex his Hermetis verbis percipitur. Mandatum enim habemus, ut Deum diligamus ex toto animo, & omnibus viribus, & proximum sicut nos ipsos. Author Deum tanta cum reverentia & timore amat, ut nisi in amore & timore ejus constans persistat, vereatur, ne reus fiet judicii æternæ damnationis. Proximum autem non aliter ac seipsum, fideli etiam amore prosequitur in eo, quod communem scientiæ suæ beatitudinem illum reddere percupiat: quod utique nunquam in animum induxisset suum, nisi extremi judicii terror, & Dei ac paucorum fidelium amor animum ejus inflexisset. Sed quæres forsan, quæ jam sit hujus tenacitatis in arcano isto revelando causa? impietas nempe hominum, quorum pluribus numerus indignus est, ut in sacrarium Philosophiæ intromittantur: propter hos nimirum, inquit, nihil se patefacturum fuisse: sed quia ex tanta impiorum & sceleratorum hominum multitudine, Deus semper in quibusdam quantumvis paucissimis reliquit semen Philosophicæ pietatis: propter hos paucos dicit se talionis legem sanctè servaturum: hisque eandem scientiam, quam à Deo revelatam impetravit, literis ita consignatam tradidisse, ut nihilominus non nisi digni doctrinæ fiant, ad quos, ut mox audiemus, hunc sermonem instituit, verum inde sensum elicere possint.

HERMES.

Intelligite, filii sapientum præteritorum Philosophorum; non corporaliter, nec imprudenter 4. elementorum scientiam, quæ sunt patientia suis rationibus; & in sua abscondita operatione. Est enim eorum occulta operatio. Nam nihil agit, nisi componatur, quia non perficitur; nisi prius sui colores peragantur.

SCHOLIUM.

COmpellat author filios sapientum, hoc est, discipulos artis dignos, pios, & electos. Non enim omnes, qui se dicunt filios doctrinæ, in intima artis penetralia introibunt. Sunt etenim pauci, quos Jupiter æquus amavit. Frustra igitur conantur, huic se se arti ingerere, quia natura sua ad hanc minus apti sunt. Eundem enim eventum tandem experiuntur, qualem plurimi monachorum experiri solent: qui dum pueri adhuc, de naturali inclinatione non satis constantes inconsulto quodam zelo in cœnobia ingrediuntur, adulti vero ad ingenium redeuntes, longè ad diversa feruntur studia. Hinc vitam monasticam exosi, monasteriis valedicunt, exeunt, discedunt, erumpunt, evadunt, atque sæpenumero ex monacho mœchus, ex raso heraso; ex religioso agaso. In idem turpitudinis barathrum incurrunt quoque ii, qui ultra genii & ingenii vires se insinuare conantur huic profundissimæ scientiæ: post varios enim labores, frustra susceptos & insumtos, de summo artis fastigio allequendo desperantes, mirabili quadam metamorphosi fiunt tandem ex Philosophis sophistæ, ex medicis medicastri: quorum hodie ingens numerus ubique locorum occurrit: qui multifariis constructis fornaculis, dies ac noctes coquendo, distillando, extrahendo, (vel potius expilando nummos putà ex propriis & alienis loculis) subtiliando, incrassando, magnum medicamentorum Chymicorum, ut vocant, acervum sibi comparant, sibique multum in vano isto labore sapere videntur, ac nisi manifesta reclamitaret experientia, multis equidem, nec non doctis ac eruditis sua persuaderent garrulitate, fœtida sua stercora esse meros ficos dulces & suaves. Ex Chymicis autem vulgaribus, neque adeo doctis fiunt Chirurgi, balneatores & circumforanei: Ex deploratis verò & desperatis Alchymistis impostores, fures & furciferi, quorum non pauci nostra quoque ætate, patibulo suspensi & suffocati vitam miserè finierunt. Ergo

Tu nihil invita dices faciesve minerva.

Observavi frequenter in colloquiis, cum hujusmodi farinæ hominibus institutis, ipsos neglecta omni scriptorum philosophicorum lectione ac meditatione, tantùm in ore habere nummos: nummos loqui, nummos somniare, nummos vigilare. Ex quibus nonnulli tanta aviditate auri argentique corradendi tenentur, ut non homines, sed lupos referant famelicos, qui octo plurimumve dierum inedia emaciati, escam ex rapina oblatam, ardentissimo deglutiendam stomacho appetunt. Ejusmodi lupi voraces & Chrysophagi longè ab arte arcendi sunt, utpote, quos voluntaria Philosophorum paupertas non agnoscit pro genuinis discipulis, sed pro spuriis, è regno Philosophiæ procul hinc in exilium relegandis, nec in æternum, nisi fortè resipiscant, revocandis. Ridet enim Natura (inquit doctissimus Severinus) avaras spes: ac multò tolerabilior est in Philosopho imperitia, quàm avaritia: tolerabilior item ignorantia, quàm intemperantia & luxuria. Decet enim Philosophum esse virum pium, probum, constantem in dictis & factis, firma fide in Deum, prudentem, & nullius rei avarum, præterquam sapientiæ.

Præmissis igitur his, quæ præcipuè in vero artifice reperiuntur, Hermes nunc orditur operis magni descriptionem, quod appellat scientiam elementorum. Ne autem quis putet illum loquide elementis, prout ea vulgò in scholis Peripateticorum accipiantur; qui elementum ajunt esse corpus simplex, ex quo quidque primum constituitur; addit hæc duo verba, non corporaliter, nec imprudenter: Si non corporaliter nec imprudenter: Ergo πνευματικῶς καὶ σοφικῶς, hoc est, spiritualiter & sapienter. Utuntur Philosophi Chymici semper hac licentia in docendo, ut artis vocabula fingant pro suo cujusvis arbitrio. Nam quidam principia artis dixerunt esse 4. elementa, terram, aquam, aerem, & ignem, ut hîc Hermes noster: alii verò tria tantum statuerunt principia, animam, spiritum, & corpus, ut idem Hermes alibi, vel salem, sulphur & mercurium, ut Paracelsus: alii duo, agens & patiens: masculum & fœminam: sulphur & mercurium: alii unum tantum, aquam videlicet philosophicam. Sed relicta nominum multitudine, quæ penè infinita existit, artis potius studiosi se convertant ad indagandum noscendumque unicum istud subjectum, de quo Philosophus hoc versu: *Est in Mercurio quicquid quærunt Sapientes.* Quia verò rei cardo in eo potissimum vertitur, ut artis discipulus

omnium

omnium primùm exploratum benè habeat hunc Philoſophorum Mercurium : in ejus gratiam hic proponam figuras aliquas hieroglyphicas : quibus varii Mercurii proprietates & conditiones, quanta fieri poteſt luce & brevitate, adumbrabo.

1.

Circulus ſimplex.



Hic circulus nihil aliud ſignificat, quàm verum & unicum Philoſophorum Mercurium, materiam primam, aquam philoſophicam primordialem, ſimplicem & ſine diviſione unam. Nam rotunda circuli figura carens angulis unitatem ſimplicem denotat. Si quis enim circulum deſcripſerit, neque principium inveniet, neque finem. Ex quo colligitur, hunc eundem Mercurium eſſe principium, medium & finem operis : ſine quo qui laborare præſumet, oleum & operam perdet, & nunquam ad veritatis lucem perveniet.

2.

Circulus duplex.



Gemina circuli deſcriptio indicat duplicatum illum Bernhardi Treviſani Mercurium agens videlicet & patiens : ſive ſulphur & Mercurium. Ac quamvis binarius numerus confuſionis author dicatur, & proinde materiæ diverſitatem aliquam arguere videatur : nulla tamen planè eſt diverſitas. Ambo enim Mercurii ejuſdem ſunt originis, ejuſdemque naturæ & eſſentiæ, quod vel ex utriuſque forma circulari facilè innoteſcit. Nihil autem refert, quod interior minor appareat exteriori. Majoris enim perfectionis ac præſtantiæ id tantum ſignum eſt. Res enim quò apparentior, eo quoque corpulentior : quò verò abſtruſior & abditior, eò ſpiritualior, perfectior & nobilior exiſtit. Minor autem occultatus in majorem agit, eumque ſibi aſſimilat.

3.

Triangulum Philoſophorum triplex Sal ſive corpus.



Eadem eſt utrobique horum ternotum triangulorum ſignificatio. Sicut enim corpus & anima : ſal & ſulphur non poſſunt invicem conjungi, & per minima uniri, niſi mediantibus ſpiritu & Mercurio : ſic quoque Luna & Sol procreare non poſſunt ſobolem ſibi ſimilem, niſi mediante Mercurio, qui loco ſeminis elicitur ex amborum corporibus, inque terræ centro tanquam proprio vaſe digeritur & perficitur. Hoc autem centrum eſt in quòvis triangulo vel punctum illud medium, vel numerus unarius, vel circulus iſte medius. In ſecundo verò circulo obſervanda quoque eſt numerorum multiplicatio denaria. Non enim fit progreſſus ab unario ad centenarium & millenarium, omnium numerorum ultimum & perfectiſſimum (numerato enim millenario, non datur alius numerus : ſed per hunc fit progreſſus in infinitum) niſi per denarium. Nam, ut ait author libri, qui inſcribitur *Aurora conſurgens* cap. 2. Decem in Decem reſpondent.

4.

Quadrangulum ſecretum ſapientum.



Hac in figura manifeſtè declaratur ſcientia elementorum de qua Hermes agit in hoc capitulo. Rectè igitur Ariſtoteles Chymicus ait : Divide lapidem tuum in quatuor elementa, rectifica ea, & conjunge in unum, & totum habebis magiſterium. Hoc unum, in quod redigenda ſunt elementa, est circulus ille exiguus, centri locum in quadrata hac figura obtinens. Eſt enim is mediator, pacem faciens inter inimicos ſive elementa, ut convenienter amplexu ſe invicem diligant : Imò hic ſolus efficit quadraturam circuli, à multis hactenus quæſitam, à paucis verò inventam. Radiis enim ſuis ferit omnes elementorum angulos, & longa circumrotatione angularem hanc quadraturæ formam vertit in circularem ſibi conformem : de quo ſatis.

5.

Anatomica magica vocabuli Mercurio.



Hæ tres figuræ eodem ſignificato unum tacitè pandunt arcanum, quod non promiſcuè cuncto proſtituendum.

Sufficiat tibi Lector, quod elicere inde poſſis veritatem iſtius verſiculi :

Eſt in Mercurio *quicquid quærunt ſapientes.*

Vides enim, quanta ſecreta comprehendat hæc unica vocula : adeò ut ſagax indagator, modò literalem hanc anatomiam in eſſentialem convertere noverit, ex illa dictione omnia ad artem Chymicam neceſſaria, h. e. principium, medium & finem operis magni, facile eruere queat. Majora autem magiſque ſtupenda perficiet, ſi centralia iſta tria inte-

riu

rius adhuc occultè latitantia, punctum videlicet, numerum octonarium, & circulum; in apricum Solis sive in lucem externumque aspectum produxerit. Hoc enim miraculosè perpetrato, sequens tandem schema prodibit ultimum, omnique perfectione astrali, spirituali ac regali absolutum: à pluribus hactenus visum: vix autem à millesimo intellectum.



Cognito itaque Philosophorum Mercurio, occultum operandi modum Hermes in sequentibus indicat verbis: nihil agit, inquit, (puta Mercurius) nisi componatur. Rationem hanc addit, quia non perficitur, nisi prius sui colores peragantur. Sed quid aliud innuit autor per colorum significationem, quàm operis totius complementum à principio ad finem usque. Non enim fit transitus de uno extremo ad alterum, nisi per medium. A primo itaque colorum, opus incipiendum, h. e. Mercurius per se perfectus nihil agit, neque prodest quicquam in opere Alchymico, nisi mortificetur. Granum enim tritici, nisi in terram cadens putrefiat, nullum fert fructum, sed solum manet. Eodem modo Mercurius suam in terram projectus, novum generationis vigorem recipit. Rusticis enim notum est, quod quævis semina, quamvis arefacta & semimortua videantur, si rursus mandentur suæ terræ, in fœcundum resuscitentur vigorem, & pro fatali cuiusvis seminis conditione & interna naturalique scientia totum regenerationis opus ad finem felicitèr perducant. Terra enim matricis sive uteri, vasisque rei generandæ idonei vicem gerit. Estque terra nostra adhuc virgo, quæ nullius viri consuetudine fœdata supercœlesti quodam modo concipit. Pura enim cum sit, omnisque labis ac maculæ expers, simile quoque semen purum & immaculatum concipere gestit. Quicquid enim seminaverit, hoc & metet. At quamvis hoc quod seminatur sit per se simpliciter perfectum: in eo simplici perfectionis statu non permanet, sed per nostram putrefactionem solvitur & corrumpitur. Est autem corruptio hæc non ad speciei interitum, sed ad ejusdem conservationem, & ad majorem perfectionem eidem inducendam. Legimus de tribus Magis, qui ab oriente ad Christum venerunt, quòd tres fuerint reges, procul dubio potentes satis & opulenti. Hi licet regna pro hac vita simpliciter sustentanda satis ampla & splendida possiderent: de alio tamen regno non ad centum annorum numerum, sed in sempiterna usque secula duraturo sunt soliciti. Quod ut impetrent, adeunt regem omnium regum, eumque ante pedes prostrati adorant. Quod nisi fecissent, suis regnis, simplici illo mundano & caduco splendore nitidis, frui quidem potuissent, nunquam verò illa terrena ac momentanea cum cœlesti æterno permutassent. Quemadmodum igitur his Magis, primum instrumentum & quasi clavis ad æternæ salutis portam aperiendam fuit animi submissio erga Regem cœlestem, cujus potestas infinita est: ita primus in arte gradus est Mercurii per se simpliciter perfecti solutio, & in terra sua Philosophica putrefactio, quam posteà sequitur digestio & concoctio continua: donec omnes colores appareant.

HERMES.

Scitote, filii sapientum, quod priscorum Philosophorum aqua est divisio, quæ dividit ipsam in alia 4. Unum duobus, & tria uni: quorum colori tertia pars est, humori scilicet coagulanti: duæ verò tertiæ aquæ sunt pondera sapientum.

SCHOLIUM.

Quod suprà author elementorum scientiam appellavit, nunc Philosophorum aquam nominat. Hanc in quatuor partes dividendam ait: nempe unam partem in duas: tres verò partes uni addendas. Ex quibus omnibus conjunctis septem inde partes, tanquam sparsim in verborum contextu disseminatæ, resultant. Unum enim & duo faciunt tria: Tria & unum, quatuor: Hunc quaternarium, si addideris priori ternario, conficies septenarium. Colorum autem differentias dividit in duas tertias, hoc est, in tres rubeos spiritus & in tres albos. Spiritus autem hos, primum ab unica Philosophorum aqua ortos, & in eandem resolvi posse, certum est: Ita ut similiter inde eruatur numerus ille septenarius per additionem unitatis, quam supplet aqua. In his autem numeris tacitè occultari sapientum pondera, author non obscurè abstruere, videtur, præcipuè in septenario, qui numerus sacer habitus fuit antiquitus, utpote in quo plurimum sapientiæ sit reconditum: sed vim & virtutem ejus mentis oculis contemplari debes, Vulgaris enim hic oculus, teste Joanne Dee Londinensi, caligabit diffidetque plurimum.

HERMES.

Accipe de humore unciam unam & mediam, & de rubore meridionali, id est anima Solis, quartam partem, id est, unciam mediam, & de Seyre citrino, similiter unciam mediam, & de auripigmento dimidium, quæ sunt octo, id est, unciæ tres. Scitote, quod vitis sapientum in tribus extrahitur, ejusque vinum in fine triginta peragitur.

SCHOLIUM.

Pergit Hermes sapientum pondera ulterius explicare, adductis variis nominibus. Humor enim, Rubor meridionalis, Anima Solis, Seyr citrinum, Auripigmentum, vitis sapientum, & vinum nihil aliud significant, quàm aquam Mercurii septies destillatam: quæ post octenam destillationem, vi ignis vertitur in cinerem sive pulverem subtilissimum: qui ob puritatem & perfectionem suam igni resistit. Ne igitur mireris, quod octo partes & tres unciæ æquiparentur: Ternarius enim numerus, qui etiam per trigesinarium repetitur, æquè perfectionis nota est, ac octonarius secundum illud tritum: *Omne trinum perfectum.*

HERMES.

Intelligite igitur operationem; decoctio ipsum diminuit: tinctura ipsum augmentat, quia Luna post 15. dies diminuitur, & in tertio augmentatur. Hoc igitur est initium & finis.

SCHOLIUM.

Sunt qui operationem lapidis dividunt in duas partes: in priorem & posteriorem. Priot, quam Hermes exprimit per decoctionis nomen, ipsum diminuit: hoc est, lapidem in simplici ac naturali perfectionis statu existentem solvit ac destruit: solutum & corruptum per regenerationis medium pristino perfectionis splendori restituit. Quo peracto, incipit posterior operationis pars, cujus beneficio lapidis virtus, maximo cum fœnore, multiplicatur in infinitum. Hoc confirmat author exeploLunæ, quæ post 15. dies, suæ scilicet plenitudinis, diminuitur

tur : & in tertio, videlicet quadrato, rurſus incrementum ſumit. His paucis totum comprehenditur opus, ac tam initium quàm finis τῷ φρονοῦντι apertè ſatis detegitur. Sed non mirum videri debet, quod tàm arduum & magnum ſecretum tanto ſermonis laconiſmo poſſit explicari : cum quidam reperiantur, qui propter ſimplicem decoctionis viam, quæ in opere adhibetur, non verentur aſſerere, totum opus poſſe tribus tantùm verbis perfectè & ſufficienter edoceri. Sed non ſtatim in cenſu Philoſophorum habendus eſt, quicunque tam facili & compendioſa via in artem intraverit. Nullum quod memini extat exemplum in hiſtoriis Chymicis, quo probari poſſit, aliquem aliquando fuiſſe, qui hoc pacto artem edoctus, in Philoſophum ſtatim evaſiſſet. Eodem enim modo, & quilibet ruſticus Philoſophi titulo ſalutandus eſſet, qui, licet perſpectum habeat modum, agrum benè colendi, in tempore ſeminandi & metendi : ignorat tamen internum, & præcipuum frugum maturandarum motorem : quo ignorato, nemo ſe Philoſophiæ peritum, niſi fortè quidam audaculus, mentiſque inops, profitebitur.

HERMES.

Ecce vobis expoſui, quod celatum fuerat, quoniam opus vobiſcum, & apud vos eſt, quod intus arripiens & permanens, in terra vel in mari habere potes.

SCHOLIUM.

OPeris ſecretum commendat ſuis filiis, & vocabulo, *Ecce*, oſtendit, ſe rem perfeciſſe maximi momenti in explicatione artis nobiliſſimæ & abditiſſimæ. Geber, Morienus, aliique Philoſophi jubent artis indagatores, mineralium radices in ſe ipſis inquirere. Unde inquiunt : ſi ortus tui noveris principia, ſemen ſive materia prima, ex qua lapis componitur, te amplius latere nequit. Jam verò rudi imperitoque naturalium arcanorum homini abſurda videbitur hæc locutio : cum non poſſit ſibi ex ſuo cerebro ſomniare ullam ſimilitudinem aut cognationem, quam ſemen hominis animarum habeat cum inanimatis, ut quidam ignari dicunt, metallorum aut lapidum corporibus. Sed ſi te cum Abrahamo ex craſſo tuo & corporeo domicilio foras eduxero, teque in ſpiritualium aſtrorum omnibus in rebus occultè latitantium contemplationem induxero : non ampliùs eris tam refractarius, ſed ambobus ultrò pedibus in noſtram ibis ſententiam. Tolle igitur oculos, & noſtrum ſuſpice cœlum Philoſophicum infinita aſtrorum multitudine mirificè exornatum. Sicut enim vides, in ſuperiori firmamento, aſtralia illa corpora tantum in eo differre, quod alia aliis præſtent magnitudine & luminis ſplendoriſque claritate : omnia autem in univerſum conſtent ex una eademque materia puriſſima, diaphana, & pellucida : Ita omnia corpora in hoc inferiori mundo, ad externum quidem aſpectum multum inter ſe differre videntur : quæ tamen omnia intrinſecus conſiderata, ab uno eodemque principio ſive primo ante proceſſerunt. Illud autem internum principium aliud nihil eſt, quam ſecundum Salom. Sap. c. 11. materia quædam inviſa, ex qua orbis terrarum creatus eſt : ſive juxta Joannem Evangel. c. 1. Verbum, per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, quod factum eſt. Sed dices, ſi ergo verbum eſt omnium rerum principium : teſte autem ſcriptura idem verbum ſit nunquam interiturum, ſed in æternum permanſurum : non igitur quærendum aut inveſtigandum illud erit in his ſublunaribus & corruptibilibus rerum corporibus, quæ cuncta moriuntur, pereunt & intereunt. Ad quam objectionem, ut ſuccinctè tibi & breviter reſpondeam : cuncta equidem quæ creata ſunt per verbum, erant valdè bona, hoc eſt, ſumma beatitudinis perfectione à Deo ornata, ſed quia propter prævaricationem Adami terra quoque fuit maledicta, mors intravit in mundum, ita ut nil jam ſit in toto mundo, quod non ſpoliatum & orbatum exiſtat primitiva iſta perfectione, & morti per conſequens obnoxium factum. Miſertus autem omnipotens creaturæ, hanc ut liberaret à morte, & vitæ regno reſtitueret, idem, verbum, quod eſt Lux & Vita mundi, in mundum miſit, & ita ſecunda vice mundum per hoc Verbum regeneravit. Unus enim vitæ dator & regenerator ſemper manet idem Deus, extra quem nulla ſalutis ſpes. Per hanc autem regenerationem facta eſt creatura nova : Vetera enim tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia nova. 2. Cor. 5. Verbum igitur hoc non ſecundum creaturam veterem, ſed ſecundum novam conſiderandum nobis eſt. Neminem enim nunc novimus ſecundum carnem, hoc eſt, veterem creaturam, ſed ſecundum Spiritum, hoc eſt, novam creaturam. Sed quemadmodum Chriſtus in renatis ſuis inviſibili modo inhabitat, nec manifeſtatur in hoc, ſed in altero demum mundo : ſic omnibus rebus Verbum regenerationis inviſibiliter quidem inhæret : quod tamen in elementaribus & craſſis corporibus non manifeſtatur, niſi reducantur in eſſentiam quintam, ſive naturam cœleſtem & aſtralem. Hoc itaque regenerationis verbum, eſt ſemen iſtud promiſſionis, ſive cœlum Philoſophorum, infinitis aſtrorum luminibus nitidiſſimum, ad quod ſuſpiciendum & contemplandum eductus fuit Abraham. Quamobrem quicunque hoc cœlum noſtrum, quod ratione quidem mundi minoris ac majoris, in duplicis ſalvatoris conſiderationem cadere poteſt (quamvis idem Deus operetur omnia in omnibus) intueri volet, is, abjectis oculis Adamicis, hoc eſt, carnalibus, qui nimis hebetes non niſi de externorum, & corruptibilium intuitu cenſuram faciunt, ſpiritualia viſus organa ex nova creatura recipiat : his facilè agnoſcet totius mundi, tàm creati, quàm regenerati unum ſolummodo eſſe authorem, unum rerum omnium opificem & effectorem, unum principium, unum ens primum, quod à natura nunquam ſeparatur, ſed ipſam potiùs à corruptione & labe repurgat, revivificat, in priſtinam perfectionis libertatem vindicat. Noli autem mirari, quod res morti ſubjectæ, veteris creaturæ formam exuant, & quaſi in nihilum reduci videantur. Eſt enim mors vitæ principium : vetuſque tantùm ſive Adamicum corpus moritur : Spiritus autem novæ recreaturæ, novum ſibi fabricat corpus multò nobilius & glorioſius veteri. Quod enim ſeminatur, non vivificatur, priuſquam moriatur. Seminatur autem in corruptione, & reſurgit in incorruptione ſeminatur in ignobilitate, & reſurgit in virtute 1. Cor. 15. Et hæc quidem omnia, teſte Hermete, in Smaragdina tabula, fiunt ab uno meditatione unius. Idem enim Deus, qui dixit, *morte morieris* dixit quoque *ſalvus eris*. Mors igitur & vita per idem Dei Verbum efficacem obtinuerunt operandi vim & poteſtatem. Eſſentiale enim eſt quodvis verbum, ex ore Dei procedens. Nec eſt ſpiritus ſive halitus vanus & evaneſcens, ut multi ignari ac impii ex incredulitate ſua in hac pernitioſiſſima ſunt opinione. Verba mea, inquit ipſe Chriſtus Salvator noſter, ſunt ſpiritus & vita, hoc eſt, novæ creaturæ ſemen ſubſtantificũ & eſſentiale : & qui in hoc credit,

ſalvus

salvus est, & essentialiter cum Christo unitur ac conglutinatur, ita ut caput & membra, hoc est, Christus & Ecclesia sint duo in carne una. Qui autem non credit, manet in peccato: & quia stipendium peccati mors est, per Verbum jam omnis incredulus judicatus condemnatur, & morte moritur æterna. Sicut igitur hominis salus pendet à sola cognitione Christi, & vera in eundem fide, utpote qui unicus est & solus microcosmi Salvator: sic vero Philosopho summè necessaria est cognitio macrocosmici Salvatoris: qui cœlum est Philosophorum sive verbum regenerationis, quod non nisi unum solum per totum mundum diffusum, ubique in omnibus rebus, in corporibus animalium, hominum, brutorum, plantarum, arborum, fruticum, metallorum, mineralium, & lapidum reperitur. Hoc unum ergò, si semel cognoveris, ac intus in arcanum & intimum cordis scrinium abscondideris, secretò illud ac tutò tecum portare quovis gentium poteris, sive per mare, sive per terram sive per saxa, per ignes iter facere libuerit.

HERMES.

CUstodi igitur argentum vivum, quod fit in intimis thalamis, in quibus coagulatum est. Ipsum enim est argentum vivum, quod dicitur dè terra residua.

SCHOLIUM.

ARgentum vivum esse primam materiam sive primum ens omnium metallorum, apud Philosophos Chymicos sat constat. Sed cave existimes id esse argentum vulgare, vel mercurium vulgi, quem lythargyrum quoque nominant. Argentum quidem est, sed non vulgare. Vulgare enim mortuum, & ad opus physicum per se minus aptum: sed vivum est, Philosophicum, hoc est, arte coadjuvante natura ritè præparatum. Mercurius est, non vulgi, sed Philosophorum, igneus, vitalis, currens, qui miscetur omnibus corporibus, & rursus ab iisdem separatur. Locus, in quo generatur argentum vivum, indicatur his verbis: fit, inquit author, *in intimis thalamis, in quibus coagulatum est.* Philosophorum aliàs tritum est, quod iis in locis, ubi crescunt metalla, nulla reperiantur metalla.

Inventu igitur erit locus eò difficilior, quò abstrusior est in mineris terræ absconditus. Sed hîc distinctionem notabis inter mineras metallicas vulgares, & mineras Philosophicas occultas. In illis reperiuntur, sed non crescunt: in his verò crescunt, & non reperiuntur. Lege de his œconomiam mineralem Paracelsi, qui fusè illic tractat hujus differentiæ causam: Hoc ipsum argentum vivum de terra Philosophica residuum, si rectè noveris, accuratè custodiendum erit. Si fortè metus est, ne diuturnitate temporis vitium contrahat: exemplum imitari poteris Romanæ Ecclesiæ: in qua umbilici infantum aduruntur in cineres, ut diu ad diem videlicet usque cinerum, qui Mercurii dies est, Gallicè des *cendres*, conservari queant. Si pari modo argentum tuum vivum vi ignis combusseris, ac in cinerem converteris, edacitati temporis magis resistet, & in infinitos conservabitur annos. Dignum certè, ut diligenter custodiatur. Est enim thesaurus incomparabilis, & res auro ipso pretiosior: Unde etiam auro longè antefertur à Philosophis. Aurum enim in Ros. Philosophorum fingitur ita mercurium compellare: An, inquit, præfers te mihi, & ego sum Dominus lapidum expectans ignem. Dicit ei mercurius: Utique, sed ego genui te, & ex me natus es: & ego sum secretum totum, & in me occultatur scientia; quia converto omnia corpora in Solem & Lunam, cum natura mea talis sit, quod durum mollifico, & molle induro.

HERMES.

QUi igitur verba mea nunc audit, ipse ab eo inquirat, qui nullius malefactoris opus justificat, & nullum benefactorem præmiis privat: Quia omne quod celatum fuerat de hac scientia detexi, maximum arcanum & scientiam intellectum habentibus patefeci.

SCHOLIUM.

PHilosophorum sermo parabolis, ænigmatibus & mille troporum involucris tectus, non prima statim fronte cuivis patere debet. Neque etiam omnibus conveniunt omnia. Causa autem obscurioris dictionis in Chymicorum scriptis, partim suprà explicata est, partim in sequentibus explicabitur. Sin verò quis diuturnioris meditationis ac inquisitionis impatiens, expeditiorem viam ex hoc Chymico labyrintho evadendi desideret: en fidele authoris consilium, qui jubet à Deo sensum suorum verborum petere. Deus enim in privatis impiorum consiliis haud quaquam conveniet: nec vicissim piis & cordatis viris sua denegat præmia. Fugere autem mala, & bona sectari, decet verum artis discipulum, ab ejusmodi pietatis armis qui instructus & probè munitus fuerit; intrepide ad hoc sacrum accedere potest studium, & sine dubio voti compos fiet.

Nam tantùm sacris hæc sacra nosse datum est.

In malevolam autem animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore peccatis subdito. Sap. 1. Ac quamvis author multa de nobilissimo arcano dixerit, & nihil intermiserit de his omnibus, quæ scitu in hac scientia sunt necessaria: tamen palàm fatetur, hoc tantum revelatum esse mysterium intelligenti. Ex quo sequitur, eos qui fatuo & tardo sunt ingenio & animo malitioso, ab hoc arcano penitus excludi. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, Sap. 1. 6.

HERMES.

SCitote ergo, rumoris inquisitores, & sapientiæ filii; quod vultur super montem existens, clamat voce magna: Ego sum albus nigri, & rubeus albi; & citrinus rubei, & certè veridicus sum. Et scitote, quod caput artis est corvus, qui in nigredine noctis, & claritate diei volat sine alis. Ex amaritudine in gutture existente, coloratio accipitur: à suo verò corpore rubor exiit, & de suo dorso mera aqua accipitur.

SCHOLIUM.

QUare studiosi Chymiæ, ab Hermete appellentur *rumoris inquisitores*, videtur ideò fieri: quod utramque famæ fortunam, bonam & malam, laudem & vituperium experta sit alchymia: utpote de qua varii per totum terrarum orbem sparguntur rumores. Sunt enim qui laudibus eam in cœlum usque extollunt, nullamque artem generi humano utiliorem post SS. Theologiam prædicant: Aliis rursus eandem à Plutone inventam, & ab inferis in humani generis perniciem productam, impiè blasphemare non erubescunt: & propterea non tantùm artem abrogandam, sed simul etiam artifices è medio nefandè & crudeliter tollendos esse contendunt: immemores videlicet hujus, quod quodam in loco Poëta canit:

Inscius, quæ non capit, ea carpit:
Doctus at mysteria tanta ridet.
Ambo sic pergant: fatuus sed unus
Invidus alter.

Et ſic ars innocentiſſima, per ora hominum paſſim volitans, culpatur ab his, laudatur ab illis; adeò ut famoſiſſima meritò dici, ejusque diſcipuli rumoris ſive famæ, vel famoſæ artis indagatores non ineptè appellari mereantur. Mons autem Philoſophorum, ſuper quem vultur ſedet, ſummæ eſt altitudinis & in ima parte muro fortiſſimo igneo undiquaque cinctus & probè munitus, non habet niſi unicum oſtium, per quod intrare & exire licet artifici. In hoc montis limine ſitus eſt Draco pervigil, nomine πανοπτόφθαλμος. Nam in utraque corporis parte antica & poſtica plenus eſt oculorum, & partim clauſis, partim apertis dormit oculis, adeò intentus eſt aſſiduis vigiliis in cuſtodiendo montis oſtio, ne fortè indignus ingrediatur, & illotis manibus aſcendat ad culmen ſive ſummum faſtigium, cui impoſitus eſt lapis Philoſophorum, qui ſi ſemel auferatur à quopiam, in unius horæ momento ſtatim ſuccreſcit alius: ita ut in duodecim horis, vel die uno duodecies lapidem multiplicatum decerpere liceat. Sed impoſſibile eſt quempiam per hoc oſtium intrare poſſe, niſi Draco, clauſis oculis omnibus, ſuavi & placido ſopore correptus penitus indormiſcat. Hoc opus, hic labor eſt, invenire ſcilicet modum ſive remedium aliquod, quod beſtia iſta circonventa, in tam profundum incidat ſomnum, ne ante juſtum tempus è ſomnis excitata, artifici intranti, & de monte rurſus deſcendenti, & per oſtium exire volenti noceat, & præſentiſſimo ſuo veneno, quod in poſtrema caudæ parte abſconditum geſtat, miſerè hominem enecet, omnemque theſaurum acquiſitum hactenus montis poſſeſſoribus ſive inquilinis reſtituat. Triplicia igitur medicamenta ad hunc aſſequendum ſcopum inprimis neceſſaria videntur. Primùm præparandæ ſunt arte Chymica pilulæ mercuriales ex argento vivo crudo & aloëpatica Chymicè præparatis & depuratis, quibus adde in parva quantitate extractum abſynthii & extractum centaurii ad amaritudinem in ipſis augendum: f. maſſa pilularum: ex qua formentur pilulæ: numero 4. ad magnitudinem globuli plumbei bombardici, crucigeri monetarii rotunditatem æquantis: deaurentur, ne illarum interno amarore in lingua aut gutture percepto, Draco præ nauſea modò deglutitum pharmacum rurſus evomere cogatur. Si igitur ad montem accedere animus fuerit, unam pilularum geſtabis manu aperta adverſus Solis lumen, quo irradiata, auri inſtar Ungarici optimi ſplendeſcere incipiet, & radiorum ſuorum reflexione excitabit beſtiam, quæ decepta aureo illo ſplendore pilulam, quam pomum aureum ex horto Heſperidum ablatum eſſe opinabitur, mox deglutiendam affectabit. Quod ſi animadvertes, ſine mora in terram projicies pilulam, quam adhuc inter cadendum avidiſſimè excipiet, & devorabit beſtia: ſed cave ne fortè propius ad illam accedens in manu, vel alia corporis parte damnum capias. Prima devorata, ei quoque porriges ſecundam, tertiam & quartam: donec aſſumtis omnibus, amaror pilularum cum acutiſſimo Mercurii veneno, ſenſim à ventriculo ſurſum aſcendendo guttur & fauces occupet, & ingentes ibi dolores cum rubore & tumore, variiſque aliis ſymptomatis excitet, ita ut beſtia præ nimio angore & ſqualore in omnibus membris ſentiat ſummam laſſitudinem & debilitatem. In tali imbecillitatis anguſtia conſtitutus Draco, ſummoperè deſiderabit corroborari electuario quodam refectivo. In quo caſu nullum occurret præſtantius remedium, quàm electuarium confectum ex croco Martis, & foliis auri cum extracto roſarum rubrarum & tantillo ſpiritus vitrioli, ad aciditatis ſuavitatem conciliandam. Ex hoc electuario tres finges bolos latis grandes, pro beſtiæ faucium capacitate, quos ipſi præbebis ingerendos: primo deglutito, dabis & reliquos duos, & ſtatim paulò melius habebit. Quia tamen ex continuis ejuſmodi vigiliis adeò exhauſtæ ſunt vires, ut, niſi per quietem arte comparatam reparentur, vix ad integram redire poſſit valetudinem; accedendum igitur erit ad tertium & ultimum remedium, quod eſt aqua in hunc modum deſtillata: R. florum roſ. rubr. borrag. bugl. nenupharis, ſem. papaveris & hyoſcyami, addendo parùm opii, à ſuo fœtore & venenata qualitate repurgati. Incidendis inciſis, & terendis tritis; fiat maceratio ſive digeſtio in rore Solis per triduum aut quatriduum in loco tepido: poſteà inde deſtillabis aquam, cujus facultas erit confortandi cor, & ſuadendi ſomnum. Nam ſi de ea hauſerit uncias duodecim, quæ faciunt libram unam, tam profundiſſimum ſubitò incurret ſomnum ut per diem & noctem integrã continuo ſomno oppreſſus requieſcat: nec niſi maximo excitato ſtrepitu expergefiat. Interea temporis tutus erit & liber introitus per oſtium montis, & omnis periculi vacuus. In quem ſi intraveris, ibi commorari pro tuo arbitrio poteris, quamdiu voles: Et ſingulis horis novum tibi lapidem majoribus auctum viribus comparabis. Sed poſt ingreſſum, aſcendendo montem, vultur ſive corvus tibi monſtrabit iter, quo ſit eundũ.

Ac quamvis hic tantum unius corvi fiat mentio: tamen tres in hoc Philoſophorum monte tibi occurrent. Niger qui caput eſt artis: albus, qui medium, & rubeus, qui finem rerum omnium imponit. Ultimus enim appetitus naturæ eſt in rubedine noſtra. Neque mireris, quod tot colorum differentias ſive varietates in corvis ſtatuamus, licet non niſi nigri vulgò ſint noti. Fateor equidem, nigros eſſe vulgatiſſimos: poſt hos tamen non rarò his meis oculis vidi etiam albos, in aulis principum & Regum, ut Dreſdæ in Miſnia in Electoris imperialis horto, & alibi. Tandem verò rariſſimi ſunt rubei corvi, quorum non niſi duos memini me vidiſſe in magna iſta Regis noſtri Chriſtianiſſima cavea, quæ extructa habetur in horto regio apud pagum quendam, quem fontem bellum, vulgò *Fontainebleau* vocant: quanquam & hi non omnino rubei, ſed variegati rubris plumis tantùm erant. Tori verò rubei, ut dixi, rariſſimè ſe dant in conſpectum hominum, nec, ut ingenuè fatear veritatem, à me hactenus, niſi fortè, me inſcio, conſpecti fuerunt unquam. Eos tamen veriſſimè exiſtere, teſtimonio virorum fide digniſſimorũ non ſolùm probare poſſum, ſed id etiam dictitat ipſa ratio. Hi igitur tres corvi, ut & antea præmonui, tibi præmonſtrabunt viam voce ſive clamore ſuo. Sed voces illorum tàm ſubtiles & delicatæ ſunt, ut non ſenſibus externis, ſed internis potius & mentalibus verè percipiantur. De his lege Pſ. 19. Ubi ſcriptum eſt: Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Primus equidem ex amaritudine in gutture ſuo exiſtente, rauca & inconcinna voce ſua aditum tibi parabit ad album. Hic verò ſuaviori edito vocis ſono promovebit te ad ſummum & ultimum rubeum, qui angelico ſuo & ſuaviſſimo cantu, omnes canoras aviculatum, luſciniarum, & cygnorum voces facilè ſuperante, te amicè excipiet, & harmonia dulciſſima te ad laudem ac gloriam Dei canendum excitabit, præcantando: *Mirabilis Deus in operibus*

ſuis

suis, & tu respondebis: *Pleni sunt cœli & terra majestatis gloriæ ejus.* Et postquam gratias egeris summo, maximo, & omnipotenti Deo in pace reverteris ad tuos, ne è somnis resuscitato Dracone, fortè periculum sit in mora.

HERMES.

INtelligite ergo & donum Dei accipite, & ab omnibus insipientibus celate. De cavernis metallorum occultus est, qui lapis est venerabilis, colore splendidus, mens sublimis, & mare patens. Ecce vobis exposui Deo gratias agite, qui hanc scientiam vos docuit: Gratos enim deligit.

SCHOLIUM.

FRequenter admonet author suos discipulos, ut hoc singulare Dei donum debita reverentia agnoscant, & omnes fatuos ac insipientes ab eodem abigant, & excludant. Enarrat præterea lapidis quasdam proprietates, eumque occultum nominat, hoc est, paucis cognitum: venerabilem, hoc est, in summo precio habendum: colore splendidum: hoc est, rubicundissimum. Est enim rubedo ultimæ perfectionis certissimum signum. Mentem sublimem, id est spiritum sublimatum & exaltatum. Mare patens, id est, aquam mercurialem perennem, fixam, & in igne permanentem. Has omnes proprietates in se continet lapis, quas ante ipsius confectionem, nemo tam exactè scire potest: sed tum demum erumpunt, cum præparatus existit: non secus ac in arbore pyro ignoratur, quales protrusura sit fructus, donec tandem oculis tuis manifestò videris, ipsam produxisse pyra, non poma, non pruna, non cerasa, nec alterius generis fructus. Quia igitur Hermes proprio experimento omnes istas vires & proprietates in lapide cognovit, illas quoque docendo, liberaliter communicat suis discipulis, ad quos nondum pervenit experientia, ut & hinc aliquid utilitatis & emolumenti percipiant. Non autem pro fideli hac institutione sibi, sed Deo vult gloriam & laudem tribui. Deo, inquit, gratias agite, qui hanc scientiam vos docuit. *Hermes plantat: Paracelsus rigat: Deus autem dat benedictionem & incrementum.* Huic igitur soli grates immortales persolvendæ sunt pro omnibus rebus. Gratos enim diligit: Estque gratiarum actio ad plus dandum invitatio.

HERMES.

POnite igitur eum in humido igné, & coquere facite, qui humoris calorem augmentat, & incombustionis siccitatem necat, donec appareat radix: deinde rubedinem, & partem levem ab ipso extrahite, quousque tertia pars remaneat.

SCHOLIUM.

COncoctionis tres species sunt: Prima fit à calore externo igneo in humido, & dicitur elixatio. Secunda perficitur à calore externo in sicco, & uno verbo vocatur assatio. Tertia autem fit ab interno calore naturali in humido, & dicitur Græcis πέπανσις. Quæritur nunc, de quanam specie hîc loquatur author, num de prima, an de tertia: quia utraque fit à calore in humido. Sed differentia tantum est observanda inter utramque, quod prior fiat à calore externo igneo: tertia verò à calore interno naturali. Si res meo staret suffragio, utramque sanè speciem tàm primam quàm tertiam ad opus hoc admittendam statuerem. Est enim natura internum generationis principium: non tamen operatur, priusquam accedat externum aliquod adminiculum, quod excitet illud internũ. Ergo calor hac in arte adhibẽdus duplex est. Externus, qui excitat: Internus, qui perficit; juxta hos versiculos:

Naturam in primis imitabere in arte magister.
Hanc massam exterior tantum calor excitat ignis
Ætherao interior, sed perficit omnia fotu.

Quos ita in Gallicam nostram transferre placuit.

Ouvrier sur tout aye cure,
Que l'art imite nature.
L'externe feu de charbon
Rend la matiere alterée.
Mais l'interne & l'atherée
Fera ton ouvrage bon.

Uterque tamen in humido fieri debet. Omnis enim generatio naturaliter fit in calido humido, quod Hermes vocat ignem humidum: quasi diceret duplicem ignis calorem, externum & internum hîc adhiberi volo. Videmus enim ex quotidiana experientia, quod Solis calore post fœcundam pluviam superveniente, herbæ, & omnis generis arbores, & fruges magis magisque ad generationem prolectentur, quæ alias tempore arido, & Sirio campos nimis exurente, tanquam exuccæ & exangues sterilescunt. Lapidem itaque hoc duplici coquendum calore, vult Hermes in quo augmentatur, hoc est, in ultimam maturitatis perfectionem exaltatur, & tamdiu hoc ignis genere continuè conservatur, donec appareat radix, h. e. semen metallorum. Compertum enim habemus in omnibus plantis ferè & arboribus, quod post revolutum generationis terminum, tandem proferant semen, tanquam speciei suæ propagandæ & conservandæ præcipuum authorem. Eundem processum obtinet quoque Natura in procreandis metallis, quæ post absolutam omnium generationem, tandem arte adjuvante, etiam producit ipsorum semen, quod solum verus est Philosophorum Mercurius, in quem omnia metalla resolvuntur, priusquam mutua invicem unius in aliud fiat transmutatio: Juxta illud Aristotelis, Meteor. cap. 4. ubi inquit: Impossibile est unam speciem metallorum in aliam transmutari posse, nisi prius reducantur in suam primam materiam. Errant igitur omnes, quicunque metalla in Mercurium crudum, & non in radicem, ut Hermes ait, sive in semen suum, quod primum & ultimum vivens in metallis est, ut cor in animalibus, reducere conantur. Natura enim semper progreditur: nunquam autem retrogreditur. Sicut enim Sol cursu suo circulari, ab una cœli plaga orientali ad alteram occiduam progreditur: non autem, nisi miraculosè, retrogreditur: sic quoque de omnium rerum generatione judicandum erit. Quod author insuper his confirmare verbis videtur: *Deinde*, inquit, *rubedinem & partem levem ab ipso extrahito, quousque tertia pars remanet.* De rubedine & ternario numero superius abundè satis dictum est, adeò ut non necessum sit, eadem toties repetere.

HERMES.

FIlii sapientum, Philosophi hac de causa invidi dicti sunt, non quod invideant moratis, nec religiosis, nec legitimis, aut sapientibus: verum ignaris, vitiosis, lege & benignitate carentibus, ne mali potentes fiant ad peccata perpetranda, & inde Philosophi sint Deo reddituri rationem. Nam omnes mali indigni sunt sapientiâ.

SCHOLIUM.

PRæoccupat hîc author quorundam objectionem, qui Philosophos accusant invidiæ: ab hoc igitur crimine ut eos liberet, differentiam ponit inter eos, quibus invideant, & quibus non invideant. Non invident, inquit, moratis & religiosis,

nec legitimis, aut sapientibus. Cur enim his inviderent, cùm horum propria sit scientia. Nulla autem est scientia vera & bona, nisi quæ à Deo inspirata sit, uti suprà copiosè demonstratum est. Deo verò quicunque invidentia sua resistere conabitur, inanem ludet operam. Nam Theodidactus non usque adeò magnificat humanam institutionem: alium magistrum his agnoscit longè superiorem & doctiorem, quàm sunt pulverulenti isti hypodidascali: utcunque ipsi clamitent contra nos & nostram doctrinam. Novimus enim illorum cavillationes, dum se mirari inquiunt, quod & nos ad honorum & dignitatum gradus suscipiendos admittamur, cum vix unum atque alterum verbum latinè proloqui possimus. Quasi verò artium & scientiarum dignitas pendeat à latinitate, & nemo doctus haberi debeat, nisi qui latini sermonis puritatem & elegantiam ad unguem calleat. O miseri censores, vestram quidem gloriam in eo quæritis, ut quicquid tentatis dicere, id purè, tersè, eleganter, ornatè, præclarè, ritè, scitè, politè, justè, venustè, gnaviter & graviter dicatis. Sed hoc de vobis olim prædixit Esaias cap. 31. inquiens: Ubi est literatus? Ubi legis verba ponderans? Ubi Doctor parvulorum? populum impudentem, non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus: in quo nulla sapientia. Hactenus ille. Solliciti enim magis estis de cortice, quàm de medulla rerum, & sic umbram præfertis essentiæ, fluxile & momentaneum stabili & sempiterno. Nos autem magis delectamur veritatis doctrina, quæ cum Christi, qui veritas ipse est, & Naturæ legibus essentialiter sive realiter, non autem tantum verbaliter sive literaliter, ut ita loquar, conveniat. Hanc ut assequamur, summis viribus contendimus, nihil morantes, in quacunque id fiat lingua: sive illa fuerit Hebraica, Chaldaica, Syriaca, sive Græca, Gallica, Italica, perinde nobis erit. Sufficit enim nobis rem, ut est, perfectè & exactè tenere: vobis lubenter relinquimus superficialem illam & externam verborum pompam. Ex qua quid tandem re portetis, exitus palàm docet. Quia enim fumum venditis: fumus quoque sive pessimus oris halitus & lingua gloriosa, petulans & superba, vestrum plerosque pessundat. Sed aliis Latinæ linguæ peritoribus me, hanc ventilandi partem relinquam, ne tudior Latinismi, ceu vulpecula ista Æsopica, cui abscissa erat cauda aliis quoque hanc linguam deserendam suadere videar. Diximus itaque, quibus Philosophi scientiam suam sacratissimam non invideant, nempe iis qui sunt moribus probatis exculti, fide & pietate præstantes, & genuinæ sapientiæ filii. Cæteris autem ignaris, vitiosis, lege & benignitate carentibus jure summo invident. His enim si communicarent artem, quid, quæso, aliud agerent, quàm ut furioso committerent gladium, & lascivam juvenculam aut meretriculam præficerent gynæceo. Annon hoc pacto peccandi occasio, quam author suprà arripiendam seriò prohibet, daretur ampliſſima? Ergò ne tale quid accidat, & ne Philosophi de his omnibus cogantur Deo rationem reddere, nulla arte hoc malum præcaveri posse judicârunt, quàm ut secreta sua intra taciturnitatis cancellos tutò reservarent, ac nemini quicquam de his, nisi probis & dignis, revelarent. Mali enim indigni sunt sapientia.

HERMES.

Scito, quod hunc lapidem nomine voco: nam ipsum fœminam magnesiæ nuncuparunt, sive gallinam, sive salivam candidam, lac volatilium, & cinerem incombustum, ut ab insipientibus, intellectu, lege, benignitateque carentibus, celent ipsum, quem tamen sapientibus uno noto nomine nominavi, qui est lapis sapientum. Conserva igitur in eo mare, ignem & cœli volatile ad momentum exitus. Deprecor autem vos omnes filios Philosophorum, per nostrum benefactorem, donantem vobis suæ gratiæ decorem, ut neminiſatuo, ignaro, aut cuiquam inepto hujus nomen pandatis.

SCHOLIUM.

TRia hîc agit potissimùm author: Primò recenset varia & multa lapidis nomina, è quibus unum sapientibus tantum cognitum, sufficere non obscurè innuit. Quale autem istud sit, in superioribus satis superque explicatum fuit. Deinde bis hortatur filios sapientum, ne indignos, avaros illiberales, fatuos, ignaros & ineptos in scientiæ sacrarium introire permittant. Tertiò & ultimò docet, in lapide conservandum esse mare, ignem & cœli volatile ad momentum exitus. Per mare intelligit humiditatem Mercurii: nulla enim generatio fit in sicco, sed in humido, ut paulò suprà notavimus. Ergò in forma liquida Mercurius conservandus erit, citra tamen sui corruptionem. Res enim duræ, inquit Raymundus Lullius, virtutem cœlestem non recipiunt, nec cœlo obediunt: quemadmodum in durum lapidem figuram suam non imprimit sigillum, sed in mollem ceram: ita materia nostra per molitiem vel raritatem fit habilis ad recipiendum influxum corporum superiorum. Et per consequens hoc ipso medio obedire cogitur motui Solis. Hactenus ille. Per ignem autem & cœli volatile intelligitur duplex ignis: externus & internus: qui uterque usque ad finem operis continuò fovendus, & conservandus erit, juxta illud Augurelli Poëtæ Chymici.

Hic igitur ne qua tepidum summoveris ignem:
Et genitalem intus vim vi subeunte moveto:
Ales ut assiduo tepidis superincubat ovis.
Nascendisque adhibet pullis intenta vigorem.
Quem tu continuò morem servare memento
Hanc, ut dum Phœbi circum se verterit orbis.
At si desistas, quo vis intermoriatur
Ignea, continuò quæ fœtum fomite pascit,
Nil agit & subitò cum primis desinet ignis.
Cuncta ruent, quæ non ulla reparaveris arte
Amplius, ac frustrà tentes fulcire ruinam.

HERMES.

NEmo quicquam mihi tribuit, cui non reddiderim, quod ipse dederit, nec ipsum honorare desiti, & in hunc optimam posui significationem.

SCHOLIUM.

HIs paucis tractat Hermes de nota quadam veri filii doctrinæ: ipsa autem est liberalitas, quam si in quopiam advertit, statim bonam de eo concipit spem: & per legem talionis, ipse ex liberali quoque animo benignè reddit omnia, quibus ab ipso antea affectus erat. Præterea eundem quoque debito suo honore non privat, sed amanter colit, & reverenter habet. Hoc enim maximè decet verum & sincerum Philosophum, qui quò fuerit humanior, eò doctior quoque prædicabitur, & majorem etiam laudem apud omnes merebitur.

HERMES.

FIli, hic lapis est celatus multorum colorum, natusque in uno colore: cognoscite illum & celate, Omnipotente concedente, morbum maximum, tristitiam, omne nocumentum, & angustiam eo evadetis,

deris, de tenebris ad lucem, de deserto ad habitaculum, & de angustia ad dilationem ipsius auxilio venietis.

SCHOLIUM.

DE tribus præcipuis lapidis coloribus dictum est supra. Sed author hic plurium adhuc aliorum mentionem facit, è quibus tamen omnibus unum tantùm cognoscendum, eumque cognitum celandum præcipit. Quis iste unicus sit, facilè colligitur esse rubicundus. Quò enim res præciosior & præstabilior, eò citius etiam in electionem venit. Rubicundus autem color cæteris omnibus laudis & præstantiæ palmam facilè præripit, adeò ut nihil eò nobilius ac perfectius sub Sole excogitari possit. Quem si adeptus fueris, juxta authoris monitum celabis. Denique enarrat Hermes eximias dotes absque virtutes lapidis, quibus frui poterit omnis, qui illo, concedente Deo omnipotente, potitus fuerit.

Summum enim ait esse præservativum adversus quoscunque corporis gravissimos affectus: tristitiam pellit, non secus ac medicamentum illud apud Homerum, quod Nepenthes dicitur, quo usa fuit Helena ad animi mœrorem excutiendum, & hilaritatem ac lætitiam inducendam. Rerum jacturam & commoda resarcit, & ab omnibus ærumnis & adversitatibus promptè liberat. Evehit præterea possessores de loco obscuro ad dignitates & honores maximos. Desperatos, & hinc inde in orbe circumvagantes solatur, ac patriis restituit laribus, eosque ex rebus adversis, omnique calamitatum genere ereptos, tam felici beat sorte, ut posthac in tranquillitate & pace totius vitæ curriculum, ex animi voto transigant.

CAPITULUM II.

HERMES.

Filii mi, ante omnia moneo te Deum timere, in quo est nisus tuæ dispositionis, & adunatio cujuslibet sequestrati.

SCHOLIUM.

VUlgò notum est, Philosophiam nihil esse aliud, quàm studium sapientiæ. In hoc autem studio, qui laudabiles facere cupit progressus ante omnia in timore Dei se exerceat, necesse est. Sapientiæ enim initium est timor Domini, ut Sapiens inquit: cui astipulatur idem Hermes lib. de pietate & Philosophia, inquiens: Qui pius est, summè philosophatur: & sine Philosophia summè pium esse est impossibile. Sed non loquitur de spuria ista gentilium Philosophia, quæ nugarum tantum anilium & falsitatum horreum est pleniissimum.

Miror vos Academicos modernos, quod in ipsa Christianismi luce, tanta oculorum caligine & suffusione capti non videtis miserandam illam cladem, quæ promanat ex illa Ethnica Philosophia, quam nihilominus, tamen publicè profiteri non erubescitis. Cum enim in fidem vestram Deus commiserit tenellas juventutis plantulas, hortumque veritatis vobis aperuerit amplissimum, in quo illas omnis generis salutaribus & utilibus præceptis fovere & educare debebatis, vos, neglecta Dei benignitate, in gentilium idololatrarum & mendacium hominum castra impudentissimè transfugistis, sic & vobiscum hunc immerentem juventutis florem simul seduxistis, & adhuc indies seducitis. Quod si horti hujus fortassis ignorantiam prætendatis, id supinæ ignaviæ vestræ, negligentiæque evidens argumentum est: siquidem is non longe abest, sed tàm in vobis, quàm ante & circa vos plantatus exstitit. Ut igitur posthac inexcusabiles sitis: ecce hortus iste est Christus Jesus, Deus & homo: vel si mavultis: hortus iste est in Christo unitus, aliàs tripartitus exstitit, & sic est vel Biblicus, vel Macrocosmicus, vel Microcosmicus: ita tamen ut neque tripartitus absque unito, neque unitus absque tripartito intelligi & perfectè cognosci queat. De hoc igitur horto rectè cognoscendo paucis nunc philosophari constitutum est.

Primum itaque, ut Christi Jesu naturam cognoscatis, scrutari debetis Scripturam: hæc enim est, quæ de ipso testatur. Sed neque vestrum rigare, neque plantare in hoc biblico horto agnoscendo aliquid erit, nisi ipse Jesus Christus incrementum dederit, hoc est, vana & inanis erit industria vestra propria, qua conamini scripturam scrutari: ac quamvis totam scripturam ad unguem memoriter recitare didiceritis, non tamen hæc scientia de Christo essentialis, sed tantum literalis erit. Cùm enim scriptura essentialiter considerata, aliud nihil sit quàm ipsemet Christus Jesus, & vicissim Christus Jesus sit scriptura ipsa: tunc nemo poterit verum scripturæ sensum elicere, nisi legendo & scrutando, illam in & cum Christo Jesu essentialiter percipiat: ita ut non literam, quæ mortua est, & occidit, sed essentiam Christi, quæ sola vivificat, legat, hoc est, legendo ejus essentialiter particeps fiat. Hæc enim realis cognitio ingentes sapientiæ thesauros suppetit. Est enim in illa, ut Sap. 7. legimus, spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Si igitur nostri Academici Theologi pro mortua illa & literali, hanc vivificam & essentialem Christi agnitionem adipiscerentur: Deus bone, quanta inde utilitas miseræ & mox collapsuræ Ecclesiæ redundaret: non tot rixæ, tot discordiæ & variæ sectæ ubique locorum gliscerent: sed pax totius & concordia, quam spiritus sapientiæ incarnatæ, per proprietates illas modò à Sapiente enumeratas operaretur, tàm inter doctores, quàm auditores abundè propagaretur, & constanter conservaretur. Commendo igitur hunc biblicum hortum inprimis Theologis. Sufficiet enim illis hunc diligenter & essentialiter, uti dictum est, excolere: nec opus erit aliunde accersere tot ac tam varia hominum commenta in quibus plerunque propria magis quàm Dei gloria quæritur. Omnis enim scriptura, teste D. Paulo 2. Timoth. 3. divinitus (non humanitus) inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad eruidiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne bonum instructus. Et hæc de horto biblico, qui est Christus Jesus, dixisse sufficiat. Nunc de horto microcosmico, qui est Christus Jesus, pauca in medium proferemus. Sicut enim de Christo Jesu testatur scriptura, sic de Christo Deo testatur creatura sive magnus mundus: & de Christo homine, microcosmus sive parvus mundus, qui est homo. Hæc autem ad propositum nostrum, clarioris tantum doctrinæ causa ita distinguo, quamvis non ignorem, quemlibet hortum de qualibet natura in Christo testari. Si igitur Dei cognitionem in Christo habere cupis, ex macrocosmico horto eam tibi comparabis: non autem, priusquam lumen majoris mundi ex solius Dei gratia tibi ortum fuerit. Orto autem

autem hoc lumine, mox cum Hermete Triſmegiſto exclamando fateberis, Deum eſſe inviſibilem mundum, mundum verò eſſe viſibilem Deum: & cum D. Paulo ad Rom. 11. Ex ipſo: & per ipſum & in ipſo eſſe omnia. Idem Hermes lib. 11. ad Tatium: Deus, inquit, eſt univerſum: & in univerſo nihil eſt, quod non ſit Deus. Unde neque magnitudo, neque locus, neque qualitas, neque figura, neque tempus circa Deum eſt. Univerſum enim eſt. Univerſum autem per omnia & circa omnia. Qui univerſum eſſentialiter cognoſcere volet, is neceſſariò id cognoſcet ex univerſo, per univerſum, & univerſo. Quamprimum enim quis deſertor univerſi factus fuerit, is non amplius verſabitur in lumine, ſed ab uniuerſo, quod eſt Deus & lumen Naturæ, in particularitatis tenebras, ex quibus nulla perfectionis ſalus unquam ſperanda incidet. In hoc igitur univerſali macrocoſmico horto agnoſcendo excolendoque maximè laborare, & omnem ſuam operam impendere debebant omnes Phyſici, Medici, Aſtronomi, Chymici, & aliarum artium naturalium magiſtri. Invenient enim in eo omnis generis pulcherrimas & utiliſſimas ſcientiarum plantas, quibus profeſſionem ſuam quilibet ornare & amplificare poterit: ita ut in poſtremum ab omni librorum de rebus Phyſicis ſcriptorum lectione facilè ſint excuſandi. Libri enim ſcripti ſimiles ſunt terræ petroſæ in quam ſemen projectum, continuò quidem exoritur, ſed ſuperveniente ſolis ardore æſtuat, &, quia non habet radicem, areſcit. In horto vero macrocoſmico noſtro, terra eſt optima, in quam ſi ſemen ceciderit, fructũ dabit centuplum & millecuplum. Reſtat adhuc hortus tertius, nempe microcoſmicus, qui eſt Chriſtus homo: Hanc igitur tàm in Chriſto quàm in homine, ut cognoſcamus, neceſſe erit nobis prius deponere carnem Adamicam, & induere novum hominem, ſicut eſt ipſe Chriſtus, qui primogenitus inter filios Dei factus eſt. Jam autem in noſtra poteſtate ſitum minimè eſt, ut exuamus veterem Academiam creaturam. Sicut enim Hermete teſte, terrena non agunt cœleſtia, ſed cœleſtia in terrena, ita homo Adamicus non poteſt in Chriſtum agere: ſed neceſſe eſt, ut Chriſtus agat in hominem. Nulla autem fit generatio nova ſine rei generandæ putrefactione vel mortificatione. Homo igitur, ut de novo deſuper regeneretur, cum Chriſto moriatur neceſſe eſt, idque per agnitionem ſuorum peccatorum & ſeriam ac veram pœnitentiam: in qua ſimul cooperante Spiritu Sancto per fidem veram in Chriſtum, novæ creaturæ ſemen concipitur, quod temporis progreſſu germina producit, & tandem fructus pœnitentia dignos abunde profert. Hujus microcoſmici horti cultores debent eſſe omnes liberalium artium & Juriſprudentiæ profeſſores. Sicut enim Adam ante lapſum omnium artium cognitionem abſque præceptore perfectè tenebat: eratque juſtus & perfectus: ſic novæ creaturæ homo poterit poſt regenerationem in Chriſto, ex Chriſto, & per Chriſtum omnium rerum artiumque ſcientiam, omnemque juſtitiam, æquitatem & judicium rectum, ſibi abſque ullo magiſtro & abſque ullo corpore & codice juris perfectè comparare. Hic enim ſolus eſt ille Dominus, qui dat ſapientiam: & ex ore ejus prudentia & ſcientia. Prov. 2. Imò ille eſt ipſamet ſapientia incarnata clamitans: & prudentia dans vocem ſuam: In ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam, in mediis ſemitis ſtans, juxta portas civitatis, in ipſis foribus loquitur, dicens: Veni, dilecte mi, in hortum meum, & comede fructum pomorum mearum. Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, & bibite, & inebriamini, chariſſimi. Dilecte mi, deſcende in hortum meum ad areolam aromatum, ut paſcaris in hortis, & lilia colligas: deſcende in hortum nucum, ut videas poma convallium, & inſpicias, ſi floruerit vinea, & germinaverint poma punica. Proverb. 8. & Cant. 5. 6.

Sed quia, proh dolor! omnes omnium artium & facultatum magiſtri, hodie deſpicatui habent hunc ſalubertimum & unicum omnium ſcientiarum hortum; qui eſt Chriſtus Jeſus, Deus & Homo: nec inſuper eo, quo debebant, modo tripartitum iſtum hortum Biblicum, nempe macrocoſmicum, & microcoſmicum, vel minimo ſaltem digito attingunt: in duplicem ſeſe calamitatem, unà cum omnibus ſuis diſcipulis turpiter conjiciunt, in apoſtaſiam videlicet, & imperfectam donorum ſcientiarumque adeptionem. Dum enim hoc veritatis horto relicto, flores ſcientiarum in conſpurcatis & fœdatis gentilium agris colligere tentant, pro veritatis floribus, roſis & tritico, metunt mendaciorum ſpinas, tribulos, lolium & zizaniam: & ſic transfugæ iniquiſſimi, debitas juſtaſque perſolvunt pœnas: Deus enim, ut D. Paulus loquitur, Ro. 1. trahit illos in deſideria cordis eorum, utpote qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Et ſicut non probant Chriſtum Jeſum pro vero omnium ſcientiarum horto habere: tradit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, &c. Hi nimirum ſunt fructus apoſtaſiæ. Homo enim apoſtata, vir inutilis graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat: huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam, Proverb. 6.

Et, ut D. Paulus addit, qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus. Quotusquisque autem eſt Academicorum, qui poſtquam conſcientiam ſuam probè examinaverit, non hoc in catalogo inſcriptum ſe quoque inveniat. Optandum itaque eſſet, ut reſipiſcerent in tempore, ne deciperentur amplius per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Col. 2. Si igitur ſapere vultis, nolite amplius confidere in doctis ſapientiæ humanæ verbis, ſed in doctrina Spiritus & veritatis. Si autem quis veſtrum ſibi, ut videatur ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum: Dominus novit cogitationes ſapientum, quoniam vanæ ſunt. Nemo itaque glorietur in hominibus. 1. Cor. 2. & 3. ſi verò perrexeritis ſectari gentilem iſtam ſive humanam & inanem Philoſophiam, non tantum nefarii Dei deſertores & apoſtatæ permanebitis, ſed inſuper etiam ſemper diſcentes, nunquam ad ſcientiam veritatis pervenietis. 2. Timoth. 3. Quæ enim perfectio ſperanda eſt ab ingenio humano, quod poſt lapſum primi parentis tàm miſerè fœdatum & laceratum eſt, ut niſi deſuper à patre luminum rurſus illuminetur, per ſe nunquam ad perfectionem ullam

ullam respirare possit. Longè vos superat Hermes, qui Philosophiæ suæ originem deducit ab ipso Deo rerum omnium authore. In purâ igitur hujusmodi & sincera Philosophia Hermetica, quæ ab omni falsitatis lolio sequestrata est, omne vestrum studium & operam ponatis: cùm hæc sola alumnos suos ad majorem & ferventiorem pietatis cultum provocet: adeò ut nullum alium finem Philosophandi sibi proponant, quàm ut ex pietatis veræ cultura Deum, naturam, & seipsos cognoscant. Sapientia enim absque pietate vera est stultitia.

HERMES.

Fili, quicquid audis, ratiocinare: Non enim te puto ratione privatum, nec insipientem. Igitur meas exhortationes suscipe, & meditare, & sic cor tuum coapta, ac si exhortationum author esses. Cui enim natura calida est, si frigidus fiet, non ei nocebit: similiter, qui rationalis est, claudat à se ostium ignorantiæ, ne secus decipiatur.

SCHOLION.

EX omnibus actionibus: quæ inconsulto quodam & temerario suscipiuntur impetu, rarò aut nunquam sperandus erit bonus & optatus eventus. Consilio verò & prudentia, si qua in re, in Chymia certè opus est præsertim si cum magistris ipsis colloquium fortè instituere volueris. Hi enim non contenti rationibus, rationum insuper rationes postulant: adeò rigoroso probationis hamo, omnem discipuli expiscantur angulum. At librorum solummodò lectioni deditus, si rem propositam ad rectæ rationis amussim & naturæ possibilitatem expenderis, salvus eris. Sin vero nudam tantùm literam spectaveris, tanquam rationis inops & imprudens decipieris. Audi igitur fideliter monentem authorem, cujus consilio nullum approbabis propositum priusquam id firmissimis rationum momentis probè munitum fuerit. Sed unde rationes & argumenta illa promenda sint, suprà in capitulo primo evidenter satis declaratum fuit. Si igitur his armis, tanquam lorica & fortissimo corporis munimento, indutus fueris, duplex tibi pectoris robur conciliabis, omnesque sophistarum ictus à quacunque parte imminentes, sine negotio avertes & declinabis. Quemadmodum enim nix cadens super lapidem ignitum, statim diffluit, & in vaporem resoluta evanescit; sic sumpto rationum clypeo, omnes hostiles sophismatum, in scriptis sapientum ubique occurrentium impetus propulsabis, & sic hostibus ignorantiæ propriis fugatis, victoriam tandem obtinebis glorioſissimam: & eos, quos tibi anteà inimicos putabas, in veram & sinceram, æternamque tibi devinctos amicitiam experieris.

HERMES.

Fili, accipe volatile, volans submerge; & divide ipsum à sua rubigine, quæ ipsum interficit; extrahe & repelle ab ipso, ut fiat vivum, ac tibi respondeat non volando in regiminibus, sed volans aperte contineat. Si enim extraxeris ab angustia post angustiam, & in diebus tibi notis ratione rexeris, conveniens comes tibi erit, & eris Dominus separans eo decoratus.

SCHOLION.

IN Chymia duo sunt principia, ex una radice orta, quæ lapidis subjectum, ab omnibus ferè declamantur Philosophis, videlicet argentum vivum, & sulphur: quorum illud volatile est & superius: hoc verò fixum & inferius: ex quorum conjunctione sæpius repetita, fit vera & Philosophica sublimatio ac fixio. Est enim fixio, cum corpus recidit spiritum tingentem, & aufert ejus volatilitatem, & fit per frequentem reiterationem, donec producatur cinis perpetuæ durationis, & totum in igne maneat. Est autem à principio operis lapidis substantia quę per se fixissima, spiritibus non fixis, vel ut Philosophi loquuntur, aquis ponticitatem habentibus, veluti aceto radicato, ac similibus solvenda, ut fiat volatilis. Hac enim ratione aptior erit ad separandam ejus rubiginem. Rubigo enim putredinis genus est in metallis, & certissimum imperfectionis signum.

Hæc igitur ab illis amovenda est per sublimationem, totiesque illa reiteranda, donec volans à fixo retineri, visui manifestum fiat. Non autem præcipitanter hîc procedendum erit neque una statim vice omnia peraguntur: sed gutta post guttam paulatim extrahenda. Possit enim aliàs fieri, ut ex nimia festinatione vel vas frangatur, vel materia detrimenti quid capiat. Cum igitur, teste Salomone, Sap. 11. omnia Deus in mensura, & numero, & pondere dispoſuerit; non oscitanter prætereundi sunt dies noti, scilicet Philosophis. Sapienter enim, inquit author, si ita diebus notis rexeris opus conveniens tibi omne erit, & maxima inde honorum ornamenta tibi evenient: juxta illud Poëtæ stellati ita canentis.

Proinde sophi veteres subtili indagine quendam
Comminenti lapidem, sibi fida viatica cunctis
Permansura locis, nunquam interitura pararunt.
Quo auxilio, varias terras, diverſaque regna
Cernere, & à multis quàm plurima discere possent.

Et paulò post:

Quem qui habet, ille potest, ubi vult habitare decenter:
Nec fortunæ iram metuit, nec brachia furum:
Sed paucos tanto dignantur munere divi.

HERMES.

Fili, extrahe à radio umbram suam, & sordidum, eo quod nebulæ ei supereminent, coinquinant, & à luce retinent, quia angustia, & sua rubedine comburitur. Fili, accipe hunc ruborem, aqua corruptum, quemadmodùm ignis lator est cinis vivus, quem si ab eo semper aufers, quousque rubor tibi purificetur, fit tibi societas, qua calescit, & in quâ quiescit.

SCHOLIUM.

QUemadmodum in Sole ambulantis corpus continuò sequitur umbra, tanquam comes individua, sic hermaphroditus noster Adamicus, quamvis in forma masculi appareat, semper tamen in corpore occultatam Evam sive fœminam suam secum circumfert. Hæc vicem tenet patientis, ille agentis. Cum verò illa ob sexus imbecillitatem, vel potius insufficientem digestionem, impura adhuc & vitiosa, ac nativi splendoris perfectione orbata, ignis examen sustinere nequit: non secus ac aquila spuria, quæ adversus solem volans, splendorem ejus ferre nequit: Degeneres enim lux arguit idcirco omnes istæ dotes, quibus exuta & spoliata existit mulier, sunt ipsi per ignis viui, hoc est masculi beneficiũ reparandæ: rubedo pollυta & maculata in pristinam claritatem, puritatem, & integritatem reducenda: & tantisper depurationis opus continuandum: donec fœmina masculi sui vim recipiens adeò roboretur, ut frigus calorem, & omnes externas injurias sustinere, nullumque non examen subire, & tranquillè tandem in naturali unitatis thoro cum viro gaudere & quiescere possit Sicuti enim Deus ab opere creationis quievit die septimo: qui dies apud Mosen appellatur Sabbatum, id est, dies quietis: ita Saturnus nostræ magnesiæ, ultimam manum imponit operi,

operi, & ab eo quoque die Philosophorum septimo quiescit. Non tamen quiescendo interim opus à se effectum planè deserit: sicut neque Deus à creaturis, post absolutum creationis opus, unquam recedit: sed quiescere tantùm dicitur uterque tàm Deus, quàm Saturnus noster, quod novam speciem præter illas, quas septem illis diebus alter creando, alter generando produxerat, amplius nullam superaddat. Siquidem, ut Deus omnem divinitatis suæ thesaurum, quem ab infinita seculorum æternitate, in se tanquam archetypo absconditum continuerat, septenario dierum nu. complexus, illum nobis per admirandum hoc creationis artificium in suis creaturis manifestavit, & tàm perfectè ac graphicè repræsentavit: ut ne minima quidem nota sit in creatore, cujus non simulachrum aliquod inveniatur in creaturis: eodem modo Saturnus occultè corporum metallorum simulacra in se circumferens, per eundem septenarium dierum numerum tandem, finito opere, omnia corpora explicata in lucem profert. Quod autem otiosus neque Deus, neque Saturnus sit: manifestè demonstrat rerum omnium continuata hactenus multiplicatio: quæ absque Deo, & eodem Saturno, tanquam secundo à Deo rerum naturalium dispensatore & gubernatore, alias impotens & inefficax fatisceret. Magna autem vis & potestas, summumque secretum in hoc dierum septenario latet: ut qui magicè & ex interna sua anatomia, in partes suas sive membra resectus, repræsentat quodammodo universale quoddam & essentiale, tàm Creatoris, quàm creaturæ nomen: ita ut unus septenarius omnem cæterorum numerorum vim ac virtutem plenariè complectatur. Componitur enim septenarius ex ternario & quaternario, quorum characteres vulgò exprimuntur per 3. & 4. quasi dicas, ter quatuor, quæ faciunt duodecim: ita ut in idem recidant septenarius & duodenarius, qui simul per multiplicatum Naturæ artificium sumpti proferunt octuaginta quatuor: quorum Characteres sunt 8. & 4. qui duo numeri per simplicem additionem redeunt in suum principium, nempe in duodenarium & septenarium. Octo enim & quatuor faciunt duodecim. Duodecim autem resolvuntur in ter quatuor: qui per characteres hosce 3. & 4. revertuntur in septenarium numerum. Ex qua conversione colligitur: eundem Deum in creatione, eundemque Saturnum in rerum regeneratione, esse 7. 12. & 84. hoc est, principium, medium & finem: sive omnia in omnibus. Videmus præterea eundem septenarium, ex geminato ternario & simplici unitate duos illos ternarios invicem copulante constare. Saturni enim dies est ille unus, qui ex cæteris omnibus diebus, in unum quasi fasciculum collectis ac colligatis, diem quietis, sive sabbatum producit: ita ut in generationum progressione nihil amplius præterquam unus ille dies septies numeratus reiteretur, & sic consequenter in infinitum usque per se ipsum multiplicetur. Observandum quoque est duplex horum ternariorum discrimen, quorum alius cœlestis, alius elementarius existit. Cœlestis refert tria principia pura & perfecta: elementaris autem tria impura & imperfecta: quæ per unitatem copulativam in unum septenarium perfectum, & omnibus numeris absolutum reducuntur: veluti videre est ex his circulis & planetarum characteribus: o o o-o-o o o, sive ♄ ♃ ♂-☉ ♀ ☿ ☽ (o o o) Hi tres circuli primi referunt tria principia cœlestia (o) Circulus autem unicus medius, est unitas copulativa. (o o o) Tres ultimi sunt tria elementaria principia, quæ per medium circulum in unum, uti dictum est, coeunt.

Johannes Dee Londinas Anglus, suam monadem hieroglyphicam in octonario demùm numero sabbatizare asserit: quæ opinio, si internam rei naturam & proprietatem probè pendamus, nobiscum minimè pugnat. Uterque enim Sabbati dies tam septenarius Saturni, quàm octonarius Solis invicem in essentia conveniunt. Sed hoc tantùm discriminis interest inter utrumque, quod sicut cerimoniæ & sacrificia veteris testamenti præfigurabant Christum, in Maria Virgine, à sancto Spiritu concipiendum, incarnandum, nascendum, occidendum, sepeliendum, resuscitandum, & ad gloriam sive dexteram patris evehendum: nos autem in novo Testamento jam Christum non amplius in figura sive typo, sed reipsa & actu agnoscimus conceptum, incarnatum, natum, occisum, sepultum, resuscitatum, & ad gloriam sive dextram patris sui evectum, & super omnes cælos exaltatum: sic Sabbathum Saturni per septimum diem indicat magnesiam nostram in terra philosophica seminandam, corrumpendam, digerendam, coagulandam, sublimandam, incerandam & figendam: Sabbathum verò solis per octavum diem eandem magnesiam jam seminatam, corruptam, digestam, coagulatam, sublimatam, inceratam, & fixam; & insuper uno gradu altiùs, & suprà septimum Saturni cœlum exaltatam apertè commonstrat. Sic igitur sabbatizat nunc turba philosophica, & unusquisque manet apud semetipsum, nullusque egreditur de loco suo die septimo Saturni, ut olim in Judaismo, sive die octavo Solis, ut nunc in Christianismo.

HERMES.

Fili, carbonem vita extinctum, redde aquæ 30. diebus tibi notis, proinde tu es rex coronatus, quiescens super puteum, ab illo auripigmento, humore carente. Jam gavisa fœci corda audientium, sperantium in te, & oculos tuos te intuentes, spe ejus, quod contines.

SCHOLIUM.

CArbonis vita ignis est, quo remoto, corpori mortuo similis fit. Nec in carbone solùm, sed in cæteris rebus omnibus ignis vitam excitat, fovet & conservat. Imò vitæ essentia aliud nihil est, quàm purus putus ignis: non quidem ille crassus & corrumpens elementaris, sed subtilis ille, cœlestis, & generans omnia, qui, teste Aristotele, respondet elemento stellarum.

Hinc in metallis ob molis corporeæ crassitiem extinctus, aqua philosophica, oleaginosa, & sulphurea resuscitandus est: quod fit, ut author vult, spacio triginta dierum. Numerus certus dierum suprà silentio involutus, hîc manifestis exprimitur verbis. Sed quamuis aperta dierum hîc fiat assignatio: industria tamen artificis in hoc opere plurimum valet. Hic enim potest variis modis operis regimen instituere: tum ratione materiæ, quam accipit: ubi una præ alia perfectioni propinquior existit: tum ratione ignis, in cujus justo ac æquo moderamine consistit totum arcanum & scientia. Si igitur scitè peregeris omnia, ad hanc rem necessaria, regio diademate ornandus eris: quo olim omnes Philosophi præ cæteris hujus doctrinæ ignaris conspicuè emicabant.

Non autem existimes, reges ejusmodi more regum & principum politicorum, externam potentiæ & divitiarum gloriam affectasse & occupasse: cum potius plerique philosophorum in spontanea paupertate quiete vivere maluerint, quam colla suo molesto & pernicioso divitiarum jugo subdere. Unde Anacreon philosophus pecuniam omnem sibi dono ablatam, Polycrati tyranno restituit: utpote

à qua

à qua custodienda plus molestiæ, quàm voluptatis senserat. In quo Hermetici Salvatoris ac Domini nostri exemplum imitari videntur: qui coram Pilato, apertis fatetur verbis, suum regnum non esse de hoc mundo. Ejusmodi enim mundanarum delitiarum maximi contemptores Philosophi, summam voluptatem quærunt ex solo sapientiæ studio, & rebus divinis indagandis: tanquam obedientes Sapientes discipuli, qui Prov. 8. dicit: Doctrinam magis, quàm aurum diligite: melior enim illius fructus est auro, & lapide precioso, & genimina ejus argento electo. O utinam hodiernum seculum id consideraret! non utique sacri auri fame tam plurimi laborarent: qui postquam magnam auri vim per fas & nefas corraserunt, eodem postea ad impios & nefarios usus proh dolor abutuntur, & sic ex propriis nummis sibiipsis comparant infernum, æternum animæ supplicium.

Postquam igitur Philosophus, absoluto opere, potitus fuerit regio isto honore & gloria: super puteum, inquit author, quiescit ab illo auripigmento, humore carente. Puteus est fons Philosophorum, ex quo ipsi hauriunt suum auripigmentum, carens humore, hoc est, aquam suam currentem quidem, sed manus non madefacientem: quam tamdiu digerunt & coquunt aliquot ignibus: donec omnis inde humor superfluus separetur & prorsus exiccetur. Credibile sanè est, non levi, sed maxima inde & incredibili voluptate affici artificem, qui tandem voti sui compos, omne id quod hactenus tempore longo, spe dubia, & desiderio summo expetivit & expectavit, nunc re ipsa experitur, oculis intuetur, atque inutiliter & fructuosè perfruitur.

HERMES.

Fili, notum habeas, quod aqua prius erat in aere, deinde in terra, redde tu quoque eam ad superiora, per suos meatus non inepte eam muta: deinde spiritus suo rubeo priori collecto, & parcè eam conjungas.

SCHOLIUM.

TUrba Philosophorum inquit: convertite elementa, & quod quæritis, invenietis. Sunt enim elementa, ut dicit Philosophus, circulariter conversiva, propterea quod unum elementum cum altero symbolizat. Terra enim, quæ est sicca ac frigida, participiat ex una qualitatis proprietate cum aqua, quæ est frigida & humida. Aer autem humidus & calidus participat cum igne, qui est calidus & siccus: & sic consequenter Terra cum Igne, quoad siccitatem. Sed unum est tantùm verum ac primum elementum lapidis, videlicet terra, quæ calcinatione philosophica exusta, & rarefacta, solvitur postea loco humido in liquorem sive aquam turbidam, crassam, & ponderosam: hæcque sublimatione subtilior reddita transit in aerem sive oleum: quod sublimationis continuatione totum igneum redditur. Sed ut penitus absumatur ejus superflua humiditas, igne fortissimo hoc oleum ultimò reducendum est in cinerem sive terram rubicundam. Et sic Draco devoravit caudam suam: & Pelicanus proprio suo sanguine, è pectore emisso, pullis suis mortuis restituit vitam.

Hic enim Pelicani sanguis est spiritus iste rubeus, de quo author hic loquitur. Nam quoad colorem, rubicundus non solùm est sanguis: sed in corpore etiam humano nullam invenies partem (quamvis is ex partium numero immeritò excludatur à medicorum Galenicorum turba) quæ plus abundet spiritibus, quàm ille ipse, ita ut à medicis quibusdam præcipua vitæ sedes dicatur. Monet præterea author, parcè invicem conjungenda esse elementa. Leges enim naturæ sunt inviolabiles; adeò ut exactè & præcisè sint observandæ:

Quas ultrà citraque nequit consistere rectum.

Sed ne quis scrupulosius, quàm par sit, de elementorum conjunctione sentiat: nihil cum ipsis conjungitur; quàm quod anteà separatum fuit: ita ut separationis & conjunctionis unus sit author & una eademque causa efficiens: quæ nihil aliud est, quàm Archeus terræ, qui in philosophorum mineris, continuo suo labore operi præsto est. Huic inserviunt Gnomi, qui ex innata scientia norunt, quid separandum aut conjungendum, quidve addendum demendumve sit, ita ut non opus habeant sciolis quibusdam consultoribus: qui crassis fatuisque suis operationibus externis, fecem pro terra, phlegma pro aqua, liquorem pinguiorem & subtiliorem pro aere, subtilissimum pro igne, venditant: hæcque invicem confundunt, miscent, & tamdiu macerant, donec tandem aut ab acutâ illorum penetrandi vi, aut ab ignis externi violentia: vasis fractis omniâ vel in cinerem & favillam abeant, vel in fumum evanescant. Et sic quidem crassis stupidisque ingeniis, crassæ ejusmodi merito conveniunt operationes.

Philosophi verò subtiliùs quid & dignius sua contemplatione indagantes, relicto externo isto cortice, in solum elementorum nucleum externum & invisibilem eruendum incumbunt. Quem dum ignari isti sycophantæ non percipiunt, insurgunt in Philosophos, eosque instar canum rabiosorum invadunt, mordent, calumniantur, criminantur, seque illis longè anteponunt. Quid enim inquiunt, sciat ille doctorculus: qui ætatem fere totam tantùm in scholis & literis discendis consumpsit: qui nondum scit vitrum aut vas aliquod probè sigillare, neque carbonum attrectatione manus unquam læsit: Majore labore & sudore opus est, antequam subtilissimi & ingeniosissimi (scilicet) Alchymistarum labores perdiscantur. Hujusmodi quadratum Polyphemum vidi aliquando in amplissima nostrâ Parisiensium urbe, qui natione Græcus sine dubio etiam semper mendax, mala bestia, venter piger, non verebatur oblatrare viro cuidam doctissimo, magno philosopho, cabalistæ, mago, & rerum abstrusarum peritissimo: cui sese non solùm æquiparabat dicens: quantus tu es in lingua latina philosophus, tantus ego sum in mea Græca: sed ex contemptu quoque illum in medicis tantùm rebus solerter satis versatum esse blaterabat: in Chymicis autem ne secum quidem comparandum impudentissimè mentiebatur. Idem mihi aliquando contigit in Helvetia, Augustæ Rauracorum: cum in diversorio quodam inter prandendum contulissem cum quodam Germano, viro alias literatissimo, qui postquam meas objectiones de arte Chymica solvere nesciebat, & in præsentia aliorum juvenum medicorum, sibi familiarium, præ pudore erubescebat, hac rixosa importunitate suæ authoritatis salutem vindicaturus: Tu, inquit, ut ex sermone tuo intelligo, prorsus ignarus es rerum Chymicarum, nec vel carbonem tetigisti unquam. Ego verò, quia antea ex propria ipsius confessione, illum diu laborando, ne tantillùm quidem inde percepisse utilitatis noveram, simpliciter respondi: neque tot ego inutiles feci sumptus, ut multi solent. Sed si miser ille scivisset, quàm parum veri Chymiæ indagatores, de mortuis illis carbonibus soliciti essent: quamque mihi tum temporis labia carbone vivo, ab altari philosophico per angelicam vel potius

tius

tius divinam inſpirationem ad me perlato, tacta ac tincta fuiſſent: majori fortè verborum humanitate meam quæſiviſſet amicitiam: neque tam difficilem ſeſe erga me exhibuiſſet. Sed Antiqua eſt illa inter homines calamitas: ut ſemper virtus & veritas, vim patiendo, premantur: vitium autem & mendacium inſtar ſpumæ in hac immunda mundi olla ebulliendo, ſemper ſumma petant. Quis igitur Philoſophorum erudiat aut arguat ejuſmodi impios irriſores, niſi fortè ſibi ipſi injuriam facere, & maculam contrahere velit? Miſſis igitur ſychophantis iſtis, me nunc converto ad ſapientiæ filios, quibus ſolis occaſionem dabo: & addetur eis ſapientia: juſtoſque docebo, & feſtinabunt accipere. Sciant itaque ſapientiæ filii mixtiones noſtras elementorum non eſſe corporeas, ſed ſpirituales: neque manibus, ſed Archei Gnomorumque opera perfici. Hunc igitur Archeum cum ſuis miniſtris, ſive ſpiritibus diſce probè cognoſcere, & haud longè aberis à veritate, mihique gratiam habebis maximam.

HERMES.

SCito, fili, quod terræ noſtræ unguentum eſt ſulphur, auripigmentum, ſireiz, & colchotar, quod eſt ſulphur, auripigmentum, ſulphura, & ſimilia, quorum quodlibet eſt vilius altero, in quibus diverſitas eſt. Ex quibus etiam eſt unguentum collæ, quod eſt pili, ungues, & ſulphur, de quibus etiam eſt oleum petrarum, & cerebrum, quod eſt auripigmentum, de quibus etiam unguis felium, quod eſt ſireiz, de quibus etiam eſt unguentum alborum, & unguentum duorum argentivorum orientalium, quæ venantur ſulphura, & corpora continent.

SCHOLIUM.

TOt tam multiplicium nominum enumeratio non facit ad aliud, quàm ad cognitionem veræ materiæ lapidis: Non quod unum ex iſtis nominibus, quæ partim nota, partim ignota & peregrina ſunt, materiam verè & ſine ſophiſmate detegat: ſed quod ingenioſi tantum ſapientum filii, ex omnibus ſimul collectis, infallibilem tandem materiæ veritatem eruere queant.

Inter omnia autem inprimis argentum vivum videtur eligendum. Nam Riplæus Anglus, Philoſophus acutiſſimus inquit: Philoſophi vocant argentum vivum, & non vulgare, ſine quo nullum exiſtens eſſe poteſt. Si igitur nihil ſub ſole exiſtit, in quo non reperiatur argentum vivum: non abſurdè hinc illud omnium rerum nominibus appellare voluit author: circa quod unicum ſubjectum multi quidem multos labores, vanos & inutiles inſumunt, & diu quærentes, nihil inveniunt: ſed magis magiſque labyrinthæis ſeſe implicant vinculis, adeò ut tandem omnem prorſus inde evadendi amittant commoditatem. Nimia enim, inquit Philoſophus, feſtinatio ex parte à Diabolo eſt: & hæc quidem non parvam ipſis erroris præbet occaſionem. Siquidem præcipiti quodam raptu, ab inſatiabili habendi deſiderio ac cupiditate concitato irruunt in artem: &, dum illotis manibus, ſacra philoſophiæ myſteria, quæ temerare aut polluere nefas eſt tractare, & re incognita, manum operi admovere conantur, ordine quodam inverſo, ſive, ut in ſcholis loquuntur, per ὑστερονπρότερον, in tantam confuſionem illabuntur ut nunquam hinc aliquid laude dignum conſequantur. Cum igitur maximoperè neceſſaria ſit perfecta ac ſolida argenti vivi cognitio, antequam quid tentetur in hac arte: propinquior autem & facilior via ad ipſius notitiam perveniendi non detur, quàm quæ ſumitur à virium & facultatum ejusdem contemplatione: omnibus hujus profundæ Philoſophiæ diſcipulis hoc fidele communico conſilium: ut omnium primò animo ſuo diligentiſſimè conſiderent, perpendant, ruminent, volvant ac revolvant quaſcunque illas argenti vivi ſive Mercurii Philoſophici virtutes ac dotes, à Philoſophis paſſim hinc inde in ſcripturis ſuis ipſi attributas: per has enim tanquam per manuductionem, adjuvante ſimul divina clementia, abſque ullo dubio pervenient in penitiſſimam ipſius cognitionem.

HERMES.

AMplius dico, quod ſulphur tingit & figit, & continetur, & eſt per tincturarum conjunctiones. Unguenta autem tinguni & fugiunt, quæ corpore continentur, quod eſt fugientium conjunctio uncia ſulphuribus aluminaris, quæque fugientia continent.

SCHOLIUM.

DIſtinguit hic author inter tincturam veram ſive philoſophicam, & inter fictitiam ſive ſophiſticam. Vera fit ex ſulphure fixo & incombuſtibili, ob quam cauſam corpora quoque redduntur fixa & incombuſtibilia. Omnis enim transmutatio ſequitur naturam transmutantis, & non transmutati. Neceſſe igitur eſt, ut ſulphur eligatur optimum ad hanc rem. Vulgare alienum eſt, quia inficit, denigrat, & corrumpit: habet præterea duplicem ſuperfluitatem, inflammabilem videlicet ſubſtantiam, & terream feculentiam. Ergò indagandum aliud erit, quod ignis ſit ſimplex & vivus, quodque corpora mortua revivificet, eaque in perfectionem ſummam, ultimamque maturitatem perficiat. Tale, inquit Avicenna, non alibi reperitur ſuper terram, quam in corporibus ſolis & lunæ: In Sole quidem perfectionis, quia magis & digeſtum & decoctum. Cum hoc igitur ſulphure ſi tinctura præparetur, deque infimo obſcuritatis gradu per medium catenatim provehatur in ſupremum uſque dignitatis ſplendorem & ſpiritualitatem, quodlibet corpus, igne liquatum, tingit, & tam firmiter corporibus adhæret, ut in æternum non amplius ab illis ſeparetur: quia ſic tingens & tingendum una tinctura facta ſunt. Sophiſtica verò tinctura, quæ ex mediis mineralibus, ex ſulphure adurente, arſenicali, aluminari, & ſimilibus conficitur, neque corpora, ſuper quæ projicitur, neque ſuam propriam ſubſtantiam ab ignis violentia defendere poteſt, ſed ſimul cum corporibus fugit, & ab igne evolat in auras.

HERMES.

FIli, inquiſita diſpoſitio à philoſophis una eſt, in ovo noſtro: hoc autem in ovo gallinæ minimè invenitur. Ne autem extinguatur in ovo tanta gallinæ ſapientia divina, ex 4. elementis compoſitio coaptata & compoſita.

SCHOLIUM.

OVi philoſophici deſcriptio varia hinc inde habetur apud philoſophos: quorum alii ſubſtantiam ejus in quatuor partes dividunt, juxta numerum quatuor elementorum, ut hîc Hermes noſter: & ſic putamen eſt terra: albumen aqua: tenerior pellicula aër: & vitellus ignis. Alii in tres reſecant partes, in vitellum, quem ſulphuri comparant; in albumen, quod mercurio ſimile perhibent; & in putamen, quod ſalem ſignificare volunt. Sunt præterea adhuc alii, qui luteum ovi, tres rubeos planetas repræſentare volunt: Martem videlicet,

Solem

Solem & Venerem: album autem quatuor albos, Saturnum, Jovem, Mercurium, Lunam. Ambiens autem putamen esse tanquam cœlum octavum, terrâ sive cinere incombustibili, tanquam stellis fixis ornatum. Hoc ultimum, quidam ajunt, gladio igneo percutiendum, & in duas partes dividendum esse: ita ut verissimè author sentiat, ejusmodi ovum minimè esse gallinæ. Rectiùs aliquis galli, quàm gallinæ esse dixerit. Si enim vera est historia qua gallus decrepitus ætatis annum septimum vel nonum attingens, parere perhibetur, ex quo nascitur basiliscus, serpens venenatissimus, qui solo aspectu hominem enecat: non sanè ovum hoc, tanquam materia prima basiliscî, adeò multum distabit à veneno sapientum, & mortifero, sive aqua Draconis, fœtente & menstruosa. Utut sit, in effectu certè consensum deprehendimus manifestum, ita ut minus sit dubium de simili quoque eademque utriusque essentia.

Hic est sine dubio gallus ille, quem quidam Æsculapio se oblaturum vovit si per annum à morbis liber maneret. Hanc itaque ovi cum lapide similitudinem & conspirationem cum viderent ràm veteres, quàm recentes quidam Philosophi, haud ineptè ejus exemplum in describendo arcano Physico introduxerunt. Sunt autem prætereà aliæ causæ, quibus approbatur ovi exemplum. Quemadmodum enim ovum optimi nutrimenti, bonũ & laudabilem sanguinẽ generat, vires ac spiritus vitales impensè corroborat, & candidũ præsertim ovi, faciem à solis adustione tuetur: Sic quoque mercurius sapientum debito modo præparatus & exaltatus, si in parva quantitate sumitur, corpus humanum non tantùm alit & nutricat, sed ab omnibus etiam præservat morbis: & præterea corpora metallica cõntrà omnem vim ignis tuetur: adeo ut eo tanquam familiari & amico pabulo delectentur, & in eõ, liceat mihi cum philosophis loqui, meliorentur. Videmus porrò ovum vita prorsus destitutum, & corpus mortuum esse: à naturali verò gallinæ incubantis calore vitam recipere, & in certo & definito temporis spatio, pullum vivum, plumis, capite, alis, pedibus, & omnibus necessariis organis ornatum excludere: Non secus ac lapis noster, qui in crasso suo corpore nullum vitale documentum præstat, priusquam in propria aqua stygia solvatur, & in eadem tanquam in matrice sua, quæ idoneum ipsi & moderatum præbet calorem, ad justum tempus digeratur. Quo præterlapso, in vivificum & spiritualem vertitur homunculum, sive medicinam præstantissimam: quæ tot virtutum energiis excellit, ut miraculosè omnibus medeatur corporis infirmitatibus: lepram, quartanam, morbum caducum, apoplexiam, & omnes morbos, quos vulgus medicorum perperam judicat insanabiles, tollat atque perfectè curet. An non hoc est mortuos resuscitare, & mox perituros è faucibus mortis eripere? sive enim ovum spectes vita orbatum, sive metalla imperfecta & quasi mortua sivè ægrotos languentes & moribundos ubique, dicti veritatem agnosces. Sed confutandus hic occurrit eorum error, qui speciem unam in aliam transmutari posse negant: ignorantes distinctionem illam inter species perfectas & imperfectas. Quicquid enim adhuc est in motu ad formam, ad quam ultimo ordinatur, dici debet imperfectum: cum autem fuerit in fine motus, dici debet perfectum. Ovum enim ratione pulli dicitur imperfectum: cum verò in ovum introducta fuerit forma pulli, ad quem tendit natura in ovo tanquam ad ultimum suum terminum: tunc pullus perfectus erit: & species, quæ anteà in ovo erat incompletà sive imperfecta, nunc dicetur in pullo perfecta.

Sic quoque aurum cum jam pervenerit ad finem motus & sic formatum secundùm primam & veram intentionem Naturæ, ipsum solum dicitur perfectum, & cum reliqua metalla sint in motu ad formam auri, dicentur imperfecta: quamvis formas ad invicem habeant diversas, per quas permanent & terminantur, & sint perfecta quodammodo in sua specie: attamen non sunt in ultimo termino motus, in quo est ultima perfectio.

HERMES.

SCito fili, quod in gallinæ ovo maximum subsidium est; & in natura propinquitas: in eo namque est spiritualitas & elementorum collatio, ac terra natura aurum est.

SCHOLIUM.

UTitur hîc author rursus similitudine ab ovo sumta: qua inferre vult, quod, sicuti ovum gallinæ omnia ad pullum generandum necessaria in se continet: sic quoque ovum Philosophorum, sive mercurius noster in se habet quævis sibi necessaria. In ovo inquit, est spiritualitas & elementorum collatio, quæ duo appellat maximum subsidium & in natura propinquitatem. Per spiritualitatem autem intelligit facultatem formatricem, spiritum opificem, & primarium pulli gignendi authorem. Is enim ex coordinatione elementorum quibus utitur tanquam instrumentis, omnia membra tam avis gallinaceæ, quàm Hermeticæ, naturali sua & insita scientia disponit, & fœtum Philosophicum perfectè elaboratum & omnibus numeris absolutum, tandem in hanc lucem edit: quem author respectu elementarii artificii, terram esse dicit: Terram verò esse aurum, hoc est, opus completum. Præterea si literalem vocabuli (Ovum) anatomiam paulò accuratiùs examinabimus, inveniemus in eo omnia ad metallicam Philosophiam necessaria. Fiunt enim metalla ex geminis principiis: ex tribus nimirùm propinquis: qualia sunt Sal, Mercurius & Sulphur: & ex quatuor remotis: quæ sunt quatuor elementa; ut terra, aqua, aer, & ignis. Ut igitur de propinquis primùm philosophemur, litera O, Philosophorum Sal sive Sol est: qui primùm fabricat corpus: quod artifex tractare, & in quamcunque formam ex naturæ præscripto adaptare potest. Sine Sale enim in æternum non coagulabuntur reliqua duo principia, Mercurius nempe & sulphur; propter nimiam ipsorum spiritualitatem, qua prædita sunt: Sal igitur hanc habet proprietatem, ut subtilia reddat grossa, incorporea corporea, occulta manifesta. Unde Philosophus in Turba ait: facite corpora non corporea: & incorporea corpora: Item, sumite occultum & honorabile arcanum, quod est magnesies alba, & quæ est cum vivo mixta, sed non accipiatis eam, nisi puram & mundam, & suo imponite vasi, & orate Deum, ut hunc maximum videre lapidem vobis concedat. Quod verò attinet ad duo ista VV, eandem ambo habent significationem: & per hanc $\overset{V}{\underset{A}{}}$ ut vides positionem, in unam coeunt literam, videlicet in X, quæ litera apud latinos idem, quod denarius numerus, significat, cujus aliàs character exprimitur per has duas notas IO: quasi diceres, *unus circulus*, vel unica circuli revolutio, I. enim unitatis manifestus est character: O, verò circuli: ita ut per hanc crucem X, sive denarium numerum aliud nihil indicetur, quam ipsemet Philosophorum Mercurius: de quo suprà in nostris hieroglyphicis abundè satis tractatum fuit. M. autem, quia millenarium æquipollet numerum: in quo reliquorum numerorum ultima

eſt perfectio, meritò ſulphuris obtinebit vicem. Eſt enim ſulphur ignis, eſſentia quinta, & ſpiritus, qui omnia vivificat & alterat, & omne germen germinat, & omne lumen accendit & omnes fructus florere facit. Quia enim omnia in ſe poſſidet ac complectitur, omnes quoque has functiones, in naturali rerum œconomia adminiſtrat. Et hæc de tribus propinquis dicta ſufficiant. Addemus nunc pauca quædam de remotis, ubi videmus, OVUM ex quatuor literis eſſe compoſitum. Prima igitur litera O refert terram. Terra enim Philoſophica rotunda eſſe debet, & circularis, ut cœlum motu ſuo circa eam operari, & vim ſuam in illam mittere queat. Niſi enim rotunda eſſet terra, Sol & alii Planetæ circa ipſam operationes ſuas exercere non poſſent: ſed curſus illorum aut in circuitu impediretur, aut velociori motu præcipitaretur: ut Paracelſus docet in ſua aurora. Duæ verò ſequentes literæ VU, aquam repræſentant & aërem. Primùm verò V, quia conſonans eſt, litera obtuſior, imperfectiorem quoq; craſſiorem & obſcuriorem aquæ qualitatem denotat. Alterum verò U vocalis, hoc eſt, litera ſonantior ac clarior, perfectiorem ſubtiliorem, & clariorem aeris ſignificat proprietatem. Eſt enim aër Philoſophorum oleum: quod tincturam imprimit conſtantem, fixam & ſtabilem. Aqua verò etiamſi madefaciendo quoq; tingat, levi tamen momento iſta tinctura rurſus abſtergitur. Ultima denique litera M, ignem manifeſtè nobis depingit. Ut enim M, millenarius numerus omnia continet, ita quoque ignis omnia tandem in ſe tranſmutat, adeoque cuncta ignea, h. e. ſpiritualia & cœleſtia reddit. Si igitur tria illa principia propinqua, ſal, mercurius, ſulphur; & quatuor hæc remota, Terra videlicet, Aqua, Aër, & Ignis, arte noſtra ſecreta in unum reducantur corpus: ſeptenarium metallorum numerum ſive verum illud Philoſophicum ſive magicum electrum conſpicuè nobis exhibebunt: in quo omnem naturam mineralem quieſcere & ſabbatizare, ſuprà luculenter ſatis oſtenſum fuit. Ex quibus omnibus palam convincitur: Ovum ſibi ipſi ad partum Philoſophicum producendum ſufficere: nec opus habere aliena Alchymiſtarum, ſufflonum, & inſenſatorum hominum additione.

HERMES.

Filius ad Hermetem inquit: Sulphura noſtra operi convenientia quæ ſunt, cœleſtia, an terrena? Et ille: quædam ſunt cœleſtia, quædam verò terrena.

SCHOLIUM.

SEquitur hîc brevis Dialogus, in quo interlocutores ſunt filius & pater. Filius quæſtione propoſita ſcire cupit à patre: num ſulphura in opere noſtro ſint cœleſtia, an vero terrena? Ad quæ pater reſpondens ait: eſſe ea non uniuſmodi, ſive ejusdem generis: ſed quædam cœleſtia eſſe, quædam terrena: interim tamen in confeſſo manet: ambo eſſe ſulphura. Per cœleſtia ſulphura intelligo Solem: per terrena verò Lunam. Sol enim eſt corpus calidum, fixum, rubeum, & incremabile, qui Lunam fœminam ſuam frigidam, volatilem, candidam & combuſtibilem perficit, & in gloriæ ſuæ ſolium evehit & exaltat. Quod autem ut fiat, miſcendum eſt pugnans cum igne eis conveniente: præliantur, & amicitia fit conſtans: ut mox in ſequentibus pluribus dicetur.

HERMES.

Filius: Pater, puto cor in ſuperioribus eſſe cœlum, in inferioribus terram. Pater. Non eſt ſic: verùm maſculus eſt cœlum fœmina, & fœmina terra maſculi.

SCHOLIUM.

ALiam quæſtionem proponit filius, rogans num cœleſtia à cœleſtibus & terrena ſive inferiora à terrenis gubernentur, foveantur & vivificentur. Cor enim vitalis functionis principium in homine, hîc locum vitæ, hoc eſt, virtutum formalium in quælibet mundana diſtribuendarum obtinet. Sed reſpondet pater, quo res non opinioni filii conſentanea, ſit, ſed aliter ſeſe habeat. Cœlum enim, inquit, eſt maſculus terræ: terra verò fœmina cœli. Unde optimè cum Hermete convenire arbitror Platonicos, qui cœlum intelligunt genitarum gignendarumque formarum omnium ſeminibus conſperſum: ejus verò animam ſeminales rationes comprehendere, quas una divina mens omnes ſuo quaſi ſinu gerit. Quicquid igitur mundi univerſitate comprehenditur, id Deus cœlo elementiſque conſervandum, ortuque aſſiduo continuandum ſubjecit, ut jam nihil, vel ex ſemine gigni genitumque conſervari ſine cœlo poſſit, niſi quid Deus, iis quaſi miniſtris omiſſis, ex ſe proximè miraculo efficiat. Quæcunque etiam ſponte ſua nullo ſemine prodeunt, ut ſtirpes pleræque & animantes, metalla omnia, omneſque lapides, ex uno cœlo formas proprietateſque ſumunt, quod ſemper præſto eſt, & in omnem materiam idoneis præparationibus inſtructam, formam immittit, qualem illa meretur. Hæc itaque cœleſtis cauſa præſtantiſſima & nobiliſſima omnium eſt formarum exemplar, cujus per omnia diffuſa virtus quocunque penetrat: quam Plato mundi animam, alius quidam datorem formarum, Ariſtoteles univerſalem naturam appellavit. Terra verò eſt ſubjectum & receptaculum omnium radiorum influxuumque cœleſtium: ipſa à cœlo fœcundata, omnium ex ſe ipſa eſt gignitiva: omniumque fœcunditatum receptiva, & veluti prima parens, etiam omnium pullulativa, centrum fundamentum, & mater omnium.

HERMES.

Filius, Pater, quid iſtorum eſt dignius altero, an eſſe cœlum, vel terram? Reſpondit, utrique altero indiget: mediocre enim propoſitum eſt præceptis. Ac ſi diceres Sapiens imperat omnibus hominibus: Mediocris enim eſt melior eo, quod omnis natura cum ſua adunatur ſocia. Inveniuntur in virtute ſapientiæ, quod mediocre coadunatur; At ille, Pater ait quid illorum eſt mediocre? Reſpondit: Unicuique naturæ triaſunt duorum Primo utilis aqua: deinde unguentum: inferius verò fæx manet.

SCHOLIUM.

SI igitur magico quodam matrimonio copulanda ſunt cœlum & terra: quæritur, utrum præſtantius in arte ſit, cœlumne, an terra? Reſpondetur: Neutrum ſeorſim quicquam præſtare, niſi ſimul ambo conjungantur. Cùm verò cœlum ſit in ſubſtantia ſua adeò ſimplex, purum, & omnis alterationis expers, ut & hanc ob cauſam ἀσύμβλητον ab Ariſtotele nuncupetur: dubium hîc multis oritur, quomodo poſſit ejus aliqua portio ſive particula, huc ad nos demiſſa, commiſceri cum terra noſtra craſſa, impura, & variis alterationibus obnoxia. Sed ſcrupulum iſtum ex animo tibi eximit Hermes hic verbis: Mediocre enim, inquit, propoſitum eſt præceptis. Quid verò mediocre ſit, explicat rurſus in ſequentibus, ubi dicit, Unicuique naturæ tria ſunt duorum: primò utilis aqua, deinde unguentum: inferius verò fæx manet. Idem eſt ac ſi diceret: Cœlum & terra non poſſunt invicem conjungi ſine medio: non ſecus, ac anima & corpus, ut alibi loquitur, non poſſunt in unum corpus uniri ſine ſpiritu. Spiritus igitur

mediator

mediator legitimus est omnis veri matrimonii tam naturalis, quàm supranaturalis. Cœlum enim ob naturam suam simplicissimam, ac summam perfectionem, est instar animæ. Ut igitur cœlum sive anima cum terra sive corpore naturali unionis thoro copuletur, necessariò spiritus, qui cum utroque participat, & propterea mediocris, hoc est, non simplex & purus nimis, neque nimis crassus & impurus ab Hermete vocatur, suo intercessionis jure & authoritate hanc copulationem firmam ratamque efficiat. De hoc spiritu ita loquitur Marsilius Ficinus libr. 3. de vita cœlitus comparanda, cap. 3. Spiritus iste, inquit, est corpus tenuissimum, quasi non corpus & quasi jam anima: item quasi non anima & quasi jam corpus. In ejus virtute minimum est naturæ terreæ: plus autem aqueæ, plus item aëreæ: rursus igneæ stellarisque quàmplurimum. Hactenus ille.

Hîc quoque Hermes noster trium facit mentionem: Aquæ, unguenti & fæcis. Solem autem aquam utilem pronunciat: fæcem autem ait in fundo tanquam inutilem relidere: unguentum verò ad utrumque ambigens in medio relinquit. Est igitur unguentum spiritus ille, qui manet in medio: aqua verò sive anima in cœlo, & corpus sive terra in fundo.

Iterum anima defœcata sola in cœlum ascendit, quia prius de cœlo descenderat, juxta illud Joh. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est de cœlo mediator videlicet & salvator generis humani, Dominus noster Jesus Christus, qui spiritu suo salvifico, hominem in tenebroso hujus corporis ergastulo illuminat, & in vitam æternam tingit. Is enim est vera lux mundi cujus unica guttula totius mundi tenebras in meram lucem, ipso Sole septies clariorem, convertit: & ut non minus verè, quàm eleganter pieque canit Poëta:

——cujus de lumine lumen
Omne micat, sine quo tenebrescunt lucida, de quo
Lucescunt tenebræ, atque inamœna noctis imago.

Et Solomon Rex lib. Sap. cap. 7. inquit: Is est candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, qui omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit, quique speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparatus invenitur prior. Quemadmodum igitur Christus, almo suo ac divino lumine hominum corda accendit, illustrat, & salutari sacrosancti Spiritus igne purificat: Sic quoque lumen Naturæ, omnia hæc inferiora, mundana & naturalia non tantum illuminat, fovet & conservat: sed accedente saltem elementorum separatione, miranda quoque præstat, non tantùm in metallis repurgandis, sed vim quoque habet maximâ in lapidibus expoliendis & exaltandis, quos per multorum temporum circumvolutionem, in cœlestem ac crystallinam claritatem perfectè convertit.

HERMES.

Draco autem in omnibus his habitat: Ejus autem domus sunt tenebræ & nigredo in eis, & per eam in aerem ascendit, qui est eorum cœlum ex suo oriente: dum autem fumus eis permanet, non sunt perpetua. Sed ex aqua fumum depone, & ex unguento nigredinem, & ex fœce mortem. Et habita dissolutione munere triumphali, quo scilicet possessores vivunt.

SCHOLIUM.

Diximus jam de cœlo & terra, deque eorum matrimonialis conjunctionis medio, aere videlicet sive aqua, quam spiritum appellavimus. Est enim aqua nihil aliud, quàm aër coagulatus: Aër verò est spiritus ille vitalis, cuncta permeans entia omnibus vitam & consistentiam præbens, ligans, movens, & implens omnia. Unde senior Philosophus: Aër, inquit, est ex aqua, nec separatur ab ea, & ex ambobus consistit vita uniuscujusque rei. Videmus enim non rarò ex aquis stagnantibus fœtentibus, & putrescentibus statim infici aerem, qui ex tanta corruptione terram confinem omnem inficit, omnisque generis febres ardentes, pestillentes, aliosque similes horrendos effectus inducit, qui nullo remediorum genere à medicis curari possunt. Quod cum animadverterent nonnulli sagacioris ingenii medici, huic malo sola causæ ablatione succurrendum esse judicârunt. Aerem itaque venenatis & noxiis vaporibus contaminatum, magno lignorum incendio expiarunt, & tam exquisitè repurgarunt; ut sublatis prorsus pestilentibus istis & nocentissimis halitibus, serenam, claram, optimam & saluberrimam efficerent aeris substantiam. Idem usu venit cœlo Philosophico, quod in resolutione sua prima sive putrefactione adeò horrendè inquinatur, ut tanquam venenatissimus Draco suo attactu omnia inficiat: Unde etiam dicitur in tenebrosa domo habitare: nigredinem, fumum, fœcem, & mortem ipsam in se possidere. Quamdiu igitur cœlum ita infectum manet, in pristinam naturam simplicem, puram, fixam, & perennem redire nequit.

Quamobrem autor præcipit, ut Draco per nigredinem ascendat in aerem: quod vix continget, ob ejusdem crassam & ponderosam corporis molem: quæ non sursum tendet priusquam ignis vi & potentia in vitro Philosophico resolvatur in aeream & vaporosam substantiam: & ita soluta, frequenti aeris ventilatione, exactè perpurgabitur, & primævam cœli naturam recuperabit. Quem finem si assecuti fuerint artifices, Deo imprimis hymnum canentes, cum lætitia piè exultabunt.

HERMES.

Scito fili, quod unguentum mediocre, quod est ignis, est medium inter fœcem & aquam; & perscrutator aquæ, quia unguenta & sulphura dicta sunt, quia inter ignem, oleum & sulphur proxima propinquitas est, quia quemadmodum ignis accendit, sic & sulphur.

SCHOLIUM.

Author ipsemet jam explicat dubium quod oriri possit ex vocabulo mediocris: & dicit esse ignem. Quanta autem sit vicinitas vel potius identitas inter ignem, oleum sive aerem, quem suprà spiritum esse diximus, & sulphura: (quæ omnia cum ignis natura participant) quod author probat ex omnium inflammatione, quam in momento, admoto igne, concipiunt tam apertis, hîc ab ipsomet Hermete declaratur verbis, ut si pluribus in iis elucidandis immoraremur, vel ipsissimæ & evidenti veritatis luci, tenebras potius offunderemus.

Sedulo tamen advertendum interim est tàm hîc quàm alibi, quod ex sulphuribus, de quibus Philosophi loquuntur, ea tantum sint eligenda, quæ principiis suis propinquiora. Sicut enim, teste Hippocrate, calore naturali magis abundant infantes recens nati, & vix ab uberibus naturæ ablactari, quàm adultiores: ita inter sulphura rerum, quorum differentia longè lateque se extendit, nobiliora & præstantiora sunt ea tantum, quæ primitivæ sive mercuriali origini sunt viciniora, quàm quæ longiùs hinc recesserunt. Propinqua autem sunt, quæ extrahuntur ex ipso Mercurio, auro & argento: Remotiora, quæ ex reliquis metallis: Remotissima verò, quæ ex cæteris mineralibus, omnibusque animalibus & vegetabilibus educuntur.

HERMES.

SCito fili, quod omnes Sapientiæ, quæ in mundo ſunt, huic meæ ſapientiæ ſubditæ ſunt. His in mirabilibus occultis elementis, artes cæſuum, ſunt quas finit & conſecuta eſt. Oportet igitur illum, qui introduci vult in hanc noſtram occultam ſapientiam, arrogantiæ vitium à ſe expellere, & pium & probum, & profundæ rationis eſſe, hominibus propinquum, ſereni vultus; ſalutare diligenter, & ſibi patentium arcanorum eſſe obſervantem.

SCHOLIUM.

QUod hodiè apud nos Philoſophiæ, id olim apud vetutiſſimos Philoſophos Sapientiæ ſtudium appellatum fuit. Dicitur autem Phythagoras primus fuiſſe, qui tam ſplendidum & magnificum ſapientis titulum recuſarit: & ex ſingulari quadam modeſtia maluerit Sapientiæ amator ſive Philoſophus, quam Sapiens ſalutari. Cui aſtipulatur Theodorus Zvingerus, magnum illud Germaniæ lumen, volumine. 3. Theatr. vit. hum. Sapiens, inquit, ſolus Deus. Hujus amator eſt, & imitator Philoſophus, in intelligendo ſimul, & agendo. Amat, ut potiatur; imitatur, ut exprimat. In hanc ſententiam quoque canit ſtellatus ſive renatus ille Poëta Marcellus Palingenius in his verſibus:

— *O demens, reperiri qui ſapientem*
Poſſe putas quenquam in terris: ſaperè ille videtur,
Qui minus eſt aliis ſtultus, licet inſipiens ſit.
Convenit haud dubiè ſolis Sapientia divis.

Hic igitur quando Hermes ait, omnes ſapientias in mundo, ſuæ ſapientiæ ſubditas èſſe, intelligendum id eſt, de omnis generis ſcientiis & artibus ſive diſciplinis, quas ut ſupra cap. 1. demonſtravimus, ſub ſe complectitur unica Philoſophia Hermetica. Theophraſtus Paracelſus, magnum illud Philoſophorum & Medicorum fulmen, ex eodem Hermeticæ Philoſophiæ fundamento, doctrinam ſuam aliquot centum librorum commentariis comprehenſam deduxit: & ex Philoſophica libertate ſæpenumero Chymiæ κατ' ἐξοχὴν tribuit Philoſophiæ nomen. Hinc ἀταξίας & confuſionis, in tradendis artibus iniquè à nonnullis accuſatur. Sed ſi ejuſmodi cenſores rectè aſſecuti fuiſſent Paracelſi conſilium, proculdubio non tanta reprehenſionis præcipitatione in eum ſurrexiſſent. Jacobus Zvingerus filius Theodori, vir aliàs doctiſſimus & in Philoſophia tàm Hermetica quàm Peripatetica ſolerter admodum, & felici ingenio verſatus, Paracelſum ait confusè & indiſtinctè nimis has tradidiſſe artes, eaſque fetè omnes ſub una. Chymia complexum fuiſſe: cum tamen diverſo conſiderationis reſpectu ſingulæ conſiderandæ fuiſſent Chymiæ enim dicit ſua eſſe principia peculiaria; item Phyſicæ, Aſtronomiæ, Theologiæ, cæterisque, ſua quoque ab aliis diverſa eſſe. Sed poſito hoc, ita eſſe: quomodo verò poterit quæſo aliquis Chymiæ ignarus, ſolidè perſcrutari Phyſices principia, quæ juxta communem philoſophantium opinionem, ſunt tantum meta hominum ſomnia, utpote quæ omni certitudinis fundamento carent, nec quænam, aut qualia illa ſint, verè aut perfectè ſciri poteſt, niſi accedat Chymicus, qui ad oculum demonſtret horum certitudinem. Aſtronomi quoque in prognoſticis & divinationibus ſæpenumero adeò à vero ſcopo aberrant, ut illorum fides noſtro ſeculo valdè periclitari cœperit; ideoque ob nullam aliam cauſam, quàm quod Chymiæ imperiti ex aſtrorum ſuperiori tantùm firmamento affixorum, & longiſſimè hinc diſſitorum viribus, ſitu, & conſtellatione, futura prædicere conantur: in quo tamen turpiter fallantur. Multò enim certior prognoſticandi ratio ſumitur ex illis Aſtronomia, quorum principia, Chymica demonſtratione adeò ſunt ſtabilita, ut non niſi inſenſatus & mente captus illa negare auſit. Aſtra enim Chymicus non longè hinc diſtantia, ſed propè ante pedes jacentia contemplatur, imò non manibus tantum illa tractat, ſed aſcendentium quoque infortunatorum & malignorum curſum, huc illuc, prout vult, impellit, omneque malum in tempore præcavet, & arte ingenioſa depulſat. In Theologia verò ſi fortè incredulus quidam ac ſacrarum literarum rudis & ignarus, quales olim fuêre gentiles plerique, Deum negaret, divini numinis poteſtatem, majeſtatem, & gloriam tam perſpicuè, & ſine omni hæſitationis ſcrupulo demonſtrabit Chymicus, ut quaſi vi aliquis ire cogatur in confeſſionem Dei alicujus Opt. Max. cujus poteſtas & magnificentia ſit infinita & immenſa. Sic conſequenter judicium eſto de cæteris quoque omnibus propemodum diſciplinarum generibus.

Quod cùm ita ſit, maximam ſane Chymiæ dignitatem & excellentiam eſſe nemo inficias ibit. Eſt enim illa fax & lumen, cujus ſplendore, artium & ſcientiarum veritas, quæ aliàs pſeudodoctorum vitio in profundo & tenebroſo mendaciorum pelago demerſa jacet, eluctari & clare illuceſcere incipit: Et ſicut nihil reperitur, quod teſte Pſalmiſta regio, ſe abſcondat à calore Solis; ſic nulla eſt ars & ſcientia tam ambiguis & fallacibus fundata principiis, quæ non per Chymiæ ſcientiam, tanquam ad lapidem Lydium, probetur: & abſtruſa ejus & abſcondita veritas in lucem tandem revocetur. Meritò igitur reliquæ ſcientiæ, hanc tanquam ſuam Dominam ac Reginam agnoſcant, eique ut decet, ancillentur, ac miniſtrent. Mirantur multi, cur Chymici authores, Artem ſuam tàm multiplici ſcibendi ſtylo prodiderint: terminos ſive vocabula artis mutuantes modò à Phyſicis, modò ab Aſtronomis, Geometris, Arithmeticis, Medicis, Theologis, &c. Cauſam ſi neſcis, dicam: Chymia per ſe ſimplex, perfecta, circularis, univerſalis, ampliſſima, magnificentiſſima, & regia, ſola in ſupremo artium ſolio conſtituta cæterarum artium ſeu ſcientiarum operâ & miniſterio, tanquam regina famulabus & pediſequis ſuis utitur: unde etiam ipſæ mirabili conſenſu & conſpiratione in hujus unius dominæ ſuæ miniſteria promptiſſimè undique concurrunt & confluunt. Sed qui craſſo ſunt & hebeti ingenio, conſenſum hunc in artibus vix olfacient, nec quantumvis prænoniti, capere ſatagent: Unde etiam ſibi non temperabunt à bonorum vituperiis. Quibus verò

E meliore luto finxit præcordia Titan:

Ita ut ab omni mentis vertigine liberi & immunes, artium & diſciplinarum naturam penitus inſpiciant, hi æquiori animo in Hermetem & Paracelſum erunt, & Chymiam artem nobiliſſimam ſuæ eminentiæ & dignitatis laude non tantum non privabunt, ſed tantorum etiam virorum inſtitutum, tanquam laudabile, nec ſine gravi receptum ratione, comprobabunt.

Nullum planè dubium eſt, quin Zvingerus, vir aliàs acuto & perſpicaci ingenio, hanc veritatem jam dudum ſat perſpectam agnitamque teneat: interim tamen, dum in Peripateticorum placitis liberior verſatur, in iiſque utcunque tutandis ſibique partem aliquam vendicat, videtur in hoc D. Pauli exemplum imitari, qui, ut multos lucrifaceret, multis ſimilis factus eſt. Reliqui verò qui ſine rei cognitione, de tam præclaris mundi luminibus, tanquam

tanquam cæci de coloribus, perversi judicii sui venenum exuunt, similes videntur canibus ad venationem ineptis, qui licet magnum quidem latrando excitent strepitum, nihil tamen capientes, plus nocent quàm prosunt. Sed omissis his, nunc ea, quæ in textu sequuntur, breviter perstringenda aggrediemur. Enumerat autem quædam artificis requisita: & primùm necesse esse, inquit, ut is, qui occultæ hujus sapientiæ lumen intueri cupit, sit ab omni superbia & arrogantia alienus. Superbis enim resistit Deus, & humilibus solis largitur suâ gratiam.

Deinde pius sit & probus. Nil enim homini pietate ac probitate utilius, quibus & Deo & hominibus se commendat. Sit præterea acri & profundo ingenio præditus: sine quo vix se extricare poterit ex perplexis illis & salebrosis Philosophici labyrinthi cassibus. Humanitatem etiam & comitatem erga homines, in alloquiis & salutationibus, frequenter exerceat: & denique sibi concredita à Deo vel à præceptoribus arcana non temerè in vulgus diffundat, nisi Dei in se iram concitare, & in præsentissimum vitæ discrimen, se ipsum petulanter conjicere velit.

HERMES.

ET hoc scias, fili, nisi sciat mortificare, generationem inducere, spiritus vivificare, mundare, & lumen introducere, quousque bellentur, incolorentur, & à maculis mundentur, velut à nigredine & tenebris, nihil scit, nec ei perficitur: si autem hoc sciverit, magnæ dignitatis erit, adeò ut reges ipsam venerentur. Hæc arcana, fili, oportet nos custodire, & ab omnibus improbis & insipientibus celare.

SCHOLIUM.

MOrtificare Philosophus significat in partes suas dissolvere ac putrefacere. Senior enim Philosophus: Scias, inquit, quod non fit generatio absque corruptione: unde studeas in putrefactionem. Et alius Philosophus in Turba: putrefactio, inquit, est maxima, & attrahit maximum arcanum. Magnetica hæc arcanorum attractio, in omni generatione naturali perspicuè relucens, & non nisi Philosophiæ mystis & initiatis doctrinæ filiis cognita, multa ubique operatur admiranda in natura. Per hoc enim medium, tanquam per scalam Jacobi, in magno mundi alembico continuus elementorum ascensus & descensus, & unius in alterum conversio: ita ut inferiora cum superioribus arctissimo matrimonii fœdere invicem copulentur, & tandem illa per hæc perficiantur. Quod matrimonium rectè à Paracelso, magno Philosophorum antistite, Gamathæa dicitur. In principio itaque generationis, in putrefactione videlicet, spiritus vitales languidi adhuc sunt & debiles, adeò ut prorsus mortui videantur: qui ex digestionis continuatione indies magis magisque corroborantur, & quasi reviviscunt, & ad summum repurgati novum recuperant perfectionis lumen: quod sua claritatis efficacia, omnes maculas & nigredinem sive tenebras in corporibus abstergit ac delet, non secus ac Sol discutit & pellit nubes: ipsisque colorem inducit fulgentissimum & splendidissimum: quo inducto opus suum perfectum habebit artifex, & dignus erit, qui regiis afficiatur honoribus. Hunc autem scopum nisi assecutus fuerit, in vanum laboravit omnia.

Benè igitur operanti, bene erit, Regesque illi favebunt, maximisque ornabunt dignitatibus. Tandem conclusionis loco, in hoc paragrapho, addit author communem illam admonitionis formulam, de arcano ab improbis & indignis celando: quam ideo tam frequenter repetit, ne cœleste sophici silentii sigillum fortè frangatur, & sic ars nostra sacratissima in impiorum manus delapsa, nefariè profanetur.

HERMES.

ET scias, fili, quod lapis noster ex pluribus rebus, & variis coloribus, & ex quatuor coadunatus & compositus est elementis, quæ nos oportet dividere, & per membra scindere, & artus sequestrare, partim mortificare in eo naturam, quæ in eo est, aquam & ignē in eo habitantem custodire, qui ex quatuor elementis, & eorum aquis, sua aqua continere, scilicet, quæ non est aqua, forma, sed ignis, aquas ascendens, & continens in vase syncero, & ne fugiant spiritus à corporibus: nam sic tingentes fiunt & permanentes.

SCHOLIUM.

ELementorum divisio & compositio, in lapidis & metallorum generatione, nulla potest similitudine melius explicari, quàm per oleorum Chymicorum præparationem. Ut igitur rem penitus à capite ad calcem usque oculis subjiciamus, exempli loco proponemus, olei baccarum juniperi confectionem: quam aliquis vix aggredietur, nisi primò omnium ex semine juniperi è terra nasci instituerit arbusculam sive juniperum, quæ in primo anno sterilis, non nisi caudicem, ramusculos & folia profert, quæ omnia tanquam partes crassiores terræ vicem obtinent. Et hæc est prima lapidis operatio, quæ ejus dicitur putrefactio sive solutio in terram. Anno sequenti secundo pergit Natura operari in arbusculam, & nulla accedente alia cultura, vel extraneo auxilio, nisi Solis tantummodò calore naturali, juniperus incipit ferre flores cineritios quasi & ad album colorem inclinantes, qui teneritudine & mollitie sua aquam repræsentant Philosophicam: vel lapidem in elementum aquæ resolutum. Si anno tertio Naturæ robur magis magisque crescit & augescit in arbore juniperi, quæ in tertia revolutione annua (annus enim producit non ager) flores illas in bacculas albicantes commutat: juxta illud Philosophorum axioma: Corruptio unius est generatio alterius. Ejusmodi bacculæ jam continent quidem in se oleaginosam quandam pinguedinem, sed crudam adhuc, neque satis decoctam. Unde aeri comparandæ veniunt. Quarto & ultimo anno candentes illæ bacculæ vertuntur in baccas nigras, qui color consummatæ in illis, & perfectæ maturitatis signum est ultra quem natura sine artis auxilio operari amplius nequit. Continuato enim hactenus digestionis tempore tam exquisitè à Naturæ igne sunt excoctæ & maturatæ, ut igneæ naturæ participes redditæ, totæ in ignem evaserint, adeò ut per se altiorem elementorum ordinem ascendere nequeant, nisi arte adjuventur. Quoniam autem admixta adhuc corporea crassities in his baccis, spiritualem & igneam medicinæ essentiam multū impedit, adeò ut tardius penetrando vires suas in corpore ægri non liberè exerere possit: artis adminiculo adhibito, corporea ista & inutilis substantia inde separanda est: ita ut interior tantum & purior Naturæ vis, quæ sola juxta Hippocratem, morborum medicatrix, in oleo subtili, penetrante & juvante relinquatur. Quod oleum Chymico artificio ita præparatum, non amplius in se continet crassitiem ullam, nec igneam aut corrumpentem habet naturam, sed ætheream & cœlestem, purissimam & subtilissimam: sic enim tinget corpus humanum in sanitatem summam, & in eo statu diu cum eo permanebit. Quicunque igitur

igitur cupit elementorum diviſionem & compoſitionem in magno Philoſophorum opere exacte inſtituere: is ſibi exemplum hoc de oleo juniperino ante oculos ponat: naturam ſequatur, & ceſſante natura, artem ſibi operis adjuvantem ſociam adſciſcat. Ars autem, teſte Bernhardo comite Treviſano, Naturam ſolo igne adjuvat.

HERMES.

O Benedicta aquina forma pontica, quæ elementa diſſolvis. Oportet autem nos cum hac aquina anima, ut formam ſulphuream poſſideamus, aceto noſtro eam miſcere. Cum enim aquæ potentia, compoſitumque ſolvatur, clavis reſtaurationis eſt. Tunc ab eis mors, & nigredo fugiunt, & ſapientia procedit.

SCHOLIUM.

MAgna vis ac poteſtas ineſt aquæ Philoſophicæ, adeò ut merito benedicta dicatur. Satis enim laudari, aut verborum encomiis deprædicari vix poteſt. Sicut enim aqua fontana ſordes rerum abluit externas: ita hæc aqua elementa non tantum diſſolvit, ſed quoque internas corporum impuritates aufert, & juncta aceto Philoſophico, elicit ex ipſis ſulphur incombuſtibile, quod per projectionem imperfecta metalla tingit in aurum & argentum.

Hæc aqua eſt clavis artis, qua quo ſæpius aperiuntur, hoc eſt, ſolvuntur corpora, eò magis coagulantur, eoque fiunt nobiliora, præſtantiora & perfectiora: adeò ut nullum prorſus veſtigium mortis, nigredinis & imperfectionis amplius in ipſis remaneat.

Hujus aquæ præparatio paucis cognita eſt, propter artificii ingenioſam ſubtilitatem: quam vulgares illi Alchymiſtæ in ſuis deſtillandis aquis minime adhibent.

Quicquid enim in hac arte abſque Naturæ ſimul adjuvantis adminiculo præſumitur, opus vanum & irritum eſt. Aquarum enim fortium, regiarum, aliarumque ſimilium ponticitatem, & ſolvendi vel atterendi potius facultatem habentium, & propterea aurifabris etiam uſitatarum præparatio, tam aliena eſt à vera Chymia, ut major ſit ſimilitudo colorum in Æthiope & Dano, quàm in Sophiſtica illa & in vera præparatione. Rectam itaque veramque præparandi rationem non à magiſtris, ſed ab ipſa natura diſcendam planè arbitramur. Videmus enim ipſam ex profundis montium abyſſis ad nos mittere rivulos aquarum, præſtantiſſimis omnis generis virtutibus ac donis, tam ad Chymiam, quàm medicinam præditarum: quarum præparationem ipſa ſola abſque ullo conſiliario abſolvit. Hujus generis fons habetur in Ungaria, cujus aqua facultatem habet omne ferrum in cuprum tranſmutandi. Sunt præterea alii, in quibus ſi lignum ad tempus certum detinetur, indurescit & vertitur in lapidem. Similem ferè fluvium quemdam in Thracia quoque inveniri, author eſt Ovidius his verſibus:

Flumen habent cicones, quod potum ſaxea reddit.
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Præter thermas autem & acidulas infinitas, quæ paſſim in Gallia noſtra & tota Europa occurrunt, nuper in ſuperiori Germania, in Miſnia videlicet, prope Schnebergam urbem, ſicut à quodam Germano amico ad me perſcriptum eſt forte fortuna à quadam muliere ægrotante per ſomnii beneficium inventæ ſunt acidulæ: quarum effectus in multis morbis graviſſimis percurandis ſummopere prædicantur. Ad harum & ſimilium aquarum præparationem nullus unquam acceſſit Pharmacopæus, nullus deploratus Alchymiſta: & nihilominus tamen natura ſolers ac ſagax ſimplici ſua operatione, opus produxit multò artificioſius ac ingenioſius: quàm pompoſis & bulloſis ſuis receptis & proceſſibus, ut vocant, unquam præſtaret omnis ſeplaſiariorum & ſophiſtarum cohors. Philoſophi dicunt: ignis & azoth tibi ſufficiunt. Diſce igitur primùm à natura, azoth ſive aquæ iſtius Philoſophicæ præparationem. Hanc poſtea aquam præparatam, ſive artificialiter adjuvante natura productam, ſimplici operatione, ad imitationem ejuſdem naturæ in igne ſolo coques, nec te tædeat: & ſic haud dubiè optatum finem conſequeris. Hæc quidem operatio ſive coctio ſimplex quidem eſt & linearis, ſed tamen non ruſtico planè modo ſive ingenio perficienda. Igitur antea dixi, ſimplicem illam quidem eſſe, ſed abſconditam & paucis cognitam, hoc eſt, ingenioſam. Qui igitur ingenio valet, in ea ſtudioſè & fideliter indaganda, ſpretis interim omnibus ſophiſticorum proceſſuum ambagibus, haud fruſtrabitur. ſed hac ipſa occaſione, in profundiſſima alia naturæ ſecreta & penetralia penitus introibit.

CAPITULUM III.

HERMES.

SCito, fili, quod Philoſophi nexibus ad pugnandum contra ignem vinculant roboratis, quia ſpiritus abluris corporibus deſiderant ineſſe & ipſis gaudent. Habitus autem ipſis, ipſos vivificant, & in eis habitant, & corpora eos continent, nec ab eis unquam ſeparantur.

SCHOLIUM.

VT ſpiritus cum corporibus perfectè uniantur, & arctiſſimo conſœderationis vinculo invicem conjungantur, corpora priùs cum azoth & igne mundanda & abluenda ſunt. Eſt enim ablutio nigredinis terminatio, vel mundatio, donec album fiat perfectè album, & rubeum plenè rubeum Mundatis hoc modo corporibus, ſpiritus ex naturali quadam propenſione trahuntur in illorum amorem quo ardente inflammati, ſubito cum corporibus commiſcentur, & ſic ambo tam indiſſolubili ſocietatis vinculo invicem colligantur, ut in æternum amplius non ſeparentur.

Sed noli exiſtimare, hanc copulationem eſſe fortuitam: ſed quia tanta inter corpora & ſpiritus intercedit affinitatis propinquitas: facilè ineunt hoc perenne invicem & indiſſolubile amicitiæ fœdus. Ab uno enim fonte & principio prodierunt ambo. Corporibus autem priores & hinc etiam nobiliores, & præſtantiores ſunt ſpiritus, qui corpora, ſive, ut Marſilius Ficinus loquitur, eſcas ſibi congruas, quibus allicerentur, affecerunt: & ſemper libenterque habitant in eiſdem.

HERMES.

TUnc elementa mortua vivificantur: & corpora compoſita tingunt & alterantur, & mira opera permanentia operantur, ut inquit Philoſophus.

SCHOLIUM.

DOmus, ut loquitur Paracelſus, per ſe ſemper mortua manet: ſoli verò inhabitantes vivunt. Sic corpora metallorum ſunt domicilia ſuorum ſpirituum, qui, dum à corporibus recipiuntur, terreſtrem illorum corpulentiam paulatim attenuant, corrigunt, & vi ſua vivificandi, vitam in ipſis ſopitam excitant. Vita enim in metallis latenter quieſcit, nec vim ſuam oſtentare poteſt, priuſquam corpora exaltata, & in ſpiritum (ſpiritus enim ſolus vivificat) verſa fuerint. In hunc dignitatis ordinem adducta, tùm demum perfectionem quoque

reliquis

reliquis imperfectis corporibus, ex ea, qua pollent superabundanti tingenti virtute & facultate, communicabunt: & attactu suo omnia in fixam & permanentem transiubstantiabunt naturam. Hæc autem est proprietas medicinæ nostræ, in quam corpora redacta sunt, ut ejus una pars primùm tingat corporis imperfecti partes decem: deinde centum: tertiò mille: quartò decies mille, & sic fiat progressus in infinitum. Ex quo manifestè elucet summa verbi istius efficacia, quo Creator creaturam universam affatus, dixit: *Crescite & multiplicamini.* Quantò enim magis solvitur medicina: tantò magis crescit in virtute & potentia: quæ aliàs sine solutione in simplici suo perfectionis statu permaneret. Fontes igitur cœli & divinæ misericordiæ sunt aperti, qui nullo ingenio humano exhauriri possunt: nihilque à nobis desideratur aliud, quàm ut vasa debita adhibeamus ad excipiendam tam salutarem ac divinam aquam, quæ ex istis promanat fontibus. Non enim deficient, quousque hoc mundi seculum durabit: hoc verò transeunte & cessante, Deus omnium fontium rivulos rursus in se contrahet: nec amplius ipsos emanare aut effluere permittet. Sic gratiæ fons inexhaustus erga genus humanum est Christus, ex quo quantò sæpius potamus in hoc seculo, tantò magis crescimus in spem, fidem & charitatem erga illum.

Debemus igitur sedulo operam dare, ut assiduo ferventique pietatis exercitio, sacroque pœnitentiæ igne corda nostra soluta quasi aperta, indies hauriant, tam salubetrimam vivificamque hujus fontis aquam. Quicunque enim in hoc seculo gratiæ, cum virginibus prudentibus non sibi comparaverit hujus aquæ thesaurum & copiam sufficientem ad vitam æternam consequendam: is frustrà emptionem illius, cum fatuis istis virginibus in altero sperabit mundo.

HERMES.

O Aquina forma permanens, regalium creatrix elementorum: quæ tuis fratribus regimine mediocri tinctura habita & juncta quiescis.

SCHOLIUM.

QUod author hîc lapidis materiam non simpliciter aquam nominet, sed aquinam formam: in illorum gratiam factum est, qui aquæ nomen audientes, de aqua communi aut artificiosis, nescio quibus, gradualibus, tingentibus, solventibus, & similibus ipsum locutum, falsò sibi persuadere potuissent. Multi enim adhuc hodiè reperiuntur, qui aquas elicere conantur non tantùm ex metallis & mediis mineralibus, sed & ex lapidibus, silicibus, & sexcentis similibus rebus: quibus perperam utuntur ad sua magisteria sophistica. Author igitur dedita opera non simpliciter aquæ, sed aquinæ formæ mentionem facere voluit. Sed plurimus numerus est eorum, quin inter eos etiam, qui Philosophiæ titulum sibi solis hodiè in Academiis arrogant, qui hanc aquæ essentialem formam, de qua author loquitur, ne per transennam quidem adhuc aspexerunt: utpote quam imperscrutabilem ferè omnes falsò opinantur: sibique prorsus incognitam esse ultrò profitentur: Et nihilominus videri volunt Philosophi summi & excellentissimi. Ego vero contra, de illis sic statuendum æstimo: quòd quicunque substantialem formam ignorat, principia ut etiam scientiæ naturalis ignoret, necesse sit. Quanta igitur illorum in hac Philosophiæ parte scientia sit, aliis nunc judicandum relinquo.

In uno ambo peccant tam alchymisti, quàm Academici sophistæ. Cum enim inquirenda rei veritas erat ex essentiali Naturæ libro, tanquam quodam lumine certam ac veram ad naturalis scientiæ fontem viam monstrante: ipsi hac luce neglecta decesserunt ad inanes & frivolas gentilium & sophistarum opiniones, ex quibus nullam hactenus certitudinem haurire potuerunt, nec in posterum haurient unquam. Et sic dereliquerunt fontem sive venam aquarum viventium, & foderunt sibi cisternas, dissipatas, quæ continere non valent aquas. Jerem. cap. 2. Si nescis fontem, ex quo vivificum illud deorum nectar & Ambrosia, sive aquæ vitæ profluant: Ecce, quæso, quid Esther cap. 10. in suo libro dicat: Parvus, inquit, fons est, qui crevit in fluvium & in lucem Solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit. Hîc arrige aures, Chymiophyte. Sin verò minus capax es tantorum mysteriorum, quæ in enumeratis his verbis compendiosè comprehenduntur, audi Bernhardum Trevisanum, de hoc fonte fusiùs ita loquentem: Fons, inquit, est valdè mirabilis & terribilis virtutis, præ cæteris omnibus totius mundi fontibus Pertinet autem ad regem solum hujus patriæ, quem fons optimè novit, & ipse fontem: Relucet insuper fons iste clarus velut argentum, & cœlestis est coloris. Hactenus ille. Est itaque aqua ex hoc fonte scaturiens, permanens & creatrix regalium elementorum, hoc est, ut Bernhardus id explicat: Fons attrahit ad se regem, & post centum & triginta dies tandem emergit Rex splendidus, nitens, & diademate regio coronatur: quo postea fratres sive aulicos suos quoque ornabit: modò priùs benè in eodem mundati fuerint fonte, ita ut omnem deponant leprositatem, & internam corporis immunditiem. Hoc enim modo inter ipsos facta concordia & pace, regnum suum felici ac jugi possidebunt administratione.

HERMES.

LApis noster pretiosissimus in stercore ejectus, est carissimus, vilis vilissimus, quia oportet nos duo simul argenta viva mortificare, & venerari, scilicet argentum vivum auripigmenti, & orientale argentum vivum magnesiæ.

SCHOLION.

LApis dicitur pretiosus simul, & vilis, propter duplex argentum vivum, ex quo componitur. Est enim primum argentum vivum, res vilis & abjecta, quæ omnibus in locis reperitur, in fimo, in viis publicis, in planitie, in montibus & vallibus: & homo ne horulæ unius momentũ vivere potest sine eo: imò omnia viventia, tam animantia, quàm vegetabilia, ut herbæ, plantæ, arbores eo indigent: omnia enim protegit à corruptione, & ipsa etiam mineralia cuncta sine omnia exceptione. Visnè scire quid sit? Non est aurum, non argentum, non gemma, nec lapis ullus pretiosus: hæc enim omnia magno constant pretio, nec numeranda veniunt inter ea, quæ sunt vilia & exilia. Ecce dicam: SAL est, non autem vulgaris ille, quo cibi culinarii condiuntur, quamvis ex una quoque qualitate, dissolvendi nimirum, cum eodem participet: sed est sal petræ: Petræ, inquam, quo Mercurius currens in optimum & perfectissimum metallum, & silex in durissimum adamantem transmutatur. Pauci (scio) verbis meis fidem adhibebunt: sed si æquè ac Philosophi experientia edocti scirent, quomodo ejusmodi sal petræ in omnibus rebus reperiretur, & quomodo ex iisdem omnibus artificiosè posset extrahi: sibi ipsis tum, tanquam oculatis testibus, fidem sine dubio non derogarent, & tam pretiosum salem qui ab ignorantibus tantùm vilipenditur, & propterea vilis à Philosophis dicitur, non tam leviter cum sordibus,

quiſquiliis, & ſimo abjicerent: ſed majori reverentia & induſtria, illum ab omnibus potius mundi angulis colligerent. Neque hîc ſpecto authoris conſilium, qui ex juſta quadam & honeſta invidia, ne vulgò promiſcuè innoteſceret, auripigmentum vocavit. Non enim hîc authori, ſed cupidis diſcendi ſtudioſis gratificandum eſſe duxi: quos in æquis & bonis conatibus ſuis pro virili juvare conſilium hactenus fuit, & poſthac ſemper erit. Cur enim perſuaderem diſcipulo rem quærere Romæ, Pragæ: hîc, illic, cum maximo ſumptuum diſpendio, quæ tamen ubique & in omnibus locis reperiri poſſet. Exemplo rem declarabo. Si ægrotus aliquis ſolo radiorum ſolarium aut lunarium aſpectu poſſit curari: ego verò medicus in conſilium vocatus, ſuaderem ægrotanti, ut proficiſceretur in Italiam, Solem vel Lunam aſpecturus & eorundem ibi radios excepturus: annon ſtultum hoc eſſet conſilium, cum idem mihi Sol, eademque luna hic in Gallia æquè ac in Italia ſingulis diebus per totum oriantur annum. Sic multi pœnitentiam acturi, fruſtrà in Italiam & Hiſpaniam iter inſtituunt.

Minori enim pretio & labore illam domi emerent à ſole juſtitiæ, unico Salvatore ac Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui gratis per fidem ſolam nobis promiſit peccatorum veniam. Sed tantum dixiſſe ſufficiat de argento vivo vili & viliſſimo: nunc pauca quædam annectemus de pretioſo & cariſſimo: quod orientale argentum vivum magneſiæ author nuncupat, Sed non loquitur de argento vivo, quod videtur, neque de magneſia vulgò nota. Sed per argentum vivum intelligit humiditatem illius mixtionis, quæ eſt humiditas radicalis lapidis noſtri. Et per magneſiam intelligit totam mixtionem, de qua extrahitur iſta humiditas, quæ argentum vivum noſtrum vocatur: quæ quidem humiditas currit in igne & in eodem totum compoſitum diſſolvit, congelat, denigrat, dealbat, rubificat, & perficit, hoc eſt omnia facit in omnibus. Unde pretioſiſſimus eſt theſaurus ei, qui eam novit, & poſſidet. Meritò autem dicitur magneſia. Magneſia enim eſt ejus vis & facultas, quæ inſtar magnetis univerſalis, omnia ad ſuum attrahit centrum, quæcunque in ſe univerſus tàm ſuperioris quàm inferioris mundi ambitus complectitur: adeò ut per ejus beneficium in minimæ quantitatis corpuſculo, vix aciculæ mucronem referente, liceat totum comprehendere mundum. Sed majus ſecretum latet, in hac pretioſa magneſia, quàm in argento vivo vili. Philoſophi igitur miris illam modis occultarunt, nec nobis de illa plura dicere aut manifeſtare fas eſt.

HERMES.

O Natura maxima naturarum creatrix, quæ continet & ſeparat mediocria naturarum, cum lumine venit, & cum lumine genita eſt, & quam tenebroſa nebula peperit, quæ omnium mater eſt.

SCHOLIUM.

VNa eſt natura univerſalis, quæ ab Ariſtotele definitur eſſe principium motus & quietis. Vel eſt, ut hîc Hermes loquitur, creatrix omnium naturarum, hoc eſt, productrix rerum omnium. Et ob hanc cauſam, quia omnia procreat, ac gignit, omnium quoque nominibus à Philoſophis appellatur. Deus enim ſupremus rerum opifex, & totius mundi architectus, Naturam hanc unam ac ſolam rebus naturalibus gubernandis præfecit, quas igneo ſuo ac perenni vigore, quem ipſi rerum conditor in prima creatione indidit, fovet ac conſervat. Eſtque eadem Natura linea quædam viridis, quæ gyrat univerſum: Unde cauſa ſola eſt, quòd ſingulis annorum revolutionibus, ineunte ſcilicet Vere, ſpecies rerum omnium revireſcant, & novam recipiant germinandi & prolificandi vim, per quam creſcunt & multiplicantur: ne forte ipſæ ſpecies intereant, & ſic vacuum in Natura, quòd maximum eſſet flagitium, daretur: Unde rectè canit Virgilius.

Vere tument terræ, & genitalia ſemina paſcunt:
Avia tunc reſonant avibus virgulta canoris,
Et Venerem repetunt certis armenta diebus.

Item Ovidius:

Tunc blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo,
Et nitidum celſa ſub trabe fingit opus,
Herbaque quæ latuit cerealibus obruta ſulcis,
Exerit è tepida molle cacumen humo.

Operatur autem natura in hæc inferiora, per Solis, Lunæ, & reliquarum ſtellarum radios, quos Hermes ſub vocabulo luminis intelligit. Horum enim irradiatione ſive illuminatione infunduntur rebus elementaribus varia virtutum dona, pro variis ac diverſis rerum ſpeciebus. Quæritur hinc, num Chymicus naturæ quoque opera & auxilio indigeat in elaborandis ſuis arcanis & magiſteriis? Sed facilis eſt reſponſio iis, qui norunt Chymiam, artem ſimilem eſſe agriculturæ, in qua partem ſibi vendicat Natura, partem agricola, tanquam operator & artifex externus. Ut enim ſolummodò hic principaliter occupatur in agro præparando & ſeminando: reliquum autem generationis perficiendæ & abſolvendæ opus, unicæ committit naturæ: ſic quoque Duce inprimis Natura, comite verò arte, opus ſuum Chymicum auſpicatur omnis verus artiſta ſive Chymiſta. Hermes præterea hîc mentionem facit Naturæ, quam tenebroſa peperit nebula, per quam nihil aliud intelligit, quàm magneſiam Saturni. Saturnus enim Græcè χρόνος appellatus, hoc eſt, tempus non aliter univerſa generationi obnoxia, in hoc mundo generat ac producit, ac magneſia ipſa, quæ mater & genitrix dicitur omnium.

HERMES.

VBi autem regem coronatum filiæ noſtræ rubeæ conjungemus, & in levi igne nondum nocentibus, concipiet & filium conjunctum & ſupereminentem, quo igniculo permanentem cibat illa, & vivit igne noſtro.

SCHOLION.

REgina ſive filia Philoſophorum rubea, eſt Luna. Non autem mireris, quòd, quæ aliàs caput & ſplendor eſt albedinis nunc rubea dicitur. Eſt enim Luna metallica ſive Philoſophica etiam maſculinæ naturæ: quæ ſoli, regi coronato, deſponſata, concipit gignitque filium, quem Philoſophi ſuum vocant Mercurium. Hic ubique eſt mirabilis, cujus parentes, quos modò habuit altrices & nutrices, nunc ab ipſo aluntur & nutricantur. Ut enim ingenio eſt verſuto, & miris imbutus artibus, inter alia novit etiam epulas atque dapes omnis generis gratiſſimas præparare: nec vulgari coquendi modo: ſed potius ad moderatiſſimum vivifici ac cœleſtis ignis calorem ipſas coquit paratque. Quibus paratis & in menſa Philoſophorum rotunda, quæ ultrà decem aut ad ſummum duodecim perſonas non capit, appoſitis: pater, mater, & reliqui ejus agnati accumbunt, & convivium celebrant verè philoſophicum per integram ſeptimanam. Alium autem cibum, præter Mercurialem, hoc eſt, quem filius ipſis offert, non admittunt: neque patiuntur quempiam ex peregrina familia, qui non proxima ſanguinis neceſſitudine ipſis junctus ſit, cum ipſis accumbere.

accumbere. Sin verò, ut non rarò fieri solet, cibi in mensa appositi fortè refrigescant, Rex ex solo intuitu oculorum suorum instar ignis rutilantissimi resplendentium, in momento efficit; ut recalescant, & ita calefacti gustu fiant suaves & delicati; quibus se reficiunt mirum in modum, & ad satietatem usque comedunt, ità ut ad multum tempus neque sitiant amplius; neque esuriant; De ejusmodi coquo, qualis est hic noster Mercurius, sibi prospicere debebant omnes Reges ac Principes, propter summam ejusdem necessitatem. Non enim cibos parat tantummodò alimentarios, sed etiam medicamentosos; qui corpus ab omnibus morbis liberant, idque sanum ad ultimum usque vitæ terminum præservant ac custodiunt. Ubicun queigitur talis reperietur coquus; Pharmacopœo amplius non opus erit: una enim eademque operâ utriusque ille perfungetur officio.

HERMES.

Cum autem dimittis ignem super solium sulphuris, intret super illum terminus cordium, abluatur eo, & ejus coinquinatio extrahatur, tunc alteratur, & ejus tinctura ex igne remaneat rubea, ut carnes. Filius autem noster rex genitus sumit tincturam ex igne: illum verò mors & mare fugiunt & tenebræ.

SCHOLIUM.

OMne quod vivit, propter inclusum ignem vivit; sulphur ergò in se absconditum quoque continet ignem, qui si per ignem externum excitetur, vita vivere manifesta incipit: & ita, quod antea occultum in sulphure erat, manifestatum nunc existit. Ignis autem officium est, non solummodò vivificare, sed etiam depurare, & heterogenea segregare tantisper, donec separatis fecibus tandem appareat tinctura purissima & rubicundissima, quæ colore repræsentat carnes, scilicet recens mactatas, & sanguine adhuc conspersas sive cruentas. Hic est sanguis iste Leonis viridis; de quo passim mentio fit apud Philosophos. Viridis autem dicitur, non propter colorem viridem externum, sed propter vitæ viriditatem juxta hunc versum:

Læta viror vita est, mœrori convenit ater
Color, &c.

Unde etiam ista solummodò tinctura, quæ carnibus recentibus, rubeis, & sanguine adhuc madentibus similis est, perfectionis gradum attigisse dicitur. Ejusmodi enim carnes, quæ nihil aliud sunt, quàm sanguis modò coagulatus, perfecto adhuc & pleno spirituum vigore abundant: non secus ac sanguis Leonis viridis, qui propter viriditatem suam totus circumfluit spirituum vitalium copia.

Multi hactenus versati sunt in eo errore, quod putarint, viriditatem indagandam esse in spiritu vini, vel vino, aliquot vicibus, ut vulgò solent destillato. Viderunt enim, vinum, antequam ex uvis exprimeretur; & in dolia reconderetur, in vitibus, quæ foliis, floribus, & uvis immaturis virides apparebant, crevisse: unde ab hac externa viriditate Leonem Philosophorum viridem appellari opinati sunt; sed turpiter in eo decepti, à vero Leone viridi & rubeo cognoscendo, longissimè aberrarunt.

Ut enim leo animal fortissimum, omnium cæterorum animalium robur in se solo complectitur, ita tinctura philosophorum præstantissima, omnium rerum tincturas in sese continet, quæ in tam fragili vitis ligno, aut in eo, quod exinde provenit, minimè quærenda est. Quomodo enim potest ex re corruptibili & combustibili elici tinctura incorruptibilis, fixa & incombustibilis? Possuntne de spinis uvæ, aut de tribulis ficus colligi? Simile sibi simile generat procreatque. Unde, teste Horatio, fortes solùm creantur fortibus. Et cum secundùm Hermetem in lapide sive tinctura nostra sit omnis fortitudinis fortitudo fortis; ex re nobiliori & perfectiori utique, quam ex ligno aut fructibus vitis, illam extrahendam esse, conjectare quilibet potest.

Quæ autem sit illa res, videtur author apertè indicare his verbis, ubi dicit: & ejus tinctura ex igne remaneat rubea: item, Filius noster rex genitus sumit tincturam ex igne. Unde palàm constat: ignem esse illam fortitudinem fortem, sive veram Leonis viriditatem. Quæcunque enim tinctura ab igne fugit: imperfecta & immatura censeri debet, & per consequens diutius in igne nutrienda, donec perficiatur. Sin vero in igne nutrita, antiquam pristinamque suam formam retineat, aut potius corrupta, in deterius vergat; ea, tanquam res ab opere philosophorum magno aliena, prorsus excludenda, & procul hinc ad Anticyras ableganda erit. Quemadmodum enim inter homines, nonnulli reperiuntur, qui ex longo usu, & assuefactione, venenum corpori humano aliàs contrarium & inimicum, sine noxa assumere; & instar alimenti alicujus familiaris in ventriculo concoquere ac digerere possunt: Sic etiam lapis noster, in quo ab initio mors & tenebræ, hoc est, imperfectio & impuritas dominabantur, paulatim in igne coctus; indies magis magisque ignis naturæ assimilatur, & tandem in ignem totus vertitur: ac veluti salamandra in igne; tanquam proprio suo elemento sive matrice habitat, eoque unicè gaudet & delectatur: qui etiam temporis diuturnitate transit in essentiam quintam & tincturam Physicam, tàm ad metallica, quàm humana corpora.

HERMES.

Solis radios draco fugit, qui foramina observat; filiusque noster mortuus vivet, rex ab igne veniet, ac conjugio gaudebit, & occulta patebunt, & laç virginis dealbabitur. Filius jam vivificatus fit bellator ignis, & supereminens tincturis. Filius enim est beneficium & philosophiam habens.

SCHOLIUM.

DRaco significat terram & est nigrum nigrius nigro. Serpentes autem & Dracones gaudent potiùs locis subterraneis, petrosis & obscurisp eluncis, quàm luce solis sive diei propatulo. Lucente igitur sole fugiunt, & latibula sua repetunt, ne à tam claro luminis splendore, quem ferre nequeunt, nimis torqueantur. In vas igitur probè munitum ac clausum, nec nisi unicum foramen, parvum ac rotundum; per quod solis radii intrare possunt, habens, Draco inclusus soli exponatur per mensem philosophicum quo temporis spatio, membris ejus penitus dissolutis, morietur: & fœtore suo lethali, accedentem quoque regis filium inficiet, & neci tradet. Ambo igitur mortificati, & in vitrum aliud mundum inditi ponantur ad solem per alium mensem philosophicum: vel si hyemis tempore, solis calor sit remissior: similem in hypocausto, vel alio loco convenienti & idoneo excitabis. Et tum temporis filius calore solis percepto, paulatim à vitæ spiritu recreabitur & revivificabitur: draco verò ab eodem calore urgentius pressus, penitus consumetur, & redigetur in nihilum. Rex autem videns, imbecillum nimis esse calorem solis, pro filio suo à draconis veneno prorsus liberando balneum parare jubet pro se & filio: & extincto dracone, ipse cum filio suo balneum

neum calefactum ingreditur, quem ex amore paterno continuis amplexibus fovet, & interim lac virginis ei ad membrorum refectionem in magna copia quotidiè præbendo, tamdiu hoc fomenti balneum continuat: donec filius, omnibus veneni pravitatibus abſumptis, priſtinum corporis robur & venuſtatem recuperet: & dignitate, virtute & ſplendore prorſus ſimilis evadat patri, adeò ut vix inter illos agnoſcas differentiam. Pater in æternum non deſerit filium, nec viciſſim filius partem. Sicut enim umbra corpus, ſic filius partem continuò ſequitur: tàm perfecto enim & conſtanti amore invicem juncti manent, ut nulla vis elementorum externa, ſive ſit ignea, ſive aerea, ſive aquea, aut terrea, tàm firmum amicitiæ pactum diſſolvere amplius queat.

Præſertim filius, ut nihil nunc dicam de patre, qui in omnibus ſimilis eſt filio, in nova hac generatione dux eſt tam potens & fortis, ut per media incendia vicorum ſive domorum, abſque ulla læſione tranſeat. Et ſicut ignis, nihil juris habet in aurum: ſic nullam quoque habet poteſtatem in aureum hunc heroem: qui meretur idcirco, ſummo jure vocari aurei calcaris ſive auratus eques, magnificus, & inclytus: quique præterea tanta ſapientia præditus eſt, ut è longinquis regionibus ad eum, veluti Regina de Saba ad Salomonem, multi quotidiè confluant Philoſophi, & ſolidam ſibi Philoſophiæ cognitionem, ac ſcientiam (ex quo enim rerum intelligentia potius requirenda eſſet, quàm ex eo, qui eam ex lumine & flumine ipſius Naturæ, tanquam ex eo ipſo fonte ubertim haurit) ab eo comparent. Quam aſſecuti ſive adepti (hinc Philoſophi Adepti nominantur à Paracelſo: indeque nomen ſuum habet Philoſophia adepta) gratiarum actionem, prout decet pro tantis beneficiis modeſtè referunt, & cum pace revertuntur in regionem ſuam.

HERMES.

VEnite filii ſapientum, & nunc gaudeamus, & ſimul lætemur, quia mors conſummata eſt, & filius noſter regnat, & jam rubea toga, & Chermes indutus eſt.

SCHOLIUM.

SIcut victor magnanimus è bello reverſus, publicè & ſolenniter agit triumphum: & undique in publicis plateis acclamatio populi in lætitiæ & congratulationis ſignum exauditur: ſic quoque Hermes exiſtimat, ſibi acclamantibus congratulantibusque ſimul ſapientum filiis poſt partam in hoc Chymico bello victoriam, nunc triumphandum, & manibus pedibuſque in lætitiæ ſignum plaudendum eſſe: ut qui tot monſtra horrenda devicerit: tot terribiles dracones, tot venenatos ſerpentes, & malignos ſpiritus profligarit, & mortem denique ipſam confectam ſuperârit. Sed cui potius prima gloriæ palma debetur pro tanta victoria impetrata, quàm filio regis: qui tanquam alter Hercules, immenſum & inſuperabilem laborem in tam atrocibus debellandis hoſtibus, ſuſtinuit: Unde etiam regni philoſophici hæres legitimus, & toga rubea ac purpurea indutus, ſummum dignitatis gradum obtinuit, & tanquam invictiſſimus mundi monarcha, ab omni hoſtium inſultu & impreſſione, regnum ſuum tuetur ac defendit. O terque quaterque beatus, qui divina ope cœlitùs adjutus, hujus reguli favorem & gratiam ſibi conciliabit, ipſique tanquam fidelis amicus, conſiliarius, & cubicularius vigilanter aſſiſtet; ſalarium enim, quod uis expendit fidelibus & familiaribus amicis, ſuperat omnes omnium Cræſorum Craſſorumque, quotquot hoc ſeculo vivunt, theſauros.

CAPITVLVM IV.

HERMES.

INtelligite filii ſapientum, quòd hic lapis clamat, protege me, & protegam te, largiri vis mihi meum, ut adjuvem te.

SCHOLIUM.

EXpandi manus meas, inquit Dominus exercituum apud Eſaiam 65. tota die, ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas. Quis quæſo ſimilior eſt huic populo, quàm Chymiſta erroneus & ignarus: qui neque lapidem clamantem neque rectè philoſophantem audit: ſed in ſeductionum deviis continuò verſatur. Quomodo verò audiat lapidem, quem non agnoſcit: aut quomodo benignam præbeat aurem Philoſopho, quem neque intelligit, neque intelligere cupit. Vana enim ſcientiæ perſuaſio, cum tamen nihil ſciat, adeò illum excæcat, ut ſæpenumerò de magno quodam myſterio apertè loquentem non capiat: ſua tantùm ſibi placent: experientiam rerum multam habet in Chymicis operationibus: non doceri, ſed docere vult alios: unde etiam non abs re doctoris vel alterius dignitaris titulum gerit: quem turpitudinis forte infamia contaminaret, ſi doctiorem præ ſe agnoſceret ullum. Hæc vana inquam, perſuaſio multis hactenus nocuit, & adhuc indies nocet, quò ad finem artis non perveniant. Temeritate enim quadam in altum plus juſto volantes, & velut Icarus propiùs ad ſolem accedentes, cum eodem in profundum erroris pelagus præcipitantur, ex quo in poſterum ſine maximo labore vix evadunt. Lapidem & Philoſophum uno quaſi ore loquentes audit veritatis ſtudioſus. Lapis quidem rem ipſam nudè ſine verbis exhibet: Philoſophus verò rei veritatem eſſentialem verbis exprimit: & ipſo opere, ſi res poſtulat, demonſtrat: ita ut, etiamſi unam eandemque ambo doceant veritatem, Philoſophus tamen ſit tanquam præceptor intermedius inter lapidem & diſcipulum. Præceptor igitur clamat, audi me diſcipule, & docebo te: Largire mihi tempus auſcultandi, & inſtitutis te juvabo optimis, tibique & tuis ſalutaribus: Me enim ſi auſcultando rectè perceperis: magnum naturæ lumen, de quo paulò poſt, videbis & ipſius quoque lapidis profundum agnoſces ſecretum. Diſcipulus itaque diſciplinæ ſubditus & obediens hujuſmodi monita non ſpernit, ſed fideliter ſequitur, votique tandem ſui compos redditur. Ignorantiam enim ſuam, quam habet, commutat cum magna ſcientia, ſaltem auſcultando & meditando, adeò ut non tantùm præceptorem, ſed ipſum etiam lapidem quem anteà ſurdus præ inſcitia non audiebat, nunc clamantem aſſequatur. Sed quam ampliùs utilitatem inde capiet diſcipulus? Voluntati magiſtri obtemperavit: naturale quoque lapidis deſiderium explebit. Obſequio diſciplinæ ſatisfecit magiſtro: artificio pyrotechniæ ſatisfaciet etiam naturæ & lapidi. A magiſtro impetravit ſcientiam & ſapientiam: per lapidem inveniet ſanitatem & opulentiam, & alia multa commoda, de quibus mox audiemus.

HERMES.

SOl meus & radii mei ſunt in me intimi. Luna verò propria meum lumen eſt, omne lumen ſuperans, & bona mea omnibus bonis meliora ſunt: gaudium, lætitiam,

tiam, gloriam, divitias; & delitias intelligentibus largior, & quod inquirunt, agnoscere & intelligere facio, ac divina possidere.

SCHOLIUM.

QUando Philosophi loquuntur de radiis Solis, de Lumine Lunæ, deque aliorum Astrorum luminibus, non id accipiendum est de nudo splendore externo, qualis est lucernæ sive candelæ accensæ: qui vicinum tantùm aeris complexum illuminando, reddit perspicuum & lucidum, sine alia quacunque vi & impressione vitali & animata. Umbram enim & superficiem ejusmodi mortuam, sive relollaceam, ut Paracelsus loquitur, haud curant Philosophi; sed veram tantummodò & intus latitantem quærunt rerum medullam, hancque solam singulari artificio venantur per radios suos essentiales & lumen Philosophicum internum. Ut autem duplex horum radiorum differentia magis innotescat, clarioris doctrinæ causa exemplum fulminei radii hûc producemus: cujus scientia sive proprietas naturalis talis est, ut non promiscuè cum lumine feratur in quamvis aeris partem, nec aerem luce tantum externa illustret, sed vi quadam magnetica & innata pellatur ac rapiatur in locum certum, suæ naturæ magis consentaneum & familiarem, quem solùm cæteris omnibus illæsis tangit & ferit, vimque suam actuosam evidenti nota impressa, clarè demonstrat.

Hinc videmus sæpenumerò ensem sive ferrum in vagina à fulmine dissolvi, corio vaginæ integro adhuc & illæso: item hominis interdum cutem à fulmine aduri, vestibus externis intactis, aut vice versa: ut ejusmodi plura videre licet exempla in historiis naturalibus. Ex quibus palàm liquet, quòd Philosophi de radiis, qui absque vitalium energia, lumen tantùm præbent otiosum & sterile, minimè sunt solliciti, sed de illis tantum, qui cum lumine, efficacem simul & vivam formarum sive virium essentialium œconomiam administrant: quorum effectum eximium explicat author in sequentibus verbis: Ubi ex ejusmodi luminum radiis, multa solerti indagatori bona evenire asserit, veluti gaudium, lætitiam, gloriam, divitias, & delitias: & tàm magnificè extollit hanc scientiam, ut malit illam divinam, à tam nobili & præstanti subjecto, quàm humanam appellare.

HERMES.

ECce quod Philosophi de scientiis celaverant literis septem scribitur: duas enim sequitur alpha, yda, & librum similiter sequitur Sol, volens tamen dominare, artem custodire, jungere bubæ aquæ filium, qui est Jupiter, quod est occultum arcanum.

SCHOLIUM.

NOn certo constat de vocabulo isto septem literarum, in quo author totam scientiam occultari dicit. Impossibile enim est, omnia Philosophorum ænigmata ad unguem eruere: in quibus sæpenumerò rimandis, citius sensum, quàm verba invenire licet. Quale enim istud vocabulum sit, ingenuè ut veritatem fatear, ignoro prorsus, ac quamvis aliquis divinando propiùs ad authoris mentem accedere videretur, semper tamen de eo dubio relinqueretur: cum nemo, absente authore, possit hunc hæsitantiæ scrupulum planè tollere. Ergò suspensa de verbis lite, operam tantùm dabimus, ut verum sensum & ipsam rei essentiam eliciamus. Opinio mea sic ferit, (alteri interim liberum relinquo opinari quicquid volet) quòd non procul à veritate abertare videatur, qui dicat, vocabulum istud septem literarum esse septem corpora metallorum, quæ sub unico verbo, nempè Planeta, haud absurdè comprehenduntur.

Saturnus enim est Planeta: Jupiter est Planeta: Mars est Planeta: Sol est Planeta: Luna est Planeta: Venus est Planeta: Mercurius est Planeta: ita ut omnibus septem corporibus conveniat nomen Planetæ. Accedit & hoc, quod si Græcè scribatur, post primas duas literas sequatur alpha, & paulò post yda. Confirmat præterea hanc nostram opinionem Philosophus lib. de conjugio solis & lunæ, his verbis: per Deum, inquit, si consideraveris stellas, id est Planetas erraticos, id est metallorum corpora, non est inter nos, scilicet philosophos, differentia, id est, diversitas, in hoc, quod opinantur, id est, de arte opinantur, quia ex his metallis, & per hoc præparant sapientes lapidem suum, in quibus est Mercurius & sulphur fixum & incombustibile per naturam rectificatum: & propter hoc præparatio nostra surgit per seras, & claves aperientes seraturas, id est, problemata obscurata. Hactenus ille. Ut ut sit, alium sensum ex authoris verbis vix extorquebis: quod vel ex consequentibus verbis palam evincitur: Ubi dicit: Solem cum aquæ filio sive Jove esse conjungendum, & hoc esse occultum arcanum. Per aquæ enim filium innuit Mercurium, & per Solem sulphur fixum & incombustibile: in quorum duorum conjunctione totum latet arcanum. Sed quia Philosophus suprà inquit, lapidem suum præparare sapientes ex his metallis, & per hoc: nihil aliud intelligit per hoc, quàm aurum sive solem. Ut enim Sol in firmamento tantam claritatem solus obtinet, ut solus cùm est exortus, obscuratis omnibus aliis appareat: ita Sol Philosophorum sive metallicus ortus, sive in vase philosophico natus, occultè in se continet reliqua metallorum corpora, & cæteris occultatis ipse solus apparet. Dictus enim est Sol, quasi solus, quod unus sit, & non plures: quique tanta sit magnitudine, ut tanquam dux, & princeps & moderator luminum, cuncta sua luce lustret & compleat.

HERMES.

AVditores intelligite, & deinceps nostris utamur opinionibus, & quæ scripsi subtilissima investigatione, & contemplatione vobis demonstravi, quoddam unum novi. Nam quis intelligit, quod sincera investigatione & ratione inquiritur? Ex homine non fit, nisi quod ei simile est, & ex tauro idem: & si quod animal cum aliena specie cubat, nascitur, quod neutro simile est.

SCHOLIUM.

QUi facilè credit, facilè decipitur. Ut igitur suprà, ita & hic denuò monet author, ut dicta ejus recta rationis bilance expendantur: non autem crasso modo, prout nuda sonat litera, accipiantur. Et sicut res, quas proponit, non levi, quod ajunt, brachio tractat, nec quidquid illi in buccam venit, statim suo inserit libro: sed in illarum descriptione & demonstratione utitur subtilissima investigatione & profunda contemplatione: ita lectorem quoque decet esse sedulum, & diligentem in legendis & meditandis ejusdem scriptis. Qui enim ocitanter, & sine intellectu aliquid in hoc opere præsumit: is similis videtur claudicanti, qui fracto aut læso altero crure, cursus certamini se temerè immiscet. De sincera autem investigatione, per quam nihil aliud intelligit, quàm rationem rectam, veram & naturæ legibus consentaneam, suprà dictum est.

Deinde speciem per sui similem speciem propagandam docet. Frustra enim laborat, qui de spinis,

ut suprà

ut suprà diximus, uvas colligere tentat. Ex homine enim non nascitur nisi homo, nec ex brutis nisi suum simile. Ordo enim specierum propagandarum, quem Deus in creatione instituit, manet inviolabilis. Deus igitur rebus omnibus, huic ordini subjectis, suam quoque addidit crescendi & multiplicandi benedictionem. Omnis autem generatio extra hunc ordinem instituta, maledictionis divinæ haud dubiè obnoxia est. Cujus rei exemplum habemus luculentissimum in mulis, qui ex commixtione equorum & asinarum, vel asinorum & equarum procreati, fœcundum semen pro suæ speciei multiplicatione & propagatione non obtinuerunt. Cum enim specierum ejusmodi confusio sub hoc divino creationis ordine non comprehendatur, meritò etiam istis non indita fuit per benedictionem divinam vis illa crescendi & multiplicandi. Loquor autem hîc de speciebus completis ac perfectis, sive illas ideas Platonicas, sive certas & specificas seminum rationes, sive scintillulas igneas speciales, sive formas specificas, illisve pluribus appellare velis nominibus: quas omnes in universum mundum diffusas, & pulcherrimo ordine invicem distinctas, Deus in creatione per solum verbum Fiat produxit. Contra sacrum autem & incontaminandum hunc ordinem maximè impingunt falsarii & spurii alchymistæ, qui ex temerario quodam ausu, & confusione plusquam Babylonica, specierum invicem mixtionem moliuntur. Conjungunt enim ea, quæ Deus disjunxit: quæ verò conjunxit, disjungere & separare ordine inverso impiè conantur. Non igitur mirum est, si proximo illos pede comitetur maledictio divina: idque ob causam modo relatam. Quicquid tandem agis, hoc tibi firma mente persuasum habeto: Deum omnibus actionibus, quas homo proponit, tam in verbo suo scripto, quam in natura, sive creaturis, sua virtute infallibiliter quoque adesse: Quomodo enim possit vis ac potestas omnipræsentis Dei infinita, quæ essentialiter rebus universis inest, rursus ab illis tam levi momento separari. Sed actionibus justis, cum lege & ordinatione divina congruentibus, præsto est ut æquus, benignus, bonus & misericos pater: Perversis autem & ordini divino repugnantibus, tanquam severus omnis iniquitatis, perversitatis & confusionis ultor, & justus vindex. Cum sancto enim, inquit regius Propheta Ps. 18. sanctus erit, & cum viro innocente innocens erit: Et cum electo, electus erit, & cum perverso pervertetur. Discant igitur hinc alchymistæ in posterum sapere, ne falsis & sinistris suis opinionibus & deliramentis, quæ tam divinis quàm naturalibus adversantur legibus, plus justo tribuendo, & frustra contra stimulum calcitrando, in gravissimas pœnas Deo & Naturæ persolvendas, incurrant.

HERMES.

IAm Venus ait: Ego genero lumen, nec tenebræ meæ naturæ sunt, & nisi meum esset metallum siccum, omnia corpora mei indigerent, quia ea liquefacio, & eorum rubiginem deleo, & substantiam extrabo: me igitur & fratre meo junctis, nihil melius ac venerabilius.

SCHOLIUM.

VEnus inter septem mundi dominos sive Planetas relata, dicitur mater amoris & pulchritudinis, cujus stella Solem antecedens dicitur Lucifer, quasi lucem ferens, vel, ut author loquitur, lumen generans: Ubi verò lumen, ibi quoque vita: vehiculum enim vitæ est lumen, quod nullam partem corporis Physici, à suorum radiorum contagione immunem reliquit. Ergò taceant impostorum, quicunque vitam derogant metallis. Nihil enim existit in rerum natura, quod non mediante hoc Veneris lumine, hoc est, per generationem naturalem productum sit. Metalla verò naturaliter in mineris suis procreata quis negabit? Non igitur vita sua carebunt: licet hæc in iis manifestè, ut in animantibus & vegetabilibus non sese prodat, priusquam à corporea sua mole, quæ vitæ actiones in ipsis obtundit & reprimit, liberentur, idque per ejusdem luminis beneficium: cujus officium est, tenebras morris fugare, & illarum loco inducere vitam.

Non autem hoc lumen indagandum erit in corporibus metallicis, propter nimiam ipsorum siccitatem, hoc est, terrestrem crassitiem. Nisi enim siccum esset meum metallum, inquit author, omnia corpora mei indigerent. Neque cuprum aut æs, sed Venus, Planeta & sydus cœleste ait: Ego genero lumen. Per Venerem igitur essentiam intelligo astralem, lucidam & splendentem: quæ ignea sua vi non secus ac carbonum ignis corpora liquefaciat: non autem liquefaciat simpliciter, sed liquefaciendo etiam simul rubiginem deleat, & substantiam, hoc est, occultam tincturam extrahat. Quod tum fiet, si Venus & ejus frater invicem copulati, & Vulcani fallaciis, catena invisibili tamdiu ligati teneantur: donec Venus in proprio thoro imprægnata, post 9. mensium revolutionem, sobolem pariat ipsis parentibus præstantiorem & nobiliorem.

HERMES.

REx autem dominator, suis fratribus testantibus ait: Ego coronor & diademate ornor, & regia veste induor, & cordibus lætitiam ingero, & ego vinctus ulnis, & pectori meæ matris & substantiæ ejus, continere & quiescere meam substantiam facio, & invisibile ex visibili compono, tunc occultum apparebit, & omne, quod Philosophi occultaverunt, ex nobis generabitur.

SCHOLIUM.

REx est aurum: ejus autem fratres sunt cætera inferiora metalla. Regnum omnes possident commune, in quo tamen supremum imperandi fastigium assequitur solus Rex sive Sol: qui propriis virtutum insigniis, cæteris longè antecellit. Ignem enim solus sustinet sine noxa, in quo diutissimè detentus nihil deperdit: nec vinci aut destrui potest, nisi à matre, quæ est fons sive mercurius metallorum. Accidit autem aliquando, ut rex animi gratia fontem ingressus lavaret: sed reversus à fonte incidit in summam corporis imbecillitatem, quam sibi inter lavandum contraxerat. Convocatis itaque fratribus in unum, de rege restituendo deliberatum fuit. Jubetur Mercurius Deorum nuncius colligere suffragia, à quovis fratrum vel consiliariorum: qui promptus in exequendo munere alloquitur primò Saturnum: Tu, inquit, pater Deorum, & arcanæ contemplationis author, nobis quæso expone tuam scientiam, & liberè eloquere, quid tibi videatur de nostro Rege, quem vides hîc ad summas imbecillitatis angustias redactum, nigrum, tenebrosum, & omni lumine privatum: dic, inquam, qua ratione in pristinum fortitudinis & claritatis locum rursus evehi possit. Tunc exorsus Falciger ita respondit: Me, inquit, vocant dominum temporis, omnia destruentem & conservantem; authorem mortis & vitæ. Ne igitur mentiri videar, ultrò nunc veritatem fatear, vobisque palàm dico, me authorem esse primarium tantæ ruinæ, in quam rex noster incidit.

Cùm

Cum enim in fonte ipsum lavare viderem, statim sumptis meis armis hæreditariis, ad eum clam in balneum intravi, & dormientem spirituali falcis meæ veneno, subitò citra hominum opinionem sauciavi: ex quo vulnere expergefactus rex, multum profudit sanguinis. Hinc tantæ imbecillitatis causa. Hæc tamen infirmitas non ipsi est ad mortem æternam: sed proderit nobis in salutem nostram, qui fratres ejus sumus, & proximi consanguinei. Ut igitur cum ipso regni quoque participes fiamus, profuso sanguine proprio, nos emundabit ab originali impuritatum illuvie. Quamvis ergò naturam adeò in ipso labefactatam cernatis, ut morti non absimilis videatur: vitæ tamen spiraculum prorsus extinctum non est: sed occulto temporis fomento, interim à me conservatur, donec tandem, assistentibus mihi cæteris meis fratribus, coronâ quoque regiâ potitus cùm eodem fuero. His dictis tacuit. Conversus igitur Cyllenius Heros ad Jovem, signum dedit, ut diceret sententiam: qui mox in hanc se effundit orationem: Juvans, inquit, ego pater dicor, omnes excellens in bonitate, & dominus sum divitiarum & sapientiæ. Ne igitur inani & vano nomine stultè superbire videar, in Rege nostro juvando nullum non movebo lapidem: imprimis autem ipsum exornabo sapientia & divitiis, omnesque mundi thesauros ipsius potestati subjiciam. Præterea singulari bonitate & clementia erga omnes, præsertim autem erga nos fratres ipsius præditus, pauperibus erit refugium, miseris afflictis solatium, & mœrore confectis gaudium & refrigerium.

His finitis Luna compellata à Mercurio, in hoc argumentum fari incipit: Ego, inquit, soror Regis uterina, meritò habeo, quod de tristi hoc fratris casu lugeam: sed unum est, quod me solatur, ne prorsus abjecto animo desperem: nempe hoc quod communi dicitur proverbio: *Post nubila Phœbus*: Experientia enim me subinde edocuit hujus dicti veritatem. Quoties enim vidi fratrem, densissimis obscuratum nubibus, qui nihilominus tamen igneo suo ac radioso splendore illas penitus discussit, & tandem eluctatus, rursus auream nobis & fulgentem capitis comam benignus ostendit? Sed sicut in ipsius ministerium se ultrò offerunt fratres & cognati mei omnes, ita etiam meis officiis ipsi nequaquam decero: & quia me appellant vulgò aquarum dominatricem, ipsum quoque aqua mea perenni & clara è fonte vivo scaturiente potabo: omniaque corporis membra in eo ita reficiam, ut nihil remaneat prorsus infirmi, languidi aut vitiosi: sed fortis evadat, robustus, pulcher, formosus, & regali decore præ cæteris omnibus maximè conspicuus.

Absoluto candidæ Dianæ sermone, confestim surgit Venus, quæ blando placidoque vultu subridens, fratrum turbam ita alloquitur. Quid quæso fratres amici, rei est, inquit, quod in rege ac domino nostro refocillando, tam longam nectatis moram? An nescitis neminem nostrum à se ipso vivere? Nisi enim vita nobis ab hoc unico vitæ luciſque creatore gratis impertiretur, jamdudum actum esset de salute nostra. Cum igitur omnia, quæ possidemus, bona ipsi soli accepta ferenda sint: utpote qui ex lumine & splēdore suo nobis lumen & splendorem tribuat: merito quoque hunc cœli regem, & mundi principem veneremur, ipsique subditi & devincti maneamus in æternum. Exigua sanè hæc est opella vestra, qua ipsum fovere & restituere conanimi. Nisi enim hæc antea vobis cœlitus concessa essent munera, minima certè aut prorsus nulla foret in vobis ministrandi ac juvandi vis & potentia. Festinate igitur, & unusquisque vestrûm, quod acceptum tenet, ei quoque lubens meritoque rursus offerat. En, quod accepi, nunc reddo, illique tribuo multipotentiam, fœcunditatem, candorem, amorem, misericordiam, & comitatem. His cunctis & multis adhuc aliis præstantioribus virtutibus hunc Regem nostrum ditandum & exornandum volo. Hactenus continuatum orationis filum, abrupit Venus, & silentio facto, statim Deorum nuncius invitat Martem: qui voce gravi & impetuosa in hæc subitò prorumpit verba: Magnificum, inquit, & geminatum mihi olim inditum est nomen: nec sine causa. Mars enim vocor, quòd armipotente & magnanima virtute mea, maribus in bello præsum. Mavors autem nuncupor, quod magna verto, videlicet imperia & regna. Sed quicquid armata & bellicosa manu edomare nequeo: id ego & filius Vulcanus junctis viribus per maxima ignium incendia, & per fumum in cœlicas mittimus regiones. Igneæ namque calefactionis dominus sum, nullique ego cederem unquam, nisi lux Apollinea, claritate & ardore suo nimio me vinceret, urgeret, pelleret, inque fugam verteret. Utut sit, tantum tamen virium contribuo magno regi nostro, ut se & regnum nostrum à quacunque vi illata defendere possit. Habet enim ex me gladium flammeum & versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ: ut nihil jam dicam de fortitudine, magnanimitate, generositate & potestate summa ad quamvis injuriam aliam propulsandam: adeò ut jam sit perfectissimus, nihilque amplius ipsi desit ad regni sui splendorem amplificandum. His finitis, arbiter Deorum Mercurius annuit, & vota omnium collecta, tanquam æqua & pia comprobat, laudat, prædicat. Rex igitur hactenus occultatus in umbra mortis, gloria & honore pristino recuperatis; sine mora prodit in lucem, & viribus longè majoribus auctus distribuit varia in fratres dona, & beneficiorum memor, quibus ab ipsis multipliciter fuit affectus, æquè ipsos regiis honoribus ornandos seriò mandat, vult, jubet, imperat. Quibus peractis omnibus, visibile factum fuit visibile, & occultum manifestum.

HERMES.

Hæc verba auditores intelligite, custodite, meditamini, & nihil aliud inquirite. Homo autem principio Naturæ generatur, cujus viscera carnea sunt, & non ex alio. In hac litera meditamini: superflua verò respuite.

SCHOLIUM.

Fideliter hîc author præmonitos cupit suos discipulos, & bis repetit hanc tanquàm omninò necessariam, maximique momenti admonitionem: nihilque aliud inquirendum esse vult, quàm principium Naturæ, à quo generetur homo. Idem enim principium, quod causa est hominis procreandi, lapidis quoque generationem promovet. Hoc autem principium est Natura, quam Philosophi ubique suis discipulis indagandam, probeq; cognoscendam suadēt. Tàm enim necessaria est ipsius cognitio, ut absq; eadem quilibet artifex oleum & operam, quod ajunt, perdat. Natura enim sola natura lætatur: & natura naturam vincit, & superat: & naturam continet: & tamen non sunt diversæ naturæ, nec plures: verùm una tantum, De hac natura loquitur Rosarius in hæc verba: ô Natura benedicta, & benedicta est tua operatio, qui ab imperfecto facis perfectum cum vera putrefactione quæ est nigra & obscura. Postea facis germinare novas res & diver-

ſas, cum tua viriditate facis diverſos colores apparere. Multi agnoſcunt quidem Naturam, ſed virtutem ejus ignorant: quam ſi ſcirent, non utique vilipenderent. Peripatetici noſtri hanc quidem optimè ſcire ſibi videntur, & interrogati, quid ſit Natura, promptè admodum, vel ſine libro memoriterque recitant Ariſtotelis definitionem: Natura eſt principium motus & quietis. Si verò quæras, num Natura per ſeipſam exiſtat ab æterno: an verò ab aliquo priori principio ſit progreſſa? Deus bone, quantam hìc videas illorum in reſpondendo oſcitantiam, quantam timiditatem & inconſtantiam. Quocunq; enim ſe vertunt, nullam prorſus elabendi viam occaſionemque inveniunt. Si enim nihil ipſa prius fuiſſe dicerent, impietatis maximam incurrerent notam.

Propria enim conſcientia victi, rem aliter ſe habere nôrunt. Sin verò Deum authorem Naturæ, ut & cæterarum rerum omnium faterentur: totum ſubitò corrueret ipſorum Philoſophiæ ædificium: Super hoc enim Naturæ & æternitatis mundi fundamentum, illud ſuperſtructum eſt, quo diruto, omnia ſimul collabi neceſſum eſt.

Si enim Natura eſt ab æterno, & principium motus & quietis; nihil illa differet ab ipſo Deo. Solus enim Deus eſt ab æterno, & rerum omnium principium. Sed ut huic ſtrumæ dibaphum prætenderent, mundana ſua ſtultitia (ſapientia volebam dicere) hanc diſtinctionem excogitârunt: ubi principii conſiderationem duplicem adducentes, aliud creationis, aliud vero generationis eſſe aſſerunt: & ſic duplicia rerum principia contra omnem rationis ſenſum, & ipſam veritatem Theologicam, haud ſinè impietatis maculâ perperam ſtatuunt. Nunquam enim vel ſubtiliſſimis acutiſſimiſque rationum momentis, ullam demonſtrare potuerunt horum principiorum differentiam. Sive enim utriuſque originem, ſive naturam, aut eſſentiam, cæteraſque ſingulas proprietates quis ſpectârit, ne latum quidem unguem, unum ab altero differet. Idem enim verbum, quod principium erat creationis, principium quoque fuit generationis. Ab uno enim Deo tàm verbum *Creſcite & multiplicamini*, quod verum principium eſt generationis: quàm verbum *Fiat*, quod eſt principium creationis, promanavit.

Valdè demiror imprudentiam, vel extremam potius dementiam veſtram, ô Academici, quod aliàs eruditione & literarum cognitione conſpicui, & claves regni Philoſophi tenentes, non tandem hunc puerilem veſtrum errorem recognoſcatis, & veritati ſubſcribentes, ab hoc erroris labyrintho, & vos, & veſtros reducatis diſcipulos. Sed, cum proh dolor! minus anxii aut ſoliciti ſitis de vera & eſſentiali rerum cognitione, ſola litera mortua ſive rerum umbra vobis ad pompam mundanam, & divitias conquirendas ſufficit. Ego verò particeps minimè ero præmii, quod inde reportaturi ſitis aliquando. Quoniam enim in agricultura Philoſophica, non coadjutores eſtis Dei & veritatis, ſed Ariſtotelis & mendaciorum: vereor quidem, & nimis vereor, ne opus veſtrum, quod tam debili & ruinoſo fundamento ſuperædificatum eſt, in die olim judicii, ſicut fœnum & ſtipula exarſurum ſit.

HERMES.

VNde dicit Philoſophus: Botri ſit ex citrino, quod extrahitur ex modo rubeo, & non ex alio, quod ſi ſit citrinum, tua erit ſapientia, non ſit tibi curæ, ſi de rubeo extrahere non ſtudeas. Ecce non circumſcripſi, ſi intelligitis, paulò minus patefeci.

SCHOLIUM.

DUo ſunt lapides: albus & citrinus ſive rubet: hunc vocat botri, quem ex nodo rubeo, hoc eſt, ex ſulphure Naturæ extrahere jubet. Sed paulò poſt inquit, quod ſi citrinum fuerit, non curandum ſit, licet de rubeo amplius non extrahas. Cauſa eſt, quod uterque tam albus, quàm rubeus ab una eademque radice prognatus ſit: juxta axiomata Philoſophica illa: Quod me albificat, id ipſum me rubificat: & quod me mortificat, id ipſum me vivifica: Qui mecum moritur, mecum oritur. Errare igitur hinc conſpiciuntur illi, quicunque dicunt, ſe ſcientiam habere tincturæ Phyticæ, ſive lapis Philoſophici ad albedinis uſque gradum perducendi: ulterius autem ad rubedinem progrediendi viam ſe ignorare. Crede enim mihi, ſi rectam ad albedinem perveniendi viam ſemel cognoviſſent, non tàm ἀτέφως & ineptè loquerentur. Si enim ruſticus uvarum in vitibus immaturarum adhuc & albarum generandarum modum ſe ſcire: rubicundè verò quomodo provenirent, ſe ignorare, diceret: nonne ſe ridendum explodendumque exponeret omnibus. Eadem enim vitis per eundem Solis calorem externum, benignamque aëris tempeſtatiſque clementiam tam in principio quàm in fine, hoc eſt, tam immaturitatis, quàm maturitatis tempore uvas producit. Alii rurſus dicunt, ſe præparationem quidem tincturæ albæ, quam vocant corpus, & rubeæ, quam animam nominant, optimè cognitam habere: ſed conjungendi modum ipſos latere: ubi & hi evidenter ſatis produnt craſſam ſuam in rerum naturalium generatione ignorantiam, quam ſi in iiſdem diligentius obſervarent, facilè animadverterent, quænam ſit conjunctio artifici neceſſaria. Natura enim unica & ſola conjungit & ſeparat: neque patitur, ut Sophiſta ſuis conjunctionibus & ſeparationibus, ipſius operationes ſubtiles & ſpirituales interturbet. Si verò coacta fortè vim patiatur: mox ab opere deſiſtit: & omnia, culpâ erronei artificis, corrumpi permittit: Eſt enim proverbium antiquum: Coqui diverſi rarò præparant bonos & utiles cibos. Quod namque unus ædificat alter rurſus deſtruit. Quamobrem ſi quis in hac arte ſapere volet ſupra Naturam, is certius certo, maximum & irreparabile in fine damnum experietur.

HERMES.

FIlii ſapientum comburite corpus æris nimio igne, & imbuet vos gratia, quam quæritis. Et facite, quod fugiens non volet à non fugiente. Et quod ſuper ignem quieſcat, licet, ſit ignis æſtuans, & quod calore ignis æſtuantis corrumpitur, eſt cambar.

SCHOLIUM.

PEr corpus æris, per fugiens, per cambar quod corrumpitur, aliud nihil intelligitur quàm Mercurius volatilis, qui per ſulphur fixum & incombuſtibile in igne figendus eſt: ita ut in igne quieſcat, & licet ignis ſit vehementiſſimus, & quarti gradus, ſive fuſorius & reverberatorius: nihil tamen corruptionis aut detrimenti ab ipſo prorſus ſentiat: ſed conſtans & fixus in ipſo permaneat. Cùm verò nihil ſit in mundo, quod non obnoxium ſit corruptioni, præter cœlum ſive corpora cœleſtia omnia: Philoſophus autem ſuum Mercurium in tantam perfectionem adducat, ut corporum cœleſtium perfectioni, vel, ut Ariſtoteles loquitur, elemento ſtellarum reſpondeat: facilè hinc colligi poteſt: hujus Mercurii fixi & incorruptibilis naturam totam cœleſtem ac aſtralem eſſe. Si verò quis cauſam tantæ perfectionis, in ipſis corporibus cœleſtibus penitùs ſcrutari cupiat: is per dicti Mercurii Philoſophici artificium, quo ipſi ſumma iſta & perfecta in igne conſtantia

stantia conciliatur, hanc quoque absque magno labore, inveniet. Ut enim ignis omnia impura & heterogenea in Mercurio separat, ipsumque tandem in tam fixam & permanentem vertit naturam, ut nulli amplius cedat igni, sed liberè potius in illo jubilet, ita per eundem quoque ignem in principio mundi, separata sunt elementa corruptibilia ab incorruptibilibus: Corruptilia autem tanquam fæces crassæ & graves deorsum vergentes, constituerunt triplicem elementorum globum; terrestrem, aqueum & aëreum. Incorruptibilia totidem in cœlo produxerunt ita ut omnia corpora cœlestia vel sint terrestria, vel aquea, vel aërea. Sed ut illa inferiora elementaria sunt crassa, fœculenta, & impura: sic econtra hæc cœlestia sunt ab omni crassitie & fœculentia segregata: sunt pura, pellucida, clara & perfecta. Ignis autem locum suum occupans in medio horum sex globorum: partim participat cum cœlestibus, partim cum elementaribus. Si igitur quæris, cur inferiora elementaria corpora non etiam perficiantur per eundem ignem, cùm non minori propinquitati ipsi juncta sint quàm ipsamet corpora cœlestia? Respondendum est: causam hanc totam pendere ab ignis vi & actione qui natura sua semper sursum agit, nunquam autem deorsum: hinc fit, quod nihil in cœlum ingrediatur, nisi id prius per ignem purificatum fuerit: adeoque in cœlo omnia pura & perfecta permaneant per hunc eundem ignem.

Si enim ignis tanta vi ageret in hæc inferiora, ac in superiora, omnis statim auferretur impuritas & imperfectio ab inferioribus; hæcque prorsus cœlestibus fierent similia. Sed Deus hanc magnam & universalem separationem sibi soli usque ad extremum judicii diem reservavit. Interim verò suis quoque fidelibus & electis in Christo membris, largitus est particularia ignis magisteria, per quæ corporum horum inferiorum impuritatem separant, eaque adeò perficiunt, ut eandem cum cœlestibus corporibus naturam & perfectionem nanciscantur. Hinc rectè à Paracelso pronunciatum intelligimus: totum transmutationis arcanum consistere in igne. In hac igitur ignis arte, sive pyrotechnia, nisi quis probè exercitatus fuerit, vix aliquid effatu laudeque dignum in Chymia præstabit unquam.

HERMES.

ET scitote, quod hujus aquæ permanentis ars est æs: ejusque tinctura & nigredinis coloratio: tunc in verum vertitur rubeum.

SCHOLIUM.

HIc differentiam ponit author, inter æs quod aquam permanentem appellat, & inter corpus æris, quod supra comburendum præcipit. Hæc est autem aqua illa permanens, quæ omnium colorum tincturas in se continet: sublata autem nigredine, quæ imperfectionis signum est, permanens sola aqua retinenda est: hac enim sola Mercurius vertitur in verum rubeum, hoc est, in tincturam Solis. Nihil enim perenne sub Sole, ut Sapiens testatur Eccles. 1. 2. Et omnia vanitati sunt subjecta; hoc est, corpora quævis metallorum, excepto solo auro, sive Sole, sunt adhuc imperfecta & immunditiæ plena, ita ut corruptioni adhuc sint obnoxia. Ut igitur ab illis tollatur omnis corruptio, in auri naturam fixam & perennem sunt reducenda, idque per solum aurum, non per rem corruptibilem aut peregrinam, veluti solent facere erronei Alchymiæ suis sophisticationibus, qui ex rebus imperfectis & adhuc vanitati subjectis suis nempe aquis gradualibus, cæmentis, stratificationibus, albificationibus, rubificationibus, & similibus ineptiis, perfecta educere volunt corpora. Sed vanum est, quærere rem perfectam in imperfectis, & vivos inter mortuos. Sicut enim duplex est homo, vetus & novus: sic enim dupliciter considerandæ sunt metallorum corpora, ita ut alia sint vetera, alia verò nova. Vetera autem sunt corporea, & mortua: nova autem spiritualia & viva. Mortua verò in impuritatum sepulchro sepulta, resuscitanda sunt virtute vivorum. Christus enim Salvator noster, qui teste Paulo factus est à Deo maledictum pro nobis, corpus suum ex sepulchro resuscitavit: non virtute veteris Adami, sed novi hominis, qui erat Deus & homo in una persona.

Frustra igitur sollicitis se fatigant curis curiosæ illæ mulierculæ, quæ una Sabbathorum valde mane veniunt ad monumentum, orto jam Sole, ut ungerent Jesum. Unguento enim alio longè præstantissimo, Spiritu nimirum sancto, à Patre ac æterno invisibiliter, & rursus in baptismo suo, visibiliter unctus erat Christus: cujus unctionis vi, tanquam propria potestate, seipsum & omnes secum mortuos resuscitare, & ab omni æternæ mortis corruptione præservare poterat: ita ejusmodi unguentis, ex aromatibus, myrrha & aloë, tanquam rebus corruptibilibus, concinnatis, neutiquam indigeret. Præterea supervacaneum est earundem mulierculorum, quamvis ex pio zelo institutum, consilium de lapide revolvendo ab ostio monumenti. Hic enim lapis nihil aliud est, quam cor humanum, peccatorum mole, instar lapidis indurati. Hæc igitur lapidea peccatorum moles, ut à cordibus nostris auferatur, & blanda mitisque nostri hominis mollities inseratur, necesse est, ut angelus de cœlo, hoc est, spiritus regenerationis in corda nostra descendat, & Adamicum peccatorum lapidem à cordium nostrorum monumentis revolvat: & tunc orietur in nobis Christus, quo victore solo mundum cum concupiscentiis suis mortuis & caducis superabimus, & in cœlestis & immarcessibilis gloriæ suæ regno, cum ipso in æternum vivemus ac triumphabimus. Eodem planè modò regeneratio quoque metallorum intelligenda est, quæ non fit per tincturas corruptibiles, sed per fixas & perennes: neque per peregrinas aut alienas, sed per virtutem propriam ipsorum eorundem metallorum, non mortuorum imperfectorum, sed spiritualium perfectorum. Ex spiritualibus enim solis fit verum oleum Philosophorum; ad metallorum corpora imperfecta in perfecta ungenda & tingenda: non secus ac ipse Christus est verum salutis vitæque recuperandæ oleum: quo non tantum in agone mortis; sed singulis etiam vitæ diebus, imò horis atque momentis, corpora nostra per pias preces, meditationes & actiones perungenda & revivificanda sunt: ita ut Papistarum olea, chrysmata, aqua, panis, sal, cinis, ignis S. Johannis, candelæ, faces, cruces, & similia plura, ab ipsis quidem benedicta vocata, sed citra expressum Dei mandatum per superstitionem introducta, prorsus sint vana & inania hominum inventa: & inter Alchymistarum sophisticationes, tanquam opera frivola & corruptibilia annumeranda. Sola enim opera, quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum. Eccles. 3.

HERMES.

PEr Deum confiteor, me non dixisse nisi veritatem; quod devastantia sunt emendantia, & inde corruptio videtur in emendato, & inde emendatio apparebit; & utrumque est signum artis.

SCHOLIUM.

IUramento confirmat author, se veritatem dixisse de Mercurio: in quo reperitur utraque natura, destruens & emendans, hoc est solvens & coagulans: unus enim idemque Mercurius corrumpit & destruit corpora, rursusque ea exaltat, perficit & fixat: & ita damnum, quod induxit, recompensat duplo. Emendat enim & restituit maximo cum emolumento, quod in putrefactione tanquam operis principio exinanierat. Argumentum veræ artis certius haberi non potest, quàm quod ex materia una eademque, ubique tàm in principio quàm in fine sumitur. Nihilque ab arte magis alienum est, quàm quod ex rebus pluribus & diversis ortum est. Natura enim non emendatur, nisi in suâ naturâ. Unde liquidò constat, artis principium non esse nisi unum, & in idem quoque eandem finiri. Quale illud sit principium, ostendit Alanus his verbis, inquiens: Ars nostra incipitur cum Mercurio, & finitur cum eodem Mercurio. Mirabilis enim est natura Mercurii, utpote

Cui datur in varias se transformare figuras.

Et est tanquam alter Protheus, qui super terram repens, mox assumit serpentis figuram: mox aquis immersus piscem repræsentat: mox verò alitis instar plumatus pennatúsque supremum pervolitat ætheris orbem: & interim tamen non sunt plures Mercurii, sed unus tantum idemque semper & ubique manet Mercurius. Ab aurea enim, ac simplici unitate, quam Pythagorici Apollinem nuncuparunt, primum ortus, omnem rerum multitudinem prorsus adversatur. Hinc vel totus manet in igne, vel totus ab eo avolat. Necesse igitur erit, ut quælibet materia, ex qua noster componi debet Mercurius, ante omnia exuat multitudinem, & se recolligat ad primum unitatis numerum, qui, cùm rerum omnium sit principium & finis, etiam res omnes in se continet. Circa hunc unicum Mercurium hæreat artifex, & cum illo instituat quosvis labores in hoc opere necessarios. Aptus enim est & idoneus ad omnia, ad putrefaciendum, destillandum, coagulandum, mortificandum, vivificandum sublimandum & tingendum. Absque hoc frustrà laborant Sophistæ in omnibus operationibus suis. Non enim vident hunc simplicem unitatis Mercurium: sed cæci versantur in infelici dyadis sive dualitatis numero, qui litis & confusionis author dicitur. Quemadmodum autem omnes, qui æternæ salutis, in secutura vita participes esse volunt, à variis & diversis curis mundanis animum abstrahunt, & cum Lazari sorore Maria potius, (quàm cum Martha altera sorore, cui Dominus dicit, Martha, Martha, ut multum sollicita est,) meliorem partem eligentes, unico & soli Salvatori ac Domino nostro Jesu Christo continuè assident, à quo assiduis suspiriis & votis petũt aquam istam vivam, quæ in eis fiat fons aquæ salientis in vitam æternam. Sic veri Philosophi non quærunt nisi hunc unicum & verum unitatis Mercurium, qui agnitus, fit illis in fontem vivum, ex quo hauriunt aquam istam philosophicam perennem, ad corpora sua abluenda, & ab omnibus sordibus mundanda: ita ut in tali simplici unitatis perfectione, pura & immaculata in æternum permaneant.

CAPITVLVM VII.

HERMES.

FIli, quod ex corvo nascitur, hujus artis est principium. Ecce circumscribendo dictum vobis obscuravi, & lumine privavi, & hoc dissolutum, hoc junctum, hoc proximum longissimum nuncupavi.

SCHOLIUM.

LEgimus in 1. cap. Genes. quod in principio, quando Deus creavit cœlum & terram, terra fuerit inanis & vacua, & quod tenebræ fuerint super faciem abyssi: quodque Deus dixerit, Fiat Lux. Unde colligendum, tenebras priores fuisse luce. Eundem planè ordinem, quem Deus in creatione tenuit, videntur hodie omnes omnium rerum generationes adhuc æmulari, sancteque observare. Nihil enim generatur, aut in lucem editur, quod non principium suum sumat ex tenebris, sive ex nocte Orphei, h. e. ex principiis invisibilibus. Et quamvis vulgi hactenus opinione semina illa visibilia, pro veris rerum seminibus sive principiis fuerint habita: vera tamen principia aut semina non sunt: sed verorum seminum tantummodò rudimenta quædam & domicilia corporea: quamvis nec ipse spiritus in seminibus corporeis latitans, verum per se semen nuncupari possit: quia corpore suo, quod mortuum est, retentus, simul in mortis œconomiam conspirat, nec per se sine terrio spirituali, vivo, & vero semine, quod prorsus invisibile, & ab omni corporeo vinculo liberum est quicquam agere aut producere potest. Ex quo palam fit, seminis considerationem esse triplicem: aut enim semen est corpus: aut spiritus mixtus & corporeus: aut spiritus immixtus & incorporeus. Ex hoc tertio immixto, sive incorporeo & invisibili, tanquam ex corvo, in noctis ingredine & obscuritate delitescente, quod propriè semen dicitur, inquit Hermes, sumitur hujus artis principium. Sunt autem præcipuè tres ejusmodi aves, quarum Hermes ac reliqui Philosophi hinc inde in scriptis suis mentionem faciunt. Vocantur autem à nomine Hermetis, aves Hermeticæ, quæ noctu volant sine alis. Prima est corvus, quæ à nigredine sua dicitur principium artis: & elementi terræ refert naturam. Propè terram enim in campis, pratis, agris, & locis humilibus, aut super arbores in sylvis plerumque habitare solet corvus. Altera est cygnus, & hæc dicitur ab albedine medium, eò quod aqueum elementum, circa quod cygni plerunque versantur, repræsentat. Tertia est aquila, qua notatur aer sive oleum Philosophorum. Nulla enim reperitur avis, quæ altius volet in aerem, & propius Solem accedat, quàm aquila. De his autem avibus alibi copiosius dictum est: ita ut hoc loco superfluum sit de iis plura addere. Obiter tantum coronidis loco addo: ne quis nominibus his deceptus fortè ducatur in errorem: aves has spirituum potius, quàm avium habere naturã. Tanta enim pernicitate ac celeritate moventur de loco in locum, ut omnium volatum, quantumvis velocissimum, longissimo post se intervallo relinquant. Tandem author tacitè hortatur discipulos artis ad mentis sagacitatem & prudentiam: ubi dicit, se non perspicuâ docendi methodo, sed obscurâ circumlocutione, & confuso ac distorto sermonis genere usum fuisse.

HERMES.

ASsate ergo ea, deinde coquite in eo, quod procedit à ventre equorum per septem dies, vel 14. vel 21. Tunc fit Draco suas alas comedens, & seipsum mortificans: hoc peracto ponite in petia panni, & in igne furni, & ne exeat à vase, diligentius custodite. Et scitote, quod tempora terræ sunt in aqua, & sit quousque ipsum ei superponas.

SCHOLIUM.

IN præcedentibus tractavit author plurima ex parte, quæ ad theoricam spectant: nunc autem transit ad opus practicum, & jubet materiam, quam suprà variis modis demonstravit, assare & coquere in eo,

in eo, quod procedit ex ventre equorum, hoc est, in fimo equino, vel calore simili, qui videlicet respondeat calori ventris equini: idque per dies 7. vel 14. vel 21. Non dubium est, quin hæc septenarii multiplicatio clam aliquid includat: arcani: sed quia particula illa dubitativa sive disjunctiva VEL, toties reperitur: non satis perspicio: quid de temporis certitudine inde augurandum sit. Interim tamen paulò post temporis mensura manifestius ac clarius deregitur: Ubi author dicit, tempora terræ esse in aqua, & fieri quousque ipsum ei superponas. Quod hunc in sensum accipi potest: Materiæ cognitio universa ad opus necessaria simul complectitur. Hanc si noveris: de modo agendi quoque certus eris: ita ut materia vera & tempus conjunctionis sint inter se reciproca & conversiva. Nisi enim perfectum ac completum conjunctionis tempus exploratum habeas, de materia perfecta non potes certi quid asseverare: & vicissim materiæ perfectæ cognitionem vix habebis: nisi totum cum toto conjungere rectè sciveris His duobus igitur, materiâ videlicet, & debito digestionis tempore, probè cognitis, prima decoctio sive affatio fiat igni debili, qualis est calor ventris equini, hoc est, qui sufficiens sit ad primum digestionis gradum. Quo peracto, draco comedit suas alas, & seipsum mortificat, hoc est, materia incipit in terra Philosophica dissolvi & corrumpi. Postea verò solutionis tempore completo & absoluto, calor ignis paulatim augendus, & materia in furno sine athanore Philosophorum continuis coquenda est ignibus. Vas autem, quod materiam continet, accuratissimè sigillandum est, ne spiritus minerales, qui insignem penetrandi vim obtinent, transpirent, & relicta cavea, hoc est, corpore mortuo, evolent. Opus igitur erit luto sapientiæ, cujus præparatio est, ut sequitur:

℞. *Collæ ustæ unc.* 1.
Farinæ hordei unc. 2.
Cineris de ligno viridi
Salis
Calcis vivæ
Arenæ
Scoriæ ana unc. 1.

Omnibus in pulverem subtilissimum contritis incorporentur cum succo plantaginis & albumine ovorum, ad justam luti consistentiam. Si hoc luto vasis orificium illinatur, & probè claudatur: nulla timenda erit amplius spirituum evaporatio.

HERMES.

EO igitur liquefacto & combusto, accipite cerebrum ejus, & acerrimo terite aceto; vel urina puerorum, donec obscuretur. Hoc peracto vivit in putrefactione, fuscæ nubes, quæ in ipso erant antequam moreretur in suo corpore, convertentur. Reiteratus autem, prout descripsi, iterum moritur, &, ut dixi, inde vivit.

SCHOLIUM.

LApis in se latenter continet omnes mundi colores, qui tamen non manifestantur, priusquam is liquefiat. Quoties enim liquefit in igne, toties ex eo oritur novus color, donec tandem consummata omnium colorum serie totus in cinerem comburatur. Hic enim cinis est Phœnix ille occultatus à Philosophis, qui senio confectus seipsum in igne comburit & consumit, ex cujus cinere resurgit vermiculus, qui successu temporis per se reformatur in avem ita ut Phœnix, mediante Pyrotechnia, cum juventute suam commutet senectam, & denuò quasi rejuvenescat.

Post mortem quoque hominis similis remanet vermiculus, qui non cum reliqua corporis substantia corrumpitur, aut in nihilum redigitur: sed reservatur in spirituali mortuorum mundo, usque ad resurrectionem generalem: in qua omnes homines indutis novis incorruptibilibus corporibus rejuvenescent. Hic autem est ille vermis conscientiæ, sive bonę sive malæ, qui non moritur: de quo legitur apud prophetam. Certius ex natura argumentum pro stabilienda mortuorum resurrectione, non datur quàm hoc ipsum: quod si mundicolæ nostri, quorum cor totum adhæret caducis tantum, vanis, & corruptibilibus mundi thesauris, id penitiùs ac diligentiùs scrutarentur, majorem forte curam susciperent de æternis, stabilibus, & in perpetuum duraturis bonis conciliandis, quàm proh! dolor solent. Sed pergit author & vocat hunc cinerem cerebrum, propter spiritum subtilissimum, qui in eo latet. Sicut enim cerebrum sedes est & domicilium spiritus animalis, purissimi & subtilissimi in toto corpore humano, sive microcosmico: ita his cinis quoque est habitaculum nobilissimi & pretiosissimi spiritus totius mundi majoris, sive macrocosmi. Aceto igitur acerrimo seu urina puerorum, hoc est, Planetarum metallicorum, teritur, hic cinis, id est, solvitur tamdiu, donec putrescat, & appareat primus operis color, sive nigredo. De tribus autem primariis operis coloribus sæpè hactenus dictum est. Sed sciendum nunc est, quemlibet ex istis bis apparere in lapide. Fit enim lapis bis niger: bis albus, & bis rubeus. Hæc igitur causa una est, cur author hîc repetat putrefactionem, de qua etiam paulò antè egerat. Sed & ipse manifestè declarat rei causam, ubi dicit Reiteratus iterum moritur, hoc est, semel corruptus & putrefactus, secunda quoque vice putrefiet. Per cerebrum autem, ut dixi intelligitur spiritus sive substantia mineralis subtilissima in aceto Philosophorum radicato solvenda.

Si aceti hujus radicati rectificatio sive præparatio innotuisset Philosophiæ studiosis, aliud Philosophorum solvens non esset investigandum: neque alia aqua vitæ metallica & mercurialis neque alia lapidis aqua, quia aceti radicati præparatio hæc omnia in se continet.

HERMES.

IN ejus autem vita & in morte spiritibus utimur: Sicut enim moritur, spiritibus ablatus, sic restitutis vivificatur, & ipsis lætatur. Ad hoc autem pervenientes, id quod quæritis affirmatione videbitis. Narro etiam vobis lætificationis signa & quod suum corpus figit.

SCHOLIUM.

QUando Philosophi locutu sunt de spiritibus; aut lapidem suum opera spirituum confici dixerunt, multi siniſtrè spiritus vocabulum interpretati, sibi opinionem, nescio quam, finxerunt de spiritibus malignis sive cacodæmoniis conjurandis, & in operis sui ministerium accersendis, aut convocandis. Sed qualem inde vitæ exitum experti sint plerique, qui à magia hac naturali, scientia omnium nobilissima & divina, ad nigromanticam illam & diabolicam temerè desciverunt, sat abundè testantur historiæ, ita ut nemo sit vir pius, quin ex illarum relatione, horrore maximo concutiatur. Hinc multi quoque reperiuntur, qui rudes veræ magiæ sivè Philosophiæ, traducunt magnum illum & insignem Philosophum Theophrastum Paracelsum: quem licet summo jure Theophrastus, h. e. ex Deo, non ex proprio cerebro aut cacodæmone loquens, appellatus fuerit præter suum meritum, tamen cacodæmonum opera quoque usum fuisse impudentissimè mentiuntur. Magnus fuit, fateor, h. e. Philosophus. Igitur & ma-

gicam ſecutus eſt loquendi formulam ſive rationem. Spretis enim mortuorum corporum cadaveribus, de ſola ſpirituum naturalium inveſtigatione, prout verum decet magum, ſollicitus fuit. Ex his ſpiritibus nonnulli ſunt boni & benigni, utpote qui arte exaltati, & in arcanum ſunt redacti: Aliqui verò pravi & maligni, quorum videlicet ſubſtantia adhuc circumfluit fæce corporea, malignaque, ac venenata qualitate. Sed quam diverſis utrique præditi ſint facultatibus, notum ac manifeſtum ſit in iis, qui vel bona vel adverſa utuntur valetudine. Sani qui vivunt, hoc beneficium & donum maximum ſolis ſpiritibus bonis, tanquam veris ſanitatis authoribus, acceptum ferunt. Quod ſanè beneficium non exiguum eſt, ſed tanti æſtimandum, ut cætera omnia felicitatis genera facilè huic uni cedant. Unde rectè dicimus proverbio Gallico: *La ſanté ſurpaſſe tout:* id eſt, Nihil bona valetudine optabilius aut præſtantius. Homines enim in perpetua ſanitate degentes in hoc mundano Paradiſo, hac in parte ſimiles fiunt angelis in cœleſti Paradiſo, qui ſoli à morborum contagio immunes & ſecuri vivunt, Econtrà verò qui crebra, vel etiam continua morborum tyrannide divexantur, hujus rei cauſam, non niſi malignis ſpiritibus aſcribere poſſunt: à quibus ſæpenumero tam magnis & intolerabilibus afficiuntur cruciatibus, ut vix majus ſupplicii genus excogitari poſſit: & ſic omnes, qui in tanta miſeria ac calamitate vitam tranſigunt, ſimilem ferè ſortem cum damnatis & maledictis, cacodæmonibus in hoc ſeculo experiantur. Hi verò ſpiritus tàm boni, quàm mali, hoc eſt, ſalubres & inſalubres, in omnibus corporibus naturalibus mixti reperiuntur: præſertim autem in chao noſtro Phyſico, ex quo elicimus medicinam noſtram catholicam ſive univerſalem.

Unde Hermes vitam & mortem ab iiſdem quoque ſpiritibus induci affirmat: ablatis ſcilicet bonis mortem: reparatis verò iiſdem vitam. In quo omninò conſentire videtur cum ipſo Paracelſo, ita ut planè ſtupido ſint cerebro, quicunque non advertant Paracelſum de naturalibus tantum loqui ſpiritibus, quos interdum à tam horrendis morborum ac ſymptomatum effectis, malignos ſive demoniacos per ſimilitudinem vocat. Qui verò alium ſenſum Paracelſo affigunt, hi illum vel non intelligunt, vel ex ſingulari malitia depravant. Sed redeamus ad authoris textum, in quo clarè oſtenditur, vitæ & mortis cauſam in ſpiritibus eſſe indagandam: in ſpiritibus nimirum naturalibus: qui in tria genera dividuntur, in animales, vegetales, & minerales. Qui noverit minerales tanquam mortuos reviviſicare, & ſic præparando depurare, ut vegeti & animati in corpus humanum vires ſuas exerant: ad maximum pervenit arcanum.

Et hoc eſt illud, quod quærunt omnes: quod ſi adepti fuerint, gaudio maximo perfuſi, Deo maximo optimo meritò gratias agent infinitas. Medicinam enim non modò ſummam ad corpus humanum habebunt, ſed poterunt quoque quælibet corpora perfecta & impura figere, & in ſummam argenti aurique perfectionem tingere.

HERMES.

HAc autem figuratione priores veſtri, quemadmodum ad propoſitum pervenerunt, ecce mortui ſunt. Jam vobis nudam demonſtravi, & peritis librum aperui, occultas res celavi, ſequeſtrata continere feci, diverſas figuras conjunxi, & ſpiritus ſociavi. A Deo hoc munus accipite.

SCHOLIUM.

INdicat author, artis ſcientiam antiquos Philoſophos adumbraſſe figuratis locutionibus & ſimilitudinibus. Sed quia non ampliùs in vivis ſuperſint, illorum loco jam authorem artis ſcopum, ad quem omnes ſapientes collimare debent, demonſtraſſe: ita tamen, ut non niſi periti, hoc eſt, genuini & legitimi artis diſcipuli, inde veritatis ſaporem ſint guſtaturi.

Celavit enim res occultas, juxta illud: quod occultum vis, nemini dixeris: Rerum ſeparationem abſolvit. Res diverſas, hoc eſt, ſuperius & inferius conjunxit: & inter ſpiritus mortiferos & vivificos pacem fecit, ita ut nunc ambo in perpetuam concordiæ ſocietatem conſpirent.

Qui igitur non poterunt ex his, quæ dicta ſunt hactenus ſecretum artis capere, hi divinam majeſtatem precibus inceſſanter ſollicitent, ut ſpiritum intelligentiæ ac veritatis ipſis largiatur.

CAPITULUM VI.

HERMES.

OPortet vos Deo gratias agere, qui omni ſapienti ipſam largitur, quæ de miſera & paupertate liberat nos, omnibus ejus ſubſtantiis probabilibus miraculis ſum tentaturus, & Deum ſuppliciter deprecaturus, ut, dum vivimus, ad eum perveniamus.

SCHOLIUM.

INchoat author hoc capitulum ab exhortatione ſeriâ ad gratiarum actionem & pietatem erga Deum. Cùm enim veriſſimum ſit omne donum perfectum deſuper deſcendere à patre luminum, qui largitur bona ſua, & imprimis hanc ſcientiam, cui vult: meritò nos gratos præbeamus erga tàm benignum & miſericordem patrem ac dominum noſtrũ. Miſertus enim miſeriæ & inopiæ noſtræ, manum ſuam aperit, & ingentem ſanitatis & divitiarum ad nos è cœlo mittit theſaurum: quo noſtrum hujus vitæ defectum ſublevat. O pium! O propitium! O clementem dominum, qui tàm cœleſti, tàm angelico & divino planè munere nos indignos dignatur vermiculos.

Ecquis eſt inter mortales, cujus animus omni adamante magis induratus ſit, qui ex recordatione tantorum beneficiorum non emolleſcat? aut quis eſt, qui non pro tantis donis, noctes diesque coram Deo flectat genua, ipſum adoret, & laudibus hymnisque infinitis celebret. Modo unica ſaltem guttula vel ſcintillula ſuperſit pietatis in homine, dubium non eſt, quin, dum in memoriam ſibi revocat infinita illa & innumera divinæ miſericordiæ ac benignitatis erga genus humanum argumenta, guttula iſta pietatis reſidua in ampliſſimum mare, & ſcintillula in maximum incendium excreſcat. Si igitur Deus tantis nos cumulat donariis in hoc mundo immundo, dum adhuc in corpore mortis, peccatis obnoxio, habitamus: quantis putas maximis & inenarrabilibus æternæ vitæ bonis nos ornabit in ſecitura vita: Ubi ab omni peccatorum immunditie liberati, erimus illi, qui venimus de tribulatione magnâ, & lavimus ſtolas noſtras, & dealbavimus eas in ſanguine agni: ideò erimus ante thronum Dei, & ſerviemus ei die & nocte in templo ejus: & qui ſedet in throno, habitabit ſupra nos: non eſuriemus, non ſitiemus ampliùs, non cadet ſuper nos ſol, neque ullus æſtus: quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget nos, & deducet nos, ad vitæ fontes aquarum: & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis noſtris. Apocalyp. 7.

HERMES

HERMES.

EXinde filii Philosophorum unguenta, quæ retrahimus ex unguibus, pilis, viridi æris, tragacantho, & ossibus in antiquorum libris sunt scripta.

SCHOLIUM.

PEr unguenta intellige omnis generis sulphura arte Vulcanica è rebus naturalibus educta: ex quibus omnibus unum tantum reperitur fixum & incombustibile. Hoc verò investigandum erit in subjecto omnis mirabilitatis, ut Corn. Agrippa loquitur, & est res, quæ in terris & in cœlis est: ipsa est actu animalis, vegetabilis & mineralis, ubique reperta, à paucissimis cognita, à nullis suo proprio nomine expressa: sed innumeris figuris & ænigmatibus velata, sine qua neque Alchemia, neque naturalis magia suum completum possunt attingere finem. Per sulphur autem illud fixum cujus sæpenumero apud Philosophos fit mentio, nihil aliud intelligitur, quàm verum Naturæ balsamum, quo corpora metallorum mortua peruncta, à corruptione perpetua conservantur. Vitæ enim diuturnioris longioriſque causa est solum hoc balsamum, quo res naturales si magis abundant, diutius etiam ab interitu præservantur. Ex rebus igitur, ejusmodi balsamo abundantibus, nostra medicina universalis elicienda, ut eò fiat efficacior ad corpora humana in sanitatis statu conservanda, & ad morbos sive ex mala victus ratione, sive hæreditaria propagatione, aut quavis alia occasione subortos abigendos & radicitùs extirpandos.

Noli igitur existimare, tale sulphur reperiri in unguibus, pilis, viridi æris, tragacantho, ossibus & similibus rebus momentaneis & citò perituris: sed hæc sunt tantum nomina externa, quibus author ex libertate philosophica utitur ad internam rerum essentiam ab indignis & impiis occultandam.

HERMES.

AMplius unguenti, quod tincturas continet, fugientia coagulat, & sulphura decorat, dispositionem oportet nos exponere, & omnibus aliis unguentis figura, quod est unguentum occultum & sepultum, cujus nulla videtur dispositio, & habitat in corpore suo, sicut ignis in arboribus & lapidibus, quod subtilissima arte & ingenio oportet nos extrahere absque combustione.

SCHOLIUM.

VNguenti sive sulphuris veri philosophici conditionem, nunc author pluribus explicat verbis: & primum id tincturas continere ait: Tincturarum enim magna est latitudo. Quicquid enim tingendo colorem aut proprietatem corporibus naturalibus imprimit, id tincturæ nomen meretur: ita ut omnis medicina, quæ corpora in bona & naturali conservat constitutione, & aufert morbos, rectè appelletur tinctura sanitatis: & sic econtrà res destruentes, ac ægritudines corruptioneſque corporibus inducentes, nuncupentur tincturæ morborum & mortis. Quot igitur in mundo res inveniuntur, sanitatis & morborum causæ, tot etiam tincturæ statuendæ: quas in universum omnes in se complectitur unicum istud philosophorum unguentum. Habet deinde idem unguentum facultatem fugientia coagulandi, & sulphura decorandi, hoc est, volatilia figendi, & obscura illustrandi. Ejusmodi autem volatilia nihil aliud sunt, quàm omnia inferiora & imperfecta metalla, quæ per hoc unguentum transmutantur in optimum aurum & argentum. Tandem unguentum hoc absconditum latere dicit in corporibus, non secus ac ignis sive calor naturalis (non autem hic sermo est de igne vulgari, aliàs mechanicus dictus, omnia comburens & destruens) tempore veris in arboribus succum sive viriditatem generat, & temporis progressu producit gemmas, folia, & flores, tandemque completam fructuum seminumque maturitatem absolvit. Vel sicut idem calor in montibus & intimis terræ visceribus (linea namque viridis gyrat universum) simplicissima rerum corpora sive elementa primùm miscet, & lapides, inde diversis proprietatum differentiis insignitos fabricat: sic sulphur naturæ sive philosophorum tincturas veras, quas in se continet, per varias temporum revolutiones explicat: immatura perficit: inconstantia figit: immunda abluit: ignobilia & vilia nobilitat. Propter varias ejusmodi & eximias dotes, quibus præditum est, longe lateque antefertur cæteris sulphuribus, adeo ut propterea non immeritò divinum ab authore appelletur. Vas est hoc in loco materia ipsa, quæ continet essentiam pretiosam, cœlestem, astralem, & vitalium spirituum copia imprægnatam. Hi spiritus, qui instar Mercurii volatilis, fugitivam habent naturam, ingenioſa & mira arte extrahuntur, & per sublimationem magis magisque exaltantur, tandemque figuntur. Sed industria summa præcavendum, ne in gradibus ignis peccetur. Calor enim nimius materiam nostram, quæ, ut diximus, cælestis sive astralis istius essentiæ vas est sive domicilium, comburet, & sic fracto carcere, captivus aufugiet.

HERMES.

ET scitote, quòd mediocriter cœlum cum terra jungitur. Mediocre autem est figura cum cœlo & cum terra, quod est aqua. Omnium autem primò est aqua, quæ exit de hoc lapide: secundum verò aurum: tertium autem ferè & mediocre aurum, quod aqua & fœce nobilius.

SCHOLIUM.

HIc agitur de tribus lapidis partibus. 1. de aqua 2. de cœlo, sive mediocri auro. 3. de auro sive fœce terrestri. Noli verò mirari, quod aurum hîc fœcis vicem gerat, & aqua cœloque vilius æstimetur. Loquitur enim hîc author de auro non vulgari, sed de philosophico, quod in uno tanquam facco continet omnia corpora, tam perfecta, quàm imperfecta, pretioſa & vilia: pura & impura: gemmas & silices, aurum & plumbum: ita ut plumbum philosophicum nil aliud sit, quàm aurum leprosum & imperfectum: aurum autem viciſſim sit plumbum fixum & perfectum. Præstantius autem plumbo & auro, dicitur cœlum mediocre, vel ferè aurum. Mediocre autem ideo dicitur, quod auri quidem pondus, colorem, & cæteras proprietates habeat, sed multò sit spiritualis, excellentius & potentius: utpote cujus virtutes exuperant vulgare aurum.

Unde etiam vulgare, per projectionem tingitur à mediocri, & pluſquam perficitur: estque hoc aurum mediocre, verè lapis ille pretioſus, in cujus comparatione omne aurum, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum respectu illius. Sap. 7.

HERMES.

IN his autem tribus sunt fumus, nigredo & mors. Oportet ergo nos ab aqua fumum superexistentem, ab unguento nigredinem, & à face mortem depellere, & hæc dissolutione. Quo pacto, maximam habemus philosophiam, & omnium secretorum secretum.

SCHOLIUM.

IN his tribus, hoc est, in unico subjecto, ex trib. cõpoſito, quod notũ est in capitulis, latêt hæc tria, fu-

mus, nigredo, mors; quæ non nisi unum sunt: caput nimirum mortuum: quod depuratur & revivificatur per solam dissolutionem. Nisi enim corpus solvatur, nulla fit spirituum coagulatio. Solutione enim corporis impuri & fumosi, spiritus puriores & nobiliores, tanquam succenturiati, novas indies & præstantiores vires atque proprietates inducunt: & nigredine ablata, albos & rubicundos philosophorum flores proferunt: morteque expulsa vitalibus & astralibus tincturis omnia perfundunt atque replent. Et hæc est Philosophia consummata & omnium secretorum secretum. Sed quid sit Philosophia consummata, in superioribus fusè explicatum est. At quamvis Hermes hîc tantummodò loqui videatur de transmutatoria philosophia: alibi tamen diserte fatetur, omnes sapientias suæ sapientiæ subditas esse. Cum autem Christus Salvator noster, unica & sola vera sit sapientia ab æterno, non existimo, aliquem veræ sapientiæ participem fieri posse, nisi is & spiritum Christi simul habeat. Per hunc enim spiritum solum, accessum habemus liberum ad abscondita tam divinarum, quàm naturalium rerum mysteria pervenienda. Is enim est, qui teste Paulo, scrutatur omnia etiam profunda Dei. Nemo enim cognoscit, quæ Dei sunt, nisi idem, quem accepimus, spiritus Dei. Hujus sola virtute similes efficimur in hac vita Enocho & Eliæ. Sicuti enim hi, teste scriptura, vivi fuerunt assumpti in cœlum: ita & nos per Christi spiritum, in his terris adhuc ambulantes, tanquam vivi in cœlum extollimur. Cum enim per cœlum nihil aliud intelligatur quàm vita æterna: Christus autem sit ipsamet vita: de se ipso enim loquens, inquit: Ego sum via, veritas & vita: necessariò inde sequitur, quod qui in Christo manent, & Christus in illis, non amplius in mundo, sed in cœlis, ubi Christus est, versentur, hoc est, non amplius terreni ac mundani idolatræ, rebus caducis, sed spirituales & immortales Christo soli adhærent. Non igitur expectandus est alius Enoch aut alius Elias, qui ante adventum Christi in mundum veniat. Sicut enim Antichristus non habitat in uno solummodo individuo, sed in toto Antichristiano corpore, quod ex pluribus constat membris, diffusus regnat: ita Enochi & Eliæ spiritum non accepit sola quædam singularis persona, sed omnes veri Christiani & pii præsertim philosophi, qui in eodem ambulantes spiritu in vasis suis fictilibus, ut cum Paulo loquamur, habent thesaurum immortalem & incorruptibilem, nempe Jesum Christum: à quo Elias olim, tanquam de spirituali petra bibens, spiritum quoque eundem acceperat, ita ut spiritus Eliæ, non alterius sed ipsius quoque Christi fuerit, qui solus est verus Elias artista, nos deducens in omnium artium veritatem: quin imò solus is est consummata Philosophia, & omnium secretorum secretum.

CAPITULUM VII.

HERMES.

O Filii philosophorum, corpora sunt septem, quorum primum est aurum eorum perfectissimum, rex & caput, quod nec terra corrumpit, nec res comburentes devastant, neque aqua alterat, quia ejus complexio est temperata, & natura directa, in caliditate, frigiditate, & humiditate, nec superfluum quicquam in eo est. Ideò philosophi ipsum prætulerunt, & magnificaverunt, dicentes, aurum sic haberi in corporibus, sicut Sol in stellis lumine suo est splendidior: eo enim Dei nutu, omne vegetabile, omnis terræ fructus perficitur: sic aurum omne corpus continet, vivificat, quod Elyxir fermentum est: sine quo nequequam perficitur.

SCHOLIUM.

SEptem corpora, sunt septem metalla, aurum, argentum, stannum, æs sive cuprum, ferrum, plumbum, & argentum vivum, inter hæc præstantissimum est aurum. Unde etiam reliquorum rex & caput ab authore vocatur. Sed erras, si hoc dictum putas de auro vulgari, cujus usus est in officinis monetariorum & aurifabrorum. Aurum enim nostrum, inquiunt Philosophi, non est aurum vulgi, sed est æs, sive electrum minerale, cujus compositio in se, complectitur omnia metalla: juxta illud: Omne aurum est æs, sed non omnes æs est aurum. Hoc verò æs sive aurum rectè comparatur Soli, qui, teste Hermete, post Deum gubernat mundum, & illuminat omnia mundana, sive animata sive inanimata: & est gubernator vitalium, vel totius vivacitatis frequentator & dispensator: de quo Palingenius ita canit:

——————— O Sol, qui tempora mutas,
Et cum temporibus quicqnid generatur in Orbe.

Hujusmodi virtus generativa & seminaria, cujus vi crescunt & propagantur omnia, inest quoque in viriditate æris nostri: de qua Philosophus loquitur: Totum illud, inquit, quod est perfectum in ære, est illa sola viriditas: quæ in ipso est: quia illa sola viriditas per nostrum magisterium vertitur citò in verissimum aurum nostrum. O benedicta viriditas, quæ cunctas res generas! quod vel inde constat, quòd nullum vegetabile atque fructus nullus apparet germinando, quin sit ibi viridis color. Ex quo manifestè colligitur, aurum hoc Philosophorum sive æs habere longè alias proprietates atque vires, quam vulgare illud: quod teste Mirandula, parvo pulvere insperso in igni fugit: ac potest resolvi in calcem & aquam limpidam: imo hydrargyrus id penitus destruit: ita ut longè differat hoc vulgare à vero philosophorum auro: quod præter commemoratas virtutes etiam perfectissimum est, & incorruptibile: quodque naturam habet Elyxiris sive fermenti. Est autem Elixir, ut Rosarius, inquit, medicina completa, magisque depurata & digesta, quàm aurum & argentum, eo quod ipsum Elixir habet vim convertendi omnia imperfecta corpora in aurum & argentum, quod ipsa per se minimè perficere possunt: quia si de perfectione sua alteri darent: ipsa imperfecta existerent: eò quod non possunt tingere, nisi quantum se extendunt. Hinc constat, aurum Philosophicum esse quid præstantius, nobilius ac pretiosius ipso auro & argento, cæterisque omnibus metallis vulgaribus. Quæsiverunt multi hanc auri sive æris viriditatem in vitriolo, & cupro sive ære vulgari: sed errore decepti à vero scopo longè aberrarunt. Causa erroris fuit ipsorum crassa ignorantia, qua secuti sunt literalem in scriptis Philosophorum sensum, cùm tamen Philosophia Chymica non contempletur metalla, quatenus sint corpora, sed quatenus redacta sint in substantiam subtilissimam, spiritualem ac cœlestem. Est ergo aurum nostrum non corporeum: sed summè depuratum, & ad astralem naturam adductum. De quo hæc dixisse sufficiat.

HERMES.

SIcut enim pasta sine fermento fermentari non potest, sic cùm corpus sublimaveris, mundaveris, & turpitudinem face separaveris, eum conjungere & simul miscere volueris, pone in eis fermentum, & aqua terram confice: donec Elixir fermentū & ut pasta fiat fermentum. Meditamini & videte utrum ei fermentum fiat

fiat de alio, quàm de sua natura. Inspicite ergò, quomodo fermentum non est, nisi de pasta ipsa.

SCHOLIUM.

PAulò superius mentionem fecit author fermenti, idque aurum esse apertis & manifestis verbis indicavit. Pergit igitur nunc pluribus demonstrare necessitatem fermentationis: & aliquas ordine operationes ponit: quales sunt sublimatio, mundatio, fecum separatio, conjunctio & mixtio, quæ singulæ necessariò requirunt fermentationem. Est enim fermentum quasi anima, quæ pastam eadem proprietate, qua ipsa est insignita, fermentat. Ne verò dubites, id verum artis esse fermentum, ab authore suprà propositum, considera solummodò finem intentionis tuæ, & mox latebris aliud non esse, quàm hoc ipsum: Aurum vis producere: Ergò aurum tuum quoque erit fermentum. Quemadmodum fermentum pastæ ex eadem materia constat, ex qua ipsa pasta: utriusque enim materia est farina: sic fermentum lapidis aurifici est aurum: argentifici argentum. Vide saltem, ut fermentum, quo uti voles, semper sit re fermentanda efficacius, purius, & astralius, magisque digestum, & non errabis. Expurgate vetus fermentum, inquit D. Paulus, ut sitis nova conspersio. Ad regenerationem enim novi hominis, requiritur novum fermentum; quod veteri isto longè sit efficacius, purius, nobilius, cœlestius, spiritualis. Tale autem novitatis, puritatis, sinceritatis & veritatis fermentum est ipsè Christus, quo in baptismo per ipsius mortem omnes verè credentes fermentantur. Unde Matth. 13. simile dicitur esse regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Quale igitur hoc novum est fermentum, talis quoque debet fieri pasta inde fermentata. Nisi enim pasta eandem cum fermento virtutem & proprietatem acceperit, verè & debitò modo fermentata dici non poterit. Hinc elucet evidens discrimen inter Christianos veros & falsos. Veri virtute novi fermenti operantur juxta novum hominem veritatem & vitam: falsi autem secundum veterem hominem mendacium & mortem. Hæc autem postrema tenebrarum opera, regenerato homini omninò devitanda & fugienda sunt. Modicum enim fermentum, scilicet veteris hominis ut Paulus docet, Gal. 5. corrumpit totam massam. Quicunque igitur massam suam, tam theologicè quàm Chymicè, rectè fermentare volet, vetera impuritatis & corruptionis corpora relinquat, nihil enim stabile aut laudabile in illis unquam inveniet. Est autè in utraque scientia fermentatio necessaria. Qui enim in Theologia ignorat Christum ab eodem quoque ignorabitur. Nosse autem Christum realiter, est credere ipsius verbo, & servare ipsius mandata. Sic enim cum ipso erimus una massa, & à proprio ipsius verbo in essentialem & perpetuam amicitiam ejus fermentati. Jamque non amplius non dicet servos, sed amicos. Amici enim, inquit ad discipulos, mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. In Chymia quoque necessariam fermentationem esse palàm fit ex eo, quod si non misces fermentum cum Elixire, non coloretur corpus, sicut debet, quoniam sine fermento non exibit neque Sol, neque Luna. Est enim fermentum anima, quæ corpori imperfecto, mediante aqua, vitam tribuit, quàm prius non habebat, & in meliorem formam reducit.

HERMES.

ET nota, quod fermentum confectionem dealbat, combustionem vetat, tinctura, ne fugiat, continet, & corpora latificat, & invicem conjungi & ingredi facit. Et hæc est clavis Philosophorum, & finis operum, & hac scientia corpora emendantur, & eorum opus, Deo annuente, peragitur.

SCHOLIUM.

DUbium maximum hìc de fermento oriri videtur, quod antea aurum esse diximus: nunc autem fermentum confectionem quoque dealbatè author confirmet: sed facilè id solvitur per philosophum, qui dicit: non est aurum, nisi prius fuerit argentum: Item aurum nostrum, est tinctura sive anima sive fomentum operis, sine quo nequaquàm peragitur, sed quando dealbatum fuerit aurum, hoc est, corpus album: neque fit argentum, nisi priùs fuerit Mercurius. Unde Sol fingitur à Philosophis tres habere facies in cœlo, nigram, candidam, & rubicundam: ita ut facilè credendum sit, fermentum hoc non tantùm dealbare confectionẽ, sed etiam ut author paulò post docet, à combustione & fuga custodire tincturam, eique in projectione conciliare ingressionem. Sed quia fermentum non potest ingredi corpus mortuum, nisi mediante aqua, quæ facit matrimonium & copulam inter fermentum & terram albam: id in omni fermentatione notari debet pondus uniuscujusque. Si igitur terram foliatam albam ad album Elixir volueris fermentare, ut stabit in complemento tincturæ super corpora à perfectione diminuta, tunc recipe terræ dealbatæ seu foliatæ corporis mortui partes tres, & de aqua vitæ reservata partes duas, & fermenti partem alteram dimidiam. Fermentum autem sit præparatum, ut fiat calx alba fixa & subtilis, si ad album tua procedit intentio: si verò ad rubeum, tunc sit calx citrinissima auri præparata, & non erit aliud fermentum. Tanta igitur est fermentationis præstantia, ut author eam non dubiter appellare clavẽ Philosophorum, hoc est, principium & finem operum, videlicet albi & rubei: utpote cujus beneficio corpora emendãtur, hoc est, in superiorem perfectionis statum exaltantur: sicque tandem opus rubeum ultimumque divina aspirante gratiâ, perficitur, & ad finem perducitur.

HERMES.

NEgligentia verò & mala de eo opinione, opera corrumpuntur, ut fermentum massæ, & coagulum lactis ad caseum & moscus in aromatibus.

SCHOLIUM.

NE fortè quis erret in secreto fermentationis, & falsâ quadam opinione de eodem conceptâ opus potiùs per ipsam corrumpi, quàm corrigi & emendari existimet: author varia proponit exempla, quæ tacitè spectanda esse præcipit. Ut enim fermentũ massam, coagulum lac, & moscus aromata non corrumpit in deterius, sed ut ex massa fiat panis: ex lacte caseus: & aromata grato mosci odore à corruptione & cariè conserventur: Ita etiam fermentum Philosophorum materiam nostram primò corrumpit quidem, & in nigredinem ipsam convertit: non tamen, ut eo redactum opus ita in nigredinis morte relinquatur: sed potius tota confectionis massa, per omnes colorum mutationes fermentetur ac tingatur. Calor namque agens in humido primo efficit nigredinem: & calor in sicco causat albedinem: nec non in albo citrinitatem & nimiam rubedinem. Quæ varietas colorum soli fermento adscribenda est: & sic corruptio unius, est generatio alterius: estque fermentum, fermenti fermentum: veluti Philosophus inquit: Qui non gustaverit saporem salium, nunquã perveniet ad optatum fermentum fermenti: fermentat enim finitum

per

per excellentiam. Appropria ergò fermentum, quod eſt anima ante fermentationem, ut ſit pulvis calcinatus, ſolutus, & induratus: quoniam ſi benè non præparas fermentum, nil valet tuum magiſterium. Et ſcias, quod non eſt fermentum, niſi Sol & Luna, hoc eſt, aurum & argentum, iſtis Planetis appropriata. Ideo quia Sol & Luna aliis Planetis dominantur, & ipſa ad ſuam naturam convertunt: ideo à plurimis fermentum dicuntur. Oportet ergo fermentum in corporibus introduci: quia eſt eorum anima. Hæcque anima vitam inducit corporibus mortuis, & imperfectis: ut ſimul cum vivis & perfectis viviſicentur & perficiantur. Sic enim verbum Chriſti verum eſt fermentum, ſive anima vivificans in Lazaro mortuo, & quatriduum jam ſepulto ac fœtente. Quamprimùm enim Chriſtus dicit: Exi Foras Lazare, ecce ſtatim mortuus reſurgit, & prodit de ſepulcro. Tam efficax enim eſt verbum Chriſti, ut illicò in effectum producatur id, quodcunque per illud pronuncietur. Quod infinitis propemodum exemplis, tàm ab ipſo Chriſto, quàm à ſuis diſcipulis, aliiſque ſanctis viris atque Prophetis præſtitis, paſſim in ſacris comprobatur literis. Et hoc eſt integrum ac verum verbum Dei ex perfecta & vera fide profectum. Ideo etiam eſſentialiter ſtatim per id efficiunt omnes ſancti, quicquid volunt. Multi equidem hodiè gloriantur in hoc verbo, ſed dum putant ſe integrum ac verum habere, vix ac ne vix quidem dimidium ſunt adepti. Nam ab ipſorum effectis ſive fructibus manifeſtè cognoſcimus, ipſos non habere niſi nudam literam, & mortuam umbram verbi, nequaquam verò ipſum verbum verum, eſſentiale & efficax: adeò ut meram paleam vacuam, graniſque carentem triturare videantur. Si enim verum haberent, etiam per illud demonſtrarent effectus ſimiles effectis verbi, ab ipſo Chriſto, ab Apoſtolis & aliis viris ſanctis prolati. Lumen enim, quod non lucet, nec aerem finitimum colluſtrat, non eſt lumen, ſed luminis tantùm inane & ſterile nomen. Lumen autem lucem ſimul ac ſplendorem rebus afferens, hoc verò luminis verum & eſſentiale nomen meretur. Quamobrem ſicut hodiè infinitus eſt numerus eorum, qui hoc inani & ſterili verbo utuntur ad lucrandum tantummodò panem pro corpore ſuo alendo: pauciſſimi autem ſunt, imò vix unus atque alter, qui hoc verbum efficaciter & eſſentialiter adhibeat tam pro ſuo quàm aliorum animarum ſalute: ita etiam ingens eſt alchymiſtarum deploratorum multitudo, qui artem Chymicam exercentes ſolummodò inhærent rebus ſive fermentis mortuis, & particularibus quibusdam ſophiſticationibus: pauci verò reperiuntur, qui vivam & efficacem Naturæ eſſentiam, & univerſalem omnium corporum medicinam, legitimo modo inquirunt atque ſcrutiantur.

HERMES.

CErtus aurei color ad rubedinem, & natura non eſt dulcedo, ideo de eo ſericum conſtituimus, quod eſt Ixſir: & de eo conſtituimus encauſtum, quod ſcripſimus, & ſigillo regis lutum tinguimus, & in eo colorem cœli poſuimus, qui ſe videntibus viſum augmentat.

SCHOLIUM.

QUamvis non ſatis conſtet, quid author velit per dulcedinem & ſericum, inferius tamen ſeſe explicat, adeò ut facilè conjectari liceat, id eſſe fermentum aureum ad rubedinem: cujus deſcriptionem vel adumbrationem potius per encauſtum, hoc eſt, figuras, ſimilitudines, & tropicos loquendi modos, hactenus in his capitulis tradidit. Notandum autem hic eſt, ſigillum regis, hoc eſt, auri ſive Solis, quod lutum, hoc eſt maſſam mercurialem tingit, eſſe unum ex ſecretis ſapientum. Unde etiam à quibusdam dicitur ſigillum ſapientum, vel ſigillum Hermetis ſive Mercurii. In quo inquirendo multi hactenus, ſed plerique in vanum laborarunt. Non enim id eſt cera Hiſpanica, neque ſuber, neque collo ſive gluten, neque luti quoddam genus, quo vaſa vitrea, terrea, aut alia hujus generis perlutantur, vel obturantur: ſed eſt quædam naturæ diſpoſitio certa, ad cujus legem infallibilem res in vaſe philoſophico incluſæ, ſuis obſignantur proprietatibus ac coloribus, uſque dum omnium facta fuit apparitio, & tandem etiam prodeat exoptatiſſimus ille color Cyaneus ſive cœleſtis, qui ſalutari ſplendoris ſui efficacia, viſum intuentis non obſcurat aut obtundit, veluti fieri videmus ab externo Solis ſplendore: ſed acuit potius eum, ac roborat: neque hominem ſuo viſu enecat, ut Baſiliſcus: ſed potius morti jam proximos, perfuſo proprio ſanguine revocat, & priſtinam vitæ incolumitatem ipſis reſtituit, ut Pelecanus. Dicitur enim Pelecanus roſtro ſuo in gyrum flexo, proprium rodere pectus, & ſanguine inde effluente, pullos ſuos mortuos irrigare, & ſic vitæ reſtituere. Unde Chymici inſtrumentum quoddam habent deſtillatorium, quod hujuſcemodi Pelecanici gyri circulivè formam refert. Sed admonendi hîc ſunt veri artis indagatores de hoc Pelecano, magnum arduumque ſecretum in illo à Philoſophis occultatum eſſe. Sicut enim Pelecanus avis eſt viva, non mortua, ita etiam Philoſophi ad magiſterium ſuum poſtulant corpora non mortua, ſed viventia, hoc eſt, ſpiritualia, & ſumma vitalium facultatum fœcunditate prædita. Sicut etiam ſanguis effluens è pectore mortuis pullis reddit vitam: ita viriditas noſtri Leonis rubei, vitam in mortuis & obſcuris metallorum corporibus conſopitam reſuſcitat, eaque priſtino ſplendori & claritati reſtituit. Et ſicut tandem ſanguis ille non elicitur, niſi facto prius ab ipſo Pelecano gyro ſive circulo: dum enim roſtrum applicat pectori, totum collum cum roſtro flectitur in circularem formam: ſic artifex verum & tingentem Leonis ſanguinem evocare non poterit, niſi prius ſpirituum circulatio ſive deſtillatio circularis fiat: hoc eſt, exterius intrò, interius foras: item inferius ſurſum, & ſuperius deorſum pellatur: ita ut exterius & interius: inferius & ſuperius ſimul in uno circulo conveniant, neque amplius cognoſcas, quid vel exterius, vel interius, inferius vel ſuperius fuerit: ſed omnia ſint unum in uno circulo ſive vaſe. Hoc enim vas eſt Pelecanus verus philoſophicus, nec alius eſt in toto mundo quærendus: ac ſine hoc fruſtrà laborat omnis falſarius alchymiſta. Sed ut melius intelligantur ea, quæ modò dicta ſunt, hanc placuit ſequentem ſubſcribere figuram.



A, eſt interius, & tanquam principium & fons, à quo reliquæ literæ defluunt: & ſimul etiam finis ultimus, in quem cæteræ omnes, tanquam fluvii in Oceanum ſive mare magnum reſluunt. B. C. D. E. Hæ quatuor ſignificant exterius. C. F. Superius. E.G. Inferius. Quæ literæ in univerſum omnes.

A. B.

A. B. C. D. E. F. G. septenarium Magicum occultum, manifestè exhibent: de quo aliàs copiosè satis à nobis tractatum fuit, ita ut supervacaneum sit, nunc plura de eo addere.

HERMES.

AUrum ergo pretiosissimus est lapis, carens maculis, temperatus quoque, nec ignis, nec aer, nec aqua, nec terra corrumpere potest fermentum universale, cuncta rectificans temperata compositione, quod flavi sive veri citrini coloris est,

SCHOLIUM.

IAm apertè fatetur author, aurum philosophorum esse lapidem pretiosissimum, longeque plures dotes, & munera ipsi tribuit, quàm vulgare possidet aurum. Et ut de cæteris nihil dicamus, manifestum hìc apparet discrimen inter aurum philosophorum & vulgare: quod vulgare lapidis pretiosissimi nomine, nullo jure appellari possit: siquidem simplici perfectione tantum ornatum à corporea illa coagulatione nondum sit liberatum: Et quamvis sit purum, temperatum, vel ab ignis, aeris, aquæ & terræ injuriis tutum & immune: non tamen ut fermentum universale, cuncta ad temperatam naturam reducere potest: sicut flavus, verusque ille citrinus color, hoc est, auri essentia quinta syderea & cœlestis, à corpore suo crasso, impuro, ac terrestri segregata:

Si sapis, umbrarum fuge mortua corpora; namque
Constans est solus Spiritus: *umbra fugit.*

Universalitas enim sive Catholicismus non consistit in corpore, sed in spiritu. Spiritus enim solus penetrat omnia, quantumvis solidissima corpora. Sic Catholicismus religionis, seu veræ Ecclesiæ, non consistit in visibili quodam & corporeo hominum cœtu: sed in invisibili & spirituali, piorum ac verè credentium in unicum Jesum Christum, consensu ac conspiratione. Qui enim extra hunc Regem omnium regum, verè catholicum, in quo & per quem sunt omnia, quique solus est & unicus spiritualis veræ Ecclesiæ pastor, præsul, & episcopus summus, subscribit particulari cuidam Ecclesiæ, is jam est sectarius, schismaticus & hæreticus. Regnum enim Dei non venit cum observatione, sed est intra nos, inquit Salvator noster ipse Luc. 17. Item ibidem quoque hortatur suos discipulos, ut ab ejusmodi sectariorum seductionibus sibi caveant: ubi inquit: Venient dies, quando desideretis videre unum diem filii hominis, & non videbitis: & dicent vobis: Ecce hìc, ecce illic: Nolite ire, Neque Sectemini. Ex quibus palàm convincitur, quod certæ externæ sectæ non sit subscribendum: quemadmodum hodiè fieri videmus: uti plurimi hominum, ex nimia simplicitate seducti, huic vel illi sectæ nomen suum dant, falsò sibi persuadentes, se sub numero certorum sectariorum, horum vel illorum, comprehensos, errare amplius non posse, sed certiùs certo inde animæ beatitudinem & vitam æternam reportaturos, cùm neque Ecclesia, quam unusquisque suam solummodò veram esse perperam opinatur, erret. Unde tot dissentiones & controversiæ in religione repullulant, in quibus singula pars suam opinionem mordicùs propugnat: magis autem plerique illorum occupari videntur in particularibus sive propriis verborum phrasiumque deliriis, quàm in universali Scriptura sacra & verbo Dei seriò pieque excutiendo. Si enim hujus virtutem cognoscerent, infinitas quæstiones stultas, inutiles, & vanas, quæ non nisi contentiones & lites generant, intermitterent: & hominem hæreticum post unam & secundam correptionem devitarent, scientes, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. Tit. 3. Sed quæres, ubinam sint illi veri Christiani ab omni sectariorum contagione liberi? Ut tibi respondeam ad hanc quæstionem, velim scias, illos non esse quærendos in monte Samariæ, non Jerosolymis, non Romæ in Italia, non Genevæ in Gallia, non Lipsiæ in Germania, non Cracovii in Polonia, non Pragæ in Bohemia, non Olsmutzii in Moravia: sed ubique per totum dispersos mundum, in Turcia, in Persia, Italia, Gallia, Germania, Polonia, Bohemia, Moravia, Anglia, in America, etiam ad extremos Indos.

Ex omni enim natione, Deus sibi colliget Ecclesiam. Vera autem verorum Christianorum nota hæc erit propria, quod, teste ipsa veritate Christo, Joan. 4. neque in monte hoc, videlicet Samariæ, neque Jerosolymis, neque alibi adorabunt patrem: sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & Veritate: Nam & pater tales quærit, qui adorent illum. Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Ex his igitur cognitis perspectisque unicuique nunc judicandum relinquo, quinam sint illi, qui sunt sub vera Ecclesia nec ne? & ubinam locorum in hoc mundo, verus Christianismus, veraque colatur & exerceatur religio. Facta itaque comparatione, idem esto judicium de Chymia vera & falsa: sive de universali & particulari, deque veris & spuriis ejusdem indagatoribus.

HERMES.

AUrum sapientum coctum & benè digestum ignea aqua Ixsir conficit. Aurum enim sapientum est pendentius plumbo: quod est temperata compositione fermentum Ixsir: & è contrario distemperatum distemperata compositione.

SCHOLIUM.

AUrum & aqua ignea, quantumvis exquitissimè per artem cocta & digesta, nullibi tamen perfectiora, meliora & præstantiora reperiuntur, quàm in mineris & radicibus suis: ubi nullum adhuc ignem sunt experta. Sicut in auro videre est, modo è terra sua extracto, quod planè crudum adhuc existit, & à superfluitate sua nondum sejunctum aut separatum. Unde quoq; ejusmodi aurum magis aptum est, & idoneum ad generationis opus. Siquidem spiritus ejus adhuc sunt liberrimi, nullaque forti corporum coagulatione detenti.

Hinc promptius agunt, velociusque tincturæ præparationem accelerant, quàm si auri corpus prout vulgò habetur, accipiatur. Omnia namque corpora, sicut & suprà mentionem fecimus, principiis suis viciniora, præstant iis, quæ per diuturnam coagulationem à primitiva sua spiritualitate & fœcunditate longiùs recesserunt. Non mirandum ergo est, quod patres primi in seculo aureo, quod creationi proximum & à benedictis & fœcundis Creatoris uberibus quasi nondum ablactatum, tanto virium virtutumque vigore hoc ferreum nostrum longè superabat, in tam multos longævitatis annos suam produxerint vitam. Hominum enim corpora, tum temporis nondum tam fœde corrupta erant à teterrima illa luxuriæ bestia: quæ sensim per propagationem adeò increvit, ut in hoc ferè ultimo seculo nihil ab ea sanum appareat. Huic corruptelæ mox succesit vitæ brevitas. Unde jam:

Nascendo morimur, pendetque ab origine finis.

Eidem calamitatis jugo quoque sunt metallorum corpora obnoxia, quæ vix è mineris suis eruta, statim corporeo rigidoque mortis carcere includuntur;

tur, ex quo nulla ſperanda liberatio, niſi relicta nobis eſſet aurea illa vitæ clavis, qua ſola omnes portas clauſas in mortis iſto carcere referamus, & captivos inde ſpiritus in priſtinum vitæ theatrum producimus. Per hanc autem vitæ clavem intelligo vitales mineralium radices, in quas ſi corpora reducantur, fiunt novæ regenerationi apta, ita ut veram ex illis tincturam tùm habere poſſis. Accedit inſuper aqua ignea, quæ nihil aliud eſt, quàm Mercurius Philoſophorum ex iiſdem mineratum radicibus eductus. Hæc aqua eſt mater, quæ aurum in ventre ſuo conceptum ſolvit, eique interè digerendum, debitum præbet nutrimentum, donec 40. ſeptimanis elapſis, terminoque geſtationis philoſophici fœtus abſoluto, pariendi tandem ſive nativitatis hora adveniat. In fine igitur digeſtionis, quando nimirum inſtat dicta hora nativitatis, demum oritur anima: non autem priùs neque citius. In hoc igitur puncto: totum eſt periculum. Tranſacto autem hoc puncto nullum amplius eſt periculum. Aurea igitur proles noſtra in lucem producta, quamvis reſpectu Saturni ſenionis, ſive plumbi, ob ætatis imbecillitatem inferior videatur, longè tamen lateque illum ſuperat pondere, colore, viribus, conſtantia, cæterisque virtutum donis. Frigidis enim qualitatibus nimis corruptus Saturnus propter intemperiem ſuam neque ignis, neque aeris, neque cæterorum elementorum injuriis reſiſtere poteſt, Infans autem noſter fortiſſimæ & temperatiſſimæ eſt compoſitionis: ita ut non ſolum repellat à ſe omnem vim externam, ſed propter fœcundam virtutum affluentiam & copiam, qua abundat, proprio-rum parentum infirmitates ſanat, & quemvis corporum Mercurium in ſummam auri perfectionem tingit.

HERMES.

PRimum enim opus ex vegetabili fit, ſecundum ex animali gallinæ ovo, maximum eſt ſubſidium, & elementorum conſtantia, ac terra noſtra aurum eſt, de quo omne ſericum conſtituimus, quod eſt fermentum Iſir.

SCHOLIUM.

DIſtinguit hîc author opus magnum ſive generale in duo ſpecialia, nempe in vegetabile, & in animale, quod ultimum in gallinæ ovo perfici ait. Sed quamvis plura & infinita hujuſcemodi opera fingantur à Philoſophis: tamen non eſt niſi unum verum quod ab elementorum æquali & temperata permiſtione ſolum conſtans, firmum & fixum eſt: ob quam cauſam maximum quoque ſanitatis eſt ſubſidium, nec minus inopiæ. Fundatur autem in terra auri, quæ meritò Iſir, ſive Elixir, ſive fermentum Philoſophorum appellatur. Hoc autem fermentum duplex eſſe. Paulò ſuprà monuimus: Solis videlicet & Lunæ. Per fermentum Solis intelligitur ſperma viri: & per fermentum Lunæ ſperma fœminæ: ex illis fit primò conjunctio, poſtea generatio vera & caſta: fermentum auri, aurum eſt: ſicut fermentum panis, panis eſt. Et ſicut in operatione panis modicum fermenti levat & fermentat magnam copiam paſtæ, ita etiam illud modicum terræ, quod continet iſte lapis, ſufficit ad nutrimentum totius lapidis. Unde Avicenna inquit: Fermentum reducit ſibi appoſitum ad ſui naturam, colorem, & ſaporem ad omnem modum, videlicet de potentia in actum. Nam confectionem dealbat, ſeu multiplicat, ſpiritualitatem corroborat, combuſtionem annihilat, tincturam continet, ne fugiat, corpora leviat, & ſe invicem facit ingredi, & conjungi, quod finis eſt operis, ſine quo Elixir non peragitur, quemadmodum paſta ſine fermento non fermentatur: quod dicitur fermentum fermenti, & coagulum coaguli. Non enim fermentat tantum corpora inferiora & imperfecta, ſed ipſum quoque aurum reddit de perfecto corpore pluſquam perfectum: eſtque fœcundiſſima mater, quæ quò ſæpius impræ-gnatur, tantò pluries concipit ac parit: & in infinitum ſuæ ſpeciei prolem propagat Ipſa ſola eſt clavicula, quæ claudit & aperit: & iterum claudit, & nemo aperit, ſine qua clavicula nemo in hoc ſeculo poteſt pervenire ad perfectionem hujus ſcientiæ.

CONCLVSIO TOTIVS TRACTATVS.

HÆc ſunt, Vir Nobiliſſime ac Magnifice, Fautor & Mecœnas obſervande, quæ de ſeptem hujus Tractatus Capitulis, in tui gratiam commentari viſum fuit. Utinam quid in me eſſet, quo grati erga te animi ſignificationem quantulamcunque ponere poſſem: me haberes utique ad omnia paratiſſimum. In Galliam enim quoties te adveniſſe audiebam, toties ſummo perfusus gaudio ac lætitia, mihi unicè gratulabar. Ut enim de cæteris tuis meritis jam nihil dicam, quibus me multis tibi modis obſtrinxiſti: ex ſola tua converſatione & colloquio quotidiano, à quo me diſcendi avidum non tantum non repellebas, ſed amicè potius invitabas, & humaniſſimè inſuper rogabas, in Curſu meo Philoſophico tantum hauſi utilitatis, ut cum Alexandro Magno verè mihi nunc liceat dicere: vivendi me principium à patre, bene vivendi autem à te accepiſſe: ita ut generatus quidem à parentibus, nunc vero per te ab Eliano quodam vel divino potius ſpiritu, regeneratus planè videar. Hanc autem laudem quamvis tibi imprimis tribuam, nolo tamen inficiari, me quoque aliorum plurium adhuc virorum doctiſſimorum colloquiis interfuiſſe, tam in Galliis, quàm in Germania, quæ ubertate quidem & fertilitate maximorum & præſtantiſſimorum ingeniorum, alias regiones in abſtruſis ejuſmodi artibus indagandis quodammodò languidam, ne dicam pigram, & omnino torpeſcentem, longo poſt ſe intervallo relinquit. Optandum ſanè eſſet, ut alii, honeſta quadam æmulatione perciti, hac in parte Germanorum induſtriam & ſolertiam ſummam imitarentur. Non enim honori & laudi tantùm, ſed maximo quoque emolumento id futurum eſſet communi patriæ. Cùm igitur, ut dixi, tibi imprimis acceptum feram omnem ſtudiorum meorum fructum; æquum eſſe duxi, tibi eorundem quoque primitias, pro debita gratiarum actione conſecratas atque dicatas offerre. Quicquid autem hoc tandem ſit, rogo ne patiaris in alienas incidere manus: antequam pro tuo, quo polles, ingenii acumine, & ſolida rerum experientia probè examinaveris, & limis tuis politiſſimis & exquiſitiſſimis ſplendidius & magis exornatum reddideris. Sin vero accidat, ut ad aliorum quoque manus perveniat, & aliquis exiſtimet, non omnino ſibi ſatisfactum in quibusdam vocabulis obſcurioribus, barbaris, & exoticis explicandis: velim ne tàm ſevero id judicio malè vertat: ſed culpam potius transferat in eum, qui ſcriptum hoc ex nativo ſermone non latinius puriuſve traduxerit. Interim tamen operam pro ingenii noſtra tenuitate ſedulam navimus, ut Philoſophiæ ſtudioſis, veritatis fontem, ſi non in minutiſſimis ſyllabarum & dictionum apicibus, tamen in generali totius operis explicatione ſatis apertè commonſtraremus: Sin verò quis dilucidiorem rei demonſtrationem poſtulat, iniquum hoc Philoſophis videbitur poſtulatum. Secretiſſima enim

eſt

est nostra scientia, nec nisi secretorum initiatis & Philosophiæ mystis propriè convenit. Ex his si unus fuerit per electionem divinæ providentiæ vocatus, nihil amplius morabitur qualescunque locutiones, quantumvis maximè ambiguas & obscuras: sed in mediis his fallaciarum tenebris, illucescens solum veritatis lumen observabit, quo duce omnia ipsi succedent in bonum & exoptatum eventum. Viam ad hoc lumen unica parat pietas. Finge te tanquam ferrum cupidum esse, per attrectationem magnetis alicujus divini, in profundam hujus secretissimi mysterii scientiam descendendi: sed viam præ vitiorum multitudine, quæ tanquam corpus densum, inter Deum, verum piorum magnetem, & te, interponuntur occultam esse; quid hinc aliud agendum censes, nisi ut vitiosum peccatorum corpus tollas, quo sublato radii hujus divini magnetis statim te splendidissimo collustrabunt fulgore, mentemque tuam nebulosam ab omnibus obscuritatibus, & errorum tenebris penitùs vindicabunt. Ego enim, inquit Christus, Salvator noster, lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Ambula igitur in luce, dum lucem habes, ut filius lucis sis, nec te tenebræ comprehendant Joan. 12. Credere autem in Christum, non est tantum ore fateri, *Credo*, quod potius temeraria quædam confidentia, quàm vera fides appeliari meretur. Nisi enim cor simul cum ore, & opera cum confessione conspirent, fides hæc mortua & instar lucernæ, cujus lumen extinctum, inutilis & vana habetur. Quemadmodum enim è diametro inter se pugnant, lucere, & non lucere, sive lux & tenebræ: ita fides vera distat ab orali sine operibus. Ex quibus differentia spectatur maxima inter Chymiæ studiosos veros & spurios. Qui enim ambulant in veritate, veritatem consequuntur: qui verò luce hac relicta, externam tantum splendoris umbram sectantur, ad veritatis lumen nunquam perveniunt. Quoniam igitur maximam hominum partem videmus, umbra potiùs, quàm rei essentia delectari, hoc est, deliciis hujus mundi caducis plures esse deditos, quàm proprietatis studio: non mirum est, quin maxima sit raritas eorum, qui voti sui compotes fiant. Multi enim sunt vocati: pauci verò electi. Et sicut terra magnam copiam luti suppeditat, unde fit fictile: parvum autem pulverem, unde aurum fit: sic etiam est conditio præsentis sæculi: Multi enim creati sunt, pauci verò salvabuntur Esdra 4. c. 8. Quamobrem sicuti ab initio hujus tractatus exemplum Hermetis hujus disciplinæ studiosis imitandum proposuimus: ita nunc in fine idem propositum alterius Philosophi, nempe Alani testimonio confirmatum volumus: qui in libelli sui, de Lapide Philosophico, principio, ita artis alloquitur discipulos: Ad Deum, inquit, mi fili, & cor, & mentem convertito, quàm ad artem magis: ipsa enim donum Dei summum est, cuique beneplacitum fuerit, eam largitur. Deum igitur ex toto corde totaque anima tua diligito, atque in eo solo & spem & fiduciam omnem locato, sic procul omni dubio hac Arte nobilissima cum gaudio perfruêre.

LIBRI II. SECTIO II.

Quâ Autores Græci *&* Arabes *qui ab* ARISLEO, *Tractatûs* TURBA PHILOSOPHORUM *dicti* Scriptore, *ad Regem usque* GEBRUM *exstitere, cum suis Commentatoribus afferuntur.*

SUBSECTIO PRIMA.

TURBA PHILOSOPHORUM, EX ANTIQUO MANUSCRIPTO Codice excerpta, qualis nulla hactenus visa est Editio.

Aristei Epistola, quam de intentione Libri, futuris, ad eorum instructionem, Sapientum dictis præmisit, quæ hic est.

ARISLEUS genitus Pythagoræ, discipulus ex discipulis Hermetis gratia triplicis ex positione scientiæ discens, omnibus posteris residuis salutem, & misericordiam. Narro quod Magister & vatum caput, tantum donum Dei, & sapientiæ habuit, quod nemini post Hermetem datum est. Discipulos igitur ejus jam multiplicatos, & per omnes regiones principes constitutos, ad hanc pretiosissimam artem tractandam voluit congregare, ut eorum locutio sit radix post se venturis. Jussit autem ut Iximidrus prius loqueretur, qui optimi erat consilii, qui incipiens ait.

Sermo Primus.

IXIMIDRUS *ait*: Dico omnium initium esse Naturam quandam, & eam esse perpetuam, ac omnia coæquantem, & quæ videntur naturas, earumque nativitates, & corruptiones esse tempora quibus termini, ad quos pervenitur, videntur, & vocantur. Doceo autem vos, stellas esse igneas, & aëra ipsas continere, & si aëris humiditas & spissitudo non esset, quæ solis flammas separaret à creaturis, omnia subsistentia sol combureret, Deus autem aërem separantem constituit, ne combureret quod in terra creavit. Nonne videtis solem ascendentem in cœlum, aërem vincere suo calore, quo calefacto ad aëris suppositi calor pervenit. Et si spiritibus, quibus creaturæ generantur, tunc aër non inspiraret omnia subsistentia Sol suo calore destrueret, cui & aër continetur, & ideo superat aër, quod ejus calor suo calori, ejusque humiditas aquæ jungitur humiditati. Nonne videtis, tenuem aquam in aërem

aſcendere, calore ſolis eveniente, qui aquam contra ſeipſum adjuvat. Et ſi tenui humore aëra aqua non nutriret, ſol utique aëra ſuperaret, ignis ergo ex aqua extrahit humorem, quo aër ipſum ignem ſuperat. Ignis igitur & aqua, ſunt inimici inter quos nulla eſt conſanguinitas, eò quod ignis eſt calidus & ſiccus, Aqua verò frigida, & humida. Aer quoque cùm ſit calidus, & humidus, inter eos conjunxit concordiam ſuam, cum aquæ humiditate, & cum ignis caliditate, & factus eſt aër inter eos concordiam generans. Et omnes inſpicite, quoniam ſpiritus ex tenui aëris vapore fuerit, eò quod calore humori juncto tenuem quid exire, quod ventus fiet, neceſſe eſt, ſolis enim calor ex aëre tenue quid extrahit, quod & ſpiritus & vita ſit omnibus creaturis. Omne autem hoc à Dei eſt diſpoſitione, ſic & coruſcatio calore ſolis nubi eveniente, & nubem confringente coruſcatio apparet. *Ait Turba*, bene deſcripſiſti ignem prout ſcis, & ſermoni fratris tui credidiſti.

Sermo Secundus.

EXUNDRUS ait: magnifico aëra, & honorifico, ut Iximidri roborem ſermonem; eò quod ipſo opus emendatur, & ſpiſſatur, & rareſcit, & concaleſcit, & frigeſcit. Ejus autem ſpiſſitudo fit quando in cœlo disjungitur, propter ſolis elongationem. Ejus autem raritas fit, quando in cœlo exaltato ſole caleſcit aër, & rareſcit. Similiter verò fit veris complexione, in temporis nec calidi nec frigidi diſtinctione. Nam ſecundum alterationem diſpoſitionis conſtituti, ad diſtinctiones animi alterandas, Hyems alteratur. Aër igitur ſpiſſatur, cum ab eo ſol prolongatur, & tunc hominibus frigus pervenit. Aëre verò rareſcente calor pervenit hominibus. *Inquit Turba* optimè aera deſcripſiſti, & quod in eo ſcis eſſe narraviſti.

Sermo Tertius.

ANAXAGORAS ait, dico quod principium omnium quæ Deus creavit eſt pietas, & ratio, eò quod pietas regit omnia, & in ratione apparuit pietas & ſpiſſum terræ, pietas autem non videtur niſi in corpore. Et ſcitote omnis Turba, quod ſpiſſitudo quatuor elementorum in terra quieſcit, eò quod ignis ſpiſſum in aera cadit: aëris verò ſpiſſum, & quod ex ignis ſpiſſo congregatur in aquam incidit. Aquæ verò quoque ſpiſſum, & quod ex ignis & aeris ſpiſſo coadunatur, in terra quieſcit. Nonne videtis quod elementorum quatuor ſpiſſitudo, in terra conjuncta eſt. Ipſa igitur eſt omnibus ſpiſſior. *Inquit Turba* verum dixiſti. Terra certè cæteris eſt ſpiſſior. Quod ergo quatuor elementorum eſt rarius, & quod dignius eſt habere rarum iſtorum quatuor? *Ait*, ignis eſt rarior his quatuor, & ad eum pervenit rarum iſtorum quatuor. Aer verò eſt minus ratus igne, nam calidus eſt & humidus, ignis verò eſt calidus & ſiccus, calidum namque ſiccum eſt rarius calido & humido. *Dicunt* ei, quid minoris raritatis eſt aëre? *ait*, aqua, eo quod in ea eſt frigiditas & humiditas, & omne frigidum humidum eſt minoris raritatis calido, humido. Inquiunt verum dixiſti: Quid ergo minoris raritatis eſt aqua, ait terra eò quod frigida & ſicca. Et frigidum & ſiccum eſt minoris raritatis frigido & humido. Et quemadmodum ſiccum & calidum eſt rarius calido & humido, ita calidum & ſiccum eſt minoris raritatis frigido & humido: Bene aptaſtis ô fili doctrinæ, harum naturarum quatuor deſcriptionem, ex quibus Deus omnia creavit. Beatus ergo qui intelligit quæ deſcripſiſtis, quoniam ex mundi capite majus inveniet quam ſuum propoſitum. Perficiatis ergo ſermonem noſtrum. *Aiunt*, imò jube quemlibet ſermonem noſtrum continere Dic tu Pandolfe.

Sermo Quartus.

PANDOLFUS autem dixit, ſignifico poſteris quod aër eſt tenue aquæ, & quod non ſeparatur ab ea, quod ſi non eſſet terra ſuper aquam humidam non maneret, *Aiunt* bene dixiſti. Tuam ergo perfice orationem: *At ille dixit* quod aër abſconditus in aqua quæ ſub terra eſt, eſt qui fert terram ne mergatur in aquam quæ eſt ſub terra, & prohibet ne terra humectetur aqua. Aër igitur factus eſt complens, & inter diverſa ſeparans aquam ſcilicet & terram, ac inter adverſaria aquam & ignem factus eſt igitur concordans, & ſeparans ne ſe invicem deſtruant, *Inquit Turba*. Si hujus exemplum poſuiſſes, non intelligentibus eſſes lucidus. *Reſp.* libenter faciam: exemplum eſt ovum, in quo quatuor conjuncta ſunt, ejus cortex apparens, eſt terra, & albedo aqua, cortex verò tenuiſſimus cortici junctus eſt ſeparans inter terram & aquam, ſicut ſignificavi vobis, quod aër eſt ſeparans terram ab aqua. Rubeum quoque ovi, eſt ignis, cortex qui rubeum continet, eſt aër, aquam ſeparans ab igne, & utrumque eſt unum & idem, aër frigida ſeparans, terram videlicet & aquam ab invicem, ſpiſſior eſt aëre altiore. Aër verò altior eſt rarior, & ſubtilior, nam eſt igni propinquior aëre inferiore. In ovo igitur facta ſunt quatuor, terra, aqua, aër, & ignis: ſolis autem punctus, his exceptis quatuor, in medio rubei, qui eſt pullus. Ideoque omnes Philoſophi in hac excellentiſſima arte ovum deſcripſerunt exemplum, quod ipſum ſuo operi poſuerunt.

Sermo Quintus.

ARISLEUS *ait:* ſcitote quod terra eſt collis, & non eſt plana, unde Sol non aſcendit ſuper climata terræ una hora. Nam ſi plana eſſet, uno aſcenderet momento ſuper totam terram. *Inquit Parmenides*: Breviter locutus es Ariſtee, *Reſp.* Nunquid magiſter dimiſit nobis aliud dicendum. Dico tamen, quod Deus unus eſt, nunquam genuit, nec genitus eſt, & quod omnium caput poſt ſe eſt terra, & ignis: eo quod ignis tenuis & levis, regit omnia terræ, terra autem cùm ſit ponderoſa & ſpiſſa, fert omnia quæ regit ignis.

Sermo Sextus.

LUCAS *ait:* vos non niſi de his quatuor naturis loquimini, & unumquemque veſtrum aliud video dixiſſe. Ego autem notifico vobis, omnia quæ Deus creavit ex his eſſe quatuor naturis, & quæ ex ipſis creata ſunt ad eas revertuntur. In quibus creaturæ generantur & moriuntur, & omnia prout Deus prædeſtinavit. *Inquit Democritus*, qui Lucæ eſt diſcipulus, benè dixiſti magiſter, cùm de naturis quatuor tractaviſti. *Ait Ariſteus.* Quoniam Democrite à Luca ſcientiam habuiſti; non deberes præſumere cum magiſtri tui peritis loqui. *Reſp. Lucas.* Quamvis naturarum ſcientiam à me Democritus habuiſſet, hujuſmodi tamen ab Indorum Philoſophis, & Babilonienſibus: puto contemporaneos ſuos ipſum hac ſcientia ſuperare. *Reſp. Turba.* Perveniens hic in illam ætatem, non parum placebit: nunc autem in juvenili conſtitutus, fari non debet.

Sermo Septimus.

LOCUSTOR *ait*, omnes creaturæ, quas Lucas deſcripſit, duæ ſunt tantùm, quarum altera neſcitur nec deſcribitur niſi pietate, non enim

enim videtur nec sentitur. *Inquit Pythagoras*: rem cœpisti, quam subtiliter descripsisti, si perficias. Notifica igitur quid est, quod non sentitur, & videtur, & scitur. *Resp* Quod nescitur quod in hoc mundo est ratione, absque suis clientibus qui sunt visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Nonne videtis Philosophorum Turba, quod non nisi visus albedinem à nigredine potest discernere, & quod non nisi auditus verbum bonum à malo idem potest discernere: Similiter bonum odorem à fœtido nisi odoratu, ac dulce ab amaro, nisi gustu, & leve ab aspero nisi tactu ratio discernere non potest. *Respond.* tractans benè dixisti, dimisisti tamen narrare, de ipso quod nescitur, nec describitur, nisi ratione & pietate. *Inquit*, festinatis? Scitote, quod creatura, quæ nullo modo istorum 5. cognoscitur, est creatura sublimis, quæ nec videtur, nec sentitur, sed tantum ratione percipitur, quæ ratione natura participans Deum esse fatetur. *Responderunt*: verum & optime dixisti. *Et ille* ⌣: adhuc magis exponam vobis: Scitote quod hæc creatura, mundus scilicet lucem habet quæ est sol, quæ omnibus subtilior creaturis, quam possit lucem, qua creaturæ ad visum perveniunt. Ablata autem hac luce subtili, tenebrosæ fuerint nihil videntes, nisi lunæ lucem, vel stellarum, vel ignis quæ omnia à solis lumine derivata sunt & creaturas lucere fecerunt. Huic igitur mundo Deus solem lumen esse constituit, propter tenuem solis naturam. Et scitote quod hujus solis luce creatura sublimis non indiget, eo quod sol sit sub illa creatura, quæ eo subtilior est & lucidior. Hanc autem lucem, quæ est solis luce subtilior, à Dei ceperunt luce, quæ est eorum luce subtilior. Et scitote quod creatus mundus, scilicet ex duobus densis, & duobus raris creatus est, & nihil densorum sublimi inest creaturæ. Ideoque sol omnibus inferioribus est rarior creaturis. *Respondit Turba*: optimè descripsisti quod narrasti. Et si quid bone Magister dicas, quo corda nostra, quæ insipientia mortificavit, vivificas, magnum beneficium nobis largiris.

Sermo Octavus.

PYTHAGORAS *inquit*, dico Deum ante omnia fuisse, cum quo nihil fuit: & scitote omnes Philosophi quod ideò hoc dico, ut opinionem vestram in his quatuor roborem elementis & arcanis, & scientiis quæ insunt, ad quæ nisi Deo annuente, rationes pervenire non possunt. Et intellige quod cum Deus solus fuisset, quatuor res creavit: ignem, aërem, aquam & terram. Ex quibus jam creatis omnia creavit, tam sublimium quam rerum inferiorum, eò quod prædestinavit, quod omnes creaturæ ex radice extractæ aquâ multiplicantur, & augmentantur ut inhabitent mundo, & sua in eis judicia perficerent. Ideoque ante omnia quatuor creavit elementa, ex quibus postea quæ voluit creavit, diversas scil. creaturas, quarum quædam rex uno creavit *Ait Turba*, quæ sunt illæ magister *Et ille* ⌣. Sunt angeli quos ex igne creavit. *Et Turba*. Ex quo ergò creata sunt duo; ex igne & aëre, & sunt, sol & luna, & stellæ. Ideo sunt angeli, sole, & luna, & stellis lucidiores, eo quod ex uno singulari quod est quatuor rarius, creati sunt. Sol verò & stellæ, ex ignis & aeris composito creati sunt. *Inquit Turba*, Magister, & cæli creatio? *Et ille* ⌣: creavit Deus cœlum ex aqua & aere, cœlum quoque ex duobus est compositum. Ex altero ratiorum, scilicet aere: Et altero densorum scilicet aqua. *Et illi*: Magister perage dicta tua in tribus; & lætifica nostra pectora tuis dictis quæ vita sunt mortuis. *Et ille* ⌣: Notifico vobis creaturas ex tribus Deum creasse elementis, & etiam ex quatuor, ex tribus enim creata sunt volatilia, & bruta animalia, ac vegetabilia scil. ex aëre, aqua, & terra, ex quibus quædam creata sunt ex aqua, aere, & terra; quædam vero ex igne, aere, & terra: *Turba autem ait*: Discerne hæc diversa ab invicem. *Et ille* ⌣. Bruta animalia, ex igne, aere & terra; volatilia verò ex igne, aere, & aqua, eo quod volatilia & omnia spiritum habentia in vegetalibus ex aqua creata sunt, omnia vero bruta animalia, ex terra & aere, & igne; vegetabilibus tamen nihil ignis inest, ex terra namque, & aqua, & aere, creata sunt. *Turba autem ait*: Salva vestra Reverentia diceremus vegetabilibus ignem inesse. *Et ille*: verum dixistis, dico utique ignem inesse. *Et illi*: unde est ille ignis? *Resp.* Ex aeris calore in eo abscondito, quemadmodum signavi tenuem ignem inesse aeri, ignis autem de quo dubitastis, non fit nisi in spiritum & animam habentibus, ex quatuor autem elementis pater noster Adam, & filii ejus scil. ex igne, & aere, & aqua, similiter & terra creati sunt; intelligite omnes sapientes, quod omne quod ex una Deus creavit essentia, non moritur nisi usque in diem judicii. Mortis enim definitio est, compositi disjunctio, incompositi autem nulla est disjunctio, unum namque est. Mors enim est animæ à corpore separatio, ex duobus autem vel tribus, vel quatuor unum quidquam compositum separari necesse, quod est mors. Et scitote quod nullum compositum igne carens, comedit, nec bibit, nec dormit, eo quod in omnibus spíritum habentibus ignis est qui comedit. *Et Turba*: Qualiter magister, cum angeli ex igne sunt creati, cur ergo non comedunt, eo quod asseris ignem esse qui comedit? *Et ille*: Hinc dubitastis, omnes opiniones habentes & adversarii facti estis, & si elementa veraciter sciretis, hæc non negaretis. Judico omnes opiniones habentes quod ignis simplex non comedit, verum spissum ignis. Non igitur sunt angeli ex spisso igni, verum ex tenuissimo tenuissimi ignis: ex simplici igitur, & tenuissimo creati igne non comedunt, nec bibunt, nec dormiunt. *Et Turba*: Numquid magister, rationes autem nostræ possunt, percipere Dei enim adjutorio dicta sua exhausimus, rationes autem auditus & visus nostri, tanta ferre nequeunt. Remuneret tibi Deus pro discipulis tuis, quoniam futurorum docendorum causâ à Regionibus nostris nos congregasti, cujus præmium apud futurum judicem non perdes. *Inquit Aristeus*: Quoniam ad futurorum utilitatem nos coadunâstis, Magister, nihil futurum utilius explicari posse existimo, definitionibus elementorum quas nos docuisti ad nos posse pervenire. *Et ille*: Neminem vestrûm equidem ignorare puto, omnes Sapientes in Deo definitiones narrasse, *Et Turba*: Si quid discipuli vestri prætermiserunt nos oportet te Magister venturis ignotum nolis prætermittere. *Et ille*: Si vultis hic incipiam, quoniam invidi per libros suos disgregaverunt illud, sin autem ad hunc librum finiendum, dispositionem. *Et Turba*: Ubi tibi videtur posteris esse lucidius ibi dispone. *Et ille*: Ubi nec ab insipientibus cognoscatur, nec à doctrinæ filiis ignoretur ibi ponam, eo quod est clavis perfectio & finis.

Sermo Nonus.

EXIMENUS *ait*, Deus suo verbo omnia creavit; quibus dixit: Estote, & facta sunt cum aliis

quatuor elementis, terra, aqua, aëre, & igne, quæ invicem coagulavit & commixto ſunt inimica: videmus enim ignem aquæ inimicum. Aquam verò igni inimicam eſſe, & utrumque terræ & aëri. Deus autem ea pace copulavit, quouſque ab invicem dilecta ſunt. Ex his igitur quatuor elementis omnia creata ſunt, cœlum, thronus, angeli, ſol, luna, ſtellæ, & terra, & mare ac omnia quæ in mari ſunt, quæ varia ſunt, & non ſimilia & quorum naturas Deus diverſas fecit, ſicut & creationes, & non eſt diverſitas hæc in eo tantum quod vobis ſignificavi: quælibet illarum naturarum eſt diverſæ naturæ, ejuſq; natura eſt diverſitatum legionis diverſa. Diverſitas autem hæc in omnibus eſt creaturis, eo quod ex diverſis creatæ ſunt elementis. Nam ſi ex uno creatæ eſſent elemento, convenientes haberent naturas. Sed hic diverſa elementa cum commiſcentur, ſuas amittunt naturas, eo quod ſiccum humido miſcetur, & calidum frigido commixtum, nec calidum fit nec frigidum: Humidum verò ſicco mixtum, nec humidum fit nec ſiccum. Cum autem quatuor elementa commiſcentur, conveniunt, & creaturæ inde exeunt, quæ nunquam perficiuntur, niſi per noctes dimittantur & putrefiant, & corrumpantur apud viſum. Deinde peragit Deus ſuam creationem, per incrementum, cibum, vitam, & gubernationem. Filii doctrinæ non fruſtra horum quatuor vobis diſpoſitionem narravi elementorum, in eis namque eſt arcanum abſconditum, quorum duo tactum & aſpectum apud viſum largientia, quorum opus & virtus ſciuntur quæ ſunt terra & aqua. Alia autem duo elementa, nec videntur, nec tanguntur, nec quicquam largiuntur, nec locus eorum videtur, nec opus, nec vis, niſi in prioribus elementis terra ſcil. & aqua, cum autem quatuor elementa non conjunguntur, nihil hominibus artificii quod cupiunt perficitur. Mixta autem & è ſuis naturis exeuntia aliud fiunt. Super his igitur optimè meditamini. *Et Turba*, Magiſter ſi diceres tua verba ſequeremur. *Et ille*: Jam dixi & bene utique conſervantia tantùm dicam verba quæ dicendo ſequimini. Scitore omnes permanentes, quod nulla ſit tinctura verax niſi ex noſtro ære. Nolite ergo & animas & pecunias veſtras deſtruere, ne triſtitiam cordibus veſtris inferatis. Adjiciam & firmamentum vobis, quod niſi prædictum æs in album vertatis, ac nummos apud viſum faciatis: deinde rubeum faciatis, donec tinctura fiat, nihil faciatis. Illud igitur æs comburite, confringite, ac nigredine private, coquendo, imbuendo & abluendo, quouſque album fiat, deinde dirigite ipſum.

Sermo Decimus.

Arisleus *ait:* Scitote quod hujus operis clavis eſt nummorum ars. Accipite igitur corpus quod vobis demonſtravi, ac inde tabulas tenues coaptate. Deinde maris noſtri aquæ imponite, quæ eſt aqua permanens, poſtquam tegitur deinde leni imponite igni, donec tabulæ confringantur, & fiant aquæ vel Etheliæ, quod idem eſt, miſcete, & coquite ac ſimilate, in leni igne, donec brodium fiat ſaginato ſimile, ac in ſua aqua Etheliæ verte quouſque coaguletur, & nummi fiant variati, quod ſalis florem nuncupamus. Coquite igitur quouſque nigredine privetur ac albedo appareat. Regite demum ipſum, & auri collæ commiſcete, & coquite: donec fiat Ethelia rubea, ac terite cum patientia ne vos tædeat, ac Etheliam aqua ſua imbuite quæ ex eo exivit, quæ eſt aqua permanens donec rubeum fiat. Hoc igitur eſt æs cumbuſtum, quod eſt auri fermentum ac auri flos, quod cum aqua dirigite, donec aqua deſcendat. Hoc igitur continuè faciatis, quouſque tota privetur aqua & pulvis fiat.

Sermo Undecimus.

Parmenides *inquit*: Sciatis, quod invidi multipliciter de pluribus aquis tractaverunt, & de brodiis, corporibus, lapidibus, & metallis, ut vos decipiant omnes, ſcientiam inquirentes. Dimittite igitur hæc, & aurum, nummos: nummoſque aurum fieri facite pro hoc noſtro ære & æs pro nigredine. Ac plumbum ſtannumque plerique faciendo, nigredinem vocant. Et ſcitote, quod niſi veritatis naturam dirigatis, ejuſque complexiones & compoſitiones benè coaptetis, & conſanguinea conſanguineis, & primum primo, inconvenienter facitis, nec quicquam operamini. Eò quod naturæ cum ſuis obviabunt naturis conſequentur eas & lętabuntur: In eis namque putreſcunt & gignuntur, eò quod natura naturâ regatur, quæ ipſam diruit ac in pulverem vertit, & in nihilum deducit, demum ipſa eam renovat, reiterat & gignit frequenter. Ergò in libris inveſtigate; ut veritatis naturam ſciatis, & quid eam putrefacit, quidque renovat ac cujus ſit ſaporis, & quæ naturaliter habeat propinqua, & qualiter ſe ad invicem diligant, & qualiter poſt amorem inimicitia ac corruptio eis accidat, & qualiter complexentur ſe ad invicem illæ naturæ, & concordes fiant, donec in igne lenes fiant ſimiliter. His igitur notis in hac arte, manus veſtras imponite. Si vero veritatis naturas ignoretis, nolite huic operi appropinquare, quoniam totum eſt noxium, infortunium & triſtitia. Sapientum igitur verba inſpicite, qualiter his verbis totum peregerunt, cum dixerunt, quod natura naturâ lætatur, & natura naturam continet. In his igitur verbis vobis peractum eſt opus multiplex ſuperfluum. Ideò dimittite, & argentum vivum accipite, & in corpore magneſiæ coagulate, vel in Kuhul, vel in ſulphure, quod non comburitur, & facite ipſum naturam albam, ac æri noſtro imponite, & album fit. Si rubeum faciatis, rubeum fit, & ſi deinceps coquatis aurum fit. Dico quoniam ipſum mare in rubeum vertit & auricollam. Et ſcitote quod non vertitur autum in rubiginem, niſi per aquam permanentem, eò quod natura naturâ lætatur. Regite ergò ipſum coquendo in humorem donec natura abſcondita appareat. Sic igitur exterius apparente, ſepties ipſum aqua imbuite, coquendo, imbuendo & allando, donec rubeum fiat. O illæ naturæ cœleſtes, veritatis naturas nutu Dei multiplicantes! O Natura illa fortis quæ naturas vicit ac ſuperavit, ſuaſque gaudere, & lætari facit naturas! Hæc igitur eſt ſpecialiter cui Deus ejus poſſe tribuit quod ignis non poteſt. Ideoque magnificavimus, & honorificavimus eam, qua nihil eſt preciosius in vera tinctura, cui ſimile vel par minimè invenitur. Ipſa eſt veritas, quam ſapientiam inveſtigantes amant. Liquefacta enim cum ſuis corporibus altiſſimum operum operatur. Nonne ſi veritatem ſciretis, mihi multipliciter gratias ageretis. Scitote ergò tingentes cinerem: quæ mixta ſunt oportet vos dituere: Namque ea quæ ei miſcentur ſuperat, & in ſuum vertit colorem. Et quemadmodum apud viſum ſuperficiem vincit, ſic intima ſuperavit. Et ſi unum ſit fugiens, alterum verò ignem patiens, utrumque utrique juſtum, ignem

patitur.

patitur. Et scitote, quod si superficies nubes dealbaverunt, procul dubio intima dealbabunt. Et scitote omnes Sapientiæ investigatores; quod res una superat quatuor, & quod sulphur nostrum solum omnia comburit corpora. *Respondit Turba*: Optimè dixisti Parmenides, non tamen fumi dispositionem posteris demonstrâsti, nec qualiter ipse dealbatur.

Sermo Duodecimus.

LUCAS *inquit*: Ego dicam, in eo vestigia sequens priorum. Et scitote omnes Sapientiæ investigatores, quod Tractatus hic non est ab initio regendi: Accipite argentum vivum, quod ex masculo est, & secundum consuetudinem coagulate. Nonne me videtis vobis dicere secundum consuetudinem, eò quod prius jam coagulatum est. Non est igitur hoc regendi initium, hoc tamen jubeo, ut argentum vivum ex masculo capiatis, & ponatis super ferrum vel stannum vel æs gubernatum, & dealbabitur. Similiter fit alba magnesia, & masculus cum ea convertitur. Quoniam magnetis est cum ferro propinquitas quædam, ideò nostra gaudet natura. Accipite ergo nubem quam priores vos capere jusserunt, & cum suo coquite corpore, donec stannum fiat. Et secundum consuetudinem à suâ mundate nigredine, abluite, ac æquo assate igne donec dealbetur. Argento autem vivo gubernato omne corpus dealbatur, natura namque naturam convertit. Magnesiæ igitur accipite, & aquam aluminis, & aquam nitri, & aquam maris, & aquam ferri, fumo dealbate. Eò quod fumus ille albus est, & omnia dealbat; quo fumo quicquid cupitis dealbari, dealbatur. Illum igitur fumum suæ feci misceto, donec coaguletur, & nimium album fiat. Hoc album æs assate, donec seipsum germinare faciat, quoniam magnesies cum dealbatur, spiritus fugere non dimittit, nec æris umbram apparere eò quod natura naturam continet, Accipite ergo omnes doctrinæ filii, album sulphureum, & sale & rore dealbate, vel albi salis flore, donec nimium album fiat. Et scitote quod salis albi flos est Ethel de Ethelia. Assate ergo ipsum per dies septem donec fiat ut marmor coruscans, eo quod cum ita fit, maximum est arcanum, quoniam sulphur sulphuri mixtum est, & factum est inde maximum opus propter propinquitatem inter se, eo quod naturæ suæ obviantes naturæ lætantur. Accipite ergò Mardeck, & dealbate ipsum per gadenbe, id est, urinam, & acetum, & aquam permanentem, assate, & coagulate donec non liquefiat in igne fortiore suo, igne priore; & vasis os fortiter cooperite, ne flos fugiat, & suum propinquum secum teneat, & ejus albedinem incendi faciat, & cavete ignis incensionem, quoniam si incendatis ignem, ante terminum rubeum fit, quod nihil vobis prodest, eo quod in initio regendi vultis album. Deinde coaguletis ipsum, deinde rubeum facitis. Et sit ignis vester lenis in dealbando donec coaguletur. Et scitote quod cum coagulatur, nos vocamus ipsum animam, & quod tunc citius à natura in naturam convertitur. Hoc igitur de numerorum arte est sufficiens rationem habentibus, eo quod res una facit, quod & plures operantur. Pluribus autem rebus non indigetis nisi una re, & illa res in unoquoque gradu operum vestrorum in aliam vertitur naturam. *Inquit Turba*, Magister si prout Sapientes dixerunt, diceres, & breviter, ipsi quos video nolle ad totum tenebris separari, vos sequerentur.

Sermo Tredecimus.

PYTHAGORAS *ait*: Aliam gubernationem ponimus quæ non est alia radice, verum nomine. Et scitote hujus investigatores scientiæ & sapientiæ, quicquid invidi in libris suis jusserunt de naturarum compositione, sibi invicem convenientium; in sapore unum tantum est, in oculorum autem visu quàm diversa sunt. Et scitote quod res quam multipliciter narraverunt, suum absque igne socium consequitur, prout lapis Magnetis consequitur ferrum, quibus illa res non frustra refertur, vel spermati vel vulvæ quibus similis est illa res. Et quod illa res quæ suum absque igne socium sequitur nulla compositione passim multos apparere colores facit, eò quod illa Una res in unoquoque introit regimine, quam ubique inveniunt: quæ lapis est, ac non lapis, vilis & pretiosa, obscurata, & celata, & à quolibet nota: unius nominis & multorum nominum quæ est sputum lunæ. Hic igitur lapis non est lapis eò quod pretiosus est, sine quo natura nihil operatur unquam. Cujus nomen est unum; multis tamen ipsum nuncupavimus nominibus propter suæ excellentiam naturæ. *R. Turba* si quibusdam, Magister; suis nominibus investigantibus nuncuparis. *Et ille.* Ethelia dicitur alba, & æs album, & ab igne fugiens qui solus æs dealbat. Lapidem igitur album confringite, postquam cum lacte coaguletis. Deinde calcem ad marmor confringite, & cavete ne à vase exeat humiditas, verum ipsam in vase coagulate, quousque cinis fiat; & lunæ sputo coquite, ac dirigite. Invenietis enim lapidem fractum & sua aqua jam imbutum. Hic igitur est lapis quem omnibus nuncupavimus nominibus, qui opus recipit & bibit, & ex quo omnis color apparet. Accipite igitur ipsam gummam quæ ab excoria est, & cum calcis cinere miscete, quam rexiltis & fœce quam scitis; ac aqua humectate permanente. Deinde inspicite, utrum pulvis factus est, sin autem in igne suo fortiore assate, donec confringatur. Deinde aqua permanente imbuite, ac quantò magis colores variantur tantò ipsa calefieri dimittite. Et scitote, si argentum vivum album capiatis, vel sputum lunæ & prout jussi faciatis, lenique igne confringatis, coagulatur & fit lapis. Ex hoc igitur lapide cum confringitur, varii vobis colores apparebunt. Hic autem in sermone si quid ambiguitatis vobis eveniat, prout jussi vos facite donec albus lapis fiat atque coruscans, & propositum vestrum inveniatis.

Sermo Decimus quartus.

ACSUBOFEN *inquit*: magister dixisti non invidens, quod te decet, remuneret tibi Deus, *ait Pythagoras*. Et te Acsubofen liberet Deus ab invidia. *Et ille.* Sciatis Turba Sapientum quod sulphura sulphuribus continentur, & humiditas humiditate. *Respondit Turba*: Acsubofes jam invidi simile quid dixerunt: significa igitur, quid hæc humiditas est. *Et ille.* Cum venenum corpus penetrat invariabili colore ipsum colorat, & nunquam dimittit corpus, animam quæ compar sibi est, à se separari. De quo invidi dixerunt; persequente fugienti obviante ab eis fuga aufertur, & veritas sequitur. Et quod natura suum capit comparem, ut inimicum, & se invicem continuerunt, eò quod ex sulphureo, sulphure mixto, preciosissimus fit color qui non variatur, nec ab igne fugit,

quando anima in corporis intima infertur, ac corpus continet ac colorat. Dicta autem mea reſterabo in tyria coloratione. Accipe animal quod dicitur Kenckel quoniam tota ejus aqua tyrius color eſt, & regite ipſum levi igne, ut conſuetum eſt, donec terra fiat, in qua parum erit coloris. Volentes autem ad tyriam pervenire tincturam, accipite humiditatem quam ejecit illud, & cum eo paulatim imponite in vaſe, & in eo imponite illam tincturam cujus color non vobis placuit. Deinde aquam coquite ipſum marina, donec areſcat. Deinde illo humore imbuite, & paulatim deſiccate & non deſiltatis imbuere ipſum, & coquere, & deſiccare, donec toto ſuo humore imbuatur. Deinde per dies quoſdam in ſuo vaſe dimittite, quouſque precioſiſſimus color tyrius ei deſuper exeat. Inſpicite qualiter vobis deſcribam regimen. Conficite ipſum Urina puerorum & aqua maris ac aqua munda permanente, antequam tingatur, &, levi decoquite igne, donec nigredo pereat ac quieſcat, & illud de facili confringatur. Decoquite ergò ipſum ſuo humore, donec veſtiat ipſum rubeo colore. Volentes autem ipſum in tyrium colorem ducere, imbuite ipſum aqua continua & miſcete, prout ſcitis ei ſufficere, apud viſum, & miſcete ipſum aquæ permanenti, ita quod ſufficiat, & decoquite donec rubigo aquam bibat. Deinde aqua maris, quam paraſti, abluite quæ eſt aqua calcis deſiccatæ, & coquite donec ſuum bibat humorem, & facite hoc per dies poſt dies. Dico quod color indè vobis apparebit, cui nunquam ſimilem tyrii fecerunt. Et ſi vultis ut ſit altis altior quam fuerat, & audacior, ponite gummam in aqua permanente, qua per vices ipſum tingite, deinde in ſole deſiccate. Demum prædictæ reddite aquæ, & niger tyrius color intenditur. Et ſcitote quod vos non tingitis purpureum colorem niſi frigido. Accipite ergò aquam quæ eſt de frigoris natura, & in ea lanam decoquite, donec tincturæ vim capiat ab aqua. Et ſcitote quod illam vim, quæ ab illa exit aqua, florem philoſophi nuncupaverunt. Propoſitum veſtrum ergò ſit illa aqua, in ea ponite quod in vaſe eſt per dies & noctes, donec pretioſiſſimo tyrio veſtiatur colore.

Sermo Decimus quintus.

FRICTES, *inquit*: omnes ſapientiæ inveſtigatores, ſcitote quod hujus artis fundamentum propter quam multi perierunt, Unum quid eſt, quod omnibus naturis fortius, & ſublimius apud Philoſophos, apud inſipientes verò eſt omnium rerum vilius, quod nos veneramur. Heu vobis omnibus inſipientibus, quàm ignari eſtis hujus artis, pro qua moreremini ſi ſciretis. Et juro vobis, quod ſi reges eam ſcirent, nemo veſtrum unquam ad eam perveniret, ô natura hæc qualiter vertit corpus in ſpiritum. O quam admirabilis natura, qualiter omnibus imminet ac omnia ſuperat. *Ait Pythagoras.* Frictes nomina eam. *Et ille.* Eſt acetum acerrimum, quod facit aurum eſſe merum Spiritum, ſine quo acero, nec albedo nec nigredo, nec rubor nec rubigo fieri poteſt. Et ſcitote quod cum corpori miſcetur, & continetur, & Unum fit cum eo, vertit ipſum in ſpiritum, & ſpirituali tingit tinctura invariabili, quæ deleri non poteſt. Et ſcitote, quod ſi ponitis corpus ſuper ignem abſque aceto, comburitur, & corrumpitur. Et ſcitote quod humor primus eſt frigidus. Cavete igitur ignem qui inimicus eſt frigori. Ideoque dixerunt ſapientes ſuaviter regere, donec Sulphur fiat incremabile. Hujus autem artis diſpoſitionem, rationem habentibus jam ſapiens demonſtravit, eorum autem artis, quæ dixit, optimum eſt, quod parum hujus ſulphuris, forte corpus comburit. Ideoque ipſum venerantur, & deſcribunt in initio libri eorum quod filius ADE ſic deſcripſit. Quoniam hoc acetum corpus comburit, & in Cinerem vertit, quod & corpus dealbat quod ſi benè coquitis ac nigredine privetis in lapidem vertetur & fiet nummus intenſiſſimæ albedinis. Coquite ergò lapidem donec diruatur, demum ſolvite ac maris aqua temperate. Et ſcitote quod totius operis initium eſt dealbatio cui rubor ſuccedit, demum operis perfectio, poſthæc autem per acetum nutu Dei tota ſit perfectio. Jam vobis diſcipulorum Turbæ hujus rei unius diſpoſitionem demonſtravi, quæ naturis eſt perfectior, pretioſior, ac honorabilior. Et juro vobis per Deum, quod multo tempore in libris inveſtigavi, ut ad hujus unius ſcientiam pervenirem, ac Deum oravi ut quid eſt me doceret. Exaudita autem oratione, mundam aquam mihi demonſtravit, qua novi merum acetum, & quantò magis libros legebam, tantò magis mihi illuminabatur.

Sermo Decimus ſextus.

SOCRATES *inquit*: Scitote manentium Turba filii Doctrinæ, quod abſq; plumbo nulla fit tinctura eò quod vim habeat. Nonne videtis qualiter Hermes, gratia triplex, punicum cum in corpore ſubjungitur, in colorem vertitur invariabilem. Et ſcitote quod prima vis eſt acetum. Secunda verò plumbum de quo ſapientes dixerunt, quod cum punicum in corpore ſubjungitur, fit ex eo color invariabilis. Accipite ergò plumbum quod fit ex lapide qui dicitur Kuhul, & ſit optimus, & coquite ipſum donec ipſum nigrum fit. Deinde nitri aqua ipſum terite, donec ſpiſſum fiat ut pinguedo. Item deinde coquite nitentiſſimo igne, donec ſpiſſitudo corporis diruatur, aqua contempta. Accendite ergò ſuper ipſum, quouſque fiat lapis mundus & nummoſus & albiſſimus, terite ergò ipſum rore & ſole, & aqua maris ac pluviæ xxi. diebus, x. diebus ſalſo, x. verò diebus dulci aqua, & invenietis ipſum nummoſo lapidi ſimile. Coquite igitur ipſum nitri aqua donec fiat ſtannum. Coquite igitur ipſum donec humore privetur ac ſiccum fiat. Et ſcitote quod cum ſiccus ſit, ſui humoris reſiduum velociter bibit, & quod eſt plumbum combuſtum. Agite igitur ipſum ne comburatur. Hoc autem ſulphur quod non comburitur nuncupamus. Terite ergò ipſum acerrimo aceto, & coquite donec ſpiſſetur, & cavete ne acetum in fumum vertatur, & pereat, & coquite ipſum centum quinquaginta diebus. Jam ipſam igitur albi plumbi diſpoſitionem demonſtravi, eo autem noto nihil aliud eſt quam mulierum opus & ludus puerorum. Et ſcitote quod arcanum operis ami fit ex maſculo, & fœmina, maſculum autem jam in plumbo vobis oſtendi, fœminam verò in auripigmento vobis nuncupavi, auripigmentum igitur plumbum ſcite, hic enim maſculus recepta gaudet fœmina, eo quod maſculo adjuvatur. Maſculus verò fœmina tingentem accipit ſpiritum. Ipſos igitur mixtos vitreo imponite vaſi, & Etheliæ & aceto terite acerrimo, ac ſeptem coquite diebus & cavete ne arcanum fumiget, & per noctes dimittite. Et ſi vultis ipſum lutum induere, videntes ipſum jam ſiccum, aceto imbuite. Jam igitur auripigmenti vim vobis notificavi quod eſt fœmina quâ maximum perficitur arcanum Nolite ergò ipſas malis oſtendere. Rauderit autem, eſt Ethelia aceti quod in confectione imponitur

quibus

quibus Deus perficit opus, quo & spiritus corpora capiunt, & spiritualia erunt.

Sermo Decimus Septimus.

ZIMON *inquit:* jam dixisti Philosophorum & discipulorum Turba, in album faciendo: dicendum est igitur, in rubeum faciendo, scitote omnes hujus artis investigatores quod nisi dealbetis non potestis rubeum facere, eò quod duæ naturæ nihil aliud sunt quam rubeum & album, dealbate igitur rubeum & album. Et scitote quod annus in quatuor dividitur tempora. Primum autem tempus est frigidæ complexionis, quod est hyems. Secundum verò est complexionis veris: Deinde tertium quod est æstas: deinde quartum quo fructus maturantur est autumnus. Hoc igitur modo oportet vos naturas regere, hyemis humiditate, deinde Veris tempore, & exitu florum æstatisque calore & aëre, & qualiter fructus maturantur & lenificantur, ut ab arboribus colligantur. Hoc igitur descripto exemplo, tingentes regite naturas: sin autem erratis, neminem nisi vosmet ipsos reprehendite: *Respondit Turba*: optumè tractâsti, adde igitur posteris hujuscemodi aliud. *Et ille*: Dicam in plumbum rubeum faciendo. Accipite plumbum, quod magister accipere vos jussit, in principio sui libri, & cum eo ponite æs ut plumbum, & coquite donec spissetur, congelate & desiccate, donec rubeum fiat. Hic utique est plumbum rubeum de quo sapientes dixerunt, æs & plumbum lapis fiant preciosus, miscete ea æqualiter, & assate cum eis aurum, quod si benè regatis spiritus fit tingens in spiritibus. Cum enim masculus & fœmina conjunguntur; fit mulier non fugiens, compositum verò spirituale. Ex composito autem in spiritum rubeum verso fit mundi principium: Ecce hoc plumbum quod plumbum rubeum nuncupavimus nostri est operis; sine quo nihil fit.

Sermo Decimus Octavus.

MUNDUS *ait Turbæ*: investigatores hujus artis sciendum est, quod Philosophi in libris suis gummam multipliciter narraverunt; quæ nihil aliud est quam aqua permanens ex qua preciosissimus lapis generatur. ô, quam plures sunt hujus gummæ investigatores, & quam minimi eam cognoscunt. Et scitote quod hæc gumma non emendatur nisi solo auro, quamplures namque sunt qui has investigant applicationes & inveniunt quasdam, non tamen possunt labores sustinere, eò quod diminuuntur. Quæ autem ex gumma fiunt applicationes, & ex honorabili lapide, qui tincturam jam continuit, ipsæ *penas sustinent ac nunquam diminuuntur. Mea igitur verba intelligite, vobis namque gummæ lucifico dispositionem invidens; & arcanum in ea existens. Et scitote quod gumma nostra est auro fortior, & oportet Scientes eam tenere auro honorabiliorem, aurum tamen honoramus, sine ipso namque gumma non emendatur. Gumma igitur nostra pretiosior & sublimior est margaritis, eo quod ex gumma pauco auro multum emimus. Ideoque philosophi scribentes ne pereant, cavent in libris suis manifestam dispositionem non posuerunt, ne quilibet eam cognosceret, quam si insipientes scirent non vili venderent pretio. Accipite ergò ex gumma alba intensissimi candoris partem unam, & ex albi Vituli urina part. 1. & ex felle piscis. 1. & ex gummæ corpore, sine quo emendari non potest 1. has miscete portiones, & per 40. dies coquite. Hisque transactis calido sole congelate, donec desiccentur. Deinde coqui e ipsum mixtum cum lacte fermenti quousque lac deficiat, deinde ipsum extrahite; & quousque siccum fiat in calore dimittite. Deinde cum lacte ficus ipsum miscete & coquite donec humor ille desiccetur in composito, quem postea cum radicis herbæ lacte miscete, & coquite donec desiccetur. Deinde ipsum pluviali aqua humectate, deinde aspergite aquam roris & coquite donec desiccetur. Item aquâ ipsum imbuite permanente, & desiccate, quousque intensissimæ fiat siccitatis. His præmissis ipsum gummæ miscete, quæ omnibus paratur coloribus & coquite fortiter, donec totius vis aquæ pereat corpusque totum desiccet humiditatem, inducentes ipsum coquendo, quousque illius siccitas intendatur. Deinde dimittite per 40. dies; ut in illa tritione maneat vel decoctione donec spiritus corpus penetret. Hoc enim regimine spiritus incorporatur, & in spiritum corpus vertitur, observate ergò vas ne compositum fugiat, & fumiget. His autem peractis vas aperite, & vestrum propositum invenietis. Hoc utique est gummæ arcanum, quod in libris suis Philosophi celaverunt.

Sermo Decimus Nonus.

DARDARIS *inquit*, notum est quod jam aquam magistri permanentem narraverunt. Oportet igitur introductum in hac arte nihil incipere antequam hujus aquæ vim sciat permanentis. Nos enim oportet semper uti in commixtione, contritione, & toto regimine, illa nota aqua permanente. Qui igitur aquam nescit permanentem, ejusque regimen prout oportet, non ingrediatur in hac arte, eo quod absque aqua permanente nihil fit. Vis ejus est spiritualis sanguis, quare Philosophi aquam nuncupaverunt eam, permanentem, contrita enim cum corpore quod vobis ante me magistri exposuerunt, nutu Dei corpus illud in spiritum vertit. Sibi enim invicem mixta ac in unum redacta se invicem convertunt, corpus scilicet incorporat spiritum, spiritus verò corpus in spiritum tinctum prout sanguis, vertit. Et scitote quod omne quod spiritum habet, habet etiam & sanguinem: hujus igitur mementote arcani.

Sermo Vigesimus.

BELUS *inquit*: optimè dixistis discipuli *Respondit Pythagoras*, Bele cur (Philosophi cum sint) discipulos nuncupâsti? *Respondit ille*, ad honorem sui magistri, ne ipsum eis parem faciam. *Pythagoras autem respondit*, Qui nobiscum in hac arte hunc librum composuerunt qui Turba dicitur non debent vocari discipuli. *Et ille*. Ipsi, magister, aquam, frequenter permanentem narraverunt. Albumque facere, & rubeum multis modis descripserunt, nominibus tantum diversis. Occulta autem veritate concordes sunt, quibus modis, pondera, compositiones ac regimina conjunxerunt. Ecce dicta in hoc despecto, fama divulgata quod apud Philosophos excelsum est quod est lapis & non lapis quod multis nuncupatur nominibus, ne quis ipsum agnoscat insipiens, Quidam enim sapientes alio modo, ubi generatur ei nomen assumpserunt, quidam verò à calore quorum quidam viridem dixerunt lapidem, quidam lapidem intentissimi spiritus ex ære, corporibus immixtibilem, quidam ejus descriptionem alteraverunt, quod apud vendentes lapides qui dicuntur sauen nummis venundatur, quidam sputum lunæ, quidam

* *Penas i. e. Labores, ratione gallicismi.*

astronomicè, quidam quoque arithmeticè, ipsum nuncupaverunt, jam nominum legionibus vocatum est, cujus melius est, quod fit ex metallis; quidam cor solis, quidam etiam quod fit ex argento vivo, cum lacte volatilium dixit esse.

Sermo Vigesimus Primus.

PANDOLFUS *inquit:* Bele tantum de lapide despecto dixisti quod nemini fratrum tuorum aliquid dimisisti dicendum. Insuper doceo posteros, hunc lapidem despectum esse aquam permanentem. Et scitote omnes sapientiæ investigatores, quod aqua permanens est aqua mundanæ vitæ, quod scilicet Philosophi dixerunt, natura naturâ lætatur, natura naturam continet, ac natura naturam vincit. Hoc autem breve dictum operis principium rationem habentibus Philosophi constituerunt. Et scitote, quod nullum corpus est pretiosius, vel purius sole, & quod nullum venenum tingens generatur absque sole, & sua umbra. Qui igitur Philosophorum venenum absque his facere conatur jam errans cecidit in id quo ejus tristitia permanet. Qui autem sapientum venenũ ex sole & ejus umbra tinxit, ad maximum pervenit arcanum. Et scitote quod nummus noster cum rubeus sit, aurum nuncupatur, qui ergò scit Cambar philosophorum occultum, jam ei notum est arcanum. *Respondit Turba,* benè descripsisti hunc lapidem notificè, non tamen ejus narrâsti regimen, ne compositionem, revertete ergò describendo. *Inquit,* jubeo capere occultum & honorabile arcanum quod est magnesia alba, quæ mixta & trita cum vero & cavete ne hoc accipiatis, nisi purum & mundum: demum suo imponite vasi, & orate Deum hunc maximum videre lapidem vobis concedat. Deindè coquite paulatim, & extrahentes inspicite si factus sit niger lapis optimè igitur rexistis. Sic autem regite ipsum albo quod est magnum arcanum, donec fiat Kuhul nigredine coopertum, quæ scilicet nigredo pereitote quod non permanet nisi 40. diebus. Tertio igitur ipsum cum suis confectionibus, quæ sunt hic flos æris, aurum Indicum quorum radix est una & ex ungento id est & ex croco, id est & exaltato alumine fixo i.e. ♄ * ergo quatuor prudenter coquite 40. diebus vel 42. His enim diebus præmissis Deus vobis ostendet hujus lapidis principiũ qui est lapis atitos quem visum gratia Dei multipliciter relata, fortiter coquite & gummæ residuo imbuite. Et scitote quod quotiens cinerem imbuitis, totiens per vices & desiccatur & humectatur, donec ejus color in id quod quæritis vertatur. Item clementer inspiciens nobis quod cœpi perficiam. Scitote quod hujus lapidis pretiosi operis perfectio est, ipsum regere medicinæ residuo ejus quod reservâsti, quare duarum tertiarum partium residuarum, ad ipsum imbuendum altera imbuite, ac in calore ad coquendum ponite, & sit ignis ejus priore intensior, cereatur & cum desiccatur se invicem continet. Coquite igitur ceram donec bibat collam auri, quam desiccatam cera etiã imbuite residua septies donec illæ duæ finiantur tertiæ partes easque omnes bibat recta terra. Demum ipsam calido imponite igni, donec terra suum extrahat florem, ac satis placeat. Si intelligatis beati estis. Sin autem, vobis operis perfectionem reiterabo: accipite album mundum quod maximum est arcanum, in quo est veritas tincturæ, eoque arenam imbuite, quæ facta ex lapide est septies imbuto, quousque totum bibat ac vasis os fortiter claudite, ut vos multoties jussi. Quoniam quod ex eò agitis Deo annuente vobis apparebit, quod est lapis tyrii coloris. Jam igitur perfeci veritatem, ideò conjuro vos per Deum, & vestrum verum magistrum, ut hoc maximum ostendatis arcanum, & cavete malignos.

Sermo Vigesimus secundus.

THEOPHILUS *inquit*: Benè dixisti notificè & pulchrè, ab invidia liber factus es. *Ait Turba.* Exponat igitur nobis vestra discretio, quod notificus Pandolfus posuit: & noli esse invidus. *Et ille.* Omnes hujus scientiæ investigatores, operis nummi & auri arcanum est tenebrosa vestis, & nemo novit quæ Philosophi in libris suis narraverunt absque lectionum & tentationum frequentatione, ac sapientum inquisitione. Quod enim posuerunt, sublimius & obscurius est, quam quod sciri possit, & quamvis notius tractaverunt, & benè: quidam toti obscurè tractaverunt, alii aliis sunt lucidiores. *Respondit Turba,* verum dixisti. *Et ille:* Notifico posteris, quod inter Boritin & æs propinquitas est, eò quod Boritis sapientum æs liquefacit, & velut aqua fluxibilis vertit, Dividite ergò venenum in duo æqualia quorum altero æs liquefacite, alterum verò ad rerendum & imbuendum servate. Eò quod oportet vos æs in laminas perducere, demum cum priori veneni parte coquere duo ad septem in duobus, ad septem in sua coquite aquâ 42. diebus, demum aperite vas & invenietis æs in argentum vivum versum, abluite ipsum coquendo, quousque sua privetur nigredine, & fiat æs umbra carens. Demum ipsum continuè coquite, donec congeletur. Ipso enim congelato fit maximum arcanum. Hunc igitur lapidem Boritin Philosophi nuncupaverunt, coquite illum lapidem congelatum, quousque mucræ similis sit materia. Tunc autem aqua ipsum imbuite permanente quam vos jussi reservare, altera scil. portione, ac multipliciter coquite quousque ejus appareant colores. Hæc igitur est putrefactio maxima, quæ maximum extrahit arcanum. *Inquit Turba,* revertere exponendo Theophile. *Et ille:* intimandum est quæ propinquitas inter magnetem & ferrum, ea inter æs & aquam permanentem est utique propinquitas. Si igitur æs & aquam regatis permanentem ut vos jussi, fiet inde maximum arcanum hoc modo. Accipite magnesiam albam & argentum vivum, masculo miscete, ac fortiter terite coquendo, non manibus, quousque tenuis fiat aqua. Dividentes autem hanc aquam in duas partes, altera ipsum aqua parce coquite xi. diebus donec fiat flos candidus, ut flos salis in suo splendore, & coruscatione: vasis autem os fortiter claudite, & 40. diebus coquite, & invenietis ipsum, aquam lacte candidiorem, ejus etiam nigredinem coquendo private, continuè coquentes quousque tota ejus natura diruatur, & coinquinatio pereat, & mundum esse videatis, & totum frangatur. Sin verò vultis ut totum arcanum quod vobis dedi peragatur, abluite ipsum aqua, quam vos jussi servare altera videlicet parte, donec fiat crocus, ac in suo dimittite vase, quoniam iksir seipsum conterit, & residua imbuite aqua, donec decoctione & aqua conteratur, & fiat simile syrupo granatorum, imbuite igitur ipsum & coquite, donec ponderis humiditatis residuum quod habetis deficiat, & color quem Philosophi in libris suis explanavere appareat.

Sermo

* ♄. *Id est Saturno videtur legendum. Hæc erga quatuor. Vel potest etiam sic legi quæ sunt hic flos æris, aurum Indicum quorum radix est una, ex unguento id est ex croco & exaltato alumine fixo i. e. Saturno.*

Sermo Vigesimus tertius.

CERUS *ait :* Intelligite omnes doctrinæ filii quod Theophilus vobis significavit, inter magnetem & ferrum esse propinquitatem, commixtiorem propinquitate, inter magnetem & ferrum existente, cum æs convenienter per centum dies regitur : quid autem vobis est utilius significatione, quod inter stannum & argentum vivum nulla est propinquitas, nec alteri cum altero est natura? *Respondit*, malè dixisti, & vituperasti rectam dispositionem. *Et ille.* Notum facio quod non dico nisi veritatem, quid vobis est individiæ? Timete Dominum omnis Turba, ut magister vester vobis credat: *Et Turba.* Dic quod vis. *Et ille.* Jubeo vos capere argentum vivum quod est vis masculinæ, ipsumque coquite cum suo corpore donec fiat ut aqua fluxibilis, coquite masculinum simul & vaporem quoque ita utrumque coaguletur, & fiat lapis. Jam autem diviseratis aquam in duas partes, quarum prima ad corpus liquefaciendum, & coquendum, Secunda verò ad mundandum jam combustum, & suum socium quæ unum facta sunt. Imbuite ipsum septies & mundate, quousque diruatur, ac corpus suum mundetur ab omni coinquinatione & fiat terra. Et scitote quod 42. diebus ipsum totum in terram verteretur, coquendo igitur ipsum liquefacite donec fiat ut aqua vera & argentum vivum. Deinde aqua nitri abluite donec fiat ut nummus liquefactus. Demum coquite donec congeletur & fiat stanno simile, tunc maximum est arcanum, scilicet lapis qui ex duobus est. Regite ipsum coquendo, & terendo, donec crocus fiat excellentissimus. Et scitote quod aquam cum suo comite desiccatam, crocum nuncupavimus. Coquite igitur ipsum, & residua imbuite aqua quam observâstis, donec propositum inveniatis.

Sermo Vigesimus quartus.

BAcoscus dicit : optimè dixisti Bele, dicta igitur vestra sequor vestigia. *Et ille.* ut placet, cave tamen ne fis invidus. Non est enim sapientum invidia, & Bacoscus verum dicis. Filios igitur jubeo doctrinæ. Accipite plumbum & ut philosophi jusserunt imbuite, deinde liquefacite, deinde congelate, donec lapis fiat, deinde regite ipsum lapidem auricolla, & granatorum syrupo donec confringatur. Jam enim in duas partes aquam divisistis, quarum altera plumbum liquefecistis, & factum est ut aqua, coquite igitur ipsum donec desiccetur & fiat terra, deinde terite ipsum aqua observata donec rubeum induat colorem, ac prout vos jussi frequentissimè. *Turba autem ait.* Nihil egisti, nam ambigua verba contuli, stirevertere ergò. *Et ille.* Argentum vivum volentes coagulare, suo miscete compari. Deinde diligenter coquite, donec aqua fiat utrumque permanens. Deinde coquite illam aquam donec coaguletur. Hæc autem cum vapore suo compari desiccatur, eò quod invenietis totum argentum vivum jam coagulatum à se ipso. Si intelligatis, ac suo vasi quod oportet, imponatis, coquite ipsum donec coaguletur, deinde terite donec fiat crocus colori auri similis.

Sermo Vigesimus quintus.

MENABDUS *ait :* remuneret tibi Deus pro regimine, sicut veridicis, quoniam dicta tua illuminasti. *Et illi.* Ajunt ex quo eum laudas, prædictis suis, noli eo esse inferior. *Et ille :* scio quod nihil aliud possum dicere quam quæ dixit. Jubeo tamen posteros facere corpora non corpora, hæc incorporea vero corpora. Hoc enim regimine paratur compositum, ejusque naturæ occultum extrahitur. His itaque corporibus argentum vivum corpori junge magnesiæ ac fœminam viro, & per hoc Ethelia nostra extrahitur occulta, per quam corpora colorantur, hoc utique regimen si intelligatis, corpora fiunt non corporea, & incorporea corpora. Si diligenter res igne teraris, ac Etheliæ peragatis fiunt res mundæ non fugientes. Et scitote, quod argentum vivum, est ignis corpora comburens, mortificans, & confringens, uno regimine, ac quanto magis corpori miscetur & teritur, tanto magis corpus diruitur. Argentumque vivum igneum, cum autem diligenter teritis, eisque ut oportet percipitis possidebitis Ethel naturam & colorem non fugientem, ac omni tinctura aptitudinem patienti, ignem quem superat, confringit ac continet. Eo quod res non colorat nisi coloretur, eoque colorato colorat. Et scitote, quod corpus non potest tingere se ipsum nisi spiritus ejus extrahitur in ventre ejus occultus, & fuerit corpus & anima absque spiritu, quæ est spiritualis natura, ex qua colores apparuerunt, eo quod spissum terreum non tingit, verum tenuis naturæ, quod in corpore transigitur, colorat. Cum autem æris regitis corpus, & ex eo tenuissimum extrahitis, tunc vertitur in tincturam qua coloratur. Ideoque dixit sapiens. Quod æs non tingit nisi prius tingatur, Et scitote quod hoc æs quod vos jussi regere sunt ista quatuor corpora : & quod tincturæ quas vobis significavi, sunt condensum & humidum, condensum autem est vapor conjunctus, humidum vero est aqua sulphuris, eo quod sulphura sulphuribus continentur, & de jure per hæc, natura naturâ gaudet & superat, & continet.

Sermo Vigesimus sextus.

ZENON *inquit :* video vos, Turba sapientum, duo corpora conjunxisse, quod minime vos jussit magister fieri. *Respondit Turba.* Dic ergò secundum opinionem tuam Zenon in hoc, & cave invidiam. *Et ille :* Scitote quod colores qui vobis ex eo apparebunt sunt hi. Scitote filii doctrinæ quod oportet vos compositum 40. diebus putrefacere, demum quinquies vase sublimare. Demum igni stercoris jungite & coquite. Primo die nigra, citrina; Secundo vero nigra rubea; Tertiò quoque croco sicco similis, demum perfectus color nobis apparebit: fermentum & nummus vulgi imponetur, tunc est icsit compositum ex humido & sicco & tunc invariabili tingit tinctura. Et scitote, quod corpus est in quo aurum est. Icsir autem ponentes cavete ne festinanter ipsum extrahatis fortè, namque moratur. Extrahite igitur ipsum secundum unum ixit nostri. Hoc autem venenum est quasi nativitas & vita, eò quod est anima ex multis extracta rebus, & nummis imposita : ejus igitur tinctura est vita, his quibus adimit detrimentum, & mors corporibus ex quibus extrahitur. Ideoque magistri dixerunt inter ea esse libidinem tanquam maris & fœminæ, & si quilibet in hac arte introductus ejus sciret naturas, prolixitatem sustineret coquendi donec propositum nutu Dei extraheret.

Sermo Vigesimus septimus.

GREGORIUS *inquit :* omnis Turba, notandum est, quod invidi venerabilem lapidem effluxidinus nuncupaverunt, & ipsum regi jusserunt donec coruscans

coruſcans fiat ut marmor ſplendore. *Et illi*: Demonſtra igitur poſteris quid eſt. *Et ille*: libenter, ſciendum eſt quod æs commiſcetur aceto & regitur, donec aqua fiat. Demum congeletur, & ſtat lapis coruſcans, ſplendorem habens ut marmor quem videntes jubeo regere, quouſque rubeus fiet eò quod cum coquitur, donec diruatur & terra fiat, in rubeum vertitur. Sic cum videntes iterantes coquite, & imbuite quouſque colorem induat prædictum, & fiet aurum occultum: deinde iterate ipſum & fiet aurum tyrii coloris. Oportet vos igitur omnes hujus artis inveſtigatores, cum videritis hunc lapidem coruſcantem, ruendo incidere & in terram verti, & habere aliquantulum ruboris, ut aquæ reſiduum accipiatis, quam invidi juſſerunt vos in duas dividere partes, & ea multoties imbuatis quouſque occulti nullo corpore colores vobis appareant. Et ſcitote ſi neſcienter ipſum regatis, iſtorum colorum nihil videbitis. Vidi namque quendam qui hoc cæpit opus, & veritatis naturas operatus, rubore autem aliquantulum morante, putavit ſe erraſſe, & dimiſit opus. Inſpicite ergo qualiter faciatis amplexari, punica enim ſuam amplexata conjugem, velociter in ſuum corpus tranſit, liquefacit, congelat, diruit, ac confringit, Demum rubor non moratur. Et ſi conficiatis abſque pondere mora eveniet, qua eveniente malum putabitur. Jubeo autem ignem noſtrum in liquefaciendo lenem, ipſo autem in terram verſo, intenſiorem facere, & imbuere ipſum, quouſque extrahat Deus nobis colores & appareant.

Sermo Vigeſimus octavus.

CUSTOS *ait*: miror univerſa Turba de tanta vi hujus aquæ ac natura: nam cum introierit in hoc corpore venit ipſum in terram demum pulverem, quem ſi vultis apud perfectionem experiri manu accipite, & ſi impalpabilem ut aquam inveniatis eſt optimus. Sin autem iterate ipſum coquendo donec peragatur. Et ſcitote quod ſi aliud quam æs noſtrum accipiatis, & aqua regatis noſtra nihil vobis prodeſt. Si autem aqua noſtra noſtrum æs regatis, omnia à nobis prædicta invenietis. *Turba autem reſpondit:* Pater non parum invidi obſcurarunt cum dixerunt. Accipite plumbum & argentum vivum candidum & regite ipſum rore & ſole, donec lapis fiat nummoſus. *Et ille:* æs noſtrum ſignificaverunt, & aquam noſtram permanentem quam tibi, coquite dixerunt leni igne, quæ illo igne cocta fit lapis nummoſus, de quo ſapientes dixerunt, quod natura naturâ lætatur, propter propinquitatem quam ſciunt exiſtere inter hæc duo corpora ſcilicet æs & aquam permanentem. Horum igitur duorum una eſt natura, inter quæ eſt propinquitas mixta, quæ ſi non eſſet, non tam velociter miſcerentur, & continerentur ad invicem ut unum forent. *Inquit Turba*: cur dicunt invidi, Accipite æs quod nunc fecimus, & quouſque factum eſt aurum aſſavimus.

Sermo Vigeſimus nonus.

DIAMEDES *ait*: jam dixiſti Moyſi non invidens quod oportet. Dicam ergo verba tua certifians, elementorum autem duritatem prætermittens, quam ſapientes auferre voluerunt, cum diſpoſitio hæc apud ſe precioſiſſima ſit. Scitote omnes doctrinæ hujus inveſtigatores, quod non exit ex homine niſi homo, nec ex brutis animalibus niſi ſimilia ſibi, nec ex volatilibus niſi ſibi ſimilia: compendioſo hæc tractavi modo, intendite, quoniam prolixitatem prætermittentes in verum vos erexi, quoniam natura naturâ ſcilicet non emendatur niſi ſua natura, quemadmodum & tu non emendaris, niſi in tuo filio, homo ſcilicet homine. Cavete igitur ne prætermittatis in ea præcepta, & venerabili utimini natura, ex ea namque fit ars non ex alia. Et ſcitote quod niſi eam capiatis & regatis nihil habebitis. Conjungite igitur maſculum, ſervi rubei filium, ſuæ odoriferæ uxori, quo peracto communiter artem gignunt, quibus nolite introducere alienum nec pulverem, nec ullam rem, ſufficiat ergo vobis conceptio, namque prope eſt, filius vero ea proprior. Quàm pretioſiſſima eſt rubei ſervi illius natura, ſine quo regimen conſtare non poteſt. *Inquit Bacſen.*: Hanc diſpoſitionem Diomedes palam aperuiſti *Reſp.* Etiam magis illuminabo. Heu vobis, non timetis Deum, ne hanc artem à vobis aufferat, cur fratribus veſtris invidi eſtis. *Reſpondérunt.* Non fugimus niſi ab inſipientibus. Dic ergo quid vis. *Et ille.* Introducite citrinum cum ſua uxore poſt conjugium in balneum, & non accendatis plurimum, ne ſenſu & motu priventur, ſubire facite balneum quouſque & corpus & color eorum unum quid fiant, & reddite ei ſudorem ſuum & iterum neci date, requiemque eis conſtituite, & cavere, ne fugetis eos comburendo in uno igne. Veneramini regem & uxorem ſuam, & nolite eos comburere, quoniam neſcitis, quando indigetis his, quæ regem & ſuam uxorem emendant. Coquite igitur eos benè donec nigri fiant, demum albi, demum rubri, demum tingens fiat venenum. Si intelligitis hujus ſcientiæ inveſtigatores, beati eſtis, ſin autem quod debeo perſolvi, & breviter, & ſi ignorantes eſtis Deus celavit autem à vobis veritatem. Nolite ergo ſapientes reprehendere, ſed vosmetipſos. Si enim in vobis Deus ſciret mentem fidelem, veritatem vobis intimaret. Ecce vos in illa erexi ac à falſo extraxi.

Sermo Trigeſimus.

BACSEN *ait:* bene dixiſti Diomedes, & non video demonſtraſſe poſteris corſufle diſpoſitionem. Invidi namque de corſufle multipliciter dixerunt, & quolibet nomine obſcuraverunt. *Et ille.* Dic ergo Bacſen, ſecundum opinionem tuam in his. Et juro per tuum patrem quod id eſt caput operis, hujus enim initium verum poſt completionem, ait Bacſen. Notifico igitur poſteris hujus artis inveſtigatoribus, quod corſufle eſt compoſita, & quod oportet ſepties aſſari, quod in perfectionem perveniens omne corpus tingit. *Turba autem Reſp.* verum dixiſti Bacſen.

Sermo Trigeſimus primus.

PYTHAGORAS *inquit:* qualiter videtur vobis tractatus Bacſen, qui prætermiſit eam ſuis fictis nominibus nominare. *Et illi.* Nomina eam Pythagora. *Et ille.* Cum ſit corſufle ſua compoſitio, omnium corporum nominibus mundi eam nominaverunt, nummi, vel æris, vel ſtanni, vel auri, vel ferri, vel plumbi nomine quouſque ab illo moveatur colore, & fiat ixir *Reſp. Turba:* benè dixiſti Pythagora: *Et ille*, bene dixi, dicant quidam alii ex vobis de reſiduis.

Sermo Trigeſimus ſecundus.

BONELLUS *ait*: jam omnia, à te Pythagora, moriuntur, & vivunt nutu Dei: propterea illa natura, cui humiditas adimitur, & per noctes dimittitur,

dimittitur, mortuo similis tunc videtur, tunc vertatur & per noctes dimittatur ut homo in suo tumulo & pulvis fiet. His peractis reddet ei Deus animam suam, & spiritum, ac infirmitate ablata, confortatur illa res, & post corruptionem emendatur, quemadmodum homo post resurrectionem fortior fit, & junior quam fuerat in hoc mundo. Ideo oportet vos doctrinæ filios, illam rem absque timore comburere, quousque cinis fiat. Et tunc scitote, quod optimè miscuistis. Eo quod cinis ille recipit spiritum, & illo imbuitur humore, donec vertatur in pulchriorem colorem quam prius fuerat. Inspicite ergo doctrinæ filii qualiter pictores suis pingere nequeunt tincturis, quousque in pulverem eas vertant, similiter & Philosophi, servis ægrotis medicinas componere nequeunt, quousque in pulverem eas vertant, quarum quædam coquuntur, quousque cinis fiant, quædam vero teruntur manibus. Similiter & illi qui majorum imagines componunt. Vos autem si prædicta intelligatis, scietis utique me verum dixisse. Ideo jussi vos corpus comburere, ac in cinerem vertere. Nam si subtiliter ipsum regatis, multa ab eo procedunt quemadmodum ab uniuscujusque minimo multum procedit. Et quod æs, ut homo, & corpus habet, & spiritum. Hominum enim inspiratio ex aëre est, qui ipsis post Deum vita. Similiter æs humore inspiratur, quo vim suspiciens multiplicatur illud æs, & augmentatur, ut cæteræ res. Ideo Philosophi aiunt quod æs comburitur, & iteratur multoties, fit melius quàm fuerat. *Resp. Turba* demonstra igitur Bonelle posteris qualiter fit melius quàm fuerat. *Et ille:* libenter eo quod augmentatur, & multiplicatur, & extrahit Deus ex uno plura, qui nihil creavit carens regimine, & ingeniis, quibus medendum est. Similiter æs nostrum, cùm prius coquitur aqua fit, demum quanto magis coquitur tanto magis spissatur, quousque lapis fiat quem tunc invidi nuncupant lapidem, ovum metallo imminentem. Postea frangitur, imbuitur, ac igne intensiore priore assatur quousque coloretur, & combustio fiat sanguini similis, tunc nummis imponitur, & tingit eos in aurum Deo annuente. Nonne videtis quod ex sanguine sperma non fit, nisi coquatur diligenter in epate, quousque intensum habeat ruborem, & si fiat nihil fit novum in illo spermate. Similiter opus nostrum nisi coquatur diligenter, quousque pulvis fiat, ac putrefactione sperma fiat spirituale, non exiet ex eo color quem investigastis. Si verò ad hunc regiminis terminum perveniatis, proposito habito, contemporaneorum vestrorum principes eritis.

Sermo Trigesimus tertius.

NICARUS *inquit:* Jam hoc arcanum publicum esse fecistis. *Respondit Turba*: Ita jussit magister. *Et ille:* Non tota tantum. *Et illi:* Jussit nos ipsum sua privare caligine, dic ergo & tu, *Et ille:* Jubeo posteros aurum accipere, quod volunt multiplicare & renovare, deinde aquam in duas partes dividere. *Et illi:* Distingue igitur cùm dividunt aquam. *Et ille:* Oportet illos altera parte æs nostrum comburere. Illud enim incidens illam aquam, fermentum dicitur auri si benè regatis. Ipsa namque similiter coquuntur & liquefiunt ut aqua, demum coquendo congelantur, ruunt, & rubor apparet. Tunc autem oportet vos residua aqua septies imbuere, quousque bibant totam aquam, ac toto humore deficcato, in terram vertuntur aridam, deinde accenso ponuntur igne 40. diebus quousque putrefiat, ejusque colores appareant.

Sermo Trigesimus quartus.

BACSEN *ait:* propter dicta tua, vitare Philosophi dixerunt. Accipite regalem corsufle, quæ æris rubigini similis est, & vituli urina terite, quousque corsufle natura convertatur, natura namque in ventre corsufle occulta est. *Turba ait:* Demonstra posteris qualis natura sit. *Et ille:* Spiritus tingens quem habuit ab aqua permanente, nunmoia ac coruscante. *Et illi:* Demonstra igitur qualiter extrahatur. *Et ille:* Teritur & aqua septies ei imponitur, donec totum bibat humorem, & recipiat vim imminentem igni, apud pugnam ignis, & tunc rubigo nuncupatur, ac diligenter putrefit quousque pulvis fiat spiritualis, colorem habens ut combusti sanguinis, quem ignis superans in naturæ ventrem volentem introduxit, ac invariabili colore coloravit. Hunc igitur reges quærentes non invenerunt, exceptis quibus Deus annuit. *Turba autem ait:* Perfice tua dicta Bacsen. *Et ille:* Præcipio illis, æs aqua dealbare candida, qua & rubeum faciunt. Et cavete ne alienum quid ei introducatis. *Et Turba:* bene dixisti Bacsen, & benè dixit Nictimerus: *Et ille:* Si bene dixi, dicat & quilibet vestrum.

Sermo Trigesimus quintus.

ZIMON *autem ait:* Numquid cuiquam dimisistis aliquid ad dicendum. *Et Turba:* Quoniam parum prosunt dicta Nicarii & Bacsen hujus artis investigatoribus, dic ergo quid scis, prout diximus. *Et ille:* Verum dicitis omnes hujus artis investigatores, nihil aliud vos in errorem introduxit quàm invidorum dicta, quia quod quæritis minimo venditur pretio, quod si ipsum noviſſent, & quantum manibus tenerent, nullo modo venderent. Ideo illud venenum Philosophi honoraverunt, ac variè & multipliciter de illo tractaverunt, omnibusque sumptis nuncupaverunt nominibus, quare quidam invidi dixerunt, est lapis & non lapis, verum gumma ascotiæ. Ideoque hujus vim Philosophi celaverunt. Hic enim spiritus quem quæritis, ut eo quodlibet tingatis, in corpore occultus est, & absconditus invisibilis, quemadmodum anima in humano corpore. Vos autem hujus artis investigatores, nisi corpus hoc diruatis, imbuatis, teratis ac parcè & diligenter, & regatis quousque à spissitudine sua extrahatis, & in tenuem spiritum & impalpabilem vertatis, in vanum laboratis, quare Philosophi dixerunt, nisi corpora vertatis in non corpora, & incorporea in corpora, nondum regulam operandi inveniſtis, *Turba autem ait:* Demonstra ergo posteris, quomodo corpora in non corpora vertuntur. *Et ille:* Igne & Ethelia terantur, quousque pulvis fiant. Et scitote quod non fit nisi fortissima decoctione, & contritione, & continuo igne non manibus, cum imbibitione, putrefactione, soli expositione & Etheliæ. In hac arte vulgus errare fecerunt cum dixerunt: quòd naturâ vilis est quæ parva re venundatur. Amplius dixerunt, naturam omnibus naturis esse pretiosiorem, quare in libris suis inspicientes fefellerunt, verum tamen dixerunt, nolite ergo dubitare in his, *Turba autem respondit:* Ex quo invidorum dictis credis demonstra igitur posteris duarum naturarum dispositionem. *Et ille:* Significo vobis, quod ars duabus eget naturis, non enim fit pretiosum absque vili, nec vile absque pretioso. Oportet vos ergo omnes hujus artis investigatores Nictimeri dicta sequi, cùm dixit suis discipulis: Nihil aliud

expedit

expedit vobis quam aquam & vaporem sublimare. *Et Turba :* Totum opus in vapore est & aquæ sublimatione. Demonstra igitur illis vaporis dispositionem. *Et ille :* Cùm videritis naturas aquam fieri ab ignis calore, & purificatas, totumque magnesiæ corpus, ut aquam liquefactum, tunc omnia vapor facta sunt. De jure autem vapor tunc suum continet par, quare invidi utrumque vaporem nominaverunt, eo quod similiter utrumque in decoctione junctum est, & unum alterum continuit: tunc cerva nostra ad fugiendum iter non invenit, quamvis sit ei fuga essentialis, continuit eam, quod fugere non dimisit, & locum fugiendi non invenit, & permanentia facta sunt, cùm enim incidit occulta in corpore: congelatur cum eo, & color ejus variatur, suamque naturam extrahit ingeniis; quæ Deus suis electis insinuavit, & mancipat ipsam ne fugiat. Nigredo vero & rubor apparet, ac in ægritudinem incidit, & in rubigine, & putrefactione moritur, de jure autem non habet tunc fugam, eo quod dimisit fugere servitutem, tunc cum libera sit, suum consequens còniugem & sinceras offert orationes, ut ejus color sibi suoque conjugi eveniat, & decor non quemadmodum fuerat, verum cum nummis imponitur, aurum eos facit. Hoc autem & spiritum & animam Philosophi vaporem appellaverunt. Item dixerunt ipsum nigrum humidum coinquinatione carentem, & quemadmodum in homine est humiditas & siccitas: Sic opus nostrum quod invidi celaverunt, nihil aliud est quàm vapor & aqua. *Resp. Turba :* Demonstrabo vaporem & aquam. *Et ille :* Dico opus ex duobus esse, invidi hoc duo composita nominaverunt, eo quod istæ duæ fiunt quatuor, in quibus siccitas & humiditas, spiritus & vapor. *Resp. Turba :* Optime dixisti ab invidia, deinde sequimini Zimonem.

Sermo Trigesimus sextus.

Aflonius Philosophus *ait :* Notifico vobis omnibus hujus artis investigatoribus, quod nisi sublimetis res in initio, coquendo absque manuum contritione, donec omnia aqua fiant, nondum opus inveniistis. Et scitote, quod vocant res, quandoque arenam, quandoque lapidem, quæ tota in regimine inveniunt. Sciatis tamen quod natura & humiditas fient aqua, deinde lapis, si bene complexionari faciatis, & naturas agnoscatis, eo quod est leve & spirituale, sursum sublimatur, quod verò ponderosum & spissum deorsum, in vase remanet. Hæc autem contritio Philosophorum est, eo quod id quod non sublimatur deorsum cadit, quod verò pulvis fit spiritualis, in vase sursum ascendit, hæc autem est contritio decoctionis, non manuum. Et scitote quod nisi omnia in pulverem vertatis, nondum ea contrivistis. Coquite igitur deinceps quousque convertantur, & pulvis fiant. Quare Agadimon ait, coquite æs, donec lene corpus fiat, & impalpabile, ac suo vasi imponite, deinde idem sexies vel septies sublimate donec aqua descendat. Et sciatis, quod cùm aqua fit diligenter contritum est. Si autem dicitis qualiter aqua pulvis fiat: Notandum est, quod intentio Philosophi est ut corpus, quod non erat aqua, antequam in aquam incidit, fiat aqua, & aqua aquæ alteri mixta est, ac una similiter sunt aqua. Intimandum est igitur, quod nisi quodlibet in aquam vertatis, ad opus non pervenietis. Oportet enim corpus flamma ignis occupatum ut diruatur & debile fiat cum aqua, in qua illud est donec totum aqua fiat. Insipientes autem aquam audientes putant eam nubis aquam esse. Si autem hos libros legissent, scirent utique esse aquam permanentem, quæ absque suo corpore, quod cum aqua dissolvunt, & facta sunt unum, permanens esse non potest. Hæc autem est aqua, quam Philosophi aquam auri nuncupaverunt, & igneum venenum, & bonum multorum nominum, quam atenam Hermes ablui jussit multoties, ut solis nigredo deleatur quam in eo suo corpore introduxit. Et scitote omnes hujus artis investigatores, quod nisi hoc corpus merum, id est æs nostrum capiatis, carens spiritu, quod vultis minimè videbitis, eo quod alienum quid ibi non ingreditur nisi sincerum Tenebrosorum igitur nominum omnes hujus artis investigatores pluralitatem dimittite, natura enim una est aqua, si quis errat perditum tendit, ac vitam amittit. Hanc igitur unam habeatis naturam, alienam verò dimittite.

Sermo Trigesimus septimus.

Bonellus *inquit :* Dicam aliquantulum de magnesia. *Resp. Turba :* Dic : *Et ille :* Omnes doctrinæ filii, magnesiam commiscentes suo vasi imponite, cujus os diligenter claudite, ac levi coquite igne, quousque liquefiant & omnia in suo vase aqua fiant. Aquæ namque calore ei eveniente, nutu Dei aqua fit. Videntes autem nigredinem illi aquæ imminere, scitote corpus jam liquefactum esse. Item suo vasi imponentes, 40. còquite diebus, quousque aceti & mellis bibat humorem. Quidam autem detegunt ipsum, in quibuslibet septem transactis noctibus, semel vel 10. noctibus, in quibus mera videtur aqua, vel 40. dierum perfectione: tunc enim bibit humorem decoctionis. Igitur abluite ipsum & private nigredine, quousque ablata nigredine lapis fiat tactu siccus. Dixerunt invidi, abluite magnesiam aqua dulci, & diligenter coquite, quousque terra fiat ac humor pereat. Tunc æs ipsum nuncupate, eique acerrimum acetum imponite, ipsoque imbui dimittite. Hoc autem est nostrum æs, quod aqua ablui permanente Philosophi jussêre, quare dixerunt: Dividatur venenum in duas partes, quarum altera corpus comburite, altera verò putrefacite. Et scitote omnes scientiæ hujus investigatores, quod totum opus & regimen non sit nisi aqua: cùm dicunt rem quam quæritis unam esse, & nisi sit in illa re quod ipsum emendet, quod quæritis non fiet. Oportet igitur vos ei imponere necessaria, ut ex ea attingatis propositum. *Respondit Turba:* Optime dixisti Bonelle, si placet igitur, tua perfice dicta, sin autem secundò reitera deinceps *Et ille :* Et ista reiterabo & similia? Omnes hujus artis investigatores accipite æs nostrum, & cum prima parte suo imponite vasi, & coquite 40. diebus, ac ab omni immunditia mundate, & coquite, donec peragatur dies ejus, & lapis fiat humore carens. Deinde coquite quousque non restet nisi sex. Hoc peracto, mundate septies, abluite aqua, finita verò aqua dimittite ipsum putrefieri in suo vase, quousque desiderabile vobis appareat propositum. Vocaverunt autem invidi hanc compositionem, cùm in nigredinem versa est, *satis nigrum*, & dixerunt, regite ipsam aceto, & nitro. Quod verò remansit cùm dealbatum est, *satis album* dixerunt, & jusserunt ut aqua regatur permanente, vocantes verò ipsum *satis rubrum*, jusserunt, ut aqua & igne regatur, donec rubeum fiat. *Respondit Turba:* Demonstra posteris quid his significaverunt. *Et ille :* Vocaverunt ixir satis propter suorum colorum

colorum variationem. In opere autem non multa introibunt, illud vero est quod signavi, nigrum facere album, & rubeum: veridici autem philosophi nullam aliam intentionem habuerunt, nisi ixir liquefacere, conterere, & coquere, quousque lapis fiat marmori similis suo splendore. Ideo iterum invidi dixerunt, coquite ipsum vapore, donec lapis fiat coruscans splendorem habens. Vobis autem hoc modo ipsum videntibus, maximum fit arcanum. Oportet tamen vos deinde ipsum conterere, & aqua abluere septies permanente, demum terere & in sua aqua congelare, quousque suam extrahatis naturam in eo occultam. Quare *inquit Maria*, sulphuribus continentur, humor vero simili humore, & ex sulphure sulphuri mixto nimium fert opus. Iubeo autem vos ipsum rore & sole regere, quousque propositum vobis appareat. Significo etiam vobis, quod dealbare duplex est & rubeum facere, quorum alterum in rubigine, alterum in contritione, & decoctione. Manuum autem contritione non indigetis. Cavete tamen, ne ab aquis separari faciatis, ne ad vos venena perveniant, ac corpus & alia, quæ in vase sunt, pereant.

Sermo Trigesimus octavus.

EFFISTVS *ait*: Optime dixisti, Bonelle, dico tota dicta tua certificans. *Ait Turba*, dic: Si est subsidium dictis Bonelli, & ut introducti in hac dispositione, sint audaciores, & certiores. *Inquit Effistus*: Inspicite omnes hujus artis investigatores, qualiter dixit Hermes caput philosophorum, & demonstravit, cum naturas miscere voluit. Accipite lapidem auri, & humori commiscete, qui est aqua permanens, suoque vasi imponite, supra levem calorem, quousque liquefiat. Deinde dimittite quousque arefcat aqua, & se invicem contineant, ipso autem aqua imbuto, sit ignis intensior, quàm prius fuerat, quousque arescat & terra fiat. Hoc autem peracto scitote hoc esse arcani initium, hoc vero multoties facite, quousque pereant aquæ partes, ejusque colores vobis appareant. *Respondit Turba*: Optime dixisti, Efiste, breviter tamen dic ergo. *Et ille*: Significo posteris, quod dealbatio non fit nisi decoctione. Ideoque Agadimon de coquendo Etheliæ & terendo, & imbuendo frequentissimè tractavit. Iubeo tamen non simul aquam fundere, ne ixir submergatur, verum paulatim infundite, terite & desiccate, & sic multoties facite, donec finiatur aqua. Hoc aurem invidi dixerunt, aqua finita dimittite ipsum, & fiet deorsum. Eorum autem intentio hæc est, arescente humore, & in pulverem verso in suo vitreo vase 40. diebus ipsum dimittite, donec varios colores trāsmutat, quos philosophi descripserunt. Hoc igitur coquendi modo, corpora suos vestiunt spiritus, & spiritualia tingentia, ac calida fiunt. *Respondit Turba*: Illuminasti, Efiste, & optime quidem fecisti, & liber factus es ab invidia, dicat ergo quilibet vestrum, quod sibi placet.

Sermo Trigesimus nonus.

BACSEN *inquit*: Omnes hujus artis investigatores, non potestis ad utilitatem pervenire, absque prolixo animo & regimine continuo. Qui ergò libens patientia fruitur in hac dispositione, ingrediatur in eam, qui verò citius cupit percipere in libris nostris non inspiciat, quoniam magnam inferunt injuriam, antequam altioribus intelligatur, semel bis, vel ter. Ideoque magister ait: Qui curvat dorsum suum in libris nostris legendis, cisque vacat, & non est vanis implicitus cogitationibus, Deumque precatur, in regno regnabit indeficienter quousque morietur. Quod enim quæritis non est parvi pretii. Heu vobis, vos qui quæritis thesaurum Dei maximum & remuneratum. Nonne scitis, quod pro minimo mundi proposito mundani se invicem neci dant, quid ergo agerent pro hac excellentissima oblatione impossibili ferè. Regimen enim majus quam quod ratione percipitur, nisi divina inspiratione. Vidi enim tempore qui elementa sciebant, quemadmodum & ego: deinde incedens hanc rexit dispositionem, ad cujus lætitiam non pervenit propter suam tristitiam, & inscientiam in regendo, ac impatientiam, nimiamque cupiditatem, & festinationem ad propositum. Heu vobis doctrinæ filii. Quilibet namque arbores inserens non sperat fructus habere, nisi post tempus, ac semina seminans non sperat metere, nisi post messes. Qualiter ergò vultis hanc habere oblationem lecto semel libro vel primo regimine experto. Philosophi autem jam intimantes dixerunt, quod rectum non discernitur nisi errore, & nihil magis dolorem generat cordi quàm error in hac arte, dum quis putat se ferè mundum habere, & nihil in manibus suis invenit. Heu vobis, intelligite dictum philosophi, & qualiter opus divisit, cum dixit, tere, coque, reitera, & ne tædeat te. In hoc autem divisit opus, commiscere scilicet, coquere, similare, assare, calefacere, dealbare, terere, coquere Etheliam & rubiginem facere ac tingere. Hic igitur plura nomina sunt, quorum regimen unum est. Et si scirent, quod una decoctio & contritio sibi sufficeret, non tantum eorum dicta reiterarent, quod id fecerunt, ut teratur compositum & coquatur jugiter, & monuerunt, ne vos illius tædeat, cum quibus dictis vobis obscuraverunt, mihi autem sufficeret dicere simile. Si verò veritatem veneni prout oportet complexionem aptate, deinde multipliciter coquite, ne tædeat vos decoctionis. Imbuite quousque fiat, quod à vobis regi jussi, spiritus impalpabiles, & videatis ixir vestimento regni vestitum. Videntibus namque vobis ixir in tyrium versum colorem, inveniistis quod philosophi ante vos invenerunt. Si verba mea intelligatis, & quamvis sermo meus sit mortuus, inest tamen ei vita intelligentibus se, & statim aperit de ambiguitate eis in eo accidente. Iteratò igitur frequenter legite, legere namque sermo mortuus est, labiis verò proferre, sermo vivus. Ideo jussimus vos frequenter legere, & super his quæ narravimus plurimum meditari.

Sermo Quadragesimus.

IARGUS *inquit*: Tractatus tui, Bacsen, portionem obscuram disposuisti. *Et ille*: Dic ergo, Iargos, tuæ benignitate. *Iargos autem ait*: Æs quod prædixisti non est æs, nec stannum vulgi; verum opus est nostrum, quod oportet corpori Magnesiæ commisceri, ut coquatur, & teratur absque tædio quousque lapis fiat. Deinde lapis ille in suo vase teratur aquæ nitri. Deinde in liquefaciendo ponite, donec diruatur. Habere autem oportet vos omnes hujus artis investigatores, aquam, qua quantò magis coquitis, tantò magis spargitis, quousque rubiginem habeat æs illud, quod operis est nostri, coquite igitur ac Ægyptiaco terite aceto.

Sermo Quadragesimus primus.

ZIMON *inquit*: Quicquid dixisti, Iargos, verum est, non video tamen omnem Turbam dixisse rotundum & narrásse. *Et ille*. Dic igitur de illo, prout opinaris, Zimon. Significo posteris quod rotundum in quatuor elementa

vertitur, & ex una re eſt. *Reſp. Turba:* Ex quo dicis, hoc pone igitur poſteris: modum regendi. *Et ille*: Libenter, oportet ex ære noſtro partem accipi, ex aqua verò permanentes tres partes, demum commiſceantur & coquantur, quousque ſpiſſentur, & unus fiant lapis, de quo invidi dixerunt: Accipite de ſincero corpore partem, ex ære verò magneſiæ tres partes, deinde commiſcete aceto, recto maſculo terræ miſceto, & cooperi vas, & obſervaquod in eo eſt, & continuò coquite quousque tetra fiat.

Sermo Quadrageſimus ſecundus.

ASTANIUS *ait*: Nimius ſermo, omnes doctrinæ filii, intellectum hunc in errore augmentat. Cum autem legitis in libris philoſophorum, quod natura una tantũ eſt quæ & omnia ſuperat: Scitote quod unum & una compoſita ſunt. Nonne videtis hominis complexionem ex anima & corpore fieri, ſic & oportet vos conjungere, eo quod philoſophi cum res paraverunt, ac conjuges ex ſe coadamantes conjunxerunt, aſcendit ex eis aqua aurea. *Reſpondit Turba*: Dum de priore tractabas opere, ecce verſus es in alterum opus, quàm ambiguum conſtituiſti librum tuum, & tua verba tenebroſa. *Et illi*: Ego perficiam alterius operis diſpoſitionem. *Et illi*: age, *Et ille:* Irritate bellum inter æs & argentum vivum, quoniam peritum tendunt & corrumpuntur prius, eo quod æs argentum concipiens vivum coagulat, ipſum argentum vero vivum concipiens æs congelatur, interea igitur pugnam irritate, ejusque corpus diruite, donec pulvis fiat. Maſculum vero fœminæ, quæ vapore & argento vivo conjungite quouſque maſculus & fæmina fiant Ethel, qui enim eos per Ethel in ſpiritum vertit, deinde rubeos facit, omne corpus tingit, eo quod cum corpus diligenter coquendo teritis, mundam ex eo animam ſpiritualem ac ſublimem extrahitis, quod omne corpus tingit. *Reſpondit Turba*: Demonſtra igitur poſteris, quod eſt illud corpus. *Et ille:* Eſt ſulphureum naturale, quod omnibus corporum nuncupatur nominibus.

Sermo Quadrageſimus tertius.

DARDARIS *ait*: De regimine frequentiſſimè tractãſtis, & conjunctionem introduxiſtis, poſteris tamen ſignifico, quod non poſſunt jam occultam extrahere animam, niſi per Ethelias qua corpora non corpora fiunt coquendo continuatione, ac Ethelias ſublimatione. Et ſcitote quod argentum vivum eſt igneum omne corpus comburens, magis quam ignis, & corpora mortificans, & quod omne corpus quod ei miſcetur, teritur & necidatur. Corporibus igitur diligenter contritis, & ex eo prout oportet exaltatis, fit illud Ethel natura: & color non fugiens & tingens, & tingit æs quod Turba dixit non tingere quouſque tingatur, quod tinctum exiſtens tingit. Et ſcitote, quod æris corpus magneſiæ regitur, & quod argentum vivum eſt quatuor corpora, & quod res non habet eſſe niſi humiditate, eo quod eſt ſulphuris aqua, ſulphura namque ſulphuribus continentur. *Inquit, Turba* Dardaris, demonſtra poſteris quid ſunt ſulphura. *Et ille:* Sulphura ſunt animæ quæ in quatuor fuerunt occultæ corporibus, quæ parcè extractæ, ſe invicem continuerunt naturaliter & tinxerunt. Si enim occultum in ventre ſulphuris aqua regatis, & benè mundetis occultum, ſuæ obvians naturæ lætatur, & aqua ſimiliter tunc ſuo pari. Et ſcitote quod quatuor corpora non tinguntur, verùm tingunt. *Et Turba*: Qualiter non dicis more antiquorum, quod cum tinguntur, tingunt. *Et ille*: Dico quod quatuor vulgi nummi, non tinguntur, verum tingunt æs, tincto autem illo ære tingit nummos vulgi.

Sermo Quadrageſimus quartus.

MOYSES *inquit*: Hoc unum quod narraſti Dardaris multis Philoſophi nuncupaverunt nominibus, quandoque duobus quandoque vero tribus. *Reſpond. Dardaris*: Nomina igitur Moiſes poſteris ipſum ablata invidia. *Et ille:* Vnum quid eſt igneum, duo vero corpus in eo compoſitum, tria quoq; aqua ſulphuris, qua & abluitur & regitur quouſque peragatur. Nonne videtis quod philoſophus ait, quod argentum vivum, quod tingit aurum, eſt argentum vivum cambar. *Reſp. Dardaris:* Qualiter hoc dicis. Quoniam Philoſophus ait, quandoque eſt cambar quandoque ex auripigmento. *Et ille*: Arg. auripigmenti viv. Cambar eſt magneſiæ, argentum vero vivum, eſt ſulphur aſcendens de compoſito mixto. Oportet igitur vos illud ſpiſſum veneno igneo commiſcere, & putrefacere ac diligenter terere, quouſque ſpiritus fiat in altero ſpiritu occultus, tunc fit tinctura omnibus quæ vultis.

Sermo Quadrageſimus quintus.

PLATO *autem ait*: Oportet vos omnes, Magiſtri, cum iſta diſſolvuntur corpora, cavere ne comburantur, ac oportet abluere aqua marina, quouſque totum eorum ſal in dulcorem vertatur, clareſcat, & tingat, fiatque tinctura æris, ac fugam dimittat. Eo quod oportet alterũ tingens fieri, alterum verò tingendũ, ſpiritus namq; à corpore ſeparatus, in altero ſpiritu occultus factus eſt uterque fugiens quoniam ſapientes dixere fugæ januam reſeraſſe non fugienti, cujus fuga mors excitatur, convertens namque ſulphureum in ſpiritum ſibi ſimilẽ factus eſt uterque fugiens, eo quod facti ſunt aërei ſpir. in aëra ſcãdere diligẽtes, videntes philoſophi quod id quod nõ fugiebat, cum fugientibus fugiens factũ eſt, reiteraverunt ea ad ſimile corpus non fugientibus, & intulerunt in ipſum à fugere minimè potuerunt. Ad corpus enim ſimile corporibus, à quibus extracta, ipſa reiteraverunt, & peracta ſunt. Quod autem philoſophus ait: quod tingens & tingendum una tinctura facta ſunt, ſpiritus ille eſt humidus, in altero ſpiritus occultus. Et ſcitote, quod humidorum alter eſt frigidus, alter verò calidus, qui omnia eſt, qui quamvis ſit frigidus humidus, inconveniens tamen eſt calido atq; conveniens. Ideo autem prætulimus incorporea corporibus, quod his corpora regimus: Ideoque corpora non fugientia incorporeis prætulimus, quia fugientibus conjunguntur, quia in nullo corpore poſſunt fieri his exceptis. Spiritus namque omnimodè corpora fugiunt, fugientia autem ab incorporeis continentur. Incorporea igitur ſimiliter corpora fugiunt, quæ igitur non fugiunt, meliora ſunt & pretioſiora omnibus corporibus. His igitur peractis, accipite ea quæ non fugiunt, & jungite, & abluite corpus incorporeo, & corporeum corpore carenti, quouſque vertatis ipſum in corpus corporibus non fugientibus, & vertite terram in aquam, aquam in ignem, ignem verò in aërem, & celate ingnem in intimis aquæ, terram vero in aëris ventre, ac calidum miſcete humido, ſiccum vero frigido. Et ſcitote, quod natura naturam ſuperat, natura naturâ gaudet natura naturam continet.

Sermo Quadrageſimus ſextus.

ATTAMVS *inquit*: Notandum quod omnis Turba Philoſophorum de rubigine frequentiſſimè tractave-

tractaverunt. Rubigo autem sumptum nomen est verum. *Resp. Turba:* Nomina igitur rubiginem vero nomine, non enim hoc vituperandum est. *Et ille:* Rubigo est secundum opus quod ex auro solo fit. *Respondit Turba:* Cur ergo vocaverunt eam Philosophi hirundineam? *Respondit ille:* Eo quod aqua in sulphureo auro celatur, quemadmodum hirundo in aquam, rubigo igitur est rubeum facere, rubiginem autem facere, est dealbare in priori opere, quo philosophi iusserunt poni & auri florem & auri æqualiter.

Sermo Quadragesimus septimus.

MUNDUS *ait:* de rubigine, Atame, jam tractâsti. Dicam igitur de veneno posteros docens quod venenum non est corpus, eo quod subtiles spiritus, tenuem spiritum ipsum esse fecerunt. Tinxit corpus ac vertit in venenum, quod scilicet venenum philosophus asserit omne corpus tingere. Prisci autem opinantur philosophi, quod qui aurum in venenum vertit, ipse ad propositum jam pervenit; qui verò hoc non potest, in nihilo se habet. Dico autem vobis omnibus doctrinæ filiis quod nisi res igne attenuaveritis, quousq; illæ res ut spiritus ascendant, in nihilo vos habebitis. Hic igitur est spiritus ignem fugiens & fumus ponderosus, quo corpus ingrediente corpus lætatur. Omnes philosophi dixerunt. Accipite spiritum nigrum & unientem, & eo corpora diruite, & cruciate, quousque alterantur.

Sermo Quadragesimus octavus.

PYTHAGORAS *ait*: Intimandum est hujus artis omnes investigatores, quod philosophi de * contignatione multipliciter tractaverunt. Iubeo autem vos ut argentum vivum corpus magnesiæ constringere faciatis, vel corpus Kuhul, vel sputum lunæ, vel sulphur incombustibile, vel calcem assatam, vel alumen quod est ex pomis velut scitis. Si autem cuilibet istorum esset regimen singulare, non diceret philosophus, velut scitis. Intelligite igitur quod sulphur & calx, & alumen quod est ex pomis, & Kuhul omnia hæc nihil aliud sunt, quam aqua sulphuris. Et scitote quod magnesia cum argento vivo miscetur, & sulphuri se invicem consequuntur. Non igitur oportet vos illam * dimittere magnesiam, absque argento vivo, cum enim componitur, fortissima compositio nominatur, quæ est una de x. quæ philosophi regimina constituerunt. Et scitote quod magnesia cum argento vivo dealbatur. Oportet vos in ea albam congelare aquamque rubeam congelare, namque, quod philosophi in suis narraverunt libris, non est unum. Prima igitur congelatio stanni fit & æris plumbo. Secunda verò aqua sulphuris componitur. Nonnulli autem hunc librum legentes putant quod hæc compositio emitur. Sciendum est utique quod nihil operis emitur, & quod nihil aliud est hujus artis scientia, quam vapor & aquæ sublimatio, argenti vivi quoque magnesiæ corpore conjunctio, ante hoc autem philosophi in libris suis demonstravere, quod sulphuris immunda aqua ex solo est sulphure, & nullum sulphur sit absque suæ calcis, arg. vivi & sulphuris aqua.

Sermo quadragesimus Nonus,

BELVS *inquit*, de compositione omnes philosophi, & contactu, non parum tractâstis, compositio autem contactus & congelatio unum quid sunt. Accipite igitur ex altera compositione partē & partem ex auri fermento, ejusque mundam sulphuris aquam imponite. Hoc igitur est patens arcanum, quod omnes corpus tingit. *Respondit Pythagoras*; cur, Bele, patens arcanum ipsum nuncupasti, nec ejus opus demonstrâsti? *Et ille*: Sic in libris nostris Magister ipsum invenimus quos ab antiquis habuisti. *Et Pythagoras*. Ideo vos congregavi ut eorum, quæ in ullis sunt libris, tenebras auferatis, *Et ille*, libenter magister. Notandum est quod aqua munda, quæ ex sulphure est, non est ex solo sulphure, verum ex pluribus composita, quæ unum sulphur facta est ex pluribus sulphuribus. Qualiter tum magister me oportet ea componere quousque unum fiant? *Et ille* misce, Bele, pugnans in igne non pugnanti, conjuncta namque in igne eis convenienti præliantur, eo quod calida medicorum venena leni igne coquuntur incomburente. Nonne videtis qualiter ajebant philosophi in decoctione, quod parum sulphuris multa comburit fortia. Humores autem qui dicti sunt humida pix & balsamus & gummæ & similia. Ideò philosophi medicis similes tacti sunt, & quamvis medicorum proba intentior philosopho. *Respondit Turba*, utinam demonstrares &, Bele, hujus patentis arcani dispositionem. *Et ille*. Notifico posteris, quo l hoc arcanum ex duabus processit compositionibus, sulphure scilicet & magnesiâ, philosophi autem, postquam mixtum est, & in unum rejunctum est, aquam nominaverunt & sputum poletorum, ac spissum aurum. Omnibus autem in arg. viv. versis, sulphuris aquam nominant, sulphur quoque cum sulphur continet, dicunt igneum esse venenum, quod est patens arcanum quod ascendit ab his quæ nostis.

Sermo Quinquagesimus.

PANDOLFUS *inquit*, si aquæ sulphuris sublimationem, Bele, narraveris posteris optimum quid ages: *Et Turba*, Demonstra igitur hanc, Pandolfe. *Et ille* philosophi jusserunt ut argentum vivum ex cambar capiatur, & verum dixerunt, in hoc tamen sermone, est aliquantulum ambiguitatis, cujus tenebras à nobis auferam, quod argent. vivum in tabernaculis sublimetis, & ex cambar argentum vivum accipiatis. Cambar autem est alter in sulphure, quæ Belus vobis demonstravit, quoniam à sulphure, sulphuri mixto, multa opera procedunt. Eo autem à vobis sublimato procedit argentum vivum à Cambar quod Etheliæ auripigmenti, arg. vivum senderich, arg. vivum absemech magnesiæ Kuhul ac omnium à natura sua trâsformatorum arg. vivum philosophi dixerunt. Eo quod natura in suo ventre erat occulta. Recto autem dico illo quod est omnia quod omnium decem vel 4. est perfectio suo regimine ei conveniente, ejus alba apparuit natura, & inhibuit, ne in eo umbra appareret, invidi autem plumbum ex Ebmich, magnesia, marteck, & æs album ipsum nuncupaverunt. Dealbatum est enim æs & factum est umbra carens, eò quod illud æs sua nigredine privatum est, suaque spissa corpora & ponderosa, nullum corpus penetrantia dimisit, & cum eo mundus spiritus humidus, qui spiritus tinctura. Ideoque sapientes dixerunt æs & animam corpus habere, anima autem ejus est spiritus, corpus verò ejus spissum. Ideò igitur oportet vos spissum diruere corpus, quòusque ejus spiritum extrahatis ex eo tingentem, extractum quoque ex eo spiritum levi sulphure miscete unde vobis investigatoribus peragitur propositum.

Sermo quinquagesimus primus.

HORFOLCOS *ait*, nihil aliud, Pandolfe, narrasti quàm ultimum hujus corporis regimen

* *Videtur legendum De contactu seu conjunctione. Nam sequitur infra mentio de contactu.*
* *M. S, contingere. Mendum manuscripti.*

ambiguam igitur composuisti descriptionem lectoribus: Si autem ejus regimen inciperetur, ejus tenebras destrueres *Inquit Turba:* Dic ergò de hoc posteris quantumque placet. *Et ille.* Oportet vos hujus artis investigatores prius leni igne æs comburere, sicuti ovorum nutritione. Oportet enim ipsum comburere humiditate, ne ejus spiritus comburatur, & sit vas clausum undique, ut ejus color augeatur, ærisque corpus diruatur, eiusque tingens spiritus extrahatur de quo invidi dixerunt: Accipite argentum vivum ex æris flore, quod & æris nostri aquam nuncupaverunt, & igneum venenum ac ab omnibus extractum, quod & Etheliæ ex pluribus extractum rebus dixerunt. Amplius quidam dixerunt, quod omnia cum unum quid fiant, corpora incorporea facta sunt, incorporea verò corpora. Et scitote omnes huius artis investigatores, quod omne corpus dissolvitur cum spiritu cui mixtum est, cui procul dubio, simile fit spirituali, & quod omnis spiritus à corporibus alteratur & coloratur cui spirituum color tingens, ac contra ignem constans sit. Benedictum igitur sit nomen ejus qui sapientibus inspiravit, corpus in spiritum vertere vim & colorem inalterabilem habentem, & incorruptibilem, & quod prius erat sulphur fugiens, nunc autem factum est sulphur non fugiens nec combustibile. Et scitote, omnes doctrinæ filii, quod qui vestrum potest spiritum fugientem rubeum facere, corpore ei mixto, demum ex illo corpore & illo spiritu, suam tenuem naturam in suo ventre occultam, subtilissimo regimine extrahere, si patiens est in patiendi prolixitate omne corpus tingit. Quare invidi dixerunt: Scitote quod ex ære, postquam sua humectatur humiditate, & sua teritur aqua, ac sulphure coquitur, si corpus extrahatis Etheliæ habens invenietis, quod omnium conveniens tincturæ: propter quod invidi dixerunt, quod rebus igne diligenter contritis, & Etheliæ sublimatis fiunt tincturæ fixæ. Quicquid autem in libris hujus verborum invenietis, argentum vivum significat, quod sulphuris aquam nuncupamus, quandoque nummum autem dicunt esse plumbum, & æs, & nummum copulatum.

Sermo quinquagesimus secundus.

IXUMDRUS *ait:* jam tractâsti, Horsolce, de æris & spiritus humidi regimine optimè, continuò si perficias. *Et ille.* Perfice igitur quod dimisi, Ixundre. *Et Ixundrus:* sciendum est quod Etheliæ hæc quam prædixisti & notificâsti, quam invidi multis nuncupaverunt nominibus, cum dealbatur albificat, & tingit, tunc verè eam dixerunt philosophi auri florem, eò quod naturale quid: Nonne videtis quod philosophi dixerunt antequam ad hunc terminum pervenitur, quod æs non tingit; cum tantùm tingitur, tingit, eò quod argentum vivum, cum suæ miscetur tincturæ, tingit. Cum verò his decem miscetur rebus, quas philosophi urinas fermentatas nuncupaverunt, tunc autem hæc omnia multiplicationem nuncupaverunt. Nonnulli autem eorum mixta corpora corsusle, & collam auri dixerunt. Hæc igitur nomina quæ in philosophorum libris inveniuntur, quæ superflua & vana esse putantur, vera sunt, ficta tamen sunt, eo quod unum sunt una opinio, & unum iter. Hoc est argentum vivum quod ex omnibus quidem extractum est, ex quo omnia fiunt, quod est aqua munda, quæ æris Vmbram delet. Et scitote quod hoc argentum vivum, cum dealbatur, fit sulphur quod sulphur continetur, & est venenum, quod marmorum splendori simile est, quod invidi Etheliæ vocant, & auripigmentum, & Sanderich. tinctura, ex quo mundus spiritus leni igne ascendit, & omnis mundus flos sublimatur, quod totum fit argentum vivum. Hoc igitur est maximum arcanum, quod philosophi narraverunt, quod solum sulphur æs dealbat. Intimandum est autem vobis hujus artis investigatoribus, quod illud sulphur non potuit æs dealbare, quousque in opere fuerat dealbatum. Et scitote quod hujus sulphuris mos est fugere, cum igitur sua spissa fugit corpora, & ut vapor sublimatur, tunc oportet vos alio argento vivo sui generis ipsum continere, ne fugiat. Quare philosophi dixerunt sulphura sulphuribus continentur. Amplius scitote, quod sulphura tingunt, deindè fugiunt procul dubio, nisi argento vivo sui generis juncta sint, non putetis igitur quod tingit, demum fugit, nummum esse vulgi, verum philosophorum intentio est nummus philosophorum qui nisi albo vel rubeo misceatur, quod est argentum vivum sui generis, procul dubio fugeret. Jubeo autem vos argentum vivum, argento vivo miscere, quousque una aqua munda fiant ex duobus composita. Hoc igitur est magnum arcanum: cujus confectio est sua gumma, & floribus cum leni coctum est igne, & terris, & mucra rubeum factum est, & aceto sale Nitro, & mutal in rubiginem versum est vel quolibet electorum tingentium, in nummo nostro existentium.

Sermo Quinquagesimus tertius.

EXUMENUS *inquit:* invidi totam artem hanc nominum multiplicitate vastaverunt: totum autem opus nummi artem esse oportet. Philosophi namque jusserunt hujus artis Doctores, aurum nummosum facere, quod omnibus Philosophi nuncupaverunt nominibus. *Respond. Turba* Narra igitur posteris, Exumene, aliquantulum nominum illorum, ut sibi caveant. *Et ille.* Nominaverunt ipsum salire, sublimare, abluere, terere Etheliæ, dealbare igne, vaporem crebrò coquere & coagulare, in rubiginem vertere: Ethel conficere, ars aquæ sulphuris, & coagula, his omnibus nuncupatum est opus quod æs contrivit & dealbavit. Et scitote quod argent. vivum apud visum album est, cum autem sulphuris fumo occupatur, rubescit & fit cambar. Ideò cum argent. vivum coquitur cum suis confectionibus in rubeum vertitur, quare Philosophus ait, quod plumbi natura velociter convertitur. Nonne videtis quod philosophi invidia carentes dixerunt. Ideo de contritione & reiteratione multipliciter tractamus, ut spiritus in vase existentes extrahatis, quos ignis comburere continue non desistebat. Aqua vero cum illis posita rebus prohibuit, ne ignis combureretur, & factæ sunt illæ res, quanto magis ignis flamma occupantur, tanto magis in aquæ intimis abscõduntur, ne ignis calore læderentur, aqua autem in suo ventre eas recipit, & ignis flammam ab eis repulit. *Respondit Turba,* nisi corpora incorporea faciatis in nihilo estis. De aquæ autem sublimatione non parum philosophi tractaverunt. Et scitote quòd nisi res igne diligentius conteratis. Ethelia non scandit. Ea enim non scandente in nihilo estis, nam cũ ascendit, propositæ, qua tingitis, tincturæ instrumentum fit, pro qua Ethelia Hermes ait. Cribrate res, quidam vero aliud ait, liquefacite res. Item Arras ait, nisi res igne diligentius conteratis Ethelia non ascendit. Magister autem verbum protulit quod ratiocinantibus nunc èxponam. Scitote quod plurimus meridiei ventus cum concitatur nubes sublimat, & maris vapores elevat. *Resp. Turba,* obscure tractasti. *Et ille:* Ego exponam testam, & vas, in quo est

sulphur

sulphur incombustibile. Jubeo autem vos argent. vivum congelare fluxibile, ex plu. ibus rebus, ut duo tria fiant, & quatuor unum, & duo unum.

Sermo Quinquagesimus quartus.

ANAXAGORAS *inquit*. Accipite combustum fugiens, corpore carens & ipsum incorporate, deinde accipite ponderosum fumum habens, adhibendum sitiens. *Resp. Turba*, quæ obscuritas est hæc Anaxagora, expone quod dicis, & cave ne sis invidus *Et ille*. Notifico vobis, quod hoc sitiens Etheliæ est, quæ pendente sulphure cocta est. Vitreo igitur ea vasi imponite, & coquite, quousque cambar fiat. Tunc vobis Deus peragit hoc, quod quæritis arcanum. Iubeo autem vos continue coquere, & iterare, ne vos tædeat. Et scitote quod operis hujus perfectio est aquæ sulphuris cum tabula confectio, denum coquitur quousque rubigo fiat. Nam omnes Philosophi dixerunt: Qui potest aurum in rubiginem vertere venenum proposítum jam invenit. Qui vero minime in nihilo se habet.

Sermo quinquagesimus quintus.

ZENON *inquit*, Pythagoras de aqua jam tractavit, quam invidi omnibus nuncupaverunt nominibus. Demum in fine sui libri de auri fermento tractavit, jubens ut eis sulphuris aqua munda imponatur, & aliquantulum suæ gummæ. Miror universa Turba, qualiter invidi in hoc tractatu operis perfectionem prius, quam initium, narraverunt. *Resp. Turba*: cur ergo putrefacere dimisisti? *Et ille*. Verum dixistis, putrefactio non fit absque sicco & humido, vulgus autem humido putrefecit, humidum utique sicco tantum coagulatur. Et ex utroque tamen initium est operis. Quamvis invidi hoc opus in tres diviserunt partes, asserentes, quod unum citius fugit, alterum vero fixum & immobile.

Sermo quinquagesimus septimus.

CONSTANS *ait*, quid vobis de invidorum tractatibus: Dico enim quod necesse est hoc opus 4. habere: *Responderunt*. Demonstra igitur quæ sunt ista quatuor. *Et ille*: Terra, aqua, aër & ignis. Hæc igitur quatuor habetis elementa, sine quibus nil unquam generatur. Siccum igitur humido miscete quæ sunt terra & aqua, ac igne & aëre coquite unde spiritus & anima deficcantur. Et scitote, quod tenue tingens sumit vim ex tenui terræ parte: ex tenui ignis & aëris parte, aquæ parte, spiritus tenuis deficcatus est. Infer igitur has partes in ipsum, eo quod operis nostri vis in terram vertitur, cum istarum rerum subtilia fiunt, eo quod corpus fit tunc tenue quid aereum, & tunc nummorum corpus impositum tingit. Cavete igitur omnes hujus artis investigatores, ne res multiplicetis. Invidi namque multiplicaverunt, & vobis devastaverunt, varia quoque regimina descripsere ut fallerent, humidum etiam omni humido, siccumque omni sicco, omnique lapide, & metallo, ac felle animalium, maris, & volatilium cœli, ac terræ reptilium nuncupaverunt. Vobis autem tincturam volentibus, notandum, quod corpora corporibus tinguntur. Dico tamen vobis quod Philosophus breviter dixit, & verum quidem cum dixit, in initio sui libri. In arte auri est argentum vivum de cumbar & in nummis est argentum vivum de masculo. In nihilo autem præter hoc inspicite, quoniam duo sunt argenta viva verum etiam unum.

Sermo quinquagesimus septimus.

ACRATUS *ait*, significo posteris, quod soli & lunæ propinquam facio Philosophiam, qui igitur vult veritatem pertingere, capiat solis humorem & lunæ sputum. *Resp. Turba*, cur fratribus tuis adversarius factus es? *Et ille*. Non dixi nisi verum. *Et illi*: Sume quod Turba sumpsit, *Et ille* jam volebam, vobis tamen volentibus jubeo posteros, de nummis accipere quos Philosophi jusserunt, & Hermes ad tingendum verum aptavit partem, & ex ære Philosophorum partem, ac nummis miscere, & sic hoc totum quatuor corpora, & vasi imponere, cujus os diligentius claudatur, ne aqua exeat, septēque coquatur diebus, tunc æs cum nummis jam contritum in aquam versum invenitur utrumque lentè iteratò coquant, & non metuant. Deinde aperiant, & invenient nigredinem desuper apparentem. Idem iterantes ipsum semper coquunt, quousque nigredo Kuhul quæ de nigredine est nummorum consumatur. Ea namque consumpta pretiosa illis albedo apparebit, demum in locum suum iterantes coquuntur, quousque desiccetur, & in lapidem veritatur. Item illum lapidem ab ære & nummis genitum, iterantes coquunt continue, igne priore fortiore, quousque lapis diruatur ac confringatur, ac in cinerem vertatur, qui pretiosus est cinis. Heu doctrinæ filii! quam pretiosum est quod ex eo fit. Miscentes igitur cinerem aquæ. Iterum coquite quousque cinis illo liquefiat, deinde coquite & aquæ imbuite permanente, quousque compositio dulcis fiat, & suavis, ac rubea imbuite quousque humidæ fiat, amplius igne fortiore coquite priore, ac vasis os diligentius claudite. Hoc enim regimine corpora fugientia nō fugientia fiunt, & spiritus in corpora & corpora in spiritus vertūtur & à se invicē nectuntur. Deinde fiunt corpora spiritus animas habentes tingentes, eo quod invicem germinant. *Resp. Turba*: jam notificasti posteris, quod æri rubigo accidit postquam nigredo dealbatur aqua permanente. Deinde congeletur & fit corpus magnesiæ, demum coquitur, quousque totum corpus confringatur, deinde fugiens in cinerem vertitur, & fit æs umbra carens, imo etiam fit tritio, de opere Philosophorum, quid ergo dimittis posteris cum verè propriis nominibus res minimè nuncupasti? *Et ille*. Vestra sequens vestigia, quemadmodum & vos tractavi. *Respondit Bonellus*, verum dicis. Si enim aliter ageres, dicta tua in libris nostris scribi non juberemus.

Sermo quinquagesimus octavus.

BALGVS *inquit*; Acratus, Turba universa: jam dixit, quod vidistis, benefactor tamen quandoque fallit, quamvis benefaciendi habeat affectum. *Et illi*: verum dicis. Dic ergo secundum tuam sententiam, & cave ne sis invidus. *Et ille*. Sciendum est quod invidi hoc arcanum in umbra separaverunt in physica astronomica imaginum arte secundum constellationes arborum, metallis, vaporibus, & reptilibus, & ambigue multiplicaverunt, quanto potuerunt. Quod in omni eorum opere ferme percipitur, jubeo tamen huius scientiæ investigatores, ut ferrum capiant ac in laminas ducant, demum veneno misceant, & suo vasi imponant, cuius os diligentissime claudant, & cavete ne humorem multiplicetis, vel siccum ipsum ponatis, sed miscete fortiter ut massam. Et scitote quod si à massa aquam multiplicatis in camino non continetur. Si enim massam desiccetis, camino non jungitur nec coquitur: jubeo tamen vos, ut

ut ipſum diligentius conficiatis. Demum ſuo vaſi imponatis, cujus os interius & exterius luto claudatis, ac carbonibus ſuper ipſum accenſis, poſt dies aperiatis, tunc invenietis laminas ferreas jam liquefactas. In vaſis autem coopertorio invenietis nodos. Igne enim accenſo acetum ſurſum aſcendit, ejus namque natura ſpiritualis eſt in aëra ſcandens, quare jubeo vos, ut partem eam teneatis. Item ſciendum eſt quod decoctionibus, ablutionibusque multiplicatis, congelatur, & abſque igne coloratur, eiuſque natura convertitur. Hac enim decoctione & liquefactione cambar non disjungitur. Notifico etiam vobis quod hac nimia decoctione, tertiæ partis aquæ pondus conſumitur, reſiduum vero fit ventus in ſpiritus ſecundi cambar. Et ſcitote quod nihil eſt precioſius nec excellentius maris arena rubea, Lunæ autem ſputum coadunatur cum radiorum ſolis luce, luna perficitur nocte præventionis, ſolis namque calore ros congelatur. Tunc illo vulnerato, necidatoris ros jungitur, & quanto magis dies tranſeunt, tanto intenſius congelatur. Nam ſole qui coquit ipſum congelatur. Ac bello petens terrenum ſuperare ignem facit, ablata infirmitate. *Reſp. Bonites.* Nonne ſcitis Balge, quod lunæ ſputum non tingit niſi æs noſtrum. *Et Balgus*: verum dicis. Et ille, cur igitur arborem dimiſiſti narrare, cuius fructum qui comedit, non eſuriet unquam. Et Balgus, notificavit mihi quidam qui ſcientiam conſecutus eſt, quouſque illam inveniens arborem, convenienter operatus eſt ac fructu extracto comedit. Mihi autem quærenti, eam meram deſcripſit albedinem, ratus quod ipſa abſque labore invenitur diſpoſitionis, tum ejus perfectio ejus cibus eſt, mihi autem quærenti qualiter cibo nutritur quouſque fructicet? ait: Accipe illam arborem, & ædifica ei domum, circundantem, rotundam, tenebroſam, rore circundatam, & impone ei hominem magnæ ætatis, centum annorum, & claude ſuper eos, & necte fortiter, ne ad eos pulvis, ſeu ventus perveniat. Deinde 180. diebus, in ſua domo eos dimittite. Dico quod ille ſenex de fructu illius arboris comedere non ceſſat ad numeri perfectionem, quouſque ſenex ille juvenis fiat. O quam miræ naturæ, quæ illius ſenis animam in juvenile corpus transformaverunt, ac pater filius factus eſt. Benedictus ſit Deus creator optimus.

Sermo quinquageſimus nonus.

THEOPHILUS, *inquit*: dicturus ſum in his quæ Bonitis narravit. *Et Turba*: Dic, frater namque tuus pulchre dixit. *Et ille*: Conſequens Bonitis veſtigia, ejus dicta perficiam. Sciendum eſt quod omnes Philoſophi, quamvis hanc celaſſent diſpoſitionem, in ſuis tamen tractatibus verum dixerunt, cum aquam vitam nominaverunt, eo quod, quicquid illi miſcetur aquæ, moritur, deinde vivit & juvenis fit. Et ſcitote omnes diſcipuli, quod ferrum non fit rubiginoſum, niſi hac aqua, eo quod laminas tingit, deinde ponitur in ſole quouſque liquefiat & imbuatur, deinde congeletur. Hiſque diebus fit rubiginoſum, illuminatione autem hac ſilentium melius eſt. *Reſp. Turba*, Theophile, cave ne ſis invidus perfice tractatum tuum. *Et ille*: imo ſimile quid reiterem. *Et illi.* Quodvis. *Et ille.* Quidam fructus exeunt prius à perfecta arbore & in æſtatis initio florent, & quanto multiplicantur, tanto decorantur, quouſque peragantur & maturando dulces fiant. Similiter illa mulier ſuos fugiens generatos, quibus parte quamuis irata domeſtica ſit, nec dignatur ſe ſuperari, nec ut ſuus conjunx ſuum habeat decorem qui furibundus eam diligit & cum ea pugnans vigilat, quouſque concubitus cum ea peragat, & ejus fœtus Deus perficiat, filioſque ſibi multiplicat prout placet: ejus decor igne conſumptus eſt qui ad ſuum non tendit conjugem niſi libidinis cauſa, termino enim finito ad eam vertitur. Item notifico vobis quod Draco nunquam moritur, Philoſophi tamen mulierem ſuos conjuges interficientem neci dederunt. Illius enim mulieris venter armis plenus & veneno. Effodiatur illi ſepulcrum Draconi, & ſepeliatur illa mulier cum eo, qui cum illa fortiter junctus muliere, quanto magis eam nectit & volvitur circa eam, tanto magis corpus ejus muliebribus armis in mulieris corpore creatis in partes ſecatur. Videns autem mulieris artubus mixtum, certus fit morte, & totus vertitur in ſanguinem. Videntes autem Philoſophi ipſum in ſanguinem verſum, in ſole dimittunt per dies quouſque lenitudo conſumatur & ſanguis areſcat, & venenum inveniunt illud jam apparens, tunc ventus eſt occultus.

Sermo ſexageſimus.

BONellus *inquit*: Sciendum eſt omnes diſcipuli, quod ex electis nihil fit utile abſque conjunctione & regimine, eo quod ſperma ex ſanguine generatur & libidine. Viro namque mulieri imminente, uteri humore ſperma nutritur & ſanguine humectante, & caliditate, peractis vero 40. noctibus ſperma formatur. Si enim humiditas ſanguinis & uteri calor non eſſet, ſperma non maneret nec fœtus perageretur. Deus autem illum ſanguinem & calorem ad nutriendum ſperma conſtituit, quouſque extrahas ipſum ad libitum. Fœtus autem extractus non niſi lacte nutritur & igne, parcè & paulatim, dum pulvis eſt, & quantò magis exurit, tantò oſſibus confortatis in juventutem ducitur in quam perveniens ſibi ſufficit. Sic ergo oportet te in hac arte facere. Et ſcitote quod abſque calore nihil unquam generatur, & quod balneum calore intenſo perire facit. Si vero ſit frigidum fugat, ſin autem temperatum ſit, corpori conveniens & ſuave fit, quare venæ leves fiunt & caro augmentatur. Ecce vobis demonſtratum eſt omnibus diſcipulis, intelligite igitur, & in omnibus quæ regere conamini timete Deum.

Sermo ſexageſimus primus.

MOYSES *ait*: Notandum eſt quod invidi plumbum æris, formandi inſtrumenta nominaverunt ſimulando, poſteros ſeducentes, quibus notifico quod illa eorum formandi inſtrumenta, ex noſtro pulvere albo, ſtellatico & ſplendido, & lapide noſtro concavo ac marmore, quorum toti operi noſtro nullus pulvis aptior, & compoſitioni noſtræ conjunctior eſt, pulvere alociæ, ex quo apta fiunt inſtrumenta formandi. Amplius Philoſophi jam dixerunt, ponite inſtrumenta ex ovo, non tamen narraverunt quod ſit ovum nec cujus avis. Et ſcitote quod harum regimen rerum, eſt toto opere difficilius, eo quod ſi compoſitum pluſquam oportet regatur, eius lumen à pelago ſumptum extinguatur. Quare Philoſophi juſſerunt, ut obſervetur. Lunâ igitur perfectâ hoc accipite, & arenæ imponite quouſque dealbetur. Et ſcitote quod arenæ ipſum imponentes, & reiterantes, niſi patientiam habeatis, in regendo erratis & opus corrumpitis, coquite igitur ipſum leni igne, quouſque dealbatum ipſum videatis. Deinde aceto extinguite, & unum ex tribus jam à ſociis ſeparatum invenietis. Et ſcitote quod primum ixir commiſcet, ſecundum comburit, tertium vero liquefacit: Primò igitur 9. uncias imponite aceti bis, primò cum vas calefit, ſecundò verò cum jam calefactum ſit.

Sermo

Sermo sexagesimus secundus.

MUNDUS *inquit:* Oportet vos omnes hujus artis investigatores, scire, quod quicquid Philosophi narraverunt & jusserunt, Kenkel scil. herbas geldum & carmen, unum quid sunt: ne cures igitur rerum pluralitatem. Nam tyria est Philosophorum tinctura, cui ad placitum nomina sumpserunt, & ablato proprio nomine, ipsum nigrum nuncupaverunt, eo quod nostro extractum est à pelago. Et scitote quod prisci sacerdotes nihil vestium in aris suis dignati sunt ponere artificialium, quare ad aras mundificandas, ne sordidum quid eis introducant, & immundum, Kenckel tyrio colore tinxerunt, tyrius autem color noster quem in aris & thesauris suis posuerunt, redolentior est & mundior quam quod à me describi potest, qui à mari nostro rubeo & purissimo extractus est, qui suavis est ac odoris pulchri, & in putrefaciendo non sordidus, nec immundus. Et scitote quod plura nomina posuimus, quæ omnia sunt vera, cujus exemplum apud intellectum habentes est triticum quod molitur. Et tunc alio nomine nuncupaverunt, ex quo in divisas substantias, cribro divisas, varia ponis genera, fiunt nomina singulariter habentia, quod totum frumentum uno nomine nuncupatum, à quo plura nomina distincta, sunt, sicut ium in unoquoque regiminis gradu sui coloris nomine nuncupamus.

Sermo sexagesimus tertius

PHILOSOPHUS *ait:* notifico posteris quod natura masculus est, & fœmina, quare invidi eam corpus magnesiæ nuncupaverunt, eo quod in ea est maximum arcanum. Ponite igitur omnes hujus artis investigatores magnesiam in suo vase, & diligenter coquite. Deinde post dies aperientes, in aquam totum inveneris versum. Item coquite quousque coaguletur, & se ipsum contineat. In invidorum autem libris pelagus audientes, scitote quod humorem significant, panno vero significant vas medicinis, quoniam naturam signant, eo quod germinat, & flores it. Invidis autem dicentibus ablue, quousque æris nigredo exeat, quidã hanc nigredinẽ nummos nominant. Agadimon autem clare demonstravit, cum hæc verba non dubie protulit. Notandum est omnes hujus artis investigatores, quod rebus primum mixtis, & semel decoctis invenietis nigrẽdinem præscriptam, scil. omnia nigra fiunt, hoc igitur est plumbum sapientum, de quo in libris suis frequentissime tractaverunt. Nonnulli quoque dicunt nummi nostri nigri.

Sermo sexagesimus quartus.

PYTHAGORAS *inquit*: quam mira est Philosophorum diversitas, in his quę prius posuerunt, & eorum conventus, in hac paula re vilissima, qua tegitur pretiosum. Et si vulgus omnes hujus artis investigatores istud paulum & vilissimum scirent, mendacium putarent. Cujus vim si scirent non vilipenderent, hoc autem à pelago DEUS celavit, ne mundus devastaretur.

Sermo sexagesimus quintus.

HORFOLCUS *ait*: sciendum omnes sapientiam diligentes: cum mundus in hac arte tractaret, & lucidiores vobis syllogismos poneret, quod qui nescit quod dixit, brutum animal est. Ergo autem hujus paululi regimen vobis exponam, ut in hac arte introductus audacior fiat & certius expendat, & quamvis sit parum comperet tamen vili caro, & carum vili. Et scitote quod initio miscendi, oportet vos elementa cruda, amœna, sincera, & non cocta, vel recta, super lenem ignem commiscere, & cavere ignis intensionem, quousque elementa conjungantur, & se invicem consequantur, ac complectantur complexione qua paulatim cõburuntur, quousque in illo leni igne deficcentur. Et scitote quod spiritus unus comburit unum & diruit, & unum corpus confortat, unum spiritum, & docet ipsum contra ignem præliari. Post primam autem combustionem, oportet se ablui, mundificari, & igne dealbari, quousque omnes res unus fiant color. Cui postea oportet vos totius humoris residuum miscere, & tunc ejus color exaltabitur. Elementa enim igne diligenter cocta lætantur, & in alienas vertuntur naturas, eo quod liquefactum quod est caput fit non liquefactum, humidum vero siccum, & spissum corpus spiritus, & spiritus fugiens fortis contra ignem pugnans. Quare Philosophus ait, converte elementa, & quod quæris invenies. Convertere autem elementa, est facere humidum siccum, & fugiens fixum. His peractis dispositione, dimittat in igne quousque spissum attenuetur, & rarum tingens remaneat. Et scitote quod elementorum mors & vita, ab igne fiunt, & quod compositum germinat se ipsum, & gignit id quod quæritis DEO favente. Coloribus autem incipientibus, miracula videbitis, sapientiæ DEI, quousque tyrius color peragatur. O mirabilis natura, cæteras naturas tingens! O naturæ cælestes elementa regimine separantes, & convertentes! nihil igitur est pretiosius his naturis in natura, quæ compositum multiplicat & facit esse punicum & fixum.

Sermo sexagesimus sextus.

EXEMIGANUS *inquit*, jam tractasti, Luca de argento vivo & intro quod est magnesia, quod te decet, & jussisti posteros experiri & libros legere, sciens quod Philosophi dixerunt: Inspicite latentem spiritum, & nolite ipsum vilipendere, eo quod cum permanet magnum est arcanum, & multa bona operatur.

Sermo sexagesimus septimus.

LUCAS *ait*, dico posteris quod lucidius est his, quæ narrasti, quod scilicet Philosophus ait, comburite æs, comburite argentum, comburite aurum. *Respondit Hermiganus*, ecce tenebrosius prædictis. *Resp. Turba*: Illumina igitur quod tenebrosum est. *Et ille.* Hoc quod dixit, combure, combure, combure, in nom nibus tantum diversitas est, re autem unum & idem sunt. *Et illi.* Hẽu tibi, tam breviter tractasti, cur livore inficeris? *Et ille*: placet ut pulchrius dicam? *Et ille*: age. *Et ille*: Significo quod dealbare est comburere, rubeum vero facere est vita. Invidi autem nomina multiplicaverunt, ut posteros seducerent, quibus significo, quod hujus artis diffinitio est, corporis liquefactio, & animæ à corpore separatio, eò quod æs, ut homo, & animam habet & corpus: oportet igitur vos omnes, doctrinæ filios, corpus diruere, & ab eo animam extrahere. Quare Philosophi dixerunt, quod corpus non penetrat corpus, verum subtile naturæ, quod est anima, quæ corpus penetrat & tingit. In natura igitur est corpus & anima. *Resp. Turba*: volens explanare, tenebrosa verba protulisti. *Et ille.* Significo vobis quòd invidi narrantes dixerunt, quod saturni splendor non apparet, nisi tenebrosus, quandò in aëra scandit, & quod mercurius radiis solis occulitur, & quod argentum vivum sua ignea vivificat, & opus perficitur: Venus autem, cum sit orientalis, solem præcedit.

Sermo ſexageſimus octavus

ATTAMUS *ait*, ſcitote omnes hujus artis inveſtigatores, quod opus noſtrum cujus inquiſitionem habuiſtis, ex maris fit generatione, quo poſt DEUM, & cum quo opus perficitur. Accipite igitur halſut, & veteres lapides marinos, & carbonibus aſſate quouſque albi fiant. Deinde in albo aceto extinguite, ſi aſſatæ fuerint 24. unciæ eorum, color tertia parte ſui extinguatur, ſcilicet 8. unciis, & aceto terite albo, & coquite in ſole & terra nigra per 42. dies. Secundum autem opus fit à decimo die menſis Septemb. ad 10. libræ. Hujus autem ſecundò acetum nolite imponere, & dimittite ipſum coqui quouſq; ſuum deſiccetur acetum, & terra fixa fiat, ut terra ægyptiaca. Et quod opus aliud citius congelatur, alind vero tardius, hoc autem accidit ex coquendi diverſitate. Si enim locus ubi coquitur humidus & roridus fuerit, citius congelatur, ſi vero ſiccus tardius congelatur.

Sermo ſexageſimus nonus.

FLORUS *inquit*. Tractatum tuum, Munde, reor perficere. Non enim peregiſti coquendi diſpoſitionem. *Et ille*: age, Philoſophe. *& Florus*: doceo doctrinæ filios, quod bonitatis primæ decoctionis ſignum eſt, ſui ruboris extractio. *Et ille*. Deſcribe quid eſt rubor; *Et Florus*: cum videritis ipſum totum jam nigrum, ſcitote quod albedo tunc in illius ventre nigredinis occultata eſt, tunc oportet vos illam nigredinem extrahere, ab illa nigredine ſubtiliſſime, ejus quod ſcitis eas diſcernere. Secunda autem decoctione, ponatur illa albedo in vaſe cum ſuis inſtrumentis, & coquatur lene quouſque omnino alba fiat. Videntes autem omnes hujus artis inveſtigatores, illam albedinem apparentem, & omnibus ſupereminentem, eſtote tuti quod rubor in illa albedine occultus eſt. Tunc autem non oportet vos illam extrahere, verum coquere, quouſque totum rubeum fiat altiſſimum & ſimili carens. Et ſcitote quod illa nigredo prior ex natura marteck fit, & quod rubor ex illa extrahitur nigredine, eo quod illud nigrum emendavit, quod inter fugiens & non fugiens, componens pacem eam, unum reduxit. *Reſp. Turba.* Et cur fuit hoc? *Et ille*: eo quod cruciata res, cum in corpore ſubmergitur, vertit ipſum in naturam inalterabilem, ac indelebilem: oportet vos igitur hoc ſulphur ſcire, quod corpus denigrat. Et ſcitote, quod illud ſulphur non poteſt contrectari, non tangi, ſed illud cruciat & tingit. Et quod ſulphur, quod denigrat, eſt quod non fugienti januam aperit, & in fugiens cum fugientibus vertit. Nonne videtis, quod crucians non cruciat nocumento, nec corruptione, ſed rerum coadunatione & utilitate? Si enim eſſet ejus cruciatus noxius, & inconveniens, non ab illo complecteretur, quouſque ab eo colores extraherentur, inalterabiles ac indelebiles, quam ſulphuris aquam vocavimus, & ad ruborum rinçturam aptavimus, quæ de cætero non denigrat, quod autem denigrat, quod non fit abſque nigredine, clavem operis eſſe notificavi.

Sermo ſeptuageſimus.

MUNDUS *inquit*: Scitote omnes hujus artis inveſtigatores, quod caput eſt omnia, quod ſi non habet, omne quod ipſum emendat, non prodeſt quicquam. Ideoque magiſtri illud quo perficitur verum dixerunt. Non enim diverſæ illam rem emendant naturæ, verum una & conveniens, quam vos oportet parcè regere, regendi namque ignorantiâ nonnulli erraverunt. Nolite ergo harum compoſitionum pluralitatem curare, nec ea quæ philoſophi in libris ſuis poſuerunt, veritatis namque natura una eſt, quæ naturale mutavit, eo quod arcanum naturale in ſuo ventre occultum eſt. Nec videtur, nec ſcitur, niſi à ſapiente, qui ergo parcè regit, ejuſque ſcit complexionem, extra hoc ex eo naturam omnes naturas ſuperantem. Tunc igitur magiſtri verba complebuntur, natura ſcilicet naturâ lætatur, natura naturam ſuperat, & natura naturam continet, tamen non ſunt diverſæ naturæ nec plures, verum una ſuas habens res in ſe quibus cæteris rebus eminuit. Nonne videtis quod magiſter uno orditus & uno finitus: deinde alias unitates aquam nuncupaverunt, totam naturam vincentem.

Sermo ſeptuageſimus primus.

BRACVS *ait*: Quàm pulchrè hanc aquam ſulphuream Mundus deſcripſit, niſi enim ſpiſſa corpora naturâ corpore carente diruantur, quouſque fiunt corpora incorporea ſpiritus tenuiſſimus, non poteſtis illam animam tenuiſſimam ac tingentem, quæ in naturali ventre occulta eſt. Et ſcias, quod niſi corpus diruatis quouſque moriatur, & ex eo ſuam extrahatis animam, quæ eſt ſpiritus tingens, nequaquam ex eo corpus tingere poteſtis.

Sermo ſeptuageſimus ſecundus.

PHILOSOPHVS *inquit*: Prima compoſitio ſcilicet corpus magneſiæ ex pluribus fit rebus, quamvis unum quid factæ ſint uno dictum nomine, quod priores albar æris nuncupaverunt. Cum autem regitur decem nominibus nuncupatur, ſumptis à coloribus qui in regimine in hujus magneſiæ corpus apparent. Oportet igitur ut plumbum in nigredinem convertatur, tunc decem prædicta in auri fermento apparebunt, cum Sericon quod eſt compoſitio, quod & X. nominibus nuncupatur. Omnibus autem præfatis nil aliud ſignificamus nominibus, quàm albar æris, eo quod tingit omne corpus quod in compoſitionem introivit. Compoſitio autem duplex eſt, una enim eſt humida, altera verò ſicca, cum proinde coquuntur, fiunt unum, & dicitur bonum plurimorum nominum. Cum vero rubeum fit auri flos dicitur, auri fermentum, & aurum coralli, ac aurum roſtri. Dicitur etiam redundans rubeum ſulphur, & rubeum auripigmentum. Dum autem crudum permanet plumbum æris, dicitur virga metalli ac lamina. Ecce ejus patefeci nomina cruda, quam cocta ab ea invicem diſtinguemus. Eſto ergo ratus. Oportet igitur me tunc ubi ignis quantitatem demonſtrare ejuſque numeri dierum, ac ignis in unoquoque gradu diverſitatem intenſionis, ut qui hunc librum habuerit, ſibique propriusfuerit ab egeſtate, media aliter, quàm hac pretioſiſſima arte carentes, ſecurus permaneat. Vidi igitur ignem multis modis, quidam enim fit ſtipulis, & cinere, & carbonibus & flammis, quidam vero abſque flamma. Ordines autem inter has qualitates mediocres experimentum demonſtrat. Plumbum autem eſt plumbum æris. In quo totum eſt arcanum, in die vel in parte diei. De diebus autem noctis, in quibus maximi arcani erit perfectio, in loco proprio, in ſequentibus tractabo. Et ſciatis firmiſſimè, quod ſi parum aurum in compoſitione ponatur, exiet tinctura patens & candida. Quare & ſublime aurum & aurum patens in priorum theſauris philoſophorum invenitur. Ideoque diſparia ſunt ea quæ in ſuam introducunt compoſitionem.

Quamvis

Quamvis elementa commiſceantur, & in plumbum æris vertantur, à ſuis prioribus exeuntia naturis, & in unam naturam vertantur novam. Tunc igitur una dicuntur natura, & unum genus. His peractis ponitur in vaſe vitreo, niſi qualiter compoſitum potat aquam & coloribus alteratur. In unoquoque gradu inſpiciatur cum venerabili rubore coloratur. Hoc igitur in elixir dicentibus philoſophis aurum pone, quamvis multories, ſemel tamen fieri oportet. Adverſarii igitur certitudinem ſcire volens, inſpice, qualiter Democritus ait: Quoniam à deorſum ad ſurſum cœpit dicere, demum reverſus cœpit à ſurſum ad deorſum, dixit enim, pone ferrum, plumbum, & albar propter æs, demum reverſus ait, & æs noſtrum propter nummos, plumbum propter aurum, ac aurum propter aurum coralli, corallique aurum, propter aurum croci. Amplius etiam ſecundò, cum à ſurſum ad deorſum cœpit ait: Pone aurum, nummos, æs, plumbum & ferrum, ſuis igitur patefecit dictis, quod non ponitur niſi ſemiaurum. Et procul dubio aurum in rubiginem non vertitur, abſque plumbo, & ære: Et niſi aceto apud Sapientes noto imbuatur, quou que coctum in rubiginem vertatur. Hæc igitur rubigo eſt, quam omnes philoſophi ſignificaverunt, quia quamvis dicerent: Pone aurum & fit aurum coralli: & pone aurum coralli, & fit aurum purpureum: omnia tamen hæc ex eorundem colorum ſunt nominibus. Oportet itaq; ut in eo acetum ponatur, eò quòd ex eo hi colores veniunt. His autem quæ philoſophi narraverunt nomina habentibus, fortiora corpora, & vires ſignificaverunt. Ponitur ergo ſemel ut rubigo fiat, demum ei acetum imponitur. Prædictis autem coloribus apparentibus oportet, ut unumquodque 40. diebus decoquatur, ut aqua conſumpta deſiccetur. Demum imbutum vaſique impoſitum coquatur, quouſque ejus appareat utilitas. Cujus primus gradus ſit ut mucra citrina: ſecundus verò ut rubea, tertius ut ſiccus crocus tritus vulgi igitur nummus imponatur.

Explicit Liber Turbæ.

IN TVRBAM PHILOSOPHORVM SERMO VNVS ANONYMI.

QUONIAM grave eſt circa Philoſophicas intentiones diverſorum librorum deſudare, ex quo opus Alchymicum per Philoſophos tàm diverſimodè & ſingulariter promulgatur, itaque vix homini humanæ vitæ tempus ſufficere valet, eorum lectiones explanare & referare. Igitur ex mandato Generoſi Domini mei unicum capitulum ad ſui utilitatem ex omnium Philoſophorum intentione ſub uno ſermone eligere, & aggregare curabo.

Legitur in Turba Philoſophorum, quod quicquid veritatis conſtat in arte Alchymiæ eſt conjungere humidum ſicco, & hoc ab omnibus Philoſophis conceditur. Per humidum intelligatis ſpiritum liquidum, ab omni ſorditione purgatum: & per ſiccum intelligatis corpus perfectum, purum & calcinatum, & revera conjunctio iſtarum duarum partium, conſiat penitus in diſſolvere & coagulare. Diſſolvere ſecundum Philoſophos eſt corpus in naturam ſpiritus reducere: Coagulare eſt ſpiritum in naturam corporis convertere, & ſic corpus efficitur ſpirituale, & ſpiritus vice verſa efficitur corporalis, & tunc complentur dicta Philoſophorum, ubi dicunt: Fiat fixum volatile, & volatile fixum, & ſic Dei gratia obtinebitis totum magiſterium: & ſcit Deus, quod iſta diſſolutio nunquam poteſt fieri ſine transmutatione Elementorum: Vnde legitis in Turba Philoſophorum: Converte elementa, & invenies quod quæris. Et quia certò Elementorum converſio nihil aliud eſt, niſi unius elementi naturam in alteram alterius elementi tranſmutare.

Philoſophi dicunt, quod in omni re creata ſub cœlo, ſint quatuor elementa in eſſe, ſed non in apparentia, & dicunt, quod ſine quatuor elementis nulla res oriri poſſit, tamen in diverſis rebus diverſa elementa dominantur, ſic utique eſt & in lapide noſtro.

Lapis autem noſter, ut dicunt Philoſophi componitur ex corpore & ſpiritu: Corpora quæ pertinent ad compoſitionem lapidis, ſunt aurum & argentum: & certum eſt, quod in illis corporibus plus abundat ignis & terra quam aër & aqua, in auro vero dominantur præ cæteris elementis, id continet in ſe rubedinem, ſeu citrinitatem, & eſt in ſe corpus calidum & ſiccum, & tamen non nimis calidum, quoniam certum elementum in auro abundans eſt terra, quæ eſt frigida & ſicca, & ideo attemperat aurum, aliàs citrinitas auri penitus converteretur in rubedinem, & ſic eſſet corpus frigidum, in ſe aliquantulum humidum & ſiccum, quoniam ignis & aqua in argento ſunt quaſi aquæ portiones, & ſaltem aqua aliquantulum ſuperabundat ignem: Igitur argentum à Philoſophis judicatur corpus frigidum & humidum eſſe, & ſi aqua in corpore argenti converteretur in citrinitatem, tunc illud corpus eſſet propinquius naturæ auri, quàm argenti. Inſuper viſum eſt, quod in ſpiritu noſtri lapidis dominatur aqua & aër præ cæteris elementis, tamen aqua ſuperabundat aërem, ideo ſpiritus non poteſt ex ſua propria virtute in ignis aſperitate quieſcere, quoniam aqua, ut ſatis notum eſt, ſemper contrariatur igni.

Ratio, quoniam diſconveniunt omnino qualitatibus elementatibus, quia ignis eſt calidus & ſiccus, aqua eſt frigida & humida, & ſic patet evidenter, quod duo elementa dominantur in ſpiritu noſtri lapidis, aqua ſcilicet & aër. Igitur ſciant artifices Alchymiæ, quod impoſſibile eſt, ex ſolo corpore medicinam veram procreare ſine ſpiritu: & è contrario impoſſibile eſt ex ſolo ſpiritu medicinam veram procreare ſine corporibus: Ratio eſt, quia qualitercumque corpus præparatum fuerit, per ſe non poteſt propria virtute ſibi fluxibilitatem acquirere, nec ſpiritus per ſe qualitercunque præparetur, non poteſt à ſua natura alterari, nec perfectè figi, ſine intermediatione corporis, & neceſſe eſt medicinam ſore fluxibilem, viventem, tingibilem, manentem: quod nequit omnino eſſe, vel contingere ſine temperantia elementorum.

Et ſine dubio illa temperantia elementorum nunquam contingere videtur abſque conjunctione corporis & ſpiritus, quoniam per eorum conjunctionem ſuppletur defectus elementorum, tam ex parte corporis, quam ex parte ſpiritus, & ſic corpus efficitur ſpirituale, & ſpiritus corporalis.

Hactenus dictum eſt de definitionibus elementorum tam ex parte corporis, quam ex parte ſpiritus, ut debitus inde ſequatur effectus ad veram medicinam conſequendam. Jam videamus de tranſmutatione elementorum, quando fieri debeat ut corporale ſpirituale, & ſpirituale corporale efficiatur, & revera circa illã intentionem laborat tota Alchimia,

& ideo multum neceſſe eſt unicuiq; volenti operari omnia iſta ſcire, quoniam noſtra expetitio totius artis procul dubio conſtat in cognitione tranſmutationis elementorum.

Elementorum tranſmutatio.

QUATUOR ſunt elementa, aqua ſcilicet, terra, aër & ignis: aqua eſt frigida & humida, terra frigida & ſicca, aër calidus & humidus, ignis calidus & ſiccus, & unumquodque genus iſtorum elementorum habet locum in alio, & diſpoſitionem ad aliud, licet quodlibet illorum contrarietur alteri, in parte vel in toto: terra non habet locum niſi in aqua, nec aqua niſi in terra, & tamen non conveniunt in uno genere, diſconveniunt in qualitatibus ſcil. in humiditate, & ſiccitate, quoniam terra eſt humida & ſicca, aqua vero frigida & humida: ignis etiam non habet locum proprium niſi in aere, & e contra & illa elementa conveniunt in qualitate diſconveniunt in humiditate & ſiccitate, quoniam aër eſt calidus & humidus, ignis calidus & ſiccus. Igitur videtur, ſicut dixit Morienes, quod terra vivit de aqua, & ignis vivit de aëre, & utique videtur aqua participare cum terra in una qualitate, ſcilicet in frigiditate, & cum alio latere ſcilicet in humiditate: Ergo patet, quod aqua mediat inter terram & aërem: videtur etiam aërem participare cum aqua, in humiditate, & cum igne in caliditate. : Ergo aër intermediat aquam & ignem: Videtur etiam ignem participare cum aëre in caliditate & cum terra in ſiccitate, ergo ignis intermediat aërem & terram. Videtur etiam terram participare cum igne in ſiccitate, & cum aqua in frigiditate, ergo terra intermediat ignem & aquam: & ſi patet quod quodlibet elementum aliud intermediat, & nullum elementum poſſit in naturam alterius elementi converti, quia eſt ſuum contrarium, niſi prius convertatur in elementum intermedians ipſum & ſuum contrarium. Vt ſi quis voluerit de aqua facere ignem, aſcendendo, quod elementum eſt ſibi omnino contrarium, quoniam aqua eſt elementum frigidum & humidum, ignis calidum & ſiccum, oportet prius aquam effici aërem, qui eſt elementum intermedians: oportet ergo ut frigiditas Aquæ convertatur in calorem ſeu caliditatem, & tunc immediate aqua convertitur in aërem, qui eſt elementum intermedians aquam & ignem, quoniam quàm citò frigiditas aquæ convertitur in caliditatem, tunc immediatè aqua convertetur in aërem, deinde oportet humiditatem aquæ in ſiccitatem converti, & tunc aqua convertetur in elementum ſibi contrarium, qui eſt ignis. Et è contra fieri oportet, ſi homo voluerit de igne facere aquam deſcendendo, ſic quoque caliditas ignis convertatur in frigiditatem, & tunc ignis efficitur terra, quæ eſt elementum intermedians ignem & aquam ex alio latere deſcendendo: deinde oportet ſiccitatem ignis converti in humiditatem, & ſic tranſit elementum ignis in elementum aquæ, quod eſt ſibi contrarium: quod ſi quis artifex cupit terram in aërem convertere aſcendendo, vel aërem in terram deſcendendo, oportet prius, ut terra efficiatur aqua, & aër efficiatur ignis, & ſic per elementi poteſtatem intermediantis unumquodque genus elementorum mutari poterit in aliud.

Et certe nullus invenitur autorum tractatus, ut hic habetur: quoniam illi authores, qui magis aperte loquuntur de elementorum tranſmutatione, ſicut Phœbus, Geber, Morienes, Senior, Calid, Albertus M. Rex Marco, & Arnoldus de nova ulla: & illi dicunt: ſi quis Artifex cupit de terra facere aërem, quod elementum ſibi contrarium, faciat primo agere humidum in ſiccum, & tunc terra convertitur in naturam aquæ, quæ eſt elementum intermedians terram & aërem, per gradus deſcendendo: deinde faciat calidum agere in frigidum, ita quod frigidum efficiatur calidum & ſiccum humidum, ut prædicatur, & ſic terra quæ eſt frigida & ſicca, convertetur in aërem, qui eſt calidus & humidus: Et ſi quis cupit de aëre facere terram per gradus deſcendendo, oportet primo, ut ſiccum agat in humidum, & tunc aër in ignem, quod eſt elementum intermedians aërem & terram ex alio latere circulariter transeundo: deinde oportet, ut frigidum agat in calidum & ſic tranſit aër in terram, quod eſt elementum ſibi contrarium. Et ſic intelligendum eſt de aliis duobus: cum enim aqua tranſire debet in naturam ignis, oportet ut calidum primò agat in frigidum, & ſic aqua tranſit in aërem, quod eſt elementum intermedians aquam & ignem per gradus aſcendendo: deinde oportet, ut ſiccum agat in humidum, & ſic aqua tranſit in naturam ignis. Et ſi ignis debet converti in aquam, oportet ut frigidum agat in calidum, & ſic ignis convertetur in terram, quod eſt elementum intermedians ignem & aquam, per gradus deſcendendo: deinde oportet, ut humidum agat in ſiccum, ita ut ſiccum efficiatur humidum, & ſic tranſit ignis in naturam aquæ, quod eſt elementum ſibi contrarium.

Et ſic patet, quomodo debeat mutari elementum in elementum ſibi contrarium, oportet omnino ut tranſeat per unum elementum, quod intermediat ipſum & ſuum contrarium: ergo videtur, quod unumquodque elementorum habeat in ſe quatuor qualitates, duas activas, quæ agunt in ſuum contrarium elementum, ſi elementum fuerit frigidum & ſiccum, ſicut terra: tum debet agere in calidum & humidum, ſicut in aërem, & ejuſmodi per ſiccas qualitates paſſivas debet pati ſuum contrarium in ipſum agens, ſecundum illud quod eſt frigidum & ſiccum, & ſic circulariter debet intelligi de aliis elementis: & iſta eſt vera intentio Philoſophorum, & videbatur eis ſatis eſſe dictum, quoniam ipſi non ſcripſerunt libros, niſi eorum filiis, & ſpecialibus amicis, nec curam habuerunt num eorum dicta fuerint patefacta, vel non.

Tamen augebo intellectum Generoſiſſimi Domini mei de elementorum transmutatione, ſecundum quam expertus ſum, & volo vobis indicare veriſſimas elementorum transmutationes, ſine aliqua obſcuritate: quæ ſic fiunt.

Recipe ſic de ſpiritu mundato per modum ſublimationis partes duas vel tres, de corporis perfecti limatura partem unam: amalgament ſæpe triturando, & ſuper lapidem ſcratulando, igne in balneo decoquendo; hocque de tempore in tempus frequentando, donec tota limatura, quæ eſt ſubſtantia corporis, ſit in fluxibilem Mercurium, quæ eſt ſubſtantia Spiritus, converſa. Ecce velitis diligenter conſiderare: patebit enim hinc vobis palàm, quod hic eſt tranſmutatio duorum elementorum. Memini enim me dixiſſe in exordio iſtius capituli, quod duo elementa dominantur in corporibus perfectis, ſcilicet ignis & terra: & dixi quod in ſpiritu dominentur duo elementa, ſcilicet aër & aqua: modò videtur, quod per artis ingenium corpus efficitur ſpiritus, & ſic patet, quod natura ignis & terræ, qua dominabantur in corpore, ſubjugatur dominationi aëris & aquæ, quæ quidem elementa

menta dominantur in spiritu: & sic perficitur transmutatio prima duorum elementorum, quæ dominabantur in corpore, in naturam aliorum elementorum, quæ abundant in spiritu, & hæc est prima operatio.

Deinde per frequentem triturationem, & sub fimo equino putrefactionem illud amalgama de octava in 8. diem, semper interim sub fimo equino ad putrefactionem ponendo, illud regimen continuando, donec tota materia conversa fuerit in nigredinem, seu in puluerem nigrum, quod plane est dictum ad intellectum. Et oportet ut ista materia nigra sit tanquam pulvis in tactu subtilis, & in colore nigro, & in odore fætido, & sic obtinebitis transmutationem duorum elementorum, quæ abundant in corpore, & sic fit corporale spirituale, & è contra, & procul dubio illa elementa sic digesta alterantur, & permittunt se ab invicem separari artis ingenio, & è contra, uniri: sed oportet unionem fieri mediante fermẽto novi corporis præparati, & ista vera Physica elementorum transmutatio, ac humidi & sicci vera conjunctio, sed absit, quod hoc caput divulgetur, seu quod sciatur communiter, & vera ars in se esset ita levis, sicut est, quoniam tunc cessaret studium, superbia & invidia regeret: & alia quamplurima mala. Habetis ergo qualiter jungendum sit humidum sicco more transmutationis Elementorum, secundum duo regimina, seu dissolvere & coagulare, per quæ ars terminatur: ut scilicet corpus efficiatur spiritus, per dissolutionem, & ex potestate spiritus acquirat sibi fluxibilitatem: & spiritus ex corpore fixitatem. Et sine dubio in ista conclusione constat perfectio totius operis.

Finis Sermonis Secretissimi.

ALLEGORIÆ SAPIENTVM SVPRA LIBRVM

Turbæ XXIX. Distinctiones.

ALLEGORIARVM SAPIENTVM.

Distinctio prima.

INQUIT sapiens HERMES Si camelorum tuorum tertiam partem conservans, consumas duabus tertiis residuis, jam ad propositum perveniſti & opus perfeciſti. Amplius eodem modo, ne argentum vivum negligentiæ tradas, nigram enim carnem dealbat, & sapientum igne fit opus, & aqua spirituali qua nigredo abluitur, ac instrumento quo operis fit fundamentum, & tempore & momento in quo nubes veniunt, in quo opus fieri oportet. Aqua autem qua nigredo abluitur, sudor solis est, & urina puerorum, hoc igitur quod audis tibi sit sufficiens. Item similiter accipe aquam aquæ ut tibi ventus & nigredo mundificetur. Hoc igitur significatum intellige, & eo delectaberis. Item solummodò accipe nigredinem, & coapta eam, deindè albedini redde, & ruborem coapta, & tunc ad propositum & operis finem pervenies. Idem eodem modo notandum est, quod lapis igneus est, qui res regit nutu DEI, coque igitur ipsum leni igne, ne aqua ab eo separetur, nocteque dieque, quousque aureus fiat, intellige ergo. Item similiter, qui congelat dissolvit, & qui dealbat rubeum facit. Ecce proximo modo tibi exponam ut requiescas, intelli-

ge ergo & super his meditare, & opus tuum tibi certificabitur. Item similiter notandum est, quod quemadmodum sol in stellis: ita aurum in corporibus: solis namque lumen luminibus jungitur, & omnem continet fructum: Similiter & aurum. Super his meditare verbis & nutu DEI invenies. Item eodem modo ait Hermes, qui bibit medicinam extrinsecus, moritur, qui verò intrinsecus, vivit & lætatur, intellige hoc significatum. Item hac utique causa dicta est aqua hæc divina, licet sit maximum Venenum, ac omnibus prælata est materiebus, eò quod sine ea nihil operis fit, divinam autem ipsam nuncupaverunt, eo quod nulli miscetur coinquinationi, & ipsa lapidum naturas mundificat, & coinquinationibus abluit. Et quemadmodum sol in corporibus, sic ipsa in lapidibus agit, & ipsa penetrat, & perforat, & constans est & recta. Hæc etiam in sole videntur. Item norandum, quod opus fit ex 7. planetis. Primum namque ex Saturno, deinde ex Jove, deinde ex Marte, deinde ex Sole, deinde ex Venere, deinde ex Mercurio, deinde ex Luna. Primum regimen est Saturni, scilicet putrefacere, & soli imponere, compositum vero fit per noctes 40. Secundum vero est Jovis, scilicet terere & per noctes 12. imbuere, quod dicitur regimen stanni. Tertium est Martis scilicet spiritum à corpore sequestrare, quod dicitur convertere. Quartum est Solis, scilicet nigredinem & veuenum abluere, quod dicitur candidare. Quintum est veneris, scilicet conjungere humidum sicco, coadunare, ac calidum frigido, hoc autem dicitur regimen æris: Sextum Mercurii, scilicet comburere, quod dicitur regimen argenti vivi. Septimum est Lunæ, scilicet assare, & calefacere, & componere per 25. dies, & hoc regimen dicitur argenti. Ecce tibi opus peregi, cave igitur ne erres. Et scias, quod album fit albedine, & ejus fermentum est illud quod scis, dealba igitur & intellige. Item simili modo notandum est, quod lapis inquisitus caret simili in terra, est autem citrinus aureus extrinsecus & intransecus, cum autem alteratur, fit ejus corpus nigrum & tenebrosum ut carbones. Spiritus autem ab eo ablati color est albus & liquidus ut aqua: animæ vero color est rubeus. Anima autem ejus & spiritus redditur, vivit & lætatur, ac ejus lumen & decor ei redeunt, & vides eum ridentem & hilarem, ac morte carentem, eo quod jam mortuus est, deinde vivit, mortui namque cum resurgunt, perpetui: benedictus ergo sit ille cujus dispositio est hæc, qui mortificat, vivificat, & omnipotens est. Item similiter noli quicquam facere quousque scias, nam si quid insipiens feceris errabis, & opus tuum in vanum peribit. Deinde philosophos reprehendes, & eos errare putabis. Item notandum, quod dies est nativitas lucis, nox vero nativitas tenebrarum. Sol quoque est lucerna diei, & Luna lucerna noctis, quos ad mundum regendum Deus creavit. Luna autem à sole lumen percipit, per combustionem, & est dilatata, eo quod solis lumen in ea est, ideoque solis natura lunæ naturam superat, si utique contempleris, & super verbis meis mediteris, invenies me veridicum, & hujus significationem intelliges, & demonstrationem. Item scitote, quod spiritus est in domo marmore circundata, aperite igitur foramina, ut spiritus mortuus exeat, & è corporibus nostris ejiciatur. Quam pulchrum est iter sapientiæ. Item sapientiam tuam semina in cordibus nostris, & ab eis phlegma, choleram corruptam, & sanguinem bullientem expelle, ac per vias beatorum perducas,

ducas, quibus ſpiritus eſt purificatus, omnipotens es, & quicquid vis peragis. Item miror qualiter carmen, id eſt grana noſtra, tingit bombicem, quod eſt contra naturam alterius, quæ non tingit rem mortuam, & qualiter uſiſur, id eſt vermilio noſter tingit veſtem, quod eſt contra naturam alterius, qui non tingit rem vivam. Nihil enim tingit quicquam, niſi conſimile. Si igitur in compoſitione rubeum aurum imponitur, venies in tincturam rubeam ſinceram, & ſi poſueris album aurum, exibit rubeum patentiſſimum. Nulla enim res tingit, niſi ſuum conſimile. Item per Deum cœli & terræ juratus teſtor, quod lapis à me deſcriptus, vobiſcum eſt permanens, terraque marique & nullo modo à vobis ſeparatur. Item cuſtodi argentum vivum congelatum, cujus ſubtilitatis cauſa quamplurimæ partes perierunt. Item mons in quo eſt tabernaculum clamat: Ego ſum niger albi, & albus nigri, veridicus quidem ſum & non mentior. Item notandum eſt, quod artis origo eſt caput corvi ſine alis volantis, in nigredine noctis, & apparitione diei, ex gutture, cujus felle coloratio accipitur, & ex cauda deſiccatio, ac ex alis liquida aqua, & ex corpore rubor. Intellige ergo etymologica, nam eſt cujus lapis venerabilis eſſe non deſiſtit, & ejus ſumus eſt exaltatus, & mare irradiatum ac lumen patens. Item ſimiliter notandum, quod alumina & ſalia ſunt, quæ ex corporibus fluunt. Item ſi medicinas æqualiter ponas non ſentis errorem, ſi verò addas vel minuas, ad emendationem tendis, ne diluvium ſuperaverit, & regiones ſubmerſerit, & arborum radices eradicaverit. Item quàm ignorares eſt hæc, ſpeculare qualiter hi duo colores tuo vapore diverſantur, inſpice zuccaram dulcem unam ſapidam, ac mel dulcedine intenſius. Item niſi corpora ſpiritualia feceritis & impalpabilia, nolire vituperare ixir, ſcilicet opus. Item miror qualiter tria volatilia adverſus ſe ipſa pugnam egerunt, & ſe invicem comedere non deſtiterint, quousque duobus derelictis unum remanſit. Item eſto parcus accendere, & noli eſſe levis cum aquam mittes, & cave ne comburatur, maximum enim impetum habet. Item niſi lapis tuus fuerit inimicus ad optatum non pervenies. Item cum calcem auripigmento miſces, nullo exeunte medio nil radit. Si quid verò medium interponas protinus radit. Et ſcito, quod aqua eſt, quæ occultum extrahit. Ecce exemplum exempli, intellige ergò. Item cum videris corpus jam in cinerem verſum optimè rexiſti. Item notandum, quod ſanguis qui aquinus eſt de corpore animato, eſt terra noſtra, qui ſapientiæ noſtræ ſcilicet perfectio permanentis. Item mortuum eſt quod vult vivificari, & ægrotum quod vult curari, album rubificari, nigrum purificari ac frigidum calefieri. Item DEUS creat, & inſpirat, & ſuas vires dat naturæ, ut ejus ſequatur ſapientiam & ſubagat ſubſidio: Item ferrum eſt aurum noſtrum, æs tinctura noſtra, argentum vivum ornamenta noſtra, ſtannum argentum noſtrum, nigredo dealbatio noſtra & albedo rubor noſter. Item neceſſarium eſt nobis corpus corpora mundificans, & aqua aquam ſublimans. Item lapis noſter, hoc eſt ignis ampulla, ex igne creatus eſt, & in eum vertitur. Item viſa nigredine ſcitote veram ſemitam ſecutum fuiſſe. Item dicit occultum, qui me candidat ipſe me rubeum facit. Item cela hoc opus ab hominibus, veluti verbum in lingua tua, ſive ignis in oculo tuo, noli loqui tibi ipſi, ne ventus verba tua ad alium ferat, & tuum fiat detrimentum. Ecce te cavere feci. Item notandum, quod opus noſtrum ex duabus fit figuris, quarum altera eſt alba umbra carens, altera rubea rubigine carens, & cribra noſtra de corticibus ſunt mundis, & ligno Benedicto. Item notandum, quod lapis igneus quæſitus caret foliis, quantitatem verò habet. Oportet te ergo ipſum ſupponere, & undique totum eo continere ut in medio. Item oportet te corpus & animam conjungere, contritione in ſole & imbuitione ſuper lapidem, deinde introduc in ignem, quouſque coinquinatio ab eis omnino auferatur, & fiat hoc per ſeptem horas leni igne, tunc te vivificat. Item dico quod ædificium poſitum eſt in ventre terræ, quod abſque terra non perficitur, amplius & ædificium eſt poſitum in ventre, quod non perficitur niſi igne, quod eſt ſapientiæ noſtræ perfectio. Item niſi ruborem albedini miſceas, deinde in eo aquam jam rectam introducas nihil tingit. Amplius nihil tingit rubeum, ſemper niſi album. Junge igitur lucem ſolis, cum opus jam peractum eſt, quæ jam ſolis regimine perfecta eſt marino quam narraturi ſumus, quo tantum coadunatio decoratur. Item ignis ſiccus tingens eſt, aer vero confirmans, mancipans ac dealbans, nigredinem à corporibus expellens, terra quoque ſtans, tincturam recipiens. Item ablue mercurium aqua maris, quouſque privetur nigredine, & tuum opus ad te redeat & gaudium. Item ſi intelligis qualiter vivus exit ex mortuo, patens ex occulto, & forte ex infirmo, res ipſa tibi perficitur. Quam patens eſt lucidus ſermo Sapientum, qualiter non patet vita eorum, à ſuis verbis, cùm inquiunt; Duo corpora æqualiter accipiens de terra, tere oleo coctarum radicum, & lacte albi volatilis, horum namque corporum maximæ ſunt vires omnem ſcientiam largientes, quibus & vitam poſſidebis æternam. Item accipe ſapientiam vi intenſiſſimam, & ex ea vitam hauries æternam, donec tuus congeletur, ac tua pigredo exeat, tunc inde vita fit. Qui ergo potat de te palam moritur, qui vero potat terram vivit. Item planta hanc arborem ſuper lapidem, ne vento tum curſus timeat, ut volatilia cœli veniant, & ſupra ramos ejus gignant, inde enim ſapientia ſurgit. Item accipe volatile, & priva capite igneo gladio, deinde pennis denuda, & artus ſepara, & ſupra carbones coque, quousque unus color fiat. Deinde venenum ipſi impone, quantum ipſum cooperire poſſit. Deinde rege ipſum leni igne quousque moriatur, & ipſum jam mortuum tere aqua candida & rege. Item emimus duos nigros, & ponimus in paropſidem quam habemus, & exeunt ova ut ſal, tunc ea tingimus croceo, & in plateam ducentes vendimus, his quidem ditati ſumus, & pecunia noſtra multiplicata eſt. Item cujus imbuis preſſura, & veneno mordes viperarium æris, propter hoc mortuos vivificans, & vivos mortificans deſtructum exiſtere, facinus exiſtens, deſtruens elevatum, amittens & abjectum elevans, & per cœlos terræ dominaris. Item notandum, quod duo lapides Sapientum in ripis ſunt fluviorum, ramis montium, ventre fluminum, & in dorſis domorum regum inveniuntur inſtructione ejecti, qui ſunt maſculus & fœmina, his quidem conjunctis & complexatis ſapientia procedit. Benedictus igitur Deus, quàm magnum quid eſt hoc & mirabile! Item quidam philoſophus vidit in ſomniis, quod cuidam podagrico nuncius Regis venerat. Podagra autem ait illi, duc me tecum. Reſpondit nuncius, cum ſis podagra, qualiter poſſes mecum venire, ambulare namque non potes. Reſpondit ei podagra: Noſcas quod in hujus montis radice eſt quoddam

dam tabernaculum, deferens me igitur ibi, depone illuc nigredines, statim liberabor à podagra: tunc ad me crescentem pertingere non poteris: recedens ergo detulit ipsum, & posuit in tabernaculo, ad quem crescentem nuncius pertingere non potuit, expergiscens autem à somno nil vidit. Ecce similitudo. Item quidam vidit in somnis, ac si quis verè sederet secus viam & diceret, quid tibi videtur hunc velle facere? Respond. Nescio. Et ille: Iste vult concumbere cum matre sua in medio terræ, tunc expergiscens nihil vidit. Ecce similitudo. Item, vobis autem ad philosophiæ scientiam ducentibus, & ejus demonstrationem exponentibus fit philosophica irrisio mulierum, & ludus puerorum. Item accipe corticem recentem in ipso momento, quo ipsum alio modo extrahis, ubi generatur, & pone in cucurbita, deinde sublima in nomine Domini. Et quod sublimatum fuerit separa, acetum enim philosophorum est, & sapientia. Deinde accipe hoc acetum, & super corticem maris alteram funde, & pone in ampulla, & sit acetum quantum cooperire possit, quatuor digitis, & sepeli in fimo calido per dies triginta unum. Peracto vero termino extrahe, & invenies jam dissolutum, & in nigram aquam & fœtidam versum, qua nihil fœtidius, & nigrius. Accipe igitur ipsam ac in tabernaculum eleva parcè, quousque consumatur, & nihil scandat, & aquam sublimatam custodi in tempus opportunum. Deinde fecem accipe, quæ inferius in cucurbita remanet, & custodi, corona namque cordis est, desicca igitur ipsam & tere, & ei corticem maris recentem adiice, mercurium scilicet, & tere cum ea & in calido sole desicca. Deinde aquæ merge ab ea prius sublimatæ, & diligenter tere & assa, & pone in testa ETHEL, & sublima, tunc candida sublimabitur ut sal, eam igitur custodi, philosophorum enim auripigmentum, & sulphur est, & magnesia. Intellige ergo & tege ipsam, & noli festinare. Deinde accipe cucurbitam in dimidium luto inductam, & pone in ea nigram aquam dissolutam, quàm sublimâsti, novem scilicet partes de hoc auripigmento dealbato, quod ab Ethel sublimasti, duas partes. Dico quod hoc auripigmentum passum aqua protinus dissolvitur, & ut aqua fit, & nihil intensioris albedinis ab hominibus inspicitur, nec eò pulchrius, quod philosophi virginis sal dicunt, & pone super cucurbitam, vasculum, & junctura coapta, & pone cucurbitam super accensibilem, & subtus accende leni igne, & sit ignis duobus tãtum carbonibus. Deinde duobus aliis, tum inspicite, qualiter aqua ascendit, & descendit: videns autem vaporem jam cõsumptum esse, & nihil ascendere ejus quod elevabatur, nec descendere, scito ipsum jam coagulatum esse. Appone igitur ei ignem intensiori accensione, per tres horas diei. Deinde auffer accensionem, & dimitte in crastinum & aperi os cucurbitæ, & supinam eam ejice, tunc excidit ab ea massa alba, sincera, liquefacta cum gutture: propositum enim tuum est, & ad finem jam pervenisti, rege igitur eam, prout scis, & fiet sicut vis, Deo annuente.

DISTINCTIO SECUNDA: IN ARTIFICIO Sorin, de quo dictum est Sorie Sorin, à radice, ex cujus liquida tinctura peractum est aurum.

FILI scias, quod DEUS Moysen legem docuit' qui dixit, Deus meus, vultus meus vultum tuum simpliciter adorat propter magnitudinem tuam. Deus meus, quàm magnæ es majestatis, quod Deus docuit tantam sapientiam, quantam nemini ferè prædecessorum tribuit, qui ait, Deus meus, constitue mihi hoc in misericordia, & filiis Israël in victum, & fac me ipsum certius scire, quoniam omne bonum à te est. Deus autem ait: Scito, Moyses, quod non ignorantia, verum sapientia creaturas creavi. Docco igitur te artem auri, quod est caput mundi ex vilissimis. Scias quod unicuique creaturæ & compar & contrarium creavi. Non enim est compar ut contrarium creavi, nãque argentum vivum & Sehireh, & cõparia experientia statui, creavi plumbum, & vitrũ & similiter statui. Creavi æs combustum & aurum, & ea hujus artis fundamentum statui. Hæc igitur Moyses composita ut hominis rege naturas experientia comparia, aspectu vero diversa, quorum patentes colores, occultas non significant tincturas, nisi aqua regantur, & igne, & vento, & aëre, quorum regere jam vobis inspiravi. Incipe igitur pondera referre. Accipe de argento vivo unum, & de Sehireh duo, & alterum in alterum infer, ut aquam in terram. Deinde accipe de Sorin unum, & de dulci aqua duo, quibus Sorin liquefac. Deinde accipe de sale duo, & de dulci aqua tantundem, qua sal dissolve. Eo igitur purificato accipe de Sorin unum, & de salsa aqua duo, & utrumque commisce, quô argentum vivum imbue, quod suo comiti conjunxisti. Demum ejus aquam accipe purificatam, & fecem dimitte, quoniam in se invicem egrediuntur, & ex se invicem capiunt. Deinde accipe, Moyses, de vitro unum & de plumbo quinque, ac igne, & contritione utere, quousque & experientia unum fiant, & aspectu colore citrino, ut sol rubore superatus. His igitur peractis ea aqua ablue, eorumque tincturam aqua, & contritione extrahe, ac mortalia & combusta corpora omnino dimitte. Deinde totum æs ac aquam extrahe combustam. Deinde has tincturas igne & aqua ablutas compone & coaduna. Et accipe Moysis aquam salis aqua & igne dissoluti, & cave ne hæc postea absque igne regas. Hoc de occulta mea scientia nonnullos doceo servos vel ad misericordiam vel ad detrimentum.

Distinctio Tertia. Præcepta Monteni quæ dedit filio suo.

FILI, manus tuas in opere ponens. In nomine Domini dic. In nomine DEI, DEUS adjuva me & protege, & fac gratias redditurum. Deinde pone vasculum lene & expansum coram manibus tuis. Deinde accipe de arg. vivo panno extracto unum, & de arbore citrina, qua artifices operantur duo, tere & cibra ac dulci imbue aqua non multa. Deinde manu confice tua, quousque ejus sapor appareat, & citrinus color fiat intensior. Deinde conjunge eam arg. vivo, in vasculo tere, quousque arg. vivum moriatur ac denigretur, & fiant unum quid nigrum ut Kuhul dissolutus. Hoc igitur est quod Philosophus magnesiam vocat Kuhul, & plumbum magnetis, vocatur etiam saturnus, & duo corpora. Si vero arg. vivum & arborem multiplicare volueris, hoc modo te oportet facere & colorare. Deinde in medio vasculi ea conjunge & pone in sole, quousque ejus humiditas consumatur, deinde in vitreo vase, deinde vasculum coram te ponens, accipe ab eo paulatim concha. Deinde tere seriacum, quousque morte occupetur, & nigredinis intensione ut pulvis. Hoc igitur est magnesiæ vicinus, investigatione nonnulli perierunt. Deinde quodlibet discernens separatum tere & seriatim, deinde trutina & observa ad tempus opportunum. Deinde pone manus tuas in fugientium tingentium regimine. Accipe sorni orientale quod intensioris est ruboris & tinctura quam alia, quod si non inve-

neris accipe aliud. Et scito,fili, quod sorni est mars qui rubeus est experientia, aspectu vero citrinus, siccitate superatus,quemamodum mars est, & suæ tincturæ color, qui suum arcanum in sua aluo occultum est,dulci aqua axtrahendum pondus de sorni 10. ponderibus Argent. vivi, de arbore verò mixta & contrita pondus dragmæ pone in vase vitreo, & unicuique dragmæ duas dulcis aquæ 3. impone & per 7.dies dimittite,quousque sorni dissolvatur.Tota enim ejus tinctura exiet in aqua. Hæc igitur aqua est quam Philosophi omnibus rubei nuncupant nominibus.In libris enim ubi invenies rubeam animam fugientem, vel igneæ naturæ, vel sanguinem vel auri fermentum,scias Philosophos, sorni tincturam significasse, quam ad fermenti massæ comparationem fermentum auri dixerunt.Scientes quod absque fermento massa non emendatur. Fermentum enim ex massa est, & junctissima inest propinquitas, ex se enim invicem sunt similiter sorni ex arbore,& arbor ex sorni.Similiter universaliter omne genus suo genere & roboratur, & lætatur.Et scito,fili,certissimè, quod nullius lapidis est natura rubea & humida in eo occulta, aqua dissolubilis, & ignem fugiens,præter sorni. Sorni igitur trutinata aqua cõpositũ 7. diebus à fece purifica,Deinde vasi vitreo impone.Hoc igitur est regimen sorni, & trutinatio suæ aquæ qua mixtum est. Fili, quamplurimi hujus tincturæ investigatores ipsam ignorant, & unde fit,ac qualiter regatur.Demum accipe,fili,de sale cibario,albo, lapideo,& raro pondus ponderi Sorni æquale,& vasi vitreo impone;eique illius sorni trutinatam & commixtam aquam infunde, post tum dies 7. Peractis enim aliis 7. diebus, scito quod quanto magis sit liquidior, tanto fit pulcrior & tingentior.Hoc autem est regimen compositæ aquæ quam Philosophi descripserunt,quæ fit ex aqua sorni,& sale & uno opere.Audiens igitur in libris lac,lunam,solem, nũmos, album,rubeum duo argent. viva scilicet orientale & occidentale,duas tincturas,& duo ignem fugientia, scito ea esse salis spiritum, & animam sorni, qua Philosophi aqua dissolventes in corpore magnesiam congelaverunt, quibus & magnesia congelata est. Congelatis igitur ipsis,quatuor peracta sunt elementa,tria scilicet corpora, spiritus, & anima.Scito,fili, quod Philosophi in libris sal nummum vulgi nuncupaverunt, suæ albedinis causâ, quo & omnis indiget creatura. Et scito, fili, quod DEUS nullam tam jactavit in veteri lege creaturarum quam sal. Scito,fili,quæ tritura sal lenificat, ignis vero dissolvit,& quo ejus & argent.vivi humiditates cõmiscentur cum conteruntur, quas & ignis ad caput imbick sublimat. In inferiori vero parte imbick eas commiscet. Nihil autem argenti vivi humiditati est convenientius, humiditate salis. Ideoque complexione mixtæ sunt. Et scito quod tinctura sorni,humiditati salis convenit, quare complexione mixtæ in fine simul operis exierunt, in trium argent. vivorum figurationem, in quorum investigatione nonnulli perierunt, quæ se invicem tingunt, & abluunt, in quibus nil agit alienum. Hæc igitur sciens esto ratus. Et scito, fili, quod arbor, & tinctura sorni, & salis spiritus, argentum continent vi, quousque purificetur & abluatur, qui spiritus utrumque similiter abluit. Quando autem colorum nihil dimittit suorum sulphurum, quando ab eis extrahat exibit & ipse & arg. vivum ab omnibus periculis liberum, & ab omni coinquinatione mundum dimittit. Quod sapientiæ filii investigatores, tincturam sorni & sal mixta & aqua imbick dissoluta, ac in aquam versa rubeam videre cupiunt, & non possunt, & doloribus moriuntur erroris, & scito quod maximus labor & tædium est in arg.vivo regendo, & arbore quæ mixta est, contrita, coaptata, & conservata. Pone igitur argent. vivum in arborem cum pila, & eis aquam sorni & salis infunde, tere paulatim semper, & imbue, quousque in ea coagulentur, & sorni & sal trutina. Argentum igitur in totum in eo coagulatum, & citrinum tactum spissa albedine indutum, ut figuli lutum, in panem convertetur ut fermenti, pone usque in medio pilæ, cooperi per diem & noctem. Hoc igitur,fili, est quod Philosophi dixerunt,congelate argent. vivum in corpore magnesiæ absque igne.Mane autem accipe illum panem,& pone in vitreo vase, indito lutum bene coaptatum, cui de luto labia constitue, & testæ figuli impone, & pone luti labia, quæ vitreo fecisti vasi, super labia testæ,& cave ne vitrei vasis fundamentum tangat fundamentum testæ. Inter quæ fundamenta ut duorum digitorum spacium intersit. Deinde caminum ei ædifica rotundum ut testam capere possit,unius palmi & dimidii longitudine in æqualem latitudinem,& fac januam, quatuor digitorum longitudine & latitudine. Camino igitur deficcato pone testam in eo,in qua pones vas vitreum, quod figuli coorpertorium in medio perforatum cæles quantum vasi oportunum sit, ut per foramen stylus possit introire. Coopertorii vero circumferentiam, vasis labiis conjunge panno chitim viscoso, ac accende sub testa figuli lucernam inextinguibilem noctuque dieque 20.diebus,quousque elementa coagulentur ac in lapidem vertantur. Hic igitur est lapis pretiosissimus in quo quinque elementa coadunata sunt,& duæ aquæ. 20. igitur peractis diebus dimitte ipsum algere per diem & noctem. Deinde inspice quod si congelatum invenias,& toto humore privatum ac in lapidem versum, extrahe & diligẽter tere, deinde imbickvitreo impone.Et scias quod imbick Ethel interpretatur, quod est scandens, quod Hermes nuncupavit imbick, quo sal, spiritus & sorni anima,in argent. vivo coagulandi & arbore contra ignem bellantes extrahuntur.Hoc uti,queris, quamvis nihil esse videas,Philosophiæ tamen maximum est arcanum. Deinde ædifica filii, caminum imbick rotundum longitudine unius cubiti, in tantam latitudinem ejusque testam figuli novam impone, in qua pones cribrati cineris, quod palma junctis digitis continetur, ac imbick lutum indue usque in medium, ejusque labia faciens de luto super testæ labia incidentia, & cave ne imbick incidat supra testæ fundamentum, sed duorum digitorum distantia ea separa, & sit sub testa in camini medio canistrum de luto perforatum, quo possit pollex introire, ut inde cinis incidat, & carbonès accendendi causa ventus introeat, & cave ne ponas carbones supra foramen illud. Nam ignis devastaretur circa foramen ut ignis tuus aptetur & temperetur, & flamma privetur, ventus enim per foramen introit, & carbones accendit. Hic est igitur ignis Philosophorum, & quem Moysis Mariam accendere jussit, quem & Philosophiæ investigatores inquirũt,qui tres habet carbones, vel quatuor non plures. Hic inique ignis, arg.vivi & salis extrahit humiditates. Jussit autem Moyses Mariam ut hunc ignem accenderet, cum hanc regeret artem. Inchoans igitur argent.vivi & salis humiditatem extrahere leni igne, argenti enim vivi humiditas extracta fit corpus, cujus signum, fili, est videre arborem, & argent. viv.jam dealbata,& in cinerem versa candidum,argentum igitur vivum,jam corpus factum est, eo quod

eò quod humiditate privasti tunc ex se invicem capiunt,& invicem tingunt. Esto, fili,de igne sollicitus. quem si intensum facias, argent. vivum scandit, & arbor & sal rubea fiunt. Hoc autem, fili,non intimarem tibi,nisi expertus essem. Et scito,fili,quod nihil aliud fuit intentio Philosophorum, quam corporum humiditates extrahere, & ut arg. vivum in corpus vertant, quare igni suo pepercerunt. Scientes enim & experti nullum invenium ignem humiditates extrahentem alium quam lenem,oportet te,fili,sub imbik usque in occasum solis accendere per diem, sole vero occidente, dimitte ipsum frigescere per noctem. Mane autem summo,pone vasculum coram te, & aufferens imbick pone in sinistra parte. Demum medicinæ ut dimidium paulatim extrahe,tere, & in vasculo vitreo pone. Demum residuum extrahens tere, ac separatim in vasculo vitreo pone. Primum igitur tertium imbick impone, & desuper secundum tertium adde. similiter fac quotidie summo mane extrahendo,terēdo,ac superius inferius,inferiusque superius vertendo, quousque omnes exeant rores. Et scito quod primus ros exiens, argēt-vivi est humiditas,deinde sal,deinde tinctura sorni. Oportet te igitur,fili,parce & nihil amplius accēdendo,quàm 3.vel 4.carbones subjicere, quousque omnes exeant humiditates. Scito quod omnes aquæ dealbant, excepta sorni humiditate,prius enim salis spiritū citrino tingit colore. Deinde paulatim quotidie ejus tincturam augmentat, quousque rubea & sanguis fiat. Deinde paulatim quotidie diminuitur, quousque omnino consumatur. Et scito,fili,& firmissime tene, quod tritura salis & ignis sufficient, te expediunt ablutione, si parce aut temperate ignem accendas,sin autem comburis, & corrumpis, & desperas. Sustine igitur,fili,cōtine,ac parce, vique & audacia opus tuum suscipe,quoniam ad laudabilem pervenies finem. Cinere igitur, fili,dealbato, ac roribus omnibus extractis, argent. scilicet viv. salis & sorni,& nihilo remanente, eleva cinerem per Ethel figuli, & subtus accende à summo mane usque ad vesperas duobus lignis vel tribus, quousque arg. vivum extrahas liquidum,ab omni macula mundatum,quod totum extractum conjunge, ponensque in cucurbita, vel ampulla custodi, quousque eo indigeas. Et scito quod totius hujus dispositionis fundamentum est ignis, & trutinationes. Esto igitur solers in trutinando, & accendendo, in cujus initio & fine ab omnipotente DEO subsidium impetra, ac caute argent. vivum & arborem, prout jussi, operare, quousque unum quid magisterium esse videas: Deinde rege sal separatim, sorin separatim. Deinde ea conjunge,quousque una aqua rubea apud visum fiat. Experientia autem alba est, quam purificatam congela in argent. vivum, & arbore trutinata,trita& denigrata,ut utraque aqua in ea ingrediatur. Et scito,fili,quod illo rubeo argento vivo,& arbore coagulato, & ablata eorum nigredine,dealbabuntur apud visum. Tunc autem omnia conjuncta, cæco indigent vasculo, scilicet lutum induto; quod tibi narravi per parvam imbick. Dissoluta enim corpora & similiter conjuncta, & à se invicem pendentia complexantur, & ab eis cum deponuntur, non separantur, eo quod perforat illud quod eo coagulabit, quidquid autem ducis cum liquefit perforatus fit. Nonne vides auripigmentum unguento humectatum, & sublimatum prout plumbum exiens fieri perforatius, & subtilius, eo quod fit terrenum. Similiter omnis ixir liquefactus, habens spiritum super se apparenteni, pulvere perforatior est.

Ebelibe Distinctio quarta.

INQUIT *Eelibe*: Astanti, quæro à te ut mihi sapientiam nuncies. *Respondit*: Quare quod placet, nihil enim corrumpens prout emendans dimisi, quando patefacerem, ejusque nocumenta & Utilitates exponerem. *Et illa.* Describe igitur mihi aurum. *Respondit:* Aurum à plumbo corrumpitur, & ejus color alteratur, & à sua natura egreditur. Stannum verò æs dealbat, & ejus tubel, id est, scoriam diminuit, ac ipsum argentum rubiginosum facit, & ejus naturam alterat. At plumbum & auripigmentum ferrum corrumpunt, & à sua natura extrahunt. Lapidem autem pretiosum, queni philosophi descripserunt, nihil corrumpit, vel alterat unquam. Si igni imponatur permanentior fit, unde nec vires ejus nec actiones diminuuntur,quem si liquefacias liquefit, & si coagulas,coagulatur,& si dissolvis,dissolvitur,nemo ipso carere potest,omnes eo egent,qui & secum ei est: cujus plura sunt nomina, ejus tantum nomen; in quo nec arcanum est, nec diuersitas, unum tantum est, ubi non prodest, ibi nominatur, & ubi prodest ibi celatur. *Et illa:* Narra igitur mihi quid de auro dicis? *Resp.* Aurum pretiosissimum corpus est spiritum ac animam habens, ac umbra & rubigine carens. *Et illa*: Quid ergò dicis de argento? *Respond.* Est corpus spiritum, rubiginem & conquinationem habens. *Et illa*: Quid ergò de ære dicis? *Respondit.* Est corpus habens umbram & tubel,& viride æris,ac coinquinationem, & sulphur, & est tardæ liquefactionis. *Et illa.* Quid ergò de plumbo dicis? *Respondit.* Est corpus velocis liquefactionis, nimiæ coinquinationis,rarum & vile. *Et illa.* Quid ergò de ferro dicis? *Respondit*: Est corpus nimium tubel habens & est siccum, tardissimæ liquefactionis, nimiam habens rubiginem. Et *illa.* Expone igitur mihi spiritus. *Respondit:* Auripigmentum est calidum comburens nisi candidetur; sulphur autem igneam habet naturam, & ipsum liquefit ut gumma, quod & totum fumus est. Misadar verò volatile est, quod volat suis alis,& non percipitur. Ideoque dictum est aquila, propter nimiam velocitatem. Dragantum quoque nimiæ nigredinis est, velocis liquefactionis, & tardæ fugæ. Calcantum autem est gumma quæ liquefit, sudat, & conjungit. Nitrum verò est sal quod liquefit in aqua,& est ignis, quem si dimittis non liquefit. Si verò liquefacere conaris liquefit, & ipse coinquinationem mundificat. Sal quoque est aqua coagulata, quam si dimittis manet, & si moves movetur, & ipsa coinquinationem mundificat, & omne corpus abluit,& continet. Argentum autem vivum,est fumus coadunatus, quem ne volet frigus prohibet, qui calorem ignis passus nihil prodest,nisi in corporibus invicem conjungendis. Argentum enim vivum si igni appropinquetur in fumum vertitur. Et *illa.* Expone igitur mihil lapidem pretiosum *Respondit:* Libenter: Est lapis & non lapis, verum spiritus, anima & corpus, quem si dissolvas dissolvitur, & si coagules coagulatur,& si volare facias volat. Est autem albus volatilis, concavus, fassus, pilis carens, quem nemo sua lingua tangere potest. Ecce ipsum jam sua demonstravi descriptione. Non tamen nominavi, quo omnis eget locuples ac pauper, & omnes habere possunt, & in manibus suis est, ac pro eo cansatur. Si autem dixeris esse enm aquam, verum dicis. Si verò dixeris aquam non esse, mentiris. Cæterum si es vates, & super ipso meditetis, sperare potes ipsum te percepturum esse. Ne igitur deci-

piaris pluribus deſcriptionibus & comparationibus, unum quid enim eſt, cui nihil alienum infertur. Hoc igitur habeas propoſitum alia dimittens. Neceſſe eſt enim alios homines nomina multiplicare, quod ſi non multiplicarentur, pueri ſapientiæ noſtræ illuderent. Certiſſimè quidem ipſum tibi deſcripſi, ejus igitur locum inveſtiga, & nihil alienum ei inferas.

Quæſtio Herculis Regis à Stephano Alexandro. Diſtinctio quinta ſequitur.

INQUIT *Hercules Rex Stephano*: cum tempore noſtro hoc philoſophorum caput ſis. Quid igitur dicis de auro? *Reſpondit.* Domine Rex, Aurum pretioſiſſimum corpus eſt ignem patiens, tempore invariabile, neque enim tempore alteratur, nec aqua, nec terra, nec igne; parum tamen plumbi diruit ipſum. *Et ille.* Quid ergo de ære dicis? *Reſpondit.* Eſt corpus tardæ liquefactionis, velocis diſſolutionis, quod in viride æris vertitur. *Et ille:* Quid ergò dicis de argento vivo? *Reſpondit.* Eſt ſpiritus laudabilis, & corpus diſſolubile, & totum fumus eſt: apud ignem enim caret manſione. *Et ille:* Quid ergò dicis de plumbo? *Reſpondit*: Eſt corpus minimæ manſionis apud ignem, quod & argentum vivum eſt coagulatum. *Et ille*: Quid ergò dicis de ferro? *Reſpondit.* Eſt corpus duriſſimum ſolidum in lapidibus illatum, igni conjungibile à quo neque liquefit, neque diſſolvitur nec humores ipſum perforant. *Et ille*: Quid ergò dicis de auripigmento? *Reſpondit.* Eſt corpus corpora comburens, & apud ignem ab eis ſeparabile ſimiliter ut omnia ſulphura. *Et ille* Quid ergò dicis de Draganto? *Reſpondit*: Dragantum ex lapidibus extractum eſt, ideò eſt corpus intenſiſſimæ ſiccitatis, & fractionis. *Et ille*: Quid ergò de aluminibus dicis? *Reſpondit.* Plures inſunt colores, permanentia autem non ſunt, niſi conſtantia, & facilliimè diſſolvuntur regimine.

Dicta Salomonis, filii David. Diſtinctio Sexta.

INquit Salomon Filius David, cum ſulphur jactando narraret, & qualiter cum argento vivo ad invicem diliguntur, volo ait, argentum vivum ſignificare uxorem ejus albam à precioſiſſimo lapide inſtillantem. In libris autem 70. meis, quos narraturus ſum, docui ſulphur rubeum eſſe, ut ipſum dealbes. Deindè rubeum facies, & quodlibet agas, quod eſt peractum iKſir. In libris autem meis quos expoſiturus ſum, in nonnullis capitulis ſulphur, & ejus deſcriptiones & vias narravi quod hoc non imperfectè exponam ſeparatum, quoniam in epiſtolis 70. meis expoſui, perficitur. Et juro per DEUM meum, quod niſi hoc exponerem ad libitū, nemo poſſet regimen hoc intelligere illa conſideratione: Deus autē ad hoc accedere me fecit, eò quod famulorum ſuorum miſertus eſt. Philoſophi igitur narraverunt, ſulphuris multas eſſe virtutes, quod vel omnes vel plures rexerunt. Prætulit enim Deus omnibus lapidibus ſulphur, id apud nos prætulit, apud ignaros vile eſſe fecit, quoniam dicunt ipſum omnia comburere, frangere, pulveriſare, & omnino conſumere, quodammodo mentiti ſunt, quodammodo veridici. Philoſophi autem in eorum regimine omnibus his indigent modis, volunt enim ipſum denigrari, comburi, frangi, pulverizari, & ut ignem fugiat, & ut pulvis conſumatur, hæc omnia in ſuo eveniunt regimine. His autem omnibus peractis, fit corpus album, quod pulverizatur & liquefit, ut cholera, nec fugit ignem, nunquam nec denigratur, nec comburitur, ſi per centum annos ignis in eo egiſſet, quod cinis eſt philoſophorum. Hoc corpus igitur poſtquam dealbatur, & fit corpus ignem patiens, & ſeipſum continet, & tincturam, ruborem, ſcilicet fugientem. Hæ autem res rubeum facientes nihil aliud ſunt quam ſulphur, continent enim ſe invicem, diſſolvuntur, & dealbant. Hæc autem hinc rectificari poteſt, quod in ſulphure nemo habet, niſi unum tantum iter. Quidam autem regere tantum periti ſunt, ipſum verò regere ſolum vel dealbare minimum. Sciendum eſt autem, quod oportet eum qui ſulphur operatur, & dealbare, & attenuare, quousque diſſolvatur, & attenuetur, coaguletur, quod duas habet compoſitiones, albas, rubeas, & humidas & ſiccas, quarum utraque & trutinatio & regimen eſt.

Fiunt autē res quædam, & minoris & majoris quantitatis aliarum quarū duæ partes fiunt uni, & tres uni quando cōponuntur. In albedine autem prius una & ſeptē, ſimiliter & in rubore unum & novem, demū & album & rubeum componentem, fit corpus albi plusquam corpus rubei, & fit aqua quæ argentum vivum eſt, plusquam duo corpora: ſimiliter & fit rubor aquæ minor, & duobus corporibus. Hæc autem in priori compoſitione, quousque album & rubeum conjunguntur. Deinde aquam operare rubeam, unum & novem. Deinde ſextam partem dragmæ & Uncia. Deinde iſtas tres compoſitiones, & fiant unum & unum. Hæc autem omnia deſcripta ex una re ſunt, ex qua & corpora & anima, & diverſi colores exierunt. Hoc autem totum actum eſt, & hæc dealbatio aliquantulum habet prolixitatis compoſitionis.

Diſtinctio Septima. Tractatus Pythagoræ.

INQVIT PYTHAGORAS: Qui argentum vivum nō coagulat, album ignem patiens, & argento conjungit, nullam viam ad albedinem operandam exigat. Ad nihilum enim perveniet. Qui verò argentum vivum rubeum non conſtituit, ignem patiens, & auro conjungit, nullam exigat viam ad ruborem operandum: & ne fatiget ſuum corpus in his, ad quæ pervenire non poteſt, nec ei proſunt. *Idem ait:* ſcito quòd qui iſta duo conjungit corpora, deinde ea ſeparare poteſt utique, ea namque conjuncta leniſſimæ ſunt diſſolutionis, ac eorum intentio in argentum vivum diſſolutione eſt, quod eſt diſſolutum & volatile, & quicquid ei infers fit levioris fugæ ab ipſo, quam ipſum antequam diſſolvatur, ſpirituale enim eſt, excepta uxore ſua, quæ eſt de ſuo genere, ſulphure ſcilicet philoſophorum, cum eam albam conſtituis, cætera autem leviſſimè fugit. Intelligite igitur hæc, niſi quis ea coagulet exiſtentia, deinde diſſolvat, & tunc inquiſitores requieſcant. Et ſcito, quod ea quæ mortificas ſunt, quorum ſpiritus ſublimatione ſumis, & ea quæ vivificas ſunt, quibus ſpiritus diſſolutione reddis. Et ſcito quod diſſolutio eſt putrefactio, caliditate, & humiditate. *Explicit.*

Dicta Socratis ad Platonem. Diſtinctio octava.

INQVIT SAPIENS SOCRATES: Scito quod vitrum lapis mortuus eſt, igne tamen viſcoſus factus eſt, & ejus ſpiritus apparuit, ſuo igitur ſpiritu in viſcoſitatem agit, cum tamen perforare non poſſit. Et inſpice ſulphur & auripigmentum & argentum vivum qualiter ſunt perforantia & commixtibilia, in eis namque ſunt ſubſtantiæ quæ liquefiunt & commiſcentur. *Ait Geber:* Inſpice quàm egregiè hic philoſophus Socrates & quam acutis

eſt in-

est intellectus, qualiter hos lapides singulariter discernens, ambiguitate homines ac cæcitate privavit. Deinde videns hoc in demonstratione non sufficere in unoquoque eorum singulariter tractavit. Dixit enim : sulphur autem totum substantia est, quod cum coagulas, penitus rem perforat totam : videns autem hoc non sufficere, qualiter fit demonstravit; dicens : Quod argentum vivum cum argenti bene dissoluti aqua imbuitur, surgit & non potest fugere, eò quòd argentum vivum ab eo non superatur : eò quòd se invicem consequuntur. Complexa namque non separantur. *Inquit Socrates*: Scito, Plato: Quod si cum corpore quod non liquefit spiritum coagules, ne penetret & perforet prohibetur, ut vermilio. Draganto quoque coagulatur, quod liquefieri prohibet. Verum tamen sulphur coagulatur. Eorum enim quæ rei non commiscentur, nihil rem coagulat, & omne quod coagulas, cum eis quæ liquefiunt & commiscentur liquefiet, & commiscebitur. In quo est de ikfir, elementis non parum probationis sciens & faciens, fœlix æris : In aliis verò infortunium patiens. *Ait Socrates* : Omnis lapis qui fit aquinus super ignem, deinde complexibilis fluxibilis, deinde spiritualis spiritualitatis; simul & humidus & frigidus, coadunabilis fit niger albedini : si vero calidus fuerit, & siccus, fit magis rubori, quamvis duo ikfir universaliter sint frigidi & sicci, eò quòd ikfir essentialiter oportet esse frigidum & siccum, & ut habeat similiter existentiam & constantiam, ac continentiæ intensionem. Deindè *inquit* : Si in ikfir spiritum multipliciter multiplicaverit, nunquam malleo extendetur, quod non fit nisi amarissimis intellectibus ac viscosis, nec fit nisi in verissimo ikfir cujus siccitas in eo patens est. Liquefactorum autem siccitas in eis occulta est auri, sicut omnium corporum liquefactorum, quod significat qualiter ikfir generatur & qualiter se habeat, quod perpetua nota est. *Inquit Socrates* : vegetabilium quidem, & animalium omnium tenuis pars est magis quam spissa, quare apud ignem fugienti fit similis, non obest nec commiscetur. Excipiuntur ossa quoniam calci similia sunt in liquefactionis raritate: Deindè *ait*, animalium ut & vegetabilium spiritus à suis facilius corporibus separantur, poris enim expansis, habitus non continetur, nec quicquam viscositatis, sed est ut terra aquæ juncta, quæ accenso igne separabitur, & suum corpus igni tradet, nihilque recipiet. Item *Plato ait*: fundamentum artis experimentum est. Qui enim res non examinat nihil unquam habebit. His igitur verbis esto solicitus operari. Item *ait*. Non contineas lapides qui suum pondus non sequuntur: Quod igitur suum sequitur pondus contine, quod verò non, dimitte.

Distinctio Nona quorundam Sapientum.

INQUIT Quidam Sapiens: quod corpus cum candidatur album sulphur nuncupatur. Item *ait* : flos est aqua nummosa. Item ventus de calamo est anima, quemadmodum de fistula ventus exit. Item plumbum & corpora quæ combusta sunt omnia, & posita in vase, de calamo, deinde extracta ab illo vase & distillata. Item : jam philosophi ratiocinationibus hæc demonstraverunt, cum dixerunt : Accipite omnia quibus egetis de hac gumma, de terra, & operamini exinde omne bonum multorum nominum, eo quod bonum est aqua nummosa. Item cinis & corpus dirutum humore, quod primò fit quando omnia corpora fiunt aqua nigra. Item quod res submersit Unum quod est, sine quo nihil fit scilicet ut feras, quod omnes philosophi testantur. Item cum perficitur, punitur, frangitur, & mari abluitur quousque ut pulvis fiat, nuncupatur æs combustum ab ipsis & nummus. Item æs combustum est alba compositio. Item aurum effebilius est ikfir, assatur scilicet ixir, in quo est aurum & aqua nummosa. Item hic nummus philosophorum est, & qui tingit. Item prima dealbatio est confectio, secunda verò est aquæ in ea infusio, vocaverunt itaque istam dealbationem vaporem, & ignem proprio nomine. Postea opus lucet, eò quod aqua jam peracta est, quæ omnibus facilior est ad tincturam recipiendam: Item illa aqua apud visum argentum vivum est, quam sulphuri jam mixtam voluerunt philosophi argentum vivum nuncupare. Argentum vivum factum est rubeum Cambar, hoc autem in secunda compositione, de qua philosophus ait : Scitote quod plumbi natura facilior est omnibus ad convertendum in plurimos colores. Item ideò triturâ, decoctione ac reiteratione usi sumus, ut animas extraheremus, quæ in vase sunt, quas ignis superans non desistit comburere, aqua tantum sulphuris imposita prohibuit, ne ignis eas combureret, & ne quid flammæ eis eveniret; naturâ autem usi sumus, ut res sibi invicem commiscceremus. Similiter dixerunt, nisi corpora incorporea convertatis, in nihilo estis. Item tritura, & aquæ elevatio est res terrena. Item *inquit* sapiens, notandum quod sulphur est æs, æs verò est rota confectio, alterum quoque sulphur est arcanum suo regimine perfectum. Item argentum vivum est, quod putrefactum est & decoctum, & est ixir & aqua nummosa. Item crocus est aqua sulphuris, & est Ethel sulphuris, quod totum opus est. Item omnis res ideo est, ut omne corpus tingat, & nisi res omnes unum quid fierent, dealbantes & rubeum facientes, non diceret philosophus pone super æs & fiet aurum, supra aurum, aurum, supra aurum inquam effebilius & fiet aurum purpureum. Item aurum inquam & aurum purpureum nihil aliud esse quam colores. Item aqua munda est tinctura rubea, & est aqua munda alba, quæ licet alba videatur, experimento tamen rubea est. Est autem venenum quod res dealbat, quod & æs dealbat, ferrum lenificat, stanni strepitum auffert ac plumbi humiditatem. Item æs candidare est à sua natura ipsum extrahere, quousque ejus privetur nigredine. Ideoque ait, ante omnia res lenifica. Item aurum & nummus nil aliud sunt quam duo colores. Item & aquæ rubea & Etheliæ, est rubeum facere, quod ex argento vivo fit. Item venenum igneum est aqua nummosa, notandum peracta ponite post hæc in leni igne qui ipsum superat & maturat. Item cave ne ponas res plures quam nummum, & comburantur corpora, deinde coque, leniter, & cum arescit imbue ipsum. Deindè coque & cum arescit iterum imbue, cum aliquantulum arescit aqua. Et scito, quod si ipsum ad plenitudinem imbuas, deindè ignem augeas per dies quosdam, esloriam videbis rubeam, ea igitur visa rubea in locum ipsum sublima, quousque omne fugiens ascendat : hic quidem est ars aquæ nummi. Item licet philosophi de hoc veneno multipliciter tractaverunt, nihil tamen aliud est quam corpus animabus mixtum, quoque fiat anima subtilis & tingat corpus. Ideò ait : Qui potest aurum in venenum vertere jam opus invenit.

Distinctio Decima.

ARs Astronomiæ & Physicæ omnibus publica sunt: Ars autem nostra procul dubio ignota est

Qui enim non liquefacit nec coagulat, nihil habet, artis noſtræ, aliud quam vanitates. Qui igitur denigrat terram ut Kuhul, à proprio colore, mutatam aquam & animam ſeparat, & deindè dealbat, ad propoſitum perveniet, & bona habebit. Denigra igitur ac diſſolve albo igne quouſque videas ipſum ut gladium denudatum, & fac dealbando corpus candidum, & duc eo animam, cum ſit liquefactum, & fige totum in rabido igne, id eſt naturali. Quoniam ignis interſectus vivificat, qui hoc peragit ſapiens dicitur, probus enim Deus & ab omnibus deſiderabilis erit.

Diſtinctio undecima.

COmplexio neceſſaria eſt, quæ perfecta eſt diſſolutio, utrumque enim in aquam verſum, neque ignis ab invicem ſeparat: verum ſi quid eorum conſiterit, conſtat ſimiliter & alterum, & ſi quid volaverit, ſimul volant. Secundum autem diſſolutionis aptitudinem, conſtantia fit. Porro rerum diſſolutio ſapientiæ eſt perfectio, ac regiminis initium eſt perfecta commixtio; veritatis vero ſignum eſt humiditatum ſiccitatumque conjunctio, eorumque invicem commixtio ac nigredinis ſuper eas apparitio. Secundus autem gradus eſt putrefacere, & terere quouſque dealbentur. Tertius verò gradus eſt ſpecies abluere, deindè à ſiccitatibus; quæ cinis ſunt, humiditates ſeparare, deinde rubeum facere, & quod ab illis exit, ad ipſum vertere, quouſque dealbetur totum, & in candidam vertatur aquam lacteam, quod vel 40. vel quinquaginta fit diebus. Lapidem vero omnem nuncupaverunt propter colores in eo exiſtentes. In eo namque quoddam volatile eſt. Philoſophorum ova fugientia inſunt, quæ omnia mixta & putrida in ſpiritus vertuntur, quare gallinæ ovum nuncupaverunt, vivum namque eſt, non mortuum. Quod autem tingit unum quid eſt, unum quod ſuperat, & unum quod continet, vivificat, mortificat, fugit & conſtat. Hæc igitur omnia elementa ſunt: cõtinete ergò conveniens & linquite diverſum, quod minimè commiſcetur: Similiter etiam pulveres. *Inquit* Hermes: corpora corporibus tinguntur: ut igitur corpora in non corpora, incorporea verò in corpora vertatis, ponite maximum corpus ſuper ignem, & parcè coquite. Si enim in lapidem vertatur nigrum optimè rexiſtis: ſin autem, regite ipſum albo, quouſque Kuhul fiat nigredine coopertus. Et ſcias quod nigredo hæc 40. tantum manet diebus, vel 50. in qua ponis ferrum, æs, ſtannum, plumbum, & argentum vivum, & ſcias quod in omnibus corporibus ſcintillæ occultæ ſunt. Et quod argento vivo nigredo ineſt occulta, & quod nihil aliud extrahit ea quæ in corporum alno occulta ſunt, quàm argentum vivum & ignis. Accipe ſulphur album & auripigmento commiſce & alteram ſpecierum, deinde redde; quibus verbis ejus mundificationem & ablutionem conatur ſignificare. Poſſibile namque eſt duas ſimul ſpecies abluì & mundificari. Sulphur enim & auripigmentum capientes, poſſumus uſque ad finem ultimum mundificare, quæ octo ſunt ſpecies, eò quòd elementa coadunaverunt, quod nec ſulphure ſolo nec auripigmento potuit fieri, res verùm in qua univerſaliter elementa ſunt. Cum autem duæ ſint lapidum ſpecies, in regendi momento, caliditas & ſiccitas, utrumque habere neceſſe eſt, hæc ſpecies inquirit hujus ſpeciei colorem, & declinat ad eam, & ſiccitatem ſimiliter, exceptis illis omnibus aliis elementis. Hoc autem facit naturam naturâ perforari, naturam naturæ opponi, naturam naturam vivificare, & naturam naturam neci dare, & fit quodlibet ſui comitis gratia fortius ad ſuas coinquinationes expellendas, ſcilicet accidentia de ſuis corporibus prædicata, nõ in priore ſulphuris eſſentia, in ſua complexione inventa ſuperius exiſtente cum iniquitatis corporibus. Coinquinationes igitur auffer, & à ſuis expelle corporibus, fit utique ut res expulſa, cui pars ablata eſt quam inquiris. Quod non fit niſi duabus vel tribus ſpeciebus, vel in pluribus rebus, in una enim & ſimplici re minimè fit. Elementorum primus ordo eſt. 35. menſe uno. Secundus ordo eſt XV. menſibus tribus. Tertius ordo eſt. XX. menſibus. V. mense. Quartus ordo eſt XL. menſibus octo, quantò magis manet, tantò ſimilius fit & pari proprius. Elementorum primus ordo eſt tribus diebus. XVIII. Secundus ordo eſt novem diebus LIIII. Tertius ordo eſt quindecim diebus XC. Quartus ordo eſt XXIIII. diebus CXLIIII.

Diſtinctio duodecima.

VT autem corpus rareſcat, & ſicut ſpiritus tenuiſſimum fiat, oportet ſapientes diſſolvere, ex ſpiritus namque materia corpus nihil recipit, niſi tenuiſſimum fiat ut ſpiritus. Tenuiſſimum namque tenuiſſimo jungitur, & ſpiſſum fugit. Tunc enim anima corpori miſcetur & conjungitur, tamen unius ſunt ſubtilitatis, at niſi terra in aquam vertatur, aqua vero in ignem, ſpiritus & corpus nequaquam conjunguntur. Sapientum autem pondus ſic ſe habet, ut corpus æqualis ſit ponderis animæ ſubtilitati. Similiter & dealbatio quæ eſt finis diſſolutionis. Tunc enim terra vivificatur, & vegetatione ſumpta in quamlibet convertitur naturam, & tibi ad tuũ obediet libitum. Similiter dicunt in calcificatione, & combuſtione quibus ſubtilizationem ſignant & dealbationem, Calcificationis autem expoſitio, eſt quod calx eſt lapis igni conjungibilis. Ideoque calx eorum, eſt corpus ſpiritu compoſitum, compoſito namque lapidi corpus comparaverunt, ſpiritum verò igni: Altero autem igne attenuationem, & diſſolutionem ſignant: ignis enim comburit, attenuat, ac liquidum à turbido ſequeſtrat. Tunc & ſpiritum & aquam mundam ſiquidem illud nuncupant, fecem verò deorſum reſiduam cinerem & ſtercus ejus, & liquidum jam captum eſt, & turba & turbidum extractum ut cibus. In argenti vivi autem coagulatione in corpore magneſiæ ſic inquiunt, quod argentum eorum vivum eſt ſpiritus, quod corpori contineri volunt: magneſiæ verò corpus, eſt corpus quod diſſolvunt, ut in ipſo ſpiritum componant, magneſiæ nomen eſt compoſitum, quod eſt ſpiritus ſimul & corpus. Narravit & quod omne corpus diſſolvitur: Inquientes enim non omne corpus diſſolvi nihil ſentiunt. Regimine autem, ad voluntatis finem perveniente, & compoſitum dealbatur, & natura naturâ continetur.

De metallis regendis Diſtinctio decima tertia.

COrporum autem regimen, ut prædiximus, eſt calcificatio, ſcilicet diſſolutio animarum, regimen, ventilatio, perſiſtentia & patientia ſuper ignem, cum fluxu & dilatatione, demum omnium, invicem complexio, ut non ſequeſtrentur & ſeparentur. Si æris elimatio argento vivo teratur, & inter duo vaſcula ſublimetur calcificabitur. Similiter plumbum & ſtannum calcificantur, auripigmenti autem & ſulphuris tingentium, ſcilicet quæ propoſitum ſunt. Ideoque corpus eis junctum eſt, ut ea contineat, roboret, &

firmiora & ponderosiora faciat. Spiritus verò junctus est, ut ea fluere faciat, & eorum dilationem augmentet & actus conservet. Regimen enim unum scilicet combustionis extractio, quæ nigredo est suis accidens corporibus, quæ combustio alio modo fit generandi. Qui enim absque corruptione retrahit ad regna jam pervenit.

De compositi divisione. Distinctio decima quarta.

UNUM & est duo, & duo & sunt tria, & tria & sunt quatuor, & quatuor & sunt tria, & tria & sunt duo, & duo & sunt unum. Inquiunt quidam, venerare humiditates, reges namque sunt magnanimi injuriam non patientes, parce ergò eis & eorum capta benevolentiam, & suis oculis tibi dabunt, ut quodvis ab eis habebis: si enim injuriam eis infers, & intolerabilia eos ferre cogas, & non decipias quousque tibi obedientes fiant ad libitum, te fugiunt & dimittunt proposito privatum, & laborem perdis. Ajunt quidem: Si quis juraßet, eos igni non appropinquare, atque igne perfici, verum diceret: dixit etiam, eos à fluxibilitate non separari, & quod terram ignis liquefacere non posset. Nec aliud præter ex sulphure & argento vivo compositum *Inquit Plato*: Qui suam transmeant sapientiam, ut plusquam triginta denaries expendant, arcanum percipere non possunt. *Ait Socrates*: Inquirite frigus lunæ, & invenietis calorem solis, & ait: Utantur manus vestræ operibus, ut onera vobis allevientur: quia septem erraticorum planetarum percipit colores, ut unus eorum Saturni scilicet color operetur. Et notandum est, quod in compositione ignium est eorum arcanum. Cæterum si congelata corpora aqua dissolvas, apud eos in terra eris philosophus. Similiter corpora cum calcinantur, moriuntur & non complexantur, Si autem cum eis spiritus coagulentur, ad ea quæ non complexantur perveniunt, super his meditare. Similiter calcinando salia & calces, nunquam argento vivo conjunguntur. Si enim eis dissolutis misceatur, deinde igni desuper separantur, cæterum cum ponderosiora dissolvuntur, se invicem complectuntur & continentur, nec cum ponuntur in igne separantur, eo quod perforans est, & illud congelasti perforans, quare simul perforant.

Distinctio decima quinta.

NOTUM habeas, quod viscosa humiditas duplex est, pugna videlicet ignis, & prohibens suo corpore separari & sequestrari. Quibus frater vobis signatur, quod oportet complexionem esse humiditate tantum, & ne corpora sicca combustione, nec spiritus calido & sicco consumantur. *Inquit Socrates*: Aurum est sulphur, aqua est argentum vivum & corpus est tale. Amplius, rerum dissolutio, complexio, & consequentia, sunt philosophiæ perfectio. Audiens igitur consecuti sunt se & se invicem receperunt, nec se invicem consequuntur, nisi dissolutione & congelatione. Cerefactio namque non fit, nisi dissolutione & congelatione. Cerefactis namque his & complexatis, ad inquisitum pervenies arcanum. Deinde ait; Sulphur argenti vivi humorem est desiccans, corpus vero minimè, suus enim spiritus ei satisfacit: Aqua quoque in hoc opere dissolutio est frigiditatem & humiditatem possidens fixam, quæ non potest in lapidem verti putrefactione, aqua enim ingrediens fluit in semick tinctura scilicet & unguento, tinctura autem suæ naturæ caliditate & ficcitate, unguento verò suæ naturæ caliditate & humiditate. Fac ergo quatuor complexari quatuor, & continuè imbue, tere & cerefac quinquagies parcè. Deinde aqua eo perungitur, dissolvitur, compositum coagula, & ex eo pone. Proinde ad hunc perveniens, fac duo elementa se invicem complexari hoc modo, & tere quodlibet per se in pila vitrea; ea vero ut medulla lenificato, pone inferius in quo terra & aurum sunt, rejice ei desuper illud, in quo argentum vivum & unguentum sunt, in opere enim melius fit. Deinde fortiter tere, quousque scias ea jam esse completa. Deinde compone eis ex aqua priore, quod rarescere ea facit, & fortiter tere, cerefac & extrahe, tere, misce, rarescere fac, ac continue tere, quousque res deficcetur, & terendo similiter assa quinquagesies, quousque teratur & fluat. Deinde pone unum super millia de argento.

Ignis est sulphur, unguentum vero argentum vivum, & terra est corpus in quo tincturæ permanent, de ipso prædicate, cum ixir regitur, & ejus pars minima apud te remanet, & tunc elementa compone. Deinde ea 3. & 4. fac complexione complecti: volens autem ea cereari, ut in ea acetum ingrediatur, pone super quaslibet 100. dragmam unam de ixir, dissolve & coagula, & fiet pulcherrimum.

Distinctio decima sexta.

DIXIT *medicus Democritus*: qui non albificaverit animam, id est, argentum vivum, & exaltaverit eam, & rubificaverit corpus rubeum, quod est æs, & expulerit ex eo caliginem, & extraxerit ab eo flatum fœtidum, & dijudicaverit educere animam ex corpore, tunc apparuerunt mirabilia apud utriusque æquationem erit medicus. Et dominatio sive perfectio hujus operis, est putrefacere, terere, & dissolvere & albificare, deinde operatio cum eo.

Distinctio decima septima.

ET *dixit*: Si aptaveris vasa tua, & ponderaveris ignem tuum, scito quod argentum vivum, & auripigmentum sufficient tibi, ad vitam tuam, in ætate tua. *Et dixit*: Præparate bellum inter rubeum & candidum, quoniam anima est velocis ambulationis in corpore suo, & si reduxeris eam ad aliud corpus, non suum, non intrabit in eo. Et venenum hujus operis est anima ex anima & anima est fugitivi, & hæc anima cum candescit, faciet candidum corpus rubeum. Et quia ignis lentus est maxima corporum operatio, ideo vocatus est ignis candidus, & hæc operatio duplex est, quarum prima est, corpora cocta comprehendere, & accipere animas eorum tinctorias. Et secunda operatio est decoctio animarum cum corporibus, de mineris sumptis.

Distinctio decima octava.

ET *dixit*: Non fit anima tinctoria, nisi ex corporibus conjunctis, quæ denominata est anima & vapor, & oportet ut extrahatur anima cum lento igne, quod est ignis candidus, quoniam cum decoctione lenta accipitur anima fugitiva & tinctoria, instrumento corporis humidi. Sed intellige, & nota, quia omnia opera non fiunt cum festinatione, in omnibus negotiis, & attende igitur in opere tuo & proficies, si Deus voluerit.

Distinctio decima nona.

ET *iterum dixit*: Considera quomodo est unum pugnans contra ignem, & secundum non pugnans,

grans, sed quando commiscentur, simul dealbant contra ignem, id est, resistunt igni, & belligerum est corpus citrinum, & minus belligerum est fugitivum.

Distinctio vigesima.

ET *dixit*: Dirige fumum candidum, donec non fugiat ab igne, & dirige leonem viridem, id est, auripigmentum citrinum, donec excidas eum, & dirige terram, id est æs, donec tingas eam: sed cum perfecisti illud, scito quod jam dijudicâsti causam tuam, & appetisti opus tuum, & adeptus es gaudium tuum, sed intellige, & nota, quoniam si non excideris fratres istos, quia non habes in manu tua aliud ex scientia, nec habes aliud ex directione, quod sunt fratres, & sunt ipsi negotium cum obstaculo suo, id est visibiles, & negotium intelligenti eum, & expositio petenti ipsum, & intellectus operanti ipsum, & gaudium consequenti eum. Sed quando excideris leonem, & fumum candidum, conjunge suos germanos, & præbe eis eorum jus ex directione, & invenies quod affectas, cum laude Dei.

Distinctio vigesima prima,

ET *dixit*: Et non sis piger nec velox multum in putrefaciendo calculos, & corpora collocata & conjuncta: & attende in opere tuo, & perficies sicut dixit medicus Democritus; putrefac medicinam conjunctam, id est commixtionem quantum poteris, postea quod ex ea exierit, erit venenum, & non inatur cerebrum, tere illud, quantum plus poteris, & putrefac illud, & abstrahes ab eo profectum multum, scilicet venenum mortiferum, penetrativum in corporibus. *Et dixit*: Coque illud in primo, id est in initio negotii tui, sine ventosa. Deinde coque illud post cum ventosa, donec educas venenum ex eo, & venenum illud interpretatur anima, quoniam est in eo illud, quod quæris: sed intellige.

Distinctio vigesima secunda.

ET *dixit*: In ablutione lapidis marcasitæ, ad opus accipiatur ex ea argentea, & teratur, & ponatur in bono aceto, & coquatur, donec egrediatur ejus obscuritas, & ejus nigredo, & mutabis ei acetum tribus vel quatuor vicibus, donec exeat ab ea acetum mundum, & expendes eam in negotio tuo, quoniam ipsa facit candidum æs, & constringit stannum, illi qui aptaverit eam, sed intellige.

Distinctio vigesima tertia.

ET *dixit*: Accipe præceptum tibi ex propinquis, & declina à longinquis, quia in proximis est res inventa, secundum providentiam. Accipe lapidem natum in itineribus humi, & effice illum aquam, & quiesces à sollicitudinibus. Sunt autem duo lapides, benedixit Deus eis, quoniam conjunguntur & efficiuntur ad similitudinem butyri. Sed necesse est ex dissolutione & cõglutinatione uniuscujusque. Sed totum quod confidis est ex indissolutione, & conglutinatione vel coagulatione. Hoc est per creatorem secreti simplex sapientia nostra, thesaurizamus eam ad fratrem perseverantem secundum pacem.

Distinctio vigesima quarta.

ET *dixit*: Argentum vivum sublimatum & coctum albificat æs, post ablutionem æris, & extractionem obscuritatis ejus, & arsenicum perficit illud, quia affectus argenti vivi non fit, nisi cum decoctione & tritura, usque septem vicibus, donec efficiatur compositio candida, ad instar crystalli limpida, munda, penetrans eam visus. Et nota quoniam dixit, quod indicium totius operis est putrefactio, & interpretatur tritura & decoctio. Et dixit, quod argentum vivum est illud, quod vincit omnes complexiones, & punit eas & interimit eas, & extrahit animas eorum, & cum eo permiscentur, & conficiuntur humores, & cum eo æquantur complexiones, & cum eo commiscentur, & cum eo coarctantur, & cum eo albificantur. Sed judica super eum, & accipe animam ejus in tinctoriam penetrativam in corporibus & non effugiat tibi. Et oportet in primo negotio ut dissolvas corpora per cinerem candidum, & non fiet tritura nisi cum aqua, id est argento vivo. Sicut dicit Hypocras, tere & coque, tere & coque usq; septem vicibus, quia fiet venenum tinctorum ultimum. *Et dixit ei*: In præparatione commixtionis & compositio, vel confectio, & calefac idem, præpara commixtionem tuam adustione, id est non adustum, & extrahe ab eo nigredinem & obscuritatem ejus & appareat candor ejus: deinde congelabis eum, & tinget cum eo omne corpus, tere, commisce, & coque, & contere, & exsicca, & tere, donec efficiatur subtile, & præpara illud ad instar speculi, videbis in eo faciem tuam. Deinde utere ex eo in opere tuo, & corpus humidum est fugitivum, & præpara eis donec extrahas ab igne nigredinem, & sorditiem ejus. Nota, quoniam qui non exaltaverit aquam, id est argentum vivum, & acceperit vaporem, quod non habet in manu sua aliquid ex physica, & aqua est humidum, id est fugitivum, & vapor est anima humidi: Et venenum est tinctura mundificata fixa, penetrativa in corporibus: anima est humidi, & humidum est argentum vivum.

Distinctio vigesima quinta.

ET *dixit*: Accipe mineras cum suis ponderibus, & commisce cum argento vivo, id est aqua, & præpara eas donec efficiantur venenum igneum. Et sicut extraxisti umbram æris, & nigredinem ejus, ita extrahe umbram trium corporum, & eorum nigredinem, & præpara venenum, donec efficiatur anima, tum est hoc secretum maximum, quia illud albificat æs, & constringit stannum, & mollificat ferrum, & prohibet sonitum oroisir stanni, & humiditatem plumbi, & hæc omnia nomen unum & compositio una, ille qui intelligit, intellexit. Et NOTA: quoniam argento vivo inest nigredo & umbra, sicut in aliis corporibus inest nigredo ac umbra, & oportet ut extrahas nigredinem ejus & umbram, & omnium quinque corporum similiter. Et NOTA: quod res quando commiscentur, universæ efficiuntur res una: Et quando coquuntur efficiuntur fugitivæ, ut argentum vivum, alteræ cum alteris, & congelantur & sublimantur alteræ cum alteris, & congelantur ad invicem, & egreditur ex omnibus eis anima tinctoria, scilicet venenum penetrativum in corporibus, & est quod petivimus & laboravimus super eum, & scrutati sumus, sed invenimus cum præcepto DEI. Et nota, quod commixtiones fugiunt ex calore ignis, quia sublimantur usque ad coopertorium vasis. Sed quando aperies super eum rades universa, & sublimabis usque vicibus, donec accipias animas eorum: sed efficitur jus fortissimum durabile ad ignem.

Distinctio Vigesima sexta.

ET *dixit*: accipe argentum vivum & congela illud in corpore magnesiæ tantummodo: Et conjunxit verbum primum & postremum æqualiter, quoniam dixit: accipe argentum vivum, congela illud in stanno. *Et dixit*: munda stannum cum præcipua ablutione corporum, & mundificatione eorum, & scies quod ex vicibus convertatur argentum vivum ad congelandum, ut non erres in opere tuo, nec dissipes causam tuam, sicut dixit Democritus, mundifica stannum cum aqua præcipua, & hæc est præparatio prima, convertere eum cũ argento vivo: *Et dixit*: converte illud in laminas injuriæ ad mundandum stercus ejus, & illud est tertium: *Et dixit*: Tere compositionem cum uncto, hoc est quartum. *Et dixit*: ablue illud cum aceto, & hoc est quintum, *Et dixit*: Tere Litargirum cum ablutione, & hoc est sextum, *Et dixit*: accipe alborra tale, id est, confectionem sexies ablutam, & contere eam cum urina vituli, & est septimus gradus: Et ego præcipio tibi, ut discernas, & diffundas corpora injuriæ, quoniam si compleverunt suis gradibus, & superadditur eis bonitas, & exaltatio in utilitate eorum: Et quanto plus addideris, addes utilitatem eorum, sed hoc est apertum secretum. Et quidquid fuerit ex nominibus, quæ nominaverunt medici, ex ære, vel bucelia, vel argẽto vivo, vel stãno vel levamine auri, vel argẽti levamine, sed intellige, quod concordati sunt ea, id est nomina, ad sublimationem, vel confectionem, & contegerunt eorum nomina propria. Sed non te terreat aliquid ex illis, quæ præceperunt cum eis medici ex tritura, vel fundere, vel coquere, quia hæc est compositio una, & nomen unum, quoniam pervertit ignis colores eorum, sed unicuiq; colori nomen. Tritura prima, denominaverunt eam plumbum: Sed quando egreditur nigredo ejus cum decoctione, denominaverunt eam argentum: sed quando putrefit, denominavere eam æs: Et quando funditur super eam humiditas, id est argentum vivum sublimatur, putrefactio: Et post egressionem nigredinis, & apparitionem citrinitatis, denominaverunt eam aurum. Sed quando fuerit tritio, ex tritura nominatum est flos auri. Et quarta fermentum auri. Et quinta vice, Etheliæ nomen est ei proprium. Et sexta vice, aurum purpureum: Et septima vice, venenum igneum tinctorium ad corpora. Sed intellige, & NOTA, quando venenum efficitur candidum marmorum, jam appropinquat tincturis, & coloribus, & non permittit eas ut fugiant ab igne. Et albare est æs, & dicitur primum opus & dicitur magnesia, & secundum scilicet opus alabar candidum, quoniam mineræ, id est lapides ex mineris, non possunt ingredi in corporibus nec tingere ea, sed tantum illud, quod tingit ea, est venenum igneum aerum dissolutum, vel submersivum in corporibus. Et accipe, id est attende in aptatione præparationis, & diuturnitate trituræ, & decoctionis, & multiplica cum ablutione. Et oportet ut sit vasi cui operaris amplum os, ut sublimetur fumus & fumositas, deinde descendat ab eo usq: ad deorsum vasis, deinde sublimetur, donec ingrediatur ab eo quod postulas. Et ideo præcepimus putrefactionem ejus multoties, donec sublimetur totum in coopertorio, & elevetur aqua, quæ est tinctura. Et quando volueris ut coquas confectionem, sed dirigere terreum vas, cum suo coopertorio perforato, deinde pone in ipso medicamen, & delutabis coopertorium ollæ, & coque eam donec ingrediatur humiditas lenta, humida & sicca, *&* *dixit*: misce humidum cum sicco, donec accipias lentitudinem siccam egredientem ex aqua humida, accipies aquam humidam lentam siccam, scilicet animas eorum, sed non quiescas, ut convertas humidam super siccam, & coquas illud donec efficiatur rotum animatum igneum tinctorium ad corpora, & hoc est secretum medicorum, & venenum quod scripserunt in libris suis, quoniam sunt venenum unum, id est tinctura una vel nomen & unum mandatum, vel negocium vel præparatio una. Sed dimitte à te multitudinem nominum eorum, & intellige, quoniam elevatio aquæ, & elevatio vaporis causa una est: sed intellige, & invenies, si Deus voluerit.

Distinctio Vigesima septima.

CONVENIT *Aron* cum Maria prophetissa sorore Moysis, & fuit Aron accedens, ad ipsam honorandam, *dixit ei*: O prophetissa, audivi siquidem multoties de te quod cibificas, ciniveras vel gummas de die tuo. *Et dixit Maria*: utique ô Aron, si ergo esses de parte DEI mei *Dixit Aron eidem*: quomodo erit illud quod tu asseris? ô Prophetissa quando albificamus lapidem intra mensem per magisterium magnum. *Dixit Maria*: ô Aron, nunquam de parte ista mortuæ sunt gentes: ô Aron, nosti quod est aqua hæc res albificans intra mensem. *Dixit Aron eidem*: hoc ita ut dicis, ô Domina in tempore longo. *Inquit Maria*: quod Hermes dicit in omnibus libris suis quod philosophi albificant lapidem suum in hora diei: *Inquit Aron*: Quam istud est excellens! *Inquit Maria*: excellentissimum apud eum qui ignorat illud. *Inquit Aron eidem*: ô Prophetissa si sunt apud hominem omnia quatuor elementa exari, id est completa, quæ possunt complexionari, & conjungi & coagulari eorum fumi ac reneri die uno. *Dixit Maria*: ô Aron, si non essent lepos tuus & sensus tuus firmus, non audires à me verba hæc, donec impleret cor meum probationem voluntatis de me: veruntamen accipe Alumen de yphonia gummi albi, & gummi rubeum quod est Kibrick philosophorum, & eorum aerum, & tinctura major & matrimonifica gummi, scilicet album, cum gumma scilicet, rubeo, vero matrimonio. Intellexisti, ô Aron? utique *dixit Maria* Et fac illam sicut aquam currentem, & purifica hanc aquam veram divinam, laboratam, ex duobus renibus super corpus fixum, & liquefac per secretum naturarum, in vase philosophiæ. Intellexisti, ô Aron? utique. *Dixit Maria*: custodi fumum, & cave ne fugiat aliquid ex illo, & esto mensura ignis tui, sicut mensura caliditatis solis, in diebus Iunii & Iulii, & morare prope vas, & intuere mira, quomodo nigrescet, in minus quàm tribus horis diei, penetrabit fumus in corpus, & spiritus stringetur, & erit sicut lac incerans, liquefaciens, & penetrans, & illud est secretum occultum, ô Aron *dixit Aron*: Ego non credo quod erit hoc semper. *Dixit Maria*: ô Aron, mirabilius isto de eo est, quod non fuit apud antiquos, nec accessit ad eos per meditationem, & illud est: Accipe herbam albam & claram, inhonoratam errantem super monticulos, & tere ipsam recentem, sicut est in sua hora, & in illa est corpus verum non fugiens ab igne. *Dixit Aron* Nunquid illud est lapis veritatis, ô Domina? *utiq; dixit Maria*, nesciunt homines regnum ejus, vel regna cum velocitate sua. *Inquit Aron eidem*: & postea quid? *dixit Maria*, rectifica super illud Kibrick, & Zernecc, & ipsa sunt duo sumi complectentes duo luminaria, & projice super

mollificans

moilificans vel complificans tincturarum & spirituum per pondera veritatis, tere totum, & pone ad ignem, & videbis ibi miracula. O Aron, regimen totum est in tempore ignis! ô quàm mirum, quomodo movebitur de colore in colorem, in minus quàm hora, quousque deveniat ad metam rubedinis, & alius valoris, & tunc decide ignem, & dimitte in frigidum, quia tunc invenies ipsum corpus margaritale clarum, in colore papaveris silvestris, mixtum & celere & illud est inceraus liquefaciens & penetrans, & cadit ejus aureus super. 12. 13. recepto 12. Intellige ô Aron: tunc procidit Aron inclinatus manibus ejus. *Dixit, Maria:* leva caput tuum, ô Aron, per Deum brevifico super te rem, si Deo placuerit. Accipe illud corpus projectum super monticulos clarum, quod non capitur, putrefactione vel metu, & tere ipsum cum gummi, alezaremos & cum duobus fumis, quia comprehendificans spiritum, est gummi, id est arg. vivum vel dragantum, & tere totum, & appropinqua igni, & liquefiet totum, projecisti super ipsum uxorem, & erit sicut aqua distillans, & quando percutiet ipsum aër, congelabitur, & erit corpus unũ, & fac projectionem de ipso, & videbis mirum. *Et dixit Maria,* ô Aron, & illud est secretum stoliæ. Et scias, ô Aron, quod prædicti duo fumi sunt radices artis & sunt Kibrice album, & calx humida, & philosophi nominaverunt ea multis modis & omnibus etiam nominibus. Sed corpus fixum est de corde saturni, comprehendificans & comprehendens sapientiæ stoliæ. Et acceptum de monticulis est corpus album, clarum, & istæ sunt medicinæ artis, pars comparatur, & pars invenitur super monticulis. Et scias quod sapientes nõ nominaverunt illud complures stoliæ, nisi quia in hac stolia sunt mirabilia: intrant namque in illa 4. lapides, & suum regimen verum est, sicut & illa est propriorum stoliorum. Abel & Seth filii ejus, & per illud allegorizavit Hermes stolias in libris suis, sed gentes nunc ceciderunt super maneriæ sui, & legificaverunt Philosophi regimen, & simulaverunt opus quodlibet, quod non oportet facere opus illud, & faciunt regimen, uno anno per occultam ignorantiam, & Philosophorum, donec firmetur in cordibus eorum, & in sensibus, quod ars non complebitur præter in anno, quod est secretum magnum, & quando audiunt illi de secretis nostris, non verificant propter eorum ignorantiam in arte. Intellexisti ô Aron? utiq; Domina mea: sed narra de isto vase, sine quo non complebitur opus. *Dixit Maria:* Illud est vas Hermetis, quod occultaverunt stolidi, & non est vas ignorantium & mensuræ ignis, cui tu es sapiens: ulterius audi conditionem meam, ô Aron, & avide plectere, donec sum in mundo, quia impossibile est evasio motus, quia quatior ab ipso. *Dixit Aron eidem:* ô Domina, an audisti in secretis stoliarum, quæ posuerunt in libris, quod ars possit facere artem de corpore uno? *Inquit Maria:* Utique, quod Hermes dixit quod radix stoliæ est corpus indolabile, insanabile, & est toxicum mortificans omnia corpora, & plumbificat omnia, & coagulat mercurium odore suo. *Inquit Maria:* Ego juro per DEUM æternum, quod illud toxicum, donec sit aqua subtilis, non curo qua solutione fiat, coagulat reibec, id est mercurium in lunam, cum rubore veritatis, & incidit in sonum rasas, & lætificat ipsam, & in omnibus est corporibus scientia. Sed stolici propter longinquitatẽ probationis, & eorum vitæ brevitatem, invenerunt hæc elementa congenera vel contingentiora, & ipsi decreverũt ea præter vas Hermetis, quia illud est divinũ sapientia DEI occultatũ gentibus, & ipsi ignorant veritatis regna propter eorũ ignorantiam vasis.

Maria mira sonat breviter quod talia donat,
Gummis cum binis, fugitivum fugit in imis,
Horum in trinis, tria vincula fortia finis.
Maria luxoris legem ligat in tribus horis.
Filia Platonis, consortia jungit amoris.
Gaudet massata, assata, per tria sunt sociata.

Distinctio Vigesima octava. Dicta Helini.

CUM essemus supra quodam fluvio, quidam homo ascendens dixit: scitote quod pater meus sol dedit mihi potestatem super omnem potentiam, & induit me vestimento gloriæ, & totus mundus me quærit & currit post me. Ego enim sum maximus, & sanus ab omni ægritudine & omni mascula, & sapientes jam sciverunt virtutem meam & altitudinem. Ego enim unicus sum, & assimilor patri meo, qui unicus est, qui dedit mihi virtutem istam, & gratiam ex gratia sua. Et homines quærunt à servis meis fusibilibus, id quod quæritur à me, non tamen pervenerunt ad id, nisi per me: & terra cum omnibus viribus suis me humiliare non potest. Imò, ego sum super eam, & super omnes servos meos, donec humilio eos, & extraho de potentia, & natura eorum, & induo eos splendore & lumine meo pulchro, quem dedit mihi pater meus in omnibus operibus eorum. Ego enim sum excellens qui exalto & deprimo cuncta, & nullus servorum meorum potest super me, nisi unus, quod datum est ei, quia contrarius est mihi, ipse destruit me, non tamen destruit naturam meam; & ipse est laturnus, qui separat omnia mea membra: postea ego vado ad matrem meam, quæ congregat omnia mea membra divisa & separata. Ego sum illuminans omnia mea, & facio lunam apparere patenter de interiore, de patre meo saturno, & etiam de matre dominante, quæ mihi inimicatur. Verum tamen nisi hoc fieret, non possem bibere de animabus animalium, & plantarum. Sed ego venio cum calore, ad expellendum virtutem & iniquitatem eorum, scilicet patris & matris meæ à me. Ego sum habitans super faciem mineræ, & tribuo servis meis de extremitatibus meis, & nomen meum vocatur nominibus magnis, & qui studet in me, non curat de aliquo malo, sed non saturantur ex me. Ego defero naves per mare, & fabrico civitates defertas, non quæratis in eis magnitudinem meam. Nuncio ergo vobis omnibus sapientibus, quod nisi me interficiatis, non potestis sapientes nuncupari. Si vero me interfeceritis, intellectus vester erit perfectus, & in sorore mea crescit luna secundum gradum sapientiæ nostræ, & non cum alio ex servis meis, etsi sciretis secretum meum. Ego sum sicut frumentum seminatum in terram puram, quod nascens crescit & multiplicatur, & affert fructum seminanti, quia omne quod generatur, generatur genere suo, & quodlibet individuum multiplicat formam suæ speciei, & non alterius, quemadmodum ex frumento frumentum nascitur, & sic de aliis, & in hoc exposui vobis omnes figuras. Cum itaque egero cum uxore mea alba, pura, humida & munda tactu, addo pulchritudini faciei suæ, bonitati, & virtuti suæ. Ipsa enim est obediens mihi. Unde cum fuero unicus cum ea nihil melius in mundo, nec æquipollens mihi. Ipsa enim impragnabitur & germinabit, sicut ego in substantia & colore, quoniam hoc modo multiplicatur semen meum. Ex me enim simile nascitur, sicut quando seminatur granum frumenti unum, nascitur, multiplicatur, teritur, cribellatur, & fit panis, ex quo venit totus mundus, & fabricatur orbis terræ ex misericordia mea, nec deficit, quia

quia donũ DEI est. Ego illumino aërem lumine meo, & calefacio terram calore meo, genero & nutrio animalia, plantas, & lapides, & dẽmo tenebras noctis cum potentia mea, & facio permanere dies & noctes, & illumino omnia luminaria lumine meo, & omnia etiam in quibus est splendor, & magnitudo, quæ quidem omnia ex opere meo sunt, ex quo indumentum ex vestimentis meis, & qui quærunt me faciunt pacem inter me & uxorem meam. Ita quod non separatur à me, & misceatur mixtione inseparabili, & hoc fiat quando extraxeritis me, partum patiatur à natura mea, & partum uxorem meam à natura sua. Et postea occidatis nos, & suscitamur resurrectione nova, & incorporali, & quod postea mori non possimus. Nam post resurrectionem habebimus gloriam, & fortitudinem sempiternam, tunc gaudent omnes, in prosperitate magna, qui sciunt secretum. Et scias quod sol vigoratur in tribus domibus igneis, scilicet in ariete, leone, & sagittario, & virtus solis est in tribus istis, quoniam domus Arietis est domus solis, & principatus; & domus leonis est sua secunda, & domus sagittarii est ejus tertia. Et in primâ istarum incipiunt dies crescere: & calor augeri, & ipsa est caput arietis: In secunda domo istarum compietur tempus in calore, scilicet domus leonis: & in tertia earum diminuuntur dies, & calor, & omnia dissipantur, & sol quoniam emendatur crescit, & germinat in igne, quia sunt tres ignes; primus, medius, & extremus, & primus & postremus non sunt necessarii, sed medius qui est circa domum leonis, intellige ipsum & custodi, & inquire ipsum & pone in mente tua, & si addideris in tinctura sua, & minueris grossitudinem, juvabit te, quia una ex eis 1000. de luna mutabit, & hoc erit in fine sui caloris, & fiet in diebus 90. donec medietas ejus consumatur, & altera remaneat ejus & ita cum eo illuminabitur luna; parum super multam magnitudinem, Benedictus DEUS Amen.

Distinctio Vigesima nona. Dicta Stephani.

INITIUM sapientiæ est timor Domini, & amor sapientiæ, quia qui diligit sapientiam, & ipsa diligit eum, & ipsa efficiuntur similia. Omne enim simile diligit suum simile. Item initium sapientiæ est timor Domini, & ejus obedientia.: Sapientes enim dixerunt, aperi oculos tuos, & cor tuum, audi & intellige, ostendam & dicam tibi verba intelligibilia, quæ scire poteris, si fueris de intelligentibus. Scias quod ex homine non erit nisi homo, sic ex quolibet animali sibi nascitur simile: videmus enim aliquas res natas à radicibus suis dissimiles, quod videmus res alas habentes generatas ex non habentibus alas; videmus etiam & scimus res aliquas, quas homines nesciunt, de quibus egreditur natura, quam scimus quod sufficit nobis, & ignoratur, qui sunt res profundæ, & si quæritis de eis forsitan invenietis. Sicut aër superior, ita inferior subtus terram. Et scias quod de ista natura minerali fitars, non de alio, quando invenietis citrinum de servo rubeo, cujus aquam tam pauperibus quam divitibus largiuntur, & de uxore sua tenera munda & molli, & provida, quæ siquidem est natura bona, quia diximus tunc sufficit nobis. Mundaverunt igitur locum sapientes, ne pulvis tangeret eum, in quo loco est illa natura bona quam diximus. Meus enim propinquus est flumen largitus donatione, & ipse est notarius rubei quod egreditur ab intula maris, & quod ex eis apparet de colore citrino, est melius omnibus, & à sua natura est natura bona & melior eo, quando est præparatum; & demonstratio sua erit propinqua, & summa ejus erit magna, respectu ejus, quod apparet modo. Pone igitur citrinum illud super ipsam; quod præcepit uxori suæ; ut antequam imprægnaretur, intraret balneum sine aqua, & habitaret in obscuro loco noctis, donec ejus corpus indueretur. Ponatis ergo in domo unâ eos continue, donec duo fiant unum, ut sint spiritus unus & color unus, & tunc cum sciverint hoc filii eorum, quod ex eis nati sunt, revertentur ad eos; & stabunt in medio eorum, quia de eis facti sunt in loco ubi habitaverunt similiter, sicut placuit eis; & DEUS fecit eos sapientes postquam quieverunt à labore suo. Venerámini regem & suam uxorem, quod nesciis furorem eorum. Nam si ostenderet iram suam, super nos, auferret à nobis regnum suum. Qui sapiens est, me intelliget, & qui non sicut Bestia, & non imponat mihi ignorantiam suam. Accipe igitur viam brevem, & abbrevia longam, & ipsa est ex citrino bono, & uxore sua, si quid præcipiunt & docent scientiam & sapientiam omnibus aliis, sicut ex uno genere multa fiunt genera, & ex uno dactilo fit magna arbor. Ego enim cooperui rem istam, sed non tantum ut non possis intelligere, & hæc via publica & larga, qui tamen eam tenere voluerit, teneat semitam directam, & data aliis ex eo quod vobis obtulit, quia ipse gratis vobis dedit, vobis ego feci hunc tractatum dum vixero; & postmodum relinquatur aliis quibus voluerit. Scias, frater, quod sulphur est pater omnium liquabilium corporum, & mercurius est locus ejus in quo ipse Kibricc operatur, id est; sulphur in eo, est enim humiditas cibus ignis; & siccitas, cibus frigiditatis. Et sicut opus mercurii est in medio Kibricc, ita opus Kibricc est in medio mercurii, & omnia corpora fiunt Mercurius; & fiunt congelata per calorem, & siccitatem Kibricc, & ipse coxit eum sicut pasta, & omnia corpora fiunt substantia una, & quando fuerit completa eorum decoctio fiunt sol. Et quando fuerit sicut pasta, sunt diminuta ab eorum decoctione & perfectione, & congelatio eorum est à frigido, & propter hoc quando ponuntur ad ignem, unit eos ignis, &, facit fugere illud in quo nigra abundat siccitas, tanto magis & citius congelatur, & illud quod apparet de auro, est Mercurius congelatus ex subtiliori & puriori parte sulphuris. Color ergo citrinus est ex albo & rubeo; & quando ambo sunt in igne, scilicet Mercurius & Kibricc, primo fiunt nigri, deinde, rubei; postea citrini, & aurum est citrinum, & rubeum; & si Kibricc non tingeret eum, non tingeretur. Et scias quod hæc est veritas propter quam homines laborant, ut inveniant colorem citrinum, qui egreditur à servo rubeo, & uxore sua alba, ergo postquam scitis sororem suam & intelligitis citrinum quomodo exit à servo rubeo, tunc scietis me verum dicere, & veritatem agnoscere, & ego ostendo vobis veritatem paulatim, & si ulterius explanarem etiam pueri scirent.

Expliciunt Distinctiones.

TVRBÆ

TVRBÆ PHILOSOPHORVM
aliud Exemplar.

PLacuit; CANDIDE LECTOR, *ut utilitati tuæ consulceremus, aliud quoque Turbæ exemplar, quod apud nos fuit, adscribere, non tàm propter ordinem diversum, quàm propter sententiarum & Philosophorum nominum varietatem. Contingit enim, ut in altero volumine, idem diverso efferatur sensu, & verbis, & authore alio, ut tu in re tanti momenti, non aberres, sed quod tibi magis arriserit, sequaris in tuis operationibus.* Vale.

SENTENTIÆ sunt Sapientum, collectæ in tertia Synodo Pythagorica: In qua dicitur Arisleum Philosophum discipulos Hermetis ac Sapientum majores congregasse, & unumquemque in medium aliquid adferre de lapide vegetabili jussit, ut posteritati ars sacra innotesceret: & qui ad hanc capescendam animum appulissent, ad veritatis semitam ducerentur. Eximindus autem vir senex, & optimi consilii jussus est primus ut loqueretur.

SENTENTIA I.

EXIMINDUS. Vobis doctrinæ filiis notum facio, in tium omnium rerum creatarum naturam quandam esse, primam, perpetuam & infinitam, omnia coquentem & regentem, cuius actiones & passiones ab iis tantùm sciuntur & noscuntur, quibus notitia artis sacræ data ex. Insuper dico, stellas esse igneas, & aërem ipsas temperare. Nam si aëris spissitudo & humiditas non esset, quæ Solis flammam temperaret, subsistentia omnia Sol combureret. Deus autem aëra separatim constituit, ne combureretur quod in terris creavit. Nonne videtis, ô scientiæ filii, Solem ascendentem in cœlo in aërem vincere & calefacere igne suo, quo calefacto, ad subsistentiam calor pervenit, inspissans & condensans spiritus, è quibus creaturæ generantur? Aër enim coarctatur, & ab aqua continetur, atq; ideo aër superatur, quia eius calor Solis calori, ejusq; humiditas aquæ jungitur humiditati. Nonne videtis tenuem aquam in aërem ascendere calore Solis eminente, & Solem ea delectari ac adiuuari? Quod si aëre tenui suo humore non iuvaret aqua, proculdubiò ignis ipsum superaret. Ignis verò ex aqua abstrahit humorem, quo aër contemperatur, & tunc ipsum ignem superat. Ignis ergo & aqua sunt inimici, inter quos nulla est consanguinitas: eò quòd ignis est calidus & siccus: & aqua est frigida & humida. Aër quoque cùm sit calidus & humidus, concordiam habet cum aquæ humiditate & ignis caliditate, atque ob id fit amicitia generans. Inspicite omnes fructus, qui ex tenui vapore aëreo fiunt, eò quod Solis calore ex aëre & vita monstratur: & hoc ex Dei ordinatione.

SENTENTIA II.

YSINDRUS. Magnifico aërea, eò quòd ipsum opus aëre emendatur. Cùm inspissatur, rarescit, cùm calescit, frigescit. Ejus autem spissitudo fit, quando in cœlo disiungitur propter Solis elongationem. Eius verò raritas fit, quando exaltato Sole tabescit aër & & clarescit. Similiter fit in Veris complexione, in temporis nec calidi nec frigidi distinctionem. Nam secundùm alterationem dispositioni s constitutæ, ad disiunctiones anni alterandas, hyems alteratur: aër igitur inspissatur, tùm cùm Sol ab eo prolongatur. Aëre verò rarescente, propè fit Sol, quo propinquo, calor pervenit hominibus.

SENTENTIA III.

ANAXAGORAS. Dico quòd principium omnium quæ Deus creavit, est pietas & ratio: eò quòd in creatione apparuit pietas, & ipsum terræ ratione sperata: pietas autem non videtur nisi in corpore. Proinde scitote Sapientum turba, quod spissitudo omnium quatuor in terra quiescit: eò quod ignis spissum in aëra cadit; aëris verò spissum & quod ex igne spisso congregatur, in aqua incidit. Aquæ verò spissum, & quod ex ignis & aëris spisso coadunatur in terra quiescit. Nonne videtis quòd istorum quatuor spissitudo in terra conjuncta est? Ipsa igitur terra omnibus est spissior ad hæc Turba: Verum dixisti, terra certè est omnibus spissior. Quod verò istorum est rarius & dignius? respondit, Ignis est rarior in his quatuor, rum & ad eum pervenit rarum istorum quatuor. Aër verò est minus rarus igne. Nam calidus est & humidus, ignis verò calidus & siccus. Calidum namque & siccum est rarius calido & humido. Dicunt enim sapientes, quod minoris raritatis sit ignis aëre, & terra minoris raritatis aqua, eò quod frigida & sicca. Et quemadmodum siccum calidum est rarius humido calido, ita siccum frigidum est minoris raritatis frigido humido.

SENTENTIA IV.

PYTHAGORAS. Behè aptastis, ô filii doctrinæ, harum quatuor naturarum descriptiones, ex quibus Deus cuncta creavit. Beatus ergo qui intelligit quæ descripta sunt, quoniam majora non proponentur; perficite tamen sermonem vestrum. Ad hæc dixit:

SENTENTIA V.

PANDOPHIS. Significo posteris, Quod est tenue aquæ, & quod non separatur ab ea, manet supra terram siccam, hoc est, aër absconditus in aqua quæ sub terra est, qui fert terram ne mergatur in aquam, quæ est sub terra, & prohibet ne terra humectetur aqua. Aër is factus est complexus, inter diversa separans aquam & terram, & inter adversa aquam & ignem, ne se invicem destruant. Huius rei proponam exemplum: Ouum, in quo quatuor coniuncta sunt: eius cortex apparens est terra, & albumen aqua, pellicula verò tenuissima cortici iuncta, est separans terram ab aqua, ut dixi, quòd sit aër separans terram ab aqua, rubeum verò oui est ignis, & pellicula rubeum continens est aër, aquam separans ab igne, & tamen utraque pellicula unum sunt & idem: aër tamen frigidam separans terram & aquam ab invicem spissior est aëre altiore. Et aër altior est & subtilior & rarior natura aëre inferiore, quia igni propinquior In ovo itaque sunt quatuor, terra, aqua, aër, & ignis, & punctus Solis in medio, rubeum scil. quod est pullus: Ideoque omnes Philosophi, in hac excellentissima arte, ouum descripserunt, ipsumque exemplum suo operi posuerunt.

SENTENTIA VI.

ARISLEVS. Scitote, quòd terra est collis, & non est plana, unde Sol non ascendit super climata terræ una hora. Nam si plana esset, uno utique momento ascenderet supra totam terram. Insuper dico quòd Deus sit unus, unumque genuit, neque tamen genitus, & quòd omnium caput post se est terra & ignis. Et quia ignis est tenuis & levis, regit omnia: terra autem cùm sit spissa & ponderosa, fert omnia quæ regit ignis,

SEN-

SENTENTIA VII.

LUCAS. Vos non nisi de quatuor loquimini naturis, unusquisque vestrum de his aliquid dixit. Ego autem vobis notifico, omnia quæ Deus creavit, ex his quatuor esse naturis, & quæ ex ipsis creata sunt, in eas revertuntur. Inde generationes fiunt, prout Deus destinavit. Et hæc fuit hactenus Indorum & Babylonienſium Philoſophorum ſententia abſolutiſſima.

SENTENTIA VIII.

LOCUSTOR. Naturæ duæ ſunt tantùm quas Lucas deſcribit, quarum altera neſcitur nec deſcribitur, niſi pietate & ratione; alia non videtur nec ſentitur, & eſt cœlum. Tertia quidem natura adjungitur, quæ ſentitur; videtur & ſcitur, & hæc eſt quæ continet quicquid ſub cælo ineſt uſque in terram. Et tamen percipit ratio his quinque ſenſibus adjuta, viſu, auditu, guſtu, odoratu & tactu. Album à nigro ratio diſcernit, viſu: verbum bonum à malo, auditu: dulce ab amaro, guſtu: gratum ab ingrato, odoratu: & leve ab aſpero, tactu. Quod ad illam naturam, quæ nullo horum ſenſuum percipitur, natura eſt ſublimis, quæ tantum ratione & pietate percipitur, & eſt Deus ſublimis, qui lucem fecit, quæ eſt Sol, ſcilicet qui omnibus ſubtilior eſt creaturis, ut lumen præbeat Mundo: qui conſtat duobus denſis, & duobus raris. Et nihil denſorum eſt in creatione ſublimi, eò quod Sole & omnibus inferioribus creaturis ſit ipſe ſubtilior & rarior.

SENTENTIA IX.

PYTHAGORAS. Dico Deum ante omnia fuiſſe, cum quo nihil fuit antè cùm fuit, & ideò hoc dico, ut opinionem veſtram roborem de elementis, de arcanis & ſcientia ſacra, ad quam ratio non pervenit, niſi annuente Deo. Et intelligite, quòd Deus cùm ſolus fuiſſet, quatuor creavit res, ignem, aërem, aquam & terram: de quorum ſtirpe tàm ſuperiora quàm inferiora eſſe dedit: & ſecundùm prædeſtinationē ſuam ex his tanquam à radice omnes creaturas fecit, ut omnibus huiuſmodi creaturis laudaretur ſublimis & homo rationem & judicium exerceret. Quapropter ante omnia quatuor elementa ordinavit, ex quib. cuncta formavit, ſcil. diverſas creaturas. Ex uno elemento videl. igne fecit Angelos: ex igne & aëre Solem, Lunam ac ſtellas, atq; ob id Angeli Sole, Luna & ſtellis lucidiores, eò quòd ex uno ſingulari, quod eſt quartum, rarius creati ſunt. Cœlum ex duobus eſt compoſitum ex uno rarorum, ſcil. aëre, & altero denſorum, ſcil. aqua. Animantia autem partim creata ſunt ex igne, aëre & terra, ut bruta animalia: partim ex igne, aëre & aqua, ut volatilia. In vegetabilibus non eſt ignis. Ex terra namque, aqua & aëre ſunt. Quòd ſi quis veſtrùm velit in vegetabilibus ineſſe ignem, non abſurdum erit; ex aeris calore enim abſcondito ignem habebit, ut antea in hoc congreſſu dictum eſt, ignem tenuem eſſe aeri. Ignis verò de quo dubium haberi poteſt, non ineſt, niſi ſpiritum & animam habentibus.

Ex quatuor autem elementis, igne, aere, aqua & terra, homo creatus eſt, unde morti ſubiectus, quia compoſitum ſequitur diviſio, id eſt, mors. Ex uno verò quod eſt creatum non moritur, quia nulla ineſt diviſio. Ex duobus autem, vel tribus, vel etiam quatuor, unumquodq; compoſitum ſeparari neceſſe eſt, quod nt morte. Et ſcitote, quod omne compoſitum igne carens non comedit, nec bibit, nec dormit: eò quòd in omnibus ſpiritum habentibus ignis eſt, qui comedit: Angeli autem non comedunt eò quòd ignis ſimplex, qui & rarum dicitur, non comedit, ſed ſpiſſus ignis: Angeli verò ex ſimplici & raro igne creati ſunt, ob id non comedunt, nec dormiunt. Et ſic ſolvitur dubium, de quo quis veſtrùm dubitare poſſet.

Ad hæc Arisleus inquit: Quoniam ad poſteritatis utilitatem vos congregavi, nihil utilius futuris explicari poſſe exiſtimo, quàm ſi quis veſtrùm deſcriptiones elementorum enarrârit, ea methodo, ne ab incipientibus agnoſcatur: doctrinæ verò filios non prætereat.

SENTENTIA X.

EXIMENVS. Ex quatuor elementis creata ſunt omnia: ſcil. cœlum, throni, Angeli, Sol, Luna, ſtellæ, ignis, aër, mare, & omnes aquæ, terra, & diverſa, ac ſimilia. Nec eſt diverſitas in his, quæ dixi, niſi quia quælibet illarum creaturarum diverſæ eſt naturæ, & ejus natura ex diverſis legibus eſt diverſa. Et hæc diverſitas ineſt omnibus creaturis, eò quòd ex diverſis elementis ſint creatæ; & ſi eſſent ex uno elemento, convenientiam haberent inter ſe. Verùm elementa quando commiſcentur, ipſum commixtum nec eſt ſiccum per ſe, nec humidum, nec calidum, nec frigidum. Cùm autem conveniunt, exeunt inde creaturæ, quæ nunquam perficiuntur, niſi priùs putrefiant & corrumpantur apud viſum. Deinde verò dat Deus incrementum: videlicet vitam, cibum, alimentum & gubernationem.

Audite, chariſſimi, non fruſtrà vobis has elementorum deſcriptiones enarravi. In iis enim latet arcanum abſconditum: quorum ſcilicet elementorum duo videntur, & eorum virtus & opus ſcitur: alia verò duo non videntur, nec tanguntur, nec videtur virtus vel opus eorum, niſi in prioribus duobus elementis. Et niſi jungantur illa quatuor elementa, nihil operantur. Cùm autem conjunguntur, deponunt naturas, & aliud fiunt, ac fiars gignitur: quare ſuper his meditamini. Inſuper ſcitote, omnes filii doctrinæ, quòd nulla fit tinctura vera, niſi ex ære noſtro. Nolite ergo animas veſtras & pecuniam in vanum conſumere, nec triſtitiam cordibus veſtris inferre. Non enim quicquam facietis, niſi prædictum æs in album vertatis, ac numos experientia faciatis: deinde album illud rubeum faciatis, donec tinctura efficiatur. Illud igitur æs confringite, comburite, & nigredine private, coquendo, imbuendo, & abluendo, quouſque albū fiat: deinde cōſtringite eum arte.

SENTENTIA XI.

ARISTENES: Hujus operis clavis eſt numorū ars. Accipite igitur corpus, quod vobis demonſtratum eſt, ac in tabulas tenues coaptate: deinde maris noſtri aquæ imponite, quæ dum regitur, Aqua permanens dicitur. Pòſt imponite leni igne, donec tabulæ confringantur, & fiant aquæ, & Etheliæ jungite, & lento igne ſimul aſſate, donec fiat brodium ſaginatum, & in ſuam Etheliam vertite, quouſque coaguletur, fiat numus varius, quem Solis florem nuncupamus. Coquite eum deinceps, donec nigredine privetur, & albedo appareat. Poſtea regite ipſum, & animam auri commiſcete, & coquite, donec fiat Ethelia rubea, quam terite cum patientia, nec vos tædeat eam cum aqua imbuere quæ ex ea exivit, quæ eſt permanens, donec rubeum fiat. Hoc enim eſt æs combuſtum, & auri flos, & fermentum: quod cum aqua permanente dirigite, poſtea deſiccate, donec pulvis fiat, & omni humiditate privetur.

SENTENTIA XII.

PARMENIDES: Scitote quod invidi multipliciter tractaverunt de aquis, brodiis, corporibus & metallis, ut scientiam inquirentes fallerent. Hæc ergo dimittite, & aurum numosque fieri facite ex hoc nostro ære, & æs aut plumbum pro pinguedine, vel nigredine, & stannum pro liquefactione sumite, scientes, quòd nisi veratis naturas & dirigatis complexiones, & sanguinea sanguineis jungatis, nihil operamini. Naturæ quidem suis obviant naturis, & sequuntur eas, & lætantur in eis, & cum putrescunt, gignuntur. Natura enim regitur, & modo, quo cecidit, relevatur, & dum diruitur, vertitur in pulverem, & in nihilum reducitur: deinde regeneratur, & renovatur. Intendite ergo noscere, quid est quod eam putrefacit & renovat, & cuius sit sapotis, & quæ longinquitas & propinquitas, & qualiter post inimicitiam fiat amicitia, & qualiter accidat corruptio & generatio, & qualiter illæ naturæ complectantur invicem, & quomodo in igne lento concordes fiant. Quibus notis & perceptis, manus vestras operi applicate. Quod si dictas qualitates ignoratis, nolite operi appropinquare: quoniam totum est noxium, & infortunium, ac tristitia, modò Sapientum verba intelligite, & hoc breve dictũ retinete: videlicet quòd Natura naturã lætatur, & natura naturã cõtinet, & Natura naturã vincit, & superat: Hoc solo verbo cõprehẽditurotũ opus. Dimitt. ergo sermones superfluos, & accipite argentum vivum, & cõgelate eum in corpore Magnesiæ, vel sulphuris, quod non comburitur, & vertite ipsum in naturam albam, & si æri nostro imposueritis, album fiet: & si ipsum rubeum facere volueritis, rubeum fiet: & si ampliùs coxeritis ipsum, aurum fiet. Dico etiam, quòd vertit mare in rubeum, & auri colorem. Et scitote, quòd non vertitur aurum in rubiginem, id est, rubeum colorem, nisi per aquam permanentem, eò quòd Natura naturã lætatur. Coquite ergo ipsum in humore, donec appareat natura abscondita: & cùm videritis hoc, imbuite eum septies aqua permanente, coquendo, assãdo donec rubeum fiat. O Natura fortis, naturas vincens & superans, suasq; naturas gaudere faciens. Hæc est illa natura specialis & spiritualis, cui Deus posse dedit, quod ignis dare non potest. Quare veram hanc tincturam magnificamus: quia nihil est preciosius ipsa, & est veritas omnem scientiam continens: & cùm liquefit cum corporibus, altissimum operum operatur opus. O si modò veritatem nosceretis, quantas mihi gratias ageretis! Scitote etiam, quòd tingens ea, quæ mixta sunt, non debet diruere. Ipsum namque ea, quæ ei miscentur, superat, & in suum vertit colorem: & sicut apud visum superficiem vincit, sic & intima superat: & si unum sit fixum, & aliud fugiens, figuntur ambo, postquam mixta sunt: & si superficies dealbatur, intima eius dealbabuntur. Insuper scietis, quòd res una superat decem, eò quòd sulphur nostrum solùm omnia corpora ligat, & colorat.

Ad hæc respondit Turba: Benè dixisti, Parmenides: tamen qualiter fumus dealbat, prætermisisti.

SENTENTIA XIII.

LUCAS inquit: Ego dicam, in eo vestigia sequens priorum. Propterea scitote omnes scientiæ investigatores, quòd tractatus hic non est ab initio regendi. Accipite argentum vivum, quod ex masculo est, & coagulate cum secundùm consuetudinem. Dico secundùm consuetudinem, eò quod iam priùs coagulatum est: non est igitur initium regendi. Hoc tamen iubeo, ut argentum vivum, quod est de masculo capiatis, & ponatis super æs, id est, ferrum gubernatum, & dealbabitur. Simili namque modo fit Magnesia alba, & masculus similiter convertitur, quandoquidem propinquitas est magnetis cum ferro: Natura quoque naturã gaudet. Sumite etiam nubem, quam priores sumi jusserunt, & coquite cum suo corpore, donec stannum fiat, secundùm consuetudinem à sua nigredine privare abluite, æquo assate igne, donec dealbetur. Argento vivo dealbato, omnia alba fiunt: Natura naturam convertit. Item sumite Magnesiam, & aquam aluminis, & aquam maris, & aquam ferri, & dealbate fumo, qui cùm sit albus, omnia dealbat. Jungite eum feci suæ, donec coaguletur, & numus fiat albus. Hoc album æs assate, donec seipsum germinare faciat: quoniam Magnesia cùm dealbatur, spiritus fugere non permittit, nec æris umbram apparere, eò quòd natura naturam continet. Accipite ergo album sulphureum, & Solem album, & rore fumi dealbate, vel albi Solis florem assate, donec candidissimus fiat. Et scitote, quòd Solis flos albus Ethelia est, assate ipsum per dies septem, donec fiat ut marmor coruscans: quo completo, habetis magnum arcanum, eò quòd sulphur sulphuri mixtum est, & propinquitatem matrimonii inter se: quia naturæ suis naturis obuiantes lætantur. Accipite igitur Martec, & dealbate ipsum fumo, aceto, & aqua permanente: deinde assate, & coagulate: tamen non liquefiat in igne fortiori, & claudite os vasis diligenter, ne exeat flos, sed suo propinquo societur, & ejus albedinem intendi faciat. Cavete aunt ignis intensionem, quoniam si intendatis ignem ante terminum, rubeum fiet, quod non proderit; cùm in initio regendi quærenda sit albedo, coquite postea ipsum, & rubeum facite; ignis verò sit levis in dealbando, donec coaguletur, & cùm coagulatum est, tum vocamus animam, eò quòd citiùs à natura in naturam convertitur. Hoc igitur solum acetum in numorum arte est sufficiens, eò quòd una res facit, quod plures operantur. Pluribus autem rebus non indigetis, sed una tantùm re, quæ una res in unoquoque gradu operum nostrum in aliam vertitur naturam.

SENTENTIA XIV.

PYTHAGORAS: Aliam ponamus gubernationem, non rei, sed naturæ. Dico quòd quicquid invidi in libris suis de Elementorum tractationem dixerunt, in sapore unum tantum sunt, in apparentia verò diversa. Et res illa, quam multipliciter narraverunt, suum absque igne consequitur socium, prout lapis Magnetis consequitur ferrum. Nec sine causa confertur spermati, vel vuluæ, quibus rectè assimilatur: quia in complexione sua multos facit apparere colores, prout in unoquoq; regimine gubernatur res, quæ quidem res ubique invenitur: & est lapis & non lapis, vilis & preciosus, obscurus & clarus, & à quolibet notus. Est quoque unius nominis, & nominum multorum, & vocatur Sputum Lunæ. Sic ergo hic lapis non est lapis, & tamen prociosissimus: quia sine ipso non operatur natura, cui nomen est unum, cum tamen multis nominibus nominavetimus eum, propter naturæ suæ diligentiam, præcipuum tamen nomen illi ineſt, Ethelia alba, & Æs album, solus ab igne fugiens, & æs dealbans. Hunc igitur lapidem album accipe, & figite, ac lacte coagulate, hoc est, more lactis: deinde calcem, qui est sicuti marmor, constringite, ne humor à vase exeat: custodite ipsum quoq; in suo vase, & congelate, donec fiat pulvis, & coquite cum sputo Lunæ, & dirigite, & invenietis lapidem factum,

quem

quem aquâ suâ imbuite. Iste est lapis, quem cunctis nominibus nominaverunt, qui opus recipit, & bibit seipsum & est lapis, à quo procedit omnis color. Sumite ergo gumam Scotiæ, & cum calcis cinere miscete, & humectate aqua permanente, & inspicite an pulvis fiat. Sin autem, ponatis eum in ignem fortiorem priore, donec confringatur dimittite; postea imbuite ipsum aqua permanente: & quantò plus variabuntur colores, tantò plus calefieri finite. Et scitote, quòd si argentum viuum acceperitis album, vel sputum Lunæ, ut dixi, & jussi facere, lenique igne fregeritis, coagulabitur, lapisq; fiet. Ex hoc ergo lapide cùm frangitur, varij colores apparent: quòd si eum rexeritis, ut dixi, donec albus fiat, & ut marmor albescat, invenietis propositum.

SENTENTIA XV.

ASSVBERES: Dico quòd sulphura sulphuribus continentur, & humiditas humiditate. Respondit Turba: Jam primi hoc dixerunt: explana ergo quid est humiditas. Ad hæc ille: Cùm venenum corpus penetrat, ipsum calore perpetuo penetrat, & non permittit animam à corpore separari: quia compar est eidem: Et hoc est quod dixerunt invidi: Persequimini fugientem, obviate, & peribit fuga, & veritas apparebit, quæ suum comparem concepit, & sese invicem complectuntur, eo quòd ex sulphure sulphuri mixto, preciosissimus fit color, qui nunquam fugit ab igne: quoniam anima in corporis intima infertur, ac corpus continet & colorat. Hæc dicta mea ita intelligite: Accipite animal, quod dicitur Kenkel, cujus aqua Tyrius color est, & regite ipsum leni igne, ut consuetum est, donec terra fiat, in qua parum est coloris. Volentes igitur ad Tyriam tincturam pervenire, sumite ejus humiditatem, quam ejecit, & ponite totum in vase cum eodem. Deinde coquite ipsum aquâ marinâ, donec humescat: deinde humectatum dimittite, postea denuò ipsum imbuite, & paulatim desiccate, & taliter coquendo, humectando, imbuendo, & desiccando, ejus regimen observate, donec suum totum ebibat humorem, & dimittite eum in suo vase per dies septem, donec color Tyrius appareat. Audite, adhuc breviùs totum describam regimen: conterite ipsum urinâ puerorum, & aquâ maris, & aquâ mundâ permanente, & coquite ipsum levi igne, antequam tingat, donec nigredo tota ab eo recedat, & postea de facili confringetur. Decoquite ergo ipsum suo humore, donec imbuat suum rubeum colorem. Si verò Tyrium vultis colorem habere, imbuite ipsum aquâ nivis continuè, & miscete prout scitis, & sufficere videbitur, & miscete cum aquâ permanente, donec sufficiat, & decoquite, donec rubigo aquam bibat. Deinde aquâ maris, quam præparastis, quæ est aqua talci, abluite, donec suum combibat humorem, quod cùm per dies septem feceritis, apparebit color Tyrius. Et si vultis ut sit alterius coloris, quàm fuerat, ponite gumam in aquam permanentem, & ipsam per vices tingite, deinde in Sole desiccate: deinde prædictæ aquæ reddite, & magis Tyrius color intendetur. Et scitote, quòd non tingetis colorem purpureum nisi in frigido. Accipite ergo aquam, quæ est de frigoris natura, & in ea Lunam decoquite, donec tincturæ vim accipiat ab aqua, quam aquæ florem Philosophi nuncupavêre. Propositum ergo verum sit in illa aqua: in ea ponite quod in vase est dies & noctes, donec preciosissimum Tyrium vestiat colorē.

SENTENTIA XVI.

FRICTES inquit: Scitote, sapientiæ investigato-

res, quòd hujus artis fundamentum, propter quod multi perierunt, unum quidem esse omnibus naturis fortius & sublimius apud philosophos: apud incipientes verò est omnium rerum vilius. Sed nos hunc veneramur: & si Reges hoc agnoscerent, nullus nostrûm unquam ad hanc rem perveniret. O quàm mirabiliter natura hæc corpora vertit in spiritum, & quàm mirabili modo eminet, cunctaq; superat! Hic Turba: Nomina eam nomine, non verbis. Et ille: Est acetum acerrimum, quod aurum facit esse merum spiritum, sine quo aceto nec albedo, nec nigredo, nec rubedo consistit: & cùm miscetur corpori, continetur, & unum fit cum eo, & vertit eum in spiritum, ipsumq; tingit tinctura spirituali, quæ nunquam deleri potest. Hoc autem scitote, quòd si corpus posueritis super ignem sine aceto, comburetur & corrumpetur. Sciturietiam quòd humor primus est frigidus: cavete ergo ab igne, quoniam inimicus est humori. Quare Philosophi & Sapientes jusserunt nos suaviter regere, donec fiat sulphur incremabile: & hoc quousq; innuerunt, dicentes: Optimum est, quòd pauca vis sulphuris forte corpus comburit. Ideoq; eum venerantur, & describunt in libris suis, dicentes: Hoc acetum corpora comburit, in cinerem vertit, & dealbat: & si coquatur benè, & à nigredine privetur, fiet lapis & numus albissimus. Coquite ergo ipsum, donec diruatur: deinde soluite, & aquæ maris imponite: & scitote, quòd principium hujus operis est dealbatio; cui rubor succedit. Postea per acetum fit corporis perfectio. Hoc acetum longo labore investigavi, tandem nutu Dei altissimi naturam unam vidi, quæ est omnibus naturis potētior, nobilior & fortior; & hæc natura nihil aliud est, quàm aqua munda, acetum acerrimum, & aqua permanens, quæ illuminat omnia corpora, & lumen præbet omnibus, qui legunt nostros libros.

SENTENTIA XVII.

SOCRATES: Scitote, doctrinæ filij, quòd absq; plumbo nulla fit tinctura, & quòd in eo est virtus operis. Nonne videtis, inquit Hermes gratia triplicis, quoties corpori immergitur, quòd ipsum corpus in colorem vertit invariabilem: ergo prima vis est acetum, secunda plumbum, de quo Sapientes dixerunt, quòd omnibus corporib. immergatur, & omnia immutat & tingit colore immutabili. Accipite ergo plumbum, quod ex lapide fit, & coquite ipsum, donec nigrescat: postea terite ipsum cum aqua nitri, donec fiat sicut pinguedo spissa: postea coquite eum iterum cum igne fortiori, donec fiat lapis mundus & numosus. Postea terite eum rore, sale & aqua pluviæ, viginti & novem dies: deinde aqua salsa viginti dies, & aqua dulci decem dies, & invenietis eum numoso lapidi similem. Tunc coquite eum iterum aqua; donec stannum fiat per liquefactionem: deinde coquite, donec humore privetur, & fiat pulvis siccus; qui cùm exsiccus est, velociter reliquum sui humoris ebibit: eò quòd est plumbum combustum: cavete autem ne comburatur; hoc itaq; est sulphur, quod non comburitur. Postea terite eum aceto acerrimo, donec inspissetur: coquite eum, & cavete ne acetum vertatur in fumū, & pereat. Nunc autem plumbi albi dispositionem monstravi, quo noto, nihil aliud sequitur, quàm Opus mulierum & Ludus puerorum. Propterea scitote, quòd secretum operis ex mare & fœmina constat: in plumbo masculum, in auripigmento fœminam vobis monstravi. Auripigmentum igitur plumbo miscete, quoniam masculina vi susceptā, gaudet fœmina, & juvatur ab ea & masculus susciptet à femina sperma tingens. Proinde mi-

stos imponite vasi vitreo, & terito eos cum Ethelia aceto acerrimo, ac septem coquite diebus, cauentes ne ar-canum fugiat, & sic per noctes dimittite, & cùm siccum fuerit, iterum aceto imbuite, & habebitis magnum arcanum. Iam ergo auripigmenti vim vobis notificavi, quæ vis est fœmina, quę corpora vertit in spiritum, & perficit univer.um opus.

SENTENTIA XVIII.

ZENON: Superque iam doctrinam albam facere docuistis, quid de rubeo? Dico quòd non potestis rubeum facere, nisi priùs intendatis dealbare: quoniam duæ naturæ nihil aliud sunt, quàm album & rubeum. Dealbate ergo rubeum: & album in rubeum vertite, scientes quòd annus dividitur in quatuor tempora. Primum tempus frigidæ est complexionis: & est Hyems. Secundum est aereæ complexionis: & est Ver. Tertium tempus est igneæ complexionis: & est Æst as. Quartum est Autumni, in quo fructus maturantur. Iuxta hunc modum oportet vos naturas regere, videlicet Hyeme solvere, Vere coquere, Æstate coagulare, Autumno autem fructus colligere, & tingere. Sin hoc potestis, vos ipsos reprehendatis oportet. Insuper dicam de plumbo rubificando: Accipite æs, quod Magister in principio libri accipere iussit, & ponite plumbum cum eo, donec spissum fiat: congelate, desiccate, donec rubeum fiat: hoc utique est plumbum rubeum, de quo dixerunt Sapientes, æs & plumbum lapis preciosus: miscete ea æqualiter, & assate cum eis aurum: & si benè rexeritis, fit spiritus ingens in medio spirituum. Cùm enim masculus fœminæ coniungitur, fit ipsa fœmina, non fugiens, & totum spirituale compositum, & ex ipso spirituali composito rubeum, quod est mundi principium. Et sic habetis plumbum rubeum, sine quo nihil potestis facere.

SENTENTIA XIX.

MVNDVS: Investigatores artis scire vos oportet, quòd Philosophi in libris suis Gumi multis nominibus nominaverint: & tamen nihil aliud est, quàm aqua permanens: ex qua quidem aqua lapis noster preciosissimus generatur. O quam multi sunt gumæ huius investigatores: & quàm pauci sunt, qui noscunt eam. Dico vobis, quod guma hæc non emendatur nisi cum auro tantummodò. Et sunt quidam investigatores, qui licet inveniant applicationes, nolunt tamen labores sustinere, quia simul & sumptus fiunt. Audite tamen vos me, & huius gumæ applicationes enarrabo. Dico quòd guma nostra fortior est auro, & qui noscunt eam, auro præciosiorem tenent. Aurum tamen honoramus, quia sine ipso guma non emendatur. Guma ergo nostra apud Philosophos preciosior est & nobilior margaritis, quia paulo auro eminentior & sublimior est. Et inde est quòd scribentes de ea nihil manifestè narraverunt. Si enim venditores cognoscerent eam, non venderent eam tam vili precio. Accipite igitur gumæ candidissimæ partem unam, & urinæ vituli albi partem aliam, & de felle piscis partem, & de corpore gumi, sine q o emendari non potest partem unam, & decoquite par 40. dies: postea in calido Sole desiccate, donec congeletur. Deinde cum lacte ferventi, quousque lac deficiat, coquite, donec siccus fiat. Denuò cum lacte ficus ipsum miscete & coquite, donec humor ille desiccetur. Postmodum aqua pluviali humectate, assate postea, donec desiccetur: ultimò aqua permanente imbibite & assate, donec intentissimæ fit siccitatis. Iis peractis, ipsum gumi miscete, quæ ex omnibus parata est coloribus, & coquite, donec tota vis, aquæ pereat, corpusque totum desiccetur humiditate, imbuite ipsum coquendo, quousque illius siccitas intendatur, postea dimittite per quadraginta dies, ut in illa maneat decoctione, donec spiritus penetret corpus: & hoc est regimen quo spiritus incorporantur: & corpora in spiritus vertuntur. Moneo tamen caveatis, ne compositum fumiget & fugiat, propterea vas benè operite: & invenietis arcanum, quod Philosophi in suis libris celaverunt.

SENTENTIA XX.

DARDARIS. Verum est quod de aqua permanente superiores narraverunt: nihil in hoc opere fit toto sine hac aqua permanente: & qui eam non novit & ejus regimen prout oportet, frustra laborat: vis enim ipsius est spiritualis sanguis. Et ideo vocaverunt eam Philosophi permanentem: quia sanguis illius coctus in corpore quod superiores antea nominaverunt, nutu Altissimi vertit spiritum in corpus, & corpus in spiritum. Simul enim mixta & in unum redacta incorporantur, & complectuntur se ipsa coniunctione inseparabili. Et notate quòd quicquid habet spiritum, habet & sanguinem.

SENTENTIA XXI.

BELLVS. Scimus omnes quòd Philosophi multipliciter tractauerunt de aqua ista permanente, & variè docuerunt album rufum facere: occulta autem varietate concordes fuerunt; quare huius compositiones & regimen descripserunt. Ego autem de hoc lapide benedicto dico, quòd sit lapis & non lapis, & multis nuncupatur nominibus, ne quis insipiens noscat ipsum. Quidam Sapientes à loco ubi generatur, ei nomen dedere; quidam verò à colore, & dixere esse intensissimi spiritus: & eo fieri corpus inustibile: & quidam vocaverunt leonem viridem: alii sputum Lunæ: nonnulli arithmeticè posuerunt: aliqui melius quod fluat è metallis, ac ea de causa cor Solis nonominarunt, & quidam dixerunt, quòd fiat ex argento vivo, & alii volunt quòd ex lacte volatilium, & sic ipsum lapidem nominum legionibus voc arunt.

SENTENTIA XXII.

PANDVLPHVS: Ego lapidem hunc descriptum, aquam permanentem dico esse: & quòd aqua permanens est aqua munda & aqua vitæ, de qua Philosophi dixerunt: quòd natura naturâ lætatur. Natura naturam continet, & natura naturam vincit. Et hoc est colloquium, in quo Philosophi posu erunt breviter totius operis fundamentum. Dico etiam, quòd non est corpus dignius & purius Sole, & quòd nullum venenum tingens generetur sine Sole & eius umbra, & qui absque iis venenum facere conatur, errat omni cœlo. Qui autem venenum Sole & eius umbra tinxit, ad maximum pervenit arcanum, quod dicitur numus, qui cùm rubeus efficitur, aurum vocatur: & qui novit arcana Phi osophorum, novit totum opus.

SENTENTIA XXIII.

ARDARIVS: Regimen lapidis & compositionem vobis enarrabo. Sumite occultum & honorabile arcanum, quod est Magnesies alba, & quæ est cum vino mixta, sed non accipiatis eam, nisi puram & mundam: & suo imponite vasi, & orate Deum, ut hoc maximum videre lapidem vobis concedat. Deinde coquite ipsũ lentè, cũ extraxeritis, videte si factus est niger: & si est ita, optimè rexistis:

sin

sin autem regite ipsum albo, quod est maximum arcanum, donec appareat nigredo: equidem pura nigredo, quæ quadraginta tantummodò diebus durat. Postea terite ipsam cum suis confectionibus, quæ sunt flos æris, aurum Indicum, quorum radix est una ex unguento croceo & alumine fixo. Hoc itaque per quadraginta dies diligenter coquite, quo completo initium lapidis Deus vobis ostendet. Coquite eum iterum & gumi residuo ipsum imbuite, scientes, quòd quoties cinerem imbuitis, oportet ipsum toties siccari, & rursus humectari, donec ejus color in id quod quæritis, vertatur. Præter hæc scietis quòd hujus lapidis precioši perfectio est ipsum regere residuò tertiæ partis medicinæ, & duas servare ad eum per vices imbuendum, & ad justum usq; colorem eum coquendum: sit autem ignis priore intensior, donec fluat ut cera, quæ quidem cùm desiccatur, seipsam continet. Coquite ergo eam, donec bibat collam auri, & cum siccata fuerit, imbuite eam septies, quousque duas partes sui bibat: & postea ponite eam in igne, donec suum florem extrahat: remittite eam calori & beati estis, si benè intelligitis quæ dico. Sin autem reiterate opus, sumentes album humidum quod est maximum secretum, in quo vera consistit tinctura, & imbuite ex eo septies arenam [quæ facta est ex lapide priùs septies imbuto] quousq; totam bibat aquam, & os vasis fortiter claudite, ut sæpè dictum est, & ecce apparebit vobis lapis tyrius.

SENTENTIA XXIV.

THEOPHILUS. Artis investigatores, scitote, quòd ars numi & auri arcanum, & tenebrosa vestis, quam nemo novit, nisi qui libros philosophiæ diligenti & assidua lectione, perlegerit. Nam quod occultatur, est majus quàm id quod perdisci potest. Propterea notifico posteris, quòd inter Boritis & æs est propinquitas, eò quòd Boritis sapientum æs liquefacit & fluxibile ut aqua reddit. Dividite ergo venenum in duo æqualia, in uno æs liquefacite, in altero æs terite, triturate, & humectate, donec in laminas producatur: & iterum cum priore veneni parte coquite, donec duas ebibat, & hoc facite septies, deinde 42. diebus coquite deinde aperite vas, & invenietis æs in argentum viuum versum. Abluite ipsum coquendo, quousque sua privetur nigredine, & fiet æs umbra carens. Iterum ipsum continuè coquite, donec congeletur: ipso autem congelato, fit maximum arcanum, quòd Boritim Philosophi nuncupavêre. Coquite illum lapidem coagulatum quousque falmuræ similis sit marinæ, tunc aqua imbuite permanente, quam vos jussi observare, ac multipliciter coquite, quousque ejus appareant colores. Hæc est putrefactio maxima, quæ maximum in se continet arcanum. Scire autem vos oportet, quòd propinquitas est inter Magnetem & ferrum: inter æs & aquam permanentem. Si igitur æs & aquam regatis permanentem, ut jussi, fiet inde maximum arcanum. Hoc modo igitur facite: accipite argentum viuum masculo mixtum, ac fortiter terite, non manibus, quousque tenuis fiat aqua. Hanc dividite in duas partes: in unam ipsum coquite 40. diebus, donec fiat flos candidus, ut flos salis in suo splendore & coruscatione. Vasis autem os fortiter obturate, & coquite 40. diebus, & invenietis aquam lacte candidiorem: sin minus coquite denuò, & nigredine omni private, donec tota natura diruatur, & coinquinatio pereat & munda fiat. Si autem vultis ut totum arcanum peragatur, abluite ipsum aquâ, quam jussi vos servare [altera scil. parte] donec crocus fiat, & suo dimitte vasi, quoniam elixir seipsum continet, & residuâ imbuite aquâ, donec decoctione & aquâ conteratur, & fiat simile syrupo granatorum. Imbuite igitur ipsum & coquite, donec pondus humiditatis ebiberit, & color, quem Philosophi in suis libris exaltaverunt, appareat.

SENTENTIA XXV.

BELLUS: Intelligite, doctrinæ filij, quod Theophilus vobis significavit, inter Magnetem & ferrum esse propinquitatem, ac inter Philosophorum æs & aquam eorum. Hæc propinquitas & commixtio eis accidit communiter spatio centum dierum. Intelligetis præterea, quòd inter stannum & argentum viuum nulla est propinquitas, nec natura unius convenit cum natura alterius, & hoc est dictum sine invidia. Insuper accipite argentum viuum, in quo est masculina vis, ipsumque coquite cum suo corpore, donec liquefiat ut aqua limpida: & coquite masculum simul & vaporem, quousque uterque coaguletur, & fiat lapis: tùm aquam quam divideratis in duas partes accipite: & unam partem ad corpus liquefaciendum & concoquendum ponite: alteram verò ad combustum mundandum & suum socium servate. Imbuite igitur lapidem septies, & mundate donec diruatur, & corpus universum ab omni mundetur coinquinatione, & fiat terra, quæ efficietur quadraginta diebus: ipsam liquefacite, donec fiat ut aqua, quæ est argentum viuum. Deinde aquam nitri abluite, donec fiat ut numus liquefactus. Deinde coquite, donec congeletur, & fiat stanno simile: tunc maximum est arcanum, scil. lapis, qui ex duobus est: regite ipsum coquendo & terendo, donec crocus fiat excellentissimus: Et scitote, quòd aquam cum suo comite desiccatam crocum nuncupamus. Coquite igitur ipsum, & residuâ imbuite aquâ, quam reservastis, donec propositum vestrum inveniatis.

SENTENTIA XXVI.

BORATES: Non est Sapientis invidere: propterea dicam liberè quæ sentio. Accipite plumbum, & ut Philosophi jussere, liquefacite: deinde congelate, donec lapis fiat: deinde regite illum lapidem cum auri colla, & granatorum syrupo, donec confringatur. Iam enim aquam in duas partes dividistis, & in altera plumbum liquefecistis, & factum est ut aqua: coquite igitur ipsam, donec fiat terra: deinde ipsam aquâ reservatâ imbuite, donec rubeum induat colorem, ac prout dixi, frequentissimè regite: vel ut clariùs loquar: Si vultis argentum viuum coagulare, suo miscete corpori: deinde diligenter coquite, donec uterque fiat aqua permanens: deinde coquite illam aquam, donec coaguletur. Hæc enim aqua cum vapore suo compari, desiccatur, & convertitur tota in argentum viuum coagulatum. Suo igitur vasi iterum imponite & terite, donec crocus fiat in colore auro similis.

SENTENTIA XXVII.

MENEBDVS. Multa dicta sunt: suadeo tamen posteris, ut corpora faciant non corpora, & incorporea vera corpora. Hoc enim regimine acquiritur compositum, & ejus naturæ occultum extrahitur, & argentum viuum corpori jungitur, & magnesia ac fœmina viro & adueniente Ethelia, natura extrahitur occulta, per quam corpora colorantur. Hoc ergo regimen, si intelligitis, corpora fiunt nõ corpora, & incorporea corpora: & si res diligenter igne exeritis,

ac Ethelię jnnxeritis, fiunt res mundæ & non fugientes. Scientes quòd argentum viuum eſt ignis corpora comburens, mortificans & confringens uno regimine, & quantò magis corpori miſcetur & teritur, tantò magis corpus diruitur, & argentum viuum attenuatur ac viuum fit. Cùm autem corpora diligenter teritis, eaque, ut oportet, coquitis, reſultat inde Ethelia, ignem non fugiens, omni tinctura apta, quæ omnia corpora confringit, ſuperat, & ſpiritus omnes retinet ac colorat, eò quòd Ethelia colorata omnia colorat. Et ſcitote, quòd corpus non poteſt tingere ſeipſum, niſi ſpiritus occultus extrahatur è ventre ejus, & fiat corpus & anima abſq; ſpiritu [qui eſt ſpiritualis tinctura, ex quo etiam colores apparent] non tingit, eò quòd ſpiſſum tenue non tingit, verùm tenue naturæ, quod in corpus immutatur. Cùm autem corpus æris regitis: & ex eo tenuiſſimum extrahitis, vertitur id tenuiſſimum in tincturam & colorat. Ideòque dixit Sapiens: quòd æs, niſi priùs tingatur, non tingit: & hæ duæ tincturæ ſunt, condenſum & humidum: condenſum jungitur humido: eò quòd ſulphura ſulphuribus continentur, gaudet natura, ſua natura aduentante, et naturam continet et ſuperat.

SENTENTIA XXVIII.

?ENON: Video vos duo corpora junxiſſe, quod minimè fieri debet, propterea vobis dico filijs ſapientiæ, quod oportet vos compoſitum putrefacere per quadraginta dies: deinde quinquies vaſe ſublimare: deinde ſtercori ignis jungere et coquere, et colores qui ſubinde apparent, ſunt hujuſmodi. Prima die apparet color niger citrinus: ſecunda, niger rubeus: tertia, croceus ſerico ſimilis: quarta, perfectus color appatet, numo vulgi ſimilis, et eſt Yxir. compoſitum ex humido et ſicco, invariabili tingens tinctura. Et ſcitote quòd corpus dicitur in quo anrum eſt. Elixir autem componentes, cavete ne feſtinanter ſpiritum extrahatis, fortaſſe enim moreretur: extrahite autem ipſum, ut elixir noſtrum, hoc eſt, ut venenum: et remanebit anima, id eſt, tinctura ex multis extracta rebus, et numis impoſita. Hæc igitur tinctura eſt vita ijs quibus jungitur: detrimentum autem et mors corporibus à quibus extrahitur. Atque ob id dixêre Sapientes, inter ipſos eſſe libidinem tanquam inter marem et fœminam: et qui naturas horum novit, proximitatem decoctionis et compoſitionis patienter fert, et lucrum accipit.

SENTENTIA XXIX.

CHAMBAR: Notandum eſt, venerabilis Turba, quòd invidi lapidem antimonium nuncupârunt, ipſumque juſſerunt regi, donec coruſcans fiat, & ut marmor ſplendens, & commiſcetur aceto, & regitur donec aqua fiat: deinde congelatur, fitque lapis coruſcans, ſplendorem habens ut marmor, quem ubi videritis, jubeo regere donec rubeus fiat, eò quòd dum coquitur donec diruatur, & terra fiat, in rubeum vertitur colorem, & hoc ubi videritis, reiterate, coquite & imbuite, quouſque colorem inducat prædictum, & aurum fiat: deinde iterate eum, & fiet aurum Tyrij coloris. Oportet igitur vos, cum videritis ſic lapidem coruſcantem, eum confringere, & in terram vertere, donec concipiat aliquid ruboris, & tunc aliquantulum aquæ accipietis, [quam antea vos juſſerunt dividere in duas partes] & arenam multoties imbuetis, quouſque coloresocculti in ea vobis appareant: & ſi eam benè rexeritis, videbitis colores: ſin minus, fruſtrabimini. Reſpicite ergo qualiter faciatis amplexari paria. Maſculus enim ſuam amplexatus conjugem, velociter in ejus corpus tranſit, & liquefacit ipſum, congelat, diruit & confringit: & deinceps rubor non moritur, & ſi hoc efficiatis abſque pondere, mors eveniet. Facite ergo in liquefaciendo ignem levem, congelando intenſiorem, & imbuite ipſum, donec colores appareant.

SENTENTIA XXX.

CUSTOS ait: Miror Turba ſapientum, de tanta vi hujus aquæ, quæ cùm introit corpus, vertit ipſum in terram, deinde in puluerem: quem ſi vultis experiri an ſit perfectus, manu accipite, & ſi eſt quaſi impalpabilis, optimus eſt: ſin autem, iterate ipſum coquendo donec perficiatur. Et ſciatis quòd ſi aliud quàm æs noſtrum acceperitis, & aqua noſtra eum rexeritis, nihil efficietis. Contrà autem ſi æs noſtrum aqua noſtra rexeritis, omnia prædicta invenietis. Coquite ipſum ergo leni igne, & fiet lapis unmoſus, de quo Sapientes dixêre, quòd Natura naturâ lætatur propter propinquitatem, quam habent inter ſe hæc duo corpora cum aqua permanente. Horum igitur duorum una eſt natura, inter quæ propinquitas eſt mixta, quæ ſi non eſſet, non ita citò commiſcerentur, nec continerent ſe invicem, nec unum fierent.

SENTENTIA XXXI.

DIAMEDES ait: Scitote viri Sapientes, quòd ex homine non naſcitur niſi homo, nec ex brutis niſi ſuum ſimile. Atque ob id dico, quòd Natura non emendatur niſi in ſua natura, ac proinde venerabili utimini natura: ex ea namque erumpit ars, & non ex alia: & niſi eam capiatis & regatis, nihil habebitis. Conjungite ergo maſculum ſervi rubei, ſuæ odoriferæ uxori, & juncti artem gignent, quibus nolite introducere alienum, nec puluerem, nec aliam rem, ſufficiat vobis conceptio, & verus filius naſcetur. O quàm precioſiſſima eſt ſervi illius rubei natura, ſine qua regimen conſtare non poteſt.

SENTENTIA XXXII.

BASSEN inquit: Introducite Citrinum cum ſua uxore poſt conjugium in balneum, & ne incendatis balneum plurimum, ne ſenſu & motu priventur. Subire facite balneum, quouſque corpus & color eorum unum quid fiant. Deinde reddite ei ſudorem ſuum, ac iterum necidate, requiemque ei conſtituite, caventes ne fugiant: & tunc veneramini regem, & ſuam uxorem, & nolite eos comburere nimio igne: ſed eos regite, donec nigri fiant: deinde albi, poſt rubei, ultimò fiant venenum tingens.

SENTENTIA XXXIII.

NEPHITVS ait: Breviter dico vobis, artis inveſtigatores, quod Corſufle ſit caput hujus operis, non initium: verùm poſt complexum ritè ita vocatur. Quapropter Corſufle eſt totum compoſitum, quod oportet ſepties aſſari, & tunc omne corpus tingit, & vocatur numus, æris flos vel auri, aut ferri flos, etiam plumbum, ſtannum, & mille nominib. à Philoſophis nominatur.

SENTENTIA XXXIV.

BONELLUS ait: Cuncta quæ viuunt, Deo ſic volente, etiam moriuntur: propterea illa natura, cui humiditas adempta eſt, cùm per noctes dimittitur,

tur, mortuo similis est, & tum illa natura igne indiget, quousque spiritus corporis illius revertatur: & tunc fit puluis mortuo similis in suo tumulo. Hoc peracto, reddit Deus spiritum & animam sibi, & omni liberat infirmitate, confortat eam & emendat. Oportet igitur naturam illam comburere absque timore, donec cinis fiat: qui cinis aptus sit recipere spiritum & humorem suum, donec vertatur in pulcherrimum colorem, qui omnia vincit & superat: & si ipsum regeritis subtiliter, multa ab eo procedent, eò quòd æs ut homo corpus habet; & spiritum hominis. Spiratio ex aëre est, similiter æs humore inspirato vitam suscipit & multiplicatur & augmentatur, ut cæteræ res. Atque ob id dixere Philosophi, quòd æs cùm comburitur, fit melius quàm fuerat. Præterea æs hoc nostrum cùm comburitur, fit aqua: deinde quantò magis coquitur, tantò magis inspissatur, & lapis fit omni metallo superemittens: postea frangitur, imbuitur, ac igne intentiori assatur, quousque coloretur, & fiat sanguini similis, & tunc nummus imponitur, & tingit æs in aurum. Nonne videtis quòd ex sanguine sperma non fit, nisi coquatur diligenter? idipsum fit in opere sperma fiat nostro, nisi spirituale, non exit ex eo tinctura.

SENTENTIA XXXV.

NICARUS: Iubeo posteros aurum accipere, & quod volunt, multiplicare & renovare: deinde in duas partes aquam dividere: ex una oportet æs nostrum comburere. Hoc enim æs in hac aqua solutum dicetur Fermentum auri: & si benè eum rexeritis, fiet aqua, quæ coquendo congelabitur, & tunc apparebit rubor. Hunc ergo ruborem septies imbuetis aqua, aut donec totam suam bibat aquam: coquite demum donec desiccetur, & in terram vertatur aridam: deinde accenso ponatis igne ad quadraginta dies, & putrescet, eiusque colores apparebunt.

SENTENTIA XXXVI.

BARSENITES: Quæ dicta sunt superiùs, reiterare oportet. Accipite ergo Corsufle, quæ rubigini æris similis est, & vituli urina coquite, quousque Corsufle natura vertatur. In ventre namque Corsufle natura vera occulta est & hæc vera natura est spiritus ille tingens, quem habuit ab aqua permanente nummosa & coruscante. Extrahitur autem ita: terite, & aquæ septies imponite, donec totum bibat humorem, & vim recipiat imminentem adversus pugnam ignis, & tunc rubigo nuncupatur. Diligenter ergo putrefacite, quousque pulvis fiat spiritualis in colore sicci sanguinis, quem colorem potentia ignis introducat, donec invariabili colore induatur,

SENTENTIA XXXVII.

ZEUNON: Dicta Aegyptiorum nos in errorem introducunt. Quod quærimus publicè, minimo precio venditur, & si nosceretur ne tantillum venderent mercatores. Hoc autem utile & abiectum Philosophi honoraverũt, omnibusq; nominibus nominaverunt: & dixêre quòd sit lapis & non lapis, sit gumma Scotiæ: atque ob id huius veneni vim celaverunt Philosophi, quia in eo est spiritus quem quæritis, qui tingit, vivificat, salutem & animam dat corporibus. Et vos, nisi hoc corpus teratis, diruatis, imbuatis, ac diligenter regatis, donec suam pinguedinem extrahatis, & faciatis tenuem spiritum impalpabilem, in vaum laboratis. Atq; ob id dixêre Sapientes, nisi corpora vertatis in non corpora, & incorporea faciatis corporea, nondum operis hujus inveniſtis principium. Fiunt autem corpora incorporea, cùm Ethelia teritur quousque fit puluis: & hic puluis non fit nisi fortissima decoctione, & contritione continua, & fit igne, non manibus, cum imbibitione, putrefactione, & Ethelia. Et Sapientes cùm in hac arte dixerunt, quòd natura est utilis, & paruo venditur, fecêre vulgus errare. Dixerunt etiam, Naturam suam naturis omnibus esse precioſiorem, & etiam hoc dicto multos fefellerunt, & tamen verum dixerunt. Ars enim duabus aget naturis, quia non fit precioſum absq; vili, neque vile absque precioſo. Quaproprer oportet vos dicta majorum sequi, qui dixerunt: Nihil aliud expedit vobis quàm aquam & vaporem sublimare, quod fiet cùm videritis illas duas naturas purificatas aquam fieri, totumque corpus Magnesiæ in aquam liquefactum. Tunc certè omnia vapor facta sunt, & rectè: tum enim vapor continet suum compar. Quare Philosophi utrumq; vaporem nominaverunt, eò quòd uterq; in decoctione jungitur, & unum alterum continet, & fugere non permittit: ergo permanentia fiunt. Nam natura occulta in corpore congelatur, & color eius variatur, suamq; naturam exuit, & mancipatur ne fugiat. Nigredo verò si apparet, est ex ægritudine, & in putrefactione moritur, & fit rubigo: & tunc jure naturæ non fugit, eò quòd dimisit fugæ servitutem, & libera facta est natura, suum conequens conjugem, eum ornans suo colore & decore: non quemadmodum antea fecerat, sed sumpto nummo aureo eum vivificat & hanc naturam, Spiritum & animam Philosophi appellauerunt. Insuper dixerunt, spiritum humidum esse nigrum coinquinatione carentem: & sicuti in homine est humiditas & siccitas, sic in opere nostro nihil aliud est quàm vapor & aqua. Propterea dixerunt antiqui, opus ex duobus esse, & hæc duo juncta, nonnulli vocârunt compositum, eò quòd illa duo quatuor sunt: ineſt enim siccitas & humiditas, spiritus & vapor.

SENTENTIA XXXVIII.

ASSOTES ait: Dico vobis, quòd nisi sublimetis res in initio coquendi, absq; manuum contritione, donec aqua omnia fiant, nondum opus inveniſtis. Et scitote, quòd aliquando vocant Aes Arenam, aliàs etiam lapidem, & in toto regimine nomina variant: tamen natura & humiditas fiunt aqua, & deinde lapis, si benè commiſceantur: quia quod leue & spirituale est, sursum, sublimatur: quod verò ponderosum & spissum, deorsum in vase remanet. Hæc autem est contritio Philosophorum, quæ fit decoctione, non manu. Et scitote, quòd nisi omnia in puluerem vertatis, nondum contriviſtis. Coquite ergo quousque conteratur, & puluis fiat.

SENTENTIA XXXIX.

AGADMON: Coquite æs, donec lene corpus fiat, & impalpabile, ac suo vasi imponite: deinde quinquies vel septies sublimate, donec aqua descendat, scientes, quòd cùm aqua puluis fit, diligenter contritum est. Quòd si dubitatis, quomodo aqua puluis fiat, scitote quòd intentio Philosophorum est, ut corpus, quod non erat aqua, antequam in aquam caderet, simul cum aqua fiat aqua, & aqua aquæ miſceatur, & fiant unum. Sciendum præterea, quòd nisi utrumque in aquam vertatis, ad opus precioſum non pervenietis: oportet enim corpus flamma ignis occupatum, ut diruatur & debile fiat, cùm aqua in aqua est, donec fiat totum aqua. Ignari

autem cùm audiunt nomen aquæ,putant aquam nubis eſſe: quòd ſi libros noſtros legerent, ſcirent utiq;aquam eſſe permanentem,quæ abſque ſuo compari,cum quo facta eſt unum, permanens eſſe non poſſet.Hæc autem eſt aqua quam Philoſophi Aquam auri nuncupavêre, ignem, venenum bonum, multorum nominum arenam, quam Hermes ablui juſſit multoties, ut Solis nigredo abluatur,quam in ſolutione corporis acceperat.Et ſcitote,niſi hoc meum corpus carens ſpiritu capiatis, quod vultis minimè conſequemini, eò quòd alienum quicquam opus non ingreditur, nec quippiam, niſi quod eſt ſyncerum. Quare omnem pluralitatem dimittite:Natura enim una re eſt contenta, & qui eam ignorat, peribit.

SENTENTIA XL.

BONELLUS: Doctrinæ filii commiſcentes Magneſiam, vaſi ſuo imponite, & os diligenter claudite, & leni coquite igne, quouſq; liquefiat, & in aquam vertatur: calore enim aquæ facilè totum aqua fiet. Videntes autem nigredinem aquæ imminere, ſciatis quòd corpus iam liquefactum eſt. Iterum ſuo imponite vaſi, & 40. coquite diebus, quouſq;& aceti & mellis bibat humorem. Quidam autem detegunt vas ſingulis ſeptem diebus, vel decem: ſed ultima perfectio in quadrageſimo die,tunc perfectè ebibet humorem decoctionis: abluite igitur ipſam, & nigredine private, quouſque lapis fiat tactu ſiccus.Propterea dixerunt Philoſophi: Abluite Magneſiam aqua dulci,& diligenter coquite,donec terra fiat, & humor pereat, & tunc Aes nuncupatur. Acetum acerrimum ei imponite,ipſoque aceto aceto imbui dimittite, & erit noſtrum æs quod aqua ablui permanente Philoſophi juſsêre.Præterea dixerunt: Dividatis venenum in duas partes quarum una corpus imbuite, altera verò putrefacite, ſcientes quòd totum opus & regimen non fit niſi cum aqua: quia quod quærimus unum eſt; & niſi ſit res hæc una, quæ eam emendat, quod quærimus non fiet.Oportet ergo nos neceſſaria illi exhibere, ut tandem fiat tinctura, quæ ſi non conſequitur, reiterate.

SENTENTIA XLI.

CRANSES: Sapientes, accipite æs noſtrum, & cum prima parte aquæ ſuo imponite vaſi,& coquite quadraginta diebus, ac ab omni immunditia mundate, ac coquite, donec peragantur dies, & lapis fiat ſine humore. Deinde coquite, donec remaneat ſex, poſtea abluite aqua: abſumpta aqua dimittite, ut putreſcat in ſuo vale donec videatis quod quæritis. Vocauerunt autem Philoſophi hoc compoſitum in nigredinem converſum, SATIS NIGRUM, & dixerunt: Regite ipſum aceto & nigro: quod verò remanet, ſi dealbatur, SATIS ALBUM dixerunt, & juſſerunt, ut aqua regatur permanente: quod vocârunt, SATIS RVBEVM, juſſerunt ut aqua & igne regatur, donec rubeum fiat. Vocârunt autem eam ob cauſam hoc nomine, propter colorum varietatem. In opere autem non eſt varietas rerum, nec multitudo, aut contrarietas: ſed tantum oportet æs nigrum album facere, deinde rubeum.Veri Philoſophi nullam aliam intentionem habuêre, nec aliud docuêre,quàm ut Yxir liquefiat, conteratur & coquatur,eouſque dum lapis fiat marmori ſimilis; atq;ob id dixêre Philoſophi: Coquite ipſum vapore, donec lapis fiat coruſcans, ſplendorem habens: hoc ubi videritis, maximum habetis arcanum. Oportet autem hoc ipſum terere, & aqua abluere ſepties permanente: deinde contritum in ſua aqua congelare, donec ſua abſtrahatur natura occulta. Et hoc voluit Maria, cùm dixit: Sulphura ſulphuribus continentur, & humor ſimiliter à ſuo humore,eo quòd ex ſulphure ſulphuri mixto reſultat, maximum fit opus. Iubeo autem vos ipſum ſulphur rore & Sole regere, donec optatum eveniat. Scietis autem quòd dealbare duplex eſt,ſicuti & rubeum facere unum in contritione, aliud in decoctione. Cavete inſuper, ne ab aquis ea ſeparetis, quò minùs pereat anima & corpus,quæ in vaſe ſunt.

SENTENTIA XLII.

EFISTES: Animaduertite, filii doctrinæ, quid Hermes Philoſophorum caput dixerit, cùm docuit naturas commiſcere. Dixit enim: Accipite lapidem auri, & cum humore commiſceete, (qui eſt aqua permanens) ſuoque vaſi imponite ſupra levem calore,donec liquefiat: deinde dimittite, donec areſcat,& aqua cum arena ſe invicem contineant: tunc fiat ignis intenſior, donec prorſus areſcat, & terra fiat, & erit arcani initium. Hoc autem multoties facite,donec pereant aquæ partes duæ, & colores vobis appareant. Et ſcitote, quòd dealbatio non fit niſi decoctione,atque ob eam cauſam repetitur conterendo & imbuendo frequentiſſimè. Jubeo autem ne ſimul aquam fundatis,ne Yxir ſubmergatur:ſed paulatim infundite,terite, deſiccate,& hoc ſæpiùs facite,donec fiant aqua.Et dixerunt Philoſophi: Fimitata aqua dimittite,donec figatur deorſum, hoc eſt, areſcente humore, & in puluerem verſo in ſuo vaſe vitreo 40. dies dimittite, donec varios adferat colores, hoc regimine corpora fiunt ſpiritus,& ſpiritus calidi fiunt, tingunt.

SENTENTIA XLIII.

ADMION inquit: Non poteſtis, Viri prudentes, ad utilitatem artis pervenire, ſine prolixo regimine & continuo. Qui ergo patiens eſt in regimine, ingredietur artem: qui verò non, noſtras non legat ſententias, quia illi inferent damnum lectæ. Ideoque Magiſter dixit: Qui laborat in libris noſtris legendis, eiſque vacat, nec variis eſt implicitus cogitationibus. Deumque precatur, in regno regnabit, donec morietur. Quod enim quæritur, non eſt parui precii, ſed eſt donum Dei, ob id patientia & labore opus eſt. Videmus enim, qui arbores inſerit, tempore fructus ſperat,qui ſeminat,poſt menſes metit.Spectate ergo, & diſcite commiſceere, coquere, ſimulare, aſſare, calefacere,dealbare,terere, æquare Etheliam, & rubiginem facere ac demum tingere. Hæc plura ſunt nomina, regimen tamen unum eſt: ſed decoctio eſt continua ob quam reiterârunt ſæpè, ut teratur compoſitum, & coquatur jugiter, neque laboris vos tædeat.Finis autem eſt, ut complexiones aptetis: deinde multipliciter coquatis, decoctiones imbuatis, & eouſque coquatis,donec ſpiritus fiant impalpabiles. Et videatis Yxir veſtitum veſte regia, & in colorem Tyrium verſum, tunc dicta Philoſophorum intelligetis.

SENTENTIA XLIV.

LARGUS ait: Æs, de quo primi dixêre, non eſt æs, nec ſtannum vulgi: verùm corpus noſtrum, quod oportet corpori Magneſiæ admiſceri, ut coquatur & teratur abſque tædio, donec lapis fiat: deinde lapis ille in vale teritur aqua nitri,& liquefit, donec diruatur. Oportet autem vos habere aquam, quæ quantò magis coquitur,tantò magis inſpiſſatur; donec acquirat rubiginem, quæ eſt operis fundamentum. Hanc coquite, & Ægyptiaco terite acero.

SEN-

SENTENTIA XLV.

CADMON: Significo posteris, quod rotundum, quod æs in quatuor conuertit, ex unaquaque re est. Modus autem abstrahendi est, ut ex aëre accipiatur pars una, ex aqua permanente accipiantur partes tres: deinde commisceantur & coquantur quousq; inspissentur, & unus fiat lapis, de quo Philosophi dixêre: Accipite de syncero corpore partem, de aëre Magnesiæ tres: deinde commiscete aceto recto masculino terræ mixto, ac cooperi vas, & observa quod in eo est, & continuè coquite, donec terra fiat.

SENTENTIA XLVI.

ASCANIUS: Cùm legimus in libris Philosophorũ quòd natura tantùm una est, quæ omnia superat, scire oportet, quòd una & unum composita sunt. Nonne videtis hominis compositionem esse ex anima & corpore? sic oportet nos duo conjungere; quam commixtionem Philosophi comparârunt conjugibus: ex quorum amplexu resultat aqua aurea. Sed hoc de secundo Opere: de primo dicam pauca: Irritate bellum inter æs & argentum vivum, donec ad interitum veniant & corrumpantur: tunc æs concipiens argentum vivum coagulat ipsum. Argentum verò vivum concipiens æs, congelatur in terram. Igitur pugnam irritate, ærisque corpus diruite, donec puluis fiat. Masculum verò fœminæ (quæ ex vapore fit) & argentum vivum conjungite, donec masculus & fœmina fiant Etheel. Qui enim per Etheel eos in spiritum vertit: deinde rubeos facit, omne corpus tingit, eò quòd cùm corpus diligenter teritur, munda ex eo anima, spiritualis ac sublimis extrahitur, quæ omne corpus tingit, & est sulphur naturæ, quod variis nominibus nuncupatur.

SENTENTIA XLVII.

DARDARIS: De regimine superque à vobis dictum est: de conjunctione igitur pauca dicam, significans posteritati, quòd non possit abstrahi illa occulta anima, nisi per Etheliam, quæ corpora facit non corpora coquendi, continuitate, & Etheliæ sublimatione. Insuper scitote, quòd argentum vivum est igneum, omne corpus comburens, magis quàm ignis, & corpora mortificans, & quodcunq; corpus ei commiscetur, teritur, & morti datur: corporibus ergo diligenter cõntritis, & prout oportet, exaltatis, fit Etheliæ natura, calorem non fugiens, sed tingens æs: & est quod Sapientes antea dixerunt: quòd figit argentum vivum, donec tingatur, quod tinctum existens tingit. Præterea scitote, quòd æris corpus magnesia regitur, & argentum vivum habet quatuor in se: tamen non habet esse, nisi in humiditate, quæ aqua sulphuris dicitur, & quæ sulphura continet. Sunt autem sulphura animæ occultæ in quatuor corporibus, quæ per se extracta, seipsas invicem continent, & naturaliter junguntur. Si enim occultum, quod est in ventre sulphuris aquâ regatis, & bene mundetis, occultum obuiam naturæ suæ lætatur: similiter aqua suo pari: sed hæc quatuor non tinguntur, verùm Quintum tingunt. Propterea dixerunt Philosophi, quòd quatuor numi vulgi non tingunt, nisi æs, quod æs tinctum, postea tingit numos vulgi.

SENTENTIA XLVIII.

MOSIUS: Hoc unum, quod sæpe nominatum est, Philosophi multis nominibus nuncupaverunt: aliquando duobus nominibus, quandoque etiam tribus nominârunt: dicam autem ego vobis iam quid sit: unum est illud igneum: duo est compositum in eo, & tertium est aqua sulphuris, qua abluitur & teritur, ac regitur unum, donec peragatur; & hoc est, quod innuit Philosophus, cùm dixit: Argentum vivum, quod tingit aurum, est argentum vivum Cambar: nihilominus tamen Philosophi distinguunt, & dicunt: Aliquando est Cambar, aliquando auripigmentum, sed ita oportet intelligatis: Argentum vivum Cambar, est Magnesia: Argentum verò vivum seri, auripigmentum est sulphur, quod ascendit de composito misto. Oportet igitur vos illud spissum commiscere veneno igneo, & putrefacere, ac diligenter terere, quousque spiritus fiat: in altero occulto spiritu, & tunc fit tinctura, quæ tingit omnia, quæ vultis.

SENTENTIA XLIX.

PLATO inquit: Oportet, cùm hæc dissoluuntur corpora, cavere ne comburantur, & ea abluere aqua marina, quousq; totum sal in dulcorem vertatur, & clarescat, ac tingat. Et oportet unum tingens spiritum fieri, & alterum tinctum remanere non fugiens. Spiritus namque à corpore separatus, & in altero spiritu occultatus, fecit utrumq; fugiens: de quo Sapientes dixerunt: Fugienti ianuam reserate, ne fugam accipiat. Convertens namq; in se spiritum sulphureum, sibi similem faciet, & uterq; fiet fugiens, eò quòd facti sunt aërei spiritus: de quibus quoque Philosophi dixerunt: Non fugiebant cum fugientibus: & tamen fugientes facti sunt: propterea reiteravére ea, & facti sunt non fugientes, sed simul unum corpus, simile corpori à quo abstracti fuerunt, de quo uno Sapientes dixerunt: Quòd tingens & tinctum vnum facti sunt, & hic spiritus in altero spiritu occultatus est humidus. Propterea oportet vos non ignorare, quòd humidorum unus est calidus, alterverò frigidus: & quamvis humidum frigidum inconueniens sit humido calido, unum tamen efficiunt. Et propterea illa duo corpora prætulimus: quia iis totum opus peragimus, & corporea incorporeis regimus, donec incorporea corpora fiant, ignem non fugientia: & tunc illa corpora meliora sunt & precioſiora omnibus aliis corporibus. Accipite ea ergo, quæ non fugiunt, & coniungite ea, & abluite corpora eorum cum incorporeo, donec incorporeum corpus recipiat, non fugiens: & vertite terram, in aquam, in ignem, & ignem in aërem, & celate ignem in intimis aquæ: terram verò in ventre aëris, ac calidum miscete humido, siccum verò frigido, & habebitis magisterium: scientes quòd Natura naturam superat, & Natura naturam vincit, ac Natura naturam continet.

SENTENTIA L.

ACTOMANUS inquit: Philosophi de rubigine frequentissimè tractaverunt. Rubigo autem fictum nomen est non verum: dico tamen vobis, quòd rubigo sit secundum opus, quod ex solo auro fit, atque ob id Irudinem vocaverunt, quia in sulphureo auro celatur, quemadmodum Irudo in aqua. Est igitur rubigo rubefactio in secundo opere: in primo enim rubiginem facere, est dealbare opus, in quo Philosophi iusserunt poni auri florem, & aurum qualiter

SENTENTIA LI.

MUNDUS ait: De rubigine satis tractatum est, dicam igitur, de veneno. Venenum non est corpus, eò quòd subtiles spiritus tenuem ipsum spiritum fecerunt, & corpus tinxerunt, & iã venenum verterunt

quod

quod venenum Philoſophi aſſerunt omne corpus tingere, atque ob id opinati ſunt, quòd qui aurum in venenum vertit, is ad propoſitum iam pervenit: qui verò non, nihil efficit. Dico autem, quòd niſi igne res attenuetis, quouſq; illæ res ut ſpiritus aſcendant, nihil dum perfeciſtis. Hic igitur eſt ſpiritus ignem fugiens, & fumus ponderoſus, qui dum corpus ingreditur, univerſum penetrat, & natura eo lætatur: Atq; ob id dictum eſt; Accipite ſpiritum nigrum, & eo corpora diruite & cruciate, donec alteretur.

SENTENTIA LII.

PYTHAGORAS ait: Artis huius inveſtigatores, ſcire oportet, quod Philoſophi de continuatione multipliciter tractavére. Iubeo ego autem vos, ut argentum vivum corpore Magneſiæ conſtringere faciatis: vel corpus chuhul, vel ſputum Lunæ, vel ſulphur incombuſtibile, vel calcem aſſatam, vel alumen, quod eſt ex pomis, ut ſcitis. Quòd ſi cuilibet iſtorum eſſet ſingulare regimen, non dixiſſem ut ſcitis. Intelligite ergo, quòd ex ſulphure & calce, & alumine, quod eſt ex pomis, & chuhul fit. Omne illud nihil aliud eſt, quam aqua ſulphuris. Et ſcitote, quòd Magneſia cum argento vivo miſcetur, & ſulphura invicem ſequuntur. Non igitur oportet vos illam dimittere Magneſiam abſque argento vivo. Cùm etenim componitur, fortiſſima compoſitio nominatur, quæ eſt una ex decem, de quibus Philoſophi tractavére. Inſuper ſciatis, quòd cum magneſia cum argento vivo dealbatur, oportet vos in eam aquam albam congelare, & cùm rubificatur, rubeam quoq; aquam congelare. Nam quòd Philoſophi dixerunt in ſuis libris: non eſt unum regimen. Prima enim congelatio ſtagni eſt, æris & plumbi: ſecunda eſt ſulphuris & aquæ eius, & totum compoſitum hoc non emittur, nec aliud quicquam eſt, quàm vapor & aqua: & regimen eius nihil aliud, quàm ſublimatio argenti vivi, & unio cum corpore Magneſiæ. Ac proinde dixerunt, quòd ſulphuris aqua munda, ex ſolo eſt ſulphure, & nullum ſulphur fit abſque ſuæ calcis, argentique vivi & ſulphuris aqua.

SENTENTIA LIII.

BELLUS: De compoſitione multa tractata ſunt: cõpoſitio autem & contactus unum quid ſunt. Accipite ergo ex altera compoſitione partem, & partem ex auri fermento, eiſque mundam ſulphuris imponite aquam, & habebitis patens arcanum, quod omne corpus tingit. Sed interim eſt notandum, quod aqua munda quæ ex ſulphure eſt, nõ eſt ex ſolo ſulphure, verùm ex pluribus compoſita rebus, quæ unum ſulphur efficiunt. Fit autem talis compoſitio in hunc modum: Miſcete pugnans in igne non pugnanti, conjuncta namque in igne conuenienter præliantur, & amicitia fit conſtans. Et hoc innuerunt Philoſophi, cùm dixerunt: In decoctione parum ſulphuris multa comburit dura corpora, & humor, qui relinquitur, humida pix, balſamum gummi, &c. nominatur. Verùm hoc arcanum eſt, quod aperiam vobis. Hoc arcanum ex duabus procedit compoſitionibus: ſulphuris ſcilicet & Magneſiæ. Et Philoſophi hoc compoſitum in unum redactum, Aquam nominaverunt, & ſputum boletorum, ſpiſſum auri. In argentum verò vivum reductum, vocaverunt Sulphuris aquam. Sulphur autem cùm ſulphur continet, dicunt ignem eſſe venenum, quod eſt patens arcanum, proveniens ab iis, quos noſtis.

SENTENTIA LIV.

PANDULPHUS: Iubeo ut argentum vivum ex Cambar capiatis, & cum in tabernaculis ſublimetis: eſt enim alterum ſulphur, de quo antea dictum eſt: & ſic ſulphur ſulphuri miſcebitur, & multa ex eo procedent opera: Eo autem ſublimato, procedet illud argentum vivum à Cambar, quod Ethelia, auripigmentum, Zendrio, Ebſemech, Magneſia, Chuhul, & multis aliis nominibus nuncupatur: de quo Philoſophi dixerunt, quòd natura in ſuo ventre erat occulta. Recto autem illo (quoniam omnium decem eſt perfectio) ſuo regimine, mox cõveniens apparet eius alba natura, nec in eo umbra ulla apparet: tunc Sapientes vocârunt plumbũ ex Ebmich, Magneſia Martech, & æs album. Quod ubi verè dealbatum eſt, umbra caret, & omni nigredine: & ſua dimiſit corpora ſpiſſa & ponderoſa, nullum corpus penetrantia, & ſimul cum eo mundus ſpiritus humidus aſcendit, qui ſpiritus tinctura eſt. Ideòque Sapientes dixêre: æs animam & corpus habere, anima autem ejus eſt ſpiritus: corpus verò ſpiſſum: Id igitur ſpiſſum oportet vos diruere, quouſq; ejus ſpiſſum ſpiritum extrahatis, ex eo tingentem, extractum levi ſulphure miſcete, & peragetis propoſitum.

SENTENTIA LV.

MORIENUS: Oportet, Sapientes viri, lento igne primùm humiditatem comburi, ut exemplo nobis monſtratur in generatione pulli: & ubi augmentatur ignis, vas undique obturetur, ne corpus æris, & ſpiritus eius fugiens extrahatur; & hoc innuerunt Sapientes, cùm dixerunt: Accipite argentum vivum ex æris flore, quem ſcilicet æris florem, noſtri aquam dixerunt, & igneum venenum ab hominibus extractum. Et iterum dixerunt: Cum omnia unum fiunt, facta ſunt corporea incorporea, & è converſo. Præterea dixerunt, quòd omne corpus diſſoluitur cum eodẽ ſpiritu, cui eſt mixtum: & quòd omnis ſpiritus à corpore alteratur & coloratur, in quo conſiſtit color tingens. Benedictum ergo ſit nomen eius, qui electos ſuos docuit corpus in ſpiritum vertere: qui ſpiritus calorem habet incorruptibilem, & quòd ſulphur fugiens extiterat, factum eſt ſulphur incombuſtibile. Scitote inſuper, doctrinæ filii, quòd qui poteſt ſpiritum fugientem rubeum facere corpore ſibi conjuncto: deinde ex illo corpore & ſpiritum tenuem naturam in ejus ventre occultam extrahere ingenio ſubtili, invenit opus. Et notate quòd prolixitate coquendi tingit corpus, & hoc dixerunt Philoſophi dicentes: Quod rebus fortiter contritis, & igne diligenter coctis, fiunt tincturæ fixæ, & quicquid in libris ſuis occultè narraverunt, argentum vivum ſignificare voluerunt: quod aliquando dicitur aqua ſulphuris, aliquando plumbum, aliquando etiam numus.

SENTENTIA LVI.

YSIMIDRUS: De æris regimine & humidi ſpiritus ſatis ſuperque tractatum eſt, abſoluam quod eſt omiſſum. Sciendum itaq; eſt, quòd Philoſophi multa nomina poſuerunt, & quòd aliquando dicitur aqua Etheiæ, de qua ſuperius dictum eſt, quæ aqua cùm dealbatur, albificat & tingit. Ac vocatur ab eis flos auri, & antequam tingat & ad hunc finem perveniat, vocatur æs. Cum verò quatuor rebus, quas Sapientes vrinas fermentatas vocaverunt, conjungitur, vocant eam Cor, & collæ auri, & nomina iſta ficta ſunt: tamen vera & unum ſolum ſignificant, ſcilicet argentum vivum ab hominibus extractum, ex quo & cum quo omnia fiunt, & dicitur eſſe aqua mundana, quæ o..n m unil ram de-

lex. Et

let. Et sciendum quòd cùm dealbatur hoc argentum vivum ab hominibus extractum, efficitur sulphur, quod à sulphure continetur, & est venenum quod marmori splendenti assimilatur, & hoc vocaverunt Philosophi Etheliam, & Auripigmentum, & Sandarich, ex quo tinctura & spiritus mundus lento igne ascendit, & ex quo flos sublimatur. Et hoc totum secretum nihil aliud est, quàm argentum vivum ab hominibus extractum, id est, per homines. Porrò sciendum est, quòd arcanum æs dealbare non poterit, donec fuerit in priore opere dealbatum. Notandum est etiam, quòd hoc sulphur consuevit fugere: & cum sua spissa figit corpora, & sublimatur sicut vapor, oportet eum alio modo, argento vivo sui generis retineri, & fugam cohiberi: & hoc est quod dixerunt Philosophi, scil. quòd sulphura sulphurib. continentur. Et non dubitetis, quia sulphura fugiunt, nisi argento vivo sui generis retineantur: & non credatis, quòd figat corpora, & postea fugiat. Philosophorum intentio innuit: ut argentum vivum album vel rubeum sulphuri sui generis misceatur, & procul dubio non fugiet. Argentum ergo vivum, argento vivo sui generis jungite: quo peracto maximum habetis arcanum. Eius confectio ex eius gumma & floribus lento igne coctis constat; & hoc est acetum, sal, & nitrum, & Muchal, cùm est factum rubeum, & quodlibet elementum in numo nostro consistens, versum est in rubiginem.

SENTENTIA LVII.

OBSEMEGANVS: Dico quòd invidi totam artem hanc nominum multitudine vastaverunt: ars tamen est, secundùm quam iussêre Philosophi aurum numosum facere, & eum calcinare, sublimare, figere, terere, dealbare, cõgulare, coquere, & in rubeũ vertere: & vocaverunt Etheliam ignem, & vas cribrum, aquam sulphuris, copulam: & hoc totum nihil aliud est, quàm contritio & dealbatio. Præterea dico, quòd argentum vivum apud visum album est. Cùm autem fumus ei advenit, vertitur in rubeum, & fit Cambar, hoc est, venenum, & hoc innuerunt Philosophi, dicentes: quòd natura plumbi facilè convertitur: propterea sæpenumerò reiteraverunt hoc verbum conterere, ut multis modis monstrarent spiritus in vase occultos abstrahere, & qua imposita, phibere ne comburantur, alias ignis ipsos facilè comburit. Sed aqua apposita, quantò plus flamma eos invadit, tantò plus in visceribus aqua penetrat, & prohibet, ne flamma comburantur. Atque ob id etiam antiqui multa tractaverunt de sublimatione, quia nisi res igne fortiter conteratur, Ethelia non ascendet, quod voluit Hermes innuere, cùm dixit: Cribrate res quas nostis, & altiùs liquefacite.

SENTENTIA LVIII.

ARZOCH ait: Nisi res igne conterantur, Ethelia non ascendet, & ea non ascendente nihil facitis. Videtis enim quod ventus meridiei plurimus cùm exhalatur, nubes sublimari facit, marisque vapores elevat, hoc est vas, & testa, in qua est sulphur incombustibile. Moneo autem vos, ut argentum vivum, quod ex pluribus est confectum, congelatis, ut duo tria fiant, & quatuor unum, ac duo unum.

SENTENTIA LIX.

ANAXAGORAS: Accipite combustum fugiens, corpore carens, & incorporate eum. Deinde sumite ponderosum, fumum habens, habile ad bibendum, hoc est, ut rem clarius exponam: hoc combustum fugiens, & ad bibendum sciens, est Ethelia, quæ cùm sulphuri coniuncta est, vitreo vasi igni imponite, & coquite, donec Cambar fiat, & peragat arcanum quod quæritis. Coquite ergo, & non pigeat vos reiterare: tota enim perfectio sulphuris in decoctione tabulæ consistit. Coquatur igitur, quousque fiat rubigo. Omnes quidem Philosophi dixerunt: quòd qui rubiginem in venenum aureum potest convertere, opus peragit: sin autem in vanum laborat.

SENTENTIA LX.

PITHEM: Dico quod cùm Magister de aqua ista primò tractasset: postea in fine sui libri loqui voluit de fermento auri. Quare mirum est, cur invidi finem ante principium in suis tractatibus posuerunt, præcipiendo in auri fermento, aquam sulphuris mundam cum aliquantulo gummæ commiscere. Præterea putrefactionem omiserunt, de qua pauca dicam. Putrefactio non fit absque humido & sicco, & ex utroque nascitur operis principium, licet in tres partes invidi hoc opus diviserunt.

SENTENTIA LXI.

CONSTANS: Quid nobis cum invidis & eorum tractatibus? Certum quippe est, hoc opus quatuor habere naturas, quæ sunt ignis, aqua, aër & terra: quæ nisi habeantur, nihil unquam generatur, nec quicquam absoluitur in arte. Jungite ergo siccum humido, hoc est, terram & aquam & coquite igne & aëre, quousq; spiritus in anima desiccetur, scientes quòd tenue tingens sumit virtutem ex tenuissima terræ, aëris & aquæ parte, & exsiccatur. Hic enim est modus operis nostri, ut omnia in terram vertantur. Nolite ergo res multiplicare: inuidi quidem eas multiplicaverunt, & varia descripserunt regimina, ut inquisitores fallerent, & assimulaverunt hoc opus sicco, omni lapidi & metallo, pellibus animalium, omni reptili & volatili. Vos autem scitote, quòd corpora corporibus tinguntur, & corpora corporibus figuntur, & quod Philosophus dixit: in arte est argentum vivum de Cambar, & in numis est argentum vivum de masculo, & nihil aliud curate, quoniam non sunt nisi hæc duo argenta viva

SENTENTIA LXII.

ASTRATVS: Qui veritatem vult assequi, capiat Solis humorem & spiritum Lunæ, veritatem dico, nec adversa adfero: Numos enim quos Philosophi capere iusserunt, numi Hermetis sunt, de quibus partem sumi iussit, & ex ære Philosophorum partem, & numis miscere ac vasi imponere, obstructo diligenter ore, & coquere septem diebus, & tunc vertituræ in humos. Coquatur ergo iterum, & non tædeat vos decoctionis: postea aperiatur vas, & invenietur nigredo, quæ absumpta apparebit albedo nobilissima. Postea ponatur in locum suum, & iterum coquatur, donec lapilli in siccum vertantur, postea coquatur igne fortiori, quousque lapis durior fiat & confringatur, ac in cinerem vertatur. O quàm preciosus est cinis ille! Viri Sapientes, intelligite illud: Aquæ suæ iterum coquite, donec liquefiat: postea coquite ipsum, & imbuite ipsum cum aqua permanente, donec compositio dulcis & suavis ac rubea appareat; postea imbuite donec humida fiat demum coquite igne fortiori, & ut dictum est, os vasis claudite. Hoc est regimen quo corpora fugientia non fugientia fient, & spiritus in corpora, & corpora in spiritus vertentur, ac se invicem nectentur,

ſtentur, ac ultimò fient corpora ſpiritus, animam habentes & tingentes ac germinantes. Quapropter diligenti opera æs dealbate aqua permanente, donec accidat ei rubigo, & congeletur, fiatq; corpus Magneſiæ: deinde coquite donec totum corpus conſringatur, & ita fugiens vertetur in cinerem, & efficietur æs umbra carens, & tinctura Philoſophorum.

SENTENTIA LXIII.

ANASTRATVS: Dico vobis quòd hoc ſecretum invidi variè depinxerunt, aliquandò in membra, in phyſicam ratiocinationem, Aſtronomiam: & interdum aſſimilaverunt arboribus, metallis, & vaporibus ac reptilibus: & quantò plus poterunt, ipſa nomina multiplicaverunt. Ego verò vobis dico, ſumite ferrum, facite inde laminas, poſtea aſpergite eas veneno, & ponite in vas, cuius os bene occludatur, & cavete humorem multiplicare. Vel ponatis ipſum ſiccum, & facite ſiccum maſſam ſortem, ſcientes, quòd ſi aquam maſſæ multiplicaveritis, non continebit eam, neq; bene ardebit in camino: & ſi nimis ſiccaveritis, non conjungetur, nec coquetur. Exſiccate ergo eam, & in vaſe ſuo ponite cuius os firmiter claudatur, & poſtea fiat ignis carbonum deſuper per dies aliquot: deinde aperiatur vas, & invenieris in eo, & etiam in coopertorio vaſis nodos parvulos, & hoc eſt quod igne ſibi miniſtrato, acetum ſurgit in altum. Eius namque natura ſpiritualis eſt, quia ſurſum aſcendit: & ideo moneo vos, ut per ſe teneatis eam: tribus enim decoctionibus multiplicatis conglutinatur, & ab igne congelatur eiusq; natura convertitur in naturam. Sic Cambar ſimiliter decoctione & liquefactione tali disjungitur. Notum etiam facio vobis, quòd iſta frequenti decoctione conſumitur tertia pars aquæ: reſiduum verò ejus efficitur ventus, qui Cambar & ſpiritum ejus portat in ventre ſuo. Præterea hæc dico quòd nihil eſt pretioſius arena maris rubea, & eſt ſputum Lunæ, quod Solis lumini jungitur & congelatur. Et quantò plures tranſeunt dies, tantò fortius congelatur, & non comburitur. Solis enim beneficio coctum congelatum eſt: & albedo illa præſtantiſſima facit eum terrenum ignem ſuperare.

SENTENTIA LXIV.

BALGUS: Quidam fructum iſtius artis Tulleas deſcripſit, & mirabili modo me cœpit docere, dicens: Quòd abſq; labore invenitur eius operatio. Cumque autem de ejus incremento & ædificatione cœpit docere, talia dixit: Accipe arborem illam, & ædifica ſibi domum rotundam & tenebroſam, & rore circundatam, & pone in eam veterem hominem centum annorum, claude domum, ne ventus aut pulvis intret ad eos, & dimitte eos in domo illa centum & nonaginta diebus. Dico ergo vobis in veritate, quòd ſenex ille non ceſſat comedere de fructu arboris illius, donec juveneſcat. O quàm mirifica eſt arbor illa, quæ ſuis fructibus animam in corpus juvenile transfundit, & patrem in filium convertit.

SENTENTIA LXV.

THEOPHILUS: Scitote, chariſſimi, quòd quamvis invidi diſpoſitionem hanc multis celaverint nominibus, uno tamen nominaverunt eam, ſcilicet Aquam vitæ. Nam cùm dictus ſenex ſibi jungitur, perfectè moritur: poſtmodum verò ponitur in Sole, donec liqueſcat: poſtea imbibitur, congelatur, & ita per dies ſeptem fit ferrum rubiginoſum. Quòd ſi hoc eſt nimis obſcurum, narrabo aliud. Quidam fructus exeunt à perfectiſſima arbore primo Vere, & poſtmodum æſtate florent, & tunc multiplicatur & decoratur arbor, donec fructus perficiantur, & maturando dulces fiant. Simili modo illa mulier fugiens generos, quibus per ſe, quamvis irata, domeſtica fit, ut non dedignetur ſe ſuperari, ut ejus conjunx ſuum habeat decorem qui furibundus eam diligit, ac jugiter pugnat cum ea, donec ſuos concubitus cum ea peragat, & Deus pro voluntate filios multiplicat, cujus porrò decor igne conſumitur: termino enim finito revertitur ad eam. Dico etiam vobis, quòd draco ille non moritur: tamen illam mulierem ſuos interficiens conjuges, Philoſophi neci dare eam voluerunt: illius enim venter plenus eſt veneno. Fodiatur igitur ſepulchrum Draconi, & ſepeliatur mulier cum illo: cumque Draco ſecum ea mixtum videt, emaſciatur & vertitur in ſanguinem. Quod cùm vident Philoſophi in ſanguinem verſum, ponunt eum ad Solem, quouſq; lentitudo ceſſet, & ſanguis areſcat: & tunc apparet venenum, & occultum manifeſtatur.

SENTENTIA LXVI.

BODILLUS: Scitote quòd abſque complexione non generatur aliquid. Sperma denique ex ſanguine & libidine generatur, & nutritur caliditate & humiditate ſanguinis: poſt quadraginta verò dies formatur fœtus. Et niſi eſſet humiditas, non ſolveretur ſperma, nec procrearetur fœtus. Illum verò ſanguinem conſtituit Deus ad nutrimentum ſpermati, donec fœtum producat, qui productus non niſi lacte nutritur, quandiu parvus eſt: & quantò plus calore naturali exuitur, tantò plus oſſibus confortatus in juventutem ducitur, ad quam perveniens ſibi ſufficit. Simili modo oportet vos in hac arte laborare, ſcientes nihil abſq; calore generari: ſed calor intenſus exhalare facit, frigus verò perire. Temperatus verò calor eſt ſuavis corpori, & per eum lenificantur venæ, & calor innatus aliter & augmentatur.

SENTENTIA LXVII.

MOSCUS: Scitote quòd invidi modum plumbi formandi multis modis narraverunt, cauſa decipiendi poſteros, varia fingendo inſtrumenta. Ego autem dico, quòd nulla inſtrumenta fiunt, niſi ex noſtro pulvere albo, ſtellato, ſplendido, & ex lapide candido, à quo pulvere apta fiunt inſtrumenta pro ovo: non tamen nominaverunt ovum, vel cujus avis ovum ſit. Porrò eorum regimen quod diximus, difficillimum inquit eſt. Nam ſi compoſitum plus quàm oportet regatis, ejus lumen à pelago ſumptum extinguitur, & ideo juſſerunt Philoſophi hoc opus ſubtili meditatione regi.

Accipite ergo & regite ipſum Luna, & arenæ imponite quouſq; dealbetur, ſcientes, quòd niſi patientiam habeatis, errabitis in ejus regimine, & corpus corrumpetis. Coquite leni igne, donec appareat album: deinde aceto extinguite, & tum videbitis unum à tribus ſocijs dimiſſum. Et ſcitote quòd primum commiſcet, ſecundum comburit, tertium liquefacit. Iungite ergo primò novem partes de aceto cum caleſcit vas, & iterum novem partes cùm calefactum eſt vas apponite.

SENTENTIA LXVIII.

MVNDVS: Quidam Philoſophi nominaverunt aurum Chelidoniam, Karnech, Geldum, &c. & unum tamen & idem ſunt: & nomine proprio ſubtracto,

subtracto, vocaverunt hoc secretum, Nigrum quoniam à pelago nostro extractum est. Et dico vobis, quòd antiqui doctores Tyrio colore fixerunt Keukel. Color autem noster Tyrius, pulvis à me describetur, qui quidem à mari rubeo nostro & purissimo extractus est. Et sunt illi plurima nomina imposita, quæ vera tamen sunt. Exemplum habetis etiam in tritico quod molitur, & tunc aliud nomen consequitur: deinde cribratur, & diversis nominibus nominatur. in rei tamen veritate unum est frumentum: sic hoc secretum nostrum secundùm unum quodque regimen nominatur variè.

SENTENTIA LXIX.

Rarson: Scitote quòd illa natura, de qua sæpe dictum est, masculus est & fœmina, & quod Philosophi vocaverunt eam Magnesiam, eò quòd in ea est maximum arcanum. Ponite ergo Magnesiam in suo vase, coquendo eam diligenter, & vase post septem dies aperto; invenietis ibi aquam, quam coquite amplius, donec coagulando seipsam contineat. Scientes quòd invidi in libris suis pelagus per humorem significare voluerunt, & pro vase posuerunt pannum, & pro natura medicinas: ipsa tamen una est quæ germinat & floret.

SENTENTIA LXX.

Agadimon ait: Coquite æs donec exeat nigredo, quam numum vocant, & res artis nostræ bene miscete, & invenietis nigredinem statim, quæ est plumbum sapientum, de quo Sapientes in libris suis multa tractaverunt.

SENTENTIA LXXI.

Orfulus: Scitote quòd in principio miscere oportet elementa syncera & amœna super ignem lentum: & oportet etiam caveri, ne ignis sit nimis fortis, donec seipsa contingat elementa, & plenè commisceantur, ac post modum desiccentur, scientes quod unum comburit aliud & diruit: & unum confortat aliud, ac docet eum contra ignem præliari, cui residuum humoris totius iterum commisceri oportet, & tunc exaltatur ejus rubor, & hoc est quare elementa igne cocta lætantur, & alias vertant naturas, eò quòd non liquidum fit liquidum, quod est caput hujus artis, & hoc humidum siccum facere, & fugiens fixum est arcanum. Conversione autem facta dimittuntur in ignem, donec spissum attenuetur, & rarum tingens fiat, & hoc quidem taliter composita gignunt, & germinant quod quæritur, coloribus quoque incipientibus apparere, prodibunt miracula, & tandem incipit Tyrius color apparere. O natura cœlestis, naturas tingens: ô illius cœleste naturæ regimen elementa convertens & multiplicans compositum, movens unicum. Dico vobis quod nihil preciosius est naturis illis.

SENTENTIA LXXII.

Emiganus: Legendi sunt libri Philosophorum: non frustra enim dixerunt: Inspicite lactantem puerum, & non impediatis cum, in eo manet arcanum, ex quo bona operantur Sapientes, de quo etiam dixerunt: Comburite æs, comburite argentum vivum, & comburite aurum. Hoc si tenebrosiùs dictum est, dicam clariùs: Comburere, comburere, comburere, non est nisi unum, scilicet dealbare, & rubeum facere est vivificare. Et vobis dico, quòd definitio hujus artis est corporis liquefactio, & animæ à corpore separatio. Insuper dico quòd æs nostrum habet animam & corpus sicut homo: oportet ergo dirui corpus, & animam ab eo separari. Proinde dixerunt Philosophi, quòd Saturni splendor, dum scandit in aëra, non apparet nisi tenebrosus; & Mercurius radiis Solis occurrit: deinde argentum vivum virtute ignea corpus vivificat & perficit.

SENTENTIA LXXIII.

Attamanus: Scitote, fratres, quòd opus nostrum quod quæritis, ex maris sit generatione, quæ post Deum omnia perficit. Accipite ergo lapides marinos veteres, & allate carbonibus, donec albi fiant, & extinguite aceto albo: si fuerint unciæ viginti quatuor, extinguite calorem illorum tertiâ parte aceti. postea coquite in solem & terram nigram per viginti quatuor dies: opus verò secundum à die mensis Septembris decimo, ad decimum gradum Libræ perficitur. Sed huic operi secundo acetum nolite apponere, sed permittite ipsum decoqui, donec acetum suum totum biberit, & terræ fixa fiat, ut terra Aegyptiaca. Et scitote quòd opus unum alio citiùs exsiccatur, aliud tardius, & hoc fit ob coquendi diversitatem.

SENTENTIA LXXIV.

Florus: Coquendi dispositionem complebo, dicoque quòd signum primæ decoctionis est sui ruboris extractio. Rubedinem autem ita accipite. Cùm videritis ipsum jam nigrum totum, scitote quòd in illius nigredinis ventre albedo occulta est; tunc oportet albedinem illam extrahi à sua nigredine. In secunda verò decoctione ponatur illa albedo in vase cum suis instrumentis, & coquite leniter donec omnia alba fiant. cumque albedinem illam supervenientem in vase videritis; certo estote, quòd rubor in illa albedine est absconditus: & tunc oportet vos ipsum abstrahere, & tandiu coquere donec totum fiat rubeum. Et scitote, quòd prima nigredo ex natura Marthech fuit, & ex illa nigredine exortus est rubor, qui rubor nigrum emendavit, & pacem inter fugiens & non fugiens composuit. Fit autem hoc ita: Res cruciata in corpore mergitur, & vertit ipsam in naturam alterabilem. Et scitote quòd illud sulphur corpus denigrans non potest tangi, nec contrectari: sed hic cruciat & tingit. Item scitote, quòd illud sulphur denigrans, est id quod non fugienti aperit januam & etiam non fugiens in fugiens convertit. Nonne videtis quòd crucians cum nocumento vel corruptione non cruciat utilitate & coadunatione? Sciatis etiam pro certo, si ejus cruciatus esset noxius vel inconveniens, non compleretur ab eo quousque colores invariabiles extraheret: & hoc utique Aquam sulphuris nominavimus, quam aquam ad rubeas tincturas aptamus, quæ quidem deinceps non denigratur, & licet postea non denigret, non fit tamen de nigredine illa tinctura, sed clavem esse vobis intimavi.

SENTENTIA LXXV.

Mandinus dixit: Nisi hoc arcanum habeat, quod ipsum emendet, non prodest vobis quicquam. ob id dixerunt antiqui: Illud quod perficitur, ununi est, & diversæ naturæ non emendant ipsum: quod verum est: imò sola una res sibi convenit, quam quidem parcè regere vos oportet, ignorantia enim regiminis sæpè errare facit. Nolite ergo pluralitatem dispositionum curare, nec ea quæ fallentes in suis narraverunt figuris. Una enim veritatis natura, quam Naturales unũ nominaverunt in cujus ventre occultum ineſt: quod quidem occultum non videtur nisi à Sapiente. Qui ergo ejus scit complexionem extrahere, parieq; regit, ex eo eminet natura, omnes naturas superans, & tũc complebitur sermo, qui scriptus est:

videlicet quòd Natura Naturam continet: & tamen non ſunt diverſæ, ſed una, habens naturas in ſe & & res ſuas, quibus cæteris rebus eminet. Proinde benè fecit Magiſter, quòd uno orditus eſt, & uno finivit: deinde illas unitates, Aquam ſulphuream nuncupavit, omnem naturam vincentem.

SENTENTIA LXXVI.

Archelaus: Perbellè deſcripta eſt Aqua ſulphuris munda. Niſi enim ſpiſſa corpora diruantur à natura corpore carente, donec fiant corpora incorporea, & velut ſpiritus tenuis, non poteſtis animam illam tenuiſſimam ac tingentem extrahere, quæ in intimo ventris occulta eſt. Et ſcitote, quòd niſi corpus diruatur, quouſque moriatur, & ex eo ſuam abſtrahatis animam, quæ eſt ſpiritus tingens, nequaquam corpus eo tingere poteſtis.

SENTENTIA LXXVII.

Philotis: Prima compoſitio, ſcilicet corpus Magneſiæ, ex pluribus fit rebus: quamvis unum quid factæ ſunt, & unum ab antiquis ſcilicet, Albar æris nuncupatur. Cùm autem regitur, decem nominibus nominatur à coloribus naturæ deſumptis, qui in regimine corporis Magneſiæ apparent. Oportet igitur ut plumbum in nigredinem convertatur, & tunc decem prædicta in auri fermento apparebunt cum Sericon, quod eſt compoſitio, quæ decem nominibus nuncupatur. Sed iis relictis, nihil aliud ſignificamus varietate nominum, quàm Albar æris, eò quòd iis tingit omne corpus, quod in compoſitione introivit. Compoſitio autem duplex eſt, una in humido, altera in ſicco: & cùm prudenter coquuntur, fiunt unum, & nominatur Bonum plurimorum nominum. Cùm verò rubeum fit, auri flos, auri fermentum, colla auri, rubeum ſulphur, & auripigmentum. Dum autem crudum permanet, plumbum æris dicitur, virga metalli, & lamina.

SENTENTIA LXXVIII.

Agmon: Pro corollario dicam, quòd qui non liquefacit & coagulat, multipliciter errat. Denigrate ergo terram, & ſeparate ejus animam & aquam, & poſtea dealbate, & invenietis quod quæritis. Dico etiam vobis, quòd qui terram denigrat, & album igne diſſolvit, donec fiat ſicut gladius denudatus, & qui priùs dealbationem ejus completam ei animam inducit, totumque tabido igne figit, poſtquam liquefactum fuerit, felix dici merebitur, & ſuper mundi circulos exaltari.

Hoc de Lapidis noſtri revelatione, doctrinæ filiis ſatis eſſe non dubitamus, cujus vires corrumpi nequeunt, ſi ponatur in igne, vis ejus augetur, quem ſi ſolvere vis, ſolvetur: ſi coagulare, coagulabitur. Nemo ipſo carere poteſt, & omnes ipſo egent. Cumque ei plura nomina ſint, uno tamen nomine nominatur, & ubi placet, ibi cælatur. Eſt quoque Lapis & non lapis, ſpiritus & anima & corpus: eſt albus, volatilis, concavus, pilis carens, quem nemo infrigidatum poteſt ſine offenſa tangere lingua: quem ſi volare facis, volat: & ſi dixeris ipſum aquam, verum dicis: & ſi dixeris ipſum non eſſe aquam, falſum dicis. Non tamen pluralitate nominum decipiaris, ſed certum habe, quod unum quid eſt, cui nihil alienum infertur. Ejus igitur locum inveſtiga, & nihil alienum inferas: ſed ſine multiplicare homines nomina, quæ niſi multiplicarentur, ſapientiam noſtram plurimi derident.

Allegoriæ ſuper Librum Turbæ.

INcipiunt ſuper Librum Turbæ Allegoriæ, & primò de homine. Accipe hominem, tonde eum & trahe ſuper lapidem, vel laminam, donec corpus ejus moriatur, & pereat ſpiſſitudo: ſecurus ſciens, quòd cùm ſuam amiſerit ſpiſſitudinem, fiet ſpirituale; redde ſibi poſtea animam ſuam: deinde pone in balneo per 40. dies, ſic ut in vulva ſperma moriatur, quod utique regenerationis naturæ eſt principium, & ſurgat creatio, propoſitumque peragatur. Sume taurum cum carne & ſanguine, cornibus pedumque calceametis: & verte eum in aquam, & cum ſanguine miſce, totumque trahe, poſtea aſſa, donec rubeſcat: poſtea verte æs in tincturis deviis. Recipe Gallum, criſta rubea coronatum, & vivum plumis priva, pòſt pone caput ejus in vitreo vaſe, & ad horam ſerva. Pòſt conde iterum gallum, & trahe, donec lenificetur, & quouſque purificetur, & ſuper marmor extende: deinde cum pennis ab eo remotis, fortiſſimè trahe & tonde: deinde in equorum ſimo, donec plumas inducat dimittite. Cumque eum gallum, velut gallum vociferantem audieritis, ſcitote rectam ſemitam vos ambulaſſe.

Viperam ſume, quæ dicitur de reza, & priva eam capite & cauda, in his duobus locis liqueſcit ejus venenum, ex quo ſpiritus procedit. Divide ergo caput & caudam unumquodque per ſe in vitreo vaſe repone. Sume reſiduum corpus, & coque lento igne, quouſque caro ab oſſibus ſecernatur. Et poſtea pone eam ſuper lamina, & tamdiu conde, donec vertatur corpus in ſpiritum, & auferatur ab eo flexibilitas. Non enim poteſt attenuari lentum: deinde capiti ſuo jungite, & cum eo terite, donec corpus, quamdiu flexibilitas in eo conſiſtit, ſiccæ corpus hujuſmodi ad Solem, vel ad ignem, ut videas quod inquiris. Hoc itaque completo, ſcito quòd habes corpus corpora perforans, & naturam naturam continentem, & naturam naturâ lætantem, quæ perfectio Tyriaca Philoſophorum dicitur. Eſt in mari piſcis rotundus, oſſibus & corticibus carens, & habet in ſe pinguedinem, mirificam virtutem, quæ ſi lento igne coquatur, donec ejus pinguedo & humor prorſus recedit, & poſtmodum teratur fortiſſimè, & quouſque luceſcat, aqua maris imbuatur: deinde per hebdomadam ſepeliatur, & poſtea aſſando candidetur. Cumque fuerit benè dealbatum, & ejus aqua ſibi reddita: poſtea proprio humore imbutus: deinde poſt humoris imbuitionem, quouſque citrinus appareat, aſſatus, fit collyrium Philoſophorum: cujus oculi liniti arcana Philoſophorum de facili potuerunt intueri. In maris Luna eſt ſpongia plantata, habens ſanguinem & ſenſum, ad modum arboris in mari plantata, & non movetur à loco ſuo: quam ſi regere volueris, habeas tecum falcem, qua feces eam, à longè caveas tibi, ne ſanguis inde fluat, quoniam venenum eſt Philoſophorũ. Cùm ergo ſpongiam illam ceperis, priva eam ſanguine: deinde in vaſe vitreo eam repone & cuſtodi. Poſtmodũ ſume corpus ejus, & ablue aqua marina, donec purificetur, & fiat corpus album carens turbatione. Poſtea redde ſibi ſanguinem ſuum: deinde ipſum fortiter tere, donec ſua fortitudine privetur odore & ſiccum penitùs fiat. Homines olivas habent ex quibus oleum extrahunt, & illud eſt combuſtibile. Oleum autem Philoſophorum non ſic extrahitur. Verumtamen ejus natura eſt combuſtibilis, & immobilis ſemper perſiſtit, & eſt modus faciendi ipſum ſic: Olivas quas habemus mundas & integras accipi-

accipimus, & terimus eas cum aqua sua: postea decoquimus eas. Deinde ponentes eas in loco humido, dimittemus ibi, donec penè dissolvantur, & donec oleum à suo spisso corpore separetur. Facimus etiã fecem inferius descendere, aquam in medio consisti: oleum verò superiùs emanari. Postea separamus aquam, ponentes super laminam candentem aquâ suâ imbibimus, donec flexibilitatem, quæ in eo est, rectissimè videamus, & tunc ipsum in humido, equorum fimo sepelimus. Deinde siccamus & assamus ad Solem, & septies iteramus, vel quousq; ab omni inquinamẽto mundum & albissimum videatur. Deinde sibi reddimus aquam suam, pòst assamus, donec ventilando sine quiete perficiatur: hoc est unguentum Philosophorum, quod absq; pabulo ardet, & non comburitur. Lignorum cinerem sumite meum, imbuite ipsum aquâ marinâ, ponentes ipsum in balneo, donec dissolvatur ejus nigredo, quæ vocatur Ethel, sublimate, ponentes ipsum in cucurbita cum alembico vitreo & separate humorem ab eo, postea cinerem dissolvite, & dissolutum capite, & urina puerorum abluite, vel aqua pluviali, donec candidus fiat sicut lac. Pòst Ethel à corpore divisum sumite, & cum corpore diligenter terite, pòst in vase vitreo ponite, dimittentes eum in loco tenebroso, donec videatis vas candescere, & veluti Iacinthum lucere. Philosophorum crocus taliter præparatus: Sumatur radix ejus cum stipite, postquam fuerit humidus, teratur cum humiditate sua in sole: & post hoc dimittatur in balneo, donec spiritus ejus tingens purus & liquidus emineat, qui totus est colligendus, & corpus residens abluendum est: quoniam quædam flexibilitas & inquinatio consistit intra eam, quæ non nisi laborioso & subtili ingenio evelli potest. Capiatur ergo corpus, & abluatur, & ad lentum & tepidum ignis calorem teratur ad modum eorum, qui linum cum cinere & aqua calcis albæ candidum faciunt, dealbetur. Deinde per noctem unam dimitte in loco humido: pòst aqua maris ablutum roretur paulatim donec plenissimè candidetur, quo candidato reddatur ei spiritus tingens ejus, & fit elixir, omni tempore firmum & perfectum. Corallus est quoddam vegetabile, nascens in mari, radices & ramos habens, & generatur humidus. Vento autem Septentrionali flante, indurescit, & fit corpus rubeum, quod cùm videt, qui per mare navigat, secat ipsum sub aquis: cùm verò exit, vertitur in lapidem, cujus color est rubeus, & aptantur in lapides: Indorum quoque vulgus valdè utitur eo. Simili quoque modo utuntur, scilicet corallo nostro Philosophi in arte nostra: sumũt enim ipsum, & terunt fortiter, & in aqua maris eum per 21. dies imbuunt, & in balneo cum multa humiditate, donec spiritus ejus tingens emineat, dimittunt: & hunc spiritum sumentes in vitreo vase reponunt, & dimittunt fecem quasi mortuam: & tamen nec albam, nec rubeam. Postea ponunt in sphæram eam, quam cribrum vocamus. Deinde cum aqua maris tepida imbuunt, & hoc septies iteratum, abluendo & sublimando, donec formam salis candidissimi recipiat: quo facto, reddunt ei spiritum tingentem. Et deinde ponunt ipsum in loco humido, donec rubescat, & fiat ejus spermale. Et de hoc ponunt Philosophi super vitrum & facit ipsum infrangibile. Et cùm ponitur super argentum, vertit ipsum in aurum obrizon. Lapidem, qui dicitur Borites, sumunt Philosophi, qui coloris Indici & varii similiter esse dicitur, terunt ipsum, & aqua maris imbuunt: postea ponunt ipsum in vase vitreo & permittunt eum per dies plurimos in humido loco, donec sulphur, quod in eo latet, exeat, & hîc ipsum colligunt, & in vitreo vase reponunt: corpus verò, quod quasi fuscum remanet in aqua salis distillati abluunt, pòst in calido Sole tempore æstivo dimittunt, & hoc toties iteratum, donec ad instar marmoris albi coruscet. Postea ponunt in Athanor, & ibi desiccant. Postea reddunt ei sulphur, quod ab ipso fuerat extractum, & teritur in eo, quousque vertitur in lapidem, & ita completur Elixir in perpetuum hujus vitæ valiturum. Tinctores habent herbam, qua utuntur in lana tingenda, sumentes tantummodo tincturam & lignum relinquentes: Similiter habemus nos in arte nostra, ponimus terentes & cribrantes ipsum, & urina puerorum frequenter imbuentes, donec lentescat: & ita erit tinctura ejus, ab eo postea ponimus eum in fimo equino, quousque purificetur ejus tinctura, & supra corpus appareat. Quam recipientes in vase vitreo ponimus: corpus verò ipsius cum proprio humore terentes, & in loco humido ponentes abluere non cessamus, donec candore niveo induatur. Postea jungimus ipsum tincturæ suæ purificatæ, quam ab eo abstraximus, & in calido Sole ex ea ipsum imbuimus, & ita recipit virtutem mirificam. Et hæc est descriptio, quam figurativè narrarunt antiqui in prosis suis.

ÆNIGMA

Ex Visione Arislei Philosophi, & Allegoriis Sapientum.

ÆNIGMA I.

COngregatis denuò Philosophorum discipulis quibusdam studiosioribus, Pythagoras, quorum superior Arisleus Abladi filius, deinde Paris Belchioti filius, Armenius Archiæ filius, Meditantalus, Phalisæus, Echamisius & Parmenides, & Eximesias Admiri filius, Averca quæsivit ex Arisleo, possetne dicendo efficere, ut exemplo aut parabola liceret investigatoribus artis, ex arbore illa immortali, fructus, quam Philosophorum discipuli prædicti, cæteríque in Turba descripserant, colligere? Et ille lubenter quidem dicam ut potero, sed non fortè satisfacturus voluntati tuæ. Rursusque Pythagoras: Dic igitur quàm aptè poteris. Et ille: vidi me & quosdam ex Turba equitantes ad maris littora, & ecce habitatores maris secum invicem concubãtes, & nihil eis gignebatur: & arbores plantantes, non tamen fructificantes: & seminantes nec quicquã nasci. Et dixi: Quid vobis? Nunquid quamvis multi sitis, nemo Philosophus est, qui vos doceat? & dixerunt illi: Quid est Philosophus? ait ille: Qui res novit. & illi: Quid prodest ejus scientia? & ego: Si in vobis Philosophus esset, filii vestri multiplicarentur, & nascerentur vobis arbores, & non morerentur, & fructus non extinguerentur, & essetis reges, omnes inimicos vestros superantes. Euntes illi, significaverunt hæc domino suo Regi marino. Cumque ab illo vocati essemus, muneraque postularet, respondebamus: Munera nos occulta portare generandi scilicet artem, & arbores plantandi, & seminãdi, ex quibus arboribus & fructibus qui comedet, non esuriet unquam. Et ille: Maximum munus, si hoc revera misit magister vester. Dicite ergo, quid habetis, & ego: Domine quamvis rex sis, malè tamen imperas & regis: masculos namque masculis conjun-

xilli, sciens quò masculi non gignunt. Generatio enim ex mare & fœmina est conjunctio, veraque fit generatio, si natura naturæ, masculus fœmellæ, conveniens convenienti, aptumque apto commiscetur. Et ille: Filium quidem & filiam habeo, propterea que rex sum meorum subditorum, quoniam illi horum nihil habent: ego tamen filium & filiam meo in cerebro gestavi. Et ego: Duc ad nos filium tuum Thabritium. Quo audito, postulavi & sororem ejus Beyam nobis adducendam. Rex ait: Cur Beyam vultis? Et ego: Quia generatio non fit absque ea, & quamvis soror sit fratris, & fœmina: tamen emendat ipsum, eò quòd ex ipso est. Producta autem coràm Beya, ecce puella candida, tenera & suavis. Conjungentibus autem nobis Thabritim & Beyam, En ait rex: nunquid vir duxit sororem suam? Et ego: sic pater noster Adam jussit filios suos, & tu si in hoc acquiescas, ô Rex, beatus eris & generabunt tibi reges ac reginas, nepotes & neptes plurimos: & filius tuus Thabritis, & soror ejus Beya lucrabuntur tibi, & mortui si fuerint, reviviscent. Acquiescente autem Rege, & Patre cum sorore concubante ecce confestim mortuus est Thabritis. Quare rex me & vos vituperans, in domo vitrea incarceravit, supra quam domum aliam ædificavit, supra quam etiam aliam, & in tribus domib. capti fuimus. Tunc dixi Regi: Ex qua causa festinans, pœnam nobis intulisti? Trade nobis saltem denuò filiam tuam, fortè reditura est vitam filio tuo Thabriti. Et ille: Nunquid vultis meam ampliùs interficere filiam? Et ego: Noli festinare Rex, & cruciatus nobis inferre: sustine aliquantulum, & tuam nobis trade filiam, & paulò pòst habebis & filium & filiam denuò viventes. Tradita autem illa, mansit nobiscum in carcere 80. diebus, & mansimus in tenebris undatum, & intenso æstatis calore, ac maris perturbatione, cujusmodi nunquam accidit nobis. Nos igitur fessi, vidimus te magistrum in somnis, & petivimus, ut nobis subsidium ferres, & mittens discipulum tuum Harforetum, qui nutrimenti author est. Eo autem concesso, gavisi sumus, ad Regem dicentes: Quod filius tuus vivit, qui morti fuerat deputatus.

ÆNIGMA II.

De Lapide.

Est in mari nostro piscículus rotundus, ossibus & corticibus carens & habet in se pinguedinem, mirificamque virtutem: qui silenti igne coctus, donec ejus humor pinguedoque prorsus rodatur & absumatur postea: fortissimè teri debet, & aqua maris imbui, quousque lenteseat: deinde per hebdomadam sepeliri: deinde assari, donec candescat. Cumque candeat, & satis albescat, & ejus aqua sibi reddita, & postea humore suo proprio imbutus: & demum post humoris imbibitionem quousque citrinus appareat, assatus sit collyrium Philosophorum: cujus liquore oculi liniti, arcana Philosophorum facilè possunt videri intelligique.

ÆNIGMA III.

Radix est, quæ tum stipite suo viridi seu succoso teratur, & sua humiditate propria ad Solem: postea mittantur ad balneum, laventurque donec spiritus ejus, sive radicis sal, & lotio purus, liquidus, & veluti tingens appareat, qui colligendus est totus, & corpus sive feces atræ, squamæve residentes in balneo penitus abluendæ. Quoniam fluxibile quid & inquinatum consistit in eis, quod nisi laborioso ingenio & subtili evelli non possunt. Capiatur ergo corpus, & abluatur, & ad tepidum ignis caloretu teratur, & aqua maris roretur paulatim, donec plenissimè candidetur, quo candidato, reddetur ei spiritus ejus sive lotio, & fit Elixir successu temporis firmum & perfectum. Sublimatur etiam hæc radix per retortam infrigidam, & mercuriascit.

ÆNIGMA IV.

Viperam sume, & priva eam capite & cauda: in his enim duobus locis quiescit ejus venenum, ex quo procedit. Divide ergo caput, & caudam, unumquodque per se in vitreo vale repone. Sume residuum corporis, & coque lento igne, quousque caro ab ossibus secernatur. Et postea pone super laminam, & tamdiu coque, donec vertatur corpus in spiritum, & auferatur ab eo fluxibilitas. Non enim potest attenuari quod lentum est. Deinde capiti suo jungito, & cum eo tere tamdiu, quamdiu fluxibilitas in eo consistit. Sicca corpus hujusmodi ad Solem vel ad ignem, ut videas quod inquiris. Hoc itaque completo, scito quòd habes corpus corpora perforans, & naturam, naturam continentem, quæ compositio Theriaca Philosophorum dicitur.

ÆNIGMA V.

Mercurius de se loquitur.

Mater me genuit, & per me gignitur ipsa: dominabatur denuò mihi: de cætero autem dominabor illi: quia persecutor matris meæ factus sum: Ipsa tamen me ut pia nunc fovet, & nutrit filium suum quem genuit, donec ad statum veniet perfectum. Ponas ergo me in humido igne conterere donec finis operis inducatur. Deinde cum opus perfectum est, me ad rubedinem forti igne agito. Quia me caliditatis humor augmentat, & siccitatis consumptio necat.

ÆNIGMA VI.

Super matrem prægnantem servum rubicundum æqualiter conde: Matrem mortifica, manus ejus & pedes abscindens: servum ipsum balnea, & desponsa hos ambo in linteo vitreo, quod Sera dicitur, & desuper pone Thonar: & obstrue benè cum luto Sapientiæ. Et tunc accipe vitrum cum sponso & sponsa, projice eos in fornacem, & fac assare per tres dies, & tunc erunt duo in carne una. Demum accipe illum album hominem de vase, & mole eum per molendinum, & adde sibi clavem artis cum aquila, & iterum tere cum oleo olivæ tandiu, donec siccetur. Hoc fac ter, & habet perfectionis extremum.

ÆNIGMA VII.

Colligatur vaporis terrei primordialis quantitas duodenaria, omni abstracta terreitate inordinata, lotione decibili, menstruosaque infectione præcisa. Addatur germinis fructificandi granum solitarium, in die desponsationis serie alteratione exponendum alvo Philosophico inducatur, solubili amplexu maturandum impregnantia hac decibili, nec sortiatur, quin minimis unione fructiculis deducatur primæva, ut vaporis dispositio utriusque connexionis liquorosa eluceseat probabili. Tractatur experientia circumspectabili, quòd filiolis congruit disciplinæ. Talis inquam vapor unctuosus, primùm Philosophorum Hyle indivisibile, à quo deducuntur trinæ facierem qualitates proportionabiles quas scindere nequaquam jubetur. Alvo quoque effuso, alchymico phœbo collocetur maturosè Hyle, ut nobile vitalitate destituatur, infima dimensionalis existentia eliciatur, per mortalitatis transmutabilis fore apparentiam. Nihil splendeat nisi unum, viro lethali fervida passione prostratum in

favillarum

favillarum hypostasin confricabilem. Sciatur itaque gradus plantatæ arboris primulus, ordine sub eodem frigido, aquoso, terreo, quo tractatu rursus fortem in alveolum adoptatur elemento combusto mancipetur, sagaci regatur ingenio, usq; plena luceat digestionis puritas, candidatus in fulmine. Hoc siquidem prodigium pariterque signum, prodit lapilli digestibilis fore complementum. Jubetur fieri motu medietate manualis confusionis porphyrio sedule, quousq; totaliter præcurrat, ut est prætaxatum. Notate erudiri hoc sedulo alveolo, soloque phœbi regimine, tincturam candentem & rubentem, quæ sunt perpendenda in corpore prætaxato, digestione accepta, in candoris nitore seu igneo prosternatur denuò, saxo compaginetur, pauciſſimas in particulas, motu tremebundo, ut uniantur rigatione, partim univori, Irroratio triplicanda, vel quòd videatur fore necessarium, lacte naturali 200. ponderis sub quantitate. Hoc per regimen unius, phœbo prostratus mortifero cernitur & morte acerrima suscitari. Gratularis igitur Regi vitam tui ministrati incorruptibilem. Quoniam quotiens interitu concernitur, totiens vita essentiali pòst reluceſcat, quousque medicinalis perfectus, omnem indebitè sanus, sine corruptione subjacens, incolumitatem restaurat. Hoc enim exigitur secundùm unctuositatem nostri sulphuris oleaginam, fluxibiliſſimam, in suæ sedulæ rei substantię mundatione, sic fructus colligitur innumerabilis juxta discretionis gradum. Cautela verò concernatur, cùm serpens noster conspicitur prægnans, ne ictum tum pereat maturitas, in nidum dum reponitur, calidum nutritivum cum virtute exsiccationis porrigatur, immensa susceptibili custodiatur, ne alimento superfluo eandem propriam deglutiat, corrumpendo. Quoniam sub consideratione expedit intentio finalis indagati cum mundationis modo. Intentio Philosophorum invariabilis uno ex ore resonet, vim consistere totalem humectatione inalternata, cum terreitate subsequenda: & sic finis.

IN TURBAM PHILOSOPHORUM EXERCITATIONES,

In quibus occulta quædam, & ad Artem facientia explicantur.

Definitio Lapidis, & quibus initiis constet.

EXERCITATIO I.

TRactaturi de Lapide Philosophorum videndum in primis, quibus initiis, quibúsve elementis constet Lapis Philosophorum. Consideratione itaque Philosophorum omnium, Mercurius pater est omnium metallorum. Lapis autem Philosophicus est materia metallica, convertens substantias & formas metallorum imperfectiorum. Hanc autem conversionem non fieri nisi per suum simile, jam dudum ab omnibus Philosophis est conclamatum. Necesse igitur est, Lapidem Philosophorum ex metallica materia gigni. Ex qua autem metallica specie generetur, id sonant omnes Philosophi, præsertim in hoc libello dicentes: In Mercurio esse omni id quod à Sapientibus quæritur. Qua ratione enim ejus substantia aut forma illa corporibus adjungitur, talem suscipit substantiam & formam: & sicuti à corporibus tingitur, & sic tingit: & sicut caro generatur ex sanguine coagulato, ita & Sol generatur ex Mercurio coagulato: & sicut sanguis est origo carnis, ita & Mercurius origo Solis: & sicut sanguis est in carne, ita etiam Mercurius est in lapide Solis: quia ipse Mercurius congelatus est in lapidem Solis, & sic Mercurius est Sol, & ejus Sol est Mercurius. Et omnia corpora metallica sunt Mercurius tàm pura quàm impura, quia ex eo generata sunt. Et ut Mercurius est principium omnium metallorum, ita & Sol est finis ac ultimum metallorum, & omnia metalla munda & immunda sunt intus Sol, Luna & Mercurius: sed unus verus Sol, qui abstrahitur ab illis: de quo in hoc libro copiosè.

De Calido naturali.

EXERCITATIO II.

EXIMIDIUS.

CAlidum naturale describitur, quod in omnibus rebus creatis, præsertim mineralibus inest: eo enim indigent Philosophi: quia hoc calidum naturæ motum virtute caloris ignis, digerit materiam eorum ad formam & speciem debitam. Quam ob causam quidam dixerunt, Lapidem Philosophorum esse materiam puram, quæ est natura auri, continentem in se calorem, qui dat incrementum, & sua vi & potentia habeat crescere & multiplicari in sua specie, sicut res aliæ omnes.

De prima Materia Metallorum, & quomodo ex seminali procreatione generentur metalla.

EXERCITATIO III.

ANAXAGORAS, PYTHAGORAS, LOCUSTOS.

PRimò omnium Deus sublimis creavit quatuor numero simplicia, quæ sunt quatuor elementa ejusdem essentiæ, id est, materiæ, diversarum tamen formarum, hoc est, qualitatum simplicium, quæ ad invicem convertuntur. Primum horum fuit aër ut medium temperamentum, in quo fuit siccus ignis insensibilis, & hujus ignis spissum in aëre resedit. Aëris verò spissum, & quod ex ignis & aëris spisso coadunatum fuit, in terra, quievit. In conversione verò aqua conversa est in terram, & facta est terra, aqua, quæ vocatur Sulphur, & hoc mediante aëre. Terra conversa est in aquam, & facta est aqua terra, quæ vocatur Mercurius, & hoc mediante igne. Itaque ex Mercurio & Sulphure sex efficiuntur naturæ minerales, distinctæ à Natura, scilicet,

Saturnina, Jovialis, Martialis, Venerea. } Hæ sunt immundæ sive leprosæ: quia principia eorum scilicet Sulphur & Mercurius sunt immunda.

Solaris, Lunaris, } Hæ duæ mundæ sunt: quia ex Sulphure & ☿ mundo natæ sunt.

Et hæ quidem naturæ conveniunt in sua radice, quæ est minera metallorum, sed ex accidente distincta sunt.

Septima natura accedit, scilicet, Mercurialis, quæ est aliarum naturarum, id est, materia communis. Hæc natura Mercurialis composita est ex duabus naturis primis simplicibus, scilicet elementaribus, immediatè scilicet natura aquæ, & natura terræ. In istâ enim commistione terra convertitur in aquam mediante igne. Non quod terra fiat aqua, sed ità

quòd terra mediante sua siccitate per operationem caloris ignis, facit constare humiditatem aquæ cum sua frigiditate, ita quod adhuc observatur natura aquæ, quæ est fluxibilitas secundùm unam partem, & amittit aliam partem, quæ est humectatio, & ideo redditur aqua sicca, quæ fluit & non madefacit. Quod autem componatur ex terra per operationem ignis, patet: nam per excessum calidum convertitur tota substantia Mercurii in terram rubeam. Unumquodque enim resolvitur in id ex quo est, & in se terminatur propriè: quia cum hoc quod fluit conglebatur. Quòd autem sit ex aqua, patet: quia fluit, & non terminatur termino proprio, sed alieno resistente: fluxibilitas enim ex natura aquæ est. Natura autem mercurialis ὕλη est materia communis ad omnia metalla: habet enim se sicut semen in vegetabilibus, & sperma in animalibus. Nam ex semine in plantis & vegetabilibus, & ex spermate in animalibus multiplicantur individua; conservantia speciem uniuscujusque generis. Et sicut in vegetabilibus & in plantis est vis quædam germinativa, producens ex succositate terræ salivam quandam nutrimentalem, per virtutes quatuor naturales, quæ succositas secundùm varietatem digestionis, secundùm suas partes transit, quædam in substantiam plantæ, quædam in substantiam foliorum, quædam in substantiam fructuum: in quibus consistit vis quædam seminalis specifica, transmutans reliquum nutrimenti fructuum in semen, quæ est natura procreatrix individuorum, & in vegetabilibus stat loco spermatis, sicut in animalibus est sperma. Sed in his tribus Mercurialibus naturis magna est diversitas. Nam in animalium genere non fit generatio, nisi ex Mercurio spermatico duarum naturarum, masculini & fœminini, cùm ambo concurrunt in coitum, & per coitum commiscentur, & in vas naturæ projiciuntur, scilicet, in matricem. Ista autem duo spermata non sufficerent, nisi vegetarentur ex proximiori materia convenienti cum eorum natura, & talis materia est sanguis menstruus. Nam ex sanguine ista duo spermata generata sunt, & in processu temporis secundùm diversitatem temporum producit ex his spermatibus corpus humanum, quod primò vegetatur, sed cum vegetabili depascitur, postquam bene organisatum est corpus, introducitur anima sensibilis, & ex unaquaque specie producitur cum suo compari individuum ejusdem speciei, sicut ex homine generatur homo, ex asino cum asino asinus generatur: similiter ex plantis & metallis, quamvis aliter & aliter. Nam ex plantis duæ sunt viæ generationis, una per seminationem, alia est per plantationem, id est, insertionem surculorum plantæ in plantam ejusdem vel alterius speciei. Cùm ergo talis surculus inradicatur in stirpem, producit fructum secundùm naturam stirpis. Non sic autem in animalibus, quæ solùm fiunt per seminis propagationem: neque etiam in mineralibus, quæ etiam sumunt procreationem individuorum ex duobus spermatibus mineralibus, secundùm utrasque naturas masculi & fœminæ. Modus autem, qualiter ex seminali procreatione generentur metalla, occultatus est à Philosophis. Sed secundùm similitudinem generationis animalium, manifestum est, & præcipuè secundùm naturæ humanæ generationis, metallorum generationem fieri ex Mercuriis. Nam sicut homo generat hominem & Sol: sic metallum generat metallum, & calor temperatus loco Solis in artificiali generatione. Nam homo ex se solo non generat hominem, sed cum suo compari. Compar autem hominis est homo: sic compar metalli est metallum. Sed quia generatio est motus, & in omni motu est agens & patiens: ideò in generatione hominis concurrunt duo, scilicet, agens quod est masculus, & patiens quod est fœmina. In generatione hominis ista duo principia, scil. activum masculinum, & passivum fœmininum non concurrunt secundùm integram suam substantiam: sed ex eorum substantiis elicitur materia seminalis, quæ est sperma. Nam ut maritus procreat ex uxore sua prolem, non oportet ut corpus mariti totum convertatur in sperma, & postea commisceantur, sed ex corpore mariti elicitur sperma masculinum, & ex corpore uxoris elicitur sperma fœmininum, & ista duo spermata inter coitus copulam commiscentur, & projiciuntur in agrum naturæ, hoc est, in matricem mulieris: & sic ex virtute intrinseca duorum spermatum, quæ dicitur vis formativa, & calore continentis, scil. matricis, formatur corpus humanum, quod nutritur sanguine menstruo: sic similiter in generatione artificiali metallorum fit, quod ex Mercurio masculino, & Mercurio fœminino simul mixtis, & in agrum naturæ profectis, & per Mercurium menstrualem vegetatis, generatur proles similis parentibus. Non autem quòd totum corpus metallicum aliquo artificio convertatur in Mercurium masculinum & fœmininum & postea conjungatur & fermentetur, & procreeatur corpus solare vel lunare. Sed aliter est. Nam ex corpore metallico masculino elicitur ☿ masculinus, & ex corpore metallico fœmineo elicitur Mercurius fœmineus, & duo mercurii simul secundùm debitam proportionem conjuncti, & cum Mercurio menstruali etiam, secundùm proportionem debitam copulatis, & in agrum naturæ positis: tunc ex virtute illorum duorum spermatum, cum vegetatione Mercurii menstrualis, debito & temperato calore rectis, generatur infans secundùm naturam parentum masculinus aut fœmininus.

De Primo Elemento Lapidis, quod est Terra.

EXERCITATIO IV.

PYTHAGORAS.

IN hoc conveniunt omnes Philosophi uno ore, ut eligatur purissima & subtilissima terrea substantia, rubea vel alba, cum qua conjungatur Mercurius rubeus vel albus per minima, & figatur donec unum fiant & inseparabilia. Hæc autem terrea, vel est Lunæ, vel Solis, vel alicujus imperfecti corporis, vel solius Mercurii. De Luna & Sole ego: de Venere Arnoldus Villanovanus: de Mercurio Geber Arabs, sentiunt: Et rursus si de Luna vel Sole sit sentiendum, in dubio fortè erit, an terra eorum sit cruda, an sint feces ex sulphure relictæ: sed arbitrandum est, terram esse ex crudis vel Lunæ, vel Solis, imò ex solo Sole. Sed non est vituperanda mens Arnoldi, nititur enim ea ex ratione: quia omnis tinctura debet habere ingredientem lapidem, ex eoque constare quem vult tingere. Si igitur volueris tingere lapide tuo Venerem, necesse erit, & terram ex Venere recepisse. Hæc terra fit per calcinationem, & convertitur in cinerem, & cinis per sublimationem convertitur in quintam essentiam, & quinta essentia per solutionem convertitur in lapidem, in quo initium est magisterii: ab eo enim rursus extrahitur aqua, & terra mineralis: quæ cùm calcinata & dealbata est admittit denuò vaporem suum, & eum figit ac unit unione inseparabili, quod

in uni-

in universum facit depuratio vel sublimatio, quam subsequitur fermentum & nutritio.

De Dimissione aquæ vel Roratione Super terram.

EXERCITATIO V.

ARISTENES.

HOc omnium maximè hîc animadvertendum est, quòd neque aqua maris simplex, sola, neque æs ipsum solum aliquid pro lapide Philosophorum facere possunt, vel ipsum Lapidem Philosophicum constituere: neque lapis ipse, sive Elixir, vel sola simplici aqua, vel solo ære constare possunt, sed utrumque, id est, aquam simplicem, & ipsum æs conjungi oportere. Priusquam verò conjungas sive commisceas hæc ambo, ipsum æs scilicet, & aquam, vide ut utrumque nec crudum, neque in rectificatum: sed ut aqua ipsa aliquoties destillata, & tandem in statum suum & descensum restituta, ipsumque æs combustum, candidum & syncerum omnino factum sit. His enim ita præparatis, ad Elixir procedi potest. Cùm enim æs ipsum syncerum non esset, terram, quæ inde elicitur, crudam & insyncerum, imò fortè nullam gigni certum foret. Ita & aqua, si ipsa munda & destillata non foret, terram ipsam lavare & abluere nequiret. Sordidum enim & atrum, non sordido vel atro: sed puro, claro & mundo dealbatur. Mundificatis igitur utrisque, tum æs ipsum in laminas tenuissimas productum discerptumque, cum aqua cõmisceatur.

De Conversione Naturarum & commixtione.

EXERCITATIO VI.

PARMENIDES.

MOdus artis ad invicem convertentis sic habet. Primò solve Lapidem in suum Mercurium. Lapidem dicunt authores metallicum, ablue, reduc, fige & incera. Solve scilicet grossum in simplum, ablue obscurum in lucidum, reduc humidum in siccum, fige volativum in corpus suum. Solvere est dividere, & corrumpere, ac materiam primam facere. Abluere est inhumare, distillare & calcinare. Reducere est impinguare, incerare, & subtiliare. Figere est desponsare, resolvere & coagulare. Per primum natura operatur interius: per secundum exterius: per tertium superius: per quartum inferius. Sed moderni finem perturbant operis: quia cùm laborare desistunt, tum incipere potius jam primùm deberent. Sed unus solvendo solvens & coagulans, alter solvens & figens, alter turbat medium, alter finem: ita hæsitant in arte, ut stulti. In summa dico, eos non facere tincturam unius numi, nisi omnia debitè digesta fuerint in naturam conversione, ita ut principiò convertatur grossum in gracile, id est, corpus in aquam: deinde aqua in corpus sive terram: deinde addas, imò indas animam: quod fiet si animam cum aqua, id est, spiritum corpori addideris: demum nutrias tale animatum corpus lacte suo, id est, aqua sua, ex qua concreatum est opus, sive inceptum à principio. De commistione autem docetur, ut proportio ita sese ad invicem habeat, ut sint aquæ tres partes ad unam plumbi, vel melius duæ æris ad septem veneni, ut Zenon postea dicit. Quidam ut ij qui in aqua septies distillata & revivificata, solvunt duas aquæ ad unam partem plumbi proportione sesquialtera ducti, solvendo commiscent: artificiosè autem optimeque commixtis his duobus, & benè coaptatis, curato ut aqua fiat metallica, & tunc illam ipsam aquam in suo vase vitreo componito inditoque & ad dies quadraginta putrefactionis, hoc est, primi gradus ignis coquito, donec ipsum plumbum liquefiat & putrescat.

De Conjugio Solis & Lunæ.

EXERCITATIO VII.

ZIMON.

HIc Philosophus videtur annuere, ut utrumque corpus perfectum ad compositionem Elixiris sumatur, sive ille sit futurus albus, sive citrinus. Ratio, quia nullum absque altero facilè fluit. Finis autem omnis totius secreti Alchimistici est, ut Elixir statim fluat ante fugam scilicet Mercurii. Sed nullos lego authores, vel perpaucos, qui hoc suadeant, vel dicant quando applicanda sint hæc utraque corpora, Solis scilicet & Lunæ: non in initio scilicet operis, ut puta in solutione, an in fine, nempe in fermentatione. Videat igitur qui volet, quid faciendum eligendumque sit. Modus hic mihi non admodum placet. Quia si ita fieret, oporteret Elixir, neque album, neque citrinum, sed promiscui coloris futurum. Id tamen fieri potest, ut sit hæc sententia ita interpretanda, nempe: Cùm Elixirium sit ad rubeum futurum, ut primo sumatur Lunæ limatura, & solvatur cum Mercurio, & ex illis conjunctis colligatur terra sive substantia Elixirii. Deinde per omnes partes procedatur, per hæc duo, scil. per Mercurium & Lunam, donec ad fermentationem veniatur, ubi Solis solum fermentum accipiatur, non addito etiam de Luna aliquo. Quamvis Senior Philosophus putet oportere tria lumina desponsari in commixtione operis, sive aquarum, Solem scil. Lunam & serpentem, & horum alterum esse fratrem, alterum sororem serpentis, per quos indurari posse serpentem, & retineri ait. At errat meo judicio. Satis enim est serpentem serere in sororem suam. Causa erroris est: quia Sol non terrificatur propter perfectionem suam, ut ego arbitror. Quòd si simili modo purificaretur, tunc nihil obstaret: quia & Lunæ & Serpenti conjungeretur.

Quod Artis Fundamentum unum quid sit, & Lapis unus.

EXERCITATIO VIII.

SCITES.

MUlti longis disputationibus Lapidem vel diversis, vel duabus, vel una tantùm re constare, diversis nominibus contendunt. Sed hic Philosophus & Bonellus infrà, totùm opus & substantiam totius operis, nihil aliud esse dicunt, quàm aquam: & regimen ejus in nullo est alio quàm in aqua. Et verè una res est, in qua omnia insunt, & est sulphur Philosophorum, est aqua, est anima, oleum, Mercurius, & Sol, ignis naturæ, aquila, lachryma, primum Hyle Sapientum, materia prima corporis perfecti. & qualicunque nomine Philosophi lapidem suum nominaverunt, hanc unam rem, hoc est, aquam illam, semper putant & significant, ex qua omnia, & in qua omnia: quæ omnia regit, in qua erratur,

& in qua error ipſe corrigitur. Aquam autem dico Philoſophicam, non vulgi aquam, ſed aquam Mercurialem, ſive ſimplicem, ſive compoſitam: utraque enim eſt aqua Philoſophica, quamvis alius ſit Mercurius vulgi, & Mercurius Philoſophorum. Illa enim ſimplex eſt mera, hæc ex duabus rebus compoſita eſt, ex ære ſcilicet noſtro, & aqua ſimplici. Compoſitæ autem hæ duæ aquæ Mercurium Philoſophorum faciunt. Quapropter credendum eſt, ſubſtantiam vel materiam ipſam primam ex compoſita eſſe aqua. Componunt autem quidam tribus, quidam duabus ſpeciebus tantùm: mihi ſatis ſunt ſpecies duæ, id eſt, maſculus & fœmina, aut frater & ſoror. Aquam autem ſimplicem aliàs vocant Venenum, Argentum vivum, Cambar, Aquam permanentem, Gumma, Acetum, Utinam, Aquam maris, Draconem, Serpentem. Secundùm autem ſenſum hujus Philoſophi ad perfectionem ſic procedas: Contere lapidem in pulverem ſubtilem valde (hoc eſt, contere ſc. igne, non manibus) & in aceto clariſſ. cœleſtino pone, ſtatim ſolvitur in aquam Philoſophicam, & quaſi ſontaneam. & ſi ita totaliter fuerit ſolutus, tunc diſtilla materiam, diſtillationem coagula temperato calore, & ultimò calcina, ſc. poſt coagulationem ejus per modum ſuum, & in quarta ſolutione tingit. Et hæc noſtra ſolutio eſt ſecundùm naturam: ſed illud perpetuò habeatur in memoria: Nullam extraneam rem recipi à Lapide Philoſophico, neque extraneum quippiam in Lapide Philoſophico ingredi. Quapropter videat qui volet, ne decipiatur hîc in nomine aceti. Una enim res, unius generis & naturæ, nihil alienam admittit: & veriſſimum eſt, unam rem eſſe, & ex uno fieri. Quia quando Mercurius præparatur in aquam Benedictam, tunc ipſe habet poteſtatem diſſolvendi corpus perfectum in Mercurium per artificium, & ita totum compoſitum eſt Mercurius, una ſcil. res ex qua lapis fit, & in illa unica re ſcil. Mercurio, ſeu lapide, ſunt quatuor: corpus ſcil. & anima, ſpiritus & tinctura, etiam terra, aqua, aër, ignis, fermentum, oleum.

De Solutione & Diviſione Elementorum.

EXERCITATIO IX.

ZENON.

IN Alchymico opere oportet primò omnium Lapidem, id eſt, corpus, animam & ſpiritum, planè mortificare & exhaurire, cùm nihil fructum in hac arte faciat, niſi prius mortificatum ſit. Sed mortificati ſeparatio elementorum, fit & monſtratur cujuslibet elementi effectus: Ergo ſi vis Elixir facere opus erit primo lapidem ipſum omnino ſolvas in ſua elementa, quod per anni partes nobis ſignificatur: Deinde ipſa Elementa per ignem, mediante Mercurio conjungas, quod eſt maximum arcanum, & ſic magiſterium eſt completum, omneque artificium in ſolvendo & conjungendo ſitum eſt. Hæ autem ſolutiones vel ſeparationes fiunt mediante Mercurio: ipſe enim primò ſolvit corpus & facit ſeparationes, quæ rurſus conjunguntur per fermentum & Mercurium. Verùm hic ſedulo eſt animadvertendum, Mercurium vocari in initio operis, aquam: deinde apparente nigredine, Terram: deinde eo ſublimato, Aërem: deinde rubificato eo (debet autem aër per ſe coqui donec rubeat) ignis: deinde ſublimatus cum corpore luminari aliquo, fermentum: deinde ſolus additus toti & compoſitæ materiæ, ſpiritus: & ſic terra cum aqua, aere & igne corpus eſt, fermentum, anima, ultima irrigatis, ſolius Mercurii ſpiritus. Sic patet ergo quòd Lapis conſtat quatuor elementis, ſcilicet, aqua, aëre, igne, & terra. Nam in Lapide ſunt anima, corpus & ſpiritus, & tamen unus Lapis, ut ſupra dictum eſt, quem ſolvere oportet, & rurſus coagulare. Sub ſolutione omnes operationes comprehenduntur uſque ad albificationem lapidis: poſt albificationem coquitur iterum, & fit lapis rurſus dum coagulatur: deinde iterum ſolvitur, habito fermento: & ſolutio illa iteratur, donec fluat lapis ut cera.

De Solutione corporum in aquam, de Gumma & diviſione aquæ.

EXERCITATIO.

MUNDUS.

EX aqua lapis noſter preciosiſſimus generatur: oportet ergo in principio omnem rem in aquã ſolvere. Non enim credibile eſt aliquam rem poſſe converti de ſua natura in aliam, quin priùs reducatur ad eam materiam, de qua facta eſt à principio: quod ſi factum eſt, credo eam traduci poſſe ad quamcunque naturam volueris. Quoniam omnes res creatæ ſunt ex aqua: ergo neceſſarium eſt eam rem converti in aquam. Ac proinde concluditur, quòd omnes ſpiritus converti debent in aquam antequam ſublimentur. Mercurius enim quando ſolvitur in aquam, tunc deponit feces ſuas, & frigiditas ipſius vertitur in calorem, & humidum ejus in ſiccum, & calor ejus in ſublimatione augetur, & ſubtilitas ac tinctura: quia à vitriolo accipit calorem & tincturam. Juxta hanc verò doctrinam videri poteſt, Lapidem Philoſophorum componi poſſe ex Mercurio purgato, ſoluto, ſublimato, & in limpham reſoluto. Item ex alio Mercurio, non quidem vulgari, ſed ex eo, qui ex vulgari illo extrahitur, qui abſtractus, Quinta eſſentia vocatur: quæ duo, ſcilicet Quinta eſſentia & Limpha antè dicta, conjungi oportere credendum eſt. Imò ipſa Quinta eſſentia cum Limphato Mercurio ita miſcenda ſucceſſivè, donec per vices quinta eſſentia duas partes ejus limphæ ebiberit: deinde etiam ultimò adjungendum corpus attenuatum. Hoc eſt ſulphur ipſum de quo inferiùs dicetur: vel fixatur ſulphur ☿ & additur ſulphur alicujus luminaris, & conjunguntur hæc duo in limpha Mercurii, & ſic coquuntur per vices rotando. Vel ſi hæc doctrina non placet, fiat ſecundùm doctrinam Philoſophorum, primò ſulphur Philoſophicum, & aqua Philoſophica, quæ & permanens dicitur. Et hæc duo ſimul concurrant, hoc eſt, adunentur ad ſimilitudinem naturæ, quæ ex argento vivo, quod aqua vocatur, & ſulphure terreſtri procreat omnia metalla: ita concurrente aqua Philoſophica, hoc eſt, Mercurio Philoſophorum procreari credetur lapis Philoſophorum tingens. Ex doctrina autem horum Philoſophorum, aquam Philoſophicam argentum vivum dicimus ex corporibus extractum: ſulphur verò attenuatum corpus, ſive terream illam attenuati corporis ſubſtantiam. Quæ mediantibus quibusdam præparatoriis ſpeciebus cogitur elevari & ſublimari, illamque elevatam & ſublimatam corporis ſubſtantiam, ſulphur Philoſophicum appellant. Sed de his ſuperque ſatis. De Gumma dicendum eſt. Gumma mas eſt, & ob id honorabilior. Aurum eſt ſoror gũmæ. Proinde dicit aurũ: Nemo me enecat, niſi ſoror mea. Quòd autem dicit Philoſophus: Accipite gummæ candi-

diſſimæ

dissimæ partem unam,& urinæ vituli. Concordat cũ Theophilo infrà,qui dicit,oportere addi tria ad unũ: vel septem ad duo. Quod autem hic facit compositionem quatuor eorum; non nisi duo sunt, datque ipsi gummæ tria nomina, sed re vera æs ipsum vocat gummam corporis & bene quidem; deinde subdit, quod septies debeat nutriri rex, quos modos recenset & docet ordine.

Rursus de aqua, & divisione aquæ in partes.

EXERCITATIO XI.

PANDULPHUS.

SI superior doctrina non placet, aliam adfert hîc Philosophus, quam in hanc formam aptè explicabimus. Recipiatur de aqua abstracta à lapide pondus suum,id est, æquale cum lapide,& lapis ipse, & aqua bene permisceantur insimul, & locentur regimine ignis sui, & caveatur ne effluat. Vel locetur tota materia in balneo Mariæ, & solvetur; materia in aquam lacteam, quæ aqua Lac virginis dicetur, & Acetum Philosophorum. Tunc permittatur elevari in cœlum: & deinde jubeatur descendere in terram; id est, omnes operationes reitera, ut decet. Nam inter solvendum ascendet in cœlum, & inter coagulandum descendet, & unitur spiritus cum terra & deinde iterum calcinetur, & erit lapis fixus ac fluens. At animadvertatur, quòd quater erit lapis solvendus, & per omnia cum eo procedendum, ut innuit Philosophus. Et quoties solutus est lapis toties, eam solutionem sigillo Hermetis custodiri oportet, donec Elixir ipsum coagulatum videatur: deinde calcinatum, & rursus in pulverem redactum fuerit. Et in quarta solutione (aiunt Philosophi) cavendum est maximè ne fluat Elixir,& vitrum fiat, quod cùm fieret, in nullo esset usu. Calcinatum enim esse oportet Elixir,hoc est,in pulverem redactum, non vitreatum. Caveatur autem fluxus Elixiris, si ignis bona ratione, hoc est, admodum clementer regatur. Et etiamsi Philosophus hîc dicat, ut sit ignis intensior, perpetuò tamen in memoria habeatur, ut ignis à principio operis unum sit usque in finem,similitudine infantis in utero matris. Deinde animadvertatur quòd album mundum Philosophus hîc fermentatum jam lapidem vocet: deinde cùm dicit corpus septies debere imbui, significat illas duas tertias in septem partes dividendas, & septem vicibus imbuendas. Item significat omnem aquam qua usurus sit per totum opus, in tres partes æquales dividi, cum ære tertiam unam ad putrefaciendum poni oportere: deinde cæteras duas tertias ad nutritionem satis esse, si septies dividantur, & super rorentur, quod est contra Theophilum, qui asserit, aquam dividi oportere in duo æqualia, ut infrà patebit.

De Divisione Aquæ & vasis apertione.

EXERCITATIO XII.

THEOPHILUS.

THEOPHILUS hîc docet venenum in duo æqualia esse dividendum, quorum altero æs liquefiat, altero verò teratur,& imbuatur. Sint autem Elixiris partes duæ ad septem, vel tres ad unam; & sit ignis justæ putrefactionis. Putandum verò est Philosophos ideò jubere aquam in duas partes dividi, ut significent tanta aqua Elixirium post fermentationem, quanta in fermentatione requirebat (quamvis aliqui contrà sentiant, & terriam numero partem doceant) imbuere, & per septem vices madefieri sive nutriri, quanta portatione ipsum æs solutum est. Et cum jam dicta portio per septem vices post nutritionem ita adhibita est Elixirio: tunc Elixir maturum est ad tingendum. Docent tamen nonnulli oportere priùs dictam septenam imbibitionem sive nutritionem ipsum Elixirium per aquam; quam illi vocant Acetum, penitus solvi quod difficile est & creditu & factu, & timendum ne vivificatum jam Elixirium solutione ea strangûletur. Utcunque verò se res habeat, hoc perpetuò est observandum, ut tantum aquæ in una imbibitione superfundas Elixirio; quantum esse putaris, paucillum; post paucillum, & eo sæpiùs: sic enim septies licebit; & quatuordecies superfundere. Quod si feceris,paulatim crescit Elixir, augmentumque ferè octenis diebus,veluti hians & sitiens appetet, roburque justum acquiret: contrà verò,si in modicâ utaris aquâ plus satis, & voraciter bibet roburque omne debilitabit. Et putarem ego vicesimam portionem aquæ in augmentatione seu nutritione satis esse singulis octenis dieb. Quanta aqua uti debeas in fermentatione, hoc ex superioribus deprehendisti. Quanto autem sit vas aperiendum,ex naturali ratione collige. Aëre autem non indiget conceptus scil. natus puer. Item nato rege non licebit eum aëre privare, & clausum detinere, vitamque receptam suffocari. Nascitur autem, & vitam fermento recipit: nec citiùs aperiendum vas, quàm cùm fermentare volueris. Postea verò non puto vas rectè claudi: suffocatio enim pararetur nati regis. Et quamvis pro nutritione sedulò lac dandum, tamen ita moderato igne regi cùm oportet, ut nequaquam evolare valeat lac ipsum, vel effumigari, & sic paulatim lacte nutriendus septies vel octies, donec robustus fiat ad toleraudum robustissimum ignem universalem solutionem, ut quidam aiunt. Solvi enim debet post nutritionem plenariam, & iterum siccari in pulverem seu lapidem, deinde iterum nutriri, donec tingat: & solvitur quidem aceto suo, quod est acetum accerrimum

De Siccatione Aquæ, Coagulatione & Calcinatione ac Ignis regimine.

EXERCITATIO XIII.

CERUS, BORATES.

DImidia aqua solvi debet æs: Sed cum sola tertia parte aut ad summum ita, ut sint duo ad septem, coqui, ut hîc docetur cogitet igitur quisque,quomodo id efficiat. Animadvertatur præterea, ut post imbibitionem terræ, & siccationem ejus, terra ponderetur. Si pondus omnis commisti seu conjuncti,id est,terræ & aquæ salvum est,benè operatus es. Si plus inveneris ponderis quàm impendisti, coque diutius, sed admodum lentè. Si pondus deficit, tunc exiecisti siccationem, & tunc emendatur error per aquam, quæ tandem superfunditur, & leniter digeritur. Animadvertendum præterea, quod quando materia dicitur hîc vel alicubi in sententiis Philosophorum, coagulari vel calcinari, tunc non expedit fieri fortiore igne, quàm vel in solvendo, vel putrefaciendo, vel abluendo, vel fermentando, vel nutriendo. Propterea infiniti artistæ sunt decepti, qui statim post solutionem & ablutionem

ablutionem coagulant & calcinant auctiore Solis calore: quo errore materiam ita inurunt. Quia quando eam expedit ſolvi, non niſi longè majori difficultate ſolvi poteſt. Oportet autem materiam veluti interfici, non in vitrum converti. Quapropter Philoſophi aiunt, Leni igne facietis omnem decoctionem, & invenietis omnem ſcientiam, ſi aliter feceritis, non gaudebitis in opere veſtro. Itaque magna vis in regimine ignis ſita eſt. Nam fortis ignis vitrificat & perurit, lenis ſolvit & coquit materiam, ac maturam reddit. Videmus enim in conceptione, uſque ad editionem, ejus calorem (niſi accidentaliter contingat, ſcilicet non naturaliter) non mutari in utero matris, ſed eundem ſemper eſſe. Eodem igitur, id eſt, leni calore in opere ſubinde, uſque ad nutrimentum utendum eſt. Scribunt multi, ignem fortificandum eſſe poſt coagulationem, ut ipſum ſcilicet coagulatum igne teratur. Si hæc via proderit, non moror quin quiſque volet eam experiatur. de me perpetuò obſervandum exiſtimo, ut cùm imbiberis aridum, parcus ſis ignis carbonum, donec aridum imbiberit hoc, quod propinatum eſt, ſuaviter. Quod videre licebit ſi aquam propinatam voracem cognoveris. Ubi id factum eſt, tum fortè opus eſt liberaliore fornace, ex exſiccatione grandi corporis cocti, ſubſequente ſtatim alia imbibitione, cui ſimiliter inhærendo famulandoque procedendum.

De Anima, Spiritu & Corpore.

EXERCITATIO XIV.

MENABADUS.

OMnis diſputatio magiſterii Alchimici in hoc pendet, ut fiat Elixir ex corpore, anima & ſpiritu conglutinatis, ut Philoſophus hîc notat. Corpus quidem quale ſit nominatur, neſciri tamen poteſt quod veniat Elixir utendum. Spiritus ſignificatio nemini eſt incognita. Anima verò ea eſt, quæ vivificat & dat eſſe corpori & ſpiritui, & fit anima ex corpore ipſo vivificato. Hoc enim loco animam nihil aliud eſſe credimus, quàm corpus vivificatum: vivificatur autem ita, ut in argentum vivum revertatur, quale fuit priùs quàm coagularetur. Et hæc anima, ſi additur corpori & ſpiritui mortificatis, ita ut demum totùm Elixir vivum fiat tunc demum credendum eſt, ſcopum Alchimicum attactum eſſe. Corpus autem vocatur terra, æs, plumbum, cinis, magneſia, calx, mater, clavis, virgo ſancta, corona regis, Talek, Trames, vitrum, lignum aureum, ſpiritus fulgoris, mare, ſal, urina, alumen, gumma Scotiæ, aqua ſulphuris, ſputum Lunæ, gumma alba, &c. Spiritus verò vocatur aqua, ſanguis, colla auri, gumma rubea, oliva, gallus, taurus, aqua crocea, æs combuſtum & compoſitio, &c. Anima vocatur Rebis, aqua fœtida, mortui munditia, ſanguis, aqua ſanguinis, lapis animalis, lapis benedictus, &c. Mutua autem officia inter hæc tria ſunt, quia ſpiritus cuſtodit corpus, ne ab igne comburatur. Et clarum corpus cuſtodit ſpiritum, ne evolet ab igne: quia corpus eſt fixum, unde conſervat ſpiritum ne fugiat, & ſpiritus eſt incombuſtibilis: quare non ſinit corpus comburi, quia ſpiritus & corpus unum ſunt mediante anima, quæ eſt apud ſpiritum, & corpus. Quòd ſi anima non eſſet, tunc ſpiritus & corpus ſepararentur ab invicem per ignem, ſed anima adjuncta ſpiritui & corpori, hoc totum non curat ignem, nec ullam rem mundi.

De Conjunctione Corporum, & Copula eorum.

EXERCITATIO XV.

ZENON.

INter ſupradicta tria ineſt libido ſeu conformitas talis: quia quemadmodum ſperma viri & mulieris ſunt dimiſſa in matrice mulieris in ſpecie lactis ſeptem dies, & in ſpecie ſanguinis per novem dies, & in ſpecie carnis per viginti dies, & feruntur membra per triginta dies, & in fine illorum dierum Deus infundit benedictionem germinis humani, animam ſcilicet ſeu vitam: eodem modo eſt in ſpermate agentis corporis, id eſt, lunæ: & patientis, id eſt, Mercurii, cum nutrimento menſtrui, id eſt ſalis Alembrot. Nam opus cùm creſcit, primò tribus diebus in lacte dicitur incorporatus, aut de complexione lapidis degenerat: poſtea in ſanguinem dum additur ſal noſtrum: poſtea in modum carnis imperfectæ, dum coagulatur in aquam, & diſſolvitur: poſt in fine formantur membra, & tandem Deus dat materiei animam, id eſt, potentiam, qua augmentatur & nutritur medicina noſtra. Et poſtquam Rex ortus eſt, id eſt, anima per fermentum mediante aqua lapidi mortuo infuſa eſt, tunc oportet vitalem lapidem nutriri: & puto eandem ego eſſe conditionem nutrimenti & augmenti, à ſignificatione nominum cauſam ducens. Nutrire enim eſt tenellè & frugaliter cibum adminiſtrare, veluti puero ſeu infanti, tenellus & frugi cibus adhibetur. Cùm autem maturus, ſolidus, & robuſtus aliquantulum fieri incipit, tunc & cibus augmentatur. Itaque cùm nutrimentum in nutricis primariè ſeu voluntariè ſit, juſtumque eſt, ſi tenellum & frugi modò ſit augmentum, non ita ſemel pondus duarum partium Elixiri dari poteſt, ita Elixirium jam adultum non ſuperet cibum augmentati niſi in una parte. Quia tertia pars Elixiri excedere debet cibum, ut cibus per eam concoqui poſſit. Ponderoſius enim eſt corpus quàm cibus. Sed illud quoque in augmentatione obſervare neceſſe eſt, ut quando lapidi augmentum adhibetur, ipſum augmentum ſubinde per omnes decoctionis ſpecies in igne temperato continuetur.

FINIS.

SUBSE-

SVBSECTIO SECVNDA.

ARTEFII *Liber, qui* CLAVIS MAIORIS SAPIENTIÆ *dicitur.*

DIVIDITUR autem iste Libet in tria Capitula, nec unum completur sine aliis. Primum enim indiget secundo, & tertio; & tertium primo, & secundo. Primum enim tractat de compositione elementorum, superiorum, acinferiorum, & naturarum æqualium, & inæqualium, & conversione eorum adinvicem; & generatione. Secundum tractat de generatione corporum mineralium, tam naturalium, quàm artificialium Tertium, de generatione plantarum & animalium, & adligamento corporis cum spiritu, & etiam animæ, ipsius animalis, cum animali.

Laudemus igitur Deum, qui est inspector omnium, nec est quod lateat ipsum, ipse enim est adligatus suis creaturis per verbum suum; & separatus ab eis, inquantum ipsas transcendit; nec enim puto quod aliquid creaverit; sibi simile vel æquale, & de magnis beneficiis, & maximum est illud, quod ipse adligavit corpus nostrum cum subtilissimo omnium elementorum, scilicet anima; quæ videt occulta manifesta, dum tamen virtutes ipsius corporis, ipsi non prædominentur, quanto enim magis fortificantur ipsius corporis vires, tanto animæ virtutes necesse debilitari, & quanto magis ipsum corpus alteratur tanto magis ipsius animæ subtiliatur intuitus: & propterea dixit magister noster Belenius Philosophus, ponas lumen tuum in vase vitreo claro, & nota quod omnis sapientia mundi hujus circa ista tria versatur. Scilicet, circa adligamentum animæ corporalis cum anima corporali, & animæ spiritualis cum anima corporali, & spiritualis cum spirituali: Sed adligamentum animæ corporalis cum corporali propinquius est, & facilius quàm spiritualis cum spirituali. De isto enim tertio pauca scribere voluerunt sapientes antiqui; dixerunt enim, nullum ad ipsius scientiam posse pertingere, nisi fuerit natura sua divina & spiritualis, & sua nativitas, etenim postea dixerunt communiter sapientes omnes Antiqui sine diversitate, quod illud quod est superius, est sicut illud quod est inferius, & è converso, & omne subtile est ex grossis, & grossum ex subtili, omnis compositio mundi sive majoris, sive medii, sive minoris est una compositio, & scias quod omne adligamentum rerum mundanarum est sicut adligamentum numeri, videlicet ex unitatibus, denariis, & centenariis, & millenariis. Ex digitis enim numeratur primus articulus, dicendo sic 1. 2. 3. 4. quæ simul adgregata denarium constituunt, similiter si dicas 10. 20. 30. 40. ex his numeris simul adgregatis centenarius exoritur: hoc idem etiam in centenariis, & millenariis apparet: cum enim numerus nihil aliud sit, quàm adligamentum unius rei, ad alia, manifestum est, quod unitas numeri non sortitur naturam: cum ergo binarium acceperimus, quoniam numerus primus est, & ipsum in duo æqualia diviserimus, manifestum est ipsius partem alteram, unitatem existere, quam si binario addere voluerimus, ternarius inde provenit, si vero binarium duplaris, quaternarius inde nascetur, & quaternario si unitatem addideris, quinarium tibi producet, si verò ternarium eidem addideris, septenarium inde recipies, qui unitate superaddita octonarium tibi procreabit, si iterum unitatem addideris, novenarium recipies, si verò binarium, denarium numerum tibi procreabit, eodem modo centenarii ex denariis: millenarii verò ex centenariis procreantur.

Una verò die vocavit me magister meus Bolemus Philosophus, & dixit mihi, eja fili, spero te esse hominem spiritualis intellectus, & quod poteris pertingere ad gradum supremum sapientiæ: Interrogo te ergo & tu responde mihi? & dixi ei. Eja pater misericors, ac magister honorande, interroga discipulum, & ego sicut potero, respondebo tibi, & dixit:

In quot genera dividitur Natura? & dixi in quatuor, & ille, & quæ sunt illa quatuor? & dixi; simplex, ac simplex de simplici, compositum de simplici, & compositum de composito. Et dixit: Quid ipsorum est primum? & dixi, simplex. Et ait, & quid est illud simplex? & dixi: Duæ naturæ, quarum una est agens, altera patiens: & ait; & quæ sunt illæ duæ naturæ? & dixi Prima earum est natura caloris, & secunda frigiditatis. Quid natura caloris? est activa: frigiditas verò passiva. Et dixit: Quid est post simplex? & dixi, simplex de simplici, & dixit: Quid est illud? & dixi, natura caloris, & natura humiditatis, & natura frigiditatis, & natura siccitatis: & ait: Quomodo generantur duæ illæ naturæ? & dixi: Creator omnium in principio absque sermonis prolatione dixit, sit creatura talis, postea creata est à Deo natura, sive materia prima de qua Aristoteles in primo Physicorum, & Plato in Timæo consimiliter scripserunt, quod est primum passivum, sive receptivum: quæ nec magna, nec parva, nec subtilis, nec grossa, nec movens, nec quiescens esse potuit, nec alia debet nominatione determinari, nec rei cuilibet adsimilari, in qua quidem omnia principaliter exstiterunt, scilicet in potentia, quæ est, esse medium inter esse actu & perficere, & nullo modo esse. Et ut ad actum reduceretur, creavit creaturam secundam scilicet causam agentem similem scilicet orbi cœlesti quam lucem appellare decrevit. Hæc autem lux Sphæram quandam creaturam primam intra sui concavitatem obtinebat. Hujus verò naturæ, & primæ creaturæ alia creatura erat caloris & motus, unde patet aliam primam esse frigiditatis ac siccitatis: & quia naturæ illæ erant ad invicem approximatæ, repercussit calor frigiditatem, & constrinxit se frigiditas condensando se ipsam, & quia de natura caloris, & cujuslibet rei subtilis est penetrare, penetravit calor usque ad centrum frigiditatis: & quia cujuslibet rei finis est contrarium: ejus motui autem opponitur tam motus quam quies; ideoque motui isti qui fuit ad centrum, sive ad medium, successit alius motus: in medio temperavit enim se una pars caloris cum parte frigiditatis sibi æquali; & evenit ex ea temperatura natura humiditatis, & quia natura ejus fuit media inter naturam caloris & frigiditatis, ideoque locum medium sortita est inter utrumque, & fuit motus ille à centro usque ad medium, & à medio ad medium inter minimum & supremum, ac iterum ab infimo ad medium, hoc est à medio ad medium, inter medium & infimum temperavit enim se una pars caloris cum parte humiditatis sibi æquali, & venit ex isto temperamento natura caloris ac humiditatis, cujus locus, ut prædiximus, medius erat inter locum caloris & humiditatis: & quia ut prædi-

prædiximus natura humiditatis eſt compoſita ex una parte coloris & una humiditatis vel frigiditatis ſibi æquali, ſequitur, quod natura caloris & humiditatis eſt una pars frigiditatis & tres caloris; eodem modo natura frigiditatis & humiditatis eſt adgregata ex natura frigiditatis, ac natura humiditatis æqualiter. Et quia natura humiditatis medietas eſt caloris, & medietas frigiditatis, ſequitur quod natura frigiditatis & humiditatis tres quartæ ſunt frigiditatis & una caloris. Jam igitur habemus ſecundam ſphæram. Prima naturæ, quatuor ſphærarum de quibus ſupra, quarum prima frigiditatis & humiditatis quam ſphæram ſpiritus appellaverunt ſapientes Antiqui, ſupra iſtam æqualitatis naturam, quam ſphæram animæ nuncupaverunt, poſtmodum verò naturam caloris & humiditatis, quam ſphæram tertiam appellaverunt, & ſupremo natura caloris & ſiccitatis, quam ſphæram appellaverunt quartam, & hic fixatur, & quia ut prædixi, cùm fuerint commixtæ illæ duæ naturæ primæ ad invicem, non fuit ex tunc motus ad ſurſum, & deorſum, & è converſo, ſed movebantur omnes ſphæræ motu circulari. Jam ante diximus, quod cuilibet rei omnium extremum ſibi contrariatur & quod motus à ſurſum, ad deorſum, non ſolum opponitur motui à deorſum, ad ſurſum, ſed etiam quieti: ideoque diximus, quod una pars caloris quæ non ſe commiſcuerat cum natura frigiditatis ad generationem humiditatis remanſit inferius admixta frigiditati, & quia non eſt dare vacuum in natura, ideoque loco iſtius caloris qui deſcenderat ſubvenit quædam pars frigiditatis ſibi æqualis. Jam igitur patet, quod iſtæ ſphæræ erant ad invicem connexæ: Infima enim ſphæra frigiditatis & ſiccitatis, in qua nihil eſt caloris: poſt ipſam verò ſequitur ſphæra frigiditatis & humiditatis cum tres 4. ſunt frigiditatis & una caloris: poſtmodum verò ſphæra æqualitatis quæ eſt ſphæra animæ ejus medietas eſt de natura caloris, & medietas altera de natura humiditatis. Jam autem diximus, quod ſphæra humiditatis medietas eſt de natura caloris, & una 4. de natura frigiditatis: Sphæra vero ſuprema quæ eſt poſt iſtam, eſt de natura caloris & ſiccitatis, nec eſt in ea aliquid frigiditatis. Sic igitur vides quomodo ſphæræ iſtæ ad invicem ordinantur, & ille: jam mihi naturas caloris & frigiditatis ſufficienter demonſtraſti: ſed quid eſt ſiccitas nondum expoſuiſti, & ego, ſiccitas: Sola eſt privatio humiditatis, in quo enim nulla eſt humiditas ſiccum appellamus, & ille, Jam mihi ſufficienter explanaſti: Quid eſt ſimplex, & quid eſt ſimplex de ſimplici; nunc ergo mihi dic, quid poſt illud? & dixi compoſitum de ſimplici, & ille quid eſt illud, & ego quatuor elementa quæ ſunt ignis, aër, aqua, terra. At ille quomodo generantur iſta quatuor elementa? & ego:

Temperavit ſe natura ignis alias caloris & ſiccitatis cum natura caloris & humiditatis, venit ex ipſo temperamento æquali elementum ignis, & ſe temperavit elementum ignis cum natura humiditatis, & venit ex iſto temperamento elementum aëris, & temperavit ſe elementum aeris cum natura frigiditatis & humiditatis, & venit ex ipſo temperamento elementum aquæ, & temperavit ſe elementum aquæ cum natura frigiditatis & ſiccitatis, & venit ex ipſo temperamento elementum terræ. Ignis ergo eſt aer ſubtilis & calidus, & ſiccus; aer eſt ignis groſſus, calidus, & humidus; aqua eſt aer groſſus, frigidus, & humidus, & aer eſt aqua ſubtilis, calida & humida: & aqua eſt terra ſubtilis, frigida & humida, & terra eſt aqua groſſa, frigida & ſicca. Et ille, quid eſt illud quod eſt poſt compoſitum de ſimplici? & ego compoſitum de compoſito, & ille, quid eſt illud, & ego, eſt corpus animæ corporalis quod eſt de corpore animali, & corpus ſpiritus corporalis. Et ille, quid eſt ſpiritus corporis animalis, & quomodo generantur iſta corpora ex elementis? & ego temperavit ſe elementum ignis cum elemento aeris, & venit ex ipſo temperamento æquali corpus animæ corporalis, & temperavit ſe elementum aquæ cum anima corporali, & venit ex iſto temperamento corpus ſpiritus corporalis, & temperavit ſe corpus ſpiritus corporalis cum elemento terræ, & venit ex iſto temperamento terræ corpus corporalis corporis: Poſtmodum vero cum iſto corpore corporali commiſcuit ſe aqua, & temperavit ſe cum ſubtiliori ipſius, & venit ex iſto temperamento corpus corporis ſpiritualis, & temperavit ſe aër cum ſubtili ipſius corporis ſpiritualis, & venit ex iſto temperamento corpus animale, & temperavit ſe ignis cum iſto corpore animali, & commiſcuit ſe ſubtiliori ipſius, & venit ex iſto temperamento corpus animæ corporalis, & hoc quod quærebant ſapientes antiqui, & ipſum eſt, ex cujus temperamento cum æquali ſibi temperamento aquæ generatur, ut prædiximus, corpus ſpiritus corporis æqualis, ex cujus temperamento cum æquali parte terræ generatur corpus æquale, quod Sol eſt, & niſi eſſent diverſæ actiones & influentiæ corporum cœleſtium in ipſa inferiora, omnia corpora mineralia eſſent aurum. Omnia etenim ſunt ex eodem, & animæ & ſpiritus eorum ſunt de una re, nec differunt, niſi ſecundum magis, & minus, & ſecundum diverſitatem decoctionis majoris, vel minoris. Diverſitas igitur eorum cum ex diverſitate influentiarum corporum cœleſtium in iſta inferiora, ſicut etiam numerus eorum eſt ſecundum numerum ſeptem planetarum, à natura colores, & odores, & ſapores, & accidentia cætera. Plumbum enim de parte Saturni, ſua natura eſt ut ſua natura.

Stannum vero eſt de parte Jovis, ſua natura ut ſua natura. Ferrum verò Martis, ſua natura ut ſua natura: Aurum vero de parte Solis, ſua natura ut ſua natura: Argentum vivum de parte Mercurii, ſua natura ut ſua natura: Agentum ex parte Lunæ, ſua natura eſt ut ſua natura: Cuprum vero de parte Veneris, ſua natura ut ſua natura. Poſtea vero iſta metalla mineralia mutantur adinvicem, & alterantur ſicut elementa, ex quibus conſiſtunt. Ignis enim fit aër, & aër fit ignis, ſimiliter aër fit aqua, & aqua fit aër & aqua fit terra, & terra fit aqua, & ſic de aliis. Et ſcias quod omne compoſitum ex elementis, habet in ſe quatuor naturas videlicet caliditatem, frigiditatem, humiditatem & ſiccitatem. Quod ſi dicat aliquis aliquid eſſe compoſitum ex duabus tantummodo naturis iſtarum naturarum quatuor: dicamus ergo quod ex frigiditate, & ſiccitate tantum: quia igitur illud compoſitum eſt frigidum, & ſiccum ut terra, ergo erit ſua natura de natura terræ tactus & odor ut terra. Quod ſi dicat, quod terra eſt frigida, & ſicca in quarto gradu, & illud compoſitum non eſt in quarto, dicemus enim, quod quoniam ſunt duo ejuſdem complexionis & non differunt, niſi ſecundum gradus, videlicet quod unum eſt in quarto gradu, & reliquum in 1. 2. vel 3. Impoſſibile eſt illum qui eſt in 1. 2. vel 3. gradu prohiberi quin pertingat ad gradum quartum ni proter admixtionem qualitatis contrariæ, ergo non fuit mixtum ex duobus tantum, ſed ex tribus, quibus contrarium eſt poſitum. Et debes ſcire quòd omne minerale eſt ſubtile terreum, & planta eſt ſubtilis minera, & corpus animale ſubtile ipſius plantæ. Ex elementis autem generantur corpora

mineralia;

mineralia : & ex mineralibus generantur plantæ; & ex plantis animalia : Et quia unumquodque resolvitur in ea, ex quibus componitur, ideo animalia quoniam resolvuntur, generantur ex iis plantæ, via resolutionis, eodem modo ex plantis mineræ : mineræ autem ex elementis, elementa in naturas resolvi necesse est.

Et ille, dic mihi quid est spissum, & quid est subtile, sive delicatum? & ego; spissum est corpus, subtile autem est spiritus, & spiritus animalis est natura : & ille? Quid est corpus? & ego; corpus est illud quod habet aliquid adpareus & aliquid latens. Illud vero quod apparens est, est ejus grossicies & spissitudo : quod vero latet, est ejus subtile, scilicet spiritus & anima. Corpus autem est ex compositione animæ & spiritus & corporis, corpore autem corrupto ex tunc illud quod dicebatur spiritus postea corpus nuncupatur, & illud quod anima dicebatur postea spiritus appellatur. Maximum est igitur quoniam spiritus est subtile ipsius corporis: anima vero ipsius spiritus est subtile : omnia autem ista ad invicem, ut prædiximus, per viam compositionis sive resolutionis generantur, & ad invicem separantur, & alterantur, sicut etiam de ipsis elementis prædiximus, Hoc autem non fit, nisi per ingressum unius naturæ in aliam : verbi gratia, cum aliquid volumus esse frigidum & siccum in quarto gradu, & intendimus de quarto gradu frigiditatis & siccitatis ad eandem frigiditatem & humiditatem, mutabimus ipsum in primis de quarto gradu frigiditatis & humiditatis ad gradum ejusdem tertium, deinde ad secundum, deinde ad primum, postremo vero ad æqualem inter prædicta, deinde ad gradum primum variamenti versus humiditatem, deinde ad 2. deinde ad 3. deinde vero ad gradum frigiditatis, & humiditatis quartum : & si iterum mutare voluerimus ad gradum quartum frigiditatis vel caliditatis & humiditatis, mutabimus ipsum in primis ad gradum frigiditatis, deinde ad secundum, deinde ad tertium, deinde verò ad gradum æqualitatis in frigiditate & humiditate; & deinde ad gradum primum variamenti, ex parte caloris, deinde ad secundum, deinde ad tertium, deinde ad quartum, donec fiat calidum & humidum in quarto gradu. Quod si iterum ad eundem gradum caloris, & siccitatis ipsum reducemus, dehinc ad secundum, deinde ad primum, postremò vero ad gradum æqualitatis in calore, & humiditate : postea ad gradum primum siccitatis, deinde vero ad secundum, deinde ad tertium, deinde ad quartum, sic ergo ipsum mutabimus de gradu quarto frigiditatis, ac diversitas eorum est, secundum diversitatem corporum supracœlestium ipsi correspondentium à natura, & odorem, & saporem semper secundum similitudinem. Dicamus ergo, in principio creationis fuit quilibet planetarum in directo sui signo, in orbe signorum, & operabantur ergo operationes, & descenderunt in terram, donec generarentur corpora mineralia, ipsis proportionabilia, & postea movebantur ista corpora supercœlestia : hinc ista habitudo & respectus inferiorum, & corrumpebantur mineralia prius generata, & postea rediit ille adspectus corporum supracœlestium respectu inferiorum, & generabantur plantæ ex eadem materia, quæ prius erat sub forma corporum mineralium, & postremo abscessit secundò motus iste, & corrumpebantur plantæ, rediit tertio motus iste, & generabantur ex istis plantis animalia. Diximus igitur quod natura corporum mineralium, est sicut natura terræ frigida, & sicca : natura plantarum est de natura aquæ frigida & humida natura animalium, sicut natura aëris calida, & humida. Quod si objiciat quis, & dicat quomodo dixisti, quod natura mineralium est frigida, & sicca, & natura plantarum frigida & humida quod nos videbimus multa ex mineralibus occidere animalia per calorem suum? ad hæc itaque respondemus, quod si inveniatur minerale occidens animale per caliditatem suam, quod planeta qui est de illa minera, multò magis operationes operabatur, & similiter, omne quod fuit de illo planeta, plusquam planetæ : si ergo temperetur ex planeta, qui ex ea est: dicimus quod in operatione est frigida, & si iterum temperetur planta & animal in compatatione ejus, reperietur frigida, & humida.

CAP. II.

De Generatione mineralium.

Dicamus ergo de Generatione mineralium: dixerunt autem quidam quod natura mineralium omnium est argentum vivum cum sulphure, & dixerunt quod ex quo sive radix ipsorum mineralium est argentum vivum cum sulphure. Præparemus ergo radicem, donec perveniamus ad ramos, & causa istius operationis est, quod ipsorum consideraverunt naturas corporum mineralium superficierenus, nam in profundo si respexissent secreta naturæ, nunquam incidissent in tales opiniones: dicimus igitur, quod dato quod argentum vivum, & sulphur sint prima naturalia corporum mineralium ante congelationem suam, tamen post congelationem, & argentum vivum, & sulphur, impossibile est ex ipsis corporibus mineralibus generari, nam congelans suum congelandum jam ipsum alteravit in suam naturam, cujus exemplum est de compositione saponis, si enim accipiatur aqua extracta à cineribus, & oleum cum quibusdam aliis, & decoquatur decoctione certa, generatur ex iis sapo, & si acciperetur unumquodque per se, & decoqueretur donec congelaretur, & postea laboraret quis ex ipsis saponem componere non posset: sulphur autem in primo erat aqua, natura ejus frigida, ac humida, & postea conversa est in aerem, cujus natura est calida, & humida : postmodum vero in ignem cujus natura est calida, & sicca : postmodum vero cum ipso igne temperavit se aqua, & fuit compositio masculi & fœminæ : & dicimus ergo quod dato quod natura, sive radix mineralium sit argentum vivum cum sulphure, non tamen debemus accipere ipsum, ex quo sunt corpora mineralia, sed magis debemus ipsum accipere quod est ex ipsis corporibus mineralibus, cujus exemplum est manifestum in plantis. Scimus enim quod generatio plantæ est ex aqua cum subtili terreo, ut prædiximus, & tamen si acciperemus aquam & terram, nunquā generaremus plantam, non ergo accipimus illud ex quo est planta, sed illud ex quo animal, quod est ex planta, scilicet ovum ipsius postquam scimus quod illud ovum generatur ex terra subtili cum mixtione ipsius aquæ, commendamus ipsum terræ, donec illud quod fuit diminutum compleatur. Et dicimus etiam quod generatio metallorum in ventre terræ, fit hoc modo, cum sol agat in ista inferiora, per caliditatem suam calefacit terram, & remanet pars ipsius caloris in interioribus terræ, & cum ascenderit sol super terram, & invenit, quod calor sit in terra absconditus, calorem sibi similem naturaliter oportet ascendere unà cum

patte caloris noviter generati, cum occurrerit ſibi aliqua pars aquæ ſolvit ipſam, & convertit in vaporem, qui quidem vapor movetur aſcendendo donec currat ſuper ipſum calor proportionabilis: cum vero deſcenderit ſol verſus occidentem, diminuitur calor proportionabilis, donec condenſetur vapor, & deſcendat diſtillando: Sole autem iterum oriente, caloreque ipſius iterum, ut prius, deficiente deſcendet ſecundo diſtillando, ſic quod non ceſſat continuo ſubtiliare, & diſtillare, donec totum oleum ſolvatur, quod in iſta aqua conſiſtit, & commiſceatur ipſi aquæ, totumque convertatur in oleum. Quod ſi invenerit aliquam partem ſulphuris, & admiſceatur: & ſi ergo fuerit quantitas aquæ æqualis quantitati ipſius ſulphuris, ac paulo magis, ſcilicet quantum ſufficiat ipſum incorporare, generatur ex eo aurum vel argentum, & ſic de aliis ſecundum quantitatem ipſius decoctionis: Si vero fuerit quantitas ſulphuris major quantitate ipſius aquæ, generabitur ex iis corpus minerale, quod non erit de minera ipſorum ſeptem: jam diximus quod in generatione artificiali ipſorum corporum mineralium, non quærimus illud ex quo ſunt ipſa corpora: ſed illud quod eſt ex ipſis, ſicut etiam in ipſis plantis exemplificamus: diximus enim, quod accipimus ovum ipſius plantæ, & conſideramus de quo eſt illud ovum, & poſtquam ſcimus illud eſſe ex terreo ſubtili cum mixtione aquæ commendamus ipſum terræ, ſic etiam in mineralibus accipimus ovum ipſum, & deinde conſideramus unde generatur ipſum, & poſtquam ſcimus unde generatur, ſcimus enim quod ex iisdem oportet nutriri, ſcimus autem quod ipſum ex quo generatur ovum illud eſt admixtio ignis cum aqua, & etiam diximus, quod ſine complexione maris & fœminæ, nihil omnino generatur. Cum autem præparemus ipſum præparatione ſibi debita, generatur ex ipſo aurum, vel argentum: & ſcire debes quod hoc non fit ſine putrefactione, & ſolutione, ſicut nec in plantis contingit, non enim ingredietur ſuper ipſum ignis ſine humiditate. Illud igitur quod eſt cauſa ingrediendi, eſt calidum, & humidum, non enim adligatur natura niſi naturæ ſibi propinquiori, cum ergo occurrerit humiditas ſolventis humiditati ipſius ſoluti, alligatur humiditas humiditati, ſed nos non ſolvimus totum compoſitum, quia ſi ſolveremus ipſum ſimul, tunc ovum corrumperemus ipſum, ſed ſolvimus partem poſt partem, donec illud, quod eſt contrarium naturæ ſolventis recedat à ſoluto. Et ſcias quod in hoc differt ovum plantæ ab ovo mineræ, nam ovum minerale non putrefit abſque contritione ſive molitione, non enim ingreditur ſolventis humiditas in ipſum abſque molitione, propter adhærentiam partium ipſius ſoluti adinvicem. In ovo autem plantæ ſi moleremus ipſum corrumperemus figuram ipſius plantæ, quæ eſt in ipſo in potentia: ignis vero, ut prædiximus, quamvis ſit agens in corporibus, tamen aër, ſive caliditas & humiditas eſt cauſa ingrediendi, ſed quia humiditas ipſius aëris eſt contraria ſiccitati ipſius, ideo requiritur neceſſario aquæ ipſius frigiditas, quæ temperet ipſum, & quia aqua non fixatur in igne ſive terra, ideo requiritur etiam neceſſario terra, quæ figat ipſam aquam. Jam autem ſæpè diximus ſuperius, quod generatio non fit, ſine maris, & fœminæ conjunctione. Ignis autem & aër ſunt maſculina, aqua autem & terra ſunt fœminina, & ignis eſt maſculus aquæ, & aër eſt maſculus terræ, ſed ignis non admiſcetur terræ abſque mediatore aëre, eſt enim aër propinquus ignis ratione ſuæ caliditatis, & eſt vicinus aquæ ratione ſuæ humiditatis. Jam autem diximus frequenter, quod naturam natura amplectitur ſibi ſimilem: aër ergo ratione ſive concordia, cum utroque factus eſt concordans inter utroſque generationis, ſimiliter vero aër contrariatur terræ, ſecundum utramque qualitatem: eſt enim aër calidus & humidus, ut prædiximus, terra autem frigida & ſicca, aqua vero ratione ſuæ frigiditatis convenit cum terra, ratione vero ſuæ humiditatis convenit cum aëre, aqua igitur inter aërem & terram eſt medians, & concordiam generans. Manifeſtum igitur eſt, quod aqua & ignis non copulantur adinvicem, ſine aëre mediante in una extremitate, & etiam ſine mediante terra in alia ſua extremitate: & hoc eſt quod volumus.

Quia igitur jam declaravimus, ovum minerale generari ex igne, & aqua, & etiam per conſequens, ex iisdem nutriri, ignis verò, ut prædiximus, eſt maſculus, aqua vero eſt fœmina; tunc eſt noſtrum nobis inveſtigare iſtum maſculum, donec inveniamus ipſum. Jam autem diximus ſuperius quod corpora mineralia ſunt de natura terræ, cujus natura eſt frigiditas, & ſiccitas, quod quantitas ignis in ipſo eſt modica, niſi in potentia minor quam ad gradum ſecundum, quoniam de vegetabili actu veniunt ad ejus naturam frigidam, & humidam, & quia naturæ frigidæ & humidæ tres quartæ ſunt frigiditatis, & una caloris, & illa etiam quarta caloris eſt profunda, in illis tribus partibus ſiccitatis, ideoque aſcendendum eſt ad tertium gradum, quod eſt animal, & quia natura animalis, ut prædiximus eſt calida, & humida, manifeſtum eſt igitur, quod ſint tres quartæ caloris, & una quarta humiditatis: ſed quia animal quando completur eſt commixtum, & temperatum ſuum groſſum, cum ipſius ſubtili, ideo non eſt illi motus à deorſum, ad ſurſum: ideoque accipimus de animali illud, quod non completur, & commendamus cucurbitæ, & alembicis, ad diſtillandum, & diſtillamus primum aquam, cujus manifeſtum eſt albedo, ignis vero occultum eſt rubedo, deinde deſtillamus aërem, cujus manifeſtum eſt citrinitas, ejus vero occultum eſt viriditas, & remanet ignis in ipſa terra. Accendimus ergo ſuper ipſum fortiorem ignem ſine pietate, donec extrahamus totum ignem à terra mortua nigra, in qua non eſt vita: poſtea ſervamus ipſam aquam ſcilicet aërem, & ignem, & unumquodque in ſuo vaſe ad horam conjunctionis: & poſtea accipimus terram iſtam & jungimus ſuper ipſam ignem, donec facta ſit alba & poſtquam ita fecimus, accipimus de unaquaque adinvicem illorum partes æquales, & commiſcemus adinvicem ea:, & quia iſta aqua eſt æqualiter compoſita ex quatuor naturis. Non habemus timere in noſtra operatione, inde adſicuramus à corruptione. Tingitur enim cum ſuo igne, & ingreditur in ſuum oleum, & præſervatur etiam à combuſtione in ſua aqua, figitur in ſuam terram, aqua enim eſt adligata terræ per ſuam frigiditatem, & aër aquæ per humiditatem, ignis aeri per eandem, verbi gratia, ex compoſitione martis qui eſt calidus, & ſiccus cum Jove frigido, & humido generatur ſol. Sed ſcias quod commixtio eſt duplex, eſt enim commixtio totalis & particularis: Particularis eſt, cum commiſcetur corpus corpori, ſed ſpiritus non commiſcentur adinvicem, ſicut accidit in iſtis corporalibus fuſibilibus, in ſua commixtione, cum ſola ignis fuſione: commixtio vero totalis, cum commiſcentur cum temperamento corpora corporibus, & ſpiritus cum ſpiritibus.

ritibus. Hoc autem non fit sine putrefactione, modo autem ostendamus, quare dixerunt sapientes Antiqui quarum una pars istius elixiris cadit super mille, unde secretum est, quod quodlibet subtile occupat loci sui septuplum respectu loci à grosso occupati. Una autem pars caloris convertit lunam in Solem, & hoc autem si fuerit accepta de minera, ergo si fuerit de re vegetabili una pars convertit 6. partes Lunæ in solem, si vero fuerit de animata, una pars convertit 36. partes, & hoc in primo gradu subtilitatis, sed si fuerit in secundo gradu, una pars convertit 138. si in tertio 228. & si in 4. & ultimo gradu iterum convertit centuplum ejus: & hoc est quod volebamus. Jam enim determinavimus de generatione corporum metallorum sufficienter, & hoc tam de naturali quam de artificiali, & cum hoc complevimus istud capitulum.

CAPUT III.

Incipit Caput tertium, in quo agitur de Generatione plantarum ex mineralibus, & similiter de Generatione animalium ex plantis, & de adligameno spiritus ipsius plantæ cum planta, & etiam alligatione animæ cum ipso animali.

POstquam diximus de naturis æqualibus, & inæqualibus, & de elementis scilicet superioribus, & inferioribus in primo capitulo, ac etiam de generatione mineralium in secundo, dicemus ut promissum est, in hoc tertio capitulo de plantis & animalibus, & eorum generatione. Dicamus igitur sicut in primo, quod temperavit se aqua cum terra, & generatur ex isto temperamento petra, deinde temperavit se aer cum petra, & generabatur ex ea terra: & manifestum est ejus frigidum, & siccum: ejus vero occultum, calidum, & humidum: postea vero cum ista terra temperavit se aqua: jam autem superius diximus frequenter quod natura naturam amplectitur sibi viciniorem. Humiditas ergo aquæ fuit adligata humiditati aeris, & frigiditas aquæ terræ frigiditati, humiditas vero aeris fuit adligata calori ipsius. Cum ergo ascendit Sol orientalis, calor ipsius aeris adligatus calori ipsius solis, necesse ergo habuit se extendere illa planta, & crescere: & quia jam diximus, quod frigiditas aquæ fuit frigiditati terræ adligata, ascenderunt cum ipsius aquæ partibus partes subtiliores ipsius terræ & temperaverunt se, & commiscuerunt se cum ipsis partibus aquæ, & generabatur ex iis ovum ipsius plantæ, in quo quidem ovo, erat planta potentialiter: postquàm vero pervenit ipsum ovum ad terminum sui variamenti, abscondita est ab ovo sua humiditas, quâ nutriebatur, & induratum & exsiccatum est. Postquam ergo scimus quod materia ipsius ovi est admixtio partium terræ subtilium, cum ipsius aquæ partibus, scimus ergo quod ex iis oportuit illud nutriri donec illud quod fuit in potentia reduceretur in actũ, & generaretur ex eo planta, cujus flores, fructus & folia essent ex ipso Sed differt illud ovum ab ovo mineræ in hoc, quod non indiget triturationc, ad hoc quod humiditas putrefactionis ingredi possit partes ipsius, ejusque partibus commisceri: quod si tereremus ipsum, corrumperemus formam plantæ, in ipso potentialiter existentem, & converterentur folia in non folia. Nec etiam in partibus ovi ipsius plantæ erat tanta compactio, quæ prohiberet humiditatem ipsius subtilis admisceri humiditati ipsius corporis solvendi: Sic ergo constat substantiam ipsius plantæ consistere ex partibus aquæ admixtis ipsius terræ partibus subtilibus. Nos autem diximus in præcedentibus, quod planta est subtile sive delicatum ipsius mineræ, & quod generatur ex temperamento aquæ cum eodem. Hæc igitur est generatio.

AD LECTOREM.

PRaxim Theoria priscis genuit, & aliquando opus admiratio, Iris admirationem, Irin contemplatio est secuta: In didascalicis autem prior pars obtinere videtur: Sanè & hunc ordinem Artefius imitatus est. Descriptis enim iis quæ necessaria erant, ad naturæ cognitionem, ad artem nunc accedit. Sed quoniam οὐ μόνον ἀρετῆς ἀλλὰ καὶ πολύτων καλῶν ὑδρῶτα θεοὶ προπαρέθηκαν. Ideo ænigmaticos hoc tertium caput descripsit, & quia Judaus Magicus. Nec te moveat, Lector, comparatio de dæmone facta: Sic enim pridem Stephanus ad Heraclium: περὶ ποιήσεως χρυσοῦ de subtiliatione, cujus rationem reddit his verbis: ἵνα ἐξορφανισθῇ τὸ ὕλης. καὶ γρυήσεται μόνη ψυχὴ καὶ πνεῦμα, καὶ πῦρ ἀνοφερὲς, καὶ χρῶμα λάβῃ, καὶ πυρίμαχώτερον γένηται, καὶ καθεκτικώτερον: ἅτε δὴ ὡς ὑπεπέδοντο σῶμα, ὡς τὸ τῶν δαιμόνων καὶ τῶν ὑπερουρανοχομῶν. Characteres autem Auctori huic familiares fuisse in Velandis scientiis, testatur etiam Rogerius Baccho, de admirabili potestate artis & naturæ. Horum ergo formam ne despicias, forte enim aliquid significant, non enim omnia quæ in figuris ponuntur significare aliquid putanda sunt: multa enim propter illa quæ significant, ordinis, & connexionis gratia sunt adjuncta, Solo vomere terra proscinditur. His te monitum velim, quæ hoc in capite scripta sunt, analogicè omnia sumenda esse, & de nulla re minus quam de magia scripsisse Artefium, quod & forte aliquando adnotationibus demonstravimus.

De Generatione Animalis.

GEneratio autem animalis ex planta est, secundum quod narravimus, si Deus voluerit, quod quando putrefit planta in ventre ipsius animalis, separatur ejus subtile à grosso post ejus putrefactionem: & quia jam diximus, quod natura ipsius plantæ est frigida & humida, & quod ipsa generatur ex temperamento aquæ, cum partibus terræ subtilibus. Facta igitur putrefactione, separantur partes terræ grossiores à partibus aquæ: & quia, natura aquæ est frigida & humida, ut prædiximus, temperavit se una pars istius frigiditatis, & humiditatis, cum parte una sibi æquali caloris & humiditatis in ipso animali existente, & generatur ex ipso temperamento natura ipsius animæ, quæ est natura æqualitatis, reliqua vero pars ascendit ad cerebrũ, ex qua generatur natura ipsius sensus: & quia ut diximus tres suæ quartæ fuerunt lux & una obscuri-

tas, manifeſtum eſt ergo quod in natura ipſius ſenſus, natura lucis tenebris dominatur: repercutitur lux illa, à parte tenebræ ad cor, & illuminat ipſum, & hoc ſi fuerit animal, erectæ ſtaturæ, non habet ſenſum in ipſo corpore latum, in quo adunetur, ſed ſpargitur per ipſum corpus, & hæc eſt cauſa cur cætera animalia non diſcurrunt ut homo. Comparatio vero corporis humani conſiſtit in quadã commixtione æqualium naturarum, cum inæqualibus. Naturæ vero æqualitas, conſiſtit in compoſitione hominis, in duobus: quorum unum eſt æqualitas adparens ſive extrinſeca, aliud eſt æqualitas intrinſeca, & eſt natura ipſius animæ, de qua prædiximus. Æqualitas autem adparens conſiſtit in æquali compoſitione ipſius corporis, ex quatuor humiditatibus, quæ ſunt ſanguis, & eſt calidus & humidus de natura ſcilicet ipſius aeris, & cholera calida & ſicca de natura ignis, & Phlegma, cujus natura eſt frigida, & humida de natura ipſius aquæ, & melancholia frigida & ſicca de natura terræ: Æqualitas ergo iſtorum humorum, eſt cauſa conjunctionis animæ cum corpore, ſi autem corrupta fuerit æqualitas adparens corrumpetur per conſequens ligamentum animæ cum corpore, & accidit animam tum à corpore ſeparari, & hæc quidem ſeparatio mors appellatur. Hoc autem non contingit ex quolibet receſſu ab æqualitate niſi forte fuerit notabilis in quantitate: ſi autem fuerit iſta quantitas parva, accidit ex hoc fortaſſis ægritudo & perturbatio, donec per medicinas convenientes ad æqualitatem iterum reducantur: & fortaſſe ſunt quædam infirmitates ex quibus adjunget ſe diabolus humore egrediente à temperamento ac perturbante ipſam ſanitatem, & hoc maximè accidit in infirmitatibus ex cholera provenientibus, cujus cauſa eſt iſta: quia enim, ut jam diximus, natura ipſius choleræ eſt calida, & ſicca, ut ignis, corpus autem diaboli ex duobus eſt compoſitum, ſcilicet igne & aere: & nos diximus in præcedentibus, quod omne ſubtile ingreditur in omne groſſum, manifeſtum eſt igitur cum ignis ſit ſubtilior aere quod adparens corporis ipſius diaboli eſt aer, ejus vero occultum eſt ignis: & hæc eſt cauſa occultationis ejus ab humanis aſpectibus, cum medium, per quod videmus omnia, ſit aer, qui eſt conjunctus oculo noſtro. Cum ergo interius diaboli ſit de natura ignis, manifeſtum eſt, ipſum contrariari & inimicari ipſius animæ naturæ, quæ eſt natura æqualitatis: cum ergo accidit corpori ægritudo de natura ipſius choleræ in corpore, & quia diabolus ad ipſum occultum eſt de natura ipſius choleræ adjungit ſe cum cholera, & augmentatur ejus dominium ſuper aliis humoribus, & tantum poteſt prædominari, quod recedit anima à corpore, & ſeparatur ab eo. Sed qui ſciret facere deſcendere ipſum lumen, cujus natura eſt contraria naturæ occultæ ipſius diaboli, tunc corrumperetur perfectio ipſius diaboli, & deſtrueretur, & recederet ab homine infirmitas, & rediret ſanitas, & ſtaret homo quietus, & pacatus. Sed modus per quem homo facit deſcendere ſpiritum ipſum, eſt ut ſciat naturam Planetæ cujus ſpiritum quærit deſcendere, & colorem, odorem, & ſaporem ipſius: poſtea præparet adparens ipſius corporis, cum colore, ſapore & odore ſupradictis: ut qualis color eſt accipiat veſtimenta illius coloris, & aperiat occultum ſui corporis cum natura & ſapore, & quod accipiat cibum confortantem corpus ſuum à variamento, & accedat ad gradum æqualitatis, & illud non debet latere ipſum, qui quærit facere deſcendere ſpiritum: & non dimittat, nec ceſſet ab iſto, donec faciat ſtomachũ ſuum recipere cibum illum, ac non adhorreat, & non adpetat alium, qui prohibeat ipſum ab adpetitu ipſius, & ſit in qualibet hora ipſius Planetæ levatus directè & humiliando ſe & rogans Creatorem, ut compleat voluntatem ſuam, & cum complebitur voluntas ſua, & deſiderium, reddat gratias ſuo creatori. Poſtea adſpiciat cum ingreditur ſtella illa, in directo ſui ſigni, ut non ingrediatur per Planetam contrarium: Poſtea faciat de corpore quod eſt de Planeta illius crucem, & ſit perforata à ſummo uſque ad deorſum, & erigatur ſuper duos pedes, & equitet ſuper figuram quæ eſt conveniens rei quæſitæ, ut ſupra leonem vel ſerpentem pro bello, ſive victoria, vel ad faciendum timorem inimico: vel ſuper avem pro ſalvatione de magnis laboribus, vel ſuper cathedram quærendo exaltari. Cauſa autem quare nos accipimus formam crucis eſt, quia neſcimus rem cui adſimilatur ſpiritus cujus deſcenſum quærimus; nos autem ſcimus quod ſpiritus eſt res creata, & omne perfectum eſt corpus, & corpus habet longitudinem & latitudinem, ad modũ cruris, non autem diximus in præcedentibus, quod natura quælibet naturam amplectitur ſibi ſimilem: hæc eſt ergo cauſa, quare figuram crucis cæteris figuris prætulimus in hac parte, & ſi quæris aliquos ſubjicere ut tibi obediant tanquam ſervi ſuo domino hæc eſt figura. ΟΙΙΧΟΟΙL ver. I. Poſtea ſi fuerit homo, & noveris ſtellam dominantem in ſua nativitate, facies figuram illius hominis de minera quæ eſt de parte illius planetæ, in hora ſua, & ſic adſpiciens ad ſignum ſtellæ ſibi contrariæ in natura, & ſit cum ipſa in ipſo ſigno, & ſi ſit illa ſtella infortunata, poſtea ponat illam figuram quæ ſit ad primam OVI 2 LI ver. II.

Et ſi non fuerit iſta ſtella prædominans, faciemus ſeptem figuras, de ſeptem petris, quæ ſunt de natura ſeptem planetarum, & ſi ſint iſtæ de natura Saturni arſenicum, de natura Jovis magnes, de natura Martis rubinus, de natura Solis alumen, de naturæ Veneris, Mercurii Lunæ criſtallus.

Poſt de quolibet fiat una figura, in hora ſui Planetæ, & cum iſti lapides reſpiciunt crucem in oriente, videmus quod figura in natura animatur, & cum adligat ſe ſpiritus ad crucem habet poteſtatem figura humana, ſupra figuram illam, ſive fuerit homo, ſive non homo. Poſtea accipimus thuribulum de minera illa de qua fecimus crucem, & ſit perforatum in ſummitate ne poſſit fumus egredi aliunde, poſtmodum accipimus lectum nitidum & mundum non opertum: ſed ſub dio, & adſternatur herbis, quæ ſunt de natura ipſius Planetæ, cujus ſpiritum quærimus, & non ſit in illo loco aliud, neque longe, neque prope, & accipimus etiã ſuffumigia quæ ſunt de natura illius planetæ & ponemus in thuribulo ſupradicto & ſituetur, ut ſalire poſſit fumus directus per foramen crucis, & fiant omnia ſupradicta in hora planetæ, cujus quærimus ſpiritum deſcendere: poſtea adligatur ſpiritus ſuperior ſuo ſimili, cujus exemplum eſt, quaſi cum accipimus duas candelas accẽſas, quarum una extincta, de directo ſupponatur alteri non extinctæ, illa quod fumus ab inferiori aſcendat ad ſuperiorem, deſcendit flamma à ſuperiori ad inferiorem, & accendit eam, & eſt modus faciendi deſcendere ſpiritus. Cum ergo deſcenderit ipſe ſpiritus qui eſt anima, animalis ſive ſpiritualis, & invenerit corpus præparatũ, ut prædiximus, penetrat in ipſum, & adligat ſe animæ corporali, quia ſcilic. anima corporalis eſt occulta in quolibet corpore, propter ſimilitudinem

unius

unius istarum animarum, cum alia in natura. Si vero corpus non fuerit debitè præparatum corrumpit ipsum & destruit, postea revertitur ad locum suum, & etiam oportet ut solvamus de corpore de quo facta est crux, cum aqua æquali in naturis ipsius putrefactionis, quousque se temperet sua anima corporalis cum suo corpore: deinde illud suffumigamus cum suffumigio, ut adligetur illius corpus cum suo elemento, & erit causa eadem adligamenti in corpore inferiori quousque adplicet se ad sui simile, & debes scire quod quilibet planeta habet dimidium finem, & dispositionem suam propriam: postmodum si ille cujus dispositionem quæris, habuerit etiam dispositionem generalem, erit effectus major & fortior: & scias quod non adligatur anima spiritualis cum anima corporali, nisi per modum similem: iste & illud est unum de maximis secretis, sed adligamentum animæ spiritualis cum spirituali, quæ est anima hominis, per istum modum fieri debet; quia cum Planeta prædominans cujuslibet nativitatis, disponit ipsum in hora adligamenti animæ cum suo corpore, cum vero mutatur corpus, de corporeitate ad spiritualem, ut si fiat corpus spirituale, deinde ad animalitatem, ut de spirituali fiat animale, adligatur anima cum suo elemento, & videt, & cognoscit quæ prius videre non poterat, nec cognoscere. Si autem planeta prædominans alicui nativitati, fuerit infortunatus, infirmabitur ille homo quandiu prædominabitur vis ipsius corporis viribus ipsius animæ, vel etiam fuerint æqualia, sed postquam aquisivit anima prædominium supra suum corpus ex tunc & nocere non poterunt illa infortunia, nec accidet sibi ex hoc impedimentum. Posteaquam vero sciverit illud, accipiet indumenta quæ sunt in colore convenientia, & cibaria, & adsuescet se illis cibariis, donec stomachum suum faciat illa recipere, nec alia adpetat, adsuescatque paulatim, scilicet primo comedere semel in die: postea in duobus diebus semel, postmodum in tribus, donec pervenerit ad illud quod possit semel tantū in octo diebus comedere absque tædio & fatigatione desiderii, & perveniet ad quæsitum: postmodum vero scias quod descensio spiritus est duplex: Prima est descensio suæ descensionis, & secunda obedientiæ. De prima dictum est sufficienter: descensio vero obedientiæ est promptitudo servitutis spiritus descendentis respectu ejus, ad quem descendit ad peragendum ejus voluntatem, sive explendum: & ex maximis secretis etiam quod homo sciat, quod omne grossum fit subtile, & omne subtile fit spiritus, & omnis spiritus fit anima, & subtiliatio sua dividet se in duo, videlicet in illud quod cōmutatur in aliam naturam, cum cōbustione ignis ac elementi, & in illud quod non commutatur per combustionem ignis, operatur tantùm, & hoc secundum est quod quæsierunt Philosophi. Omnia enim quæ indigent subtiliatione de rebus confectis sunt tria, videlicet corpus corporale, primum minera cujus subtiliatio est de suo exteriore ad interius, secundum est corpus spirituale, id est planta cujus subtiliatio est de utroque simul, tertium est animal cujus subtiliatio est à suo interiore ad exterius, si Deus voluerit.

Explicit Clavis Sapientiæ Majoris.

SUBSECTIO TERTIA.

Liber De Compositione Alchemiæ, *quem edidit* Morienus Romanus, *Calid Regi Ægyptiorum: quem Robertus Castrensis de Arabico in Latinum transtulit.*

PRÆFATIO CASTRENSIS.

LEGIMUS in Historiis veterum divinorum, tres fuisse Philosophos, quorum unusquisque Hermes vocabatur. Primus autem illorum fuit Enoch, qui alio nomine Hermes & alio nomine Mercurius. Secundus verò fuit Noe, qui similiter alio nomine Hermes, & alio nomine Mercurius est nuncupatus. Eorum autem tertius, fuit Hermes, qui post diluvium in Ægypto regnavit, & ejus regnum diu obtinuit. Iste autem à nostris antecessoribus dictus est Triplex, propter trinam virtutum collectionem, sibi videlicet à Domino Deo attributam. Erat autem iste Rex, & Philosophus, & Propheta. Iste verò fuit Hermes, qui post diluvium omnium artium, & disciplinarum, tàm liberalium, quàm etiam mechanicarum, primus fuit inventor & editor. Omnes namque qui post ipsum fuêre, suo itinere incedere, & suis vestigiis inhærere nitebantur. Quid plura: longum esset nobis & etiam difficile, tanti ac magni viri virtutum ornamenta & acta, ad memoriam in præsens reducere. Cùm & hoc genus docendi in hujus libri divini translatione non susceperimus: nec etiam nostri ingenii tenuitas aut studium vel scribendi negotium, vobis ad hoc explicandum possint sufficere. Sed idcirco ejus nomen in hujus Libri Prologo introduximus: quoniam jam ille hunc librum primus invenit & edidit. Hic est namque liber divinus, & divinitate plenissimus. In eo enim duorum testamentorum (veteris scilicet & novi) continetur vera & perfecta probatio. Si quis namque in hoc libro multum studuerit, & eum plenariè intellexerit, veritas virtusque testamenti, nec non & utriusque vita modus, & sufficienter illum latere non poterunt. Hic est autem liber, qui nominatus est liber de Compositione Alchymiæ. Et quoniam quid sit Alchymia, & quæ sit sua compositio, nondum vestra cognovit latinitas, in præsenti sermone elucidabo. Posui istud verbum, licet ignotum & admirabile, ut sub diffinitione clarescceret: Hermes verò Philosophus, & alii qui post ipsum fuêre, hoc vocabulum ita diffiniunt, ut in libro de Substantiarum mutatione: Alchymia, est substantia corporea ex uno, & per unum composita, preciosiora ad invicem per cognationem & effectum conjungens, & eadem naturali commixtione, ingeniis melioribus naturaliter convertens. In sequentibus verò hoc quod diximus explanabitur: ubi & de ejus compositione ad plenum tractabitur. Sed nos, licet in nobis juvene sit ingenium, & latinitas permodica: hoc tamen tantum ac tam magnum opus ad transferendum de Arabico in Latinum suscepimus. Unde & de singulari gratia nobis à Deo inter modernos collata, summo illi Deo vivo, qui trinus extat & unus grates referimus. Nomen autem meum in principio Prologi tacere non placuit, ne aliquis hunc nostrum laborem sibi assumeret, & etiam ejus laudem & meritum sibi quasi proprium vendicaret. Quid amplius? humiliter omnes rogo & obsecro, ne quis nostrorum erga meum nomen mentis livore (quod sæpè à multis fieri consuevit) tabescat. Scit namque Deus omnium, cui suam conferat gratiam: & spiritus ex gratia procedit, qui quos vult inspirat. Meritò igitur gaudere debemus quum omnium Creator & conditor omnibus quasi particularem suam monstret divinitatem.

Morieni *Romani*, *Eremitæ Hierosolymitani*, *Sermo*.

OMnes Philosophiæ partes, mens Hermetis divina plenariè attigit. Quum autem ille per annos multos in magisterii superioris inventione & editione studuisset, tandem magisterium invenit primus, & edidit: ac de eo Librum composuit, quem sibimet proprium deputavit, & post suum obitum suis discipulis in hæreditatem dereliquit. Post obitum verò illius, discipuli ejus in hoc libro & ejus præceptis, per multa tempora studuêre, ut scil. ejus effectum adipisci possent. Postquam ergo suum consecuti sunt effectum, de eo varia, & etiam innumerabilia dedêre præcepta. Quod idcirco fecerunt, ne ipsi qui post ipsos hanc adepti fuissent scientiam, eam quasi vulgarem insipientibus detegissent. Post multum verò temporis à passione Domini nostri Jesu Christi, surrexit quidam homo divinus, donis spiritualibus præditus, qui quum in divinitate permultum temporis studuisset, inter libros divinos hunc librum invenit. Fuit autem vir iste ab Alexandria oriundus: unde suo nomine Adfar Alexandrinus vocabatur. Hic verò postquam librum præfatum invenit, mente pervigili atque industria in eo studere non desinebat. Postquam verò in eo studuisset diu, ejus effectum atque scientiam ad plenum est adeptus. Ex hac igitur scientia vir iste divinus multa varia & innumerabilia dedit præcepta: quæ quum sub suo nomine per universas nostræ regionis partes divulgata fuissent, mihi tunc temporis in urbe Roma moranti, hujus viri nominis, & illius scientiæ fama quasi volando pervenit. Nam in eo tempore fui ego Romæ (unde & ortus fueram) constitutus. Eram autem tunc juvenis, cujus videlicet mentum prima lanugo nondum obduxerat, studens scilicet, & doctrina Christianus à primæ ætatis gradu ab utroque parente effectus: cui etiam se tota jam latinitas detexerat. Audito ergo hujus viri nomine & fama, parentes & patriam simul festinus deserui, nec quieti nimiæ meos artus exhibui, quousque Alexandriam devenissem. Ingressus verò sum civitatem, ac tandiu per vicos & calles novus hospes incessi, donec hujus viri domum invenissem. Tandem verò illius domum inveni, & eam ingressus sum: quam cùm ingressus fuissem, hunc virum in suo oratorio sedentem, & in suis libris studentem inveni. At ille postquam oculos suos in me defixit, intuens me ait: Amice, huc accedere. Accessi autem ad illum, & juxta eum super stramentum, quod ibi fuerat appositum, consedi. Erat vir jam multum ætate decrepitus, sed adhuc vultu strenuus, & facie & statura corporis decorus. Nam & ejus vultus omnia quæ in illius mente latebant, se diligenter intuentibus indicabat. Postquam autem confabulati sumus, quæsivit ille, quo nomine nuncuparer, & unde essem oriundus, & quæ meæ viæ causa extitisset. At ego respondi & illi dixi: Ego Morienus vocor, natione Romanus, quem videlicet tui nominis & scientiæ fama, de parentibus & patria discedere coëgit. At ille subjunxit: Quænam est fides tua, aut cujus deorum cultor existis? At ego respondi: Fidem meam Christianam profiteor, nam Christi sum cultor, & illum Deum trinum & unum adoro. Postea dixit Adfar: Bonum est autem te me quæsivisse, & adhuc me homine mundano septum invenisse. Propalabo namque tibi totius divinitatis secreta, quæ ferè omnibus hactenus detegere recusavi. Tu verò mihi totis mentis tuæ viribus intentus adesto: nam & ego te faciam totius meæ disciplinæ filium. His igitur altrinsecus dictis, nimio gaudio tum gavisus. Quid plura? Longum esset nobis in hujus operis institutis singula de quibus ad invicem tractavimus, enumerare & dicere. Remansi tandem cum illo, & me illi in tantum amabilem exhibui; quòd ille mihi totius divinitatis secreta dixerit. Postea mortuus est Adfar: & ego post ejus obitum, post dies paucos ab Alexandria recessi, & Hierosolymam deveni, in cujus etiam finibus mihi eremum elegi, in quo vitam meæ fidei & professioni habilem ducere potuissem. Inde verò non post multos annos surrexit quidam Rex in Ægypto nomine Macoya. Hic autem genuit filium, nomine Gezid, qui post mortem sui patris in Ægypto regnavit, & illius regnum obtinuit. Gezid autem genuit filium nomine Calid, qui post mortem sui patris diu in Ægypto regnavit. Fuit autem Rex iste sapiens & prudens vir, & in omni scientia perspicuus: diligebat enim multùm Sapientes & Philosophos, propter hujus libri scientiam. Iste verò non sinebat incessanter per provincias notos & ignotos inquirere, si aliquem inveniret, qui sibi hujus libri documenta revelare potuisset. Hoc igitur amore compulsus, multos sapientum & Philosophorum secum retinebat, qui hujus libri magisterium se scire professi essent, cùm penitus ignorarent. Hos multis & maximis ditabat donis, in eorum verbis diu confisus. Me itaque die quadam in eremo existente, fama hujus regis mihi à quodam peregrino delata est: quam quum audissem, eremum dimisi, & quàm citius potui, ad tuæ regionis fines transeavi: non scil. ut ab eo divitias, seu dona inquirerem, sed ut diligenter donis spiritualibus instituerem. Postquam verò suos fines sum ingressus, loca quàm plurima eundo lustravi, & tandem Regem inveni. Quem cùm inveniissem, & de quibusdam secum contulissem, inveni illum magnæ sapientiæ virum, & omni virtute ornatum ac prudentissimum. Dixi ergo ad illum: O bone Rex, Deus te ad melius convertat. Volo autem ut jubeas mihi domum, & meo magisterio commodam præparari. Jussit ergo Rex mihi domum præparari, & ad meum votum ornari. Introivi autem hanc domum, neque ab illa exivi, donec totum compleverim magisterium, & completum domi reliqui: sed circa vas in quo fuerat positum, hæc verba depinxi: OMNES QUI SECUM OMNIA HABENT, ALIENO AUXILIO NULLATENUS INDIGENT. Postquam hæc scripsi verba, ab urbe, & omni ipsa regione clàm discessi, & ad meum eremum sum regressus. Postea verò Rex domum, quam dimiseram, est ingressus, & magisterium perfectum quod dimiseram invenit. Quod cùm magis ac magis diligentiùs intueretur, vidit verba, quæ circum vas scripta dimiseram: quibus perfectis ac bene intellectis, illicò me absentem deflevit, & omnibus quos hujus magisterii causa per multos annos secum retinuerat, jussit capita amputari. Dixit postea Rex: Advocate Galip meum servum fidelem. Erat autem Galip suus captivus, quem sibi ejus pater Gezid ante ejus obitum, ob sui fidelitatem dederat. Confidebat enim in eo Rex multum, qui dixit ei: O Galip serve mi, nescio quid mihi posthac sit agendum. Dixit autem Galip ad regem: Dux mi, Deus providebit quid deinceps simus acturi. Tristatus est autem Rex multum, & ultrà quàm credatur die ac nocte condoluit. Factum est autem deinde post annos aliquot, dum Rex quadam die ad locum, qui dicitur Dirmaroni, venandi studio exiret, quòd Galip captivus, hominem quendam in solitudinibus

orantem

orantem invenisset: Interrogavit eum & dixit ei: Amice, quisnam es tu, aut unde venis, vel quò vadis? At ille homo respondit: Ego Hierosolymitanus sum: nam ego in Hierusalem natus sum, & per multos annos in montibus Hierosolymitanis cum quodam eremita conversatus sum: me autem ibi morante, audivi quomodo Rex Calid incessanter perquireret, qui sibi magisterium Hermetis demonstraret. Postquam autem hoc de rege audivi, mox à mea patria discessi, ut & hoc Regi Calid nunciassem. Scio enim hominem in hoc magisterio doctissimum quem Regi demonstrare valde desidero. Tunc ait Galip: Tace frater, tace, hucusque tibi dixisse sufficiat. Malo autem te vivere quàm mori: nam multi ad Regem venerunt, qui hoc magisterium se scire profitebantur, qui cùm ad suæ professionis exitum pervenire non potuissent, à Rege interfecti sunt: Timeo ergo, & tu si cum hujusmodi sermone in conspectu Regis astiteris, ne interficiaris. Tunc homo ille ait: Noli timere hoc, sed in conspectu Regis me venire ne differas. Galip igitur dicit: Hoc mihi jam placet, sed cave ne moriaris. Adduxit ergo Galip hunc hominem, & statuit eum coram Rege & ait: O bone Rex, ecce homo qui mori non metuit. Ut ergo rex suos oculos in eum defixit, intuens illum ait: Quisnam es tu? At ille respondens ait: Hierosolymitanus sum, qui quum in montibus cum quodam Eremita conversatus fuissem, audivi à multis tui nominis & bonitatis famam: & quomodo tu indesinenter quæras sapientes & doctores, qui videlicet magisterium Hermetis seriò tibi ostendissent. Veni ergo ad te, ô bone rex, & tu meis acquiescas consiliis, & tui desiderii compos efficiaris. Scio namque virum in montibus Hierosolymitanis habitantem, cui omnis sapientia à domino Deo revelata est. Nam in sua fide firmissimus à Deo & hominibus judicatur. Die namque quadam, quum in suo eremo de rebus quàmplurimis tractaremus, contigit casu quòd mihi diceret, se hoc magisterium posse perficere. Quo audito, cùm in sua veritate sæpiùs mihi cognita confisus, tum ex hoc, quòd in omni anno multa auri & argenti pondera, uti ego sæpiùs videram, ad Hierusalem civitatem transmittebat, suo sermone certissimus mecum conferebam: quòd si ego in conspectu tuo assisterem, multis me ac magnis ditares donis, & nunquam à tua gratia me separares. Tunc rex ait: Quis est hujusmodi sermo, quem tu dicis? aut quæ mens ignara hucusque te venire persuasit? Nescis stultissime, nescis quot & quales propter hujusmodi sermonem à me interfecti sunt? sed & si ea quæ tu dicis (quod non opinor) vera essent, & multis tu ditareris donis, & nunquam à mea gratia à modo separareris. Nam si vera non fuerint, maximum scias te subire tormentum. Tunc homo ille ait: O bone Rex, utroque tui promisso sum placatus: tu tamen meis acquiescas consiliis. Item Rex ait: O homo, de qualitate hujusmodi viri & ejus habitu mecum pauca conferas: venit namque ad me annis præteritis vir quidam, qui, ut verum tibi confitear, mihi hoc magisterium perfecit: qui cùm perfeciisset, rem effectam, sed non ejus scientiam mihi dimisit, & clàm secessit & abiit. Tunc homo ille ait: Vir iste nimis est ætate decrepitus, statura magnus, vultu & facie præclarus, moribus ornatus: cujus etiam vita & habitus Deo non displicent: est enim in montibus Hierosolymitanis eremita. Sed & si nomen ejus multum scire desideras, Morienus Romanus, senex eremita, nominatur. Tunc conversus Rex ad suum servum Galip, dicit: Hic verè est homo ille, de quo hactenus tecum condolui. Dixit autem Galip: O bone Rex, ita est, ut ego existimo. Gavisus est Rex multùm, & ultrà quàm credi potest, hunc hominem beniguiùs accepit. Jussit ergo Rex huic homini dari quamplurima, & insuper majora ei promisit. Hæc est igitur historia Morieni Romani, quomodo scilicet ipse Magisterium Hermetis est adeptus.

Incipit Sermo Galip, servi & captivi Regis Calid, filii Gezid, filii Macoya

Dixit Galip captivus: Post paucos quidem dies, postquam hæc ab eo homine regi nunciata fuissent, venit hic homo & stetit coram rege & ait: O Rex bone, Deus ab bonum te convertat. Nolo autem ut ea quæ tibi promisimus, diutiùs differamus. Advoca ergo omnes tuos subditos servos natu meliores, & ex eis mihi aliquos accommoda, qui mecum veniant, & mecum simul revertantur: grandis enim nobis restat via. At Rex vultu placido illum intuens ait: Bene dicis, fiat. Tunc jussit me Rex festinanter coram se advocari: qui quum coram se stetissem, dixit: O Galip serve bone, congrega omnes meos natu meliores tecum, & ex illis quot & quales huic homini placuerint elige, qui videlicet vobiscum simul vadant & revertantur: nam ille dixit, grandis nobis restat via. Feci igitur juxta quod Rex mihi præceperat: & post paucos dies iter nostrum incepimus. Hierusalem quidem iter incepimus, & per multa loca invia & deserta eundo, multos dies consumpsimus, & tandem Hierosolymam devenimus. Qui quum in solitudinibus montium errando fatigaremur, invenimus eremum, in quo Morienus Romanus, senex eremita, vitam suam ducebat. Quem quum ingrederemur, invenimus ibi quendam virum senem, statura longum, in corpore macrum, vultu & facie præclarum, de cujus etiam situ & habitu multum sumus admirati. Ejus namque tota cutis ab asperitate cilicii, quo erat indutus, rugosa existebat. Tunc dixit nobis homo ille, qui nos secum huc adduxerat: O socii, hic est Morienus Romanus, senex Eremita. At ego dum magis ac magis illum diligentiùs intuerer, eum illicò agnovi: quo agnito, illum ex parte regis Calid salutavi. Cujus audito nomine, vir bonus subrisit, & nos propiùs jussit accedere. Gavisi sumus ergo, & læti cum eo consedimus. Interrogavit autem nos vir Dei, & de statu nostri Regis, & de statu Regni, quæ quum illi nuntiarem, viæ nostræ causam sibi propalavi. At ille ad se conversus ait: Multum gaudeo filii, quoniam me invenistis. Ibo enim vobiscum, ut & Rex Calid me diu exoptatum videat, & quæ sit mira Creatoris potentia à me recognoscat. Postquam igitur per dies aliquot artus nostros labore itineris fatigatos recreavimus, redeuntes iter incepimus, & in nostram patriam regressi sumus. Qui quum coram Rege venissemus, vidit rex virum Dei: quem cùm vidisset, ilicò eum cognovit, & me recipiens ait: O Galip serve bone, hic est verè vir propter quem tecum diu condolui. Volo aurem ut ea quæ vobis in itinere obviaverunt, mihi protinus edisseras. At ego totam rem à suo principio sibi ordine digessi. Advocavit ergo rex virum Dei, quem adduximus, & eum juxta se sedere fecit, & dixit ei: O senex, ego volo ut tu nomen tuum mihi dicas, & tuæ professionis modum pandas: non enim in altera vice licuit hæc omnia à te inquirere, De tuis namque verbis adhuc diffidebam. Tunc vir Dei respondit:

respondit : Ego Morienus Romanus vocor. Mea autem professio, fidei Christianæ est. Mea quoque religio & habitus, sunt eremitæ. Tunc Rex ait: O Moriene quot transierunt anni postquam vitam & habitum Eremitæ elegisti ? At ille respondit : Post quatuor quidem annos à morte Herculis Regis eremita incedo. Placatus est igitur multùm Rex super hujus viri prudentiam, & ejus humilitatem, & ejus patientiam & verecundiam ac venustatē. Non enim erat ille lingua verbosus, aut mente elatus: erat autem humilis, prudens & benevolus, uti talem esse decebat. Postea dixit rex: O Moriene nonne esset tibi melius cum conventibus qui Deum orant, in Ecclesiis consistere, quàm solus in montibus & eorum solitudinibus habitare ? At Morienus dixit: Bene habeas, mi Rex: Bonum quod nunc habeo, & in futuro expecto, ex Deo est, & in ejus manu collocatum. Ipse autem quod velit faciat: Nec ego dubito, quin mihi inter conventus & cœtus major inveniatur requies, & in solitudinibus & montibus labor, sed nemo metit nisi qui seminat: Et quod seminaverit, hoc etiam metet. Spero itaque quòd Divinitatis bonitas, in vita hujus Mundi me non derelinquat: nam requiei aditus nimis est coarctatus, neque ad illam quisquam potest ingredi, nisi per animæ afflictionem. Dixit ergo Rex: Omnia quidem quæ dicis, indubitanter vera sunt: sed quia ex infideli procedunt animo, falsa videntur. Hoc autem dicebat Rex, quoniam adhuc cultor idolorum erat. Respondit autem Morienus: Si ea quæ profero, tu vera esse concedis, animum, à quo illa procedunt, te verum esse & veridicum concedere necesse est. Nam ex veris & vera procedunt: & ex falsis, falsa: ex æternis, æterna: ex transitoriis, transitoria: ex bonis, bona: & ex malis, mala. Dixit itaque Rex: O Moriene, multa quidem mihi de te, & tua constantia, & tua fide sunt relata: unde vehementer admiror, cùm & illa videam & audiam jam esse vera. Hæc itaque fuit causa, quare multum & te videre, simulque audire diu exoptaram. Volo namque ut inter quædam (de quibus erimus tractaturi) me quibusdam aliis quasi documentis instruas, simulque edoceas, Tunc dixit illi Morienus: O Rex, omnipotens Deus te ad melius convertat: nam ego non sum de quo multùm debeas admirari. Ex filiis Adæ unus existo. Omnes quidem ex uno processimus, & iterum ad unum, licet diverso tramite, revertemur. Temporum quidem longa mutatio, hominem sub tempore constiturum confundit, & mutat. Nec ego adhuc in tantum sum mutatus, quòd alii multi, qui ante me fuerunt, magis non mutentur. Ultimam autem mutationem mors dira subsequitur, qua videlicet nulla pœna deterior judicatur. Nam ante corporis & animæ conjunctionem & post eorum dissolutionem, pœna omni morte crudelior animam expectat. Sed & omnipotens Creator, qui omnia ex seipso creat & format, semper sit in nostro auxilio. Tunc dixit illi Rex: O Moriene, ex his quæ modò dicebas, video quod tu existimes me te velle deridere. Juxta ergo hanc opinionem, licet senex & prudens videaris, potiùs es deridendus quàm laudandus. Postlhæc advocavit me Rex & dixit mihi: O Calip serve bone, vade & quære huic homini domum, intus scilicet & extra pulchram, & multo ornamento ornatam, sitque vicina palatio: simul quæras & hominem suæ fidei professorem, doctum scilicet & senem ac moribus ornatum, cujus dictis & monitis consoletur, & ejus animus in pace resideat. Video enim illum quasi deterritum, & in me minimè confidentem. Feci igitur juxta quod Rex mihi præcepit. Rex verò ad eum quotidie veniebat, & cum illo per horas aliquot residebat. Alloquebatur enim illum, & confortabat, nihil tamen de suo magisterio eum interrogabat. Postquam autem inter illos magna notitia crevit, & amor, Morienus se Regi multum credidit, & in eo confidit. Interrogabat autem Rex de Romanorum legibus, & utrum secundum temporis circuitum eorum leges mutarentur: de Regum, & Consulum consuetudine, nec non & de Græcorum historiis simul interrogabat. Et Morienus in his omnibus illi decenter respondebat. Dilexit igitur Rex Morienum intantum, inquantum antea neminem dilexerat. Factum est igitur, dum quadam die in unum fabularentur, quòd Rex Morieno diceret: O senex sapientissimè omnium, scito quòd diu ego à multis quæsivi Magisterium Hermetis, sed neminem hactenus invenire potui, qui rem ejus veram mihi panderet. Ob hoc igitur in altera vice, quando tu à nostris finibus clam dicessisti, postquam literas, quas circa vas, in quo positum fuerat magisterium, scripseras, legissem, & earum intellectum accepissem, omnibus, quos propter hanc scientiam mecum per annos multos retinueram, ilicò jussi capita amputari. Rogo igitur te, ô senex bone, & omnium sapientissime, quatenus ejus rationem veram, atque ejus speciem & substantiam mihi edisseras, ut mea diuturna expectatio gaudenter per te compleatur. Quod quidem si feceris, & me ipsum, & omnia quæ mecum possideo, acquires: & si libuerit, in tuam patriam unà revertemur. Nolo enim à modo te in me quoquomodo dubitare, neque tuo animo ullum timorem ex ulla opinione conferas. Tunc Morienus respondit: O bone Rex & sapiens, Deus te convertat ad melius: Nunc autem bene intelligo, quapropter ad me misisti: indigebas enim me multum & idcircò misisti. Ego autem ad te gaudenter adveni, ut & te hoc magisterium edoceam, & quæ sit mira Dei virtus, manifestè demonstrem. Timorem autem, de quo paulò antè dicebas, non timeo, nec de te hactenus despero. Omnis enim qui timuerit, in veritate non est perfectus. Et maximè sapientem timere aliquid non decet. Nam si timuerit, citò desperabit. Quòd si desperaverit, ejus animus, vacillabit: nec ullatenus suæ intentionis consequetur effectum. Et quoniam jam nunc intelligo te me minimo amore amplecti, videóque te multum in tua inquisitione severum moribus esse, & actu pium, & patientem, non decet me diutius hoc magisterium tibi recondere, vel celare. Jam nunc ad tuum propositum, & tuam longam inquisitionem faciliùs omnium pervenisti. Sit nomen Domini per secula seculorum benedictum. Ad hæc ergo subrisit Rex, & ait: Nunc verò scio quòd nisi homini præstat Deus patientiam, crudeliter confunditur: Festinatio enim ex parte diaboli est. Ego autem sum nepos Machoya, & filius Regis Gezid. Et non est aliqua fortitudo, nisi cum summo Deo qui unus est altissimus. Dixit autem Morienus: O bone Rex, Deus ad melius te convertat. Esto modò ad judicium hujus magisterii, & scies illud bene, & intelliges. In illius verò introitu, & exitu, multum studere memento: quoniam omnia quæ illi pertinent, annuente Domino, facilius consequeris.

Hæc enim res, quam jamdiu quæsivisti, per vim aut iram non accipitur, nec perpetratur. Accipitur enim per patientiam, & humilitatem, & amorem certum, ac perfectissimum. Confert enim

Deus

Deus hanc divinam, & puram scientiam suis fidelibus & servis: illis scilicet quibus eam à primæva rerum natura conferre disposuit, sua mirabili fortitudine. Quæ quum alicui ex suis fidelibus collata fuerit, decet ipsum priùs prævidere, cui postea eam committat & detegat. Nam hæc res nihil nisi donum Dei altissimi esse potest: qui prout vult, & etiam cui vult, ex suis servis & fidelibus illud committit, & monstrat. Decet igitur, omnipotenti Deo esse in omnibus humiles, & omnino subjectos. Tunc Rex ait: nos quidem verè scimus & cognoscimus, quoniam nulla est rerum perfectio, absque divinitatis auxilio, & ejus demonstratione. Ipse enim est altissimus & impermutabilis. Postea adjuravit me Rex, & mihi dixit: O Galip serve bone, sede citò, & tuo stylo omnia, de quibus nunc inter nos conferemus memoriæ commenda. Tunc dixit Morienus: Omnipotens Dominus, & omnium Creator, ex omnipotentia homines impotentes creavit: quoniam ipsi nequeunt ejus ordinem transmutare: id est, nequeunt postponere ea, quæ ipse præponit, aut præponere ea quæ ipse postponit. Nec est aliquid scire possibile illis: nisi per illius demonstrationem: nec etiam aliquid consequi poterunt, nisi ille eos consequi illud præjudicaverit: Nec quicquam retinere valebunt, nisi per fortitudinem à summo Deo sibi divinitus collatam. Sed & (unde magis est admirandum) animos suos etiam ipsi regere non possunt diutius, nisi usque ad terminum, qui à Deo super eos constitutus est. Præponit enim dominus ex suis servis quos vult, & eligit, ut hanc scientiam divinam homini celatam quærant, & quæsitam secum retineant.

Hæc enim scientia est, quæ dominũ suum abstrahit ab hujus Mundi miseria, & ad scientiam bonorum futurorum reducit. Temporibus verò præteritis semper vicissim hanc sapientiam sibi hæreditabant: postea verò ista scientia ferè fuit contempta. Sed libri multi veterum dominorum remanserunt, in quibus illa continetur tota vera, & sine mendacio: nec tamen quisquam inveniebatur, qui videlicet ipsam tunc ad effectum perduceret: propter nomina multa & diversa, quæ rebus ei attinentibus à sapientibus antiquioribus jamdudum fuerant imposita. Sed ego hujus rei veritatem, ut olim tu cognovisti, perfectè retinui. Nostri quidem antecessores, hujus magisterii nomina multiplicata & variata tradebant, gravissimis sophisticis circumtecta: sed omnia tamen verídica, & sæpiùs comprobata. Quod totum egisse arbitrabantur, propter stultorum insipientiam: ut dicta sua non intelligerent, nisi qui tali & tanto magisterio digni judicarentur. Si quis ergo eorum dicta invenerit, in illis diligenter studeat, donec ea recto modo intelligat. Non enim decet quenquam se ab hoc magisterio retrahere: sed debet suam fidem, & suam spem in Deo altissimo firmiter configere, & illum assiduè hoc efflagitare, quatenus istud divinum & admirabile opus possit perficere. Similiter Deum omnipotentem, & ejus auxilium implorare, ut eum Deus ad res meliores pulchriori modo convertat, & faciat illum hujus magisterii scientiam super lineam rectam absque omni deviatione fœliciter adipisci. Tunc Rex ait: Jam si libet, ô Moriene, hæc dicta, atq; mandata dici sufficiant. Ego enim intellecta consequor, & intellecta pro virili observabo: & maximè quum tu senex & sapiens, hoc magisterium mihi edocere non negligas. explana igitur mihi hoc quod diu exopto, explanatione facillima: ne ejus studii gravitas in hac re me diu confundat. In primis igitur ab ejus exordio mihi jam edisseras, & dicas, ut omnis ordo præpostetus procul à nostra disputatione abjiciatur. Ad hæc Morienus respondit: Rem quidem ex ordine digestam tibi declarabo. Tu verò ea quæ velis nunc inquirere non differas.

Incipiunt Interrogationes Regis Calid, & Responsiones Morieni, de quibus artificium Magisterii Hermetis constare comprobatur.

CALID Rex, ô Moriene, primùm quærere libet, quæ & qualis sit hujusmodi rei principalis substantia & materia, & utrum multæ aut plures sint: aut ex una tantummodò conficiatur. Morienus: Omnis autem res, usque dum per suum effectum dignoscatur, multorum testimonio verior comprobatur. Sed antequam antiquiora testimonia tibi ad præsens adducam, hoc quidem quod nos de ejus principali substantia & materia sæpe comprobavimus, explicabo. Si autem ea quæ tibi dixero, & testimonia aliquorum rectè inspexeris, apertè cognosces nos omnes in uno convenire, & omnia quæ dicimus vera proferre. Quod igitur interrogasti, sic accipe. Hujus rei prima & principalis substantia & materia est una, & de ea est unum, & cùm ea sit, neque aliquid sibi additur vel minuitur. Ecce jam habes quod interrogasti. Nunc verò testimonia antiquorum tibi adducam, ut omnes in unum concordare indicemur. Hercules verò quidam Rex sapiens & Philosophus, cùm à quibusdam suorum interrogaretur, dixit: Hoc autem magisterii ex una primùm radice procedit, quæ postmodum in plures res expanditur, & iterum ad unum revertitur: & scito fore necesse recipere aërem. Arsicanus quoque Philosophus ait: quatuor autem elementa: id est, calor, frigus, humiditas & siccas, ex uno fonte procedunt, & eorum quædam alia ex aliis iisdem conficiuntur. Ex his verò quatuor quædam sunt quasi radices: & quædam quasi ex his radicibus composita. Quæ verò sunt radices, sunt aqua & ignis: quæ verò ex his composita, terra & aër. Item Arsicanus ad Mariam: Nostra inquit, aqua nostram terram habet superantem, quæ est magna, lucida & pura. Nam & de grossitie aquæ terra concreatur. Hermes quoque ait Terra est mater elementorum: de terra procedunt, & ad terram revertuntur. Hermes iterum ait: Quomodo omnia ex uno procedunt, sic meum magisterium ex una fit substantia, & materia. Et ut elementa quatuor in corpore humano continentur, sic Deus creavit illa sita & distincta, & conjuncta, collecta quoque ac per totum corpus diffusa: quoniã unum corpus illa commergit, & in unum retinet, & tamen unumquodque illorum efficit opus ab opere alterius dissimile. Et licet in uno sint corpore: tamen diversum habent colorem & diversum dominium. Eodem igitur modo de hoc magisterio intelligendum est. Multa quoque hujusmodi testimonia, Philosophi de hoc magisterio dixêre: quorum quædam in sequentibus dicemus. Rex Calid: Quod modo, & qua ratione fieri potest, quod hujus magisterii una sit radix & una substantia & una materia, quum apud Philosophos ejus radicis nomina multa, & multiplicia inveniantur? Morienus: Multiplicia quidem sunt ejus radicis nomina, sed si ea quæ supradicta sunt, recto ordine inspexeris, unam ejus radicem & substantiam & materiam invenies. Quod ut faciliùs accipias, adhuc quedam antiquorum testimonia tibi referabo. Rex Calid: Perfice, mihi narrando hujus operis magisterium. Morienus: Hercules quidam ad quosdam discipulorum dixit: Lapillus autem

tem dactili, ex palma nutritur, & palma ex ſuo lapillo, ex cujus etiam radice plurimi Ramuli concreſcunt, qui ſuum numerum multiplicent & augeant propter eam. Hermes autem ait: Reſpice Rubeum completum, & Rubeum à ſua rubedine diminutum, omnemque rubedinem: Conſidera quoque citrinum completum, & citrinum à ſua citrinitate diminutum, omnemque citrinitatem: & nigrum quoque completum, & nigrum à ſua nigredine diminutum omnemque nigredinem. Similiter ſpica ex grano procedit, & multi ramuli ex una arbore exeunt, licet arbor à ſuo germine ortum aſſumat. Quidam quoque homo ſapiens, qui propter Deum, totum Mundum dimiſerat, exemplum, conſimile nobis adducit. Ait enim: Prima hominis creatio eſt ſperma, & de uno grana centum grana procreantur, & de germine, magna concreſcit arbor, & de uno homine ſibi ſimilis mulier extrahitur, ex quibus ſæpe multi filii & filiæ in colore & aſpectu, vel apparentia naſcuntur diſſimiles. Iterum idem ſapiens dicit: Conſidera ſartorem, qui ſcilicet veſtes ſuere conſuevit, quoniam de panno interulam, ſive veſtem quamlibet aliam componit, cujus ſcilicet partes, diverſa nomina ſortiuntur: quæ etiamſi naturaliter conſiderentur, ex ipſo panno formatæ invenientur: eſt tamen unus pannus & materia principalis ex qua veſtis conficitur. Nam thorale, & manicæ, & girones, licet, quantum ad veſtis partes, diverſa habeant nomina, tamen principalis eorum materia eſt pannus. Nam & de ipſo panno fila quibus partes ipſius veſtis in unum jungantur, extrahuntur, non quòd ipſe pannus alio à ſe diverſo ad hoc indigeat. Simili igitur modo hoc magiſterium eſt unum per ſe exiſtens, nec alio indiget. Quoniam apud Philoſophos hoc magiſterium eſt rectum & abſconſum, & ubicunque fuerit, mille nominibus nominatur. Eſt etiam ſigillatum, neque niſi ſapientibus apertum: quoniam ſapientes hoc magiſterium multum quærunt, & quæſitum inveniunt, & inventum ſimul amant & ornant: ſtulti verò illud derident, & apud illos pro minimo, aut quod verius, pro nihilo reputatur. Ignorant enim quid hoc ſit: & hæc nomina ſunt illa, quæ Sapientes nominaverunt in lib. ſuis, quorum unum eſt ſperma, quod quando vertitur, in ſanguinem mutatur: ac demum coagulatur, & fit quaſi fruſtum carnis commixtum: & tali modo fit, donec una creatura alteram habeat formam, ſcil. hominis ſuccedentem, & tunc hominem fieri neceſſe eſt. Ex his quoque nominibus, eſt aliud nomen ut palma, quemadmodum ex colore pomorum ejus, atque ex colore naturarum ejus, antequam ad ſuam perfectionem perveniant. Aliud quoque nomen eſt ut arbor malorum granatorum, & veluti triticum & lac, atque alia nomina quamplurima, quorum omnium eſt una radix: ſed ſecundùm diverſos effectus, diverſos colores, diverſas naturas, & nomina multa atque diverſa ipſi rei imponunt, ut Herizartem ait Philoſophus: Ego veritatem dico, quòd nihil aliud hujus magiſterii artifices in errores detruſit, niſi varietas & ejus nominum multitudo. Sed ſi quis rectè cognoverit, quòd hæc nomina non ſunt niſi colores in conjunctione apparentes, in hujus magiſterii via non deviabit. Rex Calid: Multum autem intelligere deſidero, utrum iſti colores, de quibus paulò antè dicebas, eos ſcil. de uno in aliud mutari, una diſpoſitione vel confectione, vel duabus ſeu pluribus ſic mutentur. Morienus: Una ſola confectione vel ſpecie ſic materia mutatur: ſed quantò magis ei ignis colorem innovat, tantò magis ea plurima nomina imponuntur: unde Datin Philoſophus ait ad Eutichem: Ego tibi oſtendam, quod ſapientes hujus magiſterii diſpoſitiones vel confectiones alia de cauſa non multiplicaverunt, niſi ut ſapientes in hoc magiſterio inſtruerent, & inſipientes penitùs excæcarent. Quoniam hoc magiſterium unum nomen habet, & hoc proprium ſibi deputatur: ſic etiam unam habet diſpoſitionem atque etiam unam viam lineare: & hoc modo, licet Sapientes ejus nomina & ſua dicta mutarunt, tamen noluerunt niſi rem unam intelligere, & unam diſpoſitionem. Sufficiat igitur tibi, ô bone Rex, de hujuſmodi hactenus inquirere ac perſcrutari. Nam ſapientes qui ante nos fuerunt, multas nominaverunt confectiones, & multa pondera & multos colores: & ſic ſuper vulgus dicta ſua allegorizáverunt: neque tamen ſunt mentiti: ſed locuti ſunt ut eis bonum videbatur, & ut ipſi ad invicem intelligebant, ut etiam hoc alios lateret. Rex Calid: De ejus natura atq; ſubſtantia tibi jam dixiſſe ſufficiat. Nunc verò de ejus colore mihi manifeſtare digneris: quia nolo ut ſub allegoria aut ſimilitudine aliquid mecũ inde conferas. Morienus: Mos autem erat ſapientum, quod ſuum aſſos de eo & cum eo ſemper faciebant. Aſſos Arabicè, alumen interpretatur Latinè. Sed & hoc faciebant, antequam aliquid cum eo tingerent. O bone Rex, ſufficiunt tibi hæc quæ ego profero: an ad antiquiora revertemur teſtimonia? Quòd ſi exemplum deſideras, dicta Datin Philoſophi ſic accipe. Ait enim: Noſter quidem Lato, quamvis primùm ſit rubeus, tamen eſt inutilis, ſed ſi poſt rubedinem in album vertatur multum, valebit. Ob hoc itaque idem Datin dicit ad Eutichen: ô Eutiche, iſta reſtent ſic firma & omnia bene credita: nam ſapientes de hoc ſic dixerunt: Jam abſtulimus nigredinẽ, & cum ſale anatron: id eſt, ſale nitri, & almizadir, cujus complexio eſt frigida & ſicca, fiximus albedinem: quare ei hoc nomen imponimus Borteza, quod Arabicè Tincar dicitur. Dictum autem Datin Philoſophi, per dictum Hermetis comprobatur. Dicit autem Hermes: In primis eſt nigredo: poſtea cum ſale anatron ſequitur albedo: & in primis fuit Rubeum, & in ultimis album, & ſic ejus nigredo omnino aufertur, ac demùm vertitur in ruborem lucidum & nimis clarum. Maria quoque dicit: Quando autem Laton cum allzebric: id eſt, ſulphure comburitur, & mollicies ſuper eum funditur, ita ut fervor illius tollatur, tunc omnis ejus obſcuritas atque nigredo, ab illo aufertur, & ſic in aurum puriſſimum convertitur. Item Datin Philoſophus ait: Si autem Laton cum ſulphure comburatur, & mollicies ſuper eum frequenter fundatur, ejus natura de bono in melius auxilio Dei convertetur. Alius quoque dicit: Quando autem purus laton tamdiu decoquitur, donec veluti oculi piſcium eluceſcat, ejus utilitas expectanda erit. Et tunc ſcito, quòd ille ad ſuam naturam atque colorem revertetur. Et alius ſimiliter dicit: quòd quantò magis aliquid abluitur, tantò magis limpidius hoc melius apparebit: quòd ſi ablutus non fuerit, limpidus non apparebit, neque ad ſuum colorem revertetur. Et item Maria dicit: Nihil eſt, quod à latone ſuam obſcuritatem, vel ſuum poſſit auferre colorem. Sed Azoc eſt quaſi ejus tegumentum. Primùm videlicet quando decoquitur: nam & cum colorat & album reddit: ac iterum dominatur laton Azoc: id eſt, vinũ, vel Rubeum reddit.

Alius quoque Philoſophus ait: Quòd Azoc nequit ſubſtantialiter Latoni ſuum auferre colorem, vel eum mutare, niſi quantum ad viſum, ſed latonem ab Azoc, ſuam auferre ſubſtantialem albedinem: quoniam

quoniam ineſt mirabilis fortitudo, quæ ſuper omnes colores apparet. Nam quum colores abluuntur, & nigredo atq; immunditia aufertur, ita quòd album appareat, laton quidem Azoc poſtea nominatur, & eum reddit rubicundum. Datin quoque Philoſophus ait: quòd omnis res, non eſt niſi de eo & cum eo: & quòd omnis tinctura, à ſuo conſimili procedit. Adarmath ſimiliter ſapiens & Philoſophus ait: Quòd omnia harum rerum nomina, & earum ſimilitudines, nulla alia de cauſa antiquis vocantur, neque variantur, niſi ut vos intelligatis, quòd hujus rei principium ſuper ſuum finem teſtificatur, & ſuus finis, ſuper ſuum principium. Et ut ſciatis, quòd hoc totum non eſt niſi una res, quæ ſcilicet habet patrem & matrem: & ejus pater & mater eam nutriunt, atque paſcunt, non quòd ipſa à ſuo patre aut matre aliquo modo differre poſſit. Eutyches quoq; dicit: Quî fieri poteſt, quòd ſpecies è ſuo genere tingatur? Datin quoque Philoſophus ſimiliter dicit: Unde eſt quidem quod ex eo proceſſit, & in illum revertetur? Rex Calid: Hactenus & de hujuſmodi lapidis natura & ejus colore ſatis diſputavimus: nunc verò de illius naturali compoſitione, ejus tactu, nec non & illius pondere & guſtu differamus. Morienus: Tactus autem hujus lapidis, mollis eſt: & major mollities eſt in eo, quàm in ſuo corpore. Pondus verò illius multum eſt grave: & ejus guſtus dulciſſimus: & ejus natura aërea. Rex Calid: Qualis eſt ergo ejus odor ante & poſt ſuam confectionẽ? Morienus: Ante confectionem nimis eſt gravis & fœtidus: & poſt confectionem eſt ejus odor bonus juxta hoc quod ſapiens dicit: Iſta quidem aqua à corpore mortuo, & jam inanimato tollit odorem. Nam & ejus odor eſt malus, & odori ſepulchrorum aſſimilatur. Unde etiam ait ſapiens: Quicunque animam dealbaverit, & eam rurſum aſcendere fecerit, & corpus bene cuſtodierit, & ab eo omnem obſcuritatem abſtulerit, & odorem malum ab illo extraxerit, ipſam in corpus infundere poterit. Et in hora conjunctionis maxima miracula apparebunt. Unde quidam Philoſophorum, dum coram Maria ſimul conveniſſent, ad illam dixerunt: Beata es Maria, quoniam divinum ſecretum occultum & ſemper ornatum tibi revelatum eſt. Rex Calid: Expone mihi naturas mutantes: id eſt, quomodo id quod eſt inferius, ſuperius aſcendit, & qua ratione, quod eſt ſuperius inferius deſcendit: & qualiter unum eorum alteri conjungitur, ita quòd ad invicem miſceantur.

Quid etiam ſit hoc, quod ea faciat miſceri: quomodo etiam veniat aqua benedicta, illa adaquare & rigare, & à ſuo odore fœtido mundare. Hic enim eſt odor, & qui aſſimilatur odori ſepulchrorum, in quibus videlicet mortui ſepeliuntur. Morienus: Iſta quidem res eſt, de qua meritò ſcribit Philoſophus Azinabam. Ait enim Oziambe, quibus nominibus poteſt hæc res naturaliter appellari? At ille dicit: naturaliter hæc res vulphi: id eſt, animal appellatur. Et poſtea fit ejus odor ſuavis & bonus, nec remanet in ea quicquam obſcuritatis neque fœtoris. Rex Calid: Hæc à modo de hujus rei communi inquiſitione nobis ſufficiant. Nunc autem quærere libet, utrum hæc res multum vilis, an cara inveniatur? Tu ergo inde mihi verum reſpondeas.

Morienus: Vide quid dixerit ſapiens: quod videlicet hoc magiſterium ex una ſola re fieri conſuevit. Hoc igitur tuo animo adhibeas, & tecum inde conferas: neque ſit aliquid quod tibi in hoc contradicer. Scito igitur quòd ſulphur zarnet: id eſt auripigmentum citò comburitur, & à combuſtione citò conſumitur: ſed Azoc diutiùs ſuſtinet combuſtionem: Omnes enim ſpecies igni appoſitæ citò conſumuntur. Quomodo ergo expectabis bonum ab eo, quod citò ab ignis combuſtione conſumitur, & ab igne comburitur, & in carbonem redigitur? Hoc etiam te ſcire convenit, quòd nullus Lapis neque germen huic magiſterio convenit. Sed conſidera ſi poteris rem puram atque mundiſſimam rectè dirigere: ſin autem tua operatio inefficax eſſet. Sapientes autẽ diſpoſuerunt, & dixerunt, quòd ſi hoc quod quæris in ſterquilinio inveneris, illud accipe: ſi verò in ſterquilinio non inveneris, tolle manum à matſupio. Omnis enim res quæ magno emitur precio, in hujuſmodi artificio mendax, & inutilis reperitur. Hæc igitur expoſitio, in hoc loco tibi ſufficiat. Sed cave ne in hoc magiſterio quicquam expendas: quoniam poſtquam completum fuerit, expenſis non indigebis. Unde Datin Philoſophus ait: Ego autem tibi commendo, ne in ſpecierum ponderibus quicquã expendas, & maximè in auri magiſterio. Item ait? Quicunq; ad hoc magiſterium aliud ab hoc lapide quæſiverit, aſſimilabitur viro per ſcalam abſque gradibus nitenti aſcendere, quòd quum nequiverit, ſuper ſuam faciem pronus in terram decidit. Rex Calid: Hoc quod tu dicis eſſne rarum, an multum de eo invenitur? Morien. Non eſt hoc niſi, ſicut ſapiens dicit, ad divitem ſcilicet & pauperem, & ad largum & ad avarum, euntem quoque & ſedentem. Nam hoc in viis projicitur, & in ſterquiliniis ſuis calcatur, & multi jam in ſterquiliniis foderunt, ut hoc ab eis extraherent, & in hoc decepti ſunt: Sed ſapientes ipſam rem cognoverunt, & eam rem unam ſæpiùs probaverunt: quæ ſcilicet in ſe continet quatuor elementa, & illis dominatur. Rex Calid: Quo in loco, vel in qua minera quæritur hæc res, donec inveniatur? Ad hoc Morienus obticuit & fronte demiſſa, diu cogitavit quid Regi, poſſet reſpondere: tandem erexit ſe & dixit: O Rex verum tibi confiteor, quòd hæc res divino nutu in ſua creatione magis conſigitur. Omnis enim qui à Deo creatur, ſine ea perſiſtere non poteſt. Rex Calid: Explicandum eſt hoc quod dixiſti. Morienus ait: Diſcipuli autem Herculis ipſum interrogaverunt & dixerunt: O bone magiſter, ſapientes qui ante nos fuerunt, libros de hoc magiſterio expoſitos, ſuis filiis & diſcipulis demiſerunt: Precamur te magiſter, quatenus hujus magiſterii expoſitionem nobis non taceas, ſed hoc quod ab antiquis quaſi obſcurum relinquitur, nobis declarare non differas. At ille dixit: O filii ſapientiæ, ſcitote quòd Deus creator altiſſimus benedictus, Mundum ex quatuor elementis diſſimilibus creavit, poſuitque hominem inter ipſa elementa majus ornamentum. Rex Calid: Adjunge mihi adhuc ſuper hoc (quomodo dixiſti) explanationem. Morienus: Quid tibi multa referam? Hæc enim res à te extrahitur: cujus etiam minera tu exiſtis, apud te namque illam inveniunt, & ut verius confitear, à te accipiunt: quod quum probaveris amor ejus & dilectio in te augebitur. Et ſcias hoc verum & indubitabile permanere. Rex Calid: Noviſti ne unquam alium lapidem, qui huic lapidi aſſimiletur, & cujus effectu & potentia, hoc idem poſſit perpetrari? Morienus: Non novi ego alium lapidem, qui huic lapidi aſſimiletur, neque qui illius habet effectum. In hoc enim lapide quatuor continentur elementa, aſſimilaturque Mundo, & Mundi compoſitioni, neque in Mundo alius lapis invenitur, qui huic aſſimiletur, in creatione ſcilicet vel natura. Quicunque igitur alium lapidem in hoc magiſterio quæſierit, ejus operatio omnino fruſtrabitur. Adhuc etiam eſt tibi aliquid addiſcendum, ſcilicet hujus

magi-

magiſterii principium. Nam & ego ab omni errore te auferam. Vide ergo ne hanc radicem prætereas, neque aliquando quæras ejus mutationes: quoniam fructum neque bonum tibi quæſitum poteris invenire. Item te moneo, ut ea quæ dicta ſunt ſuperiùs, penitùs obſerves. Rex Calid: O Moriene, mihi modo edillere qualitatem hujus diſpoſitionis. Deus enim in noſtro jam erit auxilio. Morienus.

Ego eam tibi dicam, ut ab antiquis eſt mihi tradita: Bene enim interrogas. In directione igitur hujus confectionis, has diſpoſitionis partes ſuo ordine rationabiliter conſtitutas obſerves, & nullatenus prætermittas. Prima earum eſt coitus: ſecunda eſt conceptio: tertia, prægnatio: quarta, ortus: quinta, nutrimentum. Si non fuerit igitur coitus, non erit conceprio: & ſi non fuerit conceptio, non erit prægnatio: & ſi non fuerit prægnatio, ortus ullo modo non ſequetur. Hæc eſt enim hujus diſpoſitionis directio, quæ ſcil. homini creationi aſſimilatur. Omnipotens enim Creator altiſſimus, magnus, cujus nomen ſemper ſit benedictum, creavit hominem, non ex partibus conſtitutivis, ut eſt domus, quæ ex ſuis partibus conſtat conſtitutivis: Non eſt enim res quæ homini eſſe conſtituat. Domus autem conſtat ex ſuis partib. conſtitutivis: ut eſt paries, tectum, & fundamentum. Hæc enim ſunt partes domus, & res inventæ dicuntur. Homo verò non ſic conſtat: quoniam creatura eſt. Nam homo quum mutatur ejus eſſentia, de re ad rem meliorem tranſire videtur: & ſic ſemper perſiſtit homo in creatione, qui à rebus inventis multum diſtare videtur: & ſic procedit de die in diem, & de menſe in menſem, uſque dum Creator altiſſimus magnus ſuam compleat creaturam, in tempore ſcilicet certo, diebus diffinitis. Quia licet quatuor elementa prius in ſpermate fuiſſent, Creator tamen Deus poſuit illius tempus diffinitum, in quo ſcilicet compleatur: quod quum finitum fuerit, firmatur & ipſa creatura. Talis enim eſt fortitudo & ſapientia Dei altiſſimi. Scire etiam tibi convenit, ò bone Rex, quòd hoc magiſterium nihil aliud eſt niſi arcanum & ſecretum ſecretorum Dei altiſſimi & magni. Ipſe enim hoc ſecretum ſuis Prophetis commendavit: quorum ſcilicet animas in ſuo Paradiſo collocavit. Si autem ſapientes qui poſt illos fuerunt, ſuas expoſitiones de qualitate vaſis in quo conficitur, non inveniſſent, nunquam ad hujus magiſterii perfectionem perveniſſent. Ergo hæc tuæ commenda memoriæ. Oſtendi namque ſuperius, quòd hoc magiſterium non multum diſtat ab hominis creatione: nunc quoque tibi dico quod nunquam fuit animatum aliquid, aut nativitate creatum, neque creſcens, niſi poſt putredinem, & ejus mutationem. Unde ait ſapiens, quòd tota fortitudo hujus magiſterii non eſt niſi poſt putredinem. Ait enim, ſi putridum non fuerit, fundi aut ſolvi non poterit: & ſi ſolutum hoc non fuerit ad nihilum revertetur. Rex Calid: Quidnam erit hoc poſt putredinem? Morienus: Poſt putredinem verò ad hoc deveniet, cum quo omnipotens Deus & omnium creator altiſſimus perficiet quæſitam compoſitionem. Scito itaque quòd iſtud magiſterium duabus indiget creationibus, atque duabus confectionibus, quæ ita ad invicem ſunt connexæ, quòd quando una earum perficitur, altera earum tunc incipit: & quando altera perficitur, totum magiſterium terminatur. Rex Calid: Quonã modo indiget hoc magiſteriũ duabus creationibus atque duabus confectionibus, quum antea dixiſſes ejus rem, ac ejus viam unam & linearem perſiſtere? Morienus: Verum eſt hoc quod dixi: nam totum hoc magiſterium ex re una, & via una conſtat. Ejus namque una diſpoſitio talis eſt, qualis & altera. Rex Calid: Quænam eſt igitur illa diſpoſitio, qua paulò antè dixiſti totum poſſe perfici magiſterium? Morienus: O Rex bone, Deus ad melius te convertat. Hæc eſt illa diſpoſitio, quæ ſcilicet manibus perfici non poteſt. De illius namque difficultate, quamplures ſapientes conqueſti ſunt. Dixerunt namque: Si quis ſua eruditione & labore diſpoſitionem hanc invenerit, facilè totum magiſterium ejus ſcientia perficiet. Qui verò illam ejus labore & eruditione non invenerit, totum magiſterium latebit. Rex Calid: Quænam eſt igitur hæc admirabilis diſpoſitio? Morienus: Si ſapientum dicta diligenter inſpexeris, facilè illam ſcire poteris: de ipſa namque dixerunt: Hæc namque diſpoſitio eſt naturarum mutatio: & earum naturarum calidi & humidi, cum frigido & ſicco ſubtili diſpoſitione admirabilis commixtio, Rex Calid: Quum hæc diſpoſitio hominum non fiat manibus, igitur quænam eſt res ipſa, qua perfici poſſit? Morienus: Hæc autem diſpoſitio fit, ut ait ſapiens, qui dicit, quòd Azoc & ignis Latonem abluunt atque mundificant, & ejus obſcuritatem ab eo penitus eripiunt. Nam & ſapiens ait: Si rectè ignis modum diſpoſueris, Azoch & ignis in hac diſpoſitione, dante Deo, tibi ſufficient. Unde Elbo interfector ait: Dealbate latonem, & libros rumpite, ne corda veſtra corrumpantur. Rex Calid: Hæc autem diſpoſitio eſt ne ante vel poſt putredinem? Morienus: Diſpoſitio putredinem præcedit: ſed ante talem diſpoſitionem nulla penitus eſt. Rex Calid: Quinam eſt ergo? Morienus: tota operatio noſtra non eſt aliud niſi extractio aquæ à terra, & hujus aquæ ſuper terram remiſſio, donec ipſa terra putreſcat. Hæc enim terra cum aqua putreſcit, & mundificatur: quæ cùm mundata fuerit, auxilio divinitatis totum magiſterium dirigetur. Hæc eſt enim ſapientum diſpoſitio: quæ eſt tertia pars totius magiſterii. Hoc etiam te ſcire convenit, quòd ſi corpus immundum perfectè non mundaveris, & illud non deſiccaveris, neque ipſum bene dealbatum reddideris, & in illud animam non miſeris, & ejus omnem fœtorem non abſtuleris, donec poſt ſuam mundificationem tinctura in illud decidat, nihil penitus hujus magiſterii direxiſti. Hoc quoque te ſcire decet, quòd anima citò corpus ſuum ingreditur, quæ cum corpore alieno nullatenus conjungitur. Rex Calid: Creator in noſtro ſemper ſit auxilio. Tu verò ſecundam diſpoſitionem mihi ediſſere: utrum ſcilicet illa ſit finis prioris diſpoſitionis. Morienus: Ita eſt ut dicis: Nam quando corpus immundum, ut jam dictum eſt; direxeris, mitte cum eo poſtea de fermento quartam ſui partem. Fermentum enim auri, aurum eſt: ſicut panis fermentum panis eſt: quod quum in eum miſeris, pone illud in ſole ad decoquendum, donec hæc duo in unum corpus redigantur. Inde verò ſub Dei benedictione illud abluere incipias. Ad illius ergo ablutionem partem unam de re mortifera accipias, quam videlicet per tres dies decoquas: & cave ne de ſuis diebus aliquem aut obliviſcaris, aut minuas. Ejus quoque ignis indeſinenter æqualiter ardeat: ita ſcilicet, quòd neque invaleſcat, neque debilior exiſtat. Sit ergo ejus ignis blandus & mitis, qui per ſuos dies ardendo æqualis perduret aliter maximum ſequetur damnum.

Poſt 17. noctes, vas in quo hæc omnia coquuntur viſites, & aquam quam in eo invenies extrahas, & alteram ei imponas: quod ſcilicet tribus vicibus agendum eſt. Vas autem prædictum fornaci ſuæ

ſemper

semper immobiliter adhæreat, donec totum tempus fermentationis auri compleatur, & donec ad octavam partem suæ tincturæ dirigatur, quod quum post 20. noctes extractum sit, deinde bene desiccatum fuerit. Arabicè hoc Vexir nuncupatur. Inde verò corpus ablutum & præparatum accipias, & super fornacem artificiosè adaptes: ut ibi in suo vase quotidie cum quarta parte rei mortiferæ, quam scilicet tunc tecum habeas, irrigetur; cavendo etiam ne flamma ignis præfatum vas attingat: nam in damnum omnia vertuntur. His igitur omnibus perfectis, prædictum vas in fornace magna artificiosè locetur, & ignis super os ejus accendatur: qui scilicet duobus diebus ac totidem noctibus, ibidem æqualis sine augmento aut sui diminutione ardeat, quibus omnibus expletis, à fornace, cum omnibus quæ in eo sunt, tollitur: quoniam in auxilio Dei expleta est artis iteratio. Rex Calid: Hoc modo quod tu dicis, & nos similiter agemus sitque nomen Domini benedictum. Morienus: O Rex bone, scire etiam te oportet, quòd omnis hujus magisterii perfectio in captura corporum conjunctorum, & concordantium constat. Nam & hæc corpora naturali artificio substantialiter ad invicem conjunguntur, & concordant, & funduntur, & etiam ad invicem recipiuntur. Nam semetipsa ad invicem emendant & dirigunt, ut super fortitudine ignis pulchriora appareant. Quum enim inquisitor sapientiæ horum corporum capturam, & eorum decantationem, eorumque solutionem atque dispositionem necessariam, & eorum mixtionem atque decoctionem perfectè cognoverit, sciat postea eorum ignis quantitatem, & suæ fornacis constitutionem, & sui ignis accensionem, in quo scilicet loco fornacis accendi debeat ignis: numerum quoq; dierum suorum, & eorum ponderum mensuram. Nam si hæc omnia providentia & ratione tractaverit, auxilio divinitatis impleta erit ejus intentio. Omnis igitur festinatio procul ab ipso artifice pellatur, & providentia, & ratio, & firma exspectatio adhibeatur. Quod autem hæc corpora maximè coaptat, sanguis est: nam illa vivificat atque conjungit, & ex istis omnibus unum corpus efficit. Quapropter ignis blandus diutiùs apponi debet, qui in suis diebus semper duret æqualis. Nam calore ignis in corpore citò serpente, festina combustione ipsum corpus consumit. Nam si Eudica eis apponitur, ipsa corpora in terram mutata, ab omni combustione curabit. Nam corpora postquam suas jam non retinent animas citò comburuntur. Eudiça (fex vitri) quidem bene omnibus corporibus convenit: nam ea vivificat & aptat, & ab omni combustione defendit: immittit namq; quædam eorum in aliis, & ista simul post immissa à nimio calore postea defëdit. Et quando eudicam quærere volueris, in vitreis vasis eam quære: quam quum inveneris, eam reconde, neque quicquam cum ea facias, donec acidum fiat: azima non existat: quoniam tua intentio penitùs destitueretur. Terra quoque fœtida citò recipit albas scintillas, & vetat sanguinẽ, ne ille in decoctione damnetur: vis namque sanguinis & ejus fortitudo nimis est magna: quamobrem sanguis est frangendus ne impediat, aut proficiat: quæ quidem fractio fiat postquam fuerit dealbatum, hoc quod de coloribus remansit, nigredinem occupat: coloribus, inquam, venarum priùs effusarum, ex novo esse, quod quidem huic magisterio pertinet: in cujus initio veritatem non videris, est omnino fallax & inutile. Illud quoque hujus magisterii secretum est, quod hic in unum breviter colligi, & collectum tibi exposui: quod videlicet hujus rei pars una, mille partes argenti in aurum purissimum convertit. Hæc ergo quæ jam dicta sunt, ad hoc magisterium tibi sufficiunt. Sed adhuc restat quædam, sine quibus magisterium compleri non potest. Sed & te scire convenit, quod intentio hominis hanc scientiam divinã & puram quærentis aliud arbitrari non decet, nisi donum Dei altissimi & magni, qui eam suis commendat, cujus nomen semper sit benedictum. Sed & tu bone Rex, nunc totus sis mihi mente, ut audias & intelligas ea, quæ tibi nunc dicam. Rex Calid: Dic ut libet: nam & erectis auribus tibi assisto præsens.

Morienus dicit de Nominibus Specierum.

O bone Rex etiam perfectiss. in primis te scire decet, quod fumus rubeus, & fumus citrinus & fumus albus, & leo viridis, & Almagra, & mortis immunditia, & limpidum, & sanguis & eudica, & terra fœtida, sunt ea in quibus tota hujus magisterii constat efficacia: quæ sine his nullatenus rectè tractari potest. Rex Calid: Explana mihi hæc nomina. Morienus: In fine libri exponam ea: quoniam ad præsens de illis, quorum hæc nomina, coram te magisterium conficiam, ut ea quæ jam diximus, per ipsius rei effectum comprobentur. Est enim hæc hujus scientiæ radix, ut scilicet ille, qui eam discere voluerit, ejus doctrinam priùs à Magistro suscipiat, & postea magister coram discipulo suo eam frequenter pertractet. Sunt autem quidam, qui hanc scientiam in venis diu quærunt, neque tamen illam inveniunt. Tu autem semper in his, ut me operari videbis; operare: nec aliud in hoc magisterio quæras, quod si feceris, proculdubio errabis. Sunt autem multa hujus scientiæ obstacula. Nam ut ait Sapiens: Multa distantia est inter sapientem & insipientem; & inter cæcum & videntem: neque enim ille; qui dispositionem hujus magisterii, etiam comprobationem perfectè cognovit, est ut ille qui adhuc in ejus inquisitione per libros persistit. Sunt namque libri sub figura de hac arte compositi, quorum pars major multùm obscura videtur, ac scientia connexa, nec nisi à suis compositoribus potest intelligi. Sed hæc est scientia quæ inter alias maximè inquiri debet, quum per illam, ad aliam magis admirabilem pervenire possimus: Rex Calid: Omnia autem quæ profers vera loqueris; & eorum veritas in sua expositione floruit, & admirabiliter illuxit.

Incipit Dispositio Sapientum, ad aptationem corporis immundi, antequam Elixir super illud mundum durum effectum ponatur, & antequam album efficiatur, & antequam anima in eo mittatur.

Dicit Morienus: Quoniam Elixir nisi à corpore bene mundificato, neque fœtido, ut ejus tinctura quando super eum introivit; formosior appareat, non recipitur: & hæc prima dispositio est. Incipe ergo sub Dei auxilio, & primum fac ut fumus rubeus fumum album capiat, ac deorsum ambos effunde ac conjunge, ita scilicet, ut in eorum commixtione ex utroque par pondus apponatur. Quibus commixtis in vase spisso, juxta mensuram

ferè unius libræ perfectè ponantur: cujus scilicet os cum bitum ne convenienter obturetur. Sunt enim in eis venti, qui si in vase detenti non fuerint, evadent, & sic magisterium annihilabitur: Bitumen verò sit illud, quod in libris Philosophorũ Lutum appellatur. In quo videlicet ante conclusionem modicum salis apponas, unde magis confirmetur, & ignis combustioni diutiùs possit resistere. Inde verò fornacem calefacias, & ea jam calefacta, vas prædictum cum omnibus quæ in se continet in eo sublimetur: quæ scilicet sublimatio post Solis occasum fiat, & ibi donec dies frigescat dimittatur. Postea vas ipsum extrahas, & cum confringas. Quòd si ea quæ intus posueras in unum corpus ad modum lapidis commixta inveneris: accipe illud, & tere bene atque tantarisa: quod quum feceris, aliud vas, cujus fundus sit rotundus, accipe, & hoc jam bene tritum atque bene tantarisatum intus ponè, & os vasis cum bitumine Philosophorum undiq; claudas: inde verò fornacem Philosophorum construas, in qua ignem Philosophicum, more Philosophorum accendas, qui etiam spatio 21. dierum æqualis perduret ardendo: Ignis verò Philosophicus talis est, quòd ejus materia bina partitione partitur. Aut enim ejus materia ex stercore ovino erit composita, aut ex foliis olivarum: nihil enim est quod ignem in combustione æqualem faciat perdurare melius his. Igitur diebus prædictis transactis, præfatum vas à fornace extrahas, & quod intus inveneris exsicca: postea verò ex ea unam partem accipias, & eam cum decem partibus mundati commisceas, & iterum unam partem mundati assumas & eam cum decima parte mundi similiter misceas, & sic deinceps juxta hunc ordinem & numerũ eorum alteri apponatur, ut in unum misceantur, quibus in unum commixtis, fac ex eo Elixir: hoc est, illud dissipa, & si in eo album remanserit, & bene firmatum, neque propter ignis adustionem recessum inveneris, jam duas partes hujus magisterii expleviſti. Hic est igitur modus, quo album cum immundo recentissimè conjungitur, neque præter istũ modum alius invenitur. Anima enim citò corpus suum ingreditur, quã si alieno corpori conjungere studueris, in cassum laborabis. Nam ipsa veritas magis est lucida. Rex Calid: Omnia quæ dicis vera sunt, ut jam nos vidimus: & Deus animas suorum Prophetarum in manu sua recipit.

Incipit Dispositio Secunda ex dictis Morieni Romani, quam cum Calid Rege, filio Egezid, filii Madoya habuit.

DIxit Morienus: Sume fumum album & leonem viridem, & Almagra rubeum, & immunditiam mortui: hæc omnia dissolve: quibus dissolutis, fac ea ascendere, & post ascensionem in unũ conjungere: ita scilicet quòd in unaquaque parte viridis leonis tres partes de immunditia mortui apponantur. Similiter de fumo albo unam facias partem, & de Almagra duas, quæ in vase viridi omnia ponantur, & in eo coquantur. Os autem ejus vasis firmiter, secundùm quod prædictum est, claudatur. Postea verò hoc in Sole ponatur, & desiccetur ibi: & quando desiccatum fuerit, Elixir sibi appone, ac demum pone super eum aquam sanguinis, quanta super eum natet. Post tres dies similiter & noctes riga cum aqua fœtida, cavendo ne de suis diebus aliquem minuas, neque ejus ignis extinguatur, aut ardendo invalescat, aut minuendo ejus adustio minuatur. Transactis igitur septendecim noctibus, prædictum vas aperies, & aquam quam intus inveneris extrahas, & iterum alteram fœtidam aquam in eo reponas: quod scilicet tribus noctibus agendum est, cavendo etiam ne vas ullatenus à sua fornace removeatur: appositò verò aquæ fœtidæ, semel in unaquaque noctium trium, fiat. Inde verò transactis viginti una noctibus, vas à fornace extrahas, & Elixir quod in ea fuerit, desicces, postea corpus album sumas, in quo videlicet album jam fixisti, & ponas cum in vase parvissimo, quod est juxta quantitatem fornacis magisterii, quam postquam construxeris fiat. Inde verò vas illud firmiter fornaci conjunge, ne cum flamma ignis comburat, vel contingat. Elixir quoque quod superius in eo diximus, debet projici taliter, ut si de albo corpore partem ei projeceris, de elixir partes undecim projicias: quibus commixtis super unamquanque hujus corporis commixti unciam, quartam partem unius dragmatis de Eudica solum projicias. Hoc ita facto, in magna fornace hoc vas ponas, & per duos dies, & totidem noctes cum ibi dimittas: super cujus caput ignis per tot dies & noctes non extinguatur. His igitur diebus & noctibus compleris, hoc quod in vase inveneris extrahas, & lauda Creatorem altissimum magnum, super ea quæ tibi tribuit.

Incipit Positio Specierum.

DIxit Morienus: ô Rex bone & sapientissime, hæc est expositio specierum, quæ huic magisterio pertinent, quas scilicet antecessores nostri multis atque diversis nominibus nominabant, ut hi qui hoc magisterium indignè quærerent, contra ipsius veritatem penitus errarent. Scito igitur, quòd immundum corpus est plumbum, quod alio nomine Adrop interpretatur. Corpus verò mundum est stannum, quod alio etiam nomine Arena nuncupatur. Leo viridis est vitrum, Almagra quoque est laton, licet superius eam esse terram rubeam diceremus. Sanguis quoque est auripigmentum, & terra fœtida est sulphur fœtidum. Sed Eudica omnium horum est secretum, quod scil. alio nomine Mosshacumia dicitur, quod quidem Latinè fex vitri, vel vitri immunditia dici potest. Fumus verò rubeus est auripigmentum rubeum. Fumus quoque albus est argentum vivum; & fumus citrinus, est sulphur citrinum. Ecce jam nomina specierum tibi exprimo, quarum tamen tres ad totum magisterium tibi sufficient: id est, fumus albus, & leo viridis, & aqua fœtida. Habes igitur tres species, nec suam confectionem nemini dicas vel detegas: sed sine stultos circa hoc magisterium quælibet alia quærere, & quærendo errare: quoniam ad ejus effectum non pervenient: usque dum Sol & Luna in unum corpus redigantur, quod ante Dei præceptum evenire non potest. Existimant enim quidã, quòd secretum hujus magisterii sit terra, aut lapis, aut vinũ, aut sanguis, aut etiam acetum: & per se hæc omnia terunt, & coquunt, & à sua decoctione extrahunt, & extractũ sepeliunt: quia juxta opinionem suam facere credunt, ut suus error magis confortetur, & ne desperent de hoc, quod quærunt invenire. Sed scito quòd terra & lapis, & hæc omnia ad magisterium sunt inutilia, & malum exitum habentia. Hoc etiam te scire convenit, quòd maxima hujus operis efficacia in suo igne perpenditur: nam cum eo mineræ aptantur, & malæ animæ in suis corporibus retinentur: ejus quoq;

ignis

ignis est tota ejus natura, hujus rei natura atque perfecta probatio. Quicquid etiam ad hoc magisterium effeceris, in cujus principio unum non inveneris, inutile est. Quod namque bonum sperari potest; quum ipsa res non faciat, neque secum in Mundo conficiat? Ita scilicet ut in unum corpus redigatur. Si autem secundum quod diximus, ista tractaveris, auxilio Dei tua complebitur intentio. Quid ergo diximus, tu bene intellige, & intellecta tuæ commenda memoriæ, & juxta suum ordinem illam dispositionem, & in eorum dispositione frequenter stude. Nam ejus frequens studium, viam ejus rectiorem tibi ostendet. Similiter scias, major radix hujus operis est in inquisitione specierum, quæ sunt meliores ad hoc magisterium. Nam unaquæque minera, multorum est generum. De hoc quoque, quod de fumo albo interrogasti, scire te convenit, quòd fumus albus est tinctura, & etiam anima horum corporum solutorum, & etiam mortuorum, quorum videlicet animas jam extraximus, & iterum eas, sui corporibus conjunximus. Nam omne corpus, quando anima caruerit, tenebrosum & obscurum erit: & fumus albus est qui in corpus, veluti anima defluit, ut ejus nigredinem, atque ejus immunditiem ab eo penitùs auferat; & corpora in unum consolidet, & eorum aquam multiplicet. Nam immundum, nigrum est, & multum leve: & ideo quando sua auferetur nigredo, sua albedo confortatur, & sua aqua multiplicatur, ac sua pulchritudo magis erit apparens, & tinctura tunc magis in eo operabitur. Quid plura? Si hæc omnia bene tractata fuerint, tinctura in eo bene operabitur, & exibit ejus aurum purissimum & rubicundum, quô scilicet nullum melius, atque magis purum invenire poteris. Ob hanc igitur causam, hoc aurum à quibusdam aurum, vel Ethees Romanum solet appellari. Hoc etiam te scire volo, quoniam si fumus albus non esset, nullatenus aurum Ethees Alchymiæ purum, sive utile perpetrari posset. Hoc est etiam hujus magisterii capitulum, & quasi tota sua directio. Quod si quando Alchymia confecta fuerit, ejus una pars inter novem partes argenti ponatur, quoniam totum in aurum purissimum convertetur, Sit ergo Deus benedictus Amen, per cûcta seculorum secula.

Explicit Liber Alchymiæ de Arabico in Latinum translatus, annô millesimô centesimô octuagesimô secundô, in mense Februarii & in ejus die undecimô.

SUBSECTIO IV.

GEBRI, *Regis Arabum Philosophi Perspicacissimi* SUMMA PERFECTIONIS MAGISTERII in sua natura; *Ex Bibliothecæ Vaticanæ Exemplari undecunque emendatissimo edita, Cum vera genuinaque delineatione Vasorum & Fornacum. Denique Libri Investigationis Magisterii & Testamenti ejusdem* GEBRI *Additione castigatissimâ.*

Libri primi Summæ de Perfectione Magisterii in sua Naturâ

PROOEMIUM.

NOtam nostram Scientiam, quam ex dictis antiquorum abbreviamus compilatione diversa in nostris voluminibus, hic in summa una redigemus. Et quod in libris à nobis scriptis est diminutum, sufficienter in hâc traditione hujus nostri Libri recompensavimus, & ipsorum defectum supplevimus sermone brevi. Et quod occultum fuit à nobis in parte unâ, manifestum fecimus illud in parte eadem in hoc nostro volumine, ut Sapientibus patefiat complementum tam excellentissimæ nobilisque partis Philosophiæ. Scias ergo charissime fili, in hoc opere, totam artis operationem, in capitulis generalibus, universali disputatione, sine diminutione aliqua sufficienter contineri. Per Deum, qui secundum hunc librum operatus fuerit, verum finem hujus artis adinvenisse lætabitur. Sed scias charissime, quoniam, qui principia naturalia in se ipso ignoraverit; jam multum remotus est ab arte nostrâ: quoniam non habet radicem veram, supra quam intentionem suam fundet. Et qui principia sua sciverit naturalia, & causas omnes: non tamen ADEPTUS est verum finem & proficuum hujus artis occultissimæ, habet tamen facilorem aditum ad artis principia, licet ignorantia cadat super intentionem ejus de modo hujus nostri operis, & hic parum remotus est ab artis introitu. Qui verò sciverit naturæ principia, & causas mineralium, & generationis modum, qui ex intentione naturæ consistit: parum quidem auferetur ab eo de operis complemento: sine quo non potest scientia nostra perfici: quoniam ars in omnibus imitari non potest naturam operis, sed imitatur eam sicut debitè potest. Charissime igitur fili secretum tibi pandimus: quoniam in hoc artifices errant, quia naturam in omnibus proprietatum differentiis actiones imitari desiderant. Labora itaque studere in nostris voluminibus: & ea sapissimè mente tua revolve ut intentionem ex nostræ loquelæ modo veram acquiras, quia in eis invenies, super quo mentem tuam fundare debeas, & scias ex eis errores à te repellere, in quibus imitari naturam possis, in tuis operis artificio.

Ponamus ergo breviter primò impedimenta omnia, quibus in opere impeditur artifex, ne verum finem adipiscatur. Dicemus in eâ quæ artificem hujus artis oportet in se habere: & prius disputabimus contra ignorantes & Sophistas, qui propter eorum ignorantiam & impotentiam hujus artis magisterii proficuum inquirendo, artem interimunt, & ponunt non esse.

Ponamus igitur omnes rationes illorum, & posteà eas evidentissimè destruemus: ita quod prudentibus satis patefiat apertè, nullam illorum Sophisticata veritatem continere. Secundo disputabimus super principia naturalia, quæ sunt de intentione naturæ & ibidem super modo generationis & mixtionis eorum ad invicem ad opere naturæ. Insuper disputabimus consequenter super effectus secundum antiquorum Philosophorum sententiam. Quartò verò narrabimus Principia quæ sunt ad intentionem hujus nostri operis: in quibus imitari naturam possumus, & modum permiscendi & alterandi, secundum cursum naturæ cum causis ad intentionem nostri operis reducendis.

CAP. I.

De Impedimentis quibus impeditur hujus operis Artifex.

SUnt ergo impedimenta huic operi superveniencia duo Naturalis impotentia, & impensæ necessariæ defectus vel occupationis laboris.

Naturalem tamen impotentiam multiplicem esse dicimus. Ex parte scilicet organi ipsius artificis, & ex parte ipsius animæ. Ex parte autem organi artificis multipliciter: quia scilicet organum sit debile aut ex toto corruptum. Ex animæ verò impotentia multipliciter: vel quia sit anima perversa in organis, propter organa nil rectitudinis vel rationis in se habens: sicut anima insani, vel fatui. Vel quia sit fantastica, contrariarum formarum facilè susceptiva indebitè: & de uno scibili ad ejus oppositum extensiva subitò, & de uno universali ad ejus oppositum verisimiliter.

CAP. II.

De Impedimentis ex parte Corporis.

IAm tibi generaliter determinavimus hujus operis impedimenta. Nunc verò specialiori sermone te alloquimur in hoc capitulo, & magis apertè, & narrabimus tibi omnia illa impedimenta plenissimè & seriatim. Dicimus igitur, quòd si non habuerit sua completa organa, non poterit ad hujus operis complementum pervenire, velut si cœcus fuerit, vel in extremis detruncatus, quoniam non juvatur à membris, quibus ars ista perficitur, tanquam naturæ ministrantibus. Si verò fuerit artificis corpus debile & ægrotum: sicut febricantium vel leprosorum corpora, quibus membra cadunt, & in extremis vitæ laborantium, etiam ætatis decrepitæ senium, ad artis complementum non perveniunt. His igitur naturalibus corporis impotentiis impeditur artifex in intentione sua.

CAP. III.

De Impedimentis ex parte Animæ.

PRæmisimus tibi capitulum unum, in quo narravimus sermone absoluto manifesta impedimenta ex parte corporis artificis dependentia. Restat nunc narrare impedimenta ex parte animæ, quæ maximè sunt impedimenta contra hujus complementum operis.

Dicimus igitur, quòd, qui non habuerit ingenium naturale, & animam perscrutantem subtiliter principia naturalia, & naturæ fundamenta: & artificia, quæ consequi naturam possint in suæ actionis proprietatibus, non inveniet hujus scientiæ precioſissimæ veram radicem: sicut sunt multi qui duram habent cervicem, & omni perspicatione ingeniosâ vacuam: qui & vix communem intelligere queunt rationem, & opera similiter vulgò communia cum difficultate discunt negociari. Ab his etiam multos invenimus, animam habere facilem opinantem fantasiam quamlibet. Sed quòd credunt verum invenisse, fantasticum est totum, rationi devium, & errore plenum, & semotum à principiis naturalibus, quoniam eorum cerebrum, multis repletum fumositatibus, non potest recipere veram rerum naturalium intentionem. Sunt etiam præter istos alii, qui mobilem habent animam de opinione in opinionem, & de voluntate in voluntatem, sicut qui modò credunt hoc, & idem volunt, sine rationis ullius fundamento post illud verò parum: & illud aliud credunt similiter, & aliud volunt, & hi tàm mobiles sunt, ut vix minimum ejus ad quod intendunt possint consumere, sed diminutum potius illud relinquunt. Sunt similiter & alii, qui aliquam non possunt videre veritatem ex rebus naturalibus plusquam bestia, velut mente capti & insani & pueri. Sunt & alii; qui contemnunt scientiam, & ipsam non putant esse: quos similiter scientia contemnit, ipsosque ab hujus prætiosissimi fine operis repellit. Et sunt alii servi pecuniæ, qui desiderantes hanc scientiam, mirabilem ipsam affirmant veram, sed ipsa dispendia interponere timent. Ideoque licet ipsam affirment, & secundum rationem ipsam investigent, tamen ad operis experientiam non perveniunt propter pecuniæ avaritiam. Ad hos igitur non pervenit scientia nostra. Qualiter autem qui ignoraverit vel sciētia investigare neglexerit, ad ipsam perveniet.

CAP. IV.

De Impedimentis fortuito casu supervenientibus.

REduximus ad duo capitula impedimenta hujus artis, omnia finem retardantia, quæ sunt ex principiis radicalibus, secundum naturam artificis hujus pretiosi negotii. Expedit ergo tantum narrare impedimenta exteriùs supervenientia, ex contingentibus fortuitis & casibus, quibus impeditur hoc opus glorioſum. Vidimus ergo quosdam astutos, & ingenioſos, minimè ignorantes opera naturæ, & ipsam in quibus est possibile, sequentes principiis, & operibus, quibus est investigatio non fantastica in omnibus rebus, quæ naturæ regulantur actionibus infra lunarem circulum. Hi tamen ultima paupertate depressi, ex dispensationis indigentia, hoc tam excellentissimum magisterium coguntur postponere. Sunt & multi alii (præter nunc dictos) curioſi, variis hujus mundi curis & solicitudinibus detenti, se omni negotio seculari totos occupantes, à quibus hæc nostra scientia pretioſa refugit. Jam ergo tibi satis ex præmisis capitulis patet, quæ sint ab hac arte retrahētia impedimenta.

CAP. V.

De his quæ oportet Artificem considerare.

COncludimus igitur ex prædictis, quòd oportet artificem hujus operis in scientiis Philoſophiæ naturalis eruditum esse & provectum, quia quantumcunque ingenium naturaliter profundum habuerit, & desiderium in hoc artificio & Philoſophiam adeptus fuerit naturalem, non tamen ipsius finem acquiret nisi ex doctrina, quia quod per ingenium naturale non adipiscitur, hujus defectui per doctrinam subvenitur. Oportet etiam altissima perscrutatione, & industriâ naturali artificem juvari. Per doctrinam enim, quantamcunque scientiam acquisiverit, nisi ab industriâ juvetur naturali, ad epulas tàm pretioſissimas non invitabitur. In puncto enim errorem suum emendaret per suam industriam, cui remedium ignoraret adhibere, si sola doctrina fundatus foret. Et errori suo similiter subveniret in puncto ex acquisita scientia per doctrinam, quæ per solam naturalem industriam evitare non posset: quoniam ars ab ingenio juvatur, &ingenium ab arte similiter. *Et ipsum similiter necessarium est constantis voluntatis in opere fore, ut non modo hoc, modò illud attentare præsumat, quia*

quia in rerum multitudine ars nostra non perficitur. Est enim lapis unus, medicina una; in quo magisterium consistit. Cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus, *nisi quia in præparatione ejus superflua removemus.* Oportet igitur ipsum sedulum operi usque ad ipsius consummationem insistere, ut non opus detruncatum dimittat: quia nec scientiam nec proficuum ex opere diminuto acquiret, sed potius desperationem & damnum. Expedit etiam ipsum hujus artis principia, & radices principales, quæ sunt de esse operis non ignorare: quia, qui principia ignorat, finem non inveniet. Et nos dicemus tibi principia illa omnia sermone completo, nec non & prudentibus sufficienter aperto & manifesto, secundum hujus nostræ artis exigentiam. Expedit ergò similiter temperatum & parcum in ira esse, ne subitò propter iræ impetum, jam incepta dissipet & destruat. Similiter & pecuniam suam custodiat, ne præsumptivè eam vanè distribuat: ut si fortè artem non invenerit, relinquatur in miseria & desperatione paupertatis. Vel ne fortè, cum jam ad finem per suam indagationem approximaverit, consumpta sint ipsius dispendia, & verum finem miser violenter ex paupertate relinquat, sicut, cum in principio, qui ignorant, suum thesaurum totum extetminant. Cum autem hi ad fines fuerint, non habent uiterius ex quo laborent. Undè dicitur hi tales in mœrore sepeliuntur: & quia pecuniam suam dissipaverunt in rebus inutilibus & quia scientiam (quam protinus indagassent) nobilissimam amittunt. Non enim oportet tua bona consumere, quoniam vili pretio, si artis principia non ignoraveris, quæ tibi tradidimus, & rectè intellexeris, ad complementum magisterii pervenies. Si igitur æstuum perdideris: non attendendo nostra monita quæ tibi in hoc libello scripsimus aperta & manifesta: non nos iniquè corrodas, nec nobis blasphemias inferas, sed tuæ imputa ignorantiæ & præsumptioni. Non igitur hæc scientia benè convenit paupe.i, vel indigenti: sed potius est ei inimica & adversa. Nec etiam adinvenire nitaris sophisticam operis metam: sed soli sis complemento intentus: quoniam ars nostra in potentia Dei servatur, & cui vult eam largitur & subtrahit, qui est gloriosus, & sublimis, & omni justitia & bonitate repletus.

Fortè enim ex sophistici vindicta operis tibi artem denegaret, & in devio erroris te detruderet, & ex errore in infelicitatem & miseriam perpetuam. Miserrimus enim & infelicissimus est, quem Deus post operis sui atque laboris finem, veritatem denegat conspicere: quoniam vitæ suæ spatium semper in mœrore concludit & terminat. Hic enim in labore constitutus perpetuo, omnique infortunio & infelicitate obsessus, totam hujus seculi consolationem, gaudium, & delectationem amittit, & vitam suam in mœrore sine proficuo consumit. *Studeas similiter, cum in operé fueris omnia signa, quæ in qualibet decoctione apparent, in mentem sigillare, & illorum causas inquirere.* Hæc igitur sunt, quæ necessaria sunt artifici ad artem nostram idoneo. Si verò alterum eorum, quæ narravimus defuerit, huic arti non adhæreat.

CAPUT VI.

De persuasionibus Sophistarum.

QUoniam in summa hujus nostri libri jam præmisimus omnia hujus operis impedimenta, & doctrinam tibi dedimus ad artis adhærentiam sufficienter, expedit nos secundum nostri propositi intentionem contra Sophistas & ignorantes disputare. Primò ipsorum rationes ponendo; secundum quod promisimus in principio nos determinaturos esse. Ultimò verò, eas omnes imitando manifestâ ostensione demonstrare sapientibus nil veritatis continere. Sunt autem diversi qui eam negant & destruunt. Alii quidem simpliciter: alii verò ex datis à supponente causa reprobare nituntur. Sunt enim aliqui asserentes Artem non esse, ut prædiximus, simpliciter suam opinionem sophisticè taliter roborantes. Distinctæ sunt rerum species & diversitates, quia diversæ sunt & distinctæ elementorum ad invicem in commixtione proportiones. Est enim asinus diversus ab homine in specie, quia multo diversam habuit elementorum in sui compositione proportionem: sic & in cæteris rerum diversitatibus est inducere, ergo & in mineralibus. Ignota igitur miscibilium proportione, qua adipiscitur forma & rei perfectio, quomodo mixtum vel miscendum formare scientes: sed ignoramus solis, Lunæ, nec non elementorum proportionem: ergo formare ipsa ignorare debemus. Ex his igitur concludunt, mutilis est ars ista & impossibilis. Similiter etiam aliter arguunt magisterium nostrum interimentes: dicunt enim: & si proportionem elementorum scires, modum tamen mixtionis ad invicem eorum ignoras: quoniam in cavernis & mineris & absconsis locis, hæc natura procreat: ergo cum modum mixtionis eorum ignoras, & hoc facere singulariter ignoras. Iterum similiter arguunt: Etsi hoc debitè scires, in mixtionis tamen actione ignorares calorem æquare agentem, quo mediante res ista perficitur. Certam enim habet natura caloris quantitatem, qua metalla in esse producit cujus mensuram ignoras. Similiter & alias naturæ causarum differentias agentium ignoras sine quibus non posset natura intentum perficere: his ergo ignoratis, & totus similiter agendi modus artis ignorabitur. Præterea rationem in experientia tibi adduco. Tàm diu est enim à viris sapientibus hæc perquisita scientia, quoniam si possibile esset ad eam per aliquam viam perveniri, jam millies complevissent. Similiter etiam, cum Philosophi non sint in suis voluminibus ausi eam tradere, nec in eis veritatem reperiamus manifestam: satis per hoc est probabile, hanc scientiam non esse. Similiter etiam multi hujus mundi Principes & Reges, thesaurum infinitum & Philosophorum copiam habentes, hanc artem adinvenire desideraverunt: non tamen ad hunc pretiosissimæ artis fructum pertingere potuerunt, hoc utique satis sufficiens est argumentum, quòd ars sit frivola. Similiter etiam in debilibus mixtionibus specierum qui naturam non possumus, quoniam in formando asinum secundum naturam organizatum, sequi naturam non valemus. Asinum enim fingere ignoramus, & consimilia, quorum mixtiones sunt debiles & manifestæ quasi sensibus: quare & multò magis metallorum mixtionem, quæ est fortissima, ignorabimus; quæ est etiam nostris sensibus & experientiis occultata penitus: cujus signum est difficultas resolutionis metallorum ex ipsis. Similiter etiam non videmus bovem in capram transmutari, nec aliquam aliam speciem in aliam per artificium reduci. Quomodò igitur, cum metalla differant specie, niteris ad invicem secundum speciem transformare, ut de tali specie talem speciem facias. Absurdum satis hoc nobis videtur, & à veritate datâ & à principiis naturalibus semotum. Similiter etiam in millibus annorum natura metalla perficit,

quomodo & tu in artificio transmutationis per annorum millia durare poteris? cùm vix annorum centum ætatem pertingere valeas. Si tamen ad hoc utique taliter fuerit responsum, quia quod non potest natura perficere in maximo temporis spatio, in brevi per artificium nostrum implemus: quoniam artificium in multis naturæ defectum complet. Dicimus, quia hoc impossibile est in metallis, maximè cùm sint fumi subtilissimi, qui temperata decoctione indigent, ut in se ipsis secundum gradum æqualitatis inspissetur humiditas, & non fugiat ab eis, & relinquat ipsa omni humiditate privata. Similiter, concussionem & extensionem suscipiunt. Si igitur per artificium tuum volueris tempus decoctionis naturæ in mineralibus & metallicis corporibus abbreviare, oportebit per excessum caloris hoc facere, qui non æquabitur, sed potius humiditatem dissolvendo, ex eorum corporibus dissipabit & destruet. Solus enim temperatus calor humiditatis est inspissativus, & mixtionis perfectivus non excedens. Similiter etiam esse, & perfectio datur à stellis, tanquam à primis moventibus & perficientibus naturam generationis & corruptionis ad esse, & non esse specierum. Hoc autem fit subitò & in instanti cùm pervenerit una stella, aut plures ex motibus ad situm determinatum in firmamento, à quo datur perfectionis esse: quia unaquæque res ex certo situ stellarum, acquirit sibi esse in momento & non est solus unus situs, immò plures & sibi invicem diversi, quemadmodum ipsorum effectus sunt diversi. Et horum diversitatem & distinctionem adinvicem pernotare non possumus, cùm nobis sint ignoti & infiniti. Quomodo ergo supplebis defectum in opere tuo, cùm tu ignores diversitatem situs stellarum & motus earum, & tamen si situm unius, aut plurium stellarum certum, quo datur metallis perfectio scires, non tamen opus ad inceptum tuum perficeres. Non enim est alicujus operis præparatio ad suscipiendum formam per artificium in instanti, sed successiva: ergo operi forma non dabitur, cùm non sit in instanti. Similiter etiam in rebus naturalibus iste est ordo: quoniam facilius est destruere quàm construere: sed vix aurum possumus destruere: quomodo ergo id tam cito construere possumus? Propter has igitur rationes prædictas sophisticas & alias ab his minus apparentes, credunt hanc artem divinam interimere. Hæ omnes persuasiones prædictæ sunt Sophistarum, artem nostram simpliciter fore negantium. Rationes verò eorum, qui ex suppositione negant artem, ponam cum destructionibus illarum in sequenti capitulo. Dehinc verò ad harum interemptionem nunc positarum, transeundum à nobis est: prius ponentibus nobis super his veram intentionem ad operis complementum.

CAP. VII.

De Principiis naturalibus super quæ actiones suas fundat Natura.

Dicimus utique, quòd principia super quæ actionem suam Natura fundat, sunt durissimæ compositionis atque fortissimæ: & sunt Sulphur & Argentum vivum (ut dicunt quidam Philosophi) igitur quia sunt durissimæ compositionis & difficillimæ resolutionis, sed inspissatio eorum adinvicem, & induratio taliter, quod fiat in eis contusio & extensio per malleationem, & non confractio, non est nisi per hoc, quod humidum viscosum in eorum adinvicem commixtionem salvatur per successivam & diuturnam inspissationem, & per temperatissimam in minera decoctionem. Sed regulam tibi tradimus fili generalem, quoniam non fit inspissatio alicujus humidi, nisi prius fiat ex humido partium subtilissimarum exhalatio, & conservatio ex humido partium magis grossarum, ut sit humidū in permixtione superans siccum. Et sic admixtio sicci & humidi, ut humidum temperetur à sicco & siccum ab humido, & fiat hæc substantia una in suis partibus omniomera, id est, in suis partibus homogenea & temperata inter durum & molle, & extensiva in concussione. Sed hoc non fit nisi per diuturnam mixtionem humidi viscosi & subtilis terrei per minima quousque humidum idem cum sicco, & siccum idem cum humido fiat. *Et hujus subtilis vaporis non fit resolutio subita, immo paulativa, & in millibus annorum, & illud ideo, quoniam uniformis est principiorum substantia natura.* Si igitur subitò fieret ab eis superflui humidi resolutio, cum non distet humidum à sicco propter fortem mixtionem, resolveretur utique humidum cum sicco, quare totum in fumum evaneseeret: neque separari posset humidum à sicco in resolutione, propter fortem unionem, quam habent utique ad invicem. Hujus utique vidimus manifestam experientiam in spirituum sublimatione: quoniam cum in eis per sublimationem fiat subita resolutio, non separatur humidum à sicco, nec siccum ab humido, ita quòd dividantur in partes taliter mixtiones eorum: sed tota ascendit eorum substantia, aut parum ex eorum componentibus dissolvitur. Resolutio ergo humidi subtilis fumosi successiva, & diuturna, & æqualis, est causa inspissationis metallorum. Hanc quoque facere non possumus inspissationem per hunc modum. Ergo in hoc sequi naturam non valemus. Non enim possumus naturam in omnibus proprietatum differentiis imitari.

CAP. VIII.

De solutionibus ad persuasiones Sophistarum.

Nostra igitur intentio non est in principiis naturam sequi, nec in proportione miscibilium elementorum: nec in modo mixtionis ad invicem ipsorum: neque in æquatione caloris inspissantis, cum omnia nobis sint impossibilia, & penitus ignota. Restat ergò rationes Sophistarum interimere, hanc excelsam artium negantium posse esse. Si dixerint ergo nos proportionem elementorum, & modum mixtionis illorum ad invicem & æquationem caloris metalla inspissantis: causasque alias multas & accidentia naturæ actionem continentia ignorare: concedimus eis utiquè: sed non propter hoc nostram scientiam divinam interimunt: quoniam nec scire volumus illa, nec possumus, nec ad opus nostrum possunt pervenire. Sed ad hoc nobis principium assumimus, aliumquè generationis metallorum modum, in quibus sequi naturam possumus. Si dixerint etiam Philosophos, & Principes hujus mundi hanc desideraſſe scientiam, & eam non invenisse. Respondemus eos mentiri: quoniam quosdam Principes, licet paucos, & maximè antiquos & sapientes & nostro tempore repertos: jam ex sui industria hanc legimus indagasse scientiam. Sed talibus nec ore, nec scriptis eam tradere voluerunt, cum indigni sint. Ergò quia non viderunt aliquos hanc scientiam possidere, cecidit super eorum mentes error, ut æstiment nullos

los hanc inveniſſe ſcientiam. Ad hoc etiam arguunt fantaſticè; aſſerentes impotentiam noſtram non poſſe ſolùm in debilibus mixtionibus naturam imitari, ſicut in mixtione aſini vel bovis, ergo nec in fortibus; Dicimus eſſe errorem ſuum multiplicem, quia in arguendi modo non cadit neceſſitas, quâ coerceamur artem noſtram non eſſe concedere: quia per locum à ſimili, vel à majori ſuam corroborant fantaſiam & errorem, in quibus non continetur neceſſitas, ſed contingentia ut in pluribus. Oſtendimus quoquè per aliam viam, demonſtrando illos nullam aſſignare apparentem ſimilitudinem, inter debilem mixtionis compoſitionem animalium, & mineralium formarum firmam & fortem, & hæc ideò, quoniam in animalibus & aliis viventibus, in quibus compoſitio eſt debilis, non eſt perficiens ſolùm proportio: nec miſcibilia proportionis, neque qualitates miſcibilium, nequè mixtio quæ ſequatur ex illarum actione ad invicem, & paſſione, quæ eſt ex aggregatione illarum qualitatum: ſed eſt anima, ſecundùm opinionem plurium, quæ eſt ab occultis naturæ, ſicut ab eſſentia quinta, vel à primo motore: & hoc etiam ſecundùm ſententiam plurium dicimus, & hujus occultum ignoramus. Ideò & hæc talia, licet in eis ſit debilis mixtio: perficere tamen neſcimus, quia perfectivum, quod eſt anima, infundere ignoramus. Per hoc utiquè patet: quoniam eſt defectus non ex parte mixtionis, quòd non perficiamus bovem vel capram: ſed ex defectu infuſionis animæ, quoniam ſic debilem & magis debilem, ſic fortem & magis fortem compoſitionem facere, ſecundùm viam & curſum naturalem imitantes artificium noſtrum ſciremus. In metallis igitur perfectio minor eſt quàm in eis: & verſatur illorum perfectio magis circa proportionem, & compoſitionem, quàm circa alia. Ideò cum in eis minor ſit perfectio, quàm in aliis quæ narravimus, liberiùs ipſa perficere poſſumus: illa verò non. Diverſificavit enim Deus altiſſimus, & glorioſus perfectiones ad invicem multiformiter. In quibus enim compoſitio, quæ eſt ſecundùm naturam, fuit debilis: in illis majorem & nobiliorem perfectionem poſuit, quæ eſt ſecundum animam. Sed quædam fortioris addidit compoſitionis, & firmioris, ſicut lapides & mineralia, ſed in eis poſuit minorem perfectionem, & ignobiliorem, & quæ eſt ex mixtionis modo. Patet igitur quòd non eſt eorum ſimilitudo bona: quia non ignoramus bovem vel capram fore non ratione compoſitionis, ſed formæ perfectæ, quoniam perfectio in bove vel in capra nobilior eſt & magis occulta eâ, quæ in metallis conſiſtit. Similiter autem & aliter arguunt, quoniam non mutatur ſpecies in ſpeciem. Dicimus ergò eos mentiri iterum, ſicut conſueverunt ſæpiùs aliud quàm verum dicere ſuper his, quoniam ſpecies mutatur in ſpeciem ſecundum hanc viam, cum individuum ſpeciei unius in alterius ſpeciem mutatur. Vide„ mus namquè vermem, & naturaliter, & per arti„ ficium naturæ in muſcam mutari, quæ ab eo dif„ fert ſpecie: & vitulum ſtrangulatum in apes „ tranſmutari: & frumentum in lolium, & carnem „ tranſmutari in vermem per ebullitionis putrefa„ ctionem. Sed hoc non facimus nos, facit autem „ natura cui miniſtramus: ſimiliter & metalla non „ mutamus, ſed natura cui per artificium aliquam „ materiam præparamus, quoniam ipſa per ſe agit, „ nos autem adminiſtratores ejus ſumus. Et ſi per „ aliam rationem taliter arguunt, & ſuam corroborent ſophiſticè opinionem: ſcilicet quòd in millibus annorum natura metalla perficit, tu verò in millibus annorum durare non potes. Dicimus, quoniam natura ſuper principia ſua (ſecundùm opinionem antiquorum Philoſophorum) agens perficit in millibus annorum: ſed quia principia illa ſequi non poſſumus, ideò ſive in millibus, ſive in pluribus, ſeu in paucioribus, vel in momento hoc natura perficiat, non tenet eorum perſuaſio: quia in ſuis principiis imitari naturam non poſſumus nec volumus. Videmus enim quòd in millibus annorum natura non decoquit lapides in calcem, quod tamen facit homo in brevi tempore ſuo ingenio naturali per accidentalem calorem. Ideò namque in metallis depurandis ingenio & artificio hominis reducuntur ipſa ad puram & nobiliorem ſubſtantiam in brevi tempore quòd natura eorum defectus tàm citò ſupplere non poteſt: Jam ex præcedenti negante ſermone abbreviato determinavimus, & completiori ſermone in ſubſequentibus demonſtrabimus. Secundùm tamen opinionem aliquorum evidentium & perſpicacium naturæ intentum ſuum ſubitò perficit ſcilicet uno die, vel breviori tempore. Et ſi hoc verum ſit, non tamen valemus in ſuis principiis naturam imitari, quod manifeſtius oſtenſione demonſtrabimus. Reſiduum tamen quæſtionis confitemur, quòd totum verum credimus eſſe. Et ſi dicant, quod ſi à ſitu unius vel plurium ſtellarum datur metallis perfectio, quam ignoramus. Dicimus hunc ſitum nos ſcire non expedire: quoniam non eſt ſpecies generalium & corruptibilium: quin ex individuis ejus alicujus fiat generatio & corruptio omni die: per quod patet ſitum ſtellarum eſſe omni die perfectivum cujuslibet ſpeciei individuorum & corruptivum. Non ergo neceſſarium eſt ſtellarum ſitum expectare, eſſet tamen utile: ſed ſufficit ſolùm naturæ diſponere, ut ipſa quæ ſagax eſt, diſponat ſitibus convenientibus mobilium corporum. Non enim poteſt natura perficere ſine motu & ſitu mobilium. Undè ſi naturæ artificium diſpoſueris, & conſideraveris quæcunque, ex contingentibus hujus magiſterii fiunt, debitè perficientur ſub debito ſitu, per naturam ſibi convenientem, abſque conſideratione illius. Videmus enim cum vermem ex carne, vel aliquo animali putreſcibili deductum in eſſe deſideramus, quod non conſideramus immediatè ſitum ſtellarum, ſed diſpoſitiones aëris circumſcribentis & alias cauſas putrefactionis perfectivas præter illum. Et ex tali conſideratione ſufficienter ſcimus vermes ſecundum naturam in eſſe producere. Natura enim ſibi invenit convenientem ſitum, licet à nobis ignoretur. Et ſi dicant perfectiones in inſtanti dari, perfectionem autem noſtram non in continenti perficimus, concludunt ex hoc, non ergo perficietur per artificium hujus artis. Dicimus capita illorum vacua fortè ratione humana & magis beſtiis quàm viris aſſimilari. Concludunt enim ex præmiſſis, nullam in ſe habentibus habitudinem ad id, quod illatum eſt. Tantùm enim tenet hæc argumentatio. Aſinus currit, ergo tu es capra, quantùm & ſua. Et hoc ideò, quoniam ſi non fiat præparatio in inſtanti, non prohibet tamen hoc forma vel perfectio, quòd non poſſit præparatio dari in inſtanti. Non enim præparatio eſt perfectio, ſed habilitatio ad ſuſcipiendam formam. Si dicunt etiam, quòd faciliùs ſit res naturales deſtruere, quàm conſtruere illas per artificium, & vix aurum poſſumus deſtruere: conclu-

dunt ergo impossibile esse construere illud. Respondemus eis taliter; quoniam non concludunt de necessitate: quâ coerceamur aurum non posse construi credere. Nam quod difficulter construitur, difficulter destruitur: non autem impossibile ipsum non posse construi Hujus autem assignavimus causam, quia fortem habuit compositionem: ideo difficiliorem habuit resolutionem: ideoquè difficulter destruitur. Et hoc est, quod facit eos opinari impossibilem esse illius constructionem, sed quia ignorant ipsius compositionem naturalem, ideò illius destructionem & constructionem artificialem ex cursu naturæ ignorant. Attentaverunt tamen fortè, quod sit fortis compositionis: sed quantæ fortitudinis compositionis sit non attentaverunt.

CAPUT IX.

De rationibus negantium Artem à datis.

SUfficienter itaquè, charissime fili, Sophistarum phantasias retulimus. Restat ergo ex quo te attentum promissione fecimus secundùm viam promissionis ad ea, quæ determinanda sunt ex ratiocinationibus artem negantium à datis transire. Quæcunque tamen determinata sunt principia, sunt de intentione naturæ: quorum essentia in nos oportet disputare sufficientiùs in sequentibus. Post illam verò determinationem & de ipsis sermonem faciemus, prout sunt principia hujus nostri magisterii. In prima tamen traditione, singularem de unoquoquè principiorum faciemus sermonem, in sequenti verò universalem. Ex nunc verò ad præsens rationes negantium à datis & ipsarum intentiones imprimis afferamus. Hanc utiquè artem supponentes multipliciter ex intentione diversâ fore comperimus. Alii quidem in Spiritibus. Alii in corporibus. Alii in Salibus & Aluminibus, nitris & Bauraciis. Alii verò in omnibus rebus vegetabilibus hanc inveniri artem & magisterium affirmant. Ex his autem omnibus, hi quidem secundùm partem benè & secundùm partem malè. Hi verò secundùm totum malè hoc divinum magisterium æstimantes, illud posteris tradiderunt. Ex ipsorum autem errorum multiplicationibus veritatem nos collegisse difficiliùs & laboriosæ cautelæ conjecturâ, longáque ac tædiosâ experientiâ, multorum sumptuum interpositione contigit, & illorum error, per nostræ mentis rationem sæpissimè militavit, & desperationem adduxit. Blasphemati sint igitur, quia in æternum blasphemias posteris reliquerunt ex errore suo, & maledictionem super philosophantes profuderunt & non veritatem, sed diabolicam instigationem post mortem ipsorum dimiserunt. Et ego etiam blasphemandus sim, nisi errores ipsorum corrigam, & veritatem tradam in hac scientia, prout melius exigit hæc ars nostra. Hoc enim magisterium occulto sermone non eget, sed penitùs manifesto. Trademus igitur ipsum sermone tali, quem latere prudentes non accidet. Hic autem mediocribus profundissimus erit: fatuis autem utrosque terminos miserabiliter concludet in hac unâ & eâdem nostrâ traditione. Redeuntes igitur ad propositum dicimus, quod qui in spiritibus eam esse ponunt, sunt diversi multipliciter. Alii quidem ex Argento vivo. Alii verò ex Sulphure, & huic affini Arsenico scilicet, lapidem Philosophicum perquiri asserunt necesse esse. Et ab his quidam ex Marchasita, quidam ex Tutia & Magnesia. Alii ex Sale Armoniaco. Qui verò in corporibus. Alii in Saturno. Alii in quolibet aliorum corporum esse dicunt. Alii quidem in Vitro. Alii in Gemmis. Alii in diversitatibus Salium & Aluminum & Nitrorum & Bauracium. Et alii in omni genere rerum vegetabilium, & horum unicuique supponenti est adversarius secundum suam suppositionem. Et his adversans credit se arti simpliciter adversari. Et secundùm plurimum utraque secta rationibus est vacua.

CAPUT X.

De supponentibus in Spiritibus Artem fore.

QUidam igitur supponentes eam inveniri in Sulphure, laborem impenderunt, & ignorantes ejus præparationis perfectionem, ipsam perfectionem diminutam reliquerunt. Crediderunt enim solam mundationem & purificationem perfectionem præparationis esse, hoc autem per sublimationem fit: ideoquè adductum est intentioni eorum, ut æstiment, quòd sola sublimatio in Sulphure sit perfectio præparationis in ipso, & similiter in suo compari scilicet Arsenico æstimantes induxerunt. Venientes igitur ad projectionem, quæ est intentio alterationis, viderunt illud aduri & evanescere, & in corporibus longam moram non contrahere, & corpora relinqui ab eis magis immunda, quàm prius fuerint sine projectione illius. Quia ergo viderunt hanc delusionem in sui operis complemento, & longissimis fuerit temporibus revolutum in illorum pectoribus ex solo Sulphure hanc scientiam reperiri, & in illo non inveniissent: arguunt etiam non posse in alio hanc inveniri. Quare cum nec in hoc, nec in ullo alio inveniant, arguunt eam nusquam inveniri. Respondentes utiquè eis breviter dicimus, eos in hoc parùm sentire & minimè sapere, quia supponunt solum Sulphur esse medicinam nostram: & si hæc tamen esset vera suppositio: in modo tamen præparationis sunt decepti, quia solam sublimationem credunt sufficientem esse. Sunt enim tanquam puer ex principio nativitatis suæ usque ad senectutem in domo conclusus, non putans mundi latitudinem extendi ultra domum vel ultra quàm oculis suis possit conspicere. Non enim hi in multis lapidibus laborem suum adhibuerunt: non igitur potuerunt sentire ex quo medicina nostra eliciatur, & ex quo non, & ideò manus suas etiam à laborum copiâ excusaverunt, quid enim laborum perfectivum sit non meritò ignorare debuerunt. Sed quare fuerit opus illorum diminutum dicimus, quia adurentiæ naturam in Sulphure dimiserunt & fugam, quare ipsi dissipant & destruunt. Alii verò in ipso & suo compari lapidem inveniri æstimantes necesse esse, & profundiùs ad operis consummationem accedentes: non solùm per sublimationem mundaverunt adurentiam Sulphuris, verùm etiam movere conati sunt relictam in eo fugam: ad quorum perfectionem similiter delusio pervenit, quia non adhæsit stabiliter in ipsis corporibus, sed successivè & paulativè evanuit, relicto corpore in sua prima dispositione. Qui & etiam similiter interimentes arguerunt ut primi, & eisdem ut primis respondentes artem affirmamus, & eam scimus esse, quia veritatem vidimus & tetigimus. Alii quia profundius in ipso viderunt, mundaverunt eum, & ejus fugam & adustiones abstulerunt & factum est eis fixum & terreum, nullam dans ignis calore fusionem bonam, sed solùm vitrificatoriam,

& ideò

& ideò non potuerunt in projectione corporibus permiscere, ideò arguunt ut primi, & nos eisdem respondemus ut primis, quia opus diminutum dimiserunt, nec illiud complere sciverunt. Ingressionem enim quæ est perfectivum, ultimum inquirere ignoraverunt. In omnibus similiter spiritibus est idem præparationis modus, nisi quod in Argento vivo, & Tutiis excusamur à majori labore, qui est ex remotione adustionis, hæc enim sulphureitatem adustibilem & inflammabilem non habent, sed solam fugam. Magnesia verò & Marchasita omne genus sulphureitatis habent: plus Marchasita, minùs verò Magnesia, fugam tamen omnes habent, plus tamen Argentum vivum, & Armoniacum Sal, minùs verò Sulphur, adhuc verò minùs & compar illius, quarto verò adhuc minùs Marchasita, quinto verò & Magnesia minùs, sexto verò & ultimò minimè omnium Tutia. Utraquè tamen fuga participans est, alia tamen plus, & alia minùs, & ideò propter eorum fugam quibusdam supervenit experimentatoribus delusio vehemens, in eorum operationibus præparationum, & in ipsorum projectionibus similiter. Ideoque & ipsi arguunt, & interimunt, ut in Sulphure supponentes, & eisdem ut in Sulphure supponentibus, respondemus. Sunt & alii nitentes sese in experientiis, spiritus in corporibus figere, nullâ aliâ præparatione huic præveniente, sed eisdem delusio similiter angarias attulit & desperationem, & coacti sunt ex ea hanc scientiam non esse credere, & contra ipsam arguere. Est enim turbationis illorum causa, atque sedulitas, quoniam in infusione corporum spiritus ita dimittunt, nec eis adhærent, imò asperitate ignis aufugiunt, permanentibus in ea solis corporibus, quoniam pressuram impietatis ignis illius pati propter fugam non possunt, quæ ab eis non est ablata. Accidit similiter & quandoquè delusio, quia & secum corpora ignem effugiunt, & hoc est cum non fixi spiritus corporum profundo inseparabiliter adhæserunt, quoniam volatilis summa, superat summam fixi. Undè similiter ut primi arguunt, & similiter nos eisdem ut primis respondemus. Tota igitur illorum probatio hæc est. Si corpora filii doctrinæ vultis convertere, tunc si per aliquam medicinam fieri hoc sit possibile, per spiritus ipsos fieri necesse est, sed ipsos non fixos corporibus, utiliter adhærere non est possibile immò fugiunt & immunda relinquunt illa. Ipsos autem fixos non est possbile ingredi, cùm terra facti sunt, quæ non infunditur, & tamen inclusi corporibus fixi apparent, non tamen sunt. Aut ab eis recedunt ipsis manentibus, aut ambo simul confugiunt. Igitur cum in materia magis affini nullis modis hanc artem inveniri sit possibile, etiam in magis remota non invenietur ergo, nusquam. Responsio igitur nostra hæc est, quoniam quod scibile circa hoc est, totum non sciunt, ideoquè nec operationem ex eo totam inveniunt, consequentis igitur vitium per sufficientiam ponunt eorum robur.

CAP. XI.

De Supponentibus in Corporibus, Lapidibus, Salibus, Aluminibus, Bauraciis vel crescentibus Artem fore.

QUidam autem posuerunt in corporibus artem illam, cùm tamen ad opus pervenerunt, illusi sunt, æstimantes Stannum utrumque lividum, scilicet plumbeum & album, albedine verò pura multùm naturæ Solis & Lunæ assimilari & approximare, lividum quidem multum Soli, Lunæ parùm, album verò Lunæ multum, Soli verò parum. Ideoque horum aliqui æstimantes, Stannum Jovem videlicet multùm Lunæ assimilari, & stridore, mollitie, & liquefactionis velocitate solummodò differentem credentes, ex superfluitate suæ humiditatis liquefactivum esse facile, & molle similiter ex substantia verò fugitiva Argenti vivi in illo intercidente partes, stridorem possidere exposuerunt illud igni, & calcinantes ipsum tenuerunt in igne quantum potuit tollerare, quousquè album factum est in calce sua, quam postea involventes reducere non potuerunt, sed æstimaverunt impossibile fore. Etiam horum aliqui reduxerunt ex illo aliquid, & stridorem ut prius & mollitiem invenerunt, & liquefactionis velocitatem, Ideò crediderunt hoc impossibile per viam hanc, & adducti sunt in incredulitatem, ut putent artem indurationis illius inveniri non posse. Horum verò aliqui calcinaverunt & reduxerunt, & iterum scoriam illius subtrahendo cum majoris ignis expressione calcinaverunt & reduxerunt, & sic sæpè reiterantes opus ad illum viderunt illud induratum & sine stridore, quia ergo velocitatem liquefactionis non omninò removerint, illorum mens erravit, & æstimaverunt ad illud non posse perveniri. Horum itaque alii volentes eidem duritiem & retardationem liquefactionis, cum administratione duorum corporum præstare in delusionem ceciderunt, ut frangerent illi quæcunque duorum corporum admixta ei fuerint, nec juvit in hoc eos illa præparatio. Ideoque cum nec duris, nec igne illud præparare potuerint, excusaverunt se de longa mora inventionis artis, qui eam impossibilem dixerunt, & crediderunt per hoc & contra artem arguentes instanter posuerunt illam non esse. Ex hoc & ab his addentes multa medicamina, viderunt illa nullam immutationem facientia, nec eis convenientia, sed potius corrumpentia, & contra illorum propositum agentia. Et ideo libros abjecerunt, & capita retorserunt, & artem frivolam demum dixerunt, quibus obviantes respondemus responsione primâ. Eundem est etiam in Saturno reperiri illusionis modum, solo abjecto hoc, quòd corpora non frangit, & quòd citius redit à calce sua quàm Jupiter, lividitatem attamen suam removere non possunt, quia ignorant, ideò per illum dealbare non possunt dealbatione bonâ, nec per suam phantasiam potnerunt illum stabilibus corporibus stabiliter associare, quin contingat id per fortem ignem, vel ignis expressionem recedere à commixto. Et illud quidem, quod maximè decipit illos in hujus præparatione, supponentes in nullo posse scientiam inveniri, nisi in ipso, & quia post duas reductiones à calce sua nullam duritiem recipit, sed majorem potius mollitiem, quàm priùs habuerit, & in aliis similiter differentiis non viderunt illud emendari: Et ideò cum ipso putantes propinquiùs & melius inveniri, & non invenerunt: coguntur per hoc credere & argumentari, scientiam hanc non esse, sed delusionem, & ideo peccant ut priores. Alii verò componentes durum cum duris, molle cum mollibus, propter convenientiam, voluerunt corpora ad se invicem transmutare, & illud non potuerunt propter suam ignorantiam, ut permiscentes Solem vel Lunam cum Venere vel alioquè unoquoquè metallorum, non transmutant illa in Solem, vel Lunam transmutatione firmâ, quin accidat ignis expressione forti unumquodque,

illorum

illorum à commixtione ſeparari, vel comburi, vel ad priorem ſui naturam redire. Quædam verò ex eis plus durant in commixtione, quædam verò minùs, ut alibi à nobis ſufficienter determinatum eſt. Hæ itaque deluſiones ſupervenientes propter ignorantiam, faciunt hos tales de hac diffidere arte, & illam arguere non eſſe. Alii autem intimiùs & profundiùs ſuper hoc inquirentes, cogitaverunt, & ingeniati ſunt, & viam voluerunt invenire, ut dura mollibus unita, ea ſtabiliter indurarent: unita ſcilicet, & perfecta cum imperfectis ad perfectionem reducerent, & generaliter ad ſe invicem tranſmutarent, & transmutarentur transmutatione firmâ. Et ideò voluerunt ſimilitudinem & affinitatem illorum invenire, tum per medicinas, tum verò per ignis adminiſtrationem ſcilicet attenuando groſſa, ut Venerem & Martem & inſpiſſando ſubtilia, ut Jovem & ſimilem ſibi. Et aliqui eorum credentes hanc adminiſtrationem perficere, deluſi ſunt in commixtione horum duorum corporum, vel quia frangibile fecerunt omninò, vel omninò nimis molle, non alteratum à duro, vel nimis durum non alteratum à molli. Et ſic convenientiam non invenerunt: & ideò artem eſſe negaverunt. Alii verò adhuc profundiùs proſpicientes, alterare voluerunt corpora cum animarum ſuarum extractione, & cum extractâ animâ aliam animam alterare. Similiter & ad id non potuit eorum experientia pervenire, ſed diffiſi ſunt de intentione ſua, per hoc æſtimantes artem non poſſe inveniri. Alii verò ſolo igne ipſa perficere conantes, deluſi in opinione ſua fuerunt, quia ad id pervenire non potuerunt, nec ſcivetunt. Et hi eam ex hoc non eſſe putaverunt, quibus omnibus obviamus ut priùs. Qui verò in Vitro & Gemmis illam poſuerunt, experti ſunt per Vitrum & Gemmas in corporibus alterationes facere, & non potuerunt, quia non alterat, quod non ingreditur. Et ipſum quidem Vitrum & Gemmæ non ingrediuntur, ideò non alterant, ſed etſi conati ſunt Vitrum ſic unire cum vix hoc non poſſit, non tamen propoſitum habent, quoniam Vitrum ex corporibus faciunt, & propter hunc errorem æſtimant errorem ſuper totam artem cadere, & ſic eam arguunt non eſſe. Quibus reſpondemus eos operari indebito modo ideoque indebitè terminantes, non poſſunt hanc ex eorum erroribus artem interimere. Sunt & alii ſupponentes eam artem inveniri in Salibus & Aluminibus Vitris, & Bauraciis: poſſunt quidem & in his experiri, ſed eam inveniri minimè putamus in eis. Ideoquè ſi poſt ſuam experientiam paucam utilitatem transmutationis invenerunt, ſcilicet ſolvendo, coagulando & aſſando, non interimunt itaque artem, cùm neceſſaria ſit inſcientia. Poſsibile eſt tamen in his omnibus aliquam alterationem inveniri, ſed remota eſt valdè, & maximè laborioſa. Adhuc verò & in aliis creſcentibus omnibus magis laborioſa fore probatur, ideoque quidam in omnibus vegetabilibus ponunt, poſſibile quidem ponunt, ſed non eis: quoniam potiùs deficerent in labore quàm laboratum perfici ſit poſſibile, ideò & ſi hi tales artem non inveniunt ſuis laboribus, artem nullis laboribus inveniri poſſe argumentantur. Omnes autem priùs dicti errantes unam medicinam ſuam poſuerunt, & nullam aliam ſuppoſuerunt præter illam. Et hi quidem jam redarguti ſunt omnes. Alii verò multi & quaſi infiniti harum rerum omnium, aut quorundam compoſitionem ſub diverſâ procreatione facient, ignoranter & inſcienter incedunt, & error illorum in infinitum extenditur, quoniam infinita eſt diverſitas procreationis miſcibilium, & infinita eſt diverſitas & numerus rerum miſcibilium: & in his ambabus infinitatibus infinitè contingit errare; aliquando ex ſuperabundantiâ, aliquando ex diminutione, ex his impoſſibilis eſt correctio. Sed nos quoque longitudini & prolixitati ſermonum parcentes, ſuper infinitis inſiſtere nolumus, quoniam ſcientiam univerſalem trademus brevibus locutionibus, quâ evidenter infinitatem ſuorum errorum emendare poterunt, & illos corrigere. Nunc verò naturalia principia dicemus ſecundùm eorum cauſas, ut ex principio te attentum fecimus in memoratione illorum.

CAP. XII.

De Naturalibus Principiis Mercurii, Sulphuris & Arſenici.

INnuimus ergo tibi ſecundùm aliquorum opinionem qui fuerunt, de ſecta autem noſtram imitantium, quòd Principia naturalia in opere naturæ ſunt ſpiritus fœtens, & aqua viva, quam & ſiccam aquam nominari concedimus. Spiritum autem fœtentem diviſimus: eſt enim albus in occulto & rubeus & niger. Uterquè in magiſterio hujus operis, in manifeſto autem uterque rendens ad rubedinem. Dicimus igitur ſermone brevi, nec non & ſimiliter completo, ſufficientem generationem uniuscujuſque iſtorum & modum ſimiliter generationis. Expedit igitur non ampliare ſermonem noſtrum & dilatare, & ſingulum capitulum de ſingulo naturali principio tradere. In genere tamen dicimus, quòd unumquodquè ipſorum eſt fortiſſimæ compoſitionis, & uniformis ſubſtantiæ, & illud ideò quoniam in eis per minima partes terræ taliter partibus aëreis, aqueis, & igneis, ſunt unitæ, ut nulla ipſarum alteram in reſolutione poſſit dimittere: imò quælibet cùm qualibet reſolvitur propter fortem unionem, quam habent ad invicem per minima: calore in mineralibus æquali terræ viſceribus occultato, multiplicato, & æquato, ſecundùm debitum curſum naturæ, ad exigentiam illorum eſſentiæ ſecundùm opinionem quorundam antiquorum. Alii autem aliter dixerunt, quoniàm principium non fuit Argentum vivum in naturâ ſuâ, ſed alteratum & converſum in terram ſuam, & Sulphur ſimiliter alteratum & in terram mutatum. Undè dixerunt, quòd principium fuit aliud quàm ſpiritus fœtens, & ſpiritus fugiens in intentione naturæ. Et ratio, qua moti ſunt, fuit, quoniam non inveniunt in mineris Argenteis vel aliorum metallorum aliquid, quòd ſit Argentum vivum in ſui natura vel aliquid, quòd ſit Sulphur ſimiliter in ſui naturâ: imò per ſe inveniunt unumquodquè illorum ſeparatum in propria ſuâ minerâ & naturâ. Similiter etiam & per aliam rationem hoc affirmant, ſcilicet non eſt tranſitus à contrario in contrarium niſi per diſpoſitionem mediam. Ergò cùm ſic ſit, coguntur confiteri & credere, quòd non ſit tranſitus à mollitie Argenti vivi ad duritiem alicujus metalli, niſi per diſpoſitionem, quæ eſt inter diuritiem & mollitiem illorum, ſed in mineris non inveniunt aliquod, in quo ſalvetur hæc media diſpoſitio, ideò hac ratione

tione compelluntur credere Argentum vivum, & sulphur in sui natura non esse principium de intentione naturæ, imò aliud: quod sequitur ex illorum essentiarum alteratione in radice naturæ ad terream substantiam: Et est iste modus, quoniàm priùs unumquodquè eorum convertitur ad terream substantiam, & ex his ambabus terreis naturis resolvitur fumus tenuissimus, à calore multiplicato in viscere terræ, & hic duplex fumus est materia metallorum immediata. Hic tamen fumus à calore temperato mineræ decoctus convertitur in naturam cujusdam terræ. Ideòque fictionem quandam suscipit, quam defluens aqua per viscera mineræ & terræ spongiositatem dissolvit, & ei uniformiter unitur unione naturali, & formâ: ideoquè sic dixerunt opinantes, quod aqua fluens per meatus terræ invenit substantiam dissolubilem, ex substantia terræ in visceribus illius, & eam solvit, & uniformiter secum unitur, quousquè & substantia terræ in visceribus dissoluta, & aqua fluens dissolvens, unum fuerint unione naturali, & ad talem unionem veniunt omnia elementa, secundùm debitam & naturalem proportionem, & miscentur per minima quousquè faciant uniformem mixtionem. Et hæc mixtio per successivam decoctionem, in minera inspissatur & induratur, & fit metallum. Et hi quoquè sunt affines veritati, non tamen veritatem conjiciunt puram. Jam sermone universali determinavimus de metallorum principiis naturalibus, restat nunc ut ponamus uniuscujusquè principii caput. Cùm igitur tria sunt, Sulphur, Arsenicum, & Argentum vivum. Primò scribemus caput de Sulphure, secundò de Arsenico, tertiò de Argento vivo. Deinde uniuscujusque metallorum, qui sunt effectus eorum, ponemus caput determinatum, secundùm quod est ex opere naturæ. Deinde ad ea, quæ hujus magisterii sunt fundamenta, & illorum operationes transeundum, horum causas omnium assignantes.

CAP. XIII.

De Sulphure.

DIcimus igitur, quod Sulphur est pinguedo in minera terræ, per temperatam decoctionem inspissata, quoúsquè induretur, & sicca fiat; & cum indurata fuerit, Sulphur vocatur. Habet siquidem Sulphur fortissimam compositionem, & est uniformis substantiæ in suis partibus omnibus: quia homogeneum est: ideòquè non aufertur ejus oleum ab ipso per destillationem, sicut ab aliis rebus oleum habentibus. Qui ergo quærunt ipsum calcinare, non perdendo de illius substantia aliquid, de quo sit curandum, in vanum laborant, quoniàm non calcinatur, nisi per magnam industriam, & multum de illius substantia dissipatur, ex centum enim partibus, vix tibi tres sufficienter reservas, post ipsius calcinationem. Figi similiter non potest, nisi prius calcinetur, commiscerì attamen, & aliquantulum illius fuga retardari, & illius potest adustio reprimi, & cum commixto faciliùs calcinatur. Qui ergò quærit ex eo opus elicere illud, per se præparando non eliciat, quoniam cum commixto perficitur, & sine illo protelatur magisterium usque ad desperationem, & cum suo compari fit tinctura, & dat pondus completum unicuique metallorum, & ipsum fæditate depurat & illustrat, & & perficit cum magisterio, sine quo nullum horum præstat, sed potiùs corrumpit & denigrat; non igitur sine magisterio ipso utaris. Qui etiam in præparatione ipsum commiscere, & amicari corporibus noverit, scier nùm de secretis naturæ maximum, & viam perfectionis unam, cùm multæ sunt viæ ad unum effectum, & ad unum intentum. Et quodcunque corpus ex ipso calcinatur, acquirit pondus sine dubio: Æs quoque assumit ex eo Solis effigiem. Mercurio quoque associatum & allatum per sublimationem fit usitur. Calcinantur denique omnia corpora ex eo facilè, præter Solem & Jovem. Sol verò difficilimè, & non coagulatur Argentum vivum ex eo in Solem vel Lunam, in quibus fit utilitas per artificium debile, sicut Philosophorum quidam fatui putaverunt. Et ita dicimus, quòd quæcunque corpora minùs habent de humiditate, faciliùs per Sulphur calcinantur, quàm quæ multam. Per Deum altissimú id illuminat omne corpus: quoniam est lumen & tinctura. Difficillimè quoque solvitur: quia non habet partes salsugineas, sed oleaginas, quæ non facilè in aquam solvuntur: quæ autem facilè vel difficilè solvuntur in aquam in capitulo solutionis monstrabimus satis apertè. Sublimatur verò, quia spiritus est, & si commisceatur Veneri & aduratur secum, fit mirabile violaceum, cum Mercurio quoque miscetur similiter, & fit ex eis, per decoctionem, cœlestinus color & delectabilis. Non putet quis, quòd Sulphur per se opus compleat aliquod: non enim esset hoc, nisi vanum credere, hoc autem satis lucidè probabimus in sequenti. Eligitur autem crassum & lucidum: Et de Sulphure hæc dicta sufficiant.

CAP. XIV.

De Arsenico.

REstat nos de Arsenico disputare, ad præsens igitur dicimus, quod est de subtili materia & simili cum Sulphure: idcircò non oportet id aliter diffiniri, quàm Sulphur. In hoc autem diversificatur à Sulphure, quia est albedinis tinctura, & rubedinis similiter de facili: Sulphur verò rubedinis de facili, albedinis autem difficilimè. Est autem Sulphuris & Arsenici duplex genus: citrinum quoque & rubeum, quæ sunt huic arti utilia: reliqua verò multa genera non. Figitur autem Arsenicum sicut & Sulphur. Utriusque verò sublimatio à metallorum calcibus melior est. Non autem sunt Sulphur & Arsenicum medicina perfectiva hujus operis nec completio: sunt autem adminiculum perfectionis in casu, eligitur autem lucidum & squamosum, & scisile.

CAP. XV.

De Mercurio.

ARgentum quippè vivum, quod & Mercurius appellatur, antiquorum usu, est aqua viscosa in Visceribus terræ substantiæ subtilis, albæ terreæ per calorem temperatissimum, unita totali unione per minima, quousque humidum temperetur à sicco, & siccum ab humido æqualiter. Ideòque fugit superficiem planam de facili propter suæ aquæ humiditatem, non autem adhæret, quamvis viscosam habeat humiditatem propter siccitatem illius, quæ illam contemperat, & non adhærere permittit. Est etiam (ut quidam dicunt) materia metallorum cum Sulphure: adhæret quoque tribus mineralibus

de

de facili. Saturno ſcilicet, Jovi & Soli. Lunæ autem magis difficulter. Veneri difficiliùs quàm Lunæ. Marti autem nullo modo, niſi per artificium. Ex hoc utique maximum elicias ſecretum. Eſt enim amicabilis, & metallis placabilis & medium conjungendi tincturas: & non ſubmergitur aliquod metallorum in Mercurio niſi Sol. Solvuntur tamen Jupiter & Saturnus, Luna & Venus ab eo & miſcentur: & ſine ipſo aliquod merallorum deaurari non poteſt. Figitur & eſt tinctura rubedinis, exuberantiſſimæ refectionis in fulgida ſplendens, & non recedit à commixto donec eſt. Non eſt tamen medicina noſtra in natura ſua, ſed juvare quandoque poteſt ſimiliter in caſu.

CAP. XVI.

De Corporibus Metallicis, quæ ſunt effectus Principiorum naturæ.

DIcimus igitur de Metallicis Corporibus, quæ ſunt effectus horum naturæ principiorum: ſunt autem ſex numero: Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum, Æs, Ferrum. Dicimus igitur, quoniam metallum eſt corpus miſcibile, minerale fuſibile, & ſub malleo ex omni dimenſione extendibile. Eſt àutem metallum, ut diximus, denſæ ſubſtantiæ & fortiſſimæ compoſitionis & firmæ: habent etiam affinitatem magnam metalla ad invicem: non tamen perfectum, diminutum perficit per ejus commixtionem, Si enim Aurum cum Plumbo admiſceatur fuſione, non fit ex hoc Plumbum durum, ſed evaneſcit à commixtione & aduritur Plumbum. Aurum autem in examinatione remanet, & ſimiliter in reliquis inducendo cadit ſecundùm omnem curſum: ſecundùm verò noſtrum magiſterium, perfectum imperfectum perficit, & adjuvat, & imperfectum in noſtro magiſterio per ſe perficimus, ſine admixtione alicujus rei extraneæ, & perfectum hoc eodem magiſterio perficimus. Et per Deum ſe ad invicem alterant, & alterantur, & ſe invicem perficiunt & perficiuntur: per ſe tamen unumquodquè eorum nequaquam perficimus ſine alicujus alterius adminiculo.

CAP. XVII.

De Sole.

ATtulimus tibi in generali capitulo ſummam de intentionibus metallorum, ſpecialem tibi tamen faciemus de unoquoquè ſermonem, & primo de Auro Dicimus igitur, quòd Aurum eſt corpus metallicum citrinum, ponderoſum, mutum, fulgidum, æqualiter in ventre terræ digeſtum, aquâ minerali diutiſſimè lavatum: ſub malleo extendibilè, fuſibile, examinationem cineritii & cementi tolerans. Ex hac utiquè definitione elicias, quod aliquid non eſt Aurum, niſi cauſas & differentias omnes habeat Auri. Quis tamèn metallum radiciùs citrinat, & ad æqualitatem perducit, & mundat, ex omni genere metallorum Aurum facit.

Ideóque per opus naturæ perpendimus Æs artificio ejus in Aurum mutari poſſe. Vidimus namque in mineris Æris, à quibus emanabat aqua, ſecum adducens Æris ſquamas tenuiſſimas quod ipſas diuturno & continuo lapſu lavat & mundat. Deindè verò aqua ceſſante fluere, vidimus cum ſicca arena has ſquamas per triennium à Solis calore excoqui: inter quas eſt inventum Aurum veriſſimum. Æſtimavimus itaque per aquæ beneficium illas mundatas fuiſſe, per Solis autem calorem & arenæ ſiccitatem æqualiter digeſtum, ad æqualitatem perveniſſe. Imitantes igitur naturam, cùm poſſumus ſimilitèr alteramus, non ramèn in hoc ſequi naturam valemus. Aurum quoque eſt pretioſiùs metallorum, & tinctura eſt rubedinis: quia tingit & transformat omne corpus. Calcinatur autèm & ſolvitur ſine utilitate: & eſt medicina lætificans in juventute corpus. Frangitur facilè cum Mercurio & odore Plumbi & teritur. Non eſt autèm in actu, quòd magis ſibi communicet, quàm Jupiter & Luna. In pondere autem & ſurditate, & in putreſcibilitate Saturnus: in colore autèm Venus: in potentia magis Venus, deinde Luna, deindè Jupiter, & deindè Saturnus; ultimò vero Mars. Et hoc eſt unum de ſecretis naturæ. Cum ipſo ſimiliter cõmiſcentur ſpiritus, & figuntur per ipſum, maximo ingenio, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis.

CAP. XVIII.

De Luna.

SOlis itaque capitulo præmiſſo, dicamus ſermonem noſtrum de Luna convenienti vocabulo Argento. Dicimus quòd Argentum, eſt corpus metallicum album, albedine purâ, mundum, durum, ſonans, perdurans in cineritio, ſub malleo extendibile, ignibile, fuſibile: Eſt itaque albedinis tinctura, & indurat Jovem per artificium & convertit ad ſe, & commiſcetur Soli, & non frangitur, ſed in examinatione ſine artificio ſecum non perſeverat. Qui novit ipſum magis ſubtiliare & poſt ſubtiliationem inpiſſare, & figere ſecum aſſociatum, cum eo manet in pugna, & ipſum non dimittit penitùs. Super fumum autèm acutum, ſicut Aceti, Salis Armoniaci & Agreſtæ ſit cæleſtinus color mirabilis; & eſt nobile corpus, ſed diminutum à nobilitate Auri. Et invenitur ejus minera determinata: aliquoties habetis confuſam mineram cum aliis corporibus, & illud non eſt ſic nobile. Calcinatur autem ſimiliter & ſolvitur labore maximo cum nullâ utilitate.

CAP. XIX.

De Saturno.

DE Plumbo tradamus capitulum, & dicamus quòd ipſum eſt corpus metallicum, lividum, terreum, ponderoſum, mutum: parvâ participans albedine, cùm lividitate multa: cineritium & cementum refugiens: molle, facile, in omni ſua dimenſione, parvâ compreſſione extendibile, & facilè fuſibile, ſine ignitione diſſolubili. Ut quidàm fatui putant. Dicunt ipſum in natura ſua multum Auro proximare: Sed quoniam ſunt duræ cervicis, omni ratione vacui, nullam rationem cognoſcere valentes ex ſubtiliſſimis rebus, quantùm in ſe eſt: de eis ſecundùm ſenſum judicant, quoniam vident illud ponderoſum, & mutum, & non putreſcere, credunt ipſum illi multum approximare: ſed hoc totum & erroneum & latiùs à nobis in ſequenti negotio reprobatum apertè. Plumbum ergo multum habet de ſubſtantia terrea, ideoque lavatur. Et in Stannum per lavacrum vertitur. Per hoc igitùr patet Stannum magis perfecto aſſimilari, Plumbum ſimilitèr aduritur & fit Minium & ponendo ſuper vaporem aceri fit Ceruſa. Et licet ipsùm non multùm approximet Argento: ex eo tamèn per noſtrum artificium de facili Argentum formamus: & non conſervat proprium pondus in transmutatione, ſed mutatur in novum pondus.

Et

Et hoc totùm in magisterio acquirit. Est etiam Plumbum Argenti examen in cineritio, cujus causas dicemus.

CAPVT. XX.

De Iove.

IOvis ergò traditione non omissa, significam s filiis doctrinæ, quod est corpus metallicum album, non purè lividum, & sonans parùm: terreitate paucâ participans: stridorem, molliticm, liquefactionis sine ignitione velocitatem ex radici possidens: cineritium & cementum non expectans, sub malleo extendibile. Est ergo Iupiter inter diminuta à perfectione corpora magis perfectus ex radice suæ naturæ affinis, Soli videlicet & Lunæ, magis tamèn Lunæ, minùs verò Soli. Hoc itaquè in sequenti lucidè narrabitur. Iupiter, quia albedinem multam ex radice suæ creationis susccpit, ideò non alba corpora dealbat. Vitium tamen est ei, quia omne corpus frangit, præter Saturnum & purissimum Solem. Et Iupiter multùm Soli & Lunæ adhæret, ideò ex eis per examen non de facili recedit. Suscipit tincturam rubedinis, & splendet in eo fulgore inæstimabili, & pondus acquirit in magisterio hujus artis: & mundatur faciliùs quàm Saturnus. Et qui sciverit ejus vitium fractionis corporum auferre, subitò ejus proficuo perfrui lætabitur. Convenit enim Soli & Lunæ, nec separabitur ab eis semper.

CAPVT XXI.

De Venere.

DE Venere verò sermo noster sit ad præsens: & est corpus metallicum lividum viridi rubedine fuscâ participans ignibile, fusibile, sub malleo extendibile, cineritium & cementum refugiens: Venus utiquè [ut narratum est] in profundo suæ substantiæ, colorem & essentiam auri protendit: malleatur & ignitur ut Argentum & Aurum. Ideoquè secretum ex eo assumas, quia est medium Solis & Lunæ, & facilè ad utrumque converti tincturam accipit, & est bonæ conversionis & pauci laboris. Et cum eo convenit Tutia vehementer, & illam citrinat citrinitate bonâ, ut ex hoc proficuum elicias. Excusamur utiquè per eam à laboribus indurationis, & ignitionis illius: Assumas igitur eum præ cæteris imperfectis corporibus, in opere minori & medio, in majori verò minimè. In hoc tamen à Iove vitium habet, quoniam livescit de facili & infectionem ex aëre, acribus & acutis suscipit, & eradicare illud non est facilè artificium imò profundum.

CAPVT XXII.

De Marte.

MArtis verò narratio & secretum ejus totum est ex opere naturæ: quoniam est corpus metallicum, lividum multùm, parùm verò rubeum, albedine non purâ participans, durum ignibile, non fusibile fusione rectâ, sub malleo extendibile, & multùm sonans, est autem Mars duræ tractationis propter impotentiam suæ fusionis; qui si sine medicina illius naturam immutante fundatur, conjungitur Soli & Lunæ, & non separabitur per examen separationis sine magnâ industriâ: Sed si præparetur, conjungitur, & non separatur per aliquod artificium, si ejus natura fixionis non immutetur ab eo solâ remotâ immunditia illius. Est ergo tinctura rubedinis de facili: albedinis verò bonæ difficillimè, & cum conjungitur non alteratum, non mutans est coloris conjuncti, sed augens illud in quantitate. Inter omnia igitur corpora Iupiter in splendidius & lucidius & perfectius Solare transformatur corpus. Sed in eo est opus facilis tractationis & longi laboris. Post illud verò Venus minus perfectæ mutationis eligitur difficilioris fractionis, brevioris verò à Iove laboris. Saturnus verò post Veneris perfectionem, in transmutatione ab illâ diminutam habet, facilis tantùm tractationis, longissimi verò laboris. Mars verò inter cætera minimæ perfectionis, in transformatione consistit tractationis utiquè difficillimæ & laboris longissimi. Quæcunquè igitur à velocitate liquefactionis corpora remota sunt, difficilia inveniuntur in transmutationis opere & tractationis. Et sunt hujusmodi Venus & Mars: quæ verò sunt magis, magis, & quæ maximè, maximè. Quæcunquè verò majoris lividatis infectionem sunt participantia: & hæc longioris laboris inveniuntur & minoris perfectionis. Quæcunquè attamen perfectionum diversitates, paulò priùs à nobis determinatæ, in minori & medio operis artificio repertæ sunt. In majori verò unius perfectionis sunt omnia, non autem unius tractationis aut laboris sunt. Remanet enim ea, quæ est tractationis facilitas & difficultas, & quæ brevitas laboris, & longitudo in radice vitiata corpora inventa sunt. Iam igitur principia naturalia traditione verâ, quæ est ex intentione naturæ ipsorum corporum ascripsimus: & ipsorum corporum similiter determinantes sermones in singulis capitulis veraciter exposuimus, & secundùm sententiam eorum, qui intima naturæ videre potuerunt & secundùm nostram, qui ad ea pervenimus cum instantia laboris. Nunc verò secundùm quod invenimus, expedit hujus artis defectum supplere, & principia omnia hujus magisterii tradere, in nostri ultima sermonis parte, & perfectionem quasi vidimus, secundùm ejus exigentiam cum causis suis monstrare.

LIBRI SECUNDI.

SVMMÆ GEBRI PHILOSOPHI, PERSPICACISSIMI, De PRINCIPIIS MAGISTERII, ET PERFECTIONE EIVSDEM PROOEMIVM.

SUnt duo, quæ determinanda sunt principia, scilicet hujus magisterii & perfectio ejusdem. Sunt itaquè hujus artis principia modi operationum ipsius, quibus applicatur artifex ad hoc magisterium, qui quidem ad se invicem sunt diversi. Est enim unus modus Sublimatio, & Descensio alter, & unus est Distillatio, & unus ex modis est Calcinatio, & alius Solutio, sextus Coagulatio, septimus verò Fixio, octavus est Ceratio, de quibus singulis enarrationem faciemus. Perfectio verò consistit ex consideratione rerum, quibus pervenitur ad eam & ex consideratione rerum juvantium, & ex consideratione ipsius rei, quæ ultimò perficit, & ex consideratione rei ex qua cognoscitur, si in perfectione fuerit magisterium vel non, consideratio verò eorum, quibus pervenitur ad operis complementum est consideratio substantiæ manifestæ, & colorum manifestorum & ponderis in unoquoque; corporum mundatorum, & eorum scilicet corporum, quæ non mutanda sunt ex radice suæ naturæ absque ullo artificio, & consideratio eorum similiter in radice sua, quæ mutanda sunt cum artificio, & consideratio principiorum corporum secundum suum profundum occultum, & manifestum, secundum naturam suam, sine artificio, & eorum similiter cùm artificio, quoniam si non cognoscerentur corpora & illorum principia in profundo suæ naturæ, & manifesto cum artificio & sine, nescireturquid superfluum in eis, & quid diminutum esset: quare nec esse foret, nos nunquam ad perfectionem transmutationis illorum pervenire. Consideratio rerum juvantium perfectionem, est consideratio naturarum illarum rerum, quas corporibus sine artificio videmus adhærere, & mutationem facere, & sunt Marchasita, Magnesia, Tutia, Antimonium, Lapis Lazuli, & consideratio eorum, quæ sine adhærentia corpora mundificant, & sunt scilicet Sales & Alumina, Nitra & Bauracia & quæ sunt naturæ hujus, & consideratio vitrificationis mundantis, per consimilem naturam. Consideratio verò rei, quæ ultimo perficit, est consideratio electionis puræ substantiæ Argenti vivi, & est medicina, quæ ex materia illius assumpsit originem, & ex illa creata est.

Non est autem ista medicina Argentum vivum in sui natura, nec in tota substantia, sed fuit pars illius, non est autem naturæ suæ, cum Lapis noster factus est pars ejus, ipse enim illustrat, & ab adustione conservat, quod perfectionis est significatio. Consideratio verò rei, ex qua cognoscitur utrum magisterium in perfectione sit vel non est, consideratio cineritii, cementi, ignitionis, fusionis, expositionis super vapores acutos, extinctionis, commixtionis, Sulphuris & rei aduren tis corpora, reductionis post calcinationem & susceptionis Argenti vivi facilis vel difficilis, hæc autem omnia narrabimus cum causis suis, & cum experientiis facilibus quibus poteris manifestè cognoscere sermones nostros non erraße. Et hæc experimenta erunt penitus nota.

CAPUT. I.

De Sublimatione ad quid inventa sit.

COnsequentes igitur nostrum propositum dicimus de Sublimatione, & fuit causa inventionis ejus, quia non invenerunt antiqui nostri neque nos, neque qui post nos erunt, aliquid, quod uniretur corporibus, nisi spiritus solos, vel aliquid quòd naturam corporis vel spiritûs in se contineat, & hos projectos super corpora sine illorum mundatione viderunt, vel non perfectos colores dare, vel ex toto corrumpere, adurere, denigrare, & defædare, & hoc secundùm diversitatem ipsorum spirituum. Quidam enim sunt adurentes, ut Sulphur & Arsenicum & Marchasita, & hi quidem corrumpunt ex toto. Alii verò non adurunt, ut omne genus Tutiæ & hi quidem imperfectos colores dant, & illud ideò, quoniàm qui adurunt, denigrant & defædant, duplici de causa hoc faciunt, unâ, quoniàm unctuositas Sulphuris, de cujus proprietate est de facili inflammare, & per inflammationem denigrari, & per consequens denigrata corrumpi ab eis non est ablata. Altera verò causa est terreitas, quæ ab eis similiter separata non fuit. In his autem in quibus non datur perfectus color, causa est sola terreitas, lividum faciens. Potest etiam & adustio lividum creare colorem, ideòque ingeniati sumus hos mundare ab unctuositate videlicet adurente, eam habentes, scilicet & à terreâ superfluitate omnes. Et ad hoc per nullum magisterium possumus pervenire, nisi per solam Sublimationem. Ignis enim cum elevatur, subriliores semper partes elevat, ergo dimittit grossores: ex hoc patet per Sublimationem spiritûs à terreitate mundari, quæ ingressionem impediebat, & colorem immundum dabat. Experientia verò satis tibi notum facit per visum tuum, illos ab ea absolutos esse, vides enim eos splendidiores, & magis pervios, & eos facilius, corporum densitates subintrare, & penetrare, & non fædum ut priùs facere. Quod verò per Sublimationem adustio removeatur, patet experimento, quoniàm Arsenicum, quod priùs ante sui Sublimationem impurum erat, ab adustione, post ejus Sublimationem inflammari se non permittit: sed solummodò sine inflammatione recedit; & hoc idem in Sulphure experimentum invenies. Quia igitur in nullis aliis, quàm in spiritibus, vidimus adhærentiam ad corpora cum alteratione, per nulla alia fuimus ab eis excusati, quin necessarium fuerit illo: præparasse cum mundificatione illorum, quæ est per Sublimationem, ideoquè hæc fuit causa necessaria inventionis Sublimationis, igitur narremus ejus ordinem totum: sine diminutione & ipsius essentiam.

CAP. II.

De diversitate Sublimationis, & qualiter debeat fieri & ordinari.

DIcimus igitur, quòd Sublimatio est rei siccæ per ignem elevatio cum adhærentia sui vasis. Sublimatio

matio verò diversificatur propter diversitatem spiritum sublimandorum, quædam enim fit cum ignitione, quædam verò cum igne mediocri, quædam autem cum igne remisso. Si igitur sublimetur Arsenicum vel Sulphur, necesse est illa per remissum ignem sublimari, quoniam cum habeant partes subtilissimas conjunctas, uniformiter grossis: ascenderet utiquè tota illorum substantia sine purificatione aliqua, immò denigrata & etiam combusta. Ut igitur separet quis immundam terream substantiam, necesse fuit invenire ingenia duarum generationum: proportionem scilicet ignis, & mundificationem cum commixtione fæcum, quoniam commixtio cum fæcibus partes comprehendit grossas & tenet illas in Aludelis fundo depressas, nec eas scandere permittit. Unde & necesse est per artificem triplicem ignis gradum Sublimationi applicare. Unum proportionare taliter, quòd per eum ascendant, alterata tantùm & mundiora & lucidiora, & per hoc manifestè videat, ea mundari à terrâ fæculenta. Alter verò gradus est, ut quod in fæcibus remansit de purâ illorum essentia, sublimetur cum majori expressione ignis, videlicet cum ignitione Aludelis, & ipsarum fæcum, quam videre poterit artifex cum oculis suis manifestè. Tertius gradus est, ut administretur ignis debilissimus & sine fæcibus ei quod sublimatum à fæcibus est, & quod ascendit de illo, fit res subtilissima, quæ huic operi nihil valet, quoniam illa est res, quæ mediante adustio perficitur in Sulphure. Est igitur tota Sublimationis intentio hæc, ut remota terreitate illius per ignis administrationem debitam, & abjectâ similiter ex eo subtilissimâ & fumosâ illius parte, quæ adustionem cum corruptione efficit, relinquatur nobis pars illa, quæ ità in æqualitate consistit, quæ simplicem fusionem super ignem facit sine adustione aliqua, eâdem de igne fugiente sine inflammatione illius. Quod verò subtilissimum sit adustivum manifestissimis argumentationibus probatur: quia ignis ad suam convertit naturam unumquodque eorum, quòd magis affine illi est. Sed unaquaquè re adustibili magis affine est, quod ex illa est subtile, & adhuc magis affine est, quod subtilius est. Ergò & maximè affine, quod subtilissimum est. Ab experientia similiter, quoniam Sulphur vel Arsenicum non sublimata, velocissimè inflammantur. Sulphur verò faciliùs. Sublimatum verò directè non inflammatur, sed evolat & extenuatur sine inflammatione, præcedente tamen fusione. His itaque patet sermonem nostrum veridicum esse. Probatio verò, administrationis fæcum cum proportione sua est, ut eligatur materia illa, cum qua plus conveniant spiritus sublimandi: & cui permisceantur profundiùs, quoniam illa natura, cui magis uniuntur, potentior est in retentione fæcum sublimandarum, quàm cui non: hujus rationabilis satis est manifesta probatio. Probatio verò, quod necessaria sit fæcum administratio est, quòd si non conjungitur Sulphur vel Arsenicum sublimandum cum fæce de aliquare fixa: tunc necesse esset, cum tota sui substantia ascendere non mundata. Experientiâ vero sciunt nos vera dicere, qui in sublimationibus exercitati sunt. Probatio vero quod necessaria sit talium fæcum administratio, quibus sublimanda conveniant & uniantur, in profundo suo est: quoniam si fæces non permiscerentur, per minima, tunc idem contingeret, sicut, si fæcem non haberent, scilicet ut ascenderet tota illorum substantia sine mundatione aliqua: si enim ascendunt sine fæcibus cum tota substantia: ergo similiter à fæcibus sublimata eum quibus non uniuntur, ascendere, necesse est. Experientia autem scit hoc esse necessarium, qui hoc vidit & novit, quoniam cùm sublimavit à re extraneâ ab eorum natura, sublimavit in vanum, ut nullo modo depurata post ascensionem illorum ipsa inveniret. Si verò cum calce alicujus corporis sublimavit, tunc bene sublimavit, & perfectè mundare potuit cum facilitate. Est ergò intentio fæcum, ut administrentur de calcibus metallorum. Est enim in illis facilis operationis Sublimatio: cum rebus autem aliis difficillima. Non est igitur aliquid, quod locum illorum possit obtinere. Non autem dicimus Sublimationem impossibilem sine calcibus corporum; sed eam difficillimam & longissimi laboris & protelationis usque ad desperationem. Sed in hoc tantùm bonitatis habet, quoniam quod sublimatur absque fæcibus, vel sine corporum calcibus est multæ quantitatis. Si verò cum fæcibus, minoris: adhuc verò & quod cum corporum calcibus est minimæ: sed facillimi laboris & brevissimi. Illud verò quod plus non excusat à fæcibus de corporibus, est omne genus Salis præparati & hujus consimilium in naturâ, & est nobis cum Salibus sublimatio multæ quantitatis & possibilis ab eisdem Salibus sublimandarum fæcum separatio, per Salium solutionem, quod nullis aliis rebus esse contingit. Proportio verò fæcum est, ut quantitas fæcum quantitati sublimandorum proportionetur in quantitate. In hac etiam rudis artifex errare non poterit: mediocrem verò artificem ponere medietatem ponderis sublimandorum ex fæcibus, sufficiens esse contingit, & in hoc errare non debet. Exercitatio verò & maximè experto, minima illarum pars sufficit.

Quantò enim minoris fæces sunt quantitatis, tanto & majoris exuberantiæ sublimationem necesse est esse: dummodo & secundùm diversitatem subtractionis fæcum fiat proportionalis illi subtractio ignis. In parva enim quantitate fæcum parvus ad perfectionem sublimationis ignis efficiatur; in magna magnus, in majori major: Sed quoniam non est res ignis, quæ mensurari possit: ideo contingit in illo errare sæpissimè eum, qui in hoc exercitatus non est, tum ex diversitate proportionis fæcum, tum etiam ex diversitate Fornacis & lignorum adurentium & similiter vasorum, & coaptationis eorum; de quibus omnibus expedit artificem attentum sollicitare. Sed communem adducimus regulam, quoniam imprimis expedit, cum parvitate ignis solam aqueitatem ex sublimandis exprimere: quâ remotâ, si quid ascendit per illum, tunc in principio hic non augeatur ignis, ut per debilissimum ignem subtilissima pars tollatur, & seorsum deponatur, quæ est causa adustionis. Cum autem jam nihil vel modicum ascendit, quod experiri poterit, cum intromissione bombacis vel licinii, in inferiori foramine Aludelis, vigoretur ignis sub eo, & quanti vigoris debeat esse ignis experientia licinii ostendet. Si enim parum de sublimando & mundum exierit, adhuc parvus erit ignis, augeatur, ignis. Si vero multum & immundum, tunc superfluus est, subtrahatur ignis. Si vero multum & mundum proportio, tunc jam inventa est. Immundum vel mundum, multum vel parum, inveniri potest per extractionem licinii, quod in foramen Aludelis positum fuit; secundùm enim quam quantitatem munditiam vel immunditiam ex sublimando respexerit artifex, adhæsisse licinio, similiter sylogizare poterit, & in tota sublimatione

necessario ignem proportionalem, & ex hoc ignis rectificationem inveniet sine fallaciâ. Melior verò modus fæcum est, ut sumantur ferri squamæ vel æris combusti: Hæ enim propter privationem multæ humiditatis, de facili Sulphur aut Arsenicum sibi imbibunt, & secum uniunt: hujus autem veritatem sciet exercitatus solus.

CAPVT III.

De Fæcibus & Fornace.

EXpedit ergò nos rectificare artificem, in quibus continget omnibus errare ignoranter in horum duorum spirituum sublimatione. Narramus igitur ei, quòd si multas fæces posuerit, tunc si non augmentaverit ignem proportionalem nihil ex sublimando ascendet, quomodo autem illum inveniat, jam tibi sufficienter narratum est; Et si paucam fæcum quantitatem vel non ex corporum calce posuerit, tunc & si illius proportionem non invenerit, ascendet sublimandum cum tota substantia, & hujus tradimus similiter inventionem sufficientem. Ex Fornace verò similiter contingit errare. Nam magna Fornax magnum dat ignem, parvum verò parva. Si ligna & foramina auricularum eis proportionentur. Si igitur posuerit multam rei sublimandæ quantitatem in parvam Fornacem, ignem elevationis sufficientem non poterit exhibere. Si verò paucam in magnam, sublimationem exterminabit propter ignis excessum. Similiter verò spissa Fornax, conculcatum & fortem dat ignem, tenuis verò rarum & debilem: in quibus similiter errare contingit, si verò spissus & cum spatiosis auriculis sit Furnus, clarum & magnum dat ignem; & cum strictis debilem. Item etiam si major fuerit in coaptatione vasis ad furnum distantia à spondilibus ejus, magnum dabit ignem. Si verò minor, minorem: in quibus omnibus contingit errare maximè. Rectificatio ergo horum est, ut Furnus* scilicet construatur secundum intentionem ignis, quàm quærit, spissus scilicet cum liberis auriculis cum distantia vasis Aludelis multa à spondilibus Furni, si magnum quærit ignem. Si verò mediocrem, mediocritatem in his omnibus inveniat proportionalem: si verò debilem, proportionem in his eidem inveniat, & has proportiones omnes, docebimus te invenire cum proportione vera, & experientia determinata. Si igitur vis multam sublimationis quantitatem elevare, tunc vas Aludel tantæ capacitatis invenias, quod illam suscipiat super fundum ad elevationem unius palmæ, & ad illud coaptes furnum; aut suscipiat Aludel in medio sui cum distantia parietum suorum per duos digitos: & Furno facto, facias illi auricùlas quatuor æquè distantes proportione verâ, ut vera æqualitas sit ignis ad omnes partes illius. Tunc verò stipite ferreo in medio fornacis in spondilibus ejus firmato, qui à fundo fornacis distet, ad extensionem unius palmæ cùm pollice suo: & ad spissitudinem unius digiti super eò firmetur vas Aludel, & circumliniatur ad furnum, cujus præsens demonstrat descriptio. Auriculæ vero si liberè & benè se expediunt de fumositatibus & flamma: & liberè per totum furnum transiverit ignis in circuitu Aludelis, tunc bene proportionatum est: si verò non, non: & tunc dilata ejus auriculas, & si emendatur bene quidem: si verò non, tunc necessariò relinquitur, quod distantia Aludelis à parietibus parva est: radantur ergo parietes, & amplietur distantia, & postea tentetur. Reiteretur ergo ampliatio auricularum & mensura spondilium quousque liberè se absolvat à fumo: & flamma in circuitu Aludelis sit lucida, & liberè per auriculas exeat. Ista est sufficiens experientia ad omnem sublimationis quantitatem, de inventione magnitudinis furni & dilatationis auricularum ejus & distantiæ Aludelis à parietibus suis.

* *Vid. Tab.* 1. *fig.* 1.

CAPVT IV.

De spissitudine Furni.

INventio spissitudinis Furni est, quòd si quæras magnum ignem major spissitudo illius, sit, ad mensuram extensionis palmæ cum pollice suo: si verò mediocrem, ad mensuram solius palmæ, si verò minorem ad spissitudinem duorum digitorum formetur.

CAPVT V.

De Lignorum proportione.

SImiliter verò ex lignis observetur proportio, quia ligna solida fortem ignem, spongiosa debilem, sicca magnum & citò terminabilem, viridia parvum & multum durantem. Similiter solida multum & de facili terminabilem dant ignem. Consideratione igitur distantiæ Aludelis & magnitudinis & parvitatis auricularum, & spissitudinis & tenuitatis furni, & diversitatis lignorum accidit omnium ignium diversitates perquiri cum experientia suavera. Ex latitudine verò majore vel minore, auricularum vel fenestræ furni, per quam ligna intromittuntur & administratione diversitatis lignorum, & additione & subtractione illorum, accidit inveniri determinatum spatium temporis durationis ignis scilicet, ut scientia determinata sciatur, quantum unusquisque ignis in suo gradu perdurare poterit & æqualitate. Et hæc investigatio est maximè tibi utilis & necessaria, quoniam per eam excusaberis à multitudine laboris immensi. Exerciteris igitur in eâ & in omnibus à nobis nunc novissimè determinatis: quoniam qui se exercuerit, inveniet, qui verò non, non.

CAPVT VI.

De forma Aludelis.

INventio verò vasis Aludelis est ut fingatur vas de vitro spissum: de alia enim materia non valeret, nisi fortè similis esset substantiæ cum vitro, solùm enim vitrum & sibi simile, cum poris careat, potens est spiritus tenere ne fugiant & exterminentur ab igne. Alia autem non, quia per poros eorum successivè diminuuntur & evanescunt. Nec etiam metalla in hoc valent, quoniam spiritus per amicitiam & eorum convenientiam in illa penetrant, & secum uniuntur: quare per illa transeuntes evanescunt, quod per ea, quæ à nobis determinata sunt, apertè probatur necessariò & experientia repertum est hic nos verùm dixisse, ergò per aliquod aliud non excusamur à susceptione vitri in compositione Aludelis. Fingatur ergò concha vitrea rotunda, cujus fundus sit parvæ curvitatis, & in medio spondilium ejus formetur zona vitrea circùdans eam extra, & super illam zonam fundetur paries rotundus, æque distans à pariete cõchæ, ad grossitudinẽ cooperculi ipsius conchæ, ita quòd in distantiam hanc cadat paries coopertorii largè

largè sine pressura. Altitudo verò hujus parietis sit ad mensuram altitudinis parietis conchæ, aut patum plùs, * vel minùs. Formentur verò duo coopertoria ad mensuram hujus concavitatis duorum patietum æqualia, quorum longitudo sit æqualis, & sit unius spannæ: & figura eorum, figura scilicet piramidalis, in quorum capitibus duo æqualia sint foramina, unum in uno, aliud in alio; in quibus ambobus possit cadere major gallinæ penna; ut hic præsenti conscriptione monstratur.

Est ergo tota vasis intentio, ut possit moveri, secundùm artificis voluntatem, coopertorium illius, & quòd junctura sit ingeniosa, per quam sine lutatione aliqua non pateat spiritibus egressio. Qui ergò in hoc póterit magis ingeniari, non excutet se ab hoc per nostram traditionem. Et est specialis intentio super hoc scilicet ut concha inferior cum spondilibus suis usquè ad medium subintret coopertorium sutum. Cùm enim fumorum sit ascendere, & non descendere; per hoc invenimus inventione istâ spiritus non habere ad consumptionem exitum, & habet præcellere modos alios, quos inventione nostrâ quæsivimus. Et hoc experiendo, vidimus nos verum æstimasse de illa. Intentio verò una est, ut sæpissimè evacuetur Aludelis caput, ne præ nimia sublimandorum multiplicatione, in illud cadant, ad illius fundum, & te detineat multitudo reiterationis sublimationis occupatum longo tempore. Est similiter intentio alia, ut semper seorsum separetur, quod sursum ad propinquitatem foraminis capitis Aludelis ascendit in pulverem, ab eo quod fusum & densum in frustis, & apud fundum illius pervium & clarum, cum adhæretia ad vasis spondilia conscendisse invenitur, quoniam hoc minus habet de adustione quàm quod propè foramen reperiatur scandisse: hoc autem in superioribus apertè probatur, ratione videlicet & experimento. Probatio verò bonitatis & perfectionis sublimationis est jam dicta. Et est, quæ invenitur clara & lucida, & non aduritur cum inflammatione, hæc est ergò perfectio intentionum sublimationis, Sulphuris videlicet & Arsenici. Et si non inventa est sic, reiteretur opus super illam cum consideratione omnium suarum intentionum quousquè sic inveniatur.

CAP. VII.

De Sublimatione Mercurii.

NUnc verò totam intentionem sublimationis Argenti vivi determinemus. Est ergò completa summa illius depuratio terreitatis, & remotio aqueitatis illius. Excusamur enim à labore remotionis adustionis ejus: quoniam eam non habet, sed solùm fugam, & terreitatem superfluam. Dicimus igitur, quoniam ingenium separationis superfluæ terræ ipsius, est commixtio cum rebus, cum quibus affinitatem non habet: & sublimationem ejus reiterare ab eis multoties. Et horum genus est talcum & calx corticum ovorum, & marmoris albi, similiter & vitrum minutissimè tritum, & salis omne genus præparatum. Ab istis enim mundatur, ab aliis verò, cum quibus convenit, nisi sint in perfectione corpora, ut sunt Sol, & Luna, non mundatur, sed potiùs corrumpitur; quia sulphureitatem habent omnia talia, quæ ascendens cum eo in sublimatione ipsum corrumpit. Et in hoc experientiam vides, quia si sublimas illud à Stanno vel Plumbo: ipsum post sublimationem intectum conspicies nigredine. Ergò melior est ejus sublimatio cum his quibus non convenit. Cum quibus autem convenit melior esset, si sulphureitatem non haberent. Ideoquè à calce melior est sublimatio, quàm à rebus omnibus, quia illa parùm convenit, & sulphureitatem non habet. Modus verò remotionis aqueitatis suæ superfluæ est, ut quando commiscetur calcibus, à quibus sublimari debet, teratur & commisceatur illis cum imbibitionibus, quousq; de illo nihil appareat, & post super ignem lentissimum aqueitas imbibitionis removeatur: quâ recedente & secum Argenti vivi aqueitas recedet, sit tamen ignis tam levis, ut per eum Argenti vivi tota substantia non ascendat. Ex multiplici igitur reiteratione imbibitionis cum contritione & levi assatione aqueitatis illius major deletur pars, cujus residuum per sublimationis reiterationem removetur; & cùm videris illud albissimum præexcellens nivem albedine suâ, & quasi mortuum Aludelis spondilibus adhærere: tunc super ipsum reitera sublimationem suam sine fæcibus, quoniam adhæret pars sua fixa cum fæcibus, & nunquam per ingeniorum genus, aliquod ab illis separari posset, aut post illud figas partem illius: & modum fixionis ejus, in sequentibus tibi expressè trademus, & cùm fixeris illam, tunc reitera sublimationis residuam partem super eam, ut illa similiter figatur, & serva, quod tentabis super ignem, si fusionem bonam dederit, tunc sufficientem sublimationem ad illud reiterasti. Si verò non, adde illi de Argento vivo sublimato partem aliquam: & reitera sublimationem, donec fiat fusibile; quod si lucidum & albissimum habuerit colorem, & purum, tunc benè mundasti, si verò non, non: Igitur ne sis in præparatione illius, quæ per sublimationem fit, negligens: quoniam qualis erit mundatio, talis & perfectio per illum consequetur in projectione illius, super unumquodquè imperfectorum corporum, & super ipsum vivum non præparatum. Undè & quosdam contingit Ferrum, & quosdam Plumbum, & quosdam per illud Venerem, & quosdam Stannum formare: quod contingit propter purificationis negligentiam, quandoque ipsius solius, quandoque & Sulphuris sibi admixti vel ejus comparis: Si ergò directè sublimando mundaveris & illum perfeceris, erit albedinis tinctura firma & perfecta cui non est par.

CAPVT VIII.

De Sublimatione Marchasitæ.

SUfficienter igitur sublimationis Argenti vivi summa intentionis tradita: nunc ad Marchasitæ sublimationem accedamus. Duæ tamen sunt illius sublimationes. Prima quidem sine ignitione perficitur. Alia verò cum ignitione, & illud ideò, quia habet duplicem substantiam. Unam scilicet Sulphur purum in materia sua. Aliam verò substantiam Argentum vivum mortificatum; prima utilis est sicut Sulphur: secunda verò utilis sicut Argentum vivum mortificatum, scilicet mediocriter præparatum. Assumamus igitur hanc ultimam, quoniàm per illam excusamur à susceptione Argenti vivi, & à laboribus mortificationis ejus. Est igitùr totus modus sublimationis illius ut teratur & in Aludele ponatur, & sublimetur sine ignitione Sulphur ejus: semper removendo, quod ex ea sublimatur sæpissimè, propter causam dictam: & augendo ignis vigorem, usquè ad ignitionem Aludelis & ejus prima sublimatio Marchasitæ debet fieri in vase sublimationis Sulphuris, quousquè Sulphur recesserit, &

* *Vid. Tab. 1. fig. 2.*

postea in isto successivè & ordinatè, quousque totum, quod in eadem Sulphure constat, exierit; quod probare poteris his manifestis experientiis. Nam cùm totum illius Sulphur fuerit elevatum, videbis colorem ejus, quod post illud sublimabitur, mutari in albissimum mixtum cœlestino eidem colore clarissimo & amœno. Aliter quod erit de Sulphuris natura, comburetur & flammam dabit ut Sulphur, quod verò secundò post illud sublimatum fuerit, nec inflammabitur, nec proprietates Sulphuris ostendet aliquas, sed Vivi argenti mortificati in sublimationis iteratione. Illud ergò colligamus per suum sublimationis modum, qui est, ut fiat vas terreum solidissimum & benè coctum ad longitudinem mediæ staturæ virilis: ad latitudinem verò, per quam manus subintrare possit: & fiat fundus: qui separari & conjungi possit, ad similitudinem unius parapsidis profundæ multum: & mensuretur ab orificio illius vasis usque propè fundum, ad mensuram longitudinis unius manus cum digitis suis: & de illo loco usque ad caput ejus vitrificetur interiùs vas, vitrificatione spissâ multum, & super caput ejus ponatur alembicus cum lato naso: in tali enim vase sublimatur illud. Conjungatur ergo fundus cum vase suo per lutum firmæ tenacitatis, & super ipsum fundum spargatur Marchasita, & super caput vasis alembicus * lati nasi, & ponatur in furnum: de cujus proprietate sit fortem ignitionem dare fusionis scilicet Argenti vel Veneris, si artifex indiguerit, quem in summa nostri operis, ubi diversitates instrumentorum narrabimus tibi & trademus sufficientèr: & caput illius furni claudas, cum rota habente foramen in medio sui ad magnitudinem vasis, per quod illud vas intrare possit, & luta junctiras in circuitu vasis & furni, ne ignis exiens impediat te & sublimationis adhærentiam, relictis solis quatuor fenestris parvis in rota, quæ claudi & aperiri possint, per quas mittantur carbones in furnum & in lateribus fornacis similiter quatuor, quasi intermediis, per quas & similiter carbones mittantur, cum sex vel octo foraminibus ad magnitudinem digiti minoris, quæ núquam claudantur, ut per illa furnus à fumositatibus se liberè possit expedire. Et sint foramina illa in junctura furni cum rota sua.

Furnus verò magnæ ignitionis est, cujus spondilia sint ad altitudinem cubitorum duorum, & in medio sit rota minutissimis & sæpissimis perforata foraminibus, cum luto fortiter annexo, capita verò foraminum superiùs sint stricta: inferiùs lata, ut cinis & carbones possint liberius ex illis cadere, & relinquat ipsa cõtinuè ad susceptionem aëris liberi aperta Nam aëris libera & multa susceptio per inferiora foramina est causa una magnæ ignitionis per furnũ, exerciteris ergò in eo & ipsum invenies. Causa verò longitudinis vasis est, ut extra ignem multa quantitas ejus extendatur, & infrigidetur: ut fumi sublimationis, locum refrigerii inveniant, & adhæreant, & non inveniant viam fugæ & suæ exterminationis. Hoc novit ille, qui, dum sublimasset in brevibus Aludelibus, nihil ex sublimato invenit, quoniam propter brevitatem Aludelis æqualis fuit per totum ignis. Ideòque semper in fumi substantia conversum sublimandum stetit, & non alicubi adhæsit, sed successivè per poros vasis evannit. Vas ergo in omnibus sublimandis ad majorem sui partem in locum sui refrigerii extendatur. Causa verò vitrificationis vasis est, ne fumi ascendentes in loco suæ ascensionis, porosum inveniant Aludelis parietem, & per illum penetrantes fugiant. Vitrificatur verò locus ascensionis illorum, ut reservetur illis via fugæ, fundus verò Aludelis non, quia ipsius fundus in magno igne consistit: qui vitrificationem ipsius funderet: quâ fusâ, & fundus ejus & similiter sublimandum funderetur & vitrum fieret. Est enim vitri proprietas omnia fundere & ad se convertere. His igitur omnibus consideratis cum causis eorum fiat ignis sub Aludele quousquè certificatus fueris experientiâ veridicâ totũ illud ascendisse. * Est autem experientia intromissio baculi terrei benè cocti, habentis foramen parvum in capite suo usquè ad medium ejus veniens, ad quantitatem digiti minoris propè ipsam rem à qua fit sublimatio. Et si foramini aliquid adhæserit ex sublimando, non est totum sublimatum: si verò non, tunc sublimatum est, & hac eadem exercitatione in sublimandis certificari poteris omnibus.

CAPVT IX.

De Sublimatione Magnesiæ & Tutiæ.

SUblimationis Magnesiæ & Tutiæ, est eadem intentio cum intentione ultimæ Marchasitæ sublimationis. Non enim possunt hæc omnia sine ignitione sublimari; ideoque omnia unam intentionem habent, cum causis & experientiis eisdem & habent unum ordinem generalem, quoniam sine fæcibus sublimari debet, quodcunquè sublimari cum ignitione necesse est: quoniam in seipsis fæces habent sufficientes, imò superfluas: & hujus signum est difficultas suæ sublimationis.

CAPVT X.

De Sublimatione diminutorum corporum.

SUblimantur & similiter omnia corpora à perfectione diminuta: & hoc eodem ordine & non cadit diversitas aliqua, nisi quia ignis sublimationis vehementior est in corporibus, quàm in Magnesia, Marchasita, & Tutia. Et non diversificantur corpora in sublimationibus suis, nisi quòd quædam indigent admixtione rei sublevantis ea: quædam verò non, ut facilior fiat eorum elevatio. Sed una tamen specialis in corporum sublimatione consideratio & experientia reperta est bona, videlicet, ut in fundo Aludelis non sit multa corporis sublimandi quantitas; quia multitudo sublimationem impedit: & planities sit in fundo Aludelis sublimationis, & non concavitas, ut possit æqualiter & tenuiter super fundum sparsum corpus: æqualiter & multum in suis omnibus partibus æqualiter elevari: Corpora verò indigentia admixtione rei elevantis, sunt Venus & Mars: propter suæ fusionis tarditatem. Venus utique indiget Tutiâ: Mars verò Arsenico: & cum eis elevantur de facili, quoniàm cum eis maximè conveniunt. Fiat igitur post ipsorum considerationem sublimatio ut in Tutia, & sibi similibus in sublimatione, & disponitur eorum sublimatio hoc eodem ordine cum causis & experientiis suis.

CAPVT XI.

De Descensione.

NArratis itaquè sublimationis intentionibus cum causis suis omnibus, restat nos nunc Descensionis modum monstrare, cum causis suis, similiter cum suo ordine determinato & completo. Fuit autèm causa inventionis illius triplex. Vna scilicet, ut cùm medicina aliqua inclusa & in illo vase, quod vocatur Descensorium Chymiæ, post fusionem descendat per foramen ejus: & tunc sumus certi, fusionem

* *Vide Tab. 1. fig. 3.*

* *Vide Tab. 1. fig. 4.*

sionem susceptisse. Alia causa, ut corpora præserventur à combustione debili, per eam descensionem post reductionem à calcibus eorum. Nam cum à calcibus corpora debilia attentamus reducere, non omnem illorum partem tempore uno reducere possumus. Si igitur pars illa, quæ primò in corpus reducta est, reductionem potiùs expectaret per ignem, evanescceret tunc major illorum quantitas. Necesse igitùr fuit ingeniari, ut cùm statim reducta est pars, ab igne deponatur. Hoc autem per descensorium fit. Est & tertia causa inventionis corporum, deputans ab omni re extraneâ. Descendit enim corpus fusum, mundum, & omnem rem extraneam in concavitate illius dimittit. His itaque necessitatibus, inventâ descensione, determinetur modus illius cum instrumento suo prius notificato, cum causis suis. Dicimus igitur, quòd forma ejus talis sit ut fundus illius sit acutus & parietes illius æqualiter, sine scrupulo sint terminantes in fundi acuitatem, ut possit unumquodque liberè sine adhærentia, ad illius fundi foramen descendere. Et coopertorium ejus, si necesse fuerit, sit adsimilitudinem planæ parapsidis, & benè conveniat illi, & sit de bona & firma terra, non de facili per ignis pressuram fundente. Mittatur ergò res, cujus intentio sit descendere in illud, super baculos rotundos, ex terra factos, ut magis fundo superiori approximetur, & cooperiatur cum eo, & junctura firmetur, & in igne de carbonibus ponatur & super ipsum suffletur, quousque tota res prædicta descendat in vas sibi suppositum. Potest tamen, si res fuerit difficilis fusionis, poni super tabulam planam, vel parvæ concavitatis, à qua possit de facili descendere, cum inclinatione capitis descensorii parva: quoniam in illa firmiùs stabit, & diutiùs ignem suscipiet, & meliorem fusionem dabit, & sæpissimè tentari potest inclinatione capitis descensorii, si fusa fuerit. Purificantur enim per hoc corpora, sed per pastillum meliùs purificantur, & ejus modus purificationis est idem, cùm modo purificationis descensorii. Et ideò per illum excusamur ab eo, tenet enim fæces corporum ut descensorium & melius: ideò narramus modum illius cum eo. Dicimus igitùr, quoniam accipimus corpus, de cujus intentione est mundari, & illud in grana minutissima, vel limaturam, vel in calcem, quod perfectius est redigimus, & miscemus calcem cum aliquo, de cujus intentione non sit fundi, sicut albumen ovi, & sapo, & postea illud fundimus. Invenimus enim per illud corpora mundari multa reiteratione, sed non mundificatione perfectâ, quam perfectionem scimus esse, sed mundificatione utili, ut medicina suscepta perfectionis, meliùs & perfectius per eam transformentur corpora, est enim administratio præcedens causam. Omnem tamen administrationem sufficienter in sequentibus tibi narrabimus. Descensorii verò modum & descriptionem ecce.

CAP. XII.

De distillatione triplici, scilicet per Alembicum, per Descensorium, & Filtrum.

COnveniens est igitur, ut sequentes propositum nostrum, sermonem de distillatione tradamus cum causis suis. Est ergò distillatio vaporum aqueorum in suo vase elevatio. Diversificetur utique distillatio. Nam quædam est per ignem. Quædam verò sine igne. Quæ verò per ignem fit, duorum generum invenitur. Quædam est, per elevationem in Alembicum. Quædam per descensum Chymiæ, quâ mediante oleum, ex vegetabilibus elicitur. Causa generalis inventionis cujuslibet distillationis, est purificatio liquorosi à fæce & sua turbulentia, & conservatio illius à putrefactione. Videmus enim rem distillatam, quocunque distillationis genere, puriorem effici, & melius à putrefactione custodiri. Causa verò specialis inventionis illius, quæ per ascensum fit in Alembicum, est scilicet inquisitio aquæ puræ sine terrâ: cujus experientia est, quòd vides aquam distillatam nullam fæcem habere. Causa inventionis aquæ puræ fuit imbibitio plurium medicinarum mundarum, ut si quando indigemus imbibitione: aquam puram habeamus, quæ fæcem post illius resolutionem non dimittat. Quâ fæce medicinæ nostræ & Spiritus mundari non possint, sed infici & corrumpi. Causa verò inventionis ejus, quæ per descensum fit, fuit olei puri in naturâ suâ extractio, quoniam per ascensum oleum in naturâ sua combustibili haberi non poterat: & hujus inquisitio fuit, scilicet ut color ejus, qui cum substantia ejus permixtus est, habeatur: hoc enim juvare potest in casu. Distillationis verò, quæ per Filtrum sine igne perficitur, causa inventionis fuit, aquæ sola serenitas. Dicamus ergò omnem distillationis modum cum causis suis. Ejus itaque quæ per ascensum fit est duplex modus. Alia enim fictili olla cineribus plenâ perficitur: alia verò cum aquâ in vase suo cum graminibus vel lanositate ordine suo disposita: ne cucurbita, vel distillationis Alembicus rumpantur, antequam ad perfectionem deducatur. Ea verò quæ cum cineribus majori, & fortiori, & acutiori perficitur igne, quæ autem cum aqua, mansueto igne, & æquali. Aqua enim acuitatem ignis non suscipit, quemadmodum & cineres. Ideoque per eam, quæ cum cineribus fit, colores & grossiores partes terreas elevari contingit. Cum ea verò, quæ cum aquâ fit, subtiliores & sine colore, & ad naturam aqueitatis simplicis approximantes. Magis subtilior ergò fit separatio per eam, quæ cum aqua perficitur, quàm per eam, quæ cineribus elicitur. Experientia benè novit hoc verum esse, qui cùm distillasset oleum per cineres, oleum, vix alteratum suscepit in recipienti. Volens ergò partes ejus separare, ad illud necessitate pervenit, ut contingeret per aquam distillare, & tunc per ejus reiterationem separavit oleum in partes suas elementares purissimas, ut albissimam & serenissimam aquam, ex rubicundissimo extraxisset oleo, remanente in fundo Alembici totaliter illius rubore. Per hoc igitur magisterium ad omnis rei vegetabilis & ejus, quæ ex vegetabili processit in esse, & omnis rei consimilis omnium determinatam elementorum separationem pervenire necesse est. Per eam verò, quæ per descensum ad cujuslibet rei oleum perveniri determinatè potest. Scilicet vegetabilium omnium & eorum consimilium. Per eam verò, quæ per Filtrum est, ad cujuslibet liquorosi serenitatem similiter perveniri potest. Hæc autem omnia, parum scientibus fiunt necessaria & manifesta, qui verò hoc ignorat, nihil ex hoc novit magisterio. Exercitetur igitur & de facili ea investigabit. Dispositio ergo ejus, quæ per cineres fit, est, ut sumatur olla fortis ex terra, & coaptetur in furno, simili sublimationis furno, cum eadem distantia furni à spondilibus, per eandem investigationem, & similibus auriculis, super cùjus fundum ponantur cineres cribellati ad digiti spissitudinem, super quos ponatur vas distillationis, & cooperiatur in circuitu ejus cum eisdem cineribus

usque propè collum Alembici: post infundatur res in illud de cujus intentione sit, sic distillari. Ultimò cooperiatur illud cum Alembico, cujus collum sigillatim suscipiat intus alterius collum, ne viam fugæ inveniat distillandum: post lutetur Alembicus cucurbitæ inferioris intra se, usque ad concavitatem canalis ipsius Alembici cum cucurbita sua, ut firmetur eorum junctura, & supponatur ignis, quousque distillet. Alembicus autem & ejus cucurbita de vitro sint, & ignis augeatur illi secundùm exigentiam distillationis, quousque videatur totum distillatum esse, cum magna ignis expressione. Secundæ verò intentionis distillationis dispositio, quæ per aquam fit, est similis huic in vase & Alembico. Differt autem ab ea in hoc, quod sumitur una olla ferrea vel ænea, & coaptatur ad furnum ut dictum est: & post super fundum illius ollæ, stratum de graminibus vel lana, vel re alia consimili, construatur ad spissitudinem duorum vel trium digitorum, ne cucurbita frangatur: & eisdem graminibus vel rebus consimilibus cooperiatur in circuitu cucurbita, usque propè collum Alembici, & super ipsa sarmenta virgæ subtilis spargantur, & super virgas ponantur lapides ponderosi, qui suo pondere cucurbitam & Alembicum & ipsa sarmenta deprimant: & depressa firmiter & stabiliter teneant super ollæ fundum, ne natent levata per ipsam aquam, quia levigatio hæc esset causa fracturæ vasis, & distillandæ rei perditio. Post inter sarmenta fundatur aqua usquè ad ollæ plenitudinem, & supponatur ignis, quousque distilletur totum. Dispositio verò ejus, quæ per descensum fit, est, ut fiat descensorium vitreum, cum coopertorio ejus, & lutetur utrumque, & intromittatur quod sic distillari intenditur, & fiat ignis super caput illius, descendet enim distillatio ejus. Dispositio verò ejus, quæ per Filtrum fit, est, ut ponatur distillandum in concham lapideam, & filtri benè abluti & madidi, ponatur pars latior in dictum liquorem usquè ad fundum conchæ. Pendeat verò exilior pars ejus ab orificio conchæ extra, & sub capite illius filtri ponatur vas recipiens distillationem. Cùm ergò incipiet distillare ipsum filtrum: primò aqua distillabit, qua madidum fuit: quâ cessante, succedet illi liquor distillandus: qui, si non serenus fuerit, toties ad concham revertatur, quousque sereniissimus distilletur, & quia facilia sunt omnia, magnâ probatione non indigent: ideò eorum probationem solvimus. Descriptio verò & modus omnium vasorum distillationis cujuslibet à nobis nunc tradetur. *

CAPVT XIII.

De Calcinatione.

POst igitur distillationis narrationem, de Calcinatione sermonem tradamus. Est ergo Calcinatio rei siccæ per ignem pulverisatio ex privatione humiditatis partes consolidantis. Causa verò ejus inventionis est, ut sulpureitas adustiva & corrumpens & defædans, per ignem deleatur. Diversificatur verò secundùm diversitatem rerum calcinandarum. Calcinantur enim corpora, & calcinantur Spiritus, & res aliæ extraneæ à naturâ horum, diversâ tamen intentione. Quia igitùr sunt corpora imperfecta duorum scilicet generum: dura, videlicet, ut Venus & Mars. Mollia verò, ut Jupiter & Saturnus, quæ omnia calcinantur, necesse fuit illa diversâ intentione calcinari speciali & generaliter, attamen una intentio, quare calcinantur, est, ut sulphureitas adustiva illa corrumpens, & defædans deleatur: per ignem enim comburitur omnis res, in qua est sulphureitas adustiva, quæ sine calcinatione deleri non potest, quoniam ipsum corpus solidum est, & propter soliditatem & latitationem sulphureitatis, in continuitate substantiæ Argenti vivi, defenditur per illud ab adustione. Ideò necesse fuit continuitatem ejus separare, ut ignis liberius ad quamcunquè minimam ejus partem perveniens, sulphureitatem ex eo comburere possit: & non defendat ipsum continuitas Argenti vivi in illo. Et est communis intentio similiter in illa depuratio terreitatis. Inventum enim est, quòd per reiterationem calcinationis & reductionis eorum, mundantur corpora, ut modò scribemus in sequentibus. Specialis verò calcinatio corporum mollium est, ut cum his duabus intentionibus sit intentio, per eam calcinationem illa indurare & ignire: ad quod pervenitur, cum ingeniosa reiteratione calcinationis super illa, de qua in sequenti traditione determinare nos expedit. Invenimus enim per id ingenium, manifestè ipsa indurari. Sed manifestiùs Jupiter & citius induratur. Causa verò inventionis spirituum calcinationis est, ut ipsi meliùs figantur & faciliùs solvantur in aquâ: quoniam omne calcinati genus fixius est, quàm non calcinati, & facilioris solutionis, quia partes calcinatæ magis subtiliatæ per ignem, facilìùs cum aquis commiscentur, in aquam convertuntur, hoc scit qui expertus est. Calcinatio verò aliarum rerum fuit exigentia præparationis spirituum & corporum; de quâ latius determinabimus in sequenti. Non autem est de perfectione horum aliquid talium. Modus ergò calcinationis est diversus, propter diversitatem calcinandorum. Calcinantur enim corpora aliter quàm spiritus, vel aliæ res, & corpora etiam à se invicem differunt, similiter diversimodè calcinantur. Corpora enim mollia, unum modum habent generalem ad calcinationis intentionem, scilicet, quòd ambo per solum ignem calcinari possunt, & per salis acuitatem præparati vel non præparati ambo similiter. Priùs igitur per ignem solummodò sic perficitur, ut fumatur vas ferreum vel terreum, ad similitudinem parapsidis formatum, cujus structura sit firma, & coaptetur ad furnũ calcinationis taliter, quòd sub illo possint carbones proiici & sufflari. Proiiciatur verò in fundum vasis illius Plumbum vel Stannum, quod super tripodem ferreum vel trium lapidum columnas sedeat firmiter, & ad furni sui parietes similiter firmetur, quatuor vel tribus lapidibus coarctantibus illud ad eos, ne vas moveri possit: furni verò figura eadem sit cum forma furni magnæ ignitionis, de quo narratum est jam, & narrabitur similiter sermone completiori. Accendatur ergò sub illo furno ignis sub vase calcinationis, ad ipsius calcinandi corporis fusionem potens, & cùm ipsum corpus fusum cutem nigram super se creaverit ignis calore, subtrahatur ab eo, cum pala ferrea vel lapidea, quæ se non permittat aduri ad infectionem calcis. Hæc excoriatio tam diu continuetur, quousquè ipsum corpus in pulverem convertatur, quòd si Saturnus fuerit, ad majorem ponatur ignem, quousq; ad citriniissimum mutetur colorem calx ejus. Si verò Jupiter sit exponatur & dimittatur, quousquè in albedinem calx ejus mutetur completam. In hoc tamen sollicitum reddimus artificem, quoniam Saturnus

* *Super hisce omnibus distillationibus per ascensum, per descensum & per filtrum; seu potius super earum instrumentis, vide Tab. 1. Fig. 5. 6. 7. 8. & 9.*

Saturnus de facili à calce suâ redit ad corpus. Jupiter verò difficillimè. Ideoquè ne contingat illum errare in expositione Saturni, post primam ejus pulverisationem, scilicet ad temperatum ignem, ne priùs redeat quàm perficiatur illius calx, quoniam temperantiâ ignis indiget, & successione augmenti illius paulatim cum cautelâ, quousquè in calce firmetur sua, ne de facili redeat in corpus, ut possit illi major ignis administrari ad suæ calcis perfectionem. Ne contingat similiter errare propter difficilem Jovis reductionem, ut si quando posuerit in reductionem calcem ejus, eveniat ei quod non reducat: sed inveniat eam prioris dispositionis aut in vitrum redactam, & æstimet tunc reductionem ejus impossibilem. Dicimus enim, quoniam si in Jovis reductione magnum non adhibuerit ignem, non reducet: si verò magnum, non necesse est illum reducere, sed possibile est illum in vitrificationem adducere. Et illud ideò, quoniam Jupiter in profundo suæ naturæ Argenti vivi, fugitivam inclusam habet substantiam, quòd si longam in igne contraxerit moram, fugiet, & corpus privatum humiditate relinquet: quod potiùs ad vitrificationis, quàm ad corporis metallici fusionem converti reperiatur. Omne enim propriâ privatum humiditate, nullam nisi vitrificatoriam dat fusionem, ideòque necessariò relinquitur, quòd cum ignis impetu maximo velociter reducat & celeriter festinet: aliter enim non reducitur. Exercitetur ergò ad illud, qui hoc vult scire.

CAPVT XIV.

De Calcinatione cum Salibus.

MOdus verò Calcinationis horum duorum corporum, quæ à Salis acuitate perficitur, est ut projiciatur super faciem illorum quantitas Salis, post quantitatem sæpissime infusione suâ, & pernisceantur agitatione multâ per baculum ferreum super ignem, quousquè per Salis mixtionem in cinerem vertatur, & posteà per eundem modum perfectionis, perficiatur illorum calx cum suis considerationibus. Sed in hoc est etiam differentia, in horum duorum corporum calcinatione, quoniam Plumbum ex primis calcinationis laboribus ad pulverem convertitur, faciliùs quàm Jupiter: non autem perficitur illius calx faciliùs quàm Jovis, dependet autem hujus causa ex eo, quod Saturnus humiditatem magis habet, quàm Iupiter fixam & majorem terreitatem quàm Iupiter. Veneris verò & Martis est idem modus, diversus tamen à primis, & illud propter liquefactionis eorum difficultatem, & est, ut laminati ponantur ad fortem ignitionem; de cujus intentione non sit fundere, propter multam terreitátis eorum quantitatem, & multam sulphureitatis adustivæ & fugientis mensuram, de facili in hoc modo adducuntur in calcem, & illud ideò, quoniam ex multâ terreitate Argenti vivi substantiæ intermixta, turbatur Argenti vivi continuatio, & ideò porositas in eis creatur: per quam & Sulphureitas transiens evolare potest, & ignis ex causâ illa ad eam accedens comburere, & eam elevare potest: Per hoc enim relinquitur & partes rariores fieri, & in cinerem per discontinuationem raritatis converti. Manifesta est ergò experientia hujus, quoniam exposita ad ignitionem Veneris lamina, flammam dabit sulphuream, & sequammam in superficie sua cauabit pulverisabilem, & illud ideò, quoniam ex propinquioribus ejus partibus, faciliorem Sulphuris necesse est combustionem fieri. Modus verò furni calcinationis hujus est idem cum modo furni distillationis, nisi quòd foramen solummodò unum debet super caput suum habere, undè à fumositatibus se liberè absolvat, & situatio calcinandorum in medio furni sit, ut in circuitu liberè ignem recipiat. Vas verò ejus sit terreum, ad figuram parapsidis factum, modus itaquè calcinationis spirituum est, ut eis ad fixionem approximantibus, administretur ignis successivè, & paulatim illum augendo ne fugiant, quousque maximum eos tollerare ignem contingat, & vas eorum sit rotundum, & undique clausum, & furnus idem cum novissimè dicto. Cum simili autem furno & simili vase, omnis similiter alia res calcinatur. Excusamur tamen à majori labore, quàm qui adhibetur in custodiâ fugæ spirituum, quoniam alia res non fugit, nisi spiritus & quæ spirituum naturæ approximat. Descriptio verò omnium quæ narrata sunt novissimè est hæc, quæ superiùs descripta est.

CAPVT XV.

De Solutionibus

DE Dissolutione sermo noster ampliatus, innuit Solutionem rei siccæ in aquam esse reductionem, quoniam omnis solutionis perfectio adducitur cum aquis subtilibus, & maximè acutis & acribus, & ponticibus, fæcem nullam habentibus, sicut est acetum distillatum, & uva acerba & pyra multæ acritudinis & mala Granata similiter distillata, & his similia. Fuit autem causa inventionis ejus subtiliatio eorum, quæ neque fusionem nec ingressionem habent, de quibus magna utilitas amittebatur spirituum fixorum, videlicet & eorum, quæ suæ naturæ sunt. Nam omne quòd solvitur, necesse est Salis aut Aluminis, vel eorum consimilium naturam habere. Est autem natura eorum, quoniam fusionem dant ante illorum vitrificationem, ergo & spiritus soluti, fusionem præstabunt similiter similem. Cùm ergo multum ex natura sua corporibus & sibi invicem conveniat. Habitâ fusione necesse est per illam corpora penetrare, & penetrando transmutare. Ad hoc verò quod penetrent & transmutent, sine magisterio non pervenitur, quod est scilicet ut post sublimationem & coagulationem illius administretur illi aliquis ex spiritibus purificatus & mundatus, non fixus, & toties ab illo sublimetur, quousquè secum maneat, & illi velociorem præstet fusionem, & ipsum in fusione sua à vitrificatione præservet. De natura enim sic præparatorum spirituum, & corporum est, non vitrificari, & à vitrificatione commixtum salvare, donec in commixto fuerint. Spiritus ergo, qui magis naturam servabit spiritûs, magis à vitrificatione defendet. Magis autem servabit spiritus solummodò purificatus quàm purificatus, fixus, calcinatus, atque solutus, ideòque necesse est talem illi admisceri. Resultat enim bona fusio ex eis, & ingressio & fixio stans. Ex operibus autem naturæ probare possumus, sola Salium & Aluminum, & similium naturam servantia, solubilia esse. Non enim in operibus illius omnibus considerantes, invenimus alia solvi, præter illa. Igitur quæcunque solvuntur, necesse est per illorum naturam solvi, sed quia videmus omnia verè calcinata solvi, per reiterationem calcinationis & & solutionis, ideò probamus per illud omnia calcinata, ad Salium & Aluminum naturam approximare. Ideòque sese in proprietatibus necesse est concomitari. Modus ergo solutionis duplex est, scilicet per fimum calidum, & per ferventem aquam:

quorum

quorum est una intentio, & unus effectus. Modus verò per fimum est, ut ponatur calcinatum in ampulla vitrea, & super illud fundatur quantitas aceti distillati, vel consimilium duplum ejus, & obturetur caput suum benè ne respiret,& sub fimo tepido triduò dimittatur, & postea per destillationem filtri, solutum removeatur: non solutum verò iterato calcinetur, & post calcinationem iteratò similiter solvatur, donec per reiterationem operis illud totum solvatur. Modus verò, qui per ebullientem aquam fit, velocior est, & est ut calcinatum similiter ordinetur cum aceto, obturato foramine, ne res respiret, quæ in caldario pleno aqua & stramine sepeliatur, ut in distillationis modo per aquam præceptum attulimus per ordinem, & postea accendatur sub ea ignis, donec aqua per horam ferveat. Post verò solutum per Filtrum destilletur & seorsum servetur, non solutum verò iterato calcinetur, & iteratò eodem ordine solvatur, & per Filtrum,ut supra distilletur, vel reserventur insimul mixtæ istæ solutiones,ut potiùs una sola distillatio fiat, donec per reiterationem calcinationum solvatur, descriptio verò ejus quod nunc dictum est superiùs habita est.

CAPUT XVI.

De Coagulatione Mercurii & rerum solutarum.

COagulatio itaque est rei liquorosæ ad solidam substantiam, per humidi privationem,reductio. Est autem duplex inventionis causa illius, Argenti vivi scilicet induratio: altera verò medicinarum solutarum ab aqueitate illi admixta absolutio. Diversificatur verò secundum ipsorum coagulandorum multiplicatum. Alia enim Argentum vivum coagulatione indiget, alia verò solutâ medicinâ. Est autem & ipsius Argenti vivi duplex coagulatio.Una quidem per ablationem totius humidi innati ab illo. Alia verò per inspissationem ipsius humidi, quousque induretur. Coagulare autem illud difficillimè, atque laboriosè accedet, ad quod laboriosè accedunt, cum profunditatem perspicacis industriæ, & nos narrabimus omne ingenium coagulationis illius. Ingenium verò coagulationis, cogitaverunt quidam fore per conservationem illius in igne temperato, qui cùm illud putassent coagulasse, post remotionem ejus ab igne, invenerunt illud fluere sicut priùs: per hoc ergo in stuporem adducti sunt, & in admirationem vehementem,arguentes ad hoc perveniri, non posse. Alii verò necessariò ex principiis naturalibus supponentes humidum quodlibet ab ignis calore in siccitatem converti, conati sunt perseverantiæ instantia continuare illius conservationem in igne,& per hanc continuationem ad hoc pervenerunt, ut ex eis aliqui in album, aliqui verò in rubeum converterint lapidem: aliqui verò in citrinum, cujus non fuit fusio nec ingressio, & hujus diversitatis causam non potuerunt æstimare, illud ideò abjecerunt. Alii verò cum medicinis illud coagulare conati, ad hoc non pervenerunt, sed accidit eis illusio, aut quia illud non coagulaverunt, aut quia insensibiliter illud ab eis extenuatum est:aut quia coagulatio eorum non fuit in forma alicujus corporis, sed in forma Argenti vivi cum Plumbo mixto & horum causam similiter ignoraverunt. Alii verò medicinas artificiosas cõponentes illum in projectione coagulaverunt: sed eorum non fuit coagulatio utilis,quoniam ad imperfectum corpus illud converterunt, & causam hujus similiter videre non potuerunt. Horum igitur nos narrare causas expedit, ut coagulationis illius magisterium artifex inveniat. Ut jam à nobis sufficienter narratum est,uniformis est substantia Argenti vivi, quare non est possibile in brevi spatio temporis, per conservationem illius in igne aqueitatem removere suam. Nimia ergò festinatio, causa fuit primi erroris, cum verò subtilis sit substantiæ ab igne recedit. Ignis igitur excessus fuit causa erroris illorum,à quibus fugit. Commiscetur cum Sulphure, Arsenico & Marchasita de facili, propter communitatem in natura sua. Ideòque per illa apparet coagulatum, non in forma corporis, sed Argenti vivi cum Plumbo mixti. Non enim hæc, cùm fugitiva sint, possunt illud in ignis pugna tenere, quousque ad corporis naturam perveniat, sed fugiunt secum per ignis incensionem: & illud est causa erroris illorum, qui sic coagulant. Habet utique similiter Argentum vivum humiditatem sibi multùm unitam, quam ab illo separari non est possibile, nisi per ignis cautam violentiam,vel per cõservationem ejus in suo igne: & est suus ignis ille, quem augmentando, secundùm exigentiam suæ tollerantiæ, illius humiditatem tollit, non relictâ sibi parte ad fusionem metallicam sufficiente: quâ remotâ non funditur, & hæc est causa erroris illorum, qui in lapidem illum coagulant non fusibilem: habet similiter Sulphuris partes naturaliter sibi mixtas, quasdam tamen plùs, quasdam verò minus, quæ removere per artificium non est possibile. Cùm igitur sit Sulphuris proprietas cùm Argento vivo, rubeum vel citrinum, secundùm mensuram suæ quantitatis creare colorem:ejus ablationis proprietas Argento vivo erit albedinem dare per ignem. Hæc igitur est causa varietatis colorum illius, post coagulationem ejus in lapidem, habet & similiter terreitatem Sulphuris admixtam, quâ infici õmnes suas coagulationes necesse est, & hæc est causa erroris illorum, qui illud in corpus imperfectum coagulant. Ex diversitate igitur medicinarum coagulationis illius, accidit diversa in coagulatione creari corpora,& ex diversitate illius similiter quod coagulandum est. Nam si medicina, vel illud habuerint mixtum non fixum,necesse est corpus molle ex illo creari: si verò fixum, necesse est durum, & si album, album: si verò rubeum, rubeum: & si remissum ab albo vel rubeo, remissum similiter necesse est fieri,& si terreum, infectum: si verò non, non, & omne similiter non fixum lividum creat:fixum verò non, quantum in illo est. Pura ergo illius substantia purum creat corpus: non pura verò è contrario. Accidit autem & similiter in solo Argento vivo, absque Sulphuris commixtione diversitas eadem, propter diversitatem mundationis & præparationis illius cum medicinis. Ideoque contingit ex medicinæ diversitate illusio in coagulatione illius per eam, quandoque Plumbum, quandoque Jupiter, quandoque Venus, quandoque Mars: quod propter impuritatem accedit fieri, quandoque verò Sol, quandoque Luna, quod ex puritate venire necesse est, & consideratione eorum.

CAPUT XVII.

De Coagulatione Mercurii per præcipitationem.

COagulatur igitur ex frequenti illius præcipitatione cum violentia ad ignis asperitatem. Asperitas enim ignis aqueitatem illius de facili removet, & hoc

& hoc fit per vas, cujus figura sit multæ longitudinis, in quo inveniens refrigerium, locum adhærentiæ inveniat, & quietis in ejus spondilibus, per suam longitudinem & non fugæ viam, quousquè iteratâ vice ad illius fundum præcipitetur, multâ caliditate ignitionis, cum reiteratione multâ, quousquè fiat fixum. Coagulatur similiter ex diuturnâ retentione in suo igne, cum vase vitreo, cujus collum sit multæ longitudinis & in ventre figuram ampullæ habeat, cum continuâ colli ejus apertione, ut posteà possit humiditas ejus evanescere. Coagulatur verò per medicinam illi convenientem, & nos narrabimus in sequenti illam apertiùs. Hic verò similiter, ut intentionem nostram super illam narremus completam, secundùm quod per nostrum invenimus experimentum. Et est medicina illa, quæ maximè illi in profundo adhæret, & per minima commiscetur ante illius fugam. Ex rebus ergò sibi convenientibus necesse est illam colligere. Sun autem hujusmodi corpora omnia, Sulphur vel Arsenicum, sed quia non videmus corpus aliquod in natura sua illud coagulare, sed ab eis ipsum fugere, quantumcumquè fuerit suæ convenientiæ. Ideò consideramus nullum corpus illi in profundo adhærere, subtilioris ergo substantiæ & liquidioris fusionis necesse est medicinam illam esse, quàm ipsa corpora. Ex spiritibus etiam non videmus illis in natura sua manentibus firmam & stabilem coagulationem fieri illius, sed fugitivam, & multæ infectionis, quorum quidem contingit, alterum propter spirituum fugam, alterum verò exterreæ & adustibilis substantiæ illorum commixtione. Ideoquè ex hoc manifestè relinquitur ex quacunque medicina illius eliciatur, ipsam debere esse substantiæ subtilissimæ & purissimè illi adhærentis, ex natura sua tacillimæ & tenuissimæ liquefactionis ad modum aquæ fixæ super ignis pugnam: hoc enim ipsum coagulabit, & in naturam Solarem vel Lunarem convertet. Modos ingeniorum medicinæ tibi dedimus, ad quam per illos pervenire potes: & ipsam sermone sibi proprio determinavimus. Sollicitè igitur ad illam exerciteris, & eam invenies, sed ut nos non increpare possis ex ejus insufficientiâ: Dicimus, quoniam ex ipsis corporibus metallicis, cum suo Sulphure vel Arsenico præparatis, & ex Solis similiter corporibus hæc medicina elici potest. Ex solo verò Argento vivo faciliùs & propinquiùs & perfectiùs invenitur: quoniam natura propriam naturam amplectitur amicabiliùs, & eâ gaudet magis quàm extraneâ: & est in ipso facilitas extractionis illius substantiæ subtilis. Cùm jam in actu subtilissimam habeat substantiam. Modi verò inventionis hujus medicinæ Mercurii, sunt per sublimationem, ut à nobis narratum est sufficienter. Modus verò fixionis illius, in capitulo suæ fixionis similiter narratus est. Coagulatorum verò solutorum modus est per ampullam in cineribus usquè ad collum in temperato igne, quousquè aqueitas evanescat. De criptio longorum vasorum & eorum in quibus fit omnis coagulatio, hæc est.

CAPVT XVIII.

De Fixione & modis ejus.

FIxio est rei fugientis ad ignem conveniens adaptatio. Causa verò intentionis ipsius fixionis est, ut omnis tinctura omnisquè alteratio perpetuetur in alterando, & non mutetur. Diversificatur verò & ipsa similiter, secundum rerum figendarum multiplicitatem: quæ sunt videlicet, corpora quædam à perfectione diminuta, ut Saturnus, Iupiter, & Venus: & secundùm diversitatem ipsorum Spirituum, qui sunt Sulphur & Arsenicum in gradu uno, & Argentum vivum in alio: in tertio verò Marchasita, Magnesia & Tutia: quæ omnia prædicta solvuntur, coagulantur, & fixantur, & horum similia. Figuntur ergo corpora hæc à suâ perfectione, diminuta per suam calcinationem: quoniam absolvuntur per eam à sulphureitate volativâ & corrumpente. Et hanc calcinationem sufficienter in suâ monstravimus oratione. Figuntur vero Sulphur & Arsenicum duobus modis, scilicet per reiterationem sublimationis super illa in vase Aludele, quousquè stent. Et ex hoc acquiritur intentio festinationis fixionis illorum, ut ingenieris ad inventionem multiplicis similationis, reiterationis, in brevi tempore: quod per duo fit Aludella* cum duplicibus suis cooperculis, hoc ordine, scilicet ut nunquam ab actu sublimationis desistant, donec fixa fuerint. Projiciantur ergò cum in uno ascenderit, in aliud Aludel, & sic alternatâ vice fiat: etiam nunquàm otiosa permittantur Aludelis spondilibus adhærere, quin in continuâ sint ignis elevatione, quousque cessèt illorum elevatio: & quantocunquè brevioritempore poteris multiplices sublimationis reiterationes multiplicare, tantò celeriùs continget ipsius fixionis tempus abbreviare. Ideoquè fuit secundus fixionis modus inventus, qui est per ipsius sublimandi præparationem ad calorem, ut continuò in illo sit, donec figatur, & hoc fit per longum vas vitreum, cujus fundus sit terreus & non vitreus, quoniam scinderetur in partes, & fit illi artificialiter cum clausura bona connexus, & per spatulam ferream vel lapideam, cum ad spondilia ejus adhæserit, dejiciatur ad ima caloris continuè per alternas vices, quousquè; figatur, Fixionis verò modus Argenti vivi, est idem cum modo fixionis Sulphuris & Arsenici, & non diversificantur inter se: nisi in hoc, quod non possunt Sulphur & Arsenicum figi, nisi prius eorum partes inflammabiles tenuissimæ, subtili divisionis artificio, ab eis separentur. Per hunc ultimum fixionis modum, Argentum vivum hanc considerationem non habet. Non enim habet partes inflammabiles: & ad hoc similiter temperatiori calore, quàm Argentum vivum indigent. In hoc verò modo diversificantur, quia in longiori figuntur tempore quàm Argentum vivum, quoniam altius elevantur, propter suam raritatem, quàm Argentum vivum. Ideòque longiori vase indigent, quàm Argentum vivum ad suam fixionem. Fixio verò Marchasitæ, Magnesiæ & Tutiæ est, ut cùm post primam sui sublimationem acquisiverimus aliquid, quod ex eis volumus, abjectis illorum fæcibus, reiteremus super eas sublimationem toties convertendo quod superius ascendit, ad id quod inferiùs remansit, ex unoquoquè illorum, quousquè figantur. Descriptio vasorum jam tradita est.*

CAPVT XIX.

De Ceratione.

CEratio igitur est, duræ rei non fusibilis mollificatio ad liquefactionem; ex hoc ergò manifestum est, quod causa inventionis illius fuit, ut quòd ingressionem ex privatione suæ liquefactionis, non habebat, in corpus ad alterationem, mollificaretur, ut flueret, & ingressionem haberet. Putaverunt ideò aliqui

* *Vide Tab. I. fig.* 10. 11. 12. * *Vid. Tab. I. fig.* 13. 14. 15.

aliqui Cerationem fieri debere ex oleis liquidis & aquis. Sed erroneum eſt illud, & à principiis hujus magiſteri naturalibus ſemotum penitùs, & ex manifeſtis naturæ operibus reprobatum. Naturam enim non videmus in ipſis corporibus metallicis, humiditatem citò terminabilem, in mò diu durabilem ad illorum mollificationis & liqueſactionis neceſſitatem poſuiſſe. Si enim talem illis poſuiſſet, relinqueretur neceſſario, ut citiſſimè ſcilicet ignitione unâ corpora, totaliter humiditate privari contingeret: quare ex illo ſequeretur, poſt unam ignitionem, corpus quodlibet, nec malleari, nec fundi poſſe. Quamobrem igitur, imitantes naturæ opera, in quibus poſſumus, neceſſe eſt, nos modum naturæ in cerando ſequi. Cerat autem ipſa in radice cerationis fuſibilium humiditate, quæ ſuper omnes eſt humiditates exſpectans ignis calorem. Igitur & nos conſimili cerationè, humiditate neceſſariò expeditati. In nullis autem rebus melius & poſſibilius hæc humiditas incerativa invenitur, quàm in his videlicet Sulphure & Arſenico propinquè, propinquiùs autem & meliùs in Argento vivo. Horũ autem humiditatem non videmus, terram illorum reliquere, propter ſortem unionem, quam in opere mixtionis naturæ habuerunt. In omnibus autem rebus aliis, humiditatem habentibus experimento invenies, eã in reſolutione à terrea ſua ſubſtantia ſeparari: & poſt illius ſeparationem, omni humiditate privari. In ſpiritibus autem prædictis hoc minimè contingit. Ideoque non eſt aliud, per quod ab illorum incerationis acceptione excuſari poſſimus. Modus ergò cerationis eſt per illos, ut toties ſuper rem cerandam multiplicetur eotum ſublimatio, quouſque in illa, cum humiditate ſuâ manentes, fuſionem bonam præſtent. Hoc autem non fiet ante illorum perfectam mundationem ab omni re corrumpente.

LIBRI TERTII

SVMMÆ GEBRI PHILOSOPHI PERSPICACISSIMI,

De

CONSIDERATIONE RERVM EX QVIBVS EST PERFECTIO MAGISTERII, PROOEMIUM.

PRincipiorum itaquè hujus magiſterii diſcuſſione traditâ, neceſſe eſt ex promiſſione noſtra intentum, hujus noſtræ artis completè proſequi, ſermone illi conveniente. Et eſt ſcilicet conſideratio omnis rei, per quam perfectio hujus operis aptiùs oſtendatur. Et conſideratio neceſſitatis perfectionis medicinæ, ſcilicet ut diſcutiatur, ex quare meliùs & propinquiùs eliciatur illa ad omnem imperfecti perfectionem. Et conſideratio ſimiliter artificiorum, per quæ cognoſcamus an perfectio ſit completa. His itaquè traditis, & tota erit perfectionis tradita cognitio, ſecundùm noſtræ artis exigentiam.

CAPVT I.

De *Sulphuris & Arſenici Eſſentia.*

COgnoſcere verò non eſt poſſibile transmutationes corporum, vel ipſius Argenti vivi, niſi ſuper mentem artificis deveniat vera cognitio illorum naturæ, ſecundùm ſuas radices. Priùs ergo corporum principia norificabimus; quid ſcilicet ſint ſecundùm cauſas ſuas, & quid boni vel mali in ſe contineant. Poſteà verò ipſorum omnium corporum naturas cum ſuis omnibus monſtrabimus proprietatibus: quæ videlicet ſint cauſæ corruptionis illorum, cum ſuis experientiis. Comprobantes igitur imprimis ſpirituum naturam: quæ ipſorum ſunt corporum principia afferamus: quæ ſunt ſcilicet Argentum vivum, Sulphur & ſimum compar. Dicimus igitur, quoniam Sulphur & ſuum compar pinguedo ſunt terræ, ut jam ſupra narravimus in capitulo de Sulphure: cujus experientiâ manifeſtam probationem elicias, per illius inflammationem, & facilem ejus liquefactionem per calidum. Non enim inflammatur, niſi quod oleaginoſum eſt, id eſt pingue, nec liqueſcit per calidum facilè, niſi quod illius naturam habet. Sulphur itaque & ſuum compar cauſam corruptionis habent, ſcilicet, inflammabilem ſubſtantiam, & terream fætulentiam. Cauſam verò perficientem habent mediocrem, inter hanc ſcilicet & illam Eſt igitur cauſa corruptionis in illo per hoc, quod nec fuſionem, nec ingreſſionem habet. Cauſa verò corruptionis, ſimiliter eſt inflammabilis ſubſtantia, quæ nec ſtat, nec ſtare facit, & quod nigredinem ex omni genere ejus præſtat. Cauſa igitur perfectionis in illis eſt mediocris illorum ſubſtantia: quia per illius terreitatem, non turbatur ab ingreſſione, quæ per fuſionem bonam perficitur, & per illius ſubtilitatem non removetur eius impreſſio de facili propter fugam. Non eſt autem mediocris illorum ſubſtantia, perfectionis corporum vel Argenti vivi cauſa, niſi figatur: quæ cùm non fixa ſit, licet illius impreſſio non moveatur, tamen de facili ſtabiliter perpetuatur. Ex his itaque elicitur, mediocrem illius ſubſtantiam dividere, artificem neceſſe eſt. Dividere autem putaverunt quidam impoſſibile, propter ſortem illius commixtionem: & illi quidem in ſuis operibus manifeſtis adverſi ſunt. Nam & ipſi Sulphur calcinaverunt, & licet non multum, quod nullam fuſionem nec inflammationem dedit, ſed illud per diviſionem neceſſe eſt eveniſſe, quoniam Sulphur in ſui naturali commixtione permanens, neceſſe eſt inflammari & comburi: ergo per diviſionem diverſarum ſubſtantiarum in illo relinquitur, partem, illius magis inflammabilem, à partibus non inflammabilibus, ſeorſum in artificio ſeparari. Nam ſi poſſibile eſt per calcinationem ad reductionem illarum partium inflammabilium in illo pervenire, neceſſe eſt ex illorum naturalibus operibus eos conſiteri, ad omnem partium diviſionem pervenire. Sed quia hoc dependet ex ſubtiliſſimo artificio, cogitaverunt fore impoſſibile. Patet itaque ex præmiſſis in capitulo, non eſſe Sulphur de veritate noſtræ artis, ſed pars ejus. Et nos jam deduximus te in cognitionem artificii, per quod ad illius diviſionem

fig · 1 ·



Auricola · fœrei ·

Auricolæ · Baculi ·

Ligna ·

fig · 2 ·



Coopeculum · Paries · interior ·

Paries exterior

Coopeculum · Paries ·

& Concha · Zona ·

fig · 3 ·

Alembicus

Vitri atus

per · apsis ·



fig · 4 ·



Baculus. terreus.

fig · 5 ·

Ignis ·

Cooper · torium ·

Bacú · li ·

Ignis ·

Ignis ·



Vas re · cipiens ·

fig · 13 ·



Vas Vitreum ·

fig · 14 ·



Vas quartum ·

Vas tertium

Spatula

fig 15



Vas quintum ·

fig · 11 ·



Vas Secundum ·

fig · 10 ·



Vas primum ·

Vas Tertium ·

fig · 12 ·



fig · 6 ·



Alembicis Lapides ·

fig · 7 ·



Ampulla.

recipiens

fig · 8 ·



Concha. Vas recipiens ·

fig · 9 ·



Ignis Receptaculum ·



onem possibile est pervenire. In Arsenico verò, quia in radice suæ mineræ, per actionem naturæ resolutæ sunt multæ illius partes inflammabiles, ideò artificium ejus separationis est facile: sed ipsum est albedinis tinctura; Sulphur verò rubedinis. In Sulphuris igitur divisione, magnam adhibere cautelam necesse est.

CAPVT II.

De Mercurii Essentia.

IN Argento vivo similiter necesse est superfluâ demere. Habet enim corruptionis causam, scilicet terream & adustibilem, absque inflammatione, aqueitatis substantiam, quibus in sublimando purgatur. Putaverunt tamen aliqui non superfluam habere terram vel immunditiam. Sed vanum est quod cogitaverunt. Videmus enim ipsum multæ lividitatis & non albedinis, & præterea similiter per leve artificium, videmus ex illo terram nigram & fætulentam emanare per lavationem: cujus modum narrabimus in capitulo, de Mercurii lavacro: & diximus similiter in capitulo de sublimatione Mercurii: & similiter de solutione Mercurii. Sed quia duplicem est illius perfectionem elicere, & illud perficere: ideò necesse est ipsum duplici mundationis gradu præparare. Sunt enim duæ mundationes Mercurii necessariæ. Una per sublimationem ad medicinam, nam & hæc hic innuitur: Alia per lavacrum ad coagulationem, & illa innuitur in capitulo de medicina Argenti vivi, ex quibus elicitur. Si enim volumus medicinam ex illo creare: tunc necesse est à fætulenta suæ terreitatis substantia, mundare per sublimationem, ne in projectione creet colorem lividum: & ipsius aqueitatem fugitivam delere necesse est, ne totam medicinam in projectione fugitivam faciat, & mediocrem illius substantiam salvare per medicinam, de cujus proprietate est non aduri, & ab adustione defendere, & quæ non fugit, & fixum facit. Probamus itaque perfectivum esse illud manifestis experientiis. Nam videmus Argentum vivum, magis Argento vivo adhærere: & eidem magis amicari: post illud verò Aurum, & post Argentum. Ideò ex hoc relinquitur Solem & Lunam esse suæ naturæ magis. Alia verò corpora non videmus ad illa tantam conformitatem habere: ideò enim ipsa veridice innuimus, minùs suâ naturâ participare. Et quæcunq; è videmus plus ab adustione salvari, illa consideramus plus suam naturam habere & possidere. Ideoque relinquitur ipsum Argentum vivum esse perfectivum & adustionis salvativum, quod est perfectionis ultimum. Secundus verò gradus mundationis illius, ad ipsius coagulationem est, ut sufficiat illi solummodò suæ terreitatis per mundationem, cujus modus hic est, ut sumatur patella vitrea vel terrea, & in ea mittatur Argentum vivum, super quod fundatur aceti fortissimi parva quantitas, vel alterius rei consimilis, quæ sufficiat ad cooperiendum illud, post mittatur ad ignem lentum ne ferveat, & agitetur continuè cum digitis super fundum patellæ, ut dividatur Argentum vivum in similitudinem subtilissimi pulveris albi, donec totum acetum evaporet, & ipsum Argentum vivum redeat, post verò, quod fætulentum & nigrum videris ex illo emanasse: lava & abiice, & hoc iteratâ vice multiplica, quousque videris colorem suæ terreitatis in clarum mixtum albo cælestino colore perfectè mutari: quod perfectæ lavationis est signum. Cùm igitur pervenerit ad illud proiiciatur super ipsum medicina suæ coagulationis, & coagulabitur in Solificum vel Lunificum, secundùm quod præparata extiterit & ipsius narrationem in sequenti ponemus. Ex jam ergo dictis patet, & similiter Argentum vivum non esse perfectivum in natura sua, ad quam reducit minera sua, sed ad quod perducit ipsum artificium nostrum, & similiter in Sulphure & suo compari esse inducere. Non igitur in his possibile est, naturaliter naturam sequi, sed per nostrum artificium naturale.

CAPVT III.

De Essentia Marchasitæ, Magnesiæ, & Tutiæ.

DE aliis spiritibus, naturalem necesse est nos facere traditionem: qui sunt scilicet, Marchasita, Magnesia, & Tutia, impressionem magnam in corporibus facientes. Et ideo dicemus, quid sint, cum probationibus suis in hoc capitulo? Dicimus ergo, quod Marchasita duplicem habet in sui creatione substantiam: Argenti vivi, scilicet mortificati, & adfixionem approximantis, & Sulphuris adurentis. Ipsam ergo habere sulphureitatem, comperimus experientiâ manifestâ. Nam cum sublimatur, ex illa emanat substantia sulphurea manifesta comburens, & sine sublimatione similiter perpenditur ejus sulphureitas. Nam si ponatur ad ignitionem, non suscipit illam, prius quàm inflammatione Sulphuris inflammetur, & ardeat. Ipsam verò Argenti vivi substantiam habere, sensibiliter manifestatur. Nam albedinem præstat Veneri meri Argenti, quemadmodum & ipsum Argentum vivum & colorem in ipsius sublimatione cælestinum præstare, & luciditatem manifestam metallicam habere videmus: quæ certum reddunt artificem, illam has substantias continere in radice sua. Magnesia verò, Sulphur plus turbidum, & Argentum vivum magis terreum & fætulentum, & ipsum Sulphur similiter magis fixum, & alias minùs inflammabile habere, per easdem probare experientias manifestè poteris, & ipsam similiter magis naturæ Martis assimilare, & approximare. Tutia verò, est fumus ipsorum corporum albo rum, & hoc manifesto probatione perpenditur. Nam projecto fumo mixtionis Jovis & Veneris, adhærente in spondilibus fabricæ fabrorũ, eandem impressionem facit cum ea: & quod fumus metallicus non redit: nec ipsa similiter sine alicujus corporis commixtione. Ideoque cum fumus sit ipse albo rum corporum, alba non citrinat corpora, sed rubea. Nam citrinitas non est aliud, quàm rubei & albi determinata proportio. Ideoque ipsa propter sui subtilitatem, magis ad profundum corporis penetrat, & ideò magis alterat, quam suum corpus, & magis adhæret in examine pauco artificio, quod jam tibi narratum est. Quæcunquè enim alterantur per Argenti vivi vel Sulphuris virtutem, aut horum similium, necesse est alterari, quoniam hæc sola communicant, in natura ad ipsa corpora.

CAPVT IV.

De Solis Essentia.

DE corporibus igitur ampliato sermone eorum intimè narramus essentiam & procreationem. Et primò de Sole, postea de Luna, ultimò verò de aliis secundùm quod videbitur expedire, cum suis probationibus, quæ per experimentum habentur. Est igitur Sol creatus ex subtilissima substantia Argenti

vivi & clarissima fixura: & ex substantia pauca Sulphuris mundi, & puræ rubedinis, fixi clari, & à natura sua mutati, tingentis illam. Et ideò, quia contingit diversitas in coloribus ipsius Sulphuris, necesse est, & Auri citrinitatem intensam habere similiter. Est enim quoddam magis, & quoddam minùs in citrinitate intensum. Quod enim ipsum sit, ex subtilissima Argenti vivi substantia perpenditur, quia & ipsum Argentum vivum de facili illud suscipit. Non enim Argentum vivum aliud, quam suæ naturæ suscipit. Quod verò claram & mundam illam habuerit, per splendentem ejus fulgorem & radiantem manifestatur, non solùm in die, verùm etiam in tenebris se manifestantem dicimus & vidimus. Quòd verò fixam, & sine Sulphureitate comburentem substantiam habeat, patet per omnem operationem illius ad ignem. Nam neque minuitur, nequè inflammatur. Quod verò ipsum sit Sulphur tingens, patet per hoc, quòd admixtum Argento vivo ipsum in colorem transformat rubeum: & quòd sublimatur forti ignitione de corporibus: ita quod eorum ascendat subtilitas cum eo, citrinissimum creat colorem: patet igitur, quòd cùm pura illius substantia, purum colorem generat, cùm non pura verò impurum. Qui verò probationis suæ citrinitatis ostensione indiget, sensum non habet, quod per visum percipitur; subtilissima igitur Argenti vivi substantia ad fixionem deducta, & puritas ejusdem & subtilissima Sulphuris materia fixa non adurens, tota ipsius Auri materia est essentialis. Major igitur Argenti vivi quã Sulphuris in illo probatur quantitas, propter facilem Argenti vivi in illud ingressionem. Igitur quæcunque volueris alterare, ad hujus exemplum altera, ut ipsa ad hujus æqualitatem perducas: & modum ad illud nos jam dedimus. Et quia subtiles & fixas habet partes ejus, ideò potuerunt partes ejus multum densari. Et hæc fuit causa sui magni ponderis. Per multam verò & temperatam decoctionem, facta est illo paulatina resolutio, & inspissatio bona, & ultima mixtio, ut cum ignitione liquescat. Ex præcedentibus igitur patet, quoniam multa quantitas Argenti vivi est causa perfectionis: & multa Sulphuris corruptionis causa. Et uniformitas in substantia est causa perfectionis, quæ per mixtionem fit in decoctione naturali: & diversitas in substantia, est causa corruptionis, & induratio & inspissatio, quæ per longam perficitur & temperatam decoctionem, est causa perfectionis: oppositum verò corruptionis. Igitur, si ceciderit super ipsum Argentum vivum Sulphur, non debitè necesse est, secundùm diversitatem illius, diversas corruptiones adduci. Potest enim Sulphur, quod super illud cadit, fixum non adustibile esse totum, aut totum adustibile & fugiens in natura Sulphuris: aut partem fugientis: partem verò fixi tenere: sed in parte naturam Sulphuris tenere, in parte verò non: aut totum mundum, aut immundum, aut modicum, aut multæ quantitatis, superans in commixto, aut paucæ quantitatis, superatum in illo: aut nec superans, nec superatum, aut album, aut rubeum, aut mediocre. Ex his itaque diversitatibus, necesse fuit in natura diversa creari corpora, & his similia: quas omnes oportet nos narrare, cum probationibus manifestis.

CAPVT V.

De Essentia Lunæ.

IAm ergò patet ex prædictis, quòd si ceciderit Sulphur mundum, fixum, rubeum, clarum, super substantiam Argenti vivi puram, mundam, fixam, claram, non superans, immò paucæ quantitatis & superatum, creatur ex hoc Aurum purum. Si verò fuerit, quod ceciderit Sulphur mundum, fixum, album, clarum, super substantiam Argenti vivi mundam, Luna pura, [si in quantitate non superet] diminutam habet puritatem ab Auri puritate, & spissitudinem grossiorem quàm Aurum. Cujus signum est, quod non densantur partes ejus in tantum, quòd Auro componderet: nec ita fixam substantiam habet ut illud. Cujus signum est diminutio ejus per ignem: & Sulphur ejus, quòd non est fixum, nec incombustibile, causa est illius. Et quod Sulphur in illo hujus sit dispositionis, per illius præambulam inflammationem probatur. Illud autem fixum, & non fixum, ad aliud quidem, & ad aliud relatum esse, impossibile non est æstimandum. Lunæ enim sulphureitas ad Auri sulphureitatem relata, non fixa comburens est. Ad aliorum verò corporum relata, fixa, & non comburens est.

CAPVT VI.

De Martis Essentia.

SI verò fuerit Sulphur fixum terreum, Argento vivo terreo mixtum, & hæc ambo non puræ albedinis, sed lividæ fuerint: cujus superantiæ quantitas sit Sulphuris fixi summa, fit ex his Ferrum, quoniam superantia Sulphuris fixi, fusionem prohibet. Ideoquè ex hoc relinquitur Sulphur velociùs liquefactionis festinantiam, per opus fusionis perdere, quàm Argentum vivum. Non fixum verò videmus citiùs, quàm Argentum vivum liquescere. Ex his ergo manifestatur causa velocitatis fusionis, & tarditatis in unoquoque corporum. Nam quòd plus de fixo habet Sulphure, tardiùs, quod verò plus de adurente, faciliùs & citiùs fusionem suscipit, quod satis aperte relinquitur à nobis fore probandum. Quod autem Sulphur fixum tardiorem faciat fusionem, manifestatur per hoc, quod ipsum nunquam figitur, nisi calcinetur, calcinatum autem nullam dat fusionem, manifestatur per hoc, quod ipsum nunquam figitur, nisi calcinetur, calcinatum autem nullam dat fusionem. Ergo in omnibus corporibus illam impedire debet. Quod verò nisi calcinetur, non figatur: patet experimento illius, qui illud figit non calcinatum: quoniam ipsum invenit semper fugere, donec in terram vertatur: cujus similitudo est calcis veræ. Hoc autem minimè in Argento vivo contingit, quoniam figi potest absque hoc, quòd in terram vertatur, & figi similiter cum conversione ipsius in terram potest. Nam per festinationem ad eius fixionem, quæ per præcipitationem perficitur, figitur, & in terram mutatur. Per successivam verò illius iteratã vice sublimationem, similiter figitur, & non in terram vertitur, immò fusionem dat metallicam. Hoc autem manifestum est, & illi probatum, qui utrasquè fixiones illius expertus est, usque in illius consummationem festinam per præcipitationem & tardam per successivas sublimationes. Vidit enim & invenit sic, ut, ut à nobis scriptum susceptum. Et illud ideò quoniam viscosam & densam habet substantiam: cujus signum est contritio illius cum imbibitione & mixtione cum rebus aliis. Sentitur enim in illo manifestè viscositas illius per multam adhærentiam, densam autem substantiam illud habere manifestè monstratur per illius aspectum, & ponderationem sui immensi ponderis. Auro enim præponderat cum est in natura sua. Et est similiter fortissimæ

compositionis, ut narratum est. Ex his igitur relinquitur ipsum posse figi, sinè ipsius humiditatis consumptione & in terram conversione: propter enim bonam partium adhærentiam & fortitudinem suæ mixtionis, si quomodo partes illius inspissentur per ignem: ulterius non permittit se corrumpi: neque per ingressionem fumosæ flammæ in illud, se in fumum ulterius elevari permittit, quoniam rarefactionem sui non patitur, propter sui densitatem & carentiam adustionis: quæ per sulphureitatem combustibilem, quam non habet, perficitur. Per hoc ergo inventum est, inventione veridicâ, duorum secretorum genus mirabile triplex, unum scilicet causæ corruptionis uniuscujusque metallorum per ignem, quarum una est inclusio adurentis sulphureitatis, & illorum substantia per inflammationem illa diminuentis, & exterminantis in fumum ultimâ consumptione, quantumcunque in illis Argenti vivi veræ fixionis extiterit. Altera est multiplicatio flammæ exterioris super illa penetrantis, & secum in fumum resolventis, cujusque fixionis in eis ipsum sit. Tertia verò est rarificatio eorum per calcinationem. Tunc enim flamma vel ignis sine illa in eis penetrare potest, & ipsa exterminare. Si igitur omnes corruptiones esse contingant, maxime corpus corrumpi necesse est. Si verò non omnes, remittitur corruptionis velocitas uniuscujusque corporis, secundùm remissionem illarum. Secundum genus est bonitas, quæ per ipsum consideratur in corporibus. Quia igitur Argentum vivum, propter nullas causas exterminationis, se in partes compositionis illius dividi permittit, quia, aut cum tota sui substantia ex igne recedit, aut cum tota in illo permanet stans. Notatur in eo necessario perfectionis causa. Laudetur igitur benedictus & gloriosus Deus altissimus, qui creavit illud, & dedit illi substantiam, & substantiæ proprietates, quas non contingit ullam ex rebus in natura possidere: ut in illa possit inveniri hæc perfectio per artificium aliquod, quod in illo invenimus potentiâ propinquâ. Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab eo non superatur: sed admirabiliter in eo quiescit, gaudens eo.

CAPVT VII.

De Veneris Essentia.

REdeuntes igitur ad propositum, dicimus, quod si fuerit Sulphur immundum, fixum, grossum, secundùm sui majorem partem: secundùm verò sui minorem, non fixum, lividum, rubeum; secundùm verò totum non superans neque superatum, & ceciderit super Argentum vivum grossum: ex eo Æs creari necesse, est. Horum itaque omnium probationem adducere necesse est, per data ex natura sua. Nam cùm illud ad inflammationem ponitur, flammam ex eo Sulphuream discernere poteris: quæ Sulphuris non fixi est signum, & deperditio suæ quantitatis per exhalationem. Sulphur verò fixum in illa, significatur per frequentem ejus combustionem. Nam ex ea fit suæ fusionis retardatio, & indurario suæ substantiæ, quæ signa sunt multitudinis sui fixi Sulphuris. Quòd autem illud sit rubeum, immundum, adjunctum Argento vivo immundo, significatur per sensum: Unde aliâ probatione non indiget. Experimento itaq; elicias secretum: vides enim omnem rem caloris actione, in terram mutatam, cum facilitate solvi, & ad aquæ naturam redigi. Hoc autem contingit propter partium subtiliationem ab igne. Res igitur magis subtilis in natura propria, ad hanc terream naturam reducta, magis subtiliatur, igitur magis solvitur, ita & quæ maximè, maximè. Ex his igitur patet causa corruptionis, & infectionis horum duorum corporum, Martis scilicet & Veneris, quoniam est per Sulphuris multam quantitatem fixi & non fixi, paucæ in Venere: minimè vero in Marte. Cum igitur Sulphur fixum in fusionem devenerit, per calorem ignis, ejusque partium subtiliationem per illum: quære aptitudinem substantiæ solutionis: cujus signum est expositio horum duorum corporum ad vaporem aceti. Nam per illud floret in superficie sua Sulphuris eorum aluminositas, per calorem in illum creata subtiliativum. Et si posueris hæc duo corpora in liquorum ponticum, solventur de facili per ebullitionem in illum multæ illorum partes. Et si respexeris in mineris horum duorum, manifestam invenies ex eis solutam Aluminositatis substantiam stillare, & in illis adhærere: quæ aluminositas per ponticitatem & facilem solutionem in aquam mutatur. Non enim ponticum & facilè solubile reperitur aliud quod Alumen & quod suæ naturæ est. Nigredo verò in uno quoq; horum duorum corporum ad ignem creatur, per Sulphur non fixum; quòd in illis concluditur multum, quemadmodum in Venere: parum verò in Marte ad naturam fixi approximans: ideoque non de facili talem impressionem de Marte removere est possibile. Jam ergò patuit ex Sulphure non fixo, fusionem fieri, & fusionem adjuvari, ex fixo verò fusionem non fieri, & fusionem impediri, illud scit necessarium verum esse qui nullo ingeniorum fusionis Sulphur potuit conservare in fusione post illius fixionem. Argentum verò vivum fixit per frequentem sublimationis reiterationem ad illud, eo bonam fusionem suscipiente. Ex hoc itaque manifestum est corpo a esse majoris perfectionis, quæ plus Argenti vivi sunt continentia, & quæ minùs sunt continentia sunt minoris perfectionis. Studeas igitur in omnibus tuis operibus, Argentum vivum in commixtione superare, & si per solum Argentum vivum perficere poteris, precioſissimæ perfectionis indagator eris: & ejus perfectionis, supra quam naturæ vincit opus, mundare enim poteris intimè, ad quod natura non pervenit. Probatio verò hujus, quod ea, quæ magis Argenti vivi quantitatis sunt continentia, majoris sunt perfectionis, est scilicet facillima susceptio Argenti vivi. Videmus enim corpus perfectius, amicabiliter Argentum vivum suscipere. Ex præcedentibus itaque sermonibus relinquitur, duplicem fore in corporibus sulphureitatem: unam quidem in profunditate Argenti vivi, conclusam in principio suæ commixtionis, alteram verò supervenientem, quarum altera cum labore tollitur, alteram verò nullo artificiorum ingenio est possibile tolli, quod per ignem perficitur, ad quod possit nostra operatio congruè ac utiliter pervenire: cùm jam secum ad eandem creationem unitum factum est; & hoc experimento probatur. quoniam sulphureitatem adustibilem videmus per ignem deleri: sulphureitatem verò fixam minimè. Si ergo dixerimus corpora calcinatione mundari, intelligas utique à terrea substantia; quæ non in radice suæ naturæ unita est, quoniam unitâ mundare per ignis ingenium non est possibile, nisi adveniat Argenti vivi medicina, occultans & contemperans illam: aut illam de cõmixto separans. Separatio autem terreæ substantiæ in radice naturæ metallo unitæ, de commixto

mixto fit: aut per elexationem cum rebus substantiam Argenti vivi elevantibus, & Sulphur terreum dimittentibus propter convenientiam cum eis: ut est Tutia & Marchasita, quia fumi sunt: quorum major pars Argenti vivi est quantitas, quàm Sulphuris: & hujus experientiam vides, quoniam si forti & subitâ fusione hæc conjunxeris cum corporibus, spiritus secum adducent corpora in fuga sua levatione. Ideoque cum eis elevare poteris, aut per Argenti vivi commixtionem, quam narravimus. Argentum enim vivum tenet, quod suæ naturæ est, alterum verò respicit.

CAPVT VIII.

De Iovis Essentia.

HAc igitur investigatione propositâ, nostrum propositum sequentes innuimus, quòd si Sulphur fuerit in radice commixtionis fixione paucâ, participans album, albedine non purâ, non superans, sed superatum cum Argento vivo secundùm partem fixo albo non purè commixto, sequetur ex eo Stannum. Et horum probationem per præparationem invenies: quoniam, si Stannum calcinaveris, senties ex illo Sulphuris fætorem: quod signum est Sulphuris non fixi, & quia flammam non dat, non putes illud fixum, quoniam non propter fixionẽ, sed propter superantiam Argenti vivi in commixtione salvantis à combustione, flammam non dat. Probatur itaque duplex in Stanno sulphureitas, & duplex Argenti vivi substantia, una quidem sulphureitas, quæ est minùs fixa, quia cum calcinatur fætet ut Sulphur. Per primam probatur mixtionis experientia, altera per continuationem ipsius in calce sua ad ignem quam habet, quia magis fixa non fætet. Probatur verò duplex Argenti vivi substantia in illo. Una, quarum est fixa, quoniam ante illius calcinationem non stridet: post verò triplicem ipsius calcinationem non stridet, quod est, quia ejus Argenti vivi fugitivi substantia stridorem faciens evolavit. Quod verò Argenti vivi substantia sit in illo, probatur per lavationem Plumbi cum Argento vivo, quoniam si cum Argento vivo Plumbum lavetur, & post lavacrum ejus per illud fuderis, igne non superante suæ fusionis ignem, remanebit cum eo Argenti vivi pars, quæ Plumbo stridorem adducit, & illud in Stannum convertet. E converso permutationem Stanni in Plumbum illud considerare potes. Nam per multiplicem calcinationis reiterationem ad illud, & magis illi ignis convenientis ad reductionis administrationem, in Plumbum convertitur. Maximè verò cùm per subtractionem sui scorii cum magno calcinatur igne. Et harum substantiarum diversitatibus certificari poteris per ingenia conservationis illarum, cum instrumentis propriis, & ignis modo eas dividentis, ad quam nos pervenimus cum instantiâ, & vidimus cum certificatione nostrâ nos verum per illud æstimasse. Quid igitur sit, quod post remotionem duorum non fixorum, ex Jove scilicet Sulphuris & Argenti vivi remansit, te certum reddere nos expedit, ut completè cognoscas ipsius Iovis compositionem. Est ergò illud lividum, ponderosum, ut Plumbum, majori tamen albedine Plumbo participans est, quàm Plumbum purissimum, & est in ipso æqualitas spissitudinis duorum componentium, Argenti vivi scilicet & Sulphuris, non autem æqualitas quantitatis, quoniam in commixtione vincit Argentum vivum, cujus signum est facilitas ingressionis in illud Argenti vivi in naturâ sua. Igitur si non majoris Argenti vivi in illo esset quantitas, non adhæreret illi in naturâ sua sumptum de facili. Ideòque non adhæret Marti, nisi subtilissimo ingenio, neque Veneri propter paucitatem Argenti vivi in illis, in commixtione sua. Ex hoc ergò patet, quòd difficillimè Marti adhæret, Veneri verò facilius, propter majorem copiam Argenti vivi in eâ cujus signum est fusio illius facilis, Martis verò difficillima. Fixio verò harum duarum substantiarum, ad firmam approximat fixionem, non autem firma est perpetua, & hujus est probatio ipsius corporis calcinatio: & post calcinationem ad fortem ignem expositio, nam per eum non fiet divisio: sed tota ascendet substantia, purificata tamen magis. Videmus igitur substantiam Sulphuris, in Stanno adhærentem facilius separari, quàm in Plumbo, & hujus experimentum vides per facilem Iovis indurationem, calcinationem, & meliorationem sui fulgoris. Ideòque considerabamus hæc corrumpentia in radice sua non fuisse, sed ei post advenerunt. Et quia in primâ mixtione non fuerunt illi multum conjuncta, ideò, facilè possunt separari. Ideò alterationes in eo sunt velocis operis, mundificatio videlicet, & ipsius induratio, & illius fixio, & harum causas per ea, quæ jam à nobis tradita, manifestè considerare potes. Et quia post has operationes calcinationem scilicet & reductionem consideravimus in fumo suo elevato per magnam ignis expressionem, & vidimus illum ad citrinitatem pertinere, cum hoc sit de proprietate Sulphuris calcinati, æstimavimus æstimatione verâ, in quâ sumus certificati, ipsum Sulphuris fixi naturam multum secum continere. Qui ergò voluerit in hac nostra scientiâ videre veritatem, investigationem horum omnium studeat cum sedulitate operis, donec principia ipsorum corporum, & proprietates spirituum inveniat, inventione certâ, non conjecturali, quam tradidimus in hoc libro sufficienter ad artis exigentiam.

CAPVT IX.

De Saturni Essentia.

REstat nos igitur de Saturno descriptionem ponere, & dicimus quòd non diversificatur à Iove per calcinationis reiterationem ad illius naturam reductio, nisi quia immundiorem habet substantiam, à duabus substantiis commixtam grossioribus, Sulphure scilicet & Argento vivo, & quia Sulphur in illo comburens, est suæ quàm Argenti vivi substantiæ magis adhæsivum, & quod plus habet de substantia Sulphuris fixi ad compositionem suam quàm Iupiter, & horum probationes per experientias manifestas adducemus, quod igitur ipsum sit majoris partis terreæ fætulentæ quàm Iupiter, manifestatur per visum, & per lavacrum ejus ab Argento vivo in natura, quia plus per lavacrum emanat fætulentiæ ab eo, quàm à Iove: & quia primum gradum calcinationis suscipit facilius quàm Iupiter, quod est signum multæ terreitatis. Nam corpora plus terreitatis, facilioris invenimus calcinationis, & terreitatis paucæ difficilioris calcinationis, quia est paucæ terreitatis, ideò paucæ pulverisationis, & hujus est probatio difficillima, Solis calcinatio completa. Et quia non rectificatur ejus fæditas per calcinationis reiterationem sicut in Iove, quod est signum majoris fæditatis, in principiis ejus ex natura sua quàm Iovis. Quod verò Sulphuris quantitas combustibilis magis sit Argenti

vivi

vivi substantiæ adhæsivæ in eo quàm in Iove, significatur vero per hoc quod non separatur de eo in fumum quantitas notanda, quin sit citrini coloris multæ citrinitatis, cujus signum similiter est, quòd in fundo instrumenti ex eo remansit, quod necessario uniustrium horum esse signum relinquitur, aut nullius quantitatis Sulphuris combustibilis in eo, aut pauciſſimæ, aut multum conjunctæ in principiorum propinquitate ad radicem mixtionis. Sed certificati sumus per illius odorem, ipsum alicujus esse quantitatis, & non paucæ, immò multæ, quia non movetur ab eo sulphureitas in brevi tempore. Ideò considerabamus consideratione quâ certi sumus, Sulphur comburens illius cum Sulphure non comburente, ad naturam Sulphuris fixi approximare, in Argenti vivi substantia uniformiter esse commixtum. Ideoque cum scandit fumus ejus, necessario cum Sulphure non comburente scandit, de cujus proprietate est citrinitatem creare. Quod vero major quantitas Sulphuris non adurentis sit in ipso, quàm in Jove, à nobis adductum est cum veritate, per hoc videmus totum colorem ipsius in citrinum mutari. Jovis vero in album, in calcinationibus suis. Et ideò in hoc nobis aperta est via causæ investigationis hujus operis, per quod in calcinatione mutatur Jupiter facilius in durum, quam Saturnus. Non autem in tarditatem liquefactionis velocius quàm Saturnus, & illud ideo, quoniam causa duritiei veræ, est Sulphur fixum & Argentum vivum fixum. Causa verò liquefactionis est duplex, Argentum vivum scilicet & Sulphur combustibile, quorum alterum, quoad fusionis perfectionem sufficit, in unoquoque gradu ejus cum ignitione scilicet Argenti vivi. Quia igitur in Jove est multa Argenti vivi quantitas, non vere fixi, remanet in illo multa liquefactionis velocitas, & non removetur ab illo faciliter. Causa verò mollificationis est duplex. Argentum scilicet vivum & Sulphur combustibile. Quia igitur removetur Sulphureitas comburens ex Jove faciliùs, quàm ex Saturno, ideò ex eo altera causarum mollitiei remota, necesse est illud indurari velociter. Saturnus verò quia utriusque mollitiei causas fortiter habet conjunctas, non facilè induratur. Est tamen diversitas in mollitie per Argentum vivum & per Sulphur, quoniam mollities per Sulphur est cessiva: mollities verò per Argentum vivum extensiva. Et hoc necessario probatur per hoc, quod videmus corpora multi Argenti vivi, multæ extensionis esse, corpora verò pauci, paucæ. Et ideò Iupiter faciliùs & subtiliùs extenditur quàm Saturnus: Saturnus faciliùs quam Venus: Venus quàm Mars: Luna subtilius quam Iupiter: Sol verò quàm Luna subtiliùs. Patet igitur, quòd cùm causa indurationis sit Argentum vivum fixum, aut Sulphur fixum, causa mollitiei erit opposita. Causa verò fusionis est duplex, scilicet Sulphur non fixum & Argentum vivum cujuscunque generis. Sed Sulphur non fixum, necessariò est causa fusionis sine ignitione, & manifestè vides hujus rei experientiam per projectionem Arsenici super corpora difficilis fusionis, facit enim ea facilis fusionis & sine ignitione. Causa verò fusionis facilis est, & similiter Argentum vivum. Causa verò fusionis cum ignitione, est Argentum vivum fixum. Causa igitur impedimenti fusionis cujuscunque est Sulphur fixum, per hoc itaque maximum potes elicere secretum, quoniam cùm plurimæ Argenti vivi quantitatis, corpora maximæ perfectionis sint inventa, & plurimæ igitur quantitatis Argenti vivi, corpora a perfectione diminuta: magis ad perfectionem approximare necesse est, itaque & multæ sulphureitatis, corpora plurimæ corruptionis esse contingit. Quamobrem igitur ex jam dictis patet, Iovem maximè perfecto approximare, cum perfectionis plus participet, Saturnum verò minus, minùs verò & adhuc Venerem, minimè verò Martem, quòd ex perfectivo dependet. Aliter autem ex medicina compiente, & defectum supplente, imperfectum attenuante, & ad profundum corporum spissitudinem, & sub splendentis fulgoris substantia eorundem palliante, fuscedinem se habere contingit. Ex hoc enim maximè perfectibilis Venus existit: minùs verò Mars: & adhuc minùs Iupiter: minimè verò Saturnus: Ex his igitur repertum laboris investigatione veridicâ, quod ex corporum diversitate, diversas inveniri cum præparatione medicinas necesse existit. Aliâ enim eget medicinâ durum ignibile: aliâ verò molle, & non ignibile corpus. Hoc quidem mollificante, & ad profundum attenuante, & in suæ æqualitate substantiæ. Illud verò indurante & inspissante occultum ejus. Ex his igitur nos expedit ad medicinas transire, cum manifestis experientiis diversarum ponentibus nobis medicinarum causas inventionis, & quod diminutum relinquant, & quod ad complementum deducant.

CAPVT X.

De duplici medicina cujuslibet corporis imperfecti & Argenti vivi, scilicet alba & rubea.

PRobamus igitur spiritus corporibus magis assimilari per hoc, quod magis corporibus uniuntur, & amicabilius quàm alia in natura, & natura naturam attrahit, & simile suo applaudit simili. Per hoc ergo adductum est nobis, inventione primâ hos esse corporum alterationis medicinam veram. Ideoque omni quo potuimus ingeniorum genere, nos ipsos exercuimus, ut, per illos imperfectorum unumquodque corporum mutatione firmâ, in perfectum Lunare & Solare, transformaremus corpus. Quapropter ex eisdem medicinam diversam, ex diversa alterandorum intentione, creari necesse accidit. Cùm sit igitur duplicis generis alterabile, Argentum vivum scilicet perfectè coagulabile, & à perfectione diminuta corpora, & hæc siquidem multiplicia. Alia quidem dura ignibilia, alia vero mollia, non ignibilia tamen. Dura quidem & ignibilia, ut Mars & Venus. Mollia vero ut Iupiter & Saturnus, necesse est & medicinam perfectivam similiter multiplicem esse. Aliâ enim eget Argentum vivum medicinâ perficiente, alia vero corpora transformanda. Ac etiam aliâ egent dura ignibilia, ut Venus & Mars, alia verò mollia non ignibilia ut Saturnus & Iupiter; & hæc utraque utriusque generis, cum à se invicem differant in natura similiter & diversa egere medicinâ, necessario accidit. Vnius etenim generis Mars & Venus, duritiei scilicet, in speciali verò quâdam proprietate differunt. Est enim hæc fusibilis, ille verò non fusibilis. Ideòque aliâ quidem Mars, aliâ verò Venus medicinâ perficitur, & hic quidem ex toto immundus, illa verò non, & hic quidem quâdam albedine fuscâ, illa verò rubedine & viriditate participat, quæ in medicina diversitatis necessitatem ponunt similiter. Alterius enim generis mollitiei corpora, scilicet Iupiter & Saturnus. Cum hæc similiter differant, diversâ medicinâ, & similiter egere necesse est. Est enim hic Iupiter quidem mundus, ille verò Saturnus non, at verò & hæc quidem muta-

mutabilia omnia quatuor, nunc Lunaria, nunc verò Solaria efficiuntur perfectionis corpora. Ideoque necesse est, uniuscujusque duplicem medicinam fore, unam quidem citrinam, & in citrinum mutantem Solare corpus. Alteram verò albam, in album Lunare corpus mutantem similiter. Cùm igitur quatuor imperfectorum corporum, unicuique duplex medicina adveniat. Solaris videlicet & Lunaris. Erunt igitur in summa octo medicinæ corpora perficientes in forma bonorum. Perficitur & similiter Argentum vivum in Solare & Lunare, ideòque & medicinæ alterantis illud, duplicem differentiam esse contingit. Decem igitur erunt omnes medicinæ, quas invenimus, cum totalitate sua, ad cujuslibet imperfecti alterationem completam : verum utique cum temporis diuturnitate, laboris instantia, & magnæ indagationis industria, sed excusari volumus ab inventionis labore, harum decem medicinarum, per unius beneficium medicinæ. Invenimus enim, inquisitione longâ, nec non & laboriosâ maximè, & cum experientia certa, medicinam unam, quâ quidem durum mollescit, & molle induratur corpus, & fugitivum figitur, & illustratur fædum splendore inenarrabili, in eo qui supra naturam consistit. Ideoque omnium harum medicinarum expedit singulum sermonem adducere, cum causis suis, & manifestis probationum experientiis. Primùm quidem medicinarum decem seriem, & deinde hinc principium corporum omnium, deinde Argenti vivi, dehinc verò ultimo ad perfectionis Magisterii medicinam transeundum. Cùm tamen præparatione indigeant imperfectâ. Ideò, ne propter artis insufficientiam traditionis, mordeamur ab invidis, imprimis afferamus narrationem de imperfectorum præparationibus: eorum inventionum causæ necessitatem ponentes, quibus siquidem nostro artificio efficiantur congrua, perfectionis albedinis & rubedinis, in unoquoque gradu medicinam, suscipere, & ab eadem perfici, dehinc verò addendum medicinarum omnium sufficientem narrationem & cõgruam.

CAPVT XI.

De administratione & mundificatione corporum, diversificando secundum diversitatem essentiarum suarum.

EX iam igitur à nobis narratis sermonibus apparet, quid superfluum, quidvè diminutum ex operibus natura relinquat, in unoquoquè eorum, quæ imperfecta sunt corpora, secundùm sufficientem partem; secundùm verò complementum, quæ in superioribus omisimus, hic complebimus sufficienti sermone totaliter. Primùm igitur, cùm duplicis fore generis imperfectionis corpora contingat, mutabilia, mollia scilicet nec non, & non ignibilia ut Saturnus & Jupiter, & dura non fusibilia, aut cũ ignitione fusibilia, ut Mars & Venus: hæc quidẽ non fusibilis, ille verò cum ignitione: necessariò nobis natura informando edocuit, ex illorũ diversitate essentiarum, in radice naturæ diversas præparationes, secundùm exigentiam illius administrare. Sunt itaque unius generis transformanda imperfectionis corpora duo necessaria, Plumbum scilicet quod Melan dicitur, id est nigrum, & per artem Saturnus, & Plumbum stridens, quod album dicitur, & in hac scientia Jupiter, quæ à se invicem sunt diversa in sui occulti profunda, ex radice suæ naturæ innata & manifesta, quoniam Saturnus fuscus, lividus, ponderosus & niger, sine stridore totaliter mutus, Jupiter albus, livens parum, multùm verò stridens, & modico sono tinnitum adducens. Differentia verò in profundo illorum, cum manifestis experientiis tibi monstravimus, ex illarum experientiarum causis necessariis. Ex quibus, secundùm magis præparationis ordinem, colligere bonæ mentis artificem contingit. Primum igitur, secundùm ordinem corporum, præparationem narremus. Postea verò & ipsius Argenti vivi coagulabilis. Sed & primò unius generis mollitiei scilicet, post hoc verò & alterius. Primi quoq; generis corporum ponatur, Saturni scilicet præparatio, & Jovis. Post verò aliorum, secundùm suum ordinem determinatum, quia, in præparatione Corporum, nihil superfluum, ex profundo ipsius, removendum, sed ex manifesto potiùs.

CAPVT XII.

De præparatione Saturni & Iovis in communi.

SAturni essentiæ præparatio multiplex adhibetur, & Jovis similiter, per ipsorum multiplicis perfectionis approximationis, aut elongationis ab eo gradum. Cùm sit igitur aliud ex corrumpentibus suo profundo, adveniens ex suæ naturæ radice innatâ sulphureitate, scilicet terreitas atq; Argenti vivi impuritas, terræ illorum creationis principiis, essentiali natura commixta. Aliud verò superveniens, post primam illorum mixtionem, corruptionem adducit: & sunt tres primi generis sulphureitas scilicet comburens, & illius impuritas, & Argenti vivi substantia fœda, quæ omnia sunt Saturni & Iovis perfectionis substantiam corrumpentia. Sed horum quidem alterum impossibile est removeri per medicinam primi ordinis, alicujus industriæ. Alterum verò, parvo adminiculo removeri contingit. Hoc quidem removendum esse impossibile advenit, propter hoc quòd in principiis naturæ propriæ hujus generis corporum, in veram essentiam commixta fuerunt, & vera essentia facta sunt. Ideoquè cùm non sit possibile, veram rei cujuscunq; e in naturâ removere essentiam, re permanente, non fuit ab eis possibile, hæc corrumpentia delere. Quamobrem igitur putaverunt quidam Philosophorum, per hoc ad artem non posse perveniri. Sed & nos quidem, nostro tempore hunc inquirentes scientiam, pervenimus ad hoc, idem quod & similiter nullo ingeniorum præparationis modo, potuimus corpora illustrare, cum cõplemento sui fulgoris lucidi, quin contingeret illa ex toto infici & denigrari penitùs. Propter hoc igitur, & nos similiter in stuporem adducti, multi temporis spatio, sub desperationis umbraculo, delituimus. Redeuntes igitur in nos ipsos, nosmet torquentes immensæ cogitationum meditationis afflictionibus, respeximus à perfectione corpora diminuta in profundo suæ naturæ fœda existere, & nihil in eis fulgidum inveniri, cùm in eis, secundùm naturam non sit. Non enim invenitur in re, quod in illa non est. Cùm igitur nihil perfecti in illis inveniatur, necessariò & in eisdem nihil superfluum inveniri relinquitur, in diversarum substantiarum separatione in illis, in profundo suæ naturæ. Ideoquè per hoc invenimus aliquid diminutum in illis fuisse, quod compleri necessariò accidit, per medicinam sibi convenientem, & diminutum complentem. Est igitur diminutum in illis, scilicet paucitas Argenti vivi, & non recta inspissatio ejusdem. Igitur complementum est in illis Argenti vivi multiplicatio & inspissa-

inspissatio bona, & fixio permanens. Hoc autem per medicinam ex illo creatam perficitur. Hæc enim, cum ex Argento vivo sit in esse deducta, per illius beneficium luciditatis, splendoris illorum fuscedinem palliando celat & tegit, & in splendorem adducit, & in fulgorem convertit. Cùm enim Argentum vivum in medicina præparatum, per nostrum artificium sit mundatum, & in substantiam purissimam & fulgidissimam redactum, projectum super diminuta corpora à perfectione illustrabit, & suâ fixione perficiet. Hanc verò medicinam in suâ narrabimus oratione. Relinquitur itaque ex præjacentibus, cecessariò duplicem fore perfectionis inventionem necessariam. Aut unam quidem per medicinam, quæ de commixto substantiam fædam separat. Aut alteram per medicinam, quæ illam sui fulgoris splendore palliando tegat, & illustrando decoret. Cùm nihil ergò superfluum, sed potiùs diminutum, in profundo corporum reperiri contingat. Igitur, si quod superfluum removeri expedit, necesse est illud ex manifesto suæ naturæ superveniens, & tolli & moveri, cum diversis præparationibus, quas in hac oratione nos expedit enarrare. Primum quidem in eâdem oratione Iovis & Saturni. Ultimò verò & aliorum secundùm ordinem.

CAPVT XIII.

De Præparatione Saturni in specie.

PRæparantur igitur Saturnus & Iupiter, præparationibus multiplicibus, secundùm majoris perfectionis approximationis necessitatem, communi scilicet & specialis præparationis modo. Communis quidem est per gradus approximationis ad perfectionem multiplices. Est enim unus gradus approximationis, scilicet Sulphur & substantia munda, alter verò durities, cum suæ fusionis ignitione. Tertius verò fixio per remotionem fugitivæ substantiæ. Mundificantur igitur, & fulgida fiunt tripliciter: aut per res mundificantes, aut per calcinationis modum & reductionis, aut per solutionẽ. Per res igitur deputantes mundantur dupliciter, aut in calcem redacta, aut in natura corporum. In calcem vero redacta, purificantur in hunc modum, aut per Sales & Alumina, aut per vitrum. Et est, ut cum corpus, scilicet Iupiter & Saturnus calcinatum extiterit, tunc infundatur super eorum calcem, Aluminum aut Salium aqua, aut commisceatur in ea vitrum tritum, & reducatur in corpus. Hoc igitur toties super hæc corpora alternatâ vice reiteretur, quousque munda completè se ostendant. Nam cùm Sales & Alumina & Vitrum fundantur fusione aliâ quam corpora, ideò ab illis separantur, & secum terream substantiam ducunt, relicto solo corpore purificato. In naturâ vero corporum, similiter per eundem depurantur modum, & est ut limentur subtilissimè hæc duo corpora. Post hoc verò cum eisdem administrentur aluminibus, salibus, & vitro videlicet, & postea in corpus reducantur. Et sic alternatâ vice reiteretur, quousq; mundiora appareant. Mundificantur, & per Argenti vivi lavacrum, modum cujus attulimus: Mundificantur verò similiter, & hæc utriusquè generis corpora, per reiterationis vicem calcinationis ad illa, & reductionis similiter cum sufficientia sui ignis, quousque mundiora appareant. Per hanc enim mundantur, à perfectione hæc diminuta corpora, duplici corrumpente substantiâ. Hac quidem inflammabili & fugitivâ, illa verò fætulentâ terreâ. Et illud ideò, quoniam ignis omnem fugitivam substantiam elevat, & consumit. Et idem ignis, similiter in reductionis modo, omnem substantiam terræ dividit cũ proportione suâ. Et hanc proportionem in alio nostro volumine, quod de perfectionis investigatione intitulatur, conscripsimus, quod secundùm ordinem hunc præcedit librum. In illo enim, quæcunq; investigavimus secundùm nostræ mentis rationẽ scripsimus. Hic verò quæ vidimus, & tetigimus completè, secundùm scientiæ ordinem, terminavimus. Mundificantur & hæc utique per solutionem suæ substantiæ, cujus modum jam diximus. Et per reductionem similiter ejus, quod ex eis dissolutum extiterit. Invenitur enim illud mundius, & perfectius quàm alio quoquam præparationis genere, hoc eodem præparationis modo. Et huic modo non comparatur modus, nisi qui per sublimationem perficitur, & ideò huic æquipollet. Est & similiter præparatio in illis, induratio suæ mollis substantiæ, cum ignitione suæ fusionis, & est, ut ingeniemur, in illi permiscere Argenti vivi substantiam fixam in profundo illorum, aut Sulphuris fixi, aut sui comparis, aut ex rebus duris, & non fusilibus, sicut Talcum, Marchasita & Tutia. Hæc etenim cum illis uniuntur & admiscentur, & illa indurant quousque non fundantur, antequam igniantur. Et per medicinam perficientem hoc idem completur similiter, cujus narrationem ponemus. Et est similiter præparationis modus, scilicet per remotionem suæ fugitivæ substantiæ: & hic quidem perficitur per conservationem, post primum calcinationis gradum illorum, in igne illi proportionali. Et quia ordo in modum præparationis contingit necessariò: ideò ponamus ordinem completum ex illis: Primò igitur mundetur ex eis omnis substantia fugitiva, & adustiva corrumpens. Dehinc verò superfluitas deleatur: post solvatur & reducatur, aut per lavacrum Argenti vivi lavetur completè, & hic ordo utilis & necessarius est.

CAPUT XIV.

De Præparatione Iovis in specie.

SPecialis tamen horum corporum præparatio; primum quidem Jovis, est multiplex. Una quidem per cerationem, & per hanc induratur ejus substantia magis, quod Saturno non evenit, & per Alumina similiter, hæc enim propriè Iovem indurant. Altera verò per conservationem ejus in igne suæ calcinationis. Per hanc enim stridorem amittit, & corporum similiter fractionem, quod Saturno similiter non contingit, quia stridorem non habet, nec corpora frangit, & per calcinationis reiterationes similiter, ab acuitate salis stridorem amittit. Saturni verò secundario est preparatio, specialis scilicet per calcinationem à salis acuitate: per hanc enim induratur, & per Talcum specialiter dealbatur & induratur; & per Marchasitam & Tutiam. Modos verò omnis præparationis determinavimus completiùs in libro, qui de perfectionis inventione intitulatur, quoniam in hoc abbreviavimus summas illorum.

CAPVT XV.

De Præparatione Veneris.

IMitantes igitur præmissorum ordinem, durorum corporum præparationem narremus. Primò quidem Veneris: deinde verò Martis. Est igitur Veneris mul-

ris multiplex præparationis modus, Alius per elevati nem, alius sine elevatione perficitur. Per elevationem verò est modus, ut accipiatur Tutia, cum cua Venus magi- convenit, & secum per ingenia uniatur, deinde verò in suo sublimationis vale ponatur ad sublimandum, & per excellentissimum gradum ignis, ejus elevetur pars subtilior, quæ fulgidissimi splendoris inventa est. Vel cum Sulphure misceatur per minima, & postea elevetur per modum suæ elevationis jam dictum: sine sublimatione verò præparatur, aut per res mundificationem facientes, aut in calce sua, aut in corpus, velut Tutiam, Sales, & Alumina, aut per Argenti vivi lavacrum, cujus modum attulimus. Aut per calcinationes & reductiones, ut in aliis narratum est. Aut per solutiones & reductiones ejus, quod solutum est, ad naturam corporis. Aut per Argentum vivum mundificatur, sicut corpora reliqua à perfectione diminuta.

CAPVT XVI.

De Præparatione Martis.

MArtis verò præparatio est similiter multiplex: quædam enim per sublimationem, quædam verò sine sublimatione completur. Quæ verò per sublimationem fit, cum Arsenico fit, cujus modus hic est. Ingenientur, quàm profundiùs possumus, ei lem Arsenicum non fixum unire, ut cum fusione secum liquescat. Post verò sublimetur in vase propriæ sublimationis, & hæc præparatio melior & perfectior inter cæteras reperitur. Est & alia præparatio ipsius Martis, per Arsenicum sublimatum ab eo multoties, quousque secum maneat quantitas aliqua ipsius Arsenici. Hoc enim, si reductum fuerit, exibit album, fusibile, mundum, præparatum. Est & similiter tertius modus præparationis ejusdem, per fusionem illius, cum Plumbo & Tutia, ab his enim fluit mundum & album.

CAPVT XVII.

De *mollificatione durorum corporum & de indu-ratione mollium.*

SEd ne insufficientes videamur, cum nos determinaturos promiserimus de duorum corporum ingeniosa mollificatione, atque mollium indu-ratione per calcinationis modum, ideò illum non omittamus: sed mollium quidem priùs, durorum verò post. Et est scilicet, ut solvatur Argentum vivum præcip tatum, & solvatur corpus calcinatum, de cujus intentione sit indurari, & hæ ambæ solutiones misceantur, & ex his alternatâ vice calcinatum corpus misceatur, terendo, in bibendo, calcinando, & reducendo, quousque durum fiat, cum ignitione fusibile, non solùm cum Mercurio, sed hoc idem & cum Talco & Tutia, & Marchasit, calcinatis, solutis, & imbibitis, perfici com plete contingit, & quanto quidem hæc mundiora, tanto & perfectiùs mutant. Mollificantur & similiter dura corpora ingenio consimili. Et est, ut cum Arsenico toties conjungantur & sublimentur, & post Arsenici sublimationem assentur, cum proportione sui ignis, cujus modum narravimus in libro fornacum, & ultimo reducantur cum expressione sui ignis, in ordine suo dicti, quousque in fusione molescant, secundùm exigentiam duritiei corporis. Et hæ quidem alterationes omnes sunt primi ordinis, sine quibus non perficitur Magisterium.

CAPVT XVIII.

De *Mercurii Lavacro.*

IGitur ex præmissis necessè est Argenti vivi mundationem complete narrare. Dicimus igitur, quoniam Argentum vivum mundatur dupliciter, aut per sublimationem, cujus attulimus modum, aut per lavacrum, cujus modus hic est. Fundatur Argentum vivum in patella vitrea vel lapidea, & super ipsum aceti quantitas aspergatur, quæ sufficiat ad illud cooperiendum. Deinde super lentum ignem ponatur, & calefieri permittatur, in tantum, ut digitis se tractari permittat. Deinde digitis agitetur, quousque in partes minutissimas, in pulveris similitudinem, dividatur, & tam diu agitetur, quousquè acetum totum, quod in illo infusum est, sit consumptum. Deinde verò, quod in eo terreitatis inventum est, lavetur cum aceto, & abjiciatur, & toties super illud opus reiteretur, quousque terreitas illius in cælestinum mutetur colorem perfectissimum, quod perfectæ lavationis est signum. Ab his igitur ad medicinas est transeundum.

LIBRI QUARTI.

SVMMÆ GEBRI PHILOSOPHI, PERSPICACISSIMI,

De

MEDICINIS SERMONE VNIVERSALI ET DE QVINQVE DIFFERENTIIS PERFECTIONIS EARVM, PROOEMIVM.

AFferamus igitur imprimis, sermonem universalem in medicinis, cum causis suis & experientiis manifestis. Innuimus igitur, quod, nisi quidem omne superfluum, sive per medicinam, sive per præparationis modum, auferatur ab imperfectis, non perficietur, scilicet ut ab illis tollatur omnis superflua sulphureitas, omnisq; terreitas immunda, ita scilicet, quod de commixto separetur in fusione, post projectionem medicinæ, alterantis illa. Et cùm hoc quidem inveneris, jam ex perfectionis differentiis unam habes. Similiter itaq; & nisi medicina illustret, & alteret in colorem album, aut in citrinum, secundum intentionem quam quæris, quæ fulgoris splendorem amœnitatis luciditatem adducat, non perficiuntur corpora à perfectione diminuta in complemento totaliter. Amplius autem, & nisi fusionem Lunarem aut Solarem determinatam adducat, non est in complemento alterabile, quoniam in judiciis non quiescit, sed de commixto separatur omnino, & recedit. Hoc autem latius determinatum à nobis demonstratur, in capitulo de Cineritio. Amplius autem, & nisi perpetuetur medicina cum impressionis alteratione firmâ, nonva-

let

let ipsius immutatio : quia non permanet , sed evanescit impressio. Amplius etiam , & nisi pondera perfectionis adducantur , non mutat suo complemento naturæ firmo & vero , cui non sit fraus per credulitatis errorem. Est enim pondus naturæ unum ex perfectionis signis. Patet igitur , quòd cùm perfectionis differentiæ quinq; sint , necesse est & medicinam nostri Magisterii has quinq; adducere in se sectione differentias. Per hoc igitur patet , ex quibus medicina nostra elicitur. Nam per ea elicitur quæ maximè corporibus adjunguntur, & amicabiliter eisdem in profundo adhærent alterantia. Ideoq cùm in rebus cæteris exquirentes , non invenerimus inventione nostrâ rem aliam, magis quàm Argentum vivum corporum naturis amicari in natura sua, unde eis miscetur , & postea figitur cum igne lento , per hoc , opus nostrum in illo impendentes , reperimus ipsam esse veram alterationum medicinam in complemento , cum alteratione vera , & non modicè pecuniosa.

CAPUT. I.

De *Præparatione substantiæ Argenti vivi in projectione medicinæ.*

REstat igitur nos , substantiam ipsius tantum , & proprietates substantiæ , & differentias determinatè , describere. Et cùm non invenerimus ipsum , sine alterationis naturæ illius administratione mutare, inveniamus & similiter ipsum præparari debere necessariò , cùm non permisceatur in profundo , absque illius præparationis modo. Et est scilicet , ut tali fiat illius substantia , quòd permisceatur in profundo , usque ad occultum corporis alterabilis , sine separatione in æternum. Hoc autem non fit , nisi subtilietur valde , cum præparatione determinata & certa , in capitulo sublimationis. Et non remanet ejus impressio similiter , nisi figatur ; nec illustrat, nisi fulgidissima ex illo eliciatur substantia , cum sui modi ingenio , & modo suæ operationis per ignem congruum. Et non præstat fusionem perfectam , nisi in illius fusione adhibeatur cautela , cùm habeat dura remollire , & mollia indurare. Est tamen talis, ut, cum sufficientia servet suæ humiditatis proportionatæ modum , secundùm exigentiam ejus, quæ quæritur fusionis. Per hoc ergò patet, quòd ipsius talis administretur præparatio, quâ fulgidissima & mundissima substantia ex illo creetur, deinde figatur , & cautela eidem exhibeatur , ut scilicet exercitetur artifex in administratione ignis , in modo suæ fusionis , quòd possit ex illo delere humiditatis substantiam in tantum, quod sufficiat ad fusionem perfectam complendam. Et est scilicet , ut , si quæris per hanc corpora fusionis mollificare , in principio suæ creationis lentus adhibeatur ignis. Ignis enim lentus , humiditatis est conservativus ; & fusionis perfectivus. Si vero mollia indurare quæris , ipsius componatur ignis , scilicet vehemens , talis enim est humiditatis consumptivus , & fusionis turbativus. Et has quidem regulas omnes in omni medicina , bonæ mentis artificem , necessariò considerare expedit , & multas alias. Similiter , in ponderis mutatione considerationes adducere necessarium est , cum causis suis & ordine congruo. Est igitur causa ponderis magni , subtilitas substantiæ corporum , & uniformitas in essentia. Per hoc enim illorum possunt densari partes , cum nihil intercidat , & partium densatio , ponderis est adductio , & illius perfectio. Patet igitur , quòd tam corporum administrationis præparatione , quàm ipsius perficientis medicinæ modo , per operis artificia , subtilitatem perquirere necesse contingit. Quoniam , quanto majoris ponderis sunt corpora transmutata , tanto & majoris sunt perfectionis , inventâ investigatione per artem. Completur igitur sermo utilis de medicinis. Sed omnium medicinarum differentias nunc narremus.

CAPUT II.

De triplice ordine Medicinarum.

INnuimus quidem Medicinarum triplicem differentiam necessariò accidere. Alia enim est primi ordinis , alia secundi , alia tertii. Dico autem primi ordinis medicinam , omnem præparationem mineralium quæ super diminuta à perfectione corpora projecta alterationem imprimit , quæ non adducit complementum sufficiens , quin contingat alteratum mutari & corrumpi , cum evaporatione impressionis medicinæ illius totali : sicut est omnis sublimatio dealbativæ Veneris aut Martis , quæ fixionem non recipit. Et cjusmodi est omne additamentum coloris Solis & Lunæ , aut Veneris commixtorum , super furnum cementi positum , ut Zimar & similium. Hic enim mutat in mutatione non stante , sed potiùs diminuente se per exhalationem. Secundi verò ordinis medicinam dicimus omnem præparationem , quæ quando super diminuta à perfectione corpora projecta est , alterat indifferentiam aliquam complementi , relictis modis differentiarum aliquibus corruptionis omninò , velut est calcinatio corporum , quâ omne fugitivum deletur. Et est hujus generis medicina perpetuè Lunam citrinans , aut etiam perpetuè Venerem dealbans ; relictis aliis in eis corruptionis differentiis. Tertii autem ordinis medicinam appello omnem præparationem , quæ , quando corporibus advenit , omnem corruptionem , cum projectione suâ tollit ; & cum omnis complementi differentia perficit. Hæc autem est unica sola , & ideò per illam excusamur à laboribus inventionis decem medicinarum. Primi igitur ordinis opus minus appellatur. Secundi medium. Tertii verò majus. Et hæc est omnium medicinarum differentia sufficiens.

CAPUT III.

De Differentia omnium Medicinarum.

EX ordinis igitur determinati promissione secuta. Cùm quidem alia sit medicina corporum , alia verò Argenti vivi , & corporum quidem , alia primi ordinis, alia secundi, alia verò tertii , & Argenti vivi similiter. Narremus igitur omnium medicinarum differentias primi ordinis , deinde secundi, deinde verò tertii. Corporum quidem primò. Posteà in Argenti vivi medicina , cum sermone completo , & ordine congruo , narrationem tradamus. Dicimus igitur , quoniam primi ordinis medicina corporum , alia est durorum , alia verò mollium. Durorum quoque alia Veneris , alia Martis , alia verò Lunæ. Veneris quidem & Martis , pura est illorum substantiæ dealbatio. Lunæ verò , rubificatio , cum citrinitate fulgoris amœni. Quoniam Veneri & Marti rubificatio non advenit, cum primi ordinis medicina , cum fulgoris apparitione ,

quoniam

quoniam ex toto immunda ſunt, non apta rubedinis fulgorem recipere, priusquàm eis adveniat præparatio fulgorem adducens. Narremus igitur inprimis Veneris medicinas omnes, poſteà verò Martis, quæ cadunt in ordine primo.

CAPUT IV.

De Medicinis Veneris in primo ordine.

ESt igitur medicina Venerem dealbans, alia per Argentum vivum, alia per Arſenicum. Per Argentum vivum quippè ſic completur, medicina dealbans illam. Solvitur enim primò Argentum vivum præcipitatum, & ſolvitur ſimiliter Veneris calcinatio, & hæ ambæ ſolutiones commiſcentur in unum: deinde verò coagulantur, & ſuper ipſius Veneris corpus projiciatur eorum medicina. Hæc enim dealbat & mundat, non adducit tamen complementum, quin contingat alteratum mutari & corrumpi. Ampliùs autem & aliter ſolvitur præcipitatum Argentum vivum, & ſolvitur Lithargirium, & hæ ambæ ſolutiones conjunguntur in unum, & ſolvitur Veneris corporis calcinatio, de cujus intentione ſit dealbari, & conjungitur cum prædictis ſolutionibus, & coagulantur, deinde verò ſuper illius corpus projiciuntur: dealbatur enim per hoc, aliter autem ſublimatur alternatâ vice ex illius corpore Argenti vivi quantitas, quouſque cum illo permaneat Argenti vivi pars, cum ignitione completa, dehinc verò, cum aceto diſtillato, ſæpius imbibendo teratur, ut in profundo illius meliùs commiſceatur. Ab hinc verò aſſetur, & ultimò conſimiliter, ab eo Argentum vivum ſublimetur, & iterato imbibatur & aſſetur. Et ſic toties reiteretur opus ſuper illa, quouſque multa Argenti vivi quantitas in ea, cum ignitione completa quieſcat. Hæc enim primi ordinis bona eſt dealbatio. Aliter autem, ſuper Argentum vivum præcipitatum, toties ſublimetur Argentum vivum in natura propria, quouſque in illo figatur, & fuſionem præſtet. Dehinc verò ſuper Veneris ſubſtantiam projiciatur, dealbat enim peculiosè. Aliter verò ſolvitur Luna & ſolvitur Lithargirium, & conjunguntur ſolutiones; Et ex his Veneris ſubſtantia dealbatur. Sed & meliùs quidem dealbatur, ſi in omnibus medicinis perpetuetur Argentum vivum. Dealbatur verò & per Arſenicum ſublimatum, ut ſi accipiatur calcinatio Veneris, & ſuper illam iteretur ejuſdem ſublimatio, quouſque ſecum maneat, & illam dealbet. Sed niſi ingeniaveris te ipſum, cum modis ſublimationum, non perſeverabit in ea Arſenicum cum alteratione aliqua. Et eſt, ut, póſt primum ſublimationis gradum, ſecundariò reiteres, quem narravimus in Marchaſitæ ſublimatione. Dealbatur verò & aliter, ut ſublimatum Arſenicum in Lunam projicias, dehinc verò hoc totum ſuper Venerem, dealbat enim peculiosè. Aut commiſce prius Litargirium, aut Plumbum uſtum, ſolutum cum Luna, deinde verò ſuper hoc Arſenicum ſuperjectum, & hoc totum ſuper Venerem projectum dealbat, & eſt primi ordinis bona dealbatio. Aut ſolum ſuper Lithargirium ſolutum & reductum, projiciatur Arſenicum ſublimatum, & hoc totum ſuper Veneris fuſionem, quoniam dealbat eam cum claritatis aſpectu. Aut commiſceantur Luna & Venus, & ſuper has projiciatur omnis medicina dealbativa. Luna enim magis amica eſt Arſenici, quàm corpus aliquod, & ideò fractionem ab eo tollit, ſecundariò verò Saturnus, & ideò cum illis commiſcetur. Aliter autem Arſenicum fundimus ſublimatum, quousq; fiant fruſta. Deinde verò fruſtum poſt fruſtum ſuper Venerem projicimus. Jubemus etenim in fruſtis potiùs quàm in pulvere projici, quoniam facilius inflammatur pulvis quàm fruſtum, & ideo faciliùs evaneſcit quàm fruſtum, & conſumitur priusquam ſuper corpus cadat ignitum, tollitur autem & eadem rubedo aliter, cum Tutia videlicet, & dealbatur. Sed quia Tutiæ dealbatio non ſufficit, ideò ſolum citrinat. Citrinatio autem quælibet albedini eſt affinis. Et eſt modus hujus ſcilicet, ut ſolvatur & calcinetur omne genus Tutiæ, deinde Venus, & hæ ambæ conjungantur ſolutiones, & cum his citrinatur Veneris ſubſtantia, & cum Tutia, ſi exercueris, proficuum invenies. Dealbatur verò, & per ſublimatam Marchaſitam, quemadmodum cum ſublimato Argento vivo, & eſt modus unus & idem.

CAPVT V.

De medicinis Martis in primo ordine.

REſtat ergò dealbationes Martis, ex medicinis ſibi propriis creatas, narrare, quæ ſunt ſecundùm eſſentiam primi ordinis. Sed quoniam fuſionem non habet rectam, ideò expedit nos, cum medicina fundente, illum dealbare. Eſt igitur omnis medicina Veneris dealbativa, & Martis ſimiliter, cum ejusdem ordinis præparatione, ſed fuſiva illius ſpecialis eſt Arſenicum cuiuscunque generis, & fuſiva illius ſimiliter eſt Plumbum & Lithargirium ſolutum. Cum quocunque igitur iſtorum dealbatur & funditur. Expedit ut cum Argento vivo conjungatur & lavetur, quousque omnis impuritas tollatur ab illo, & fiat album & fuſibile. Aut calefiat cum ignitionis vehementia, & ſuper ipſum projiciatur Arſenicum, & cum fuſum videris illud, projice ſuper ipſum Lunæ quantitatem, quoniam, quando ſecum unitur, non ſeparatur ab eo per leve artificium. Aut calcinetur, & lavetur omnis ex ipſo ſolubilis aluminoſitas, corruptionis infectionem adducens, per modum ſolutionis jam dictum. Dehinc verò ab illo ſublimetur Arſenicum mundatum, per ſublimationem aliquam, & reiteretur multoties, quousque ſecum aliquid ex illo figatur. Deinde verò cum ſolutione Lithargirii alternatâ vice imbibatur, commiſcendo & agitando, & aſſando mutuâ vice, & ultimo reducendo cum igne, quem docuimus in Jovis reductione à calce ſua. Ex hac enim exibit albus & mundus fuſibilis, aut ſolum, cum Arſenico ab illo ſublimato, in calce ſua reducatur, & exibit albus & mundus fuſibilis. Sed eundem artificem expedit adhibere cautelam, quemadmodum & in Veneris reiteratione ſublimationis ab ea, Arſenici figentis ſe in illius profundo docuimus. Dealbatur vero ſimiliter per Marchaſitam & Tutiam, cum ingenio & induſtria quæ tibi narravimus, ſed horum dealbatio, & illorum non eſt ſufficiens

CAPVT VI.

De medicinis Lunæ in primo ordine.

PRoſequentes igitur præmiſſorum ordinem, Lunæ medicinam ſubſtantiam citrinantem in ordine primi generis, narremus cum veritate certa. Et eſt ſcilicet medicina citrina, quæ eidem in profundo adhæret, & adhærendo colorat, ſive per naturam propriam, ſive per artificium hujus Magiſterii: narremus

remus igitur medicinam, quæ, ex suâ radice illi innata, sibi adhæret, deinde verò artificia, per quæ facimus rem cujusque generis adhærere, cum ingressione firma. Elicimus autem illam, aut ex Sulphure, aut ex Argento vivo, aut ex amborum commixtione, sed per Sulphur diminutè quidem magis, per Argentum vivum verò perfectiùs. Elicitur autem similiter per quasdam res minerales, quæ non sunt hujus generis: quemadmodùm est Vitriolum & Cuperosa, quod ex gummacupri aut ejusdem stillicidium nuncupatur. Afferamus igitur imprimis modos omnes medicinarum, quæ ex Argento vivo consurgunt. Inde verò cõvenienter, quæ ex Sulphure aut ex amborum commixtione. Vltimo quæ ex gummacupri & similium. Est igitur modus ejus, quæ per Argentum vivum perficitur talis; sumatur præcipitatum, & per præcipitationem ejus mortificatum & fixum: deinde verò ponatur in furnum magnæ ignitionis, ad modum conservationis calcium, quem docuimus, donec rubescat in similitudinem ulifur. Si verò non rubuerit, tolle Argenti vivi non mortificati partem, & cum Sulphure reitera sublimationem illius. Sit tamen Sulphur omni impuritate mundatum, & Argentum vivum similiter. Et postquam vigesies illius sublimationem reiteraveris, super ipsum præcipitatum: illud dissolve cum aquarum acumine dissolvente, & iterato illud calcina, & iterato dissolve, donec exuberanter sufficiat; post hoc Lunæ partem dissolve, & cum soluta fuerit, solutionem commisce, & coagula eas, & super Lunæ fusionem projice, citrinabit enim citrinitate peculiosâ valdè. Si verò Argentum vivum in præcipitatione rubierit ad perfectionem suæ projectionis, sufficit administratio dicta, sine commixtione rei tingentis illud. Per Sulphur verò rubificatur, sed illius est rubificatio difficilis, & laboriosa immensè. Ad hoc autem nos inducit operis necessitas, ut priùs calcinemus illud, & post figamus, quod laboris est copia. Deinde verò hac eadem præparatione administremus, & eandem projectionem super Lunæ substantiam infundamus, & tamen non resultat ejus citrinatio fulgens, imò fusca, & livens terreitate mortiferâ. Citrinatur vero & Luna similiter cum Martis solutione. Ejus vero quæ per Vitriolum aut Cuperosam perficitur, citrinationis modus est talis. Tollatur illorum uniuscujusque quantitas certa, & illius sublimetur pars, quæ sublimari patitur, donec cum expressione sublimetur totali, post hoc vero iterato quod sublimatum est, sublimetur cum modo ignis illi appropriati, ut ex eo figatur quiddam post quiddam, donec major illius figatur pars: post administretur cum ignis cautelæ intentione, ut possit illi major ignis ad perfectionem administrari. Post hoc solvatur in aquam rubicundissimam, cui non est par. Dehinc vero ingenieris ut illud ingressum in Lunare corpus exhibeas, & hæc ingenia tibi sufficienter monstrata sunt, si perfecti fueris operis exquisitor, quod scripsimus. Et quia res hujus videmus Lunæ profundè & amicabiliter adhærere, ideò consideravimus, & est certum, has esse de illorum radice, & ideo per illas alterari contingit. Hæ utique sunt medicinæ omnes primi ordinis, quas attulimus, possunt tamen illarum plures multiplicari modi, salva pigmentalium rerum in modorum varietatis essentia. Quidam verò plures adinvenerunt medicinas, sed unum ex duobus necessariò evenire contingit, quia aut ex eisdem, aut eandem naturam habentibus; illos medicinam creare necessarium est. Aut medicinam componunt, quæ ei, quod non est, æquipollet, cum alteratione suâ, & quæ, nec mundo confert, nec mundi partibus, donec major in sublimi naturæ mobili quieverit incorruptum.

CAPVT VII.

De medicinis secundi ordinis.

REstat igitur ad secundi ordinis medicinas transire, cum sermonis sui exigentiæ sufficientia vera, & non manifestis probationibus, cum experientia vera. Cùm sit igitur medicina alia corporum mundatorum, alia verò Argenti vivi, scilicet perfectio coagulationis: priùs tamen omnium medicinas corporum narremus completè. Dehinc verò ad ipsius Argenti vivi medicinas coagulabiles in Solificum vel Lunificum verum. Est igitur secundi ordinis medicina quæ imperfecta sola perfectionis unita differentia complet. Verùm, cùm multæ sint corruptionis causæ, in unoquoque imperfectorum corporum, ut in Saturno quidem sulphureitas volativa, & Argenti vivi fuga, per quæ corruptionem adduci necessario accidit, & illius terreitas. Fiat ergo medicina, quæ alterum eorum, aut ex toto tollat, aut palliando decoret, relictis solis aliis imperfectionis causis Quia igitur corporum aliquid est impermutabile, quod in corporum radice innatum est, per secundi ordinis medicinam tolli non potest: ideò omnis medicina illa, quæ illud de commixto tollit, non secundi ordinis, sed tertii, & majoris ordinis appellatur medicina. Et quia superfluitas fugientium invenitur per calcinationis & reductionis modum tolli terreitas nominata, ideo necesse fuit, medicinam secundi ordinis invenire, quæ quidem innatum palliet, & durum remolliat, & molle induret, & in duris scilicet & mollibus secundùm complementum non Sophisticum, sed perfectè constituat Solificum corpus, aut Lunificum verum.

CAPVT VIII.

De administratione Medicinarum secundi ordinis.

CÙm pateat igitur in corporibus solis quidem mollibus, per ingenia hujus artificiorum operis non posse liquefactionis festinantiam tolli, nec impuritatem in radice principiorum innatam, necessario evenit, medicinam percunctari, quæ quidem in projectione illorum tenuitatem inspisset, & inspissando ad suæ liquefactionis ignitionis sufficientiam induret. In duris spissitudinem attenuet, & attenuando ad fusionis velocitatem sufficientem, cum proprietate ignitionis, adducat, & utriusque generis corporum fuscedinem palliando decoret, hæc in album, illa verò in citrinum transformet perfectissimum. Non autem diversificatur hæc medicina à tertii ordinis medicina, nisi per minoris præparationis imperfectionem, & non diversificatur à se, quod in diversorum corporum projectione & pigmentorum acceptatione constat: sed in modo præparationis. Alia etenim eget præparationis industriâ corporum mollium medicina, tenuitatem inspissans: alia verò durorum attenuans spissitudinem; hæc quidem ignis consumptivi modo: illa verò humiditatis conservationis administratione eget.

CAPVT IX.

De Supplemento defectuum post administrationem Medicinarum secundi ordinis.

AFferamus igitur sermonem universalem in medicinis hujus secundi ordinis, completum cum deter-

determinatione certa & verâ. Et dicemus prius omnes Lunares omnium à perfectione diminutorum corporum, cum differentiis præparationis eorum. Dehinc verò Solares, cum propriis ſimiliter differentiis. Probavimus jam noſtris ſermonibus, Sulphur cujuscunque generis perfectionis, eſſe corruptivum. Argentum quippè vivum, perfectum in opere naturæ, completis regiminibus. Igitur & naturam imitantes in quibus non eſt poſſibile ſequi operibus. Et Argentum vivum ſimiliter in hujus operis Magiſterio aſſumimus, in cujusque perfectionis medicina, Lunari ſcilicet & Solari, tam quidem imperfectorum, quàm ipſius Argenti vivi coagulabilis. Cum jam, ex noviſſimè dictis ſermonibus, duplicem medicinarum differentiam dixerimus. Aliam quidem corporum. Aliam Argenti vivi coagulabilis, Et abhinc quidem prius corporum, abinde verò medicinæ Argenti vivi narrationem tradamus certam. Eſt igitur per ſe hujus medicinæ materia cujuſcunque generis una, & eſt quod jam ſufficienter notum eſt. Aſſume igitur illud, & ſi vis ad Lunares, ſecundùm ordinem tibi præmiſſum, exercitatum te redde, præpara ergò illud, cum modis hujus Magiſterii notis, quorum intentio eſt, ut puram ex illo ſubſtantiam dividas, & partem quidem figas, partem verò ad cerandum dimitte, & ſic totum Magiſterium proſequendo, donec compleas, tenta illius fuſionem, quod ſi ſe ſubitò fundit, in duris perfecta eſt, in mollibus verò è contra. Hæc enim medicina, ſuper imperfectorum corporum unumquodque projecta, in Lunare perfectè mutat corpus, ſi quidem prævenient huic medicinæ præparationes notæ. Si verò non diminutum relinquit, ſed perficit in altera perfectionis differẽtia tantum quantum, ex hujus generis medicinæ ordinis adminiſtratione dependet, tantum enim exercitii, non præveniente adminiſtratione aliquâ, perficit in projectione ſolâ. Solaris verò hujus ſecundi ordinis medicina, imperfectorum quorumcunque corporum eſt eadem medicina, & adminiſtrationis eodem regimine communicans. In hoc tamen differentiam habet, ſcilicet in majori partium, per modos proprios ſubtiliatione egeſtos, atque ſubtili præparationis Sulphuris regimine adminiſtrati & commixtione, cum materia medicinæ nota. Et eſt regimen ſcilicet ipſius puriſſimi Sulphuris, fixio & ſolutio ejus per modum ejus. Cum hoc enim tingitur medicina, & cum hoc, projecta ſuper unumquodque corporum à perfectione diminutorum, complet in complemento Solari, quantum ex ejus ſecundi ordinis medicinæ præparatione dependet, adminiſtratione præveniente notâ, & certâ ipſius à perfectione diminuti corporis. Et ſuper Lunam projecta, perficit eam in complemento Solari peculioſo multum.

CAPVT X.

De Medicinis Argenti vivi & ingreſſu earum.

SEcundùm igitur præmiſſorum ordinem, reſtat ex operis complemento, quòd ex primis nos determinaturos exhibuimus, in medicinæ Argenti vivi coagulantis ipſum, narrationem tranſire. Dicimus igitur, quoniam ex ejuſdem illius elicitur Lapidis medicina, ſcilicet ex noto in capitulis hujus operis multiplicibus, & illud ideò, quoniam cùm fugitivum ſit Argentum vivum, de facili abſq; inflammatione aliquâ medicinâ eget, quæ ſubitò, ante fugam ejus, in profundo illi adhæreat, & illi per minima conjungatur, & illud inſpiſſet, & ſuâ fixione illud in igne conſervet, quouſque adveniat illi majoris ignis tolerantia, ejus humiditatem consumentis, & convertat illud per hoc beneficium in momento in Solificum & Lunificum verum, ſecundùm illud, ad quod medicina fuerit præparata. Cùm igitur non inveniatur aliquid ei magis communicare quàm ipſum, quod ſuæ naturæ eſt: ideò per hoc æſtimavimus, cum eo medicinam illius complere, & ingeniati ſumus formam medicinæ illi per ingenia præſtare. Et eſt ſcilicet, ut præparetur cum modis ſuis jam dictis, cum diuturni laboris inſtantia, quâ omnis illius ſubtilis ſubſtantia & puriſſima, alba quidem in Luna, citrina verò intenſa in Sole perhibeatur perfectè & hoc quidem non completur, ſcilicet ut citrinum creet, ſine mixtione rei tingentis illud, quæ ſuæ eſt naturæ, Dehinc verò, cum hac puriſſima Argenti vivi ſubſtantia perficiatur, cum hujus Magiſterii operis ingeniis medicina, quæ maximè Argento vivo adhæreat, & fundatur facillimè, & illud coagulet, & convertat hoc in Solificum, vel Lunificum verum, cum præparatione illius prǽhabitâ. Sed ex quibus maximè hæc Argenti vivi ſubſtantia elici poſſit, ſolet quæri. Et nos reſpondentes narramus, quod in quibus eſt, ex illis elicitur. Eſt autem tam quidem in ipſis corporibus, quàm & in ipſo Argento vivo ſecundùm naturam, cum unius ſint reperta naturæ. Sed in corporibus difficiliùs In Argento vivo autem propinquius, non autem perfectiùs. Igitur cujuſcunque generis ſit medicina, tam quidem in corporibus, quàm in ipſius Argenti vivi ſubſtantia, lapidis pretioſi indagatur medicina. Sed quoniam contingit quandoque medicinam quidem commiſceri, quandoque verò non: ideo modum permiſcendi narrabimus, ſcilicet qualiter unaquæque res, in corpus profundiſſimè ingreſſum, acquirat, aut unaquæque medicina non intrans, & eſt modus per diſſolutionem ejus, quod ingreditur, & per diſſolutionem ejus, quod non ingreditur, & per mixtionem ambarum ſolutionum. Facit enim ingreſſivum eſſe omne, quod illi per minima conjungitur. Hoc autem, quod ingreditur, per ſolutionem completur, & completur per ſolutionem fuſio in rebus non fuſibilibus, & ideò magis apta ſunt ingredi & penetrare, & alterare. Et hæc ideò eſt cauta, quare quaſdam res calcinamus, quæ non fiunt de natura harum, ſcilicet ut melius ſolvantur, & propter hoc ſolvuntur, ut melius ab eis corpora impreſſionem ſuſcipiant, & ab eis ſimiliter per hoc præparentur & mundentur, aut ingreſſum damus his quæ ſuâ ſpiſſitudine ingredi non permittunt, cum multiplici ſublevationis reiteratione, ſpirituum non inflammabilium ſuper illa, Arſenici videlicet & Argenti vivi non fixorum, aut cum multiplici reiteratione ſublimationis ejus, quæ ingreſſum non habet. Eſt tamen bona cautela ad ingreſſum rebus permiſcibilibus danda, ut ſolvatur corpus, de cujus ſit intentione per has mutari & alterari, & ſolvantur res, quarum intentionis ſit ingredi cum alteratione. Non fiat tamen omnium partium ſolutio, ſed quarundam, dehinc idem, & non aliud imbibatur corpus vice poſt vicem, per hoc enim beneficium in illud ſolum ingreſſum habet neceſſario, non autem in quocunque alio corpore neceſſario hoc contingit. Ex his igitur modorum ingeniis neceſſe eſt rem quamlibet & ingreſſum, quo ex illius naturæ pendet beneficio, habere & alterare cum permixtione inventa. Per hunc igitur ſermonem decem medicinarum completur numerus, cum ſuæ traditionis ſufficientiâ. Reſtat igitur nos ad tertii ordinis medicinas tranſire.

De Medici-

CAPVT XI.

De Medicinis tertii Ordinis.

EST autem hujus tertii ordinis medicina duplex scilicet Solaris & Lunaris, est tamen in essentia una, & agendi modo similiter, & ideò unica medicina nuncupatur à nostris Veteribus, quorum scripta perlegimus. Est tamen additamentum citrinitatis coloris, quia à Sulphuris fixi mundissima perficitur substantia. Differentia tamen inter hanc & illam, Lunarem scilicet & Solarem, quoniam hæc illud in se continet: illa verò non: Est autem hic ordo tertius, majoris operis ordo appellatus, & illud ideò, quia majoris sagacitatis industria in illius administratione & perfectionis præparatione, & labore longiori, ad veritatis complementum indiget, & ideò non diversificatur hujus ordinis medicina in essentia ullatenus, nisi per subtilissimos præparationis gradus in creatione illius, & per diuturniorem laboris instantiam, & hos præparationis gradus, quos omnes narrabimus cum complemento sermonis, & per actionis modum completè cum causis suis, & experientiis manifestis, & exinde eorum narrabimus gradus similiter administrationis plures hujus tertii ordinis. Alio enim gradu eget Solaris medicina in pigmentorum præparatione completa. Alio verò Lunaris, hæc quidem Sulphuris administratione tingentis eam, illa verò non. Primum igitur administrationis modum Lunaris medicinæ narremus. Et est ut accipias, lapidem illius notum, per separationis modum illius purissimam partem dividas, & seorsum ponas. Deinde verò ejus, quæ purissima est partis aliquid figas, & aliquid ex illa relinquas, & cùm fixa fuerit, solve quod ex illa solubile fuerit, quod verò non est solubile, ad calcinationem mittas, & ab hinc super illud solutionē reitera, donec iterum, quod ex ea solubile est, solvatur omnimodè. Sic ergo ordo iste calcinationis & solutionis, vel totum, si possibile est, coagulando, reiterando servetur, quousque illius major solvatur quantitas. Post hoc verò solutiones omnes, simul commisce & coagula. Dehinc verò leviter assando, in ignis temperamento conserva, quousque illi major, ad illius exigentiam, ignis administrari possit. Post hoc verò prædictum solutionis & coagulationis modum & ordinem serva, quousque iterato totum solvatur quod ex eo est solubile, & iteratò coagula, & iteratò in ignis temperamento conserva, leviter assando ut priùs, quousque iterato, illi possit ignis major, & ad ejus perfectionem, administrari. Omnes igitur hos ordinis præparationis, calcinationis, solutionis, coagulationis, & in temperamento ignis conservationis, leviter assando super illam quater reitera, & ultimò calcina per modum suum, & sic pretiosissimam lapidis terram sufficienter administrando rexisti. Deinde verò servatæ partis non fixæ, cum hac tertæ parte administratæ quantitatem, per ingeniorum subtilem conjunge modum per minima: Et sit ingenium hujus intentionis scilicet levationis ejus per modum sublimationis dictum, quousque fixum cum nō fixo levetur totaliter, quod si non eveniat, addatur illi iteratò vicissim non fixæ partis quantitas, quousque ad elevationem illius sufficiat. Cùm igitur elevata fuerit, reiteretur illius sublimatio, quousque per hanc administrationis reiterationem figatur totum. Cùm igitur fixum fuerit, iterato cum non fixæ partis quantitate, post quantitatem combibe, per ingenium tibi notum, quousque totum iterato levetur. Igitur iterato figatur, quousque fusionem præstet, & facilem cum ignitione sua. Hæc enim medicina est, quæ omne, à perfectione diminutum corpus, & omne cujuscunque generis Argentum vivum, in Lunare perfectissimum transformat corpus.

CAPVT XII.

De administratione Solaris & Lunaris Medicinæ.

SOlaris igitur hujus medicinæ præparatio non adhærentis, fit per additamentum Sulphuris, per modum figentem & calcinantem, cum astutiæ industria administrationis perfectæ, atque solutionis modum multiplicem, cum reiteratione multa, quousque mundum fiat: his quidem administratione perfecta præveniente, quæ per sublimationē perficitur. Et est hujus additamenti modus, per reiterationem, partis non fixi lapidis sublimationis cum ingenio conjungendi per minima, quousque elevetur cum ea, & iterato cum illa figatur, ut stet. Et quanto hujus complementi exuberantiæ ordo reiteratur pluries, tantò hujus exuberantia medicinæ multiplicatur magis, & illius magis augetur bonitas, & multiplicatur illius augmentum perfectionis maximè. Et nos quidem, ne mordeamur ab impiis, complementum narramus totū hujus Magisterii, sub brevitate sermonis completa & nota. Et est illius intentio, ut per sublimationis modum mundetur perfectissimè lapis, & illius additamentum, & abhinc quidem, cum ingeniorum modo volativum, ex eis figatur, dehinc verò fixum volatile fiat, & iterato volatile fixum. Et toties fac fixum volatile, & volatile fixum quousq; præstet facilem fixionem cum ignitione. Et in hoc ordine completur arcanum pretiosissimum; quod est super omne hujus mundi scientiarum arcanum & thesaurus incomparabilis, & tu quidem exerciteris ad illum, cum laboris instantia maxima, & cum diuturnitatem meditationis immensæ, cum illa enim invenies, & sine illa non. Et huic quidem medicinæ reiteratio bonitatis administrationis, cum talis cautelæ industria potest in præparationem lapidis evenire, quousque Argentum vivum mutet in infinitum Solificum verum & Lunificum, & hoc non dependet, nisi in multiplicatione illius, vel reiteratione multa illius præparationis. Jam igitur laudetur sublimis naturaū DEus benedictus & gloriosus, qui nobis omnium medicinarum revelavit seriem cum experientia, illius instigationis bonitate, & nostri laboris instantiâ, perquisivimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus, complemcntum illius nostro Magisterio indagatum. Sed & si quidem illam palliavimus, non miretur doctrinæ filius, non enim illi palliavimus: Sed malis & improbis, & eam tali sermone tradidimus, quam latere insipientem necessario accidit, & eodem, ad illius inventionis perquisitionem, prudentes alliceo. Filii igitur doctrinæ perquirite, & hoc excellentissimum Dei donum Vobis solis servatum invenietis. Filii insipientes nequitiæ, & malevolæ pravitatis immensæ ab hac scientia fugite, quia nobis est inimica & adversa, & vos in miseriam paupertatis constituet, quoniam vobis penitus hoc Dei donum, à divinę prudentiæ est occultum judicio, & denegatum omninò. Perquisitis ergo omnium medicinarum modis, nostri propositi prosequentes initium, ad eas quæ hujus Magisterii industrias perfectionem notificant, cum probationum causis abhinc transeundum est.

CAPVT XIII.

De examinationibus quibus cognoscitur, utrum Magisterium sit in perfectione.

PRæterniissis manifestis experientiis, de quibus narrationem non facimus, cum omnibus sint

notæ & certæ, abſque ullius ſagacitatis ingenio ponderis, ſcilicet & coloris, & extenſionis per malleum. Per artificiorum experientias tentemus cum cautela, an ſit hujus artis adminiſtrationis projectio, complementum cum veritate adducens, quæ ſunt, ſcilicet cineritium, cementum, ignitio, fuſio, ſuper vapores acutorum expoſitio, extinctio adurentis Sulphuris in mixtione probatio, calcinationis & reductionis reiteratio, & Argenti vivi facilis aut difficilis ſuſceptio. Primum igitur à primis, ſecundùm ordinem inchoandum, dehinc verò ſecundùm eundem ad alia, ſecundùm promiſſionem perficere, perquiramus cum cauſis eorum notis.

CAP. XIV

De Cineritii examine.

Dicimus igitur ſermonem in Cineritio, cum ſuis omnibus cauſis manifeſtis, & ſuæ factionis modo. Eſt igitur tota Lunaris atque Solaris ſubſtantia in cineritii perdurans examine. Perquirentes igitur horum corporum perfectorum veras ſubſtantiæ differentias, cum cauſis ſimiliter cineritii, ſcilicet quare quædam magis, quædam verò minùs, in hujusmodi Magiſterii examine, à perfectione diminutorum, perdurent, perſcrutabimur. Eſt autem à nobis ſufficienter narratum, horum duorum ſecretum corporum, in ſuæ profundo ſubſtantiæ. Et eſt, ſcilicet quoniam illorum prima radix multa fuit Argenti vivi quantitas, & puriſſima illius eſſentia, & ſubtiliſſima prius, poſtea verò inſpiſſata, donec cum ignitione fuſionem ſuſcipiant. Quæcunque igitur, à perfectione diminuta, plus terreitatis habent, minùs in hoc perdurant examine; quæcunquè verò minus, plus. Quoniam hæc quidem magis adhærent, propter eorum partium ſubtilitatem, maximè ſe permiſcentem & unientem. Et quæ ſimiliter majoris tenuitatis ſunt, ut duorum Plumborum corpora, aut e contra quidem, quæ majoris ſpiſſitudinis ſunt corpora, ut Mars & Venus, quàm quæ in perfectione conſiſtunt, neceſſe eſt de commixto ſeparari omnino: quoniam non ſunt ejuſdem fuſionis, & ideò ſeparantur. Et quæ quidem minorem ſunt Argenti vivi quantitatem participantia, faciliùs de commixto ſeparantur. Patet igitur, quod cùm multæ terreitatis ſit Saturnus, paucæque Argentum vivum quantitatis, faciliſque liquefactionis, tenuitatis quoque maximæ, quæ perfectionis examini Cineritii ſunt oppoſita. Ideò Saturnus, inter cætera corpora minimè in Cineritii artificio in commixto perdurat; immò citiſſimè ſeparatur & cedit. Ideòque cùm inter cætera à perfectione diminuta corpora magis cedat. Ideò per hoc magis proprium eſt ad hujus Magiſterii examen, & illud ideò, quoniam citius cedit, & citius imperfectorum unumquodque ſecum de commixto trahit. Et propter hoc ſalvatur major perfecti quantitas, ab ignis examinis combuſtione forti, quoniam non quieſcit ſpatio temporis longo perfectum conſumptioni examinis, & ideo ex illo, per Plumbi examen, minus comburitur, & faciliùs depuratur. Quia verò Iovis ſubſtantia, pluris Argenti vivi quantitatis exiſtit, & minoris terreitatis, majorique puritate illius, atque ſubtiliori ſubſtantiâ participans, ideò magis in commixto ſalvatur, quàm Saturnus & Venus: quoniam magis commixto in profundo adhæret. Et ideò eſt cauſa hæc, quare multa perfecti deletur quantitas, priusquam ab illo ſeparetur conjunctum. Venus verò fuſionem, cum ignitione præſtat, ſed quia tardior eſt illius, quàm perfecti fuſio, ideò ſeparatur de commixto, tardiùs tamen quàm Saturnus, propter ignitionem ſubſtantiæ ſuæ fuſibilis. Quia verò minoris eſt Argenti vivi quantitatis quàm Iupiter; & majoris terreitatis & ſubſtantiæ ſpiſſioris: Ideò facilius quàm Iupiter de commixto tollitur, quoniam in profundo magis Iupiter, quàm Venus adhæret. Mars verò fuſionem non habet, & ideò non permiſcetur: quod propter ſuæ humiditatis privationem contingit. Sed & ſi propter ignis vehementiam illum permiſceri contingat, quia humiditatem Lunæ aut Solis non habet, combibendo ei per minima unitur. Et ideò licet terreitatem multam, & Argenti vivi paucitatem, & fuſionis carentiam habeat, non ſeparatur ab eis per artificium leve. Per hoc enim artificis dilatatur induſtria, ad cujuſque corporis rectificationem veram, ſi rectè ejus, quod ſcripſimus, efficaciam noverit. Si vero fantaſticè ſuper illud intellectum contraxerit, nihil ex eo veritatis cognoſcet. Sunt autem duo in hoc examine durantia perfectionis corpora, Sol ſcilicet & Luna, propter bonam compoſitionem, quæ per bonam commixtionem reſultat, & illorum puram ſubſtantiam. Narremus igitur modum illius, cùm maximè ſit nobis neceſſarius in perfectionis hujus Magiſterii cognitione certa. Eſt igitur modus illius, ut tollatur cinis cribellatus, aut calx, aut pulvis oſſium animalium combuſtorum, aut horum omnium commixtio, aut quorundam. Dehinc itaque cum aqua madefiat, & ſuper illud præmatur manus, & fiat ſtratum firmum & ſolidum, & in medio ſtrati fiat rotunda fovea ſolida & polita, & ſuper illius foveæ fundum, ſpargatur vitri triti quantitas aliqua. Deinde vero exſiccari permittatur, & cum ſiccatum fuerit, ponatur illud, de cujus intentione ſit tolerare examen, in foveam dictam, & ſuper illam ignis fortis carbonum ſuccendatur, & ſuper faciem examinabilis ſuffletur corporis, donec fundatur, quo fuſo, Saturni partem poſt partem projiciamus in illud, & ſuper illud ſuffletur cum flamma fortis ignitionis, & dum videris illud agitari & moveri motu concuſſionis forti, non eſt purum; expecta igitur, donec totum evaneſcat Plumbum, quod ſi evanuerit, & non ceſſat illius motus, non eſt depuratum. Iterato igitur, ſuper illud Plumbum proiice, & ſuper illius faciem iterato ſuffla, donec Plumbum ſeparetur, quodſi non quieverit, iterato Plumbi projectionem, & ſufflationem, & illius faciem perquire, quouſque quieſcat, & tu videas illud mundum & clarum in ſuperficie ſua. Poſt hoc vero, carbones aperi, & ignem diſſipa, & in faciem ejus aquam perfunde, hoc enim perfectè examinatum invenies: Et ſi quandoque, in ſufflatione hujus examinis, vitrum projeceris, melius & perfectius depurabitur, quoniam ſordes tollit, & illas infiſcat, poteſt tamen loco vitri Sal projici, aut Borax, aut Alumen aliquod. Similiter & perfici poteſt hoc examen Cineritii in crucibulo terreo, & in circuitu eius ſufflari, & ſuper faciem eius ſimiliter, ut ſupra, confletur quod examinari debet. His igitur ſufficienter narratis, ad Cementi examen tranſeamus cum cauſis ſuis, & ſuis experientiis manifeſtis & notis.

CAPVT XV.

De Cementi examine.

Dicimus igitur, quoniam corpora quædam magis, quædam vero minus, per ignis combu-

runtur

runtur calcinationis modum, ut quæ pluris sunt sulphureitatis quantitatem combustibilis continentia, magis; quæ verò minùs, minùs. Quia Sol igitur, inter cætera corpora, minoris est Sulphuris quantitatis, ideò, inter cætera corporum omnium mineralium, minimè per ignis inflammationem comburitur. Luna verò post Solem, inter omnia corpora reliqua, minoris est Sulphuris quantitatis participans, pluris autem quàm Sol, igitur minùs potest, secundùm hoc inflammationis ignitionem, temporis spatio longo tolerare quàm Sol, & res per consimile comburentes, secundùm naturam minus. Venus autem, quia Sole & Luna pluris est Sulphuris, & terreitatis majoris, ideò minus inflammationem illis tolerat. Iupiter verò minùs Venere, plus verò Sole & Lunâ sulphureitatis & terreitatis participat, & ideò minus Venere per inflammationem comburitur, plus verò Sole & Luna. Saturnus verò plus terreitatis & sulphureitatis per naturam in commixtione servavit, quàm nunc dicta corpora, & ideò citiùs & faciliùs omnibus nunc dictis inflammatur corporibus, & per inflammationem comburitur velociùs, propter hoc, quod sulphureitatem maximè habet conjunctam, & Iove magis fixam. Mars verò non per se, sed per accidens non comburitur; Cùm enim corporibus multæ humiditatis commiscetur, combibit illam propter suæ humiditatis carentiam, & ideò conjunctus non inflammatur nec comburitur, si non inflammabilia nec combustibilia sint corpora sibi unita, si verò combustibilia sint illi commixta corpora, secundùm naturam suæ combustionis, necessarium est evenire Martem, & comburi & inflammari. Cùm igitur ex rebus constituatur inflammabilibus Cementum, patet causa illius inventionis necessaria, & fuit, scilicet ut omnia combustibilia adurerentur. Cùm igitur unum solum sit corpus incombustibile, solum illud, ad illius naturam præparatum, in Cemento salvatur. Durant tamen quædam magis in Cemento, quædam verò minùs, quæ verò magis, & quæ minùs, nota sunt cum causis dictis. Durat igitur plus Luna, minus verò Mars, adhuc verò minùs Iupiter, minùs verò & adhuc Venus, minimè verò Saturnus. Narremus igitur Cementi modum, cùm in cognitione nobis sit maximè necessarius in perfectionis examine. Dicimus igitur, quoniam illius compositio est ab inflammabilibus rebus, & sunt hujus generis res omnes denigrantes, & fugientes, & penetrantes, & comburentes, sicut est Vitriolum, Sal armoniacus, & æris flos, & lapis figuli antiquus, contritus, & Sulphuris minima quantitas, aut nihil, & Virilis urina, cum similibus acutis & penetrantibus. Cementantur igitur hæc omnia cum urina virili, & super illius tabellas tenues, de cujus sit intentione probationis, hujus examen judicio percunctari. Dehinc verò, in fictili concluso vase, super cratem ferream extendantur tabulæ, ita tamen quod una ex eis, alteram non tangat, ut liberè ignis virtus ad illas percurrat æqualiter, & sic triduo igne forti conservetur in fictili; cautela tamen adhibeatur, ut igniantur tabellæ, sed non fundantur. Post tertiam autem diem, tabellas omni impuritate mundas invenies, si in perfectione illarum extiterit corpus. Si verò non, corruptas omnino & calcinatione combustas. Quidam tamen ponunt ad inflammationem tabellas, absque compositionum Cemento, & depurantur similiter, si perfectionis sint corpora, si verò non, comburuntur omnino, longiori tamen combustionis spatio, in hoc ultimo egent examine, quod sola ignis inflammatione perficitur, quàm quæ Cementi examinantur, judicio. Sed cùm Luna quidem à Solis natura non multa distet differentia, pauco administrationis modo, in judicio cum illo quiescit, & neque separatio corporum fit ab invicem, in his duobus examinis generibus, nisi propter diversitatem compositionis substantiarum eorum, quoniam ex ea resultat fusionis diversitas, & spissitudo & raritas, quæ quidem separationis sunt causæ, quoniam, propter fortem illorum compositionem, non corrumpitur illorum substantia à substantia corporis extranei, cum non fiat illorum per minima mixtio. Et ideò necesse est illa de commixto se invicem separari, sine corruptione totali illorum essentiæ. Quamobrem igitur administratio corporum imperfectorum completa dignoscitur, cum ejusdem fusionis, & ignitionis, & soliditatis administrationis reperta sunt ingenio.

CAPVT XVI.

De Ignitionis Examine.

REstat igitur, ut capitulum de ignitione tradamus. Dicimus igitur, quoniam corpora maximæ perfectionis, cum ignitione determinata, reperta sunt ignem suscipere ante fusionem illorum. Et ideò dicimus, si alterationem eorum completam adinvenire conamur, quod necesse est ad fusionem illorum corpora administrata redigere. Et est scilicet ut, priusquam fundantur perfectionis corpora, ignitionem suscipiant, cum inflammatione cælestini coloris & amœnitatis, priusquàm perveniat illorum ignitio ad albedinem ignis, in qua oculus non possit conspicere quicquam. Patet igitur ignitionem illorum perfectam compleri ante fusionem, cum rubore intenso, & non cum albedine, quam non possit oculus conspicere. Si enim priusquam igniantur, administrata fundantur corpora, in complemento non sunt. Si verò igniantur, cum labore, ignisque expressione forti, non est illorum administratio vera. Et hoc quidem in mollibus, illud verò in solo Marte contingit colligi. Non enim non ignibilia, de facili ignitionem præparationis modo suscipiunt; nec non fusibilia fusionem rectam, quàm in perfectis secundùm naturam invenimus. Et si cum ignitione, flammam amœnitatis cælestini non prætendant coloris administrata, non est illorum completa administratio. Et si minuitur aliquid ponderis, coloris, pulchritudinis, ignitionis & similium, ex præparantis differentiarum bonitatis inventum astutia, non fuit sufficiens artificis indagatio. Reiterando igitur inquirat, donec inveniat cum modis Divinâ bonitate collatis.

CAPVT XVII.

De Fusionis Examine.

IN fusionis igitur narratione sufficientiam tradamus, secundùm quod examen est ipsorum corporum omnium, ad cognitionem illorum certam. Dicimus igitur, quoniam unica est perfectionis fusio, cum ignitione scilicet, sed non cum cujusque ignitionis genere, sed cum ignitione, in qua non albescit omnino corpus, & cum ignitione, in qua non sit fuscedo igni adveniens, in qua non subitò, post ignitionem, fundatur, & liquescat corpus, ut fluat. Igitur, cum se fuderit corpus ex nimia ignis pressione debiliter, aut sine ignitione, aut cum ignitione fusca, hujus præparationis necesse est corpus imperfectionis esse unumquodque imperfectorum corporum in artificio diminuto. Et si post fusionem infrigidari permittatur, & omnino subitò in nigredinem illius vertatur ignitio, & ob hoc quidem priusquam

dureſcat, ignitionem perdat, non eſt in complemento corpus, cujuſcunquè generis illud extiterit. Sed judicari quidem expedit mollitie, hoc corpus exiſtere ex imperfectionis corporum generibus. Et ſi quidem, cum ignis laborioſa expreſſione, fortis & violenta fiat, illius ante fuſionem ignitio, & radio fulgoris inæſtimabilis albeſcentis omninò, jam non perfectionis, ſed duritiei alteratum eſt corpus. Et ob hoc quidem, ſi poſt illius fuſionem ab igne tollatur, & ſubitò induretur, ut non fluat, manente illius ignitione fulgidâ, jam non Lunaris aut Solaris perfectionis corpus exiſtit, cujuscunquè generis, & præparationis corpus fuerit adminiſtratum, ſed ſub Martis differentiarum natura ponatur. Patet igitur, ex jam dictis, triplicem in fuſilibus ignitionis, ante liquefactionem ſubſtantiarum illarum, experimento recolligi gradum. Unum ſcilicet ignitionem fuſcam. Alterum verò rubeam claram. Tertium albiſſimam radio fulgentem. Prima quidem eſt mollium. Secunda perfectorum corporum. Tertia durorum, rationis experimento probatur. Sed qui harum omnium ignitionem deſiderat gradum perquirere, omnia fuſibilia conflet corpora, & ignis conſideret ſufficientiam ad fuſionis perfectionem completam, & conſiderando recolligat omnium ſignorum fuſionis gradus differentiam, & ſic quidem inveniet, aliter verò non. Et hoc quidem tibi adducatur exemplar in omnibus à nobis determinatis atque determinandis examinationis materiebus; Et hæc itaque de fuſione dicta ſufficiant.

CAPVT XVIII.

De examine expoſitionis corporum ſuper vapores acutos.

PRoſequentes igitur ſermonis complementum, de corporum expoſitione ſuper acutorum vapores narremus. Dicimus igitur, quoniam videmus, perfectionis corpora ſuper acutorum vapores expoſita, acrium videlicet, ponticorum & acetoſorum ſimiliter omnino, aut nihil florere, aut amæniſſimum cœleſtinum florem emittere. Sed Solem quidem puriſſimum non florere. Lunam vero aut Solem non purum, ſuper acutorum vapores, expoſita, florere comperimus, & cœleſtinum amœniſſimum, amœnius tamen Solem quàm Lunam emittere. Et ob hoc igitur naturam imitantes, & nos ſimiliter in præparatis colorem cœleſtinum creemus corporibus, qui per Argenti vivi bonitatem perficitur, ut ſufficienter à nobis narratum eſt, in præcedentibus noſtri ſermonis. Quæcunque igitur perfecta corpora ſuper vapores acutorum extiterint, & cœleſtinum non creaverint amœnitatis colorem, non ſunt in perfectionis complemento totali. Et eſt ex corporibus quoddam, quod rubeum fuſcum viridicat, aut citrinum fuſcum viriditati admixtum, colorem ex acumine ponticorum floret in ſuperficie ſuâ, & hujus generis eſt Mars. Quoddam verò viride fuſcum in ſuperficie floret, cœleſtino admixtum turbido, & hujus eſt Venus. Quoddam verò album fuſcum, & hujus generis Saturnus comperitur. Quoddam verò album clarum, & hujus eſt Iupiter. Quia igitur maximè perfectum corpus minimè floret, aut nihil. Et ſi quid floret tardiſſimo temporis floret ſpatio, & Iupiter quidem minimè, & tardiſſimè inter diminuta à perfectionis complemento, corpora gummoſitatem illius floret; Ideò per hoc conſideramus hujus examine Magiſterii, Iovem maximè perfectioni approximare in opere majoris ordinis. Per hoc igitur examen perquiri poterit, in quo per tractatum perfectionis temperatum genere perſiſtet corporum, ſi rectè eorum conſideraveris ordinem; quem narravimus in hoc capitulo: ſi autem non, tuæ imputa temeritatis inſipientiæ.

CAPVT XIX.

De Extinctionis Examine.

IN extinctionis igitur examine narrationem adducamus totalem. Eſt tamen multiplex illius experientia, in qua cognoſcitur, utrum in perfectione Magiſterium conſiſtat. Primum igitur, ſi ignitum corpus in liquore extinguatur, & Lunare quidem album non fiat, & Solare citrinum fulgidum, ſed in alienum mutetur colorem, non eſt in complemento alteratio Magiſterii. Aut ſiquidem in reiteratione ſuæ ignitionis & extinctionis, in aquis ex Salium aut Aluminum cujuscunque generis adminiſtratione creatis, ſcoriam nigredini affinem in ſui ſuperficie protenderit, aut extinctione illius in Sulphuribus, & ab extinctione & ignitionis reiteratione multa evanuerit quantitas, aut nigredine fædâ ſe infecerit, aut omninò per mallei compreſſionem ſe confregerit, fallax eſt operis artificium. Aut ſi ex Salis armoniaci, & viridis æris, & puerilis urinæ mixtionis cementatione, aut in naturâ conſimilium, & ad ignitionem poſitum, & poſt ignitionem ad extinctionem, ſimiliter & Lunare quidem vel Solare, ex toto colorem amiſerit proprium, aut ſcoriam creaverit, in corruptione conſtat corpus adhuc Sophiſtica permanere. Unam tamen generalem tibi tradimus regulam certam, quoniam tam quidem in dictis, quam à nobis dicendis examinibus, ſi quid ei ex perfectionis differentiis alteratum permutaverit corpus, ponderis videlicet aut coloris, non rectè, ſed fantaſticè indagavit artifex opus, quod non peculioſum, ſed perditionis eſt potiùs.

CAPVT XX.

De Examine in mixtione Sulphuris.

EX Sulphuris vero mixtione, utrum in perfectione conſiſtat Magiſterium, comprobatur ſimiliter, quoniam experientiâ noſtrâ invenimus, Sulphur, corporibus commixtum, quædam magis, quædam verò minùs comburere, & quædam à combuſtione illius redire, quædam verò non, noſtro comperimus artificio. Et ex hoc itaque differentia notari poteſt inter ipſa à perfectione diminuta corpora præparata, in complemento Sophiſtico. Igitur, cùm inter cætera corpora cujuſcunque generis, invenimus Solem minimè per Sulphur comburi. Abhinc verò & poſtea Iupiter, deinde verò Luna, poſt hoc Saturnus, & faciliùs quidem his omnibus Venus, facillimè Mars, & per Sulphuris oleaginitatem comburitur. Ideò per hoc notatur, quid magis, quidve minus perfectioni approximant. Et ex diverſitate colorum, poſt corporum combuſtionem, perquiri poteſt, in quo alteratum genere, ex ſuæ naturæ radice corpus conſiſtat, quoniam Sol quidem citrinum intenſum, aut rubeum clarum, protendit ex Sulphuris combuſtione colorem. Luna verò nigrum, cœleſtino admixtum, Iupiter verò nigrum, modicâ rubedinis tincturâ admixtum, Saturnus verò nigrum fuſcum, multo rubori & lividitati admixtum, Venus verò nigrum viriditati admixtum, multâ præexiſtente combuſtione Sulphuris, paucâ verò præexiſtente combuſtione viridiſſimum, & amœnum violaceum protendit ex Sulphuris combuſtione colorem, Mars verò in omni combuſtionis genere, nigerrimum fuſcum colorem creat.

Ex

Ex reductione autem à Sulphuris combustione notatur & similiter diversitas in corporibus. Quædam verò sicut Sol & Luna redeunt, quædam verò ignis expressione, à reductione cum Sulphure recedunt, aut totaliter, aut eorum quantitas major, & quædam verò in suæ naturæ corpus, quædam verò in aliud quàm suæ naturæ redeunt, à Sulphuris combustione corpora Sol & Luna, recedunt autem Jupiter & Saturnus: Jupiter autem aut totaliter, aut secundùm sui majorem partem. Saturnus verò non ex toto recedit, sed quandoque major, quandoque verò minor illius deletur pars. Horum autem, scilicet Jovis & Saturni, contingit diversitatem existere, propter naturam & corporum administrationis eorum, in operis præparatione dictam, quoniam, ex subita ignis expressione, de reductione Jovem deleri contingit. Ex successivâ verò & paulatina, & Saturnum & Iovem salvari. Eorum tamen reductio in alieni corporis potiùs, quàm proprii naturam contingit. In clarum quidem videlicet augmentum Iovis: in fuscum verò Saturni converti reductionem repertum, experientiâ nostrâ extitit. Venerem verò minui in ignis reductionis impressione. Martem verò magis contingit; sed Veneris quidem est reductio ponderosa, & citrina, fusca. Martis verò alba, lucida, fusca, mollis, nigredine participans, cùm sui augmento ponderis. Ex his igitur perquiri poterit, omnium alternatorum natura corporum.

CAPVT XXI.

De Examine Calcinationis & Reductionis corporum.

DE calcinationis, & reductionis reiterationis examine dehinc est perquirendum. Invenimus igitur, quoniam perfectionis reperta sunt corpora, in calcinationis & reductionis reiteratione, ex bonitatis differentiis, nihil coloris, ponderis aut quantitatis, de qua curandum sit nimium, aut fulgoris perdere, quantumcunque reiteretur ad illa operis illorum multiplicitas. Et ideò, si per reiterationem modorum calcinationis, & reductionis à calce, ex omni metallorum alteratorum genere, bonitatis differentiarum perdatur aliquid æstimandum putes sophisticè perquisitionem artificem indagasse. Quamobrem igitur ad illas exerciteris, ut eas cognoscas.

CAPVT XXII.

De examine in facili & difficili mixtione Argenti vivi.

IAm igitur Vobis patuit veridicè, maximam Argenti vivi quantitatem continentia, perfectionis existere corpora, & ideò maximè Argento vivo amicari & uniri. Quamobrem igitur æstimandum corpora magis perfectioni approximare, quæ magis amicabiliter Argentum vivum combibunt, & hujus est signum Argenti vivi facilis susceptio, à Solari aut Lunari perfectionis corpore. Ob hujus igitur rationis causam, si alteratum quidem corpus, de facili in sui substantiam, Argentum vivum non suscipiat, à perfectionis maximè complemento distare necesse est

Operis totius in unâ summa recapitulatio.

QUia pertractavimus igitur hujus Magisterii causarum sufficientiæ experientias notas, secundùm nostri propositi sermonis exigentiam, restat nos ad complementum totius operis divini pervenire, in capitulo uno, & in summam contrahere sermonis abbreviati in capitulis dispersum Magisterium. Dicimus igitur, quoniam totius operis intentionis summa non est, nisi ut sumatur Lapis, in capitulis notus, deinde verò, cum operis instantia assiduetur super illum opus sublimationis primi gradus, ut per hoc mundetur à corrumpente impuritate, & est scilicet sublimationis perfectio, & cum eâ sublimetur Lapis, donec in ultimam sublimationis puritatem deveniat, & ultimò volatilis fiat. Abhinc verò, cum fixionis modis figatur, donec in ignis asperitate quiescat. Et hic secundus præparationis gradus appellatur, & in hoc quidem una perfectionis præparationis meta consistit. Sed & tertio similiter Lapis administratur gradu, qui in ultimo consistit præparationis complemento, & est scilicet, ut jam fixum Lapidem, cum modis sublimationis volatilem, facias, & volatilem fixum, & fixum solutum, & solutum iterato volatilem, & iteratò volatilem fixum, quousque fluat, & alteret in complemento Solifico vel Lunifico certo. Ex reiteratione igitur, præparationis hujus gradus tertii in medicina, resultat bonitatis, alterationis multiplicatio. Ex diversitate igitur reiterationis operis super Lapidem in gradibus suis, resultat multiplicationis bonitatis alterationis diversitas, ut ex medicinis quædam sui duplum, quædam verò decuplum, quædam verò centuplum, quædam millesimum, & quædam in infinitum Solificum, & verum perfectionis Lunificum transmutet corpus. Abhinc igitur, & ultimò tentetur, utrum in perfectione consistat Magisterium. Sed ne nos quidem mordeamur ab invidis, narramus, quoniam non tradidimus scientiam nostram sermonis continuatione, sed eam sparsimus in diversis capitulis. Et hoc ideò quoniam, tam quidem probus, quàm improbus, si continua fuisset tradita, ipsam usurparet indignè. Et eam similiter occultavimus, ubi magis apertè locuti sumus, non tamen sub ænigmate, sed sub plana sermonis serie, artificem allocuti sumus & sermonis modo eam ascripsimus, quam solius Dei altissimi, benedicti, sublimis, & glorioſi, & nostræ, qui illam scripsimus, menti recolligi accidit, aut Divinæ gratia bonitatis infusi, qui cui vult, largitur, & subtrahit, & ubi vult spirat. Non desperet igitur doctrinæ Filius, quoniam, si illam quæret, eam inveniet, non doctrinæ, sed propriâ motûs indagatione naturæ. Quoniam, qui per se, & suæ industriæ bonitatis quæret, scientiam inveniet, qui verò per librorum insecutionem quæsiverit, tardissimè ad hanc perveniet artem pretiosissimam. Quia nobis solis artem per nos solos investigatam tradimus, & non aliis, verissimam tamen, & omninò certam. Solum igitur prudentes ad artem allicuimus, & per ingenia à nobis tradita, viam investigationis eisdem exposuimus. Non autem eam inventam, nisi soliis nobis scripsimus, & inventionis modum & modorum ingenia. Per ea igitur, quæ tradidimus, exerceat se bonæ mentis artifex, & donum Dei altissimi se adinvenisse lætabitur, ad artis igitur excelsæ perquisitionem hæc dicta sufficiant.

Summa perfectionis Magisterii in sua natura GEBRI *Philosophi perspicacissimi*

FINIS.

LIBRI

INVESTIGATIONIS MAGISTERII GEBRI PHILOSOPHI PERSPICACISSIMI PROOEMIVM.

INvestigationem hujus nobilis scientiæ, ex continua & frequenti operis sedulitate, & huic operi studio nimio, nec non cogitationibus nostris profundissimis & variis annexis emissam, vobis tradam, ut melius & apertius à vobis volumina subsequentia intelligantur, & ut intellecta, & circa eadem ingeniata & perscrutata, facilius & promptius ad effectum perducantur. Et quia est aliud artis investigare per rationem quàm attentare, & probare subtilitates & ingenia horum, donec operando, & perscrutando, & experiendo, ad intentum perveniatur completum. Ideò in hoc meo libro, quæcunq; per narrata investigavimus, secundum meæ mentis rationem scripsimus, artem dico perficientia. Non putet tamen quis, quòd hanc investigationem composuerimus ante librum nostrum, qui summa perfectionis Magisterii est intitulatus, in quo, quæcunq vidimus & tetigimus, complete, secundùm scientiæ ordinem, determinavimus, secundùm experientiam & cognitionem certam, quam scrutatione nostrâ, de naturalium & mineralium effectibus transformantibus diversis, in opere apparentibus notavimus, & ingeniati sumus, scientiam nostram prius compositam, cum hoc investigationis commento, quod super ipsam declarando proposuimus denudare, ergo de jure hæc illam præcedit, cum per hunc librum investigare quæram de cognitione rei perficientis. Cùm igitur hæc scientia de imperfectis tractet corporibus mineralium, in quantum ea perficere deceat. In primo igitur, circa hæc duo, consideravimus, imperfectionem scilicet & perfectionem. Circa hæc duo nostram fundamus intentionem, de rebus autem perficientibus & corrumpentibus, secundùm quod per nostram investigavimus experientiam, hunc librum componimus, quia opposita juxta sepositæ, magis eluescunt, res autem quæ perficit in mineralibus, & substantia Argenti vivi, & Sulphuris proportionabiliter commixta per longam, & temperatam decoctionem in visceribus terræ mundæ, inspissata & fixa, cum conservatione suæ humiditatis radicalis non corrumpentis, sed ad substantiam solidam, cum ignitione debita fusibilem, & sub malleo extendibilem producta. Per diffinitionem naturæ hujus perficientis, levius pervenire possumus ad cognitionem rei corrumpentis. Et est illa quæ è contrario sensu habet intelligi, videlicet substantia impura Argenti vivi & Sulphuris, sine proportione debita commixta, vel minùs vel nimis decocta, in visceribus terræ immundæ, nec rectè inspissata, nec fixa humiditatem habens combustibilem & corrumpentem, & raræ substantiæ & porosæ: vel habens fusionem sine ignitione debita, vel nullam, nec patiens malleum sufficienter. Primam autem diffinitionem inveni intrusam in his duobus corporibus, videlicet in Sole & Luna, secundùm cujuslibet perfectionem. Secundam verò in his quatuor, scilicet in Stanno, Plumbo, Cupro, & Ferro, secundùm cujuslibet imperfectionem. Et quia hæc corpora, imperfecta ad sanitatem & perfectionem non sunt reducibilia, nisi contrarium in eis operetur, idest, quod manifestum occultetur, & occultum manifestetur, quæ operatio vel contrariatio fit per præparationem, igitur præparatio est eis adhibenda. Est ergo præparare, superflua demere, & absentia supplere, & sic notam eis immittere perfectionem. De hac enim præparatione non indigent corpora perfecta. Indigent ergò præparatione tali, quâ eorum partes magis subtilientur, & à corporalitate sua ad spiritualitatem reducantur fixam. Cujus intentio est ex eis facere corpus spirituale fixum: hoc est multò magis attenuare & subtiliare quàm erat priùs. De horum omnium præparationibus, secundùm nostram investigationem, in loco suo tractabimus sufficienter in hoc libro, quæ, postquam præparata fuerint sufficienter, erunt apta ut de eis Elixir album vel rubeum fiat magnum; invenimus enim modernos nobis unicum tantum scribere Lapidem ad album vel rubeum completum, quod & verum esse concedimus. Nam ex quacunq; re Elixir conficiatur album vel rubeum, nihil tamen ibi aliud est, quàm Argentum vivum & Sulphur, quorum unum sine altero nihil agit, nec esse potest. Et ideò unus Lapis à Philosophis nuncupatur, quamvis à multis extrahatur corporibus sive rebus. Extrahere enim à re in qua non est, hoc stultum cogitare esset & vanum, ut quidam fatui putaverunt; quod nunquam erat intentio Philosophorum. Dicunt tamen multa per similitudinem. Et quia omnia corpora metallica ex Argento vivo composita sunt & Sulphure, puris vel impuris per accidens, non in prima sui natura innatum. Ergo etiam præparationem convenientem tolli est possibile: Nam expoliatio accidentium non est impossibilis. Est ergò præparatio superfluum demere, & defectui supplere in corporibus imperfectis, quæ fieri non potest sine adjuvatione operis, & rerum purificantium. Diversificatur enim præparatio secundùm diversitatem rerum indigentium. Experientia enim nobis dedit modos agendi, scilicet calcinationem, sublimationem, descensionem, solutionem, distillationem, coagulationem, fixionem, & cerationem, de quibus singulis narrationem fecimus, in summa perfectionis Magisterii sufficienter. Ista enim sunt opera ad præparationem juvantia. Res autem præparationes juvantes, sunt istæ scilicet, omnia genera salium, aluminum, atramentorum, & etiam vitrum, borax & quæ hujus naturæ sunt, & acetum acerrimum, & ignis, & cum istis præponimus corpora imperfecta præparare, id est mundare, si aliqua immunditia in his extiterit, secundum nostram experientiam, in qua certi fuimus per prædicta.

De Salis communis Præparatione.

SAl commune comburatur, combustum in aqua communi vel aqua clara fontis calida solvatur, solutum per filtrum distilletur, distillatum per ignem lentum in parapside vitreata, vel vase terreo plumbato, & non in metallo, congeletur, congelatum calcinetur per diem & noctem in igne mediocri, & serva ipsum sic sufficienter mundatum.

De Salis vitri Præparatione.

SAl Petræ dissolvitur in aqua fontis, per filtrum distillatum, congelatur in vase vitreo usque ad ipsius fusionem cristallinam.

De

De Salis Nitri Præparatione.

SAl Nitri sic præparatur, dissolve sagimen vitri in qua lorti, distilla per filtrum & congela in vase vitreo, & sic optimè clarificatur.

De Salis Gemmæ Præparatione.

SAl Gemmæ teritur, dissolvitur & congelatur in vase terreo vitreato, sicut sal commune.

De Salis Alcali Præparatione.

SAl Alcali fit ex soda dissoluta, & per filtrum distillata & cocta ad tertiam, & descendet Sal in tempore ad fundum vasis in modum cristalli, & est præparatum: Similiter Sal Alcali apud aliquos sic præparatur. Accipiunt cineris clavellati pondera quinque vel duo, calcis vivæ pondus unum, & trahunt totum lixivium, & distillant & congelant, & hoc reiterant semel, & est præparatum. Vel sicut sal commune, primo teratur totum, solvatur in aqua communi calida, postea distilletur per filtrum, & congeletur, & calcinetur cum igne lento.

De Salis Armoniaci Præparatione.

SAl Armoniacus fit ex quinque partibus vel duabus urinæ humanæ, & parte una sudoris ejusdem, & parte una salis communis, & parte una cum dimidia uliginis lignorum vel baculorum, his simul coctis usque ad consumptionem humiditatis, sublima Salem Armoniacum verum & utilem, hunc iterum in sudorem dissolve & congela, & sublima à sale communi semel, & est præparatum. Vel teratur, primo cum præparatione Salis communis mundati, postea sublimetur in alto Aludele, donec totaliter fuerit extractum purum, postea solvatur super Porphydum, sub dio si de ejus aqua habetur facere, vel servetur ipsum sublimatum & purum sufficienter.

De Salis Tartari Præparatione.

SAl Tartari fit ex fæcibus vini calcinatis & distillatis, vel ex tartaro calcinato dissoluto & congelato, & est præparatum.

De Salis Urinæ Præparatione.

SAl Urinæ fit ex fæcibus urinæ distillatæ calcinatis, & iterum in aqua ejus dissolvitur & congelatur, & est magni juvamenti: multi diversimodè tractant de Salium præparatione. Nos autem investigatione nostrâ invenimus, has præparationes Salium breviores & utiliores, ad nostrum propositum consequendum, cùm, ex omnibus rebus verè calcinatis, sales per dissolutionem extrahantur, per viam prælibatam præparari tenentur, sufficit nos transire cum multis ingeniis consuetis.

De Aluminis Glacialis vel Rochæ præparatione.

ALumen Glaciale vel Rochæ duplicem habet præparationis modum, unum pro corporibus calcinatis abluendis, alium pro spiritibus sublimandis. Primus modus, dissolve ipsum in aqua fontis clara, distilla per filtrum, coque ad ejus tertiam partem, pone in Parapsidibus vitreatis, & descendet circa latera vasis, & in fundo Alumen præparatum cristallinum. Secundus modus est, ut Alumen in vase terreo coquatur quousque humiditas evanuerit, & invenies Alumen album spongiosum, leve & præparatum pro sublimationibus, & aliis diversis operibus. Fæces in fundo vasis remanentes, vel dissolvantur supra lapidem, vel in aliqua parte humida, vel in aqua inde extracta, vel reserventur.

De Aluminis Iameni Præparatione.

ALumen Iameni quemadmodum Alumen Glaciale vel rochæ præparatur, excepto quod in hac arte majoris est virtutis.

De Aluminis Plumosi Præparatione.

ALumen Plumosum dissolvitur & præparatur sicut Alumen glaciale vel rochæ. Nunc restat præparationes Atramentorum investigare, cùm multum sit nobis id, quod per ea colligimus in tinctura & ligamentis spirituum & aliorum, quæ ad Elixir spectant.

De Atramenti Nigri Præparatione.

ATramentum nigrum solvatur in aceto mundo, vel in aqua bullienti, post per filtrum distilletur, & coaguletur, & est præparatum. Vel ponatur primò in Alembico, & humiditas totalis extrahatur. Fæces in hac distillatione calcinatæ super Porphydum, vel in sua aqua solvantur, vel coagulentur, vel ipsa aqua, secundum velle artificis, reservetur.

De Cuperosæ Præparatione

CVperosa dissolvenda est in aceto distillato, clarificanda per filtrum, & congelanda, & sic est munda.

De Vitrioli Romani Præparatione.

VItriolum Romanum aliâ præparatione non indiget, nisi quòd in aliquibus cineribus teneatur. Et est certum, quòd à corporibus [ut amplius consideravimus] imperfectis extrahuntur diversa nobis necessaria, & sunt adminicula perfectionis in casu quæ indigent præparatione.

De Cerusæ Præparatione.

CEruſa dissolvenda est, in aceto purificanda, deinceps à gossoribus, & id quod ut lac emanaverit, congelandum est in Sole, vel lento igne, & est præparata.

De Albi Hispanici Præparatione.

EOdem modo, ut supra fit, de Albo Hispanico, Stannum candidum, in urina distillata, solvendum est, ad modum Cerusæ, & sic præparandum.

De Viridis Æris Præparatione.

VIride Æris in aceto distillato, solutum & clarificatum, limpidè congelandum est lentissimo calore, & est optimum.

De Croci Ferri Præparatione.

CRocus Ferri dissolvendus est in aceto distillato, & est clarificandus: & hæc aqua rubicunda, Crocea congelata, dat tibi Crocum aptum, & est factum.

De Lithargirii Præparatione.

LIthargirium, in aceto distillato, resolve, clarifica & congela, quia benè præparatum est, quod iterum, quemadmodum & alia prænominata, dissolvere potes, & his uti dissolutis & congelatis, in hoc est investigatio profunda, & hæc præparatio fit brevissimè.

De Antimonii Præparatione.

ANtimonium calcinatur, diſſolvitur, clarificatur & congelatur, & eſt præparatum.

De Lapidis Lazuli Præparatione.

LApis Lazuli calcinatur, abluitur tritus, & eſt purificatus à terreitate.

De Lapidis Hæmatitis Præparatione.

LApis Hæmatitis ignitur, extinguiturque ſæpius in telle taurino, & ſplene.

De Boli Præparatione.

BOlus teritur, diſſolvitur ut ceruſſa, & congelatur.

De Cinabrii Præparatione.

CInabrium ſemel eſt præparandum, cum ſale communi, & optimum eſt.

De Tutiæ Præparatione.

TUtia calcinatur, & reſolvitur in aceto diſtillato, & ſic eſt præparata.

Diverſa adhuc Salium, Aluminum, & Atramentorum genera reperiuntur, quæ omnia, ut jam dicta, in ſua pecie præparantur, & mundantur.

De Vitri & Boracis Præparatione.

VItrum & Borax, ſi debito modo fuerint facta, non indigent præparatione.

De Aceti acerrimi Præparatione.

ACeti autem acerrimi, cujuscunque genera, ſubtiliantur & depurantur, & illorum virtus ſive effectus per diſtillationem melioratur, & de quorum mundatione & depuratione ſufficienter tractavimus, cum quibus corpora imperfecta præparari poſſunt, & depurari, & meliorari, & ſubtiliari, igneque ſemper debito mediante. Præparantur enim & depurantur per iſta ad intentionem ignis per hunc modum. Habent enim hæc corpora imperfecta humiditates ſuperfluas, & ſulphureitatem aduſtibilem, nigredinem in ipſis admiſcendis generantem, ipſa prædicta corpora corrumpentem: habent etiam terreitatem immundam, fætulentam & combuſtibilem, nimis groſſam, ingreſſionem impedientem & fuſionem: iſta & talia ſunt ſuperflua in his corporibus prædictis, quæ in ipſis noſtra experientia, inveſtigatione certâ & ingeniosâ, ſunt inventa. Et quia hæc ſuperflua accidentaliter his ſuperveniunt corporibus, & non radicaliter, & ſpoliatio accidentalium poſſibilis eſt: oportet nos, cum igne artificiali, his prædictis mundatis & ſuperflua demere accidentia cuncta, ſolâ ſubſtantiâ Argenti vivi, & Sulphuris radicalis permanente. Et hæc eſt integra præparatio imperfectorum, & depuratio perfecta, melioratio & ſubtiliatio, horum, vel hujus ſubſtantiæ puræ remanentis fit multis modis, ſecundùm quod Elixir indiget. Præparationis ergo, & depurationis in generali modus eſt hic. Primo enim elevanda eſt, cum igne proportionali, tota humiditas ſuperflua, & corrupta in illorum eſſentia: etiamque ſuperfluitas ſubtilis & comburens: & hoc calcinando: deinde totalis ſubſtantia remanens corrupta, in illorum calce ſuperfluæ humiditatis comburentis, & nigredinis corrodenda eſt, cum his mundatis prædictis corroſivis acutis ſeu acerrimis, donec calx fuerit alba ſive rubea, aut ſecundum corporis naturam & proprietatem colorata, & munda & pura, ab omni ſuperfluitate ſeu corruptione prænarratis: & hæc cum his corroſivis & mundatis tenendo, imbibendo, & lavando: Poſtea verò delenda, ſeu deponenda eſt totalis terreitas immunda, & fætulentia combuſtibilis, & groſſa cum rebus prædictis mundatis, vel puris fuſionem metallicam non habentibus, cum calce prædicta, modo predicto depurata commixtis, & benè tritis, quæ infuſione ſeu calcis reductione, retinebunt ſecum terreitatem groſſam, & immundam prædictam remanente corpore puro, ex omni ſuperfluitate corrumpente mundato, ex hoc totum deſcendendo meliorationis & ſubtiliationis horum ſubſtantiæ puræ in generali modus hic eſt. Primo hoc corpus purgatum & reductum, eſt iterùm calcinandum cum igne, & adjutoriis mundativis prædictis: Deinde cum his, quæ ſunt reſolutiva, ſolvendum, hæc enim aqua Lapis noſter eſt, & Argentum vivum de Argento vivo, & Sulphur de Sulphure, & corpori ſpirituali extractum, & ſubtiliatum ſive attenuatum, quæ meliorari poteſt, confortando in ipſum virtutes elementales, cum aliis præparatis, quæ fiunt ex genere ſui generis, & augmentando colorem, fixionem, pondus, puritatem, fuſionem & alia omnia, quæ pertinent ad Elixir perfectum. Et iſte eſt modus per ſolos nos inveſtigatus, præparationis, depurationis, ſubtiliationis & meliorationis corporum mineralium in generali. Nunc tranſeamus ad ſpecialem, ſeu particularem cujuslibet corporis imperfecti præparationem, cum omnibus modis ſuis, etiamque perfecti corporis mineralis, & primo de Jove.

De Præparatione Iovis.

PRæparatio Jovis in ſpeciali præparatur multipliciter melius per hunc modum. Et eſt ut ponatur in furno calcinationis, in vaſe ad hoc apto, & proiiciatur ſubtus ignem, uſque ad corporis ipſius fuſionem bonam, movendo tunc ipſius corpus liquefactum, cum ſpatula ferrea perforata: ſpolia, quæ ſuper ipſum creantur, extrahendo, movendo in ignis calore æquè, perdurante, donec in ſuperficie bona quantitas ipſius pulveris fuerit congregata: deponatur tunc illa, & iterum moveatur, quouſque alternatâ vice totum corpus in pulverem ſubtiliſſimum fuerit reductum. Cribretur ergo pulvis ille, & reponatur in furno, addendo ſibi ignem bonum, ſuam fuſionem non ſuperantem, & movendo multoties. Stet ergo in igne ſuæ calcinationis ſic per diem naturalem vel circa: finaliter, cùm tota humiditas accidentalis & ſuperfluitas fuerit deleta, cum Sulphure combuſtibili & corrumpente: poſteà extrahatur calx alba mundata. Nam ignis omnem fugitivam ſubſtantiam & inflammabilem elevat, & conſumit de prædictis, ſcilicet cum ſale communi mundato & alumine, & cum aceto purificato & acerrimo, multum lavando, & ponatur ad ſolem vel ad aërem & iterum teratur, & lavetur & deſiccetur, & hoc alternatim per vicem reiteretur, donec per acuitatem ſalium, aluminum, atque aceti, tota ejus humiditas, nigredo, & immunditia fuerint conſumptæ, corroſæ & deletæ: tunc apponatur de vitro trito cum his prædictis. Cumque totum impaſtatum fuerit, deſcendatur per Botrum barbatum, cum ſufficienti igne. Deſcendet enim corpus purum & mundum, remanente cum vitro, & ſalibus ſive aluminibus tota ſubſtantia terrea, & fætulentia. In illo enim corpore mundo, deſcenſo & reducto, æqualis & perfecta

propor-

proportio Argenti vivi mundi, & Sulphuris albi non urentis. Nam ignis & corrosiva totam humiditatem diviserunt, & substantiam fugitivam inflammabilem & corrumpentem atque nigredinem: & per descensorium suum, sive per pastillum Salium & Aluminum & vitri, divisa est tota substantia terrea, & fætulentia cum sua proportione, substantia pura & temperata remanente. Postea verò calcinetur iterum hoc corpus reductum purum cum solo sale armoniaco puro mundato, cùm autem benè & minutissimè fuerit calcinatum, sublimato & mundato, donec fuerit in pondere æquali, vel tritetur tunc illud totum peroptimè, & benè diu teratur super Porphydum, & ponatur sub dio loco frigido, & humido, vel in vesicis vitreis in furno solutionis, vel in ventre equino, donec totum fuerit dissolutum, augendo sal, si fuerit necesse, quam aquam honorare debemus, ipsa enim est quam quærimus ad album. Et hæc in hoc ultimo volumine dicta sufficiant de præparatione Jovis.

De Præparatione Saturni.

PRæparatur Saturnus sic: ponatur similiter in furno calcinationis, movendo ut Iovem, donec convertatur in pulverem tenuissimum, cribretur, & reponatur ad furnum: stet in igne suæ calcinationis per modum prædictum, donec fugitiva substantia & inflammabilis fuerit deleta; postea trahatur calx tubea, quæ imbibatur & teratur frequentissimè & minutissimè, cum sale communi mundato, & atramento & aceto purificato & acerrimo. De istis verò ad rubeum utaris, sicuti ad album fecisti cum sale communi, & alumine Iameni & aceto: tunc multoties, ut de Iove desiccetur, & imbibatur & teratur, donec per beneficium dictorum, dicta immunditia fuerit deleta, tunc apponatur de vitro cum his prædictis, & descendatur per Botrum barbatum corpus purum descendendo reductum. Iterum calcinetur cum Sale Armoniaco puro, ut de Jove, teratur sæpissimè, & dissolvatur per modum prædictum. Ipsa enim est aqua Argenti vivi & Sulphuris proportionaliter facta, quia utimur in rubei Elixiris compositione. Et hæc de Saturni præparatione dicta sufficiant.

De Præparatione Veneris.

PRæparatur ergò Venus optimè per hunc modum. Ponatur stratum de sale communi, optimè mundato, in crucibulo, & desuper ipsius lamina, & desuper salis stratum & desuper lamina, & sic vicissim, donec vas fuerit plenum, & cooperiatur & lutetur, & collocetur in furno calcinationis per diem naturalem, deponatur, & abradatur quod calcinatum fuerit, & reponatur lamina cum sale novo: & sic alternatâ vice calcinentur, donec omnes laminæ fuerint consumptæ, seu corrosæ per beneficium salis & ignis: quia sal corrodit superfluam humiditatem & sulphureitatem combustibilem. Ignis elevat substantiam fugitivam & inflammabilem, cum proportione debita: teratur omninò pulvis ille minutissimè, & lavetur cum aceto, donec nigredine careat, aqua exinde emanans: hanc alternâ vice de sale novo & aceto imbibe, & tere; & post contritionem, ad furnum calcinationis in vase aperto reponatur: Stetque ibi per tres dies naturales: deinde extrahatur & teratur benè & subtiliter, & abluatur cum aceto benè & diu, donec ab omni immunditia fuerit mundatum & purgatum: desiccetur ad Solem benè, tunc apponatur medietas ejus de Sale Armoniaco benè & diutissimè terendo, donec substantia impallabilis fuerit, ponatur sub dio, vel in resolutionis fimo, do nec quicquid ibi est, subtile fuerit solutum, renovando Sal Armoniacum mundatum, si fuerit necesse, donec aqua totum fiat: hanc aquam honora, aquam Sulphuris fixi nominamus, cum qua tingitur Elixir usque ad infinitum. Et hæc sufficiant de Veneris præparatione.

De Præparatione Martis.

MArtis præparatio per hunc modum melius præparatur & calcinatur, quemadmodùm Venus cum sale communi mundato, & cum aceto puro lavetur: lotus ad Solem siccetur: desiccatus, iterum cum novo sale & aceto teratur, & imbibatur, & ad eundem furnum ponatur per tres dies, ut de Venere factum est: solutum honora, aquam Sulphuris fixi, mirabiliter colorem Elixir augmentantem. Et hæc de imperfectorum corporum præparatione dicta sufficiant.

De Perfectorum corporum majori Perfectione.

PErfecta verò corpora non indigent præparatione, quantum ad perfectionem, cum perfecta sint, sed ut magis perficiantur, subtilientur, & attenuentur, talis enim præparatio est adhibenda. Accipiatur Sol in laminas tenues productus, & ponatur cum sale communi optimè præparato, solariatim in vase calcinationis, & collocetur in furno, calcinando benè per tres dies, vel donec totum fuerit consumptum, & subtiliter calcinatum, deinde extrahatur, multum benè teratur, cum aceto lavetur, & desiccetur ad Solem: postea teratur benè cum medietate sui salis Armoniaci mundati, & ponatur ad dissolvendum, donec totum fuerit, per beneficium salis communis & Armoniaci, in aquam clarissimam dissolutum. Hoc fermentum est Elixir perfectum, pretiosum, & verum corpus spirituale factum.

De Argenti Subtiliatione & Perfectione.

SUbtiliatur autem Argentum, & attenuatur, & ad spiritualitatem reducitur per modum jam dictum. Ergo per omnia & singula fac in ipsa subtiliatione, sicut de Sole fecisti. Et aqua Lunæ dissolutæ, est fermentum ad Elixir album spirituale factum.

Recapitulatio totius Operis.

IAm imperfectorum præparationem, & perfectorum subtiliationem, sufficienter determinavimus, ut de eis quilibet discretus possit adimplere intentionem. Attendat ergo quis proprietatis actionis modus, seu compositionis Elixir majoris. Nos enim quærimus substantiam unam facere: tamen ex pluribus aggregatam, coadunatam, fixam, quæ super ignem posita, eam ignis non exprimat, & liquatis permisceatur, & liquescat cum ipsis, cum eo quod est in ea de substantia ingressibili, & permisceatur cum ea quod est de substantia permiscibili, & consolidetur cum eo quod est in ea de substantia consolidativa, & figatur cum eo quod est in ea de substantia fixativa & non comburatur ab his quæ non comburunt Aurum & Argentum, & afferat consolidationes cum ignitione debita & perfecta. Non tamen eatenus brevi tempore intelligas, quod paucis diebus vel horis possit prima vice constitui.

Sed

Sed quia respectu aliorum Medicorum modernorum, respectu etiam operationis naturæ, hæc veritas citiùs terminatur. Unde dixit Philosophus, medicina est, cujus tempus longum spatium anticipavit, quare vobis dico, quod sustineatis patienter, quia fortè moratur, & festinantia quidem ex parte Diaboli est. Ergò qui patientiam non habet, ab opere manum suspendat, quia impediet eum festinantem credulitas. Omnis actio naturalis suum habet modum & tempus terminatum, in quo majori & minori spatio terminatur. Ad hanc tria necessaria sunt, patientia, mora, & instrumentorum aptatio, de quibus in summa nostri perfecti Magisterii, artificem allocuti sumus in capitulis diversis, in quibus experiri potest, si in nostris dictis fuerit sufficienter investigatus, in quibus manifestâ probatione & aperta, concludimus Lapidem nostrum nihil aliud esse, quàm spiritum fætentem & aquam vivam, quam & siccam aquam nominavimus, & per naturalem proportionem mundatam & unitam unione tali, quod sibi nec abesse potest, quibus addi debet, & tertium ad opus abbreviandum, hoc est corpus perfectum attenuatum. Ex præmissis igitur patent res, in quibus veritas est propinqua & perficientes ipsum opus: investigatione verò nostrâ, qua certi sumus, & per experientiam manifestam consideravimus omnia verba vera esse, quæ jam per nos solos in nostris voluminibus scripta sunt, secundùm quod videmus per experimentum & rationem in voluminibus istis redacta. Ea verò, quæ per nostram experientiam digitis extraximus, & vidimus oculis, & manibus terigimus, scripsimus in summa nostra perfectionis Magisterii. Sapiens ergò artifex in nostris studeat voluminibus, colligendo nostram dispersam intentionem, quam in diversis locis proposuimus, ne malignis seu ignaris publicetur, & collectam probet, donec ad cognitionem studendo, & experimentando, cum laboris ingenioſi instantia pervenerit totalem: exerceat ergò se artifex & inveniet. Cujus jam modum investigationis commotus amore, à visceribus propter vos, per nostram considerationem, veritatis cognitionem etiam dare plenariam perficientis & corrumpentis materiæ & formæ consideramus, investigationem nostram perfectorum, & materiam cum forma à radice suæ commixtionis, usque ad complemẽtum puram esse sine corruptione supernæ mentis aliqua. Consideravimus à contrario sensu imperfectorum substantiam unam esse ubique, scilicet Argenti vivi & Sulphuris, quæ ante commixtionem eorum, pura sunt & munda. Et per hanc considerationẽ, per nostrum exercitium inveninus, corruptionem imperfectorum accidentaliter supervenisse, quæ materia novam & corruptam dedit formam.

Libri Investigationis Magisterii GEBRI, *Philosophi perspicacissimi ac Indiæ Regis*,

FINIS.

TESTAMENTVM

GEBRI PHILOSOPHI PERSPICACISSIMI AC INDIÆ REGIS.

De

SALIBVS ANIMALIVM, PISCIVM, VOLATILIVM, VEGETABILIUM, ET ALIORUM.

EX omnibus rebus, etiam ex animalibus, piscibus, & volatilibus potest fieri sal, ipsis combustis & in cinerem redactis, fixum: eo modo quo fit sal de cineribus lignorum vel de calce lapidis. Et si res fuerit naturaliter rubea, sicut est sanguis: ejus sal naturaliter erit rubeum, sed harum rerum combustio debet fieri in vase clauso, si fuerit sanguis, primo desiccetur, & non est malum, si in octo partibus, solvas partes duas salis communis calcinati in fornace quacunque, deinde desicca, & postea combures in furno vitriariorum, vel figulorum, sive reverberationis per diem & noctem, vel interpellatim per dies duos absque noctibus. Quod si fuerint carnes alicujus animalis, quæ siccari non possent, tunc in vase bene lutato ne respiret, per duos dies naturales, sine aliquo sale combure. Et post combustionem in quadruplo sui aquæ pluvialis decoque, usque ad consumptionem duarum partium cum dimidia. Dein fac pausare, & distilla per filtrum, donec fiat aqua clara, sine aliqua turbulentia, deinde congela lento igne, vel quod melius est, ad Solem, & habebis sal animalis, quod superat alios in virtute fusiva. Deinde resolve in duplo sui aquæ pluvialis, & pone hujusmodi sal sub fimo per septimanam, & erit acutum. Demum congela ut dictum est, vel fac sine fimo, & posito super metallum si ingreditur illud. Sal animalis est bonum, si autem non, reitera ejus solutionem & congelationem, & ejus efficacia declarabitur tibi per experientiam. Scias quod Sal totius talpæ combustæ congelat Mercurium, & Venerem cõvertit in Solem, & Martem in Lunam. Quidam tamen operantur cum ejus pulvere, tantum apponendo ejus duplum inter sal animalis & sal nitri.

De Salibus Metallorum.

EX metallis etiam fiunt sales post ipsorum calcinationes, & si sales habent vim penetrativam & fixativam, ratione subtiliationis & acuitatis suæ, ex eo quod sunt de rebus fixis, & diu calcinatis in igne. Verùm quia metalla diversimodè calcinantur in igne videndum est, primò de calcinatione illorum quæ sunt ad rubeum, sicut Sol, Venus, Saturnus, & Mars: Demùm de illis quæ valẽt ad albũ, ut Luna & Jupiter.

De Solis Calcinatione.

CAlcinatio Solis fit in vase aperto in furno vitriariorum in decem diebus continuis, vel in XX. diebus, in fornace reverberationis in tribus diebus. Demũ extrahe salem ejus cum aqua pluviali distillata per Alembicum semel vel bis, decoquendo in vase cupreo, & sit aqua in quadruplum ad calcum,

cem, demum congela: & si iterum calcinaveris, calces dealbabuntur in tribus diebus in furno reverberationis. Nec mireris de hoc, quoniam omnis res rubea amotâ suâ tinctura remanet alba: quia sub rubedine albedo manet occulta, sed non convertitur. Et propterea, quia albedo est sub rubedine, dico, quod si per decem dies solùm eas fæces calcinaveris, sine aliqua admixtione, & demum, ut de sale dictum, est, sales extrahas, postea fæces suas, in terram à sale remanentes, iterum calcinaveris, convertentur in albedinem. Et si eas reduxeris, erit Argentum vivum verum. Dico ergo, quod si salem Solis fæcibus suis in albedinem conversis reddideris, fit Elixir, tam ad tingendum quam ad convertendum Argentum verum in Aurum, & ad tingendum Æs Præparatum & Plumbum.

De Veneris Calcinatione.

VEnus calcinatur in vase aperto per dies 35. immò per duos menses, in vase vitriariorum: & remanet tunc sola ejus tinctura rubea, in specie sanguinis. De qua extrahe salem ut de Sole dictum est, & fiet Elixir. Et scias quod sal, cujuscunque metalli, debito modo factus, figit & tingit Mercurium & mutat de colore in colorem, & de statu in statum, ratione suæ acuitatis,

De Saturni Calcinatione.

SAturnus calcinatur in citrinum colorem in furno reverberationis, & est melius in vase clauso vel furno vitriariorum. Qui quidem in 15. vel in 35. purgant à sua nigredine. Dimitte ergo ipsum in fornace per duodecim dies alios. Quod si per duos menses perficiet se ipsum crudum purgatum vel non purgatum, & habebit citrinitatem accedentem ad rubedinem, & fac de eo salem ut de Sole dictum est: & cum hoc sale tinges Lunam in optimum Solem, & ascendet pars una super quinque partes Mercurii, & pars una Mercurii cadet super X partes Lunæ, & istius pars una super L. partes Lunæ. De fæcibus fac, ut de aliis dictum est; Et iste sal est acutissimus, & restrictivus cujuslibet rei volatilis.

De Martis Calcinatione.

MArs calcinatur, si fuerit limatus, cum aceto rubeo imbibitus, & desiccatus ad bonum ignem, vel interpellatim, & post in furno reverberationis, vel vitriariorum comburatur diebus XXX, & de eo fac salem, ut de aliis dictum est: Sal extractus de calce Martis, & ad Solem congelatus, & iterum per se sub fimo solutus, & post ad Solem congelatus, si pars una ipsius componatur super duas partes Mercurii, benè loti in ampullam bene claudam, per dimidium diem in cineribus calidis, congelat Mercurium in pulverem, qui pulvis fiet rubicundior fortiori igne adhibito: & Mortificat alium Mercurium vivum simili modo. Quem Mercurium poteris imbibere cum aqua, in qua solvisti calcem Martis & demum calcem Auri.

De Lunæ Calcinatione.

LUna calcinatur per quinque dies in prædictis fornacibus, & demum cum sale Alkali, sed debet prius per fusionem esse purgata, & postquam rem feceris, tingit Mercurium in album fixum, cum quo Mercurio operare, ut prædictum est, super quocunque metallo, & dealbabit albedine fixâ & permanente. Potes autem multiplicare, super Mercurio ad album melius quàm ad rubeum, quoniam pars una istius salis tingit XL. partes Mercurii, per multiplicationem projiciendo Mercurium tinctum super non tinctum. Sed non sic ad rubeum, quia majori indiget medicinâ ut transmutetur à natura, quàm superaddatur naturæ. Et huius Mercurii pars una super X. partes Æris, dealbati & mollificati, convertit in Lunam.

De Iovis Calcinatione.

IUpiter inter alios planetas benevolus est, calcinatur in vase clauso in prædictis fornacibus, scilicet vitriariorum, vel reverberationis, & eodem modo quo supra. Sal autem fit ex eo cum aqua pluviali vel alia, distillata per Alembicum, sed istum salem invenies præ cæteris acutissimum ad congelandum Mercurium, & majoris efficaciæ quam sit sal de Luna, propter majorem decoctionem, & quia vivum Mercurium continet. Unde & major pars ejus sublimatur: & cum sale communi & sale nitri sublima, & citiùs perficietur quàm Mercurius, nec erit minoris efficaciæ, quia Jupiter fuit Mercurius in sui minera, in principio suæ creationis. Fæces verò, quæ remanserunt, calcina in vase sublimationum, & fac inde salem ut dictum est. Et similiter operare de Saturno, quia etiam aliqua pars ejus sublimatur. Et de fæcibus fac ut supra dictum est de toto ipso. Nota tamen, quod si Saturnus & Jupiter calcinentur, per diem unum in furno reverberationis, sicut faciunt figuli, postea ille pulvis in calcinatione citiùs perficietur, tam ad faciendum salem, quam ad faciendum ea, quæ infra dicentur. Quapropter sciendum est, quod unumquodque metallium non solum in salem, ut dictum est, sed etiam in verum Solem & veram Lunam potest per calcinationem converti. Saturno quidem calcinato per XX. dies in fornacibus prædictis. Circa quod sciendum est, quod furnus vitriariorum melior est ad hoc opus, sed furnus reverberationis est utilior ad faciendum salem. Nec credas quod, si aliquod metallum factum, calx steterit in tali igne per XX vel XXII dies ad plus, quod aliquid ejus fugitivæ substantiæ possit remanere. Et ut convertat in verum Cambar metallum ulterius ipsum in igne tibi tenere non expedit Et tunc apparet, quod revera in suo profundo est durum, sed à latere Argentum.

De Marte.

MArtis verò limaturam, X diebus imbibitam, calcina per XII. dies, sed tutiùs est ipsum calcinare per 18. vel 20. dies. Et habes opus perfectum ad Aurum, & contingit virtute calcinationis, & fusionum cum rebus mollificantibus.

De Luna.

LUna in suo profundo est Aurum, sed in se, ut videtur, continet tinctiram albedinis, quantumcunque in igne permaneat, nisi forte multis diebus calcinetur, & demum, extracto suo sale, fæces ejus, si calcinarentur forte non esset impossibile quin in rubeum converterentur. Cum tinctura aliena tamen mutatur, non per se, sed propter adjutorium.

De Iove.

IVpiter verò septem diebus calcinatus, & demum cum sale nitri, vel alcali & albumine ovi, & sale armoniaco, & sapone molli, & borace de petra reductus, erit Argentum verum: quoniam ipse est Argentum, sed in modico tempore decoctum; Unde sine alia medicina tantum poterit stare in igne, quod reperietur versus in verum Argentum. Circa hoc etiam

nota,

nota, quod calcem convertendam in Aurum, reducas cum vitellis ovorum, vel eorum oleo, & tartaro rubeo, quia tartarum multum valet in reductionibus & fusionibus corporum. Alumen verò, & tartarum album, debent poni in reductionibus ad album: item nota, quod omnis medicina perfecta continet has quinque virtutes, quia, quod minima penetrat, mollificat, tingit, veraciter fixat, & purgat, & has virtutes continet Mercurius cum sale Auliar fixatus. Item omnes sales, tam animalium quàm metallorum, eandem habent efficaciam, maximè conjuncti cum Mercurio. Dictum est, quòd unumquodque metallum, cum benè calcinatum fuerit, facit salem, sicut faciunt cineres, & lapides, & calces. Et quod cum illo sale, Mercurius perfectè tingitur, & quod ille Mercurius est, qui transmutat omnia corpora, quemadmodum ipse transmutatur, quod est maximum secretum. Et apparet, quòd calcinatio corporum est brevior via ad perfectionem. Circa Jovem tamen notandum est, quòd in se deficit, non quidem vitio sulphureitatis, sed quia participat humiditatem non fixam, quam contraxit à Mercurio patre suo. Unde in calcinatione ad suam perfectionem indiget temperato igne, quia aliter nimis consumeretur. Temperata autem decoctio inspissat humiditatem, & inspissatio consumit. Et ideò hæc decoctio fiat cum secatura lignorum, & sub terrâ debet poni, & desuper ignis. Et posteà fiat ignis desuper. Et hoc tene secretum.

De Saturno.

IDem dico de Saturno, si velis ipsum Lunificare. Sed secus est, si velis ipsum Solificare, quia hoc non fit, nisi per maximum ignem, & rubificatur & transmutatur.

De Marte.

MArs verò, quia habet substantiam fixam, est inter cætera corpora melior: est tamen longi laboris, propter nimiam sui siccitatem. Sed si posses ipsum deducere ad albedinem & mollitiem Argenti, fieret firmus & fixus in omni judicio, quia nec timet cineritium: Stude ergo in eo, & limaturam ejus funde cum Arsenico, Euforbio, & Tartaro calcinato, & Sale Alkali, facto de Alumine de Tabia, quod in multis locis appellatur Alumen gattinum, eo quod gattæ in eo juxta ignem libenter dormiunt, & citò fundatur, & omni vice extinguatur in oleo tartari. Et cum Mars leviter funditur per se, sine adjutorio alterius rei, habebis optatum. Et scias quod multum valet fundere cum calce facta, quia calx fundere facit lapides.

De Calce Saturni, Veneris & Martis.

NOtandum circa calcem factam Saturni, Veneris & Martis, quòd tantum volunt calcinari, quod nullo modo possunt in corpus reduci, nec plus diminui, nec plus mutari de colore in colorem, & quod sit calx acutissima. Et tunc sales ipsorum stant, quos sæpius solve sub fimo, & coagula ad Solem, donec fiat quasi oleum. Tunc fixabit omnem Mercurium, & illo Mercurio alium Mercurium, usque ad infinitum.

De Salibus Metallorum.

NOta quod si sales Metallorum commixtos Mercurio per sublimationem, & salem armoniacum, & demum sub fimo solvas, & ad Solem congeles, & solutionem & congelationem iteraveris ter, vel pluries, congelabis Mercurium crudum, lotum, & hoc multiplicare poteris in infinitum.

Item de Salibus Metallorum.

SAl igitur Metallorum extrahas cum aqua dulci distillata, vel cum aqua vitæ per bullitionem, congela ad Solem, & iterum persolve sub fimo in aquam, & per lanam distilla & congela. Hujus pars una centum partes Lunæ vel Saturni tingit perfectè.

Item ejus pars una fixat Mercurii crudi partes quinque, & quælibet pars ejus tingit centum.

Item de Salibus Metallorum.

QUidam dicunt quod Sal, extractum à metallis, est calcinandum. Item nota, quòd melius est sal extrahi à corporibus calcinatis, cum urina distillata, prius decocta, & despumata, vel cum aqua vitæ de vino albo in calcibus albis, in rubeis cum aceto distillato. Deinde conjunge sal cum Mercurio sublimato à sale armoniaco.

Item nota, quòd circa sal metallorum, & circa calces eorum, non habes aliud laborare, nisi quod des eis ingressum.

Item nota, quod sive cum aqua distillata, sive cum aceto distillato, sal à calcibus rubeis extrahas, quòd ad Solem vel ad ignem suaviter congeles, & per se solvas aquam: cum aqua illa decoque igne lento, in urinali desuper clauso, Mercurium vivum lotum, & sub fimo solutum, vel cum aqua prædicti salis & Mercurii, modo prædicto solvas cum calce auri.

Item nota, quod Saturnus purgatur cum aqua facta de Mercurii parte una, & Arsenici parte una. Sit tamen quodlibet per se prius sublimatum: Et postea simul cum sale armoniaco, quod sit duplum ad ista, & demum solvantur, & in aqua aluminis sæpius extinguatur. Et similiter Iupiter & alia metalla, purgantur cum eadem aqua, non appositio Arsenico.

De Mercurio Iovis.

NOta de Mercurio Jovis & ejus sublimatione, quæ forte sublimatur cum sale nitri. Tenta Jovem sic sublimare. Recipe de eo uncias 3. quas amalgama cum tribus unciis Mercurii, & salis armoniaci unciam unam, & calcis corticum ovorum, vel gypsi uncias 3. sublima simul aliquantulum. Deinde, quod in fundo urinalis residet post sublimationem, reducatur in corpus, cui associa Argentum si vis.

Item nota, quod sal metallorum resolutum, distillatum, & ad Solem congelatum, dat congelare Mercurium in crucibulo.

Item sal metallorum dat solvere Mercurium in aquam sub fimo. Et illud mixtum congelatum erit perfecta medicina.

Testamenti GEBRI *Philosophi, de Metallorum transmutationibus.*

FINIS.

JOANNIS

IOANNIS BRACESCHI *Brixiani de* ALCHEMIA Dialogus *veram & genuinam Librorum* GEBRI *Sententiam explicans.*

Præmittuntur Propositiones centum viginti novem idem Argumentum compendiosâ brevitate complectentes

Centum viginti novem Propositiones Gebri ac Lullii, Libris rectè intelligendis conducibiles, incerto Authore.

1.

GEBER ingeniosè suos Libros conscripsit, sermone tali, qui prudentes minimè lateret, mediocribus profundissimus esset. Ignorantibus autem & imperitis utrosque terminos irreserabiliter concluderet, una & eadem traditione.

2. ¶ Vili precio ad finem perducitur operatio hæc.

3. ¶ Principia naturæ etiam hujus magisterii principia sunt.

4. ¶ Qui non habuerit ingenium naturale, & animam perscrutantem subtiliter principia naturalia, & naturæ fundamenta, & artificia, quæ consequi naturam possint, in suæ actionis proprietatibus, non inveniet hujus pretiosissimæ scientiæ veram radicem.

5. ¶ Principiorum naturalium Metallorum triplex est differentia. Sunt enim quædam remotissima, quædam remota, sive media mineralia, alia vero immediata.

6. ¶ Omnia metalla ex Sulphure, & Vitriolo generantur.

7. ¶ Argentum vivum, & Sulphur commune, non sunt principia metallorum.

8. ¶ Materia prima, in hac arte, ea dicitur, quæ proximè accedit ad naturam metallicam.

9. ¶ Vitriolum proximè accedit ad naturam metallicam, quia sulphureum est, & in se habet virtutem mineralem, ut convertatur in metallum.

10. ¶ Virtus mineralis generandi metalla est in sulphure soluto, sine quo metalla nunquam generari possunt.

11. ¶ Hæ res, quæ naturam salis & aluminis habent, tantummodo solubiles sunt.

12. ¶ Ex vitriolo soluto duplex fumus resolvitur, & hi duo fumi à Philosophis, Sulphur & Mercurius dicuntur.

13. ¶ Sulphuris species, in metallis virtutem proximam acquirunt metallationi.

14. ¶ A metallis imperfectis diversa vitriola accipimus, nobis & utilia & necessaria.

15. ¶ Species sulphuris præparatæ, aptissimæ res sunt, ut ipsorum argentum vivum, in Mercurium, aurum, sive argentum convertant.

16. ¶ Quando vapores exhalantes cadunt in certam terram rubram; convertuntur in argentum vivum commune.

17. ¶ Quum duplex fumus, penetrando per saxa, sulphur invenit, ipsum solvit, & ipsi commiscetur firmiter, & per successivam decoctionem in minera, convertitur in metallum.

18. ¶ Omnia metalla, ex eadem & simili materia generantur. Diversitas autem inter ipsa procedit ex diversitate loci mineralis, & ex diversis accidentibus, & contrarietate sulphuris loti, & diversa digestione.

19. ¶ Omnia accidentia, materiæ radicali supervenientia, possunt removeri, facturi verum Elixir, quod metallum est plus quam perfectum, necesse est, illud fieri ex proprio semine naturæ.

20. ¶ Elementa Lapidis Philosophorum, naturam propinquam, convertendi se in metallum, adepta sunt, quod elementis aliarum rerum minime convenit.

21. ¶ Vitriolum commune, principium remotum est ab arte.

22. ¶ Principia artis, non sunt in rebus vegetabilibus, sive animatis, neque in his rebus, quæ ab his sumuntur quia aliena sunt à natura metallorũ.

23. ¶ Sulphur, & argentum vivum commune, non sunt principia naturæ, ergo neque artis principia erunt.

24. ¶ Sulphur solum non potest generare neque Metallum, neque Elixir.

25. ¶ Qui ita noverit præparare Sulphur, ut Metallis commiscerì & uniri possit, maximum naturæ secretum tenebit, & viam brevem perfectionis ingressus est.

26. ¶ Elixir fit duobus modis, ut per calcinationem & solutionem, & sine calce & distillatione.

27. ¶ Argentum vivum, suis Sulphuribus conjunctum, & coagulari & fixum reddi potest.

28. ¶ Argentum vivum cum solis herbis non redditur fixum.

29. ¶ Nostrum argentum vivum, sive Mercurius nostet, sal est, virtutem habens veræ calcis.

30. ¶ Mercurius, sive argentum vivum metallorum, per calcinationem convertitur in sal.

31. ¶ In corporibus metallicis sunt duæ sulphureitates.

32. ¶ Nostrum Arsenicum, sulphure & argento vivo participat, quare Hermaphroditon appellant, attamen per se non potest metallum aut Elixir generare.

33. ¶ Tutia fumus albus est, nostri Jovis; propterea cupro calorem citrinum inducit.

34. ¶ Sulphur & argentum vivum redduntur fixa, per cõversionem in terram, & sine hac conversione.

35. ¶ Sulphur cum suo sale & aceto calcinatur & lavatur.

36. ¶ Nostet Jupiter & Saturnus sales sunt simul juncta, ante distillationem.

37. ¶ Sulphur in præparatione plures ſupra ſeſe pelliculas creat.
38. ¶ Sub Marchaſitę nomine Geber de Lapide Philoſophorum loquitur.
39. ¶ Vaſa putrefactionis, & præparationis ſulphuris, ſimilia ſunt & eadem, hoc eſt, in fundo plana.
40. ¶ Artis principia inveniuntur in metallis.
41. ¶ Elixir, & Lapis Philoſophorum, vegetabiles & animales, & minerales ſunt.
42. ¶ Neceſſarium eſt, ut inveniatur medicina metallica, quæ imperfecta metalla transmutare poſſit in verum aurum & argentum.
43. ¶ Metalla perfectiſſime transmutari poſſunt, unum in alterum.
44. ¶ Ars plerumque vincit naturæ operationem.
45. ¶ In uno ſolo lapide, conſiſtit totum magiſterium hujus artis.
46. ¶ In generatione metallorum & Elixir, ſulphur ſemini paterno ſimile eſt, Argentum vivum vero fœmineo menſtruo.
47. ¶ Lapis Philoſophorum, habet in ſe omnem naturalem præparationem, & totum hoc, quod ad perfectionem requiritur.
48. ¶ Elixir, aurum potabile, quinta eſſentia, & ſemen, ex eadem materia ſunt.
49. ¶ Opinio quorundam? qui elixir fieri volebant ex auro communi.
50. ¶ Elixir ex auro communi fieri non poteſt quia ipſius ſulphur jam ad ultimum, permanentemque tincturam pervenit, & ipſius tinctura hoc non excedit, quod ſibi neceſſarium erat. Propterea aurum & completum & determinatum dicitur, neque (ut maxime neceſſarium erat) debitè ad primam materiam reduci poteſt.
51. ¶ Humidum radicale, in cæteris metallis æque virtuoſum, incorruptum & incombuſtibile eſt, ut auri.
52. ¶ In lapide Philoſophorum, aurum & argentum ſunt in potentia & virtute.
53. ¶ Per corpora perfecta Geber ſulphuris præparati ſpecies intelligit,
54. ¶ Aurum Philoſophorum, & aurum potabile, ſulphur ſubtiliſſimum radicale ſunt, quod anima dicitur.
55. ¶ Fumus albus, in ſuo ventre fumum rubrum portans, eſt vera quinta eſſentia.
56. ¶ Quinta eſſentia, actu nullam qualitatem habet elementalem.
57. ¶ Aqua vitæ Philoſophorum, è lapide Philoſophorum deſcendit.
58. ¶ Sulphur, mediante igne, dulcorat aquam amaram.
59. Cœlum noſtrum ornari debet Sole noſtro & ſtellis.
60. ¶ Noſtra quinta eſſentia, variis nominibus appellatur pernicioſorum & ferocium animalium, ut urſi, leonis, & ſimilium.
61. ¶ Aquæ coagulantes & figentes, duæ ſulphuris ſunt ſpecies, Veneris & Martis nomine deſignatę.
62. ¶ Vitri nomine in iſta arte ſæpe ſulphur intelligitur.
63. ¶ Differentia eſt inter coagulationem quintæ eſſentiæ, & fixum Elixir. Operantur enim diverſos effectus.
64. ¶ In medicina potabili pars animalis habetur.
65. ¶ In omni metallo ſingula Philoſophorum metalla continentur.
66. ¶ In iſta arte neceſſe eſt, occultum manifeſtari & manifeſtum occultari.
67. ¶ Cum præcipitur, corpora in aquam eſſe reſolvenda: intelliguntur ſpecies ſulphuris.
68. ¶ Præter ſulphur & argentum vivum, non ſunt alia Philoſophorum metalla.
69. ¶ Ars imitatur naturam in multis rebus.
70. ¶ Sulphur rubrum, ut vinum, quando calcinatione nigreſcit, nigrum nigro nigrius dicitur.
71. ¶ A colore nigro ad albedinem, multi & varii colores apparent in ſulphure.
72. ¶ Elixir primo fit nigrum, ſecundo dealbatur, poſtea colorem citrinum aſſumit, ultimo vero rubrum.
73. ¶ Elixir coagulatur in forma ovi.
74. ¶ Nigredo durat quadraginta dies.
75. ¶ Veteres, ſub velo fabularum poëticarum, occultaverunt hanc artem.
76. ¶ Sub fabula Herculis & Anthei, occultaverunt præparationem ſulphuris.
77. ¶ Dixerunt veteres, Jovem ſeſe convertiſſe in pluviam auream, hac fabula occultantes diſtillationem auri philoſophici.
78. ¶ Per Argi oculos, in Pavonis caudam converſos, ſignificarunt noſtrum ſulphur, quod de colore in colorem mutatur.
79. ¶ Sub Orphei fabula, occultaverunt dulcedinem quintæ eſſentiæ, & auri potabilis.
80. ¶ Si Empedocli credimus, occultaverunt veteres totam hujus artis praxin, ſub fabula Pirrhę & Deucalionis.
81. ¶ Sub fabula de Gorgone, qui omnes ſe conſpicientes in lapides convertebat, occultaverunt fixionem Elixir.
82. ¶ Diſtillationem occultantes dixerunt, Jovem converſum in Aquilam, ſubvolaſſe cum Ganimede in cœlum.
83. ¶ Sub fabula Dædali & Icari, putrefactionem & diſtillationem occultaverunt.
84. ¶ Diſtillationem, auri Philoſophorum, occultaverunt, dicentes, ramo aureo exciſo, alium ſtatim ſubnaſci ſimiliter aureum.
85. ¶ Hanc diſtillationem occultaverunt etiam, dicendo: Jovem patris ſui Saturni genitalia excidiſſe.
86. ¶ Aqua Mercurialis currus eſt Phaëtontis.
87. ¶ Per Minervam armatam intellexerunt eam aquam diſtillatam, quæ partem habeat ſubtiliſſimi Sulphuris, quod ſulphur ferrum dicitur.
88. ¶ Per Vulcanum, qui Minervam ſequitur, ſignificatur ſulphur, quod hanc aquam ſequitur, & ſuum ſal in putrefactione.
89. ¶ Per nubem ſpiſſam, cum qua Jupiter circumdedit Jo. ſignificatur pellicula in coagulatione Elixir apparens.
90. ¶ Pelliculæ nigræ, apparentes in calcinatione ſulphuris, ſunt vela nigra, cum quibus Theſeus rediit Athenas.
91. ¶ Sub nomine diluvii & generationis animalium, deſcripſerunt diſtillationem, & generationem ſulphuris.
92. ¶ Per Martem ſignificarunt noſtrum ſulphur, & per Junonem elementum aëris, & interdum elementum terræ.
93. ¶ Per Latonam, in Delo inſula compreſſam à Jove, ſignificaverunt noſtrum cuprum, quod in bocciam poſitum Solem & Lunam generat, præparationem ſulphuris occultaverunt, dicentes,

tes : Vulcanum propter deformitatem dejectum in insulam Lemnon.

94. ¶ Atalantos, hoc est, aqua nostra velocissima, & levissima, cum sulphuribus & coagulatur & firmatur.

95. ¶ Boli, quibus Theseus ora Minotauri inviscavit, sunt sulphuris species. In Labyrintho, hoc est, in nostro vase sive boccia, aquam mercurialem inviscantes.

96. ¶ Per Phœnicem, qui semper reviviscit, intellexerunt multiplicationem Elixir.

97. ¶ Sub nomine & fabula Demogorgonis, occultaverunt materiam & praxin hujus artis.

98. ¶ Chaos veterum, est noster Saturnus.

99. ¶ Elixir ex argento fieri non potest.

100. ¶ Elixir fit ex metallis imperfectis.

101. ¶ Metalla imperfecta, media mineralia sunt.

102. ¶ Opinio illorum, qui Elixir ex plumbo communi faciebant.

103. ¶ Opinio quorundam, Elixir ex stagno faciendum affirmantes.

104. ¶ Elixir neque ex stagno neque ex plumbo communi fieri potest, cum sint immunda in radice.

105. ¶ Primus ordo præparationis est, secundus est fixionis, tertius vero multiplicationis Elixir.

106. ¶ Ex fæcibus adustis extrahitur Mercurius noster, cum quo multiplicatio fit.

107. ¶ Cuprum, & ferrum commune, in eorum radice pura & munda sunt.

108. ¶ Elixir fieri non debet ex cupro communi.

109. ¶ Nostri cupri minera sal est, dictum Saturnus.

110. ¶ Opinio Elixir fieri non posse ex ferro communi.

111. ¶ Ex traditione Geberi, & omnium Philosophorum probatur amplius : Elixir fieri ex ferro communi.

112. ¶ Vas distillationis Mercurii, simile esse debet tabulæ planæ, aut parvæ concavitatis.

113. ¶ Elixir fit ex ferro communi, quod hoc plus sulphuris fixi habeat præ cæteris metallis Et quòd sui spiritus virtuosiores sunt, & quòd sua terrestreitas ab eo facile separetur, & facile ad materiam primam reducatur, & quòd ipsius ferri Mercurius præparatus, suum sulphur melius à combustione defendat & quòd hoc incompletum sit, & medium minerale, in quo extrema in virtute continentur, & quòd minera sit auri philosophici.

114. ¶ Antiqui Philosophi per varia ænigmata & similitudines significarunt, Elixir ex ferro componi.

115. ¶ Ferrum hominem dixere veteres, quòd habeat animam, corpus & spiritum.

116. ¶ Ferrum generatur in terra specialiter per virtutem stellæ polaris.

117. ¶ Lapis ille, qui vili precio venditur, ferrum est, si cæteris metallis comparaveris.

118. ¶ Ferrum vegetabile dicitur.

119. ¶ Fit Elixir ex lapide vilissimo.

120. ¶ Lapis vilissimus Philosophorum vegetabilis, animalis & mineralis est.

121. ¶ Elementorum separatio.

122. ¶ Ferri spuma, quæ à fabris ferrariis abjicitur, vilissimus lapis Philosophorum est.

123. ¶ Humidum radicale, metallorum igne non aduritur.

124. ¶ Ex scriptis Gebri probatur, spiritus ex calce ferri sublimandos esse.

125. ¶ Calx ferri, ignis vehementia conversa in naturam Vitri coloris quasi viridis, aut cæsii in obscuri, sive Saphirini obscuri, virtuosissimus Philosophorum lapis est.

126. ¶ Vitrum hoc, humidum radicale ferri est, variis Philosophorum sententiis probatur, lapidem, Philosophorum igne non aduri.

127. ¶ Ferrum à multa terrestreitate mundificatur, cum in naturam vitri reducitur.

128. ¶ Veteres Philosophi convertebant vitrum in naturam metallicam.

129. ¶ Vitrum est major lapis vilis, repertus & famosus &c.

DIALOGUS *veram & genuinam Librorum* GEBRI *Sententiam explicans.*

Demogorgon, Geber.

DEMO : Salve magni Mahumetis sapientissime nepos.

GEBER. Salvum te adveniisse gaudeo, Sed quæ causa est tam longinqui itineris ?

DEMO : Naturalis & innata cupiditas indagandi, & cognoscendi profundissima naturæ secreta, quæ divina mente ex abditissimis naturæ arcanis eruta, per te docte quidem & ingeniose literis tradita sunt ; Tanta vero sermonis obscuritate conscripta, ut etiam post gravissimos labores, & singularem studiorum assiduitatem, ad verum sensum penetrare, & animi tui intentionem colligere haud possim. Quamvis multum temporis, ad virilem usq; ætatem, bona ex parte, in his rebus consumpserim, & in evolvendis tuis scriptis ferè 35. annos transegerim. Quare jam olim apud me constitutum erat, orbem terrarum mihi peragrandum, ut tandem obveniret vir sapiens, qui hanc divinam, secretissimamque naturalis Philosophiæ partem ita teneret, ut me facile tam profundæ cogitationis posset facere participem. Verum in hac mea peregrinatione infinitos artifices audiebam, temerario ausu affirmantes, se intentionem tuam & verissimum sensum tuorum scriptorum ad unguem cognovisse, præter laborem tamen & grave dispendium nihil penitus consecutos, omnem culpam in te rejicientes. Ego vero ex singulari amore erga te, quem semper colui reverenter, & magnifeci, & famam & honorem tuum defendere non dubitavi, contra impudentissimorum detractatorum futiles ac inanes oblocutiones & morsus. Sciebam enim, te cæteris omnibus, qui hanc subtilissimam secretioris Philosophiæ partem aggressi sunt, cum apud veteres tum recentiores, ab omnibus veræ Philosophiæ studiosis præferri. Inde captus summo desiderio, visendi te, & coram de hisce rebus differendi, meum iter ex Italia, huc in Persiam deflexi, maxime, ut apud te impetrarem, ut me in consortium & numerum tuorum discipulorum recipere non recusares. Tantum enim apud me discendi amor & studium prævaluit, ut neque itineris longinquitas, neque tot pericula subeunda, abstterrere me posse viderentur, sed fortiter hæc contemnenda ut parem.

GEBER. Petis sanè honesta, desiderium que tuum generosi animi certissimum indicium est. Quare non gravabor, te & in discipulorum & amicorum meorum numerum recipere. Feceris autem rem haud ingratam mihi, si eorum rationes, qui vanis oblocutionibus meæ æstimationi detrahere studeant, indicaveris.

DEMO: Exorta est sæpe gravis verborum concertatio inter nos, sceleratosq; tuæ famæ & nominis detractores, qui te acerbe accusabant & vituperabant; ex scriptis tuis se deiusos & deceptos, supplãtatosq; prædicantes, quod in hanc sententiã in proœmio libri tui summæ perfectionis, scripseris: Per Deum; qui secundum hunc librum operatus fuerit, verum finem hujus artis se adinvenisse lætabitur: His verbis fidentes; maxime adducti sunt, ut neque labori, sumptui, aut tempori parcerent, omnia ut ajunt, ex libri tui instituto operantes, tamen nihil unquam consecutos, præter gravissimam rerum suarum jacturam, & temporis & laboris dispendium. Et quod gravius ferunt, nominis & famæ jacturam fecisse, omnibus ludibrio esse, cum digito, ut in proverbio est, subnotari, ut minime tuto aut tranquille inter cæteros homines conversari possint aut audeant. Hac ratione execrantur, maledicunt, vituperant, & contumeliosis convitiis spargendis nullum finem faciũt, falsarium, impostorem, ac hominem versutum, fallacemque te clamitantes, Cui id unum semper cordi fuerit, ut quàm plurimos faceret cum ratione insanos.

GEBER. Quis, obsecro, adeo divinus & sapiens inter homines vixit unquam, qui sceleratos, & malignos non aliqua ex parte offenderit?

DEMO: Quid autem dicis, de multis sapientissimis, & vitæ quasi inculpatæ, qui in eodem errore versantur?

GEBER. Scripsimus lib primo, cap. 5. summæ nostræ, Hanc artem in divina potentia Dei, qui eam subtrahit aut largitur, cui vult, servari, qui est gloriosus & sublimis & omni justitia & bonitate repletus. Adhæc adjecimus quoque in calce, hujus libri, hanc artem nos eo artificio tradidisse, ut à nullo intelligi possit, nisi cui divinitus datum sit, aut à nobis, qui eam tradidimus, in hac edoctus.

DEMO: Quid opus erat, ea scribere aut publicare, quæ à nemine intelligerentur?

GEBER. In fine, quarti libri, aperte ostendi, me hanc artem tradidisse sermone claro & aperto prudentibus, & hujus doctrinæ filiis, ut diligentes artifices eam facile comprehendere & intelligere queant. Ignorantes vero admonui, ut eam fugerent, tanquam ipsis noxiam, inimicam & maxime adversariam, quæ facile ad extremam paupertatem summamque miseriam perducat. Si tam fideli ac paternæ admonitioni non credunt, vel eam nihili faciũt, inique nos accusant, cum omnis error illorum ignorantiæ, & præsumptioni potius imputandus sit. Ergo si ad inopiam & miseriam isti redacti sunt, nostra culpa factum, minime putato. Nam lib. primo, cap. 5. disertis verbis ostendimus, vili precio (si artis principia cognoverint, & ea, quæ tradidimus, recte intellexerint) ad perfectionem magisterii pervenire posse. Quid hoc aliud est, quàm fideliter commonefacere, ut pecuniam suam custodirent, & non præsumptuosi vane dilapidarent? Ut vero ea, quæ tradidimus, recte intelligant, necesse est, sermonem hujus doctrinæ, non ex nuda litera, sed altiori indagatione considerare, & ad medullam sensus allegorici penetrare, mentemque & intentionem nostram, hinc inde dispersam, & data opera improbis obscuratam, & velatam magna industria colligere, ut tandem ad veram cognitionem principiorum naturæ & artis perveniant.

DEMO: Si tua scripta rectè intelligo, naturæ principia, hujus artis quòque principia sunt. Scribis enim cap. 9. quarti lib. te post determinationem principiorum naturalium, etiam de principiis hujus artis verba facturum, & particulatim loquendo, de naturalibus metallorum principiis. Cap. 12. lib. primi, dicis, principia naturalia, in opere naturæ spiritus esse fœtentes, & vivam aquam, quam etiam siccam aquam nominari concedis. Hæc eadem verba repetuntur ultimo cap. lib. investigationis magisterii, quo loco concludis, lapidem nostrum esse spiritus fœtentes, & aquam vivam, quam etiam aquam siccam recte dixeremus. Ergo quum principia naturalia metallorum, etiam artis principia sint, neminem puto ambigere, ex recta cognitione principiorum naturalium, etiam artis principia posse inveniri. Quare rogo, ut certo ordine mihi naturalia principia demonstrare velis, ut hujus magisterii principia, mihi quoque fiant manifesta.

GEBER. Et hoc requirit maxime doctrinæ ordo, Propterea scripsimus in proœmio primi libri, eos, qui principia naturalia in seipsis ignoraverint, multum remotos esse ab arte nostra, cum veram radicem non habeant, supra quam intentionem suam fundare possint. Et eodem libro, cap. 3. scripsimus, eum, qui non habuerit ingenium naturale, & animum, ingeniose & subtiliter perscrutantem principia naturalia, & naturæ fundamenta, & artificia, quæ naturam allequi possint, in suæ actionis proprietatibus, non inventurum hujus preciosissimæ artis & magisterii veram radicẽ. Diligenter igitur considerandum, principiorum naturalium metallorum, tres esse differentias. Sunt enim, quædam remotissima, alia remota, & media mineralia, & tertia differentia immediatorum.

DEMO: Distincte hanc triplicem principiorum differentiam explica, ut omnem naturæ ordinem, procreandis sive generãdis metallis exquisite comprehendam, & naturam artificio aliqua in parte imitari possim.

GEBER. Tametsi remotissima metallorũ principia & radices (secundum operationem Hermetis) quatuor elementa creduntur, attamen cum denominatio ex prædominante fiat, minime dubitandum est, terram, aquæ commixtam, verum principium & fundamentum esse omnium mineralium, idem affirmante Aristotele 4. Meteororum, qui tradidit, Metalla, quæ liquescunt aut funduntur igne, originem habere ex terra & aqua, quod 3. Meteor. libro quoque confirmat: In hac sententia sequuntur Aristotelem, Avicenna, Albertus & S. Thomas, in libris mineralium & Meteororum.

DEMO. Admodum desidero intelligere jam & cognoscere, quo pacto terra aquæ commixta, in metallum transmutari aut converti possit.

GEBER. Sol & omnes stellæ cum fixæ tum erraticæ, lumine à Sole mutuato, terram assidue percalefiunt, supra, infra, interius & exterius, circulari ipsorum motu, radiorum reverberatione & subtilitate, præpotenteq; vi penetrandi. Quum vero omnis res combusta sive excocta facile corrumpatur & transmutetur, & corruptio unius, alterius generatio sit, necesse est, terram, aquæ commixtam, & longo tempore sic exustam & inde transmutatam, tandem converti in aliam naturam terream. Ita videmus, ligna & lapides, fortiter exusta, in cinerem & calcem converti.

DEMO: Terra, sic exusta, in quam naturam terream transmutatur?

GEBER. Convertitur in terræ speciem, aliquid substantiæ salis aut aluminis in se habens. Id enim experientia docemur, Percipimus enim cineres, calcem, sudorem, urinam, & maris aquam, Sole excoctam, salsedinem in se continere. Propterea diximus in principio testamenti, ex omni re adusta posse fieri sal.

DEMO:

DEMO: Quo nomine appellatur vulgo istud tuum sal, in hac terra, sic exusta, occultatum?

GEBER. Vitriolum vulgo dicitur.

DEMO: Oho, generantur igitur metalla ex vitriolo?

GEBER. Ita sane, ex vitriolo & sulphure omnium metallorum fit generatio.

DEMO: Quomodo approbas hoc, ut tibi fidem habeam?

GEBER. Certum est, omnem rem in id resolvi, ex quo composita. Quare si metalla in ipsorū priorem materiam resolvere nosti, haud dubie reducentur in vitriolum, quod etiam aquam siccam vocari diximus. Propterea in lib. inventionis, c. 4. de med. min. præpar. certo affirmavimus, à diversis metallis, diversas vitrioli species separari posse, nobis maxime usui futuras, & in operatione hujus artis summe necessarias. Illud idem confirmavimus lib. 3. cap. 7.

DEMO. Mihi videtur (ut ingenue fatear, quod sentio) in tuis verbis haud parvam esse contradictionem.

GEBER. Quam mihi contradictionem narras?

DEMO: Multis locis tradidisti, & scriptis tuis affirmasti, sulphur & argentum vivum omnium metallorum vera esse naturalia principia, quod nunc vitriolo tribuis, hoc facit me non parum suspiciosum.

GEBER. Argentum vivum & sulphur, non esse metallorum prima principia, sufficienter probavimus, cap. 12. lib 1. Eum locum si recte intelligis, cognosces, me manifeste tradidisse, hæc in sua natura minime vera principia metallorum, sed aliud quiddam, quod sequitur ex alteratione substantiæ eorum in radice naturali ad substantiam terream.

DEMO: Obscurus est hic sermo: non intelligo.

GEBER. Meministi haud dubie, me dixisse jam, terram, aquæ commixtam, radicem esse, & fundamentum omnium metallorum?

DEMO: Memini.

GEBER. Hæc autem eorum alteratio, in substantiam terream, minime fit in ipsa essentia aut substantia sulphuris, aut argenti vivi communis; Sed in ipsorum radice, scilicet, in terra, aquæ commixta, per calorem mineralem & cœlestem decocta & transmutata, ut satis aperte ostendimus.

DEMO: Nunc, si libet, etiam de mediis mineralibus, & principiis remotis pauca refer.

GEBER. Medium minerale, ex quo omnia metalla & argentum vivum, & Marchasita & Antimonium generantur, est illud ipsum vitriolum, quod in terra, aquæ commixta, sive decocta & exusta, occultatum esse diximus. Et cum metalla reduci debent in ipsorum materiam primam, hoc est: Quando propius ad naturam metallicam accedere possunt, ad naturam vitrioli & sulphuris reducenda sunt.

DEMO: Quare ex isto vitriolo metalla magis generantur, quàm ex alio sulphure aut alumine?

GEBER. Quia magis sulphureum est, & ad metalli naturam propius accedit. Ex cœlesti influxu, ipsius virtus quoque habilior & promptior est, ut convertatur in metallum, consentiente & promovente loco minerali, sulphure & calore sufficiente.

DEMO: Quem mihi locum mineralem narras?

GEBER. Saxum, in quo virtus mineralis indurandi & fixandi continetur.

DEMO: Quæ est hæc virtus mineralis?

GEBER. Virtus hæc cœlestis est, potestatem habens procreandi metalla, occultata in certo sulphure loto, & sicut argentum lucido.

DEMO: Nullum sulphur, quod lotum & lucidum sit; ego novi.

GEBER. Animadvertisti nē aliquando, arenæ & saxis, quæ ex terra eruuntur, quasdam lucentes squamulas intermixtas esse, argento similes?

DEMO. Animadverti sæpius, sed credebam, substantiam esse argenti.

GEBER. Erras: Sulphur est naturæ lotum, decoctumque; & pro parte fixum, habens in se naturam, splendorem & fusionem metallicam, sine hoc metalla generari nullo modo queunt. Ubicunque vero in copia abundaverit, ibi generantur metalla, idem testante Alberto de Meteor.

DEMO: Nascitur igitur vitriolum inter saxa?

GEBER: Minime, sed in terra.

DEMO: Quomodo intrabit igitur saxa, ut ibidem inveniat dictum sulphur lotum?

GEBER. Montes metalliferi, in profundo non sunt petrosi, quemadmodum in superficie. Quare metallici cum fodiendo terram alumen inveniunt, scilicet vitriolum, non descendunt altius, sed eas mineras, sive metalli venas relinquunt. Sciunt enim, ibi metalla deficere. Idem asserit Plinius lib. 33. Accidit tamen, ut aliquando haud longe ab ejusmodi venis, sive mineris deficientibus, aliæ, quæ metallum habeant, reperiantur.

Cum vero ex naturæ operationibus (quemadmodum lib. 2. cap. 15. aperte monstravimus) sufficienter probare possimus, solummodo eas res, quæ naturam salis & aluminis habent, & similium, solubiles esse; Manifestum erit, etiam nostrum hoc vitriolum, per caloris subterranei virtutem solvi posse, quod solum duplicem fumum exhalat ut lib. 1. cap. 12. dixi. Quia calor commixtibilis est, & fortissimè unit, ligat & compingit insimul subtile terreum, & humidum aqueum invicem digesta. Calor vero cœlestis, pro sua natura humidum aqueum subtile attrahendo, subtilis terrei etiam aliquid abducit. Quod Aristoteles lib. 5. Meteororum his verbis affirmavit, cum dicit: quòd vapor humidus includens, & vapor siccus inclusus, simul sursum elevantur. Id enim accidit, ut Galenus & Avicenna affirmant, per calorem elevantem unum atque alterū vaporem, Quia semper commixtibilis est, & motum causat unius essentiæ in essentiam alterius. Isti duo fumi sive vapores à Philosophis sulphur & argentum vivum nuncupantur. Cum vapor terreus, subtilis, unctuosus, & aliquantulum digestus, sit materia essentialis sulphuris, quamvis nos eum Arsenici nomine appellaverimus. Humidum vero aqueum viscosum, & terreo subtili commixtum, materia proxima sit argenti vivi, hoc affirmante Alberto lib. 3. de mineralibus, cap. 4.

DEMO. Confluunt igitur in metallorum generatione duæ sulphuris species, scilicet sulphur ex vitriolo resolutum, & illud, quod sulphur lotum dicis, inventum in saxis & loco minerali?

GEBER. Cap. 12. lib. 1. ad calcem diximus: naturalia metallorum principia tria esse, sulphur, arsenicum & argentū vivum. De his duabus sulphuris speciebus locutus est Avicenna, in lib. de mineralibus atramēti nomine, dicens, Atramenta composita esse ex sale, sulphure & petra, &c. Quemadmodum vero vitriolo communi pannum tingitur, ita similitudine quadam hæ duæ sulphuris species, lumen & tinctura sunt metallorū. Quare nihil erraveris, modo vitriola, sive atramenta nuncupaveris. Hæc causa est, quod supra diximus, ex metallis imperfectis, diversas vitrioli species extrahi posse, nobis quidem cum utiles tum necessarias. Sulphur, quod in petra generatur, ex sulphure & petra compositum est, sed

istud, quod ex vitriolo resolvitur, compositum est ex sale & sulphure, & in isto latet virtus mineralis, quorundam corporum liquabilium, quæ ex ejusmodi sulphure generantur. Sulphur autem in petra generatum non solvitur, quia naturam salis non habet. Sed salsedo cum ipso sulphure solvitur simul, quæ inclusa est in profundo ipsius salis, & postea per decoctionem coagulatur. Hæ vero sulphuris metallici species, jam receperunt virtutem mineralem, generandi metalla, in quibusdam corporibus metallicis, specialiter vero in uno in quo comprehenderunt virtutem ferream, & virtutem æream, quamvis interdum etiam auri & argenti naturam acquiraut, & aliquando aurum aut argentum dicuntur. Quod vero in petra natum est, in suo metallo reperit virtutem ferream, & ante lotionem rubrum est, sive croceum, ferri proprietatem habens, & ferreum dicitur. Illud vero in vitriolo aut sale potius inclusum, ante præparationem viride est, ut vitriolum commune, Et in metallo acquisivit virtutem æream, & æris proprietatem, quare æs appellatur, & Venus & viride æris. Hæ duæ sulphuris species, artificio ex metallis extrahi possunt. Cum vero istud sulphur, ferrum dictum, in præparatione, ut argentum, dealbetur, & omni unctuositate adustiva privetur, propterea Avicenna hoc aptissimum putavit, quod converratur in suum argentum vivum. Cum vero viride sulphur per præparationem purum & clarum reddatur cum rubedine, & in ipso sit virtus ignea, non adurens, hoc putavit aptissimum Chymistis faciendo auro, & aurum appellatur.

DEMO. Audire gestio, quonam pacto duplex hic vapor & lapides & petras penetrare possit?

GEBER. Hæ duæ vaporosæ exhalationes, calore cœlesti attractæ, cum locum terrestrem, sive apertum invenerint, unde exhalât fuscum attrahuntur in aerẽ, & ibi convertuntur in cometas aut stellas cadentes, & circulos apparentes circa Solem & Lunam; aut in arcum cœlestem, aut in ventos, tonitrua, fulgura, nubes, nebulas, grandinẽ, nives, pruinam, rubiginem & hujusmodi in aere apparentia; ut Aristoteles in Meteor. tradidit, & omnes cæteri Philosophi contestati sunt. Si autem locus fuerit angustus, & constrictus adeo, ut neque calori naturali aut duplici fumo ullus pateat exitus, tunc hæ duæ vaporosæ exhalationes, sive duplex fumus incrassescere & multiplicari incipiunt, inque loco minerali disperguntur, per rimulas ubiq; exitum quærentes, ut Albertus tradidit in lib. Miner: Isti vapores, sic inclusi, in locis petrosis media mineralia dicuntur, sive materia remota metallorum, ut S. Thomas tradidit in fine 3. lib. Meteororum.

DEMO: Restat nunc, ut etiam de immediatis principiis, tuam sententiam mihi aperias, quomodo hi duo vapores in petram penetrantes, in metallum convertantur?

GEBER. Cum isti vapores, saxum penetrando, sulphur lotum non invenerint, maculatur saxum diversis coloribus, & nullum ibi generatur metallum. Si autem hic fumus, sive vapor, in aliquam partem saxi ceciderit; altiusque non poterit descendere in locum alium, firmatur ibi, & facit puteum aquæ, qui nunquam exsiccabitur. Si vero hic vapor, sive fumus cadat in terram rubram, convertitur ibi in argentũ vivum commune. Sic autem saxa penetrando, si sulphur lotum inveniat, quasi fixum ipsum dissolvit, & hoc illi permiscet. Propterea dixi lib. 1. cap. 12. aquã, quæ per terræ meatus fluit, invenire substantia in dissolubilem substantiæ terreæ, scilicet sulphur lotum, quod tertæ pinguedo est, ipsumq; dissolvit, & se uniformiter illi conjungit, ut ex ambobus fiat una substantia naturalis, hæc commixta per successivam decoctionem in minera inspissatur & induratur, & fit metallum. Si autem contingat interdum, me aliorum opiniones reprehendere, reprehendo eas simplici litera. Sæpe enim id propositum, quod ponitur debebat.

DEMO: Si omnia metalla ex sulphure & vitriolo generantur, per longam decoctionem transmutata in aliam substantiam sulphuris & argenti vivi, Unde ergo tam diversa eorum varietas?

GEBER. Ex diversitate loci mineralis, & accidentium, quæ primæ materiæ minerali supervéniunt, & adhuc ex diversitate sulphuris loti & calore diverso, qui variis modis digerit materiam metallicam.

DEMO: Possunt ne accidentia hæc supervenientia removeri?

GEBER. Omnia accidentia primæ materiæ metallicæ supervenientia, artificio separari possunt, ut manifeste ostendi in procœmio libri investigationis, cap. de præparatione aceti acerrimi, & in fine prædicti libri. Dico præterea, etiam partes indigestas posse digeri.

DEMO: Hæc quantum ad declarationem principiorum naturalium, mihi sufficiunt. Nunc de Principiis Artis agendum, quomodo naturæ principia, etiam artis principia sint, & quo pacto ars naturam imitari possit?

GEBER. Lib. 1. cap. 5. dixi, oportere artificem cognoscere principia hujus artis, & radices principales, quæ ex substantia operis pars sunt. Qui enim principia non novit, finem non assequetur. Ergo scias, eas transmutationes & generationes, quas natura facit mediante semine aliquo, hanc eandem & artificio interveniente aliquo semine fieri posse. Quod S. Thomas quoq; affirmat in 3. lib. meteor. dicendo Alchimistas per jam dicta naturalia principia, hoc est, per sulphur & argentum vivum, veram metallorum generationem posse facere: Cum igitur natura habeat suum proprium naturale semen prædictum, in metallorum generatione naturæ apte & propè accedentis, ut in metalli naturam convertatur, necesse erit ad præparationem Elixir, quod metallum est, cætera omnia in perfectione superans, hoc fieri mediante aliquo semine naturali proprio, sine quo solus Deus, naturæ creator, aliquid generare potest, ut ex lapide panẽ, ex costa viri mulierem.

DEMO: Omnium Philosophorum opinio est, quatuor elementa omnium rerum mixtarum esse principia. Ad hanc opinionem tu quoque accedis lib. 1. cap. 6. dicendo diversam præparationem metallorum, causam esse diversitatis specierum. Ergo in omni re elementata & artis & naturæ principia sunt, & ex omni re accipi possunt?

GEBER. Si me recte capis, dico elementa, lapidis Philosophorum, non esse remotissima elementa, nec eadem cum elementis cæterarum rerum. Sunt enim hæc elementa, lapidis Philosophorum, alterata & transmutata à sua prima natura, & naturam & proprietatem acceperunt propinquam, ut jam in metallum transmutari possint, quod cæterarum rerum elementis minime convenit.

DEMO: Accipiam igitur vitriolum commune, quod naturale semen est metallorum, & per distillationem extraham duplicem illum fumum, quem temperato igne convertam in substantiam sulphuris & argenti vivi. & hoc pacto imitabor naturam.

GEBER. Vitriolum hoc, principium est, ab arte remotum. Scripsi autem lib. 1. cap. 8. nos non posse

posse naturam imitari in suis principiis, & lib. 3. cap. 2. in fine ostendi, naturam in sulphure, arsenico & mercurio minime imitabilem, hoc est, nos ea minime fugere, aut etiam dissimulare, quæ per naturam generantur, neque eo modo ad perfectionem perducere posse. Cum enim hi fumi subtilissimi sint à natura, calore temperato inducuntur ad perfectionem in mille annis. Nos autem vehementi calore cupientes tempus adeò longum abbreviare, omnia resolvuntur in fumum.

DEMO: Dubium me reddis, & plane incertũ.

GEBER. Quamobrem?

DEMO: Prius admovisti, ut ad compositionem Elixir acciperemus semen naturæ. Nunc vero negas, vitriolum accipiendum esse, cum tamen naturæ semen sit. Quare si fortè aliud semen aut vitriolum fuerit propinquius arti, per quod artificio naturam imitari possimus in compositione, id nobis Elixir ostende.

GEBER. Sine dubio aliud est.

DEMO: Ubi inveniam hoc?

GEBER. Ubi à natura positum est.

DEMO: Hoc sciebam. Sed quo collocavit ipsum natura; inveniam forte in re vegetabili?

GEBER. Cap. 11. lib. primi, dixi: inter diversas opiniones eorum, qui artem esse supponunt, quosdam affirmasse, in omnibus rebus vegetabilibus hanc artem inveniri & possibilem esse, ipsis vero nequaquam. Quare citius labore deficient, quam ut posſibile sit, opus perficere.

DEMO: Ergo inveniuntur in re animata?

GEBER. Arnoldus in lib. perfecti magisterii, de rebus vegetabilibus & animatis differens, inquit: Istæ res cum sint totaliter & omnino remotæ à natura metallorum, impossibile est, ex his posse generari metalla. Philosophi autem hanc artem in re aliqua vegetabili & animata, aut eorum, quæ ab his sumuntur, proponentes locuti sunt per rerum similitudines. Cum enim hæc naturæ principia non sunt, nequaquam artis erunt principia Hic error plures decepit. Elixir enim cum sit naturæ metallicæ, sine dubio ex metalli semine procreatur. Præterea cum maxime requiratur, ut metallis adunetur, necesse est, ut metallis in substantia simile sit, cum tantummodo res sibi similes, firmiter adunentur, & fortiter conjungantur.

DEMO: Accipiam igitur sulphur & argentum vivum, à natura generata?

GEBER. Supra monui, hæc non esse principia naturæ, Quare nec artis principia erunt, Et quod majus est, artificium hæc non poterit ullo modo fixa reddere, ut in unam substantiam auri vel argẽti adunentur, cum ab hoc requiratur maxime certa & infallibilis mensura, & debita inspissantis proportio, calorisque exquisita æquatio, quæ omnia nobis ignota sunt, ut primo lib. cap. 8. manifeste ostendimus.

DEMO: Accipiam igitur sulphur solum, cum lib. 1. cap. 13. aperte dicas, eum qui noverit in præparatione commiscere & amicare hoc corporibus, hunc maximum naturæ secretum tenere, ipsumq; jam viam ingressum aliquam perfectionis, cum multæ sint viæ, quæ tamen omnes ad eandem intentionem deducant. Eodem loco Deum testaris, hoc illuminari omnia: corpus, & lumen, & tincturam esse. Præterea eodem lib. de radicibus, de ista aqua rubea verba faciens exclamas, hanc lucernas accendere & illuminare domos (hoc est corpora metallica) & maximas opes dare.

GEBER. Quamvis nostrum sulphur, principale semen sit, & principium metallorum, & Elixir, nihilominus quemadmodum patet mediante suo semine, non generat liberos in seipso, sed in altero, scilicet in sanguine mẽstruo. Sic etiam nostrum sulphur non generat neq; metallũ neque Elixir in seipso, sed in suo argento vivo seu in alio metallo. Notabis igitur, Elixir duobus modis fieri posse, scilicet, distillatione & coagulatione materiæ, Et absque distillatione, solutione & coagulatione, idem affirmante S. Thoma in fine 3. lib. meteor. Quantum vero ad secundum modum pertinere videtur, dico eum artificem, qui sulphur ita præparare noverit, ut possit penetrare corpora, & illis conjungi, tenere jam maximum naturæ secretum, & viam perfectionis ingressum præterea in quodam cap. accurtatorio dixi, hoc opus abbreviatum perfici 20. diebus, & in hoc opere duos lapides fore necessarios (hoc est duo metalla, unum ex quo extrahatur sulphur quasi fixum & alteratum, cui per fusionem commiscetur dictum sulphur præparatũ. Dicendo autem hoc opus persolvi viginti dierum spacio, intelligendum post præparationem sulphuris, quæ ad tres menses protrahitur, opus incipiendum esse. Propterea in jam dicto capite accurtatorio, omnem efficaciam hujus operis in purgatione lapidis à sua unctuositate & spurcitate collocavimus. Signum vero quomodo deprehendas sulphur, jam ferè præparatum, loco jam citato admonuimus, dicendo: Cum videris oleum ferri supra aquam, tanto candore splendescens, ut oculos perstringat, tunc ipsum cõgregabis. Hoc enim quod ita collectum fuerit, omne opus facit & per se coagulabitur. Memini hujus sulphuris in libro testamẽti sub Martis nomine, dicendo: si hunc noveris perducere ad albedinem & mollitiem argenti, firmabitur & figetur in omni judicio sive examine, & cum levitet & sine adjutorio alicujus rei Mars funditur, habes, desideratum. De isto Marte verba faciens lib. primo, cap. ultimo, dixi: Cum funditur sine medicina, quæ ejus naturã maturare possit (hoc est, cum per se funditur sine argento vivo) Soli & Lunæ conjunguntur, neq; facile aut citra industriam ab his separatur. Si tamen per vehementiam ignis separetur forte, fit hoc, quòd ultima fixione non sit adhuc fixus. Si vero ipsi conjungatur viginti dierum spacio, redditur fixus cum ipsis, & inde nullo artificio separari poterit, nisi natura fixionis mutata, imperfectã autem fixionem per calcinationem & præparationẽ acquisivit. Natura vero ipsius fixionis mutatur per solutionem, in aqua mercuriali, quum Elixir novem mensibus compleatur. Cum vero non alteratus ipsis conjungitur (hoc est, cum in principio Soli aut Lunæ conjungitur) neq; decoctum, transmutatumve in natura sua, neq; colorem mutat, neq; tingit metallũ sibi conjunctum, sed in quantitate auget. Præterea lib. 3. cap. 1. dixi causam perfectionis corporum sive argenti vivi, substantiam esse sulphuris & arsenici, quia propter terrestreitatem & bonam substantiam non impediuntur ab ingressu in corpora, quæ perfecta sit fusione bona, & per ipsorum subtilitatem non removetur impressio, facile per fugam. Igitur ipsorũ substantia mediocris, causa non est perfectionis corporum, sive argenti vivi, nisi reddantur magis fixa. Nam quantumvis impressio in ipsa corpora, non facile removeatur, tamen nisi ultima fixione figatur, perpetuo non permanebunt firmiter stabilita. De isto sulphure & arsenico locutus sum sub nomine Martis & Veneris, cap. 8. tertii lib. dicens: fixionem ipsorum substantiam proximam esse firmæ fixioni, tamen non firmam neque perpetuam esse. De hujus sulphuris præparatione, alio loco agemus cõpiosius.

DEMO: Si recte memini, reprobasti eorum

operationem, lib. 1. cap. 10. qui ſpiritus in corporibus figebant.

GEBER. Dixi, hoc tentatum à quibusdam, ſine præparatione ſpirituum, & tandem deſperaſſe in opere. Idem monui in principio cap. ſupradicti.

DEMO: Intetelligo, me non ſatis capacem, ut hæc comprehendam. Quare dimittam ſulphur, & accipiam argentum vivum, tanquam ſubſtantiam omnium metallorum, ex quo omnia metalla, mediante virtute ſulphuris procreantur. Cum enim in ſeipſo ſuum ſulphur habeat, cum quo coaguletur, ſufficit ad compoſitionem Elixir, dicente Hermete, omnia in mercurio inveniri, quæ à ſapientibus requirantur, videlicet, corpus anima, ſpiritus & tinctura.

GEBER. Idem affirmavimus in lib. 4. cap. 16. dicendo: medicinam, argentum vivum coagulans, in ipſo mercurio eſſe.

DEMO: Sufficit ergo ſolus Mercurius ad cõpoſitionem Elixir, ut diximus: Cum in nulla res in natura adeo mercurio cõveniat, ut illa, quæ in ipſo mercurio continetur. Scribis etiam lib. 2. c. 16. argentũ vivum ſuas partes ſulphuris habere in ſe, natura ſibi cõjunctas & unitas. Præterea appellas eum optimũ & perfectũ artificem, qui ex ſolo argento vivo noverit facere Elixir, cum in hoc natura ab arte ſuperetur.

GEBER. Lib 2. c. 16. ſcripſimus: mercurium à quibusdam igne temperato conjunctum. Cum verò putarent, ipſum jam coagulatum, invenerunt eum crudum & currentem, ut prius, hac ratione ſtupefacti, dixerunt artem eſſe vanam, & minime veram.

DEMO: Cupio audire cauſam erroris.

GEBER. Cum argentum vivum, duplex ille fumus ſit, ſive vapor exhalans, quem natura neq; coagulare neq; fixum reddere potuit, cum non haberet ſulphur illud lotũ non adurens, quod ipſius mercurii propria medicina coagulatum eſt & fixum, multo minus artificio reddetur fixus per ſe, abſq; illo, vel ſimili ſulphure & medicina. Eadem eſt ſententia Alberti lib. 4. meteor: tractatu 3. cap. 3. cap. 2. qui argentum vivum in operibus Alchemiæ deſiccari dicit per multam aduſtionem & commixtionem cum ſulphure, non penitus colorem, quod in operatione Elixir intelligendum.

DEMO: Quid de illis ſentiendum, qui mercurium rectis herbis noverunt reddere fixum?

GEBER. Iſtis reſponſum volo, quod lib. 2. c. 17. dixi: ſcilicet medicinam, quæ mercurium coagulare poſſit, & in profundo ipſi commiſceri, ſumendum eſſe rebus ipſi convenientibus. Hæc ſunt omnia corpora, ſcilicet, ſulphur & arſenicum. Hæc enim corpora & ſpiritus Philoſophorum dicuntur. Et paulo inferius dixi, ex quacunq; re ipſius medicina ſumatur, eam debere ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ eſſe, & puriſſimæ, quæ mercurio facile adhæreſcat, facilis liquefactionis, ut aqua fixa in pugna ignis. Hoc enim coagulabit ipſum, ut convertat in naturam ſolarem vel lunarẽ. Comprehẽdis igitur ex ſupradictis rationibus, noſtrum argentum vivum, non eſſe argentum vivum, ſed ſal in ſimilitudine veræ calcis cõmunis, quia argentum vivum, ſive mercurius metallorum per calcinationem & reductionem convertitur in ſal, ut manifeſte apparet per totum librum teſtamenti. Hoc verò ſal commune, proprietates noſtri mercurii habet, quas multis in locis tribuimus communi mercurio, ſive argento vivo communi, ſcilicet, ut habeat multum viſcoſitatis, ſiccitatis plurimum, & terreſtreitatem fœtentem, ut ſit aqua ſicca, & alia plura quæ ſuo loco longius proſequemur. De iſto noſtro mercurio locutus ſum lib. 2. c. 16. dicens: ipſum habere ſuas partes ſulphuris, ſibi naturaliter commixtas plus vel minus, quæ artificio ab ipſo removeri poſſint. Præterea dixi lib. 3. cap. 7. in corporibus metallicis duas eſſe ſulphureitates, quarum una in profunditate mercurio eſt incluſa, à principio ſuæ commixtionis, altera vero accidentalis eſt, ſive ſuperveniens. Habet autẽ bonam quantitatem ſupervenientis ſive accidentalis ſulphureitatis, & hæc quaſi fixa eſt, & diligenti labore, haud facile tamen, ab ipſo removeri poteſt. Ejus verò, quæ in ipſius profunditate incluſa eſt, parvam habet quantitatem, & hoc removeri non poteſt, niſi prius per diſtillationem corrupta prima ſubſtantia argenti vivi. Illis duobus ſulphureitatibus, coagulatur & fixus redditur mercurius, jam præparatus. Propterea dicimus: Elixir ex ſolo mercurio fieri poſſe, hoc eſt, ſuis ſulphuribus commixtum. Hæc autem intelliguntur quoque de multiplicatione Elixir, quæ ſolo mercurio fit.

DEMO: Si Elixir ex ſolo mercurio fieri poteſt, propterea quòd ſuum ſulphur in ſe habeat, ego eadem ratione ex ſolo arſenico, quod ex ſulphure & mercurio compoſitum eſt, ipſum parabo, Alberto dicente lib. 4. mineralium c. 1. Nos obſervare debere, certum calidum ſiccum, frigido humido in eadẽ complexione conjunctum eſſe, quæ Hermophrodita dicitur, ut videre licet in plantis, quæ in omni parte impregnatæ ſunt. Loquitur autem de noſtro ſulphure, quòd naturam Hermophroditæ habet, & ex duobus nominibus compoſitum eſt, mercurii filium ſignificans cum Venere. Eſt enim hoc ſulphur arſenicum dictum, ex mercurio & ſulphure Veneris & æris nomine appellato compoſitum. Poterit ergo ex ſeipſo generare Elixir.

GEBER. Generatim loquendo de Hermophroditis, dico nec ipſos per ſe generare poſſe abſque ſemine aut materia extrinſeca. Sunt etiam, qui dicũt: Deum, in principio Adam & maſculum & fœminam creaſſe. Cum verò in ſeipſo non poſſet generare, ab eo fœminam ſeparatam, poſtea verò per conjunctionem generaſſe. Plato ſimile quidpiam fabulatur de Androgone, qui dependebat à Luna, partem habens Solis & terræ, hoc eſt, dependebat à noſtro ſale, Saturnus dicto: & à Luna, quæ ante diſtillationẽ participabat cum Sole & terra. Simile evenit noſtro arſenico: Hoc enim quatumcunque participet de natura ſulphuris & mercurii, nihilominus cum ſubtilia & tenera ſint & valdè debilia, non ſufficiunt generationi metallorum aut Elixir ſine adjutorio alterius ſulphuris & mercurii, ab hoc diverſi & ſeparati. Propterea ſcripſi lib. 1. c. 14. Arſenicum, materiam eſſe ſubtilem, cum oleum ſit, de quo locutus ſum lib. 2. c. 12. & corpus debile ſit, cujus mentionem feci c. 11. prædicti libri. In ſecunda cauſa, ſive ratione deſcenſionis, ſulphuri ſimile eſt, cum ſit ſubtiliſſima & maxime fixa pars ſulphuris. In hoc tamẽ à ſulphure differt, maximeq; diverſum eſt, quod arſenicum ſit facilis tinctura cum albedini tum rubedini. Et voleham in eo loco oſtendere, ipſum ex ſulphure & mercurio compoſitum eſſe. Quamvis enim hæc tingendi facultas facilis ſit, inutilis tamen eſt, & parum firma. Itidem locuti ſumus de arſenico, ſub nomine Veneris c. 21. libri primi, hoc appellando, mediũ inter Solem & Lunam: intelligo inter ſulphur & mercuriũ, quia de uno & altero participat. Raymũdus in libro: cujus titulus eſt Apertorii, de arſenico verba faciens, dixit: animam participare cum natura, corpore & ſpiritu, hoc eſt, ſulphure & argento vivo, per quam participationem, poteſtarem acquiſivit, hæc colligandi invicem. Sulphur autem in rubedinem facile tingit, in albedinẽ verò difficulter. De hoc Sulphure Sub Martis nomine itidem locuti ſumus lib 1. c. 12. ipſum appellantes, tincturam facilem rubedinis, albedinis verò bonæ difficilẽ, ut aperte oſtenderemus,

tincturam

tincturam rubeam: quæ in sulphure facile apparet, in putrefactione utilem non esse, sed noxiam potius. Quod vero sub rubedine albedo lateat, ut in lib. testamenti monuimus, ad quam albedinem per longam sublimationem & lotionem perveniatur, propterea tincturam difficilem appellavimus. Morienes dicit, nostram Latonam, quantumcunque rubra sit, inutilem esse, nisi rubedo in albedinem convertatur. Scripsimus & nos supradicto cap. de arsenico: duo arsenici genera esse & sulphuris, scilicet, citrinum & rubrum. Cum igitur arsenicum ignis expressione distillatur cum aqua mercuriali, rubeum est, Aqua vero alba, huic ambo simul juncta colorem efficiunt citrinum. Hæc omnia confirmat Senior Philosophus, cum dicit: Philosophos veteres animam & spiritum, qui ex hac commixtione exurgit, arsenicum rubrum, & citrinũ appellasse, per rubrum intelligentes, animam tingentem. Similiter vocabant hanc aquam, hoc est, sulphur rubeum: & spiritum, arsenicum citrinum. Quia spiritus animam dealbat, & eam suo colore inficit. Et vocabant hanc animam, æs, & hoc est fumus gravis. Et nos diximus lib. 1. cap. 21. Venerem tingi colore citrino à tutia, hoc est, fumo illo albo. Similiter & sulphur rubrum & citrinum est, Rubrum autem post putrefactionem materiæ. Cum autem sub mercurio albo conjungitur, citrinum efficitur. Est enim citrinus color, determinata proportio rubei & albi. Propterea Tutia, quæ fumus albus est, nostri mercurii albi, colore citrino ipsum corpus rubeum inficit, videlicet, nostrum æs, ut lib. 3. cap. 3. satis aperte ostendimus, & cap. 4. ejusdem libri dixi, illud, quòd à corporibus metallicis sublimatur ignitione forti, ut quòd ex ipsis subtilissimum fuerit, ascendat, hoc est, fumus albus cum sulphure, aurum vocato, & arsenicum ipsum, esse coloris citrinissimi, & cum arsenicum fixum redditur simul cum sulphure (hoc est, lento igne in ultima decoctione) Sublimatio vera amborum melior est, ex calce istius metalli, quod indicabimus. Quamvis vero & sulphur & arsenicum, medicina sit perfectiva nostri mercurii, nihilominus sine ipso Elixir fieri non potest, hoc est, sine commixtione cum corporibus. Cum vero sulphur post lotionem, squamosum, & in corpus reductum, tandem & fragile fuerit, præparatum est.

DEMO: Sulphur, arsenicum & mercurius cum fixa reddantur, non funduntur, neque corpora penetrare possunt, quia jam terrea facta sunt. Si vero non reddantur fixa, spiritus ipsum ab igne distinguunt, ergo ex his Elixir fieri non potest.

GEBER. Hæc est una ex rationibus quorundam, qui in hujus artis praxi parum exercitati sunt. Horum memini, lib. 1. cap. 10. increpando eos, cum hujus rei parvam habeant notitiam, etiam operationem hanc minime absolvere posse, sed tuis rationibus fortiter insistentes, in vitium cadere, malæ consequentiæ, propter insufficientiam.

DEMO: Logicum illum sermonem non assequor.

GEBER. Vitium consequentiæ committitur, cum à superiori ad inferius arguimus affirmative, non enim recte concluseris, fixum esse, ergo terreum, nam hic arguendi modus vitiosus est propter insufficientiam. Possumus enim spiritus reddere fixos, ut nequaquam in naturam terream convertantur, & fundantur, & in corpora penetrare possint. Et quantum ad sulphur pertinet, manifestum est, ex libri primi capite 10. & 13. itidem ex lib. 2. cap. 12. & 18. lib. 3. cap. 1. & 6. de mercurio differendo, lib. 3. cap. 6. dixi etiam, hunc posse fixum fieri, ut tamen in terreitreitatem minime convertatur, cum etiam per ejusmodi transmutationem, in terreitreitatem figi possit, cum per festinam & brevem fixionem, quæ per præcipitationem fit, sive distillationem, figatur, & in terram transmutetur, in fecibus adustis, remanentibus in fundo vasis sive bociæ. Et hæc est transmutatio festina, primæ formæ mercurialis, quæ in sex horarum spacio perficitur. Terreitreitate vero remota, per lotionem conjungit se, & unitur cæteris spiritibus præparatis. Positus verò in suo vase, ad ignem lentum, vapores ab eo sæpius successive, sive sensim ascendunt. Hac vero longa & tarda confirmatione & fixione, fusionem metallicam non perdit, neq; in terram convertitur. Lib. 2. cap. 6. diximus: huuc mercurium duas possidere humiditates, unam, quæ ab eo removeri possit ignis violentia, hoc est, per distillationem, per ignis expressionem, & hoc, quod in fundo vasis remanebit, non funditur, fixum enim jam & terreum est. Terreitreitate vero per lotionem remota, altera humiditas, in ipso remanens, suo igne removetur, scilicet igne lento, qualis convenit ultimæ fixioni spirituum. Quantum vero ad præparationem & fixionem aliarum rerum naturæ terreæ pertinet, figuntur corpora metallica, per calcinationem, ut manifeste ostendimus libro 2. cap. 18. dicendo: per calcinationem corpora imperfecta figi, citra commixtionem alicujus rei qualiscunq; sit in calcem redacta, solo suo sulphure proprio adustivo, sive exurente. Igne enim aduritur & calcinatur omne, quod in se sulphureitatem adustivam habuerit, ut lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 6. satis aperte ostendimus. Cum igitur tuum metallum, tantum temporis in igne perduravit, ut in suum corpus, quemadmodum prius fuerat reduci non possit, neque diminuitur aut colorem mutat in colorem, scias jam fixum esse, hoc est conversum in certam naturam terream, quæ facile ignem perferet, non fusionis metallicæ, sed vitrificatoriæ solum; Et tunc omnes spiritus, in ea calce existentes, fixi sunt, & nisi separati & volubiles facti & postea fixi, præparari non possunt. Propterea considerabis, quomodo figantur per conversionem in naturam terream, & inde manifestum erit, quomodo præparari possint. Cum vero hac fixione, non omnes insimul reddantur fixi, nec eodem modo, propterea nobis distincte de his differendum erit. De mercurio autem hactenus satis: Jam de arsenico & sulphure verba faciemus. Prius diximus, per calcinationem, mercurium metallorum, converti in sal: Cum vero hoc sal multum terreitreitatis habeat, inde certam fixionem acquisivit. Idem de arsenico dicimus, quod sulphur subtilissimum est, naturaliter in ea terra profundissime inclusum, propterea in certa fixione adeò firmiter compinguntur, ut ab ea terra separari non possit, nisi per distillationem, cum forti expressione ignis. Dixi igitur lib. 2. cap. 7 cum fieret mentio hujus mercurii, in sal conversi: Cum videris eum albissimum, & à sulphureitate, & rubedine quasi extrinseca separatum, reiterabis sublimationem, sine fecibus, hoc est, distillabis ipsum citra adjectionem fecis, cum in seipso sufficientes feces, & potius superfluas habeat. Id enim facile intelligitur, ex difficultate distillationis, quemadmodum lib. 2. cap. 9. monui. Nam ipsius pars fixa, nisi corrupta & distillata fuerit, videlicet supradictum arsenicum, firmiter adhærebit fecibus, hoc est terreitreitati, adeo, ut aliter separari non possit. Fecimus autem sæpius hujus terreitreitatis mentionem, in pluribus locis ipsam appellantes sal, ut facile ex nostris scriptis colliges.

DEMO: Ostende mihi jam, quo modo sulphur reddatur fixum.

GEBER. Sulphur, fixum non redditur, nisi in cal-

cem

cem redigatur prius, commixto autem sale facilius calcinatur & fit perfectum ut cap.23. lib.1. ostendi. Et Albertus lib 3.de mineralibus.cap.2.cõfirmat.Inquit enim, nos videre in operibus Alchimiæ,in quibus naturam maxime imitatur artificio, inter cæteras artes omnes, cum alio modo Elixir citrinum fieri non possit, nisi ex sulphure Ipsum vero sulphur, adeò unctuositatis & virtutis adurentis particeps sit, ut omnia metalla denigret & adurat, quibus superinjiciatur: tandem inventum modum lotionis cum aquis acutis, & ut decoquatur tamdiu donec omnis unctuositas adustibilis ipsum relinquat & tantummodo subtile unctuosum permaneat, quod ignem perferre possit. Fiunt autem acutæ lotiones cum suo sale,& aceto distillato. Hæc enim lavant & mundificant nostrum sulphur, & removentur, deinde ab eo.Propterea dixi in proœmio libri 2.eas res, quæ corpora absque cohærentia mundificant, naturam habere salis,aluminis, nitri,& borracis quibus designare volebam,ipsum sal,quemadmodum etiam per corpora ipsum sulphur, sive plures sulphuris species intelligendas volui: Diximus adhæc lib.3. c.13. cum omnia salia, alumina, & vitrum(hoc est, supradictum arsenicum) funduntur sive solvuntur longe aliter, quàm ipsa corpora (scilicet sulphuris species)ab ipsis separantur, cum tantummodo corpus, hoc est,sulphur purificatum, separatum fuerit.

DEMO: Ut mihi videtur,loco supradicto præparationem Jovis & Saturni decoquisti?

GEBER: Tuam simplicitatem agnosco, cui quis facile imponeret, nam parum animadvertisti, me dixisse jam: Jovem & Saturnum,unum corpus esse, hoc est, unum sal calcinatum, in similitudinem calcis veræ, supra quod non opus est, projicere aquam salis, aut aluminis, neque vitrum nostrum, hoc est, arsenicum,cum omnes ibi res naturaliter sint unitæ. Præterea dixi,in proœmio, libri investigationis,eas res, quæ præparationem adjuvant & promovent, esse ipsum, sal & alumen, atramentum & vitrum, acetum acerrimum & ignem. Propterea ut eodem libro,cap. de præparatione Jovis,& cæteris sequentibus tradidi, quòd ignis movet & consumit substantiam fugitivam, & inflammabilem, hoc est,lavando multum cum sale communi (Commune autem dico, quòd omnibus metallis sit commune) & cum aceto acerrimo purificato. Itidem lib.2.cap.13. scripsimus, in hanc sententiam, de istius sulphuris præparatione & calcinatione, videlicet, accendi ignem, in fornace sub vase calcinationis, tantæ potentiæ, ut ipsum corpus, hoc est,sulphur fundatur,ut calcinari possit. Quamprimum vero ipsum corpus, fusum in aceto, & sale,cum calore ignis, pelliculam nigram supra se creaverit, quod sulphur est, jam in calcem redactum, removendam esse à superficie,& ad fundum vasis protundendam,cum spatula ferrea, sive lapidea. Notabis autem, pelliculam hanc nigram sulphuris calcinati palam ferream dici, cum istud sulphur dicatur ferrum, quod jam in substantiam terream conversum est,neque funditur aut aceto magis aspergitur,sed in fundo vasis permanet fixum. Ipsius præparatio tamen nondum finita est, cum nondum penitus ab eo remota omnis unctuositas & terrestreitas. Pellicula hæc quoque pala lapidea nuncupatur,cum ex Philosophorum lapide generatur. Continuatur autem hæc pellicularum detractio & submersio, donec totum sulphuris corpus in pulverem redigatur. Hoc autem propterea dico, quòd omni die pellicula una creatur. Sunt autem istæ pelliculæ ipsum oleum sulphuris. Si vero Saturnus (hoc est, sal album, à sulphure separatum) fuerit præparatus, majorem ignis vehementiam requirit, hoc est, ut distilletur per cineres, cum ignis expressione, sulphur autem balneo præparatur. De hac vero pala, sive spatula ferrea,sive lapidea,quam supra pelliculam nigram appellavimus, itidem de jam dicta fixione copiosè differui, cap.18.lib.2.& in libro investigationis, cap. de præparatione Jovis, Libro autem 2.cap.14 hanc palam ferream, baculum ferreum nuncupavimus. Totam vero hanc operationem, brevem praxin tradidi lib.2. cap. 8. sublimationem nostræ calcis describens sub nomine Marcasitæ, cujus duos sublimationis modos posui; Primum, qui sine ignitione fit, hoc est, primo in fimo, deinde,in balneo; alterum qui cum ignitione fit, hoc est, ipsum sal distillando. Causa vero hujus duplicis sublimationis est, ipsius substantia duplex. Prima enim substantia, est substantia pura sulphuris, in sua radice; altera substantia, est utilis ut mercurius mortificatus, scilicet, supradictum sal. Prima substantia utilis est, ut arsenicum vivum mortificatum, hoc est, mediocriter præparatum. Mercurius enim communis, utilis non est, quia, ut Albertus in lib. de mineralibus testatur: cum non mortificetur aliis rebus non bene commiscebitur. Accipiamus igitur, hanc ultimam, nostri mercurii substantiam. Per hanc enim excusamur,ne nobis mercurius communis assumendus sit, qui multum laboris & industriæ requirit, ad sui mortificationem. Totus autem sublimationis modus Marchasitæ, in hoc consistit, ut subtiliter trium ponatur in Aludel,cum aceto distillato, & sublimetur sulphur ab eo, citra ignitionem, in solo fimo,& post putrefactionem, in balneo semper removendum sulphur, quod sæpius elevatur, in forma pelliculæ nigræ. Cum vero sulphur & acetum remota fuerint à sale,& ipsum impositum fuerit storiæ luto obliniræ, augeatur ignis ad ignitionem vasis aludel. Debet autem prima Marchasitæ sublimatio, fieri in vase sublimationis sulphuris, donec sulphur, à sale separatum sit in balneo. Erit autem vas putrefactionis calcis & calcinationis, & lotionis sulphuris idem. Descripsi autem hujus vasis formam lib.2.cap.10.his verbis: In fundo vasis, aludel,non sit magna quantitas corporis sublimandi. Multitudo enim calcis reducta in pulverem, aggravat & impedit sublimationem sulphuris. Hoc vas itidem in fundo planum sit,& parvæ concavitatis,ut corpus Marchasitæ æqualiter & subtiliter spargatur, supra fundum vasis, ut æqualiter & copiosè ab omni parte sulphuris & salis materia ab aceto sublimari possit,& liberè in altũ ascendat;Post remotionẽ sulphuris,quod Mars appellatur,sal distillandum est, in vase ignitionis, donec inde extrahatur omne suum sulphur,quod arsenicum dicitur. Præterea notabis cum totum sulphur quod Martis nomine appellari diximus, sublimatum fuerit per multas pelliculas,deinde apparere ipsius colorem verum, hoc est, albissimum. Post separationem vero aceti, unctuositas à sulphure separata aduritur, ut sulphur. Illud vero, quod post lotionem sublimatur, non inflammatur (ut lib.2.cap.2.diximus) neque præ se fert aliquam sulphuris proprietatem,sed potius argenti vivi, sive mercurii mortificati. Quare lib. 2. cap. 2. propè finem,& cap 18. de lotione mercurii verba faciens,volui subintelligi lotionem hujus sulphuris. Hanc sulphuris præparationem, antiqui sub fabula de Hercule & Antheo occultaverunt. Nam ut Macrobius tradit, veteres per Herculẽ Solem significent, hoc est, nostrum arsenicum.Per Antheum vero terræ filium,sulphur nostrum intelligitur,quod terræ pinguedo est. Hi duo finguntur luctari, cum in vase commixta in aceto bulliunt; sunt enim post putrefactionem simul juncta. Cum vero ipsum sulphur,

phur, Martis nomine appellatum, cum sale præparetur, ut supra dixi, propterea etiam arsenicum præparari poterit, quod in profundo cum sale commixtum est. Hoc enim demonstrare volebam lib. 3. c. 16. Martem, hoc est, sulphur præparari, per sublimationem arsenici. Cum vero arsenicum, sale commixtum, fortius sit, & sic sulphur Anthei nomine significatum, in calcem redigat, & in naturam terream convertat, fictum est Antheum in terram prostratum. Cum vero hoc modo sulphur perfectius fiat, magisque figatur & lucidius reddatur, finxerunt, Antheum prostratum recuperatis & augmentatis viribus, semper fortiorem resurgere. Hercules vero, hoc est, nostrum sal, cum aquâ mercuriali distillatum, quæ per Junonem & elementum aeris significatur, solvit, attrahit, & suspensum tenet dictum sulphur præparatum in ipsa aqua, & decoctione nigro colore inficit, quod etiam in putrefactione potest intelligi, ut ex sequentibus, cum de elevatione corporum differemus, patebit. De ista sulphuris præparatione, etiam locutus est Albertus in 3 lib. de mineralibus cap. 1. & 2. & in secundo tractatu, cap. 5. Præterea scriptum est in lib. de vaporibus, arsenicum, sive auripigmentum duas habere unctuositates, quemadmodum & sulphur. Removetur autem ab ipso, una istarum duarum unctuositatum, lotione in urina, lixivio, aceto & lacte caprino. Sunt enim istæ lotiones acutæ, & unctuositatem ab eo auferunt. Per istas lotiones acutas, intellige acetum cum sale. Avicenna in epistola ad Harsi. Philosophum scribit: magna diligentia contendisse se, ut à sulphure & arsenico totum hoc auferret, quod argentum denigrat. Cum vero sulphur præ cæteris mineralibus omnibus melius sit, tandem viam ad hoc inveniisse se, scilicet, ut decoquerentur lento igne, nec tamen virtus ignea ipso aduratur, sed potius extrahatur, & virtuti igneæ & sulphuris substantiæ per ignem nihil detrahatur, sed sola unctuositas consumatur. Præstat autem sulphur cæteris spiritibus metallicis, quòd magis fixum sit, & tinctura rubedinis. Per argentum vero, quod unctuositate sulphuris decoquatur, intelligitur albedo sub rubedine sulphuris occultata. Rasis in lib. de divinitate, hujus præparationis mentionem faciens, jubet oleum auferre spongia, quod supernataverit, tam diu, donec nulla nigredo appareat magis, & rotunda nubecula ascendat, quæ relinquenda est, donec ipsius sublimatio sit firmata, deinde unam nubeculam post aliam accipiendam, & in aquam ebullientem submergendam esse, donec omnes nubeculæ fuerint consumptæ, has enim sulphuris oleum esse scito. Est autem hujus sermonis verus sensus, ut intelligamus quàm primum pelliculæ supra acetum elevatæ fuerint & firmatæ, tum leviter vas movendum esse, aut quovis alio modo pelliculæ, ad fundum propellendæ, & hoc in singulis pelliculis, quæ elevantur, fieri debere, donec appareat, ipsas mundatas & purgatas esse.

DEMO: Missa faciemus hæc pauliſper, nondum enim mihi aperte demonstrasti, unde & ex qua materia istos spiritus accipiam, & perveniam ad principia naturalia, arti nostræ propinqua.

GEBER. Tuæ cogitationes non erunt vanæ, si existimaveris, principia hæc naturalia, digesta, coagulata, & quasi fixa, nostræ arti proprinqua & ut in substantiam sulphuris & argenti vivi sive etiam mercurii convertantur aptissima, in ulla re inveniri posse, quàm in ipsis metallis.

DEMO. Certe idem dicere volebam, unum tamen est quod me suspensum tenet.

GEBER. Si mihi animum tuum aperires, facile omnem suspicionem tibi eximerem.

DEMO: Audivi: Elixir vegetabile, animale, & minerale esse, quomodo fit igitur ex metallis, quorum substantia mortua est, neque simile sibi generare potest?

GEBER: Elixir vegetabile dicitur, crescit enim per multiplicationem in virtute & quantitate. Animale vero dicitur, quod projectum super metalla, ea sibi similia faciat. Minerale autem dictum est, quod est, quod ex mineralibus sine metallis fiat, & adhuc, quòd aurum & argentum generare sit metallorum singularis proprietas. Possunt tamen & Elixir & lapis noster metallicus vegetabilia dici, propterea quòd generata sunt è sale quod vegetabile dicitur. Hoc enim generatum est virtute caloris, & vegetare dicitur omnes res, aut quòd istud sal primo viride faciat, ut herba sive planta: Et vitriolum hanc ob causam, & aquam vivam appellavimus. Animata vero propterea dicuntur, quòd in eorum compositione anima interveniat, hoc est, tinctura, quæ arsenicum dicitur & æs, de quo in lib. cui titulus est: Turba Philosophorum: scriptum invenies, nostrum æs simile esse homini, qui animam, corpus & spiritum habeat, tinctura rubea dicitur anima. Substantia verò sulphurea & quasi fixa, corpus est. Spiritus vero dicitur natura volatilis, antequam figatur & firmetur. Dicuntur autem mineralia, quòd metallica sint, aut quòd in se sulphur illud habeant, in quo virtus metallica consistit. Aristoteles in epistola ad regem Alexandrum, jubet ut lapidem vegetabilem animalem & mineralem accipiamus. Videmus autem Alchimiæ artifices, ex metallis medicinas plus aut minus facere perfectas, quibus transmutare & tingere noverunt metalla quædam in auri & argenti colorem. Cum verò isti gradus perfectionis inveniuntur, necesse est perveniri ad unum singularem, qui supremum & perfectissimum gradum teneat perfectionis, in eo genere, ut Aristoteles affirmat lib. 10. Metap. Erit quoque in hac arte necessarium, ut inveniamus unam medicinam metallicam perfectissimam, quæ transmutare possit metalla imperfecta, in verum aurum & argentum, propterea quòd hæres, quæ in substantia affinitatem habent per mutuam corruptionem, una in alteram transmutari possit, ut videmus in commixtione elementorum. Cum vero omnia metalla (ut supra ostendimus) ex una & eadem substantia generata sint & nulla differentia inter ipsa sit, præter accidentia, & majorem minoremve digestionem. Ergo accidentia removendo, & partes indigestas sufficienter digerendo, unum in aliud, quod super cætera perfectissimum fuerit, transmutari poterit. Et in hoc artificium, naturæ operationem vincit. Artificium enim potest metalla intime purgare, quòd natura non potest assequi. Eadem est sententia S. Thomæ. Is enim in principio quarti libri Meteor: dicit metalla transmutari posse unum in aliud, cum naturalia sint, & ipsorum materia eadem. Propter hanc causam posuit Hermes circulationem inter metalla. Ego quoque multis in locis monui hanc medicinam ex metallis fieri debere, & hoc omnes Philosophi affirmant.

DEMO: Tam evidentissimis rationibus & argumentis adducor, ut tandem credam Elixir ex metallis faciendum esse. Debet autem ex omnibus simul, vel ex uno solo fieri.

GEBER. Cap. 5. libri primi dixi, attem nostram ad finem perfectionis non perduci, rerum copia sive multitudine, cum ea sit unicus & solus lapis & materia unica, in qua totum magisterium consistit, cui

nihil

nihil omnino adjungitur aut ab ea auferetur in aliqua parte, exceptis ſuperfluitatibus, quæ in præparatione ſeparantur. In hanc ſententiam loquitur Hali Philoſophus dicendo, totum artificium in uno lapide contineri, cui nihil addatur aut commiſceatur in toto aut in parte, hunc à Philoſophis & ſapientibus in opus aſſumi, & ignem ab eo exhalare, donec opus perficiatur. Morienus idem teſtatur dicit enim omne hoc, quod à Philoſophis requiratur, unam ſolã eſſe rẽ, patrem & matrẽ habens, & ab ipſis creatam & nutritam, & ſuiipſius eſſe patrem & matrem.

DEMO: Hoc quid ſit nunquam divinabo.

GEBER. Dixi prius in metallorum generatione, ſulphur tanquam paterni ſeminis vicem gerere, Mercurium autem menſtrui fœminei. Præterea Senior Philoſophus ſcriptum reliquit, eam rem, quam Philoſophi quærunt, unam rem eſſe, quam omnium rerum rubearum nomine & appellaverunt, & omnium corporum & ſpecierum quæ manibus hominum tractantur. Alio loco idem dicit, lapidem Philoſophorum unum eſſe, qui in ſe habeat omnem naturalem præparationem, & omne id, quod ipſi neceſſarium ſit, de corpore, de ſole, aqua, ſpiritu, anima & tinctura. Dicit præterea Arnoldus in Epiſtola ad Regem Neopolitanum, Lapidem Philoſophorum eſſe rem unam & unius naturæ, & in ipſo contineri omne id, quod ſibi neceſſarium eſt, & in ſe quoque habere illud, à quo melioratur. His graviſſimis Philoſophorum ſententiis, victus, ſine dubio credis, Elixir fieri debere ex una ſola re radicali, ex uno metallo ſolo, quod lapis dicitur, eam ob cauſam, quòd in formam lapidis reductum ſit, fiunt præterea ex iſto lapide gemmæ & medicinæ, quibus primi patres vitam adeo longævam produxerunt, hoc eſt, quinta eſſentia & aurum potabile. Fiunt enim hæc omnia ex eadem materia, quemadmodum à Raymundo traditum eſt, in libro ſecretorum naturæ & in cœlo Philoſophico.

DEMO: In proœmio libri inveſtigationis dicebas, Elixir ex multis corporibus, ſive ex multis reb. fieri.

GEBER. Eodem loco huic objectioni reſponſum eſt his verbis: Ex quacunque re fiat Elixir album aut rubrum, tamen in ipſo non eſt aliud, præter ſulphur & mercurium, ex quibus rebus niſi ambo fiant conjuncta, nulla alia re fieri poteſt neque per ſe eſſe. Cum igitur unum alteri ita firmiter inſit, manifeſtum erit, Elixir non ex pluribus, ſed ex uno ſolo metallo fieri, cum omnia ex ſulphure & mercurio compoſita ſint. Dicitur autem Elixir ex multis rebus fieri, propterea quòd ex ſulphure, arſenico & mercurio componatur, cum quibus quemadmodum etiam cum diverſis coloribus, in ipſorum præparatione apparentibus multæ res quandam ſimilitudinem habeant, tamen negare non poſſumus, in opere breviori, ubi plures viæ ſunt, ibi diverſa metalla poſſe concurrere. Verum in opere majori unum ſolum, virtutem & potentiam propinquam habet, ut in Elixir convertatur. Propterea dixi lib 2. cap. 3. ſi ſpiritus ſublimaveris ex calce alicujus metalli, ſublimationem facilem, aliàs vero difficillimam eſſe, & plurimi laboris & longi temporis, adeò ut ad deſperationem ferè perducat incautos.

DEMO: Præfertur igitur in hoc opere cæteris metallis aurum?

GEBER. Ob quam cauſam?

DEMO: Quod cæteris metallis virtuoſius & perfectius, minus corruptibile & cõbuſtibile ſit, fuerunt enim ſuæ partes ſubtiliſſimæ homogeneæ & puræ, ſic unitæ & compactæ, ut pars terreſtris, à combuſtione per humiditatem defendatur. Humidum verò adeò firmiter à terreſtreitate comprehenſum eſt, ut in fumum per vaporationem minime exhalare poſſit. Cum igitur per ſe adeò firmiter omni corruptioni reſiſtat per diſtillationem ad ultimam puritatem, & ad extremam ſubtilitatem & ſimplicitatem reductum, multo incorruptibilius erit, & in potabilem ſubſtantiam converſum longiſſimo tẽpore corpora humana à corruptione conſervabit, & hic eſt ſcopus & fundamentum ejus libri quem de Ligno vitæ ſcripſi. Hac ratione medici auro utuntur in multis morbis, præcipue vero in atrabilariis & in tremore cordis, nec tu mihi videris ab hac ſententia diſſidere, cum 17. cap. primi libri, auro vim lætificandi cor tribuas, & quòd corpus in longa juventute conſervare poſſit. Hac ex cauſa veteres Poetæ finxerunt Phœbum ſive Apollinem inventorem medicinæ fuiſſe, & herbarum vires homines primum docuiſſe. Nec putabis citra rationem factum, quòd aurum cæteris metallis præferendum diximus. Veriſimilius enim eſt, Elixir ex auro, quàm alio metallo fieri, cum hoc cætera metalla in aurum tranſmutare debeat, facilius enim tranſmutantur inter ſe, quæ aliquam cognatioem ſive affinitatem habent, quod Ariſtoteles quoque affirmare videtur. Dicit enim in 7. Metaph: omne generatum ex ſuo ſimili generatum eſſe. Tu quoq; affirmas lib. 1. c. 17. aurum tincturam eſſe rubedinis, & aurum corpus transformare & tingere poſſe, propterea plures Philoſophi aurum fermentum rubedinis vocant. Perfecta autem corpora, perfectiora fieri & ad ſubtilitatem & ſpiritualitatẽ reduci poſſe tu ipſe affirmaſti in lib. inveſtigationis circa finẽ.

GEBER. Satis acutè & ingenioſe philoſopharis, ſed auri naturam non ſatis probè conſideraſti, Nam (ut lib. 3. cap. 4. tradidi) cum aurum ex ſubtiliſſima & clariſſima mercurii ſive argenti vivi ſubſtantia generatum ſit, parum ſulphuris habens, & rubedinem puram, tum fixum & clarum à ſua natura ſit, ipſum tingẽte; Quare ſulphur hanc qualitatem minime ſervare poterit, niſi ad ultimam formam & permanentem tincturam pervenerit, ut Elixir; Ergo neque natura neque arte mutabitur, aut aliquo modo per ſe debiè meliorabitur abſque commixtione alterius tincturæ; Et ſi fortè aurum præparatione aliqua colore augeatur, hoc fit ipſa tinctura, intra aurum occultata, foras pertracta, & ſi hanc à ſuo mercurio ſeparaveris, tantundem mercurii cum eo tinges & non plus, hoc idem affirmante Agrippa, propterea quòd aurum non habeat plus tincturæ quàm ad tinctu am ſui mercurii opus ſit, ut Arnoldus in Roſario tradit, quare vanum eſſet hanc tincturam in auro quærere, cum in eo tam pauca ſit quantitas & ipſius utilitas nulla. Propterea dixit Albertus libro tertio de mineralibus c. 7. Alchimica operatione aurum non permutari. Et hæc eſt ratio veterum Philoſophorum, & antiquorum quorundam Alchimiſtarum, auri ſpeciem tantummodo formam eſſe metallorum, cætera vero metalla omnia incompleta, ea vero in via eſſe ut ad ſpeciem auri accedere poſſint, ut res incompleta, quæ in via eſt ut ad perfectionem perveniat. Propterea dixerunt imperfecta juvari poſſe artificio, ut tandem ad perfectionem pervenirent, quemadmodum ſemina adjuvantur terræ cultura, aurum vero cum determinatum, & completum ſit magis, convertibile non eſt in aliud metallum. Nam Ariſtotele & ipſius commentatore affirmantibus lib. 7. primæ Philoſophiæ, nulla res movetur ad formam aut perfectionem niſi prius aliquam partem imperfectam illius formæ in ſe habuerit ad quam moveatur. Novimus enim ſperma ſe non moturum ut formam hominis acquireret, niſi prius in ſe hominem in virtute contineret, ſi enim hoc, jam homo eſſet completus,

pletus, non esset principium motus, sed potius quietis. Propterea dicit Aristoteles, existente specie in materia, cessat motus. Fit enim motus per privationem speciei quæ est in ipsa materia. Cum enim à natura ita comparatum sit, ut imperfectum in quantum imperfectum est, naturaliter desideret perfectum fieri. Igitur privatio in ipso relinquit naturale desiderium ut fiat perfectum. Hoc autem desiderium principium est transmutationis, ut Rogerius Bacho tradidit. Ergo quum aurum in specie metallica perfectum sit, in se hanc privationem & desiderium hoc non habebit ad formam & speciem metallicam.

DEMO: Concedo, aurum commune perfectum esse in sua specie, comparatum vero ad Elixir, imperfectum erit, vincit enim naturæ operam artificium.

GEBER. Dico aurum perfectius esse metallum quàm Elixir, hoc enim quantumcunq; firmiter in se retineat substantiam metallicam, propterea tamen metallum non est, cum sit fragile, & ex solis spiritibus compositum, & ejus tinctura communem tincturam metallicam excedat.

DEMO: Cùm ad compositionem Elixir unicum metallum requiratur, solum & maxime necessarium fit, quòd accipiam spiritus auri, qui mundi, puri & fixi sunt, cæterorum vero metallorum immundi & volatiles.

GEBER. Et hoc certissimum indicium est, istos spiritus auri, eos non esse de quibus scripsi in omnibus libris meis de Alchimia. Diximus enim mercurium, sulphur & arsenicum ante præparationem spiritus esse immundos, combustibiles & volatiles, præterea tradimus quomodo à terreitreitate, aquositate, sulphureitate unctuosa & adurente repurgari possint; hæc autem in auro non invenies. Scribit præterea Albertus lib. 3. de mineralibus cap. 6. metallum à metallo generari non posse, hoc est, species permanebit in prima substantia metallica. Quare ergo capite prædicti libri non citatur author isto modo procedere, inquit, scilicet, ut corrumpendo & removendo aliquid in sua specie, cum adjutorio eorum quæ sunt in natura metallica, inducant speciem alterius metalli. Propterea inter omnes Alchimisticas operationes eam tum meliorem tum principalem esse, quæ per eadem principia procedat, per quæ ipsa natura procedit, quemadmodum per præparationem sulphuris, per decoctionem & sublimationem & purgationem argenti vivi sive mercurii. Isti vero qui metallis albis dealbant, & citrinis citrino colore inficiunt, remanéte prima specie metalli, sine dubio impostores & deceptores sunt, neq; verum aurum sive argentum facere possunt. Præterea dicit Aristoteles veram transmutationem metallorum fieri non posse, nisi reducantur prius in materiam primam, hoc est, ad naturam salis sive vitrioli, quod citra calcinationem minime fieri potest, ut in libro Testamenti satis aperte docuimus. Cum autem aurum debite calcinari non possit, ut lib. 3. cap. 9. diximus; Cum vera calcinatio fiat absq; commixtione alicujus rei; nisi cum proprio & innato sulphure combustibili, ut lib. 2. cap. 12. lib. 3. cap. 6. diximus; Istud vero sulphur combustibile in auro non sit, ut lib. 4. cap. 15. sufficienter ostendimus; igitur aurum debite calcinari non poterit. Rationem hanc descripsimus lib. 3. cap. 6. dicendo eam rem cui convenerint tres causæ corruptionis, loco supra citato enarratæ, maxime corruptibilem esse, in quo vero omnes minime conveniant velocitatem corruptionis remitti, quantum ipsæ dictæ causæ remittunt. In auro vero harum causarum nulla est, quare ita ut decet non corrumpitur. Propterea diximus lib. 3. cap. 4. aurum habere substantiam fixam & absq; sulphureitate comburente, ut per omnem operationem ipsum in igne facile cognoscimus, nam neq; minuitur neq; inflammatur. Propterea frustra quis tentaret aurum citra aliquam rem extrinsecam calcinare, diximus igitur lib. 1. cap. 17. aurum calcinari & solvi absq; utilitate.

DEMO: Arnoldus in libro perfecti magisterii dicit reductionem metallorum in materiam primam facilem esse; igitur transmutatio quoq; facilis erit.

GEBER. Arnoldus de auro communi non loquitur, hoc enim nisi cum magna difficultate destruitur propter suam fortem compositionem, ut lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 7. ostendimus, quo modo ex quibus metallis noster Mercurius extrahi debet, & quantumvis in eo loco aurum minime aperte à nobis excludatur, concedendo tamen sublimationem mercurii commodiorem esse, ex metallis cum quibus minime conveniat. Certissimum vero est mercurium cum omnibus metallis minus convenire quàm cum auro, ut lib. 3. cap. 2. & 4. ostendimus. Quare Mercurius ex cæteris metallis præter aurum multo commodius extrahitur. Quo pacto enim Elixir ex auro fieri poterit, cum omnium Philosophorum consensu hoc ex materia vilissima fiat? ut Morienus Philosophus aperte his verbis ostendit; cum dicit hujus operæ necessaria minime comparanda esse precio, ea præcipue vero in operatione auri.

DEMO: Quid respondes ad meam scrutationem?

GEBER. Dico humidum radicale reliquorum metallorum æque virtuosum & incorruptibile & incombustibile esse ut auri. Quod Albertus nobiscum affirmat, lib. 3. cap. 2. de mineralibus cum dicit. Vidimus omnia metalla etiam in vehementissimo igne retinere humidum radicale. Idem confirmavimus nos in lib. 2. prope finem. Nostri medici aurum suis medicamentis commiscentes absq; ratione hoc faciunt, cum enim ignis quàmvis vehementissimus hoc minime corrumpere possit, multo minus in stomacho digeretur. Veteres autem Philosophi & Poetæ aurum extollentes & magnifacientes non locuti sunt de nostro communi auro, sed de auro philosophorum. Nam commune aurum ita ut decet nullo modo distillari aut solvi potest. Igitur neq; in sal debito modo transmutari poterit, ut supra ostendimus. Præterea quum dicis certis rationibus demonstrari posse, Elixir ex communi auro fieri debere, huic sententiæ tuæ hoc respondeo: In opere quidem brevi, in quo neq; solutio aut coagulatio auri requiritur, aurum cæteris metallis anteferendum; verum in opere majori cum metalla in eorum materiam primam reducenda sint, in qua nulla differentia est, ut supra ostendimus, aurum cæteris metallis non debet præferri, neq; id concedimus omnia metalla æqualiter in hoc convenire, ut apta sint ad compositionem Elixir, cum unicum tantum metallum in ipsa minera singularem qualitatem acquisivit, ut cæteris aptius fieret in sua substantia, ut propinquius ad artem nostram accederet præ cæteris metallis omnibus. Alteri tuæ rationi respondendum puto: Aristotelem locutum de generatione propria & univoca animalium; in generatione quæ per corruptionem generantis fit, sufficit generans generali simile esse virtute & potentia, ut supra diximus de semine humano. Hinc concludimus nostrum lapidem ex quo Elixir fieri debet, aurum potabile, quintam essen-

tiam, aurum & argentum eſſe virtute & potentia propinqua. Hoc affirmat quoque Arnoldus in Epiſtola quadam ad regem Neapolitanum, dicit enim in dicta compoſitione ſive lapide noſtro, Solem & Lunam in potentia eſſe & virtute, niſi enim hæc in ſe contineret, neque aurum aut argentum ex eo fieri poſſe; Hinc autem Solem & Lunam vulgari auro & argento minime comparandam eſſe, cum hæc magno intervallo ſuperent virtute. Sunt enim Sol & Luna in hac compoſitione contenta viva hoc eſt vegetabilia; Vulgaria autem mortua & ſuis viribus extincta. Illa vero finita ſunt, propter quem finem Philoſophi antiqui lapidem noſtrum Solem & Lunam nominaverunt, cum hæc in ipſo lapide potentialiter non viſibiliter contineantur, & Philoſophi dicentes, aurum tincturam eſſe rubedinis, & fermentum rubedinis de auro philoſophorum hæc debent intelligi, quòd ſulphur eſt ſua caliditate & fervens & coquens, digerens & tingens ſuum mercurium, quemadmodum etiam noſtrum Elixir tingit, & transformat noſtrum mercurium in multiplicatione, & verius fermentum eſt. Quod præterea dictum eſt à me, corpora perfecta meliorari poſſe & fieri perfectiora, hoc neque de auro aut argẽto communi intelligendum, ſed de ipſo Elixir quod meliorari & ſubtiliari poteſt per multiplicationem, ſolum mercurium ipſi conjungendo. Per corpora perfecta etiam indicare voluimus ſulphuris ſpecies præparatas, quæ auri nomen ſortitæ ſunt à rubedine & ab albedine argenti, hæ autem præparari debent ſuo ſale & aceto, deinde ſubtiliantur & ſolventur cum ſale Armoniaco, hoc eſt, cum aqua de ſuo ſale. Diximus enim lib. 2. cap. 15. cauſam inventionis aquæ ſubtilis & acutæ neceſſitatem fuiſſe ſubtiliandi iſtos ſpiritus, qui ante præparationem neque fuſionem neque ingreſſum habebant, & nos utilitate magna privabant, hoc eſt ſpirituum fixorum, & quæ ipſorum naturæ ſunt. Arſenicum eſt naturæ ſulphuris, ut lib. 1. cap. 14. & lib. 2. c. 12. diximus. Cauſa vero inventionis aquæ puræ fuit imbibitio ſpirituum & medicinarum mundarum, hoc eſt ſulphuris præparati.

DEMO: Facies mihi rem ſanè gratiſſimam, ſi mihi declaraveris, quid rei ſit aurum philoſophorum & aurum potabile.

GEBER. Sulphur eſt ſubtiliſſimum, purum & radicale, quod arſenicum ſupra nominavimus, nam in Alchimiæ ſpeculo ita ſcriptum invenies. Sulphur noſtrum aurum bonum & purum eſſe. Præterea dicit Raſis in libro luminis luminum, oleum rubrum colorem aſſumens ſulphur eſt & æs, & ſoli & auro comparatur. Senior Philoſophus in eadem eſt ſententia, dicit enim aurum hujus lapidis aurum eſſe philoſophorum, & tincturam animam in ſe habentem, cum qua ſpiritus aſcendant. Alio loco idem dicit, aquam divinam ſpiritualem eſſe, in qua anima contineatur quæ aurum dicitur. Idem dicit alio loco, Hermetem aquam albam aurum nominaſſe, quòd animam habeat tingentem, natam ex illa aqua alba, & alio loco dicit, aquam veteres animam nuncupaſſe, quam Hermes aurum appellaverat, cum diceret, ſe ſeminare aurum in terram foliatam.

DEMO: Quid voluit ſignificare per hanc terram foliatam Hermes?

GEBER. Argentum vivum Philoſophorum præparatum, cui hoc aurum conjungi debet, aut hanc terram foliatam intelligemus potius, ſulphur eſſe quod ſublimatum auri & argenti foliis diverſis coloribus; propterea diximus ſulphur cum ſuo ſimili tincturam facere. De iſta anima, quæ aurum dicitur, loquitur Hermes, cum dicit, hanc ventum in ventre ſuo portare.

DEMO. Non intelligeo quid ſit hic venter & ventus.

GEBER. Albertus lib. 1. de mineralibus cap. 3. hoc declarat & oſtendit, Hermetem dixiſſe ventum portare in ventre ſuo animam, quando materia noſtra vaſe imponitur & diſtillando elicitur ex alembico liquor aqueus aut oleum potius cum omnibus elementorum viribus. Vento enim ſignificatur fumus albus, qui intra ſe portat fumum rubrum qui anima dicitur & aurum, æs, Venus, arſenicum, vitrum, vitriolum, ignis, oleum, ſulphur, aqua viridis, Leo viridis, viride æris, vinum, ſanguis humanus, ſanguis draconis, auripigmentum, aqua permanens & aliis diverſis nominibus. Propterea dixit Senior Philoſophus, hanc divinam aquam nomine omnium rerum humidarum appellari, ut aceti, vini, lactis, pinguedinis & ſanguinis & permatis, ſic etiam nomine omnium tincturarum & florum ſimiliter nominari, & per hanc animam lapidis intelligunt quam exaltaverunt, hoc eſt, ſublimaverunt in iſta aqua. Propterea alibi dicitur à jam citato Philoſopho, ſermones omnium Philoſophorum in hanc tincturam ſolam convenire, quam extraxerunt ex ipſius anima, quam appellaverunt animam & genitum & regem, & hoc genitum pinguedo eſt, quare animam & aurum appellabant, quum habeat animam rubram in albedine occultatam, hoc eſt, in aqua alba ſpirituali, quam extraxerunt ex ſuo lapide. In libro philoſophorum Turbæ ſcriptum eſt, initium noſtrum rubrum aurum appellari. Dicit autem Philoſopus Mirois, tam diu coquendum donec ipſius humiditas elevata ſit in alembicum, quum ſit ſudor ſimilis auro, & in cœlo Philoſophorum hæc verba leguntur. Ignem quidem augendum eſſe ad 4. gradum uſquunius horæ ſpacio, & egredietur aqua coloris aurei. Hæc aqua aurea pluvia eſt, in quam Iupiter ſe convertebat, & ſeorſim ſervari debet, nam in ipſa aurum potabile continetur. Quum lib. 1. cap. 17. dixiſſem, omne illud quod radicaliter mundificare, & colore citrino metallum tingere poterit, ipſum poſſe aurum facere, ſignificare volui radicem metalli diſtillatum aurum eſſe philoſophorum. Avicenna in libro de mineralibus dicit, ſal armoniacum totum ſublimari, & aquam eſſe cui commiſceatur fumus calidus & multum ſubtilis & plurimæ humiditatis. Et lib. 3. cap. 9. Saturni noſtri mentionem facientes diximus, nihil ab eo in fumum reſolvi, quod animadverti poſſit, quòd non ſit coloris citriniſſimi, & loco prædicto diximus, adhuc quum fumus aſcendit neceſſario ipſum aſcendere unà cum ſulphure non adurente, ejus proprietas eſt retinere citrinitatem. Præterea cap. 8. de noſtro Jove verba facientes diximus, hos diligenter aſpexiſſe fumum ab ipſo elevatum magna ignis expreſſione, & obſervaſſe hunc ad citrinitatem accedere, cum hoc ſit proprium ſulphuris calcinati, arbitrantes certiſſima & infallibili conjectura hunc fumum multum de natura ſulphuris fixi retinere.

DEMO: Dubium me facis & incertum, quod enim ſupra de Saturno dixiſti, hoc nunc Iovi tribuis, ſunt igitur Saturnus & Iupiter unum & idem?

GEBER. Iſti duo unum ſunt ſal ex noſtro metallo extractum, quod Raſis affirmat his verbis, cum dicit: Cum acceperis corpora plumbi & ſtanni, his commixtis extrahere poteris oleum, (hoc eſt ſulphur) & mercurium quæ natura conjunxit. Philoſophi autem per ſimilitudines rerum loquentes jubent nos hanc aut illam rem accipere & commiſcere,

cere, cum tales res minimè accipiendæ sint, sed hoc facium ut ostendant in nostro lapide aliquid esse, quod ejus rei similitudinem habeat. De supra dicto oleo mentionem feci libro 2. cap. 12. causam investigationis ipsius feciſſe, ut haberemus suum colorem, dicens, Albertus l. 4. Meteororum, tractatu 3. cap. 18. in mentione supradicti fumi aut vaporum dicit, per naturam mixti, siccum continere humidum, ut sine ipsa in vaporem exhalare non possit, humidum vero sicco addit quandam subtilitatem, ut cum ipso avolare possit. Et nos diximus adhuc lib. 1. cap. 10. ipsa corpora, hoc est, sulphuris species, simul cum spiritibus, scilicet mercurialibus fugere ab igne, hoc est imi spiritus fixi non sunt, inseparabiliter vero commixti sunt in profundo corporum, superat enim pars volatilis partem fixam. Præterea dicit Arnoldus in Rosario, illum qui non noverit aurum convertere in argentum, nunquam posse argentum in aurum convertere è contrario.

DEMO: Quomodo argentum in aurum possit converti scire permaxime cupio, ut verò aurum in argentum convertatur parum aveo.

GEBER. Philosophus Senior scribit, veteres philosophos cum dicerent, dealbate aurum, commune aurum non intellexisse. Quum verò philosophorum aurum quod rubrum est dealbatur, dicitur in argentum conversum esse, & argentum nominatur. Idem de sulphure intelligendum, conversum vero in albedinem, postea vero longa decoctione rutilescens dicitur argentum in aurum conversum esse. Præterea in libro Turbæ philosophorum scriptum est, nullam tincturam fieri posse nisi ex prædicto nostro ære, hoc autem nisi convertatur in albedinem, donec tinctura fiat, nihil efficies.

DEMO: Fateor me tibi haud parum debere, obligatumque esse quamplurimum atque devinctũ tanto beneficio, quòd tanti secreti me feceris participem, fui enim hactenus cum multis in eo errore, ut crederem Elixir, & aurum potabile ex auro communi fieri debere.

GEBER. Quemadmodum pueri, ita tu rebus quoque aspectu pulchris delectaris. Nostra autem quinta essentia ex lapide turpi & deformi fit primo intuitu, interius vero in occulto pulcherrimo.

DEMO: Cum pro tua singulari humanitate haud gravate mihi declaraveris, quid aurum potabile & philosophorum, ut mihi etiam paucis ostendas, quid sit quinta essentia, rogo. Si enim recte judico præstat sanum longo tempore vivere, quam opibus abundare.

GEBER. Verum dicis. Est autem quinta essentia secundum Marsilium Ficinum in lib. de triplici vita, spiritus animæ mundi, diffusus per partes corporeas & elementales.

DEMO: Explicatio hæc nimis obscura est.

GEBER. Dixi tibi jam sæpius in una distillatione duos fumos distillari à materia nostra, rubrum & album, hi ambo dicuntur quintæ essentiæ, dicitur autem fumus rubeus ultra supra dicta nomina quoque anima vini, ut Iohannes de Rupecissa tradidit his verbis. Appellamus autem quintam essentiam, vini animam, vinum autem nostrum aurum est philosophorum. At fumus albus qui in suo ventre portat vinum rubeũ in distillatione, proprie & vere quinta essentia dicitur, de qua philosophi locuti sunt. Dicit enim Arnoldus, separatis elementis restare certã quintam essentiam quandam quæ spiritus lapidis dicitur. Hæc autem neque elementum est, neque in se elementalem qualitatem habet actu, sed virtute, actu enim neque calida aut ficca est, ut ignis, nam infrigidat & sanat morbos frigidos, neque calida aut humida est ut aer, qui facile corrumpitur, ut tempore pestis, & in generatione ranarum & similium videmus, quæ ex corruptione aeris generantur. Potest enim quinta essentia ex metallis præparata, ad decem millia annorum conservari absque corruptione, modo in vase vitreo diligentissime, ne respiret, obturato, reservetur. Propterea Hermes, Plato, Socrates, & multi Philosophi hanc noverunt, ipsi perpetuitatem attribuerunt, & qui ea uterentur non morituros, cum tamen & ipsi Deo ita volente, ut reliqui mortales quoque mortui sint.

DEMO: Ergo vanum est hac uti medicina.

GEBER: Vanum esset nec possibile hominem ut transcenderet vitæ naturalem terminum laborare, hic terminus posset tamen ad quingentesimum annum extendi, ut primis antiquis patribus constitutum erat, quemadmodum vero homo multis modis constitutum vitæ terminum morbis circumventus minime attingere potest & vitæ spacium abbreviare potest, eodem modo poterit impedimenta hæc removendo vitam prorogare, ut tandem naturæ suæ vitæ constitutum terminum attingat. Inter cætera vero remedia omnia, quibus vitam producimus, hæc quinta essentia præparata præstat, ut aperte satis demonstratum est in Dialogo nostro, cui titulus est, Lignum vitæ, dat enim homini vitam. Rasis in lib. luminis luminum dicit, aquam descendentem è majori petra à Philosophis aquam vitæ nominari & cœlum, nam quinta essentia simplex est & incorruptibilis & separata à materia elementari, neque frigida aut humida est ut aqua elementalis, ardet enim ante coagulationem, igitur à philosophis aqua ardens nominatur, præterea neque frigida neque sicca est ut terra, ut manifestè deprehendimus, calefacit enim plurimum & curat infirmitates Melancholicas, quæ frigidæ sunt & siccæ, & formam habet aquæ limpidissimæ & subtilissimæ, variis nominibus à Philosophis appellatur, ex proprietate aut similitudine aliqua assumpta. Sunt enim qui Mercurialem aquam quoque appellant, quòd à Mercurio sit distillata, aliqui mercurium solutivum vocant, solvit enim corpora, hoc est, sui sulphuris species. Propterea dixi lib. 1. c. 17. Aurum hoc est sulphur supra nominatum, facile frangi, hoc est, solvi cum ipso mercurio & odore, hoc est vapore plumbi, hoc est, nostri salis, & Aquila, quod volare possit supra omnes spiritus. Dicitur etiam aer propter subtilitatem, & sal Armoniacum, quod sal distillatum sit, & propter consonantiam & homogeneitatem significarunt quoque hanc antiqui Philosophi nominibus pernicioſorum & ferocium animalium, ut serpentis, Draconis, Leonis, Vrsi, Basilisci & similium, propter ipsius naturam horribilem & venenosam ante conveniens digestionem. Propterea quoque aqua fœtida nuncupatur, est enim amara & fœtens ante coagulationem.

DEMO: Suspicor te tacite subindicare velle horribilitatem & fœtorem ab ea removeri per ignem cum amaritudine, verum quomodo hoc fieri posset, non video, cum sit aqua salis. Videmus enim, & ipsa experientia docemur per calorem omnia converti in sal cum ea corrumpere possit, ut supra diximus. Si ergo dulcia calore corrupta in sal amarum convertuntur, multo majorem amaritudinem recipiet hæc nostra quinta essentia distillata ex metallorum sale, sic decocta & exusta.

GEBER. Si præter sal distillatum & præparatum, hæc compositio nihil reciperet aliud, tuam sen-

tentiam probarem, recipit autem & sulphur quod hanc naturam aufert & dulcem reddit.

DEMO: Quonam modo hæc amaritudo sulphure auferetur ut dulcis fiat, cum ipsum sulphur quoq; amarum sit, ut testatur Rasis qui dicit, sulphur quod Martis nomine appellatur manifestè amarum & acutum esse exterius?

GEBER. Concedo ante præparationem & decoctionem sulphur, cholericum, amarum & acutum esse, quemadmodum Rasis dicit. In decoctione vero occultatum manifestatur, sulphur autem in profundo & occulto dulce, per decoctionem ad suam dulcedinem trahit & transmutat sal conversum in aquam. Alterum verò sulphur quod aurum appellatur, quod etiam in hanc compositionem recipitur hujus medicinæ, sanguineum est, dulce & odoriferum, ut Rasis dicit. Hæc autem transmutant hujus aquæ amaritudinem in dulcedinem, quemadmodum aqua fluvii Marach amara virtute ligni facta est dulcis. Alphidius scribit hæc verba: Antequam hoc opus aggrediaris, præscribam tibi bonam Elixir compositionem. Primo necesse erit ut humidum sit, & cum decoquitur, ut coaguletur & inspissetur, ut nix vel grando & sal sapore dulci, ventre nigro, & colore albo.

DEMO: Ventre nigro quid significatur?

GEBER. Alphidii sententia est, quantumcunq; nostra medicina in principio decoctionis alba sit, nihilominus nigredinem habere occultam, procedentem ex certa humiditate unctuosa & adustiva, maxime vero manifestatur hæc nigredo in coagulatione materiæ, tantum verò decoqui debet, ut hæc humiditas consumatur & fiat alba, tunc enim hæc operatio completa est; & quemadmodum cœlum supra nos non solùm per se influentiam habet in hæc inferiora corpora, ut conserventur rerum species, sed virtute Solis & stellarum fortificatur: ita etiam cœlum hoc nostrum ornari debet nostro sole splendido & incorruptibili, hoc est, auro nostro supradicto, in terra enim generatum est virtute Solis à quo recipit naturam, colorem, virtutem, proprietatem & substantiam incorruptibilem. Quare nostra quinta essentia ornata isto Sole mirabili, infundet nobis virtutem cœli & Solis cœlestis, hoc est vitæ conservationem, humidi naturalis restaurationem, & juventutis renovationem. De Sole isto locutus est Isidorus lib. 16. dicendo Chalcantum, hoc est flos æris in medicina salis fieri sole calidissimo, & tantam habere vim astringendi, ut in os Leonis aut Ursi insperfum tanta fortitudine eorum ora constringat ut mordere non possint.

DEMO: Videtur mihi hoc impossibile.

GEBER. Per Chalcantum & florem æris, Isidorus nostrum æs, quod attramentum appellamus, subintelligit, & vitriolum in sale occultum ante distillationem, & fit per calcinationem simul cum sale; Hoc vero æs unitum cum nostra quinta essentia, quæ Ursi & Leonis nomine intelligitur, tantum invisca & coagulat eam, ut ab ea acumen auferat, ut mordere non possit, hoc est solvere sulphur; quemadmodum verò influxus cœlestis stellarum influxu augetur, eo modo & cœlum nostrum non Sole tantum sed cæteris quoq; stellis atq; planetis conjungi debet, ut ipsius influxus & virtus augmentetur, & ut facilius quoq; coaguletur & ad perfectionem citius conducatur.

DEMO: Quæ sunt istæ stellæ & Planetæ, qui nostræ quintæ essentiæ conjungi debent, sive nostro cœlo applicanda sunt.

GEBER. Omnia metalla philosophorum præparata nomine planetarum significata, & hæc recipiuntur etiam in compositionem Elixir, propterea dicitur huic compositioni unam solam communem esse & sufficere. Tamen verum est aquas coagulativas in hac arte principaliter duas esse sulphuris species, Venus & Mars. Et hæc erat sententia Alberti in primo de mineralibus, cap. 9. primi tractatus, cum scriberet Alchimistas singulari studio atq; diligentia aquas facere, quæ qualitatem haberent diversorum elementorum virtute & actu, hoc est ut desinent & coagulent hoc quod transmutare cupiunt. In libro de Vaporibus scriptum est, carnes velocissime coqui adjecto vitro ex cineribus fœni & filicis, cum enim vitrum siccum sit, plurimum humiditatis è carne elicere per ebullitionem poterit, ut multo citius caro decoquatur. Cum vero vitrum hoc ex cineribus fœni & filicis alio communi vitro multo siccius sit, ergo hoc vitro adjecto multo citius decoctio perficietur, habet enim commune vitrum adhuc aliquid humiditatis quàm à plumbo accepit, quod primum fuit in compositione.

GEBER. Quamvis hujus rei nullum adhuc fecerim periculum, tamen haud credo adjecto vitro carnes citius coqui.

GEBER. Hæc est causa multos ignorantes, & rerum naturalium imperitos Plinium & Albertum mendacii accusasse, cum ipsi hoc quod Philosophi per similitudines & allegoriam locuti sunt ex nuda litera interpretarentur, & se deceptos & elusos putarent.

DEMO: Quid voluerunt hac re significare?

GEBER. Vitri nomine in ista arte sæpenumero sulphur significatur, nam sicut vitrum commune omnes colores recipit, eodem quoq; modo sulphur nostrum in præparatione omnes colores demonstrat. Propterea Argi nomine appellatur, cujus multi oculi in Pavonis caudam conversi sunt. Per carnes vero coquendas intelligitur noster Mercurius, qui coagulari & firmari sive figi debet in aqua mercuriali mediante sulphure. Cùm vero duæ species sulphuris sint, una nomine Martis appellata calida & sicca altera vero Veneris calida quoque & sicca, minus tamen ut Rasis dicit, participat enim cum humiditate mercurii quam ab eo sale accepit quod Saturnus dicitur, à quo jam dictum sulphur Veneris nomine nuncupatum, distillatum est. Propterea velocius coagulatur & dulcoratur ipso mercurio & aqua mercuriali, si adjicimus sulphur ex cineribus fœni & filicis, quod Martem nominamus propter nominis cognationem. Præterea notabis differentiam esse inter coagulationem quintæ essentiæ & fixionem Elixir, cum debeant diversos operare effectus. Elixir enim transmutare debet metalla imperfecta in verum aurum & verum argentum, necesse igitur est ut fixum sit & in auri & argenti substantiam plusquam perfectam conversum sit, hic autem non remanebit aqua mercurialis cum fixionem impediat, quamvis tamen ibi maneat quinta essentia rursa aqua forma sua permanens dicta. Cum vero quinta essentia mercurialis per os sumenda sit in modum medicinæ penetrantis per omnia membra & conservantis à corruptione, non debet adeo fixa esse, ut in auream sive argenteam substantiam convertatur. Sufficiet enim tantum esse decoctam & digestam, ut coaguletur & consumetur illa humiditas tam vaporosa, fœtida & acuta & dulcis fiat, sic assumpta per os subito penetrabit per totum corpus, ut res omnium subtilissima & humano corpori conformis, & sua potente & divina virtute tantam incorruptibilitatem inducet omni loco quem penetra-

netraverit, ut illi qui tantummodo tres guttulas per se aut alia re conveniente commixtas sumpserint, per longum temporis spacium sanè victuri sint, ut primi antiqui patres qui lignum vitæ sumebant. Hæc omnia fabulis poetarum ab antiquis sapientibus occultata sunt, maxime vero Orphei.

DEMO: Feceris mihi sanè rem gratissimam, si intentionem antiquorum in hac re mihi declaraveris.

GEBER. In ista medicina pars est vegetabilis, hoc est, sal significatum arboribus & plantis, præterea adest etiam quædam animalis pars ut anima & aurum, significata per animalia, homines phœbum & vellus aureum. Pars vero mineralis istud sulphur fixum est, quod Martis nomine appellamus, hoc significatur per lapides & saxa, montes, ossa, & reliquis rebus duris. Aqua mercurialis & vapores significantur per aviculas, ventum, fluvios, serpentes, tauros & Dracones, qui custodiebant vellus aureum Marti dicatum. Propterea diximus lib. 1. cap. 15. in distillatione nullum metallum philosophorum submergi in Mercurio, hoc est in aqua mercuriali, Sole nostro excepto, & hic dicatus est Marti, quoniam conjungi debet cum sulphure Martis nomine appellato, per Orpheum vero nostra medicina significatur, hæc enim cum sit dulcis omnia supradicta firmare & coagulare potest.

DEMO: Agnosco me non satis capacem, ut hanc sententiam comprehendam tuæ expositionis, nisi mihi prius declaraveris quænam sint philosophorum metalla.

GEBER. Philosophi hanc scientiam occultaverunt sub nominibus omnium rerum in mundo, maxime vero metallorum.

DEMO: Quomodo occultabitur hæc ars sub metallorum nominibus, cum ipsa fiat per metalla.

GEBER. Certum & rem haud facilem esse posse discernere, quando veteres Philosophi de metallis communibus, sive philosophorum metallis loquuntur: nam primo aspectu nobis videntur de metallis communibus verba facere, & interdum sermonem suum incipiunt de metallis communibus, mox reliquum sermonis ad metalla philosophorum deflectunt. Qui vero hujus artis notitiam sive cognitionem aliquam habuerit, & experientiam, statim nomine aliquo audito intelliget, quid in hac arte significare possit. Sit in exemplum nomen Ferri aut Martis. Si igitur Philosophus dixerit hunc in manifesto calidum esse & siccum, facilemq; tincturam rubei, hujus artis peritus artifex statim cognoscet eum de sulphure hæc dixisse, quum qualitas hæc ferro communi minime conveniat in manifesto. Rasis dicit in libro de divinitate, animadvertendum esse res subtili artificio à natura taliter invicem colligatas esse, ut in omni re omnes res sint in potentia, etiam si visu minime comprehendantur, quod melius deprehendetur in rebus æquabilibus quàm in aliis. Hoc modo interiora auri argentea esse, & interiora argentei aurea, inveniri enim in Sole quidpiam Lunæ, & in Luna aliquid Solis, in cupro vero aurum & argentum esse in potentia, sed non visibiliter, & in his ferrum, plumbum, stannum, in quibus etiam vicissim aurum & argentum reperias. Idem scribit Albertus lib. 3. de mineralibus cap. 8. dicendo Hermetem, Gilgil & Empedoclem Philosophos & Alchimistas præclaros, cum omnium cæterorum Alchimistarum numero affirmare in omni metallo plures esse species & naturas metallorum; alia vero occultata, alia manifesta, alia interius, alia exterius, alia vero in fundo, alia in superficie apparere metalla, quemadmodum illi qui de latentia formarum disputarunt, & omnem rem in omni re esse, ut Anaxagoræ placuit, dixerunt itaque plumbum interius aurum esse, foris autem plumbum, aurum vero exterius in superficie aurum esse, interius vero & in profundo plumbum, hoc eodem modo se habere intra se cuprum & argentum & omne metallum ad singula metalla. Præterea dicunt non nominari exteriora sive interiora metalla, & cæteræ denominationes secundum suarum partium in toto, sed secundum proprietatem & naturam prædominantis, cum prædominans id sibi inclusum teneat supra quod dominatur. Hoc modo isti omnino Anaxagoræ sententiam affirmare videntur, qui singula metalla singulis metallis inesse prodidit, & denominationem fieri à prædominante.

DEMO: Hæc videntur mihi impossibilia, & si recte judico, horum opinio ab Alberto reprobatur.

GEBER. Tu versaris in simili errore cum quibusdam Philosophis, qui dicebant in mundo aliam substantiam non esse præter eam quæ videretur. Si autem diligenter examinasses, corrupisses & transmutasses aliquando metalla, & intrinsecas qualitates considerasses, & diversitatem substantiæ & coloris apparentis, hæc tibi non viderentur impossibilia. Præterea si tibi videbitur Albertum hanc opinionem reprobasse, dico ab eo nudam literam reprobatam, inventionem autem antiquorum & sensum allegoricum nequaquam.

DEMO: Declara mihi igitur distincte & aperte intentionem antiquorum & sensum hunc allegoricum.

GEBER. Per calcinationem, putrefactionem & lotionem reducimus nostrum metallum in sal album ut calx communis, & multis locis appellavimus hoc calcem. Cum autem habeat proprietatem plumbi communis, nomen plumbi invenit. Propterea dixit Rasis loco jam citato, plumbum in suo manifesto, hoc est in superficie frigidum & siccum esse, hoc est plumbum & argentum, nigrum, molle, terreum, melancholicum, acerbum, fœtidum, fœmineum in actu, plumbum in potentia argentum esse. In ipsius autem profunditate calidum & humidum, hoc est aurum, aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum, in uno latere frigidum & humidum est, hoc est, stannum & argentum vivum sive Mercurius, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum, in altero latere calidum & siccum, hoc est, ferrum & cuprum, igneum, cholericum, rubrum, amarum, acutum, masculinum. Intelligis nunc nimirum in uno metallo communi & uno metallo philosophorum, singula philosophorum metalla comprehendi, sic & de cæteris intelligendum.

DEMO: Hæc mihi videntur difficilia & obscura valde.

GEBER. In proœmio lib. 2. dixi: considerationem earum rerum, quibus ad complementum hujus operationis perveniatur, auspicandum esse à diligendi investigatione principiorum corporum secundum ipsorum profundum, occultum & manifestum. Animadvertas igitur secundum sententiã Rasis in libro de divinitate in omni corpore tres esse dimẽsiones, altitudinem, profunditatẽ, & latitudinem, altitudo est quæ manifesta est, profunditas vero est occulta, latitudo medium tenet inter manifestum & occultum, hoc est partim manifesta & partim occulta est, istud vero sal quod plumbũ appellamus, & argentum vivum sive mercurium nondum præparatum, & aquam siccam & pastillum de quo latius dixi in capitulo de descẽsione, hoc est distillatione, cum

in ſuo manifeſto album ſit, propterea dicitur frigidum eſſe, albedo enim ſignum frigiditatis eſt, aut potius frigidum dicitur quod participiat in humiditate aquæ, de qua locutus ſum lib. 2. cap. 6. & 7. Cum vero multum terreſtreitatis intrinſecæ habeat, ut ſupra diximus multis in locis de mercurio loquentes & plumbo. Propterea ſiccæ naturæ dicitur quæ cauſa ſit nos dixiſſe lib. 1. cap. 15. eum ſcilicet mercurium, non facile adhærere intrinſecus ſuo ſulphuri quod Martem nominamus, quamvis habeat viſcoſitatem humidam propter ſiccitatem, hoc eſt terreſtreitatem ipſius per quam viſcoſitas temperatur, & adhærere minime permittitur. Propter hanc terreſtreitatem dicitur naturæ eſſe melancholicæ lividæ & nigræ. Notabis autem quemadmodum ſupradictus Saturnus albus eſt, eodem modo ſuas intrinſecas terreſtreitates ante diſtillationem albas eſſe, quemadmodum loco jam citato oſtendimus. Propterea diximus lib. 3. cap. 2. de iſto mercurio loquentes, levi artificio videre nos ab ipſo exire terram nigram & fœtidam per lotionem. De terreſtreitate iſta ſupra quoque locuti ſumus, lib. 2. in tertia cauſa deſcenſionis, hoc eſt diſtillationis. Cum vero iſte Saturnus naturam ſalis habeat frigidus & indigeſtus, igitur acerbus eſt. Propter albedinem vero & frigiditatem fœmineus dicitur, & propter ſuam fumoſam & aduſtivam ſubſtantiam dicitur fœtidus. Quum autem manifeſtum occulto ſemper contrarium ſit propterea plumbum hoc in profundo, quemadmodum per diſtillationem cum forti ignis expreſſione manifeſtatur in oleo, calidum & humidum eſt, hoc eſt aurum, calidum vero propterea quod ſulphur rubrum eſt & ſanguineum. Quod autem ad compoſitionem hujus auri Mercurius recipiatur, erat enim ante diſtillationem una materia ſive ſubſtantia cum mercurio, inde dicitur humidum eſſe. Citrinum vero dicitur quod compoſitum ſit ex ruſſo & albo, aereum autem nominatur, quod ſpiritus ſit ſubtilis & ſublimetur. Sanguineum dicitur quum ruſſum ſit. Dicitur præterea & odoriferum propter ſuam rubedinem, caliditatem & bonam ſubſtantiam bene digeſtam. Maſculinum vero quod calidum ſit, & in generatione metallorum & Elixir paterno ſemini ſimile. De his Saturni occultis ſecretis in libro trium verborum ſcriptum eſt, neceſſarium eſſe ut manifeſtum occultetur, & occultum manifeſtetur, hoc verò occultum naturæ ſolis eſſe & ignis, & precioſiſſimum oleum omnium occultorum, & tincturam vivam & aquam permanentem. Hic vero Saturnus adhuc in uno latere ſcilicet latitudinis in parte manifeſtus, & in parte occultus naturæ frigidæ & humidæ eſt, hoc eſt, Jupiter & Mercurius præparatus, & accidit hoc poſt lotionem fecis aduſtæ. Propterea dixi lib. 1. cap. 19. plumbum ſubſtantiæ terreæ plurimum habere, ob id lavari, & in ſtannum converti. Morienus autem dicit, corpus immundum apud philoſophos plumbum dici, mundum vero ſtannum; dicitur autem naturæ phlegmaticæ propter ſuam humiditatem viſcoſam; Inſipidum vero & remiſſum dicitur propter ſeparationem multæ aquæ acutæ in diſtillatione. Fœmineum dicitur quod frigidum ſit & humidum, & in metallorum generatione, & Elixir muliebri menſtruo ſimile ſit, in alio latere quod de manifeſto & occulto ſimul participat. Saturnus calidus eſt & ſiccus, hoc eſt ferrum & cuprum, quamvis (ut Raſis tradit) ſiccitas Veneris ſiccitatem Martis ſuperet & major ſit, propterea quòd participat de argento vivo ſive Mercurio qui ipſius ſiccitatem temperat. Animadvertendum tamen eſt, quemadmodum lib. 1. cap. 12. monui, & lib. 3. cap. 7. in corporibus metallicis duas eſſe ſulphuris ſpecies neceſſarias noſtræ arti, quæ in manifeſto dependent à rubedine, in occulto vero albi, nigri & ruſſi ſunt, unum intrinſecum eſt ipſo Saturno. Propterea ſolvitur ut cætera ſupradicta & Veneris nomine appellatur, omnia autem ſupradicta inſimul eſſe ante diſtillationem, & omnia habere naturam ſalis, diximus lib. 1. cap. 15. ſolui Jovem, Saturnum, Lunam & Venerem, iſto mercurio quem Saturni nomine deſignamus, hoc eſt per ipſius virtutem, cum omnes ſimul naturam ſalis habeant, ſolvuntur autem tantummodo hæ res quæ ſalis naturam habent, aut aluminis & fellis prout ſæpe monuimus.

DEMO: Solutionis jam ſæpe meminiſti, quare rogo ut mihi declarare velis ſenſum hujus verſiculi. Solvite corpora in aquam, omnibus dico qui aurum & argentum facere quæritis.

GEBER. Lib. 2. cap. 17. dixi omnia corpora noſtra ſulphurea, ſulphur & arſenicum eſſe, Arſenicum verò Veneris nomine appellatum diſtillatione ſolvitur [ut ſupra diximus.] Sulphur autem Martis nomine appellatum diſtillatione non ſolvitur, cum in ſe non habeat partes ſalſugineas [ut lib. 1. cap. 3. diximus] ſubtiliatur autem & ſolvitur cum ſua aqua mercuriali, quam capite de ſolutionibus cæteris aquis acutis adjunximus. Ex his duabus aquis ſulphureis unam accipe quam volueris, ſcilicet hanc quæ Venus & aurum dicitur, hanc da bibendam inimico tuo, hoc eſt conjunge illam ſulphuri quod ferrum dicitur. Diximus enim loco jam citato ſulphur cum ſuo ſimili ſive compari, hoc eſt arſenico tincturam fieri. Intelligitur aut per Leonem antiquum ſive Draconem mercurius converſus in ſal, antiquum verò vocant quòd incorruptibilis ſit. Ex hac ſententia reliquos verſus quoque intelliges, ſcilicet qui ſolvere non poterit, ſubintelligendum, noſtrum arſenicum & mercurium noſtrum, neq; ſubtiliare ſulphur, corpus ſulphureum non tangat, neque argentum vivum noſtrum, non poterit enim fixum ſulphur quod Martis nomine appellatur, tenere volatile arſenicum, niſi peroptime commixta fuerint, & ex duobus unica ſubſtantia facta fuerit, quod cum aqua mercuriali, quam aquam vivam appellamus, fieri poteſt, quæ medium tenet in commixtione tincturarũ, hoc eſt inter ſulphur & prædictum ſal præparatum, ſal diſſolutivum appellatum. Raſis mentionem facit in ſuis ſcriptis horum ſulphurum; & dicit aquam æris ſolutam ad rubrum & meliorem & fortiorem eſſe quàm ferri aquam, hoc eſt cum ferrum ſublimatum fuerit in rubedinem convertitur, & aceto adjecto rubicundum colorem acquirit ut ſanguis. Quum igitur ſulphur Martis nomine appellatum quaſi extrinſecum ſit in ſupra dicto Saturno, Propterea in præparatione facilius ab eo ſeparatur à commiſtione, hanc ob cauſam diximus lib. 4. cap. 14. ea metalla quæ parvam quantitatem mercurii habent, facilius ſeparari à commiſtione ſalis, & eodem loco de iſto ſulphure Martis nomine appellato, dixi Martem fuſionem non habere, hoc eſt non ſolvi. Propterea cum iſto ſale non commiſceri, quod fit per privationem multæ humiditatis mercurialis. Propterea cap. 15. eiuſdem libri diximus, corpora ab invicem per iſta duo examina non ſeparari (hoc eſt in calcinatione ſulphuris cum aceto & ſale, & in diſtillatione à ſale & ſeparatione) niſi per diverſitatem compoſitionis ipſorum ſubſtantiæ, nam ex ea diverſitate naſcitur diverſitas fuſionis, hoc eſt ſolutionis, ſpiſſitudinis & ſubtilitatis, quæ principales cauſæ ſunt ſeparationis noſtrorum metallorum.

metallorum. De solo Marte autem loquendo, dico ipsum esse igneum, hoc est sulphur rufum, calidum & siccum, & facilis combustionis ante præparationem, propter multam unctuositatem; cholericum propter vehementem calorem, amarum & acutum, quum cholericus sit, est namque cholera propter indigestionem cibus amarus & acutus. Dicitur autem masculinus quòd calidus sit, & principale semen metallorum & Elixir. Ita nimirum comprehendes in uno metallo communi omnia metalla philosophorum comprehendi, & ibi aurum & argentum esse in potentia propinqua, quum in ipso sit ipsorum semen à natura pro parte digestum & fixum, nec aliud tamen esse præter sulphur & argentum vivum. Si vero hujus rei certificari voles, considerabis ea diligenter quæ lib. 2. cap. 7. & 16. & lib. 3. cap. 4. circa finem scripsimus.

DEMO: Nisi praxin videro hujus operationis non satis capacem me sentio ut hæc intelligere queam, tametsi animadvertam artem naturam in multis imitari.

GEBER. Natura per decoctionem adurit terram & aquam simul commixta, & vitriolum generat, ars vero adurit sua metalla, & redigit ea in calcem in qua vitriolum occultatum est, naturæ & artis semen, per putrefactionem autem & separationem extrahitur vitriolum & sulphur. Natura resolvit suum vitriolum & exhalat duplicem fumum, ars simile facit in suo vitriolo. Natura per sublimationem ducit duplicem illum fumum in loca mineralia, & ipsum conjungit cum sulphure fixo, ars similiter suum duplicem fumum conjungit cum sulphure fixo. Cum vero fumus ille albus nobis magnum impedimentum esset futurum in fixione, propterea removemus illum & in ipsius locum accipimus mercurium viscosum coagulatum, quem à fecibus adustis extraximus. Propterea diximus lib. 2. cap. 6. semper illud separari quod corpori in capello Aludelis propinquius sicut in pulvere sursum elevatum, hoc est in aquam solutum ab eo quod remanet in fundo vasis præparatum natura quoque illud sulphur fixum lavat, simile facit ars. In lotione autem hujus sulphuris ruffi in colore vivi ruffi, primo calcinatur & fit nigrum propter ipsius oleaginitatem, & à Raymundo nigrum nigro nigrius appellatur sui vitrioli. Propterea diximus lib. 4. cap. 20. Martem in omni genere combustionis nigredinem & fuscum colorem creare plus tamen aut minus, quo metallum magis aut minus calcinatum fuerit, nam per fortem calcinationem sulphureitas adustibilis consumitur, ut lib. 3. cap. 7. ostendimus. Hac de causa omnes Philosophi maximè in hoc conveniunt putantes illas debere esse nigras, fortasse ut propter abundantiam sulphuris calx non vitrificetur, ab hac nigredine usq; ad albedinem omnes sui cæteri colores apparent, sunt enim albedo & nigredo externi & planè contrarii colores, & omnes cæteri colores plane intermedii. Propterea semper in hac præparatione quotiescunq; de gradu ad gradum aliquid de nigredine deperditur, semper color apparet minus niger, quousque tandem ad ultimum & perfectum colorem albedinis perveniatur.

DEMO: Credebam hanc colorum diversitatem apparere post coagulationem Elixir, dixisti enim lib. 2. cap. 16. proprietatem esse sulphuris cum argento vivo, colorem rubrum creare aut citrinum secundum quantitatem commixtionis, proprietatem vero remotionis sulphuris esse, dare mercurio albedinem per ignem. Hæc igitur causa est diversitatis colorum in ipso post ipsius coagulationem in petram sive lapidem. Hunc vero modum loquendi non intelligo, nam cum sulphur & mercurium simul poneres, ut coagularentur, putabam amplius non removendos neq; separandos esse, quomodo erit igitur sulphur causa varietatis colorum post coagulationem Elixir?

GEBER. In sulphure, ut Albertus de mineralibus tradidit, sunt duæ unctuositates adustivæ, una major & quasi extrinseca, altera minor & intrinseca. Prima umbra est & removetur per lotionem, intrinseca vero consumitur post coagulationem Elixir, quod primo nigrescit & deinde successive paulatim minuitur, & consumitur ea humiditas unctuosa quæ nigredinis causa fuerit. Hoc modo dicimus sulphur removeri, quoniam convertitur in albedinem perfectam, & postea in colorem citrinum, ultimo vero in colorem rubrum, fit igitur sulphur duabus vicibus nigrum & bis album & bis rubrum.

DEMO: Quanto temporis spatio coagulatur post præparationem sulphuris & mercurii?

GEBER. Simul postea in vas longi colli & rotundæ capacitatis impignatam cinerum cum igne lucernæ, quæ quintuplex sive sextuplex ellichnium habuerit, coagulabitur viginti dierum spatio aut citra. In speculo Alchimiæ scriptum est, materiam lento igne regendam, donec major pars in terram nigram conversa sit, quod fit in 20. dierum spatio.

DEMO. Eo tempore quæ apparebunt signa?

GEBER. Loco supradicto scriptum est, materiam cum ignem senserit, subito in aquam solvi, & tunc spiritus sursum elevari & ascendere per collum longum vasis, & supra aquam subito congregari oleum in modum nebulæ nigræ. Ideo dicit Ioannes de Rupecissa, scilicet post calcem elevari pelliculam quandam nigram ut oleum, deinde vero post paucos dies materiam coagulari sub aqua in medio vasis eo loco, quo ignis flamma ipsum vas tangit, & paulatim restare & augmentari eam materiam coagulatam, donec quasi terræ globus in medio aquæ in prima creatione mundi materia hæc arida emineat, ut insula in medio Maris ab aqua circundata, compremuntur autem aqua & sulphur, & simul in colore nigro coagulata, in forma ovi quod suo acumini insistat.

DEMO: Quamdiu durat hæc nigredo, donec incipiat dealbari?

GEBER. Scriptum est in libro Rosarij, quadraginta diebus continuis, nam & alteram aquam permanere nigredine coopertam, eam vero nigredinem ultra quadraginta dies non durare, si recte & modo debito gubernata fuerit, hæc à veteribus sub velo fabularum poeticarum occultata sunt.

DEMO: Mirum sanè Philosophos veteres hanc artem tam obscuris & chimericis figmentis occultasse, quæ à nostris grammaticis declarantur & detorquentur ad sensum moralem.

GEBER. Qui hujus scientiæ nullam habuerit cognitionem, non capiet rationem aut intentionem veterum Philosophorũ, fingendo tantum numerum deorum & dearum, aut quid isti per istorum generationem stupra & amores variasq; mutationes designare voluerunt non intelliget. Stultum enim esset, credere, hæc ficta, ut morum disciplinam occultarent, quam tanta cum laude, & publice, & privatim, verbis & factis, in omni virtutum genere, adeo strenue proposuerunt.

DEMO: Si me tanti secreti faceres participem, præter cætera tua in me collata beneficia, hoc unico me quàm arctissime devincires tibi.

GEBER. Ne forte credas me solum hujus opinionis esse, legas Albertum lib. 1. de mineralibus, cap. 3. qui dicit, Empedoclem, qui longo tempore

præcesserat Hermetem confirmasse lapides creatos ex calore ardente, hujus affirmationis originem ceperis ex antiqua fabula Pyrrhæ & Deucalionis, in qua fabula lapides magnæ matris ossa dicuntur, Ossa verò secundum Empedoclem pro parte ex Vulcano composita sunt.

DEMO: Mihi videntur verba hæc ab Alberto in hanc sententiam minime dicta esse.

GEBER. Lapides à calore ardente generati colores sunt nostrorum metallorum ex ignis vehementia generati, & propter duritiem ossa vocantur, & partim ex Vulcano composita sunt, hoc est ex sulphure quod ignis nomine appellatur, quod in ipsis prædominetur ignis, hoc est sulphur. Sunt autem lapides magnæ matris dicti, hoc est, terræ, quod eorum generatio sit ex metallo, quòd magnam quantitatem terræ in se continet, nam tota substantia fixa & terrea sunt. De Pyrrha & Deucalione fabulantur Poetæ, hos tempore diluvii in navicula, quam conscenderant, salvatos evasisse solos, per diluvium significare volentes nostras aquas albas. Verum per Pyrrham & Deucalionem insimul significabant sulphur istud subtile, quod supra Hermaphrodita nuncupari diximus, hi duo salvantur conscensa navicula, hoc est in illa nigra pellicula quę supra aquam elevatur & innatat ut oleum. Per illos lapides quos proijciebat Pyrrha, & convertebantur in fœminas, significarunt argentum vivum, hoc quod finita distillatione remanet in Boccia fixum & terreum, per lapides vero à Deucalione projectos qui in masculos convertebantur, significatum est istud sulphur, quod Martis nomine supra appellari diximus. Adhæc legimus apud Albertum lib. 1. cap. 8. 2. tractatus, fabulam de Gorgone, quam finxerunt Poetæ, omnia quæ conspiceret in lapides convertisse ita explicandam esse, ut per Gorgonem intelligamus virtutem & potentiam mineralem, & per conspectum Gorgonis, dispositionem humorum corporis ad virtutem lapidificativam.

DEMO: Explicatio hæc multo obscurior, est, quam ipse textus sit.

GEBER. Mineralia hæc sulphures sunt, virtus vero earum fortis, virtus est metallica indurativa & figens, aspectus autem vaporum, corporum metallicorum ad virtutem hanc mineralem, sit cum jam fumi ascenderunt in collo longo vasis sive Boziæ, & respiciunt & reducunt retro se ad hanc virtutem mineralem, quæ indurat & convertit istos vapores in lapidem nobilissimú philosophorum. Uxor Loth ignem fugiens contra Dei jussum retrospectans conversa est in statuam salis. Poetæ finxerunt Jovem amore captum Ganimedis eum rapuisse in aquilam conversus & in cœlum portasse, quæ autem sæpius à nobis dicta sunt de duplici illo fumo in hac fabula comprænduntur. Nam per Iovem significatur supradictum sal quod per distillationem convertitur in aquilam, hoc est in aquam mercurialem quam in ista arte aquilã nuncupare consuevimus, propterea quod supervolat omnes alios spiritus In libro de aluminibus & salibus, legimus atramentum, hoc est, sulphur regi per aquilam affirmante Geber philosopho, quo loco sal armoniacum intelligi debet, per Ganimedem tantæ pulchritudinis intelligendum sulphur, quod aurum appellari diximus alibi. Iupiter vero hujus amore capitur, propterea quod naturaliter invicem conjuncti & uniti sint in substantia una, propterea in distillatione portat eum secum subvolando in cœlum, hoc est in capitulum sive capitellum bociæ, hoc est vasi in cœli figura concameratum. Præterea scribit Virgilius in 6. Aeneid. de Dædalo cum suo filio incluso in labyrintho ipsis aptasse alas ex pennis cum cæra quibus evolarent ex labyrintho. Icarus vero nimis alte volans in mare præcipitatus est, liquefecerat enim Solis calor cæram cum qua alæ compactæ & sibi adaptatæ erant.

DEMO: Hujus fabulæ expositionem avide expecto.

GEBER. Dædali nomen græca dictio est, latinè varium significans, & designat nobis sulphur, quod Martis nomine nuncupari diximus, quod admodum varium est transmutando se de colore in colorem, & ab una natura in aliam, sulphur istud parens est alterius sulphuris admodum subtilis & fusilis, quod sub Icari nomine Dædali filio intelligitur, est enim arsenicum subtilior & fusibilior pars Martis. Per Labyrinthum poetæ intelligere volunt vas sive Bocciam, aut potius vilem lapidem philosophorum, in quo dicti sulphures inclusi sunt. Alæ autem quibus avolare conantur, & in altum feruntur, sunt hæ rés de quibus mentionem feci lib. 2. cap. 10. dicendo, Corpora quæ indigent administratione rerum sublevantium aut exaltantium, sunt Venus & Mars, propter earum tardam fusionem, hoc est solutionem. Venus enim Tutia indiget, Mars vero arsenico, nam his rebus facile elevantur & sursum feruntur, nam inter ipsos magna quædam convenientia est.

DEMO: Mihi persuadeo & hunc locum ex illis esse, quos tu solus intelligis.

GEBER. Per tutiam significatur aqua mercurialis, quæ per distillationem exprimit ex dicto sale extracto è lapide Venerem, quem Icari nomine significamus. Iste Icarus simul aqua ista alte volat, hoc est in capitellum vasis usq; elevatur, calore enim sal dissolvitur. Icarus vero per rostrum capitelli in vas recipientis cadit in aquam amaram & ibi suffocatur, nam per decoctionem nigrescit. Alæ vero cum quibus Mars avolat ex dicto lapide arsenicum designant, ut apertè satis diximus lib. 3. cap. 16. Propterea quod humiditas & acuitas aceti, mediante calore ignis agens in corpus calcinatum & subtiliatum, dissolvit illud & attrahit substantiam salis occultam in isto calore, cum eodem attrahendo subtile quod sulphur Venerem nuncupamus, in profundo hujus salis inclusum. Nam propter colligantiam sulphurum in hac putrefactione arsenicum attrahit & sursum ferri, & sublimari facit Martem. Cæra autem cum qua alæ adaptatæ & affixæ erant, est supradictum sal viscosum dealbatum, ut cæra alba Tyrrhenia superius nomine Iovis appellatum. Tradidit autem hæc fusius, lib. 3. cap. 7. propè finem loquendo de corporum elevationibus cum spiritibus. Meminit insuper Virgilius rami aurei quo detruncato statim alius subnascitur similis, per arborem significare volens sal vegetabile, ex quo per ignis expressionem distillatur illud sulphur quod aurum appellamus. Cum enim totum istud sulphur una vice simul omnem rem non exprimatur, sed paulatim guttulam guttula insequendo, finxerunt ramo uno detruncato statim alium subnasci, hoc est expressione forti ignis. Sed hoc Senior Philosophus apertius demonstrat dicendo, animam hanc è petra non exprimi posse una vice, sed multis vicibus & paulatim. Propter hanc causam veteres eam animam & animas, florem & flores, tincturam & tincturas, sanguinem & sanguines, pinguedinem & pinguedines appellasse, propter tardum egressum de gradu ad gradum. Finxerũt etiam Iovem iratum patri suo Saturno genitalia excidisse cum acutissima falce, & hæc

cecidisse

cecidisse in mare, & ex commistione ipsorum sanguinis cum spuma maris Venerem procreatam. Per Saturnum intelligentes prædictum sal quod pater Iovis dicitur, hoc est ipsius salis præparati quod ab isto generatur, istud sal positum in ignem in vase sive Boccia, Iupiter iratus & igne alteratus dicitur, & solvitur in aquam subtilem & acutam, significatam per falcem acutam cum qua Iupiter iratus patri genitalia excidit, hoc est separat & attrahit secum partes masculinas sive virilia, hoc est sulphur intrinsecũ in ipso sale, & simul cadunt in vas recipientis, quod significatur per casum in mare, scilicet in aquam salis, ex isto sale & sulphure generatur Venus, ut supra diximus. Hæc aqua currus Phaetontis, quem Poetæ Eridanum vocant, propterea quod ipso vehatur noster Sol & spiritus fœtentes quos appellamæs, finxerunt etiam quidam Minervam filiam esse Iovis, Iupiter enim suum caput feriens, armatam ex ipsius cerebro prosiliisse Minervam. Figmentum hoc ita intelligendum esse censeo, Iupiter in ignem alteratus caput suum convertit, hoc est sal istud quod Saturni nomine nuncupamus, in quo sal istud subtile, album, molle, humidum ut cerebrum continetur, ex quo per distillationem nascitur Minerva armata, hoc est aqua illa vestita sive amicta subtilissima parte sulphuris, quod Martis nomine vocamus. Dicunt præterea Vulcanum amore captum Minervæ eam pertinacius consecutam tandem veste arripuisse, & semen in terra persudisse, ex quo puerulus statim natus sit, sic Minervã Vulcani vim evasisse. Per Vulcanum intelligimus sulphur quod iguem vocamus, & ferrum magno amore afficitur, ergo aquam Mercurialem quam Minervæ nomine significamus. Sunt enim insimul in uno eodemque metallo. Propterea hanc in calcinatione sequitur & in putrefactione. Cum vero naturæ sint diversæ & facillime ab invicem separentur, finxerunt minervam Vulcani congressum fugere, cum hoc sulphur non retinet semen, quemadmodum aliud subtile sulphur. Propterea dictum est hanc arripuisse veste cum ipso unitum sit, & cum suo sale conjunctum quasi extrinsece & sic in separatione dimittit suum semen, hoc est eam partem subtilem sulphuris spargendo in terram ipsius salis, per distillationem vero nascitur illud sulphur quod Ganimedis nomine significari supra diximus, quemadmodum etiam Appollinis & Phœbi, & si evasit vires Vulcani per remotionem sive separationem hanc, quæ fixioni impedimento fuerat. Finxerunt etiam veteres à Jove amatam Io, ipsa vero Iovem fugiens à crassa & obscura nubecula circumdatam, ut in cursu subsisteret, per Io significantes supradictam aquam Mercurialem à Iove amatam cum ejusdem substantiæ sint, simul vero juncta & Bociæ inclusa ad ignem aqua per distillationem aufugit per longum collum vasis, deinde recidens ad fundum ubi à Iove circumdatur pellicula nigra supradicta per quam coagulatur & firmatur Io, hoc est in cursu sistitur. Istæ nigræ pelliculæ vela sunt quibus Theseus rediit navigio Athenas, quæ videns Thesei pater sibi persuadens filium obiisse, ex desperatione se præcipitem dedit in mare & ibi aquis suffocatur. Per Theseum significare volentes sulphur istud subtile quod in pellicula aut potius oleo isto continetur per Thesei nomen significatum. Pater vero Thesei Egeus [hoc est sulphur crassum magis] se præcipitem dat in mare, hoc est in aquam salis, & ibi solvitur & moritur, hoc est suffocatur, nam secundo denigratur. Inter reliqua plura ejusmodi poetica figmenta tradiderunt veteres post diluvium & terram exiccatam ab inundatione aquarum varias animalium species à terra productas, inter cætera vero animalia serpentem quandam productam, hanc sagitta interemptam ab Apolline sive Phœbo. Hanc fabulam hoc modo interpretati sunt, per distillationem quam etiam sublimationem appellamus, primum lento igne diluvium venit, hoc est intro humiditas aquea apparet, hac remota & fortificato igne terra, hoc est, materia nostra, quæ multum in se terrestreitatis habet, producit animalia, hoc est sulphur istud subtile quod animale dicimus. Verum inter animalia cætera etiam serpentem illum gignit, quem Pythonem appellant, hoc est, aquam fœtidam, quam Phœbus occidit, hoc est à nostro sale coagulatam & denigratam in medicinam humani corporis. Fingunt præterea Martem filium Iovis & Junonis, sunt tamen qui Martem sine patre à sola Junone procreatum velint. Per Junonem vero etiam si sæpius elementum aeris intelligant, tamen cum dicunt Martem filium esse Junonis sine patre natum, per Junonem terræ elementum intelligunt. Jupiter aut post putrefactionem cum Marte & Junone reperitur. Quod autem per lotionem Mars ab ipsius ventre separatur, propterea dicitur ipsius filius. Cum vero filius saltem in aliqua parte patri similis esse debeat & matri, hoc vero sulphur quod Martis nomine intelligimus, Iovis nullam similitudinem penitus referat, calidus enim est & siccus, rufus, durus, absque viscositate & solutione, & quasi argento vivo privatus, Iupiter vero frigidus & humidus est, albus, mollis, viscosus, facilis fusionis & solutionis, quasi argentum vivum mortificatum; hanc ob causam finxerunt Martem Junonis filium, hoc est terræ, pinguedo enim terræ est.

DEMO: Ostende igitur jam quo loco Junonis nomine terræ elementum intelligunt?

GEBER. Finxerunt Junonem filiam esse Saturni, & Opis, sororem & uxorem Iovis, & in eodem partu ante Iovem in lucem editam, reginam esse deorum & dearum, divitiarum, præesse partui & matrimonio. Aqua vero Mercurialis per Junonem significata dicitur filia Saturni, distillatur enim ab ipso & sua terra significata per Opim. Hæc autem largitur divitias, hoc est aurum nostrum; & in ea distillatione generatur Juno, hoc est aqua illa Mercurialis significata per elementum aeris & Iovis, hoc est sal quod in fundo vasis sive Boziæ remanet inter feces. Quum vero aqua Mercurialis distillata prior & prima exeat extra Bocciam sive vas distillationis, dixerunt veteres Junonem in eodem partu ante Iovem natam. Idem significare volebam lib. 1. c. 11. differendo de præparatione Iovis, dicendo, Saturnum eodem modo præparari [deridens eos qui non sunt filii hujus artis] aliquando solummodo hoc quod corpora non potest frangere, hoc est terrestreitas quæ non frangit, hoc est non solvit corpora sulphurea, adjiciendam vero aquam mercurialem quæ prius antequam Jupiter redeat in corpus sua calce, hoc est sale albo, ut vera calx. Præterea dicunt Junonem præesse partu, quod distillando producat in lucem Phœbum, ob hoc etiam Lucina dicta, matrimonio quoque præesse dicitur, propterea, quod intermedium quoddam sit in conjunctione tinctuarum sulphurearum, hoc est Veneris & Martis. Significatur autem per subtilissimum rete fabrefactum è calibe. Dicebat Morienus, animam, hoc est, Venerem non conjungi cum corpore, hoc est cum sulphure Martis nomine significato, nisi mediante spiritu, hoc est, aqua hac spirituali. Dicitur etiam Jovis uxor propterea quod hæc duo simul nostrum aurum progenerent,

nerent, aut quod ſimul juncti ſunt & uniti ante diſtillationem, & adſcribunt ipſi regnum ſuper omnes Deos & deas gentilium, quos ſignificamus noſtris metallis. Hæc enim regit, nam per hanc naſcuntur ac ſolvuntur, ſubtiliantur ac ſeparantur, conjunguntur, mortificantur, vivificantur & fructificant, propterea finxerunt eam etiam deam divitiarum.

DEMO: Ne mireris hactenus tam prolixum ſermonem non interrupiſſe me, nam ut verum fatear, plurimum delectatus ſum hac interpretatione, adeo obſcurarum atque plane Chymericarum, aut potius monſtroſarum fabularum figmentorum, & (ut dicam quod ſentio) plane perſuaſum habeo te ejuſmodi fabulas omnino detorquere in tui animi ſententiam, etiamſi veteres ejus intentionis in quam tu eas detorquere ſtudes, nequaquam fuiſſent unquam.

GEBER. Si tu aliquando interfuiſſes praxi hujus artis, & ejus rei periculum feciſſes, & filius eſſes voti, hanc veritatem etenim cognoſceres & perciperes. Nam niſi negaveris hanc opinionem veterum quam tibi dixi, ſcilicet omne metallum in omni contineri, & hujus dicti explicationem per me tibi traditam, penitus intellexeris, nunquam negabis hanc veram eſſe intentionem antiquorum poetarum, in ſuis fabulis & figmentis: nam omnibus modis elaboraverunt, ut hanc ſcientiam penitus obſcurarent & abſconderent ſuis figmentis & fabulis poeticis, ut naturæ ſecreta ignorantibus & indignis occultarent, quod etiam plures ſapientes harum rerum periti, mecum affirmare non dubitaverunt. Scribendo etenim finxerunt Latonam ſtupratam à Iove, propter quam rem Iunonem de cœlo deſcendiſſe, hanc in Inſula Delo inveniſſe, ubi Phœbum & Dianam peperit. Per Latonam intelligentes illud ſulphur, quod ſupra Veneris nomine ſignificari diximus, quod cum impurum ſit & alteratum, compoſitum de Iove & Iunone, hoc eſt de aqua illa aerea, deſcendit de cœlo, hoc eſt de alembici capitello, & invenit Latonam in vaſe ſive Boccia, quæ ibi parit Elixir album & ruffum. Finxerunt etiam Vulcanum filium eſſe Iovis & Iunonis, quemadmodum etiam ſupra de Marte diximus, quum vero deformis eſſet & facie turpis, ſubito fuit dejectus in Inſulam Lemnios, & ibi nutritus & educatus à ſimiis. Per Vulcanum intelligebant ſulphur quod Martis & ignis nomine ſignificari jam ſæpius monuimus, quod poſt putrefactionem conjunctum eſt & unitum Iovi & Iunoni, ſed in diverſa natura fuſione & ſpiſſitudine & raritate & ab ipſis ſeparatur, propterea quod, ut lib. 3. cap. 4. diximus, argentum vivum aliud ſulphur non recipiat, eo excepto quod ſuæ naturæ eſt, hoc eſt arſenicum quod de natura ſalis participat. Propterea dicunt Vulcanum eſſe Filium ipſorum quod ab eorum ventre ſeparetur, quum vero turpis ſit & deformis propter ſiram unctuoſitatem aduſtivam, abiicitur in Inſulam Lemnios, hoc eſt in vas ſive Bocciam in quam cadunt ſagittæ, hoc eſt hæc ſulphura, quæ generata ſunt ex vaporibus calidis & ſiccis: ibi nutritus & educatus à ſimiis, hoc eſt, à veris artiſtis ſive hujus artis perfectis artificibus, qui naturam imitantur. Adhæc finxerunt Athalantam omnium hominum velociſſimum curſorem, ſuperatum tamen & victum tribus pomis aureis, per Athalantam ſignificantes noſtram aquam velociſſimam & leviſſimam ſuper conjuncta ſulphura, ipſis vero conjuncta, hoc eſt Marti, Soli & Veneri inſimul, aut cum Iove qui ſemper plenus eſt Apollinis & confectus, formatur & coagulatur, hæc tria poma tres boli ſunt, quibus Theſeus inviſcabat ora Minotauri in Labyrintho, per Minotaurum poſitum in Labyrinthum ſignificatur noſtra quinta eſſentia, quæ in vaſe ſive Boccia inviſcatur & coagulatur, cum ſupradictis ſulphuribus.

DEMO: Magnas tibi gratias ago, quod me tanti ſecreti voluiſti fieri participem, ut circa omnem invidiam ea quæ ab antiquis ſummo ſtudio occultata ſunt pro ſingulari tua humanitate mihi aperires & explicares, nam inde ſpero tandem me verum ſenſum fabularum & figmentorum poeticorum inventurum, cum mihi igitur hac parte ſatisfactum ſit, ejuſmodi inquiſitiones relinquemus, ut ſermo noſter inchoatus eò redeat unde diſceſſimus de metallis verba facientes, ſcilicet ex quonam metallo ſupradictæ res fieri debeant: nam cum ex uno ſolo nec tamen ex auro communi fieri debeant, perſuaſum habeo ex argento fieri debere, & hoc non citra rationem, quum tu jubeas illud aurum accipiendum, quod in profundo metallorum occultatum ſit. Cum vero Luna in profundo aurum ſit, ut in Teſtamento aperte demonſtraſti, omnino argentum accipiendum erit nobis abſque dubio. Scripſiſti etiam lib. 1. cap. 18. Lunam eſſe tincturam albedinis. Et plures Philoſophi Lunam fermentum albedinis nuncupant, & Medici argentum in ſuas mixtiones medicamentorum recipiunt. Albertus ad hæc in fine tertii libri de mineralibus dicit, nos certo ſcire, quod habentia ſymbolum in materia & viribus, & potentiis naturalibus, facilis eſt transmutatio adinvicem, & paulo inferius, Non lateat nos, inquit, quòd in omnibus quæ circulares ex ſe invicem habeant generationes, facilior eſt tranſitus eorum quæ in pluribus habeant convenientiam, propter hoc etiam ex argento facilius fit aurum quam ex metallo alio, non enim mutari oportet in ipſo niſi colorem & pondus, & hæc de facili fiunt, compacta enim ſubſtantia magis adhæret pro certo pondus diminuto aqueo, & aucto bono citrino ſulphure conſequenter variabitur color, hic autem modus eſt & in aliis.

GEBER. Pro certo tibi dico, ſi tota ſubſtantia aurea ſive argentea nobis præparanda eſſet, non autem reducendo eam ad materiam ſuam primam, hæc longe cæteris præſtare, ſed hoc modo parum eſſe utilia. Verum eſt ſecundum viam brevem ſupradictam ex argento, facilius aurum fieri poſſe quam ex alio quovis metallo. Propterea quia conſumata humiditate aquea per calcinationem ſubſtantia reducta, ſit magis fixa. Propterea dixi l. 2. c. 18. pondus accreſcere, & per minimam admixtionē noſtri ſulphuris boni & præparati in manifeſto albi, in occulto vero citrini & ruffi, pluribus diebus ſimul decocta tandē mutari in colorem tincturæ, quia colore in ſulphure occultatus per virtutem caloris manifeſtabitur, & hic modus eſt communis in omni metallo. Loquendo autem de præparatione Elixir ſecundum viam prolixiorem novem menſium, hoc eſt reducendo metalla ad eorum materiam primam, fieri non poteſt ut aurum ſive argentum ſint meliora cæteris metallis, nam in his non reſtat prima ſubſtantia nec primæ qualitates, exceptis intrinſecis pro omnibus ſunt communes. Verum eſt (ut jam diximus) unum ex cæteris metallis in ſua minera aliquam acquiſiſſe ſubſtantiam & proprietatē, quibus præparatum aptius & propinquius fiet noſtræ arti auro & argento, quemadmodum brevi intelliges. Reſpondendo vero tuis rationibus adductis, dico, etiamſi ſæpius philoſophi per Lunam intelligant, & Jovem & Venerem & Mercurium, nihilominus per Lunæ vocabulum

bulum etiam intelligi debere sal Saturni nomine significatum, quod in suo profundo ipsum aurum philosophorum est, ut supra diximus. Possumus autem per Lunam intelligere sulphur præparatũ album ut Luna, & hoc in profundo aurum & argentum est, & tinctura & fermentum albedinis & rubedinis super suo mercurio, argentum hoc indurat & figit nostrum Iovem, & convertit ipsum in naturam metallicam, & commiscetur nostro Soli, ut aperte ostendimus lib. 1. cap. 18. Etiam possumus per Lunam intelligere Elixir album, hoc enim est tinctura albedinis, & fermentum albedinis in multiplicatione, & in secreto aurum est, & facillime in aurum convertitur, quia continuando vel fortificando ignem, materia magis figitur & pondus accrescit, & tinctura ruffa sulphurea, quæ in profundo latet manifestatur. Si autem de Luna medicinam aliquam facere volueris pro humano corpore eodem modo fit quo superius de auro à nobis dictum est.

DEMO: Si supradictæ res omnino è metallis fieri debeant, tamen ex perfectis metallis fieri non possunt, necesse est ex imperfectis metallis ea facere, sed prius præparatis.

GEBER. Secundum opinionem & rationes Rogerii Bacconis, quas supra allegavimus de auro communi verba facientis nullum dubium est, nam hæc scientia tractat de corporibus imperfectis in quantum convenit ea facere perfecta, ut in prætatione libri investigationis ostendi, & Calisthenes summus in isthac scientia vir, dicit Alchimiam scientiam esse, quæ inferioribus metallis excellentiam & nobilitatem superiorum tribuat, & beatus Thomas in principio 4. lib. Metheo: dicit. Præcipuus Alchimistarum scopus est transmutare metalla (scilicet imperfecta (secundum veritatem & non sophisticè.

DEMO: Puto per percoctionem Elixir imperfecta metalla perfecta fieri.

GEBER. Hæc dico, si absq; corruptione rerum extranearum præparatum perfectum fieri Elixir, & hoc satis clare aperte demonstravi in proœmio libri Investigationis, & in cap. de præparatione aceti acerrimi, & adhuc lib. 1. cap. 8. dicendo quod in depuratione metalla imperfecta ingenio & industria per artificium reducantur in puram & nobiliorem substantiam brevi tempore, quod à natura non potest fieri; & in lib. Testamenti dixi, quòd omne metallum, intellige imperfectum, per calcinationem possit converti, non solum in sal, sed etiam in verum Solem & veram Lunam, neque tu poteris mihi hoc loco objicere, intellexisse me de metallis perfectis, quum hæc sint verus Sol & vera Luna, neque per projectionem, sed per calcinationem hoc fit, præterea diximus in lib. Investigationis, cap. de Vitriolo, quod ex corporibus imperfectis extrahantur diversa vitriola, quæ nobis necessaria sunt & utilia, diximus etiam diversa vitriola, quod in ista arte non solum alumina, sed etiam sulphuris varia genera dicantur vitriola, lib. 4. cap. 9. verba faciens de medicina, tingente Lunam in aurum, diximus fieri hanc, antecedente administratione nota & certa corporis imperfecti. Et si mea opera à me conscripta diligenter evolvisti, animadvertisti nimirum me in lib. de radicibus hanc sententiam protulisse, videlicet cum videremus corpora imperfecta nostra experientia & industria præparata & mundificata ab omni superflua corruptione, majorem claritatem & splendorem acquirere, quam corpora naturaliter perfecta, nos tandem ex ea cõsideratione pervenisse ad finem hujus operæ & scientiæ. In lib. speculi Alchimiæ scriptum est, si invenimus materiam in qua sit argentum vivum mundum, clarum, album aut ruffum congelatum in massam nondum perductum ad complementum tali modo, ut nostra industria & naturali ingenio ad intimam ipsius perfectamq; mundificationem, & completam puritatem pervenire possimus, taliter ut post complementum operæ mille vicibus fortius & perfectius sit aliis corporibus coctis simplici calore naturali, jam degustaturos nos delectabile hoc, supra quod omnis intentio philosophorum fundata est. Præterea dicit Albertus lib. 5. de mineralibus cap. 1. omnium metallorum proprium esse, ut appareant incompleta esse in specie, & ideo in quolibet convertibilia, medium vero proprie dictum habet informem naturam quam formatam distinctam extrema retinent, propter quod extrema per ingenium & naturam de mediis reducuntur, quando unitur unius extremi supra alterum, debemus autem mediorum naturam summe notare ad transmutationem metallorum, quia in eis consistit plurima scientia eorum, quæ unum in aliud convertere nituntur.

DEMO: Percipere nequeo quid hoc loco sibi velit Albertus, per media hæc extrema & virtute extremorum,

GEBER. Per media mineralia hoc loco intelligit Albertus metalla imperfecta, quoniam sunt jam invia ad perfectionem, non quòd ab ipsis per naturam reduci possit metallum aliquod perfectum, sed quod ab ipsis per artificium extrahi possint perfectissima extrema, hoc est Elixir album & ruffum, & quia virtus hæc extremorum in sulphuribus, & ipso argento vivo contineatur metallorum, tunc fiunt extrema, hoc est Elixir album & ruffum. Ob hanc causam diximus, l. 1. c. 16. quod metalla imperfecta absque commistione alicujus rei extremæ fieri perfecta.

DEMO: Si bene memini dixisti eodem loco prædicto: perfectum, hoc ipso magisterio perfectum fieri, & perfectum etiam imperfectum ad perfectionem perducere, & Deum testaris hæc simul alterari & perfecta fieri.

GEBER. Eo loco, per perfectum non intelligo neq; aurum neq; argentum commune, sed supradictos sulphures præparatos pro parte fixos, per imperfecta vero intelligo supradictum sal præparatum argenti vivi, nomine significatum & Jovem, & ex his unum ab alio ad perfectionem perducitur, quoniam sulphur inspissat, figit & tingit mercurium, Mercurius autem subtiliat & fusibile reddit, inserat & servat sulphur à combustione. Hoc autem modo unum ab altero alteratur, & hanc responsionem poteris habere ex lib. cap. 11. in medio capitis.

DEMO: Mea sententia, improbasti eo loco modum hunc.

GEBER. Improbavi quidem eo loco modum hunc, quantum ad literam puram & nudam, non intelligebam enim de communibus corporibus, sed de Philosophorum metallis, sed ut tandem totam summam brevi sermone comprehendam, concludo ipsum Elixir, quintam essentiam & aurum potabile fieri debere ex metallis imperfectis communibus, quoniam hæc artificio adjuvari, & ad perfectionem perduci possunt, & faciliter reducuntur ad ipsorum materiam primam, quum in se habeant causam corruptionis, quas causas enumeravimus nos lib. 3. cap. 6. & accidentia quoque materiæ primæ supervenientia, facile ab iis removentur & indigestæ partes possunt digeri.

DEMO: Dixisti supradictas res fieri debere ex uno metallo solo, quomodo igitur continentur in omni metallo perfecto?

GEBER

GEBER. Fatendum eſt ſupradictas res in omnibus metallis perfectis & imperfectis contineri, debemus autem inquirere & exquiſite cognitam habere naturam omnium metallorum communium, & ipſorum proprietatem diligenter examinare, quænam ipſorum ſint facilioris aut difficilioris præparationis, & quænam noſtræ arti aut propinquiora aut remotiora ſunt, & tandem quænam pura aut viciata ſunt in ipſorũ radice, ut ſatis aperte monui in fine l.1.

DEMO: Erit igitur omniuo plumbum accipiendum, ob hanc cauſam quod alibi dixiſti in ipſo contineri omnia philoſophorum metalla, & lib. 1. cap. 19. dixiſti, plumbum etiam ſi ad argentum minime accedere poſſit, tamen nihilominus per noſtrum artificium ex ipſo facile argentum fieri poſſe. Et adhuc in lib. Inveſtigationis verba faciens de plumbi aqua, dixiſti, hanc eſſe aquam argenti vivi & ſulphuris proportionaliter factam, qua utimur in compoſitione Elixir ruffi. Hermes vero dicit, quòd in Saturno naturæ conjunctæ ſint cum complemento, hoc eſt terram, aquam, aerem & ignem in ipſo contineri, & quòd hic clavis ſit & apertio hujus ſcientiæ. Raſis præterea dicit in plumbo Solem & Lunam contineri in potentia non viſibiliter, & quòd ipſorum tinctura ab eo non ſeparetur, & quòd ipſe Saturnus ſit Elixir album & rufum, & aqua quæ mercurium retinere & cohibere poſſit. Pythagoras dicit, omne ſecretum in plumbo eſſe. Hermes inſuper de Saturno loquens, dicit ſe præſtantiorem & rem magis poſſibilem non ſcire in operatione albi & ruffi. His cauſis plures moti ſunt ut quærerent ex plumbo argentum vivum extrahere.

GEBER. Jam ſæpius te monui, atq; prædixi Philoſophos ſic aperte loquentes, ſemper per æquivocationem & ſimilitudinem & allegorias loqui. Propterea dixi lib. 1. cap. 19. quoſdam certo affirmare, plumbum in ſua natura quàm proxime accedere auro, ita philoſophi plumbum laudantes, de plumbo philoſophorum locuti ſunt, in quo omnes res, de quibus ſupra facta eſt mentio, ſimul continentur.

DEMO: Dicam igitur nunc cum in plumbo non ſit Elixir, ex ſtanno tandem extrahendum eſſe, ea de cauſa quod dixeris lib. 4. cap. 18. te conſideraſſe per examen hujus magiſterii, Jovem maxime accedere ad ſummam perfectionem in opere ordinis majoris. Et lib. 1. cap. 22. dixiſti Jovem inter cætera corpora transformari, in magis ſplendidum lucidiuſq; atq; perfectius corpus Solare & Lunare, & adhuc lib. 3. cap. 9. dixiſti ſatis manifeſtum eſſe Jovem propius accedere ad perfectionem, propterea quod magis de perfectione participet. Item l.1.c.20. dixiſti Jovem perfectiorem eſſe multis reliquis corporibus imperfectis, propter ipſius affinitatem cum Sole & Luna, hoc affirmat etiam Raſis, qui dicit, ſtannum tincturam eſſe albam æris ſive cupri, & quòd ex ipſo fiat aqua acuta quæ Mercurium retinere & cohibere poſſit, & tu ipſe jubes in lib. Inveſtigationis, honorare aquam Jovis ea de cauſa, quòd hæc ſit illud ipſum quod quæratur ab omnibus ad albedinem.

GEBER. Satis argutè noviſti ex meis ſcriptis, ea quæ tuæ ſententiæ ſuffragari videntur excerpere, & in medium producere, ſed mea ſcripta longe aliam diligentiam in evolvendo, & intelligendo ſtudium requirunt.

DEMO: Res ipſa facile judicabit, quanto ſtudio, diligentia atq; ſedulitate, tuis ſcriptis hactenus inſudaverim, nam ſi cogites quàm proprie non ſolum ipſas ſententias, ſed etiam ſingula verba memoria teneam, cognoſces me haud oſcitanter in tuis ſcriptis verſatum. Dic igitur quidnam cauſæ ſit, cur minus quod tanto ſtudio aſſequuturum me ſperaveram, aſſecutus ſim.

GEBER. Quia parum animadverti ſti lib. 3. cap. 12. dixiſſe me, plumbum & ſtannum commune in ſua propria radice immunda eſſe, & in ipſorum prima creatione, habent enim ſubſtantiam immundam, tum ſulphuris tum argenti vivi. Cùm vero ſpurum cum impuro una ſubſtantia facta ſint, & eſſentia una, propterea poſſibile non eſt, ut aliqua induſtria per medicinam primi ordinis, hoc eſt per præparationem aliquam, removeatur terreſtreitas hæc ab ipſis argenti vivi adeo immundi atq; impuri. Quare jam olim plane deſperaveram, cum intelligerem hoc corpus non poſſe præparari, ut tandem perveniret ad complementum ſui ſplendoris lucidi. Verum ad me ipſum rediens cognovi corpora hæc munda eſſe in profundo ſuæ naturæ, propterea dixi lib. 3. cap. 7. ſi ſublimaveris, hoc eſt extraxeris argentum vivum ex plumbo ſive ex ſtanno communi, ea poſt ſublimationem apparere nigra, & adhuc lib. 4. cap. 8. dixi, in corporibus molliboribus nullo ingenio vel induſtria hoc artificio non removeri poſſe velocem illam fuſionem, neq; impuritatem, in radice principii ipſorum. Poſſumus etiam his ſubjungere ea, quæ lib. 2. cap. 2. monuimus. Videlicet quum ſulphur & arſenicum noſtrum non parum etiam naturaliter conjuncta ſint cum fecibus, neceſſe eſſe, ut in ſublimatione aſcendant ſurſumq; vehantur cum ſubſtantia non mundata. Cum igitur neq; plumbum neq; ſtannum habeant ſubſtantiam fixam, hoc eſt duram, terream & permanentem in igne vehementi, ſed aufugientem, neq; ſpiritus ab ipſis per ſublimationem extracti aſcendant abſq; ejusmodi immundiciis, quum non habeant terram fixam & permanentem in igne vehementi, quæ retinere poſſit ſecum partes illas immundas, ne inter ſublimandum aſcenderent cum ipſis ſpiritibus. Propterea dixi cap. ultimo, lib. 1. ea metalla quæ in ipſa radice participaverint de majore infectione lividitatis, plus laboris requirere & minoris eſſe perfectionis, hæc vero ſunt plumbum & ſtannum commune.

DEMO: Dixiſti tamen, ni fallor lib. 3. cap. 8. conſideraſſe te corruptiones in ſtanno, in ipſa radice ſibi non eſſe conjunctas ſed accidentales eſſe. Cum igitur in prima commiſtione ipſi non conjunctæ ſint, nimirum poterunt ab ipſo facile removeri & ſeparari. Dixiſti etiam cap. 10. Jovem quidem mundum eſſe, Saturnum vero immundum. Et lib. Inveſtigationis ſcribis, quòd omnia accidentia ſupervenientia facile removeri poſſunt, & ipſa corpora integre & ſufficienter præparari.

GEBER. Sanè ſi ea quæ ſupra longo ſermone proſequuti ſumus recte intellexiſſes, nequaquam hæc noſtræ reſponſioni objeciſſes. Cum enim dicerem, ſtannum quidem purum eſſe & tincturam albedinis æris ſive cupri, & ipſum proximum eſſe auro & argento, & ſatis propinque accedere ad perfectionem in ordine majori, hoc eſt in multiplicatione, mea intentio erat de metallis ſupradictis, dicens autem Saturnum immundum eſſe, vere dictum eſt de noſtro Saturno, ſed hæc ipſius immundicia ſibi non eſt in radice conjuncta, propterea ab eo facile removetur, quum vero dixi metalla perfecta in ipſorum radice munda eſſe, & quòd omnia accidentia ab ipſis facile removeantur, ne dictum putes de plumbo & ſtanno communi, ſed de aliis.

DEMO: Rogo, antequam longius hunc ſermonem

nem protrahas; prius apertius dicere velis, quid de ordinum numero sentire debeam, putavi enim hactenus, primum & secundum ordinem sophisticos & medicinas imperfectas esse.

GEBER. Suspicaris forte me tradidisse sophistications & medicinas imperfectas? Debebas certe jam dudum cognovisse nostrum arsenicum & cætera materialia, quibus utimur non esse illa vulgaria omnibus nota. Præterea exhortati sumus lib. 1. cap. 5. hujus artis artifices, ut fugerent opera sophistica. Dico autem medicinas primi ordinis imperfectas esse, ea de causa, quòd sulphur sit medicina argenti vivi, quod Iovem, Saturnum & Lunam vocavimus. Argentum vivum autem medicinam esse sulphuris, quod Solem, Venerem & Martem appellavimus, & hæc in primo ordine, hoc est in prima præparatione per quam mundificantur ab accidentibus supervenientibus, & in secundo ordine, hoc est in secunda præparatione, hoc est decoctione & fixione, per quam mundificantur ab unctuositate adustiva intrinseca, imperfecta sunt, donec perfecte mundificentur & figantur. Quemadmodū vero solus homo cum perpetuo vivere non possit, necesse fuit ut sociaretur mulieri, ut per conjunctionem hanc crescceret & multiplicaretur genus humanum, pari modo etiam nostrum Elixir, quum per plures & sæpius iteratas projectiones brevi absumeretur & finiretur, multumq; laboris & magnum temporis dispendium requirat, ipsius præparationem toties à primo principio repetere necessarium fuit, ut abbreviaretur & præparatio & fixio, commiscere partem aliquam Elixir fixi cum muliere, hoc est cum nostro argento vivo quod Iovem vocamus, neq; fixum neq; è terra factum, quemadmodum sulphur. Cum vero hæc convenientiam quandam habent in sua natura, eò facilius uniuntur, & brevi tempore multiplicantur in virtute & quantitate. Propterea dicebam, supra Iovem magnum habere affinitatem cum Sole & Luna, & quamproxime accedere ipsum ad perfectionem & quasi perfectum esse, & quod transformatur in magis fulgidum atque plus perfectum corpus Lunare & Solare. Dixi etiam in proœmio lib. 2. considerationem rei quæ ultime causat perfectionem Elixir in multiplicatione, considerationem esse coctionis substantiæ puræ argenti vivi. Est etiam Elixir medicina, originem habens ex substantia pura argenti vivi Philosophorum, id vero quod jam medicina factum est, argentum vivum esse desiit, & naturam ipsius reliquit, quia transmutatum est & fixum, tamen non totum ex argento vivo natum est, sed etiam partim ex sulphure, quamvis & hoc fuerit ex parte argenti vivi, quod transmutatum suam naturam reliquit, hoc est cum pars quædam ipsius jam facta sit lapis philosophorum. In lib. de Vaporibus scriptum legimus, Alchimiæ artifices uti Borrace in multiplicatione sui metalli, per Borracem intelligendum sal præparatum, quod mercurii nomine designari diximus & Iovis. Si autem adhuc dubitaveris num hæc de primo, secundo & tertio vera mens & opinio mea sit, age lege recapitulationem summæ, & considera diligenter ea quæ ibi diximus de sublimatione primi gradus per quam lapis noster mundatur & purificatur ab impuritate corrumpente, & redditur purus & volatilis. Postea figitur & hoc appellamus gradum secundum præparationis. Tertius vero gradus administrationis lapidis est, ut fixum faciamus volatilem, & hæc est multiplicatio. Ecce igitur primum gradum esse præparationis, secundum fixionis, tertium autem multiplicationis. Et quemadmodum Elixir nostrum quod sit aureum & argenteum, paucis diebus figit & transmutat mercurium nostrum, sic quoquè sulphur nostrum totum cum in parte fixum sit, & naturam & splendorem habeat metallicam, propterea etiam brevi tempore figit nostrum mercurium sive argentum vivum, volatile verò absquè fixo nunquam poterit figi in metallo. Extrahuntur vero supradictum argentum vivum, & Jupiter ex fecibus combustis sălis per lotionem. Rasis in lib. Luminis luminum dicit, feces cum dealbantur magnesiam appellamus, & stagnum & spumam Jovis. Præterea dicit Philosophus Mireris, capiendas esse cineres, de quibus philosophi locuti sunt dicentes, ne vilipendas cineres existentes in loco inferiori vasis, quia in ipsis situm est diadema cordis. Idem dicit in fecibus esse hoc quod quæris. Hermes itaq; loquendo de distillatione Saturni dicit. Cape ipsum & exalta cum in tabernaculo, eousq; donec totus in vaporem consumatur, & plus nihil ascendat, & aquam sublimatam conserva ad tempus opportunum. Postea accipe feces remanentes in fundo Boccie sive vasis, & serva diligenter: nam ipsæ sunt corona cordis. Scriptum est in libro Turbæ philosophorum. Jubeo ut aduratis corpus & in cineres convertatis, hoc enim corpus adustum Phœnix est, qui ardet in igne & comburendo renovatur, nam corpus hoc adurendo ex cinere extrahitur, Iupiter qui cōjunctus cum una parte Elixir semper multiplicatur & augmentatur. Dicit autem Hermes, cum videbis corpus conversum in cineres, perfecte gubernasti illud. Rasis itidem in libro Luminis Luminū, dicit aduri non posse, nam post extractionem olei remanere terram. Idem affirmavimus & nos lib. Investigationis verba facientes de præparatione atramenti nigri. Et lib. 2. cap. 3. dicendo, possibile est à salibus separari feces per solutionem salium, quæ res alii nulli convenit. Idem confirmavi adhuc in enarratione trium causarum descensionis libro jam citato cap. 11. Pro declaratione vero causæ secundæ scire debes per corpora debilia intellexisse me aquam & oleum quæ in distillatione conservantur à combustione, per descensionem in vas recipientis post reductionem in corpus ex calce, hoc est ex salibus eorum, quoniam distillando non possumus uno sive eodem tempore partes omnes simul distillare, quia ea pars quæ prior reducta fuerit in capitellum vasis, non expectat jam sequentem, si vero capitellum fortiorem ignem recipiat major pars perditur, propterea necesse fuit ingenio & industria, id quod jam ascenditin capitellum per rostrum capitelli educere & auferri; & in vas recipientis paulatim colligere, ubi refrigerium caloris inveniet. Diximus adhuc capit. 6. prædicti libri sæpius caput Aludelis adintratur, ne ex nimia multiplicatione in fundum recidant, & in libro Investigationis, capite de præparatione Jovis dixi, descendit corpus purum & mundum, remanens cum vitro & salibus sive aluminibus, tota substantia terrea, hæc sententia potest capi duplici sensu, quemadmodum nostra corpora duplicia sunt, hoc est sulphur & arsenicum. Nam si per corpus ipsum sulphur intelligere velimus, dico in lotione & præparatione ipsius primo ascenturam pelliculam illam, post hanc vero purum & mundum ab ipsa unctuositate adustiva, hæc aut fundi debet donec liquefiant, sicut diximus in libro de praxi. Iam vero cum sale aut

potius alumine, Saturni nomine designato & cum vitro, hoc est cum sulphure quod in eo sale occultatum est, remanet omnis substantia terrea ipsius salis. Sin autem per corpus arsenicum intelligamus, hoc est istud sulphur subtile quod in ipso sale occultum est, dico quod per distillationem descendat in recipientem, & post istud cum vitro, hoc est in Boccia, & cum salibus aut aluminibus remanebit omnis substantia terrea in fundo vasis, & istud sal præparatum vocatur Iupiter. Revertendo vero ad sermonem nostrum de metallis imperfectis, dico ex supra scriptis rationibus tandem concludi Venerem & Martem communem, quamvis magnam habeant terreitreitatem & sulphuritatem accidentalem, quæ facile removeatur, nihilominus in radicibus suis munda esse, & sulphur & argentum vivum ipsorum purum & mundum distillari posse sive sublimari, quum habeant partes fixas & connaturales sibi conjunctas, ut diximus lib. 2. cap. 2. Propterea diximus adhuc lib. 4. cap. 3. dealbationem substantiæ Veneris & Martis puram esse, & similiter rubificationem Lunæ.

DEMO: Hæc non videntur mihi in hanc sententiam prolata.

GEBER. Possunt duplici modo intelligi, uno modo si intelligamus hæc de metallis communibus, dico dealbationem, hoc est argentum vivum quod medicina alba est sui sulphuris, per rubificationem vero sulphur est intelligendum Veneris & Martis quod tinctura est rubedinis ipsius argenti vivi, quod Lunam vocamus & hæc pura sunt in sua radice. Si autem per Venerem & Martem intelligamus supradicta sulphura extracta ab uno ex ipsis, dico post putrefactionem fieri munda, propter unctuositatem adustivam, & quamvis rusta sint, non acquirunt tamen eam rubedinem cum medicina primi ordinis, hoc est, per primam præparationem cum apparitione splendoris cum immunda sint & minime apta, ut recipiant fulgorem rubedinis. Et quia vero per lotionem removeatur prima hæc rubedo adustiva, & sub hac rubedine immunda lateat albedo pura, ipsorum dealbatio pura est, mutata vero ab hac prima natura, & per longam decoctionem fixa sunt, rubificatio pura Lunæ, hoc est Elixir albi sive argenti vivi sui.

DEMO: Concedo hæc duo metalla munda esse in radice, quum vero hoc opus fieri debeat ex unico metallo solo, ut sæpius jam dictum est, nimirum fieri debebit ex ære sive cupro, habet enim hoc plus substantiæ argenti vivi & minus terreitreitatis, & sulphureitatis adustibilis, idem affirmante te ipso lib. 1. cap. 21. in quo loco dicis Venerem in profundo suæ substantiæ colorem & essentiam auri ostendere, malleabile enim est & ignitur ut argentum & aurum quare ab eo accipiendum secretum hoc, cum medium quoddam sit inter Solem & Lunam, & facile convertatur ab una tinctura in alteram, & sit bonæ conversionis & laboris pauci, accipiendum igitur hoc pre cæteris corporibus imperfectis omnibus in opere minori & medio, minus vero in majori, & cap. 17. dicis adhuc lib. eodem, te ex naturæ operatione cognovisse æs sive cuprum in aurum transmutari posse, cum in mineris cupri sive ærifodinis videamus fluentem aquam squamulas subtilissimi æris secum ducere, quæ ex continuo aquæ decursu lavantur & mundantur, cessante vero fluxu aquæ vidisse te squamulas illas cum arena sicca post trienninm Solis calore ita decoctas esse, ut inter ipsas inveniatur aurum verissimum, imitantes vero naturam cum possumus, idem & nos alterabimus.

GEBER. Hic sane scrupus est, in quem etiam isti qui se in his artibus multum sapere putabant graviter impegerunt, nec parum offensi sunt, neque meministi tu dixisse me sulphur illud subtile nostrum esse æs sive cuprum, quod in manifesto colorem ruffum præ se fert, in occulto ajunt nigrum & album, postea vero ruffum, malleabile & igniferum, hoc est funditur & solvitur ignitione ut aurum & argentum, quemadmodum ea quæ ex sulphure & argento vivo composita sunt, hoc accipe igitur quia unum est ex tribus secretis, aut potius accipe secretum, hoc est colorem aureum & argenteum occultum, quia tinctura facilis & extrinseca, neque utilis est neque permanens, & quum inter medium sit inter Solem & Lunam, hoc est sulphur & argentum vivum, facile convertitur ex una in alteram tincturam, hoc est, facile recipiet colorem citrinum, hæc autem tinctura facilis utilis non est. Accipe aurem hoc supra omnia imperfecta corpora, hoc est præferas hoc sulphuri Martis nomine designato, quia aurum dicitur, in opere minori & mediano, hoc est in præparatione, quia facile præparatur, & in mediano opere intellige fixionem, cum sit magis subtile & purum propterea facilius & magis perfecte transmutatur & melius figitur. In opere vero majori, hoc est in multiplicatione non accipias ipsum, quia solus Iupiter hic accipiendus erit. In alteram vero sententiam quod æs sive cuprum convertitur in aurum, purum recte judicas, si tibi persuades hoc à natura sic fieri posse, nam impurum cum puro aliquantum permixtum, quamvis tamen impurum accidentale sit, non poterit tamen ablui ea lotione superfluitas, nisi & purum quoq; ea ablutione simul cum impuro abstergatur. Quare dico mineram nostri æris esse istud sal supradictum, Saturni nomine significatum, ex quo per distillationem extrahatur aqua secum ducens nostrum æs subtilissimum, quod Boccia inditum cum cæteris spiritibus, per continuum cursum vaporum & humiditatem ipsius argenti vivi quæ ascendit 40. diebus (ut aqua diluvij) & descendit per collum vasis sive boccia, & lavatur sic & mundatur à nigredine, cessante vero humiditate & jam facto albo Elixir boccia impositum cineribus sive arena in capello obrutum igne temperato, spacio trium mensium, fit Elixir rubeum sive aureum. Concludendo itaq; dico, si tota substantia nobis esset præparanda aurum primas tenere partes, proxime argentum & tertio æs sive cuprum. Cum vero nos tantummodo quæramus spiritus radicales & sulphur, totum hæc uno in ferro virtuosiora sint & propinquiora nostræ arti, & multo facilius mundificari possint præ cæteris omnibus, sine dubio illud nobis erit accipiendum, & reliquis omnibus præferendum.

DEMO: Nec hoc quidem mihi in mentem veniisset unquam, ita planè persuasum habebam contrarium, quum Philosophi dicant, hoc quam longissime distare à veritate & arte nostra, cum sit immundius & vilius cæteris omnibus metallis, quum plus sulphuritatis habeat & terreitreitatis, argenti vivi vero minus quam reliqua metalla. Præterea tu ipse dixisti lib. 3. cap. 9. corpora imperfecta, quæ majorem quantitatem argenti vivi habuerint, magis esse propinqua perfectioni, & ad illam propius accedere, illud idem confirmasti cap. 7. & specialiter loquendo de Marte lib. 1. cap. ultimo dixisti, in transformatione sive transmutatione difficilioris esse

tractatio-

tractationis sive præparationis & laboris longioris; propter impotentiam sui fusionis. Subinde dixisti in lib. Testamenti, Martem requirere longissimum laborem propter ipsius siccitatem.

GEBER. Clare & aperte loquens de Marte, subintellexi supradictum sulphur, quod Martis nomine hactenus appellare soliti sumus, hoc quum habeat paucam quantitatem argenti vivi & magis terrestre sit & sine fusione, hoc est solutione, cum naturam salis non habeat; propterea ante præparationem imperfectius est cæteris metallis, & ipsius præparatio longissima est, propter multam unctuositatem & terrestreitatem & duram solutionem.

DEMO: In tuis scriptis admonuisti nos plurimis in locis, ne acciperemus lapidem illum quem tu manifestasti in multis capitibus. Ergo si jam dicis hanc perram esse Martem communem, aut potius calcem ipsius, & per Martem intelligas ipsius sulphur, & jubes illum accipiendum. Si itaque Martem communem accepero, errabo, quòd si sulphur accipiam itidem errabo, si secretum hoc lateat in Marte communi. Dic mihi tum rogo, describesne praxin hujus artis?

GEBER. Maximè.

DEMO. Erit itaq; necesse de præparatione loqui ferri communis, si in ipso latet secretum.

GEBER. De ipsa quidem loquor, sed occulte, scilicet in cap. generalibus, differens de præparatione omnium metallorum Marchasitæ, salis, sulphuris, arsenici, argenti vivi & similium.

DEMO: Quonam modo manifestasti secretum hoc in diversis capitulis?

GEBER. Dixi multis in locis majus secretum in Marte inquirendum esse, hoc data opera faciebam, ne malignus aliquis me reprehendere posset, & insufficientiæ accusare, & id quidem verum est certo quodam loquendi modo me tradidisse. Hæc ut aliud ignorantes intelligerent quàm ego sentiebam, & sermonem meum in alium sensum prolatum, crederent nostris verbis nimium inhærentes. Sapientes autem & prudentes qui morem nostrum loquendi cognoscunt, hæc facile percipiunt, isto more loquendo, Virgilius poeta etiam usus est, cum diceret, ferro ramum aureum non detruncari posse, nisi indicantibus.

DEMO. Age igitur quam mihi hoc secretum manifestaveris, ostende mihi, cum hæc conclusio sit eorum omnium, quæ longo isto sermone à te mihi tradita sunt.

GEBER. Dixi lib. 1. cap. 15. argentum vivum singulis metallis facile adhærere. Marti vero nullo modo, nisi per artificium, ex his verbis excute summum secretum, scilicet à Marte. Præterea dixi lib. 3. cap. 9. Iovem propius accedere ad perfectionem, Saturnum minus, & Venerem adhuc minus, Martem vero omnium minime, in quo omnis perfectio sita est, & ab eo dependet ipsius Elixir [quamvis in quibusdam exemplaribus nostris hic textus corruptus legatur] eodem lib. 1. cap. 17. dixi Martem ultimum esse, & hoc secretum est naturæ maximum. Adhæc dixi l. 3. c. 9. causam impedimenti cujuslibet fusionis esse sulphur fixum, ex his verbis certissime indagare poteris maximum secretum, per istud sulphur fixum hoc loco ferrum commune intelligo, propterea quod major pars ipsius sulphur fixum sit & terreum, ut lib. 3. cap. 6. diximus, fit enim denominatio ex prædominante, lib. 4. cap. 14. de Marte differens dixi, per hunc certissime extendi artificis industriam ad veram rectificationem cujuslibet corporis, per hunc, hoc est per ferrum commune, aut si libet, per Martem intelligere sulphur idem est, utraq; parte veritas percipietur per viam brevem, extrahitur tamen à ferro communi quoq;; Propterea concludendo, lib. 3. cap. 6. de essentia Martis loquens exclamavi, Deo Opt. Max. gratias ingentes referens, quæ hunc creaverit & ipsi substantiam & substantiæ proprietatem dederit, quæ non conveniret possideri ab ulla re naturali, ut in ipsa reperiri possit talis perfectio per artificium, quia in hoc inveniisse nos potentiam propinquam, quia in sua calce ignem superat nec superatur ab illo, sed mirabiliter requiescit in eo, ex ipso se reficiens.

DEMO: Quænam perfectio & potentia propinquior & major in illo est quam in cæteris metallis?

GEBER. In eo continetur supradictum sulphur fixum, dicitur autem quod ferrum in igne reficitur viribus, quod in igne semper pulchrius, nitidius & melius efficitur. Dicit itaq; Arnoldus in Rosario manifestum esse, ea corpora esse perfectiora quæ plus in se mercurij contineant, quæ verò minus, minoris quoq; perfectionis esse. Sit igitur laudatus & benedictus omnium rerum opifex DEUS gloriosus & benedictus optimus & maximus rerum omnium causa qui in re vili rem preciosissimam creavit.

DEMO: Non assequor quonammodo ex tam vili metallo preciosissimum Elixir creari possit, ex precioso enim aliquid magis precioso procreari verisimilius est.

GEBER. Quantumcunq; ferrum commune in seipso vilius sit cæteris metallis omnibus, nihilominus ab ipso separata immunditia cæteris multo precioſius evadit, quia potentiam habet propinquam convertendi se in Elixir. Quare Rudigenus philosophus dicit, sciendum est omne metallum in occulto continere Solem & mercurium, & nos extraximus argentum vivum ex ferro, & ab ipso postea facta est Alchimia, & ex ipsius colore operati sumus opus bonum in termino ignis. Idem philosophus dicit ad hæc. Dicimus petram majorem esse mercurium, & hic est illud ipsum quod extractum est ex illo lapide quem ostendemus. Exponamus igitur quidnam sit ille lapis, & modum extrahendi ipsum ex argento vivo ab eo. Reperitur in omni loco omnibus obvius, & omnis homo eo utitur, & est ipsi nomen Martis. Accipito igitur hunc, & tere eum subtilissime, & lava ipsum. Raymundus dicit absq; ferro homines suam vitam sustentare non posse. Senior autem Philosophus de ferro verba faciens dicit. Ego ferrum, durum, forte compactum, contusum, omne bonum per me est, & ipsa lux & secretum per me generatum. Dicunt præterea Avicebon. & Rasis corpus ferri cæteris corporibus fortius esse, & lapis ex ipso, & hunc elegerunt sapientes.

DEMO: Hanc sententiam parumper finito, & si quas certas rationes habueris illas adducito, facilius enim in tuam sententiam protrahar certis rationibus quàm longis verborum ambagibus.

GEBER. Scias me absq; certis rationibus minimè locutum, in lib. enim Testamenti dixi. Martem quum habeat substantiam fixam inter cætera meliorem esse, & quamvis Martis nomine etiam sulphur possit intelligi, respectu aliorum metallorum intrinsecorum, nihilominus potest etiam his verbis intelligi ferrum commune melius esse cæteris metallis propter suam substantiam fixam, hoc est quum plus habeat sulphuris fixi quàm cætera metalla.

DEMO: Credebam ego auri sulphur magis esse fixum.

GEBER. Verum dicis, sed constat majori precio, nec tamen utilis est labor super ipso, neq; meliorari

potest, quoniam ad summam perfectionem jam pervenit, sulphur autem ferri jam in via est ad ultimam perfectionem & tincturam, & cum magisterio nostro adjuvari potest, ut tandem ad perfectam rubedinem perveniat, & ipsius copia nobis facile suppeditat, & citra precii magnum dispendium. Per substantiam fixam intelligo adhuc terream, quia lib. 3. cap. 6. à nobis dictum est. Si sulphur fixum terreum commixtum fuerit cum argento vivo terreo, ex illa commixtione fieri optimum ferrum commune.

DEMO: Ingenii mei captum excedit, nec facile adducar ut credam aut persuaderi possim, propterea quòd magis terreum sit ipsum, cæteris longe præstare, jam olim apud me constitueram, & adhuc in ea sum sententia, medicinam nostram fieri debere ex materia puriori, & ab omni terrestreitate separata.

GEBER: Non dico terrestreitatem ferri in isto opere bonum esse, sed potius spiritus ipsi innatos & inferri terrestreitate enutritos meliores & virtuosiores esse, quàm spiritus nutriri in pauca terra & aliis elementis cæterorum metallorum, & probatum est hoc à Raymundo lib. de secretis naturæ, differendo de ferro sub nomine elementi terrestris, dicit enim terram per virtutem radiorum tres partes principaliores, hoc est animalem vegetabilem & mineralem, & quòd producat res adeo terribiles, quæ enarrari non possint, quod cæteris elementis minimè accidat, quantum verò res aliqua plus descendat ad elementum terrestre, tantò plus in eo crescere virtutem cœlestem. Propterea aquam & spiritum elemento terrestri immersa, per similitudinem in materia naturali imitari & protrahere proprietatem & virtutem ex materia loci. Quia verò ferrum plurimum participat de terra præ cæteris metallis, ideo aquæ & spiritus ipsius virtuosiores erunt, quàm spiritus aliorum metallorum, quemadmodum verò granum frumenti in terram cadens fructum non fert, nisi moriatur, pari modo spiritus & vivum semen auri in terram cadens ferri, nisi moriatur per putrefactionem & decoctionem fructum non producit. Potest & alia ratio adduci, quare ferrum melius & præstantius sit in isto opere, etiam si habeat multum terrestreitatis, quoniam hæc melius & facilius separatur à ferro, quàm in cæteris metallis, cum non sint adeo fortiter commixtæ, & nullam habeant affinitatem cum parte radicali, & hoc confirmat Albertus lib. 4. Meteo: cap. tractatus 4. dicendo, ferrum plurimum habet terræ, & mirabile est in sua terrestreitate, & quamvis nulla res adeo facile ab igne lædatur ut aqua, tamen in ferro contrarium evenit, nam multo citius terra igne aduritur, quàm ipsa substantia aquea, est verò hujus rei causa talis, quia terreum in compositione ferri immixtum lutulentum est, non bene depuratum nec bene commixtum, ejus rei certissimum nobis indicium est, quòd facile ferrugine obducatur, & cum in igne aduritur ab eo cadunt multæ squamulæ terrestreitatis adustæ. Est enim ipsius terrestreitas porosa, & potest ipsum igni ex omni parte adurere, quemadmodum & nos fusius confirmavimus lib. 3. c. 6. Hanc rationem quoq; indicavimus l. 4. c. 14. de calcinatione differentes sub nomine cineritii his verbis. Ea corpora imperfecta quæ plus terrestreitatis, minus perferre, & durare possunt in isto examine calcinationis & separationis terræ, quia citius calcinantur, & ipsorum terrestreitas facilè separatur. Ea verò metalla quæ minus terrestreitatis habent, cum sint multò melius commixta & depurata durant, propterea melius in igne & examine separationis terræ eorum. Ratio confirmatur adhuc per ea quæ diximus lib. 2. cap. 7. loquendo de sublimatione mercurii, nam tibi diximus: ingenium sive industriam separationis terreæ superfluitatis ab ipso mercurio, commixtionem esse cum iis rebus, cum quibus nullam habeat affinitatem, & sæpius reiterando sublimationem ipsius supra feces. His verbis volebam indicare Mercurium ferri, qui sal albus est naturaliter conjunctus, cum aliqua terrestreitate alba similitudinem habens quandam cum candore Gypsi, aut ovorum calce & marmore albo, & similibus, cum verò terrestreitas hæc non bene commixta sit, neq; affinitatem habeat aut convenientiam ullam cum illo mercurio, ideo facilè separantur etiam in calcinatione & lotione sulphuris, quamvis dixerim sublimationem sæpius esse repetendam. Concludendo igitur dixi sublimationem mercurii meliorem esse, ab istis metallis, cum quibus nullo modo convenit, quàm cum istis, cum quibus conveniat. Certo autem scimus quòd omnium minimè conveniat cum Marte, & cum sua terrestreitate, quàm cum alio metallo quocunq; ergo melius est ab eo extrahere ipsum, quàm à cæteris. Hac ratione sequitur spiritus sublimatos à ferro mundiores esse à sua terrestreitate, quàm si à quocunq; alio metallo fuissent sublimati, & hoc confirmatur per ea quæ 2. lib. cap. 2. diximus, scilicet feces ferri sunt fixæ, hoc est terreæ, quæ in sublimatione nequeunt ascendere, & retinent penes se immundicie, & sordes spirituum in fundo vasis sivè Bocciæ, ne cum spiritibus sursum ferantur, ibidem supra de hac terra mercurii amplius locuti sumus,

DEMO: Nisi me fallat animus, est contradictio quædam in lib. jam citato, cap. de sublimatione mercurii in his verbis, nam scribis in hanc sententiam. Cum videris argentum vivum albissimum, ut nivem & quasi mortuum adhærere lateribus Aludelis, tunc reiterabis super ipsum sublimationem ejus absq; fecibus. Dixisti præterea lib. 2. cap. 32. de fecibus loquendo, à quibus sublimare debemus spiritus istos, quòd debemus eligere materiam talem, cum qua conveniant spiritus, qui sublimari debent, & cum quibus magis profundè uniantur, & quam maximè eodem loco certas rationes adducis. Hæc mihi videntur longe diversa & multum contraria, quum supra dixeris Mercurium sublimari debere à fecibus, cum quibus nullo modo conveniat, neq; ullam cum ipso illi habeant affinitatem, aut rursum eum sublimari jubes absque; fecibus, & iterum dicis, spiritus debere sublimari à materia & fecibus, cum quibus non bene conveniat illi, & magis profundè quàm maxime invicem uniantur.

GEBER. Dicerent fortasse aliqui primam & secundam sublimationem non eandem esse, & quod prima vice debeant sublimari cum fecibus, postea absq; fecibus, est tamen una & eadem distillatio, propterea volui indicare quod debeamus distillare nostrum mercurium absq; fecibus extraneis, cum in se ipso feces habeat sufficientes & superfluas quidem, scilicet supra dictam terrestreitatem. Quum igitur dico nos debere eligere feces cum quibus spiritus bene conveniant, volui admonere quod nullas feces extraneas debeamus accipere, sed spiritus sublimandos esse cum fecibus sibi naturaliter unitis, in profundo quidem & quàm maximè quales sunt feces Mercurij, Martis Vas hujus distillationis debet esse tabula plana, aut potius parvæ concavitatis, ut dixi l. 2. c. 11. hoc est Boccia contra bocciam, sive storta quam nostrates retortum in retorto vocant, ex quibus possit facile descendere, nam argentum vivum nostrum cito & quàm facillime ab igne aufugit à superficie plana, ut dixi l. 1. c. 15. Habet & ferrum aliam proprietatem super reliqua metalla, qua ipsius spiri-

tus

tus mercurialis, hoc est sal præparatum rectius servabit spiritus sulphureos præparatos à combustione, quam Mercurius reliquorum metallorum. lib. 2. cap. 15. dixi hanc salis esse proprietatem in igne non aduri ante fusionem, & servare spiritus sulphureos commistos ab adustione ignis. Quare spiritus mercurialis qui post æqualem præparationem plus servabit naturam salis sui corpoream, melius defendet spiritus sulphureos à combustione quàm facturi sunt spiritus mercuriales in aqua soluti, nam quanto fuerint subtiliores & magis soluti, tanto magis appropinquabunt naturæ ignis, & eo citius comburentur, ut diximus lib. 32. cap. 2. Certum est tamen si omnes spiritus mercuriales metallorum possent æqualiter præparari, spiritum Martis plus servaturum naturam bonam corpoream, quamobrem etiam multò minus aduretur & melius servabit sulphur à vitrificatione, hoc est à combustione. Nam ut lib. 3. cap. 7. dixi; Res subtilis in natura propria reducta in substantiam terream, scilicet per calcinationem magis subtiliatur, & in sal reducta citius solvitur. Cum verò omnia metalla in sua natura subtiliora sint quàm ferrum, igitur æqualiter præparata magis subtiliantur, & in ipsorum distillatione quasi tota ipsorum substantia solvitur, quare citius quoq; aduritur. Hoc autem diligenter considerandum est, ne hic committatur error, melius est etiam in multis Vasculis distillare ipsum, ut tanto minus sentiat ignem, cum una & magna distillatio magnum & fortem ignem requirit, ut totum oleum exprimat. Lib. 4. cap. 15. de sulphure loquendo sub Martis nomine dixi, quando Mars unitur corporibus multæ humiditatis ipsum imbibere ea propter suam nimiam siccitatem & humoris privationem, & sic ipsis conjunctus non inflammatur cum illis, nec aduritur, nisi & ipsa corpora sibi commixta inflammabilia & combustibilia sint. Isidorus dicit, Stannum reliqua metalla ab igne defendere, & quamvis cuprum & ferrum fortissimæ naturæ sint, tamen si absq; stanno fuerint tandem aduri, per stannum æs & ferrum nostra intrinseca significat. Diximus & nos lib. 3. cap. 2. ex mercurio duas perfectiones inquirendas esse, unam quæ non possit aduri, quæ defendat à violentia ignis, alteram vero quæ non aufugiat & fixa reddat, & hoc est sulphur quod arsenicum vocamus. Vincentius Monachus lib. 7. cap. 90. dicit, quòd sal istud quod limaturæ corporis commiscetur, in igne ipsum defendat ne aduratur. Per limaturam corporis intelligimus sulphur præparatum, simile tenuissimæ limaturæ argenti. Albertus quoq; aliam adducit rationem quæ ferro communi convenit, & suo sulphuri Martis nomine appellato lib. 4. de mineralibus, cap. 1. Hoc modo observandum est hoc, (inquit) quod fumus ejus indicat terrestrem substantiam quæ est in ipso, valde ignibilem & cremabilem, & fœtor ejus indicat ipsam esse valde indigestam & non terminatam, sed potius calore corrumpente esse corporis indigesti quàm per digestionem completam, & hæc in complexione sua facit, quod possit esse corpus sive materia universalis omnium metallorum. Si esset completum ad complexionem unam determinatam, tunc proculdubio non esset convertibile ad alia, nisi prius illa tolleretur, sed nunc propter suam complexionem convertibile est in omnia, sicut semina & alia ex quibus generantur res naturæ, & ideo sagax natura abundat in sulphure, ubicunq; est locus generationis metallorum. Quum igitur ferrum quoq; sulphure abundet, propterea & ipsum locus proprius est metallorum philosophorum. His rationibus nimirum deprehendes ferrum magis esse propinquum nostræ arti, quàm aurum, nam ipsum magis est digestum & indeterminatum, aurum vero cum digestum sit & determinatum, non sine multo & gravi labore ab eo removebitur complexio ea determinata, ut reddatur incompletum & indeterminatum, nam aliter non poterit converti in aliud quippiam, & hæc est præcipua ratio, quare non fiat transmutatio in metallis, nisi reducantur in eorum materiam primam. Idem probat Albertus alio modo aliisve rationibus lib. 5. de mineralibus c. 1. aperte demonstrans, ipsum ferrum proprium esse minerale, cum omnia hæc lapidis propria sit proprietatis igni non liquefieri, metallorum vero proprietas est à calido & sicco dissolvi & liquefieri, nam ob hanc causam lapides dicuntur ex genere siccorum & terreorum, metalla vero ex genere humidorum. Cum vero hæ proprietates ambæ conveniant ferro, ipsum verum esse medium minerale non dubitabimus affirmare, nam ipsum participat terreitate multa & substantia lapidosa quæ ipsum impediunt, ne fundatur ut cætera metalla. Fuit etiam à philosophis lapidis nomine nuncupatum propter ipsius excellentiam. Sed cum in forti igne quoq; liquefiat, ut Albertus affirmat lib. 4. Meteo: tract. 4. cap. 5. & pondus habeat & splendorem metalli, propterea participat in natura metallica.

DEMO: Albertus cap. sequenti hanc proprietatem Marchasitæ attribuit.

GEBER. Philosophi propter convenientiam in materia & nomine de Marte & ipsius calce locuti sunt sub nomine Marchasitæ. Dicit vero Isidorus lib. 15. Argentum vivum specialiter inveniri in metallis & tantæ virtutis esse, uti si ipsi imposueris lapidem centum librarum pondo, subito tanto ponderi ipsum resistere, si vero unicum auri scrupulum iniicias, subito ipsum recipere aurum in sinum suum.

DEMO: Non capio quomodo sit possibile argentum vivum tanto ponderi posse resistere, impositi lapidis.

GEBER. Advertis ne Isidorum hac parte locutum de argento vivo quod in ipso ferro est, hoc enim magnam substantiam terreitreitaris sive lapidis substinet, si autem hunc Mercurium distillaveris, in ipso distillato subme gitur suum sulphur aurum dictum, ut dixi lib. 1. cap. 15. Multis laudibus extulerunt veteres ferrum, sed inter reliqua quæ huic laudi tribuunt, præcipuum est ferrum, propriam mineram esse argenti vivi, cujus rei ratio hæc est, cum secundum mentem Rasis in lib. de divinitate, manifestum occulto semper contrarium est: manifestum autem ferri calidum est & siccum, durumq; igitur ratione Rasis jam dicta suum occultum frigidum & humidum & molle, hoc est argentum vivum, propterea dicit idem Rasis loco jam citato, occultum ferri argentum vivum esse, & subinde dicit in libro Luminis Luminum, Martem exterius caliditatem & siccitatem habere, interius vero frigiditatem & humorem, intra se vero argentum vivum quoq; habere per propriam naturam, & hoc purum quidem & per administrationem extractum tandem converti in speciem puri auri.

DEMO: Si bene memini, dixisti Prius quòd hæc duo sulphura Veneris & Martis nomine designata in suo manifesto dependeant à rubedine, hoc pro certo indicio ponebas ipsa & sicca esse manifesto: Ergo Rasis intelligit hoc loco sulphur quod Martem appellamus, quod post sublimationem dealbatur ut argentum, nimirum itidem

etiam tu de hoc ſulphure loquens & ipſius lotionem oſtendens de lotione argenti vivi loqueris.

GEBER. Satis argutè hoc: volebam tamen his verbis quoq; ſignificare in Marte communi quoq; contineri argentum vivum; Philoſophorum, ea de cauſa quòd poſt putrefactionem tota ſubſtantia Martis communis rufa eſt ut ſanguis, & ſub hac rubedine eſt ipſum argentum vivum in forma ſalis albi ut calx. Hermes vero dicit omne ſecretum conſiſtere in vitro & ſale. Aros philoſophus dicit, accipito ſal commune [dico autem commune omnibus metallis] ne intelligas marinum, ſcias tamen aliud ſal me non noviſſe neq; aliud atramentum, illo excepto qui habetur in Capillis Virginis paſchalis.

DEMO: Intelligere nequeo quænam ſit virgo hæc paſchalis.

GEBER. Veteres occultaverunt ſecreta naturæ, non ſolum in ſcripturis, ſed etiam ſub variis Picturis, Characteribus, Zifris, monſtris & animalibus, diverſis modis depictis & tranſmutatis, hæc pro templorum foribus & palatiis inſculpta viſebantur, à nemine vero intelligebantur, exceptis illis qui hujus ſecreti aliquam habebant cognitionem. Virgo autem paſcalis herba eſt naturalis, proprietatem & ſimilitudinem habens Martis, Veteres autem ſimilitudinibus & allegoriis delectati ferrum nominaverunt virginem paſcalem, hanc depingebant in forma mulieris capillis expanſis & ſparſis, in vertice ejus erat poſitus Character Mercurii, in medio vero Character ſemilunæ, & in parte extrema Character Solis, hac figura ſignificare volebant, quemadmodum capilli indigeſtibiles ſunt etiam ſi molles ſunt & ſubtiles, ita quoq; partes ſubtiliſſimas radicales ferri incorruptibiles & incombuſtibiles eſſe, & in ipſis aurum & argentum contineri & Mercurium philoſophorum. Mercurius autem levior eſt argento, & argentum levius auro: Dicit itaq; Rudienus philoſophus, principium hujus operæ conſiſtere in introitu Solis in Arietem, Raſis item in lib. de divinitate dicit. Accipe lapidem poſt introitum Solis in Arietem.

DEMO: Perſuaſum habebam ipſos locutos de primo gradu ignis, qui levis eſſe debet, hoc eſt calidus & humidus, ut aer tempore veris, dicente Ariſtotele in lib. ſecretorum ad Alexandrum. Ver autem incipit Sole intrante ſignum Arietis.

GEBER. Non diſplicet mihi hæc tua ſententia, fuit autem ſententia philoſophorum, ut his verbis oſtenderent principia naturalia hujus operæ ferrum eſſe ſive Martem, nam Aries domus eſt Martis. Sole vero intrante in Arietem incipit jam aſcendere per plures gradus. Leonem vero ſubiens non aſcendit magis, ſed deſcendit jam, ſignificat autem hoc quòd Sol qui in Marte imperfectus eſt artificio ad perfectionem perduci poſſet, aurum vero altius aſcendere non poteſt, ſic per calcinationem aut ſolutionem deſcendit & fit imperfectum. Dicit etiam Raſis in lib. de divinitate, hanc rem ex animalibus calidioribus & melioribus cæteris omnibus deſumi oportere, hoc eſt ab homine complexionis Cholericæ.

DEMO: Dicebas ſupra hanc medicinam non poſſe fieri ex animalibus.

GEBER. Homo ille calidus & Cholericæ complexionis ferrum eſt. Dicente Raſi, Martem extrinſece calidum eſſe & ſiccum, igneum & Cholericum, propterea etiam homines qui ſub Marte planeta naſcuntur bellicoſi ſunt & Cholerici. Dicitur autem ferrum homo, quia habet animam, corpus & ſpiritum [ut ſupra diximus] ſanum, eſt enim purus in radice ſua, juvenis & fortis, quia durus eſt & magnæ fortitudinis. Dicitur etiam minor mundus ea ratione quod & homo dicatur, aut potius quod poſſit dividi in elementa quatuor. Virtuoſiſſimum hoc metallum quantumvis generatum ſit virtute & influxu omnium ſtellarum & planetarum, ut affirmat Rogerius Baco, ſpecialiter tamen in terra generatum eſt virtute potentiſſima & virtuoſiſſima ſtellæ polaris, quam Itali Tramontanum, Græci Arcton vocant, hujus certum eſt indicium (ut tradit Raymundus & Joannes de Rupeciſſa) acus buxulæ nauticæ qui ſemper polum reſpicit, & quaſi ad ſuum ſimile convertit ſe. Et nos diximus ſupra de rete Vulcani, ex chalibe factum fuiſſe, & vellus aureum & tautos & Dracones Marti fuiſſe dicatos

DEMO: Probè memini.

GEBER. Volebam iis verbis ſignificare aquam Mercurialem, Mercurium & aurum philoſophorum omnia fieri ex ferro, & ferrum eſſe lapidem illum qui vili precio venditur reſpectu cæterorum metallorum: Nam variis nominibus à veteribus philoſophis appellatum lapidem hunc, ne inſipientes illum cognoſcerent, nam ſi ipſum cognoſcerent non venderent tam vili precio, & in libro philoſophorum Turbæ, dicitur, Lapis ille quem quæritis, publicè & vili precio venditur ubique. Arnoldus dicit lapidem vegetabilem nutritum in montibus multi errantes non cognoverunt, venditur autem ubiq; & vili precio.

DEMO: Dixiſti ſupra, medicinam noſtram ex re vegetabili fieri non poſſe.

GEBER. Ferrum vegetabile dicitur non tantummodo quòd ex viridi vitriolo compoſitum ſit, & inde nigrum faciat encauſtum, ſed quod mediante igne transmutatur, & habet potentiam propinquam ut convertatur in Elixir.

DEMO: Dixiſti prius nihil impendendum eſſe, ut comparemus nobis neceſſaria hujus artis, cum ſit res viliſſima & nullius precii, idem affirmant omnes philoſophi: Nam Alphidius dicit hoc ſecretum precio non comparari, ſed inveniri projectum in media via, ut etiam à pauperibus haberi poſſit. Scriptum eſt præterea in lib. Lilium Alchimiæ, fundamentum hujus artis rem unam eſſe magis tinctam, fortiorem & ſublimiorem cæteris rebus omnibus. Itidem in libro turbæ philoſophorum legimus: Aliud non eſt quam ut philoſophi nobis indicaverunt, hoc eſt omnibus obvia, divitibus & pauperibus, liberalibus & avaris, eunti & ſedenti cum projicitur in via, & in ſterquiliniis ſepelitur.

GEBER. Concedo ferrum reduci in formam lapidis viliſſimi ex quo fit Elixir, de iſto lapide loquitur Ariſtoteles ad Alexandrum & dicit. Accipe lapidem vegetabilem animalem & mineralem, qui lapis non eſt neque habet virtutem lapidis, & ſi habuerit aquam aeris, & aerem ignis, & ignem terræ, totam artem habebis.

DEMO: Mihi videntur hæc impoſſibilia.

GEBER. Philoſophi metaphoricè loquentes aut per ſimilitudines non mentiti ſunt, nam Ariſtoteles verbis recitatis docet te diſtillationem & ſeparationem elementorum, cum igitur in diſtillatione igne parvo ſeparaveris aquam, hoc eſt aquoſitatem aeris, ab hac aqua Mercuriali, & poſtea per balneum ſeparaveris aerem ab igne, hoc eſt à ſulphure ſubtili ſupra. nominato Arſenico, & ignem à terra de Mercurio cum forti expreſſione ignis, tunc aſſequutus es veram artem diſtillandi & ſeparandi elementa, de qua ſeparatione locuti ſumus lib. 2. cap. 12. Arnoldus de iſto lapide loquens, dicit, lapis eſt in ſimilitudine & tactu non in natura. Dicit autem Hali philoſophus, lapides ſunt & non lapides,

lapides

lapides autem dicuntur propter similitudinem, quam habent cum lapidibus.

DEMO: Concedo medicinam nostram cum fuerit finita formam habere lapidis vilissimi, imprudentibus tamen lapidem non esse, propterea non recte dixerimus, materiam ex qua fit Elixir esse lapidem, nisi eadem lege dixerimus, omnia quæ non aduruntur igne aut dividi possunt in quatuor elementa, lapides esse.

GEBER. Certè tibi dico materiam ex qua fiat hæc medicina similitudinem habere lapidis vilissimi in principio operæ, & nos apertè diximus lib. 1. cap. 5. Lapidem esse & materiam unam solam in qua consistat totum magisterium & quòd in præparatione ipsius removeamus superfluitates. Ergo non possumus hæc intelligere de Elixir finito, cum nullas habeat superfluitates, neq; verum est omnia quæ dividi possunt in quatuor elementa, aut igne non aduruntur, lapides esse aut similitudinem habere lapidis. Sed philosophi voluerunt significare materiam suam similitudinem habere lapidis vilis, & quod in igne non consumatur & dividi possit in 4. elementa, & hunc esse fundamentum totius artis. Hali philosophus dicit, lapidem hunc omni tempore inveniri & omni loco & circa omnem hominem. Propterea nemini molestam esse aut gravem ipsius inventionem. Lapis vilis, nigra, dura, fœtens, quæ nullo præcio comparetur. Præterea legimus in libro turbæ philosophorum, hanc rem esse lapidem & non lapidem, inveniri omni loco, rem esse vilem & præciosam, obscuram, occultam, & omnibus cognitam. Senior philosophus dicit, interroga Regem Mohors de cognitione lapidis, & respondebit omnis homo novit ipsum, & qui hunc non novit nullam rem agnoscit.

DEMO: Nunquam divinabo, dic igitur apertè quod illi nomen vulgo.

GEBER. Amor meus singularis erga te, & quia jamdudum à me receptus sis in numerum discipulorum meorum, cogunt me tibi tantum revelare secretum, propterea dico, retrimenta, hoc est calx ferri qui generatur in igne & à fabris in media via projicitur & in sterquiliniis invenitur, vilissimum esse lapidem philosophorum, similitudinem habet lapidis, verum lapis non est, hic solus habet omnes proprietates quas philosophi suo lapidi attribuunt.

DEMO: Quomodo hoc fiet, ut ille virtuosissimus lapis philosophorum sit terra adusta, in qua nulla penitus virtus inesse possit reliqua? nam cum tam longo tempore in igne fuit, minime credẽdum est ibi remansisse aliquid argenti vivi aut sulphuris aut aliorum spirituum.

GEBER. Haud meministi prius me dixisse, omnia in igne aduri præter calidum & humidum radicale metallorum & quòd ex illis fiat nostra medicina. Dicit autem Philadelphus philosophus, humidum radicale metallorum per homogeneitatem & fortem unionem elementorum non separari nec consumi in igne cum fixum sit & in igne permanens, & quantumvis calx illa appareat arida, sicca, & humore privata, nihilominus si experientiam feceris, invenies res supra dictas. De ista calce locuti sumus & nos lib. 2. cap. 7. dicendo. Erit igitur sublimatio Mercurii melior de calce quam de cateris rebus omnibus in toto mundo, cum parum cum ipso conveniat neque sulphuritatem habeat. Nam supra dixi sublimationem argenti vivi meliorem esse ab istis metallis quæ cum eo minus conveniant, hoc est ex ferro, quòd vero dixi in Testamento calcinationem breviorem esse viam ad perfectionem, propterea dixi argentum vivum ex calce accipiendum esse, hoc est ex ferro, quia ipsius terrestritas cum illo minime convenit, neque habet sulphuritatem adustibilem, nam hæc in calcinatione consumitur. Sed sulphuritas fixa igne minime consumitur, ut diximus l. 3. c. 7. Si autem per calcem intelligas sal, dico quòd ab ista calce solummodo sublimamus corpora debilia, ut diximus in secunda causa descensionis, ut est aqua & oleum & postea argentum vivum, quòd Jovem dicimus, & habet hæc calx nullam sulphuritatem adustibilem aut unctuosam, quia illam separavimus, à prima autem calce non solum distillamus corpora debilia tantum, sed etiam sulphur fixum Martis nomine appellatum. Diximus præterea lib. 1. cap. 14. Arsenicum & sulphur figitur, & sublimatio unius & alterius melior est ex calcibus metallorum, & lib. 2. cap. 3. dixi, Experientiam docere hoc necessarium esse, nam illi qui hujus rei periculum fecerunt, cognoverunt se in vanum laborasse sublimando res alienas & extraneas à natura Arsenici & sulphuris, quia nullo modo potuit inveniri depuratio post ascensionem ipsorum, sublimatis vero cum calce alicujus corporis, tum demum bene sublimasse & perfecte mundare potuisse cum facilitate. Est autem intentio nostra, quantum ad feces qui ibi administrantur de metallorum calcibus, & fit sublimatio propter ipsas facilior & expeditior, propterea nulla alia res in locum ipsorum substitui potest. Nec dicimus tamen sublimationem impossibilem esse sine calcibus corporum, & longe difficillimam & tardissimi laboris & prolongationis ad desperationem usq; De calcibus istis loquebatur Ioannes de Rupecissa dicendo, se traditurum modum incantationis & reductionis auri & argenti in terram & calcem, ut possint publice portari in manu tempore belli absq; timore latronum.

DEMO: Quamprimum aliquid ocii nactus fuero, operationem hanc experiar, cum adeo parvo precio constet.

GEBER. Adverte diligenter ne erres.

DEMO: Si alicubi erratum fuerit, opus à principio reiterabo.

GEBER. De praxi non dico sed nota materiam.

DEMO: Calcem illam ferri accipiam quam mihi indicasti.

GEBER. In eo inquam potest error committi, forte cum accipias calcem, quæ huic negotio parum commoda erit.

DEMO: Ergo ostende mihi meliorem.

GEBER. Invenies hujus calcis quoddam genus & frangibile & hoc ferreum est adhuc parum apta huic operationi. Invenies & aliud genus frangibile quidem, sed album in fractura neque hoc bonum est, quia retinet adhuc aliquid naturæ ferreæ, & habet mutũ sulphuritatis unctuosæ & adustibilis. Sed quam videris maxima ignis vehementia in naturam vitri conversam, coloris quasi viridis aut Zaphirini obscuri aut cælestini obscuri, hæc ipsa est verus & virtuosissimus lapis philosophorum qui generatur in igne, & quanto diutius in igne fuit, tanto melior abitur.

DEMO: Summas tibi gratias ago pro tanta liberalitate, dicam tamen cum venia, quid ego sentiam. Dixisti lib. 2. cap. 13. Omne quod humiditate privatum est non fundi, excepta vitrificatoria, ferrum igitur vehementissimo calore ignis in substantiam vitri conversum humiditate privatum est, & per consequens erit quoq; argento vivo & cæteris spiritibus privatum.

GEBER. Secundum opinionem Alberti lib. 3. de mineral. cap. 2. & 5. Sunt in omni metallo duæ unctuoſitates, quarum una quaſi extrinſeca eſt ſubtilis & flammabilis, altera vero intrinſeca retenta in radice metalli, adeo ne ab igne exhauriretur aut diſſiparetur, & hæc cremabilis non eſt neq; combuſtibilis. Certum vero eſt vitrum hoc humidum eſſe radicale ferri, propterea & incombuſtibilis, neq; ex toto privatum humiditate, nam ſi quodammodo exteriori humiditate privatum ſit quæ inflammabilis eſt, Idem Albertus lib. jam citato cap. 4. de vitro hoc dicit. Se negare materiam illam quæ in vitri ſubſtantiam intrat cineres eſſe, ſed potius humidum radicale puriſſimum quod intrinſece retinebatur in ipſa materia incinerata, quæ humiditas per potentiam unius ignis non potuit extrahi, ſed igne fortiſſimo fluit, & hæc eſt illa humiditas quæ maximam ſiccitatem experta eſt. Hæc igitur materia eſt liquabilis & materia prima & remota, una & communis, hoc eſt humidum ipſum hujus generis. Idem Albertus lib. 4. Meteor. tract. 2. cap. 9. dixit, Calorem vehementer congregare partes homogeneas & ſeparare heterogeneas, quia humidum ſolvit & ſeparat illud à terra, humidum autem à terra receptum non poteſt penitus ſeparari, propterea incipit diſtillari cum terreo ſubtili, & fortiſſimo igne funditur in vitrum, terreum vero groſſum quod fortius tenebit comburitur in favillam. Et nos diximus lib. 2. cap. 13. ignem vi maxima reducere materiam in vitrum, igitur manifeſtum eſt vitrum partem eſſe humidi radicalis ferri cum groſſis terreſtritatibus, quæ fuſionem impediebant in ferro combuſtis in favillam, vitrum ſit fuſibile quia redijt jam in naturam ſuam liquabilem, & quia pori ſunt occluſi, ignis penetrare non poteſt & ipſum exterminare. Vincentius Monachus ſcribit lib. 7. de naturalibus. Lapidem dici & non lapidem. Lapis enim dicitur quod poſſit conteri, & non lapis quia fundatur & fluat in igne abſq; evaporatione, ut aurum neque alii rei convenire proprietatem hanc.

DEMO: Philoſophi dicentes, non conſumi lapidem ipſorum in igne, haud dubie dictum volunt de medicina finita.

GEBER. Peſſima gloſſa eſt quæ textum corrumpit & pervertit, nam tibi dico ipſos intellexiſſe ijs verbis principium & fundamentum hujus operæ, quod etiam confirmat nobiſcum Georgius Baco Anglicus, his verbis. Dico de qualitate omni quod ſupra ignem figi debeant, ſcilicet ne aufugiant ab ipſo, neq; conſumantur aut corrumpantur ab igne, & poſtremo ne colorem mutent in igne, nam hæ ſunt res quæ principium dant hujus operæ. Dicit præterea Alphidius, ignem ſubire & intrare omnia corpora, ſpiritus, ſubſtantias, & lapides, ſed lapidem hunc non intrare neq; ipſi dominari poſſe, ne ſulphures in ipſo corrumpere. Arnoldus ad Regem Neapolis dicit, quanto longius lapis hic in igne duraverit, tanto plus augmentari & creſcere ipſum in bonitate, & virtute, quod nullæ alii rei convenire poteſt, quia omnes aliæ res igne abſumuntur, dictus autem lapis ſolus in igne melioratur & creſcit in bonitate, nam ignis nutrimentum eſt ipſius lapidis, & hoc certiſſimum eſt indicium ad cognoſcendum lapidem. Avicenna in lib. de anima, ait, quoſdam inveniri qui non concedant magiſterium Alchimiæ dicentes, quod ex rebus illis quæ ignem perferre non poſſunt, nihil procreari poſſit, quod ipſum ſuſtineat, quibus reſpondemus, ratione nitri, terra enim omnino ab igne removetur, contractum vero ab igne fortius evadit, quia ignis poteſtatem non habet ſupra vitrum.

DEMO: Attamen ſal nitrum multum combuſtibile eſt.

GEBER. Avicenna ſupradictum vitrum intelligit per figuram quam appellamus Antitheſin, mutando primam literam ut dicatur illi pro olli. Propterea dicit Avicenna in Epiſtola ad Arſem philoſophum. Locus orientis ubi reperiuntur præcioſi lapides Soli proximus eſt, ſic quoq; nitrum quantò propius à Sole tangitur tanto fortius evadit. Propterea etiam lapis hic quanto magis perfert calorem ignis, & cæteros labores hujus operationis, tanto erit melior. Albertus lib. 4. tract. 3. cap. 16. dicit, quamvis res quædam corruptibiles ſint in igne, tamen non combuſtibiles eſſe, quia eorum humor nutrimentum non eſt ignis, ut lapides & ferrum, earum rerum quædam ignem non recipiunt propter conſtrictionem pororum, ideo non ardent, ſed hæc intelligenda ſunt de ſupradicto vitro. Diximus & nos in fine proœmij lib. inveſtigationis & in proœmio lib. 2. Vitrum eſſe ex rebus illis quæ præparationem juvant: nam reducendo ferrum ad naturam vitri præparati, propter remotionem multæ terreſtritatis & lib. 3. cap. 7. diximus. Si dicamus corpora per calcinationem mundari, pro certo intelligere nos mundationem ferri à terrea ſubſtantia quæ in ipſa radice unita eſt. De hoc vitro intelligebam cum dicerem lib. 1. diſſerendo de ſulphure. Aliquos cum viderent hanc magis ſe profundam in ipſo mundificaſſe ipſum & tuſtuliſſe fugam & aduſtionem, & redditum eſt fixum & terreum, & per ignem non dat fuſionem bonam niſi vitrificatoriam.

DEMO: Philoſophi de vitro loquentes fortè intellexerunt vitrum commune.

GEBER. Vitrum commune non habet humorem neq; ſulphur aut argentum vivum quæ conveniant cum metallis. Propterea dicit Raſis, veteres vitrum metallicum confeciſſe. Et nos diximus lib. 1. cap. 11. philoſophos vitrum facere ex corporibus metallicis. Dicit etiam Raſis lib. de divinitate, aliquos tradidiſſe tincturam à ferro eſſe & à nulla alia re, & hoc lapidem eſſe majorem, vilem inventu & famoſum. Illud idem repetit lib. de aluminibus, cum dicit vitrum liquefacit ferrum & omnia corpora, & facit ipſa in fuſione currere. Diximus & nos lib. 2. cap. 9. proprietatem eſſe vitri, ut omnia fundat & convertat ad ſe, & in lib. Teſtamenti cap. de Marte dixi, calcem fundere lapides, hac de cauſa quidam adjutorio vitri gemmas faciunt.

DEMO: Cum diceres ſupra, vitro adjecto carnes velocius coqui, addebas per vitrum philoſophorum ipſos intellexiſſe ſulphur. Quomodo intelligunt jam calcem iſtam per illud idem?

GEBER. Verum eſt philoſophos ſæpius æquivocatione uſos eſſe, cum vero diſtinguere & cognoſcere cupis de qua re ipſi loquantur, rerum proprietatem diligenter examinare debes, & ſic facile animadvertes, quando ipſi aut ſulphur aut calcem ſupra dictum intelligant. Alphidius de hoc vitro loquens dicit, frange vitrum, & extrahe lapidem, & pone ipſum in vas vitreum ſive Bocciam, & extrahe ab ipſo oleum, & invenies hoc quod philoſophi nobis tradiderunt, in hoc vitro argentum vivum eſt quod ignem ſuperat, tamen ab ipſo non ſuperatur, ut diximus aperte lib. 3. cap. 6. prope finem. Iſidorus in eandem ferè ſententiam loquitur, argentum vivum [inquit] melius ſervatur in vaſculis vitreis, nam reliqua ipſum perforat. Diximus & nos lib. 2. cap. 6. vitrum tantummodo, & huic ſimilia, quum poros non habeant, ſola continere

tinere posse spiritus, quin aufugiant & exterminentur ab igne, his verbis volui indicare spiritus ferri fugere vehementem ignem, donec convertantur in vitrum coloris Zaphirini aut Cælestini obscuri. Propterea lib. 4. cap. 18. dixi quod in corporibus præparatis cernere debeamus colorem cælestinum qui sit perfectus propter bonitatem argenti vivi. Itidem Albertus parum ante finem lib. Meteo: occulte hæc confirmat his verbis, dicit enim non facile posse cognoscere nos quando metalla suam formam specificam jam acquisiverunt aut non, non enim facile cognosci quando jam sit lapis verus aut metallum, nisi per corruptionem ad magnam debilitatem perducantur, in tantum ut nihil ibi restet præter solam figuram, & nihil de virtute quam sequitur essentia. Comparantur verò hæc corporibus mortuis, nam hæc si parvo tempore mortua fuêre, videntur parvam habere differentiam cum corporibus vivis, longo tempore verò in sepulchro conditis, tunc in ipsis sola figura remanet, & si attingantur subito in cineres corruunt, & apparet tum magna differentia inter viva & mortua corpora. Idem intelligendum de vegetabilibus & mineralibus. Nam mineralia etiam suo modo moriuntur, quemadmodum reliqua animalia, tamen non cognoscitur, facile, quando amiserint ipsorum esse & naturam, nisi ex maxima mutatione. Etenim Zaphirus quamdiu habuerit colorem & transparentiam & figuram Zaphiri, similis est vivo & qui habeat operationem Zaphiri. Si vero post longam mutationem obscuretur & discontinuetur, scimus ipsum jam non esse Zaphirum sed similitudinem Zaphiri, idem intelligendum de auro vivo & mortuo, idem de argento & cæteris metallis.

DEMO: Ne graveris rogo tribus verbis mihi explicare, ea quæ tam longo sermone tractasti.

GEBER. Hæc est summa totius sententiæ ut intelligas, nos voluisse indicare eo sermone, quum ferrum tanto temporis spacio in igne perduraverit, ut jam factum sit valde debile & frangibile, & ibi plane nihil remanserit naturæ vitri, & colorem adeptum sit Zaphirinum ob curum, quasi tum demum conversum esse in lapidem philosophorum. Hæc occultaverunt veteres poëtæ eo figmento, cum fingerent Demogorgonem Bisavum omnium Deorum gentilium & ab omni parte circumdatum esse tenebris, nebulis, caligine habitans in medijs terræ visceribus, ubi natus fuerit, vestitus quodam viridi pallio humiditate quadam aspersus, terrestrem odorem, horribilem & fœtentem, non prognatum ab aliquo, sed æternum & parentem omnium rerum.

DEMO: Quamvis hæc mihi videantur valde obscura, cupio tamen expositionem hujus figmenti audire.

GEBER. Demogorgonis vocabulum Græcum, interpretatur latine, Deus terræ & deus populi, sive Deus terribilis, & significat ferrum. Dictus autem abavus seu bis avus omnium deorum gentilium, nam omnes ab ipso originem traxerunt & derivati sunt (ut jam diximus) undiq; circumdatus nebulis & caligine, hoc est substantia terrestri, habitat in mediis visceribus terræ, quia sub terra natus & nutritus est, dicunt ipsum æternum & à nullo generatum, nam ex illo generatum, nam ex illo omnia quæ similitudinem quandam habent alicujus rei generata sunt, propterea eum parentem vocaverunt omnium rerum; Aut dicitur æternus esse quod fuerit ante terram & omnia elementa & elementata prior, aut potius quod in se contineat quadam essentiam incorruptibilem, vestitus est certa quadam humiditate vili & abominabili, hoc est ferrugine & pallio quodam viridi, hoc est cum vitriolo terrestri & sulphureo odorem spirat terrestrem, horribilem & fœtentem, hoc est sulphureum, positus in ignem, & cum ipso aqua fœtida, huic (ut scribit Boccatius lib. de genealogia deorum gentilium) attribuerunt veteres æternitatem & Chaos, æternitas est quinta essentia, hoc est humidum radicale aut argentum vivum, quod & Plinius tradit lib. 33. liquor est æternus, hoc argentum vivum præparatum Claudianus vocat Serpentem, quia in coagulatione devorat caudam suam hoc est aquam mercurialem ipsius argenti vivi distillati in forma caudæ Leonis & serpentis. Chaos vero sal illud terreum est quod supra Saturnum nominavimus, est enim materia confusa, & in ipsa continentur omnia sine forma, hoc est Sol, Luna & Stellæ, hoc est planetæ supra dicti qui suam lucem non habent, idem & elementa 4. & omnes res vegetabiles & animales & minerales, & ut dicit Claudianus, habitant cum Demogorgone figuræ diversorum elementorum, & nos supra diximus in ferro omnia metalla philosophorum contineri. Primus ipsius filius Litigium dicitur, hoc est ipsum sulphur Martis nomine appellatum, quod in putrefactione primum est & tumultum facit in ventre Chaos in ipso sale, quia ipsum est materia prima metallorum, quam Hylen, hoc est silvam vocant, nam hæc est pars vegetabilis, & ab ea nascuntur omnia elementa, illud sulphur autem petit separari cum sit naturæ diversæ, cum non habeat salsedinem, propterea aperit ventrem Chaos, hoc est solvitur in aceto, Demogorgon autem extendens manum suam comprehendit Litigium ipsum sulphur quod ferrum appellavimus, nam per manus Demogorgonis intelligitur aliud sulphur arsenicum dictum, nam ut supra diximus, Mars elevatur cum Arsenico, significatur autem per Vulcanum & Martem res eadem, quemadmodum Vulcanus subito natus cum turpis esset & deformis, præcipitatus fuit in Insulam Lemnos, sic dicendum est quoq; de Litigio nato subito qui cum deformis esset propter sulphuritatem & unctuositatem adustivam, projiciebatur in aerem, hoc est in aquam distillatam, ibi lavabat & solvebat se, & in altum subvolabat, hoc est, in ipsam aquam, quia profundius descendere non poterat, nam ipsum arsenicum ab eo extractum, hoc est separatum à ventre salis in profundiori loco est cæteris rebus omnibus, nam in ipso centro terræ ipsius salis Chaos nomine appellato continetur.

DEMO: Satis longa fuit disputatio hæc, quare non facile quis Judicium feret, sed pro explicatione sufficiant mihi hæc, donec praxin ipse videro aliquando.

Finis expositionis Alchimiæ GEBRI.

JOHAN.

Iohan. Gerhardi D. Exercitationes perbreves In GEBRI Arabis Summi Philosophi Chemici Libros Duos Summæ Perfectionis.

Lib. I. c. 1.

§. *Qui Principia naturalia in seipso ignoraverit, hic jam multum remotus est ab Arte nostra, quoniam non habet radicem veram, super quam intentionem suam fundet*

Scholion.

IN Seipso:) Decepti sunt hîc aliqui, ut putarent, Gebri eam esse mentem, quasi ex principiis humanis, seu materiâ ex homine deprõptâ, Lapis Philosophorum conficiendus esset; Unde factum, ut aliqui in spermate humano, in sanguine, in menstruis, in urinâ, cunînibus &c. suos labores impenderent. Sed hanc esse vanam opinionem plus satis notum est hodie. Videtur autem Geber notare Philosophos illos, qui etsi in cæteris rebus communia Philosophica aut physica non ignorent principia, quia tamen illis solis (ignoratis aut repudiatis principiis Chemicæ Philosophiæ propriis) insistunt, **so kommen sie zue kurtz.** Quales hodie propè omnes nostri videntur esse Philosophi Aristotelici Scholasti. Et hanc esse loci hujus commodiorem explicationem, verba deinde c. 7. sequentia hæc docent; *Oportet Artificem hujus Operis in Scientiis Philosophiæ naturalis eruditum & perfectum esse: quia, quantamcunque pecuniam, & ingenium naturaliter profundum habuerit, & desiderium in hoc Artificio, non tamen ipsius finem acquiret, nisi ex doctrina Philosophiam naturalem adeptus fuerit. Quia, quod per ingenium naturale non adipiscitur, hujus defectui, per doctrinam subvenitur. Oportet igitur altissimâ perscrutatione, & industriâ naturali, Artificem juvari.* Quibus verbis videtur Geber, ultra Philosophiam naturalem, requirere Doctrinam seu traditionem aliquam ex Institutione, vel vivi Præceptoris, aut bonorum Scriptorum, sine quâ ad propositum perveniri nequeat: cum Artifex Naturam non in omnibus imitari vel possit, vel debeat, ut sit sententia; Eum, qui solummodò naturalia in se ipso noverit; sine singularibus Artis Secretis, à communi Naturæ ordine recedentibus (quandoquidem Naturam Ars in omnibus imitari nequit) ad Artis hujus cognitionem pervenire posse nunquam: **Es muß einer ein Chymischer Schueler darbey werden. Ein** purus Philosophus **würd zu dem Werck** in seipso, (**ohne andere** Præceptores) **nicht gelangen mögen.** Notanda etiam quæ sequuntur Libro hoc primo cap. 1. *Et qui Principia sua sciverit naturalia* (Physica) *& causas* (quas prior, tanquam purus communi Philosophus ignorat) *mineralium omnes* (scil. naturali cognitione tantùm) *nondum tamen adeptus est verum finem & proficuum hujus Artis occultissimæ: habet verò faciliorem aditum ad Artis hujus principia* (Nota: Hic sciendo causas Mineralium omnes Gebro adhuc versatur ante vestibulum Principiorum Artis hujus: Oportet igitur vera Principia Gebrica Artis profundiora esse, quam Principia mineralia, **und hat der/ so** omnes causas mineralium **weißt/ noch in des** Gebri **Schuel keinen Anfang gemacht:** aliâ nullam Tincturam, sed metalla duntaxat communia produceret. Unde patet, quantâ in caligine versentur adhuc illi, qui causas mineralium solummodo sciunt, cum tamen multæ profundiores causæ Artis, quam illæ requirantur) *quam cui Ignorantia cadit super Intentionem ejus, de modo hujus nostri Operis, & hic parum remotus est ab Artis introitu.* (Iterum animadvertendum, quod vel aptior hic tamen nondum versetur in Artis hujus introitu, citius tamen Artem adipisci potest.) Jam ulterius hîc Geber observanda proponit; *Qui verò sciverit* (1) *omnium principia.* (Hunc oportet esse exactissimum Philosophum) (2.) *& causas mineralium, &* [3.] *generationis modum, qui ex Intentione Naturæ consistit, parum quidem aufertur ab eo, de Operis complemento, sine quo tamen non potest Scientia nostra perfici, quoniam Ars imitari non potest naturam in omnibus operibus, sed imitatur eam sicut ritè potest.* (Ergò etiam non sufficit scire naturalem Generationis mineralium modum: quia Ars habet quædam singularia, secundum quæ Naturam neque imitatur, neque imitari studet.) Et hæc sunt præcipua, sine quibus Scientia perfici non potest. **Dieses muß von den** Artificibus, **und nicht von den gemeinen** physicis & Historicis mineralium, quantumvis acutissimis **gelernet seyn.** *Summa:* Vera Philosophia Chemica habet quædam puncta illius profunditatis, ut communis etiam subtilissima Philosophia eò aspirare non possit. Ergo oportet Philosophum Chemicum Naturam profundiùs, quam communes Philosophos, introspicere & contemplari: sicut eâ de re R. Lullius in Theorica sui Testament. sæpissimè monet.

ibidem.

§. *Charissime igitur Fili, Secretum tibi pandimus, quod in hoc Artifices errant, quod naturam in omnibus differentiis proprietatum actionis imitari desiderant.*

Scholion.

Ergò diligenter dispiciendum est, in quibus differentiis Proprietatum à Naturæ operatione recedendum, & à quibus non recedendum sit.

Lib. I. c. 7.

§. *In rerum multitudine Ars nostra non consistit, nec perficitur. Etenim Lapis Unus, Medicina Una, in quo Magisterium consistit, cui non addimus Rem Extraneam aliquam, nec minuimus, nisi quod in præparatione superflua removemus.*

Scholion.

Notandum: In Præparatione quidem locum habere *Remotionem*, postea verò locum non habere *Additionem Rei Extraneæ.* Ergò sequitur Hunc Lapidem omnia in se habere sibi necessaria.

In qua Magisterium.) *In quo*, inquit, non *in qua*, ut sic respiciat ad Lapidem, qui est materia illa, ex quâ Medicina perficitur. Hâc de re, & de hoc discrimine Lullius in Apertorio egregiè docet. Notandum

dum est simul etiam, Lapidem dici, vocabulo generali, etiam materiam, quæ ex præparatione absolutè oritur, in Secundo demum Opere, perficienda.

Non addimus.) Nihil illi vel in Præparatione, vel in Secundâ Operatione additur, nisi quod in Præparatione fuit separatum, & de ipso est.

Nec minuimus.) Loquitur de Lapide, in Primâ Operatione, perfecto: prius autem in Præparatione ejus superflua removentur, quibus remotis, puriſſimæ partes ita uniuntur, ut abjectis superfluis, omnia fiant unum homogeneum, in se habens omne sibi necessarium.

In Præparatione.) Claret hinc, duas esse principales Operationes, quarum *Prior* præparat materiam: *Altera*, præparatam in Medicinam excoquit: Quamvis hic Geber principaliter loqui videatur de illâ Præparatione, quæ fit post vasis occlusionem: Vbi natura (ut loquitur P. *Bonus Ferrariensis*) toto decoctionis tempore superflua separat, donec tandem omnibus superfluis separatis; Lapis est in Ortu, in Candore mirabili, ante plenariam Fixationem. Et tunc verè sortitur Lapidis, & quidem Vnius Nomen: Natus enim est Lapis & Materia verè prima & proxima Lapidis Philosophorum, qui abinde nullo indiget alio, quam Coctione solâ, quâ ad plenum fermentatur & figitur. Et hic tum est Verus ille Mercurius, quem hinc inde tantoperè commendat Geber: Hoc illud Philosophorum Arg. vivum, nequaquam vulgariter intellectum, in quo insunt radii tingentes & Sol Philosophorum occultus. Nisi autem dictus intelligatur Mercurius, nemo ad Gebri, aliorumque Philosophorum veram & genuinam mentem nunquam pertingere poterit.

Ibidem.

§. *Expedit Artificem hujus Artis Principia & radices principales, quæ sunt de ESSE Operis, non ignorare, quoniam qui principium ignorat, finem non inveniet.*

Scholion.

Intelliguntur hic Radices minerarum & metallorum, sine quarum dextrâ & debitâ Cognitione, nihil inchoari, nedum perfici potest. Non sunt autem hæ res crudæ & crassæ intelligendæ, sed ad illarum RADICES usque in Indagatione excurrendum est. Itaque non est, ut crudum hic intelligas Arg. vivum, sed illius MATREM & RADICEM seu Matrem radicalem. Nolunt enim Philosophi superficiarie in ejusmodi verbis suis intelligi.

Ibidem.

§. *Non oportet tua bona consumere, quoniam vili pretio ad complementum Magisterii pervenies.*

Scholion.

Vili pretio.) Ergò primò neque materia magno constabit: deinde, neque etiam coctio magnorum erit sumptuum. Quod de Auro & Argento dici nequit.

Ibidem.

§. *Studeat Artifex, cum in Operatione fuerit, omnia Signa, quæ in qualibet Decoctione apparent, in mentem sigillare, & illorum causas inquirere.*

Scholia.

Signa) Apud alios autores sunt Colores, & aliæ subjecti Dispositiones, ut esse terreum, aquaticum, pulverulentum, fluidum, Liquabile, &c. Vide Codicill. Lullii.

In qualibet Decoctione. In Præparatione Vnicus, & quidem simplicissimus tantum Color observatur: In reliquâ verò Operatione, Colorum varietas: Et, sola Decoctio facit illas Variationes. Igitur non est, ut in Secundo Opere, Artifex, manuarias Gebri literales Operationes [puta, Sublimationem, Distillationem, Calcinationem, &c.] intelligat, sed sciat, illas omnes in Vero Opere Philosophico, solis Decoctionibus perfici, quod probe notandum est: In reliquis enim Operationibus verè nulla est Variationis colorum observatio.

Lib. I. cap. 9.

§. *Solus temperatus calor humiditatis est spissativus, & mistionis perfectivus, non calor excedens.*

Scholion.

Requiritur in Operatione Secundâ talis materia, quæ pro sui facienda Inspissatione, exhalatione superfluæ alicujus humiditatis opus non habeat, sed Tota sit Homogenea, & in seipsa, per suæ humiditatis conversionem, & non separationem spissationis, calore imbuta, sit susceptiva. Hac de re vide amplius Lib. 2. c. 63. ubi hæc: *Inspissationis non Vnus est modus: Fit enim Vnus per exhalationem humidi superflui: Alius per residui inspissationem.*

Ibidem paulò ante;

§. In Metallorum generatione naturali; *Sunt fumi subtilissimi, qui temperata Decoctione indigent, ut in seipsis secundum aqualitatem inspissetur humiditas propria, & non fugiat ab eis, & relinquat ipsa omni humiditate privata, qua contusionem & extensionem suscipiunt.*

Scholion.

Notandum hoc in loco, primò, Mistionis alicujus fieri in hoc capite mentionem: Vbi autem Mistio, ibi notum est fieri mistionem inter plura. In Uno, enim, in quantum Vnum, mistio locum habere nequit. Igitur intellige, Lapidem ita esse Vnum, ut sit ex pluribus compositum aliquod, & Vnum factum, de quo alibi. Deinde animadvertendum, quod ubi compositio facta est artificialis ab Operatore, Opere manuario, ibi nullam porrò & amplius requiri exhalationem aut evaporationem, sed Inspissationem Humidi. Idque Naturæ Exemplo, quæ in Metallorum Generatione, postquam debitarum materiarum concursus factus fuit, superfluam humiditatem, maximè heterogeneam, tollit, & evaporando sequestrat: quando verò illud, quod est verum & genuinum humidum metallicum viscosum supereſt: tum decoquendo nullam amplius humiditatem separat, sed illam ipsam coquendo inspissat & adunat intimè: Ita & in Opere Artis hoc respiciendum: & Sapienti hic sat est dictum: Tertiò; Datur inspissationis modus, seu Medium aut Instrumentum. Ignis sc. sive calor. Certus autem assignatur illius gradus, dum excessivus rejicitur, è contra Temperatus laudatur Calor ab Effectibus: quorum Vnus est Inspissatio Humidi: Alter, perfectio mixtionis, hoc est, dum hoc Calore materiæ in Compositione alterantur, alteratæ per intima indivisibiliter uniuntur ad invicem, ut prodeat Vnicum illud ortum & compositum, quod dicitur *Lapis Vnus & Vna Medicina.* Solum autem hunc Calorem dictorum esse Effectivum,

vum, non frustrà dicit; innuens nimirum, facta Compositione Artificiali, in qua humidum superfluum est amotum, nullo alio opus esse labore, quam debiti, lenti illius inspissantis & miscentis Caloris administratione. Solus enim calor movet Naturam, eamque motam adjuvat, ut non Artifex, sed Natura ipsa omnes alterationes & mixtiones; una cum Inspissatione perficiat, donec tandem oriatur *Lapis ille Unus* Loquitur eâ de re etiam *Trevisanus*, ubi, Parte Tertiâ, de Igne Alterante dicit, & gradus, quibus Vera & Unica illa materia paratur, hosce ponit. Primò requiritur *Compositio*: deinde *Alteratio*: post *Mixtio*: & tandem *Unio*, hæcque omnia *solo Igne* omnia perfici disertè asserit.

Lib. 1. cap. 10.

§. *Sed ut fiat Inspissatio eorum* (principiorum metallorum) *ad invidem, & Induratio taliter, quod fiat in eis Contusio & extensio per mallei compulsionem & non Confractio, non est nisi per hoc, quod humidum viscosum in eorum ad invicem commistione solvatur, per successivam in minera decoctionem.*

Scholion.

Metallorum Principia Inspissatione coadunantur, ita tamen, ut evaporando quædam ab iisdem resolvantur, ad metalli constitutionem non pertinentia, alioquin nunquam fierent metallica corpora, sed in mercuriosa aut sulfurea nimium fusibili forma perstarent. Servandum autem hic docet Geber, Naturæ Exemplo, Humidum viscosum, in hâc sua humidâ & viscosa Natura conservatum. Id autem, Conservatio videlicet, fit per calorem mediatum, quo viscosa non evaporatur, sed in seipsa condensatur humiditas.

Ibidem.

§. *Regulam tibi tradimus generalem, quod non fit Inspissatio alicujus humidi, nisi PRIVS* (ergo non ipso Inspissationis, sed præparationis actu, fit hæc separatio) *fiat ex humido partium subtilissimarum exhalatio & conservatio ex humido* (nota hic in humido duas humiditates non homoæmeras & homogeneas, & proinde in præparatione separabiles,) *partium magis grossarum, si sit humidum in commistione superans siccum* (quando sc. humidum superfluum adest) *& vera mistio humidi & sicci, ut humidum contemperetur à sicco, & siccum ab humido, & fiat hæc substantia Una, in suis partibus homoæmera & temperata inter durum & molle &c.*

Scholion.

Regula hæc Gebrica docet; In hâc Arte nullum adhiberi debere arg. vivum, nisi prius ab illo humidum illud aquosum, vel per artem, vel per naturam fuerit exhalatum & separatum; & tum demum in Arte procedi posse: vide hâc de re infra c. 45. & 46. Possunt itaque omnia in hoc §. posita ad Creationem Sulfuris Naturæ transferri, ubi sine exhalatione humidi heterogenei, nulla sequitur Coagulatio, ad mediam substantiam.

Ibidem.

§. *Nostra intentio non est, in Principiis Naturam sequi, nec in proportione miscibilium Elementorum, nec in modo mistionis ipsorum ad invicem, nec in æquatione caloris inspissantis.*

Scholion.

Quatuor excluduntur Arti ad Naturæ normam inimitabilia. *Primò*: Quod non possimus principia naturalia componere, neque etiam id facere opus sit. *Secundò*: Neque cogamur, ad naturalem faciendam Elementorum proportionem recurrere. *Tertiò*: Vt & de Mistionis modo tenendum. Natura enim nobis talia Subjecta suppeditat, in quibus hæc Tria ipsamet jam perfecit & præparavit Arti. *Quartò*: Neque etiam in Calore Naturam per omnia esse imitandum. Quæ omnia etiam doctissimè tractantur à *Ioan. de Meurg: lib.* 1. De hisce Geber postea l. 1. c. 11. inquit: *Nec scire volumus illa nec possumus, nec ad opus nostrum possunt pervenire.*

Lib. 1. cap. 11.

§. *Nos metalla non mutamus, sed Natura, cui secundum Artificium illam Materiam præparamus: quia ipsa per se agit, non nos. Nos verò Administratores illius sumus.*

Scholion.

Rectè hic Geber docet, post Præparationem, & Ignis administrationem Solam agere Naturam, in Operationibus illis, quas postea l. 2. c. 85. & 86. recenset, easque majoris sagacitatis, (ubi Natura, non Artifex hoc præstare potest) industria, quàm quæ in secundo est ordine, perfici asserit, cap. 84.

Ibidem.

§. *Non est necessarium, stellarum situm expectare,* (*esset tamen utile*) *sed sufficit solum* (ergò nihil ultra requiritur) *Naturæ disponere, ut & ipsa, quæ sagax est, disponat sitibus convenientibus mobilium corporum: Non enim suum motum poterit Natura perficere sine motu & situ mobilium corporum* (Ergo post Præparationem, sola Natura omnia perficit.)

Lib. 1. cap. 12.

§. *Alii in Spiritibus; alii in corporibus: alii in salibus & aluminibus, nitris & boracibus: alii verò in omnibus rebus vegetabilibus, hanc inveniri Artē & Magisterium affirmant. Ex his autem omnibus, hi quidem secundum partem, bene: hic* (fortè illi) *vero, secundum totum malè divinum Magisterium æstimantes, illud tradiderunt posteris: Alii in omni genere Vegetabilium rerum supponunt.* [sc. materiam.

Scholion.

Ex his omnibus.) Loquitur de Scriptoribus illis, qui in Libris suis diversas opiniones (ratione materiæ) discipulis huius Artis obtruserunt, ut ex seq. Periodo (*Ex ipsorum autem*) clarum redditur.

Hi) sc. in Spiritibus & corporibus. *Illi*) In Salibus &c.

Lib. 1. cap. 24.

§. *Adhuc vero & in aliis* (sc. artificibus) *Crescentibus omnibus supponentibus, magis laboriosa* (Ars) *fore probatur: Ideoque, qui eam in Omnibus Vegetabilibus ponunt, possibile quidem ponunt, sed NON, eis* (sibi) *quoniam prius deficerent in labore, quam laboratum perfici sit possibile.*

Scholion.

Nota: 1. Quod non ponat Geber hoc loco Impossibile,

sibile, ut de Boracibus &c. dixerat. 2. Impossibilitatem non esse ratione materiæ, sed HUJUS Artificis. 3. Videtur fucus latere in Vocabulo, *omnibus*: cum non sine discrimine ex omnibus (etsi quidem omnibus insit) æquè possit hæc materia educi. Videatur hâc de re. *Lull. Testam. Theorica c.* 40. 4. Si non ex omnibus, sequi tamen potest, ex aliquibus. Non enim dicit Geber, *ex nullis*: neque etiam dicit, in quocunque Vegetabili. *Summa.* Videtur Geber dicere; Non omnia Vegetabilia esse idonea: Ex omnibus quidem, sine discrimine, posse perfici non negat: interim dicit, ejusmodi artifices in prima Operatione deficere potiùs, (aliqua talia nimis remota tractantes) antequam per præparationem eam producant Philosophicam materiam, quæ dein solâ perfectione opus habet.

Ibidem.

§. *Ideoque si tales Artem non inveniunt SUIS laboribus, artem NULLIS laboribus inveniri posse arguunt.* (Hic Error ponitur non in materia, sed in operis & laboris modis.)

Lib. 1. cap. 25.

§. *Innuimus tibi, secundum Antiquorum opinionem: qui fuerunt de secta nostrâ, artem imitantium, quod principia naturalia in Opere naturæ sunt Spiritus fœtens & Aqua viva, quam & Siccam Aquam nominari concedimus.*

Scholia.

Hæc enim etiam Artis prima sunt Principia: Ubi notanda Mercurialis partis duo nomina. 1. Aqua viva. 2. Aqua sicca, quæ & propterea sublimabilis, nec destillabilis esse debet, secundum Definitionem Sublimationis, quæ ita habet; *Sublimatio est rei Siccæ per ignem elevatio, cum adhærentia sui vasis.* Lib. de Sum. Perfect. 1. c. 10. Item: Spiritus fœtens hic in suo latet arg. vivo. *De Secta nostra:*) Ergo eadem est & Geberi Sententia. *Artem imitantium:*) Cur non dicit Geber; Naturam imitantium? Resp. Quia hi Philosophi ex iis, quæ in Artis progressu viderant, rectò ad Naturæ opus consimile fuerunt argumentati, à posteriori sc:

Ibidem.

§. *Spiritus fœtentem divisimus: Est enim Albus in occulto & Rubeus; &* (vocula hic & videtur superflua:) *niger uterque in Magisterio hujus Operis: In manifesto autem uterque tendens ad rubedinem.*

Scholion.

Ita interpretandus est hic locus: Quod videlicet fœtens hic Spiritus ab initio deliteſcat in Nigredine in quâ tamen idem Spiritus Albus & Rubeus occultatus est. Quando autem in manifestum prodit Spiritus ille, tum finalem terminum sibi habet in rubedine propositum, ad quam uterque (sc. ater & albus:) tandem determinatur finaliter.

Ibidem.

§. *In genere* (de hisce Principiis, Spiritu sc. Fœtente & Aqua viva:) *dicimus quod unumquodque ipsorum est fortissimæ Compositionis & Uniformis Substantiæ: & illud ideò, quod in eis partes terreæ, taliter partibus aëreis, aqueis, igneis, per minima sunt unitæ, ut nulla ipsarum, alteram in resolutione possit dimittere: Imò qualibet cum qualibet resolvitur, propter fortem Unionem, quam habuerunt adinvicem per minima, & paulatim à calore naturali & æquali, in mineralibus, in terræ visceribus condensato, &c.*

Scholia.

Hæc Generalia possunt etiam pro descriptione veræ Materiæ intelligi; Cum eadem debeat esse materia Artis, quæ Naturæ. Videtur autem nunc ad Opus Naturæ, & non Magisterii deflectere. Interim tamen, quia definit hæc Principia, secundum Opus Magisterii, tenendum. 1. Quod Elementarem primam naturalem eorum compositionem describat, quam dein Ars imitatur. 2. Eam Compositionem dicit esse indissolubilem. 3. Utrumque Principiorum, unâ & eâdem definitione describit, quia unum sunt, & unum indissolubiliter in altero, ratione substantiæ, unâ etiam definitione possunt definiri: videatur *Lull. Theoric. Test.* c. 38. & 41.

Unum quodque ipsorum) Sc. tam Spiritus fœtens, quam aqua viva. *Fortissimæ Compositionis & Uniformis Substantiæ:*) Hæc videntur etiam hunc sensum admittere, quod sulphur sit de Natura Mercurii, & hic de Natura illius, ut aliàs in Philosophorum Libris legitur: & Geber hæc simul juncta à Natura pro vero arg. vivo intelligit.

Per minima sunt unitæ, ut nulla ipsarum:) Hoc ipsum fit in Operatione secunda.

A calore naturali & æquali:) En! tibi Instrumentum Naturæ & Artis.

In mineralibus:) Id est, qui inest mineralibus: Intelligit ergò Instrumentum intrinsecum, ut & in Secundâ Operatione fieri solet.

Ad Exigentiam illorum:) scil. metallorum: Aliam enim habet Lapis Exigentiam.

Essentiæ, secundum opinionem, &c.) Hæc omnia etiam possunt adaptari ad Lapidis Confectionem, pro ratione Exigentiæ Essentiæ illius.

Lib. 1. cap. 26.

§. *Alii dixerunt, quod principium non fuerit arg. vivum in naturâ sua, sed alteratum, & conversum in terram suam; & sulfur similiter alteratum, & in terram mutatum &c:* (: Etiam hæc opinio, pari ratione, pertrahi potest ad Opus Philosophicum.

Ibidem.

§. *Et iste modus, quod prius* (nota hic *prius*, quando scilicet omnia post solutionem, seu potiùs Liquationem, in atrum pulverem seu terram convertuntur:) *unumquodque eorum* (unitivè sc. sumpta:) *convertitur ad terream naturam*, (utcunque enim simul maneat in Nigredine, sine aliqua separatione:) & *ex his ambabus terreis naturis, resolvitur fumus tenuissimus* (Hoc de fumo plurima hinc inde Lullius, ut & Morienus:) *à calore multiplicato in Visceribus Terræ* (In Opere Philosophico intelligendus hic venit calor Intrinsecus, qui paulatim augetur, & rectè in ipsis visceribus esse dicitur:) *Et hic duplex fumus:* (nota hic duplicem fumum:) *est materia metallorum immediata* (& ita etiam hæc combinatio in Opere Philosophico, est immediata Lapidis materia:) *Hic fumus* (sc. duplex:) *cum à calore mineræ temperato* [hic sermo est de igne externo:] *decoctus fuerit, convertitur in materiam cujusdam terræ* (vide hic paulativam Inspissationem,) *ideoque fixionem quandam suscipit, quam deinde* (ad Ablutionem

accedit :) *fluens aqua per viſcera minera, &* (hoc, *&*, ſuperfluum eſſe videri poteſt,) *terra ſpongioſitatem*, (hæc omnia, ſed à propriâ ſuâ aquâ, in Opere Philoſophico eveniunt: *diſſolvit, & ei uniformiter unitur unione naturali & firma.* (En! tibi aquam homogeneam, & propterea unibilem:) *Ideoque ſic dixerunt, ſic opinantes quod aqua fluens per meatus terræ, invenit ſubſtantiam diſſolubilem, ex ſubſtantia terræ in viſceribus illius, & illam ſolvit* (hæc omnia exquiſitè quadrant ad opus Philoſophicum:) *& uniformiter cum ILLA UNITUR* (En! aquam unibilem) *quouſque* (videtur iterationem in Solutione innuere) *& ſubſtantia terræ in Viſceribus diſſoluta, & aqua fluens diſſolvens* (explica hinc Solutiones illas Lib. 2. cap. 85. poſitas:) *Unum fuerint Unione Naturali* [ergò eſt aqua cum terra ſua Homogenea:] *& ad talem miſtionem veniunt omnia Elementa* [vide hic Reconjunctionem Elementorum, in Artificio] vel quaſi [ſeparatorum:] *ſecundum debitam naturalem proportionem & miſcentur per minima, quouſque facit Uniformem miſtionem. Et hæc miſtio per ſucceſſivam decoctionem* (ut & in Arte Lapis:) *in mineris inſpiſſatur* (naſcitur in arte, ubi omnia terreſtria excluduntur, inſpiſſatus ille Mercurius, de quo Lib. 2. c. 63.) *& induratur, & fit metallum. Et hi quidem, quamvis ſint affines Veritati, non tamen Veritatem conjiciunt puram.* (Intelligo, in Proceſſu Naturæ, ſed non Artis: cum non omnia & ſingula ita fiant in Natura, ſicut in Arte: ideò utitur vocabulo *conjiciendi*, quaſi dicat; uno nobiſcum quidem utuntur medio in Arte, ſed ex arte ad Naturam, non ſatis dextrè argumentantur, cum Ars & Natura, non in omnibus (quod illi non ſatis conſiderant) ſibi ſint ſimiles: ſicuti neque Naturam in omnibus imitatur (lib. 1. c. 10.) ſic nec ex Arte omnia ad Naturæ Proceſſum ſubterraneum applicare poſſimus.

Lib. 1. cap. 28.

§. *Sulfur eſt pinguedo Terræ* (Definitionem hanc ſulfuris diligenter notabis, ut quæ deſcribat etiam ſulfur Philoſophorum.) *in minera terræ* (intellige etiam Philoſophicæ, in Sulfuris Creatione, *Lullius in Apertorio:*) *per temperatam Decoctionem inſpiſſata, quouſque induretur.* [quod antea erat aquoſum & humidum] & ſicca [exploſo phlegmate: *fiat, & cum indurata fuerit, Sulfur vocatur* (nota: quòd nuncupetur *ſulfur* Philoſophicum, poſt ſuam Confectionem, aut Creationem: hoc eſt, quando Coagulatio fit, vel quando in terram ultimò convertitur: Vis enim ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Qui in verbis hiſce ſulfur Lullianum non aſſequitur: cæcus eſt:) *Habet ſiquidem ſulfur homogeneam & fortiſſimam compoſitionem, & eſt Uniformis ſubſtantiæ, in ſuis partibus homoæmeræ,* [quaſi homouſiæ:] *quia homogeneum eſt* (Idem dicit Lullius de ſuo Sulfure Naturæ: Relatè autem homogeneum cum arg. vivo in Opere Philoſophico, rectè etiam dicitur:) *Ideoque non aufertur oleum ab ipſa per deſtillationem* (ſc. factâ Coagulatione (deſtillato Phlegmate extraneo, hæc aërea permanens ſubſtantia, cum terra manet, quia eſt oleoſa, recedente phlegmate in deſtillatione:) *ſicut ab aliis rebus oleum habentibus.*

Ibidem.

§. *Qui quærit ex eo opus elicere, illud per ſe præparando, non eliciat, quoniam cum miſto* (quod illi in ſui Creationem mixtum arg. vivum: Licet ad literam videatur de additione calcium ad ſulfur loqui. Hîc enim veritatem occultat, uti alibi proteſtatur:) *perficitur & ſine illo* (niſi illi jam admixtum eſſet ſuum argentum vivum nihil poſſet effici:) *protelatur Magiſterium uſque ad deſperationem. Et cum ſuo compari* (jam ſibi mixto arg. vivo, quod & ob albedinem, arſenicum dici ſolet:) *fit tinctura, & dat pondus completum unicuique metallorum* (cum omne commune ſulphur per ſe ſit rarum & leve, neceſſe eſt hunc locum de alio ſulfure intelligatur, cum cauſæ non ſit ſuo effectu deterior:) *& ipſum à fœditate depurat & illuſtrat* (ſulfur autem commune ſemper inficit:) *& perficitur* (hoc ipſum Naturæ Sulphur:) *cum Magiſterio, ſine quo nihil horum præſtat, ſed potius corrumpit & denigrat.*

Ibidem.

§. *Qui etiam in Præparatione* (intellige ejus Creatione:) *ipſum commiſcere & amicare corporibus noverit* (intellige corpora, de quibus in Apertorio Lullii:) *ſciet Unum de Secretis Naturæ maximum, & Viam perfectionis UNAM* (pro, illam vere Unam:) *cum multæ ſint viæ ad unum effectum & unum intentum, &c.*

Ibidem.

§. *Per Deum Altiſſimum, IPSUM* (obſerva nunc de quo ſulfure ſit ſermo:) *illuminat omne corpus* (ergò eſt ſulfur, quod ineſt etiam corporibus: poteſt tamen etiam de tinctura jam parata, aut de ſulfure interno philoſophici arg. vivi, Solem & Lunam philoſophicam in operatione illuminante, intelligi:) *quoniam eſt Lumen, alumen* (propterea, quia etiam albificat:) *& tinctura: Eligitur autem craſſum* (was ſich klüſſig zuſammen ſetzt:) *lucidum* (En tibi ſulfur lucidum, h. e. tranſparens.)

Lib. 1. cap. 29.

§. *Eligitur arſenicum* (Artis puta:) *lucidum & ſquamoſum & ſciſſile* (Philoſophi hoc ſulphur album alibi comparant cum foliis Talci ſciſſibilibus & ſquamoſis.

Lib. 1. cap. 30.

§. *Argentum vivum*, (*quod etiam Mercurius appellatur, antiquorum uſu*;) *Eſt Aqua viſcoſa, in viſceribus terræ ſubſtantiæ ſubtilis, albæ terræ, per calorem temperatiſſimum, unita totali unione per minima, quouſque humidum contemperetur à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter.*

Scholion.

Hæc ad Præparationem arg. vivi Philoſophici accommodari omnia poſſunt: Videtur enim definire Geber ſimul etiam arg. vivum Philoſophorum reductum. Vide *Lull.* Theoric. Teſtam. c. 48.

Ibidem.

§. *Eſt etiam*, (*ut dicunt:*) *materia metallorum cum ſulphure, &c.*

Scholion.

En tibi notam, quâ innuere Gebrum aliud arg. vivum, apparet quod propriè metallorum materia, non eſt, ideoque ex eo non fit metallum, ſed Tinctura.

Ibidem.

§. *Mercurius eſt amicabilis, & metallis placabilis* (etſi ratione Originis non videatur: quinimò maxime videtur:) *& medium conjungendi tincturas* (vide Lull. Teſt.

Test. Theoric. cap. 42.) *& non submergitur aliquid in arg. vivo, nisi Sol* (scil. Philosophorum:) *Figitur & est tinctura rubedinis exuberantissimæ refectionis & fulgidi splendoris, & non recedit à commisto, donec est in naturâ suâ* (sc. commisti:) *Non est tamen Medicina in Naturâ suâ, &c.* (sc. ante secundam Operationem absolutam.)

Lib. I. cap. 31.

§. *Secundum* (Est oppositio ad eum modum, quo corpora corporibus) ut in antecedentibus est: (miscentur, sed frustra:) *nostrum Magisterium, perfectum imperfectum adjuvat, & imperfectum in nostro Magisterio PER SE perficitur, sine administratione rei alicujus extraneæ, & imperfectum* (legendum suspicor, *in perfectum*, id est in statum perfectum, materia sc. hæc imperfecta, ab initio, tandem fit perfecta:) *hoc eodem Magisterio perficitur. Et per Deum se invicem alterant & alterantur, & seinvicem perficiunt & perficiuntur, sine alicujus adminiculo* (Es ist ein ander thun in Magisterio, quam in præcedentibus secundum cursum communem ut in admixtione Solis & Saturni dixerat Geber vide ibi: Opponitur enim cursus communis & Magisterium nostrum.)

Lib. I. cap. 32.

§. *Quicquid metallum radisitus citrinat, & ad æqualitatem perducit & mundat, ex omni genere metallorum, Aurum facit, &c. Aurum quoque est pretiosissimum metallorum, & est tinctura rubedinis* (Nota: Hic duplex aurum describit Geber: quotum hoc metallum: Illud, Tinctura est: Vult sc. Geber: Aurum principaliter in Fermentatione intellectum: & quia Sol, ut priore cap. dictum, Saturnum non tingit, evincitur inde, alium hîc *Solem intelligi*:) *quia tingit & transformat omne corpus, &c. Et est Medicina* (En tibi aliud Aurum, quod Medicina dicitur:) *latificans & in juventute corpus conservans* (quasi diceret Geber, se hîc non de auro naturali, sed de subtiliore Artis auro loqui &c.) *Cum ipso* (dicto Sole:) *similiter commiscentur Spiritus* (in Lapide existentes) *& figuntur per ipsum* (Fixio autem illa fit Fermentationis tempore) *maximo* (Secretissimo:) *Ingenio, quod non pervenit ad Artificem duræ cervicis* (Ergò hæc non sunt literaliter in arte intelligenda, Es gehört ein subtiles ingenium und Verstand hierzu)

Lib. I. cap. 38.

Consideratio rei quæ perficit, est Consideratio electionis puræ Substantiæ arg. vivi: & est materia quæ ex MATERIA ILLIUS, assumpsit originem & EX ILLA creata est (En tibi argentum vivum non commune, sed ex eâ materiâ productum, quæ etiam arg. vivi *Origo & Mater* est, sic muß auß deren materi hergehen / quæ est materia materiæ arg. vivi:) *Non est autem materia illa* (prima seu generalis aut generalissima) *arg. vivi in suâ* (communis sc. arg. vivi.) *natura nec in tota substantia* (nobilissima enim ejus pars est extrahenda:) *sed est pars illius: non est autem nunc* (id est, ut propriâ Specie) *sed cum Lapis noster factus est* (id est, wann post præparationem & separationem, sie zu dem Lapide gemacht worden:) *Ipse enim*) Lapis ex suâ origine eductus & factus:) *illustrat & ab adustione conservat, quod Perfectionis significatio est.* (quando sc. effectus Laudat opus & artificem: hie werden wir gar auff ein ander / & quidem Lullianum arg. vivum gewisen.)

Lib. I. cap. 39.

§. *Non invenerunt Antiqui nostri, nec nos, nec qui post nos erunt, aliquid, quod uniretur Corporibus, nisi SPIRITUS SOLOS, vel aliquid, quod naturam CORPORIS & SPIRITUS in SE contineret &c.* (En tibi Subjectum Sublimabile, quod & corporis & spiritus in se continet naturam: Vide Lullium in apertotio suo.)

Ibidem.

§. *Ingeniati fuimus, spiritus mundare ab unctuositate videlicet adurente, eam habentes sc. à terreâ superfluitate omnes* (spiritus emundandi ab unctuositate adurente & à Terrea superfluitate:) *Et ad hoc* (Mundationem spirituum scil.) *per nullum Magisterium potuimus pervenire, nisi per solam SUBLIMATIONEM* (Sublimationis necessitas:) *Ignis enim cum elevat, subtiliores partes semper elevat:* (Ratio validissima:) *ergo dimittit grossiores. Ex hoc patet, per Sublimationem, spiritus à terreitate mundari,* (Terreitatis per Sublimationem remotio:) *quæ & ingressionem impediebat,* (inde patet, rem sublimatam, subtiliorem & fusioni aptionem reddi:) *& colorem immundum dabat* (Duo Terreitatis superfluæ vitia. 1. Ingressus impeditio. 2. Coloris immunditia) *Experientia verò notum tibi facit satis per visum tuum, illos ab ea* (sc. terreitate:) *absolutos esse. Vides enim eos splendiores & magis Pervios, & eos facilius corporum Densitatem subintrare & penetrare, & non fœdum, ut prius, colorem facere.*

Scholion.

Notandum hoc loco. 1. Requiri spiritus. 2. Sublimatione purgatos. 3. Visui pervios, quæ omnia cum sulfure & arg. vivo supradictis conveniunt.

Ibidem.

§. *Quod verò per Sublimationem adustio removeatur patet Experimento, quoniam Arsenicum, quod prius ante sublimationem impurum & pronum erat ad adustionem, post ejus sublimationem inflammari se non permittit, sed solummodò sine inflammatione recedit: & hoc idem IN SULFURE* (*si experieris:*) *invenies.*)

Scholion.

Hæc omnia ad Creationem Sulphuris Philosophici accommodari possunt: in quâ ante Coagulationem & Sublimationem materia est spiritus adustibilis, post sublimationem verò purum est sulphur & incombustile.

Ibidem.

§. *Quia verò in nullis aliis* (rebus sc.) *quàm spiritibus vidimus adhærentiam ad corpora, cum alteratione, per nullam aliam causam fuimus ab eis excusati, quin necessarium fuerit illos PRÆPARASSE cum MUNDATIONE illorum, quæ est per SUBLIMATIONEM.*) Necessitas Mundationis spirituum:

Lib. 1. cap. 40.

§. *Sublimatio eſt rei ſiccæ per ignem elevatio cum adhærentia ſui vaſis, &c. &c.* (Etſi quidem hoc Caput principaliter de ſulfuris & arſenici ſublimationibus agere videatur : habentur tamen generalia quædam notanda in illo.) *In ſublimatione* (ſulfuris & arſenici:) *neceſſe eſt Artificem Triplicem Ignis gradum ſublimationi applicare : Unum proportionatum taliter, quod per eum aſcendant alterata tantùm & mundiora, & LUCIDIORA* (Hæc Luciditas de ſulfure communi accipi non poteſt : Loquitur igitur de Sulfure Naturæ noto.)

Scholion.

Bernhardus Treviſanus de ſua Materia dicit, quod calore incompetenti ſublimata fuerit, neque diſſoluta. Unde ſequitur, eam eſſe ſiccam & ſublimabilem, ſed debito caloris modo eſſe *Aquam ſiccam reſolutam.*

Ibidem.

§. *Tota ſublimationis intentio hæc eſt, ut remotâ terreſtreitate* (ſeu terreitate :) *illius per Ignis adminiſtrationem debitam, & abjecta ſimiliter ex ea ſubtiliſſima & fumoſa illius parte, quæ aduſtionem cum corruptione adducis relinquatur nobis pars illa, quæ in æqualitate conſiſtit, quæ SIMPLICEM FUSionem ſuper ignem facit* (*ſine aduſtione aliquâ de igne fugiente*) *ſine inflammatione illius.*

Scholion.

Hæc ad ſulphur naturæ omnia quadrant quam optimè in eo enim ſeparatur ſublimatione Terreitas : miro modo aboletur pars aduſtiva ſubtiliſſima, relictâ parte, quæ in æqualitate conſiſtens, & aduſtione carens, facilimè ſuo Igniculo debito funditur. Sequuntur & alia quædam, qualitates ſulfuris ſingulares demonſtrantia quæ de ſulfure communi verificari poſſe videntur minimè.

Ibidem.

§. *Quod verò ſubtiliſſimum ſit aduſtivum, manifeſtis argumentationibus probatur. Quia ignis ad ſuam convertit naturam unumquodque eorum, quod magis affine eſt illi* (Hujus rei exemplum patet in communi Spiritu vini, cujus ſubtiles partes, neque craſſiores aqueæ, ab igne inflammantur & conſumuntur) *quia ex unaquaque re aduſtibili magis affine eſt quod ex illa eſt ſubtile, & adhuc magis affine eſt, quod ſubtilius : ergò & maximè affine, quod ſubtiliſſimum eſt. Ab Experientia ſimiliter, quoniam ſulphur vel arſenicum non ſublimatum velociſſimè inflammatur, ſulfur verò facilius.*

Scholion.

Nota : quod hoc loco inflammationis cauſam Geber in pinguedinem non reponat, licet ſupra cap. 28. Sulfur per pinguedinem definierit, ut & poſtea 58. ſed in *Subtilitatem*, & cum igne *affinitatem* inde reſultantem : Unde quale ſulphur intelligat, ſatis patere poteſt.

Ibidem.

§. *Sublimatum verò directè non inflammatur : ſed evolat & extenuatur ſine inflammatione, præcedente tamen fuſione.*

Scholion.

Hæc de ſulphure verificari nequeunt, ut quod (commune ſcil.) ſublimatum aliquoties, de ſuâ aduſtione nihil remittit : Sulphur autem Philoſophicum primò funditur, deinde verò evaporat.

Lib. 1. cap. 41.

§. *Probatio adminiſtrationis fecum eſt, ut eligatur materia ILLA, cum quâ plus conveniunt ſpiritus ſublimandi, & cui permiſcentur profundius: quoniam ILLA, cui magis uniuntur, potentior eſt in retentione fecum ſublimandorum, quam cui non* (Hoc idem vult Lullius, Sulphur Naturæ eſſe ſublimandum ex ſuâ terrâ propria) *Conjungantur cum fece de aliqua re fixa* (Idem notandum de Terra fixa quæ Vas Naturæ dicitur) *Probatio verò, quod neceſſaria ſit talium fecum adminiſtratio quibus ſublimanda conveniant & uniantur in profundo ſuo* (Nota : quare feces dicantur, & interim cum ſublimandis rebus convenire debeant, quæri poteſt ? Notentur ergò 1. feces quid importent. 2. cur conveniant, &c.) *quia ſi feces non permiſcerentur per minima, tunc idem contingeret, ſicut ſi fecem non haberent, ſcil. ut aſcenderet tota illorum Eſſentia, ſine mundatione aliqua ſicut aſcendunt ſine fecibus cum tota ſubſtantia* (ita nulla daretur Coagulatio, nullaque per ſublimationem Separatio, quæ tamen ſuper propriâ ſuâ terrâ faciliter eveniunt) *Ergo & ſimiliter à fecibus ſublimata, quibus Non uniuntur accidere neceſſe eſt &c. Illud quod plus nos excuſat à fecibus de corporibus, eſt omne genus ſalis præparati* (Ergò à debito Sale convenienti cum ſublimando, ſecuriſſima ſublimationis faciendæ via eſt) *& hujus Conſilium in Naturâ.*

Ibidem.

§. *Proportio fecum eſt, ut quantitas fecum quantitati ſublimandorum æquetur* (Hæc de Ponderibus tractatio, agit de Imprægnatione paucæ vel multæ materiæ factâ. Nam poteſt plus, minus, magis, imbibi & dein ſublimari) *In hoc enim etiam rudis artifex errare non poterit : Mediocrem verò artificem ponere medietatem ponderis ſublimandorum ex fecibus, ſufficiens eſſe contingit, & in hoc errare non debet. Exercitato verò, & maximè experto, minima illorum pars ſufficit* (Dieſer imbibiert und impregniert immerfort biß die *proportio fecum* von dem *imbibito* wol überſetzt wird / & hoc etiam erit facilimæ & puriſſimæ Sublimationis) *Quantò enim minores ſunt fecum quantitates, tantò & majoris exuberantiæ ſublimationem neceſſe eſt eſſe : dumnodo & ſecundum diverſitatem ſubtractionis fecum, fiat proportionalis ſubtractio ignis* (ubi pauciores ſunt feces, mitior etiam ignis requiritur) *In parva enim quantitate, parvus ad perfectionem Ignis eliciatur, in magna magnus, in majore major.*

Scholion.

Si Summa Volatilis, Summam Fixi ſuperaverit, tum fieri poterit, ut adhibito Ignis gradu intenſiore, Res ſublimanda de fecibus (licet puris) ſecum vehat quædam, quæ & puritati, & ſubtilitati & liquabilitati officiunt, Et hoc eſt, quod Geber alibi dicit; quoſdam tum vertiſſe in Saturnum, Jovem, Martem, &c. Multum igitur in gradu Ignis debito ſitum eſt.

Lib. 1. cap. 42.

§. *Regula sit communis: quod imprimis expedit cum parvitate Ignis, Solam Aqueitatem ex sublimandis exprimere: quâ remotâ, si quid ascendat per illum, tunc in principio hic non augeatur ignis, ut per debilissimum ignem subtilissima pars tollatur & seorsim ponatur, quæ est causa adustionis.*

Scholion.

Hæc de sulfure & arsenico communi dicta videntur: possunt tamen etiam pro cautelâ, ad opus sulfuris Naturæ accommodari, als ein Handgriff in Sublimatione. *Hujus autem viam scit exercitatus solus*, inquit Cap. citato Geber. Ergò ipsis ein arcanum.

Lib. 1. cap. 44.

§. *Melius est id Sublimatum, quod Fusum* (Ergò materia sublimata facilis est liquationis) *& Densum* (seu compactum) *in fruſtis, & apud fundum illius* (Vasis scil. ist at nicht hoch) *PERVIUM & CLARUM, cum adhærentia, ad vasis spondilia conscendisse invenitur: quoniam hoc minus habet adustionis, quam quod prope foramen reperitur scandisse &c. Probatio* (die Prob) *bonitatis & perfectionis Sublimationis est, ut inveniatur CLARA & LUCIDA, & non aduratur cum inflammatione.*

Scholion.

Hæc omnia etiam rectè de Sulfure Philosophorum intelligi possunt, cujus in Sublimationis præparatione adustio tollitur, sicuti Lullius in Codicillo docet. Et vide hîc quale Geber sulfur innuat. 1. Pervium & clarum. 2. fusile post sublimationem. 3. & non adustibile. Cogita nunc, cui rei has proprietates attribuere possis.

Lib. 1. cap. 45.

§. *De Sublimatione Mercurii sive Argenti vivi.*

Scholion.

Hic titulus est, quo promittit, Modum sublimandi Mercurium, atque videri vult primâ fronte, quasi de vivo currente arg: vivo ageret, sed quale arg. vivum intelligat Textus cum notabilibus expedient.

Ibidem.

§. *Est igitur completa summa illius* (Mercurii) *depuratio terreitatis & remotio aqueitatis illius. Excusamur enim à labore remotionis adustionis ejus quoniam eam non habet.*

Scholion.

Loquitur autem hîc Geber, de arg. vivi ex Partu Terræ orti, *naturâ mediâ*, quæ adustibilis non est; cum jam congelatio in terrâ est facta, tum etiam adustibilitas segregata est: interim illius ei insitum sulfur habet ab initio adustionem, quæ tamen in præparatione mirabiliter tollitur, quo facto, sulfur cum suo arg. vivo, & hoc cum illo mixtum intelligitur. Ita autem tractat Geber hanc arg. vivi sublimationem, ut in multis etiam ad arg. vivum vulgare ad literam accomodari posse videantur.

Ibidem.

§. *Dicimus igitur, quod ingenium Separationis SUPERFLUÆ TERRÆ ipsius est, ipsum commiscere rebus cum quibus affinitatem non habet, & sublimationem reiterare ab eis multoties.*

Scholion.

Superfluæ terræ) Habet enim in se quandam Volatilem terram, quam separare non contingit, nec opus est, ut in *Apertorio Lullii* videre est, quia superflua illa haudquaquam est, sed necessaria.

Cum quibus Affinitatem non habet) Quæritur, quomodo conveniant ea, quæ supra de sulfuris fecibus, in quibus Affinitas requirebatur, dicta sunt? Respondetur: Quantum ad eam partem, quâ occultè Geber, Veri arg: vivi sublimationem tractat, sciendum, hoc arg. vivum nunquam sine suo sulphure, & hoc sine illo esse posse. Congelatur autem isthoc arg. vivum beneficio sui sulfuris, quod ut congelatur, requirit sibi Terram, Matrem suam, in cujus gremio coagulatur, & ex inconspicuo, conspicuum redditur beneficio Matris suæ: simul autem & congelat suum arg. vivum, quod congelatur non ex fecum, sed sulphuris sui, fecibus congelati, beneficio. Sic ergò hæ feces sulfuri sunt affines: arg. vivo autem non: Neque enim arg. vivum hoc ex fecibus quicquam sibi assumit (vide *Lullium in Apertorio*) sed tantum est Vas Naturæ. Ideoque hîc nulla est contradictio.

Ibidem.

§. *Et harum* (fecum) *genus est TALK, & calx corticum ovorum & marmoris albi.*

Scholion.

Hæc ad arg. vivum vulgare spectant: Geber enim utriusque arg. vivi tractationem mirabiliter inter se commiscet: ita tamen, ut haud incertis notis, quando de hoc aut illo, aliquid dictum velit, discretio fieri possit.

Ibidem.

§. *Ab istis enim mundatur: ab aliis verò habentibus affinitatem cum eo, nisi sint perfectionis corpora* (Philosophica: Perfectionis corpora, quæ & insunt Mercurio Philosophorum sublimato) *corrumpitur potiùs, quia sulphureitatem habent omnia talia* (talis peregrina sulfureitas non pertinet ad opus Philosophicum) *quæ ascendens cum eo in sublimatione, ipsum corrumpit &c. Ergò melior est ejus sublimatio per ea cum quibus non convenit* (Hæc de utroque arg. vivo possunt rectè intelligi) *Cum quibus autem convenit, melior esset, si sulphureitatem non haberent*: (Ergò, omne inflammabile & adustibile prius est à fecibus amovendum) *Ideò à calce* [considera, qualem calcem hîc intelligat Geber: Calx enim viva habet in se sulfureitatem aliquam: Ergò alia calx intelligenda] *melior est sublimatio, quæ à rebus omnibus* [calcinandæ ergò diligenter feces] *quoniam illa parùm convenit, & sulphureitatem non habet* [Danck habeat tuum corpus] Et sic Terreitas superflua removetur.

Ibidem.

§. *Modus verò Remotionis Aqueitatis ipsius SUPERFLUÆ* [Nota superfluæ: Relinquendæ ergò est quædam aquositas: de duplici hac aqueitate vide Lullium Theoric. Testam. c. 48.] *est, ut quan-*

ut quando commiſcetur calcibus à quibus ſublimari debet, (Nota: Numerum pluralem in calce) *teratur & commiſceatur illis cum IMBIBITIONE, quouſque de illo nihil appareat (* Er ſchleufft in ſeinen calcem hinein) *& poſtea (* quando ſc. debita Coagulatio fuerit facta) *ſuper ignem lentiſſimum, aqueitas imbibitionis removeatur (* hoc fit quando factâ digeſtione, ſuperpoſito Alembico, phlegma extrahitur, reſidente interim *media arg: vivi ſubſtantia*, in calce ſua ſeu fecibus) *quâ recedente, etiam arg. vivi aqueitas (* ſuperflua) *cum ea recedit (* vide locum proximè allegatum) *ſit tamen Ignis tam lenis, ut per eum arg. vivi TOTA SUBSTANTIA non aſcendat (* Nihil igitur de tota ſubſtantia arg. vivi eſt abigendum.)

Ibidem.

§. *Ex multiplici igitur reiteratione imbibitionis (* dictæ) *cum contritione & levi aſſatione, aqueitas illius major deletur, cujus reſiduum, per ſublimationis reiterationem removetur. (* præſertim quando ante ſublimationem partes aquoſæ evaporantur ſupra cap. 42. in Regulâ adductâ.)

Ibidem.

§. *Et cum videris illud (* jam producit ſublimati hujus Mercurii Notas Veras) *albiſſimum, excellens nivem albedine ſuâ, & QVASI MORTVVM* (ut quaſi folia Talki appareant) *aludelis ſpondilibus adhærere, tunc ſuper ipſum reiterationem ſublimationem* (de qua Lullius in Codicillo cap. 14.) *ejus ſine fecibus, quoniam adhæret (* ſi iterum fecibus miſceretur) *pars ejus fixa cum fecibus, & nunquam per ingeniorum genus aliquod ab illis ſeparari poſſet.*

Scholion.

Obſerva hîc. 1. Daß in dieſem Mercurio ein pars fixa ſchon verborgen / hat ſein corpus in ſich. 2. pronus eſt ad fixionem. 3. Er ſchleufft in ſein terram hinein / daraus er nicht vider zubringen. 4. Iſt alſo nunmehr mit ihme die Secunda Operatio anzugreiffen.

Ibidem.

§. *Aut poſt illud* (ſc. factam puriſſimam ſublimationem) *figas partem illius* (niſi multiplicatio ſub hiſce verbis lateat, tunc Medicina eſt, hoc quidem in loco Ordinis Secundi) &c. *Et cum fixeris illam &c.* (reliqua omnia ſunt de Ordine Secundo, ſine Opere medio, da man der Tinctur muß zum Fluß helffen.)

Ibidem.

§. *Quod ſi LVCIDVM & albiſſimum habuerit colorem & PERVIVM, tum benè mundaſti, ſi non, non.*

Scholion.

Materiam ſc. Medicinæ. Ex diaphaneitate ergò conſtat. 1. quod hîc argentum vivum vulgi non intelligatur. 2. quare oporteat eſſe illud verum arg. vivum.

Ibidem.

§. *Igitur, ne ſis in præparatione illius* (ſulfuris & arg. vivi) *quæ per ſublimationem fit, negligens: quia qualis erit Mundatio, talis & perfectio per illud ſequitur in projectione illius ſuper unumquodque imperfectorum corporum, & ſuper ipſum vivum non præparatum* (Generaliter hîc loquitur etiam de tertio Ordine, in quo ſola projectio facit omnia) *Vnde (& quosdam contingit ferrum, quosdam verò plumbum, & quosdam per illud Venerem, & quosdam ſtannum formare: Quod contingit (* videtur hîc iterum relabi ad Ordinem Secundum) *propter purificationis negligentiam* (Operationis ſcil. Primæ) *quandoque illius ſolius* (ſcil. arg. vivi) *quandoque Sulfuris ſibi* (non ab artifice ſed natura) *admiſti, vel ejus Comparis. Si igitur directè ſublimando mundaveris, & illud perfeceris (* Ecce tibi Duas Operationes. 1. Præparationis ſeu Sublimationis. 2. Perfectionis ſeu Nutritionis) *erit albedinis Tinctura firma & perfecta, cui non eſt par. (* Hâc igitur poſtremâ Periodo redit ad Tertium Ordinem, cui nulla alia Tinctura par eſt.)

Lib. 1. cap. 46.

§. *De Sublimatione Marcaſitæ; Marcaſita habet duplicem Subſtantiam: Vnam, ſcil. ſulfur purum in naturâ ſuâ: Aliam verò arg. vivum mortificatum. Prima utilis eſt ſicut ſulfur: Secunda verò utilis, ut argentum vivum mortificatum & mediocriter præparatum. Aſſumamus hanc ultimam, quia per illam excuſamur à ſuperiore* (cap. 45.) *arg. vivo, & à labore mortificationis ejus &c. Illud elevatur albiſſimum, miſto cœleſtino colore clariſſimo & amœno &c. quod nec inflammabitur, nec proprietates ſulphuris oſtendet aliquas, ſed vivi arg. mortificati, in ſublimationis reiteratione.*

Lib. 1. cap. 47.

§. *Cauſa Longitudinis Vaſis eſt, ut extra ignem multa quantitas vaſis extendatur, & infrigidetur, ut fumi ſublimationis locum refrigerii inveniant, & adhæreant, & non inveniant viam fugæ & ſuæ exterminationis,* (Cautela in ſublimatione adhibenda) *Hoc autem novit ille, qui dum ſublimaſſet in brevibus aludelibus, nihil ex ſublimato invenit, quoniam propter brevitatem aludelis, æqualis fuit per totum ignis. Igitur ſemper in fumi ſubſtantiam converſum ſublimandum ſtetit, & non alicubi adhæſit, ſed ſucceſſive per poros evanuit. Vas ergò, in omnibus ſublimandis, ad majorem ſui partem, in loco ſui refrigerii extendatur.* (Regula Generalis in ſublimatione.)

Lib. 1. cap. 50.

§. *De Deſtillatione: Aqua acuitatem ignitionis non ſuſcipit, quemadmodum cineres.*

Lib. 1. cap. 51.

§. *Omne calcinati genus fixius eſt, quam non calcinati, & facilioris ſolutionis,* (Hæc ad multiplicationem poſſunt accommodari: dum Spiritus (qui eſt Lapis) fixione calcinatus, facilè ſua debita aqua reſolvitur.)

Ibidem.

§. *Modus Calcinationis Spirituum eſt, ut eis ad fixionem approximantibus, adminiſtretur ignis ſucceſſivè & paulatim illum augendo, ne fugiant, quouſque maximum eos tolerare ignem contingat.* (Hæc de poſtremo laboris, quando in rubrum pulverem materia dilabitur) *Et vas eorum ſit rotundum, undique clauſum &c. Excuſamur tamen à majori labore, quam qui adhibetur in cuſtodia fugæ* (ne fugiat) *Quoniam alia res non fugit, niſi Spiritus, & quod Spirituum naturæ approximat.*

Lib. 1. cap. 52.

§. *Omnis Solutionis perfectio adducitur cum aquis ſubtilibus, & maximè acutis & acribus & ponticis fecem nullam habentibus (* Hæc de Menſtruali Lulliano) *Omne quod ſolvitur, neceſſe eſt ſalis, aut aluminis vel conſimilium naturam habere. Eſt autem natura*

eorum,

eorum, quod fusionem dant ante illorum vitrificationem &c. Ergò & spiritus soluti fusionem præstabunt similiter similem (Huc referri possunt ea, quæ Fanianus de Sale suo fusili refert) *Spiritus ergò, qui magis naturam servavit spiritus* (Subsume de Spiritu illo noto: atqui hîc reliquis omnibus spiritibus spiritualior, magis etiam servat naturam spiritus) *magis à vitrificatione defendet: Magis autem servavit Spiritus solummodo purificatus, quam purificatus, fixus, calcinatus atque solutus: ideò necesse est talem* (creandis scil.) *admisceri. Resultat enim ex his bona FUSIO, & Ingressio & fixio stans.* (Ergò in Spiritu illo volatili Philosophico hæc omnia sunt inquirenda, & sic cognitum erit, sal illud fusile) *Sola salium & aluminum, & similium naturam servantia, solubilia sunt.* (Dignum est hoc caput, quod diligenter, præsertim de Alumine & Sale, legatur.)

Lib. 1. cap. 53.

§. *Medicina arg: vivi Coagulans est, quæ maximè illi in profundo adhæret* (Hæc profunditas est in genere generalissimo, uti Lullius prolixè satis testatur, ex quo, quis sit hic Mercurius, conjiciendum) *& ei* (sc. arg. vivo vulgi coagulabili) *per minima commiscetur ante illius fugam* (so muß es ja flüssiger jetzo / als die substantia communis Mercurii, quæ talia non præstat) *Ex rebus ergò ei convenientibus necesse est illam colligere* (Quæ autem res sit illi maximè conveniens, Lulliana docent scripta: Notandum etiam vocabulum colligendi, ex aliis rebus &c. ubi Collectio, ibi præsupponitur Spatsio.) *Sunt autem hujusmodi CORPORA* (dic, quæ & qualia? *) omnia & sulfur & arsenicum* (hæc qualia, in superioribus visum) *Sed quia non videmus corporum aliquod in naturâ suâ illud coagulare, sed ab eis ipsum fugere, quantumcunque fuerint suæ convenientiæ* (aures hîc arrigant, qui Solem & Lunam arg: vivo adjungunt, Lapidem inde excocturi) *ideoque consideravimus nullum corpus illi* (quantumvis summæ convenientiæ: Ergò alia & profundior convenientia indaganda) *in profundo adhærere. Subtilioris ergò substantiæ, & LIQVIDIORIS FVSIONIS necesse est Medicinam illam esse, quàm ipsa corpora* (inter corpora Geber recenset etiam arg. vivum) *Ex spiritibus etiam non videmus, illis in naturâ suâ manentibus* sie müssen einwandere Form anziehen) *firmam & stabilem coagulationem fieri illius* (scil. arg. vivi) *sed fugitivam, & multæ infectionis. Quod quidem contingit, alterum, propter spirituum fugam: alterum verò ex terreæ, & adustibilis substantiæ illorum commistione.* (vitia spirituum nondum mundatorum) *Ideoque ex hoc manifestè relinquitur, ex quacunque re Medicina illius eliciatur, ipsam necessariò debere esse* (Requisita Veræ Tincturæ necessaria) *subtilissimæ & purissimæ substantiæ* (quid autem Q. E. subtilius & purius) *illi adhærentes, ex NATVRA SVA, & FACILIMÆ liquefactionis & tenuissimæ, ad modum AQVÆ* (wo nehmen solches *in arg. vivo communi*) *& FIXÆ super ignis pugnam.* (Talia dari non possunt, nisi ex subtilissimo Spiritu, qui præ cunctis aliis Spiritûs naturam habet) *Hæc enim ipsum coagulabit, & in naturam Solarem vel Lunarem convertet.*

Ibidem.

§. *Ex ipsis* (autem) *corporibus metallicis cum SVO sulfure vel arsenico præparatis* (metalla intellige Philosophica) *hæc Medicina elicitur: Similiter ex solo sulfure vel arsenico præparatis, & ex solis similiter corporibus elici potest* (pro secundo Ordine) *Ex solo verò Arg: vivo facilius & propinquius & perfectius invenitur* (sed non ex communi arg. vivo utcunque præparato. Illud enim ad tantam subtilitatem devenire nunquam potest) *quoniam naturæ propriam naturam* (præsertim Matrem suam) *amplectitur amicabilius, & EA gaudet magis, quam EXTRANEA. Et est in ipso facilitas extractionis illius Substantiæ subtilis, cum jam in actu subtilem habeat substantiam.* (Loquitur de noto illo argento vivo, has proprietates, extra fixionem, omnes in se habente: vulgare, densum alibi appellat, neque subtile Geber, cap. sc. 63.) *Modi vero inventionis hujus Medicinæ sunt per sublimationem.* (Ergò non invenitur, nisi artificio fiat:)

Lib. 1. cap. 55.

§. *Imitantes Naturæ opera in quantum possumus, necesse est, nos modum Naturæ in cerando sequi. Cerat autem ipsa in radice cerationis fusibilium humiditate, quæ super omnes est humiditates, exspectans Ignis calorem. Igitur & nos consimili cerare humiditate* (radicali) *necessario expedit. In nullis autem rebus melius & possibilius, & propinquius hæc humiditas Cerativa invenitur, quam in HIS, vel in Sulfure & Arsenico propinquè; propinquius autem & melius in arg. vivo Horum igitur humiditatem, non videmus terram illorum relinquere* (id est, suam: Habent enim in se Terram propriam, non superfluam) *propter fortem Unionem, quam in Opere mistionis naturæ habuerunt.* (vides hîc compositionem à Naturâ factam, in quâ Terra & Humiditas radicalis mutuò se non deserunt, sed sese complent) *Modus Cerationis est, ut toties super rem cerandam, multiplicetur eorum sublimatio, quousque in illa cum humiditate suâ manentes, fusionem bonam præstent.* (Ergò, humor Mercurii Philosophici viscosus, omnia hæc perficit) *Hoc autem non fiet ante illorum perfectam mundationem.* (Ergò & mundatio terram fusionis impeditivam removendo, fusionem promovet.

Lib. 2. cap. 58.

§. *Non inflammatur, nisi quod Oleagineum est, nec liquescit per calidum facilè, nisi quod illius* (scil. oleaginositatis) *naturam habet. Sulfur itaque & ejus Compar, causam corruptionis habent, inflammabilem Substantiam, & terream Fœculentiam Causam* (Rem) *verò Perficientem habent Mediam, inter hanc causam & illam.* (Hæc magna ex parte, ad Sulphur Naturæ Lullianum transferri possunt) *Est igitur causa corruptionis in illo terreitas per hoc, quod neque fusionem, neque ingressionem habet* (Pro facili igitur fusione comparanda, quo plus terræ separatur eò facilius funditur) *& similiter inflammabilis Substantia, quia neque stat, neque stare facit, & quod nigredinem ex omni genere ejus præstat.*

Ibidem.

§. *Causa* (Res) *igitur Perfectionis in illis* (scil. sulfure & arsenico, ceu compari suo) *est MEDIOCRIS illorum substantia quia per illius terreitatem non turbatur* (scil. media illa substantia relicta, terreitate carens) *ab ingressione, quæ per fusionem bonam perficitur* (de sulfure communi alibi dicit, quod careat, ubi figatur, fusione: Ergò, ut Codicillus Lullii habet, verba hæc de alio sulphure & arsenico loquuntur) *Et per illius subtilitatem,* (ex sublimatione consequutam) *non removetur ejus impressio de facili propter fugam* (id est, etsi volatilis sit adhuc manetque materia hæc Media, utpote

nondum ad fixionem deducta : ſubtilitas tamen ejus in cauſa eſt, ut profundius miſceatur, neque tam facilè à commiſto recedat : & ſic etiam in Sulfure Naturæ decepti fuerunt aliqui, ante Nutritionem ſuſceptam, projectionem facientes) *Non eſt autem mediocris illorum* (ſulfuris & comparis illius) *ſubſtantia, perfectionis cauſa corporum, vel arg. vivi, niſi figatur.* (Ergo Nutritionis labor, etiam ſubſequi ſublimationem debet) *Patet ex præmiſſis in Capitulo, quod non eſt ſulfur de veritate noſtræ Artis, ſed Pars ejus. Arſenicum eſt Albedinis tinctura: Sulfur verò Rubedinis : In Sulfuris diviſione magnam cautelam adhibere neceſſe eſt.*

Lib. 2. cap. 59.

§. *In arg. vivo ſimiliter neceſſe eſt ſuperflua demere. Habet enim corruptionis cauſas, videlicet, terream* (Habet ergò duplicem Terram : Unam, ſuperfluã: & Alteram ſubſtantialem) *& aduſtibilis* (vide hîc cauſam, per quam arg. vivi aqueitas, perfectionem in Tincturis impedit & inficit) *abſque inflammatione* (Non eſt ſententia, quaſi flammam non conciperet, ſed quod leviſſimo igne (qui flammali oppoſitus eſt) aduratur, ſicuti de cavendâ ſpiritus aduſtione, Lullio crebrò monet) *aqueitatis ſubſtantiam* (Eſt ei ab initio, maximè aduſtibilis Subſtantia humida, quæ in imbibitionibus deinde tollitur.)

Ibidem.

§. *Si volumus Medicinam ex illo creare, tunc neceſſe eſt, eam à fæculentia :* (nota : fæculentiâ : id eſt, impura terra ſolùm removetur) *ſuæ terreitatis mundare per Sublimationem, ne in projectione creet lividum colorem : & ipſius* (neceſſe eſt) *aqueitatem fugitivam* (quæ ſc. homogenea non eſt : Ergò ubi hæc humiditas, ibi neque fixio eſt] *delere* [Hæc ſi de Mercurio Philoſophorum intelliguntur, non poſſunt de locali ſeparatione accipi : Igitur non dicit auferre vel ſeparare, ſed delere :] *ne totam Medicinam fugitivam in Projectione faciat* [Hæc igitur heterogenea aqueitas multum demi refert Medicinæ] *&* [neceſſe eſt] *mediocrem illius Subſtantiam* [à terreitate & aquoſitate liberandam] *ſalvare pro Medicina. De cujus* [ſubſtantiæ mediæ] *eſt proprietate non aduri, & ab aduſtione defendere, & quæ non fugit & fixum facit* [id eſt, figit ſubjecta in projectione] *Probamus itaque perfectivum eſſe illud* [mediocre ſc. ſive arg. vivum] *manifeſtis Experientiis, Nam videmus arg. vivum, arg. vivo magis adhærere, & eidem magis amicari* [Hîc vide duo arg. viva, quæ mutuò ſibi adhærere, non aurem, tanquam aquam aquæ, miſceri dicuntur : quod ſi hîc de communi arg. vivo ſermo eſſet, adhæſionis vocabulum, locum non inveniret. Eſt ergò tale arg. vivum, quod communi ſeu vulgari arg. vivo poteſt adhærere, & non identicè confundi, & propterea ab eodem iterum ſeparari. Sapienti ſat dictum !] *poſt illud verò aurum, & poſt hoc argentum : Ideò ex hoc relinquitur, ipſum eſſe ſuæ naturæ magis.* [Ponuntur duo Subjecta, argentum vivum vulgi, & arg. vivum philoſophicum, hæc inter ſe, ratione Naturæ, patiuntur comparationem ſecundum magis & minus : Ergò hæc duo non ſunt unum Subjectum, ſed ſunt duo ſubjecta, ſecundum naturam inter ſe [ſecundum magis & minus] differentia : Diſtinguenda igitur iſthoc in loco, duo arg : viva] *Alia verò corpora videmus, non ad illa* [Solem, Lunam, Mercurium] *tantam conformitatem habere, & ideò ipſa Veridicè inveninus minus de illius* [arg. vivi, anteà cum alio arg. vivo & Sole & Luna collati] *natura participare. Et quæcunque videmus plus ab aduſtione ſalvare, illa conſideramus plus illius* [philoſophici arg. vivi] *naturam poſſidere* [ſtat igitur per te jam, unde hoc arg. viv. aduſtionis ſalvativum educere velis] *ideoque relinquitur, ipſum* [jam toties dictum] *arg. vivum eſſe perfectivum, & aduſtionis ſalvativum, quod eſt perfectionis ultimum.*

Ibidem.

§ *Patet; arg. vivum non eſſe perfectivum in naturâ ſuâ, ſed illud, quod ex ipſo producitur, per Artificium noſtrum : Et ſimiliter in ſulfure, & compari ejus, eſt inducendum. Non ergò in his poſſibile eſt naturaliter naturam ſequi, ſed per noſtrum artificium naturale* [Natura enim ſolâ Coctione totam ſubſtantiam arg. vivi perficit.]

Lib. 2. cap. 60.

§. *Marcaſita duplicem habet in ſui creatione ſubſtantiam, arg. vivi ſc. mortificati, & ad fixionem approximantis, & ſulfuris adurentis &c. Ipſam arg. vivi ſubſtantiam habere manifeſtatur ſenſibiliter. Nam albedinem præſtat Veneri, meri argenti, quemadmodum & ipſum arg. vivum, & colorem in ipſius ſublimatione cœleſtinum præſtare, & luciditatem manifeſtam metallicam habere videmus, quæ certum reddunt artificem, illam hanc ſubſtantiam continere in radice ſua.*

Ibidem.

§. *Quæcunque alterantur, per arg. vivi virtutem vel ſulfuris, aut horum ſimilium neceſſe eſt alterari, quoniam hæc ſola communicant in natura ad ipſa corpora.*

Lib. 2. cap. 61.

§. *Sol creatus eſt ex ſubtiliſſima ſubſtantia arg. vivi, & clariſſimâ fixurâ: & ex ſubſtantiâ paucâ Sulfuris* [vide τὸ formale Auri. Ergò non tota ſubſtantia Auri ſulfur eſt] *mundi, & puræ rubedinis* [alſo muß auch die Tinctur ſeyn /] *fixi, clari, & à natura mutati* [Es muß ein andere ſulfur werden / als das ſulfur in ſuâ naturâ iſt / *tingentis illam* [alteram ſc. arg. vivi ſubſtantiam. Hæc per imaginem quandam ad Solem Philoſophorum poſſunt applicari : Sic enim Geber argumentari ſolet.]

Ibidem.

§. *Subtiliſſima igitur arg. vivi ſubſtantia ad fixionem deducta, & puritas ejuſdem, & puriſſima ſulfuris materia fixa & non adurens, tota ipſius Auri materia eſt Eſſentialis* [Igitur & Lapidis talem eſſe materiam convenit] &c. *Ex præcedentibus patet, quod multa quantitas arg. vivi eſt cauſa perfectionis, multa verò ſulfuris* [qualis ſulfuris ?] *cauſa corruptionis, & Uniformitas in ſubſtantia, quæ per miſtionem fit, in decoctione naturali* [ſc. eſt cauſa perfectionis.]

Lib. 2. cap. 63.

§. *Sulfur non fixum videmus citius, quam arg. vivum liqueſcere.*

Scholion.

Quæritur hîc 1. quale hoc arg. vivum ſit ? 2. quomodo arg. vivum dicatur liqueſcere ? Dubia ſunt hæc. Certè Liquefactio de arg. vivo communi intelligi minimè poteſt : Ergò de alio, quod tamen paulò tardius liquefit, quam ſulfur commune volatile.

Ibidem.

§. *Argentum vivum figi poteſt abſque eo, quod in terram vertatur, & figi ſimiliter, cum converſione*

illius

illius in terram potest. Nam per festinationem ad ejus fixationem, quæ per præcipitationem perficitur, figitur & in terram mutatur. Per successivam verò illius iteratâ vice sublimationem figitur similiter, & non in terram vertitur, imò fusionem dat metallicam.

Scholion.

Notanda hoc loco 1. In vero Naturæ sulfure, aut Mercurio philosophico, diversimodè quosdam, in secundâ Operatione, processisse, quorum aliqui in terram eum verterunt: alii eundem debitè excoxerunt. Priores, in præcipitatione, materiam quidem fixam, sed carentem fusione & ingressu reddiderunt; Unde Paracelsus dicit, quosdam Lapidem perfecisse, cum autem ingressu careret, seye seiner nicht geachtet worden / biß ihne die Hennen gefressen / denen die Federn außgefallen / und bald wider andere gewachsen. Item ortus hìc videtur Ordo Secundus Medicinæ, de cujus rectificatione vide postea cap. 83. Ist gleichwol aber mit vieler Mühe eine Tinctur daraus worden. Quâ de re scribunt etiam Philosophi, quod in Secunda Operatione festinantes, ante nigredinem, pulverem fecerunt rubeum, quem inutilem putarunt: Geber aber hat diesen errori widerum müssen zurecht helffen. 2. Alium modum figendi cum conservatione Ingressûs, hìc ponit Geber, per repetitionem sublimationis: ubi intelligenda ingenia subtiliora cæteris, uti posteà cap. 84. patet 3. Fusio metallica hoc loco Vitrificatoriæ fusioni opponitur, & docetur, talem dari fusionem, quæ cum metallorum substantia conjungatur & uniatur arg. vivum hoc fixum. &c.

Ibidem.

§. *Hoc autem manifestum est & illi probatum, quod utraſque fixiones illius expertus est, usque ad illius consummationem* [hat nicht vor der Zeit aufgehört] *per festinam præcipitationem, & tardam per successivas sublimationes. Vidit enim & invenit sic, ut à nobis scriptum suscepit* [id est, der mir gefolgt hat:] *Et illud ideò, quoniam viscosam & densam habet substantiam* [Hæc essentialis arg: vivi descriptio probè in singulis suis partibus est notanda;] *cujus signum est contritio illius, cum imbibitione & mistione cum rebus aliis* [Hæc non satis assequor, nisi fortè loquatur de illâ imbibitione, de quâ supra cap. 45. fuit dictum. Nisi enim inesset viscositas, tum neque misceretur in contritione, neque calci adhæreret, & cum eodem coagularetur, dimissâ & evaporatâ altera humiditate non viscosa. [*Sentitur enim in illo manifestè viscositas illius per MVLTAM adhærentiam:* Hæc cum arg: vivo vulgi prorsus nihil conveniunt, ut qui viscositate caret: conteribile non est, neque tangenti adhæret, sed statim contritum iterum coit in unum: alterius igitur generis arg: viv. requiri oportet:] *Densam autem substantiam illud habere, manifestè videt monoculus, per ipsius aspectum* [Hìc densum non sumitur pro opaco, sed pro compacto:) *& per ponderationem sui immensi ponderis: Auro enim præponderat.* (Audivi ab Illustri fide dignissimâ Personâ, se omnibus modis pondus Auri & Mercurii tentasse, sed ponderis æqualitatem semper deprehendisse. Sequitur inde, non, quod Geber falsus hìc fuerit, sed aliud, quàm commune arg. vivum hìc esse intelligendum, quod in Naturâ suâ præponderat auro, ob magnam partium suarum subtilissimarum condensationem) *cum in Natura sua est:* (Hic animadvertitur, Geberum non loqui de hâc materia, qualis ea post primam sui creationem, sive præparationem est, sed qualis est, quando post Putrefactionem oritur; & germinat, tum enim verè est in SVA Natura, quando alieno termino clauditur: deinde verò suo fermento coagulatur & figitur: In fixione enim iterum ex Mercuriali suâ substantia & natura in discontinuatum pulverem dilabitur, molesque increscere videtur, sicuti in contritione rerum compactarum videre est:) *Et est similiter fortissimæ Compositionis, ut narratum est* (Quia tum Elementa depurata adinvicem arctissimè sunt unita) Patet insuper, hoc ipsum cum arg: vivo vulgi quadrare minimè, ut cujus compositio non difficulter dissipabilis sit. *His igitur relinquitur ipsum posse figi, sine illius humiditatis consumptione, & absque in terram conversione.* (sc: per præcipitationis modum, quo multæ ejus humidæ partes exterminantur; sicque viscositas aduritur & evolat:) *Propter enim bonam partium adhærentiam & fortitudinem suæ missionis, si quo modo* (quod probè est observandum) *partes illius inspissentur:* (Ergò substantiæ moles in opere minor apparet, ob compactionem & pondus) per ignem: (Ergò solo calore, eoque miti & præcipitationis calori opposito, fit inspissatio:) *ulterius non permittit se corrumpi* (so lang gemarb gefahren sein /) *neque per ingressionem furiosæ flammæ in illud, se in fumum ulterius elevari permittit, quoniam rarefactionem sui non patitur, propter* (observa rationes) *suam densitatem* (quæ est ex subtilitate partium) *& carentiam adustionis, quæ per sulfureitatem combustibilem, quam non* (tum sc: amplius) *habet, perficitur* (Quare careat adustione illâ, manifestum est, quia illa in imbibitione & præparatione recessit:) *quia igitur arg: vivum propter nullas* (modò dictas) *causas exterminationis, se in partes compositionis suæ dividi permittit* (*quia aut cum tota sua substantia ex igne recedit, aut cum tota in illo permanens stat*) *notatur in eo necessariò perfectionis causa.*

Ibidem;

Laudetur igitur Benedictus & gloriosus Altissimus, qui creavit illud, dedítque illi Substantiam & Substantiæ proprietates quas non contingit ex rebus ullam in Natura possidere, ut in illa (substantia) *possit inveniri hæc perfectio per artificium aliquod* (Artificio quodam certa perfectio huic arg: vivo conciliatur) *quod in illo invenimus potentia propinqua* (Hæc potentia in arg: vivo vulgi haudquaquam reperitur, quasi propinqua.) *Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab igne non superatur, sed in illo amicabiliter requiescit, eò gaudens.*

Scholion.

Verum igitur Artis arg: vivum Arte non componitur, aut, ut tale sit, præparatione disponitur, sed ab ipso Deo optimo, Max: tale, (quale esse debet) creatur, ita tamen, ut separando inde, ubi inclusum est, educatur. Cum ergò fiat hoc per pauciora, quid opus quærere per plura? Et hæ Laudes ad illud pertinent arg. vivum, quod sæpe Liquabile dicit Geber.

Lib. 2. cap. 64.

§. *Argentum vivum figi potuit per frequentem sublimationis reiterationem ad illud* [observa hic alium sublimationis modum, præter communem: hic enim ad seipsum dicitur sublimari, quod in communi modo ita non est: Intelligenda igitur est, *frequens sublimationis reiteratio*, dupliciter. 1. ad Literam. 2. ad Philosophicam, continuæ & indefi-

nentis [quantumvis mitissimæ, Sublimationis modum.] *eo bonam fusionem suscipiente* &c. *Studeas igitur in omnibus tuis operibus, ut arg: vivum in commistione superet: Et si per solum arg: vivum perficere poteris* (Hoc fit in Opere Hermetico) *pretiosissimæ perfectionis indagator eris, & ejus perfectionis, quæ Naturæ vincit opus* (Natura enim tam subtilem non habet materiam, neque tam bene depuratam) *Mundare enim poteris intimè, ad quod natura non pervenit* (Ars enim naturam non per omnia imitatur, sed eam supergreditur:) Sensus ergò hic est; 1. Solo argento vivo, sine alterius alicujus rei additione procedendum. 2. quia vincit Naturæ opus, so muß Ja materia purissima & subtilissima erfordert werden.

Lib. 2. cap. 67.

§. *Probamus Spiritus corporibus magis assimilari, per hoc, quod magis corporibus uniuntur & amicabilius, quam alia in Natura. Per hoc ergo adductum est nobis inventione primâ, hos esse corporum alterationes, Medicinam Veram Ideoque omni, quo potuimus, ingeniorum genere, nos ipsos exercuimus, ut per illos, imperfectorum Unumquodque CORPORVM* (inter quæ etiam arg: vivum refertur) *mutatione firma, in perfectum Lunare & Solare transformaremus corpus. Quamobrem ex eisdem* (Spiritibus) *medicinam diversam ex diversâ alterandorum intentione creari, necesse accidit* (Jam arrige aures Pamphile:) *Cum sint igitur duplicis generis Metallo alterationis, ARGENTI vivi se: perfectione coagulabile* (Hoc loco manifestè ex Spirituum numero Geber arg: vivum vulgi excludit, dum illud per expressum corporibus & metallis connumerat, quod à paucis animadversum fuit hactenus. Ergò aliud requiritur arg: vivum, quod verè inter Spiritus referri potest:) *& à perfectione diminuta corpora, & hæc iterum multiplicia.*

Ibidem;

§. *Cum diuturni laboris instantia, magnæ indagationis industria excusari volumus ad inventionis labore Decem Medicinarum* (Decem hasce Medicinas de Secundo Ordine intelligendas patet cap. 76 propè finem) *per Vnius beneficium MEDICINÆ* (Uniçâ Medicinâ possunt omnium corporum imperfectorum defectus tolli.) *Et invenimus inquisitione longa, nec non & laboriosa maximè, & cum Experientia certâ Medicinam VNAM, quâ quidem durum molescit, & molle induratur corpus, & fugitivum figitur, & illustratur fœdum, splendore inenarrabili, & eo, qui supra naturam consistit.*

Lib. 2. cap. 69.

§. *Est diminutum in illis* (corporibus sc: imperfectis) *paucitas argenti vivi, & non recta Spissatio ejusdem. Igitur complementum erit in illis* (perfectionis in imperfectis) *arg: vivi multiplicatio, & spissatio bona & fixio permanens. Hoc autem per Medicinam ex illo* (arg: vivo) *creatam perficitur: Hæc enim cum ex arg: vivo in esse sit deducta, per beneficium illius Luciditatis & splendoris, illorum fuscedinem palliando,* Loquitur hoc loco de Secundo ordine) *celat & tegit, & splendorum educit* (Eben als wie der Tartarus im Sud/ das Silber/ so im Kupffer/ herfür zeucht) *& in fulgorem convertit.*

Ibidem;

§. *Cum enim arg: vivum in Medicina præparatum* (*Ars tota*) *per nostrum artificium sit mundatum, & in substantiam purissimam & fulgidissimam redactum, projectum super diminuta à perfectione, illustrabit,* (sc. ea) *& suâ fixione perficiet. Hanc verò Medicinam in sua monebimus oratione* (Ergò, hæc diversa est ab eâ, quæ modò fuit posita, & est hæc illa, quæ Tertii dicitur Ordinis.)

Lib. 2. cap. 74.

§. *Elicitur Medicina nostra per ea, quæ maximè corporibus adjunguntur, & amicabiliter ei dem in profundo adhærent alterantia: Ideoque cum in rebus cæteris exquirentes, non invenimus inventione nostra rem aliam magis, quam arg: vivum corporum naturis amicari, per hoc opus nostrum in illo impendentes, reperimus ipsum esse Veram Alterabilium Medicinam in Complemento, cum alteratione verâ & non modice pecuniosa.*

Lib. 2. cap. 75.

§. *Restat igitur nos substantiam ipsius* (sc: in Cap. præcedenti, dicti arg: vivi) *& proprietatis substantiæ differentias determinatè adscribere. Et cum non invenerimus ipsum sine alterationis naturæ illius administratione mutare* (necesse est primam suam substantiam exuat, ne sc: maneat in suâ Natura, Er muß ein anderer Geſtalt werden:) *invenimus & similiter ipsum præparari debere necessariò, cum non permisceatur in PROFVNDO, absque illius præparationis modo. Et est sc:* (modus præparationis illius) *ut talis fiat* (Ergò jam antea non est) *illius substantia* (dieſe Subſtantz muß ein anderer Geſtalt werden) *quod* (*quod permisceatur usque ad profundum corporis alterabilis* (das muß also auch dieſe Subſtantz: ihr profundissimum verwandelt werden) *sine separatione in æternum* (hîc videatur, quale profundum, aut, ut Lullii verbis utar, quale genus generale, in quo omnia conveniunt, requiratur.) *Hoc autem non fit* (ut eo usque fiat Reductio, aut Retrogressio) *nisi SVBTILIETVR VALDE* (Est superlativus Arabicus: Ergò ihr muß der prima violenta Sublimatione nicht ausgericht et. Nam intelligit hîc admodum subtilem, neque communem Sublimationis modum) *cum præparatione certa & determinata in Capitulo Sublimationis* (intelligo cap. 45.) *Et non permanet ejus impressio* (per magnam enim subtilitatem in profundo quidem statim conjungitur corporibus metallinis, sed non in eo perseverare potest) *similiter, nisi figatur: nec illustrat, nisi fulgidissima ex illo* (arg: vivo pro Medicina præparato & subtiliato) *elicitur substantia* (jam alium, post sublimationem, tractat gradum, qui est, post nigredinem, ad fulgidissimam albedinem deducere) *tum SVI MODI INGENIO* (ecce, hîc nullum allegat caput, sed modum peculiarem innuit (*& modo SVAE OPERATIONIS per IGNEM congruum* (Innuit Decoctionem seu Digestionem Philosophicam, usque ad germinationem. Versatur enim hîc autor in Operatione Secundâ, quæ Sublimationis operam consequitur, quæ fit primò, suo modo, non communi; secundò, in solâ Ignis administratione consistit) *Et non præstat fusionem perfectam, nisi in illius fixione adhibeatur cautela, &c.* (non enim intendendus est ignis, nisi cum omnis humor factus est fixus) *Per hoc ergò patet, quod ipsius* (arg. vivi debiti) *talis præparetur & administretur præparatio, qua fulgidissima & mundissima Substantia ex illo creetur.* [Hîc duo sunt gradus. 1 Sublimationis communis præparatio. 2. Digestio usque post omnium Elementorum rectificationem.] *Deinde verò figatur & cautela* [ignis sc.] *eidem exhibeatur, ut sc. exercitetur artifex in administratione Ignis, quo possit ex illo*

deleri

deleri humiditas (Hæc ad secundum Medicinarum ordinem referenda sunt) *in tantùm, quod sufficiat ad fusionem perfectam* (corporis perficiendi) *complendam. Et est sc. ut si quis per hanc corpora fusionis duræ mollificari in principio suæ creationis* [distingue inter Sublimationem & Creationem : nisi fortè & cautela in Sublimatione adhibenda, sicuti Lullius & Geber lentum requirunt ignem) *lentus adhibeatur ignis. Ignis enim lentus* (observa hoc axioma) *humiditatis est conversativus & fusionis perfectivus.* Ergo si semper lentè procedatur, tum humor ille non deperditur, sed conservatur, quod in Tertio Ordine requiritur.)

Lib. 2. cap. 76.

§. *Tertii Ordinis Medicinam appello, omnem præparationem, quæ quando corporibus advenit, omnem corruptionem cum projectione sua tollit, & cum omnis complementi differentia perficit. Hæc autem est UNICA SOLA. Et ideò per illam excusamur à Laboribus inventionis Decem Medicinarum Secundi Ordinis.* (Ergo, Chymico non multum desudandum est in Medicinis Secundi Ordinis præparandis, cum Unica Medicina Tertii Ordinis haberi possit.)

Lib. 2. cap. 80.

§. *Quia corporum* (imperfectorum) *est aliquid impermutabile, quod in corporum radice innatum est, quod per Secundi Ordinis Medicinam tolli non potest: ideò omnis illa Medicina, quæ illud de commisto tollit, non Secundi Ordinis, sed Tertii & majoris Ordinis appellatur Medicina* (Character unde Utriusque Ordinis Medicina dignoscenda.)

Ibidem.

§. *Non autem diversificatur hæc* (Secundi Ordinis) *Medicina, à Tertii Ordinis Medicina, nisi per minoris præparationis imperfectionem:* (Differentia Secundi & Tertii Medicinarum Ordinis, in præparationis perfectione & imperfectione consistit. Secundus Ordo festinat perficere, & eo ipso perfectionem Veram negligit) *Et non diversificatum à se* (in eo) *quod in diversorum corporum projectione, & pigmentorum acceptatione constat, sed in MODO præparationis* (Nota hîc vocabulum modi: Ergò alius intelligitur modus, quàm qui supra in artificiis manuariis positus est.)

Lib. 2. cap. 81.

§. *Argentum vivum perfectivum est in Operibus Naturæ, completis Regiminibus. Igitur & naturam mutantes minimè, sed imitantes, in quibus nos sequi est possibile operibus,* (collatio inter opus Naturæ & Artis) & *argentum similiter* [Ergò & tale assumendum arg: vivum, quali utitur Natura, quod arg. vivum vulgare esse nequit] *in hujus Operis Magisterio vivum assumimus, in cujusque perfectionis Medicina, Lunari sc. & Solari, tam quidem imperfectorum* (corporum) *quam & ipsius arg. vivi coagulabilis* [ad differentiam alterius arg. vivi, ex quo Medicina conficitur] *Estque per se hujus Medicinæ materia cujusque generis Unica, & est, quod jam sufficienter notum est* (Es wissen wol etliche die materiam debitam, können aber mit derselben nicht recht umbachen/ darumb etliche allein ein Medicinam Secundi Ordinis darauß machen/ & fortasse etiam primi Ordinis] *Assume igitur illud, & si vis ad Lunarem &c.* [jam expresè præparatio Tertii Ordinis excipitur] *Quantum verò ex Tertii* [Ordinis administratione] *non præveniente administratione aliqua* [sc. vel Medicinæ creandæ, vel corporis perficiendi præcedente aliqua præparatione] *perficit in projectione suâ.*

Lib. 2. cap. 82.

§. *Ex Ejusdem illius elicitur materia, sc. ex NOTO in capitulis hujus Operis multiplicibus* [Hîc ne vulgare intelligatur arg: vivum, videtur addere hanc restrictionem: ex noto &c: Ergò non ex eo, quod quilibet pro argento vivo habet.] *Et illud ideo, quia cum fugitivum sit arg: vivum de facili* [id est, Es mag ihm leicht ein wenig ein wörme angehen] *absque inflammatione aliqua* [id est, Es bedarff kein sundere Hitz oder glüm seyn/ biß der Mercurius anfahet riechen und flüssen] *Medicina egeat, quæ subitò ante fugam ejus* [Es muß die Medicin viel hurtiger schmelzen: Notanda vox: Subitò & ante fugam, muß die Tinctur [illegible]] *in profundo illa adhæreat, & illi per MINIMA conjungatur* [das ist ein treffliche penetratio] *& illud inspisset* [quia ergò arg: vivum commune inspissatione eget, ut fiat Aurum, sequitur illud nondum transmutatum, Auro non præponderare] *& sua fixione illud in igne conservet, quousque illi adveniat majoris ignis tolerantia* [Ergò paulatim, & non in momento in Tertio Ordine figendum] *ejus humiditatem consumentis* [Ecce! in hoc arg: vivo humiditatem, quæ exterminanda est, & transmutationem non suspicit] *& convertat illud per hoc beneficium in momento in Solificum & Lunificum Verum secundum illud* sc. pro albo aut rubeo] *ad quod Medicina fuit præparata.*

Ibidem.

§. *Quum igitur inveniamus aliquid magis illi convenire, quam ipsum, quod SUAE naturæ est* (non autem ipsummet,) *ideò propter hoc æstimavimus, cum Eo Medicinam illius compleri posse, & ingentati sumus formam Medicinæ illi* (sc. materiæ) *per ingenia præstare. Et est sc. ut præparatur cum modis suis jam dictis cum diuturnitatis laboris instantia, quâ omnis illius subtilis substantia & purissima, alba quidem in Luna, citrina verò intensa* (Ergò non prorsus rubra, & ita etiam hæc Secundi Ordinis Medicina in gradu coloris deficit) *perhibeatur perfectè* (Quæri potest, unde citrinitas detur) ℞: *Et hoc quidem non completur ut citrinum creet, sine missione rei tingentis illud* [sc. arg: vivum] *quæ suæ est naturæ:* [Ergò non de sulfure vulgari præparato, sed intra illam materiam continetur & fermentum suum.] *De hinc verò* [sequitur gradus perficiens, ad gradum præparantem] *cum hac purissima argenti vivi substantia perficiatur, cum hujus Magisterii Operis ingeniis, Medicina, quæ maximè Arg: vivo adhæreat, & fundatur facillimè* [fusio facilis fugam vulgaris arg: vivi antevertens,] *& illud coagulet, &c.*

Ibidem.

§. *Sed ex quibus MAXIME* [Ergò etiam ex aliis rebus produci posse videtur, nisi quod hic Maximè dicatur eligi] *hæc arg: vivi substantia elici possit, solet quæri. Et nos quidem respondentes narramus, quod in QUIBUS* [sey worinnen sie wollen] *ex illis elicitur. Est autem tàm quidem in corporibus, quàm in ipso argento vivo secundum naturam, cum Vnius sint reperta Naturæ: sed in corporibus* [Loqui videtur de corporum sublimatione, per quam mercurialis aliqua elevatur substantia] *difficilius, in vivo argento propinquius* [Ergò est arg: vivum ex arg: vivo, & ex eo compendiosiore via educitur] *non autem perfectius* (si solitarium sc. intelligatur, aut nondum fixum. Nam perficiendum demum est) *Igitur cujuscunque generis* (Ordinis aut rubei, aut albi) *sit Medicina, tam quidem, in corporibus* (philosophicè sumptis) *quam in ipsius arg: vivi substantia* (cur non dicit in Substantia corporum?) *Lapidis pretiosi indagatur Medicina.*

Lib. 2. cap. 84.

§. *Tertii Ordinis Medicina duplex eſt, ſc: Solaris & Lunaris. Et eſt tamen in Eſſentiâ Una & agendi Modo ſimiliter: & ideò Unica Medicina nuncupatur à noſtris Veteribus, quorum ſcripta perlegimus* [vide hic unà & eadem & operâ utramque Medicinam perfici:] *Eſt tamen additamentum citrinantis coloris* [nota non novæ ſubſtantiæ ſed coloris, ut qualitatis,] *qui à ſulfuris mundiſſima* [quale illud vulgare minimè eſſe poteſt] *pe ſuatur ſubſtantia. Eſt tamen hic Ordo Tertius, Majoris operis Ordo appellatus, & illud ideò, quia majoris ſagacitatis induſtria, in illius adminiſtratione & perfectionis præparatione* [Hic locus probè notandus eſt Nota: non loquitur de prima præparatione, quæ non eſt perfectionis, ſed purificationis: Loquitur autem de Secundo Opere, ubi omnia Hermeticè ſunt intelligenda] *& Labore longiori* [ut qui ſola Digeſtione perficitur] *ad veritatis complementum indiget. Et ideò non diverſificatur hujus Ordinis Medicina, à Secundi Ordinis* [Medicina] *in Eſſentia ullatenus, niſi per SUBTILISSIMOS præparationis gradus* (hic wollen ſubtile Handgrif erfordert ſeyn / da die Natura ſubtilis ſelbſte / der Laborant iſt) *in Creatione illius: & per diuturniorem laboris inſtantiam. Et hos gradus omnes narrabimus, &c.*

Scholion.

Mihi videtur in primis hoc diſcriminis inter Tertium & Secundum Ordinem Medicinarum obſervandum: quod Secundus Ordo ad literam ſequitur modos Operationum à Gebro ſæpè traditarum: Tertius autem Ordo, illis neglectis, Unâ & eâ quidem ſubtiliſſima Operatione contentus, Unâ Decoctione & Digeſtione totum perficit ingenium. Utitur autem materiis à Natura Arti præparatis, tantum res debitè purificans & diſponens &c: ac Decoctione juſtâ Naturæ totum Opus permittens.

Lib. 2. cap. 85.

Hoc Caput totum ſuboſcum eſſe puto. Deſcribit enim multos & magnos Labores hûc ſpectantes minimè: Labores ſc. qui manibus non perficiuntur, ſed Solâ Naturâ. Mens enim autoris nequaquam fuit hæc ſtylo perſequi Lineari & cohærente.

Lib. 2. cap. 86.

§. *Nos, ne moremur ab impiis, complementum noſtræ totius hujus Magiſterii, ſub breviſermone completo & noto. Et eſt illius Intentio, ut per SUBLIMATIONIS MODUM, mundetur perfectiſſimè Lapis, & illius additamentum* [hoc fit in uno Subjecto] *& ab hinc quidem, cum ingeniorum modo volativum ex eis figatur: De hinc verò fixum fiat volatile, & iteratò volatile fixum*] Breviter: 1. Mundatio per Sublimationem. 2. Fixio, ſeu ut Lullius vult, Lapidis per ſublimationem Creatio: & Retentio: 3. Sequitur multiplicatio.) *Et in hoc Ordine completur ARCANUM pretioſiſſimum, quod eſt ſuper omne ARCANUM hujus Mundi Scientiarum arcanum, & theſaurus incomparabilis &c. Et huic quidem* (jam per Duos primos gradus completæ) *Medicinæ Reiteratio bonitatis adminiſtrationis cum talis cautelæ induſtria poteſt in præparatione Lapidis evenire, quæ quæ arg: vivum mutet* (ſc. Medicina) *in infinitum Solificum verum & Lunificum, & non dependet, niſi in multiplicatione illius (* id eſt, ſi Opus per additionem non fixi ſæpius repetatur.)

Lib. 2 cap. 99

§. *Reſtat nos ad complementum Totius Operis divini pervenire in Capitulo Uno, & in Summam contrahere Sermonis abbreviati, in Capitulis diſperſum Magiſterium. Dicimus igitur, quod Totius Operis Intentionis Summa non eſt, niſi ut ſumatur LAPIS IN CAPITULIS NOTUS (* Singularem hîc intelligit Lapidem in Capitulis (certis videlicet & ſingularibus nec de vulgari arg. vivo loquentibus) deſcriptum, ut ſunt cap. 46. cap. 60. & alia quædam. In iſthac enim Recapitulatione, de mortificatione terræ, (ſine quâ tamen nihil fieri poteſt cap. 45.) præſupponere eum Lapidem videtur, qui Naturæ, nec Artis beneficio mortificatus innuitur: Cujus (præter Subtiliationem & Depurationem) nulla alia, Sublimatione perficienda reſtat præparatio) *Deinde verò cum Operis inſtantia aſſiduetur ſuper illum ejus Sublimationis PRIMI GRADUS* (De hiſce gradibus vide ſupra lib. 1. c. 40. de Gradibus Ignis) *& per hoc mundatur à CORRUMPENTE impuritate: & eſt ſc. Sublimationis Perfectio, ut cum eâ ſubtilietur LAPIS, donec in ULTIMAM SUBTILITATIS PURITATEM deveniat, & ultimò (* in Creatione ſc. Lapidis) *VOLATILIS fiat* (obſervanda: 1. quid Lapis vocetur. 2. Cujus operis, primi aut ſecundi intelligatur Sublimatio) *Abhinc verò cum Fixionis modo (* per Inſpiſſativam ſc. Digeſtionem) *figatur, donec in ignis aſperitate qui ſcat. Et hîc* (fixatione completâ, cum verſus fuerit in terram) *Secundi Præparationis gradus meta conſiſtit (* pro prima Lapidis perfectione) *Sed & tertiò ſimili Lapis* (in Multiplicatione) *adminiſtratur gradu, qui in ultimo conſiſtit præparationis complemento, ſc. ut jam FIXUM LAPIDEM cum modis ſublimationis VOLATILEM facias* (Hi modi ſublimationis ſunt ſubtiliores, quàm illi, qui ſæpè fuerunt annotati) *& volatilem fixum, & fixum SOLUTUM, & ſolutum iteratò volatilem* (beneficio enim philoſophicæ ſolutionis, iſthæc Philoſophica contingit volatiliſatio) *& iteratò volatilem fixum, quouſque fluat & alteret in complemento Soliſico & Lunifico certo* [id eſt, aſſignata proportione. Videtur hîc mihi Geber, unâ, quod ajunt, fidelia, duos dealbare parietes, Multiplicationem nimirum docere in Ordine Secundo & Tertio: ubi eadem ratio multiplicandi, quod ad Subſtantiam, niſi quod Secundus Ordo, ingeniis utatur ex parte manuariis, quod in Tertio Ordine ita non eſt. In Secundo autem per reiteratam appoſitionem non fixi Lapidis, videtur tandem illa Medicina in Tertium Ordinem tranſire poſſe] *Ex reiteratione igitur præparationis hujus gradus Tertii in Medicina reſultat boni atis alterationis Multiplicatio. Ex diverſitate igitur reiterationis Operis, ſuper Lapidem in gradibus ſuis, reſultat multiplicationis bonitatis alterationis diverſitas, ut ex Medicinis* [nota: quod innuit, etiam Secundi Ordinis Medicinas poſſe multiplicari] *quædam quidem ſui centuplum, quædam verò ducentuplum, quædam trecentuplum, quædam verò milleeuplum; quædam verò infinitum Soliſicum & verum Perfectionis Lunificum tranſmutet corpus.*

Inveſtigat Lib c. 12.

Lapis noſter nihil aliud eſt, quam SPIRITUS FOETENS & AQUA VIVA [quam & Siccam Aquam nominavimus] per naturalem proportionem, mundatam & unitam UNI NE TALI, quod ſibi neutiquam abeſſe poſſunt [was darff man dann erſt auſſer dis anderen ſuchen] Quibus addi debet Tertium, ad opus abbreviandum: hoc eſt Corpus perfectum attenuatum, id eſt, Volatile vel ſpirituale factum, ut hoc lib. c. 10. habet.

FINIS.

LIBRI II. SECTIO III.

Quâ Authores *qui à* ROGERIO BACONE Anglo, *ad* RAYMUNDUM *usque* LULLIUM Majoricanum, *scripserunt cum suis traduntur Commentatoribus.*

SUBSECTIO PRIMA.

Quæ à ROGERIO BACONE *scripta sunt habet.*

ROGERII BACHONIS *De* ALCHEMIA Libellus, *cui Titulum fecit,* SPECULUM ALCHEMIÆ.

PRÆFATIO.

MULTIFARIAM multisque modis loquebantur olim Philosophi per sua scripta, cum velut in ænigmate, & quasi nebulosa voce scientiam quandam præ cæteris nobilem, nobis penitus obumbratam reliquerunt, & sub desperationis velo negatam omnino, & hoc non sine causa. Quare ego præcipio, ut præ omnibus aliorum scriptis, super ista septem capitula, transformationem metallorum in se continentia, mentem tuam firmiter fundes, & eorum principium, medium & finem sæpius in corde revolvas, & subtilitatem talem in eis invenies, qua adimplebitur animus tuus.

CAP. I.

De Diffinitionibus Alchemiæ.

IN pluribus antiquorum codicibus plures inveniuntur istius Artis diffinitiones, quarum intentiones nos in hoc capitulo considerare oportet: nam Hermes de hac scientia dicit, Alchemia scientia corporea ex uno, & per unum simpliciter composita, preciosiora ad invicem per cognitionem & effectum conjungens, & eadem naturali commixtione in genus melioris convertens. Alius quidam dicit: Alchemia, est scientia docens transformare omne genus metalli in alterum: Et hoc per medicinam propriam, sicut patet in multis Philosophorum libris. Quare Alchemia, est scientia docens facere, & generare quandam medicinam, quæ Elixir nuncupatur, quæ quando projicitur super metalla, seu corpora imperfecta, perficit ipsa completè in momento projectionis.

CAP. II.

De Principiis naturalibus, & Procreationibus mineralium.

SEcundo principia naturalia, & procreationes mineralium perfectè declarabo. Unde primo notandum est, quod principia mineralia in mineris sunt Argentum vivum & Sulphur. Ex istis procreantur cuncta metalla, & omnia mineralia, quorum multæ sunt species, & diversæ. Sed dico quod natura semper proposuit, & contendit ad perfectionem auri. Sed accidentia diversa supervenientia transformant metalla, sicut in multis invenitur Philosophorum libris aperte. Nam secundum puritatem & impuritatem prædictorum duorum, scilicet Argenti vivi & Sulphuris, pura & impura metalla generantur, videlicet: Aurum, argentum, stannum, plumbum, cuprum, ferrum. De quorum natura, videlicet puritate & impuritate vel immunda superfluitate & defectu, talia accipe vera. De natura Auri: Aurum quidem est corpus perfectum, ex argento puro, fixo, claro, rubeo, & ex sulphure mundo, fixo rubeo, non adurente generatum, & nullum habet defectum. De natura Argenti: Argentum est corpus mundum, purum, fere perfectum, ex argento vivo puro, fere fixo, claro, & albo, & de tali sulphure procreatum, & deficit ei pauca fixatio, & color cum pondere. De natura Stanni: Stannum est corpus mundum imperfectum, ex argento vivo, puro, fixo & non fixo, claro, albo in suo manifesto, & rubeo in suo occulto, & de tali sulphure procreatum, & deficit ei sola decoctio sive digestio. De natura Plumbi: Plumbum est corpus immundum & imperfectum, ex argento vivo impuro, non fixo, terreo, fæculento, aliquantulum albo in manifesto, & rubeo in occulto, & ex tali sulphure adustibili ex aliqua parte procreatum, & deficit ei puritas, fixatio, cum colore & ignitione. De natura Cupri: Cuprum est corpus immundum & imperfectum, ex argento vivo, impuro, non fixo, terrestri, adurente, rubeo non claro, & ex tali sulphure generatum: & deficit ei fixatio, & puritas cum pondere, habetque nimis de colore impuro, & terrestreitate non adurente. De natura Ferri: Ferrum est corpus immundum & imperfectum, ex argento vivo impuro, nimis fixo, terrestri adurente, albo & rubeo non claro, & ex tali sulphure generatum, & deficit ei fusio, puritas & pondus, & nimis habet de sulphure fixo immundo, & terrestreitate adurente. Hæc ergo jam dicta Alchemista quilibet notare debet.

CAP. III.

Ex quibus propinquius Materia Elixiris sit elicienda.

IN jam dictis, sufficienter determinata est procreatio tam perfectorum quam imperfectorum metallorum. Nunc ad materiam imperfectam perficiendam eligendamque redeamus. Cum ex capitulis præcedentibus satis notum sit, quod ex argento vivo & sulphure cuncta procreentur metalla, & quomodo ipsorum impuritas immundiciaque corrumpit, & cum nulla res metallis adhiberi debeat, quæ non ex ipsis sit composita seu orta, satis nobis aperte relinquitur, quod nulla res extranea, quæ ex his duobus non sumpsit originem, potens est & sufficiens ipsa perficere, vel eorum transmutationem facere novam. Quare admirandum est quod aliquis prudens suam fundat intentionem super animalia, sive vegetabilia quæ valde sunt remota, cum inveniantur mineralia satis propinqua. Nec credendum est omnino, quod aliquis Philosophorum, posuerit artem in prædictis remotis, nisi si nilitudinarie. Sed ex prædictis duobus fiunt metalla cuncta, & nihil eis adhæret, nec eis conjungitur, nec ea transmutat, nisi quod ex illis est. Et sic de jure oportet nos accipere Argentum vivum & sulphur, pro lapidis nostri materia. Nec argentum vivum per se solum, nec sulphur per se solum aliquod generat metallum, sed ex amborum commistione diversa metalla diversimode procreantur, & mineralia multa. Ergo ex amborum commistione materia nostra constat eligenda. Sed finale nostrum secretum, est excellentissimum & maxime occultum: Ex qua re minerali debeat fieri propinquius & vicinius: & hoc ipsum eligere sollicite tenemur. Pono igitur, quod eligatur materia nostra primo ex vegetabilibus, ut sunt herbæ, arbores, sive omne progrediens è terra. Tunc oportet inde prius fieri Argentum vivum & sulphur per longam decoctionem, à quibus, & à quorum operatione excusamur, cum nobis natura proponat Argentum vivum & Sulphur. Et si eligeremus ex animalibus, ut sunt sanguis humanus, capilli, urina, egestio, ova gallinarum, & omnia quæ ex animalibus procedunt, oporteret etiam ex ipsis fieri argentum vivum & sulphur decoquendo, à quibus excusamur, ut prius. Sin eligeremus ex mediis mineralibus ut sunt omnia genera Magnesiarum, Marchasitarum, Tutiarum, Attramentorum, seu vitriolorum, aluminum, Baurach, salium, & aliorum multorum, oportet similiter, ut ex prædictis, argentum vivum inde fieri, & sulphur decoquendo, à quibus, ut ab aliis præcedentibus, excusamur. Et si eligeremus aliquem ex septem spiritibus per se, ut solum argentum vivum, aut sulphur solummodo, aut argentum vivum & unum è duobus sulphuribus, aut sulphur vivum, aut auripigmentum, aut arsenicum citrinum, aut rubeum solum vel compar, nequaquam perficeremus: quia cum nunquam natura perficit aliquid sine amborum commistione æquali, nec nos, à quibus tunc, ut à prædictis argento vivo & sulphure, in sua natura excusamur. Finaliter, si eligeremus ipsa, quodlibet sicut est oportet nos commiscere secundum debitam proportionem, quam humanum ignorat ingenium, & postmodum decoquere ad coagulationem in solidam massam. Et ideo excusamur à receptione amborum in sua propria natura, videlicet argenti vivi & sulphuris, cum ignoremus dictam proportionem, & inveniamus corpora in quibus invenimus prædicta proportionata, coagulata & coadunata debito modo. Hoc secretum tene secretius. Aurum est corpus perfectum & masculinum, sine superfluitate aliqua aut diminutione. Et si imperfecta sola liquefactione sibi commista perficeret, esset elixir ad rubeum. Argentum est etiam corpus fere perfectum & femineum, quod si etiam imperfecta fere perficeret sola fusione vulgari, esset elixir ad album, quod non est, nec esse potest, quia solummodo perfecta sunt. Quod si illa perfectio esset commiscibilis imperfectis, non imperfectum cum perfectis perficeretur, sed potius illorum perfectio cum imperfectis diminueretur, & imperficeretur. Sed si essent plusquam perfecta, vel in duplo, vel in quadruplo, centuplo, vel ultra, interim perficerent imperfecta. Et quia natura semper operatur sin pliciter: perfectio in eis simplex est, & inseparabilis & incommiscibilis, nec arte ad opus abbreviandum ponerentur in lapide pro fermento, & reducerentur tunc in pristinum, cum summa volatilis superat summam fixi. Sit quia aurum est corpus perfectum ex argento vivo rubeo claroque, & ex tali sulphure, ideo non eligimus ipsum pro materia lapidis ad Elixir rubeum, eo quod ita simpliciter est perfectum, sine mundificatione ingemosa, & tam fortiter digestum, & coctum naturali caliditate, quod cum igne nostro artificiali vix in aurum & argentum operari valemus. Et quamvis natura aliquid perficiat, tamen intime mundificare, seu perficere, ac purificare ignorat, quia simpliciter operatur super illud, quod habet. Quare si eligeremus aurum vel argentum pro materia lapidis, vix aut difficulter inveniremus ignem in eis argentum. Et licet non ignoremus ignem, tamen ad intimam sui mundificationem & perfectionem pervenire non possemus, propter sui fortissimam compactionem, & compositionem naturalem: quare excusamur à receptione primi ad rubeum, seu secundi ad album, cum inveniamus rem, vel corpus aliquod, ex tam mundo, vel mundiore sulphure & argento vivo, super quod natura parum, vel minimum est operata, quod cum igne nostro artificiali, & experientia artis nostræ, ad congruam sui decoctionem, mundificationem, & colorationem & fixationem cum ingenioso nostro opere, super hoc continuato, valeamus pervenire. Eligenda est ergo materia, in qua est argentum vivum mundum, purum, clarum, album, & rubeum, non ad complementum perductum, sed commistum æqualiter & proportionaliter, per modum debitum cum sulphure tali, & in massam solidam congelata, ut cum ingenio & prudentia nostra, igneque nostro artificiali ad munditiam sui intimam & ad ipsorum puritatem pervenire possimus, & talem efficere, quod ipsa post operis complementum sit millies millesies fortior & perfectior, quam ipsa corpora simplicia caliditate naturali decocta. Esto igitur prudens. Nam si in capitulis meis subtilis & ingeniosus fueris, in quibus manifesta probatione, & aperte materiam lapidis cognoscendam demonstravi, gustabis illud delectabile, super quod Philosophorum intentio cadit tota.

CAP. IV.

De Modo agendi, & Igne moderando, & continuando.

CRedo te invenisse, si non es durissimæ cervicis, & velo ignorâtiæ totaliter perfusus vel insipiê-

tiæ,

tiæ, per verba jam dicta, certam Philosophorum materiam, lapidis benedicti peritorum; super quam operatio Alchemiæ est adhibenda, cum imperfecta conamur perficere, & hoc cum plusquam perfectis. Et cum nobis natura tradidit imperfecta solummodo cum perfectis, oportet nos plusquam perficere materiam in capitulis notam cum nostro opere & labore artificiali. Et si ignoramus agendi modum, quid est in causa, quod non videmus qualiter natura quæ olim metalla perfecit, frequenter operatur? Nonne videmus quod in mineris per continuatam caliditatem, quæ in montibus mineralium est, aquæ grossities in tantum decoquitur & inspissatur, ut fiat per tempus argentum vivum? Et ex pinguedine terræ per eandem decoctionem & caliditatem generatur sulphur? Et quod per illam caliditatem perseveranter super ipsa continuatam, ex prædictis secundum ipsorum puritatem & impuritatem, cuncta generantur metalla? Et quod natura tam perfecta, quam imperfecta cuncta, sola decoctione perficit, sive facit metalla? O nimia dementia, quid vos rogo, cogit per aliena regimina melãcholica & fantastica velle perficere prædicta? Quemadmodum quidam dicit: Væ vobis qui vultis superare naturam, & metalla plusquam perficere novo regimine seu opere orto ex capitositate vestra insensata. Et Deus naturæ dedit viam linearem, scil. decoctionem continuam, & vos insipientes ipsam imitari spernitis, vel ignoratis. Item: Ignis & azor tibi sufficiunt. Alibique. Calor omnia perficit. Et alibi. Coque, coque, & non te tædeat. Et alibi. Fiat ignis vester blandus & mitis, qui per singulos dies semper æqualis ardendo perduret, nec invalescat, sin aliter, sequetur maximum damnum. Et alibi. Patienter & continue. Et alibi. Tere ipsum septem vicibus. Et alibi. Scias quod una re, videlicet lapide, una via, scilicet coquendo; & uno vase totum magisterium terminatur. Et alibi. Igne teritur. Et alibi. Hoc opus multum creationi hominis assimilatur. Sicut enim infans in principio levioribus nutritur cibis, ossibus autem confortatis, semper fortioribus: sic & magisterium istud, primo indiget igne lento, quo semper in decoctionis essentia qualibet est agendum. Et quamvis semper loquamur de igne lento, revera tamen sentimus, quod in operis regimine paulatim & vicissim usque ad finem augmentandus & majorandus est ignis.

CAP. V.

De qualitate vasis atque fornacis.

TErminum, modumque agendi jam determinavimus, nunc de vase ac fornace, qualiter & ex quibus fieri debeant, audire licet. Cum natura naturali igne in mineris metalla decoquat, decoctionem illam sine vase ad hoc apto denegat. Et si naturam sectari proponimus in coquendo, quare vas ejus esset rejiciendum? Videamus ergo primò, qualis locus sit generationis metallorum. Manifeste percipitur in mineralium locis, quod in fundo montis est calor, æqualiter perdurans, cujus natura est semper ascendere, qui in ascendendo semper desiccat ubique & coagulat aquam spissiorem seu grossiorem in ventre, seu venis terræ sive montis absconditam in argentum vivum: Et si illius loci pinguedo mineralis ex terra hujusmodi calefacta fuit congregata in venis terræ, currit per montem, & est sulphur. Et ut videre licet in venis prædictis illius loci, illud sulphur ex pinguedine terræ, ut prætactum est, generatum, obviat etiam argento vivo (ut etiam scriptum est) in venis terræ, & aquæ spissitudinem mineralis procreat. Ibi per calorem in monte æqualiter perdurantem, longo generantur tempore diversa metalla, secundum loci diversitatem. In mineralium vero locis invenitur caliditas semper durans. Ob hæc de jure nobis notandum constat, quod mons minerālis externus est ubique clausus in seipso & lapideus, quia si calor exire valeret, nequaquam metalla procrearentur. Si ergo naturam imitari intendimus, habemus necesse tali modo furnum, ad instar montium, non magnitudine, sed caliditate continua providere, ita quod ignis impositus, cum ascendit, exitum non inveniat, & reverberet calor vas, materiam lapidis continens in se, firmiter clausum. Quod vas rotundum debet esse cum parvo collo, de vitro, vel de terra aliqua, naturam sive compactionem vitri præsentantem, cujus os cum tali cooperatorio, & bitumine debet esse signatum vel sigillatum. Et sicut in mineris calor immediate non tangit materiam sulphuris, & argenti vivi, quia terra montis interest ubique: sic immediate ignis tangere non debet vas in se materiam continens prædictorum, sed in alio vase similiter clauso illud est ponendum, ut ita materiam superius & inferius, & ubicunque sit melius & aptius, calor temperatus attingat: unde Aristoteles dicit in Lumine luminum, quod Mercurius in triplici vase est coquendus, & quod vas de vitro sit durissimo, vel, quod melius est, de terra naturam vitri possidente.

CAP. VI.

De Coloribus accidentalibus & essentialibus in opere apparentibus.

EXquisita lapidis materia, modum agendi certum cognosces, per quem modum, per quod regimen lapis decoquendo in coloribus diversis sæpius transmutatur. Unde quidam ait: Quot colores, tot nomina. Secundum diversos colores in opere apparentes, per Philosophos ejus nomina variata sunt. Unde in prima lapidis nostri operatione, est putrefactio appellata, & fit lapis noster niger. Unde quidam dixit: Cum inveneris ipsum nigrum, scias quod in nigredine illa albedo occultata est, & nunc oportet illam extrahere à subtilissima illa nigredine ejus. Post vero putrefactionem rubescit, non rubedine vera, de quo quidam ait: Sæpius rubescit & sæpius citrinescit, & sæpius liquescit, & sæpius coagulatur ante veram albedinem. Et seipsum etiam dissolvit, seipsum coagulat, seipsum putrefacit, seipsum colorat, seipsum mortificat, seipsum vivificat, seipsum denigrat, seipsum dealbat, seipsum rubore decorat cum albedine. Et etiam viridis, unde alius ait: Coque eum donec natus viridis tibi apparet, & est ejus anima. Et alius. Scias quod in viriditate anima illa dominatur. Apparet etiam ante albedinem color pavonis, unde quidam sic ait: Scias quod omnes colores qui in mundo sunt, aut excogitari possunt, apparent ante albedinem; & deinde albedo sequitur vera, unde quidam ait, Cum autem purus decoquatur donec veluti oculi piscium eluceſcat, ejus utilitas expectanda erit, & tunc lapis in rotunditatem est congelatus. Alius autem ait: Cum inveneris albedinem supereminentem in vase, esto certus quod in albedine illa rubedo occultata est, & tunc oportet te illam extrahere: veruntamé coque;

donec totum rubeum fiat. Eſt enim inter veram albedinem & veram rubedinem, quidam cineritius color, de quo dicitur: Poſt albedinem errare non potes, nam augmentando ignem ad cineritium pervenies, de quo alius dicit: Ne cinerem vilipendas, nam Deus reddet tibi liquefactum. Et tunc ultimo Rex diademate rubeo coronatur, NUTU DEI.

CAP. VII.

De Modo projiciendi Medicinam ſuper quodlibet imperfectorum.

REi promiſſæ finem perfecte complevi, videlicet Magiſterii magni, ad elixir excellentiſſimum rubeum & album faciendum. Finaliter de modo projectionis, quæ operis eſt complementum, & lætitia deſiderata & expectata, tractare nos oportet. Et rubeum quidem elixir, citrinat in infinitum, ac omnia metalla tranſmutat in aurum puriſſimum. Album vero Elixir dealbat uſque in infinitum, & quodcunque metallum ducit ad albedinem perfectam. Sed ſciendum eſt, quod unum metallum magis eſt remotũ à perfectione quam aliud: Et aliud propinquius alio, & vicinius. Et quamvis quodlibet metallum per Elixir ad perfectionem reducatur, tamen levius, citius, & melius, & perfectius propinqua reducuntur, quam multum remota. Et cum inveniamus metallum propinquum & vicinum perfectioni, excuſamur per ipſum à multis remotis. Quæ vero metalla remota & propinqua, & quod propinquius & vicinius perfectioni ſit, in capitulis meis, ſi ſapiens & ingenioſus fueris, ſatis aperte invenies, & veraciter determinatum. Et proculdubio qui in hoc meo Speculo in tantum eſt ingeniatus, quod ſua induſtria invenire ſcit materiam veram bene ſapit ſuper quod corpus ad perfectionem ſit projicienda medicina. Nam Præcurſores iſtius Artis qui eam per ſuam Philoſophiam invenerunt, demonſtrant digitis ſatis manifeſte viam linearem, & denudatam cum dicunt: Natura naturam continet: Natura naturam ſuperat. Et natura obvians ſuæ naturæ lætatur, & in alienas transmutatur naturas. Et alibi. Omne ſimile applaudit ſuo ſimili, quia ſimilitudo dicitur cauſa amicitiæ, de quo multi Philoſophi notabile ſecretum reliquerunt. Scias quòd anima corpus ſuum citò ingreditur, quæ cum corpore alieno nullatenus conjungitur. Et alibi. Anima enim citò corpus ingreditur ſuum, quam ſi cum alieno corpore conjungere ſtatueris, in caſſum laborabis: Nam & ipſa vicinitas magis eſt lucida. Quia enim corpora in regimine fiunt incorporea, & è converſo, incorporea corporea, & in complemento totum corpus fit ſpirituale fixum: Et quia elixyr illud ſpirituale evidenter, ſive album, ſive rubeum, ultra naturam ſuam tam multum eſt præparatum & deductum, non eſt mirum, quòd incommiſcibile eſt corpori, ſuper quo projicitur ſolummodò liquefacto. Grave eſt etiam projicere ſuper millies millia & ultra, & illa in continenti penetrare & transmutare. Quare vobis ſecretum magnum & occultum jam tradam. Commiſcenda eſt pars una cum mille corporis vicinioris, & hoc totum includatur firmiter in vaſe apto, & pone in furno fixionis, primo cum igne lento, & ſemper augmentando ignem per tres dies, donec inſeparabiliter ſint conjuncta. Et hoc eſt opus trium dierum. Tunc iterum & finaliter projicienda eſt pars quælibet iſtius una ſuper alias mille partes cujuslibet corporis vicinioris. Et iſtud eſt opus unius diei, ſeu unius horæ vel momenti. De quo ſemper mirabilis eſt laudandus Deus noſter in æternum.

Epiſtola Fratris ROGERII BACONIS *de* SECRETIS OPERIBUS ARTIS *&* NATURÆ, *&de* NULLITATE MAGIÆ.

Operâ IOHANNIS DEE LONDINENSIS *è pluribus Exemplaribus caſtigata olim & ad ſenſum integrum reſtitut. . Nunc verò à quodam veritatis amatore, in gratiam veræ ſcientiæ candidatorum foras emiſſa; cum notis quibusdam partim ipſius* IOHANNIS DEE, *partim edentis.*

Clariſſimis Reſtitutionis Univerſi Phoſphoris, Illuminatis ROSEÆ CRUCIS FRATRIBUS Unanimis: *Gratia & pax multiplicetur, cum firma & perpetua protectione Divina.*

QUum in Sileſiam veniſſem anno communis æræ Chriſtianorum 1597. *nihil mihi potius fuit, quàm ut* 16. *Iohannem Montanum Strigonienſem convenirem, & celebri hominis permotus fama, & maximè quod illa Theophraſti Hohenheimenſis ſcripta, quæ medicinam tractantibus maximo uſui eſſe judicabam, ex illius Bibliothecâ in publicum prodiiſſe perſpicerem. Ab illo autem humaniter acceptus adventus cauſam expoſui. Quumque multi hinc inde jactarentur ſermones, ad Heliæ Artiſtæ mentionem tandem delati, interrogavi exiſtimaretné in vivis eſſe Heliam illum Theophraſteum, à quo omnium ſcientiarum & artium, maximè verò Chemiæ & Medicinæ reſtitutio ſperaretur? Liberius hic ſuam ſententiam profeſſus, aſſeveranter dixit, & in vivis eſſe Heliam illum, de quo Theophraſtus talia vaticinatur, nec adeo diu illam Reſtitutionem expectandam; ſed utrum ab uno aliquo viro, an unanimi plurium conſenſu facienda eſſet illa reſtitutio clam me habuit. Multa autem inſuper addidit divinus ille vir, quæ ne in aurem quidem ſuſurrare licet, niſi illius, qui ad ultimam ſui abnegationem adnititur. Et quamvis injuriâ quorundam inceptum meum fruſtra eſſet, quod medicinæ relictis ſtudiis aliam vitæ viam inire coactus ſum: tamen quantum victus, & profeſſionis meæ ratio pateretur, omni animi impetu in rerum cognitionem ferebar: & ſi quid ſubſidii aut ex ſcriptis aliorum, aut propriis conatibus nanciſcebatur, eò omnia referebam. Opera namque Domini magna ſunt, quæſita omnibus volentibus ea Pſal.* 111. 2. *Et hanc negotiationem malam dedit Deus filiis Adami, ad affligendum ſe in ea Eccl.* 1. 13. *Poſt aliquot annos, apparuit ſub nomine Heliophili à Percis diſquiſitio quædam de Heliâ Artiſtâ in qua etſi auctor diſertè quidem & nervosè, duorum Jeſuitarum inanes metallicæ metamorphoſeos oppugnationes rejecerit;*

je cerit : argumentum tamen ita prorsus deserit, ut totius rei fides penes ipsum Theophrastum relinqueretur. Anno tandem 1615. libellus quidam cui titulus Mysterium Arithmeticum emanavit in vulgus quem etsi parum intelligerem, mirabar tamen quinam essent illuminatissimi illi, sapientissimique fratres R. C. quibus est inscriptus; certò enim certius persuasi mihi, non posse esse de fæce illa ignavorum fraterculorum animalium Papæ qui tantis præconiis dignarentur, qui suæ vocationis quæ sunt, non negligerent; qui inventi novi, ardui, admirandi, judices darentur; qui promissa charitate viverent; qui virtutibus exactissimis, moribus nil nisi gratiam spirantibus essent exultissimi; qui divina ingenti claritate, perenni sapientiæ fonte, immo & æternæ lucis candore gauderent; quibus nihil dignius, nihil gratius; nihil optatius, possit occurrere. Exardebat animus cognoscendi studio, quæ tandem esset ista judicundissima bonorum consensio, ad quos preciosissimum illud charitatis unguentum in Christi summi sacerdotis caput effusum, tanquam ad oram vestimentorum, id est membrorum ejus descenderat : qui illum fidei articulum de Communione sanctorum antea tantum creditum, vere & realiter profiterentur. Anno 1616. amici cujusdam ope aspexi Famam fraternitatis cum adnexa Confessione. Tum demum rediit mihi in mentem dictorum Montani, tum demum sperabam fore, ut quam restitutionem Christus olim incepit in religione per prædicationem Lutheri, eam humanæ conditionis miseritus, etiam in scientiis, & in universa denique vita acciperet, tandemque perficeret; ut abolita omnium inimicorum potestate, ignorantiæ, peccati, etiam mortis, quæ peccati stipendium est, solus Christus regnet in suis (1. Corinth. 15. 25.) ut quod precari jubemur, tandem etiam assequamur, ut veniat regnum ejus, ut fiat voluntas ejus sicut in cœlo, sic & in terra. Hæc enim illa sunt quæ loquutus est Deus, per os omnium qui fuerunt à seculo prophetarum : ut nos de manu inimicorum (peccati, tyrannorum, mortis, diaboli) liberati : sine timore serviamus ei, omnibus diebus vitæ nostræ (Luc. 1. 70 &c.) Atque ista unusquisque pius tam scire debet esse futura, quàm certò scit verum esse illum qui promiserit Habetis (illuminati fratres) quibus gradibus ad vos deductus sum. Et si illi estis quos ego animum induxi meum, nihil opus habetis ut ego quicquam de me tester. habetis enim & ipsi Unctionem à sancto illo quæ vos omnia docet. Et quemadmodum illa ipsa vos docet de omnibus (& de me) in eo manete quia vera est & minimè fallax (1. Joh. 2.) Nolite mirari (exoptati fratres) quòd quum vos omnia sciatis, hanc Rogerianæ Epistolæ editionem vobis inscripserim : neque enim aliorsum feci; nisi ut (quemadmodum Fama vestra jubet) desiderium meum & observantiam vobis testatam esse percupiam: tum etiam quia plurima hic sunt apud vulgus incognita, quamvis nullo modo similia vestris sed longo post intervallo; tamen excitare volui studiosorum ingenia, ut crederent plurimas adhuc latere veritates, & rerum abditarum cognitionem sectarentur : ut quam præbetis illucescentis sapientiæ spem, alacrioribus animis amplecterentur:

Valete fratres dilectissimi, meque summa animi observantia vobis commendatum habete.

In confessV sVbsannatorVM non seDI Psalm. i.

Epistolæ Fratris ROGERII BACONIS *De* SECRETIS OPERIBUS ARTIS & NATURÆ, *& De* NULLITATE MAGIÆ

CAPUT I.

De & contra Apparentias fictas; & de & contra Invocationem spirituum.

VEstræ petitioni respondeo diligenter. Nam licet natura potens sit & mirabilis, tamen ars utens natura pro instrumento potentior est virtute naturali, sicut videmus in multis. Quicquid autem est præter operationem naturæ vel artis, aut non est humanum, aut non est fictum & fraudibus occupatum. Nam sunt qui motu veloce membrorum apparentia fingunt, aut vocum diversitate, aut instrumentorum subtilitate, aut tenebris, aut consensu multa mortalibus proponunt miranda, quæ non habent existentiæ veritatem, his mundus plenus est, sicut manifestum est inquirenti. Nam joculatores multa manuum velocitate mentiuntur, & Pythonissæ vocum varietatem in ventre, & gutture fingentes, & ore, formant voces humanas à longè vel propè prout volunt, ac si spiritus cum homine loqueretur, etiam sonos brutorum confingunt. Cannæ verò gramini subditæ, aut latebris terræ conditæ, ostendunt quod vox humana est, & non spiritus, quæ magno fingunt mendacio. Quam verò in tenebris crepusculi matutinis vel nocturnis res inanimatæ moventur violenter, non est veritas, sed fraus & dolus. Consensus verò omnia fingit quæ volunt homines, prout ad invicem disponunt. In his verò omnibus, nec philosophica ratio considerat, nec ars, nec potestas naturæ tenet. Sed præter hæc, nequior est occupatio, quandò homo contemnit leges Philosophiæ, & contra omnem rationem spiritus invocat nefarios, ut per eos suam compleat voluntatem. Et in hoc est error, quod credit sibi subjici spiritus, & quod spiritus cogantur humanâ virtute; hoc enim impossibile est, quia vis humana longè inferior est quam spirituum. Atque in hoc magis aberrant hujusmodi homines qui per aliquas res naturales quibus utuntur; credunt vel advocari, vel fugari spiritus malignos. Et adhuc errant, quando per invocationes, deprecationes & sacrificia nituntur homines eos placare, & adducere, pro utilitate vocantium, facilius enim sine comparatione à Deo impetrandum foret, vel à bonis spiritibus, quicquid homo debet utile reputare. Sed nec in rebus utilibus favorabiles assistunt spiritus maligni, nisi in quantum propter hominum peccata à Deo permittuntur, qui humanum genus regit & gubernat, Et ideo istæ viæ sunt præter sapientiæ documenta, imò potius in contrarium operantur, nec unquam verè philosophantes de his sex modis curaverunt:

CAP. II.

De Characteribus, Carminibus & eorum usu:

QUid vero de Carminibus; & Characteribus, & hujusmodi aliis sit tenendum, considero per hunc modum. Nam proculdubio omnia hujusmodi nunc temporis sunt falsa, aut dubia : & quædam sunt irrationabilia : quæ Philosophi adinvenerunt in operibus naturæ & artis, ut secreta occultarent ab indignis. Sicut si omnino esset ignotum quod magnes traheret ferrum; & aliquis volens hoc opus perficere coram populo, faceret characteres; & carmina proferret; ne perciperetur quod totum opus attractionis esset naturale. Sic igitur quamplurima in libris Philosophorum occultan-

tur multis modis : in quibus ſapiens debet hanc habere prudentiam, ut carmina & characteres negligat, & opus naturæ & artis probet: & ſic tam res animatas, quàm inanimatas videbit ad invicem concurrere, propter naturæ confitmiratem, non propter virtutem carminis, vel characteris. Et ſic multa ſecreta naturæ & artis exiſtimantur ab indoctis magica. Et magi confidunt ſtultè carminibus & characteribus, quod iis, præbeant virtutem; & pro aſſecuratione eorum relinquunt opus naturæ vel artis, propter errorem carminum & characterum. Et ſic uttumque genus hominum iſtorum privatur utilitate ſapientiæ ſuâ ſtultitiâ cogente. Sunt autem quædam deprecationes antiquitus inſtitutæ ab hominibus virtutis, aut veritatis, aut magis à Deo & angelis ordinatæ; & hujuſmodi virtutem ſuam primam poſſunt retinere. Sicut in multis regionibus adhuc quædam orationes fiunt ſuper ferrum candens, & ſuper aquam fluminis, & ſimiliter alia, in quibus innocentes probantur, & rei damnantur: & auctoritate Eccleſiæ fiunt & prælatorum. Nam & ipſi ſacerdotes exorciſmos faciunt in aqua Benedictâ, ſicut in lege veteri de aquâ purgationis legitur qua probatur adultera, vel fides ſuo viro, & multa ſunt hujuſmodi. Sed quæ in libris Magicorum continentur, omnia ſunt jure arcenda, quamvis aliquid veri contineant: quia tot falſis involvuntur, ut non poſſit diſcerni inter verum & falſum, ut quicunque dicunt quod Solomon compoſuit hoc vel illud, aut alii ſapientes, negandum eſt, quia non recipiuntur hujuſmodi auctoritate Eccleſiæ, nec à ſapientibus, ſed à ſeductoribus qui mundum decipiunt: etiam & ipſi novos libros componunt, & novas adinventiones multiplicant, ſicut ſcimus per experientiam: & ut vehementius homines alliciant titulos præponunt famoſos ſuis operibus, & eos magnis auctoritatibus aſcribunt impudenter: ac ut nihil omittant de contingentibus, ſtylum grandiſonum faciunt, & ſub forma textus mendacia ſua confingunt. Characteres verò aut ſunt verba figuris literarum involutis compoſiti, continentes ſenſum orationis adinventæ; vel ſunt facti ad vultus ſtellarum in temporibus electis. De characteribus igitur primo modo ſic judicandum ſicut de orationibus dictum eſt: de ſigillis autem & characteribus, ſecundo modo niſi fiant temporibus electis, nullam efficaciam penitus habere noſcuntur. Et ideo qui facit ea ſicut in libris formantur non reſpiciens niſi ſolam figuram quam repræſentat exemplar, nihil facere ab omni ſapiente judicatur. Qui autem ſciunt in conſtellationibus debitis opera facere ad vultus cœlorum; illi non ſolum characteres, ſed omnia opera ſua poſſunt diſponere, tam artis, quam naturæ ſecundum cœli virtutem. Sed quia difficile eſt in his certitudinem cœleſtium percipere: ideo in his multus eſt error apud multos: & pauci ſunt qui ſciunt aliquid utiliter & veraciter ordinare. Et propter hoc, vulgus mathematicorum judicantium & operantium per ſtellas, non multum perficiunt, aut aliquid utile faciunt: quamvis peritiſſimi, & artem ſufficienter habentes poſſunt multas utilitates facere tam per opera, quam per judicia in temporibus electis. Conſiderandum tamen quia peritus medicus, & alter quicunque habet animam excitare; carmina & characteres licet fictos utiliter (ſecundum Conſtantinum medicum) poteſt adhibere, non quia ipſi characteres aut carmina aliquod operentur, ſed ut devotius & avidius recipiatur medicina, & animus patientis excitetur, & confidat liberius, & ſperet, & congaudeat, quoniam anima excitata poteſt in corpore proprio multa renovare, ita ut de infirmitate in ſanitatem convaleſcat, ex gaudio & confidentia. Si ergo medicus ad magnificandum opus ſuum, ut patiens excitetur ad ſpem & confidentiam, aliquid hujuſmodi faciat, non propter fraudem, ſed propter hoc ut confidat quod revalcat [ſi credimus Medico Conſtantino] non eſt abominandum. Nam ipſe de his quæ ſuſpenduntur ad collum carmina & characteres, & eos in hoc caſu defendit. Nam anima multum poteſt ſuper corpus ſuum, per ſuas affectiones fortes, ut docet Avicenna in libr. de Anima. & 8. de animalibus, & omnes ſapientes concordant. Et ideo fiunt coram infirmis ludi, & res delectabiles afferuntur: immo aliquando appetitui multa conceduntur contraria: qui vincit affectus, & deſiderium, & animæ ſpes ſupra morbum.

CAP. III.

De Virtute Sermonis, & Redargutione Magiæ.

QUoniam verò in nullo lædenda eſt veritas, oportet diligentius conſiderare, quod omne agens facit virtutem & ſpeciem à ſe in materiam extrinſecam; non ſolum ſubſtantiæ, ſed accidentia activa de tertia ſpecie qualitatis, & fiunt virtutes à rebus, aliquæ ſenſibiles, aliquæ inſenſibiles. Et ideo homo poteſt facere virtutem & ſpeciem extra ſe, maximè quum ſit nobilior aliis rebus corporalibus, & præcipuè propter dignitatem animæ rationalis, & nihilominus exeunt ſpiritus & calores ab eo, ſicut ab aliis animalibus. Et nos videmus quod aliqua animalia immutant & alterant res ſibi objectas, ſicut *a* baſiliſcus interficit ſolo viſu, & *b* lupus reddit raucum, ſi prius videat hominem, & *c* hyæna intra umbram ſuam canem non permittit latrare, ſicut Solinus de mirabilibus mundi narravit, & alii auctores, & Ariſtoteles in libro ſecundo de Vegetabilibus dicit, palmarum fœminarum fructus matureſcere per odorem maſculorum, & equæ impræguantur in aliquibus regnis per odorem equorum, ut *d* Solinus narrat, & multa alia contingunt, per ſpecies & virtutes animalium, & plantarum, multaque mirabiliora ſicut Ariſtoteles dicit in libro Secretorum. Quum ergo plantæ & animalia non poſſint attingere ad dignitarem humanæ naturæ; homo multò magis poterit facere virtutes & ſpecies, & colores emittere ad alterationem corporum extra ſe: propter quod dicit Ariſtoteles in libro de ſomno & vigilia, quod mulier menſtruoſa ſi aſpexerit ſpeculum, inficit ipſum & apparet in eo nubes ſanguinis. Et *e* Solinus narrat: In Scythia ſunt mulieres habentes geminas pupillas in uno oculo (unde Ovidius: nocet pupilla duplex) quum iraſcuntur interficiant homines ſolo viſu. Et nos ſcimus quod homo malæ complexionis, & habens infirmitatem contagioſam, ut lepram vel morbum caducum, vel febrem acutam, vel oculos multum infirmos vel hujuſmodi, inficit alios præſentes & contaminat, è contrario homines bene complexionati & ſani, & maximè juvenes, confortant alios, & homines gaudent ex eorum præſentiâ, & hoc eſt propter ſpiritus ſuaves, & vapores ſalubres & delecta-

a) *Plin. hiſt. nat. lib. 39. cap. 4.* b) *Plin. lib. 8. c. 22. Solini Poly. cap. 8.* c) *Plin. lib. 8. cap. 30. Solin. cap. 30.* d) *cap. 26 ex C. Plinii lib. 4. cap. 32. & lib. 8. cap. 42.* e) *Cap. 6. Vide & C. Plin. hiſt. nat. lib. 7. c. 2.*

lectabiles, & naturalem colorem bonum: & propter species & virtutes quæ fiunt ab iis; sicut Galenus docet in Techne. Et augetur malum si anima sit peccatis magnis & multis corrupta, habens corpus infirmum, & malæ complexionis, & sit cogitatio fortis & desiderium vehemens ad nocendum & malignandum. Nam natura complexionis & infirmitatis obedit cogitationibus animæ, & desideriis; & fortius agit. Unde leprosus qui ex desiderio forti, & cogitatione, & sollicitudine vehementi; intenderet alium præsentem inficere & citius & fortius ipsum inficeret, quam si ad hoc non cogitaret, nec desideraret, nec intenderet. Natura enim corporis (ut Avicenna docet locis prædictis) obedit cogitationibus, & vehementibus desideriis animæ: Nam (sicut Avicenna docet tertio Metaph.) primum movens est cogitatio, deinde desiderium conformatum cogitationi, postea virtus naturalis in membris quæ obedit desiderio & cogitationi: & hoc in malo, (ut dictum) & in bono similiter. Unde quum in homine inveniuntur hæc (scilicet bona complexio, & sanitas corporis, & juventus, & pulchritudo & elegantia membrorum, & anima munda à peccatis; & cogitatio fortis, & desiderium vehemens ad aliquod opus magnum), tum quicquid fieri potest per speciem & virtutem hominis, & spiritus, & calorem naturalem, necesse est quod fortius & vehementius fiat per hujusmodi spiritus, [al. species] & vapores, & influentias; quam si aliquod istorum deficeret: & præcipuè si desiderium forte & intentio valida non desit. Et ideo per verba, & opera hominis, possunt aliqua magna fieri: quando omnes dictæ causæ concurrunt: verba enim sunt ab interius per cogitationes animæ & desiderium; per motum spirituum, & calorem, & vocalem arteriam: & eorum generatio habet vias apertas, per quas est magnus exitus spirituum & caloris & evaporationis, & virtutis, & specierum quæ possunt fieri ab anima & corde. Et ideo alterationes fiunt à paribus per verba. secundum quod iis debetur ex potestate naturæ. Videmus enim quod per hujusmodi vias apertas à corde & interioribus, anhelitus, & oscitatio, & multæ resolutiones spirituum, & caloris fiant; quæ aliquando nocent, quum ab infirmo & malæ complexionis corpore proveniunt & prosunt, & confortant quum è corpore mundo, sano, & bonæ complexionis producuntur. Et ideo similiter aliquæ operationes magnę naturales possunt fieri in verborum generatione & prolatione cum intentione & desiderio operandi. Unde non immeritò dicitur quod vox viva magnam habet virtutem: non quia illam habet virtutem quam magici fingunt, nec non similiter ad faciendum & alterandum [ut existimant] sed secundum quod natura ordinavit. Et ideo valdè cautè in his intendendum est. Nam de facili homo potest errare, & multi errant in utramque partem, quoniam aliqui omnem operationem negant, & alii superfluunt, & ad magicam declinant. Multi igitur libri cavendi sunt propter carmina & characteres, & orationes, & conjurationes, & sacrificia, & hujusmodi quia purè magici sunt. Ut liber de officiis spirituum, liber de morte animæ, liber de arte notoria, & hujusmodi infiniti: qui nec artis, nec naturæ continent potestatem, sed figmenta magicorum. Considerandum est etiam quia multi libri reputantur inter magicos qui non sunt tales, sed continent sapientiæ dignitatem. Qui igitur sunt suspecti, & qui non, experientia cujuslibet sapientis docebit. Nam si quis in aliquo illorum opus naturæ, vel artis inveniat, illum accipiat: si non, relinquat velut suspectum, & sicut indignum & illicitum sapienti, quia magici est pertractare sic superfluum; necessarium. Nam [ut sensit Isaac in libro de febribus] anima rationalis non impeditur in suis operationibus nisi detineatur ignorantia. Et Aristoteles vult in libro secretorum, quod intellectus sanus & bonus potest in omnia quæ homini necessaria sunt; cum influentia tamen divinæ virtutis. Et tertio Meteororum dicit, non est virtus nisi per Deum: Et in fine Ethicorum dicit, quod nulla est virtus nec moralis nec naturalis sine influentia divina. Unde quum loquimur de potestate agentium particularium, non excludimus regimen agentis universalis, & primæ causæ. Nam omnis causa prima plus influit in causatum quam secunda, ut prima propositio de causis proponit.

CAP. IV.

De Instrumentis artificiosis mirabilibus

NArrabo igitur nũc primò Opera Artis & Naturæ miranda, ut postea causas & modos eorum assignem: in quibus nihil magicum est ut videatur quod omnis potestas magica ut inferior his operibus & indigna. Et primo per figurationem solius artis. Nam instrumenta navigandi possunt fieri hominibus remigantibus, ut naves maximæ fluviales & marinæ ferantur unico homine regente majori velocitate quàm si essent plenæ hominibus navigantibus. Currus etiam possent fieri ut sine animali moveantur cum impetu inæstimabili, ut existimantur currus falcati fuisse quibus antiquitus pugnabatur. Possunt etiam fieri instrumenta volandi, ut homo sedens in medio instrumenti revolvens aliquod ingenium, per quod alæ artificialiter compositæ aerem verberent ad modum avis volantis. Fieri etiam potest instrumentum parvum in quantitate ad elevandum & deprimendum pondera quasi infinita, quo nihil utilius est in casu. Nam per instrumentum altitudinis trium digitorum, latitudinis eorum, & minoris quantitatis posset homo seipsum & socios ab omni periculo carceris eripere, & elevare, & descendere. Potest etiam de facili fieri instrumentum quo unus homo traheret ad se mille homines per violentiam ipsis invitis; & sic de rebus aliis attrahendis. Possunt etiam fieri instrumenta ambulandi in mari, & in fluviis ad fundum sine periculo corporali. Nam Alexander magnus his usus est, ut secreta maris videret, secundum quod Ethicus nãrat astronomus. Hæc autem facta sunt antiquitus, & nostris temporibus, & certum est, præter instrumentum volandi quod non vidi, nec hominem qui vidisset cognovi, sed sapientem qui hoc artificium excogitavit explicitè cognosco. Et infinita alia possunt fieri, ut pontes ultra flumina sine columnâ; vel aliquo sustentaculo, & machinæ, & ingenia inaudita.

CAP. V.

De Experimentiis perspectivis artificialibus.

SEd profecto mirandæ satis inveniuntur figurationes physicæ radiorum. Nam si possunt figurari perspicua & specula, ut unum appareat multa, & unus homo exercitus; & ut plures & quot volumus Soles & Lunæ appareant. Nam natura sic aliquando figurat vapores, ut duo Soles, & duæ Lunæ, &

aliquando tres Soles apparuerint ſimul in aere, ut Plinius recitat in 2. naturalis hiſtoriæ *cap.* 30. Et qua ratione plures & infinitæ poteſt una res apparere: quia poſtquam excedit ſuam virtutem, nullus eſt ei numerus determinatus ſicut arguit Ariſtotel. in capit. de vacuo. Et ſic omni civitati, & exercitui contrario, poſſunt fieri terrores maximi: ut vel propter multitudinem apparitionum ſtellarum vel hominum ſuper ipſos congregatorum diſpereant, præcipuè ſi ſequens documentum cum illo primo habeatur, poſſunt enim ſic figurari perſpicua ut longiſſimè poſita appareat propinquiſſima, & è contrario: ita quod ex incredibili diſtantia legeremus literas minutiſſimas, & numeraremus res quantumcunque parvas, & ſtellas faceremus apparere quò vellemus. Sic enim exiſtimatur quod Julius Cæſar per littus maris in Galliis, deprehendiſſet per ingentia ſpecula diſpoſitionem & ſitum caſtrorum & civitatum Britanniæ majoris. Poſſunt etiam ſic figurari corpora ut maxima, & è contrario: alta appareant ima & infima, & è contrario: & occulta videantur manifeſta. Nam ut Socrates draconem corrumpentem civitatem & regionem ſuo anhelitu & influentia peſtilenti, deprehendit intra montium latibula reſidere: Sic etiam omnia quæ eſſent in civitatibus & exercitibus contrariis poſſunt ab inimicis deprehendi. Poſſunt etiam ſic figurari corpora, ut ſpecies & influentiæ venenoſæ & infectivæ ducerentur quo vellet homo: nam ſic Ariſtoteles fertur docuiſſe Alexandrum, quo documento venenum Baſiliſci erecti ſuper murum civitatis contra exercitum, deduxit in ipſam civitatem. Poſſunt etiam ſic figurari perſpicua, ut omnis homo ingrediens domum, videret veraciter aurum, & argentum, & lapides pretioſos, & quicquid homo vellet, quicunque feſtinaret ad viſionis locum nihil inveniret. Non igitur oportet nos uti magicis illuſionibus quum poteſtas Philoſophiæ doceat operari quòd ſufficit. Sed de ſublimioribus poteſtatibus figurandi eſt, quod ducantur & congregentur radii per varias fractiones, & reflexiones, in omni diſtantia qua volumus, quatenus comburatur quicquid ſit objectum. Nam hoc teſtantur perſpicua comburentia antè & retro, ſicut auctores certi docent in ſuis libris. Et majus omnium figurationum & rerum figuratarum eſt, ut cœleſtia deſcriberentur, ſecundum ſuas longitudines & latitudines in figura corporali, qua moventur naturaliter motu diurno: & hæc valeret regnum unum homini ſapienti. Hæc igitur ſufficiant pro exemplo figurationum quamvis infinita alia miranda proponi poſſent in medium.

CAP. VI.

De Experimentis mirabilibus.

His verò ſunt quædam annexa ſine figurationibus: nam in omnem diſtantiam quam volumus poſſumus artificialiter componere ignem comburentem ex ſale petræ & aliis. Item ex oleo petroleo & aliis. Item ex maltha & naphtha & ſimilibus ſecundum quod Plinius dicit in libro ſecundo capit 104. civitatem quandam ſe defendiſſe contra exercitum Romanum: Nam maltha projecta combuſſit militem armatum. His vicinus eſt ignis Græcus, & multa comburentia. Præterea poſſunt fieri lumina perpetua & balnea ardentia ſine fine. Nam multa cognovimus quæ non conſumuntur in flamma, ut pelles Salamandræ, talc, & hujuſmodi quæ adjuncto aliquo inflammantur & lucent, ſed non comburuntur imo purificantur. Præter vero hæc ſunt alia ſtupenda naturæ. Nam ſoni velut tonitrus, & corruſcationes poſſunt fieri in aere; immò majore horrore quam illa quæ fiunt per naturam. Nam modica materia adaptata, ſcilicet ad quantitatem unius pollicis, ſonum facit horribilem & corruſcationem oſtendit vehementem, & hoc fit multis modis, quibus civitas, aut exercitus deſtruatur ad modum artificii Gedeonis, qui lagunculis, fractis, & lampadibus, igne exſiliente cum fragore inæſtimabili, infinitum Midianitarum deſtruxit exercitum cum trecentis hominibus. Mira ſunt hæc, ſi quis ſciret uti ad plenum in debitâ quantitate & materia. De alio verò genere ſunt multa miranda; quæ licet in mundo ſenſibilem utilitatem non habeant, habent tamen ſpectaculum ineffabile ſapientiæ; & poſſunt applicari ad probationem omnium occultorum, quibus vulgus inexpertum contradicit: & ſunt ſimilia attractioni ferri per magnetem. Nam quis crederet hujuſmodi attractioni niſi videret? Et multa miracula naturæ ſunt in hac ferri attractione quæ non ſciuntur à vulgo, ſicut experientia docet ſolicitum. † Sed plura ſunt hæc & majora. Nam ſimiliter per lapidem fit auri attractio, & argenti, & omnium metallorum. Item lapis currit ad * acetum: & plantæ adinvicem, & partes animalium diviſæ localiter, naturaliter concurrunt. Et poſteaquam hujuſmodi perſpexi, nihil mihi difficile eſt ad credendum, quando bene conſidero, nec in divinis, ſicut nec in humanis. Sed majora his ſunt: nam tota poteſtas mathematicæ non poteſt niſi inſtrumentum Sphæricum juxta artificium Ptolemæi in 8. Almageſti, in quo omnia quæ ſunt in cœlo ſuis longitudinibus, & latitudinibus eſſent deſcripta veraciter: quod autem moverentur naturaliter motu diurno non eſt in mathematicâ poteſtate. Experimentator tamen fidelis & magnificus ad hoc anhelat, ut ex tali materia fieret, & tali artificio, quòd naturaliter cœli motu diutno volveretur: quod fieri videtur poſſibile, quoniam multa motu cœleſtium deferuntur, ut cometæ, & mare in fluxu, & alia in toto, vel in partibus ſuis, quod eſſet majus miraculum quam omnia prædicta, & majoris utilitatis, quaſi infinitæ. Nam tunc omnia inſtrumenta Aſtronomiæ ceſſarent tam ſpecialia quàm vulgata: nec theſaurus unius regis vix poſſet huic comparari. Et licet non quantum ad miraculum, tantum quantum ad utilitatem publicam & privatam, majora poſſunt fieri: ſcilicet ut auri copia & argenti deducatur in medium, quantum placet homini, non tamen ſecundam naturæ poſſibilitatem, ſed ſecundum artis complementum: quum ſint decem & ſeptem modi auri, octo ſcilicet ex admixtione argenti cum auro. Et primus modus fit ex 16. partibus auri cum aliquibus partibus argenti, uſque ad vigeſimum quartum gradum auri pertingatur; cum uno argenti ſemper unum gradum auri augmentando. Et totidem ſunt ex admixtione æris cum auro; ita ultimus modus fit ex viginti quatuor gradibus auri puri, ſine admixtione alterius metalli, & non poteſt natura ulterius procedere ſicut experientia docet. Sed ars poteſt augmentare aurum in gradibus puritatis uſque ad infinitum, ſimiliter argentum complere poteſt ſine fraude. Sed præcedentibus majus eſt, quod licet anima rationalis cogi nō poteſt

cò

† *Plin. hiſt. lib. 36. cap. 20.* * *Aliter: acetum.*

eò quòd libertate gaudet arbitrii: tamen efficaciter disponi, & induci, & excitari potest, ut gratis velit suos mores mutare, & affectiones, & voluntates, secundum arbitrium alterius; & non solum singularis persona, sed totus exercitus, & civitas, & totus populus regionis, & hujusmodi experientiam docet Aristoteles in libr. secret. tam de regione, quàm de exercitu & persona singulari. Et in his ferè est finis naturæ & artis.

CAP. VII.

De Retardatione accidentium Senectutis, & de Prolongatione Vitæ humanæ.

SED ultimus gradus in quem potest artis complementum, cum omni naturæ potestate, est prolongatio vitæ humanæ in magnum tempus. Quod autem hoc sit possibile, multa experimenta docuerunt. Nam Plinius recitat, *Lib.* 225. *cap.* 24. Pollionem strenuum corpore & animo ultra ætatem hominis consuetam durasse suâ probitate, quem quum Octavius Augustus interrogaret quid faceret ut diu sic viveret: respondit in ænigmate quod oleum posuit exterius, & mulsum interius. (Mulsum autem habet octo partes aquæ & novem mellis secundum auctores) Et postea similia multa contigerunt. Nam rusticus effodiens in campis cum aratro, invenit vas aureum cum liquore & existimans rorem cœli, lavit faciem & bibit: & spiritu, & corpore & bonitate sapientiæ renovatus, de bubulco factus est bajulus regis Siciliæ; quod accidit tempore regis Wilhelmi. Et probatum est testimonio literarum papalium, quod Almannus quidem captivus inter Saracenos recepit medicinam qua usque ad quingentos annos vitam suam prolongavit Nam rex qui ipsum habuerat captivum, recepit regis magni nuncios cum hac medicinâ, sed quia eos habuit suspectos, voluit probare in captivo quod fuerat ei delatum. Ac Domina de Nemore in Britannia majori, quærens cervam albam, invenit unguentum quo custos nemoris se perunxerat in toto corpore, præterquam in plantis: vixit trecentis annis sine corruptione, exceptis pedum passionibus. Et pluries experti sumus in nostris temporibus, quod homines rurales sine consilio medicorum, vixerunt centum annis vel circiter satis sanè. Hæc etiam confirmantur per opera animalium, ut cervi, & aquilæ, & serpentis, & multorum, quæ per virtutem herbarum & lapidum, suam renovant juventutem. Et ideo sapientes dederunt se ad hujusmodi secretum, excitati exemplis brutorum, existimantes quod possibile fuit homini, quod brutis animantibus est concessum. Propter quod Artefius, suâ sapientiâ secretas vires animalium, & lapidum, & herbarum, & cæterarum rerum scrutatus, ob secretæ naturæ scienda, & maximè propter vitæ prolongationem, gloriatur se vixisse mille & viginti quinque annos. Et possibilitas prolongationis vitæ confirmatur per hoc, quod homo est naturaliter immortalis, id est, potens non mori. atque etiam post peccatum potuit vivere circiter mille annos; & deinceps paulatim abbreviata est vitæ longitudo. Ergo oportet quod hujusmodi abbreviatio sit accidentalis: quare poterit in toto, vel in parte reparari. Sed nos, si velimus causam accidentalem hujusmodi corruptionis investigare, inveniemus quod non est à cœlo, neque ab aliquo quam defectu regiminis sanitatis. Nam in hoc quod patres corrupti sunt, generant filios corruptæ complexionis & compositionis, & filii eorum eadem de causa se corrumpunt: & sic derivatur corruptio à patribus in filios, donec invalescat continuo abbreviatio vitæ. Non tamen propter hoc sequitur quod abbreviabitur semper in minus, quia terminus in specie humana positus est, ut in plurib. vivant homines 80. annis, sed amplior est eorum labor & dolor. Remedium verò esset contra corruptionem propriam cujuslibet, si quilibet exerceret regimen completum satis à juventute, quod consistit in his quæ sunt cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, evacuatio & retentio, aër, passio animi. Nam si quis hoc regimen observaret à nativitate, viveret quantum natura assumpta à parentibus permitteret, & duceretur ad ultimum terminum naturæ (lapsæ ab originali justitia) quem tamen præterire non posset: quia hoc regimen non confert, aut modicum, contra corruptionem antiquam parentum. Sed quasi impossibile est, quod homo sic regatur in omni mediocritate istorum, sicut exigit regimen sanitatis, & ideo oportet, quod abbreviatio vitæ contingat ex hac causa, non solum ex corruptione parentum. Ars verò medicinæ determinat hoc regimen sufficienter. Sed nec dives, nec pauper, nec sapiens, nec insipiens, nec ipsi medici quantumcunque perfecti, possunt hoc regimen in se, nec in aliis perficere, ut patet cuilibet. Sed natura non deficit in necessariis, nec ars completa: immo valet resurgere & irrumpere contra accidentales passiones, ut in parte vel in toto deleantur. Et in principio quando inceperat ætas hominum declinare, facilè fuisset remedium, sed nunc à quinque millibus annis & plus difficilè est remedium apponere. Sapientes tamen moti considerationibus prædictis, nisi sunt vias excogitare, non solum contra defectum proprii regiminis cujuslibet, sed contra corruptionem parentum: non quod reducatur homo ad vitam Adæ, vel Artefii propter corruptionem invalescentem: sed ut per centenarium annorum, vel plures vita prolongetur ultra communem ætatem hominum nunc viventium; quatenus passiones senectutis retardarentur, & si omnino prohiberi non possunt, mitigarentur: ut ultra communem æstimationem hominum vita prolongetur utiliter: semper tamen citra ultimum terminum naturæ. Nam terminus naturæ est ultimus, qui in primis hominibus positus est post peccatum: & alius est terminus cujuslibet ex propriâ parentum corruptione. Ultra istos ambos non contingit transire, sed benè terminum propriæ corruptionis. Nec tamen usque ad terminum primum credo quod aliquis quantumcumque sapiens est his temporibus posset attingere, licet possibilitas sit, & aptitudo naturæ humanæ ad illum terminum qui fuit in primis hominibus. Nec mirum est quum aptitudo ista se extendat ad immortalitatem, sicut ante peccatum fuit, & erit post resurrectionem. Sed si tu dicas quod nec Aristoteles, nec Plato, nec Hippocrates, nec Galenus, ad hujusmodi prolongationem pervenerunt: respondeo tibi, quod nec ad multas veritates mediocres, quæ postea scitæ sunt per alios studiosos: & ideo hæc maxima potuerunt ignorare, quanquam adlaboraverunt. Sed nimis in aliis se occupaverunt, & citius perducti sunt ad senectutem, consumentes vitam in pejoribus & vulgatis, quam vias ad hæc secreta magna perciperent: Scimus enim quod Aristoteles dicit in prædicamentis. Quod quadratura circuli possibilis est, nondum tamen scita. Et si fatetur se & omnes usque ad tempus suum ignorasse. Sed nos scimus his diebus quod scitur hæc veritas, & ideo longè magis poterat

Aristoteles

„ Ariſtoteles ulteriora naturæ ſecreta ignorare.
„ Multa etiam modò ignorant ſapientes quæ vul-
„ gus ſtudentium ſciet in temporibus futuris. Un-
„ de hæc objectio vana eſt per omnem modum.

CAP. VIII.

De occultando Secreta Naturæ & Artis.

ENumeratis quibusdam exemplis circa naturæ & artis poteſtatem, ut ex paucis multa colligamus, ex partibus tota, ex particularibus univerſalia, quatenus videamus quod non eſt neceſſe nobis aſpirare ad magicam, cum natura & ars ſufficiant: volo modo per ordinem ſingula proſequi & cauſas, & modum dare in particulari. Sed conſidero quod in pellibus caprarum & ovium non traduntur ſecreta (naturæ) ita ut à quolibet intelligantur, ſicut vult Socrates & Ariſtoteles. Ipſemet enim dicit in ſecretis ſecretorum, quod eſſet fractor ſigilli cœleſtis qui communicaret ſecreta naturæ & artis, adjungens quod multa mala ſequuntur eum, qui occulta detegit & arcana revelat. Cæterum in hoc caſu dicit A. Gellius lib. noctium Atticarum de collatione ſapientum, quod ſtultum eſt aſino præbere lactucas, quum ei ſufficiant cardui. Atque in libro lapidum ſcribitur quod rerum minuit majeſtatem, qui divulgat myſtica: nec manent ſecreta quorum turba eſt conſcia. Ex diviſione enim probabilis patet vulgus dividi in oppoſitum contra ſapientes. Nam quod videtur omnibus eſt verum, & quod ſapientibus ſimiliter, & maximè notis. Ergo quod pluribus, hoc eſt vulgo in quantum hujuſmodi videtur, oportet quod ſit falſum, de vulgo loquor, quod contra ſapientes in hac diviſione diſtinguitur. Nam in communibus conceptionibus animi concordat cum ſapientibus, ſed in propriis principiis & concluſionibus artium & ſcientiarum à ſapientibus diſcordat, laborans circa apparentias in Sophiſmatibus (ſubtilitatibus) & de quibus ſapientes non curant. In propriis igitur vel ſecretis vulgus errat; & ſic dividitur contra ſapientes; ſed in communibus animi conceptionibus, ſub lege omnium continetur, & cum ſapientibus concordat. Communia verò pauci ſunt valoris, nec ſunt propter ſe quærenda, ſed propter particularia & propria, Sed cauſa hujus latentiæ vulgi fuit apud omnes ſapientes, quia vulgus deridet ſapientes, (negligit) ſecreta ſapientiæ, & neſcit uti rebus digniſſimis: atque ſi aliquod magnificum cadat in ejus notitiam à fortuna illud, pervertit, & eo abutitur in damnum multiplex perſonarum atque communitatis. Et ideò inſanus eſt qui aliquod ſecretum ſcribit niſi ut à vulgo celetur, & vix à ſapientibus & ſtudioſiſſimis poſſit intelligi. Sic cucurrit tota ſapientum multitudo à principio, & multis modis occultaverunt à vulgo ſapientiæ ſecreta. Nam aliqui per characteres, & carmina occultaverunt multa, alii per verba ænigmatica, & figurativa, ut Ariſtoteles dicit in libro Secretorum: O Alexander, volo tibi oſtendere ſecretorum maximum, & divina potentia juvet te ad celandum arcanum, & perficiendum propoſitum. Accipe igitur lapidem qui non eſt lapis, & eſt in quolibet loco, & in quolibet tempore: & vocatur ovum philoſophorum, & terminus ovi Et inveniuntur in multis libris & ſcientiis innumerabilia, talibus ſermonibus obſcurata, ut nemo intelligat ſine doctore aliquo. Tertio occultaverunt per modos ſcribendi, ſcilicet per conſonantes tantum, ut nemo ſciat legere, niſi ſciat ſignificata dictionum, ſicut Hebræi, & Chaldæi, & Syri, & Arabes ſecreta, imo quaſi omnia pro majori parte ſic ſcribuntur: & ideo magna eſt ſapientiæ occultatio apud eos, & maximè apud Hebræos: quoniam Ariſtoteles dicit in libr. memorato, quod Deus dederit iis omnem ſapientiam antequam fuerunt Philoſophi, & ab Hebræis omnes nationes habuerunt Philoſophiæ principium. Et Albumaſar in libro introductorii majoris, & alii Philoſophi, & Joſephus primo & octavo libro Antiquitatum hoc manifeſte docent. Quarto accidit occultatio per mixtionem literarum diverſi generis. Nam ſic Ethicus Aſtronomus ſuam ſapientiam occultavit, eo quod literis Hebræis, Græcis, & Latinis eam conſcripſit in eadem ſerie ſcripturæ. Quinto occultaverunt quidam per alias litteras quam ſunt apud gentem ſuam, aut quam ſunt apud alias nationes, ſed fingunt eas pro ſua voluntate; & hoc eſt maximum impedientum, quo uſus eſt Artefius in libro ſuo de ſecretis naturæ. Sexto fiunt non figuræ literarum ſed aliæ figuræ geometricæ, quæ ſecundum diverſitatem punctorum & notarum habent literarum poteſtatem, & iſtis ſimiliter uſus eſt Artefius in ſua ſcientia. Septimo eſt majus artificium occultandi quod dicitur ars Notoria, quæ eſt ars notandi & ſcribendi eâ brevitate qua volumus, & eâ velocitate qua deſideramus. Et ſic multa ſecreta ſcripta ſunt in libris Latinorum. Neceſſarium verò exiſtimavi has occultationes tangere: quia forſan propter ſecretorum magnitudinem his utar modis, ut ſic ſaltem te juvem ut poſſum.

CAP. IX.

De Modo faciendi Ovum Philoſophorum.

DIco igitur tibi quod volo ordinatè quæ ſuperius narravi exponere; & ideo volo Ovum Philoſophorum diſſolvere, & partes philoſophici ovi inveſtigare: nam hoc eſt initium ad alia. Calcem igitur diligenter aquis alkali, & aliis aquis acutis purifica, & variis contritionibus cum ſalibus confrica, & pluribus aſſationibus [concrema] ut fiat terra pura liberata ab aliis elementis, quam tibi pro (meæ longitudinis ſtatuta) dignam dico intellige ſi potes, quia proculdubio erit compoſitum ex elementis; ideo erit pars lapidis qui non eſt lapis & eſt in quolibet homine & in quolibet loco hominis, & in quolibet tempore anni reperies hoc in ſuo loco. Deinde oleum ad modum crocei caſei & viſcoſi accipias, primo (ictu inſecabile) cui tota virtus ignea dividatur, & ſeparetur per diſſolutionem, diſſolvatur autem in aqua acuta temperatæ acuitatis cum igne levi, & decoquatur quatenus ſeparetur ſua (pinguedo) ſicut pinguedo in carnibus, per diſtillationem, ut non egrediatur aliquid de unctuoſitate, & hæc virtus ignea in aqua urinæ diſtillatur. Poſtea in aceto decoquatur, donec minimum quod ineſt de cauſa aduſtionis deficetur, & virtus ignea habeatur. Sed ſi non curetur de illa (iterum) fiat: evigila & excute: nam ſermo difficilis eſt. Oleum verò diſſolvitur in aquis acutis, vel in oleo communi quod expreſſius operatur, (vel) in oleo acuto amygdalorum ſuper ignem: ita ut oleum ſeparetur & remaneat ſpiritus occultatus, in partibus animalium, & ſulphure, & arſenico. Nam lapides in quibus oleum humiditatis ſuperfluit, terminum habent in unione ſuarum partium: quoniam non eſt vehemens unio, quin poſſit unum ab alio diſſolvi per naturam aquæ, quæ eſt

ſubjectum

subjectum liquefactionis in spiritu; qui medium inter partes siccas & oleum est. Facta igitur dissolutione, remanebit nobis in spiritu humiditas pura, vehementer permixta partibus siccis, quæ moventur in ea, cum resolveret eam ignis, qui vocatur à Philosophis aliquando sulphur fusibile, aliquando oleum, aliquando humor aëreus, aliquando substantia conjunctiva, quam ignis non separat, aliquando Camphora: & si vis, illud est ovum Philosophorum, vel magis terminus & finis ovi, & pervenit ad nos de oleis istis, & inter subtilia reputatur, quando ab aqua vel oleo in quo est purgetur vel separetur. Præterea corrumpitur oleum terendo ipsum cum rebus desiccantibus, sicut sale aut atramento: & ablando: quoniam passio fit à contrario, & postea sublimetur donec ab [oleagineitate sua] privetur. Et quia est sicut & ipsa. Melius est tamen ut decoquatur in aquis temperatis in acuitate, donec purgetur & dealbetur. Quæ verò salutaris exalbatio, fit in igne siccо & humido: & iteretur distillatio, ut effectum bonitatis recipiat sufficienter, donec rectificetur: rectificationis cujus novissimæ signa, sunt candor & cristallina serenitas, & cum cætera nigrescunt ab igne, hoc albescit, mutatur, serenitate nigrescit, & splendore mirabili. Ex hac aqua & terra sua, argentum vivum generatur, quod est sicut argentum vivum in mineralibus. Et [quando incanduit hoc modo materia] congelatur. Lapis vero Aristotelis qui non est lapis, ponitur in pyramide loco calido, vel (si vis) in ventrem equi vel bovis: & febrem acutam imitatur. Nam de septem in 14. & de hoc in 21. aliquando procedit: ut fæces elementorum dissolvantur in aqua sua, antequam separentur: & multoties iteretur dissolutio, & distillatio, donec rectificetur. Et hic est finis hujus intentionis. Scias tamen, quod cum consummaveris, tunc oportet incipere.

Aliud verò secretum volo tibi dicere. Nam argentum vivum præparabis mortificando ipsum cum vapore stanni pro margaritis, & cum vapore plumbi pro Ibero lapide, deinde teratur cum rebus desiccantibus, & atramentis, & hujusmodi (ut dictum est) & asservetur: deinde sublimetur: si ad unionem, duodecies; si ad rubedinem [21.] donec in eo humiditas omnino corrumpatur. Nec est possibile, quod humiditas ejus separetur per vaporem, sicut oleum antedictum: quia vehementer est permixta partibus suis siccis; nec terminum constituit, sicut dictum est in metallis prius dictis. In hoc capitulo decipieris, nisi significata verborum distinguas. Tempus est tertium involvi capitulum: ut calcem [calcem corporis] quod intendis acquiras. Corpus verò calcinatur quando appodiatur, hoc est, ut humor in eo corrumpatur per salem, & sale armoniaco, & aceto, quandoque rebus adurentibus, & cum Sulphure & arsenico: quandoque cibantur corpora argento vivo, & sublimatur ab iis donec remaneant putris. Sunt igitur claves artis, Congelatio, resolutio, inceratio, proportio. Sed alio modo purificatio, distillatio, separatio, calcinatio, & fixio: & tum potes quiescere.

CAPUT X.

De eodem, sed alio modo.

TRansactis annis Arabum sexcentis & duobus, (*Forte* 688.) rogasti me de quibusdam secretis. Accipe igitur lapidem, & calcina ipsum assatione levi, & contritione forti, sive cum rebus acutis. Sed in fine parum commisce cum aqua dulci: & medicinam laxativam compone de septem rebus (si vis) vel de sex, vel de quinque, vel de quot vis, sed quiescit animus meus in duabus rebus: quarum proportio melior est in sesquialterâ proportione, vel circiter, sicut te docere potest experientia, resolve tamen aurum ad ignem & [melius cola] sed si mihi credas, accipias rem unam, hoc est secretum secretorum naturæ potens mirabilia. Mixto igitur ex plurib. aut Phœnice, quod est animal singulare (ad ignem) & incorpora per fortem motum: cui si liquor calidus quater, vel quinquies adhibeatur, habebis ultimum compositum. Sed postea cœlestis natura debilitatur, si aquam in fundis calidam ter vel quater. Divide igitur debile à forti, in vasis diversis, si mihi credis: evacuatio igitur quod bonum est. Iterum adhibe pulverem & aquam quæ remansit diligenter exprime: nam pro certo partes pulveris deducet, non incorporatas: & ideo illam aquam per se collige: quia pulvis exsiccatus ab ea habet incorporari medicinæ laxativæ. fac igitur ut prius, donec forte à debili distinguas: & ter, vel quater, vel quinquies, vel plus, (pulverem) adhibeas: & semper uno modo facias: Et si cum aqua calida operari non poteris, fac aquam alkali, & per hujusmodi acuta, medicinæ facies violentiam. Si autem propter [acuitatem &] mollitiem medicinæ, frangatur, pulvere appositо, appone cautè plus de duro & molli. Si vero propter abundantiam pulveris, appone plus de medicina. Si verò propter fortitudinem aquæ, rigua cum pistillo: & congrega materiam, ut potes: & aquam separa paulatim, & redibit ad statum; quam aquam exsiccabis: nam continet pulverem & aquam medicinæ, quæ sunt incorporanda sicut pulvis principalis. Non dormias hic, quia valde utile & magnum continetur secretum. Si verò partes virgulti coryli aut salicis, justa rerum serie aptè ordinaveris, unionem naturalem servabunt: & hoc non tradas oblivioni, quia valet ad multa. Citrinitatem verò cum unione facta miscebis: & exutget ut credo simile lapide Ibero, & proculdubio mortificat quod mortificatum est per vaporem plumbi, Invenies plumbum, si exprimas vivum à mortuo: & mortuum sepelies in olibano & sarcocolla. Tene hoc secretum. Nam non nullius est utilitatis. Et idem facias cum vapore margaritæ vel lapidis Tagi, & sepelias mortuum ut dixi.

CAPUT XI.

De eodem tamen alio modo.

ANnis Arabum 630. (*Forte* 605.) transactis, petitioni tuæ respondeo in hunc modum. Oportet te habere medicinam quæ dissolvatur in liquefacto, & immergatur in eo, & penetret interiora ejus, & permisceatur cum eo: & non sit servus fugitivus, & transmutet ipsum. Ratione vero spiritus permiscetur, & per calcem metalli figitur. Æstimatur autem quod fixio præparatur, quando corpus & spiritus in suo loco ponuntur, & sublimantur: & totiens fiat ut corpus fiat spiritus, & spiritus fiat corpus. Accipiatis igitur de ossibus Adæ, & de calce sub eodem pondere: & sint sex ad lapidem Tagi, & quinque ad lapidem unionis: & terantur simul cum aqua vitæ, cujus proprium est dissolvere omnes res alias, ita quod in ea dissolvantur & assentur. Et iteretur multotiens contritio

& assatio,

& aſſatio, donec incerentur; hoc eſt uniantur partes ſicut in cera. Et ſignum incerationis eſt, quod medicina liqueſcat ſuper ferrum valde ignitum. Deinde ponatur in eadem aqua in loco calido & humido, aut ſuſpendatur in vapore aquarum valde calidarum; deinde diſſolvantur, & congelentur ad Solem. Deinde accipias ſalem petræ, & argentum vivum convertes in plumbum, & iterum plumbum, eo lavabis & mundificabis ut ſit proxima argento, & tunc operare ut prius. Item pondus totum ſit 30. Sed tamen ſalis petræ LVRV.VOPO Vir Can Vtriet Sulphuris; & ſic facies tonitrum & coruſcationem, ſi ſcias artificium. Videas tamen utrum loquar in ænigmate vel ſecundum veritatem. Et aliqui exiſtimaverunt aliter. Nam dictum eſt mihi quod debes omnia reſolvere in materiam primam, de qua habetis ab Ariſtotele in locis vulgatis & famoſis: propter quod taceo. Et cum iſta habueris, tunc habetis para elementa ſimplicia & æqualia: & hoc facies per res contrarias, & varias operationes, quas prius vocavi claves artis. Et Ariſtoteles dicit, quod æqualitas potentiarum excludit actionem, & paſſionem, & corruptionem. Et hæc dicit Averrhoes, reprobando Galenum. Et hæc exiſtimatur ſimplicior medicina quæ reperiri poteſt, & purior: & quæ valet contra febres, & paſſiones animi, & corporum. Vale. Et quicunque hæc referaverit, habebit clavem qui aperit, & nemo claudit: & quum clauſerit, nemo aperit.

Explicuit Epiſtola Baconis de Secretis Naturæ & Artis, & de Nullitate Magiæ.

[Ad Guilielmum Pariſienſem conſcripta.]

Ad Baconis Epiſtolam Adnotata.

CAP. I.

AUt conſenſu multa mortalibus proponunt miranda.] *Conſenſus plurima potest: neque in illis tantum quæ præſtigiatores nequam mentiuntur, ſed in rebus etiam utilibus & magni momenti, quas non ſtupidum tantummodo vulgus admiratur, ſed quibus & ſcioli magicas ſubeſſe fraudes arbitrantur, Hinc Tritemii Steganographia tota dependet, quam hinc illum hauſiſſe ſuſpicor. Et licet eam multùm excoluerit & amplificarit Tritemius, hic tamen jacta eſſe Steganographiæ fundamenta certiſſimum eſt, quod ex capp. ſeqq. & maximè S. latiùs patet. Priorum duorum librorum (ut hoc obiter moneam) clavis vera eſt Poligraphia, qui intelligit mecum ſentit: tertium iſta Baconis epiſtola reſerat. Atque utinam Sigiſmundus qui pro Tritemio Apologiam ſcripſit, hoc mihi credat, neque enim dubito quin pro ejus ingenio facilè intelligat, & de tertio illo libro hæſitare deſinat. Sed ut pro Tritemio ſemel reſpondeam, in quo Libavius ſæpenumero deſipit, ajo Tritemii magiam, quæ in univerſa Steganographia continetur, non eſſe aliam, quam modum quendam artificioſum celebrandi arcanum quodcunque, ut ſolis artem una ſcientibus innoteſcat. P. S.*

Facilius enim à Deo impetrandum foret vel à bonis ſpiritibus] *Si per ſpontaneam carnis afflictionem immundus ſpiritus infunditur: quando uberius quis per vitæ mundiciem, mundi ſpiritus particeps fieri poſſit? Ingemuit Rabbi Echina iſta proferens, ne habetur apud Paulum Ricium ſuper 56. præceptum negativum. I. D.*

CAP. II.

Super ferrum candens.] *Caput reo obnubitur, & nudis pedibus per novem candentes vomeres luſtralibus precibus incantatos, & in incerta diſtantia poſitos ducitur; quos ſi indemnis tranſierit abſolvitur. Hoc probationis genus Ardelium dicitur; quo matris ſuæ caſtitatem explorare voluit, & oculos interim ſpectaculo paſcere juſſimus imprudens rex & in matrem impius Eduardus, Papiſtis ſanctus & Confeſſor dictus: ut habent ſcriptores hiſtoriæ Britannicæ. P. S.*

Et quicunque dicunt quod Solomon.] *Præter hujuſmodi libros & illos qui infrà cap. 3. recenſentur: multi à Tritemio enumerantur in Antipalo maleficiorum, ſi libet tibi quære. P. S.*

Vel ſunt facti ad vultus ſtellarum.] *De his optimè ſcripſit ſapiens Picatris. & ſi inutilia quædam putarentur, dignißimus eſſet ille liber qui lucem aſpiceret. P. S.*

Vulgus mathematicorum] *Non hic ſcientiam ipſam, ſed hominum imperitiam damnat. Ipſe enim cap. 16. tertii operis quod ſcripſit in opus majus & minus ad Clementiam Pont. Rom. ait: ſine mathematica nihil dignum ſciri poteſt in philoſophiâ: ut iſtendi in quartâ parte operis majoris multum diffusè. I. D*

CAP. III.

Qui nec artis, nec naturæ continent poteſtatem.] *Quamvis & magnâ Dei miſericordia factum ſit ut plurimi hujus fermenti libri à ſpurcis confecti nebulonibus jam tenebris ſepulti jaceant: intimè tamen dolendum eſt ejuſmodi quotidie prodire libros, qui ſpecioſo argumento maximarum rerum agnitionem promittunt; in quibus tamen capti lectores, nihil præter ſcripturientium ambitionem & fraudes deprehendunt. Et ſi per communem utilitatem facere liceret, tacita hic præteriiſſem quæ ſcripſit Andreas Libavius de azotico, de mercurio, & lap. philoſophorum, & variis ejus proceſſibus. Siluiſſem etiam de ejus Heptade quamdiu illa commenta modeſto Divinationum titulo ſeſe defenderent. Sed quia jam non amplius Divinationes habendæ ſunt illa annotata, ſed quæ juniores ſcire debent philoſophemata ex fundamentis ipſis (De podagra Scheunemani in calce def. Syntag.) quia in Novi luminis auctore; ſi is eſt quem vult Libavius: Michael Sendivogius, de quo tamen ſi vir bonus & honeſtus eſſe deſideraſſet tacuiſſe debuit [No. lu. Chy præf. in ænig.] quia inquam in illo impegit, à quo ad veram philoſophiam prima mihi janua aperta eſt, ô bene illi ſit & vivo & mortuo, & ita impegit, ut divinum ejus ſcriptum, ſi Libavii Divinationes attendas, prorſus inutile effectum ſit: quia etiam id ipſum à fraternitate R. C. poſtulat ut catalogum ſuum chymicorum ſcriptorum quamprimum edant: ego tibi Libavi ſalvo eorum judicio pro fratribus reſpondeo, & omnes qui tecum deſipere nollent ſedulo admoneo, ut à prænominatis tuis ſcriptis diligenter caveant, in quibus ne obſcura quidem veritatis umbella apparet, quæ ſenſum philoſophorum, & ſecretum quod ipſi adinvenerunt attingat, quatenus inquam à ſuo cerebro profecta ſunt, & non aliunde mutuata. Poſſent quidem Alchymia & Syntagma ſi nimia loquacitas, ſi ſuperbia, & maledicentiæ virtus abeſſent, à junioribus utiliter legi: ſed cavete vos qui errare non vultis, à lapide philoſophorum quem Libavius deſcripſit, & ignorat tamen. Sed ut iſtiuſmodi hominibus æquior ſim, faciunt noſtra, faciunt etiam magnorum auctorum errata communia. Et ut non abeam longius, quid huic ipſi Baconi in naturâ aut arte perſuadere potuit ut equas ſine equo gravidas*

fieri

fieri adeo crediderit, ut etiam in argumentum emissionis specierum & virtutem adduxerit? Solinum excusabit infantia, Plinium etiam scriptorem optimum & solertissimum nimia credulitas, quæ hanc fabulam ad illa hominum monstra [lib. 7. cap. 2.] ablegabit. De prodigiosa hominum quorundam Merlini & aliorum conceptione, ex humano tamen semine spirituum fraude surrepto, alia ratio est, sed non est hujus loci. De Philippo Theophrasto quid dicam adhuc non habeo. Sed quum apud D. Johannem Montanum quærerer quod tam præclaræ medicinæ theoricæ, tam firmis nixæ radicibus praxis & recepta aliquando parum feliciter responderent, insit illum ipsum sibi contigisse nonnunquam quumprimò recepta illa attemperet, quæ tamen postea verissima esse deprehendit. Et qui bene perpenderit quibuscum hominibus Theophrastus conflictaretur, facile existimet illum scientiam suam dissimulasse sæpius, ne quam illi gloriam præriperent adversarii, sibi ipsis immerito vendicarent. P. S.

CAP. IV.

Nam instrumenta navigandi, &c.] *Multa hujusmodi instrumenta apud Anglos olim inventa dicuntur. Etenim & Thomas Nortonus; cujus etiam liber de motu perpetuo extare dicitur, & pro ingenti thesauro clam possideri, in hujusmodi Scapha solus sedens legisse aut scripsisse perhibetur, & quanta visum est velocitate moveri. Apud Sudsexios etiam Hersingtonus quidam molendinum seipsum movens struxisse fertur. Vidimus etiam & ipsi dum Londini ageremus inventum quoddam bellicum, machinis intus inclusis agendum, sive in terrestri itinere sive aquatico. Dederunt anni sequentes cymbam quæ aquis fere tota immersa decurreret, & cum celonibus Londinensibus expeditissimis velocitate certaret, quam nec aquarum moles submergeret, nec ventorum impetus retardaret. P. S.*

Ad elevandum pondera.] *Id autem cochlea quam vocant continuam sive perpetuam facile præstat. P. S.*

Instrumenta ambulandi in mari] *Hujusmodi usi sunt, Virginiæ nuperi coloni ad conchas margaritiferas expiscandas.*

Pontes ultra flumina] *Subere forte aut lignis levioribus intertextis P. T.*

CAP. V.

Longissimè posita appareant propinquissima.] *Permagna animorum voluptate tubos illos speculares usurpant docti & indocti. Hinc tamen videre licet instrumenta perspicua hic longè præstantiora Baconi fuisse, qui talia de illis prædicare posset. Quæ autem scientiæ perspectivæ præstantia sit, audi ipsum Baconem in opere tertio ad Clem. Pont. cap. 17. Necesse est omnia sciri per hanc scientiam, quia omnes actiones rerum fiunt secundum species & virtutum multiplicationem ab agentibus in materias parentes. Et leges hujusmodi multiplicationum non sciuntur nisi à perspectiva, nec alibi sunt traditæ ad nos: cum tamen non solum sint communes actioni in visum, sed in omnem sensum, & in totam mundi machinam, & in cœlestibus, & inferioribus. Magnam idcirco gratiam jure merito habemus Ioanni Combachio, literatissimo viro, cujus opera effectum est, ut Perspectiva Baconis & specula publicæ veneant. P. S.*

Nam Socrates draconem.] *Hoc habetur in quarto capite libri secundi Aristotelis de proprietatibus elementorum. I. D.*

CAP. VI.

Soni velut tonitrus & coruscationes.) *Miranda est sciolorum audacia, qui id sibi assumunt, ut de rebus omnibus quantumvis incognitis sententiam ferant. Argumento potest esse Libavius, qui ab hoc loco Rogerii auctoritatem ita elevat. [De Philosophia magica fratrum R. C. cap. 271.] ut cum insanis bibaculi cujusdam insomniis, qui ad Turcam debellandum vix una æstate opus esse arbitrabatur, præclara ejus inventa, aut minimum dicam experimenta compararet. Si hæc cum reliquis contulisses Andrea, invenisses pulverem tormentarium hic indicari, cujus quidem & compositio Baconi innotuerat, & usus, idque ultera centum annos priusquam ignotus Polydoro auctor illum in vulgus extulerat. Et quamvis experientia humanæ vitæ salutare inventum fuisse comprobarit, manifestum tamen est, ideo homines pulverem hunc celasse Baconem, quod illis multa exinde mala ominaretur. Et certè te demiror Libavi qui in scriptis aliorum videri vis elephante nasutior hic pulverem illum sulphureum non olfeciisse. Adscribitur hisce insanis Burgravius. Ipse si vivit, si libet respondeat, aut sim interim affirmare, pluris esse curationem Burgavii magneticam, quàm omnes Andreæ Libavii Divinationes. Hoc submoneo ut animal confectum sepeliatur, alias post aliquot dies, mortui nonnulli redirent P. S.*

Lapis currit ad acetum] *Vide Albertum de Lapide de aceti lib. 2. de mineralibus cap. 6. I. D. Non videtur tamen Albertus id velle quod hoc loco Rogerius, qui illum potius lapidem innuit, qui in speculo aut lavigata aliqua superficie positus, insperso aceto movetur, ut palea quæ cerumine lita, & in aquam placidam injecta discurrit; atque idcirco ab Italis pietra caminante nuncupatur. P. S.*

Decem & septem modi auri.] *Tabula I. D. 17. modorum ligaturæ ☉ cum ☽ & ♀.*

gradus

☽	☉	auri	♀	☉
8	16	1	9	8	16
7	17	2	10	7	17
6	18	3	11	6	18
5	19	4	12	5	19
4	20	5	13	4	20
3	21	6	14	3	21
2	22	7	15	2	22
1	23	8	16	1	23

aurum | 17/24 | purum.

CAP. VII.

De retardatione accidentium senectutis.] *Extat Baconis libellus de accidentibus senectutis excusus Oxonii, ubi & illa quæ hoc capite & plura etiam ad hoc argumentum spectantia plenius recensetur. P. S.*

Sed natura non deficit in necessariis, &c.] *Nimium ridiculi Libavio videntur R. C. fratres, qui vitam longam & sanam pollicentur, & pleniorem rerum*

cognitionem. Magica hæc vult eſſe deliramenta quibus ipſi placidè indormiſcant. Licuit tamen illi non hinc tantum ſed ex omnibus fere Philoſophorum chymicorum ſcriptis animadvertiſſe, nec ſolos, nec primos fratres illos, talia ſcripſiſſe. P. S.

CAP. VIII.

Fingunt eas pro ſuâ voluntate] *Vide ſuper his Baptiſtam Portam De furtivis literarum notis, vide etiam Tritem: Polygr. lib. 6. & uſum earum in eo libro, cui titulus Synouſiaſtes, eiuſdem Tritemii. P. S.*

CAP. IX.

Pro melancholiâ ſtaturæ.] *Vide librum meum ſupra Portam Avicennæ, ubi melancholia, pro calce ſive terra intelligitur I. D.*

In igne ſicco vel humido.] *Utuntur philoſophi omni ignium genere; quos omnes ſuo tempore, ut decet adhibere, totum lapidis artificium continet. Hic eſt autem ille ignis Pontani, humidus interius, & extra ſiccus, & intellectu difficilis. P. S.*

Si ad unionem duodecies, ſi ad rubedinem 21.] *Unum (inquiunt philoſophi) opus eſt, unus operandi modus tam ad album, quam ad rubeum: addo etiam una materia; eaque non ſimplex, ſed ex duobus compoſita cum ſuo intermedio, quod deſuper in binario erit ab inflâ ſenario. P. S.*

Sunt igitur claves artis congelatio &c.] *Alchymia eſt ſpeculativa, & practica, ſpeculativa eſt ſcientia de rerum generatione ex elementis, & de omnibus rebus inanimatis: ut de elementis, de humoribus ſimplicibus, & compoſitis, de lapidibus communibus, de gemmis & marmoribus, de auro & cæteris metallis, de Sulphuribus, ſalibus, atramentis, de azurio, minio, & cæteris coloribus: de oleis & bituminibus ardentibus, & aliis infinitis. Eſt autem alchymia operativa & practica, quæ docet facere metalla nobilia, & colores; & alia multa, melius & copioſius per artem, quam per naturam. Et hujus ſcientia eſt major præcedentibus, quia majores utilitates producit. Nam non ſolum expenſas, & alia infinita reip. poteſt dare, ſed dat invenire alia quæ vitam hominum poſſunt prolongare in multa tempora, ad quæ per naturam produci non poteſt. Radices alchymiæ ſpeculativæ ego poſui ſecundum deſiderationem Avicennæ, præcipue in expoſitione ſexti præcepti in ſtudio Theologiæ, nam ibi texui totam rerum generationem ex elementis, & conatus ſum certificare cum magna diligentia quicquid oportet ibi ſciri, ſecundum vias alchymiæ & naturalis philoſophiæ, & medicinæ, quæ radices applicari debent ad omnium rerum generationem. Et hanc applicationem expoſui in auro, & metallis cæteris, cum magno ſtudio. Et meo judicio hæc quæ ibi tango de iſtis radicibus cum applicatione ad metalla, valent longè plus quam quicquid æſtimatur ſciri ab omnibus naturalibus qui modò ſunt: qui extra radices has in vanum quærunt ramos, flores, & fructus. (Baco in opere 3. ad Clem. Pontif. cap. 18.) Claves ergo hic poſitæ congelatio, &c. ſunt alchymiæ practicæ potius quam ſpeculativæ. I. D.*

CAP. X.

Annis Arabum ſexcentis & duobus.] *Itaque circa annum Domini 1205. A. Chriſto enim ad Machometi furores, interceſſerunt anni 621. menſes 6. dies 14. (Sic tradit Iohannes Saxonicus in commentario ad Alchitii Iſagogen, à Colinæo impreſſo anno 1521. fol. 81. Alii autem rejiciunt in annum Chriſto 630.) Annus autem Arabicus conſtat diebus 354. & ſingulis 30. annis accedunt 11. dies, collecti ex minutis 44. quæ reſtant ex menſibus ſynodicis ſupra 29. dies 12. horas, Ergo anni Arabici 30. continent dies 10631. ſive annos Iulianos 29. & ſuperant dies 38. horæ 12. Anni igitur Arabici 602. efficiunt annos Iulianos 584. quibus additis ad annos Domini 621. eveniunt anni Chriſti 1205. Veri ergò ſimilius eſt Clementum illum Papam cui opera ſua inſcripſit Rogerius, Clementem tertium fuiſſe qui anno 1188. ad papatum evectus eſt; quam quartum qui anno 1265. ſedebat in cathedra peſtilentiæ; niſi Rogerius tum valde ſenuerit, idque amplius hinc licebit conjicere quod illius diſcipulus Robertus ob eximiam tum rerum, tum literarum Græcarum, & Hebraicarum cognitionem, Groſſeteſte ſive magnum caput appellatus, Epiſc. Lincolnienſis anno 1240. deſignaretur, annis centum ſerius quam vult Tritemius niſi mendum eſt impreſſoris. I. D.*

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ.

SVBSECTIO SECVNDA

Quæ ſub nomine AVICENNÆ *in Alchimicis ſunt præcipua adfert.*

Tractatulus AVICENNÆ.

Iſtum Librum dividam in octo Capitula vel Partes.

In primo capitulo dicam de Mercurio & ejus natura, necnon de ſulphure quod in ſe continet.

In ſecundo dicam de natura cõporum perfectorum, & eorum ſulphure.

In tertio dicam de conjunctione corporis & ſpiritus, & lapidis diſſolutionem in primam materiam.

In quarto dicam de extractione aquæ ex terra.

In quinto dicam de fundatione ſeu etiam fuſione ſuper terram ſuam.

In ſexto dicam de modo ſublimationis terræ.

In ſeptimo dicam de lapidis multiplicatione & fixione.

In octavo & ultimo capitulo dicam de modo proficiendi medicinam, & tingendi quodlibet metallum in Solem & Lunam.

CAPUT I.

ARGENTUM vivum eſt frigidum & humidum, & Deus ex eo vel cum eo creavit omnia minera: & ipſum eſt aëreum & ignis fugitivuum ſed dum in igne aliquantulum ſteterit facit mira opera aliena.

Et

Et ipsum est solummodo spiritus vivus, & in Mundo non est tale, quale ipsum est, quòd possit talia operari, qualia per ipsum operantur. Et ipsum intrat quodlibet corpus, penetrat, levat, & excedit, Ipsum est fermentum corporum quibus admiscetur, & tunc erit totum Elixir ad albedinem & rubedinem. Ipsum est aqua perennis, aqua vitæ & lac virginis, fons & lumen de quo bibens non moritur. Cùm vivum fuerit, habet quædam opera; cùm mortuum fuerit, habet alia opera; & cùm solutum fuerit, habet opera maxima.

Ipsum est serpens luxurians, se ipsum impræguans, in die uno parturiens, suo veneno cuncta interficit, ab igne fugit. Sapientes autem faciunt ipsum spectare ignem, & tunc facit opera & mutationes: quia sicut mutatur mutat, & sicut tingitur tingit, & sicut coagulatur coagulat: igitur inter omnia mineralia argenti vivi præferenda est generatio. In omnibus enim mineris invenitur, & cum omnibus symbolum habet. Est autem ex terrestri & mediocri, & aqueo vel oleo vivo subtilibus mediocriter, & spiritu multo subtili, ex aqua terrestri ponderositatem habens & motum deorsum, luciditatem, & fluiditatem, & colorem argenteum. Exit enim de terra, & in terram resilit, & mutatim se defendit, & iterum se continuat humido ex caliditate, & spiritu extincto figitur & omnibus mineralibus commiscetur, & cui insidet firmiter adhærebit, unde & mineralium mater dicitur. Argentum verò vivum densam manifestè videtur habere substantiam, ut monoceros, propter gravedinem sui ponderis immensi quoniam aurum præponderat, dum in sui natura fuerit, & est fortissimæ compositionis, & naturæ uniformis: quoniam non separatur ab invicem: in partes autem nullatenus se dividi permittit. Quia aut cum tota sua substantia ex igne recedit, aut cum ea in igne permanet.

In eo necessario est causa perfectionis, quoniam ipsum solutum ad perfectionis modum sufficit in uno quoque gradu, videlicet cum ignitione, propter bonam sui adhærentiam, & fortitudinem suæ mixtionis. Sed cum partes ipsius inspissantur per ignem, ulterius non permittit se corrumpi, nec per ingressionem furiosæ flammæ ulterius se patitur elevari: quoniam rarefactionem sui non suffert propter indensitatem & adustionis carentiam, quæ fit per sulphureitatem quam non habet.

Argentum verò vivum in suis operibus manifestè ac perfectissimè ab adustione est salvativum, & fusionis effectivum cùm figitur. Etenim est tinctura rubedinis ubertimæ refectionis, fulgidi splendoris, & non recedit à commixto donec est Est enim amicabile, & metallum placabile, ac medium conjungendi tincturas, quoniam commiscetur cum ipsis per minima, & in fundo naturaliter adhæret eis: quia est de natura ipsorum. Verumtamen Luna commiscetur cum illo faciliùs: quoniam per suam naturam habet ipsum in sua natura participare. Attamen non submergitur in eo aliquod metallorum nisi Sol. Et sic maximum habes secretum, quoniam Mercurius in se recipit quæ sunt suæ naturæ. Aliena verò respuit, eò quòd natura sua plus gaudet cum natura propria quàm extranea. Ex hoc enim manifestum est, majoris esse perfectionis in illis, quæ plus sunt Mercurium continentia, & quæ minoris: minus, quoniam symbolum tenet in natura cum mineralibus. Et dedit Deus ipsi substantiam, & substantiæ proprietatem, quam nullo modo in aliis rebus naturarum contingit possidere: quoniam ipsum solum est quod ignem superat & ab eo non superatur, sed in eo amicabiliter gaudens quiescit. Ipsum solum cùm sit metallicum, continet totum in se, quo indigemus ad nostrum magisterium. Igitur manifestum est, quòd argentum vivum continet in se sulphur suum bonum, quo coagulatur aurum & argentum, secundùm diversum digestionis modum.

CAP. II.

De Natura Corporum perfectorum: id est, Solis & Lunæ, & eorum Sulphure.

AUrum est Corpus perfectissimum, Dominus lapidum, Rex & caput omnium aliorum, quod nec terra corrumpit, nec res comburentes comburunt, nec in igne minuitur, sed in eo melioratur: quia in eo humiditate quadam humectatur, nec etiam aqua alteratur. Complexio ejus est temperata, & natura directa in caliditate, frigiditate, humiditate & siccitate: nec in eo aliquid superfluum nec diminutum invenitur. Est enim creatum ex subtilissima & clarissima argenti vivi substantia & ex substantia pauca sulphuris puri & mundi, rubedinis fixæ, & clarè tingens ipsam substantiam argenti vivi.

Aurum tenetur esse corpus & fermentum Elixir albi & rubei. Neque melioratur, neque perficitur seu completur nisi cum eo, & non alio: quemadmodum pasta non alio quàm suo potest fermentari fermento. Aurum est corpus durans per secula seculorum manens. Et ideo Philosophi prætulerunt ipsum, & magnificerunt: dixerunt enim quod aurum sic se habet in corporibus, quemadmodum Sol in stellis. Sol enim in suo lumine & splendore omnia vegetabilia germinat, & omnes fructus perficit. Ideo dicit Hermes: Nunquam fit tinctura vera absque rubeo lapide.

Aurum primum gradum nobilitatis tenet inter omnia corpora: quia ipsum est temperatissimum propter mixtionem, depurationem sulphuris & Mercurii. Et multum habet de virtute sulphuris, & parum de ejus substantia, & econversò multum habet de substantia Mercurii, & de virtute ejus parum. Propter quod ratione Mercurii est ponderosum, & ratione virtutis sulphureæ multum est rubeum. & propter fortissimam compactionem sulphuris & Mercurii in sua calce, non est ita humidum in tactu & unctuosum sicut cætera corpora ideo non facit lineaturas nigras sicut alia metalla, quando protrahitur super pergamentum. Sed si admiscetur sibi argentum aut aliud metallum, tunc faciet lineaturas nigras: quia unctuositas corporis sibi admixti tendit ad superficiem, & facit ipsum albescere & humescere: & quia partes multum profundantur ad centrum, ideo est ponderosum magis quam propter argentum vivum suum.

Plumbum verò ponderosum est magis propter suum argentum vivum, quàm propter consolidationem partium sibi debiter adhærentium, & ideo minus inter omnia corpora est sonorosum.

Aurum verò propter fortem & tenacem cohærentiam partium suarum inter omnia acutioris soni est. Aurum quoque non aduritur ab igne

sibi proportionato. Vehementissimus enim ignis consummit omnia sub lunari globo existentia. Non aduritur etiam ab his rebus quæ cætera corpora adurunt, sicut à sulphure, & arsenico Et purgare solent ipsum artifices ad summum splendorem, per lateres & salem.

Argentum habet de substantia Sulphuris multum, & de virtute ejus parum, & de substantia Mercurii parum, & de virtute ejus multum, ideo est album: quia color sequitur multitudinem virtutis; virtus verò in vapore locata est.

Materia ejus vicinior est materiæ auri quàm aliquod aliud metallum, ideo faciliter vertitur in aurum, non indiget alio labore, nisi transmutando colorem, & dando pondus. Lithargyrium argenti præ omnibus rebus valet ad tincturam album: quia materia ejus propinqua est.

Argentum est corpus perfectum, minus tamen quàm aurum, & est minoris ponderis auro, & est de partib. Lunæ: in humido loco corrumpitur, & ejus sapor est acidus: in igne minuitur & sulphuribus comburitur. Auri interiora sunt exteriora argenti, & ejus natura est frigida & sicca, & recipit tincturam. Amplius autem aurum est corpus perfectum & masculinum, sine superfluitate aut diminutione, quod si in terra solummodo liquefactione perficeretur, commixta esset Elixir ad rubeum.

Argentum verò corpus perfectum est fœmineum. Quod si perfecta fusione perficeretur, esset tinctura ad album vel Elixir, quod non est, quia sunt solummodo redacta in natura ad corpora perfecta. Et si ista perfecta cum imperfectis corporibus commiscerentur, non ideo imperfecta perfecta existerent: sed potius eorum perfectio cum imperfectis diminueretur. Sed si facta fuerit plusquam perfecta in duplo, vel quadruplo, vel centuplo vel millecuplo, in tantùm perficiuntur imperfecta cum ipsis, quia natura simpliciter semper operatur, & perfectio in eis simplex est inseparabilis, nisi fortè duceretur in fugam cum volatili: quia summa volatilis superat summam fixi corporis. Et cùm corpus perfectum ex argento vivo mundissimo, & ex tali sulphure rubeo habere possumus ad Elixir rubeum, & argentum similiter ad Elixir album: ideo eligeremus ea ad Elixir nostrum, pro materia nostra, quia hæc duo corpora similiter sunt perfecta, digesta, & decocta qualitate naturali, fortiter, sine aliqua mundatione ingeniosa. Quare utique cum igne nostro artificiali in ipsis operari valemus. Et quamvis natura aliquid perficit, tamen non nisi simpliciter operatur super illud quod habet. Est enim corporibus duplex sulphureitas, quædam est ex argenti vivi substantia, in eis inclusa in principio suæ mixtionis, quam dicimus supereminentem. Alterum verò sulphur extraneum suæ naturæ quam dicimus correspondentem.

Et est notandum diligentissimè, quod istorum duorum corporum conjunctio est necessaria in hac arte ad album & ad rubeum. Et sunt duæ rationes, quarum una est: Cùm aurum sit nobilius inter metalla, & magis compactum, perfectum & fixum, tamen si dissolvatur, & in partes minimas separetur, fit spirituale & evolans, sicut Mercurius, & hoc ratione suæ caliditatis: & tunc habet tincturam sine numero, & ista tinctura vocatur sperma masculinum calidum. Si verò argentum solvatur in aquam tepidam, nihilominus manet fixum sicut prius, & nullam aut paucam habet tincturam: est tamen promptum ad ipsam tincturam recipiendam in temperamento calidi & frigidi: & vocatur sperma fœmineum, frigidum & siccum: est ergo conveniens eorum conjunctio. Est & alia ratio quia, cùm aurum & argentum quodlibet istorum per se est difficilis fusionis & liquefactionis, tamen si conjungantur, faciliter fluunt & liquefiunt, ut sciunt aurifabri, facientes consolidaturas ad aurum. Unde si in lapide nostro esset solummodo alterum istorum duorum, nunquam per aliquod magisterium de facili flueret medicina, neque tincturam daret. Et si daret tincturam, non tingeret nisi in quantùm esset, eò quòd non esset receptaculum tincturæ. Hoc totum non intelligas de Luna vulgari, sed de Luna Philosophica, unde & Lunaria dicitur. Ergo consulo ut non operereris nisi cum Mercurio, Sole & Luna. Quoniam totum beneficium artis hujus in illis tribus consistit.

CAP. III.

De Conjunctione Corporis & Spiritus, & Lapidis Dissolutione in primam materiam.

CErtum est omnem rem esse ex eo in quod resolvitur. Nam gelu convertitur in aquam calore mediante. Clarum est ergò illud priùs fuisse aquam quam glaciem. Omnia verò metalla ex Mercurio sunt generata, ideo ipsa in ipsum resolvuntur.

Primum ergo regimen lapidis est ipsum dissolvere sicut grossum argentum vivum, ut in suam primam reducatur materiam: hoc autem totum fit per argentum vivum; eò quod ipsum habet posse Solem & Lunam in eorum naturam & materiam primam redigere. Sed cùm argentum vivum habet in se fœculentiam & adustionem absque inflammatione, & aqueitatis substantiam: necesse est ergo ejus superflua demere, & absentia adimplere, si completam medicinam ex illo volueris facere. Terram autem fœculentam omnino oportet sublimatione demere, & absentia adimplere, ne lividum in projectione creet colorem, & aqueitatem ipsius simili modo delere, ne & totam materiam in projectione faciat fugitivam.

De cujus proprietate est, substantiam medicinæ salvare, non aduri, sed figere, & ab adustione defendere. Ideo contingit ex illo creari Saturnum, Jovem, Venerem, ferrum, &c. quod ex impuritate necesse est accidere.

Est notandum, quod duplex est materia prima Quædam est propinqua, quædam verò remota: Materia propinqua est argentum vivum; remota, est aqua: quia argentum vivum prius fuit aqua, & postea argentum vivum. Verum ergo principium nostri operis est dissolutio lapidis, quia corpora soluta ad naturam spiritus sunt redacta, quia magis fixa. Nam solutio Corporis est cum coagulatione spiritus. Patiens ergo sis, coque, tere, & incera, & non tædeat te hoc multoties reiterare: quia quæ imbibuntur, per aquam mollificantur. Quantò magis teris, tantò magis mollificas, & partes grossas subtilias, donec satis exiliat. Et hæ partes dividuntur, cùm spiritus impastantur & omnia quæ impastantur ex toto dissolvuntur: & impastatio fit cum nimia contritione, inceratione, & assatione. Nam per contritionem, assationem & ignem,

& ignem dividuntur partes ligatæ & viscosæ, quæ sunt in corporibus. Corpora verò soluta & ad naturam spiritus redacta, nunquam separantur, sicut nec aqua permixta aquæ. Quippe natura lætatur cùm sponsus & sponsa copulantur. Quia intentio operis nostri non est nisi quòd eligatur purissimo Mercurii substantia ex ipsis corporibus, quoniam Elixir constat solummodo ex ipsis.

Primus autem modus Solutionis & naturæ est putrefacere. Sed tamen multæ sunt species putrefactionis & corruptionis. Primum ergo principium naturale est materia sensitiva materialis prout superiùs dixi.

Secundum calor movens ipsam materiam & putrefactionem. Signa verò putrefactionis est color niger, odor fœtidus, & materia in tactu subtilis & discontinua, ac si esset primus Mercurius. Quia calor agens in humido primo generat nigredinem, quæ nigredo est caput corvi, hoc est principium operis.

Item nota, quòd ingressio, submersio, connexio, conjunctio, complexio, compositio & mixtio idem significant in hac arte. Nihil enim submergitur, conjungitur, connectitur, quin & misceatur. Quia cõmixtio est commiscibilium per minima: id est, per indivisibilia sibi juncta unio. Scias etiam firmiter, quòd tota fortitudo hujus magisterii non est nisi in putrefactione. Si enim putridum non fuerit, solvi nec fundi poterit: & si solutum non fuerit, ad nihilum deveniet.

Item scias, quod in unoquoque opere sunt tres dimensiones scilicet latitudo, altitudo & profunditas: & hoc manifestè apparet de corpore, quod visui nostro subjacet. Verbi gratia: Lapis noster in prima sui creatione est albus, & ita apparet in facie: quare dicimus ipsum frigidum & humidum, quia ita est. Unde studeamus, quare lapis noster aquaticus, quia frigidus & humidus est, naturalis dispositio dicitur corpus manifestum seu altum. Latitudo autem est ista dispositio media, per quam itur ad profundam dispositionem. Quæ verò media est inter profunditatem & altitudinem, tanquam inter contenta, seu contraria, est impossibilis transitus per ea, nisi altera qualitas destruatur, quoniam frigida & humida est ejus dispositio alta: destruatur ergo altera qualitas videlicet humiditas per putrefactionem, tunc inspissatur, & ejus humiditas convertitur in siccitatem, & sic fit transitus ab alta ad mediam dispositionem, quæ est frigiditas & siccitas: & dicitur latitudo, quia tenet à frigido & humido frigiditatem: à sicco & calido siccitatem: ergo media. Postquam verò per calorem existentem, frigiditas quæ remansit in corpore trãsmutatur in caliditatem, quæ sunt extranea: contraria est dispositio profunda quia caliditas est occultum corporis, quòd optimè apparet per Aristotelem &c.

CAP. IV.

De Extractione Aquæ ex Terra.

POstquam materia fuerit putrefacta, ad faciendum corpus & spiritum, quod tamen impossibile est fieri nisi in aëre, hoc est, per sublimationem.

Scias ergo quòd lapis noster dividitur in duas partes principales, videlicet in partem superiorem quę ascendit, & in partem inferiorem quæ remanet in fundo fixa. Et tamen istæ duæ partes concordant in virtute.

Et ideo Philosophus dicit: quòd illud quod est inferius, est sicut illud quod est superius. Et ista divisio est necessaria, ad perpetranda miracula rei unius, scilicet lapidis, quæ pars inferior est terra, quæ dicitur nutrix & fermentum: & pars superior est anima, quæ totum lapidem vivificat, & revivificere facit.

Unde facta separatione celebrata, conjunctione lapidis multa miracula perpetrantur. Est notandum, quamvis apud aliquos lapis noster non dividatur in quatuor partes, videlicet in quatuor elementa in prima operatione, sicut superiùs dictum est: quatuor partes principales, videlicet una quæ ascendit superiùs non fixa: alia quæ remanet inferiùs, quæ dicitur fixa: & terra vel fermentum, quæ totum lapidem nutrit & fermentat, ut dictum est. De illa verò parte non fixa, oportet habere in bona quantitate; & dare lapidi, qui est mundissimus, absque sorde totus, donec totum lapidem virtute spiritus non fixi superiùs differat sublimando. Et hoc est quod dicit Philosophus: Ascendit de terra in cœlum. Postea ipsum lapidem sic exaltatum oportet reiterare super marmor, cum elemento ab ipso lapide in prima operatione extracto. Elementum illlud dicitur aqua lapidis. Et debet toties assari, donec subtilitate lapis iterato descendat in terram, & sic recipit superiorem vim sublimando & inferiorem descendendo, ut corporeum fiat spirituale sublimando, & cùm est spirituale, fiat iterato corporeum descendendo. Et sic habes gloriam claritatis hujus Mundi, & fugit à te omnis obscuritas & omnis inopia & ægritudo: quia sic compositus, curat omnem ægritudinem. Et hic lapis totius fortitudinis, quia nulla est comparatio hujus lapidis ad alias fortitudines. Nam vincit visibiliter, omnem rem solidam perforabit, penetrabit & devincendo convertit.

Philosophi dixerunt, quod sola aqua per seipsam omnia facit, omnia solvit, omnia congelat, omnia diruit sine alicujus adminiculo. In ipsa solent apparere colores amœni. Permutatio corporis in aquam est tinctura cujuslibet corporis. Insuper est differentia inter tincturam aquæ & tincturam olei. Nam tinctura aquæ abluit & mundat, & tinctura olei tingit & colorat.

CAP. V.

De Fundatione seu etiam Fusione Aquæ super terram suam.

FUnde igitur Aquam super terram suam, & permisce conterendo, statim paulatim imbibendo, hebdomadatim decoquendo, & postea leniter calcinando, quousque terra bibat de sua aqua quintam sui partem. Scias quòd terram oportet nutriri, primò modicè aqua sua, & postea majori, sicut est videre de infantis educatione. Idcirco multoties contere terram, & paulatim imbibe eam de octo in octo diebus: decoque, & postea mediocriter calcina in igne, ne tædeat te opus multoties reiterare: quia terra fructum non gerit absque frequenti irrigatione. Unde cùm aridum fit, ut multum sitiens bibit suum humidum & aqueum: & trituratio non est bona, donec terra & aqua fiat unum & idem corpus. Ergo non suspendas manum tuam à trituratione, & assatione, donec terra sit sicca & alba, quæ albedo generatur ex tali frequenti & sicca trituratione & assatione. Caveas

tamen ne imbibas terram niſi paulatim, & cum longa contritione poſt ſiccationem terræ. Unde in hoc eſt pondus ubique notandum, ne ſcilicet nimia ſiccitas vel ſuperflua humiditas opus corrumpant. Et in tantum decoque aſſando, quantum diſſolutio expoſcit imbibendo.

Nota: omni vice poſt calcinationem terræ ſuperfunde aquam terræ temperatæ videlicet non multum nec parum. Quia ſi multum, fit pelagus conturbationis: Si parum, comburetur in favillam, quia ſuaviter & non feſtinanter, de octo in octo diebus, terram irrigando, decoquendo & calcinando, donec biberit aquam ſuam. Continua igitur opus multis vicibus, quia niſi per longum non videbis tincturam, neque perfectè perficies, donec opus ſit perfectum.

Studeas ergo cùm in opere fueris omnia ſigna quæ in qualibet decoctione apparent, in mente recordare, & eorum cauſas inveſtigare. Tres quippe ſunt colores principales, niger, albus & citrinus. Cùm ergo egreditur nigra, perfecta eſt, ſed nondum completa.

Qualibet ergo vice vigora ignem in calcinatione; quouſque terra egrediatur alba ex ignis fortitudine. Nam ſicut calor agens in humido generat nigredinem, ita augens in ſicco generat albedinem. Idcirco cùm terra non fuerit alba, tere eam cum aqua ſua, & iterato eam calcina, quia azoth & ignis terram abluunt, & obſcuritatem ejus penitus ab eo eripiunt. Nam præparatio eſt cum aqua ſemper, & qualis ſit aptitudo aquæ, talis & erit limpitudo terræ. Et quantò magis fuerit ablutio, tantò magis erit & alba terra.

Unde quidam Philoſophus ait: Cùm inveneris ipſum nigrum, ſcias hoc initium operis eſſe. Poſt verò putrefactionem rubeſcit non rubedine vera: etiam citrineſcit: De quo quidam Philoſophorum ait:

Sæpius rubeſcit, & ſæpius citrineſcit, ſæpius liqueſcit, & ſæpius etiam coagulatur ante veram albedinem. Unde alius dicit:

Seipſum diſſolvit, ſeipſum coagulat, ſeipſum rubore decorat. Ante albedinem etiam fit viridis. Apparet etiam ante albedinem color pavonis. Unde quidam ſic ait:

Scias quòd omnes colores Mundi qui excogitari poſſunt, apparent ante albedinem, & deinde albedo ſequitur vera. Quidam ait:

Utilitas ejus expectanda eſt. Igitur tam diu decoquatur, donec purus appareat veluti oculi piſcium eluceſcunt, & tunc ſcias quòd noſter lapis in rectitudine eſt coagulatus. Alius Philoſophus: ait:

Cùm albedinem inveneris ſupereminentem in omnibus, ratus eſto, quòd in illa albedine rubedo eſt occulta, & tunc non oportet illa extrahere, verumtamen decoquere donec totaliter rubedo fiat. Sed tamen inter veram rubedinem & veram albedinem citrinum criſei coloris. De quo ſic dicitur:

Calore ignis augmentato pervenitur ad citrinum. Et alius: Cinerem ne vilipendas, quia Deus reddet ei liquefactionem, & tunc ultimo Rex diademate rubeo divino nutu coronatur. Oportet te ergo hoc magiſterium tentare. Nam compoſitio non erit ſine matrimonio, & putrefactione. Et matrimonium eſt commiſcere ſubtile cùm ſpiſſo, & putrefacere, terere, aſſare, rigare quouſque commiſceatur inſimul, ut fiat unum, & non ſit diverſitas ſicut aqua mixta aquæ. Tunc conabitur ſpiſſum ſubtile retinere, & conabitur anima pugnare cum igne & pati ipſum, & conabitur ſpiritus ſubmergi, & cum corporibus fundi.

Scias autem, cùm corpus miſcueris cum humiditate, & ipſi advenerit ignis caliditas, vertitur humiditas ſuper corpus, & ſolvit ipſum, & tunc non poteſt ſpiritus ab eo exire, quia imbibit ſe in igne, & ſpiritus aliàs ſunt fugabiles, quouſque commiſceantur cum corpore, tunc conatur pugnare cum igne & ejus flamma, attamen non conveniunt iſtæ partes niſi cum bona temperatione, continuatione & longo labore. Antiqui verò Philoſophi lapidi noſtro impoſuerunt multa nomina, ut amalgama, vitriolum, ſanguinem propter colorem rubeum, aliiſque nominibus infinitis, vocaverunt ipſum ferreum, propter impoſſibilem fuſionem. Nam iſtud corpus cùm privatur humiditate, neceſſe eſt corpus ſiccum non fuere, quod priùs per humiditatem fluebat, & erat volatile. Nam neceſſatiò corpora figuntur per privationem humiditatis, quæ à Philoſophis dicitur calcinatio, & rei putrefactio ſeu pulveriſatio ab humiditate partes conſolidatas, & per calcinationem ſpiritus jam figuntur, & fit molle durum, & volatile fixum, & ſic mutatur de natura in naturam.

Turba dicit: Fiat mutatio complexionum, videlicet à frigida & humida in calidam & ſiccam, ſeu à flegmatica in colericam ſecundùm medicos. Calore Solis & levi decoctione coagulantur ſpiritus. Intenſo verò & nimio calore deſtruitur opus, ut ait Bonellus. Quoniam ſi incenderis ignem fortem ante incrementum rubei, fit quod nihil nobis prodeſt. Nam omnes Philoſophi & veri, ignem levem aſſerunt fieri, & teſtantur propter rationes ante dictas. Inquiunt enim, quòd nos oportet ſuaviter regere ignem, donec ſulphur noſtrum fiat incremabile. Undè de ſemine: Semina non oportet metere, donec tempus meſſis advenerit Philoſophi hunc lapidem noſtrum vocaverunt Salamandram, quia ſicut Salamandra ſolo igne nutritur & vivit; id eſt, perficitur, ita & noſter lapis.

CAP. VI.

De Modo Sublimationis Terræ.

QUidam magnus Philoſophus, inquit: In fecibus eſt quod quæris. Recipiantur ergo feces, cùm de alembico extrahuntur, & terantur fortiter, & imbibantur cum aqua ſua, & in lento igne vel Sole exſiccentur, & hoc multoties fiat. Nam ex tali præparatione habilitatur fumus ille ad ſublimandum. Unde dicit Geber: Ex multiplici ergo reiteratione imbibitionis & aſſationis, major pars ejus aqueitatis deletur. Reſiduum vero per ſublimationem.

Accipiantur ergo feces prædictæ, & aptentur ad ſublimandum, adminiſtrando eis primò ignem lentum proportionabiliter majorem quouſque fumus ille mundus & albus aſcendat, & ſi primò non fiat, reiteretur toties ſuper eaſdem feces imbibitio, donec ita fiant, & ultimò ſine fecibus quæ adhærent, tunc una pars fixa contingit ex illis. Secundum verò ejus diverſam operationem, diverſitas medicinæ creatur aliquando Saturnus, aut Jupiter, &c.

Nullus autem debet ſublimare terram operaſophiſtica, ſed ſolummodo ad Elixir noſtrum. Et

non

non misceas illud quod remanet deorsum, cum illo; quod ascendit sursum, sed pone unumquodque ad partem: quoniam illud quod in fundo remanet, reiterabis ad sublimandum per Mercurium incorruptum, donec totum ascendat. Et considera bene quod nunquam debes procedere ad fusionem modo prædicto, videlicet ad lapidem Philosophicum, nisi ipsum priùs sublimes, cùm non fiat unio corporis & spiritus, nisi per sublimationem.

Primò est materia sublimanda, est & figenda: cùm præcesserit unio conveniens, fixio sequatur. Fixam autem materiam non facias volatilem, & materiæ fixæ partem unam, & Mercurii præparati partes duas simul bene incorpora, postea sublima, sublimatum collige, & semper illud quod in fundo remanet iterato, cum novo Mercurio contere, per modum prædictum, quousque totum fuerit sublimatum. Nam secundùm Philosophum, vis sulphuris albi non urentis congelat Mercurium. Et illud est res optima nostri magisterii, per quam fit elixir ad argentum. Et si fuerit sulphur optimum cum rubore clarum, & fuerit in eo vis argenteitatis sulphuris non urentis, erit res ex qua fit elixir ad aurum. Et ut tradunt Philosophi, fiat primò sulphur ad album ad argentum, & postea ad rubeum ad aurum: quia non fit aurum, nisi priùs fuerit argentum. Quippe nulla res potest venire à primo ad tertium, nisi per secundum, quia non est transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium. Ergo non potest fieri ex nigro perfectè citrinum, nisi priùs fuerit album, eò quòd citrinum ex minimo rubeo & albo purissimo est compositum. Nec potest fieri de citrino album, nisi priùs fuerit nigrum.

Sic aurum non potest fieri argentum, nisi priùs fuerit corruptum & nigrum. Quia melius non potest fieri deterius, nisi per corruptionem sui: quoniam corruptio unius est generatio alterius. Idcirco qui vult aurum convertere in argentum, sic agat per corruptionem, ac argentum in aurum: quia sulphur eorum non urens, per majorem ignis digestionem potest fieri sulphur rubeum, quia citrinatio nihil aliud est quàm completa digestio. Nigredo nil quàm ablutio. Calor namque agens in humido; primò efficit nigredinem. Et calor in sicco causat albedinem, nec non in albo citrinitatem & nimiam rubedinem. Fit enim sulphur album & rubeum ex una metallorum materia, ad plenum depurata, modò tamen diversitate decocta & digesta. Idcirco in argento vivo est sulphur album, sicut in auro sulphur rubeum. Et omnino non est sulphur tale super terram, nec album, nec rubeum, nisi quod in istis corporibus existit. Et ideo præparanda sunt corpora subtiliter, ut sulphur eorum, & argentum vivum ex ipsis habere possimus, ex quo aurum & argentum efficiebatur subtus terram. Quia nisi aurum & argentum viderem, dicerem proculdubiò Alchimiam non esse veram. Ipsa enim sunt corpora luculentia, quibus insunt radii tingentes, qui tingunt cætera corpora in albedinem & rubedinem, secundùm quod fuerint præparata. Alembicus verò & cucurbita debent conjungi, ita quod Mercurius non possit exire, quia non sublimatur nisi virtute aëris: & ideo si locum apertum invenerit, evolat in fumo, & perit magisterium. Quoniam totius operis intentio non est aliud, nisi ut sumatur lapis in capitulo notus. Scias quòd hic est lapis quem sciunt Philosophi, qui habet virtutes super omnes virtutes lapidum, quem pone in vase Philosophico, ad sublimandum, & cum eo sublimetur lapis, donec in ultima sublimatione purificetur.

Et iste est primus ordo, quæ prima operatio appellatur, quæ fit ut purissima & subtilissima substantia eliciatur.

Secunda est solutio, ut materia solvatur in aquam.

Tertia putrefactio, quoniam Morienes dicit: Nunquam fuit aliquid animatum, ad nativitatem adductum, nec aliquid crescens, nisi per putrefactionem & mutationem: ita oportet fieri putrefactionem, quia corruptio unius est alterius generatio.

Quarta est ablutio: oportet enim quòd illa res putrefacta & sordida abluatur, & mundetur à corrumpente impuritate. Et bene dixerunt: quia quàmdiù manet aqua super terram, tantò magis terra abluitur, & ceratur, ita quod ablutio & ceratio idem sunt.

Quinta est coagulatio: oportet enim quòd aqua suaviter coquendo in Sole nostro in terram mutetur & perfectè coaguletur & desiccetur, & in pulverem vertatur.

Sexta est calcinatio: Unde scias, quòd res calcinata est magis apta, quàm non calcinata, & est simpliciter fixio. Unde fuerunt multi Philosophi, qui calcinationem dixerunt fixionem, & bene dixerunt: quia omnes isti modi sunt in sublimatione. Pro certo enim si quis perfectè sublimat, hic totum opus perpetrat.

Et scias quod hoc totum perficitur in uno furno, & in uno vase. Et has septem dispositiones quilibet intelligens potest perficere. Igitur non sis negligens in sublimatione. Qualis enim fuerit mundatio, talis erit & perfectio.

Modò volo tibi narrare quid sit Sublimatio.

Sublimatio est elevatio partium subtilissimarum à partibus fixis. Partes non fixæ elevantur per fumum: id est, per ventum: quia sicut diximus, oportet custodire ne fugiant, imò cum partibus fixis fixantur, & remanent, & velociorem fusionem præstant. Intelligas veram sublimationem esse quando facimus separationem partium, quæ superiùs elevantur ab iis, quæ inferiùs remanent: Imò volumus quòd simul suo proprio conveniant, quia in lapide nostro priùs primam purificationem quæ per solutionem perficitur, non invenimus aliquod diminutum vel superfluum.

Propter hoc dixit Geber: Cum eo sublimetur lapis, donec ultimò deveniat in sublimationis puritatem. Dixit enim cum eo: hoc est, sine alio adjuncto, vel alia extranea re, propter hoc decepti sunt omnes laborantes, qui sublimant cum fecibus & nesciunt quid faciunt: vel quis sit lapis Philosophicus & nihil proficiunt: quia sublimationem Philosophicam ignorant.

Geber dicit: Est enim lapis Philosophorum una medicina, in qua totum magisterium consistit, cui non admiscetur extraneum, neque diminuitur, nisi quod superfluum est in operatione amoveatur & est prima purificatio, quæ per sublimationem perficitur. Jam sufficienter demonstravi, quando velis facere nostram sublimationem, quod in nostro lapide nil addas vel diminuas, imò totam substantiam in vase rato ponas, prout diximus in prima dispositione firmiter claudendo: & pone ipsum in furnum, & coapta cum cineribus subtus & inferius,

ita quòd duæ partes vaſis ſint diſco opertæ tam diu quouſque materia diſſolvatur, & poſtea adminiſtra ignem lentum, donec major pars in pulverem vertatur, quod fit in 30. diebus: & quando factæ ſunt operationes quas diximus, facta eſt ſublimatio, ſolutio, diſtillatio, deſcenſio, putrefactio, ablutio, ceratio, coagulatio, vel fixio. Et ſcias quòd Philoſophi poſuerunt multa talia & diverſa nomina operationum & laborum, quæ tamen in rei veritate non ſunt niſi unum & idem, & unica operatione omnia ſimul & ſemel, & eodem tempore & labore perpetrantur: & hoc ideo fecerunt ut eſſet indignis ſcientia obſcura. Item Philoſophus dicit: Ut enim terra cum aqua imbuitur & teritur, & per temperatum noſtri Solis calorem deſiccatur, & in terram vertitur tota materia, qui ſalrem perfectè ſcit facere noſtram operationem. Vnde dixit Hermes pater Philoſophorum: Vis ejus integra eſt ſi verſa fuerit in terram, id eſt, ſi aqua vertatur in terram.

CAP. VII.

De Multiplicatione & Fixione Lapidis.

SEquitur de copulatione pulveris, ut fructum ferant, & fructus eorum in æternum permaneat, & docebo pulveres ſublimatos figere, ut in igne permanere poſſint, & corporibus adunari & commiſceri.

Eſt autem fixio rei fugientis conveniens ad ignem aptatio. Cauſa verò ejus inventionis eſt, ut omnis tinctura omniſque alteratio præparetur, & in alteram mutetur naturam. Figitur autem ſic: Recipe illud quod eſt ſublimatum, & divide illud per cucurbitas ſeu urinalia, prout quantitas materiæ requirit, & ſignum fixionis ejus eſt, quando materia non plus aſcendit in Alembicum. Vel poteris ignem vigorare excellenter, & tunc ſtatim apparet. Vel pone de corpore ſuper laminam ferream, ſi manet fixum, non reitera.

Deinde recipe urinalia prædicta æqualiter, & ponendo ſuper furnum reverberationis & adminiſtra primò ignem lentum cinericum, per plures dies, donec per talem ignem non videris plus aſcendere, tunc modicè fortifica ignem, quem continua per ſex aut decem horas, & cùm nihil videris aſcendere ſeu elevari, circumdabis igne fortiſſimo, quem continua, donec materia ſit fixa.

Et eſt ſciendum, quòd ſpiritus & anima non uniuntur vero modo niſi calore, quia tunc omnes colores qui in Mundo excogitari poſſunt, apparent, & tunc firmatur & perficitur opus in uno colore, ſcilicet albedine, & ibi conveniunt omnes colores. Dealbatio enim eſt operis initium, & totius corporis firmamentum. Nec deinde in diverſos colores variatur, præterquam in rubeum, in quo eſt ulterius finis.

Citrinatio verò eſt, quæ fit inter album & rubeum, & non dicitur color perfectus. In decoctione verò poſt albedinem non poteris errare. Nam ignis regimen paulatim augmentatur: poſt albedinem ad citrinitatem pervenitur, & deinde ad rubedinem ut prædixi. Et ſcitote quòd argentum vivum eſt ignis, corpora comburens, mortificans, & conſtringens uno regimine. Et quantò magis teruntur corpora & miſcentur, tantò magis habilitantur & attenuantur. Alius Philoſophus dicit: quòd ignis incenſus ſuperabundans facit exhalare humidum, ſed frigidum ignis facit perire opus.

Nota, regimen ignis ſic ſecundùm naturam & exemplo quatuor temporum regatur. In primo tempore, ſcilicet Hyeme, terra concipit. In ſecundo ſcilicet Vere, producit herbas & flores. In tertio ſcilicet Æſtate, maturantur fructus. In Autumno verò: Id eſt, quarto tempore colliguntur fructus. Vnde in opere noſtro à ſimili in prima operatione Mercurius mortificatur, & totum opus vertitur in pulverem, & terra concipit ut in aliam vertatur naturam, unde in iſta decoctione fit nigra. In ſecunda aſcendit naturam ſuam dealbando. In tertia jam fructus apparent: quia tunc apparet rubedo, quæ eſt in fine operis. In quarta maturantur fructus, & ex eis colliguntur. Hæc de fixatione ſufficiunt.

CAP. VIII.

De Modo Projiciendi Medicinam, & tingendi quodlibet Metallum in Solem & Lunam.

DE promiſſo finem complevi huc uſque, magiſterium magnum, ad Elixir excellentiſſimum album & rubeum faciendum. Hic finaliter dicam de modo projiciendi, qui eſt complementum operis, & lætitia deſiderata & expectata. Album verò elixir dealbat uſque ad infinitum, & quodcunque metallum deducit ad albedinem perfectam. Sed ſciendum eſt, quòd unum metallum levius altero ad Elixir deducitur. Propinqua enim perfectius quàm remota. Et cùm invenimus metallum perfectum & multum propinquum, & vitium imperfectionis excuſatur in ipſo propinquo per multum remota: quæ verò metalla multum remota ſeu propinqua ſunt, in multis libris ſatis claret.

Et quia Elixir album vel rubeum multum ſpirituale ſit, ultra naturam tamen operatur, non eſt mirum quod illud commiſcibile eſt corporis, ſuper quo projicitur, ſolummodo liquefacit illud.

Grave etiam eſt ſuper mille millia projicere, & illa in continenti penetrare. Quare vobis unum ſecretum magnum tradam. Commiſcenda eſt una pars cum mille partibus corporis vicinioris, & hoc totum claude in uno vaſe firmiter & aptò: & ponendum eſt illud in furnum fuſionis per tres dies, donec inſeparabiliter fuerit totum conjunctum.

Et illud eſt opus trium dierum tunc ad infinitum projicienda eſt una pars illius corporis conjuncti ſuper mille partes cujuſcunque corporis. Propinquiora tamen ſunt viciniora ſemper. Et illud eſt opus unius dici ſeu horæ vel minutæ.

Eſt & alius modus projiciendi. Recipe partes centum Mercurii cum ſale & aceto abluti, & pone in crucibulo ſuper ignem: cùm autem fumare incipit, projice partem unam ſuper has centum partes Mercurii & fit totum medicina. Deinde pone partem unam iſtius medicinæ ſuper alias partes centum Mercurii, ad ignem ferventem: & eſt adhuc medicina, & ſic conſequenter. In ultima projectione tranſmutat una pars medicinæ ultrà congelatæ, centum partes Mercurii in verum aurum vel argentum, ſecundùm quod Elixir præparatum fuerit. Item alius modus projiciendi: Pone partem unam medicinæ prædictæ ſuper ſexaginta partes Mercurii abluti, & pone in vas vitreum, & claude vas optimè ne reſpiret, & pone ad cineres calidos per tres dies, & ſi tua medicina retinuerit Mercurium, ſcias medicinam tuam eſſe perfectam: tunc omnes iſtæ ſexaginta partes ſunt medi-

cina

dicina quemadmodum prima. Et per istum modum poteris probare excellentiam Elixiris, quod semper sic est augmentandum. Aliquando una pars medicinæ convertit 50. vel 100. vel 200. vel etiam 1000. vel usque ad infinitum partes. Et semper illud totum est medicina quod de Mercurio retinetur, & perfectè coagulatur. Modus autem operis est iste, ut projicias partem unam medicinæ prædictæ super partes 100. auri fusi, & facit ipsum frangibile, & totum erit medicina, cujus una pars projecta super 100. cujuslibet metalli fusi convertit ipsum in aurum optimum. Et si projeceris super Lunam, simili modo convertit omnia corpora in Lunam, per eundem modum poteris convertere Solem in Lunam, in Venerem, Saturnum, Jovem & Martem.

Si autem Medicina vel Elixir prædictum non haberet ingressum. Recipe de Lapide in prima operatione extracto, & Mercurii prædicti ana, & simul misce & incorpora, in lapide terendo, & deinde balneo distillando, ut melius conjungatur, postea desicca. Et si vis poteris recipere aquam per alembicum, & hoc toties reiterare imbibendo, incorporando, desiccando, quousque prædicta medicina cum prædicto Mercurio præparato incorporetur: quo facto pone totum in urinale habens fundum rotundum, & supposito cooperatorio reverberationis, dabis ignem candelæ & cineris per gradus suos, ut suprà monstratum est. Et quando tibi videbitur, adde paulatim de Mercurio prædicto, quousque materia prædicta figatur, & efficiatur fusibilis plus quam cera. Et sic habebis Elixir, seu lapidem verum Philosophorum completum, qui convertit Mercurium, & omne corpus imperfectum in Solem & Lunam, quo melior haberi non potest.

Epilogatio totius.

Dico ergo totius Operis summa non est aliud, nisi ut sumatur lapis in capitulis librorum notus, & cùm operis instantia assiduetur super ipsum opus sublimationis primi gradus, ut à corrumpente mundetur impuritate. Deinde cum ipso soluto subtilietur ipsius addimentum album vel rubeum, donec in ultimo sublimationis modo volatile fiat.

Adhuc verò cum fixionis modis figatur, donec in ignis asperitate totum quiescat. Deinde verò fixam partem cum non fixa parte reservata per modum solutionis & sublimationis volatilem facias, & volatile fixum, quousque fluat, & alteret in complemento solifico & lunifico certo. Et hoc modo operatur arcanum preciosissimum super omne Mundi precium preciosum, omniumque Philosophorum thesaurus incomparabilis.

Declaratio Lapidis Physici Avicennæ *Filio suo Aboali.*

Filli mi Aboali, intellige quod dico tibi de cognitione Lapidis. Fili mi, ubi Philosophi dicunt in libris suis, Recipe sulphur & auripigmentum, non intrat in magisterium nostrum. Sed nominârunt sulphur & auripigmentum, explicantes Lapidem Philosophorum, in quo lapide sulphur & arsenicum Philosophorum latent sive occultantur. Et quidem Philosophi dicunt, est lapis & non lapis, & est vilis in plateis, & in viis ejectus pedibus hominum calcatur, & ab unoquoque paupere potest acquiri, & est sulphur quod non est sulphur, & est auripigmentum quod non est auripigmentum, & est ovum gallinæ, bufo, sanguis humanus, capilli, & non dixerunt talia nomina nisi quod absconderunt magisterium, & scias pro certo, quod Philosophi non curaverunt de nominibus, nisi uno nomine, una actione, scilicet lapidem coquere, & animam ejus inducere. Quia lapis eorum semper unus est, in quo omnem bonitatem expectant, & non est alius in hoc seculo qui sit de tali potentia & effectu præter hunc lapidem. Hic ergò est lapis & non lapis, sine quo natura nihil operatur, cujus nomen est Mercurius vivus, multis tamen nominibus Philosophi ipsum nominârunt, aut nuncupârunt, quorum nomina non possunt enumerari propter suæ excellentiæ naturam. Hic est vere Lapis Philosophorum, & est non alius præter ipsum, qui opus recipit & bibit, ex quo omne corpus apparet. Et non convenit hoc magisterium nisi Regibus, & altioribus, & repletis divitiis, quia hoc magisterium est sempiternum, & qui non habet divitias quomodo operetur, quia decet operatorem habere 60. ℔. Mercurii puri, id est arg. vivi, non sophisticati ad minus, propter humorem illius extrahendum, ad perficiendum totum opus, quia totum magisterium est in vapore. Fili mi, nunc veniunt stulti quotidie, & operantur, sicut invenerunt in libris, super sulphur & arsenicum, & super Mercurium per sublimationes, calcinationes corporum perfectorum & imperfectorum, & per resolutiones aquarum diversarum, salium & aceti, & per coagulationes & fixationes, & per amalgamationes, & non possunt pertingere ad veram perfectionem, & non est mirum, quia ipsi idiotæ non intelligunt mentem Philosophorum, & semper dicunt quod magisterium non est verum, & quod hi Philosophi erant mendaces. Ideo fili mi composui istud capitulum, & illuminavi cæcos, & aperui thesauros & catenas, & intelligere faciam insipientes id quod non intelligebant, & solvi ligaturas vocabulorum, & dixi tibi fili cum veritate Dei secretum Philosophorum, & eorum intentionem, & ideo mando tibi quod librum istum nemini des nisi filio, & filius tuus filio suo, & sic de generatione in generationem, & hoc sapientioribus illorum. Et scias fili mi, quod malum feci quod revelavi tibi puritatem doni illius. Non revelabis hoc sanctum laudabile opus. Et dico tibi fili in veritate quod Philosophi cum aliis rebus non fuerunt operati, nisi cum sanguine capillorum, & ovis exemplariter, id est, nisi cum quatuor elementis. Et notandum est hodie de præparatione 4. elementorum, quæ steterunt in fimo calido equino sicut oportuit. Et primò distilla, & quod primò exit serva seorsim, quia ista est aqua. Reitera aquam per distillationem, & quod distillabitur serva, & ista est simplex, pone sub fimo & serva, & quod remanebit in fundo cucurbitæ, serva seorsum quia est terra.

Definitio scientiæ secretorum Philosophiæ naturalis: Est aquæ à terra extractio, & ejusdem corporis super terram propriam suam præparatam conversio seu reductio. Hæc quidem terra cum aqua sua putrescit & abluitur, quæ cum munda sit vel fuerit auxilio Dei totum dirigetur magisterium. Primò namque conatur solvere terram, ut ad sui modum subtilem habeat, naturam, quod fit cum vicerint in ea aqueæ qualitates. Deinde cum terra nititur aquam condensare ut secum figatur, & omnem sustineat ignem, & hoc fit cum vicerint in eo terræ qualitates, quoniam hujus artis fundamentum

tum & operis exordium est corporis in aquam resolutio, quod Philosophi corruptionem seu putrefactionem nominant, sine qua circularis metallorum transmutatio non fit ad invicem. Corruptio, enim unius est generatio alterius. Quia generationis & corruptionis eadem sunt principia.

Lapis philosophicus ex re vili consurgit in thesaurum pretiosissimum, videlicet ex spermate Solis in matricem Mercurii projecto per coitum, id est, per commixtionem primam. Et hæc est proxima ejus materia de qua elicitur. Propinquissima verò est humor seminalis, decisus per actum generationis ex singulis partibus utriusque parentis, sc. Solis & Mercurii. Quia solummodo humores radicales corporum sunt essentiales ipsius lapidis partes. Et etiam ex duobus entibus in natura non fit, ut unum per modum agentis, aliud per modum patientis, se habeant ad invicem, vel quod alterum fiat in potentia.

Ex speciebus itaque limpidissimis, quæ à primis mineralium fontibus sumpsere originem, duci debet sapientum elixir & medicina ad omne imperfectum perficiendum transformandumque, & non ex aliis. Jubent enim Philosophi elementa cruda, munda, sincera ac recta accipere, & super levem ignem coquere, dicentes, si secus fiat proderit nihil. Dicunt etiam accipite res de mineris suis puras recentes, propinquiores & meliores, & ad montium cacumina seu ad astra cœli exaltate, & etiam ad radices suas reducite, & factum est totum clarificationum & fixionum rei magisterium, & qui sapientum tincturam utiliter quæris componere radices cognosce minerales, conficiens ex illis opus tuum. Quia cognitio corporum & naturæ qualitatum, principii, ac regiminis ipsorum, est ex hoc quod perficit opus facile.

Ex rebus corporeis in natura maximè convenientibus elicitur ipsa medicina. Summè enim oportet ex illis potissimum tincturam accipere, in quibus maximè consistit. Est autem tam in corporibus, quàm in ipsis spiritibus, secundum naturam, cum unius reperta sint naturæ. Sed ex corporibus quidem difficiliùs, ex spiritibus verò seu argento vivo faciliùs & propinquius, non autem perfectiùs tinctura ipsa seu medicina corporum elicitur. Quare album item & rubeum ex una radice procedunt, & nullo alterius generis corpore interveniente pullulant. Unus enim lapis, & operatio ipsius una, qui igne uno, sola coctione, in album & rubeum sulphur non urens, in vase uno, digeritur ac perficitur successivè.

Oportet autem, ut formam magni elixiris educant de potentia materiæ suæ propinquæ, in quâ naturaliter consistit. Sed in eadem elementorum invisceata grossitie latet abscondita, ideo lapis vegetabilis, lapis & non lapis, & originalis ac primordialis vapor dicitur, quia est in fieri seu in via digestionis nondum per naturam fixius, neque ad metalli perfecti esse terminatus specificum, & habet se ad Mercurium vulgi causam, sicut ad lac coagulum, & per hoc quod ipsum coagulat, cognoscitur. Quoniam ante formas specificas, metallorum contemperantias, sulphur & argentum vivum præexistere oportet, & depurationem eorundem cum alteratione.

Expedit etiam ut elementa lapidis sint ejusdem generis, & non diversi, aliàs actionem & passionem mutuam invicem non haberent. Quoniam unum non tingeret aliud, quibus alienum non introducitur, quia non convenit rei nisi propinquius sit ei de sui natura. Cui si quid apponatur extraneum inficitur opus, nec fiet ex ipso quod quæritur ab opifice, sed alius sequetur effectus, qui in naturæ & artis cura non exiistit. Quandoquidem non fit aliqua generatio vera, nisi ex convenientibus in natura.

Necesse est denique ut grossities compositionis elementorum corrumpens, deturpans, & adulti-bilis, & ingeniosa deleatur præparatione, & spissitudo lapidea terrestris, & inutilis, à metallina substantia dividatur antequam, ipsorum elementorum univoca ac perfecta fiat complexio, assando, conterendo, & digerendo patienter & suaviter, usque ad suum simplex, & in veram essentiam quintam redigatur, videlicet in ens simplicissimum, & purissimum, igneum non urens, quod quidem non est aliud, nisi calor purus, naturalis, infusus in suo humido radicali. Quoniam ignis jugiter decoquens ex sui officio partes homogeneas adunat, & heterogeneas vero disgregando tanquam pabulum devorat & assumit in favillam.

Volunt iterum Philosophi, quod manifestum occultetur, & occultum rei efficiatur manifestum, hoc est, ut spissitudo terrestris sulphurea, & inflammabilis, superficietenus apparens in commixto debet artificis tolli solertiâ. Illa verò intrinseca pura ac splendida substantia, in radice rei à primordio plantata naturæ, in manifestum deducatur per accidentium corruptionem, spoliationem, quæ experientia facilis est & possibilis, ex quo rei intrinsecum suæ extrinsecæ qualitatis est oppositum, & contrariorum est eadem disciplina, quæ juxta se sita magis videntur lucescere.

Mortificatio præterea volatilium, ut figantur, & ab igne non fugiant, & vivificatio mortuorum jacentium seu fixorum, proculdubio est opportuna. Qui enim novit mortificare, & post mortem resuscitare, magister est hujus dogmatis, & qui hoc ignorat manum subtrahat ab opere, & animum suum non fatiget in his ad quæ non poterit pervenire. Ea verò revivificas, quorum species, quorum spiritus sublevatione reddis. Mortui enim cum resurgunt perpetui sunt, & amplius non moriuntur, sed ad vitam glorificantur immortalem sine termino duraturam.

Artis Philosophiæ singulare ingenium non quærit, ut rude vulgus objicere soler, Aurum vel argentum de novo facere. Quia hæc natura in visceribus terræ consuevit generare. Sed solummodo artifex organicè & instrumentaliter operatur, formam auri & argenti ex materia ad hoc dispositâ eliciens, & motum dans naturæ, ut per temperatam artis coctionem excitata de potentia in actum deducatur. Quia quamvis lapis sapientum naturaliter in se tincturam continet, quæ in ventre terræ creata est perfectè, ac tum per se non tingit, nec ex ipso fit elixir, nisi artificis industria & operatione moveatur. Et natura ipso artifice ministrante operatur. Ex quo virtutis affectus omnis in exercitationis usu consistere non ambigitur. In decoctione corporum imperfectorum aut incompletorum artificiali, necesse est calorem ignis extrinsecum & moderantem ita esse proportionabilem, ne virtus intrinseca agens, ac perficiens suffocaretur vel superetur in aliquo, &c. hæc est vis tenuissimi sulphuris pura, & simplex, ignea non urens, quæ vocatur lumen luminum, quia est forma & splendor omnium metallorum, & illuminat omnia corpora, quoniam est lumen, & tinctura, illustrans & perficiens omne corpus. Et si artifex hujus magi-

sterii

sterii hoc lumen non cognoscit, tanquam in tenebris ambulans multipliciter per devia errat, propter elongationem ejus à veritate, & unitate hujus scientiæ. Quia quod bonum est uno modo fit, malum autem plurimis modis, cum erroribus ferè infinitis. Dato enim inconvenienti uno, plura sæpenumero consequuntur.

Si activa passivis, & passiva activis bene applicentur, ita ut sese optimè complectantur ad invicem, & si ignis calor, ut dictum est, debito proportionaretur modo: Tunc secundum Philosophos intra naturæ & artis digestionem non erit differentia, ex quo digestio est perfectio à naturali & proprio calido ex oppositis passivis, id est, ex qualitatibus seu elementis contrariis. Mercurius enim tingens non habetur actu super terram, nisi ex corporibus liquefactis & mundis assumatur, non vulgari quidem liquefactione, sed ea qua masculus & fœmina vero conjugio super ignis asperitate inseparabiliter uniantur. Quoniam ex masculo & fœmina fit tantum generatio vera.

Elixir perfectè completum, sive sapientum tinctura, respectu metallorum operatione diminutorum, habet se per modum formæ & agentis potissimi, dummodo eisdem præparatis tanquam materiæ suæ propinquæ in fluxu appositum permisceatur. Quoniam tunc ea complet, figit, ac perficit, & colore tingit invariabili, semper in asperitate ignis permanente. Et hæc est vera hominum & metallorum medicina, lætificans, ac transformans, nec post Deum est alia quæ fugat paupertatem, & omnem languorem ab humanis expellit corporibus, ipsa in sanitate conservando, ad cujus notitiam paucissimi tempestate nostra pervenerunt medicorum.

In materia minus bene præparata non convenit aliquid operari, proportio enim Thesaurus hujus rei & auspicium complementi. Iteratio autem proportionis est artis Arcanum. Præparatio siquidem est actus, disponens ad terminum motus seu perfectionis, per quem imperfecta ad metalli esse specificum terminantur, & hoc fit motu, lumine, & calore. Deficiente autem calore, deficit motus, quia omnis actio naturalis, sive artificialis, suum habet motum, & tempus debitum, in quo majoris, aut minoris temporis spatio perficitur, aut terminatur, quia nihil agit ultra suam speciem. Forma ergo adveniens specifica complet, & cessare facit motum, & agens cogitur tunc à materia separari.

Ad hoc quoque ut fiat vera, totalis, & perfecta rerum commixtio, quæ est miscibilium alteratorum unio, requiritur identitas naturarum, in subtilitatis ac puritatis proportione, & æqualitate, aliàs non commiscerentur per minima, neque se complecterentur in vicem, ante ipsorum sufficientem præparationem. Quoniam spiritus & anima lapidis non uniuntur cum corpore, nisi albo colore. Et in conjunctione spiritus & corporis, tota debet esse operantis intentio, quia usque ad albedinem, humiditatis corruptio, & fœminæ viget dominium. Sed in vera albedine terminatur ac consumitur, & tunc deinceps vir suæ uxori incipit dominari, suo ipsam colore stabili decorando.

Hoc duntaxat oportet esse, ut corpora à natura grossa attenuentur, ac subtilientur, donec fiant spiritualia, levia, & munda. Spiritus verò qui rari sunt corporentur & ingrossentur, usque quò cum corporibus in igne permaneant. Sapientes enim asserverunt veteres, nisi corpora feceris incorporea & spiritus corporeos, nondum viam & operandi regulam inveniſtis. Et hoc est spissum rarefacere, & alleviare ponderosum, ex quo omne subtile dignius est grosso, sicut omne rarum spisso. Quoniam non possunt gravia nisi levium consortio superius elevari, nec levia nisi gravium virtute inferius detineri ac fixari. Corpus non agit in spiritum, sed tantum spiritus in corpus agit penetrando, ut igitur agant & patiantur vicissim, calcinentur & abluantur corpora per frequentem aquæ suæ irrigationem. Spiritus verò mundentur sublimatione, usque ad ultimum puritatis gradum veniant. Quæ subinde resoluta ut aqua mixta aquæ inseparabiliter uniuntur & permanent, ita quod ignis violentia de cætero non separentur ea. Quia omne genus calcinati fixus est, & facilioris resolutionis, quàm absque calcinatione, absq; qua ustibilitas sulphurea removeri non potest, neque ad intimam corporum mundificationem sine ipsa valemus pervenire.

Spiritus in hac arte duplex est, scilicet præparans & tingens. Spiritus præparans est, qui corpora putrefacit, corrumpit, resolvit, & in primam materiam reducit, & habet in se humidum rectificans, quo corpora imbibuntur, abluuntur, mundantur ac rectificantur, quia corporum est lavacrum, purgamentum, & antidotum, sine quo tinctura verax non perficitur. Spiritus verò tingens, beneficio ac virtute præparantis spiritus, à corporibus mundis extrahatur, oportet enim eligere, quod amborum mundi luminarium homogeneum est, & commune, quod est sulphur de sulphure, & argentum vivum de argento vivo, & unum arg. vivum de duobus arg. viv. & hoc vocatur ab hominibus extractum, quia humano ingenio à viro & muliere artis eliquatur solutione ac putrefactione mediante.

Nulla aqua corporibus in resolutione convenit, quæ cum eis non coagulatur permanente in decoctione, & non est alia nisi aqua mineralis, viscosa, munda, ut lachyma oculi, vel sicut aqua roris madii, non est aliquid in mundo, quod possit stare loco ejus, aut ipsius supplere vicem, & vocatur à Philosophis aqua vitæ, acetum acerrimum, aqua fortior totius mundi, aqua divina, & aqua permanens, postquam regitur maturando, quæ tamen absque suo corpore, cum quo igne miti conjuncta est, & cum eodem facta unione, permanens esse non potest, quia sicut accidentia sine substantiis non valent subsistere, sic spiritus in ignis combustione non permanent, nisi fuerint fixis corporibus sociati. Ubi igitur Philosophi in suis scribentes libris de azoth. arg. vivo, aqua Mercuriali, aqua sulphuris munda, aqua fortis, aqua viva, aqua acuta, & aliis humiditatibus corpora solventibus fecerunt mentionem, non sunt loquuti de rebus vulgaribus simpliciter à natura datis, sed humidis vaporibus, à lapide Philosophorum extractis ingenio, voluerunt intelligere, dicentes, quod tota ipsius lapidis præparatio fit cum aqua ejus, à principio operis usque ad finem, sine alterius rei extraneæ admixtione, & hoc est medium conjungendi tincturas, quod corporum fœtiditatem intimè purgat & illustrat, ipsa ab igne vehementis ustionis defendendo, sed difficile est medium tangere. Ideo diversis processibus ab opere naturæ penitus alienis, contingit ut plurimum vitiosè per extrema oberrare. Quod non ingreditur & non commiscetur, non alterat, neque transmuta-

mutationem efficit in corporibus metallorum. Necessarium ergo, est ut tinctura seu medicina ipsa diminuta transformans corpora, ingrediatur & penetret usque ad profundum rei alterabilis, & fit ut oleum fixum, facile fluat super laminam alicujus metalli candentem sine fumo. Et quod fundatur sive liquefiat ante argenti vivi fugam, ipsum tingendo, & absque omni evaporatione perpetuando, ac fixando super ignem, & quod a corporibus per ipsam transmutatis nulla ignis violentia exprimatur, aut separetur, donec sint stabilitate perfecta Lunaria vel Solaria.

Consulentur hic ultra sapientes, ne fiat alicujus tincturæ super infecta corpora fusa projectio, nisi eorum debita purgatione præcedente, alioquin post deratas probationes corpora sine præparatione transmutata super ignis examine destruerentur, & tinctura similiter separabitur ab eisdem. Quoniam hujus artis intentio non est aliud, nisi inferioribus metallis nobilitatem superioris attribuere. Et quia omnis tinctura à suo procedit simili, ex metallis tingendorum, non autem ex aliis quibuscunque rebus, quæ suam ab arg. vivo & sulphuris pura substantia non duxerunt originem. Commune etiam est metallis omnibus, quod materia eorum est valde propinqua, & inter habentia symbolum in materia, & in potentiis naturalibus, facilis est ad se invicem transmutatio, solummodo ipsorum differentiæ sumuntur penes magis depuratum & digestum. Mundentur ergo fæculenta, & digerantur melius indigesta, & hoc modo præparationis gradus, accidentia corrumpentia removebuntur ab eisdem. Sola enim ipsorum pura metallina substantia remanens, incorruptaque, tantummodo in metalli perfecti speciem est convertibilis. Quoniam actus activorum in patiente sunt prædispositio.

Tres sunt in mineris species ad lapidis tingentis perfectionem solummodo fructuosæ, in quibus debite præparatis totum hujus consistit beneficium, videlicet lapis Solaris, in quo purum sulphur purum rubeum non urens, lapis Mercurialis, & intermedialis, quæ utramque complectitur naturam. Has igitur species ab idiotis & indignis firmiter occultabis, & permitte fatuos in omni re alia laborando errare, qui ad hujus sublimis magisterii effectum non pervenient, donec Sol & Luna in unum corpus redigantur, quod ante voluntatem divinam venire est impossibile. Quoniam hæc scientia est donum Dei altissimi maximum, & in manu ipsius reservatur, qui cui vult largitur, & à quo vult subtrahit. Nonnunquam tamen per ingenium altum ex librorum assidua & prolixa lectione, cum investigatione immensa, aut revelatione fidelis magistri, ad ipsius pervenitur notitiam.

Sed quia à generalissimis ad specialissima jubet Plato quiescere: ex his itaque principiis, theorica veritate prolatis, studiosus investigator conclusiones cum experimentis practicæ sibi elicere poterit, si in libris sapientum veterum ac recentium optimè fuerit institutus. Qui ergo codices & mentem ipsorum rectè intellexerit, non ambigit me veritatem protulisse, & sanctæ scientiæ principia detexisse arcana; sin autem, penè illi nihil dixi, quia ista non omnibus, sed tantum sapientibus doctrinæ filiis proponantur. Veruntamen hujus artis experientia in oculari sensus demonstratione & capacitate intellectus consistit.

Avicennæ de Congelatione & Conglutinatione Lapidum.

TErra pura Lapis non fit, quia continuationem non facit, sed discontinuationem, vincens enim in ea siccitas non permittit conglutinari eam: fiunt autem lapides duobus modis, conglutinando, & congelando. In quibusdam enim est dominans terra: In aliquibus verò aqua: Aliquando enim desiccatur lutum primum, & fit quoddam quod est medium inter lutum & lapides, deinde fit lapis, lutum verò huic transmutationi aptius est viscosum: Quoniam continuativum est. In tripis quoque Geon visa est terra, quæ videtur in lapides converti in spatio 33. annorum: De aqua autem fiunt lapides duobus modis: Unus est quod congelatur aqua gutratim cadens: Alius, quod descendit de aqua currenti quiddam, quod residet in superficie fundi aquæ illius, fitque lapis: Sunt enim certa loca super quæ aquæ effusæ convertuntur in lapides, qui diversorum colorum sunt, & aquæ quæ sursum acceptæ non congelantur, quæ si prope alveum suum fundantur congelantur, fiuntque lapides. Scimus ergo quod in terra est vis illa mineralis quæ congelat aquas. Principia igitur lapidum vel fiunt in substantia lutea, vel viscosa, vel ex substantia in qua aqua vincit, quæ virtute quadam minerali congelatur: vel vincit in ea terra faciens eam coagulari: Eodem modo sal armoniacum congelatur, sed non sufficit ad salem vis terrea permutare: sed adjuvat ipsum calor. Calor autem adveniens coagulat ipsum virtute occulta: & fortasse fit ex terra frigida sicca, & ex aqua fit terra, cum vincunt eam qualitates terræ, & econverso. Est autem res quædam, qua utuntur quidam ingeniosi cum volunt rem siccam coagulare, quæ componitur ex duabus aquis, & dicitur lac virginis, quod est ejus effectus certissimus. Fiunt ergo lapides ex luto per calorem solis, vel ex aqua coagulata virtute terrea sicca, vel ex aqua calida desiccata: Similiter quoque quædam vegetabilia, & quædam animalia convertuntur in lapides virtute quadam minerali lapidificativa, & fit in loco lapidoso: vel disconvenientia subita quadam virtute, quæ exit à terra in hora terræ motus, quæ convertit in lapides quod consequitur in illa hora; hæc transmutatio corporum & animalium & vegetabilium, & quæ propinqua est, ut transmutatio aquarum. Est autem impossibile, quod aliquod complexionatum totum convertatur in unum elementum, quia elementa & elementata transmutata ad invicem transeunt sic in dominans. Unde quod cadit in salinas fit sal: & quod in ignem, fit ignis, sed quædam citius, & quædam tardius, secundum potentiam activarum, & resistentiam passivarum. Estque locus in Arabia, qui colorat omnia corpora inexistentia suo colore. Panis propè Toletum in lapidem conversus est, remanserat tamen illi suus color. Sunt talia mira, quia rarò accidunt, tamen causæ eorum manifestæ sunt. Sæpè tamen etiam lapides fiunt ex igne cum extinguitur, quia sæpè contingit corpora terrea & lapidea cadere cum coruscationibus, quia ignis fit frigidus & siccus ex sua extinctione. Et in Persia cadunt etiam in coruscationibus corpora ærea, & similia sagittis hamatis, & non possunt liquefieri, sed per ignem evaporare in fumum cogente humiditate, donec residuum sit cinis. Cecidit quoque apud

Lurgeam

Lurgeam frustum ferri ponderis centum marcarum. Missa tamen est ejus pars Regi Torati qui præcepit enses inde fieri, erat autem infrangibile & infabricabile. Dicunt autem Arabes quod enses Alemanici qui optimi sunt, de isto ferro fiant. Cum autem ceciderit massa illa resilit aliquotiens à terra, ut pila erat, quia compositа erat ex minutis frustis cohærentibus ad invicem ad quantitatem granorum magni milii. Similiter huic rei convenit apud terrestres. Sic ergo fiunt lapides, quorum quidem generatio vel erit subitò per magnum calorem accedentem luto unctuoso, aut paulatim per multum temporis.

CAP. II.

De Causa Montium.

MOntes quoque quandoque fiunt ex causa essentiali, quandoque ex causa accidentali. Ex essentiali causa, ut ex vehementi motu terræ elevatur terra & fit mons: Accidentali, ut ex venis, vel aquæ ductu accidit cavatio profunda, & fit paulatim, donec fit valta profunditas. Exit igitur juxta eam eminentia magna, & hæc est præcipua causa montium. Sunt etiam quædam terræ molles, quædam duræ. Molles ergo aquæ ductibus ventisque tolluntur, duræ remanent, & fit eminentia. Sicut ergo fit generatio montium, sic generatio lapidum, quia aquæ ductus adduxit illis lutum viscosum continuè, quod per longitudinem temporis desiccatur & fit lapis,& non est longè quin vis mineralis convertens aquas in lapides. Et ideo in multis lapidibus inveniuntur quædam partes animalium aquaticorum & aliorum. Montes quasi per multa tempora facti sunt, ut prædiximus, si non sunt decrescentes. Substantiæ autem luteæ, quæ reperiuntur in eminentiis non sunt de illa materia lapidea,sed est de ea quæ diminuitur de montibus, vel terrestris, vel alia substantia, quam adducunt aquæ cum lutis & herbis, quæ admiscentur cum luto montis, vel forte antiquum lutum maris ut est unius substantiæ, quia pars ejus fit lapis, & pars ejus non: sed mollitur & dissolvitur aliqua qualitate vincente. Maris etiam recessus & accessus quædam loca cavat, quædam extollit, & quandoque totam terram cooperuit, & inde quædam mollia abradit, quædam dimisit dura, & ipsa in quibusdam locis congessit. Mollia quoque ab eo congesta cum abscinderet desiccata sunt, & in montes conversa.

CAP. III.

De quatuor Speciebus Corporum mineralium.

COrpora mineralia in quatuor species dividuntur, scilicet in lapides, & in liquefactiva, sulphurea, & sales: Et horum quædam sunt raræ substantiæ & debilis compositionis, & quædam fortis substantiæ, & quædam ductibilia, & quædam non. Et horum quæ debilis substantiæ sunt, quædam sunt sales, ut quæ liquefiunt ex humido breviter, ut Alumen,Chalcanthum, & Sal Armoniacum, & quædam sunt unctuosa, nec liquescunt solo humore facile, ut sulphur, auripigmentum. Sed argentum vivum est de parte secunda, quamvis sit elementum ductitium, vel simile aliquibus ductilibus. Sunt autem ductilia omnia liquabilia, & ut multum ductilia nec liquabilia, sed non mollificantur nisi cum magna violentia: Et materia ductilium est substantia aquea, mixta cum substantia terrea mixtura forti, & non potest unum ab altero separari, & congelatur substantia illius aquea cum frigore, post actionem caloris in ipsum, quod est eptesis. Et erit exemplum à vino quod nondum gelavit propter suam unctuositatem: & ideo non est ductile. Lapidea verò de substantiis mineralibus materialiter sunt aquea, sed non gelantur sola aqua, sed etiam cum siccitate, quæ alterat aqueitatem & terreitatem, & non est in eis humor nimis unctuosus, & ideo non ducuntur, & quia coagulatio eorum est ex siccitate, non solvitur de facili aut multum, nisi per ingenia naturalia solventia. Alumen autem & Sal armoniacum sunt de genere salis, quia pars ignis in sale armoniaco major est quàm terra, unde & totum sublimatur, & ipsum est aqua cui admiscetur fumus calidus nimium subtilis, & multæ igneitatis, coagulatum ex siccitate. Aqueitas verò sulphureorum mixta est cum terra forti commixtione cum ferventia caloris, donec facta sunt unctuosa, & postea coagulata sunt ex frigore. Atramenta verò composita sunt ex sale, & sulphure, & lapidibus, & est in eis vis mineralis aliquorum corporum liquabilium, quæ ex eis fiunt, ut calcamentum & alathar generantur ex majoribus granis atramenti, & non solvitur nisi falsedo ejus cum eo, quod est in illo sulphureo, & postea coagulatur, & illud jam accipit vim mineralem ex corporibus aliquibus. Quod ergo accipit vim ferream, erit rubeum aut croceum ut alathar. Quod verò vim æream acceperit, erit viride. Unde possibile ista duo fieri artificialiter. Argentum vivum est ut una aqua, quæ miscetur cum terra nimium subtili, sulphurea, mixtione forti, donec in plana superficie non quiescat, & hoc est ex magna siccitate quæ inest illi, & ideo non adhæret tangenti. Estque albedo ejus ex claritate illius aquæ, & ex albedine terræ subtilis quæ est in eo. Proprium ejus est, quod ex vapore sulphuris coaguletur, & fortè hoc modo gelatur per plumbum, vel ex vapore sulphuris facile. Videtur autem quod argentum vivum, & quæ sunt similia, si elementum omnium liquabilium, vel quia omnia liquabilia cum liquantur convertuntur ad ipsum, tamen non liquantur priusquam calefiant, & cum liquata fuerint apparent rubea. Sed plumbum proculdubio cum liquatur est argentum vivum, sed non liquatur nisi calefiat, & cum liquefactum fuerit, convertitur ad colorem convenientem omnibus liquabilibus; scilicet igneum ruborem, & ideo miscetur Argentum vivum cum istis corporibus, quia est de substantia eorum. Sed ista corpora differunt in compositione sua ab illo, eo modo quo differt argentum vivum ad sibi similia, & permixtiones quæ permiscentur cum eis donec congelantur. Et si fuerit Argentum vivum purum coagulabit id vis sulphuris albi non urentis, & id est res optima quam possunt reperire illi, qui operantur Alchymiam, vel convertunt illud in argentum. Quod si fuerit scilicet sulphur mundum optimum cum rubore clarum, & fuerit in eo vis igneitatis simplicis non urentis, erit res optima quam possunt reperire Achymistæ, ut ex ea faciant aurum, hæc enim ipsum convertunt. Et si fuerit argentum viv. bonæ substantiæ, & sulphur non purum, quod scilicet sit in eo vis adurens, convertet ipsum in æs: argentum autem vivum si fuerit malum, & non purum terreum, & sit sulphureum non mundum,fit ex eo ferrum.Stannum verò videtur argentum vivum bonum habere,sulphur verò malú, &

hæc non benè trita, sed tanquam per parva compositа, & ideo non fit tale. Plumbi verò grossi argentum vivum malum est, ponderosum, & luteum, & sulphur ejus malum est, mali vaporis, & fœtidi & debilis. Unde non bene gelatur. Et artifices faciunt gelationem ferè similem artificialiter, quamvis artificialia non sunt eodem modo, quo & naturalia, nec tam certa habet similia, & ideo creditur quod compositio naturalis fiat hoc modo, vel vicino huic: Sed ars debilior est quàm natura, nec sequitur eam licet multum laboret: Sciant verò artifices Alchymiæ species rerum transmutari non posse. Sed similia illis facere possunt, & pingere rubeum citrino, ut videatur aurum, & album pingere colore quo volunt, donec sit multum simile auro vel æri: Possunt quoq; plumbi immundias abstergere, ipsum tamen semper erit plumbum, quamvis videatur argentum, sed tunc optimè erunt in eo qualitates aliæ, ut erent homines, ut qui accipiunt salem & salem armoniacum. Cæterum quod differentia specifica tollatur ingenio, non credo possibile, & non est quod complexio una in aliam convertatur, quia ista sensibilia non sunt differentia, qua permutantur species, sed sunt accidentia, & proprietates. Differentiæ autem eorum non sunt cognitæ, quia cum differentia sit ignota, quomodo potest sciri utrum tollatur nec ne, vel quomodo tolli possit. Sed expoliatio accidentium ut vaporis, & coloris, ponderis, vel saltem diminutio, sed proportio illarum substantiarum non erit eadem in omnibus. Hæc igitur in illam permutari non poterit, nisi fortè in primam materiam reducatur, & sic in aliud quàm prius permutantur, hoc autem per solam liquefactionem non fit, sed accidunt ei res extraneæ.

Mineralium Avicennæ Finis.

SVBSECTIO III.

Aristotelis Chymici Opera aliquot exhibet.

ARISTOTELES De Perfecto Magisterio.

CUm solerti indagine universarum rerum artificia Philosophia comperierit sedulitate, tum charissime fili, exquisitionis sagacia Alchemiæ artis magisterium adinvenit: quod eatenus reliquarum rerum præpollet argumentis, quatenus ipsum de secretioribus naturæ abditis reperitur. Ratio enim sufficit hujus artis operandarum rerum apparentes & manifestas virtutes vel naturas tantum cognoscere. Nihil enim in arte hac perficeret, nisi earundem interiores vel occultas nâturas absque errore quis cognosceret. Ars enim hæc de Philosophia est occulta, & est de illa parte Philosophiæ, quæ Meteora nuncupatur. Loquitur enim ars hæc non solum de elevatione & depressione elementorum, sed etiam elementatorum. Scias hoc, quia magnum secretum est. Scias præterea hanc ârtem vocari inferiorem Astronomiam, & superiori primæ est comparativa. Loquitur enim superior Astronomia de stellis fixis in firmamẽto igneo, & de septem erraticis, quæ planetæ nuncupantur, quia motu contrario firmamenti feruntur: Hæc autem ars loquitur de lapidibus fixis in igne, & de his, quæ ab igne fugiunt: Lapides vero, quæ stellæ dicuntur, sunt Sol, Luna, Mars, Saturnus, Jupiter, Venus, nitrum, calx, carbunculus, smaragdus, & reliqui lapides, qui ab igne non fugiunt. Lapides vero, qui planetæ vocantur, sunt argentum vivum, sulphur, arsenicum, sal armoniacum, tutia, magnesia, & marchasita. Isti enim super ignem non perseverant, sed seorsum paulatim ab eo fugiunt & evolant, nisi ad ipsum sustinendum quibusdam inenodabilibus vinculis & artificiosis nexibus indissolubiliter constringantur: quæ diutina constantia & subtili meditatione instantique simul operatione non festina, post multorum laborum fallacias & operationum diversa sophismata Philosophia perfectissime est consecuta, & eorum arcana suis reliquit filiis. Si enim alius, quam ejus filius hoc attentare præsumpserit, ut indignus penitus repulsam patietur: & se, opus, & expensas amisisse merito deplorabit: scias hoc, quia magnum secretum est. Vocantur autem prætacti lapides fusi super ignem corpora & animalia, & fugientes ab igne, spiritus. Sicut enim corpus sive anima non vivit nec erigitur nisi prius spiretur, sic & prædicta corpora quasi mortua jacent, nisi cum prædictis spiritibus vivificentur & erigantur, seu opere naturæ in mineris suis fiat in millibus annorum, seu opere philosophiæ, cum sint effossa de suis mineris, & hoc fit in die una respectu operis naturæ: imo ut verius fateat in hora una: fit tamen cum medicamine, cujus compositio multi temporis spacium anticipavit. Dicuntur etiam lapides fixi super ignem substantiæ, & fugientes ab igne accidentia: quia sicut substantiæ per se stant, nec alterius naturæ beneficio reguntur, sic lapides fixi super ignem sua potestate perseverant: & sicut accidentia non possiunt suas qualitates ostendere, nisi cum fuerint substantiis sociata, sic lapides fugientes ab igne non possunt suas demonstrare virtutes, nisi cum fixis fuerint maritati: Scias hoc, quia magnum secretum est. Scias quoque, quod prædicta non bene ad invicem se recipiunt, nisi prius fuerint utraque munda: non enim recipit corpus spiritum, nec spiritus corpus, ita quod fiat spirituale corporeum, & corporeum spirituale, nisi sint ab omni sorde prius perfectissime defædata vel defæcata: cum vero sint sic, conjungitur corpus spiritum, & spiritus corpus, & provenit ex eis operatio perfecta. Et erigantur corpora in examinatione, & spiritus tenentur à corporibus super ignem: Scias hoc, quia est magnum secretum. Quicunque igitur hoc ignorat secretum, ab opere manum suspendat, donec ipsum sciat: Dum enim hoc ignoraverit, non gaudebit operis sui perfectione: & cum hoc sciverit, gratulabitur sibi operationem ad vota completi. Rogo itaque te fili, ut incessabili lectione philosophiæ libros scruteris, ut & ejus filius & hujus arcani magisterii habere sagaciam merearis. Qui enim in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit: quia non potest de levi ejus in Practica manus crescere, cujus in Theorica intellectus desudare renuerit. Ille namque ad operationem securius accedit, in cujus mentis ænigmate plures operationum imagines variæque resultant. Ne autem tu fili carissime omnia philosophiæ volumina ad inve-

inveniendum prælibata secreta quasi errabundus percurreres, hunc librum tuo conscripsi nomini: in quo omnia ea cum suis præparationibus per sermonem completum redegi, quæ in prænominatis nominibus propinquiora, faciliora, & notiora reperi ad componendum album & rubeum Elixir, ut tibi ad operandum facilis esset aditus.

Est autem Elixir compositum ex speciebus limpidis antidotum, medicina & purgamentum omnium corporum curandorum & purgandorum, & reducendorum in Lunificum & Solificum verum. Caveas ergo ne ad condendum, vel componendum procedas, antequam inveneris componentium pondera completa. Quia secundum componen ium ponderum perfectionem, erit compositionis operatio. Scias hoc, quia est magnum secretum. Scias etiam quod non poteris perfecte mundificare, nisi prius mundificandorum naturas omnes & ægritudines bene cognoveris. Sunt etiam in prælibatis corporibus quædam ægritudines, quas partim à mineris suis, & partim ab elementorum suorum contrahunt qualitatibus. Omnis etiam elementata res quatuor in se retinet qualitates activas & passivas, exterius sive interius, mollitiem sive duritiem, & horum medium, verbi gratia: Res si exterius est calida & humida, & mollis, interius est frigida & sicca & dura: quia omnis rei manifestum suo contrarium occulto: scias, quia est multum secretum. Unde si perfecte cognoveris exteriorum rerum consistentias, & interiores de levi tu cognosces, & è converso. Et si occulta manifestare sciveris, scies & manifesta occultare. Sed scias in quibusdam rebus ut in plumbo, totum manifestatum occultari, & totum occultum manifestari: Et in quibusdam medium occultum manifestari tantum, ut in ære: & medium occultum manifestari, ut aurum, ut ad sanitatem perfectam perveniant, vel saltem ad neutralitatis officium perducantur. Scias hoc, quia est maximum secretum. Scias etiam quod rerum quædam sunt sanæ, quædam sunt ægræ: sanæ dicuntur, in quibus quatuor qualitates cum mollitie & duritie ita æqualiter existunt, quod nulla earum vincitur à sua contraria, sicut in auro perfecto: in ipso namque sunt ita æquatæ, quod neutra superfluit alteri: Ægræ dicuntur illæ, in quibus est hujusmodi contrarium. Neutræ vero dicuntur illæ, in quibus species æqua proportione terminatæ sunt, tamen una parum vincit alteram, ita quod levi artificio & pauco medicamine sanantur, ut est aurum album, & argentum purum, in quibus sola tinctura fixa i columitas restauratur. Scias hoc, quia, &c. Ut autem hoc facere scias, totis viribus enitaris, & tu labora ut intelligas quæ dicam, & Deus alleviet: Scias quoque quod res ita subtili artificio & mystica conjunctione ad invicem sunt æqualiter commistæ, quod in qualibet re omnis res existit per potentiam, etiamsi per visum in ipsa non comprehendatur, sed in rebus liquefactis clarius quam in aliqua re discernitur. Sunt enim auri interiora argentea, & argenti aurea, & econverso. Et in ære sunt similiter aurum & argentum potentialiter licet non visibiliter: & in eisdem sunt plumbum potentialiter & stannum, & in istis sunt econverso aurum & argentum in potentia: quod totum tibi patebit cum eorum præparationem & substantiarum ipsorum transformationem, & ipsorum commutationem, secundum naturæ actionem scies. Scias etiam, quod non convenit cum lapidibus non præparatis aliquid operari. Est enim operatio thesaurus rei & hospitium complementi. Si ergo completa & perfecta præcesserit operatio, perfectum & completum aderit complementum: & si diminuta, diminutum. Et quantum decrescit perfectionis in præparatione, tantum expectetur diminutionis in operis projectione. Semper tamen oppositiones vis aliqua proculdubio præstolatur. Præcedit autem operationem perfectæ operationis quædam rerum purificatio, quæ à quibusdam mundificatio, & à quibusdam administratio, à quibusdam rectificatio, à quibusdam ablutio, & à quibusdam separatio nuncupatur. Ipsa enim puriores rerum partes disgregat ab impuris, ut gravioribus abjectis partibus, cum levioribus opus compleatur. Et hoc dedit Hermes intelligere in suo secreto, quod de hoc opere composuit, dicens: Separabis terram ab igne, & subtile à spisso. Scias hoc quia magnum, &c. Scias quoque, quod perfectæ præparationis negocium non solum contra superfluorum remotionem, verum etiam contra deficientium adjectionem versatur, secundum quod in quodam opere meo habetur, quod Lumen luminum inscribitur. In eo namque inter cætera, quæ de hujus magisterii subtilitate reservavi, dilucide dixi, quod perfecte præparare, est superflua demere, & deficientia supplere, quia non possunt gravia nisi cum levium superius, nec gravia nisi cum gravium inferius consortio detrudi: nec posset calidum nisi frigidi, nec frigidum nisi calidi: nec humidum nisi sicci, nec siccum nisi humidi: nec durum, nisi mollis, nec molle nisi duri adjunctione aliquo modo temperari vel præparari. Cum vero alternatim congrue desponsantur, generatur ex eis substantia temperata, quam non potest ignis violentia superare, nec terræ fæculentia vitiare, nec aquæ liquositas condensare, nec contractus omnes abumbrare. Et Hermes hujus doctrinæ princeps in fine sui prænominati secreti, volens quomodo, & ex quibus lapis, quem prædixerat omnem rem subtilem vincere, & omnem rem solidam penetrare, compositus esset, ostendere, hoc idem insinuat, cum dixit: Sicut hic mundus creatus est, ita lapis, quem dixi, est creatus, id est, factus: hoc est, sicut hic mundus sensilis ex gravibus & levibus, mollibus & duris, calidis & frigidis, humidis & siccis inter se invicem à natura concordiæ pace ligatis perpetuò, est effectus, ita & lapis quem prædixi omnem rem subtilem, & omnem rem solidam penetrare, & eisdem in idipsum, per philosophiam vero ex amicabili fœderatis super ignem perpetuo est creatus. Scias hoc: Perfecta vero corporum & spirituum præparatio per superflui remotionem & absentis additionem, exercitio quatuor regiminum adimpletur: Primum eorum est ad naturam ignis reductio: secundum est in aqua resolutio: tertium est in aere levigatio: quartum est ad terram compressio. Primum fit calcinando, secundum solvendo, tertium per alembicum destillando, quartum vero igne leni coagulando, vel congelando. Et hoc est eorum integra præparatio, & hoc innuit Hermes in suo secreto prænominato, cum dixit: Suaviter cum magno ingenio ascendit à terra in cælum, & iterum descendit in terram: per hæc enim dedit intelligere, corporum calcinationem, & spirituum cum sublimatione fixionem: quia hoc est eorum calcinatio. Et solutionem ostendere volens, ait: Nutrix est ejus terra, id est inhumatio nutrix ejus & revivificatrix est: per ipsam enim res, quæ fuerant prius cum calcinatione mortificatæ, nutriuntur & revivificantur, cum in liquorem in mundatione rediguntur. Item,

ut ostenderet destillationem per alembicum, ait: Portavit illud ventus in ventre suo: cum enim aqua per alembicum destillatur, tunc prius per ventum, id est, fumum in aere levigatur, & ab inferiori parte vasis ad alembici verticem deportatur, licet propter conclusionem iterum in aquam revertatur. Hanc autem destillationem quidam in rebus liquorosis loco sublimationis habuerunt, & ipsam sublimationum nomine vocaverunt. Item ut ostenderet coagulationem, in qua vis ejus integra est, si versa fuerit in terram, id est ad fixionem, ut ostenderet generaliter quidquid per partes prius expresserat, dixit: Et recipiet vim superiorem & & inferiorem, id est naturam superiorum & inferiorum elementorum: quia licet à levioribus exordium sortiatur, debet tamen in gravia terminari, ad hoc ut super ignem perpetuam habeat perseverantiam. Hic enim loquens de præparatione unius illorum tantum, quæ ad componendum lapidem philosophicum requirit, exemplificando de uno, ut brevis fieret, in unoquoque singulorum præparationem integram denotat, quia tunc est eorum peracta præparatio, cum versa sunt in terram, id est, ad fixionem super ignem, & fusionem faciunt sine fumigatione: & tunc vincent omnem rem subtilem, & omnem rem solidam penetrabunt. Scias hoc, &c. Scias præterea, quod propter difficultatem & longitudinem integræ præparationis quidam in agendo omittunt unum quatuor prædictorum regiminum, quidam duo, quidam tria: & cum uno tantum procedunt ad componendum: quia quidam calcinant & solvunt & componunt, & ita de reliquis. Unde scias, quod prædictorum multiplices manaverunt compositiones secundum varios diversorumque Philosophorum processus, tum cum igne, tum cum solutione, tum cum utroque.

Quidam enim dixerunt, quod prædictorum non posset fieri totalis & perfecta commistio, nisi cum igne: & quidam, quod non nisi cum utroque. Illorum autem qui cum solo igne operabantur, duplex erat processus. Quidam enim accipiebant prædicta tantum separata & conferebant in unum fortiter, & sublimabant subtile à spisso, semper reducendo id quod erat superius super id quod erat inferius, donec totum inferius remaneret, & in spissi naturam per ignis officium transmeabat. Et dicebant, quod hoc modo fiebat elixir firmum super ignem apud Arabes. Quidam vero spiritus prælibatos cum sublimatione figebant, & postea sociabant eos corporibus calcinatis vel ablutis, & ex eis unum corpus cum fusione faciebant: & dicebant quod erat elixir firmum super ignem: Et sunt viæ illorum, qui cum solo igne operabantur. Illorum vero, qui cum solutione tantum operabantur, duplex erat via: Quidam enim unumquodque prædictorum separatorum per se solvebant, & eorum aquas secundum julta pondera permiscebant, & congelabant in lapidem, & dicebant, quod hoc erat perfectum elixir. Alii vero hujus sectæ Philosophi accipiebant prædicta abluta, & componebant omnia simul & solvebant insimul, & postea coagulabant. Verumtamen quidam, solutione facta, aquas solutarum destillabant per alembicum, dicentes, quod hoc erat complementum claritatis ipsorum & splendoris, & tinctura ex aggregato proveniebant inde. Nam aqua clarissima quam postea in aquam coagulabant, dicebant quod illud erat verissimum elixir. Illorum verò, qui cum utroque procedebant sextuplex erat semita: Quidam enim solvebant corpora calcinata, & inde imbibebant spiritus sublimatos, & inde imbibebant corpora calcinata. Sed tamen hoc debilius est primo. Quidam autem cibabant argentum vivum cum corporibus, & solvebant, & ex hujus aqua imbibebant sulphur & arsenicum sublimatum, & iterum solvebant totum hoc, & congelabant, & dicebant, quod hoc erat elixir perfectum. Quidam vero cum sulphure & arsenico separatis cibabant corpora sublimanda cum pondere sui, & postea solvebant & potabant inde duplum argenti vivi separati, & iterum solvebant & congelabant, & dicebant, quod hoc erat elixir rectum & bonum. Quidam vero cum corporibus cibatis cum sulphure & arsenico, ut dictum est, cibabant argentum vivum, & coagulabant, & dicebant, quod hoc erat rectum & bonum elixir. Quidam autem dicentes vere verissimum elixir ex quatuor rebus debere constare ejusdem generis, non diversi, & non ex pluribus nec paucioribus, quia tunc corrumperetur corpus, componebant elixir ex quatuor spiritibus principalibus, scilicet argento vivo, sulphure, arsenico, & sale armoniaco: tamen quod argentum vivum prius sublimando figebant, & postea solvebant ipsum cum sale armoniaco præparato, dissoluto & destillato per alembicum: & tunc argentum vivum sic dissolutum destillabant per alembicum, & post ipsum coagulabant, & dicebant quod ipsum sic præparatum, est vera hujus artis medicina, & lapis non lapis, & corpus spirituale, & spirituale corporeum, & id quod retinet omne volatile à fuga, & fermentum, & tinctura duorum elixirium, & argentum vivum accidentale, quod prætulit se auro, & vincit ipsum, & illud quoque occidit & vivere facit, & verum argentum vivum coagulatum, & pater omnium mirabilium hujus magisterii. Postquam vero ipsum coagulaverant, ut dictum est, ipsum cum aqua salis armoniaci præparati & fixi iterum solvebant, & inde imbibebant argentum vivum sublimatum, & sulphur & arsenicum præparata, & tunc solvebant omnia simul, & post destillabant, & coagulabant, & hæc coagulatione ultima cerabant, & dicebant, quod hoc erat vere verissimum elixir: ego autem novi verissime: quod quodlibet prædictorum corporum & spirituum, si perfecta præparatione fuerit præparatum, album & rubeum est elixir per se solum. Scias hoc, &c. Licet autem quamplures fuerint adhuc modi ex prædictis corporibus & spiritibus elixir componendi, & obscurissimis verbis Hermetis à diversis Philosophis enucleatis scripti, laudabiliores tamen & eos, qui veraciores existunt, secundum hujus rei proprium eventum semper cum Dei auxilio sum secutus. Itaque tu fili carissime operare secundum quem volueris prædictorum sex modorum, neque ad alios modos tua declinet intentio: quia si secundum ipsos fueris operatus, inceptum opus cum Dei auxilio fine concludes congruo, & exinde laboris mercedem recipies.

Secunda hujus Artis ratio.

OMnia quidem corpora, quæ à Lunari globo inferius à summo condita sunt opifice, quatuor participant elementis, & quatuor naturis, & quatuor naturarum complexionibus, & quatuor principalibus coloribus, & quatuor saporibus, & quatuor odoribus, & duobus sexubus. Elementa quatuor sunt, ignis, aër, aqua & terra: quatuor humores

humores naturales sunt, sanguis, bilis flava, phlegma, melancholia. Naturæ sunt quatuor, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas. Quatuor naturarum complexiones sunt, caliditas & siccitas, frigiditas & humiditas. Quatuor principales colores sunt, albus, niger, citrinus, rubeus. Quatuor sapores sunt, insipidum, acidum, dulce & amarum. Quatuor odores sunt, suavis, fœtidus, intensus, remissus, id est non multum acutus. Sexus duo sunt, masculus & fœmina. Altitudo corporis est ejus manifestum. Profunditas corporis est ejus occultum. Et latitudo est ejus medium. Participant ergo omnia prædicta corpora secundum has tres dimensiones omnibus prædictis hoc modo: Corpus si in altitudine sua est terreum, in eadem est frigidum & siccum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, fœmineum, & idem in suo profundo est aereum, calidum & humidum, sanguineum, citrinum, dulce, odoriferum, masculinum: Idem in latitudine sua in uno latere est aqueum, frigidum, & humidum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum; in alio latere est igneum, calidum & siccum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Et hæc sunt ligamenta, quibus corpora omnia adinvicem colligantur, quod in corporibus congelatis clarissime deprehenditur.

De Plumbo.

INcipiam igitur tibi id ostendere ut perfectius meditari mente, & sermone apertius recitare potero, à plumbo sumpta origine, ut completis & diminutis congelatorum partibus cognitis, & etiam cognitio, in qua eorum parte diminutiones sunt completæ, & in qua diminutæ, expedite & absque confractionibus recte ad operandum procedas. Voco autem hic completas, quas in præcedenti parte vocavi sanas, ægras, & neutras. Sanitas enim perfecta res est: ægritudo & neutralitas diminuta. Perfectius ergo magisterium est, corpora ad sanitatem, quam ad neutralitatem ducere, cum scienti utrunque facile sit, & possibile. Quidam vero Sophistæ naturarum rerum insci, & secretum Philosophiæ ignorantes, & regimentorum ejus improvidi invenientes scripturas ejus de his rebus, easque non intelligentes, cum post opus nihil in manibus suis inveniant, errorem imperitiæ suæ Philosophiæ adscribentes, hoc opus non solum difficile, verum etiam impossibile prædicant: de quibus Philosophia non curat: non enim omnes ad hoc epulum convocat, sed illos tantum, qui hujus mensæ accubitu digni & istius miri refectione epuli sunt inventi. Satage ergo fili, ut non sis Sophista, sed sis Philosophus: ut rerum virtutes non solum meditatione, verum etiam meditatione & experientia cognoscas. Meditatio enim sine experientia nihil prodest: sed experientia sine meditatione proficit. Unde plus est experientia quam meditatio perquirenda. Quicunque igitur experientiam hujus artis fuerit assecutus, erit in hac arte Philosophus, & inter mensæ prædictæ convivas merito numerandus, & ex ferculis quæ exuperant rei omnis mundanæ precium dulcedine & affectu perpetuo satiandus. Verum cum de hujus rei experientis nemo possit prima fronte esse discretus, tibi suadendum providi ut operatione incepta non cesses, si prima vice non fueris operatus, sed bis, vel ter, & etiam amplius, si necesse fuerit, reitera, quousque quod appetis perfectissime deprehendas: neque ab hac re labor inanis inanium rerum, nec expensæ rerum te amoveant: quia cum instantia vinces, & cum sapientia superabis, & ad id, Deo duce devenies, quod optasti: & de manuum labore mercedem, & lucrum de rerum sumptibus rehabebis, neque, indigebis hujus operis reiteratione, ex quo semel ipsum perfecte peregeris. Quod si prima vel secunda vice labore fatigatus, vel expensis perterritus cessaveris, in detrimentum & non augmentum te scias incursurum. Igitur antequam incipias delibera, nec inchoes, nisi consummare disponas. Sed ne propter hoc nimia suspensione animum tuum arguam, quod tibi sum pollicitus, accipe.

De Plumbo rursus.

PLumbum in sua altitudine frigidum & siccum est, argentum nigrum, molle in actu, & argentum in potentia, nigrum, terreum, melancholicum, acidum, fœridum, fœmineum: in suo profundo est aurum calidum & humidum, aereum, sanguineum, citrinum, dulce, odoriferum, masculinum. In uno latere est frigidum & humidum, stannum & argentum vivum, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum; & in alio latere est calidum & siccum, id est ferrum, vel es, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Convertitur igitur plumbum facilius in argentum quam in aliud corpus, quia facilius est altitudinem corporum detegere, quam latera eorum vel profunda: & similiter levius est manifestare latera eorum quam profunda.

De Stanno.

STannum in altitudine sua est frigidum & humidum, id est secundum stannum & argentum vivum aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum. In suo profundo est calidum & siccum, id est ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. In uno latere est frigidum, & siccum, id est plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, acidum, fœtidum, fœmineum. In alio latere est calidum & humidum, id est aurum, aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. Convertitur ergo facilius stannum in argentum vel aurum, quam in aliquod aliud corpus: quia facilius est ad latera corporum, quam ad ipsorum profunda pervenire.

De Ferro.

FErrum in altitudine sua est calidum & siccum, id est ferrum & æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. In suo profundo est frigidum & humidum, id est stannum & argentum vivum aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum. In uno latere est calidum & humidum id est aurum, aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. In alio latere est frigidum & siccum, id est plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, fœmineum.

De Ære.

ÆS in sua altitudine est calidum & siccum, id est æs & ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. In suo profundo est frigidum & humidum, id est stannum, argentum vivum aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum. In uno latere est calidum & humidum, id est aurum, aereum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. In alio latere est frigidum & siccum, id est plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, fœmineum.

De Argento vivo.

ARgentum vivum in ſua altitudine eſt frigidum & humidum, id eſt argentum vivum & ſtannum, aqueum, phlegmaticum, album, inſipidum, remiſſum, fœmineum. In ſuo profundo eſt calidum & ſiccum, id eſt æs & ferrum, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, maſculinum. In uno latere eſt frigidum & ſiccum, id eſt plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum, fœtidum, fœmineum. In alio latere calidum & humidum, id eſt aurum, aereum, ſanguineum, croceum, dulce, odoriferum, maſculinum.

De Argento.

ARgentum in ſua altitudine frigidum eſt ſiccum, id eſt, argentum & plumbum, terreum, melancholicum, nigrum, acidum fœtidum, fœmineum. In ſuo profundo eſt calidum & humidum, id eſt aurum, aereum, ſanguineum, croceum, dulce, odoriferum, maſculinum. In uno latere eſt frigidum & humidum, id eſt ſtannum & argentum vivum, aqueum, phlegmaticum, album, inſipidum, remiſſum, fœmineum: In alio latere eſt calidum & ſiccum, id eſt æs & ferrum igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum maſculinum.

De Auro.

AUrum in ſua altitudine eſt calidum & humidum, id eſt aurum aereum, ſanguineum, croceum, dulce, odoriferum, maſculinum. In ſuo profundo frigidum & ſiccum, id eſt plumbum & argentum nigrum, terreum, melancholicum, acidum, fœtidum, fœmineum. In uno latere eſt frigidum & humidum, id eſt ſtannum & argentum vivum, aqueum phlegmaticum, album, inſipidum remiſſum, fœmineum: in alio latere eſt calidum & ſiccum, id eſt ferrum & æs, igneum, cholericum, rubeum, amarum, acutum, maſculinum. Hæc eſt enim omnium corporum ad invicem convenientia, quam videntes Philoſophi æſtimarunt unum poſſe in aliud transformari, & eorum æſtimationem confirmavit actus, Converterunt enim argentum in aurum, vel è converſo, & ſic de reliquis ſecundum generationem & corruptionem. Nolo autem ut mireris ſi Sol in quacunque dimenſione fuerit corporeum, & ſolus obtineat, ne cum eo aliquod aliorum corporum habeat ſocietatem: hoc enim ſuæ naturæ temperantia, & ſuæ ſubſtantiæ puritas & nobilitas meruerunt: Et propter hoc etiam inter omnia corpora obtinet principatum. Nolo etiam ut mireris, ſi argentum vivum inter corpora nunc & inter ſpiritus in præcedentibus numeretur: ſuæ namque naturæ convertibilitas exigit, ut nunc corporibus nunc ſpiritibus ſocietur. Spiritibus enim ſociatur rationabiliter propter fugacitatem ab igne, quam habet antequam corrigatur, & quia exaltat in examinatione corpora, cum eſt correctum corporibus quoque de jure ſociatur, quod in ipſum omnia corpora verti poſſunt, & ipſum ab omnibus corporibus poteſt reduci, vel quia per adminiſtrationem ſulphuris cum eo, ex ipſa omnia corpora originem ſortiuntur, quod patet in generatione omnium metallorum.

Auri generatio.

AUrum generatur ex argento vivo claro, miſto cum ſulphure rubeo claro, & in corde terræ longo tempore excoquitur calore modico. Et quia per longa tempora calore modico aurum decoctum eſt & ipſius natura clara fuit, ideo cohæſerunt partes ſuæ ad invicem, quoad ſolidum, graveque fieret: ideo neque ſub terra putreſcit, nec ab igne facile comburitur.

Argenti generatio.

ARgentum generatur ex argento vivo claro, miſto cum ſulphure claro, albo, & aliquantulum rubeo & quia parum rubei ſulphuris affluit, ideo non ad modum auri ſubrufum fuit.

Cupri generatio.

CVprum vel æs conſtruitur ex argento vivo turbido & ſpiſſo, & ſulphure turbido rubeo miſtis ad invicem, & diutius etiam quam aurum excoquitur calore maximo: & quia multum eſt in decoquendo combuſtum, ideo multum ruboris obtinet: laxi etiam eſt corporis propter eandem cauſam, quod perpenditur, quia vapor aceti ſubintrat corpus ejus, & ipſum colorem viridem diſſolvit, qui flos æris nuncupatur.

Ferri generatio.

FErrum oritur ex argento vivo turbido miſto cum ſulphure citrino turbido, & cupro vel ære, diutius excoquitur calore modico, unde ſolidius eſt ipſo, & ad virtutem ignis tardius ære fluit: quia calore modico longo tempore decoquitur, ideo conſtringunt ſe bene partes, nec eſt laxi corporis ut æs.

Stanni generatio.

STannum oritur ex argento vivo claro miſto cum ſulphure albo claro, ſed tamen parvo tempore decoquitur calore modico: unde ſi diu decoqueretur, in optimum argentum tranſiret.

Plumbi generatio.

PLumbum conſtruitur ex argento vivo groſſo miſto cum ſulphure albo groſſo, & parumper rubeo: quod autem ex ſulphure albo factum ſit, percipitur, qu a aceto adhibito dealbatur. Et quia parum ſulphuris vis rubeo affuerit, declaratur in plumbo cum comburitur: tunc enim coloris rubei efficitur, quod à magiſtris Sericon appellatur.

Tertia Pars hujus Artis.

COnſequentis ſermonis eloquio, corporum mineralium hactenus explicitis infirmitatibus & complexionibus mineralibus, quoad ſubtilius excogitare potui: deinceps ad eorum practicam perſpicaciter intimandam cum Dei auxilio proficiſcar. Cum igitur ſales & alumina præparata & aquæ penetrantes & ſerenantes ex eis compoſitæ ſecundum hujus artis complexionem ultima reperiantur, ſecundum tamen actionem ejusdem prima exiſtunt, utpote quia ſunt radix & fundamentum omnium purgandorum, ideo ab eis tertiam, quam de hujus artis practica inſtituam, exordior rationem.

Separatio Salis communis & Salis gemmei.

ACcipe de quocunque horum volueris partem unam, & in quatuor partes aquæ pluvialis claræ ipſum diſſolve, & deſtilla per filtrum, & decoque in vaſe vitreo cum igne levi donec aqua conſumatur, & ſal in fundo vaſis coaguletur: hoc facto, deſicca ipſum cum igne levi vel ad Solem, & tunc contere ipſum, & imple ollam vitream vel vitreatam, & claude os ejus cum cooperculo lutato luto ſapientiæ, ita ut non reſpiret, & tunc mitte ipſum in furno panis calefacto per noctem, & in mane extrahe, & aperi ollam, & ſalem, qui eſt in illa, diſſolve iterum in quadruplo ſui aquæ prædictæ & deſtilla per filtrum, & congela ut dictum eſt: & hoc reitera donec ſtrepitus vel crepitus ſint ſopiti, quod fit poſt tertiam reiterationem: & tunc erit optime ſeparatum.

Additio: Salem ſic ſepara ex alio libro: Funde, in aqua calida, cola & congela.

Præparatio

Præparatio Salis communis ex libro Emanuelis.

SAl commune album quantum vis frica inter manus cum aceto acerrimo facto de uvis acerrimis, & ficca ad Solem, hoc faciendo septem vicibus. Et quod erit clarum & limpidum inter duo linteola pone, & cave à pulvere usque in finem hujus regiminis: Deinde exsiccatum tere & cribra cum cribro. Accipe subtiliores illius partes, ficca in furno, ut melius solvantur, & solve in duplo sui de aqua dulci, scilicet aqua putei & repida donec solvatur parum & parum in cacia ferrea, & coletur per duos sacculos lineos, & claude in cucurbita magna cæca, id est clausa: pone in fimo equino per septem dies: post septimum diem extrahe à fimo, cola per sacculos lineos in caldario optime stannato habente decem foramina ampla ad modum trium digitorum in summitate cooperculi: deinde pone in loco congelationis, decoquendo ipsum lento igne de lignis salicis per diem unum, donec congeletur & aqua evanescat: deinde accipe de duobus salibus, scilicet de albo & viridi, & tere separatim, & desicca in furno per unum diem extracto pane, deinde solve in duplo sui de aqua dulci tepida, & cola in cucurbita, & dimitte per sex dies: post extrahe & cola in caldario coagulationis, donec aqua consumetur per foramina in fumum, & sal erit coagulatum? Tunc aperi ista duo caldaria, & in unoquoque invenies saporem sapientum albi coloris, & saporem viridem à viriditate æris. Tunc accipe separatim & desicca in furno, & separatim solve, & separatim in fimo pone, & separatim congela donec perveniant ad hunc ordinem in septem diebus: Et quando erit factum, probetur super carbones, utrum fumet vel non, vel in lingua liquescat, vel in manu. Solutio ejus est, ut ponas in viscere, id est ampulla de vitro albo, & suspende super fumum, qui exit de ventre equi, & per diem unum solvetur & mutabitur in aquam crystallinam, deinde destilla per alembicum cum amplo foramine ad modum unius digiti, & totum cum lento igne in balneo aquæ, quia in cinere sine humore congelaretur: deinde fundetur super carbones in crucibulo donec fundatur & vertatur in naturam corporis, deinde dimitte infrigidari: Et quando erit frigidum, convertetur in naturam salis, quem postea bene tere & solve in aqua.

Salis alkali separatio.

ACcipe de alumine allofor, id est alkali bene trito partem unam, & super ipsam projice aquæ pluvialis partes sex, & dimitte eam incerari in ea aqua tribus diebus, & move quotidie die bis vel ter cum baculo, ut melius fiat dissolutio: tunc destilla per filtrum, prius tamen buiiiat in caldario stannato, donec sexta pars aquæ consumatur: tunc hujusmodi aquam congela, ut prædictum est. Deinceps fiat, ut dictum est in sale communi: hoc est dissolve ipsum in quadruplo sui tantum de aqua pluviali, & destilla per filtrum, & congela, & hoc reitera, donec invenias ipsum super ignem sine strepitu, & tunc erit optime separatum.

Aluminis separatio.

ACcipe de ipso albo plumoso partem unam & dissolve ipsum in quadruplo sui urinæ puerilis antiquatæ, & prius decoctæ ad tertiam sui partem, & tunc destilla per filtrum, & mutetur de vase in vas, donec nihil fæcis inveniatur in fundo vasis, vel destilla eam post sui decoctionem per alembicum, quod melius est: facta dissolutione destilla per filtrum, & tunc decoque cum igne levi usque ad compositionem urinæ, & erit optime separatum.

Atramenti separatio.

FAc per omnia de ipso, ut feciſti de alumine jameni, & erit optime separatum.

Nitri separatio.

TEre ipsum fortiter cum aqua salis communis bis vel ter, & tunc ablue ipsum cum aqua dulci donec sapor salis omnino recedat: postea funde ipsum, & erit optime separatum.

Additiones. Regimen salis nitri: Accipe de eo, ablue in aceto acerrimo mali granati duabus vicibus, & ficca ad Solem: deinde solve in duplo sui de aqua putei, & cola & dimitte in fimo per diem unum ad magis subtiliandum, deinde cola & congela in cinere in cucurbita habente tria foramina ad modum unius digiti, deinde solve sub fimo in ampulla, postea destilla semel & reconde aquam perfectam.

Regimen Salis Attincar.

REcipe salem armoniacum, salem nitri, hoc est alkali, salem communem ana de uno quoque lib. semis, & de melle cocto & despumato uncias quinque, & de sero acetoso quinque vicibus destillato per pannum uncias decem, & de urina puerorum duodecim annorum uncias quindecim, omnia misce simul, & solve & pone sub fimo duobus diebus, deinde congela in cinere per diem unum apertis foraminibus cucurbitæ: postea solve in viscere (sive cucurbita) sub fimo, & reconde aquam perfectam. Ista est aqua, cum qua congelatur argentum vivum sine sublimatione & mortificatione: quoniam si posueris ipsum in crucibulo, & calefeceris parum, & projeceris desuper tres guttas de hac aqua, congelatur, & mutat æs in infinitum, & cum eo solvis omnia corpora & spiritus: & valet Solem & Lunam, secundum quod corpus fuerit præparatum ad alterutrum.

Regimen nitri Indici, tere & ablue cum aceto de vino rubeo & mali granati quinque vicibus, deinde funde & extingue ipsum in aqua salis communis & armoniaci de unoquoque ana uncias duodecim. In his quinque vicibus erit calcinatum in subtilem pulverem, cui non est par ad Solem. Regimen nitri violacei, tere & ablue cum aceto sorbarum & mali granati septem vicibus, & ficca ad Solem vel in cinere, deinde funde in fortissimo crucibulo ferreo, & extingue in aqua salis communis & armoniaci. Regimen nitri rubei, tere & ablue in aceto mali sylvestris & citoniorum, & in aceto prunellorum de spinis decem vicibus, deinde funde his decem vicibus, & extingue in aqua omnium salium, id est aqua tincar, & erit calcinatum in calcem Solis, quæ dicitur Calx Soldani Babylonis. Regimen nitri albi: tere nitrum, & ablue cum aceto acerrimo albo viginti vicibus una die, & ficca ad Solem post ablutionem, deinde funde viginti vicibus in cacia ferrea, & viginti vicibus extingue in aqua salis communis & alkali: erit calcinatum in calcem Lunæ, cui non est par, videlicet ad Lunam.

Talci separatio.

ACcipe de eo quantumvis, & contere ipsum in pelle ovina vel vaccina, & lapillis, crystallinis vel similibus sicut scis: & tunc ignias ipsum in cacia ferrea septies, omni vice extinguendo ipsum in aqua salis armoniaci & alkali & nitri salium præparatorum ana commistis, & erit optime præparatum.

Plumborum duorum ſeparatio.

FUnde de quocunque horum volueris quantum vis, & tunc ipſum colatum, & calidum extingue epties in aqua ſalis atmoniaci, & erit optime ſeparatu m.

Ferri & æris ſeparatio.

LAminas cujuſcunque horum volueris ignitas extingue in aqua hac. R. ſalis armoniaci, baurac, nitri, atramenti, aluminis jameni omnium una uncias quatuor, ſalis communis, ſalis gemmæ ana uncias duas, & projice ſuper ipſa aceti vini albi lib. unam & ſemis, pone ad Solem diebus ſeptem, donec ita in ea diſſolvantur, & quanto plus ſteterit, melius erit.

Argenti ſeparatio.

ACcipe de eo quantum vis, & funde id in cineritio examinationis cum plumbo, poſtea fac ex eo laminas ad groſſitiem tui unguis, & cementa eas cum limatura chalybis pertenui, quæ prius aceto & ſale fuerit fortiter incerata (ſale & aqua prius abluta, & per noctem in duplo ſui de aceto forti fuerit macerata) & fac eas morari in furno panis optime calefacto, per noctem unam, & mane extrahe & dimittu infrigidari, & ſepara laminas à limatura, & funde eas: & erit argentum optime ſeparatum.

Sulphuris ſolutio.

TEre ipſum ſuper tabulam vitream donec ſit ut medulla: cum quo teras quantum eſt ipſius quarta de ſale armoniaco, deinde in aere deſicca: poſtea imbibe ipſum ex aqua ſalis armoniaci ſublimati, quæ ſit tanta quantum eſt ejus pondus aut parum plus: deinde pone ipſum in vas ſuper quod ſit aliud vas: Poſtea inhuma ipſum in ſimo quatuordecim diebus, & muta ſimu n ſeu ſtercus ſingulis tribus diebus: Reſudabit enim vel ſolvetur, ſi ſtercus fuerit calidum: & ſi non, tere ipſum bene cum aqua ſalis armoniaci, quamvis in eo remanſerit aliquid ex ea ne cures inde, & inhuma ipſum donec ſolvatur. Quod ſi ante quatuordecim dies ſolvatur, non tamen extrahes donec dies compleantur: Stercus vero ſingulo triduo muta, & ſcias pondus ſulphuris & aquæ, & cum ſolvetur, pondera ipſum. Quod ſi fuerit ejus pondus, cujus erat prius, bene erit: ſi fuerit minus tanto erit melius Et ſi fuerit plus, ſcias quod augmentum ſalis armoniaci eſt in ipſo: Quod extrahes aut calefaciendo ipſu n in vaſe aliquo, aut ſublimando, donec redeat ad pondus ſulphuris: Deinde deſtilla ipſum: & qualis fuerit claritas, talis erit ejus tinctura: ſi enim fuerit rubea, erit rubea: & ſi fuerit alba, erit alba. Congela cum ipſo ſpiritum quemcunque volueris, & fige cum ipſo, & calcina cum ipſo, & cera cum ipſo.

Modus deſtillandi eſt, ut ſumas ſulphur ſolutum & ſaltem armoniacum, & ponas in una cucurbita, & deſtillabitur in primis aqua ſalis armoniaci: pondera ipſam donec egrediatur, quod ſit parum majoris ponderis: Aqua enim ſalis armoniaci eſt ſubtilis, & aqua ſulphuris eſt groſſa ſicut lac: Divide & operare cum eo quod volueris, quoniam bonum eſt. Eſt autem ſulphur difficile ad ſolvendum, tamen ſuſtine patienter. Ejus altera ſolutio abſque ſale armoniaco eſt cum oleis: Aqua enim ſulphuris eſt ſicut oleum: acetum quoque ſolvit ipſum & cerat, & extrahit argentum ejus vivum, & rectificat ipſum, & facit ipſum Elixir, & ipſum diſſipat & rectificat. Habes in Alberto in additionibus in cap. Solutionis ſpirituum, ſecundum Raſim in lib. de Lumine luminum hoc compoſitum.

Sulphuris calcinatio.

SUlphur quantum vis tere & cribra, & imbibe cum aqua ſalis armoniaci, & aceto mali granati: Et ſi erit ad Lunam, cum aqua ſalis communis, & aceto acerrimo de vino albo tantum, donec cum contritione & imbibitione communiter deſiccetur in cinere decem vicibus in uno die: deinde pone in vaſe ſublimatorio, & ſublima ſex vel novem vicibus: quod eſt ultimum tam ad ſolem, quam ad Lunam, ex libro Emanuel.

Sulphuris ſeparatio.

ACcipe de eo bene trito quantum vis, & pone ipſum in ſacculo lineo largo, & liga os ſacculi, & pone in concha in qua ſit lixivium ad medietatem ponderis ſulphuris de calce viva bene trita, & ſuper calcem pone ſacculum cum ſulphure, & deſuper ſacculum pone de calce viva tantum, quantum eſt totum ſulphur, & tunc pone concham ſuper recipiens ſuum & infunde deſuper de optimo aceto (alibi dicitur fortiſſimo fervente) donec calx peroptimè ſit extincta: & hanc vaporationem reitera ſepties omni vice renovando calcem vivam: & tunc extrahe ſulphur de ſacculo, & pone ipſum in vaſe vitreo, decoque ipſum in capitello fortiſſimo, in quo ſolutum ſit prius in quadruplo ſui de ſale alkali cum aluminis jameni, nitri, ſalis armoniaci ana parte una, & decoque in igne levi cum ſuis vaſis aqua & cinere mediante (alibi habetur in aceto vaporationis rerum ſuarum cum igne leni, donec totum conſumatur, tunc deſicca, &c.) per diem & noctem unam, tunc collige ipſum ut ſcis, & ſicca & pondera, ſi fuerit libra una, adde ei limaturæ ferri ſubtilis uncias octo, & frica fortiter inſimul cum fricatorio in paropſide vitreata, & rora cum quatuor vel tribus ad minus unciis aluminis jameni extincti & diſſoluti in octo unciis aceti deſtillati, & frica (vel tere) fortiter, & tunc addes uncias quatuor calcis vivæ, uncias ſex ſpumæ maris, & iterum frica hæc omnia fortiter in paropſide prædicta, & tunc deſicca peroptime ad Solem vel ignem lentum, & tere peroptime & cribra per ſetaceum ſpiſſum, & tunc pone in aludel ſuper ſtratum ſalis gemmæ, & ſublima ipſum, ut dictum eſt de Mercurio, & reiterabis ſublimationem & compoſitionem prædictam, & erit oleum optime ſeparatum: Serva ergo ipſum ad horam neceſſitaris in vaſe vitreo.

Modus rubificandi ipſum.

MOdus eſt unus cum tincturis extractis de animalibus & arboribus vel lapidibus: Et alter eſt cum aquis rubificantibus, quæ ſunt in ſpeciebus limpidis: Et eſt magnum ſecretum cum funditur aliquis horum ſpirituum in operatione, tunc enim eſt Elixir magnum.

Auri ſeparatio.

FAc de eo laminas ad modum tuæ unguis, & eas cementa cum hoc pulvere: Recipe ſalis communis ſeparati partes duas, lateris antiqui in ripis fluviorum, vel in littore maris reperti, quod melius eſt, partem unam, tere optime & cribretur per ſetaceum ſpiſſum: tunc laminas dictas ſic cementatas fac morari in medio athanor ſuper tripodem per diem & noctem unam, & implendo arhanor, id eſt furnellum carbonibus vivis, & quum minuuntur addendo ſemper de aliis, tunc igne remoto & infrigidato aperi crucibulum, & invenies aurum optime ſeparatum.

Argenti

Argenti vivi separatio.

ACcipe de eo quantum vis & mortifica ipsum cum pondere sui atramenti separati, & cum tantumdem salis communis separati: rorando cum forti aceto, & assando in furno panis calido per noctem toties, donec sit optime mortificatum: & tunc tere ipsum optime, & mitte ipsum in aludel super stratum salis gemmæ, & accende levem ignem donec humor cesset, & tunc ad vasis latera sublimetur, & hanc sublimationem reitera toties donec sit albissimum, semper renovando omni vice prædictam compositionem, & erit optime separatum.

Alia separatio Mercurii qua in pluribus libris reperitur.

ACcipe lib. 1. ex eo & mortifica ipsum cum pondere sui atramenti separati & salis communis separati unc. 8. & aluminis jameni separati unc. 4. & iterum soluti in fortissimo aceto in duplo sui, rorando prædicta cum medietate hujus aceti, in quo scilicet alumen jameni est dissolutum, & frica fortiter in paropside vitreata, ut videatur quasi terra torrida: postea assa in furno panis in vase concluso, ita quod non respiret aliquo modo per noctem unam, & in mane extrahe & pone in paropside & rora ipsum iterum, & frica cum medietate aceti quod reservasti, & pone iterum in furno, ut prius, tunc tere ipsum fortiter, & cribra per cribrum spissum, & pone in aludel supra stratum salis gemmæ, pone ipsum super athanor, & fac sub eo ignem cum tribus vel quatuor carbonibus, donec omnis humorositas cesset, & tunc vigora ignem paulatim, donec totum argentum vivum ad vasis latera sublimetur, & hoc reitera ter vel quater, donec simile nivi sublimetur, omni vice renovando compositionem prædictam, & erit optime separatum.

Additiones. Alibi sublimatur sic: Recipe de eo lib. 1. Atramenti citrini boni, lib. 1, salis communis albi combusti, lib. 1. aluminis de glacie lib. 1. tere omnia super prophidum; quousque Mercurius ibi mortificetur, ita quod nihil de eo vivum appareat, sed fiat totum nigrum ut lutum: postea pone in vase sublimationis, & sublima cum lento igne donec Mercurius sublimetur: reduc eum iterum ad fæces suas, imbuendo cum pauco acero, & iterum sublima ut prius: ita fiat ter aut plus, donec sit albissimus:

Alibi ex libro Emanuel sic sublimatur.

ACcipe de eo quantum vis, sicca & imbibe cum reiteratione fortissima in Sole in diebus Caniculatibus, donec erit massa dura, cum aqua salis communis & aceti, & aqua aluminis jameni si erit ad lunam: si erit ad Solem, cum aqua salis armoniaci & atramenti. Deinde tere & pone in vase sublimationis, & sublima ipsum septem vicibus (vel undecim, quod est ultima) tribus horis cum igne debili, & quatuor cum igne forti: non est tale super terram.

Arsenici separatio.

VApora ipsum prius, ut docui te vaporare sulphur cum calce & aceto: & si non vis ipsum vaporare, non est vis: tere ergo ipsum vaporatum, vel non vaporatum, peroptime cribra & adde uncias quatuor (vel octo) de calcute (id est vitriolo) & uncias quatuor cerussæ plumbi, & rora cum unciis quatuor vel tribus ad minus aluminis jameni dissoluti in octo unciis aceti destillati, ut fecisti in sulphure, & tunc pone ipsum in aludel, sive in vase sublimationis super stratum salis gemmæ, & sublima ut scis: & itera hanc sublimationem, & erit optime separatum, semper renovando dictas fæces.

Arsenici calcinatio.

TEre, cribra, & imbibe cum aceto acerrimo, in quo solutæ sint unciæ decem de sale aliquantulum præparato, & si erit ad rubeum, cum aceto mali granati, in quo solutum sit sal armoniacum, quod melius augmentat tincturam rubeam: deinde postquam erit bene tritum cum imbibitione & deiccatione quatuor vicibus in cinere, pone in vase sublimationis, & sublima quinque vicibus vel septem, quod est ultimum super eandem fæcem: & valet tam ad Solem quam ad Lunam. ex Eman.

Salis Armoniaci separatio.

ACcipe de eo trito lib. 1. de spuma maris uncias 5. vel 6. & de sale gemmæ uncias 2. de sale communi & aluminis jameni ana uncias 2. contere hæc omnia simul fortiter, & cribra per sataceum spissum, & tunc mitte in aludel super stratum salis gemmæ, & sublima ut scis, & itera super ipsum semel compositionem & sublimationem, & erit optime præparatum: observa bene.

Tutiæ separatio.

ACcipe de ea quantum vis, & ignias eam in cacia ferrea septies, & omni vice extingue eam in aceto vini miræ fortitudinis, tunc redde ei acetum, in quo extincta est, terendo & imbibendo super marmor, & siccando ad Solem, & tunc sublima eam sicut scis: & erit optime separata.

Magnesiæ & Marchasitæ separatio.

ACcipe de quacunque harum volueris quantum vis, & ignias eam in cacia ferrea, septies omni vice extinguendo eam in aceto fortissimo sicut dictum est de tutia, sed tamen qualibet vice post extinctionem extrahatur ab aceto, & ponatur super porphidum, vel porphyriten lapidem, & fricetur fortiter, & cum aqua dulci ablnatur. Hoc facto, igniatur ter, & omni vice extinguatur in aceto citrino, & erit optime separata.

Præparationes Salis communis, salis gemmei & Alkali.

ACcipe de quocunque volueris separato partem unam, urinæ puerilis antiquatæ & decoctæ ad tertiam sui partem, & destillatæ per filtrum partes duas, & dissolve ipsum in ea, & destilla per filtrum, & congela cum igne levi sicut scis, & sic itera sex vicibus, sed omni vice post coagulationem fac ipsum morari in vase concluso in furno panis per noctem unam: hoc facto decoque ipsum ter, omni vice in duplo sui de aqua hac. Recipe seri lactis acetosi caprini partes quatuor, olei communis abluti cum aqua dulci & per alembicum destillati, vel pinguedinis testudinis, quæ melior est, mellis albi despumati ana, & omni vice coagula & assa ipsum in furno panis qualibet vice sicut prædictum est. Tunc solve ipsum per se in vase solutionis ut scis, vel in aqua animalis semel destillata, quod erit factum die una, & tunc destilla per alembicum, & adde ei æquale pondus sui de aqua aluminis (animalis) septies destillatæ per alembicum, quatuor vicibus cum aqua vel cinere, & tribus cum cinere sine aqua, & tunc coagula in vase coagulationis cum igne leni, aqua & cinere mediante, ita quod tota aqua consumatur vel coaguletur cum eo; tunc resolve ipsum ter & omni vice destilla per alembicum & coagula, & proba ipsum super laminam ignitam, qui si fluxerit ad modum ceræ vel plumbi, factum est, si non, reitera super ipsum ultimum opus donec sic contingat, & tunc erit optimè præparatum.

Aluminis

Aluminis jameni præparatio.

ACcipe de eo ſeparato partem unam, & diſſolve, & in vaſe ſolutionis cum aqua animalis (ſeu urina) ſemel deſtilla per alembicum & coagula: & tunc adde ei tantundem prædictæ aquæ animalis, & coagula inſimul, ſicut prædictum eſt in ſalibus: hoc eſt, ut totum coaguletur cum ea, & ſic prius ſepties deſtilla per alembicum quatuor vicibus cum aqua & cinere, & tribus cum cinere: tunc iterum diſſove & deſtilla prædicto modo per alembicum, & coagula ſicut ſcis in vaſe coagulationis, & ita fac donec currat ſuper laminas: & erit optime præparatum.

Aliter: Pone alumen jameni in ollam vitreatam & argillatam, & pone in furno panis per diem unam, deinde extrahe & tere, & imbibe cum aqua ſalis communis ſoluti in aceto de vino albo & urina pueri duodecim annorum. Sed de ſale & aceto & urina æqualia ſint pondera, diltemperetur, & per pannum coletur, & de hac aqua imbibe cum trituratione & deſiccatione aluminis jameni quinque vicibus, & erit nimis albu n: deinde pone in viſcere [id eſt cucurbita vel potia] ſub fimo per diem unum, & ſolvetur: deſtilla ſemel, deinde congela ut ſit nivei coloris: deinde reconde, quia omni die poteſt diſſolvi citiſſime in aquam claram: Et eſt unum de retinaculis, tamen habet proteſtatem ſolvendi. Et etiam eadem eſt præparatio aluminis zucharini. Ex lib. Emanuel.

Vitrioli præparatio.

ACcipe de eo quantum vis ut prius, & ignias, & extingue ſicut præcepi de tutia in aceto, poſtea ſolve ipſum in vaſe ſolutionis tantundem ſui aquæ vitæ præparatæ, & cum bene ſolutum fuerit deſtilla per alembicum, donec tota aqua deſtilletur rubicunda & clara, & tunc eam coagula: & hoc opus itera ſuper ipſum, id eſt, ſolutionem & deſtillationem & coagulationem, donec ſuper laminam velociſſime fundatur, & tunc adde ei æquale pondus ſui de oleo aluminis rectificato cum ſuo igne: tamen ſit oleum prius deſtillatum & rectificatum rubeum: tunc ambo, id eſt oleum dictum, & aqua ſalis vitrioli rubicunda, & ſal ejus rubeum dictum jungantur inſimul, & rectificentur inſimul ſemel, & erit optime præparatum.

Nitri præparatio.

ACcipe de eo præparato quantum vis, & funde ipſum, & extingue ſepties in aqua ſalis communis præparati, & tunc contere ipſum & ablue à ſale cum aqua dulci: poſtea ſicca ipſum & pondera & adjunge ei medietatem ſeu de plumbo præparato, & funde inſimul, & iterum tere: & tunc adde ei æqualiter pondus ſui de Mercurio optime ſeparato, & contere ſimul rorando cum aqua ſalis communis præparati, & aſſando in furno panis per noctem, & tunc ſublima fugitivum ab eo toties donec totus in fundo vaſis cum eo remaneat: tunc ablue inde ſalem cum eo aceto deſtillato, quo facto ſicca totum illud peroptime, & cera cum aqua vitæ, & ſolve in furno: & fac poſtmodum de eo per omnia ut dicam in præparatione auri, id eſt deſtilla per alembicum & congela, & cera cum oleo philoſophico, & erit optime præparatum.

Talci præparatio.

ACcipe de eo ſeparato quantum vis, & pone iterum in ſacculo lineo ſpiſſo rotundo, & largo, & liga os ejus, & ſuſpende ipſum ſuper vaporem hujus aquæ: Recipe urinæ ſublimatæ partes duas, ſalis armoniaci partem unam, & maneat ſacculus ſuper hujuſmodi aquam tribus diebus, & totidem noctibus. Quarto die aperi ſacculum & intromitte de lapillis albis ad ſufficientiam, & tunc os ſacculi liga ſtricte & pone ipſum in ſcutella vitreata, & projice ſuper ipſum de aqua, cum qua fuerit vaporatum, & frica fortiter inter manus, donec tale per poros ſacculi exiens, in fundo ſcutellæ decidat: tunc dimitte ipſum reſidere, & funde aquam ſubtiliter, & invenies ipſum in fundo ſcutellæ ſimilem argento vivo præparato & ſoluto, & deſtillato per alembicum, tunc pone ipſum ad ſolvendum in ſolutione noſtra: & cum fuerit aqua clara imbibe ex ea pondus ſui de arſenico adminiſtrato, & iterum mitte ad ſolvendum, & cum ſolutum fuerit, deſtilla per alembicum ita ut nihil remaneat in fundo cucurbitæ, & fiat aqua valde pervia, & coagula eam, & cera in crucibulo tenui ſuper ignem lentum cum oleo albo Philoſophico, ſicut ſcis, ita ut currat ad modum ceræ vel plumbi ad minus: & de hoc cerato projice pondus unum ſuper centum cujus vis duorum plumborum ſeparatorum, & fiet Luna melior ea, quæ eſt de mineris cum Dei auxilio, & ejus virtute.

Auri præparatio: & hic eſt modus faciendi ex omni corpore lapidem ſeu elixir quodlibet ſecundum ſuam ſpeciem: vel compoſite, ſi miſtionem intelligas: Ideo nota.

ACcipe de eo ſeparato vel ſubtiliſſime limato quantum vis, & ſublima ab eo æquale pondus ſui de arſenico, vel ſulphure rubeo ſublimato ad rubeum, & ad album, donec medietas ejus cum eo in fundo vaſis figatur. Et imbibe totum hoc de pondere ſui aquæ ſalis communis ſeparati & perſoluti, & ſicca & aſſa in furno calcinationis die & nocte una, tunc ablue inde ſalem cum aqua dulci, & ſicca iterum: & tunc cera ipſum cum ſale armoniaco ſeparato rubeo ad rubeum, & albo ad album, & tunc pone totum ad ſolvendum donec aqua clariſſima fiat: & tunc ſublima hujuſmodi aquam & deſtilla per alembicum, & coagula & cera in crucibulo ſuper ignem cum oleo philoſophico fixo rubeo ad rubeum, & albo ad album. Et tunc projice de ipſo ſi eſt ad rubeum ſuper argentum, & fiet aurum bonum: & ſi eſt ad album, ſuper æs, & fiet argentum bonum.

Alia præparatio Auri qua alibi reperitur.

ACcipe de eo ſeparato & ſubtiliſſime limato partem unam, & æquale pondus ſui de arſenico ſublimato rubeo & frica inſimul fortiter, & pone in aludel cùm tantundem ſalis communis præparati rubei, & ſublima arſenicum ab eo bis vel ter, & erit optime præparatum.

Additio. Accipe bonum aurum purum, & habeas coram te paropſidem cum aqua munda dulci, & habeas cotem aſperam mundam, cujus unum caput teneas in manu tua, & aliud ſtet in fundo paropſidis in aqua, & tunc frica aurum in cote ſæpe madefaciendo cotem cum aqua, quia limatura deſcendet ad fundum vaſis ſubtilis, fac ergo tamdiu quod limetur de auro quantum volueris: deinde permitte ita per horam & projice aquam cum facilitate, & ablue ter & ſicca. Eodem modo facias de argento: ſunt qui limant cum lima ſubtili, & ita utuntur. Ex lib de Artibus Romanorum.

Argenti præparatio.

FAc de limatura argenti ſeparati per omnia ut de auro dixi: hoc eſt ſublima ab eo æquale pondus ſui de arſenicò vel ſulphure ſublimato rubeo ad rubeum, & projice ſimiliter ipſum ſuper argentum vel æs.

Alia

Alia præparatio Argenti.

REcipe de limatura argenti quantum vis,& fac de ea cum ſublimato arſenico albo per omnia ut dictum eſt in auro.

Plumborum duorum præparatio.

REcipe de quocunque eorum volueris ſeparato partem unam, & funde ipſum in cacia ferrea, & projice ſuper ipſum pondus ſui de ſale communi ſeparato & pulverizato, & commove fortiter cum inſtrumento ferreo donec totum plumbum in pulverem convertatur, tunc ablue ab eo ſalem cum aqua dulci, & deſicca pulverem illum & pondera, & imbibe ipſum cum tantundem ſui de aqua ſalis communis ſeparati, & per le ſoluti, & tunc pone in crucibulo bene concluſo ne reſpiret, & fac ipſum ſtare in furno calcinationis per tres dies & noctes: tunc eo infrigidato extrahe inde ſalem omnino cum aqua dulci: & tunc iterum ablue cum aqua dulci de paropſide in paropſidem ad modum ceruſæ, ita ut fiat album ut nix: tunc deſicca ipſum ad Solem, & poſtea fac de ipſo per omnia, ut prædixi de limatura argenti, & erit optime ſeparatum.

Ferri & Æris præparatio.

ACcipe de quolibet horum volueris ſeparato & ſubtiliſſime limato partem unam, & ablue ipſum ter omni vice cum medietate ſui de arſenico, cujus medietas ſit præparata ad comburendum corpora, & alia medietas ſeparata ſolum, & fac ipſum manere in athanor calcinationis per diem & noctem: & omni vice fac ipſum deſcendere cum oleo (. tartari) & per botum barbatum donec album & clarum deſcendat, & tunc tere ipſum & lima ſubtiliter, & rora ipſum cum aceto fortiſſimo in Sole calido donec ipſum optimè rubificatur: tunc pondera ipſum & adde ei tantundem arſenici rubei, & fac deinceps per omnia ut prædixi de auro.

Argenti vivi præparatio.

REcipe ſalis armoniaci, ſalis aluminis jameni, cuperoſæ ana uncias tres, diſſolve hæc in quatuor libris aceti deſtillati, & tunc mitte in ipſo lib. unam ceruſſæ ſtanni, & fac ipſam manere intus per menſem & amplius, quia quanto plus intus ſteterit tanto melius eſt, & move ipſam quotidie bis vel ter, & cum operari volueris, dimitte quieſcere, donec clarificetur: & extrahe inde aquam claram caute & deſtilla ipſam per filtrum, tunc congela ipſam, & congelatam pondera & ipſam imbibe cum tertia parte ſui de aqua calcinata alba ad album, & rubea ad rubeum: & tunc aſſa in furno panis per noctem, & poſt diſſolve per ſe ſicut ſcis, & inde imbibe Mercurium ſeparatum ad pondus ejus paulatim ſuper porfidum, & ſicca bene, & ſublima ſine ſtrato aliquo alembico ſuperpoſito cum ſuo recipiente, & quod ſublimatur deduc ſuper fæces ſuas terendo ſuper marmor, redde ei aquam quæ ab eo deſtillavit: & ſic reitera toties, donec inde nihil ſublimetur. Et tunc remove ſales abluendo cum aqua dulci: & tunc pone totum illud ad deſcendendum, fac deſcendere in laminam, & cum deſcenderit fac ſub eo ignem ſeptem diebus ſecundum quod dicam inferius in operatione veriſſimi Elixir: tunc fac de eo ut feciſti de auro.

Alia præparatio Mercurii, & Calcinatio ejuſdem, qua habetur alibi.

REcipe ſalis alkali, ſalis gemmæ, ſalis aluminis; ſalis armoniaci ſeparatorum partem unam, & ſolve hæc omnia in duplo eorum de aqua occulti lapidis albi ſublimata ter ſine inhumatione, & dimitte quieſcere die & nocte una, tunc deſtilla per alembicum & coagula cum igne levi in vaſe coagulationis, tunc reſolve ea prædicto modò ter, & deſtilla per alembicum & coagula, & proba ſuper laminam ignitam, & ſi ſe ſolverit ut cera vel plumbum, factum eſt: ſin autem, reitera ſuper ipſum ultimum opus, donec contingat, & erit Atincar. Accipe igitur mercurii ſeparati partem unam, & de prædicto atincar per ſe ſoluto tantundem, & inde imbibe Mercurium paulatim ſuper porfidum, & cum totum abſorbuerit, deſicca ipſum leviter, & pone in aludel ſine ſtrato aliquo: & alembico ſuperpoſito cum ſuo recipiente, & obturatis juncturis cum luto magiſterii ſublima ipſum: & quod ſublimabitur reduc ſuper fæces terendo ſuper porfidum, & reddendo ei aquam, quæ ab eo deſtillavit, & ſic itera toties donec inde nihil ſublimetur: & erit Mercurius bene calcinatus & præparatus. Tunc accipe de aqua pluviali deſtillata per alembicum & ſolve prædictam ſublimationem in quadruplo ſui de hujus Mercurii aqua, ita quod totum atincar diſſolvatur in ea, Mercurius remaneat in fundo paropſidis calcinatus. Cola igitur inde aquam cum filtro, & ita fac donec omnis ſalſedo recedat tunc deſicca ipſum & ſerva in vaſe vitreo ad horam neceſſitatis.

Calcinatio Mercurii. Accipe ſalis communis, ſalis gemmæ, & aluminis jameni ana quantum vis, & ſolve: de hac aqua imbibe ſuper marmor Mercurium ſublimatum terendo quouſque ſatis biberit. Poſtea pone in cucubita cum alembico, & deſicca, ſemper autem reddatur ei ſua aqua deſtillata ab eo donec totam biberit, nec aſcendat: poſtea diſſolve in aqua pluviali, & invenies in fundo Mercurium album.

Solutio ipſius.

ACcipe ſalem armoniacum præparatum cum urina præparata quouſque ſit lactea, & diſſolve in fimo equino ſicut ſcis, & congela, Additio.

Auripigmenti ſublimatio.

REcipe auripigmenti præparati lib. unam & battituræ cupri aut æris lib. 1. ſalis gemmæ aut ſalis communis lib. 1. & hæc tria tere ſuper bene lapidem marmoreum, & miſce bene & tere minutè: deinde fac lectum unum ſalis communis in ſublimatorio, & ſuper illud ſtratum pone auripigmentum cum ſua medecina, & ſublima totum inſimul ut fit in Mercurio: Sed in hoc non requiritur tantus ignis, quia ſulphur & auripigmentum cito comburuntur: & quando fuerit ſublimatum, videas ſi quid manſerit in fæcibus: ſi ſic: iterum ſublima fæces quouſque intus nihil remaneat, & pone cum illo ſublimato & ſublima ter, & ſerva munde.

Aliter ſic ſublimatur.

REcipe auripigmenti præparati lib. 1. ſalis communis præparati lib. 1. ſtanni calcinati aut plumbi lib. ſemis, cupri combuſti aut limaturæ cupri aut ferri lib. ſemis, tere res ipſas, quamlibet per ſe, & poſtea miſce ſimul, & tere minute, & pone ad ſublimandum ut dictum eſt ſupra, & ſublima ter & ſerva.

Deſcenſio Auripigmenti.

REcipe auripigmenti, præparati dimidiam lib. & lib. dimidiam tartari calcinati, & tantum calcis vivæ, & unum quatterum ſalis communis præparati, & tere bene omnia inſimul, & pone cum aqua aluminis ovorum rectificata, & pone cum pauco ſanguinis porci ſeu pinguedinis, & fac paſtam non nimis duram, ſed medio modo: & pone in deſcenſorio, & ſint intus virgulæ ferreæ, quæ teneant

paſtam

pastam in fundo ne cadat quando vas vertetur ut quod inferius est, sit superius: & appone coopertorium & claude cum argilla & fumo equino: Deinde fac fossam in terra, & verte vas quod superius est ut collocetur inferius, & pone sic in fossa & appone terram circumquaque, & fac parvum ignem in principio: & deinde paululum & augmentando, & hoc per dimidium diem, & in fine facias ignem fortem. Et nota quod parvum foramen, quod est in parte inferiori vasis semper debet esse apertum: & post sex horas dimitte ignem ut infrigidetur, & aperi vas, & reperies ad latera coopertorii auripigmentum quod descenderit album in similitudinem metalli albi fusi, ut argentum, illud collige & serva. Et si aliquid remanserit in fæcibus, iterum tere minute & appone aquam albuminis ovorum: & sic fac pastam, & fac descendere vi prius, & pone omnia simul.

Sulphuris & Arsenici præparatio.

ACcipe de quocunque eorum volueris separato quantum vis, & decoque ipsum in pinguedine porcina vel arietina aut hircina in vase decoctionis, ita quod pinguedo semper superstit tribus digitis ad minus, & semper pinguedo quæ super elevatur, removeatur cum cochleari, donec ex ea nihil elevetur: tunc remove pinguedinem decoquendo in capitello facto ex cinere clavellato & calce viva & aceto distillato per alembicum: tunc calcina prædictum atincar prædicto modo ut fecisti Mercurium & ablue cum aqua pluviali destillata per alembicum, ut totum quod attingitur removeatur, ut dictum est in Mercurio: Tunc accipe de quocunque eorum vis partem unam, & pone in aludel cum duobus partibus aquæ occulti lapidis albi inhumati, destillati & rectificati septies alembico superposito cum suo recipiente, & claude juncturas cum luto Magisterii ut non respiret, & pone in aludel in vase fictili cinere trito (vel tamisato) pleno, & fac desubtus ignem lentum sex diebus. Et septimo die vigora ignem donec nihil destilletur, semper aquam quæ inde destillat reducendo super fæces, donec nihil possit destillari. Tunc igitur remoto igne per noctem & diem unam refrigerari permitte: in fundo vasis invenies laminam crystallinam, quam serva in vase vitreo bene sigillato ad horam necessitatis.

Additiones. Alia præparatio Sulphuris.

Tere sulphur vivum minute, & pone in sacco lineo, & liga large, & suspende in uno potto super ignem, & pone intus satis de lixivio quod docebitur, & facias infra diu multum bullire: deinde remove de sacco, & pone in patella terrea, & coque per dimidium diem in urina separata: deinde cola urinam, iterum pone in sacco, & coque iterum per dimidium diem in lixivio: postea extrahe & projice supra de aqua calida ad salem removendum: deinde exicca ad Solem, & erit bene præparatum.

Sulphuris sublimatio.

R. Sulphuris præparati, limati ferri aut cupri ana lib. 1. & libram salis communis præparati tere: bene hæc omnia & misce simul, & appone de aceto & fac pastam, & pone in sublimatorio, & luta circunquaque cum argilla, & pone per noctem in furno ad exiccandum: de mane extrahe & fac pulverem minutum: & postea sublima, & hoc ter, & serva Lixivium cum quo præparatur sulphur & auripigmentum, R. urinæ puerorum bene præparatæ, calcis vivæ, & salis communis præparati & cineris fabarum aut sarmentorum vineæ, & fac inde lixivium iterando colationem quater aut quinquies, & appone satis de sale communi, aut de sale alkali.

Arsenici præparatio.

Auripigmentum quantum voles, coque in oleo lini aut amygdalarum amararum, aut in sumine porci super parvum ignem per dimidium diem: & sit tantum oleum aut pinguedo quod natet super auripigmentum ad spissitudinem digiti: & debet prius esse tritum in pulverem minutissimum: deinde post decoctionem aufer ab igne, & dimitte residere per aliquod tempus, deinde cola pinguedinem extra, ut melius potes: Postea pone super ignem, & appone satis de urina, & fac bonum ignem, & move sæpe cum baculo, & fac bullire per duas horas, & deinde cola urinam, & pone super ignem, & pone desuper acetum præparatum ad magnam quantitatem, & facias bonum ignem, & fac bullire per duas horas aut tres, & aufer ab igne, & extra cola acetum, & iterum coque in urina præparata, & iterum in aceto ad melius extrahendum pinguedinem, & projice super aquam bullientem sæpe, Deinde recipe & liga in sacco lineo non nimis stricto, sed largo, & cooperias in lixivio supradicto, & fac intus bullire tuum auripigmentum ligatum in sacco lineo, & semper aufer immunditias quæ supernarabunt quousque plus non appareant. Postea extrahe & fac bullire in aqua ad extrahendum salem, & quando satis bullierit, aufer & projice desuper satis de aqua ad extrahendum pinguedinem & salem, & tunc erit bene præparatum ad sublimandum & ad descendendum.

Salis Armoniaci præparatio.

ACcipe de eo separato quantum vis, & solve ipsum sicut scis in albuminibus ovorum elixatorum, vel in aqua trium generum salis destillata per alembicum aqua & cinere mediante, & aquam quæ inde destillabit, redde ei, & sic fac donec nihil inde sublimetur. Itera ergo solutionem dictam & destillationem & coagulationem sex vicibus, & septima vice solve ipsum in duplo sui aquæ occulti lapidis albi inhumati, destillati & rectificati, & cum bene solutum fuerit, mitte in aludel prædicto modo ad destillandum & coagulandum. Ita ut tota aqua consumatur, tunc proba eum super laminam ignitam: quia si sese solverit ut cera, sine alicujus fumi emissione, factum est: quod si non, fac donec illud contingat: & erit optime præparatum. Serva ergo bene ipsum in vitro bene concluso.

Additio: Solvitur autem sal armoniacus in albuminibus sic in una hora: Accipe ovum decoctum durum, & illud scinde per medium & remoto vitello imple concavitatem ejus prædicto sale in pulverem redacto, & teneas inter manus bene clausas, aut in cucurbita infra balneum, & per horam modicum comprimendo emanabit aqua, & hoc juvat ad illud fixandum.

Alia præparatio ejus quæ in pluribus libris invenitur.

ACcipe de eo separato quantum vis, & solve ipsum per se sicut scis, & destilla per alembicum & pondera, & adde ei æquale pondus sui de aqua aluminis jameni præparati si est ad album, vel vitrioli si est ad rubeum: & coagula simul hanc solutionem, & destillationem, & coagulationem reitera super ipsum septies, vel donec super laminam velocissime fundatur vt cera sine alicujus fumi emissione.

Tutiæ præparatio.

ACcipe de ea separata quantum vis, imbibe eam cum aceto fortissimo, in quo sal commune sit resolutum, & sicca & assa in furno calcinationis per diem & noctem unam, tunc ablue eam cum aqua dulci & sicca, & sic reitera quinquies: tunc tere ipsam cum sale armoniaco separato rubeo, vel cum aqua viridis æris, aut aqua auri resoluti, & sicca ad Solem: aut super ignem si velis, septies aut octies, postea pone ad solvendum, deinde ad congelandum, & iterum ad solvendum, & postea ad congelandum: deinde tere & incera cum oleo rubeo Philosophorum, aut alio oleo bene rectificato, & pone ad solvendum & congelandum bis, & proba super laminam calidam si cito fundatur: si non, reitera terendo & ponendo in crucibulo super ignem, & incorporando cum oleo guttatim, donec cito fundatur super lamina, & projiciatur unum super quinquaginta æris aut Lunæ, & solve & destilla per alembicum, & congela in lapidem, quem cera cum oleo philosophico rubeo, & projice super æs purgatum, & fiet aurum bonum.

Magnesiæ & Marchasitæ præparatio.

ACcipe de quacunque harum vis separata partem unam & imbibe eam cum pondere sui salis communis separati & soluti, duplo sui de aceto, & sicca & pulveriza subtiliter, & pone in aludel, & fac subtus levem ignem donec humiditas cesset, & postea fac sub ea fortem ignem duobus diebus cum suis noctibus, tunc ablue ab ea salem cum aqua dulci & sicca & contere eam cum tantumdem sui arsenici separati rorando cum quarta parte sui de aqua salis communis separati, & sublima ipsam ab ea bis vel ter, semper reducendo sublimatum super fæces suas: deinde fac totum descendere per botum barbatum cum oleo & nitro toties donec descendat frustum album ut argentum, & solve destilla per alembicum, & coagula, & hoc frustum cera cum aqua salis armoniaci præparati in lapidem crystallinum, quem cera cum oleo philosophico albo super ignem, & projice desuper stannum & fiet arg. bonum: & hoc arg. projice super æs, & dealbabitur optime, & tunc junge ipsum argento bono & fiet optimum.

Additio. Aliqui dicunt, quod non est necesse sublimare tutiam, magnesiam, nec marchasitam, dummodo tamen fuerint præparata. Magnesia vero & marchasita sic præparantur. Tere quousque fiat pulvis minutus: deinde fac bullire in aceto & in aqua tartari per dimidium diem in quolibet: & postea in modico aceti: deinde cola acetum & lava cum aqua communi & sicca pulverem & serva. Et si hoc modo præparentur, non est necesse sublimare. Tutiæ verò quatuor sunt species, sed communiter utuntur ea, quæ parum viridis est, & paratur sic: Tere minute, & pone in cochleari ferreo, & pone cochlear in igne quousque tutia sit bene calefacta: deinde projice in aceto, postea extrahe & pone in dicto cochleari & repone super ignem, & iterum calefac bene & iterum projice in aceto: & sic fac septies, & erit bene præparata. Sic præparatam potes sublimare. R. tutiam præparatam ad unam lib. salis communis dimidiam lib. præparati, & dimidiam lib. battituræ. Hæc omnia simul tere minute, & pone in vase sublimatorio absque strato salis, & claude fortiter cum argilla, & fac primo per unum diem, quousque humiditas exierit: deinde magnum ignem per unum diem, postea depone & aperi sublimatorium & reperies tutiam super fæces: quia non fugit ignem tantum sicut alii spiritus, nec ascendit in cooperatorium sublimatorii: sic sublima simul, & serva.

Præparatio Vrinæ. Ponitur in pluribus loco aceti.

COlligе urinam puerorum duodecim annorum in vase vitreato: & cum plenum fuerit, sine ipsam quiescere septem diebus, tunc evacua eam in alio vase caute, ita quod fæx quæ est in fundo non commisceatur, & ita itera commutando de septem in septem diebus de vase in vas, donec nihil fæcis de ea relideat: & tunc coque ipsam usque ad tertiam sui partem & despuma & destilla per filtrum & alembicum quod melius erit, & ipsam in vase vitreo ad opus tuum serva.

Aquæ vitæ simplicis præparatio.

OCculti lapidis albi elixati quantum vis accipe, & contere fortiter donec fiat sicut medulla, & fermentari per diem & noctem illam dimitte, & tunc pone in vase destillationis bene sigillato, & destilla, aqua aqua & cinere mediante, & aquam destillatam mitte super fæces suas, & destilla iterum, & si fac ter: in pluribus libris non præcipitur ut ponatur super fæces suas, sed quod bis destilletur solum, & erit factum: & tunc destillabitur aqua alba ut lac, quam usui reserva.

Additio. Lib. XII. Aquarum ex lib. Emanuel.

1. Accipe argentum vivum & mortifica ipsum cum rebus adurentibus, & perviis, scilicet cum sale communi, & aceto acerrimo, alumine jameni, & limatura ferri tribus aut quatuor diebus: deinde sublima septem vicibus super eandem fæcem: Deinde solve cum alumine jameni soluto in sale & aceto acerrimo ad libitum omnia: & pone argentum vivum sic imbibitum sub fimo per quatuor (alias octo) dies, & vertetur in aquam claram, postea destilla semel, & projice fæcem nigram: quia per acuitatem salis aceti omnes partium superfluentes depurantur: & reconde aquam vitæ, cum qua fermentatur Elixir album, solvendo & congelando.

Secunda aqua. Accipe calcem Solis quæ est fermentum Elixiris rubei & solve cum atramento prius soluto in sale armoniaco & aceto mali granati per dies quatuor, & quando est dissolutum, destilla semel aquam claram, limpidam, rubeam & citrinam & odoriferam: Virtutem habet tingendi & etiam congelandi & solvendi beneficio salis: & hæc aqua est fermentum Elixiris rubei.

3. Accipe calcem argenti boni, & solve ipsam calcem cum alumine jameni soluto in sale & aceto acerrimo: postquam solutum fuerit, destilla ipsam aquam semel: quia est fermentum Elixiris albi.

4. *Stanni*: Accipe calcem stanni, solve in alumine jameni, & aqua salis communis: omnia solve in aceto de vino albo per quinque dies sub fimo. Deinde destilla semel aquam claram & albam, quæ habet virtutem solvendi & congelandi, & ponitur loco argenti in albo Elixir.

5. *Saturni*: Accipe calcem plumbi, solve cum atramento & sale armoniaco in aceto mali granati & forbarum, quæ sunt retinacula: & postquam erit solutum in tribus diebus sub fimo, destilla semel: & ponitur loco auri in compositione Elixir: quia ibi sunt multa tingentia in Solem.

6. *De Calce peregrinorum.* Accipe calcem peregrinorum & solve cum alumine jameni & zucharini solutis cum sale communi & aceto de vino albo per septem dies: postquam erit solutum, destilla semel aquam claram, subtilem & odoriferam:

habet virtutem ſolvendi & congelandi: eſt fermentum Elixir albi.

7. *Aqua gambariva*: R. calcem gambarivam & ſolve cum atramento ſoluto cum ſale armoniaco in aceto mali ſylveſtris, & poſtquam per tres dies erit ſoluta, deſtilla ſemel: quia per acuitatem ſalis & aceti tingit, ſolvit & congelat.

8. Accipe calcem ovorum gallinæ & ſolve cum alumine jameni & zucharino & ſale communi: omnia ſolve in aceto acerrimo facto ex uvis acerrimis per 5. dies, poſtea deſtilla ſemel per alembicum, reconde aquam, quæ valet ad Lunam loco aquæ calcis argenti.

9. R. Lilii florem & piſta cum radice ipſius, & ſit ad libitum de utroque, & ſemper roretur cum aceto de vino albo, quia melius & citius depurantur, & ſubtiliantur per acuitatem aceti: cola & dimitte reſidere per tres dies, iterum cola, & ita fac colando per pannum, donec erit clarum: deinde claude cum oleo abluto per quinque dies, & deſtilla ſemel aquam claram, ſubtilem & odoriferam, quæ valet ad Lunam.

10. *Florum papaveris agreſti rubei.* R. flores illos, & piſta cum aceto mali granati, & ſorbarum, ſemper rorando: quia citius inde clarificantur, poſtea cola per pannum quinque vicibus ſemper reſidendo: deinde poſtquam erit clara, claude cum oleo abluto per quinque dies, & deſtilla per alembicum ſemel aquam claram, quæ valet ad Solem.

11. *Squillæ*: Accipe radicem ſquillæ & piſta ſemper rorando cum aceto, in quo ſolutæ ſint 6. unciæ de ſale communi aliquantulum præparato: & cum bene fuerit piſtatum cola per pannum 10. vicibus donec erit clara, poſtea claude cum oleo abluto 6. diebus: deinde extrahe & deſtilla per alembicum tribus vicibus aquam claram, pulchram, odoriferam: & valet ad Lunam: habet virtutem ſolvendi & cogelandi.

12. R. Albumina ovorum coctorum fortiter, tere in mortario cupreo, pone in phiala vitri, & deinde ſic in fimo ad putreſcendum quouſque redacta ſint in aquam: deinde extrahe & deſtilla per filtrum, poſtea per alembicum forte, duplex, juncturis bene ſigillatis, & non ſit magnus ignis, ſed omnia deſtilla per cineres calidos, & poſt deſtillationem iterum pone in fimo per quatuor dies, & deſtilla iterum ad lentum ignem & multos cineres: & ſic fac ter aut quater uſquequo habeas ſignum perfectionis: hanc ſerva, quia eſt pretioſa.

Olei Vitellorum ovorum præparatio, quæ in pluribus reperitur Libris.

Accipe vitella quæ extraxiſti à prædicto lapide occulto albo (vide ſupra in præparatione aquæ vitæ ſimplicis) & contere ea ad modum medullæ, & pone de ea lib. ſemis in aludel alembico ſuperpoſito cum ſuo recipiente, & deſtillabitur aqua rubicunda, crocea & ſpiſſa, & abjectis fœcibus à vaſe inhuma eas per octo dies reddendo eis aquam, quæ ab eis deſtillavit, & iterum deſtilla per alembicum aqua & cinere mediante, & ita itera tribus vicibus. Hoc facto deſtilla tribus vicibus cum cinere ſine aqua, & tunc aſpice ſi ſit album, & proba ipſum cum ære ignito ad modum nummorum: quia ſi dealbaverit ipſum intus & extra bonum eſt: & ſi non, itera donec ſic contingat, & ſemper ſuper fæces ſuas fiat deſtillatio: Ignis verò qui remanebit in fundo vaſis ſiccus & niger rectificetur, ſic redde ei aquam albam, claram, quæ ab eo deſtillata fuerit aſſando & imbibendo, & poſtmodum da ei bibere aquam primam donec rubicundiſſimus fiat: Et tunc accipe de illo igne quantum vis, & ſolve ipſum in quadruplo ſui de oleo ſuo rectificato, & deſtilla, donec rubicundiſſimus deſtilletur. Serva ergo ipſum in vaſe vitreo bene concluſo.

Alia præparatio Olei vitellorum.

Fac de vitellis prædictorum albuminum ut præcepi de albuminibus, & quod deſtillabit ab eis erit oleum vitellorum.

Capitellum de Calce viva & Cinere clavellato.

Accipe calcis vivæ partem unam, cineris clavellati partes duas, projice ſuper ipſa quadruplum ſui de aceto forti calido, & itera ſupra compoſitionem, donec ſuſtineat onus colando in concha lixivii: Quidam cum calce & cineribus addunt aluminis jameni aliquantulum, & ſalis armoniaci medietatem ponderis aluminis jameni. Juvat etiam ad fixandum.

Aqua de Lithargyrio.

Accipe fruſti lithargyrii partem unam, ſalis alkali, aluminis jameni ſeparatorum ana quartam partem fruſti prædicti, ſalis armoniaci medietatem ejuſdem fruſti, diſſolve alumen & ſalem alkali in duplo vel triplo ſui de aceto prædicto modo & commove omni die ter, donec totum in hujuſmodi aceto diſſolutum & clarum apparet, tunc deſtilla per filtrum, & ad opus tuum reſerva.

Fruſtum de Lithargyrio.

Accipe de lithargyrio quantum vis, & tere fortiter, & ablue ipſum cum aqua de paropſide in paropſidem, donec groſſiores partes diviſæ ſint à ſubtilioribus, quibus ſiccatis adjunge ſibi pondus ſui de arſenico ſemel ſublimato, & ſublima ipſum ab eis bis: poſtea fac totum deſcendere per botum barbatum cum oleo intro, donec fruſtum album deſcendat, & erit factum.

Additio. Dealbatio Lithargyrii. Accipe libram lithargyrii & mole bene, poſtea accipe lib. 5. de ſale, & mole bene cum lythargyrio, & pone in aqua per 9. dies, miſcendo bis quotidie: poſt lava bene à ſale & ſicca: & habebis lithargyrium dealbatum, ſi ſit verum.

CAPUT I.

Aquæ rubeæ Avicennæ ad tingendum 4. ſpiritus ſublimatos albos.

Accipe atramenti Ægyptiaci, limaturæ faulec ana unciam unam, floris æris tertiam partem unius unciæ, aluminis albi candidantis pannos (rochæ puto vel fæcis vini uſtæ) quartam unciæ unius: ſulphuris, arſenici citrini & rubei, lapidis armeni & lazuli ana unciam ſemis, mellis albi deſpumati, quartam libræ unius, ſalis armoniaci, ſalis gemmæ ana uncias 3. & ſemis: ponantur hæc omnia in 5. libris aceti, & dimittatur ad Solem per menſem unum: vel ſi non, fac ipſum bullire, donec conſumetur ejus humiditas: prædicta tamen ſint optime trita & calcinata, tunc deſtilla acetum à fæcibus, quæ in ipſo ſunt ſepties, & inde imbibe quicquid vis rubificare.

CAPUT II.

Accipe limaturæ faulec lib. 2. & infunde eas in 10. libris aceti per 10. dies, tunc cola hujus acetum,

acetum, & pone in ipso arsenici (sive auripigmenti rubei) sublimati & pulverizati lib. 1. salis armoniaci sublimati ter & pulverizati quartam libræ unius, tunc pone ad Solem, & augmentabitur sibi rubedo: tunc destilla ipsum per alembicum, & destillabitur album attinens citrinitati: deinde reduc ipsum ad limaturam aliam recentem, quam in ipso infunde, & destilla ipsum per alembicum ut prius: Et sic semper renova limaturam donec destilletur rubeum ut sanguis, nam hæc rubedo nunquam removetur. Quum autem præparaveris atramentum cum aceto, & removeris illud, semper egredietur bene rubeum, & erit color fixus. Scias autem quod nulla res rubea colorem retinet nisi illum, qui imitatur ejus naturam.

CAPUT III.

ET melius est ut destilles acetum à ferro, donec destilletur rubicundum, & acetum similiter ab atramento: & tunc jungas ambo insimul, & colores cum eis quicquid vis.

CAP. IV.

AQuæ quæ faciunt rubeum sine iteratione destillationis sunt aqua Tutiæ sublimatæ, & aqua sedine lapidis sive hæmatitis, in quibus ponatur acetum, & destillerur semel, quia sufficit: Aqua verò æris sola est melior istis: & fortior est aqua ferri cum sublimatur & rubificatur: & si posueris ipsum in aceto fiet aqua rubea sicut sanguis, & est color fixus: Hæ duæ aquæ licet sint prolixæ, propinquiores tamen sunt brevioribus.

CAP. V.

ACcipe de limatura faulec partem unam, & tere ipsam, cum quarta parte sui de atramento, & super eam projice quadruplum sui de de aceto forti, & destilla ipsum per alembicum ab ea, & ita fac decies renovando qualibet vice atramentum, & decima vice destillabitur aqua rubicundissima sicut sanguis, quæ tingit omnia super quæ cadit: & nunquam color ejus removetur ab eis.

CAP. VI.

ACcipe calcis vivæ partes quatuor, sulphuris vivi partes tres, & projice super ipsa aceti rubificati cum limatura cupri partes decem (alibi quatuor) & dimitte sic stare per 10. (alias 4.) dies, & tunc decoque donec acetum fiat sicut sanguis, deinde cola ipsum & destilla: hoc facto, R. calchanti viridis, arsenici sublimati rubei ana unciam unam, aceti lib. unam, atramenti rubei unciam semis, si ipsum inveneris, sin autem, sublima viridem vel citrinum cum aqua pura: aqua enim destillata remanebit atramentum rubeum in fundo cucurbitæ, quod pone in omnibus operibus tuis: tere ergo prædicta tria cum aceto prædicto, & inhuma per septem dies, & si solutum fuerit, destilla ipsum: sin autem, reinhuma donec solvatur, & tunc destilla ipsum, & destillabitur ut hyacinthus: colora ergo cum eo quicquid vis colorare colore bono & firmo.

CAP. VII.

ACcipe de limatura faulec partem unam & projice super ipsam duplum sui de aceto forti, & sine intus stare, donec optime rubificetur: tunc destilla per alembicum donec acetum destilletur rubeum, & tunc colora cum eo quicquid vis, & similiter fac de limatura æris donec acetum optime sit viride: imbibe ergo quod volueris, & assa & rubificatur optime rubificatione firma.

Additio. Cum limatura faulec (puto ferri) appone vitriolum rubificatum, & destillabis oleum fixum, rubeum, philosophicum.

CAP. VIII.

ACcipe duenec, salis armoniaci præparati ana quantumvis, & tere ipsa cum oleo de vitellis ovorum, sint sicut medulla, & tunc assa hæc assatione levi & repone, & colora cum eo quidquis vis coloratione firma.

CAP. IX.

ACcipe limaturæ ferri faulec partes decem, atramenti Ægyptiaci quantum est quarta pars limaturæ, terantur & projiciantur in aceto vini albi destillato, & illud acetum ponatur ad Solem septem diebus, & tunc cola ipsum, & in eo pone calcanthi viridis vel colcotar rubei adusti, si inveneris, sin autem, atramenti Ægyptiaci ana ad unam lib. aceti dicti, unciam unam duenec, id est vitriolum, alacar vel alabric, id est sulphur ana unc. semis (alias unc. tres) tere hæc quatuor, & projice in dicto aceto, & pone ipsum ad Solem septem diebus, & tunc cola ipsum, & accipe de lapide lazuli in quo sunt venæ aureæ quantum volueris, & projice ipsum tritum in dicto aceto, & decoque vel frange eum intus per diem, & tunc in dicto aceto pone tantum salis armoniaci crystallini quantum ipsum est, & misce bene totum terendo fortiter insimul: hoc facto, inhuma totum donec solvatur: & cum totum factum fuerit aqua clara rubea, rubifica cum ea quidquid volueris colore firmo.

CAP. X.

ACcipe de atramento Cyprino assato partem unam, & tere ipsum cum quadruplo sui aceti fortis, & destilla ipsum ab eo, & ita fac decies renovando qualibet vice atramentum, & destillabitur rubeum sicut sanguis: quod si sic non fuerit decima vice, reitera hoc toties donec id contingat: & inde rubifica quidquid vis colore firmo.

Modus rubificandi rem aliquam ex dictis aquis.

ACcipe rem quam rubificare volueris, & imbibe eam ex quacunque volueris prædictarum decem aquarum, & tunc assa eam, & impressionem faciet aliquam in prima vice: deinde itera hoc opus donec fiat rubea ut hyacinthus. Nota denique quod spiritus rubificandi hoc modo debent prius esse sublimati albi, & corpora similiter debent esse calcinata alba, & tunc tinctura inseparabiliter in eis figetur.

Aqua rubea, à qua quatuor spiritus sublimati albi, rubei sublimantur.

ACcipe salis communis, salis gemmæ, salis armoniaci, aluminis jameni separatorum ana lib. 1. alkali quantum de omnibus, vitrioli citrini separati lib. 5. ferri & æris quæ cum arsenico descenderunt, albæ limaturæ ana lib. unam, & uncias duas aceti vini albi lib. 4. cum isto igitur aceto & calce viva vapora prius sulphuris vivi lib. quinque, & postea dissolve in dicto aceto omnia prædicta,

excepto ferro, ære, vitriolo, & tunc destilla hujusmodi acetum per filtrum, deinde ignito limaturas dictas in cacia ferrea & extingue in dicto aceto multoties, & omni vice post extinctionem tere hujusmodi limaturas optime in mortario zebaico, id est ferreo cum pistillo ferreo, & post contritionem ablue eas in dicto aceto: Et sic itera ignitionem, extinctionem, contritionem, & ablutionem, donec omnino hujusmodi limaturæ sint in dicto aceto dissolutæ: Hoc facto igni vitriolum prædictum extinguendo in dicto aceto septies omni vice in mortario prædicto fortiter conterendo: tunc inhuma in sterquilinio septem diebus, vel donec aqua clarissima & rubicundissima videatur: Et tunc destilla totam per alembicum aqua & cinere mediante toties donec rubicundissima destillet, semper super fæces suas reducendo: & tunc serva eam ad opus tuum.

Præparatio Mercurii, Arsenici, & Sulphuris ad rubeum.

ACcipe de quocunque horum volueris separato semel partem unam & ipsum imbibe cum pondere sui de aqua rubea prædicta scilicet, qua spiritus sublimati albi, rubei sublimantur: & tunc sublima ipsum ab ea toties donec ipsum rubeum sublimetur: Et accipe hujus sublimati rubei partem unam, & imbibe ipsum cum quarta parte sui atramenti præparati, soluti & destillati rubei, & sublimetur ab eo toties, donec in fundo vasis figatur: hoc facto compleatur cum oleo philosophico rubeo secundum ordinem supradictum: Et hoc est complementum Mercurii, arsenici & sulphuris ad rubeum.

Alia præparatio horum trium ad rubeum, ex aliis libris.

ACcipe de quocunque horum volueris separato partem unam, & imbibe ipsum cum pondere sui de aqua rubea, à qua quatuor spiritus sublimati albi, rubei sublimantur: Et tunc sublima ipsum ab ea toties donec rubeum sublimetur & in fundo vasis figatur. Tunc ablue inde salem cum aqua dulci & sicca, tunc cera ipsum cum sale armoniaco præparato rubeo, & solve, & destilla, & coagula. Et tunc hoc coagulatum cera cum oleo philosophico rubeo, & projice de eo desuper argentum separatum, & fiet aurum optimum. Hoc est complementum præparationis Mercurii, Arsenici & Sulphuris ad rubeum.

Præparatio Salis Armoniaci ad rubeum.

ACcipe de ipso sublimato quantum vis & solve ipsum, destilla per alembicum, & tunc adjunge ei medietatem ponderis sui de vitriolo præparato, & solvantur insimul, & destillentur insimul per alembicum, & tunc coagula insimul: Hoc facto reitera super ipsum solutionem, & destillationem, & coagulationem septies, vel donec super laminam fundatur ut cera & non fumiget.

Alia præparatio ejus ad rubeum.

ACcipe de sublimato quantum vis, & solve ipsum, & destilla per alembicum, & tunc adjunge ei æquale pondus sui de trium generum separato ab occulto lapide, & atramentum præparatum, inhumato & destillato; & rubificato rubeo, & hæc duo coagula insimul. Hoc facto reitera supra ipsum solutionem & destillationem & coagulationem toties donec super laminam fundatur ut cera, & non fumiget: & erit consilium nostrum completum.

ADDITIONES.

Omne Sal sic potest rubificari.

TEre sal, & appone aliquam aquarum rubearum & tere bene & sicca ad Solem, deinde tere & appone de aqua illa rubea, & ita fac septies aut octies, & pone ad dissolvendum, & cum dissolutum fuerit, destilla per filtrum, postea congela, & iterum dissolve, deinde congela bis aut ter: deinde tere & appone modicum de oleo rubeo Philosophorum, & erit rectificatum: & inde poteris facere aquam si voles, & postea serva.

Hoc etiam modo poteris rubificare quatuor spiritus, ipsos sublimando bis aut ter, & miscendo semper id quod sublimatum est cum eo quod erit in fundo vasis: Et ita in qualibet sublimatione imbibere debes de aqua illa rubea, unde prius eos imbibisti, & cum tibi sufficerit pone sublimatum cum eo quod mansit in fundo vasis in uno crucibulo, & appone de oleo rubeo Philosophorum tres aut quatuor guttas, & postea serva. Et si citius vis rubificare tuos spiritus, & tuum sal, tere & appone de aqua rubea, & sicca ad Solem, & ita fac septies aut octies: deinde sicca & serva, & quando fuerit exiccatum sexies aut septies tere bene & appone de aqua rubea, & postea dissolve, deinde congela, & melius erit: Et tunc rubificabis calces metallorum. Sed oportet quod semper imbibas cum oleo Philosophorum super ignem in crucibulo: quia aliter dictæ calces non possent leviter fundi, nec reduci ad naturam metalli, nisi cum humiditate alligante & penetrante suas partes siccas & combustas: quod fit apponendo satis de oleo rubeo guttatim super ignem in crucibulo, donec fundatur ut cera: Hactenus additio.

Oleum album fixum philosophicum.

ACcipe frustum lythargyrii albi, stanni extracti cum arsenico lib. 1. & lima hoc subtiliter, & adde ei sulphuris, arsenici, separatorum alborum ana uncias duas, Mercurii separati albi uncias quatuor, & contere hæc omnia fortiter insimul cum octo unciis aquæ salis armoniaci præparati albi, & tunc sicca & assa levi affatione, & pulveriza fortiter, & pone in vase sublimationis, & sublima toties donec nihil de eis ascendat: tunc iterum cera totum hoc, quod erit in fundo sublimatorii cum pondere sui aquæ prædictæ: & tunc totum projice in duplo sui aceti ter destillati in 2. lib. aluminis jameni candidi & bene plumosi, & omni die movebis vel ter fortiter, donec omnia in dicto aceto solvantur: vel pone acetum illud cum prædictis in loco solutionis, quod melius est. Illis solutis, destilla per alembicum septies super fæces suas, & egredietur vel destillabitur aqua alba clarissima qua utere circa ultimam cerationem corporum & spirituum calcinatorum ad album, & cerabuntur cum ea velocissime cum Dei adjutorio ejusque virtute. Hæc enim est aqua alba permanens, aqua candida, & lac virginis, & acetum Philosophorum, & aqua serenans & penetrans, & aqua separans, & conjungens, occulta ergo ipsam, & operare cum ea: Et extingue in ipsa laminas æris separati, & fiet argentum melius, quam illud quod de mineris extrahitur.

Alio modo oleum album fixum philosophicum.

ACcipe cerussæ de frusto lithargyrii albissimi factæ, & cerussæ Jovis extracti cum arsenico ana lib. unam, & cera eas, & solve in duplo sui aquæ salis armoniaci præparati, & tunc destilla per alembicum, & imbibe inde lib. 1. vel lib. 2. argenti vivi sublimati & calcinati albi: & iterum solve & destilla per alembicum toties, donec aqua alba destilletur clarissima: Et tunc utere ipsa circa ultimam cerationem rerum ad album.

In pluribus libris invenitur finis hujus olei albi fixi sic: Quod postquam destillata est aqua alba clarissima, quod ipsa coaguletur coagulatione bona, & coagulabitur in laminam albissimam, quam cera ceratione bona & ultima cum sale armoniaco & oleo animalis (seu vitellorum ovorum) prius rectificato albo, & projice super æs separatum, & fiet argentum melius eo quod est de mineris. Et si laminam æris separati in aqua prædicta ante coagulationem extinxeris, fiet argentum optimum. Hoc autem oleum album fixum philosophicum, est oleum animale album fixum philosophicum, & oleum serenans & penetrans, & germinans & separans & conjungens: & cum hoc oleo retinetur omne volatile à fuga.

Oleum rubicundum fixum philosophicum.

ACcipe de sulphure citrino lib. 1. & vapora ipsum cum lib. 1. calcis vivæ, & libris quatuor aceti fortissimi albi: tunc renova calcem super hoc sulphur ter, & postmodum renova sulphur & calcem & sicca donec ipsum acetum optime rubificetur, tunc hoc acetum divide per medium, & in una medietate dissolve quartam partem, mitte limaturam ferri & æris, quæ cum arsenico descenderunt, & dimitte totum stare in eo septem diebus: & omni die bis vel ter commove: octava die separa acetum à limatura: & limaturam ignias in cacia ferrea, & extingue in eodem aceto ter, & omni vice contere eam fortiter in mortario ferreo cum pistillo ferreo, & ablue in prædicto aceto antequam remittas ad igniendum, & ita postmodum reitera toties donec tota limatura in dicto aceto dissolvatur, & acetum illud sanguis rubicundus videatur: Et tunc destilla hujusmodi acetum super fæces illas per alembicum toties, donec ab eis rubicundissima destilletur, semper super fæces suas reducendo, tunc hoc acetum serva ad partem: Deinde accipe aliam medietatem aceti quam superius reservasti, & adjunge ei salis armoniaci, vitrioli Cyprini assati, de quolibet ana quartam partem sui, & contere fortiter, & fac ipsam morari in eo tribus diebus, sed omni die contere vitriolum fortiter bis vel ter in mortario ferreo, ut bene dissolvatur in dicto aceto: hoc facto destilla ab eis acetum cum alembico, tunc projice fæces, & renova huic aceto destillato atramentum vel vitriolum decies semper ad quartam partem aceti, & decima vice destillabitur rubeum ut sanguis, & inficiet omne quodcunque tanget colore rubeo: Accipe igitur de duobus acetis jam rubificatis ana, & junge eis tantundem salis armoniaci præparati rubei, (alibi tantùdem aquæ animalis inhumatæ destillatæ, & rectificatæ ter & præparatæ cum pondere sui arsenici) & ad lib. 1. hujus aceti infunde in eo uncias duas Mercurii sublimati rubei (& calcinati) & dimitte ipsum resolvi in eum, & tunc pone totum in destillatorio & destilla insimul ter, semper super fæces suas. Reserva igitur hanc aquam, & colora cum ea quicquid vis: & lauda Deum qui eam tibi dedit: quia ipsa est preciosior omni pretio: Quoniam si Lunam, vel aliquod corpus dealbatum in ipsam extinxeris, efficitur Sol melior eo qui est de mineris.

Oleum rubicundum fixum philosophicum.

ACcipe croci Arabici calcinati, vitrioli Arabici viridis, frusti lithargyrii (alibi dicitur aurei) & stanni calcinati rubificati ana uncias 3. sulphuris vivi, arsenici citrini sublimati rubei calcinati ana unc. 6. Mercurii sublimati & calcinati rubei salis armoniaci præparati, soluti, destillati, & rectificati cum oleo animalis destillato & inhumato & rectificato rubeo ana lib. 1. conficiantur autem sic: Incera crocum Arabicum & chalcanthum viride, & frustum lithargyrii stanni cum sale armoniaco animalis prædicti, & quum bene rorata fuerint, mitte ad solvendum donec solvantur in aquam perviam & rubeam: Et tunc destilla per alembicum, & inde cera, & imbibe sulphur & arsenicum prædicta, & tunc iterum mitte ad dissolvendum: & cum solutum fuerit destilla per alembicum toties donec clarissimum & rubicundissimum destilletur, & tunc coagula illud in vase coagulationis, & cum coagulatum fuerit, tunc cera ipsum ultima ceratione super ignem levem cum oleo animalis (scilicet vitellorum) ingrediente, donec fundatur ut cera, tunc refrigera ipsum & projice de ipso pondus unum super centum pondera Lunæ, aut Jovis aut Saturni separatorum, & erit Sol optimus. Hoc autem oleum, est oleum philosophicum, quod non accenditur, & oleum quod ardet in perpetuum, & oleum permanens, & oleum animalis rubeum: Occulta ergo ipsum, preciosius est enim omni precio, quoniam si Lunam aut aliud corpus dealbatum in ipso ter ante coagulationem extinxeris efficietur optimus Sol. (Nota ex hoc oleo dupliciter posse nos operari, scilicet ante congelationem in ipso extinctionem faciendo: & post congelationem de illo pulvere super corpora fusa projiciendo) Cum hoc etiam oleo ante suam congelationem coagulatur argentum vivum cum quo eriguntur corpora, & cum ipso retinetur omnè volatile à fuga: Et hoc oleum occultaverunt Philosophi, & cum eo fecerunt ex crystallo ~~fuso~~ carbunculum, quia est oleum penetrans & colorans, & cum ipso cerantur corpora & spiritus calcinati ceratione ultima ad rubeum: operare itaque cum eo, & lauda Deum, qui ipsum dedit. Additiones.

Oleum benedictum sic facias: Accipe lateres rubeos quos nunquam tetigit aqua, & accende in igne, donec igniti appareant, posteà extingue eos in oleo olivarum, tere ad modum similæ, & imple ex eis ventres destillationis vitreatos, deinde præpara super ventres capita eorum, & lura junctiuras luto sapientiæ, ita ut non respirent, postea mitte super furnum destillationis, & non sit velamen inter ventres & ignem, & intromitte ignem facilem sub ventribus, donec destilletur rubeum vehementis rubedinis: custodiatur ignis ne accendatur cum oleo, & non possit extingui, &c.

Alio modo.

Accipe tegulas novas & ignias eas frustatim, & pone in vase plumbato strictum os habente, & tunc pone intus oleum petroleon sicut invenitur venale, & bene cooperi ne inflammetur, & cum frigidum fuerit, pura & accipe tegulas prædictas extinctas, & iterum ignias bene, & pone ut prius in oleum prædictum, & etiam de novo si non sufficiat illud ad cooperiendum tegulas, ut superabundet ad densitatem duorum digitorum: Tunc iterum depura oleum, & tegulas bene tere, & pone in

deſtillatorio fortiſſimo vitreo, & cum prædicto oleo cooperi & deſtilla lento igne primo, poſtea fortiſſimo quantum habere poteris, tunc facias ipſum oleum ſic deſtillatum incombuſtibile ſic: Accipe regularum ſaracenicarum minutiſſime contritarum partes duas, calcis vivæ bene tritæ, & cribratæ partem unam, ſalis armoniaci bene triti partem dimidiam, toſti ſalis partem dimidiam: ſales bene miſce, tunc incorpora cum iſto pulvere prædictum oleum ita quod non ſupernatet, ſed ſit parum madidum, ita quod pulveres dominentur, & quod oleum non dominetur pulveribus, & pone in vaſe vitreo, & deſtilla primo lento igne, poſtea fortiori quo poteris: Et iterum in novis pulveribus deſtilla ut dictum eſt, & ſic fac toties donec ſit incombuſtibile, quod probabis ad candelam cum bombyce inuncto iſto oleo, quod extinguet candelam. Parva quantitas iſtius olei præparati valet ad multam congelationem Mercurii, & ſubitam introductionem omnium ſpirituum fixatorum.

Oleum album philoſophicum: Recipe partem unam calcis corticum ovorum, & pone cum ſex partibus albuminis ovorum: miſce omnia ſimul, & pone ad diſſolvendum per ſeptem dies aut plus: poſtea deſtilla in cineribus ad lentum ignem quouſque tota aqua ſit deſtillata, deinde reitera illam deſtillationem ſuper ſuas fæces bene miſcendo, & deſtillando ut prius: Poſtea recipe quod in fundo deſtillatorii remanſerit, & tere & imbibe cum aqua ex hoc deſtillata: & iterum deſtilla tot vicibus reponendo ſuper ſuas fæces quod nihil amplius deſtillet: ſic reperies in fundo vaſis lapidem qui erit albus ut cryſtallus quem ſerva: Deinde recipe unc. ſex ſalis armoniaci, & unc. ſex olei ovorum ſepties deſtillati aut bene purgati, & unc. ſex lapidis albi ſupradicti: hæc omnia miſce inſimul & tere ſuper marmor, & imbibe & ſicca quouſque biberit totam aquam & oleum: Et poſtquam totum fuerit ſic bene immaſſatum, pone & dimitte in vaſe vitreato per ſpacium quatuor dierum: Deinde projice totum in una libra aquæ albuminum ovorum & claude vas, & pone in fimo ad ſolvendum per quindecim dies, & ſolvetur in aquam claram & albam ut lac: Et hoc eſt oleum completum album Philoſophorum.

Fit etiam aqua ſeu oleum ex ſanguine, ovis & capillis, & aliis, quæ dicitur etiam Philoſophorum.

Oleum rubicundum fixativum: Recipe vitrioli Romani lib. 1. & ſemis, ſalis armoniaci, ſalis nitri, cinabrii boni & rubei ana lib. 1. & fiat aqua fortis: Sed projice laſcivam, id eſt, Phlegma. In qua aqua forti extinguantur fruſta laterum antiquorum candentia, ſive laterum recentium nunquam tactorum ab aqua, & claudatur vas uſquequo materia fuerit infrigidata: poſtmodum fruſta laterum extrahantur & pulverizentur, & in cucurbita alembico ſuperpoſito ponantur, & deſtilletur aqua vel oleum uſquequo fæces ſiccitiſſimæ remaneant: in quo liquore diſſolve Mercurium bene mundificatum ſuper lentum ignem & fixabitur, rubificabitur, & erit materia liquida ſicut theriaca vel butyrum: de qua fac projectionem unius partis ſuper decem Lunæ puræ, & convertetur in colorem Solis fixum ad omne judicium & examen, ſed deficit in pondere niſi Luna primo fixetur.

Aqua ſeu oleum rubeum: R. atramenti & vitrioli rubificati, & parum ſalis armoniaci & tantum limaturæ ferri, & pone inſimul, & projice acetum ſupra: & dimitte per 15. dies, & deſtilla decies aut pluries, quouſque acetum deſtilletur rubeum ut ſanguis, & qualibet vice renova atramentum. Hactenus additio.

Crocum Arabicum, & Vitriolum Arabicum viride.

ACcipe limaturæ endanici (vel acerii ſive azarii) partem unam, & aſſa ipſam cum medietate ſui arſenici citrini, cujus medietas ſit ſeparata ſolum, & alia medietas præparata ad comburendum corpora: Et fac ipſum deſcendere per botum barbatum donec albiſſimum & ſereniſſimum deſcendat: & renova ei ter arſenicum ſupradictum: tunc fruſtum quod deſcendit lima ſubtiliter, & fac morari hanc limaturam in duplo ſui de aceto vini albi fortiſſimi per ſeptem dies, in quo prius ſit ſoluta decima pars ſui de ſale armoniato ſeparato, & omni die commove bis vel ter fortiter, & ſtet illud acetum ad Solem & in loco calido: ſeptimo die extrahe limaturam ab aceto, & ignias eam in cacia ferrea, ter & omni vice contere eam ter fortiter in mortario ferreo, & ablue eam bene in dicto aceto, antequam ad igniendum reponas: & ita fac de ſeptimo in ſeptimum diem, donec limatura fere diſſoluta ſit in dicto aceto, & ipſum acetum ſit rubicundiſſimum quaſi ſanguis: tunc deſtilla hujuſmodi acetum per filtrum, & poſt deſtilla ipſum per alembicum, & id quod in fundo cucurbitæ reſedit accipe: quia illud eſt oleum Arabicum. Et ſi vis facere vitriolum Arabicum viride, fac per omnia limatura æris ſeparati, ut feciſti de limatura endanici, & quod in fundo cucurbitæ reſederit, illud eſt vitriolum Arabicum viride.

Ratio componendorum Elixirium ex prædictis ſpeciebus præparatis.

ACcipe limaturæ Lunæ ſeparatæ lib. ß. ſulphuris & arſenici ſeparatorum, & calcinatorum alborum ana unc. tres, Mercurii ſeparati albi lib. 1. tere hæc omnia inſimul ſuper porfidum, & imbibe cum aqua ſalis armoniaci præparati albi lib. ß. & tunc aſſa levi aſſatione: deinde tere & pone totum in aludel alembico ſuperpoſito cum ſuo recipiente bene concluſo, & pone ſuper athanor ſublimationis, & fac deſubtus ignem levem, donec tota humiditas per alembicum in recipientem ceciderit, & tunc vigora ignem paulatim per duos dies & duas noctes, donec una pars medicinæ ad latera vaſis aſcendat, & alia in fundo ejus figatur: & tunc dimitte infrigidari, & fracto vaſe, id quod aſcenderit ſuperius, tere fortiter, & miſce fortiter cum eo quod remanſit inferius, & redde ei aquam ſuam, quæ ab eo deſtillavit, & aſſa totum igne mediocriter, fortiori ſcilicet quam prius aliquantulum, & tunc iterum tere, & ad ſublimandum ut prius remitte: & ſic reitera ſublimationem, contritionem & aſſationem paulatim vigorando qualibet vice aſſationem, donec nihil penitus ſublimetur, ſed totum in fundo vaſis remaneat. Hoc facto, tere totum illud quod in fundo erit, & imbibe imbibitione rorida cum ℥. 1. aquæ prædictæ, alias cum ℥. 1. olei philoſophici albi: & tunc pone totum ad deſcendendum in imbercatum (puto vas per alembicum) & fac ſub eo ignem fortem per diem unum, & fortiorem per alium, & tertio die fortiſſimum per tres dies & noctes, ſicut eſt ignis fundendi:

fundendi : tunc frange imbercatum, & laminam vel fruſtum quod in eo inveneris, cera ultima ceratione in crucibulo tenui ſuper igem cum oleo albo philoſophico guttatim projiciendo de ipſo donec fundetur velociſſime ut cera, & tunc extrahe crucibulum ab igne, & cum infrigidatum fuerit, ex hac medicina pondus unum ſuper 50. æris ſeparati pone, & fiet argentum bonum cum Dei auxilio & ejus virtute. Si autem medicinam prædictam cum fixa eſt in fundo aludel, vel poſt deſcenſionem ad ſolvendum poſueris, fiet aqua clara, & tunc ipſam coagulaveris in lapidem, & hunc lapidem ceraveris cum oleo dicto in crucibulo ſuper ignem, ſcias quod labor tuus multiplicabitur. Et ſi poſtquam ſoluta fuerit, ipſam ſemel ad minus per alembicum deſtillaveris, antequam coagules ipſam in lapidem, augmentabitur adhuc ejus bonitas & fructus laboris tui. Item ſi acceperis limaturæ Lunæ lib. 1. ſulphuris & arſenici ana ℥. 5. Mercurii lib. ß. & proceſſeris, ut ſupra dictum eſt, ſcias quod operatio non tantum valebit ut prius, & adhuc minus valeret, ſi minus de ſpiritibus apponeres.

Si autem hunc proceſſum vis ordinare ad rubeum, tunt accipe ſpiritus ſublimatos & calcinatos rubeos, & aquam ſalis præparati rubei, & oleum rubeum, & tunc procede per omnia, ut dictum eſt : Et medicinam projice ſuper argentum ſeparatum, & fiet aurum bonum : Et ſi loco limaturæ Lunæ, limaturam Solis poſueris, adhuc operatio erit melior.

Compoſitio veriſſimi Elixiris ad album.

ACcipe argenti vivi præparati albi lib. ſemis, & ſolve ipſum in duplo ſui aquæ ſalis armoniaci præparati albi & ſoluti, & deſtilla per alembicum, & inde imbibe lib. 1. argenti vivi ſoluti, calcinati, albi : & illam ſolve & deſtilla per alembicum, & inde imbibe ſulphuris & arſenici ſublimatorum, & calcinatorum alborum ana unc. 3. & iterum ſolve & deſtilla ſepties, quod eſt ultimum. Tunc coagula illud deſtillatum, & tunc tere hunc lapidem, & rorando imbibe ipſum ex unciis tribus olei prædicti philoſophici (alias ex unciis tribus aquæ prædictæ) & tunc fac ipſum deſcendere in Kimiam, & cum deſcenderit, fac ſub eo ignem levem duobus diebus cum ſuis noctibus, & poſt mediocrem duobus aliis diebus cum ſuis noctibus, & fortiſſimum die una cum ſua nocte, & tunc frigidari permitte, & frange Kimiam (eſt vas) & laminam cryſtallinam quam in fundo ejus invenies, accipe, & tere ex ea unc. 1. quam cera ſuper ignem levem in crucibulo tenui cum oleo philoſophico albo, projiciendo guttatim deſuper, donec fundatur ut cera : dimitte ergo eam infrigidari, & tunc proba eam ſuper laminam ignitam : quia ſi ſe reſolverit velociſſime ut cera ſine fumo, cerata eſt : ſin autem, reduc ipſam ad crucibulum ſuper carbones guttando deſuper oleum prædictum guttatim donec ſic contingat : & tunc projice ex ea pondus unum ſuper quinquaginta æris ſeparati, & fiet argentum optimum.

Si autem hunc proceſſum vis ordinare ad rubeum, accipe prædictos ſpiritus præparatos ad rubeum, & oleum rubrum ſimiliter, & tunc procede per omnia, ut dictum eſt, & projice medicinam ſuper arg. ſeparatum, unciam ſcilicet unam ſuper quinquaginta, & fiet Sol optimus.

Modus componendorum Elixirium cibando.

ACcipe de limatura argenti ſeparati libram ſemis, arg. vi ſemel ſublimati & revivificati ſublimando c[illegible] calce viva libram 1. ciba itaque ipſum cum prædicta limatura, & tere fortiter inſimul in mortario lapideo, donec argent. viv. limaturam biberit, & fiat quaſi butyrum : ita quod limatura non ſentiatur, & terendo ablue fortiter cum aceto, & ſale communi ſeparato, donec acetum exeat inde clarum : tunc ablue inde ſalem cum aqua dulci, & permitte ſiccari, & cum ſiccatum fuerit, addes ei ſulphuris & arſenici ſublimatorum calcinatorum alborum ana unc. 3. & contere inſimul fortiter, donec fiat quaſi unum corpus, & illud corpus imbibe & incera cum unc. 6. aquæ ſalis armoniaci ſublimati, ſoluti & rectificati, & tunc pone totum in aludel cum ſuo recipiente bene concluſo & lutato luto ſapientiæ : & pone ipſum ſuper athanor, & fac ſub eo ignem levem donec humiditas per alembicum in recipientem ceciderit : & tunc vigora ignem donec totum ſublimetur quod aſcendere voluerit, tunc ſine vas infrigidari. Et ipſo diſcooperto id quod elevatum eſt ſuper reduc ſuper fæces ſuas terendo & reddendo ſibi aquam, quæ ab eo deſtillata eſt : Tunc repone in aludel prædicto ad ſublimandum & ita fac, donec inde nihil poſſit ſublimari, ſemper reddendo ei aquam ſuam. Tunc pone totum ad deſcendendum cum Kimia (ſeu vaſe apto) ut prædictum eſt ſupra, & fruſtum vel laminam quam in fundo vaſis invenies cera ultima ceratione in crucibulo ſuper ignem cum oleo ingrediente : & tunc ex hac medicina projice pondus 1. ſuper 50. æris ſeparati & fiet Luna bona. Et ſi medicinam cum deſcenderit & fixa fuerit per decoctionem ſolveris in aquam perviam, & eam congelaveris, & congelatam ceraveris ultima ceratione, ut dictum eſt, tunc duplicabitur in projectione.

In quibusdam libris invenitur finis hujus operationis aliter ſic, ut inveni ita ſcriptum cap. ultimum ex lib. Secretorum ad faciendum Elixir album & rubeum perfectiſſ. nec eſt opus alio, quando perfeceris iſtud. Quod cum ex limatura argenti lib. ß. & lib. 1. Mercurii, ut ſupra ſublimati, & ſulphuris calcinati albi, & (ut puto) arſenico ana ℥ factum eſt quaſi unum corpus, tunc aliud corpus ponatur in crucibulo bene lutato, & crucibulum ponatur in cinere calido tota nocte in latere dextro, alia nocte in latere ſiniſtro, & in mane extrahatur, & fracto crucibulo ponderetur quod eſt in ipſo : & ſi eſt tantum quantum erat quando poſitum fuerat intus ad aſſandum. bene eſt : ſin autem, compleatur ei pondus ſuum de ſolo Mercurio vivo prædicto, & iterum mitte ad aſſandum prædicto modo : & ſic ita fac, donec habeas pondus primum. Hoc facto, cera totum illud cum aqua ſalis armoniaci præparati albi, & tunc pone in Kimia ad deſcendendum, & poſt fac ſubter ignem per diem integram, vel ut prædictum eſt ſupra. Et tunc projice ex ea pondus 1. ſupra viginti æris ſeparati, & fiet optima Luna. Et ſi poſt deſcenſionem ſolveris & congelaveris, & poſt ceraveris, plus valet.

Et ſi hunc proceſſum vis ordinare ad rubeum, tunc loco limaturæ argenti ponatur limatura auri, & aliæ ſpecies rubificatæ, & procedatur nec plus nec minus, ut prædictum eſt, & tantum argenti ſeparati convertet in aurum optimum, quantũ & prædicta medicina convertit æris in argentum. Item ſi poſtquam medi-

cina aſſata eſt ſecundum proceſſum ultimum, & completum eſt pondus ejus per aſſationem, ſi ipſa imbibatur cum aqua ſalis armoniaci ſeparati albi, & ſublimetur in aludel, donec de ipſa nihil aſcendat, & poſt deſcendat & procedatur ulterius, ut dictum eſt, ipſa melior & fortior erit, ſive medicina ſit ad album, ſive ad rubeum. Item ſi medicina poſt deſcenſionem ſolvatur in aqua, & poſt deſtilletur per alembicum ſemel ad minus & tunc congeletur, & congelatum ceretur cum oleo dicto, adhuc erit melior & fortior: fac ergo ſicut volueris, qui ultra Dei auxilium non poſſet aliud.

Rectificato occulti lapidis.

OCcultus noſter lapis benedictus de re animata eſt, ſicut dixit Hermes: Verum ſine mendacio, certum certiſſimum. Sublimabis ſubtile à ſpiſſo ſuaviter cum magno ingenio, & aſcendat à terra in cœlum, iterumque deſcendat in terram uſque dum bene rectificatum fuerit. Additiones.

Compoſitio Elixiriorum: ℞. auripigmenti præparati, & ter ſublimati, & tantundem Mercurii purgati & ſublimati ter, & tantundem calcis Lunæ purgatæ, & tantundem ſalis armoniaci purgati & ſublimati ter, & miſce hæc res inſimul ſuper porfidum, & tere inſimul & ſicca ad ſolem: deinde iterum tere & appone de aqua tartari, & tere bene, & ſicca ad Solem: deinde iterum tere, & pone de aqua, & poſtea ſicca, & ita fac decies aut duodecies, quouſque facias quod ſit ut unguentum: & quod partes ad invicem ſubtilientur terendo, imbibendo, & exſiccando: Et ſi velis loco aquæ tartari potes apponere aquam albuminis ovorum, aut aquam ſanguinis rectificatam, aut aquam Lunæ aut ſtanni. Et poſtquam tu imbiberis & ſiccaveris tuam medicinam decies aut duodecies, ut dictum eſt, tere iterum, appone de aqua cum qua prius imbibiſti, quouſque ſit magis mollis quam paſta, & pone in phiala vitri in uno vaſe terreo quod vocatur Solutorium, & claude bene cum panno lineo, & terra aut paſta, & pone, in fimo equino bene calido, & cooperi circumquaque & dimitte tamdiu in fimo quouſque totum diſſolvatur in aquam, & de ſeptimo in ſeptimum, aut octavum aut nonum renova fimum calidiorem. Et ſi vis fimum tuum calefacere projice deſuper de aqua frigida & calefiet: Et ita fac de omnibus rebus quæ ſunt fortes & duræ ad reſolvendum & convertendum in aquam, quando volueris eas reſolvere. Et ſi accideret quod infra 4. dies aut plus non vellent reſolvi, pone ſuper marmor, & tere iterum aquam deſuper, & ſicca bene, & pone iterum ad ſolem, tere & appone aquam & ſicca, ita facias ut prius diximus: Deinde pone ad diſſolvendum in fimo, ut diximus. Et ſi accederet quod tua medicina exiccaretur, extrahe & tere, & pone aquam, ut ſupra dictum, & ſicca ad Solem, ut dictum eſt: & hoc ſæpe quouſque materia ſit bene oleagineſa: deinde pone ad reſolvendum, ut dictum eſt ſupra. Et quando fuerit diſſoluta in aquam, pone phialam in uno deſtillatorio pleno cineribus uſque ad juncturam cooperculi, & ſit phiala diſcooperta, & claude deſtillatorium & luta juncturam: poſtea fac ſubtus parvum ignem velut cum ſit aqua roſacea: & quod deſtillabitur recipe & ſerva, & facies ignem per 24. horas aut plus, quouſque medicina ſit ſicca, & quod non videas plus de fumo exire per canalem deſtillatorii: tunc depone ignem & dimitte infrigidari. Et eſt bonum quod phiala ubi eſt medicina, habeat largum os, ut fumus inde melius poſſit exire propter phialam quod non rumpatur. Deinde remove medicinam de phiala, & tere ſuper marmor, & appone deſuper aquam quam tu inde deſtillaſti, & tere bene & ſicca ad ſolem, ut prius, & pone ad reſolvendum in fimo. Et ſi non fuerit ſatis de aqua ab ea deſtillata, appone de aqua, de qua prius imbibiſti, quando primo poſuiſti ad diſſolvendum: Et ſcias quod reſolvetur in multo minori tempore quam prius fecerat. Et quando erit reſoluta, pone in deſtillatorio, & congela & ſicca ſicut prius feciſti, & ſerva aquam quam inde deſtillabis: Deinde tere iterum, & pone aquam deſuper & exſicca, ut prius ad Solem, & pone ad reſolvendum & poſtea ad congelandum: & ita facias quater aut quinquies aut ſexies, quouſque totum ſit fixum, & expectans ignem: quia tantum poteris reſolvere, & congelare, quod nihil inde amplius deſtillabit, quando tu congelabis, & tunc dicitur eſſe fixum: Et jam ſcias, quod quando tu reſolveris tuam medicinam quater aut quinquies tu deſtillabis illam per filtrum, & poſtea pone in phiala vitri, & phialam pone in uno potto pleno cineribus, & ſit phiala clauſa leviter cum panno lineo, ita quod fumus poſſit inde modicum exire, & fac deſubtus lentum ignem ſub potto per diem & noctem aut plus, quouſque tua medicina ſit in lapidem congelata album ut eſt cryſtallus, & ſerva: Sed nota quod modus congelandi in deſtillatorio eſt ſecurior quam alter. Et quando tua medicina eſt congelata, tere eam, & pone deſuper oleum ſanguinis, aut ovorum rectificatum, aut de oleo communi deſtillato ſepties cum ſale armoniaco & calce viva, aut de oleo trium ſpecierum, (ſeu ſpirituum) aut de oleo albo Philoſophorum: & non apponas multum de illo: Et poſtea mitte ſimul de aqua cum qua imbibiſti, quando poſuiſti ad ſolvendum. Poſtea tere inſimul, & pone ad reſolvendum ut prius, & poſtea congela. Et quando erit, congelata, tere de ea modicum, & calefac laminam cupri, & pone de hoc pulvere ſupra: & ſi fundatur deſuper & dealbet laminam, tum Elixir eſt completum: & ſi hoc non faciat, tere iterum tuam medicinam, & pone in crucibulo ſuper ignem, & appone deſuper 5. aut 6. guttas alicujus oleorum ante dictorum, & toties facias quouſque videris ſignum dictum, & ita ſerva. Et nota, quod ſi plurimis vicibus reſolveris medicinam, etiam plus valebit plures partes tingendo. Et poteſt fieri iſtud Elixir abſque calce argenti, ſed non tantum valebit, ſed citius fit, quia citius reſolvitur ſine illa calce: & illud projicitur ſupra cuprum præparatum & convertit in Lunam.

Alia compoſitio Elixirii.

℞. partem unam auripigmenti præparati & ſublimati ter, & tantum Mercurii, & tantum ſulphuris præparati & ſublimati ter, & tere bene, & pone deſuper de aqua ſalis armoniaci præparati & ſublimati ter, & imbibe & incera, & exſicca ad Solem: & ita fac decies aut duodecies, aut plus, quouſque bibant ſuum pondus de ſale armoniaco quinquies aut ſexies. Deinde pone ad diſſolvendum ut diximus, & renova fimum ad tres, quatuor aut quinque dies, aut in tribus ſeptimanis. Et quando erunt reſoluta, congela in deſtillatorio in cineribus, & poſtea imbibe cum aqua quæ inde exierit deſtillata, & cum aqua ſalis armoniaci prius, & tere bene, & incera & ſicca ad ſolem pluries,

pluries, & pone ad dissolvendum : deinde congela ut prius : Postea tere & pone aquam desuper, quæ inde erit destillata, & de oleo trium specierum, aut de oleo albo Philosophorum & tere bene, & pone ad solvendum : deinde congela ut prius, & habebis in fundo vasis lapidem album: & appone desuper de oleo dicto septem aut octo guttas, & pone ad solvendum : deinde ad congelandum.

Alia compositio Elixiris, quæ dicitur melior.

R. lib. 1. calcis Lunæ præparatæ, & tres unc. sulphuris præparati & sublimati ter, & tres uncias auripigmenti præparati & sublimati, & lib. unam Mercurii præparati & sublimati, & tere bene omnia simul, & appone aquam salis armoniaci præparati & sublimati & exicca super parvum ignem carbonum & cinerum, & quando fecerint magnum fumum, remove patellam ab igne, & pone longe ab igne : sed melius valeret siccatum ad Solem. Et quando erunt omnia sicca, tere & pone in destillatorio, & facias parum ignem quousque tota humiditas sit inde destillata, quam serva. Postea fac fortem ignem quasi sublimationis, & facias ignem tribus diebus & tribus noctibus, & tunc sublimabitur una pars illius medicinæ, & alia remanebit in fundo. Dimitte omnia infrigidari, & tere omnia simul, scilicet quod sublimatum est, & quod remansit in fundo, & pone cum aqua, quæ exinde destillata est, & sicca modicum, & postea pone ad sublimandum ut prius, & toties sublimabis hoc modo, quoad tota medicina remanebit in fundo & quoad nihil amplius de ea sublimetur, Deinde tere & incera, pone desuper 1. unc. aut 2. de oleo Philosophorum albo, & pone in descensorio, & fac descendere ut fecisti auripigmentum. Et facias primo die subtus parvum ignem, & secunda die fac fortiorem, & tertia die fac fortissimum, quasi esset ignis fusionis cupri. Et ita dimitte infrigidari, & reperies in coopertorio descensorii lapidem album, quem recipe & tere, & pone in crucibulo super ignem, & projice desuper duas aut tres guttas olei albi Philosophorum quousque fundatur ut cera : Tunc depone crucibulum ab igne, & tuum elixir est perfectum : & de hoc projice unam partem super quindecim cupri præparati, & tum erit argentum. Et si vis ampliare virtutem tui Elixirii, tere iterum bene, & pone desuper de aqua salis armoniaci prædicti, & 2. aut 3. guttas olei albi Philosophorum, & pone ad dissolvendum : deinde congela, ut prædictum est, & serva : Et poteris projicere super 80. aut 100. sed experiaris.

Alia compositio Elixirii.

R. lib. 1. Mercurii sublimati & imbibe terendo cum aqua salis armoniaci & sicca : deinde tere & pone duplum sui ponderis de aqua salis armoniaci, & pone ad dissolvendum per 8. dies : deinde destilla per distillatorium, & pone in illa aqua 2. unc. auripigmenti sublimati : deinde pone ad dissolvendum & congelandum septies aut plus, aut ter vel quater & ultimo congela in lapidem durum: deinde tere & pone desuper de oleo albo Philosophorum, & fac descendere in descensorio, & facias parvum ignem per 2. dies & 2. noctes, & ultima die ita fortem sicut ad fundendum cuprum: postea dimitte infrigidari, & tu reperies in vase lapidem crystallinum: de quo accipe parum & tere, & pone in crucibulo super ignem, & projice desuper 2. & 3. guttas olei albi Philosophorum quousque fundatur ut cera, & dimitte infrigidari, & pone de illo modicum super laminam calidam ferri aut æris, & si fundatur absque fumo, bene est: si non, tere iterum, & pone in crucibulo, & projice desuper de oleo dicto quousque signum jam dictum appareat : & projice unam partem super quinque cupri præparati, & efficietur Luna. Et si velis dissolvere aut destillare & congelare semel aut bis augmentabitur virtus elixirii.

Alia compositio Elixirii.

R. lib. 1. Mercurii sublimati & imbibe terendo cum aqua salis armoniaci & sicca: deinde tere & pone duplum sui ponderis de aqua salis armoniaci; & pone ad dissolvendum per 8. dies : deinde destilla per destillatorium, & pone in illa aqua 2. unc. auripigmenti sublimati : deinde pone ad dissolvendum & congelandum septies aut plus, aut ter vel quater & ultimo congela in lapidem durum : deinde tere & pone desuper de oleo albo Philosophorum, & fac descendere in descensorio, & facias parvum ignem per 2. dies & 2. noctes, & ultima die ita fortem sicut ad fundendum cuprum : postea dimitte infrigidari, & tu reperies in vase lapidem crystallinum : de quo accipe parum & tere & pone in crucibulo super ignem, & projice desuper 2. & 3. guttas olei albi Philosophorum quousque fundatur ut cera, & dimitte infrigidari, & pone de illo modicum super laminam calidam ferri aut æris, & si fundatur absque fumo, bene est : si non, tere iterum, & pone in crucibulo, & projice desuper de oleo dicto quousque signum jam dictum appareat: & projice unam partem super quinque cupri præparati, & efficietur Luna. Et si velis dissolvere aut destillare & congelare semel aut bis augmentabitur virtus elixirii.

Alia compositio Elixirii.

R. ℔.ß. calcis Lunæ præparatæ, & totidem Mercurii lavati non sublimati, & pone calcem super Mercurium, quousque biberit totam calcem, & fiat sicut butyrum, & nihil sentias ad digitum, quin totum sit molle : deinde lava cum aceto & sale præparatis, quousque acetum exeat clarum : postea projice desuper aquam calidam quousque extraxeris salem, & aqua exeat vel efficiatur dulcis: deinde dimitte siccari, & quando siccum fuerit, pone cum duabus unciis auripigmenti bene sublimati, & tantundem sulphuris bene sublimati, & tere insimul quousque totum misceatur in unum, & appone 7. aut 8. uncias aquæ salis armoniaci purgati & sublimati bene, & pone in destillatorio, & cooperculum desuper, & facias subtus parvum ignem quousque tota humiditas inde exierit, quam serva: Deinde fac fortem ignem quasi sublimationis, quousque totum sublimetur, & dimitte totum infrigidari, & quod inventum fuerit in coopertorio tere cum eo, quod remansit in fundo vasis, & desuper pone aquam, quæ inde destillavit, & tere bene iterum, & pone adhuc in destillatorio, & inde destilla aquam ad lentum ignem, & fac post magnum ignem, qualis est sublimationis, & misce sublimatum cum fæcibus & imbibe cum aqua, & sublima ut prius, quousque nihil plus sublimetur. Deinde tere & appone de oleo albo Philosophorum

rum in crucibulo ſuper ignem, & proba ſuper laminam ferri calidam aut cupri, quouſque fundatur ut cera, & erit completum: una pars ſuper quindecim cupri, & per iteratam ſolutionem & congelationem augebitur virtus ejus. Hactenus additio.

Compoſitio aquæ vitæ ſimplicis, & rectificatio ejusdem.

OCculti igitur lapidis albi recentis quantum vis aſſume, quem ſubtiliter commiſcebis in vitreata ſcutella & commolies ſine omni re alia, ibique fermentari per diem & noctem dimitte: deinde in vaſe vitreo bene ſigillato, ut non reſpiret ad humandum per 21. dies pones, ita quod ſingulis hebdomadis renovetur fimus. Completo itaque hoc numero pone de lapide lib. ſemis in aludel vitreo, alembico ſuppoſito cum ſuo recipiente bene ſigillato cum luto magiſterii ut non reſpiret, & pone aludel ſuper laterem (potius larem) præparatum cum ſuis vaſis aqua & cinere mediante, ut ſcis, & fac à principio ignem levem per tres horas. Poſtea vigoretur ignis paulatim uſque dum tota aqua ejus candida deſtilletur. Hanc autem aquam vocaverunt Philoſophi Sal armoniacum, argentum vivum, lac virginis, aquam vitæ, & aquam penetrantem & ſerenantem, ac domum illuminantem. Hæc enim aqua candelas accendit, & omnes obſcuritates fugat à domo in qua rectificata fuerit, uſque in finem cum tota ſua ſubſtantia, id eſt ipſamet & oleo ejus, & igne & terra calcinata ſicut ſcis. Deſtillata autem hujus aqua prima vice, ut dictum eſt, inhuma iterum eam per unam hebdomadam ut dictum eſt, tunc deſtilla iterum per alembicum ut prius, & ſic itera tribus vicibus: Hoc facto deſtilletur iterum ſine inhumatione tribus vicibus cum cinere ſine aqua. Poſtquam autem hujuſmodi aqua ſepties deſtillata fuerit, proba aliquantulum de ære ignito ad modum ſcilicet nummorum extinguendo tribus vicibus in ipſa, qui ſi dealbantur intus & extra, bene eſt: & ſi non, reduc eam ad primum opus, donec ſic contingat: Et tunc ſerva eam in vaſe vitreo bene ſigillato cum cera

Olei rectificatio.

SImili modo oportet ut rectificetur ejus oleum cum humatione & deſtillatione, ita ut fiat album: cum probatione æris ſimiliter, ut dealbatur in eo: & tunc ſerva ipſum ad partem in vaſe vitreo bene ſigillato. Ignis vero remanebit in fundo vaſis ſiccus & niger, quem ſeorſum repone in vaſe vitreo bene concluſo.

Rectificatio Terræ.

HIs peractis, exteriora lapidis à tela purgabis, & in vitreato vaſe bene cocto & novo undique argilla circumlutato diligenter cooperculo terreo cooperto, in quo ſcilicet cooperculo ſunt tria foramina parva, repone: & in furno figuli octo diebus dimitte, ut nivis candorem aſſumat. Hujus calcis parti uni ſex partibus aquæ prædictæ adjunctis vas vitreum uſque ad duas partes impleatur alembico ſuperpoſito cum ſuo recipiente, & clauſis juncturis cum luto magiſterii, ita ut non reſpiret, ipſumque in alio vaſe fictili ferreo, cribrato cinere pleno reconde: deinde in alio vaſe cum aqua ponatur, & ſubjice lentum ignem (nota hunc deſtillationis modum, quia ſingularis eſt & lentiſſimus) per totam hebdomadam, vel uſque dum nihil aquæ vitæ deſtilletur. Poſtea die una & nocte refrigerari dimitte, & invenies in fundo vaſis laminam cryſtallinam, cui redde aquam ſuam, quæ ab ipſa deſtillata eſt, uſque dum eam totam ebiberit: & tunc ſerva eam, ad partem uſque dum dicam tibi. His peractis, accipe ſalem armoniacum ſublimatum ter, & ſolutum & deſtillatum per alembicum, & coagulatum, & iterum ſolutum & deſtillatum & coagulatum, & itera tertia vice. Et ſi ſolutum fuerit ſepties cum aqua vitæ, & deſtillatum & coagulatum qualibet vice, & in fine reſolutum in aqua; ſolvit omnia corpora calcinata, limata, & etiam combuſta: & ſpiritus omnes calcinatos & ſublimatos ſolutione mirabili in crucibulo ſuper ignem in una hora cum Dei auxilio & ejus virtute.

Compoſitio Aquæ vitæ completæ & perfectæ.

COmponamus aquam noſtram philoſophicam cum DEI adjutorio, & ejus virtute. R. de aqua ſalis armoniaci ſoluti & deſtillati ter ad minus uncias ſex, olei prædicti rectificati ut dictum eſt uncias ſex (vel ſeptem) miſce hæc duo, & inde imbue ſuper porfidum vel ſuper tabulam vitream uncias ſex de prædicta lamina, paulatim donec totum ebiberit: & cum totum abſorbuerit, dimitte fermentari in ſimili vaſe vitreo tribus diebus: quarto autem die projice hoc ceratum in duas libras aquæ vitæ prædictæ in ſolutorio poſitæ, & ſigilla os bene ita ut non reſpiret: & inhuma per quindecim dies: & decima ſexta die invenies laminam ſolutam in aquam albam ut lac. Et hæc eſt aqua vitæ completa, & oleum Philoſophorum vel philoſophicum, & aqua penetrans & ſerenans, candelas accendens, & domum illuminans, per quam omnes Philoſophi ſuſtentati ſunt. Et cum hac aqua retinetur omne volatile à fuga, ſcilicet Mercurius, ſulphur, arſenicum, & aquila: Mercurium dico, ſulphur, & arſenicum ſublimata & calcinata: quæ omnia quomodo fiant, dictum eſt ſuperius.

ADDITIONES.

Rectificatio Olei communis ad cerationem ſpirituum & ingreſſum faciendum.

Recipe olei communis quantum vis, & cum calce viva optime confice ut ſit ut farinatum: & quidam ponunt de vaſe communi & ſale tartari, & ita per duos dies dimitte, poſtea per alembicum deſtilla, & renova ſuper ipſum deſtillatum calcem & deſtilla quater donec non comburatur.

Alii faciunt prius bullire oleum cum multa quantitate aquæ, & ita immunditia deſcendit ad fundum: deinde colant oleum quod natat ſuperius, & ponunt cum calce viva in vaſe ad deſtillandum, & deſtillant ſemel, & ſervant in vaſe clauſo:

Oleum incombuſtibile ad incerandum Elixir ad album.

Recipe Mercurii fixati per circulationem cum aqua lapidis occulti albi rectificati à calce corticum, & pone in furno reſolutorio cum tertia parte aquæ Mercurii, & die quarta diſſolvetur in oleum album fixum incombuſtibile, & non rectificatur alio modo, niſi quod aqua ſeparatur per deſtillationem & oleum manet in fundo vaſis, quod non poteſt

potest destillari nisi cum maximo labore causa suæ fixationis, quia repugnat & perseverat in & contra ignem: & cum hoc oleo potest fixari omnis Mercurius sublimatus, & dissolvit omnia corpora, quia est ex natura metallina: Et cum eo incerantur magna Elixiria: & bene servetur in loco calido juxta ignem, quia est naturæ calidæ: ergo si poneretur in loco frigido congelaretur in durum lapidem fusibilem similem marmori albo, qui postea non posset dissolvi nec venire ad talem distemperantiam causæ infrigidationis.

Nota quod fit quædam destillatio olei cum virgis parvis positis in fundo cucurbitæ, & attingunt summitatem, & ascendit oleum per virgas illas superius, aliter non ascenderet, & debent esse virgæ parvulæ & decorticatæ: & credo quod de ista destillatione loquitur Arist. cum dicit. Modo scias quod olei destillatio fit secundum tres modos: & est in capite de L. Majori.

Sed scias quod Rasis certe loquitur de illa destillatione cum virgis myrti, in suis libris de 70. de 30. verbis: dicens libro de 70. Sic etiam oleum, dum aliena sequaris vestigia manabit.

Compositio Elixirii Benedicti.

COmponamus igitur Elixir nostrum benedictum cum Dei auxilio & ejus virtute. R. Mercurii sublimati & calcinati lib. 2. sulph. & arsenici sublimatorum & calcinatorum ana lib. 1. de aqua animalis philosophice composita, & rectificata jam dicta unc. 13. & de hujus aqua imbibe spiritus prædictos paulatim super porfidum aut in paropside vitrea quæ melior est, cum pistillo vitreo donec totum bibit: & cum hoc factum fuerit, pone totum illud in aludel ad sublimandum alembico superposito cum suo recipiente & bene sigillato cum luto magisterii, ut nullo modo respiret: & tunc pone aludel super athanor, & fac desubtus ignem levem de carbonibus, donec tota humiditas in recipientem ceciderit, postea vigora ignem mediocrem quasi per sex horas, & tunc sine vas infrigidari, & cum infrigidatum fuerit, quod intus est extrahe & pone in paropside vitrea: & si aliquid de ipso superlevatum fuerit, reduc super fæces suas cum pistillo vitreo suaviter, & reddendo sibi totam aquam, quæ ab eo destillata est: Et postea da ei potandum alias 13. unc. aquæ philosophicæ prædictæ, & cum totum biberit remitte ad sublimandum ut prius: quod si pigritaverit ad sugendum vel bibendum, assa ipsum in aludel cum ampliori ore semper alembico superposito cum suo recipiente & bene sigillato, quod non respiret, & hoc fac cum lento igne donec totum ebibat, & tunc sublima ut prius fecisti: tertia vice reduc super, si aliquid elevatum fuerit, & da ei ad bibendum alias 15. uncias aquæ prædictæ, & redde ei aquam suam similiter ut prius suaviter terendo donec totum biberit, & tunc sublima ut prius. Quarta autem vice redde ei aquam suam tantum, & sublima vel destilla tantum, & reducendo inferius quod superius elevatur si aliquid sit, donec inde penitus nihil destilletur. Et cum ita factum fuerit, invenies in fundo vasis laminam crystallinam stantem, penetrantem, profundantem, tingentem, & permanentem: cujus una pars si super 50. partes Veneris projecta fuerit, ipsam in verissimum argentum transmutabit. Hermes dicit in secreto suo unum super mille. Rogo te per fœdus Domini ne hoc secretum alicui ostendas nisi filio nostro: Et quicunque de hoc arcano secreto dignus fuerit, noster erit filius: & Deus alleviet super te. Tu autem cum exaltatus fueris super omnes circulos mundi hujus Lunaris, memento visitare & distribuere pauperibus & pupillis, viduis, & similibus, & eis succurrere in tribulatione eorum, ut valeas in die judicii audire verbum Domini promissum: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: infirmus fui, nudus fui, sitivi, & omnia necessaria dedisti mihi, cum visitasti pupillos & viduas, & his similes propter nomen meum: centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Amen.

Explicit Liber Perfectionis.

ARISTOTELIS *Tractatulus de Practica Lapidis Philosophici incipit.*

CUm omne corpus secundùm Philosophum, aut est elementum, aut ab elementis generatum, nostro magisterio summè necessaria est generatio: ipsa autem non nisi ex quatuor naturis quæ sunt quatuor elementa, consistere potest. Elementa verò quatuor sunt, aër, aqua, ignis & terra, sine quibus generatio omnis privatur effectu. Elementorum namque duo sunt lapidea, & duo aquatica: lapidea quidem sunt ignis & terra: aquatica verò, aër & aqua. Eorum quoque duo sunt amica, & duo inimica. Terra & aqua sunt amica: ignis & aqua sunt inimica.

Fac ergo pacem inter inimicos, & totum habebis magisterium. Sed pacem inter elementa facere non potes, nisi per conversionem eorum ad invicem. Ea autem ad invicem bene convertere est bene possibile. Quia ut dicit Philosophus: De aptitudine omnium elementorum, est ut mutentur ad invicem. Nam ignis mutatur in aërem, & aër in aquam. Sic ignis mutatur in aquam, & aqua in terram, & econverso.

Converte ergo elementa, & quod quæris invenies: Nam nostra compositio, ut dicit Moriens, est naturarum mutatio, & earum calidi cum frigido, humidi cum sicco admiscibilis connexio. Aquæ enim frigiditas, & ignis caliditas, aëris humiditas & terræ siccitas ad invicem concorditer ligata, integrum scilicet primum constituunt generatum. Sunt namque elementa, ut dicit Philosophus, circulariter conversiva. Et ideo generantur & corrumpuntur ad invicem, sed hoc quod non nisi operatione & regimine perficitur

Modi verò operationum sunt quatuor, puta, lapidis dissolutio in aquam spiritualem, lapidis separatio in statum spiritualem, lapidis reductio in terram naturalem, & lapidis desponsatio in calcem corporalem.

Lapidis dissolutio fit per contritionem: lapidis separatio per destillationem: lapidis reductio per incerationem: desponsatio per fixationem.

Primus igitur gradus nostri regiminis sive operis est dissolutio lapidis in aquam spiritualem, ut dicit Philosophus: Quoniam primus modus præparationis est, ut lapis fiat Mercurius. Ipse enim est primum corpus operans in grossis rebus, ut reddat eas ad modum suum. Si enim dimitteret res grossas in sua grossitie, & non subtiliaret eas, non dissolveretur lapis, neque putresceret. Et ideo si aliud beneficium non haberemus à Mercurio, nisi quòd corpora reddit subtilia ad sui naturam, satis deberet nobis sufficere Accipe ergo filium tuum

chariss-

charissimum, & sorori suæ albæ æqualiter conjunge: propina illis poculum amoris, quia benevolentiæ consensus res rebus adjungit. Superfunde illis mulsum donec inebrientur, & in partes minimas dividantur. Veruntamen memoriter teneas, quod omnia munda conveniunt mundis, alioquin sibi filios generant dissimiles.

Et ideo ut dicit Avicenna: Primum quod debes facere in opere, est quòd sublimes Mercurium: deinde mitte in Mercurio mundo munda corpora: hinc contere, coque, reitera, & ne tædeat te hoc facere. Cùm verò videris nigredinem in aquæ superficie apparentem, collige eam cautè, & repone ad partem, sciens pro certo jam lapidem tuum in parte dissolutum esse. Aquam verò totam distilla per pannum, quod in eo reperies dissolutum, reliquum ad recoquendum repone, donec totum in fuliginis modum nigrescat. Hæc omnia fiant temperato igne primi gradus calido & humido. Si enim nimius calor affuerit, nigredinem in rubosem convertet, & calor festinæ rubedinis est signum combustionis. Et ideo si bene rexeris originem artis, erit caput corvi: in illa namque corpus dissolvitur, & in primam sui materiam redigitur. Et illud ideo, quia corpora non alterantur nisi priùs in primam materiam reducantur. Et ideo, ut dicit Plato, indiges, quod in solutione eorum labores, ut gravioribus partibus abjectis, opus cum levioribus compleatur. Quod quidem fit per sublimationem. Jugula ergo filios tuos, & sanguinem eorum recipe, carnes verò projice canibus, ne latrent super te. Et illud ideo, quia sanguis est anima, & anima est vita, & vita lapis noster est. Nihil enim lapidi nostro convenit, quod vivum non fuerit, & cœlum aëris non petierit. Converte ergo lapidem tuum in sanguinem, & sanguinem in aërem, & aërem in terram, & totum habebis magisterium.

Secundus gradus nostri regiminis est lapidis separatio in statum spiritualem: quæ quidem separatio fit per elementorum divisionem, & plenam eorum depurationem.

Depuratio separationis, ut dicit Rasis: Naturas lapidis est in quatuor elementa dividere, & ea singulariter per destillationem mundare. Nam ignis extrahit, quod interioribus consistit. Comedit enim sordes lapidis per destillationem, & subtiliat ipsum per aëtis levigationem, & ideo lapis noster in quatuor elementa dividitur, ut magis subtilietur, & à sordibus melius depuretur, & ut firmius postea conjungatur: sed quia putrida ut magis digesta levius dividuntur. Elementorum divisionem debet putrefactio præcedere necessariò, ut dissolvantur in illa partes elementales, & sic aptior postea ad extrahendum per quatuor elementa reddatur. Accipe ergo, ut dictum est dissolutum, pone in cucurbitam, & superfunde pulverem nigrum superiùs collectum: claude cum alembico suo & recipiente, ne possit evaporare: da ignem subtus lentissimum per mensem Philosophicum, ut magis obscœnum fiat & corruptum.

Nam ut dicit Philosophus: Corruptio est substantiæ rei putrefactio, ex vaporis retentione & ignis actione. Si enim per aëra dispergatur, minimè putrescit. Claude ergo vas tuum ne respirare possit: peracto autem mense Philosophico, distilla suaviter quatuor elementa, puta aquam, terram, aërem & ignem, quodlibet seorsum ponendo. Veruntamen optimè caveas, ne in eorum separatione nimio igne tincturam comburas. Secretum namque est, ut dicit Rasis; elementa subtiliter præparare, ut sint tuta ab adustione in omni distillatione, donec tinctura sumatur ab eis. Si verò comburatur tinctura, & ejus finietur effectus. Continua ergo suaviter ignem, & recipe primo aquam egredientem. Nam primum quod destillat, ut dicit Avicenna, est aqua; sed nodum est pura. Postea stillat ignis cum aëre mixtus. Serventur insimul illa, donec dividas: Quod verò remanet in fundo combustum, est terra nigra & sicca. Et sic habes quatuor elementa in parte separata, sed nondum depurata. Primum ergo elementum est aqua pura, frigida & humida in natura, quæ quidem est septies distillanda, & erit splendida & clara, alba ut crystallus. Inhumatio autem in fine interposita inter distillationes multùm juvat, ut ad perfectæ rectificationis signum melius deveniat: quod quidem signum est splendor, crystallina serenitas absque fecibus, nisi fortè albis. Feces verò quas facit aqua in rectificatione sua, omni vice separa, & repone cum terra superiùs collecta. Aquam verò rectificatam serva ad partem, quoniam ipsa est Mercurius Philosophorum, sal armoniacus faciens matrimonium, aqua vitæ abluens latonem, & cum ipsa solvuntur spiritus & coagulantur, incerantur & figuntur. Secundum verò elementum est aër, igne adhuc mixtus, existens in se calidus & humidus. Pone ergo ipsum in cucurbita cum aqua vel cinere, dans subtus ignem, donec distillaverit totum. Quod verò distillatur, est aër, oleum, sulphur, arsenicum, alumen, anima, aurum & tinctura, & quod in fundo remanet, est ignis siccus & rufus, tendens ad nigredinem & rubedinem, quem ponas ad partem. Rectificatio autem aëris eadem est, sicut rectificatio aquæ, & eadem signa amborum. Quæ quidem in humido distillando septies habet fieri, vel donec ad crystallinam perveniat serenitatem, absque fecibus, nisi fortè albis. Feces verò quas fecit aër in sua distillatione, omni vice collige, & cum supradicto igne ad partem repone: aërem autem, ut dictum est, rectificatum reserva deorsum, bene obturatum, cujus signa sunt gutta, & spissor aqua, calor intensior, & levitas aërea: quia si ipsum prædictæ aquæ miscueris, supernatabit. Et ideo dicitur aër, oleum pinguedo, & unguentum, adeps & butyrum, quod colorat, figit, & indurat res humidas, quod colorat lapides non bonos, quòd etiam redigit mulierem in masculum, & leprosum efficit mundum, ac dentes concutientes facit stabiliri. Tertium quoque & quartum elementum sunt ignis & terra, quæ ut dicit Rasis, propter abbreviationem temporis insimul sunt præparanda. Et ideo etiam ut bona sit eorum commixtio & non confundatur præparatio & ne adurantur super ignis pugnam & ut unus aliud bene tingat: & ideo præparare eos insimul est magis salvum & magis propinquum. Accipe ergo elementa terræ & ignis, conjunge & tere, & calcina bene accenso igne: recipe cautè aërem in illis remanentem, quia ut dicit Rasis: Aër qui à terra tardiùs separatur, precioſior habetur. Cùm verò bene fuerit calcinata, & ab omni aëre vacua, erit coloris pallidi, habilis ad prægnationem. Si verò spiritus in ea remanserit, subnigra manebit, & minùs bene operationi convenit. Et ideo dicit Plato: Oportet te propositum tuo separationem elementorum exercere, donec non remaneat aliquid de spiritu in corpore, nisi quòd non sentiatur. Et signum hujus erit, cùm nihil à corpore evaporaverit. Cùm autem separaveris omnia elementa quatuor, separatione

recta

recta erit appropriatum aëri, lucidum & tingens, & corpus siccum super quo vincit substantia terræ. Consequere ergo omni tempore partem cum parte, & serva singulariter eorum unumquodque, & hoc est elementorum separatio recta, & depuratio completa. Quoniam nullo nostro operi necessaria est aqua nisi candida nec aër nisi croceus, nec terra, nisi pallida & subalba. Tunc enim est habilis ad solvendum aqua, efficax ad ingrediendum est aër, superabundans ad tingendum oleum. Divide igitur lapidem tuum in quatuor elementa, rectifica ea, & conjunge in unum, & totum habebis magisterium.

Tertius ergo gradus nostri operis est reductio lapidis in terram naturalem. Quæ quidem reductio fit per terræ contritionem, & aquæ super ipsam inceration em. Inceratio autem aquæ est in partes terræ per calcinationem privatas humiditate humitatem reducere, & ad modum terræ facere. Nam corpus siccum & mundum est congruum ad putandum: quoniam omne siccum appetit suum humidum. Liga ergo mulieri ablactanti manus post tergum, ut non possit affligere filium: appone super manus ejus bufonem, ut ablactet eum donec moriatur, & fuerit mulier mortua in igne, erit bufo grossus de lacte. Pone ergo in vase suo terram superiùs calcinatam & superfunde aquam rectificatam, ut dictum est, coque lento igne per hebdomadam, & postea suaviter calcina decoctam materiam. Hinc superfunde aliam aquam, ut priùs, leviter coque per hebdomadam, leviter calcina: iterum repone cum nova aqua ad coquendum. Sic jugiter facito, donec terra exhauserit decuplum sui de aqua. Nam omnes res aquam appetunt, quoniam ipsa tàm igni quàm aliis rebus præstat alimentum, & dignum admiratione complectitur arcanum. Est namque ipsa in vite vinum, in oleastro oleum, & per ipsam in arbore fructus diversi generis transformantur. Sic etiam in terra nostra ex aqua generatur, ipsa namque est frigida, & dicitur argentum vivum quod in corpore magnesiæ est occultatum & in eo gelandum. Itaque cùm congelatur, cineri similis efficitur: quia terra desiccat, & aqua humectat. Et ideo pondus est ubique notandum, ne nimia siccitas aut superfluus humor administrando corrumpat, ut videlicet tantum assando decoquas, quantum dissolutio adjecit, & inhumando dissolvas, quantum assando defecit. Et ideo omni vice post calcinationem terræ superfunde aquam temperatè, nec multum videlicet nec parum: quia si multum fuerit, fiet pelagus conturbationis: si verò parum, comburetur in favillam. Idcirco postquam infuderis aquam, decoque per hebdomadam, & calcina suaviter terram, & ita hebdomadatim præparabis conterendo, irrigando, & assando, donec totum redigatur in album. Et scito quòd ignis lentus in hac dispositione operis spem salutis promittit: & quia terra fructum non gerit absque irrigatione frequenti, multotics irrigare, assare, inhumare hujus negocii effectum summum constituit. Et quæcunque emanant incommixta, seorsum repone, alioquin omnia corrumpis. Oportet autem terram nutriri primò parvo lacte, postea majori, sic est videre in infante. Et ideo abluc terram, contere & coque eam, donec de sua biberit aqua, quantum bibere possit, vel donec ipsa terra fuerit sicut pasta adhærens cum aqua. Ad hoc autem faciendum ignis & azoth tibi sufficiunt. Et istud ideo, quia ut dicit Morienes: Ignis & azoth latonem impræ-gnant, abluunt & mundant, obscuritatem quoque ab eo auferunt. Nam quanto magis aliquid ablutum fuerit, tantò magis limpidius apparebit & melius. Dealbare ergo latonem, & libros rumpite, ne & corda vestra rumpantur. Coquite siccum terræ nigræ cum humido aquæ suæ, donec siccum bibat humidum, & totum habebis magisterium. Quia cùm aqua fuerit inspissata, & coagulata, erit terra fœtu impræ-gnata, & ad pariendum prompta. Comburre ergo ipsum igne sicco, ut pariat filium, & custodi ipsum cautè, ne effugiat in fumum. Et hoc est quod dicit Philosophus in Turba: Terram dealbate, & igne citò sublimate, quousque exeat ex ipsa spiritus quem in ea invenies, qui dicitur avis Hermetis. Hunc cinerem ne vilipendas, quoniam ipse est diadema cordis tui, & permanentium cinis, corona victoriæ, & coagulum lactis. Mundare ergo est sublimare, abluere & dealbare. Nam quod superius ascendit, est efficax munditia: quod verò ad ima labitur, fex & corruptio. Hic est ergo cinis extractus à cinere, & genitum Philosophorum, terra alba foliata, in qua seminandum est aurum. Unde dicit Hermes: Extrahe à radio suam umbram & fæcem, quæ ipsum interficit, & seminare aurum in terra alba foliata: sed illud aurum non est aurum vulgi, imò est aurum animæ, quo tingitur aurum terræ foliatæ.

Unde dicit Calidius: Nemo unquam potuit nec de cætero poterit tingere aurum nisi cum auro. Plato quoque dicit: Cùm dixeris unamquamque speciem ex partibus operis, reduc spiritus ad corpus, & sublima illud, quod verò sublimatur ex illo, erit clarum & lucidum. Reduc super illa approbatum animæ post hoc ut commisceantur. Nam anima est vinculum spiritus, sicut corpus est vinculum animæ. Cumque steterit per moram, vincet in eo illud quod est fortius, ut convertat totum videlicet corpus in animam, & animam in spiritum.

Quartus gradus nostri regiminis est desponsatio lapidis in calcem corporalem, ut figatur in corpore illo unde sumptum fuit ab initio. Et illud ideo, quia spiritus cùm solverit corpus & animam, ut existant in forma sua, non permanet fixum, nisi occupaveris ipsum. Occupatio verò est, ut conjungas ipsum cum corpore de quo præparasti in principio, quoniam in eo occupatur à fuga spiritus ad superstentia corporis. Et ideo dicit Plato: Cùm spiritus solverit animam simul, & corpus non stat fixum: Conjunge ergo ipsum cum corpore, ut generet sibi simile. Nec conjungas ipsum cum quovis, ut constet ad se nisi cum eo, de quo fuit à principio, Si feceris hoc, fit Iccir. Et scito, quòd ab omnibus operantibus deficit propositum post operis complementum, si omiserit hoc secretum. Notate ergo verba, signate mysteria. Quia spiritus cùm solverit terram albam foliatam, non permanet aliquid eorũ fixum, nisi occupaveris ipsum cum corpore illo, de quo præparatum erat in principio. Spiritus est Mercurius, & corpus suum primum est sulphur album & rubeum. Ideo cùm spiritus solverit corpus sulphureũ in omnibus, ut dictum est, superiùs, præparatum, non figitur, nisi occupaveris ipsum cum sulphure novo, de quo præparatũ erat in principio Nam sulphur album & rubeum, ut dicit Aristot. congelat argen. vivum in aurum & argentum. Conjunge ergo opus tuum cum corpore, ut generet sibi simile, si hoc feceris, erit Iccir super alia corpora id quod conjungis, alioquin non figetur: quia natura non continetur nisi in sua natura. Et hoc ideo, quia ut dicit Plato: Natura naturam sequitur, & natura continet naturam, & docet eam contra ignem præliari. Fac ergo desponsationem in virum & uxorẽ, & totum habebis magi-

sterium. Sed præparatio eorum, ut dicit Avicenna, est: Ut primò virum ex una parte & uxorem ex alia parte mundes, quatenus mundati à sordibus meliùs conjungantur: quoniam si non præparas corpora, non poterunt amari. Fac ergo pacem inter elementa, ut convenienti amplexu se diligant. Nam acutum magisterium Philosophorum imponit animam in calces corporum, tunc vigor spirituum comminuit in minimas calces plumborum. Item quando vis mittere fermentum in Elixir, priùs misce illud cum spiritibus, quoniam nisi hoc faceres, non imprimeretur sua natura in ipsis. Commisce ergo bene fermentum cum elementis, & magisterium habebis.

SVBSECTIO IV.

Arnaldi *de* VILLANOVA *varios Tractatus complectitur.*

ARNALDI *de* VILLANOVA Philosophi & Medici Excellentissimi Liber dictus THESAURUS THESAURORUM, & ROSARIUM PHILOSOPHORUM, omnium Secretorum maximum Secretum, de verissima compositione Naturalis Philosophiæ, qua omne diminutum reducitur ad Solificum & Lunificum.

PROOEMIUM.

ISTE namque Liber vocatur Rosarium: quòd ex libris Philosophorum abbreviatus, in quo, Deo teste, nihil occultum, nihil devium, nihil diminutum est: sed quicquid est necessarium ad nostri Operis complementum, est in ipso. Dividitur autem iste liber in Theoricam & Practicam: & etiam in diversa capitula. Quippe quia justum est de naturali & sublimiori rerum processu non pigeat, qui de eorum sublimiori effectu tractare voluerit. Tunc enim supplicium naturæ beatæ, & naturali calle procedit intentio, cùm & ipsius studii precium securius spectat, & ad arcanam rationis seriem, in illo declinare paratus est. Nullus negligat finalem, præcipuam totius Philosophiæ matrem ab editis effodere, quæ hominem ornat moribus, & ditat beneficiis, auxiliatur pauperi, & etiam corpus incolume servat & præbet etiam sanitatem. Qui enim in legendis libris deses extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit. Liber namque librum aperit, & sermo sermonem explicat: quia quod in uno est diminutum, in alio est completum. Non enim potest in Practicam bene assuescere, cujus mens in Theorica renuit desudare: quoniam procedit ad Practicam, sicut asinus ad cœnam, ignorans quomodo, & ad quid porrigat rostrum & os. Istum autem librum nominavi Rosarium, eò quòd ipsum abbreviavi ex libris Philosophorum quantum potui melius, & in diversa divisi capitula.

In ista Arte duo sunt Libri, quos ponam in capitula per ordinem.

CAPITULA LIBRI I.

De modo generationis metallorum, Cap. I
Quòd argentum vivum est medicina metallorum, II
Quòd sulphur extraneum, sive vulgi est causa imperfectionis, III
Quòd solum argentum vivum est perfectio metallorum. IV
Quòd argentum vivum continet in se sulphur suum, V
Quòd unus est Lapis Philosophorum, VI
Ex quibus extrahatur Lapis Philosophorum, VII
Quòd difficile est Opus nostrum in prima metallorum materia, VIII
Quid sit Opus primum Philosophicum, IX
Quid sit Lapis, & quo indiget. X

CAP. I.

De Modo Generationis Metallorum.

VTrum natura omnia liquabilia sint naturaliter ex argenti vivi, & sulphuris substantia: eò quòd proprium est argento vivo quod coaguletur, ex calore sive vapore sulphuris: quoniam omne siccum naturaliter imbibit suum humidum. Vapore ergò sulphuris argenti vivi coagulatum est ex sua substantia terrea, subtili, aërea & digesta, admistione prima sibi unita actione caloris: postea elevata, decocta & digesta, donec habeat vim sulphuream coagulandi argentum. Argentum verò vivum in prima sua radice est compositum ex terra alba, nimium subtili, sulphurea, cum aqua clara fortiter admista, donec fiat substantia una, non quiescens in superficie plana. Est enim homogeneum in natura: quoniam aut remanet totum in igne fixum, aut totum ex eo volat in fumum, cùm sit incombustibile & aëreum. Et hoc est signum perfectionis: & ideò cùm postea in terra sulphurea decurrit calefactum, superiùs ascendit: quoniam de sua natura est, ut per calorem sublimetur: veruntamen continua sublimatione nimiùm depuratur, decoquitur, & inspissatur, ac in sulphur album & rubeum gradatim congelatur. Quod quidem sulphur dissolvitur multoties, & postea congelatur per argentum vivum, illius sublimati inceratum caloris actione, donec vix in millib. annorum successivè opere naturæ in metallum congelatur perfectum. Et hoc quidem in vasis mineralibus, ipsa natura mediante operatur metalla. In istis ergo operibus naturam imitari oportet, quicunque velit perficere medicinam imperfectorum perfectiorem.

CAP. II.

Quòd Argentum vivum est medicina omnium metallorum.

DIcit ergo Aristoteles, quòd Argentum vivum est Elementum omnium liquabilium: quoniã omnia liquabilia cùm ligantur, in eo convertũtur, & admiscetur cum ipsis; quia est de substantia eorum: licet ista corpora differant in cõpositione sua ab argento vivo, eo modo quo ipsum fuit purũ à sulphure immundo

immundo sibi extraneo. Fit enim argentum vivum ex vero sulphure non urente. Nam ut dixit Philosophus: Sulphur album non urens congelat Mercurium in bonam Lunam. Et illud est res optima quam suscipere possunt qui Alchimiam operantur, & convertunt illud in argentum bonum. Si verò sulphur purum, mundum & optimum fuerit cum rubore clarum: & fuerit in eo vis igneitatis sulphureæ non urentis, erit res optima, quam suscipere possunt Alchimistæ, ut ex eo faciant Solem. Si enim fuerit argentum vivum bonæ substantiæ, & sulphur non purum adurens, convertet ipsum argentum vivum in æs. Argentum etiam vivum si fuerit petrosum, immundum, terreum, & sulphur non mundum fiet ex eo ferrum. Stannum verò videtur habere bonum argentum vivum & purum: sulphur autem malum, & non bene mistum. Plumbum verò grossum argenti vivi & malum, & ponderosum & luteum: Sulphur autem malum mali saporis & fœtidi ac virtutis debilis: unde non bene coagulatur. Hæc de verbo ad verbum sunt verba Aristot. in quarto lib. Meteororum: Cui Philosopho naturali in omnibus est credendum, non fabulis nec operibus mendacibus, ab operibus naturæ omnino extraneis. Et qui credit in mendaciis, secretum Philosophorum perdit.

CAP. III.

Quòd Sulphur extraneum sive vulgi est causa imperfectionis omnium metallorum.

NOtate ergo verba, signate mysteria: quoniam tota veritas istius scientiæ, ex jam dictis Philosophorum est corripienda, eò quòd à vanitate relinquatur, per ipsam duplicem corporis superfluitatem in esse: unam quidem in profunditatem argenti vivi inclusam in principio suæ mixtionis supervenientem: alteram extra naturam suæ naturæ, & corruptibilem: quarum ista cum labore tollitur: altera verò nullo artificis ingenio tolli potest. Quare sulphureitas adustibilis calcinatione ignis tollitur, vel à corporibus deletur. Et illud ideo: quia argentum vivum tenet, & ab adustione defendit illud quod suæ naturæ est: alterum respuit igni exponens, qui ipsum inficit: unde est amicabile & suæ naturæ placabile. Ipsum argentum vivum argento vivo magis adhæret, & etiam magis amicatur: post illud verò aurum: post illud argentum. Unde ex hoc relinquitur, ipsa duo magis participare suam naturam: talia verò corpora non habent tantam conformitatem ad ipsum: quoniam habent in se sulphur extraneum, terreum, immundum, & fœtidum. Ideo & ipsa verè dicere possumus, quòd minus participant naturam: quoniam sunt corpora fœtida adustibilia. Et illud ideo: quia sulphur quoquo modo præparetur per artificium, semper comburit & comburitur, & nigredinem in omni opere præstat. Ideo enim dicit Avicenna: In magisterio nostro non intrat: quoniam non est de argento vivo, vel de argenti vivi substantia, nec de perfectione ejus, cum ipsum semper inficiat, denigret & corrumpat. Relinquitur ergo, argentum vivum corporum esse perfectissimum, & adustionis esse salvativum, eò quòd corpora illa omnino comburuntur, quantò plus suam naturam participant & possident. Unde patet quòd multa qualitas argenti vivi est causa perfectionis in corporibus: multa sulphureitas est causa corruptionis: id est, quod quædam magis, quædam minus comburuntur secundùm examinationem ignis, ut illa quæ sunt pluris sulphureæ quantitatis continentur magis, quæ verò minus, minus. Habet enim sulphur in se duas causas corruptionis, puta inflammabilem substantiam, & terream fœtulentiam: quarè per primam naturam stare facit: quoniam comburit semper & comburitur, ac semper nigredinem in omni opere præstat. Per alteram verò neque fusionem habet, neque ingressionem: quoniam si fixum fuerit, prohibet fusionem, & ipsum nunquam figitur: nisi priùs calcinetur, nullo modo funditur in artificio, quoniam in terrenam substantiam redigitur.

CAP. IV.

Quod solum Argentum vivum est perfectio omnium metallorum.

HOc autem in argento vivo minimè contingit: quoniam figitur absque eo quòd in terram vertatur: & similiter figitur conversione ejus in terram. Nam per festinantiam ad ejus fixionem, quæ fit per præcipitationem, figitur, & in terram vertitur, & per successivam iterata vice illius sublimationem figitur similiter, & non vertitur in terram, imò dat fusionem metallicam. Et illud ideo est quia viscosam & densam habet substantiam: cujus signum est constrictio illius cum imbibitione, & commixtione cum rebus sui generis fortitus, Itaque manifesta in illo viscositas illius propter multam sui adhærentiam constat. Densam autem illud habere substantiam, manifestè videt monoculus, propter gravedinem sui ponderis immensi: quoniam præponderat auro, dum in sua fuerit natura. Est autem fortissimæ compositionis & naturæ uniformis: quia non separatur in partes, ut nullatenus se dividi permittat: quia aut cum tota sui substantia in igne permanet stans, aut ex igne recedit cum tota sua substantia. His ergo relinquetur argentum vivum figi posse sine ipsius humiditatis radicalis consumptione, & absq; illius in terram conversione. Et ideo notatur in eo causa perfectionis vera: quoniam ipsum solum ad fusionis perfectionem sufficit in unoquoque gradu, scilicet cum ignitione & sine ignitione. Propter enim bonam partium adhærentiam, fortitudinem suæ mixtionis, si aliquo modo partes illius inspissentur per ignem ulterius non permittit se corrumpi, nec per ingressionem furiosæ flammæ illud se in fumum patitur evolare: quoniam rarificationem sui non suffert propter sui densitatem, & adustionis carentiam, quæ per sulphureitatem quam non habet perficitur. Hoc satis sufficiēter probatū est superiùs.

Sulphur quod est terra sicca gravis esse dicimus perfectionis corruptivum: quoniam si fixum fuerit, fusionem rectam impedit: ut patet in ferro quod non funditur: quia sulphur fixum in se habere cognoscitur. Si verò fixum non fuerit, fusionem rectam impedit, vel anticipat, vel ab igne corrumpitur, comburitur & evaporat: ut patet in plumbo & aliis corporibus infirmis. Et ideo sulphur non est de virtute nostræ artis, neque de perfectione ejus: quoniam perfectionem impedit in omnibus operibus suis: sed Mercurius vivus in omnibus suis operationibus est manifestè perfectissimus & probatissimus: quoniam adustionis est salvativus, effusionis effectivus cum figitur: & est tinctura ubertimæ perfectionis, fulgidi splendoris. Et non recedit à commixto, donec est, & est amicabilis, & metallis placabilis, ac medium conjungendi tincturas: quoniam miscetur per minima cum ipsis. Et etiam in profundo naturaliter adhæret: quia est de natura ipsorū: veruntamen cum Sole & Luna miscetur faciliter: eò quòd ipsa magis naturam suam participant: attamen non submergit aliquid in eo nisi Sol.

Ex hoc itaque secretum elicias maximum: quòd

Mercurius in ſe recipit, quod ſuæ naturæ fuerit, & alienum reſpuit, eò quòd ſua natura gaudet magis quàm extranea. Ex hoc enim manifeſtè relucet, corpora majoris eſſe perfectionis, quæ plus Mercurii ſunt continentia: & quæ minus, minoris.

Laudetur ergo omnium opifex Deus glorioſus & benedictus, cauſator optimus & altiſſimus, qui ex vili creavit precioſum, ut cum mineralibus maximè in natura teneat ſymbolum, & dedit illi ſubſtantiam, & ſubſtantiæ proprietatem, quam contingit ullam minimè ex rebus in natura poſſidere: quoniam ipſum ſolum eſt quod ignem ſuperat, & ab igne non ſuperatur, ſed in eo amicabiliter quieſcit gaudens: ipſum namque ſolum cùm ſit metallicum, continet in ſe totum quo indigemus in noſtro magiſterio: quoniam omnia alia cùm ſint combuſtibilia, igni cedunt, & in favillam deficiunt.

CAP. V.

Quòd Argentum vivum continet in ſe ſulphur ſuum.

MAnifeſtum eſt igitur quòd argentum vivum continet in ſe ſulphur ſuum bonum fixum, quo coagulatur in aurum & argentum, ſecundum diverſum diſponendi modum. Nam ſecundum Philoſophum argentum vivum, etſi fuerit purum, coagulabit illud vis ſulphuris albi non urentis in argentum. Et illud eſt res optima ut per artificium Alchimiſtæ faciant Elixir ad argentum. Si verò ſulphur fuerit optimum cum rubore clarum: & fuerit in eo vis igneitatis ſimpliciter non urentis, erit res optima: ut ex eo fiat Elixir ad aurum. Et bene tradidit Philoſophus primò ſulphur album ad argentum, & poſtea rubeum ad aurum: quia non poteſt fieri aurum niſi priùs fuerit argentum: quoniam non eſt tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium: Non ergo poteſt fieri tranſitus de nigro ad perfectum citrinum, niſi fuerit primò album: quoniam citrinum ex multo albo & pauciſſimo rubeo eſt compoſitum. Nec poteſt fieri etiam de citrino tranſitus ad album, niſi priùs fuerit nigrum: quoniam non poteſt aurum fieri argentum, niſi primò fuerit deſtructum, & córruptum, & nigrum: quia quod eſt melius, non poteſt fieri deterius, niſi per ſui corruptionem. Nam generatio unius eſt corruptio alterius: ideo qui ſcit aurum convertere in argentum: ſcit & argentum convertere in aurum: quoniam ſulphur non urens album ad argentum, poteſt fieri per majorem digeſtionem ſulphur rubeum ad aurum: quoniam citrinatio nihil aliud eſt, quàm completa digeſtio: nec albedo aliud eſt, quam nigredinis ablatio. Calor namque agens in humido, efficit primo nigredinem, & agens in ſicco operatur albedinem: & in albo citrinitatem. Et hoc quidem in calcinatione plumbi attendi poteſt, quod convertitur in cinerem nigrum: poſtea in album: deinde in nimium citrinum, vel rubeum. Sic ſulphur album vel rubeum, habetur ex una metallorum materia ad plenum depurata, modo tamen diverſo digeſta & decocta. Idcirco dicit Philoſophus, quòd omni argento ineſt ſulphur album, ſicut omni auro ineſt ſulphur rubeum. Sed tale ſulphur non invenitur ſuper terram, ut dicit Avicenna: quòd in iſtis duobus corporibus exiſtit. Et ideo iſta duo corpora ſubtiliter præparemus, ut ſulphur & argentum vivum de illa materia habeamus ſuper terram de qua aurum & argentum efficiebatur ſub terra. Ipſa namque corpora lucentia ſunt, quibus inſunt radii tingentes, cætera corpora albedine & rubedine vera, ſecundum quòd ipſa fuerunt præparata. Nam per noſtrum magiſterium corpus perfectum juvat, & imperfectum perficit ſine admixtione alterius rei extraneæ. Aurum itaque cùm ſit precioſum, omnibus metallis eſt tinctura rubedinis tingens, & transformans omne corpus. Argentum verò eſt tinctura albedinis perfecta albatione tingens cætera corpora. Cum illis namque corporibus, ſcilicet Sole & Luna miſcetur Mercurius, & figitur per ipſa maximo ingenio, quod minimè pervenit ad artificem duræ cervicis.

CAP. VI.

Quòd unus eſt Lapis Philoſophorum.

OPortet igitur inquiſitorem hujus ſcientiæ conſtantis voluntatis eſſe in opere. Nemo hoc modo illud præſumat attendere: quoniam in rerum multitudine ars noſtra non perficitur: una enim eſt. Eſt enim lapis unus, una medicina, cui nil extranei additur, nec diminuitur, niſi quod ſuperflua removentur. Omne enim ſulphur, linternum: id eſt, vulgare, vel butyrum argenti vivi, eſt extraneum, eò quòd ſui ipſius eſt deſtructivum, vel corruptivum. Econtrà verò illud non eſt extraneum, in quo habet ipſum converti per magiſterium noſtrum, ſcilicet in aurum & argentũ. Nihil ergo convenit rei, niſi quod eſt ei propinquius, ex ſui natura. Non enim generatur ex homine niſi homo, neque ex aliis animalibus niſi ſimilia ſibi. Quoniam quodcunq; quod generatur, ſibi ſimile conſequitur. Vera igitur utamur natura: quoniam non emendatur, niſi in ſua natura, cui nihil alienum jungitur. Nolite ergo introducere, nec pulverem, nec aquam, nec ullam rem: quippe diverſæ naturæ lapidem noſtrum non emendant, nec intrant in eo, quòd non ſit ortum ab eo: quoniam ſi aliqua extranea ſibi apponantur, ſtatim corrumpitur, & non fit ex eo quod fieri quæritur. Ex rebus ergo corporalibus maximè convenientibus in natura, neceſſàriò eſt medicinam colligere. Unde oportet, quòd ipſa medicina illis in natura conveniat, & eis in profundo maximè cohæreat: ita quòd diminutum perficere compleat, & etiam quòd Mercurius per minima ante illius fugam miſceatur: ſed nullum corpus in ſua natura manens Mercurium coagulat, nec ei firmiter adhæret: nec etiam ipſe Mercurius per ſe medetur infirmis corporibus: quoniam in examinatione ſeparatur ab eis. Nam groſſa ſimplicibus, & ſimplicia groſſis minus bene conveniunt. Subtilioris ergo ſubſtantiæ, & liquidioris fuſionis neceſſe eſt illam medicinã eſſe, quàm ipſa corpora: & fixionis ac retentionis, quàm ſit argentum vivum in ſua natura.

CAP. VII.

Ex quibus extrahitur Lapis Phyſicus.

QUæri ergo non immeritò poteſt: unde hæc noſtra maximè poſſit elici medicina. Quibus reſpondentes dicimus, quòd in quibus eſt, ex illis elicitur. Eſt autem tàm in corporibus, quàm etiam in argento vivo ſecundum naturam, cùm unius ſint reperta naturæ: ſed in corporibus quidem difficilius, in ipſo verò Mercurio vivo propinquius, non autem perfectius. Et illud ideo: quia non eſt corpus dignius Sole, aut purius, aut ejus umbra, ſcil. Luna, ſine quibus nullum argentum vivum generatur tingens. Qui verò abſque iſto argento tingere nititur, cæcus procedit ad practicam, ſicut aſinus ad cœnã: nam aurum aureum, argentũ argenteum tribuit colorem. Qui ergo argentum vivum cum Sole & Luna tingere novit, venit ad arcanum, quod dicitur Sulphur album, optimum ad argentum, quod cùm rubeum efficitur, erit ſulphur rubeũ optimum

mum ad aurum. Ab illis igitur corporibus extrahitur sulphur nimium album & rubeum, cùm in ipsis sit purissima sulphuris substantia, ingenio naturæ summè depravata: quòd secundum Albertum clarius est & subtilius: quia in deprauatione ipsius est ars debilior natura, nec consequitur eam, licet, multùm laboret. Pater enim ejus est Sol, Luna mater est: quia ex illis corporibus cum suo sulphure, vel arsenico præparato, nostra elicitur medicina. Ex corporibus similiter Solis elici potest ipsa. Ex solo autem argento vivo facilius & propinquius, & perfectius invenitur, cùm ipse sit pater omnium istorum luminarium, & omnium liquabilium, ab ipso siquidem omnia sunt: & ideo in ipsum omnia resolvuntur: quoniam natura naturam amplectitur propriam, amicabilius, magisque gaudet cum ea quàm cum extranea. In ipso namque est facilitas extractionis illius subtilis substantiæ, cùm jam in actu habeat substantiam. Relinquitur ergo, medicinam nostram esse purissimam & subtilissimam substantiam, quæ ex argenti vivi materia originem suam ducit, & ex illa creata est. Non est autem materia argenti vivi in sua natura, nec in sua substantia tota, sed fuit pars illius. Non autem quæ est nunc, cùm lapis noster factus est simpliciter est argentum vivum, licet fuerit pars ejus: quoniam ipsum illuminat, & ab adustione defendit & conservat, quod est causa perfectionis. Igitur cujuscunque causa tantùm generationis fit medicina, tàm quidem in corporibus, quàm in ipsius argenti vivi substantia, lapidis precioſi indagatur substantia. Consulo tamen // quòd non opereris, nisi cum Mercurio & Sole ad // Solem & Mercurium, & Luna ad Lunam: quoniam // totum beneficium hujus artis consistit in ipsis tantùm.

CAP. VIII.

Quòd impossibile est, Lapidem perfici ex sola metallorum substantia sive materia.

IGitur si in prima naturæ materia opus nostrum vellemus incipere, esset longissimum & incompossibile, & etiam magnæ, & quasi infinitæ requirerentur expensæ ad hoc perficiendum. Et cùm demum per difficillimum artificium lapis fuerit factus de natura metallorum, tamen opus Philosophicum, sive Physicum nondum est incœptum: quippe quia est necessarium, quòd Lapis Philosophorum elici possit de natura duorum corporum, antequam de eo fiat Elixir completum. Quoniam est necessarium, quòd illud quod est Elixir, magis sit depuratum & digestum, quàm aurum vel argentum, eò quòd ipsum Elixir habet convertere omnia imperfecta alia perfectione diminuta corpora in aurum vel argentum, quod ipsa minimè perficere possunt: quia si de perfectione sua alteri darent, ipsa imperfecta existerent: eò quia non possunt tingere, nisi quantum se extendunt. Et ad hoc fiet operatio in lapide nostro, ut melioretur ejus tinctura in eo plus quàm in sua natura, & ut fiat Elixir juxta Sapientum allegoriam, compositum ex speciebus limpidis, condimentum, antidotum, medicina, purgamentum omnium corporum purgandorum, & transformandorum in solificum & lunificum verum. Sed moderni operantes, finem credunt operis esse cùm incipiunt opus: quoniam tamen in tantum laboraverunt, quod opus eorum fit de natura metallorum, credunt compleviſſe Elixir perfectum. Sed quando faciunt projectionem, nihil ibi inveniunt: qui operari desistunt, ubi incipere debuissent.

CAP. IX.

Quid sit Opus primum Physicum.

OPus namque Philosophorum est dissolvere lapidem in suum Mercurium, ut in primam reducatur materiam. Unde Philosophus in quarto Meteororum, hujus artis sophisticos illudit artifices Alchimiæ, dicens: Species transmutari non posse: quod quidem similiter verum est, nisi ut species ipsæ (ut postea subdit) in primam suam materiam rediguntur, quæ quidem materia prima est argenti vivi, cùm ipsum sit elementum omnium ductibilium. Tunc enim in aliam formam quàm priùs erant bene permutantur: non quidem species, sed individua specierum, quoniam ipsa individua actionibus sensibilibus sunt subjecta, eò quòd in se sunt corruptibilia. Species verò cùm sint universales, actionibus sensibilibus non sunt subjectæ, & ideo non sunt in se corruptibiles. Species igitur argenti, quæ est argenteitas, non mutatur in speciem auri, quæ est aureitas, nec è converso: quia species verè permutari non possunt, sed individua specierum bene permutantur, cùm in primam suam materiam rediguntur: quia cùm forma istius fuerit corrupta, vel illius, vel in primam materiam resoluta, bene permutatur, & necessariò introducitur alia forma: quia corruptio unius est introductio alterius. Et scias, quòd nulla materia potest ita destrui, quin sub aliqua maneat forma: unde destructa una forma, immediatè introducitur alia, ad hanc operationem, vel ad illam disposita. Et ideo dicit Philosophus: Indiges tu qui vis operari quod in solutione, & sublimatione duorum luminarium primò labores, quia primus gradus operationis est, ut fiat argentum vivum ex ipsis. Notate ergo verba, signate mysteria: quoniam in hoc opere declaratur, quis sit lapis, cum principium sui operis sit dissolutio ipsius. Oportet igitur sub'i nare, figere, & calcinare ipsum, ut sic demum solvatur in argentum vivum, quod Philosophis est contrarium. Unde etiam dicunt Philosophi: Nisi corpora fiant incorporea, sive non corporea, vel volatilia, & è converso, nihil operamini. Verum ergo principium nostri operis est dissolutio lapidis: quia corpora soluta in naturam primam spirituum sunt redacta, nisi quia magis sunt fixa: quia spiritus sublimatur cum eo. Nam solutio corporis fit cum congelatione spiritus, & congelatio spiritus est cum solutione corporis: tunc enim miscetur cum spiritibus vel spiritu, & fit unum corpus cum eis, vel cum eo, & nunquam separantur: sicut nec aqua mista cum aqua. Quoniam omnia tunc ad suam naturam homogeneam primam sunt redacta. Prima verò homogeneitas metallorum est // argentum vivum. Cùm ergo in ipsa homogeneitate // solvuntur, insimul conjunguntur, & nunquam separantur: quoniam tunc utrunque agit in suum socium // sibi similem. Et ideo dicit Aristoteles, quòd Alchimistæ corpora metallorum verè transmutare non possunt, nisi priùs ipsa redigantur ad suam primam materiam: tunc enim in aliam formam quàm priùs erant, bene rediguntur. Quoniam contra hoc non stat ratio: quippe quia destructa una forma, immediatè introducitur alia, ut patet ex operibus rusticorum, qui de lapidibus faciunt calcem, & de cineribus vitrum. Sic & multò fortius potest sapiens studio suo per magisterium naturale, seu artificium nostrum ista corpora corrumpere, & illis novam formam introducere: quia intentio nostræ operationis non est aliud, nisi quòd eliciatur, &

eligatur puriſſima ſubſtantia Mercurii in iſtis corporibus: quoniam Elixir conſiſtit in illis tantùm,& non in aliis.

CAP. X.

Quid ſit Lapis, & quo indiget in operatione, ut ſit Elixir completum.

HIc igitur eſt lapis noſter famoſus: quia non fit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium. Extrema autem noſtri lapidis in primo latere eſt argentum vivum: in ſecundo verò eſt Elixir completum. Media namque iſtorum aliqua aliis ſunt magis depurata, decocta & digeſta: & illa ſunt meliora & operi propinquiora, quod te chariſſime ignorare non credo,ſed bene ſcire.Non ergo ob hoc erres: quoniam ſi ſeminaverit homo hæc & metet. Nam ſemen ſuo ſemini correſpondet, & omne arbuſtum, proprium adfert fructum juxta genus ſuum. Natura quippe eſt ſapiens, ſemper perfici appetens: quoniam in ſe ſemper continet incrementum ſuum. Idcirco dicit Avicenna: Niſi aurum & argentum viderem pro certo dicerem, quòd Alchimia non eſt vera ars. Igitur quamvis lapis noſter hic tàm in ſe tinctúram materialiter contineat, quàm in corpore tenue creatus à quocunque per ſe motum non haberet, ut ſit Elixir completum, niſi moveatur arte & operatione. Et ideo artes diverſæ à diverſis Philoſophis ſunt inventæ,ut compleatur per artificium, quod à natura eſt relictum incompletum: quoniam natura prona eſt ad ſui perfectionem: Prudenter ergo & non caſualiter operare, & ſcias naturas lapidis & fortitudines, & quis lapis, cujus lapidis ſit amicus vel inimicus. Vide quòd agnoſcas quòd ipſe fecerit. Et antequã ſcias,groſſum fac gracile, ponderoſum alleva, aſperum lenifica, durum mollifica, amarum dulcifica, & habebis totum magiſterium. Scias ergo quòd ſuarum operationum aliæ medicinæ auri, quibus convenit participare argento in aliquibus, & in aliquibus diverſificare: quoniam in principio ſuæ operationis opus auri & argenti per omnia convenit: in modo verò fermentationis diſconveniunt: quoniam fermentum operis argenti argentum eſt.Fac ergo unamquamque ſpeciem cum ſua ſpecie: & unumquodque genus in ſuo genere: quoniam opus albi ad albificandum, & opus rubei ad rubificandum. Non ergo miſceas opus unius lapidis cum opere alterius lapidis: quoniam vehementer errares ſi ſecus faceres. Alia quippe corpora poſſibile eſt quòd ſeparentur, ſed non erunt bona ſicut illa:quippe quia medicinam quam non habent, dare non poſſunt, impoſſibile ſiquidem eſt, non fixum figere & immundum mundare: quia non invenitur in re, quod in ea non fuerit antea: nec aliquis dare poteſt quod non habet. Quare licet uti poſſis, vel indiges tu cùm non poſſis habere in iſtis illud quod eſt majoris temperantiæ, & minoris fæcis,ſi indigueris uſu eorum, oportet primò ut convertas ea in ſimilitudinem duorum corporum perfectorum: quod nunquam fiet, niſi Sol & Luna in uno corpore conjuncta projiciantur deſuper ipſa: quippe quia Mercurius cùm ſit de ſua natura converſivus, ſit unumquodque cum ſingulis quos amplectitur ex planetis. Si jungatur cum plumbo, plumbum erit: ſi cum ferro, ferrum erit: & ſi cum aliis corporibus erit conſimile eis. Si autem cum iſtis duobus jungatur radiis, fit Elixir perfectum. Non ergo operandum eſt, niſi de iſta nobili materia: quia non fiunt res aliqua ratione, niſi ſecundùm eorum naturam. Quicunque ergo quærit à natura quod in ipſa non eſt, fatuitas eſt & perditio laboris. Non comedas ergo de filio cujus mater menſtruum patitur. Quem ſi comedis leproſus, & tu, & opus tuum: ſed fruſtum comede de carne pingui,& habebis aurum & argentum quantum volueris. Et non quæras à natura quod in ipſa non eſt: quoniam fatigares animam tuam in vanum. Hæc extracta ſunt à Morieno doctore veraciſque Philoſopho. Nihil reputans inde lucrum ſi ita faceres, ſed bene facias unguentum de Sulphure & blanqueto: quoniam res, cujus caput eſt rubeum, pedes albi, oculi verò nigri, eſt magiſterium. Intellige quod dico: quoniam omnia vere ſunt veriſſima: qualia nunquam Philoſophus aliquis tradidit meliora.

Explicit liber Primus.

CAPITA LIBRI II.

De inveſtigatione perfecti Lapidis Philoſophici. Cap. I
De regimine, II
Quomodo depuretur Mercurius, III
De lapidis inhumatione, IV
De capitulatione tertii regiminis, V
De ſecundo regimine quod eſt abluere. VI
De diviſione lapidis per quatuor elementa, VII
De ablutione aquæ, VIII
De ablutione aeris, IX
Quomodo ab omni re extrahatur oleum, X
Quæ differentia eſt inter aquam & oleum, XI
De ablutione ignis terræ, XII
De cauſa ablutionis ſecundum Plat. XIII
De tertio regimine, quod eſt reducere, XIV
De modo reducendi aquam ſuper terram, XV
De modo ſublimandi & albificandi terram, XVI
Quomodo ſulphur album fit rubeum, XVII
De recapitulatione tertii regiminis, XVIII
De quarto regimine quod eſt figere, & quod fermentum album fixum eſt neceſſarium ad figendum, XIX
Quod pondus fermenti debet excedere pondus ſulphuris, vel eſſe æquale, XX
Quæ ſunt utilitates magiſteriorum, XXI
Quomodo debemus ſervare qualitatem uniuſcujuſque, XXII
Quomodo elementa ſunt corrigenda, & quomodo acquiratur fuſio medicinæ, XXIII
De ponderibus obſervandis in fixione, XXIV
De fixione Elixiris in compoſitione ad album. XXV
De reductione aeris ſuper Elixir album, XXVI
De iteratione Elixiris albi, XXVII
De compoſitione Elixiris rubei, XXVIII
De multiplicatione medicinarum, XXIX
Quomodo intelligitur ſolutionem & ſublimationem fieri XXX
De modo faciendi projectionem, XXXI
De recapitulatione totius magiſterii. XXXII

CAP. I.

De Inveſtigatione perfecta Lapidis Phyſici.

MAnifeſtum eſt ergo per operationem medicinæ eſſe operationem naturæ, ipſamque medicinam eſſe eandem naturam: eò quod ipſa in medicina ſolùm eſt compoſita ex natura. Certum quippe eſt, omnem rem eſſe de eo, in quod reſolvitur, nam gelu convertitur in aquam calore mediante. Clarum eſt ergo, aquam ipſam priùs fuiſſe, quàm ipſum gelu. Sic omnis lapis noſter reſolvitur

in

in argentum vivum per magisterium nostrum: ergo prius ipse fuit argentum vivum. Modus autem convertendi ipsum argentum vivum est conversio naturarum in suam primam radicem: naturam namque convertere, est elementa circulariter rotare: sunt autem elementa de aptitudine sua ad invicem conversiva, & ideò generantur, & corripiuntur & ad invicem alterantur. Converte ergo elementa, & quod quæris invenies: quia nostra operatio non est nisi naturarum mutatio, & eorum elementorum frigidi cum calido, humidi cum sicco amicabilis commixtio. Veruntamen non convertitur siccum in humidum, nisi prius fuerit frigidum: id est, aqua: nec frigidum convertitur in calidum nisi prius fuerit humidum: namque transitus non fit ab extremis nisi per medium. Terra non convertitur in aërem, nisi prius vertatur in aquam: Aër quippe & aqua sunt elementa media: ignis & terra sunt elementa extrema: aër verò est juxta igaem, sicut terra juxta aquam: & ideo quia aqua contrariatur igni, & terra aëri, quia aqua frigida est & humida, & ignis calidus & siccus, terra verò frigida & sicca, aër autem calidus & humidus est, Et sic aqua & aër conveniunt in humiditate, ignis & terra in siccitate: & ideo unum in aliud convertitur: & similiter ad invicem separantur. Econtrà autem aër & terra, ignis & aqua ad invicem non convertuntur, nisi ignis in aërem, & terra in aquam priùs convertantur. Si ergo siccum convertitur in frigidum, & frigidum in humidum, ac humidum in calidum, & calidum in siccum: tunc habebis totum magisterium. Modi verò regiminis ad invicem convertentes, sunt quatuor principales, scilicet solvere, abluere, reducere & figere. Solvere grossum in simplum & subtiliare: abluere, obscurum in lucidum: reducere humidum in siccum: figere volatile supra corpus fixum. Solvere, est dividere corpora & materiam, vel naturam primam facere. Abluere, est inhumare, distillare & calcinare. Reducere, est incerare, impinguare vel impræguare, subtiliare: Figere est desponsare, resolvere & coagulare. Per primum mutatur natura interius, per secundum exterius, per tertium superius, per quartum inferius.

CAP. II.

De primo Lapidis Regimine.

LApidem siccum, grossum dissolvere in argentum vivum, ut in suam reducatur materiam primam. Et hoc tum solum fit argentum vivum, eò quod ipsum solum habet Solem & Lunam ad suam materiam, vel materiam primam redigere. Sed argentum vivum habet in se fœculentiam terream & adustibilem absque inflammatione & aqueitatis substantia, necesse est superflua demere, & absentia implere vel supplere, si plenam medicinam volumus facere, vel trahere. Terrenam autem fœculentiam oportet omnino per sublimationem demere, nec humidum in projectione creet calorem & aqueitatem ipsius. Simili modo fugitivam oportet quoad medicinam illius substantiam salvare, de cujus proprietate est mundare, & ab adustione defendere, & etiam figere, ac fixum facere. Ideoque contingit ex ipsius medicinæ diversitate, secundum ejus diversam depravationem, quandoque creari Saturnum ex illa, quandóque Jovem, quandóque Venerem, quandóque verò Martem, quod ex impuritate necesse est evenire, vel accidere.

CAP. III.

Quomodo depuratur Mercurius, & purgatur.

INgenium igitur ipsius terreæ substantiæ superfluæ remotionis, est ipsum semel vel bis sublimare à vitro & sale, donec ipsius albissima sumatur substantia. Cùm verò albissima ascenderit, projice in ferventi aqua, donec redeat in argentum vivum. Pòst tolle ab eo aquam, & operare cum eo: quoniam non est bonum operari cum ipso, nisi priùs hoc modo purgetur. Unde dicit Avicenna: Primùm quoque facere incipere est, quòd sublimetur Mercurius: postea solve eum ut redeat in primam materiam suam, & sublima totum. Tunc in hoc Mercuriò mundo mitte corpora munda, æquali lance librata: veruntamen non misceas corpus album cum rubeo, nec corpus rubeum cum albo: sed unumquodque seorsim dissolves in partem, quoniam aqua alba est ad albificandum, aqua rubea ad rubificandum. Non ergo misceas aquam unius lapidis cum aqua alterius, aut cum alio lapide: quoniam vehementer errares & excœcaberis, si secus feceris. Ab hinc vice post vicem contere & imbibe, & coque in balneo Mariæ: pòst distilla per filtrum quousque transeat ipsum: collige tamen ad partem supereminens nigrum: quoniam illud est oleum, ac verum dissolutionis signum: quia quod est solutum, pervenit ad sublimitatis finem, unde separatur ab inferioribus, ascendens sursum, & petens altiora loca, ut corpus aureum. Custodi autem ipsum cautè, ne evolet in fumum, & quod facis in albo, facias etiam in rubeo: quoniam hæc medicina in essentia est una, & in modo agendi similiter una: est tamen in rubea additamentum citrini coloris: quia sulphuris fixi substantia mundissima efficitur. Differentia tamen inter solarem & lunarem medicinam: eò quod hæc quidem illud continet, illa verò non: quoniam indiget mundissimo sulphure albo, sicut hæc indiget rubeo. Sufficiunt hæc duo corpora, eò quòd assimilantur quæsito, vel illi quod quæris. Sed indiges quòd in solutione, sublimatione, & subtiliatione eorum labores. Sunt enim fortia, & indigent præparatione longinqua & operatione continua, ut primò calcinentur, & postea solvantur: quoniam cùm calcinata fuerint faciliùs solvuntur: eò quia calor ignis penetrans partes corporis, facit aquam ingredi post ipsum: & sic est magis solutionis susceptivum. Veruntamen si calcinaveris corpus grossum, quod etiam dissolutivum est, pone ad partem, & quod remanet in filtro, accipias cautè ipsum, ne perdatur in fumum, & pereat magisterium. Idcircò cùm istud grave sit perficere & difficile, expedit corpora solvere per aquam solum: id est, per argentum vivum sine calcinatione: quoniam istud est securius, licet in operatione sit tardius. Esto ergo longanimis, & non festinanter extrahas tincturam, nec festinanter aut velociter quæras perficere: quia primus error in hac arte est festinatio: quia comburit omnia, & ad remotum perducit. Nam ignem si multum feceris, in principio mixtionis ejus eveniet in tincturis detrimentum: quoniam comburuntur medicinæ per nimias caliditates. Unde versus:

Dissipa rem captam prius per partem satis aptam,
Leviter extractam sic massam contere factam.
Hæc non festinè, sed temporis ordine fine.
Albumen urinæ disponit membra ruinæ.

Patienter igitur sustine, & contere, & coque, reitera, & non tædeat te hoc ipsum reiterare: quia quæ

imbibunt ir, per aquam mollificantur. Et quantò magis ter.s, tantò magis partes groſſas ſubtilias, donec uniantur, & ab invicem non dividantur: quoniam ſpiritus cum corpore tunc inſpiſſantur, & omnia quæ impaſtantur, diſſolvuntur, & impaſtatio fit cum nimia trituratione & aſſatione. Nam per contritionem, & inceration em, ac aſſationem dividuntur partes ligatæ viſcoſitate aquæ, quæ viſcoſitas eſt in corporibus. Corpora verò ſoluta ad naturam ſpiritus ſunt redacta, & nunquam ſeparantur, ſicut nec aqua miſta aquæ: quippe, quia natura lætatur: quoniam ſponſa cum ſponſo copulatur: quæ verò non diſſolvuntur, non habent partes ſubtiles, niſi mollifices. Ideo chariſſime indiges, quòd in diſſolutione lapidis labores, ſcilicet partes ſuas priores diſgregas ab ipſis, ut gravioribus partibus abjectis, opus cum levioribus perficiatur.

CAP. IV.

De Inhumatione Lapidis.

LApide autem diſſoluto, accipe totum, & pone ſuper calorem temperatum, ut putrefiat & digeratur meliùs, videlicet per menſem Philoſophorum: id eſt, per triginta dies: quoniam aduſtio in animalibus per inhumationem tollitur, & decoctionem: Decoquas ergo completè, ut ebulliant omnia levi igne, & in ſuam materiam primam redeant, & ſint argentum vivum. Hoc autem habito ſolvitur illa authoritas Ariſtot. in quarto Meteororum: Sciant artifices Alchimiſtæ: Species rerum tranſmutari non poſſe, quòd quidem verum eſt, niſi priùs, ut ſubditur, in ſuam primam reducantur materiam. Tunc autem in aliam formam quam priùs erant, bene permutantur, non quidem ſpecies, ſed individua ſpecierum permutantur: quoniam ſunt corruptibilia ipſa, & actionibus ſenſibilibus ſubjecta: Materia namque nullo modo poteſt ita deſtrui, quin ſemper maneat ſub aliqua forma. Unde ſoluta prima corporis forma in Mercurio, immediatè introducitur nova forma, corrupta ipſorum forma, quæ quidem forma eſt in colore nigra, in odore fœtida, & in tactu ſubtilis & diſcontinuata: & hoc eſt ſignum perfectæ diſſolutionis corporum: quia calor agens in humido primò generat nigredinem, quæ quidem nigredo eſt caput corvi: ſed eſt principium operis noſtri, quod eſt diſſolvere Lapidem noſtrum in Mercurium, vel in aquam mercurialem. Modò habes primum regimen operis.

CAP. V.

De Recapitulatione primi Regiminis.

MOdò dicam breviter totum diſſolutionis modum. Sublima ergo primò Mercurium, & deinde ſolvas ipſum: hinc incorpora ipſum, cum terra lota & igne, & pariter decoque, quouſque redeant in ſuam primam materiam. Et hoc ideo fit, ut habeamus Sulphur & Mercurium de illa materia, de qua aurum & argentum efficiebantur ſubtus terram: quia ſi verum ſulphur fuerit & argentum vivum, bene poſſumus ex ipſis aurum & argentum facere. Hoc autem magiſterium non eſt niſi pro divitibus, & pro Mundi altioribus. Et qui habet ipſum, habet theſaurum ſempiternum. In ipſo ergo tria ſunt inquirenda, puta ſubtile ingenium artificis, opera manuum & arbitrium. Quod quidem requirit divitias, ſapientiam, & libros.

CAP. VI

De ſecundo Regimine quod eſt abluere.

SEcundum autem Lapidis regimen eſt abluere nigrum corruptum & fœtidum, ut ſit nimis lucidum, clarum, & à ſordibus vacuum. Quod quidem fieri nullatenus convenit ſine elementorum diviſione & aquarum diſtillatione, & lapidis diſſolutione: quia elementorum duo ſunt lapidea, & duo ſunt aquatica. Lapidea autem ſunt ignis & terra, quia ſunt ſicca. Aquatica verò ſunt aër & aqua: quia ſunt humida. Ignis ergo comedit illud quod in exterioribus exiſtit: quoniam comedit, & vaſtat & devaſtat ſordes aquarum per deſtillationem, & ſubtiliat eas per aëris levificationem. Comminuit etiam groſſitudinem lapidis per calcinationem, & devorat eorum ſulphureitatis ſalſedinem. Et ideo lapis noſter in quatuor elementa dividitur, ut magis ſubtilietur, & ut magis à ſordibus depuretur, & poſtea firmius conjungatur: Sed neque fuit aliquid natum, vel creſcens, nec animatum, niſi poſt putrefactionem. Ideo putrefiunt, ut magis digeſta meliùs ſeparentur. Quippe, quia ſi putrefactum non fuerit, fundi non poterit, nec ſolvetur, & ſi ſolutum non fuerit, ad nihilum redigetur.

CAP. VII.

De Diviſione Lapidis per quatuor Elementa.

ACcipe ergo Lapidem ſic corruptum, & divide ipſum per quatuor elementa per diſtillationem. Primò per levem ignem æqualiter continuatum. Et recipe ſuam aquam: deinde paulatim vigora ignem, donec receperit aërem igne mixtum. Quod verò remanet in fundo combuſtum, eſt terra nigra & ſicca. Et ſcio quòd diſtillatio aquæ debet fieri in balneo mediante eo, quòd ſubtiliores lapidis partes ſine calore, ad naturam ſimplicis aqueitatis approximantes, per eam diſtillabuntur. Aër verò & ignis per cineres diſtillantur, eo quòd per ipſum cùm ignitionem ſuſtineant, contingit calores, & groſſiores terreas partes ſurſum elevari. Subtilior ergo ſeparatio per aquam, cùm non ſubſtineat ignitionem quæ per cinerem elicitur. Iſto ergo modo divides quatuor elementa, eò quòd oportet extrahi de ſua ſubſtantia humida, & non ex alia, quòd in eis eſt major tinctura. De terra verò non cures cujus ſit ſubſtantiæ, dum tamen fuerit alba & fixa ſubſtantia. Terra deſiccat & figit: aqua verò mundificat & abluit: aër verò & ignis tingunt & fluere faciunt. Ideo oportet quod ſit aqua multa, & aër multus: quoniam multitudo tincturæ tanta erit, quanta multitudo aëris erit. Studeas ergo, chariſſime, in omnibus operibus tuis Mercurium ſuperare in commixtione, ut ſatis habeas de aëre: quoniam ſi per ipſum ſolum perficere poteris, pretioſiſſimæ perfectionis naturæ vincentis indagator eris. Veruntamen firmiter teneas, quòd omnium Capitulorum hujus pretioſiſſimæ artis, non excedit pretium ipſarum medicinarum expenſione quinquaginta argenteos ex prima operatione computando. Oportet tamen ipſam Medicinam diutius aſſari ſuper ignem, & nutriti puer in uberibus.

CAP.

CAP. VIII.

De Ablutione Aquæ.

CUm autem habueris elementa, ut dictum est, divisa, ablue ea, scilicet, aquam & aërem septies distillando: ignem verò & terram fortiter calcinando, aquam tamen & aërem separatim destilles: quoniam aër est melior quàm aqua, licet ipsa aqua abluet & dealbet terram, faciensque matrimonium tincturarum: ac aër tingit terram & infundit animam, & facit eam sensibilem: unde oportet, quòd aër & aqua sint à sordibus mundata, & ab adustione tuta, donec sumatur eorum tinctura: quoniam si comburantur, effectu privantur, nisi postea in fine coquantur. Idcirco inhumatio in fimo interposita inter distillationes multum juvat, ut ad perfectæ ablutionis signum melius deveniatur. Quod quidem signum est splendor & crystallina serenitas absque fæcibus, nisi fortè albis. Fæces verò aqua, quas facies in omni ablutione: id est, distillatione vice post vicem ad partem separa, & repone in terra nigra superiùs collecta. Aqua verò septies distillata serva eam ad partem: quoniam ipsa est Mercurius Philosophorum solutivus faciens matrimonium, & aqua vitæ abluens Latonem, & sicut fecisti de alba aqua, sic facies de rubea: quoniam unum & eundem modum habent ablutionis, & consimilem effectum, nisi quòd aqua alba est ad albificandum & aqua rubea ad rubificandum. Non ergo misceas unam cum alia: quoniam errabis si secus feceris.

CAP. IX.

De Ablutione Aëris.

ABhinc autem divide aërem ab igne per distillationem: quoniam quod distillatum est, est aër purissimus: quod verò remanet in fundo, est ignis siccus. Considera ergo quæ dixi, ut opereris lapidem humidum, & aquam & terram solùm, & ut utaris lapide sicco ad ignem & aërem tantùm. Aër sanè est oleum, & tinctura, & aurum, & anima Philosophorum, & unguentum, quo totum perficitur magisterium. Intellige ergo quòd ignis cum aëre distillatur, quia conveniunt in casualitate, & non cum aqua, eò quòd aqua refugit ignem: quia contrariantur ad invicem. Aër ergo distillatur cum igne: quia ipsa est aqua tincta, & ejus tinctura est ignis: quoniam corpus est aër spiritus ignem deferens. Si ergo lapidem miscueris cum igne, statim erit rubeus, & semper diligent se. Quodcunque ergo volueris rubificare, rubifica cum igne lapidis, & erit rubeum semper.

CAP. X.

Quomodo ab omni re extrahitur Oleum.

POne ergo super substantiam corporis, cujus oleum extrahere volueris purissimi Mercurii, tantùm quod superveniat quatuor digitis, vel plus, quod melius est: deinde accende sub eo ignem lentum: donec videris ejus oleum: id est, aërem paulatim ascendere, seu elevari super ☿, collige eum cautè, & serva seorsim. Si ergo minuatur Mercurius, adde alium Mercurium mundum, & clausum, & repone ad coquendum: continuè hoc facias, donec sumas ejus oleum, & nihil remaneat insolutum. Distilla ergo totum per alembicum septies: quia ablutio ejusdem est eadem, sicut ablutio aquæ. Quod quidem inhumando & distillando humiditatem debebit fieri, quousque devenerit ad crystallinam serenitatem absque fæcibus, nisi fortè album: cujus signa sunt gutta spissior abscolor, intensior, & levitas aërea ita: quòd si ipsum prædictæ aquæ miscueris, natabit superius. Aërem verò sic ablutum serva seorsim: quoniam est oleum, tinctura, & aurum, anima & unguentum Philosophorum, quod colorat & tingit, & figit, & fluere facit, tingit omnem laminam in eo ter extinctam, in aurum vel argentum, secundum quod ipsum vel album erit vel rubeum. Non ergo misceas oleum auri cum oleo argenti, nec è converso: quoniam oleum albi ad albificandum, rubeum ad rubificandum. Idcirco si illorum corporum oleum multum fuerit, multa erit tinctura: quoniam multitudo tincturæ tanta erit, quanta fuerit olei multitudo.

CAP. XI.

Quæ Differentia est inter Aquam & Oleum.

DIfferentia est inter tincturam aquæ & olei: quia abluit tantùm & mundat, oleum verò tingit & colorat. Exemplum autem hujus est, quia si pannus mergatur in aquam, mundatur ab ea: & quando desiccatur pannus, mundatur ab ea, & recedit aqua, & permanet in statu, & in colore suo in quo priùs erat, nisi quia est magis mundus. E contrà est in oleo, qui si intingatur pannus in eo, non separatur ab eo per calorem ignis vel aëreum, nisi ex toto destruatur, nec poterit separari oleum ab ipso panno, nisi per ablutionem, & ignis desiccationē. Aqua autem est spiritus extrahens hanc animam à corporibus: cùm verò extrahitur anima ab ipsis corporibus, remanet in ipso spiritu: quia spiritus locus est ejus. Anima ergo est tinctura soluta in ipso spiritu deportata, sicut deportatur tinctura tinctorū per aquam super pannum. Deinde recedit aqua per desiccationem, & remanet tinctura in panno fixa propter oleaginositatem. Si ergo est de aqua spiritus, est in quo portatur tinctura aëris, quæ cùm reducitur super terram albam foliatam, statim siccatur aqua spiritualis, & remanet in corpore anima, quæ est tinctura aëris. Spiritus igitur retinet animam, sicut anima retinet corpus: quoniam anima non moratur in corpore, nisi mediante spiritu. Cùm verò conjunguntur, nunquam separantur: quia spiritus retinet animam, sicut anima retinet terram. Vnde præcepit Hermes, animas venari in lapidibus: est enim mansio earum in ipsis. Non ergo sis in venando piger vel lentus, præcavens ne fugiant à te. Si autem fugiant, non accipias eas cum falcone. Sunt autem retentivæ fugitivorum. Cum eis ergo est coagulatio nostra: quoniam retinet fugientem. Seminate ergo animam in terram albam foliatam, quoniam ipsa retinet eam. Quoniam cùm ascenderit à terra in cœlum, iterumque descenderit in terram, recipiet vim inferiorum & superiorum. Non tamen commisceas oleum auri cum oleo argenti, nec è converso.

CAP. XII.

De Ablutione Ignis & Terræ.

OLei verò fæces quas fecerit, collige omni vice, & repone cum igne: quoniam sunt ignis

ac

ac nigredinem tenentes, id eſt rubedinem, quas oportet cum aqua prima terere, & ſuaviter comburere, donec fiat pulvis omnino privatus ab aëris humiditate. Sic enim oportet fæces, etiam aquam cum terra conjungere, igne accenſo fortiter calcinare, quouſque ſit ſubalba humiditate vacua. Calcina ergo ignem cum igne, & terra quouſque fiat munda & nigredine privata. Quod autem aſcenderit ab igne, illud eſt oleum rubeum: quod verò à terra, eſt album precioſum: quippe quia oleum quod tardius à corporibus ſeparatur, precioſius habetur. Conſequere ergo omnia tempore ſuo, partem à parte, & ſerva unumquodque eorum.

CAP. XIII.

De Recapitulatione ſecundi Regiminis.

OPortet ergo te Platonem pro poſſe tuo ſeparationem elementorum exercere, aquam & aërem abluere per deſtillationem, & terram comburere per calcinationem, quouſque non remaneat aliquid in corpore de anima, niſi quòd non ſentiatur in operatione, cujus ſignum erit cùm nihil à corpore evaporabitur, ſi de eo parum laminæ ignitæ fuerit ſuperpoſitum, tunc ſanè erit appropriatum. Nomine ſpiritus, ſubtile, purum & appropriatum: nomine corpus, ſubalbum & ſiccum. Quippe in nulla noſtra operatione eſt neceſſaria aqua, niſi candida: nec oleum, niſi album vel ſubcitrinum: nec ignis, niſi rubeus: nec terra, niſi pallida ſit vel ſubalba. Si autem ita præparaveris elementa, erit terra habilis ad ſolvendum, aqua efficax ad digerendum: & oleum in quo portatur ignis ſuperabundans ad tingendum. Si verò elementa talia non habueris, eſt ſignum erroris. Ergo corrige errorem tuum, quia propinquior eſt operatio, præparatio in eo, quàm in opere novo incipere. Elementa ergo abluta in vaſe ſigillato ſingulariter reſerva, & maximè oleum: quia conſumit ipſum aër propter naturæ ſuæ vicinitatem: & ſcribe ſuper totum ſic.

CAP. XIV.

De tertio Regimine quod eſt reducere.

TErtium regimen lapidis eſt reducere aquam humidam ſuper terram ſiccam, ut recuperet perditam humiditatem; ſed cùm terra ſit ex duobus corporibus, & duo elementa ſint ſicca, dura & lapidea, ignis ſupple & terra in ſiccitate concordant, inſimul ſunt præparanda: quoniam unam habent præparationem. Conjunge ergo groſſitiem ignis cum terra poſt aëris abſtractionem, & præpara inſimul propter temporis abbreviationem, & etiam ut bona ſit eorum commixtio, & non confundatur præparatio, & unus alium bene tingat, & ne urantur ſuper ignis pugnam: unde præparare eos inſimul, eſt magis ſalvum magiſque propinquum: eorum autem præparatio eſt, ut eorum majorem reciperent humiditatem. Corpus namque calcinatum eſt diſcontinuatum, eò quòd ab aqueo eſt omnino privatum. Unde cùm nudum ſit & vacuum, & multum ſitiens, ebibit ſuum humidum aqueum.

CAP. XV.

De Modo reducendi Aquam ſuper Terram.

INfunde ergo primò aquam per vices conterendo, & poſt leviter calcinando, quouſque ipſa terra biberit de ſua aqua quinquageſimam partem ſui, ſciens quòd oportet primò terram nutriri modica aqua, & poſt majori, ſic eſt videre in infantis educatione. Idcirco multum contere terram, paulatim imbibe cum aqua de octo in octo dies, decoque in fimo, & poſtea mediocriter calcina in igne, & non tædeat te hoc multoties reiterare: quoniam terra fructum non gerit abſque frequenti irrigatione. Et ſi trituratio non fuerit bona, donec aqua fiat unum cum terra, corpus nihil proficit. Non ergo ſuſpendas manum à tribulatione triturationis, vel à trituratione & aſſatione, donec aqua fiat ſicca & deſicca à terra alba: quoniam exſiccatio cum forti trituratione & aſſatione terram facit albam. Caveas tamen ne imbibas terram niſi paulatim & paulatim cum longa trituratione, ſupple poſt exſiccationem terræ. Deinde eſt pondus in hoc ubique notandum, ne nimia ſiccitas, aut ſuperfluus humor adminiſtrando corrumpant: ut videlicet tantum aſſando decoquas, quantum diſſolvendo adjecit, & imbibendo diſſolvas, quantum aſſando deficit. Ideo omni vice poſt calcinationem terræ ſuperfunde aquam temperatè, neque multum videlicet, neque parum: quia ſi multum fuerit, fiet pelagus conturbationis: ſi verò parum, comburetur in favillam: quare ſuaviter & non feſtinanter de octo in octo diebus terram irrigabis. Decoques in fimo & calcinabis, donec de aqua biberit quinquageſimam partem ſui. Et nota, quòd poſt imbibitionem debet humari per ſeptem dies. Itera ergo opus multis vicibus, quanquam ſit longum: quoniam non videbis tinctūram, neque proficuum profectum, donec ſit completum. Studeas ergo cùm in omni opere fueris, omnia ſigna quæ in qualibet apparent, in mente tua recordare, & eorum cauſas inveſtigare. Tres quippe ſunt colores, niger, albus, & citrinus. Cùm terra egreditur, nigredo imperfecta eſt, & nigra completa. Qualibet igitur vice paulatim & paulatim vigora ignem in calcinatione, quouſque terra egrediatur alba ex ignis fortitudine. Nam ſicut calor agens in humido præſtat nigredinem, ita agens in ſicco, generat albedinem. Idcirco ſi terra non fuerit alba, tere eam cum aquâ, & poſtea calcina iteratò: quoniam azor & ignis latonem abluunt, obſcuritatem ab eo auferunt. Nam præparatio ſua ſemper fit cum aqua. Ideo qualis limpida aqua, talis limpida terra: & quantò magis fuerit abluta terra, tantò magis alba. Ex multiplici ergo reiteratione imbibitionis, cum forti contritione & frequenti aſſatione aqueitatis Mercurii, major deletur pars, ſcilicet aqueitatis, cujus reſiduum per ſublimationis reiterationem ſimiliter removetur.

CAP. XVI.

De Modo ſublimandi & albificandi terram, ex Recapitulatione totius Magiſterii.

CUm autem terra exhauſerit de aqua quinquageſimam ſui partem, citò illam ſublima fortiori igne quo poteris, donec aſcendat ſurſum ad modum albiſſimi pulveris. Cùm autem videris terram ſicut nix albiſſimam, & quaſi pulverem mortuum aluthel ſpondilibus, & ad latera adhærere, tunc ſuper eum reitera ſublimationem ſine fæcibus inferiùs remanentibus: quoniam adhæreret pars illius fixa, & fixaretur cum fæcibus, & nunquam per aliquod ingeniorum genus poſſet ſeparari ab eis.

eis. Pulvis autem ascendens à fœcibus superiùs, est cinis à cinere & à terra extractus, sublimatus, honoratus. Quod verò remanet inferius, est cinis cinerum, cinis inferior, vituperatus, damnatus, fœx, & sicut scoria. Fac ergo agnitionem inter clarum & limpidum ejus, quoniam cùm albissimum ut nix ascenderit, completum erit. Colliges ergo eum cautè, ne evolet in fumum, quoniam est quæsitum bonum. Terra alba foliata congelans congelandum, & mundificans arsenicum. Et sulphur album, quod Aristoteles dicit, quòd est res optima, quam recipere possunt Alchimistæ, ut de ea faciant argentum. Operare ergo cum ea ad Lunam: quoniam est completum. Et hoc quidem modo perficietur sulphur album non urens.

CAP. XVII.

Quomodo Sulphur album fit rubeum.

IGitur si ad aurum volueris sulphur rubeum, dissolve sulphur album superius collectum in aquam rubeam per contritionem & imbibitionem, & bonam decoctionem dissolutum, congela in lapidem coagulatum. Dissolvè iterum in aquam rubeam: dissolve & sublima totum per ignem fortissimum. Modus namque artificis opus deaurat, dirigit & cooptat quodcunque in similitudinem pulveris. Ascendens sursum est sulphur albissimum: quod verò remanet in fundo deorsum, est sulphur rubeum, tinctum, ut Scarlatta. Et istud est secundùm Aristotelem sulphur optimum non urens, rubeum & clarum, & ex eo faciunt Alchimistæ aurum. Hoc autem argentum vivum convertet per artificium secundùm Aristot. in verissimum aurum. Ex his igitur manifestè relucet, Philosophos verum dixisse, quod stultis videtur impossibile, scilicet quòd unus est lapis, medicina una, dispositio una, opus unum, ac vas unum, ad album sulphur & rubeum simul & semel faciendum. Videntes ergo omnes hujus artis investigatores dictam albedinem in vase apparentem, mirati sunt stare rubedinem in illa albedine occultam: & tunc non oportet illam rubedinem extrahere, verùm & coquere quousque totum fiat rubeum. Sic ergo de mane quando video quòd urina mea est alba, indigesta, statim cognosco, quòd parum dormivi, & repono me in lecto: somno verò recepto urina citrinatur: quia citrinatio non est nisi completa digestio. Hæc verò est verissima compositio albi & rubei sulphuris non urentis, quo per regimen quartum completur Elixir perfectum ad omne diminutum perficiendum in solificum & lunificum verum.

CAP. XVII.

De Recapitulatione tertii Regiminis cùm sublimatur Terra.

NUllus debet sublimare . ram ad opus sophisticum: sed debet subl nare ad Elixir nostrum perfectum: & illa quæ sublimantur: aut per se, quia spiritus sunt: aut cum aliis, quia se incorporant cum spiritibus. Mercurius enim cùm sit spiritus, sublimatur per se. Terra verò nostra cùm sit calx, non sublimatur, nisi quia se incorporat cum Mercurio. Converte ergo calcem & imbibe Mercurium, & decoque donec fiat corpus unum. Et non tædeat te, hoc ipsum multoties iterare, quia corpus, nisi cum Mercurio sit incorporatum non ascendet sursum. Ideo necesse est, ut quantum potius, naturam suam subtilies: & cum Mercurio fortiter pistes, quousque fiat unum: sublimationem non facimus, nisi ut reducantur corpora ad subtilem materiam, scilicet, ut sint spiritus, & quòd corpus sit leve ad regendum in omnes res, sive in Solem, sive in Lunam. Et hanc sublimationem facimus, ut corpora redigantur in suam primam materiam, scilicet in Mercurium & Sulphur. Fecimus ergo hanc sublimationem tribus de causis. Una est: quia corpus fit spiritus de subtili materia & natura: secunda est, quòd Mercurius se bene incorporet cum calce: tertia est, quòd totum sumat colorem album & rubeum. Idcirco quando scilicet calx sublimatur ad Lunam, debet esse alba, & Mercurius similiter albus: & calx quando sublimatur ad Solem, debet esse rubea, & Mercurius similiter rubeus, igne calefactus & debet esse pulvis inceratus: quia non bene operatur aliquis ad Solem, nec ad Lunam, nisi tali modo, & cum Mercurio quem sublimas ad Lunam, non commisceas ullam rem: quia Solis calor non intrat ad Lunam, nec de Luna ad Solem. Non mittas ergo Mercurium rubeum ad album, nec album ad rubeum: sed pone unamquamque speciem cum sua specie, & pone ad ignem accensum, & sublima totum: & non misceas illud quod remanet deorsum, cum illo quod descendit sursum: sed pone unumquodque ad partem: quoniam quod in fundo remaner, reiterabis ad sublimandum per mercuriale incorporamentum, donec ascenderit totum: alioquin non ponas ipsum in magisterium. Alembicum in quo sublimas Mercurium, sit vitreum, & cucurbita terrea vitreata, cujus os fundi sit amplum, quòd possit Mercurius ascendere liberius. Alembicum verò cum cucurbita debet jungi ita, quod Mercurius non possit exire: quia non sublimatur Mercurius nisi per fumositatem aëris. Ideo si locum inveniret apertum, evolaret in fumum, & deperiret magisterium. Vide ergo quod diximus, vide: quoniam omnia verba necessaria sunt, & laude digna. Hæc ergo sufficiant ad complementum sulphuris albi & rubei.

CAP. XIX.

De quarto Regimine quod est figere, & fermentum aliàs fixum, est necessari ad figendum.

QUartum verò Lapidis regimen est figere album sulphur & rubeum supra corpus fixum, scilicet ut sulphur album figatur super argentum: sulphur verò rubeum figatur super aurum: quia secundùm Pythagoram, qui argentum vivum à corporibus extractum non coagulat in sulphur album pariens ignem, nullam viam exigit ad albedinem: qui verò dictum argentum vivum non coagulat in sulphur rubeum patiens ignem, nullam viam exigit ad rubedinem. Non ergo fatiges corpus tantum in hujusmodi rebus altis, ad quas pervenire non potes, ubi ista facere ignoras: quoniam in devio erras. Prudenter ergo & non casualiter operare: quoniam sine fermento nec exibit Sol, nec Luna, sed aliud quod non permanet in essentia in cura naturæ, nisi occultaveris ipsum in corpore quod præparasti ab initio, scilicet Solem & Lunam.

Conjunge

Conjunge ergo ipsum cum eo, ut generet sibi similem, & fiat Elixir id quod componis. Cùm autem conjunctum fuerit cum suo corpore, non desinit in aliud agere quousque convertat totum. Idcirco quando vis fermentare, misce sulphur cum corpore ut totum sit fermentum: quoniam fermentum rediget sulphur nostrum ad suam naturam, colorem & saporem, & per omnem modum. Quare fermentum ad album erit album, & fermentum ad rubeum, erit rubeum: quod patet, quia si posueris fermentum argenti, cum sulphure auri, rediget ad suam naturam: sed non suum colorem. Similiter si posueris fermentum auri cum sulphure argenti, convertet ipsum non ad suam naturam, sed ad suum colorem, & econverso. Non ergo misceas fermentum unius sulphuris cum sulphure alterius: quoniam fermentum auri aurum est: argenti verò, argentum. Et nota quòd non sunt alia fermenta super terram: quia nunquam figit quod nunquam fixum est, nec fuit.

CAPUT XX.

Quòd pondus Fermenti debet excedere pondus Sulphuris, vel esse æquale.

IDcirco in omni fermento debet notari pondus utriusque, ut summa volatilis sulphuris, non superet summam sui corporis: alioquin ligamentum sponsalitii verteretur in spiritus fugam non fixi. Unde dicit Plato: Si parum sulphur projiciatur supra multitudinem corporis, ita ut super habeat potentiam: convertit ipsum citò in pulverem, cujus color erit sicut corporis, super quod projicitur spiritus, scilicet auri vel argenti. Dicam ergo inferiùs pondera omnium: sed quia sulphura non possunt ingredi corpora nisi mediante aqua, cum qua faciat medium inter sulphur & fermentum in omni dispositione. Primò pones, ut dicit Avicenna, terram: quoniam ipsa est juxta fermentum. Secundò pones aquam. Tertiò pones aërem: quoniam est juxta aquam. Quartò pones ignem: quoniam est juxta aërem. Veruntamen non ponas ignem in Elixir ad album: quoniam Elixir ad album tribus completur elementis in quibus non est ignis: rubeum verò omnibus quatuor utitur rotis. Aperi ergo & claude: solve & noda ab his, & desicca: quoniam aqua est medium conjungendi tincturas illorum, scilicet olei, aëris & ignis. Dico ergo nunc verbum Philosophicum: Si prius mittas oleum, mortifica tamen in terra: quoniam aqua intraret. Si autem posueris: postea oleum stabit super aquam: si verò posueris aquam, & postea terram, erit aqua ponderosior quàm terra. Tinge ergo aquam cum terra ut ei adhæreat. Si unum de quatuor occidisti, omnes sunt mortui. Si unus habeat de anima plus, quàm alius, nil valet. Appropria ergo fermentum quod est anima ante fermentationem, ut sit pulvis calcinatus, solutus, & induratus: quoniam si bene non præparas fermentum, nil valet tuum magisterium.

CAP. XXI.

Quæ sunt Vilitates Magisteriorum.

SI non dividis lapidem per quatuor elementa, non potest conjungi cum corpore. Et si non misceas de ipso corpore cum eo, super quodvis facere projectionem in Elixir, non colorabitur corpus super quod debet projici, sicut decet. Et si non sublimas totum quod mittis in Elixir, erit aurum & argentum actu: etsi non præparas corpus tuum, non sustinebit ignem. Et si non caveas tibi in inducendo & mollificando, non erit habile aurum & argentum ad operandum. Idcirco calx quæ mittitur in Elixir, erit sublimanda, ut sit omnino simplex & viva. Cùm autem vis facere projectionem de Elixir, facias calcem de illa materia, cujus fuerit corpus, super quod projicere volueris: & mitte ibi fermentum, sicut suprà dixi: Si est aurum, de auro: si argentum, de argento. Quoniam sponsalitium non est aliud, nisi quòd conjungas fermentum cum corpore, quod ego dico. Hi sunt sulphur album & rubeum: de quibus dictum est suprà, scilicet, quòd vis projicere Elixir. Et nota quòd Elixires sunt plures simplices, quæ debent fieri de lapide & corpore: & fermentum quod misces in Elixir, debet esse pulvis bis & ter sublimatus. Nam quoties sublimabis aliquod corpus cum commixtione sublimati spiritus, toties lucraberis in projectionis mille partes. In quanto ergo alicujus corpus tuum, in tanto habebis melius, ut possis projicere unum pondus super centum: & centum super mille, & mille super decem millia: & decem millia super centum millia, & mille millia super decem numeros, & sic in infinitum.

CAP. XXII.

Quomodo debemus servare quantitatem unusquisque.

CUm volueris Lapidem nostrum præparare scias quantum est de ipso: de aqua, de aëre, de igne, & de terra. Cùm fuerit calcinatus, erit in eo calor major, siccitas minor, frigiditas minor, humiditas minor. Cùm fuerit præparatus, erit in eo calor major, siccitas minor, frigiditas minor, humiditas minor. Cùm volueris ipsum convertere, scias quantum amiserit de sua prima natura in omni regimine: quoniam si nesciveris, nil valet opus. Idcirco quando resolvitur, redigitur in frigiditatem minorem, humiditatem minorem, caliditatem minorem, siccitatem minorem. Cùm verò abluitur, redigitur in humiditatem majorem, frigiditatem minorem, caliditatem minorem, & siccitatem minorem. Cùm verò reducitur, in siccitatem majorem, & calorem minorem, frigiditatem majorem, & humiditatem minorem. Cùm figitur, redigitur in calorem minorem, humiditatem minorem, frigiditatem minorem, siccitatem majorem. Quippe quia in fixione lapidis apponimus sibi Mercurium calidum, & humidum præparatum ultra illud, quem habuerit naturaliter ante suam solutionem. Intellige hanc reversionem, solutionem, vel lapidis differentiam de differentia in differentiam, & cur hoc & quomodo. Omne quod mutatur, aut mutatur in melius, aut in pejus, aut in simile sibi: Si mutatur in simile sibi, nullum est lucrum: Si in pejus, tunc est damnum: si in melius, tunc est commodum: converte ergo lapidem de bono in melius, & erit Elixir completum.

CAP. XXIII.

Quomodo elementa sunt corrigenda, & quomodo acquiritur fusio medicinæ non fundentis.

IN conjunctione Lapidis attende tres colores principales: primò nigrum, postea album, & postea

& postea rubrum. Observa igitur diligenter, ne corpus tuum rubeat ante nigredinem, & pereat tinctura per combustionem. Si verò rubuerit ante nigredinem, corrige errorem decoquens omnia simul in aqua alba, donec conversa fuerint in nigredinem: sic etiam facies si rubuerit ante albedinem. Non ergo negligas inhumationis decoctionem: quoniam tollit combustionem, & perditam restaurat humiditatem. Si verò medicina non commiscetur, corrige per dissolutionem ejus quod ingreditur, & per commistionem ambarum solutionum facit ingressum omne quod illi pro minimo conjungitur. Hæc autem solutio per aquam vulgarem completur: sed in aquam Mercurialem: & completur similiter per solutionem. Fusio facilis in rebus non fusibilibus, ut apertiùs ingredietur & alterentur cum complemento. Unde medicinam calcinamus ut citiùs solvatur: & eam solvimus ut meliùs mundetur figura, & fundatur, ac ut ab ea suscipiant corpora meliorem impressionem aut ingressum, & facilem fusionem dare materiei cum multiplici reiteratione solutionis spirituum non inflammabilium super illa, videlicet, aëris & aquæ Mercuriorum non fixorum. Aut cum multiplici reiteratione solutionis Medicinæ non fundentis. Est tamen bona cautela ad fusionem præstandam Medicinæ non fundentis, ut solvatur corpus fermenti, supple albi vel rubri. De cujus intentione sit per eam mutari & alterari: & etiam solvatur Medicina: id est, Elixir: imò terra alba, supple, vel rubra: de cujus intentione sit ingredi cum alteratione. Non ergo negligas inhumationis decoctionem: quoniam tollit combustionem, & perditam restaurat humiditatem. Si verò medicina non commiscetur, corrige per dissolutionem ejus, quod ingreditur & per commistionem ejus ambarum, solutionem facit ingressum omne quod illi pro minimo conjungitur. Hæc autem solutio non per aquam aut in aquam vulgarem completur, sed in aquam mercurialem, & completur similiter per solutionem. Fusio facilis in rebus non fusibilibus, ut apertiùs ingrediantur & alterentur cum complemento. Unde medicinam calcinamus, ut citiùs solvatur: & eam solvimus ut meliùs mundetur figura, & fundetur, ac ut ab ea suscipiant corpora meliorem impressionem, aut ingressum, & facilem fusionem dare materiei, cum multiplici reiteratione solutionis spirituum non inflammabilium super illa, videlicet aëris & aquæ Mercuriorum non fixorum: aut cum multiplici reiteratione solutionis medicinæ non fundentis. Est tamen bona cautela ad fusionem præstandam medicinæ non fundentis, ut solvatur, & corpus fermenti, supple albi vel rubei. De cujus intentione sit per eam mutari & alterari, & etiam solvatur Medicina: id est, Elixir, imò terra alba, supple, vel rubea, de cujus intentione sit ingredi cum alteratione. Non fiet tamen omnium istarum partium solutio, sed quarundam: quoniam solutio earum non est aliud, nisi quòd in humidum revertuntur, & sulphuris salsedines auferuntur. Dehinc illud corpus & non aliud corpus imbibatur vice post vicem, donec fundatur citissimè super laminam ignitam. Quoniam ex his artificiorum ingeniis, necesse est Medicinam & commisceri, & fundi, ac etiam ingredi perfectè cum alterationis complemento. Si autem metallum quod convertere debes per medicinam, non fuerit sufficientis coloris, addatur plus de Medicina ipsa: si verò de colore minus habuerit, scilicet in Sole: quia Luna non potest esse nimis alba, ponatur minus de medicina, & plus de metallo convertendo. Si autem medicina non remanserit bene, quod est defectu fixionis, succurre per reiterationem solutionis & congelationis, atque per multiplicem non fixæ partis solutionem, super partem fixam, donec tamen ex ignis asperitate quiescat, & non fugiat ab igne aspero. Si autem non fundatur gravius quod est ex defectu cerationis, succurre ei cum oleo: id est, aëre guttando guttam ad guttam super ignem levem, donec fundetur ut cera: quoniam quando inceras, misce de re calida & humida magis quàm de frigida & sicca. Et quando figis, misces magis de re frigida & sicca, quàm de calida & humida. Ergo intellige quæ dico: quoniam hujus Operis perfectio, est naturæ permutatio.

CAP. XXIV.

De Ponderibus observandis in Fixione.

OMnia sub termino definito & dispositione consistunt. Idcirco unicuique pondus, & omnis mensuræ pondus in omni opere opus est. Cave igitur tibi in commixtione Elixiris, & operare ibi sapienter, ut scias quantum debeas ibi apponere de aqua, de aëre, de terra, de igne: alioqui si secus feceris, opus non valebit: quia si ponis de terra magis vel minus quàm opus fuerit, vel quàm requiritur in Elixir: quòd si magis poneretur, faceret eas humidas nimis & non figerentur. Similiter in aqua: quia si amplius poneretur vel minus, faceret simile damnum. Si plus esset, faceret humidum & malè: Si minus faceret siccum & durum. De aëre si plus esset vel minus, simile damnum: si plus esset coloraret nimis: si minus esset, non haberet colorem. Ignis etiam lapidis simile damnum faceret: quia si plus esset, combureret: si minus & parum esset non siccaret totam humiditatem quam debet desiccare, nec calefaceret: tamen ad album non ponas ignē: sed loquor de omnibus Elixiribus. Idcirco pondus ubique notandum est, ne nimia siccitate aut horum superfluitate magisterium corrumpatur. Quare fermentum juxta adæquationis incrementum est semper apponendum. Nam nulla erroris offensa nocebit, si ad illud pondus supercurreris. Quicquid igitur in Elixiri est gravius & stabilius per ipsius ponderositatem sibi nomen terræ usurpat. Non minus quoque fermentum: quia cùm sulphur conjungitur, terræ nomen assumit. Quæ verò sublimantur, & etiam evolant, aquæ & aëris sibi nomen apponunt. Cùm ergo conjungis talia ut figantur in terra: si ad album est, sit ne terra plus quàm de alio aliquo elemento: alioquin terra non figeret spiritum, imò secum evolaret in fumum. Verùm illud sit plus secundùm rationem juxta adæquationis mensuram. Verbi gratia: si est de aëre unum pondus & dimidium: de aqua duo pondera debent esse: tria pondera de terra minus quarta. Et terræ fermentum sit ter tantum, quantum est sulphur album: ut si unum pondus fuerit de sulphure albo, tria pondera erunt de fermento. Quantum ergo fuerit aër & aqua, tantum debet esse de terra minus quarta: de aqua duo, de aëre unam, & dimidium de igne. Dicam ergo breviter ut intelligas: ad Lunam pone tria pondera de terra, scil. fermẽtata minus quarta, duo de aquâ: de aëre unum & dimidium, * & erit Elixir completum. Ad Solem verò cùm ipse sit calidior Luna, debent esse pondera terræ, tria de aqua, & tot de aëre, & unum

 pondus

* ♃. ☾. ☿.
ir. 33. 42.

pondus & dimidium de igne. * Nam pondus ignis medium eſt pondus aquæ: nec eſt in hoc additio, nec diminutio: quoniam ſi ſit multa aqua & parvus ignis, extinguitur ignis. Et ſi ſit ſimiliter multa terra & parvus ignis, extinguitur ignis: econtrà tamen eſt de aëre: quia aër nutrit ignem, ſicut aqua nutrit terram. Nam ignis vivit de aëre, & aër de juvamento aquæ, & aqua de juvamento terræ. Fige ergo aquam in terram, ut aër poſſit figi in aquam: quoniam ſi aqua occidiſti, omnes ſunt mortui. Veruntamen aqua non figitur ſine terra: quia

Conſurgit nullus unquam ſine ſemine fructus,
In quo dum moritur ſemen fructum dare fertur.

Quoniam cùm terra ſit in ſe fixa, retinet ſecum & figit alia elementa. Aqua verò cùm ſit humida & frigida, circumdat terram, & conſtringit & tenet eam: quoniam frigidum & humidum eſt ſiccitatis conſtrictivum. Veruntamen impreſſionem citò recipit, & citò dimittit, Siccum autem graviter impreſſionem recipit, & graviter dimittit. Ideo cùm humidum & ſiccum ſe invicem temperaverint, adipiſcitur ſiccum ab humido per partium conſtructionem, vel per continuationem, & facilem impreſſionem, & acquirit humidum à ſicco, ut firmiter teneat impreſſionem, & quòd omnem patiatur ignem. Unde per hoc humidum prohibet ſiccum à ſeparatione. Et propter hoc ſiccum prohibet humidum à ſua fluxibilitate. Aër verò circundat aquam, & clarificat eam, vel rarificat terram, & tingit, vel figit ipſam, ut ſit apta ad extenſionem & fuſionem. Ignis autem totum compoſitum maturat, ſubtiliat, rubificat, permiſcet aërem, & conſolidat, ac terræ & aquæ conſtringit frigiditatem, ut ad incolumis redeant æqualitatem complexionis. Elementa ergo gravia ut terra & aqua, plus juvant ad fixionem & tincturam. Non comedas ergo quòd non bibas, ſed comede unum poſt aliud ſecundùm rationem: quia caliditas major facit corpus citiùs quàm oporteat. Non ſis prodigus, non avarus, ſed moderata pondera ſerves, ſecundum æqualem & inæqualem complexionem. Intellige ergo quæ dixi, quia nihil omiſi quod ſit verum.

CAP. XXV.

De Fixatione Elixiris in compoſitione ad album, & de Reductione aquæ.

ILlumina corpus antequam imponas animam: quia corpus niſi ſit ablutum, non retinet ſpiritum. Sit ergo potus poſt commixtionem, non autem commixtio poſt potum. Alioquin facies ventrem humidum, & non recipiet ſiccitatem: bene ergo fige: bene commiſce: & bene tinge, & ſic totum habebis magiſterium. Idcirco ciba tres partes puriſſimæ Lunæ minutim limatæ cum duplo ſui Mercurii albi, terendo totum inſimul fortiter in mortario porfirico, donec Mercurius imbibat limaturam, & fiat quaſi butyrum, ita quòd nihil inveniatur de limatura: hinc ablue fortiter cum aceto, & ſale communi præparato, donec acetum inde purum exeat & clarum: tunc ablue ſalem cum aqua dulci & clara ad ignem ſiccata. Abhinc verò adde prædicti ſulphuris ſublimati, & congelati albi partem unam, conterendo inſimul totum, donec redeat quaſi corpus unum: deinde incera ipſum cum una parte ipſius, ſcilicet ſuæ aquæ: & mitte ad ſublimandum, vigorando ſuper ignem paulatim & paulatim, donec ſublimetur: & quicquid fuerit ex eo volatile, deinde infrigidatum extrahe: & quod ad latera valis ſupervolatum fuerit, cum aliqua parte ſuæ aquæ, reduc ſuper fæces ſuas terendo, imbibendo & aſſando, donec fiat ſicut paſta, & remitte ad ſublimandum: ita continuè reiterata contritione & imbibitione, aſſatione & ſublimatione, vigoratur ſuper ignem donec figatur terra cum duplo ſui de aqua: & nihil penitus ſublimetur ab ipſa: & reducas ſemper quod ſuperius aſcendit ſuper illud quod inferius remanet fixum, quouſque totum figatur deorſum. Nam ſulphur fixum cùm ſit coagulatis coagulativum, naturaliter congelat ſuum Mercurium per frequentem ſublimationem ſuper ipſum. Exemplum autem hujus eſt terra & aqua, & cùm aqua commiſcetur cum terra: ipſa terra abſorpſit aquam ſua ſiccitate, & inſpiſſat eam aquam ſua denſitate, & eam facit ſibi ſimilem ſua groſſicitate: quoniam omne ſiccum naturaliter appetit ſuum humidum, & in ſuis partibus continuitate. Unde oportet experimentum iſtius ſcientiæ ad plenum cognoſcere vires naturæ, & eiſdem firmiter adhærere: quoniam natura ſufficiens eſt tibi vel ſibi, & ſimiliter in omni quo indiget eadem ſui perfectione. Ipſa ſiquidem cùm ſit ſagax, eſt ſolicita in creatione ſui corporis, cujus ſolicitudinis non eſt finis. Sufficit ergo vobis, chariſſime, naturam ſapienter diſponere extrinſecus: quoniam ipſa ſufficienter extrinſecus diſponet ad ſui operationem. Motus ſiquidem ipſius ſint adhærentes ſibi viæ uni modo meliori & certiori, qui poſſint excogitari, ut patet ex creatione cujuſlibet generati. Idcirco tardamentum & præparamentum debent eſſe in magiſtris Philoſophorum & operantium: quia natura motum præterire non poterit, niſi per contrarium impedita fuerit. Certum namque tempus eſt, quod ipſa habet ad impregnandum, pariendum, & nutriendum, ac operandum. Unde cùm terram habueris impregnatam, expecta partum: Cùm verò pepererit filium, nutrias eum, quouſque poſſit tolerare omnem ignem, & tunc poteris facere projectionem de ipſo.

CAP. XXVI.

De Reductione aëris ſuper Elixir ad album.

IGitur cùm aqua fuerit fixata, tere & imbibe eam imbibitione rorida cum una parte aëris ſui, & pone ad ſublimandum, faciens ſub eo ignem primò lentum, poſtea fortiorem, quouſque per continuam ſublimationis reiterationem totum figatur deorſum, tunc per diem ac noctem facies ſub eo ignem fortem: ſecunda die cum ſua nocte fortiorem: tertia die cum ſua nocte fortiſſimum, ſicut eſt ignis fundendi. Sic enim aër figetur cum aqua & terra: quia natura lætatur naturâ, & natura docet naturam præliari contra ignem per ſe combuſtibilem. Nam fugienti obviante perit fuga: quoniam avis plumata detinetur ab implumata deorſum in terra.

CAP. XXVII.

De Inceratione Elixiris albi.

AB hinc ergo extrahe de lamina cryſtallina, quam in fundo reperies lucidam ℥j. tere & cera ince-

*. ♃. ☉. ☿.
1. 3. 6

inceratione ultima, guttando super ipsum guttam ad guttam in tenui crucibulo super ignem levem de suo aëre albo jam dicto, donec fundatur sicut cera sine fumo: tunc proba super laminam ignitam: si se resolverit velocissimè sicut cera, cerata est: si verò non, reduc ipsum ad cerandum guttam ad guttam de oleo suo albo, donec fundatur ut cera sine fumo. Et hoc quidem est præceptum omnium Philosophorum, ut cùm per sublimationes fixaveris mundissimam terræ partem, reiteres sublimationem residuæ partis non fixæ super eam fixam, donec ea similiter figatur. Hinc tenta super ignem, si bonam dederit fusionem, tunc sufficienter sublimationem reitera. Si verò non, reitera super illam vicem non fixæ partis sublimationem, donec fundatur citò sicut cera sine fumo. Tunc extrahe & infrigidari permitte: quoniam est elixir completum, impretiabile pretium, convertens omne corpus diminutum, in infinitum solificum & lunificum verum. Projice ergo unum pondus de eo super mille partes Mercurii cum sale & aceto abluti, & fiet pura Luna melior quàm de minera. Sic etiam si super imperfectorum corporum unumquodque fuerit de eo projectum, in verissimum transfertur argentum. Modum itaque hujus compositionis verissimi Elixiris tradidi vobis completo sermone, ad quam per illum potestis pervenire indubitanter. Sollicitè ergo ad hos ingenieris modos regiminis exercere, & eorum virtutem ad unguem invenies. Quod quidem nec per se, nec fortè ut putes, miraculosè si arte perficitur in operatione. Operare ergo quodcunque volueris: quia ultra consilium istud, non possum aliud.

CAP. XXVIII.

De Compositione Elixiris rubei.

EOdem modo fit Elixir rubeus ad Solem, sicut album ad Lunam. Pro qualibet re alba ponas rubeam, & loco limaturæ Lunæ pone limaturam Solis, & aquam Mercurii rubificatam priùs cum igne lapidis. Nam in opere lapidis ad rubeum, non intrabit nisi rubeum, sicut in opere albo nisi album. Solaris namque medicinæ non urentis: præparatum sit additamentum rubei sulphuris per modum figentem & calcinantem in triplo fermenti præparati cum altutiæ industria. Administrare perfectè per modum solutionis, & sublimationis multiplicem cum reiteratione multa, quousque non fixum cum fixo figatur deorsum: quoniam hujus solutionis & fixionis modus est per reiteratationem partis residuæ non fixæ sublimationis cum fixo ingeniosè conjungendi per minima, quousque elevetur cum ea, & iteratò figetur cum illa, ut stet. Cùm verò tres partes aquæ suæ rubeæ fuerint secum: per hunc modum sublimetur, vice post vicem cum eo, donec figatur deorsum: & pone ipsam per diem ac noctem in igne tepidissimo, ut meliùs depuretur & figatur in eo. Hinc extrahe, & cera sine fumo cum eo stans & penetrans, profundius tingens & maneus. Projice ergo unum pondus de ipso supra mille partes Lunæ, vel ☿ abluti cum sale & aceto, & fiet Sol verissimus in omni examinatione, & melior valde, quam de minera productus, quia aurum & argentum ipsius elixiris excedit aurum & argentum mineræ in omnibus suis proprietatibus. Unde dicunt Philosophi, quòd aurum & argentum eorum, non sit aurum nec argentum quod est vulgi: quoniam additur eis additio magna in tinctura & præservantia in igne, & proprietatibus multarum utilitatum ad omnem infirmitatem expellendam.

CAP. XXIX.

De Multiplicatione Medicinæ.

SI verò Medicinas istas cùm fixæ fuerint, & datis oleis suis albis vel rubeis, donec fluxerint sicut cera, dissolveris in Mercurium suo albo vel rubeo, donec fiat aqua clara. Et postquam in levi decoctione congelaveris, & cum eorum oleis, & sic super ignem denuo ceraveris, quousque fluunt citissimè, duplicabitur virtus eorum in projectione: & si eas cùm solutæ fuerint, semel ad minus distillaveris, in centuplo augmentabuntur virtutes eorum. Modus verò multiplicationis medicinarum, est ut dissolvas unumquemque illorum spirituum in aquam suam per inhumationem singulariter, postea oleum, deinde ignem, & remanebit terra deorsum: Reduc ergo aquam per sublimationem super terram: donec bibat eam, scilicet aquam totam, & figatur cum ea: deinde imbibe eam ex oleo & tinctura, donec figatur in ea, & etiam fundatur sicut cera. Projice ergo supra quodvis corpus, & ex eo tantum quantum vis: quoniam in duplo multiplicabitur tinctura ejus. Et si una pars sui primò convertit cùm suis corporibus centum partes: secundò convertit mille: tertiò decem millia: quartò centum millia: quintò mille millia in solificum & lunificum verum. Unde est notandum, quòd quantò plus solvitur medicina, & sublimatur, & congelatur, tantò melius & abundantius operatur: quoniam in omni sua imbibitione & sublimatione acquirit sibi decem in projectione. Non ergo est fastidium in reiteratione sublimationis & coagulationis: quoniam per eas medicina meliùs digeritur, unitur, & figitur, & perfectiùs operatur.

CAP. XXX.

Quomodo debemus intelligere Solutionem, Sublimationem, & coagulationem.

VEruntamen non putes me docere solutionem hîc, ut Elixir reducatur in aquam: sed ut subtilies ipsum in quantum potes, & dividas suas partes in fixione conjunctas, siúmque siccum convertas in humidum, & grossum in simplum: quoniam opus solutionis inventum fuit ad sublimandum, & non propter aliud. Unde conjunctio corporum cum spiritibus fit cum dissolutione, & non cum sublimatione: quia corpora non indigent nisi sublimatione, ut meliùs cum spiritibus conjungantur. Eorum verò sublimatio est in aquam dissolutio: quia destillatio trahit lapidem de potentia ad actum, eò quòd facit omnino eum subtilem. Unde cùm corpus totaliter subtiliatur, spiritus universaliter cum eo conjungitur, & non per aliquod ingeniorum genus ab invicem separatur. Quoniam confirmatio spirituum cum corporibus fit cùm corpora fiunt subtilia, ut retinere possint spiritus. Et ideò qui corpora poterit separare cum prima sublimatione, finem consequitur optimum: quoniam in conjunctione spirituum cum corporibus tota debet esse intentio operantis. Et conjunctio eorum scilicet spirituum fit, cùm corpora subtiliantur, ut spiritus & corpora fiunt subtilia per dissolutionem, contritionem, & assationem eorum

cum ſpiritibus. Intellige ergo quæ dixi: quoniam utile eſt totum, & nihil ſuperfluum eſt in dictis meis. Si verò non intellexeris, itera lectionem multoties, ut totum intelligas. Vide ergo & intellige, & ſecundùm ea operare: quoniam quicquid diximus aliena veritati, vivit Deus in nullo deficiens, deprehendes declinare. Quare niſi deſpicias, nec labor privabitur fructu. Idcirco ſi verò ſubſcripta non intellexeris, non me reprehendas, ſed tuam ignorantiam calumnieris: quoniam infortunatus es, ſicut ille cui nunquam Deus aliquid tribuit, vel concedit boni.

CAP. XXXI.

De Modo faciendi Projectionem.

SEd quia grave eſt mille millium partes ſimul fundere, cùm volueris projectionem facere, hoc modo facies: Recipe centum partes Mercurii cum ſale & aceto abluti, & pone in crucibulo ſuper ignem. Cùm autem cœperit fervere, pone unam partem tui Elixiris dicto modo præparati ſuper centum partes illius Mercurii abluti, & fiet totum medicina ſuper alium Mercurium ablutum. Deinde projice: id eſt, partem medicinæ iſtius congelatæ ſuper 100. partes ☿ abluti, in crucibulo ferventis ad ignem, & fiet totum medicina. Poſtea pone unam partem iſtius medicinæ ultimò congelatæ ſuper centum partes Mercurii abluti, & fiet totum aurum vel argentum in omni judicio ſecundùm quod primum fuerit Elixir rubeum vel album, ſupple præparatum, & ut dictum eſt compoſitum. Et hoc quidem eſt Roſarium Philoſophorum, ferens odoriferas roſas tam rubeas quàm albas, extractas breviter à libris ipſorum, nihil habens ſuperfluum vel diminutum in infinitum perficiendum, in ſolificum & lunificum verum, ſecundum quod Elixir fuerit præparatum. Sic etiam habet virtutem efficacem ſuper omnes alias medicorum medicinas omnem ſanandi infirmitatem, tàm in calidis quàm in frigidis ægritudinibus, eò quòd eſt occultæ & ſubtilis naturæ: conſervat ſanitatem: roborat firmitatem & virtutem: & de ſene facit juverem, & omnem expellit ægritudinem: venenum declinat à corde: arterias humectat: contenta in pulmone diſſolvit, & ulceratum conſolidat: ſanguinem mundificat: contenta in ſpiritualibus purgat, & ea munda conſervat. Et ſi ægritudo fuerit unius menſis, ſanat una die: ſi unius anni, in duodecim diebus. Si verò fuerit aliqua ex longo tempore, ſanat in uno menſe, & non immediatè. Hæc medicina ſuper omnes alias medicinas, & mundi divitias eſt oppidò perquirenda: quia qui habet ipſam, habet incomparabile theſaurum.

CAP. XXXII.

De Recapitulatione totius Magiſterii.

PErtractatis igitur Regiminibus totius hujus ſummi operis ſecundùm exigentiam ſui ſermonis cum cauſis omnibus ſufficientibus, reſtat breviter ut teneatur memoriale totum recapitulare ſub completa brevitate ſermonis. Dico ergo, quoniam totius operis intentionis finis eſt, ut ſumatur lapis in capitulis notus, & cum operis inſtantia aſſiduetur ſuper ipſum opus ſublimationis primi gradus, ut à corruptibilitate mundetur, & impuritate purgetur. Demum cum eo ſoluto per ipſius additamentum album vel rubeum, donec in ultima ſublimitatis materia perveniat, & ultimò volatile fiat. Ab hinc verò cum fixionis modis ſigatur, donec in ignis aſperitate quieſcat. Demum verò fixum lapidem cum non fixa parte ſervata, per modum ſolutionis & ſublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum ſolutum, & iteratò volatilem: ac iteratò volatilem fixum quouſque fluat, & alteret in complemento ſolifico & lunifico certo. Et in hoc completur arcanum pretioſiſſimum, quod eſt ſuper omne hujuſmodi arcanum impretiabile pretium, & omnium Philoſophorum theſaurus. Idcirco, chariſſime Domine, exerceamini ad illum cum laboris inſtantia, maximè in diuturnitate meditationis immenſæ: quoniam cum illa Elixir completum invenies, & ſine illa nunquam. Modos verò ipſius completo ſermone vobis ſuperius dedi, non ſub ænigmate, ſed ſub plena ſermonis ſerie. Diſcretionem veſtram lucidè alloquendo: quoniam, teſte Deo, ſic libris Philoſophantibus omnibus, & cunctis ſcientibus, nihil in hac arte invenimus melius nec perfectius, quàm in iſta brevitate ſuprà ſcripta: tamen truncata, quamvis intelligentibus ſatis prolixa. Et qui habes iſtum librum, in ſinu tuo reconde, nullique ipſum reveles, nec manibus impiorum offeras: quia ſecretum ſecretorum omnium Philoſophorum plenariè comprehendit. Talis ſiquidem & tantus margarita non eſt porcis & indiguis largiendus: quoniam eſt donum Dei magnum, & Deus cui vult largitur ipſum & aufert. Quapropter, chariſſime, qui habes iſtum librum, digito compeſce labellum, filius exiſtens Philoſophorum, ut meritò merearis dici & eſſe de numero ſapientum antiquorum.

Explicit Roſarius à Magiſtro Arnaldo De Villa Nova compoſitus.

Magiſtri ARNALDI DE VILLA NOVA, *Liber dictus* NOVUM LUMEN.

PROOEMIUM.

PATER & DOMINE Reverende: *Licet liberalium exiſtam ſcientiarum ignarus, ſtudióque non ſim aſſiduus: nec in ſtatu maneam clericali, voluit Deus tamen, ſicut cui vult inſpirat, mihi quamvis immerito ſecretum præcellens revelare. Et quoniam exigunt veſtra nobilitas, probitas, prudentia, larga manus: ut quemadmodum aſſiduè profundæ ſcientiæ perſcrutando, non recuſaſtis labores, ſumptus, & ſtudia diuturna: ſic & uberem fructum. Ex qua in agro Philoſophiæ ſunditus arbore conſequamini Dei dono. Ea propter veſtræ prudentiæ deſideratum Lapidem ſive Elixir, occulta fide probum per virum, mihi à Deo inſtitutum, oſtenſum, ejuſque regimen, ut vidi, feci, & tenui, reſerabo. Sciens quòd viſis & intellectis quæ ſcribo, liquidè erit veſtro ingenio perſpicaci, quod ego Dei nutu ſecretum novi vulgariter ignoratum.*

CAPUT

CAPUT I.

INtellige ergo dictum Philosophi: Quòd actus activorum in patientis sunt dispositione: per quod intelligitur, Elixir fieri non posse, nisi ex materia ad hanc perfectam dispositionem habentem. Testificor autem vobis, hujusmodi habilitatem inesse materiei, ex qua manibus meis, testibus oculis, per alienam tamen, ut prædixi, doctrinam, facta fuit Elixir, Saturnum convertens in Solem: quam quidem materiam jam vobis nominavi, quod est Philosophorum magnesies: de qua Philosophi extraxerunt aurum in corpore ejus occultum. Et de qua argentum vivum de argento vivo, & sulphur de sulphure invenerunt, quod est lapis in similitudine & actu: sed in natura non imitatur naturas lapidis. Quare dicitur Lapis non lapis, & est mista tabesci, dictum argentum vivum nostrum, non argentum vivum in propria natura, nec adhuc in natura ad quam deductum est per mineram. Sed argentum vivum nostrum in natura, ad quam deducit illud artificium nostrum. Istud est æs nostrum, ex quo fit tinctura vera, ex quo fit Chabrici, & Veyæ conjugium, in quo est Rex cum sua uxore. Et hæc quæque ipsos emendant in ipso aëre sunt: ut per operationis documentum clariùs patefiat. Ille est spiritus quo tingimus, & est corpus, de quo in Turba dicitur: Argentum vivum non habetur ex corporibus liquefactis liquefactione vulgari: sed ex illa quæ durat, quàm diu cónjuges vero matrimonio uniuntur, scilicet usque ad albedinem. Hic est lapis qui in vertice montium invenitur. Et dicitur meritò mineralis, animalis etiam fertur esse: quoniam animam habet. Quare dicitur in Turba, æs, ut homo corpus habet & animam. Item omne quod habet spiritum, habet & sanguinem. Item dicitur spiritus: id est, sulphur per corpus: & æs: id est; magnesiæ, sive terræ: quæ spiritualis facta, dicitur aurum quod erat in corpore magnesiæ occultatum. Quare dicitur: Fili extrahe à radio suam umbram. Patet etiam quòd applicari sic potest anima: cùm quasdam ostendit animi virtutes. Movet enim & moventur: agit & patitur. Quare in Turba: O natura, qualiter omnibus imminet, ac omnia superat: & est acetum acerrimum, quod fecit aurum esse merum spiritum: & cùm corpori admiscetur, fiet unum cum eo, & vertit ipsum in spiritum. Cùm enim dicatur animal: ergo vegetabile quid dicitur, & meritò. Nam in operatione vegetabitur de virtute in virtutem, subtiliando & depurando se, & colores in se meliorando, usquequo optatum assumat ruborem, in quo est perfectio, virtutemque penetrandi capiat & tingendi. Hoc autem animal Berbel, crocos vel croceum, lapidem vegetabilem, nutritum in montibus errantes plurimi non cognoscunt. Venditur autem palam minimo pretio.

CAP. II.

Sequitur Lapidis Mundificatio, antequam ponatur in decoctione.

HOc opus quod vestro intellectui demonstravi, purum, mundum, amœnum, sincerum, rectum, in tenues laminas coaptatum se ostendit, quòd per ignis liquefactionum modos à minerali grossitie expurgatum elevationum modis subtile fit in relictis quibusdam superfluitatibus adustionis, & terreitreitatibus & tenuis fortique unione permixtis: & quibusdam humiditatibus corrumpentibus exhalatis. Cujus subtiliationis signa sunt duo; unum quidem quod elevans est spiritus citrinus, minus durus lapis factus, aliquantulum perspicuitatis habens. Aliud verò quod remansit in vasis fundo, terra tenuis & nigra. Advertatur autem ad hoc: quòd in hac elevatione si rectè fiat, quoddam permanens invenitur, quod debet per vim adduci superabundanter volatilis, elevari, & parti quæ residet, ex eadem quod elevatum est, reddi debet, donec fugiens totum fiat. Et tunc terra nigra prædicta remanet ex ambobus, in lapidem prædictum, durum, citrinissimum, jam conversum. Non autem contentemini de volatilitate prædicta, donec inveniatur quòd tota massa lapidis prædicti, igne elevati, reddita in suo vase per eundem continuò ascendat: sic quod nil in profundo mundum nec sordidum resideat ex eadem. Dum verò sic perfectissimè elevabitur, adimplebitur in operis Philosophici perfectione, quam jubet scriptura, dicens: Suaviter cum magno ingenio ascendit à terra in cœlum. Item: Scitote quòd cùm corpori admiscetur, fit unum cum eo, & vertit ipsum in spiritum. Et Geber idem præcipit in capitulo de tertii ordinis medicina: & omnes Philosophi idem clamant, & hoc opus à Philosophis nominatur Ablutio, per quam achilésve: quoniam in elevatione uterque ascendit in fumum, seu fumi speciem. Et quia etiam liquatur hæc materia dum ascendit, patet eam esse de natura aquæ calidæ: namque liquatur, & frigido coagulatur: & cùm à superfluitatibus denudatur, abluitur & imbibitur: & aqua sua, scilicet spiritu prædicto ab eodem germine procedente. Hæc est ergo Philosophica dissolutio, quæ fit igne.

CAP. III.

Sequitur Decoctio primi gradus usque ad nigredinem.

ISTud igitur rotundum spirituale factum, quod æs vertit in quatuor, balneum temperatum ingredi: sed per quod corpus fit suave atque continens ignem levem, qui humiditatum est corrumpentium consumptivus. Fieri ergo debet furnus talis dispositionis, quòd in eo lentus administretur ignis, qui augmentari non possit: & vas materiam capiens vitreum debet esse coopertum ferro, vase ejusdem formæ scilicet per medium: & debet esse vas longum cubito uno: strictum in summitate, & strictura nihil permittat exhalare de spiritu: & longitudo fumos præcipitet, si quos elevari contingat, & humiditates corrumpentes infra se consumat. Quorum furni & vasis quærentium est lilii visio, non scriptura: & debet calor vas undique circuire: ita ut æqualitas undique sit caloris: aliàs frustrà balneum diceretur. Et in furni summitate debet esse foramen, per quod exire debet frustum unum vitri rotundum & longum, claudens orificium dicti vasis: in cujus frusti tactu cognoscitur, si calore congruo materia decoquatur. Et si fortè aliquis fumus infra vas jam dictum ascendere videatur, non permittit ipsum dosis dispositum exhalare, quantumcunque vas etiam teneretur apertum. Quare dicitur à Gebero: Nunquam unum ab alio verè separatur, licet quoad visum segregari, vel separari superficialiter videantur. Nec unum sine alio esse potest: nam sui spiritus temperati sunt per viam naturæ perfectæ, in tantum, quòd ab invicem non separantur. In hoc autem

gradu caloris materia nigra efficitur: quoniam nigredinem efficit in humido calor agens. Quare in Turba dicitur: Videns autem nigredinem illi imminere, ſcito jam corpus liquefactum eſſe. Item primò in opere omnia denigrantur. Iſte verò fructus ideo fit, ut caveatur ab igne nimio: quoniam intruſus calor perire facit, & compoſitum ſegregare. Et ideo temperato debet igne proſequi: decoquitur, ſicut puer lacte nutritur. Et in hoc omnes conveniunt. Et hoc etiam oſtenditur in Practica de diverſis coloribus, ſub nigro colore contentis.

CAP. IV.

De Gradu Ignis advenience nigredine.

CUm verò totum eſt nigrum, continuetur ignis ejusdem gradus, donec albedo in ventre ipſius occulta appareat: nam ſic approximat fixum: Notandum autem, quòd in ipſa nigredine multi colores apparent, de quibus faciunt Philoſophi mentionem. Nam quandoque totum fit viride, quandoque lividum, quandoque violacei coloris; quandoque etiam ex uno latere vaſis eſt viride, ex alio nigrum, vel lividum intus, & viride extrà, hi tamen colores omnes ſub nigro comprehenduntur. Et quoniam in eis nulla perfectio eſſentialis exiſtit: ideo Philoſophi principaliter tantùm inter cæteros colores nominant tres, videlicet quæ virtutes dicuntur animæ, ſcilicet nigrum, album & rubeum. Quare in Turba: Veneramini regem & ſuam uxorem: & nolite eos comburere, ne fugetis eos nimio igne: quoniam neſcitis quando indigetis his, qui regem & ſuam uxorem emendant. Coquite eos ut fiant nigri, deinde albi, deinde rubei: deinde tingens fiat venenum. Item fiat lapis albus combuſtione: & humore ſeu liquefactione. Per aquam dicitur ſequi mortificatio quæ apparet in nigredine primò apparente, in qua mortificatione uniuntur ſpiritus: id eſt, deſiccantur: quia niſi corpora exiccentur, non apparent colores animæ, quæ nigredo & nubes appellantur. Item magneſies cùm dealbatur, non permittit ſpiritum fugere: qui natura naturam continet. Humiditas ergo quæ curabat in decoctione nigredinem, ſe deſiccatam oſtendit, dum color albus incipit apparere. Nam in transmutatione nigredinis vidi, antequam perfectè dealbaretur, fuſcam albedinem, quæ brunus color vulgariter dicitur: quæ brunicies vera albedo poſtea efficitur. Tunc autem durante brunicie magiſter meus fregit vas & lapidem, & inſpexit eum intùs & extrà, & invenit brunum extra: intùs autem erat adhuc nigredo. Cujus cauſam mihi aſſignavit, quòd videlicet partes materiæ vaſis lateribus adhærentes magis ſenſerant calorem ſibi propinquum, quàm materia media, ideoque citiùs in calorem cœperant tranſmutari. Et dixit mihi quòd ilta brunitas aſcendebat: quòd albedo extrahebatur à nigredinis ejus ventre, ſicut in Turba dicitur. Cùm enim videris ipſum natum, ſcito quòd albedo ipſius in ventre nigredinis primò apparentis occulta eſt. Et tunc te opportet illam nigredinem extrahere, ab illa nigredine ſubtiliſſima ejus: non autem miremini: quia adhuc materiam hanc voco lapidem. Nam ſciatis quòd quamdiu durat albedo, & etiam aſſumpta rubedine, per longum tempus ſtat durus, & in maſſæ fortis ſpeciem reſidet, quouſque decoctionis continuatione per ſe ipſam incipit dirui, & aliquantulum elevari.

CAP. V.

Sequitur Decoctio ſecundi gradus uſque ad rubedinem.

CUm igitur ſic dimiſerit hic lapis nigredinem, mutatur gradus ignis, & ponitur in alio furno ſubtilis diſpoſitionis, in quo fortior adhibeatur decoctio. Calefacientes vas, & materiam circumquaque, & ibi decoqui debet. Nam tunc ſuſcipit veram albedinem, cum qua ibidem coquitur tamdiu, donec albedine tranſmutata ruborem adſumere videatur. Cavendum eſt autem, quòd iſte ignis non ſit intenſior, quàm ad ſuum gradum ſpectet, nam in albo colore, corpus & ſpiritus ſunt verè conjuncti. Et ſi daretur decoctio in exceſſum ultra debitum ſui gradus, ſepararentur unita. Quare in Turba dicitur: Coquite & cavete ne in fumum vertantur & procreant. Citrinatur autem quando de albo colore in rubeum tranſmutatur. Citrinus autem color eſt medius inter album & rubeum. Oportet ergo eum prætendi ante rubedinem veram. Et de hac Practica locuti ſunt Philoſophi, dicentes: Spiritus & anima non uniuntur, niſi in albo colore: quia tunc in albo colores qui in mundo excogitari poſſunt apparent & firmantur: & tunc in unum colorem ſcilicet albedinis, conveniunt: dealbatio enim eſt totius operis fundamentum: nec inde variatur in diverſos colores, videlicet veros, præterquam in rubeum, in quo eſt finis ultimus. Citrinatio enim quæ fit inter album & rubeum, non debet dici color in perfectione. Approbantur autem per hæc omnia quæ prædixi, quæ etiam vel re ipſa facti experientia demonſtravit.

CAP. VI.

Sequitur Decoctio tertii gradus uſque ad calcinationem.

ET dum rubeſcere incipit, ponitur ad decoquendum in alio furno, fortiorem ignis gradum, donec intus & extra vera rubedine perfruatur. Cujus ſignum eſt diruptio & perelevatio ſuprà dicta: de quibus in Turba dicitur: Poſt albedinem autem non poteſt errare. Nam igne augmentato poſt albedinem, ante rubedinem ad cinerationem pervenitur. Item videns autem illam albedinem ſupereminentem, eſto ratus, quòd rubor in albedine illa occultus eſt: & tunc oportet illud extrahere, & coquere, quouſque totum rubeum fiat. Et ſi vobis dubium relinquatur: quare albedo à nigredinis ventre extrahitur, rubedo autem non extrahitur ab albedine, licet ſit rubeum decoquendo, declaro vobis hoc modo: quoniam durante nigredine materia remanet, & eſt humida natura, quæ humiditas ſe oſtendit apparente albedine deſiccari. Et nunquam etiam apparet albedo, donec humiditates corrumpentes ſint omnino conſumptæ. His ergo duabus de cauſis dici poteſt, quòd albedo à nigredine extrahitur. Dum autem rubeſcit nihil devaſtatur, ſed tantùm coquitur, & decoctione ſui forti color rubeus immutabilis apparet, in quo eſt perfectio. Quare in Turba: Ex compoſito in ſpiritum rubeum verſo, fit mundi principium. Item ſpiritus tingens & vivificans intromittitur, poſtquam receſſit humiditas corrumpens non aletur, quod eſt perventum ad dealbationem

nem seu ad albedinem. Hoc ergo colore rubeo apparente, natura sui perfectionem ostendit occultam.

CAP. VII.

Sequitur Calcinatio, in qua ultimus gradus figendi completur. Et tunc spiritus corpus est verè factus, verè permanens, & fugitivum fugiens.

POstquam hæc materia rubeum habens colorem dirui & elevari incipit, ponitur ad calcinandum per flammam fortem reverberiorum jam in terreo vase, in quo ignis gradu fixio completur, & permanens efficitur, vera atque perfectissima fixione. Quare Iber ait in cap. de Calcinatione, quòd spiritus calcinantur, ut fixiones fiant, & meliùs dissolvantur. Et in capitulo etiam de tertii ordinis medicina incipit calcinari. Et debet in ignis calcinantis rigore permanere, donec pulvis tactu impalpabilis fiat, intensissimum habens ruborem. Quare in Turba sic dicitur: Scitote quòd cùm cinis est, optimè miscuitur: eò quòd cinis ille recipit spiritum, & inclusus est ille humor per interiorem ignem, quousque croci sicci, vel combusti sanguinis, vel syrupi granati colorem assumat. Item cum aqua introivit in corpore, vertit ipsam in terram: deinde in pulverem, sive in cinerem, si vult apud perfectionem experiri, manu accipite. Si enim impalpabilem aquam inveniunt, bene est: sin autem iterate. Hic autem cinis rubicundissimus impalpabilis in se ipso: elevatur etiam & crescit in modum fermenti, & separatur ab eo in calcinatione, prædicta terra nigra, subtilissima & perlucida, quæ in fundo vasis est, sub dicto pulvere rubeo reperitur. Unde dicebat mihi magister meus: Apparet perfectionem fixionis in hoc existere duabus de causis: una quidem: quia per fixionem & per calcionationis ignem, introducitur parva quantitas hujus Elixir super multas quantitates non permanentes corporis projecta confirmans in eis aurifixionem: quod non faceret, nisi in ea fixio superabundaret. Alia verò: quia terra nigra prædicta in calcinatione separatur à commixto, quæ aliàs fuerat in toto opere inseparabilis, propter fortissimam unionem: & ideo necesse fuit per fortissimum artificium separari. Et si remanet commixta propter sui impuritatem, impediret puræ materiæ ingressum.

CAP. VIII.

Sequitur Cinis per calcinationem factus fusibilis, & iteratò Lapis, qui est Elixir completum.

CInis verò iste caret fusione: qualiter autem ingrediatur ut tingat, certè liquefactio sibi redditur, sive sudor, per modum à Philosophis traditum. Quis ergo modus est ille? Est-ne in aquam solvendo? Certè non, quia Philosophi non curant de aquis tangenti adhærentibus, & id humectantibus. Quare dicitur in Turba: Incipientes autem, audientes aquam, putaverunt eam aquam esse vulgi: quòd si nostros libros legissent, scirent utique aquam esse permanentem. Quæ ergo aqua est verè, quæ tangenti non adhæret, sed superficiem discurrit nihil humectans sicut argentum vivum. Quis ergo facier talem aquam? Certè dico quòd ille qui scit facere vitrum. Hæc enim materia nihil aliud est quàm de seipsa vult sibi adjungi: nam omnia quibus indiget in se habet. Et si bene excogitentur quæ prædixi, scietis ex hoc cinere habere lapidem rubeum in intenso colore, parum perspicuum habentem, frangibilem cum modico ictu, fusibilem, penetrantem, ingredientem, & perpetua citrinatione tingentem. Cujus unum pondus centum illa, & plus Saturni convertit in Solem. Est autem in projectionis modo subtilitas: qua ignorata Elixir tenens non proficit ex eodem.

CAP. IX.

Conclusio totius Epistolæ.

ERgo Pater non miremini, si in hoc opere multi errant. Quoniam juro vobis, me nunquam vidisse quenquam præter magistrum meum: qui in debita applicaret materia opus suum, sed conantur ad impossibilia in materiis: ac si de cane crederent hominem generare. Quid mirum ergo si reddantur in operibus mendaces? Nam lapide, & unde noto in Practica operis dubia subtilissima multa restant: verè autem credatis, quòd in libris suis posuerunt Philosophi veritatem. Sed post mortem scribentis cujuslibet scripta ejus, quandoq; ab aliquibus sunt malè intellecta: quod tamen ipse si præsens esset, & speculativè exponeretur juxta verbum verificaret opera per effectum. Ego autem vestræ prudentiæ per omnia exposui totum opus: & per dicta Philosophorum aliqua approbavi, licet pauca curavi allegare, quod ex causa omisi: quoniam præsumo, quòd vos scripta Philosophorum omnia in scrinio vestri pectoris inclusistis. Et sic non dubito, quòd dictis meis ea omnia applicaveritis per vos ipsum: sicut ego per experientiam quam vidi, scripta sapientum intelligo, aliàs non noturus. Et si circa hoc breviloquio brevis fui: hoc ideo. Nam in vobis tantùm præsumo scire fundamentum, quod vobis non latebit intentio hujus rei. Et sufficit mihi, quòd vobis soli meus patet intellectus, & non mecum migrare queat hujusmodi veritas ab hac luce. Ob paternitatis vestræ reverentiam, Novum hoc Lumen edidi super ea: quoniam inter Mundi cæteros vos elegi hac re meo judicio digniorem, & Altissimus faciat vos pervenire ad optatum.

Explicit Novum Lumen.

Incipit Perfectum Magisterium, & Gaudium Magistri Arnaldi de Villa nova, *transmissum per eum ad inclytum* Regem Aragonum, *quod quidem est*, Flos Florum, Thesaurus omnium incomparabilis & Margarita; *in quo reperitur Veri Compositio Elixir, tàm ad album quàm ad rubeum componendum, videlicet ad Solem & Lunam sub compendio declaratum.*

SCias, Charissime, quòd in omni re quæ sub cœlo est, creata sunt quatuor elementa, non per visum, sed per virtutem. Unde Philosophi sub ve-

lamine ſcientiæ elementi, iſtam ſcientiam tradiderunt: & ad literam non intelligentes operantur ex ſanguine, capillis, ovis, & urina, nec non multis aliis, & ex illis primò extraxerunt quatuor elementa, ut cum eis opus perficerent, ſeparando primò per diſtillationem ex prædictis aquam claram: deinde oleum in ſuperficie citrinum, quod dicunt ignem & aërem continere, & terra nigra in fundo remanet. Poſtmodum cum aqua terram abluunt & dealbant imbibendo ipſam: & decoquendo aquam illam toties, donec terra dealbetur.

Deinde reducunt oleum illud ad ignem paratum diſtillando, quouſque dicta terra totum bibat, ſcilicet, aquam, oleum & tinƈturam. Et iſtam terram ſive cinerem projiciunt ſuper corpus fuſum, videlicet ſuper cuprum aut aliud, & nihil inveniunt: & tamen faciunt & operantur ſecundum quòd Philoſophi dicunt in libris ſuis: & ſic in errorem ceciderunt, non invenientes introitum. Et tamen error illorum eſt: quia certum eſt, quòd non generatur ex homine niſi homo, nec ex equo niſi equus: ſimiliter nec ex aliis animalibus, niſi ſibi ſimilia. Cùm igitur iſta ſint à natura metallorum penitus aliena, impoſſibile eſt ex ipſis fieri generationem ex metallis: quia metalla non generantur, niſi ex ſpermate proprio: Argentum autem vivum eſt ſperma metallorum & origo eorum, prout dicunt omnes Philoſophi, & etiam uſus & ratio docet, prout inferiùs declarabo. Iſta autem prædicta, videlicet ſanguis, capilli, ova, & cætera vegetabilia, non ſunt argentum vivum: ergo ex ipſis eſt impoſſibilis generatio, ſeu transmutatio metallorum, non ſunt igitur prædicta lapis noſter, licet ſint exempla.

Sunt alii qui accipiunt quatuor ſpiritus, ſcilicet, arſenicum, ſulphur, argentum vivum, & ſal armoniacum, & dicuntur Spiritus: quia ab igne fugiunt, & evolant in fumum. Et iſta accipiunt loco quatuor elementorum: videntes quòd Philoſophi dicunt in libris ſuis: ſcientiam eſſe in ſpiritibus, & iſtos ſubjacentes, ut ſint naturæ aëreæ, vel naturæ aëreæ efficiantur. Fixant poſtmodum calcinando, ut ſint naturæ terreæ: ſolvunt, ut ſint naturæ, aqueæ: deſtillant, ut ſint naturæ igneæ. Et iſta componunt juxta libros credentes habere ſcientiam elementorum: & compoſita ſimul componunt ſupra captum, & nihil inveniunt: ſed ut primi in errorem ſunt elapſi. Et cauſa illorum errorum eſt multiplex, quarum duæ ſufficiunt quo ad præſens. Una, quia ut prædictum eſt, quòd metalla non generantur niſi ex ſuo ſpermate. Iſta autem non ſunt ſperma metallorum perfectorum, excepto argento vivo. Ergo ex eis eſt impoſſibile fieri generatio, vel tranſmutatio in metallis. Item quia ſulphur & arſenicum citò comburuntur in igne, & ab ignis combuſtione in carbonem transferuntur: quomodo ergo expectabitur de eo bonum: quia citò comburitur, & in carbonem reducitur, nec aquam expectare debet? Igitur patet ſubtiliter intuenti, quòd nec iſta per ſe, nec juncta cum corporibus, neque miſta cum oleis extractis ab ovis, ſanguine & capillis, urina, vel aliis vegetabilibus, nec miſta ad invicem ſunt lapis noſter, aut medicina noſtra. Et hoc propter rationes prædictas, quia ad generationem hominis non fit alicujus commixtio rei, nec ad generationem animalis, nec ad generationem plantæ, niſi ſuis propriis ſeminibus, aut ſpermatis. Igitur magiſterium noſtrum commiſtione alicujus non indiget extranea. Quidam credunt in ſalibus, ſeu aluminibus ſcientiam invenire: & ea ſolvunt & calcinant, fundunt & præparant: & aliqui per ſe ſolùm projiciunt ſuper corpora imperfecta. Et alii ſimul miſcent cum ſpiritibus, ut dictum eſt. Præparant autem cum corporibus præparatis, & nihil inveniunt. Et cauſa illorum errorum eſt ſimilis præcedentibus.

Et quidam ex ſolis corporibus credunt medicinam elicere: & præparant ea calcinando, ſolvendo & congelando, & projiciunt ſuper corpus, & decepti ſunt. Et error illorum eſt, quia ſperma illorum ab initio non acceperunt, ſed corpus, ut eſt in natura ſua. Ex rationibus ergo dictis apparet, quòd non in ſanguine, nec in ovis, nec in capillis ſeu vegetabilibus appareat, aut habebitur ſcientia noſtra, nec in ſpiritibus prædictis per ſe, aut ſalibus, atramentis, aut aliis hujuſmodi quibuscunque.

Et quidam ſubtiliùs inſpicientes, conſideraverunt argentum vivum eſſe principium metallorum, & ipſorum origo in caloris ſulphure invenitur. Decoxerunt & ſublimarunt per ſe argentum vivum, & fixaverunt, & præparaverunt, & nihil invenerunt. Cauſa verò erroris illorum eſt: quia ſperma viri non prodeſt, nec fructum affert, niſi projiciatur in matricem mulieris. Sic etiam Mercurius, qui ſperma eſt, non prodeſt, niſi projiciatur in matricem corporum, ut ipſum maturent. Quidam ipſum cum corpore amalgamando miſcuerunt, & lavarunt tandiu cum aqua dulci, donec eis apparuit: quia corpus mundum eſt redactum: & illud coxerunt uſque in finem: credentes quòd argentum vivum cum tali corpore miſceatur: & nihil invenerunt: quia corpus immundum invenerunt, & argentum vivum evanuit: ſed corpus fuit mundius, quàm fuiſſet. Cauſa verò illorum errorum eſt: quia ſperma non jungitur cum corpore, niſi Luna mediante: quoniam anima eſt medium inter ſpiritum & corpus, ipſa ad invicem conjungens. Anima autem fermentum eſt: quia ſicut anima corpus vivificat hominis: ſic fermentum corpus mortuum à natura ſua penitùs alteratum vivificat. Unde anima obtinet principatum exercens vires ſuas: idcirco, quid ſit fermentum, infrà dicetur.

Quidam miſcent corpora imperfecta cum corporibus perfectis, & ponunt, in examine, credentes, quòd id quod eſt bonum & purum in corporibus imperfectis cum perfectis remaneat, & reſiduum evaneſcat. Hæc autem non videntes illuſi ſunt, & eccidit in eis cogitatio prava. Cauſa autem illorum errorum eſt: quia corrumpens corpora imperfecta, impedit ne perficiantur. Et nota quòd hic oporteret habere duplicem virtutem, quæ ſepararet terram ſulphuream comburentem à commixto, & quæ converteret jam ſeparatam ad naturam ſuam. Hanc virtutem corpus in ſua groſſitudine habere non poteſt. Hæc omnia tentaverunt communiter operantes, prout & ego tentavi jam, & in fluporem adducti ſunt tanquam de ſcientia deſperati, & intellectus imbecillitate magiſterium relinquentes.

Nunc autem ſcire te volo, quòd materia omnium metallorum, & eorum ſperma eſt Mercurius decoctus & inſpiſſatus in ventre terræ, calore ſulphureo decoquente, & ſecundùm varietatem ſulphuris, & ipſius multitudinem in terra diverſa metalla generantur: ſemper tamen eorum materia eſt una & eadem eſſentialiter, ſolo tamen differunt accidente, ſcilicet decoctione majori aut minori, adurenti, vel non adurenti, ſeu comparatis. Et in hoc omnes Philoſophi conveniunt. Et adhuc tibi, chariſſime

chariſſime fili, clariùs demonſtrabo. Certum enim eſt, quòd omnis res eſt ex eo, vel de eo in quod reſolvitur: ſuper quod ponam tibi exemplum. Glacies vel nix convertitur in aquam mediante calore: ergo priùs fuit aquam quàm nix vel glacies: ſed omnia metalla convertuntur in argentum vivum: ergo priùs fuerunt argentum vivum. Modum autem convertendi ipſa in argentum vivum, inferiùs te docebo. Hoc autem ſuppoſito, quod metallum poſſit reſolvi in argentum vivum, ſolvitur opinio illorum, qui dicunt: Spiritus & alias ſpecies in elementa & naturam metallorum transmutari non poſſe: quia hoc verum non eſt, ut ipſi aſſerunt, niſi ad primam materiam reducantur. Reductio ipſius ad primam materiam eſt facilis & poſſibilis metallis. Item oſtendo tibi quòd multiplicatio in metallis eſt poſſibilis. Nam omne creſcens & naſcens multipiicatur, ut patet in plantis & arboribus: nam ex uno grano mille grana procreantur: ex una arbore infiniti procedunt ramuſculi: ex quibus fiunt diverſæ arbores & infinitæ. Et ſic ſuum numerum augent & multiplicant. Metalla autem in terra naſcuntur & creſcunt: ergo poſſibilis eſt in eis augmentatio & multiplicatio uſque in infinitum.

Oſtendi tibi, chariſſime fili ſapientiæ: ſi ea quæ dicta ſunt intellexiſti, errores omnium operantium communiter cum cauſis ſuis: & affirmavi hoc eſſe verum demonſtratione aperta & lucida: nunc Dei auxilio ad practicam veniamus. Dico tibi chariſſime, quòd oportet corpora primò ad primam materiam reducere, ad hoc ut fiat generatio ſeu multiplicatio in eisdem materiis. Animadverte ergo in his quæ tibi deſcribuntur. Accipe cupri ℔. j. & fiat ex eo limatura munda, & miſce cum ℔. iiij. Mercurii, terendo in mortario cum ſale modico & aceto, quouſque ſimul amalgamentur. Cùm autem cuprum fuerit optimè conjunctum, pone ipſum in bona quantitate aquæ vitæ, hoc eſt, in xij. partibus ſui de aqua vitæ. Hoc eſt, quòd ſi amalgama fuerit ℔. j. de aqua vitæ ſit xij. & pone totum in urinali ſuper ignem debilis cineris inferius lentiſſimè ad ignem per diem naturalem: tunc dimitte infrigidari, & cùm frigidum fuerit, cola aquam tuam cum omnibus quæ in ea ſunt per pannum lineum donec exeat & tranſeat per pannum de aqua, id quod de corpore reſolutum fuerit, & non per filtrum: quia non exiret reſolutio corporis per filtrum, & pars quæ poterit exire exeat, & pone ad partem. Deinde accipe id quod remanſit in panno, & iterum cum nova aqua benedicta repone ad ignem in vaſe prædicto, per diem & noctem ut priùs, & cola ut ſuprà dicitur, & aquam ſecundam cum prima ad partem pone, ut ſuprà: & ſic toties reitera, quouſque opus ad aquam revertatur hoc eſt ad primam materiam, quod eſt Mercurius.

Quo facto, totum iſtud accipe, & pone in vaſe vitri, ſuper ignem lentum decoquens, quouſque videris in ſuperficie nigredinem apparentem, quam remove ſubtilius quàm poteris, & ſic reitera coquendo, & nigredinem à ſuperficie tollendo, quouſque appareat nihil nigredinis, & aqua remaneat clara: nunc habes aquam & terram, ſcil. duo principalia elementa.

Deinde accipe illam terram & nigredinem quam collegiſti, & pone in vaſe vitreo, & ſuperinfunde de aqua prædicta, quouſque ſuper eam natet: & coque lento igne per quatuor dies: tunc aquam pone & coque, & ſic deinceps, quouſque terra albata & clara. Et hoc eſt quod Philoſophi dixerunt: hæc terra cum aqua putreſcit & mundificatur: quia cùm mundificata fuerit, auxilio Dei totum magiſterium dirigetur. Qua mundata & clarificata, ſeu dealbata, ut dictum eſt, aqua mediante, quæ cum dicta terra, mediante calore, & coagulata & inſpiſſata terram ipſam coagulatam cum aqua ſua, inſpiſſatam ſine alia aqua decoquens forti igne in cucurbita vitrea, alembico vitreo ſuperpoſito, donec quicquid fuerit de aqua, aſcendat ad alembicum, & terra remaneat calcinata. Tunc accipe de fermento de quocunque volueris quartam ſui partem: id eſt, ſi fuerit una libra corporis perfecti, de fermento uncias tres. Fermentum verò aut eſt aurum aut argentum: & iſtud fermentum cum terra fermentatur, ſic ſoluti, ut de terra factum eſt: & eodem ordine cum terra præparatum ſimul conjunge & ablue cum aqua prædicta, & coque per tres dies aut plures. Tunc iterum aquâ ſuâ imbue & coque ut priùs: & hoc toties reitera, quoties & donec hæc duo in unum reducantur: quod perpendes quando color non variabitur in eisdem: tunc ſuper eis infunde aquam prædictam, partem poſt partem paulatim, uſque dum biberit de ipſa quantum poterit ſemper novam aquam infundendo. Nam in ilta conjunctione ſpiritus, & corporis, cum eisdem commiſcetur anima: & unum fiet cum eis, & corpora convertuntur in naturam ipſorum, & germen conjungitur cum corporibus ipſorum prædictis mundatis: quia non poterant antea propter illorum immundiciem & groſſitudinem, ſed cum eis conjungitur, & in eis creſcit & augmentatur.

Nunc revertar, chariſſime, ad dicta priùs, applicans ſingulariter ſuper ea verba Philoſophorum antiquorum obſcurè in parabolis collocata. Ut me in dictis verba Philoſophorum intelligere, cùm ipſa verba eos protuliſſe affirmes. Primum verbum eſt corporum in argentum vivum reductio: & iſtud eſt, quod Philoſophi vocaverunt Reductionem, quæ eſt artis fundamentum. Verba Philoſophi: Niſi corpora ſolveritis in vanum laborabitis: De qua ſolutione tractans Parmenides in libro Turbæ dixit: Si hunc librum legiſſent & intellexiſſent, ſcirent utique aquam eſſe permanentem, quæ abſque ſuo corpore cum quo juncta eſt, & facta eſt unum permanens, eſſe non poſſet. Non igitur corporum Philoſophorum aqua nubis, ſed ipſorum converſio in aquam, ex qua fuerunt creata, ſcilicet argentum vivum, prout gelu convertitur in aquam limpidam, ex qua primò fuit. Ecce per Dei gratiam unum habes elementum quod eſt aqua.

Secundum verbum eſt: Quòd fit terra. Et hoc eſt quod Philoſophi dixerunt. Quòd de groſſitudine aquæ terra generatur: quoniam fæces aquæ quæ remanent in fundo vaſis, Terram Philoſophi dixerunt. Sic habes ergo ſecundùm alios, elementum, quod eſt aqua.

Tertium verbum eſt: Quod eſt terræ mundificatio. De aqua mundificatione Morienus Philoſophus dicit: Hæc terra cum aqua putreſcit & mundificatur: quæ cùm mundificata fuerit, auxilio deitatis totum magiſterium dirigetur. De qua dixit etiam Pheyrer in libro Turbæ: Junge ſiccum humido, ſcilicet, terram aquæ. Ecce & aquam per ſe jam habes, & terram dealbatam cum aqua.

Quartum verbum eſt: Aqua quæ poteſt evaporare per diſtillationem per quam ſublimationem ſive aſcenſionem efficitur ipſa terra aërea, cùm prius eſſet ſpiſſatum cum terra & coagulatum. Et habes terram, aquam & aërem. Et hoc dixit Philetes in libro Turbæ: Dealbatum ſiccum igne comburite,

quouſque

quouſque ex eo exeat ſpiritus, qui in eo invenitur: qui dicitur Cinis Hermetis. Et Miſêris Philoſophus: Et remanet terra calcinata in fundo vaſis, quæ eſt naturæ igneæ. Et ſic habemus in prædictis præparationibus quatuor elementa. Hæc ergo terra calcinata eſt illa, de qua ait Miſêris Philoſophus ſic: Nec cinerem vilipendas in inferiori loco, eo teſte exiſtente. In eo enim eſt diadema cordis, quæ remanet. Cinis eſt poſtmodum cum prædicta terra. Fermentum ponitur, quod Philoſophi animam dicunt fermentum. Et hoc ideò, quia ſicut corpus humanum abſque ſuo fermento, ſeu ejus anima nihil valet, ita eſt in propoſito. Nam fermentum eſt corpus, ut dictum eſt, & ad naturam ſuam alia convertit. Et ſcias quòd non eſt fermentum niſi Sol & Luna, hoc eſt aurum & argentum iſtis planetis appropriata. Ideò, quia ſicut Sol & Luna aliis dominantur planetis: ſic iſta duo corpora aliis dominantur, & ipſa ad ſuam naturam convertunt: & ideò à plurimis Fermentum dicuntur. Oportet ergo fermentum in corporibus introduci: quia eſt ejus anima. Hoc eſt quod dixit Morienus: Niſi corpus immundum mundaveris, & eum dealbatum non reddideris, & in eo animam non miſeris, nihil huic magiſterio direxiſti. Igitur fit conjunctio fermenti cum corpore mundato: & tunc ſpiritus cùm jungitur, lætatur & gaudet cum eis: quia munda ſunt à ſua natura groſſa, & ſubtilia ſunt facta. Et hoc eſt quod dixit Aſcanus in libro Turbæ: Spiritus non conjungitur cum corporibus, donec à ſuis immundiciis fuerit perfectè denudatus. In hora conjunctionis mirabilia maxima apparent. Nam omnes colores de mundo apparent in operando quotquot excogitari poſſunt, & corpus imperfectum coloratur coloratione firma mediante fermento, quod fermentum eſt anima: ſpiritus mediante anima cum corpore conjungitur & ligatur: & cum eo ſimul in colore fermenti convertitur, & fit unum cum eis.

Ex prædictis apparet, ſubtiliter intuenti, Philoſophos in ſuis verbis obſcuriſſimis vera dixiſſe. Nam ipſi Philoſophi dicunt in libris ſuis, quòd Lapis noſter eſt ex quatuor elementis: quia ipſum elementis compararunt. Et oſtenſum eſt primò qualiter ſunt quatuor elementa. Dixerunt etiam quòd lapis noſter compoſitus eſt ex corpore, & anima, & ſpiritu, & verum dixerunt. Nam corpus imperfectum corpori comparaverunt propter hoc, quia eſt infirmum. Aquam ſpiritum dixerunt, & verè ipſa ſpiritus eſt. Fermentum animam dixerunt: quia ſicut ſupra dictum eſt, corpori imperfecto vitam tribuit perfectam, quam priùs non habebat, & meliorem formam produxit.

Dixerunt etiam quidam Philoſophi: niſi corpora ducatis ut fiant incorporea, ad corpora nondum operanda regulas inveniſtis, & verum dicunt. Nam primò fit aqua, id eſt, argentum vivum: & ſic fit incorporeum. Deinde de conjunctione ſpiritus, ſcilicet aqua, fit corpus. Et ideo quidam dixerunt: Convertere naturas, & quod quæris invenies, hoc eſt verum. Nam in noſtro Magiſterio primò facimus de groſſo gracile: id eſt, de corpore aquam, & poſtmodum de hujusmodi ſiccum: id eſt, de aqua, quæ humida eſt, terram: id eſt, ſiccum: & ſic naturas convertimus, & facimus de corporeo vel corporali ſpirituale, & de ſpirituali corporale, ut dictum eſt. Et facimus id quod eſt ſuperius, ſicut id quod eſt inferius: id eſt, ſpiritum corpus, & corpus ſpiritum: ut in principio operationis videlicet in ſolutione fit: quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius: & totum vertetur in terram.

Patet ergo ex prædictis, quòd lapis noſter ſunt quatuor elementa, & ſunt anima, corpus & ſpiritus. Et lapis noſter, prout dicunt quidam Philoſophi, ſit ex una re cum uno: & certè verum dicunt. Nam certè totum magiſterium noſtrum fit cum aqua noſtra, & ex ea: & per eam. Nam ipſa corpora ſolvit (ut dictum eſt ſuperiùs) non ſolutione illa, quam & prout credunt ignorantes, quòd convertantur in aquam nubis: ſed ſolutione vera Philoſophica, ſcilicet quòd convertatur in aquam primam, ex qua fuerunt ab initio. Ipſa enim aqua corpora calcinat, & in terram reducit. Ipſa eadem aqua corpora in cinerem transformat, & eam incinerat, dealbat & mundificat, juxta verbum Morieni dicentis, quòd azoch & ignis latonem abluunt, aque mundificant, & ejus obſcuritatem ab eo penitùs eripiunt. Lato autem corpus immundum eſt: Azoch autem eſt argentum vivum. Et corpora diverſa conjungit præparatum prædicto modo, conjunctione tali, quam non poterit ignis potentia: nec alia temperatio ſeu probatio ſeparare: & ab ignis combuſtione defendit: & eorum unum in aliud mittit, & corpora ſublimat non ſublimatione vulgari, quam intendunt idiotæ, quòd ſublimare ſit ſuperius aſcendere per ignem. Et ideo accipiunt corpora calcinata, & miſcent cum ſpiritibus ſublimatis, ſcilicet cum ☿, arſenico, & ſale: & per ignem fortem & ſubitaneum corpora aſcendere faciunt cum ſpiritibus, & dicunt quòd tum corpora ſunt ſublimata, & his tales falluntur & deluſi ſunt: quia ipſa poſtmodum inveniunt magis immunda, quàm fuerunt priùs.

Scias, chariſſime, quòd non eſt noſtrum ſublimare, ſuperiùs aſcendere: ſed ſublimare Philoſophorum eſt, de re baſſa & corrupta altam facere atque magnam: id eſt, puram: ut dicimus: Iſte homo ſublimatus eſt: id eſt, in dignitate poſitus: ſic enim diximus, corpora ſunt ſublimata: id eſt, in ſubtilitatem & in altam naturam converſa. Veruntamen ſublimare apud Philoſophos, idem eſt quod ſubtiliare & decretare, quod totum facit aqua noſtra benedicta. Sic ergo intellige noſtram ſublimationem: quia multi ſunt in hoc decepti. Aqua etiam noſtra mortificat & vivificat, & apparere facit colorem primò nigrum in mortificatione corporis, dum in terram vertitur: poſtmodum apparent multi colores, & varii ante dealbationem: quorum omnium finis eſt albedo. In conjunctione verò corporis præparati & fermentati, colores infiniti apparent tot, quot ab homine excogitari non poſſunt. Et ſic apparet quòd magiſterium noſtrum eſt in uno, & cum uno fit, & ex quatuor, ut dictum eſt, & ex tribus, ut ſuprà dictum eſt. Unde ſcias, chariſſime, quòd Philoſophi nomina noſtri lapidis multiplicaverunt ad hoc, ut abſconderent eum, & dixerunt: Lapidem noſtrum corporeum & ſpiritualem eſſe: & in rei veritate mentiti non ſunt, prout ſapientes intelligere poſſunt. Nam ibi eſt corpus & ſpiritus, & corpus factum eſt ſpirituale in ſolutione, ut dictum eſt: & ſpiritus factus eſt corporalis, in conjunctione ipſius cum corpore perfecto, & fermento. Quidam enim Philoſophorum ipſum vocantes (prout dixit Eximenus in libro Turbæ) ſic ſcitote omnes ſcientiam inquirentes, quòd nulla ſit tinctura vera, niſi cum ære noſtro: & infinita nomina impoſuerunt, ne ab inſipientibus perciperetur quoquomodo, ſi ipſum nominarent: tamen unus eſt, & idem

opus.

opus. Et ideo dicit Morienus quòd cum facto nostri magisterii assimilatur in ordinem hominis creationi. Nam primò est coitus, postmodum conceptio, deinde imprægnatio, quartò ortus, & quintò sequitur nutrimentum. Hæc verba faciam te intelligere si fueris attentus corde, atque sollicitus. Sextò sperma nostrum, quod est argentum vivum, cum terra conjungitur corpori imperfecto: quæ terra nostra dicitur: eò quòd terra est mater omnium elementorum: tunc secundùm Philosophos Coitus appellatur. Dum autem terra incipit aliquantulum de argento vivo secum retinere, tunc dicitur Conceptio, & tunc agit masculus in fœminam: id est, argentum vivum in terram. & hoc est quod dicunt Philosophi, quòd nostrum magisterium non est aliud nisi masculus & fœmina, & ipsorum conjunctio. Dominatur aqua in argentum vivum, & terra crescit & multiplicatur, & augmentatur. Quod autem evenit quando terra dealbatur, tunc prægnatio nuncupatur: quoniam jam terra est impræguata. Deinde fermentum conjungitur cum corpore imperfecto præparato, ut dictum est, quousque unum fiant colore & aspectu, & tunc dicitur Ortus. Tunc enim natus est lapis noster: qui natus Rex à Philosophis nuncupatur. Unde dicit Philosophus in libro Turbæ: Honorate regem vestrum ab igne venientem diademate coronatum, & ipsum alimentate usque dum ad ætatem perfectam perveniat. Cujus pater est Sol, mater verò Luna. Lunam autem pro corpore imperfecto accipiunt: Solem verò pro corpore perfecto. Ultimò verò sequitur nutrimentum, quousque augmentetur augmentatione magna. Nutrimentum autem lacte suo & sperma te ex quo fuit ab initio, imbibatur argento vivo sæpe & sæpius, quousque habeat quod sufficiat: id est, usque ad perfectionem, quod est finis totius operis nostri.

Charissime, per ea quæ dicta sunt, facilè potes intelligere omnia verba Philosophorum obscura, & cognosces omnes in eodem convenire. Et nihil est aliud magisterium, nisi id quod prædixi tibi. Jam habes charissime corporis solutionem & reductionem sui ipsius ad primam materiam. Deinde habes ipsius in terram conversionem. Post autem dealbationem, in aërem levigationem: quia tunc destillando humiditatem quæ invenitur, fit aëreum. Quod descendit, & terra remanet calcinata: & tunc est igneæ naturæ. Et habes etiam istorum conjunctionem ad invicem: & habes commixtionem animæ & corporis: & etiam conjunctionem animæ & corporis & spiritus simul, & conversionem ad invicem: & habes augmentationem tantùm. Cujus utilitas major est, quàm possit percipi.

Explicit tractatus Flos Florum Magistri Arnaldi de Villa nova.

Arnaldi De Villa Nova Epistola *super Alchimia ad Regem Neapolitanum.*

SCias ô tu Rex, quòd sapientes posuerunt in opere multas res, & multos modos operandi, scilicet dissolvere & coagulare, & plura vasa, & pondera, quod fecerunt ad excæcandum ignorantes, & ad declarandum intelligentibus opus prædictum. Et nota, ô tú Rex, quòd sapientes denunciarunt opus sub brevibus verbis: licet plura verba alia posuerunt, & adjunxerunt, ut non intelligeretur, nisi per sapientes. Sapientes verò dixerunt, quòd est unus lapis, qui ex quatuor naturis est compositus: quæ quidem naturæ sunt, ignis, aër, aqua & terra. Qui quidem lapis est lapis in similitudine & tactu: non autem in natura: & vocatur lapis, sive compositum quoddam. Compositum dum est ductum per viam rectam est id quod quæritur, in quo non est aliquid superfluum, vel aliquod quod desit, imò omnia quæ sunt in lapide, sed ei necessaria, & nullo alio indiget: & quod dictum compositum, sive lapis est unius naturæ & una res: quæ quidem res, in decoctione ignis habet diversos colores, antequam fiat lapis albus perfectus.

Et nota, ô tu Rex: quòd ubi magis dictus lapis stat in igne, tantò magis augmentatur de bonitate: quòd in aliis rebus non est ita: quia omnes aliæ res in igne comburuntur, & amittunt humiditatem radicalem. Dictus verò lapis totus solus in igne semper melioratur & crescit ejus bonitas: & ignis est ejusdem lapidis nutrimentum. Et istud est unum de evidentibus signis ad cognoscendum lapidem ipsum: quod intellige bene. Quod compositum sive lapis dividitur ante operationem duobus modis: prima corporalis, alia spiritualis, & unum exit ab alio, & est unita, & regitur unum cum alio, & unum meliorat aliud. Et Philosophi nominaverunt unum Masculinum, & aliud Fœminum.

Et nota, ô tu Rex, quòd quando Philosophi nominaverunt Argentum vivum, & magnesiam, dicentes: Congelat argentum vivum in corpore magnesiæ: quod ipsi non intellexerunt de argento vivo vulgari quod videtur, sed intellexerunt, quòd argentum vivum est humiditas dicti lapidis: quia magnesia non est illa quæ videtur vulgariter: sed magnesiam vocaverunt totum compositum, in quo est tota dicta humiditas, quæ est argentum vivum. quæ quidem humiditas non est sicut aliæ humiditates, quæ quidem humiditas currit in igne, & in eodem igne totum compositum dissolvit, congelat, denigrat, dealbat, & finaliter rubefacit & perficit. Et nota, ô tu Rex quòd in opere non ponuntur plura: sed una res duntaxat, nec oportet aliqua fieri trituratio manuum, nec aliquid apponi debet cum dicto lapide. Et nota, ô tu Rex, quòd terra alba vocatur lapis albus perfectus, & terra rubea vocatur lapis rubeus perfectus: quæ quidem terra alba per regimen dicti operis, absque adjutorio alterius rei convertitur in rubedinem. Aqua verò sive argentum vivum, vocatur humiditas, quæ est in dicto lapide. Et nota quòd aqua sive humiditas dum exit de compositione sive lapide, versa fuit tota compositio nigra in fundo vasis: & sic continuando ignem ipsa nigredo in qua est humiditas, vertitur in diversos colores: & finaliter in albedinem: quæ quidem humiditas vocatur etiam aër, qui aër seu humiditas miscetur cum terra sua, & cum aliis elementis in ipso lapide existentibus: donec fiat unum quid album. Et nota, ô tu Rex, quòd dicta humiditas aërea, quæ est argentum vivum, est una res cum terra sua supradicta, & aliis elementis in ipso lapide persistentibus. Quæ quidem humiditas, licet sit pauca, est sufficiens ad nutriendum, & ad perficiendum totum lapidem, à quo est ipsa humiditas. Et est sciendum, quòd in dicta compositione, seu lapide, sunt Sol & Luna in virtute & potentia, ac elementis, in natura: quia si hæc non essent in ipso composito, non fierent: non fierent inde, neque Sol neque Luna: & tamen non

non eſt ipſe Sol, ſicut Sol communis, nec ipſa Luna, ſicut Luna communis: quia ipſum Sol & Luna exiſtentes in ipſa compoſitione, ſunt meliores quàm ipſa natura vulgaris: eò quòd Sol & Luna dicti compoſiti ſunt vivi, & alii vulgares ſunt mortui: habito tamen reſpectu ad ipſum Solem & Lunam in dicto lapide exiſtentes, ut dictum eſt: licet Philoſophi nominaverunt ipſum lapidem Solem & Lunam, ad finem illum: quia in ipſo lapide ſunt potentialiter, non autem viſibiliter. Et eſt ſciendum, quòd ipſe lapis ſive compoſitum, una eſt res duntaxat, & unius naturæ & in ipſo eſt totum illud quod eſt ei neceſſarium: & in ipſo eſt id quod eum meliorat, & illud quod ipſum complet: & non eſt iſtud compoſitum quod eſt unum: videlicet opus aliquorum animantium ſeu animalium, ſeu vegetabilium: ſed eſt natura munda & clara de ſuis propriis mineris, quæ transmutantur per regimen ignis, & putreſcit & nigreſcit, & albeſcit, & rubeſcit: & ad plures alios colores devenit. Et nota, ô tu Rex, quòd humiditas prædicta quæ eſt argentum vivum, eſt corruptio ipſius lapidis: quoniam ipſum lapidem nigreſcere facit, & finaliter ipſum lapidem dealbat. Et nota, ô tu Rex, & ſcias, quòd Philoſophi dixerunt: Fundatis corpus, & aſſetis eum donec convertatur in aquam: quod intelligitur de dicto compoſito, quod fundatur, & congelatur: & tunc vocatur terra. Et nota quòd Philoſophi vocant Aquam dum dictus lapis eſt liquefactus cum ſua aqua, quæ in ipſo lapide eſt fixa: quæ aqua tunc eſt currens & alba ſicut aqua. Et nota, ô tu Rex, quòd convertatur aqua in aërem: quod eſt intelligendum, quod dicta aqua congeletur & convertatur in corpus quod antea fuerat: quod corpus eſt tamdiu in regimine ignis, donec convertatur ipſum corpus ſubtile, & in albedinem perfectam redactum: & tunc nominatur per aliquos Aër. Sed quando dicitur quòd convertatur aër in ignem, intelligitur, quòd dictum compoſitum, quod vocatur Aër, ſtet in igne forti tam diu, donec rubeſcat, & tunc erit completum ad rubeum: quod vocatur Ignis, ſive Sol. Et nota, ô tu Rex, quòd de uno ſolo compoſito, & duntaxat de ipſo fit opus, & non de alio: quod compoſitum recipe purum abſque immunditiis quæ ſunt in eo, videlicet quòd ſit mundum, ut oportet: quod compoſitum rege ipſum in igne cum ſuis naturis: & iſtud facias in principio regiminis ignis: quia in hoc eſt totus defectus ſive periculum. Et dum iſtud eſt factum, ulterius non poteſt eſſe aliquis defectus: & tunc ignis debet eſſe inter fortem & lentum, quouſque ſpiritus fuerit ſeparatus à corpore, & aſcenderit ſuper terram, & remanebit in fundo vaſis corpus mortuum, ſine ſpiritu in ipſo exiſtente. Et ſignum eſt, quòd ſi ponatur ſuper ignem, & non fundit, neque fumat, jam eſt completum quantum ad iſtum paſſum: & dum eſt ita, reducatur ipſe ſpiritus ſupra ipſum corpus à quo exivit: qui ſpiritus eſt ſimilis nubibus nigris, quæ portant aquã. Iſte namque ſpiritus vocatur Aqua vitæ, per quam ſuſtinetur hoc corpus, & cum qua moritur, & poſt mortem vivificatur. Et nota, quod cum dicto compoſito eſt illud, quod mortificat ipſum compoſitum, & cum ipſo eodem dealbatur, & rubeſcit idem compoſitum ſine adjutorio alicujus rei extraneæ. Item nota quòd ignis debet eſſe in principio operis lentus: ſecundò mediocris: tertiò fortis, videlicet paulativè augmentando ipſum ignem, donec dictus lapis albus fiat, & ultimò rubeus.

Practica Magiſtri Arnaldi de Villanova, *ad quendam Papam, ex libro dicto*, Breviarius Librorum Alchemiæ.

SAnctiſſimo in Chriſto Patri devotiſſimo, poſt pedum oſcula beatorum, imitatio Dei excelſa, dico tibi pater alme, &c. Quod omnium primo, corpora in primam materiam reducere oportet. Prius te ſcire volo, quod materia omnium metallorum, & eorum ſperma eſt fumus albus, decoctus, & inſpiſſatus in ventre terræ, calore ſulphureo decoquente: & ſecundum varietatem ſulphuris & ipſius multitudinem in terra, diverſa metalla procreantur: ſemper tamen ipſorum plurimum materia eſt una & eadem eſſentialiter, ſolo differens accidente, &c. Cum enim ſine ſale operator nihil agat, ſicut qui cum arcu ſine chorda ſagittat, & hoc Morien. clarius dicit: Accipe phlegmaticum & cholericum, & tere ſanguineum cum eis, donec fiat cælum tingens pro debita, &c. in ſuo igne. Phlegmaticus eſt frigidus & humidus, ut Mercurius: cholericus vero eſt calidus & ſiccus, & ſal armoniacum, ſanguineus & calidus & humidus, ut Sol, ſeu aurum. Nota. ſal armoniacum non dat colorem, ſed dat introitum, præparat, & purgat: ingrediuntur tunc reliqui ſpiritus corporibus permiſtis, & conjungit, & recedit. Ipſum enim ſal eſt unguentum ſiccitate ignis coagulatum, ex natura calida & ſicca, ſubtili, à parte in partem penetrans ſolvit corpora, & eſt copulator contradictoriorum; & omnium ſpirituum cum corporibus. Ipſum enim eſt ſpiritus volans, lapis generans, ad elixir coadjutor. Et niſi ipſum eſſet, non ſolveretur nec ingrederetur elixir, nec poneretur unum cum aliquo alio, nec intraret unum in aliud: volans eſt, exiſtens unà cum corporibus corpus, & eſt in eo occultum & abſconditum: de quo dicit Avicen. in Majori: Si poſueris eum loco ignis, aeris & ſulphuris, aut cujuslibet, non errafti in opere: ad quamlibet enim ſe inclinat naturam: & Almizadir, id eſt ſal armoniacum tibi ſolum ſubſerviat. In libro Aluminum & ſalium traditur: Quod ſi Deus non creaſſet eum, non perficeretur elixir, & vanum eſſet ſtudium Alchemicum. Qui ergo ſine ſale operatur, vel agit, ut ait Allegoria ſapientum, corpora mortuorum in ſepulcris eorum non attenuat, propterea, &c.

De Decoctione Lapidis Philoſophorum, & de Regimine ignis in diverſis gradibus decoctionum ad coagulationem Lapidis.

Verſus de Solutione.

Qui quærit in merdis ſecreta philoſophorum,
Expenſas perdit proprias, tempuſque laborum.
Eſt in Mercurio quicquid quærunt ſapientes:
Corpus, abhinc anima, ſpiritus, tinctura trahuntur.
Nullus Mercurius fumatur, quam mineralis.

Ignis coagulationis gradus.

Primus formetur, ut ſenſus ei dominetur,
Senſibus æquato gaudet natura ſecundo.
Tertius excedit, ſed cum tolerantia ladit:
Deſtructor ſenſus, neſcit precedere quartus.

Igitur ad practicam deſcendamus, clare & aperte, & intelligibiliter eam ſubjiciamus. Nota ergo, quod in operatione noſtra, quæ divina eſt, potius quàm humana, requiritur una ſola materia nec ulla

ulla alia: quia aqua noſtra pura, & mineralis in nullo alio opere poſita, nec etiam alicui corpori miſta, quæ materia eſt ſubſtantia, & à qua diverſi colores effectusque in regimine apparent. Et ſcias quod una materia etiam requirit unicum vas de vitro, quod dicitur vas Hermetis: & illud requirit unum aliud vas terreum cum coopertorio ſuo ſimiliter terreo. Et illud unum vas de terra requirit unicum furnum, videlicet furnum Hermetis, & coopertorium furni. Primo ergo deſcribamus vas vitreum. Fiat ergo vas Hermetis de vitro, quod rotundum ſit ad modum cæleſtis Lunæ mediæ, quod vas debet habere foramen Luna plena portabitur. Deſcriptio autem vaſis Hermetis, eſt aliquantulum oblongum ad modum ovi, vel ad modum ampullæ.

Vas terreum modo deſcribamus, in quo debet vas vitreum prædictum poni. Fiat ergo vas terreum, quod poſſit ſuſtinere ignem fortem, & continuum etiam cum ignitione, ſicut eſt terra, de qua fiunt crucibula ad fundendum aurum: & fiat dictum vas tantæ capacitatis & magnitudinis, quod prædictum vas vitreum poſſit ibi bene recipi: ita quod ſub vaſe vitreo, & ſupra vas, & circa illud, poſſint poni cineres cribellati ad ſpiſſitudinem duorum digitorum ad minus: fiat autem prædicto vaſi coopertorium, quod ita conjungatur cum vaſe ſuo, quod flamma ignis non poſſit percutere vas vitreum intus poſitum. Habeat autem prædictum cooperculum unam ſuperius auriculam, ut poſſit deponi, & tractari, &c. Modo collocemus vas vitreum in illud vas terreum ſic: Primo habeas de cineribus optime cribellatis in bona quantitate, & pone de eis in vaſe terreo prædicto in ſpiſſitudinem duorum digitorum ad minus, fortiter cineres imprimendo: deinde pone ibi vas de vitro cum ſuo retentorio vel coopertorio: prius tamen optime claudatur orificium ipſius vitri, cum luto tibi noto (eſt autem lutum ſapientiæ) deinde circumpone cineres reliquos circumquaque, & ſupra, &c. ſicut ſcis.

Modo ſubjiciamus aliqua notabilia: Nota, quod in operatione noſtra, & in quolibet opere Alchemico, ſive agatur de ſublimationibus, ſive deſtillationibus, ſive decoctionibus quibuscunque, neceſſarium eſt duas partes vitri eſſe vacuas.

Item quanto carbones ſunt magis ponderoſi, & magis compacti, ſeu denſi, tanto ſunt meliores ad opus noſtrum: quia ignis factus ex ipſis magis durat in ſua qualitate, & ita carbones quercini & ſimiles ſunt eligendi. Et nota, quod ſint quatuor colores principales in opere apparentes, ſcilicet niger, albus, rubeus, & citrinus qui ſunt in diverſis gradibus taliter apparentes ſecundum ſuum gradum decoctionis. Cum alio enim igne facimus corpus nigrum, cum alio album, & cum alio rubeum, & alio citrinum. Sunt enim 4. gradus ignis, qui in ſupraſcriptis 4. verſibus continentur. Et nota, quod Philoſophi hanc ſcientiam ignis celaverunt, nec aliquis Philoſophus de dictis gradibus eſt clare locutus, ſed obſcure omnes de levi igne tantum faciunt mentionem. Primus igitur gradus continetur in primo verſu, qui eſt:

Primus formetur, ut ſenſus ei dominetur.

Et quomodo cognoſcetur, quando eſt calor primi gradus? certe ſic: quod ſi manus tangens cineres, ſeu cupellam, ſeu coopertorium furni, poſſit ibi ſtare ſine aliqua læſione. Et iſte eſt primus gradus, quem Philoſophi celaverunt: & cum illo ſolo igne, aut ſibi ſimili, & cum nullo alio, putrefit materia noſtra ſecundum aliquos philoſophos in 40. dieb. quod ego non credo: ſecundum alios vero 50. quod etiam non credo: ſecundum alios in 70. quod etiam non credo. Qui vero probavit, & expertus eſt, complevit putrefactionem veram in 97. vel ad plus in centum dieb. & illud eſt verum. Et nota, quod licèt non appareat ad oculum in materia putrefacta nigredo, tamen curandum non eſt, quia pro certo ſecundum eſſe naturæ pellis eſt ſuper nigredinem: & ideo elementa jam juncta ſunt, ſive unita, & levi igne cocta locantur, & in alias vertuntur naturas. Et per ſecundum gradum decoctionis, illud quod eſt occultum, fiet manifeſtum: & quod modo eſt manifeſtum, fiet occultum. Ignis quarti gradus non eſt carbonum, ſed eſt ignis flammæ, qui fiet in hunc modum: Habeas ligna de quercu, vel ſimilia & craſſæ quantitatis, ita ut poſſis amplexari manu: tunc incide dicta ligna in fruſta, ita quod longitudo lignorum non excedat latitudinem furni: Deinde facto igne prius carbonum in furnello, ſuperpone ex dictis fruſtis lignorum, duo vel tria, vel quatuor, ſicut expedire videris. Expoſuimus igitur ſuperius primum ignis gradum, qui notatur per hunc verſum.

Primus formetur, ut, &c.

Per quem gradus ignis, & non per alium materia noſtra neceſſariò debet putrefieri, diſſolvi, mortificari, & denigrari. Reſtat nunc dicendum, per quem modum materia noſtra putrefacta dealbetur: Igitur procedamus ad ſecundam partem operis, quæ eſt noſtræ medicinæ dealbatio. Hic verò notandum quod duplex album eſt: Eſt unum album, quod fit ad modum Jovis vel Saturni, & talis dealbatio fit poſt putrefactionem: unde dicit Geber philoſophus: Oportet Jovem & Saturnum indurare, & Martem, & Venerem rubificare, Iſta autem dealbatio non eſt vera dealbatio, quia non eſt firma, nec fixa, & hîc perficitur, & completur ſecundus gradus ignis in 100. diebus, qui hoc verſiculo continetur:

Senſibus æquato gaudet natura ſecundo.

qui ſecundus gradus debet eſſe lenis, tamen aliquantulum fortior igne primi gradus: debet enim eſſe talis, quod per tactum furni manus reſpondeat igni, & ignis manui, hoc eſt, quod manus poſſit ſuſtinere talem calorem, & non plus. Has igitur differentias poteris facere cum ſolario tenui, perforato, exiſtente ſuper carbones: in quo facias diverſa foramina, ſecundum exigentiam graduum ad beneplacitum, vel aliter, &c. Finitis autem centum diebus, continua ignem prædictum ſecundi gradus, ut materia bullire incipiat, & fluere, ſive fundi, & durabit bullitio iſta 70. diebus: & tunc materia incipit facere quosdam lapillos ad modum, ſeu ſimilitudinem Hyacinthorum: continua tamen ignem ſecundi gradus, quouſque dicti lapilli appareant. Cum autem videris prædictos lapillos apparere, tunc ignem carbonum fortifica, faciendo ignem tertii gradus, qui notatur per hunc verſum

Tertius excedit, ſed cum tolerantia lædit.

Dictum autem ignem tertii gradus continuabis ad incinerandos lapillos per centum dies, quia infra dictum tempus centum dierum lapilli incinerabuntur, & figentur fixione vera & perfecta. Quod ſi infra dictum tempus materia noſtra non incineraretur: tunc eundem ignem tertii gradus continua, quouſque materia noſtra ſit incinerata, & tunc materia noſtra dealbabitur. Et hoc album, dicitur album permanens, & anima: & de hoc albo dicit Morienus: Dealbate latonem, id eſt terram, & apponite liberos, ne corda veſtra rumpantur. Et Hermes: Ipsũ dealbate, & ſuo igne ſublimate, quouſq; extiterit ſpiritus, quem in eo invenietis, qui dicitur avis Hermetis. Et iſta incineratio & dealbatio

detegens, scilicet dubium terræ sitientis, & aquam nubium. Et scias, quod infra dictos centum dies materia nostra, seu cinis noster debet fieri in colore margaritum, seu marmoris coruscantis. De prædicto albo dicit Algazel: Ipsum dealbatum cito igne sublimate, &c. id est iterato solvite. Et scias, quod prædictum ignem tertii gradus continuare debes, quousque secundum album appareat, & in colore prædicto. Modo sequitur quarta pars operis, quæ dicitur lapidis nostri Rubificatio. Tunc totam animam in corpus convertimus, cum materiam nostram, quæ prius fuit alba, rubificamus. Dicta autem rubificatio debet necessariò fieri per ignem quatti gradus, qui in versiculo continetur,

Sic destructor sensus nescit procedere quartus.

Dictus autem ignis quarti gradus, erit ignis flammæ, & lignorum, qui fit ut supra. Continua igitur ignem prædictum per 47. vel 50. dies: nam infra dictum tempus debet color tyrius apparere. Mercurius verò igne suo gubernetur, & coctus igne primi gradus, in 50. diebus in corvum verum convertitur, deinde in 77. diebus vertitur in columbam: deinde columba in 47. diebus vel 70. vertitur in Alkasel marinum, qui est color tyrius: Et in illo colore spiritus & anima cum corpore uniuntur, & fiunt unum: & corporeum factum est incorporeum, & factus est lapis benedictus. Et scias, quod per prædictum ignem flammæ, qui est ignis quarti gradus, album nostrum completum funditur, & per hujusmodi fusionem sperma nostrum in sanguinem vertitur: & in illa hora spiritus & anima cum corpore submerguntur. Et scias, quod fusio in 47. vel 46. diebus ad longius perficitur, & completur. Et nota quod hæc fusio vera, est solutio vera philosophica, & gaudet stare super ignem, sicut puer ad ubera matris suæ: & vere tunc dicitur aqua permanens, & tunc factum est de corpore spiritus, & hoc est de volatili fixum. Et in tali fusione coronatur Rex diademate rubeo: Illuminate ipsum usque ad ætatem perfectam, cujus pater est Sol, & mater est Luna. Per Solem autem nihil aliud intelligitur, nisi unctuositas sulphuris existens in Mercurio, quod sulphur sit anima lapidis. Unde dicit Senior: Hoc sulphur est quod corpus denigrat, & ostium aperit: & quanto magis fusus in igne fuerit, tanto magis ejus rubedo convertitur in colorem citrinum, & ex hoc meliorabitur, & ejus color tyrius augmentabitur, quousque perveniat ad finalem colorem lapidis nostri, seu medicinæ nostræ, qui est color citrinus, in colore papaveris sylvestris: & finaliter efficietur pulvis impalpabilis, qui ad calorem ignis funditur sicut cera fluens, & penetrans, & figens. Et nota, quod argentum vivum, Mercurius, azor, Luna plena, lapis noster, æs nostrum, aqua nostra, Mars, argentum, stannum, albedo, Jupiter, minium, albus, hypostasis alba, album plumbum, vel rubeum, idem significant secundum diversa tempora & gradus operationis. Et nota, quod Lavare philosophorum, est totam animam in corpus reducere: unde non intelligas eos loqui de alba lavatione vulgari, quæ consuevit fieri cum aceto, & consimilibus. Item nota, quod quando apparet nigredo, tunc dicitur desponsatio mariti & fœminæ, & esse matrimonium inter eos, & tunc acquisivit spiritum, qui est delator virtutum animæ per corpus, & corpus recipit actionem animæ & spiritus: & fit aquila, & medium naturarum. Et nota quod terra alba, sulphur album, fumus albus, auripigmentum, magnesia, & Echel, idem significant. Item nota, quod lapis noster quando est fixus, est sicut cinis. Item nota, quod in putrefactione corporis, Mercurius stat ad medium inter spiritum & animam. Item nota, quod abarnaos, Elixir, lapis philosophicus, & quinta essentia idem significant: nam est una res præter naturam, elementorum in suo esse. Ideo quatuor elementa per magisterium se invicem complectuntur: tunc ex eis resultat, & resurgit quædam res incorruptibilis, quæ quinta essentia nuncupabatur. Item nota, quod fermentum Solis dicitur, spiritus, sulphur, aurum philosophorum, crocus Martis. Item nota, quod fermentum Lunæ vocatur anima, rosa alba, & aer existens in lapide. Item nota, quod spiritus est fermentum Solis, anima est fermentum Lunæ, corpus verò est terra stans, & hæc tria sunt in Mercurio. Item nota, quod corpus recipit tincturam à Mercurio, à spiritu & anima naturaliter secundum gradus suos: & in fine debent apparere quædam granula ad modum piperatæ: & tunc est ibi unum magnum secretum, videlicet quod materia nostra est congelata cum sua propria humiditate. Item nota, quando lapilli ad modum Hyacinthorum convertuntur in cinerem album, tunc est signum putrefactionis, & denigrationis perfectæ, & finitæ. Item nota, quod argentum vivum continet in se quatuor elementa, & sufficit sibi ipsi, ne indiget alicujus adminiculo, habet enim aqueam substantiam ab aqua, terream substantiam à terra, calidam & humidam substantiam ab aere, & unctuosam cremabilitatem, seu igneam substantiam ab igne. Elementum aquæ currit, & fluit per corpus, & ipsum lavat: Elementum terræ stat, & est corpus Mercurii, seu ejus crassities & spissitudo: Elementum aeris est illud calidum temperatum, & humidum, quod est in Mercurio: Et tale calidum temperatum, dicitur spiritus, & facit concordiam inter unctuositatem cremabilem Mercurii, & ejus lutulentiam, hoc est inter humidum unctuosum & terreum fœculentum. Elementum ignis est illa unctuositas cremabilis, quæ est in Mercurio, unde versus:

Terra stat, unda lavat, pyr purgat, spiritus intrat.

Item Lucas inquit, ignis vester usque ad albedinem debet esse lentus: post dealbationem autem & coagulationem debet ignis augeri.

Nunc igitur sub breviloquio repetamus totius operis nostri intentionem. Primo enim lapis noster in operatione liquescit, secundo nigrescit, tertio citrinatur, quarto rubescit rubore non vero, nec multum durante, quinto dealbatur, sexto coagulatur. Et hæc omnia necesse est fieri cum igne lento, hoc est cum igne primi gradus, & secundi, qui ignis fit cum carbonibus, & sine flamma: septimo lapis noster incineratur cum igne tertii gradus, qui est ignis flammæ trium lignorum, vel quatuor: octavo lapis noster liquefit liquefactione metallica & rubea, & hoc fit cum eodem igne tertii gradus: ultimo augmentando ignem, & faciendo ignem quarti gradus. Et nota, quod potest fieri medicina ad rubeum primi gradus, & secundi, & tertii, cum suis gradibus, & suis multiplicationibus, & cum suis projectionibus. Item nota, quod ignis primi gradus, qui pertinet solum ad putrefactionem, solutionem, mortificationem corporis, dicitur per quandam similitudinem balneum, quia balneum est res temperata, non intensa in calore, nec etiam frigida, sed in calore remisso: unde videmus hominem per temperatum calorem putrefieri, & sudare à sua superfluitate: sed si calor

esset

esset intensus, non sudaret, sed combureretur: si verò balneum esset frigidum, tunc viscositas, & unctuositas existens in homine, non exiret. Et ideo est nobis necessarium habere balneum, hoc est calorem temperatum, hoc est non excedentem, nec diminutum à suo gradu. Et hæc est pulchra ratio intelligenti.

Speculum Alchymiæ *Arnoldi de Villa Nova.*

VT ad perfectam scientiam pervenire possimus, primùm oportet scire, quod tres Lapides, & tres Sales sunt è quibus totum nostrum consistit magisterium, videlicet mineralis, plantalis & animalis. Sunt item tres aquæ, scilicet: Mercurii, Solis & Lunæ, & Mercurius est minera, Luna planta: quia non recipit nisi duas virtutes, nimirum albedinem & constrictionem; Et Sol est animal, quia recipit tria, scilicet, albedinem, constrictionem & rubedinem. Quapropter Sol vocatur animal magnum: & Sal & argentum fit de eo: & Luna vocatur planta, & Sal alchali fit de ea: & Mercurius vocatur lapis mineralis, & fit Sal minerale de eo: id est, Sal commune. Scias igitur, charissime Fili, quod ista scientia nihil aliud est, quàm perfecta inspiratio Dei: quia totum magisterium ex una sola re consistit: & ita tibi ostendemus per dicta Philosophorum: Et similiter, secundùm quod nos vidimus & tetigimus cum magnis laboribus, & cum magna industria, illam solam rem cognovimus perfectam esse, ad album & ad rubeum. Et nullam aliam rem invenire potuimus, ubi consisteret perfectio, quantum ad veram transmutationem corporum, vel perfectam præparationem, & quam non contingeret ex toto corrumpi & denigrari penitus. Sed illam solam perfectam invenimus, quæ postquam per nostrum magisterium est ad veram fusionem deducta: omnia quæ tangit, ducit ad verissimum complementum, sine aliqua diminutione, secundum quod materia fuit præparata; quia quando perfecta est ad album, adhuc non est completa, quantum ad veram perfectionem. Ducit tamen omnia, quæ tangit, in complemento Lunari: sed quia Luna non est omninò perfecta, in omni judicio, dicimus, quod medicina quando præparata est ad album, non est perfecta in verissimo complemento: sed quando præparata est ad rubeum, tunc ipsam dicimus esse perfectam in omni judicio: & non diversificantur alba medicina, & medicina rubea, nisi quod hujus generis medicinæ præparationi non adurentis fit additamentum sulphuris nostri, per modum figentem, & calcinantem cum astutiæ industria: & cum multa reiteratione administranti perfectè, atque per modum solutionis multiplicem, quousque munda fiat. Et scias, quod ista administratio per sublimationem perficitur: ut in hoc libro nostro satis apertè monstrabimus. Et quia multi sunt deceptores, per universum mundum euntes, decipientes homines: quia & ipsi imaginibus suis sunt decepti: & ideo, ut tales noscantur, hanc scientiam nostram aptè & clarè omnibus intelligentibus facere volumus.

Unde, qui non habent ingenium naturale, & animam perscrutantem subtiliter, & principia naturalia, & naturæ fundamenta & artificia: quæ consequi naturam possint in suæ actionis proprietatibus: non invenient hujus pretiosæ scientiæ radicem veram. Quapropter invenimus multos habere animam facilem opinantem phantasiam quamlibet: & quando verum invenisse credunt, est totum phantasticum, & à principiis naturalibus semotum. Sed vide, quid dicat *Geber* Magistrorum Magister: *Est lapis unus, medicina una, in qua totum magisterium consistit, cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus: nisi quia in præparatione „superflua removemus. Sapientes autem multa nomina- „verunt: ut vos, qui non estis de filiis Philosophorum „non intelligatis, quod sit res una: imò ex diversis „rebus conficiatur:* scil. ex 4. elementis. Et hoc totum est verum: quia lapis noster ex diversis rebus conficitur: i. e. ex 4. elementis, vel ex 4. substantiis. Prima substantia est calida & humida: secunda calida & sicca: tertia frigida & sicca, quarta frigida & humida. Et hoc totum est in lapide nostro: & ex rebus istis omnes res hujus mundi fuerunt creatæ per potentiam Dei. Et quia lapis noster habet in se, & continet in se omnes istas qualitates: propter hoc Philosophi omnia nomina hujus mundi lapidi nostro tribuerunt: & secundum intentiones eorum diversas operationes posuerunt, & in diversis rebus, & secundum eorum intellectum eum dixerunt. Quare, charissimi fili, eorum intentio fuit perfecta, & clara intelligentibus: è contrario verò contrariis. Unde dicit Ma- „gister Magistrorum Geber, in ultimo cap. de „perfectione: *Quoniam nobis solis artem per nos solos „investigatam tradidimus, & non aliis, verissimam „tamen & omnino certam: & etiam solum prudentes „ad artem elicimus.* Quamobrem Philosophi non scripserunt libros suos, nisi filiis eorum: & filios eorum voco illos, qui perfectè dicta eorum intelligunt. Sed pauci sunt, qui bene intelligunt: quia intentio secundùm literam nihil prodest: & operari secundum intentionem literarum, est divitiarum „dissipatio. Ideo Geber ait: *Si in operando scien- „tiam as vestrum amiseritis, nos non iniquè corroda- „tis, neque blasphemias inferatis, sed vestræ imputе- „tis ignorantiæ, & temeritati.* Nunc autem ad cognitionem lapidis transeamus. Dico igitur, quod scientia vera ex una sola re fieri consuevit: nec aliquid sibi addunt, vel minuunt: & vocatur illa res Adrop, vel Lapis altior hujus mundi. Et, per Deum, suum proprium determinavi, quod Philosophi facere noluerunt. *Disc.* O bone Magister, obsecro te, ut apertiùs explanationem mihi non taceas: & in quo loco invenitur, & num vilis sit, an verò clara? veritatem dicas. *Magister.* Nonne dixi tibi, fili sapientiæ, quod ex una sola re, sine aliquo adjuncto, totum magisterium perficitur. Tu quæris, in quo loco inveniri possit? & libenter tibi dicam. In duobus montibus invenitur: & si perfectissimè invenire desideras, ascende in montem altiorem hujus mundi: quia ibi lapis noster est absconditus: & scias, quod in alio loco non invenitur. Quæsisti, vilis ne sit, an cara? Ego autem dico tibi, quod eam pauperes & divites habere possunt, & in viis projicitur: & certissimè scias, quod omnis res, quæ emitur magno pretio in hujus operis artificio mendax est, & inutilis invenitur. *Disc.* Paulò antè dixisti, quod si volebam perfectè invenire Lapidem, quod ascendissem in montem altiorem hujus mundi: quia ibi Lapis noster erat absconditus, quem argentum vivum vocasti. Ego nunquam audivi, quod argentum vivum in montibus inveniretur. Imò in cavernis terræ subtus terram invenitur: & hoc à multis expertum est. Unde miror, quod ita dixisti. *Magist.* Video, quod mea dicta, fili, non intelligis. Scias autem, quod Philosophi non dixerunt, neque intellexerunt, quod argentum vivum vulgare sit

lapis eorum, non eſt enim hoc credere, niſi vanum. Unde vide, quid dicat Magiſter Magiſtrorum Geber, in cap. de principiis noſtri magiſterii. Sic „ enim dicit. *Conſideratio verò rei, quæ perficit, eſt „ conſideratio electionis puræ ſubſtantiæ arg. vivi. Eſt „ enim Medicina, quæ ex materia arg. vivi ſumpſit „ originem. Non eſt autem iſta materia arg. vivi in ſua „ natura, neque in tota ſubſtantia ſua, ſed fuit pars „ illius. Non eſt autem nunc Lapis noſter, ſicut eſt: ſed „ cùm factus eſt pars ejus, ipſe enim illuſtrat, & ab „ aduſtione conſervat: quod perfectionis ſignificatio eſt.* Ergo argentum vivum Philoſophorum non eſt tale, quale invenitur in cavernis terræ, & propter hoc multi ſunt decepti, in operando illud argentum vivum. Nos verò non nominamus arg. vivum, ſed fugitivum: quia ſemper in igne fugit, niſi cum arg. vivo noſtro conſtringatur. Et quando cum eo unitur, quieſcit in igne, amicabiliter eo gaudens. Gaudet enim natura ſua, & non extranea. Propterea dixit Geber, qui fuit Magiſter Magiſtrorum. Et nota verbum. *Cui non addimus rem extraneam aliquam: „ imò quod eſt ſuperfluum removemus:* & ſic ſufficit intelligenti: Dico ergo, quod tota ſcientia in una ſola re conſiſtit, ſicut jam docuimus. Hoc autem dico, ſecundum noſtrum intellectum, iſta ſola res facit totam perfectionem, quando præparata eſt per noſtrum magiſterium, & ducit corpora imperfecta ad veriſſimam perfectionem, & coagulat Mercurium in veriſſimam Lunam, & veriſſimum Solem: ſecundum quod medicina exſtiterit præparata per noſtrum magiſterium. Et iſta præparatio fit cum maximo ingenio, & cum magna cautela, non autem ſecundum ut multi fatui putaverunt. Quare ſcias, fili, quod tota perfectio conſiſtit in regimine ignis, & ibi jacet totum arcanum. Lapis noſter invenitur in pluribus locis: & eſt viliſſima res: & pauci ſunt qui non habeant, & nullus ipſum cognovit: & nominatur diverſis nominibus: & propter hoc multi ſunt decepti: Philoſophi autem multis nominibus Lapidem nominaverunt, ut ſcientia magis fuiſſet obſcura: quia quando Lapis noſter poſitus eſt in vaſe philoſophico: & quantò magis colores innovat, tantò etiam plura nomina impoſuerunt. Et propter hoc dicit Geber: *Solùm Scientiam eam nobis ſcripſimus:* Fuerunt autem ſimiliter aliqui Philoſophi, qui eam in corporibus poſuerunt, & diverſas habuerunt intentiones, ſecundum quod vos creditis: ſed ſecundum noſtram intentionem unam ſolam rem, acuram viam linearem oſtenderunt: Dixerunt enim quod ex nobiliori materia vel ſubſtantia, & ex meliori corpore Lapis Philoſophicus debeat elici: Et ita fuit opinio eorum, quod perfecta materia erat in Sole, & alter in Luna, alter verò in Marte: & alter in Mercurio, & alter in Jove: & alter in Saturno: & alter in Venere. Nos autem reſpondemus ſecundum intentionem noſtram, quod omnes ſupradicti ſecundum partem benè, & ſecundum partem malè, ſecundum verò totum malè & peſſimè intelligunt. Cùm præſertim putant Magiſtrum Magiſtrorum in hoc intelligere, videl. *„ Conſideratio verè rei, quæ perficit, eſt conſideratio „ electionis puræ ſubſtantiæ arg. vivi.* Sed ex quibus hæc ſubſtantia arg. vivi eliciatur, quæri ſolet: Quibus reſpondemus, quod de his, in quibus eſt, elicitur. Ergo, fili, conſidera, & vide ubi ſit iſta ſubſtantia, & illam accipe, & non aliam, ſi venire deſideras ad verum intellectum: quia in rerum multitudine ars non perficitur: & hoc eſt certum: Quare nolite operari ſecundum iſtos deceptores: ne veſtra bona in his rebus vanis amittatis. Unde „ ſapiens Geber ait: *Si in operando aliter, ſecun„ dum ipſos phantaſticos, bona veſtra amiſeritis, non „ propter hoc putetis, ſcientiam eſſe non veram. Quo„ niam ſi eſtis decepti propter vacuam intentionem, „ non eſt culpa noſtra, ſed veſtra.* Præterea ſcias, cariſſime fili, quod ipſe valde fuit obſcurus: quia ſecundum ſuum librum, tota ſua intentio fuit in ar„ gento vivo. Et propter hoc dixit: *Ubi magis „ apertè locuti fuimus, ibi magis occultè, & ubi ma„ gis occultè, ibi magis apertè:* Vadamus ad illud verbum, in quo totam ſcientiam declaravit ſecundum ſuam intentionem. Dixit enim in cap. de „ medicinis tertii ordinis: *Eſt tamen additamentum „ citrinantis coloris, quod à ſulphure fixo mundiſſima „ perficitur ſubſtantia: & eſt arg. vivum philoſophicum: „ & eſt hujus generis medicina, quæ maximè arg. vi„ vo & corporibus adhæret.* Ecce totum arcanum. Ergo conſidera illam totam rem, quæ arg. vivo & corporibus adhæret, & habebis ſcientiam, per Deum vivum & verum: & clarè locutus ſum intelligentibus. Sunt aliqui qui putant arg. vivum adhærere corporibus, & Gebrum intelligere in illo loco, in quo ait: *Cum in rebus cæteris exquirentes, non invenerimus inventione noſtra rem aliquam, magis quàm arg. vivum corporum naturis amicari.* Non enim dixit, quod adhæret in corporibus: & nota ſua dicta: propter hoc opus noſtrum in illo perficientes, ipſum eſſe verè ſine aliqua fallacia reperimus veram alterabilium corporum medicinam in complemento ſolari vel lunari, ſecundum quod medicina fuerit cum vera alteratione. Hoc autem dicimus de arg. vivo philoſophico: ipſum enim ſolum adhæret corporibus, & nullam aliam rem invenire potuerunt Philoſophi antiqui, quæ corporibus adhæreret, niſi arg. vivum philoſophicum. Nam arg. vivum vulgare non adhæret corporibus: imò corpora adhærent ipſi Mercurio. Et hoc eſt certum per experientiam: quia ſi jungitur arg. vivum vulgare cum aliquo corpore, arg. vivum remanet in propria natura, aut recedit, & vertitur corpus ad ſuam naturam. Et ideo arg. vivum vulgare non adhæret corporibus: & propter hoc multi ſunt decepti operando illud. Lapis enim noſter, ſcilicet arg. vivum occidentale, quod prætulit ſe auro, vincit arg. vivum vulgare: & illud quod occidit, vivere facit. Et ſcias, quod arg. vivum coagulatum eſt pater mirabilium omnium hujus magiſterii, & eſt corpus & ſpiritus. Nonne audiſti, quod ego poſui arg. vivum inter corpora; quando dixi, ſunt aliqui Philoſophi, qui eum in corporibus poſuerunt, ſicut in Sole, alter in Luna, alter in Marte, alter in argento vivo. Jam igitur ſatis clarè demonſtravimus, quod arg. vivum vulgare, quod invenitur, non eſt Lapis Philoſophorum. Sed quare noſtrum arg. vivum & habebis, quod deſideras. *Diſc.* Magiſter: tu dicis, quòd Lapis Philoſophorum, ſcil. arg. vivum philoſophicum eſt corpus, & ſpiritus. Modò intellexi dicta tua: & non eſt mirum, ſi multi errant in operando iſtam ſcientiam, & benè cognoſco totam veritatem: & benè poſſum nominare Magneſiam. *Magiſter.* Fili cariſſime, veritatem dixiſti: & benè nominaſti ſuum proprium nomen, videlicet, quando Lapis in prima operatione eſt, quod tunc poſt putrefactionem vocatur Magneſia. Et quando eſt in putrefactione, tunc vocavêre ipſum Philoſophi antiqui Saturnum. *Diſc.* Magiſter, rogo & deprecor, ut principium hujus magiſterii nos docere velis.

Prima

Prima Dispositio Speculi.

ACcipe corpus, quod vobis superiùs demonstravi, & tabellas tenues, coaptate: deinde ponite in vase nostro philosophico, & claudite benè os vasis, ut respirare non possit: & assate igne levi, donec confringatur: & ita teneatis in igne more solito, quousque tota substantia sit fixa, & quod nihil ascendat, quod conspici possit: tunc completa erit putrefactio vera. Et sciatis, quod hæc est prima Dispositio, quæ vocatur *Sublimatio*: sicut dixit Geber. Quoniam totius operis intentionis summa est, ut sumatur Lapis in capitulis notus: deinde verò cum operis instantia assiduetur super ipsum opus sublimationis primi gradus: & per hoc mundetur à corrumpente impuritate: & est sc. sublimationis perfectio: & cum ea sublimetur perfectissimè Lapis, donec in ultimam sublimationis puritatem deveniat. Unde scias, Fili: quod in sola sublimatione completur totum magisterium. Igitur sublima subtile à spisso suaviter, cum magno ingenio, ascendit à terra in cœlum: & iterum descendit in terram: & secundum quod nostram materiam mundaveris puram vel impuram, ita invenies in fine. Nam si fuerit argentum vivum bonæ substantiæ, & sulphur non purum & adurens, ubi jacet tota perfectio, convertet corpus imperfectum. Et Exemplum tibi dabo. Si autem fuerit arg. vivum bonæ substantiæ, & sulphur non purum & adurens, convertet ipsum in æs. Et si fuerit argentum vivum malum, porosum, immundum, terreum: & sulphur non mundum, & omnino imperfectum, fiet ex eo ferrum. Stannum autem videtur habere bonum arg. vivum: sulphur verò malum, & non bene fixum, neque bene mixtum. Plumbum autem malum arg. vivum, & grossum, & ponderosum & terreum: sulphur etiam malum, mali saporis & fœtidi, & debilis. Unde non bene congelatur. Unde scias, fili, quod tota perfectio consistit in sulphure Philosophico. Quia sulphur philosophicum est omnium metallorum perfectio: Sulphur verò extraneum, corruptio. Hæc est tota veritas hujus scientiæ: quæ dicti Philosophi verbis est enucleanda: eò quod manifestè relinquatur per ipsam duplicem fore in corporibus imperfectis sulphureitatem: Unam quidem in profunditate arg. vivi inclusam, ubi consistit tota perfectio metallorum: & ista sulphureitas fuit in principio suæ mixtionis supereminenter: Alteram verò extraneam suæ naturæ incorruptibilem: quia ista cum labore tollitur: alterum verò tolli nullo artificiorum ingenio est possibile: quia sulphureitas combustibilis vel extranea, quæ idem sunt, calcinatione ignis deletur. Hoc autem scit, qui expertus est. Sulphureitas verò radicalis minimè, quoniam est de eorum perfectione. Nam secundum Philosophum, arg. vivum si fuerit purum, coagulabit illud, vi sulphuris philosophici, in verissimum argentum: & istud est res optima, ut Alchymistæ per artificium faciant elixir ad argentum. Si verò fuerit sulphur optimum cum rubore, clarum, purum & mundum, coagulabit illud; si in eo vis igneitatis non urentis fuerit & arg. vivum in verissimum aurum: & istud est res optima, ut ex eo fiat elixir ad aurum. Unde scias, fili: quod Philosophus primò tradidit sulphur album, ad argentum: & postea sulphur rubeum, ad aurum: quia nihil potest fieri aurum, nisi primò fuerit argentum. Eò quod nulla res potest ad tertium transire de primo, nisi prius fuerit in secundo. Quoniam non est transitus de extremo ad extremum, nisi per medium. Non ergo potest fieri de nigro ad perfectum citrinum, nisi prius fuerit album: quia citrinum ex multo albo, & pauciſſimo rubeo est compositum. Nec potest etiam fieri de citrino transitus ad album, nisi prius fuerit nigrum. Quoniam aurum non potest fieri argentum, nisi prius fuerit destructum corruptum & nigrum: quia melius non potest fieri deterius, nisi per sui corruptionem. Nam corruptio unius est generatio alterius. Et ut melius possis intelligere dicta Philosophorum tibi dicimus: quod qui scit aurum convertere in argentum, scit argentum convertere in aurum: quia sulphur eorum non urens, album ad argentum, per majorem ignis digestionem potest fieri sulphur rubeum ad aurum. Quoniam citrinatio nihil aliud est, quàm completa digestio, & nigredinis ablatio. Calor namque agens in humido, generat primò nigredinem: & in nigro albedinem: & in albo citrinitatem: & in citrino rubedinem: & hoc quidem in decoctione plumbi: quia primò vertitur in cinerem nigrum, postea in album, deinde in citrinum, ultimò in minium rubeum. Ecce, per Deum, quod te, fili, docui totam operationem. Et sic sulphur album & rubeum habetur tantum ex una metallorum materia ad plenum depurata, modo tamen diverso decocta & digesta. Idcirco dicit Plato, quod omni argento inest sulphur album, sicut in omni auro inest sulphur rubeum. Sed tale sulphur non reperitur super terram, ut dicit Avicenna, nisi quod in istis corporibus consistit. Et ideo ista corpora subtiliter præparamus, ut sulphur & argentum vivum de illa materia habeamus. Qui habet aures audiendi, audiat. *Disc.* Verè, bone Magister, ego sum deceptus in meo intellectu, secundum quod paulò antè à te audivi, quando dixisti: Accipite corpus quod vobis demonstravi, & in tabellas tenues coaptate. Ego non credebam, quod ex Lapide nostro possent fieri tabellæ. Quare ignoro quid sit Lapis: quia modò dicis, quod sulphur Philosophorum est perfecta materia *Magist.* Scias fili, quod verum est totum, quod dixi: quod Lapis noster est corpus indolabile, & iusonabile: & est toxicum mortificans omnia corpora: & est plumbicum, & coagulat Venerem odore suo: & est medicina omnium corporum, tam solutorum, quàm mortuorum, & est examinatio eorum. Intellexisti modo? Etiam apertiùs tibi dicere volo. Carmellus noster albus, septimus est in numero apud Philosophos magnos, primò Sol cum Luna, Jupiter, Mars & Venus nostra in Mercurio nostro, & Saturnus septimus, in quo sunt omnes conjuncti simul. Hic est spata, gladius, & cultellus, & incisorium super ædificium & inimicus ad manum, & vas cum adjutorio vini: & est lapis triangulus in esse, & quadrangulus in qualitate. *Disc.* Magister non bene intelligo verba tua: quia tu dicis: quod Lapis noster est toxicũ mortificans omnia corpora: & si omnia corpora mortificat, quomodo postea potest dare vitam, ut ad perfectam sanitatem deveniant? *Magist.* Scias, fili, quod Lapis noster ante nostram operationem est toxicum, sicut superiùs diximus, & occidit omnia corpora imperfecta, & destruit, & dissipat: sed per nostrum magisterium fit tyriaca, quæ omnia corpora sanat imperfecta, & omnem leprositatem & ægritudinem perfectissimè curat: & propter hoc vocatur ab antiquis Philosophis medicina perfecta, quæ dat perfectionem corporibus imperfectis, per nostrum artificium. *Disc.* Verè Magister, modò intelligo, quid sit Lapis, & ex quibus eliciatur. Quare rogo, ut mihi secundam dispositionem ostendas.

Secunda Dispositio Speculi.

ACcipe Latonem, quem superiùs dimisimus, benè cribratum: & si non est, ipsum cribra: & ipsum in vase Philosophiæ ad ignem philosophicum pone, non autem more solito, sed more Philosophorum: & coque ipsum leviter assando, donec tota materia sit fixa, & color ejus mutetur in violaceum. Et scias, quod ante apparebunt multi colores. Unde oportet te custodire ignem, ne sit violentus, sed suavis secundum quod decet. Ignis enim fortis destruit, & dissipat; sed ignis lentus ad sanitatem perducit: & bonam substantiam generat. Unde certissimè scias, quod totum regimen in igne & in vase est. Quia si os vasis non est benè clausum: fumi qui sunt subtilissimi evadunt, & totum magisterium annullabitur. *Disc.* Magister, totum intelligo: sed obsecro, ut mihi dicas, quot sint dispositiones hujus magisterii, & quomodo vocentur. *Magist.* Septem sunt dispositiones hujus magisterii: & prima vocatur Sublimatio, & secunda Calcinatio, & tertia Solutio, & quarta Ablutio, & quinta Ceratio, & sexta Coagulatio, & septima Fixio: & hæ sunt operationes nostræ. Fuerunt multi Philosophi, qui de ablutione dixerunt distillationem & descentionem: & ego dico, quod isti duo modi sunt in sola ablutione. Quia quando aqua nostra in ablutione terræ ascendit in altum: dixerunt tunc distillationem: & quando descendit super terram, tunc dixerunt descensionem: & ita posuerunt novem operationes, ut scientia magis esset obscura. Fuit etiam quidam qui dixit, aqua nostra abluit sordes de terra nostra: & Sol noster est adjutor: & paulatim cum istis mutabis omnem nigredinem. *Disc.* Rogo Magister, ut istius aquæ proprium nomen mihi dicas: & si tangerem eam, num meum digitum balnearem. *Magist.* Ista aqua vocatur aqua vitæ, & aqua serena, & aqua perpetua, & multis aliis nominibus: aqua igitur vitæ vocatur, quia dat vitam corporibus mortuis, & illuminat omnem rem sordidam. Aqua perpetua vocatur, quia perpetuat omnia, quæ tangit & ducit ad perfectionem: & propter hoc dicit Geber in suo libro: *Laudetur DEVS glorioſus, qui creavit illud: & illi ſubſtantiam: & ſubſtantiæ proprietates, quas non contingit ullam ex rebus in natura poſſidere.* Quæsivisti, si tangeres eam, num balneares tuum digitum: dico quod non: neque quando aqua nostra facta est, potest tangi sine damno. Item, si balneares intus hominem, vel dares ei ad potandum, statim moreretur: & propter hoc multi Philosophi vocaverunt eam aquam venenosam, & aquam fœtidam: & dixerunt, quod erat toxicum: & veritatem dixerunt intelligentibus. *Disc.* Magister, video, quod dixisti veritatem. Sed jam ad tertiam dispositionem transeamus.

Tertia Dispositio Speculi.

ACcipe Azoch, quod superiùs dimisimus, & vide, ut sit benè cribratum, & calcinatum: & pone ad ignem nostrum: non autem more solito, sed more Philosophorum in vase Philosophiæ benè ac firmiter clauso: postea fac, ut totum solvatur, leviter assando: & cùm solutum fuerit, vocatur aqua vitæ, & serenitas perpetua: & multis aliis nominibus. *Disc.* Rogo Magister, ut mihi ostendas, quid sit azoch. *Magist.* Fili, Azoch est Lapis Philosophorum: & Philosophi ipsum multis nominibus nominaverunt. Coque ipsum igne levi, ita ut terra nostra bene alburet, & in colorem cinericeum vertatur quasi tendens ad citrinitatem, cum multis guttis rubeis: & tunc scias per rectam viam ambulasse: & hoc totum consistit in tertia dispositione. *Disc.* Magister, rogo te per Deum verum, ut mihi dicas modò, quid sit Azoch, *Magist.* Azoch est rubeum in fine nostri operis, vel quasi, tendens ad rubedinem, & multi Philosophi dixerunt, quòd Azoch deberemus nominare in nostris libris Lapidem quia abluit sordes à Latone: & Laton & Azoch sunt insimul, & nunquam separantur: imò conjuncti manent semper: sed propter diversitatem colorum, qui separantur, Philosophi nominaverunt multis nominibus: & secundum quod colores variantur, & mutantur, tanta nomina imposuerunt: quia Azoch, apud Indos est aurum: & apud Hermianos est argentum: & apud Alexandrinos & Macedonienses est ferrum: apud Græcos Mercurius: apud Hebraicos, Stannum: apud Tartaros, æs: apud Arabicos, Saturnus: apud Latinos, & maximè apud Romanos, Ognividon. Sed ut nullus erret, dico quod habet unum proprium nomen: & vulgariter ab hominibus nominatur: & quilibet cognoscit lapidem. *Disc.* Sat dixisti, bone Magister. Sed ad quartam Dispositionem, si placet, transeas.

Quarta Dispositio Speculi.

ACcipe Azoch Philosophorum, & mitte ipsum in Leone nostro firmiter clauso: & dimitte in Sole nostro, scilicet, in diebus Maji: & fac, quod totum solvatur, & cum solutum fuerit, permitte ad Solem supradictum, donec congeletur totum in Lapidem, vel pulverem rubeum: Et tamdiu tene ipsum ad Solem prædictum, donec tota materia sit fixa: & ut nihil ascendat, & cùm fixa fuerit, vocatur Zernich Philosophorum: Et Zernich Arabicè, est Auripigmentum Latinè. Propter hoc dixit Plato, quod nisi esset virtus in eo in constringendo Mercurium, quod nunquam perficeretur opus nostrum. Unde scias, quod auripigmentum est clavis hujus scientiæ, & multas virtutes habet: quare illud debemus honorare. *Disc.* Miror Magister: quod si Auripigmentum habet tantam virtutem in se, quod Philosophi nominaverunt eum tam vulgariter. *Magist.* Credebam fili, quod tu intelligeres dicta Philosophorum, & mea: sed video nunc quod nihil intelligis: sed volo ostendere tibi veritatem: ideo attende. Certissimè scias, quod Auripigmentum vulgare non est nostra materia, nec intrat in toto nostro magisterio: & Philosophi intellexerunt de suo Auripigmento, & non de vulgari. Verum est quod est bonum ad faciendas albationes, & res Sophisticas, de quibus non curamus: nec aliquis bonus curare debet: quia res imperfectæ nihil valent. Jam igitur tibi sufficienter demonstravi quod Zernich, i. e. Auripigmentum Philosophorum non est Auripigmentum vulgare: & similiter ostendi, quod Philosophi propter diversitatem colorum diversa nomina imponebant: sed quantum ad eorum intentionem unum proprium nomen habuerunt: sc. aurum Romanum, vel Adrop, vel Lapis superior omnium Lapidum hujus mundi *Disc.* Rogo Magister, ut me doceas jam quintam Dispositionem.

Quinta Dispositio Speculi.

ACcipe Zernich Philosophorum, quem superius dimisimus, & pone in Leonem viridem ad Solem nostrum, scil. in diebus Junii: & fac ut totum solvatur, si possibile est: & ablue terram

separando

separando partes subtilissimas: quas cave ne fugiant, propter violentiam Solis: quia totum magisterium perderetur: quia sunt in eo aliqui venti, quos oportet custodire ne fugiant, quia si fugiant, totum opus annullabitur: & sic dimitte stare in dictum Solem nostrum, donec totum figatur, & nihil ascendat: & quod in Lapidem vel pulverem rubicundissimum vertatur. Et totum hoc fac, leviter assando: & tunc vocatur Chibrit, Ebraicè, i. e. Sulphur, Latinè: & nostrum Sulphur nunquam invenitur sine sua uxore. Et etiam dico, & juro per Deum vivum, quod non est, nisi una sola perfectio: & una sola res quæ perficit corpora imperfecta. *Disc.* Satis dixisti: sed jam rogo, ut ad sextam Disquisitionem transeas.

Sexta Dispositio Speculi.

Accipe Chibrit Philosophorum, quem superius dimisimus, & cave quod sit bene cribratum, sine aliqua difficultate: & mitte ipsum in Leone viridi: & claude bene os vasis. Deinde pone ad Solem nostrum in diebus Julii, & sic permitte donec totum solvatur: & cùm solutum fuerit, permitte stare ad dictum Solem, donec tota materia sit fixa: & quod nihil ascendat, & vertatur in Lapidem album, vel quasi, tendens ad albedinem: & tunc vocatur Heutarit, Arabicè, quod est Latinè, Calx. Propter hoc dixit Dausis Philosophus, calcem ejus videbis prope finem, & eris tunc securus, quod benè & perfectè fecisti tuam operationem. *Disc.* Magister, intellexi totum quod dixisti. Sed dic mihi, quando Chibrit est in Leone solutum, si debemus ignem augmentare in ejus coagulatione, vel diminuere. *Magist.* Fili, scias, quod quando materia nostra est soluta, & debemus coagulare, oportet nos calorem Solis diminuere, ut iterato melius solvatur. Et scias, quod in hoc sunt decepti multi Laborantes istam scientiam: quia facta solutione Lapidis coagulant cum fortiore calore Solis: & sic in omni decoctione faciunt. Quamobrem efficiunt, quod materia induratur in fine: & dum est necessarium, non potest solvi, nisi cum magno labore: & ita vitrificatur. Idcirco ut nullus me blasphemare possit: dico, quod tota operatio in regimine ignis consistit: quia, qui scit ignem regere, veniet ad perfectionem. Quapropter ille qui suam regit materiam cum lento igne, ad perfectionem sine aliquo dubio pervenire potest: quia non oportet dubitare, quod materia vitrificetur: nec quod spiritus, qui est subtilissimus recedat. Propter hoc dixit Philosopus, *Propinquum fuge, & animalia noli fatigare: Spiritus autem promptus est ad fugiendum, quoniam verberatus est indoctè.* O Laborantes indomiti: quare tantùm cupitis calorem ignis? quia cum igne violento materia destruitur & vitrificatur. Propter hoc dixerunt omnes Philosophi: *Caveatis vobis à vitrificatione: quoniam Lapidis nostri non est ut vitrificetur:* quare leniter assate in omnibus suis decoctionibus, & habebitis scientiam: & si aliter feceritis, non gaudebitis de opere vestro. Quapropter Geber totam perfectionem in sola sublimatione posuit: sed pauci sunt, qui bene intelligant: quid sit sublimatio. Sublimatio nihil aliud est, nisi separare partes subtiles à partibus grossis: & hoc cum igne lento facere oportet. Nam si faceremus separationem cum igne violento, ascenderent partes grossæ cum subtilibus partibus: & ideo non esset sublimatio, imò esset destructio. Vide quid dicat Geber in ultimo cap. *Et per separationis illius modum, purissimam partem dividas.* Item Geber: *Quoniam intentionis summa non est, nisi ut sumatur Lapis in capitulis notus: deinde verò cum operis instantia assiduetur super ipsum opus sublimationis primi gradus: & per hoc mundetur à corrumpente in puritate:* & est scilicet sublimationis perfectio: & cum ea sine aliquo additamento, intellige verbum: *Sublimetur Lapis, donec in ultima sublimatione ad puritatem deveniat.* Jam igitur, Fili, sufficienter demonstratum est, quod sola sublimatione, & in solo igne est tota perfectio hujus magisterii, ne sis ergo duræ cervicis, nec fantasticus ad intelligendum. Ego volo, ut ita facias, quod imagineris, quomodo corpora in visceribus terræ generantur, & ex quo calore eorum fit decoctio, & si est suavis, vel violenta. Unde dicimus, quod corpora metallica generantur ex 4. substantiis: videlicet, ex duabus arg. vivi, & ex duabus sulphuris. Prima est ex arg. vivo bono, puro & claro, mundo, ac etiam fixo: Secunda est, ex sulphure fixo, puro, mundo & claro: & sic generantur corpora perfecta. Corpora autem imperfecta, ex arg. vivo bono in aliqua quantitate, & arg. vivo malo & terreo in magna quantitate: & ex sulphure bono in aliqua quantitate: & ex malo, terreo & unctuoso in magna quantitate generantur: & ita generantur corpora imperfecta: secundum verò plus, secundum verò minus. Jam igitur ostendimus principium naturæ, & ex qua re generantur: & ideò potes cognoscere, ex qua causa materia nostra debeat elici. De decoctione autem dico, quod natura facit suam decoctionem planè & paulatim, & non cum violentia: quia totam decoctionem facit natura per temperatissimum calorem Solis in visceribus terræ. Calor Solis non est violentus, imò est temperatus. Unde vide, & cogita, an tu debeas facere tuam decoctionem violentam. Et ego dico, quod non: quia calor ignis fortior est quam Solis. Et propter hoc dixerunt Philosophi, *suaviter cum igne lento.* Unde scias, quod omnes qui operantur istam scientiam, sunt decepti in regimine ignis, plus quàm in alia re: quia nesciunt temperantiam, Multi sunt qui sciunt Lapidem, sed regimen ignis ignorant. Quapropter Fili, ne sis negligens ad addiscendum regimen Solis: quia ibi jacet totum arcanum. Jam jam sufficienter diximus: sed nunc transeamus ad septimam Dispositionem.

Septima Dispositio Speculi.

Septima Dispositio vocatur Saturnus, in quo conficitur totum opus. Quare primò volumus ostendere, quid sit Lapis: & secundo, quomodo eliciatur ex ipso Lapide purissima substantia: & de decoctione tertiò, cum suis causis: & quartò de vase, qui vocatur Leo. Primò Lapis noster vocatur Adrop, quod est Latinè, Saturnus: & secundum Trojanos Draco, vel Topum, i. e. venenum. Quapropter accipite eum Lapidem, & ponite in vase Philosophiæ ad sublimandum: & cum eo sublimetur Lapis, donec in ultima sublimatione ad puritatem deveniat, & in hac sublimatione totum opus perficitur: sicut tibi apertè demonstrabo. Nam primò efficitur putrefactio, ut purissimam substantiam & subtilissimam elicias. Secundò, fit solutio, ut materia tota solvatur in aquam: tertiò, fit etiam putrefactio; sicut dixit Morienes Philosophus: *Nunquam fuit aliquid animatum, aut à nativitate eductum, neque crescens, nisi post putredinem, & visus permutationem.* Unde ait Sapiens: *Si putredo non*

fuerit, fundi aut solvi non poterit: & si solutum non fuerit, ad nihilum revertetur. Item Philosophus: *Corruptio unius est generatio alterius.* Quarta est ablutio, quia oportet, ut ista res putrefacta & sordida abluatur, & per ablutionem mundetur à corrumpente impuritate. Quare scias, quod ablutio est quasi tota perfectio hujus magisterii: & multi Philosophi dixerunt de ablutione & ceratione, & bene dixerunt: quia quamdiu aqua manet super terram, tantò magis terra ceratur & abluitur: ita ut ceratio & ablutio sit quasi tota perfectio hujus magisterii: & unum, & idem sunt. Quinta est Coagulatio: quia oportet, ut aqua suaviter desiccando ad Solem nostrum cum terra uniatur, & desiccetur, & coagulentur insimul, ac in Lapidem vertantur. Et si ita erit factum, perfecta erit operatio, & aliter non. Sexta est Calcinatio. Unde scias, fili, quod res calcinata magis est apta ad solvendum, quàm si non esset calcinata, & similiter magis propè ad fixionem. Unde multi Philosophi appellaverunt calcinationem, fixionem. Intellige modò bene, si scientiam habere desideras. Et est, ut accipias Lapidem omnibus sapientibus notum: & per separationis illius modum purissimam partem dividas: & seorsim ponas: & ecce prima dispositio. Dehinc verò ejus, quæ est purissima, partis aliquid figas, & aliquid ex illa relinquas, & cum fixa fuerit, solve ex ea, quod solubile fuerit: & ecce secundam dispositionem. Quod verò non est solubile, mitte ad calcinationem, & ecce tertiam dispositionem. Et postea super illud solutionem reitera, donec quod ex ea iterum solubile solvatur omnimodè. Sic igitur iste modus reiterando servetur quousque illius major solvatur quantitas: & ecce quartam dispositionem. Post hoc verò omnes solutiones simul misce, & coagula: ecce quintam dispositionem. Deinde verò leniter assando in ignis temperamento conserva: quousque ille major ignis, ad ejus exigentiam administrari possit. Post hoc verò prædictum solutionis ordinem serva, quousque iteratò totum solvatur, quod ex ea solubile est, & coagula: & iteratò in ignis temperamento conserva: quousque possit illi ignis major ad ejus perfectionem administrari. Omnes igitur hos ordines præparationis, solutionis, super illa quater reitera: & ultimò calcina per modum suum, non autem per modum extraneum: & sic pretiosissimam Lapidis terram administrando sufficienter rexisti: & ecce sextam Dispositionem. Omnes autem istæ operationes, dicimus, quod sunt in sola sublimatione. Unde dico, qui scit perfectè sublimationem facere, scit totum magisterium. Et scias, quod omnes istæ operationes in uno vase, & non in pluribus vasis: in uno furno, & non in pluribus furnis conficiuntur. Quoniam in sola sublimatione sunt 7. operationes: & propter hoc nos ponimus 7. Dispositiones in nostro libro, per quas sicut sapiens, ac etiam intelligens venire pores ad veram perfectionem. Igitur ne sis negligens ad addiscendum mundationem quæ fit per sublimationem. Quoniam qualis erit mundatio, talis erit perfectio. Dicimus autem, quod sublimatio est elevatio & divisio partium subtilissimarum à partibus grossis: & similiter separatio partium non fixarum à partibus fixis. Partes non fixæ elevantur per fumum, i. e. ventum; quia sicut diximus antè oportet eas custodire ne fugiant: imò cum partibus fixis figantur, & remaneant in pugna ignis, ut velociorem fusionem præstent partibus magis grossis, & custodiant à vitrificatione. Non intelligas, cum facimus nostram sublimationem, quod facimus separationem à partibus, quæ superiùs elevantur, ab his quæ inferiùs remanent: imò volumus, quod simul & semel remaneant: & quod materia, quæ ascendit, descendat, donec totum inferiùs remaneat. Postea verò cum parte non fixa elevetur, & iterato figatur: & quantò plus iteraveris, tantò etiam majoris perfectionis erit. Et cave, quod nihil addas, vel diminuas: quia in Lapide nostro post primam purificationem, quæ per solutionem perficitur, non invenimus aliquid superfluum, nec diminutum. Propter hoc dixit Geber in ultimo capite, *& cum ea sublimetur Lapis, donec ultima sublimatione in puritatem deveniat.* Dixit enim cum ea: quia sine aliquo adjuncto, sine aliqua re extranea debemus facere nostram sublimationem. Propter hoc decepti sunt isti, qui faciunt sublimationes vulgares cum fæcibus. Nostra autem sublimatio est sine fæcibus: quia argentum vivum nostrum est aqua clarissima: & arsenicum nostrum est argentum purum: & sulphur nostrum est aurum purum: & in istis tribus consistit tota perfectio. Item, Lapis noster est unus, sine aliquo adjumento, medicina vera, cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus: nisi quod superfluum est removemus. Et hoc est verum, quod Lapis Philosophorum nihil habet superfluum, neque diminutum: quia argentum vivum Philosophicum, quod est aqua perpetua, quæ perpetuat omnia quæ tangit, & ducit ad perfectionem: & aurum nostrum, quod est pater: & argentum, quod est mater. Unde dixit Hermes: *Pater ejus est Sol, & Mater ejus est Luna*, per Solem intelligimus aurum: & per Lunam, argentum. Jam igitur tibi sufficienter demonstravi, quod antequam volueris facere noscere nostram sublimationem, quòd in Lapide nostro nihil addas, vel diminuas: imò cum tota sui substantia in vase ponas, & sicut docuimus in prima Dispositione, rege: Lapis noster cùm positus est in vase nostro, & sentit calorem Solis, statim solvitur in aquam: & quando ascendit in capite vasis in altum, & postea descendit usque in fundum vasis, & ascendit per ventum, id est, per fumum. Videntes Philosophi istam ascensionem, quod ascendebat per fumum, vocaverunt primam Sublimationem: & postea videntes materiam descendere in fundum vasis: & quod hæc materia vertebat se in aquam, vocaverunt Solutionem. Item, videntes talem ascensionem & descensionem vertere in aquam, dixerunt, quod hæc erat perfecta Distillatio: quæ est tertius modus: & Descensio, quæ est quartus modus. Item, videntes materiam inspissare, & convertere ad terram: & ista inspissatio in principio stabat super aquam: & sic dimittendo, paulatim inspissando, viderunt terram submergere in aquam, & stare in fundo vasis subter aqua, quæ erat terra crocea, nigra & fœculenta, dixerunt hanc operationem, quæ vocatur quintus modus, Corruptionem. Item, videntes istam terram fœculentam stare subtus aquam, per longam decoctionem in Sole nostro: & mutare colorem, & amittere fœtorem malum, dixerunt istam operationem, quæ est sextus modus, Ablutionem. Item, videntes terram stantem subtus aquam crescere, & aquam diminuere per decoctionem temperatam, dixerunt hanc operationem, quæ est 7. modus Cerationem. Item: videntes, quod tota materia veniebat ad terram, & quod reducebat se ad solidam substantiam, & quod non fluebat, neque ascendebat, imò stabat stricta, dixerunt hanc operationem, quæ vocatur 8. modus, perfectam Congelationem. Unde scias, fili doctrinæ, quod nostrum magisterium nihil aliud

est,

est, quàm facere rectam solutionem, & perfectam congelationem. Unde Geber, *solvite Lapidem nostrum, & postea congelate, sine aliqua diminutione, & nihil plus quæratis, quia habebitis totum magisterium.* Item, videntes materiam nostram congelatam & inspissatam, propter majorem decoctionem Solis, devenire ad albedinem, dixerunt istam operationem, quæ est etiam octavus modus, perfectam Calcinationem. Dicimus ergo quod istæ operationes, in una sola operatione perficiuntur: quam operationem vocavimus sublimationem: & ut faciliùs intelligatur, dicimus, quòd tota scientia Philosophica ex Sole, & Luna, & Mercurio consistit. Unde scias, quod dixit Avicenna, *quod in magisterio nostro non intrat, nisi sola substantia argenti vivi: vel, quod sit exortum ab eo:* Quoniam argentum vivum in omnibus suis operibus manifestè est perfectissimum: quoniam adustionis est salvativum, & fusionis effectivum, cùm figitur. Est enim tinctura rubedinis uberrimæ refectionis: fulgidi splendoris: & non recedit à mixto donec est. Est enim amicabile, & metallis placabile: ac medium conjungendi tincturas: quoniam miscetur cum ipsis per minima: & in profundo naturaliter adhæret eis, quia est de natura ipsorum. Veruntamen cum Patre & Matre miscetur facilius, quàm aliis fratribus, vel parentibus: eò quòd ipsi contiguat, & suam puram participat naturam: attamen non submergitur aliquid in ipso, nisi ejus Pater.

Octava Dispositio Speculi.

EX hoc utique maximum, Fili charissime, elicias secretum, quod argentum vivum in se recipit, quod suæ naturæ fuit: alienum verò respuit: eò quòd sua natura magis gaudet, quàm extranea. Ex hoc enim manifestè cognoscitur ex quibus materia eliciatur: quoniam corpora magis relucent, & majoris perfectionis esse dicimus, quæ majoris quantitatis argenti vivi contentiva, & quæ minus minoris. Sed quia diximus antè, quod Sulphur est materia Philosophorum, volumus demonstrare ex qua re extrahatur, ut scias, quòd veritate diximus. Nam secundum Philosophum argentum vivum, si fuerit purum, coagulabit illud vis sulphuris albi perfecti in argentum: si verò fuerit sulphur clarum, purum, rubeum, fixum & perfectum, & fuerit in eo vis igneitatis simplicis, non urentis, coagulabit argentum vivum in verissimum Solem: & sic sulphur album, & rubeum habetur tantùm ex una metallorum materia ad plenum depurata, modo tamen diverso decocta & digesta. Idcirco dicit Plato, *quod in omni argento inest sulphur album, sicut in omni auro inest sulphur rubeum:* & tamen non omne sulphur album est aut rubeum. Item, *tale sulphur non reperitur super terram*, ut dicit Avicenna: *nisi quod in istis corporibus consistit.* Et ideo ista corpora subtiliter præparamus, ut de illa materia sulphur album vel rubeum habeamus super terram, de qua aurum vel argentum efficiebatur subtus terram. Ipsa namque corpora luculentia, in quibus sunt tingentes radii, tingunt cætera corpora albedine & rubedine vera, secundum quod fuerint præparata. Nam per nostrum magisterium corpus perfectum perficit imperfectum, sine administratione alicujus rei extraneæ. Omne autem sulphur bituminosum arg. vivi extraneum est, eò quod sui ipsius est corruptum, econtrà verò illud non est sibi extraneum, in quo ipsum habet converti per nostrum magisterium: scilicet, in aurum & argentum. Venerabili ergo utimini natura: quoniam non emendatur, nisi in sui natura: cui alienum introducere nolite, nec pulverem, nec aliam rem; quia diversæ naturæ non emendant lapidem nostrum: nec intrat in eo nisi quod sit ortum ab eo. Ex rebus ergo corporalibus necesse est, corporum medicinam colligere: quoniam oportet, quòd ipsi illa in natura conveniat. Ideò quia non est corpus dignius, aut purius sole, aut ejus umbra, sine quibus nullum argentum vivum generatur tingens: & qui absque argento vivo tingere nititur, cæcus procedit ad practicam, sicut asinus ad cœnam. Nam aurum aureum, & argentum argenteum, tribuunt colorem: & etiam qui novit argentum vivum cum Sole & Luna tingere, venit ad arcanum, quod dicitur sulphur album: & cùm rubeum efficitur, erit sulphur ad aurum. Ex istis ergo duobus corporibus præparatis, medicina nostra cum suo sulphure, & arsenico elicitur: & quod necesse est, quod Lapis Philosophorum elici possit de natura duorum corporum, antequam fiat de eo Elyxir completum: quoniam est necessarium, quod Elyxir magis sit depuratum, & digestum, quàm aurum & argentum: eò quod ipsum habeat omnino convertere à perfectione diminuta in aurum, vel argentum, quod ipsa minimè perficere possunt: quia si de perfectione sua alteri darent, ipsa imperfecta existerent: eò quod non possunt tingere, nisi in quantum se extendunt: quoniam nulla res dealbat, nisi secundum suam albedinem: nec ulla res rubificat, nisi secundum suam rubedinem. Et ideo in Lapide nostro facimus opera nostra, ut melioretur ejus tinctura, multò magis quàm sit in sui natura. Dicimus ergo, quod opus Philosophorum nihil aliud est, nisi dissolvere Lapidem nostrum in argentum vivum nostrum: ut in suam primam materiam redigatur. Unde Philosophus in quarto meteororum hujus artis deridet Sophisticos, dicens: *Sciant artifices Alchimiæ, species transmutari non posse:* & postea subdit: *nisi in suam primam materiam redigantur:* quæ quidem materia prima est argentum vivum: cùm ipsum sit elementum omnium ductibilium: tunc enim in aliam formam, quàm priùs erat, benè permutantur: non quidem species, sed individua specierum: quoniam ipsa individua actionibus sensibilibus sunt subjecta: eò quod in se sint convertibilia. Species verò cùm sint universales, actionibus sensibilibus non sunt subjectæ: & ideo in se sunt incorruptibiles. Species verò argenti vivi quæ est argenteitas, non permutatur in speciem auri, quæ est aureitas: nec è converso: quia species verè permutari non possunt, sed individua specierum bene, cùm in suam materiam primam reducuntur. Quia cùm forma istius individui sit corrupta, & in primam materiam resoluta, bene & etiam necessariò introducitur alia forma. Quia corruptio unius est generatio alterius. Item, materia ita nullo modo potest destrui, quin sub aliqua remaneat forma. Unde destructa una forma, immediatè introducitur alia, ad hanc operationem, vel ad aliam disposita. Et ideò dicit Philosophus: *Indiges quòd primò in solutione, & sublimatione duorum Luminarium labores.* Quoniam primi gradus operationis est, ut fiat argentum vivum: & in hoc opere declarat, quid sit Lapis: cùm principium sui operis sit dissolutio ipsius: & solutio corporis est cum congelatione Spiritus: & congelatio Spiritus est cum solutione corporis: & tunc corpus cum Spiritu, & Spiritus cum corpore miscetur: & nunquam separantur in æternum, quoniam

agit

agit utrumque eorum in ſocium ſuum ſimilem. Non ergo hic oberres: quoniam quæ ſeminaverit homo, hæc metet. Nam ſi quis eſt ſapiens, ſen per eſt perfici appetens: quoniam in ſe ſemper continet ſemen ſuum. Idcircò dicit Avicenna, *ſi aurum & argentum non viderem: pro certo dicerem, quod Alchimia non eſſet vera. Sed cùm aurum & argentum video, certiſſimè ſcio, quòd ſcientia eſt vera.* Igitur, quamvis hic Lapis, jam in ſe tincturam naturaliter continet, quoniam in corpore terræ perfectè creatus eſt: attamen per ſe motum non habet, ut ſit Elyxir completum: niſi moveatur arte & operatione. Et ideò artes diverſæ à diverſis Philoſophis ſunt inventæ, ut compleas per artificium, quod eſt à natura relictum. Igitur non ſis fatuus ad intelligendum noſtram materiam: quia non invenitur in re, quod in ea non eſt: & aliquis dare non poteſt, quod non habet. Tibi igitur dico, ut nos blaſphemare non poſſis, quod aliter nunquam fiet, donec Sol & Luna in uno corpore juncta, ſuper corpora diminuta projiciantur. Si enim jungatur cum plumbo, plumbum erit: ſi cum ferro, ferrum erit: & ſi cum aliis corporibus, erit conſimile eis. O Fili, tuas aures hûc inclina: quod ſi cum iſtis duobus radiis jungatur, fit Elyxir perfectum. Non eſt ergo operandum, niſi de iſta nobiliori materia: quia res non fiunt, niſi ſecundum eorum naturam: & qui quærit à natura, quod in ipſa non eſt, fatuitas eſt & perditio temporis. Tibi autem dico, quod non comedas de filio cujus mater patitur menſtruum, quia leproſus erit: & tu, & tuum opus fruſtrabitur; de pinguiori carne comede, & habebis, quod deſideras. Igitur fac unguentum de ſulphure, & arſenico, & Mercurio, & habebis quod deſideras. Quoniam, cujus caput eſt rubeum, pedes albi, oculi verò nigri, eſt magiſterium. Medicina noſtra eſt compoſita ſolum ex natura: & hoc eſt verum: & tibi ſubjungam exemplum. Certum quippe eſt omnem rem eſſe de eo in quod reſolvitur: nam gelu, mediante calore, convertitur in aquam, ergo, prius fuit aqua. Sic etiam Lapis noſter reſolvitur in argentum vivum noſtrum, per Magiſterium Philoſophicum: ergo, prius fuit argentum vivum. Modus autem convertendi ipſum in argentum vivum, eſt converſio naturarum ad ſuam primam radicem. Naturam autem convertere, eſt Elementa circulariter rotare. Sunt autem Elementa de aptitudine ſua ad invicem converſa: ideò generantur & corrumpuntur; ac ad invicem alterantur. Converte ergo Elementa, & quod quæris invenies: quia noſtra operatio non eſt, niſi naturarum mutatio: & eorum calidi cum frigido, & humidi cum ſicco admirabilis connexio. Verumtamen non convertitur ſiccum in humidum, niſi prius fuerit frigidum: neque frigidum convertitur in calidum niſi prius fuerit humidum: cum non ſit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium. Terra non vertitur in aërem, niſi primo vertatur in aquam: neque ignis convertitur in aquam, niſi prius vertatur in aërem. Aqua quippe & aër ſunt Elementa media: Ignis verò & terra ſunt Elementa extrema. Aër ergo eſt juxta ignem, ſicut aqua juxta terram: ideo aqua contrariatur igni, & terra aëri. Quia aqua eſt frigida & humida: & ignis calidus & ſiccus: terra verò frigida & ſicca: aër calidus & humidus. Aër ergo & aqua conveniunt cum humiditate: & ideo utrumque iſtorum immediatè in alterum convertitur. Et ſic ignis & terra conveniunt in ſiccitate & ideo ad invicem immediatè converſuntur, ac tardiùs ab invicem ſeparantur. E contra autem aër & terra, ignis & aqua, ad invicem non vertuntur, niſi ignis in aërem, & terra in aquam, primò convertatur. Si ergo ſiccum convertitur in frigidum: & frigidum in humidum: & humidum in calidum: tunc habebis magiſterium. Modi regiminis convertendi Elementa ad invicem ſunt quatuor principales, putà ſolvere groſſum in ſimplum: abluere obſcurum in lucidum: reducere humidum in ſiccum: figere volativum ſuper corpus ſuum. Jam igitur demonſtravi tibi, Fili, totam operationem: totam doctrinam. Sed quia ipſam magis claram volumus oſtendere tibi: dicimus, quod tota perfectio eſt in ſolutione. Sic dixit Morienes, qui ita inquit: *Hoc autem magiſterium nihil aliud eſt, niſi extractio aquæ ex terra, & hujus aquæ ſuper terram dimiſſio: donec ipſa terra putreſcat.* Hæc terra cum aqua putreſcit, & mundificatur, quæ cùm mundificata fuerit, auxilio Dei totum magiſterium erit completum. Nam ſi putredo non fuerit, fundi aut ſolvi poterit: & ſi ſolutum non fuerit, ad nihilum revertetur. Unde oportet te ſolutionis modum acquirere, quòd hoc totum conſiſtit in ſublimatione. Quapropter intelligas bene hanc ſublimationem: & ſpiritus qui aſcendit, cuſtodi ne fugiat, & quod facis in albo, facias in rubeo. Quoniam hæc medicina eſt in eſſentia una: & in modo agendi ſimiliter. Eſt tamen additamentum citrinitatis coloris, quæ à mundiſſima ſubſtantia ſulphuris noſtri fixi perficitur. Differentia autem eſt inter Lunarem medicinam, & Solarem: eò quòd hoc quidem illud in ſe continet: illa verò non: quoniam indiget mundiſſimo ſulphure albo, ſicut hic rubeo indiget. Sufficiant tibi hæc duo corpora, eò quod aſſimilantur quæſito: ſed indiges quod in ſolutione & ſubtiliatione labores, ut ſolvas totam materiam. Poſtea congela, & calcina, & iterum ſolve: & ſic reiterando, donec compleas fuſionem perfectam. Idcirco cùm iſtud ſit grave perficere, expedit omnino corpora diſſolvere per aquam ſolùm, ſine calcinatione: quoniam iſtud eſt ſecurius, quamquam ſit tardius in operatione. Eſto ergo longanimis ſuaviter, & non feſtinanter extrahens tincturam: ne quæras velociter perficere: quia comburit omnia, & perducit ad regionem remotam. Nam ignem ſi multum feceris in principio nixtionis ejus, ſcias, quod eveniet corruptio in tincturis: quoniam comburuntur medicinæ per nimias caliditates. Ergo leniter coque, donec album urinæ omnia membra urinæ diſponat. Patienter ergo ſuſtine: & per contritionem & aſſationem, quæ idem ſunt, & igne dividantur partes ligatæ à viſcoſitate aquæ, quæ eſt in corporibus. Corporea verò ſoluta ad naturam ſpiritus ſunt redacta: & nunquam ſeparantur: ſicut nec aqua mixta aquæ. Ideo chariſſime Fili, indiges, quod in ſolutione Lapidis labores: & ſuas partes puriores ab impuris & gravioribus ſepares: & opus cum levioribus, abjectis partibus gravioribus, perficias. Unde ſoluta primò corporum forma in Mercurium noſtrum, immediatè introducitur nova forma: corrupta ipſorum forma, quæ quidem forma eſt primò in colore nigra, in odore fœtida, & in tactu ſubtilis: & diſcontinuata. Nunc ad alia tranſeamus. Fuerunt aliqui Philoſophi, qui poſuerunt ſcientiam in ſeptem Planetis: & Primus Planeta noſter vocatur Venus: Secundus, Saturnus: Tertius, Mercurius: Quartus, Mars: Quintus, Jupiter: Sextus, Luna: Septimus, Sol. Unde ſcias fideliter, quod ex ipſis corporibus metallicis cum ſpiritibus: ſcilicet, Sulphure, arſenico,

arsenico, & argento vivo hæc medicina elicitur. Accipe ergo corpus, quod tibi superiùs demonstravi, scilicet, æs: & verte ipsum in plumbum, postea in æs, ut prius erat: quia oportet nos ipsum ad suam primam reducere naturam: quia species non mutatur in speciem, nisi individuum speciei. Ad primam ergo naturam reducatur, id est, ad primum colorem: & ab illo extrahis argentum vivum, & quod remanserit in fundo vasis, vertatis in ferrum, & tamdiu decoquatur, donec totum vertatur in stannum: & adhuc non cesset decoctio, donec verratur in verum argentum: & tunc habebis lapidem ad album. Adhuc autem coquatur, donec vertatur in Solem: & sic habebis complementum, & propter hoc dixit Aristoteles: *Æs nostrum est aurum nostrum*. Et dixit similiter Vir perfecti Magisterii: *Et in ære est similiter argentum potentialiter, & non visibiliter: & in eisdem, sunt ferrum, plumbum, stannum, & cætera metalla.* *Discipulus.* Miror, Præceptor bone, quod tantàm laudasti æs: nescio an in eo sit tantum secretum. Ego putabam, quod esset corpus leprosum, propter illam viriditatem, quam habet in se. Unde non desino mirari, quod dixisti, quod de hoc corpore argentum vivum debemus extrahere. *Magister.* Fili, scias, quod æs Philosophorum est aurum ipsorum. Unde Aristoteles ait, in libro suo: *Aurum nostrum, non aurum vulgi:* quia illa viriditas, quæ est in eo corpore, est tota perfectio ejus. Quia illa viriditas, per nostrum magisterium cito vertitur in aurum verissimum. Et de hoc experti sumus: & si vis probare, tibi regulam dabimus. Accipe ergo æs ustum bene, & perfectè rubificatum: & imbibe ipsum cum oleo duenech, septem vicibus, quantum bibere poterit, semper assando & reducendo: postea fac ipsum descendere: descendet enim aurum putum: ejus viride fiet rubeum: sicut crana clarum. Et scias, quod tanta rubedo descendit cum ipso, quod tinget argentum in aliqua quantitate, verissimo colore. Et totum hoc probavimus de his, quæ operantur operationes magnas, quod est viride de auro, & ejus sulphure, & hoc in libro de septuaginta invenies. Vide quid dicat Lumen Luminum, & nota: *Nullum tamen genus Lapidum poteris præparare, absque duenec viridi & liquido: quod videlicet nascitur in mineris nostris.* O benedicta viriditas, quæ cuncta res generas: neque ullæ arbores aut fructus apparent sine viriditate. Quare Philosophi eam germini, & aquæ suæ, causa putrefactionis & purificationis comparaverunt: & veritatem dixerunt: quia cum sua aqua purificatur: & à sua nigredine abluitur: & album reddit ipsum, postea rubeum. *Discipulus.* Præceptor chare, expone mihi quæso hunc Lapidem: quia non bene intelligo. *Magister.* Lapis est. & non Lapis, spiritus, anima & corpus: quem si dissolvis: & si coagules, coagulatur: & si volare facis, volat. Est autem volatilis albus, ut lachryma oculi: postea efficitur citrinus, salsus, pilis carens: quem nemo lingua sua tangere potest. Ecce ipsum jam sua demonstravi descriptione. Non tamen nominavi, quo omnis eget locuples & pauper, & omnes habere possunt: & in manibus suis est, ac pro eo causantur. Modo volo ipsum nominare: & dico, quod si dixeris, eum aquam esse, verum dicis: & si dicis, eum aquam non esse, mentiris. Ne igitur decipiaris pluribus descriptionibus, & operationibus. Unum enim quid est, cui nihil alieni infertur. Hoc autem teneas, & alia dimitte: necesse enim est, nomina Lapidis multiplicare: quia si non multiplicarentur, pueri nostram scientiam deriderent. Certissimè ipsum descripsi tibi. Ejus igitur locum investiga: & alienum ei non inferas: & noscas corrumpens, & emendans: & mortificans, & vivificans: solvens, & coagulans: album & rubeum: faciens in uno esse, & in uno loco. Et quia nostra administratio non potest fieri, nisi occidendo, & postea vivificando: oportet omninò ut corpus moriatur, & postea vivificetur. Et sic complebitur totum arcanum. *Discipulus.* Amantissime Præceptor, quis est ille, qui sciat interficere, & postea vivificare? *Magister.* Fili, hoc totum per putrefactionem perficitur: *quia corruptio unius est generatio alterius:* & tibi subjungam Exemplum. Materia nullo modo potest destrui, quin sub aliqua remaneat forma. Unde destructa una forma, immediatè introducitur alia ad hanc operationem, vel ad aliam disposita. Et hoc totum per solutionem perficitur. Igitur oportet primò dissolvere, secundò putrefacere: tertiò abluere, & ecce totum magisterium. *Discipulus.* Præceptor, bene video, quod est veritas, quod tu dicis: & rogo te, si placet, ut de ista ablutione aliquantulum mihi dicas: & similiter quot sint colores principales. *Magister.* Fili, ablutio est principium, medium & finis hujus nostri operis. Aqua nostra abluit sordes de terra nostra: & Sol noster est adjutor: & operatio fit paulatim, cum istis enim mundabis omnes obscuritates. Aqua nostra abluit seipsam, & abluit suum corpus: & si corpus anima caruerit: tenebrosum & obscurum reperitur: & si animam ei reddideris, formosior apparebit. Corpus nostrum est terra nostra: & anima nostra, est aqua nostra: & hoc totum nihil aliud est, nisi extractio aquæ ex terra: & ipsam reducere super terram: & hæc terra cum aqua sua putrescit primò: postea mundificatur & nutritur. Nam omnes res aquam appetunt: quoniam ipsa tam igni quàm rebus aliis alimentum præstat: & dignum administratione complectitur arcanum. Aqua in vite est vinum: & in oliva, oleum: in arborem quoque diversis generibus fructus transformatur: qua quidem omnia ab aquæ beneficio sumunt exordium. Colores, ex quibus omnes alii habent principium, sunt tres: primus est, niger: secundus, albus: tertius, rubeus. Citrinus color & glaucus, ex albo & rubeo nascuntur: quod citriniras & glaucitas, nihil sunt, nisi rubei & albi proportio determinata. Cœlestis ab albo & nigro, proportione debita generatur: viridis, violaceus, & camelinus, à nigro, albo, & rubeo simul conjunctis, proportione debita, secundùm magis & minus procreantur, & sic de aliis. Et omnes isti colores, qui non sunt perfecti, per aquam perficiuntur, & per ipsam abluuntur & mundificantur. Igitur, charissime Fili, cùm in opere fueris, fac ut primum habeas colorem nigrum: quia tunc eris certus, quòd putrefacis, & via recta procedis. Si autem laboraveris sine putrefactione, videbis oleum rubicundum, quasi frustum superius natare: & hoc est signum, quod in vanum labores. Si autem cum putrefactione solveris materiam tuam, videbis ipsam nigram: postea viridem: deinde croceam & rubicundam, & varii coloris. Hoc autem totum perficitur per decoctionem veram. Oportet igitur nos venenum aptare, prout oportet: deinde multiplicetur coquere: ne tædeat vos decoctionis, imbibite, decoquite, terite, quousque unum fiant. Sunt enim duo, unus qui ascendit, alter vero non. Hoc autem totum factum est per melancholiam. Melancholia est res non stabilis, & est fumus, qui cito ascendit: videlicet, in altiori loco,

in

in quo eſt, ſcilicet, in capite: & ſi evaporat, facit hominem triſtem, tenebroſum & obſcurum, per totam ſuam vitam. Etſi illa melancholia, id eſt, ille fumus remanſerit, & revertitur ad ſuum proprium locum: reddit hominem humilem atque pacificum: quia ipſemet cognoſcit ſe. Propter hoc mons in quo eſt tabernaculum, clamat, dicens. Ego ſum, qui ſum: & ſum nigrum albi, & album nigri: meus proprius color. Per Deum, veritatem dico, & non mentior. O natura benedicta: & benedicta eſt operatio tua: quia de imperfecto facis perfectum, cum vera putrefactione, quæ eſt nigra & obſcura. Poſtea facis germinare novas res, cum tua viriditate, & facis diverſos colores apparere, & ſine pretioſiſſima viriditate nullum vegetabile, neque fructus ullus germinando poteſt apparere. Quare, moneo te, Fili, ut totus tuus intellectus ſit in rebus viridibus coquendis: ſi vis habere fructum, coque, tere, reitera, nec tædeat quamvis opus ſit longiquum, quia ſeipſum diſſolvit, & copulat, ſeipſum dealbat, & rubore decorat: ſeipſum croceum facit, & nigrum. Præterea ſeipſum deſponſat, & à ſeipſo concipit: quia ibi eſt maſculus & fœmina. Similiter ibi eſt frigus, id eſt, aqua: & calor, id eſt, ignis: & humor, id eſt, aër: & ſiccitas, id eſt terra. Et ſimiliter ibi ſunt diverſi colores: propter quod Philoſophi diverſa nomina impoſuerunt: quia aqua eſt clara & lucida: ignis verò rubeus & lucidus: aër quoque albus & lucidus: terra nigra fæculenta & obſcura. Scias tamen, Fili: quod omnium ſpes & exiſtimatio Philoſophorum in duobus conſiſtit: eam tamen radix triplex perſequitur: aquæ videlicet exaltatio, quæ liquida procedens ſi ceſſaverit: olei deinceps patebit egreſſus: & hæc ſunt duo ſigna. Propter hoc dicit Philoſophus: qui dealbavit me, ille faciet me rubeum. Philoſophi autem multis nominibus nominaverunt Lapidem noſtrum, & multa oſtenderunt ad album & rubeum faciendum. Unde tibi dico, quod non eges illis nominibus: nec illas res diverſas, niſi uno nomine, & una re, ſcilicet, aqua, quæ adminiſtratur: & una actione, ſcilicet: coquere. Quare, moneo te, Fili: ut non accedas ad operandum, niſi incipias tentare: & aquas coquere, quæ putrefaciendo inſpiſſantur: & putrefaciendi humiditatem & ſiccitatem ipſius notare. Cujus genus duo ſunt Lapides de genere Lapidum. Extractum enim eſt ex Lapidibus, qui in quolibet anni generantur tempore, & unus habet alas, & alter non. Unde Fili, ſi verum magiſterium habere deſideras, oportet te comburere illas alas. Item, ſcito, quòd non candidatur ſine combuſtione. Combuſtio autem humor eſt: quia niſi eſſet, nunquam dealbaretur. Quare oportet, ut humiditate coquatur quouſque areſcat & deſiccetur: deinde aqua teratur ſublimata, & iterum coquatur, quouſque iterum ſiccetur: & per vices hoc reiteretur, quouſque, Deo favente, candidetur. Et eſt notandum, quod omnibus rationibus à te perceptis, ſi dealbationem ignores, ſperatam amittis lætitiam: nam ex triturationè & ſale attenuatur: fæcem ejicit, & turpitudinem amittit: deinde, auri colorem recipit, & ordine ſpirituali figitur.

Diſcipulus. Præceptor ſuaviſſime, obſecro te, ut mihi exponas hanc ſiccitatem & combuſtionem: quæ mihi bis ſuperius reiteraſti: & utrum ſit unum, an duo? *Magiſter.* Neceſſe eſt enim, ut animæ ſuis corporibus priventur, & hoc combuſtione fit, poſt mortificationem: & utrùm ſint unum, an duo: & cui combuſtio procedit. *Magiſter.* Fili, jam tibi narravi, quòd oportet totum Elyxir comburi & mortificari: eo, quòd Azoch, vel Zericon, vel aqua divina, non rubet, niſi mortificatione & aſſatione: dealbatio autem non fit niſi combuſtione. Ecce jam, Fili, quòd tibi oſtendi, non mortificationem & dealbationem, & rubeum diſcriminando à ſe invicem demonſtravi. Unde ſcias, quòd unumquodque eorum primò dealbatur, poſtea rubet: & hoc totum ex beneficio aquæ procedit. Aqua illa res eſt, quæ dealbat, & rubere facit. Aqua eſt, quæ diſſolvit & congelat: aqua eſt quæ putrefacit, & poſtea facit germinare diverſas res & novas. Unde, Fili, moneo te, ut tota intentio ſit, in decoctione aquæ: & te non tædeat, & non cures de aliis rebus, niſi de aqua. Coque ipſam paulatim, donec mutetur de colore ad colorem perfectum: & cave, ne in principio comburas ejus flores, nec ejus viriditatem: & noli citò perficere opus tuum. Item, videtur ut janua tua ſit benè clauſa, ne ille qui eſt intus, poſſit evolare: & ita, Deo concedente, venies ad effectum. Item, nota Fili, quòd ſolvere, calcinare, ſublimare, tingere, abluere, infrigidare, rigare, extrahere, coagulare, humectare, imbibere, abluere, coquere, fixare, rerere, ſiccare, diſtillare, unum ſunt: ſcilicet, animam vel ſpiritum extrahere à corpore denotant, & appoſitionem veris ſignificant, id eſt, quòd ignis ſit ſuavis. Hic enim ignis ſequeſtrat Elementa, & iterum componit. Quapropter tota ars conſiſtit in convertendo elementa, id eſt, faciendo humidum ſiccum, & fugiens fixum. Et jam dico tibi, quòd elementa in partes quatuor dividuntur: quorum duo terram habent, & aſpectum apud vivum largientia, quæ ſunt terra & aqua. Alia autem nec videntur, nec tanguntur, nec quicquam largiuntur; nec locus eorum videtur, nec opus, nec vis, niſi in prioribus elementis, terra ſcilicet & aqua. Quare multi decipiuntur circa elementa: quia non eſt neceſſarium, ut dividamus Elementa: quia omne Ens eſt compoſitum: & omne compoſitum dividi non poſſibile. Ideò non eſt nobis neceſſarium talem facere diviſionem. Et ſimiliter in ceratione, non eſt neceſſe dividere, imò conjungere, & ſequi naturam. Idcirco oportet nos conjungere Elementa, ſcilicet, terram & aquam, ita, ut unum fiant: & ut dividi non poſſint: & in iſtis duobus alia duo conſiſtunt, ſicut eſt aër & ignis. Cùm autem quatuor Elementa non conjunguntur, ita ut ſiccum cum humido, & frigidum cum calido, ſine aliqua diviſione, unum fiant: nil hujus artificii hominibus perficitur. Et ideo Philoſophi antiqui docuerunt coquere aquam permanentem, donec inſpiſſaretur cum ſuo corpore, & fieret unum. Hoc autem totum in noſtro ære conſiſtit: & ſcias, quòd nulla fit tinctura, ſine ære noſtro. Item, ſcias Fili, quòd tingens cui ea ſunt mixta, ea quæ neceſſaria ſunt, oportet vos diruere ipſum. Nam ea quæ ei miſcentur ſuperat. Item, ſcias, quòd ſi unum ſit fugiens: alterum verò ignem patiens: utrumque junctum ignem patitur. Unde ſi ſuperficies dealbatur, & intima dealbabuntur. Et ſi enim ſuperficiem nubes dealbaverit, proculdubio intima dealbabuntur: quoniam noſtrum ſolutum omnia comburit corpora ſulphur. Item, ſcito, quod Solis flos eſt Lapis de Lapide. Aſſate ergo ipſum per dies, donec fiat marmor coruſcans. Item, ſcias, quòd una ſola res facit, quod & plures operantur: pluribus autem rebus non indiges, niſi una ſola re: & illa ſola res in unoquoque gradu operum noſtrorum in aliam vertitur naturam. Hoc enim regimine ſpiritus incorporatur, & corpus vertitur in ſpiritum. Conſerva ergo vas, ne

compoſitum

compositum fugiat, & fumiget: & habebis intentum. Nunc autem hæc verba in tuo animo fige: scilicet, quòd eo combusto fiat sanguis simul ad latera vasis. Leo autem viridis semper in medio manet, quousque ex toto sit interfectus. Quapropter nihil aliud tibi commendo Fili: nisi aquam nostram, & æs nostrum coquere, donec paulatim comburendo interficiatur: quousque ejus color muterur, & à sua nigredine privetur. Nonne vides, Fili, quòd ex sanguine sperma non fit, nisi diligenter coquatur in hepate, quousque intensum habeat colorem? Et jam scias, Fili, quòd si color rubeus tibi apparuerit post nigredinem, propter hoc non cures, dummodo vas sit bene clausum: quia de necessitate oportet, ut ad suam perveniat naturam. Hoc est argentum vivum occidentale, quod prætulit se auro, & vincit illud: & illud quod occidit vivere facit: quia est pater mirabilium omnium. Propterea dixit Morienes: *Ignis & Azoch tibi sufficiunt.* Jubeo ergo te, accipere æs nostrum, & ponere in vas bene clausum, & coquere paulatim: deinde extrahere, & aspicere, num factus sit Lapis niger: tunc optimè rexisti. Et scias, quòd dicta nigredo permaneat per quadraginta dies: & postea in diversos colores variatur, donec perveniat ad perfectam albedinem: & postcaquam album habueris, non variabitur, donec veniat ad rubeum perfectum.

Recapitulatio totius Operis.

PErtractatis igitur sermonibus hujus Magisterii nostri, secundùm exigentiam sui ordinis, cum causis suis sufficientibus: restat nunc, ut breviter teneatur memoria totum nostrum magisterium, sub sermonis brevis completa Recapitulatione. Dicimus ergo, quòd tota intentio, hujus nostri operis summa, nihil aliud est, nisi ut sumatur Lapis Philosophicus, & cum operis instantia assiduetur super ipsum opus sublimationis, solutionis atque distillationis primi gradus, ut mundetur à corrumpente impuritate: Deinde figatur, ut nihil ascendat, & cùm fixa fuerit, solve quòd in ea erit solubile, & in ignis temperamento conserva, quousq; per modum sublimationis, solutionis atque distillationis elevetur, quod elevari potest: cùm elevatum fuerit, in ignis temperamento conserva, quousque totum figatur, & in asperitate ignis quiescat. Et hic secundùs præparationis appellatur gradus, & in hoc quidem una præparationis & perfectionis meta consistit. Tertio similiter gradu Lapis administretur: qui per totum principium, medium & finem consistit præparationis complemento. Et est, ut jam fixum lapidem, cum modis sublimationis, per administrationem ignis volatilem facias: & volatilem fixum: donec in ignis asperitate quiescat, & quod nihil videatur ascendere, & hic modus tertius est completus. Quarta verò administratio est, ut Lapidem dissolvas, per modum distillationis volatilem facias, & cùm fuerit ita, fixa totum igne appropriato sibi, donec quiescat, sine materia cum aliqua separatione. Quinta administratio est, ut Lapidem congelatum dissolvas: & quod jam fixasti cum ignis administratione volatile faciat: & iterato volatile fixum, quousque maneat in pugna ignis: & cùm ita fuerit, serva: donec illi major ignis quantitas administrari possit: & sic vidisti quintum circulum. Sexta separatio est, ut Lapidem nostrum ita solutum, sublimatum, congelatum, calcinatum, inceratum, distillatum, & fixum, cum parte servata non fixa, per ingenium subtile conjugatum: & per modum solutionis, sublimationis, distillationis volatilem facias, cum maximo ignis ingenio. Et cùm ita factum fuerit, fixa totum, donec in ignis asperitate quiescat: & quòd nihil videatur ascendere, Et sic rexisti sextam dispositionem. Sed, quia in septima præparatione consistit totum arcanum, dicimus tibi, Fili charissime, quod hoc arcanum sparsimus in diversis locis, & similiter occultavimus. Ubi magis apertè ac clarè locuti fuimus, ibi magis obscurè: & ubi magis occultè locuti fuimus, ibi magis apertè ostendimus illud. Quoniam nobis solis scripsimus, ac etiam tradidimus, & non aliis, nisi filiis nostris. Nec ergo desperes, Fili doctrinæ: quoniam, si illam quæres, invenies: non doctrinæ, sed propriæ motus indagatione naturæ. Qui verò librorum insecutionem insequitur: tardissimè ad hanc artem perveniet pretiosissimam. Dicimus igitur, quòd septima operatio est, Lapidem benedictum primò solvere, postea distillare: tertiò sublimare: quartò incerare: quintò descendere: sextò calcinare: septimò figere. Ecce totum magisterium, & hoc quod diximus, nihil aliud est: nisi solvere & congelare: fixare & volatile facere, & volatile fixum, & fixum iteratò volatile, quousque fluat, & alteret in complemento Lunifico, vel Solifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis in medicina resultat bonitas, & alterationis multiplicatio. Ex diversitate igitur reiterationis super Lapidem, in gradibus suis, resultat multiplicationis bonitas, alterationis diversitas, ut ex medicinis quædam sui duplum, quædam decuplum, quædam septuplum, quædam centuplum, quædam millecuplum, quædam in infinitum Solificium: & verum perfectionis Lunificium transmutat corpus. Unde notifico tibi, quòd nisi Lapis noster in initio coquendi absque manuum contritione aqua fiat, nondum opus invenisti. Quapropter hoc magisterium nihil aliud est, quàm coquere argentum vivum & sulphur, donec unum fiant. Argentum vivum defendit sulphur à combustione, si vas fuerit bene clausum: ita ut argentum vivum non possit evanescere: & eo modo non potest sulphur comburi, nec devastari. Quare argentum vivum est aqua nostra: & videmus per exemplum in aqua communi, quòd omne, quod cum ea coquitur, non comburitur, donec ipsa est, quantumcunque ignis sit fortis: & quando aqua consumpta est, hoc est quod in vase comburitur. Et ideo Philosophi jusserunt claudere os vasis, ut aqua benedicta non exhalaret: & defenderet à combustione hoc, quod in vase est. Aqua verò cum illis rebus posita, prohibuit, ne ignis combureret: & factæ sunt illæ res, quantò magis ignis flamma occupantur, tantò magis in aqua absconduntur, ne ignis calore lædantur. Aqua autem in suo ventre recipit eas: & ignis flammam repellit ab eis. Jubeo autem in principio facere ignem levem, donec facta sit patientia inter ignem & aquam. Et postquam videbis aquam fixam, sine ascensione aliqua, non cures qualis sit ignis. Sed bonum est regere cum patientia, donec spiritus & corpus fiant unum: ita ut corpora fiant incorporea, & incorporea corporea. Amplius tibi dico, quòd nullo modo invenire potuimus, nec similiter invenire potuerunt Philosophi, aliquam rem perseverantem in igne, nisi solam unctuosam humiditatem. Aqueam videmus de facili evaporare, & aridâ remanent: & ideo separantur, quia non sunt naturales. Si autem eas humiditates consideremus, quæ

difficulter ſeparantur ab his, quæ ſunt naturales, non invenimus aliquas niſi unctuoſas & viſcoſas. Quare ſicut in Libro Metheorum determinatur, harum partes conjunguntur, ſicut catenæ: & una earum ex alia de facili evelli non poteſt. Quare omnibus ſapientibus ſcire facio, quòd de nulla re de mundo, nec ullo modo meliori, poſſibile eſt fieri Elyxir citrinum, quàm per ſulphur Philoſophicum. In ipſo autem vidimus unctuoſitatem perfectam, non cremabilem: & idem per ipſum quando eſt præparatum, ut oportet: omnia corpora, quæ tangit, ducit ad veriſſimum Solaris complementum: & ſuper omnia corpora Lunam.

Finis Speculi Alchimiæ Arnaldi de Villa Nova.

Arnaldi De Villa Nova Carmen.

Mercurium retinens exſtat Lapis iſte citrinus:
In rubeum tingens velut eſt ſplendore rubinus.
Doctus ſervat eum, ſed ſtultus projicit illum.
Hunc oleo jungas, ſuper ignem poſtea ponas:
Et mane cum ſpatula removens ab eo liquefacta:
Quando calor ceſſat, mox in fundo lapideſcit.
Effundas oleum tingenti ſulphure mixtum:
Trans ſuccum tendit in eo tinctura manebit.
Hoc toties repetas, dum tincturam ſibi tollas:
Hanc tu ſiccabis, aridis panniſque locabis:
Tunc genus hoc tingens completur, & eſt apparens.
Sic primam partem debes complere per artem.
Veſtio tollatur: in aceto ſæpè coquatur:
Ut non uratur, ſuper ignem quando locatur:
Cum gelidis rebus hanc præparare ſolemus.
Sic aliam partem poteris complere per artem.
Semina multig, infer in aquam ſi ſolus adhæret;
Sal, cinis & fumus: hanc rem diſſolvere ſcimus:
Quam dum corrumpunt, poſt hæc dare præmia poſſunt,
Si ſtent per numerum centum triginta dierum.
Crebrò diſtillas, proprio cum corpore jungas:
Si terram tundis iſtis pluvialibus undis.
Excreſcet fructus, qui ſcit depellere luctus,
Sic tertiam partem poteris complere per artem.

Aliud.

In ſpeciem Solis Lunam convertere ſi vis,
Has quinque partes lectioni junge per artes:
Fert æris viridis, tantum de pulvere nitri.
Alu. Jameni, mediam Salis ar. mediam vi.
Hæc eſt vera via Solis mente tuchia.

Aliud.

Maria, mira ſonat, breviter quæ talia ſonat:
Gumi cum binis fugitivum figit in imis:
Horis in trinis tria vincula fortia finis:
Maria lux roris legem ligat in tribus horis:
Filia Platonis conſortia jungit amoris:
Gaudet maſſata, quando tria ſunt ſociata.

Johannis Ticinenſis Heptaſtichon.

Hæc ars eſt rara, & levis, & brevis: hinc quoq, chara:
Et res eſt ſola; & vas ſolum, coctio ſola.
Candida ſic rubeo mulier fit nupta marito:
Sic complectuntur ſe, ſic quoque concipiuntur.
Mercurius Solem foliatum deſtruit omnem:
Hunc ſolvit, molit, atque animam de corpore tollit:
Hunc partitur, dividit, hunc componere novit.

FINIS.

Incipiunt Quæstiones *tam Eſſentiales quàm Accidentales* M. Arnaldi De Villa Nova *ad* Bonifacium VIII. *cum ſuis Reſponſionibus.*

I.

Incipiunt Quæſtiones tam eſſentiales, quàm accidentales Magiſtri Arnaldi De Villa Nova ad reverendum eo competente compoſitionis formam. Quæſivit ergo in primo loco. Si operatio Lapidis poſſit fieri ex ſolis luminaribus & aqua vitæ? Et reſpondetur quod ſic; aut uno luminari? in fine Quæſtionum oſtenditur quod ſic.

II.

Quæritur ſi poſſit fieri ex ſola aqua vitæ? Reſpondetur, Quod non. Quia argentum vivum nil operatur, niſi projiciatur in matricem mulieris ſeu fixæ calcis ut ipſum nutriat, & terra noſtra eſt mulier, & mater argenti vivi.

III.

Quæritur ſi poſſit fieri ex ſolis luminaribus, & quare ponitur corpus imperfectum? R. Quod citius perficitur opus. Et colores quos poſuerunt Philoſophi magis ordinate & ſecundum dicta Philoſophorum apparent.

IV.

Quæritur ſi ſint colores in opere luminarium? R. Quod apparent ſed non ſervant eundem ordinem.

V.

Quæritur ſi Sol & Luna per ſe quælibet, vel ambo ſimul facta ſolutione, debeant pertranſire alembicum? R. Tutiòr via & melior eſt quod quodlibet tranſeat per ſe, poſſunt quædam ſimul tranſire, ſed cum majori difficultate. Primo diviſim. Secundo conjunctim expedit quod tranſeat per alembicum. Quia ſi artifex poterit eſſe ſecurus quando luminaria ſunt redacta in primam materiam, id eſt, argentum vivum.

VI.

Quæritur quare oportet, ut reducantur luminaria in Mercurium, id eſt, argentum vivum? R. Quod argentum vivum eſt ſperma omnium metallorum. Primò immediatè non poſſet fieri generatio perfecta, artificialiter metallorum ex eis profecta, nec ejus multiplicatio.

VII.

Quæritur, An aqua vitæ noſtra, quæ dicitur aqua roris madidi, debet eſſe Mineralis vel extrahi de plumbo vel ſtanno. Quia dicunt Philoſophi, quòd aqua ex plumbo facta non intrat magiſterium noſtrum, ſed aqua mineræ tantum. Quia plumbum eſt immundum, & aqua noſtra mineralis eſt munda, Plumbum enim vitrificat, Aqua autem noſtra à vitrificatione conſervat. Ergo debet eſſe Mineralis.

VIII.

Quæritur, Quomodo cognoſcitur aqua mineralis ut diſtinguatur ab aqua plumbi? R. Si times de ſophiſticatione fac ipſum tranſire per alembicum, & ſi in fundo cucurbitæ non remanent fæces, bona eſt aqua mineralis naturalis: Si verò remanent fæces, & revertantur in corpus Metallicum, ſecundum ſpecies eorum, ſophiſticatum eſt arg. vivum.

IX.

Quæritur nonò, Si debet purgari aqua mineralis,

aut

aut quomodo aqua amalgametur cum corpore. ℞. Primò aqua debet mortificari cum sale communi quousque convertatur in speciem cineris cœlestinam. Deinde debet desiccari in urinali ad sublimandum, & ascendet aqua pura munda, & viva, & postmodum cum aceto ad lentum ignem munda debet excoqui paulatim ad unam horam. Deinde debet iterum exsiccari ut prius. Et post hoc debet mitti per corium, & sic potest securè in nostro magisterio poni.

X.

Quæritur, Si corpora perfecta, quæ dicuntur luminaria debeant præparari antequam ingrediantur Magisterium nostrum? ℞. Quod aurum debet purgari per cementum & argentum per cinericium. Deinde debent foliari, sicut foliantur pictoria arte vel subtiliter limari. Quia quantò magis fiunt subtiliata, tantò citiùs convertuntur in argentum vivum. Subtiliata verò peroptime possunt ingredi Magisterium nostrum, id est, sortiri subtiliationem nostram.

XI.

Undecimò quæritur, Si corpus imperfectum debet præparari, & quomodo est cum eo agendum. ℞. Debet fundi similiter & purgari. Et si fuerit cuprum debet purgari & affinari sicut purgatur & affinatur pro caldariis, postmodum limari subtilissimè, & postmodum amalgamari subtiliter. Deinde potest poni in operationem nostram.

XII.

Quæritur, Quot partes debent poni de aqua in prima conjunctione, & quot de corpore in ponderibus æris? ℞. Amalgametur & conglutinetur cum corpore imperfecto vel perfecto. Tunc debent esse quatuor partes aquæ & una corporis. Et si fuerit corpus unum ex luminaribus, debent esse 12. partes aquæ & una corporis.

XIII.

Quæritur, Quot partes debent esse de aquâ, & quot partes de amalgamate ad hoc, ut corpus totum convertatur in arg. vivum. Et ut totum transeat per corium, i. e. Gamsch leder? ℞. Quod est certa quantitas ibi, scil. ad bonum arbitrium, ponenda est quantitas ad ignem lentum quousque totum corpus sit conversum in argentum vivum.

XIV.

Quæritur, Transeunte corpore imperfecto per corium, & conversum in argentum vivum, in quo vase est ponendum? ℞. In vase vitreo perfecto in modum paropsidis, & debet cooperiri cum alio simili magis amplo. Ita quod pars inferioris vasis sit bene incluſum. Et vas superius debet habere modicum collum, & debet habere foramen in collo, & debet claudi in lineo panno. Et illo modo debet vas poni inter cineres in furno suo, & etiam cineres debent cooperire totam materiam. Et debet ignis esse unius luminis, qui vocatur ignis febrilis, debetque stare ad illum lentum ignem quousque apparuerit nigredo lapidis, quæ apparebit in superficie.

XV.

Quæritur, Quomodo apparebit nigredo, & qualiter amovenda est nigredo. ℞. Prima die apparebit nigredo in superficie tantum, & quædam nebula nigra, & illa multum ingeniosè est amovenda cum spatula munda lapidea vel vitrea, vase antea discooperto, separa nigredinem quæ apud Philosophos vocatur vestis tenebrosa. Item cooperto vase ignis continuetur quousque iterum nigredo appareat. Et illa nigredo iterum amoveatur, & in vase vitreo munde servetur cum supradicta, & hoc fiat consequenter donec nil nigredinis appareat in superficie, & lapis remaneat clarus & mundus, quoniam verè tunc est aqua mundificata à terra sua, & tunc habentur duo elementa lapidis, scilicet terra & aqua.

XVI.

Quæritur, Per quod tempus debet esse in nigredine, & quod est signum veræ solutionis lapidis? ℞. Cum nigredo apparuerit prima vice, signum est putrefactionis & solutionis lapidis. Cùm autem nigredo totaliter evanuerit, est signum veræ putrefactionis lapidis & solutionis ejus. Durant autem nebulæ nigræ in prædicto lapide 40. diebus, aliquando plus, vel minus. Hæc autem variatio accidit propter variationem quantitatis medicinæ, & etiam ex industria opificis. Unde major quantitas majus tempus requirit, minor etiam minus. Sapientia autem operantis juvat artem separationis nigredinis.

XVII.

Quæritur, Quando terra èst separata, quid demum faciendum est de aqua? ℞. Aqua est ponenda in urinali & alembico superpositò cum suo receptaculo, ut moris est, securè pone inter cineres in furno distillationis, & cum lento igne distillatur. Et sis attentus juxta distillationem, ut inter guttam & guttam sequentem sint 40. momenta. Hoc est quod dicit Philosophus 40. verba cum pausa distincta in medio dividendo mille, 130. 3. verba prolata. Et iste est ordo & modus in distillatione servandus. Illud autem quod in fundo invenies, distillatur cum aqua nova, cum triplo aut quadruplo sui, quousque omnino sit solutum & conversum in argentum vivum. Et sicut prius distilla & stet totiens donec fundalia sint penitus amota. Et cum ipsa aqua distillata fuerit, & sic habes aquam vivificatam.

XVIII.

Quæritur, per quod tempus durat ista distillatio? ℞. Non est tempus determinatum utrum in majori vel minori, sed secundum majorem vel minorem quantitatem aquæ servata uniformitate ignis.

XIX.

Quæritur, Facta distillatione, quid est faciendum inde de aqua. ℞. Recipe terram quam superius separasti & servasti pulverisabis, & pone eam in vase vitreo prædicto lutatis junctures amborum, & da sibi de aqua prædicta distillata donec supernatet, & cum igne levi sicut erat ignis putrefactionis 4. diebus vel usque aqua desiccetur in terram. Et sic iterum da sibi de prædicta aqua quousque desiccet. Et sic deinceps quousque terra sit alba & clara & mundificata. Quæ cum mundificata fuerit, Auxilio Dei totum magisterium dirigetur.

XX.

Quæritur, Quid erit faciendum de terra sic mundificata? ℞. Ponenda est in urinali inter cineres in furno sublimationis alembico superpositò, cui detur ignis fortis, quousque quicquid de aqua ascendat in alembicum & terra maneat in fundo. Tunc verò habes aquam aerem, terram & ignem ibi. Quia illa terra est naturæ igneæ.

XXI.

Quæritur, Quid sit faciendum, & quod tempus quo ipsa putrefactio & mundatio terræ fit? ℞. In 40. diebus, & aliquando plus vel minus secundum quantitatem terræ vel aquæ.

XXII.

Quæritur, Utrum luminaria debent præparari

eodem modo sicut corpus imperfectum? ℟. Quod sic omnino, quia aliter non possent dignitatem fermenti assumere, quousque ipsa sint dissoluta, putrefacta, distillata, mundificata, sicut dictum est de corpore imperfecto, & in ipsius regimine stat clavis & secretum primæ artis.

XXIII.

Quæritur, Quid sit faciendum de aquis distillatis, ex luminaribus & corpore imperfecto? ℟. Aqua corporis imperfecti est dividenda in duas partes æquales Et una pars debet conjungi cum aqua Solis, id est, cum aqua distillata à Sole, reliqua verò cum aqua distillata à Luna. Tunc sunt duo arg. viva. Verùm etiam unius spermatis sunt creata. Deinde aqua lunaris debet dividi in novem partes. Et quælibet debet poni in ampullam separatim, & debet servari inter cineres in calore lentissimo, sicut gallina nutrit ova sua.

XXIV.

Quæritur, Quid sit faciendum de ipsis aquis. Si vis prætendere ad Lunam? ℟. de terra corporis imperfecti calcinata & dealbata, ut dicitur, partes 4. Et de terra Solis quæ dicitur fermentum solificum partem unam, & terræ Lunæ, quæ dicitur fermentum lunificum partem aliam. Hoc est, si terra corporis imperfecti sit libra: Pone de fermento solis tres, & de fermento lunæ totidem. Misceantur bene & subtiliter, & pone ea in vase rotundo vitreo cum parvo collo, & superpone de aqua lunari ampullam unam, & tunc clauso vase cum panno lineo ponatur in furno Philosophico inter cineres ad secundum ignem. Et continuetur ignis continue quousque materia fuerit desiccata. Deinde detur sibi alia ampulla & ignis continuetur ut prius, & hoc toties fiat quousque materia fundatur sicut cera. Et tunc est medicina perfecta ad album.

XXV.

Quæritur, Quot imbibitiones sufficientes sint ad hoc, ut materia ad album liquescat sicut cera? ℟. Ad plus septem ad minus quinque.

XXVI.

Quæritur, Per quod tempus durant imbibitiones ad album? ℟. Si de corpore imperfecto fuerit libra una, fixabitur cum imbibitionibus in 90. diebus ad album, tanto tempore etiam ad rubeum, id est aliquando fixatur in majori, vel minori tempore, propter industriam operantis, & propter majorem vel minorem partem ipsorum pigmentalium.

XXVII.

Quæritur, Completa medicina ad album, qualiter perficitur ad rubeum? ℟. Operatur de medicina prædicta alba, j. ℔. sic ut recipiatur & teneatur inter cineres calidos ad ignem primum, tam diu quousque medicina desiccetur & cineretur. Deinde detur sibi ad bibendum prima ampulla de aqua solari, id est, distillata à sole, & continuetur sibi ignis secundus, quousque materia desiccetur, postea detur sibi alia ampulla, & sic successivè imbibitiones continuentur, & desiccationes quousque materia rubificetur, & sicut cera liquescat. Et sic erit medicina perfecta ad rubeum.

XXVIII.

Quæritur. Si tota ampulla, seu tota aqua unius ampullæ tam lunaris quàm solaris est ponenda, simul in una imbibitione solaris vel lunaris medicinæ? ℟. Tantùm debes ponere super materiam quod materia solum cooperiatur cum aqua & non ultra. Et sic illam imbibe, & demum alteram superfund, & illam desicca, & sic usque ad finem.

XXIX.

Quæritur, Qualiter projectio istius medicinæ solaris vel lunaris fiat? ℟. Pars una ponenda est super decem partes Metalli imperfecti, vel argentum vivum & totum erit medicina Et de illa medicina ponenda una pars super mille partes corporis imperfecti calidi & mundi, & erit corpus lunificum vel solificum secundum medicinam omne suscipiens judicium examinis.

XXX.

Quæritur, Qualiter ista medicina alba vel rubea multiplicatur? ℟. Tibi dixi Pater Sancte verbo. Et ideo non dicam scripto, dixi enim tibi Pater, quod nullus Philosophorum fuit ausus revelare. Ideo obsecro tuam Sanctitatem, & adjuro ne reveles ea nisi filiis sapientiæ, & qui fideliter laborant in hac arte. Per putrefactionem augmentatur Lapis Philosophorum, & per frequentem reiterationem. Hoc scito amice.

Finis Quæstionum Essentialium.

Incipiunt QUÆSTIONES ACCIDENTALES *ejusdem ad eundem cum Responsionibus.*

I.

AD Quæstiones Accidentales, quas proposuisti mihi, Pater Sancte, Tibi per ordinem respondebo. Primò Quæris, Quot furnelli sint necessarii ad operationem? Respondeo. Unus est furnellus putrefactionis, distillationis, inceration-nis, sublimationis, imbibitionis, fixationis sicut patet per figuram.

II.

Quot sint vasa necessaria? ℟. Si habes bonum intellectum in quæstionibus essentialibus satis est determinatum.

III.

Si vasa debent claudi, & cum quo debent claudi? ℟. Vasa putrefactionis debent claudi cum panno lineo stricto, & fixionis vasa, & distillationis, & incerationis debent lutari cum gypso & albugine ovi per junctûras. Receptorium distillationis non debet lutari cum naso alembici, sed debet manere apertum.

IV.

Quot sunt ignes operantes necessarii. ℟. Quatuor, hos versus lege & intelliges.

Primus dicatur in quo secundus demonstratur,
Sensibus aquatis gaudet natura secunda.
Tertius excedit cujus tolerantia ladit,
Destructor secundus nescit procedere quartus:

Vel sic:

Primus formetur, ut sensus ei donetur,
Sensibus aquatis gaudet natura secundus.
Tertius excedit cujus tolerantia ladit.
Destructo sensu, vult procedere quartus.

V.

Qualiter ignes sint ordinandi in operatione? ℟. Primus putrefactionis, Secundus distillationis & fixationis, Tertius incinerationis, Quartus sublimationis, i.e. vis sublimationis, quando separatur à corpore spiritus, & vocatur avis Hermetis.

VI.

Quot fiunt colores in opere operantis. ℟. Tres sunt colores principales apparentes in opere, niger, albus, & rubeus. Sed multi sunt colores alii in opere nostro apparentes, qui se sic habent in opere.

opere. Primus color est argenteus, Secundus niger, Tertius violaceus, Quartus citrinus, Quintus viridis, Sextus pavonius, Septimus argentinus, Octavus albus, Nonus citrinus, Decimus croceus, Undecimus rubeus perfectus. Et multi alii colores sunt intermedii, de quibus non est curandum.

VII.

Quomodo apparent colores in amalgamatione. ℞. Primus color argenteus. In putrefactione niger in superficie tantùm. In conjunctione autem fermenti cum corpore variatur cum omnibus coloribus qui excogitari non possunt. In fixione autem recipit colores summos qui nunquam delentur per ignem vel per alium modum quemcunque.

VIII.

Quomodo medicina rubea perfecta dat pondus Lunæ & corporibus aliis non habentibus pondus. Et medicina alba diminuit pondus plumbi, & reducit ipsum ad pondus Lunæ. ℞. Medicina rubea constringit partes Lunæ & aliorum corporum non habentium pondus Solis quousque convertatur in pondus Auri. Et sic vertit suæ formæ specificæ quam formam specificam auget propter defectum, & longam perfectionem sui fermenti. Quod fermentum attrahit & convertit corpus imperfectum, & aquam vitæ ad sui naturam & perfectionem. Ex his dictis sequitur, quod argentum & cuprum omnino convertuntur in aurum per medicinam perfectam rubedinis, & accrescunt pondere secundum majus & minus, & diminuuntur in quantitate per istam materiam rubeam. Sed tingere solùm in perfecta rubedine. Plumbum verò & argentum vivum quando convertuntur in argentum per medicinam albedinis, crescunt in quantitate & diminuuntur in pondere. Stannum etiam non diminuitur quantitate & crescit pondere. Sed dealbatur perfecta albedine ad omne judicium & examen cujuscunque præter regale cæmentum in quo omne argentum etiam melius totius mundi effumat.

IX.

Quomodo est possibile quod una pars unius medicinæ convertit mille millia argenti vivi, vel corporis imperfecti in corpus solificum. ℞. Tota materia hujus medicinæ per artificium & subtile ingenium conversa est in spiritualem materiam vel substantiam, quæ apud Philosophos quinta essentia vocatur. Quoniam in omnibus modis habet naturam informantis & formæ perficientis. Et ideo forma habet naturam informantem ad infinitum. Sed debita materia approximetur, propter hoc si esset possibile quod tota aqua maris esset argentum vivum mundum calefactum vel corpus imperfectum fusum, & si parum hujus medicinæ desuper ponetur tota illa aqua convertetur in Solem vel Lunam. Quia una pars convertit aliam & sic in infinitum, & fieret ita citò sicut fit in luminatione. Quia ex quo materia debitam habet aptitudinem recipiendi formam, & illa medicina quæ est similiter forma firmissima habet naturam formandi. Ideo necesse est ex quo debitè sunt approximatæ & non impediunt agentia, quod immediatè sequatur effectus eorum & actio debita.

X.

Quomodo est intelligendum id verbum antiquorum Philosophorum. Unus est lapis, una medicina, unum vas, unum regimen ad album & rubeum successivè faciendum. ℞. Dictum est superius, natura metallorum est una, id est, arg. vivum inspissatum calore sulphureo in ventre terræ, ergo oportet quod non differant Metalla nisi penes medium. Aliàs dictum est etiam, quod oportet reducere ea corpora ad metallorum sperma, cujus medium est vel mediante arg. vivo, id est, ad reducendum scilicet corpora in sperma, id est, argentum vivum. Ex quo ergo omnia pigmentalia hujus operis reducuntur ad argentum vivum: & cuncta sunt argentum vivum tam ad album quàm ad rubeum secundum majorem vel minorem decoctionem. Ideo dicitur lapis unus secundum argentum vivum, quod est sperma Metallorum indifferens, & una medicina, scilicet dealbata vel rubificata. Unum vas putrefactionis, & successivè, & unum vas distillationis, & unum incinerationis, unum regimen fixionis ad album & rubeum.

XI.

Quomodo intelligendum est illud verbum Meteororum Aristotelis: Vis Sulphuris non urentis congelat argentum vivum, & convertit id in argentum verum. Et vis Sulphuris non urentis rubei congelat argentum vivum, & convertit ipsum in aurum. Et illud est maximum quod Alchymistæ possunt acquirere hoc in hac vita. ℞. Quod in libro Meteororum Aristotelis ostendit in dictis suis Artis possibilitatem Alchymiæ & ejus veritatem, & ponit cõversionem ultimam in arte dicens: Sulphur album est medicina perfecta ad album. Sulphur verò rubeum est medicina perfecta ad rubeum. Et cùm Alchymistæ habent albedinem perfectam & rubedinem, habent Lapidem perfectum ad utrumque. Et est illud maximum quod ipsi possunt hoc arte sua acquirere. Et si quis dixerit, Si hoc verum est, Quare dixit Aristoteles: Gaudeant Alchymistæ, quia una species Metallorum in aliam transmutari non potest: possunt immundicias plumbi veri abstergere ut videatur Aurum, tamen semper plumbum manet, ut in ejus origine? ℞. Iis in verbis ostendit Aristoteles duplicem operationis modum Alchymiæ, unum sophisticum, & alterum verum. Modus sophisticus est falsus, illorum qui operantur secundum quod dictum est in principio nostræ operationis, qui non reducunt pigmentalia ad sperma eorum. Et ad tales loquitur Aristoteles, & dicit, quod una species metalli per nullam convertitur in aliam, falso & sophistico modo, ut ipse exemplificat in litera ad illos Sophistas. Qui autem operantur secundum nostrum modum Philosophicum, loquitur in eo quod concluditur in fine. Tria reducantur ad materiam primam. Quod dicit unam speciem Metallorum transmutari non posse secundum modum sophisticum, non bene permutantur & multiplicantur semina eorum sicut res cæteræ. Et ideo per artificium omnia pigmentalia nostræ operationis reducuntur veraciter in primam materiam, id est, argentum vivum. Ideo opera nostra possibilia, vera & certa, & per nos solum investigata.

XII.

Quomodo est intelligendum illud dictum, quod dicit Pythagoras: Omnis qui argentum non coagulat in album, & argento nostro non conjungit, nullam sibi viam aliam eligat ad albedinem operandam, & non fatiget corpus suum ad ea ad quæ pervenire non potest. ℞. Dictum est, quod aqua non coagulat nisi corpus, cum quo conjungitur, dissolvatur, nec corpus dissolvitur nisi aqua coaguletur, hoc fit dissolutio corporis perfecti, vel semiperfecti. Tunc est aqua permanens. Et ista non conjungitur auro, nisi aurum est dissolutum & incineratum cum aqua sua fixa de qua

creatum & compoſitum eſt. Et tunc Philoſophi illud aurum non vulgi, ſed ſuum dixerunt, vel noſtrum. Item de argento dicunt ſimiliter. Et ſi ergo argentum vivum congeletur cum corpore ut dictum eſt in noſtro opere: Et per eum & cum eo fixetur & congeletur: Et conjungatur cum argento noſtro albo ad album: Et cum auro noſtro ut dictum eſt in operatione noſtra ad rubeum: Illam viam perfectam eligerimus ad album & rubeum, neque poſſemus venire ad perfectionem hujus artis. Multæ aliæ viæ quæſtionum poſſent fieri de prædictis, quæ jam per prædicta faciliter poſſunt ſolvi, ſi fueris prædictis credulus. Etiam perfectiſſimus in arte inveſtigator eris. Et ſic finiunt Quæſtiones, eſſentiales & accidentales, Domino Papæ, Bonifacio Octavo, fideliter declarare Arcana totius Artis benedictæ.

Finis Quæſtionum Accidentalium.

Arnaldi De Villa Nova Semita Semitæ,

Et eſt Tractatulus brevis & compendioſus, ſimul & utilis intelligenti, in quo principaliter pro parte prodit vegetabilem Lapidem ab aliis penitus abſconditum, ſubtiliter inuenti.

Reverende Pater, pias aures inclina, & intellige quòd Mercurius eſt ſperma omnium metallorum decoctum, & imperfectum in ventre terræ calore ſulphureo, & ſecundùm varietatem ſulphuream ipſius, metalla in terra generantur diverſa. Et ſic ipſorum primordialis materia eſt una, & naturaliter ſola actione majori vel minori, adurente vel non adurente diverſimodè operatur. & in hoc omnes Philoſophi concordant. Et hoc demonſtrabo taliter: Quia certum eſt, quòd omnis res de eo & ex eo eſt in quod reſolvitur, & eſt verum exemplum & conſimile. Si glacies commutatur in aquam mediante calore, ergo prius fuit aqua: ſed omnia metalla convertuntur in Mercurium, ergo iſte Mercurius eſt prima materia eorum. Modum autem convertendi infrà docebo. Illo habito, ſolvitur opinio eorum, qui dicunt ſpecies metallorum converti non poſſe: & & hoc verum eſt, ut ipſi dicunt, niſi in materiam primam reducantur. Reductio autem ipſorum eſt facilis in primam materiam, ut oſtendam: & tranſmutatio eſt facilis & poſſibilis. Nam omne creſcens vel naſcens multiplicatur in ſua ſpecie, ut homines, arbores, grana & hujuſmodi. Nam ex uno grano mille generantur. Ergo poſſibile eſt augeri res uſque in infinitum. Ex prædictis apparet ſubtiliter intuenti, Philoſophos in ſuis libris dixiſſe obſcura, ſed vera. Dixerunt enim quòd lapis noſter eſt ex corpore & anima & ſpiritu, & verum dicunt. Nam corpus imperfectum comparaverunt corpori, propter hoc quod eſt infirmum, & aquam ſpiritum dixerunt, & verè ſpiritus eſt: quia corpori imperfecto & per ſe mortuo vitam tribuit, quam prius non habebat, & in meliorem formam producit. Fermentum animam dixerunt, quod ſicut infrà dicetur corpori imperfecto ſimiliter vitam tribuit, & in ſui naturam elevat & convertit. Philoſophus dicit: Converte naturas, & quod quæris invenies; & hoc eſt verum: Nam in noſtro magiſterio primò facimus de groſſo gracile: id eſt, de corpore ſpiritum, & poſtmodum de humido ſiccum: id eſt, de aqua terram & ſic naturas convertimus, & facimus ſuperius inferius, quod fit quando ſpiritus efficitur corpus, & econverſò corpus fit ſpiritus. Item lapis noſter, ut dicunt Philoſophi, fit ex una re, & in uno vaſe, & verum dicunt. Nam totum magiſterium fit cum aqua noſtra, & ex ea. Nam ipſa corpora ſolvit, ut dictum eſt, non tamen ea ſolutione prout credunt ignari, ſcilicet quod convertatur in aquam nubis. Et ipſa eadem calcinat, & in terram reducit. Ipſa eadem corpora in cinerem transformat, & ea incinerat, & dealbat, & mundificat juxta verbum Morienis, qui ait: Quod Azoth & ignis Latonem mundificant: id eſt, abluunt, & ejus obſcuritatem penitus ab eo eripiunt. Laton enim eſt corpus immundum, Azoth argentum vivum. Et corpora diverſa conjungit, præparata modo prædicto, conjunctione tali, quod nec ignis nec actus poteſt ea ſeparare ab igneitatis combuſtione: & eorum unum irruendo in aliud mutatio ſubtiliat corpora non ſubtiliatione vulgari, ut idiotæ ſive inexperti credentes ſic, quòd ſublimare ſit ſuperiùs aſcendere. Et ideo accipiunt corpora calcinata, & admiſcent ſpiritibus ſublimatis, ſcilicet Mercurio, arſenico & ſulphure, &c. & faciunt per ignem fortem ſublimare: id eſt, corpora aſcendere cum ſpiritibus, & dicunt quòd corpora tunc ſunt ſublimata. Et ſunt deluſi, quia adhuc inveniunt corpora immunda cum ſpiritibus plus quàm fuiſſent priùs. Ideo noſtrum ſublimare non eſt ſurſum aſcendere: ſed ſublimare Philoſophorum eſt de re viliſſima & corrupta (à terra) alteram magis puram: cum dicimus, ille eſt ſublimatus in Epiſcopum: id eſt, in dignioris ſtatu exaltatus ſeu poſitus. Sic etiam dicimus corpora in aliam: id eſt, meliorem naturam converſam, ſeu exaltatam: unde ſublimare idem eſt quod ſubtiliare, quod totum facit aqua noſtra. Et ſic intelligenda eſt ſublimatio Philoſophica, in qua multi ſunt decepti. Aqua etiam noſtra mortificat, illuminat, mundificat, & vivificat, & apparere facit colores nigros primò in mortificatione corporis, dum in terram convertitur, & poſtmodum apparent multi colores, & varii ante dealbationem, quorum omnium finis albedo. In commixtione verò aquæ & corporis fermenti: id eſt, præparatione corporis infiniti colores apparent. Et ſic apparet quod noſtrum magiſterium eſt ex uno, & cum uno fit, & eſt ex quatuor, & ex tribus unum.

Unde ſcias, Pater, quòd Philoſophi multiplicaverunt nomina mixti lapidis, & hoc ut abſconderent eum. Et dixerunt lapidem mixtum corporeum & ſpiritualem, & non ſunt mentiti, prout ſapiens intelligere poteſt. Nam ibi eſt corpus & ſpiritus, & corpus tantum eſt ſpirituale in ſolutione, & ſpiritus factus eſt, & corporale eſt in conjunctione ſpiritus cum corpore. Et fermentum quidam vocant, quidam vocant ipſum æs.

Morienes dicit: Quia ſcientia noſtri ingenii: id eſt, magiſterii aſſimilatur ordini in creatione hominis. Nam primò fit coitus, ſecundò conceptio, tertiò imprægnatio, quartum eſt ortus, quintum eſt nutrimentum vel nutritio.

Hæc verba faciam te intelligere: quoniam ſperma noſtrum quod eſt argentum vivum, cum terræ conjungitur, ſcil. corpori imperfecto, quæ terra mater dicitur, quia terra eſt mater omnium elementorum: tunc coitus dicitur. Cumque terra aliquantulum

tulum secum retinet argentum vivum, tunc dicitur conceptio, & cùm masculus agit in fœminam: id est, argentum vivum in terram. Et hoc est quod Philosophi dixerunt, quòd magisterium nostrum non est nisi masculus & fœmina, & ipsorum conjunctio. Adveniente ergo aqua: id est, argento vivo in terra, crescit & augmentatur: quia terra dealbatur, & tunc imprægnatio vocatur. Deinde fermentum coagulatur: id est, conjungitur cum corpore imperfecto præparato, ut dictum est, quousque fiat unum colore & aspectu, & tunc dicitur ortus: quia tunc natus est lapis noster qui vocatur Rex à Philosophis, ut dicitur in Turba Philosophorum: Honorate regem nostrum ab igne venientem, diademate aureo coronatum, & inclinate ei usque ad perfectam perfectionis ætatem: scilicet ipsum alimentando quousque ad perfectam perveniat ætatem, cujus pater est Sol, mater verò Luna, Luna pro corpore imperfecto accipiatur, Sol verò pro corpore perfecto.

Quintò & ultimò sequitur alimentum, quia quantò magis nutritur, tantò magis augmentatur: Nutritur autem lacte suo: id est, spermate, ex quo fuit ab initio. Imbibitur autem argentum vivum, sæpe & sæpius, quousque duas partes bibat vel quod sufficiat.

Seguitur nunc Practica.

Descendamus nunc ad practicam sicut priùs dixi. Debent autem corpora ad primam materiam deduci, adhoc, ut fiat transmutatio.

Et ultimò ostendam tibi præmissorum rationem: Rogo ergo te, fili, ut practicam meam non vilipendas, quia in ea latet totum magisterium nostrum, sicut fide oculata vidi. Accipe precii libram unam, & sit limatura munda, & misce cum quatuor libris aquæ nostræ mundatæ, terendo, & incorporando cum sale modico & aceto, quousque totum fiat amalgama. Precio autem optimè amalgamato pone ipsum in multam quantitatem aquæ vitæ: id est, Mercurii: & pone totum in urinali supra ignem cineris nostri: id est, purgati cineris: & fac inferius lentissimum ignem per diem naturalem, tunc permitte infrigidari & quando invenies infrigidatum, cola aquam trans cum omnibus quæ in ea sunt per pannum lineum; donec pertranseat per pannum illud, quod de corpore fuerit resolutum: pars verò quæ non poterit exire, ponatur ad partem.

Deinde recipe illud quod remansit in panno, & iterum cum nova aqua benedicta reponas ad ignem cum vase prædicto per diem naturalem, postea cola ut priùs. Et sic toties reitera, donec totum corpus in aquam convertatur: id est, in primam materiam, quæ est aqua nostra. Quo facto, totam illam aquam pone in vase vitreo, & decoque super ignem lentum, quousque videas in superficie ejus nigredinem apparere: quam remove subtiliter quotidie colligendo, donec totum corpus solvatur in terram meram, & toties quoties melius potes, & iterum coquendo & nigredinem tollendo quousque nil appareat nigredinis, & aqua, id est, argentum vivum appareat clara, tunc habes aquam & terram.

Deinde accipe totam terram istam: id est, nigredinem quam collegisti, & pone ipsam in vase vitreo, & superfunde de aqua prædicta benedicta, donec nihil emineat, & natet super eam, & coque eam tamdiu levi igne per decem dies, tere, & iterum impone aquam, & coque: sic deinceps: id est, terram sic coagulatam & cum aqua inspissatam sine appositione alterius aquæ decoquens forti igne, ut suprà, quousque terra fiat alba & clara. Qua mundificata & dealbata, ut dictum est, aqua vitæ quæ cum dicta terra coagulata mediante calore levi, inspissata fuerit, decoque forti igne in cucurbita forti alembico superposito, donec quicquid aquæ ibi fuerit, descendat per alembicum, & terra remaneat calcinata. Tunc accipe de fermento quocunque quartam sui partem, puta, si libra fuerit corporis imperfecti scilicet precii, accipias ex fermento scilicet Sole vel Luna libras tres. Et illud fermentum sit solutum, & terra factum, sicut corpus imperfectum, & eodem modo & ordine præparatum insimul conjunge, & imbibe cum aqua benedicta prædicta: id est, cum aqua quæ ascendit alembicum, & coque per tres dies aut plures: tunc iterum aqua sua imbibe, & coque ut priùs, & hoc toties reitera quousque hæc duo corpora unum remaneant: id est, in unum reducantur. Quod perpendes, color non variatur in eis. Deinde super eas fundendo aquam prædictam per se paulatim, quousque dum bibat quantum possit bibere, semper dando eis novam aquam. Nam in ista conjunctione corporum spiritus miscetur cum eis, & fit unum cum eis, & convertitur in naturam ipsorum, corporibus prædictis mundatis: Et sic germen convertitur cum corporibus prædictis moderatis vel mundatis, quod ante non poterant propter eorum immunditiam & grossitiem: & in eis crescit & suum augmentat, ut in ea multiplicetur multitudine magna.

Recapitulatio omnium prædictorum

Nunc revertar, Pater Reverende, ad prius dicta singulariter applicando super perfectiones Philosophorum antiquorum, & verba eorum obscura importabilia & abscondita. Si verò judices, verba Philosophorum intelliges, & ita vera verba protulisse affirmes.

Primum verbum nostri magisterii sive operis est argenti vivi reductio (corporis) id est, cupri, vel alii metalli, in argentum vivum reductio. Et istud est quod Philosophi vocant Solutionem, quæ est fundamentum artis, ut dicit Franciscus: Nisi corpora solveritis, in vanum laboratis. De qua solutione loquitur Parmenides in Turba. Quam solutionem audientes ignari putant aquam nubis esse. Si autem nostros libros legissent, & intellexissent, scirent utique aquam esse permanentem, absque suo corpore, cum quo conjuncta, facta est unum permanens. Non est ergo solutio Philosophorum aqua nubis, sed corporum in aquam liquidam conversio, ex quo primo procreata fuerunt; scilicet in argentum vivum; Sicut glacies convertitur in aquam, ex qua prius fuit. Ecce per Dei gratiam jam habes primum elementum, quod est aqua, & ipsius scilicet corporis in primam materiam reductio. Secundum verbum: Quod fit terra: & hoc est quod Philosophi dixerunt: Egressio terræ aqua concurrit. Sic habes secundum elementum quod est terra.

Tertium verbum est terræ mundificatio, de qua dicit Morienes: Hæc aqua cum terra putrefit & mundificatur, &c. Philosophus: Junge siccum humido. Siccum namque est terra, humidum verò aqua. Ecce jam habes aquam per se, & terram per se, & terram dealbatam cum aqua.

Quartum verbum est: Quòd aqua possit evaporare, sublimatione sive ascensione efficitur ipsa terra aërea, quæ priùs erat inspissata cum terra & coagulata, & sic habes terram, aquam & aëtem. Hoc est quod Philosophus dixit in libro Turbæ:

Ipſum dealbare, & cito igne ſublimare, quouſque ex eo exeat ſpiritus: id eſt, argentum vivum, quod in eo invenies, qui dicitur avis Hermetis, & pullus Hermogenis, & remanet terra calcinata in fundo quæ eſt vis ignea: id eſt, igneæ naturæ. Et ſic habes quatuor elementa: hoc eſt, terra ignis, & illa terra calcinata quæ eſt pulvis, de quo dicit Morienes Cinerem qui in fundo eſt, non vilipendas, quia eſt in inferiori loco, & eſt terra corporis, quia eſt ſperma tuum: in eo enim eſt diadema ordinis.

Poſtmodum cum prædicta terra fermentum pone, quod ſcilicet fermentum Philoſophi animam vocant. Et hoc ideo, quia ſicut corpus humanum ſine anima nil valet, imò eſt ſicut terra mortua: ſic & corpus immundum abſque ejus fermento: id eſt, ejus anima nil valet.

Nam fermentum corpus imperfectum præparat, & ad naturam ſuam convertit, ut dictum eſt. Et non eſt fermentum niſi Sol & Luna, tantum iſtis appropriatis planetis conſpirans in naturali ſimilitudine. Et hoc eſt quod Morienus dicit: Niſi corpus immundum mundaveris ac dealbaveris, & in eo animam mittas, nil in magiſterio direxiſti. Et tunc ſpiritus conjungitur, & gaudet cum eis, & figitur. Quia alteratur aqua, & omnia groſſa ſubtilia fiunt.

Et hoc eſt quod dicit Aſtanus in Turba, ſpiritus non conjungitur corporibus; donec à ſuis immunditiis perfectè fuerint denudata. Et in hac conjunctione maxima apparent miracula, quia omnes colores qui in mundo excogitari poſſunt, apparent, & corpus imperfectum colore fermenti, firmo mediante fermento coloratur, ut dicit Barſen. O pie Pater, augeat Deus in te ſpiritum intellectus, ut quod dicturus ſum mente perpendas. Elementa enim non generantur niſi ex proprio ſpermate: ſperma autem eſt augmentum vivum. Sicut patet in generatione hominis, quia non eſt alicujus rei commixtio, niſi per ſperma, & in vegetabilibus niſi ſemen, quantum ad generationem & augmentum ipſorum. Alii ſubtilius intuentes ſublimant mercurium, & figunt, & conjungunt cum corporibus, & tamen nihil inveniunt. Cauſa erroris eſt: Non ſemen non poteſt permutari, nec prout eſt vel fuit, nec proficit niſi projiciatur in matricem mulieris. Sic Mechardus Philoſophus dicit: Niſi projiciatur lapis in matricem mulieris, ut ipſum nutriat, non proficit. O mi Pater, ſic habes ad votum deſcriptionem Lapidis Philoſophorum. Laus Deo.

Explicit Tractatulus Arnaldi de Villa Nova, Papæ Benedicto undecimo tranſmiſſus.

Incipit Testamentum *Magiſtri* Arnaldi de Villa Nova.

EGo Arnaldus de Villa nova, incipio iſtum Librum in nomine Jeſu Chriſti, quia breviter volo declarare veritatem de Lapide Philoſophorum & dicere quid ſit & quantum valet, & quot modis fit, & pro tanto, quia nominabo nomen ſuum amore veſtri, quia eſtis Domini mei, & nunquam aliquis Philoſophus voluit talia facere in libris ſuis: Idcirco ſupplico vos, quod librum iſtum taliter cuſtodiatis, quòd non publicetis in regno alieno, quia, pro certo illi, qui quæſierunt iſtam ſcientiam, & non invenire potuerunt, habuerunt artem pro nihilo, & ita bene ille qui non eſſet dignus, ſicut ille qui de hoc dignus eſſet, & pro tanto domini ſupplico vos & omnes alios qui iſtum librum videbunt, quod ſit aliquid malè ſcriptum, vel impropriè loquutum, quòd de hoc non ſim aliquo modo reprehenſus ſimplicitatis meæ & ignorantiæ, quia pro dubio quando feci iſtum librum, ergo pro tunc in lecto meo eram graviter infirmus, ſic pro tanto dicebatur, quod non poſſem evadere de tali infirmitate, iſtum librum feci valde feſtinanter propter vos, & in nomine mei Teſtamenti & pro tanto voco iſtum librum novum Teſtamentum. Adhuc eſt alia ratio, quia de jure debet vocari novum teſtamentum, quia ſicut veritas noſtræ ſalutis erat ſub umbra cooperta, & ſub antiquo teſtamento ſeu in veteri & fuit diſcooperta, & aliter declarata in novo Teſtamento dicitur illud, quod Philoſophi cælaverunt & cooperuerunt in libris ſuis antiquis declarabo in iſto libro novo.

Incipit Liber Novi Teſtamenti *& dividitur in tres Partes principales.*

Prima pars loquitur de Lapide Philoſophorum quem nobis Deus dedit gratis.

Secunda pars loquitur de Lapide Philoſophorum, qui ſit artificialiter.

Tertia pars loquitur, & oſtendit Tranſmutationem de duobus metallis magis vilibus & infirmis in duo alia metalla nobiliſſima, videlicet de Saturno in Solem, & de Jove in Lunam. Dominus noſter omnipotens cui ſit gloria & honor, dedit nobis duos lapides, unum pro albo, alium pro rubeo ita abundanter quòd cibi veſtri nullius ſint valoris, quia quilibet eos poteſt accipere ad libitum voluntatis ſine aliqua conditione. Et pro tanto dicit unus Philoſophus qui dicitur Alchirindus, non aperiam burſam veſtram pro majoribus expenſis in iſta ſcientia, quia ille qui dat omnia bona abſque diminutione ſine theſauro, præparabit nobis lapidem, qui complebit deſiderium veſtrum, ſi vos ſcitis illum præparare: Nam iſte lapis albus vel rubeus eſt talis, quia tenet ipſe medium inter metallum & mercurium, Mercurius vivus non aliquo modo poteſt manere in metallo ſine medio, ſicut anima nulla poteſt manere in corpore hominis abſque ſpiritu, qui ſit medium inter corpus & animam. Et dicam vobis quomodo quando puer eſt generatus in ventre matris, ibi ſtat 40. diebus antequam ſit formatus de omnibus membris, & de omnibus quatuor elementis: & eſt illa materia ita nobilis, quòd hæc eſt ſimilis de natura cœli propter ſuam nobilitatem, ſeu ſubſtantiam & ſubtilitatem, quam in ſe continet, & iſtas res nominant ſpiritus, quia ita dico quòd ſpiritus eſt firmatus pro tanto, quia eſt iſta ſubtilis & ſpiritualis anima citò deſcendit infra per præceptum Dei & voluntatem ipſius Dei: & ſic ſpiritus diffunditur per totum corpus propter naturam quam ipſe habet, & tenet de corpore, & ſicut de tanta eſt anima de corpore, nec de eo ſeparabitur, donec ſpiritus primò exeat de corpore, & ſicut corpus creſcit & ingroſſat paulatim, ſic creſcit omnis ſpiritus infra per omnia membra & ingroſſatur.

Sic eſt nec plus nec minus de iſto lapide albo vel rubeo, quia ipſe eſt medium, & ſpiritus inter mercurium vivum & metallum, & remanet in perpetuum, atque tenet ſuam menſuram & defectum, & qui ſcit illum aqua rectificare, atque ſublimare, & perfectè in omnibus præparare, cadit una pars de

eo super tantum quod marca una de puro sole, non deberet constare ultra quatuor solidos.

Notum sit omnibus qui legitis istum Librum, quòd iste Lapis benedictus vocatur minoris id est mercurium sulphuris, de istis duabus partibus dicit Morienus Philosophus, quod si duo lapides, quibus Deus dedit talem benedictionem, & virtutem, præparetis, & taliter quod sint sicut butyrum, & eis detis tantum de mercurio quòd appareat sicut venenum, & sic removebit nigredinem de plumbo, atque rubedinem de cupro & dabit sibi perpetuum colorem. Vera præparatio istius lapidis talis est, quòd debet cognosci de qua linea sive de quo genere sit, & postea debes emundare per multas ablutiones & fortiter mundificare, & postea unire & jungere mercurio sublimato sex vicibus, faciendo sublimationem in tantum quòd totum sit una res atque ad unam rem pervenient: & sic postea sequuntur putrefactiones & dissolutiones cum mercurio vivo in tantum quod liquefiat sicut cera, & tunc est lapis rectificatus.

Secunda Pars Libri.

Hic incipit secunda pars hujus libri, qui loquitur de lapide Philosophorum qui factus est, & fieri potest per artem sive artificialiter pro tanto, quia plures non cognoscunt illum lapidem quem nobis Deus dedit gratis, propter hoc inveniuntur multi de hac scientia, qui ad finem quod possint istum lapidem habere, ibi faciunt maximas expensas, & nesciunt, immò ignorant, quod antequam de tali lapide physico possint medicinam facere, quæ oportet sit semper de natura narrata & quando operati sunt per longum tempus, quo lapis eorum est de tali natura, tunc ipsi credunt se totum adimplevisse, & postea quando ipsi faciunt suas projectiones, nullam pœnitus perfectionem inveniunt, causam quare, quia ibi annectant ubi deberent incipere operari communiter, quando circa lapidem suum deberent putrefactionem facere, sive quando putrefactus esset, deberent sublimare eum, & mercurium ei adjungere, atque omnes operationes facere, quas diximus in primo libro de lapide naturali, taliter quòd liquefiat, & se conjungat, & tunc est medicina: nec pro tunc vocatur elixir, adhuc est una alia ratio, quare ipsi deficiunt de suo proposito & desiderio, quia quando ipsi fecerunt suum lapidem, ipsi laborant ut possint eum tingere sic quo nihil, est. n. lene, quia perdidit suam humiditatem, per quam debeat se jungere & unire, & de hoc dicit unus Philosophus, spiritum minus fixum nullo modo tenebunt, & aliqui boni fecerunt, quamdiu tenuerunt, nec ipsi advertunt de lapide Philosophorum, quem nobis Deus dedit, qui pro parte est fixus, ille nullo modo teneret naturam vivi mercurii & metalli: quia in natura non fixa tingit se, & vincit mercurium vivum, & quando junctus est, sic junctus incorporat se cum natura quæ fixa est, & per lavationes & deprehensiones fixat se unus cum alio perfectè, retinendo humiditatem suam naturalem: sic non perdit ingressionem quot modis fit unio artificialiter, diversi homines separant diversimodè de lapide Philosophorum, & volunt ipsi facere artificialiter tali modo: quia quidem accipiunt vivum mercurium, & illum tingunt & ponunt cum limatura cupri, & tantum in simul teruntur in mortario, & abluunt omnes immunditias, & tot vicibus faciunt sic, quòd totaliter mundantur ab immunditiis. Quæ autem fecerunt ibi, & taliter præparatur illud quod possit transire per unum pannum lineum, & oportet facere ascensiones paulatim per intervalla, & cum moderatione, & postea jungunt atque uniunt purum solem tali modo ut prius dictum est, videlicet decoquendo super ignem, & iterando atque movendo fortiter in tantum, quòd totum possit transire per pannum lineum, & faciunt longas & prolixas decoctiones in tantum quòd totus fit lapis, & quando totum est lapis, ita sunt propè veritatem, sicut in principio fuerunt, ratio & causa patet esse talis, quòd proportiones calidæ, frigidæ, siccæ & humidæ, non fuerunt custoditæ in principio pro qua cum minus sit de uno, parum de reliquo: & quia ibi minus est de mercurio vivo non fixo qui retinuit se & jungit cum metallis in ardore solis propter longam decoctionem aliquando facit aliqua metalla ad valorem ejus pervenire, & pro tanto dicit Philosophus, si in compositione lapidis fuerit major pars spiritus non fixi vel de fixo, retinet secum meliorem partem de non fixo, sed qui vellet deducere istam artem ad veritatem, & ad claritatem, oportet facere tantum per subtiliatem quod non sit in ista compositione, nisi tantum de mercurio quantum de duobus aliis corporibus, & postea tenere in lento igne in tantum quòd totus mercurius sit fortificatus insimul, & quòd lapis sit in parte fixus & in parte non fixus, & tunc esset majoris facti, & tunc oportet facere subtiliationem de mercurio tali modo, sicut dictum est in primo libro de lapide Philosophorum sulphuris sublimati, & primum ponere istud in vase præcipitationis, & facias tot vicibus sublimare unum cum alio, quòd ambo remaneant in fundo, & quod totaliter non possit descendere: & tunc illa materia certitudinaliter vocata est unctionis bonæ & optimæ: sed aliqui restant ibi, ubi deberent facere operationes quæ in primo libro nominantur, & pro tanto non veniunt ad veritatem, adhuc aliqui incipiunt mercurium vivum purum tali modo, quo ipsi ponunt libram unam in vase vitri, seu in vase vitreato, & postea ponunt eum in fimo equino ad putrefactionem, & ad digerendum, & ibi ponunt eum in vase, quod vocatur alembicus, & est vas vitreum de una petia, & ponunt illum in balneo Mariæ, quæ fuit mulier Philosophica, quæ invenit balneum, illius fundus est vilis, in quo fundo est aqua, & infra aquam ponunt illud vas, scil. alembicum vitreum bene filtratum inferius de filtro taliter, quòd nulla violentia aquæ possit devenire, nec attingere usque ad vas vitreum: & postea fac ignem quòd vivus mercurius distilletur, sicut aqua rosata, & dimittat in fundo tres lib. materiæ, quæ quidem materia erat valde nigra, & tunc iterum dat sibi suam aquam, & sic iterum facias distillationem, & tot vicibus quòd terra illa deveniat ad albedinem. Et quando est talis dat sibi suam aquam in vase vitreo cum collo longo: & postea oportet facere illud in cinere super ignem tali modo, quod ibi stet sine ignis augmentatione & diminutione 40. dieb. Et in tempore illo mutatur in lapidem Philosophicum, & tunc postea oportet operari, ut prius dictum est.

Alii faciunt lapidem Philosophorum de arsenico sublimato, & de succo unius herbæ quæ vocatur virga auri: ista herba crescit juxta Romam, & habet unum folium longum figuratum ad modum petiosilli, & habet florem croceum & succum album, & conglutinant istam herbam cum arsenico, & congelant mercurium, & sic fit bona unico.

Aliqui intromittunt se ad faciendum lapidem Philosophorum de animali: Immò alii de capillis,

alii

alii de ſanguine, quidam de ovis, alii de teſtudinibus, & omnes iſti operationes tenent unum modum operandi, videlicet quòd deberent ſeparare elementa per alembicum, & rectificari per balneum Mariæ, & quod terra deveniat ad rubedinem per illam aquam, & poſtea jungere ignem cum oleo, & tunc unire & jungere totum ſimul in fimo equino, & congelatur in lento igne, & calefacere per 40. dies, ſicut dictum eſt, ut ſupra de mercurio puro, & poſtea ſubtiliare & cõjungere per aſcenſiones & deſcenſiones in tantum quòd intret & tranſmutet perfectè, adhuc eſt alia res de animali quam nullus Philoſophus voluit nominare: quia ſic dicunt & omnes inſimul concordant dicentes ſic, lapis noſter invenitur in omnibus locis mundi, & quælibet gens habent tam pauperes quàm divites, iſta res vocatur ſecundina. Illa res creſcit in quocunque puero in ventre matris ſuæ, & vocatur iſta res aliter, ſcilicet *arrierefaix* pro tanto, quia quando mulier habuit & peperit puerum adhuc non purgata nec liberata de ſua *arrierefaix*, iſta res valde mirabilis eſt, & vidimus & experti ſumus de ea magna mirabilia, unde verum eſt quod omnes operationes iſtæ nominatæ in iſto ſecundo libro ſunt de magnis expertis, & ita quilibet non poſtea taliter expenſas ſuſtinere, niſi ſit multum dives, & frequenter accidit propter unum defectum totum negotium deperditur, prout apparet quotidie in illis qui hodie ſe de tali opere intromittunt, & ratio hujus operationis eſt talis, quod tales operationes ſunt valde prolixæ & longæ, & nos ſumus ita fragiles quòd bene & rationabiliter incipimus factum noſtrum ſeu operationem noſtram uſque ad ſummum duorum menſium, vel trium, propter hoc, quia videtur nobis longum, & quaſi incertum dimittimus aliquando adimplere noſtrum factum & operationem noſtram, vel decoquimus negocia noſtra minus vel parum, aut ſumus negligentes in operando, in vigilando, vel in cuſtodiendo rem noſtram de exceſſibus quæ ibi poſſunt evenire, ſicut quando credimus totum adimpleviſſe, nos ſumus ita propè, ſicut prius in operatione, & pro tanto bonum eſt accipere illud, quod Deus dedit nobis gratis, ſicut dictum eſt in primo libro, & eſt tunc quod ſcientia de animali, vel vegetabili ſit in ſcientia herbarum. Dominus noſter dedit cuilibet lapidem Philoſophorum, & non tantum lapidem Philoſophorum, ſed medicinam perfectam, quæ magnam virtutem habet tranſmutandi metallum in ſolem & lunam ſine aliqua præparatione, ſed tales non inveniunt, niſi cum magno labore & niſi valde tarde, & à fortuna magna Lapis Philoſophorum animalis eſt baſiliſcus.

Iſte eſt vermis qui generatus eſt per putrefactionem, qui occidit homines ex ſuo viſu, & quando ipſe mortuus & combuſtus, & in pulverem redactus, tunc pulvis iſtius vermis habet virtutem tranſmutandi Lunam, Venerem, Saturnum, & Jovem in purum atque optimum Solem, & non eſt truffa, quia experientiam habemus.

Iſte baſiliſcus poteſt fieri per artem ſine magnis expenſis, ſed nos diximus hoc præparare propter periculum ſui viſus. Lapis Philoſophorum vegetabilis, quia eſt de herba quæ eſt medicinalis ad iſtud opus eſt una herba, quæ vocatur lunaria, & eſt una alia quæ vocatur ſaponaria, & tertia pompia maris. Iſtæ tres herbæ junguntur ſimul, & de eis faciatis ſuccum, quia ſuccus talis convertit, & transformat mercurium vivum in Solem purum pro ut multi ſunt experti, ſed iſtud adhuc non pervenit ad notitiam noſtram, & pro rato nos dimittimus hic ſtare, nec de eo intendimus plus loqui, quod non ſumus id experti.

Aliæ operationes ſunt quæ à multis immò ab omnibus hominibus hodierna die cupiuntur & deſiderantur, quia ſunt breves, & in pauco tempore & brevi ſpatio poteſt fieri, videlicet in uno menſe, vel in ſex annis, & ſunt operationes quæ nominantur multiplicationes, ſicut eſt fixatio cinaprii in lunam candidam prout aliquis practicus facit in lunam & ſolem, & eſt etiam amalgamatis quilibet diverſi, & omnes operationes quæ vocantur breves ſunt ita longæ & prolixæ, quod in nulla efficacia breviter experitur, nec invenitur aliqua veritas: & cauſa eſt pro tanto, quia mercurius non poteſt ibi manere, ſed in corporibus illis ſine lapide, de quo loquuti ſupra fuimus, ſcilicet in primo libro, aut ſine ſuo ſimili artificialiter facto, quia eſt medium inter vivum mercurium & metallum, ſicut prædiximus frequenter ſupra, quia propter defectum illius medii perdunt ſuas omnes operationes. Unde ſi haberent notitiam iſtius medii, omnes operationes eorum præpararent ſine magnis expenſis, & pro tanto dicit Philoſophus, iſta ſcientia non eſt aliud, niſi opus mulierum & ludus puerorum. Et iſtud ſufficit ad præſens quod dictum eſt de Lapide Philoſophorum qui fit artificialiter. Et ſic finitur ſecundus Liber de Lapide Philoſophorum artificialiter.

Tertia Pars Libri.

Incipit tertius liber & ultimus, qui loquitur, de tranſmutatione duorum metallorum infirmorum & viliſſimorum in duob. aliis ſubtiliſſimis; ſecretiſſimè & ſubtiliter valdè loquuti ſunt Philoſophi ſapientes in ſuis libris quando invenerunt notitiam, ſcientiam, & experientiam de duobus metallis magis infirmis, & vilibus in duobus aliis nobiliſſimis, & ſubtiliſſimis, maximè de metallo plus infirmo, quod tranſubſtantiatur & transmutatur in nobiliſſimum, videlicet de Saturno, quia eſt magis infirmus & viliſſimus inter planetas omnes totius cœli, & etiam inter omnia metalla terræ vilior tranſubſtantiatur in Solem purum. In hoc enim accipiunt Jovem, qui ſequitur Saturnum ſecundùm motum cœli: & per illam notitiam quam adinveniunt in iſtis, ipſi diſcooperuerunt, & declaraverunt iſtam artem omnibus illis, quibus Deus dedit iſtam ſcientiam: quia bene verum eſt, quòd Saturnus eſt Sol in natura ſua profundiſſima abſcondita, & Sol eſt Saturnus in ſua natura cooperta experta, ad hoc conveniunt & concordant omnes Philoſophi, pro tunc non deficit ſibi aliud niſi revertere illud quod eſt coopertum & abſconditum, ſeu infra obſcurum in ſuo corpore extra ponere, & è converſo quod eſt extra nobis afferens revertere ab initio: quia ſine dubio ad intra eſt purus ſol & bonus in omnibus approbatis, tali modo eſt de Jove in luna, & de hoc vidimus veritatem; tranſmutatio in eorum duo corpora, videlicet in ſolem & lunam, poteſt fieri duobus modis ſine magnis expenſis. Unus modus eſt, qui fit per potationem unius modi medicinæ, & eſt mirabilis: Alius modus fit de ipſis tantummodo cum adjutorio ſolis ipſius cœli ſine aliqua medicina de toto mundo, niſi cum modico fermento ſolis, & de aqua pura lunæ inſimul mixtæ & unitæ debent eſſe, & debent quieſcere in vaſe vitreo extra ad ſolem & ad lunam, videlicet cum duobus diebus & duabus noctibus, & tunc erunt ſol & luna reſidentia, immò ſicut parvi lapides, & poſtea debent poni in

fimo

simo equino, in tantum quòd iterum sit aqua, & postea debet fieri lapis absque igne, & sine aliquo calore, tunc materia est præparata, & laudetur Deus Jesus omnipotens, & pro certo bene debet laudari, qui dedit nobis scientiam transmutandi, & transsubstantiandi Saturnum in Solem, non tantummodo per medicinam, immò per se ipsam sine aliqua vel alia re extranea administratione, & de ista operatione loquitur Philosophus, & ait lapis est medicina una, cui nulla res extranea conjungitur, nisi quòd tantummodo immunditiæ removeantur seu deponantur, & ego declarabo istud opus ad laudem Dei, & in æternum sit Deus benedictus, qui cœlavit istud opus, ubi cœlare debuit, quia sine dubio de miraculo Dei est quòd sic operatur, & tali modo.

Recipe purum Saturnum & bonum, & ponas in cocleari vel in uno alio vase aut ferreo sive de alia materia forti, & liquefac, & projice desuper tantum de vivo mercurio, quantum est pondus suum, postea ponatur ad refrigerandum, postea tere in simul, & fac pulveres, & descende istud in lento igne, & panno in uno instrumento quod appellatur sextum barbatum. Istud est unum descensorium, in quo est una tegula perforata, per quam tegulam perforatam debet transire Saturnus per unum annum in uno vase, quod positum est in fine, & Saturnus remanebit magis albus. Et tunc debes separare vivum mercurium cum bono igne & forti: & tunc invenies Saturnum mundificatum ab omnibus immunditiis suis: & dum Saturnus est sic mundificatus debet adjungi seu uniri secum triginta tres partes de fermento puri & boni solis, & duplum de bona luna, quæ non sunt res extraneæ, hoc est, pro marco Saturni duos stirilingos, id est, denarios de puro sole. Et tali modo de luna duplicando, & debent misceri, & uniri cum vivo mercurio, ita subtiliter quòd possit transire per pannum bis vel ter duplicatum: & postea debes dare ei Saturnum paulatim modicum in simul super ignem, sic quòd vivus mercurius recedat, & venenum remaneat, & postea debes accipere eundem Saturnum & ponere intra unum vas terreum scilicet crucibulum, & istud ponatur in furno reverberationis, & dare sibi bonum ignem, & fortem, & movere cum virga ferrea tantum, quòd Saturnus sit ita rubeus & coloratus sicut rosa vel scarlatum. Postea pones eum ad refrigerandum & invenies Saturnum præparatum: & ita rubeum sicut rosa, & ita fortem contra ignem sicut Sol, Et si quis sciret istum colorem vertere in corpus permanens suum, esset verissimus Sol, & bonus, quia pro tunc esset Saturnus reversus illud quod ab initio extra & è contra.

Modo incipit Opus miraculosum: Tu debes accipere Saturnum, qui sic est reversus quòd erat extra ab intra, & è converso debet præsentari ad aërem in cujus ventre erat portatus per generationem Solis qui est pater suus, & tunc debet ablactari de liquore terræ, quæ est nutrix sua, & de istis perhibet testimonium Hermes pater Philosophorum dicens verum sine mendacio illud quod est superius, videtur etiam, sicut quod est inferius, & è contra, id quod videtur esse inferius, & appareret superius. Iterum qui vult miraculum impetrare de una sola re, de qua pater suus est sol, & luna mater sua, unicum in suo ventre portat, sua nutrix est terra. Ad hæc dicit, tunc ascendit de terra in cœlum, & descendit iterum in terra, & in se terra sit perforata accipiet fortitudinem superiorem, & inferiorem.

Ipse dicit verum, quia pullulat superius, & postea descendit inferius, & remanet in substantia solis, & quando est de substantia tali, tunc debet poni in digestione in fimo equino 40. diebus ad minus: & postea debet præsentari duabus noctibus Lunæ, quæ est mater suam tantum, quòd sit aqua clara, & iterum oportet purificari, vel præsentari Soli in tantum quòd sit Lapis completus pretiosus de puro Sole naturali.

Tertii Voluminis Librorum Alchimicorum

FINIS.

SVBSECTIO V.

Celebriores Raymundi Lullii *in* Alchymia *Tractatus profert.*

TESTAMENTUM RAYMUNDI LULLII, Doctissimi & Celeberrimi Philosophi, duobus Libris Universam Artem Chymicam complectens.

In Nomine D. N. I. C. incipit

TESTAMENTUM Magistri RAYMUNDI LULLII, *& primùm de* Theorica.

DEVS qui gloriosè omnipotens existis, propter te amare, diligere & recolere incipimus Artem præsentem, ut filiis veritatis patefiat, quod in parte occultatum fuit à nobis, & ut fiat illis complementum tam excellentissimæ nobilisque partis Philosophiæ, quam manifestabimus in hoc nostro abbreviato volumine, quæ est de transmutatione non solum perfecta, imò perfectissima, ad quam sophistæ nunquam pertingere possunt, & sine causa hanc inclytam scientiam diffamant: & ideo istum dictum Librum relinquimus filiis nostræ doctrinæ per modum Testamenti, quem dividimus in tres libros principales: scilicet theoricam, practicam, & codicillum, quæ tres partes distinguuntur in quatuor distinctiones, quæ sunt figuræ circulares, definitiones, mixtiones, & applicationes differentiales, pro secundo libro practicali & pro primo theoricali. Iste liber in quatuor distinctiones divisus est, & sunt primò figuræ circulares, definitiones, mixtiones, & applicationes differentes: secundo libro practicali, & primo libro theoricali. In nomine & reverentia potentiæ & sapientiæ cœlestis, tibi fili doctrinæ clarificare intendimus donum nobis datum, per processum necessarium, sine quo plenaria notitia illius rei, quæ est una, compositiva de illis entibus, quæ sunt materia-

materia naturæ quæ per dissolutiones rejecta sunt & reperiuntur, & in viis ordinariis non patiuntur videri. Et ob hoc quia dissolutiva doctrina perquisite anhelat, suspirat, & desiderat finem, & ad finem consummationis venire, tu æterna & suprema potestas illuminare velis Christianos & in te credentes, ad videndum & cognoscendum veritatem per antiquos fabricatam, sine qua hæc scientia, quæ melior est nobilioris partis Philosophiæ, integrari non possit, & ad nos introducendum, quia jam tempus est, ut definitiones illius ponere debeamus.

A REGE ARAGONUM.

Ad M. Raym. Lull. magnum in Philosophia & sacra Theologia Magistrum, mirandarum Artium & Scientiarum Authorem.

A PHILIPPO REGE FRANCORUM.

M. Raym. Lull. organi S. Spiritus, Doctorisque divinitus illustrati.

Doctrinam pandit Raymundus Lullius omnem,
Cui Deus infudit Scibile quicquid erat.

CAP. I.

De Definitionibus hujus Artis, & de Planctu Naturæ, & quid sit Theorica, & quid Practica.

ENtia realia stantia in suis primordialibus & succedentibus principiis dant notitiam & causam cognoscendi naturam corporum & mediorum per existentiates cognitas, quæ sunt causa veræ permutationis ipsorum & transmutationis, secundum ipsorum radices, in forma sphærica & specie permanente per dispositiones suas, inquantum sunt permutabiles & in toto transmutabiles in veram formam utilem perfectorum, essentiam conservando inquantum est possibile, ipsa ducere ad supremum & perfectum temperamentum. Sed in hoc libro cùm in disconuatione loquimur physica, mandatum habemus de magistra domina naturæ. Quia ipsa nobis manifestè apparuit, & sua opera nobis aperuit, & aperta ostendit Ideo flendo & gemendo contra nos clamando dixit. Heu! quid amodo faciam, quoniam instrumenta mea mihi auferre & tollere conantur, & secreta mea deprædari, & discooperire me volunt: Et illa quæ formavi per licentiam Dei & magistri mei, ad mortem volunt me expedire. Ille est dolor, quem domina dixit natura coram suo presbytero gemo atque lugeo: & vere tam profundè flebat, quod nullum erat cor iram videns, quin compassione moveretur, ac ipsius amore à fletu retardaretur. Nam tantus ejus corporis dolor erat quod usque ad spasmum ducta fuit propter dolorem & displicentiam, quam habebat propter opera bona, quæ in hoc mundo fecerat, adeo quòd ea dimittere volebat, nec ea amplius facere curabat, dum tamen licentiam à Deo magistro suo posset obtinere, cùm eum requisivisset super illo. Et ob hoc mandatum suscepimus, quod sua instrumenta habemus secretare, & custodire a manibus inimicorum suorum. Et hæc omnia in secundo libro declarabimus, si intrare poteris. Et ideo iste liber primus divisus est & partitus in quinque partes, & quinque divisiones, per generalia capitula.

Cum autem hujus partis Philosophiæ non possit tradi practica sine theorica præcedente, dicimus quod theorica est in parte illa, in qua dispositiones transmurabilium & mutabilium corporum ad temperamentum docentur, & demonstrantur in tanto, quantum est necessarium ad perfectionem nostri magisterii. Practica verò est illa pars, in qua forma & modus rectè operandi describitur, secundum exigentiam dispositionis præcognitæ per theoricam. Et ideo, quia neque dispositiones corporum supradictorum, neque suæ naturæ possunt esse cognitæ, nisi per considerationem rerum naturalium & innaturalium & contra naturam, pro meliori intellectu dividimus theoricam in tres partes, cùm dispositiones totius corporis permutabilis in genere non sint nisi tres scilicet temperamentum, intemperamentum & neutralitas. Primò sciendum est, quòd temperamentum sub rebus naturalibus comprehenditur, quia formaliter sua complexio est de partibus subtilibus & simul adunatis. In quarum compositionibus partium Philosophi diffusè locuti sunt, largè accipientes, in quantum potuerunt comprehendere continuationem & aggregationem partium, quando continuitas illa compositionem suam accipit. Intemperamentum autem comprehenditur sub rebus quæ contra naturam sunt, & ideo corruptio alio nomine vocatur, vel veri elongatio temperamenti, cum qua totum & sine ea nihil. Neutralitas verò continet medium partium prædictarum, alio nomine dicta ligamenta dictarum extremitatum, temperamenti videlicet & intemperamenti, aliàs dicitur dispositio media inter duas contrarietates.

CAP. II.

De Temperamento corporum, & Intemperamento, & Neutralitate, & de Medicina, & de Instrumentis naturalibus & innaturalibus & contra naturam.

ET ideo debes advertere, quòd verum temperamentum est dispositio naturalis corporum perfectorum, per quam actiones naturales perfectæ sunt in perfectione medicinæ, in qua fine alio medio perficiuntur, quæ intrant per totum, & per hoc debet esse naturæ dispositio qualitatis omnium corporum, & non actionis. Quia si corpus medicinale non est benè temperatum, cessaret omnino ad mutandum corpora imperfecta ad perfectionem, quæ cum debita projectione perficitur: verùm tunc nominatur potens temperamentum solum modo, quod sit aptum ad complendum actionem, quæ sibi datur per complexionem sui temperamenti cum complemento, quod ei datur per viam & modum projectionis notæ. Hæc actio reddit & ordinat medicinam aptam & habilem per suum temperamentum. Ad cujus cognitionem debet principaliter intendi & dirigi intentio illius, qui opus nostrum laborat terminare nobili temperamento per instrumentum sapientiæ prudentis. Quia considerationes, quæ circa temperamentum non sunt, nullo

nullo modo debent isti rei congruere, nam extraneæ & elongatæ sunt à voluntate & considerationibus artificis, & per hoc talis considerator exul efficitur à toto fine bono, sicut ille, qui est extraneus, & alienatus per suum opus superfluum, & phantasiam suam, quam perscrutatus est. Veruntamen temperamentum acquiritur per ingenium naturæ, aut magistri voluntatem in formando per intellectum ad unamentum rerum pertinentium & miscibilium scientiæ & artis informativæ in medicina unum habitum constituentis vel diversos aut plures. Quia temperamentum sicut est perfectivum actionis non clarius cognoscitur, vel rectius conservatur aut reperitur, quam per dictam scientiam, quia sive sit unus habitus, vel diversi: omni tamen tempore unus est solus terminus, & modus conservandi rectos terminos producendi ad finem dictum temperamentum, quod volumus significari per C. Intemperamentum, sive non temperamentum, est una innaturalis dispositio corruptibilis, quæ fit per elementariam dissolutionem, per quam immediatè corrumpuntur actiones rerum individualium & naturæ; per elongationem aut labilitatem sui temperamenti, quod venerat per continuitatem & colligantiam suarum partium compositarum com-



positione. Et illud intemperamentum volumus significari per G. in conversione de D. & F. in G

Neutralitas, neutraliter media, vel mediocritas, est dispositio in qua per modum medii se habituant actiones sui subjecti, ad conservationem speciei, quantum ad initium experientiæ sensus, & est significanda per E. quæ est descendens de B. & F. revertens in D. per quem formatus est C. sicut promisimus in practica, quæ est hujus libri secunda pars, dicere. Cùm diximus theoricam nostram in tres partes dividi, & ab aliis partibus convenit tibi fili devallare, propterea debes considerare, quòd omnes partes theoricæ dupliciter accipiuntur, scilicet accipiendo terminos strictius, quàm capi poterunt secundum naturam suorum generum, secundum id, quòd in se sunt. Et aliquoties secundum quod sunt signa recta & propinquiora secundum naturam ad aliquid significabilem respectum per cognitionem in corporibus temperabilibus. Sed fili doctrinæ, consideratio prima est, debitè procedere in ordine doctrinæ intellectualis aut intellectivæ, sicut reperies declaratum in tractatu de quæstionibus, capitulo quæstionali artis abbreviatæ, in decima quæstione: de quo secundus liber hujus scientiæ & artis completus est: quia nobilis memoria & nobilis instinctus & appetitus debet poni & fixari in corde artificis, cui secretum nostrum debet manifestari, in revelatione quæ movetur à creatore totius intelligentiæ. Quia in consideratione hujus secundæ partis fine faciendo vim naturæ, ponemus secũ dum exigentiam magisterii nostri per processum nobis divinitus revelatum, nostrum secretum, quod est instrumentum perfectivum totius nostri magisterii, & totius naturæ, & illud ostendemus & docebimus filium artis, quod si sit fidelis & bonus, non revelabit, & specialiter filiorum artis ac scientiæ inimicis, nec illis, qui contra naturam operantur. Quia verè nunquam ab ore humano exivit illud, quod reperiet in secunda parte hujus libri post theoricam.

CAP. III.

De Principiis Naturæ in universali, & qualiter sunt extracta omnia à massa confusa, ad comparationem magni Mundi, de quatuor Elementis: & de quatuor primordialibus principalibus Principiis: & de omnibus rebus per magnam mundi formam eas reducendo ad magisterium nostrum, quod est forma minor, sicut minor mundus per miraculum.

PRincipia naturalia primordialia & succedentia in opere naturæ, sunt universaliter omnes extremitates: quæ esse possunt, & eorum media, sicut declarabimus Naturam primordialium principiorũ sub posse naturæ & Dei regis supremi & imperatoris cœlestis, qui solus in trinitate sine principio & fine Creator est, & superior omnium prædictorum principiorum succedentium, quæ extremitates & media in suis operibus naturæ sunt nominata: hanc naturã supremus Deus primò de nihilo creavit sua pura liberalitate & voluntate, pura substantia, quæ vocatur essentia quinta, in qua tota natura cõprehenditur demeliori & puriori parte hujus substantiæ, in tres partes divisæ: creavit altissimus Angelos, de secũda cœlos, planetas & stellas. Et de tertia minus pura fecit mundum inferiorẽ Et hoc





lius doctrinæ debet intelligere, non sicut tradimus, sed quemadmodum totum voluntate superioris Dei creatum est simul, sine aliqua successionis operatione, & sine aliqua materia præcedente, quæ successionem generis aspiciat, quia aliter non esset creatio, nec operatio divina, quæ respicit creationem entitatis venientis scientificè per creationem de nihilo in vera entitate substantiali: quapropter fili hoc, quod dicemus, & jam diximus, velis intelligere cum spiritu scientifico, & non agiographico, nec vulgarifico quia sic loquimur ad respectum naturæ operationum, cujus tu habes assimilari in nostro magisterio, & ideo dicimus cum sermone exempli, & quod nos benè intelligas, sicut jam dictũ est, & non ut scribitur. Nam supremus creator hanc partẽ in quinque divisit. Creavit namq; de parte puriori essentiam quintam elementorũ, rei cœlestis participalem, quam per O. significamus. Et de hac quatuor fecit partes, de quarũ prima puriori fecit ignem, qui est primum elementum. De secunda post eam magis pura, fecit aerem, qui est secundum elementum. De tertia verò puriori post aerem, fecit aquam, quæ est tertium elementum. De quarta autem

autem minùs pura fecit terram, quæ eſt ultimum elementu ii. Primum autem volumus ſignificari per P. ſecundum per Q tertium per R. & quartum per S. Inquantum natura in elementalibus eſt magis perfecta, cum parva perfectione in toto perficitur. Nam una ab alia perficitur, per concordantiam proprietatum ſuarum, & earum quinti inſtrumenti, rei cœleſtis participantis, & in illa, quæ ab illis elementis poſtea deſcendit, cum parva natura, perfectione ſcilicet generationis, & corruptionis, & è converſo, quia ſuus inſtinctus ſive appetitus immediatè veniens eſt à creatione naturæ. Et ideo non perfectum eſt omnino, quod agit natura, reſpectu perfectionis, quæ à creatore venit, non per naturam. Quia tunc illud eſt ſine deſtructione perfectum. Ille enim inſtinctus vel appetitus naturæ, non poteſt rem perfectam facere, niſi perficiatur divina ſcientia intellectuali, ſicut in humana natura, quæ eſt rectificata per intelligentiam divinam, ſicut per bonum artificem opus pulchrum & bonum perficitur. Per hoc poteſt artis filius intelligere primorum elementorum naturam, poſt diviſionem ſubſtantiæ tertiæ primordialiter creatæ, non tamen intelligat, quòd ſubſtantia eorum ſit ſimplex elementum quintum, ſed ſubſtantia quarta, aut tertia, aut ſecunda, aut prima elementata de quinta parte, quam vocamus elementum primordiale ſubſtantiam ſimplicem, per quam dictæ quatuor ſubſtantiæ elementales ſunt elementatæ, quælibet ſecundum ſuam naturam, prout ſuprà declaravimus. Iſta quatuor elementa ſic creata remanent pura & clara ratione claræ partis naturæ, ab eorum creatione uſque ad tempus presbyteri, cujus peccato natura exivit, qui vocabatur genus, & ab eo à tempore à natu. Sed poſtmodum mortui ſunt homines, aves, beſtiæ, piſces, & aliqua naſcentia terræ deſtructa & cremata, per deſtructionem generationis, quæ verſa eſt de corruptione in generationem, & poſtmodum de generatione in corruptionem. Et ſimiliter de corporibus impuris eſt mundus reſolutus, & elementa corrupta, per quam corruptionem omnia per naturam facta & viventia ſunt, & fuerunt parvæ durationis. Quia natura in ſua materia groſſa & corrupta non poteſt tam perfectum quid facere, ſicut faciebat in ſuo principio, quod plus non habet ad continuandum ſuum opus primum. Imo natura utitur imperfectione ad corruptionem tendente, quia de die in diem naturam elementorum minus puram invenit, quia illud, quod poſuit in opere, perfectum opus emendare non poteſt, ſed ſemper paulativè decreſcit. Semper tamen natura ſecundum ſuum poſſe componit, & ponit ſimul partes fortiores ligamenti. Et per hanc doctrinam fili artis intendere potes verbum Salvatoris, quod in fine mundi omnia conſumet, quando veniet ad judicandum ſæculum per ignem, videlicet omne illud, quod non erit de veritate dictorum elementorum, & omne illud quod eſt de malo & impuro compoſitum & factum, confundetur, & projicietur in abyſſum: omne autem illud, quod ignis prædictus cœleſtis de virtutibus & pura veritate reperiet ſupra ſuam ſphæram, vivaciter requieſcet in æternum, & veniet ſupra ſalvatos felices: & malum & impurum ſupra damnatos cadit: per hoc autem poteſt elucidari & declarari conſideratio, quod omnis res in fine ad proprium locum ibit ſuum, unde primo movebatur. Eſt etiam intelligendum, quòd terra hæc, quam colimus, non eſt verum elementum, ſed à vero quinto elementata eſt elemento, pòſt per quintam ſubſtantiam elementalem corporis benè elementati, cujus terra formata eſt de quinta cauſa, & tunc reperies vacuum à virtute formativa prout corpus ſine anima, & ſicut putredo congregata in uno in materia ſine forma compoſita de prædicta infectione per reciprocam actionem elementorum unius ad alterũ. In centro autem eſt terra pura, & verum elementum quam ignis ardere non poterit in die terroris, & ſic de aliis elementis. Tu cum elucidatione per elucidationem intelligas clarè, & addas principalem ſubſtantiam materialem, de qua ſine diviſione omnia formata in uno fuerunt, quamvis per diviſionem rerum loquuti fuerimus, non tamen ſit ſeparata ſua ſpecies, quæ eſt eſſentia quinta, quia ſubtrahes totam principalitatem elementorum compoſitorum. Et clarè cognoſces omnium rerũ tria eſſe principia, videlicet artificiale, exemplare, & materiale.

Primum radicale principium artificiale, Deus eſt, omnium creator: ſecundum principium exemplare ab ipſo Deo movetur, qui dictus eſt ſapientia, tertium verò ſuccedens principium, quod eſt materia, creata per Deum, id eſt, ſapientiam: quæ movetur ab ipſo, eſt primordiale elementum, quod appellamus hyle, quod tibi, ſi benè intellixiſti, declaravimus, quod quidem quærere non eſt tibi præſumendum in ſua ſimplici ſpecie, ad incipiendum opus noſtrum, quamvis ſine ipſo ſcire opus noſtrũ non poſſemus, neque ad finem deducere. Sed ipſum in compoſita ſpecie quærere debemus, ipſámque purgare, & per ignem evacuare, ut ſit pura & clara, ut ſuprà diximus, quòd omnia elementa creata ſunt à dicta ſubſtantia, & ab ipſa vivificata, ad creandum & corrumpendum. Quia neceſſarium eſt, ut naturaliter apparet, cum omnis res ſub lunæ globo exiſtens ſit creata & formata à dicta materia, quæ eſt hyle vocitata, quòd de illa ſit major influentia in omni re elementata, plus in una, quàm in alia, ſicut per naturam reperimus, & quòd ibidem quieſcit. Per hoc autem, quòd ſis certus, quòd nulla res mundi poteſt eſſe ſine hac creata & non generata, quia ipſe eſt collector & colligantia totius corporis elementati in opere naturæ, & ideo ipſum ὕλαν vocamus naturam, & totius elementati primordiale principium, hoc eſt, omnium rerum elementatarum, quia eſt in ſua ſubſtantia ſimplex. Elementa, quæ ſunt materia naturæ, primitùs per divinam ſeparationem fuere creata, videlicet, terra, aqua, & aër & ignis, quæ ſunt elementa corpora ex primordiali principio, & ſimplici elemento, quod eſt in eis. Et ex illo intellectu procedit chronica Methanoſtrica, quæ dicit, quòd ſpecies elementorum in ſuis ſolis terminis inventa, & in dicto ſuo principio, quod eſt primordiale principium rerum ſuarum. Quare ſi iſtam quæris materiam, ad hanc intende, & illam eſſe purum ſubjectum, quod eſt unio & motio formarum, & in quo omnis forma in poſſibilitate retenta eſt, quia fluxibilitates & labilitates infinitas ipſa in motione continet, ſecundum illarum formarum diverſitatem tam extremas, quàm medias, quas accipit in ſemetipſa. Et ideo per ſimilitudinem ab aliquibus nominatur receptaculum formarum, quæ ex materia naſcuntur cœleſti, quæ fieret ſupra naturam ſuam. Et per alios philoſophos fuit foreſtum vocitata, comparando eam rei groſſæ & crudæ, ratione ſuæ poſſibilitatis. Et per alios philoſophos fuit poſſibilitas appellata, quia nullam formam habet actualiter, ſed omnem formam per poſſibilitatem ipſa continet, quaſi incluſam velut ſilentium ſine auditu, vel qui non vident, nec videri poſſunt propter tenebroſitatem. Et ſic debet intelligi iſta materia, quaſi de ipſa nihil intelligant. Et ideo ſcriptum eſt, quod ipſa eſt forma mundi, in quo autem modo ordinata

ſunt

sunt elementa in mundo, de quibus omnia sunt generata, prout optimè patebit, & declarabimus in capitulo sequenti.

CAP. III.

De Forma minori, & de Principiis naturæ Mineralis simplicis per extremitates & media.

CUm de majori forma determinatum sit, postea descendendo de minori determinabitur. In qua sunt principia succedentia in opere naturæ magis propinqua secundum extremitates mediis suarũ operationum propinquiorum. Et cùm dixerimus suprà, quòd principia sunt universaliter omnes extremitates, & omnia ipsarum media, hic dicimus, quòd primum & principale medium extremum vel extremitas, sunt quatuor elementa superius dicta,



quæ sunt extremitates elementatæ, & significantur per B. Secundum sunt vapores cõpositi ex ipsis elemẽtis immediatè de prima compositione naturæ, & sine medio dicti, significati per C. in quos vapores omnia corpora elementata resolvuntur, ad intrandum novam generationem, & velis hoc retinere & intelligere, quoniam generaliter tibi loquor, ad attingendum finem illius, quod perquiritur. Tertium est aqua clara cõposita ex dictis vaporibus per condensationem suæ naturæ, quæ venit in dictos vapores quatuor elementorum, & illa est res argento vivo magis propinqua, quod quidem reperitur supra terram currens & fluens. Et istud argentum vivum in omni corpore elemẽtato succedẽte à materia aeris est propriè generatum. Et ideo ipsius humiditas est valdè ponderosa, per aeritatẽ homogeneam, discurrentem per motum venti, per venas perforatas subterraneas, & cadit in mineris sulphureis causatis ex vaporibus calidis & siccis, & est significatum per D. Quartum est quædam substantia procedens ex minera sua, & infra ipsam, magis propinquam naturæ metallorũ, quæ calcantis & azoth vitreus ab aliquibus nominatur, quæ est terra & minera metallorum, & alio nomine vocatur urifius, lucens & albũ, in occulto rubeum, nigrum & viride publicè, habet colorem lacertæ venenosæ, immediatè generatus ex argento vivo materia supra dicta, impręgnata ex dicto vapore calido & sicco sulfureo in sua resolutione cõgelata in lacertã, in quo est forma & species spiritus fœtentis in mixtione, cujus est calor mineralis multiplicatus, qui est vita metalli, & est significatum per E. Quintum extremum vel extremitas, sive medium sunt vapores immediatè generati per resolutionem & rarefactionẽ dicti vitrioli vitrificabilis: & hæc est prima & proximior materia generationi omnium metallorum impręgnata & apprehensa à naturali calore vivificativo, in forma & specie aquæ vivæ, de qua omnes hujus artis investigatores intelligere habent, in opere naturæ esse argentum vivum, sed non tale, quale invenitur super terram, nec erit, quousque in sanguinem apostematatum & venenosum primitùs vertatur, & significatur per F. Sextum extremum sunt sulfura facta per successionem, immediatè generata per naturam à substantia viva dictæ aquæ, de quorum vaporibus omne aliud argentum vivum coagulatur, & est retinaculum rectum dictorum vaporum in illo metallo, cujus est vapor. Et hoc fit secundum depurationem, quam materia recipit per naturam, cum informatione tali qualis sibi administratur ad formam & speciem dicti metalli. Et talia sulfura significata sunt per G. Septimum extremum sunt metalla generata ex dictis vaporibus sulfureis, & argento vivo per successivam decoctionem, & sunt vera extrema sive extremitates, sive media imperfecta clausura, & in omni opere naturæ significata per H. Sed per corruptionem, quando extra ipsorum mineras extracta sunt, intendit natura rubificare & rubiginare, ad redeundum per motus circulares, illa corrumpendo, & iterum generando, tantum quod terminentur in novam generationem, per digestionem in suis mineris, in quibus sunt inclusi vapores resoluti ab illis corrupti, propter gravitatem suorum elementorum instinctu naturali, & ibidem suo motu digeruntur, quousque in speciem meliorem terminentur, sicut generatio carnis fit in corpore animalis, per cibi & potus digestionem, prout breviter declaratur in magica scientia & arte, quod sic incipit: manifestum de generatione & corruptione in metallis, &c. & cùm ibidem describitur de terminatione metaphorica & literali, quod cum alchymista nitatur dare aliquibus metallis formam, quæ sit similis alteri metallo, similis est pictori, qui in materia ligni vel lapidis infigit & figurat formam hominis, aut bestiæ artificialiter, quæ forma discrepat & differt à materia. Quare in illo casu dictum est, quod cum forma sit suæ materiæ extranea, brevi tempore corrumpitur, taliáque opera non bonis naturæ operibus assimilantur, & de hac assimilatione vide capitulum, quod incipit: Cum igitur, &c. Tales enim alchymistę & pictores in suis operibus & materia non assimilantur operi naturæ, quia dare nesciunt informativam virtutem materiæ convenienti, quæ institutionẽ & instinctum habet recipiendi illam, quando ei administrata est per informatorem naturalem, sed per scientiam & artem cognitam, ipsaque est naturæ substrata, quæ exemplaris est dicta. Magister subtilis ingenii ac ingeniosus in suo opere assimilatur operi naturæ in conservatione speciei mineralis, & format rem tali virtute, quòd superat omnem cursum naturæ. Et per hoc potes cognoscere, quod opus naturale potest regi scientia & arte operatoris, secundum proprii instrumenti doctrinam. Et scito fili, quare homines nesciunt uti eorum memoria, entia & entitates mutabiles & vertibiles investigando, neque eorum voluntatem eligendo, & recipiendo etiam bona, mala, quæ sunt contra naturam, dimittendo. Et quia istas potentias in artificiis ponere nesciunt, quæ sunt illorum instrumenta, & de quibus te in secunda parte artificiali nostra informabimus, ut entia realia possis attingere in magisterio nostro, qui per activitatem illarum scientiam habituatam cum delectatione recipies, per quam intellectus cum una specie attingit aliam, & in ordine unius speciei attingit ordinem alterius speciei, & sic habebis ordinatam delectationem ad intelligendum proprium & commune. Et ob hoc

ſcientiæ, quæ ſunt poſitivæ & non probativæ, groſſificant intellectum, & impediunt illum ad intelligendum neceſſitates entium veriſſimorum, ſicut declaratum eſt in arbore philoſophiæ deſiderata in tertia diſtinctione, in capitulo, Intellectus de paſſionibus F.Q. Per quod apparet, quod multi in magiſterio noſtro per ignorantiam habent inordinatam paſſionem. Quare fili per capitulum ſuccedens, alia tibi dabimus principia, tali intentione, quòd ante dicta metalla ſignificabuntur per H. Et ſit nota illorum, qui non habent patientiam in magiſterio.

CAP. IV.

De Principiis hujus Magiſterii, & de quibus factum eſt, & quot ſunt in numero, & de converſione ipſorum.

PRima radicalia principia noſtro magiſterio ſunt triâ principaliter, videlicet, aqua viva, & fœtens ſpiritus, de quibus creatur ſulfur, quod eſt lapis noſter. Sed cùm illa non ſint in ſua actione ſuper terram, prout nobis opus eſſet, imò in actione ſint terreſtria, in forma metalli, in qua eſt eorum potentia, ideo ſuæ naturæ extremitates accepimus per artis noſtræ media, recurrendo ad ſubſtantiam unam infra ſuam mineram, ſcilicet D.E. & H. Et cùm illa ſint remota, & contraria per ſuæ extremitates naturæ, ſcientia diſtricta nobis oſtendit, quòd capiamus F. quæ eſt diſpoſitio media extremitatum ſuæ naturæ, quæ diſpoſitio elevata eſt de D. ſicut apparet per figuram A. inferius declaratam in ſecunda parte capituli ſubſequentis, ſic ut per F. D. convertatur in E. ut omnia vertantur in B. & quod B. per circulationem reducatur in E. à quo extrahes F. in magiſterio noſtro, loco aquæ vivæ & fœtentis ſpiritus, quia ſic F. poteſtatem habet convertendi D. in H. per ſuarum formarum conſervationem, cui actualiter erit totum illud, quod erat in potentia in opere naturæ mediis melioribus extremitatum cauſa & ratione, quia in F. & D. ſunt actualiter F. & G. & H. cocta & pura, ac fortiter digeſta naturæ ſapientis ingenio. Quare convenit niſi removere & ſeparare unam partem de D. & unâ partem de E. & tunc habebis F. in opere artis aſſimilare naturæ in omnibus melioribus modis per adjutorium C. & D. quæ venerunt de H. & F. qui deſcenderunt de H. in B. à quo fit F. qui converſus eſt in G. curſu naturæ in noſtro magiſterio. Et illud G. eſt prima & proximior materia, de qua creamus & facimus noſtram medicinam perfectam, quæ eſt fermentum elixiris.

CAP. V.

De Approximatione Temperamenti reſpectu naturæ, de genere ſecundum regulam ſcientiæ, de extremitatibus, & de mediis, & de ipſorum diviſione in principiis eſſentialibus.

PRopter quæ potes conſiderare, quòd res naturales ſunt illæ, quæ ſunt neceſſariæ habitudini temperamenti, ſecundum rationem generis ſui, quæ deſcenſum habuerunt ab extremitatibus & mediis ſuis & ideo dictæ ſunt res naturales, ſine quibus aliqua naturaliter corpora non poſſunt eſſe temperata. Quia quando res, cujus caput eſt rubeum, pedes albi, & oculi nigri, apparet, tunc eſt magiſterium, cùm de iſta re temperamentum conſiſtat: quamvis enim corpus medicinale poſſit eſſe temperamentum abſque tali humore, ſcilicet innaturali, non tamen abſolutè ſine tali humore. Quare opus eſt, quod omne medium naturam ſentiat extremitatum ſuarum, cauſa & ratione ſui temperamenti, & per hoc invicem * elementa ſunt reciproca, ut primæ ipſorum qualitates ſe mutua & æquali actione corrumpant, tranſitione per virtutem, quod ambobus, participat, ſecundum appetitum naturæ, nec ad hoc eſt medicina ſine humiditate, vel calore, aut genere: quia ſine tali vel tali humore non habet inſtantiam aut potentiam in operationibus, & ideo ſolas operationes debet capere & operari ſolummodo per actiones debitas proprietati, elixir per temperamenta magis generaliter: per ſiccum naturale, idque poſt ſuam tranſmutationem, & ideo cùm metalla infirma & mollia convertantur in unam temperata actione ſuam ex ſe ſufferant ignitionem cum ſubtilitate, tunc dicitur operatio naturalis, licet ſit ceſſatio, ut requies beſtiæ ex actione ſenſibili, quæ veniebat in ſua tranſmutatione per virtutem elixiris: & ſic temperamentum corporum mundatorum tranſmutatorum non eſt ſine operatione naturali. Rationem hujus debes intelligere in medicina ſuprema, ipſaque integraliter verti & mutari. Sed quia nimis diffusè, per nimiã imaginationem phantaſticam, poſſes errare caſualiter ſecundum intellectum trium prædictorum, pertinentium theoricæ, quæ continet in ſe principia prætacta generaliter tradita, ideo ſpecialiter nos inſtruemus terminos remotos trium principiorum neceſſariorum iſtius ſcientiæ, & artis divinæ. Quia cum tibi dixerimus, quod per intentam conſiderationem harum rerum naturalium, non naturalium, & contra naturam, debes habere notitiam materialem & eſſentialem temperamenti, per omnes ſuas partes ſubſtantiales, & etiam accidentales, ut ſcias te regere in dicto magiſterio noſtro, dictis principiis ſic à te comprehenſis. Habes tamen intendere non de pluribus aut multis, ſed de tribus tantùm, per ſe, ſingulariter ſtantibus, ut intelligere potes ex capitulo prædicto de principiis ipſis in noſtro magiſterio, per quæ nos comprehendimus hoc temperamentum. Et per hoc dicimus, quòd rerum naturalium tria ſunt genera, videlicet animale, vegetabile & minerale. Genus animale in ſua ſpecie multiplicatur, & dividitur in tres differentias, ſcilicet, in activo ſpermate, quod eſt naturale ſperma, in paſſivo ſpermate, & illud eſt innaturale, & in ſanguine menſtruali, & illud eſt contra naturam genus vegetabilium eſt in ſementis ſeminibus ac radicibus, quæ ſunt naturalia, continentia non naturalia, & per hoc eorum complexio eſt Hermaphrodita, maſculino & fœminino conjunctis, juxta humorem & humiditatem terræ menſtruo pluviali per aerem aquam continentem, quæ ſunt contra naturam. Genus verò mineralium in



* *Vertas, ideo elementa & corpora unũ & aliud ad invicem.*

in tres dividitur differentias, quamvis omnia metalla sint, & exitum habeant à materia una, & sic sunt complexionis Hermaphroditæ. Prima differentia naturalis est, ut aurum & argentum, quoniam argentum vivum in se sinum proprium sulfur continet, quod per se congelatum est, pro medio in aurum, & pro alia medietate in argentum, post conversionem ejus in sulfur, albo & in rubeo. Ob hoc sunt duo spermata naturalia, scilicet aurum & argentum, sumendo largè, quando largè dicimus, hoc fit ad differentiam illius, quod perficit elixir nostrum. Et sperma innaturale est sicut plumbum, & innaturalium & immundorum metallorum, sicut plumbum, stannum, cuprum, ferrum, sulfur & argentum vivum, & rerum quæ contra naturam sunt, sicut atramenta, sales, alumina, tuthiæ, marchasitæ & arsenicus, & omnia, quæ devallantur ab aliis generibus vegetabilium & animalium, de quibus potest fieri humidum menstruale, secundum magis & minus tendendo ad perfectionem vel imperfectionem. Et ideo minerale genus solummodò additum est per figuram similitudinis generaliter inter ista naturalia, innaturalia, & contra naturam duorum generum, scilicet animalis & vegetabilis, quia de ipsorum natura propinquiorum alterationem accipiunt in claritate luminosa. Et per hoc intelligere potes veram comprehensionem recipiendo naturam magis propinquam suo generi, secundum quod te potes informare, per testificationem vulgaris experientiæ in terra lunariæ, natura cujus est nostri lapidis rectificatio, quia propter hoc liberaliter nobis data est.

CAP. VI.

De qua re debet extrahi Materia conveniens & magis propinqua, ad faciendam Magisterium, de conversione unius elementi in alterum.

CUm igitur clarum sit atque manifestum, quòd proprietas temperamenti in corpore metallico sit de natura metalli magis propinqua sibi, sicut experientia, quæ non mentitur, affirmat atque demonstrat, effectu nobilis resistentiæ in fusione bona, & fusione permanente in ignitione: & hoc fit propria forma & natura, ut dictum est, & magis propinqua suæ materiæ minerali, sicut de sua mineralitate descendebat in partes individuales suarum propriarum specierum, de quibus trahes materiam suæ formæ convenientem, quæ est sibi debita secundùm exigentiam speciei individualium sine accessu ad extremitatem vel contrarietatem, vel divisionẽ, sed cum perfecto amoris vinculo sine aliqua re alia se jungunt, simul à reali unione, nec disconvenirent unquam individualia tam diu, quam diu firmari poterunt secundum cursum naturæ à suis nobilibus speciebus, unde exit vera forma, quæ quidem in suæ proprietati, magna potentia vadit contra solem, quem natura creavit. Et ideo tibi dixi fili, quod accipias naturam dictæ progeniei, in quo luminaria duo & claritates eorum hospitatæ sunt, & permanentes, quæ super terram radiare non cessant, & sunt sol & luna, qui per suos radios ignem obscurant. Nota igitur Fili, & qui non recepit hanc materiam in opere suo, assimilatur pictori, qui formam cognitam in materia remotam & longinquam depingit, sicut suprà diximus in capitulo, in quo de forma minori tractavimus. Et inter corpora innaturalia recipies volatile corpus, hoc est, argentum vivum, quod continet naturam suam infra concavitatem veteris sui, quem taliter sibi adhæret, quod nullus habere potest, nisi quadam amicabili concordia, quam natura in quadam amoris attractione non fideliter docuit: ex quo ei valdè multum tenemur, à quo ligamento amoroso fortiter detinetur & arrestatur. Et ideo inter innaturalia positum est, non omninò tamen ranquam non naturale. Quia tunc in numero illorum esset, quæ sunt contra naturam. Et ideo dictum est medium, participans cum naturalibus & contra naturam, quia ab intra retinet naturale corpus, & substantiam puram, quia est proprium ligamentum & retinaculum illius & proprietatem ipsius, quod est exterius, educit id, quod est intus cum ipso, quod est contra naturam. Quando igitur videre volueris naturam operari, projice intus, & conjunge ei naturale cum liga sui amoris, iracundus erit. Istud autẽ nomen innaturale, largè recepimus in hac arte pro omnibus rebus continentibus in centro sui corporis naturas passivas, ad respectum activorum. Et nos diximus superius, quòd in centro terræ terra est virgo, & verum elementũ, & quod illud est creatum per naturam: igitur natura est in centro cujuslibet rei, sicut apparet per dictum caput: & in capitulo præcedenti, quod facit mentionem de prima forma mundi, quomodo dominus Deus noster instituebat mundum, & formabat naturam, ut melius eorum naturæ detinerentur per nostram theoricam secundum genus suum, ut scias quas accipere debes in magisterio regali, & quas dimittere debes. Patet indubitanter quod per naturam dicuntur ad generationem sui generis, qua sunt secundum suas species, sicut patet de sperma te animalis, cum cõjunctione caloris sui naturalis masculi. Et per hoc intelligere potes, quod in naturaliũ specierum virtutes remotæ sunt, & propinquo medio, quod participat extremitatibus naturalium specierum, & contra naturam secundum plus & minus, secundum quod tota generis illius natura discrepat, & recedit, vel concordat speciei: quia per genus non debet discordare natura, nisi tantummodo per speciem, cum appropinquitate amorum quæ nascitur à sua proprietate, sicut aer ab igne, & ab aqua, in quo est eorum proprietas media, sicut est continens naturalium & contra naturam. Quando nos dicimus tota natura, dicimus hoc ad differentiã naturalium, innaturaliu m & contra naturam, quia on nia sunt unius generis. Et tamen sic loquuti sumus, quod natura generis in sua generatione discordare non debet, hoc debes intelligere immediatè ad recipiendum formam cujuslibet rei viventis. Quomodo natura bruta per alterationem revertitur cum operatione humana totum hoc videre potes, sicut de vegetabilibus. Sed non recipiunt formam unquam animæ & hominum, donec vertatur eorum genus in humanalibus. Tunc dico, quod spermata veniunt ad hoc, quod dictum est cum multiplicativa virtute, quæ est spiritus, ex quo individualia sunt generis jam dicti, unde homines creantur per virtutem spiritus & hoc institutum est per creatorem, ut quodlibet per hominem ei faciat honorem vel minor natura vertitur ad majorem, quare exaltatur de multùm magno valore. Igitur si volueris naturæ herbarum assimilare metalla nostra, vel bestiarum per entium realium naturam, facies genus eorum per mensuram, & tunc recipere poterunt species & veras formas, si tu facias in igne per fermentum fortiter & firmiter permanere. Et hoc tibi dicemus in secunda parte, dum tamen secretum teneas quia totum fit arte & scientia. Et nulli dices, nisi velis majestatem philosophorum & secreta eorum accu-

ſare. Et juro tibi ſupra animam meam, quòd ea ſi reveles damnatus es. Nam à Deo omne procedit bonum, & ei ſolum debetur. Quare ſervabis, & ſecretum tenebis illud, quod ei debetur revelandum, & affirmabis quam per rectam proprietatem ſubtrahes, quæ ejus honori debetur. Quia ſi revelares brevibus verbis illud, quod longinquo tempore formavit, in die magni judicii condemnareris, tanquam qui perpetrator exiſteres contra majeſtatem Dei læſam, nec tibi remitteretur caſus læſæ majeſtatis. Talium enim revelatio ad Deum, & non ad alterum ſpectat. Et inter illa quæ ſunt contra naturam capiendo unum liquorem, qui eſt corruptio & ſeparatio ſpolii corporis dicti volatilis, hoc eſt, argenti vivi, quod eſt cauſa continuitatis partium illius liquoris in dictis duobus luminaribus & claritatibus ſine illarum perditione in ſuo genere, ſed remotè & propinquè participat ſecum vim re menſtruali infirma & corruptibili, ſicut res menſtrualis, de qua, quando fermentata eſt & albificata in humiditate ſuorum ſpermatum, nutritur infans ſicut ſub mammilla puer, quia virtute humiditatis duorum ſpermatum ſanguis menſtrualis virtute ſuæ naturæ vertitur in humiditatem radicalem. Et quando dicimus remotè, hoc eſt, ad differentiam rerum naturalium, & quando propinquè dicimus, hoc eſt, ad differentiam rerum quæ ſunt contra naturam. De his tribus rebus, fili, magnum draconem extrahes, qui eſt initium radicale & principale firmæ alterationis. Et in iſto tuam firmabis diuturnam & continuam conſiderationem, per inſtrumentum rationis naturalis. Et melius tibi hæc declarabimus in capitulis ſubſequentibus practicis.

CAP. VII.

Quomodo non ſit niſi unus Lapis Philoſophicus, & de Aviſatione ſuæ purgationis.

DIcimus, quòd non eſt niſi unus Lapis Philoſophicus à rebus ſupradictis noſtro extractus magiſterio. Et ideo quando de novo venit in mundùm, non debes ei addere alium pulverem, vel aquam aliam nec aliquam rem extraneam niſi illud, quod in eo natum eſt, ſuæ naturæ propriæ radicalis, & mater ejus quæ eum paſcit, & portavit, & ſulfur, quod formavit lapidem ſuum in colore cœleſti. Sed antequam ex toto extrahas, foras purga eum, & munda ab omnibus ſuis infirmitatibus, quæ ſunt contra naturam ſuam, phlegmaticis terreſtribus & corruptibilibus quia mors ejus ſunt, quibus circumdatur, quæ ipſius vivificativum ſpiritum mortificant, qui habet poſſe ſuſcitandi eum de morte ad vitam perennem contra bellum ignis, donec mater in ſublimi naturæ mobili quieverit, incorruptus, & honorabilis naturæ mobilis in magna puritate ſine aliqua corruptione quieſcat. Et ideo fili, niſi ille ſpiritus à ſua ſeparetur morte corruptibili, corpus ſuum tenebroſum radiare non poterit, neque de ipſo fieri matrimonium inter corpus & ſpiritum, ſcilicet inter ſulfur & argentum vivum.

CAP. VIII.

Quomodo appellatur Lapis, ratione ſuæ proprietatis, & naturæ ipſius.

IStum ſpiritum appellamus in Teſtamento noſtro ſpiritum petroſum ac lapideum, quia poteſtatē habet retinendi lapides contra ignem, & conſervandi ac vivificandi corpus mortuum, à quo exivit, cujus virtus & proprietas in nullo alio ſpiritu reperiri poteſt. Et ideo quando corpus ejus tranſivit de morte ad vitam, purum eſt, mundum, album, & clarum, reſplendens in ſubtilitate magna, qua ſuperare facere debes ſubtilitatem ſpiritus fermentabilis cum ſua fortitudine ac ingenio. Quia groſſitudo fermentabilis ſpiritus debet ſubtilitatem corporis circumdare, & aſcendere ſuper, & hoc per proprietatem ingrediendi quam portat in ſe, quæ eſt proprietas penetrativa. Et ideo nulla corporis groſſities debet aut poteſt amovere proprietatem ejus magnam & penetrativam, impedimento à ſuo contrario provenienti. Et hoc modo manet & manebit corpus indutum ab extra claritate pulchra, quia ſpiritus ejus potatus eſt, & corpus intravit ſpiritum, qui eum ſuſcitavit, & terminavit in forma pulveris multum ſubtilis, fluentis & fundentis inſtrumento ignis fuſione levi ſine fumo, qui eſt ſicut ignis ardens, quando flamma tangit eum, cum alteratione permanente, quæ facta eſt amplexu amicabili naturæ, retinente propriam naturā ſuam alleviatione perenni, & illud leviter fit cum practica, quàm à theorica reperimus, quæ nos his verbis pulchrè & levè monuit.

CAP. IX.

De Præparatione Lapidis.

PRæparatio lapidoſi ſpiritus ac fermentabilis eſt, quòd recipias de ſucco lunariæ, & ſudorem ejus extrahe cum igne parvo & levi & habebis in tuo poſſe unum de argentis vivis noſtris in liquore & forma aquæ albæ quæ eſt ablutio & purgatio Lapidis nōſtri, & totius ejus naturæ. Et iſtud eſt unum de principalioribus ſecretis, & eſt prima porta prout intelligere potes rationibus antedictis. In iſto liquore rectificatur magnus draco, & projicitur à magno deſerto Arabiæ, quia immediatè ſuffocaretur præ ſiti, & periret in mari mortuo, quia jam poteris ſcire quia frigiditas magna calorem parvum extinguit: verte igitur ipſum & mitte in regnum Æthiopiæ, unde naturaliter nativus eſt; quia dicimus quòd niſi vertatur, & ponatur in terra ſua, recedet, & aliam intrabit regionem. Quare de certo ſcias, quod omne aliud clima, vel alia regio noſtro lapidi mortem affert, velato non ſcientibus ac ignorantibus, & per nos cognito.

CAP. X.

De qua re eſt Lapis, & quid dicitur, & quomodo ipſe eſt de quatuor elementis, & in quo loco reperitur, & de verbis contra mendaces & deriſores.

IDeo debes cognoſcere clarè, quòd ſpiritus noſter ſecum portat ſuæ regionis proprietatem. Et hac ratione allegoricè oportet dicere, quòd magnus draco de quatuor eſt elementis, & non intellectu literali, prout ſcriptum eſt, quia ſit terra, aer, aqua vel ignis, ſed ſola natura eſt & una, quæ continet in ſe naturam & proprietatem quatuor elementorum, & hæc proprietas venit complexionaliter in dicta ſubſtantia naturæ, per actionem qualitatum primarum elementatarum, & nunc transformatarum in proprietatem & ſpeciem metalli,

talli, tolerantem ignem in suis perfectionibus: & sic abscinduntur & disrumpuntur dictæ primæ qualitates per mutationem suæ mixtionis, quæ facta est per alterationem, usque quo sint in hoc substantiali medio in quo est species solis aut lunæ, vel alterius, quæ debet & potest per naturam constitui: quia prædictum medium, in quo dicta species salvanda est, tantam habet latitudinem & longitudinem, quanta potest esse partium individualium similitudo hujus speciei. Et ideo cum sit de proprietate illius naturæ sustinendi ignem, non potest, nec habet aliquid, nec facit proficuum, quousque totus motus illius mobilis non corruptus arrestetur. Sed eo non obstante, quando jam effectus fuerit de proprietate ignis excellentissimi, potest tolerare corruptionem asperitatis ignis. Et ideo potest tua intelligere speculatio modum, per quem natura nobis ostendit operationem suam, quod est ad exemplum hujus scientiæ dicendo, quod non est transitus de primo ad tertium, nisi per secundum, quod participat cum eis secundū naturæ velle. Et per hoc desiderium nostrum conquisivimus, per media transeundo, quæ sunt conservatoria & rotinacula suæ speciei contra bellum ignis. Et per hæc præambula potes intelligere rectum, & verum tempus limitatum respectu naturæ quod debes habere & conservare in certa latitudine, quousque crees rectorem & & principale medium, in quibus ultimatæ species se salvari habent, quia medium est subjectum materiale vel reale genus, in quo continens influit suam virtutem, & primordiale generationis initium, in qua determina è elementa fixanda sunt cœlesti virtute. Omnia enim antedicta coram oculis nostris manifestata sunt per experientiā, scientia clara nobis per naturam ostensa, divinæ præcepto prædestinationis. Et ultro tibi securè dicimus, quòd de natura herbarum medium creavimus, conservativum speciei mineralis, & suum transmutavimus ignem, in colorem metallicum, in mutatione speciei mineralis. Charissimè fili intellige, quòd lapis non est nisi una natura, in quatuor partes divisa, secundum proprietatem suorum elementorum resultans per proprietatem suarum concordantiarum, ut sit ligamen, & ligamentum in posse omnium quatuor elementorum, sicut largè tibi declarabitur. Nam alio modo spiritum per suum corpus non possumus, nisi à propria sua natura detineatur, & arrestetur, quæ ligamenti eorum proprietas est. Et ideo adverte diligenter, quod ne proprietas spiritus, qui à corpore exivit à nimio calore, devoretur, quia non posset corpus suum reducere ad medium in quo spiritus secundus influit suam virtutem, videlicet speciem solis aut lunæ, & illud est argentum vivum nostrum quod aptè & habiliter nostri sulphuris tinctura accipit in quo lapis noster dissolutus est, & resolutus in tali aqua, ut suprà diximus. Et in tali aqua nobis apparuit, non in aqua fontis aut pluviæ. Quare si cū igne magno fueris operatus, proprietas dicti spiritus, quæ inter vitam & mortem participat, separabit se, & anima recedet in regionem suæ sphæræ. Iterum tibi dicimus & clarius, quòd per creatorem, qui nec salvavit generare lapides, transeat rivos, quia sic reperitur exaltatus in fluviis, est ipse cum magno posse. Et nihil mundi appone extraneum, dando sibi illud, quod de ipso exit & nascitur, & pro vero illud à dracone exivit, & à fœtido ventre. Et in secunda parte tibi rotam dicemus sententiam. Custodi igitur illum à gigantibus & tyrannis mundi, ut supra diximus. Positi enim sunt in unda aquæ, à quibus multum timemus. Quia nihil sufficit eis, quin faciant populo pacis tale malum, ac martyrium, unde gens confunditur, & ponunt totum mundum ad confusionem. Quare istud secretum per superiorem nobis datum est, tanquam surdo à domino revelandum, quousque filiis sit manifestum per prudentiam divinam, per eorum nobilem intellectum. Et ideo quandoque garrulatores Clerici, Legistæ, Artistæ, seu mundani medici, & alii plures, de quibus loqui non audemus, qui credunt aquam vivam facere, & totum non valet unum ficum, quia nostram credunt Philosophiam deprædari, & se deprædatos reperiunt, & ideo tales perdunt inde vitam. Custodi igitur fili ignem & regimen spiritus, & vide, ne evanescat præ nimio calore, sed retine cum amore, & custodi eum à magno calore. Quia si anima recesserit, spiritus non poterit vivificare corpus, cùm aliquid dare non possit, quod in eo non est.

CAP. XI.

De Divisione & Resolutione Lapidis ad convertendum ipsum.

IN toto magisterio nostro necessarii sunt tres spiritus principales, qui sine consummatione suæ resolutionis non possunt manifestari. Et nominantur alio modo tria vīva argenta. In quibus Lapis noster est dissolutus & versus, per suæ naturæ mutationem, per contrariam & diversam digestionem, quæ fit per elementariam circulationem, per reciprocationem, in sua primordialia generationis initia. Et quia resolutio est totius primæ portæ habitudo nostri magisterii, quam declarare volumus secundum exigentiam reductionis & conversionis sui lapidis in tribus spiritibus, quorum quemlibet habes conservare secundum propriam naturæ cujuslibet ipsorum proprietatem secundum quod requiritur in perfectione ultimata nostri magisterii, per dictam resolutionem divisam in tres partes principales. Prima est corporalis, & vocatur in lingua Otitana, Recfage: secunda spiritualis est, & vocatur, Agazoph: tertia autem spiritualis & corporalis, & vocatur Ubidrugal. Et in omnibus istis draco noster quiescit. Recfage est solutio humida in corpore, & sicca in spiritu. Agazoph in duas dividitur partes, in Periminel, & in Adulphur, & Ubidrugal consummatio est finalis nostræ trinæ dissolutionis, quæ sine sorore sua nec haberi, nec cognosci potest. Prima pars solutionis Recfage, non est aliud, quàm diminutio partium grossarum in minutissimas partes & subtilissimas, vel reductio grossi in simplex, in mutatione formæ specificæ in formam contrariam & corruptam, stantem in suo corpore, & non in forma aquæ de nubibus cadentis, neque in forma metalli in diversis preciis constituti, sed in forma terræ aquosæ & aquæ mineralis subtilis, stans in vase profundi inferni. In cujus ventre natura sua mundatur in suis primis luminaribus in tenebras obscuras, quæ aqua & terra per excitationem suarum percussionum in diversas partes multum subtiles fœtentes, ut sulfur fugiunt altius omnibus elementis in regionem ignis, quas tum oportet multum diligenter custodire, si per istud portellum vis intrare. Tibi enim opus est, ut benè scias regere te, & reducere, quæ possit ingredi & exire, si ad secundam solutionem Agazoph transire desideras. Idcirco attende hīc, quòd menstruale spermatum condensatur de sua aëritate in aquositatem

groſſam, per reſolutionem ſpermatis fœminini, quod eſt in menſtruali cum amplexu vaporis crudorum, quod eſt in forma aquæ, quæ eſt de vapore magis crudo. Et illud, quod eſt magnum coctum cum magis continenti ex natura, aſcendit in forma corvi nigri in aere, cujus caput rubeum, pedes albi, & oculi ex ſaphyro. Et hoc totum nihil eſt aliud, niſi aër & humiditas radicalis p.p. generatum ex calore & natura ſupremi metalli. Et alia natura cruda, quæ eſt cauſa condenſationis menſtrualis, quæ manet inferius, eſt cauſa, & materia conjunctiva & congregamentum lapidis regalis, qui in naturam frigidam eſt verſus, quia calidam ſuam perdidit naturam per reſolutionem. Quapropter ſic definies dictam diſſolutionem. Definitur autem ſic: Diſſolutio eſt actio & paſſio contrariarum qualitatum, per quas virtutes elementorum inter ſe moventur per minimum pulverem. Aut ſic definitur: Eſt motus, qui facit comminutionem de partibus inſenſibilibus diverſis in ſpecie, & ſimilibus in genere, conjunctis in forma confuſa liquoroſa, & per corruptionem ſubjecti. Nam de qualitatibus contrariis mediante excitatione elevatis in ignem nigrum abſque extranea diviſione affectantes tum diviſas operationes geminante in generatore. Alio modo diſſolutio definitur: Diſſolutio eſt inſtrumentum ſubtiliativum, factum cum exercitatione caloris conjuncti cum motu continuo, per quem qualitates contrariæ inſimul operationes tangunt ſe, & miſcentur in corrumpendo partes individuales, ſub conſervatione ſuæ ſpeciei ad opus generationis. Fili hæc prima diſſolutio nihil aliud eſt, quàm diſligatio ſimplex partium ſubtilium deſcendentium à prima natura in germen, in quo calor naturalis debet calefieri, qui eſt inſtrumentum, cum quo habet operari virtus informativa, quæ eſt introducta in materia abſque ſeparationibus actualibus partium germinoſarum, unius ab altera quæ ſeparatio indiget, quòd cum applicatione amoris naturæ in ſecunda camera fiat, prout declarabimus per beneficium ſecundæ reſolutionis Agazoph, in ſecunda parte ſuarum quatuor figurarum. Sed antequam ad illam tranſeamus, opus eſt, quòd inter Recfage & Agazoph conſervetur digeſtio pepanſis ſui temporis ſpatio, prout declarabimus in practica noſtra, quia calore pepantico putrefit germen noſtrum termino naturæ, & facit eum poſtea creſcere & fructificare. Sed primum in ſuam naturam primam vertitur ſulphuris & argenti vivi, quod fait germen argenti vivi, quod mutabitur in lapidem albiorem nive. Et ideo diſſolvitur primum corporum forma in Mercuriale germen per ſolemnem operationem, & ſtatim per inhumationem pepanticam in ſuo ventre intrat alia forma per corruptionem formæ germinis, & elementis mixtis corruptis inſimul in forma corporis nigri. Quia elementa converſa virtute caloris naturalis, qui eſt in materia excitata & feſtinata calore temperato cœli in minimis partibus miſcent ſe, alterant & corrumpunt ſub conſervatione ſpeciei gubernatæ per calorem non cremantem: quæ corruptio eſt noſtri argenti vivi generatio, prout in ſecunda parte, & rota circuli declarabimus. Quia ibi de ſuis principalibus coloribus determinabimus ac de ſaporibus, odoribus, groſſitie, ſimplicitate, ſubtilitate, & ponderoſitate. Et hæc eſt præparatio ſolemnis, quæ eſt caput & fundamentum creationis noſtri cari infantis. Et modus hujuſmodi creationis eſt iſte. Abjice humorem, ubi ſubmerſus eſt draco uſque ſit corpus munitum cœleſtiali ſpiritu. Et hunc nominamus ignem quem Deus ſanctis & ſapientibus Philoſophis conceſſit per revelationem, antequam naſceremur, & poſtea nobis, ut ei abſque indigentia ſerviamus. Quia monſtrando nobis exempla per curſum naturæ qualiter ei teneamur, & ideo debemus eum precari, honorare, ſervire, laudare, benedicere, adorare, glorificare, & amare abſque aliqua ſorditie, vitio aut peccato. Ob hoc, quia ipſe monſtrat novis cognoſcere ſuam veraciter poteſtatem, & nos amavit, poſtquam nos hæc videre fecit. Fili noſter Lapis jam factus eſt, poſtquam creatus eſt congelans argentum vivum, & in elixir converſum. Et hanc operationem reiterabis, quamdiu lapidem multiplicare volueris, ſub conſervatione caloris naturalis, qui multiplicat ſpeciem ſuam cum ſubſtantia argenti vivi.

CAP. XII.

De Diſſolutione Lapidis in forma ſpeciali, & de Mutatione nominis ſui.

SIc philoſophando potes habere notitiam, quòd prima & principalis intentio in noſtro magiſterio eſt, lapidem diſſolvere per mutationem ſuæ naturæ in argentum vivum, & illud eſt primum elementum in ſua natura minerali propinquando, & per hoc radix eſt, & primum elementum compoſitum de omnibus corporibus liquabilibus, & pater duorum luminarium. Ideo in hoc ſolo convertuntur per ſolemnem reſolutionem, & poſtea in ſulphur convertuntur. Quia argentum vivum natura continet ſuum ſulphur proprium per vaporem, cujus ſeipſum congelat in Lapidem Philoſophicum, qui poſtmodum poteſtatem habet congelandi omne aliud argentum vivum, per magiſterium noſtrum: & hic lapis dictus eſt ſulphur, & materia appropinquata perfectæ naturæ metalli, per quam natura inter ſapientes nobilis & digniſſima reputatur, de qua Philoſophi faciunt medicinam fortem, & ſolemnem multum, & hanc appellant elixir vitæ, quia in humano corpore ſuperlativa & ultima conſolatio eſt. Et hac intentione ſuæ compoſitionis dabimus notitiam in hujus libri parte ſecunda, per quam curſum omnem dictæ medicinæ concludemus in conſervando locutionem per modum medium, ut melius intelligamur, per modum & mediam vitam naturæ. Et ideo apparet, quòd intellectus inſtrumentaliter dirigitur, & ratione ducitur, per formam mediam in hac præſenti arte & ſcientia. Et ideo non convenit, nec eſt neceſſarium, ut ducatur multum ſubtiliter, nec eſſe multum ſubtilis in diſcernendo entia realia, eò quod converteretur in rebus phantaſticis, de quibus ars aut natura non habet curam. Si verò lapis, quem tibi diximus, fuerit rubeus, clarus, & in ipſo ſit vis ſimplicis ignis non urentis, ſic facies multa, de quo poteris ad aurum elixir componere, quæ eſt medicina, omnes activitates conſervans in natura humana, & reſtaurans vires diminutas ex naturæ defectu. Et breviter ſi hanc medicinam habeas in hoc mundo, perennem habes theſaurum.

CAP. XIII.

De Ratione tranſitus Lapidis ad convertendum ipſum in Medicinam, & quomodo Operator debet

debet considerare naturas mediorum, per quas transit, quia per ipsasmet facit mutationes secundùm symbolum naturæ.

POtes intelligere Fili, quòd de una extremitate ad aliam non potest fieri transitus nisi per medium, & elucidavimus ratione naturæ, quòd extremitates lapidis nostri in primo gradu sunt argentum vivum, & secundus est elixir perfectum. Sed media harum duarum extremitatum sunt unguenta & oleæ, quorum aliqua sunt magis cocta, magis pura, & magis digesta, quam alia, & ista vocamus medicinam perficiendam ac elixiris fermentum. Illorum oleorum & unguentorum confectionem scies in secunda Parte hujus Operis per hoc debet bonus Operator & Filius doctrinæ de argento vivo nigro facere sulphur album ad argentum, & postea sulphur rubeum ad aurum. Quia nullum sulphur potest rubificari, nisi primò sit album. Quia natura non confert, quòd transitus fieri posset de primo in tertium, nisi fiat transitus per secundum, sicut apparet per definitionem elementorum, quæ distinguit, quòd terra sit nigra primitus, quàm aqua, & quòd aër sit clariùs intensus, & quòd ignis sit rubeus. Quapropter apparet, quòd terra non poterit converti in aërem, nisi prius vertatur & mutetur in aquam, nec aqua potest converti in ignem, nisi prius alterum eorum convertatur in aërem. Idcirco tu fili habes multum notare in temetipso cum consideratione philosophali naturam mediorum colorativorum in mutatione naturæ mineralis. Quoniam in eis est multa scientia illorum, qui se fortificant transmutare metalla de specie in speciem. Et jam tibi diximus, si nos intellexisti, quòd tibi convenit primò transmutare corpora cum naturali reductione in illud medium per alterationem artificialem, imitando naturalem, in quo species auri aut argenti poterit salvari absque distemperantia individualium, quæ sunt unius generis. Et hæc est propinqua materia, magis adjuvans ligamentum naturæ ratione primæ conjunctionis, qua lapis est resolutus per alterationem suæ naturæ coctæ & crudæ, & multum infirma, quæ est corporis conversio in argentum vivum, & per reductionem illius postea conversa est in sulphur album, deinde in rubeum sulphur. Et sic de gradu in gradum materia lapsa gradualiter appropinquat materiæ & naturæ magis propinquæ metallo per alterativam resolutionem, per quam promptius & melius recipere potest speciem auri vel argenti per scientiam & artem multiplicatam, ut infrà dicemus in secunda Parte, in Capitulo. Nos dicimus per theoricam loquentem.

CAP. XIV.

De gradualibus Transmutationibus Lapidis, ut fiat materia apta ad creandum elixir.

POst hoc dicimus Fili, quòd Lapis noster variatur & mutatur tribus mutationibus gradualibus, antequam sit materia ad concreandum elixir. Et istæ mutationes fiunt per trinam digestionem. Una in liquorem, per modum olei homogenei. Et sicut ista fit in concavitate cordis, sic fit prima digestio in suo proprio vase actione caloris, qui stat unitus ad materiam. Alia est in quatuor humoribus, hoc est, quando corpora luminativa jam fluxerunt in corruptionem. Quia necessarium est naturæ ipsorum, quòd eorum alteratio mala convertatur in bonam & mala facta est bona, & ut per consequens possint obviare corruptioni omnium corporum infirmorum. Benedictus sit ille dulcis & justus Jesus Christus Filius Dei, qui pro peccatoribus in terram venit, & quia ei placuit mortem sustinere & fundere suum sanguinem altè in cruce, & in illa pro nobis exaltari & aliis peccatoribus, & à morte inferni, & à tormentis redimere. Per hanc figuram admoneo te, quòd necessaria fuit quatuor humorum istorum duorum luminarium præsentia, de quibus facta sunt, & constituta est regalis medicina. Et sicut hæc digestio fit per animalia in concavitate fabricæ epatis epapanticæ: Sic secunda fit in capite Alembici descendendo in receptorium, scilicet in modum aquæ cum aëris liquore, cum omnibus elementorum mineralium virtutibus. Tertia digestio fit per mutationem dictorum humorum in sulphur purum, sicut in animalibus calor & humiditas ptisanaria, quæ convertitur in sanguinem, postea in essentiam & substantiam membrorum, secundum ordinationem naturæ. Ideo debes intelligere Fili quòd prima digestio fit, quando conjunctio & coitus fit amore naturæ, quæ est luxuria libidinosa & desiderata, tunc fit prima mixtio per conjunctionem & assimilationem inter corpus & spiritum, ut totum simul perveniat ad unitatem, & amorosam ac unitam concordiam cum ligamento suarum qualitatum jam miscibilium & compositarum, ac suarum elementatarum virtutum, unius ad alteram, virtute conceptionis duorum in uno. Et si hanc conjunctionem & coitum nunquam facias, nusquam conceptionem facies. Et nisi conceptionem feceris, nunquam prægnationem habebis, & si nullam prægnationem, non habebis fructus. Quando igitur materia tua conceperit, expectare debes partus, & quando peperit, habere debes patientiam in puero nutriendo, quousque possit ignem pati, & tunc de ipso liberam poteris facere projectionem, quia prima digestio facta est: & idcirco in secunda digestione fit exuberatio ex sanguine, scilicet spiritus, qui virtutem portat in se cum approximatione vicina naturæ ad finem, vel ei fit magis placabilis per decoctionem unius gradus, quando sua substantia subtiliatur secundum intentionem intellectus naturalis. Cum ista substantia impregnes lapidem, qui nondum est factus, sicut tibi dicemus in secunda parte. Et ideo tertia digestione nutritur cum perfectione, & augmentatur in crescendo, & lapis confortatur ad faciendum suas actiones in restaurando rem perditam, in terra alba foliata extensibili multum nobiliter augmentatam. Fili pacis & veritatis, in lapide nostro, manet & movetur spiritus, prout in suo corpore proprio operante, tum virtute attractiva nostri lapidis, quam dictus spiritus cum substantia tota nostri Lapidis in sua supradicta mixtione prima per modum exuberationis universaliter acquisivit, adjuvante cum toto hoc potentia magis propinqua, scilicet calore naturali Lapidis: qui respicit naturam in majori proximitate generis, & naturæ metallicæ, & similiter adjuvando virtutem Lapidis nostri imperfecti, perforati & porosi, quæ per corporis sui resolutionem continuam insensibilis & sine tactu per certam operationem causata est in eo. De qua in secunda parte practicali specialius dicemus.

CAP.

CAP. XV.

De ultimo Termino Tranſmutationis Lapidis per reincrudationem cocti, & decoctionem crudi, & unde extrahitur argentum vivum Philoſophorum.

ADhuc intellige Fili, quòd ultimus terminus noſtræ reincrudationis & tranſmutationis cocti in crudum, ſcilicet cui naturaliter intendit Artiſta, eſt ſubſtantia ſulphuris non urentis, quæ cùm converſa eſt, eſt proximior noſtri Lapidis materia, naturalis & puri metalli prima proximior natura, alterata tamen per calorem ſui corporis, videlicet in alteratione prima, per quam melius & propinquius poſſit formam & ſpeciem eorum recipere, voluntate & concordia ſuæ naturæ mineralis. Fili humiditas iſtius materiæ una vice non fuit, niſi argentum vivum projectum à corporibus liquefactis & fuſis intus & extrà. Et hoc eſt argentum vivum, in quo qualitates ſulphuris per primam & ſecundam digeſtionem admixtæ ſunt. Et ideo prout natura requirit, alteratur per calorem ſui ipſius, ratione ſuæ exuberantiæ, per converſionem naturæ ſuæ & congelatur, & convertitur in ſulphur purum. Quia ſcire potes per naturam, quòd nulla humiditas alia poteſt promptius & proprius converti in ſubſtantiam ſulphuris, quàm illa, in qua ſuimet ſulphuris qualitates ſunt ſufficienter introductæ per ingenium naturale artificiosè factum, quæ humiditas eſt argentum vivum in forma aquæ claræ, ſicut lac in mammillis. Et ſulphur eſt ſicut ſperma in genitalibus. Hoc argentum vivum non habet aliquam contrarietatem, ex ejus pura complexione provenientem, quia neceſſarium eſt, quòd tale argentum vivum ſit temperatum multum reſpectu complexionis ſui corporis, & per hoc notificavimus quòd materia iſtius non eſt argentum vivum commune per totam ejus ſubſtantiam groſſam & terreſtrem, lutulentam & phlegmaticam, ſed tantummodò in ejus media ſubſtantia, quam opus eſt bene cuſtodire, & ab igne proprietatem ejus ſuper omnia defendere, nec etiam argentum vivum eſt in tota ejus natura, quia ad terminum digeſtionis venit, per quem de natura in naturam mutatum eſt. Sed iſtud eſt argentum vivum de argento vivo noſter verus ſpiritus erectus à ſuis extremis contrariis cum depuratione & converſione illius in lac virginis mutatum.

CAP. XVI.

De Inventione Artis, per quam fit multiplicatio, & de diverſis Digeſtionibus Lapidis.

IDeo Fili chariſſime potes eſſe certificatus, quòd abſque digeſtionibus ſive decoctionibus noſter Lapis in ſua propria natura non poteſt emendari. Et in certo autem reperimus, qua naturam ſequimur in eo quod natura in ſuis digeſtionibus multiplicare potuit informando materiam, prout digeſtio naturæ te docebit: primam digeſtionem appellamus pepanticam, quam ſignificare volumus per H. Secunda eſt Jecoralis: quam nos vocamus Epteſis, quia caliditate humidi corporis facta eſt, & hæc ſignificatur per I. Et hæc in digeſtiones duas dividitur: harum prima ligata eſt in Epteſi, & in iſta trahimus diſſolutionem Perminel de potentia in actum, & hæc ſignificata eſt per R. Aliam clamamus Opteſis, quæ eſt inter Scaopteſis & Scateſis. Et per hanc calor ſpiritum melius deſiccat, in reſolvendo, & hanc reſolutionem vocamus Adulphuch, & eſt ſignificata per L. Tertia verò, quæ eſt ultima conſummationis noſtræ terræ vel ternæ diſſolutionis, eſt digeſtio facta quando argentum vivum convertitur in eſſentiam puri ſulphuris, quam appellamus Scoopteſis, quia eſt inter Opteſis & Eſcateſis, & eſt ſignificata per M. Et cum illa de N facimus decoctionem noſtræ dictæ medicinæ, quam nominamus Eſcateſim. Per primam digeſtionem extrahimus elementa, & ad concordiam ponimus. Et per ſecundam nos diſſolvimus ſpiritum, informando vas ſuum, & ubi ſe converti habet cum calore de opteſi poſt digeſtionem opteſis. Et in tertia nos creamus & formamus Lapidem noſtrum de ipſa materia ſtatim, ſicut à vaſe receſſit ſpiritus cum anima corporis, quæ eſt Lapidis perfectio. Et in quarto nos noſtrum elixir regale & verum creamus,

H. Digeſtio pepantica, vel ſtomachalis.
I. Jecoralis vel Epteſis, id eſt, balneum.
K. Solutio Periminel, id eſt, cineres.
L. Opteſi vel Adulphuch, id eſt, cineres, arena.
M. Scoopteſi, id eſt, flamma.
N. Eſcateſi, id eſt, furnus ſecretus.

CAP. XVII.

De Diviſione Lapidis in tres cauſas principales, & de Mutatione ſua, & de principalibus Coloribus, & de qua materia ſpecialiter extractus eſt.

PEr jam declaratam doctrinam notandum eſt, quòd tria principalia nobis ſunt neceſſaria in hac parte, videlicet corpus nobis ſignificatum per N. & ſpiritus quem ſignificamus per O. & anima, quam ſignificari volumus per P. Semper Fili in mutatione Lapidis intelliges tres colores principales. Primus ergo color eſt niger, & ille apparere incipit in fine digeſtionis I. & durat uſque in finem M. quando argentum noſtrum vivum congelatum eſt in ſulphur, tunc in eo apparet color albus, ſubtilis, albior nive, & hic eſt ſecundus color, tertius autem apparebit in colore multùm rubeo, ut ſanguis cum continuatione ſuper albo Lapide. Fili, quando nigredo tibi apparebit, ſignum erit multùm fortis & nobilis corruptionis, quia nulla res animata eſt per naturam ſine putrefactione facta. Fac tranſire ergo eam per K & L. quouſque ſit O. benè album, quod dealbeſcat N. per M. Poſt hæc rubificabis eum cum igne lapidis in digeſtione ſucceſſiva de N. Debent tamen omnes artifices in hac dealbatione patienter operari uſquequo nigrum dealbetur optimè, prout oſtendemus per proprietatem elementorum in hoc primo libro cap. 22. & 23. Quia de nigro non poteſt fieri citrinum, quouſque ſit benè album. Quia citrinitas cauſatur de albiſſima, & modico rubeo claro eſſentialiter. Non ſimiliter fieri poteſt tranſitus citrini ad album, niſi per nigrum. Nec aurum poteſt fieri argentum medicinale, niſi deſtruatur primo & fiat nigrum & corruptum. Neque melius poteſt fieri pejus, ni per ſui ipſius corruptionem. Quia generatio unius eſt corruptio alterius, & è converſo. Experti ergo artifices, qui ſciunt aurum converti in argentum, ſciunt argentum in aurum ſimiliter tranſmutare. Quia illud album Sulphur, quod ad argentum per digeſtionem N.

poteſt

potest citò fieri sulphur rubeum ad aurum, & hoc intelligatur cum solo igne lapidis excitato per M. Quia substantia istius est calor naturalis bonitatis, & magnitudinis, & aliarum partium suæ nobilis substantiæ. Et quia in isto est majoritas substantialis, quæ est suæ propriæ essentiæ, ideo habet ignem naturalem & proprietatem multiplicandi suam speciem cum suo calore digerente se in alia elementa, quæ sunt calefactabilia, ut ignis suo calore valeat uti, & eum in illis multiplicare per viam compositionis & generationis cum continuatione de M. quia calor M. est fortior, quàm digestio L. Et ideo Fili scies, quòd hæc rubificatio nihil aliud est, quàm digestio completa. Quando enim de mane surgo & video urinam meam albam & indigestam, signum est paucæ dormitionis. Et ideo requiesco, & dormio, & reperio urinam, quasi citrinam, & percipio, quòd somnus est perfectus. Sed quando urina matutina citrina est, tunc calor ignis naturæ diffusus est per omnes partes urinales, per quem natura manifestè docet & ostendit, quòd citrinatio per completam digestionem completa est. Et ideo intelligere potes, quòd sulphur album & rubeum venit de una materia metallorum solummodo, scilicet argenti fini cum igne auri fini. Sed primò necessarium est, quòd dicta materia sit fortiter depurata & cocta per modum differentialem, sicut in capitulo sequente declaratur de suis mixtionibus. Fili tale sulphur supra terram reperiri non potest, nisi illud, quod est in istis duobus corporibus. Nec etiam omne sulphur est album, aut rubeum, vel perfectum ad magisterium, nisi istud, quod est in dictis corporibus. Et ideo corpora ista debent nobiliter præparari, ut sulphur & argentum vivum habeatur tale super terram, de quibus aurum & argentum creata sunt infrà terram. Cum istis corporibus per modum subtilem miscetur argentum vivum. Et ideo si tu scis miscere argentum cum corporibus, venies ad magnum secretum, quod nos vocamus sulphur album, vel lapidem benedictum, qui postmodum efficitur rubeus, & dicitur corona regia, & est lapis completus. De istis duobus corporibus solum extrahitur, tunc extracta sunt sulphura ad album & rubeum cùm in iis duobus corporibus reperta sit melior, & purior substantia sulphuris in supremo gradu depurati per ingenium naturæ. Et hæc res est melior, & altior & subtilior, in quam ars non potest consequi naturam, & quia in omnibus casibus ei non assimilatur. Quia si in prima natura vel materia vellet ars incipere ad similitudinem naturæ, multum longa & inquieta esset, & esset sine fine, nec esset aliquid magis vile, & caderent multæ ac infinitæ miseriæ & expensæ. Et per hoc etiam ars primam materiam depurando esset vilior & debilior, quàm natura, & sic nunquam insequi eam posset omnibus suis viribus pro pluribus aliis causis in arbore quæstionaria hujus scientiæ contentis. Et ideo hæc scientia elegit aurum pro patre, & argentum pro matre. Quia de istis duobus corporibus in eorum sulphure & arsenico præparatis nostra medicina elicita est, & elucidata de auro tanquam omnium pretiosissimo metallorum. Ergo tinctura est rubedinis, & refertibilis, & resplendens, tingens & transformans omne corpus ad perfectam claritatem. Argentum verò est albedinis tinctura, imperfecta claritate omne corpus tingens. Cum istis corporibus misce Mercurium, non tamen talem, sicut est communis, ut dicemus in secunda hujus Libri Parte. Quapropter scire debes, quòd argentum vivum in sua natura non est miscibile cum corporibus.

CAP. XVIII.

Quomodo Artista debet esse virtuosus ad inquirendam notitiam primam Lapidis, & ex qua materia fit, & fortiter constans ad habendam intentionem secundam per experientiam artis cognitæ in materia naturæ.

Fili hujus indagator scientiæ oportet te firmum esse, & non quærere post hoc vel hoc: quoniam in multis rebus ars ista nunquam perficitur. Et ideo tibi dicimus, quòd non est nisi unus solus Lapis, scilicet sulphur, & una sola medicina, scilicet compositio sulphuris, cui nihil addere debes, nisi superflua demere terrestria & phlegmatica, quoniam ista sunt & debent esse separabilia, & separata à nostro argento vivo, quod est hominibus magis commune, quàm argentum vivum commune, & est majoris pretii, meriti, & fortioris unionis naturæ, à quo & suis primis formis omne illud, quod non est de sequela armoniaca metallorum per gradus separationis scitos & cognitos opus est separare, quousque appropinquet, & sit vicinum primæ rei, scilicet sui generis propinquioris, inquantum erit possibile cum concordia, reali debet incorporari cum igne & terra. Et tunc repertum est multis nobilibus virtutibus multiplicatum, & multum ponderosum. Nullus à natura debet petere, quod non habet, nec habebit unquam. Quia omne sulphur inquantum combustibile, nostro argento vivo est extraneum, quia sibiipsi incombustibile est, & corruptibile, & à nostro argento vivo alienum. Et ideo cùm tale sulphur super terram non invenitur, convenit, quòd per artificium componatur, cò quòd in semetipso sulphur vulgi est combustibile. Ergo à contrario sensu. Res non est argento vivo nostro extranea, in quam per magisterium habet converti, scilicet in aurum & argentum. Nota, quòd nulla res convenit lapidi, nisi quæ est de materia propinqua naturæ suæ, quia de homine non generatur nisi unus homo, & alia animalia nisi sibi similia. Et sic omnis res, quæ concipit, generare potest sibi simile. Et idcirco nobili materia habes operari. Et scias ubi reperies. Ego dico tibi, quod in desertis & depopulatis terris invenitur. Et dum per te reperies, & incœperis operari, noli in ea ponere aquam, nec pulverem, nec aliquam aliam rem, nisi illud, quod de sua propria natura exierit. Nam si contrarium facias, statim deteriorabitur & corrumpetur, neque venies in attentum. Et quia in habentibus symbolum facilior est transitus, ideo in omnibus rebus corporalibus, & magis convenientibus ac similioribus naturæ metallinæ, opus est tibi corporum diminutorum medicinam accipere. Cùm sit opus habere in sua natura majorem eis convenientiam, ut melius & profundius possit eam amplecti, inhærentia & societate perpetua permanente, ut omne corpus in sua natura diminutum possit etiam perfectius in sua natura perfici & compleri in collecta exuberantia, & ultra ad finem, quòd Mercurius per minimas partes possit naturaliter in eisdem misceri metallis, antequam capiat fugam, & ideo subtilior substantia & levioris fusionis in liquabilitate est tibi necessaria ad nostram componendam medicinam, quàm sint

corpora

corpora metallorum, & fortioris retentionis fixativæ, quàm argentum vivum naturale vel compositum sit in sua natura.

CAP. XIX.

De prima Cognitione Lapidis, & de qua Materia fit, & de virtute patientiæ, quam Artista habere debet in practica.

CHarissime Fili videre potes manifestè, quòd nullum corpus stans in natura sua potest congelare Mercurium, neque ei firmiter adhærere, neque similiter dictus Mercurius in sua natura specifica potest dare medicinam, per quam corpora infirma medicinare possit, atque diminuta à perfectione perficere, neque potest alterari à sua natura in specificatione alterius formæ, quin contingat ipsum ab eis separari. Propter hoc eligimus duo luminaria corpora, quæ fixant omne illud, quod non est fixum. Et ideo necessarium est, quòd illa corpora luminaria per retrogradationem elementariam sint ad suam primam naturam reducta, scilicet in sulphur & argentum vivum per contrarias operationes, quæ sunt solutio, subtiliatio, sublimatio, & congelatio, non tamen vulgares, sed philosophicas. Tibi enim dicimus, quòd nihil est in hac scientia secretum, nisi modus operis & operandi, quem tibi clarè in practica in secunda parte hujus libri monstrabimus, dum tamen velis nostram intelligere theoricam, quæ monet te, ut aliqualiter vexari velis in dictis operationibus. Quia corpora sunt fortis compositionis, & ideo longa indigent separatione, & contraria operatione, videlicet, quòd primò philosophicè calcinentur, & postea etiam philosophicè solvantur, prout natura requirit sub conservatione, quæ ad generationem aspicit. Quia quando calcinantur, levius dissolvuntur: quia calor ignis corpus penetrat, & penetrando partes ejus facit aquam post eum ingredi. Et sic corpus est magis dissolutionis susceptivum. Et quando benè dissolutum est, spiritus congelatur: & quando spiritus est congelatus, corpus est dissolutum. Quia sine congelatione spiritus, non fit corporis dissolutio, nec dissolutio corporis sine congelatione spiritus. In hoc facto Fili sis longus, lentus, dulcis, & lenis, nec in aliquo festineris. Permitte omnia lento igne perfici. Quia primus error in hac arte est, multum coquere, quia ignis comburit totum, & portat in regionem perditionis. Et intellige, quòd omnis mora in hac arte nec non tarditas electæ sunt operando patienter, nec sine patientia iter arripias. Cùm tibi contigerit studio cognoscere multa, patientiam retine, semper operando directè, sic Philosophiam habebis habituatam, præstaque virtutem, operi patientia datur. Parientia etenim morum semper est maxima, & majoritas in nostro magno & secreto opere, quod quidem penetrare facit, & magnum scire secretum, tamen per experientiam cum instrumento erectivo, quod monstravit natura dirigens, ac rectè ducens intellectum ad Philosophiam. Et ideò avisa te, quòd non facias ignem nimium in principio mixtionis, quia statim in tinctura veniret corruptio. Ideo in eorum prima calcinatione, in qua se habet conservari tinctura, tu ibis ad digestionem de L. ab illa extrahes securè F. de E. in modum, qu m tibi dicemus in practica. Et postea pones D. junctum cum H. in F. in digestione I. & ibidem statim calcinabuntur cum forma conservata in illis, & ibidem permittas per terminum suæ propriæ naturæ, & non plus, ne patiatur spiritus, quem terminum præfixum reperies in secunda parte, post dictum terminum reperies corpus totum nigrum in colore intenso. Inde deferes ipsum in digestionem de K. quia ista dabit N. O. & P. cum quibus nihil aliud misceas crudum neque coctum. Post hoc fac transire septies O. per digestionem de I. deinde P. fac transire per K. qui trahi debet de N. cum L. usque ad septimam exuberationem. Et sic convenientem materiam habebis multùm pulchram ad creandum Lapidem nostrum, in quo naturalis calor continetur. Et hæc est causa, quare natura separata partes suas jungit in uno, ut virtus unita fortior sit dispersa.

CAPUT XX.

De Creatione Lapidis, quæ fit per virtutem certæ digestionis, & de ejus Proprietatibus.

CReatio Lapidis nostri tantummodo facta est de N. & O. per digestionem de M. quousque corpus nigrum vertatur in album. Quia tunc N. quantum potest suæ primæ naturæ appropinquat, quæ est magis propinqua de H. quam erat D. neque E. neque F. Et ideo necesse est, quod N. revertatur in G. quia propinquior est natura de H. & E. in O. quia propinquior est naturæ de N. à quo exibit P. quod est complementum totius nostri magisterii dicti. Tamen teneas secretum.

CAP. XXI.

Quomodo species metallorum transmutant se. Et de igne naturæ elementalis causatæ, quia nullo modo convertuntur. Et ideo quando de ipsis apparet species, quæ est in esse veritatis, bonitatis & magnitudinis.

POst hæc fit quæstio, utrum metalla vel species eorum possint transmutari? Solutio. Illud quod effectualiter videtur, probatione non indiget alia. In veritate est unum speciale metallificativum, metallificabile & metallificatum in natura minerali. Et ab istis speciebus concretis concretatis est species veritatis, quæ est species colorificativa & colorificans. Et illæ duæ species sunt in esse, & in essentia. Et ideo species in esse, & species in essentia, inquantum sunt, non convertuntur: sed eorum individualia, in quibus per ingenium naturæ colligata sunt sua simplicia elementa mineralia, per quam colligantiam hæc species est in actu, optimè convertuntur. Et per hoc media principalia vocata sunt in nostro magisterio, quia possunt mutari, mundari, putificari sub conservatione suæ speciei, tali modo, quòd species prima, quæ erat in actu manifesto, est concreta in essentia concretorum, quæ sunt in entibus creatis, quæ non convertuntur. Et cùm ex illis constat species, quæ est in esse veritatis, & bonitatis, & magnitudinis, quæ sunt in entibus creatis non convertuntur, quoniam si non converterentur, entia realia essent confusa, & ars & scientia non possent viam, quam sciunt, insequi, nec natura posset aliquam rem multiplicare ad similitudinem præcedentis generis. Et ideo in potestate naturæ fuit per Creatorem positum, quod

individua

individua tantummodo, in quibus sunt entia realia, tracta ex speciebus eorum sine corruptione vel separatione eorum in genere cujuslibet speciei sub earum conservatione transmutantur ad multiplicationem faciendam. Et de ista noster ignis creatus est, & saltat, & ab illo exit lumen, & claritas. Et lumen est calor noster, qui multiplicatur per ignem in naturalem & contra naturam. Et hoc in partibus individualibus naturæ mineralis prout experientia erit tibi manifestata, si per artem in hac practica possis esse imbutus. Quia calor figurativus nostri rubei lapidis, qui habet ignem simplicis ignitionis, est pars ignis creati, & ab illo separatus, & cum ipso tingimus argentum vivum, quousque fiat ignis majoris compositionis. Et ideo ipsum vocamus ignem compositum, quoniam isti subtiliter infixus est calor ignis simplicis, quæ est ignificativa, ingnificabilis, & ignificata. Et sic ignis in suis individualibus passivus movet potentiam ad multiplicandum suum effectum, actionem, complementum & finem, non tamen per potentiam, inquantum passiva est, moveat potentiam activam, sed sunt cognitæ similitudines entibus realibus ad finem, ut sint penetratæ, coctæ, & permutatæ in meliorem naturam, hoc de natura aeris in naturam ignis: sic movet potentiam, & sua objecta ad complendum & finiendum sicut ignis, qui movet oleum ad lumen dandum, & clarificandum locum, in quo est. Tene tamen fili pro regula generali naturæ, quod semper in omni tempore objectum, inquantum est appetibile, movet potentiam ad attrahendum ad se suum appetibile, sicut res, quæ perfici desiderat de suo, & non alio, ut possit secundum suum complementum habere quietem. Et quia natura, quæ semper operatur, non est infinita, cùm sit composita ex partibus universalibus elementaribus, ideo in suo opere non est infinita, nec opus suum infinitum, nec ipsum natura infinit. Intelligere igitur potes, quod omnia elementa alia suam ostendunt potentiam in lapide nostro secundum magis & minus suæ dominationis. Quia si aer in generatione lapidis dominatur super ignem, ipsum terminantem, lapis noster διαφανὴς supra aquam congelatam apparebit. Et si aqua dominatur, elementum albedinem ostendet, si terra, nigredinem manifestabit.

CAP. XXII.

Quomodo totum factum Lapidis est in cognitione elementorum, & in conversione ipsorum.

SI intelligas hæc elementa, & scias ea convertere per certas operationes, habebis lapidis facturam, & intellectum, quia secundum eorum proportionem habemus formas eorum apparentes in diversis speciebus, & per diversas proportiones mixti, datur diversa forma generato mixtibilium. & diversa proportio mixtionis, est in metallis, ut ex eorum formis apparet. Et ex hoc movetur pars secreti, quod nisi cognoscas lapides, & eorum virtutes in omnibus suis naturis, consulimus, quòd non appropinques nostro lapidi. Fili forma & species tibi manifestant bonitatem materiæ, sive immunditiam, & utilitatem eorum, & grossitiem, & simplicitatem. Quoniam certa forma ac species secundum proprietatem suam data est suę proprię materiæ, & secundum fluxum materię formæ influxæ sunt, prout aurum & plumbum tibi manifestant. Et inquantum materia nobilior est, intantum forma cujuslibet mixti nobilior existit. Et inquantum forma elementi puri est nobilior, intantum forma corporis est nobilior, quòd ab omni corruptione fuerit depuratum.

CAP. XXIII.

Quomodo Elementa exiverunt ab una sola materia quæ in se continet speciem mineralem.

ELementa nostra fili ab una sola natura exiverunt, in qua species mineralis influxa est potentialiter, quę postea per opus naturę actu manifesto se ostendit in fine eorum elementariæ circulationis. Et hoc opus non est in actu, sed in ratione potestatis, per quam artista cum sua intelligentiæ ponit eum in actu proprio. Et idcirco nostrum opus assimilatur naturæ, & est in ratione tantum, quia sine illa cursus operationis naturalis numquam inveniret finem, nisi per intellectivam rationem transeat. Et ideo pauci sunt, qui opus nostrum sciant in actionem ponere, nec est nisi una semita. Quia ferè nullus vadit per semitam rectam naturæ respectu, per quam mutari se habent elementata sub conservatione, & multiplicatione speciei in ipsis infusæ de potentia ad actum. Et sic apparet, quòd scientia nostra non est in esse, nec in actione, sed in potentia, quam per intellectivam rationem traximus, & posuimus de potentia in actionem.

CAP. XXIV.

Quomodo Artista debet cognoscere naturam, ut possit ei assimilari in aliquibus casibus. Et de errore plurimorum operatorum, & de eorum avisamento: & quomodo instrumenta naturæ æquiparantur instrumentis artis, in quibus gubernetur in sua formatione.

QUando ergo volueris lapidem nostrum facere, scias primò, quomodo & qualiter natura operatur, & conducit seipsam. Et sequere hanc viam, & quadraturam, & habebis de dictis elementis quantum volueris, quia natura habet operari, & non tu ad formandum, mundandum, & purificandum. Et ideo tibi necessarium est, quòd scias eam ducere per rectam carreriam, per semitam rectam, & materiam informare in qua natura est introducta, quia si benè scias eam custodire, qui tibi remaneat, dabit ultra quàm scies petere. Postea scias specificè quot modis fatui Alchymistæ sensualiter errant, non instructi, nec experti in tribus principalibus rebus & experimentis, de quibus duæ ad unam revertuntur, scilicet, quia nesciunt ignem disponere, qui est totus magister operis, quia est ille, qui congelat & dissolvit simul, & ideo hæc intelligendi non habent potestatę, quia omnes imbuti sunt sua fatua ignorantia. Tertia causa est, quia disponere nesciunt materiam tali modo, per quem datur ei informativa virtus, per quam instrumentum, quod est in materia, directum est ad formandum per suum motum illud, quod petimus. Et est natura venerabilis abscondita in profundo, quam fili si scias benè regere, apparebit tibi cara, & clara, ut nobis ipsis in claro apparuit lumine, in forma terræ albæ, subtilis, foliatæ, & fusibilis, & erat prope naturam argenti finiclari & pretiosi: quare in magisterio nostro nol[illegible]

habere

habere artem incertam loco informativæ virtutis. Nec velis in ardenti igne operari loco instrumenti. Virtus informativa est gubernata per modum certum operandi, qui in certa ratione datus est scientifica, & hunc ante oculos habere debes in introitu magisterii nostri. Et antequam aliquid facias, vide quid vis facere, & sapienter operare. De grosso fac simplum, & de ponderoso leve, asperum mollifica, & durum fac molle, & amarum dulce. Et tunc habebis complementum in notitia instrumenti, quod directum est informativa virtute, movente materiam ad formam, de qua est activus formator per potentiam, quæ infunditur in illo ex parte superiori. Et est locus & locatum, quia per infusionem generatus est in suo loco. Quia genus habet aliud locatum per proprietates cœli, quæ in materia sua influxæ sunt per radios solis & stellarum. Illud tamen, quod elementales ac cœlestes virtutes agunt in suis naturalibus vasis, illudmet faciunt in suis vasis artificialibus, si sint formata ad modum vasorum naturalium. Et illud quod facit natura solis & stellarum calore, hoc idem facit per calorem ignis, dum taliter temperetur, quòd non superet virtutem motivam, & informativam, quæ est in materia influxa desuper. Quia in omnibus rebus, quæ sunt, & fuerunt corruptæ, & putridæ, vidimus influere virtutes stellarum, determinationem in re illa accipiendo, in quam materia convenientiam habet. Quia cœlestis virtus fortis est & communissima, & capit determinationem, & finem per virtutes sui subjecti in rebus mixtis. Et ideo quando in materia infusa est minerali, statim recipit determinationem naturæ & virtutis mineralis. Et sic est de vegetabilibus rebus, & animalibus, secundum eorum materiale genus. Et idcirco fili debes lapidis nostri elementa cognoscere quæ sunt de materia naturæ mineralis, quoniam in ipsis influitur virtus mineralis multiplicativa, quæ respicit ad perfectionem actus mineralis per determinationem, quam accepit à materia minerali, non vegetabili nec animali. Nihilominus quando voles habere mineralia elementa, non accipias de primis, & ultimis pro nostro lapide creando, quia prima sunt multùm, imo nimis simplicia, ultima verò sunt nimis grossa. Quando fames tibi advenit, accipe panem, & dimitte farinam. Quando voles facere panem, farinam accipe, bladum dimitte. Et hoc verbum philosophicale datum est tibi de elementis figurativè, in quibus elementis sunt entia realia mineralia, de quibus movetur virtus cœlestis instrumentalis. Et nota, quòd virtus informativa movet instrumentum & instrumentum movet materiam occultam, & materia movetur de potentia occulta in actum manifestum. Et virtus informativa in materia est per scientiam introducta per artificem in sua naturali operatione.

CAP. XXV.

De Virtute informativa, per quam Lapis noster recipit creationem, & multiplicationem in suis instrumentis. Et de sulfureitate elementorum. Et de loco generationis.

POst hæc fili per præcedentia potes intelligere & discernere, quæ sit virtus, per quam lapis noster potest, & habet se multiplicare, & unde exit. Et dicimus quòd est virtus mineralis, quæ descendit à cœlo in naturam mineralem, per quam secundum naturæ suæ specificationem ipsa fortitudinem & virtutem accepit mineralem, quæ respectum habet ad totius materiæ suæ perfectionem, in quanto se extendere potest, secundum individuorum naturam, quæ quidem individua in universitate naturæ mineralis inclusa sunt, & in quibus virtute influentiæ descendit, & infunditur virtus formativa lapidis nostri, sicut in semine bruti generati à superfluitate nutrimenti putrida, à vasis testicularibus virtus formativa animalis descendit, quæ virtus postmodum per diligentiam naturæ specificæ informat individua in speciem animalis præcedentis. Et est sicut magister carpentator, qui informat suum artificiantem per suam artem operando. Sic enim est in materia lapidis nostri virtus informativa, quæ respicit perfectionem ejus & alterius. Et ideo dicimus, quòd est una virtus mineralis, quæ format lapides ac metalla, ac omnia, quæ inter ea sunt media. Et ultro dicimus, quòd ipsa est communis virtus naturæ mineralis, per eam sunt formati per determinationem, quam accipit à loco terrestri suæ generationis & propter hoc in illo est fixa. Videas ergo si est res nimis communis cum ipsa sit in lapidibus, quos tu quotidie calcas. Et nota, quòd ex hoc patet doctrina, in qua terra, anima debeat terminari, & conjungi Mercurius. Et super hoc passu videatur epistola Alexandri, quæ loquitur de illis, qui dicunt lapides, qui inveniuntur inutiles & nullius valoris. Unde mirantur rustici quando eis dicitur, quod nostrum argentum vivum aurum sit de natura lapidũ. Adhuc fili potes melius cognoscere formativam virtutem per hanc similitudinem. In liquoribus enim gummosis, ab arboribus exeuntibus, sicut thus, mastix, Terebentina, pix & similes, cognoscere potes, quod sunt humiditates mixtæ in minimis partibus cum subtilibus partibus siccis, & existentibus in arboribus suis virtute & mixtione caloris naturalis, quæ fecit humidum per siccum pati, & siccum per humidum. Quia quando tales liquores ab arboribus exeunt, statim humidum naturam suam siccam manifestat. Quia calor naturalis per totum humidum dispersus, constringitur à sicco contemperato cum humido, aut à frigido aereo ipsum circundante, & sic amplius nequit se movere in humido, ad formandum illud in figura & forma fructus, cùm sit extra locũ sui vasis suæ generationis. Videas igitur ne vas aperias, donec totum humidum terminetur & finiatur, secundum quod suas rorationes, & sufflationes excluderet. Hoc intelligitur de terra, quæ non est separata à vase de terra terræ. Et de hoc habes exemplum de grano frumenti, & de rebus terminatis, quando per frigus aereum constrictivum se congelant. Istæ gummæ sic congelantur, cùm sunt extra locum generationis earum; in quo est virtus formativa, quæ format dictos liquores cum suis duobus instrumentis in flores, folia & fructus secundum suam naturam tantum, quantum stant intus dictas suas arbores, ubi est dicta virtus, quæ est calor naturæ. Et per hoc intelligere potes, quòd sicut materia sicci terrestris, quæ passa est per humidum viscosum, cum materia humidi, quæ passa est per ignem, & siccum terreum, parata est ad lapidem, & in ipsum generata per infusionem virtutum stellarum & loci, ut suprà diximus de virtute formativa lapidis. Sic generatur per infusionem similis virtus in semine genitalium, scilicet, quando semen descensum est per totam spongiositatem corporis, & attractum in vasis seminariis, tali modo, quòd dicta, virtus accipit,

cipit determinationem loci, ubi infusa est, & per hoc accipit potentiam formandi figuras diversas propter differentiam qualitatis loci generationis. Quia quando virtus informativa infusa est in materia minerali, recipit materiam multum in complexione siccam, tendentem ad mineralitatem. Igitur ei necesse est, ut sit fortis influentia, ut scilicet calor sit ad dirigendum sufficiens materiam metalli pro prima digestione, aut quòd illa materia sit satis rara, ut calor simplex valeat se movere per totum, donec generetur fortior calor in materia fortiori compolita, ut possit dirigere materiam fortiorem. Et ideo opus est, ut sequatur mineralem materiam informando secundum loci qualitatem, in quo adjungitur natura secundum suam fortitudinem. Consimiliter est in natura animalium, quæ est complexionata complexione calida & humida, quia locus suus proprius complexionatus est ipsamet complexione, sicut animalium testiculi sunt calidi calore, & humidi atque madidi secundum plus & minus fortiter spongiosi. Et si virtus format naturæ qualitatem custodiendo & specificando secundum intelligentiam naturæ ad speciem generis, unde exivit. Et ideo dicimus, quod in qualibet materia secundum suam speciem est propria virtus infusa. Et hoc est, quòd dicit littera chronicæ Platonis. Secundum materiarum merita virtutes cœlestes infusæ sunt, quæ operantur, & formant res naturæ in vegetabilibus, & mineralibus. Et nota, quòd influentia caloris naturalis descendit à stellis in æstate, & tunc calefit aer, omnia continens, & calefactus calefacit corpora, & dissolvit ea. Denique venit influentia frigoris, calidum aeris comprimens, in centro corporis, & tunc vegetabilia incipiunt crescere & germinare, & sic faciunt mineralia. Propterea dicitur in rebus, quòd dimittas stellis materiam ad constringendum calidum in profundum. Et ex isto constat, calorem naturalem debere esse cum calore loci. Et istam vocamus virtutem cœlestem, multiplicativam, vegetativam, mutativam. Quapropter declaratur, quòd noster lapis formatur per virtutem cœlestem, & crescit per virtutem multiplicativam, & pullulatur & gignitur per virtutem vegetativam, & mutatur per virtutem mutativam, & corrumpitur per virtutem corruptivam, & generatur per virtutem generativam de corruptione in generationem. Et ideo virtus cœlestis dicitur multiplicativa, eò quòd multiplicat: vegetativa, quia crescit & fructificat; mutativa, quia mutat; corruptiva, qui corrumpit; generativa, quia generat. Et hæc sunt sex virtutes, quæ determinationem recipiunt à prima, quæ desiderat formari. Et formatio non potest esse sine mutatione & alteratione materiæ. Quare convenit & est necessitas, quòd ista prima sola virtus induat se virtutibus omnium aliarum virtutum secundum proprietatem materiæ alterativæ, & passibilis. Quapropter apparet, quòd non potest formari absque mutatione materiæ, nec mutari sine corruptione, nec generari, multiplicari, vegetari sine alteratione materiæ illius. Per quod apparet, quòd virtus cœlestis propter formationem scilicet, ut valeat perficere & formare materiam, omnia prædicta facit, & sic declaratur, qualiter natura transit per sua media ad extrema. Declaratur etiam per hoc, quod nulla materia potest perfici, nisi patiatur diu. Et ideo necessarium est, quòd in tua materia hæc virtus sit infusa, quæ anima est lapidis, quia anima lapidis nostri de lapidibus est, sicut anima vegetabilis de plantis, & anima vitalis de bestiis: non tamen, quòd intelligas, quòd sit illo modo vegetabilis sicut plantæ, sed duntaxat ordinem in sequendo, secundum suam potentiam, & secundum quod materia sua sustinere potest potentiam suæ nobilissimæ cœlestis virtutis, & intantum, quantum est sua materia subtilior, de ipsa plus & minus ad nutum suum operatur. Non quòd sit sicut anima vitalis, quæ est actio organicorum, & philosophicalium membrorum, habens in se vitæ potestatem, quia materia naturæ suæ terrestris, & duræ ac siccæ non patitur, sed sicut ars, cum qua Artista operatur in suo artificio. Et ideo tibi necessarium est scire, quod omnis talis virtus, quæ format materiam secundum genus naturæ, indiget duobus propriis instrumentis, per quæ suum formet opus secundum suæ diversitatem materiæ, de quibus instrumentis loquemur in secunda parte capituli secundi. Quia hic te adhuc informare voluimus de dictis virtutibus, & per exempla declarare, per vegetabilia sæpè dicta.

CAP. XXVI.

De Morte lapidis, & de aliquibus causis, & de rebus impedientibus generationem, & multiplicationem: & quomodo removentur per exempli demonstrationem ad respectum naturæ communis.

IN lapide nostro fili dicta virtus mortua est, quæ non habet multiplicandi potentiam, ratione suæ duræ, & nimis compactæ materiæ, quoniam per eam ligatus est calor, qui movere se non potest, per quem dicta virtus se regere deberet in informando lapidem nostrum. Et ex hoc tibi damus exemplum de grano frumenti ac omnibus aliis seminibus, quia frumenti granum per se solum existens in materia compacta & sicca, non habet potẽtiam crescendi, secundum cursum naturæ, neque multiplicandi se, nisi resolutione quadam, & attenuatione per simplicitatem suæ duræ substantiæ, in qua substantia dura congelatus est calor infra existens inclusus, hæc substantia terminata est, & mortificata ratione siccitatis & duritiei, in qua terminata est materia, in qua retentus est calor naturę. Quia siccitas & frigiditas excellentes causant mortificativam qualitatem. Et per hoc potest rusticus cognoscere, quod talis siccitas causans duritiem & mortificationem, aerea indiget humectatione, ut calor naturalis resuscitari possit & extendi in simplici materia aeris, qui est ei materialis cibus, sed hanc grossarum partium densitatem sive duritiem ponere in simplicitatem, non est datum naturę, nisi per subtiliationem suarum partium siccarum, factam à resolutione, quæ est facta per reincrudationem madidi & humidi materialis grani, quod erat terminatum in cocto in digestione perfecta, per modum substantiæ albæ subtilis, de qua fit panis, quem comedis. Et reincrudatio dicti humidi seminalis terminati in sicco, causatur ab humido subtili frigido & crudo, quam accipit in sua dissolutione. Quare necessarium est, quod illud siccum terminetur, aut convertatur in humidum aereum, quod est amicus & cibus ignis, qui sua virtute format nascentia. Sed cùm siccum & humidum sint oppositæ qualitates per suæ contrarietatis differentiam, ideo est opus, quòd per differentiam concordantiæ, elementa de qualitate

in qualitatem transmutentur, & una qualitas in aliam, scilicet, siccum in frigidum, & frigus in humidum, & humidum in calidum, ut materia approprietur, & jungatur per ignem, per hujus concordantiæ differentiam. Hoc est dicere, quòd materia sicca grani convertatur in humidum materiale, in quo est naturalis calor, per differentiam concordantiæ, quæ potestatem habet recipere virtutem informativam cœli ab illo. Quapropter apparet, quòd natura non transit de uno contrario ad aliud sine medio, per quod causata est differentia concordantiæ, per quam materia transmutatur de natura in naturam, & hæc est specialis differentia, quam habet custodire. Nam aqua est aeris amica per humiditatem, & vicina terræ per frigiditatem. De qua per rarefactionem, alleviationem, & subtiliationem venit reincrudatio in rebus, quæ sunt, & fuerunt coctæ, condensatæ, & terminatæ per naturam & artem. Et terra est vicina igni, propter ejus siccitatem, & ignis vicinus aeri propter ejus calorem à qua, terra per rarefactionem, & alleviationem vel subtiliationem fit reincrudatio in rebus, quæ sunt & fuerunt coctæ, & condensatæ, & terminatæ per artem & naturam. Fili condensatio & rarefactio est via originalis in elementorum transmutatione, in gradibus rerum. Et hæc est communis doctrina, per quam natura sagax convertit sua elementa. Et ideo granum frumenti quando solutum, dissolutum, & reincrudatum est, transmutatum est de sua natura in aliud opus, ibidem operatur frigiditas, & humiditas, quæ est aqua cruda. Et ideo calor, in quo est vegetabilis virtus potentialiter, non sentit adhuc formativam virtutem secundi instrumenti, quæ movetur à cœlo, ad informandum per aliam informationem naturalem calorem, & per hoc non potest habere modum penetrandi actualiter, nec ibi se movere in partibus humidi sui materialis. Quoniam quasi hebetatus est in suo materiali principio, ratione frigidi & humidi, quod intravit in suo materiali per resolutionem dicti sicci, cum superfluitate multi, magni, frigidi, humidi. Sed postea à secundo instrumento descendit cœlestis virtus per calorem solis resolvendo, & diminuendo à dicto humore frigido quantum opus est ad intentionem naturæ & non plus, sed in tanto & usque ad terminum excitationis & accelerationis naturalis caloris, quia perdit materia istam superfluitatem frigiditatis, quæ eam tenebat mortificatam. Et quando iste naturæ calor, qui est excitatus & acceleratus à calore solis, per continuationem instrumentationis illius caloris se movere incipit in suo madido & humido materiali per quod ligatus fuit, tunc in ipso se movendo penetrat & penetrando dilatat, & dilatando format & convertit suum humidum materiale in suam propriam speciem, & in suum proprium esse & ens, & sic dictus calor non cessat operari infra suam materiam, vegetando, pullulando, crescendo, & augmentando, elongando, & extendendo, & etiam multiplicando tantum, & à quousque veniat ad terminum, qui non habet amplius materiam humidam, & tunc humor incipit terminari & inspissari per informativam virtutem ab aliis differentem per concordiam, & calor per siccitatem mortificatur, quam granum frumentum accipit in sua terminatione per compactibilitatem & duritiem, tantum & quousque altera vice in resolutionem revertitur & putrefactionem Quapropter rota elementorum per naturam tota & in circuitu rotunda gyratur, & erit quousque venerit ad suum proprium terminatum punctum, & sic per evidentem experientiam natura tibi ostendit quòd virtus, quæ est in potentia in semine bladi in nullo tempore posita est in effectum & actionem productivam & vegetativam, nisi post corruptionem & putrefactionem suæ materiæ propriæ, quæ causa est alleviationis & subtiliationis, & rarefactionis, quousque veniat ad punctum generationis, quam vocamus multiplicationem, de uno grano in centum, & de centum, in 1000 appellamus, & ideo vis est rusticis credere, quòd si granum frumenti non projiciatur in terram, nullo tempore virtus ejus multiplicabitur, quia natura sua sicca non vult illud pati propter causam suæ terminationis, factæ per conversionem subtilis in spissum, & si projiciatur in terram, alleviabit se per resolutionem, & crescet humiditas sua per putrefactionem, per quam ejus animæ vis procedit, non tantum quò faciat eum multiplicare in calore cœlesti superius ascendendo, ac si melius foret, quàm hic inferius, sed sicut erat: vide igitur quomodo separatur per subtiliationem mundum ac purum à vili & immundo & cœnoso, viscoso per elementationem, quam accepit à putrido per rarefactionem, per quam exaltatum est, & fermentum appellatum. Dicimus ergo fermentum res exaltatas in altum, quæ per omnes mundi gentes sunt desideratæ ac sic nominatæ. Quare dicimus, quòd per opera rusticorum virtutes cœlestes adjuvantur, scilicet per arationem, culturationem, seminationem, & impinguationem terræ. Et tali modo rustici juvant naturam, ut citius fructus expediantur, & emendentur. Simili modo tibi diximus in magisterio nostro, quia primitus nobis est opus, quòd substantia, quæ est pura nostri lapidis natura resolvatur per subtiliationem suæ substantiæ grossæ: postea putrefiat, & humidum quod est frigidum, & innaturale benè separetur per calorem solarem, qui contra ignem vadit: postea sibi administretur suus competens cibus, quem virtus jam dicta habet in se permutari. Et per hunc modum materia mineralis adjuvabitur per industriam Alchymistæ, tali forma, quòd coram omni viro ipsa claro lumine manifestabit effectus suos, & potentias non indigentes probatione logicali. Quia benè concluſum est ad intellectum tuum hujus operis naturalis, in qua forma artifex hujus operis naturalis debet inclinari, & dirigi per considerationem instrumentalem aut rationalem, & non sophisticam, cum sententiis philosophiæ naturalis. Quoniam ad huc non obstante, quamvis ingenium profundum habeat logicus argumentabile, aut naturale de rebus extrinsecis, nunquam cum hoc toto per aliquam rationem, quæ veniat ad sensum, poterit directè cognoscere nec judicare, cum quali natura aut virtute per fortitudinem intrinsecus habeat sua multiplicatio crescere super terram, nisi pro similitudine, quasi simpliciter credendo nostrum magisterium esse, aut non esse, nec quomodo fieri potest, quòd nostrum semen in terra sua pullulat, crescit, & colligit fructus suos & suas messes, hoc nunquam scies nisi cum doctrina experientiæ prius intraveris in Philosophia naturali, & non sophistica, quæ nascitur per diversas præsumptiones fantasticas infusas in illorum capitibus, qui cum prænosticationibus elevatis contra vim & voluntatem rationis & naturæ faciunt multos pertinaciter errare in sophisticatione mentis. Quapropter concludo per rationes suprà dictas, quòd si per

industriam

industriam naturalem, cum claris & evidentibus experimentis tu non habueris rectam rei cognitionem jam inquisitæ, nunquam ad tam pretiosum epulum eris invitatus per naturam. Qui ergo lapidum virtutem ignorat ac proprietatem eorum, qui de potentia deferunt corpora in effectum, & in actum, prout experimentaliter cognitum est, nostro de cibo pretioso non gustabit. Est igitur tibi necessarium, ut lapidum nostrorum experientia naturam agnoscas per practicæ viam, mediante theorica, & doctrina ostensibili, aut per revelationem secreti, quia pauca format theorica, nisi per practicam habeas experientiam, & per experientiam practica formatur, ac etiam clara veritas, quæ humanum intellectum illuminat. Fili ergo bene cognoscere debes processum, qui tibi naturam ostendet lapidum ac virtutem, quæ per vim suam convertit illud, quod nulla res alia facere potest, nisi ipsa per similitudinem suam, & illa est res ignorantibus secreta. Est tamen omnibus sapientibus communis, ut lux mundi, notitiam cujus per experimentorum viam habebis, & non sine illis, aut eorum aliquo. Quia de ipsa experientia exivit veritas rei, per quam multiplicatur tinctura adjutorio informationis nostri magisterii naturalis.

CAP. XXVII.

De Corruptione & putrefactione omnium rerum. Et quomodo omnis res nascitur, & recipit vitam, & animam naturalem à putrefactione, & sicut de ventre putredo matris suæ, & per mutationem elementorum.

HIc cognoscere potes, quod nulla res potest esse animata, nata, aut creata, nisi post sui corruptionem & putrefactionem, ac mortificationem. Quia tunc natura materiæ mutatur de natura in naturam, sicut res fragilis, & materia quæ non habuit suæ perfectionis complementum. Trahe igitur formam à sua materia per corruptionem illius, ut ipsa materia separata à sua corruptione possit perfici in sua sublimatione. Fili in omni materia est quædam potentia activa, sicut dictum est, si intellexisti nos, quæ forma nominatur non completa, & ratione suæ imperfectionis communis est duobus contrariis, quæ quasi nominantur informativa ipsius, secundum suum instinctum, & institutionem. Nam quando hæc potentia per virtutem informativam ducitur de potentia in actum alicujus formæ, statim habet appetitum standi sub forma contraria, sicut hæc potentia, quæ communiter se habet in frigido & humido, nam existente sub uno eorum, statim appetit esse sub forma contraria, id est qualitate contraria. Quia nulla forma corporis corruptibilis aut generabilis potest unquam sufficienter complere potentiam suæ materiæ activam, quoniam compleri sub forma alia desideret, nec forma hæc (cùm sit desperata) potest eam introducere in materiam, nisi post primæ formæ corruptionem. Et ideo secundum quod virtus agens formæ introducendæ, corrumpit præsentem, sic excitatur, & accelerat forma activa ad formam contrariam, & dat paulativè, quòd sit magis & melius completa ad majus complementum, quousque sit facta sub actione completa illius formæ & sine suis proprietatibus non potest esse, nec tota materia. Quando igitur fili corrumpere lapidem nostrum volueris, hoc fac per siccum ignem, ut siccum illud in frigidum convertatur. Et quando voles generationi appropinquare, fac quòd humidum in calorem convertatur per frigiditatem. Et quando eris in puncto generationis, pone frigidum humidum cum calido sicco suæ naturæ. Et quando voles aquam cum calore refrigerare, calefac eam magis. Et quando voles ignem accendere, cum aqua frigida balneetur intus. Et si nivem per frigiditatem, fili, dissolvere volueris, congeles eam melius, & sic versæ sunt, & invenies mutationes naturæ graduales, secundum gradus scalæ naturæ, quæ est rotunda, & elementa rotundat, ut dictum est. Si ergo convertas siccum in frigidum, frigidum in humidum, & humidum in calidum, habebis magisterium. Quia tali modo natura exit de natura mala, & convertitur in bonam, bonásque in meliorem. Et ideo hac in arte naturam modo duplici capimus. Primò, recipimus pro retento, ut est ignis naturæ. Secundo, accipimus pro continente ipsius, ut est aër, in quo ignis se habet movere ad formandum res naturæ. Et quia aer esse non potest, nisi habeat naturam ignis, nec unus potest aliquam formare speciem materialem ad suam similitudinem nisi in natura propinqua, paret, quod lapis noster est de materia aëris compositus, quia nisi esset materialis tinctura, ignem non posset manifestare in effectu vel actione, nec ignis ardere posset sine cibo aeris (noli intelligere, quòd totum sit plus, quàm una natura, ex qua fit totum nostrum ingenium,) nec claritatem daret per se absque aëre quia in quolibet composito est ignis naturæ: & ille certa informatione movetur, & movendo se movet materiam, omni tempore ipsam & semper terminando. Et est necessarium, quòd ducat movendo ad aliquam speciem, secundum quòd formator sciet ipsam benè informare, scilicet ad illam ad quam materia habebit convenientiam secundum cursum naturæ. Propter quod extitit declaratum, quòd non opereris, nisi de nobiliori materia, quam habere poteris, quia res non fit, nisi secundum naturam in ea emendatur.

CAP. XXVIII.

De Humiditate nostri Lapidis, & quomodo ipsa est aqua permanens, & de diversis actionibus ignis, & de subtiliatione elementorum grossorum, & de nigredine.

HUmiditas nostra, fili, est aqua permanens, quia suum humidum radicale non amittit, neque per ignem combustum est, nec ignis maris nostri potest ipsum consumere, quin de uno calore in alium mutari videatur, imò augmentari, meliorari, & crescere in proprietate videatur. Nam ignis est ejus rectum nutrimentum, & causa ejus nobilis incrementi. Ideo quando volueris præparationem nostri magisterii incipere, recipe aquam proportionatam in qualitate secundum naturam corporis, quod dissolvere volueris, tali modo, quod virtus ignis contra naturam non superet calorem naturalem. Quia corpora non sunt ejusdem qualitatis in mensura, quamvis semel fuerunt omnia unius virtutis, in mensura in Domino Deo nostro, modò habent participationem in differentia concordantiæ. Nam aliqua ipsorum non adeo fortis compositionis sunt,

neque ipsorum sulfur tam subtile nec temperatum. Et ideo fragiliori virtute se dissigare possunt. Charissimè fili, ignis, qui calefacit hominem, leonem frigescit, & ignis calefaciens leonem, ardet & cremat hominem. Per hoc autem scire habes quarum fortitudinum sunt virtutes nostrorum lapidum, ad finem, quòd argentum vivum respectu potentiæ sulfuris naturæ possit temperari per notitiam certam graduationis in sua prima resolutione, quia in eo jacet totum periculum. Et ideò tibi notifico, quòd habeas sulfura per calorem destructa simplorum argentorum vivorum in forma tali, quòd eorum proprietas activa non exterminetur extraneo calore, & quod separari non possit à suo subjecto humido, quod ex toto apparet nigrum plenum de nobili spiritu. Ista nigredo demonstrat signum primæ portæ, ad intrandum nostrum magisterium. Et sine ipsa non potest aliquid fieri, quia est ignis naturæ, qui habet lapidem creare qui sui corporis corruptione manifestari non potest. Et nisi manifestetur, nunquam in actione erit, per quam possit crescere aut generare. Cùm autem sit revelatum, quòd initium operationis nostræ est in forma capitis corvi, & operationes præcedentes absque nostræ initio operationis sunt erroneæ omnes, quousque compositum totum nigrum se manifestet: ideo fili intelligere noli, quòd nigredo nostra subitò veniat, neque citò, sed suaviter & paulativè, quia necessarium est, quòd calores per sua media transeant sicut elementa. Quia ignis naturæ cùm sit incluſus in profundiori sui corporis non potest se ostendere statim, quousque sit apertum. Nam in grossis elementis ignis est incluſus & abſconditus. Et ideo necesse est elementa subtiliare, scilicet terram, & aquam, per debilem digestionem, unde causatur viriditas, quæ est primus color, cujus signum dat cognoscere, quòd actio caloris resoluti frivola est & lenta, & per consequens insufficiens dissolvere & rarificare partes terrestres. Ideo in cute & superficie, & ubique color viridis manifestatur indigestus & terrestris in ventre, cujus calor naturæ multiplicatur, qui propter causam humidi excellentis, tenentis eum hebetatum, non potest manifestari, sed ut prædictum est, calor naturalis paulativè vigoratur calore ignis adjutorio, administrati ab Artista & operatore, qui benè scit intellectu suo disponere, informare, & coquere materiam suam quousque appareat desuper induta nigra. Quia tunc ignis naturalis pugnat contra humorem, à quo creatur nigredo. Quando igitur apparere incipit, cresce eam, & multiplica per naturalem informationem, per quam se habet regere naturalis ignis, qui incipit materiam digerere, ut apparet ex nigredine. Et ex hoc extitit declaratum, quòd in puncto nigredinis noster ignis incipit operari, & non aliàs. Et ideo nostri magisterii principium dictus est quia tunc excitatus & acceleratus est nostræ materiæ calor, qui habet potentiam putrefiendi omnia elementa sua, usque ad hujusmodi digestionis finem, quæ est prima caloris in nostro artificio, donec sit completa materia, quia humor ponticus & terrestris per suum contrarium alteratus, & aditus à suo simili habiliter & aprè se digerit. Et tunc in materia completa per gradum dictæ digestionis color niger multiplicatur, non tantùm in superficie, vel in cute, sed per omnes partes subtiles, & separatas in tota materia per multiplicationem, quæ est generata à calore naturali in humiditate radicali. Unde nostra fit alba tinctura sicut nix, & tunc dicimus, quòd corpus fusum est, & liquefactum intus & extrà, & non potentia vel actione ignis communis, sed potentia ignis, qui est calor naturalis. Quia iste ignis apprehendit, imprægnat fortiori calore lapidem nostrum, quàm sit elementalis ignis. Et sic videmus potentias & virtutes rerum, & causas per earum effectus cognoscimus. Hanc rem tene secretam fili, quòd calor naturalis prædominans post diminutionem humidi extollentis omnem grossitiem & substantiæ terreitatem, quam prius non potuit benè dissolvere. Posteà per suam fortiorem actionem resolvit & digerit tantum, quòd venit ad ultimum suæ actionis punctum in digestione prima. Et quando materia sic digesta putrefacta, & optimè cocta est per dictam digestionem, natura separat subtile à spisso, & grossum projectum est ad partes remotas per actionem secundæ digestionis. Et tantum, quantum oportet, convertit ex subtili in substantiam sulphuris, ab argento vivo creati, secundum hoc conversio facta est per informationem datam calori naturæ in tertia digestione.

CAP. XXIX.

De Modo philosophandi. Et quomodo ista Scientia & ars non est data, nisi Philosophis. Et quod congelatio argenti vivi est principale secretum & finale. Et de patientia operatoris, usque ad albedinem transeundo.

HUjus scientiæ libri loquuntur per voces tacitas fortiter notandas, ad finem, ut principalis res in ipsis contenta. Et quod illius secretum non manifestetur nisi Philosophis, & filiis philosophiæ nostræ, qui sunt indagatores & inquisitores veritatis, & amatores ejus, & non sophistis plenis mendaciis, nec avaris, nec amatoribus mundanis, sicut sunt usurarii, mercatores, & renovatores monetæ, cambiatores, & congregatores thesaurorum, condemnatis & per diabolum incantatis, qui nolunt laborare, nec inquirere, nisi in rebus palpabilibus, quia imbibiti sunt & potionati in rebus mundanis, nec possunt aperire intellectum ipsorum ad intelligendum bonas doctrinas nostras, per quas possent habere thesaurum perdurabilem & salvationem. Ideóque tibi dicemus fili, quòd sapienter consideres doctrinas, quas tibi dabimus in libris nostris & nota illas, & glosa fortiter per multas considerationes, & reiterationis speculationes, si desideras non intelligere. Et quando nos intelligas, capias cum ambabus manibus coopertum cum tua camisia vestimento philosophiæ, & sic aliis relinquas doctrinas, sicut patres nostri nobis reliquerunt, & non aliter. Et si contrarium feceris, tu eris maledictus, sicut ille, qui est participans de confusione mundi. Et noli ipsam revelare per vocem vivam, quia nemo sine labore debet artem possidere, nec sine consideratione alicui manifestare actualiter, nisi per cooperturã Philosophiæ, & illis qui per intellectum illuminati & levati sunt, & qui habent instrumenta rectificata ad penetrandum causas & res naturæ secretas. Et tu qui desideras esse filius noster, & nutritus in Philosophia, debes perscrutari per revelationem tui nobilis intellectus, id quod dicemus esse verum in nostro magisterio. Videlicet, quòd fumus auri nostri fermentati, post fixationem suæ reductionis in terra sua apparebit visibiliter in igne philo-

Philosophiæ. Et ideo Fili necessariæ sunt considerationes multæ; antequam procedas ad formationem Lapidis nostri, & quòd scrutator per revelationem nobilis intellectus illorum, quæ dicimus esse vera in nostro magisterio, videlicet qualiter fumus auri nostri fermentati post fixationem & reductionem in terram suam visibiliter apparet in philosophico igne. Scito ergo, quòd terra, in qua nostrum aurum debet seminari ac plantari, primitus est alba antequam visum ignis nostri manifestare possit, habebis tamen Fili in dealbatione patientiam, quoniam ibi magna tarditas est. Fac igitur dealbari terram tuam, & nutriri eam, si vis, quòd filius patris subveniat tibi in necessitatibus. Hæc terra est magnesia nostra, in qua jacet secretum nostrum. Et nostrum finale secretum est, nostri argenti vivi congelatio, sine qua namque fieri non potest certitudo scientiæ nostræ, quæ in principio magisterii nostri est nostri argenti vivi congelatio in magnesia nostra per ingenium, certumque regimen. Spiritus essentiæ quintæ in magnesia nostra est. Nostra magnesia est argentum vivum, quale tibi diximus. Et ex isto exivit fumus auri nostri & argenti, per quem venit omnis color. Et si scias eum extra corpora projicere, medietatem habebis secreti. Et si facias eum reverti, habebis coloratam suam magnesiam, ut nivem. Nam sicut à corporibus projicitur, ita in ea revertitur, scilicet, tam à mediis mineralibus, quàm à metallis cum argento vivo. Nam cùm argentum vivum sit medium conjungendi tincturas in puro subjecto: ita erit medium separandi eas ab impuro, quod est res contra naturam. Et pro isto Mercurio intellige aquam, in qua deportatur tinctura. Quia ignis quando ab uno subjecto separatur, immediatè introducitur in aliud, nisi per ignem impediatur extraneum cùm sit incorruptibilis. Et ideo est necesse, cùm non possit haberi sub forma essentialiter, quod habeatur sub forma substantialiter, scilicet in materia Mercurii, quæ est aqua nostra. Et scias Fili, quòd noster ignis trahitur à corpore parum & parum, & postea vertitur in corpus per suum nobilem calorem. Fili hoc est necessarium semen, cum quo fixatur nostra tinctura in corpore, quando trahitur ab illo cum aqua ignis. Fili imprægna igitur corpus ab igne, & multiplica suam combustionem, & fortem habebis tincturam. Et intellige secretum. Nam initium est atque complementum totius, prout in secunda Parte dicemus Practicæ.

CAP. XXX.

Vnde propria Tinctura Philosophorum extrahitur, quæ tingit argentum vivum congelatum in album, in medicinam rubeam per fermentationem.

TInctura, quam dicimus Fili, extracta est ab auro nostro, & illam in auro vulgari fermentamus, quòd portat illam de potentia ad actum, nec in isto eramus ex toto certi, nec possemus credere, quousque vidissemus nostræ magnesiæ potestatem, quæ ex magno calore suo spiritum congelat per suæ exuberantis naturæ mutationem, multiplicatæ in calore permanente: & hæc fermentatio facta est adjutorio sulphuris rubei fixi, & postea non est nisi ignis, aqua & terra, pleni quinta essentia, & per aquam terra abluitur, per ignem terra tingitur & coloratur, & tunc omni homini manifestatur. Hæc enim est tinctura, quæ à vili terra se spoliat, & de alia multum nobili reinduit se. Et scias, quare nostrum primum venenum non facit deauratum fumum, quando de ipso Mercurius sublimatur. Ideo, quia in suo ventre Mercurius totam accepit tincturam fumi, & est imprægnatus à dicto fumo, qui est noster ignis dictus, & per successivam decoctionem, quæ in natura sua est correspondens naturæ dicti ignis, qui absconditus est in ventre dicti argenti vivi congelati per extensionem partium subtilium suæ ignibilitatis essentialis in dirigendo partes dicti Mercurii colorat, & transmutat eum in suam propriam naturam ignis, qui est pura tinctura, infixa essentiæ materiali individuorum metallorum, quem clamamus spiritum Mercurialem, cùm in eo manifestè sit resolutus, & adhuc sit resolutivum in eodem, & erit, quamdiu poterit, quia sic volvitur natura per circulationem.

CAP. XXXI.

De Modo procedendi in Practica, & quanta res requiritur in Magisterio.

AD informandum super hac re filium artis, opus est magna scientia, scilicet revelatione, vel ostensibili doctrina, ut possit nostri magisterii practicam intrare, & indiget forti ac magna theorica, quæ vires revelet per velle naturæ. Et si es negligens perlegere, & perscrutari contentum in nostris libris, cæcus ibis ad practicam sicut ignorans. Et ideo Fili debes præmeditari, cui rei debes manum apponere ad operandum. Et debes scire, quot & quæ requiruntur principaliter in nostro magisterio vel propinquitate suæ operationis. Et idcirco Fili tibi dico, quòd tria requiruntur, scilicet, Ingenium subtile, naturale, non sophisticum; manuum operatio, & liberum arbitrium, & hoc requirit sapientiam, divitias, & libros. Sapientiam ad sciendum facere. Divitias, ad habendum potestatem faciendi. Libros, ad intellectum aperiendum diversum, qui est in multis gentibus. Quoniam hoc, quod unus comprehendit per doctrinam unius, nunquam poterit comprehendi, nisi per doctrinam alterius. Et sic doctrina unius aperiet doctrinam alterius, fortassis datam per figuram, secundum traditionem plus vel minus valentem. Sed hîc tibi nos manifestabimus in clara voce principale celatum, ad intrandum secreta secretorum naturæ. Unde tu videbis multa pulchra mirabilia, quæ in secretis naturæ sunt reposita, & quasi miracula reputabuntur per secretum dominæ naturæ. In quo est necessarium, quòd incipias ad intrandum per istum modum. Fili necessarium est tibi, quòd primò habeas in cognoscentia virtutem formativam, ex supradictis rememoratam, quæ dependet à nostro magisterio ex certa scientia cognita. Quia ars, id est, scientia, quando veraciter est cognita, sine aliqua ignorantia, per sensum intelligentiæ, qui venit de nobili operatore, informat materiam ad illud esse, ad quod calor naturalis instrumentalis, in quo à virtute informativa influitur virtus activa, & dirigitur ex sua materia ad operandum & formandum directè: tunc apparet, quòd dictus calor instrumentalis sit directus per virtutem formativam, & virtus formativa dependet de scientia operatoris, in custodiendo cursum naturæ in magisterio per quod

iſta eſt influxa in materia, quæ calor excitatus & auctus ipſemet movet illam. Sicut in naturam omnis alterius rei influitur virtus formativa de cœlo & de ſtellis. Quia cœlum eſt principium movens totius naturæ, ſicut ſapiens operator eſt in magiſterio noſtro, per doctrinam ſuæ nobilis intelligentiæ. Revelatum ergo tibi ſit, ea duo ſunt in magiſterio noſtro neceſſaria, ſcilicet, virtus informativa, & inſtrumentum elevatum, per quod noſtrum debet formari magiſterium. Informativa virtus eſt gubernata per quatuor virtutes principales, convertibiles & convertentes, ſcilicet calor, frigus, humidum & ſiccum, ad finem, quòd materia tractetur cum inſtrumento directo, & conducta & deducta ad illum actum, per quem pati debet ſuam operationem ſecundùm intentionem convertentis & convertibilis, & in actione debet informari materia, ut per ipſam informationem ipſius inſtrumentum gubernetur ad complementum ſuæ operationis, voluntati operatori correſpondens in materia informata per artem ſecundum exigentiam naturæ venerabilis, quæ ſagax eſt, & intenta pervenire & perficere ſuum perfectionis opus.

CAP. XXXII.

De quatuor Naturalibus Virtutibus mutativis, & quomodo appellantur, & quomodo operantur.

INtellige Fili, cùm dicta formativa virtus ſe habeat regere per quatuor antedictas qualitates elementales, à quibus ſine medio, & ſucceſſivè quatuor virtutes naturales mutativæ cauſatæ ſunt. Et ideo habes dividere gradualiter informationem, quam omnis bonus Operator debet influere in materia convenienti, & ſucceſſivè in quatuor partes, videlicet, in attractivam naturam, vel appetitivam in naturam retentivam & coagulativam, & in naturam expulſivam, & contentivam, & digeſtivam. Natura attractiva operatur per calorem & temperatam ſiccitatem; natura retentiva per ſiccitatem, & temperatam frigiditatem; expulſiva per humiditatem & temperatum calorem & natura digeſtiva per calorem & temperatam humiditatem. Et in illa actione, in qua materia ipſius operatur in complexione ipſius, habes eam adjuvare, quia ſecundum plus & minus fortitudinis ſuæ complexionis materia tibi oſtendet ſuam velocitatem aut tarditatem, vel temperamentum ſuæ differentiæ tranſmutationis, unde ſui cauſantur effectus ſecundarii, qui tracti ſunt de potentia in actum, ſicut ſunt ponderoſitas, levitas, gravitas, durities, mollities, dulce, amarum, album, & nigrum, &c. Scias ergo Fili, ad quam virtutem, ad quam formam debes tuam tractare materiam, vel ad virtutem appetitivam, vel ad virtutem digeſtivam, vel ad virtutem retentivam, aut virtutem expulſivam. Quia tibi opus eſt, quòd materia accipiat talem informationem per artem cognitam, & ſcitam tali forma, quòd unum inſtrumentum ibi ſit motum, & bene directum, uſque ad ſuæ operationis finem, qui finis certum ſignum monſtrat ſuo magiſterio. Quapropter ſi ipſe habuerit in memoria ſua ſigna, habebit ſcientiam certam, & habitudinem corrigendi & emendandi per confortationem, & debilitationem, quæ ſunt extremitates operationum naturalium. Et ideò intellige, quòd ignis eſt inſtrumentum naturæ, ſicut inſtrumentum, quo faber operatur, eſt martellus, qui movet in materiam ferri ad talem diſpoſitionem, quæ ſit de intentione fabri, qui informat malleum per formalem motum. Sic autem facit calor ignis in magiſterio noſtro, quia ſecundum artem dirigitur ad intentionem Artiſtæ. Nam vel dirigitur ad deſtruendum & corrumpendum, vel ad generandum, vel ad ligandum, aut alias. Et ideo tibi neceſſarium eſt, quòd per hanc ſcientiam cognitam habeas directionem eligendi & cognoſcendi talem ignem, ſecundum quem per artem formatum debet materia de natura in naturam mutari, quouſque motus naturæ ſupremæ, quæ eſt in igne, per terminationem & expulſionem extraneorum motuum in ſua propria materia ſine corruptione aliqua poſſit perpetuò quieſcere. Et iſte eſt calor omnium generatorum, ſicut eſt Solis calor, qui eſt effectus principalis omnis generationis. Ideo tibi ſit certum, quòd ſi ars operatoris ſit incerta ad diſponendum materiam, in illa Lapis noſter formari non poterit, in potentia cujus formaliter & naturaliter totus curſus virtutum, quæ ſunt in centro medicinæ noſtræ eſt incluſus. Benedictus ſit Deus gloriosus omnipotens, qui humano generi dedit intellectum ad conjungendum & integrandum particularitates confuſas totius medicinæ cum univerſitate reali, per quam remanebunt rectificata omnino. Et ideo Fili monemus te, ſi deſideras eſſe perfectus medicus, non ponas te complacentiæ particularitatum medicinæ, quia confuſæ ſunt, nec ſunt hodie integræ. Natura enim eas pati non poteſt propter confuſionem nimiam, ſed complacere in unica medicina, quia non eſt niſi una ſanativa totius malitiæ, pravitatis & infirmitatis, & confortativa ſpiritualium virtutum. Habe ergo & tene opinionem ſecuram emorroytorum. Quia tota ſcientia medicinæ eſt, & eſſe poteſt reducta ſtabiliter opinioni illorum, qui tantummodo contemplantur in univerſalitate, in qua eſt operativarum virtutum congregatio, intellige curſu naturæ. Quia qui multas & plures particularitates ſciet ad univerſalitatem reducere inter aliòs erit melior. Quia in particularitatibus ſunt virtutes confuſæ, & in univerſalitatibus ſunt reales virtutes in unum congregatæ, & excitatæ, ſicut totius naturæ curſus manifeſtat, & eſt medicinarum medicina. Et qui talem habet medicinam, donum Dei habet, quia theſaurus eſt incomparabilis. Recupera igitur ſcientiam, per quam tuam poſſis naturam informare, à qua tale jocale, & tale bonum creatur & formatur per artificium, ſuperans totum naturæ curſum, quia ſi ars incerta operetur in materia, non poterit benè diſponi ſecundùm exigentiam intentionis naturæ, nec natura poterit creare illud, quod ſibi manet, neque illud, quod petit operator, quia materia defecit, in informativa virtute. Et quia inſtrumentum, quod erat ad formandum motum, non erat benè rectum, & hoc fecit ignorantia in intellectu tota, quando Artiſta non habet ſcientiam cognoſcendi certam informationem, de qua dicta materia debet recipere ſuum motum, per influentiam ſcientiæ cognitæ ab operatore naturali. Et ideo, quando influit ignorantia & incertitudo ſcientiæ, natura deviat ab intellectu talis artificis. Et etiam debes bene conſiderare, quòd virtus, quæ eſt in medicina non eiuniatur plus per calorem extraneum, quàm poſſit dirigere. Quia calor ardens & combuſtivus, qui venit ab igne elementali, ſibi datus eſt per inſtrumentum, quæ res nunquam fuit de intentione naturæ, & ideo formare defecit illud, quod petebat Artiſta.

CAP.

CAP. XXXIII.

De Informatione caloris naturalis per excitationem factam per ignem communem, vel de informatione naturalis caloris cum calore, qui est contra naturam.

FIli intelligere potes, quòd solus ignis naturalis aut ignis naturæ confortatus cum igne non naturali, cum operatione confortationis, vel creationis, vel transmutationis, uniformiter operatur in materia, excitata solummodo per ignem contra naturam, tali modo, quòd ignis naturalis, in quo est virtus activa, non sit superatus per elementalem ignem. Et in operatione prima suæ corruptionis observare debes, quòd ignis contra naturam superet calorem naturalem innatum in mobili subjecto uno gradu tantùm, & non ultra illum numerum. Quia spiritus individuus, qui est speciei conservativus, desiderans similem generationem recto instinctu suæ naturæ corrumperetur, per suæ destructionem essentiæ, & tunc amplius non haberet appetitum similem generationem faciendi. Quia natura exiret per corruptionem & destructionem, quæ contra naturam sunt, & terminum acciperet, & finem consummationis, quia non haberet locum, in quo requiesceret, nec aërem, in quo respiraret. Et debet intrare vacuitas, de qua locus erat plenus extranea natura. Et debes habere magnum alembicum, ut materia liberius possit ascendere, & cum parvo igne excitari, ut veniat in aërem. Et non est necessarium, quod per ignem excitatum aër multum condensetur in aquam, eò quòd virtus activa submergetur, & suffocaretur nimis in aqua, & tincturæ naturales comburerentur, quando actio caloris ignis elementalis occuparet partes ignis naturalis, aut locum, ubi deportatur. Sicut videtur, quòd maga flamma parvam destruit, & istam in se convertit. Non enim volumus, quòd ignis contra naturam convertat naturalem in tota sui substantia essentiali & accidentali: sed quòd naturalis convertat sua prima potentia in parte jam alterata ignem contra naturam. Et ideò tibi existat revelatum, quòd duæ operationes certæ sunt tibi necessariæ, scilicet, corruptio, quæ facta sit sub suæ formæ conservatione, & per ignem contra naturam fit, cùm ignis elementalis excitatione adjutorio naturalitatis nominis naturalis. Alia operatio est generatio, quæ fit cum igne naturali multiplicato ab igne non naturali & contra naturam. Quia duo ignes isti conversi in igne proprio naturali, scilicet ignis non naturalis de per se, & per accidens, & ignis contra naturam per accidens amore attrectationis ignis non naturalis. Et in isto naturali igne sunt reperti & conversi. Quare igitur sunt inter ambo instrumenta naturæ calida, & multùm temperata, ex multùm forti virtute, quæ est alta, & potentissima ad faciendum novam regenerationem aut colligationem multarum virtutum conjunctarum in uno proprio subjecto, quod est secretum naturæ per artem magisterii conjunctum ad naturam humidi radicalis.

CAP. XXXIV.

Quomodo materia nostri argenti vivi reperitur. Et potest inveniri in omni corpore elementali.

SI vis Fili nostri magisterii effectum habere, argenti vivi nostri naturam ignorare non debes, quod in omni elementali corpore reperitur. Et omne corpus elementale in quacunque forma natura formaverit illud, compositum est de quatuor elementis principalibus, ut per revolutionem circuli naturæ manifestè patet, qui ostendit, quòd nulla res creata vel generata per naturam, jam non erit adeo diversæ formæ seu figuræ, quin per principia naturalia reperiamus eam esse compositam ex uno genere materiali, scilicet, argenti vivi quod quidem volumus nominari genus naturæ propinquius generale, tanquam proprium ejus subjectum naturale, in quo domina natura pingit & protrahit suas figuras diversas. Et nota, quando dicimus propinquius nos ad differentiam generis universalis dicimus, à quo istud descendit. Et quando dicimus illud generale, dicimus ad differentiam majoris propinquitatis alterius generis, quam habet ad naturam. Et ideo cùm de isto fit genus in eum convertitur, quando per artem vel naturam appropinquat, est primæ formæ generis universalis, à quo alia genera omnia descendunt, quæ sunt argenta viva nostra. Et ideo, cum omnia genera veniant successione naturali graduali à primo argento vivo, quod est generalissimum, remotum à principali & propinquiori, medio naturæ: quare dictum est materia prima omni generi succedenti, nec sic discordant vel discrepant in natura primi generis, quod est universale generalissimum clamatum in Philosophia nostra unde decepti sunt logici & logistæ, quia tantummodo habent in specie vel figura, prout manifestè vides die qualibet quòd genus nutrimenti convertitur in genus nutritæ rei, quod natura facere non posset, nisi genus convertentis generi & naturæ conversi concordantiam haberent. Hæc concordantia fili descendit à primo genere in tria genera diviso, scilicet animale, vegetabile & minerale. A primo genere venit vapor, generatus ab elementis immediatè & sine medio. Et iste vapor est compositionis primæ, & de secunda sunt corpora mineralia, & de tertia compositione vegetabilia. A quarta bestiæ, bruta, & à quinta sunt homines. Sed omnia hæc descendunt à genere principali principalissimo, à quo natura recipit argenti vivi naturam ad creandum omne aliud compositum. Et omne compositum ratione dictæ materiæ tanquam in prima re Mercuriali transmutatur in aliud, sicut dictum est, in naturam & materiam alterius compositi, videlicet quòd genus Mercuriale vegetabile transmutatur in genus animale & minerale, & hoc quando appropinquat ad retrogradationem ad secundæ gradum compositionis, ex qua sunt corpora mineralia, sic natura facit transmutationem talem subtili separatione puri ab impuro, scilicet homogeneæ rei, & heterogeneæ. Quia naturæ intentio talis est, quòd quando vult disponere ad destructionem suum compositum, immediatè cogitat separare naturam, quæ participat cum re quinta, & in illa salvat & conservat primam speciem, quia consilium aliud recipere nequit. Et si sic est quod causa magnæ excitationis hoc non possit facere, moratur in materia magis grossa, qua transmutat dictam materiam

riam in genus alterius compoſiti, vegetabilis vel animalis aut mineralis. Nam ſecundùm quòd corruptio in potentia ſe extendit, & ſecundum corporis materiam, ſecundum hoc tranſmutatur in illam, vel aliam, aut ſimilem, ut ſi materia ſimplex quintæ compoſitionis corrumpatur, abſque conſervatione formæ, ſtatim appetit quartæ compoſitionis materiam, per naturam immediatè groſſam. Sed iſta diviſio fieri non poteſt per artem, neque per naturam ad perfectionem materiæ, niſi convertens activum reddat materiam totam homogeneam, & quòd pars illius ſimilis ſit totalitati, vel ſimplex ſit forma, ut eſt forma elementorum, aut forma mixta, ſicut eſt forma lapidis aut metallorum. Et hæc homogeneitas facta eſt, ut materia ſeparetur ab omnibus formis, quæ non ſunt de ſequæla harmoniacæ commixtionis corporum, ad quæ natura, vel ars intendunt dictam conſtituere materiam. Aut fortè dictum convertens eſt naturale, aut contra naturam. Si eſt naturale, tunc creabuntur lapides non fuſibiles per calidum & ſiccum. Et ſi contra naturam tunc creabuntur lapides non fuſibiles, in quibus non remanſit humiditas, quæ erat informanda per naturam convertentem, niſi ſit ſecundum continuitatem materiæ. Quapropter lapides non poſſunt fundi, nec funduntur. Et quando dicta materia per gradus ſeparationis eſt diſgregata, tunc eſt vicina primæ cauſæ. Et quantò illi proximior, tantò multiplicabilior nobiliſſimis virtutibus, videlicet, quando corpus, ex quo eſt perfectio, quod vocamus unguentum fixum, infigit in illum ſuas figuras, quæ ſunt multiplicatæ tinctura aureitatis aut argenteitatis, per quas figuras virtus nobiliſſimæ materiæ perficit effectus & officia, & ſuas tranſmutationis proprias actiones, ſicut in ſua vidimus projectione, tam in corporibus mineralibus, quàm animalibus.

CAP. XXXV.

De Genere ſupremo, à quo omnis natura exivit.

IDeo Fili ſatis elucidatus eſſe debes, & videre, quòd niſi eſſet univerſale & ſupremum genus; per quod natura gubernatur: nulla res, quæ per naturam creanda, vel generanda eſſet, poſſet eſſe, neque res animata vivere, niſi ſuſtentatione generis ſupremi, quod genus eſt materia naturæ, ſed perderet natura ſuum eſſe. Quaptopter cùm in tali genere ineſſe materiali licet confusè ſit potentialiter, in materia & ſubſtantia cujuſcunque generis: neceſſitas eſt tibi, quòd per tranſmutationem ſuæ formæ per certos gradus ſeparationis convertat dictas materias de potentia ad actionem ſcilicet in primam materiam, non tamen remotam à genere metallino, ſed propinquam & vicinam ad lineam, aut ad genus, in qua erant in eorum initio. De qua materia vel genere natura incipit operari, antequam alia forma eſſet materiæ primæ introducta ſeu generata propinquiori aut viciniori generi.

CAP. XXXVI.

De Materia, quæ deſiderat habere unitatem formæ, ut de ſua perfectione in unitate ſpiritus quintæ eſſentiæ integretur.

ISta prima Materia Fili, eſt terra ſubtilis ſulphurea, quæ multum optat integrationem de unitate ſpiritus quintæ eſſentiæ, ſicut prima materia deſiderat aliquam propriam formam, cauſa & ratione ſui complementi: & ideo præparetur materia argenti vivi humidi per ſeptem diſtillationes, ut materia ſit pura, cum qua per reſolutionem pura forma habeatur: & ideo hoc intelligatur in materia ſicca & humida: & ideo quantò materia nobilior & melior eſt, tantò deſiderat formam nobiliorem, & quantò nobilior eſt forma, tantò magis materiam nobilitat ſuam, tamen quòd materia ſit habilis ad reſumendum illam, ſicut eſt quando approximata fuerit, aut per artem, aut per naturam ad actum primæ cauſæ tunc multum habilis eſt ad recipiendum formam mineralem aureicam, quæ clarificat, illuſtrat, & eam penitus nobilitat. Ideo hæc mobilis terra, dictum eſt ſubjectum Mercuriale, cùm in primam ſubſtantiam argenti vivi converſa ſit, & nullam recipit terminationem. Et in hac terra Fili debes fixare elementa, in quibus opus eſt, quòd quieſcat fumus auri noſtri, tanquam ad primum elementum, quod eſt omnium aliorum ſubjectum & fundamentum, quæ debent fixari ſuper. Ideo, qui eſt magis materiale aliorum omnium, quamvis ſubtile ſit multum ac ſpirituale in forma terræ albæ, multæ, & magnæ virtutis. Si hæc Fili tibi ſit abſcondita, habes omnem artem noſtram, atque ſcientiam ignorare, quia eſt totius magiſterii noſtri principale fundamentum. Et ſi vis ejus habere notitiam per doctrinam noſtram, tibi eſt & erit revelata. In omni loco eam reperies, & ab hoc trahes, ſicut in ſecunda parte dicemus, quia eſt ſulphur & argentum vivum, ut ex ejus apparet proprietate, quando recipit in ſe rubeam & ſanguineam tincturam ſupremi metalli, & accipit ingreſſum & fixationem perpetuam, non tamen ſine magiſterio noſtro tibi Fili revelato in ſecunda parte. Et quia proprietas argenti vivi eſt diſſolvendi & dealbandi ſuum ſulphur. Et proprietas ſulphuris eſt congelandi & rubificandi ſuum Mercurium, talem reperies eam ſuis virtutibus munitam à primo genere receptis. Et adhuc multas alias proprietates habes perfectionis, ut audies poſtea. Scias tamen, quòd non eſt argentum vivum vulgare in tota ſubſtantia, nec in ſua natura, ſed eſt argentum vivum philoſophicum, auri, ſcilicet, & argenti, appropinquatum generi creato ab entibus realibus, certis menſuris naturæ, per artem jam notam.

CAP. XXXVII.

Quomodo omnes res mundi ſunt de ſulphure, & de argento vivo, ſicut de univerſali materia, & de ſuis ſuccedentibus, & quòd in omni loco reperitur per ſuas proprietates.

ADhuc Fili tibi manifeſtamus, quòd omnis res mundi compoſita ex ſubſtantia quatuor elementorum ſubſtantialiter, non eſt niſi ſulphur, & argentum vivum pura, munda & incombuſtibilia in primo ſuæ creationis puncto, & hoc ſcire & videre poteris per artem, quæ hoc facit per operationem magiſterii noſtri, ſcilicet, quando humidum, terreum, ſiccum congelatur, ſicut per vinum apparet, de quo Mercurialis ſubſtantia in naturam humanam convertitur, hoc eſt primum genus, vel prima materia, & media ſubſtantia, in qua natura infigit, & fixat omnes colores ſuos, diverſas ſubſtantias figurando. Iſti colores & proprietates adveniunt à proprietate naturæ conjuncta ſulphuris, & ar-

& argenti vivi per instinctum suæ naturæ. Adhuc multas alias proprietates habet hæc prima materia, per quas scimus de natura sulphuris hanc esse & argenti vivi. Nam in igne corrumpi non potest, nec in aëre, aqua, vel terra. Et habet proprietates dissolvendi, congelandi, trahendi in appetitum, attrahendi, retinendi, expellendi, pellendi, & dirigendi, quod est perfectio & complementum rei animatæ cum contrariis passionibus, per quas proprietates constat certissimè, quod est de natura sulphuris, & argenti vivi, cùm in illis fiant contrariæ operationes, quas facere non posset, nisi esset de natura amborum ac proprietate ipsorum. Et cùm proprietates dictæ nequeant esse sine substantia, sicut nullum accidens sine materia, nos dicimus, quod hæc substantia non est nisi sulphur, & argentum vivum, collecta secundum suam compositionem. Per quæ patet, quòd Lapis noster in omni loco reperitur causa & ratione proprietatum suarum, & ex illa experientia cognoscimus, quod est prima materia omnium rerum universalium, quæ per generationem & corruptionem formatæ sunt secundùm corruptionem earum. Quare nobis declaratum est, quòd est de natura sulphuris & argenti vivi: & propter hoc non est argentum vivum in tota sui substantia, nec in tota sui natura, respectu argenti vivi communis, sed in parte de ipso est, & ideo amicabiliter adhæret suæ naturæ, & ipsius est perfectiva, ratione potentis digestionis suæ per quam crudum convertitur in coctum, tunc enim natura lætatur natura, & est ipsius mater & ejus naturæ mansio per concordantiam ejus, quæ movetur à prima causa, & unum congelat alterum reliquum, & perpetuo se fixant, & jungunt sine ulla disjunctione, quæ res fieri non posset, nisi natura unius esset affinitate participans naturæ alterius, & hoc propinquitate & vicinitate primi generis, à quo omnia processerunt. Et ideo dicimus esse cognitum manifestè, quòd hæc materia prima est de natura argenti vivi, & est ei propinqua, cùm in sua projectione defendat argen um vivum vulgare contra ignem ab adustione absque fuga, & eum congelet, & mirabiliter retineat post ipsius perfectam fixionem. Unde notandum, quod natura medicina non est, nisi argentum vivum benè digestum, & coctum per naturam sui sulphuris depurati. Et cùm materia argenti vivi sit de natura metalli, ideò penetrat illud & mixtionatur secum, quoniam ipsum est de substantia & natura illius. Quare debes intelligere, quod argentum vivum fixari debet, primò in quadam decoctione descendente ab una proprietate, quæ est digestio & perfectio ipsius per fermentum Solis & Lunæ, antequam projectionem facias super argentum vivum vulgare, quia tota aërea est, & propter hoc ad totum volaret ab igne vel totaliter maneret, quia tota ejus substantia est incombustibilis & aërea, quæ res est operativa & similitudo totius perfectionis.

CAP. XXXVIII.

Quomodo in omni loco Lapis noster reperitur. Et de ingenio quomodo potest reperiri.

CUm ergo Fili tibi dixerimus, quòd à talibus materiis omnes mundi res suam accipiant formam substantialem, accidentalem, & spirituajem, propter hoc dicimus, quòd in omni loco nostrum Lapidem reperies, cùm de illa omnes res mundi fuerunt procreatæ, hoc cognito, vide quæ materia cupis esse Philosophus, quia ob omni re, vel aliquibus eorum tu extrahes primam materiam, etiam de potentia in actum, de facto & actualiter, ut jam revelavimus, quòd de illius tantummodo materia, quod ex ipsa solummodo sunt in veritate, magnitudine & potentia erunt procreatæ, verbi gratia, quando faber vult clavum facere, opus est, quòd materiam convenientem accipiat, scilicet, ferrum, quia sine materia ferri non potest clavum fabricare: deinde per sua instrumenta habet figurare, per informationem ab intellectu suo venientem, quousque ad optatum finem veniat: sic est de natura, quia quando vult aliquam rem incipere figurare in forma substantiali, materiam primam accipit simplicem, quæ est sine forma completa, & in illa fixare incipit elementa, quæ sunt de natura diversa, secundum quod sunt depurata & magis simplicia facta in naturali præparatione per actionem caloris temperari, figurando formas diversas, colores, odores, sapores, & in complexionibus diversis; secundum diversitatem mixtionum elementorum in hac prima materia, sive sit in animalibus, seu vegetabilibus aut mineralibus rebus, quoniam ad omnia habet respectum convertibile dicta materia ratione suæ incommixtionis. Idcirco in omnia se habet converti, veluti generale semen omnium rerum, secundum operationem influentiarum rerum, & causarum conjunctarum & secundum attractionem loci, in quo est materia. Et propterea genus simile primo, in quo est materia per individualitatem primi generis, quod dicitur genus generalissimum, quod per corruptionem naturalem cum artificio trahitur ab illa materia jam completè formata per naturam & per generationem, convertimus & congelamus in propriam naturam similem formæ sui primi generis, quod dicitur argentum vivum, quod est subjectum receptivum omnium colorum & formarum, cum conjunctione suorum elementorum, talium, quales sibi appropriantur, nam materiæ proprietas est appetere formas infinitas. Idcirco huic nobili materiæ est nobilis adjungenda forma: habeat ergo nobilissima elementa, quæ contineant formam aut speciem, quam petis, quia recipiet talia qualia sibi ministrabis, & ex illis tingetur, & de toto convertetur. Quia fermenti proprietas est lapidem vertere in naturam fermenti, scilicet, in naturam liquabilem & fundentem rationem oleagmatis subtilis, & olei incombustibilis & fermentabilis, quod leniter intrat omnes partes dictæ materiæ, quæ in liquore permanente submergitur, quæ postmodum vocatur fermentum potens. Nam in sua natura omne metallum convertit, secundum potentiam eidem limitatam, & secundum quod sua elementa pura sunt & temperata. Sic similiter erit temperata. Et quoniam hæc materia convertitur, & in omnem formam, & in omnem complexionem temperatam, ad quam appropriatur, vocamus eum Mercurium nostrum, ad instar Mercurii cœlestis planetæ, qui frigidus, calidus, humidus & siccus secundum revolutionem circuli reperitur, vel est temperatus, vel intemperatus secundum diversitatem pluris aut minoris suarum oppositionum, conjunctionum, aut respectuum: & eo modo hic lapis, quando est in aqua, tunc est valde frigidus, & quando est in igne, tunc est multùm calidus, & quando est in aëre, tunc est valdè humidus, & sic de aliis elementis. Et istud temperamentum debet eligi, sicut

dicit

dicit Arnaldus de Villa Nova in ſuo Roſario in cap. 14. quod incipit : Omnia ſub termino definito, &c. in fine, &c. Conſimiliter Fili, eſt hæc materia convertens ſe ad naturam, cum qua conjungitur, tam conjunctim, quàm diviſim ſecundùm modum & virtutem conjunctionis aut diviſionis terræ fermenti. Ideirco Fili, ſi velis, quòd vertatur ad naturam metalli, conjunge cum natura metalli, cum quo approximatur uſque ad paſſum ſuæ virtuoſæ fermentationis, videlicet, quòd adjungatur ſiccum, quòd eſt materia, videlicet ſulphuris metalli cum materia humidi metalli videlicet aëris, ut poſſit fluere & fundere, eò quòd de homine exivit homo, de tauro taurus, & de metallo metallum. Et in hoc evitabis errores illorum, qui tempore ſuo fecerunt lapidem rubeum ſine aliqua fuſione effectiva quod in illo venit per proprietatem metalli, quæ eſt liquefacere ſemper. Et notare debes : nullum eſt fermentum metallicum, niſi in auro & argento, quia ſunt tincturæ, per quas noſtrum argentum vivum coloratur. Et qui ſine tali argento vivo metalla tingere credit, cæcus ad practicam tendit, & ad tranſmutationum ſuarum effectum ; nam aurum tingit metalla in colore aureico rubeo, ſicut ſanguis, & argentum tingit metalla in colore albedinis penè penetrantis ac intrantis omne metallicum corpus. Si ergo cum auro & argento ſcis tingere in argento vivo, tum venies ad magnum ſecretum, quod eſt ignis noſter, & iſta ſunt media materialia depurata per ingenium naturæ, in quibus ſunt entia realia intenſa & virtuoſa cum omnibus ſuis accidentibus, per quæ debes ſemper contemperate lapidem in mixtione, nutritione, fermentatione.

CAP. XXXIX.

Ad tenendum ſecretè Lapidis inventionem.

TEne ſecretum, quòd in omnibus rebus creatis & formatis per naturam in eorum ultima depuratione reperta eſt materia prima omnium rerum & cujuſlibet ipſarum in forma Mercurii. Et hoc nobili videmus experientia, ſi facere velis, quæ materia dicta eſt genus generaliſſimum, non tamen quòd accipias ſicut capiunt laici, qui capiunt per terminum conſideratum, vel per ens phantaſticum, ſed ſicut eſt ens reale, qui eſt terminus materialis naturæ, à qua recipit ſua principia materialia in actione generationis, quia eſt ens primum, qui eſt terminus materialis in natura. Philoſophia noſtra ſub umbra logicali clamat cum generaliſſimum genus, quia eſt primæ naturæ ſubjectum, quòd in tribus eſt diviſum, per quod eſt genus generis mineralis : item eſt genus generis vegetabilis : & iterum eſt genus generis animalis : & ideo Philoſophiam noſtram volumus comprehendi à tribus principalibus generibus in arte experientiæ, ſcilicet, de minerali, vegetabili, & animali. Scitò Fili, quòd plures libros noſtros legent & eos intelligere non poterunt, quia in eis erunt ignoti & abſconditi, atque cooperti termini principales noſtri veri intellectus, & aliorum ſimiliter, qui per eorum ignorantiam & defectum laborabunt de die in diem nos reprobare, quia dicimus veritatem, & in fine cognoſcentur omnia cum illorum reprobatione. Ideo ſi poſſes attingere ad libros noſtros à talium manibus abſconditos tene, & maximè ab illis, qui hanc tractant artem. In quibus libris apertè revelamus totum ſecretum. Et ſuper omnia cuſtodi præſentem librum ab inimicis mundi, quia magna mirabilia ibi ſunt & erunt inventa per certas experientias, ſicut dicemus in ſecunda Parte hujus Libri.

CAPUT XL.

Quomodo Lapis poſt inventionem ſuam recipit adjutorium ab aliis rebus, ad efficiendum Elixir completum.

CUm ulterius tibi dixerimus, quòd dictum genus cuſtodiatur ab omni nigra combuſtione, hoc eſt tibi neceſſarium, quia per illud genus omne tuum opus perficies adjutorio tincturatum Solis & Lunæ, ſed opus eſt, ut ſcias illud per artem & ſcientiam noſtri magiſterii extrahere prout dicemus tibi in ſecunda Parte, & expoliare ipſum ab omnibus ſuis extrinſecis figuris, quas natura in ipſo poſuit, ſicut ſunt diverſarum planetarum figuræ, ac diverſorum mineralium & diverſorum liquorum. Et de omnibus iſtis tamen plus in quibuſdam quàm in aliis propinquius reperta eſt, & majoris abundantiæ & adhæſionis majoris ſubſtantiis & naturis metallorum ; ſecundum quod plus continent de ſpiritu quintæ eſſentiæ, ſicut inter vegetabilia vitis dicta materia maſculina, & magna luminaria, quæ eſt ſuccus vitalis, & radix frumenti ſive ſtraminis & portis & portulaca, malva & Mercurialis & chelidonia, & aliæ arbores, & herbæ quæ ſunt calidæ & humidæ naturæ, quæ portant flores, & gummas, unde poteſt fieri oleum, quorum genus multum adjungitur materiæ & naturæ metallorum & mineralium, & alia omnia quæ natura ſunt calida & humida. Et inter beſtias eſt ſpecies baſiliſci, & apum quæ faciunt mel, & ceram. Et inter liquores ſunt ſanguis humanus, & capilli juvenum hominum ac urina, lac animalium & aliæ humiditates viſcoſæ. Et inter mineralia ſunt Sol & Luna, quia Lapidum ſunt fermenta. Et de ipſis propinquiis exivit dictum genus, quod melius adhæret propriis ſubſtantiis & naturis metallorum, ſcilicet auro & argento. De quibus debes fermentationem facere Lapidis per conjunctionem naturalem, & poſtmodum habebis in omne aliud metallum ingreſſionem mediante fermento, quod attrahit ipſum in naturam propinquam veræ medicinæ, quæ participat eſſentiæ perfectorum corporum & eſſentiali corruptioni perfectorum. Et per hoc tibi extitit revelatum, quòd quantò magis appropinquat naturæ gradualiter, tantò melius naturæ participat, & quantò magis participat, citius amore naturæ eidem ſe adjungit, & in eam convertitur. Quia natura ſapiens citius gaudet & lætatur cum ſua natura, quàm cum extranea. Et ſic apparet, quòd per media naturæ habes tranſire ſuaviter ad extremitates, & lapidem noſtrum trahere de potentia ad actum.

CAP. XLI.

De Terminatione ac Fine Lapidis in diverſis figuris. Et quomodo eſt inter Lapides, & inter Sales, & inter Vitra, quæ omnes exiverunt de ſua natura. Et quomodo debet naſci.

IN hac nobili natura terminatur, & finitur genus (tibi ſuprà dictum) quod à lapidibus traximus,

traximus, de herbis & animalibus in forma aquæ claræ impræg.atæ à spiritu quintæ essentiæ, quam posteà congelamus cum vapore sui sulfuris, & tunc apparet lapis, qui antea nobis erat absconditus cum homogeneitate liquorosa. Fili, nostrum sulfur inter lapides creatum est, & crescit inter sales, & inter vitra de prima substantia, de prima re, quæ est dicta substantia argenti vivi, Fili de hac substantia argenti vivi facimus omne opus nostrum, quia incorruptibile est, sed non de sale, quod terminatur in rupem, nec de vitro, neque de alterius lapidis substantia, sed inter illa creamus, quia ipsa credimus esse vasa naturæ, quæ dictum genus elegit. Et ideo, quando lapis noster creabitur, fac eum nasci de ventre matris suæ, nec amodo aliud ponas, quia secum defert virtutem ventris matris suæ, scilicet illam naturam sulfuream, quæ omne argentum vivum congelat. Illa est terra, in qua nostrum aurum seminamus, quia posse habet cum retinendi. Et talem intentionem habere debes in extractione lapidis à principiis naturalibus tam lapidum, quàm herbarum: cùm Deus gloriosius posuit virtutes plures in lapidibus & herbis, per quas si benè cognoscerentur, multa ex eis mirabilia fierent supra terram, quæ simplices absque dubio miracula reputarent.

CAP. XLII.

De magna Conjunctione. Et de modo masculi & fœminæ. Et de Solis & Lunæ eclipsi. Et de secunda nascentia nostri argenti vivi, ad faciendum elixir completum.

MOdò tibi revelatus est locus, unde potest exire nostrum argentum vivum quod facit conjunctionem femellæ & masculi. Non credas, quòd sit in loco femellæ nec masculi in magno magisterio, imò est quasi mediator solis & lunæ, quoniam sine argento vivo isto bene non conjungerentur in perfectione lapidis majoris, propter hoc cum dissolveris Solem & subtiliaveris cum nostro argento vivo videbis sanguinem hominis, qui requirit retinaculum opportunum, hoc est femellam convenientem, quæ portat cum infra suum ventrem. Et hoc erit Luna, quæ impræg nabitur ab igne nostri Solis, donec sit nigra sicut carbo. Hoc facit noster Mercurius, qui resolvit tincturam solis, quæ est rubicundior sanguine draconis, & ipse remanet totus tinctus. Postea venit femella, quæ concipit totum hoc & exinde fermentatur donec ad partum veniat. Igitur fili tibi clarissimè reveletur, quòd generatio nostri lapidis virtuosi & magni precii non potest fieri nisi cum masculo jungatur femella conveniens. Quoniam licet absque femella dictum compositum solis possit dissolvi, attamen actio & passio non potest esse sine proportionato in actu generationis & corruptionis. Et per hoc te facimus scire, quod secundum terminationem graduum naturæ componimus & discomponimus, sic, quòd Mercurius in primo gradu suæ conjunctionis tenet actum corruptionis illius, cum quo commiscetur, quousque ambo decollentur, scilicet, & Mercurius & Sol, & Mercurius & Luna. Sed Luna respicit ad actum generationis ad faciendum magnum lapidem, videlicet, quando Mercurius cum Mercurio conjungitur, tunc non est nisi unum compositùm, verùm nigrum sicut carbo. Quapropter tunc apparet, quòd noster Mercurius non est femella conveniens, cùm corpus sit de tam magna puritate, quòd per suam magnam claritatem corpus compositum corrumpit, & habet potentiam dividendi suam naturam ab natura extranea, quæ venit ab elementis in eorum conjunctione. Ob hoc indiget alia nobili femella, quæ habeat potestatem per vicinitatem recipiendi & portandi, & nutriendi nostrum charum infantem absque deperditione suæ nobilis materiæ propterea vertitur nigra, quia ipsum totum vult retinere. Tunc poteris dicere quando videris hoc quòd luna patitur eclipsim supra totam terram, quam portat in suo ventre, & Sol similiter quoniam nihil inde videtur, quoniam ambo eclipsim patiuntur. Et sic vidimus Unde sunt multi Astrologi qui credere nolunt, dicentes, quòd hoc est contra naturam, & de hoc dicunt verum. Sed non habent intellectum naturæ, quia contra naturam est corrumpere compositum, quod ipsamet creavit per suam diligentiam magnam. Igitur necesse est fili, quòd dicta femella sit substantiosa in natura, & propinqua generi minerali ad omnia accidentia totius substantiæ universalis respectu masculi in complexione. Quoniam de carne exit caro, & ab aqua ventus, & de vento pluvia. Et ideo necessarium est, quòd habeamus duas substantias materiales & principales, quæ concordant ad unam naturam, & sunt magis approximantes ad illam, ut natura passiva de sua plenaria voluntate, & de sua propria natura habeat appetitum recipiendi formam virturis masculinæ. Velut femina appetit virum per instinctum naturæ magis, quàm ulla res alia. Veruntamen fieri non poterit per simplicem femellam, cùm ipsa venerit, & devallatur à genere generalissimo, ex quo omnes aliæ res sunt generatæ cum linea graduali: sed cum multis operationibus & cum longa digestione, in qua multæ, & quasi infinitæ expensæ indigerent, cùm adhuc opus nostrum non sit incœptum: & quando lapis per artificium subtile natura metallorum cum dicto argento vivo exuberato fuerit creatus. Quoniam necessarium est, quòd noster Mercurius nascatur cum natura duorum corporum, & posteà ab illis expellatur, antequam de illis poterit fieri elixir completum. Et ideo sunt delusi Artistæ moderni, qui credunt esse ad finem, quando deberent incipere, & faciunt projectionem cum magna abusione, quoniam non integraverunt totum cursum naturæ completæ, qui durat per spatium duorum annorum, unde lapis est unius anni, & elixir alterius omni novo Artistæ, qui nunquam fecerit. Sed omni bono Artistæ experto, qui est subtilis habetur unus annus, & tres menses, quia secundum quod corrumpitur, similiter generatur. Idcirco si est expertus in sua corruptione, tantum magis erit expertus in sua creatione, quoniam id, quod corrumpit, hoc idem creat, & totum hoc per operationem fit, quæ per nos clamatur solutio & congelatio, quas tibi dabimus per practicam scitam, & per nos cognitam in secunda parte hujus testamenti.

CAP. XLIII.

De Naturis radicalibus ad consequendum & citius attingendum perfectionem, & naturam specialiorem matrimonii. Et de virtute, quæ exit ab hoc matrimonio.

PEr hoc fili, cùm noster Sol masculus indigeat magis appropriata femella in natura, idcirco eligimus materiam magis coctam, per quam

decoctionem ſua natura vertitur in naturam metalli medii mediante quo noſtrum magiſterium melius completur cum magna perfectione. Ideo fili, tu debes eligere & cognoſcere meliores radices minerales naturæ, quæ ſunt magis approximatæ & approximandæ in natura aliquabili cum toto eorum ingenio. Cum quibus precor te, quòd noſtrum magiſterium teneas ſecretum, quoniam generans activè, & generatum paſſivè, eſſe debent in una ſpecie & forma conſimili, ſcilicet, forma metallina, quia ſic requirit natura, ſicut loquemur plenius in fine noſtræ theoricæ pro melius intelligendo perfectionem noſtri magiſterii, quod comparatur generationi humanæ, ratione diſtinctionis ſui ſexus aut generis. Sed licet dicta femella mineralis ſit de calidiori natura, quam prima quæ non habet aliquid de calore nec frigore complexionali, niſi in termino excellenter ſimplici, dicta tamen femella mineralis eſt frigida in natura complexionaliter ſui maſculi reſpectu, qui eſt calidior actu, quàm ipſa ſit ſecundum gradus naturales in complexione generationis. Et ſic ſecundum diverſas actiones per naturam introductas, diverſæ formæ productæ ſunt in complexionibus diverſis de potentia in actum. Et ideo ſi femella eſſet adjuncta, & addita primæ femellæ ſimplici, quæ deſcendit à genere generaliſſimo intentione, quod generatio de ipſis duobus fieret, femella mineralis in hoc caſu eſſet dictus maſculus ratione ſui magni caloris, & teneret locum maſculi, ſed non eſt talis, ſicut maſculus perfectus agens, qui eſt dator formæ per actionem generationis, & in quo eſt generationis perfecta forma, quæ portat materiam in eſſe completo. Et quia licet in luna eſt forma activa & materialis, eſt tamen remota uſque ad certam gradualitatem, & illi convenit dare activum tale materiale, quod habeat poſſe dare ei certam formam ſpiritualem, quoniam aliter eſſet nimis tarda in generatione ſibi ſimilis. Et ad evitandum talem errorem, natura nobis oſtendit experientiam certam, qua virtutes ejus debent augmentari. Unde tibi dicimus, quòd hoc fit ſui maſculi calore, tam in prima conjunctione ſolutionis ipſorum, quàm in ſecunda de ſui germinis reductione, tunc copioſè & in abundantia magna concepit femella noſtra in ſuo ventre humido ſui maſculi calore, quem poſtea reddit libenter cum magno impinguato & amplexatione craſſa in ſua reductione, & hoc per attractionem & appetitum, quos natura cepit de calore ſui maſculi in prima conjunctione. De hoc damus exemplum, prout potes videre de aquis, quę fluunt & defluunt per conductum fortium virtutum mineralium, quibus ſe adiquant & imbibunt, & per illas virtutes convertuntur in lapides, citius aut tardius, ſecundum virtutem mineralem, prout ipſa fuerit per ſuum locum continentem confortata aut debilitata. Et ideo confortamus noſtrę femellæ virtutem cum calore ſui maſculi, ut levius & ſine vi, ſed amicabili amplexu naturæ poſſit ſuum germen primum fermentare, & infra ſuum ventrem tractum, convertere, & congelare per calorem ſui maſculi, per quem calorem dictum germen venit in magnam & fertilem exultationem, & tunc nihil agendum in tranſmutatione naturæ, quia virtus corporalis femellæ noſtræ confortata, jam retinet & alterat nutrimentum cum materiali calore, & per virtutem attractativam eidem per concordiam naturæ infuſam, trahit ad ipſam, & ſic inſpiſſat per ſubtilem vaporem ſulfuris, qui eſt in noſtra minera in ſimilitudine fumi Mercurialis ſicci & ſulfurei in ventre cujus eſt ignis non urens nec ardens, qui eſt vicinus & amicus naturæ. Et ideo dicimus, quòd aurum eſt magis placens noſtro arg. vivo, quam quodvis aliud metallum, ſicut manifeſtat ſuæ puræ naturæ conjunctio, virtute cujus arg. noſtrum vivum purè congelatur in ſulfur multum placens. Quare tibi dicimus, quod ubi hæc eſt virtus, ibi eſt propriè locus certus generationis noſtri ſulfuris, & tranſmutationis noſtri proprii germinis.

CAP. XLIV.

Quomodo Generatio non poteſt venire de qualitatibus nimis remotis. Et de differentia quæ eſt inter maſculum & feminam. Et de Calore Philoſophico.

POſt hæc fili ſatis tibi poteſt eſſe declaratum, quòd de femella nimis frigida, & maſculo etiam nimis calido non poteſt fieri generatio, propter extremitatem, & intemperantiam ſuarum qualitatum. Ideo capere debes aliam femellam, ſi vis noſtrum facere magiſterium, quæ ſit calidior, & habeat qualitatem frigoris temperati & complexionati, ac materialem humorem, reſpectu proportionis caloris ſui maſculi, ſecundum quod corpus naturale requirit. Nam à tali proportione fit patenter, & extrahitur generativa virtus de potentia ad actum. Vis ergo fili, quòd dicamus tibi, in quot rebus debes cognoſcere virtutem, qualitatem & quantitatem philoſophici caloris. In quatuor igitur rebus eum habes cognoſcere, ſcilicet, in ſubjecto, in quo eſt ſecundum naturam, quod eſt arg. vivum. Nam ſecundum qualitatem materiæ, vel proprietatem recipit propriam determinationem, ut patet elementis, in quibus eſt ſecretum ſecundum naturam, & hoc dependet à calore naturali in illo, quod eſt procedens ab informativa virtute habentem reſpectum ad cœleſtem virtutem, quæ eſt naturæ naturatæ informativa virtus, & hæc dependet à naturali calore. Tertiò habes conſiderare in virtute potentiæ generativæ ſimplicis, & illa dependet à calore ignis communis ſimplicis benè informato. Et ultrà debes conſiderare proportionem hujus tertiæ virtutis inter alias, ſcilicet, quòd virtus potentiæ generativæ teneat in ſe captam formativam virtutem, ſcilicet calorem artificialem rectum gubernatum ab Artiſta reſpectu cœleſtis virtutis, & quod dicta formativa virtus, ſcilicet, calor artificialis excitans, captam teneat ſua temperantia magna, quæ ſit frigiditate contemperante ac temperante calorem ſtimulativum & cogente calorem, remanente in profunda compoſiti compoſitione. Nota, quòd ignis philoſophorum conſtat ex quatuor: igne videlicet innaturali oppoſito in ſubjecto proprio argenti vivi, ſicut præcipit Philoſophus, cùm dicit, quòd proprius ponatur ignis in corporibus, & calor naturalis ſimplex illius ſubjecti, eſt calor virtus informativa, & proportio iſtorum trium, quia ſi unus excedit alium, præoccupat ipſum, & diminuit ab actione ſua, ſicut per calorem digeſtibilem apparet, videlicet, quòd virtus potentiæ poſſit operari, & ſi non, quòd operetur ſub potentia virtutis informativæ & ejus influentiæ. Et quòd ſubjectum dictæ potentiæ non ſit excedens, vel calotis in quãtitate, & hoc fit per ſolutionem. Unde nota de temperamento ignium ſimilitudinariæ in quantitate ſubſtantiæ,

substantiæ, hoc est quòd non excedat in potentia dictam virtutem, tali actione, & quod non diminuatur materia, nec fit in qualitate contraria repugnans, & hoc habes scire, quod alterum elementorum debet poni in alterum. Et quanta proportio erit talis potentiæ in actione sua, tanto erit activum productum majoris virtutis operativæ in suis naturalibus operationibus secundum cursum naturæ. Et quia fili fortè tibi videbitur impossibile esse cognoscere ad faciendum magisterium, nos tibi declarabimus clarius in secunda parte, cùm pro hoc faciendum tibi dixerimus, quòd addes solem & lunam quousque patiantur eclipsim & sunt in capite & cauda draconis, tunc fili fecisti unitatem de pluritate, de qua natura novam generationem faciet, quando dicta unitas in se pluralitatem continet essentialem, & non accidentalem, quę venit ex parte Mercurii vulgaris, qui accidentibus plenus est. Et ideo venit error illorum, qui decipiunt homines per suas accidentales tincturas, & credunt, quòd illud sit argentum vivum nostrum essentiale & substantiale, quod quidem habet majorem virtutem in centuplo, quam accidentale, quia operationes essentiales & substantiales nobiliores sunt, quam accidentales, & melius in nostro magisterio. Et in illo casu declinat ars similitudine naturę, quia materię naturæ respectu materiarum artis, non sunt nisi accidentia philosophicè loquendo vel mediocriter. Quare opus est naturæ, quòd subtilius habeat formare creaturas suas omnes, & cùm ars non possit adeò subtiliter operari, opus est, quòd ei secundum suam potentiam succurratur, & adjuvetur. Et hoc est, quòd ei non administretur materia tam subtilis, scil cet per pluritatem essentialis & substantialis materiæ per omnia ejus accidentia. Et quantò natura est magis essentialis per unitatem pluralitatis, tantò virtus est pluris majoritatis & magnitudinis in essentia activa & passiva, nec dicta virtus habebit in se operationem nec aliquod subjectum essentiale, in quibus benè se sustentare possit sine tali actione & passione. Et ideo talis pluralitas in nostro magisterio naturaliter desiderabilis est.

CAP. XLV.

Quomodo ex unitate argenti vivi nostri, quod est factum de pluralitate, exit virtus simplex assimilativa lapidis.

AB hac unitate fili facta in pluritate exivit quedam nobilis potentia, & unum secretum principium naturale, quod per suam simplicitatem à se transmittit foras de primis realibus entibus ad finem, quòd in illis manifestentur sua secreta. Et sic per simplicia secundaria revelantur potentiæ primæ speciales in unum conjunctæ, quod nominamus ens reale, chaos, natura, origo, leo viridis, argentum vivum, unguentum, oleum, pastura & liquor magni valoris. Ideo, quia multæ virtutes unitæ sunt in unum potentia naturæ, per artem magisterii gubernatæ. Et de illa exeunt operationes secundariæ, quæ ad generationem tendunt. Quia finis realium entium prædictorum est in fine primorum simplicium, & sic est in toto cursu naturæ, secundum quod unum ejus reale per suam substantiam nobilem, ac ejus dignitatem habet plus vel meliorem virtutem, quàm aliud. Et quantò majoris virtutis est, de tanto ejus operatio est in majori & meliori virtute ac potentia. Et ideo in sophisticis operationibus possunt revelari omni inquisitori hujus scientiæ & scrutatori secretorum naturæ, & suæ nobilitates secretorem, quæ sunt in entibus realibus, quod dictum est, si sciat ea considerare, per quas notitias ad magnum nostrum secretum poterit devenire, dum tamen habeat primò notitiam de substantiis materialibus, à quibus exeunt entia realia de potentia in actum. Et ideo fili scias, quæ species sunt in majori virtute, & illas sub quibus partes individuales erant virtuosiores respectu proprii generis ipsorum. Et ideo aliqua individualia sunt in natura mineralium, quæ majorem & nobiliorem habent operationem, quam alia, sicut sunt primò sol, postea luna, & sic secundum quod virtus est major in uno genere, quàm in alio, sic ejus operatio virtuosior est in illo, quàm in alio. Et ideo noli operari nisi in dictis duobus luminaribus, & in eorum mediatore, qui est noster Mercurius, quia eorum operatio est nobilior & majoris virtutis in sua specie, quàm in aliqua alia. Et quando videbis, quòd pluralitas duorum converteretur in unitatem, aut totum in genus unum per potentiam principii activi & simplicitatis dictæ nostræ materiæ, tunc omnes ubique in uno participant fines specierum, & in isto generis principio, & in ista unitate fines individuorum incipient primorum, quas natura possidebit. Et ideo necessarium est, quòd corruptio istorum sic incipienda & principianda ad dissolutionem sui generis novi, in quo sua prima materia vel natura salvata est. Quare patet manifestè, quòd sine simplicitate non esset potentia & dominatio in cursu naturæ, & sine posse non esset species, & sine specie individualia non essent, quia necessarium est, quòd habeant esse sub una specie propria. Et sic tibi revelatum est fili, quòd cum intensa simplicitate omnia entia realia, & eorum naturæ movent se, & etiam phantastica, & quantò eorum major est motus, tantò melius potes cognoscere, quòd virtus naturalis est majoris potestatis, & per consequens ejus operationes, & ideo in majoritate, & in virtute motus, multiplicatur majoritas & virtus suæ operationis. Notitiam autem majoris virtutis habebis per notitiam amplioris motus, si scias ejus majorem finem cognoscere, quia motus venit à potentia, & potentia à simplicitate, intellige corporaliter & naturaliter. Et simplicitas venit à subtilitate, & subtilitas venit à solutione, quę est finis corruptionis individuorum veterum vel antiquorum, Ideo dicimus, quòd per solutionem trahitur lapis noster de potentia in actum, cùm de illa descendant entia realia concreta, quæ sunt instrumenta omnium naturarum phantasticarum & realium per confusionem nobilis mixtionis, & inde veniunt omnia nobilia agentia, in quibus sunt majores motus, & in nobilibus patientibus, in quibus semper moventur sua agentia propria. Et quando motus habent majores virtutes ad agentia, unde recipiunt nascentiam & originem immediatè, quam non habent in patientibus, de tanto ipsorum operatio est majoris virtutis in activis, quàm passivis. Et ideo Sol est majoris virtutis, & majorem instinctum habet generationis, & citius creandi sibi simile, ratione sui motus, quàm luna vel alius quivis planeta in toto cursu naturæ, sicut homo majorem habet appetitum, quàm femina, & anima melius, quàm corpus. Si ergo fili scis talem masculum appropriare tali femellæ, habebis puerum,

puerum, qui nunquam morietur, imò faciet mortuos vivere, & poſt mortem vivet cum illis.

CAP. XLVI.

Quomodo Artiſta debet conſiderare potentias duorum argentorum vivorum poſt conjunctiones ipſorum, & differentias ſui effectus reſpectu ſuorum effectuum.

POſtea fili non debes ignorare potentiam iſtorum duorum argentorum vivorum, quando ſcilicet ſimul conjuncta ſunt per diſſolutionem, cum unum ſit activum, aliud paſſivum. De iſtis duobus per concordantiam differentialem, quæ venit à potentiis & virtutibus unitis, exeunt quatuor naturæ principales, quæ vocantur alio modo quatuor virtutes naturæ regitivæ. Prima nominatur attractiva vel appetitiva. Secunda natura retentiva & coagulativa. Tertia natura expulſiva. Quarta quæ eſt continens, digeſtiva. Natura attractativa fit ex dominio caloris per ſiccitatem temperatam. Retentiva fit per dominium ſiccitatis. Expulſiva fit ex dominio humiditatis & conſtrictivæ frigiditatis. Et natura digeſtiva fit per putrefactionem, quæ facta eſt per dominationem caloris per moderatam ac temperatam humiditatem. Natura attractativa movetur à maſculo calido, & retentiva à terra patiente. Expulſiva movetur ab humoribus parentum, qui miſcent ſe in dicto genere, quod nominamus argentum vivum, quod quidem propinquius deſcendit à genere generaliſſimo. Et digeſtiva movetur à qualitate ignis corporis temperati cum ipſorum humore per decoctionem omnia ſimul immiſcendo. Quare nos vocamus & dicimus omnem meliorem partem totius compoſiti digeſtam & ſeparatam unguentum, animam autum noſtrum & oleum. Unguentum, quod colorat & tingit & fundit & facit fluere omne argentum vivum ratione ſuæ perfectionis, quam acquiſivit per dictam digeſtionem, quia in eo frigidum converſum eſt in calidum, ſiccum in humidũ, ponderoſum in leve, quodlibet per ſua media, & quilibet per ſuum motorem. Fili ſi neſcis differentias, quæ ſunt inter calidum & frigidum maſculum & fœminam, nunquam ſcies opus noſtrum facere. Scias, quòd nihil poteſt naſci niſi ex femella & maſculo, nec aliquod germen generari niſi ex calore & humiditate. Fortitudines appetitivæ ſunt maſculinæ calidæ & ſiccæ, & ſunt ignis coagulantis. Retentivæ ſunt etiam maſculinæ, frigidæ & ſiccæ, & ſunt terra. Et fortitudines mundificativæ, aut digeſtivæ ſcilicet, alterantes ſunt femellæ calidæ & humidæ, & ſunt aer. Fortitudines expulſivæ ſunt ſimiliter femellæ frigidæ & humidæ, & ſunt aqua. Et quinta fortitudo vita eſt infantis noſtri, quæ amplius non eſt alicujus qualitatis, ſcilicet frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis, & caloris, quia non amplius calida, ſicca, frigida, nec humida, neque femina, vel maſculus. Fili noſter infans habet duos patres, & tot matres, ideo delicatè nutritus eſt ab eorum tota ſubſtantia, regnat & regnabit in mundo, nec morietur. Fili fortitudines appetitivæ ſunt calidæ & ſiccæ, & ſunt illæ, quæ attrahunt, tingunt, & colorant, formant colores ſine ſeparatione vel alteratione, & iſtæ exeunt ab igne, qui eſt, eorum pater. Fortitudines retentivæ, frigidæ & ſiccæ ſunt illæ quæ adjungunt colores corporibus, & ea molliſicant ligando forti vinculo dictas tincturas ſine ſeparatione aliqua. Fortitudines digeſtivæ, mundificativæ, ſunt illæ, quæ mundant & lavant immunditias corporum, & de ipſis extrahunt primam naturam & ipſam ardentem, accenſam, & illuminatam conſtituunt & ordinant, quia ſunt calidæ & humidæ. Fortitudines expulſivæ, frigidæ, & humidæ ſunt illæ, quæ expellunt vitia mundi, & quando ſit opus, ipſa tranſmutant corpora inter ſe ſimul, quouſque in illorum crudam naturam tranſierint, & pòſt, quando quodlibet elementorum, omnia verſa ſunt in unum, nunquam ſeparabuntur neque dividentur. Et ſicut quodlibet ipſorum fuit in corpus redactum totum, ſic etiam in corpus vertitur, & ſic per artem ſe componunt, & in unum adduntur, & adjunguntur eorum naturæ. Quinta verò virtus eſt illa, quæ totum facit, & omnia ducit & conducit ad finem ſuæ compoſitionis, & eſt ſpiritus quintæ eſſentiæ per naturam influxus in compoſitorum ſubſtantias ad finem, quòd ſua virtus per artem ſit reflexa, & infixa in ipſis corporibus.

CAP. XLVII.

Quomodo Lapis ſortitur diverſa nomina per ſuos diverſos effectus.

FIli, quando voles noſtrum magiſterium incipere, non opereris, niſi de naturis melius lucentibus. De quibus naturis melius lucentibus minor mundus creatus eſt, quas tibi nominabimus per ſuas proprietates. Scias ergo fili, quòd ſulfur eſt ignis, & magneſia eſt chariſſima noſtra terra, & ſecundariè eſt aer noſter, & argentum vivum eſt aqua noſtra viva, quæ fluit & currit per totum corpus. Sed ſpiritus ſecretus eſt aqua fecunda, à quo omnis res habet accipere nutrimentum, & omne germen, vegetationem, & omne lumen illuminationem debet habere. Si autem operationem deſideras facere magiſtraliter, & per artem ſine falſo, neceſſarium eſt, quòd in qualitate naturali ducas omnes iſtas naturas, ſcilicet calidum & frigidum, humidum & ſiccum, maſculum & fœmellam magiſtraliter. Ex hac conjunctione patet principium generationis lapidis, & poſteà nutries per aquam, quæ ſecum portat in illum lumen & vitam, ac ſpiritum, coquendo æqualiter opus tuum cum reſidentia, conſtantia, exiſtentia, atque compone iſtud ſecundum compoſitionem illorum, de quibus vult componi, ſcilicet, Sol & Luna, & Mercurius noſter. Fili de diverſis naturis fundatur noſtrum compoſitum, quoniam corpus & quantitas ipſius à melancholia fiunt, tunc ignis, qui eſt cholera rubea compoſitus & additus eſt cordi vel epati ad benè digerendum illud, quod ad cor venit, poſt hanc digeſtionem materia per ignem digeſta eſt expulſa & truſa ad epar, cui additur aer, qui eſt ſanguis fluens & decurrens per omnes venas corporis, & tunc apparet color, quando in rubeum totum verſum eſt. Et aqua, quam phlegma vocamus, poſita eſt in pulmone, & aſcendit in lingua, & aliis oris inſtrumentis. Sic fili opus eſt tibi, quòd per ſcientiam & menſuram artis, addas naturas, quouſque corpora facta ſint ſpiritus per fortitudines accidentales introductas in curſu philoſophiæ noſtræ per artem magiſterii. Adde ergo duas naturas, quouſque traxeris totam naturam puram & lucentem, atque claram: nam de illis duabus debet una clara naſci, quæ totum genus ſuum illuminare debet. Cuſtodi tamen corpora in ſuis liquefactionibus,

factionibus, quando eris in opere, noli transcendere mensuram, quã signa naturæ tibi monstrabunt in qualibet decoctione, quia natura in naturam mutatur, quousque corpora in eo remaneant permanentia ad liquefactionem, & ad fusionem, propter permanentiam materiarum fixarum, quæ sunt nostra secreta benè temperata & humida, in quibus corpora versa sunt per artem magisterii, & sunt unguenta, olea, fermenta, & animæ, & soles, qui lucere non cessant supra terram nostram, atq; radiare, quare laborare oportet te, in attenuatione naturæ ad formandum corpus philosophiæ, quousque sit aquã clara, quæ aqua vocatur aqua sapientiæ, nam tota est aurum & argentum, delata in actionem elementorum spiritualium, in quibus quiescit & gaudet quintæ essentiæ spiritus, qui totum facit.

CAP. XLVIII.

Quomodo Artista & Operator debet custodire naturam spiritus quintæ essentiæ sicut formam formarum. Et quomodo debet illam intelligere. Et de mensura ignis.

IDeo fili, necessarium est tibi custodire naturam spiritus quintæ essentiæ, si vis aliquid facere, quæ quidem à prima causa dependet, sicut forma formarum quæ posuit se in dictis quatuor naturis honorabilioribus, & est nominata anima elementorum, lumen clarum, & spiritus quintæ essentiæ. Et quia omne formatum substantiale immediatè descendit ab ista causa proxima quinta & nos clamamus eam matrem matrum omnium aliarum formarum. Fili non debes intelligere, quòd hæc forma & spiritus sit nec calidus, frigidus, siccus, nec humidus, nec masculus aut femella, sed intellige, quod causa magnæ perfectionis ejus attingit ad quamlibet earum quatuor naturarum, nam sine spiritu isto non esset complexio in aliquo complexionato, sicut manifestè cognoscimus & videmus cum certa experientia in ligamento & complexione quatuor elementorum, quæ quidem contraria qualitate sibi ipsis repugnant, qua repugnantia dictorum elementorum contrariorum non possent concordare quòd in unum redirent, nisi esset illud nobilissimum medium, quod confusè per omnia vadit elementa, & in qualitate suarum naturarum participat. Idcirco fili, si istud vis cognoscere, illud est quòd ponit inter inimicos pacem, & ad illud convenit attendere, & gratia exempli, aer & aqua sunt inter duos inimicos, aer inter calidum & frigidum, & aqua similiter cum sit inter humidum & siccum, scilicet inter aerem & terram. Et ideo quando volumus, quod siccum convertatur in humidum, capimus instrumentum quod est in aqua, quæ quidem participat per humidum humido radicali, scilicet, vapori humiditatis aereæ discordante à suo phlegmate aquatico, in quo spiritus quintus delatus est, sine quo vapore, qui est materia nostri germinis deportati in suo phlegmate quod descendens à dicto genere generalissimo, non posset congelari. Ideo tibi dictum est, quòd benè scias substantiam aeream disponere lapidis nostri, & substantiam terræ ejusdem lapidis, quæ est sua mater, quousque sint absque separatione benè conjuncti. Fili substantia aerea est materia nostri germinis, quæ alio modo aqua nominatur permanens, humiditas cujus multum calida est, quia induta est proprietate ignis naturæ: & ideo opus est, quod scias eam disponere & cognoscere, supra quam terram debes eam congregare. Nam ibi est vis tota, omnésque virtutes ibi jacent nostri lapidis. Nam si substantia germinis esset congelata & conversa in ventre matris suæ, quæ est vas naturæ expirata aeritate, quæ suæ participat essentiæ per vim excitativi caloris, germen sine anima remaneret, nec amplius haberet pulsum, neq; motum alicujus spiramenti. Et sic ad modum terræ mortificaretur in albo colorato, quæ indigeret spiritu vivificativo, scilicet aere, in quo omnis res vivificatur, & inspiratur. Quare terra nostra absq; spiritu isto non portaret aliquem fructum, nam iste spiritus eam perficit. Velis ergo fili aeritatem volatilem in terra sua congelare, amoroso nutrimento ignis appropriati, sicut infans inter brachia matris suæ, videlicet, quòd dictus ignis sit in isto gradu proportionatus, quòd vim spiritus calidi & humidi non superet. Nam ipsius spiritus natura calida citò resolveretur per ignis improprii flammam, sicut virtus magnæ flammæ virtutem parvę annihilat. Et debes in hoc casu assimilare naturæ, scilicet, quòd non capias de igne elementali in generatione rerum naturæ, nisi inquantum indigebis ad proportionem excitationis ignis naturæ, qui movetur per totam materiam. Et de tali similitudine natura, in qua est virtus generativa, est tua directrix & magistra. Quare scias eam intelligere. Nam ipsa magna sapientia provisa, & magna solicitudine in suo naturali opere non capit de igne elementali, nisi tantũ, quantum indiget ad informationem suæ materiæ. Sic fili debes tu facere, scilicet, spiritu humidum dictum infigere in suam terram, & suaviter deficcare per calorem, quem nominamus escatesim, ipse enim patitur sensum naturæ, quia sufficit ei, quòd siccitas terræ sustentetur per siccitatem multum debilis ac tenuis ignis. Et cùm toto hoc per calorem subtilem dicti ignis sua sibi natura excitetur, absque transgressione virtutis illius, quia per illam spiritus calidus ad profundius honorabilis materiæ penetrat & intrat, sicut anima corpus intrat hominis ad vitam dandum. Fili, hæc est verissima substantia aerea, quam debes per ingenium naturale cogere, & eam in corpore fixare, ne mortificata remaneat. Et post hoc projicias suum phlegma cum omnibus superfluitatibus, & tunc habebis substantiam terream benè dispositam per humiditatem & calorem, sine separatione unius ab altera & totam conversam ad naturam aeris, quod ligamen factum fuit per dictam aquam, quæ est medium sicci & humidi, & inceratio naturæ vocatur, aut naturalis, eò quòd natura facit eam per generationem & vivificationem rerum mortificatarum, quando per sublimationem conterminat siccum cum humido & è converso. Hæc enim mixtio est naturæ, quia cum igne fit, & sine illo non. Ideo necesse est, quod de multum subtili terrestri, & fortiter digesto ac subtili calore aereo sulfur sit compositum, sicut in vase naturæ; in quo dictum humidum & dictum terrestre simul miscentur subtiliter, & per minimas, & insensibiles petias, sic ut minimum terrestris sicci & minimum humidi ad quantitatem unius grani de uno, & ad quantitatem similem de alio congregentur simul tali modo, quòd unum nec aliud separetur à partibus generis sui, sicut per eorum sublimationem apparet manifestè. In qua certa & approbata experientia videtur, quòd hoc totum volat & ascendit, vel in toto remanet inferius. Et sic per artem invenitur, quòd nulla partium

ſeparatur ab altera, poſtquam natura hæc colligaverit cum majori & minori, & cum magna & miraculoſa ſolicitudine. Fili, hoc totum fit in prima noſtri lapidis creatione, & eſt alteratarum rerum mixtio, aliàs vivorum argentorum alteratorum unio, quæ poſſunt colligari in eſſentiali ſpiritus quintæ unitate eſſentiæ per alterationem, adeo quòd nunquam poſtea ſeparabuntur à ſuis homogeneitatibus, ſicut poſtea videbitur per experientiam ſublimationis, quæ poteſt aggregare hoc, quod de uno genere eſt. Poſtea non debes ignorare, quòd neceſſe eſt, ut medicina noſtra de una natura & uno genere componatur & componi debeat.

CAP. XLIX.

Quomodo Sublimatio ſeparat purum & mundum ab impuro & immundo, per ſubtilitatem ingenii artis & naturæ. Et quomodo debes intelligere animam. Et quid eſt Anima.

POſteà fili ſublimatio noſtra ſeparat totum purum & mundum, quod collectum eſt Mercuriali unitate, à fecibus groſſis terreſtribus & immundis. Et ideo tibi neceſſe eſt legere, ſcrutari, & multis conſiderationibus rationalibus ſtudere ſuper iſto regimine, quia hic eſt totum periculum, & utilitas tota, totúnque magiſterium, ſcilicet, puerum noſtrum informando, ac animam in corpus ejus inſpirando cum humore & calore veri luminis & clari quinti, quandoquidem tunc videbis tranſmutari materiam de colore in colorem, nec intellige, quòd hoc vi fieri debeat, ſed per ingenium & ſubtilitatem, quas à natura debes intelligere, nam per ipſius ſapientiam habet natura multam ſolicitudinem habendi, & deportandi materiã ad ſuam perfectionem. Quare ſi omni tempore deſideras opus invenire per naturam, adminiſtra ſemper naturæ diſponere ſuam materiam cum ſcientia tota in igne, ſecundum quod natura eum diſponere requirit & petit. Nam tunc ſuum proprium faciet debitum, quia format, collocat, & permutat materiam & non tu, quando eum reperit, quòd per artem reſpectu principiorum naturalium ſibi appropriato ſtabilitata eſt & præparat materia, tunc natura per ſolicitudinem & intelligentiam in obedientia materia totam perficit materiam. Et ſicut nihil habes agere niſi adminiſtrare naturæ, eò quòd nulla forma, excepta anima eſt, movens materiam ſecundum proprium ſuum actum, & ſine motu res non poteſt generari. Et ideo ab anima totus provenit effectus. Non quòd intelligas quòd hoc ſit ſecundum quod ſit organicum corpus philoſophicum, & habeat poteſtatem vitæ in animalibus, ſed ſicut operator eſt in artificio ſuo. Et ideo fili hæc anima non eſt virtus ſexta, ſed eſt virtus quinta quatuor elementorum, quæ ſupra reſultat, & de puriori eſſentia quatuor elementorum. Et ideo in ſphæra ignis quieſcit, & ibi habitat per continuum motum, & cauſa ſui motus eſt ejus calor excitatus naturalis per ignem ſimplicem elementalem, ſicut in eodem gradu. Cuſtodi ergo ipſum ne exeat præ calore nimio, & habeas cum in amore.

CAP. L.

Quomodo Naturæ elementales exeunt à maſculo & fœmina ad faciendam generationem.

CUm autem fili de quatuor naturis ſuprà dictis duæ à maſculo, ac aliæ duæ à femella dependent, unde vis eſt quòd inſimul habeant pati in mutatione ſuarum naturarum tantum, donec ſuprà dicta virtus quinta ponet ea in vera concordantia, & ligatura cum eis per talem ligam, quòd nunquam ad finem termini ſuæ mixtionis, aut per ſe aut per accidens ſeparatur ab eo quouſque per corruptam ſeparationem edictæ virtutis venit ad finem termini ſuæ commixtionis, & ſit de toto ſeparata, diſſoluta, & deligata à toto compoſito. Et tunc elementa potentiam non habent ſe retinendi, ſed ſeparata remanent, & diſligata elementariè unum ab altero, quando eorum ligamen, hoc eſt virtus quinta prædicta ſeparata & diſſoluta eſt ab eis, tanquam res confuſa & deſolata, quæ ſuum gubernatorem amiſit. O vos pueri, filii doctrinæ deauratæ, notetis hanc nobiliſſimam virtutem, ſi vultis quatuor elementa ſimul per unitatem ligare, quia ſine illa mixtio vera aurigraphiæ neque unio fieri poteſt ipſorum. Et cum illa fit ſuo temperamento quod ex nobili concordantia naſcitur cum propria menſura deſcendente à ſuperiori natura, quæ natura habet in ſe Philoſophiam & ſcientiam ſeptem artium liberalium, quibus operatur. Quoniam ipſa in ſe portat omnem Geometricam formam, & omnem rem terminat virtute Arithmeticæ ſuæ per æqualitatem numeri certi, & per notitiam Rhetoricalem, intellectum ſuum ducit de potentia in actionem. Vos ergo filii doctrinæ, debetis hoc inſtrumentum cognoſcere, ſi ſcire velitis & experientia certa videre virtutes influxas, & reinfluendas, tam naturæ ſapientia, quàm artis ſagacitate in ſuis compoſitis.

CAP. LI.

De Intentione, per quam fit Vnio quatuor elementorum. Et quomodo poteſt fieri, & quando, & quare eſt factum.

ANtequam facias fili unionem ſpiritualium elementorum, opus eſt ſcire, quòd per intentionem fixandi ea velis unire ad finem, ut iſta unitas fixari poſſit quouſque ipſa reſiſtere poſſit contra bellum ignis. Fili, ignis eſt proprietatis talis, quòd nullam rem corruptionem habentem pati poteſt, imo ipſam omnino ſecundum ejus potentiam annihilat cum ſua proprietate, vel quòd nulla corruptio poſt eum fit per differentiam magnæ contrarietatis, quę eſt inter proprietatem ignis, & impuritatem aliorum elementorum. Ideo fili neceſſe eſt tibi, quòd primo habeas elemẽta præparare cum purgatione philoſophicali, quouſque tu habeas illam puram naturam, quæ puro elemento eſt appropriata, & primæ rei à centro ipſorum extractæ in forma cryſtallina clara & reſplendenti, & hic, id eſt, illud elementũ ignis dicitur, qui eſt incorruptibilis, per quem dicunt philoſophi, quòd corpora reſolvuntur in argentum vivum quem auferre ſapientia eſt. Quia jam tibi diximus in capitulo formæ majoris, quòd terra quam calcamus non eſt purum elementum, ſed elementatum à vero quinto elemento, quia in ſuo centro reperta eſt

virgo

virgo & verum virgineum elementum & sic de aliis elementis intelligere debes. Hic iterum tibi dicimus, quòd omne illud, quod non erit de pura elementorum natura comburetur, & ex toto annihilabitur, & tunc ipsa elementa pura, clara, & munda removebunt, & terra resplendens clarior crystallo. Et hanc purgationem faciet supremus creator quousque magnus mundus in suam primam rem convertetur, scilicer, omnia elementa in suam primam essentiam, quæ postea ignem cœli non timebit, quia tunc motus naturæ supremæ in semet remanebit absque aliqua corruptione. Sic Fili opus tuum habes huic operi assimilari, quod nominatum est minor mundus, purgationi magni mundi quousque motus ei absque aliqua corruptione permaneat. Et tunc amplius non timebit ignem, sed simul omnia elementa magno quiescent amore. Vide igitur quantum creatori summo tenearis, qui tibi dedit esse ad salvandum te, & talia tibi demonstravit si ea videre vis aut habere. Ideo Fili, scito cùm nulla res imbuta cõrruptione possit pati vel tolerare ignem, nec ignis in se pati corruptionem: oportet, quòd Lapis mundus magistraliter trahatur separatus ab omnibus immunditiis & fœtulentiis corruptibilibus, antequam præsumas eum fixare, quousque sit natura pura, quæ est res puro elemento appropriata & primæ rei.

CAP. LII.

Quomodo tota Substantia Lapidis est impregnata igne spiritus quintæ essentiæ. Et de Gumma Philosophorum.

SCias Fili, quòd substantia Lapidis nostri est tota pinguis & igne impregnata, in quo movetur, & est absconditus spiritus quintæ essentiæ, & ibi habitat, scilicet in sphæra ignis, cum Lapis noster qui est spiritus quintus est totus igne plenus, & est in omnibus quatuor elementis divisis, vel non divisis, & in omnibus habitat draco, scilicet ignis, in quo est lapis noster aëreus, hæc proprietas est in omnibus mundi compositis. Et ideo dictum est, quòd Lapis noster est in omnibus compositis mundi, & per totum mundum per illos qui benè intelligunt, sed differentia est inter Lapidem, & Lapidem. Nam temperamentum fieri non potest, nisi per fermenta, quæ habent necessario fixare Lapidem, postquam versus est in naturam metalli, scil. sulphur & argentum vivum & non exit fermentum de hoc vel hoc, sed de Sole & Luna tantùm. Cùm nihil petimus, nisi quòd Lapis convertatur in suum simile, quia de ipsis est totum temperamentum, nec fermentum est antequam dicta corpora in suam primam materiam convertantur. Nam convenit, quòd de oleo & multum subtili terra fermentum sit componendum, similiter & medicinam per inceration em naturalem, solutionem & indurationem, quousque sit tanquam substantia una gummosa. Et hæc gumma potentiam habet convertendi ad se omnem aliam rem, cui adjungetur. Fili, hæc gumma est nostrum compositum fermentum, & similiter medicina, quæ potestatem habet convertendi post supremam medicinam, quæ postea formata est de dicto fermento composito. Et dicta nostra fermenta simplicia sunt nostra prima olea, de quibus composita nostra fermenta facimus, quæ sunt magni valoris medicinæ. Quare nisi scias duo corpora perfecta ad primam suam naturam reducere, non poteris ulla fermenta composita habere.

CAP. LIII.

De Virtute universali, quæ separat elementa, & quæ conjungit ea, & unde illa est creata in universali cognitione.

CErtum est Fili, quòd quædam virtus influxa est in omnibus elementatis corporibus, quia sine illa esse non possent, sed in homogeneis rebus terminatis dicta remanet virtus in mineralitate perpetua, & est illa, quæ omnem calorem habet pati, ratione suæ perfectæ decoctionis in forma humiditatis liquorosæ. Et ideo necesse est, quòd de metallis perfectis eam trahes, quia de ipsis venit nostræ perfectionis terminatio & claritas quinti luminis. Hanc igitur virtutem extrahes per similem virtutem, quæ est in rebus crudis non terminatis per extremitatem, sed terminatis tantummodo à mediocritate, à quibus separabis aquam, ignem, aërem & terram, & ista quatuor elementa cruda sunt impregnata simili virtute, sed magis cruda per suorum vasorum materiam & ratione potentiæ suæ naturæ crudæ, debes attrahere naturam magis coctam, calidam, & humidam & aëream subtilem, quæ ingenio naturæ congelata est in speciem & naturam metalli in sua propria minera influxa. Nam ista est magis propinqua naturæ, quàm prima, quia magis propinquè descendit à forma formarum, quæ nullo tempore adjungit se, nec convertitur in formam metalli, neque faciet, quousque habeat in sua natura cruda & pontica & amarum metallum, & quòd illud crudum passum fuerit cum cocto, & contra coctum per crudum. Et tali modo, Fili, velis antiquam formam recipere cum omnibus suis partibus substantialibus, quia hæc est vera species & pura natura claritatis vetæ, & per novam velis eam corfortare, vel ejus augmentare vires per cœlestis influentiæ administrationem. Nam opus est, quòd natura juvetur à natura, & inferior superiori indiget, sicut materia fœmellæ indiget confortatione: & quòd perficiatur à materia masculi sui, sicut diximus, quòd virtus masculi temperata in calore & humore, temperat ac confortat virtutem passivam, ad retinendam germinosam virtutem, & rumpit, & ducit omnes frigiditates suas excessivas, ad remotam regionem per suum appetitum in virtute cœlesti, quæ dicitur forma, & mater formarum, descendens in virtute conjuncta cum propinquiore natura metalli, cum sua virtuosa & subtili influentia, implendo formas medias, secundum genus & formam materiæ, cum complexione verissimi amoris. Nota ergo Fili has tres virtutes. Prima enim descendit à primo motore, aut à motu stellato, & suis figuris. Et istam in nostro testamento nominamus primam formam formarum. Hæc est prima forma, per quam inferiores materiæ transmutantut de forma in formam tantùm per cursum & institutionem naturæ. Et de ista forma natura satis habet ad formandum, & ponendum de potentia in actum sua prima composita per materias elementorum. Et ista forma non potest obediens esse arti. Secunda virtus est virtus infusa in materiis elementalibus compositis, quam trahere ab illis materiis opus est tibi in quibus est, per modum convertendi genus suum ad primam suam naturam, vel appropinquandi, quantum est possibile suæ primæ rei, & hæc est arti sufficiens, quia materialis est. Et in hoc puncto ars non

poteſt aſſimilari naturæ, quia dare non poteſt formam ſubſtantialem rebus, ſicut facit natura per ingenium ſuæ nobilis operationis, & intentivæ. Et ideo neceſſe eſt arti, quòd ad naturam recurrat ad obtinendum de ſuis ſubſtantialibus formis, quas jam creavit, ad formandum unum corpus cum tali potentia, quòd mas ipſum nunquam teneat: & docere te, quomodo poteris illud corpus trahere à ſuis compoſitis creatis, & tibi oſtendere ſuam creationem, qualiter convertit materiam de potentia in actum generationis. Artiſta igitur, Fili, ſubtilis habet multum inſpicere, qualiter operatur natura, ut per artem ei aſſimilari valeat & eam inſequi, quantum eſt poſſibile, & illud, quod non eſt poſſibile, quòd per ingenium intellectuale ſciat ſupplere ad defectum naturæ, ſi rem noſtram deſiderat, quæ perficitur per naturam, & illa ſimpliciter naſcitur de tertia virtute, quam intelligere potes per ſecundam. Et quamvis dixerimus, quòd ſunt tres formæ, non eſt tamen, niſi una tantùm ſola, quia non accipit finem terminationis, niſi per naturam ſui generis, in qua per curſum naturæ influxa eſt & capta & condenſata per illam in formam ſubſtantialem, ſine qua nulla res mundi poteſt vivere. Et ad hoc faciendum intelligere nos fortificamus ad aperiendum intellectum humanum, ut ſciamus, quòd dicta virtus eſt influxa humidis radicalibus, quæ ſunt imbuta in partibus eſſentialibus rerum compoſitarum Mercurialium, & elementorum purorum, & non purorum, quia de dicto humido factæ ſunt omnes partes eſſentiales omnium Mercuriorum, & omnium, quæ in mundo ſunt. Et per hanc omnia, quæ habent crementum & nutrimentum, creſcunt & nutriuntur. Fili generaliter tibi loquimur in omni re, & ſi intelligas ea, quæ tibi revelabuntur, ea tene ſecreta. Nam talis eſt hæc virtus, quòd ſine ipſa non poſſis ligare, nec ſolvere, formare, tranſmutare, deſiccare, calefacere, humectare, neque animam in corpus ponere, per hanc autem elementa ligantur. Et niſi, Fili, per theoricam naturas intelligas, nullo tempore per practicam ſcies opus tuum corrigere, nec eorum menſuras intelligere, ſed potiùs in errorem cades, deviando per punctum contrarium, qui jacet in caſu fortuito.

CAP. LIV.

De Natura menſtrualis fœtentis, in qua eſt ignis contra naturam. Et de Re, quæ corrumpit totam naturam.

POſt hæc, Fili, volumus tibi revelare naturam menſtrualis fœtentis, in quo ignis contra naturam eſt, qui totum Lapidem noſtrum in quendam draconem tranſmutat fortem, gutturoſum, qui ingroſſat & imprægnat mattem ſuam. Et dicimus, quòd natura ipſius eſt in ſua nativitate prima in complexione frigida & ſicca in quarto gradu, & ſubſtantia ejus eſt pontica: ſed per ſuas digeſtiones & decoctiones de natura in naturam mutatur, & de ſapore in ſaporem. Nam cùm materia ſubjectum ſit tranſmutationis, ſtatim ipſa per ſuum proprium numerum in ſe contrarietatem recipit. Et ſic etiam movens ſecundum id, in quo licet contrarietatem poſſedit, contrarietatem tranſmutationum, ſecundum contrarium captum illius entis, à quo movetur contrarietas. Nulla res aliam corrumpit, niſi illa, quæ ſuperat aliam in qualitate contraria, ſicut eſt calor & frigiditas. Et niſi ſit ejuſdem generis, ſicut calor tolerabilis & intolerabilis deſtruens naturalem ſenſum. Et ideo parva flamma citò devaſtatur per majorem, ratione ſuæ excellentiæ magnæ, quam habet contra illam. Nam humidum, quod magno tempore nutriret ſuam parvam flammam ac longius comburitur & conſumitur parvo tempore per magnam flammam, & tunc aboletur parva. Et ſic tibi ſit revelatum, quòd omnes res naturæ in uno momento factæ ſunt, & in uno momento corruptæ. Et poſtea in alio momento conſtant & ſunt, quoniam omnes contrarietatem habent, & in illa contrarietate aliæ res ſunt excellentes, & ſunt omnes unius generis, & aliquæ aliæ omnino contrariæ, & in omnibus tamen hoc ſuperantur virtutibus. Et ideo in eis operantur continuatim in illis, & continuatim patiuntur, quare potes intelligere Lapidis noſtri corruptionem per vitæ noſtræ abbreviationem longitudinemque & durationem ejus, ſecundum complexionem aëris continentis. In hoc magiſterio Fili, duobus aëreis indiges, unus eſt temperatæ complexionis, & per iſtum Lapis noſter generatur, quia in eo virtus vivificativa, quæ eſt ſicut inſtrumentum animæ ad corpus. Alius aër eſt complexionis non temperatæ, ſicut ponticitas terreſtris acuta & amara tibi certificat. Quare tibi ſit revelatum, quod de natura frigida eſt in quarto gradu, & calida, in primo: frigiditas eſt cauſa ponticitatis. Caliditas verò cauſa eſt amaritudinis & acuitatis, per quam acuitatem fœtet & pungit multum, & habet virtutem aperitivam & inciſivam, ſicut apparet per ſuæ actionis potentiam. Nam illud, quod pungit & penetrat, facit unum ab altero ſeparari, & comminuit & corrodit. Et ideo potes cognoſcere, quòd res acutæ inter alios ſapores, qui ſunt de caliditate cauſati, ſunt magis calidæ, quàm aliæ, quia nullam poſſunt impreſſionem facere talem, ſicut fecit illa, quæ à caliditate excellenti procedit. Et ideo talis res ſic complexionata per ſuum calorem poteſt ſemper diſſolvere & reſolvere humidum, & in vaporem convertere, & illud putreſcere, virtute caloris innaturalis, vel ejus impreſſione, quæ quidem à noſtro argento vivo venit, cujus amaritudo deſcendit à natura lapidum, & eſt acuitati vicina, quia rodit & pungit, ſicut acutum ponticum, ſed non ita profundè. Et ideo reputata eſt ſubſtantiæ groſſæ, prout alias patet experientia. Nam quando calidum acutum incorporatum cum amaro in forma aquæ humidæ, ingreditur magis profundum corporis diſſoluti, & corpus ſi ſit continuatum in partibus humidis, impediunt partes groſſas ſalis, quæ non poſſunt intrare corpus cum calido acuto. Et ideò cùm ſit ſequeſtratum à ſuo loco, non potuit humidum habere, in quo poſſit continuari, ſed capit ſe ad congelandum in profundo ſui vaſis, & remanet metallum diſſolutum & impræ-gnatum à calido acuto in forma aquæ, unde exit noſtrum argentum vivum, id quod ab eo eſt diſſolutum. Ratio quare ſal apponitur eſt, ad extra trahendum ignem contra naturam, qui Lapidem noſtrum corrumpit. Alia ratio eſt, quia abſterſivum eſt, & mundificativum unctuoſitatis. Indiges tamen conſervare pondus, quia non expedit, quod amarum ſuperet calidum acutum, ut non impediat noſtri Lapidis putrefactionem. Quia nullum animal poteſt generari per ineptitudinem & inhabilitatem ſuæ putrefactionis. Natura animalis, quæ eſt in noſtro menſtruali, talis eſt, quòd mortificat, & obſcurat omnem rem, & obumbrat atque denigrat aërea

noſtra

noſtra omnia, & omnem animatam rem corrumpit, & deſiccat res virides, & humidas naturales, quæ ſunt generatæ, aut in via generationis, acerbat res dulces & ſolutas, & reincrudat res coctas & terminatas, & facit de calido frigidum, de ſicco madidum, de duro molle, de ponderoſo leve, de groſſo ſubtile facit. Et hæc omnia facit à propria natura ſua prima per operationes certas. Item alias potentias habet meliores, quia vivificat omne mortuum, omne nigrum dealbat, omne animatum generat, res ſiccas humectat, hæc à combuſtione conſervat, dulcificat & dulceſcit res agreſtes, humidas & frigidas lenit, res ſiccas, amaras, & calidas mollefcit, & in temperatam complexionem portat, & reincrudatas in majorem decoctionem ducit, de frigido calidum facit, de ſicco humidum temperatum, de levi ponderoſum cum mediocritate, de ſubtili facit groſſum, quod cum ſimplo participat, ſimplex condenſat, rarificat ſpiſſum, & ſic operationes contrarias habet quæ ſunt operationes naturæ. Nam quando congelatum eſt diſſolvit, quando diſſolutum eſt congelat. Non mirum ergo Fili, ſi virtus talis menſtrualis ponatur in corde tuo, & diligenter perquiratur, cum ſit generatrix & gubernatrix totius naturæ. Et iſta eſt res vilis, quæ per ſeipſam vertitur in rem nobiliſſimam, mirabilem, ac pretioſiſſimam, quam rem non credidiſſemus, niſi vidiſſemus ejus effectum. Nota, quòd hæc virtus recipit animationem & finem à ſuo elemento. Et ſuper hoc videas capitulum in noſtra practica, quando dicemus de corpore & ſpiritu, ſimul dando exemplum de generatione humana. Et de iſta dicemus adhuc in cap. 27. & alibi in 48. 49. ante. Sed ſpiritus ſecretus. Quoniam ibi intelligitur de proprietate indurationis menſtrualis, quæ participat inter duas operationes, ſcilicet inter durationem, & mollificationem. Et hoc benè ſi intelligis, cognoſces quòd virtus mineralis, ſive in terra ſive in aqua portatur, & deportatur, & conſidera benè ſuper potentiam ſuam, quia non recipit determinationem, niſi à ſua propria materia, & recorderis, quod poteſt eſſe terreſtris vel cœleſtis per intromiſſam virtutem quæ in aliquo ab agente extraneo ſuffocari non debet. Sublima ergo Mercurium in quo eſt talis virtus, quia ſublimatus virtute ſua congelabit Mercurium in altam medicinam. Sed non fiet niſi ſublimatus. Unde dicit Avicenna, quod primò noſter Mercurius debet ſublimari, & primum quod debet fieri in opere, eſt quod ſublimes Mercurium.

CAP. LV.

Quomodo Artiſta & Operator ſe habituare debeat ad inveniendum dictum Menſtruale, & intelligere naturam ſuam.

POſt Fili Menſtruale quærendo, ſine quo nihil naturaliter fieri poteſt, opus eſt ad naturalia principia recurrere, ad illa, ſcilicet, in quibus naturam incipit immediatè operari, quæ quidem principia naturalia ſunt adhærentia multum curſu naturæ ſuis propriis ſubſtantiis, ſicut ſunt prædicta humida radicalia, quæ per eorum naturalem calorem excitatione ignis ſolis terminantur & finiuntur in ſubſtantiam metalli, quòd nunquam poſſibile eſſet fieri, niſi naturæ metalli participarent. Quare dicimus, quòd hæc radicalis humiditas non eſt niſi argentum vivum ſubſtantia calore ſulphuris imprægnata. Et hic ſulphuris calor, eſt cauſa congelationis humidi radicalis Mercurial & ſuæ terminationis in metallum perfectum. Ergo patet, quòd illa metallina humiditas jam terminata in formam metalli habet actualiter potentiam & naturam menſtrualis, & ideo vocata eſt prima noſtri Lapidis extremitas. Apparet ergo, cùm Lapis noſter à natura ſua proveniat, quòd diſſolvitur & reſolvitur in illud, abſque præjudicio ſuæ naturæ, & ſui crementi, cum primum regimen & gubernantum Lapidis noſtri ſit reſolutio & terminatio ſua in argentum vivum, & ideo declaratur tibi in qua forma Lapis noſter eſt tractus tam à corporibus, quàm ab argento vivo. Quoniam natura menſtrualis fœtentis erat, & eſt adhuc eorum continens cum natura argenti vivi, cùm per calorem illius in naturam metalli ſit congelatum: quia calor illius multiplicatus in ſubſtantiam argenti vivi, eſt ubique in ſubſtantia humida argenti vivi vaporaliter nixtus, primæ virtute mixtionis vel continuationis homogeneæ in forma liquoris aut aquæ claræ. Et per ſimilitudinem principii naturalis dicimus, quod diſſolvere facias Lapidem, quouſque ſit factus aqua, quod argentum vivum vulgare facere nequit, propter defectum caloris & humorum, in quo neceſſe eſt, quòd Lapis continuetur in forma liquoris, cùm non fiat tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium. Igitur apparet, ſi bene nos intellexiſti, quòd Lapis ſine menſtruali non poteſt in humidum diſſolvi, quod eſt ſpiritus fœtens, unde aqua viva extracta eſt quæ nobis apparet ſicca. Nam argentum vivum vulgariter intellectum in ſua puta exiſtens natura non poteſt aliqua corpora mutare, niſi in ſuam naturam in quam commutatum convertitur, quando mutatur. ſi fit aqua clara in aquam claram mutat. Et niſi mutetur, non poteſt mutare, niſi in ſuam naturam. Et iſta mutatio fit per rationes capituli præcedentis. Et hoc quia imprægnatur tali virtute, quæ ſemper determinationem recipit in materia, ſive fuerit materia terrea, ſive aquea: & ideo plures decepti ſunt, qui præter rationem credunt, quòd argentum vivum tale vulgariter intellectum, poſſet per naturam, quæ in ipſo non eſt, corpus in aquam, vivam tranſmutare, ſed totum non valet unum ficum putrefactum. Ideo intellige ut prædixi nos, nam ſic intellectum, videlicet vulgariter, non tranſmutat corpora Solis & Lunæ in aquam humoroſam, niſi ſecundum ſuam naturam alteratione modica, quam appellamus propriè combuſtionem & perditionem elementorum realium, & confuſionem ſpiritus animæ & corporis. Ratio eſt, quia non habet rem quæ participat inter corpus & ſpiritum, ſcilicet argentum vivum prædictum, & metallum perfectum. Et hæc res eſt illud medium, quod potentiam habet faciendi contrarias operationes, ſcilicet elementa diſligandi, & illa ligandi, & ab omni combuſtione & combuſtibilitate conſervandi contra bellum ignis. Et tamen oportet, quòd ignis excitans ei moderetur, quoniam ſicut plumbum adjuvat argentum, quando examinatur, & cuſtodit à combuſtione contra pugnam ignis, & eſt ibi plumbum loco medii poſitum inter argentum & ignem, ſic illud medium defendit elementa à combuſtione, & adjuvat, & jungit per proprietatem ſuæ naturæ, corpus cum ſpiritu, & ſpiritum cum corpore. Et ideo clamamus ipſum medium inter corpus & ſpiritum. Sed eſt adhuc aliud medium, quando corpus conjunctum eſt cum ſpiritu & è contrà, & illud eſt generi metallico propinquiſſimum. Unde per media fit tranſitus ad extrema perfecta, per

quæ

quæ patet, quòd nullus tranſitus ſit de uno contrario in aliud, niſi per mediam diſpoſitionem, prout tibi per figuram arboris practicalis declarabitur. Fili diſpoſitio illa eſt media illa, quæ participat molliciei argenti vivi in primo ſuo eſſe, & duritiei metalli in alio latere. Cùm de propria ſubſtantia illius natura ſua poſuerit de potentia ad actum, & de facto ponit, ideo tibi reveletur, quod extremitas immediata in opere naturæ & primò eſſe eſt argentum vivum non tamen tale ſicut ſcimus facere per artem. Et ideo illud nos accipimus, pro menſtruali in reali. Et in alio latere ſunt omnia metalla, quia in ipſis repertus eſt finis circularitatis perfectæ operationis naturæ. Media diſpoſitio iſta duarum extremitarum, eſt argentum vivum extractum à dicta prima extremitate. Quod quidem appellamus menſtruale in opere artis in forma aquæ claræ factæ ingenio naturæ, quæ in ſulphure congelatur. Quare dicta eſt aqua ſicca, non aqua nubis aut phlegmatica, ſed aqua cholerica, igne calidior. Sed principia vera radicaliter nata, de quibus operatur natura illud, quod ſuprà dictum eſt, ſunt veraciter ſulphur & argentum vivum. Unde exeunt extremitates duæ, quæ multum remotæ ſunt cum proprio medio, quæ neceſſarium eſt quod ſcias, ſi velis principiare, & incipere reſpectu naturæ & ſcientiæ, qualiter ſermone ruſtico nominantur.

CAP. LVI.

De Principiis naturalibus confuſis. Et quomodo generantur per virtutem ſucceſſivæ operationis in altis Naturis.

PRincipia naturalia confuſa in opere naturæ, ſunt ſpiritus fœtentes & aqua viva, quæ vertitur in aquam ſiccam, & tunc dicta eſt medium reale. Spiritus fœtentes ſunt media ſecunda, quæ participant inter corpus & ſpiritum. Et alio modo nominatur ſulphur & ignis. Et ſunt quemadmodum ſperma maſculinum, quod eſt medium activum inter menſtruum & fœtum. Et aqua viva eſt argentum vivum congelatum in ſulphur, ſicut menſtruale, quod congelatur in ſubſtantiam embrionis. De materia iſta poſtmodum ſucceſſivè in ſuo proprio vaſe minerali generatur & creatur, ſcilicet, in ſuæ terræ viſceribus, vel venis mineralibus quædam fumoſa ſubſtantia, ſubtilis multum, quæ vaporaliter conjungitur in unum, & illic coquitur & depuratur multum. Poſtea ſupra illam venit virtus mineralis ſulphurea in forma vaporis ſicci, quæ eam penetrat, & congelat amoris ligamine tali, quòd nunquam ſeparabuntur. Dum tamen maſculi virtus ſuperet femellæ virtutem per coæqualitatem rei quintæ, tunc remanent in una re fixa per artem temperamento decoctionis naturalis, quam habuit materia in ſua minerali forma, quod humidum Mercuriale à ſicco ſulphureo, neque ſiccum ſulphureum ab humido Mercuriali nullo ſeparabuntur tempore, quoniam ſunt unita per actionem & paſſionem in illud materiale medium, in quo metalli forma eſt planè conſtituta, non quòd ſit argentum vivum in tota ſua natura, cùm pars ſuæ naturæ jam ſit alterata per coactionem, aut conſtrictionem, quas ſuæ ſubtiles partes acceperunt via colligationis vaporis ſulfuris, nec per hoc ſulfur in tota ſua natura. Quoniam ſi eſſet ſulfur, cremaret ſubſtantiam argenti vivi per eminentiam actionis ſuæ dominationis. Et ideo, quoniam virtus ſulphuris non dominatur ſuper virtutem argenti vivi, nec poteſt ſuam claritatem metallinam conſumere ſpecificam, ſed ſolummodo congelat eam, & fixat uſque ad gradum poteſtatis ſuæ virtutis ſub conſervatione ſpeciei metalli, quam argentum vivum tenet materialiter, ſecundum ſuam naturam, & talis proportio ſulphuris & argenti vivi conſtituit ſpecialiter formam & ſpeciem talis metalli, à quo vapor ſulphuris & argenti vivi erit auri, vel argenti, vel alterius metalli corpus. Et omne illud venit à diverſa depuratione dicti vaporis digeſtione, vel decoctione, quam accepit in propria ſua minera. Et ideo bonus Artiſta capit metalla pro mediis in opere magiſterii, & ſpecialiter Solem & Lunam. Ideò, quia iſta duo venerunt in coæqualitate temperata, & multùm depurata de ſulphuris & argenti vivi ſubſtantia cocta pura, & benè digeſta ingenio naturæ, ad quam proportionem Artiſta in vanum ſe vexaret, ſi à principiis naturalibus ſine realibus mediis pro intentione faciendi velit incipere.

CAP. LVII.

De Materia Sulphuris proportionati, & de æquipollentia ſua ad operationem naturæ.

FIli, hæc eſt metallica materia, in qua noſtrum ſulphur proportionatum eſt, quod natura ſagax nobis paravit, ut diximus, quo mediante noſtrum totum facimus ſecretum magiſterium. Quare noli ignorare, quòd illud, quod eſt dictum ſecunda extremitas in opere naturæ, dicimus medium in noſtro Philoſophico opere. Nam opus eſt, quòd per artificium ſuppleatur illud, quod natura reliquit, nam potentiam non habet tranſeundi motu ſuo ultra generationem metalli, quia ſuam circulationem complevit. Poſt hæc tibi relucere debet, & ſubvenire manifeſtè cauſa & res perfectiva, manifeſtata omnibus experientiis, quòd humidum metallorum in ſuis calcinationibus non poteſt conſumi, neque ab eis ſeparari, ratione ſuæ homogeneitatis unionis elementorum, quæ paulative ſunt ligata & conjuncta ſimul. Sed humidum Lapidum ſeparatur, ut in eorum calcinatione patet, tantummodo per ignem abſque medicinali applicatione. Et hoc eſt, quòd humiditas in groſſa Lapidum ſubſtantia terreſtri non eſt ligata per ſiccum in minimis partibus unius & alterius, ſed in groſſis & in pluribus partibus humidi & ſicci. Contrà eſt in materia vitri, per quam materiam ars vitraria ſubalternatur iſti arti. Quare dicit Philoſophus, quòd vitrum ſit tibi exemplar in noſtro magiſterio. Et hæc eſt cauſa, quare humidum Lapidum, & mediorum mineralium, ſunt atramenta vitriola, & azoquea, Marcaſitæ, Alumina, Sales & Baurax, quæ non habent humiditatem ſuam in natura fixam per ſiccum materiale, ſed eſt volatile ac fugiens ab igne, humiditas autem metallorum eſt fixa permanens in igne. Ideo tali aqua fixamus aviculas in aëre volantes virtute Lapidis noſtri, qui de ipſorum ſubſtantia propria creatus eſt. Apparet igitur, quòd argentum vivum noſtrum materialis eſt ſubſtantia, & humiditas radicalis omnium corporum liquabilium. Fac ergo corpora eſſe aquam liquefactionis, faciendo & fundendo in argentum vivum. Nam cùm ipſum ſit elementum principale dictorum liquabilium, cùm liquantur, reſolvuntur in ipſum. Et ſulphur eſt pater. Et ideo dictum eſt medium in opere naturæ, ſed

argentum

argentum vivum & metalla dicta sunt extremitates suæ, quia sunt materia inceptionis, & materia finis. Et ideo tibi potest apparere, quamvis tencamur assimilari nostrum magisterium, quantum est possibile operationi naturæ, quòd non possumus tamen propriè suam insequi naturam nisi per operationis modum, & non capiendo materiam crudam, sicut ipsa facit in suo primordiali principio, quamvis sine ipsa materia incipere non possumus, cùm ipsa res necessaria, & cùm necesse sit, quòd metallum totum, quod est sulphur & argentum vivum in isto se habent reincrudari, in sequendo similitudinem operis naturæ in nostro magisterio cum propinquioribus materialibus, sicut convenit scire omni sapienti Artistæ.

CAP. LVIII.

Quomodo Ars corrigit & supplet fortitudines, quas in materia natura invenit, per mutationem illius in actione puræ formæ.

FIli, ne tædeat te, nec displiceat sermo & doctrina, quam dabimus, quia per artem scitam nos corrigimus & supplemus fortitudines & virtutes naturæ. In adjutorio ejus nos per artem incipimus operari, ubi natura dimittit opus. Cùm visum sit, quòd metalla tingere non possunt, nisi quantum ipsorum natura extenditur per potentiam suæ primæ circulationis, suæ naturæ sulphureæ. Et ideo factum est opus certum, in nostri generatione Lapidis, ut eorum tinctura magis accrescat, quàm erat in sua natura sive comparatione. Si scias, Fili, lavatorium nostrum, tu poteris argenti vivi lavare naturam, tali modo, ad quem natura ullo tempore non potuit pervenire, quod illa natura argenti vivi fiet elixir completum. Sed cum in natura, & in suo opere argentum vivum & metalla sint extrema, & extremitates, nec habeant posse conjungendi se, nisi per virtutem dispositionis mediæ, quæ est inter mollitiem argenti vivi, & duritiem metalli, quæ per istam mediam dispositionem constat una obedientia naturalis, quæ est causa conjunctionis inter corpus & spiritum, sicut est in omni generato & generabili. Item in natura sunt plura media, quorum duo sunt puriora, & magis viscosa, quàm alia, sicut sunt azoquea, vitriola viridia cum natura lapidea, quæ est Sal & natura Lapidum. Fili adjutorio naturæ hujus vilis materiæ procreatur Lapidis noster, quem tantùm quæsivimus, quia medium est in opere naturæ inter spiritum, & corpus materiale sicut sulphur in materia argenti vivi. Et ideo natura mediante illo convertit argentum vivum in metallum perfectum, quod metallum in nostro magisterio ratione suæ depurationis dicitur medium reale, inter corpus & spiritum. Corpus dicitur, quando est terra combusta. Spiritus verò, quando tractum est à corpore in forma aquæ claræ, argentum vivum dicitur. Intelligas, quòd in opere naturæ sunt propria duo media electa inter omnia alia, scilicet azoc prædictum, & sal naturæ, qui argentum vivum convertit in liquorem ignis, unde sulphur creatur, quod argentum vivum congelat. Fili pari modo habemus in nostro magisterio duo, quæ natura nobis dedit, & depuravit à suis mediis confusis, & sunt aurum & argentum quæ ratione suæ naturæ puræ majori perfectione participant. Quare nostri Lapidis extremitates in sua creatione est argentum vivum extractum à corporibus in suo primo latere. Et in secundo est Elixir completum, quod est ultimum nostri Magisterii Lapidis, & complementum Magisterii nostri. Postea Fili, descendemus per gradus certos extremitatum, & mediorum, usque ad finem, ut intelligas media, per quæ de gradu in gradum natura transit, eundo ad extrema, secundum perfectionem, & plus & minus. Nam in hoc est notitia totius operis naturæ ac omnium secretorum suorum, & per consequens totius alterius scientiæ.

CAP. LIX.

De Natura extremitatum argenti vivi nostri.

HAbes ergo nostri Lapidis extrema. Nunc argenti vivi nostri dicemus extremitates. Et dicimus quòd extrema ejus in latere primo cum tota substantia ejus, sunt aquæ leonis viridis cum metallo conjuncta, & in secundo latere, Lapis qui creatus est, & illorum medium est Sol & Luna, à quibus exit argentum vivum nostrum, quod est corpus liquefactum, putrefactum à quo Lapis creatur, quando à sua originali macula purgatum est. Fili leo azoqueus, qui dictus est vitriolum, per naturam factus est de propria substantia argenti vivi communis, quod est radix naturalis, unde metallum creatur in sua propria minera. Quare in nostro magisterio tribus principalibus radicibus indigemus naturaliter, sicut opus naturæ, scilicet, extremitates duæ, & medium. Unde opus est tibi, quòd ista cum magna patientia habeas scire, & opus facias secundum quod sagax sapiensque natura vult monere te, cum intentione tali, quòd habere debes & habes creare primum nostrum argentum vivum, ut habeas convenientem materiam, de qua possit lapis creari, quia media nostri argenti vivi sunt duo propria metalla, & ipsorum natura habet converti argentum vivum in lapidem virtutis per artificium, quoniam natura non habuit potestatem metalla dicta transeundi in aliam digestionem, ut per aliam circulationem fecisset elixir completum, & hoc ratione spissitudinis duritiei, & compactibilitatis humidi Mercurialis terminati, & inspissati per vaporem sui sulphuris, & caloris naturalis in forma metalli, quemadmodum Solem & Lunam creavit de subtili substantia suorum propriorum mediorum virtute sui primi circularis operis. Ideo in hoc casu supplemus impotentias naturæ, scilicet faciendo corpora dura, mollia, grossaque gracilia adjutorio naturæ, quæ non recedit hinc. Et liquefacimus cum putrefactionibus, quousque ad naturam argenti vivi reversa sint per sublimationem grossi in simplum, & reductionem cocti in crudum, & resolutionem & dissolutionem sicci in humidum. Et omnia hæc opus est facere complementaliter usque ad finem, ut materia simplex melius & plus obediat naturæ digestivæ. Quoniam constat jam manifestè omni sapienti, sicut in principio naturalibus ostensum est, quod res subtilis substantiæ similis suo toti, sicut corpus simplex homogeneum citius mutatur & generatur virtute suæ naturæ, quàm aliud duræ substantiæ grossæ ac spissæ. Et ideo aurum & argentum dissolvimus in rebus radicalibus sui proprii generis, scilicet in liquore, & per liquorem argentorum vivorum suorum, quorum primum est menstruale fœtens, quòd in prima materia duorum prædictorum luminarium intrat, sicut intelligere potes per principia naturalia in sua propria

pria minera. Et ideo tibi dicimus, quòd in illud immediatè reſolvuntur & diſſolvuntur, ac in illo, à quo facta ſunt reſolvuntur ad aſpectum oculi, & converteuntur in menſtruale fœtens. Nec alio modo haberet actionem & paſſionem, niſi per concordiam & convenientiam naturæ, quæ eſt inter unum & aliud. Item recorderis, quod cum menſtruali nihil ponere velis, niſi rem, quæ de illo nata ſit in principio ſuæ commixtionis. Nam ſi rem extraneam ponas, ſtatim corrumpetur per extraneam naturam, nec unquam habebis illud, quod habere vis. Aurum & Argentum, & Mercurius diſſolvuntur in noſtro menſtruali, quia participat cum eis in proximitate, & vicinitate primæ naturæ. Et hinc extrahes fumum album, quod eſt ſulphur noſtrum, & leo viridis, qui eſt unguentum noſtrum, & aqua fœtens, quæ eſt argentum vivum noſtrum: Attamen opus cùm eſt, quòd leo viridis aqua fœtente diſſolvatur ſolemni diſſolutione, antequam dictum fumum, qui eſt ſulphur noſtrum, habere poſſis, quod quidem ſulphur eodem modo à corpore diſſolvitur ſpiritum congelando, in formæ aquæ ſiccæ, quam lapidem appellamus, & medium ſupremum totius operis noſtri, qui eſt connexio, & aggregatio omnium naturarum, ſcilicet corporis & ſpiritus. Fili, hæc aqua dicitur aqua ignis, quia comburit & cremat aurum & argentum melius, quàm ignis elementalis facere poteſt. Et quia in ſe continet calorem naturæ terreſtris, qui ſine vi diſſolvit, quod ignis communis facere nequit. Quare tibi præcipimus, quòd de rebus calidioribus, quas in natura recipere poteris, facias magiſterium, & aquam calidam habebis, quæ omnia diſſolvit,

CAPUT LX.

De Natura Aquarum fortium, & de earum approbatione.

MUlti dicunt & affirmant, aquas fortes eſſe noſtri Lapidis corruptionem, & non mentiuntur, quia qui ſuam corruptionem non intelligit, difficile eſt, quod intelligat ſuam generationem, cùm fieri non poſſit ſine corruptione & tranſmutatione individuorum, quæ ſunt entia realia materialia noſtri Lapidis in ſua natura propria, quæ quidem corrumpenda ſunt, & corrumpi debent per dictum menſtruale, amore pio ſine tota eorum deſtructione, quia mater pia nunquam vult filium, quem nutrivit, interficere. Fili omne, quod pones, quod non eſt de genere ſuo, ſuam diſſolutionem refutabit. Sed hæc putrefit, quoniam eſt res generis recipiendi totam naturam, cum qua appropriatur. Vide ergo, ne miſceas cum aqua noſtra rem aliam, niſi quæ ſit de propria ſua natura. Nam res, quæ melius & citius putrefacit corpus perfectum, eſt aqua noſtra ratione ſuæ ponticitatis amaræ, & naturæ crudæ, & hæc eſt quæ cremat, ardet & corrumpit omne quod eſt cremabile & corruptibile per annihilationem ſuæ propriæ naturæ ardentis & combuſtivæ. Et ſi humidum oleaginoſum, impurum & unctuoſum eſt in ſuo compoſito, quod habet corrumpere per ſuam proprietatem & operationem, omnia ad nihilum redigit. Et illud, quod eſt purum & mundum, atque melius diſſolutum manet totum, ac illud ab igne defendit, quia ipſa eſt pura natura, & propria materia eſſentialis Lapidis noſtri, virtute aquæ prædictæ diſſolutæ, quæ cremari nec ardere poteſt, vel comburi, ſed creſcit ejus humiditas, quando in igne eſt. Et quòd iſta aqua potentiam habeat cremandi & comburendi omne illud, quod ei extraneum eſt, nos certa experientia probavimus & vidimus, nos in iſta aqua per artificium diſſolvimus ſulphur commune memequinum. Et poſtea ſublimavimus humidum illius, quod magis purum erat in natura per diſtillationem. Inde intus poſuimus argentum vivum vivificatum, & ſtatim congelatum eſt in forma amalgamæ nigræ nimis mollis, quia ſulphureitas ſicca vaporoſa non vicit mollitiem argenti vivi. Deinde ſuper ejus luciditate voluimus experiri, & ideo miſcuimus aquam dicti ſulphuris, & aquam argenti fini: poſt hæc congelavimus argentum, & fundi fecimus, & reperimus illud nigrum & terreſtre, & illud per cineritium purgavimus, & fuit bonum ſicut prius, ſed plus quam medietas fuit devaſtata, propter quod manifeſtum eſt, quod humiditas tota à ſulphure tracta erat combuſtibilis & fortis adhuc, quando aqua non habuit potentiam vincendi immunditiam & malitiam ſulphuris. Et poſt hæc iterum miſcuimus de nova aqua cum ſulphure, & diſtillavimus aquam, & reperimus, quòd tota ſubſtantia humida ſulphuris cremata, & combuſta erat, quia nullo modo contra Mercurium operata eſt. Et ideo tibi ſit revelatum, quòd virtus aquæ noſtræ habeat potentiam congregandi res purè homogeneas, & partiendi atque dividendi heterogenas, per combuſtionem, & conſumptionem ipſorum, quæ non ſunt ejuſdem generis.

CAP. LXI.

Qualiter Artiſta bonos & malos Spiritus intelligere debet, & eos cognoſcere per virtutes aquarum fortium, & per naturam illarum aquarum. Et de Igne elementali, qui elementat elementa.

ET ſimili modo fuimus experti arſenici vulgaris naturam, quam minus fœtentem non reperimus, neque minus combuſtibilem. Et ſimiliter de aliis ſpiritibus ruſticaliter intellectis, qui ſunt omnes de prima imperfectione acceſſionis. Ergo ad argentum vivum quod ſcimus, & ipſum reperimus ab omni combuſtione cuſtoditum dicto naturali experimento. Ideo Fili revelatum ſit, quòd per aquam noſtram viſibiliter cognoſcere potes, quis Spiritus in natura ſua ſit melior, & in opere noſtro ſit propinquior, cùm ſecundum rei veritatem argentum vivum purgatum ſit ab ea, ſine conſumptione ſuæ puræ ſubſtantiæ, ſicut per naturam videtur, & quod nos & alii vidimus per artem, quòd natura eum in purum metallum permutat, & per artem in puram medicinam, quòd fieri non poſſet, niſi ejus pura ſubſtantia perpetua eſſet contra ignem, qui non vult niſi res puras, & quia ſubſtantia ſua eſt pura, in igne quieſcit ſine terminatione conſumptui finis. Et ſic apparet quomodo per aquam bonum poteris cognoſcere ſpiritum, & per ſpiritum aquam, quæ cauſa eſt ſuæ rectificationis. Fili elementalis ignis, & qui elementat elementa, non poteſt à corporibus animam trahere, ſed aqua fœtens benè trahit virtute amoris participantis inter ea per media eorum præparatorum, quia in præparationibus inveniunt ſe animæ & vires,

vires, quæ faciant nostrum magisterium in distillando & redistillando, solvendo & congelando. Et sic fili, aqua nostra faciet totum corpus spiritum, & argentum mortuum in substantiam vivam vertit, postea mortificat & revivificat in suam propriam naturam. Et postea, quando congelatum est, dicitur nostra magnesia, quæ quidem magnesia non est nisi aqua composita, & congelata, quæ igni repugnat, nec post ipsa timet ignem, quia ipsamet ignis est, & de natura ignis facta. In igne conservatur, & regimen eius, & nutrimentum in igne est. Qualiter ergo posset pater interficere, vel mactare filium suum, quem generavit, vel mater pia infantem quem nutrivit verè? quamvis ambo vellent eum interficere, tamen nullo tempore possent eum confundere, imò possunt citius extingui per calorem laboris, quia filius ipsorum tali calore est indutus, quem ignis amodo corrumpere non potest, cum calore maiore sit munitus, quàm elementum ignis. Et ideò tibi manifestavimus aquam nostram post congelationem cum suo fermento. Et si aquas nostras intelligis, viva argenta etiam intelliges, quæ successivè veniunt, & quotidie succedens habet ampliorem potentiam ad fermentandum suum præcedens. Et sic est deultimo, quod majorem habet potentiam, quàm omnia præcedentia. Ideò fili, si intelligis nostra argenta viva, & eorum fortitudines, tum intelliges fermentorum nostrorum potentiam, & inde multam philosophiam, quæ totum ostendere potest experientia visibili per patientiam benè & cautivè ordinata, & cum mora temporis anticipata, ad habendam medicinam talem, quę non emper invenitur. Qui hanc habet, thesaurum æternum habet, & omni alii incomparabilem.

Cap. LXII.

De natura fermentorum, & de eorum aquis, & de nostris argentis vivis, & de terris ipsorum. De magisterio, & de cognitione aquæ fortis, & de rebus, quæ eis debent iungi per concordantiam contrarietatis.

POst hæc fili, intendimus in summa dicere fermentorum naturam, & aquarum suarum, & nostrorum argentorum vivorum, quæ omnia sunt unum tum non sit, nisi una sola natura, & de terris nostris. Et dicimus, quòd hoc totum non est, nisi una res, quæ variatur in numero trium per suas operationes, & variando per unam decoctionem est una res unius potestatis simplicis, & post hoc gradualiter transeundo ad informationem per aliam digestionem, erat alia res quam argentum vivum appellamus, terram, aquam, & fermentum, gummam, & nostram salsaturam secundam; amaram & asperam, quæ totum corpus solvit, virtute composita, & proprietate per secundam digestionem acquisitam. Et post per aliam digestionem habet majus posse. Et sic intelligere potes, quod in nostro magisterio sunt tres propriæ terræ, tres aquæ, & tria propria fermenta, tres propriæ gummæ, tres propriæ salsaturæ, & tria propria argenta viva congelantia, sicut potes intelligere per operationem triangularis figuræ; per quam constitutæ sunt tres principales reductiones, quę sunt totius magisterii nostri complementum, sicut in nostra declarabimus practica. Ideo fili, argentum vivum custodi, quod congelatum, & in mineris terræ suæ; Nam illud est argentum vivum nostrũ nostra gumma, terra nostra, salsa nostra, amara, quæ dulcificatur virtute reductionis tertia. Et est fermentũ nostrum, nostrum elixir, & medicina nostra ad omnes infirmitates. Hæc est aqua nostra, non aqua vulgaris Mercurialis nec phlegmatica, sed est illa, quam diximus quæ est in multum calidiori natura, quam sit ignis. Quapropter Hippocrates, Avicenna, Averroës, Galenus & alii philosophi appellarunt urinam juvenum cholericorum, scilicet aqua fortis acuta. Et de his, quæ supra diximus tracta, conversa & congelata in aquam fermenti, sicut diximus. Et scito fili, quod res cholerica non est nisi ignis, & hæc fili, est aqua nostræ primæ, ac ultimæ expositio. Dissipa ergo rem captam prius per rem satis aptam, & ista qua est res leviter extracta sic massam contere factam, scilicet cum igne aquæ, nam album urinæ disponit membra urinæ. Quia nulla res est in toto mundo ad tinctutam, nisi aqua quam in memoria habemus. Scias fili, quod per artem & naturam argentum vivum per aquam acutam congelatur. Ideo intellige philosophicaliter, quia si non esset acuta, non penetraret, quæ est prima actio in dissolutione, postquam solutionẽ in sanguinem apostematum revertitur per mutationem suæ naturæ in aliam. Fili, duæ res sunt, quæ debent adhærere per concordantiam contrarietatis, una pura, alia impura. Impura recedit, cùm sit ignis inimica suæ ratione corruptionis. Alia remanet in igne, causa ratione suæ puritatis tranmutatæ in sanguinem; & hæc est argentum vivum nostrum, atque totum nostrum secretum indutum indumento tripartito, videlicet, nigra, alba, & rubea. Et ista solum indigemus pro intentione nostri magisterii, cùm sit argentum vivum continens omne illud, quo indigemus pro substantia quinta. Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes, nam sub umbra eius latet substantia quinta: nam eius substantia est pura & incombustibilis. Et omne illud non est nisi aurum & argentum liquefacta & fusa intus & exterius per virtutem ignis, & post depurata & separata ab eo, & à tota sua originali labe ac macula: nam aurum, quod est incombustibile remanet fusum & liquefactum, & est aurificans in dicto Mercurio, quia substantia sulfuris fit universaliter dispersa per totam substantiam. Et Mercurius est in re seminali totus fermentatus propter dulcedinem auri, quæ nutrit semen, movet & multiplicat, ut videre poteris in rebus naturæ. Intellige ergo fili, Mercurium nostrum & suam proprietatem & modum suæ copulationis, in tali loco iungitur cum argento vivo tractione ab argento vivo copulatur multum cum auro. Ne quæras igitur operari, nisi cum Mercurio & luna pro argento, & Mercurio & solo pro auro. Nam aurum non est resolubile, nec reducibile, nisi in propriam suam naturam. Quare debes benè discernere, quæ sunt materiæ, quæ sic nominantur, ut in qua figura, & materia ipsa sunt.

Cap. LXIII.

De præparatione lapidis per ipsius divisionem in quatuor elementa post putrefactionem suam.

INtentio naturæ fili, ad faciendum magisterium nostrum est, quòd lapis in quatuor elementa sit divisus, ad finem, quòd quodlibet per se secundum exigentiam suæ naturæ melius possit præparari: & hæc est purificatio rerum, præcedens operationem perfectæ præparationis, & est propriè dicta elemẽtorum separatio, & ipsorum ablutio: quia hæc operatio dividit omnes partes impuras à partibus puris, ut per illas puras, leves, & mundas fiat successivè per naturalem conjunctionem nostra præparatio perfecta, quæ

facta est per reductionem humidi in siccum appropriatum statim & immediatè post beneficium separationis elementorum. Alio modo humidum non amaret siccum nec corpus spiritum, nisi prius essent optimè à suis infectionibus abluta & mundificata per distillationes, calcinationes, dissolutiones & congelationes. Fili, propter elementorum separationem corpus remanet combustum per sallaturam sultureitatis comburentis & ardentis, quæ venit à labe & macula originali nostri menstrualis, quod est nostri lapidis corruptio. Et ideo terra corporum calcinatur post extractionem aeris ad finem, quod de sultureitatibus salsis, & combustibilibus benè purgetur & depuretur. Apparet ergo, quod talis materia combustibilis non fuisset posita per corruptionem lapidis in suo principio, quòd nunquam oportet eum purgare. Et cùm sic sit, necesse est, quòd per corruptionem lapidis compositum depuretur ab omnibus suis immunditiis post separationem illius per quâtuor elementa, per distillationem & calcinationem, antequam Mercurius corpori conjungatur pro incipienda reali præparatione, quæ est lapidis nostri creatio, scilicet præparationem, quam natura facit per dissolutionem corporis, & congelationem spiritus, cui naturæ simplæ prudenter artifex ministrare debet materiam, per illum modum, quem natura requirit in actibus suis. Et ideo necessarium est, quod lapis per quatuor elementa dividatur, & ista divisio solutio est, quæ facta est ad finem, quod substantia lapidis facta sit mundissima, & quod totum non sit nisi purus Mercurius, qui portat in proprietate naturam fixandi & fundendi. Quando igitur vis corpus post suam calcinationem dissolvi, illud cum argento vivo dissolve, quod exivit ab eo bene purgatum atque mundatum per septenam distillationem, quia tunc corpus est multum dissolutioni habilitatum, & argentum vivum est multum efficax ad penetrandum illud, & ad intrandum per spongiositatem corporis sui, in qua spiritus congelatur beneficio dissolutionis naturæ fixæ, corporis ac illius mixtionis cum argento vivo. Et fili, si nos intelligis, hæc est nostra dissolutio solemnis, quæ fit per congelationem spiritus, & sine illa non. Item non intelligas, quòd elementorum separatio fieri possit, nisi post eorum putrefactionem, per quam spiritus miscetur cum corpore, & cum suis elementis, & illa facit volatilia, sicut in eorum separationibus apparet. Ideo digerit & putrefacit elementa in suis stercoribus ut benè digerantur ad satisfaciendum voluntati naturæ, ut possit benè separare, & postea inhumat res separatas, ut melius possint depurari, & ut fiant argentum vivum ad modum aquæ claræ, nisi separes lapidem, scilicet substantiam quintam per quatuor elementa, scias, quòd humida elementa non possent naturaliter adiungi cum corpore sicco, nisi quodlibet ipsorum elementorum teneat de natura quintæ essentiæ. Quia illa connexio elementorum, est reductio ipsorum in unam primam substantiam, & puram, quòdque dicta elementa sint optimè depurgata, atque mundata à sua corruptione. Tibi dicimus, quòd sulfureitates combustivæ, & corruptibiles beneficio calcinationis separantur & penitus annihilantur, & per ignem & ab igne. Et terra corporis comminuitur, & multum per talem digestionem subtiliatur, & aquæ à suis immunditiis depurantur per distillationem, & subtiliantur, & in naturam vertuntur aeris per levigationem levitatis. Post hæc potes facere coniunctionem masculi & fœminellæ ad finem, quòd ipsi per artem generant filium ignis, qui est tantùm in amore omnium philosophorum. Si benè nos intellexisti, hic iacet tota philosophia.

Cap. LXIV.

De effectu totius in summa universali. Et quòd totius magisterii effectus non est nisi multiplicatio virtutum substantialium in essentias quintas.

Memoriæ nos ducimus & reducimus, quod totum illud, quod in libris nostris determinamus, quòd effectus totius magisterii non est aliud in totali summa, quàm multiplicatio tinctura adhærentis in natura omnibus generibus metallorum. Et natura metallica in summa universali non est nisi sulfur, ex quo fit multiplicatio per suum proprium calorem naturalem in argenti vivi substantia digerente illud, & convertente in substantiam sulfuris per certum digestionis modum. Ergo multiplicatio tincturæ non est, nisi per augmentationem & multiplicationem caloris naturalis, qui est sulfur non urens nec ardens in materia argentum vivum; Cum certum sit, quòd si argentum vivum est materia metallorum, & substantia eorum in qua eorum claritas infixa est, quia metalla non indigent, nisi substantiali tinctura, in qua tinctura sulfur infigitur & tenetur. Et necesse est, quòd sit talis substantia in qua infigitur de illorum metallorum materia salvata & custodita ab omni combustione & effectiva omnis fusionis, & amabilis, & placens omnibus metallis. Et ideo necesse est, quòd tinctura sulfuris talem insequatur substantiam, & quòd in illo collocetur, si vis quòd sit metallorum tinctura, & quòd dicta substantia sit talis, quòd fixari possit sine consumptione suæ humiditatis sine reversione, aut recursu illius in terram, & sine cremationè & combustione suæ propriæ substantiæ & omne hoc est in argento vivo. Quare notandum est, quòd ipsum causa est perfectionis ad necessitatem metallorum, quia ipsum est sufficiens in quolibet gradu fusionum cum ignitione, sicut demonstrat aurum & argentum, ferrum & cuprum. Aut sine ignitione, ut patet in plumbo & stanno. Et hoc per bonam adhærentiam omnium partium suarum, & per fortitudinem suæ nobilis mixtionis. Ideo fili, si aliquo modo inspissare possis ipsum argentum vivum, per ignem sub conservatione suæ humiditatis nullo tempore se corrumpi permittit, neque per flammam furiosam unquam in fumum recedet per gravitatem ponderosam, quam in se habet, & per carentiam adustionis omnis quam habet, Veruntamen istam inspissationem non possumus facere de argento vivo vulgari, sed de nostro philosophico, cùm in suo effectu habeat substantiam inspissandi, & fit per opus secundi aut tertij gradus. Si ergo manifestè perfectum est in omnibus suis partibus, non curemus de aliqua probatione, cum visibilis experientia nobis demonstraverit. Nam quando fixatur, tam magna venit inde tinctura exuberatæ refectionis, & in tanto splendore, quòd vix posset exprimi. Medium est adiungendi tincturas, nam cum eis miscetur per minima, & in profundiori ipsorum naturaliter adhæret, quia est de natura illorum metallorum & specialiter solis & lunæ; quæ sunt tinctura omnium aliorum metallorum imperfectorum. Et ideo tibi in doctrina relinquimus, quod necessarium est, quòd tinctura sulfuris aut ignis, quæ est in materia argenti vivi complexionalis sit confixa in dicta substantia dicti argenti vivi, cùm sit materia metallorum ad finem quod tinctura mediante sive materia,

ria, cum qua est colligata per congruitudinem suæ naturæ possit adhærere sine separatione. Et si in alia materia credis fixare sulfur, non erit amicabile metallis, nec per consequens conjunctivum per extraneitatem naturæ. Et in materia perfecta argento vivo propinqua, si fixes erit ad perfectionem, & vitam metallorum, quare ab illo omnia metalla creantur, & cum illo omnia dissolvuntur & resolvuntur, & in sulfur convertuntur per multiplicationem tincturæ adhærentes dictæ materiæ dissolutæ, & congelatæ virtute cujusdam incrudationis propinquæ ad naturam, & per intellectum hujus rei patet veritas, quare tinctura sapientium Alchymistarum est major, quàm illa de natura. Quoniam magnitudo tincturæ crevit in substantia argenti vivi medicinalis ex pura natura per artem magisterii, hæc magnitudo multiplicata in pluribus modis & tincturis unita est, & multarum potentiarum constituta & facta, & hoc per potentiam commixtionis materiæ, quæ fit dicti caloris virtute naturalis, & sui motus in dicta materia metalli, quæ postea ponuntur, & constituuntur in sulfur, quod est a genti vivi substantia, in qua sunt unitæ & additæ materialiter multæ tincturæ sulfuris aut argenti vivi albi & rubei, lapidificativa virtute sulfurea essentialiter infusa in materia argenti vivi. Quare fili, omni Alchymistæ experto patet, quod illa maioritas & magnitudo tincturæ est maior, quam in omni alia tinctura lapidis per naturam creati, prout largius nominavimus in tractatu quæstionario. 22. quæstione, & in mixtione fermentorum in secunda parte.

Cap. LXV.

Quæ res est materia argenti vivi, & sulfuris.

Fili, tibi diximus, quòd humiditas radicalis, in qua calor naturalis nospitatur & residet multum est unctuosa, & ideo difficulter separatur, & per consequens sua siccabilitas, quod nisi sic esset, natura non posset suis necessitatibus providere, quæ sunt soliditas, fluxibilitas permanentes, &c. Et ideo natura desiderat esse perpetuo in suis individuis sub conservatione suæ speciei: quare natura sagax ordinavit hanc humiditatem Mercurialem unctuosam multum subtilem, quæ tenet in se materiam terræ unitam nutrimento caloris naturalis, & per separationem talis unctuositatis permanentis tibi revelatur lapidis creatio, qui de aqua post congregationem spiritus unctuosi factus est. Fili, humiditas unctuosa est proximior & vicinior materia nostra argenti vivi philosophi; & substantia suæ unctuositatis est propria essentialis materia sulfuris: quare vides, quod unum sine fixione alterius fixari non potest. Cum ita sit, quod unum non est sine alio, sicut materia non est sine aliqua forma; ideo sulfur est quasi complexionalis calor in substantia argenti vivi, & est ibi tanquam spermatis virtus masculi, quod est in semine femellæ aut altetius generativæ virtutis, quæ est in seminibus. Quare intellige, quòd materia talis sulfuris est multum lucens fortiter munda, & ad puritatem deducta virtute ablutionum fortium & acutissimarum tali modo, quòd nullam unctuositatem cremabilem, aut ardentem habet in se, nec aliquam humiditatem vaporabilem, nec phlegmaticam. Et cùm ita sit, quod ipsorum quodlibet subtiliter sit subtilitatum, ad formam supremorum elementorum deportantur. Et ut apparet quod omnia simul mixta sint per calorem & dispositionem vasis uterini præfocantis & reflectentis vaporem in seipso contra locum suæ conversionis ligamento forti naturæ simul colligantur, in una sola re pura & minerali.

Cap. LXVI.

De cognitione caloris naturalis. Et de loco suæ dispositionis ad sulfur procreandum.

Fili, humiditas argenti vivi non potest congelari neque converti in sulfur, nisi per sui vasis virtutem, quod est de sua materia propinqua tota porosa & aperta. In ventre, cuius est tala natura subtilis, quæ congelat argentum vivum in substantiam sulfuris in qua continetur pars caloris naturalis. Et ideo per suos poros argentum vivum habet ingressum, & per resolutionem dicti caloris naturalis ipsum in purum sulfur congelatur, & nisi corpus esset apertum & spongiosum, alio modo argentum vivum intrare non posset. Nam in natura, quæ totius artis & scientiæ magistra est & exemplar nunquam reperitur, quòd posset nutrire & crescere, nec augmentare rem aliquam, vel multiplicare in specie & re solida compacta & clausa, sicut apparet in metallis in eorum specie manentibus. Et ideo dicimus, qui vult mutare metallum in metallum, opus est quòd ad primam suam speciem propriquam generi convertatur. Quia ipsa metalla in sua propria specie permanentia non possunt permutari. Nam si permutanda sint, necesse est ut bonum permutatorem & perfectorem ipsis habeant. Et si habeant permutatorem, habebunt pati ab eo. Sed hæc passio duplex est, secundum naturam convertentis & convertendi. Nam aut permutator erit argentum vivum simplex tamen philosophicaliter intelligendo, aut erit sulfur in medicinam delatum. Quod si est sulfur portatum in medicinam, corpus tunc habebit pati per conversionem unius in alterum, sicut cibus in substantiam animalis convertitur sub conversione suæ speciei. Si sit argentum vivum, tunc corpus per resolutionem suæ naturæ & conversionem ejus, virtute argenti vivi substantiam sulfuris habet necessariò pati usque ad ultimum passum mortis suæ. Et ratio est, quia tale sulfur in aliquo loco reperiri non potest, nisi in profundiori ventris metallorum. Et cum illud sit ipsorum pura natura, per quam in sua actione se continent necesse est, quòd per corruptionem suæ substantiæ debeamus extrahere: quoniam sine illo non possemus creare medicinam perfectam. Et ideo reliquerunt in scriptis Aristoteles, & Plato, & omnes alii philosophi quod species metallorum permutari non possunt à forma in formam specificam, & speciem metalli, & sub conservatione suæ formæ metallinæ, nisi primò in suam reducantur naturam primam, scilicet, in sulfur, & argentum vivum, à quibus postea creatur medicina, & non antè, & non procedit ultra. Et hoc intellige de perfectis corporibus, quia illa habent revertere & convertere imperfecta metalla ad perfectionem, sicut minor per maiorem rectificatur. Quare fili, cùm tale sulfur non possit haberi & multiplicari, prout natura docet, quousque corpora sint apta & spongiosa facta per operationem alleviationis, certæ & verissimæ omnium elementorum, à quibus sunt composita. Ideo diligere debes corruptionem, quæ tibi aperit corpora per resolutionem, & conjunctionem humidorum naturalium, quæ sunt vera elementa ratione ignorantiæ. Quoniam penitus ignorant aperitionem & aperturam pororum & foraminum clausorum & stimulationem vir-

tutis activæ & multiplicativæ. Credunt enim impossibile, quod nesciunt, sed mentiuntur. Quoniam res non est impossibile, cum sit in actu reali & per artem fiat opere cujusdam practicæ, quæ si non intelligitur, per te non posset fieri benè, posles respicere & videre opus distillationis, & redistillationis, reversionis & reiterationis, sed nullo tempore scies cognoscere magisterium suppositio, quod ante videris opus compleri, nisi intelligas naturam, quomodo debet transmutari Fili, non est nisi unum opus, quod diversimodè operatur secundum intentionem transmutationis de sua pura natura intellecta per operatorem cum omnibus suis figuris. Item, nisi habeas intellectum proprij modi operis naturæ, & ponas te ad distillandum, & credas benefacere cum illa, consumeres prius totum vitæ tuæ tempus, etiamsi per mille annos haberes vivere, & semper distillares, antequam adduceres ad bonum quatuor elementa, nisi primò eorum cuiuslibet per se intellexeris virtutes, & postea omnia sua signa benè cognoveris in suis mutationibus, quæ fieri non possunt sine propriis instrumentis, quia tibi ostendemus, quòd benè scias sensum. Iam tibi ostendimus quatuor regimina, scilicet, habeas intellectum, quæ sunt dicta & nominata convertentia quatuor elementorum obediendo voluntati naturæ accommodata tanquam instrumenta: quare reducere velis, quando perficere, quia postmodum aliis vicibus benè accommodabit tibi gratis. Et vocantur in nostro magisterio, primùm solutio: pòst depuratio: inde reductio, ante fixationem. Et per horum ignorantiam opera naturæ ignorantur. Et rustici rurales mendaces, & totius ignorans clerus, prædicta tenent & credunt, quòd nostrum dictum magisterium assimilari non possit naturæ aliquo modo. Sed nos fili, ex certa scientia, tanquam amici fideles naturæ, qui scimus visibili certificatione, ac experimento probato, ac sine fallacia naturam generaliter operari in suis propriis locis, siccis, calidis & porosis, quos nobis in hoc passu voluit docere dicendo, quod omne crescens & multiplicans necessariò recipi debet, & hospitari infra concavitatem & porositatem illius, quod crescit, & multiplicatur. Et ideo Hermes philosophorum, & Alchymistarum pater operibus naturæ providendo, & ipsam insequendo & assimilando in sua multiplicatione investigationes illius docendo, in quantum possibile est in veris peculiosis, & utilibus transmutationibus nos admonens docuit; & reperimus probato ac certo experimento, quod omne metallum solutum indiget necessariò poroso hospitio, quod sit de propria ipsius materia continente de pura natura dicti metalli soluti, quod est dictum argentum vivum. In quo poroso hospitio crescit & augmentatur omne illud, quod natura multiplicat, prout facit rem omnem aliam, quæ in actione multiplicationis est. Ideo fit corpus porosum; ut crescendo possit dilatari, & in ipso provocari, convolvi, mundari, & purificari, in naturam illius converti; quod est convertens & multiplicans. Et quando corpus est spongiosum; recipit illud, quod amisit, & adhuc magis virtute motus sui caloris naturalis, qui motus est in attractatione nutrimenti, & nutrimentum movetur in partibus illius, quod nutritur, sicut locatum moventur ad locum suum proprium prout movetur & trahitur per aliquam virtutem loci. Fili, causa attractionis nutrimenti, in quantum est ad locum, ad quem attrahitur, nutrimentum est, fortitudo, & virtus generativa; quam alio modo nominamus calorem naturalem; & philosophicum in nostris secretis, sine quo nulla res creatur, cùm sit virtus & potentia naturæ. Et ideo porositas indiget aeritatem naturali; quæ est subiectum & proprium retinaculum dicti caloris, quæ quidem aeritas manifestatur in calore nigro, quando elementa benè mixta sunt & corpus est combustum & arsum. Et si elementa benè mixta non fuerint, jam non videbis nigredinem, quæ est caloris manifestatio. Ideo quia nigredo ostendit, quod corpus non remanet privatum neque pulsum à virtute activa. Virtus autem activa est, suus calor, elementaliter & instrumentaliter. Et hic est, qui causat nigredinem, quando in suo humido operatur. Et quando operatur in suo humido, demonstrat, quòd ipsa elementa sunt fortiter mixta; quando aqua in profundiori corporis benè penetravit, & resolvit, & dissolvit colorem, qui humidò radicali est ligatus in calore nigro. Ideo quando humidum radicale, quod est ignis subiectum separatur à corpore in sua calcinatione, tunc suffocatur & extinguitur calor naturalis, quia suum subiectum ei deficit, & corpus in calore rubeo manifestatur; quod opus est sine lucro; quoniam naturalis calor recessit, & corpus sine vita remanet. Fili, humiditas, quam tibi diximus, est materia spiritus, in qua naturalis retinetur calor & hospitatur, & in calefaciendo operatur contra humidum suum, & generat nigredinem. Nam cùm sit separatus à vero temperamento necessarium est, quòd habeat operari, inquantum est ignis. Et quoniam non habet aliud subiectum; quod ei refrenet actionem suam per qualitatem contrariam, prout primò faciebant aqua & terra, in quibus erat ligatus, & per quem erat temperatus, quia ipse est calidus, multum ardet, & comburit suum proprium subiectum, in quo retinetur & facit totum nigrum sicut carbo. Ideò fili, attende, quòd talis humiditas, in qua hospitatur naturalis calor, non separetur penitus à corpore per ignem excessivum extraneum, quando eris in tuis naturalibus & proficuis calcinationibus. Nam postea trahere non posset, nec convertere lapidis nutrimentum, quia non esset principale agens, etiam multiplicatio deperiret omnino. Ideò, quòd attractio fieri non potest aliqua, nisi per caliditatem & humiditatem, à quibus causatus est & factus naturaliter calor.

Cap. LXVII.

De effectu ignis, & quomodo ipsum appellamus in nostro magisterio.

Propter anè dictas rationes intelligere potes; & evidenter discernere, si talis calor est causa totius rei generativæ, & cùm visum sit, quòd omnis res generativa in se habet operationes contrarias, dictus calor captus modo prædicto, tanquam calor & instrumentum naturale, non est omnino unus in forma, & in virtute, imò de pluribus formis & virtutibus secundum vim & posse, quod accipit specificè, & in speciali per determinationem subiecti; in quo est. Et ideò nulla res prohibet, quin habeat operationes multas & mirabiles, & formas notabiles, quarum quælibet est ei propria & naturalis. Fili, vi rationis extraximus potentiam naturæ, quæ occulta erat, & absconsa in manifestum, & rationem exquisivimus per virtutem sensus & intellectus: nam illi sunt primò cognitivi, cognitores substantiarum & operationum naturalium. Et hoc tu tum

directum est & cognitum experientiæ instrumento virtute cuius ubi manifestamus, prout vidimus, quòd quælibet dictarum operationum diversarum est de diversis mensuris aut fortior, aut debilior. Sed hæc diversitas causata est per diversitatem mixtionis elementorum. Cuius mixtionis non est tantummodo, nisi unus actus in genere, scilicet, distillare & redistillare, & dissolvere & congelare, & per causam illius reiterationis est magisterium nostrum per ignorantes mundi reputatum ludus puerorum aut mulierum, vel unum monstrum capite & cauda carens, sed qui parum sentit, parum scit, & tantum sunt ipsi. Dicimus ulterius supponendo, quòd dicta mixtura sit terminata, vel non quantò calidior erit calore naturali, tantò erit calefactiva & desiccativa humoris Mercurij, & magis effectus suos imprimet in dicto Mercurio, quousque sit ipsemet in suum simile conversus ratione virtutis vincentis virtutem humoris, qui dicitur Mercurius; licet quandoque calor naturalis in tantum, quantum est parcus & infixus in materia grossa, hoc non possit facere, nisi informetur, seu adjuvetur per calorem extrinsecum sapienter administratum per naturalem operationem, sicut in creatione sulfuris est visum, & in sua multiplicatione. Et hoc est, quòd opera naturæ cum contrarietate fiunt, respectu virtutum effectualium, quæ sunt in elementis, & secundum materiam, aut naturalem illius capiunt dictæ virtutes determinationem. Nam virtus agens quando est in humiditate exhalativa & volativa, citò penetrat omnem humiditatem condensatam sine adjutorio extrinseci caloris. Et quoniam humiditas, in qua erat dicta exhalativa virtus separatur, & dimittit suam virtutem in corpore deciso, quando postea est vacuū virtute sine aliqua impressione remanet. Ideo tibi dicimus, quòd humiditas citò recuperatur, & deinde statim deperit. Sed in sicco est causa contraria, & hoc per contrarietatem humidi & sicci. Nam si humidum est alicuius operationis, sicci operatio est contraria. Contrarietas est, qua impressionem graviter accipit, & graviter eam dimittit. Item humidum hoc agit sine accidentali igne, & siccum non. Et ideo, quoniam siccum igne indiget ad impressionem complendum, illud siccum; quantum possumus subtiliamus, & cum humido miscemus, quousque sit veraciter temperatum, & mediocriter subtiliatum, ut cum adiutorio modici caloris faciat penitus in suo corpore nobilem impressionem. Semper tamen est necesse ad hoc agendum calor ignis communis excitantis, & calor communis naturæ operantis, de quo tantum diximus; quòd nos intelligere potes. Opus est tibi fili, quòd dictum calorem plantes, & ponas in terram subtilissimam, ut grossum terrestre non ejus impressionem impedire possit. Et huius rei sume exemplum in subtilitate humidi. Fili, dictus calor est tanquam principale effectivum totius illius quod petis, quoniam id, quod non est nisi potentia, defert in actum manifestum cum experientia manifesta ratione adhærentiæ colligatæ à calore & instinctu naturæ. Quoniam ignis in tantum, quod ignis est, nullo tempore facere potest. Citius enim materia per eum incineraretur, quia non operaretur sicut instrumentum organicale, sicut facit calor innatus in composito & infixus in eo à sole & stellis, & non ab igne communi, sicut multi credunt per eorum ignorantiam magnam: nam quando dicimus, quòd lapis per ignem generatus est, non vident alium ignem, nec alium ignem corporaliter credunt, nisi communem ignem, nec aliud sulfur, nec aliud argentum vivum, nisi sit vulgare. Ideo manent decepti per eorum cæcas æstimationes inferentes, quòd causa sumus suæ deceptionis, & quod dedimus intelligere rem unam pro alia. Sed non est verum, salva eorum pace, sicut probavimus per illa, quæ philosophi posuerunt in scriptis. Plures enim facti sunt filij Hermetis, & nos similiter sicut in pluribus verbis & locis nostrorum voluminum, & specialiter in arte compendiosa magisterij nostri ad illuminandum evidentiam & certificationem omnium filiorum doctrinæ declaratum est, scilicet, quòd solem appellamus ignem, & vicarium suum vocavimus calorem naturalem: quia defert fortitudines solis cum adjutorio caloris communis sicut patet per ejus effectum. Nam illud, quod agit calor solis in mineris metallorum in mille annis, ipse calor naturalis facit in una hora supra terram. Item nos, & multi alij vocamus eum filium solis. Nam primò per solis influentiam fuit generatus per naturam sine adiutorio scientiæ, vel artis. Et ideo Aristoteles vocavit solem patrem & terram matrem omnium vegetabilium, quia sol impregnat terram calore vivificativo, quæ postea in naturalem convertit calorem, qui multiplicatur adiutorio caloris ignis in nostro magisterio. Unde post per ipsos philosophos clamatus fuit filius ignis, ut suprà dictum est & ostensum. Idcirco iam manifestatur, quod ut philosophi dederunt eum in magna claritate, it occultaverunt cum magna obscuritate. Sed tibi qui nihil vidisti, neque perscrutatus es in philosophia, quomodo potes cogitare, quòd melius tibi dare possumus? Vide & considera, aut tibi potest sufficere hoc, quod modo volumus dare sine aliqua rima, hoc est ignis naturalis, qui generatur per solem & multiplicatur cum adiutorio ignis communis ac dispositione philosophica. Nam si aliquis trium ignium deficeret in arte, totum nihil valeret. Ideo apparet, quod filius est solis, quando per eum naturaliter est genitus. Et fit post hæc filius ignis, quoniam per illum crevit & multiplicatus extitit cum virtute innata. Et iterum filius est philosophi, quoniam per eum fuit rectus & gubernatus usque ad suæ perfectionis finem. Et sic ostensum est quòd tres patres habet. Primus est causa suæ generationis. Secundus est causa suæ perfectionis. Et tertius est causa suæ multiplicationis. Ideo fili, dicimus, quod capias terram nostram impregnatam à sole & sacrifica cum substantia benè per puerum nutrimentum subtile. Nam ille debet stare in loco solis, habens & portans fortitudines patris sui secum, & pater concessit filio suum posse. Iste est aurum nostrum influxum, sive sol noster, cùm est nostra anima, & non in alio. Postea est æs nostrum, in quo dictus est sol, & est terra leprosa & nigra, in qua vulgare corrumpitur. Honora ergo naturam illius, & habeas eius virtutem in notitia, quia lapis est honoratus, repertus in hospitiis desertis; & est intus inclusus velut magnum secretum & thesaurus incantatus. Item fili, materia nostræ medicinæ debet esse benè quatuor rebus mixta ex quatuor elementis. Prima est proportionalis mixtio quatuor elementorum, tali modo, quòd opus est tibi, quòd ignis naturalis adiuvetur per calorem digerentem, & aqua per fluxum sicci, quod versum est in humidum, & aër ad finem quod dictum humidum possit inspissari in terra, & terra propter consistentiam suæ substantiæ & retentionem figuræ virtutis cœlestis, quæ forma erat & est in calore & in spiritu. Et in hoc opus est, quòd proportionabiliter misceatur secundum mensuram, quæ dicta est geometrica mensura, & non postea æqualiter in quan-

stitate, sed in quanto requirit ad virtutem & speciem, vel sulfuris, vel medicinæ, & hæc mixtio est prima & principaliter res necessaria, quam omnis materia generationis requirit. Secunda est, quod materia habeat potentiam benè lapidificati am, vel vegetativam, antequam vocare possit munita vapore sulfuris, & non sicut anima vegetabilis est in plantis, sed sicut in fine capituli de virtute formativa dictum est, & tertia & quarta sunt, prout dicemus planè in capitulo sequēti de fortitudinibus & virtutibus.

Cap. LXVIII.

Quomodo Artista se debet habituare pro imbibitionibus mensuranàis, habendo respectum ad fortitudinem ignis, qui dictus est naturæ instrumentum.

TAmen, fili, damus tibi pro memoria & præmeditatione, per sensum quod in imbibitionibus habeas te temperare secundum quantitatem virtutis ignis naturæ, quia tunc oportet quòd virtus ignis militet contra aquam, sicut victor vi sua & fortitudine ampliare vincit parem suum in bello. Idonee esse est, quòd virtus aquæ non superet calorem naturalem, quia pro modico resolveretur & dissolveretur ipsius vegetabilis virtus, & converteretur in naturam aquæ, sed in maiorì calore. Et huius rei dat exemplum natura, quòd fortior debiliorem vincit cum modico adjutorio, quare cōsidera, ne ille minor successus superet, postquam vis cum sensu agere. Nam opus est, quòd sicut aqua vicit sulfu, & vertit illud per dissolutionem ad naturam suam, tali modo nunc est opus, quòd sulfur habeat potestatem vincendi argentum vivum. Nam primò vicit illud, & ipsum vertit per congelationem ad proprietatem suæ nobilis naturæ, & prosequendi illud, & terminandi ad propriàm naturam argenti fini, clari & pretiosi. Et hæc conversio fit per reversionem differentiæ, quæ movetur à concordantia, sicut ostendit ratio naturalis, & experientia nobis certificavit confortando virtutem lapidis ei condonando tantum succursum, & quoniquè habeat potentiam convertendi argentum vivum nostrum, quod quidem primò ad sui similitudinem suis virtutibus eum convertit. Fili, quoniam omnium corporum mensura & temperamentum fuit per suorum confortationem membrorum. Ideo districtè scire oportet, non tantum qualis res sit, sed quot modis, & quibus modis potest & debet operari. Et per illud posse visibiliter ostensus est ignorantis effectus, per quem habet notitiam potentiæ, quoniam in rebus generalibus sapiens & ignorans participant in notitia. Et hoc ad cognoscendum rem, quæ coram eis manifestè ostensa est. Et de hoc manifesto æque benè notitiam habebit fatuus, sicut sapiens: quia unus & alter habebunt notitiam, quod materia est talis, vel talis. Sed quando virtus illius confortata est, & quomodo citius potest facere & demonstrare suam operationem scit unus & non alter. Nunquid scis fili, quod una res est ante omnes alias res & generalis, quæ omnem materiam, & omne corpus, & omne membrorum in virtute sua non debilitat, neque confortat, nisi amore operis, quod dicta virtus debet facere insequi & attingere postea contecuta fuerit, vel non illud opus statim cognoscetur per ignorantem sicut per sapientem, si erit perfecta, vel imperfecta? Sed propter hoc non habebit ignorans iam scientiam maiorem aut notitiam de dispositione materiæ, nisi in quanto ille, qui viderit hominem, & dicat, hic homo infirmitatem patitur, vel habet malam dispositionem in corpore, & hæc est generalis causa dicendi ignoranti prout & sapienti, & ita benè cognoscendi per unum sicut per alium. Sed iam proprietatem dispositionis virtuosæ, per quam corpus vel materia attingat, vel non attingat suas operationes bonas aut malas, & nisi illam cognoscat, nunquam habebit notitiam debilitandi eam, vel confortandi. Idcirco tibi dicimus, quòd totum hoc non potest consummari, nisi per discretionem rationis naturalis informatæ per instrumentum, quod movetur ab intellectu respectu evidentium experimentorum non sophisticorum, propter quæ omnis ignorans est, quasi exul & bannitus à nostro magisterio per tales ignorantes sophisticos & mendaciis plenos. Testificat hoc philosophus filiis veritatis per evidens exemplum, quòd medicus bestialis est, & nihil scit, qui tantummodo dicit, hoc corpus patitur debilitatem virtutis, non melius indicat de dispositione corporis, quàm unus rusticus ruralis, qui nec magis, nec minus dicit: imo illud dictum dicetur & multiplicabitur in ore rustici. Quare manifestè patet, quòd nisi ratione evidentiæ discreta dispositio virtutis proprietariæ non est cognita, per consideratorem actis, nunquam sciet augmentare illam virtutem, qua crementum factum est per viam confortationis & debilitationis. Nam confortatio unius non potest fieri sine debilitatione alterius, sicut manifestè paruit omni tempore, & apparebit in dispositione lapidis nostri.

Cap. LXIX.

Quomodo debilitatio unius est confortatio alterius. Et quomodo per conformationem virtutis mineralis generatur lapis noster.

FIlli, omnis debilitatio corporis dissolutio est, & omnis dissolutio ipsius est eius labilitas temperamenti. Et omne temperamentum est restauratio rei deperditæ, & ideo convenit, cùm lapis noster habeat debilitari per dissolutionem, divisionem, & corruptionem, quòd virtus aquæ, in qua individua naturæ fugiunt, cum omnibus suis speciebus & virtutibus elementalibus habeat se confortare ad faciendum conjunctionem & unionem rerum alteratarum in nova generatione mixtarum, ut per succursum huius conformationis virtus aquarum confortatarum possit melius & acceptabilius appropriari contra debilitatis adventum, & bona exuberatione obtinere potestatem vincendi virtutes lapidis nostri debilitati ad convertendum in illam & suam qualitatem ac naturam. Et per hanc conversionem sic factam per debilitationem unius, & confortationem alterius est lapis noster comparatus homini submerso in imo aquæ golfo magno. Per hunc modum oppositum patenti ratione nobis ostendit sapiens natura, quòd virtus lapidis debilitata potest confortari per debilitatem virtutis aquæ confortatæ per modum aquæ, quòd habebit potestatem convertendi aquam ad suam naturam, scilicet, quoniam illud, quod erat de natura humida in naturam siccam revertetur per modum temperamenti, & quod illud, quod erat de natura frigida, convertetur in calidam, & in hoc solemni solutione. Sed antè opus est, quòd natura sicca convertatur in humidum: nam in omni transmutatione elementorum talis tolerantia, & passio præcedit transmutationem substantiæ, scilicet antequam substantia possit transmutari perfectè quòd virtus elementi transmutantis obtineat

in suo

in suo posse partes elementi rtansmutandi, & quòd fixetur in illo ante transmutationem substantiæ, & se nisi endo tali modo, quod illud elementum habebit materiam in aliquo alio elemento. Et ideo est assignata ratio, qualis differentia sit inter elementum, & alterius elementi virtutem, scilicet, si intelligis doctrinas notatas ab Hermete & notandas in nostro magisterio, quæ dicunt opus nostri lapidis dulciter & magno ingenio habet ascendere de terra in cœlum. Et alibi opus est, quòd de cœlo in terram descendat, & ibi recipiat ventum quietis, qui lapidem fixat portatum in ventre venti volantis. Qualitercunque sit fili, sic intelligas, quia noster lapis per passionem & tolerantiam suæ naturæ habet opus transire per qualitates omnium aliorum elementorum, antequam sit perfecta medicina. Et ideo si siccum petrosum versum est in frigidum petrosum, ibi habet pati. Et si frigidum lapidosum, quod est passum vertatur in humidum, ibi etiam habet pati, quousque sit perfectè humidum. Et si humidum petrosum vertatur in calidum, ignis noster accensus est inextinguibiliter, neque unquam deficiet, & medicina nostra ad complementum perfectum est deducta. Quia nobilis natura reliminando & rotando per omnia sua elementa transivit, ubi calores & caliditates sustinuit, quare tam nobilis est.

Cap. LXX.

Quòd conversio lapidis in argentum vivum, non est, nisi conversio elementorum unius solius naturæ.

IDeo fili, tibi sit declarata doctrina philosophi dicentis, quòd conversio lapidis in argentum vivum non est, nisi mutatio naturarum. Non intelligas tamen, quòd substantia lapidis nostri sit plures vel diversæ naturæ, cùm non sit nisi una tantùm substantia conversa de toto in naturam frigidam, primo antequam homo faciat de ipsa quicquam, quousque acceperit appetitum se transmutandi in aliud elementum, seu qualitatem alterius. Et ideo tunc portamus eum in elementariam divisionem in quatuor partes secundum instinctum, & statum suæ naturæ, quæ vult separari omnibus viribus suis à corruptione, vel à re, quæ in eo est corrupta, in qua multum natitur, in tantum, quòd ad mortem venit, & qualibet ipsius pars ad proprium elementum suum. Quia nulla pars naturæ potest esse sine elemento proprio de qualitate, cuius induta est, quousque veniat ad expoliationem eius virtute alterius, quam qualitatem appetit natura, nec tota natura in solo elemento frigiditatis ab extra quousque per elementum sit terminata ignis, quia tunc est de natura magis calida. Fili, attende, quando dicimus elementatum, hoc est elementum, quod per naturam suam, quæ est una pars nostræ totius naturæ lapidosæ, in qua est unum elementum elementale. Et elementale dicimus ad differentiam, quia unum solum elementum elementale tardat corruptionem fiendam, & tardat generationem in seipso. Et ideo simplicia elementa parum operantur, & proficiunt in hac arte, quia in ipsis non sunt essentiæ primæ elementorum, in quibus sunt virtutes, quæ mundificant, generant & corrumpunt. Et ideo scias, quòd elementa simplicia sunt extra corruptionem & generationem, & causa est, quia non sunt obedientia humorali vel radicali naturæ, quæ omnia facit nasci. Et ideo nos & omnes philosophi prædecessores dicimus, quod magisterium nostrum non potest fieri naturaliter, nisi de quatuor elementis, quæ dicimus composita coniunctim & divisim. Et in illis natura, quæ est homogenea metallorum, quiescit integraliter & deportatur.

Cap. LXXI.

Quomodo lapis noster mutat se in omnibus qualitatibus elementariis.

HÆc est lapidis nostri natura, quæ potest mutari in omnes qualitates elementales, in quas bonus considerator artis vult mutare. Et ista elementa dicta sunt qualitates compositæ, quæ habent posse convertendi naturam hanc de qualitate in qualitatem, primò, in siccum, secundò, in humidum, tertiò, in frigidum, quartò, in calidum, secundum quod pars naturæ per divisionem, vel tota per coniunctionem ad complexionem sui elementi fuerit confortata vel debilitata. Fili, lapis noster nunquam fieri potest, nisi de pura natura, prout quilibet sapiens Artista scire duobus modis potest, scilicet, scientia speculativa, cum intellectu moderata, & experientia visibili perfectæ luciditatis & claritatis magnæ. Et de hac sola natura facta est tantummodo nostra medicina, & sine ista non, prout declarare proponimus in secunda parte hujus libri. Cui nihil miscere velis, si videre ipsius potentiam intendas, nisi tantummodo res, quæ sunt de sua propria natura, à quibus habet confortari atque nutriri, quousque fortitudo suæ naturæ, quæ debilitata fuit, crearet per nutrimentum perfectum contra bellum ignis. Fili, quoniam hæc materia est de substantia subtili, & statim intrans ac penetrans elementorum qualitates, & in qualitatem illius elementi, quam reperit abundantiorem in illa convertitur: ideo quando lapis noster rotatur, & ruminavit omnia elementa secundum velle naturæ, & intravit purus, & mundus in regione ignis sui, tunc ignis philosophiæ perpetuò accensus est, quamdiu elementa durare poterunt in mundo, & mundus deficiat, quia lapis noster est, sicut materia elementorum, in qua formam suam nonunt, & in qua retinentur, prout natura in omni generatione demonstrat. Et quia lapis noster est subtilis substantiæ, in ea descendunt purorum elementorum qualitates, & condensantur, & capiuntur, sicut fumus cum larido. Nam elementa sunt, quæ dant tot virtutes eidem substantiæ, quod penetrare, intoxicare, ac impotionare potest, & mirabiles operationes facere per potentiam, quam accepit & acquisivit in bello magno altarum & bassarum virtutum, & potentiarum. Et ideo ipsa vincit omne superius & inferius cum fortitudine sua magna, & est in natura secretissima res & multum mirabilis, quam simplices tenent & reputant ad miraculum, vel incantationem, aut artem magicam, cùm ipsorum memoria non possit eas habilitare ad intelligendum magisterium nostrum, quod per naturam, & in natura, & de natura fit.

Cap. LXXII.

Quòd tota substantia nostri lapidis est essentialis.

OVos pueri doctrinæ intelligatis! quòd si hæc natura non esset de subtili substantia tota, omnis essentialis essentialitas elementorũ purorum nõ posset imprimi, nec posset supra substantiam dominari. Et si elementa illa, quodlibet secundum suam naturam non dominarentur bassis elementis in qualitate,

stantia non posset intrare neque penetrare, nec ingressionem habere. Et nisi habeat ingressionem, non posset colorare, neque per consequens dominari, & dare alias differentias speciales secundum complementum actionis nostri intellectus, quod medicina nostra habere debet secundum proprietatem suam igneam, per quam oportet quod ignis dominetur, & hospitetur in ista suprà dicta substantia. Item, etsi haec natura de subtili substantia non esset, non posset habere fusionem uniformem, neque dulcificationem continuam, nec una pars benè consequeretur aliam, & per hanc proprietatem opus est, quòd aer in dicta substantia dominetur, hoc est, quod lapis noster de natura aerea sit generatus. Nam alio modo proprietas aeris in eo dominari non posset, nisi de vera eius substantia generaretur. Pari modo per oppositum est de duobus aliis elementis: sed pro causa antè dicta ipsorum substantia in aeris substantiam conversa est. Quare tibi sit revelatum, quòd substantia aeris exivit à substantia aquæ, sicut aquæ substantia exivit à substantia terræ. Quare patet, quod à terra exivit tota lapidis nostri substantia mirabilis: quoniam si natura ipsius non esset in aliquo esse substantiali, iam siccitas neque frigiditas, quæ debent esse in temperamento ignis & aeris in dicta natura non possent ligari, prout opus est ad perfectam fixionem. Ideo necesse est tibi terram habere subtilem, & non illam, quam cum pedibus calcas, sed illam, quæ volat supra caput tuum, quam accipe & amplectere, & charam tene, propter ipsius proprietatem: quia sine ipsa nullum fixum temperamentum fieri potest. De istius temperamenti natura philosophus loquendo dicit, quod non est calida, nec frigida, nec humida, neque sicca & tamen utrumque est. Dicimus, quod non plus tenet de una quantitate, quam de alia, nisi quantum opus est temperamento suæ proprietatis, quæ per concordantiam facta est de differentia speciali nostrorum elementorum. Et qui ad tale veniat temperamentum dignus erit poni ad mensam duodecim patrium.

Cap. LXXIII.

Quòd medicina debet esse de subtili substantia.

IDeo vos intellectu filii, potestis cognoscere quòd medicina nostra debet esse de pura & subtili substantia: quia sic nobis dimisit philosophus in scriptis perdoctrinam probatam in veritate claræ experientiæ dicens. Quare tibi dicimus, quod opus est, quod de fortiori & subtiliori substantia & fusionis liquabilioris medicina nostra sit, quàm sint corpora metallorum & fixioris retentionis, quàm argentum vivum in sua natura. Ideo tibi dicit philosophus Hermes, quòd separes subtile à spisso, & purum ab impuro ad habendum dictam substantiam, & simplum à grosso, ut de leviori & meliori puro nostra possit fieri medicina ad finem perfectionis, sed in faciendo ipsam separationem non est parva scientia. Sed multi sunt, quibus propter intellectus cæcitatem hæc separatio est abscondita. Et quando ipsi non intelligunt illud, etiam non intelligunt rem, in qua in præsumptione inflati sunt, quòd affirmant intellectum habere apertum, & habent ipsum totum inseratum & clausum, sicut ista ars potest eis manifestare in clara experientia; quæ est in veritate. Ideo ista scientia tibi sit speculum veri intellectus; si viam rectam habere cupis in aliis scientiis, quia ista tibi monstrat ratione tangentem veritatem per claram experientiam, quia non suffert aliquam probationem, nec rationes, nec argumenta logicalia, quæ sunt longinqua & remota de claro intellectu. Et plures alii sunt qui non possunt intelligere, nisi quantum possunt corporaliter videre: scilicet, res quotidianas & mundanas, & in illis per nimiam visitationem intellectus ipsorum est junctum & ibi arrestatum. Et ideo, cùm illud est oppositum, & contrarium sine aliquo medio ad nostrum rectum & verum intellectum, & illa de causa ipsi projecti & multum remoti sunt de nostro naturali magisterio, sicut populus expulsus & condemnatus de nostro supremo secreto. Tibi autem fili, qui nos intelligis, es delectis, in arte nostra divisimus testamentum nostrum, in quo thesaurum perpetuum invenies, si in manibus tuis pervenire possit, & à te obtineri. Audi quid dicimus, quoniam non bresca, nec zaccara, nec balsamum aromaticum, quod tantum te faciet delectari, sicut faciet nostrum confectum, si semel tantum gustaveris unum parvum saporem, iuro tibi, quod de illo habebis majorem famem comedendi, quàm prius.

Cap. LXXIV.

De recapitulatione, quomodo de una sola naturâ fit omne id, quod quæritur.

REcapitulando dicimus fili, quòd res ista cùm sit unius solius naturæ, & de ista tantummodo facta est, quam omnes non habentes, vel potentes, aut datores, & etiam habentes, & divitias considerantes, & postulantes desiderant & petunt. Quapropter ista natura per concordiam amorosam, & absque violentia aut fortificatione combustibili, & sine trituratione manuum, aut de mollitione per calorem sui ipsius absque sensibilitate suæ proprietatis naturæ mutatur de una qualitate in alteram. Nam ea existente in sua prima natura vel qualitate non valet tantum de fumo, sed quando transivit per rotam circuli, tunc est incomparabilis & perdurabilis thesaurus. Fili, adhuc tibi dicimus, quod antequam hæc natura possit pertransire per rotam circularem elementorum, necesse est, quòd dividatur in quatuor partes, ut pertransire possit per quatuor qualitates elementarias, scilicet, de sicco in frigidum, & de grosso in simplum, de frigido in humidum, & de ponderoso in leve, & de humido in calidum, & de aspero, leve, aut suave, aut dulce, & molle & placidum per dulcificationem amari. Sed hæc divisio non potest fieri per mutationem naturæ sine perditione proprietatis, nisi natura, quæ est in massa dura & sicca cum omnibus suis partibus revertatur ad similitudinem ipsius primæ naturæ, in qua mundus erat primò constitutus divina potentia in modum formæ confusæ, in qua erant omnia confusa, sine quibus natura complere non poterat operationes suas, quando Spiritus sanctus divinus portabatur super aquas, qua occupabant partes omnium aliorum elementorum; sicut Deus & Dominus noster creator supremus naturæ ordinaverat in eodem momento sine temporis occupatione, antequam placeret facere mirabilem ipsorum separationem sive divisionem. Hanc operationem fecit redemptor noster ostendendo primæ naturæ, qualiter operari debebat per nobilem intelligentiam. Et hoc non intelligatur, nisi de tota natura, quæ primò fuit creata ex nihilo, & post in tres partes divisa cum certa mensura. Et de prima puriori creavit Angelos & cœlum

hum imperiale, per hanc luciditatem & puritatem participant animæ puræ Angelis in natura, qua participatione facta est inter eos unio vero in glorificatione magna, & de secunda parte naturæ minus pura fecit Deus firmamentum, sicut supra declaravimus in capite formæ maioris: solem etiam stellas; & lunam, & dedit cuique suam virtutem, quæ in natura cum rebus inferioribus participant. Et de tertia parte minus pura fecit Deus hunc mundum, & composuit quæ in eo sunt, prout scriptum in hoc præsenti testamento in modo tibi dicto; Sic fecit Deus Dominus noster naturam diversam, ut quælibet causa ad suam propriam posset fieri restitutionem: nam de puriori fecit rem meliorem; de impuriori verò minorem. Et sicut scriptum est in ratione naturæ, quantò res est melior, tanto ab altiori natura procedit. Quare patet, quòd natura inferior minus in puritate perfecta indiget alia in omnibus operibus suis; antequam ad suæ perfectionem operationis perveniat. Si ergo natura superior dat sibi de puritate sua tantò plus, quantò melius inferior natura appropinquat ei ac suæ claritati, luciditat, puritati, ac lumini ipsius per attractionem superioris naturæ: quæ facta est propter convicinitatem, ac fortem, & uniformem nexum coniunctionis ante ipsorum divisionem, & hoc propter associamentum rerum quintarum, & quintæ essentiæ libro declaratarum sub consideratione tibi fili, tradita per agiographum spiritum. Quapropter apparet, quòd primò erat totum una natura.

Cap. LXXV.

Quomodo debet intelligi magisterium respectu constitutionis mundi scilicet istius magni mundi facti per Deum.

NVnc loquemur de tertia parte, hoc est, de natura bassa. Ista est natura, quæ facit diversitates tantas in hoc mundo. Et de ista dixi superius, quòd tu debes strictè intelligere, aliter poteris in errorem cadere. Et ideo nolo magis tibi dicere, nisi tantum quod tibi possit sufficere ad intelligendum secretum, quod datum est nobis. Unde fili, intellige hujus magni constitutionem mundi, quem Deus omnipotens post naturæ creationem fecit in forma confusa; scilicet; quòd omnia elementa erant mixta tali modo, quòd nec ignis; nec terra, nec aer apparebant, nisi in forma confusa aquæ quæ usque ad circulum attingebat lunarem; sic quòd ignis calorem; nec aer humiditatem habebat, nec terra siccitatem; imo totum in frigiditatem versum erat propter suarum confusionem naturarum. Quoniam de quanto natura aquæ magis erat frigida, de tanto naturam in calidam magis stringebat, scilicet ignis, ad profundum aliorum elementorum, & per consequens naturam aeris, magis puram, cùm aer sit cibus & materia ignis; sic quod postèa, cùm mirabilis ipsorum per potentiam divinam facta fuit divisio, & quodlibet eorum fuit associatum & hospitatum in suo loco secundum debitum naturæ; fuit postèa repertum, quod in terra remansit de igne & aliis elementis, in quibus est res, quæ rebus conjunctis participat. Ac si vitrum plenum aqua lunaria in medio aeris rumperetur & præcipitaretur deorsum cum substantia & sapore aquæ, & aqua plena de substantia quinta ascendendo in natura sua alta approximetur, cùm hoc facere sit debitum naturæ. Hoc sit tibi per figuram revelatum; quia debes scire, quòd natura non operatur, nisi per suum velle, eo quòd respicit voluntatem magistri sui Dei Domini nostri, ut sibi satisfacere possit, quia eam creavit, & per illam voluntatem Deus fecit, & facit per naturam omnia, quæ videmus, & non per miraculum, sicut tempore diluvii, quando per amicabilem concordantiam Deus supremus subtraxit stellarum virtutem, quæ trahebant aquas à maribus, quæ in alto pendent supra regionem aeris, & postèa ceciderunt inferius in pluviis, aut grandinibus cooperiendo totam terram, quia deviatæ fuerunt à parte illius climatis in aliud, usquequo ad ipsarum locum reversæ sunt ad complendum divinum velle. Fili, si Deus vellet, quòd duo montes unus ab oriente, & alius ab occidente in uno congregarentur in medio terræ, & essent, unus mons statim fieret, & non per miraculum, sed aperta & habilia per instrumenta virtuosa, quæ Deus posuit in natura per sapientiam totius ipsorum concordiæ, per quam suas faciunt actiones. Et sic totum opus naturæ non est occultum Deo, sed mundanis hominibus. Ideo fili, si aliquid facere vis omni tempore, fac per naturam, & inde scias concordantiam naturæ, quia sine ipsa ullo tempore nihil facere poteris. Ideo quia nulla res mundi, quæ facienda est, est extra terminos; hæc itinera naturæ; quin per illam, & de illa, & in illa sit facienda.

Cap. LXXVI.

Quomodo terra plena est intelligentiæ, & quomodo operatur. Et de creatione Adam & Evæ. Et quomodo magisterium nostrum assimilatur operi creationis hominis.

QVoniam fili, potes intelligere, quòd tota terra plena est intelligentiæ ad operationem naturæ inclinata, quæ intelligentia movetur à natura superiore. Ita quòd natura intellectiva inferior in quantum assimilatur naturæ superiori. Nam per intelligentiam adiuvátur à suo simili per conversionem & potentiam attractivam. Deinde post illam mirabilitatem naturalem, creavit Deus Adam de limositate elementorum, scilicet de limositate terræ, aquæ, aeris, & ignis, & vivificavit eum à sole sancti Spiritus, & de luce, & claritate & lumine mundi. Et ex omnibus resultavit in eo mixtionem rei quintæ in suo composito; sed magis specialiter fuit creatus de terrestri elemento, prout ex ipsius delicto patet. Et sic ex illa limositate Deus omnium creator constituit, & fecit naturam homogeneam, à qua fuit Adam formatus, à quo successivè transcreavit Evam. Quo facto præcepit naturæ; quòd haberet multiplicare, & multiplicavit ipsorum species doctrinam capiendo à massa confusa mundi, & per intelligentiam nobilem, quæ primò confusa erat, & postea divisa. Hæc enim est generalis regula operandi; quam Deus & Dominus noster dedit naturæ, & nobis monstravit per figuram. Et qui habet aures audiendi; habebit totum in suo intellectu: quia hanc insequendo doctrinam natura omnia sua facit opera. Quare patet, quòd qui ignorat hanc divinam doctrinam extra naturæ opera est. Noster lapis assimilatur in operatione operationibus naturæ animalis, & naturæ vegetabilis, & naturæ mineralis & melius. Quoniam assimilatur & assimilari debet creationi hominis, qui de limositate factus erat. Ideo fili, si vis operationem nostram per naturam facere, insequere operationem doctrinæ naturæ. Nam ei

non est datum, quod per aliam doctrinam possit operari, nisi per illam, quam habet à Deo magistro suo præceptam & doctam per intelligentiam perfectam, per quam suæ moventur operationes, nec festines. Et ex hoc sit speculum tuum natura, quæ brevi tempore res tuas non format, sed tempore certo ad assimilandum magisterium operatio eidem constituta.

Cap. LXXVII.

Quomodo operator debet res suas ordinare ad assimilandum magisterium operationi creationis universalis in creando massam confusam, quæ continet omnia quatuor elementa.

POst hæc fili, tempus est, quòd pònas in ordine naturam, qua indiges cum recta notitia, scilicet per reductionem, quæ per retrogradationem facta est illius in formam confusam, respectu massæ hujus mundi, quousque versa sit in qualitatem frigiditatis magnæ, in qua primò fuit. Et quando sic erit versa notare potes & cognoscere, quòd non est nisi unum compositum per artem respectu naturæ confectum, ut si absque artis adiutorio factum esset per naturam ad consequendum sui intellectus finem, qui est creare perfectum metallum, vel medicinam perfectam respectu naturæ, quæ per artem adiuvatur, & in hoc composito continentur quatuor elementa naturæ mineralis, simplicia & composita per quæ resultant quatuor qualitates elementariæ. Et per hanc primam conversionem lapis noster in naturam frigidiorem vertitur. Et ideo oportet, quòd aqua ibidem dominetur, & in se contineat alia elementa, ex quibus natura per divisionem se habet, postea verti de qualitate in qualitatem. Et hæc est res nostra, quæ in se continet omnia, quibus indiges in nostro magisterio. Et ideo dat intelligere ratio scripta philosophicè per Hermetem, quòd sicut omnes res factæ fuerunt ex una sola re per potentiam supremam sementificam, & exiverunt à massa confusa globosa, voluntate divina miraculosa: sic lapis noster natus est, & exivit ab una compacta massa confusa, in qua omnia sua quatuor elementa sunt contenta per naturam creata, de qua per voluntatem Dei & operationem naturæ noster lapis posteà nascitur.

Cap. LXXVIII.

Quomodo philosophi appellaverunt massam confusam, & de divisione ipsius, & de natura elementorum suorum.

PRo hac massa confusa nominanda fili, similitudinariè philosophi eam nominaverunt totum mundum. Nam ipsa sunt quatuor elementa confusa, quæ separari possunt, & dividi quodlibet ad partem suam, impregnata ex natura quinta, & per quam separantur & sunt separata. Ergo fili, elementa ab illa massa separa per industriam sapienter, quæ à nobili movetur intelligentia, & reperies naturam, quæ in ipsis est, in quatuor partes divisam, & quælibet pars illius naturæ ornata erit & induta qualitate sui elementi. Quia pars, quæ remanserit pro terra erit in siccitate complexionata. Et illa, quæ pro aqua remanserit magis pura & magis subtilis, est conversa in qualitatem frigidam. Et illa, quæ pro aere remanserit, reperietur in qualitatem humida convicinante qualitate ignis. Vide ergo fili, naturam, quæ erat in toto composito integraliter, primò frigida, & postea reversa est in principalibus qualitatibus elementariis, scilicet, in siccitate, frigiditate, & humiditate, & calore per divisionem elementorum. Et sicut quodlibet elementum habet participationem cum sibi propinquiore, sic quælibet pars hujus lapidis vel naturæ habet majorem affinitatem sibi propinquiori, quàm habeat illi, quæ sibi est remotior. Et hoc est propter posse elementorum ac eorum qualitatum, in quibus vaporabiliter diffusa est dicta natura quinta, quam tantum diligimus. Fili, istæ qualitates elementales dictæ sunt appropriatæ elementis propter grossitiem & simplicitatem dictarum partium, in quibus jacet natura pura cum magna corruptione, à qua corruptione, si scias eam amovere, habes nostrum magisterium certificatum per certam præparationem. Nam lapis noster nunquam invenitur, nisi in ventre corruptionum, & dehinc eum extrahimus, substantia unde movetur corruptio, est multum pinguis lutosa & fortiter unctuosa aerea, in ventre cujus est ignis, quem petimus, & in ipsa eum accendimus. Et ideo tibi revelavit Morienus sagax Romanus per bonitatem subtilitatis, cui non fuit alter similis in securitate per bonitatem præparationis metuens Deum, fidelis, benignus dando totum suum consilium dicens, quòd scientiæ hominum manifestè coniunguntur, manfio cujus manifestatur in carne, & sanguine, & in profundiori ventris. Et alibi tibi revelavit, quod secretum nostri lapidis est in coxis & femoribus calidis, hoc est in profundiori elementorum compositorum, ex quibus elementa sunt per ea, quæ superius dicta sunt. Ideòque supra dictum est, & ad ungendum propinquiora propinquioribus, & affines suorum affinium. Nam scis, quòd natura sicca vel pars illius, quæ est sui elementi terrestris, non habet potestatem vertendi se in naturam humidam, nec se ligandi parti humidæ, quæ est de natura aeris propter duas causas contrarias. Vna est, quòd terra & aer sunt contrarii, & in qualitatibus discrepantes. Quoniam terra per naturam, quam habet, est sicca & frigida, & aer per partem naturæ quam tenet, est humidus & calidus. Et ideò natura sicca in humidam, & frigida in calidam converti non possent, nisi primò quælibet ipsarum per sua transeant media, quæ sunt germana extremitatum. Quoniam scriptum est pro reformanda natura quòd contraria existentia quælibet ipsorum in sua natura non benè possunt simul ligari, nisi primò mutantur de sua contraria qualitate in mediam, quæ participat veris extremitatibus per affinitatem natura. Et ideo naturæ terræ non potest converti in naturam aeris, nisi primò vertatur in naturam aquæ: nec natura ignis potest converti in naturam aquæ, nisi primò vertatur in naturam aeris. Quoniam nullus transitus potest fieri unius extremi ad alterum, nisi prius transeat per media germana. Nam quando volumus facere transitum de prima extremitate ad tertiam, oportet transire per gradus medios. Quare fili, aqua & aer sunt germana media elementalia scalæ rotundæ, per quæ natura ab extremis elementalibus habet transire antequam operationes suas complere possit veniendi ad perfectionem. Nam aqua est frigida, & humida, & per frigiditatem participat cum aere, & per suum humorem rarificat terram, eam alleviando. Et per frigiditatem suam aerem condensat, eum constringendo. Ita,

quòd

quòd quando aqua convertit terram ad naturam suam, postea potest eam in aerem convertere per concordantiam humiditatis, quam terra ab aqua suscepit, & frigiditatis, quam aer recepit ab aqua, quæ eum constrinxit, & sic per consequens est aer medium ignis & aquæ, cùm aer sit humidus & participet aquæ, & cum calidus participat igni, & per suum humorem condésat ignem & vertit eum in naturam aeris per inspissationem, & per suum calorem attenuat & intenerisat aquam & vertit eam in aerem per levigationem. Et ideo quando aqua in naturam aeris est conversa, aer eam convertit in naturam ignis. Vel quando ignis conversus est in naturam humidam aeream, humiditas & frigiditas eum convertit in naturam aquæ secundum id quod jacet in intentionem naturæ, vel boni & perfecti artificis. Nam sicut aqua est de materia aeris & terræ, ita aer est de materia aeris & terræ. Et unum est materia alterius.

Cap. LXXIX.

Quomodo elementa subtiliantur, & ingrossantur per rotam circularem, quæ per philosophos hujus artis dicta est Cathena aurea

IDeo fili, tibi dicimus si velis nos intelligere, quando terra per suum contrarium erit subtiliata, vertitur in naturam aquæ propter qualitatem, scilicet, frigiditatem, quæ participat inter siccitatem & humorem. Et quando aqua illa plus subtiliatur, per ignem in naturam aeris vertitur. Et quando ille aer plus subtiliatur, vertitur in naturam ignis, & per consequens per retrogradationem est, quod quando natura ignis ingrossatur, convertitur in naturam aeris humidi, & tunc ignis tantum de calore suo perdit, quantum humiditas potest sibi contrariari per hebetationem suæ ingrossationis. Et quantò hæc natura humida melius condensatur per inspissationem, tantò melius in aquæ naturam converteretur, quæ per suam condensationem mortificavit maiorem partem caloris. Et perdit magnam partem humoris per indurationis approximationem naturæ aeris ad qualitates terrestres, & quando hæc aqua magis inspissatur, tunc vertitur in terræ naturam, & propter sui frigiditatem amittit partem sui humoris gyrando se & portando in siccitatem. Quare si vis ignem nostrum accendere, administra ei cibum levem & tenerum, quia eius hebetatio & mortificatio non venit nisi per cruditatem & grossitiem materiæ, sicut patet in declaratione prædicta. Quando igitur voles de terra ignem facere, subtilia terram quantum poteris, & quando velis de igne terram facere, condensa fortiter ignem. Dicimus quod aer & aqua causa sunt ingrossationis ignis, & melius aer quàm aqua, & melius aqua quàm terra. Et minus terra, quàm aqua, & aqua minus, quàm aer; Sed terra omnibus suis viribus inspissat aquam, eam vertendo ad suam naturam terræ; & aqua se condensando & convertendo ad naturam terræ inspissat aerem, & vertit eum ad suam propriam naturam aquæ. Et aer se ad naturam aquæ convertendo per inspissationem condensat ignem, & facit eum converti in aerem per suæ subtiliaris ingrossationem. Similiter ignis omnibus suis viribus nititur aerem vertere ad suam ignis naturam per subtiliationem suæ puræ substantiæ: & ille aer conversus ad naturam ignis subtiliat aquam. Et eam vertit ad naturam aeris per rarefactionem alleviationis. Et hæc aqua versa in naturam aeris ratificat terram, & facit eam verti in naturam suam aquæ per subtiliationem suæ grossæ substantiæ. Et per hunc ultimum ordinem reludet secretum compositionis aquæ nostræ filiis intelligentibus, cùm vivaciter apparet, quòd natura sicca non potest in humidam converti, quousq; in naturam frigidam convertatur. Fili, manifestè tibi portam naturæ aperimus ad intrandum omnia opera sua, si intelligas, quia superiora elementa causa sunt subtilitatis inferiorum. Et subtiliatio causa est vivificationis & animationis. Elementa verò inferiora sunt causa ingrossationis aliorum elementorum. Et hoc ratione attractionis proximioris consonantiæ, quæ jacet in suis naturis, ut super extitit declaratum per terram & ignem, & ingrossatio causa est mortificationis, & hebetationis caloris animalis. Et nos bono juramus animo, quod subtiliatio non fit sine ingrossatione, nec ingrossatio sine subtiliatione; nec dissolutio terræ sine congelatione aquæ, nec aquæ congelatio sine dissolutione terræ. Fili, in spiritu dissolvitur corpus congelatum, & per corpus constringitur spiritus congelatus, quia congelando spiritum, dissolvimus corpus, & corpus dissolvendo, congelamus spiritum. Fili, vide & aspice multiplicationem veræ tinctuæ, quam Deus dedit naturæ ad transmutationem faciendum, quia de uno pugillo terræ, & novem aeris facimus decem aquæ. Et ideo de uno pugillo hujus aquæ, & novem ignis facimus decem aeris, per scalam vivificationis ascendédo ad subtiliationem naturæ grossæ in naturam simplam, & superiore similiter de uno pugillo ignis, & novem aquæ fiunt decem aeris mortui, qui est aqua viva. Et de uno pugillo istius aeris mortui, & de novem pugillis terræ fiunt decem aquæ gloriosæ. Intellige fili, verba, quòniam hæc est doctrina, per quam omnis mensura & omne temperamentũ fiunt. Et est necessarium, quòd in nostro magisterio fiant, sine quibus fieri non posset. Hæc est cathena deaurata & rota circularis totius mundi, per quam naturæ sagax omnia sua regit instrumenta rotando & circulando, transeundo in circuitu, quam supremus creator conservare in suis divinis mirabilibus & infinitis potentiis voluit & vult.

Cap. LXXX.

Quomodo Artista debet scire corde tenus rotam circularem, & naturam conversionis elementorum respectu primæ & secundæ qualitatis.

OPVS est tibi fili, hanc rotam corde tenus scire perfectè, si ad nostrum magisterium velis pervenire. Quia tibi diximus, quòd elementa per naturam iam dictam vadunt rotando per ipsius circuitum successivè, quousquæ compleverunt eorum circuitum, & circulum, qui est perfectio operationis eorum; & per scientiam suæ circularitatis apparet clarè istud, quod superius diximus per primam rationem. Alia ratio, quare natura sicca, quæ est in terra, in naturam aeris converti non potest, nisi per suum medium; est diversitas grossitiei & subtilitatis, vel gravitatis & levitatis, per contrarietatem partium naturæ, aut materiæ illius, sicut de superius dictis qualitatibus iam complexionatis. Quia omnes aliæ res, quæ considerari possunt in istas pro maiori reducuntur, videlicet, fluxibilitates, & soliditates quæ reducuntur ad humiditatem & siccitatem, & levitas, & gravitas quæ reducuntur ad subtilitatem

& gross-

& grossitiem. Et notetur hic primus gradus. Ideo te intelligere oportet, quòd pars naturæ, quæ est in terra, grossa est & gravis, frigida & sicca. Et ideo frigiditas, grossities, & gravitas cum siccitate causantur à natura, quæ est in terra nobiliter causatæ sunt, & natura, quæ est in aqua, est mediocriter grossa & gravius mediocritèrque subtilis & levis, humida & frigida, per hunc secundum gradum, & ideo causantur ab eis gravitas cum frigore, & levitas cum humiditate. Et natura, quæ est in aere, subtilis est & levis, calida & humida. Et ideo causantur ab illa levitas cum humiditate, & suavitas per caliditatem. Et notetur hic tertius gradus. Et natura, quæ est in igne, multùm subtilis est & levis, & multum ac fortiter calida & sicca, & ideò causantur ab illa levitas cum siccitate, & caliditas acuta. Per hanc doctrinam fili, debes intelligere, quòd in nostro magisterio naturali, non debent elementa definiri secundum quod sunt principium motus de loco in locum, sed secundum quòd sunt initium alterationis. Hanc met viam insequuti sunt, & sequuntur medici. Et ideo dicunt, quòd terra est elementum, per quod omne corpus ad corpus defertur sanabile, & per quod corpus sanabile frigiditati & siccitati in substantia participat, de sua ratione multum grossa, & aqua participat cum frigiditate & humiditate in substantia mediocriter subtili. Et aer participat humiditati & caliditati mediocriter subtilibus ratione suæ naturæ. Sed ignis participat calori & siccitati in substantia multum subtili, & fortiter activa, ratione suæ simplicis naturæ. Fili, hoc ultimum capitulum aperit tibi portam, & postea firmat, quia tibi suprà diximus, quòd de uno pugillo ignis & novem aquæ fiunt decem aeris mortui, quæ est aqua viva.

CAP. LXXXI.

De causa & ratione, qua elementa non possunt converti, & etiam causa, per quam benè possunt converti.

PEr hanc descriptionem elucidata est ratio secunda, quare natura sicca non potest in humidam sine medio suo converti. Et per illud medium transeundo patenter extitit declaratum descriptione prædicta, quòd elementa sunt causæ suæ mutationis & alterationis, prout hoc probari potest experientia visibili & vera manifestè in nostro magisterio naturali, absque alia logicali probatione. Fili, accipe de nostro aere, & de terra modicum, & perfora latus eius acuta lancea tota calida, & videbis à ventre suo exire tantùm de cholera nigra cremata & combusta, quod habebit potentiam intoxicandi & impotionandi totum mundum. Retine igitur illam, ne à te recedat, quia tibi bona erit contra inimicos tuos. Postea perfora aliud latus eius cum punctura magni serpentis, tantummodo quousque totum phlegma exiverit; nec amplius habeat infra suum ventrem. Deinde crema & combure, quousque sit prope mortem; & quòd anima exiverit, & corpus sit in pulverem reductum indutum de nigris oculis. Scias, quòd natura illius est remissa grossa & gravis, frigida & sicca; per proprietatem, quæ est in eius elemento terrestri, aeri contrario, in tota sui natura & proprietate. Quare si ipsum in naturam aeris vis convertere, adde ei de capite rubeo nonam partem. Et natura huius rubei capitis est una substantia multum subtilis & levissima, & in complexione multum calida, & sicca & acuta. Post hæc adde illis duas partes de pedibus albis. Naturà illorum est una substantia grossa mediocriter, & in qualitate mediocriter frigida. Et per hanc proprietatem participat oculos nigros, est adhuc in substantia mediocriter subtili per suam qualitatem humidam & calidam. Et per hanc proprietatem participat substantiæ aeris. Et ideo sit tibi revelata definitio aquæ & aeris in suis dispositionibus, tanquam amica contrarietatum, quæ sunt in composito isto, scilicet ignis & aquæ, terræ & aeris, nascitur unum medium purum, ad unionem mixtionum qualitatum alteratarum ipsorum in forma terræ congelatæ albæ, multùm subtilis & transparentis secundum perspicuitatem aquæ aereæ, jam congelatæ per vaporem materiæ dictæ terrestris, jam confortatæ per calorem acutum.

CAP. LXXXII.

De symbolo, retinaculo elementorum.

FIlli, in hac mutatione, grossities, & gravitas substantiæ terrestris, naturæ inferioris habet potestatem retinendi aquam, per totam suam naturam, per vaporem homogeneitatis frigidæ, quæ est qualitas gravis participans illis duobus elementis, quæ sunt de natura sua, sed sis securus, quòd frigiditas dominatur in retentione, attractionis aeris, quæ facta est per confortationem caloris acuti cum sapore humoris, qui est materia ignis, & totius naturæ. Ergo fili, pone de calore alto in natura inferiori, ad confortandum suam siccitatem, & mortificandum suam frigiditatem, per temperamentum cognitum ratione naturæ. Nam scias, quòd maxima frigiditas est mortificationis ignis causa, & purificationis, & grossioris naturæ attractivæ causatæ à calore & humore. Fili, calor naturæ debet per humiditatem radicalem temperari, ut vapor calidus per nimiam suam actionem non cremet, aut ardeat materiam nostri chari infantis, quæ temperantia facta est tantummodo per additamentum naturæ sui humoris, quousque veniat ad gradum illius acuitatis temperatæ, per quam possit penetrare invisibiliter omnes partes naturæ humidæ, & ponere formam suam; ac eam figurare in materia aeris. Debes videre fili, quomodo hoc temperamentum debet fieri, qualiter, & in quo loco debeat creari. Et tibi dicimus, posse naturæ revelando; quòd per subtractionem humidi radicalis fit, quousque calor naturæ excitatus & expeditus per stimulationem nobis monstrat dictam actionem. Ideo tibi opus est, ne illam transeas, ne compositum se relegatum reperiat, vel separatum à tota sua natura. Quia postea nollet videre eam, nec posteà posses tam prompte & celeriter infigere naturam deperditam in corpore sine parte ipsius. Et si hæc pars esset omnino remota à corpore prædicto, & posteà velles in suum initium ponere per viam corrigendi defectum, esset tibi multum grave, propter causam tardationis, & sicut prædiximus, natura ipsius non esset ita benè radicaliter, & per suas proprietates infixa in suo corpore per hanc artem, nisi fieret hoc ingenio forti atquè subtili hujus magisterii, quod est multum grave fieri, tanquam per artem naturæ, quæ multum omnibus suis adhæret intelligentiis ad complendum & finiendum completè suas operationes non ministraret, quia per artem à Deo non est intellectus tam subtilis, quòd primæ virtutes in corruptionibus suis primis occultæ, & in

corru-

corruptione suorum objectorum debilitentur. Ideo fili, opus est tibi, quòd avises te in prima corruptione, & intelligas benè istius præsentis ultimæ conclusionis ordinationem.

Cap. LXXXIII.

De qualitatibus accidentalibus. Et de unione naturæ.

POst hæc opus est tibi, ut scias acuitatem prædicti vaporis calidi ab ipsomet igne creari, qui procedit ab illa natura, qui quidem ignis est quarta pars totius naturæ in quatuor partes divisæ, & ideo humorem penetrando per suam acuitatem ignis digerit, & adiuvat grossam naturam cum natura simplici per continuationem, ac copulationem minerarum suarum, & minimarum partium insimul coniunctarum uniformiter ad modum naturæ homogeneæ, sic quòd natura sicca, & grossa per suum confortamentum retinet naturam humidam, & subtilem, per ingrossationem naturæ simplæ per coagulationem. Et natura simpla per conversionem rarificat grossam per subtilem unionem. Sic apparet manifestè, quòd in quanto natura grossa de simpla retinuerit per attractionem naturæ calidæ & humidæ, intanto est propinquior subtilitati aereæ, quàm esset in sua natura, & habet maiorem perfectionem; in quanto etiam natura simpla magis adiuncta, vel addita, cum natura grossa per condensationem, intanto erit gravitati & ponderositati propinquior & minoris perfectionis. Et sic fili, potes intelligere multiplicationem, vel diminutionem operativarum virtutum. Nam philosophus in libro Meteorum ait, quòd natura terrestris in loco generationis metallorum continet in se virtutes cœlestes, per quas convertitur sua individualitas in formam, naturam, & speciem metallorum coadiuvante virtute naturæ terrestris. Alio modo, si virtus naturæ terrestris superet in potentia virtutem naturæ cœlestis, quæ erat in specificatione metalli magna siccitas, & magna frigiditas naturæ grossæ condensaret humidum, quòd formam debet recipere metalli in naturam & conformitatem terræ, & non in forma metalli propter defectum virtutum cœlestium, quæ non sunt in dicta natura. Quare fili veritatis intelligere possunt, quòd forma metalli venit, & est à virtute cœlesti, influxa in materiæ ipsorum profundiori, ideo dictum est per rationem Meteoricam, quod anima est in semine naturæ, sicut magister in suo artificio. Fili, talis virtus cœlestis est in proprio loco generationis metallorum, & ideo est forma metalli. Facias ergo tunc fili, quòd in loco generationis aut conversionis talis sit potentia cœlestis, quæ possit transformare humidum individui sub conservatione actionis, appetentis hanc ex natura terrestri, in formam & speciem transparentem & finissimam, per congelationem terrestris sicci, hæc erit res magnæ virtutis. Quia tetræ virtus, per temperamentum frigus, & per siccum complexionatum, operata est congelando, inspissando & retinendo. Et virtus cœlestis formativa influxa cum virtute terræ, formal speciem in colore cœlesti; quando materia congelatur, sic quòd congelando transformatur species, & informando illam congelatur materia. Quapropter fili, scriptura præcipit, quòd habes argentum vivum tot vicibus abluere, quo usque vertatur in colorem clarum cœlestem. Et hæc est terra, in qua animas nostras seminamus, & in illa est congelatio nostra, & non in alio loco, & per hanc retinentur simplices spiritus quinti fugitivi, qui habent formare, & debent formare terram claram in virtute & forma elixiris per specialem differentiam, quæ movetur à nobili concordantia quintarum rerum, sicut clarè notabimus in secunda parte huius libri dicta practica nostra.

Cap. LXXXIV.

Quomodo tota intentio operatoris debet esse in præparando materiam lapidis, & in suo temperamento.

PRopterea potest tuus sentire intellectus rationabili consideratione, quòd quantò magis materia erit debitè præparata & subtiliata, tantò virtutes cœlestes naturæ superioris obtinebit & in se retinebit, & quanto minus, minus. Fili, videas ergo & avises, quomodo aqua mutatur in aerem, & aer in ignem, si vis habere præparationem naturæ. Si velis de materia terræ ignem facere, opus est tibi à principio, ut eam benè subtilies, & quod in naturam aquæ & aeris transmutetur, & quando in contrarium voles operari, intentione cognita elementa in contrarium mutabis. Veruntamen facias factum tuum ex re simpliciori: quoniam in illa appropriatur virtus cœlestis tanquam forma rei simplicioris, & hoc est secundum actionem materiæ & cursum naturæ. Et tene super hoc dictum philosophi VII. Metaphysicæ. Quòd secundum proprietatem materiæ ei erit appropriata certa forma, & propria secundum suam actionem: quare si materia est simplex, appropriabit sibi formam nobilissimam & multum puram, causa suæ simplicitatis & similitudinis, quæ nascitur à proprietate naturæ superioris simplicis. Ideo quando voles contemperare lapidis substantiam, pone ipsam in loco generationis, vel conversionis ad qualitates, de quibus vis per notitiam certam, quòd lapis tuus mutetur, videlicet, in humido calore: quia hæc est qualitas, per quam causatur dulcedo in lapide amaro, per conservationem humidi lapidis in suo igne, quousque possit æternum ignem pati.

Cap. LXXXV.

De demonstratione præparationis lapidis per differentiam exemplificativam in operatione naturæ in suis mineris.

TAli fili, modo natura utitur temperamento in mineris per successivam operationem, quamvis accidenti fortuito multum erret. Nam si materia sulfuris & argenti vivi depurata, & ducta ad splenditatem, repetit locum suæ retentionis & congelationis siccum, terrestrem, fuscum & immundum vel frigidum sine temperantia aliqua, generatio istius convertetur in complexionem intemperatam, fuscam, terrestrem, crudam, ponticam, & amaram, & accipiet formam specificam, secundum speciem, ad quam virtus cruda terrestris & complexio loci movet materiam sulfuris & argenti vivi, ad formam secundum suum actum, sicut manifestè in omnibus generibus visum est de extremitatibus & mediis metallicis. Quia illorum materia non est aliud simpliciter, nisi sulfur & argentum vivum mixta simul vaporabiliter, & specificata in terrestrem speciem atramentosam, & vaporem grossum terrestrem, qui

nascitur à loco transmutabili generationis. Fili, reverte igitur materiam grossam in simplam, quousque induerit virtutem cœlestem, quæ habet claritatem in lapide nostro formare, propter hoc, quia potes istud bene facere in elementali revolutione, si intelligas elementorum convertibilitatem. Fili, vapor grossus atramentosus, à quo creatum est atramentum, est multum acutus & ponticus, & ideo partes penetrat sulfuris & argenti vivi depuratorum, & penetrando inficit illam materiam depuratam, congelando in speciem illius vaporis atramentosi & lutosi terrestris, qui mixtus est ipsis. Quare patet id quod diximus, quæ est maior porta, scilicet, quòd virtutes terrestres non obtineant super cœlestes, sed è converso, & habebis rem petitam. Per hanc mixtionem apparet, quòd si medium inter lapidem & metallum, cùm dicta mixtio facta sit in materia lapidis, & in materia metallorum, & corporum liquabilium: quia medium est omne illud, quòd aliquo modo cum lapide participat ab uno latere, & in aliquo modo cum metallo in alio latere, & ultra adhuc magis proprietas lapidis est, non posse fundi. Et proprietas metalli, quam ex eius materia tenet, est posse fundi per calidum & siccum. Ergo per hæc notare potes, quod lapides sunt in genere terræ siccæ, & metalla sunt in genere aquæ humidæ. Medium ergo vocatur omne illud, quod cum duabus extremitatibus participat illorum. Sed aliqua illorum sunt, quæ magis participant cum siccitate, & illa continent calidum & siccum, constant calido & sicco, ut Marcasita, Antimonium, &c. Sed aliqua illorum mediorum sunt, quæ melius participant gradui humoris, & de illis distillatur aqua per calorem & siccitatem, ut sal gemmæ. Per hoc fili, relucere potest doctrina ante oculos tuos declarata per hoc quod est de proprietate metalli, est humidum aquaticum, & argentum vivum separatum per artem magisterii tibi revelati. Habe igitur fili, notitiam naturæ mediorum, quia de ipsis totam scientiam nostram trahimus, & potestatem ponendi argentum vivum in opere, & trahimus argentum vivum à suis cavernis vitreis, & cum illis portatur lapis ad suam primam naturam, qui est supremum medium purgatum ab originali maculâ.

Cap. LXXXVI.

De extremitatibus nostri lapidis; & quæ sunt & unde extrahuntur.

POstea cognoscere potes, quod argentum vivum nostrum est prima extremitas lapidis nostri, & in primo gradu & in secundo est elixir complementum, & modo tali per artificium nostrum subtiliter inventum, & ingenio naturali trahimus extremitates ex prædictis mediis, quæ participant cum lapide nostro, sicut natura sapiens dedit nobis scire: nam apertè nobis ostendit modum qualiter transmutat naturam de mediis argenti vivi in metallum perfectum, hoc est fili, medium commune ad trahendum & ponendum summum medium de potentia in actum. Tamen fili debes intelligere in tua operatione metalla loco mediorum; quæ sunt extremitates naturæ. Nam quanto media sunt nobilioris naturæ, tanto extremitates sunt nobiliores & digniores in potentia. Et ideo de ipsis mediis extremitates separamus, scilicet, vivum argentum argentorum vivorum, & elixir perfectum, quod est medicina medicinarum. Quoniam in omnibus mediis aliquo modo secundum formas confusas sunt extremitates. Alio modo nisi ibi essent, non possemus in actum ponere, quod in potentia naturæ, & sic inseparabiles essent propter impotentiam ibidem existentem. Item natura nobis manifestat secundum quod experientia certificat, quòd natura illorum comminuit argentum vivum, & illud mortificat constringendo & congelando, & post ipsius congelationem commiscibile est corpori, & tunc operatur, & non antè, omnem colorem dando, quo indigemus, & virtute suæ siccæ naturæ terrestris retentum & fugere non potest à corporibus quibus miscetur. Apparet igitur, & est sine dubio, quod vapor extremorum est causa constructionis argenti vivi & in natura, & in nostro magisterio, quod esse non posset, nisi convenientiam unius, & disconvenientiam alterius haberet contra se per differentiam concordantiæ, prout apparet in sui caloris conservatione per convenientiam cõservativam. Ideo vocata est hæc substantia leo viridis, & serpens viridis leporarius, & argentum vivum & pastura basiliscí philosophici. Sed nos illum vaporem, propter potentiam præsentem appellamus magis propriè humorem menstrualem, qui quidem humor ab argento vivo derivatus est, quamvis alteratum argentum vivum sit per corruptionem & fragilitatem terrestrem, quæ sibi advenit, & hoc argentum vivum cum corpore conjunctum, sunt duo spermata à quibus nasci facimus dictam aquam vivam, quæ est argentum vivum nostrum, & aqua vitæ, quæ corpora mortua resuscitat.

Cap. LXXXVII.

Quomodo menstruale est causa mortis argenti vivi.

PEr istum humorem menstrualem declaramus quem nos dicimus, quòd argentum vivum est causa mortis suæ, quia ipsemet seipsum interficit, & posteà occidit patrem & matrem suos, & extrahit eis animas à corporibus, & epotat omnes ipsorum humiditates, facitque ipsos nigrescere sicut carbonem. Deinde eos resuscitat tali ac ita magno splendore, quòd per illam resuscitationem pater & mater sui cum ipso vivent, nec unquam morientur. Et pro certo, in præsentia & voluntate certorum sociorum argentum vivum vulgarem congelavimus per suum menstruale, & aliàs uni de sociis nostris, in cujus eramus societate expresè, quasi ad duas Leucas prope Neapolim, in loco in præsentia Physici regis & unius fratris de sancto Ioannis de Rhodis, & Bernardi de la Bret, & aliorum congelari fecimus argentum vivum per suam menstrualem naturam. Et quamvis hoc vidissent, & manifestè palpassent, tamen non potuerunt scire, quid esset, nisi simpliciter solummodo rustico more, regia majestate salva. Et si realiter ac philosophicè cognoscere potuissent per speculationem intellectivæ virtutis dictum menstruale ac suas virtutes, artem ac scientiam absq; dubio habuissent, prout dicti socii; qui per nos multum benè intellexerunt manifestè & habuerunt. Et tunc argentum vivum vulgare dimisissent ad creandum lapidem, & ad exuberandam suam humiditatem, & ideo nos cogit ratio, quòd ignoranti habeamus illud celare. Et tibi fili, non celavimus, neque celare volumus, cui, & quando diximus, quòd rem vilem accipias, ac eam facias suos amplexari parentes, quousque penitus crepentur, & sint velut mortui, & recipe ab ipsorum ventre argentum vivum, à quo lapidem formes, & postea medicinam, quæ non omnibus est cõferenda, & sic vertetur de pauco in bonũ;

& de

& de bono in melius. Benedictus Deus supremus conditor & redemptor noster, qui de tam vili re pretiosam ita creavit, quæ teneat in se proprietatem & virtutem, ac virtutum ac proprietatum possessionem, quæ in alia non est.

Cap. LXXXVIII.

Quod argentum vivum philosophorum, non est argentum vivum commune, & quare sic raro invenitur lapis super terram.

POst hæc intelligere potes, quòd argentum vivum nostrum non est vulgare. Imò argentum vivum nostrum est aqua alterius naturæ, quod reperiri non potest supra terram, cùm in actionem venire non possit per naturam absque adiutorio ingenii, & humanarum manuum operationibus respectu naturæ. Et ideo, cùm natura sola non possit eum trahere in actum à rebus, in quibus erat in potentia, nisi per tenebrosam resolutionem, & ideo est nobis opus, si velimus nostram creare medicinam, quòd de illis, in quibus potentialiter erat, nostrahamus de potentia in actionem respectu naturæ per industriam rationabilem boni magistri ac operatoris, per viam generationis factæ per præmeditatam corruptionem, quæ nobis philosophia concessit, & scire dedit: quare ad nos illius generatio spectat, virtutem ac potentiam naturæ sequendo, quam virtutem philosophiæ nostræ germanæ ad naturalem reperimus, & non rustica virtute, quæ contra naturam est. Et hac ratione illud argentum vivum nostrum est, & non rusticorum, qui impotentes sunt ad humificandum naturam mineralem. Postquam ergo supra terra generari non potest per solum artificium naturæ, nisi nostri artificii adiutorio magistrali, per nos philosophicè reperto, sine aliqua ruralitate vulgari, ideo in sua generatione opus est, quod nos subtiliter introducamus actionem naturæ metallinæ in materiam, unde debet generari, ad quam rem peragendam omnis vulgaris rusticus absurdus est penitus & cæcus. Quia ei defecerunt rationes nostræ philosophicæ, quæ regunt intellectum ad directionem absque deviatione per A. B. C. D. punctualem magisterii nostri. Quare patet, quòd argentum vivum nostrum non est de vulgaribus, quoniam natura non potest eum creare supra terram, neque rusticus, similiter argentum vivum nostrum est, & penitus nostræ philosophiæ, sicut filius est patris, qui ipsum genuit. Ideo scias fili, quod causa quare lapis noster supra terram ita modicè reperitur, est: quia non est in potestate naturæ per creatorem superiorem concessa, quod illum possit generare sine ingenio & operatione manuum humanarum. Et quia homines ignorant naturam, & naturalem illius commixtionem & operationem, ideo rarius est & paucus in actione manifesta, quia succurrere non possunt naturæ, ratione suæ ignorantiæ, quousque per philosophiam transierint universalem, & desideratam, quæ revelat eis res, quæ eis erant absconditæ & celatæ, atque ignotæ.

Cap. LXXXIX.

Quomodo magisterium istud fit per naturam, & per operationem artis & scientiæ, & non miraculo, & de ipsius demonstratione:

NOn credas tamen fili, quòd hoc per aliquod miraculum fiat, nec arte confusa, sicut aliqui ratui credunt: imò fit secundum cursum naturæ per artem notam, de qua certam habemus operationem, quæ nobis attulit desiderium nostrum per præparationem, quia mundat & purificat naturam vilem & immundam, & ponit & convertit in naturam nobilem, & siccum in humidum, calidumque in frigidum, si hæc mutatio non esset terrestris, natura dominaretur superiori naturæ, & converteret naturam individualem homogeneam ad suam naturam grossam & terrestrem, & quòd hoc sit verum, appareat per experientiam incontradicibilem. Nam quando argentum vivum ponitur in vapore sicco atramentali, sicut est aqua acuta, statim dissolvitur per incisionem & penetrationem, quæ movetur ab acuitate forti patenter, & in dissolvendo convertit se in naturam atramenti terrestris, non capiendam formam metallicam, nec formam claram, nec cœlestinam, sicut apparet post evaporationem dictæ aquæ, & suam congelationem in forma lapillorum croceorum, quæ crocei is à terreitate pontica & sulfurea procedit, quæ ultra mensuram erat in dicta aqua mixta per parva frusta cum universalitate & simplicitate homogenea; quæ simplicitas erat capta & ligata per dictam terreitreitatem, mutatione lucis & claritatis atque luciditatis in obscuritatem. Consimiliter per operationem mediam in contraria forma vertitur argentum in vivum mixtum cum atramentis per ablutionem aquæ & ignis, qui totum suum vaporem grossum devorat, & commixit, antequam mixtio illius fiat cum argento vivo; quòd per simplicitatem naturæ grossæ vertitur in simplicitatem, mediante acuitate moderata congelatur; & miscetur cum illo, quod magis participat sua natura in luciditate crystallina, sicut apparet post sublimationem suam. Et inde movetur causa, per quam commendamus temperantiam ignis ad sublimationem argenti vivi quousque acuitas, quæ nimio igne grossam terreitreitatem portat, quæ dat infectionem argento vivo, ut sit penitus evacuata, vel evaporata, Ideo quia illa per expressionem sicci ignis, portat naturam tam in ventre suo, sicut apparet in aquarum fortium confectionibus, de qua natura non indigemus: quia nostri magisterii corruptio est. Sed quod velis nos benè intelligere per hunc modum. Accipe igitur aeritatem simplicem, & ablue optimè, & fac sine aqua aquam, & eam præpara præparatione philosophica, quousque per quinque planetas transierit; & postea pervenit ad lunam, & quando per sex transierit; venit ad solem, qui clarificabit & illuminabit omnia. Fili, quod dictum est, nobis notificat præparationum multitudinem; per quas habes ire, & in qualibet præparatione per virtutem eius infixa est cuilibet planetæ complexio, & ideo si individua natura reperiat aptum & habilem locum suæ generationis in forma metalli, vel locus ille generationis est complexionatus à natura plumbi secundum sunni planetam, vel Iovis, vel Martis, Veneris, Mercurii, Solis aut Lunæ. Si ad naturam Saturni sit complexionatus propter suam debilem digestionem, transmutabit individuum in formam & speciem plumbi crudi, lutei & immundi. Et si ad naturam Iovis, Martis, aut aliorum, & individuum convertetur in naturam loci, ad quem addetur propter eius infectam digestionem. Et ultra, quoniam si locus prædictus generationis est complexionatus ad naturam Mercurii, erit debilioris digestionis, & minoris potentiæ ad terminandum individuum in forma corporis duri. Et ideo convertere non potest, sed tantum

inspissare, & de natura aeris convertit in naturam aquæ per condensationem, quam capit aer de suis parvis partibus terrestribus modicum digestis, quæ immiscentur cum eo vapore elementali, defectu constrictivæ virtutis, & ideo inspissatur, in rem crudam, se reincrudando per actionem uniformis caloris & humiditatis unctuosæ, laxativæ, tartareæ, sicut lac facit in mammillis.

Cap. XC.

De natura abortiva corporum imperfectorum, & de temperantia vasis naturæ.

IDeo fili, tibi sit manifestum, quòd corpora supra dicta non sunt nisi abortiva, quæ terminum suæ perfectionis habere non potuerunt, sicut illi, qui nati sunt & nascuntur in locis menstruosis indigestis & corruptis, patientibus infirmitatem lepræ, & corruptionem in suis corporibus, & hoc facit natura ob defectum debitæ præparationis & naturalis caloris, qui non potuit benè digerere menstruale, quod est in materia metalli, vel per suam nimiam excitationem, vel stimulationem caloris adurentis, ardentis, & cholerici, vel individui, vel loci sui nimis mutabilis, in quo plurima accidentia multoties possunt advenire: cùm sit continens totius materiæ omnis generationis. Quare si locus mutationis individui sit talis, quod sit tali modo temperatus, quòd per suam digestionem, vel bonam temperantiam habeat magis potestatem depurandi cum conservatione mutativa germen suum clarum & purificatum, congelabit & transmutabit illud in finam lunam, & puram per vaporem sui sulfuris iam à macula originali purgati leprositatis, qui dicitur locus dictæ tran mutationis, vel in solem perfectum secundum bonam temperantiam, quam capiet humidum individuale à loco suæ generationis & digestionis completæ, aut incompletæ. Nam illic, ubi locus generationis est Solis, & commutationis & congelationis humiditatis Mercurialis in finum solem, ibi certè dominatur ignis cum multum nobili temperantia & in loco generationis lunæ, dominatur aer cum cœlesti virtute, Et ideo clarificatur, & demonstratur, quòd fumus aut vapor menstrualis terrestris, & argenti vivi non debent excedere, neque superare pondus metalli puri, nisi æqualiter illi alias in præparationibus est avisandũ. Quare patet, quòd si sit plus de virtute terræ in loco generationis, quã habeat de lumine & de nobilitate, quæ veniunt per mixtionem planetarum in dicto loco, congelatum accipiet & obtinebit tenebrositatem, fuscositatem, ponderositatem lutulentam, & frigiditatẽ, sicut plumbum. Quare patet, quòd in plumbo dominatur elementũ terrestre, sicut in auro dominatur elementum altum cũ tẽperantia perfecta. Et si dictus locus in plus participaret cœlestibus virtutibus, & minus in terrestribus, esset fulgens ac resplendens absque aliqua corruptione, firmum & solidum per constrictionem partium, quod demonstrant gravitas & ponderositas exiccationes, quantum est de hoc per contrarium, est dicta proportio constituens speciem auri; ad quam proportionem venit materia depurata in illum terminum proportionalem in materiæ congelatione per frigiditatem loci & per calorem locati, quæ importavit omnem calorem naturalem ventris materni per terminatam digestionem, & mater mortua remansit absque aliqua virtute, & in frigiditatem versa, quæ constringit Mercurium congelando plenum cãlore perfecto in metallo iam formato.

Cap. XCI.

Quomodo Artista debet notare virtutes minerales propinquiores perfectioni. Et de operis abbreviatione per fermentationem.

QVare de omnibus, quæ tibi diximus, sis avisatus simul & singulariter, multum notando virtutes minerales perfectioni propinquas. Quia tibi dicimus, quòd argentum vivum depuratum potest reverti ad naturam illorum, quib s adiunctum est, & intellige hoc tam in parte prima, quæ est purgationis & creationis lapidis, quàm in secunda, quæ est fermentatio & mutatio ejus in finam & veram medicinam. Quando igitur transieris ad secundam partem gradus secundi, adde iam curatum sulfur cum fermento lavato & abluto, quod appellatum est unguentum, ut totum convertatur in fermentum, ergo totum unguentum erit: quoniam scitum est, & cognitum, quod ille, qui dat formam, cum eo concordat quod illam recipit. Item apparet, & supra positum est, quòd omnis generatio debet esse ex convenientibus naturæ quæ formas portat, & virtutes cœlestes in se, & hæc est causa, quare præparatio nostra suppleri non potest, nisi fortè virtute longitudinis temporis per multos errores in prima parte fermentum supplet, & complet per suas virtutes benè temperatas, & multum benè digestas, temporis per brevitatem sine impedimento magno. Si hoc scias in secunda parte facere, & in hoc transimus cursum naturæ, quia finit suam operationem una digestione sua sola. Et nos facimus per fermentum illud, quod natura digestione sua iam compleverit. Et ideo habeas in te præparationes notas, & patientiam in longa ipsarum mora. Nam omnis prolixitas temporis est in opere naturæ, quia non operatur nisi per minimè. Et præparationes nostræ non fiant, nisi per illam in terminis revolutorum temporum perfectæ sunt, sicut res aliæ per naturam creatæ. Fili, nisi nostras agnoscas præparationes, nunquam habebis thesaurum omnibus electis praparatum, & beati, qui illum intelligunt.

Cap. XCII.

Quomodo Artista debet intelligere, quando lapis perdit suam naturam & minuitur, ad illum emendandum.

PEr hæc fili, tibi dicimus, quod opus est tibi, quod scias in prima parte emendare lapidem, qui perdit de sua prima virtute temperata in toto regimine præparationis: nam in illa præparatione indiget reverti, & transire de illa ad mortem per partem gradus secundi. Ideo fili, tibi dicimus, quod de quanto magis elongatur à suo temperamento per mortificationes corporis factas in prima parte, tanto magis perdit de sua prima natura, & est corpus passum tanquam homo in magna existens infirmitate per turbationem suarum spiritualium virtutum ab eo separatarum, & elongatarum per resolutionem ipsarum, quam continue passum est. Et hanc rem labilitatem clamamus, quando corpus à suo nobili temperamento remotum est, vel à coæqualitate sua complexionali inquantum patitur,

quia

quia ei deficit ipsum quod ei confortaret. Et in quantum sui elongamenti partem accepit, tanto melius per viam confortationis appropinquat per reductionem naturalem, vel attractionem ad temperantiam naturalem, & de tanto quòd magis extendes rotam in portando corpus ad longiorem corruptionem & mortificationem sub aliqua conservatione caloris naturalis, de tanto erit majoris vitæ & perfectionis, si postea per confortationem suorum spirituum deperditorum reducatur ad suum temperamentum. Et hoc est ratione illius, quod accipiet in sua prima attractione facta in regimine reductionis, quæ superabit in melius, quam perdiderat in sua mortificatione. Quoniam temperamentum non fit, nisi per restaurationem rei deperditæ: scilicet spirituum deperditorum vivificatorum, & restauratio nequit fieri absque naturali attractione, neque attractio absque evacuatione, neque aliqua evacuatio sine mortalitate quadam, quæ fit per crematione & combustionem corporis & calcinationem, & evacuationem humidi radicalis.

Cap. XCIII.

Ad sciendum, quomodo lapis est remotior à suo temperamento.

SCire debes quo tempore lapis est à suo temperamento remotior, quando corpus est crematum, & à suo spiritu vacuum & inanimatum, tunc remotior est, quàm possit esse à suo temperamento, & finivit rotam corruptionis ad essendum locus proprius generationis. Et quanto plus humorem superfluum in sua solutione perdidit, tantò plus attrahet ad se dictum humorem exuberatum in sua reductione. Exemplum, si corpus perdat B. & C. in suis solutione & corruptione per rotam extensam id inveniet, & attrahet D. & E. qui æquipollent perditioni de B. & C. Et ultrà ad plus per naturam in regimine reductionis attrahet F. & G. qui sunt exuberati per D. & propter fermentationem de B. & de C. Et si corpus non perdat nisi B. per minorem rotam, non potest recuperari loco sui, nisi C. & postea D. exuberatum de B. procundo ad temperamentum maius: quia sua perditio non suffert; nec cursus naturæ; & in quantum temperamentum rotæ minoris est minus perfectum causæ suæ minoris corruptionis, in tanto est major temperantia rotæ extensæ ad duplicem perfectionem, quæ à majori nascitur attractione humiditatis in profundiori ratione suæ calcinationis fortioris solutionis & mortificationis. Et per hoc intelligere potes totam intentionem nostram, scilicet, quòd totum magisterium nostrum non est, nisi colligatio humoris resoluti, vel resolutio unius, & congelatio alterius, vel mortificatio unius quæ est spiritualis; & vivificatio alterius, quæ est corporalis. Quoniam quocunque modo lapis sit dissolvendus, in eodem modo componendus est. Et hæc colligatio nihil aliud est, quàm argenti vivi exuberati & fixi multiplicatio. Per cujus multiplicationem noster lapis venit ad majorem perfectionem & temperantiam.

Cap. XCIV.

De causa supplementi diminutionis corporum imperfectorum, & quomodo lapis noster complebit eorum defectum. Et de interligamento ad respectum elementorum naturalium.

IN hoc fili, est complementum diminutionis corporum imperfectorum, quæ deficiunt à quadam pauca humiditate fixa & inspissatione perfecta. Quare patet, quòd nostra medicina portat complementum illorum in corpore perfecto, scilicet, multiplicationem argenti vivi & inspissationem bonam, & fixionem permanentem. Fili, considera omne illud quod tibi ostendimus, quia totius nostri secreti manifestamus tibi primas causas, quæ sunt entia realia magisterii nostri, & sine illis ullo tempore non potest adimpleri. Ideo illud intellige, quod notamus in testamento nostro per acuitatem tui intellectus, & vide, qualiter doctrinæ nostræ sunt associatæ, & in quibus melius conveniunt, & quando fiendæ sunt, & quot sunt regimina, & quod vadit primò, & quod ultimò, & quam potentiam habent. Quia iam tibi diximus, quòd magisterium nostrum non est, nisi unius formæ corruptio, & generatio alterius per conservationem suæ speciei multò magis resplendentis. Ideo fili, quòd quantum potes naturali corruptioni per tuam elucidationem appropinquare appropinqua, & illud, quod elongare potes, ab illo elonga, & tu venies ad corruptionem primæ formæ, verissimi passus, & ad generationem secundæ formæ, quæ nobis generationis est. Fili, nostri magisterii regimina sunt interligata & incatenata. Quia primum adiuvatur à tertio & à secundo, & tertium à primo & à secundo, & secundum à primo & tertio. Et quando eris in primo, media ipsum de secundo & tertio. Et quando eris in secundo, manu leva ipsum à primo & tertio. Et quando eris in tertio, manu leva ipsum à primo & secundo. Et omnia ista ligantur unum cum alio, non tantùm sola operationis mixtione diversa, sed per decoctionis diversam digestionem, quo reducuntur per reiteratam putrefactionem. Quare tibi ostendimus, quòd totum non est, nisi unum solum regimen decoctionis, quod per diversas mixtiones operativas cum intentionibus ordinatis primum gradum adimplent magisterii nostri, quem si benè intelligis, intelliges secundum & tertium, quod est tota veritas adimplens magisterium nostrum. Fili, intentio naturæ est multum ordinata per opera erratica. Intellige ergo naturæ intentionem & suæ operationis, & totius reversionis eius, quia prima mutatio respicit ad unum actum, & per intentionem illius ipsa agit, & per illam transitur ad actionem secundam mutativam, quæ tertiam respicit mutationem. Et nulla istarum finiiri potest sine alterius adjutorio, cùm se habeat fieri per contrarias operationes, prout sentire potes per corporum solutionem, quæ est causa congelationis spiritus, & congelatio spiritus est causa dissolutionis corporis. Et sic quilibet respicit actum suum differentem cum ratione discordantiæ. Hæc est erratica elementorum conversio, quam intelligere benè tibi opus est, & si benè intelligis, resplendebit intellectus tuus uberaliter & plenè, & confortatio & debilitatio, quæ factæ sunt in nostro supremo secreto, & in omni corpore naturæ. Nam per illa est omne temperamentum, vel distemperamentum magisterii, quæ sunt latitudo complexionis.

CAP. XCV.

De latitudine complexionis, & quomodo ex duobus terminis comprehenditur.

OMnis latitudo complexionis fili, cuiuſcunque ſit ſpeciei, ad temperamentum, vel diſtemperamentum vertitur. Et ideo primæ differentiæ complexionis ſunt duæ tantùm, ſcilicet, Temperata complexio, & diſtemperata. Temperata eſt illa, in qua primæ qualitates per mixtionem diſrumpuntur, quouſque veniant ad illum terminum, per quem reſultat melior diſpoſitio compoſiti ſecundum illum modum, qui ſpeciei debetur. Nam in qualibet ſpecie abſolutè eſt temperamentum, quod quidem eſt tale ad ſuam ſpeciem reſpectu ſuæ individualitatis, & complexio diſtemperata eſt illa, in qua corpus ſolare à meliori diſpoſitione recedit per dominationem quarundam qualitatum primarum. Quare apparet, quòd cùm in nulla complexione poſſit aliqua dominari qualitas, niſi ſimpliciter vel compoſitè, ideo omnis complexio diſtemperata, vel erit ſimplex, vel compoſita. Simplex eſt illa, in qua una qualitas tantùm dominatur, ſicut in noſtro lapide ſiccitas cum qualitate ſimplici dominatur. Nec intelligas, quòd dicamus adeo ſimplam, quin cum aliis participat in aliquo: nam hoc eſſet contra rationem complexionis, cùm ſit qualitas compoſita de quatuor primis. Sed quia per iudicium evidentis notitiæ, quam nobis conceſſit natura ſapiens per ſenſum manifeſtum, nos vidimus ac ſcimus, quod una illarum quatuor tantum dominatur multum ſuæ contrariæ. Et ideo dicere volumus quando lapis reducitur, verti debet de humiditate magna in magnam ſiccitatem, & in humiditatem minorem, & frigiditatem minorem, ac minorem caliditatem. Quare apparet, quod cùm per iſtam ſiccitatem elementum terreſtre determinetur noſter lapis humidus in naturam terræ aereæ per regimen deductionis naturaliter convertitur. Propterea voluerunt aliqui dicere, quòd noſter lapis ſiccus erat in ultimo gradu, & remotior ſui perfecti temperamenti iam paſſus ratione ſuæ ſiccitatis & acuitatis. Quare voluerunt illum cibum foras educere ad ſuum temperamentum cum nutritiva humiditate fermentabili: ſed hoc contraſtabilem rationem viſum eſt, per naturæ ſapientiam, & ſuo intellectui magnum inconveniens, cùm lapis noſter per regimen reductionis iam ſit informatus per oppoſitas qualitates differentiales per concordantiam, per quam informationem omnis res ſuo temperamento ſe temperat & appropinquat. Quoniam cùm lapis noſter fuerat per ſecundum regimen occiſus mortuus ac ſubverſus in gurgite Sataliæ magnæ, & ſua paſtura & in qua ſe habet nutriri, fuerat de toto cremata, arſa, & combuſta, deficiens à vita perfecta, quæ eſt cauſa approximationis nobilis temperamenti, idcirco viſum eſt, quòd lapis noſter eſt remotior, quàm eſſe poſſit à temperamento ſuo exiſtens in regimine ſecundo & ſtans infra illum terminum in quo ſunt duæ complexiones magis extremæ & longinquæ, quia opus eſt, quòd materia non ſit ad contrarium proiecta extra picti termini latitudinem, ſed quòd participet quodammodo alicui de complexionibus metallinis, quæ ſunt proximæ extremitati. Et quòd materia non tranſeat ultra extremas complexiones, quæ participant morti. Alio modo, ſi intenſius, vel remiſſius procederent contra naturam à qualitatibus fortibus & oppoſitis, & ibi penitus deficeret dicta materia à complexione metalli, intantum, quòd poſtea ſalvari ſub illa non poſſet individuum metallinæ ſpeciei, ſicut appareat in combuſtibilitate materiæ, quando per ignem nimium corrumpitur, omnino ſeparatur à natura ſua ob defectum informationis naturalis. Fili, vide ne corpus tuum omnino recedat à natura ſua, hoc eſt à ſuis particularibus complexionibus ultimatis, quæ continentur ſub latitudine temperamenti, & in tali puncto materia exiſtente dicimus, quòd à ſuo temperamento eſt remotior: ſed ſi velis propter hoc dicere, quòd magiſterium noſtrum haberet incipi per tertium regimen, deficeres ab intellectu noſtri operis, cùm adhuc non habeamus ſubjectum aut materia convenientem, in qua & per quam elementa fixanda ſunt. Quare opus eſt, quòd per tertium regimen de terra de terra & aqua noſter lapis procreatur.

CAP. XCVI.

Quomodo ſubſtantia ſulfuris exibit ab extremitatibus, quando lapis creatur.

DIcimus ideo, quòd noſter lapis primò creatur, ut ſubtilis ſubſtantia calida & ſulfurea extrahatur à ſuis extremis, & quod ille contemperetur cum humore, qui eſt ſecundum inſtrumentum perfectivum naturæ, & medium participans immediatè dictæ ſubſtantiæ, per quod recipit metalli tincturam, quæ eſt in dicto inſtrumento. Sic fili, trahimus lapidem noſtrum ab extremitatibus, in quibus ſunt media confuſa, ut non ſit unum nec alterum: ſed ut ſit medium, aut neutrum dictis extremitatibus, ideſt, inter eas, à quibus materialiter exivit, quam neutrum vocamus, ſecundum conſiderationem expreſſam in tractatu de intentione Alchymiſtarum ſapientum, & ſubtilium: non quòd ſit neutra propter negationem extremitatum, ſed propter participationem unius & alterius. Et omnes extremitates ſuæ ſunt corpus dictæ ac ſpiritus, de quibus corporibus neutra cum omnibus mediis procreantur, & ſunt procreata. Cùm igitur tale neutrum ſit à ſuis extremitatibus procreatum mineralibus certis & notis, abſque dubio in naturis eorum participat indiſtinctè, ſecundum iudicium ſenſus & experientiæ. Et per conſequens, ſic habebit & poſſidebit certas extremitates ſubtiles & mixtas & indiſtinctas abſolutè. Et ideo dictus eſt neutrum, nec ſanum infirmum; Et ideo habet in ipſis indifferenter operari per ſuam proprietatem neutram, & corpora infirma reddere nec ſana, neque infirma quouſque virtus ſanitatis in eo ſit integrata. Et ideo patet, quòd hoc eſt propter cauſam imperfectam, quæ venit à ſua infirmitate & ægritudine. Poſtea fac de illa neutralitate extremitatem perfectam, ſicut eſt imperfecta. Tu adjunges ei alia vice de ſua natura homogenea, ex qua creari debet in parte videlicet ſimpliciter uſque ad finem ut de perfectione ſanitatis, quæ eſt in aere, tollat infirmitatem & ægritudinem neutri, & quod virtus unius per alterius virtutem confortetur, & quòd infirmitas & ægritudo dicti neutri, quæ ex parte terræ, & aquæ venit, ſit commenſurabiliter per humorem & calorem alienata, & tunc invenies appropinquatum extremitati perfectæ ac temperatæ, & non tenet niſi mediam partem ægritudinis, & duas ſanitatis. Altera vice fac iſtud extremum imperfectum, & adde ei duas operativas virtutes, videlicet aerem & ignem naturales, & reperies ab extremitatibus & mediis imperfectis reverſum ad extremitatem plenam ſanitate, & omni temperamento. Intellige fili, nam ſanitate, & omni temperamento. Intellige fili, nam omnia hæc diximus, poſt conſiderationem capitis 168. quod incipit: Lapis noſter remanet in omnibus ſuis elementis, &c. Laus, honor, & gloria Ieſu.

Finis Theoricæ teſtamenti.

INCIPIT PRACTICA MAGISTRI RAYMVNDI LVLLI super lapide philosophico

CAP. I.

Et primo definitio, quæ res est, seu quæ scientia, vel ars Alchymia.

ALCHYMIA est una pars naturalis philosophiæ occultæ cœlica, magis necessaria, quæ constituit & facit unum artem & scientiam, quæ non omnibus est nota, & docet mundare & purificare omnes lapides pretiosos, non perfectos, sed decisos, & ponere ad verum temperamentum, & omnia humana corpora lapsa, & infirma restituere, & ad verum temperamentum reducere ad optimam sanitatem, & etiam transmutare omnia metallica corpora in veram lunam, postea in verum solem; per unum corpus medicinale universale, ad quod omnes medicinæ particulares reductæ sunt, & fuerunt. Et per quod integratum & factum per unum manuale regimen revelatum est philosophiæ filiis perfectis, mediante igne calore, respectu ex latitudinum caliditatis, quæ in tres principaliter reducuntur. Primus vocatur. Hebetatus, & iste prohibet & defendit motum naturæ integralem. Et ideo ducit & inducit putrefactionem in rebus mixtis, sine qua putrefactione venire non potest animatio in rebus elementatis. Secundus calor est calor excitatus cum calore tolerabili vivificationis, & hic calor ducit & inducit generationem & multiplicationem. Tertius est calor excessivus & mortalis, qui destruit omnes sensus & instrumenta, instinctus, & appetitus naturales, per quos fiunt corruptiones, generationes & multiplicatione. Fili, hæc scientia appellatur flos regalis, per quam intellectus humanus rectificatus est, vi experientiæ, respectu oculi, & veræ notitiæ, cum experientiæ suæ pati non possunt aliquas probationes phantasticas, sed omnes alias scientias vivaciter intrare ostendit intellectui, quomodo habet virtutes divinas penetrare, quæ velandæ sunt: etiam per naturam intelligimus illud, quod est, unde plures fatui & infames credunt, quod nihil est: sed nos scimus, si hæc res sic an non. Et ideo secretum hoc non erit notum ignoranti. Nam per scientiam talem, intellectus est expulsus superfluitatibus, quæ ipsum removent à tota veritate, & alio modo hæc scientia nominatur vexillum & instrumentum philosophicum, per quod boni philosophi, & antiqui Poetæ sensum ipsorum direxerunt ad quamlibet scientiam, ad intrandum per hoc in omnem experientiam, per artem fiendam; secundum naturæ cursum per realem notitiam.

CAP. II.

Quomodo practica traditur per duplex instrumentum. Et quæ sunt instrumenta quæ dat.

FIlli, in hac secunda parte practicali fuit, & est intentionis nostræ practicam tradere, ac modum practicandi duplici instrumento. Primum instrumentum est memorativa practica, aut recordativa, vel recolitiva. Secundum est practica operativa, totum insimul mixtum, tamen successivè, per modum, & formam Alphabeti factum secundum cujuslibet reginimis determinationem, & hoc ut melius regule magisterium intelligas, & illud formare per artem, ad faciendum & consequendum practicæ factum est certum: quoniam ante oculos tuos actione tibi nota per experientiam claram ostendemus. Et quia virtus principii currere, neque discurrere aut fluere non potest usque in finem, nisi virtute media, extremitatum copulativa mediante, hæc procedit à ratione: quæ dicit, quòd nos formabimus per memorativam artem suprà dictum instrumentum, maximè cum ita sit prout dictatus nobis ostendet naturæ realis, quòd theorica intellecta non debeat separari per unum passum, nec elongari à practicà scita. Nam una formatur aliam, & suos corrigit defectus. Et ideo posuimus practicam memorativam secundum hanc scientiam in forma media, quæ naturaliter exivit de suis propriis extremitatibus, & sunt propriæ extremitates suæ, practica operativa in secundo latere, & in primo sua soror, scilicet theorica. Et illa sunt verorum instrumentorum principia, quæ integrant & perficiunt totam scientiam & artem, quæ formatur per primum. Quia nunquam erit ars aut scientia, nisi primò inchoetur, & inciptatur à suis certis principiis.

CAP. III.

De secunda divisione huius partis per instrumentum memorativum.

ISte liber, qui est dictus & nominatus secunda pars, divisus & partitus est in quatuor operationes principales. Prima est dissolvere, secunda abluere, tertia congelare, quarta est materiam fixare. Prima & principalis operatio est in duas partes solutivas divisa, sicut in nostra theorica tetigimus: per primam facimus, de pluralitate unionem, per secundam de unione pluralitatem, prout tibi per honestam & pulchram doctrinam ostendetur. Fili, omnes operationes istæ tibi datæ sunt intelligi per certas & determinatas distinctiones alphabeticas, scilicet per modum Alphabeti A. B. C. & figurarum, & definitionum, mixtionum & applicationum.

CAP. IIII.

De prima distinctione, quæ est de A. B. C.

PRo prima distinctione, quæ est A. B. C. in prima operatione A. significat Deum Dominum nostrum, qui omnia creavit, & à quo omne procedit. B. significat argentum vivum, quod est communis substantia, stans in omni corpore corruptibili, prout per ejus proprietatem apparet: quia habet corrumpendi actionem & generandi, coniungendi, dividendi, inspissandi, grossificandi, rarificandi, indurandi, mollificandi, augmentandi, diminuendi, dissolvendi, congelandi, calcinandi, mortificandi, vivificandi, crudificandi, maturificandi, abluendi, desiccandi, humefaciendi, calefaciendi, refrigerandi, lenificandi, blandiendi, asperificandi, dulcificandi, amarificandi, confortandi, debilitandi, intrandi, ingressionem faciendi, tingendi, pondus dandi, incerandi, pascendi, impregnandi, ingrossandi, sublimandi, ac primum materiam faciendi, desponsandi, ac primum matrimonium faciendi corporis ac spiritus,

tus, fixandi, obscurandi, & accendendi. Per hoc enim argentum vivum, sciant omnes doctrinæ filij opera naturæ per suas proprietates discernere, & plures ac multas ex illis per suam proprietatem reducere de potentia in actionem, & illius operationes secundum quod instinctus & institutio naturæ vult regulare & ordinare. Et ideo tibi dicimus, quòd cùm sit pater omnium liquabilium, propter convenientiam & communitatem suæ propriæ naturæ, tene ipsum charum & secretum, & noli diffamare. Iste est materia naturæ, sine qua aliqua res naturæ non generatur corporalis, quæ ab eo principium non habeat ab una limositate, in qua est natura, quæ operatur, percutit, & semper fabricat, sine suæ transitu mensuræ. C. significat salis petram, qui communem habet naturam & similem argento vivo per proprietatem suæ fortis naturæ. D. significat vitriolum azoqueum quod corrumpit & confundit omne illud, quod non est de natura, & esse communis argenti vivi. E. significat menstruale, quod continet naturas trium dictorum totum simul. F. argentum finum, purum, & resplendens significat. G. significat Mercurium, quem scimus. H. aurum significat, quod tantum est honoratum. Quæstio, quare posuimus R. in hac arte, hoc est, quia sine Deo Domino nostro nihil creatum aut generatum est, nec opus inceptum, neque finè ipso consummatum, & quia ipse est efficiens causa principalis & finalis omnium creaturarum & operationum, digna & vera ratio nobis ostendit, quòd præponatur, & anteponatur, tanquam formator & creator totius creati, quòdque ipso mediante ac sua immensitate Artista in hoc illuminetur opere, qui quidem coram oculis suis habere debet Dei creatoris nostri bonam, veram, fortem, ac principalem memoriam.

Cap. V.

De secunda distinctione, quæ est de figuris primæ partis solutivæ.

Hæc figura docet, quòd mediante A. componuntur sex dictæ figuræ, pro prima parte solutiva, scilicet, tres triangulares, & tres circulares. Prima circularis figura significatur per E. & est facta de B. C. D. Secundus circulus per I. significatus, est factus à secundo triangulo, compositus de E. F. G. Tertius circulus significatur per K. factus à tertio triangulo, composito de E. G. H. & istæ figuræ tantum pertinent ad primam partem solutivam, quæ magis propriè vocatur liquefactiva.



Cap. VI.

De tertia distinctione quæ est de figuris, de secunda parte solutionis.

Tertia distinctio docet, qualiter de dictis duabus figuris, ultimis circularibus, scilicet de I. & K, in quibus est confusa prima figura de E. alia divisione formantur duæ figuræ per modum, qui postea patebit in capite subsequenti. Ideo sciendum est primò, quòd per figuram circularem de I. significatum est compositum, & compositio lunæ: per aliam figuram circularem de K. significatum est compositum, & compositio solis: à dicta figura I. trahuntur, & exeunt. L. M. & N. Et istæ tres literæ constituunt primam figuram sequentem triangularem tertiæ distinctionis: & ab alia figura de K. circulari sunt per divisionem separatæ. O. P. Q. R. per quas



quas est figura sequens constituta & facta quadrangularis : per hanc literam L. terra est significata : per N. aer, & per O. est significata terra compositi rubei pro sole, & per P. est aqua dicti compositi significata ; per Q. est significatus aer : per R. significatus est ignis terræ nostræ rubeæ sive compositi, qui est dictus lapis noster. Et istæ duæ figuræ tantum spectant ad partem secundam solutivam, per quam integrata est, & perfecta prima & principalis operatio, quæ est dissolutio facta per reductionem illius in argentum vivum opus est fili, quòd benè scias istud A. B. C. corde tenus : nam si vis practicam habere, quæ sit formata per artem in ratione theoricæ, quæ promptè veniet ad memoriam tuam firmam per nobilem intellectum. Si studuisti, etiam habebis habituatam practicam in figura reali, quam in actionem ponere poteris ad tuum velle, sine vexatione magna. Et nisi corde tenus scias dictum A. B. C. practicare, non poteris, neque quid incipere, & sic a Deo impeditus eris, quòd nescies quid agere, quia ignorabis species rerum receptiones, quas literæ significant, neque illas miscere tali modo, quo natura requirit, neque tuas facere mixtiones, quæ tibi, & omni Artistæ practicam atque practicanti opus est scire facere, ut dictæ mixtiones sint operationes naturæ, quodque dictæ literæ, vel iplarum significata sint propria materia, & propria res postulata.

Cap. VII.

De secundo instrumento practicali, & primò de prima parte solutiva.

INstrumentum practicale, tantum valet dicere, sicut ponere theoricam ad factum operativa, mediante instrumento, quod est memoria, quæ tibi habet ostendere, qualiter dictæ literæ sunt figuratæ pro prima parte solutiva, quæ sunt sex figuræ principales. Quando igitur tale instrumentum habes habituatum, reduc illud in practicam, convertendo ipsum ad primam figuram, quæ composita est de B. C. D. in modum, qui sequitur.

Cap. VIII.

De figura prima triangulari, quæ demonstrat principium practicæ, & de intentione triangulari.

SUper hanc figuram sequentem, quæ est prima triangularis, tibi ostendamus principium districtum practicæ, & dicimus, quod ut, vel fieri debet de duabus substantiis corporalibus, & de una substantia essentiali & accidentali, deportata in eorum ventre, prout per hanc figuram tibi præsentabitur. Fili, intentio, quare hunc triangulum facimus, est, ut de ipso per artificium, divina bonitate de A, mediante, nos trahamus & habeamus



tale menstruale humidum, temperatum à calore contra naturam, in quo & per quod metallica corpora possint in argentum vivum dissolvi, quod est elementum omnium corporum liquabilium, & prima materia, & quòd in illo possit noster siccus lapis continuari, de argento vivo creatus. Cum ergo fili, hic sit primus distinctus, & primus introitus in nostro magisterio, applica te ad puteos, unde exit temperamentum libratim redditum, prout fili, sine mora alterius tarditatis dicemus.

Cap. IX.

De prima dispositione, incipiendo opus in formæ practica.

TU in virtute ac honore de A. primò recipies unam partem de D. & dimidiam partem de C. quæ simul optimè mollentur & cribellentur super marmore subtiliter pulverisentur, & benè misceantur, ponesque in una cucurbita vitrea, situata in furno & superposito alembico, in quo per resolutionem secundantur spiritus, & condensantur, & lutabis junctiras vasorum, cum panno lineo impastato & madefacto in luto, facto de flore farinæ, & albuminibus ovorum distemperato, ut proprietates trium Mercuriorum unitæ, scilicet salfuginosus, vitrio us, & aquaticus simul junctæ & in unum positæ, non perdantur, vel non pereamus. Et adverte, ne dicti pulveres in cucurbita positi transcendant, neque superent pondus octo unciarum, & ad tempus abbreviandum, pones in alis duabus cucurbitis, de pari pulvere secundum pondus octo unciarum in qualibet cucurbita, & illas colloca supra furnellos longos, per modum, quem declarabimus in capitulo furnorum, nec plus nisi tres cucurbitas supra unum furnellum : nam ignis non posset pluribus æqualiter ministrare, prout requirit mixtio naturæ, & sint dictæ cucurbitæ collocatæ, una ab alia remota quinque, vel ex digitorum spatio : & lutentur fundi cucurbitarum de terra argillata percussa fortiter cum pilis animalium, quantum illi fundi furnellum intrabunt per tria foramina summitatis dicti furnelli, & ad spissitudinem materiæ : & pone cineres puros benè cribellatos subtus benè compressos ad spissitudinem quinque digitorum, & pone ad una um cujuslibet alembici phialam unam vitream colli longi ad finem, quod continens illarum phialarum non sentiat furni calorem, ne aqua phialarum possit reduere, neque spiritus recedere aut fugere. Postea habeas lignorum serraturas, de quibus provisionem habeas magnam, & accipe duas partes, & partem dimidiam marci torcularis vindemiarum, aut de tomb minuta, vel de tanno ficco, & misce cum dicta serratura. Et de tali compositione furnum tuum imple, post ignem tuum accende in duabus extremitatibus & eum accendere permitte. Nam alius ignis non est tibi faciendus, quousque videbis distillare sex guttas aquæ vel 10. aut 15. vel 20. Et quando ad viginti distillaverit, fac ignem cum parvis lignis, sive bulquetis lignorum siccorum, & sic paulatìvè incipe facere ignem flammæ in directo materiæ. Et vide, quando distillabit, quòd aqua sit clara, & quando erit ad quindecim puncta, & aqua erit clara, & fumi subtiles continua ignem illum æqualiter. Et si videas, quod de quindecim punctis ad duodecim teneatur, ut minus, fortifica ignem, & continua secundum punctum tuæ distillationis, & postea tertiò fortifica ignem tuum de uno puncto ultrà, & cõtinua usque ni plus distillet, & tunc dimitte ignem facere, & claude furnum tuum, & refrigera-

ri, per-

ri permitte,& si aqua sit fina & clara sine aliquo colore turbido,vel sine turbulentia,hanc accipe & custodi,& phialam obstrue cum cera repida, ne aliquid respiret, nec aer intret, quia statim corrumperentur spiritus qui sunt subtiles per aerem, qui intrat plenum immunditia ac extranea natura. Recordare quando incipies ignem facere lignorum siccorum, quòd vasa tua debent esse habituata de pasta suprà dicta, atque lineis pannis circundata, phialæque benè lutatæ ad nasos alembicorum, de luto eodem ponendo unam paleam inter nasum alembici & bendam lineam. Nam plerumq; dum ignis operatur, aer vult exire & respirare, quando continentem non habet, qui eum possit retinere. Nam calidus & caloroſus est, & subiectum quod eum retinet, calorem excellentem pati non potest. Et ideo indiget aliquo loco, in quo valeat respirare. Aperi ergo ei foramen, quando sufflare audieris. O pater, quomodo fecisti practicam ita longam? Fili, ut sis habituatus in omnibus rebus parvis & magnis, & ut habeas specialiter & generaliter ignium notitiam, & aliarum operationum, per præsens capi, & etiam omnium lutamentorum: quia nostræ non est intentionis, quòd amplius de ipsis dicamus; cùm sapienti intuenti & intelligenti mediante prædicto nihil est ibi subtile. Et quia postea dicere potes, quòd menstruale fœtens est ad tuum præceptum, quod est res vilis, per quam omnia corpora in eorum primam naturam breviter convertuntur, & est pura & propria origo rei mirabilis & utilissimæ, sed cum intellectu claro ipsam cognoscere scias. Fili, menstruale hoc elementariè factum, est unum corpus organisatum & aquosum, per altam virtutem, quæ quartum elementum est, quod est ignis caloroſus, quæ miscet omnes res uniformiter, ad quam mixtionem homo non potest attingere, nisi sit ignis magister, qui de tribus rebus unam fecit per suam reductionem, prout vult natura, quæ hoc uniformiter miscet cum humore, qui est principium naturæ majoris operationis. Quæstio, Pater quid est tertium? tu non posuisti. Fili, forma sine materia stare non potest, nec res quæcumque fieri potest, si forma defecerit nec D. potest esse sine B. qui habet res formare, quæ in mundo sunt; hoc est argentum vivum; & inde nomen habet; prout in theorica dictum est. Sic dicimus de C. quod formatum est de B. quoniam sic vult A. propter quod probatum est; quod plus est ibi de B. quàm de C. vel de D. & hæc est causa; quam per proprium nomen menstruale vocamus, & hoc est, quia in simplici unitate seipsam collocavit cum magna potestate, quam lucrata fuit à tribus propriis substantiis coniunctis in unam, quæ est virtus communis cuilibet corpori, minerali & lapidi similiter, & est rei vegetabili subalternata, prout tibi traditum in proprietario nostræ præsentis artis. Quare tibi dicimus, quòd benè ejus virtutem agnoscas, ac suam potentiam: nam postea cum illa alias cognosces, quæ sunt majoris potentiæ valoris. Quare in memoria habeas primam ipsius figuram per E. significatam, quæ est hic præsentata.



Cap. X.

De prima parte solutiva per formam practicæ Et de liquefactione.

Fili, lucem mundi, vel partem ipsius oportet, ut nunc dissolvas per liquefactionem omnium suarum partium, quæ sunt substantiales & accidentales custodiantur in trituratione facta motu ignis contra naturam, unde stolidi delusores ignorant ejus mensuram, & ideo hoc modo facies absque tangendo materiam pedibus aut manibus. Tu in virtute A. unam unciam accipe de F. benè purgatam per capellam, vel cinericium forte. Et illud benè percussum in rotellas scinde per petias parvas, curtas & strictas. Postea in duas partes æquales divide,& accipe duo vasa vitrea, solutoria nuncupata: sed melius liquefactoria sunt dicta & vocitata, quorum in hoc regimine forma & mensura tibi demonstrabuntur in capitulo vasorũ,& in quolibet istorum duorum pone unam unciam cum dimidia de E. scilicet octavam partem totius menstrualis, proiice statim intus quamlibet partem de F. & incontinenti non negligenter obstruas os vasis suo cooperculo, & luta benè junctura de luto jam dicto, vel de cera clara & munda, quo facto, pone in balneo Mariæ calido per triduum, ut Deus det tibi bonam diem.

Cap. XI.

De liquefactione G. qui est Mercurius Philosophorum.

Fili, unam unciam accipias de G. & pone in phiala vitrea longi colli, in qua prius posueris tres uncias de E.& statim obstrue, ut nihil respiret de suo cooperculo cum cera communi, & benè sigilla, & pone in balneo Mariæ calido per biduum naturale, & post biduum in aquam claram reperies dissolutam.

Cap. XII.

De conjunctione & matrimonio dictarum liquefactionum.

Postea accipies F. & aquam in aliam ampullam colabis vitream mundam, & vas multum benè inclinabis & cautè, ne terra de F. cum aqua colari possit, nec aqua turbari & dictam phialam, ubi posueris aquam de F. obstrue, ut suprà de aliis dictum est, & ad partem pone. Postea incontinenti super solutorium de F. quod debet dissolvi, pone suum alembicum, qui districtè & sapienter jungatur cum luto suprà dicto, post hoc supra cineres cribellatos situetur,& ponatur inde supra furnellum,& fac primum ignem, faciasque distillari, & humorem aereum in phiala vitrea sume, & fac de sarraturis lignorum ignem, & quando humor quasi distillatus fuerit totus, fortifica ignem de carbonibus paulatim, secundum quod videbitur ad punctualiter calcinandum terram, sed à nimio calore custodi, nam vidimus, quod ad calorem solis factum est. Intellige benè, nisi velis fatuus fieri,& da hunc calorem cõtinuè per undecim horas, pòst furnellum obstrue, & vade dormitum; & de mane accipe unum calcinatorium [quia sic nominatur propter operationem suæ proprietatis, quod tibi offert actus materialis] & infra proiicies menstruale sæpè dictum, in quo G. dissolutus est, & illud videbis operari,& fumum in altum ascẽdere,& metallum calcinari cum liquefactione, sed melius quàm antè obtura de proprio cooperculo, quod intrat intus, & cave ne ponas

in alium calorem, quousque fuerit optatum sua propria virtute, & postquam operatum fuerit, & requieverit, luta benè junctúram cum cera communi, & sic lutatum pone in calido balneo Mariæ per triduum naturale, prout alias fecisti, quia sic expedit, postea aquam cela, & humorem distilla, & calcina terram, ut suprà dictum est, & totis reitera, quòd tota terra sit dissoluta per istud regimen in forma liquoris, & semper limum solutum, ad partem pone, vel oleum arte dissolutum, quod est substantia corporis per aquam depurata, & portata per aquam venti Et quando totum erit dissolutum in simul conjunge, postea pone per mensem cum dimidio ad putrefactionem in calore temperato, ubi vas optimè sit lutatum cum dicto cooperculo, & sic debet fieri figura de I.

Cap. XIII.

De conjunctione rubei.

POstquam diximus de albo, dicemus nunc de rubeo. Fili, corpus solis totum essentiale est respectu argenti. Ideo avisari debes; qualiter eum habeas transmutare, per quæ, & cum quibus: nam omnia ipsius opera concordant in unius operationis essentia; si scias considerare illud, quod principaliter philosophicè dicemus de aqua corruptibili, quæ sua virtute magna liquefacit & fundit solem & in aerem superius fert, quod est nostrum secretum, & omnis alterius philosophiæ.

Cap. XIV.

De aqua corruptibili.

TU in virtute A. recipe unam unciam aquæ compositi argenti per alembicum distillatæ, & in illam proiice ℥. j. de G. vegetabili, postea pone intus de auro fino, secundum pondus G. Pòst pone in balneo Mariæ per triduum, vel quatriduum. Et infra illum terminum reperies, ut carbo nigrum, tunc infrà pone duodecim partes de E. post ad putrefactionem pone per mensem completum.

Cap. XV.

De alia aqua corruptibili.

REcipe duas ℥. j. de G. vegetabili, & humorem eius per alembicum extrahe cum duabus uncis, vel tribus aquæ rectificatæ simpliciter, quę est aqua viva, & proiice intus tuum solem, quem dissolvere volueris. Hæc dissolutio est sub conservatione suæ formæ. Ideo sapientes Phisici faciunt de illo potabilem aquam, separando per alembicum, post infra proiiciunt de iure, vel succo lunariæ, quantum volunt, & quod vident aurum totum dissolutum in illa aqua vegetabili in colore solis, & sic de tribus rebus formamus figuram circularem, significatam per K.

Cap. XVI

De secunda parte solutionis, quæ est solutio & separatio elementorum.

FIlli, quando tuum album compositum per mensem cum dimidio putrefactum fuerit, tunc erit benè animatum, & virtutis magnæ & benè appretiatum, & ab isto separabis elementa per modum, qui sequitur. Amovebis à vase, in quo tua est materia, cooperculum, & superpones alembicum, optimè lutabis, & in balneo Mariæ calido pones, prout melius ac discretius scies, & sicut per nostram doctrinam ostenditur. Et primo recipies aquam, quæ per distillationem exibit per levem ignem æqualiter continuatum quousque nihil distillari possit, tunc ab igne cessa, & infrigidari permitte. Postea vas accipe, & super cineres pone in alutello, & paulativè vigorando ignem in furnello, aerem distilla totum cũ suo igne mixtum, & illum recipe in phiala vitrea, quam obtura benè, ut dictum est, & ad partem pone, illud autem, quod in fundo remanebit, cucurbitæ combustum & arsum erit tanquam terra sicca & nigra. Patet quare aquæ distillatio sit in calido & humido, cùm aer distilletur in sicco & calido? Fili, ratio est, quia substantia aquę de natura subtili ostendi tur. Quare opus est illa aquam extrahi per substantiam humidam & calorem subtilem multum, cùm artificialiter non posset esse subtilior separatio balneo Mariæ, in omni quod visum est, quia aqua stans in sui natura ignitionem non substinet, & ideo necesse est, quòd cum igne per medium corrupto, separetur, Sed aer & ignis, qui sustinent ignitionem, supra cineres distillantur, quoniam partes grossæ & calores terrestres separantur, & ad aera superius ascendunt. Sic divides, & separabis tria elementa, quæ ad album sunt, significata per L. M. & N. quia ad album non est ignis, sed ad rubeum sunt omnia quatuor elementa significata per O. P. Q. R.

Cap. XVII.

Quomodo Artista debet habere terram fixam.

FIlli, post hanc separationem habebis terram fixam, & quòd nihil ex ea possit amplius sublimari, & hoc post rectificationem quatuor elementorum, per quam secundum regimen est constitutum, quod est unum de quatuor principalibus regiminibus, in hac separatione nitaris superare proprietatem Mercurialem in tua mixtione. Nam si hoc feceris, naturæ victricis magister eris. Et hanc rem intellige in præmissa mixtione prima, prout tibi diximus in theorica nostra. Ideo tibi necesse est, quòd Mercurialium proprietates superent proprietates fœtentis menstrualis, si velis inventor esse pretiosæ perfectionis naturæ. Fili; ratione huius vocabuli proprietates tibi datæ sunt omnes res ad cognoscendum, videlicet materiarum virtutes, & sicut in proprietario huius artis capite 2. & 4. sequentibus extitit declaratum. Ideo, quia proprietas quælibet, quamvis non sit nisi una omnibus mineralibus communis, veruntamen ipsa determinationem recipit à sua causa, sicut visibilis experientia cum lumine claro nobis effectualiter ostendit post eius divisionem per quatuor elementa; & sicut videre potes manifestè modo simili, quia proprietas, quæ est in parte terræ deficcat multum, congelat & fixat. Et illa, quæ est in aqua, refrigescit multum, dissolvit & lavat. Et illa, quæ in aere est, humectat, madidat, lenificat & fluere facit partes discontinuatas, & quæ in igne est, calefacit & tingit. Adhuc accipit hæc proprietas aliam determinationem secundum materiam elementi sui in grossitie & subtilitate, per varietatem & variationem, propter quam sunt quatuor ignes principales observandi ad respectum substantiæ proprietatum quatuor elementorum. Ideo, quod proprietas, quæ est in terra grossioris est substantiæ, & fixioris naturæ, per quam contra ignem majorem tolerantiam habet. Ideo sibi proprius debetur ignis, secundum suæ naturæ exigentiam; & sic est de aliis elementis. Quare patet, quod sub conservatione suæ proprietatis materia gubernatur per certos gradus excitantis caloris & stimulantis. Ideo, quando separabis elementa, respice, quòd materia non evacuetur à proprietate sua per nimium ignem vel excessivum, nec contra naturam.* Nam adhuc illa elementa sunt dissidentia & inimici mo tales generationis, nisi Geo-

* Alias quia ambo hi ignes sunt destructores & inimici mortales generationis.

metriæ regula obſervetur, cum qua trahere poteris per tuum velle aerem, & ſine hac regula non. Fili, hic eſt ſecretum, quod valet melius omni denario, ad trahendum extra naturam, quæ eſt verus Mercurius proprietate plenus. Fili, practicam tibi diximus, qualiter eam poteris extrahere, cũ igne appropriato. Sed nunc dicemus totum noſtrũ inſtrumentum, per quod poteris cuſtodire, & rectè ducere, & opus dirigere. Quando tu volueris aerem trahere à ſuo proprio hoſpitio, tibi opus eſt aſſimilare naturæ tuum opus. Fili, in ſubiecto vacuitatis ſunt extrema & media ſecundum magis & minus, propter quod unum elementum fugit in aliud, & in illud revertitur, neceſſitate naturæ, prout manifeſtè tibi exemplificabimus, per aquam, in qua diſſolvitur tantundem ſalis, quantum continuari poteſt in humido aquatico reſpectu aeritatis ſalis. Quapropter tibi oſtendimus, quòd humidum eſt poroſum, & foraminibus plenum, in qua poroſitate continuatur ſal, quod eſt lapis naturalis in aqua deportatus, qui eſt dominus lapis, in ſede ſua exiſtenti. Fili, ſedes ſua ſunt pori & parva ſuarum aquarum foramina, quę primò erant plena aere nimio ſubtili, & poſt implentur de re ſe inſpiſſante. Quare patet, quòd in quanto magis inſpiſſatur, tanto fugit rarefactionem, & vadit ad condenſitatem, quando pori & foramina parva implentur materia groſſa, per evacuationem ſimplicis, quia nullo tempore eſt dare vacuum naturæ, plus enim deſtrueretur, quàm illud poſſit pati, & ex hoc exemplum oſtendunt Phyſici in ſcientia ventoſorum, & nos in extractionibus aerum naturalium. Unde voluerunt aliqui philoſophorum antiquorum dicere, quòd natura vacua erat ab omni entitate, quando omnes res attrahuntur à ſuo proprio gradu, ſed non habent de natura profunditatem omnem. Ideo, quia quamvis calor ignis conſumat materiam aeris humoroſam, & poroſam reddat, dicta tamen materia adhuc habet dictum locum plenum non obſtante, quòd attrahat ſecundum proportionem naturæ vacuæ à dicto loco plus quàm perdiderit, prout apparet in convaleſcentibus poſt infirmitates magnas, natura quorum plus appetit, quàm digerere poſſit, & tamen locus ille propriè ſecundum veritatem nunquam moratur vacuus omnibus entitatibus naturæ. Sed ſolummodo à ſua materia magis ſimplici, quæ ibi participat ſecundum ſcientiam noſtram ſenſibilitatis inter ſimplex & ſimpliciſſimum, quæ ſunt extremitates magis ſimplices, ſicut eſt aer, in quo ſpiramus duarum extremitatum ſuarum reſpectu, videlicet elementi aquę ſimplicis & aeris puri ſimpliciſſimi, qui per clericos æther vocatur, quia propriè & poſt ignem exiſtit, & ſi hoc erat verum, nullum elementum veram ſphæram haberet animationis & ſtationis, & maximè ille aer, qui vocatur æther, qui deſtrui non poteſt ab igne, neque per eius calorem corrumpi, qui ſemper ſibi ſit propinquus & jungens. Ideo declaratũ eſt, quòd nunquam vacuitas data eſt naturæ, quin ſit de alto in baſſis ſphæris, quia ignis ibi locum habet, ſicut natura ſuam eſt appetens perfectionem. Alio modo corrumperetur, & remaneret inanimatus locus naturæ, qui eſt ſphæra circa unius elementi, vel alterius, & nihilominus ſine virtute, & ſine attractione, & per conſequens remaneret à fine vacua; quod nõ fuit aut erit unquam requiſitum per naturam; quòd remaneat abſque ſuis potentiis; quare vaſtata materia ſimpliciore, ſcilicet, aeris, quæ erat humoroſa in hac ſphæra, quæ ſibi data eſt & propriè ſibi debetur per mediũ põderoſitatis & levitatis, deinde omni tẽpore in omni loco remanet altera ſimplex, quã ignis deſtruere neque vaſtare poteſt. Sed quantum ad hanc materiam ſimpliciſſimam, cùm ſit ſufficiens, aut ſufficienter occupativa, vel repletiva loci dictæ ſphæræ ſecundum ſuam ſubſtantiam, ideò volens natura in dicto loco per ſuum inſtinctum & inſtitutionem recuperare per reſtaurationem ſuæ deperditæ materiæ cum re ſimili vel ei pari, deſiderans ſemper ad ſuam perfectionem attingere recuperat eam in attractiva virtute, cum appetitu magno ad ſe trahendo aliorum elementorum ſubſtantiam per ipſorum rarefactionem, quouſque natura debitum ſuum recuperaverit; ſcilicet illud quod per ignis calorem perdiderat, & quantò plus locus evacuatur, tantò magis illorum elementorum natura attrahit per ſuum magnum appetitum, & habet majorem vim majoris attractionis, ut tibi diximus, ſicut apparet in condenſatione aeris & pluviarum. Et ſicut videtur, quando natura vitalis in reſtauratione confortans, rectificat membrum vulneratum, quod eſt una de partibus ſubſtantiæ ſuæ veræ individualis, in qua portatur, & iſta eſt ratio radicalis & poſſe naturæ, ſine cujus intentione nihil facere potes, quia per iſtam elementa aſcendunt & deſcendunt, ingroſſantur & rarefiunt, componunt & aſſociant, disligant, & ſubtiliant vi amoris. Et quantò ignis ſimplicior eſt cum actione magna in dicto loco naturæ, tantò fortioris deperditionis ſuæ materiæ eſt dictus locus continens, & per conſequens attractionis fortioris. Fili, ſi hanc rem intelligis benè, ſcies qualiter omnes res mundi per naturam factæ ſunt, & quomodo eas facere poteris reſpectu naturæ, ſi aerem habere poteris qui per naturam cauſatur. Sed animatio quintæ eſſentiæ rationalis, nulla res eſt, quæ ſciat facere, niſi Deus creat illud. Ideo certas res habemus, & alias ſcientias multas, ad plures artes & ſcientias, de quibus hæc eſt una, quæ eſt forma ad ſciendum omnes alias, à ſubtiliori ſubiecto per naturam cauſatas: nam illud quod facit natura, deſtruere poſſumus, & poſtea reformare intus ponendo naturam, ſine qua quævis cura fieri nequit per phyſicum. Et hoc tibi datum ſit ad dividendum quatuor elementa, quod eſt maximum ſecretum, ad formandum inſtrumentum. Et ſicut de albo compoſito feciſti, fac de rubeo, propter quæ figuram ſequentem aſpice, quæ docet, quomodo elementantur elementa, & qualiter unum elementum intrat in aliud circulariter per artificium naturale. Figura ſequens oſtendit, quomodo elementa per artificium conſtituunt unum elementum rotundum: ita quòd minima pars unius eſt in parte minima alterius, aliter non eſſet vera nec bona mixtio in terminatis corporibus, nec per conſequens eſſet bonum ad aurum, vel argentum operandum.

Cap. XVIII.

De operatione ſecundi regiminis, quod eſt lavare. Et primò de aqua & aere, qui habet generare.

Fili, quando diviſeris elementa lapidis ſeu lapidem per elementa quatuor, opus eſt ut ea purges per hoc ſecundum regimen. Sed primò ſciendum eſt, ſubſtantiam quatuor elementorum & eam cognoſcere, unde tibi dicimus quòd terra & ignis ſimiles ſunt in ſubſtantia lapidea; & ideo neceſſaria eſt præparatio ignis calcinativi. Et alia duo, ſcilicet, aqua & aer, ſunt in ſubſtantia aquoſa, & natura aquatica. Et idcirco, opus eſt, quòd ſcias præparationẽ ordinatam, ad exigentiam ſuæ naturæ, quia aer & aqua indigent præparatione, quæ fit per ſeptenas diſtillationes, aut plures, quouſque omni aduſtione vacuentur, quæ venit ex parte menſtrualis, & tunc quilibet ipſorum plenus vera tinctura, manebit ſine crematura vel aduſtione. Fili, aquam & aerem diſtillabis ad partem quemlibet

in ſua

in sua rectificatione, & vase per se, & fæces aquæ pones cum terra, quas in qualibet distillatione facies. Et post sextam distillationem pones unam guttam vel duas super calidam laminam argenti fini & puri, quæ si nigrescat, non est omni adustione sua vacua. Pone igitur ad septimam distillationem & plus quòusque argentum dimittat absque corruptione nigra, & tunc habebis aquam vitæ, cum qua terram ablues, & Mercurium philosophicum, confortativum & medium, quod facit matrimonium tincturarum. Et sicut fecisti de aqua lunæ, facias de aqua solis, & sicut audivisti de aqua, sic etiam intellige de aere, & illud, quod remanebit post aeris distillationem, erit ignis tinctura totus plenus, & aurum & anima, & unguentum philosophorum, sine quo dictum magisterium compleri non potest. Et intellige fili, quare dicimus, quòd ignis distillatur cum aere, & non cum aqua. Fili aqua non habet aeris officium facere, sed tantummodo lavare & non tingere. Nam si tingeret, ignis absque humore maneret. Quia aqua fugit ignem nec faceret tincturam fusibilem defectu humiditatis, ideo tibi dicimus, quòd distilles ignem per aerem, quia in qualitate discordant, & aqua fugit ignem, quia induta est qualitate igni contraria. Per hoc autem discordant. Sed aer, quia est aqua magna digestione extincta, est oleum, & etiam tinctura fortis & magnę mixtionis. Et ignis est sua tinctura, & corpus fortiter digestũ. Et spiritus est aer, qui ignem intra se portat. Considera fili ad ea, quæ tibi diximus & dicemus, scilicet, quòd velis operari lapidem humidum, qui est substantia limosa ad aquam & terram tantum, quia de illis duobus procreabitur purum sulfur, & sulfur siccum cum velis operari ad ignem & aerem, cum ista sint tinctura & perfectio totius magisterii. Fili si misceas ignem lapidis cum Mercurio, statim sine separatione rubeus efficitur. Et ideo quando voles facere permanentem tincturam, sulfur tuum in igne lapidis rubifica, & omni tempore se amabunt.

CAP. XIX.

De Ablutione Ignis & Terræ.

FIli quando ignem voles abluere, primò separabis aerem, in quo quiescit per distillationem, & omnes fæces, quæ coloris sunt, inter nigrum & rubeum insimul pones, in quibus pones suum pondus de aqua prima, & postea totum distillabis, quousque non remaneat nisi ignis siccus, & hoc septem vicibus reiterabis, & invenies ignem tuum rubeum in pulvere subtili. Fili sic de terra facies quousque vacua sit ab omni humiditate, & humiditas, quam separasti à terra, est oleum album, multum pretiosum incerando, & quia naturæ corporis magis participat, tantò ab eo difficilius separatur, & per consequens tenetur pro re pretiosiori pro complendo omne elixir. Et quando videbis terram inter ponderosum & leve in modum pulveris esse, pone de ipsa modicum super calidam laminam cupri, & vide si de ipsa aliquid evaporet, si aliquid evaporet, reverte ad regimen calcinationis, quòd si non, ostendit quòd privata est & mundata ab omnibus spiritibus suis, qui eam tenebant invitam. Custodi ipsam multum charè: nam ipsa est magnesia, quæ dabit tibi illud, quod petis post suam resurrectionem, & quando, sicut prædiximus, quatuor elementa purgaveris, custodi ea benè, quodlibet ad partem in suo vase vitreo benè obturato cum cera, & maximè & specialiter oleum: nam aer subintrans statim corrumperet & consumeret propter convicinitatem naturę, quæ in ipso est, quod quidem aereum est ac multum volatile, & tibi sufficiat quod diximus de benè lavando omnia quatuor elementa.

CAP. XX.

De tertia Operatione, quæ est Creare Lapidem de suprà dicta substantia præparata, de quatuor elementis.

FIli nostri lapidis operatio tertia est, quòd tu reducas aerem, qui est significatus per M. post suam rectificationem cum O. qui reducitur cum L. quia ipsi duo sunt duo elementa sicca naturæ fixæ. Adde ergo O. de composito rubeo cum L. quæ est de composito albo, ut mixtio, quæ per confortationem fit, sit utilior præparatio de O. & L. sic ut recipiant & recuperent majorem humiditatem per attractionem, quam in sua calcinatione perdiderunt, per quam privatum est ab omni humiditate. Et ideo quando siccum est, & omni humiditate sua vacuum, specialiter libentissimè suum humidum aquaticum epotat. Et si tu nos intelligis, intelliges id quod diximus in nostra theorica in capitulo sexagesimo tertio, quod incipit, Intentio naturæ fili: & super illo, quod diximus de perfecta præparatione, quæ succedit purificationem elementorum suprà dictorum. Fili hæc præparatio valet omne aurum: nam per eam lapides fini fiunt & pretiosi ac omnes perlæ & margaritę. Ergo fili ad consequendum dictam hanc præparationem, accipias M. ad consequendum naturam, & suum affectum & illud divides in duas partes ad pondus de O. & L. quoniam medietas de M. ad plus est necessarium ut custodias, & quod alia pars sit æqualis ad pondus de O. & M. divisum in duas partes, & quamlibet partem pones cum O. & cum L. totum insimul mixtum infra vas simile aliis. Sed illud appellamus isto regimine hymen. Postea obturabis vas tuum de suo cooperculo vitreo cum cera, & pones in fimo, & ibi facies enutriri in pascendo cum modica aqua primò, & postea cum majori, sicut natura te docet in parvorum puerorum educatione. Et non sis lentus, neque piger de imbibendo terram de quindecim in quindecim diebus, secundum quod videbis, quod comedet & convertet, nec te tædeat hoc opus multis reiterare vicibus, & quando reperies quòd erit congelatum & conversum, & siccum, pone in sicco igne per diem unum naturalem, Postea da ei plus M. & fac totum ut tibi diximus: nam in isto opere non potes errare dum tamen patientiam habueris in longo, & tædioso nutrimento. Fili videbis ibi tot, & tantos colores, de quibus non cures, quousque materia ducatur & terminetur in pulveres albos finos, vel in terram albæ foliatæ in colore margaritarum translucentium. Et si videris in forma pulverum alborum subtilissimorum, scias quòd est majoris fortitudinis, & majoris virtutis mineralis sulfurei ad congelandum Mercurium, & transmutandum omnia metallica corpora post suam elixationem. Fili non volumus hic tibi longum facere sermonem, ne tuus impediatur intellectus per verba. Nam nostra theorica tibi satis potest sufficere, quam benè convertere potes in practicam veram per hanc, quam tibi damus Hęc est res quæsita terra foliata congelabilis, noster arsenicus, sulfur nostrum, quod completum est ad album pro faciendo medicinam ad argentum, sicut tibi dicemus, cùm jam sit sulfur completum album non urens, per quod medicina fieri debet.

CAP. XXI.

De Compositione Sulfuris rubei.

FIli sulfur album accipies, & illud imbibes per imbibitam rorationem de aqua rubea post dissolutionem ejus in dicta aqua. Et quando aqua in illo fuerit congelata ad medium sui ponderis totum album erit, tunc ignem carbonum fortifica: nam aliud facere non est opus, quousque videas rubeum sicut scharletum, pòst fortifica ignem cum flamma, quousque sublimetur. Fili, scito, quod sublimabitur, erit sulfur album, nobile multum, & illud, quod remanebit in fundo vasis fixum, erit sulfur rubeum fixum, sicut sanguis, rubeum, multum clarum & pretiosissimum, & tibi hic sit ostensum, quòd illud, quod erat album, versum est in rubeum manifestum per ignitionem & ignibilitatem aquæ, quæ ibi posita est per substantiam sulfuris albi essentialiter. Et de hoc sit tibi speculum substantia plumbi, & pro tanto tibi sufficiat traditio compositionis sulfuris albi & rubei, à quo per artificium quartæ operationis beneficio elixir factum est ad complendum & transmutandum omnia corpora metallica imperfecta, & diminuta in verum aurum, & in verum argentum.

CAP. XXII.

De quarta Operatione, per quam fit Compositio elixiris. Et primò de compositione lapidis, qui est primum sulfur.

FIli, quando velis facere medicinam, considera primò cui perfectioni præparationis ducere proponis, & supra quale corpus vis projectionem facere: nam de illo corpore, supra quod vis facere projectionem medicinæ, debes in ea ponere, sed si ad ultimam præparationem intendis ducere philosophicè, quale corpus imponas non est curandum, nisi solummodo argentum vivum, quod est medium & mediator omnium, & si non intendis, nisi ad quandam subtiliationis simplicitate frondem medicinam ducere, debes corpus, supra quod projectionem facere velis, subtiliare: supponamus ergo, quòd sit supra stannum, tunc sic tuum elixir compones, recipe duas partes cum dimidio argenti fini subtilissimè limati, & de illo fac amalgama cum quinque partibus argenti vivi communis simul jungendo, & ducatur ac formetur ad modum butyri, quòd partes argenti dicti sentiri non possint. Deinde cape mediam partem Jovis, & illum funde tribus vicibus, & projice in aceto distillato, & amalgama, & ciba de una parte argenti vivi insimul molendo, quousque fiant unum corpus. Postea illa duo amalgamata lava, quodlibet ad partem, cum sale communi præparato, & in aceto distillato, dissoluto, quousque acetum exeat clarum, purum & mundum, inde amalgamata duo junge, & iterum simul ablue cum sale & aceto distillato, molendo, & miscendo, & lavando, quousque acetum, ut supra clarum remaneat. Postea lava totum in aqua dulci, ut totum sal exeat, & desicca aquam ad solem, vel ad ignem lentum. Fili magisterium nostrum in duas partes est divisum, scilicet, in creando lapidem, & componendo medicinam. In prima parte argentum vivum ponimus, tale, ut diximus in tota nostra theorica, & in principio nostri magisterii in practica positum. In secunda parte debet addi sulfur cum materia metalli. Fili sulfur est suus ignis, qui materiam digerit metalli, & argentum vivum, quod ibi nominatur loco medii, & stat inter sulfur & corpus. Et hoc tibi dicimus, ut in verbo rustico non intelligas, neque communi, sed in verbo philosophicali nos tibi dicimus, quòd alia sunt media cum extremis differentialibus, quia alio modo non possemus dicere, quando materiæ sunt transmutatæ philosophicè. Et ideò, quando philosophicè dicimus, debes intelligere de materiis jam transmutatis per virtutem, opúsque philosophiæ. Et quando rusticaliter dicimus, intelligere debes de materiis, quas natura communis omnibus gentibus creavit, accipiendo ab illa similitudinem. Ideo in verbo philosophico tibi dicimus, quòd alia media sunt, sine quibus tincturæ fermentorum addi, nec misceri possunt cum tincturis unguenti rubei. Et ideo nobis opus est, ut transeamus ex eodem medio ad medium, donec simus in extremis, quæ petimus. Fili cibamentum, quod nos tibi dedimus, philosophicè loquendo, est unum de mediis inter aquam & spiritum, scilicet, quando in pulverem versum est per alterationem. Et sulfur & aer sunt extremitates: sed absque philosophiæ voluntate tibi dicere poterimus, cum ibi sit alteratio, quòd argentum vivum vulgariter intellectum, ratione suæ similitudinis, est medium perfectivum, multiplicativum, & completivum elixiris, quia effectivum est omnis fusionis metallicæ, & totius ingressionis, ratione sui ponderis, de quo suprà loquebamur ad voluntatem nostræ philosophiæ in sua prima extremitate, quòd eum elevavit de necessitate, & alteravit in sua speciali differentia. Secunda extremitas absque voluntate philosophiæ dicimus, quòd sunt metalla ad componendum elixir. Et alia media & extremitates, philosophicè loquendo, sunt materiæ post earum purificationem mundam, ideo, quia inter sulfur & argentum vivum est pulvis factus ex corpore, & argento vivo, & inter dictum pulverem, in quo est sulfur & finis magisterii, sunt ideo argenta viva, quæ sunt causa continuationis partium dicti pulveris in finam medicinam, & inter aquam, est calx, & aer. Fili totum initium & finis hujus operis, fit tantummodo per unam solam operationem, quam vocamus propriè reductionem. Fili intellige benè potestatem naturæ, quæ totum debet murare. Sulfur nostrum est terra subtilis, vel aqua sicca, in ventre cujus ignis naturæ fortiter multiplicatus est, causa suæ siccitatis est terminatio humiditatis caloroſæ, quam accepit à compressione ignis, qui est in suis visceribus & ventre. Fili argentum vivum est liquor inundans & fluens, præservans ignē à combustione & arsura, & aer est materia sulfuris, in qua compromittitur & con primitur ignis per ingenium magisterii respectu naturæ, quousque terminetur in terram siccam & subtilem, quæ est sulfur, & sicut aer, qui est materia ignis induit ejus formam in eo: ita argentum vivum est materia sulfuris, & convertitur in ipsum ratione proprietatis suæ naturæ. Quare fili non mireris, quando res videbis mutari coram oculis tuis per potentiam sulfuris, quia multum calidum est & siccum, & caloroſum. Ideo necessarium est, quòd proprietatem ignis habeat, videlicet aperiendi partes totius corporis, & argenti vivi, & penetrandi ac terminandi, quia per calorem, quem habet in se, naturaliter aperit poros clausos & seratos. Et cum ignis sit substantialiter colligatus & collectus in substantia subtili, cum tota illa etiam vaporaliter intrat infra totum corpus, cum ejus substantia, per quam ligatus est & collectus, sit multum sicca, terminat & congelat humiditatem, in quam intravit, secundum

dum sui caloris informationem, qui est instrumentum informativum & digestivum naturæ. Et sic fili dictum sulfur nostrum habet virtutem sigillandi & formandi simile sibi, & omne quod petitur, & non retinendi in se. Et ideo dicimus, quòd est pater & semen masculi, per ignorantiam, cujus multi deciderunt Alchymistæ fatui & non experti, credentes sine igne naturæ fixare amalgamata, non custodientes rectum, neque rectitudinem rei propriæ, quæ deberet eos deducere & adducere ad perfectionem verè digestionis. Quia argentum vivum minerale res est multum crudæ, & grossæ substantiæ. Quare opus est, quòd fortis virtus sibi administretur, quæ juvet eum duci ad perfectionem, & de hoc largè fuimus loquuti in libello intentionis Alchymistarum. Idcirco fili in nomine illius Domini nostri, qui pro peccatoribus passus est mortem crudelem, incipe nostras alterationes philosophicas facere per hunc modum, faciendo primò signum sanctæ crucis, ne diabolus tibi noceat, & intellige quando dicimus argentum vivum vulgare, hoc dicimus ad similitudinem illius, quod ei assimilatur per artem vivificatum: quia metallorum corpora differentiam recipiunt per illum modum, per quem argentum vivum differt à suis similibus. Et quando similes dicimus, hoc est ad differentiam purorum, & impurorum metallorum, & hoc tibi fili datum sit pro regula gravi & profunda in tuo adjutorio ad componêdum regalem medicinam in hunc modum. Accipias unum vas vitreum cum longo collo, unius palmi, & fundo rotundo, & ore stricto, adeo, quòd non possit intrare, nisi tuus digitus medius largè, & ad modum colli ampullæ factum, & habeat cooperculum, quod subintret, & benè jungatur. Post recipe amalgama, & in sex partibus illius pone partem unam lapidis nostri in fundo dicti nostri vasis. Pòst artificiosè pone tuum amalgama infra, sine violentia ad longum vasis, & quòd cooperiat lapidem totum, modo tali, quòd lapis respirare non possit, quando sentiet calorem, nisi per medium amalgamatis: quia necessaria res est, quòd amalgama nostri lapidis vaporem accipiat, & in suo ventre retineat, & per illum altoretur. Postea colloca vas tuum suo cooperculo coopertum, in furnello, inter cineres compressos usque ad quantitatem materiæ, vel modicum minus, videlicet de spissitudine dorsi cultelli, vel minus, & hoc fac, ut videre possis alterari materiam, & pòst accende ignem, si vis, de pulvere carbonum, vel de serraturis lignorum. Et sit dimitte, ut paulativè calefieri incipiat, vel si vis de carbonibus, qui faciant ignem sine fumo. Et quando sentiet calorem, tunc calor sulfuris movere incipiet, & quòd est in suo vapore inspirabit in substantiam argenti vivi & penetrabit, & congelabit amalgama. Primò in forma argenti fini, demitte adhuc ignem continuari, quia metallica species tibi ostendet, quòd totum sulfur non est adhuc in vapore elevatum, dum adhuc omnes suos affectus non præstitit, neque virtutes, nec adhuc intraverunt ventrem dicti amalgamatis, quoniam non debes intentionis esse, quòd habeas creare unam petiam metalli per dictum sulfur, in quo metallo modica est virtus, sed creare medicinam, in cujus substantia sunt congregatæ plures & multæ virtutes, per quas, & in quibus facies postea talia, quæ ad miraculum sunt reputata, per omnem personam magnam & divitem, nisi sit philosophus, qui suas agnoscat potentias atque virtutes, per quas operatur, & quas tibi dicemus, dum eas teneas secretè. Fili effectus sulfuris quem debet tradere & præstare dicto amalgamati, est, quòd ratione potestatis proprietatis suæ, convertit eum in finissimos pulveres: permitte igitur eum continuare in tuo igne: quia aliter non habes facere, quousque videbis dictum amalgama in pulverem in sua superficie conversum. Et hoc totum fit in quatuor, vel sex horis, vel modicum plus, aut minus, secundum quòd ignis benè & discretè continuatus est, respectu proprietatis materiæ: sed statim, cum videris signum dicti pulveris, amove à furnello ignem, & refrigescere permitte, ut virtus ignis nostri non debilitetur. Fili si modicum hujus sulfuris, projiciatur per talem infusionem, ut tibi suprà diximus, supra multum corporis, tali modo, quòd habeat potentiam super illud, statim illud reducet in pulverem multum subtilem, color cujus erit talis, sicut color corporis, in quo spiritus totus infusus est virtute divina. Ideo fili habeas intellectum bonum multiplicandi dictam, materiam virtute sulfuris primi, antequam facias medicinam.

CAP. XXIII.

De Multiplicatione nostri secundi Sulfuris, & proprietatibus ejus.

FIli non debes potentias omnium tuorum sulfurum ignorare, potentiæ quorum duobus reperiuntur modis, secundum numerum graduum suarum virtutum, scilicet per signa & experientias, quæ rectificant claro lumine rationem sensus. Fili virtutes punctualiter, & gradualiter sunt colligatæ & congregatæ per augmentationem, & confortationem in substantia sulfuris nostri Ergo tibi dicimus, quòd quantò plures habet gradus punctuales, tantò habet majorem potentiam, sua substantia alterandi omnia pondera binalia, & duplicia, quodlibet de decem numeris: & hoc agit propter dictæ virtutis proprietatem, quæ est in ejus forma per quam materia specificata est in substantia sulfuris, & si plus ponas, majorem virtutem accipiet substantia succedens, propter pluralitatem virtutum captarum & collectarum in præcedenti substantia: exemplum ponamus, quòd primum sulfur in se habeat, nisi quinquaginta gradus punctuales in numero virtutum, propter quam rationem vis experimentalis nos docuit, quòd sulfur, quod non habet nisi unum gradum virtutis, reservato pondere simplicis substantiæ alterat duo pondera, integra, quæ possunt partiri, vel dividi in 20. numeros, qui sunt dicti & nominati simplicia pondera. Nos numeramus pondera simplicia 1. 2. 3. 4. 5. & 6. 7. 8. 9. vocamus numeros compositos simplices, & 10. vocamus numerum integrum, quia recipit relationem de uno, & ideo gradualis virtus nostri sulfuris correspondet 10. & sic de aliis. Et ideo intellige, quòd per differentiam ponderum materiarum convertibilium, & per intentionem & remissionem virtutis sulfuris, virtus specificat dictam materiam in diversam formam, sicut declaratum extitit in tractatu graduum magnæ medicinæ. Igitur fili, postquam una virtus integra punctualiter congelat 10. argenti vivi in metallum perfectum per projectionem unius ponderis supra 10. substantialiter, consequenter unum pondus 50. virtutum, congelat 500. argenti vivi proportionaliter in metallum perfectum, quia nullo tempore virtus minoritatem accipit propter diminutionem sui actus, quin operetur secundum proportionem gradus suæ actionis, prout gradus piperis calidi in

quarto gradu, sensibiliter operatur in natura humana ac etiam pars ejus propter virtutem, quæ uniformiter stat in toto, & in tota substantia piperis, & ideo pars gradus similiter est in eodem gradu. Quia tantum, quantum substantia & virtus potest continuare, tanto monstrat effectum proprium suæ operationis, quæ dependet à sua gradualitate. Et nisi pondus unius aut alterius projiciatur supra minus sui ponderis proportionalis, tunc faciet in illo metallo majorem combustionem sive ignitionem, & in tanto ultra, quanto igneitas & virtus suæ potentiæ extrahitur digerendo, & ultrà ardendo & comburendo. Et in quanto erit ultra proportionem ponderis convertibilis, in tanto magis ac melius consequetur effectum alterationis perfectæ, si pondus convertentis non ei augmentetur proportionaliter tantum, sicut convertibile est in substantia augmentatum ultra proportionem recti ponderis. Fili, per hanc intentionem si nos bene intelligis, potes habere verum pondus virtutum nostri lapidis, quousque tibi potentiam ostendat simplicis ignitionis non urentis, & est terminus & mensura, hoc est, quando congelat argentum vivum in metallum perfectum, & eum in speciem specificam auri vel argenti dimittit. Et quando dimittit eam in speciali forma sulfuris, idest, pulveris subtilis, tunc ostendit, quòd magnæ ignitionis est, nec propter hoc eum minus appretiari debes, sed fortius honorare, cum ferri possit ad simplicis ignitionis terminum, per discretionem operatoris sapientis in doctrina, quam superius ars confert in substantia multiplicativa. Ideo multę virtutes collectæ in uno parvo subjecto, se extendunt & ampliantur in multam & magnam materiam terminantem eam, & portantem ad aliquem gradum perfectionis, secundum actionem potentiæ perfectivæ, ac exhibitionem ponderum administratorum. Postea fili ad melius intelligendum partem illorum, quæ diximus per experientiam visibilem accipe lapidis partem unam & ei decem partes argenti vivi, ad minutra amalgamati, vel simplicis, & vide quomodo terminabitur post ipsius transmutationem, si eum in forma specifica dimittet argenti, potes judicare, quam virtutem habet. Et si perfecte argentum vivum non congelat, minoris virtutis est, & hanc requirit, quòd pondus convertibilis debet diminui cum pondere convertentis augmentando: quod si dimittat argentum vivum in forma terræ albæ in una massa, virtus ejus significativa dat tibi agnoscendum, quod fortioris actionis est, quam erat in principio, & ideo majoris valoris: nam quanto plus tenet ultra specificationem formæ metalli perfecti, tantò magis potest contra aliud argentum vivum, propter potentiam virtutis lapidis in ea diffusam. Et si in formam pulveris dimittat, tunc signum ostendit, quod nobilis & fortis virtutis potentia munitus est. Accipe igitur unum pondus illius pulveris, & appropinqua illud decem ponderibus argenti vivi sicut suprà diximus. Et si transmutet in similes pulveres, debet judicari virtutis excellentis. Continua igitur fili hanc operationem, quousque venias ad illum gradum, quòd ultimò mutat non solum argentum vivum in pulverem, aut metallum perfectum, sed solummodo in terram albam in modum massæ frangibilis. Fili hoc est argentum vivum, quod mutatum est in formam perfecti metalli, & habet virtutem simplicis ignitionis ad æqualitatem sui numeri integri, sed quando hæc virtus respectu dicti numeri in compositione medicinæ nostræ non sufficit, cùm proportionabiliter se non extendit, nisi ad terminationem dicti argenti vivi ad formam metalli, & non ad terminationem suorum elementorum, quæ in medicinam debent terminari, nisi hoc per aliud pondus fieret, & per ingenium subtile in decoctione longa. Ideo ponere non debes ad finem, quòd non erres, nisi sis multum efficax in scientia & arte, nec adhuc in forma pulveris, quia ignitionis nimiæ foret, & cremaret ac arderet elementa simplicia. Et quando simplicia dicimus, hoc est ad differentiam substantiæ fermentabilis, quam in elixiri ponimus, nec poterimus tibi ejus temperamentum ostendere: sed illud, quod in formam terræ mutatur totum in massam frangibilem, illud est contemperativum medium simplicis ignitionis artificialis, ad creandum medicinam immediatè, & confertativum omnium suorum elementorum. Contempera igitur sulfur tuum, quousque venerit ad passum terræ, quam massam frangibilem appellamus. Fili, de quantis numeris integris successivè convertet, tot virtutes integras habebit. Quando igitur de virtutibus suis volueris experiri, noli de toto lapide facere experientiam, sed de parte minori, qua poteris, & aliam ad partem pone, quousque videris, & sciveris quot virtutes, & quantas potentias tenebit. Et quando scies virtutum suarum potentias, adde ei, & da cibum secundum proportionem suæ fortitudinis. Et quia ejus virtus est decem ponderum, proportionabiliter ei addere debes & administrare argenti vivi 100. pondera, & si 15. adde 150. & si 100. est supra 1000. Nunc igitur pone in actu reali, postquam scivisti, quantas virtutes integras tenet lapis in minori parte. Quando dicimus minotem, hoc est, propter mediam rationem loquendi, & sic intelligere debes, si multiplicare velis lapidem materialiter, etsi certitudinaliter scias quòd in se teneat vim 50. integrarum virtutum, tu capies totum lapidem, & pone in 450. pondera argenti vivi amalgamati, vel non amalgamati. Quia de quolibet denario subtrahatur pars decima, & hanc subtractionem facimus, ut materia non terminetur in metallum perfectum. Et tunc ipsius ignitio esset hebetata & minorata. Ideo de quanto illud minus ascendit de substantia argenti vivi, de tanto plus est superans in actione virtus diffusa, quæ est in sua substantia. Et hanc magis facimus secundum temperamenti rationem. De isto igitur fili medicinam creabis, sicut dicemus: sed primitus dicimus tibi multiplicationem virtutis dicti sulfuris. Fili, nos vocamus sulfur, totam substantiam suprà-dictam in terram conversam per primam nostri lapidis virtutem. Hanc igitur accipies, Et de illo capies unam partem, secundum proportionem ponderis materialium quæ ponere vis in elixiri. Nam opus est tibi, quòd de ipsa sit quarta pars, & totum residuum sulfuris pone in ampullam cum longo collo, & illam in calore serva. Si velis, quod virtus de pluri multiplicetur de mense in mensem, da ei de argento vivo 50. partem ipsius in ampulla, quam firmiter claude: nam aliud non est tibi opus facere. Sic habebis in re tua, & domo duplices mineras pro regnando in Dei servitio, sed scias tenere secretum. Fili tibi dicere non possemus hujus rei potentiam, quia innumerabiles sunt, si tibi scimus terminum dicere, fines hujus mundi, cùm ejus potentia, aut multiplicatio sit infinita, quia infinita ejus erit duratio. Nos dicimus infinita, non simpliciter, sed ad differentiam vitæ hominis, & durationem hujus mundi.

CAP.

CAP. XXIV.

De Fixatione, vel de Confectione Medicinæ.

FIli, tibi præcipimus, quòd capias duas partes cum dimidia argenti fini, fac inde, ut tibi diximus amalgama in capitulo præcedenti de multiplicatione lapidis. Postea adde ei partem unam dicti sulfuris ultimatè congelati, & postea misce totum simul in vitreo mortario molendo, donec totum fiat unum corpus. Postea elixir tuum humectà cum una parte aquæ suæ, & nutri totum in calore febrili, sicut in creatione nostri lapidis fecisti, hanc continuando decoctionem quousq; aqua super eum sit congelata per viam sublimationis, post paulativè ignem tuum fortifica, quousque ad ultimum per expressionem ignis, omne quod est volatile sublimetur. Scias tunc, quòd corpus efficitur & vertitur in volatile per potestatem volatilis, quod detulit rem fixam. Postea quando vas erit frigidum, accipe illud, quod est sublimatum, & cum una alia parte aquæ suæ iterum supra fæces repone, molendo, & imbibendo, & assando, secundum quòd natura vult, coque & sublima. Et sic amodo continua dictum regimen vigorando ignem, quousque duæ partes aquæ fixæ sint cum terra: & q òd de illa nihil possit sublimari. Fili omnium istarum fixationum regimen fit in tali vase, quale est illud, in quo reductiones fiunt, nec est differentia inter fixionem & reductionem, quantum ad regimen faciendi, nisi quantum ad intencionem fixandi, & non tantummodo indurandi. Et ideo debes ignem tuum multiplicare in fixione, ut humidum fixetur in igne per ignem, & semper reverti debes illud, quod sublimabitur supra rem fixam manentem, quousque totum fixum sit, quia sulfur antè dictum, cum sit fixum & coagulatum per suam proprietatem, & à se congelatum, naturaliter coagulat suum Mercurium, & hoc est per frequentem sublimationem supra rem fixam reiteratam, & hoc facimus, ut dicti sulfuris partes sint in dicto argento vivo benè continuatæ, quod est de suo proprio naturali humido. Fili, si scias benè ab extra disponere naturam, erit tibi & & ipsi sufficiens eundi ad perfectionem totius rei, de qua indiget. Quia ipsa, cùm sit multum sagax per suum instinctum est multum sollicita pro appetitu naturali ad inserationem sui corporis, cujus solicitudinis non habet finem. Et ideo tibi sit declaratus naturæ motus, quod est instrumentum per quod omnia facit. Fili si ab extra scis naturam bene disponere, ipsa sufficienter ab intra operabitur, usque ad ultimũ suæ perfectionis passum. Quoniam sui motus, per quos intrabit & ponet, ac junget siccum cum humido, & continuabit humidum cum siccum, ita fortiter ei adhærendo tali ordine actum magna unitate, quòd melior ac certior homo mundi non posset, aut sciret considerare, quàm magna est perfectio naturæ, ratione & causa motuum adhærentium, quæ sunt propinquiora instrumenta suis operibus. Quare fili tibi sit intellectualiter revelatum, quod ratione complendi omnes motus ante dictos, tarditas præparationi debet esse in nostro magisterio, ut natura transire non possit motus suos per lineam transversam quæ movetur ab impedimento contrario, sicut est nimis citò complere, videlicet antequam naturæ motus per successionem ordinis naturalis sit continuatus intentione rationis perfectivæ. Ideo fili recapitulamus, quòd natura certum habeat tempus ingrossandi, & impræg nandi, & certum habet tempus pariendi, certum nutriendi, & certum operandi. Ergo fili, quando terram impræ-

gnaveris, expecta partum, & quando peperit, nutri eam ut infantem, quousque pati post totum ignitionis ignem. Et tunc de illo facere poteris multùm nobilem projecti nem, propter quod ad impletum, ut suprà dictum est. Et Morienus dicit: Creatio hominis sit tibi speculum.

CAP. XXV.

De Fixione Aeris.

SI vis fili scire finem, qui est nostri magisterii perfectio paternali doctrina traditum, hoc est, quod reverti facias dictam materiam non fusibilem ad perfectam liquefactionem, opus tuum assimilans modo naturæ per reiterationem, ac mollificationem, & quod partes discontinuatæ, sint continuatæ per talem humiditatem, quæ supra omnes humiditates alias habeat morari, ad calorem cujuslibet ignis sine exhalatione aut terminatione ipsius, ut assimileris fili in hoc paulo operi naturæ, inquantum est possibile tibi dicimus, quòd ipsa in radice incerationis non cessat suum incerare corpus cum humiditate fusibilium, scilicet sulfuris, & argenti vivi: quia nullum aliud corpus magis conveniens natura reperit, quàm in sulfure. Sed benè credas, quòd totum procedat ab argento vivo, & ista humiditas non terminativa, neque consumptiva, sed potius perfectiva radicalis multùm subtilis, in qua naturalis calor omnium fusibilium, aut liquabilium, convalescit, quamobrem natura ratione ejus instinctus desiderat multum stare in esse, & in specie per longum tempus in suo esse perpetuali individuali. Ipsa ratione suæ perfectionis ordinavit, & stabilivit in nutrimento caloris naturalis tale humidum, sicut dictum est suprà, & infra illud posita est. Ideo fili naturæ sagaci assimilando debes præparare per exuberationis viam illam, seu similem humiditatem. Nam sicut vides, quòd natura susceptiva in creatione hominis formaverit partes menstruales, non solùm nutrimenti sufficientis ad restaurandum rem deperditam, sed ratione deportandi, ac ponendi ipsum ad majus crementum in tempore suo. Ideo natura dictas partes spongiosas formavit, ut magis de humiditate nutritiva recipiant, & nutrimento, quàm deperditio ipsius ascendat. Et ideo re perdita restaurata remanebit adhuc illis partibus spongiosis magna & notabilis quantitas nutrimẽti, quam quidem capit fœtus à substantia indigesta per umbilicũ, quamvis nobilior sit sine compara ione illa, quę superius ascendit ad mammillas propter necessitatem finis, quòd nutriat infantem post puerperium, quousq; valeat comedere panem. Ideo quia omnis res vitalis re multum temperata indiget: quare natura limitata, omni tempore in suis operibus est hoc facere ingeniata, & sicut in membrorum humanorum formatione prima sufficit quantitas parva seminalis principii: simili modo parva sulfuris quantitas sufficiens est ad creandum medicinam, sicut per dicta nostra precedentia manifestum extitit. Sed ad crescendum, & augmentandum illum, & benè perfectè nutrire opus est tibi, quòd exuberare scias dictam humiditatem nutritivam, assimilando naturę ratione nutrimenti, quia hoc sciendo est magisterium & perfectio totius alti secreti hujus artis & nobilissimæ scientiæ, & facies sicut tibi dicemus post elixiris incerationem. Ergo fili, quando aqua erit cum terra fixata, imbibe eam cum rorida imbibitione cum una parte sui aeris; & pòst pone ad mollificandum

dum in fimo, ubi sit pepanticus & parvus calor. Ideò, quòd cum dictis terra & aqua miscebitur per motum, quem in sua contritione facit natura, pòst pone ad sublimandum paulativè ignem augmentando, quousque illud, quod volatile erit, sit sublimatum, & humidum cum sicco misceatur. Post hoc pone volatile supra fixum cum altera parte aeris per modum roridæ imbibitionis in principio lentum ignem, & postea fortiorem faciendo Et sic reitera, quia nihil aliud opus est tibi facere, quousque per reiterationem continuam sublimationis, & motu continuo tota res fixetur in una parte cum dimidia aeris. Et tunc per diem naturalem fortem continuabis ignem, & per secundum diem naturalem fortiorem, & per tertium fortissimum, sicut est ignis ad fundendum cuprum, & sic aqua & natura mediante, aer fixatur in terra, quia natura terræ alleviatur & sublevatur à natura aquæ & aeris, & natura terræ continet in se aeris naturam, & aquæ similiter & hanc ipsa retinet. Quia vult perfici à natura calida aerea, quæ docet naturas aquæ & terræ debellare contra ignem per sui concordantiã amoris. Nam in amorem converterunt, & fugientem in pigrum, quando aer obviam prosequitur fugientem, & avis non plumata volucrem plumatam retinet, quòd non possit evolare. Fili pone spiritum tuum, ad intelligendum quæ dicimus: noli potare, nisi comedas, nec comedas, nisi bibas. Hoc tibi dicimus ratione imbibitionis uniformis, quam habes facere de humido cum sicco vicibus successivis, ad dictæ creationis instantiam exemplo naturæ ad juvandum calorem naturalem corporis transacti à latitudine temperamenti sive à distemperamento, sicut homo senex, propter sui temperamenti habilitatem, hoc modo non debet uti, videlicet, quòd non bibat nisi comedat, & è converso: nam partes siccæ habent fluere in humido & continuari in illo, & simplificari ad naturalem calorem conformandum. Et ideo in fixione aquam miscemus in terram paulativè, & sic convertitur, & cum illa ligatur & fixatur potentia naturæ. Et deinde fixatur aer super illam, quousque per victum victus vincentem vicerit, quia quando aqua est mortua, tunc aer fixatur, & non antè. Nam aer ignem nutrit, sicut aqua terram, & ignis à limositate aeris vivit, & aer à limositate aquæ, & aqua à limositate terræ. Fixa ergo fili primò aquam in terram, ut aer ea fixari possit, quia natura sic vult potens, & si aquam interfeceris, omnia alia sunt mortua & occisa, aqua tamen sine terra non fixatur, & ideo dicit Philosophus hos versus.

Consurgit nullus unquam sine corpore fructus,
In quo dum moritur semen fructum dare fertur,
Sic cibus in stomacho fomentum suspicit intro.

CAP. XXVI.

De Inceratione quæ dat fusionem elixiri post perfectam fixionem.

QUando fixaveris aquam suprà terram, & aerem supra aquam successivè, sicut tibi diximus, tu accipies de medicina ℥ unam & illam pone in crucibulo terreo supra ignem levem, & statim, ut sentiet calorem projice super medicinam è gutta supra guttam, post guttam de oleo suo albo, scias, quòd oleum omnes ipsius penetrabit partes, & insensibiliter corporis profundius intrabit elixiris, & ponet se ibi, & reddet eum fusibilem ingredientem, & benè intrantem. Tunc recipe de ipso modicum, & tenta ipsius fusibilitatem supra cupri laminam ignitam, si resolvatur ut cera sine fumo incerata est medicina, si non & det fumum, repone ad incerandum supra ipsum de oleo suo eguttando guttam post guttam, quousque faciat signum suprà dictum modo prædicto. Postea infrigidari permitte: quia elixir est completum, & impretiabile pretium, quod omne corpus diminutum & imperfectum convertit in infinitum, lunificum, verum & bonum. Projice igitur de ipso pondus unum supra 1000. argenti vivi vulgaris abluti cum sale & aceto, & convertetur in puram lunam meliorem, quàm de minera in omni probatione approbata. Et similiter supra quodlibet corporum imperfectorum si projiciatur, statim post humiditatem radicalem in argentũ verum transformabitur.

CAP. XXVII.

De Exuberatione Humidi nutrientis, vel nutritivi.

EXuberatio humidi nutritivi, & nutrientis fili non est aliud, nisi appropriare nutrimentale ad temperamentum proportionale qualitatibus nutriti, ut non sit nimis frigidum, aut calidum, aut nimis crudum, aut multum coctum. Quia si nimis frigidum, mortificaret convertentes virtutes. Et si nimis calidum, suffocaret & extingueret digestivam virtutem. Et ideo est opus, quòd omne generativum sulfuris, & argenti vivi habeat potestatem calefaciendi & humectandi, secundum rationem, & posse nutrimenti, vel per se, vel per accidens. Et quæ per se calefaciunt & humectant, sunt duæ res, de quibus una est, quasi principium efficiens scilicet, digestio perfecta talis, qualem facit natura, & illam in una hora facimus per retrogradationẽ multum cocti in crudum sufficiens, & per graduationem successivam multum crudi in coctum sufficiens. Alia est sicut medicinalis cibus, qui est habilis & aptus choleram generare calefaciendo, & desiccando, & per consequens congregandi phlegma, quod humectat refrigerando in infrigidando fixum non retinet. Et ideo dicitur aqua contra naturam. Sic ipsemet est aptus & habilis, nutrimentale ac nutriens humidum generare, quod est sicut lac, quod in sanguinem convertitur: nam tunc secundum exuberantiam humidi exuberati ipsum ratione suæ notæ mutationis calefacit & humectat argentum vivum, quod est sulfuris cibus, & hoc est in tanto, quod est spiritualis sanguinis generativum, quia de substantia sanguinis, qui est humidum exuberatum spiritus generatur in substantia corporis medicinalis. Et de illo nutrimentaliter vigoratur ipsa prædicta substantia. Quare fili recollige in te ipso per suprà dicta, quòd ad multiplicationem sulfuris & argentorum vivorum necessaria est ipsorum perfecta exuberatio, & digestio cum aptitudine majoris & largioris generationis spiritus sanguinei, sed argenta illa viva, quæ de ipsorum natura non sunt apta, nec habilia generare spiritus vivificativos absolutè, sicut sunt omnia genera menstruorum per accidens multiplicantia, & in aliis generantia & procurantia generare: sicut aqua vegetabilis Mercurii, quæ à natura sua habilis est & apta phlegma generare, tamen si concordat & gaudet in calore, & siccitate sua complexione, multiplicat spiritum vivificativum. Et ideo hæc aqua multiplicat sulfur, quando projecta est in ventribus masculorum cholericorum. Et quando in ventribus fœmellarum projecta est cholericarum argentum

tum vivum multiplicatur multum temperatum, & fortiter exuberatum à calore & humido. Item medicinæ, quæ potentiam habent amovendi omne illud, quod prohibet spiritum nostrum, & ipsum procurant generare, sunt ignis & aër lapidis. Fili, speciale fermentum, si fuerit gradualiter sub iliatum & digestum, tunc propinquus est metallo, quàm sit Lapis. Et ideo sic revertitur Lapis in naturam metalli, quando de puro sanguine fuerit totaliter imbibitus, & non antè. Quando igitur talem sanguinem habere velis ad imbibendum nostrum lapidem per roridam imbibitionem, pone supra corporis substantiam, à quo sanguinem extrahere volueris tantum de puro Mercurio, quod superet quinque vel sex digitos in vitreo vase longi & stricti colli, & fac subtus ignem paulativè, usquequo videris sanguinem supra Mercurium elevari. Et omne illud, quod per liquefactionem dissolutum fuerit ad partem pone, & adde alium Mercurium. Et hoc opus continua, quousque sanguinem suum habeas in liquore dissolutum, pòst per alembicum ipsum distilla. Et tunc argentum vivum reperies majoris caloris, quàm erat ante sui exuberationem. Item si ipsum magis exuberare quæris, pone in aliud corpus, & fac ut diximus, quousque traxerit ab eo totum vivificativum humorem: tali modo noster Lapis altè ad cœlum ascendit, & portatur in ventre venti, scilicet argenti vivi: sic tuam exuberationem accidentalem facere potes, & illam multiplicare semper in aliud corpus ad tuum velle, & si sis ingeniosus ac subtilis non projicias terras, quæ sunt nigræ, & siccæ: nam cum illis potes plures facere res instinctu & institutione, multosque lapides creare. Si sis otiosus Fili, quòd nescias quid facere, inter magisterium nostrum, & satis habebis facere, tantum, quòd nullas divitias mundi appretiabis unam botonem: quia scies, quòd omnia pretiosa mundi ad plenas quadrigas ab una re vili exitum habuerunt. Fili, res ista ab exuberata fermentatione, facta est ratione elongationis corporis à suo vero temperamento, & aqua ad suum mentruale & præparationis istius ad metallum. Si ergo iterum pòst distillationem corporis dissoluti, aliud corpus novi metalli dissolvas, illud, quod postea dissolvetur, appropinquabitur majori fermentationi propter virtutem imprægnatam, & exuberatam, & melius proportionatam à natura metalli, puta per humidum radicale. Et sic per extrema & media, opus est tibi facere exuberationem nostrorum argentorum vivorum. Ideo quòd secundum melius valet, quàm primum, & quartum, quàm tertium, sextumque, quàm quintum, salvo quòd quodlibet conservet suam perfectionem, secundum, quod ejus natura exuberata fuerit. Et ista multiplicatio semper fit perpetuò, & hoc est causa & ratione virtutis mineralis magnæ & excellentis, quæ in aqua nostra est, per quam Lapis, qui non est Lapis, delatus est de potentia occulta in actionem manifestam, & à virtute longinqua, & remota in virtutem propinquam per certos operationis gradus, qui fiunt infrà temperamenti latitudinem ac intemperamenti: & sic se appropriat natura ad perfectionem suam. Scias ergo Fili, quòd in qualibet forma sunt gradus, per quos corroborata est virtus per fermentationem & exuberationem: quia res temperata refrænat & arrestat rem intemperatam, & eam multiplicat in virtute. Operatio nostra Fili, non est nisi discurrere per totam temperamenti latitudinem, & intemperamenti. Et ultra illam Artista transire non tenetur. Et si transeat, ultra nostrum erit magisterium.

CAP. XXVIII.

De Compositione Elixiris rubei.

TAli modo penitùs practicam conservando, qua factum est elixir ad album facies elixir ad rubeum, quia non est in practicando differentia, dum omnia elementa rubea sint, & sicut album multiplicaveris sulphur, multiplicabis rubeum loco argenti, aurum finum imponendo. Et quòd aqua Mercurii sit primò cum igne Lapidis rubificata per solam decoctionem, & componatur medicina de tribus fermenti partibus, de tribus aquæ, & tribus aëris, & una parte cum dimidia ignis. Et quando eris ad reductionem aëris, sublimationem reitera, quousque tota simul fixetur, & pòst continua tres ignes, quos diximus ad album ad finem, quòd elixir melius fixetur & depuretur per digestionem de optesis. Fili, hæc optetica digestio dat medicinæ potentiam & actionem, quam debet facere, quia per eam terminatur humiditas & ignis digeritur. Postea tuum elixir trahe, & pone, & incera infra unum crucibulum cum igne leni absque timore fugæ ipsius, & pota cum de oleo suo rubeo guttatim, quousque fundere videas, sicut cera, & sine fumo, & sicut stannum supra ferrum ardens, & tunc erit factum unum, stans, profundans, penetrans, consolidans, tingens & permanens, de quo projice unum pondus supra 1000 Lunæ, vel argenti vivi abluti cum sale & aceto, & transformabitur in verum & perfectum aurum ad omnem probam, & melius, quàm de minera, in omnibus proprietatibus suis. Fili, tibi dicimus, quòd nostrum aurum & argentum nostrum, non sunt aurum & argentum vulgaria, quia ipsorum tincturæ addimus magnum igneum additamentum, & facimus eis tradi, & concedi perseverantiam magnam igne, per eorum propietatem operationum nostrarum nostrarum notarum, atque bonarum mularum utilitatum ad omnem expellendam infirmitatem.

CAP. XXIX.

De Perfectione & Melioratione omnium Medicinarum.

FIli, si post projectionem vides, quòd metallum in aliud metallum conversum & transmutatum per medicinam, vel si medicina tua non erit de satis sufficienti colore, addatur dicto metallo magis de dicta medicina. Et si rubeum habeat nimium colorem (nam album nimis habere non potest) non ponas tantum de medicina, & si posueris, adde plus de metallo ad transmutandum & convertendum, & si medicina tua non remaneat, vel plenè non resistat contra ignem, defectus est fixionis. Unde sua deficit ingresso, & indiget succursu, vel per reiterationem solutionis & congelationis, vel per sublimationem de parte non fixa, supra rem fixam, quousque accipiet resistentiam contra ignis asperitatem: & si videas, quòd fundi non possit, nisi violentia & gravitate ignis, defectus est bonæ incerationis: reintegra igitur, & supple per incerationem olei Lapidis guttatim supra ignem lenem projiciendo in crucibulo, ut suprà, quousque cera fluat. Fili, quando

incerare velis, adhuc magis pones de re calida & humida, quàm de re frigida & sicca. Sed quando operaberis sub intentione fixandi, pone tunc plus de re frigida & sicca, quàm de calida & humida. Intellige, quæ dicimus, quia hujus operis perfectio nihil aliud est, quàm naturarum mutatio.

CAP. XXX.

Quomodo Medicinæ se multiplicant de bono in melius: & de uno in plures.

QUando perfeceris dictas Medicinas, & de ipsis projectionem feceris, duobus modis potes artificialiter multiplicare illarum virtutes. Primus modus est, quòd facias dissolvi eas in aqua Mercurii albi ipsarum, vel rubei, de qua fuerunt procreatæ, quousque sint factæ aqua clara, & postea in decoctione leni facias congelari, & pòst in suis oleis incerari. Et supra ignem sæpè dictum, quousque veraciter fluant supra laminam, quam diximus, & propter hoc ipsarum virtus duplicabitur in tinctura, & omnibus perfectionibus, prout videre poteris in suis projectionibus: nam ipsorum pondus, quod projiciebatur supra 1000. projicietur supra 10000. Et in ista multiplicatione non est pœna magna. Secundus multipiicandi majoris est pœnæ, quia si ea distilles postquam in aquam fuerint dissolutæ sui Mercurii, virtus earum in centesimum multiplicabitur, scilicet, unum pondus valebit 100. Modus autem multiplicationis est, quòd dissolvas quamlibet ipsarum speciem, singulariter in aqua sua per inhumationem, postea per distillationem separabis elementa, recipiendo primò aquam, pòst aerem, ut est dictum, & remanebit in fundo terræ fixæ substantia clara in forma pulveris, revertaris aquam supra ipsam post distillationem, quousque totam potaverit, & quòd illa aqua tota fixa sit cum illa terra, inde adaquare cum oleo suo, & de sua tinctura, quousque sit totum insimul fixum, & totum se fundat supra laminam, &c. Et de ista medicina projice unum pondus supra quæcunque corporum volueris converti, & certitudinaliter tincturam ejus reperies de 100. virtutibus multiplicatam in potentiis tali modo, quòd si unum pondus primò convertebat 1000. convertet in 10000. Quarum si tertia vice præpares, ut dictum est, de tres convertet 100000. & sic procedendo in infinitum. Ideo Fili, notare debes, quòd quantò magis medicina subtiliata est, scilicet, dissoluta, sublimata & congelata, tantò magis & abundantius operatur, quia in qualibet dissolutione lucratur, & acquirit decem pondera in qualibet projectione, propter virtutem multiplicatam in ea. Ideo Fili, non tædeat te reiterare solutiones, sublimationes, & coagulationes: nam per tales operationes medicina digeritur, unitur, & ejus virtus multiplicatur, & perfectius operatur & fixatur. Quare Fili, si benè dissolveris, & congelare, prout diximus, scias, & quod species, de quibus debes operari, cognoscas, ad perfectionem nostri magisterii pervenies, alto & brevi secreto, quod nullus revelare potest reservato, sicut tibi diximus. Sed si fis bonus indagator, & filius doctrinæ subtilis per ea, quæ diximus, & dicemus in libro nostro præsentis testamenti, & codicilli ac aliis, reperies ad plenum, & scies secretum. Et quando scies, sub anathematis pœna prohibemus, ne alicui discooperias: nam à Deo maledictus est, qui discooperuit. Et ideo Philosophi sic celaverunt, & Deo dante celabunt futuris temporibus.

CAP. XXXI.

De Multiplicatione Medicinæ in quantitate.

FIli accipies ℥j. dictæ medicinæ multiplicatæ in virtutibus, in quam projicies ℥100. Mercurii, & statim quando dictus Mercurius in crucibulo calefieri incipiet, in finam medicinam congelabitur, & projectionem faciendam supra Mercurium alium. Pòst accipe unciam unam dictæ secundæ medicinæ, & fac projectionem supra alias ℥ 10 . Mercurii calidi. Convertetur iterum ad novam medicinam veram & puram. Postea multiplicare habes in quantitate primam medicinam in toto, vel in parte, quia de una uncia habuimus 200. uncias, non tamen paris virtutis, sicut prima, quæ tibi fecit, quod dictum est, nec erit, nisi per dissolutionem & congelationem multiplices: nam ut diximus, poterit multiplicari de una virtute in infinitas virtutes, & postea in quantitate. Projice igitur de medicina ultima congelata pondus unum supra 100. Mercurii abluti cum sale & aceto, & calefac supra ignem: Et quando videbis fumare, congelabitur in purum Solem, vel in Lunam perfectam, ad exhibendum omni proba, ac judicio, secundum quod elixir album vel rubeum, de quo Fili veritatem tibi dedimus sermone completo, ad quod potes absque dubio pervenire, si doctrinæ nostræ sint super hac re laboratæ cum intellectu bono. Habe igitur solicitudinem per modum dictorum regiminum in exercitio Practicæ, & rationabilibus considerationibus intellectus elevati, & veritatem illorum videbis corporaliter & omnia, quæ tibi diximus inter manus tuas realiter, & de facto reperies, quæ quidem res per se ipsam non sit fortè, ac si diceres, quòd totum per miraculum fieret, sed per artem & scientiam fit, & completur per operationem continuam, & manum operi naturæ ministrando. Iste est Lapis supremus Fili, ab omnibus antiquis Philosophis secretatus & occultatus ignorantibus & indignis, tibique revelatus, qui convertit omne corpus diminutum, & imperfectum in infinitum solificum vel lunificum secundum quod elixir erit subtiliatum & præparatum. Pari ac simili modo tibi dicimus, quòd virtutem habet efficacem supra omnem numerum aliarum medicinarum, sanandi realiter omnem infirmitatem, quæ fit, & esse posset in humano corpore frigidis aut calidis naturæ causatam. Et quia est subtilissimæ ac nobilissimæ naturæ, sanitatem humanam conservat corporis. Et illam in tanto multiplicat, quòd virum senem facit ad potentiam & virtutem juvenum pervenire, & omnem infirmitatem præsentem & futuram expellit à corpore per organicos conductus, & omne venenum callat & destruit, humectat & dulcescit arthreticas & guttas acutas ab omnibus membris, & illud, quod est & fuit in pulmone congelatum dissolvit, ventrémque vulneratum, & læsum consolidat, confortat ac sanat, mundificátque sanguinem, & purgat omnes spiritus, & eos in sanitate conservat. Et si infirmitas est unius mensis, hæc medicina curat in uno die, si unius anni, sanabit purè in duodecim diebus, si longinqua sit infirmitas, in uno mense purissimè curabitur. Et ideo non mireris, si hæc medicina supra omnes medicinas fuerit petita, & desiderata ab

homine,

homine, cùm omnes aliæ universaliter ad eam reductæ sint. Si ergo Fili, habeas ipsam, habebis thesaurum perpetuum. Et adhuc dicta medicina aliud habet posse: nam rectificat omne aliud animal, & vivificat omnes plantas in tempore veris per suum magnum & mirabilem calorem: nam si de ipsa grani milii quantitatem in aqua dissolvas, & de illa aqua pones in circuitu stipitis unius vitis, quantum caperet testa avellanæ artificialiter, nascentur flores & folia, & fructificabit & portabit racemos maturos in mense Maii. Et sic de omni alia planta, quæ res quando facta est, ad miraculum reputabitur, & contra naturæ cursum, quia tales hujus rei potentiam ignorant, & credunt, quòd talia per incantationem fiant. Fili, hæc res non est nisi calor naturalis infixus in sua humiditate radicali. Et ideo natura per suum instinctum appetit multum esse in profundiori totius elementatæ rei, & in eo cooperatur & multiplicat naturalem calorem corporis, & in centro cujus intravit, quia omni corpori est communis, & habet posse rectificandi partes omnes, quæ portant virtutem, & illas fixandi in illis, per modum quem diximus in Tractatu Lapidarii, & facit vitreum malleabile, & plura alia mirabilia magna & ponderosa facit in tribus naturis, scilicet, minerali, vegetabili & animali. Et istam medicinam non est oblitus Galenus in suo libro tertio regni in canone illo, qui incipit: Utilitas verò utrorumque. Sed cum talibus verbis occultis, quòd hodie non reperiuntur in mundo, nisi certæ personæ, quæ firma conscientia credere possint, quod de suprà dicta medicina aliqui Philosophorum loquuti sunt.

CAP. XXXII.

De Recapitulatione Magisterii, in forma divisionis.

FIli, hoc Magisterium in tres gradus est divisum. Primus est divisus in tres dissolutiones principales, per primum gradum debes Lapidem depurare, & fixum volatile facere. Secundus est divisus in duas reductiones principales. Et per istum gradum medium Lapis præparatus fixatur, quousque quiescere possit, & expectare in ignis pressura. Tertius gradus est per prædictos duos formatus. Et ideo in duas partes divisus est. Prima est solutio & congelatio. Secunda est fixatio, & per istum tertium gradum est Lapis completus, & ipsius multiplicatio fit per operationes primi gradus, id est, per primam solutionem & coagulationem.

FINIS *Secundæ Partis* Testamenti, *quæ est de* PRAXI.



SIGNI-



SIGNIFICATIONES LITERARUM HUJUS TESTAMENTI.

A. Significat Deum.
B. Significat Mercurium.
C. Significat Salis petram.
D. Significat Vitriolum.
E. Significat Menstruales.
F. Significat Lunam claram.
G. Significat Mercurium nostrum.
H. Significat Solem purum.
I. Significat Compositum Lunæ.
K. Significat Compositum Solis.
L. Significat Terram Compositi Lunæ.
M. Significat Aquam Compositi Lunæ.
N. Significat Aërem Compositi Lunæ.
O. Significat Terram Compositi Solis.
P. Significat Aquam Compositi Solis.
Q. Significat Compositi Solis.
R. Significat Ignem compositum Solis.
S. Significat Lapidem album.
T. Significat Medicinam Corporis rubei.
V. Significat Calorem Furni fureti.
X. Significat Ignem siccum cineris.
Y. Significat Balnei cineris.
Z. Significat Separationem liquorum.
ℨ. Significat Alembicum cum cucurbita.

Joannis Gerhardi ANALYSIS PARTIS PRACTICÆ Raymundi Lullii *in Testamento*

REGULA GENERALIS.

IN Practica Parte, non est, ut quisque putet, à præparatione primæ Partis, vel Operationis fieri initium: quin Practica illa (exceptis paucissimis, & hinc inde, sed variis, insperſis) ea tantùm explicant, quæ manibus Artificis haudquaquam perficiuntur, sed ab ipsâ Naturâ fiunt, ab Artifice eo tempore, quasi ipsius manibus peragenda essent, requiri videntur. Quæ de re vide Lullium Practic. Testam. cap. 23. & cap. 24. §. Fili si scias benè ab extra &c. & cap. 31. §. Habe igitur solicitudinem, &c. Progressus autem Practicus, Secundi Operis à Lullio ita describitur.

Quandoquidem materia debitè præparata & vasi, calorique suo inclusa, ab initio liquefit ad formam aquæ communis, aut cujusvis destillatæ, ideò Lullius menstruam eam appellat: cujus compositionem ponit, sed non sine fallacia: cum aqua illa solo calore, ex toto sicco & coagulato antea Mercurio artis fiat, per liquefactionis modum. De hoc Menstruo, & Aqua hac sicca limpidissima, Lullius agit, Capitibus novem primis Practicæ. Ab initio enim sola apparet pura aqua, in quâ tamen latent argentum vivum, seu Mercurius Philosophorum, Sol & Luna, isthac menstruali aqua dissolvenda.

In-

In isthoc Aqua fingit primò Lunam dissolvi, eò, quod Luna soluta, cum ipso hoc menstruali, unius & ejusdem coloris sit: Ob album igitur colorem, Lunæ liquefactio appellatur, cap. 10. Ubi simul innuit, hæc manibus non perfici, sed esse secundi Operis naturalem laborem, dum inquit; Hoc modo (per liquefactionem sc.) facies absque tangendo materiam, pedibus aut manibus &c. Atque hoc loco suppeditatur Lectori, filum Ariadnes, ut ita dicam, cujus ope etiam reliqua minus erunt difficilia.

Capite sequente, 11. nihil aliud dictum vult; quam in liquefacto Menstruo latitare Mercurium illum seu arg. vivum. quo Luna & Sol, ad generationem, resolvi possint. Vide Testam. Theoric. cap. 42. Nisi enim menstruo huic Lunam & Solem Philosophorum resolvendi vis inesset, tum frustra totum opus insumeretur. Vocatur autem vis illa, cum proprio suo, cui inest, subjecto Mercurius, sed singularis, qui propriè loquendo, neque Sol, neque Luna est, aptus autem ad utrumque resolvendum; ita tamen ut prius Luna, post ex utroque Sol resolvi dicatur. Facta autem liquefactione eâ, qua mera, pura & alba apparet Aqua. primò Menstruum, & in Menstruo, G. & F. soluta dicuntur. Succedunt ergò sibi suo ordine, E.G. & F. solutum: non autem amplius in forma aquæ tenuissimæ, sed olei tenuissimi, sicuti cap. 12. apparet. Hanc materiam, eò deductam, per mensem & dimidium, in calore temperato, ad Putrefactionem poni mandat.

Liquefactâ materiâ. Vasi inclusâ, & simul in eâdem, & cum eâdem, liquefacto, τῷ G. & F. in Uno Colore: succedit Color croceus: cujus successionem, & inter albedinem & nigredinem, colores, interpositionem crocei coloris, omnes propè reticent Chemici Scriptores, obiter aut, de colore illo cogitandi materiam subministrant. Lullius quidem Test. Theoric. cap. 28. Viriditatis nigredinem antecedentis commeminit, at Citrinitatem reticet: cum tamen albi in viride transitus, nisi mediante croceitate, secundum Opticorum statuta, fieri, naturali progressu, nunquam possit. Videmus etenim, in quorundam seminum Vegetabilium succretione, primò propullulare radiculam aliquam albam: quæ ex terrâ progrediens, antequam virescat, lutei coloris tingitur aspergine, qui postmodum in viriditatem leviusculam, tandem autem crassiusculam desinit. Horum vegetabilium naturam, naturaque ordinem, imitatur & dicta Philosophorum materia, quæ antequam nigrescat, virescit prius: antequam autem virescat, citrinescit, ex præmissa albedine candidissima. Hunc progressum obiter, in Practicâ præsenti, tangit Lullius, & postquam jussit jam, materias illas albas, liquefaciendo Unitas, in putrefactionem mitti, tum demum (quoniam jam non licet ullam amplius ab extrà, adjungi, occluso scil. vase, materiam, de conjunctione rubei verba facit, per capita 13. 14. 15. Ubi tamen novæ materiæ nulla fit appositio, sed ex apparitione crocei coloris, ante viridem, Solem, per E. F. & G. solutum, seu liquefactum philosophicè, Lullius innuit.

Et quia, factâ hâc conjunctione, pro Putrefactione, tantum unicum mensem completum, cap. 14. (ubi anteà, cap. 12. mensem requirebat unum cum dimidio) exposcit: apparet inde, hujus crocei seu aurei coloris, initium, circa diem, coctionis decimam quintum, aut fortasse citius, oriri, ubi addito uno mense, tempus mensis unius cum dimidio completur. Hujus crocei coloris ante viriditatem & nigredinem conspicui, pauci inter Philosophos meminerunt. Lullius, ut dictum, sed rectè admodum, mentionem illius facit. Trevisanus obiter tangit, dicens; Regem, fontem suum ingrediendo (postquam sc. jam fons clausus est) aureo indutum vestimento primitus, cujus colorem, ante dies 130. in posterum non posse conspici amplius idem asserit. Supersunt alii, sed pauciores Philosophi, qui citrinitatem bis conspici in opere asseruerunt, extra ea, quod in caudâ pavonis plures colores, in horas vari apparent. Extra hos, unus prope Laurentius Ventura cap. 8. ex aliorum Philosophorum mente, hæc adfert verba; Illa res, de quâ Lapis Philosophorum fit, primo in opere citrinatur & nigrescit, postea albescit, in quâ albedine est occulta rubedo &c. Quæ omnia Lullius, dictis capitibus (sub nube tamen aliqua) admonere voluit: reliqua omnia putrefactioni (sine tamen manuum extranea adaptatione) committens.

Exactâ, autem illâ, mensis Unius cum dimidio Putrefactione; deinde ad Elementorum progreditur separationem, quam cap. 16. persequitur. Non autem illam fieri vel realiter vel localiter vult, sed describit sub separationis specie, varias materiæ alterationes & phases, quibus Elementorum proprietates assignantur. Et in isthoc Capite docet, in Putrefactione aquam minui, quin & prorsus tandem in seipsa consumi, ita ut abstracta aut extracta a subjecto videatur: dum materia in nigredine paulatim ingrossari, & exsiccari, inque pulverem atrum minutissimum & subtilissimum redigitur: denique, parte Theor. Testam. c. 1. Dissolutio continuationis. Omnia igitur Elementa, factâ separatione, quoad Visum, abesse videntur cum tamen revera, nulla facta sit realis separatio, sed Elementa omnia adhuc simul sint unita. Interim de Gradu Ignis, quo separatio hæc imaginaria fieri debeat, per Denominationem Balnei, necessaria sit admonitio, pro Institutione Artificis, in Ignis moderamine, inserviens.

Capite sequenti Decimo septimo, docetur quomodo Elementa paulatim purgata, in Unum coeant, & ex pulvere, liquida massa fieri ite um incipiat, donec tandem omnia in Mercurialem novam substantiam & formam redigantur, quæ alia est materiæ phasis, in qua Colorum Varietas, ubi nitellæ albedinis apparent, & quodvis Elementorum, secundum suam naturam, colores aliquos foras emittit, donec tandem inimica Elementa ad amicitiam tendant mutuam. Hoc Tempore Ignis cautam moderationem Lullius adhuc commendat. Variè differit de Alterationibus quibusdam, quæ tamen non fiunt Arte, sed Naturâ, & tandem ad condensationem Elementorum finalem tendunt; quâ, materia discontinuata, multò arctiùs quam antea, in Unam Massam Mercurialem, & Unum Elementum rotundum, reducitur.

Capite 18. & 19. Ablutio Elementorum separatorum docetur. In hac phasi paulatim cessat Colorum varietas, & albedo superare incipit, usque dum tandem appareat massa adhuc fluida & nec dum fixa, quæ propriissimè PHILOSOPHORUM dicitur MERCURIUS, in se omnia elementa depurata & unita continens.

Cap. 20. Agit de Exsiccatione Mercurii dicti, in qua Varietas adhuc aliqua colorum sibi succedentium reperitur, donec tandem massa illa, in pulverem subtilem, album & splendidissimum, in colore Margaritarum translucentium, diruatur, plenum Tinctura.

Cap. verò 21. docet, quomodo Solâ Ignis continuatione, & paulativâ intensione, dicta alba Tinctura, in rubeum convertatur pulverem. Et isthoc in capite denuò docet, non manibus, sed solo continuato regimine, omnia illa perfici, dicens; Cum totum album erit, tunc ignem Carbonum fortifica; nam aliud facere non est opus, quousque videas rubeum, sicut scharlatum &c.

Cap. 22. docet: Omnem Medicinam in forma pulveris consistere debere: Illam autem pulveris formam, per sulfuris vim caloroficam internam, materiæ induci: Præterea docet; unicam & solam requiri

materiam,

materiam dicens ; Si ad ultimam præparationem intendis ducere philoſophicè , quale corpus imponas , non curandum eſt , niſi ſolummodo arg. viv. quod eſt Medium & Mediator omnium.

Cap. 23. Ejuſdem propè tenoris , cum præcedenti capite , niſi quod virtutis Multiplicationem ſeu augmentum , dum materia diruitur , fieri innuit intrinſecè.

Cap. 24. De Fixatione loquitur : & tamen quomodo illa ipſa Operatio , non manibus , ſed naturæ viribus fiat §. Fili ſi ſcias &c. explicatur.

Cap. 25. Modum fixationis ejus Elementalis perſequitur ; Sunt Λόγοι.

Cap. 26. De Inceratione loquitur , & Signum proponit perfectæ Fixionis & Incerationis , cum vel nihil amplius aſcendit , aut fumat ; tum perfecta eſt tinctura.

Cap. 27. Recenſentur Operationes Internæ , inter quas & Fermentatio , rotatus , & exuberationes materiæ.

Cap. 28. De tranſitu ad rubeum Lapidem ex albo, mediante ſulphure & digeſtione.

Cap. 29. De Projectionis proportione ad metalla tingenda, & de Ingreſſu, agit.

Cap. 30. Docet multiplicationem Lapidis compoſiti.

Cap. 31. De Multiplicatione in quantitate, & Effectibus Tincturæ factæ.

Cap. 32. Epilogus generalis.

FINIS.

Incipit Compendium Animæ *Tranſmutationis Artis Metallorum* , Ruperto *Anglorum Regi per* Raymundum *tranſmiſſum.*

JAm ſæpè & ſæpius eloquuti, recolimus in multis & diverſimodis viis practicandi ſuper magiſterium pretioſi Lapidis Philoſophorum. Nunc verò ut veritatem lumine perpendas , ſcias, quòd tria principaliter ſint notanda. Primò ſcias materiam unde Lapis Philoſophorum & omnes alii Lapides pretioſi componuntur. Secundò ſcias inſtrumenta cum quibus operari quis debeat. Tertiò ſcias , quomodo dicta materia cum inſtrumento operari & practicari habeat. Circa iſta tria noveris, quòd noſtrum magiſterium verſatur.

Quæ eſt Materia noſtri Lapidis.

PRimò ergo Rex Illuſtriſſime , ſcias , quòd materia noſtri Lapidis, ſeu omnium Lapidum Philoſophorum atque virtuoſorum, qui per artificium generantur vel componuntur , eſt anima metallica & menſtruum noſtrum rectificatum & acuatum, ſeu lunaria cœlica quæ apud Philoſophos vocatur Mercurius vegetabilis ortus à vino rubeo vel albo, ut clarè patet, & clarè demonſtratum extitit, divinitus revelatum in figura individuorum tertii libri quintæ eſſentiæ conditi Abbati Sancti Benedicti apud Pariſios. Et etiam in noſtro Codicillo tibi miſſo per Regem Eduardum. Inſtrumenta ſunt duæ cucurbitæ vitreæ ſeptem vel octo habentes receptacula, ut demonſtratur in noſtro Teſtamento tibi cum codicillo miſſo , in capite quod incipit. Fili , tu non , &c. Modus verò practicæ in ſequentibus ad plenum tractatur. Liber præſens dividitur in duas partes principales. Prima quidem pars de Theorica hujus artis , & manet indivita , & incipit ibi, ut immediatè ſequitur : Sed tamen oportet Princeps Sereniſſime , &c. Secunda verò Pars eſt de Practica , & dividitur in duas Partes principales. Prima eſt de compoſitione Lapidis Philoſophorum , & ibi incipit , Tu in virtute A. & C. Secunda verò Pars hujus ſecundæ Partis eſt de Compoſitione Lapidum pretioſorum , & incipit Opus namque Margaritarum ſic condies, *&c.*

Prima Pars.

SEd tamen oportet Princeps Sereniſſime prius noſtrum menſtruum per Magiſterium à matre, id eſt , ſordibus vini & flegmate extrahere per officium alembici , & acuatur in diſtillatione cum vegetabilibus pertinentibus quæ ſunt , Apium Sylveſtre, Squilla, Solatrum, Cardnus, Muſcatelli , Oliandrum , Piper nigrum , Euforbium , Vicitella ſeu Hamula , & Pyretrum omnium, ana & pulveriſata. Ex altera Parte ipſum menſtruum in vaſe circulationis roretur continuè ſpatio decem dierum in fimo calido , vinatico , aut balneo Mariæ. Item oportet Fili chariſſime primam materiam elementorum & ſulphur naturæ habere. Et quia argentum vivum eſt exiſtens genus metallorum , quod per artificium trahimus, & per artem magiſterii à metallis per elementorum diviſionem , & purificationem , & fixationem illorum, cum agentibus illud per rarefactionem & circulationem ex una parte : ex altera verò parte per rectificationem elementorum metallorum : hoc quippe genus, de quo intelligimus philoſophari in noſtro codicillo in capitulo quod incipit ; Per iſtam diviſionem elucidatur ſecunda ratio , &c. Et hoc quippe eſt, quod circa hujus capituli primum Mercurium per limos intelligimus , &c. Fili recipe de aëre & de terra æquale pondus pauco minus vel plus & hoc etiam eſt de natura , de qua intelligimus fieri , & dicimus quòd unctuoſum humidum eſt materia noſtri Lapidis propinquior ſeu proprior , in Capitulo 36. quod incipit , Nos tibi diximus quòd quanto humiditas radicalis , &c. per quam humiditatem vulgus intelligit ſulphur fore vulgi. Recordare ô Rex , quod diximus in noſtro codicillo , quod incipit , Fili intendo tibi dicere materiam fermentorum , quoniam quando dicimus quòd per unam decoctionem , intelligimus aliam menſtrui rectificationem. Habet ſimplicem poteſtatem intelligimus rectificationem primam menſtrui. Et quando dicimus ipſum gradualiter transferendo per aliam coctionem intelligimus aliam menſtrui rectificationem uſque ad tertiam vel quartam. Item etiam intelligas in Capitulo alias decoctiones Lapidis, ut patebit in ſequenti Practica. Poſtea Fili iſtam aquam quater rectificatam dicimus argentum vivum vegetabile vel aquam Mercurii. Et ita quicquid per illud capitulum dicimus , de illo intelligimus. Hæc etiam eſt materia , de qua intelligimus in eo codicillo in capitulo quod incipit , De iſta materia : & hæc eſt iſta humiditas, dicta aqua , permanens , quam intelligimus in noſtro codicillo in capitulo quod incipit. Noſtra humiditas eſt aqua per totum. Hoc autem Rex clarius patet in libro ſecundo quintæ eſſentiæ , quam te latere non credo. Reſpicias ergo ô Rex naturam menſtrui noſtri quantum eſt virtuoſa , & quæ dicta ſunt de illo , intellige capitulis præallegatis.

prælegatis. In tantum enim per ipsum nobilitatur magisterium Lapidis, quòd nullatenus potest exprimi illius abundantia : præsens ratio patet per illos qui metalla corrumpunt cum aquis extra naturam, quia nostrum menstruum ignorant, quia sic fit, quòd ejus dissolutio aliquantulum naturæ repugnat, tamen si metallum dissolutum cum nostro menstruo confortarent cum inhumationibus duodecim aut sedecim dierum, & abluerint illud à nigretudine, aquam contra naturam confortarent. Sed nesciunt illam confortare cum re naturali. Ideò eorum practica privatur effectu finaliter, & defectum arti imponunt qui illorum est. Et quæ diximus de cognitione menstrui quæ est una de rebus, sine qua nihil fieri potest in magisterio hujus artis : Hæc tibi de illo sufficiant.

De Spermate Metallorum, quod est Materia nostri Lapidis.

JAm noveris, Princeps Serenissime, quòd metallorum spiritus est altera pars & materia nostri Lapidis, quam oportet te à corporibus omnium metallorum evacuare. Et ista evacuatio fit dupliciter, ut inferius practica monstrabit, quia in duobus corporibus perfectis dividitur per putrefactionem & elementorum divisionem & eorum fixationem. Sed in metallis imperfectis dividitur per purificationem & sublimationem simplicis unitatis, & in isto passu errant ignorantes, arbitrantes corpora metallorum cum fortibus aquis communibus, ut suprà dixi, cum aquis contra naturam reduci ipsa in materiam primam sui. Et si libros nostros legissent, scirent utique tales liquores intentioni Philosophorum repugnare. Et hoc quod diximus, clarè demonstratum est in codicillo nostro quod incipit : Ideo dissolvitur aurum & argentum in rebus radicalibus sui generis. Hæc est enim aqua, cum qua curantur infirmitates incurabiles, sub conservatione suæ naturæ, ut patet in codicillo quod incipit : Fili sublimatio, &c. Et etiam in capitulo quod incipit N. D. E. &c. Etiam Princeps Serenissime, clarè constat ipsos fortes liquores non esse de intentione Philosophorum, ut patet clarè & absque metaphora in dicto codicillo, in capitulo quod incipit. Per istam distinctionem. Elucidatur secunda ratio in capite quod incipit, Sicut matrix ingeniat per operationem aquaria forma circa finem capituli, nulla enim res est, quæ conjungit metallorum dissolutiones, nisi nostrum menstruum, quia ipsum est aqua, cum qua fit corporum metallorum dissolutio cum earum specierum conservatione, ut patet in nostro testamento codicilli, in capitulo quod incipit, Sed operari cum aquis fortibus est corruptio ; & in capitulo, quia ista habet potentiam cremandi omnia extranea. Etiam de isto menstruo intelligimus in capitulo, quod incipit : Circa illud menstruum, in quo est ignis siccus contra naturam. Et similiter ista aqua menstrualis est, cum qua dissolvitur argentum vivum ad opus margaritarum, quod fit per reductionem istarum in primam materiam, ut inferius in materia pretiosorum Lapidum demonstratur. Quare, Princeps Serenissime, aliter non possunt metalla dissolvi, nisi animarentur cum menstruo vegetabili, cujus quidem potentia fit resolutio in rebus dissolubilibus.

De Instrumento Lapidum.

DIximus, Serenissime Princeps, rem, de qua Lapis Philosophorum componitur. Nunc verò dicemus instrumenta, cum quibus componitur Lapis. Sunt enim vasa, ut clibanus, fimus aut vindemia, cum artificis diligentia. Sed antequam venias ad aliquod, scire debes, quòd magisterium in tres partes principales dividitur, scilicet dissolutionem, separationem & unionem. Per hoc demonstratur tibi, quòd prius habes corpora dissolvere in nostro menstruo, quòd debes menstrua dividere à luminaribus, & illa purificare à fixare, & à corporibus imperfectis sulphur naturæ extrahere. Tertio debes unire elementa cum elementis, vel limum cum limo, aut elementa cum sulphure naturæ. Et ista unio dividitur in tot partes, quot sunt mixtiones dictorum & uniones. Primus modus est unire aërem cum igne. Secundus modus est unire aërem cum sulphure naturæ, & isti modi sunt in elementis duorum luminarium corporum. Tertius modus est unire limum exortum ex aëre in igne cum limo exorto ex aëre sulphure naturæ tantum per se. Quartus modus est quòd uniatur ignis per se, & aër per se cum sulphure naturæ tantum. Quintus modus est miscere sulphur naturæ cum elementis duobus semel, scilicet cum igne & aëre. Et isti modi mixtionis elementorum cum sulphure naturæ accidunt dupliciter quia aut fiunt cum terra sua aut aliena, cum terra verò aliena fit multo multipliciter, quanti sunt modi mixtionis sulphuris naturæ, cùm ad beneplacitum artistæ veniunt. Nam, Princeps Serenissime, plura opera particularia practicare poteris intellectu veraciter objectante, quæ intellectus humanus graviter enarrare poterit, exceptis illis, quæ expressa sunt in tertia parte hujus libri, & in magica, & in testamento nostro, & in codicillo, & vade mecum de numero Philosophorum & in tertio libro quintæ essentiæ, aliisque libris meis. Quis ergo, Princeps Serenissime, narrare poterit particularia, quæ sunt in latitudine magisterii post fixionem & purificationem elementorum ? Scias ergo purificare elementa & illa dividere priùs à metallis, quia in hoc totum latet magisterium. Divisis itaque elementis & sulphure naturæ à metallis, aliud quasi nihil est respectui ad operandum. Nam totus labor & fatigatio est in hoc, scilicet elementorum & sulphuris divisione. Hic quippe est passus, ubi Artistæ dimittunt magisterium, ex eo, quòd illorum divisio est multum tædiosa, & quia imperiti in prima distillatione arbitrantur se & secundi gradus totum aërem posse distillare, & ex prima distillatione tertij gradus totum ignem à terra similiter distillare. Hoc autem est impossibile & contra cursum naturæ. Quippe, Princeps Serenissime, verum in præsenti proponimus tibi verbum revelare, nam aër à metallis dividi non potest, nisi in 20. vel 24. distillatione vel 30. Nam quot sunt distillationes, tot sunt putrefactiones & reiterationes aquæ & aëris, simul scilicet aquæ menstrualis & in qualibet putrefactione octo indiget diebus aut sex continuis, ita quòd quasi per annum durat divisio elementorum, sed nos complevimus elementorum divisionem in 7. mensibus, & ignis à terra dividi non potest, nisi in 40. distillatione. Quis est enim, qui per annum tantum laborem vel per septem menses possit sufferre ? quasi sunt pauci : & ideo ignorantes principia

naturalia arbitrantur cum metallis abſque elementorum diviſione veram practicam facere, qui in hoc ſunt decepti. Poſtea ſunt aliqui, qui cum repentè ad illorum libitum non dividunt eorum elementa & ſulphur naturæ, nolunt attendere naturas minerarum, faciunt eorum mixtionem confuſam ſine purificatione aliqua, aut ſublimatione & ſubtiliatione, & non perveniunt ad finem quæſitum, ſuæ ruditati nullam imponentes cauſam, ſed culpam arti imponunt, quam ignorant & aſſerunt, artem eſſe falſam, de quorum numero te Regem unum eſſe credimus. Non ergo fatigeris, nec ab opere ceſſes, & invenies quòd optas: ſcias enim, ô Rex, combinare principia naturalia, & fiet quod quæris.

De Principiis non-naturalibus, quomodo intelliguntur.

SEd cùm hæc principia non ſunt naturaliter in una re individuali producta, ut plures errando putant dicentes, quòd una res in orbe erat, quæ virtutem habeat ad tranſmutandum omnia metalla ſuper terram, quod falſum eſt. Item eſt ut quæras extrema illius per principia naturalia per medium artis tranſcurrentis in ſuam mineram, quæ eſt D. E. F. Sed cùm iſta ſunt contraria ratione ſuæ extremitatis ſuæ naturæ, debet accipi E. quæ eſt media diſpoſitio extremitatis naturæ illius, quæ collecta eſt de L. Et ſic D. convertit X. L. M. C. L. in E. à quo quippe D. trahe E. in ſimilitudinem aquæ vivæ in noſtro magiſterio: & ſic D. habet potentiam convertendi F. in conſervatione ſuæ naturæ & formarum ſuarum. Tunc accipies omne illud actualiter quod erat in potentia in opere naturæ, & meliorum mediorum illius ratione extremorum, quia in D. & F. ſunt actualiter F. N. O. P. R. decocta purgata, & digeſta per ignem naturæ: quare Fili conveniunt E. N. O. P. cum F. & dum F. converſum fuerit in E. N. O. P. tunc habebis F. ſimile naturæ: & hoc ſit melius C. quàm cum D. propter magnam experientiam, & fiat in F. de quo oriatur E. N. O. P. quæ aliter verò non convertuntur in G. in noſtro opere. Et ſic G. eſt proxima & prima materia, de qua creavimus omnes Lapides Philoſophorum, & per aliquos elixir Aqueum vocatur: & ideo, Princeps Sereniſſime, dicimus quòd omnes Lapides non creantur, niſi ex una ſola re, de G. ſcilicet argento vivo vegetabili & minerali. Ideo, Fili, tu ibis ad digeſtionem de H. & trahe C. de communi potu principum ad actum, & in illo pones F. & ſemper convertetur in L. & ſic calcinabitur F. ſub conſervatione ſuæ naturæ: poſtea trahes C. L. de digeſtione H. & pones in digeſtionem I. tunc erit L. tale ſicut competit & convenit. Poſteà de L. C. trahes E. N. O. P. hoc in metallis perfectis per magiſterium operationis per K. & exuberationis. Et cùm habueris E. N. O. P. per H. I. K. donec E. ſit album criſtallinum, quod eſt magis propinquum naturæ de F. ad generandum Lapidem Philoſophorum, quàm erat L. Sunt ergo G. E. N. O. P. magis propinqua F. quàm L. quia ſunt quaſi fines magiſterii, ſed magis propinquum eſt G. quàm E. N. O. P. & ideo eſt vis, quòd in opere majori E. N. O. P. vertantur in G. quod eſt perfectio magiſterii: totum enim, quod diximus, non eſt niſi ſolvere, putrefacere, elementa ſeparare, purificare atque fixare, limóſque concordare ſeu condenſare, atque noſtrum menſtruum rectificare. Víde Fili ſi capis F. & pones in C. & illud ponis in H. prima figura formatur F. C. H. in cujus medio ponis N. & iterum ſi recipis N. & ponis in digeſtionem I. erit L. tunc originatur, & formatur unus triangulus. Item ſi capis L. & ponis in C. & ponis in digeſtionem H. poſteà per plures digeſtiones de L. C. I. H. oritur N. O. P. & formatur alia figura triangularis. Item ex N. O. P. oritur in fundo vaſis terra, quam oportet evacuare, & illam terram dicimus L. Si ergo capis L. & ponis in C. & in digeſtionem H. poſtea in digeſtionem I. ex L. C. H. I. oritur E. & fit alia figura quadrangularis ex O. C. L. H. I. in cujus medio eſt E. id eſt anima metallorum, quæ generatur ex dictis literis. Item ſi capis E. & ponas in Q. & miſceas cum C. D. O. & poſtea ſi capis D. O. ſecundum ſuum pondus, & ponas in alio Q. per digeſtionem H. tunc ex O. & P. oritur G. & ex E. O. oritur G. Tunc ſi capis G. & G. & ponis ſimul in modulis ceræ, ut convenit, aut ſi G. ponis cum D. incontinenti oritur una figura ex duobus quadrangulis, in cujus medio eſt X. Y. per quam volumus ſignificare Lapidem Philoſophorum. Totum hoc autem magiſterium datur per elementorum diviſionem. Hoc quidem fit Fili mi, ſecundum curſum hujus artis, ita tamen, quòd ſcias quaſlibet figuras in alias reducere, & ſi unam corrumpas, ſcias aliam generare uſque ad ultimam figuram, in qua omnes aliæ figuræ quieſcunt. Et hæc de Theorica tibi ſufficiunt cauſa brevitatis.

Dictum eſt de prima Parte, quæ eſt de Theorica: dicendum eſt de ſecunda, quæ eſt de Practica. Et primò de prima Parte. Secundò de ſecunda, quæ eſt de Compoſitione Lapidis.

TU in virtute A. Princeps Sereniſſime, accipe aurum, & projice ipſum in aquam vegetabilem, de qua loquuti ſumus in noſtro codicillo in capitulo quod incipit, Spiritus recipientis & formalis, aliàs generalis eſt, ut capias de ſicco lunariæ, &c. Et in capitulo quod incipit, Et tibi volumus revelare de natura menſtrui, in quo eſt ignis contra naturam, & in eodem capitulo, quod incipit, Fili, cùm illud menſtruum ſine quo non poteſt, &c. per totum, ubi ſatis declaravimus naturam iſtius & operationem. Et ſit aurum ad pondus aquæ vegetabilis, & pone illud totum in digeſtionem H. per ſex dies naturales, & aurum diſſolvitur in aquam in colore croci. Poſtea verò diſtilla menſtruum in diſtillatione H. in balneo: poſtea ſuperpone aliam lunariam recentem, & pone iterum in digeſtionem H. per alios ſex dies naturales: & tunc extrahe, & mitte illud quod ſolutum eſt in aliam ampullam, & ſuper illud, quod remanſit, finitis ſolutionibus & diſtillationibus, iterum de menſtruo ſuperpone ad quantitatem terræ, & pone in digeſtionem H. per quatuor dies naturales, & illud quod ſolutum eſt de metallo, ſimul cum menſtruo pone in cucurbitam, ut prius: & ſic fac uſque ad ſex inhumationes & diſtillationes, & illud quod remanſit, finitis ſex diſtillationibus de fæcibus non cures, & diſtillationes ſeu liquefactiones, vel etiam diſſolutiones pone in digeſtionem H. & diſtilla totam aquam per alembicum, & ſuper fæces ponas de alia aqua Mercurii recentis, & pone in digeſtionem per unum menſem cum dimidio: poſtea tu recipe Q. in quo erat aurum putrefactum,

ctum, & distilla inde aquam in distillatione H. super fæces mitte tantumdem de menstruo recenti & iterum colloca vas in digestionem H. per sex dies naturales aut decem: quibus finitis pone vas in digestionem I. & distilla aërem simul cum menstruo. Postquam noluerit plus distillare serva distillationem in vase suo, & super fæces mittas aliud menstruum, & pone in digestionem H. per sex dies naturales, & iterum distilla ut prius in distillatione I. & super fæces mitte de alia lunaria recenti, & pone in digestionem I. & sic reiterabis inhumationes & distillationes in H. & I. usque ad vigesimam aut vigesimamquintam distillationem. Sed dum fueris in vigesimasecunda distillatione, illam aquam, in qua est aliqua pars aëris, simul cum menstruo ponas ad distillandum in digestione H. & exibit menstruum totum per illam distillationem aut aliam: & si fuerit aliquid aëris, manebit in fundo ad modum aquæ splendidæ aut citrinæ, & si non fuerit ejus quantitas, nisi duæ guttæ, aut tres, vel quatuor, non reiteres inhumationes & distillationes. Si verò plus fuerit reiteres inhumationes & distillationes in digestione H. & I. usque ad viginti sex vel triginta distillationes, ut benè evacuetur terra ab aëre, & in qualibet inhumatione indiget ad minus quinque diebus continuis, donec totum aërem distillaveris, qui sine falso totus distillabitur per distillationes dictas, si benè regulaveris magisterium. Post hoc verò tu accipies vas, in quo sunt omnes distillationes, & distilla eas cum digestione H. tunc totus aër in fundo remanebit, quia non valebit per distillationem de H. aliquid ascendere simul cum menstruo. Cùm verò totum menstruum distillaveris, manebit totus aër in profundo in colore aquę splendidæ pulcherrimæ, & serva illud, quia aërem dum sic habueris, optimus fuit processus: quippe quem de aëre fecisti, eodem modo de abstractione ignis à terra te docemus neque magis neque minus; nisi quia separatio ignis à terra fit cum aëre inhumando, & qualibet vice distillando in digestione de K. Vel etiam potest fieri distillatio cum D. & non cum C. quia sicut ignis est nobilius elementum, ideo indiget nobiliori menstruo, vel suo aëre, & sicut aerem distillasti cum 30. distillationibus. Quippe cùm sic separatæ fuerint, seu habueris separatam terram à suo spiritu, qui potestatem restringendi habet, quæ evacuatio sic fit. Recipe terram, à qua extraxisti elementa, scilicet ignem & aërem, & projice super ipsa de aqua vegetabili, & pone ad digestionem de H. ad tres dies, quibus finitis, extrahe illud, quod dissolutum est ad partem in Q. & superpone super fæces de lunaria recenti ad quantitatem terræ, & stet per alios tres dies, & mitte illud, quod dissolutum est in Q. ubi est alterum, & sic facias tot inhumationes in H. & evacuationes in Q. donec modicum maneat de terra. Et cùm dicta evacuatio fuerit facta, congrega omnes dissolutiones seu evacuationes in alembico, & distilla per alembicum totum menstruum, & super fæces pone de C. tantum sicut est terra, & pone in digestione de H. per unum diem naturalem, & iterum distilla. Et iterum, Princeps Serenissime, reiterabis distillationes & inhumationes, donec tota terra conversa sit in pulverem impalpabilem, tunc super ipsum mittes. D. vel C. Sed, Princeps Serenissime, melius & tutius fit cum D. & pone in digestione H. per duos dies, postea distilla per alembicum in digestione de I. & super fæces iterum mitte de D. si cum D. operatus, vel de C. si cum C. operatus fueris, & pone in digestione de H. & postea distilla, & distillationem pone cum altera. Si verò defecerit menstruum, distilla illud, quod per distillationem extraxisti à terra, & operare cum illo. Tot quippe vicibus reiterabis D. super terram, & inhumabis & distillabis, donec tota terra simul cum D. vel C. ascenderit per alembicum, & descenderit in receptorio. Ista quippe materia dicitur apud Philosophos argentum vivum de consideratione Alchymistarum. Demumque, Princeps Serenissime, cùm ista compleveris, tunc accipies omnes distillationes, & superpone alembicum, & distilla in digestione de I. quousque materia sit bene deliccata: deinde extrahe terram de digestione de I. & illam ponas in digestione de K. & sublimatur terra, & terra erit ad modum argenti vivi in virtute sublimationis: sed tu, Princeps Serenissime, cùm omnia, quæ suprà diximus, compleveris, scias te omnia elementa habere, quibus indiges ad Lapidem Philosophorum componendum. Quando compositum album putrefeceris, melius tamen fiunt cum ipso D. purificatio elementorum, quam cum C. cùm C. aliquid retineat de superfluitate: D. verò cùm sit subtilior naturæ, & per hoc elucidatur capitulum nostri testamenti, quod incipit: *Quant tu auras divisa la, &c.* id est, Quando diviseris lapidem per quatuor elementa. Item in purificatione terræ, de qua diximus suprà in parte ultima. Divisio elementorum elucidatur capitulum, quod recoluimus scripsisse in capitulo testamenti, quòd aliàs dicitur vade mecum, de numero Philosophorum in capitulo quòd incipit: Cùm autem per jam dictam sublimationem Mercurius diminutus fuerit à corporibus, &c. Item, Princeps Serenissime, dum elementa sic habueris divisa, interest, ut illa subtilies & fixes.

De Sublimatione Aëris.

ACcipe igitur in Christi nomine aërem, & pones in alembico, & destillabis eum septies vel sexies, cujus erit signum, donec noluerit distillari aliquid. Item si forsan aër conversus fuerit in pulverem, distillabis & purificabis illum, cùm tantumdem de D. & in ultimo distillabis D. & manebit aër inferius: scire tamen debes, Princeps Serenissime, hoc, quod diximus, aëris distillatio & purificatio fit cum digestione de I. Item tu satis potes purificare aërem cum aqua sua, sicut enim aërem purificasti: ita de igne similiter facias per omnia, sicut de aëre diximus, nisi quia ignis purificatio fit cum digestione de K. & aëris cum digestione de I. Item, Princeps Serenissime, hoc, quod diximus de purificatione terræ, invenies ad plenum. In Vade mecum de numero Philosophorum, in Capitulo, quòd incipit: Partus verò fit per viam sublimationis inventæ, &c. per totum capitulum. Dum ergo, Princeps Serenissime, compleris ista, quæ sunt suprà dicta, tunc habebis totum illud, ex quo componitur Lapis Philosophorum. Tu quidem fac mixtionem elementorum & rerum pertinentium ad Lapidem componendum. Recipe ergo elementa purificata, in qua purificatione necessarium est remanere fæces in fundo vasis. Insuper etiam fæces ignis & aëris serva ad partem, & accipe ignem & aërem quodcunque istorum in vase proprio positum, & claude vas cum cera gummata, & pone in loco sereno per

tres dies continuos, quibus finitis, accipe tantum de fæcibus ignis sicut aëris, & de fæcibus terræ sicut est aëris, & si tantæ non fuerint fæces elementorum sicut elementum aëris, superadde de terra purificata usque ad quantitatem dictam, & mitte totum cum fæcibus ignis & aëris & terræ in vase proprio aëris, & claude multum benè vasculum cum cera & mastice & luta: & unum istorum vasorum, scilicet, vas aëris in terra sepelies, & secum alterum, in quo est ignis superius suspendas in aëre in parte altera. Et fac taliter, quòd Lapis, vel aliqua res non noceat vitris, & stent ibi dicta vasa per annum continuum, quo facto fabricabis quasdam moles, vel modulos ceræ, in cujus forma volueris lapidem exire seu facere, quibus factis aperias vas, quod in terra posuisti per annum, & mittas intus duas vel tres moles, quæ supernatabunt, & stent sic in vase & in instanti claude, & stent intus per spatium quartæ partis horæ parum magis vel minus, & tunc quippe implebitur moles vel modulus aëre constrictivo mirabili & invisibili, quia ascendit superius de aqua terræ. Et transacto igitur tempore, aperias vas, & accipe moles vel modulos, & teneas extra vas, imple illas de aqua, quam per spatium unius anni suspendisti in aëre, & iterum mitte modulos in vase primo, ubi est aqua terrestris, & statim claudas, & dimitte stare per spatium supradictum, quo finito cum forcipibus argenti trahes moles vel modulos, in quibus misisti aquam ætheream sive aëream, & verte modulos ita, quod illud, quod est superius, tangat inferius taliter, quòd aqua, quam misisti intus modulos, tangat aquam terrestrem, & stent sic per tres dies continuos ad fortem Solem in æstivo tempore, & in autumno per septem dies: in vere vel in hyeme per duodecim. Scias quippe, Princeps Serenissime, aquam quam in molibus terreis misisti, invenies intus regenerationem congelatam in modum gummi: & ista quippe gemma vocatur per Philosophos Elixir. Et moles dum in vase fuerint per spatium supradictum, & steterint in vase terrestri: trahes igitur moles tuas extrà, & pone ad partem in vase vitreo, sic cum lapidibus intus congelatis, & sic facies lapides tuos usque plus. Et ideo habeas de aqua terrestri & aerea, vel ætherea, Princeps Illustrissime, scias, quòd de aqua restrictiva modicum expendisti cum operatione, cùm moles non impleantur, nisi ejus spiritu invisibili, cujus virtute aqua ætherea convertitur in lapidem. Ideo dixerunt Alchymistæ, lapis noster componitur ex duabus aquis: ex una scilicet, quæ facit lapidem volatilem, & ex altera, quæ ipsum fixat & indurat. Cum tali quippe aquæ terrestris spiritu invisibili de argento vivo vulgi purum argentum facimus ad omnem probam bonum, sicut de minera sine calore ignis communis, qui ratione suæ virtutis ejus odore ita ☿ congelabit in probatissimum argentum, sicut basiliscus visu omne animal interficit in instanti. Tu quidem Princeps Illustrissime, habeas lapides tuos, videlicet & secundum ordinem magisterii ipsos ad perfectionem D. deducere potes. Igitur ponas illos in quodam vase vitreo bene mundo, & dimitte stare per decem dies ad aërem taliter, quòd sit vas suspensum: quibus quidem finitis, oportet ipsos ponere ad tertiam decoctionem, ut habeat totius perfectionis complementum.

Sequitur Decoctio prima, quæ fit cum colore Solis.

REcipe igitur Lapides tuos, & pone illos in quodam vase vitreo, quod per Alchymistas perfectorium vocatur, & quod est instrumentum oblongum tenue in substantia: & claude multum benè vas cum mastice & cum farina siliginis mixtis cum finis panni linei, & pone ad Solem per novem dies in Vere & in Æstate vel Autumno & in Hyeme per octodecim dies, quibus quidem finitis, erit finita prima decoctio. Tunc oportet te ad secundam dirigere, quæ est medium inter primam & tertiam decoctionem: secunda decoctio est, quæ fit aliter cum primo calore.

De secunda Decoctione Lapidis.

SEreniſſime Princeps, secunda Decoctio vocatur Optatesis, & fit cum eodem calore, sed aliter: quia tu capias vas tenuissimum vitreum, quod possis invenire, & majus in quantitate, & impleatur aqua clarissima, & ponatur ad radium Solis, & in parte illa inferiori ubi magis lucet, & ubi magis accipitur ignis per magisterium vulgi, & ponatur vas supradictum cum lapidibus taliter, quòd luciditas ignis tangat vas, ubi sunt lapides, & stet ibi, donec Sol non possit capi per vas aqua plenum. Et continuetur ista decoctio in Vere per octodecim dies, & in Hyeme per quindecim dies, & in Æstate per octo: quibus finitis, est finita secunda decoctio, & oportet tertiam ministrare, quæ est finis & complementum Lapidis.

Decoctio tertia, quæ fit cum Calore Ignis communis.

TErtia quidem decoctio fit cum calore ignis communis: & fit in quodam Furno, qui vocatur Tripes arcanorum, cujus figura est in libro quintæ essentiæ verè situatus, quem te latere non credimus, & fit isto modo. Recipe ergo lapides, quos in vase habes perfectorio, & sic cum vase suo pone in Tripode arcanorum per spatium novem dierum continuando tibi ignem de carbonibus ardentibus: quibus finitis, est finita ultima decoctio, quæ vocatur per Alchymistas Sulfur vel Sulphur D. H. Et in isto, Princeps Serenissime, habes omne, quod à mundo desideratur thesaurum incomparabilem & innumerabilem, cum quo ad finem perfectissimum sequi potest. Et est unum de secretis ipsos lapides multiplicare: sed quia lapidum multiplicatio redundat in numero tertio vel quarto, cujus quidem duo modi valde sunt tædiosi, quia sunt per reductionem lapidum ad primum: ideo hîc unum explicamus, sed unus modus, Princeps Serenissime, est sensibus valdè placabilis, & est iste, qui sequitur. Et qualiter fit multiplicatio Lapidis Philosophorum in quantitate tantum.

De Multiplicatione Lapidis.

MUltiplicatio ista fit cum argento vivo vulgi isto modo. Recipe de lapidibus in quantitate unius ʒ. mitte super centum millia argenti vivi vulgi, & tantus est ignis lapidis multiplicatus virtutibus cœlestibus, quòd totum Mercurium

rium in pulverem potest redigere comburens omnes petias minerales existentes in dicto Mercurio sicut visus basiliſci comburit omnem virtutem animalem in instanti, & interficit omne animal: quippe hic habebis centum millia & unum pondus argenti vivi converſi in medicinam, quorum quidem centum millia unica pars ſuper centum millia ☿ redigit ipſum in pulverem, ſicut prius patet ex iſto pulvere ſecundo, tertio pone ſuper centum millia ℥. Mercurii, redigit ipſum in pulverem, de qualibet novam multiplicationem uſque ad centum multiplicationes. Quis igitur enarrare poterit multiplicationem medicinæ multiplicatarum quantitatum? quare Princeps Sereniſſime, quia ℥. illarum centum millia centum ex ℥. multiplicatarum multiplicare potes, ſeu ſcies qualibet de nova multiplicatione j. ℥. ponendi ſupra centum millia argenti vivi, & fit totum medicina, Princeps Sereniſſime in tantum continuetur projectio medicinæ ſuper Mercurium, donec ignis lapidis ſit extinctus, & convertatur materia in metallum perfectum, & non fiat ex illo pulvis plus. Sunt autem aliæ multiplicationes, una quidem dicitur virtualis, & quantitativa ſimul, & quælibet iſtarum fit per reductionem ad principium, ut habetur in noſtro teſtamento, in capitulo quod incipit, *Quam tu auras cicabades les dictes coſes en ges ſecta.* Cùm tu perfeceris dictas res, & feceris projectiones per totum circulum, etiam non eodem libro multiplicatione hìc multiplicata, & continuetur, ut patet in capitulo quod incipit, *Fil tu pendas una ℥. de la medicina dicta multiplicata, &c.* Fili tu capias j. ℥. medicinæ dictæ multiplicatæ. De altera verò multiplicatione invenies in tertio libro quintæ eſſentiæ, in Capitulo quod de multiplicatione tractat.

De Practica Brancharum noſtri Lapidis.

ET ſi vis, Rex Illuſtriſſime, alium ſcire modum ad noſtrum Lapidem componendum, quod per Alchymiſtas dicitur Practica Brancharum, eſt, quòd purifices terram, ut ſuprà te docuimus in Practica, in parte illa, quæ tractat de purificatione terræ in 6. quæ incipit, Dum quippe omnia elementa ſunt ſeparata. Etiam in noſtro codicillo, in capitulo, quod incipit, *Ara Filercentant aqueſt menſtrual.* In capitulo etiam, quod incipit *Ara Fil neges cheduen:* quoniam dum terram purificatam habueris deinde elementa ab auro & argento, & purificata terra illorum, ut ſuprà dictum eſt in practica recolimus ſcripſiſſe in ℥. lib. 5. eſſentiæ, in parte illa, quæ de purificatione elementorum tractat in cap. quod incipit, Rectificatio quidem elementorum ac poteſtatum. Conditionata igitur terra de numero Philoſophorum, quod incipit, Cùm autem per illam dictam ſolutionem M. diminutus fuerit à corporibus. Et cùm ſimiliter de elementis, tu potes tantas mixtiones facere & combinationes, quod difficulter numerare potes, ſed ut habeas aliquam practicam abbreviatam, per branchas arboris aliquas explicamus operationes. Eſt quidem mixtio illa ad componendos Philoſophorum Lapides. Accipias quinque pondera ignis, & duos aëris, & altera duo M. C. O. l. quintæ eſſentiæ: & ex altera parte tria pondera aëris, & tantùm de terra tria pondera, & in mixtione terræ & aëris mittes de M. cœlico tria pondera. Item conjunge O. & P. & E. ita quòd O. & P. ſit in pondere æquali, & D. ſit medietas O. vel P. & de M. vegetabili tantum ſicut de G. ita quòd O. & P. de L. X. ambas dictas mixtiones, & diſtilla, limus primæ quidem mixtionis limi diviſim cum aëris & terræ, & D. colligatur ad partem & limus ignis & aëris, & D. ad alteram partem colligatur, & fæces conſimiliter. Et mitte de fæcibus in quolibet limo tantum ſicut medietas limi, & ſi non attingit ad hoc, non eſt vis: ſi verò ſuperſunt non, non mutat hoc quod dictum eſt. Et conſimiliter facies de limo primæ mixtionis, & eorum fæcibus denique limos habueris reconditos in vaſis ſuis cum ſequenti practica, ſicut dictum eſt ſuprà: & iſtæ mixtiones elementorum, & ex eorum limis ad doctrinam operis literalis ſumcit cauſa brevitatis.

De Mixtione abbreviata.

TUnc Princeps Sereniſſime quippe proſequi intendimus ad mixtiones abbreviatas. Et prima mixtio erit, quòd tu des terræ bibere de D. per continuas diſtillationes per quatuor partes ſui, deinde fac quò terra ſit pondera duo, de aëre ſex pondera, & de igne duodecim. Et des primò bibere terræ aërem incerando in crucibulo, donec fluat admodum mellis, deinde extrahe materiam, & dimitte illam quietare per decem dies: poſt hæc reitera ſicut eſt mixtum cum aëre in alembico ſuo ad parvum ignem, & mitte deſuper guttam ad guttam, donec fluat ſicut cera, & dimitte quieſcere quatuor dies: poſtea utere unum pondus ſuper centum millia, cujus fuerit E. & fiet metallum auri vel argenti.

De alia Mixtione.

ET fiat alia mixtio ſic, quòd conjungas tria pondera P. & duo de O. & facias totum corpus unum. Deinde cera terram ſuam, & aliam & cum iſto igne incerare poteris O. iſtius metalli, aut illius duorum ſimul vel trium ſimul ad æquale pondus vel quatuor.

De alia Mixtione.

ITem fiat alia mixtio, ut accipias octo partes, P. & unam O. & conjunge ſimul, & pone in digeſtione de H. per octo dies: & poſtea cera terram iſtius vel alicujus metalli aut illius ad ſolutionem & limum. Si verò adminiſtrare volueris alicui de P. auri, & de O. argenti. Itaque de P. ſint octo partes, & de aëre una, & miſce ſimul, & pone in digeſtione de H. per octo dies. Deinde cera terram ſuam vel aliam, & cum hac medicina perfectum aurum facies mixtionem ex contrariis ſcilicet unum pondus O. auri, & octo pondera P. argenti.

De alio Modo miſcendi.

ITem aliter, ſi accipias de igne auri & de O. ejuſdem ad medietatem P. & de terra ad medietatem O. miſce ſimul cum ſeptima parte meræ quintæ eſſentiæ, & diſtilla limum deſertum, cum quo potes cerare terram ſuam vel aliam & fæces quæ remanſerunt, & ſic conſimiliter fæces de argento. Et iſta tibi, Clariſſime Princeps, ſufficiant cauſa brevitatis: & per iſtas operationes, quas ſic explicamus, elucidatur capitulum noſtri teſtamenti, in capitulo quod incipit, *Quant tu auras fixat l'agua ſebre la terra*, Quando fixaveris aquam ſuper terram M. quod incipit, *Que tu pregnes de la medicina una onza & aquella methnas en un cruſal*, Quòd tu accipias

accipias medicinam scilicet unam ℥. & illam pone in crucibulo. Etiam elucidatur aliud capitulum in eodem libro, quod incipit, *Tota aquella manera Fil. conservans la practica quæ ab fera ablanch.* Omnis ille modus, Fili, conservans practicam. Etiam elucidatur aliud capitulum, quod incipit, Fili plumbum tenet secum magnam partem de H. combustibile. Et etiam in capitulo, quod incipit, Similiter facies de Venere sicut fecisti de Saturno. Etiam elucidatur aliud, quod incipit in eodem libro. Ita facies perfectionem illorum duorum metallorum. In quibus quidem tractavimus satis de Practica abbreviata brancharum arboris. Dixi de prima parte secundæ partis principalis: nunc dicamus de secunda secundæ partis, quæ tractat primò de Compositione Margaritarum.

Compositio Margaritarum.

OPus namque Margaritarum sic condies: primò, quòd accipias aquam Mercurii, factam per modum quem te docuimus in nostra quinta essentia, in libro primo, in capitulo quod incipit, Non reputes me mendacium, &c. usque ad G. quod incipit, Præparatio spiritus lapidei & fermentabilis est, quòd tu accipias succum lunariæ. Etiam per modum nostri testamenti, in capitulo quod incipit, Fili, tu accipies liquorem lunariæ, & sit quantitate duarum librarum vel trium, & in ipsa dissolves ℥j. argenti purissimi per calorem digestionis per sex dies, postea separa fæces per distillationes quæ erunt albæ & pulchræ: Ista est aqua, qua indiges ad dissolvenda omnia sex metalla, & illorum argentum vivum: cum qua quippe formantur lapides, qui perlæ vocantur, per reductionem illarum in suarum primam materiam.

De prima Aqua dicimus.

REcipe auri ℥j. & dissolve illud cum quantitate dictæ aquæ, quantum tibi benè visum fuerit in digestione de H. sicut argentum, & dissolvatur in aquam colore croceo, & trahe aquam deauratam per filtrum, & ne cures de illis fæcibus, quæ nihil valent ad propositum: postea distilla aquam per alembicum, & serva fæces secundas.

De Aqua secunda.

AQua secunda sic fit. Recipe ℥j. Veneris, & dissolve quantum tu volueris aqua prima in digestione de H. sicut tu fecisti de alia, & distilla aquam per filtrum, donec tota sit distillata, & de istis fæcibus ne cures: & distilla aquam illam per alembicum, & serva fæces secundas.

De tertia Aqua.

TErtia aqua sic fit. Recipe ℥j. plumbi, & dissolve in tanta quantitate aquæ dissolventis, quantum tibi benè visum fuerit in digestione de H. postea distilla per filtrum, & dimitte fæces primas, quia nihil valent. Postea distilla aquam per alembicum in digestione de H. & serva fæces secundas.

De quarta Aqua.

QUartam aquam sic facies. Recipe ℥j. stanni purissimi de Cornuvagla, qui est in domo Angliæ, & dissolve ipsam in tanta quantitate aquæ, quantum tibi benè visum fuerit in digestione de H. distilla aquam per filtrum, & de fæcibus ne cures: postea distilla aquam per alembicum in digestione de H. & conserva fæces secundas.

De quinta Aqua qualiter fit.

QUinta aqua sic fit. Recipe de Mercurio vulgi ℥j. & dissolve ipsum in una libra cum S. aquæ dissolventis in digestione de I. & serva aquam illam, distilla per filtrum, de fæcibus ne cures, secundas verò serva.

De sexta Aqua.

SExta aqua vero fit. Recipe ℥j. ferri purissimi, & dissolve ipsum cum tanta quantitate aquæ, quantum tibi bene visum fuerit in digestione de H. Postea distilla sicut alias aquas fecisti & serva fæces secundas.

De septima Aqua.

SEptima aqua sic fit. Recipe ℥j argenti purissimi, & dissolve in tanta quantitate aquæ dissolventis, quantum tibi benè visum fuerit, & distilla per filtrum, & rejice fæces primas: pòst distilla per alembicum in digestione de H. & serva fæces secundas, & de omnibus aquis fæces servabis in vase suo: & istæ aquæ cum earum fæcibus est materia, de qua omnes lapides componuntur.

Sequitur de Resolutione.

CUm ergo metalla resoluta fuerint in aquam, & quamlibet illarum recipiendo quemlibet limum in suo vase: & erunt isti limi respiendentes cum virtute minerali, & cum magna limositate, quæ apparata est ad recipiendum virtutes influentiarum cœlestium. Et quamlibet illarum aquarum recondas in sua ampulla vitri cum longo collo & fundo rotundo, deinde clande orificium ampullarum cum mastice & corio alutæ, & quamlibet ampullarum cum sua aqua pones in loco sereno per unum annum integrum taliter, quòd nulla res noceat sibi, & ingravidentur seu impragnabuntur illæ aquæ per virtutem cœlestium curlaum, & per subtile ingenium ipsas virtutes cœlestes accipimus, & venamur cùm talis materia sit ad hoc naturaliter dispositа, ut graduetur seu ingravidetur per virtutem cœlestium, in quibus est materia spiritualis constrictiva, & constrictibilis subtiliata atque sic plex, tam per ingenium artificis, quàm per velle & restaurationem naturæ. Tu quidem sis cautus in resolutione limorum, quia de quolibet limo duas aquas seu partes facias prius distillando medium limi, quem pones ad partem, quia hæc ista parte prima fit aqua terrestris, & aliam partem similiter ad partem distillabis, ex qua fit aqua aërea, quæ suspenditur in sereno loco, ut suprà dictum est, per annum.

De Compositione utiliore & leviore,

EST autem compositio ista levior & melior cum aliqua compositione, hoc est, quia dissolutis metallis, Princeps Illustrissime, & qualibet aquarum divisa in duas partes. Tu recipe quintam partem illarum duarum, quas fecisti de una aqua in speciali, & illam mitte cum suis propriis fæcibus quas reservasti ex distillatione alembici, & sororem hujus partis, quam cum fæcibus sumpsisti, distilla limum quod idem, quod liquor procedens ex duobus corporibus, scilicet aqua & fæcibus, quæ erunt splendidissimæ valdè. Et fæces post

distillatio-

distillationem remanebunt in fundo cucurbitæ. Ponas igitur limum ipsum in ampullam cum longo collo & fundo sphærico, & claude fortiter orificium cum mastice vel olibano, & cum quodam corio fortiter desuper, & suspende limum supradictum in loco sereno per unum annum integrum. Dumque limum prædictum posueris in loco sereno, reverte operationem ad aliam partem aquarum. Tunc igitur clarissime Princeps, recipe fæces naturales, à quibus resoluti sunt limi prædicti per sublimationem, de illis mittes, quamlibet partem in parte sua secundum suam propriam speciem in quadam vitrea ampulla cum longo collo in longitudine duarum palmarum, & cum fæcibus misce aliam partem aquarum, quam reservasti: quæ verò aquæ sorores illarum, à quibus resoluti sunt limi & claude orificium ampullarum, sicut dictum est suprà. Et post hoc spelias illas in quodam antro terræ in profundo unius palmi cum dimidio, & ponas circumquaque aliquam rem taliter, quòd lapis non noceat, vel aliqua res, & stent ibi per unum annum integrum sicut diximus: de aliis quippe taliter componendi sunt lapides Philosophici, cum una est via ad unum, & ad aliud nisi quia differunt per majorem sublimationem naturæ, & universaliorem: quare ex eo quòd lapides philosophici corrumpuntur, & veraciter alterantur quia individua quædam in altero indigent majori sublimatione, videlicet ut suprà in practica diximus: sicut enim de una aqua duas in magisterio fecisti, sic consimili in altero facies, miscendo aerem in ignem, & terram ad pondus æquale, & sic tantum in pondere de D. sicut omnia alia tria, sed cum O. quod pones P. misces D. & pones O. P. D. sic mixta in suo vase, in digestione de H. per 6. dies: quibus finitis, deinde liquorem dissolutum aliàs resolutum resolutione ex O. P. D. ponatur in curcubita alembici cum suo rostro rotundo, & pone in digestione de H. per tres dies: deinde extrahe, & pone alembicum, & distilla alias, sublima limum desertum in digestione de I. usque fæces sint siccæ, & limum in aere suspende in ampullam cum collo longo, quam stare dimittas per unum annum integrum. Igitur cùm ista compleveris, recipe aliam partem aquæ, quam reservasti, quæ est soror limi suspensi, & ponas illam in consimilem ampullam cum longo collo, & supermittas omnes fæces, ex quibus limos distillasti, & claude orificium ampullulæ, sicut de lapidibus pretiosis diximus, & spelias illam etiam similiter in horto, in profundo unius palmi cum dimidio, & fac ut suprà dictum est, & dimitte ibi stare per unum annum integrum, & tunc habebis materiam aptam cum spiritu subtili ad componendum lapides philosophicos. Et tantum hoc, quod diximus sufficit, Princeps, modus compositionis aquarum per artificium, cum quibus formabis utriusque lapides: sed quia ad præsens non fecimus compositionem lapidum philosophorum, ideo revertemur ad præsentis compositionem, quæ est de compositione lapidum pretiosorum.

De Carbunculo.

CArbunculus est rex omnium lapidum, sicut aurum est omnium metallorum: unde si tu, Principum Serenissime, vis ipsum artificialiter componere, quod ita fit, & plus virtuosus naturali: recipe de aqua terrestri auri indurativa, quam sepeliisti intra per annum, & pone ipsum in vase, quod sit factum ad modum unius figuræ inferius scriptæ rotundum vel triangulatum, vel quadrangulatum, sicut placuerit. Et in ipsa mole cerea existente, navigando in vase aquæ terrestris per spatium quintæ partis horæ: quo finito, verte modulum, & cape lapidem cum forcipibus aureis vel argenteis deauratis: & fac taliter, quòd superficies lapidis tangat aquam indurativam, & stet sic per tres dies ad solem, & deinde extrahes molem ceræ, in qua est aqua ætherea indurativa per virtutem aquæ terrestris in similitudine gummiæ. Princeps illustrissime, informatio omnium lapidum pretiosorum est una, & uno modo fit, scilicet finem suorum colorum accipiunt ex passione divisarum materiarum quousque sint terminatæ per virtutem ultimæ formationis, quam lapis accipit per virtutem ignis communis in propria forma sub conservatione suarum virtutum operativarum. Cùm ergo ipsam molem extraxeris extra vas, expolia ipsum lapidem à cera, qua est indutus, & da sibi decoctionem arteticam. Sed prius dimitte eum stare per tres dies in umbra, & continuabis ignem illum per novem dies in Vere, & in Æstate per 5. finita ista decoctione, da sibi decoctionem, quæ artatesis, per conditionem temporis antedicti. Deinde prosequatur decoctio, quæ sulfur dicitur per quinque dies continuos, deinde trahes lapidem tuum perfectum cum omnibus virtutibus ei pertinentibus sibi per naturam attributum. Dum verò, Princeps Serenissime, feceris prædictas decoctiones, scias quòd lapis stare debet in vase quod perfectorium, cujus figuram inferius demonstravimus. Scias igitur, quòd omnes decoctiones æqualiter exhibentur omnibus lapidibus, præter adamanti, cujus decoctio longior est ratione suæ duritiei: virtutes enim illorum ponere non curamus in præsenti compendio, cùm intentio nostra in præsenti compendio non sit nisi tractare de illorum compositione: tantum tamen sufficit tibi quòd omnes secundum istam doctrinam compositi sunt tantæ virtutis, sicut quos natura produxit, & etiam fortiores & plures virtutes sunt habentes, quam naturales ut experti sumus. Et satis de virtute cujuslibet plenè tractavimus in nostro lapidario, quem scimus tibi missum à domino rege Edwardo Anglicorum illustrissimo. Ideo hic in summa brevi de aliquibus tractabimus, hoc est de illorum compositione, ut compendiosum reddamus, & non prolixum.

Compositio Adamantis.

COmpositio Adamantis sic fit ex natura argenti terminati in naturam lapidificam. Recipe ergo de aqua argenti terrestri, & pone illam in vase indurationis ad indurandum, & mitte intus molem terream per temporis spatium supradictum. Postea mitte de aqua aerea in mole, in qua formari debet dictus lapis. Postea da sibi informationem in umbra per tres dies, quæ est prima informatio, quando aqua aerea fit gumma virtute spiritus aquæ terrestris. Post verò administra sibi aliam informationem, quæ fit gyrando molem cum forcipibus argenti deaurati vel de auro scilicet illud, quod est inferius ad superius aliter, quòd lapis tangat aquam indurativam & stet ibi per tres dies continuos ad solem fortem in Æstate: in Autumno verò & Vere per sex des, in Hyeme per 12. quo facto, fac transire per digestionem, quæ dicitur Optesis, & per aliam, quæ dicitur Optatesis, per tempus, quod suprà scriptum est de lapidibus

philoſophicis. Sed in digeſtione, quæ dicitur Sulfur, ſtet per quatuor aut tres dies continuos, quia ratione ſuæ indurationis indiget magis de iſta digeſtione quàm alii. Iſte lapis ſic compoſitus, omnibus aliis eſt ſolidior. Eſt enim tantæ ſoliditatis, quòd ferrum nec ignis ipſum dividere poteſt, & fit ratione altitudinis ſuæ naturæ, & eſt virtuoſior naturali.

De Balaſtio.

BAlax eſt lapis, creatus ſeu generatus ex duabus naturis duplicis argenti vivi æqualiter mixtorum, ſcilicet ex aqua aërea argenti, & ex aqua aërea auri ſimul compoſitis in mole ſua, pone ad indurandum in aqua indurativa argenti, & in aqua indurativa auri ſimul mixtæ æqualiter: deinde, quòd ſequatur ſibi per iſtas tres digeſtiones ſeu decoctiones, ſicut in coctione lapidis philoſophorum diximus. Et tenendo proceſſum ſicut in compoſitione carbunculi, aliàs nihil addendo in proceſſu compoſitionis carbunculi.

De Sapphiro.

SApphirus componitur ex duplici natura argenti vivi, aquatici ſcilicet ex aqua aërea argenti & ex aqua aerea ſtanni in quarta parte ponderis argenti, & ſimiliter de aqua indurativa argenti, & de aqua indurativa ſtanni prædicti ponderis induratum in mole cerea, & decoctis, ſicut de aliis dictum eſt ſuprà.

De Balandina lapide.

BAlandina componitur ex argento vivo ferri & eſt coloris rubei valdè, & reſplendet ratione ſulfaris decocto & converſo in naturam aquæ aereę ignitæ reſpiciens naturam argenti vivi, & quia ſua natura eſt ex aere, ideo reſtringit ſanguinem. Recipe ergo de aqua aerea ferri, & imple molem ceream poſt virtutem reſtrictivam acceptam, & indura illam in aqua terreſtri reſtrictiva ferri & proſequere per informationes ſupradictas.

De Compoſitione Turchoſæ.

TUrchoſa eſt cõpoſita ex natura duarum aquarum aerearum, & duarum reſtrictivarum. Recipe ergo ℥. quatuor aquæ aereæ Veneris, & j. ℥. aereæ Saturni, & pone ad indurandum in mole cerea in aqua indurativa Veneris mixta cum aqua terreſtri plumbi per pondus dictarum aquarum aeris, & da ſibi informationes aliorum lapidum.

De Compoſitione Exmiraldi.

EXmiraldus componitur ſeu generatur ex una natura duarum aquarum aerearum, & duarum reſtrictivarum. Recipe quot partes volueris de aqua terreſtri argenti, & cum illa miſce, quantum volueris de aqua terreſtri cupri, donec videas, quòd habeat intenſum colorem vel remiſſum, ſecundum quod volueris, & pone prius molem ceræ in propriis aquis terreſtribus per ſpatium quintæ partis horæ ut melius impleatur virtute indurativa, prius imple molem aquæ aereæ cupri, & pone ad indurandum per unam partem horæ. Poſtea verò gyra molem, ut dictum eſt de Carbunculo taliter, quòd aqua indurativa ſeu terreſtris tangat aquam aeream congelatam, & dimitte ſic ſtare per tres dies continuos ad fortem ſolem in Æſtate, & in verè & in Autumno per ſex dies continuos, in Hyeme per 12. dies: quia iſtis finitis, extrahe lapidem induratum, & fac ipſum tranſire per tres informationes vel decoctiones, ſicut de Lapide philoſophorum diximus in practica ſua, & per informationes intellige decoctiones tres: prima dicitur Optaſis, ſecunda Optateſis: tertia dicitur Sulfur, ut ſuprà explicavimus.

De Compoſitione Eliotropiæ.

ELiotropia componitur ex unamet natura, de qua componitur Exmiraldus & per pondus & mixtiones aquarum illius. Sed antequam aqua cupri veniat ad perfectam indurationem ita quòd ſit in ſpiſſitudine ſicut albugo: capies molem tuam cum forcipibus ab aqua indurativa, & mitte ſuper aquam mediæ induratam 4. aut 5. guttas minimas de aqua aerea ferri, tunc molem ſumes cum forcipibus argenteis, & mitte in aquam indurativam per unam partem horæ. Poſtea extrahe illam, & pone in aqua indurativa per unum Credo in Deum, & unum Salve regina, & da ſibi indurationem per tres dies ad ſolem fortem in aqua terreſtri Exmiraldi gyrando molem, ut de aliis dictum eſt: poſtea extrahe illam à cera, & da ſibi informationes, ut diximus de Exmiraldo.

De Compoſitione Camaphei.

CAmapheus eſt lapis, habens colores multos & multiformes: quidam ſunt albi, & alii nigri, & alii rubei, & alii inter nigrum & azurium & album ſicut calcedonii. Et quodlibet iſtorum habet ſuam diviſam naturam, & virtutem in compoſitione: ſed inter omnes lapidarios rubeus laudatus eſt, ſed uterque ſunt boni ſecundum ſuam propriam naturam. Et albus componitur ex aqua aerea argenti, & ex aqua aerea ſtanni, & ex aqua aerea plumbi æqualiter mixtis poſitis ad indurandum in molem habentem figuram hominis in aqua indurativa argenti & ſtanni per æqualia pondera. Rubeus verò componitur ex aqua aerea auri, & aqua aerea ferri æqualiter poſitis ad indurandum in aqua terreſtri auri, & in aqua terreſtri ferri mixti per æqualia: vel poteſt componi ex aqua aerea argenti æqualiter mixtis ad indurandum in aqua indurativa auri & argenti. Item, niger componitur ex aqua aerea plumbi, & ex aqua aerea argenti, & ex aqua aerea auri indurati in aqua terreſtri plumbi per pondus prædictum. Poſtea poſitis ad ſolem, & quòd tranſeat per omnes tres informationes.

Quomodo componitur Topazius.

TOpazius componitur ex natura duplici argenti vivi reducti in ſpeciem aeris. Recipe ergo aquam aeream auri, & miſce cum illa quartam partem aquæ aereæ ferri & pone in molem ad indurandum in aqua indurativa auri, & fac ſicut de aliis diximus.

De Compoſitione Calcedonei.

CAlcedoneus componitur ex aqua terrea ferri, & ex aqua terrea argenti mixtis æqualiter, & poſitis ad molem ad indurandum in aqua terreſtri ferri, & lunæ mixtæ æqualiter. Et quod tranſeat per omnes tres informationes ſicut alii.

De

De Compositione Berilli.

BErillus componitur ex substantia duplici argenti vivi: una verò est de aqua argenti aerea, & altera de aqua aerea stanni, quæ ducuntur in aeris natura mixta æqualiter, & imple molem tuam, ut induretur in aqua terrestri argenti & stani. Deinde da sibi informationes sicut de aliis diximus.

De Compositione Perlarum.

COmpositio perlarum fit ex substantia triplici argenti vivi conversæ in substantiam aquæ aereæ. Recipe igitur aquam aeream stanni, & aquam aeream plumbi, & aquam aeream argenti æqualiter mixti, & induretur in mole cerea & aqua indurativa stanni, & in aqua indurativa argenti & plumbi mixtis æqualiter, & pòst transeat per informationes, quas suprà diximus.

De Compositione Perlarum per aliam viam.

PErlæ per aliam viam componuntur sic: Pulverisa probas minutas in pulverem subtilissimum, & dissolve eas in tali aqua, in qua argentum vulgi dissolvisti super digestione de I. ponendo de aqua dicta, quæ natat super margaritas in grossitudine medii digiti, & post solutionem natabit quædam limositas ad modum cujusdam telæ. Et illa tela, Princeps Serenissime, est forma transparens perlarum orientalium. Et per hoc quod diximus, elucidatur illud capitulum nostri testamenti, in parte illa, quæ tractat de perlarum confectione, quod incipit, Ostensio virtutum liquoris exuberandi. Item, postquam senties, quòd margaritæ liquefactæ sunt intus aquam M. separabis aquam cum limositate margaritarum in vase altero inclinando vas suaviter taliter, quòd nihil de fæcibus vadat cum aqua limositatis. Si verò cum aqua limositatis fuerit aliquid de fæcibus, cola ipsum per pannum sericum benè mundum: post hoc pone aquam illam, in qua limositas perlarum in ampulla cum longo collo in digestione de H. per novem dies, quibus transactis, fiet aqua illa cum limositate metalli totum unum corpus. Et per hoc elucidatur cap. nostri testamenti, quod incipit, *Quando tu veuras cell dictes parles est pasta blanc sacram liquefactes per la virtute de laquet.* Postea verò habebis moles tuas ex auro puro, vel ex argento deaurato à parte interiori, quod ad similitudinem cujusvis margaritæ formatas fore. Et consimiliter baculum auri vel argenti deaurati, & fac, quod omnes moles in partes duas divisæ sint. Et si moles fuerint rotundæ, vel quovis modo alio factæ, & indiguerint foraminibus, perforabis illas partes, moles conjungentur alteri, & imple moles tuas de pasta pulveris, quæ remansit de aqua limosa ita, quòd utraque pars molium sit pasta plena, per foramen molium mittes unum filum auri: & sic facies omnes, & dimitte stare pastam sic in molibus suis per unum diem naturalem: quo transacto, si vides, quòd moles possunt dividi à pasta, trahas grana illa à molibus, & si non, dimitte siccare dum possis grana illa extrahere. Cùmque grana illa extraxeris à molibus jam dictis, ponas illam ad desiccandum in silara marmorea, vel in quadam silara vitri, vel aliqua re vitrea, quæ sit ampla & plana. Et cooperi cum quodam vase vitri, vel cum aliqua re, ne pulvis tangat ipsos lapides. Et stent ibi usque sint benè siccæ. Et per hoc, quod breviter diximus, elucidatur capitulum in testamento nostro, in nostro magisterio, quod incipit, Præterea postea fiet artificialiter modulus de auro & quantitas, &c. Et post formationem margaritarum & illarum desiccationem tu accipias unum filum auri longum, & mitte illum per foramen margaritarum, & caveas quantum fuerit tibi possibile, ne illum tangas cum manu, nisi cum quibusdam forcipibus argenti deaurati, aut de auro: dum verò sic habueris, habeas quoddam vas vitreum, factum, ad modum ovi gallinæ, & cavillabis illa in utraque parte. Illud, quod est intra, debet esse depositum. Item, ponas margaritas suspensas per filum auri in aqua limositatis, quam per novem dies posuisti in digestione de H. taliter, quòd submergantur in aqua, & statim pone coopertorium, & dimitte sic stare ipsas per duos dies naturales: quibus finitis, extrahe margaritas tuas de vase illo, & pone illas ad umbram, ubi illas Sol non tangat per tres dies naturales. Deinde administra sibi formationem Optasim hoc modo: Tu Princeps Serenissime, pones tres probas in filo auri, deinde mitte in unam testam ovi, quæ cooperiat omnes tres margaritas, vel plus secundum illarum quantitatem. Deinde alias secundum quantitatem ovi, quam voluerit sub se continere, & ponas vas vitreum vel ovum: & sic deinceps, donec ordinatæ fuerint. Et si fuerit tempus æstivum, mitte stare illas sic ad solem per tres dies naturales. In vere verò & autumno per sex dies, in hyeme per novem. Sed nullam decoctionem Obteticam, aut Obtatentam consulimus tibi in hyeme alicui facere, & qualibet die gyrabis una vel vasa supradicta de tribus in tribus, horum quippe finitis diebus trahas margaritas tuas, deinde administra sibi formationem per tres dies Inlfulderh ipsis positis in vase, quod dicitur perfectorium: quibus finitis, ponas margaritas tuas à tripode Athanor, & videbis, quæ naturalibus non invident in omni perfectione, tunc utere illis.

Alia Compositio Margaritarum.

SI autem istam fabricationem consimiliter facere volueris de conchilibus inventis in ripa maris, quæ colores habent multifarios, quia quædam sunt albæ, ut perlæ communes cum colore orientali, quędam croceæ ad modum auri purissimi similiter colorem habentes orientalem. Alia verò cum colore brasilii habentia similiter colorem orientalem. Potes igitur, Princeps Illustrissime, componere perlas tuas de quibusvis conchilibus. Et perlæ erunt illorum colorum, de quibus conchilia erant, de quibus fuerunt compositæ. Fitque pulcherrimum operis ex omnibus istis. Non vidimus verò partem, in qua ista conchilia supradicta reperias, nisi in Cypro prope civitatem Famagustæ, & in regione Portugaliæ prope civitatem Lisbonæ, in ripa maris. Et in quadam villa Anglia, quæ dicitur Conilla, & in alio loco, qui dicitur portus Sylvenæ usque ad sanctum Vincentium de finibus mundi. Vidimus enim omnia ista dum ad Angliam transimus, propter intercessionem domini Regis Eduardi Illustrissimi. Ergo quæ omnia tibi diximus tam de Philosophicalibus lapidibus, quàm de virtuosis vel pretiosis lapidibus sufficiat causa brevitatis. Et quia doctrina, quæ tibi tradita est,

potes

potes alios quosvis componere recipiendo colorem uniuscujusque lapidis, & formas illorum & figuras, & tunc facere mixtionem de aquis diversis secundum doctrinam prius traditam. Et si tu, Princeps Illustrissime ista, quæ verbis grossipedalibus scripsimus, sine aliqua subtilitate operis compleveris, invenies, verum quod diximus. Noli tamen festinare, nec ab opere cessare. Non enim agites naturam propter minas. Et si divisetitis naturam propter minas operari plus dabit tibi, quàm optas. Si verò, Princeps Illustrissime vis scire rationem, quæ est naturaliter, quia aqua istius doctrinæ tantam habet virtutem, ut per artificium de illarum natura componuntur ex una parte isti lapides, ut illi potentiores, in virtute sint naturales. Ex altera parte philosophorum lapides quæras in lapidario nostro, quia satis prolixè tractavimus in parte prima ad faciendum rationem hujusmodi. Et sic habebis omnium complementum cùm nostra intentio in præsenti compendio non sit nisi practica nuda & theorica adjuvamine qui est trinus personaliter, unus essentialiter, regnans per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Finis Compendii Animæ Transmutationis Artis Metallorum.

Vide in sequentibus aliud hujusce Compendii Animæ transmutationis Metallorum Artis Exemplar; in quo partim aliis terminis, partim fusius omnia continentur.

Testamemti Novissimi Raymundi Lullii *Majoricani*, *Regi* Carolo *dicati*

LIBER PRIMVS.

CUM ad nos venisti, dilectissime fili, ac Princeps, in tali casu & mortis articulo valde quievit anima mea, cum à te paternam & antiquam tui patris illustrissimi amicitiam, quam per dedignationem interruperam recuperatam intelligerem. Ideo, mi Carole dilecte, te in filium sapientiæ dilectissimum ut fidei catholicę amplìatorem eligam. Et ut rebelles ejusdem sacræ fidei expellere possis, & alia alta peragere, tibi magisterium per nos multis librorum voluminibus, sub philosophica occultatione diffusum, clarè, completéque tradam. Et tamen ea quę tibi declarando dixero, ex parte summi Creatoris admoneo, ut tam secretè quàm poteris retineas, ne thesaurum istum indignis dispergas, & Deus judicium à te deposcat. Accipe igitur in nomine sanctæ Trinitatis & æternæ Unitatis vinum rubeum, quod liquorem lunariæ appellamus, & nigrum nigrius nigro vocamus. Fili per hoc elucidatur tibi capitulum libri Mercuriorum, quod incipit: Tu recipies de liquore lunariæ quantumvis: & in principio nostri accuratorii. Recipe nigrum nigrius nigro, & destilla totam aquam ardentem in balneo, & illam rectificabis quousque sine phlegmate sit. Quod cognosces quando comburit petiam licii propter sui ardorem: quod facies in quinque vicibus, quandoque in tribus. Fili in hoc declaratur tibi clausula nostræ Epistolæ tuo Illustrissimo patri missæ, in clausula, quæ dicit: Et hoc in secunda vice contingere solet, & in canone qui incipit: Multi arbitrantur usque ad septimam rectificari, sed dico tibi quod ter sufficit. Et cum habueris tale signum, dividas illam in duas partes. & unam partem serva pro creando menstruo, & cum alia parte abstrahas animam à terra per modum quem tibi dicam, fili modus est, quòd tu destilles phlegma quousque maneat ad modum picis liquidæ: & tunc pone super illam de aqua quam rectificasti tantum, quòd supernatet materiam tribus digitis, & bene clauso vase pone in simo vel balneo in digestione per sex dies, postea destilla pro filtro in cineribus calidis totam aquam in qua est anima, postea auge ignem aliquantum & abstrahe oleum & serva. Et postea infunde de alia aqua ut prius, & pone in putrefactione per sex dies ut prius: & postea destilla pro filtro, in cineribus ut prius, primò abstrahendo aquam postea oleum, & sic continua magisterium per eundem modum, quousque extraxeris totam animam à terra. Serva illam, quia est aqua animata: serva oleum pro tinctura. Fili per hoc elucidatur liber Attramentorum in illa parte quæ dicit: Illam aquam divide in duas partes; Et in illa quæ dicit, Serva oleum pro tinctura, & in libro Lucis mercuriorum. Postea terram siccam & induratam accipe, & in vase benè clauso sustinens ignem pone, & da sibi ignem calcinationis, quousque terra albescat. Fili in Dei amore rogo, noli hoc secretum revelare. Terra nostra dealbata & sal depuratum per ingenium artistæ. Et per hoc elucidatur clausula libri Lucis Mercuriorum, quę incipit: Calcina per duos dies cum igne sublimationis. Et super talem terram debes fili, dare animam quæ est in aqua reservata. Fili modus est iste. Accipe terram albam & depuratam & scias pondus, & pone in vitro, & super eam infunde octavam partem aquæ animatæ vase optimè clauso, & pone in balneo nostro per tres dies, quousque videas spiritum condensatum ardentem in balneo, & illum rectificabis, quousque sine phlegmate sit. Tunc superposito alembico extrahe humiditatem sine gustu, quia anima amplexata est spiritum qui est in ea parte. Et per hoc elucidatur tibi caput quod est in libro Lucis Mercuriorum, quod incipit, Unus spiritus intrat alium. Et imbibe secundò cum septima parte aquæ animatæ, & digere: ut prius, & destilla humiditatem. Tertiò imbibas cum sexta parte, & digere ut prius, & destilla humiditatem. Tertiò imbibas cum sexta parte, & digere & destilla humiditatem. Quartò infunde quintam partem aquę animatæ, ut suprà. Quintò des quartam partem, & digere ut scies. Et continua cum quarta parte semper digerendo & abstrahendo humiditatem, quousque terra nostra sit prægnans & alba. Fili per hoc elucidatur tibi capitulum nostri Codicilli intitulati, Illustrissimo patri tuo, quod incipit: Partus nostræ terræ. Fili, scias quod istud caput est generale ad omnium sublimationem Mercuriorum. Tunc accipe terram prægnantem, & pone in vase sublimatorio lutato & bene clauso in igne tertii gradus per viginti quatuor horas: & sublima purum ab impuro. Et

sic

sic habebis, fili, vegetabilem Mercurium sublimatum, clarum, resplendentem in sale mirabili. Fili, scias quod Philosophi & nos appellamus id propriè, sulphur vegetabile, sal armoniacum, sulphur nostrum, sulphur naturæ, & etiam multa alia nomina imponimus sibi. Fili cum Dei adjutorio illud sulphur potest mirabiliter accurtari. Et modus talis est, quòd accipias picem nostram liquidam, & illam pone in cucurbita in igne tertii gradus, & extrahes oleum quousque sicca remaneat terra & combusta. Fili calcina, ut te docui, & depura terram, sic separa sal ab ea, & super illam da quartam partem spiritus qui est in secunda aqua, & digere ut suprà extrahendo postea humiditatem. Iteratò da quartam partem, & digere, & exicca ut prius, quousque terra sit prægnans. Signum erit quòd amplius nil destillabit. Sublima ut prius, & habebis vegetabile sulphur, mundum & purum, & ejusdem virtutis cum primo. Fili cum Dei timore moneo, ne hoc excellentissimum accurtamentum alicui reveles. Fili, spiritum aquæ secundæ debes extrahere post destillationem primæ, & memorare quod rectificatur à terra, & super terram dealbatam. Fili, per hoc elucidatur tibi capitulum nostri Apertorii quod dicit: Præpara terram cum aqua secunda, & aquam cum terra Et caput nostri libri Experimentorum quod incipit: Fili memorare secundam animam cum secunda terra commiscere Id fit cum sale extracto à terra dealbata per calcinationem. Et caput quod incipit: Fili, des sibi quartam partem animæ secundæ. Et caput quod incipit: Fili istam proportionem continuabis cum quarta, usque ad ultimam prægnationem terræ. Fili elucidatur tibi clausula Artis matrimonialis quæ incipit: Et sale depurato, & anima secunda cum proportione quarta. Fili fit matrimonium & vegetabilium partus sine dubio, quod pretiosum est. Etiam nolumus te ignorare, quòd argentum vivum vegetabile nostrum, poteris in alia materia à sua minera extrahere. Fili per hoc elucidatur caput tertium nostri Apertorii, quod incipit: Est & alia materia abstrahendi argentum vivum. Fili modus est, quòd tu capias herbam, quæ dicitur portulaea marina, apium & squillam, euphorbium, piper longum & chelidoniam: & ponas unamquamque illarum in vase vitreo bene clauso, & pones in igne cinerum, & abstrahes aqua, quam bene rectificatam reddas per septem vices super fæces, & pone in fimo calidissimo per mensem cum dimidio. Fili per hoc elucidatur caput nostræ artis matrimonialis, quod incipit: Fili argenta nostra viva vegetabilia putrefiunt per longum tempus. Et caput nostri libri intitulati, Origo nostrorum argentorum vivorum vegetabilium, quod incipit Abstracta aqua post putrefactionem à quocunque vegetabili, vel ab omnibus similibus. Et hæc sunt nostra acuentia vegetabilia. Et sic intelleximus cum diximus: Acue cum vegetabilibus acuentibus scilicet: de istis salibus, & non de herbis simplicibus. Tunc superposito alembico abstrahe aquam in B. & illam rectifica semel Deinde in cineribus extrahe totum unctuosum sive oleum. Fili per hoc elucidatur caput nostri Apertorii quod incipit: Fili unctuosum non est nostra contradictione. Et illam aquam serva: postea fæces quæ remanent calcina, ut suprà te docuimus, in calcinatione aliorum vegetabilium, scilicet in vase vitreo bene clauso non aperiendo illud quousque bene infrigidatum fuerit: quia cum tenserit aerem, inflegmabitur terra calcinata Tunc extrahe simul cum aqua quam reservasti, postea destilla aquam per alembicum cum sale, & scias pondus secundæ terræ dealbatæ, idem, salis abstracti. Et ponas tantum sui ponderis desuper de aqua servata ut de illa quam extraxisti à sale. Et digere per dies quinque in fimo vel B. postea extrahe humiditatem sequendo regimen prædictorum vegetabilium, & continuabis totum illud regale magisterium usque ad 8. vices, postea dissolve in B. & congela, & iterum dissolve & congela, & continua usque ad quinque vices, & habebis sal herbarum vegetabilium acuentium. Et hoc quidem sal, quodcunque sit vegetabile extractum à vino vel à perlis, appellamus sal tartari vel sal nitri. Et hoc intelleximus fieri in arte magna cum diximus, Calcina fæces vini vel tartari, & imbibe eas cum aqua vitæ rectificata & acuta quinquies, quia illæ calcinationes nihil aliud sunt quàm destillationes, & per hunc modum augmentabis & perficies sal vegetabile vini & herbarum cum sua propria aqua. Et de hac acuitione & perfectione valde locuti sumus in libro intitulato Lumen artis, tuo illustrissimo patri dicatum, in cap. quod incipit: Fili acuitio & perfectio istorum salium fit cum aqua sua. Et de hoc intelleximus scilicet in clausula nostræ magicæ: quæ dicit: Acuas cum vegetabilibus pertinentibus quæ sunt apium, squilla, & menstruum vegetabile. Diximus tibi cum revelatione & auxilio Dei omnem modum faciendi vegetabilia sulphura nostra sive argenta viva, cum declaratione omnium capitulorum ad illa pertinentia. Nunc cum auxilio Dei ejus qui est trinus & unus, elucidationem menstrui vegetabilis ab his salibus descendentis tibi dabimus. Et fili, modus est, quod tu accipias illam partem aquæ quam tibi præcepimus servare pro acuitate menstrui vegetabilis: quod nihil aliud est, quam aqua ardens summè rectificata, & illam ad hunc modum acues reducendo super menstruum. Fili R. de sulphure vegetabili quod fecisti, vel de vino, vel de herbis ℥j. & pone in vase vitreo, & super infunde uncias iij. de aqua tibi superius revelata, & vale benè clauso cum coopertorio suo pone in B. per unum diem naturalem: postea destilla in cineribus quousque quod poterit ascendere ascendat: postea scias pondus salis tibi remanentis in fundo vasis: & infunde tres partes sui ponderis aquæ ardentis suprà dictæ, & pone in nostro B. per unum diem naturalem, postea in cineribus destilles: & sic facies tribus vicibus. Tunc totum sal vegetabile transactum est per alembicum cum sua propria aqua, & facta est mixtio, & aqua clara quam simplex menstruum vocamus. Fili per hoc elucidatur tibi cap. Lucis quo dicitur: Fac mixtionem cum aqua, & pone in balneo: & dicitur aqua clara quam menstruum vocamus. Et cap. Testamenti quod incipit: Opus namque margaritarum. Et cap. illud quod incipit: Accipe aquam cum qua fit aqua Mercurii vulgi. Similiter caput, quod dicit: Accipe aquam ardentem, pone in tertiam rectificationem. Fili intelleximus tertiam rectificationem, quia tribus vicibus facimus transire sal cum aqua, & non aquam vulgarem prout simplicem intelleximus. Fili, hæc est aqua quam menstruum simplex, & menstruum resolubile vocamus, quod in resolutivum menstruum per circulationem reduci potest: ut intelleximus

leximus in cap. Facta per multos dies. Et elucidatur tibi quomodo illa aqua dicitur menstruum resolubile & resolutivum. Fili Recipe vas vitreum, quod sit vitrum album & solidum, & sit vas magnum, & pone intus libras 4. vel 6. ad plus hujus menstrui sic simpliciter soluti. Et vase benè clauso & sigillato pone in B. vel fimo 6. dierum spatio. Et in isto igne convertetur in quintam essentiam gloriosam & odoriferam præter modum. Quod cognosces quando in fundo vasis videbis hypostasim ad modum urinæ invenis bene complexionati, & erit clara & resplendens ut stella cœli. Serva eam in loco calido & humido, ut est balneum, prius separando eam ab hypostasi sua, & optimè sigillando vas. Fili per hoc elucidatur tibi cap. in lib. quintæ essentiæ, quod incipit: Fili non reputes me mendacium dixisse. Et in cap. ejusdem lib. quod dicit: Si eam posueris super terram, attrahet aves. Et in anima metallorum cap. quod incipit: Sed tandem prius te oportet, Princeps Serenissime, eam per circulationem perficere, & in Testamento cap. quod incipit: Recipe ℥ ij. de G. vegetabili, licet ibi de minerali intelligamus fieri, quod fit per eandem similitudinem, ut declarabimus suo loco. Et de hoc intelleximus fieri in cap. Testamenti quod incipit: Accipe de liquore lunariæ. Et in anima artis cap. quod incipit: Tu in virtute Dei accipe aurum, & pone in menstruo nostro. Et in Lucidario supra Testamento cap. quod incipit: Tu in virtute Dei Recipe solem, & projice ipsum in aquam vegetabilem. Et in practica fermocinali operis minoris, in cap. quod incipit: Modus liquefactionis cum vegetabilibus. Et in anima artis, in cap. Quod circa ista materia nostra. Et in clausula ejusdem capitis quæ dicit: Materia nostri lapidis, & omnium lapidum qui per vegetabile fiunt, tam philosophorum, quam pretiosorum, virtuosorum, qui per artificium fiunt. Et omnia metalla est menstruum nostrum vegetabile, acuatum, rectificatum, cœlificatum, seu lucerna cœlica, quod apud Philosophicos & nos vocatur Mercurius vegetabilis, ortus à vino rubeo vel albo. Et in Anima artis cap. quod incipit: Liber primus dividitur in partem, &c. & in clausula ejusdem cap. quæ dicit: Sed tamen per primum oportet te Serenissime Rex, nostrum vegetabile menstruum à morte, id est à fæcibus vini & phlegmate extrahere per rectificationem alembici. Et in cap. nostri Codicilli, quod incipit: Principia nostra confusa in opere naturali. Et in cap. quod incipit de ista materia. Hæc est illa humiditas permanens, de qua diximus in nostro Codicillo cap. quod incipit: Nostra humiditas est aqua vegetabilis per totum. Et in clausula ejusdem Codicilli quæ dicit: Est consolatio ultima corporis humani nostrum vegetabile menstruum cœlificatum, Et in cap. ejusdem Codicilli quod dicit: Nulla quippe res est, quæ conjungat metallorum solutionem, & reducat ad finem perfectionis nisi nostrum vegetabile, seu minerale menstruum. Et in clausula quæ dicit: Ponas metalla ad dissolvendum cum aqua mercurii: hoc est, cujuscunque menstrui. Et in cap. quod dicit: Et ista aqua habet naturam removendi omnia extranea. Et in capite quod dicit: Circa istud menstruum in quo est ignis contra naturam. Et in cap. quod incipit: Similiter ista aqua menstrualis, quæ fit cum aqua mercurii vegetabilis ad opus margaritarum, & ad particularia hujus magisterii, & qualiter in suo loco dicemus. Et in Anima artis clausula quæ incipit. Jam noveris Princeps Serenissime nostrum vegetabile menstruum esse aquam claram à phlegmate vili depuratam, acutam cum suo sale. Et in clausula quæ incipit: Quare Princeps Serenissime aliter metalla dissolvi non possunt, nisi animentur cum menstruo vegetabili. Et istud menstruum sit clarificatum & circulatum. Fili philosophi appellarunt spiritum vivum, quia metalla vivificat, & aquam vitæ & animam cœlicam, vegetabile menstruum, fimum, stellam, dianam: alii sanguinem menstrualem, urinam: alii urinam sublimatam: alii aquam sulphuris nostri: alii petram benedictam. Et hæc nomina fecerunt errare incipientes vulgares, credentes ista nomina varias significare res. Scias fili, quod in aliis capit tibi præallegatis & dilucidatis, intelligimus de menstruo vegetabili circulato, ut tibi clarè ostendimus, & semper intelleximus. Et sic fili habes modum faciendi nostrum vegetabile menstruum, resolubile & resolutivum, cum omnibus capitulis sibi pertinentibus peroptimè elucidatum. Memorare ergo eum cum Dei timore, & intra secretum pectoris tui sub pœna maledictionis Dei retineas. Diximus tibi. Serenissime Princeps, & charissimè fili, compositionem menstrui nostri, & elucidationem omnium capit. de eo tractantium. Nunc fili dabimus tibi modum cum Dei auxilio dissolutionis nostrorum luminarium, procreatione & sublimatione nostri sulphuris, nec non pro compositione nostri lapidis pretiosi prædicti. Et fili modus est, quòd tu accipias libram 1. argenti vivi vulgi & pone in vase vitreo, & superpone de vegetabili menstruo, quod supernatet per quatuor digitos: pone in B. vel fimo per sex dies, & totum solvetur in aquam gloriosam. Eleva menstruum per B. lene, & in fundo vasi remanebit tibi lumen perlarum, & anima metallorum. De hoc intelleximus in cap. Opus margaritarum sic condes. Et in lib. Lumen solis cap. quod incipit: Oportet nos cum eo incipere & cum eo finire. Et in cap. quod incipit: Nihil aliud est lapis noster, quàm aurum & argentum, & argentum vivum: quæ tria quotidie videmus. Et in lib. Mercuriorum cap. quod incipit: Intelleximus de omnibus tam de nostro quàm de vulgari, & in Theorica Testamenti capite 56. in clausula quæ dicit, quòd argentum vivum non valet unum ficum putridum: hoc diximus, quia multum valet. Tunc accipe talem aquam gloriosam argenti vivi, quæ erit libra 1. & misce cum libris duabus de menstruo vegetabili cœlificato: & totum fiet una anima cum aqua dissolves omnia corpora tam perfecta quam imperfecta pro creatione sulphuris nostri. Et scias fili in veritate & Dei fide, quod nullum naturæ sulphur alicujus metalli sublimaretur absque ista aqua argenti vivi vulgi. Modus: Recipe auri bene cementati, purificati & calcinati, prout in tertio canone quintæ essentiæ, ℥ iiij. & pone in vase vitri, & superfunde menstruo mixto, in quo est aqua argenti vivi, ℥iiij. & pone in cineribus per unum diem naturalem, ut bulliat lentissimo igne, postea pone in B. per duos dies naturales, & illud quod invenies solutum in hoc tempore, evacua per inclinationem in alio vase, & serva illud in B. postea superfundas de alio novo menstruo quantum est pondus calcis remanentis insolutæ, & fac bullire super cineres per unum diem, & in B. per duos dies, ut suprà fecisti, postea evacua quod solutum est, & cum alio servato in B. pone.

ne. Et sic continuabis nostram solutionem regalem, quousque totum aurum sit conversum in aquam glorioſam. Fili, per hoc elucidatur tibi clausula theoricæ Testamen. quæ dicit: dissolve æqua lance librata, & cap. artis fundamentalis quod incipit, Omnes liquefactiones: & cap. in libro de Conservatione vitæ humanæ quod incipit: Hæc solutio est aurum potabile: & in cap. abbreviationis in cap. quod incipit: Scias quòd peracta destillatione, si in ea aurum solveris, & aquam evolare feceris; & demum in loco humido ponas 4. diebus; per se solvetur: & hæc solutio est aurum potabile. Intelligas fili, pro salute humana aurum dissolvi cum menstruo vegetabili antequam immiſceas cum argento vivo vulgi: pro metallis verò maximè sine illo. Et de hoc intelleximus in lib. de Intentione Alchymistarum tuo illustrissimo patri conditum in cap. quod incipit: Postquam habueris aurum cum tota sua anima, & in lib. Experimentorum cap. quod incipit: Fili, postquam liquefactionem auri cum mixtura menstrui. Et in lib. Principiorum naturæ, in capite quod incipit: A resoluto & putrificato incipiendus est lapis, & in lib. Limus lapidis cap. quod incipit. Post dissolutionem auri cum menstruo argenti vivi tunc procede ad sulphur naturæ. Tunc fili, habebis aurum solutum cum omnibus capit. sibi spectantibus elucidatum. Quando ergo cum Dei auxilio ad naturæ sulphur metallorum procedemus; quoniam sine ipso factum est nihil. Modus est iste fili, quòd tu accipias illud aurum sic solutum, & ponas in B. & destilles ab eo totum menstruum, quousque aurum sit in modum ceræ fusæ. Tunc fili, scias pondus dictæ materiæ, quæ statim in vase ad modum liquoris spissi. Et superpone de menstruo illo quod extraxisti ab illa materia per B. partes tres sui ponderis & pone in nostro B. philosophico per unum diem naturalem: postea pone in cineribus & destilla quod poteris, & quod destillatum est, pone in vase vitreo ad partem in fudore B. Inde scias pondus dictæ materiæ quæ remansit in vase, & superfunde tres partes sui ponderis de menstruo prædicto, & digere, ut primò per unum diem in B. deinde destilla in cineribus. Et tantum reiterabis hoc magisterium, quousque tota substantia auri tranſeat per alembicum simul cum menstruo. Tunc fili, omnes destillationes simul in uno vase ponas, et in B. destilla menstruum: et in fundo vasis remanebit tibi liquor serenus; quem in B. serva. Et menstruum ab eo extractum in alio vase serva in B. Fili, per hoc elucidatur tibi caput, in lib. misso tuo chariſſimo patri, in cap. quod incipit: Recipe de Mercurio quem scis. Fili, illud animam metallorum vocamus. Et hoc intelleximus fieri in cap. nostri Codicilli quod incipit: Post iam dictam dissolutionem: et in lib. Principiorum cap. quod incipit: Cum sic autem menstruum à materia aurea liquorosa, et Mercurio quem scimus abstraxeris, et in lib. Lumen solis in cap. quod incipit: Mercurius iam nobis natus est liquor serenus. Fili, postea accipe terram tibi remanentem in fundo vasis, quæ est illa, ex qua extraxisti animam auri superius iam tibi dictam et calcina eam isto modo: Recipe menstruum quod tibi præcepi in B. servare, quod est illud quod ab illa anima iam superius revelata extraxisti per B. et superfunde super terram tantum sui ponderis, et pone in nostro B. philosophico per unum diem naturalem, postea in lentissimo cinere vel igne lucernæ destilla. Et iterum superpone de eodem menstruo tantum sui ponderis, et digere in B. per unum diem et destilla in cinere ut prius. Et hoc usque ad 10. vices reiterabis, donec terra sit conversa in pulverem impalpabilem. Post pone super terram quæ est pulvis impalpabilis de menstruo quod ab eo pulvere destillasti. Et pone in digestione in B. per 2. dies: postea destilla in cinere totum quod poterit destillari: postea imbibe ut suprà & digere in nostro B. per duos dies; & in cinere destilla: & hoc reiterabis usque ad decem vices: semper cum novo menstruo ejusdem quantitatis: vel donec tota illa terra pulvis transeat per alembicum simul cum menstruo. Fili, istam terram sic liquefactam & transactam, vocamus in lib. de Intentione Alchymistarum tuo illustrissimo patri condito, argentum vivum, & per hoc elucidatur tibi cap. Animæ artis tuo patri missum, quod incipit: Secunda pars in clausula quæ dicit, Quousque terra tranſeat per alembicum; simul cum menstruo. Fili, accipe omnes destillationes in quibus est terra illa; & ponas eas in vase vitreo cum suo alembico; & destilla totum menstruum ab eis quousque tota terra remaneat ſicca. Tunc oportet te illam præparare, donec sit apta ad recipiendum nostrum Mercurium, id est illam animam, quam superius servasti, quem Mercurium, quem scis, glorioſum vocamus. Et modus est quod tu accipias pondus dictæ terræ & ponas desuper quartam partem dicti menstrui, in quo est talis Mercurius. Et ponas in balneo per sex dies in vase vitreo optimè sigillato: postea aperi vas, & in cinere lentissimo superpoſito alembico humiditatem superfluam destilla. Postea auge ignem per alium gradum; & liquorem sive oleum quod ascendit serva. Et iterum pone de menstruo suo in quo est semen suum, & digere per sex dies ut supra, & destilla humiditatem; postea oleum cum alio repone & optimè serva pro incorporatione Mercuriorum. Et sic continua, quousque terra nostra sit dispoſita ad amplectendum animam suam. Fili; signum est quando biberit, & retinuerit quatuor partes plus sui ponderis: vel quod si per laminam auri vel argenti ignitam; modicum ponas, totum quasi volabit in fumum. Quod si non fecerit, reitera quousque tale signum faciat. Fili, hoc intelleximus fieri in toto cap. figuræ fundamentalis nostri Testamenti, in cap. quod incipit: Cumque eam præparaveris; & signum prædictum assecutus fueris, & cap. lib. Lumen solis, quòd incipit: Terra prægnans & præparata est illa, quæ debet sublimari. Tunc Princeps Sereniſſime, oportet te illud scire, scilicet eius sublimationem, quia hanc terram appellamus lavacrum philoſophi, bufo, venenum peſſimum. Et debet esse alba, & aliquantum viridis: quia sua ſiccitate Mercurium suum, sive animam in naturæ sulphur convertit. Et modus sublimationis est, quòd tu ponas eam peroptimè pulverizatam in vase vitreo bene solido, habente collum longum optimè sigillatum. Et ponas in igne quatuor graduum cum forti igne quantum poteris, incipiendo primum lento igne, procedendo, & continuando, & fortificando usque ad 4. vel 6. horas. Et ascendet metallorum materia, ad latera vasis admodum argenti vivi. Fili, per hoc elucidavimus tibi multa capitula nostrorum librorum,

rum, quos fecimus, & multa alia addemus, in testimonium declarationis. Et primo, fili mi, elucidatur tibi cap. nostri Testamenti quod incipit. Cum tu diviseris lapidem in putrificatione terræ, hoc est, nostrum sulphur metallorum, & cap. in Vade mecum de Mercurio philosophorum, quod incipit: Cum autem per iam dictum sublimationem Mercurius diminutus fuerit. Et cap. ejusdem lib. quod incipit: Putrificatio terræ fit per viam sublimationis in vase terræ, & cap. Testamentum in cap. quod incipit: De documenti natura respectu corporis & Mercurij: & infra clausula quæ dicit, Quousque noster superius assumat pennas, & cap. Testamenti de natura supremi fermenti, ubi significavimus naturam eius sulphuris glorioſi. Et in Anima artis cap. quod incipit: Fili, oportet quòd habeas sulphur naturæ metallorum. Et hoc intelleximus fieri in nostro Codicillo cap. quod incipit: Per istam discretionem sulphuris & terræ. Et in eodem Codicillo cap. quod incipit: Fili, intentio nostra est tibi dicere naturam fermenti sulphuris. Et in Epistola abbreviationis cum dicimus: Recipe unciam j. fermenti soluti. Et de eo intelleximus fieri in Lucidario super Testamentum cum dicimus: Tu in virtute Dei Recipe solem, & pone in aquam vegetabilem: & in lib. Lumen Solis, cap. quod ait: Sulphur quod albificat in compositione prima arboris philosophalis, scias quod debet esse sublimatum à suo metallo, sive albo sive rubeo. Et in libro Proprietatum cap. quod incipit: Propria rectificatio sulphuris, est depuratio per sublimationem à suo metallo, sive perfecto sive imperfecto. Fili, ut clarius intelligas, variis nominibus philosophi illud glorioſum sulphur appellaverunt, secundum varias rerum operationes. Dixerunt quidam, sal armoniacum, sal ignis, sal alcali, aqua maris acuta, aqua cremans, sal amarum, vitriolum, vitella ovorum, stella diana, stella matutina, aqua volans, aqua soluta, umbra ignis, sal noster, sal cõdimenti, sal anathron, sal nitri, cinis boracis, sal gemmæ, sal saponis, nubes congelata, Soza, ventus cõgelatus, gelu, ventus corporeus, secretum naturæ, aqua maris congelata, arsenicum sublimatum, pulvis ad altum volans, sulphur exaltatum, Mercurius sublimatus. Fili charissime, ista nomina diversa à diversis sapientibus data, de una sola re, id est, de uno solo nostro sulphure intelligas, & hoc est quod tibi revelamus cum suo magisterio: Et hoc idem facit vulgares & insipientes errare, propter eorum imperitiam, faciendo nos postea culpabiles. Fili, quod tibi diximus de uno, intelligas de omnibus, tam perfectis quam imperfectis dixisse: quia idem est magisterium omnium. Hucusque fili, dedimus tibi modum faciendi sulphura cum omnibus suis magisteriis & declaratione integra cap. sibi pertinentium. Modò autem dabimus tibi modum faciendi primas radices arboris philosophalis cum omni suo regali magisterio, postmodum de trunco & branchis & floribus toti arbori pertinentibus, cum gratia & iuvamine illius qui est trinus & unus. Et quia in magisterio istarum primarum radicum primæ arboris vegetabilis, oportet te elementa separare de hoc tibi proculdubio modum impendemus. Modus est, fili dilectissime, Oportet te habere aliam materiam metallicam argenti factam per modum quem fecisti de auro. Et cum habueris sic ista duo sulphura, id est auri & argenti, oportet te postea procedere in divisione, per modum quem te docebimus. Fili, modus est, ut tu accipias sulphur auri iam dicti, & ponas in vase vitreo, & superfundas illi de menstruo vegetabili, cœlico, iam tibi noto, tantum sui ponderis, & ponas in digestione B. per 6. dies: inde per B. destilla: postea infunde de novo menstruo ad sui pondus, & pone in digestione in B. per 6. dies: postea pone in cineres per unum diem totum destillando quod poterit destillari, & pone cum alio destillato prius. Et iterum pone de novo menstruo & digere, & destilla ut prius. Et tantum reitera hoc regale magisterium integraliter, quod tota terra sive sulphur dictum evacuetur aere suo: id quod fit viginti duobus vicibus, si sciveris laborare: postea accipe omnes destillationes & pone illas in B. & destilla totum menstruum, & vide si totus aer maneat ad modum liquoris, tunc cognosces terram esse evacuatam aere suo. Quod si non fuerit, reitera cum novo menstruo, in B. digerendo, & in cinere distillando ut supra, usque ad tres vices: & tunc totum sulphur nostrum erit evacuatum suo aere. Tunc accipe aerem quem servasti, & pone super ipsum totum suum menstruum, quod est illud cum quo evacuasti aerem, & superfunde super terram sulphuris auri, & pone in digestione in B. per 8. dies: postea in dicto B. extrahe totum menstruum per unum diem, & per alium in cinere extrahe totum aerem & ignem quantum poteris, scilicet in alio receptaculo. Quod cognosces, quando aer incipit mutare colorem subrubeum: serva istum ignem ad partem, & iterum pone aerem cum dicto menstruo abstracto ab eo, vel cum alio: & pone super terram in balneo, & digere per 6. dies, & destilla in dicto B. totum menstruum per unum diem, & ignem in cinere, separando deinde quodlibet de per se ut suprà fecisti. Et serva ignem in B. & iterum pone aerem cum menstruo, & pone totum super terram in qua est ignis, & digere ut supra: & tantum reiterabis totum magisterium, quod terra sit bene evacuata suo igne, quod fit in 40. vicibus seu iterationibus. Ideo Princeps illustrissime, intellexisti hoc fieri in clausula Lucidarii nostri Testam. dicente, noveris in nostro opere etiam liquorem. Et in libro Animæ artis, cap. quod incipit: Diximus, Sereniſſime Princeps. Ideo primo est aqua cœlestina, secundo aer, tertio ignis, scilicet liquor, de quo lapis philosophorum componitur: & tractamus de difficultate & tempore separationis elementorum. Tunc oportet te fili, terram sublimare: & per hoc elucidatur tibi verbum Lucidarii Testamenti dicens, Oportet te terram sublimare. Et totaliter in lib. de Proprietatibus, quod incipit: Sublimatio terræ fit, ut fiat Mercurius de intentione Alchymistarum. Et in lib. Lumen Solis cap. quod incipit: Mercurius de intentione Alchymistarum est, terra sublimata: & in lib. Additionum cap. quod incipit: Noster Mercurius est aliquando terra subtilis dealbata: & in Anima artis, clausula quæ dicit: Ista quippe materia est terra & argentum vivum de intentione Alchymistarum. Postea intellexi fieri post separationem terræ ab aliis elementis, quam sublimabimus per hunc modum: Fili, accipe illam terram quæ remansit post separationem aeris & ignis, & ponas illam in vase vitreo, & superfundas de menstruo vegetabili ad quantitatem terræ: & ponas in B. per unum diem naturalem: postea per alium diem in cinere destilla: & iterum pone de dicto menstruo ad pondus terræ, & digere in B. per unum diem, & destilla in cinere per alium diem: & iterum reitera digerendo in B. & destillando in cinere, donec

re, donec tota terra conversa sit in pulverem impalpabilem. Tunc accipe illam & pone de menstruo ad pondus illius, & pone in digestione in B. per duos dies, postea destilla in cinere per diem & pone destillatum in B. Tunc accipe terram & repone de alio menstruo ad pondus ipsius, & digere per duos dies, & destilla ut prius, & iterando in humationes & destillationes procedes, donec terra sit tranacta per alembicum simul cum menstruo: Ista terra sic cum menstruo mixta, dicitur argentum vivum exuberatum, de intentione Alchymistarum, ut intelleximus in lib. Additionum cap. quod incipit. Exuberatio nostri argenti vivi fit cum nostra aqua & terra. Pone ergo istas destillationes in quibus est ista terra ad destillandum per B. & extrahe menstruum, & remanebit terra sicca & præparata in fundo vasis, serva. Sic fili, habes elementa sulphuris auri divisa cum Dei auxilio. Tunc Princeps Serenissime, oportet te habere sulphur argenti vivi, & de eo elementa separare similiter separando aerem cum aqua menstrali & ignem cum aere & aqua, & terram cum menstruo sublimare, & eodem met menstruo per alembicum facere pertransire. Habes etiam fili, elementa sulphuris albi, & elementa sulphuris rubei separata & divisa. Et de hoc intellexi fieri in cap. nostri Testam. quod incipit. Quando tu impastaveris. &c. & in cap. lib. de Intentione artis magicæ bona tuo patri misso, quod incipit: Post quatuor elementorum separat. Modò fili charissime, oportet te ista intelligere in clausula Lucidarii testam. quæ incipit: Item postquam elementa separaveris, fili, modus est quòd tu accipias menstruum si e aquam cum qua separasti elementa sulphurum auri & argenti: & isto modo dissolve pro qualibet libra de menstruo scilicet cum quo dissolvisti aurum, ʒ. j. auri, et in menstruo cum quo dissolvisti argentum ʒ. i. argenti. Et pone quodlibet de per se in vase circulationis in B. vel in fimo per quindecim dies & ibi fortificabitur in suam naturam menstrualem. Fili, hanc aquam appellamus Menstruum elementatum, aquam abluram & abstractam à fæcibus terræ. Et hoc intellexinus fieri in capite nostri Testamenti quod incipit: Quandò eà divideris; Et in clausula Lucidarij Testamenti quæ dicit: Post hoc nota, Tu accipe dictam aquam vegetabilem fortificatam per vas circulationis & Hermetis; quod est pellicanus, & extrahe spiritum quintæ Essentiæ. Fili dilectissime, habes duo Elementa; aquam quam dicimus menstruum, præparatam ad opus, præpara ergo alia cum Dei auxilio per hunc modum. Accipe duo elementa sulphuris auri, scilicet aerem et ignem, et pone simul in vitreo vase destillatorio, et pone in cinere ad destillandum cum igne temperatissimo, quousque ex quinque partibus habeas tres partes destillatas in receptorio. Tunc dimitte infrigidari, et quod destillatum est accipe de per se; et septem vicibus destilla de per se, & serva ad partem, et postea redi ad destillandum quod reliquisti; quando ex quinque partibus destillasti tres: et super duas quæ remanserunt continua destillationem quousque videas ignem congelari ad latera vasis: dimitte infrigidari quousque ignis cogelatus fuerit. Et ille ignis quem extraxisti quousque ignis congelatus fuit, dicitur aer secundus et tinctura, et vocamus eum nostrum secretum, et nostrum thelaurum, et vaporem elementorum. Istud etiam rectificabis fili, per septimam destillationem seu rectificationem, et terram quam post destillationem primi et secundi aeris abstraxeris à vasis in quibus aerem primum et secundum de illa di, pones in igne congelari. Et illa terra ignis appellatur. Nunc fili, præpara hunc ignem isto modo: pone illum in vase destillatorio, & pone desuper de sua propia aqua, quæ est illa cum qua separasti elementa sulphuris auri, quando tibi præcepimus deducere ad spiritum 5. in vase Hermetis: & diximus aquam albam à fæcibus terræ. 5. partes sui ponderis, scilicet super ʒ j. de dicto igne ʒ. v. de dicta aqua: & pone ad digerendum in B. per 8. dies: postea in cinere lentissimo destilla, & iterum pone de nova aquà scilicet 5. partes, & digere & destilla ut suprà, & totum reitera cum isto regimine usque ad septem vices: & sic habes ignem sulphuris calcinatum philosophica calcinatione. Et sic habes ignem & terram simul calcinata philosophica calcinatione. Et sunt duo elementa sulphuris rubei præparata ad limos desertos. Et nota quòd debes ponere terram sulphuris albi quam calcinasti & præparasti post separationem elementorum sulphuris rubei cum terra, quam extraxisti ab aere mixto cum igne, & ambas pone cum igne congelato. Modo fili, accipe terram sulphuris argenti, quæ tibi remansit post separationem elementorum, & illam præpara quemadmodum fecisti, calcinasti & præparasti terram auri: post separationem elementorum simul cum menstruo sublimati, & in pulverem impalpabilem redacti, & cum eodem menstruo per alembicum portando & faciendo transire: & hoc totum; si præparationem hanc terræ sulphuris argenti facias cum menstruo, cum quo separasti elementa sulphuris argenti, tunc habes terras sulphuris auri & argenti præparatas de per se. Quod cognosces per signum tibi datum, scilicet ponendo parum super laminam lunæ ignitam, evolabit in fumum major pars. tunc R. illas terras æquali pondere & unciis; & pone in vase præparatorio: post accipe menstruum cum quo præparasti elementa lunæ, & in eo ponas in lib. j. ʒ. j. sulphuris vegetabilis; quod tibi demonstravimus facere ex terra vini, et destillando facias totum per alembicum transire: et tunc habebis menstruum cum quo extraxisti elementa sulphuris lunæ animatum et acutum. Tunc fili, oportet te terras sulphurum antedictorum, id est, auri et argenti simul miscere et præparare, dando sibi quartam partem sui ponderis dicti menstrui, digerendo et desiccando; ut in creatione sulphuris fit quousque biberit 4. partes de dicto menstruo; et sic dispositá ad sublimandum, quam sublimabis in igne quarti gradus. Et nota quòd omnes istæ præparationes et destillationes terrarum deberent fieri in B. et sic habes fili, sulphur nostrum, sive materiam, sive terram vegetabilem et metallicam; in uno genere unitam ad componendum lapidem gloriosum, altum et virtuosum, qui tibi transformabit argentum vivum vulgi in perfectum solem vel lunam sine iuvamento ignis, sed tanquam oculus basiliski, qui solo intuitu interficit animalia. Quem sic compones. Sed interest fili, ut per compositionem radicum istarum, tam sublimis et altæ arboris quas limos desertos appellamus; in quibus tota virtus cœli et terræ ad hoc magisterium pertinens infunditur, magnám diligentiam adhibeas, et summo ingenio componas. Et modus est quòd tu accipias de terra sive sulphure vegetabili, quod univisti in uno genere per sublimationem, quæ est illa quam appellasti terram sulphuris in uno genere unitam. Et eum ponas in vase vitreo et supertundas de menstruo cù quo separasti elementa sulphuris lunæ, et præparasti dictum

ctum genus terræ, tantum ſui ponderis, & pones in B. philoſophico per tres dies naturales. Et in illo tempore reſolvetur totum: quod ſic ſolutum pone in B. vulgi, & deſtilla menſtruum, & terra ſuo generi unita per ſublimationem remanebit & oleum. Quod oleum unguentum philoſophorum appellamus, & unum de ſecretis quod procuramus occultari. Et per hoc declaratur tibi cap. Teſtamenti quod incipit: Procurabimus illum arcanum quando poſuerimus eum. Tunc accipe de iſto oleo terræ ſive unguento ſupradicto drach. x & de aere lunæ prius rectificato ℥. j. pone in igne cineris & deſtilla, & quod deſtillatur, [quod eſt ferè totum] dicitur limus deſertus terreus. Serva illum ad tempus. Tunc accipe de elemento ipſius ſulphuris auri iam præparati & cõgelati drach. xx. & de elemento aeris lunæ drach. j. & de elemento aeris ſulphuris auri drach. aliam, & pone totum in cineribus & deſtilla, & quod deſtillatur ex eo quod erit ferè totum, dicitur limus deſertus æthereus: ſerva ad tempus. Tunc accipe de elemento ignis ſulphuris auri drach. j. ſive ii. & iterum rectifica illud iſto modo, ponendo ſuper eum quinque partes de ſuo proprio menſtruo, quod eſt cum quo ſeparaſti elementa eiuſdem ſulphuris auri, & pone ad digerendum in B. per unum diem naturalem: poſtea in cinere deſtilla quod poteris. Et iterum pone de dicto menſtruo, & digere, & per cinerem deſtilla, & reitera tantum, quod totũ tranſeat per ignẽ cineris. Tunc accipe tantum ſui ponderis de dicta terrea vegetabili, unita & ſublimata ſimul, unias ſimul & non deſtilles, ſed ſic dimittes: & dicitur limus deſertus non vaporiſatus. Item accipe drach. j. dictæ terræ & ℥. j. olei aeris lunæ & miſce ſimul, & facias idem magiſterium quod feciſti cum præcedenti auro: & dicitur limus terreus, deſertus, lunificatus, vaporiſatus: & hoc intelleximus fieri in lib. Lumen ſolis in cap. quod incipit: Nota tota elementa vaporiſamus. Et quia fili, voluimus tibi totum magiſterium declarare, volumus præambula facere. Sed totum particulariter declaratur, & habes cum Dei auxilio limos deſertos pro lapide excellentis virtutis. Modo nobis videtur dare modum cœlificandi & præparandi illos ad virtutes cœli & terræ recipiendas, & modus eſt iſte. Quod tu accipies vaſa aerea vel ferrea quæ ſunt virgulata, & ſint ſicut illa in quibus cantant pſytaci, ſed virgulæ ſint magis ſtrictæ, ita quod non poſſit intrare aliqua terra, nec cœleſtis nec terreſtris, ſed ſolum vapor cœli & terræ, quos habebis per influxum: & cum Dei gratia accipe limum factum ex 10. ℥. vel ℨ ſi poteris tantum habere terræ vel ſulphuris uniti, quod eſt illud quod uniſti ex terra ſulphuris argenti, & appellavimus oleum unguentum, & ex una drach. aeris lunæ & j. aeris ſolis ſimul mixtis: & iſtum limum ponas in vaſe vitreo cum longo collo optimè ſigillato ſigillo Hermetis, & iſtud ponas in vaſe virgulato, & ponas ſubtus terram per unum brachium vel duos, & dimittas ad annum cum dimidio, vel ad minus per annum cooperiendo benè illud cum terra ſua, & ſervando ab omnibus periculis & in iſto tempore efficitur una aqua potẽs, mirabiles habens virtutes fixativas lapidis: & habet mirabiles virtutes acquiſitas à cœlo, quas attraxit à vaporibus terræ, plus quàm à duabus arcatis fortis artis. Fili, ſuper hoc quieſce. Tunc accipe limum quem feciſti de 10. drach. ignis ſulphuris auri, & ex j. drach. aeris ſulphuris lunæ, & iſtud pone in alio vaſe vitreo cum longo collo Hermeticè ſigillato: & pone in alio vaſe virgulato, & pone ſuſpenſum in aere, arbore vel loco abdito ab omni vento, pulvere, & omni periculo. Dimitte ad unum annum cum dimidio, vel ad minus anno integro, ut de alio diximus, & ita efficietur una aqua clara habens virtutem indurandi, fixandi, & congelandi, penetrandi, faciendi lapidem volatilem, et dicitur Mercurius aeris acutiſſimæ penetrationis. Quo facto accipe limum non vaporiſatum nec cœlificatum, qui eſt ille quem feciſti ex j. drach. elementi ignis ſulphuris ſolis, et ex j. drach. terræ unitæ, et illum quem feciſti ex j. drach. terræ ſulphuris unitæ et j. drach. aeris, lunæ, et illas pone quodlibet de per ſe in vaſe vitreo ſigillato, ut de aliis eſt dictum. Et ponas ſubtus terram, per unum brachium, per annum integrum in vaſe virgulato, ut de aliis dictum eſt: et in illo tempore efficitur una aqua habens mirabilem virtutem coniungendi: & ſuper hoc quieſce. Tunc accipe limum quem feciſti ex decem drach. ignis vel aeris, et 9. terræ, et accipe quod ſupereſt, quod eſt aer lunæ, quia non accepiſti ab eo niſi drach. iii. quando feciſti limos: et illud pone ſuſpenſum in aerem in vaſe vitreo ſigillato, et in vaſe virgulato, ut de aliis feciſti, et ibi accipiet virtutes cœlicas, quæ ſunt media conjunctionis inter limum terræ, et limum ignis et aliorum. His peractis accipe aerem ſecundum, qui eſt ille quem abſtraxiſti ab igne congelato drach. x et terræ unitæ drach. j. quæ eſt ille aer quem tibi diximus oleum philoſophicum, et theſaurum philoſophicum: et pone de per ſe in alio vaſe vitreo bene ſigillato, et in vaſe congelato: et pone ad aerem prope alia quæ poſuiſti ad annum integrum. Quo facto accipe menſtruum cum quo ſeparaſti elementa ſulphuris lunæ, et pone in quolibet vaſe, in quo eſt menſtruum lunæ, drach. j. ſulphuris vegetabilis, et pone in balneo, poſtea in cineribus, quouſque facias pertranſire totum ſimul cum quolibet menſtruo de per ſe. Tunc quodlibet menſtruum ſic rectificatum vel vivificatum et animatum pone in vitreo vaſe ſigillato de per ſe in ſuis vaſis virgulatis: et ponas ad aerem ſuſpenſum prope alia ad annum unum. Quo facto accipe oleagineitatem lunæ, quæ eſt illa quam abſtraxiſti à terra lunæ, quando præparabas eam pro ceratione ſulphuris lunæ, quam præcepimus tibi ſervare, et diximus quòd de ſapientia retinebit et diximus quod erat pro ceratione, et ponas in vaſe vitreo ſigillato, et ponas in aere, et ibi efficitur aqua fluxibilis et virtuoſa, mirabilis penetrationis. Et quod diximus de oleagine incerativa alba, dicimus de oleagine incerativa rubea. Et habes fili, lapidem in 8. partes diviſum, tres in terra, et quinque in aere: et elucidatur tibi cap. in lib. Lumen Solis, quod incipit: Octo quidem elementa, etc. His autem peractis oportet te, Princeps Sereniſſime, duas arbores philoſophicè componere, habentes radices fundamentales diſtinctas, unam albam et unam rubeam, quælibet tranſmutantem de per ſe Mercurium vulgi in aurum vel argentum ſine ignis juvamento et minerali meliora, quibus ſimul mixtis, efficitur arboris truncus vel brachia, ex qua per ſublimationem cauſantur quatuor rivuli cũ ſuis fontibus. Et elucidatur tibi tota figura quarta cum ſuis cameris Et fili, modus cõpoſitionis primæ radicis eſt, quod tu accipias limum non vaporoſum quem ſepeliſti in terra, et eſt ille quem feciſti ex uncia j. terræ unitæ generi ſuo ſimul ſublimati, et unc. j. aeris lunæ: et pone in vaſe vitreato putrefactorio: et tunc accipe menſtruũ acuatũ cum ſulphure vegetabili, quod eſt illud quod ſuſpendiſti ad aerem, et eſt album menſtruum, ſcilicet illud cum quo ſeparaſti elementa ſulphuris lunæ, et divide in duas partes æquales, ſcilicet unc. 12. et unam pone cum dicto limo albo non vaporiſato;

fato: & ponè in B. philosophico per duodecim dies: postea aperi vas & superfunde aliud, & sic facies de duodecim in duodecim dies quousque menstruum album sit in una substantia cristallina cum illo limo terreo non vaporisato. Tunc accipias limum terreum non vaporisatum, qui est ille quem fecisti ex decem drach. terræ simul sublimatæ, scilicet terræ sulphuris auri, & sulphuris argenti, quæ unisti per sublimationem post separationem elementorum, & illud divide in duas partes, & unam partem serva pro compositione arboreæ radicis & aliam partem divide in quinque partes æquales, & unam partem pone cum materia quæ est in vase cum substantia cristallina, quæ est illa quam superius fecisti ex limo non vaporisato, & menstruo albo: & pone in B. per quinque dies: & postea aperi vas & pone aliam partem ut prius de dicta materia, & permitte in B. per alios octo dies, & sic facies de octo in octo diebus, donec illas quinque partes posueris: postea ponas in stupha sicca vas sigillatum optimè in calore solis per 20. dies, & congelabitur ad modum gummi, & super hoc quiesce: postea habeas de menstruo quantum tibi placet, & acue & fortifica cum argento hoc modo, in lib. j. menstrui ponas ℥ j. lunæ calcinatæ, & tunc destillabis & digeres, ut moris est, quousque totam animam lunæ attraxeris, quod erit quando solverit dimidium vel drach. iii. & illud menstruum taliter cum vigore lunæ acuatum & fortificatum, dicitur vapor potentialis. Tunc de isto menstruo sic facies: Accipies de argento bene depurato & amalgamato cum quinque partibus Mercurii vivi, & destilla ut transeat per alembicum, & procede usque ad sulphur rubificatum. Tunc accipe sulphur prædictum, & scias pondus, & cum unc. iiii. dicti sulphuris ponas ℥ j. dictæ gummæ, quæ est illa quam fecisti, & peroptimè mole in mortario vitreo, & ponas in vase vitreo cum collo longo, postea accipe elementum aeris lunæ quod suspendisti in aere, & divide per 10. partes æquales, & unam partem superfunde dictæ materiæ, & pone in B. per 10. dies postea aperi vas, & superfunde aliam partem & permitte stare per alios 10. dies semper vase bene clauso: postea aperi & superfunde aliam partem, & sic facies de 10. in 10. diebus. Tunc est materia tota admodum olei cristallina. Quam pone in igne sicco ad modum caloris solis per 25. dies, & congelabitur, & erit materia tendens ad luciditatem. Tunc accipe oleaginem quam tibi præcepimus suspendere in aere, & est illa quam extraxisti, dum calcinabas terram lunæ pro ceratione sulphuris primi, quod diximus tibi retinere Mercurium de per se, & illam misce cum oleagine quam abstraxisti à sulphure quod posuisti cum illa gumma superius dicta pro compositione radicis arboris, & divide totum in 5. partes, scilicet oleagines mixtas. Et cum una parte incera guttatim ponendo vas in cineribus calidis: postea sigilla & pone B. per 8. dies: postea aperi vas & superfunde oleum guttando, & permitte per alios 8. dies in B. & sic facies de 8. in 8. diebus quousque totam oleaginem bibat. Tunc ponas in igne sicco temperato per 8. dies & indurabitur. Tunc auge ignem per alios 8. dies, & dealbabitur. Tunc iterũ solve in B. & iterum cõgela in igne sicco, & hoc facies quater. Tum pone in vase vitreo sigillato, & pone subtus terram spatio unius cubiti per 15. dies: & in illo tempore efficitur ad modum gummæ cum claritate adamantis. Fili, cum ista medicina facimus argentum melius minerali sine juvamento ignis, sed solo odore illius. Et hoc provenit ex virtutibus cœli quas acquisivit influxas, mediante aere & vapore terræ. Ideo tanquam visus basiliscì operatur, & sic cognoscès eius virtutem insitam. Fili, ista gloriosa materiam quam primam radicem totius naturæ appellamus, semper remanet illæsa & immutabilis & incorruptibilis. Quiesce super illam. Fili, diximus tibi usque modo de medicina incorruptibilis pretii, ideſt, de prima radice alba: modò fili, dicamus compositionem alterius radicis rubeæ cum Dei auxilio. Fili, accipe limum non vaporisatum rubeum, quem fecisti ex terra rubea. Et in igne congelato quem sepelisti in terra, & pone in vase vitreo cum collo longo. Et tunc divide menstruum rubeum cum quo separasti elementa auri, quod est illud quod suspendisti in aere in duodecim partes æquales ut de albo fecisti, & unam partem superfunde in vase cum prædicto limo, & pone in B. per duodecim dies: postea aperi vas & superfunde aliam partem & permitte per alios duodecim dies in B. & totum hoc excellens magisterium reitera de 12. in 12. dies: quousque omnes 12. partes dicti menstrui posueris cum dicto limo, ut fecisti in compositione radicis albæ, quousque sit in substantia cristallina, sed rubea. Tunc accipe dimidium limum terreum quem servasti quando dimisisti illum pro compositione radicis albæ. Et est limus iste qui dimittitur pro compositione istarum radicum, limus factus ex drach. x. terræ unitæ, simul; & drach. j. aeris lunæ, & una aeris solis, & illam partem divide in 5. partes, & unam partem pone super materiã cristallinam rubeam in B. 5. dies: postea aperi vas & superfunde aliam & permitte per alios quinque dies, & sic de quinque in quinque diebus donec omnes 8. partes posueris. Tunc pone in nostro Athanor ad congelandum per viginti quinque dies ut de albo fecisti, & super hoc quiesce. Tunc accipe limum æthereum quem fecisti ex duodecim drach. ignis sulphuris solis, & drach. j. aeris eiusdem solis, & divide illum in 10. partes æquales: & unam partem pone super illam gummam quam congelasti: & pone in B. per decem dies: & postea aperi vas, & invenies totum solutum, superfunde aliam partem, & sic facies de 10. in 10. dies quousque omnes dictæ partes dicti limi imbibantur, & iterum congela: postea facias de alio sulphure auri amalgamato cum 8. partibus argenti vivi vulgi, ut suprà fecisti de luna per eundem modum. Fili, regula generalis est, ut istæ sulphura sumantur à corporibus perfectis unumquodque de per se cum menstruo vegetabili, vel variando, ut dicuntur sulphura duorum luminarium, scilicet auri & argenti huic magisterio pertinentia. Et scias pondus dicti sulphuris auri, facti ex auro & argento vivo vulgari cum nostro menstruo: & cum ℥ iiii. pone drach. j. dictæ gummæ rubeæ secundo congelatæ; & in mortario vitreo mole, quousque totum fiat unum corpus. Et fili, tantum facias de dicto sulphure, quod possis cum eo dictam gummam proportionare. Quo facto accipe secundum aerem quem diximus thesaurum philosophorum, & divide in 5. partes æquales: & cum una parte imbibe materiam tuam, & totum pone in B. per 10. dies ut suprà: & in isto tempore totum erit solutum, pone aliam partem dicti aeris secundi, & permitte in B. per alios decem dies, & sic facies quousque omnes 5. partes ponas: postea pone in stupha vel Athanor in calore solis, & in 8. diebus congelabitur. Tunc Recipe oleaginem rubeam, quam suspendisti in aere, quæ est illa quam diximus retinere Mercurium de per se, & cum ea pone

aliam, quam extraxiſti à terra auri & argenti vivi vulgi, quando ex ambobus ſimul feciſti ſulphur, & illas ſic mixtas in 12. partes divide, & cum una parte incera totam medicinam rubeam, & illam in calore ſolis per 8. dies permitte. Aperi vas, & pone aliam partem, & exicca in eadem ſtupha per alios 8. dies: poſtea congelando in eadem ſtupha ſicca quouſque amplius nolit congelari. Tunc pone in vaſe aureo vel vitreo bene clauſo, & pone ſubtus terram per unum cubitum, & in ſpatio 15. dierum efficitur una gumma carbunculi, cuius una gutta projecta ſuper Mercurium vivum habet poteſtatem convertendi mille millium partes in verum aurum, ſicut nos fecimus ſine iuvamento ignis, ſed tanquam viſus baſiliſci. Et illa medicina remanebit ſemper illæſa & incorrupta pro aliis proiectionibus. Fili, nos fecimus iſto modo projectionem cum eadem gutta medicinæ uſque ad centum vices ſupra centum, & ſemper faciebat nobis aurum. Ecce, Princeps Sereniſſime, habes ſecundam radicem totius arboris naturæ altiſſimæ, compoſitionis, & inæſtimabilis proiectionis, & effectus tranſmutationis ſine juvamento ignis, & hoc fili, provenit ex influxu planetarum cœli & vaporum terræ, ex quibus conſtituuntur iſtæ duæ radices unius arboris. Ex quibus derivantur aliæ quatuor radiculæ, ex quibus formatur prima figura totius naturæ. Sed antequam deveniamus ad compoſitionem dictarum radicum, dabimus tibi modum derivandi & eruendi medicinas latitudinis, quæ ab his derivantur, quas appellamus herbas radicum arboris philoſophicæ. Et fili, modus eſt, quòd tu habeas de ſulphure puræ lunæ apto per modum tibi iam notum & datum, & ab eo dividas elementa ſecundum doctrinam ſuæ diviſionis tibi dilucidatam: ut cum menſtruo aerem, cum menſtruo & aere ignem, & cum menſtruo terram ſublimando, & menſtruum ab ea per alembicum evacuando, quouſque ſit terra præparata in pulverem impalpabilem ſecundum ſignum tibi notum. Tunc accipe illam terram & pone tantum ſui ponderis cum ea de lapide albo jam facto & deducto ad altiſſimam maneriam, & tantum ſui ponderis de ſua aqua, ideſt, de menſtruo, & ponas totum in B. per 8. dies, & in illo tempore totum ſolvetur. Tunc accipe elementa aeris ſulphuris lunæ, quod feciſti, & dividas in decem partes, & unam partem ſuperfunde, & in B. ponas, & dimitte per decem dies: poſtea aperi vas, & ſuperfunde aliam partem, & per alios decem permitte: & ſic facias quouſque totum ſit ſubſtantia criſtallina. Tunc accipe ignem dicti ſulphuris lunæ, & divide, in 8. partes æquales, & unam partem ſuperfunde, & tene in B. per 8. dies, vel 10. & aperi vas, & pone aliam partem: & ſic facias quouſque totus ignis ſit coniunctus, & erit ſubſtantia criſtallina, quam congela in ſtupha, & erit ad modum gummæ: incera illam cum duodecima parte oleaginis, & ſicca ut ſupra: poſtea cum alia duodecima parte incera, uſque quo duodecim partes oleaginis bibat: poſtea deſtilla, & congela uſque amplius congelari non valeat. Et erit medicina altiſſimæ projectionis, & eſt iſta radicula alba deſcendens à prima radice alba fundamentalis arboris, &c. Fili, per eundem modum componas radiculam rubeam dependentem à radice rubea fundamentali per idem magiſterium cum ſubiecto auri, dividendo ab eo elementa, & conjungendo ut ſupra: & habes radiculas albas & rubeas dependentes à duabus radicibus. Modo autem dabimus tibi modum componendi herbas illarum radicum: & modus eſt quod tu accipias, ℥. ii. de ſulphure lunæ, & de iſta medicina alba vel rubea, quam dicimus radiculam drach. j. & de menſtruo vegetabili libras 3. & pone in vaſe circulationis in B. vel fimo ad circulandum uſque tranſeat per colores ſuos, ſive albos, ſive rubeos, & generetur ab eo infans, quod fiet in 45. diebus: & efficitur in iſto tempore in fundo vaſis lapidis rotundus: munda eum à fæcibus ſuis circumcirca, & ſic ſolutum diſſolve & congela, & ſic erit alba vel rubea medicina. Et fili, per hoc elucidatur tibi caput in libro de Modo practicandi, quod incipit, In principio picturæ arboris philoſophicæ, quod tangit primas radices albas vel rubeas. Ecce fili, habes radices cum ſuis radiculis & herbis latitudinalibus completas: modò dabimus tibi truncum arboris rubeum vel album per hunc modum. Accipe ſulphur auri factum per doctrinam tibi traditam, & divide elementa per modum quem te docuimus ſuprà, & ſubtilia terram cum ſuo menſtruo, & fac illam ſtare ſuper laminam ignitam ſine fumo, ſecundum modum doctrinæ tibi ſuperius traditum in calcinatione aliarum terrarum metallicarum, & oleaginem colligendo, ut de aliis dictum eſt, & illa per alembicum facies tranſire, & non oportet te ſublimare: poſtea menſtruum quod eſt aqua ſua, facias de per ſe ſæpius deſtillare, & terram quam fecerit cum pterra rædicta ponas. Tunc aerem de per ſe deſtilla ſæpius, & terram quam fecerit cum terra prædicta ponas: poſt aerem ſuper ignem ponas, deſtilla in cineribus, quouſque ex quinque partibus habeas tres: poſtea deſtillationem continuabis quouſque ignis coaguletur ad latera vaſis, & aerem ſecundum ſervabis: ut ſupra feciſti in alia ſeparatione elementorum, quod diximus theſaurum. Tunc illum ſepties deſtilla de per ſe, & terram quam fecerit cum igne congelato ponas: poſtea ignem congelatum cum menſtruo ponas, & calcinabis digerendo & deſtillando, quouſque per menſtruum & ignem aſcendere facias totum, ſecundum doctrinam tibi traditam in ſeparatione elementorum ſulphuris auri, & rarificationis eorum pro compoſitione limorum. Poſtea accipe terram prædictam, in qua poſuiſti terras elementorum, in 12. deſtillationes eorum & pondera illam, & cum ea pone tantum ſui ponderis de medicina primæ radicis arboris iam dicti, quæ fuit ad modum carbunculi, & ſuperfunde de menſtruo tantum ſui ponderis: quantum eſt totum, & pone in B. per 12 dies, & invenies totum ſolutum: tunc divide aerem in decem partes & unam ſuperfunde, & in B. per 10. dies tene: & aperi vas, & ſuperfunde aliam quouſque totum ponas ſicut in compoſitione radicum feciſti. Tunc dividas ignem in 8. partes, & unam partem ſuperfunde: ſit in B. per 8. dies: inde aliam ſuperpones & digeres per alios 8. dies: in B. & ſic facies de 8. in 8. dies, quouſque totum ponas. Recipe poſtea ſecundum aerem, qui eſt noſter theſaurus, & in 8. partes divide, & unam partem ſuperfunde materiæ, & pone in B. per 5. dies. Aperi vas & ſuperfunde aliam, & ſic facias quouſque totum theſaurum ponas: Tunc pone totum in ſtupha ſicca per 25. dies ad congelandum poſtea. Recipe oleaginem quam extraxiſti à terra auri, quando feciſti ſulphur ex eo, & quando diviſiſti elementa à dicto ſulphure, & divide in 12. partes, & cum una parte incera & in cinerem ſicca, & ſic facies, donec cum dictis 12. partibus inceraveris. Tunc procede ad diſſolvendum, & congelandum, quouſque amplius congelari non valeat, & ſerva.

Et

Et ecce fili, habes medietatem trunci arboris rubeam. Compone igitur aliam medietatem album per eundem modum, vel variando vel mutando, & habebis truncum totius arboris, qui dicitur truncus divisus. Demonstrabimus tibi postea de toto integro trunco cum magno accurtamento, & mirabili effectu transmutationis: & quia oportet nos totum integraliter dicere, cum Dei auxilio incipiemus. Et modus est, quòd tu incipias per subtilem modum compositionis, componere truncum integralem: postea dabimus tibi modum componendi branchas cum suis ramulis & floribus ab eo dependentibus: & hîc, modus est. Quòd tu accipias limum non vaporizatum factum ex ℥ j. elementi ignis, & ℥ j. terræ sulphuris simul sublimatæ, quam in terrâ sepelisti: & pone in eo limum æthereum qui est in aere, tantum quod supernatet. Quod est illud quod fecisti ex 20. partibus elementi ignis sulphuris auri, & una elementi aeris eiusdem, & totum efficitur una gumma, ut de aliis dictum est. Et fili, ista gumma congelabit nobis Mercurium vulgi in aurum, sicut de minera, ut de aliis dictum est: postea accipe limum terræ factum de 10. partibus terræ sulphuris simul sublimati, & una aeris sulphuris lunæ, & una aeris sulphuris solis: & ponas in ampulla argentea vel vitrea sicut posuisti aliam, & taliter quod possis illam capere, & facias supranatare de limo æthereo facto ex 10. partibus aeris sulphuris lunæ; & una terræ antedictæ; & una aeris sulphuris auri: & efficitur gumma quæ transformabit metallum imperfectum, ut de aliis dictum est. Tunc accipe illam gummam terream, & pone in vase vitreo, & postea accipe bis tantum sui ponderis de menstruo albo tibi noto, cum quo separasti elementa sulphuris lunæ: & divide in 12. partes aquales, & unam superpone cum dicta gumma, & pone in B. in vase vitreo per 8. dies, & resolvetur. Aperi vas, & pone aliam partem de illis 12. partibus, & dimitte per alios 8. dies: hoc iterabis quousque omnes 12. partes posueris. Tunc accipe limum æthereum factum ex 20. partibus sive drach. vel ℥ aeris sulphuris lunæ, & una parte sulphuris auri, & illum in 10. partes divide, & unam partem pone in vase in quo stant duo limi & menstruum in forma cristallina, & permitte in B. per 10. dies: & aperi vas, & superfunde aliam partem de dictis 10. partibus & permitte in B. per alios 10. dies, reiterando, donec omnes 10. partes posueris. Postea accipe limum factum ex 20. partibus ignis sulphuris auri, & una aeris eiusdem, & una aeris sulphuris lunæ, & illam divide in 8. partes æquales, & unam pone in vase in quo stat tota materia jam composita, & dimitte in B. per 8. dies, postea aperi vas & superponas aliam: & hoc facies donec omnes 8. partes posueris. Postea accipe limum factum ex 10. partibus secundi aeris, & una parte ignis sulphuris auri, & est illud quod appellamus thesaurum, & illud divide in 8. partes, & pone unam partem supra materiam compositam, quæ stat in vase vitreo, & per 8. dies in B. permitte: postea aperi vas & superfundas alia m; & sic facies quousque totum ponas de 5. in 5. Fili, per hoc elucidatur tibi caput nostri Testamenti quod incipit: Ne mireris, quia tam longum tempus enarravimus, quia oportet te habere patientiam. Modò, Serenissime Princeps, accipe oleaginem illam, quam in aere servasti, & in 12. partes divide, & partem post partem supra materiam digerendo in B. de 12. in 12. dies: & in stupha siccando, postea dissolvendo & congelando, quousque amplius congelari non valeat. Et erit materia alba in colore adamantis, transmutans omne corpus imperfectum in verum argentum. Et dicitur truncus albedinis paratus ad rubedinem. Tunc fili, procedendum oleagine rubea quam supra servasti in aere, incerando & digerendo, & desiccando, & dissolvendo & congelando, ut in albo fecisti, & sic erit materia ut Carbunculus, transmutans in aurum perfectum. Et dicitur truncus arboris rubeus & completus. Ex quo derivantur duæ branchæ principales, ut in præsenti ponemus. Et quia Princeps Serenissime, sublimiori doctrina & cum alta dependentia, hoc cognoices attentè aduerte. Et accipe totam materiam compositam ex limis & menstruo, antequam oleaginem in ea ponas, & ponas in stupha sicca per 20. dies, & optimè sigilla vas & congela: postea pone illam in vase apto sublimationi, & pone in igne tertij gradus per spatium 40. horarum, & sublima partes elementales albas, quæ sublimabuntur ad latera vasis, & partes elementales rubeæ remanebunt in fundo rubicundissimæ ad partem. Quas pone in suo vase (albo separato) in igne quarti gradus, & da ignem fortiorem quòd poteris, & sublimabitur tibi ad latera vasis, & erit ita lucens & mirabile, quod transcendet claritatem Carbunculi. Fili, per hoc elucidatur tibi caput nostri Testamenti quod incipit: Fili, sulphur album, juxta illud verbum, quod dicit: Subtiliter, & rubrum manet in fundo ut scarlata, rubeum & sublimabile. Licet ista summa se extendat ad ramulos sub brancharum & ad accurtationem arboris accurtatè, & earum particularum, ut in compositione suæ edocet, & per hoc fili, elucidatur tibi cap. libri Lumen solis, quod incipit, si album sublimaveris à rubeo secreta brancharum sunt tibi parata. Et in libro Additionum capite quod incipit: Sulphur album & rubeum sunt truncus arboris. Accipe sulphur illud album fili, quod sublimasti, & pone in vase vitreo, superpones de menstruo, & pone in B. per 8. dies: extrahe menstruum, & remanebit tibi oleum & unguentum philosophorum. Fili, per hoc elucidatur tibi caput nostri Testamenti quod dicit: Coacti sumus celare arcanum ubi posuimus. Licet hæc verba se extendant ad alias compositiones. Tunc habeas aquam argenti vivi vulgi, quam tibi ostendimus facere in præcedentibus, & dissolves in libro j. illius aquæ, ℥ j. lunæ finæ, & aliam, ℥ cum dimidia auri: hoc scilicet in B. Tunc accipe sulphur album quod solvisti, & pone in dicta aqua, ubi est corpus solutum secundum debitam proportionem, ita quod cum ℥ 4. aquæ ponas unam dicti sulphuris, & pone in stupha sicca per 25. dies, & congelabitur in materiam cristallinam. Tunc accipe oleaginem quam servasti albam, quæ est illa quam diximus tibi non ponere in materia composita, & cum ea incera dictam materiam dividendo eam in 12. partes, & pro qualibet vice ponas partem unam digerendo & desiccando per 8. dies, ut de aliis dictum est: & sic facies quousque cum omnibus 12. partibus inceres tuum lapidem. Procede ad dissolvendum & congelandum quousque amplius congelari non valeat, & factum est tibi vivum transformans argenti vivi vulgi, in argentum tam bonum sicut de minera, sine iuvamento ignis. Et est prima brancha arboris alba. Tunc accipe sulphur rubeum quod in alio vase sublimasti, & pone in vase vitreo cum menstruo, & fac de eo oleum & unguentum, sicut de albo fecisti, & divide in 8. partes, & pone partem post partem supra medicinam gloriosam albam digerendo in B. & siccando in stupha. Tunc accipe oleaginem rubeam & divide in 12. partes,

& cum una parte incera & digere & desicca, postea congela: & sic facies quousque omnes eas partes ponas: postea procede ad dissolvendum & congelandum, ut in albo dictum est, quousque congelari amplius non valeat; & habes venenum rubeum transformans sine iuvamento ignis, ut de albo dictum est. Ecce fili, habes duas branchas principales, quarum ponemus ramulos & flores cum suis multiplicationibus & accurtationibus: postea dabimus tibi doctrinam nostræ arboris vegetabilis miro modo accurtandæ, cum omnibus suis radicibus, trunco, branchis & floribus, & in sermone naturæ miro modo accurtatæ. Et fili, modus est ut tu accipias sulphur album per modum tibi traditum, & ab eo dividas elementa per modum suæ divisionis superius dictæ, & ea elementa cœlifices in aere & terra, ut de aliis fecisti, quando cœlificasti pro compositione aliarum medicinarum, & illa fixes cum parte medicinæ iam dictæ sive rubeæ sive albæ, & sic poteris in infinitum procedere. Et erunt medicinæ transmutantes sine juvamento ignis, & poteris multiplicare radices, truncum, branchas & ramulos & flores cum elementis sulphuris auri, tarificatis & cœlificatis, simul coniungendo terram cum tanto sui ponderis de medicina, & aquam sive menstruum in 12. partes dividendo & partem post partem ponendo & in B. digerendo: postea aerem in 10. partes dividendo, & partem post partem in B. coniungendo: postea ignem in 10. partes dividendo; & conjungendo partem post partem in B. postea oleaginem auri in 10. partes dividendo; & partem post partem incerando, & in stupha siccando; ut in ceratione aliarum dictum est. Postea dissolvendo & congelando, usque amplius congelari non valeat. Et poteris per latitudinem huius rubeæ arboris, in infinitum multiplicando.

Ecce fili, habes totam arborem altiorem totius latitudinis naturæ, cum toto complemento compositam. In virtute Dei modo componemus duas branchias cum magna brevitate accurtatas, unam vegetabilem, aliam mineralem, cum suis radicibus, truncis, branchis, ramis, floribus & mineris, & accurtationibus, simplicibus, & incerationibus cum vulgari multiplicatione, explanando tibi. Non arbitreris fili, lapidem magnum nostrum non posse componi, sine eo quod facias limos desertos in aere, vel in terra suspensos vel sepultos; sed credere mihi quod possis cum respectiva accurtatione altissimum lapidem in hunc modum componere: primum à radicibus incipiendo lapidis ut in alia arbore fecisti. Accipe sulphur lunæ factum per doctrinam tibi traditam & notam, & pone illud in vase vitreo, & super infunde tantum sui ponderis de menstruo vegetabili iam tibi noto, cum quo fecisti illud dictum sulphur. Et pone in B. per 8. dies, & eo tempore totum erit solutum. Accipe unc. j. & pone in B. & distilla menstruum per illud; postea pone vas in cinere (quod est ignis secundi gradus) & destilla aerem quantum poteris, & super materiam infunde de novo menstruo, et sit tantum sui ponderis, et pone in B. per alios 8. dies: & postea per B. destilla menstruum et aerem in cinere et tantum reitera hoc totum magisterium, quod totum aerem separes per ignem cineris. Postea pone super istum aerem totum suum menstruum cum quo illum separasti, et totum pone super terram quæ remansit, in qua est ignis dicti sulphuris lunæ, et pone totum in B. per 8. dies: postea separa menstruum per B. et pone vas cineribus et destilla per aerem. Postea in igne quarti gradus, qui est arena, destilla ignem & serva ad partem: postea pone menstruum supra aerem, & aerem & menstruum simul super terram quæ remansit, postea pone in B. per octo dies & digere: postea separa menstruum per B. & aerem & ignem per cineres, & tantum reitera istud regimen, quod totum ignem separes à sua terra. Fili, gradus ignis dabit tibi cognitionem istorum elementorum, quia aliter non cognoscuntur. Ideo valde utilis est doctrina ad cognoscendum modum ignis & gradus eius. Gradus ignis B. est ignis primi gradus. Ignis cineris secundi gradus. Inflammationis tertij gradus. Ignis arenæ & cineris est quarti gradus. Aliter ignis secundi gradus est ignis arenæ. Et ignis fornacis, quã poteris scilicet carbonum, ad fundendum est ignis quarti gradus. Postquam habueris ista elementa ita separata, habes illa subtiliare & rarefacere. Accipe illam aquam quæ est menstruum & destilla in balneo de per se septies. Et si fecerit aliquid de terra, pones illam cum terra quæ tibi remansit: postea accipe aerem & destilla illud de per se septies, & terram quam fecerit pones supra ignem. Tunc aerem de per se adhuc septies destilla, vel donec noluerit amplius destillare, sed in pulverem convertitur. Tunc accipe menstruum & pone super illum & digere in B. per tres dies: postea in eodem B. menstruum distilla, & in cinere aerem, & serva. Et iterum reitera isto regimine donec totus aer sit transactus per alembicum mediante menstruo in igne cineris. Tunc habes illum purificatum: serva in vase & erit ad modum olei, scilicet aer ille. Tunc ignem accipe & destilla septies de per se, vel donec noluerit amplius destillare, & erit pulvis rubicundissimus, & terram quam fecerit in qualibet destillatione, pone cum alia terra; postea superimpone de menstruo quinque partes sui pulveris; digere in B. per tres dies; postea per idem destilla menstruum, et per cineres destilla, & iterum pone octo partes menstrui dicti, ut suprà, & destilla menstruum per ignem & per cineres, & reitera isto regimine, donec totus ignis, qui remanserit sit transactus in cinerem & B. mediante suo menstruo fuerit ad modum olei. Ecce habes fili, elementa sulphuris separata, purificata, rareficata. Tunc accipe terram illam & cum menstruo præpara sublimando, digerendo, quousq; currat supra laminam, ut de aliis dictum est: & sic terra est præparata ad opus & argentum vivum de intentione Alchymistarum & sulphur terræ. Ecce habes 4. elementa sulphuris lunæ ad opus præparata. Tunc oportet Princeps Serenissime, terrã sulphuris auri præparare, separare, subtiliare, rarefacere: et modus est quod tu accipias sulphur auri, & ponas in vase vitreo, & desuper de menstruo cum quo fecisti illud sulphur, tantum sui ponderis in B. digerendo, & per cinerem destillando ut de albo dictum est, quousque totus aer transeat per cinerem. Tunc aerem & menstruum super terram & ignem ponas, & digere per 8. dies, & in B. extrahe menstruum in cinere aerem, in arena ignem, quoad poteris, & hoc reitera quousque totus ignis sit à terra evacuatus. Tunc habes elementa sulphuris auri, separata, fixa: & rarifica illa quoad poteris: & fili, modus est quod tu accipias aquam quod est menstruum & illam rectifica septies sicut de albo fecisti, & terram quam fecerit, cum terra ponas, & destilla per cineres, donec videas quod ex 8. partibus habeas tres: & tunc permitte infrigidari, & serva aerem de per se. Et frigefacto sequere tuam destillationem super illas duas partes quæ remanserunt in fundo vasis, quousque congelatum habeas in fundo vasis, vel ad latera alembici. Et istud quod abstraxisti quousque congelatus ignis fuit, est aer secundus, tinctura,

ctura, thesaurus noster, oleum nostrum occultum. Tunc illud de per se rectifices, & terram quam fecerit in qualibet destillatione, pone in igne congelato, in fundo vasis. Et habes aerem secundum purificatum & ratificatum, & elementa separata, præparata & rarificata. Iterũ oportet ut illa disponas ad opus. Et modus est: Accipe ignem congelatum supradictum, & super eum ponas de menstruo 5. partes: & in B. digere, in eodem destilla. Et ignem in cinere ponas, & des illi calorem solis ingeniosè per duodecim horas, & iterum pone de menstruo ut supra, & digere, destilla, & calcina, & reitera per octo vices & erit pulvis rubeus, in quo est tinctura. Tunc superpone de dicto menstruo, quod est sua aqua 5. partes, & pone in B. per tres dies naturales, & in eo tempore solvetur. In eodem B. menstruum destilla, postea in cinere vel arena destilla ignem quem poteris, & iterum reitera, donec totum transeat per alembicum: ita ignis qui erat pulvis rubeus, modò fit oleum destillatum, & perfectè rarificatum. Modo accipies aerem & suprà illum 8. partes menstrui pones, digere, destilla & calcina, ut de igne dictum est, usque sit pulvis: postea cum menstruo suo solve, digere & destilla, usque sit oleum, ut de igne fecisti. Tertius aer non indiget præparatione alia. Terram præparabis ut de aliis terris sulphurum dictum est, & in uno genere unies. Ecce fili, habes elementa sulphuris, separata, lucida, & calcinata & rarificata. Cum quibus opus nostrum sive radices incipere possis. Quod sic facies: habeas ℥ 7. de amalgamate facto ex una parte auri, & una argenti, & quinque Mercurii. & pone in vase vitreo, & pone in eo ℥ j. terræ ℥ j. ignis rarificati: & totum sit prius optimè tritum in mortario vitreo, & in eodem vase ponas desuper tantum sui ponderis de menstruo cum quo præparasti & separasti elementa, & terras elementorum quas junxisti simul, & digere in B. per decem dies: postea pones in igne moderatissimo se serratura in cineribus per alios decem dies vase bene sigillato ad congelandum: postea auge ignem per unum punctum, & spatio 24. horarum totum calcinabis ingeniosè: postea aperi vas, & habeas ℥ 6. dicti menstrui, quas divide in tres partes, & unam partem superfunde dictæ materiæ calcinatæ, & digere, congela & calcina: reitera hoc magisterium physicaliter, donec totam aquam posueris cum igne, terra, & amalgamate simul mixtis, quousque in pulverem convertendo, tunc oportet te Princeps Sereniſſime, aerem imponere, ut medium habemus lapidis magni & benedicti. Et sic facies: Recipe aerem sulphuris lunæ, & sit ad pondus terræ, scilicet terra sulphuris lunæ, & sulphuris auri, quas simul unisti, & illud in decem partes æquales divide, & unam partem pone super materiam superius unitam, & physicaliter calcinatam: & ponas in B. per decem dies, & totum solvetur: postea pone in cinere per alios decem dies, & congela. Et postea per spatium 24. horarum calcina ingeniosè & si aliquid sublimabitur, redde super terram, & tantum reitera, quod totum aerem cum terra calcinata misceas & unias, & in calcem reducas. Tunc accipe totum ignem sulphuris lunæ, & divide illam in 5. partes, & pone unam partem supra materiam sive calcem physicam jam dictam, & pone in B. per 8. dies: inde extrahe & congela in stupha, & ingeniosè calcina, ut suprà: & reitera istud regimen imbibendo, dissolvendo, congelando, & calcinando, quousque totus ignis dicti sulphuris albi sit ibi positus, conjunctus, & in calcem redactus. Et tunc fili, habes calcem philosophorum veram, & firmam, physicam lapidis albi benedicti. Tunc accipe oleaginem quam servasti, quæ est illa quam extraxisti, quando præparabas terram illam cum menstruo, pro ceratione sulphuris lunæ, & incera calcem guttando guttam post guttam per duodecim pausas: postea in cinerem sicca ingeniosè: postea iterum gutta & exicca reiterando, donec totam oleaginem ponas. Tunc erit medicinã limpida quam per 16. dies dissolves in B. & per 24. congelabis in stupha, donec amplius congelari non valeat. Et prima radix arboris vegetabilis accurtatæ, munda, alba, & excellens. Modò fili oportet te ipsam rubeam facere. Et modus est. Accipe aerem sulphuris auri, & divide in decem partes, & unam pone supra medicinam albam proximè dictam & pone in B. digerendo dissolve per duodecim dies, in cinere per decem dies congela ingeniosè: postea per viginti quatuor horas calcina cum magno ingenio: inde aperi vas, & pone aliam partem, & reitera dissolvendo, congelando, & calcinando, quousque omnes decem partes aeris sulphuris auri cum materia connectas: postea accipe secundum aerem qui est thesaurus noster, & divide in 8. partes æqnales, & cum una parte incera desuper guttando supra cineres, & pone in vase ad digerendum & dissolvendum: pone in cinere, & ingeniosè per viginti quatuor horas calcina. Inde pone aliam partem reiterando totum regimen quousque totum aerem secundum ponas, & in calcem cum medicina dicta calcinata reducas: postea accipe ignem rarificatum, & divide in octo partes æquales, & unam partem pone cum dicta materia, & in B. per octo dies digere, & per alios octo dies in cinere exicca, & per viginti quatuor horas ingeniosè calcina: Inde aliam partem perfunde digerendo, exiccando, & ingeniosè calcinando, donec dictas octo partes ponas, & in calcem convertas, & erit ut carbunculus rubicundissimus: calx philosophorum, tinctura firma, Elixir, lapis benedictus, radix arboris accurtatæ rubea. Tunc accipe oleaginem auri quam servasti, & est illa quam extraxisti à terra auri, quando illam præparasti pro ceratione sulphuris ipsius: & illam divide in duodecim partes, & cum una parte incera calcem philosophicam iam dictam (quæ est totus lapis, & secunda radix arboris accurtatæ) guttatim, deinde ponas in stupha sicca & exicca. Iterum pone aliam & exicca, reitera quousque omnes duodecim partes posueris, et in calcem reduxeris. Tunc in B. pones: et in spatio 15. dierum solvetur, et habebis calcem in oleum, et si vis isto modo, scilicet in oleum servare, serva: sin autem in stupha congela et sicca: et erit lapis excedens omnem lapidem et rubicundissimus: et dicitur secunda radix arboris accurtatæ, quam potes in duas dividere radiculas: et ex eis poteris herbulas, ut dictum est de prima componere. Sed miro modo et ab alio diverso, accurtabis per unam viam mineratum, altæ projectionis et infinitæ multiplicationis, ut tibi ostendemus clarè: et modus est, quòd tu accipias de medicina iam dicta, et ponas sublimatum Mercurium per viam mineratum usque facias massam frangibilem. Isto modo: Accipe ℥ j. dictæ medicinæ, et pone in vase vitreo cum collo longo: et ponas desuper unc. 5. de amalgamate facto ex una parte auri et 5. argenti vivi et vase optimè sigillato ponas in igne serraturæ, vel carbonibus parvis per sex horas. Et respicias quando videbis eum congelatum ad formam metalli, quam non debes totaliter in metallum

trans-

transformare: & per hoc elucidatur tibi cap. nostri Testamenti quod dicit, Non esse intentionis quod facias unum frustum metalli, sed sequere ignem usque ad alias sex horas, et videbis materiam in formam pulveris rubicundissimi transfiguratam. propter vapores sulphuris penetrantis amalgama. Fili, per hoc elucidatur tibi cap. nostri libri 4. Particularis, quod incipit, Incipiamus fili, cum sulphure facere cineres. Et cap. lib. Lumen Solis, quod incipit: Vapores nostri sulphuris penetrant nostrum amalgama. Et cap. in lib. de Proprietatibus quod incipit: Proprietas nostri sulphuris sive lapidis est pulverizando suas virtutes multiplicare. Oportet virtutem suam isto modo multiplicare. Accipe unam partem dicti pulveris, & proiice supra decem partes amalgamæ factæ ex una parte auri, & 5. argenti vivi & convertetur in pulverem. Etiam de illis decem unam proiice super alias 10. amalgamæ vel amplius Mercurii. Et sic procedas quousque videas materiam non in pulverem, sed in massam congelatam, duram & frangibilem. Et de illo facies experimenta, primo de una parte, quod partes convertit in metallum: quia tunc tu vides finem proiectionis, quando convertitur in massam frangibilem; ut tibi dixi. Et habeas mentem supra quot pondera se extendit ille pulvis sulphuris medicinalis, computando à prima proiectione usque ad massam frangibilem. Tunc accipe illam massam frangibilem ultimò congelatam, quam diximus sulphur ultimum congelatum; & ab eo dividas unciam j. l. i. secundum quod tibi placuerit, & serva pro proiectione in tuis necessitatibus. Residuum verò pones in vase vitreo cum longo collo bene sigillato, & tene semper in igne nutritionis, & de 30. in 30. dies dabis illi quinquagesimam partem Mercurii vulgi, & convertetur in massam, de qua abstrahe quintamdecimam partem pro proiectione, & supra residuum pone quinquagesimam partem ad congelandum in massam, & sic in infinitum facies. Et fic fili, habes materiam sulphuream, quæ nunquam deficiet tibi in infinitum. Poteris quidem fili, hanc mineram facere cum sulphure albo vel rubeo, auri vel argenti, sine eo quod separes elementa, nec facias medicinam supra Mercurium secundum modum minerarum, quem prius inveniſti quod tibi nominavimus faciendo fragibilem massam, & reservando partem pro proiectione, & in vase vitreo aliam partem ponendo ut prius, & cum igne lentissimo illam nutriendo & conservando, & quinquagesimam partem de mense in mensem dando, & quintam decimam partem pro projectione accipiendo, & modus est: Accipe unciam j. auri amalgamatis cum unciis ii. Mercurii vivi: pone in vase vitreo cum longo collo: post dissolve ℥. ii. auri cum menstruo vegetabili magno, vel de minera, & facias per alembicum transire, & menstruum per B. extrahes usque ad medietatem: postea cum residuo ponas unciam j. sulphuris vegetabilis, vel de G. vegetabili si cum eo operatus fueris. Tunc extrahe totam aquam per B. & remanebit tibi oleum auri: cum quarta parte ipsius incera amalgama: & in igne per octo dies cum licinio lucernæ congela: postea in cinere per unam diem naturalem exicca magis. Et sic partem post partem ponendo ignem parumper augendo: & si quid sublimatum fuerit redde supra fæces, donec dictas quatuor partes olei posueris, siccaveris & fixaveris, cum tota materia. Et habebis iterum calcem physicam; quam pones ad solvendum cum menstruo in vase apto: postea congela & solve & iterum calcina, & convertes Mercurium in aurum cum altissima proiectione. Et poteris cum una alia maneria dicta herbas radicum cum meliori accurtamento componere, & dicuntur cameræ. Et modus est, quòd tu accipias menstruum tibi notum, & in eodem dissolves sulphur, & facies per alembicum transire. Et per B. menstruum evacuabis, & sulphur remanebit ut oleum in fundo. Accipe de eo quantum vis, & pone in cinere in vase sigillato per 20. dies & fixabitur. Incera cum eo sulphur corporis imperfecti, factum per doctrinam tibi traditam aliorum sulphurum, & incipit. Recipe calcem cujuscumque corporis volueris; & habebis medicinam penetrantem & tingentem albam sive rubeam, & dicuntur branchæ accurtationis arboris. Poteris & in alia maneria magis accurtare. Quòd tu accipias unc. j. dicti olei & ponas cum unc. 7. Mercurii septies sublimati cum vitriolo, & semper sublimes terêdo quod est superius cum eo quod est inferius, donec totum fixetur. Solve & congela & erit tibi medicina convertens. Modò dabimus tibi accurtationem magni trunci arboris vegetabilis lapidis accurtati. Et modus est, quod tu accipias aurum, & illud cum menstruo dissolvas, scilicet unc. iii. & tantundem lunæ simili menstruo dissolvas: postea per alembicum transire facias. Tunc totum conjungas; & in eomet dissolve ℥. j. auri, & ℥. j. argenti, & per 25. dies putrefacias, & per alembicum elementa separes, secundum doctrinam physicalem tibi traditam. Tunc recipe terram, & eam præpara usque currat supra laminam, ut de aliis dictum est: postea accipe unc. j. argenti, & mediam auri purissimi; & amalgama cum unc. viii. Mercurii vivi vulgi, & pone cum eo terram quam separasti: postea pone de aqua sua quæ est aqua cœlica, dividendo eam in octo partes, & ponas unam partem supra in B. per octo dies digere: & igne lentissimo congela, & iterum pone aliam partem & digere & desicca: & reitera donec tota aqua sit conjuncta & amalgamata cum terra. Tunc erit ad modũ pulveris subtilissimi. Tunc accipe aerem lunæ, & divide in octo partes æquales, & unam partem, pone cum materia; & digere per octo dies, & sicca; & sublima per diem: & si quid sublimaretur terendum est cum materia remanente in fundo. Et iterum pone aliam partem; digere, sicca et sublima; ut prius, quousque aer sit conjunctus cum materia. Tunc accipe ignem dictæ lunæ; et divides in quinque partes, et unam partem superpone, et digere per octo dies, & exicca, & repone aliam partem, continuando usque totum ignem lunæ posueris. Et habes medicinam albam fundentem & penetrantem, & convertentem quodcumque corpus imperfectum in metallum perfectum. Pone illam in vrinali, & habito pondere accipe de aqua sua sive de menstruo rubeo in quo separasti elementa auri & argenti simul. Et iterum divide in duodecim partes & unam pone & digere in B. per octo dies, et sicca ut suprà. Et pone aliam partem continuando quousque totam aquam imbibas cum materia, et totum in pulverem sive medicinam convertas transparentem. Tunc aerem accipe; et totum divide in decem partes; quarum unam post aliam superpone dictæ materiæ; digerendo per octo dies vel decem; exiccando ut suprà, quousque totus aer fixetur. Tunc accipe ignem auri et in octo partes divde, et partem post partem ponas per modum tibi suprà annotatum d igerendo, & desiccando et sic habes medicinam rubeam accurtatam minori tempore, quam poteris multiplicare per vias supradictas. Interest modo fili, dicto de trunco arboris accurtationis, dicere de particularibus majoris accurtationis.

Et mo-

Et modus est, quòd tu accipias aurum & argentum quando soluta fuerint, & putrefacta sine eo quod separes elementa, & pones ad circulandum quousque fixetur: postea cum menstruo dissolvas usque sit oleum. Et cum isto oleo sic soluto, incera sulphur imperfecti corporis: Et habebis medicinam albam sive rubeam secundum quod posueris fermentum. Et fili, fermentum est, quòd quando volueris ponere ad circulandum solutionem auri, & lunæ simul, & volueris quòd sit album, pone tantundem lunæ solutæ in alio menstruo; & si vis rubeum pone aurum. Et si volueris perfectiori modo, dissolve lunam sive aurum in aqua argenti vivi tibi superius annotata: & in caput; Opus namque margaritarum, si vegetabilem operatus fueris. Si verò mineralem, redeas ad practicam Testamenti, ut supra, & illam mixtionem fixa; dissolve, & congela, usque sit oleum. Fili, istud oleum facit tibi miram proiectionem: Et potes eam multiplicare cum sulphure corporis imperfecti jam tibi monstrati, cerando, vel cum argento vivo sublimato septies cum vitreolo, ut suprà tibi diximus. Et sic habes totam doctrinam accurtatoriam; magnæ arboris & minoris, suis accurtationibus, & cum omnibus radicibus, herbis, truncis, branchis, ramis, floribus, pulveribus, & pulverizationibus, sive mineris & cameris: & particularibus multiplicatis & fixatis. Modò ad dissolvendum cum animali procedamus.

De parte Animalis lapidis.

Et fili, est alius modus hujus sulphuris naturæ animalis. In qua est subtilissima scientia, sicut in vegetabilibus: quod facies per modum quem te docebimus & fili, modus est, quòd tu accipias urinam juvenum bonæ complexionis, & ponas in vase vitreo per quadraginta dies, donec putrefacta sit. Et fili, per hoc elucidatur tibi cap. nostri Codicilli tuo Illustrissimo Patri conditum, quod incipit: Vade mecum, de Mercurio philosophorum, in clausula quæ dicitur: Recipe urinam Mercurii vivi. Et cap. 3. practicæ secretorum naturæ Theoricæ, in cap. quod incipit: Recipe urinam, & pone in vase vitreo per quadraginta dies. Et postea accipe cucurbitam & superposito alembico in B. per spatium 40. horarum destillabis aquam claram; & remanebit in terra spiritus. Exicca bene totum & aquam septies rectificabis: & sal album quod fecerit in qualibet destillatione collige cautè, nè aerem sentiat. Et pone in aqua sua. Fili, per hoc elucidatur tibi cap. libri Experimentorum in cap. quod incipit: Et sal quidem cum sua aqua ascendit. Ab aere caveas fili, si enim aerem sentiret, totum evanesceret, postea terram & aquam simul in B. pone vel fimo per quatuor dies: postea in eodem B. aquam destilla, & pone iterum super terram, digere & destilla iterum ut prius quatuor vicibus. Tunc Recipe aquam de per se, & pone in fimo per duos dies naturales. Et in B. destilla, & iterum in fimo putrefacias. Et destilla, & continua hoc regimen 5. vicibus. Tunc aqua est optimè rectificata & limpida. Completo isto opere, redde aquam super terram & dimitte in fimo; postea in B. destilla & exicca terram. Et deposito alembico, & posito alio cooperculo vel sigillo, sublima per viginti quatuor horas naturæ sulphur animale. Tunc collige illud, & super terram quæ remansit superfundas aquam suam, & pone in fimo, & destilla in B. & exicca, & sublima ut prius, reiterando donec totum sulphur sit sublimatum. Fili, per hoc elucidatur tibi clausula theoricæ tibi prælegatæ quæ dicit, Terra quæ remanet est damnata, et rectificata est per nos. Et clausula in Vade mecum quæ dicit. Pulvis inanis non intrat nostrum secretum. Et in clausula Testamenti tui patri condita quod incipit, Partes nostræ terræ. Fili, diximus tibi cum revelatione omnem modum faciendi vegetabilia sulphura nostra, & etiam sulphur animale cum declaratione totius magisterii: Nunc cum auxilio Dei elucidamus tibi, quòd una est via & modus in animali & in vegetabili nihil variando.

De parte lapidis mineralis.

Nunc ad mineralia procedamus. Et modus est quòd tu accipias vitrioli, cinnabrij, & salis nitri an. lib. 1. pone in vase vitreo, & fac aquam fortem sicut moris est, primò incipiendo igne lento, & fortificando usque videas aquam destillare à duodecim usque ad quindecim puncta. Et cum aqua fuerit destillata, da ignem fortem prout moris est in aqua philosophorum acuta, & spiritus minerales intrabunt aquam suam. Fili, in hac aqua dicimus B. significare vitriolum, C. sal nitrum, D. cinnabrium. Tunc accipe aquæ illius lib. j. et in ea ponas lib. 5. de Mercurio quod significamus per D. Et pone in balneo per duos dies. Inde destilla in cinere, donec videas cinnabrium facere capillos albos, et incipiat sublimari. Iterum ponè de alio cinnabrio lib. sexis: et digere et destilla ut supra, reiterando quinquies toto regimine servato. Fili, hanc appellamus aquam calcinativam, quam in principio nostri Testamenti in practica magicæ artis invenies. Tunc divide illam in duas partes, unam partem serva pro calcinatione corporum perfectorum: Aliam autem partem pondera, et si fuerit lib. j. pone lib. j. vel dimidiam quod sufficiet, aquæ vitæ summæ rectificatæ et acutæ cum sale tartari vel vini, quod melius est. Et teneas vas in manibus, et non ponas in terra, nec alio loco, donec cessaverit furor. Et est commixtio vegetabilis cum minerali: sigilla cum cera, et permitte per diem: postea in B. pones per duos dies, et destilla deinde in cinere. Et habebis aquam limpidam & clarificatam, ponderosam: quam clarè invenies annotatam in epistola nostræ Abbreviationis, in clausula quæ dicit: Tunc nota post primam calcinationem & putrefactionem, quæ fit per primam aquam bene limpidam & clarificatam. Et in arte Magica, quæ incipit, Cape vegetabilem ignem solutum in aqua calcinativa. Tunc pone illam in vase circulationis optimè sigillato per sedecim dies in B. convenienter, donec reddas & videas aquam bene unitam, & in fundo vasis ad modum salis crystallini. Serva eam. Tunc accipe unc. j. lunæ benè copellatæ & cinerisatæ in tenues laminas redactæ, & pone in vase vitreo cum longo collo; & superpone uncias iii. de aqua calcinativa superius reservata: & pone in B. per tres horas. Tunc in eodem B. aquam destilla, donec videas quod luna remaneat in colore viridi, & humida & congelata ad modum ceræ. Tunc recipe illam, & pone in igne terraturæ; & destilla spatio duodecim horarum, humorem. Et cave à forti igne, sed sit ad modum caloris solis, & sic habebis lunam optimè calcinatam. Tunc accipe unc. iii. aquæ calcinativæ antedictæ, & aquæ limpidæ, clarificatæ & circulatæ, quam superius diximus, G. vegetabile, & menstruum fœrens unc. j. & unc. j. salis vegetabilis: & totum pone in vase vitreo optimè sigillato in B. per duos dies. Et in illo tempore invenies totum vegetabile solutum & conversum

versum in aquam claram, ut est tibi annotatum in arte magica in cap. præallegato, quod incipit; Vegetabilem ignem solutum in aqua calcinativa: & in cap. quod incipit: Recipe sal cum aqua. Tunc accipe vas in quo est totum, & superfunde ei unc. j. illius lunæ calcinatæ, & tene vas in manibus quousque operetur sua propria virtute. Quo facto, pone in B. per 2. dies, & ibi totum vel major pars in liquorem convertitur. Extrahe hunc liquorem cautè per inclinationem, & serva in alio vase. Et vas in quo remansit materia argentea pone in igne serraturæ, & lentissimo igne humorem destilla, & cum alio servato repone: Et supra calcem quæ remansit pone de alia aqua calcinativa, seu G. vegetabili, tres partes sui, & dissolve tenendo vas in manibus, & fac per totum ut prius, reiterando, donec totus limus sit conversus in liquorem. Tunc recipe auri purissimi ℥ i. illud calcinando & dissolvendo per eundem modum, nil variando, ut de luna feci̇sti, donec sit conversum in liquorem ut de luna dictum est. Tunc si volueris ad lapidem procedere, facias isto modo: si ad particularia, suo loco notabimus. Recipe liquoris scilicet auri & argenti, & pone simul in uno vase destillatorio, & destilla in cinere, & si quid remanserit dissolve cum G. vegetabili, quousque per alembicum facias pertransire. Tunc accipe tuam dissolutionem, & cum ea pone ℥ i. de G. vegetabili. Et si volueris procedere ad album, pone intus ℥ i. lunæ purissimæ & totum pone in vase putrefactorio in fimo vel B. per 45. dies. Tunc extrahe & superposito alembico destilla totum quod poteris; & hoc appellamus sulphur, ut habes annotatum in nostro Testamento, in parte practicali, ubi dicit: Fili, illud sulphur præparat terram. Tunc iterum pone quod destillatum est super terram, & digere in B. & destilla in cinere totum quod poteris. Inde à destillato aquam per B. extrahe, & per cinerem convenientem aerem separa, & ignis remanebit in fundo, & dicuntur elementa sulphurea. Tunc præpara terram cum aqua sua propria, ut alias terras corporum fecisti, quousque currant supra laminam. Tunc facias amalgama cum una parte argenti purissimi, & media parte stanni fini, & 5. partibus argenti vivi vulgi. Recipe de isto amalgamate unc. iii. & de terra præparata unc. i. & mole in mortario vitreo. Tunc recipe aquam suam, & divide in 10. partes æquales, & pone unam partem supra materiam & digere in B. per unum diem, & per alium in cinere congela. Et superpone aliam partem digerendo, congelando & reiterando isto regimine, quousque omnes decem partes ponas. Tunc accipe aerem, & divide in 5. partes & unam partem superpone materiæ: digere in B. per duos dies, & in cinere exicca per unum diem, & per alium sublima. Et quod sublimatum fuerit redde super fæces subtiliter terendo & ponendo aliam partem dicti aeris, digerendo, congelando, sublimando, & reiterando, toto regimine isto servato, quousque totum aerem posueris & fixaveris. Tunc accipe ignem, & divide in 5. partes, & procede ponendo unam partem post aliam digerendo in cinere, quousque totus ignis fixetur in materia sua. Tunc da sibi ignem in stupha sicca per viginti quinque dies, & dealbabitur. Et procede ad solvendum & congelandum, & habebis mineralem lapidem brevissimo tempore cum tota virtute creatum. Si ad rubeum procedere volueris, loco unc. i. lunæ, quam posuisti in liquore mixto, quem posuisti in putrefactione, cum quo posuisti unc. i. de G. vegetabili, pone unc. i. auri, & amalgama. Quod fecisti ex argento, stanno & Mercurio, facias ex auro & Mercurio: & in omnibus aliis procedas, ut fecisti in compositione lapidis albi, nil variando nec etiam mutando. Potes tamen procedere alia maneria ad rubibificationem huius lapidis albi. Et fili, modus est, ut tu accipias tantumdem auri quantum tu posuisti de argento in lapide, quando dissolvisti pro lapide componendo. Et pro amalgamate quod ibi posuisti, quod fuit unciæ iii. scilicet illud dissolvas duplici modo, seu isto modo, quod tu accipias aurum calcinatum, & dissolve cum menstruo suo minerali secundum doctrinam superius tibi traditam, scilicet cum aqua calcinativa, & destillando humorem: postea digerendo, dissolvendo & congelando, quousque sit in liquorem reductum: inde putrefacias & in cinerem congeles: post in B. dissolvas, in 12. partes dividas, & lapidem album cum eo inceres, ponendo partem post partem, & digerendo per unum diem in B. & per alium siccando in cinere, & sic procedendo, quousque omnes 12. partes auri soluti cum menstruo, & cum eo transacti per alembicum, sive fixatæ super lapidem album, & erit lapis rubeus tingens firma tinctura, convertens in aurum, ut prius convertebat in argentum. Vel hunc breviorem modum compone: Recipe de menstruo fœtenti, vel de G. vegetabili libras iiii. & pone intus libram j. Mercurii vivi: & pone in B. vel fimo equorum per 6. dies. Et totum convertetur in aquam: destilla per B. & habebis aquam mercurialem verè mineralem: pone in ea uncias iii. cum dimidio auri calcinati cum G. vegetabili, vel cum argento vivo, ut habes in doctrina sexti Canonis primi libri quintæ essentiæ. Tunc totum pone in B. per 3. dies, & totum solvetur in oleum rubeum subnigrum, pretiosum & permanens: postea pone totum in cineres ad fixandum ad 22. dies, & fixabitur ad modum lapidis: & si aliquid aquæ ibi remanserit, evacua per inclinationem, & si non sit curandum dissolve in B. usque quo maneat in oleum. Et cum isto oleo incera lapidem, eum dividendo, postea incerando, digerendo, desiccando, ut cum alio fecisti, & habes totum mineralem lapidem & perfectum. Restat tibi modò ponere suas multiplicationes: postea tradetur tibi notitia de omnibus suis particularibus & cùm omnibus suis accurtationibus & multiplicationibus. Et modus multiplicationis est, quòd tu accipies unciam j. dicti lapidis albi vel rubei, & ponas in vase vitreo cum collo longo, & desuper unciam j. de amalgamate, secundum conditionem medicinarum sivè albæ sive rubeæ: & vase optimè sigillato pone in igne serraturæ, vel de carbonibus parvis per 6. horas. Et respicias quando videbis materiam in forma metallina, cessa ab igne, quia non debes esse intentionis, ut facias unum frustum metalli. Et si non fuerit in forma metallica, sequere ignem quousque habueris tale signum, vel quòd fuerit in forma pulveris albissimi, vel rubicundissimi, secundum conditionem lapidis quem tibi proposuisti. Et tunc signum est, quòd vapores sulphuris penetraverunt amalgama. Fili, hoc habes accurtatum in capite Lumen solis, quod incipit: Vapores nostri sulphuris penetrant amalgama. Et in libro de Proprietatibus caput quod incipit: Proprietatis nostri lapidis, præcipuè mineralis, est pulverisando suam virtutem multiplicare, & in capite 4. libri practicalis quod incipit, Incipiamus cum lapide facere cineres. Tunc fili, mineras, quæ ad minerale magisterium pertinent, compones suam virtutem multiplicando. Accipe dicti pulveris unam

partem, ut puta unciam j. vel libram j. Et illam proiice super 10. partes amalgamatis facti ex j. parte lunæ, vel solis, & 5. Mercurii secundum conditionem pulveris. Et totum convertetur in pulverem. Et de illis 10. partibus, unam super alias 10. amalgamatis, vel Mercurii simplicis proiicias, & sic procedas computando & proiiciendo, quousque videas materiam, nec in pulverem, nec in metallum conversam, sed in massam duram frangibilem. Et de illa facias experimentum scilicet, quòd partes una pars potest in metallum convertere. Et isto modo necessariò invenies finem projectionis, alias nunquam invenies, nisi prius convertatur in massam duram frangibilem, ut tibi diximus. Et habeas menti super quot pondera se extendit, ille pulvis lapideus sulphureus. Tunc accipe illam massam frangibilem ultimò congelatam, quam diximus sulphur ultimo congelatum, & ab illo dividas unc. 1. vel libram 1. & serva totum residuum, vel totum pone in opere: & pone in vase vitreo cum collo longo optimè sigillato. Et pone super ignem temperatum, quem dicimus ignem nutritionis, ut invenies annotatum in libro de Proprietatibus minerarum, in cap. quod incipit: Nutritur in igne ut salamandra, & de 30. in 30. dies da sibi quinquagesimam partem Mercurii vivi, & convertetur in massam, quam poteris extrahere pro projectione, & in tuis necessitatibus, & aliam quinquagesimam partem ponere, & sic in infinitum facere. Ecce fili, habes lapidem mineralem cum tota sua minerali multiplicatione, quod nunquam deficiet tibi in infinitum. Modò ad accurtationes redeamus. Et modus accurtationis, fili, est quod tu accipias corpora soluta, & in liquorem conversa per doctrinam tibi datam: & quando fuerint unita, & pulvis facta, sine eo quod magis destilles, & in elementa dividas, simul in vase vitreo optimè sigillato in cineribus pones ad ignem convenientem per 22. dies continuos, & ibi rotando totum fixabitur in fundo vasis. Tunc accipe vas cum tota materia, & pone in B. per 9. dies, & totum solvetur in oleum. Et sic facies solvendo & congelando, donec amplius non poterit congelari. Tunc habes oleum pretiosissimum, cum quo si inceraveris sulphur Iovis vel Saturni, factum per doctrinam tibi traditam, fixabitur in medicinam penetrantem, tingentem, secundum materiam olei albi vel rubei. Poteris etiam aliter multiplicare. Et modus est, quod tu scias pondus dicti olei: & pro qualibet un. i. ponas un. 7. Mercurii vivi, septies sublimati cum vitriolo Romano. Et cum dicto oleo septies sublima, & semper quod sublimáverit septies super fecibus reddendo, fixabitur Mercurius in medicinam penetrantem & tingentem. Cuius una pars centum partes argenti vivi retinebit in tinctura firma, & tingens secundum conditionem olei. Poteris etiam accipere unc. i. de oleo sic soluto, & ponere in vase vitreo cum unc. 100. argenti vivi vulgi, & vase bene sigillato in cineribus calidis per 8. dies tenere, & totum convertetur in aurum purissimum vel argentum, secundum materiam olei. Potes etiam alio modo hanc medicinam componere: & modus est, quòd tu accipias cinnabrium, vitriolum, & salnitrum ana, & pone in vase cum longo collo, dando sibi ignem cinerum quousque tota humiditas exeat. Tunc claude vas cum bombice, & da sibi ignem per 24. horas, & sublimabitur super fæcibus una massa alba ut nix in forma capillorum. Collige cautè, & imbibe cum oleo tartari: postea pone sub fimo equino per 6. dies, & convertetur in argentum vivum currens, quod transiges per corium: postea pones tantum super eum de alio argento vivo sine aliqua præparatione. Pone totum in fimo per 6. dies: inde destilla in cinere, & destillabit tibi argentum vivum quod posuisti in forma aquæ phlegmaticæ, serva eam. Tunc accipe quod remansit in fundo vasis ad modum salis cristallini, & dissolve totum cum menstruo fœtenti in B. per 6. dies. In eodem extrahe menstruum & remanebit in fundo oleum argenti vivi penetrans & clarum. Ecce habes duas aquas argenti vivi factas per varium modum. Accipe de quâ volueris (sed melior est ultima) libram i. & pone intus unc. iii. vel ad minus ii. solis vel lunæ secundum quod operari volueris: & pones in B. per 6. dies, & totum solvetur in oleum. Tunc accipe corpora in liquorem deducta & mixta, antequam ponas in putrefactione: & si volueris operari ad rubeum, pone cum eis unc. i. de G. vegetabili, vel de sale vegetabili. quod est sal vini, & unc. i. auri calcinati, ut supra de sulphure fecisti, & pone in B. per tres dies, & totum solvetur. Tunc pone totum hoc solutum cum aqua Mercurii, in quo est aurum solutum, & si volueris putrefacere per mensem philosophorum, scilicet per 44. dies, melius erit: sin autem, pone vas optimè sigillatum in Athanor per 22. dies, & totum congelabitur. Tunc auge ignem per unum punctum, & per alium diem da ignem sublimationis, & convertetur in oleum, & non amplius congelabitur. Cuius una pars centum partes Mercurii, vel cuiuscumque corporis converter in verum solem vel lunam. Et si cum putrefactione processeris, teneo viam tibi notam, & est nobilior medicina. Hanc medicinam poteris multiplicare sicut fecisti superius medicinas accurtatas, simul incerando sulphur Iovis vel Saturni, vel argenti vivi sublimatum cum vitriolo, ut de aliis fecisti. Aliud accurtatorium. Poteris breviori modo hanc medicinam componere, scilicet quando habueris lunam in liquorem conversam. Accipe totum liquorem, & pone in duobus vasis circulationis, ita quòd rostrum unius intret rostrum alterius: & pone cum eo liquore ℥ vi. de G. vegetabili, vel de aqua vitæ simplici acuta, cum sale tartari vel vini, & pone in igne cinerum per 22. dies, si fuerit ad rubeum: si fuerit ad album, per 10. dies & ibi rotando fixabitur in fundo vasis. Dissolve & congela usque amplius nolit congelari, ut supra dictum est. De isto oleo potes centum partes Mercurii retinere per 8. dies in igne lento, ut supra dictum est: vel potes incerare sulphur Iovis vel Saturni, vel fixare argentum vivum sublimatum cum vitriolo, ut supra dictum est. Et est alius modus brevior, scilicet quòd tu accipias aquam factam ex vitriolo, salenitro & cinabrio, vel ex duabus vitrioli partibus, & una salis nitri tantum: & postea eam acuas quinquies cum cinabrio ut de alio sulphure vegetabili dictum est. Tunc accipe de isto G. vegetabili, sive menstruo fœtenti uncias iv. & de aqua vitæ rectificata & acuata cum sale tartari uncias iv. ponas simul in uno vase, & destillabis in uno vase in B. per 9. vices. Et in isto tempore convertetur totum in unione una, sicut gelu aut glacies. Pone intus unciam 1. auri calcinati, & pone in B. per tres dies, & totum convertetur in aquam claram. Pone in cinere sicco per 20. dies, & erit conversum & fixum in medicinam. Quam si dissolveris & congelaveris, una pars cadit supra 30. lunæ in verum solem. Et si volueris hanc medicinam per aliam facere viam: Accipe tantum de menstruo minerali rubeo, id est, de aqua fortis superius dicta, acuata decies cum cinabrio, & ponas, intus aurum, & dimittas in putrefa-

ctione per 20. dies, & totum solvetur. Tunc extrahe aquam per B. quousque remaneat in quantitate auri tibi positi. Congela in cineribus vase sigillato: postea aperi vas, & pone de super aquæ eiusdem conditionis cum prima, in quantitate pulverum, seu rei congelatæ, & in B. dissolve, & in cinere destilla: & sic procede toto regimine observato usque ad 10. vices: & sic habebis medicinam merè mineralem, verissimam, quam poteris brevi tempore complere, ut habes annotatum in epistola, abbreviatoria in clausula quæ dicit: Iam nota post primam calcinationem & putrefactionem, quę fit per primam aquam bene limpidam, & clarificatam 20. diebus: minori autem tempore non potest fieri. Et in fine huius clausulæ ubi dicit: Hanc medicinam in 8. diebus ad maximum complere poteris. Multiplica eam vel incera cum ea sulphur Iovis vel Saturni, vel ponas supra Mercurium, ut de aliis dictum est. Ecce habes totum mineralem lapidem cum suis particularibus accurtationibus. Sed nota, quòd istum lapidem possumus etiam aliter componere, sed maiorem: & est modus, quando habes corpora soluta, unumquodque de per se iam conversum in liquorem, pone unciam i. de G. vegetabili, & unciam j. lunæ finæ, & partes 12. de aqua vegetabili, & putrefacias de per se, & separes elementa ab unoquoque de per se, postea unias terram, & præpares simul prius cum aqua lunæ separando eam per B. ab aere & igne, quousque fit pulvis albissimus: postea præpares cum aqua rubea, scilicet cum aqua solis, quousque sit dispositа ad sublimandum, quod cognosces quando super laminam ignitam evolat in fumum: postea sublimabis & sublimabitur album sulphur, & rubeum remanebit in fundo. Tunc proportionabis terram sive sulphur album cum amalgamate facto ex luna & Mercurio & Iove, ut supra fecisti in alio modo compositionis huius lapidis. Et super hoc fixabis elementa sua alba, imbibendo, digerendo & desiccando, ut in superiori doctrina tibi traditum est: Et tunc sulphur rubeum quod remansit in fundo vasis conjunges cum amalgamate facto ex auro & Mercurio, & proportionabis, ut supra in albo fecisti: & elementa sua rubea fixabis supra corpus, & cum sua oleagine fixabis & cerabis, ut diffusam habes doctrinam in superiori parte. Et habes lapidem mineralem album & rubeum per alium modum compositum: quem poteris multiplicare per modum minerarum, ut supra te docuimus, & modum tibi clarum dedimus. Sic habes totam doctrinam chymicam, tam vegetabilem animalem, quàm etiam mineralem cum omnibus suis circumstantiis diffusam absque dubio: per quam pervenies ad istud secretum & effectum altiorem, ad quem pauci operantes possunt pervenire, nec potuerunt nostris diebus, & hoc vocatur donum Dei, eò quòd sicut Paulus Apostolus inquit: Hoc donum non conceditur nisi diligentibus, à quo cuncta bona procedunt, ut Iacobus Apostolus testatur: Quod omne donum optimum & bonum de sursum est descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio, & qui timet Deum faciet bona. Ergo non disponas animum tuum in vanis rebus, nec in perversis cogitationibus; dum gratiam Dei consequi volueris: Quia maximus Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam & gloriam. Cui laus & gloria sit in sempiternum. Amen.

TESTAMENTI NOVISSIMI RAIMVNDI LVLLI.

de Practicè.

LIBER SECVNDVS.

FIlli, ad componendum dictam medicinam matrem & Imperatricem omnium metallorum & medicinarum, oportet te habere tres fornaces, Vnam ad calcinandum, & destillandum per cineres, aliam ad inhumandum per balneum, & aliam, quæ sit præsto ad opera interrupta, scilicet ad corrigendum errores, secundum quòd tibi signum naturæ monstrabit. Et debent esse furni rotundi ab intra, & cum tribus mediis factis ac ostiis terræ, & solaris terræ, quæ suffert ignem, ruptis in medio, totum in rotundo ad quantitatem coronæ unius Clerici, vel ad longitudinem digitorum quatuor per talem modum, quòd possit cooperiri & aperiri: & quum necesse fuerit, cum suamet petia, & ab uno medio ad aliud si medius palmus benè longus, & quodlibet medium habeat suam portam, quod possit claudi & aperiri, secundum diversitatem focorum, & sint omnes simul conjuncti; unum post aliud, ut longitudine, & in furno in medio fac unum conditum in quolibet de suis mediis ad finem, quod potest id recipere calorem aliorum per sursum & deorsum, & quod prædicta conducta inferius contra solaria & quod possit claudi & aperiri, quando fuerit necesse, & habebis fornaces perpetuas, ad continuandum ignes diversos, quos medicina adhibet in finem illius: & quando volueris aliquid facere, apta tuas fornaces, secundum quod res requirit, vel in Balneo, vel in cineribus, vel in igne flamineo. Quia in balneo distillamus aquas, in cineribus separamus nostra aerea, & calcinamus terram in formâ aquæ claræ: & in igne flammæ fixamus spiritus, quia est opteticus. Et ille est, qui dat medicinæ potentiam actualem ad omne, quod ipsa facit. Et si pendente magna medicina, vis philosophari, in ea practica, oportet te habere furnellos parvos solummodo de uno medio: quia medicinæ particulares, non requirunt tot diversitates digestionum, nisi solummodo res; quæ fieri possunt in dictis fornacibus, sicut postea dicemus. Et hoc est magna habituatio lætitiæ, ad digerendum spiritum in omnibus operibus nostris, ad habendum patientiam in tarditate decoctionis magnæ medicinæ, quia non stando ocius, poteris facere multa alia.

De Vasis.

Fili, tu debes intelligere; quòd ad componendum omnes medicinas, non indiges nisi forma unius vasis, quod est de tribus frustis, scilicet, de uno coopertorio; & de uno alembico, & de una cucurbita. Sed illud accipit differentiam nominis secundum diversitatem suæ operationis: quia quando est pro intentione dissolvendi, dicitur dissolutorium: vel putrefaciendi, dicitur putrefacto-

factorium : distillandi, dicitur distillatorium cum suo alembico : vel ad calcinandum, dicitur calcinatorium, & mortificatorium : vel congelandi, & dicitur congelatorium, & reductorium, Sublimatorium, adiutorium, vivificatorium, ceratorium, & inhumatorium, putrefactorium, attenuatorium, condensatorium, &c. Et semper non est forma, nisi unum solummodo. Sed quælibet medicina requirit suum vas formatum, sicut dictum est de vitreo cum suo coopertorio, & cum suo alembico.

De Medicinâ.

Fili, quando nos dicimus in isto capitulo medicina, hoc dicimus per intellectum simplicis per se, & compositi per se, sine coniunctione aliorum elementorum, & sic de quolibet aliorum elementorum compositi, sicut est lapis, qui est creatus de duobus simplicibus elementis, scilicet de terra & aqua; vel elixir, quod factum est de compositis & simplicibus, & de compositis, sicut de sulphure; & de sementis : & de simplicibus, sicut aqua & aere. Et ideò fili, cum aqua præparatur, indiget uno proprio vase facto, sicut superius dictum est, sicut medicina simplex, & aer similiter, sic de aliis elementis, & medicinis simplicibus. Quare tibi manifestetur, quòd duæ res possunt simul fieri in uno vase & tempore. Noli successionem vel moram seu longitudinem temporis propter defectum vasis ægre ferre, quia aliquando duo simul potes facere, aliquando tria, quod tu non posses facere, si esses in penuria vasorum, quæ omnia sunt unius formæ, & illa forma sufficiat tibi ad componendum & ducendum ad finem realem medicinam.

Cap. I.

Quomodo debes intelligere elementa.

Filli, ita debes intelligere, Elementa sunt omnia composita, quia natura non debet sustentari, nisi in materia simplicis compositi, cum aliis elementis composita, de materia fina & clara elementaliter per virtutem elementativam, in qua sustentatur virtus vegetabilis. Quapropter fili, nostra elementa sunt in quolibet illorum; & quolibet illorum est in forma circuli & circulatur cursibus simplex mixtum. Fili, modum cuiuslibet elementi nos accipimus per rationem suæ terminatæ proprietatis, sicut aqua per suam frigiditatem; & ignis per suam caliditatem, & sic de cæteris. Ad hoc per respectum ad talem determinationem vocamus nos corpora, animalia vegetabilia, & mineralia elementa, quodlibet secundum dominationem elementi, quod dominatur in quolibet ipsorum. Et propter hoc, quod successivè sunt naturaliter generata secundum gradualitatem suæ diversæ simplicitatis & grossitiei mediocritatis accipientes diversas formas, & diversa elementa. De quibus nos vocamus elementa; & maximè corpora mineralia, quia quælibet una pars est similis alteri in suo toto. Et propter hoc nostra medicina vocatur ignis : quia determinatè ipsa habet complexionem ignis, non obstante, quòd sit composita ex compositis elementis, & contemperata cum qualitatibus contrariis, & quia unum compositum est ingressivum in aliud, accipit formam homogenam per variam mixtionem, quæ dicitur unio alteratarum, quæ penes se habet mixtibilitatem, causa veniendi ad compositionem, cum potestate suarum rerum alteratarum, scilicet esse non stabilitatem & vegetabilitatem. Tunc igitur perficitur circulus phæricus cum quatuor circulis phæricis, qui faciunt quadrangulum, quando erant diversificati, sicut istæ figuræ tibi demonstrant hic.

Cap. II.

Quomodo intelligere debes elementa.

Quare fili, intelligere debes, quòd nostra elementa sunt composita, & elementata : quia in nostra terra est ignis illuminatus, & ideò est ipsa elementata per complexionem sibi appropriatam ex parte ignis : & similiter ignis & aer in ipsa continentur, & tamen illis participant secundum magis & minus, & proprietatem suarum extremitatum. Et sic est de aliis elementis : quia in nostra aqua est ignis, & aer in terra. Sed ignis ad magis profundum omnium suarum regionum, requiescit magis remotè, quàm facit terra & aer. Et propter hoc istum ignem nos multiplicamus cum calore aliorum, & istum contemperamus cum frigiditate aquæ, & fixamus in humido aquatico; quod est materia sulphuris : quia humidum est materia nostri ignis, sicut oleum est luminis, quod ardet in lampade, & cum tali materia fili, augetur & augmentatur noster ignis, quousque fit sulphur : quia ignis terræ, qui comburit & ardet manum, mutatur in substantiam aquæ Mercurialis; & fit sulphur non ardens, per temperatam frigiditatem aquæ incombustibilis : Et postmodum convertitur in substantiam aeris, quando ponitur in fusione. Et iste est noster ignis, quem tu debes infigere per certa regimina reductionis in materia humida, quæ est terminus ad deducendum in materiam secreti sulphurum per humidum radicale : quia quantò tu magis occultas in subtili materia, magis suum humidum radicale multiplicatur, tantò magis operatur suum humidum radicale : & quantò sua materia est magis subtilis, & magis occultè penetrat, cum firma radiosa alteratione. Propter hoc fili, sit tibi dictum avisamentum huius naturalis operationis; quæ debes gubernare cum longa mora. Quare in pluralitate temporis coniungitur pluralitas partium in unam substantiam in qua est unita, quam potens virtus, quæ est tota essentialiter composita de igne composito, cum humido radicali. Et ideò cum sit ignis compositus ex pluribus partibus ignitis, habet potestatem ignibilem ad igniendi alias partes : & cum illæ partes sint ignitivæ, sunt colorativæ; quæ habent potestatem colorabilem ad colorandum & tingendum alias partes. Et dependet colorativum de significativo, & de significabili colorificabile, & de significare venit colorificare. Et hoc est, quòd nostra tinctura non est nisi purus ignis compositus ex multis partibus coessentialibus coniunctis in unum per artem claram & scitam : Unde dicimus, quod noster ignis facit in una hora, quod Sol & Stellæ faciunt in numero mille annorum. Considera ergo fili, & intellige, quomodo & qua via noster ignis nutritur & crescit; quousque venit ad illud posse; per quod ostendit virtutem sulphuream per suam proprietatem; quæ congelat omne argentum vivum Fili, accipe extremum spirimentale A ratione Philosophiæ nostræ, quæ docet potentiam in nostro magisterio, quod sicut calor naturalis simplex terminat suum humidum radicale simplex digerendo & congelando illud secundum subtiliationem tibi limitati ad

proportionem virtutis caloris naturalis digerentis, sicut manifestat primum regimen reductionis in substantia sulphuris, sicut calor congelatus & multiplicatus in humido maturato, digerit, & maturat, & congelat naturam aridam argenti vivi vulgaris compositam materiam in forma metalli. Vnde fili, multiplica ignem in substantia subtili argenti vivi, & congelabit id omne compositamentum, quia natura demonstrat, quod natus infans vel puer lactens non potest capere cibum magnum, nisi per calorem naturalem matricis non digeratur, nisi prius coquatur & subtilietur, & in succum lactis convertatur, quod est cibus & proprium nutrimentum infantis. Et hoc requirit fili, naturaliter natura in suis propriis actionibus jam nutriendum fœtum factum ad finem, quòd hoc non potuit capere in cibo grosso, quòd attrahat & fugat in substantia lactis, quousque nutritus possit capere cibum grosum. Fili, tuum speculum sit generatura, & mutatio infantis humani, ad creandum nostrum lapidem. Et hîc jacet totum secundum sanitatem, ad quod quilibet bonus philosophus debet suum intellectum dirigere.

Cap. IV.

Annunciatio elementorum & notitia illorum, argentum vivum philosophorum.

Filli, nostrum argentum vivum, vel pars illius est aqua distillata à terra sua, & terra similiter est nostrum argentum vivum animatum: & anima est calor naturalis, qui stat colligatus in prima essentia elementorum argenti vivi. Quare tè scire facimus, quòd aqua debet habere modicum de hoc calore, aliter non esset animata. Et ad hoc faciendum habemus elementativitatem, quæ elementat & animat elementa, complacente solutione & putrefactione, quæ naturaliter naturali calore penetrante omnes partes elementales diffundit per totam naturam essentialiter, & diffuse ligatur cum dictis partibus essentialibus, per partes minimas ad finem, quod in separatione elementorum trahitur per distillationem. Et materia cuiuslibet elementi manebit animata ex igne naturali, qui est calor vivificativus, de quo omnia elementa exuberantur. Et quanto gravius aqua distillata fuerit, tanto magis ipsa erit ligata cum partibus essentialibus argenti vivi, quibus est copulatus calor naturalis, sicut apparet in oleo & in rebus calidis liquidis. Quarè fili, considera differentiam, quæ est inter aquam & oleum, quia visus demonstrabit dissimilitudinem, non per suam solam speciem, sed per suum effectum, si scis, comprobare per intellectum, si theoricus es in nostro magisterio. Cum igitur una pars caloris naturalis separatur à maiori virtute, cum ita sit, quod ipsa perdatur in sua fluxione à calore naturali, & à suo proprio & connaturali humido. Sed cum alia vice ibi reducitur, per coniunctionem illam recipit corpus cum magno appetitu, per confortationem & restaurationem integram. Et sic simul coniunge cum sulphure, & humiditatem tunc sua simili humiditate: quia virtus ignis materiæ multiplicatur in se, ratione suę essentiæ & suę naturæ: quia facit humidum radicale totũ novum, sicut per experientiã leviter tibi potest monstrari lapidis Lunariæ magnæ. Similiter post separationem elementorum, cum semper habeat appetitum ad humidum proprium, cum quo calefiat calor naturalis, & in quo imprimit suam formam, & suam similitudinem. Videas super hoc, quod materia, in qua calor debet operari, & imprimere suam essentiam, sit bene subtilis ad finem, quod totum possit fieri ignis & humidum radicale, & materia subtilietur per decoctionem longam & suavem, cum regimentis contrariis, quæ sunt operationis naturæ. Fili, intellige hic, quod duplicem calorem oportet te habere ab igne communi, scilicet humidum colligans, & coniungens cum nutrimento spiritus, & ignem siccum dissolventem & destruentem phlegma, post condensationem spirituum terminatorum per ignem humidum.

Cap. V.

Quomodo debes intelligere actus ad contemperandum elixir, & de contemperatione veri elixiris.

Filli, tu debes scire per intentionem ad contemperandum Elixir tuum, quod omne temperamentum est constitutum per primas qualitates ligatas in immediatis essentiis: quia te oportet in illis ipsum attemperare per confortationem, quia sic vult natura. Sed cum tu potes videre, quod propriè quantitates non possunt haberi nisi sub forma substantiali, & composita visibili, tibi expedit, quòd substantia cuiuslibet elementi non turbetur in tempore medicinæ per quantitates alterius, quæ ex illomet per defectum præparationis, & substantia cuiuslibet elementi fit medicina subtiliter depurata ad finem. Quare manifestum tibi sit, quòd in aqua est aliquod de terra indigesta, quæ dicitur sustentatio spiritus, post suam præparationõ[illegible]è rectificabitur propter hoc, quia ipsa habebit in suo ventre de quantitate sicca, quæ est prima qualitas terræ, & per illam conturbabitur lapis frigidus, ad faciendum suam actionem: & sic est de aliis elementis. Videas, quare per defectum præparationis siccum non confundit humidum, nec frigidum siccum, nec humidum frigidum, nec frigidum humidum, nec humidum calidum, quia aliter lapidem non poteris temperare, nec illum ducere ad certum gradum specificè. Cum tibi expediat divisibiliter quod tu scias, quantum debes ponere de quolibet elemento. Et ideò, quando elementa rectificantur cum gradibus separationis, hoc facimus ad finem, quod quatuor qualitates elementales, & quod quilibet illorum sit fortis secundum quantitates elementi sui tantum quantum est possibile: quia de quatuor qualitatibus excellentibus oportet, quod contemperes lapidem. Et dictæ qualitates excellentes non inveniuntur nisi in simplicibus elementis, & elementa simpliciantur per vim præparationis ad finem, quod quantitas unius non impediatur per quantitatem alterius. Et ab illius resultat temperamentum secundum confortationem vel debilitationem, quæ fiunt per viam reductionis. Et sic ligantur iterum elementa, & fiunt quasi aqua composita, quæ continet in se omnia quatuor elementa præparata, quæ aqua fixatur per minimas partes, & congelatur in suo fine per modum reductionis, & per talem modum elementa contemperantur cum minima actione qualitatum contrariarum, & resultat unum compositum complexionatum, in temperamento calidi & humidi, frigidi & sicci. Attamen prius cum frigido & humido, & post per illum est magis humidum & calidum, quousque venit, quod elixir fit cum nobili temperamento.

De

Cap. VI.

De tribus instrumentis, sine quibus opus non potest fieri.

Filli, in hac arte debes considerare tria subjecta instrumentalia, scilicet vegetabile, quod est principale mutuativum omnium substantiarum, & elementale, quod est principale mixtativum elementorum, & instrumentalitatum : quoniam sine illo alia non possunt esse, quia omnia ista tria requirunt, quod sint universaliter in materia, ex qua fit nostrum magisterium, quia si vegetativum non esset in materia, non posset transmutari, sicut natura requirit, secundum sua organica instrumenta. Fili, principalis & nobilissimus effectus huius instrumenti est ignis naturalis, & si elementativum non est ibi, elementa non possunt misceri cum bona elementatione. Et si aqua non elementatur de aliis elementis, & specialiter de terra, iam ista non poterit cibari, nec per consequens habebit substantiam ad constituendum: nec instrumentum vegetabiliratum habebit substantiam, quod possit mutare. Et per hoc potes intelligere quod in omni nutrimento parum prosunt simplicia elementa, cum manifestè tibi natura ostendit, quod elementa quæ ipsa miscuit cum suo instrumento elementativo faciunt, naturales effectus per suam mixtionem. Et similiter quantum sequitur naturam, tibi ostendit practicam, quòd melius & citius operantur & faciunt multos effectus elementa mixta, quàm faciunt simplicia, propter hoc, quod elementa mixta manent in primis essentiis elementorum, & de illis cibantur omnia per virtutes suorum instrumentorum, & sic ligantur simul, quia maior pars unius ligatur cum maiori parte alterius, omnes insimul alterantes se per suas proprias qualitates. Sed illa colligatio, fili, sit in diversis proportionibus, sicut tibi dicemus per capitulum succedens, & diximus in capitulo suam animationem, vel de sua animatione, & in capitulo immediatè præcedenti. Patet, quòd requiritur, quod materia non sit vacua tali instrumento vegetativo, per quod talia debent elementari. Et instrumentativum non est in elementandum elementa ad intrandum compositionem sulphuris mediante instrumento vegetativo. Et sic tibi manifestetur, quod unum non potest esse sine alio, semper cum differentia successivorum operatorum : quia quando volumus ponere instrumentalitatem in materia, nos vadimus ad regimen dissolutionis, quod superius tibi dedimus. Et hic incipis videre elementalitatem & instrumentalitatem. Et quando volumus quòd ipsa elementet sua elementa, nos vadimus ad secundum regimen resolutionis, & statim hic incipit nasci vegetativa, quæ est causa transmutandi & elementandi elementa cibata per elementativitatem in sulphur, per operationem tertii regiminis; per quam fit congelatio naturæ. Fili, cum materia ex qua id creatum; quæ dicitur argentum vivum; est parva & prima materia metallorum, in qua materia sunt universaliter omnia tria instrumenta infixa per virtutem dictarum operationum, quæ habet potestatem transmutandi unum metallum in aliud, cum perfecta & minerali transmutatione, & super hoc dixerunt aliqui Aristotelenses philosophi, quòd impossibile est transmutare species metallorum nisi primò reducantur in suam primam materiam, vel naturam, cum omnibus suis instrumentis, & quod dicta prima materia imminuta in illis, & per quæ faciat artificialiter artista suas transmutationes, per respectum ad naturam. Propter hoc habemus à natura tria nobilia regimina operationis, per quæ causamus omnia tria instrumenta, quæ mutant materias in hoc, quod diximus.

Cap. VII.

Colligatio sit in diversis proportionibus.

Filli, colligatio vel mixtio elementorum fit in diversa proportione, secundum proprietatem cuiuslibet elementi, per talem modum; quod cuilibet elementorum sit ingressum per elementativitatem; in quodlibet elementatum. Semper in actione unum elementum est magis forte quam aliud in suo mixto : & hoc est in omnibus mixtis & elementatis. Quia elementare non est aliud quam miscere, servata tamen diversitate suæ differentiæ. Et istas colligationes factas in diversis proportionibus nos vocamus numeros : quia per illos elementa stant ligata in elementatis. Et ideo, operatio quæ fit per actionem aliquando invenitur ignis elementatus; nimis activus, propter hoc, quod de humido, cum quo est ligatus, habet adhærentiam, & cum illo, de quo exivit, quod non haberet ignis per semetipsum, & per terram vel de terra: cum qua est ligatus ad motum deorsum continuè, in hoc, quod corrodit, & per humidum aereum habet nutrimentum, sicut iam diximus in capitulo, & in multis aliis. Et totum hoc posset habere ignis simplex. Et ideò ignis inextinguibilis est, eo quod sit ignis simplex. Sic fili, est de frigiditate aquæ, quæ continetur per siccum terrestre, quando locus est ibi apertus ad finem, quod ista possit intus intrare suum ventrem in loco spiritus aerei. Attamen ipsa acuitur per acuitatem ignis ad penetrandum, & quando est intus corpus, ipsa est magis apta ad infrigidandum illud & indurandum cum tota mixtione. Et hoc non posset facere aqua simplex : per talem modum est de sicco terrestri, quia id non posset intrare ad deficcandum & congelandum corpus humidum, si istud non haberet adhærentiam & acuitatem aliorum elementorum sicut apparet per nostrum lapidem sulphureum propter hoc sit tibi data in clara notitia causa, quare & quomodo dictus lapis oportet ut creetur ex quatuor elementis rotatis in quatuor circulis sphæricis ligatis cum ligamentis cathenarum deauratarum, sicut sua actio tibi potest manifestare cum clara experientia. Et quia talem actionem non simplicia elementa vocaverunt antiqui philosophi dictum colligamentum, mixturam mineralem, per quam resultet quædam alia virtus ultra tria instrumenta quæ, superius diximus in elementato : quare dicimus ad finem, quod in temetipso recolligas omnes virtutes, quæ causantur in composito, quod ipsæ sunt quinque in numero, scilicet actio simplex cuiuslibet elementi, quæ assentitur, est magis illi propinqua secundum naturam, & ista est instrumentalitativa : secunda est virtus proportionis mixturæ. Tertia est virtus, quæ adiuvat actionem mixturæ elementorum; per quam cum dictis elementis constituunt mixtum, & ista vocatur elementativitas. Quarta est virtus cœlestis : & quinta est virtus instrumenti vegetabilis. Per istas quinque virtutes fili, constituitur & formatur actio in nostra medicina. Et eodem modo locus vasis mineralis cum adjutorio illius semper cum sua natura non intrat in medicina solummo-

do eſſentialiter, ſicut faciunt dictæ quinque virtutes. Fili, quando nos dicimus virtutem cœleſtem, intellige virtutem ignis communis, quæ debet movere inſtrumentum vegetabile, quod eſt intus materia formativum & ſigillativum tantum quantum eſt bene formatum per ignem communem per reſpectum ad naturam: Et ignis communis eſt formatus & gubernatus per ſapientem practicam humido per reſpectum ad virtutem cœleſtem, & ſic nos volumus philoſophicaliter, ſecundum quod ſua actio requiſivit in noſtro magiſterio.

Cap. VIII.

Quomodo debes conſiderare ſubiecta cum quatuor conditionibus.

Filli, ſubiecta capiuntur in hac arte dupliciter, ſcilicet pro inſtrumentis, ſicut ſuperius nominavimus, per quæ noſtrum magiſterium adimpletur. Alia ſubiecta inſtrumentalia non pertinent niſi ad res vivas, quæ ars non poteſt retinere propter raritatem materiæ ſuæ: & ideo illa vivaciter generare, ſi intellectus non ſupplet cum ſubſidio aliquorum ſpermatum divinorum; ſuppleat per ſcientiam naturæ ſtellatæ organiſantem per harmonias cum inſtrumento ſenſualitatis, quod per artem experientiæ ſe totum declarat, natura coadiuvante à ſupernis per aliquas multas vices, in tantum, quod loqui certas res & moveri faciebant cum aliquibus virtutibus infuſio & monſtrum ſupernæ influentiæ, ſicut faciunt lapides verba, & herbæ, in quibus multa virtus influit, & naſcitur per quintam eſſentiam ſupernæ naturæ matris. Et naturæ infimæ, per ſuos bonos motus, & ſubtiles mixtiones, unde virtutes cauſantur in materiis ſimplicibus ligatis cum groſſis, ſecundum intellectum ſpiritualem ſupernæ naturæ, quæ facit poſtmodum miracula: ſicut dicemus cuilibet bene intelligenti in volumine ſenſibilium. Debes intelligere per alium modum ſubiecta in loco materiæ, in qua ſtando ſua dicta inſtrumenta, quæ ſunt tranſmutamentum illius ſecundum ſpecialem differentiam ſuæ propriæ & naturalis concordantiæ, & determinatio dictæ materiæ. Et ideò fili, dicimus tibi, quod tu debes conſiderare modum iſtorum ſubiectorum tantum materialiter, quantum inſtrumentaliter cum quatuor conditionibus uſque ad finem, quòd per illa movetur intellectus habituatus, & conditionatus ad diſcurrendum dicta ſubiecta materialiter & inſtrumentaliter ſua elementata ad ſimplicitatem groſſam materialiter, & ſic etiam ſublimare inſtrumentalia omnia ſimul cum materialibus. Et hoc ſecundum quodlibet ſubiectum tam materiale quam inſtrumentale, ſtat ad conditionatum per ſuam eſſentiam, & per ſuam naturam: quia ſubiectum materiale & inſtrumentale, quod eſt leo viridis, habet unam conditionem intra ſe, & aliam in fumo gelato: habet conditionem in leone viridi, dominatur ſubiectum materiale, ratione ſuæ groſſæ ſubſtantiæ; quod impedit inſtrumentale, quod non oportet, quod hinc recedat per ignem extraneum quo ſit infixus in ſubſtantia ſubtilem per operationem; & in fumo gelato inſtrumentale dominatur ratione raritatis ſuæ materiæ & pro ſpeciali. Poſt id quod ipſum recipit de aqua vel de aere, in quo ſunt ſine anima vivificativa, quæque ipſum vivificant: & poſt ſicut res vivificata operatur cum re viva. Et de hoc tibi damus exemplum de argento vivo ſublimato, quando eſt vivificatum, quod facit impreſſionem, ſed poſt ſtatim perdit per ſublimationem, ſi poſtmodum non recipiat per ignem, quaſi adducit vitam per operationem ſcitam & cognitam per autenticum operarium. Prima conditio ſterilis quam tu debes habere cum ſcientia habituata, eſt, quod de quolibet ſubiecto extrahas ſuam proprietatem virtuoſam cum conſervatione ſuæ eſſentiæ cum propria diffuſione, & per viam practicæ formatæ trahas potentiam in actum ad finem, quod differant ab alio ſubiecto. Secunda conditio, quòd in practica obſervetur differentia ſubiectorum: tàm materialium, quàm inſtrumentalium: ſit vegetativa Leonis viridis differentia à vegetativa ſulphuris in virtute & ſubſtantia, quod eſt fumus aquæ congelatæ per groſſitiem corporalem fixam & perfectam. Tertia conditio eſt, quod concordantia, quæ eſt inter unum ſubiectum & aliud, tam materialiter quam inſtrumentaliter non deſtruatur ſicut concordantia, quę eſt inter terram & aquam, & aerem, & ignem, vel inter corpus & ſpiritum: quia ſpiritus concordat cum corpore, cum corporalitate, & inſtrumentalitate, cum differentia & concordantia, per concordantiam unitatis, quam diſſolutio fecit ex illis duobus. Quarta conditio eſt, quòd nobiliori ſubiecto attribuantur nobiliora elementa participantia in eſſentia cum nobilioribus principiis, ſicut in lapide, quando eſt creatus, eſt nobilior in virtute & in ſubſtantia, quàm eſt ſua minera, de qua exivit, in aere magis quam aqua, & ignis magis quàm aer, & mixtum magis quàm ſimplex. Et per tales conditiones poteſt citò habituari intellectus illius, qui vult eſſe practicus in operationibus naturæ, mediante ſecreto perfectivo contento in tractatu compendioſo, qui vocatur, Vade mecum, de numero philoſophorum.

Cap. IX.

De Temperamento lapidis, & quomodo ſtat in quatuor Elementis, cum diſtemperamento

Filli, noſter lapis moratur in omnibus quatuor elementis ſuis, & totus eſt in quolibet illorum poſt ſuam ſeparationem, quæ vocatur mixtio rerum mixtarum, quia eſt totus in terra magis mortuus: ſicut arena labuli ſtat, & jacet ſine vita, per magnam ſiccitatem. Adhuc tibi magis dicimus, quòd ille eſt totus in ſuo aere. Sed quia hic ſtat ſubmerſus in ſuo magno mari, ſuffocatus eſt calor ſuus naturalis per humiditatem excedentem. Adhuc dicimus magis, quòd lapis noſter eſt totus in igne, ſed quia jacet imbibitus per magnum calorem, manet incombuſtus ſine condimento totius actus vitalis. Quapropter tibi reveletur, quod in nullo extremorum ſtantibus qualitatibus excellentibus ſtat complexio temperata, per quam reſultant omnes actus vitæ; niſi in ipſis mixtis in quantitates excellentes omnes ſimul debitè conjungantur in uno mixto, ſcilicet, quod lapis calidus & lapis humidus, lapis frigidus, lapis ſiccus æqualiter inſimul temperantur, erit commixtio peculioſa, quæ debent originem veri temperamenti per actionem manualem, quantum primarum excellentium, quæ ſunt elementorum. Et per hoc tibi manifeſtetur, quomodo noſtra complexio naturalis quantitas eſt, excellens niſi in elementis, cum ipſa mixta rumpuntur in actione juncta permutationi, quouſque perveniunt ad iſtud medium, in quo ſpecies perfecti mixti poteſt conſtitui. Quare fili, cum jam conſtet, quod novus actus vitæ ſtet ſine medio, junge aquam cum terra, ſicut natura requirit, in partibus minimis, quouſque

que resultat noster lapis; quia non est nec unum, nec aliud, & dicetur quoddam monstrum, quod est de natura incompleta, quando aqua fuerit gelata per vaporem terræ, & medium approximatum ad naturam aeris, sed tenet adhuc multa de natura sicca primi extremi, non possit adhuc contemperare per aerem, nisi graviter fieret ad humidum impressio, cum adhuc non participat cum isto, quantum facit cum terra. Reduc igitur per diversas vices de aqua super terram albam, ad finem, quod fixetur cum ipsa, & sit medium magis approximatum aeri quàm terræ; & quod frigidum comprimat humidum ad magis profundum, tunc erit medium proportionatum in siccitate, ad tolerabilitatem naturæ aeris, per virtutem frigidi aquatici: conjunge igitur aerem humidum cum sicco proportionabiliter, temperando per aquam ad finem, quod virtus unius extremi exaltetur super aliam, & unus non contemperet aliud, & quod siccum per humidum, & humidum per siccum totum simul inspissentur, per continuationem duarum partium; ad finem, cum fueris in tua proiectione, acquirat humiditatem sicci: quia nostra Impressio non fit nisi per humidum ligatum in ventre sicci, & siccum in ventre humidi: & ligatum fit per passionem unius & alterius, per decoctionem in igne temperativo. Et post talem ligaturam quando humidum sentit frigidum, tunc se claudit in ventre sicci. Sed quando siccum invenit calorem excellentem, ab isto se defendit in ventre humidi, & humidum retinetur per siccum, ad finem, quod totum possit pati ignem: Et per humidum datur impressio in sicco, quæ est aqua vitæ mortuorum. Fili, si tale siccum per se conversum in corpus novum, simul acceperit impressionem, per virtutem & impressionem vivorum humidi in siceo, in tali modo, quod in pugna ignis siccum defendatur per humidum à separatione suarum partium: eodem modo, quod humidum prohibeatur per siccum de sua exhalabilitate tardè & graviter possit tale corpus perdere, deinceps impressione jam facta. Fili, igitur serva, quod quando vapor sicci fuerit in fumum exhalatus, & constrictus, & expressatus per humidum frigidum constrictum in novum corpus, lucens & resplendens sicut cristallum per illum in se per humidum, vel cum humido aereo calido laxativo. Ad finem, quod partes sicci constricti se continent cum lamina cristallina alba, fluente, ingrediente, trahente & penetrante sine vaporabilitate, & mortalitate aliqua; sed consoliditate, quæ est prima virtus humidi radicalis, & argenti vivi, & vita omnium liquabilium corporum: & sic terminatur in fine quæstio ignis philosophorum per sua propria media deducti ad suum finem perfectum, per intentivitatem rei, quam postulabas. Vnde vera principia respiciunt ad suum finem & fines ad alia refluunt per media, sicut jam visum in proiectione, quæ venit à metallo, & in metallo terminatur per conservationem naturalium mediorum, ubi sunt extrema, finium, & principiorum. Et ideò tibi dicimus, quòd lapis non fit, quousque quatuor vicibus benè dissolvatur, & pòst congeletur. Quia tunc infinita media extremorum jam proiecta in extremo temperato, revertitur gratis per nobilem naturam à sua medietate: quia sicut tibi diximus, nunquam natura vadit ad perfectionem, nisi per transitum suorum primorum mediorum: quia tunc constringuntur & rumpuntur qualitates propriæ omnium elementorum, quousque veniunt gratis ad proprium temperatum, & dividualia, quæ sunt pura natura summorum metallorum.

Cap. X.

Quomodo debes intelligere ignem Mercurii, & quanta est differentia inter ignem vulgarem & philosophicalem.

Fili, sublimatio Mercurii (humanos) intelligimus, & omnes philosophi, & decoctio illius, quousque efficitur sulphur aliqua pars illius, & alia argenti vivi, & depurantis illud à suis unctuositatibus. Fili, si intelligere vis naturam sublimationis, tu debes scire principaliter duo, scilicet materiam grossam simpliciare, & dirigere & sublimare calore, qui est instrumentum naturæ, sine separatione sui proprii subiecti. Simpliciare & dirigere materiam fiunt per diversas decoctiones, quas ipsa capit ab igne contra naturam excitato per rationem: per talem modum, quod calor naturæ, qui format omnia; non separetur, nec suffocetur à dicta materia, imò oportet te illam sublimare & exaltare, & augmentare simpliciando, digerendo dictam materiam per longas & lentas decoctiones: quia ipsa materia accipiet, sicut diximus, de igne contra naturam. Et ad hoc faciendum tu debes imitari quemlibet sapientem philosophorum, qui debet naturam respicere. Primò fili, quando sapiens philosophicus vel medicus vidit materiam duram, & compactam videlicet in diureticis, oportet, quod utatur medicinis digestivis, divisivis, & incensivis, ad finem, quod materia dura mollificetur, sine destructione naturæ propriæ levi adustione. Secundò, Oportet quod ipse utatur medicinis laxativis, ad finem, quod materia digesta expellatur, & diligenter evacuetur. Tertiò, Oportet, quod utatur ipse aliquibus confortativis ad confortandum naturam, quæ per violentiam medicinæ fuit laxata & debilitata in sua evacuatione. Quartò, Oportet, quod ipse utatur aliquibus resumptivis & restaurativis, ad finem, ut hoc, quod natura perdidit in sua evacuatione restauretur sibi. Totum hoc similiter operarius imitari debet in nostro magisterio, cum operationibus superius dictis: quia primam operationem ipse debet attendere L. & K. per illam L. & M. & N. O. P. Q. & R. Et per hoc tertiam reductionem de M. in L. & O. Et per hoc quartam debet intelligere reductionem de N. in hoc quod est ingressus de L. in O. Et quando tu volueris habere N. per M. de L. tu debes uti cauta evacuatione, & cum lentitate & patientia, quousque parum spolietur, & dividatur de N. & quod proprietas naturalis vegetativa non separetur ab L. per M. S. magna evacuatione, quia evacuatio M. S. subitanea est & repentina. Et sic erit repletio, calefactio, vel infrigidatio: sunt totaliter fallacia vocibilia, & deceptibilia, & inimica naturæ. Fili, L. non evacuetur, de N. nisi propter hoc, quod peccat seu deficit in attrahendo M. & in desideratione omne cum L. convertere in suam naturam. Sed quia L. est impedimentum per M. in retinendo M. denudat L. de N. quæ impediebat amorem de L. & de M. Et propter hoc potes in temetipso recolligere, quòd tria sunt principaliter necessaria in nostra sublimatione. Primum est dissolutio, secundum constrictio, tertium restauratio. Dissolutio est ad evacuandum res plenas, constrictio ad indurandum res dissolutas, & restauratio ad reimplendam naturam. Semper tamen fili, restaurationem debes facere paulatim, cum dura congrua, id est temperata, quod natura in suis vasis evacuatis solet multum ap-

petere: & ideò magis acciperet, quàm ipsa posset convertere, vel digerere: nisi per sapientem & naturalem operarium non tenetur in igne dictæ. Et ideò tibi diximus in nostra Theorica, si nos voluisti intelligere, quòd natura citius converteret parvum, quàm magnum, parvum modicum ad modicum divisum in partes, quàm facit grossum indivisum totum simul. Et sic multiplicatur nostrum argentum vivum, & fixatur per digestionem, & conversionem, quod ignis naturæ facit in suis partibus per quatuor elementa. Quando igitur fili, voluetis sublimare Mercurium nostrum, primò separabis elementa sua per talem modum, quod suum instrumentum in quo stat proprietas, non possit sentire ignem extrinsecum, nisi solummodo illum, qui est sibi missus contra naturam ad corrumpendum sua elementa paulatim ad finem: quod nostrum sparverium seu auslur resumat plumas, quas peraidit, & quod ille possit volare: & equitur suo igne per spatium temporum, quod ipse requirit in nutriendo cum suo lacte, sicut infantem inter mammillas suæ caræ matris. Pòst fac ipsum volare ad cœlum, quousque bibit aerem, quod ipsum forte vel multum indiget. Et sic ipse recuperabit potestatem ad penetrandum quodlibet corpus, & ad murandum illud in N. vel in F. Fili, sublimatio est unum generale ad omnes operationes, particulariter & generaliter: quia secundum opera aliquando sublimatio accipitur pro omnibus, quæ requiruntur in perfectione magni operis. Et aliquando accipitur pro qualibet dictarum operationum, vel fiant per humidum, sicut dissolutiones: vel fiant per siccum, sicut indurationes. Intellige, quod dicta operatio cum intentione perfectionis suæ naturæ, tantum quantum potest pertinere ad regimen dictæ operationis. Vnde multi infideles fuerunt excæcati & decepti, sicut patet in suis notis & damnatis; scilicet in epistola Demoschielis Iudæi, Abrachali Rabbi, qui intellexerunt nostram sublimationem fieri cum igne extraneo in sicco: & alij in igne humido cum cibo extraneo: & alij sicut Rasis in Maldeè; & Estul, qui reprobaverunt sublimationem fieri cum igne contra naturam. Unde nos dicimus, quòd generatio non est sine corruptione. Et licet sit sic, quod ipsi potuissent intelligere, quod ignis natu alis semper non potest excitari, sine illo, qui est contra naturam, quod ipse possit quicquam facere, videntur, quòd tales dabant scientiam ignorantem, vel pallioſam cum tenebrositatibus; sicut fecerunt Kesu, Marabh, Kalistis, Hezodi, Zeber; Arabici, & multi alij, qui confusè, & cum magna corruptione, notificaverunt nostram sublimationem sub operationibus extraneis, quod nunquam fuit de more philosophiæ: nec adhuc sub velamine voluerunt istam intelligere, cum nullo modo locuti fuerint de perfectione, per modum traditionis; nisi solummodo in forma tenebrarum: per quod apparet, quòd si tales non dederunt, non facilè cognoscebant cæteras operationes, sine quibus non potest fieri nec integrari, per quod apparet per suas extraneas operationes, cum quibus opus potest fieri. Item quod supradictum operentur per ignorantiam, manifestatur per hoc, quòd rem magis perfectam nesciebant nominare, nec cuius nomine erat, quæ super omnes alias materias contra ignem exuberatur, & multiplicata cum talibus sublimationibus, sicut nos tertio diximus, & non cum aliis, quæ sunt destructivæ totius generationis. Et in hoc excitando non debet abscondi turbæ Christianæ, ad finem, quod gloria bonorum revelent malis: quia non est credibile, quod talis populus descendens à veritate, sicut maximè fuit iste proditor, iniquus, reprobus, &c. De quo plura verba & scripturas Pagani. Sed quòd velis capere, quomodo tu debes capere gratia Dei erit, si ibi attendis concessum testamentum prius ubicunque sis elongatus.

Cap. XI.

De diversitate ignis contra naturam, secundum diversitatem medicinarum, in forma practicæ: & quomodo debes illam conservare.

Dicimus tibi fili, quod tu potes operari in corporibus solummodo, vel de argento vivo, vel de alio: sed hoc circa, vel diversa intentione, quam habes in tua practica, secundum hoc, quod operatus fueris vel de corpore, vel de spiritu, vel de ambobus insimul. Quare si tu habes intentionem operandi in corpore solummodo lapidem nostrum, tu potes facere lapidem cum tali intentione; quod Mercurius crudus convertatur in coctum commensuratum à natura. Fili, ista diversitas considerationum fit propter diversitatem cocti & crudi. Nunc posito, quòd quodlibet debeat transire per quatuor media operativa, quasi quantum est factum cujuslibet, cum per illum convertatur in lapidem philosophicum. Sic erunt septem media operativa, scilicet B. C. D. E. F. G. H. per B. significatur operatio liquefactionis, per C. solutio & elementatio, per D. elementatio & congelatio, per E. sublimatio, per F. elementatio & congelatio, per G. solutio & elementatio, per H. liquefactio, & per B. C. D. E. intelliguntur opera Mercurii, vel argenti vivi: Et istæ fiunt successivæ decoctionis. Et per E. F. G. H. intelliguntur operationes corporum: & istæ fiunt per retrogradationem incrudarum: & nominamus literas corporum H. G. F. E. quarum quælibet istorũ finitur in E. Sed pro tanto, quod corpus convertitur de H. in G. Mercurium, non potuit gradualiter à B. in C. nec de C. in D. statim, sicut corpus convertitur in A. G. in F. quia quælibet res convertitur citius in hoc, quod fuit, quàm in hoc, quod nunquam fuit secundum instinctum naturæ: & citius fœdatur res munda, quàm mundetur res fœda. Et ubi quæcunque res tardius fit, citius deficit; vel destruitur ratione partium impurarum, quæ volunt reformationem. Et ideò quando operatus fueris de Mercurio, habebis semper satis de materia, in principiis suarum decoctionum. Et hoc ratione suæ gravitatis, cruditatis, & grossitatis: quod id non potest converti in naturam elementorum mediorum perfectorum, indiget duplici decoctione, ad elevandam suam grossitatem, quousque veniat ad perfectionem de E. per successivam decoctionem, in qua F. potest reduci cum reversione reincrudationis. Igitur fili, intellige, quòd postquam D. transierit in E. transibit in F. & ab F. in G. & à G. in H. & ab H. in I. & ab I. in K. & à K in L. Istæ literæ, fili mi, intellige, quando E. vult graduari in F. & A. B. in G. &c. Tunc accipias F. G. H. per alia significata, quia per F. tu debes intelligere liquefactionem fermentorum, & G. solutionem solutionum: & per I. multiplicationem in virtute: & per K. multiplicationem in quantitate: & per L. intellige metallum perfectæ transmutationis, per virtutem medicinæ. Et totum hoc intellige operatione perfecta, solvendo Mercurium, vel argentum vivum. Semper tamen fili, non obstante, quod tibi diximus, quòd Mercurius in-

rius indigeat propter magnam suam cruditatem decoctionibus duplicibus iteratis. Hoc dixi propter rem commensuratam supernæ naturæ, quæ respicit ad majorem perfectionem ad æquipollentiam virtutis sulfuris. Item quod omne corpus perfectum est cõversum, vel potest converti: & ideò ipsum indiget duabus literis. Sed si talem rem commensuratam non habes intentionem faciendi, tu potes modo bene abbreviare tuum opus in transeundo statim successivè à B. in C. & à C. in D. & à D. in E. Sed illud est, sicut diximus tibi, non erit tale nec de tanta virtute, sicut est sublimè commensuratum in superna natura: quia suæ decoctiones fuerunt generatæ de tanto. Vnde cum materiarum secundum suam exigentiam subtrahitur virtus, & vis, quia virtutes & vires non veniunt nisi propter nobilitatẽ materierum exeant, & in virtute unius quod nos vocamus Lapidem philosophicum, & medium: quia sicut clavis coniungens duas res, facit tenere simul, sic natura coniungit hæc duo in unum corpus virtuosum. Vnde ipsa multum respicit, quod unum vult coqui, & aliud incrudari, ad consequendum officium, cum subtili artificio, sicut vult magister, per voluntatem Dei quem sequitur. Vnde tibi dicimus fili, quòd sicut unum demonstrat in suis decoctionibus diversas passiones: sic aliud in suis reincrudationibus ostendit visibiliter diversas potestates, quòd sicut superius tibi diximus; Mercurius est grossum terrestre propter suam magnam cruditatem, sicut sua natura demonstrat vivaciter in suis primis decoctionibus: Sic per contrarium corpus perfectum ostendit actiones, & accidentia contraria per nobilem, & magnam decoctionem, quam ipsæ recepit longo tempore à natura, sicut sua materia demonstrat retrogradatione, & reincrudatione. Et sicut crudum demonstrat multitudinem materiæ, sic coctum per suum contrarium demonstrat paucitatem: hoc per suam bonam elementationem, digestionem, & sublimationem: elementa cocta fixa solvuntur & fugiunt à crudo, quod ipsa incrudavit per volatilitatem; si non habet retinaculum, quod debetur naturæ, scilicet vel de temperamento proprii menstrualis cum informatione, vel de primo Mercurio; cum tu debes intelligere cum spirituali ratione, quod natura requirit. Et sicut spiritus est plenus splendore & subtiliatione, & rarefactione, & hoc totum non potest venire nisi per tolerationem materiæ, & tolerantia evenit sibi per actionem ignis; qui est excelsum elementum qui totum comburit; & totum deputat & ducit quamlibet rem in simplicitate. De tanto igitur sicut tuus Mercurius respondebit simplicitati, tantum operatur & non plus: & quantò magis purum operabitur in luciditate clara. Quare tibi declaratur, quod de solo Mercurio, vel de solo argento vivo potes facere opus perfectum vel imperfectum: si perfectum fiet per rationem longarum decoctionum & digestionum duplicatarum: si imperfectum, hoc erit propter brevitatem suarum decoctionum, non ad plenam integratarum, quod ipsum habet à sua volatilitate. Sic fit, patitur ratione suæ propinquitatis, & facilitate, quam ipsum habet à sua volatilitate. Sic fili, trahimus nos ab illo opere magis propinquo, & levius, sed non perfectius, nisi cum adiutorio suarum decoctionum, vel per integram mixtionem suæ materiæ in corpore perfecto, sicut tibi dicemus, quando locuti erimus de operationibus corporis.

Cap. XII.

De reincrudatione corporis perfecti, & de suâ diversitate, & de accidentibus, & de pondere.

PEr res superius dictas, potes fili, naturaliter intelligere, quomodo reincrudatio crudi secundum cursum naturæ, quousque ambo separatim convertuntur, per quæ opus melioratur, & fortiter corrigitur in tantum, quantum habet duplicem respectum, ratione corporum & spiritus: quia sicut illi, contrariantur in suis actionibus, passionibus & operationibus, quia spiritus de natura sua semper respicit veram fixionem in vero magisterio, & corpus fixum per modum contrarium, nititur volare in forma aquæ, & corpus fixum per modum contrarium claræ, & spiritus congelatus manet sicut terra alba, bruna sicut sal vel crystallum vel talcum ipsum, de qua terra oportet te separare istam pretiosam animam, quæ tardius recedit à corpore, & hoc cum aqua corporis: & de eo intellige, quod solutio spiritualis corporis non fit sine congelatione naturali spiritus, sicut tibi diximus; vel elucidam per totam philosophiæ in compendio huius artis. Nec congelatio spiritus fieret sine congelatione corporum. Attamen intellige sic de solutione spiritus fixi, & corporis volatilis, per primum spiritum ante suam constrictionem, & non corporis fixi sulphurei inducti nigrum occultum; quia est dissolutum per congelationem & constrictionem sui argenti vivi quod accipit ab igne naturæ, & non contra naturam. Fili, hic pugnant contrariæ operationes, quia sicut ignis corpus videtur quasi fuscum & tenebrosum, pòst quando corpus totaliter alleviatur, spiritus impletur magno gravamine. Vnde cum tu volueris corpus multum bene dissolvere; congela de ponderosa, qui ipsum portabit in suis manibus: Primò fac, quod illud convertatur in H. & ab H. in G. per incrudationem, pòst de G. in F. cum retrogradatione, & postmodum F. in E. convertetur in lapidem per virtutem spiritus reducti, qui non est argentum vivum vulgariter totum, imò est de corpore primæ congregationis; & de virtute suæ propriæ substantiæ est inductum sine extraneo gravamine. Quare velis attendere, quod opus de M. respiciat ad constringendum, & inferius manendum, & id corporum ad laxandum & dissolvendum, & spiritum altè ascendendum. Per hoc tibi monstratur, quod si ambo duo simul sunt benè præparata, opus minerale facies sine gravitate citius, quam faciebas, si de uno solo, & multò melius: quia tunc unum stat in hoc, quod aliud habet, & unum melioratur per adiutorium alterius. Incipe igitur tuum opus ab istis duobus insimul; sicut tibi diximus in lapide maiori. Et habemus intentionem tibi in ramis statim: cum tibi dixerimus de duplici accidentia, quæ causatur ex corpore & spiritu, quando dominatur insimul.

Cap. XIII.

De duplici respectu corporis, & Mercurij, & de suis operationibus contrariis.

QUando opus fit de Mercurio, & de corpore simul, tunc causantur in magisterio multa accidentia contraria contra materiam: resolvit spiritus à corpore fixo in aquam nubium, & corpus de spiritu volatili constringit in terram congelatam. Sic

per

per contrarium modum ignis naturæ congelat spiritum, dissolvit à corpore fixo in terram gummosam, & corpus spiritus volatilis fixi per ignem contra naturam non resolvit in speciem aquæ nubium, sed in aquam philosophicam. Quare fixum per virtutem ignis naturæ effectus est volatile, & corpus spiritus, spiritus corpus, & humidum siccum, & ponderosum leve: sicut per virtutem contrariam ignis contra naturam volatile fiet fixum, & fixum volatile, & corpus spiritus, & spiritus corpus, & siccum humidum ad modum aquæ nubium, & ponderosum & constrictum. Et ideò fili, intellige, quod ignis contra naturam sic vocatur, quia est per suam naturam contra omnes operationes naturales, cum sit visum, quod hoc quod ignis naturalis componitur, iste disponit semper, & ducit ad corruptionem. Et ideò corrumpitur omne complexionatum, nisi ignis naturæ sibi dominetur: unde tibi dicimus, quod talis ignis vel operatio istius non est de virtute vel operatione nostri magisterii, imò est ignis turbinis, qui est purus naturalis. Vnde fili, sol noster stat totus in signo Arietis exaltatus, quando vides materiam, quòd stat tota confusa. Ideò fili, tibi dicimus, quòd nostrum magisterium debet incipi, quando ingreditur in Ariete, vel quasi, ille exaltatur in opera à nobis: quia tunc potest decere scire, & discernere verè intellectum, quem philosophus tibi dat; quando dicit, quòd primus gradus sublimationis debet tantum assiduari super lapidem, quem scio, quousque exaltetur & sublimetur: & dicimus tibi; quod ipta nihil aliud est, quam ignis, quia potentia in actum, quem tu debes intelligere, quod non decipiaris: quia sine illo non fuit opera, qui dixit tibi. Vnde multa sunt accidentia, quæ causantur per talia opera contraria, sicut tibi revelatum est in Proprietario satis leviter. Quare fili, cum solutio unius nunquam fit sine congelatione alterius, non debes dubitare, unde poteris habere terram; nec aquam etiam ad faciendum magisterium cum igne appropriato. Vnde terra est de prima substantia argenti vivi constricti vel congelati, impregnati virtute corporis in igne Solis per quod argentum vivum manet sublimatum philosophicaliter, sicut prius dictum est. Et aqua est de prima substantia metalli, in qua substantia humiditas aerea argenti vivi appropriatur, quæ respicit perfectionem suæ naturæ terræ primæ impregnatæ ab igne naturali, in qua est virtus cœlestis, quæ vivificat; & illuminat terram Mercurij, quæ inferius est mortua: ideò appetit ipsa aquam cum instinctu recuperandi rem perditam. Sed cum illa res, quæ est humiditas vivificativa, fermentetur cum corpore, exuberata, sicut tibi diximus: ideò reputatur melior, quam erat antè, per multiplicationem coctæ humiditatis. Et sic per aerem adiuvantur elementa, ad finem, quod coniuncta per exuberationem possint cum majori instinctu alias adiuvare: quia M. & P. adiuvant Q. & R. & N. quæ L. & O. per corruptionem de Z. quæ est causa solutionis de L. & O. & post M. & P. adiuvant L. & O. ad recipiendum Q. R. & N. Post adiutorium suæ exuberationis per conjunctionem de Y. quod est contra Z. sicut tractamus alibi, quomodo elementa sunt coadiuvantia ad componendum, & corrumpendum omne corpus, cum adiutorio de Y. & de Z. quæ sunt instrumenta generationis & corruptionis.

Cap. XIV.

Nunc dicemus per viam Practicæ ad Ramos Tinctura, in quibus poteris fili, quiescere & solatiari, & primò de corpore solari, cum adiutorio de A.

Filli, tu scire vis transmutamentum primi corporis Lunaris, cum clara practica: oportet te separare ab illo argentum vivum, quod est terminatum per siccum terrestre: quia illud est, quod dat albedinem argento, & non est aliud, quàm humiditas terminata in speciem argenti, per virtutem sui sulphuris. Ideò oportet te, quòd tu intendas ad resolvendum istam humiditatem in tua reductione, quod non habebat in sua condensatione, & trahes per istum modum. Accipe ℥ j. corporis lunaris optimi & sicut tibi diximus; liquefac ipsum in sex partibus de E. rectificati, tamen sine reiteratione calcinationis. Postea pone totum ad fermentandum in calore stercoris humidi per octo dies, & invenies substantiam corporis in fundo vasis, nigrum sicut carbonem. Fili, illud est sulphur, quod debet dealbari per condensationem sui humoris per duplum ad naturam, quam superius tibi diximus: qui humor erat condensatus, ante suam liquefactionem in speciem coloris metalli: & cum continuatione partium dicti sulphuris nigri: sed nunc est separatus ab isto per liquefactionem. Pone tuam materiam in balneo, & de illo humido liquefacto, elementa tua elementa commixtione elementi instrumentati. Sed primò elementabis aquam, & post cum aqua elementata, elementabis partem, quam volueris constituere in aerem, quousque appareat tertium instrumentum vegetativitatis. Tunc igitur reduc aquam elementatam super terram siccam, & super suum ignem excitatum, & coque totum, sicut tibi diximus, quousque humidum per respectum ad naturam benè teratur non in metallum, sed in sulphur album: quia non est transitus de extremo ad extremum nisi per medium suum. Fili, medium conversum dicti humidi est ignis terræ, sed medium convertens argentum vivum in metallum est sulphur in forma pulveris subtilis, sicut tibi diximus in sua multiplicatione. Et hoc tibi manifestetur, quod corruptio argenti vivi terminati in speciem metalli per cursum naturæ cum nostro artificio, per mutationem illius in suam primam materiam, est generatio sulphuris. Si igitur argentum vivum non corrumpitur, & in quatuor elementa dividitur generatio sulphuris, non fiet unquam: quia oportet, quòd sulphur sit de materia subtili & purissima. Vnde creatur argentum vivum; oportet, quod sit de subtilissima substantia in forma aquæ claræ. Et sic non potest esse sine mutatione suæ naturæ, nec sine divisione suarum partium. Corrumpe igitur argentum vivum & de suis partibus divisus subtilibus & sublimatus sit forma lapidis, quod petis: quia magisterium debet fieri; & gubernari scilicet, quia magisterium latet in corrumpendo argentum vivum & deviando à sua specie. Et postquam cum adiutorio virtutum suæ materiæ induxeris & portaveris illum in speciem alterius scilicet sulphuris; & sic mutabis naturam, & natura formabit hoc quod petis per operationes certorum graduum successivorum. Dum tamen tua opera assimilentur, cum quibus natura procedit, & desiderat procedere, sicut cum purgatione dicti sulphuris & creatione illius, quæ nunt cum tali de-

coctio-

coctione & cum tali sublimatione, sicut superius tibi diximus, si nos intellexisti philosophicaliter, sicut natura requirit, & tali operatione sui principij argentum vivum quale dictum est instrumentum elementatum, & purgationem totius diversæ substantiæ per quatuor elementa, & cum tali bona commixtione, sicut tibi diximus de his duobus cum materia metalli fermentalis. Tunc igitur fili, veraciter in istam materiam per virtutes sulphuris, & argenti vivi species metalli induitur & mutatur. Nec unquam homo verum aurum, nec verum argentum facit, seu faciet, si per illam viam non procedit, cum non sit nisi una sola natura limitatæ operationis. Ideò oportet, quod species maneant in materia simili metallo priori, cum manifestè sit necessarium, sicut superius tibi ostensum est, quòd suum argentum vivum convertatur in sulphur, & pòst reddatur sibi species, quam amisit in fortia aquæ claræ, quam nos oleum vocamus, unde causantur species novæ per generationem quæ ducit illas de potentia in actum. Quare tibi reveletur. Omnes illi qui dealbant cum rebus albis, & citrinant cum similibus speciebus, sine corruptione subtum individuorum, verè omnes isti sunt deceptores, nec cum toto hoc possunt facere aurum verè, nec argentum vivum si per operationes contrarias, non habent suum sulphur album & rubeum: quia licet sic sit; quod ipsi habeant artem ad extrahendum argentum vivum suum à corporibus, cum adiutorio liquefactionum per sublimationes, & quod omnia individualia corrumpantur à speciebus, adhuc per talem corruptionem non poterunt facere veram tincturam ad album, nec ad rubeum, quæ est per novam generationem renovatum, & in corpus subtile album, & resplendens conversum. Tunc per tale album renovatum fit vera tinctura ad album, & per ignem lapidis ad rubeum: quia cum motus corruptionis sit completus, & dicta renovata, nunquam jam deinceps tinctura facta de illis, poterunt venire ad corruptionem, quia sunt depuratæ intus & foris, & terminatæ in magna luciditate. Sed pauci sunt, qui sciunt procedere per istam viam, quia ignorant opera naturæ. Et ideò aurum & argentum illorum non possunt sustinere ignem, imò consumuntur & corrumpuntur, & convertuntur in terram corruptam. Et hoc est, quia & cum tales posuerunt metallum in motu corruptionis, expedit quod illud totaliter corrumpatur, & in fæces convertatur super perditione totius suæ speciei, propter hoc, quod ipsi non interrogaverunt totum cursum suæ corruptionis: & si fecerunt, non fuerunt provisi in depurationibus partium corruptarum: & quia illæ partes manent mixtæ cum sua puritate: comburuntur, & vadunt cum tota sua specie; & hoc ratione sulphuris combustibilis, quæ per consensum caloris ignis omnia illa combussit, quia metallum non potest se defendere ab igne. Et tantum, quia partes non possunt esse convicinæ individualibus nobilis speciei. Quare fili, sit tibi recollectum in clara summa, quòd de nulla re alba, quam natura formavit, velis facere tincturam, nec albam, nec rubeam, quousque suæ partes corruptæ per artem magisterii removentur. Et hoc damus tibi motivum, si cognoscis Lunariam ad humidum opus creatam in fermento corporis, quia de oleo & sulphure fit totum compositum, quod omnia metalla tingit in aurum vel argentum, secundum quod est album vel rubeum, quousque suæ partes sunt nobiles. Sicut vidimus per opus cujusdam socii, quem invenimus eundo per mundum, qui notificavit multa pulchra miranda, sed pòst fuit contrariatus in sua arte, cum nos plus sciviamus per sensualitatem, quàm ipse non cognovit, nec per artem intellexit. Unde pòst ipsum informavimus in multis aliis rebus cum specie influentiæ, & magnarum virtutum, quousque desuper fuimus sociati in lapide virtuoso affinando, fuimus tribus annis simul in magna legalitate: unde millena fuit totum annum in perficiendo. Anno M. CCC. XXX. fuit opus expletum. Vnde quibus potuimus dum recessit à tribus notis ars, & vasa manserunt, quarto qui manet in suo regno regenerando sicut prius. Et si Deus tibi dedit aliquo modo teneas, secretè, quòd mundus nihil sciat. Item magis tibi dicimus, quod præsens Testamentum velis secretare illis omnibus, à quibus petieris practicam, quia est prohibitum: quia si ipsi vellent ultra suam ignorantiam errare, ad docendum caverent sibi per prohibitionem, quam tu scias, sicut ille per dictum Testamentum, quod cum remurmuratione te docet; quod tu dissolvas humiditatem argenti terminati, cum reiteratione liquefactionis; & in fundo vasis terra nigra, cum aliquo pauco de substantia argenti dicti vivi manebit combusta. Fili; ista terra est venter nostri sulphuris, de quo solutio fit, solenniter, per resolutionem illius in suomet argento vivo; de quo constat vel est generatum. Et ideò dixerunt aliqui antiquorum, quod sulphur non potest dissolvi, nisi per beneficium suimet argenti vivi; scilicet quando ipsum congelatur per suum vaporem, tunc dissolvit ipsum, in naturam diaphanam transmutatur sicut spiritus, per quod constat, quòd corpus est conversum in suam primam materiam, naturam puram propinquam suimet generis, scilicet in sulphur & argentum vivum: quod est sicut aqua. Quando igitur tuum corpus bene dealbaveris; sublima ipsum; & hoc, quod invenies elevatum super suas fæces, in petias albas, imbibe cum oleo statim, & fixa ipsum, & projice *j.* pondus super 50. Veneris, & ducit in veram lunam sine omni corruptione. Fili, illud sulphur est totum fixum, & citò ingrediens per naturam argenti; quod est vicinum cupro: & pulveres, quos invenies hic sublimatos in superficie tui sublimatorii, illos accipe, & serva, quod sulphur est unius alterius potestatis, sicut tu solus potes experimentari.

Cap. XV.

Opus de plumbo.

Fili, plumbum continet in sua natura magnam partem de H. cum pinguedine combustibili; & vitium, quod est in sua substantia, est, quod terrestre non bene mixtum cum aqua sicca, secunda ratione suæ grossiæ substantiæ, nec fuit benè depuratum. Et ideò te oportet, quod illum dividas in dictas substantias, & quòd quælibet illarum benè depuretur, extrahendo limositatem grossam cum elementatione; qua fit cum condensatione & rarefactione, & materia humida. Fili; quando volueris compensare aquam cum aere; mitte ignem, & terram, quæ causat vacuitatem certæ essentiæ: & quando volueris aërem condensare, extrahe extra; & rarifica aquam, cum levigatione, quousque videris tuum corpus calcinatum. Pòst coque corpus tuum cum aqua, & pòst sublima ipsum, & cum sublimaveris, dicitur corpus exaltatum in sale minerali, quod vocamus lapidem & sulphur naturæ. Istud sal naturæ incera cum aere lunæ simplici, quousque

sit

sit fixum & fiindens, & de hoc sale proiice unum pondus super 50. plumbi, & convertit in purum argentum. Et si vis congelare, & perfectè mutare argentum vivum, & argentum fixum, mortifica ipsum cum vapore eiusdem corporis, post fac proiectionem super illudmet, scilicet unum pondus super 50. de dicto sale, & fixatur per suum calorem naturalem in verum argentum.

Cap. XVI.

De stanno.

PEr eundem modum facies de stanno, sicut de plumbo, nisi quia te non oportet tantum præparare, si non vis. Sed quando fueris in reductione, coniunge paulatim decoctionibus graduatis, quia modicam sulphuream quantitatem tenet sic in substantia. Augmenta igitur dictam virtutem cum decoctionibus, per attenuationem & sublimationem suæ substantiæ. Facimus te scire, quod tinctura est ad album multa magna, sublima ipsam, quando tibi visum fuerit post suum nutrimentum, quousque habeas sal naturæ; incera ipsum, quousque fluat cum aere lunæ; & proiice j. pondus super centum partes stanni, & mutabitur in verum argentum: & si feceris proiectionem de illo super argentum vivum, congelatum fixum, fixabit eum in veram lunam cum retentione perfecta.

Cap. XVII.

Congelatio argenti vivi, ad capiendum formam metalli.

REcipe terram plumbi, & omnibus suis quatuor elementis benè mixtis, suspende tantum de argento vivo, sicut tibi visum fuerit per rationem spiritus, iuxta proportionem potestatis terræ super illam, quod per talem modum possit recipere vaporem sulphuris, & incende ignem de subtus; & invenies congelatum infra sex horas. Sed cum ista operatio sit laboriosa; & paucæ utilitatis, per respectum ad alias; cum ad tuum placitum non possit ad tuam rem tam magnam quantitatem congelare, sine reiteratione laboris; ad faciendum proiectionem, consulimus hanc transmutationem argenti vivi ad hoc, quòd videas & cognoscas suam naturam, quæ est vicina omnibus metallis, sicut rectificat tractationem suæ naturæ. Sed per hoc intelligas, quòd in proiectione supernæ medicinæ, sit rectè congelare ipsum, sicut fit in ramis, quia non habet istam potestatem.

Cap. XVIII.

De Opere Martis & Veneris.

EOdem modo facias separationem de istis duobus metallis, sicut fecisti de duobus plumbis. Attamen de istis duobus non debes capere nisi secundam terram, & cum aqua illius metalli, quod volueris, coque illam, quousque habeas suum sal honoratum satis. Istud sal inceratum oleo de K. & si sal est de natura, de quo unum pondus illius proiecti super 50. cum levi præparatione, convertit in K. melius quàm de minera, & si sal est de natura de O. proiiciatur super illud tantum pondus, similiter convertit in K. Et si sal velis proiicere super Mercurium, prosequere viam, quam tibi diximus. Et si sal est de O. per solutionem ad finem, quod corpus amet spiritum extraneum ligatum cum sua natura, aliter non amabit, nec vellet recipere, nisi per nexum sui amoris, quod fit cum dissolutione nō in aqua vulgari, sed in aqua Mercuriali plena sulphure benedicto, quod penetrat omne corpus. Et sicut tibi diximus de O. vel de Q. intelligas de omnibus aliis. Et si hoc intelligas, eris magister totius hujus artis, sive scientiæ, per quam trahuntur secreta naturæ de potentia in actum.

Cap. XIX.

De corpore & spiritu, insimul operantibus, per generationem humanam.

FIli, quandò tu volueris facere vel incipere aliquod opus cum beneficio nostri magisterii, tu debes principio scire; quando natura humana procedit secundum processum illius, tu similiter debes te habere in tuo opere. Fili, scias, tibi reveletur ita sicut cum voce viva, quòd cum humiditas in primam substantiam spermatum, vocamus totaliter humidum radicale. Nunc igitur mas similando naturam humanam: accipe corpus cum unione, & naturali conjunctione cum argento vivo, & argentum vivum cum corpore, cum ponderibus suarum virtutum, facias amplecti per talem moduni quod cum natura delectabili, per virtutem caloris luxuriæ libidinosæ; cum aliquali extentione, & mollificatione corpus continetur cum partibus argenti vivi, & argentum vivum cum partibus corporis, se inspissando, se constringit in aliquo pauco; ut de toto fiat unum compositum album, sicut pasta mollis, vel massa alba, uniformiter mixta, per contritionem caloris, cum motu excitato, imponendo magis etiam de argento vivo, tantum, quod sufficiat secundum virtutem mutuativam, per talem modum, quòd isti duo humores insimul misceantur: & quando fuerunt mixti, pone totum in loco digestionis, scilicet in fossa, quæ sentit de natura bufonis; quousque comederit, & cooperuerit omnia sua capita. Fili, capita bufonis sunt duo spermata, quæ dissolvuntur in substantiam aquæ per virtutem veneni; quando draco fœtens volat per aerem. Et post quando videris dictum calorem naturalem excitatum; quod totum fuerit in aquam resolutum, separa humiditatem superfluam, quæ tenet ebrietatem, calorem naturalem, excitatum de punctuitate, & acuitate, quæ sunt jam proprietates naturę veri sulphuris: Fili, ista excitatio fit cum igne sicco, cum informatione cautelę sapientiæ, administrando ignem paulatim, & paulatim, & pro quilibet vice augmentando secundum rationem mensuræ, quousque videas, quòd corpus sic efficiatur brunum, caveas semper à rubedine, quæ venit per superfluum ignem. Fili, si hic te non avisas; spiritus fugiet à corpore; & posteà istud non potest retinere animam. Respice ergo, quòd corpus non sit de toto in totum privatum isto per stimulationem nimis magnæ solutionis, nec per nimis extensam excitationem: quia spiritus est; qui retinet animam, quando spiritus est retentus in ipso, quia anima non vult morari in corpore; nisi mediante spiritu. Et quando omnes tres conjunguntur, nunquam separantur: quia spiritus retentus per corpus, retinet animam, ad finem, quod anima retineat corpus in vita triangulari. Fili, spiritum vocamus nos, quicquid remanet in corpore, & quicquid est gelatum in ipso. Similiter animas dicimus, quicquid separatum est

ab ipso per sublimationem in humiditate naturæ radicali. Et quando sic videris corpus præparatum, da sibi de suo menstruali, quod stat exuberatum per virtutem mixtionis suæ propriæ naturæ, ad finem, quod de ista exuberatione omnino recuperet magis quam perdidit in fluxu solutionum. Postea coniunge cum sua propria natura, quæ ipse debet integrare, quousque ipsum sit fixum, & fluens, proiice unum pondus de ista materia super mille partes argenti vivi, vel de quocunque corpore volueris, & transformabit in verum argentum. Semper tamen fili, habeas memoriam cum operatione & clausura illius: solve, & noda ipsum, quia aqua est medium ad separandum tincturas omnium elementorum, & coniungendum illa in coronam regalem triangulari forma.

Cap. XX.

De conditionibus Elixirii.

Fili, prima conditio est, quòd habeat potestatem ad separandum, & segregandum omnem extraneam sulphureitatem & omnem terreitreitatem immundam corporum infirmorum, tali modo, quod à toto mixto separentur infusione, post projectionem: & ista conditio est acquisita immediatè per virtutem coniunctionis elementorum, secundum hoc, quòd ipsa fuerant colligata, cum mixtione unionis rerum alteratarum, virtutibus rerum alteratarum mixtibilium & terminatarum cum administratione ignis magnæ sublimationis.

Secunda conditio est, quòd medicina habeat potestatem ad illustrandum & alterandum omne corpus in fulgidissimam albedinem, vel resplendentem citrinitatem, secundum intentionem, quam tu petebas cum magna luciditate ad finem, quòd corpus diminutum perfectiore perfectionetur in complemento de toto in totum. Et istam acquirit conditionem medicina, per virtutem nobis præparationis suæ naturæ; scilicet argenti vivi. Fiat per talem modum, quòd disponatur in elementa, & post misceatur ad magis profundum corporis alterabilis sine separatione: sed hic non potest fieri nisi sua substantia, scilicet corporis, fortiter subtilietur, cum dissolutionibus & sublimationibus, factis cum præparationibus diuturnis. Et sic constat fulgur suæ illustrationis. Tertia conditio medicinæ est, principaliter, quòd si ipsa per suam virtutem ducat metallum alteratum, vel reiteratam fusionem Solariam, ad finem, quòd metallum sit exhibens additamentum ad omne iudicium, nec possit separari à mixto in probationibus iudiciorum: & istas virtutes acquirit medicina, per operationem indurationis & fixionis in calcem, antequam incineretur, & fixetur per intentionem fluendi: quia cum tota extranea humiditas de phlegmatica, quæ non potest pati ignem, per virtutem ignis optetici separatur, & totaliter deletur, quando spiritus in calcem albam fixatur cum reiteratione sublimationis partis non fixæ super rem.

Quarta conditio est, quòd medicina habeat virtutem perpetualem, cum firma alteratione impressionum contra asperitatem ignis sine evacuatione. Et ista sibi evenit per virtutem propriæ fixionis, post præparationem suæ fulgidæ substantiæ, cum suis fermentis fusibilibus.

Quinta conditio est, quod medicina habeat virtutem ad præstandum pondus prædictorum perfectorum ad terminationem ponderis metallorum perfectorum: & ista sibi evenit tantum per proprietatem substantiæ metallicæ, ex qua est composita, quantum ad operationis proprietatem, quæ fecit colligationem pluralium, & minimarum partium coniunctarum in unum. Fili, vis scire, quæ sint res ulterantes, sunt argenta viva, & alterata, vel sunt corpora, quæ nos vocamus sulphurea: quia quando sunt alterata per prima alterantia ipsa sunt secundaria alterantia primorum alterantium, & alterandorum. Et quasi in illis pro speciali in uno, est uniformitas, & densatio, & ideò naturaliter adhæret corporibus: & cum istis ligatur ratione suæ uniformitatis, & per densitatem dat sibi bonum & rectum pondus. Et ideò necessaria erit nobis ad cognoscendum hoc, quod postea vidimus cum clara experientia, scilicet quando de Mercuriis debet homo creare perfectam medicinam, magis, quam de aliis spiritibus, cum differentia concordantiæ secundum gradus suæ præparationis. Fili, si habes in notitia præparationem, eris magnus philosophus, & plenus philosophia reali. Fili, scis, quare philosophi moderni & iuvenes in notitia naturæ virtutum deficiunt, magis in confortatione virtutis naturalis, quàm in purgando materiam corruptam, quia nesciunt componere medicinas confortativas, quæ magis sunt de formâ, quàm de materia. Nec sciunt expellere materiam medicinalem à rebus corruptis, in quibus est materia cum tota cœlesti virtute infixa in ista, per totum cursum naturæ, cum levi decoctione solis & stellarum. Quia necessarium est, quòd virtus naturalis, quæ est calor, & gubernatrix naturæ adjuvetur per virtutem naturalem quintam cœlestem, in miscendo cum materia medicinali subtili tracta à sua corruptione per virtutem boni intellectus, quam quilibet bonus philosophus debet habere, si vult intelligere operationem, per quam tractatur materia matatelli naturalis, & terminatur sub conservatione suæ virtutis, per quam debet operari. Et ideò cum ipsi ignorant per defectum cognitæ evidentiæ, extractionem, & compositionem talium medicinarum, decipiuntur per suas fatuas & cæcas existimationes. Ideò, quia totaliter ignorant mensuram fortitudinis ligati, per quam ligata est virtus operativa in sui materia, quousque posset supervenire circa empticas caloris graduati, super potentiam virtutis ligamenti. Et ideò dicta virtus solvitur, & renovatur à suo subjecto, & fugit ab igne comburente, qui est suus inimicus mortalis, & manet materia sine virtute confortativa. Et est causa, quare virtus recedit ab igne: quia suum subiectum, substantiam, vel suum corpus non fuit exhalatum cum dicta virtute, antequam ignis sibi detur ultra mensuram fortitudinis sui ligamenti: quia virtus confortativa servatur, cum & trahitur igne cõmuni applicato cum naturali, in quo est virtus cœlestis, quam tu etiam sic quæris, & per talem informationem informatus, quam ignis communis non excedat dictam mensuram. Et ideò in adiutorium omnium volentium adiuvare naturam per confortationem, dicimus, quòd illi addiscant extrahere virtutes cognitas, cum doctrina præcedenti à corporibus vegetabilibus, mineralibus, & animalibus, sine læsione suorum subjectorum. Et ad hoc faciendum rerum citamus intellectum, in aqua simplicis compositionis. Fili, virtutes extractas necesse est, quod tu applices cum materiis subtilibus, ad finem, quod potestas confortativa non conturbetur per grossitudinem materiæ. Et ideò filii quando volueris confortare, videas, si virtus possit super materiam, & quod si erit totum simplex, & humilis

ad faciendum suas actiones ægritudines, quas calor naturalis dilatando semper per virtutem medicinæ confortativæ expellit quicquid est contrarium suis individualibus, sicut ignis coniungit homogenea, & segregat hæterogenea, quæ sunt contraria homogeneis. Et videas fili, quod materia subtilis, in qua colligaveris virtutes essentiales, non sit levis resolutionis in grossis partibus, scilicet minimis, & quasi insensibilibus particularibus ad finem, quod virtus caloris naturalis tanta per accidens in recipiendo cum magna lætitia confortationem reagentem, & sensibiliter contra infirmitatem, quæcumque esse possit, annihilatur, sine læsione aliorum spirituum: quia per nimis magnum motum factum in tali casu, multi debilitarentur. Et hoc esset contraria confortatione in tantum, quantum corpus debilitatur per excitationem magni motus in substantiis grossis, quod ille possit per suam proprietatem segregare res hæterogeneas metallorum, quando per suum spiritum transformatur, nisi per adiutorium cinericii. Et est ratione substantiæ grossæ medicinalis, in qua est colligata virtus, quæ transmutat, quæ impedit ad complendum actionem integram sui spiritus, quæ est dividendo hoc, quod est essentiæ naturæ: & conjunge hoc, quod est propinquum ad naturam argenti vivi, quod post hoc invenit mutatum in finum argentum, melius quàm id de minera. Et ideò hoc casu recurrimus ad ipsum, causa dividendi hoc, quod est extraneum purum naturæ. Sed non intelligas, quòd in suis cinericiis tu debeas ponere plumbum, quia medicina faciet totum, cum adiutorio ignis cinerosi. Fili, quando iam tales medicinæ proiiciuntur super corpora, ipsa postmodũ nõ possunt pati ignem ignitionis: imò statim funduntur sine ignitione determinata: & hoc est, quia sua natura patitur contrarietatem materiæ indigestæ, quia facit ipsam fundi ante tẽpus, quousque per cinericiũ consumatur materia indigesta, quæ stat in loco substantiæ phlegmaticæ vaporabilis. Adiuva igitur virtutes tuæ medicinæ per cinericium, & invenies aurum & argentum, secundum quod illæ medicinę in istis fuerunt, vel ad album, vel ad rubeum. Fili, quando volueris dissolvere per liquefactionem, oportet te movere H. B. per Y. & per X. quousque dissolvantur: & quando congelato volueris dare fusionem, tunc te oportet movere literas Tabularum D. E. R. I. & per decoctiones significatas per Y. X. ut successivè, quousque possit attingere ad objectum fusibilium cum literis de I. nigris in collis & citrini, quæ sunt magis propriæ de K. Et cum hoc facimus finem nostri Testamenti, per quod constat completa tertia patientia: unde duæ germanæ prudentia & charitas accipiunt suum completum in terra laboris. Fili, si tu nos intellexisti, reitera quamlibet lectionem, in dividendo illam in diversas lectiones, & in diversa capitula: converte quodlibet capitulum in capitula, & quodlibet capitulum sit tibi una lectio, & cum memoria recolligibili, & intellectu intelligibili cum voluntate amata misce unam lectionem cum alia: quia intellecta una, facit te intelligere aliam cum aliqua paucitate verbi, ænigmata, sicut ipsi fatentur per ista verba sequentia:

Limpiadem lapidem purga, contunde simulque,
Bexa, cum puris inde coquatur aquis
Calcis inextincta pulvis tenuissimus illi
Mixtus ut in Massam transeat, & lapidem, &c.

XXI. Fili, in dulcoratione dictæ naturæ, facies per regimen fixationis. Et si intelligis quod tibi dictum est de natura, quomodo Christus nos per naturam salvat, Quæro fili, quare virtutes in deitate faciunt triangularem de triangulo divinali, & non alis? est ideo, quia est mater virtutum aliorum materialium. Et quia supernæ virtutes essentiales influunt in dictis Triangulis materialibus, natura, propter hoc illos constituit in triangulares & sphæricos. Et propter hoc tu potes intelligere per artem, sine virtutibus divinis non possit quicquam formare quòd quare si vis stare fortior, quàm est natura, necesse tibi erit, quod facias frustum fuere in capucio sicut fecit Virgilius, quando perdidit suam formam. Fili, natura potest formare unam rem in formam primam, si alia via non eam movet per adiutorium artis, sicut propriè vidimus per istam scientiam, quando corruptus in simile corpus non revertitur, imò in pulverem siccum, & Elixir humidum, quod omnia alia convertit in suo proprio: similiter est de toto hoc. Natura non potest perficere, si ab arte non accipit auxilium, quod conservet suas species à corruptione individualium, de quibus post reformatur in forma cuiuslibet corporis, quando facit de metallo pulveres, & de illis Elixir, de quo metalla omnia subitò accipiunt sanitatem, per magnam potestatem illius rei, quod Elixir vocatur. Non intelligas tamen, quòd terminetur in forma metalli, sicut antè: & ad hoc volumus, quia plus valet, quod illud minus, cum per unum solum granum nascantur centum millia magis quàm tibi diximus de virtute duplicata, I. & ad hoc corpus, quod ipse convertit, & de virtutibus ornavit, sicut plumbum, vel stannum, vel ferrum, vel argentum vivum, vel cuprum album vel rubeum, ad quod metallum fuit transmutatum in aurum verum, sicut probat cementum, contra quod magis resistit quàm naturale facit per suas virtutes, & magis de potestate habet contra leprositatem in omni ægritudine, quam homo habet. Attamen omnibus dicimus, quòd ipsi caveant ab auro facto per artem alchymiæ sive præparando naturam: quia multo magis valeret, comedere ignem ardentem cum oculis Basiliſci, quam applicare venenum in loco medicinæ per scientiam ignorantem: quia Aurum sophisticatum est per totum plenum impuritate ex igne contra naturam, de quo sophistica nescit spoliare ipsum: quia præparatoria nesciunt eligere, nec unum verbum intelligere, quomodonam se habet in suis ablutionibus. Fili, tales crédunt se habere totum factum, quando vident suum aurum in substantia Mercurii coloris, per applicationem extraneorum pulverum, si nimis stat diminutum de suis actibus naturalibus, per ignorantiam suarum purgationum: eapropter, quia nesciunt illi administrare, & integrare cursum naturæ, per quod omne bonum aurum acquirit multas virtutes, & proprietates. Quare fili, tibi dicimus, quod sit tu vis integrare totum cursum naturæ ad finem, quod tuum aurum habeat potestatem super totam naturam, videas, quod ad finem primi gradus lapis sit purgatus ab omni sua corruptione, & post redde sibi virtutes quas perdidit, quas invenies in spiritibus quintarum essentiarum: & tu, in quantum de illis posueris, tanta erit infusio, & multiplicatio virtutum medicinarum: & secundum virtutes medicinæ, erunt virtutes metallorum reformatorum. Et cum posueris spiritus in lapide, dimitte continuare suum motum, quousque virtutes quintæ resistunt asperitati ignis. Tunc

igi-

igitur fili, cum videris tale signum, significatum tibi sit, quod motus naturæ quintæ est sine corruptione suæ simplicis materiæ, de qua natura habet in virtute confortationis.

Cap. XXII.

Quomodo corrigi debeant errores.

Fili, impossibilitas regnat in ista scientia, quod tu possis habere spiritus quintos sine aliqua mutatione materiali de colore in colorem. In quibus precor te, quòd habeas sollicitudinem in tali modo, quòd omnes colores sint tibi placabiles, excepto rubore, qui in materia venit post separationem quintarum substantiarum per ignem stimulativum contra naturam sicut causam. Fili, igitur quintæ substantiæ, quæ manent in sicco, comburuntur & consumuntur sua tinctura: quia volunt esse virtutem aeris humidi simplicis, nec possunt trahi extrà, nisi coniungantur cum illis artificialiter, & per suam virtutem attractivam de suo attracto & revivificato, sicut patet in ultimo puncto separationis suarum aquarum in balneo. Si tibi placet trahere de aquis aerem, roga naturam, quòd per suam virtutem attractivam te velit docere: quia illa te docebit: quia per appetitum illius, quod perdidit in sua calcinatione, ipsa separat aerem de medio aquæ cum restauratione, quousque medicina virtutum attractiva est quasi totaliter separata: & cave à magno igne in distillatione aeris, qui corpus rubificaretur, & suffocaret virtutem attractivam, quàm tibi dat aer. Ubi esset in gradu suffocationis, posset attrahere magis, quàm tu indiges, nisi aere multum subtili. Extrahe igitur ipsum per inhumationes, quia illæ servant tincturas ab omni adustione, & restaurant humiditatem perditam, in revivificando virtutem attractivam. Et si videbis, quòd corpus sic etiam fuisset rubificatum, & sua folia tanquam de Talk, quæ in similitudine favi mutatur sæpe, proiice in suam aquam, & in illa aqua coque, quousque accipiat vitam albedinis: & trahe omnes aeres & inhumationes sine calcinationibus factis cum igne extraneo. Fili, tres colores sunt principales per nostra instrumenta, quæ dant ad intelligendum hoc, quod natura vult: & sunt nigredo, rubedo, albedo, sicut tibi diximus in capitulo: Semper fili, &c. Sed hoc tibi dicimus per intentionem trahendi aeres; & corrigendi errores; & evitandi illos. Semper tamen; cum ille sit de tota albedine, & de multa nigredine; cave, quod sit tibi nisi una rubedo, quæ debet venire ad finem primi gradus: & si ante venit, significat combustibilitatem caloris, quia volunt rubificare per festinationem; quam ipsi sentiunt à punctuitate ignis stimulatum; qui est sibi administratus per pravam informationem; antequam suus proprius motus eis sit integratus. Idcircò tanto, quanto rubificatur ante tempus, tantum perdit de sua Tinctura in sua ultima & propria rubificatione, in tantum, quantum sua essentia rubificativa colligatur in extremam materiam, quæ non potest pati ignem, & hoc, cum non fit ei vera rubedo in præparatione vera. Et si hoc intelligis, scias quare sophistæ deficiunt in faciendo verum aurum.

Cap. XXIII.

De compositione Aceti nostri, quod constringit argentum vivum ad expellendum naturam suam.

Fili, accipe de bono vino bene sicco, & cum illo resolve de D. ad quartam partem sicci vivati-

ci, & cum tanto de C. & si loco vini posueris succum lunariæ, valebit unus bolus decem. Post Recipe aquam per distillationem, quæ est succus magnæ exuberationis, & prosequere ad solutionem sui Mercurii, sicut tibi diximus superius in libro Mercuriorum, & trahe aquam claram cum magno igne, sicut tibi diximus in principio nostræ practicæ, & in illo dissolve quod est dissolubile de lapidibus densatis, & de metallis liquabilibus. Et si primò corpus traxit substantiam fœtentis menstrualis, multiplicabitur virtus mineralis: & propter hoc tibi reveletur, quomodo virtutes vivificativæ infunduntur, in materiis cum spiritibus conjunctis. Fili, cave, quod de talibus rebus non velis aliquid dare, & scias, quare non est datum legere istam scientiam, nisi in generalitate cum aliis scientiis, sine nominando quicquam de ista; nec publicè, nec occulte: & ideò, quia non debet dare motus homini humano per artem intrandum ad res naturales, nisi per proprium motum per donum gloriæ, qui est Deus cœli, qui scit cor illius, in qua forma vellet uti: quia multa sunt, quæ fiunt per naturam, quæ si multi scirent, & vellent malè uti, totum mundum confunderent, nisi ipsi primò destruerentur. Quæstio, quare fecimus artem, & per naturam compleatur in A. & quod artista ad loca alta ascenderet, & quod Rex Eduardus possit suum cor implere de bona voluntate contra gentes paganas: per N.A.V.Y.Z.E.A.V.Z.I. V.Z. Et istæ literæ omnes cum aliis de sursum significantes cum declaratione in nostra arte compendiosa, quæ vocatur; Vade mecum; ad numerum philosophorum cum tota integritate præsentis Testamenti.

Cap. XXVI.

De omnium Medicinarum proiectionibus tam universaliter, quàm particulariter.

Fili, proiectiones fiunt super corpora fusa secundum magis & minus virtutum, quas lapides acquirunt per fusam subtilitatem: quia quanto lapis est subtilior, tanto magis te oportet ponere de metallo tuo, & minus de medicina: sed multi sunt qui in proiectionibus medicinarum particularium per ignorantiam decipiuntur, sicut nescientes experiri, nec videre alterationem medicinarum: quia quando aliqui faciunt proiectionem de illis; scilicet de modico supra multum corporis fusi, non vident aliquid, nec in penetratione nec in alteratione, & sic suspicantur medicinam esse nullius virtutis, & non curant plus prosequi: quare si statim illud metallum, in quo infunderetur medicina, transisset per cinericium, vel per longam copellam, scirent; & viderent quicquid est, transmutatum radicaliter de corpore in purum metallum. Fili, cum in tuis medicinis secundum magis & minus sit infusus ille subtilis spiritus, quem tu petis, qui per necessitatem & virtutem suæ proprietatis figit, & mutat omnia corpora sicut purgativa ab omni leprositate, & est antidotum contra omnem infirmitatem. Et hoc nutriendo calorem naturalem in corporibus metallorum, illa insensibiliter penetrat omne corpus, & in profundo illius spiritus quiescit, sicut natura, & ignis naturæ, & humidum radicale, quod est nimis fixæ retentionis, & magnæ alterationis, sub conformatione & reformatione individualium metallorum. Ultra hoc virtute appetitiva metalli leprosi, quia trahit ad se spiritum humidum glorificatum, &

trahit ad profundius sui cordis, cooperante ad hoc, & coadiuvante virtute impulsiva, quæ movetur à calore naturæ, quæ impellit spiritum formativum in corpore, quod informatur, quando partes se tangunt, & conjunguntur, & miscentur in tantum, quòd partes magis fixæ virtutem spiritus fixi ad profundius illarum se retinet constrictè in vita perpetua, & remanet alteratum metallum, sicut potest probari per suas examinationes. Et in modo, sicut facis tuas projectiones super corpora, sic similiter, facies super Mercurium. Et si medicinæ, de quibus vis facere projectionem super Mercurium, non erunt subtilioris substantiæ, ratione abbreviationis suæ confectionis, non habebunt ingressum ad Mercurium ante sui fugam. Si Mercurium tu non congelas per vaporem alterius Mercurii, vel sit vegetabilis, vel mineralis, in sulphur transmutatum: congelatio illius sit, secundum quod diximus, in tali vase longo, in quo fit multiplicatio sulphuris: & sicut diximus in congelatione illius ad proiiciendum medicinam. Sed si de altera medicina vis facere projectionem, non oportet congelare illud, quia antequam ipsum constituatur in fuga, Elixir ipsum penetrat propter subtilitatem, quia est res perfecta, in omnibus suis virtutibus. Semper tamen dictas alias medicinas particulares subtiliare poteris, vel facere per solutionem & coagulationem, & cum fermento iungere, quod similiter super illas mille millia partes cadet, & omnes illas convertet. Sed certitudinem poteris in projectione & subtiliatione dictarum medicinarum cum adjutorio huius, quod dedimus tibi, dimittimus industriæ & iudicio tui magisterii maximi, cum ad plenum sit tractatum in nostro Codicillo, Fili, in projectione nostrarum medicinarum invenies omne metetallum medium alteratū ad perfectum extrinsecè, quousque ducat per cinericium: quia stannum videtur stannum, sicut prius, & est modicum frangibile, & modicum induratum sine luciditate manifesta, quousque ducatur per cinericium, & per id bene sit purgatum. Et sic est de Saturno, & similiter de Venere: sed iste est in colore Iovis, sed ductum per cinericium poteris videre hoc, quod mutatum est in argentum depuratum. Et istæ diversitates veniunt per majoritatem virtutum ramorum lapidis, secundum magis & minus suarum præparationum, & sublimationum. Quare color spiritus mutativi istarum, non tantum virtutum in suis faciunt errare illos, qui per suam tenebrosam ignorantiam nesciunt eligere materias naturæ per suas proprietates: unde ipsi decipiuntur, & excæcantur in arte, sicut gentes parvæ sapientiæ. Et tibi fili, dicimus cum vera parte suæ proprietatis; quia nunquam de alio sale debes intelligere, nisi metallorum: quia resolvuntur in illud, sicut per artificium potes videre ad oculum. Si igitur illud sal scis durificare, intrabit in corpora, sicut vera natura, quæ vult stare intus: & transformabit illa ab una specie in aliam. Malum placitum habeat Rex de Metha, vel Soldanus de Calamia, Quia cum sales sint pura natura metallorum, naturata ex proprietate metallica, propter amicitiam istius rei, coniunguntur omnia simul, cum sal non sit nisi ignis, non sit nisi sulphur, non sit nisi argentum vivum conversum in lapidem pretii, quæ est materia naturæ alteratæ, & imitatæ à vilitate in nobilitatem: quia mixtio perfecta non potest fieri sine alteratione rerum naturæ, quæ misceri possunt in unitate perfecta, corporaliter loquendo. Fili, scis, qualis talis res reputatur vilis, quia si non esset cognita, homo non faceret æstimationem de illa: & de alia parte, quæ est res finita secundum naturam sui actus in esse completo expulso extra domum; & quia est res naturæ, sicut homo, qui est expulsus extra suam possessionem, & vellet illuc fortiter redire sicut ad rem, quæ fuit sibi ad utilitatem & conservationem suorum corporum, in quibus finitur: Ideò ipsa breviter vult formari quomodo per suum instinctum distincte desiderat retinere sua extranea: & ultra hoc, quod in omni loco reperitur, cum hoc sit, quòd sine illa nulla res possit generari. Sed cum sit res difformis suorum elementorum infima, ipsa se ponit ad finem, quod non videatur ad profundius, & accepit finalem terminationem per suum ultimum extraneum completum: unde versus:

Est una res vilis ubique reperta,
Quatuor inserta naturis, nube reserta:
Solve, gela, itera, quod potesi,
Sit aqua vera, à sale dulcifera,
Quæ fluit in igne quasi cera.
Quæstio sit ardua philosophicalis,
Cur res tam vilis fiat res omnino regalis.

D. C. E. X. Z. Sic tu fili, ne malis dicere de illa, quæ te ponit in rem per præceptum sui magisterii, quia te nutrivit per suas utilitates secretare, & sine revelato istas reducere in magnas nobilitates: & ideò aliqui non fuerunt ausi loqui, & non habebant licentiam à magisterio naturæ, nisi metaphoricè: Et ad talem medicinam faciendam, est elementum super omnes materias alias, Aurum optimum inter mineralia, vegetabilia & animata: & super omnes virtutes inter vegetabilia & animalia sunt virtutes lunarenses, & mustæ mellifluæ. Materiam auri debes condire cum substantia cibali, vel cum liquore cibi condimentalis mixta, cum unione suorum purorum subiectorum mixtibilium, sine magno labore depuratorum per ignem, quem tibi diximus in capitulo per Eundem, si intellexisti, & per secundum, Ad talem excitationem, Fili, per intellectum potes facere medicinas diversas de aliis rebus, quæ nihil tibi constabunt, ad conservandum naturam humanam, sicut tractamus in tractatu aquarum condimentalium. Et situ intelligis mysterium, intelligis, quomodo debet fieri illa, & omnes aliæ medicinæ, sub conservatione virtutis confortativæ.

Cap. XXV.

De modo separandi elementa in octo diebus; ad consequendum omnia opera brevia, cum literis Alphabeti, & de compositione sulphuris, & sua confectione.

CVm tu feceris H. illud proiice in B. & post fac separationem de H & de B. per Y. & & pone H. ad partem, post separa L. per X. amortuam & siccam, post H. conjunge cum B. & pone totum in V. & post tres dies separa H. cum E. per Z & post H. separa de C. per Y. & Recipe de B. hoc, quod sibi remansit de H. per X. & habebis primum elementum, quod nos vocamus terram: & quando volueris habere aquam, quæ est secundum elementum, accipe C. & illum duc per X. & post coniunge cum H. & pone totum in camera de V. & post duos dies separa H. per Y. & de E. accipe de hoc, quod remansit sibi de H. cum beneficio de X. & habebis secundum elementum, quod nos vocamus, Terram mineralem. Et quando volueris habere aerem, quod est Tertium elementum Recipe D. E. illud transactum, seu ductum per X. coniunge cum H. pone in camera de V. per unum diem naturalem: & post separamus E. cum H. & statim de E. separa H. per Y. & accipe

cipe de E. & hoc quod sibi remansit de H. & habebis tertium elementum, quod est de natura humida. Et si vis trahere ignem qui capitur aliquando in loco aeris, illum trahes de E. si postquam transierit per X. & coniunxeris cum H. & F. per Z. post de E. separa H. per Y. & fac de H. & habebis ignem in natura calida: Et omnia quatuor elementa de Mercurio, vel de argento vivo. Et si nos intellexisti, iam tibi diximus sublimationem illius: & sicut tibi dictum est de isto intellige de omnibus corporibus, post habituato ad creandum sulphura, quæ volueris tam de corporibus, quàm de Mercuriis coniunctim, vel separatim, sicut invenies per Tabulas metallorum, per quas stat concordata ratio mixta de omnibus 7. Metallis I. Et quando volueris per mixtionem operari de materia Veneris, vel Martis, & de ambobus insimul, vel sic per Giosrosiam, vel per Anasrosiam elementorum, de illis non ponas plus quàm B. alia sunt de nequissima, & infirma minera. Fili, scias, quod metalla non sunt aliud, quam nostræ mineræ, in quibus congelatur nostrum argentum vivum, in clara & simplici minera, quam nos vocamus lapidem Beneficii, & Tincturam nimis magnitudine claritatis. Fili, omnia particularia quæ sunt intra latitudinem magni magisterii, nihil aliud sunt, quam discurrere elementa Mercurii, per omnia elementa Metallorum, tam simplicia, quàm conpósita, sicut tibi manifestum est per tabulas huius artis, & tot quot cameras ibi inveneris, tot sulphura diversarum virtutum poteris generare: & quot sulphura tu habueris, tot opera particularia tu habebis. Et si feceris coniunctiones sulphuris, tot, quot coniunctiones feceris, tot opera particularia habebis ad projectionem faciendam super omnia metalla, de quibus medicina particularis fuerit composita. Et per istum intellectum debes movere partes metallorum elementorum & Mercurii per primas cameras, ad finem, quòd possunt moveri per secundam naturam suarum partium elementalium infixionum veræ fixionis: quę generatio fit per discursum sulphurum generatorum ex substantia metallorum, vel de suis numeris, cum ternis literis vel quartis, Solis solummodo, vel Solis & Mercurii simul ad rubeum, vel de Luna sola, vel de illa cum Mercurio ad album, de quibus creatur, scilicet secundùm medietatem, H. creatur I. per F. sicut tibi monstrabitur per tabulas liquefactionis, quia extracta de H. creatur I. per F. Mercuriale: vel ad hoc per G. & tunc est applicativum per K. album: vel si vis eum componere cum D. limato, erit periculosum ad applicandum cum K. Item si vis I. Mercuriale coniungere cum I. Lunari, erit nimis nobilis exuberatio. Copula igitur, quocunque volueris de his, L. cum K. vel simpliciter, vel compositè, dabit tibi susionem admirativam præparantem naturę: sicut dictum est de albo, sic dictum est de rubeo.

Cap. XXVI.

De fermentis.

Filli, cum medicinis fermentorum potes fermentare naturam omnium corporum: & quia de illis adhuc non locuti fuimus, dicimus tibi, quòd antequam velis fermentare, videas primò, quod fermentum bene præparatur. Fili, præparatio istius est, quod illud fit transactum primò per naturæ principalia controvertentia, antequam de isto facias fermentationem: quia tibi illud fiat principio pulvis calcinatus per liquefactionem, secundariò pulvis resolutus per dissolutionem, & terriò pulvis inceratus per coagulationem, & quartò sublimatus per separationem. Fili, in induratione & mollificatione stat nostrum secretum: quia sine illis nullum corpus simplex potest fieri in unione perfecta: & si non sit perfecta mixtio rerum alteratarum cum vera unione perfecta, iam non erit habile aurum & argentum ad operandum. Fili, fermentum est corpus perfectum subtiliatum, & alteratum per potestatem dictorum convertentium cum lapide totum insimul: quia nullum corpus sublimaretur, nisi esset beneficium naturæ lapidis, quæ ducit sursum illud, sicut magnes trahit ferrum. Et Elixir, quod debet dare laxationem cum adiuncto elementorum humidorum, sunt pulveres subtiles, quæ stant in medietate sublimati. Si igitur sublimationem huius corporis sublimaveris, tu intelligis reiterationem cum mixtione spiritus humidi sublimati: quoties feceris per excitationem operationis, toties lucraberis centum partes in sua projectione: quia, quanto corpus est levius, subtilius & volatilius, tanto melius est ad proiiciendum, unum pondus super centum, & centum super mille, & sic in infinitum. Coniunge corpus cum fermento albo ad album, vel rubeo ad rubeum, & fac matrimonium de ipsis, & de lapide, quousque unum corpus fixum per medicinam coniunctum est aquæ Mercurii: & post da sibi susionem cum oleo lapidis solummodo. Et nota, si vis scire, quare metalla motum habent, fac totum per viam reductionis, & erit tinctura exuberata pretii incomparabilis. Et sicut tibi dictum est de sublimatione corporum cum lapide, adhuc revelamus tibi magis ad finem, quod melius intelligas Rotam, quæ tibi data est, quod lapis sursum ducus, venit ad nostrum argentum vivum quod ducit in suam naturam virtutem adamantis: & corpora sunt salsuginosa, quando resolvuntur in suam naturam primam per virtutem lapidis, qui est dulcis.

Cap. XXVII.

Aliæ revelationes, & de propriis naturiis, & de propriis subiectis.

Dicimus tibi, quòd dictæ naturę non sunt aliud, quam sales acuti, quos tu non potes habere, quousque transeas a prima in secundam partem: quia illa, quæ recipiunt tincturas, sunt materia naturæ, & tincturæ sunt de prima essentia Mercuriali, unius naturę purę. Ita natura non debet coniungi nisi cum sua natura, scilicet cum sua purissima materia intrinseca expulsa & depurata per artificium de virtutibus mortuorum, cum adiutorio lapidis, scilicet de metallis. Fili, dicta materia naturæ in virtute est res talis, & vocatur terra sulphuris vivi, creati de argento vivo, & dicitur proprium sal naturæ, quod est materia illius: & tincturæ suæ propriæ essentiæ sunt argentum vivum, quæ similiter non possunt haberi nisi per scientias regiminis primæ partis, quæ constituit primum gradum operationis naturæ. Si igitur fili, habituatus es in dictis regiminibus, ad finem, quod habeas materiam animatam ad faciendum medicinam alti pretii, quia de sulphure & argento vivo fit, vel de sale naturæ. Fili, ista natura non sunt semper nisi unum commune, de quo natura est naturata: quia naturæ minerata est impręgnata natura formali, & de illa est natura perficiendo suas renovationes contræ corruptionem extraneam, quam nos vocamus destructionem. Quare fili, si nos intellexisti, dixi-

mus tibi iam, quòd argentum nostrum nunquam sine sulphure est, sicut tu iam scis, cum illud convertat: nec sulphur poterit stare sine natura solis, quod est principale medium in forma, per quam natura transit ad faciendum, & complendum suas generationes. Fili, si tunc natura habebat argentum vivum in sua operatione, suæ partes à sua materia non possent continuari, nec ipsa salvari posset in humido radicali. Et si non habebat sulphur, non habebat sal, ergò non posset penetrare partes, quæ debent congelari per defectum acuitatis. Et ideò vocamus nos illud, Sal honorabile, sal animatum: quia est pretium naturæ tale, quod penetrat & expellit: & hoc per virtutem sui caloris, de quo materia stat in natura in expellendo, penetrat & expellit, & penetrando congelat per suam magnam siccitatem, humidum argenti vivi in radicalitate, & nostrum sal sequitur mixtionem formalem, & est armoniacum omnium elementorum. Quare non debes mirari, si nos vocamus sal armoniacale: quia sicut habet nomen exaltatum & sublimatum per suam proprietatem & puram & primam materiam naturæ: & est tota natura, & intus stat, per quod est natura, sicut faber in sua fabrica, qui est aptus ad fabricandum. Ad hæc ideò vocamus sal ignis: quia ignis nihil aliud est, quam natura capta in natura in arte philosophicè, cum calore naturali, stante complexionato secundum meritum sui subiecti. Vocatur etiam id honorabile sal, aqua maris acuta: vocatur etiam sal vitellorum ovorum, & stella diana, & matutina, & aquila volans, & nubes, & ignis, sal amarum, sal cibi, sal de vitro, cinis, borax, sal urinæ, Athincar, sal alcali, sal sosæ, sulphur exaltatum, & Mercurius sublimatus. Et omnia ista nomina.

Deficit in exemplari aliquid.

Adhærentia frequentationis. Et sic si plana gubernatur cum calcinatione, non te privabit suo fructu. Factum habemus nostrum Testamentum per virtutem de A. in insula Angliæ terræ, in Ecclesia sanctæ Chatarinæ, apud Londinenses, versus partem castelli ante Cameram, Regnante Eduardo per Dei gratiam, in cuius manibus ponimus in custodia per voluntatem de A. præsens Testamentum, Anno post incarnationem millesimo, trecentesimo, trigesimo, secundo cum omnibus suis voluminibus, quæ nominata sunt in præsenti Testamento, cum cantilena quæ sequitur ad præsens: Iesus Christus sit benedictus in secula seculorum. Amen.

Incipit Cantilena Raimundi Lulli.

Amor me fecit rimare, cum corruptione poteris, quia sine ea non poteris elongare generationem à suo esse, & essentiam facit quintam operari.

Si unitatem velis ex hoc facere, & volo tibi plus declarare, oportet pluralem amorem habere, de hoc tibi dabo istam similitudinem cognoscere, parens extensum de simplici per concordantiam. Aliud quod clamatur incensum, scire habebis cum dissimilitudine aeris erit congelatum. Quod amor facit concordantia pro concordantia elementa, vos alii cum entibus creatis per phantasmaticam creaturam, si genus habere vultis, entium realium habebitis mensuram, Entia abstracta perquirere dentur à factore per facturam, specialiter cognoscendo invenietis naturalem, aer altius erit amator. Sed si tibi natura non valet, iam non eris sator pro ignorando artem, similiter transubstantialis humorum essentiæ, & accidentis, cum suis partibus substantialibus. Oportet esse transmutationem, & similiter accidentalis, postquam sic noviter renunciatum aliis signis conversum in aliud ens omnium suorum graduum elemẽtalium, cum accidenti esse novum: tunc ars non potest tibi deservire, quod ipsum non sit alterius pellis, sed deficit conceptum, si vis intrare per ipsum portellum, ut bene tibi scias gubernare, necesse erit tibi, globum portare, ut possis intrare & exire. Fili, totum hoc habes in Testamento, cum voluntate charitatis invenies aggregationem: quoniam est revelatum illud quod quotidie quæritur: posuimus totum in dictatum, quia est dignum & placens. Vnde homo, qui habet multum, appretiatur proquirendo paganam gentem, & in posse fortificatur cum corde nobilis ardimenti, quæ sunt prudentia & charitas.

FINIS.

GRADVS ET AFFINITAS metallorum est in istis proverbiis.

C. Mulier contrahit cum D. & generat filiam G.
C. Mortua D. contrahit cum E. & generat filium H.
D. Mortuo E. contrahit cum F. & generat filiam G.
Et sic G. & H. erunt fratres ratione patris H. & G. erunt frater & soror ratione Matris.
Et sic G. & frater H. & G. soror ejusdem, possunt contrahere simul.
Et sic vir & uxor, habent unum fratrem utriusque

Litterarum interpretatio.

A. Significat, Deum, qui est operis huius causa prima.
B. 4. Elementa in metallis confusa.
C. Lunariam rectificatam, in quam solvuntur metalla.
D. Quintam essentiam vini in sua perfectione.
E. Animam metallorum, quæ dicitur sulphur naturæ.
F. Ipsa metalla, non aliud.
G. Limos elementorum.
H. Spiritus corporum perfectorum.
I. Calorem secundi gradus.
K. Calorem tertii gradus.
L. Animam corporum immediatè genitam propter menstrualis dissolutionem.
M. Spiritus corporum perfectorum.
N. Aquam Metallorum.
O. Aerem.
P. Ignem.
Q. Menstrua.
R. Ipsum lapidem.
S. Proiectionem.
T. Examen.
V. Calorem furni secreti.
X. Ignem siccum cinerum.
Y. Coagulationem.
Z. Separationem liquorum cuiuslibet substantiæ.
A. Ignis & aer.
B. Argentum vivum, vulgi.
C. Sal armoniacum præparatum. D. Sulphur fixum.
E. Aqua distillata.
F. Fermentum aut calx metallorum.
G. Quinquagesimaquinta Mercurii dissoluti in
H. Sal petræ.

I. Vitrio-

I. Vitriolum.
K. Menstruum.
L. Argentum finum & purum.
M. Mercurium, ut scis,
N. Aurum honoratum.
O. Compositio Lunæ.
P. Compositio Solis.
Q. Terra compositi albi.
R. Aqua compositi albi.
S. Aer compositi albi.
T. Terra compositi Solis.
V. Aqua compositi Solis.
X. Aer compositi Solis.
Y. Ignis compositi Solis.
A. Significat, Deum qui cuncta bona creavit.
B. Argentum vivum, quod est substantia communis.
C. Sal petræ quod est simile argento vivo.
D. Vitriolum aquosum.
E. Menstruale conjunctum.
F. Argentum finissimum.
G. Mercurium philosophorum, quem scis.
H. Solem honoratum.
I. Compositionem Lunæ.
K. Compositionem Solis.
L. Terram compositi albi.
M. Aquam compositi albi.
N. Aerem compositi albi.
O. Terram compositi rubei.
P. Triangulos compositi rubei.
Q. Aerem compositi rubei.
R. Ignem lapidis rubei.
S. Lapidem album.
T. Lapis rubeus.
V. Calor furni secreti.
X. Calor cineris.
Y. Calor Balnei.
Z. Separatio liquoris.
B. Significat argentum vivum, quod est substantia, commune in omni-corpore corruptibile stans.
C. Sal petræ, quod est argentum vivum simile in natura, propter fortitudinem suæ naturæ, & vocatur Sal alcali.
D. Vitriolum aquosum vel totum: istud corrumpit & confundit totum, quod est de argento communi.
E. Menstruale conjunctum de istis, quod continet naturas dictorum trium unum, scilicet tria principalia.
F. Argentum finissimum, vel Aurum purissimum.
H. Calorem Balnei, ut patet in capitulo Cum in virtute A. &c. significat Aurum honoratum.

ELUCIDATIO TESTAMENTI

Raimundi Lulli

QUamquam plurimos libros diversarum operationum nostræ philosophicæ artis composuimus: tamen hunc ultimum nostrum libellum cæteris præferimus, qui Elucidatio Testamenti à nobis intitulari meretur: quoniam id quidem in nostro Testamento ac Codicillo philosophicis scriptis ingenti prolixitate occultamus, in hoc nostro libello lucidius ostendimus, & brevissimè elucidamus: ut ulterius non fiat opus alios componere libros. Cum nostrorum librorum compositio nihil aliud sit, quàm sagacis ingenii subtilitas, ad nostram artem cælandam, quæ copiosè in nostris libris ostensa, hic ab opaco in amœnam modò ducitur lucem, quod nullo ausu unquam aliquis philosophorum facere audebat. Et hunc librum sex annexis in tot capitulis, in quibus totum hujus artis mysterium clarissimis elucidatur dictis, quorum capitulorum.

Primum est, de materia nostri Lapidis.
Secundum est, de vase.
Tertium, de furno.
Quartum, de igne.
Quintum de dec ctione.
Sextum de Tinctura & multiplicatione.

Capitulum primum de materia nostri Lapidis.

Primùm igitur materiam nostri Lapidis demonstrare aggrediamur. Extraneas enim res per suas similitudines nostro magisterio adduximus, cum tamen una sola res nostri lapidis existat, cum non addimus rem extraneam neque diminuimus. Tres etiam lapides, scilicet Mineralem, animalem & vegetabilem descripsimus, cum unus duntaxat sit lapis nostræ artis. Volumus, ô fili, hoc compositum significare ex tribus, scilicet corpore, anima, & spiritu, quod minerale dicitur, quia minera, animale, quia animam habet: vegetabile, quia crescit & multiplicatur, in quo omne secretum nostri magisterii latet, quod est Sol, Luna, & aqua vitæ. Et aqua vitæ est anima, & vita corporũ per quam noster lapis vivificatur, & supplantatur: ideò cœlum, & quintam essentiam ac oleum incombustibile & aliis infinitis nominibus eam nominamus, quoniam incorruptibilis est ferè ut cœlum, in continua sui motus circuiatione. Sic lucida manifestatione omni circuitione carente habes materiam nostri lapidis.

Capitulum secundum de vase.

Nunc de vase nostro dicere decrevimus: Hîc fili, aures arrige, ut ingenium nostrum apprehendas. Quamvis multa vasorum genera ænigmaticè scripta in nostris voluminibus detegimus. Tamen ingenium nostrum in alio non versatur vase, nisi in uno solo, quod hic apertis demonstrationibus ostendemus, in quo opus nostrum à principio usque ad finem totius magisterii perficitur. Vas itaque nostrum compositum est. Sunt etenim duo vasa suis alembicis annexa eiusdem quantitatis & staturæ in altum, ubi nasus unius ventrem intrat alterius, ut id quidem actione caloris in caput vasis ex utraque parte ascendit, iterum actione frigoris in ventrem descendit. Fili, sic habes nostri vasis Elucidationem, si non fueris duræ cervicis.

Capitulum tertium de furno.

De furno nostro dicturi sumus, sed gravissimum erit, secretum nostri furni referre, quod veteres celaverunt philosophi: varios namque in nostris libris depinximus furnos, cum tamen uno solo utimur furno, qui Athanor vocatur, cujus interpretatio est, immortalis ignis: quia præbet ignem semper æqualiter in eodem gradu perdurantem, à principio usque ad finem lapidis nostri, vivificantem & maturantem. Fili, ausculta nostris dictis, & intelliges furnum nostrum esse compositum ex duabus partibus, in junctura clausuræ bene obturatum: hujus ingenium tale est. Fiat furnus magnus aut parvus, secundum materiæ quantitatem: magnæ enim

enim materiæ quantitas magnum requirit furnum, parva, ad modum furni distillatorii, cum suo cooperculo firmiter clauso, sic quod cum furnus cum suo cooperculo compositus fuerit, penitus unum respiraculum habeat; ut calor accensi ignis respirare possit: propter quod ignis naturæ istum solum requirit furnum, & non alium. Et clausula junctura hujus furni nostri sigillum hermetis & sapientum dicitur, eò quod sapientibus tantummodo notum est, & nusquam ab aliquo philosophorum expressum, sed in sapientia reservatur, quod communi sua potestate custodit.

Capitulum quartum de Igne.

Licet triplicem ignem, scilicet naturalem, connaturalem, & contra naturam, aliosque diversos modos nostri ignis in libris nostris pertractavimus: unum tamen ignem ex pluribus rebus compositum volumus significare, & est maximum secretum, in hujus cognitionem pervenire, cum non sit humanum, sed angelicum, hoc cœleste donum revelare. Ne ergo philosophorum execratio posteris relicta super nos irruat, Deum rogamus, ut thesaurus iste nostri secreti ignis, nisi in manus perveniat sapientum. Fili, aures inclina ad percipiendum nostrum ignem compositum fore ex duabus rebus. Conditor enim omnium rerum, duas creavit res inter cæteras ad hunc ignem aptas, videlicet fimum equi, & calcem vivam; quarum compositio nostrum causat ignem, cujus ingenium tale est: Recipe ventrem equi, idest, fimum equinum bene digestum partē j. calcis vivæ mundæ partem j. his compositis, & in furnum nostrum paratis, vaseque nostro, lapidis materiam continente, in medio collocato, & in furno firmiter clauso, habebis divinum ignem, sine luce, & sine carbone, qui sic in suo furno situatus, non potest esse aliter, quam necesse est.

Capitulum quintum de Decoctione.

Sunt quoque multiplices præparationum modi nostri lapidis in nostro Testamento aliisque nostris voluminibus enarrati, videlicet, solutio, coagulatio, sublimatio, distillatio, calcinatio, separatio, fusio, inceratio, imbibitio, fixio, &c. quorum omnium significatio est decoctio. Quoniam in sola nostra decoctione omnes isti perficiuntur modi. Ingenium verò hujus nostræ decoctionis est, ut materiam compositi juxta suam mensuram in vas, furnum, & ignem suum ponas, jugiter decoquendo, donec in maturitatem complementum perveniat, quod in decem mensibus complebitur sine manuali operatione, ab initio usque in finem totius magisterii. Sed istos modos assignatos significare volumus sublimitatem nostræ artis, & quod insipientium intellectus umbroso circumdetur velamine, ne indignus verticem collis nostri secreti attingat, sed in errore perseveret, donec Sol & Luna in unum redigatur globum, quod nisi jussu Dei impossibile est fieri.

Capitulum sextum de tinctura, & multiplicatione nostri Lapidis.

Ultimò de tinctura & multiplicatione, quod finis est, & complementum totius magisterii, narrabimus. Multiforme namque projectionis modos nostræ tinctura in nostris voluminibus ostendimus, cum tamen nostra tinctura à multiplicatione non sit diversa, & neutra istarum absque altera fieri possit. Quia lapis noster, nisi prius tingatur, & cum tingitur, eius quantitas multiplicatur. Et nostro lapide multiplicato albo vel rubeo, tingitur. O fili, intellectus obumbrationem repelle, ad intelligendum arcanorum arcanum, in nostris libris soletti industria abditum, quod à profundo hic emergitur in altum. Audi & intellige, quòd multiplicatio nostra nihil aliud est, quàm nostri operis primordialis compositi reiteratio. Nam in prima reiteratione una pars nostri lapidis tres tingit partes imperfecti corporis & in tot partibus in quantitate crescit, & multiplicatur. In secunda reiteratione una pars tingit 7. partes. In tertia, pars una tingit quindecim. In quarta, triginta unum. In quinta 63. In sexta 127. & semper in tot crescit & multiplicatur partes, usque in infinitum procedendo. Ecce fili, sic nostra scripta parabolicis dictis hactenus recluſa, contra philosophorum præceptum elucidamus. Sed ab ipsorum increpatione volumus excusari, ne divina permissione in eorum execrationem incidamus omnipotenti Deo, in cujus potestate sunt omnia, hoc dictum nostri libelli committimus, qui omnem scientiam, omnéq; donum largitur, cui vult, & subtrahit, ut in suæ divinitatis potestate ita recondat, ut ipsipientum impiorumq; investigare minimè permittat. Nunc fili, sapientiæ Deo regratiare; qui sua divina illustratione humanum intellectum claudit & aperit: cujus nomen sit benedictum, in sæculorum sæcula. Amen.

LVX MERCVRIORVM.

RAIMUNDI LULLI, MAJORICANI, philosophi doctissimi opusculum, in quo explicat, quæ in aliis ejus libris occultata sunt.

IAm dudum, Rex Serenissime, de transmutatione omnium metallorum locuti sumus, & plura à nobis volumina sacratissimæ Majestati tuæ transmissa sunt. Nunc verò ut dictorum voluminum plenam intelligentiam Serenitas tua habere possit, & ut contra infideles & paganos, ut nobis aliàs, & nunc cum juramento pollicitus es, animum tuum adimplere valeas, hunc librum quem lux Mercuriorum appellari volumus, cum in præsentiarum personaliter ad te venire nequeamus, per nuncium tuum destinamus. Cum quo omnes alios libros nostros, & maximè partes in eis per nos maximè occultatas plenè intelligere possis. Quare figuram in modum arboris per alphabetum facimus, ut per eam scire possis practicen cum clara intelligentia, ut in forma.

Per quamlibet literam dictæ arboris significatur una operatio. A. significat primam causam. B. vinum rubicundum; vel rubeum; vel album. C. putrefactio. D. distillatio. E. phlegma. F. oleum. G. aqua ardens. H. terra I. rectificatio. K. sublimatio. L. Mercurius vegetabilis. M. terra damnata, N. commixtio; O. aurum vel argentum. P. solutio. Q. evacuatio; R. limus metalli. S. circulatio. T. digestio. V. ignis balnei. X. ignis cinerum. Y. tripus Athanoris, &c.

Princeps Serenissime, tu igitur in virtute de A. accipe B. idest, vinum rubeum vel album clarum & odori-

& odoriferum, ut in primo noſtro libro quintæ eſſentiæ plenariè diximus, & illud pone in C. ideſt, putrefactione in V. ideſt, balneo, & ibi ſtet ad minus viginti diebus ad hoc, ut per C. partes diſgregentur, & melius poſſint ſeparari. Poſtea per D. in V. ideſt per diſtillationem balnei extrahas G. ideſt, aquam ardentem lentiſſimo igne, quem toties pone in I. ideſt, rectificatione, donec nihil plus maneat de E. ideſt, phlegma, & ipſam aquam ardentem ponas ad partem: deinde per diſtillationem extrahas E. in quod, ideſt, phlegma per ignem cineris, donec in fundo vaſis remaneat tibi quædam materia ad modum picis liquidæ: & dictum phlegma ponas ad partem. Deinde per diſtillationem extrahas E. in quod ideſt, phlegma per ignem cineris, donec in fundo vaſis remaneat tibi quædam materia. Deinde Recipe dictam materiam & ſuperfunde ei de phlegmate tantum quantum ſupernatet ei quatuor digitis, & pone per duos dies in balneo: poſtea per unum diem per ignem cinerum ut bulliat leniter, & invenies phlegma multum coloratum, quem per Q. ideſt, evacuationem, in alio vaſe pones. Et de novo E. iterum per duos dies ponatur in balneo, Et per unum diem in X. deinde per evacuationem ponas in alio E. colorato. Et ſic procedas donec phlegma amplius non coloretur: & ſi tibi deficeret E. tunc recipias totum E. ideſt, phlegma coloratum, & per diſtillationem extrahas dimidiam vel tertiam partem eius per V. ideſt balneum. Et illud operare ut ſuprà. Cum verò illud phlegma amplius non coloratur, tunc remanebit tibi in fundo vaſis H. ideſt terra quaſi alba. Et phlegma totum F. ideſt oleum ſecum attraxit. Si tu vis ab invicem ſeparare eos, pone per diſtillationem balnei: tunc phlegma totum diſtillat & oleum remanebit in fundo vaſis rubicundiſſimum; quod ſerva per rubefactionem Mercuriorum, ut in libro noſtro Mercuriorum plenariè tractamus.

Sed quia in hoc libro ſolum occultata per nos reſervare volumus, videlicet modum menſtrui vegetabilis: quod in multis noſtris libris nominavimus, licet integrè eius modum non poſuimus: Idcirco, Rex Sereniſſime, ſi alias operationes volueris videre, eas plenariè reperies in aliis libris noſtris, videlicet in Teſtamento, & in Clauſura eius. Et in tertio libro noſtro Quintæ eſſentiæ. Et ſatis plenè in Repertorio noſtro, Anima tranſmutationis metallorum, quos te ſcimus non latere. Igitur recipias dictam hanc terram, & ſuperfunde eiſdem de Mercurio quòd ſupernatet duos digitos, & pone in ignem cinerum per unum diem naturalem, ut bulliat leniter: poſtea extrahes ipſam terram per ignem cineris, & ponas ad partem. Et de alia aqua ardenti funde dicto H. quòd ſupernatet per duos digitos, & pone in X. per unum diem naturalem, ut ſuprà: deinde extrahe ipſum per diſtillationem cinerum, ut ſuprà. Et pone cum alio ad partem: & ſic procede donec nihil amplius de ſpiritu remanſit in terra, ſed totum tranſiverit cum aqua ardenti. Quod cognoſcere poteris cum terra remanſerit in pulverem impalbabiliſſimum, & ponendo eam ſuper laminam ignitam, non dando fumum, erit ſignum quòd ſit ſine ſpiritu. Quam terram poſtea ponas in C. ideſt, in digeſtione in tripode Athanoris, & ibi ſtet per decem dies continuato igne. Poſtquam acceperit de dicto G. in quo eſt ſpiritus, & ſuperpone dicto H. quòd ſupernatet per unum digitum, & pone in tripode athanoris per unum diem naturalem. Poſtea pone in balneo, & per diſtillationem extrahas aquam ardentem ſine ſpiritu, ſpiritus remaneat in terra. Dein deſuper ponas de alio G. quod ſupernatet per unum digitum ſuper dictam terram, ut ſuprà, & extrahe terram ſine ſpiritu per diſtillationem balnei, &c. Et ſic reiterabis toties, donec terra biberit totum ſpiritum ſuum. Quod cognoſcis ponendo terram ſuper laminam ignitam: quia pro maiori parte ibit in fumum. Quam H. in tripode per ſex dies naturales ad T. ideſt, digeſtione, quòd poſtquam extrahas & pones ad cineres augmentando ignem, donec per K. ideſt, ſublimationem oriatur Mercurius vegetabilis, ad latera vaſis & in fundo remanet M. ideſt, terra damnata, quæ non intrat in opere noſtro. Quem Mercurium citò collige, & dum eſt recens poſt eius ortum pones eum in N. mixtionem in terra in digeſtione in tripode athanoris per duos dies. Et efficietur aqua una quo habet diſſolvere omnia metalla ſub conſervatione ſuæ formæ, quam nos vocamus menſtruum vegetabile, & hæc eſt illa aqua, de qua locuti ſumus in omnibus libris noſtris; & maximè in Codicillo noſtro in capitulo quod incipit, Præparatio ſpiritus lapidis fermentabilis eſt, Quòd accipias de ſucco lunariæ, & ſeparabis ſudorem ſum cum tenui igne. Et in capitulo quod incipit, Fili, inquirendo & iſtud menſtruale, ſine quo nihil poteſt fieri, &c. Et etiam in Teſtamento noſtro capitulo decimo tertio, quod incipit: Tu accipias uncias duas de G. & ſeparabis eius humorem per alembicum cum duobus unciis aquæ naturæ communis, quæ eſt aqua vini, &c. Et etiam in Codicillo in capitulo quod incipit: Diſſolvimus aurum & argentum cum rebus radicalibus. Et de hac aqua tractavimus plenarie in anima de tranſmutatione metallorum quaſi per totum. Et in Apertorio noſtro quod incipit: Fili, omnis diſſolutio violenta intentione philoſophorum. Quare neceſſe eſt. Et etiam in lapidario noſtro quod incipit: Recipe unciam unam aquæ vegetatæ, acutæ, & in ea diſſolve aurum plurum: & quaſi in omnibus libris noſtris de hac materia occultè tractavimus.

Cum Dei igitur adiutorio, Recipe unciam unam dicti menſtrui: in ea pone unciam mediam de Sole puriſſimo foliato vel limato ſubſtantialiter, & claude optimè ne reſpiret & pone in balneo per duos dies, & menſtruum totum colorabitur colore citrino reſplendenti & lucido. Deinde pone eum in cineribus per unum diem naturalem, & magis etiam colorabitur. Poſtea cum extrahe per evacuationem, dictum menſtruum in alio vaſe pone & optimè vas claude. Deinde ſuper Solem de alio menſtruo pone, & plus per unum diem in tripode & colorabitur ut ſuprà, quem extrahe per evacuationem ut ſuprà. Et ſic per omnia reiterando fac ut ſuprà, donec non coloretur amplius menſtruum noſtrum. Et remanebit tibi in fundo vaſis terra de Sole abſque colore, quæ in particularibus noſtris, & in branchis magnis omnino neceſſaria eſt, propter ſeparationem elementorum, ut plenariè in Teſtamento & Clauſura Teſtamenti, & Anima tranſmutationis metallorum plenariè demonſtravimus. Recipe ergo dictum menſtruum in quo eſt limus metalli, quæ eſt major pars Mercurii quàm ſulphuris, & pone in circulatione per triginta dies, & tantum in pondere ſit in uno vaſe, quàm in alio, & ſint vaſa in igne cinerum ad hoc apto ut in libro tertio Teſtamenti in capitulo de Furnis plenè oſtendimus. Et ibi limus metalli cum dicto menſtruo circulabitur. Et propter eius virtutem vegetativam & potentiam ſulphuream dicti menſtrui, quæ agit in limo metalli in quo magis eſt de Mercurio quàm de ſulphure, propter terram in qua remanſit magna pars ignea de Sole, congelabitur & fiet quaſi lapis

in ſua-

in fundo vasorum. Et aqua quæ prius ascendit colorata amplius non ascendet nisi alba. Et lapis manebit in fundo, cujuslibet vasis : quos duos cautè extrahes removendo menstruum sine aqua quæ remansit per evacuationem in alio vase parvo, habente collum longum. Ita ut aer ei non noceat,& claude vas & pone in balneum per tres dies,& solvetur in aqua rubicundissima quam extrahe cum suo vase,& pone in digestionem super tripodem per quinque dies, & iterum congelabitur in lapidem rubeum transparentem. Quem iterum remove,& pone in balneum per unum diem naturalem,& solvetur iterum in rubicundissimam aquam lucentem & transparentem, sicut unus rubinus. Quam iterum pone in digestione super tripodem,& in duobus diebus congelabitur in lapidem transparentem rubeum, qui super ignem fundetur sicut cera. De quo si proieceris unam partem super decem argenti fusi,convertit eum in optimum Solem. Et si solves iterum & congelabis ut suprà, toties quod non possit amplius congelari,poteris facere proiectionem super triginta partes argenti fusi,& convertit eum in optimum Solem. Et si velles operari ad album,in omnibus operationibus ponas sextam partem temporis plus quàm ad rubeum. Et similiter ad solutionem unius partis argenti, oportet ponere tres partes menstrui: & sic potes facere proiectionem,ut suprà. Sufficit tibi Rex Serenissime,hoc breve opusculum,quòd ita vulgari sermone transmittimus Serenitati tuæ ad hoc, ut fides Christiana augmentetur,& infideles gentes per te confligantur & disperdantur. Nolit ergo Serenitas tua auferre ad exequendum aliàs nobis promissa, & Christianam religionem defendere. Quia ultra augmentationem status tui, & regni famam laudemque perpetuam consequeris,& ad finem gaudia æternalia possidebis. Deo gratias.

SEQUITUR ARBOR OPERATIONIS,

continens in se ordinem A.B.C. darium, de quo in principio operis tractatur.



EXPERIMENTA

RAIMVNDI LVLLI

Majoricani Philosophi doctissimi, in quebus veræ Philosophiæ chymicæ operationes clarissimè traduntur.

EXPERIMENTUM I.

ACCIPE Tartarum utriusque vini, tam albi, quàm rubei : nam utrumque est optimum. Cùmque individua nobis constent propinqua maximè, & apta ad physicas operationes disponendas : ab ipso tartaro, tanquam præcipuo, inchoandum duximus, quod acceptum, aqua diligentissimè purgabis, & lavabis ab omni sorde: postea desiccabis, siccatum triturabis, ac urinali vitreo collocabis, quod sit semiplenum:appositoque alembico, distillabis inde prius aquam, subministrans à principio ignem lentum, ac deinceps ipsum gradatim augebis,quousque tandem per ignem violentissimum totum distillabit oleum ipsumque tartarum intra vas remaneat subalbum, vel beretini coloris, quod extrahe, & triturabis quam optimè, & pone in vas terrenum non vitreatum ; solidum, ita ut resistat igni : quod in fornace vel vitrariorum collocabis vel in furnum reverberationis. Sed in furno reverberationis necesse est aliquo cooperculo præsens vas cooperire, nec ex igne corpus contrahat aliquam nigredinem. Sed in fornace vitrariorum non erit necesse illud cooperire. Hæc tamen animadverte: ne corpus vivificetur, ut nobis accidit, propter nimiam violentiam ignis, & nos cogebamur à novo opus repetere. Quare memento ut ignis reverberationis debito modo contemperetur, ita ut similis sit igni vitrariorum. Cum ergo corpus fuerit calcinatum & album, tum ipsum extrahe,& triturarum in humido super marmoreum lapidem constitue, cooperiendo, ne pulveres supercadant, & sordes aliæ. Atque hoc modo dissolve, dissolutionem collige intra vas vitri fortissimum, quam dissolutionem per filtrum destillabis ; postea collocabis in urinali cum alembico, & recipiente cum junctures optimè clausis, & in furno cinerum lento igne destillabis, ne vas frangatur, & ita congelabis. Quo facto, & vase refrigerato super materiam aquam distillatam infunde,& pauco temporis spatio sal illud pretiosissimum in suam aquam dissolvetur. Illam distillationem iterum per filtrum transmitte. Sed quoniam hoc opus videtur nobis nimium tædiosum & periculosum, ne sordes aliquæ cadant super vas, propterea consulo, ut accipias aliquem pannum lineum subtilem, & per illum transmitte illam dissolutionem sine expressione : sic ut in ipso panno remanebit terra corruptibilis,quam proiicito, atque iterum novo panno lineo subtili eandem liquorem ut suprà transmittito,ac reiterato toties,donec in ipso panno nulla terrestreitas remaneat. Quo signo apparente, iterum in urinali illum liquorem constitue cum capello & recipiente ad congelandum, ut suprà, quod congelatum iterum dissolve, dissolutum iterum per pannum transmitte ut prius, & videbis in panno lineo novam terrestreitatem,quam removeto & reiterato opus toties,

donec

donec auxilio Dei in illo lineo panno nulla terreitreitas relinquatur, sed albus & nitidus remaneat, sicut ab initio fuit. Sed aliud signum habes magis certum purificationis illius individui. Nam cùm per distillationem transacta fuerit tota humiditas sive aquositas, hoc sal pretiosissimum in vase remanebit super ignem in forma olei quod remotum ab igne subito congelabitur. Sed tibi fili charissime, non sit tædio prolixitas temporis in solvendo hanc materiam, & congelando singulis vicibus corruptionem removendo, qua remanente, nunquam poterit coniungi cum suo spiritu extracto à pretiosissimo,& propinquiore individuo suo, quod est vinum optimum, ablata ab eo prorsus omni humiditate & corruptione: tunc ipsum constitue ad circulandum in vase circulatorio, atque ita reducatur in quintam essentiam, & spiritum suum protinus complectetur: sed hanc circulationem nos à principio triginta dierum spatio peregimus: postea verò eandem absolvimus spatio dierum quinquaginta, quæ circulatio fuit multò melior prima, quia quò longiore tempore circulatur, eò magis subtiliatur,& efficitur aptum ad omnem physicam operationē nostram: quem ordinem cùm opus fuerit, vos quoque observabitis.

Experimentum secundum eiusdem individui.

Recipe tartarum optimum, quod triturabis, & in vase terreo non vitreato constitue: postea in fornacem vitreariam pone ad calcinandum, vel in furnum reverberationis per tres dies, vel quousque albescat. Quo facto ipsum dissolve in aquam vitæ primæ distillationis hoc pacto, videlicet. Pone individuum hoc calcinatum & album in vrinali, & desuper infunde aquam vitæ, ut superemineat septem digitis, & occlude cum suo antenotorio, ac pone super furnum cineris, ut ferveat per duas horas: deinde quod dissolutum fuerit, cautè in aliud vas transfunde: quod autem remanet indissolutum, desiccabis: postea iterum aquam novam vitæ infundas super, atque iterum supra cineres ut suprà fervere facito. Dissolutum iterum ut suprà evacuato,& cum altera dissolutione priori conservato. Materiam in vase remanentem iterum ut suprà desiccato, atque eam ex vase extrahas, quoniam iterum calcinanda est, ut facilius dissolvatur. Quæ cum calcinata fuerit, iterum cum nova aqua vitæ dissolve, & fervere facias supra cineres, ut suprà. Dissolutionē hanc ut suprà cum reliqua conservabis. Atque hoc magisterium toties reiterabis, donec totū hoc individuum fuerit calcinatum, & per dissolutionem transactum: omnes postea dissolutiones constitue in vrinali, apposito alembico cum recipiente, & iuncturis optimè clausis, per balneum distillabis, quousque materia congeletur, vel quousque per illum gradum caloris amplius non distillaverit. Tunc remove recipientem, & claude ne respiret, & postea transferes vrinale super cineres, & si qua pars corruptibilis cum materia remanserit comburatur: & cum per duas horas vel tres vas illud permanserit in igne aliquantulum remisso, nec amplius distillabit quicquam per rostrum alembici, tunc finito ut frigescat vas ac deinde super materiam iterum intra vas superfunde eandem aquam, quam superius in recipiente clausam servasti. Dissoluta igitur hac materia, iterum per balneum distillabis aquam, ut suprà, quam remoto recipiente bene clausam servabis, ne, respiret: postea transferas vrinale super cineres, & desicca materiam, ut suprà: desiccatam iterum dissolve cum aqua, quam in recipiente servasti: & si videris dissolutionem illam non esse claram, pellucidam, debes eam toties transmittere per filtrum, vel pannum lineum, ac toties eam vicissim dissolvere ac congelare ut suprà, donec ex se nullam terreitreitatem emittat: ac postremo dissolutio ipsa acquirat claritatem, ac splendorem. Tunc demum pro comperto habeas, quod impurum est, & corruptibile separatum esse, ac totam materiam videbis in oleum transmutari. Nunc autem charissime fili, procedendum est ad compositionem Mercurii,& nostri salis Armoniaci: in quo tot ac tantas potentias,& virtutes inesse animadvertimus, ut perdifficile sit, id hominum sermone consequi & comprehendere: cujus operationis modus talis est. Scias pondus salis vel olei quod in fundo vasis depuratum aspexisti, ac illi superinfunde de nostro spiritu, ideſt, aqua vitæ rectificata ut ardeat pannus madefactus in ea tantum, ut superemineat quatuor digiris, vel sit ad pondus aquæ vitæ sex partes plus quàm sit ipsum sal vel oleum. Totum hoc simul mixtum in urinali constituas cum cooperculo sive antenotorio firmiter clauso ne respiret. In balneo putrefacias spatio duotum dierum naturalium: deinde amoto antenotorio & apposito alembico, cum recipiente iuncturis bene clausis in furno cinerum lento igne distillabis. Quæ distillatio continuanda est, quousque rostrum sive capellum nullas venas ostendat, sed subito postquam venæ apparuerunt, depone recipientem, cum aqua distillata,& firmiter claude: est enim spiritus animatus, qui potestatem habet vivificandi suum corpus: postea continuabis eandem distillationem in fine augmentans ignem, ut si phlegmatis aliqua pars restet, per illum caloris gradum exhalet, & removeatur: postremo frigefacto vase materiam extrahe,& triturabis. Scias pondus materiæ, & illis superfunde de aqua vitæ quatuor partes amplius quàm sit ipsa terra: & occluso vase cum suo antenotorio, appositoque alembico, cùm suo recipiente firmiter occluso in furno cinerum, ut suprà distillabis, postquam cum suo spiritu transacta sit anima cum eisdem signis venarum, ut suprà, apparentium. Idem magisterium reiterato ad tres usque vices. Tunc enim habebis spiritum perfectè animatum: & corpus exanimatum & calcinatum. Ipse quidem spiritus cum corpore aptus est ad omnem operationem physicam disponendam. Sed in hoc loco eum usurpabimus ad calcinatam terram vivificandam. Accipe igitur suprà dictam terram ex suo vase, & eam tritura, postea ex ea supra candentem laminam modicum quid pone: quod si fluit instar ceræ absque fumo, signum est perfectæ exanimationis: si hoc signum non apparuit, est reiterandum hoc magisterium quousque illud signum fueris consecutus. Postea scito pondus ipsius terræ supra quam infunde spiritus animati quartam partem, & clauso vase cum suo antenotorio, constitue illud in balneum ad congelandum per duos, vel tres dies, vel quousque congeletur. Quo facto remove antenotorium supponens capellum, & in furno cinerum distillabis sine recipiente: ad hoc quod si pars phlegmati extiterit, inde amoveatur. Quod ergo emanabit ex hac distillatione, erit insipidum & nullius saporis, vel valoris, ad similitudinem aquæ pluvialis: postea iterum superinfunde quartam partem animati spiritus, ut suprà, & in balneo congelabis, ut suprà, postea per cineres phlegmaticam humiditatem distillabis ut suprà. Atque hoc pacto prædictum magisterium toties

ties iterabis, donec terra ebiberit & extraxerit ad se totum suum spiritum animatum, ac deveniat ad hujusmodi signum. Quòd si particulam eius modicam posueris super laminam major pars in fumum evolabit, quod erit signum materiam istam depositam esse ad sublimandum Mercurium nostrum pretiosissimum, qui potestatem habet dissolvendi quodcùmque metallum cum conservatione suæ formæ vegetativæ, & germinativæ. Accipe igitur præfatam terram prægnantem, & constitue intra bociam cum collo longo, quam optimè lutabis luto sapientiæ, ac deficcato luto collocabis cum materia in furnum distillationis, subministrans in principio ignem lentum, donec bocia calefiat; cujus os sit occlusum licinio bombicis, atque illum lentum ignem continuabis per sex horas: postea per alias sex horas ignem aliquantulum augebis. Quòd si per illum ignis gradum non sublimaretur, augebis ignem vicissim ad violentiorem gradum, donec incipiat sublimare: quem continuabis per 24. horas: quo temporis spatio elapso, frigefacto vase accipito inde sulphur nostrum sublimatum, Mercurium nostrum, cœlum nostrum, sal armoniacum nostrum, lapidem nostrum non fermentatum, pluribus aliis nominibus appellatum, à suprà scripto spiritu nobis revelatum, cujus potestas est acuere suum spiritum, ut inferioribus experimentis comprobabitur.

Experimentum Tertium.

Accipe mel novum quod sit album, & cum favo conjunctum: illud autem constitue in vase vitreo ad putrefaciendum per sexaginta dies. Deinde appositio alembico cum recipiente, fervente balneo distillabis inde suum phlegma ad similitudinem aquæ insipidæ, ac nullius saporis. Illud tamen animadverte: si velis totum phlegma per illam destillationem penitus egredi, necesse est tibi per binas quasque horas remoto alembico in vas bacillum immittere, & materiam, ut frangatur cautè agitare, ut frangatur pannus, qui generabatur in superficie propter conjunctionem favi cum ipso melle, qui pannus est impedimento ne ipsum phlegma totum possit exhalare. Sed si illum pannum in superficie amoveris sæpius constat tempus te non frustra amissurum. Destillato igitur phlegmate sine vas frigefieri, quo frigefacto vas transferas in furnum cineris, remoto priore receptaculo cum phlegmate, quod seorsum servabis, & alterum recipientem annecte cum junctu ris optimè clausis atque illo gradu continuabis opus, donec amplius non distillabit: postea ignem augebis cum lignis ardentibus continuando dictum ignem per viginti quatuor horas, ut violentia ignis terra calcinetur. Hoc tamen advertas fili charissime, quòd vas sive urinale quo fit hæc operatio debeat esse terreum, ac tenax, ac solidum: ita, ut tolerare possit violentiam ignis, quam optimè vitreatum: quod si in vase vitreo fieret, procul dubio frangeretur, ac inflammaretur, & intra cremaretur anima sive virtus ipsius terræ. Accipe aquam per cineres traductam quæ erit aliquantum acetosa, illam rectificabis per cineres septies, vel quoùsque deveniat ad albedinem, sicut in phlegma quod in balneo distillasti, ita ut nulla rubedo in eò appareat. Tum verò signum habebis illam aquam quamoptimè rectificatam. Postea accipe terram quæ remanserat in vrinali, atque illam perfectè trituratam in vase terreo collocabis, quod sit ex creta valentina, vel ex ea ex qua fabricantur crucibula: vel si hoc vas abhere non poteris, constitue eandem terram intra geminos crucibulos alterum alteri annexos, & quamoptimè clausos. Pòst statue in furno reverberationis vel vitriariorum, atque ibi permaneant quatuor, vel quinque dies, extrà ipsa albescet terra, vel paulò minus. Sed si hoc opus feceris in furno reverberationis adverte, ne sit ignis nimis violentus: sic enim ipsa terra evanesceret, & si ignis debilis esset, nunquam calcinaretur: mediocri ergo ignis opus est. Sic nullus error potest contingere, ut nobis accidit. Nam cum hoc opus inchoaremus, violentia ignis totam terram amisimus, sed ad rem. Postquam hæc terra, ut prædictum est, calcinata fuerit, frigefacto vase extrahes, ac triturabis: illi postea superfunde aquam quam distillasti per balneum, & sinas materiam super cineres per duas horas fervere atque in aliud vas transfunde evacuando aquam ab ipsa terra, quam terram lento igne deficcabis. Super eosdem cineres superfunde novum phlegma, ac fervescat ut suprà, decantabis evacuando, & in eodem vase conservando ut suprà, dissolutionem corporis: atque hoc pacto magisterium toties iterabis, donec extra ipsum totum salem pretiosissimum evacuaveris, & in aquam transegeris. Postea accipito omnes illas dissolutiones, & per pannum lineum nitidum transmitte, quam aquam per balneum distillabis, tandem in fundo vasis salem pretiosissimum habebis, vel Mercurium vegetabilem. Recipe ergo hujus salis dissolutionem cum ipso phlegmate, & per pannum lineum transmitte: ac postea eodem modo congelabis, ut suprà in primo experimento, ac prædicto eodem modo: & ut in primo experimento, primò congelabis iterando hoc magisterium quater. Quo facto scias pondus dictæ congelationis seu salis, ac illi superinfunde tertiam partem aquæ, quam servasti superius, quam rectificasti septies per cineres, & occlude vas cum suo antenotorio, & pone in balneo per tres dies, deinde amoto antenotorio, & appositio alembico, temperato igni exhalabis distillando humorem, qui distillari poterit, qui erit insipidus. Nam virtutem, & acetositatem ipsius aquæ accepit, & secum retinuit ipsa terra. Deinde iterum nova aqua, ut prius, imbibe ipsam terram, & reiterando magisterium imbibendo, digerendo, distillando toties ut suprà, quousque terra ad se traxerit & imbiberit totam suam aquam. Atque ita auxilio Dei vivi verè habebis salem vegetabilem extractum ab hoc individuo, quod sal est pretiosissimum, ac potestatem habet acuendi Mercurium vegetabilem, & dissolvendi duo luminaria, cæteraque omnia metalla imperfecta: & cum hoc ipsa metalla reduci possunt in suam primam materiam.

Experimentum Quartum.

Accipe chelidoniam Majo mense in plenilunio cum suis radicibus & floribus, sed radices prius expurgentur & laventur ab omni sorde terrestri: deficcabis super tabulam nitidam contunde postea optimè, & in vase vitreo contusam tuam chelidoniam pone, & vas cum suo cooperculo sit optimè conclusum cum cera gummata: pone in putrefactione sub fimo equino per 30. vel 40. dies. Deinde appositio alembico cum recipiente, & junctu ris optimè clausis per balneum distillabis quousque per illum calòris gradum, quod possibile est, distilletur. Postea amoto recipiente cum materia distillata, quod est elementum aquæ ipsius individui, & firmiter clauso, & servato transferas vas cum materia remanente in furno cinerum, & annexo altero recipiente junctu ris optimè

mè clausis, distillabis inde oleum, & continuabis illum gradum caloris quousque amplius non distillet, postremo ignem augebis quantum fieri potest, ut terra incipiat calcinari, ac totam unctuositatem emittet penitus & exhalabit. Quod cum factum fuerit, finito vas frigescere, & terram crematam funllo remanentem accipe, quæ aliqua ex parte erit subalba, vel cinericii coloris, quam triturabis, & vase firmiter occluso collocabis in furnum reverberationis, vel vitriariorum. Quæ quidem terra cum calcinata fuerit, erit coloris cinericii, vel propemodum albi. Tunc in vase vitreo ponè, & aquam distillatam per balneum superfunde & inde salem elicias, & primo in igne cinerum lentissimo ferveat per duas horas: dissolutionem evacuando transferas in aliud vas: terram verò insolutam desiccabis, & refrigerato vase triturabis superinfundendo novam aquam, iterum super cineres ut supra fervere facias, ac ipsam dissolutionem, ut supra decantabis: hoc autem magisterium itera toties quousque totum indè salem extraxeris, quæ est pars Mercurialis ipsius individui. His ergo peractis accipe omnes illas dissolutiones, quas per filtrum vel lineum pannum transmitte, ut terrestreitate purgentur. Deinde per balneum congelabis distillando. Nam transacta humiditate, in fundo vasis remanebit Mercurius sive sal albi coloris, quem salem debes dissolvere, ac vicissim congelare ter: atque hoc pacto ex hac materia Mercurium extraxeris, qui virtutes propè innumerabiles habet acuendi spiritum vegetabilem à vino extractum, & potestatem habet dissolvendi cuncta metalla, cum conservatione ipsorum formæ vegetativæ & germinativæ. Scias præterea, fili mi, illam aquam, quæ dissolvit, & congelavit dictum salem, ex revelatione cuiusdam amici nostri, & nostro omnium experimento maximam conformitatem habere cum opere nostro: Sanat enim phthisicos morbos: sanos autem præservat à corruptione, augendo in eis virtutem, si quis ex ea aqua ieiuno stomacho quantum cochleare capit sumpserit. Confortat insuper virtutem digestivam corroborando virtutem stomachi. Iam hoc reliquum est, ut oleum quod servasti, destilles per cineres septies: ac ipsum conservabis ad horam necessitatis, cuius virtutes plurimæ sunt. Confert hydropicis, atque eo chirurgi utuntur ad inveteratas plagas sanandas: prodest insuper melancholicis ieiuno stomachò cochlearis medietatem recipientibus: oculorum etiam ægritudines tollit, præsertim eas, quas vulgus cataractas vocat. Ex hoc ergo individuo pretiosissimo, filimi, cave ne quicquam amittas: id propterea tamquam præcipuum inter vegetabilia posuimus, ut ex eo perfectum eliciamus, quoniam est admirabile

Experimentum Quintum.

Accipe portulacam marinam, collectam mense Maio, apium sylvestre, squillam, euphorbium, piretrum, rosmarinum, mercurialem herbam, solatrum, oleandrum. Quodlibet illorum individuorum contunde per se, ac in vitreo vase per se singulum quoque distillabis in furno cinerum. Postquam singulorum individuorum dictorum lentissimo igne aquæ distillatæ fuerint, amoto priori recipiente, aquam distillatam optimè occlusam servabis, & annexo altero recipiente, augebis ignem, ut deinde distillet oleum cujusque quod proiicias, quia nihil valet, excepto eo, quod ex rore marino extraxeris, quòd servabis cum in se aliquid virtutis contineat. Accipe postea singulas aquas, & singulæ singulis corporibus suis sive terris reddantur separatim in vase cujusque proprio: vasa omnia obturabis ipse, & in putrefactione collocabis per triginta dies, facta putrefactione singulis vasis tum alembicum superpone cum recipientibus, & distillabis per balneum totam aquam suam. Quâ transacta, removeantur recipientia, & frigefactis vasis transferas ea ad furnum cineris, violentissimum ignem ministrando, ut terra incipiat calcinari: & cum inde nihil emanabit, tunc vasis omnibus frigefactis, terram cujusque individuorum dictorum extrahes, & collocabis ad calcinandum in igne reverberationis per tres dies. Hoc tamen adverte, quòd nos fecimus hujusmodi calcinationes in vasis terreis non vitreatis, sic etiam distillationes; quæ esse debent quamoptimè vitreata vasa in distillatione, sed in calcinatione non debent esse vitreata. Frigefactis ergo vasis, & completa calcinatione, invenies terram cinericii coloris, & subalbi. Tunc eas terras tritnrabis per se singulas, atque eis singulis singulas suas aquas restitues; quas per balneum distillasti, ita ut supernatent quatuor digitis: bulliant singulæ singulis furnellis per duas horas, ac singulas dissolutiones corporum prædictorum in singula vasa per se separatim evacuando decantabis: postea desiccabis ipsas terras, & superinfunde iterum de novis aquis, per balneum distillabis, ut suprà, sine ut ferveſcat ut suprà, postea evacuabis ut suprà per decantationem: Atque hoc modo toties magisterium iterabis, quousque per dissolutionem cujusque terræ sales transacti fuerint. Quas singulas dissolutiones vel per filtrum, vel per pannum transmitte, & congela vicissim in balneo: postea iterum dissolve, iterum per filtrum vel pannum lineum transmitte, atque iterum congela; donec omnibus remotis terrestreitatibus prædictorum individuorum sales habueris perfectè purgatos. Quibus omnibus Mercurium vegetabilem ex vino extractum acuere poteris conjunctim vel separatim. Arq; his omnibus miracula perficere poteris, ut plenè tractabitur in experimentis, cum ex duobus luminaribus tinctuam eliciemus.

Experimentum de animali rationali sextum.

Maxima sanè, & incomprehensibilia summus ille Deus nobis munera largitus est: quæ agnoscentes diu noctuque cum toto corde amare, colere, & admirari debemus, einsque nomen pro viribus ubique extollere. Nam ut omittam quod ex nihilo creavit, suo sanguine pretiosissimo nos redemit: hoc alterum est quod hominem participem reddidit dotibus omnibus quæ in majori mundo continentur: hâcque de causa Microcosmus dicitur. Siquidem nobis divino numine revelatum est, ipsi homini inesse virtutes omnes tam animales, & vegetabiles, quàm minerales. Ad hoc ipsum verum esse, hoc mirabili experimento comprobabimus. Accipe ergo in nomine Domini vrinam puerorum, qui ab octavo anno in 12. ultra non evadant quam vrinam ex ipsis pueris manè ex lecto surgentibus collige, cujus magnam quantitatem te habere oportet, quæ vase vitreo putrefaciendâ est quamoptimè, occluso vase ne respiret: cujus vasis duæ partes debent esse plenæ, reliquæ vacuæ: atque hoc pacto intra fimum equinum collocari debet ad putrefaciendum, quousque ipsa vrina nigrescat; quod intra dies 40. vel 50. contingere solet. Sed ut ipsa vrina brevioris tem-

poris spatio putrescat & nigrescat, hoc secreto habuimus, & vero experimento comprobavimus immiscendo, & conjungendo cum prædicta urina cyathum aquæ vitæ, quæ sit prius rectificata quamoptimè; atque hoc putrefactionem accelerabit. Facta putrefactione, constitue urinam in urinali cum alembico & recipiente optimè clausis: cuius vasis duæ partes sint plenæ, tertia verò vacua, atque in balneo lento igne distillabis ex tribus partibus unam, vel quousque in capello procreet venas. Quibus venis elapsis & evanescentibus, recipientem remove: & occlusum optimè cum aqua distillata conservabis (quæ est eius Mercurius) in loco frigido quantum poteris: deinde distillationem tandem continuabis augendo ignem, & distillabitur eius phlegma, quod vehementiorem ignem exigit: ut quod alembicum exire possit; atque hoc modo continuabis distillationem quousque corpus appareat ad similitudinem mellis vel picis fusæ: tùm sine vas frigescere & phlegma quod distillavit servabis. Postea accipe primum Mercurium, seu primum spiritum, quem in principio distillasti, quem rectificabis hoc modo. Pone igitur illum in bociam magnam: cuius altitudo sit unius brachii & medii: postea in collo bociæ immitte licinium bombicis tantum, quantum sufficit ad occludendum os ipsius bociæ: quod licinium sit prius madefactum oleo, & expressum, & filo cannabaceo ligatum: ut ex collo ipsius bociæ ipsum quandocunque volueris poteris extrahere, nec intra bociam valeat decidere. Appone demum bociæ alembicum cum recipiente, iuncturis optimè clausis, cum flore farinæ & lineis fasciolis illitis, hoc est impastatis ipso bitumine farinæ ad collum bociæ firmiter alligatis, ne vasa respirent. Quo bitumine desiccato, constitue bociam ad ignem balnei leniter ferventis, & materia sublimabitur in pretiosissimum salem. Hoc tamen adverte fili, ut rostrum alembici sit amplum, & patens: ne sal ex cucurbita emergens ac sublimans, obstruat os rostri ipsius alembici, cum in recipientem emanabit: quod si fieret, rumperentur vasa, ut antea quoque nobis accidit, cum hoc experimentum ad practicam contulimus. Cum totum salem videris per distillationem transactum, remanebit in bocia quædam aqua phlegmatica: quam proiice, quia nihil valet. Salem autem transactum cum cautela evacuabis, ac vase vitreo servabis quamoptimè occlusum, quod sal erit volatile: & eo utemur ad corporum dissolutionem, vel ad compositionem medicinarum. Est etiam alius modus prædictum spiritum sive Mercurium animalem rectificandi sive purgandi. Accipe ergo illum animalem spiritum, ac distilla per balneum, & transacta medietate liquoris, remove recipientem, & quod in vase remanet, proiicito. Quod autem distillatum est, iterum distillabis, ex eo accipiens duas partes, quod in vase remanet, iterum ut suprà proiicito. Tertio verò quod transactum est, distillabis, & ex eo recipias paulò minus totum: atque hoc modo spiritum sive mercurium animalem rectificatum perfectè habebis: quo poteris exanimare suam terram, quæ superius tibi mansit in similitudinem picis fusæ. Accipe ergo picem illam fusam, sive malis terram fusam, ac illi superinfunde tantum de prædicto spiritu animali, ut supernatet quatuor digitis: claude vas cum suo antenotorio, cum cera gummata ne respiret. Postea vas ipsum, sive vrinale concutias quamoptimè, ut spiritus incorporetur, & terra meliùs conjuncta spiritui dissolvetur: pone in putrefactione per duos dies naturales: deinde amoto antenotorio, & cum celerirare superimposito alembico cum recipiente, juncturis bene clausis ne respiret, distillabis per cineres. Cave tibi à fumo, cum vas aperueris, sunt enim potentissimi. Transactio igitur per distillationem tot o spiritu, ignem augebis, ut anima imprimatur in aquam distillatam, ac denique iterum ita gradatim ignem augebis, quousque sublimetur alius sal, sive sulphur. Cum non amplius sublimabit, frigefacto vase collige sublimationem: quam cum spiritu animato collocabis nuper distillato: postea materiam duram & crematam remanentem in vase extrahe, & triturabis, & iterum illi ut suprà de novo spiritu infunde, & clauso vase cum suo antenotorio iterum ut suprà putrefacias: amotoque antenotorio, & suprapositò alembico cum recipiente firmiter occluso ut supra, per cineres distillabis spiritum animatum. Quo transacto iterum ut supra, in fine augebis ignem, ut aliqua pars olei transmittatur: atque alia pars sulphuris sublimetur. Cum autem videris nihil ultra distillari, nec quicquam sublimari: finito vas frigefieri, & animatum spiritum nuper distillatum cum altero prius distillato conservabis. Sic etiam si qua pars salis per sublimationem ascenderit, eam cum prædicto spiritu simul misceto; ut suprà: & clauso firmiter vase, hæc omnia conservabis. Tunc iterum super terram de novo spiritu superinfunde, ut supernatet tribus digitis, & annexo antenotorio ut supra putrefacias, ac demum per cineres ut suprà, distillabis. Cum autem amplius nihil distillabit: ignem adiunctis lignis augebis, quantum possibile fuerit, ut terra ipsa calcinetur: ac in hac tertia operatione convertatur in beretinum, sive cinericium colorem. Mox frigefacto vase, & amoto recipiente cum spiritu animato, cum reliquo spiritu animato conservabis. Terram verò pone in vas fictile, sive cretaceum, quod sit solidum ac sufferre ignem possit, quod claude cum suo capello, subministrans ei vehementem ignem, quantum fieri possit de lignis, atque ita per duos dies continuabis: tunc per id temporis spatium terram calcinaveris. Frigefacto deinde vase, extrahe dictam terram, quæ erit alba propemodum, vel beretini coloris clari & nitidi: suprà quam infunde tantum de suo phlegmate, ut supernatet quatuor digitis: ac in cineribus sinas fervere per quatuor horas: ac postea decantabis liquorem cautè in aliud vas, ac serva. Remanentem terram desiccabis, atque illi infunde iterum de novo phlegmate ut suprà: fac postea bullire ut suprà: mox decantabis ut suprà, ac terram ut suprà desiccabis: ita magisterium reiterabis, donec tota terra dissoluta fuerit: vel tota eius pars in illud phlegma imprimatur: quod fortè accidet terna vel quaterna dissolutione. Si quid insolutum permanserit, proiicito: est enim terra inanimata, & inanis. Quæ autem cum phlegmate transacta fuerit, eam transmitte per filtrum, postea iterum per pannum lineum subtilissimum transire facias: quo facto, dissolutionem in igne cinerum lentissimo congelabis in vrinali vitreo: cui suppositus sit alembicus cum suo recipiente. Quo congelato iterum dissolve in eadem aqua nuper distillata per filtrum: postea per pannum iterum ut suprà transmittas: postremo congelabis ut suprà. Hoc autem magisterium toties iterabis, donec per filtrum & pannum nullam amplius terrestreitatem emittat. Tunc servato salem nostrum armoniacum physicum, sulphur animale nostrum, Mercurium animalem fixum nostrum, de quo paululum quid super laminam igneam colloca, &

si fluit

si fluit tanquam cera sine fumo, signum, te habere argentum vivum fixum, ac perfectè depuratum, cum quo plurima experimenta haurire poteris. Hic est ille Mercurius, qui aptissimum nobis subsidium præbuit, ut in inferioribus experimentis comprobabitur.

Experimentum septimum de rectificatione spiritus animati.

Accipe supradictum spiritum, in quo suum sublimatum salem posuisti: illud destillabis per cineres; cum totum distillaveris, fæces in vase remanentes proiice. Deinde iterum distilla ut supra, amovendo semper fæces remanentes in fundo ut supra; atque hoc pacto quater magisterium reiterabis: postea eundem spiritum distillabis per balneum, atque ex eo sine ut remaneat in vase quarta pars, & tres partes distillando separabis. Illas verò tres partes, quas distillasti, iterum per balneum distilla, & ex eo sine ut remaneat in vase quarta pars eius: quam tamen partem proiice: tertio iterum distillabis, & hujus mitte per alembicum paulo minus totum, quo rectificato tibi manifestamus, cum hoc spiritu nos feciss primam dissolutionem, cum conservatione humidi radicalis. Hic etiam spiritus habet proprietatem congelandi spiritus vegetabiles, vel aquam vitæ perfectè rectificatam. Nam eam in salem convertit, qui plurimas proprietates & virtutes excellentissimas habet. Quare certificati sumus, ac maximam animi iucunditatem accepimus: & cum primum nostrorum sociorum quidam nobis declaravit, id ipsum propriis oculis vidisse: summam admirationem ex ea accepimus, ac protinus experimento comprobavimus rei ipsius veritatem.

Superioris salis Experimentum octavum.

Accipe prædictum spiritum animatum ex eo unam partem, & aquam vitæ perfectè rectificatæ partes quatuor, quas statues super ipsum spiritum animatum, ac protinus occlude vas, ne respiret, quod vas sit bocia, quam concute tuis manibus agitando, in ictu sive momento protinus videbis totam aquam in salem esse conversam: quòd si in ipsa aqua vitæ esset pars aliqua phlegmatis, protinus ab ipso salè separabitur in formam aquæ, ac id propterea aqua vitæ dicitur esse quamoptimè expurgata ab omni phlegmate, ne cum hoc opus fiat, quicquam aquæ remaneat cum ipso sale, sed totum convertatur, quod erit melius & utilius: atque hoc pacto habebis salem animalem vegetabilem, quem coagulativum sive gelativum sulphur appellabimus: quod proprietatem ac virtutem habet dissolvendi duo luminaria, & reducendi ea de potentia in actum, conservata illorum forma vegetativa & germinativa.

Experimentum nonum, Ad idem.

Alius præterea modus est copulandi prædictum animalem spiritum, cum spiritu vegetabili: hoc pacto videlicet. Accipe de spiritu animato ut supra rectificato quantumlibet, ac supertunde tres partes de aqua vitæ nostra perfectè rectificata, quæ copulatio fieri debet in bocia magna & alta, cui subito alembicus adaptari possit. Facta igitur dicta copulatione, subito habeas paratum licinium bombicis, madefactum oleo quamoptimè expressum, quo statim occludatur os ipsius bociæ, & intromittatur intra collum deorsum, usque ab spatium unius palmi cum forti filo cannabaceo annexum, ut cum fuerit opus possis dictum licinium extrahere: postea suppone alembicum recipiente quàmoptimè occluso, & in furno cinerum collocabis, subministrans illi à principio ignem levem, postea vero gradatim augendo ipsum ignem, donec sublimetur: quod sublimatum in vase firmiter obstructo conservabis: quia hoc sale, & aliis mediantibus mirabilia operari poteris. Quod si sales vel Mercurii innotescerent, nostra ars esset pene pythia. Atque horum salium experimenta principio posuimus multis rationibus, & præcipuè propter hoc, quia præcipua difficultas nobis fuit invenire modum efficiendi hos sales: quare inventa, cætera nobis propitia & facilia visa sunt. Ergo fili charissime, obtestamur ut homines tantorum laborum, hæc experimenta celare & occultare debeas. Scis enim quo iuramento astricti simus, & tu præ cæteris id observare debes.

Experimentum Decimum.

Accipe urinam putrefactam illam, pone in bocia, cuius collum sit altum, intra collum immitte obturamentum bombicis cannabaceo filo alligatum, ut tuo arbitrio cum opus fuerit extrahere poteris, idque sit madefactum oleo atque expressum, deinde appositio alembico, cum suis junctures optimè clausis, subministrabis illi à principio ignem levissimum postmodum ipsum augebis, quousque incipit sublimari & sublimatum sal quo usi sumus, tamen inde paucam quantitatem elicimus, eo quod materia non fuit priùs subtiliata, & cum difficultate à suo phlegmate separatur. Nos autem hoc experti à principio mirati sumus, postea verò cum causam agnovimus, visus est nobis non tantæ esse virtutis & roboris quales erant cæteri sales, & propterea illam dimittimus.

Experimentum Undecimum.

Accipe sanguinem extractum ab hominibus sanis, & cholericis, illumque pone in tabula nitida, & sic permitte siccari, ut phlegma separetur ab eo. Postea accipe ipsum sanguinem, & eum quamoptimè tritura, & pone in bociam, & lento igne aquam distilla, qua distillata, seorsim servabis, & aucto aliquantum igne, sed non admodum intensè, ne fortè sublimetur sal, sed solum humiditas, atque oleum superfluum exhalet, donec non amplius distillabit: postea frigefacto vase, accipe terram combustam, quam loca in vas, & firmiter claude, ne respiret. Nam respirando evaneseceret in fumum: pone vas in furnum reverberationis, sed ignis debet esse temperatissimus, ut sal istius materiæ, qui volatilis, est & non fixus exhalet, & ne violentia ignis vas frangatur, ut nobis accidit, & stet materia in ipso gradu ignis per duos dies, & calcinabitur. Quo facto vas frigescat, & frigefactum aperiatur, & super calcinatam materiam infunde suum phlegma, id est aquam, quam à principio distillasti: permitte super cineres ferveseere per duas horas, ut aliqua pars dissolvatur, & quod dissolutum fuerit, decanta in alio vase, atque iterum cum nova aqua fac ut suprà, & sic reitera, donec totum sal extraxeris: postea aquam per balneum distillando removeas, & remanebit in vase sal niveus, habens virtutes plurimas, & si cum eo vegetabilem ignem acues, dissolvet proculdubio duo luminaria eius, ad conservationem, ac eorum formæ vegetativæ: & cum eo ipso fieri poterit excellentissimum aurum potabile, pro conservando radicali humido in

hominibus, & ad expellendum plures ægritudines.

Experimentum Duodecimum. Alius modus ad eliciendum sal sive sulphur à dicto individuo.

Accipe sanguinem trituratum, pone in bocia, cuius collum sit altum, & appositio alembico cum recipiente, igne lento prius distillabis, donec humiditas exhalabit: postea ignem augebis, usque dum sal sublimetur, qui erit subalbissimus, qui cautè collectus servetur: est enim plurimæ virtutis & effectus. Habes ergo fili charissime, omnia medicamenta, quæ propinquitatem habent cum duobus luminaribus, atque etiam cum reliquis metallis imperfectis, sine quibus illa ars transmutationis finem habere non potest optatum. Atque hæc omnia distinctè pertractavimus, tam de vegetabilibus, quàm de animalibus, quo ad nostrum opus facere videbantur: atque etiam pleraque alias his prædictis adiungere potuissemus, sed ea prætermisimus, quia non sunt tantæ virtutis.

Experimentum Decimum tertium Arnoldi de Vill. No. quod Neapoli nobis revelavit.

Accipe Mercurium Hispaniæ qui cum sigillo Hispaniæ in vesicis advehitur, qui non sit sophisticatus: ipsum sublimato hoc modo: Accipe vitriolum deficcatum ab omni phlegmate, & salem communem præparatum & crepitatum, sive prius igni adustum: cõiunge cum his duobus Mercurium terendo quamoptimè, postmodum in vase sublimabis in principio igni levi, postea augebis ignem quousque perfectè sublimetur. Frigefacto vase collige sublimationem: cautè caveas tibi à fumositatibus, sunt enim venenosæ: sublimatum quamoptimè calcinabis, ac imbibas oleo tartari, & calce viva. Deinde materiam intra stortam constitue, subministrando illi ignem, donec vivus ipse Mercurius in recipientem emanaverit. Iterum, ut supra, cum novis eisdem materiis sublimabis: denique, ut suprà, per stortam vivificabis. Hoc pacto iteretur magisterium quater. Accipe igitur hunc Mercurium sic præparatum, & cum aqua vitæ fervere facias, desiccatum transmitte per corium camusciæ sive capræ. Accipe igitur hunc Mercurium, & illum constitue in his vasis, quorum alterum alteri sit firmiter & fortiter annexum, ac undique forti luto sapientiæ coopertum: quorum vasorum forma hæc est:  postea constitue furnum, quo aptè hæc vasa collocentur, ita, ut omnia æqualiter ignem habere possint, sed recipiens nullo pacto ignem sentire debet: sic etiam nostrum primi vasis, per quod Mercurius debet intromitti, extra furnum supereſſe debet: subministra postea ignem dictis vasis, ut candescant, & intra & extra fiant ignita: postea per cannam supereminentem extra furnum immitte Mercurium, ac protinus claude os cannæ cum bombice: & propter asperitatem ignis brevi tempore pars ipsius Mercurii transibit in recipientem, una pars verò in similitudinem aquæ: separa aquam à Mercurio, & serva: quod verò remanet vivum, iterum coniicito in vas dictum, ut supra, toties, donec per ignis asperitatem totum transeat in aquam, singulis vicibus evacuando recipientem in aliud vas, & clausum optimè conservabis: postea accipe huius aquæ 14. uncias, & unciam unam olei sive salis primi experimenti, & simul cum dicto sale transmitte illam aquam, distillando per cineres igne lentissimo à principio, postea in fine ignem augendo, donec amplius non distillet. Deinde recipe novum salem, vel oleum eiusdem primi experimenti, & coniunge cum illa aqua paulò antè distillata, ac iterum per cineres ut supra distillando transmitte. Hoc autem magisterium quinquies iterabis, singulis vicibus cum unciis tribus dictæ aquæ commiscendo unciam unam dicti salis, vel olei primi experimenti, distillando ut supra, per cineres, eodem gradu ignis, ac eodem, quo supra, pondere: tam aquę quàm salis, sive olei. Atque hoc pacto auxilio Dei habebimus aquam mineralem ac vegetabilem unitam simul, quæ potestatem habet dissolvendi Mercurium, & cuncta metalla, præsertim duo luminaria, ad cuius aquæ multiplicationem hoc pacto procedendum est. Recipe unciam unam Mercurii purgati, unciam unam aquæ acutæ dictę: coniunge hæc duo simul in bocia parva, quam claude optimè, tunc protinus Mercurius dissolvetur: quam dissolutionem statue in urinali parvo, cum alembico & recipiente, iuncturis bene clausis, distillando per cineres, & totum in aquam transibit, relicta in fundo vasis aliqua terrestreitate nullius momenti. Hac ergo ratione dictam aquam multiplicare poteris, quantumlibet: videlicet, accipiendo ipsius quinque partes, & unam Mercurii purgati, dissolvendo prius per alembicum, ut supra distillando. Sed ad rem nostram revertamur. Recipe argentum vivum vulgare, ac ipsum cum luna calcinabis, scilicet amalgamando: ac postea ipsum amalgama triturando cum sale communi præparato: mox ipsum Mercurium exhalare facias leniſſimo igni, deinde ferventę aqua distillata salem ipsum removeto, & sic lunam calcinatam habebis: hocque modo & solem calcinare potes. Recipe lunam calcinatam, & quatuor partes aquæ Mercurialis illis superfunde, & vas clausum cum suo antenotorio statue super cineres, ut leviter bulliat, & videbis viridem colorem, sive cœruleum, quem liquorem caute in alind vas transfunde: ita ut fæces non conturbentur: materiam in fundo remanentem desiccabis igne lento, adinstar solis. Postea scias pondus dictæ calcis, ac illi iterum superinfunde quatuor partes dictæ aquæ Mercurialis, super unam partem calcis, & clauso ut prius vase cum antènotorio suo, sine ut iterum bulliat, ut supra, quod inde dissolutum fuerit, ut supra, in aliud vas transfunde, ac coniunge cum dissolutione prima. Illud tamen adverte, ut dictam materiam dissolutam semper in balneo conserves, donec totum opus dissolutionis absolutum fuerit: iterando toties magisterium, donec totum lunare corpus fuerit plene dissolutum ac transactum: quod quidem nobis accidit intra duas vices, ac in putrefactione per quatuordecim dies constitue. Deinde transferas in urinale, coniunctum pariter cum suo recipiente & alembico, iuncturis quamoptimè clausis: postea distillabis in furno cinerum: postea ignem augebis, ut corporis anima in sua aqua impressionem faciat. Frigefacto vase, scias pondus terræ lunaris in fundo remanentis: nam credo non amplius quam duabus octavis mihi de corpore non soluto remansurum ea tota uncia: reliquum erit plenè dissolutum. Quòd si plus remanserit de terra insoluta, tunc superinfunde tantum de sua aqua nuper distillata, quantum superemineat tribus digitis & clauso vase cum antenotorio, pone in balneum per diem naturalem: mox amoto antenotorio, & superpositio alembico cum recipiente optimè clauso, per cineres distillato: in fine distillationis augebis ignem, ut supra. Hoc autem iterabis, quousque per aeream revolutionem totum corpus lunare per alembicum transmittatur; atque hoc pa-

&c

nare per alembicum transmittatur : atque hoc pacto auxilio Dei habebis menstruum, quo solem potes dissolvere. Accipe ergo prædicto modo uncias duas calcinati solis, ut paulo ante docuimus, ac illi superfunde tantum aquæ superioris, scilicet tunc distillatæ, quod supernatet duobus digitis, & clauso vase cum suo antenotorio, protinus sol deveniet ad nigredinem instar carbonis : atque ita statue super cineres calidos ad bulliendum. Illud tamen adverte, ut vas optimè clausum cum cera gummata : postea spongia madefacta circumdabis locum vasis, ubi erit dicta cera : atque hoc pacto permitte materiam fervere per tredecim dies : quibus elapsis, dissolutionem olis in alterum vas transfunde : fæces verò remanentes desiccabis igne lento, velut solis. Quo facto, iterum novam lunam distillatam superfunde, ut supernatet quatuordecim digitis, & clauso vase cum suo antenotorio, iterum ut ab initio, super cineres fervere facias, ac dissolutionem transferas, ut supra, in illud vas, in quo altera dissolutio servata fuit, cum cautela, ne fæces turbentur singulis evacuationibus : postea, ut supra, materiam desiccabis, ac iterum, ut supra, dissolves, ac dissolutum evacuabis, iterando toties magisterium, quousque solis corpus totum fuerit dissolutum, quod ferè tertia, aut quarta vice contingere solet. Corpus ipsum solis putrefacias per tredecim dies : quibus elapsis, dissolutio erit ejusdem nigredinis, quale est atramentum scriptorium : sed intrinsecus erit rubicundissimum tanquam rubinus, vel tanquam carbunculus lapidis. Accipe ergo tenebrosum solem, & obscurum, cum complexu fotoris, vel matris suæ : pone ipsum in urinali cum alembico suo, iuncturis optimè clausis : distillabis per balneum aquam pariter solis, & lunæ : atque tunc caloris gradum continuabis, quousque aqua non amplius distillaverit. Tunc amoto recipiente, & clauso, quamoptimè servabis, & annexo alio recipiente, & firmiter clauso destillabis materiam remanentem per cineres, & emanabit unguentum nostrum, vel aer, vel ignis. Cum verò per rostrum alembici, vel per capellum videbis quasdam ampullas aureas, tunc sine ut vas frigescat, & unguentum inde destillatum servabis, per se benè obstructum : vas ipsum locabis eo loco, quo non possit frangi. Accipe postea urinale, & amoto alembico, videbis, in fundo solem tenebrosum & obscurum, quem extrahe, & ponderato, ut scias quantum ex eo fuerit per aeream revolutionem transactum. Mox ipsum solis corpus triturabis optimè, ac iterum in urinali constitue. Deinde recipe quatuor partes aquæ per balneum distillatæ, qua prius lavato alembicum, ubi superius remanserunt illæ aureæ guttæ, sive ampullæ, de quibus supra mentionem fecimus ; ne illam tincturam amittas. Illas ergo quatuor partes aquæ super solis corpus infundas, & clauso vase cum antenotorio, statue in putrefactione balnei per viginti quatuor horas : quibus elapsis, antenotorio amoto, & superposito alembico, distillabis per balneum, ut supra : postquam eo caloris gradu nihil emanaverit amplius, amove recipientem, & illi alterum recipientem annecte, ubi supra unguentum servasti, vel oleum, rostris & iuncturis optimè clausis, ne os respirare possit, distillabis per cineres. In fine tandem augebis ignem, ut aer sive oleum ascendat. Postremò maiori gradu ulterius, si possis, augebis ignem : atque hoc pacto ignis elementum cum suo aere pariter per alembicum transmittetur. Vltimò sine ut vas frigescat, ac cum recipiente oleum optimè obstructum conservabis. Cæterum alembico amoto, iterum accipe dictam terram, & contere : postea illi ut supra, infunde aquam per balneum distillatam, tantum, ut supernatet quatuor digitis : claude vas cum suo antenotorio, ut supra, ac putrefaciendo : deinde aquam per balneum distillando : ultimò per cineres distillando, oleum, sive aerem, & ignem. Hoc magisterium iterabis decies atque hoc temporis spatio eris certus, terram perfectè esse exanimatam, lotam, & calcinatam. Nam hæc tria eodem magisterio, & temporis spatio fiunt. Sed fili, terram in vase remanentem accipe, quæ parvæ quantitatis erit ; de qua modicum quid super candentem laminam pone, quæ fluet ut cera, nec tinget quicquam : nam ex ea evacuata est omnis tinctura. Eam ipsam terram collocabis in vase aliquo vitreo parvo, vel pila parvula clausula cum bombice, ne sordes intra cadant. Eam statue in furnum cinerum, ut calcinetur, atque inibi permaneat hæc terra, donec alias operationes peregeris, quæ serviunt ad hoc opus. Recipe ergo eam aquam & rectificabis cineres septies : si qua terrestreitas remaneat, quod non credo, terra suæ illam adde. Mox recipe suum aerem, vel oleum potius : atque septies rectificabis per cineres. Quod autem remanebit in fundo, totum est ignis elementum, & tinctura : quia in rubificatione sui sulphuris utemur. Aer sive oleum transactum per distillationem pro incineratione usurpabitur. Sed quoniam prius fixandum ; ne quicquam temporis intermittatur ad alias operationes faciendas : propterea confugimus ad Arnoldum, à quo dicti olei fixationem plenè percepimus : modus regiminis est talis. Recipe dicti olei, & scias quanti ponderis sit : cui tantundem adjunge de oleo, quod te docuimus in primo experimento, quod positum fuit in circulatione, & pone in vase, quod sit altum & angustum, & firmè clausum : quod pone in balneum per quatuor vel sex dies, ut simul uniantur : postea remove ex balneo, ut vas sit benè desiccatum, quod postea collocabis in furnum cinerum per 15. vel 20. dies, atque optimè sic fixabitur. Hoc autem oleum proprietatem habet liquefaciendi medicinam, vel sulphur nostrum, ut videbis. Recipe terram, quam in pila illa servasti superius : terram videlicet duorum luminarium, quæ restitit tibi ultimò calcinatam : & quando pauca admodum est, & imbibere admodum est tædiosum, & prolixum opus : ideo ut brevitati studeamus, hoc regiminis usi sumus. Recipe terram illam, scias pondus, cui adiungas duas partes amplius suo pondere de sole vegetabili secundi experimenti, vel de terra præparatæ urinæ, quæ fluebat instar ceræ, & simul totum tere : mox ponas in vase, & scias pondus totius materiæ simul unitæ, ac illi superinfunde tres partes aquæ superioris per balneum distillatæ, cuius partem servasti deinde clauso vase cum suo antenotorio, iuncturis firmiter clausis, constitue in balneum ; ut solummodo stet in eius vapore, per 23. vel 24. horas. Tum remoto antenotorio, & appositio alembico per distillationem exhalabis quandam paucam humiditatem insipidi saporis. Quæ humiditas si non fuerit insipida, colligenda est. Deinde iterum misce aquam superiorem, ut suprà, collocabis in balneum : distilletur ultimò humiditas, ut supra. Atque hoc pacto iterandum est hoc magisterium quinquies : digerendo videlicet, atque distillando, quousque lapis fiat, vel terra. Postea accipe terram illam prægnantem, ac prius contritam collocabis in bocia fortiter lutatam bitumine philosophorum : mox eam adaptabis furno cinerum, & obstructo ore bociæ, sensim ignem lentum subministrabis, ne vas frangatur : post inde ignem bene augebis per 12. horas. Frigefacto

vase, perferas extra infantem nostrum, primam geminorum luminarium materiam, magnesiam nostram, accipitrem nostrum, multis aliis nominibus nominatum. Recipe ergo sulphur hoc, ac hilari animo in bociam collocabis: cui redde duas partes aquæ superioris, dictum infantem superimbibendo, ac digerendo magisterium continuabis, donec sulphur fiat rubrum tanquam lucidus rubinus. Illud etiam notabis, quòd dictum sulphur ad album etiam possit fermentari, antequam rubificetur. Sed quoniam magna iactura videtur, si hoc opus huc usque deductum, terminaretur in albam medicinam: propterea visum est nobis, ad fermentationem descendere. Recipe ergo regem illum rubificatum & scias pondus: & mox recipe Mercurii lavati octo partes, & partem unam auri cementati: fiat simul amalgama; huius scias pondus, & si fuerint octo partes Mercurii, & una pars auri, debet illud amalgama per linteum pannum exprimi. Deinde pone regem illum in vas altum, quod sit in inferiori parte satis amplum & largum: os autem non debet ita esse largum, sed strictum, ut quatuor digitos immittere possis: & si rex intra positus erit unius unciæ, amalgama debet esse unciarum octo. Prius ergo rex ipse in vas collocetur postea amalgama totum immitte super regem: vas ipsum postea constitue in ignem cinerum: qui rex cõtinuò postquam sentiret calorem, converteretur in pulverem dictum amalgama atque ita in eodem igne permaneat per 24. horas, ut ejus virtus augeatur. Postea recipe oleum dictum superius compositum, & funde super ipsam materiam: quæ postquam totum oleum ebiberit, apparebit tibi tota materia conversa in aquam, sive oleum. Cum autem ab igne remota fuerit, apparebit sicut petra dura, splendens tanquam carbunculus. Iterum ergo super ignem constitue, & amove ut supra: hoc fac quotiescumque volueris, licet solummodo bis id nos fecimus. Nam quantò sæpius dissolveris, & congelaveris, eò magis virtus augebitur; tum cum de rege nostro coronato projectionem facere volueris, fac in hunc modum: Recipe de eo modicum, & 24. partes auri: sed prius funde aurum, & super ipsum pone modicum medicinæ: & è vestigio totum aurum in pulverem convertetur instar rubini, totumque illud erit medicina. Præterea recipe unam partem medicinæ, sive pulveris, & proiice super 100. partes Mercurii, totumque in aurum convertetur purissimum: quod si nimium esset coloratum, poteris illi adiungere vel aeris, vel argenti partem aliquam. De qua etiam medicina poteris proiectionem facere super reliqua metalla perfecta: præsertim super Martem, & Venerem, & convertentur in aurum, melius omni auro minerali. Hoc operati sumus pro rege Anglico, qui finxit se contra Turcam pugnaturum, & postea contra Regem Galliæ pugnavit, meque incarceravit, & tandem evasi. Caveas ergo tibi fili, ab his.

Experimentum XIV.

Accipe aquam illam Mercurii factam tribus vasis, & acutam, ut sæpius te docui, atque in ea dissolvas unciam lunæ: mox altera bocia solvas duas uncias solis: quibus utrisque dissolutis, ambas dissolutiones in unam copulabis. Sed cum hæc conjunctio fiet, aquæ debent calidæ esse, ut facilius uniantur: illud tamen adverte, quod ad dissolutionem lunæ requirantur quatuor partes aquæ ad singulas uncias lunæ. Facta ergo perfecta unione, habeas pilam vitri rotundam, cum collo longo unius brachii cum dimidio: ambas illas dissolutiones constitue in tali pila, cum Hermetis sigillo claudas, ac pone in tripode arcanorum, ac illi subministrabis ignem lucernæ, cum licinio trium filorum per octo dies: denique per alios dies octo præbebis illi ignem trium liciniorum: postea dabis illi ignem liciniorum quatuor, ut ascendat ignis ad numerum duodecim filorum, ita ut singula licinia sint ex ternis filis. Hunc ultimum ignem continuabis, quousque appareat materia nigra, tanquam carbo extinctus, & tanquam atramentum. Tunc illud erit signum perfectæ unionis & putrefactionis duorum luminarium, & Mercurium interfecisse suos parentes. Hæc autem nigredo intra spatium 40. dierum apparebit: quibus elapsis, inibi caudam pavonis aspicies: varii enim colores apparebunt. Tum ignem illum continuabis, donec tandem incipiat superare color albus, quod fortè continget intra 40. vel 50. dies alios. Cum ergo videris perfectum colorem album persistere, vel ultra variari.

Experimentum XV.

Recipe argentum calcinatum cum aqua forti, facto de vitriolo, sale nitro, & cinabrio: postea ipsum phlegma ter aut quater extractum ex lotiõ distillabis, ut ab igne contra naturam expurgetur. Deinde ipsum argentum calcinatum constitue in urinali parvo, ac inibi de illo oleo quod habes in eo experimento, postea desiccabis, ac iterum imbibes, & desiccabis: iterando hoc opus, quousque tres partes biberit de illo pretiosissimo oleo: quo facto, elicitò ex vase materiam, ac contere optimè super porphyrum, vel vitreo mortario cum pistillo vitreo. Deinde repone in eodem vase, adiungas illi uncias 8. de sale volatili ex lotio, ut supra habes in suo experimento: claude vas antenotorio optimè lutato ne respiret: pone super cineres, & brevi spatio videbis totum illud in colorem viridem converti, vel azurum; quo signo apparente, pone illud compositum in pila vitrea rotunda, Hermetis sigillo clausa: & pone in tripode arcanorum, donec videris materiam coagulari: quo facto, removebis ignem; atque hæc operatio etiam fieri potest super cineres calidos cum thure. Frigefacto vase transferas istud in ignem balnei subministrans in principio ignem lentum, donec vas incipiat calefieri: tum ignem augebis, ita ut ferveat balneum: sic materia dissolvetur in oleum clarum; sine ut frigescat, & congelabitur. Iterum dissolve, deinde ut supra coagula, iterando opus quater, aut sexies. Illud tamen notabis: si materia non congelaretur in cinere elapsis triginta diebus, sine ut materia frigescat per se: sic enim congelabitur; atque hoc pacto si per cineres dissolveris, non necesse erit balneo uti; illud tamen notato, quòd corpus totum dissolvi debet, ne ulla pars debet remanere, quin solvatur. Postremò accipe huius medicinæ unam partem, & Mercurii triginta partes loti cum aceto, pone medicinam in pila vitrea, cum longo collo: deinde intromitte illum Mercurium lotum: pone vas in furno cinerũ, in principio ad ignem lentissimum per quatuor dies: postea per alias quatuòr dies augebis ignẽ: ultimò per alias quatuor dies subministrabis ignem penè fusionis, invenies Mercurium congelatum, & fixum. Sed nota quòd dictus Mercurius gelatus non erit albus, sed propemodum rubeus. Illius autem reductionem facias hoc modo. Extrahe tunc Mercurium congelatum, & contere: post in singulas uncias Mercurii hujus, accipe singulas uncias plumbi, quod subtiẽ

subtiliter laminabis: laminas ipsas cum ipso pulvere in quatuor constituas solaria stratum super stratum: postea in fornace dabis ignem, ut materia fundatur, proiice in virgam: ultimò transmitte totum per copellam, sic habebis argentum de copella: memento pauperum.

Experimentum. XVI.

Experimentum nostrum sociorum, qui plurimas alias actiones nobis notificaverunt: in quibus animadvertimus, pleraque alia omnia esse parvi momenti.

Accipe salem Armoniacum vulgi, atque illud dissolve in phlegmate vini lotii: dissolutionem transmitte per filtrum, ac per balneum distillando aquam removebis: & remanebit tibi sal coagulatum, ac album: iterum dissolve cum præfato phlegmate, ac per balneum transmitte. Deinde accipe tantam quantitatem aquæ vitæ, quantæ quantitatis fuerit phlegma, superinfunde simul super eandem salem; & occluso vase cum suo antenotorio, pone in balneo per 24. horas: amoto antenotorio, & superposito alembico, distillabis per balneum igne lentissimo; cum sal coagulatum fuerit, ipsum iterum dissolve cum distillato phlegmate hoc, quod miscuisti cum aqua vitæ, & inde iterum congelabis: hoc modo dissolvendo vicissim & congelando, ter idem magisterium reiterabis. Atque ita dictum salem in virtutem vegetativam, auxilio spiritus vegetativi, quo ipsum dissolvisti ac congelasti, reduxeris. Accipe vitriolum dephlegmatũ, ita ut supra ignem non fundatur: recipe postea tantum de sale nitro, & mediam partem cinabrii: fac inde aquam fortem in storta, cum junctures optimè clausis: ultimo augebis ignem, ut omnes spiritus exeant in receptorium. Scias pondus dictæ aquæ, & accipe medietatem ipsius ponderis de cinabrio, & pone illum in dicta aqua, ut dissolvatur: quo dissoluto, distillabis per cineres igne levissimo à principio: cum verò videris totam aquam transactam, auge subtus ignem; ac superius, ita ut totum cinabrium transeat in receptorium, vel majori ex parte. His peractis, divide illam aquam in duas partes: ac in altera parte dissolvas Mercurii uncias quatuor, & pone tantum aquæ, ut omnino dissolvatur totum: postea per cineres separabis aquam. Vltimò ignem augebis, donec rubicundus permaneat Mercurius præcipitatus. Cæterùm accipe aquam quam servasti, ac in eo ponas dimidium unciæ de sale armoniaco superius præparato, ac medium unciæ de sale vegetabili primi experimenti. Sed prius dictæ aquæ debent purgari à suo phlegmate, cum aliquanto argenti, ut pinguedo salis nitri recedat. Postea accipe aquam, istam, in qua dissolvisti duos sales istos salem armoniacum fixum, & salem primi experimenti: & in quaternas quasque uncias aquæ debes immittere singulas istorum salium: post accipe prædictum perfectum præcipitatum, & hac aqua imbibe, miscendo cum aliquo bacillo vitri, vel ligni ad modum cochlearis: deinde ipsum cinere deficcabis, ut suprà: & hoc magisterii toties iterabis, donec materia inter miscendum adhæreat cochleari, & ostendat quandam viscositatem, ut mel vel pix liquida. Alterum etiam signum tibi proferam, quòd hæc materia super ignem permanebit instar olei: amota autem ab igne congelabitur. Verum si tam in igne persistens, quam remota ab igne non posset congelari amplius, longè melior. Cæterùm accipe duas partes argenti de copella, ac cementabis semel cum sale communi præparato: postea accipe unam partem auri puri, & funde hæc duo: postea reducito in laminas subtiles & graciles, quale est dorsum cultelli: postmodum in frusta parva reducas instar unguis. Dicta frusta ungendo linias optimè cum præfata materia viscosa; postea in crucibulo statuas componendo solariatim stratum suprà stratum, liniendo singula quæque frusta prædicta medicina: cùm vero intra crucibulum omnes laminas coaptaveris, linias superficiem; sive summitatem eadem materia, ita ut suprà nullæ laminæ appareant. Habeas præterea alterum crucibulum; quod superius intromissum tanquam cooperculum claudat crucibulum inferius, ubi sunt laminæ: lutabis deinde circumcirca utrumque crucibulum, ne respiret: post deficcabis lutum: quod si contrahet ex siccitate aliquam lineam, iterum novo luto linias, ut optimè cooperiatur suprà & infrà: postea constitue crucibulos inter duos lateres, & inter illos lateres collocabis totam quantitatem cineris, quantum satis sit ad inferiorem crucibulum separandum intra ipsos cineres. Hoc autem fit, ut recipiat ignem tantum à parte superiori. Deinde accende superius ignem tanta quantitate carbonum, quantum possit ipsum ignem tovere, ac nutrire per sex horas. Vltimo frigefiat vas, ac ipsum aperias, iterumque supradictas laminas unge, ut suprà: iterum suprà administrando ignem per sex horas, ut suprà, frigescat ut suprà. Postremò liquefacito laminas istas, atque iterum laminabis ut suprà: iterum prædicta materia eas linito: & in dictis crucibulis eas constitue, vel aliis novis solariatim stratum super stratum lutabis ut supra: ignem administrabis per sex horas, ut suprà: sine ut frigescant. Iterum deinde linias ut suprà, ignem dabis ut suprà: post iterum funde ut suprà, iterùmque laminabis, & cum nova medicina circumlinias ungendo: & in crucibulis constituendo solariatim ut suprà: præbeas ignem ut suprà: postremò ponderabis laminas, & si sunt unciæ tres, ab iis subtrahe unciam, & adiunge illi tantundem de argento copellæ, ac ut suprà magisterium iterabis ungendo, laminando, statuendo in crucibulum, stratum super stratum, administrandoque ignem: & si tribus vicibus, & ternis quibusque vicibus subducito ex materia partem, & in eius vicem adiunge argentum novum de copella: atque ita persequi poteris magisterium hoc in infinitum usque. Postea accipe quod subtractum fuerit ex prædicta minera, ac pone in aqua divisionis facta ex alumine rochæ & salenitro. Atque hoc pacto, Dei auxilio, intra duas vices extrahes aurum, quod posuisti: postea hauries inde lucrum, quod expensas nobis præbebit. Nos autem pro tempore hoc particulari usi fuimus: postea intermisimus navantes operam truncis, herbis, & ramusculis arboris philosophiæ.

Experimentum XVII.

¶ Hoc Experimentum reperitur in ultimo testamento, in apertorio, & epistola accurtatoria.

Accipe sublimatum bis cum vitriolo, & sale communi præparato, quod bis sublimatum sit, semper cum novis materialibus contere: & si sublimatum fuerit libra una, accipe albumina novem ovorum recentium: quod albumen tamdiu concutias, quod videatur sic esse, ut aqua. Mox misce album cum

illo sublimato, & pone intra stortam, habentem collum extensum: junge illi receptorium quàmoptimè clausum, subministrans illi ignem cinerum in principio levissimum: donec eo gradu distiller. Cessante autem distillatione, augebis ignem: ultimo dabis ignem violentissimum: atque hoc pacto pars Mercurii transibit in aquam, pars verò in Mercurium vivum: quod vivum tractatum, iterum sublimabis, & junge cum aqua distillata, prius tamen contritum, ac iterum distillabis, ut suprà, iterando magisterium toties, donec totum sublimatum transeat, & convertatur in aquam. Quare poteris eodem modo multiplicare toties, quoties volueris: adiungendo illi semper aquam, sublimatum novum, ac distillando donec in aquam convertatur, accipe igitur hanc aquam, & pone in vrinali parvo, connectens sibi capellum cum receptorio: post distillabis per balneum tam diu, quòd videatur tibi albumen illud immixtum tractatum esse: quod ita cognosces: Accipe laminam ferream, vel cupream, super quam permitte unam guttam distillationis cadere: quæ si bulliat, & videatur dissolvi, tum amove recipientem, annectendo alterum quamoptimè clausum, & distillabis per cinerem: atque iterum per cineres hoc magisterium iterabis septies. Atque ita habebis aquam Mercurialem, quæ tibi serviet in multis operationibus. Accipe igitur unciam unam salis secundi experimenti, & uncias quatuor istius aquæ, & misce simul, & statim dissolvetur: postquam dissolutum fuerit, distillato per cineres lento igne, juncturis optimè clausis: ultimò ignem augebis, ut totum sal cum aqua pariter transeat per alembicum: postea in eandem aquam iterum immitte unam alterâ unciam salis, ac per distillationem transmitte totam, ut suprà: atque hoc pacto reiterabis hoc opus distillationis quater: singula distillatione adiungens illi aquæ unciam unam de dicto sale. Tum demum habebis mineralem aquam vegetatam, atque acutam, cum augmentatione virtutis, & potentiæ proficiscentis à dicto sale vegetabili pretiosissimo: sine quo nihil fit. Accipe unciam unam Lunæ calcinatæ, prout habes in superioribus experimentis: quam dissolve in hac aqua benedicta, qua dissoluta, distillando per cineres transmitte per alembicum, ultimò augens ignem aliquantulum: frigefacto vase, videbis lunam verè totam esse tractatam per alembicum. Si quid tamen remaneat, illi superinfunde iterum aquam nuper distillatam, quousque corpus lunare totum plenè per alembicum fuerit distillatum, vel major pars ipsius. Accipe præterea solem calcinatum cum Mercurio, atque ipsum solve in hac aqua argenti distillata: quod cum fuerit dissolutum, pone ipsam dissolutionem totam in vrinale vitreum cum capello & receptorio firmiter clauso: deinde distillabis per balneum igne levi instar solis: atque hac ratione continuabis opus, donec tota instrumentalis aqua tranleat per alembicum: & corpus solare in fundo vasis maneat in forma olei pretiosissimi. Super quod oleum immitte septem partes Mercurii septies sublimati, immittens simul totum cum cochleari, vel ligneo, vel vitreo: post illi vasi superpone aludel suum, subministrans ignem cinerum levissimum, donec materia sublimetur: quod verò sublimatum fuerit: proiice deorsum, & iterum immisce cum eo, quod remanet in fundo vasis, ac miscendo ut suprà cum eodem cochleari, ut quàmoptimè cum oleo misceatur: deinde iterum sublimabis, iterumque sublimatum proiicies deorsum, reducendo illum in fundum vasis, ac miscendo ut suprà. Hoc opus iterabis toties, quoùsque tandem materia non amplius ascendat, sed in fundo remaneat fusa ad similitudinem ceræ: quæ in ferventi igne persistet in formam olei, remota ab igne, congelabitur. Tunc unciam unam istius medicinæ, & centum partes Mercurii vulgaris loti cum sale & aceto: pone ipsum Mercurium in crucibulum: & cum videris ipsum fumantem, proiice super illum unciam medicinæ: mox carbonibus operias ipsum crucibulum, administrando ignem fusionis, proiice in virgam, & habebis aurum 24. graduum: laudà Deum, & memento semper pauperum.

Aliud Experimentum XVIII.

Accipe Mercurium bis sublimatum cum vitriolo & sale: ipsum sublimatum constitue super laminam ferream optimè prius contritum: cum eo junge duas uncias stanni calcinati: & statue in loco humido, & dissolvetur. Iterum sublima, & pone super laminam ferream ut suprà, & totum dissolvetur: atque hoc pacto potes tantum Mercurii dissolvere, quantum volueris. Postea accipe hanc aquam: eam septies rectificabis per cineres, vel donec amplius terrestreitatem non emittat: postea distillabis eam per balneum igni lento: ac ex decem partibus distillabis unam, quæ nullius est utilitatis; est enim phlegma, quod contraxerit ex loco humido; mox scias pondus aquæ remanentis in fundo: & in quaternis quibusque unciis apponies singulas uncias de sale vegetabili primi vel secundi experimenti: nam sunt eiusdem vigoris, deinde distillabis per cineres calidos, cum alembico & recipiente juncturis optimè clausis: quæ cum distillata fuerit tota, iterum illi novum salem adiunge, servato eodem pondere, quo suprà, tam salis, quàm aquæ; atque eam denuò distillabis, ut suprà, atque hoc eodem modo quater distillabis, adiuncto singulis distillationibus novo sale, ut suprà, ac distillando per cineres atq; ita habebis aquam Mercurialem, mineralem, atque ad omnes physicas operationes aptam. Cæterum accipe Mercurium vulgi, lotum cum aceto & sale, & trãsactum per pellem camuſciæ: illum pone in vase, & si de Mercurio fuerit pondus unius unciæ, illi quatuor uncias adiunge prædictæ mineralis aquæ, & superpositio antenotorio, super cineres, sine ut leviter bulliat: & breviter totum dissolvetur: quam dissolutionem evacuabis transferendo in aliud vas, cum cautela, ut si qua pars reliqua sit terreitreitatis in fundo, separetur à dicta dissolutione. Nec est utile transmitti in dictam aquam. Hoc autem modo dissolvere potes de Mercurio quantum volueris. Præterea accipe prædictum Mercurium dissolutum, & putrefacito per 30. dies in balneo vel fimo, quod sit calidum, quod in denos quosq; dies transmutari debet, ut calor continuus perseveret, nec extinguatur. Facta putrefactione, remove, & apposito alembico cum vrinali & receptorio juncturis bene clausis distillabis per balneum totam aquam: Mercurius autem remanebit albus in vase, sicut nix. Tum illi tantum superinfunde de hac aqua, quam nunc distillasti, ut supernatet 4. digitis: reliquum aquæ servabis in suo vase optimè clauso, in loco frigido: mox superpositio vasi suo antenotorio, juncturis obstructis, pone in putrefactionem per diem naturalem: post amoto antenotorio, & superpositio alembico cum recipiente bene clauso distillabis per cineres & angebis ignem, ut anima transeat in suam distillatam aquam. Postremò cessante distillatione, sine vas frigefieri: amove recipientem, & servato firmiter clauium. Nam quod intus distillatum

tum ſpiritus eſt animatus. Materiæ verò remanenti in vaſe, ideſt, vrinali, ſuperinfunde iterum de aqua diſtillata tantum, ut ſupernatet quatuor digitis: & annexo antenotorio, vas conſtituè in putrefactione, ut ſuprà: ac ſubinde amoto antenotorio viciſſim, & ſuperpoſito alembico cum ſuo recipiente, quo ſpiritus animati alteram partem ſervaveras, juncturis optimè clauſis, itèrum per cineres diſtillato: ac ultimò ſimiliter ignem augebis, ut in diſtillatam aquam anima tranſeat, ut ſuprà. Poſt frigefacto vaſe, in receptorio ipſum animatum conſerva, ut ſuprà, ac optimè clauſum: ac remanenti materiæ in fundo iterum infunde de nova aqua, ut ſuprà, & putrefacies ut ſuprà, per cineres diſtillando: Spiritum in idem receptaculum tranſmitte, ubi alterum ſervaſti. Hoc pacto iterabis magiſterium toties, quouſque corpus remaneat mortuum, nigrum, omnique humiditate deſtitutum: quod hoc ſigno comprobabis. Accipe modicum de corpore illo nigro, ſive terra, & pone ſuper laminam ignitam, & ſi videris nullum fumum emittere, neque ab igne: tum accipe ipſam terram, & pone in parvula pila optimè lutata, & vitrea: atque ore optimè clauſo eam conſtitue in ignem reverberationis per viginti quatuor horas: poſt ipſam terram calcinatam remove, & ſterne intra cineres calidos optimè clauſam, ne aliquam humiditatem attrahat. Cæterum accipe aquam animatam, atque eam per cineres ſepties rectificabis: quam aquam animatam & vivificatam divide in duas partes, quarum altera utemur ad vivificationem terræ, altera verò ad diſſolutionem Solis & Lunæ. Accipe ergo alteram partem dictæ aquæ: & ſcias pondus terræ ſuperius ſervatæ, contere prius, & pone in vrinali: deinde ſuperinfunde illi de prædictâ aqua quartam partem ſui ponderis, & annexo antenotorio benè clauſo, pone vas in balneum ut aquam balnei non attingat, ſed ſolo vapore materia calefiat: atque ita permaneat per quatuor dies. Deinde amoto antenotorio, & ſuperpoſito alembico, diſtillabis per cineres lento igni ad ſimilitudinem ſolis, & emanabit humiditas quædam inſipida, quam proiicito: nihil enim valet. His peractis, iterum imbibe cum quarta parte ſpiritus animati, ut ſuprà, digerendo, ut ſuprà, & per cineres diſtillando humiditatem, ut ſuprà. Hoc pacto toties magiſterium hoc reiterabis donec totum corpus ſuam humiditatem ſive animam reaſſumpſerit, & album remaneat inſtar nivis: quod corpus extrahe, & ſiccabis, & contere: contritum in parvam bociam conſtitue quam optimè lutatam luto ſapientiæ, & obſtructo ore ipſius bociæ cum bombice, ipſum vas collocabis in furno cinerum: ſed adverte, quoniam ignis ſit nimis violentus, materia tranſibit in oleum, nec poterit ſublimari, & periculum erit, ne vas frangatur, quod nobis accidit: id quod te admonitum volumus, ut ignem levem perſequaris, donec materia ſublimetur. Hoc etiam notabis, hanc ſublimationem etiam poſſe fieri in igne turris, eòque non ſublimabitur materia, niſi ſpatio trium vel quatuor dierum. Quæ quidem ſublimatio erit albiſſima, ſicut ſquamæ piſcium, vel tanquam talcus. His peractis extrahe cautè magneſiam: materiam primam vulgaris Mercurii noſtri, ſalem noſtrum armoniacum, ſulphur noſtrum: quem ſervabis in parvula bocia bene clauſa intra cineres calidos inſtar Solis: quod autem in fundo vaſis remanebit, & non poterit ſublimari, proiicito: quia nullius eſt valoris, ob evacuatum pretioſum ſemen. Accipe alteram ſuperius diviſæ aquæ partem: atq; in ea diſſolve mediam unciam Lunæ calcinatæ: quæ cum diſſoluta fuerit, in furno cineris, tranſmitte per alembicum: qua tranſacta, in ea diſſolutione ſolves unciam unam ſolis calcinati: poſt putrefacito per 12. vel 20. dies: deinde tranſmitte per balneum ſuam aquã. Corpus autem in fundo vaſis remanebit tanquam mel ſu um, vel inſtar picis fuſæ, ſuper quam materiam iterum infunde de aqua nuper diſtillata tantum, ut ſupernatet tribus vel quatuor digitis: mox putrefacito per viginti quatuor horas: deinde amoto antenotorio, & ſuperpoſito alembico cum recipiente, juncturis optimè clauſis diſtillato per cineres: cum tranſierit aqua, augebis ignem ut tranſeat aer in aquam diſtillatam. Atque iterum augmentato ignem altero gradu, ut tranſeat etiam ignis in aerem diſtillatum: quoniam hæc elementa unum ab alio moventur invicem, & ſe invicem trahunt. Frigefacto vaſe, conſervato ſpiritum animatum, ſuo vaſe firmiter clauſo: ſuper materiam remanentem in vaſe iterum infunde de ſua aqua diſtillata: ac protinus terra diſſolvetur in colorem rubini obſcuri: claude vas cum ſuo antenotorio, pone in putrefactione, ut ſuprà: ac denique per cineres diſtillabis animatum ſpiritum, in illud idem receptorium, ubi alterum ſervaveris, idq; juncturis optimè clauſis. Vltimò ignem augebis, ut ſuprà. Itaque magiſterium hoc iterabis toties, quouſque totum corpus vel major pars per alembicum tranſeat. Quod autem modicum remanebit, de eo pone ſuper laminam ignitam: ſi fumi nil emiſerit, ſignum erit perfectæ exanimationis ipſius terræ. Si contrà fumum emittet: iterabis magiſterium prædictum, donec tale ſignum fueris conſecutus. Præterea accipe ſulphur ſublimatum, quod ſuperius in bocia parva ſervaſti: (ſulphur, id eſt, materiam primam Mercurii vulgaris, de qua ſuperius dictum eſt) illud autem ſulphur optimè conteras: poſtea pone in vrinali, quod debet eſſe altum, & anguſtum ſive corpulentia ab inferiori parte, uſque ad ſummum: æquale ſcias pondus dicti ſulphuris, ac illi ſuperinfunde tertiam partem de ſpiritu animato Solis & Lunæ ſimul conjuncto, ut ſuperius feciſti: & claude vas cum antenotorio, ac pone ſuper cineres ad congelandum, ſive coagulandum. Tunc infiniti colores apparebunt. Continuabis hoc opus per viginti quatuor horas, digerens materiam ſuper cineres: deinde amoto antenotorio & ſuperpoſito alembico, exhalare facias quandam humiditatem inſipidam. Nam rex ſibi aſſumet, & ſecum retinebit ſuam animam propriam, & etiam animam ſuorum parentum, eis gaudens, & exultans. Poſthæc iterum imbibe ut ſuprà, cum tertia parte animati ſpiritus, & clauſo vaſe ut ſuprà, cum ſuo antenotorio: & poſt appoſito alembico ut ſuprà, humiditatem exhalabis. Qua humiditate tranſacta, amoto alembico, pone ſuper Aludel ſuum, ſubminiſtrando illi ignem paulò vehementiorem, ut aliqua pars ſublimetur: quod verò ſublimatum fuerit, cum argentea ſpatula deiicito ad fundum vrinalis, ac deinde imbibe ut ſuprà, digere ut ſuprà, remove humiditatem ut ſuprà: idque opus toties repetes imbibendo, digerendo, exhalando humiditatem, & ſublimando ut ſuprà, donec in ignis aſperitate quieſcat, nec amplius ſublimetur, totamque animam ſuam reaſſumpſerit. Tunc accipe regem ipſum, ac in pila luto ſapientiæ optimè munita, conſtitue ſuper cineres: ita ut tota pila ſit in cineribus ſepulta: ſubminiſtrando illi ignem vehementem per ſpatium quindecim dierum; ita tamen, ut

pila

pia non fundatur. Atque hoc gradu caloris rex tandem rubificabitur tanquam rubinus, ac erit fusibilis, ac tingens. Tunc extrahe regem suum purpureo diademate coronatum. Accipe in Dei nomine unciam unam de rege, ac funde prius tres uncias auri: super illud autem fusum proiice illam unciam medicinæ, ac eodem ferè temporis spatio, seu momento, totum aurum convertetur in pulverem. Atque hic quoque pulvis medicina erit. Accipe huius pulveris unciam unam, & proiice super bis centum uncias Mercurii, & totum in medicinam abibit, & convertetur. De qua ultima medicina accipe unam partem, ac proiice super mille partes Mercurii, & habebis purissimum aurum, melius minerali. Laudatus sit Deus, qui nobis hæc parefecit, & contremisce considerans tanta me secreta edidisse.

Aliud Experimentum ad faciendum oleum, pro incinerandis sulphuribus aliorum Experimentorum.

Experimentum XIX.

Accipe alteram duarum aquarum de quibus in præcedenti opere, atque in altero experimento mentionem fecimus, aquam videlicet Mercurialem, factam ex sublimato: & illam acue, ut te docuimus, ut dissolvere possit duo luminaria. Deinde accipe unciam unam Lunæ calcinatæ, & eam solve in aqua Mercuriali prædicta, & pone in putrefactione per octo dies: mox distilla per cineres, ut tota transeat per alembicum: quæ cum tota vel maior pars transacta fuerit, tum ex ea per balneum removebis aquam lento igne, ad similitudinem caloris Solis, & cum aqua transacta erit tota, tum tibi in fundo vasis remanebit oleum serenum, quod necesse est ut fixetur. Scias ergo pondus prædicti olei, atque illi tantundem adiunge de oleo illo, quod tibi circulandum inisi in primo experimento. Atque hoc oleum pone itidem super cineres, ut circuletur per quindecim dies, quo tempore procul dubio fixabitur. Est præterea alius modus fixandi & conficiendi dictum oleum. Accipe lunam calcinatam, & dissolve ut suprà, & putrefac per triginta dies cum eadem aqua Mercuriali. Deinde distilla aquam per balneum: post iterum superfunde illi de hac aqua distillata tantum, ut supernatet tribus digitis: claude vas cum antenotorio, & pone in balneum per viginti quatuor horas: deinde amoto antenotorio, & superposito alembico distilla igni lento per cineres. Cum autem tali gradu videris totam aquam ascendisse, remove receptorium, & clausum servabis: atque annecte aliud receptotium, ut in illud transeat aer per se, atque ita ignem augmentabis aliquantulum; quousque aer transeat. Quo transacto, frigescat vas: ac iterum super terram infunde de aqua distillata, ut supernatet quatuor digitis, & appone antenotorium bene clausum, statue in balneo per duas horas. Mox amoto antenotorio, & apposito alembico, distillabis lento igne per cineres. Cum autem tali gradu videris totam aquam descendisse, remove dictum receptorium, atque alterum ubi aerem distillatum servasti, vicissim annecte clausum optimè: tunc aucto igne, distillabis quousque nil ultra emittet: postmodum amove recipientem, & à principio eodem ordine iterabis magisterium toties, donec terra nihil amplius liquoris sive olei emittet: tunc tibi remaneat terra in fundo optimè calcinata. Accipe illum aerem, sive oleum & scias ejus pondus, & illi adiunge tantumdem olei primi experimenti: pone ad circulandum per cineres, & duodecim vel quindecim dierum spatio proculdubio fixabitur. Sicque habebis duplex magisterium componendi oleum pro incinerandis medicinis inferiorum experimentorum. Ad album accipe deinde aquam eam, & ipsam rectificabis per cineres septies. Mox accipe terram, & contere, & pone illam in pilam parvulam vitream, luto munitam, dabisque illi ignem per viginti quatuor horas, non violentum, nec levem nimis, sed mediocrem: deinde frigefacto vase, illam terram contere, & scias pondus illius: & pone in urinali, & redde illi quartam partem aquæ suæ, & clauso vase cum antenotorio suo, pone in putrefactione in balneo per quatuor dies: ità ut non attingat aquam, sed tantum balnei vaporem accipiat. Deinde amoto antenotorio, & superposito alembico, fac exhalare humiditatem insipidam, quæ nihil valet. Ac denuò imbibe ut supra cum quarta parte aquæ, & digere, & distilla ut supra, iterando toties magisterium hoc, donec terra totam suam aquam biberit. Tum terram prægnantem contere, & pone in bociam parvulam, luto optimè lutatam, Deinde pone super cineres in ignem sublimationis, præbendo prius ignem levissimum: postea gradatim augebis, quousque terra sublimetur, atque hoc pacto continuabis per viginti quatuor horas ignem. Frigefacto vase, collige sublimationem, primum lunæ materiam, & terram nostram foliatam: cuius terræ nomina plura sunt. Tunc terram illam foliatam accipe, & scias pondus esse, & pone in vas, ac illi superfunde tres partes olei circulati primi experimenti, & per viginti dies terram cum ipso oleo circulabis in balneo, & 20. alios dies in cineribus. Et sic habebis oleum optimè fixum. Medicinæ autem, quæ cerabuntur his oleis, videlicet primo oleo, potestatem retinebunt transmutandi centum partes. Secundo oleo ceratæ transmutabunt totidem, id est, centum partes. Tertio autem oleo mille partes. Scias etiam nos, fili optime, post multos labores non potuisse fixare hæc olea; nec cum aqua vegetabili, nec cum animali circulando, donec ab amico nostro Villanovano edoceremur. Præterea scias unico illorum prædictorum oleorum trium per se fieri posse proiectionem perfectissimam. Accipe unciam unam lunæ calcinatæ, eamque dissolve cum aqua Mercuriali, ut suprà, putrefacito post per octo dies: deinde distilla per cineres; ultimò auge ignem, ut aer transeat in suam aquam. Postmodum iterum super terram infunde de nova aqua, & depositio antenotorio, superpone alembicum, & in idem receptaculum fac transire distillantem aquam, & aerem, ut supra: & hoc pacto toties magisterium iterabis, quousque terra exanimetur, & eius anima transacta fuerit in aquam distillatam per aeream revolutionem. Accipe postmodum aquam, & eam septies rectifica per cineres: cum hac igitur aqua dissolve solem & terram superiorem lunæ: iunge deinde cum terra solis, postquam exanimata fuerit: atque omnes operationes quas adhibuisti in lunare corpus, ut ipsum reduceres in supradicta olea, eadem operationes adhibebis ad solare corpus, reducendum in oleum, eodem ordine servato: præter hoc unum, quod dissolutio ipsius fieri debet cum hac aqua lunari, quam in præsentia tibi manifestavimus.

Aliud Experimentum. XX.

Accipe plumbum, atque illud calcinatum facies: post dissolves cum aqua Mercuriali, de qua superius diximus, quæ facta fit ex sublimato & acuta,

acuta, prout docuimus in ipso experimento: post cum solutum fuerit, putrefacito per octo dies. Deinde transmitte aquam per balneum: corpus autem remanebit in modum mellis liquidi: post iterum illi infunde de aqua sua distillata, ita ut supernatet quatuor digitis. Claude vas cum antenotorio, & pone in putrefactionem per viginti quatuor horas. Mox amoto antenotorio, & superposito alembico cum recipiente, distillabis per cineres, & ultimò augebis ignem, ita ut transeat aer in suam aquam distillatam: postea frigefacto vase, ille iterum superfunde de nova aqua, de illa quæ transacta fuerit per balneum, ita ut supernatet quatuor digitis: putrefac ut suprà: distillabis deinde per cineres, ut suprà, in idem receptorium, in quod paulo antè alterum animatum spiritum distillasti. Hoc autem magisterium toties iterabis, quoad terra corporis optimè sit exanimata: signum autem eius exanimationis est perfectissimum, si pastum eius terræ laminæ ignitæ superpositum non fumum emittat: si verò emittet, reiterabis magisterium toties, donec nihil fumi emittat. Accipe aquam animalem, & eam septies per cinerem rectifica: mox accipe terram, & eam pone in pilam vitream, quæ parvula sit, & optimè lutata, ad ignem reverberationis, qui non debet esse admodum violentus. Post frigefacto vase, scias pondus terræ prædictæ, ac illi superfunde tertiam partem suæ aquæ, & clauso vase cum suo antenotorio, statue ipsum in balneum, ita ut non attingat aquam, ibique permaneat per tres dies. Deinde amoto antenotorio, & annexo alembico, distilletur per cineres lento igne instar solis humiditas insipida nullius valoris. Iterum postea imbibe, ac iterum putrefacias, ut suprà, & cineres iterum humiditatem exhalabunt insipidam: ac toties prædicto ordine magisterium hoc iterabis, donec terra ebiberit totam suam aquam. Tunc extrahe ipsam è suo vase, & contere, & pone in bociam bene lutatam: statue eam in furno reverberationis, subministrando illi lentum ignem à principio: postea illum augebis tantopere, donec sublimetur. Hunc ignem continuato per viginti quatuor horas, donec totum quod possit sublimetur: ultimò frigefacto vase, extrahe primam materiam, Saturni sulphur, naturæ plantam, sanéque aptam ad lunarem surculum accipiendum, sive inferendum. Accipe igitur vrinale optimè lutatum, inibique constitue dictum sulphur: tunc superinfunde illi de primo oleo lunari guttatim, collocato vase super cineres calidos. Atque hoc modo continuabis, quousque sulfur appareat oleum vel mel fusum super ignem, vel cinerem. Amotum verò ab igne congelabitur. Accipe unam partem hujus materiæ, vel olei, ac proiice super centum partes Saturni, & habebis inde argentum melius minerali. Cæterum eodem modo & ordine poteris opus tuum prosequi super Iovem, sine ulla differentia. Hoc excepto, quod ex Iove elicies majorem utilitatem, cum sit corpus perfectius, & minus corruptum, quàm Saturnus.

Aliud Experimentum. XXI.

Accipe Martem, ac calcinato cum aceto: postea dissolve cum aqua Mercurialis, quam edoctus fuisti in superioribus experimentis: pone in putrefactione per dies octo: deinde remove ab eo aquam per balneum: corpus autem remanebit in vase tanquam mel fusum: super quod repone tantum de sua aqua nuper distillata, ut supernatet tribus digitis, & clauso vase cum suo antenotorio, putrefacito per viginti quatuor horas, deinde distillabis per cineres ab initio igne levi: ultimò augebis ignem, atque etiam aer transmutatur in suam aquam, atque iterum vehementiore igne distillabis, ut ignis quoque transeat in suâ aquam cũ suo aere. Hinc frigefacto vase iterum remanenti materia eadem mensura infunde de aqua distillata per balneum, & clauso vase cum suo antenotorio, iterum ut suprà putrefac: demum per cineres ut suprà distillabis, vacuando aerem & ignem eodem ordine & gradu ignis, ut suprà. Hoc autem magisterium toties iterabis, donec terram exanimatam habueris, de qua si modicum laminæ ignitæ impones, non emittet fumum, quod est signum perfectæ exanimationis. Tum temporis accipe ipsam terram, & pone in parvam pilam vitream, luto munitam ad ignem reverberationis per viginti quatuor horas. Ignis sit mediocris: quo tempore elapso, frigescat vas. Accipe aquam animatam, spiritu eiusdem corporis eam rectifica septies per cineres: scias pondus prædictæ calcinatæ terræ, & redde illi tertiam partem suæ aquæ, ac in vrinali cum suo antenotorio clauso digeras in balneo, ita ut non attingat ipsam aquam: permaneat per tres dies naturales: mox per cineres distillando evacuabis parvam humiditatem insipidam. Atque hoc opus continuabis, quousque terra secum reassumpserit totam aquam. Tunc accipe hanc terram vivificatam, ac contere, & pone in bociam parvam, luto circumtectam inter cineres, cujus os obturatum sit stupatio bombicino, ac illi à principio subministrabis ignem levissimum, augendo vicissim ignem, donec terra sublimetur: quæ sublimatio erit prima materies Martis, ac terra foliata, ac planta sanè idonea ad exequendum, & inferendum in se surculum solarem. Quam terram pone in vrinali quod sit obtectum luto sapientiæ, ac guttatim illi superfunde paulatim de oleo inceративo solis, quod habuisti in suo experimento, quam cerationem continuabis, quousque sulphur appareat tanquam mel fusum, ac super ignem persistat liquidum. Remotum autem ab igne congeletur: atque hoc pacto Dei optimi maximi favore & auxilio cymbam in portum deduxeris cum evidenti ligno perfectæ cerationis, prout in magisterio requiritur. Cæterùm accipe partem unam hujus medicinæ, ac proiice super bis centum partes Mercurii, vel ipsius Martis, & habebis inde aurum purissimum melius minerali.

Experimentum XXII.

Eodem ordine ac magisterio prosequi poteris opus tuum super Venerem, sine ullo discrimine, vel differentia: propterea prolixitatis vitandæ causa, calcinato Venerem per se ad ignem reverberationis, velut sit æs ustum. Quod reliquum est, solve cum Mercuriali aqua, ut suprà, prosequens eadem digestiones, equidem exanimationes, & reductiones, ac eamdem inceratioñem, ut suprà, cum oleo solis quædam in Marte operatus es: cujus proiectionem facias super Mercurium, vel super eandem Venerem, cum una parte medicinæ super bis centum partes Veneris vel Mercurii, & habebis quod optaveris aurum purissimum.

Experimentum. XXIII.

Nunc de alio, quod est de omnibus metallis imperfectis, simul conjunctis. Recipe igitur Saturnum, ac ipsum calcinato ac dissolvito, ut suprà te docuimus in suo proprio experimento. Atque hoc idem facito

de Iove

de Iove per se separatim calcinando, & dissolvendo. Sic etiam de Marte & Venere singulis per se separatim calcinatis ac dissolutis, prout superius habuisti de singulis singula experimenta: singulas postea dissolutiones putrefacias separatim. Mox singula eorum corpora exanimabis per se separatim, ut suprà: cum verò terræ eorum exanimatæ fuerint, ita ut suprà candentem laminam non fument: tunc accipe omnes illas terras exanimatas, & per se omnes separatim contere in mortario vitreo cum pistillo, contritas simul postea omnes mitte in parvulam pilam vitream, luto sapientiæ circumtectam: mox constitue ad ignem reverberationis, qui sit mediocris, per 24. horas. Quo facto, accipe iterum illas terras, ac in eodem mortario vitreo & pistillo cótere. Iterum materiam contritam in urinale vitreum constitue: sed prius scias quanti sit ponderis. Accipe aquas Iovis, & Saturni, easque prius separatim rectificabis per cineres: mox constitue eas simul conjungendo, atque hac aqua commixta imbibe terram corporum prædictorum, reddendo illi tertiam partem ponderis terræ, postea digere per tres vel quatuor dies naturales in balneo, ita ut non attingat aquam. Postea amoto antenotorio, per cineres distillabis inde paucam humiditatem insipidam. Iterum secundò imbibe ut suprà: eodem pondere: ac ut suprà digere, & per cineres ut suprà humiditatem insipidam exhalare facies distillando. Itera toties eandem operationem, donec terra totam aquam Saturni & Iovis ebiberit. His omnibus peractis, accipe terram ipsam, & contere, & in parva bocia constitue ad ignem cinerum, ut sublimetur subministrando à principio ignem levissimum. Deinde augebis ignem sublimationis, ac spatio viginti quatuor horarum sublimabitur: accipe sublimationem, ac pone in urinali, cui annexum sit antenotorium, ac servabis intra cineres tepidos. Cæterùm accipe aquas Martis, & Veneris, eas separatim rectificabis per cineres. Illam verò terrestreitatem quæ manet in fundo, cave ne vilipendas: est enim ignis corporum. Ac perinde eam septies rectificabis, singulis distillationibus aquam distillatam superinfunde illi terrestreitati, ut ipsa aqua assumat partem igneam, sive tincturam, ac ipsa terrestreitas cum aqua pariter transeat in recipientem. His ergo aquis seorsim rectificatis, eas protinus simul commisce, & conjunge postea accipe sulphur, quod superius intra cineres calidos servasti, & scias quanti sit ponderis, ac illi superinfunde tertiam partem prædictæ aquæ compositæ Martis & Veneris rectificatæ, & connexo vase cum suo antenotorio, per balneum prius digere ut suprà, per tres dies. Deinde per cineres distillando humiditatem insipidam exhalabis ut suprà: mox à principio eodem pondere ac mensura terram imbibe, ac vicissim putrefacias ut suprà. Tertio humiditatem exhalabis ut suprà, iterando toties magisterium, donec totam istam aquam ebiberit Martis & Veneris. His peractis videbis sulphur ipsum rubeum fuscum participans alicuius viriditatis: prius scias illud fuisse album in superiori sublimatione, ac niveum, nunc autem effectum est rubicundum, accedens ad materiam solis: facta est præterea amicitia & concordia inter illos quatuor planetas, congesta ex eis harmonia mirabili. Atque hoc pacto evacuavimus quatuor cameras. Præterea scias velim carissime fili, nos spatio sex mensium compleviſſe cum voluptate hoc opus, & nostri socij astantes, viso hoc opere, attoniti effecti sunt, admirantes naturæ potentiam. Sed ad rem. Accipe sulphur nostrum supradictum rubeum subviride, & illud cerabis oleo solis guttatim, in urinali quamoptimè lutato, à media parte usque ad infimum, quod vas sit intra cineres calidos coopertum tantum, quantum spatii occupat materia ipsius vasis. Hanc verò cerationem prosequere ipso oleo prædicto solis, quousque sulphur hoc quatuor planetarum in se solis influxum penitus receperit, ac furculus ipsius solis fuerit in hac arbore insertus. Cuius perfectionis signum erit hoc, quòd sulphur hoc erit rubicundum, ac super ignem apparebit tanquam mel fusum, & in forma olei. Remotum autem ab igne, congelabitur, & fier durum. Ecce fili, habes quatuor planetarum harmoniam, de qua proïice unam partem super bis centum partes Saturni, & ipsum transferet in aurum. Sicque eandem proiectionem facias in alia imperfecta metalla, & præcipuè super Mercurium, & Lunam: ex his omnibus poteris habere aurum: pauperum memento, & Deo gratias age.

Aliud Experimentum XXIV.

Accipe Mercurium vulgi, atque illum lavabis cum aceto, postquam eius terrestreitas remota fuerit, transeat per corium camusciæ: deinde illum pone in illa tua vasa, quorum formam superius habuisti. In ipsis ergo vasis Mercurium constitues, ac distillabis toties, donec totus transeat in aquam, ut superius te docui. Deinde accipe uncias quatuor hujus aquæ Mercurialis, & in ea dissolve unciam unam Mercurii vegetabilis secundi experimenti: fac ut transeat per alembicum simul cum prædicta aquæ mercuriali: postea in quaternis quibuscumque unciis ipsius aquæ fac ut dissolvas singulas uncias Mercurii, ut suprà præparati: pone in putrefactione per octo dies: deinde distillabis per cineres: ultimò ignem augebis, ita ut transeat in id, quod distillatum fuerit, in quo solve mediam unciam argenti cupellati: deinde putrefac per tres dies: postea distilla per cineres: ultimò augebis ignem aliquantulum, ut per aeream relolutionem tota claritas transeat, vel albedo ipsius Lunæ in hac tali distillatione: mox dissolve margaritas orientales non perforatas: sed prius eas quàmoptimè triturabis in mortario vitreo, vel porphyrio nitido ac mundo, ita ne amittat claritatem, ob sordes aliquas decidentes in eas: post eas statue in nitidum vitrum, quod sit altum quatuor digitis: postea illis adde dictam aquam Mercurii vulgi acutam cum Mercurio vegetabili, & cum luna. Atq; hac tali aqua ipsæ margaritæ dissolventur: claude vas cũ suo antenotorio, & pone super cineres calidos, ut leviter bulliat, & protinus dissolvetur, & generabunt quandam limositatem, & claritatem, ad similitudinem spumæ candentis, quam cum cochleari vitreo, vel argenteo collige cautè, ac statue in vas vitreum, clausum cum suo antenotorio. Postea corpus quod remanebit liquidum in ipsa aqua quod nullam limositatem emittet: distillabis per balneum, & exibit instrumentalis aqua. At in fundo vasis remanebit quædam massa albissima margaritarum. Postea facias modulum ex argento, qui sit ex utraque parte æqualis formæ rotundæ, & inauratus, in cujus medio sit foramen gracile, instar setæ, vel capilli, vel paulò latius, utrumque libuerit. Accipe postea cochleare parvulum argenteum, atque eo imple medietatem moduli prædictæ massæ margaritarum. Deinde habeas filum argenteum inauratum, vel filum aureum, pro capacitate foraminis. Mox imple alteram medietatem moduli:

deinde

deinde claude, ac permaneat ita, donec materia intus frigefacta sit: postremò aperias modulum, ac ipsa perla manebit cum filo constricta: postea in eodem filo formabis alteram. Atque ita binas constitue, ut desiccentur in ovo philosophico, habente foramen ita ut ipsæ perlæ intromitti possint, ac vicissim extrahi, sine tactu ipsius foraminis ovi: atque ibi permaneant per tres dies naturales in corpore ipsius ovi: cùm verò desiccatæ fuerint statue eas ad solem, rotando in ternas quasque horas cum ipso filo, nihil eas attingens manibus, atque ad solem decoque: cum verò induratæ fuerint. tunc per foramen ovi intromittes earum limositatem cujusque perlę suam partem. Claude foramen plumbo, post pone ad solem, qui calefaciet dictam limositatem, & adhærebit dictis margaritis, & claritatem restituet: postremò eas extrahe, & habebis margaritas orientales, meliores illis, quæ ex oriente exportantur. Cæterùm si optaveris margaritis fusco colore infectis claritatem reddere, eas in suum filum immitte, madefaciendo in prædicta Mercuriali aqua, & protinus eas extrahendo ac desiccando ad umbram, ita denuò illis splendorem reddideris. Ac eadem aqua quascumque gemmas vel lapides volueris conficies, ut Rubinos, Saphiros. Si unum ex multis conficere vis, cum prædicta aqua facilè id efficies: sic etiam de reliquis gemmis pretiosis. Sed de hac in lapidario nostro propedicm edendo latius agemus, forma ovi philosophici.

Experimentum XXV. quod dicitur magnum.

Recipe aquam vitæ summopere acutam: quæ pannum lineum comburat, quam iterum transmitte per alembicum, ut sit perfectè rectificata: mox accipe salem chelidoniæ, salem de sanguine humano, salem de melle extractum, ut habes suprà in suis experimentis: quos omnes sales constitue simul in urinali, & in singulas uncias ipsorum salium superinfunde quaternas uncias aquæ vitæ supradictæ: claude cum suo antenotorio, & pone in balneum per 24. horas: postea amoto antenotorio, & superposito alembico, annexo recipiente juncturis optimè clausis, distillabis per cineres, & transmitte sales cum aqua pariter. Si quid remaneat, iterum illi infunde suam aquam distillatam: cùmque totum fuerit transactum: iterum infunde novum salem, unam scilicet unciam, ac per alembicum, ut suprà, transmitte. Tertiò iterum alteram unciam salis adjunge, ut suprà, & distillabis iterando hoc magisterium ter singulis vicibus novum salem adjungendo, ac distillando. His peractis, aquam hanc pone ad circulandum in vase alto & angusto per 50. dies naturales. Illud tamen adverte, ne vas ullo pacto respiret. Cùm verò ad finem circulationis perveneris, in fundo vasis videbis hypostasin instar urinæ sani viri, quæ erit alba Completa ergo circulatione, aquam evacuando transferas cautè in aliud vas mundum, ac cave, ne cum aqua ὑπόστασις transeat, sed restet in fundo vasis. Claude vas aquæ circulatæ, ne respiret, & in balneo servabis: deinde recipe Lunam eam calcinabis cum Mercurio. Deinde illud præcipuè advertas, ut ex luna calcinata Mercurius totus removeatur: ac eodem modo calcinabis solem cum Mercurio: postea totus Mercurius removeatur ab eo prorsus. Singula hæc duo corpora singulis per se separatim patellis vitreis statue, ac illis singulis per se separatim superinfunde de melle despumato, miscendo optimè calces duorum corporum cum melle super cineres, ut bulliat. Postea aqua distillata calida lavando ab ipsis calcibus mel ipsum removebis, & calces remanebunt in fundo vasis. Post ipsos calces melle iterum commiscebis bulliendo ut suprà, ac cochleari commiscendo, ut suprà: atque hoc pacto ter tuum opus iterabis, tam in calce lunæ, quàm solis. Accipe postea hæc duo corpora calcinata & lota, & constitue in vas solutorium, per se separatim: ac illis superinfunde de menstruo superiori: cœlificato tantum, ut supernatet tribus digitis: claude vas antenotorio juncturis optimè clausis cum cera gummata, ut nullo modo respirare possit: statue illum in balneum per diem naturalem, ut leniter bulliat: postmodum per duos alios dies pone super cineres, sine ut leniter bulliat, ut suprà. Tum partem solis quæ dissoluta fuerit, separatim in aliud vas per se evacuando transferas, quæ solutio coloris erit flavi. Sic etiam dissolutionem lunæ per se separatim elicias, & transfera, in aliud vas proprium, quas dissolutiones singulas singulis in vasis, ut suprà in balneo conservabis, lunæ autem dissolutio erit coloris cœrulei, vel viridis: terram verò tam solis, quàm lunæ insolutam desicca super cineres: quo facto, iterum cuique superinfunde de novo menstruo circulato, & clauso vase antenotorio, ut suprà in balneum collocabis, & leviter bullire facias, ut suprà: postea eandem bullitionem prosequere super cineres: postremò dissolutionem cujusque corporis, ut suprà, decantabis in suum vas transferendo, ubi superiores aliæ dissolutiones servatæ fuerint per se separatim. Hoc autem magisterium toties iterabis, quousque sol totus & luna tota dissolventur. Has verò dissolutiones per se separatim putrefacias spatio 40. dierum: putrefactione facta, singulas dissolutiones singulis urinalibus separatim constitue cum alembicis, & recipientibus obstructis, juncturis quamoptimè clausis: ac in balneo prius distillabis totum menstruum, corpora verò remanebunt in forma olei. Deinde iterum illis superfunde tantum de sua aqua, jam dudum distillata, ut supernatet tribus digitis: claude vas antenotorio, & pone in putrefactione per 24. horas quibus exactis, amove antenotorium, & superpone alembicum cum suo recipiente, & juncturis clausis distillabis lento igne per cineres, Ultimò augebis ignem aliquantulum, ut in aquam transeat aer. Postremò itidem majoris ignis gradu augebis, donec in aerem transcendat ignis. Frigefactis vasis superinfunde iterum remanenti materiæ de nova aqua servata, spiritu animato prius cujusque corporis in suo recipiente benè clauso, ne respiret: claude iterum urinale cum antenotorio, putrefaciendo ut suprà. Ac postremò per cineres distillabis, ut suprà. Ultimò ut suprà ignem augebis: sic magisterium iterabis toties, quousque utraque corpora solis & lunæ separatim per aeream revolutionem transmittantur per alembicum. Quòd si tota hæc corpora non transibunt per distillationem, parum quidem remanebit, quod servato pro reliquis experimentis. Cæterùm accipe ipsum spiritum animatum solis: illum rectifica per se sæpius per cineres: sed cave ne quicquam removeas de terrestreitatibus, quæ singulis rectificationibus remanebunt in fundo vasis. Imo potius semper super easdem fæces distillatam aquam reducito, quousque ad plenum septies peregeris opus. Eundem autem ordinem servato in rectifi-

catione aquæ lunatæ, animatæ ſuperius ſervatæ His denuò peractis, conjunge has duas aquas inter ſe invicem, quæ conjunctio dicitur patris & matris, maſculi & fœminæ, viri & mulieris. Atque ſic habebis majus menſtruum animale, & vegetabile ſimul injunctum. Ac tria hæc in unam ſubſtantiam redacta, quod quidem in vaſe firmiter clauſo, ita, ne reſpiret, per 60. dies circulabis: peracta circulatione, habebis majus menſtruum, deductum in actum, cujus tanta eſt potentia, ut nullo ſermone poſſit efferri. Hoc ergo eſt menſtruum illud admirabile, quod corpora cuncta diſſolvit, cum conſervatione formæ vegetativę, & permutativæ. Hoc, inquam, eſt illud menſtruum in ſe tantum odoris & fragrantiæ continens, ut nihil conferri poſſit. Hoc denique eſt menſtruum reſolubile, quod innumeris penè nominibus appellarunt ſapientes, acetum acerrimum, quod aurum convertit in ſpiritum. Hæc eſt aqua ſicca, aqua ſolis, & aqua vitæ. Sed ad rem. Accipe tres uncias ſolis, quem calcinabis ut ſuprà, & diſſolve ut ſuprà. Deinde removebis ab eo aquam ut ſuprà per balneum. Sed adverte, quòd hæc diſſolutio fieri debet in eodem menſtruo, quod fuit ſuprà diſtillatum, & acutum cum tribus ſalibus. Remota igitur humiditate per balneum, ſive aqua, tunc protinus projice hoc menſtruum majus pretioſum ſuperius, ut ſupernatet tribus digitis, & ſuperpoſito antenotorio, juncturis optimè clauſis, pone ſuper cineres ad ignem levem inſtar ſolis. Tunc evacuabis diſſolutionem transferendo in aliud vas, quàm optimè clauſum ſervato. Tunc remanenti materiæ ſuperinfunde totum illud, quod reliquum eſt menſtrui majoris, claudendo protinus vas cum ſuo antenotorio, & protinus ſol totus diſſolvetur. Quo diſſoluto, illud transferas evacuando in illud idem vas, ubi alteram diſſolutionem ſervaſti. Hæc autem diſſolutio erit rubicunda tanquam rubinus vel tanquam carbunculus. Tunc ipſam diſſolutionem circulabis in balneo per 20. dies, ac poſtea per 20. alios dies circulabis per cineres: tunc videbis in fundo gummi quoddam ad ſimilitudinem carbunculi. Aqua autem circumfuſa remanebit in albo colore, quam cautè evacuabis, ne gummi divellatur, quæ erit fluens ac tingens, & diſſolvetur in omni aqua. Hocque eſt verum aurum potabile, quod in hominibus, radicale humidum conſervat, removet canitiem, nigros facit crines, omnes morbos curat præter phthiſicos, hydropicos, leproſos, ſi tantum quantum granum milii diſſolveris in cœlo & ægrotanti jejuno ſtomacho propinaveris. Ne tamen exiſtimes, carere illud vi tranſmutandi omnia metalla. Quin potius ſi ex eo unam partem ſuper bis centum partes argenti projeceris, totum convertet in aurum. Item ſi cum una parte ejuſdem medicinæ conjunxeris ſeptingentas partes Mercurii, in aliqua pila ſuper cineres, ſpatio quindecim dierum totum tranſmutabitur in aurum, melius minerali. Poſſet etiam fieri projectio hujus in alia metalla: ſed maluimus, ut hæc medicina ſubveniat ægrotantibus. Memento pauperum, ne des tyrannis, & impiis. Age Deo gratias.

Aliud Experimentum XXVI.

Accipe aquam vitæ ardentem, ita ut comburat lineum pannum: poſtea accipe vitriolum, remotum ab omni phlegmate, ita ut ſuper ignem bulliat ſine liquefactione. Salem nitri optimum, alumen rochæ dephlegmatum, & deſiccatum, omnium prædictorum libram unam. Poſt accipe tartari albi calcinâti, cinnabrii autem ana mediam libram: ſingula quęque conteras & tranſmitte per cribrum: poſtea commiſce, & pone intra ſtortam, & ſuperinfunde aquam vitæ prædictam: annecte receptaculum juncturis optime clauſis, luto prius optimè deſiccato. Receptorium debet eſſe magnum, ita ut ſunt ea, quibus communiter diſtillantur aquæ fortes: luto autem deſiccato, ſubminiſtrabis ignem à principio levem, donec ſtorta caleſiat: proſequere poſtea diſtillationem hac menſura ut inter ſtillantis aquæ guttam, uſque ad alteram, quæ ſequitur, interponantur decem momenta, ſive prolationes decem nominum, ſive decem puncta. Cum autem tali gradu ignis non diſtillaverit amplius, augebis ignem, ita ut revertatur iterum diſtillatio ad eoſdem decem ab initio. Atque hunc gradum continuabis, quouſque iterum creſcet diſtillatio: ac ultimò de lignis augebis ignem, cooperiens undique ſtortam lateribus ſuperius, ut reverberationis ignem habeat. Illud autem attende, quòd ipſa ſtorta prius debet undique forti luto communiri à principio antequam hæc diſtillatio inchoetur, & cum fit diſtillatio, debet intra furnellum collo aperto coaptari. Cæterum illud eſſet optimum, & utiliſſimum in hoc opere, ſi receptaculum hujus aquæ diſtillantis aptaretur intra concham plenam aqua frigida. Quod ſi fieri commodum non eſſet, ſaltem ſuper recipientem iterum atque iterum panni linei aqua madefacti ſæpius ponantur, ut ipſum receptaculum violentia ſpirituum non frangatur: quæ omnia diligenter attende. Peracta diſtillatione frigeſcant vaſa, & receptaculum cum aqua ſervabis firmiter occluſum: poſtea habeas eadem mineralia deſiccata, & præparata, ut ſupra, eodem ordine & menſura, quæ contrita pone in ſtorta, ut prius, ac illi ſuperinfunde aquam paulò ante diſtillatam: ac protinus annecte receptaculum juncturis quamoptimè clauſis, ut ſuprà, & luto prius deſiccato, ut ſuprà, ſubminiſtrabis ignem, ut ſuprà: completa diſtillatione iterum accipe eodem pondere nova materiala, ac iterum ut ſuprà cum ſua aqua intra ſtortam collocabis, & diſtillabis ut ſuprà iiſdem gradibus ignis. Quibus peractis frigefacto vaſe, amove recipientem ac cum ſua aqua diſtillata firmiter clauſum diligentiſſimè ſervabis. Habebis enim aquam mineralem phyſicam, ſive menſtruum fœtens cum ſua forma. Hæc aqua poteſtatem habet calcinandi, ac eodem tempore ſolvendi omnia metalla, cum conſervatione formæ vegetativæ. Hic nos plurima experimenta vidimus & fecimus, de quibus aliquot in medium proferemus.

Experimentum Primum cum aqua iſta: ordine verò eſt XXVII.

Accipe in nomine Domini unciam hujus aquæ ſupradictæ, ac unam unciam Lunæ tenuiter laminatæ, ac pone in vaſe ſolutorio quamoptimè lutato, bulliat in cinere bene clauſum, ita ut tota Luna diſſolvatur: diſſolutionem evacuabis, tranſferendo eam in urinale parvum, & protinus appoſito alembico, transfetas aquam per balneum. Accipe poſtea de ſale urinæ volatili, prout habes ſuperius in ſuo experimento, & in unaquaque uncia prædictæ diſſolutionis lunæ pone ſex uncias ſalis, claude vas antenotorio, & pone ſuper cineres,

res, & totus sal dissolvetur. Quod dissoluto, amoto antenotorio, superponas alembicum, & sinas exhalare illam aquam in aliud receptaculum. Materia autem remanebit in fundo, ad similitudinem olei. Accipe Mercurii sublimati septies partes tres, & unam partem terræ præparatæ de urina, videlicet de illa terra urinæ, quam superius tibi dixi esse terram fixam, & instar ceræ fluentem in suo proprio experimento. Contere igitur sublimatum pariter ac ipsam terram, ita ut videatur esse eadem materia: postea pone in prædicto oleo, & apposito vasi alembico cum recipiente clauso submini-trabis ignem cinerum, si qua pars aquæ forte-sis exiret. Ultimò dabis ignem sublimationis, & quod sublimatum fuerit, contere, ac commisce iterum cum materia, quæ in fundo remansit, reponendo totum illud in vase prædicto, super quam materiam infunde distillatam aquàm. Atque hoc pacto iterabis magisterium, donec totum in fundo remaneat, nec quicquam amplius sublimetur, sed sit in forma olei. Frigefacto vase, illud oleum congelatum & durum accipe, & tere, & pone in parvam pilam vitream. Quòd si dicta medicina erit uncia una, illi superpone triginta uncias argenti vivi: os autem pilæ obstrue cum stupatio bombicino, pone vas in cineres calidos, sub ministrans illi ignem per quatuor dies levissimum: postea per alios quatuor dies ad ministrabis ignem fortiorem: ultimò ignem fortissimum usque ad quindecim vel sexdecim dies, quousque videris intra vas Mercurium congelari in quandam massam, vel pulverem: postremò illius reductionem facies vel per cinericium, vel per copellam, & unaquæque uncia Mercurii requirit unciam unam plumbi in ipsa reductione: sic habebis argentum de copella.

Experimentum XXVIII.

Accipe Lunam, atque illam ut in superiori experimento fecimus, cum eadem aqua deducito in aquam. Mox per balneum aquam ab ipsa luna separabis: postea illi adjunge de sale urinæ volatili tantam quantitatem, ut totum ipsum corpus dissolvat: quod cum fuerit dissolutum, pone in putrefactione per octo dies: postea per cineres distillabis: ultimò augebis ignem sublimationis, & de eo parum quidem sublimabitur: quod sublimatum conjunge cum parte quæ transacta fuerit per alembicum: postea iterum infunde eandem aquam distillatam, atque ea dissolvetur in colorem viridem, vel cœlestinum: atque iterum distilla, ut suprà. Hoc autem modo septies magisterium iterabis, reducendo semper aquam super terram, ac vicissim distillando: ac ultimò in singulis distillationibus ignem augendo. Completa septima distillatione, servabis id quod transactum fuerit, & accipe terram, & scias pondus quantum sit: postea habeas tantum de stanno optimo cornallio, ac tantundem argenti de copella: tunde simul hæc duo corpora invicem commixta: de qua compositione accipe unciam unam, & uncias tres Mercurii bene purgati: fac amalgama, quod conjunge cum una uncia prædictæ terræ. Deinde illi redde suam caudam scilicet aquam translatam septies superius per alembicum. Illud tamen adverte, quòd in singulis imbibitionibus debes ponere super tres partes dictæ materiæ, sive amalgamæ unam partem tantummodo ipsius aquæ, & post imbibitionem claude vas cum suo antenotorio, & constitue super cineres per duodecim horas: postea amoto antenotorio, & superposito alembico, sinas exhalare humiditatem: deinde dabis ignem sublimationis: atque iterum contere quod sublimatum fuerit cum materia in fundo remanente, ac repone in suo vase: mox iterum ut supra imbibe, deinde per cineres digere: postremò per distillationem humiditatem exhalabis, ut suprà, ac fortiori igne sublimabis, ut suprà. Quod magisterium toties iterabis, quoad totam suam caudam sive aquam ebiberit: sic habebis in fundo vasis materiam fixam ac fluentem ac tingentem: de qua projice unam partem suprà 50 partes argenti vivi de Jove, & habebis inde Lunam perfectissimam.

Aliud Experimentum XXIX.

Accipe supradictæ aquæ mineralis, ut habes in superiori Experimento, uncias sex vel octo: in ea solve unam vinciam lunæ, quam dissolutionem pone in storta parvulam ad distillandum per cineres: quæ distillatione cessante, augebis ignem quantum possibile fuerit: cùmque hoc gradu ignis nulla humiditas amplius distillaverit, frigefacto vase, accipe aquam distillatam, ubi est anima lunæ, ac benè clausam servabis, ne respiret. Terram autem in fundo vasis remanentem contere, ac scias quanti sit ponderis: in qua ternas uncias argenti vivi adjunge singulas uncias hujus terræ examinatæ, ac pone in pilam parvam obturatam cum bombice. Eam pone in cineribus, ac per duos dies illi sub ministrabis ignem vehementissimum, ac erit totum congelatum ac fixum. Cum hac materia nostri socii conficiebant quandam mineram: tu verò si volueris, cum plumbo hanc materiam in corpus per copellam poteris reducere.

Aliud Experimentum XXX.

Accipe supradictam aquam, in qua habes animam lunæ, ac in ea solve uncias duas, vel unam auri cum dimidia salis fixi urinæ, ut in suo experimento habes: quo soluto, in ea aqua dissolve unciam unam, sic putrefac per octo dies: deinde separabis aquam per balneum: corpus autem remanebit in vase ad similitudinem mellis fusi: supra quam materiam repone de distillata aqua tantum, ut supernatet duobus digitis: claude vas suo antenotorio, ac putrefac in balneo per viginti quatuor horas: postea superposito alembico cum receptaculo junctu-is optimè clausis, distilla per cineres, ultimò augebis ignem maximè, & quod transactum fuerit, servabis optimè clausum: est enim spiritus animatus, anima ipsius auri postea super terram iterum infunde de sua aqua per balneum distillata, ut superuatet duobus digiris, pone in putrefactione, ut suprà. Mox ut suprà per cineres distillabis cum eodem recipiente, ubi alterum spiritum animatum servaveras. Hoc autem magisterium repetes toties, quousque terra sit exanimatà, ita ut fluat ranquam cera sine fumo, & tingat laminam in colore aureo, si super eam ignitam ponatur. Tunc accipe unciam unam auri, & tres uncias Mercurii simul amalgamabis. Deinde accipe terram, & simul cum amalgama triturabis. Hoc autem totum imbibe cum tertia parte aquæ animatæ, claude vas anrenotorio, ac pone in cineribus per duodecim horas: postea superposito alembico, amove inde humiditatem: ac ultimò ignem augebis usque ad sublimationem: quòd verò sublimatum fuerit, cum materia remanente in fundo contere, ac commisce, & iterum imbibe, & super

cineres per duodecim horas pone: poſtea humiditatem remove: ultimò augebis ignem ſublimationis ut ſuprà. Atque hoc opus toties iterabis: donec tota materia remaneat fusa in fundo fluens ac tingens, ac totam ſuam aquam ebiberit. Tunc accipe hujus medicinæ unam partem, ac projice ſuper Mercurii partes in crucibulo: ultimò projice in virgam, & habebis aurum melius minerali. Age Deo gratias, ac memento pauperum.

Aliud Experimentum XXXI.

Accipe aquam fortem, aquam mineralem, vel Mercurialem, ut ſuprà: atque mihi diſſolve in una quaque libra uncias tres de ſale animali præparato, & fixo, prout habes in ſuo experimento. Quo ſoluto, diſſolve ibidem uncias duas auri cementati, ut ſcis: poſtea putrefac per octo dies: mox per balneum diſtillabis. Quod autem in fundo remanebit, erit inſtar mellis fuſi: ſuprà quam materiam iterum infunde de ſua aqua per balneum diſtillata, ita ut ſupernatet duobus digitis: putrefac per diem naturalem: mox amoto antenotorio, ſuperpone alembicum cum recipiente clauſum, ut non reſpiret. Diſtillato per cineres, quouſque amplius non diſtillaverit: ultimò augebis ignem aliquantulum, ut in aquam tranſcendat pars aeris. Tertiò ignem augebis, ut etiam ignis elementum per alembicum tranſeat: cùm autem hoc ultimo ignis gradu nihil diſtillaverit, tunc frigefacto vaſe, ut ſuprà, amotum recipientem cum aqua ſua firmiter diſtillata clauſum ſervabis. Remanenti autem materiæ iterum ſuperfunde aquæ diſtillatæ per balneum tantum, ut ſupernatet duobus digitis, ut ſuprà, ac ſuperpoſito antenotorio, ut prius digeras per balneum, ac amoto antenotorio, & appoſito alembico, iterum per cineres diſtillabis aquam animatam, in illud idem receptaculum, ubi pars altera animati ſpiritus conſervabatur, juncturis optimè clauſis: hocque magiſterium iterabis, quouſque tandem terra corporis nullum amplius liquorem emittat: ita ut ſi de ea modicum quid ſuprà candentem laminam poſueris; fluet ut cera ſine fumo tingens laminam aliquantulum colore aureo. Cæterum accipe terram, & vide quanti ponderis ſit, & ſi erit unius unciæ, pone ſuper eam ſeptem uncias ſublimati Mercurii ſepties: contere ſimul, & miſce alterum cum altero: poſt imbibe cum aqua animata ipſius ſolis, ut ſit aquæ pars una tantum, materiæ autem partes tres: claude vas antenotorio, & digere ſuper cineres viginti quatuor horas: mox amoto antenotorio, & ſuperpoſito alembico remove per cinerem ſuam humiditatem: ultimò augebis ignem uſque ad ſublimationem: quod verò ſublimatum fuerit, iterum cum remanente materia contritum miſce, ac poſitum in ſuo vaſe, iterum imbibe, ut ſuprà, ac ſuprà cineres ut prius digere, ac ab eo humiditatem per cineres itidem removeto, ac ſublimato ut ſuprà: hoc modo magiſterium reiterabis toties, quouſque non amplius ſublimaverit, totámque ſuam aquam animatam ebiberit, de qua materia pars una ſuprà centum Mercurii convenit.

Elixir magnus: Experimentum XXXII.

Sublima quater Mercurium cum vitriolo, & ſal petræ ana: deinde ſolve in aqua forti facta ex ſimilibus totidem, & habebis puriſſimam ſubſtantiam: tunc accipe Jovis & Mercurii ana, & amalgama, & lava quouſque mundetur, tum accipe iſtius amalgamatis & Mercurii ſublimati ana, & ponatur ſuper lapidem, donec ſolvetur: tunc putrefac per 14 dies: deinde diſtilla per balneum, & accipe aquam diſtillatam, ac ſuperinfunde fæcibus, & iterum pone in balneo humido per 14. dies, tum iterum diſtilletur igne cinerum lento, deinde fortiori, uſque ad elevationem ſpirituum, quod pelle igne fortiſſimo, ſicut fieri ſolet in diſtillatione aquæ fortis, donec ſpiritus plenè extrahantur. Iſtud ſerva bene clauſum, & fæces in fundo ne vilipendas, ſed calcina illas, & iterum pone ad putrefaciendum cum aqua ſua ſeparata ab elemento aeris & ignis, quæ aqua rectificetur per ſeptem diſtillationes ſuper dictas fæces calcinatas, & tunc incipiet fortificari, ut poſſit ſolvere ſalem. Iſtam aquam ſic rectificatam ſerva ſeorſim, quia eſt primus gradus, & radix hujus ſecretæ ſolutionis.

Secundus gradus multiplicatur aqua per Mercurium fixum.

Accipe Mercurii ſublimati quantumvis, tere, & imbibe cum aqua Mercurii ana, bene miſcendo in vitro, & ſuperpoſito alembico, pone vitrum ſuper cineres, uſque ad collum alembici, & claude juncturas, & ſerventur ſpiritus ſubtiles, & da ignem lentum per ſex horas: deinde vigora ignem per duas horas: deinde majorem, quouſque aliqua pars aſcendat, & aliqua ſubſidat, tunc frange vitrum, & accipe Mercurium ſublimatum, & cum ſubſidente contere, & iterum imbibe nova aqua Mercurii ana, & ſigilla ut ſuprà, & diſtilla: tunc Mercurius ſublimabitur, ſed in minori quantitate quàm prius, & iſtud reitera quater, vel quouſque tibi Mercurius remaneat totus, fluens ſicut cera. Aqua 1. 2. 3. 4. ab eo diſtillata reſervetur cautè & bene: tum accipe Mercurium, qui in fundo fluxit, tum tere & imbibe cum aqua ab eo diſtillata ſuper vitream tabulam impaſtando, & pone ad ſolvendum in loco humido, & ſolventur in aquam claram & aeream valdè. Hanc aquam diſtilla iterum igne lento firmis clauſuris, ut ſuprà feciſti. Et hæc eſt clavis & radix ſecundi gradus, quia tunc ſolvit Mercurium ſublimatum: inſuper ipſum in infinitum multiplicat, qui eſt ſecundus gradus hujus ſecreti, & ſit hoc modo: Tere Mercurium ſublimatum, & ſuperinfunde ei aquam Mercurii, & in ea cito ſolvetur: tum iterum diſtilla firmis clauſuris, ut ſuprà, & aliqua Mercurii pars aſcendit, alia hypoſtaſin facit, Tunc iterum impone Mercurium, ut prius, & citius diſſolvetur, quàm prius: & iterum diſtilla: fæces verò & reſiduum abjice, quia nihil valet: per hunc modum diſſolutiones augebis in infinitum, & erit adeò fortis & nobilis, qui omnem rem penetrabit, & Mercurium crudum, & omnia corpora diſſolvit in aquam: & tunc eſt perfectiſſimè præparata. Hanc aquam divide, & cum una parte procede ad ejus perfectionem, & aliam partem auge cum Mercurio ſublimato, quoties libuerit. Verùm cum diſſolveris Mercurium, nota hoc pondus. Nam in prima ſolutione pone uncias quinque, cum uno ſcrupulo Mercurii ſublimati, & una libra aquæ Mercurii: ſecundò unciam unam: tertiò unciam 1. S. & ulterius procedendo: donec ita fortificetur, ut diſſolvat Mercurium crudum, ſine aliqua ignitione in materiam, velut aqua fortis: & hoc eſt ſummum ſecretum hujus ſecretiſſimæ ſcientiæ. Tunc accipe calces cujuſcumque

metalli

metalli optimè calcinati, vel sublimati, ut scis, si placet, & pone in phiala, & superfunde de lunaria, quod supernatet duobus digitis, & bulliat super calidos cineres per unum diem. Deinde ponatur in stupha humida, ut melius digeratur per quatuor dies: deinde inclina ampullam, ut cautè possis extrahere aquam, quam separatim serva mundè & cautè: tum superpone de alia aqua in quantitate ut prius bulliendo & infundendo, ut suprà. Et istas operationes iterabis toties, donec corpus totaliter dissolvatur: ac si tibi aqua defecerit, tum accipe cucurbitam, in qua sunt omnes liquefactiones, & superpone alembicum, & distilla per balneum, usque ad duos tertiarios aquæ: & de ista aqua pone super corpus insolutum, donec totaliter sit solutum: omnes verò istæ solutiones teneantur in loco humido, quia melius servantur. Tunc accipe omnes istas aquas, & superposito alembico, distilla totam aquam per balneum: deinde superpone iterum tres partes aquæ Mercurii super ipsam terram, & facta maturatione balnei, distilla igne lento cinerum, usque ad siccitatem: tum iterum superpone de alia nova aqua in simili gradu, & omnes aquas à terra abstractas serva seorsim in ampulla benè obturata, & istas omnes operationes iterare debes, donec terra in pulverem subtilissimum & impalpabilem sit redacta, & sit totaliter exanimata, quod exiccabis: pone modicum de ea bene sicca super carbonem ignitum, & si non fumat, bene est: sin verò, reitera donec ad hoc signum deveniat. Accipe vasa, in quibus sunt omnes liquefactiones, & distilla per balneum, donec videris materiam in fundo in modum mellis: & de aqua ista superfunde medietatem ponderis terræ super ipsam terram, & stet in fimo per octo dies, & invenies materiam valdè humidam: tunc superpone alembicum, desicca igne lento, servando aquam, quæ est gutta: terræ autem cum moderamine exsiccatæ scias pondus, iterato, & redde illi aquam, quæ exuberata est faciendo complementum ad medietatem sui ponderis, & has omnes calcinationes, imbibitiones, & inhumationes reitera, donec terra de tali sua humiditate imbiberit quatuor partes sui ponderis, & super laminam ignitam eliquet. Quod si non eliquat, reitera imbibitiones, & inhumationes, & calcinationes ad signum colliquefactionis in lamina: quo habito, pone super cineres, & da primò lentum ignem, paulatim fortificando, donec materia tota ascendat suprà ad latera vasis: quod cum fuerit sublimatum, dicitur corpus exaltatum in solio mirabili, quod philosophi vocant lapidem, & sulphur naturæ. Illud tamen quod remanet in fundo, dicitur damnata terra, & fæx abjicienda. Tunc accipe salem quem servasti, sive sulphur metalli rubrum, vel album, quem ab ipso extraxisti, secundum quod volueris præparare ad rubrum vel ad album in oleum conversum, sive in aquam solutum, & redde terræ subhumatæ in pluribus vicibus solvendo, inhumando, & desiccando, quousque totum suum aerem ebiberit. Deinde toties sublimato, donec totum in fundo fixum maneat rubrum, sive album, prout fuerit præparatum: tunc rectifica elementum aeris Mercurii per septem distillationes inhumando, donec ad cristallinam serenitatem advenerit, absque fæcibus nisi forte albis. Ignis autem sic rectificatur: tere ipsum, & permitte desiccari ad solem, vel lentum ignem successivè, usque dum ignem calcinatum sustineat, igne tamen moderato, calcinando, donec sit citrini coloris, vel rubini, non nigri: quod si nigri fuerit, mole ipsum, & imbibe, & sicca cum aqua prædicta, quousque ad citrinum colorem deveniat: qui color quanto intensior, tantò melius erit rectificatum. Tunc accipe sulphuris fixi partes quatuor, aeris Mercurii hic superius rectificati partem unam, aquæ Mercurii rectificati partes duas, lunæ calcinatæ & induratæ partes octo, ponantur simul in vase colli longi sigillato sigillo Hermetis ad album.

Ad Rubeum verò.

Accipe sulphuris rubei partes tres cum dimidia, ignis Mercurii superius rectificati partem dimidiam, aeris Mercurii rectificati partem unam, aquæ Mercurii rectificatę partes duas, solis calcinati soluti & indurati partes septem, & simul ponantur in vase colli longi sigillato sigillo Hermetis, & ponatur in igne primi gradus, & ibi stet augendo ignem, quousque nigredo appareat in superficie, quę nigredo perdurat ad 40. dies, & inde post multos & diversos colores efficitur albus quasi pallidus: tum accipe ignem tertii gradus, donec veniat rubeus, & inde citrinus: deinde iterum rubeus: & tum auge ignem quatuor gradus, ut fiat rubicundissimus, in colore papaveris sylvestris, sive vini mali granati: & tam diu talis ignis continuetur, donec calcinetur, & quod prius erat massa, solidè disrumpatur, & fiat pulvis subtilissimus & impalpabilis. Et sic factus est lapis, quem oportet extrahere de vase, si fuerit pulvis subtilissimus, & quasi impalpabilis factus: sin autem reponas ignem, donec ita veniat, tum proba, si funditur sine fumo super laminam ignitam, factum est; sin autem solve cum aqua sua, & congela, & congelatum proba, si funditur aqua: si autem non funditur, tere cum aere suo Mercurii, cum sale Lunæ vel Jovis ad album, & cum sale Solis sive Veneris, vel Martis, vel Saturni ad rubeum, donec fundatur ut cera guttatim: & sic habebis medicinam secundi ordinis. Si verò ad tertium ordinem pervenire volueris, tum pulverem primo solutum ac congelatum imbibe Mercurio sublimato cum fixo, & aqua imbibendo, inhumando & siccando, donec triplum sui cum dicto pulvere maneat: tunc da ignem sublimationis, ita quod totum sublimetur: & si totum prima vice non sublimetur, toties super eum Mercurius non fixus sublimetur, donec totum elevetur, & iterum toties sublimetur, donec totum fixatur: tunc iterum solvatur & congeletur, ut iterum fiat volatile, & volatile fixum: & ultimò iterum solvatur & coaguletur, & ita est medicina in ultimo sublimationis posita, transformans omnia metalla, argentum vivum in lunificum, sine solificum verum & melius quàm de minera: cujus una pars cadet, prout fuerit magis aut minus subtiliter præparatus. Laus Deo, & honor tibi soli Deo.

Aliud Experimentum XXXIII.

Accipe aquam fortem cum sua forma, ut suprà te docui, atque in ea dissolve tres uncias lunæ: postea putrefac per viginti dies: postmodum accipe tres uncias auri, & dissolve in 18. unciis ejusdem aquæ fortis cum sua forma, in qua prius tamen debent dissolvi quatuor unciæ salis fixi urinæ, ut habes in suo experimento: postea putrefac hæc duo corpora per se separatim per viginti dies naturales: postea utrumque per se exanimabis separatim, tam Lunam, quàm Solem, juxta regulam

ſuperiùs tibi traditam. Cùm verò unumquodque per ſe exanimatum fuerit, atque eorum aquæ animatæ per ſe ſeparatim ſervatæ fuerint: nec etiam terra amplius fumum emittat, tum ſignum erit ſolem & lunam pati eclipſin. Contere igitur terram uniuſcujuſque, ac ſimiliter commiſce: deinde pone in parvula pila vitrea forti luto munita ad ignem reverberationis per viginti quatuor horas: poſtmodum extrahe, & redde illi prius aquam lunæ animatam, & rectificatam prius ſepties per cineres. Cùm verò paulatim totam ſuam aquam ebiberit, eodem ordine ut ſuprà habuiſti in aliis experimentis: tunc redde illi aquam ſolis, ſine ulla rectificatione, paulatim juxta ordinem, quem ſervaſti imbibendo ipſam terram cum aqua lunæ: poſtea eam fermentabis hoc modo. Accipe unam partem auri, & tres partes Mercurii, atque unam partem illius medicinæ, quantum ſupple, fiet aurum: pone totum ſimul in vitreo vaſe ſuper cineres calidos, ac brevi convertetur in pulverem, tum eam cerabis cum tertio oleo ſolis. Cum verò totum optimè ceratum fuerit, & redditum in formam olei, projice unam partem de eo ſuper centum Mercurii, totumque converſum erit in medicinam: cujus iterum accipe partem unam, ac projice ſuper 500. partes, Mercurium ipſum convertet in aurum, melius ac purius auro minerali.

Aliud Experimentum, quod eſt Rex aliorum experimentorum XXXIV.

Accipe in nomine Domini aquam vitæ optimam, ac rectificatam, ita ut comburat pannum lineum, prout vidiſti ac ipſe mecum operatus fuiſti, ac proindè non opus eſt ejus aquæ amplius tibi magiſterium tradere. Accipe igitur aquæ vitæ libras quatuor, ac pone in urinali vitreo, quod ſit maximè ſolidum: mox accipe libram ſalis vegetabilis ſublimati ſecundi experimenti, contere ipſum quamoptimè, ac pone in ipſa aqua vitæ, claude fortiter ſuo antenotorio vas ipſum cum cera gummata, ut nullo pacto reſpirare valeat, deinde circum ceram ipſam, ne poſſit liquefieri, appone ſpongiam madefactam: pone poſtmodum in putrefactione per duos dies naturales poſtea amoto antenotorio, ſuperpone alembicum cum ſuo recipiente, juncturis quàm optimè clauſis, ſuper cineres calidos diſtillabis: illud adverte, quòd receptorium debet eſſe prægrande, ac ſolidum, ne potentia ipſius aquæ valeat frangi: atque hoc pacto tuam diſtillationem continuabis lento igne, donec totum per alembicum diſtilletur. Quod ſi in fundo vaſis aliqua pars ſalis remanſerit, ſuperfunde iterum aquam nuper diſtillatam, ac diſtilla ut ſuprà, juncturis optimè clauſis. Hoc pacto toties diſtillationem iterabis, donec ſal totus fuerit per alembicum tranſactus in formam aquæ claræ. Cæterùm alteram libram ſupradicti ſalis pone in urinali, ac illi ſuperfunde eandem aquam diſtillatam: claude vas ſuo antenotorio ut ſuprà, pone in putrefactione ut ſuprà: poſtmodum ut ſuprà diſtillabis. Cum verò ſal totus cum aqua fuerit tranſactus, iterum ut prius accipe de novo ſale vegetabili libram unam, ac ut ſuprà cum aqua diſtillata iterum per alembicum tranſmitte totum: atque hoc pacto habebis quatuor illas libras aquæ vitæ unitas cum tribus libris ipſius ſalis vegetabilis, quod poteſtatem habet diſſolvendi duo luminaria, cæteráque metalla, cum conſervatione vegetativæ formæ. Nunc autem ipſum ſimplex menſtruum in formam cœlicam reducere intendimus. Accipe igitur ipſum ſimplex menſtruum, ac conſtitue ipſum in vaſe vitreo ſolido, cujus partes quatuor vacuæ ſint, quinta verò pars ſit plena: claude vas, ut nullo modo poſſit reſpirare ac pone ad circulandum in fimo, vel balneo per 60. dies naturales. Atque hoc modo habebis menſtruum clarificatum, in quo videbis hypoſtaſin: quare in aliud vas cœlificatum aquam evacuando transferas, & cave ut hypoſtaſis nullo modo cum aqua tranſeat, quam ſervabis benè clauſam in balneo. Præterea accipe unam libram Mercurii vulgaris, qui ſit advectus ex Hiſpania inter pelles ſignatas ſigillo Hiſpanico, ne quid ſophiſticationis contineat: ipſum per camuſciæ pellem tranſmitte: mox aquam accipe Mercurialem, extractam à Mercurio per magiſterum, ut te docuimus in experimento trium vaſorum, ut ſcis: atque ita ſolve hunc Mercurium. Cum autem totus fuerit ſolutus, aufer ab illo aquam per balneum, & remanebit in fundo vaſis Mercurius in forma olei albi. Hoc ergo utemur ad incerandum in noſtrum cœlum, ſicut in noſtrum menſtruum cœlificatum. Accipe igitur quatuor libras menſtrui cœlificati, & unam libram prædicti Mercurii in oleum redacti, ac ſimul invicem conjunge: tum demum incalcinatum menſtruum habebis, quo diſſolves duo luminaria ad conſervationem ſuæ formæ: ac non ſolum eam conſervando, verùm etiam propagando eam in infinitum: accipe uncias tres lunæ, atque uncias tres ſolis: quæ duo ſingula ſeparatim calcinabis, ut habes in ſuperioribus experimentis: videlicet cum Mercurio quem poſtea ex dicto Mercurio exhalare facias. Hæc autem corpora calcinata, ſingula ſeparatim collocabis in ſingulis vaſis ſolutoriis, ſuper ea infunde de menſtruo incalcinato tantum, ut ſupernatet quatuor digitis: claude vas antenotorio, putrefac in balneo per duos dies, ac per duos alios dies inter cineres inſtar caloris ſolaris. Cum verò deſiccatum fuerit, iterum illis ſuperinfunde de menſtruo incalcinato, ut ſuprà: tantum ex clauſo vaſe putrefaciendo ut ſuprà in balneo: poſtmodum ſuper cineres, ac diſſolutiones ſingulas in ſingula vaſa ſua ut ſuprà, evacuando menſtruo, ſi quæ poſt inſoluta remanſerint, ut ſuprà deſiccabis, ac ut ſuprà eam diſſolvas, quouſque totum quod reſtat corporis ſit plenè diſſolutum: ſtatue ambas diſſolutiones in putrefactione, per 20. dies naturales. Facta putrefactione, accipe illas diſſolutiones, & per ſe ſeparatim in ſuo urinali conſtitue cum ſuo recipiente, juncturis optimè clauſis, diſtillabis per balneum aquam utriuſque, in fundo vaſorum remanebunt corpora ad ſimilitudinem mellis fuſi, ſive olei: ſuper ea iterum funde de ſua aqua propria diſtillata per balneum, tantum, ut ſupernatet tribus digitis, ac ſuis antenotoriis utrumque vas occlude, ac repone in putrefactione per diem naturalem: mox remotis antenotoriis, & appoſitis alembicis, juncturis optimè clauſis diſtillando per cineres: ultimò augebis ignem, ut anima ſive elementum aeris tranſeat in ſuam utriuſque aquam diſtillatam, ac demum ignem ultrà quantum fieri poſſit augebis, ut in aerem elementum ignis tranſeat: ſed lunari compoſito non neceſſe eſt rubedo, neque ignis, completa diſtillatione ſine vas frigefieri, & amove ab illis recipientia, quæ ſingula quamoptimè clauſa ſervabis, ne reſpirent, & ſingulis ſingulas ſchedulas, ſive inſcriptiones appone, ne alterum pro altero accipias, cum fuerit opus perſequendi. Cæterùm

ſuper

ſuper terras infunde iterum ut ſuprà de aqua ſua per balneum diſtillata, ac annexo antenotorio; putrefac ut ſuprà: mox per cineres ut ſuprà diſtillabis, utrique vaſi annexo ſuo proprio recipiente, ubi eorum corporum animas conſervaveras: atque hoc pacto magiſterium toties iterabis, donec terræ exanimatæ fuerint, ac radicali humore deſtitutæ. Tunc accipe illas terras, & contere quamoptimè, & ſimul conjunge: poſtmodum eas conſtitue in pila vitrea, ac ſuper cineres calidos conſervato: donec tibi dixero quid ex illis ſit faciendum. Cæterùm accipe ſpiritum animatum Lunæ, atque ipſum per cineres rectificabis: deinde accipe ſpiritum animatum ſolis, atque eodem modo ſepties per cineres rectificabis: limoſitates autem quas emittet ipſe ſpiritus ſolaris in ſingulis rectificationibus ſervabis intra, ut optimè clauſum ſit ignis elementum. His ergo rectificationibus peractis, tum accipe ſpiritum animatum Solis, & ſpiritum animatum Lunæ, & ſimul conjunge: pone poſtmodum eos ad circulandum in vaſe grandi, ſicut illud, quo circulavimus menſtruum ſimplex. Fiat hæc circulatio per 60. dies: quo termino elapſo, habebis verum menſtruum minerale, quo innumerabilia experimenta operari poteris: hoc menſtruo communi illevimus Mercurium coram Rege Partenopeo, ac aliis adſtantibus de numero ſuorum auditorum: de quibus unus credidit ſe percipere hoc arcanum, nemo tamen ipſorum potuit hoc arcanum deprehendere, præter majeſtatem Regis. Jam hoc reliquum eſt, ut philoſophicam arborem proſequamur, cum omnibus ſuis ramis. Peracta igitur ſuprà ſcripta circulatione, accipe tres uncias auri cementati: illud calcinabis, ac diſſolves menſtruo ſimplici, & inde ab eo remove aquam per balneum, materia tibi remanebit in forma olei: pone illud in vaſe ſolutorio, quod ſit altum: deinde illi adjunge tantum de menſtruo compoſito, ut ſupernatet ſex digitis: claude vas antenotorio, juncturis optimè clauſis, ac illud conſtitue in balneo per diem naturalem. Poſtea in aliud vas diſſolutum evacuabis, iterum illi ſuperfunde de novo menſtruo compoſito ut ſuprà, quod fuerit diſſolutum: hoc autem magiſterium iterabis, quoad totum corpus fuerit diſſolutum, ac cum ſuo menſtruo conjunctum: tum iterum hoc compoſitum putrefacito per 61. dies, quibus elapſis, pone materiam in urinali, vel duobus urinalibus, vel etiam tribus: hoc fit, ne quid periculi accidat ſingulis urinalibus ſuos alembicos appone cum ſingulis recipientibus, ac etiam juncturis optimè clauſis diſtilla per balneum: corpus autem tibi remanebit tanquam rubinus, ac ferè nigrum præ nimio colore: ſuprà quod repone tantum de ſua aqua nuper diſtillata, ut ſupernatet duobus digitis: mox appoſito antenotorio, ſterne vas in balneo per duos dies naturales. Deinde amoto antenotorio, & appoſito alembico diſtillabis per cineres, juncturis optimè clauſis. Cùm verò diſtillata fuerit aqua, augeto ignem, ut tranſeat aër. Tertiò iterum ignem augebis, ut in ſuum aërem tranſcendat elementum ignis: alterum enim ad ſe alterum trahit: poſtremò frigefactis vaſis, ſervabis aquas pretioſiſſimas animatas, infinitos theſauros, oleum, & unguenta Philoſophorum: poſtmodum ſuper ipſas terras, iterum pone de aqua per balneum diſtillata, & clauſis iterum vaſis antenotorio, conſtitue iterum ut ſuprà in putrefactione, ac per cineres, ut ſuprà iterum diſtillabis, augendo ignem gradatim, ut ſuprà: atque ad magiſterium iterabis vigeſies. Quòd ſi forte inſtrumentalis aqua tibi deeſſet ad complendas perfectas aſſationes: accipe omnes diſtillationes, quas per cineres peregiſti, ac per balneum diſtilla aquæ tantam quantitatem, ut ſatis ſit ad complendas reliquas diſtillationes: atque hoc pacto auxilio Dei Optimi habebis unius terræ elementum: illud auge cum illa terra, quæ nobis remanſit, cùm magnum menſtruum peregimus quam tibi pila vitrea ſervandam ſuper cineres calidos juſſimus. Poſtea accipe aquam, aërem, & igem, quæ tria ſunt ſimul commixta in ipſa aqua, ac jam duodecies per cineres rectificabis: omnes autem limoſitates, quas ſingulis rectificationibus emittet, ſervabis cum igneo elemento, quod tibi ſervandum juſſimus cum rectificaſti ſuperiùs, cùm majus menſtruum compoſuimus. Nunc autem tibi neceſſe eſt aëris elementum ab aqua ſeparare. Accipe igitur aquam duodecies rectificatam per cineres, atque inde ex quatuor partibus tantummodo ſeparabis, quas ſervabis pro vivificatione terræ: quod autem remanebit in urinali, eo utemur ad calcinandum ignem, quo erit opus ad rubificandum regem noſtrum, atque cum rubro diademate coronandum. Accipe ignem, quem ſervaſti, ac pone in urinali, ſuperinfundens tantùm de aëre ſuo, ut ſupernatet duobus digitis: pone vas clauſum antenotorio intra balneum per 24. horas: mox amoto antenotorio, diſtillabis per cineres: ultimò ignem fortiter augmentabis, ut anima ignis tranſeat in ſuum aërem. ut ſuprà, infundas, ac putrefacias ut ſuprà: poſtea per cineres ut ſuprà diſtillabis: hoc modò magiſterium duodecies reiterabis: tunc enim habebis ignem calcinatum, atque ab eo tincturam ſeparabis. Ignem verò calcinatum in vaſe remanentem, junge cum ſua terra, quam ſuperius ſervaſti: ſervabis etiam aërem, cum tinctura ſui ignis, qua utimur ad rubificationem primæ materiæ ſive ſulphuris. Nunc accipe terram, quam ſervaſti in pila vitrea, quam fortiter luto ſapientiæ oblinas, atque ejus os nereſpiret, quamoptimè obturabis: ſed ſatis etiam ipſum vas Hermetis ſigillo claudere, pone ad ignem reverberationis lentum per 24. horas: quibus elapſis, ſine ut vas frigeſcat. Accipe ipſam terram, & ſcias quanti ſit ponderis: pone ipſum in urinali, cui ſuperinfunde octavam partem ſuæ aquæ, quam pro vivificatione terræ ſuperius reſervaſti: claude ipſum vas ſuo antenotorio, ac pone in balneo, ita ut aquam non attingat, ſed in ſuo tantùm vapore permaneat: hoc pacto ſtet ibi per quatuor, vel ad ſummum per ſex dies. Tunc amoto antenotorio, ac ſuperpoſito alembico, diſtillando exhalabis per cineres inde quandam humiditatem inſipidam, nullius valoris. Quo facto iterum ſuper aquæ ſexta parte imbibe terram, & clauſo vaſe cum ſuo antenotorio ut ſuprà, putrefacito per balneum ut ſuprà, poſtmodum per cineres humiditatem ut ſuprà exhalabis. Hinc poſtea cum quinta parte aquæ ſuam terram imbibe, clauſo vaſe in balneo putrefac ut ſuprà: denique ut ſuprà per cineres humiditatem exhalabis: poſtmodum cum quarta parte ſuæ aquæ imbibe, ac proſequere reliquas imbibitiones, putrefactiones, & exhalationes cum quarta parte, quouſque terra ebiberit totam ſuam aquam: tum eam extrahe ex ſuo vaſe, ac triturabis: poſtea colloca ipſam in bocia parvula luto ſapientiæ oblita quamoptimè, ita, ut quatuor partes vaſis vacuæ ſint quinta verò pars plena: ipſum vas pone intra ollam, inter cineres, quæ olla valeat tolerare ignem, os autem bociæ obturetur ſtupatio bombicis, & ſuper-

poſito etiam parvulo alembico, dabis illi à principio ignem lentum, ita ut bocia caleſiat ſine violentia ignis : deinde ſubminiſtrabis ignem ſublimationis vehementiorem : cùm inceperit ſublimari eundem gradum ignis continuabis, uſque ad 26. horam : tum frigefacto vaſe, extrahe ipſam materiam ſuperius ſublimatam, ac ſeparato à damnata terra, quæ ſublimatio erit alba ut nix : erit etiam ſimilis foliis talci, vel inſtar ſquamarum piſcis, hoc autem, quod ſublimatum fuerit, pone in vaſe alto & anguſto, cui redde elementum ignis diſſoluti in ſuo aëre, videlicet quartam partem ponderis ipſius ſublimati : claude vas cum ſuo antenotorio : mox digere per cineres ſpatio duorum dierum : deinde amoto antenotorio, & appoſito alembico, diſtillabis humiditatem, ſi qua fortaſſis humiditas meſſet. Cum verò videris materiam bene deſiccatam, eam iterum imbibe cum quarta parte ſui ponderis, ut ſuprà, ejuſdem aëris, appoſito antenotorio ut ſuprà digere, ac poſtmodum ut ſuprà humiditatem exhalabis : toties hoc magiſterium iterabis, donec terra totum aërem ebibit, mixtum cum ſuo igne : tunc autem materia remanebit rubea, ut nitidus rubinus : tum ergo ipſa materia fermentanda eſt, ut in quantitate augeſcat, & facilius figatur. Accipe igitur tres uncias Mercurii, & unam ſolis optimè cementati, facias inde amalgama : mox accipe unciam unam dictæ materiæ rubificatæ : ac pone ſimul totum commixtum in vaſe alio duabus palmis, & anguſto collo, ita ut intra capiat digitum auricularem : pone inibi medicinam : mox inclinato vaſe, aliquantulum intromitte amalgama Mercurii, & cave ne amalgama deorſum deſcendens vas frangat. Deinde appoſito antenotorio, pone vas in tripode arcanorum, ac ſubminiſtra ignem quatuor filorum : ac cum primum ſentiet calorem, amalgama cum Mercurio & auro, in pulverem rubicundum ut rubinus convertetur : tum eundem ignem continuabis in illa nutritione per triginta dies naturales. Nam acquiret maximam ignitionem, & virtus ejus maximè augmentabitur. At, Fili chariſſime, ſcias quod ſi per integrum annum permanet in ipſo igne, nihil tamen illi nocumenti adferre poſſit. Hæc enim eſt Salamandra noſtra, quæ aliis innumerabilibus modis nuncupatur, quæ brevitatis cauſa prætermittimus. Tranſacto igitur termino 30 dierum, tum accipe de tertio oleo quod te docuimus noſtro experimento, quod ſervit inceration i (quanquam hæc medicina parum incerationis indigeat) hoc tamen oleum applicamus, ut facilius fixatur. Accipe igitur electum oleum, ac guttatim infunde ſuper Regem, vel ipſam Salamandram in eodem igne : cùm verò videbitur tibi Rex ipſe converſus fuiſſe in oleum, non amplius illi de oleo dabis : tunc frigefacto vaſe in Lapidem congelabitur nitentem ut rubinus. Tunc accipe de menſtruo majori, ſive de menſtruo compoſito, quod idem eſt, ut te docui in hoc Tractatu, & ſuper ipſum Regem de ipſo menſtruo infunde tantam quantitatem, ut ſupernatet 4. digitis, ac protinus claude cum ſuo antenotorio : poſtmodum pone in balneo, & diſſolvetur totus rex in aquam, quæ erit rubicunda, ac nitens tanquam rubinus, vel tanquam ſanguis hirci : facta diſſolutione, ſtatue ſuper cineres per 2. dies, qui eſt ignis alterationis, deinde amoto antenotorio, ſuperpone alembicum, ac diſtillato per balneum igne lento inſtar Solis, ut tota virtus ac ſubſtantia ipſius menſtrui cum rege conjungatur, aqua autem diſtillabitur albi coloris, ac omnem ferè ſuam vim amiſerit. Cùm autem totus ipſe rex congelatus fuerit, tunc amoto alembico, & appoſito antenotorio, conſtitue vas in tripode arcanorum, & inibi permaneat in igne per octo dies filorum ſex : tum frigefacto vaſe, invenies regem durum, & rubicundiorem quàm eſſet antea : cui iterum ſuperfunde de novo menſtruo majori, ſive compoſito, ut ſupernatet quatuor digitis : claude iterum vas ſuo antenotorio, ac ſtatue in balneo ut ſuprà, ac protinus diſſolvetur in aquam : remove per balneum igne lento, ut ſuprà : poſtmodum ut ſuprà, in igne alterationis : ultimo in tripode arcanorum, ut ſuprà : atque hoc pacto quater iterabis hanc diſſolutionem, & congelationem ſemper cum novo menſtruo majori. Illud tamen adverte, quòd quarta operatione non amplius poterit congelari, ſed in forma olei permanebit. Nunc autem, Fili chariſſime, hoc reliquum eſt, ut mirabilem hujus Lapidis projectionem diſcutiamus : cujus tanta virtus eſt, ut ſi mare totum eſſet argentum vivum, penè crederem hac mirabili medicina congelatum iri. Quod cum videris, ne credas velim hoc magicis carminibus fieri. Eſt enim hæc vis naturæ, cujus exemplum adferri poſſit de pane : cujus fermenti unica libra centies mille millies panificæ maſſæ fermentare, ac augmentare poterit : idque multò efficacius fieri poteſt hac noſtra medicina : cujus potentiam cum nos probavimus, pene impoſſibile nobis videbatur, converti amplius poſſe in metallum, cùm in omni projectione nobis pulverem generaret ex omni corpore, ac ſemper nobis illæſa ſine virtutis diminutione remanere videretur. Atque noſtrorum ſociorum aliquis murmurabat, dicens, nos huic medicinæ nimis ſubtiliter tantam vehementiam tribuiſſe. Tandem auxilio Dei medicinam ſupra tantam quantitatem corporum projecimus, ut vix demum firmata fuerit ignea vix ejus, ac corpus ſuprà quod projectio facta fuerat, tandem in aurum converſum fuerit, purius ac melius auro minerali. Quare, Fili chariſſime, de iſtis omnibus viſum eſt te eſſe commonefaciendum, ut ſi fortè divino numine vos ad hoc idem experimentum deveniatis, ne hoc ſignum medicinæ vos in deſperationem inducat æternam Jam ad ipſam projectionem deveniamus. Accipe de pretioſa illa medicina ad quantitatem unius piſi, ac projice ſuper mille uncias argenti vivi, ac protinus totum converteretur in medicinam, ſive in pulverem rubicundiſſimum. Deinde accipies hujus pulveris rubicundiſſimi, ac congelati unciam unam, ac iterum projice ſuper mille alias uncias argenti vivi, ac protinus totum in medicinam converteretur : poſtmodum accipe unam unciam hujus ultimæ congelationis ac projice ſuper alias mille uncias argenti vivi, & ut ſuprà convertetur in medicinam : cujus accipe tandem alteram unciam, ac projice ſuper decem millia, ac totum in aurum converteretur, melius omni minerali. Illud etiam animadverte, quòd ſi nimium rubedinis haberet, debes illi de argento adjungere, vel de argento vivo, ut debito colore perſiſtat. Sed quis quæſo numerum unciarum ac hujus medicinæ potentiam valeat enumerare, quod nos experti ſumus ? Ergo & alij ſocij mei proſtrati in terram, aliquantiſper mente ſublevati Deum oravimus : mox erecti ſimul omnes hilari voce pſallentes, decantare cœpimus : Te Deum laudamus, gratias agentes Deo Optimo Maximo, quòd hoc munere ampliſſimo donarit nos. Nunc autem, Fili chariſſime, hoc præceptum tibi præbemus, ne totius medicinæ hujus eodem

tempore

tempore projectionem facias : nunquàm enim posses ejus ignis vim & potentiam extinguere : atque hoc etiam reddit vitrum malleabile. Tu autem cave tibi à magnis Dominis ac Principibus, quibus si hoc arcanum innotesceret, maximum tibi periculum immineret. Plurima alia experimenta prætermisimus, quæ huic proposito minimè faciunt, ne & Fili in his frustra labores. Hæc autem experimenta veluti flosculos quosdam veriores ac digniores posuimus, ut iis optatum finem posses adipisci. Vos autem fratres, filii alii, ac socii charissimi, qui mecum tot labores passi estis per hæc experimenta, quæ simul mecum operati estis, Deum ubique toto corde habeatis, ejus nomen ineffabile ubique prædicetis, quòd hæc arcana naturæ mysteria nobis patefecerit. Congruum jam esset, ut corpore separati, animo tamen ubique sitis conjuncti, atque hujus naturæ mysteriis veritate perspecta, domum quisque suam revertamini : singulorum experimentorum suam quisque copiam prout operati sumus, & annotavimus, referentes : uni tamen nostrum, qui domi suæ nos alit, æquum existimo, ut ultra suam medicinæ partem, & experimentorum copiam, vasa quoque, & cætera hujus artis instrumenta remancant : nos autem reliqui in virtute Sanctæ Trinitatis, & ejus nominis hinc recedentes, singuli singulis juramento societatis obstricti, hoc animo inter nos simus, ut nemini quicquam societatem patefaciamus, nec prædictorum experimentorum copiam cuique faciamus : quod quidem juramentum pro se quisque studeat integrum, sanctum, & intemeratum servare. Atque hoc quidem supremum & ultimum experimentum cuique vestrum præ cæteris experimentis commendo, ut Angelus Domini mentes vestras dirigat ad celandum naturæ secreta, & tam mirabile arcanum. Illud præcipuè dedicantes servitio Sanctæ Ecclesiæ, & ad utilitates pauperum. Illud etiam præcipuè caventes, ne diabolus vos seducat à recto promissionis vestræ tramite. Circuit enim vos tanquam Leo rugiens : ac proinde estote prudentes sicut serpentes, ne tentator iste per devia abstrahat. Sic enim fiet, ut Jesus Christus Unigenitus Dei Filius semper nos servet ac tueatur : in cujus Nomine præsens Opusculum optato fine claudetur, Anno M. CCC. XXX.

Deo Optimo Maximo semper Honor & Gloria.

RAYMUNDI LULLII

Liber Artis Compendiosæ, *quem* Vade Mecum *nuncupavit.*

TInctura ignis est melior omnibus tinctoris : Nam omnia elementa non tantùm operantur, sicut quantum operatur ignis in colore & pondere. Est autem in ipso completa digestio, unde absque igne inutilis est omnis spiritus.

Nota, virtus vivificativa infunditur in materiis cum spiritibus quintæ essentiæ. Rursus notandum, quod tantùm spiritus subtilis est, qui tingit ac mundat corpora à suis leprositatibus, & est antidotum contra omnem infirmitatem, nutriendo calorem naturalem in corporibus metallorum. Ille enim sensibiliter penetrat omne corpus, & in profundo ipsius spiritus requiescit.

Nota, quòd unus bolus aquæ ardentis valet, quàm alterius vini quatuor.

Nota, quòd de nulla re potes facere tincturam albam vel rubeam, donec & quousque omnes partes suæ corruptæ per artem magisterii removeantur, & maximè de sulphure.

Nota, quòd homines nesciunt uti suis memoriis, ad intelligendum & ad investigandum, & ad eligendum bona entia & dimittendum mala, quæ sunt contra naturam : & quia nesciunt istas potentias ipsarum rerum ponere in actualitatem, in artificio, quod est instrumentum illorum. Quapropter scientiæ positivæ, & non probativæ heberant intellectum, & ingrossant illum, ne intelligat necessitates verorum entium : & quia in tenebris scientiarum falsarum & non veridicarum studeat, & illis credunt qui loquuntur contra Philosophiam.

Nota, natura non vult coarctari : igitur cum lentissimo igne separa sudorem suum, & melius in retortis. Et fac ut habeas unum de nostris Mercuriis, cum forma aquæ albæ, quæ est ablutio, purgatio nostri Lapidis, & totius naturæ. Hoc enim est unum de principalibus secretis artis & naturæ, in qua rectificabis draconem, & projicias à magno deserto Arabiæ, quia statim periret siti, & periclitaretur in mari mortuo : unde nunc scire potes calorem magnum, parvum, & frigus. Reduc ergo ad regionem Æthiopiæ, unde naturaliter exivit. Rursus dicimus quòd non eum ducas ad terram, quæ ipsum portavit : statim enim omnis alia regio eum accedit.

Nota, proprietas spiritus qui à corpore exivit non devoretur per nimis magnum calorem, quia non haberet potestatem ducendi suum corpus in illa media. Ideò si operaris cum magno igne, proprietas quæ participat inter vitam & mortem dicti spiritus, separabitur, & omnia fugient in regnum suæ sphæræ : & nulli reveles donec fiat alicui manifestum per divinam inspirationem, cum nobili intellectu. Et ideò quandoque rudes clerici, legistæ, artistæ & medici mundales, & plures de quibus loqui audivimus, credebant se facere aquam vivam, in fine non valuit unum ficum. Quia ipsi credebant rapere naturam philosophicam, sed rapiuntur & deprædantur in illa quia talem amittunt. Custodi ignem, & regimen tui spiritus, & cave non evadat, quia non posset vivificare suum corpus. Quomodo enim ille dare posset hoc quod non habet ? Nota, quod debes diligenti ratione, & probata multa vitæ ipsa cum consideratione philosophica advertere mediorum naturam. Unde sicut coitus, factus cum amore naturæ, quæ est luxuria libidinosa, tunc fit primo mixtio cum conjunctione & assimilatione inter corpus & spiritum ad finem, ita quòd totum simul in unam amorosam concordiam cum ligamento suarum qualitatum miscibilium & compositorum, & suarum virtutum elementalium, & unius alterius per virtutem compositionis duorum in unum. Si ergo talem coitum non facis, non habebis conceptionem, imprægnationem, & per consequens non habebis fructum : quia oportet esse calorem naturalem mineralem. Item non facias magnum ignem in principio mixtionis, quia veniret corruptio in tincturam. Item ex quo vel melius talis res movet potentiam in attrahendo ad appetibilitatem, sicut res quæ desiderat perfici de suo & non alieno ad finem. Igitur ars Alchymiæ est vera & possibilis : ergo non cesses eam ducere per rectitudinem viæ motus naturæ, & informare suam materiam, in quam natura est introducta.

introducta. Et si bene scis dirigere & ducere, ipsa confert tibi plus quàm putas. Et ideo multi Alchymistæ errant, primò, quia nesciunt ignem disponere, qui est magister totius operis: quia ille coagulat & solvit totum simul: & hoc ipsi intelligere non possunt, quia sunt imbuti cœcitate & ignorantia. Etiam nesciunt disponere materiam, secundum illum modum per quem datur materiæ virtus informativa, cum qua instrumentum quod stat in materia dirigitur per suum modum: hoc quod ipsi quærunt: Et est natura venerabilis, abscondita intus in profundo, quam tu Fili si vis per te regere, ipsa confert tibi quæ nobis clara luce apparuit in forma terræ albæ subtiliter foliatæ, quæ stet prope naturam Lunæ claræ, pretiosæ. Quare Fili monemus te, quòd non velis habere artem incertam loco veritatis informativæ, nec velis uti cum igne ardenti, loco instrumenti. Virtus informativa gubernatur per certum modum operandi, qui cum certa ratione datur notitia artifici ad sciendum illam. Igitur præ oculis debes habere in ingressu nostri magisterii illam. Et propter hoc quicquid vis facere fac prudenter. De grosso fac simplex, de gravi fac leve, & asperum mollifica, & amarum dulcifica, & habebis perfectionem cum notitia instrumenti, quod gubernatur per virtutem informativam, movendo materiam ad ejus formam, & actus formatur per potentiam naturalem, quæ est in ipsa infusa à superiori parte. Et est locus & locatum, quia est generatum per infusionem in suo loco: Quia genus habet aliud locatum per proprietates cœli quæ sunt infusæ, vel influxæ in materiam per radios stellarum. Sed tamen quidquid virtus elementalis cœlestis facit in vasis naturæ, hoc etiam facit in vasis artificialibus, solummodo, quòd sint formata ad modum vasorum naturalium. Et hoc quod facit natura cum calore solis, hoc etiam facit calor ignis, qui tamen sic temperetur, ut non excedat virtutem motivam & formativam quæ est in natura influxa desuper: quia in omnibus quæ fuerunt corrupta & putrefacta, vidimus influere virtutes stellarum, capientes determinationem ab illa re, cum qua materia convenientiam habet. Quia virtus cœlestis est nimis communis, & capit determinationem per virtutem sui subjecti in rebus mixtis, & ideò cùm ipsa infunditur in materia minerali, statim capit determinationem & virtutem mineralem: quia in illis est influxa per determinationem, quam capit à materia minerali, & non vegetabili, nec animali. Et propter hoc Fili, debes cognoscere elementa nostri Lapidis, quæ sunt materia naturæ mineralis. Hoc certum teneas, quòd quando volueris componere elementa mineralia, non capias de primis puris, nec de ultimis, ad creandum nostrum lapidem, quia prima sunt multum simplicia, & ultima nimis grossa. Quando vis comedere, recipe panem, & dimitte farinam.

Hæc est doctrina tibi data per figuram de elementis, in quibus sunt etiam realia mineralia, à quibus movetur cœlestis instrumentalis. Quare Fili scire debes, quòd virtus informativa movet instrumentum, & instrumentum movet materiam, & materia mutata à potentia occulta ad actum manifestum. Et virtus informativa introducitur in materiam per scientiam cognitam, per Artistam in suo opere naturali. Item oportet ut habeat duo principalia instrumenta, per quæ ipsa formet suum opus, secundùm diversitatem suæ naturæ. Et nota, quòd in Lapide nostro dicta virtus est mortua, quia non potest multiplicari ratione suæ substantiæ grossæ, duræ atque compactæ, in qua calor est ligatus, cum ibi non possit moveri, per quem calorem dicta virtus debet formari, ad generandum dictum Lapidem.

Et de hoc tibi dabimus exemplum per granum frumenti significando: Totum per se in materia compacta & sicca, nunquam secundum cursum naturæ potest multiplicari, nisi per resolutionem & attenuationem suæ substantiæ duræ cum simplicitate, in qua substantia dura & coagulata, calor inclusus & intus retentus stat mortificatus, ratione siccitatis & duritiei, in qua est determinata materia, in qua materia calor est retentus: quia de ratione excellentis frigiditatis & siccitatis causatur qualitas mortificativa: Et ideo talis siccitas indiget humectatione aërea ad finem, quod calor naturalis possit suscitari & extendi per simplicem materiam aëris, qui est sibi cibus naturalis Sed istarum partium grossarum in simplices non debetur naturæ, quod posit facere illud per subtiliationem suarum partium siccarum cum resolutione, quod fit per incrudationem humidi naturalis grani, quod erat terminatum, coctum cum digestione perfecta, ad modum subtilis substantiæ albæ, ex qua fit panis quem tu comedis: per quod patet, quòd natura non transit de contrario ad contrarium nisi per suum medium, per quod medium causatur differentia concordantiæ, cum qua natura convertitur de natura in naturam. Et hæc est differentia specialis, quam tu debes respicere: quia aqua est amica aëris per suam humiditatem, & est vicina terræ per suam frigiditatem. Fili, condensatio & rarefactio est via originalis in elementorum transmutatione, in certis gradibus, & est differentia communis, cum qua natura lagax convertit elementa. Item calor penetrat in suam propriam materiam, & non cessat operari vegetando, ampliando, elongando, extendendo, multiplicando, quousque venit ad punctum, & ad terminum, in quo plus abundat & habeat de materia humida quàm sicca, quia tunc humor incipit terminari & inspissari cum virtute informativa, differente ab aliis, per concordantiam. Et sic per experientiam evidentem materiæ docet, quod virtus quæ est in potentia seminis grani tritici, nunquam procedit in actum productivi vel vegetativi, nisi post corruptionem & putrefactionem suæ materiæ, quæ est causa suæ alienationis, subtiliationis, & rarefactionis, quousque veniat ad punctum generationis, quam nos vocamus ab uno gradu Grani in centum, in mille millia. Quare sciunt rustici necessitatem vivendi & crescendi? Quia si granum non projicitur in terram, nunquam virtutem suam multiplicabit: quia materia sua sicca non patitur partes suæ terminationis per conversionem subtilem in propinquam. Et si projicitur in terram, calcinabitur per resolutionem, & crescit humidum causa putrefactionis, per quem venit in motum suæ animationis, quæ facit multiplicare cum calore cœlesti, per quem exaltatur, & fermentum appellatur. Unde nos damus fermentum, res autem cui damus, pergentes mundas facere virtute cœlestium, cum seminatione, & aratione, & culturatione, & impregnatione terræ, per talem modum ipsi adjuvando culturæ, fructus adjuvatur & melioratur. Sic simile est in nostro magisterio: Quia primo necesse est quòd substantia quæ est pura nostri Lapidis resolvatur cum subtiliatione suæ substantiæ grossæ, ut post putrefiat putrefactione vulgari, & humidum minerale separetur cum calore solari quod viget contra ignem

post

post addens sibi minister cibum competentem, quem dicta virtus debet in se permutare. Et per istum modum natura mineralis adjuvabitur per industriam sagacis artificis in tali forma, quòd coram omnibus hominibus cum clara luce manifestabit suos effectus, ultra posse illorum, qui vadunt post probationes locales, de quibus concluſum est: Quia per hoc intelligit, in qua forma hujus operis naturalis Artista debet inclinari & dirigi, cum consideratione instrumentali, rationali, & non sophisticali, in sententiis philosophicæ naturæ. Quia adhuc nonobstante quocumque ingenio profundo quod habeat argumentalem & rationabilem rationem, cum toto discursu naturali rerum extrinsecarum. Jam pro toto & per nullam rationem quæ veniat ad sensum poterit judicare & cognoscere, cum qua fortitudine & virtute intrinseca, debet suam multiplicationem augere super terram, nisi per similitudinem, quasi simplex nostrum magisterium erit, & quomodo possit fieri per naturam seu in terra pullulare suo modo: Hoc tamen nescis, nisi per doctrinam experimentorum intrasti prius per Philosophiam naturalem cognitivam, sed sophisticam, quæ oritur à diversis præsumptionibus fantasticis, infusis in capitibus eorum, qui cum pronosticationibus vel prænosticatis elementis contra voluntatem rationis naturæ faciunt multos impertinenter adhærere sophisticationibus. Quare ergo concluſi tam per rationes suprascriptas, quam per media quæ sunt naturalia cum claris & certis experimentis, quæ si non consideras, non habebis rectam notitiam rei. Jam ad istam pretiosam escam non eris invitatus per naturam: & qui per istam non procedit, non erit in processu Philosophus, cum ignoret proprietates virtutum Lapidis, quæ ducunt entia in actum, sicut experimentaliter cognitum est. Fili, experimentum destruit omnem formam erroris, qui venit ab ignorantia colerica, & capitibus illorum qui præsupponebant esse quod non est, nec unquam erit: nec tales credunt suum errorem esse deceptibilem, quia nesciunt discutere hoc quod fantasia illis repræsentat cum claro experimento, utrum sic sit vel non, propterea recolligas in te ipso quod est tibi necesse. Quod saltem tu cognoscas primò materiam lapidis, cum certa experientia, per viam practicæ, mediante theorica ostensibili vel revelationis. Quia per theoricam formatur practica, & experientia format practicam: & per experientiam formatur veritas clara, quæ illuminat intellectum humanum: & non labores sine ista, quia est communis sicut lux mundi.

Item ego Raymundus super Theoricam testamenti: Nunc potes cognoscere, quòd nulla res mundi naturaliter potest nasci, nec crescere, nec animari, nisi post suam corruptionem & putrefactionem & mortificationem, quia tunc natura in naturam mutatur. Item hæc ars nullo modo debet dari Medicis, Philosophicis, Legistis, nisi Philosophis cautissimis: quia omnes alii sunt indigni habere hunc thesaurum perpetuæ salvationis: quia sine Philosophia ars illa doceri, nec possideri debet.

Item Mercurius vivus factus per nos coagulat Mercurium communem. Item Fili, tinctura quam tibi dicimus extrahitur à nostro auro, & illud fermentum cum auro vulgi ducit eum de de potentia ad effectum.

Nota hîc, quod multi decipiuntur circa extractionem Mercurii ab auro & argento, sed si bene attenderent dicta Philosophorum, facillimè & pauco labore illud perficerent. Tinctura extrahitur ab auro nostro, in qua qui tu legis Grammaticaliter exponendo intelliges. Item si negligens non fueris ad legendum & perscrutandum contenta in nostris libris securus ibis. Unde tria requiruntur ad hoc, subtile ingenium naturale, & non sophisticum, & opus manuale, liberum arbitrium, divitiæ, sapientia & libri.

Nota, quòd solus ignis naturalis confortatus cum novo igne naturali de intentione nostra: quia ignis contra naturam nocet, & ignis naturalis continet in se virtutem activam. Et ignis contra naturam corrumpit spiritum, ita quod non habeat locum in quo quiescat, nec aërem in quo possit respirare: sicut tu vides quod unum magnum flumen destruit parvum, & convertit illud. Quia non est novum nec mirandum, quòd ignis contra naturam convertit naturalem, & totam substantiam suam essentialem & accidentalem, & magis quàm naturalis convertit per suam primam potentiam. Et ideo oportet te habere duas certas operationes, scilicet corruptionem quæ fit sub conservatione formæ suæ: & hæc fit cum igne contra ignem, cum excitatione ignis elementalis.

Item, noster Mercurius reperitur in omnibus corporibus elementalibus, quia omnia sunt ex Mercurio, quod vocatur generalissimum in nostra Philosophia, ubi decipiuntur laici, si notant solummodo in specie vel figura. Unde sicut à vapore, fit Mercurius & vegetabilia: & quia à primo genere venit vapor, qui generatur ex elementis mediatè. Item ista prima materia est terra subtilis sulphurea, quæ desiderat multùm integrationem Quintæ essentiæ & unitatem ejusdem, sicut materia prima desiderat propriam formam ratione sui complementi. Et propter hoc quanto nobilior est materia, tanto magis requirit nobiliorem formam: quia pro quanto forma nobilis est, pro tanto plus nobilitat suam materiam: & materia hæc multum est habilis ad recipiendum formam illam. Quando ergo illa est appropriata huic formæ, secundum naturam, actu primæ causæ est habilis multum ad recipiendum formam mineralem auream, quæ ipsam materiam clarificat ac illustrat.

Item, adhuc Fili nota, quòd nil mundi est, quod non sit naturaliter compositum ex substantiis quatuor elementorum, testimonio cujuslibet boni naturalis: & secundum suas experientias non est substantialiter aliud, nisi ex Mercurio & Sulphure, & puris, mundis, incombustibilibus in primo puncto suæ creationis. Et hoc sciri potest per artem quæ fit cum operatione certa nostri magisterii. Illud est primum genus vel materia & substantia media, in qua natura figit omnes suos colores, in figurando diversas substantias. Isti colores veniunt ex proprietate materiæ compositæ sulphuris Mercurii, & per instinctum suæ naturæ. Adhuc habet multas alias proprietates ista materia: prima, per quas scimus quod ipsa est ex natura Mercurii vivi & sulphuris: quia ipsa in igne non potest corrumpi, nec in aqua nec in aëre. Et habet proprietatem solvendi & coagulandi, & attrahendi cum appetitu, & proprietatem expellendi & digerendi, quæ omnia sunt ad perfectionem, & complementum, & bonitatem rei animatæ cum contrariis passionibus, per quas passiones sumus certificati, quod ipsa ex Mercurio & Sulphure est, cùm sint contrariæ operationes, quas nos facere sive excitare non possumus sine proprietate illorum duorum, cum dictæ proprietates non possunt esse

sine

ſine ſubſtantia, ſicut nec actiones ſine materia.

Dicimus, quòd illa ſubſtantia non eſt aliud quam ſulphur & Mercurius, intellectum, ſecundùm ſuam compoſitionem. Ex quibus apparet, quòd hæc prima materia omnium rerum vilium, quæ per generationem & corruptionem formantur ſecundum ſuam compoſitionem. Quare tibi debet illucidari quod ipſa eſt de natura ſulphuris & Mercurii, non per hoc quòd Mercurius ſit in tota ſui ſubſtantia & natura per reſpectum ad communem, ſed in parte.

Item Mercurius iſte convertitur in omnem formam, & in omnem temperatam commixtionem, & convertitur in omnem naturam vel naturas, cum quibus junctus fuerit vel diviſus. Quia homo exit ab homine, bos à bove. Item non eſt aliud fermentum in mundo niſi Sol & Luna, quæ ſunt tinctura, cum quibus coloratur Mercurius vivus, qui ſine tali Mercurio creditur tingere. Cæcus vadit ad practicam ſuarum tranſmutationum, quia Sol in colore Solis tingit, Luna in colore Lunæ. Si ergo cum Mercurio, Sole & Luna ſciveris tingere, videbis magnum ſecretum, quod dicitur, Ignis noſter.

Item, dictum genus cuſtodi ab omni combuſtione, & extrahe Quintas eſſentias à minerali, vegetabili, animali, in quibus propinquior reperitur natura metallorum. De minerali patet, de vegetabili diameter maſculus, & luminaria magna, quæ eſt ſuccus vitalis, & radix de loſtralia, & portulaca marina, Mercurialis & Chelidonia, quarum naturæ approximant multum naturæ minerali, & omnia quæ ſunt magis calidæ & humidæ naturæ. In er animalia eſt ſpiritus Baſiliſci & Aſpidis, inter liquores, ſanguis humanus, & pilimentum, & lac beſtiarum, & humiditates viſcoſæ: Inter mineralia ſunt Sol & Luna, quæ ſunt lapidis fermentum. Et quanto app oximat graduatur cum natura magis, & participat cum illa: & quanto magis participat, citius per amorem naturæ in illa conjungitur & convertitur.

Item, Quidam projiciunt Elixir cum magna abuſione, quia non integraverunt totum naturæ curſum, qui durat per ſpatium duorum annorum: unde lapis eſt unius anni, & trium menſium, quia ſecundum quòd corrumpitur, ſic generatur. Item Fili, noſter infans habet duos patres, & duas matres: & quia ipſe chare nutritus eſt ex tota ſubſtantia in igne, propter quod nunquam moritur. Iterum Fili iſta Aqua vocatur Aqua ſapientiæ, quia tota eſt aurum & argentum, perfecta in actu ſpiritualium elementorum, in quo requieſcit ſpiritus quintæ eſſentiæ, qui facit totum. Iterum neceſſe eſt tibi Fili, quod tu cuſtodias ſpiritum quintæ eſſentiæ, ſi aliquid vis facere, qui dependet à prima cauſa, & ſicut forma formarum, qui ſe poſuit in ſupradictis quatuor naturis honorabilibus, & vocatur Anima elementorum, & facit pacem inter hoſtes, id eſt, ſiccum & humidum. Quare ſi aliquid vis invenire, operare quotidie per naturam in diſponendo materiam ſuam cum ſcientia cognita ad ignem, ſecundum quod natura poſtulat, & illa tunc faciet ſuum proprium debitum, quia ipſa format, colligit, & mutat in aliam naturam cum fuerit præparata certo modo: & ſic tu non es alius quàm miniſter. Et ex hoc anima devenit in actum, & requieſcit in ſphæra ignis, & ibidem habitat cum motu continuabili, & cauſa ſui motus eſt calor naturalis excitatus per ignem elementatum ſimplicem. Cuſtodi Fili, ne effugiat, & ſerva in amore & in ignis calore. Et non figas eum quouſque ſit purum elementum primæ rei. Iterum prima virtus eſt à Deo, etiam recurrit ad naturam quod velit accommodare de ſuis formis ſubſtantialibus ſive ſtellis & planetis, & oſtendere ei ſuam inceratiõnem. Item, ſi intelligis in tuo corde, teneas ſtrictè, nil revelando. Item, nulla res corrumpit aliam niſi excedat illam in qualitate contraria, ſicut eſt calor & frigus. Parva flamma comburitur per magnam, ratione ſuæ excellentiæ magnæ quam habet contra illam. Et ideo omnes habent contrarietatem in uno motu. Iterum Fili, non eſt mirandum, ſi virtutem talis menſtrualis tu præponis in corde tuo, cùm ſit ductrix & gubernatrix totius naturæ. Hæc eſt res utilis, quæ per ſeipſam convertitur in rem nimis pretioſam, quod nos non crederemus, ſi non vidiſſemus ejus effectum cum noſtris propriis oculis. Item, iſte ignis qui comburit aurum, magis quàm ignis elementalis, propter quod continet in ſe calorem naturæ terreſtris, & reſolvit ſine aliqua fortitudine, quod non poteſt facere ignis communis: quia tibi præcipimus, quòd diebus magis calidis, quos habere poteris, facias magiſterium: & habebis aquam calidam, quæ reſolvit omnem rem fortem, & vinum & piretrum. Item, Multi dicunt aquam fortem eſſe corruptionem noſtri Lapidis, & non mentiuntur. Quia qui non intelligit ſuam corruptionem, forſitan & ignorat ſuam generationem, cùm ipſe non poſſit facere ſine corruptione, & tranſmutatione individuali, quæ ſunt realia naturalia noſtri lapidis in ſuam primam materiam, qui debet corrumpi per dictum menſtruale, cum amore pio, ſine totali deſtructione: quia amor pius nunquam vult occidere filios quos nutrivit. Fili, quidquid miſces ibi quod non eſt ſui generis, refutat ſine diſſolutione: ſed illud putrefacit, quia eſt res communis ad recipiendam naturam omnem cui adhæret. Serva ergo, quod non miſceas cum aqua noſtra ullam aliam rem, niſi illud ſit de natura propria, quæ aqua hæc magis putrefacit ratione ſuæ ponticitatis amaræ & non crudæ. Et illa eſt quæ comburit & corrumpit quidquid eſt combuſtibile & corporale, ex vi ſuæ propriæ naturæ, &c.

Tabula in ſequentem Librum.

A *Deum qui eſt cauſa prima hujus Operis.*
B *Quatuor elementa in metallis confuſa.*
C *Lunariam rectificatam, in qua reſolvuntur metalla ad faciendam novam generationem.*
D *Quintam eſſentiam vini, in ſumma perfectione rectificatam.*
E *Animam metallorum, quæ dicitur ſulphur naturæ.*
F *Ipſa metalla in ſe.*
G *Limos metallorum elementatorum.*
H *Calorem primi gradus.*
I *Calorem ſecundi gradus.*
K *Calorem tertii gradus.*
L *Animam corporum, id eſt calcem immediatè genitam, per menſtrui diſſolutionem.*
M *Spiritum corporum perfectiorum.*
N *Aquam metallorum.*
O *Aërem.*
P *Ignem.*
Q *Inſtrumenta vitrea.*
R *Ipſum Lapidem.*

RAYMUNDI

RAYMUNDI LULLII Compendium Animæ Transmutationis Artis Metallorum, *Ruperto Anglorum Regi* transmissum.

JAm sæpe & sæpius eloquuti, recolimus in multis & diversimodis viis practicandi, super magisterium pretiosi Lapidis Philosophorum: nunc verò ut veritatem lumine perpendas, scias quòd tria sunt principaliter notanda.

Primò scias materiam, unde Lapis Philosophorum & omnes alii Lapides pretiosi componuntur.

Secundò scias instrumenta cum quibus operari quis debeat.

Tertiò scias quomodo dicta materia cum instrumento operari & practicari habeat. Circa ista tria noveris, quòd nostrum magisterium versatur.

Primò ergo, Rex Illustrissime, scias quòd materia nostri Lapidis, seu omnium Lapidum Philosophorum atque virtuosorum, qui per artificium generantur vel componuntur, est anima metallica, & menstruum nostrum rectificatum & acuatum, seu lunaria cœlica, quæ apud Philosophos vocatur Mercurius vegetabilis, ortus à vino rubeo vel albo, ut clarè patet, & clarè demonstratum extitit divinitùs revelatum, in figura individuorum tertii libri Quintæ essentiæ, conditi Abbati Sancti Benedicti apud Parisios. Et etiam in nostro Codicillo tibi misso per Regem Eduardum.

Instrumenta sunt duæ cucurbitæ vitreæ, septem vel octo habentes receptacula, ut demonstratur in nostro Testamento tibi cum Codicillo misso, in capitulo quod incipit: Fili tu non, &c. Modus verò practicæ in sequentibus ad plenum tractatur.

Liber primus dividitur in duas partes principales: Prima quidem pars est de Theorica hujus artis, & manet indivisa, & incipit ibi, Ut immediatè sequitur: Sed tamen oportet Princeps, &c.

Secunda verò Pars est de Practica, & dividitur in duas partes principales. Prima est de Compositione Lapidis Philosophorum, & ibi incipit: Tu in virtute A. &c.

Secunda verò Pars hujus secundæ Partis est de Compositione Lapidum pretiosorum, & incipit: Opus namque Margaritarum sic condies, &c. Et illam ultimam partem studiosè omisi scribere, quia mihi vana & mendosa videbatur.

Prima Pars.

Sed tamen oportet prius, Princeps Serenissime, nostrum menstruum per magisterium à matre, id est sordibus vini & phlegmate extrahere per officium alembici, & acuatur in distillatione, cum vegetabilibus pertinentibus quæ sunt.

Apium Sylvestre, Squilla, Solatrum, Cardus Muscatelli, Oleandrum, Piper nigrum, Euforbium, Viticella seu Flammula, & Piretrum, omnium ana, & pulverisata. Ex altera parte ipsum menstruum in vase circulationis rotetur continuè spatio 10. dierum in fimo calido, vinatico, aut balneo mariæ.

Item oportet, Fili charissime, primam materiam elementorum & sulphur naturæ habere: Et quia argentum vivum est existens genus metallorum, quod per artificium trahimus, & per artem magisterii à metallis, per elementorum divisionem, & purificationem, & fixationem illorum, cum agentibus illud per rarefactionem & circulationem, ex una parte.

Ex altera verò parte per rectificationem elementorum metallorum. Hoc quippe genus de quo intelligimus philosophari in nostro Codicillo, in capitulo quod incipit. Per istam divisionem, elucidatur secunda ratio, &c. Et hoc quippe est, quod circa hujus capituli primum Mercurium per limos intelligimus, &c. Fili, recipe de aëre & de terra æquale pondus, pauco minus vel plus, & hoc etiam est de natura de qua intelligimus fieri: & dicimus quod unctuosum humidum est materia nostri lapidis propinquior seu proprior, in capitulo 36. quod incipit: Nos tibi diximus, quanto humiditas radicalis, &c. per quam humiditatem vulgus intelligit sulphur fore vulgi. Recordare, ô Rex, quod diximus in nostro Codicillo, quod incipit, Fili, intendo tibi dicere naturam fermentorum: quoniam quando dicimus, quod per unam decoctionem, intelligimus aliam menstrui rectificationem. Habet simplicem potestatem: intelligimus rectificationem primam menstrui. Et quando dicimus ipsum gradualiter transferendo per aliam coctionem, intelligimus aliam menstrui rectificationem usque ad tertiam vel quartam.

Item etiam intelligas in capitulo alias decoctiones lapidis, ut patebit in sequenti Practica.

Postea, Fili, istam aquam quater rectificatam, dicimus argentum vivum vegetabile, vel aquam Mercurii: Et ita quidquid per illud capitulum dicimus, de illo intelligimus.

Hæc etiam est materia de qua intelligimus in eo Codicillo in capitulo quod incipit: De ista materia, & hæc est ista humiditas, dicta aqua permanens, quam intelligimus in nostro Codicillo, in capitulo quod incipit: Nostra humiditas est aqua per totum. Et hoc est quod dicimus de menstruo cœlico. Hoc autem Rex, clarius patet in secundo libro Quintæ essentiæ nostræ, quem te latêre non credo.

Respicias ergo, ô Rex, naturam menstrui nostri, quantum est virtuosa, unctuosa, & quæ dicta sunt de illo perlegas. In tantum enim per ipsum nobilitatur nostrum magisterium lapidis, quòd nullatenus potest exprimi illius abundantia. Præsens ratio patet per illos, qui metalla corrumpunt cum aquis extra naturam, quia nostrum menstruum ignorant. Et jam sic fit, quòd ejus dissolutio aliquantulum repugnat naturæ: tamen si metallum dissolutum cum nostro menstruo confortaretur inhumationibus duodecim aut sedecim dierum, & ablueretur à nigredine aquæ, quæ est contra naturam. Et quia nescium illam confortare cum re naturali: ideo eorum practica privatur effectu finaliter intento, tunc defectum suum arti imponunt, cum potius imponere deberetur ruditati & imperitiæ illorum. Et quæ dicimus de cognitione menstrui, quæ est una de rebus, sine qua nil fieri potest in magisterio hujus artis. Hæc tibi de illo sufficiant.

Nunc est dicendum de Spermate metallorum, quod est materia nostri Lapidis.

De Spermate Metallorum Materia Lapidis.

Jam noveris, Princeps Serenissime, quòd metal-

lorum spiritus est altera pars & materia nostri Lapidis, quam oportet te à corporibus omnium metallorum evacuare. Et ita evacuatio sit dupliciter, ut inferius practica monstrabit: quæ in duobus corporibus metallorum perfectis dividitur, per purificationem, putrefactionem, & fixationem simplicitèr mutant. Sed in metallis imperfectis dividitur per purificationem, & sublimationem simplicis unitatis. Et in isto palla errant ignorantes, arbitrantes corpora metallorum cum fortibus aquis communibus dissolvi, ut suprà dixi in principio hujus Operis, & adduci ad primam sui materiam vel naturam. Sed si libros nostros legissent, scirent utique tales liquores intentioni Philosophorum repugnare. Et hoc quod dicimus hic clarè demonstratum est in Codicillo nostro, caput quod incipit: Ideo dissolvitur aurum & argentum in rebus radicalibus sui generis. Hæc est enim aqua, cum qua curantur infirmitates incurabiles, sub conservatione suæ naturæ, ut patet in Codicillo cap. quod incipit: Fili sublimatio, &c. Et etiam in capitulo, quod incipit. N. D. E. &c.

Etiam, Princeps Serenissime, clarè constat, ipsos fortes liquores non esse de intentione Philosophorum, ut patet clarè & absque metaphora in dicto Codicillo, in capitulo quod incipit: Per istam distinctionem. Et elucidatur secunda ratio, in capitulo quod incipit: Sicut matrix ingeniat per operationem aquaria forma, circa finem capituli: nulla enim res est, quæ conjungat metallorum dissolutiones, nisi nostrum menstruum, quia ipsum est aqua, cum qua fit corporum metallorum dissolutio cum earum specierum conservatione, ut patet in nostro Testamento, in capitulo quod incipit: Sed operari cum aquis fortibus est corruptio, & in capitulo: Quia ista aqua habet potentiam cremandi omnia extranea. Etiam de isto menstruo intelligimus in capitulo quod incipit: Circa illud menstruum, in quo est ignis siccus contra naturam Ex quibus præmissis nota: Accipias metalla ad dissolvendum in aquam Mercurii, & in nostrum menstruum, quod intelligimus in nostro Codicillo in capite quod incipit: Multæ sunt aquæ fortes, &c. Et similiter ista aqua menstrualis est, cum qua dissolvitur argentum vivum ad opus margaritarum, quod fit per reductionem istarum, & suarum partium in primam materiam, ut inferius in practica pretiosorum lapidum demonstratur. Quare, Princeps Serenissime, alia non possunt metalla dissolvi, nisi amalgamentur cum menstruo vegetabili, cujus quidem potentia fit resolutio in rebus dissolubilibus.

Diximus nunc, Serenissime Princeps, rem de qua Lapis Philosophorum componitur: Nunc verò dicemus instrumenta, cum quibus componitur lapis. Sunt enim instrumenta vasa, ut clibanus, fimus aut vindemia, cum diligentia artificis, & hujusmodi. Sed antequam venias ad istud, scire debes, quòd magisterium in tres partes principales dividitur, scilicet dissolutionem, separationem & unionem Per hoc demonstratur tibi, quòd prius habes corpora dissolvere in nostro menstruo, secundò quòd debes elementa dividere à luminaribus, & tertiò illa fixare, & unire, & purificare à corporibus imperfectis, & sulphur naturæ extrahere.

Tertiò, debes unire elementa cum elementis, vel limum cum limo, aut elementa cum sulphure naturæ. Et ista unio dividitur in tot partes, quot sunt mixtiones dictorum & uniones.

Et primus modus, est unire aerem cum igne.

Secundus modus, est unire aerem cum sulphure naturæ: & isti modi sunt in elementis duorum luminarium corporum.

Tertius modus est unire limum exortum ex aere in igne, cum limo exorto ex aëre & sulphure naturæ tantum per se. Quartus modus est quòd uniatur ignis per se, & aër per se, cum sulphure naturæ tantùm. Quintus modus est miscere sulphur naturæ cum elementis duobus semel, scilicet, cum igne & aëre.

Et de istis modis mixtionis elementorum cum sulphure naturæ dicemus, cùm ad artis hujus practicam veniemus. Accidunt autem dupliciter, quia aut fiunt cum terra sua, aut aliena. Cum terra verò aliena fit tantò multipliciter, quanti sunt modi mixtionis sulphuris naturæ cum ad placitum Artistæ veniunt. Nam, Princeps Serenissime, plura opera particularia practicare poteris intellectu veraciter objectante, quæ intellectus humanus graviter enarrare poterit, exceptis illis, quæ expressa sunt in tertia Parte hujus Libri, & in Magica, & in Testamento nostro, & in Codicillo, & Vade mecum de numero Philosophorum appellatur, & in tertio libro Quintæ essentiæ, vel in tertio libro de Intentione Alchymistarum, ubi clarissimè pertractamus explicato sermone de hac materia, aliisq; libris meis. Quis ergo Princeps Illustrissime, narrare poterit particularia quæ sunt in latitudine magisterii post fixionem & purificationem elementorum? Scias ergo purificare elementa, & illa prius à metallis, quia in hoc totum latet magisterium. Divisis itaque metallorum elementis, & sulphure naturæ à metallis, aliud quasi nihil est respectivi ad operandum. Nam totus labor & fatigatio est in hoc, scilicet elementorum & sulphuris divisione: hic quippe est passus, ubi artistæ dimittunt & dereliquunt magisterium ex eo quòd istorum divisio est satis tædiosa, & quia imperiti in prima distillatione arbitrantur se igne secundi gradus totum aërem posse distillare. & ex prima distillatione tertii gradus ignis totum ignem à terra similiter dividi posse. Hoc autem est impossibile, & contra cursum naturæ: Quippe, Princeps Serenissime, unum in præsenti proponimus tibi verbum revelare, quod est: nam aër à metallis dividi non potest, nisi 20. vel 22. distillatione, vel 30. & ignis à terra dividi potest in undecima distillatione. Nam quot sunt distillationes, tot sunt putrefactiones & reiterationes aquæ & aëris simul, scilicet aquæ menstrualis, & in qualibet putrefactione 8. indiget diebus, aut sex continuis, ita quòd quasi per annum durat divisio elementorum. Sed nos tamen complevimus in 7. mensibus. Et ignis à terra dividi non potest, nisi in quarta distillatione. Quis est enim qui per annum tantum laborem vel per 7. menses possit sufferre, quasi sunt pauci. Et ideo ignorantes principia naturalia, arbitrantur cum metallis ablq; elementorum divisione veram hujus artis practicam facere. Qui in hoc sunt decepti. Præterea sunt aliqui, qui cum quidem repente ad eorum libitum non dividunt eorum elementa & sulphur naturæ, nolunt attendere vias naturæ minerarum, & faciunt eorum mixtionem confusam sine purificatione aliqua, aut sublimatione, & subtiliatione, & non perveniunt ad finem quæsitum, & intentum eorum frustratur, suæ ruditati nullam imponentes causam, sed culpam arti imponunt, quam ignorant: & asserunt artem esse falsam, de quorum numero te Regem unum esse non credimus. Non ergo, Serenissime Princeps, fatigeris, nec ab opere cesses, & invenies quod optas. Scias enim in hujusmodi operis exordio te scire oportet quoddam alphabetum, de quo figuram

faciemus

faciemus circularem, ut per talem theoricam claram, scias pulus operationis practicæ: & scias, ô Rex, combinare principalia naturalia, & fiet quod quæris.

Sed cùm hæc principia non sunt naturaliter in una re individuali producta, ut plures errando putant, dicentes, quòd una res individualis erat in orbe, quæ virtutem habeat ad transmutandum omnia metalla super terram, quod falsum est.

Item est ut quæras extrema illius per principia naturalia per medium artis transcurrentis in suam mineram, quæ est D. E. F. Sed cum ista sunt contraria, ratione suæ extremitatis suæ naturæ, debet accipi E. quæ est media dispositio extremitatis naturæ illius, quæ collecta est de L. C. D. E. Et sic D. convertit L. in E. à quo quippe D. trahes E. in similitudinem aquæ vivæ in nostro magisterio. Et C. & D. habent potentiam convertendi F. in conservatione suæ naturæ & formarum suarum. Tunc accipies omne illud actualiter, quod erat in potentia in opere naturæ, & meliorum mediorum illius ratione extremorum, quia in D. & E. sunt actualiter F. N. O. P. Q. decocta, posita & digesta per ingenium naturæ. Quare Fili conveniunt E. N. O. P. dum F & dum F conversum fuerit in E. N. O. P. tunc habebis F. simile naturæ. Et hoc fit melius, cum C. quàm cum D. propter magnam experientiam: & fiat in F. de quo oriatur E. N. O. P. quæ aliter verò non convertuntur in G. in nostro opere. Et sic C. est proxima & prima materia, de qua creamus omnes lapides Philosophorum, & per aliquod Elixir aqueum vocatur. Et ideò, Princeps Serenissime, dicimus, quòd omnes lapides pretiosi non creantur nisi ex una sola re, de G. scilicet argento vivo vegetabili & minerali. Et ideo dixerunt de eo antiqui Philosophi, quòd lapis noster non est compositus nisi ex una sola re, id est, argento vivo, ut mentionem fecimus in nostro Codicillo, in capitulo quod incipit: Inquisitor de Scientia desideranda.

Ideoque Fili, tu ibis ad digestionem de H. & trahes C. de communi potu principum ad actum, & in illo pones F. & F. semper convertetur in L. & sic calcinabitur ipsum F. sub conservatione suæ naturæ. Postea trahes C. L. de digestione H. & pones in digestionem I. & tunc erit L. tale, sicut competit & convenit.

Postea de L. C. trahes E. N. O. P. hoc in metallis perfectis per magisterium operationis, & exuberationis Et cum habueris E. N O. P. habes materiam nostri lapidis, & habes quòd materia nostri lapidis est E. N. O. P. per H. I. K. donec O. sit album crista alinum, quod est magis propinquum naturæ de F. ad generandum lapidem Philosophorum, quod erat L. Sunt ergo G. C. N. O. P. magis propinqua G quàm C. N. O. P. (*aliàs sic.*) Sunt ergo G. N. O. P. magis propinqua O. quàm E. N. O. P. Et ideo est vis quod in opere majori C. N. O. P. vertatur in G E. quod est perfectio magisterii. Totum enim quod tibi diximus, non est nisi solvere, elementa separare, purificare, putrefacere, atque fixare, limosq; concordare seu condensare, atque nostrum menstruum rectificare. Vide, Fili, si tu capis F. & ponas in C. & illud ponis in H. prima figura formatur per F. C. H. In cujus medio ponis N. & iterum si respicis N. & ponis in digestione I. erit L. tunc originatur & formatur unus triangulus.

Item si capis L. & ponis in C. & ponis in digestione H. postea per plures distillationes de L. C. H. oritur N. O. P. & formatur alia figura de tribus triangularis.

Item ex N. O. P. oritur in fundo vasis terra, quam oportet evacuare, & istam terram dicimus H. C. Si ergo capis L. & ponis in C. & in digestione H. postea in digestione I. ex L. C. H. I. oritur ex O. & fit alia figura quadrangularis ex O. C. L. H. I. in cujus medio est E. quod generatur ex ductu, id est anima metallorum, quæ generatur ex ductis literis.

Item si capis E. & ponas in I. (aliàs) Q. & misceas cum C. D. A. & postea si capis D. O. secundum sunm pondus, & ponas in alio I. aliàs Q. per digestionem H. & distillationem balnei, nec ex O. & P. oritur G. & ex E. O. oritur C. Tunc si capis G. & ponis simul in modulis ceræ ut convenit, aut si ponis cum E. in continenti oritur una figura ex duobus quadrangulis: in cujus medio X. Y. per quod volumus significare Lapidem Philosophorum.

Totum autem hoc magisterium differt per elementorum divisionem. Hoc quidem fit, Fili mi, secundum cursum hujus artis: ita tamen, quòd scias quaslibet figuras in alias reducere, ut si unam corrumpas, scias aliam generare usque ad ultimam figuram, in qua omnes aliæ figuræ quiescunt. Et hæc Theorica tibi sufficiunt causa brevitatis.

Et quia longa doctrina data est tunc per nostrum Testamentum & per Codicillum, Vade mecum, Et in libro de Intentione Alchymistarum, & in Libro Experimentorum, & in Magica, & in aliis multis Voluminibus, quos scimus tunc per nos missos per Illustrissimum Regem Eduardum Anglorum, per quæ satis potes distinctè in Theorica procedere quantum tibi opus necessarium fuerit.

Et ideo nunc dicendum est generaliter de Secunda Parte hujus Operis, quæ est de Practica hujus Artis. Et primò de prima Parte, quæ est de Compositione Lapidis Philosophorum. Secundò de Secunda Parte, quæ est de Compositione Lapidis Virtuosorum, seu Gemmarum pretiosarum, quæ ibi incipit: Opus namque Margaritarum.

Sequitur Operatio major, & secunda Pars hujus Libri, quæ est de Practica. Et primò de prima Parte, quæ est de Compositione Lapidis Philosophorum.

TU in virtute A. Princeps Serenissime, Accipe aurum, & projice ipsum in aquam vegetabilem, de qua locuti sumus in nostro Codicillo, in capitulo quod incipit: Spiritus recipientis & formalis, aliàs generalis, est, ut capias de tucco lunariæ. Et in capitulo quod incipit: Et tibi volumus revelare de natura menstrui, in quo est ignis contra naturam: & in eodem capitulo, quod incipit: Fili cum istud menstruum sine quo non potest, &c. Per totum, ubi satis declaravimus naturam istius, & operationem. Et sit aurum ad pondus aquæ vegetabilis, & pone istud totum in digestionem H. per sex dies naturales, & aurum dissolvitur in aquam in colore croci. Postea verò distilla menstruum in distillatione H. in balneo. Postea superpone aliam lunariam recentem, & pone iterum in digestionem H. per alios sex dies naturales. Et tunc extrahe, & mitte illud quod solutum est in aliam ampullam, & super illud quod remansit finitis sex solutionibus & distillatio-

nibus, iterum de menſtruo ſuperpone ad quantitatem terræ, & pone in digeſtione H. per quatuor dies naturales: & illud quod ſolutum eſt de metallo, ſimul cum menſtruo, pone in cucurbitã ut prius, & ſic fac uſque ad ſex inhumationes & diſtillationes. Et illud, quod remanſit, finitis ſex diſtillationibus, de fæcibus non cures, & diſtillationes ſeu liquefactiones, vel etiam diſſolutiones pone per digeſtionem H & diſtilla totam aquam per alembicum, & ſuper fæces ponas de alia aqua Mercurii recentis, & pone in digeſtione per unum menſem cum dimidio. Quo tempore finito, tu recipe Q. in quo erat aurum putrefactum, & diſtilla ſicut aliàs in aquam in diſtillatione H. & ſuper fæces mitte tantumdem de menſtruo recenti & iterum colloca vas in digeſtionem H. per ſex dies naturales, aut decem: quibus finitis, pone vas in digeſtionem I. & diſtilla aërem ſimul cum menſtruo. Poſtquam noluerint plus diſtillare, ſerva diſtillationem in vaſe ſuo, & ſuper fæces mittas aliud menſtruum & pone in digeſtione H. per ſex dies naturales, & iterum diſtilla ut prius in diſtillatione I. & ſuper fæces mitte de alia lunaria recenti, & pone in digeſtionem I. & ſic reiterabis inhumationes & diſtillationes in H. & I. uſque ad vigeſimam ſecundam diſtillationem & inhumationem. Sed dum fueris in vigeſima ſecunda diſtillatione illa in qua eſt aliqua pars aëris ſimul cum menſtruo ponas ad diſtillandum in digeſtione H. & exibit menſtruum totum per illam diſtillationem aut aliam. Et ſi ibi fuerit aliquid aëris, manebit in fundo ad modum aquæ ſplendidæ aut citrinæ. Et ſi non fuerit ejus quantitas niſi duæ guttæ, aut tres vel quatuor, non reiteres inhumationes & diſtillationes.

Si verò plus fuerit, reiteres inhumationes & diſtillationes in digeſtione H. & I. & mittatur uſque ad xxvi. & xxx. diſtillationem, ut inde evacuetur terra ab aëre. Et in qualibet inhumatione indiges ad minus quinque diebus continuis. Dum verò totum aërem diſtillaveris, qui ſine falſo diſtillabitur per diſtillationes dictas, ſi bene regulaveris magiſterium: poſtea ſi tuum vas, in quo ſunt diſtillationes omnes, & diſtilla cum digeſtione de H. aqua & totus aër inferius remanebit: ita quòd non valebit per digeſtionem de H. ſimul aſcendendo cum menſtruo vel aqua. Dum verò totum menſtruum diſtillaveris, manebit in fundo, & in colore aquæ ſplendidæ pulcherrimæ. Et ſerva illum, quia aër optimus erit, ſi fuerit bene proceſſum in opere. Et quippe proceſſus quem in aëre tenuiſti, eodem modo de purgatione ignis tibi dicimus, ut ſerves eundem proceſſum, neque minus: niſi quia extractio ignis à terra fit cum aëre inhumando. Et qualibet digeſtione, vice diſtillando poſt vicem in digeſtione d. k. vel etiam poteſt fieri diſtillatio cum D. & non C. Quia ſicut ignis eſt nobilius elementum: ita etiam indiget nobiliori menſtruo, vel ſuo aëre. Et ſicut aërem diſtillaſti cum trigeſima diſtillatione: ita diſtillabis ignem cum diſtillatione 40. Quippe dum ſic ſeparata fuerit, ſeu habueris evacuatam terram à ſuo ſpiritu, qui poteſtatem habet reſtringendi. Quæ evacuatio ſic fit &. terram à qua extraxiſti elementa, ſcilicet ignem & aërem, & projice ſuper ipſam de aqua vegetabili, & pone in digeſtione de H. per tres dies: quibus finitis extrahe illud quod diſſolutum eſt ad partem. Deinde pone ſuper fæces de lunaria recenti ad quantitatem terræ & ſtet per alios tres dies, & diſtilla, & miſce illud quod diſſolutum eſt in Q. ubi eſt alterum. Et ſi fac tot inhumationes in H. & evacuationes in Q. ubi eſt alterum. Et ſic fac tot inhumationes in Q. donec modicum veniat de terra. Et cum dicta evacuatio fuerit facta, congrega omnino omnes diſtillationes in alembicum, & diſtilla per alembicum totum menſtruum. Et ſuper fæces pone tantùm de C. ſicut eſt terra: & pone in digeſtione de H. per unum diem naturalem, & iterum reiterabis inhumationes & diſtillationes, donec tota terra convertatur fuerit in pulverem impalpabilem: tunc ſuper ipſam mittas de D. vel C. ſed melius & tutius fit cum D. & rectius quàm cum C. Et pone cum digeſtione de H. per duos dies: poſtea diſtilla per alembicum in digeſtione de I. Et ſuper fæces iterum mitte de D. ſi cum D. operatus fueris, vel de C. ſimiliter ſi cum C. operaris. Et pone in digeſtione de H. & poſtea diſtilla, & diſtillatum pone in altera. Si verò defecerit menſtruum, ſive multiplicatio, diſtilla illud quod per diſtillationem extraxiſti de terra, & operare cum illo. Tot quippe vicibus reiterabis ſuper terram, & inhumabis & diſtillabis, donec tota terra cum D. vel C. aſcendat per alembicum & deſcenderit in receptorium. Iſta quippe materia dicitur apud Philoſophos argentum vivum conſideratione Alchymiſtarum. Dumque, Princeps Sereniſſime, iſta compleveris, accipe diſtillationes omnes, & ſuperpone alembico, & diſtilla in digeſtione de I. quouſq; materia ſit bene exiccata. Deinde trahe terram illam ad ignem de I. & pone in digeſtione de R. & ſublimabitur de terra ad modum argenti vivi in virtute ſublimationis. Sed tu, Princeps Sereniſſime, cum omnia quæ ſuprà diximus compleveris, ſcias omnia elementa te habere, quibus indiges ad Lapidem Philoſophorum componendum. Et capitulum completum invenies de hoc in noſtro Teſtamento, quod recolimus ſcripſiſſe, quod incipit: Quando tuum compoſitum, &c. Melius tamen ut diximus fit purificatio elementorum cum D. quàm cum C. cùm C. aliquid retineat de ſuperfluitate. D. cùm ſit ſublimioris naturæ, non retinet ſuperfluitatem hujuſmodi. Et per hoc elucidatur unum capitulum in noſtro teſtamento, quod incipit. Cùm jam habueris Lapidem, &c. Item in purificatione, terræ vel purificatione à qua diximus ſuprà in parte altera diviſionis elementorum, elucidatur Capitulum noſtrum, quod recolimus ſcripſiſſe in Codicillo noſtri teſtamenti, quod aliàs dicitur. Vade mecum, de numero Philoſophorum, in Capitulo quod incipit: Cùm autem per dictam ſublimationem truncus diminutus fuerit, &c. Et ideo hæc quære ibidem.

Princeps igitur Sereniſſime, dum elementa ſic habueris diviſa, intereſt, ut quoniam illa ſubtiles, ſic ſublimes & fixes. Recipe in Dei nomine aërem per ſeipſum, & pone ipſum in alembico, & diſtilla eum ſepties: vel ut tibi certius erit ſignum, donec noluerit diſtillare aliquid. Item & ſi forſan aër converſus fuerit in pulverem, diſtillabis & purificabis illum cum D. aliàs, cum tantumdem de D. & in ultimo diſtillabis D. & remanebit aër inferius. Scire tamen debes, quòd aëris diſtillatio, & purificatio fit cum digeſtione de I. Item & tu ſatis poteſtes purificare aërem cum aqua ſua, aliàs cum aqua. Sicut autem aërem purificaſti: ita de igne ſimiliter facias per omnia, ſicut de aëre diximus: quia ignis purificatio fit cum igne de K. & aëris cum digeſtione de I. Item per hoc quod diximus de purificatione terræ, invenies ad plenum in lib. Vade mecum, de numero Philoſophorum, in cap. quod incipit: Propterea verò terra ſic per omnia ſublimationis inventæ, &c.

Dum

Dum ergo, Princeps Sereniſſime, compleveris quæ dicta ſunt, habes totum illud de quo componitur Lapis philoſophorum. Tunc quidem fac miſtionem elementorum & eorum pertinentia ad Lapidem componendum. Recipe ergo elementa purificata, in qua purificatione neceſſe eſt remanere fæces in fundo vaſis. Inſuper etiam fæces ignis & aeris ſerva ad partem, & recipe ignem & aerem: quodcumque iſtorum in vaſe ſuo proprio ponitur. Et claude vaſa cum cera gummata, & pone in loco ſereno per tres dies continuos. Quibus finitis recipe tantum de fæcibus ignis ſicut aeris: de fæcibus terræ etiam ibi ponitur. Et ſi tantum non fuerint fæces ſicut elementum, ſuperadde de terra purificata uſque ad quantitatem dictam, & miſce totum ſimul de fæcibus, ignis & aeris in vaſe proprio aeris: & claude multum bene vaſa cum cera & maſtice, & aluta Et unum vaſorum iſtorum in terra ſic ſepelies, ſcilicet vas aeris, & ſecum alterum quod eſt ignis, ſuperaddatur in aere in parte altera. Et fac taliter, quòd lapis nec aliqua res alia noceat. Et ſtent ibi dicta duo vaſa per unum annum continuum. Quo facto, fabricabis quoſdam modulos cereos, in cujus (aliàs in quorum) facturam volueris lapidem exire, ſeu facere. Quibus factis, aperi vas quod impoſuiſti per annum, & mitte intus duos vel tres modulos qui ſupernatabunt, & ſtent ſic in vaſe. Et ſtatim claude vas, & ſtent intus per ſpatium decimæ vel undecimæ partis unius horæ, ſecundum magis & minus, &c. Quippe implebuntur moduli aere conſtrictione mirabili & inviſibili, qui aſcendit ſurſum ad ſuperius de aqua terreſtri. Tranſacto igitur tanto tempore, aperi vas, & accipe modulos: tene extra vas, & imple illos aqua ætherea, quam per ſpatium unius anni ſuſpendiſti in aere. Et iterum mitte illos in vas primum, ubi eſt aqua terreſtris: & ſtatim claude vas, & dimitte ſtare per ſpatium ſupradictum. Quo finito, cum forcipibus argenteis trahas modulos, in quibus miſiſti aquam ætheream: & id quod eſt ſuperius, quod infrà aquam ſuam miſiſti intus, tangat aquam terreſtrem: & ſtent ſic per tres dies continuos ad fortem ſolem in æſtate. In Vere autem & Autumno per ſex dies: in Hyeme per duodecim. Et ſcias, Sereniſſime Princeps, aquam quam in modulis aeris miſiſti. Invenies autem modulos generatos in modum gummæ: & iſta gumma vocatur per philoſophos Elixir. Et dum moduli per ſpatium ſupradictum ſteterint in aqua terreſtri, trahes eos extrà, & pone ad partem in vas vitreum, ſic cum lapide congelatur. Et ſic facies lapides tuos, quouſque non habeas plus de aqua ætherea. Scias, Princeps Sereniſſime, quòd de aqua reſtrictiva modicum expenditur, cum in operatione moduli non impleatur, niſi ejus ſpiritu inviſibili: cujus virtute aqua ætherea convertitur in lapidem. Ideoque dixerunt Alchymiſtæ, quòd lapis noſter componitur ex duabus aquis ex una ſcilicet quæ lapidem facit volātilem, & altera quæ ipſum (aliàs) ſpiritum fixat & indurat. Et cum tali quippe aqua terreſtri, ſpiritu inviſibili de argento vivo vulgi, purum & verum argentum fecimus, ad omnes probationes bonum ſicut de minera, ſine calore ignis communis: quia ratione ſuæ virtutis, ejus odor ita congelavit in probatiſſimum argentum, ſicut omne animal Baſiliſcus inficit viſu ſuo. Nunc igitur, Princeps Sereniſſime, habes lapides duos, ut oportet, ipſos ſecundum ordinem magiſterii ad perfectionem operis deducere poteris. Pone ergo illos in quodam vaſe vitreo bene mundo, & dimitte ſtare per x. dies ad aerem, taliter quòd ſit vas ſuſpenſum. Quibus quidem finitis, oportet ipſos ponere ad tertiam decoctionem, ut habeant totius perfectionis complementum.

Prima autem decoctio fit cum calore ſolum. Recipe ergo lapides tuos, & pone illos in quodam vaſe vitreo: quod per Alchymiſtas Perfectorium vocatur. Et eſt conſtructum, ſicut vas vitreum, oblongum, tenue in ſubſtantia, & claude multum bene vaſa cum maſtice & farina ſiliginis miſta cum filis linei panni ſubtilis. Et pone ad ſolem in Vere & in Autumno, & in Hyeme per 12. vel 18. dies: quibus quidem diebus finitis erit facta prima decoctio. Et ideo oportet te continenter ad ſecundam dirigere decoctionem, quæ eſt media inter primam & tertiam.

Secunda verò fit ad ſolem, licet aliter quàm prima. Ad hanc igitur decoctionem, quæ fit eodem calore ſicut prima, licet aliter: accipe vas vitreum tenuiſſimum, quod poteris invenire, & majus in quantitate, & impleatur aqua clariſſima, & ponatur ad radium ſolis. Et in parte illa inferiori, ubi magis lucet, & ubi magis ignis accenditur, ſcilicet ignis per ingenium vulgi, ponatur vas ſupradictum cum lapidibus taliter quòd luciditas ignis tangat vas ubi ſunt lapides, & ſtent ibi donec ſol non poſſit capi per vas aqua plenum Et continuetur iſta decoctio in Vere per 8. dies, & in Hyeme per 15. quibus finitis eſt finita ſecunda decoctio. Et ideo te oportet continenter ad tertiam tranſire decoctionem, quæ eſt finis complementi lapidis.

Tertia autem decoctio fit cum calore ignis communis, & fit in quodam furno qui vocatur Tripus athanor: cujus figuram in tertio Volumine quintæ Eſſentiæ noſtræ ſituavimus: quam te latêre non credimus. Et fit iſto modo. Recipe lapides quos in vaſe perfectorio habes, & ſic cum vaſe ſuo pone illos in tripode athanor per ſpatium 9 dierum continuando, ſicut ignem de carbonibus ardentibus, quibus finitis eſt completa ultima decoctio; quæ vocatur per Alchymiſtas Sulphur. Et ita quando, ſcilicet habes omne id quod à mundo deſideratur, theſaurum incomparabilem & invariabilem, cum quo finem perfectiſſimi noſtri operis conſequi potes.

Sed eſt unum adhuc de ſecretis, ô Princeps Sereniſſime, ipſos lapides multiplicare. Sed quia lapidis multiplicatio eſt in numero tertio: cujus quidem duo modi valde ſunt tædioſi, quia ſunt per reductionem lapidis ad principium: & ideo hîc tantum unum tibi explicamus, qui magnus eſt valde ſcilicet, & placet. Et eſt iſte. Et eſt multiplicatio lapidis philoſophorum in quantitate tantum: & eſt iſte. Recipe de lapide in quantitate unius ℥. aliàs ʒ. Et mitte 1 pondus ſupra 100. argenti vivi vulgi, & tantum eſt ignis lapidis multiplicatus virtutibus cœleſtibus quod totum ☿ in pulverem redigit comburens omnes potentias minerales exiſtentes in dicto ☿, ſicut virtus Baſiliſci comburit omnes virtutes naturales animalis, & interficit viſu ſuo omne animal: quippe habebis ſic 100. Et iterum 1. pondus ☿ vivi projectum, redigit ipſum in pulverem, ſicut prius. Poſtea ex illo pulvere ſecundo ℥j. pone ſuper 100. millia ℥ Mercurii vivi, rediget ipſum iterum in pulverem in qualibet multiplicatione, uſque ad 100. multiplicationes. Quis igitur numerare poterit multiplicationes unciarum multiplicatarum in quantitate: quarum, Princeps Sereniſſime, quælibet unciarum illarum, centum ☿ vivi multiplicati ℥. 1. ponendō

ſuper centum millia argenti vivi vulgi & fiet totum medicina. Et in tantum continuetur projectio medicinæ ſuper ☿ vivo, donec ignis lapidis ſit extractus (aliàs) extinctus, & convertatur ☿ in metallum perfectum, ut non fiat ex illo alius pulvis.

Sunt & aliæ quædam multiplicationes. Una quidem quæ dicitur virtualis, & quantitativa ſimul: & quæ libet iſtarum fit per reductionem ad primum principium, ut ſatis habetur in noſtro Teſtamento, in duobus capitibus. Primum quod incipit, Quãtus tu, &c. Et in eodem lib. Multiplicationum: Hæc multiplicatio continet: verum in cap. quod incipit: Fili tu prendas, &c. de altera verò multiplicatione in lib. noſtro Quintæ eſſentiæ. Et tantùm de his.

Item ſi vis, Rex Illuſtriſſime, alium ſcire modum noſtri lapidis componendi, qui dicitur per Alchymiam de practica brancharum: eſt ut purifices terram, ut ſuprà te docuimus in practica, quæ tractat de purificatione terræ ☿ in cap. quod incipit: Dum quippe, Rex Sereniſſime habueris omnia ſic ſeparata, uſque ad partem, cap. quæ incipit: Dúmque, Princeps Sereniſſime. Et in noſtro Codicillo in cap. quod incipit: Ara fil quant à quæſt menſtrual. Et in cap. quod incipit: Voges quæ diron, &c. quia dum terram habueris purificatam: deinde elementa ab auro & argento: & purifica terram illorum, ut ſuprà dictum eſt in Practica. Et ſimiliter recolimus ſcripſiſſe in tertio lib. noſtro Quintæ eſſentiæ in parte illa quæ tractat de Purificatione elementorum diverſorum, quæ incipit: Rectificatio quidem elementorum, &c. Et ſimiliter de elementis tu potes facere tantas miſtiones & combinationes, quòd difficulter numerari poſſunt. Sed ut habeas aliquam practicam abbreviatam per aliquas branchas arborum, aliquas tibi explanabimus operationes breves. Eſt igitur quædam alia miſtio ad componendum lapidem philoſophorum: ut videlicet accipias 5. pondera ignis, & duo aeris, & alia duo Mercurii communis 1. quintæ eſſentiæ: & ex altera parte 3. pondera aeris, & tantundem de terra purificata: & in miſtione ignis aeris & quintæ eſſentię, miſce de terra 3. pondera, & in mixtione terræ & aeris de Mercurio cœlico 3. pondera. Item conjunge O. & P. & E. ita quòd O. & P. ſint in pondere æquali, & E. ſit medietas O. vel P. & de Mercurio vegetabili tantum ſicut de E. Itaque O. & P. de K. ambas dictas miſtiones, & diſtilla limos primæ quidem miſtionis: Limi diviſi ſunt cauſa aeris & terræ (aliàs ſic) ita quòd O. & P. de K. ambas miſtiones, & diſtilla limos quidem mixtionis diverſę, ſint cum aere, &c Et D. colligatur ad partem, & limus ignis & aeris de D. colligatur ad alteras, & fæces conſimiliter eorum (aliàs) extremorum. Sed de mixtione ſecunda non eſt ſic: cum ſit unus limus & una fæx. Divide igitur limos in duas partes, & fæces ſimiliter, & mitte de fæcibus in quolibet limo tantùm, ſicut medietas limi. Et ſi non attingunt de hoc, non eſt vis, nec mittes aliquid, quod dictum eſt. Et conſimiliter facies de limis ſecundæ mixtionis, & eorum fæcibus. Dùmque limos habueris reconditos in vaſis ſuis, conſequetur practica ſicut dictum eſt ſuprà. Et illæ mixtiones elementorum & eorum limi, ad doctrinam operis legalem tibi ſufficiant hîc, cauſa brevitatis dicendæ.

Sequitur de aliò Capitulo.

De quibuſdam Mixtionibus abbreviatis.

NUnc, Sereniſſime Princeps, proſequi intendimus mixtiones abbreviatas aliquas. E. prima mixtio eſt, quòd tu des terræ bibere de D. per continuas diſtillationes E. partes ſui. Deinde fac quòd terra ſit ponderata: & de aere 6. & de igne 12. & des terræ prius bibere aerem incerando, in crucibulo donec fluat ad modum ceræ: deinde extrahe materiam, & mitte eam quieſcere ad 10. dies. Poſt hoc reitera, & ſicut eſt mixtum in aere, in alembico ſuo ad P. conſequenter. Et mitte deſuper guttam ad guttam, donec fluat ſicut cera, & dimitte quieſcere per quatuor dies. Poſtea pone ſuper C. metalli ponendo cujus fuerit (aliàs ſic.) Poſtea mitte unum pondus ſuper centum millia, ponendo cujus fuerit B. & fiet metallum perfectum: quippe ſic fuerit auri vel argenti, pone ſuper quodcumque metallum, & fiet quod quæris.

Item fiat alia mixtio ſic: quòd conjungas tria pondera de P. & duo de O. & fiat totum unum corpus: deinde tere (aliàs cera) terram ſuam, & illam cum illo incera O. illius metalli (aliàs) illius vel duorum ſimul, vel trium, ad æquale pondus, vel quatuor.

Item fiat alia mixtio ſic: quòd accipias octo partes P. & unam O. & conjunge ſimul, & pone in digeſtione de H. per 8. dies: poſtea tere (aliàs cera) terram illius metalli, aut alterius, & pone ad diſſolutionem, & limo ſi adminiſtrare volueris aliquando de P. auri, & O. argenti: ita quòd de P. ſint octo partes, & de aere una, & miſce ſimul, & pone in digeſtione de H. per octo dies. Deinde tere (aliàs cera) terram ſuam vel aliam, vel alienam: & cum hac medicina perfectum ſolem facies. Ex contrariis facies quatuor mixtiones: unum ſcilicet pondus O. auri: & octo pondera P. argenti.

Item aliter: Si accipias de igne auri, & de O. ejuſdem medietatem P. & de terra ad medietatem O. & miſce ſimul cum ſeptima parte noſtræ quintæ eſſentiæ, & diſtilla limum deſertum cum quo potes cerare terram ſuam, vel alienam & fæces quæ remanſerunt. Et ſic ſimiliter facies de argento. Et illa tibi, Clariſſime Princeps, ſufficiant cauſa brevitatis. Et per iſtas operationes quas explanavimus elucidatur textum caput in noſtro Teſtamento poſitum: quorum ſecundum incipit: Quant tu auras fixat, &c. Et aliud: Tu prendras de la medicina ℥j. a quella metras in un cruſol. Et in alio quod incipit: En tor quella manera conſervant la practica. Et ſimiliter in alio quod incipit: Fil lo plomb tinguant grand partido de H. Et in alio quod incipit: Et aque ſta ſemblant manera faras. Et in alio ejuſdem libri quod incipit: Tu apiſaras la perfection da queſtas, &c. In quibus quidem ſatis tractavimus de practica abbreviata brancharum, &c. Et nunc de ſecunda parte hujus partis ſecundæ.

Sequitur Secunda Pars hujus Operis: Quæ tractat de Compoſitione & rectificatione Perlarum, & aliorum Lapidum pretioſorum & virtuoſorum.

DIximus, Princeps Sereniſſime, de prima hujus partis ſecundæ, quæ fuit de compoſitione lapidis philoſophorum, & ejus multiplicatione, & aliis mixtionibus abbreviatis: nunc conſequenter dicamus de ſecunda parte hujus partis ſecundæ, ut promiſſum fuit in proœmio, quæ tractat de Compoſitione & rectificatione margaritarum, & aliorum lapidum pretioſorum & virtuoſorum. Et primò dicam

dicam de Margaritis. Opus namque margaritarum sic condies: Primò quòd accipias aquam Mercurii factam per modum quem docuimus in libro nostro Quintæ essentiæ, in capite quod incipit: Recipe igitur illam, &c. Et in nostro Codicillo istis capitulis duobus. Et sic illa aqua in quantitate duarum vel trium ℥ & in ipsa dissolve ℥j. argenti purissimi per calorem digestionis de H. per sex dies. Postea separa fæces per distillationem, quæ erunt albæ. Quo quidem facto ista est aqua qua indiges ad dissolvendum omnia sex metalla, & illorum argentum vivum, cum quo formantur lapides, qui Perlæ vocatur, per reductionem illorum in primam materiam.

Prima autem aqua sic fit: Recipe auri puri ℥j. & dissolve illud cum quantitate dictæ aquæ quantum tibi visum fuerit in digestione de H. sic argentum. Et dissolve in aqua coloris crocei, & trahe aquam deauratam in colore croceo per filtrum, & non cures de illis fæcibus, quia nihil valent ad propositum. Postea distilla aquam per alembicum, & serva fæces secundas.

Aqua verò secunda sic fit: Recipe ℥j. plumbi & dissolve in quantum volueris de aqua prima in digestione de H. sicut fecisti aliam: & distilla aquam viridem per filtrum, donec sit tota distillata: & de istis fæcibus non cures: & distilla aquam istam per alembicum, & conserva fæces secundas.

Aqua tertia sic fit: R. ℥j. plumbi, & dissolve in tanta quantitate aquæ dissolventis, sicut tibi bene visum fuerit in digestione H. postea distilla aquam per alembicum, & serva fæces secundas ut prius.

Aqua quarta sic fit: Recipe ℥j. stanni purissimi Angliæ: & dissolve illud in tanta quantitate aquæ, sicut bene tibi visum fuerit, in digestione de H. Postea distilla aquam per alembicum in digestione de H. serva fæces secundas.

Aqua quinta sic fit: R. de Mercurio vulgi in quantitate ℥ j. & dissolve ipsum in quantitate unius libræ cum dimidia aquæ dissolventis in digestione de I. & serva aquam illam, & de fæcibus primis non cures: sed de secundis, quas serva ut prius.

Aqua sexta sic fit: Recipe ℥ j. ferri purissimi, & dissolve ipsum in tanta quantitate aquæ dissolventis, sicut tibi bene visum fuerit in digestione de H. Postea distilla per alembicum, & serva fæces secundas, sicut de aliis fecisti.

Aqua septima sic fit: R. ℥ j. argenti purissimi, & dissolve ipsum in tanta quantitate aquæ dissolventis, sicut tibi bene visum fuerit, & distilla per filtrum, & ejice fæces primas, & distilla per alembicum in digestione de H. & serva fæces secundas. De omnibus enim aquis fæces secundas servabis in vase suo, quamlibet per se. Quare scias istas aquas cum fæcibus earum, esse materiam, de qua omnes lapides pretiosi componuntur. Cum igitur metalla sic resoluta fuerint in aquas. Et à quolibet illorum repiendo quemlibet limum in suo vase: & cum limi isti splendentes cum virtute mirabili, (aliàs, minerali) & cum magna limositate quæ præparata est ad recipiendas virtutes influentiarum colestium. Et quamlibet illarum aquarum reponas in sua ampulla vitrea cum collo longo & fundo rotundo. Deinde claude orificium ampullarum cum mastice, & corio alutæ. Et quamlibet ampullam cum sua aqua ponas in loco sereno per unum annum integrum, taliter quòd nulla res noceat. Et graduatur per virtutes cœlestium, & per subtile ingenium ipsas accipimus & veneramur. Cum talis natura sit ad hoc naturaliter disposita, & graduativa per cœlestium virtutes, in quibus est natura spiritualis constrictiva, & constringibilis, subtiliata atque simplex, tam per ingenium artificis, quàm nobilis naturæ restaurandæ (aliàs cum molli naturæ restauratione.) Tu quoque sis cautus in resolutione limorum: quia de quodlibet limo duas aquas facies, prius distillando ☿. (aliàs, Mercurii limum) quem ponas ad partem: quia ex ista parte prima fit aqua terrestris, & aliam ponas ad aliam partem, quam ad partem distillabis, ex qua fit aqua ætherea quæ suspenditur in loco sereno, ut dictum est, per unum annum.

Est autem & alia compositio levior, & melior omnia alia compositione, hæc scilicet. Dissolutis metallis tuis per modum, ut diximus tibi prius scilicet & qualibet aqua divisa in partes duas, tu recipe quintam partem illarum duarum, quas fecisti de una in speciali, & illam mitte cum suis propriis fæcibus, quas reservasti ex distillatione alembici, & solutionem hujus partis, quam cum fæcibus suppressisti, distilla limum, quod idem est quod liquor, procedens ex duobus corporibus, scilicet aqua & fæcibus, qui erit resplendissimus valde, & fæces post distillationem manebunt in fundo cucurbitæ vasis distillantis. Ponas igitur limum illum in ampullam cum longo collo, & fundo rotundo, & claude fortiter orificium cum mastice, vel olibano, & quodam corio fortiter desuper ligato: & suspende limum prædictum in loco sereno per unum annum integrum. Dumque limum prædictum posueris in loco sereno, revertere operationem ad aliam partem aquarum.

Tu igitur, Serenissime Princeps, recipe fæces naturales, à quibus resoluti sunt limi prædicti per sublimationem de I. Illas mitte quamlibet partem in parte sua secundum suam propriam speciem, in quadam ampulla vitrea cum collo longo in longitudine duarum palmarum: & cum fæcibus misce simul aliam partem aquarum, quam reservasti, quæ vere aquæ sorores sunt illarum, à quibus resoluti sunt limi: & claude orificium ampullarum, sicut dictum est suprà. Et postea sepelias ipsas in quodam antro in terra, profundo unius palmæ cum dimidia, & pone circumquaque aliquam rem taliter, quòd lapis non noceat, vel aliqua res alia: & stent sic per unam annum integrum, sicut diximus de aliis. Quippe taliter componi possunt Lapides philosophici, cùm una sit via ad unum & ad aliud, nisi quòd lapides philosophici corrumpunt, & veraciter alterant individua: quarum quandoque altera indiget majori sublimatione, ut vidimus suprà in practica, quam diximus. Sicut enim de una aqua duas in magisterio fecisti: sic consimiliter facies in altero miscendo aerem, & ignem, & terram ad pondus æquale. Et sit tantum de D. sicut omnia alia tria. Sed cum O. ponas P. misces D. & pones O. P. D. sit commixta in suo vase in digestione de H. per sex dies. Quibus finitis, divides liquores dissolutos resultantes ex O. P. D. ponatur in cucurbita alembici cum rostro rotundo, & ponas in digestione de H. per tres dies. Deinde extrahe, & pone desuper caput alembici, & distilla limum desertum, in digestione de I. usque quòd fæces sint siccæ: quem limum in aere suspende in ampulla cum collo longo: quem stare permittas ad annum integrum. Et dum ista compleveris, recipe aliam partem aquæ, quam reservasti, quæ soror est limi suspensi: & ponas illam in consimilem ampullam cum collo longo, & supermitte omnes fæces, ex quibus limos distillasti: & claude orificium ampullæ, sicut de lapidibus pretiosis diximus: & sepelias

illam conſimiliter in antro profundo unius palmæ cum dimidia, & fac ut ſupra dictum eſt. Et dimitte ibi ſtare per annum integrum, & tunc habebis materiam aptam cum ſpiritu ſubſtantiali ad componendos lapides philoſophicos. Et tantum de hoc quod tibi diximus ſufficiant tibi, Princeps Sereniſſime, quo ad prius de modis compoſitionum aquarum per artificium, cum quibus formabis utroſque lapides, ſi volueris. Sed quia ad præſens non facimus compoſitionem lapidis philoſophorum: ideo ad præſens revertemur ad compoſitionem, quæ eſt lapidum pretioſorum. Alibi enim ſufficienter tibi dixi, quæ de Lapidis Philoſophorum Compoſitione, videlicet in noſtro Codicillo.

De Compoſitione & Rectificatione Perlarum.

Quibus igitur præmiſſis, ad propoſitum noſtrum revertentes, dicamus de compoſitione & rectificatione margaritarum ſive perlarum. Opus namque margaritarum ſic condies. Recipe aquam Mercurii vulgi, factam per modum quem tibi nunc dicemus: Accipe lunaris liquorem, in tertia rectificatione vel ſecunda, & deſuper unam libram dicti Mercurii, mitte quòd natet ſuper argentum per tres digitos, & pone ad inhumandum per tres dies naturales, & magna per ejus diſſolvetur cum aqua Mercurii, quam extrahes à balneo, & pone in altero vaſe. Et ſuper fæces pone liquorem recentem ut prius, & pone ad inhumandum in balneo fimi, vel aquæ: & extrahe, & pone aquam illam ad partem in vaſe altero: & reitera inhumationes & ſeparationes, donec fuerit totus in aquam reductus. Poſt hoc verò diſtillationes illas conjunge in cucurbita, & diſtilla aquam Mercurii per balneum. Et dum videris quod manet quaſi ſpiſſa, ita quòd aqua Mercurii & argenti vivi ſit libra ſeminis, dimitte & pone ad inhumandum per ſex dies naturales. Poſt hoc mittas intus margaritas, & infra decem horas diſſolventur, tum tale opus dicitur neceſſarium, aliàs magiſterium pigrorum. Exubera igitur ipſas per modum quem docuimus ſuprà in exuberatione metallorum, uſque quò convertantur in ſal. Pòſt verò pone illud in vaſe inhumatorio, & mitte ſuperius ad pondus unius $\frac{\pi}{5}$ Mercurii noſtri vegetabilis, & totum fiet aqua in tribus diebus, quam aquam quater diſtilla. Et poſt hoc pone intus margaritas, velut in ſpatio octavæ partis horæ, & diſſolventur. Et hoc quidem eſt propter majorem ſubtilitatem, Quam quidem exuberationem aliter docemus, quia etiam diſſolvi poteſt in alia maneria cum phlegmate medii ſed oportet ut diſtilletur. Quæ quidem diſſolutio patet in noſtra Quinta eſſentia, in primo libro, in capitulo, quod incipit: Item extrahendi quintam eſſentiam à mineralibus. Per hoc autem quod primò diximus, elucidatur capitulum noſtri Teſtamenti quod incipit: Fil præmentino, &c.

Tu igitur capias margaritas tuas, & pone eas in vaſe vitreo cum collo rotundo, & pone ſuper eas de argento vivo, quod natando manet ſuperius ad modum aciei obtuſi cutelli & pone ad inhumandum per tres dies, & ſtatim diſſolventur. & cooperies vas cum coopertorio ſuo propter pulverem. Et ſic formantur quatuor camerę: quia prima eſt B. D. G. K. Secunda B. E. D. K. Tertia B. F. D. K. Quarta B. D. G. K. Et poſt ſolutionem natabit quædam durioſitas ad modum cujusdam telę. Et hæc eſt forma & jubar perlarum. Et per hoc elucidatur caput ſcriptum in noſtro Teſtamento, quod incipit: La oſtenſion de la natura. Item cum ſeneris quòd margaritæ ſunt liquefactæ, inter aquam Mercurii ſeparabis aquam cum limoſitate margaritarum, colando per pannum bene mundum, & inclinando vas ſuaviter, taliter quòd nihil paſtæ cum limoſitate coletur. Poſtea pone limoſitatem cum aqua Mercurii in balneo per ſeptem dies, & fiet unum corpus: Et per hoc formantur duæ cameræ: prima eſt A. C. E. K. & alia eſt A. D. B. K. Et elucidatur capitulum noſtri Teſtamenti quod incipit: Quant tu verras, &c. Poſt hæc vero habebis formas & modulos tuos ex aere, ad quorum facturas volueris eſſe margaritas: & conſimiliter ſpatulam auri, & imple modulos, id eſt, formam tuam de paſta perlarum, & cum altero cooperi: ita quòd margarita ſit plena. Et ſi fuerit rotunda, vel quovis alio modo facta & indiguerit foramine, perforabis filo auri in illa parte, ubi melius viſa fuerit, transferendo per ambos modulos (aliàs) per ambas moles: & pone ad deſiccandum in vaſe ſimul Zabaya, ideſt, lapis marmoreus, vel vitri, & cooperi donec bene ſiccetur. Et per hoc quod nunc diximus, elucidatur capitulum noſtri Teſtamenti quod incipit: Apres ſua artificio, &c. Præterea poſt formationes margaritarum capias eas, abſque eo quòd eas tangas manu, & poſtquam eas habueris ad modum piſi, & habebis ut viſum tibi fuerit & placuerit, tu cavabis eas ex utraque parte. Poſt verò pones ipſas in aqua limoſitatis, quæ eſt unum corpus cum aqua argenti vivi, & dimitte ibi ſtare per quartum vel quintam partem horæ, & extrahe citò. Et confeſtim ponas in ovis ad unam per 8. dies naturales, & germinabit ovum de die, de tribus in tribus horis: & poſtea extrahe eas, & videbis eas pulchras, & pulchriores naturalibus. Et hoc tibi ſufficit ad effectum. Per hoc autem formantur duæ cameræ aliæ, quarum prima eſt A. D. B. Q. C. G. B. K. & ſecunda A. D. B. Q. Et elucidatur per hoc capitulum noſtri Teſtamenti quod incipit: Quant tu auras formadas, &c. Si autem in opere iſto prolixiores vis videre ſermones, quæras in noſtro Teſtamento cap. ſuperius allegato.

De Compoſitione Lapidum pretioſorum, virtuoſorum. Et primò de Compoſitione Carbunculi.

CArbunculus quippe eſt Rex omnium lapidum, ſicut aurum omnium lapidum metallorum. Unde, Rex & Princeps Sereniſſime, ſi tu vis ipſum artificialiter compone quod ſit ita virtuoſus & virtuoſior naturali: Recipe de aqua terreſtri auri indurativa, quàm feciſti, ut ſuperius diximus, & pone ipſam in vas, quòd ſit factum ad modum unius figuræ inferius ſcriptæ rotundum vel quadrangulatum, vel triangulatum, ſicut placuit: & in ipſa modulo cereo exiſtente, navigando in vaſe aquæ terreſtris, per ſpatium quintæ partis horæ. Qua finita, cape lapidem cum forcipibus aureis, vel argenteis deauratis, & fac taliter, quòd ſuperficies lapidis tangat aquam indurativam, & ſtet ſic per tres dies. Deinde extrahe modulum ceræ, in quo eſt aqua ætherea indurativa per virtutem aquæ terreſtris in ſimilitudinem grumæ. Et cum ipſum modulum extraxeris extra vas, expolia ipſum lapidem à cera qua indutus eſt, & da ſibi arteticum.

Sed poſt dimitte ipſum ſtare per tres dies in umbra, & continuabis ignem illum per novem dies in Vere, & in Æſtate per quinque. Finita iſta decoctione, da fili decoctionem aliam: quæ Artethefis vocatur per conditionem temporum antedictorum. Deinde proſequatur decoctio, quæ ſimiliter dicitur, per quinque dies continuos. Deinde trahas

trahas lapidem tuum perfectum cum omnibus virtutibus & pertinentiis sibi attributis per naturam. Dum verò feceris prædictas decoctiones, scias quòd lapis stare debet in vase, quod dicitur Perfectorium: cujus figuram inferius demonstrabimus. Et scias, Princeps Serenissime, quòd informatio omnium lapidum pretiosorum ejusdem est & viæ, & uno modo fit. Sed finem suorum colorum & virtutum accipiunt ex passione diversarum materiarum quousque sint terminatæ per virtutem ultimæ formationis, quam lapis capit per virtutes ignis communis in propria forma, sub conservatione suarum virtutum operativarum. Et perficitur eorum virtus à natura super cœlestium, secundum materiæ capacitatem.

Similiter omnes decoctiones æqualiter exhibentur omnibus lapidibus, præter adamantibus, quorum decoctio longior est, ratione suæ duritici. Virtutes verò lapidum ponere non curamus in præsenti Compendio: cum intentio nostra non sit in præsenti Compendio, tractare nisi de ipsorum Compositione tantùm. Tunc sufficit tibi, quod omnes secundum istam doctrinam compositi, sunt tantæ virtutis, sicut quos natura producit, & etiam fortiorum, & plures virtutes sunt habentes quàm naturales, ut experti fuimus sæpius in compositis à nobis gemmis. Et satis de virtutibus cujuslibet tractavimus in nostro Lapidario, quem scimus tibi missum à domino Odoardo rege Anglorum. Ideo hîc in summa tantùm de aliquibus tractamus, quod ad eorum veram compositionem: ut compendium tibi reddamus, & non prolixitatem negotii præsentis.

De Compositione Adamantis.

Compositio quidem Adamantis fit ex natura argenti transmutati in naturam lapidificam. Et sic per artem ingeniosam fieri potest. Recipe de aqua argenti terrestris, & pone illam in vas indurationis ad indurandum, & mite intus modulum cereum per temporis spatium suprà prædictum dd Carbunculo. Postea mitte de aqua aerea in modulo, in quo formari debet dictus lapis. Postea da sibi informationem in umbra per tres dies naturales, quæ est prima informatio, quando aqua aerea fit gumma virtute spiritus aquæ terrestris. Postquam verò administrasti aliam informationem, quæ fit generando, modulum cum forcipibus de auro, vel argento deaurato: id quod est inferius ad superius move taliter, quòd lapis tangat aquam indurativam: & stet ibi per tres dies continuos ad solem fortem in Æstate: in Vere verò & Autumno per sex, & in Hyeme per duodecim. Quo facto, fac transire per decoctionem, quæ dicitur Optesis & per aliam, quæ dicitur Optatesis, per tempus, quod suprà scriptum est de Lapidibus Philosophorum. Sed in digestione tertia, quæ dicitur Sulphur, stet per quatuor vel sex dies continuos: quia ratione suæ indurationis, indiget magis de ista digestione, quàm alii: quia inter compositiones Lapidis, nullus alius est tantæ soliditatis: quia nec ferrum, nec ignis ipsum sine speciali artificio dividere potest, ratione altitudinis suæ naturæ: sicut ad longum ostendimus in nostro Lapidario, ubi de virtutibus ipsorum determinavimus.

De Balasso.

Balax lapis est creatus, seu generatus, seu compositus ex duabus naturis, duplicis argenti vivi æqualiter mixtis: scilicet ex aqua aerea auri simul compositis, in modulo suo ad indurandum in aqua indurativa argenti similiter mixti æqualiter. Deinde quod prosequitur per illas tres decoctiones, sicut in decoctione Physicalium lapidum diximus: & tenendo processum sicut in compositione Carbunculi.

De Saphiro.

Saphirus gignitur sive componitur similiter ex natura duplicis argenti vivi aquatici simul & aqua ætherea argenti, & ex aqua ætherea stanni in quarta parte ponderis aquæ argenti: & similiter de arte indurativa argenti, & de aqua indurativa stanni per dictum pondus: induratus in modulo cereo, & decoctus eo modo, sicut de aliis dictum est suprà.

Alabandina.

Alabandina verò componitur ex argento vivo ferri, & est coloris rubei valde resplendentis ratione sulphuris & è converso, in naturam aquæ aereæ ignitæ recipiens naturam argenti vivi. Et quia natura sua est aeris, ideo restringit sanationem. Recipe ergo de aqua aerea ferri, & imple modulum cereum post virtutem restrictivam acceptam, & indura illam in aqua terrestri ferri, & persequere per informationes superius de aliis datas.

De Torquete.

Torques componitur ex natura duarum aquarum aerearum, & duarum constrictivarum. Recipe ergo ℥ iv. aquæ aereæ veneris, & unam aquæ aereæ plumbi, & pone ad indurandum in modulo cereo, in aqua indurativa veneris, mixta cum aqua terrestri plumbi, per pondus dictarum aquarum aeris & plumbi, & da sibi informationes quas diximus de aliis, & decoctiones.

De Smaragdo.

Smaragdus componitur ex natura duarum aquarum aerearum, & duarum restrictivarum. Ad componendum ipsum igitur, Recipe quot partes volueris de aqua terrestri argenti. Et cum illa misce quantum volueris de aqua terrestri cupri, donec videas quòd habeat intensum colorem, vel remissum secundum quòd volueris. Et pone prius modulum ceræ in propriis aquis istis terreis, per spatium quintæ partis horæ, ut melius impleatur virtute indurativa. Et post quidem imple modulum aqua ætherea cupri, & pone ad indurandum per unam partem horæ. Postea verò gira modulum, ut dictum est de Carbunculo taliter, quòd aqua indurativa tangat aquam aeream congelatam. Et dimitte sic stare per tres dies continuos ad fortem solem, in Æstivo tempore, in Vere & in Autumno per sex, & in Hyeme per 12. Quibus ita finitis extrahe lapidem induratum, & fac ipsum transire per tres informationes, intellige decoctiones tres: quarum prima dicitur Optasis: secunda Optatesis & tertia dicitur Sulphur, ut suprà satis explanavimus, ubi descriptiones illas depinximus.

De Heliotropia.

Heliotropia etiam componitur ex illamet natura, de aqua Smaragdus componitur. Et per pondus & per mixtiones aquarum illius, nisi antequam fit inspissivè, sicut ablugo ovi, extrahe modulum

tuum

tuum cum forcipibus auri vel argenti ab aqua indurativa, quæ eſt indurata per quatuor vel quinque guttas minimas, de aqua ætherea ferri. Tunc illum modulum mitte cum ſua aqua indurativa per unam partem horæ. Poſtea extrahe illam, & pone in aqua indurativa per quintam vel octavam partem horæ (aliàs) ad unum Miſerere. Poſtea extrahe, & da ſibi indurationem per tres dies ad ſolem in aqua terreſtri Smaragma, quando modulum, ut de aliis dictum eſt. Poſtea extrahe illam à cera, & da ei informationes, ut diximus de aliis.

De Monaſco.

Monaſcus eſt lapis habens colores multiformes: quia quidam ſunt albi, alii rubei, & alii medii inter nigrum & Lazurium: & alii albi obſcuri, ſicut Calcedonii. Et quilibet iſtorum habet ſuam diverſam naturam & virtutem in Operatione. Sed inter omnes hos magis laudatur rubeus, ſed utrique ſunt boni ſecundum propriam naturam. Albus componitur ex aqua aerea argenti, & ex aqua aerea ſtanni, & ex aqua aerea plumbi æqualiter mixtis, poſitus ad indurandum in modulo habente figuram hominis, in aqua indurativa argenti & ſtanni per æqualia pondera. Rubens verò componitur ex aqua aerea auri poſita ad indurandum in aqua terreſtri auri, & in aqua terreſtri ferri, mixtis per æquale pondus. Vel poteſt componi ex aqua aerea auri, & aqua aerea argenti, æqualiter mixtis, poſitis ad indurandum in aqua indurativa auri. Item niger componitur ex aqua aerea argenti, & ex aqua aerea auri, induratis in aqua terreſtri argenti, & in aqua terreſtri plumbi poſitis ad ſolem, & quòd tranſeant per omnes tres informationes, eo modo, ſicut de aliis ſuprà dictum eſt.

De Topazio.

Topazius componitur ex natura duplicis argenti vivi redacti in ſpeciem aeris, ſic: Recipe aquam aeream auri, & miſce cum illa ad quintam partem aquæ aereæ ferri: & pone in modulum ad indurandum in aqua indurativa auri: & fac conſequenter, ſicut de aliis diximus.

De Calcedonio.

Calcedonius componitur ex aqua terrea ferri, & ex aqua terrea argenti mixtis æqualiter, & in modulum poſitis in aqua terreſtri ferri ſimul mixtis æqualiter. Et quod tranſeat per omnes tres informationes eo modo, ſicut de aliis dictum eſt.

De Berillo.

Berillus componitur ex natura duplicis argenti vivi. Una eſt de aqua argenti aerea, & alia de aqua ſtanni aerea mixtis æqualiter. Imple ergo modulum, & indutetur in aqua terreſtri argenti: Deinda ſibi informationes & decoctiones eo modo ſicut de aliis diximus.

De Compoſitione Perlarum.

Sed quia prius diximus de rectificatione margaritarum: ideo & nunc dicamus de earum compoſitione. Compoſitio verò perlarum fit ex ſubſtantia triplici argenti vivi converſi in ſubſtantiam aquæ aereæ. Recipe igitur aquam aeream ſtanni, & aquã aeream argenti, æqualiter mixtas & induratas in modulo cereo in aqua indurativa ſtanni & argenti æqualiter mixtis, & tranſeant per informationes, ſicut diximus ſuperius de aliis.

Perlæ etiam ſecundum aliam viam componuntur ſic: Pulveriza eas parvas minutas in pulverem ſubtiliſſimum, & diſſolve illas in tali aqua, ſicut metallum diſſolviſti ſuperius dictum in parte illa, ubi tractatum eſt de metallorum diſſolutione. Vel diſſolve eas in aqua, ubi argentum vivum vulgi diſſolviſti ſuper in digeſtione 1. ponendo de aqua dicta quod natet ſuper margaritas, in groſſitudine medii digiti. Et poſt diſſolutionem natabit quædam limoſitas ad modum cujuſdam telæ. Et iſta tela, Princeps Sereniſſime, eſt forma tranſparens orientalis in parvis. Et per hoc quod diximus elucidatur capitulum unum noſtri Teſtamenti, in illa parte quæ tractat de parvarum perlarum confectione. Item & poſtquam ſenties quod margaritæ ſunt liquefactæ intus, aquam Mercurii ſeparabis cum limoſitate margaritarum in aliud vas, inclinando vas ſuaviter, taliter quod niſi de fæcibus vadat cum aqua & limoſitate. Si verò cum aqua limoſitatis fuerit aqua de fæcibus, cola ipſam per pannum ſericum bene mundum. Poſt hoc pone aquam illam in qua eſt limoſitas parvarum in ampulla cum longo collo in digeſtione de H. per 8. dies: quibus tranſactis, fiet illa cum limoſitate metalli, totum unum corpus. Et per hoc elucidatur aliud capitulum noſtri Teſtamenti. Poſt verò habebis modulos tuos de auro puro, vel de argento deaurato à parte interiori, ad ſimilitudinem cujuſvis margaritas exiſtere, vel formare. Et conſimiliter ſpatulam auri vel argenti deaurati. Et fac quòd moduli ſint in duas partes diviſi. Et ſi modulus fuerit rotundus, vel quovis modo formatus, ſeu figuratus, & indiguerit foraminibus, perforabis illum ubi vis. Poſtquam modulus conjungitur alteri, vel cum altero: imple modulum tuum de paſta pulveris, quæ remanſit de aqua ex limo facta. Itaque utraque pars moduli ſit plena paſta, & per foramen moduli mitte unum filum auri, & ſic facies omnes. Et dimitte ſic ſtare paſtam in modulis ſuis per unum diem naturalem. Quo tamen facto, ſi videris quòd modulus poſſit dividi à paſta, trahes grana illa à modulis: & ſic non dimitte ſiccare, donec poſſis ipſa grana extrahere. Dumque extraxeris à modulis jam dictis, pones ipſas ad deſiccandum in quadam lamina vitri quę ſit ampla & plana, & cooperi cum quodam vaſe vitri, vel cum aliqua re alia, ne ipſas pulvis tangat: & ſtent ibi donec ſint bene ſiccæ. Et per hoc, quòd hîc jam breviter diximus, elucidatur cap. noſtri Teſtamenti quod incipit: Præterea, &c. Et poſt formationem margaritarum & illarum deſiccationem, tu accipies filum auri longum, & mittes illum per foramina illorum. Et caveas quantum fuerit poſſibile, quòd non tangas illas cum manu, ſed cum forcipibus auri, vel argenti deaurati. Poſtea habeas quoddam vas vitreum ad modum ovi gallinæ foratum & cavabis illas ex utraque parte. Et illud quod eſt intus pone extrà Poſt hoc verò pone margaritas ſuſpenſas per filum auri in aqua limoſitatis, quam per novem dies poſuiſti in digeſtione de H. taliter quòd ſubmergantur in aqua, & ſtatim pone deſuper coopertorium, & dimitte ſic ſtare ipſas per duos dies naturales: quibus finitis extrahe, & pone illas ad umbras, ubi ſol non tangat eas per tres dies naturales. Deinde adminiſtra ſcilicet, formationem Optaſim. Hoc modo pones tres parvas in filo auri: deinde mittas in unam teſtam ovi mundam, quæ cooperiat illas vel plures, ſecundum illarum vel ovi quantitatem:

tatem: deinde aliàs, & ponas in vas vitreum vel ovum, &c. deinceps, donec omnes ordinatæ fuerint. Et si fuerit tempus æstivum dimitte illas stare sic ad solem per tres dies naturales, in Vere, & Autumno per sex, & in Hyeme per novem. Sed nullam decoctionem Opteticam consulimus tibi in Hyeme alicui rei facere. Et qualibet die girabis ova, vel vasa supradicta, de tribus in tribus horis. Finitis quippe his diebus extrahas margaritas tuas. Deinde administra sibi formationes per tres dies per decoctionémque tertiam, quæ Sulphur dicitur, in vase quod dicitur Perfectorium: Quibus finitis, trahes tuas margaritas à tripode Athanor, & videbis eas perfectas: quia naturalibus prævalebunt in omni perfectione: & tunc utere illis sicut volueris. Fit autem ista fabricatio similiter de conchilibus inventis in ripa maris, quæ colores habent multum varios: quia quædam sunt alba, ut perlæ cum colore orientali: quædam crocea ad modum auri purissimi & splendidissimi, similiter colorem habentia orientalem. Alia verò sunt cum colore balacis, simili modo orientali, potes igitur, Princeps Serenissime, de quibus vis conchilibus Perlas componere, & Perlæ erunt illius coloris, cujus fuerint conchilia, de quibus compositæ fuerunt: fitque opus pulcherrimum ex omnibus istis, & in multis utilibus valde. Non tamen vidimus terræ partes, in quibus hujusmodi conchilia sint & reperiantur nisi in Cypro, prope civitatem Famagostæ. Et in regno Portugaliæ prope civitatem Ulyssibonæ in littore maris. Et in quadam villa, quæ dicitur Canilla, & in alio loco, qui dicitur Portus Mueve: & ad latus usque ad S. Vincentium de fine mundi. Vidimus enim omnia ista dum ad Angliam transivimus, per intercessionem Illustrissimi Regis Angliæ Odoardi.

Hæc igitur omnia quæ tibi diximus, tam de lapidibus physicalibus, quam virtuosis & pretiosis, tibi causa brevitatis nunc sufficiant: quia tibi in hoc libello compendium trado breve & non prolixum. Et quia per doctrinam tibi traditam, potes alios quosvis componere conspiciendo colores proprios unjuscujusque lapidis, & formas & figuras illorum. Et tunc facere quæstiones de aquis diversis secundum doctrinam tibi traditam. Et si tu ista queris, grossipedalis sim aliqua subtilitate operis compleveris, invenies verum esse quod tibi diximus. Noli tamen festinare, nec ab opere cessare, nec agites naturam per minima. Et si diviseris naturam per minima operis, plus dabit tibi, quam optas. Si verò vis scire rationem: quare aqua istius doctrinæ tantam habet virtutem, ut per artificium illarum natura componatur ex una parte: & isti lapides artificiales potentiorum & majorum sunt virtutum, quam naturales. Quare philosophorum lapides sint tantæ activitatis & virtutis, sicut diximus, quæras in Lapidario nostro, in quo prolixè tractavimus de omnibus his, & ibi habebis omne complementum. Cum intentio nostra in præsenti compendio sit nisi practicam nudam à theorica, distinguere: cum adjutorio illius qui est trinus personaliter, & unus essentialiter, omnis boni largitor existens, regnans per omnia secula.

A Significat Deum.
B Quatuor elementa confusa in metallis.
C Lunariam rectificatam in qua solvuntur elementa,
D Quintam essentiam vini.
E Aurum, quod dicitur Sulphur natura.
F Metallum.
G Limos elementorum.
H Calorem primi gradus.
I Calorem secundi gradus.
K Calorem tertii gradus.
L Causam corporum immediatè genitam propter dissolutiones corporum.
M Spiritus corporum perfectorum.
N Aquam metallorum.
O Aerem ipsorum.
P Ignem eorum.
Q Instrumenta vitrea.
R Ipsum lapidem.
E Elementa.
C Vapores.
D Aquam claram.
E Azot vitrum.
F Vapores ex eo resoluto.
G Sulphura sicca genita ex ipsis vaporibus.
H Sex metalla.
C Temperamentum.
D Intemperamentum.
E Neutralitatem.
O Quintum elementum.
P Quartum scilicet ignem, elementum.
Q Tertium, scilicet aerem.
R Secundum, scilicet aquam.
S Primum, scilicet terram.

Inter hæc, tria sunt necessaria in Opere isto, scilicet Corpus significatum per N. Spiritus per O. & Anima per P.

Sunt & alii gradus digestionum, aliis signis signati.

Epistola Accurationis Lapidis Benedicti Raymundi Lulli, *missa olim Domino Roberto Anglorum Regi ab ipso. Anno Domini M.CCCC.XII.*

In virtute sanctæ Trinitatis, ipsiusque infinitæ bonitatis, &c.

CUm ego Raymundus de Insula Majoricarum, jam præteritis temporibus, plures libros in arte transmutationum composuissem, & librum omnium librorum secretissimum de lapidum pretiosorum secundum virtutes suas compositione, quæ est ars difficilior omnium, quæ per artem fieri possunt: tibi Roberto Regi vulgari sermone transmisi, ut certior in laborando existeres, quia scientia omnium experimentorum fallax est. Cum inter quascunque operationes tibi omni modo infaciles, tam ex parte influentiæ, quam tibi ingenium artificis applicationis errores vidimus occurrere. Ideo omnes libros meæ compositionis tali stilo scribere volui, ut quantum esset ex parte scripturæ, nullum in errorem cadere contingat, ut tu nosti in libro nostri Testamenti & Apertorii: ubi omnia clarissimo sermone tractavi, quæ per artem fieri contingunt.

Quos libros puto jam te bene perlegisse: & supremè intellexisse. Te tamen ad ea quæ ibidem scripta invenies admoneo, ut Deo summo placere studio labores. Et omnia tibi in secreto artis revelata, apud te retineas, ne thesaurum apud indignos dispergas, ne Deus scilicet, hoc judicium deposcat. Omnibus autem Deo dilectis sine pretio si possis eis omnia communicare, quæ tibi Deus ostendere dignatus est. Ego cum Viennam transivi, literas ruæ manus inveni mihi antemissas, quas legens te solerti

studio percepi. Tuis autem mandatis propter certas occupationes acquiescere non potui: Deinde Salernum ivi, ubi cum quosdam libros Medicinæ ex principiis artis ob rogatum quorundam extraxi: tu me continuò literis visitasti, ubi intendebas quærere de ingenio artis lapidis benedicti, si via dari posset brevior viis scriptis in aliis meis libris. Hoc autem quærere otiosum mihi visum est: quia in cujuslibet intelligentis præsentia alicujus scientiæ omnes Syllogismi etiam nunquam scripti sunt. Quare ut existimo, si tu mea scripta intelligas, & non es viis nostris contentus, elige tibi breviorem mea applicando.

Quæsivisti etiam quis trium lapidum, utilior, brevior, nobilior & efficacior sit.

Plenè hoc aliis meis libris declaravi. Tum ut petitioni tuæ acquiescam, dico, viam Mineralium longam & periculosam fore. Tota enim via mineralium consistit in duabus aquis, quarum una facit lapidem volatilem sine labore & periculo: alia autem eum fixat, & secum fixatur cum periculo: quia hæc aqua extrahitur, ut nostri ex quodam menstruali fœtenti immundo ex rebus quatuor. & fortior est aqua mundi & moralis: cujus spiritus totam tincturam fermenti ampliat. Et majus periculum est, ne in ablutione effugiant apud quemque cum ingenio laborantem. Iste lapis cum breviore tempore, & cum magna fortitudine conversionis producitur.

Lapis verò animalis est ille, qui non habet finem propter regere elementa: in quo major est scientia, quàm in aliquo alio lapide. Et ibi possunt maxima secreta naturæ extrahi, non solùm quo ad Lapidis compositionem, sed etiam quo ad cujuscunque rei in alteram transmutationem, ut in Apertorio factum declaravi. Effectus istius lapidis est valde magnus & mirabilis, ut ibidem ostendimus.

Lapis autem vegetabilis, quanquam longus fit: tamen est carus, si supremæ compositionis debet sequi animalem, quo ad rectificationem elementorum. Et si sic præparetur, ejus effectus transcendit animalem. Ideo Elixir magnum in vegetabili, ita accurtari potest, quòd mirabile videatur cum tanto effectu transmutationis, & omnino transmutatum per lapidem vegetabilem. Nam in virtute bonitatis & magnitudinis transcendit propter quintam essentiam, de qua lapis imprægnatur, qua in mundo mirabilia facit.

Omne autem aurum albificum ex corrosivis fit, & ex quinta essentia incorruptibili, quæ cum fermento fixatur per ingenium artificis. Talis autem quinta essentia est quidam spiritus in lapide mortificativus & vivificativus. in animali autem aurum est summa medicina corporibus humanis, ut si ex sanitate extraheretur. In vegetabili est restitutio juventutis, conservatio corporis humani ab omni accidentali corruptione. Et sic ut sit spiritus quintæ essentiæ, est ille qui tingit & transmutat, si cum debito fermento impastetur, & sanius, & nobilius opus vegetabilium.

Quæ sivisti de accurtatione. Dico quòd omnis accurtatio est diminutio à perfectione. Quoniam medicinæ quæ per accurtationem fiunt, minorem effectum habent transmutationis. Accurtatio autem lapidis mineralis potest esse multiplex. Sed mihi videtur ut ejus effectus transmutationis non diminuatur, tunc solùm post primam calcinationem & putrefactionem quæ fiat per primam aquam bene limpidam & clarificatam viginti diebus: minori autem tempore nihil fieri potest. Postea semper pulvis colore sanguinis sui, & distilletur secunda aqua summo ingenio, ne spiritus evadant secundum ingenium datum in Testamento nostro. Et accipe solùm ultimam partem aquæ post rubificationem alembici, & in ea aqua solve pulveres locando in aqua calida. Et ibi cooperto vase perseveret die ac nocte unà post solutionem. Postea suppone alembicum, & distilla in balneo totam aquam, donec remaneat, nisi quantitas aquæ in pondere pulveris. Hanc aquam distillatam abjice, quia nihil de spiritu debet habere: reliqua verò quæ remansit cum corpore, vase bene clauso in cineribus calidis congela: quo congelato fac aliam aquam, & superfunde, ut dictum est, distillando & congelando. Et hoc continua usque ad decem vices: postea procede solvendo & congelando toties, quoties tibi placuerit, vel donec amplius congelari non potest. Et scias quòd in qualibet solutione completis decem ablutionibus, corpora in certa quantitate transmutantur in aurum. Et hanc medicinam ad maximum in octoginta diebus complere poteris.

In animali verò non video accurtationem aliquam, nisi ut terra cum igne regatur, & aqua cum aere, & ideo valebit: & est accurtatio medii temporis.

Nunc verò ad vegetabilem venio, ubi est principale intentum, & secundum ingenium magis securum: quia semper timetur in minerali, ne spiritus in ablutione effugiant propter aperire vasa. Hic autem non est timendum, quia vas ante fixationem non aperitur. Et ut te magis ad vegetabilia teneas, hoc tibi secretum revelabo. Accipe nigrum nigrius nigro, & ex eo partes octodecim distilla in vase argenteo, aureo, vel vitreo, per modum dictum in Testamento. Et in prima distillatione solum recipe partem primæ cum dimidia, & hanc partem iterum pone ad distillandum. Et hujus iterum quartam partem, & tertiò distilla, & hujus recipe duas: & in quarta distillatione pauco minus quàm totum. Et sic distilla illam partem usq; ad octo vel novem vices, vel decies. Postea habeas duo vasa facta ad modum picturæ hujus, quorum quodlibet habeat alembicum annexum. Et in uno alembico fit ingenium, ut bocia intret os alembici, & sit æqualis spissitudinis ad unam palmam: & alter alembicus intret in bociam alterius. Hoc autem ideo fit, ut firmiter possint insimul collari. Pone ergo in qualibet bocia unam libram hujus aquæ, & ℥ fermenti bene & optimè purgati & foliati, & habeas furnum cum ingenio factum, ubi unus ignis carbonum, possit per brachia furni temperatum calorem partiri, ubi colloca tua vasa, & fac ignem. Et est hoc ingenium excellentissimum, quia hic ignis non potest fieri major quàm necesse est. Tunc enim quando ampullæ sentiunt calorem, statim solvitur in eis fermentum: tunc liga circunquaque ad cannas alembici, & bene spica Et ubi intrant cucurbitæ, sint strictæ: & spongias tene continuè madidas cum aqua ferrea. Et cum hoc ingenio apparenter vides qualiter quælibet libra bis distilletur in die, & bis in nocte: & remanet continuè una quælibet in vase: quia quantum ascendit ex uno vase, tantum intrat de alio. Et cum sic videris ascendere & descendere cum æquali igne, continuè videbis qualiter ratione caloris subtiliatur & inspissatur spiritus. Et hoc est miraculum hujus artis: quia si divita distillaveris continuè, semper aqua in gradu subtilitatis & acuitatis ascendet, & continuè propter fermentum

tum inspissatur. Ergo quanto distillatio ejus fuerit leviori igne, tanto subtilior erit in spiritu & fortitudine, & ingrossata continuo fermento. Hunc autem modum tene usque ad viginti vel viginti duos dies: & inspissabitur quinta essentia aquæ hujus benedictæ, sic quod amplius non ascendet: & cum fermento fixabitur, & in lapidem consequenter. Et cum hoc videris, ambo vasa extrahe simul, & loca in fimo vel balneo. Et iterum statim in una nocte solvetur, & tunc iterum congela, & hoc facrer. Et amplius manebit in Dei virtute, & potentia, & gratia exaltatus, quod bene congelari non poterit: quoniam ut oleum videbitur inspissatum aliqualiter. Et hic est pretiosior modus omnibus qui fieri possunt. Tum scire debes, quod si fermentum album posueris decem diebus, congelabitur quinta essentia super ipsum: eo quod res multùm grossa, terrestris, & firma est in Luna. Sed non ita citò solvitur post complementum fixionis quintæ essentiæ, sicut in Sole. Unde quasi in fine complementi tempus non est diversum in albo & rubeo. Et Deus novit, quòd hic modus in effectu, subtilitate, & virtutis bonitate cunctis operibus mundi est subtilior & melior: quamquam illas proprietates Elixiris non habeat, quas philosophi tempus magnum habere affirmabant. Puta si hanc medicinam completã junxeris cum quolibet metallo, quòd transmutatio fieret secundum primam: puta, si medicina sic confecta non reperitur: quia jam quinta essentia, quæ totum lapidem componit quo ad ejus motum & tincturam, est jam fixa & firma in fermento simul juncto, sic quod faciat transmutationem secundum hoc fermentum. Sed si velles medicinam facere universalem secundum modũ jam dictum, non oportet te facere fixionẽ super aliquo metallo, sed super sua propria terra: & tunc cum metallo conjungetur. Nunquam tamen hoc mihi placuit: quia ejus fixio est multùm periculosa & longa, & rarò terra propria est bene naturalis: & si naturalis esset, tamen effectus ipsius post completũ esse, non invenitur tantæ potentiæ sicut hîc, quando quinta essentia super altero fermentorum fixatur, ubi citò fit fixio, & effectus citius & fortis si causas cognoscis: ut pote quare medicina transmutet me verum dicere asserens. Tene te hîc & modo ingenium principale tibi notum feci. Et scias quòd si peracta decima octava distillatione, in ea aqua solveris aurum, & postea evolare miseris aquam lento igne, & aurum demũ in humido loco vel balneo locaveris, statim in quatuor diebus per se solvetur. Et hæc solutio est aurum potabile, habens multas virtutes, ut in libro Conservationis honestæ vitæ scripsi. Insuper si cum isto auro sic soluto bene miscendo impastaveris argentum vivum septies sublimatum cum vitriolo, & sint pro una ℥. auri septem argenti vivi: & postea sublimaveris impastatum aliquibus vicibus, semper sublimatum super fæces, reducendo fixabitur Mercurius in medicinam penetrantem & optimè tingentem.

Item aliud miraculum. Si ℥ j. hujus auri sic soluti per se poneretur in igne lentissimo octo diebus cum centum partibus Mercurii, congelaret totum in aurum. Hæc enim mirabilia sunt in natura: & tamen hoc totum provenit ex parte spiritus aquæ, quæ in solutione auri cum auro inseparabiliter fixatur. Et potest ingenium altum miscere modos mineralium & vegetabilium. Et medicinam altera via brevi in hunc modum componere. Distillato lapide vegetabili, usque in eam distillationem, quòd tota aqua super phlegmate, fit: & hoc in quinta vice contingere solet. Tunc habeas vitrioli bene lucidi, & optimi cinnabrii in æquali pondere, & insimul miscendo optimè tere, & in sole desicca sic, quòd tibi videatur, quòd tota aquositas exibit, sic exiverit. Tunc projice intus aquam tuam, & distilla lento igne in principio, & in fine forti, ut moris est, in aqua philosophorum acuta, & tunc spiritus quintæ essentiæ vitrioli & cinnabrii, quæ principaliter constituunt lapidem mineralẽ, miscentur & conjungentur cum spiritu quintæ essentiæ aquæ ardentis: qui spiritus est anima lapidis vegetabilis, ut tibi notum est. Et hoc continua usque ad decem vices, puta à quinta incipiendo. Et sic cum istis corporibus continua distillationes quinquies. Et habeas in mente, quòd res tunc sint optimè desiccatæ & aridæ: antequam in aquam projicias, fac quòd tota aqua sit exiccata, & spiritus remaneat: qui propter fortitudinem aquæ ardentis conjungatur: & in qualibet distillatione novas res imponere debes. Et cum perfeceris decimam distillationem, computa à principiando aquæ ardentis, recipiendo aurum in pondere, ut suprà dictum est in vegetabilibus per se, & loca in furno, componendo singulariter, ut dictum est. Et tunc videbis mirabilia: quoniam in decem diebus tota fixio complebitur, quæ in vegetabili simplici non complebitur, & hoc est, quia spiritus unus ingrossat alium. Et quia spiritus quintæ essentiæ vitrioli est magis fixus & grossus, quàm spiritus quintæ essentiæ aquæ ardentis: & etiam magna est concordia inter spiritum vitrioli & naturam auri: quia ambo ex iisdem principiis cum mineralia sunt trahunt originem: Ideo spiritus vitrioli conjunctus spiritui aquæ ardentis inspissat eum, & adhærere facit eum citò auro, ut secum fixetur. Et crede mihi, quòd hæc curtatio est præexcellens in arte quantum ad aurum albricum, non tamen ad virtutem medicinalem.

Adverte, quòd multi philosophi dixerunt infinitas operationes: puta calcinationes, solutiones, &c. Et hoc totum, ut spiritus quintæ essentiæ possit bene conjungi fermento, & fecerunt multas reiterationes, ut spiritus jam conjunctus corpori, in illa operatione fortificaretur per alium spiritum: & sic fecerunt unam aquam, & calcinaverunt corpus, & dixerunt spiritum adhærere. Et fecerunt aliam, & solverunt & coagulaverunt spiritum illius aquæ cum fermento. Et postea iterum aliam, & solverunt & coagulaverunt, & sic fatigabant se multis diebus, antequam aliam medicinam producerent. Et per hoc tibi notum est, qualiter hoc quod illi diversis operationibus & maximis periculis quæsiverunt, hîc multo meliori ingenio, unica actione completur. Et necesse est hanc medicinam esse optimam & meliorem, quàm si per suos modos compleretur: quoniam in singularibus aquis pauci sunt spiritus, & quando agunt, agunt solùm extremitates. Et alii spiritus cum illis fixantur, & res grossæ: sic quòd medicina esset aliquando fugitiva: quia spiritus non finit in intimis fermenti, sed in extremis, ubi spiritus non possunt fixari, & ideo, &c. Et sic facta fixione, procede per solutionem per se in balneo, ut dictum est in Vegetabilibus. Sed est sciendum: quoniam hic lapis mixtus non solvitur sicut vegetabilis: tamen citius solvitur quàm mineralis per se. Aliquoties etiam per fixiones: & medicinæ plus penetrant. Unde medicina penetrans bene, transmutat. Et quando plus penetrat, tanto citius corporibus conjungitur, & erit majus Elixir.

Sed ut omnia breviſſimo modo poſthæc tibi ſcribam. Scire debes, quod ex plumbo philoſophorum extrahitur quoddam oleum aurei coloris, vel quaſi: cum quo ſi lapidem mineralem mixtum, vel animalem, poſt fixionem primam ſublimaveris, tribus autem aut quatuor diebus excuſabit te ab omni labore ſolutionum & congelationum, quod ideo eſt: quia hoc eſt oleum occultum, quod facit medicinam penetrabilem & amicabilem, & conjungibilem omnibus corporibus, & augmentat ejus efficaciam ultra modum: ſic quod in mundo certius eo non eſt. Unde mirabilia dico, quæ omnibus antiquis philoſophis incredibilia forent, ſcilicet, quòd ſi ſciveris hoc bene adaptare & ſeparare, & laboraveris in modum mixtionis jam dictum: poteris in triginta diebus lapidem componere. Hoc autem oleum non eſt neceſſarium in vegetabili per ſe, quoniam ſolutiones ibi & coagulationes, ut dictum eſt, citò fiunt: tamen ſi fieret ibi ſublimatio, credo tincturam lapidis multùm ampliari.

Non puto alias accurtationes eſſe, quàm in iſta parva ſchedula tibi declaravi. Elice ergo ex ea intentum, laudans Deum: cujus nomen benedictum ſit in æternum, Amen.

CAP. I.

Raymundi Lullii Potestas Divitiarum: *in quo Libro optima Expoſitio Teſtamenti Hermetis continetur. Quid ſit ſpiritus. S. S?*

IN nomine Domini Amen. Dixit Philoſophus, accipe Lapidem noſtrum benedictum, qui non eſt lapis, nec habet naturam lapidis, & ab eo ſepara elementa. Et nota quòd Philoſophus vocat lapidem omne illud in quo poſſunt ita ſeparari per artificium, quoniam per eorum conjunctionem in opere alchimico ſuſcitatur quædam ſubſtantia ad modum lapidis. Dicitur benedictum, quia extra quatuor elementa ſupereſt quædam S. S. quæ ſpiritus lapidis vocatur, & quia ſpiritus nobis non apparet, nec tangitur, niſi aſſumpto corpore in aliquo elemento. Iſte namque ſpiritus propter ſuam naturæ nobilitatem accipit corpus in nobiliori & ſuperiori ſphæra elementorum, ut puta in ſphæra ignea, ipſo igne remanente in ſubſtantia & natura ſua ſpirituali: & ideo non eſt ignis, nec habet naturam igneam, quantum eſt de ſe. Et iterum iſtud corpus ſphæricum igneum propter ſui nobilitatem, ſubtilitatem & puritatem, adhuc à nobis non poteſt videri inſtrumentis igni idoneis, niſi mediante operis induſtria, ejus ſubtilem ſubſtantiam condenſando, & in ſpeciem aqueam convertitur, & manet.

Separa igitur vel ſphæra dictum ſpiritum, & conjunge cum aliis elementis, & habebis intentum tuum. Opinio ergo in conjunctione lapidis duplex eſt: Prima ut fiat elixir ad argentum vivum congelandum: ſecunda, ut fiat elixir ad vitam hominis conſervandam in ſanitate S. ad omnem ſuperfluitatem malorum humorum abjiciendam, & omnem corruptionem corporis evitandam.

CAP. II.

De Opinione Elixir ad Alchimiam, & de ſeparatione aquæ cum ſpiritu.

SI vis igitur facere inde lapidem Philoſophicum ad argentum vivum congelandum, pro alchimica opinione, hoc modo facias. Separa ſpiritum cautè quantò citiùs & puriùs poteris, quia nunquam ita cautè ipſum ſeparabis, quin aliquam in ſe partem contineat primioris ſubſtantiæ phlegmaticę, id eſt aqueitatis. Iſte ſpiritus ſemel ſeparatus, vocatur mercurius, id eſt aqua ardens, cujus ſignum eſt, quòd ſi intinxeris in eo pannum lineum, inflammabitur, & non comburetur: ſi verò pluries ſeparaveris, vocatur lunaria rectificata, id eſt, aqua ardens rectificata, cujus ſignum eſt quòd pannus lineus tinctus in ea totaliter comburetur. Itaque habes unum elementum factum ſpirituale cum ſpiritu S. S. Et ita oportet quòd omnia elementa tua fiant ſpiritualia: & cùm dico ſpiritualia, dico retinentia tantùm ſuam virtutem corporalem.

CAP. III.

De Separatione Aeris cum Spiritu S. S.

HOc modo aërem ſeparabis: primò ſepara totum phlegma ſuperfluum à dicto lapide, donec videas oleum exaltari, & nihil penitus remaneat phlegmatis, & remanebit inferiùs quoddam quod erit pix mollis Tunc lunariam, id eſt, aquam ardentem rectificatam commiſce cum illa ſubſtantia facta, ſicut pix mollis plenè movendo, donec incorporetur, & pone ad diſtillandum, & quod egredietur, vocatur ſanguis humanus rectificatus, quem quærunt Alchimiſtæ: Item vocatur iſte ſanguis aër vel ventus, & de hac re loquutus eſt Philoſophus, cùm dixit: Portavit illud ventus in ventre ſuo, id eſt, aqua. Et ſic habes duo elementa exaltata in virtute S. S. id eſt, phlegma & aërem.

CAP. IV.

De Separatione ignis cum Spiritu S. S.

POſt accipe totam perfectam ſubſtantiam, quæ remanſit ſicut pix, & ſepara oleum ſuperfluum per alembicum vitreum, donec nihil remaneat, quod oleum ad partem ſepara quouſque tibi dixero, & tunc erit quædam ſubſtantia nigra & ſicca.

Conjunctio terræ cum ſanguine ſive aëre.

Quam ſubſtantiam nigram pulveriza ſubtiliter, & cum ſanguine humano rectificato, miſce per minima, & dimitte ſtare ſimul per ſpatium trium horarum: & poſtea diſtilla, & tunc hæc aqua vocatur aqua ignea rectificata. Et ſic habes tua elementa exaltata in virtute S. S. id eſt, aquam, aërem, & ignem.

CAP. V.

De Exaltatione Virtutis terræ cum Spiritu pretioſo S. S.

POſt accipe prædictam ſubſtantiam nigram, & eam calcina in furno reverberationis, donec efficiatur ſicut calx, & calcem hanc miſce cum aqua ignea rectificata, & diſtilla ſeptem vicibus calcinando, & diſtillando, & tunc aqua vitæ vocatur rectificata.

Nota, ne decipiaris quòd terra non calcinatur igne forti S.ut dicitur in cap. 6. Sed aqua ſua. Nota quòd terra poſt calcinationem philoſophicam, tunc dicitur calcinari igne forti; & ſublimatur albiſſima, & poſt dealbationem prædictam aqua prima, id eſt, argentum vivum ſuum debet acui ſuper terram ſeptem vicibus diſtillando, quæ alias dicitur calcinando

cinando philosophicè, & tunc vocatur Luna summa ut in lapidario in fine capituli, quod incipit: Opus lapidis philosophicalis, Et tunc erit aqua vitæ rectificata, quam serva, quousque tibi dixero: & sic habebis quatuor elementa exaltata in virtute cum S. S. facta spiritualia, cùm & hæc est aqua vitæ quam quærunt Alchimistæ.

CAP. VI.

De Virtute istius Aquæ vitæ, & quomodo ex prædictis fit Elixir per eorum conjunctionem.

AQua ista fixat omnes spiritus & facit ingredi. Ista autem aqua habet vim suam superiorem spiritualem, & vim suam inferiorem corporalem, id est, non fixam. Et hoc est, quod dicit Philosophus, quod est inferius, est sicut id quod est superius, & quod est superius, est sicut id quod est inferius ad perpetranda miracula rei unius, id est, oportet quòd ista S.S. id est, spiritus retineat vim suam, id est spiritualem, & habeat omnem vim quatuor elementorum, id est corporalem, si miracula debent inde perpetrari, quia si talem vim habent multa miracula super opiniones Alchimiæ perpetrantur.

Item dicit Philosophus, ascendit à terra in cælum, id est, quatuor ista elementa sunt ascensa s. per sublimationem à terra in cælum: hoc cum spiritu lapidis. Postea dicit Philosophus, priusquam descendit in terram, hoc est, si ista quatuor elementa ascensa, id est, elementa ascenderunt in cælum, iterum descenderunt in terram, ita quod fixentur in virtute spiritus S. S & remaneat unus lapis christallinus, & erit elixir retinens perfectè Mercurium.

CAP. VII.

Secunda Pars Principalis istius primæ de Operatione Elixis, ad vitam hominis conservandam, & dicitur Aqua vitæ.

SI verò volueris facere aquam vitæ ad vitam hominis tuendam, & conservandam incolumem, & omnes ægritudines curandas, sic procedas: fac Mercurium, deinde lunariam optimè rectificatam, & ex ea non facias sanguinem humanum, quia si esset sanguis humanus, ut dictum est, amittet vim suam attractivam virtutum herbarum, propter nimiam oleagineam humiditatem, & totum defœdaret saporem, & sic incongrua esset ad recipiendum. Item non facias ex ea aquam ignitam, quia tantæ acuitatis & fortitudinis esset, quòd omnia consumeret comburendo, & periculosa esset ad recipiendum. Sed quia omnis perfectio cujuscunque lapidis est in virtute suæ terræ, quia nutrix vel fermentum appellatur, philosopho attestante, qui dicit: Nutrix ejus est terra, sine quo fermento spiritus lapidis nullo modo detineri potest perfectè, nec complementum suæ virtutis possidet. Ideo huic aquę spiritui demus virtutem terræ suæ, & tunc vim suam completè integraliterque obtinebit: & hoc est quod vult Philosophus, vis ejus integra est, si versa fuerit in terram, & tunc vocatur aqua vitæ. Et si pluries ab eadem terra distillaveris, erit aqua perfecta, & rectificata.

CAP. VIII.

Quod in hoc Lapide est modica terra, & magnæ virtutis.

SCias ergo quod in hoc lapide terra est modica & magnæ virtutis, ne mireris, vel cures si parum sit de terra, quia sicut parum fermenti levat & fermentat maximam copiam pastæ: ita istud modicum terræ quod desinet ille lapis, sufficit ad nutriendum totius lapidis complementum.

CAP. IX.

Quod Lapis Philosophicus non fit de aliena terra quàm de sua propria.

CAveas ergo ne quæras aliam terram sicut aliqui, qui accipiunt tartarum vini, & dicunt quod terra lapidis est. Alii verò fæces vini calcinatas: Alii cineres vitis, & ii errant, sicut cæcus qui cæcum ducit, & ambo in foveam cadunt, & credunt facere aquam vitæ, & faciunt aquam mortis, quia non debet esse terra extranea, sed quemadmodum dicit Geber libro primo capite 2. Lapis unus, id est, argentum vivum, medicina una cui nihil extraneum additur, nisi quòd in præparatione superflua removentur: ita & in hac aqua vitæ. Ergo aqua prædicta si fuerit promptè sublimata tribus vicibus, ita quòd quando gutta ejus ponitur in cocleari, & tunc incenditur ut candela, & tota comburitur: & si nihil humiditatis remaneat in cocleari, & tunc est verè rectificata ad hoc ut possit procedi in opinionem ejus, & fit utilis ad ægritudines curandas, & vitam hominis conservandam. Et quia terra est necessaria, & antequàm debeat distillari aqua rectificata ab ipsa, oportet quòd sit ante de phlegmate expurgata, & faciat signum prædictum in cochleari, & rectificat cum terra. Et necessarium est quòd oleum extrahatur, & separetur à terra.

Scias quòd terra prædicta tota adusta est, & fæces sicut aliæ res adustę, nisi lavaretur terra prædicta cum aqua phlegmatis, ita quòd omnem illum fœtorem perdat, & non retineat aliquid de fœtore, aqua inde rectificata debet per terram transire, & ab ipsa distillari. Et ideò antequam facias transire per terram lunariam rectificatam, lava bene terram cum aqua phlegmatis, ita quòd benè perdat fœtorem adustionis. Quo facto facias ex dicta terra, id est, per dictam terram transire aquam rectificatam, id est, distillatam & purgatam. Hoc facias ad minus septem vicibus: & tunc habebis aquam vitæ medicinalem ut diximus. Et nota, quòd vix poteris habere ex triginta mensuris lunariæ simplicis, unam de prædicta lunaria rectificata, & toties distillata per terram suam.

Item nota quòd si dicta aqua transeat per terram pluribus vicibus, erit efficacior, ideò quantò pluries, tantò utilius & multiplicatur, & augetur ejus virtus. Quia quàmpluries per terram unam distillatur, tantò est magis efficax & virtuosa dicta aqua. Et nota quòd in dicta aqua solvuntur folia auri tenuissima, seu ejus calx bene subtiliata: sed quod melius est ejus sal. Et sic ex auro fit aqua potabilis, habens infinitas virtutes, immò quod in corpore humano mirabilia operatur, quæ est mirabilis ad vitam hominis conservandam. Et ad ejus ægritudines curandas & tollendas, ut in libro conservationis humanæ vitæ latiùs continetur. Et quod amplius est facit hominem revivisçere. Igitur supra totum aquam dictam habeas.

CAP. X.

De quo est, vel qualiter vocatur Lapis iste Philosophicus.

EST autem lapis iste benedictus, argentum vivum quod eligere melius & fortius debes & clarius sine fœcibus, quàm poteris invenire, & habeas cucumbitam æneam vel plumbeam, quia in prima separatione non vides cujus metalli sit, sed Alembicus sit vitreus vel argenteus: quia in alembico confortantur & uniuntur spiritus vivi.

CAP. XI.

Quod post hæc duo vasa aliqua sunt necessaria in hac arte.

POstea debes habere quoddam vas revolutorium, ut scis: quia in isto vase ingrossantur spiritus revolvendo, & condensando in speciem aquæ. Item sequitur quoddam vas repercussorium, & in isto domesticantur spiritus vivi, nisi hoc vas esset, evolaret quædam spiritualitas, nec perpenderetur, & ista duo vasa sunt necessaria in hac arte. Item sunt & alia quædam, quæ ad præsens sub silentio prætermitto. Et debes præsumere, quòd Aqua communis non calefacis in vase revolutorio. Item sub alembico fiat ignis lentus donec vitrum calefiat: quia si violenter ignem faceres, destrueretur vas, & spiritus exiret. Item aquam communem calefactam extractam à vase revolutorio, nullo modo alia vice reponas, quia est corrupta in evaporatione cujusdam fumi corrupti. Item aqua perfecto modo facta, reservetur in vase vitreo spisso, cujus corpus sit grossum & latum, & os sit gracile in hac forma obturatum cum panno lineo, superius cum mastice: & sic quandiu volueris servabis aquam absque damno & periculo.

CAP. XII.

Oratio Authoris pro errantibus in hac Arte.

LAus, honor, virtus, & gloria sit tibi Domine Deus, cum dilecto filio tuo Domino nostro Jesu Christo, & Spiritui Sancto paraclyto in Trinitatem sanctam, qui est solus Deus, & verus homo perfectus, tibi gratias ago: quia cùm adversarius hujus mundi transitorii permovisset, ne suis delectationibus suffocaret me ab eadem tua summa misericordia subtulisti: Sed quia video infinitos in hac arte deceptos, qui per directam non ingrediuntur semitam, placeat tibi Domine Deus, ut de scientia quam mihi tradidisti, charos meos ab hoc errore divertam, & cùm perceperint veritatem, intelligant, & laudent nomen tuum sanctum, & gloriosum, quod est benedictum in æternum, Amen.

Finit prima Pars hujus primi Libri.

Incipit Secunda Pars Principalis, quæ est de Operatione Magni Lapidis Philosophici.

CAP. I.

Quomodo Spiritus Lapidis debet præparari.

REcipe de succo lunariæ lib. 1. 2. vel 3. quantum vis de meliori, & fortiori quod haberi potest, & pone ad distillandum, ut scis juncturis bene clausis, & distilla totum argentum vivum in speciem ignis, donec non faciant venas istæ venæ per animam aëream oleaginosam. Ideo quando phlegma frigidum incipit venire, citò dissolvuntur dictæ venæ: tunc est signum quòd principalis spiritus est distillatus, qui continet omnem perfectionem vitæ in eo. Custodias ergo hunc spiritum intus phialam bene obturatam. Pone consequenter aliam phialam intus alembicum, & capias aquam secundam, quoniam adhuc detur de spiritu supradicto, sed non tantum sicut prima. De ista secunda aqua distillabis tantùm, quousque veniat phlegma, quod nihil aliud est quam aqua corrupta, quam priùs debes gustare, etsi non habet virtutem in se nisi aquæ, capias quod distillatum est de secunda aqua, & ponas ad partem, sicut fecisti de prima.

CAP. II.

De Electione Aquæ perfectæ ab isto phlegmate.

ITem ponas aliam phialàm sub alembico ad recipiendum phlegma, quousque plus non distillet: totum illud phlegma abjicias, quoniam est causa mortis nostri lapidis precioſi cælati ignorantibus, nobis autem noti. Post hæc debes ipsum spiritum præparare & rectificare, quousque habeas signa prædicta suæ perfectionis sicut aliis locis scripsimus.

CAP. III.

De Calcinatione Terræ philosophicæ.

NUnc debes calcinare terram quæ remansit in fundo vasis nigra ad modum picis fusæ: Hæc calcinatio non fit per violentiam ignis, sicut sophistici faciunt, sed tantum fit cum suo proprio spiritu, qui custodit eam à combustione, quoniam spiritus extrahit animam à corpore, & expellit phlegma, & interficit, & vivificat eam perpetuò. Ergo hoc modo calcina.

CAP. IV.

De Reductione Aquæ super terram, ut eam calcinet.

CApias aquam secundam, quam distillasti & rectificasti, & illam projicias intus vas super terram nigram, & move ut dissolvatur, & custodias te ab acubus, quas reperies in materia, quòd tibi non noceant. Scito quòd iste casus sulphur habens, potestatem congelandi aquam nostram in lympidum crystallum, vel in pulverem album, sicut nix.

Moveas igitur illas acus bene, quousque dissolvantur cum suo spiritu. Postea pone vas bene obturatum in putrefactione, sicut scis per diem naturalem.

Postea extrahas & pone alembicum lutatis bene juncturis ut vis, & distilla spiritum tuum cum igne luminis, sicut prædixi, quousque videas venas quæ sunt in capite alembici esse dissolutas, tunc separa illum spiritum & ponas ad partem, postea converte illud phlegma, & invenies in sapore aquæ communis, distilla quantum poteris cum dicto igne, & projicias, quoniam istud interficit nostrum lapidem: & quando cessaverit distillare remove ignem, & aperies vas, & invenies materiam duriorem quàm priùs,

priùs, ex quo spiritus traxit animam à corpore, & univit sibi ipsi, quemadmodum spiritus est locus proprius ubi anima requiescit phlegma expellendo lapidem mortuum.

Istas operationes reiterabis, quousque videas materiam tuam corruptam in separatione elementorum per gradus ignis, sicut in aliis superioribus locis diffusiùs diximus, in tantum quòd materia tua in fundo vasis remaneat calcinata in pulverem nigrum: & videas quòd spiritus tuus sit ultimus sicut primus, & tanti vigoris & saporis, & sic rectificati, quousque terra tua & spiritus habebunt signum perfectionis, ut supradictum est.

CAP. V.

De Vivificatione Terræ cum spiritu suo.

SCias fili veraciter, in hoc capitulo jacet tota subtilitas, hoc est, extrahere animam à corpore per quam spiritus vivificatur, sicut corpus mortificatur ad extrahendum humorem, qui calorem mortificabat naturalem, quæ causa est generationis nostri sulphuris, sicut Philosophi dixerunt, quòd sulphur non generatur nisi per calorem, ita quòd habens calorem, extraximus nos de morte ad vitam, quoniam superiùs erat mortuus & suffocatus, & nunc erit vivus & exaltatus ad magnas potentias & utilitates.

Scias quòd iste calor habet potestatem penetrandi omnes partes sani spiritus propter sui acuitatem, & congelandi propter causas suæ siccitatis, quoniam omnis rès sicca libenter bibit suum humidum, & convertit eum in sulphur, qui postea habet vim congelandi omne argentum vivum in verum solem, & veram lunam. Unde adverte quòd putrefactio hujus rei est causa generationis, & exaltationis ejus, ita quòd materiam illius corrumpas in materiam unam, & elementa separa, quibus separatis creatur nostrum sulphur, ex quo sulphure facis medicinam tuam.

Iste ergo est lapis secretus, id est, anima & sulphur à lapide extracta, in qua est infusa illa virtus, quæ habet unire & ligare duo contraria, videlicet corpus perpetua fixione. Hoc dixit Philosophus, quòd non potest fieri transitus melior argenti vivi ad illam duritiem metalli, nisi fuerit medietas, dispositio, id est, anima, quæ participat cum terra utriusque, propter quam participationem potestatem habet ligandi omnes simul, & uniendi, unde sequitur ex tribus factum unum est: & hoc est quod dicitur à Philosophis. Lapis noster factus est ex tribus naturis scil. corpore, anima, & spiritu. Spiritus autem est medium inter animam & corpus, quoniam ipse extrahit animam à corpore, & interficit corpus, & postea reducit eam in corpore, & refrigere illud facit. De qua reductione loquitur Hermes, dicens. Recipe animam lapidis, & semina illam in terram nostram foliatam albam, quæ est volatilis, si vis quòd perdat magis alas suas. Quoniam ista anima retinebit illam terram, ne fugiat, quando quidem in cælum ascendit, & post de cœlo in terram descendit: recipit enim omnes vires corporis & spiritus, taliter quòd nihil erit quod sibi resistere poterit: neque interficietur, quoniam erit immortale. Scriptum est enim, qui semel resurrexerit, mori ampliùs non poterit, quoniam mors cùm est glorificatum corpus in vita perpetua, in illud ampliùs non intrabit, sicut corruptio est causa novæ generationis in unam substantiam.

Interfice ergo corpus per corruptionem ante omnia, & consequenter paulatim extrahe ab illa morte in qua eum posuisti, & redditi e eum in vita quousque veneris in mediam illam corporeitatem, quæ participat extrema duo, videlicet animam & corpus, unde hac ratione nos appellamus illud argentum vivum & spiritum animatum: quoniam in se continet animam, & illud appellamus corpus, ex quo habet corporeitatem palpabilem atque visibilem, in qua te reduxit, & est quia in se retinet de natura corporis propter ista duo contraria vel extrema, videlicet corpus & animam, nos illum medium conjunctionis appellamus, habentem in se virtutem uniendi & ligandi illa simul inseparabiliter, quoniam quò ipse in se animam continet propter quam mortuum corpus vivificari debet: videtur quòd ista conjunctio sit naturalis inclinatione quadam unita amore naturali. Et conjunctio ista amicabilis, unio est amoris, per quam conjunctionem corporis & spiritus est corpus indivisibile, in quo spiritus corporis cum potentia omnium suarum figurarum, substantia spiritus subtilis, ita quòd spiritus ejus est ligatus cum anima intus in substantiam spiritus ita subtiliter, quòd nullus corporalis oculus differentiam videre inter ea poterit, nisi tantum spiritum qui in forma aquæ apparet, in quo animæ & corporis species invisibiliter requiescunt simul, ita quòd apparet cùm anima sit cum virtutibus corporis & animæ, quæ ejusdem naturæ est, & speciei cum corpore: & sic quando sitit, optat bibere, & se humectare ad recipiendum humorem perditum per vim calcinationis supra quam dici potest, ad se trahet naturam deperditam se ipsam vivificando, & in attractione naturæ suæ attrahet spiritus substantiam multiplicati exuberati cum natura sui corporis, quæ diffusa est, & extensa per totam substantiam ipsius spiritus. Unde quia attractio facta per amorem duarum naturarum dictarum, causa erit conjunctionis corporis & spiritus, quod Philosophi dixerunt his verbis: nisi conjunctio fiat indivisibilis inter corpus & spiritum, nunquam erit conceptio, & si non erit conceptio, nunquam erit imprægnatio, & si non erit imprægnatio, non erit infantatio sive partus. Attende ergo potentiam ipsius conjunctionis.

Idem Morienus ait: quòd generatio nostri lapidis assimilatur generationi hominis: quoniam quando terra extra duxerit infantem illum, nutrit, quousque fortior fiat, & potens resistere flammæ ignis, & non existimes, terram fecisse totum ubi incipiendum est, nihil adhuc audisti de istis secretis, quæ demonstrabuntur in processu magisterii, videlicet in nutrimento lapidis: tunc ejus operationes manifestantur crescente potentia sua, & quanto magis nutritur, & crescit, majorem transmutationem videbis, & admirabiles potentias naturæ in re ista visibilem cognosces. Quæ quidem mirabilia secreta nisi uni soli & benemerito homini revelentur, aliàs malediceris à Deo, quoniam nemo debet afferre illi cui Deus revelare non decrevit: itaque illi soli & nulli alio debet revelari, quia donum Dei est, & non hominis revelantis secreta, quæ ipse Deus in natura plantavit, qui sit benedictus in secula. Amen.

CAP. VI.

De Spoliatione alienæ humiditatis à natura per subtilem assationem.

IDeo Philosophi volunt terram lapidis spoliari à tota sua humiditate, donec sicca fuerit. Et iterum Philosophi volunt, quòd humidum restituatur super siccum, videlicet in propriam

terram, quoniam ibi noſtrum ſulphur generatur, quodque igitur terra ante ejus præparationem facere non poterat. Poſt facta ejus præparatione ideo, quia color ejus reſtitutus eſt ei, ſubtracta humiditate, quæ eam habebat & mortificabat.

Calcina igitur bene terram philoſophica calcinatione, & antequam ſemen imponas, quod ſuper omnia amamus. Poſtea recipe terram & pone cum ea quartam partem ſui ponderis, & conſequenter pone intus vas quod nos retentorium appellamus, cujus forma hæc eſt, quod  ponas ſuper furnum tuum continuando ignem tuum levem, quouſque ſpiritus ſit totaliter congelatus in terra. Scias quòd nigrum corpus veſtibus albis induetur, ſi Deus tibi conceſſerit, hanc operationem reiterabis, donec terra alba fuerit ad modum nivis. Tunc terra prægnans eſt claritate perpetua, & appetit extramittere filium ſuum.

CAP. VII.

De Purificatione Terræ per Subtiliationem Philoſophicam.

HÆc extramiſſio infantis fit ad hoc, ut ſpiritus congelatus in ſulphure ſeparetur à terra quæ ſplendorem ejus occupat: & res impura à pura ſeparetur, & incorporale à corporale: & fit hoc modo, quando terra erit alba ſicut nix. Tu extrahas extra vas, & conteres illam ſuper laminam vitri in pulverem ſubtilem. Poſtea pones intus vas, & junctúram lutabis, deinde pone in furno: & ſcias quòd infrà 30. horas, aliter 30. dies, invenies infantem natum, & à terra ſeparatum ad latera vaſis clarum, reſplendentem & lucidum ut corpus lunæ: hunc cuſtodi. Iſta eſt enim terra noſtra foliata, in qua debes animam ſeminare, quæ eſt tinctura claritatis, & ars noſtra & medium conjungendi, & pacem facit inter mortales inimicos, quæ terra eſt ab omnibus quæſita, da aures, & oculos.

CAP. VIII.

De Cautione ut Terram foliatam nutrias.

IStud corpus aureum ſpirituale & corporale, ex quo utriuſque virtutem continet, & quamvis hæc terra ſit perfecta, quoad ejus operationem, quoniam ipſa operari non poteſt, ſicut delicatus infans in illa hora quando natus eſt, quouſque nutriatur & roboretur, ut operari poſſit. Iſta potentia ei datur propter nutrimentum: unde fuerunt aliqui ſicut ego vidi, cùm eſſem apud *Regem Robertum*, qui de hoc Lapide tam ſecretò faciebant projectionem. Et quia nutritus cùm erat & vigoratus, nullam perfectionem in eo invenerunt, tamen poſt inveſtigaverunt potentiam ſuæ operationis. Inceperunt ergo ex illo Lapide Philoſophorum qui eſt medicinæ confectio & ipſius nutritiones operationis: & eſt ſecunda & ultima pars hujus magiſterii.

CAP. IX.

Quid ſit Opus Philoſophorum facere.

ITaque totum opus Philoſophorum diviſum eſt in duas partes. Prima Pars eſt ejuſdem ſulphuris in medicinam fixam & fluentem converſio. Hoc Morienus dixit, quòd totum magiſterium duplici creatione erat. Et adverte, quòd ita ſunt primæ & ſecundæ operationes conjunctæ in natura, quòd quàm primum prima operatio finitur, ſecunda incipit jam inchoari & fieri medicina, qua ſecunda finita, totum magiſterium finitum eſt.

CAP. X.

Opus Philoſophorum in duabus Operationibus conſiſtit, ſcilicet Sulphur facere, & illud nutrire.

IN prima namque parte, nos præparamus & purgamus materiam, & creamus ſulphur, ex qua materia præparata nos componimus & creamus medicinam quæ tantam habet potentiam. Et noli affici tædio in nutritione Lapidis, neque feſtines, ſed magno cum ingenio & patientia multa opus continua: ſi enim patientiam non habes, ad excellentia naturæ ſecreta non attinges, corrumpuntur enim propter feſtinationis violentiam.

Nutrias itaque lapidem tuum tamdiu, donec projectionem ex ipſo facere poſſis, tum mirabilia ejus intueberis: & iſta eſt prima pars, videlicet de Lapidis creatione, & materiæ præparatione ex qua.

Deſunt non pauca.

Recipe ergo uncias 5. lunæ optimæ, & diſſolve in aquam Mercurii, quam manifeſtabo tibi in Lapide minerali, & diſſolvetur in aquam viridem. Poſt ſepara aquam cum ratione Philoſophica, & reitera aquam ſuper terram.

Debes ſcire quòd forma argenti eſt in prima aqua, & recipe terram argenti calcinati, & pone ad partem: conſequenter recipe aquam, & divide illam in duas partes, & in prima pone terram Lunæ, & in altera petram pulverizatam, & obſtrue phialam, & pone ad ſolem, & citò diſſolvetur in aquam claram. Iſta aqua eſt aqua fermentalis, in qua lapis fermentatur, & trahit ad ſe naturam metalli. Item aquam divide in duas partes, & unam partem pone ad congelandum intus vas vitreum lento igne. Poſt recipe unam partem argenti, & amalgama eam cum duplo argenti vivi. Recipe lapidis congelati partem quartam, & miſce cum dicto amalgama, conterendo & miſcendo ſimul quouſque totum fiat unum corpus. Poſt imbibe materiam cum alia parte aquæ fermentabilis, paulatim partem poſt partem ſicut dixi in creatione Lapidis.

CAP. XIV.

Modus nutriendi Lapidem & ejus Multiplicatio.

POſtea ponas materiam ad nutriendum lento igne. Hoc magiſterium dat intelligere, quòd vapor Lapidis conjunctus cum vapore corporis perfecti, congelabit argentum vivum in veram medicinam albam, lucidam & tranſparentem. Hanc operationem reitera quando vis multipliicare, quoniam quantò magis reiterabis dictam operationem, tantò magis multiplicabitur in potentia, ſic verbi gratia: ſi prius unum pondus medicinæ convertebat centum partes, ſecunda vice convertet mille, & tertia decem millia, quinta mille millia, & ſic in infinitum. Unde non ponas negligentiam in hac arte, quoniam medicina unitur melius, in ſuis partibus magis digeritur, ac perfectius operatur.

CAP.

CAP. XV.

De Fixatione Aëris.

NUnc dicam tibi de aëris fixatione qui in se portat tincturam. Accipe terram argenti, quam ad partem posuisti intus unam partem aquæ, & totum hoc ponas ad distillandum, & lentò igne aquam separabis. Quo facto remoto illo recipiatur: ponis illud & recipias aërem, qui erit coloris crocei augmentando ignem plus primo igne uno puncto, cum quo igne unius puncti distillabis quicquid distillari poterit, & cessante distillatione ad partem pone bene obturatum. Consequenter recipe terram, quæ in fundo remansit, & contere super laminam vitri cum modico dicti Lapidis,& imbibe totum hoc cum aqua quæ est distillata, donec fiat ad modum pastæ.

Postea appositio alembico pone ad distillandum, & distilla ad duo puncta quam gravius distillabit, & quantò tardius distillabitur, tantò majoris erit virtutis. Itaque distillationes istas reiterabis,quousque à corpore animam totam extraxeris & amplius distillare non poterit, & ponas quamlibet distillationem cum aëre, qui est coloris crocei: postea distilla illud semel, & erit rectificatum. Et habes aërem, cum quo tinges, & fixabis Lapidem tuum hoc modo.

CAP. XVI.

De Ceratione Corporis ut fluat.

REcipe argentum vivum, quod est jam coagulatum cum vapore Lapidis, & illud contere super laminam vitri quod totum conteritur facile in terram claram & pulverem subtilem:hunc pulverem imbibe cum dicto aëre paulatim,ut fiat ad modum pastæ: hanc materiam pone ad nutriendũ lento igne quousq; aër erit congelatus cum dicto lapide, sicut supra fecisti cum dicta aqua.Reitera hanc operationem donec biberit medietatem sui ponderis.Postea recipe modicum de lamina illa cristallina, & pone super laminam cupri ignitam, & si funditur ad modum ceræ, sine fumo medicina est perfecta & fixa, & si non, reitera decoctionem quousq; signum faciat. Hujus medicinæ projice partem unam super centum partes plumbi, vel stanni, vel alterius metalli, & in veram Lunam ad omne judicium transmutabitur cum omnibus suis proprietatibus; & si medicina fuerit semel multiplicata, tantum facias hoc modo projectionem. Recipe unum pondus istius medicinæ, & projice super centum partes Mercurii calidi, incipientis fumare, & convertetur in medicinam. Hujus autem secundæ medicinæ projice pondus unum super centum Mercurii calidi ut suprà, & erit medicina super alio Mercurio. Hujus autem tertiæ medicinæ projice pondus unum super centum pondera Mercurii, ut suprà fecisti, & in verum argentum convertetur.

CAP. XVII.

Alius Modus nutriendi Lapidem.

PEr alium modum, ut suprà dictum leviorem tuum creare poteris,namque non dissolvas Lapidem, in aqua argenti tantum capias amalgamæ, quartam sui partem seu ponderis prædicti, conterendo illum supra laminam vitri, quousque totum incorporetur. Postea imbibe totam medicinam istam aquæ Lunæ paulatim, sicut dixisti in creatione Lapidis. Postea pone materiam intus vas ad nutriendum,& facies consequenter usque ad finem, ut suprà dixi.

CAP. XVIII.

Alius Modus multiplicandi & nutriendi Lapidem.

ADhuc etiam per alium modum componere poteris elixir, habendo respectum ad perfectam Temperantiam, & perfectionem suæ conditionis, & proprietatis: hoc modo, videlicet quòd tu capias partem unam cum dimidia aquæ Lunæ, & in ea dissolve partem unam dicti Lapidis, & erit totum ad modum aquæ claræ. Postea projice unam partem ejus, & omnia misceantur in formam aquæ: istam aquam ponas ad congelandum prudenter, suam humiditatem radicalem conservando, & hoc est, ad hunc finem, ut virtus lapidis confortetur, & dissipetur violentia ignis: quia virtus ejus hoc totum congelare debet & fixare, sextam istam partem aquæ reparabis levi igne à toto compositio per distillationem, hoc est, dictam medietatem medietatis aliæ mediæ partis, quoniam illud erat plus aquæ propter quam sulphur fuit in formam aquæ dissolutum & conversum in naturam aquæ, propter plus aquæ, unde apparet sicut rationalis ostendit, quod fortior vincit debilem cùm succurritur & confortatur. Itaque sicut aqua vincit sulphur propter majorem ejus qualitatem ad suam naturam reducens; sic oportet quòd sulphur habeat potentiam convertendi aquam, & reducendi eam, & per congelationem ad suæ propriæ naturæ conditionem, & hæc conversio est naturalis,& nos certificavit confortando in tantam vim sulphuris, tollendo de aqua quod potentiam habeat congelandi aquam: unde pondus & mensura facta sunt ad confortationem suorum membrorum. Unde non sufficit rem ipsam scire: sed quot modis potest confici, & per hanc potentiam ejus visibilem ostende ignoranti rei ipsius dignitatem. Cogita ejus potentiam, quemadmodùm in cognitione eorum universalium sapiens & ignorans aliquando adæquantur, utrum in applicatione causarum ipsarum ad suos proprios & æquatos effectus ignorantiæ & sapientiæ latissima est differentia.

CAP. XIX.

Alius Modus bonus & perfectus.

HUnc Lapidem solutum divide Alembici ingenio in aquam, & terram ficcissimam, quam pone in vase à scofolario, cujus quantitas sit secundùm quantitatem medicinæ, & pone in fimo calidissimo per quadraginta dies, quousque terra solvatur in terram rubeam, & renova fimum de quarto in quartum diem, fit omni aqua rubea spissa: auge ei suæ aquæ quanti servasti medietatem ponderis suæ terræ solutæ, & in 40. diebus sub fimo prædicto congelabitur. Tunc inde quantum ponderat quarta sui ponderis aquam pone super ipsum subtilissimè tritum, & in fimo congela per decem dies, deinde tere, & da sibi iterum aliam quartam aquæ, & congela, & hoc reitera quater. Post hæc extrahe ac tere, & pone in fimo calido & humido, donec totum solvatur. Super hoc soluto pone medietatem aquæ servatæ,& congela & tere,quia jam

ſic complevit factum ſuum elixir, cujus virtus talis eſt.

CAP. XX.

De Projectione Medicinæ ad Album.

PRojiciatur primò uncia una ſalis medicinæ ſuper uncias tres ſtagni vel plumbi fuſi, & miſce bene, quoniam totum eſt elixir. Hujus autem medicinæ plumbi vel ſtagni medicinari ℥j. ſuper no. ℥. ſtagni vel plumbi fuſi fixat in igne, quorum fixorum talis operatio eſt, ut projicias ℥j. ſuper 15. octonis vel ſtagni fuſi, & extrahet ſuam immunditiam, & imperfectionem, & convertet in argentum melius omni minerali.

CAP. XXI.

De Argenti Tinctura & Converſione in Aurum.

SI in Aurum vis reducere, ſic facito. Recipe ℥j. medicinę ultimæ congelatæ, & pone ſub fimo per 30. dies, donec ſolvatur, deinde da ſibi medietatem aquæ corporis ſoluti, & congela, & proſequere ſicut in argento docuimus.

FINIS.

CLAVICULA Raymundi Lullii *Majoricani, quæ &* Apertorium *dicitur, in qua omnia quæ in Opere Alchemiæ requiruntur, apertè declarantur.*

NOs appellavimus opus hoc noſtrum Clavicula, quia ſine hoc præſenti libro nullus poteſt intelligere, quæ ſcripſimus in noſtris aliis libris, in quibus totam artem complevimus, licet verbis obſcurioribus pro ignorantibus. Scripſi multos libros & prolixos ſub ſectionibus & iis obſcuris, ut in noſtro teſtamento apparet, ubi de principiis naturalibus egimus, ubi omnia ſunt poſita, quæ ad artem faciunt, tamen ſub martello in primo textu Philoſophiæ. Item in noſtro cap. de arg. viv. Philoſophorum, & in 2. & in parte teſt. de exuberatione minerarum phyſicarum, & in noſtro libro de quinta eſſentia i. de 5. eſſentia auri & arg. deinde in aliis libris à me factis, ubi tota eſt ars completa: ſed Secretum occultavimus pro poſſe. Cæterum quia ſine hoc ſecreto nullus poteſt ingredi mineras philoſophorum, neque aliquid facere quod ipſi poſſit prodeſſe, quare juvante altiſſimo cui placuit hoc ſecretum nobis revelare, ſine ulla factione artem totam declarabo. Et ideo cavete ſecretum revelare improbis, ſed veſtris amicis intimis, quamvis nulli dare debetis, cum ſit Dei donum, qui hoc dabit cui volet. Quod qui habebit, ſempiternum habebit theſaurum. Cognoſcite igitur per perfecta imperfecta emendare. Sol eſt pater omnium metallorum, & Luna mater quamvis Luna claritatem recipiat à Sole. Ex illis duobus totum pendet magiſterium. Sed quia metalla transmutari non poſſunt teſte Avicenna, in mineralibus, niſi reducantur in primam materiam, quod verum eſt. Quod niſi reduceres in argentum vivum, non vulgare, hoc eſt, non volatile, ſed fixum: vulgare verò eſt volatile, & plenum frigiditate phlegmatica, & propterea indiget reduci per argentum vivum fixum, magis calidum & ſiccum, in contrariis qualitatibus ac argentum vivum vulgare. Quare vobis conſulo, ô amici mei, quod non operemini niſi circa Solem & Lunam reducendo eos in primam materiam, ſulphur, & argentum vivum noſtrum. Iccirco filii, habeatis uti hac materia venerabili, & vobis juro & promitto, quod niſi ſumpſeritis argentum vivum iſtorum duorum, vos tenditis ad practicam tanquam cœci ſine oculis ac ſenſu. Quare filii rogo ambuletis in luce oculis apertis, & non tanquam cœci cadatis in foveam perditionis.

CAP. I.

De Differentia Argenti vivi vulgaris, & Argenti vivi Phyſici.

NOs dicimus quod argentum vivum vulgare, non poteſt eſſe argentum vivum Philoſophorum, quocumque artificio præparetur, quia vulgare non poteſt in igne detineri, niſi per aliud argentum vivum corporeum, quod ſit calidum & ſiccum, & magis digeſtum. Propterea dico noſtrum phyſicum magis fixæ eſſe calidioriſque naturæ vulgari. Et ideo, quia argentum vivum noſtrum corporale, eſt converſum in argentum vivum currens non tingens digitos, & quando commixtum eſt vulgari junguntur & amplexantur ſe vinculo amoris, abſque eo quod nunquam ſeparentur ab invicem, veluti aqua mixta cum aqua, quia ita eſt naturæ placitum. Argentum vero vivum noſtrum ingreditur & commiſcetur actualiter alteri vulgari, deſiccando ſuam humiditatem phlegmaticam, & tollendo frigiditatem ex corpore denigrans tanquam carbonem, quod poſtea in pulverem convertit. Nota igitur quod Argentum vivum non poteſt eas operationes præſtare, quales noſtrum phyſicum, quod in omnibus ſuis qualitatibus habet calorem naturæ veri temperamenti, & propterea vulgare vertitur in ſuam naturam temperatam: quin etiam aliquid aliud facit, nam poſt ſuam tranſmutationem, convertit in purum metallum, hoc eſt in Solem aut Lunam, prout eſt extenſum, aut de Sole & Luna, ut oſtenditur in ſecunda parte noſtræ practicæ. Præterea aliquid majus habet, mutat enim & convertit vulgarem Mercurium in medicinam, quæ tranſmutare poteſt imperfecta metalla in perfecta. Præterea vulgarem in verum Solem & Lunam, meliorem quam de minera. Nota rurſum quod uncia noſtri Mercurii phyſici centum marcas facere poteſt, & uſque in infinitum cum argento vivo vulgari, ſine eo quod minera unquam deficiat. Præterea aliud volo vos ſcire, quod Mercurius non recte miſcetur neque perfecte cum corporibus, nam ſpiritus non poteſt miſceri cum corporibus perfecte, niſi reducta fuerint in ſpeciem naturæ. Et idcirco cum voles miſcere Mercurium aut Solem in Lunam vulgi, ſunt reducenda illa corpora in ſpeciem naturæ, quod vocatur argentum vivum vulgare eſt frigidum & humidum paſſive ſicut femella, quæ continetur in ſuis domiciliis, cum calore temperato uſque ad eclipſin. Suntque nigra facta ut carbones, quod eſt ſecretum noſtræ veræ diſſolutionis, & ex hoc tandem vere connectuntur inter ſe: ita quod nunquam ſeparentur ab invicem, fiuntque pulvis albiſſimus, qui ſunt maſculi & fœminæ generati vero amoris vinculo. Hi tamen liberi multiplicabunt ſuas ſpecies in infinitum, nam de una uncia hujus pulveris, tu facies Soles infinitos, reduces in Lunam meliorem omni metallo de minera.

CAP.

CAPUT II.

Extractio Mercurii à Corpore perfecto.

REcipe unc. j. calcis Lunæ appellatæ, calcinetur modo quo dicitur in fine noſtri magiſterii operis, quæ quidem calx teratur ſuper porfidum in pulverem ſubtilem, quem pulverem imbiberis bis, ter quater in die, cum optimo oleo tartari, facto eo modo quo dicetur in fine noſtri, deſiccando ſolem quouſque dicta calx abſorbuerit de dicto oleo 4. aut 5. partes, pluſquam fuit ipſa calx, terendo ſemper ſuper porfidum, ut dictum eſt, & in fine bene deſiccetur calx, ut bene poſſit in pulverem redigi. Et quando fuerit bene pulverizata, ponatur in metreto cum collo longo. Ponatis de noſtro menſtruali fœtenti, facto de duabus partibus vitrioli rubei, & una ſalis petræ, & prædictum menſtruum prius diſtilletur ſepties, & bene rectificetur, ſeparando fæces terreſtres in tantum, quod prædictum menſtruale ſit totum eſſentiale. Deinde lutetur bene metretum, & ponatur ad ignem cinerum, cum parvo igne carbonum, quouſque videris materiam bullire & diſſolvi. Deinde ſic ſupra cineres diſtilla, donec amiſerit menſtruum, & materia fuerit frigida totaliter. Et cum frigidum fuerit vas aperiatur, & materia, quæ frigida eſt, ponatur in alio vaſe bene mundo, cum ſua cappa bene lutata ad furnum ſupra cineres, & luto bene deſiccato fiat ignis paulatim in principio, quouſque totam recipias aquam ipſius. Poſtea augeatur ignis, quouſque materia bene fuerit deſiccata, & ſpiritus fœtentes ſint ad cappam, & in receptorio jam exaltati. Et dum tale ſignum videbis apparere, dimittatur vas infrigidari, ignem minuendo. Et poſt refrigerationem vaſis extrahatur materia, & in pulverem ſubtiliſſimum redigatur ſuper porfidum: ita quod pulvis ſit impalpabilis, qui ponatur in vaſe terreo bene cocto, & bene vitreato. Et poſt ponatur ſuper dictum pulverem de aqua communi bulliente, movendo ſemper cum baculo mundo materiam, uſque materia fuerit ſpiſſa ſicut ſinapi. Et move dictam ſalſam cum baculo, quouſque videas apparere grana Mercurii è corpore, & quod vobis appareat quantitas magna prædicti Mercurii vivi, ſecundum quod poſueris de corpore perfecto, id eſt de Luna, & dum habueris magnam quantitatem, interim projice deſuper aquam bullientem: & tandem movendo, quoad tota materia reſolvatur in materiam ſimilem argento vivo vulgari, tollantur terreſtreitates cum aqua frigida, & deſiccetur per pannum: poſtea tranſeat per cotium, & videbis mirabilia.

CAP. III.

De Multiplicatione Argenti vivi noſtri.

IN Nomine Domini, Amen. Recipe Lunæ puræ tres groſſos, in laminas tenues, & faciatis amalgama cum groſſis 4. argenti vivi vulgi bene loti. Et quando Amalgama fuerit factum, tunc ponatur in parvo metreto, cum collo longo unius pedis & ſemis. Deinde recipe argentum vivum noſtrum prius extractum & reſervatum à corpore lunari, & ponatur ſuper amalgama de corpore & argento vivo vulgi factum, perlutetur optime vas optimo luto, & dimittatur ſiccari. Hoc facto, moveatur vas quam optime ut amalgama poſſit permiſceri, & quod argentum vivum permiſceatur cum corpore. Deinde repone veſtrum vas in quo materia eſt, in furnello, ad ignem parvum carbonum, & hujus ignis calor non excedat calorem Solis, quando Sol eſt in ſigno Leonis: quia alius calor excedens deſtrueret veſtram materiam, & fieret fuga unius ab altero, & continuetur talis ignis, quouſque materia fuerit nigra ad modum carbonum, & ſpiſſa ad modum pultis, & continuetur ignis iſtius gradus, quouſque materia mutetur in colorem griſeum fuſcum, & ita griſeo apparente, tunc uno puncto augeatur ignis, & fiat ſecundus gradus, quouſque materia incipiat dealbari, ad colorem nimis albiſſimum. Poſt fiat ignis uſque ad tertium gradum, continuando quouſque materia fuerit alba pluſquam nix, & convertatur in puros pulveres albiores cinere. Et tunc vos habetis calcem vivam Philoſophorum, & ſuam mineram ſulphuream, quàm tantum occultarunt Philoſophi.

CAP. IV.

Proprietas Calcis prædictæ.

COnvertit iſta calx Mercurium vulgi in pulverem albiſſimum in infinitum, qui poteſt reduci in argentum verum, cum aliquo corpore, ut Lunâ.

CAP. V.

Multiplicatio hujus prædictæ Calcis.

REcipe vas cum materia, ubi pones uncias duas argenti vivi vulgi, bene abluti & deſiccati, poſtea vaſe bene lutato, repone ubi prius erat, gubernando & miniſtrando illi ignem 1. 2. & 3. gradus, ut ſuprà, quoad materia reducta ſit in pulverem albiſſimum, & ita potes multiplicare in infinitum.

CAP. VI.

Reductio Calcis vivæ in Lunam veram.

HAbita ergo magna quantitate calcis vivæ ſeu noſtræ cineræ, accipe unum crucibulum non tectum, in quo pone unciam unam Lunæ puræ, & ipſa fuſa pone deſuper uncias quatuor pulveris tui in pilulas, pilulæ ſunt ad pondus quartæ partis unciæ, & iſtæ ponantur viciſſim ſuper Lunam fuſam, ſemper continuando ignem fortem, quouſq; omnes pilulæ ſint projectæ & fuſæ ſimul cum Luna, & in fine fac ignem fortem, quouſque totum bene incorporetur: poſtea projiciatur in canali, & habebis uncias 5. argenti puri, plusquam naturalis, & ita poteris tuam mineram phyſicam multiplicare ad beneplacitum.

CAP. VII.

De noſtro Magno Opere ad album & ad rubeum.

REducite calcem veſtram vivam, ut de Luna antea dictum eſt, in argentum vivum, quod noſtrum eſt ſecretum. Recipe igitur 4. uncias calcis noſtræ, & reduc in argentum vivum ut feciſti de Luna. De quo argento vivo habeas ad minus 3. uncias, & pone in parvo metreto de collo longo, ut antea feciſti. Poſtea amalgama de uncia una veri Solis cum tribus unciis argenti vivi vulgi, & ſuperpone arg. viv. Lunam movendo fortiter manibus tuis, ut miſceantur ſimul omnia. Poſt vas bene lutatum pone ſupra furnellum, faciendo ignem

1. 2. & 3. gradus. In primo gradu materia nigreſcet ut carbo, quod tunc dicitur eclipſis Solis & Lunæ. Et erit commixtio vera, unde gignitur filius ſulphur, quod plenum eſt ſanguine temperato. Poſt operationem ejus caloris, continua ignem ſecundi gradus, quoad materia fuerit griſea. Tunc continua ignem tertii gradus, quoad materia appareat albiſſima. Poſt auge ignem ad gradum quartum, continuando ut materia rubea appareat, ut cinabrium, & fiant cineres rubei, Hanc calcem reducere potes in Solem finiſſimum, ut de Luna ſupradictum eſt.

CAP. VIII.

De Modo tranſmutandi prædictum Minerale in Medicinam, tranſmutantem omnem ſpeciem Metallorum in verum Solem vel Lunam, etiam argentum vivum vulgi in meliorem omni metallo de minera.

IN prima ſolutione unum pondus ſupra C. in 2. ſupra M. & multiplicatur projectio, diſſolvendo, congelando, ſublimando, & fixando noſtram materiam, quæ poteſt multiplicari ſic in infinitum quantitate & virtute. Recipe igitur de noſtra minera alba, & diſſolve in noſtro menſtruali fœtenti, quod in noſtro teſtamento vocatur acetum noſtrum album, in eo capite ubi diximus: Accipe de bono vino bene ſicco, in quo pones Lunæ id eſt aquæ viridis, & C. id eſt ſalispetræ, verum ne erretis, pone 4. unc. de noſtra calce viva in menſtruali ut diſſolvatur, & ſtatim diſſolvetur in aqua viridi. Item in 1. unc. ejuſdem menſtrualis fœtentis, diſſolveris un. 4. argenti vivi bene loti, & ubi diſſolutum fuerit arg. viv. conjunge ambas diſſolutiones ſimul, & vas bene clauſum pone in digeſtione in fimo equino 30. dies, quibus exactis, fac diſtillare in balneo, quoad habebis omnia. Deinde recipe in alio, ut inde oleum extrahatur in igne carbonum, tunc materia reſidens erit nigra. Quam pone in furnello ſuper cineres ad diſtillandum per duas horas. Poſt refrigerationem aperi vas, & pone aquam diſtillatam per balneum ſuper. Lava bene. Diſtilla menſtruum per balneum, omnemque aquam, quæ aſcendere poteſt, & oleum per cineres ut ſupra feciſti. Et hoc faciendo toties reiterabis, quouſque materia remaneat ſicut carbo nigra in fundo vaſis. Fili doctrinæ habebis tunc caput corvi, quod Philoſophi tantum inveſtigarunt, ſine quo in magiſterio nihil fit. Idcirco Fili, mente teneas divinam Cœnam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui mortuus fuit ſepultus & tumulatus, & luce tertia reſurrexit, in terram permanentem. Fili mente teneas, quod nullum eus poteſt vita perpetuari, niſi prius mortuum fuerit. Recipe igitur tuum corpus nigrum, & calcina in eodem vaſe per tres dies, & poſt mitte refrigerari, & aperiendo vas invenies terram ſpongioſam & mortuam, quam ſervabis, quoad oporteat facere conjunctionem corporis cum anima. Recipe aquam, quæ per balneum eſt diſtillata, & diſtilla ſæpius, quoad ſit depurata & reducta in materiam cryſtallinam. Imbibe igitur tuum corpus, quod eſt terra nigra, de ſua aqua propria, paulatim rorando & coquendo, quoad corpus ſit album factum, & multum ſplendens. Et tunc aqua eſt illi infuſa, quæ vivificat & clarificat. Tunc da ignem vehementem in eodem vaſe ſuo lutato, ac ſi velles ſublimare Mercurium vulgi per duodecim horas. Aperi vas frigefactum, & reperies ſublimatam materiam materiam tuam albam, quam vocamus terram ſigillatam. Noſtrum corpus exaltatum & poſitum in magna dignitate, ſulphur noſtrum, noſtrum argentum vivum, noſtrum arſenicum, ubi ſervare debes noſtrum aurum, quod eſt noſtrum fermentum, & noſtra calx viva, & intra ſe gignit filium ignis, qui eſt amor Philoſophorum.

CAP. IX.

Multiplicatio prædicti Sulphuris.

PONe illam tuam materiam in metreto forti, ſupra quàm pone amalgama factum de noſtra calce viva, quæ facta eſt in noſtra prima practica, quam reducebamus in argentum. Fieri autem debet de tribus partibus argenti vivi vulgi, & una parte noſtræ calcis, miſceatur ſimul, ut ſupra, & pone ſuper igneum cinerem, & videbis materiam moveri, tunc auge ignem, & in 4. horis fiet albiſſima ſulphurea, quæ cum fixa fuerit, coagulabit & fixabit omne argentum vivum uncia una ſuper centum in medicinam veram, & rurſus in mille, & uſque in infinitum.

CAP. X.

Fixatio prædicti Sulphuris multiplicati.

CApiatur Sulphur jam multiplicatum, deponatur in metreto, & ponatur oleum ſuper, quod ſervatum fuerat in ſeparatione elementorum, & ponatur uſquedum ſit molle. Poſt ſuper cineres ponatur ad fuſionem, dando ignem primi gradus 2. & 3 ad albedinem uſque. Tunc frange vas, & invenies laminam cryſtallinam albam. De qua pone ſuper laminam calidam, & ſi fluat ſine fumo, projice unum pondus ſuper 1000. Mercurii de prædicta, & totum convertetur in argentum. Et ſi medicina non fuerit fluens & fuſibilis, depone eandem in crucibulo, dando de oleo guttatim, quoad fluat ut cera, & tunc medicina veſtra erit perfecta ſuper 1000. & poterit multipliçari in infinitum.

CAP. XI.

Reductio Medicinæ albæ in Elixir rubeum.

ACcipe igitur in nomine quatuor uncias de lamina prædicta, & diſſolve in aqua ſervata de Lapide. Et cum diſſoluta fuerit, pone in balneo ad fermentandum per novem dies, & capias duo pondera de noſtra calce rubea, & projice in prædictum vas, & fermentetur per novem dies, poſt diſtilletur in alembico in balneo, poſt ſuper cineres, dando ignem primi gradus, quouſque materia fiat nigra, quæ eſt noſtra ſecunda diſſolutio, & noſtra ſecunda Eclipſis, quam facit Sol cum Luna, quod eſt ſignum veræ diſſolutionis, & conjunctionis maſculi cum femella. Poſt auge ignem uſque ad 2. gradum, ad citrinitatem materiæ. Deinde fortificetur ignis quarti gradus, donec materia fuerit fuſa ſicut cera, in colore hyacinthi, & eſt materia alta & regalis medicina, quæ promptè curat omnes infirmitates corporis ægri, & convertit omne metallum in aurum purum melius naturali. Et nos reddamus gratias Salvatori glorioſo, qui in gloria cælorum regnat Trinus & Unus in æternum & ultra.

CAP.

CAP. XII.

Recapitulatio totius Magisterii sub forma brevi.

OMnia quæ tractavimus in hoc Libro, didicimus esse vera & rectificamur, & cum oculis nostris vidimus, manibus palpavimus, tetigimus & fecimus, & hujus recapitulatio totum nostrum Magisterium cum brevi sermone & sine fictione complectitur. Nos igitur mandamus lapidem, quem nominamus, ut subtilies eum tam per ingenium naturæ, quàm artis, & reducas in argentum vivum, & huic argento vivo addatur corpus album, quod est ejusdem naturæ, & decoquatur quousque veniat ad veram præparationem mineræ. Et illa minera multiplicetur ad tuum velle. Et iterato prædicta materia reducatur in argentum vivum, & dissolve in nostro menstruali, usque quo Lapis fiat volatilis, ab omnibus suis elementis divisus: Et ultimo quod perfectè purgetur, usque ad ultimam perfectionem, tam corpus quàm anima, quæ possit fieri bona conjunctio corporis cum spiritu, de calore naturali temperato. Et lapis efficiatur minera, & continuetur ignis, usquequo in pulverem reducatur album, quem vocamus sulphur & argentum vivum Philosophorum, & tunc vigore ignis fixum sive volatile, in tantum quod volatile evolet à suis terris grossis, & ascendit in altum candidius nive, & fundalia projiciantur, quia nihil valent. Tunc recipe sulphur nostrum oleum prædictum, & multiplicabis cum suo dicto alembico, quousque denuo reducatur in pulverem album candidiorem nive, & fixentur pulveres, multiplicati ingenio tam naturæ quàm practicæ, decoquendo cum aqua, donec omnia maneant in examine ignis fluentia, ut cera sine fumo. Et addenda est aqua primæ solutionis, qua solutione facta, addatur aliquod citrinum, quod est aurum, per modum conjunctionis, cum distillatione totius animæ. Post detur ignis 1. 2. 3. & 4. gradus, donec mutetur in calore Hyacinthi veri &, fixi fluentis ac fundentis. De quo projicias unum pondus super 1000. Mercurii vulgi, mutabitur in aurum finissimum.

CAP. XIII.

Calcinatio Lunæ pro Opere.

REcipe unciam Lunæ finæ de copella & argenti vivi uncias tres, & fiat amalgama, & primò calefiat argentum foliatum in crucibulo, deinde projiciatur argentum vivum movendo cum baculo, & calefiat utrumque bene. Deinde ponatur in aceto cum sale, simul terendo in mortario ligneo, & simul cum pistillo, abluendo & auferendo immunditiam, sic faciendo quousque demum amalgametur. Deinde lavetur cum aqua communi calida & clara, postea transeat per pannum lineum mundum, & quod remanet in panno habens naturam corporis, iterum addatur cum tribus partibus salis, & una corporis, bene terendo & lavando, & coletur & calcinetur per duodecim horas. Iterum tere cum sale reiterando ter, & addendo sal novum. Iterum pulverisetur, donec sit pulvis impalpabilis, & cum aqua calida lavetur, donec recesserit tota salsedo. Deinde distilletur per filtrum de cottono, & desiccetur vestra calx, & erit calx alba & reponatur ad horam necessitatis, ne frigiditas tangat eam.

CAP. XIV.

Ad faciendum Oleum de Tartaro.

REcipe bonum tartarum relucens in fractura, calcinetur in reverberio per decem horas. postea pulverisetur, & ponatur super marmor, ad dissolvendum in loco frigido, ibi dissolvetur in oleum liquidum. Et quando totus fuerit dissolutus, distilletur per filtrum de cottono, & servetur nitide pro imbibitione vestræ calcis.

CAP. XV.

Menstruale fœtens, pro dissolutione Calcis nostræ imbibitæ cum Oleo Tartari, ut reducatur in argentum vivum.

REcipe vitrioli lib. ij. salispet. lib. i. cinabrii unc. iij. Rubificetur vitriolum, & pulverisetur, post pone salpe. & cinabrium, & tere omnia simul, postea ponas in vasis aptis ad distillandum bene lutatis. Distilletur lento in igne primum, ut est opus, ut norunt qui id egerunt. Hæc aqua distilletur sæpius projiciendo fæces quæ remanent in fundo cucurbitæ, & sic erit optimum vestrum menstruum sic distillatum.

CAP. XVI.

Aliud Menstruum pro Lapide dissolvendo.

REcipe vitrioli Ro. rubicundi lib. iij. salispet. lib. j. cinabrii unc. iij. omnia illa simul terantur super marmor. Deinde ponantur in grosso & forti metreto, & ponatur aqua vitæ rectificata septies, & ponantur in fimo equino per dies quindecim vase bene sigillato. Deinde ponatur ad destillandum igne lento totam aquam in receptorio. Postea augeatur ignis usque ad albedinem cappæ, postea refrigescat vas, & auferatur receptorium & optimè sigilletur cum cera & servatur ad necessitatem. Nota quod menstruum debet septies rectificari per distillationem, fæces semper abjiciendo, antequam ponatur in opere.

Compendium Artis Alchymiæ, & Naturalis Philosophiæ secundum naturalem cursum, *Raymundo Lullio Authore.*

CAPUT I.

Incipit Compendium Artis Alchimiæ & Naturalis Philosophiæ.

SCias, charissime Fili, naturæ cursum esse reformatum virtutes cujus sine deprecatione adeo & elevatione mentis videre poteris spiritus fugitivos, seu figitivos in aëre condensatos: in forma monstrorum diversorum animalium; etiam hominum qui vadunt, sicut nubes, modo huc modo illuc. Et hoc totum fit ex principiis naturalibus certis formatis virtutibus, mistricis & existentibus ab aliis virtutibus naturalibus, cum quibus ars magica reformatur naturaliter. Quare si velis potes intelligere sua instrumenta per quæ formantus

tur, & unde potest exire, quia de una scientia formatur alia.

CAP. II.

De Aquis abstractis à parte naturæ.

FIli, duæ Aquæ sunt abstractæ ab una parte naturæ, per quas formatur tota Ars Alchymiæ: unde una facit Lapidem volatilem cum modo & materie; alia facit fixum ad nutum operantis, & ibi natura operatur, intellige conformatur etiam tota Ars Lapidaria, per duas similes aquas factas per Alchymiam, sed sunt alterius naturæ, quamvis de ea materia fiant in suo principio. Similiter ars præsens tenet sua instrumenta, in quibus sunt virtutes infixæ naturaliter, quæ eorum potentiam faciunt fieri mirabilia multa, postquam sunt introductæ in propriis & retinaculis per artem naturalem & reformationem ad causam quæ dicitur communis à simplici natura stante in elementis simplicibus si ea sciveris reducere in illa.

CAP. III.

Compositio Aquæ nostræ.

REcipe nigrum nigrius nigro, & ex ipso partes distillamus in vase vitreo, & in prima distillatione recipe solum partem, & distilla hanc partem. Recipe iterum, pone ad distillandum, & hujus recipe quartam partem, & iterum distilla 3. hujus recipe 4. totam, & iterum fac usque ad 10. vel secundam partem iterum distilla 4. & recipe aquam 9. vices.

CAP. IV.

De Liquefactione Solis & Lunæ.

REcipe hujus aquæ ℥. 4. & eas acue distillando cum vegetabilibus quæ sunt apud, & vide in anima artis, & postea pone in vase circulationis ut scis. Hæc aqua dissolvit omnia metallorum corpora, cum suarum specierum conservatione, prout practica inferius notata demonstrabit, quæ est una de rebus sine qua nihil potest fieri in magisterio nostro.

CAP. V.

De Aqua Calcinativa Corporum.

GErmen omnium capillorum collige & de terra recipe ℥. v. & de aqua ℥ ij. cum ʒ. cujus pondus est 8. ℥. librarum, & totum mixtum subtiliter moles in molendino marmoreo, donec totum dissolvatur in aquam claram: tunc ponas in vase vitreo, cum alembico superposito, & distilla totam materiam, primò faciendo ignem de serratura lignorum partibus duabus, & de carbonibus parvis, cum ʒ. & parum de sulphure: & accende ignem: faciendo ignem flammæ directè sub materia, & sic dimitte quousque revertatur ad 15. puncta vel pauciora, & continua secundo secundum punctum suæ distillationis, postea fortifica ignem quousq; alembicus perdat suum colorem, & amplius non distilletur. Tunc recipe aquam, pone in loco sicco & calido, & cave ne respiret: & cùm talia facis, dimitte parvum respiraculum inter haustum alembici & receptorium, quoniam ipsius spiritus calor est quasi immensus.

CAP. VI.

De Operatione hujus Aquæ.

HÆc Aqua ex re vili facta, habet potestatem convertendi omnia corpora in suam primam materiam, quæ si conjungatur virtuti vegetabili est magnæ perfectionis, & statim cùm facta est, vult poni ad practicam: ne spiritus ipsius qui est naturæ aëreæ pereat.

CAP. VII.

De naturali Calcinatione Lunæ.

REcipe ℥ j. Lunæ finissimæ, & minutim lunatæ, cujus medietatem pone in vase solutorio cum ℥. unà cum ʒ. de aqua calcinativa: & aliam partem in alio vase, cum simili modo, claude vasa cum suis coopertoriis, & luta junctures cum farina & albumine ovi, & pone hoc vas ad balneum mane per tres horas.

CAP. VIII.

De Operatione Ignis contra Naturam.

REcipe aquæ vegetabilis ℥ j. pone in ampulla, in qua pone ℥ ij. aquæ calcinativæ, & subitò cooperi cum suo cooperculo, & claude bene cum cera, & colloca in balneo per duos dies naturales, & in illo tempore totum vegetabile convertetur in aquam clarissimam & purissimam.

CAP. IX.

De Separatione Calcis ab Aqua Calcinativa.

METallum solutum sive calcinatum in duobus vasis solutoriis, separa colando aquam claram, ut terra ipsius possit aliquando ascendere: hanc aquam pone ad partem, deinde terram illius Lunæ calcinatæ, cum aliquantulo ejus humore, pone in igne cineris cum alembico & recipiente, & cum igne fervente, duodecim horarum liquorem jam dictum distillando. Cave tamen à minus forti igne, quoniam in forti calore Solis fit: deinde pone ignem infrigidare, & habebis Lunam bene calcinatam.

CAP. X.

De Occultatione Philosophorum in solutione Lunæ.

VEgetabilem ignem solutum in aqua calcinativa: Recipe salis cum aqua ℥. ʒ. calcis lunæ ℥. j. pone simul in vase solutorio & cooperi ut decet, & dimitte operari per se, sine aliquo alio calore, quousque operatum fuerit sua propria virtute, & requieverit, luta bene junctures, & pone vas in balneo per 3. dies naturales, & postea cola aquam; & distilla humorem, & calcina terram quemadmodum superius fecisti, & tantum reitera quousque totum dissolvatur sub isto regimine in formam liquoris, quem dissolutum pone ad partem: quoniam hæc est substantia corporis per aerem deportata.

CAP. XI.

De Congelatione Liquoris Lunæ.

TUnc pone dictum liquorem in duobus vasis circulationis partiendo ipsum per partes æquales,

æquales, & pone in quovis vase ℥. iij. cum sua aqua vitæ primò rectificatæ, & pone in furno habente duo brachia, ubi unus temperatissimus possit cucurbitas percutere, & colloca tua vasa, & liga circumquaque ad cannas alembici, & habeas spongias, quas tene madefactas semper aqua frigida ubi intrant cucurbitæ strictæ, & quando ampullæ senserint calorem, statim videbis fermentum cum aqua ascendere & descendere, & distillabitur de uno vase in aliud æqualiter; & videns qualiter ratione caloris spiritus subtiliatur & inspissabitur fermentum.

CAP. XII.

De Aqua Elixiris, quæ est conversionis in oleum.

VAsa ambo extrahe, quando materia tua fuerit congelata, loca in fimo, vel in balneo, & iterum solvetur in duobus diebus. Iterum congela, & hoc fac ter vel amplius, donec inde congelari non possit, & tunc ut oleum videbitur inspissatum, & erit lapis exaltatus in Dei nomine.

CAP. XIII.

De modo faciendi Oleum Lunæ.

VErum quæritur hic modus abbreviatus & pretiosus est, ut in decem diebus congeletur quinta essentia super fermento, & cum fermento, eo quod res multum grossa, terrestris & fixa est, in luna: sed non ita in Sole: quoniam citò solvitur prius complementum fixionis: sed tamen quantum ad finem complementi, tempus non est diversum in Sole & Luna: quantũ ad omnia respectum habendo.

CAP. XIV.

De Projectione.

MEdicinam hanc sic completam, si jungas cum sulphure Saturni, vel Jovis, faciet transmutationem secundum suum fermentum.

CAP. XV.

De Calcinatione Solis.

SUfficienter nunc dictum est de albo, dicamus nunc de rubeo: omnia enim in mensura hujus rubei concordant cum operationibus lunæ. Si scis operari philosophicè, cum aqua corruptibili quæ sua magna virtute dissolvet tuum solem, & subtiliatur in aërem quod est nostrum secretum. ♄. ergo compositæ lunæ distillatæ per alembicum ℥j. & cum ista aqua pone ℥j. aquæ vegetabilis, acutæ, & pone aurum secundum pondus aquæ vegetabilis: postea pone in balneo per duos dies aut quatuor, & infra dictum terminum invenies nigrum totum ut carbo, quem custodire oportet.

CAP. XVI.

De Reductione Lapidis in aquam & oleum.

ACcipe ambo vasa simul extrahendo à furno vel à balneo & statim in una nocte solvetur; & iterum congela, ut de luna fecisti, & habebis lapidem exaltatum, ita quod ampliùs congelari non poterit, & hic est pretiosior modus omnibus, ut Deus novit, quem mihi testem voco, etiam cunctis operationibus mundi: quamvis potestates Elixir magni non habeat; tamen si hanc medicinam miscueris cum sulphure Veneris, vel Martis, transmutatur secundum istud fermentum.

CAP. XVII.

De modo Solutionis & congelationis

EOdem modo solvitur & congelatur ut luna. Totum igitur compositum solis & aquæ pone in vas circulationis una cum duabus partibus aquæ vitæ rectificatæ, & cùm ampullæ senserint calorem, statim solvetur corpus sive fermentum, & videbis continuè in principio solem distillari, & in fine figi & in lapidem converti.

CAP. XVIII.

De Augmentatione medicinæ.

NOn arbitraris, quin hæc medicina habeat modum suæ multiplicationis, sicut aliæ: Tu ergo cum isto sole sic soluto impastes argentum vivum, septies sublimatum, & sic per ℥. solis 7. argenti vivi: & postea sublima septem vicibus, reddendo quod sublimatum est, fecibus, donec fixetur Mercurius, & in medicinam tingentem & penetrantem. Item aliud miraculum si ℥. unam solis hujus sic soluti, per se ponatur in igne lentissimo octo diebus, cum 100. partibus Mercurii, congelaret totum in aurum, & hæc mirabilia sunt in natura. Et hoc ideo, quia spiritus aquæ, in sal auri, cum auro inseparabiliter fixatur, & augmentat ejus efficaciam, ultra modum, scis quod in mundo secretius eo non est, unde si sciveris hoc abbreviare, in triginta diebus poteris lapidem componere; si modo aqueitate separaveris.

CAP. XIX.

De naturali Evacuatione corporum à suis Spiritibus.

NUnc ultimò restat qualiter à corporibus imperfectis possumus sulphur naturæ extrahere, & de amborum unione ♄. calcem cujuscunque corporis volueris, & pone in ampullam, habentem collum longum: & suppone de aqua vitæ rectificata quæ supernatet 4. digitis, & postea pone super cineres & bulliat per unum diem naturalem: & post bullitionem pone in fimo calido, vel stupha per duos dies naturales; & separentur partes subtiles à grossitie sua, transacto termino, ampullam extrahe, inclinando ipsam cautè, ne fæces turbentur; & serva aquam, & claude benè & custodi in loco calido & humido. Tunc pone aquam novam super fæces, & fac ut priùs, donec corpus à suis spiritibus evacuetur: & si tibi aqua defuerit, sume cucurbitam, in qua sunt omnes liquefactiones, & distilla per balneum, quousque habeas duas partes aquæ, & de ista aqua pone super materiam corporis, quæ est in ampulla. Sicut superius fecisti, & sic reitera, quousque terra sit evacuata; & sic probabis. ♄. modicum de prima terra & desicca ad solem, qua siccata, pone sulphur super laminam ignitam, & si fecerit fumum, reitera dictas operationes, quousque non fecerit fumum.

CAP. XX.

De Calcinatione Terræ.

VNde cùm ſignum prædictum perfectè fueris aſſequutus, extrahe materiam tuam ab ampulla, cum aliquantulo prædictæ aquæ deſiccatæ ut priùs, prout ſcis. Deinde habeas aquam vitæ optimæ rectificatam, in vaſe circulationis, de qua pone tria pondera, ſuper terram unius ponderis, & ſuppone alembicum, & claude junctúras, & cum igne lentiſſimo diſtilla, & completa diſtillatione dimitte infrigidari. Et tunc videas quòd terra ſit benè ſicca. Et iterum pone aquam novam ſuper pondus dictum, & fac ut priùs: & omnes diſtillationes pone ad partem in ampulla bene clauſa, & ſic reiterabis, donec terra in pulverem ſubtiliſſimum & impalpabilem ſit reducta.

CAP. XXI.

De Exuliatione.

MOdò dicimus de calcinatione ſpirituum, & liquefactionibus omnibus peractis. & Vas in quo ſunt omnes liquefactiones, & ſuppone alembicum, & diſtilla in balneo: donec ad ſpiſſitudinem mellis deveniat: & tunc permitte infrigidari, quo infrigidato mittes deſuper de illa aqua, quam modo extraxiſti de terra tantum quæ ſupernatet 4. digitis, & pone ad inhumandum in furno, vel in ſtupha calida per unam diem naturalem, vaſe optimè clauſo: quo tranſacto, pone alembicum, & diſtilla aquam cum igne mediocri; & pone ad partem facta diſtillatione, & vaſe infrigidato, pone ſupra materiam remanentem, de qua extracta ut priùs, inhuma, & diſtilla ut ſupra, donec argentum vivum Philoſophorum fuerit exaltatum; ut lac virginis.

CAP. XXII.

De Argenti vivi Philoſophorum ſublimatione.

MEmorare quoniam ſal ex prædictis ſic fit, completa iſta exuberatione, ſcias pondus prædicti pulveris ſubtiliſſimi, & imbibe eam cum medietate ſui ponderis aquæ exuberatæ, & pone ad inhumandum, & nutriendum in calore fimi per octo dies in fine, quorum invenies materiam tuam minùs humidam. Tunc ſuppone alembicum, & diſtilla illam cum igne lentiſſimo recipiendo, deſicca eam cum moderamine, iterato ſcias pondus, & pondere noto repone quam modo recuperaſti, & de illa aqua exuberata fac complementum ad medietatem ſui ponderis, & omnes iſtas imbibitiones, inhumationes, diſtillationes, calcinationes, reiterabis; donec terra bibat de tali ſua humiditate quatuor partes ſui: & hoc cognoſces ad tale ſignum; quoniam ſi ponas modicum ſupra laminam ignitam, & evolaverit in fumum, factum eſt, ſi non, reitera ut priùs, donec conſequaris ſignum prædictum, quo conſequuto pone ſuper cineres, & da ignem primo lentum, & paulatim fortificando, donec tota materia aſcendat ſuperius ad latera vaſis, & dum ſublimatum fuerit, habes ſal & ſulphur omnium Philoſophorum.

CAP. XXIII.

De Reductione Salis & Olei ad unam naturam.

SAlis vel ſulphutis jam dicti inceratio ſic fit: 24. prædicti ſalis cujuſvis metalli, pone in crucibulum, ſuper cineres calidos, & dum erit aliquantulum calidum, pone de dicto oleo guttandò guttam poſt guttam, donec ſit in ſpiſſitudinem mellis frigidi. Tunc remove ab igne, & dum erit frigidum, accipe de eo modicum, & proba ſuper laminam, & ſi velocirer fundatur, factum eſt, ſi non, reitera ut priùs, donec leviſſimè fluat ante fugam.

CAP. XXIV.

De oleo Lunæ.

LUnæ oleum fixativam habet virtutem & dat fuſionem levem ſuper omnia ſalia facta, incera igitur ex eo ſal Jovis cum ſulphure, factum eſt de Jove, & projice unum pondus ſupra quindecim Jovis, vel ſi fuerit ſal de Saturno, projice unum pondus ſuper 50. Saturni, & erit opus perfectiſſimum omnium naturalium: vel ſi oleum eſt de ſole, incera cum ſulphure Veneris aut Martis, donec fluat, & fac ut priùs.

CAP. XXV.

Sal aquæ nigrioris.

SAl aquæ nigrioris ſic fit. Calcina fæces vini, donec ſint albæ, deinde imbibe eas cum aqua nigrioris ſummè rectificata & acuta in vaſe circulationis, & pone ad putriendum per unam diem, deinde lento igne diſtilla aquam, & ultimo calcina terram vel ſal, & iterum imbibe & diſtilla, & calcina ut priùs, donec ſufficiat, & habebis ſal Mercurii ſive Artiteſtamentarium, ſine quo nihil fit, & poteſt poni in balneo Mariæ ad diſſolvendum, & ſuper cineres ad congelandum quouſque ſufficiat. Deo gratias.

Explicit compendium Artis Alchimiæ & naturalis Philoſophiæ ſecundum naturalem curſum ſcriptum die 23. menſis Auguſti.

Per Joannem Miletum Claudianum pharmocopolam Anno 1553.

RAYMVNDI LVLLII MAJORICANI,

CAP. I.

De Lapide & oleo Philoſophorum.

SI Vis facere aquam vitæ ſeu Elixir ad vitam hominis conſervandam & juvandam, & ad ægritudines ſanandas; Accipe album quod remanſerit in cucurbita, faciendo aquam ardentem, remove ab ea & ſerva ad partem in magno vaſe: & ſic fac aliis fæcibus, donec ſatis habueris, evapora fæces, donec ſint ſiccæ: poſt calcina ipſas in crucibulo, & pone in igne Reverberationis; & ibi dimitte donec ſint inter albũ & nigrum, poſt extrahe, & diſſolve in aquam Phlegmatis aquæ ardentis calidam, & diſtilla per filtrum, poſt congela lento igne, poſt extrahe, repone in crucibus, & calcina iterum calcinando, ut priùs, donec fæces fuerint benè albæ. Scias

quia

quia in ista medicina est modica terra, & magnæ virtutis: & non curas si parum sit de terra, quia parum fermenti levat, & fermentat magnam copiam pastæ. Ita istud modicum terræ quod continet lapis, sufficit ad nutrimentum totius lapidis. Cave benè ab his qui extraneas quærunt terras. Sunt aliqui qui quærunt tartarum, & dicunt, quia terra lapidis est: Alii quærunt fæces vini calcinatas: Alii cineres vitis, & ita cæcus, si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt, & credunt facere aquam vitæ, & faciunt aquam mortis. Quia non debet esse terra extranea, omnibus Philosophis testantibus. Postquam materia fuerit benè dealbata, ponas in cucurbita calata vel phiala longa & alta, cujus fundus sit rotundus ad modum cœlestis lunæ. Et cautè hoc facias, ut in spiraculo cucurbitæ remaneat ipsa terra, & antequam eam ponas ibi, fili, scias ejus pondus: & deinde decimum sui ponderis accipe de aqua vitæ, & pone super ipsam terram pro colatura cucurbitam, ita ut non possit spiritus ab ea exire, & postea ponatur hoc vas in fimo equi calido, & dimitte ibi sic, & ipsa aqua vitæ super ipsam terram totiens sublimabitur, & ascendet, donec sit ut ipsa terra. Ipse spiritus vel aqua inspissabitur, & retineatur ab ipsa terra verè, donec figatur in quandam materiam albissimam crikallinam, quæ apparebit super terram illam, non in uno loco, sed per plura loca ipsius: quia per maculas albas. Cùm iste spiritus detentus fuerit, & conversus in terram suam: tunc secundò iterato cum decima parte totius illius, quod est in vase de spiritu non fixo, atque de prædicta aqua vitæ, & pone super totum illud quod est in cucurbita orbata, & obturata: deinde obtura vas ut priùs, & pone in fimo, ut ascendat & descendat ista aqua vel iste spiritus totiens, donec inspissetur, & in virtute terræ retineatur ut priùs, hoc est reiterandum videlicet opus eodem & eisdem aquæ ponds, vel spiritus, & eodem igne, vel calore temperato non pulsivo, donec satis habueris de dicto fermento, vel tota pars ipsius aquæ alba, vel ipsa elementa quatuor in ea contenta & exaltata, ut est dictum in spiritu quintæ essentiæ, per primam operationem finietur, & per secundam operationem virtute terræ in unitate spiritus quintæ essentiæ, & fiet unus lapis cristallinus. Et hoc est quod dixit Philosophus, ascende à terra in cœlum & ista quatuor elementa prædicta, ascensa & exaltata per sublimationem, postea dicit Philosophus iterum quod descendit in terram, hoc est dicta scilicet ista quatuor elementa, cum spiritu quintæ essentiæ proximam operationem ut dictum est: iterato per secundam operationem descendunt in terram, ita quia fixentur, & virtute spiritus quintæ essentiæ ut remanerent unus lapis cristallinus albus Philosophicus. Tamen licet ut operator ponat certum pondus in imbibendo istam terram; tamen potest fieri sine certo pondere; veruntamen securius est quod dicit auctor ne elixir subjungatur, quare terra citius convertit, quia est minus, quam illud, quod est majus.

CAP. II.

De Aqua vitæ & sua perfectione cum lapide Benedicto.

QUaliter fit aqua vitæ in summa perfectione, cum lapide benedicto arcanum arcanorum omnia alia arcana excedens, & super omnia excellentissimum excellens, & immeritò vocare principem secretorum aquam vitæ faciendi, & componendi. Fili charissime perpendas in his verbis: Accipe aquam vitæ prædictam rectificatam, ut dictum est, & de lapide rubeo mineral quantum volueris, ut tibi videbitur esse satis: & tamen hanc aquam vitæ rectificatam, pone ad dissolvendum, & dissolve lento igne, prout melius videbis, & verè dissolvetur. Ita quod fiat aqua una aurea, vel rubea, clara, limpida, & secreta, & ita habebis summam aquam vitæ perfectam, quam serva in vase virreo, vel vitreato obturato cum panno lineo, & ut superius cum mastiches.

CAP. III.

De Natura, & virtute Aquæ vitæ & aquæ ardentis simplicis.

VIrtus aquæ vitæ & natura, & quod in passionibus ponitur & de virtute ardentis simplicis, hæc autem aqua vitæ perfecta, secundum ballamum appellatur. Quòd si in potionibus medicinalibus ponatur & sumatur, purgat sumentem ab omni languore, & ægritudine, & ab eo removet omnes infirmitates, & languores, lepramque repellit, & à supervenientibus infirmitatibus defendit; & in juventute conservat: cætera particularia experimenta hujus aquæ vitæ vobis remittam ut distinctè magis sciatis.

Item nota quòd postquam terra fuerit bene augmentata, vel multiplicata, pone in vase circulationis, & desuper pone duplum de aqua vitæ rectificata, & pone in fimo equino, vel in balneo Mariæ, & dimitte per quatuor dies: post distilla per alembicum, quod distillatum fuerit repone super fæces suas, & repone in balneo ut priùs, & ibi dimitte per quindecim dies, post iterum distilla per alembicum ut priùs, & fæces projice vias, quia nihil ampliùs valent, post iterum redistilla illam aquam ter, & tunc erit verè rectificata, & ita habebis veram quintam essentiam: & tunc vocatur aqua vitæ seu mater balsami.

CAP. IV.

De modo distillandi Aurum per alembicum.

PRimò ponam Auri calcinationem per aquam; secundò ipsius extinctionem ab aqua; tertiò ipsius dissolutionem per aquam: quartò ipsius coagulationem, & extractionem ab aqua dissolutiva: quintò ipsius dissolutionem per se in aquam claram: sextò & ultimò ipsius distillationem. Primò pone solem ad bulliendum, cum aqua vitrioli, & salis nitri, & ibi calcinabitur tantummodo. Secundò pone solem tuum exeuntem in aqua calcinata in alembicum, & ibi extrahe à calce totam aquam quæ potest exire: postea solis calcinationem in fundo vasis debes ponere in cassia ferrea super ignem carbonum, & movere cum baculo, ita ut omnis humiditas salsa recedat, quod per totum poteris cognoscere, semper ad pondus solis prædicti mensuram adhibendo. Tertiò solem calcinatum pone in aqua salis armoniaci, & salis nitri, & statim dissolvetur: pone tamen totum solis, & parum ad parum in aqua, donec videas quod faciat aliquam residentiam sine dissolvendo. Quartò solem tuum dissolutum in aqua dissolutiva, pone ad congelandum, & illud quod remanet in fundo vasis distillationis pone super lapidem, & convertetur in aquam claram: istud enim sol sic dissolutus, semper fluit in igne, & nunquam

convertetur in pulverem, & in aëre congelabitur, & ſuper lapidem in aquam diſſolvetur. Et nota quòd in coagulatione debet fieri ignis lentus. Quintò dictum ſal ſic coagulatum, pone ſuper lapidem, & ſtatim diſſolvetur in aquam claram, ſicut dictum eſt. Sed ſi velis ſcire perfectionem, & utrum ſal extrahatur, pone de dicta aqua ſolis ſuper linguam, & & ſi invenias dulcem benè: ſi non, non pone ad congelandum, in aëre, vel ubi poteſt congelari, & poſt diſtilla donec ſentias guſtum dulcem. Sextò & ultimò, ℞. ſolem tuum ſic diſſolutum ſuper lapidem, & pone in alembico benè curtò, & pone ſuper lentiſſimum ignem ad diſtillandum, & diſtillabitur de iſta aqua maxima pars: Et poſtea debes accipere maſſam quæ remanet in fundo vaſis, & pone eam ſuper lapidem ad diſſolvendum ut priùs, & ſi convertatur tota in aquam, aut non, pone illam aquam in alembico ad diſtillandum ut prius feciſti, & iſte modus teneatur, quouſque totum aurum diſſolutum & diſtillatum fuerit per alembicum. Si autem tota maſſa ſe ſupra lapidem non convertatur in aquam, tunc debes ipſam ponere, ſicut priùs in prædicta aqua diſſolutiva ſalis armoniaci, & ſalis nitri ad diſſolvendum, poſtea ad congelandum ad ignem, poſtea ſupra lapidem ad diſſolvendum, & diſſolvetur in aquam claram: poſtea pone eam in alembico ad diſtillandum, & per iſtum modum aſcendet totum aurum per alembicum in 3. vel 4. Reiterationibus. Vnum tamen quod vix potes facere, quoniam per aliquod argentum 41. pars aquæ ſalis quæ remanet cum ipſo ſole in ſecunda diſtillatione aſcendat alembicum cum ipſo ſole: ac tamen ſi poſſit colligatur aqua ſalium per ſe quæ minima eſt non dico tantum, propter hoc multum poſſet nocere, ſi ipſa cum medicina: nam ſi remaneret cum ea, parum aut nihil remaneret. Item ſol diſtillatum ſemel per alembicum ampliùs aſcendet per alembicum, quod eſt mirabile. Item dicit Epiſcopus De Tiopheo, qui hanc receptam habuit à quodam Sarraceno, quem Sarracenus dedit ſibi ℥ 7. ſolis diſtillati, & dixit, quòd illa aqua ſolis diſtillata per alembicum congelat mercurium, & quod vidit oculis propriis dicit inquam prædictus Epiſcopus. Quòd quando ſol diſtillatur per alembicum debet fieri ſine ſalibus, ſi poſſit & diſtillabitur in aquam rubeam, incenſam, & clariſſimam. Item quod quando accipietis partem unam de illa aqua & ℥ 2. de 8. diſtillato in aquam per alembicum, & commiſcentur ſimul cum ℥j. ☿, etiam dicti per alembicum diſtillati coagulabuntur, & eſſet medicina ad Rubeum. Et ſi vellet facere ad album, loco 8. ponatur O--O dictum per alembicum, & loco ſolis ponatur luna dicta per alembicum, etiam ☿ dictum per alembicum, iſta tua ponantur debitæ proportiones, ſicut in ſole commiſcentur & coagulentur eſſet ad album medicina perfecta. Iſta enim quæ dicta ſunt in corporibus, ſunt certa ipſorum diſtillationibus mediantibus.

CAP. V.

De diſtillatione omnium ſpirituum per alembicum.

MOdo reſtat dicere de diſtillatione circa ſpirituum per alembicum, & dicit quod O--O debet ſublimari ad album, & poſtea debes ipſum ſublimare à ſale communi ter vel quater. Poſtea ſine aliqua alia præparatione debes eum ponere in aquam ſalis citrini, & ſalis nitri cum eo operare in toto, & per totum, ſicut feciſti de ſole: & non quod non eſt neceſſe ſpiritus ponere in aqua calcinativa, ſed tantum diſſolutivâ. Item dicit quod O--O poſtquam eſt diſtillatum per alembicum, quia poſtea nunquam cremat, neque fumat neque fugit. Item omnes ſales per modum ſupradictum poſſunt diſtillari per alembicum. Item O--O eodem diſtillatur quia & O--O. Item ☿ per eundem modum ſublimatum diſtillatur per alembicum, & paulominùs poſtea fumat. Quod ſi pluries ſublimaveris, & poſtea diſtillaretur per modum prædictum non fumaret, ſed non funderet. Item dicit quia nullum corpus, nec aliquis ſpiritus, nec aliquod ſal dicitur propria præparatione præparatus, niſi priùs diſtilletur per alembicum, dicuntur eſſe præparata, & habiles ad ponendum in opere noſtro philoſophico & non ante. Item quando ſpiritus, & corpora ſunt diſtillata per alembicum, fit matrimonium, & non ante. Unde quilibet ſpiritus, & quodlibet corpus debet per ſe in aquam diſtillari per alembicum, & tunc debent ſimul jungi. Et tunc ſic eſt factum matrimonium, & eſt facta medicina perfecta omnium Philoſophorum quæſita, & à paucis inventa. Et hæc de diſtillatione per alembicum lapis & oleum Philoſophorum, corporum, & ſpirituum ſecundum Raymundum Lullium dicta ſufficiant.

Explicit Liber de Lapidis & Olei Philoſophorum diſtillatione ſcriptus die 28. *menſis Septembris, Anno* 1553.

Per Joannem Miletum Claudianum phatmocopolam.

CODICILLUS *ſeu* VADE MECUM *aut* Cantilena RAYMUNDI LULLI *Philoſophi Doctiſſimi, in quô Fontes Alchymicæ, Artis ac Philoſophiæ reconditioris uberrimè traduntur.*

DEus in virtute Trinitatis, quâ unitas divinitatis tuæ non læditur nec confunditur in aliquo, incipimus præſens compendium, quod aliter *Vade Mecum* de numero Philoſophorum ſive clauſulam Teſtamenti per modum Codicilli jubemus nominari, ad noſtros hæredes ſucceſſivos Anglorum Reges inclytos voluntate perpetua jam conceſſum, In quo quidem compendio ſive arte determinavimus perfecta declaratione effectum totius practicæ hujus artis & operandi modum per certa & efficacia inſtrumenta, quæ ſunt trium generum principalia principia in hac arte: nam cùm Artifex qui per extrinſeca & improbata principia quæ nullo modo dependent cùm multùm remota ſint ab arte, de intrinſecis naturæ effectitibus ſatagat, judicare nequit de talibus habêre probabilem notitiam maximè cùm illa præcedere debeat per æſtimationem certam propinquam veritati quantùm poſſibile eſt humanæ rationi penetrare ad ſecreta naturæ. Illud autem quod æſtimationem artificis regulat ut appropinquet ſe veritati, eſt regula artis venerabilis doctrinæ intellectualis. Et quia ſemper in talibus æſtimatur quod regulatur per artem ideo quod demonſtraverunt patentiſſimè vires ejus.

CAP. I.

De Proceſſu artis & probabilitate illius ex parte materiæ.

ARs igitur ſemper procedit de his quæ circa ſuam naturam certiora ſunt, quoniam incerta probari

probari nequeunt, nisi ex his quæ saltem aliquo modo, vel ut plurimum certitudinem habent. Nec ars potest esse nisi incipiatur à suis certis principiis quorum aliqua materialia quæ secundùm magis & minus depurata existunt & secundùm hoc operi propinquiora vel remotiora ut te charissime ignorare non credimus. Ideo instante inclyto Rege Eduardo in cujus custodia ac protectione divina præposita, ne tanta philosophiæ memoria vel cognitio impiis largiatur, hoc opus operum stricto ligamine commendamus in conversionem Paganorum in conservatione salutis fidei quâ salus fidelium dependet cui præesse dignoscitur, non solùm quidem ut corpori sed ut menti & animæ redundet in commodum sempiternum. Et quia omnia mentis opera sive in agendo, sive in apprehendendo vel judicando clarius & perfectius, virtutibus, facultate, comparatis annexa secundum cursum & debitum naturale ad totius christianæ religionis augmentum & animarum salutem nequeant generaliter integrari sicut probavimus in quæstionario 26. distinctione hujus artis idcirco hâc consideratione non modicum altitudo Coronæ Regiæ sublimatur, cùm per hoc cunctorum matri fidelium in procreando palam provideatur ampla seges: ad quod summum bonum procreandum, ipse quidem Rex quantum ei possibile fuerit, obligatus est nobis, non fictè, non coactè, ut asseruit: sed proprio spiritu voluntatis.

CAP. II.

De Revelatione nostræ intentionis.

NOs igitur intendimus in præsenti brevi colloquio, ad honorem cælestis filii, fœliciſſimæ & Beatæ Virginis, Mariæ matris ejus; cujus solùm benevolos ac corde adstantes in qualibet utili plenitudine veritatis attingere vidimus, eo intuitu humilitatis, pro communi utilitate philosophantium, nec minus quoque de præsenti Philosophia Cupientium perfici, compilare & tractare artem practicandi, per quam supremæ medicinæ medicinarum compositio ad oculum cunctis intelligentibus demonstretur.

CAP. III.

De Forma tripartita.

FAcimus autem formam nostri compendii tripartitam de tribus generibus principiorum, cum omnibus regulis hujus artis: quibus velut effectivis instrumentis propriis, non solùm tam dictæ quin imò etiam cujuscunque traditæ compositionis medicinarum artis veritas illucescat, & quam propinquius directo tramite habeatur, scribuntur enim omnia certa principia non solùm considerationis: sed ad oculum demonstrationis hujus per modum textus theorematum principiorum demonstrabilium, ex quibus doctrinæ filii intellectus, omnimodam consequi poterit faciliter veritatem, maximè cùm secundaria & cætera principia sequentia ex prioribus velut ex primordiis dependentibus ex hujus artis principiis demonstrentur.

CAP. IV.

De Expositione theorematum & distinctione partium.

COnsequenter autem in mystico sermone subjungemus expositionem & applicationem uniuscujusque principiorum theorematum declarandos ad propositum modum & ordinem practicalem; quantum imbecillitas nostræ rationis permiserit; quicquid circa materiam principiorum theorematum; anteriores nostri sensisse videntur, communia omnia verò principia theoremata, tribus distinguentur partibus priusquam applicationibus misceantur ut circa modos & titulos per sequentes rubricas indicabitur.

CAP. V.

De primi generis Principiis materialibus & de his quæ labuntur ex illis.

PRincipia ergo materialia usualiter materiam illius naturæ sequuntur amoris fœdere quam ipsamet vel eadem natura suis actionibus propriis naturalibus amorosis convertit in metallicam formam transmutavit vel mediam ad ipsam, & sunt in ordine primò materialis principii quatuor practicalia principia, quorum duo sunt naturalia & reliqua duo contra naturam. Naturalia sunt sulphur & argentum vivum & ex his duobus amor metallicus gignitur per quem fit generatio rei petitæ cum propria eorum individua ad invicem naturali fœdere colligantur, hoc est quando virtus eorum juvatur super contrariam qui est corruptibilis ut statim manifestabimus. Contra naturam verò sunt natura vitrioli & natura salis communis ex quibus amor alterius generis oritur generationis tamen propinquæ & cum sibi ipsis fit corruptio rei petitæ scilicet in quantum deterior eorum natura juvatur super meliorem naturam sulphuris & argenti vivi quod frequenter accidit virtute superfluæ lineæ mixtionis vincentis materiam sulphuris & argenti vivi: vel fit ex defectu præparationis seu ignorantia artificis. Quamobrem ne Regia majestas in ipsa præparatione prætendere valeat aliquam causam ignorantiæ aut in posterum nos aliquomodo increpare, eam tanquam fœcundissimam sicuti promisimus debitis solutis largiemur. Intelligendum itaque primò est, quomodo ex jam dictis principiis, formentur plura principia alia, quæ ad unguem per literas revelabimus secundùm quæ, ab eorum natura, dicta materialia principia labuntur successivè, & gradualiter alterantur notis & certis operationibus per Practicalia principia directa & gubernata, mediante doctrinâ intellectuali quæ per demonstrativa principia regulantur. Ulterius est diligenter notandum quod supra dictorum duorum principiorum naturalium, unum verius est naturale in tota & per totam sui substantiam tam intra quàm extra, & illud est sulphur purum, calidum & siccum inducens formam suam scilicet secundùm quod forma metalli sequitur & purum effectum. Reliquum verò est innaturale id est intus naturale, & extra contra naturam: Naturale verò intrinsecum est sibi proprium & etiam connaturale factum, quia per propriam naturam advenit: sed extrinsecum ei additur per accidens & ab isto est naturaliter, post ejus corruptionem non habet separandum, propter quod constat argentum vivum tale non esse in tota sui substantia naturale sicut erat in sui prima creatione, nec erit ad plenum depuratum nisi per artis Theor. 57. ingenium depuretur. Ex his potest intelligi an argentum vivum nunc in tota sua sit substantia, cùm lutosam suam amiserit & in prima sua natura jam sit alterata per digestionem & in aliam naturam conversam ulterius scilicet sulphuream congelativam

per digestionem aliam sibi supervenientem, hoc est autem argentum vivum nostrum, in se recipiens formam sulphuris vel metalli secundum quod illorum virtus unius, virtutem vincit alterius per temperamentum ad invicem ut in eis metallorum natura ostendit, cùm sic in nobiliori formæ intuenti cuilibet deducuntur, nec etiam similiter intelligas sulphur prædictum esse in tota sui substantia tale creatum, nec adhuc compar ejus argentum vivum à quo fuit creatus ipse Rex metallorum, sed ex parte illius naturæ majoris retentionis & firmæ coagulationis generatum ex nostri argenti vivi substantia artificialiter naturâ instante. Hoc autem intelligas non solùm de principiis materialibus successivis ex quibus immediatè componitur Elixir vel medicina, sed etiam de prioribus corrumpendis alterandis & ad duritatem prioris materiæ sulphuris & argenti vivi deducendis.

CAP. VI.

De Principiis demonstrativis & de his quæ labuntur ex illis quæ secundi sunt generis.

DEmonstrativa principia generalia quibus artifex signis præcognitis insignitus, veritatem postulantem artificialiter informat, sunt illa signa quæ magis habitu infixa materialibus principiis successivè in decoctionibus emittuntur ut sunt quatuor principales colores scilicet nigredo, albedo, citrinatio & rubedo & ex illis emanant tot colores mixti per accidens, quot in tota natura excogitari poterunt, sed non remanent in effectu nisi tantummodo quatuor supradicti colores essentiales veluti rectrices totius magisterii, quorum primus color scilicet nigredo terminatur in album, dein albus in citrinum & citrinum in rubeum quod est ultimum demonstrativum & finis perfectionis totius magisterii, ideò fuerunt ista principia data cum quibusdam aliis particularibus quæ hic dicuntur & in practica ut per illorum notitiam administrare sciat Cautus artista id de quo à natura per signa demonstrabilia cognoscet in practica ut secundum regulam artis traditam suam sciat gubernare materiam, prælectam juxta formam naturæ debite informandæ per practicalia principia quæ sequuntur.

CAP. VII.

De principiis tertii generis practicabilibus & his quæ labuntur ex illis.

TErtii generis principia operativa in hac arte principalia sunt quatuor virtutes convertentes, videlicet solvere, abluere, reducere & figere: quia ex quolibet eorum dependent plura alia principia particularia practicalia, actus ignium respicientia & illorum informationes ut puta naturalis, innaturalis & contra naturam & artificialis ut per successivas operationes ostendetur breviter, declarando igitur quodlibet istorum, nullo modo recedendo à practica, breviori & faciliori modo quo possibile fuerit exponemus, cùm de duobus principalibus naturæ motibus scilicet corruptionis & generationis ut promptius & facilius modum effectivum capere valeat artis filius per instrumenta prædicta. Intellectis igitur illis principiis & Practica, quæ sequuntur ex ipsis ac modo operandi ad naturam mediorum naturalium & innaturalium ac contra naturam recurrat artifex, ut gubernare sciat secundùm vires mediorum naturæ convertentis, ut exercitare sciat suum negotium circa confortationem vel debilitationem naturæ eorum.

CAP. VIII.

De Corruptione & Generatione.

HUjus autem magisteri, integritas, duos principiorum respicit motus quibus corruptio & generatio præsignantur scilicet naturalem & innaturalem, innaturalis motus dependet ex totius materiæ motu & quamplurimorum per evacuationem corporis à spiritibus, spiritum videlicet innaturalis caloris excitatione. Naturalis motus est ex agitatione caloris in corpore & ideò cùm homo itinerat in æstate sumpto cibo post prandium incenditur calor naturalis in corpore & motus digestionis perfectæ non solùm retardatur sed potius confunditur in corporis corruptionem: quia spiritus resolvuntur, calor naturalis minuitur propter quod homines qui multùm itinerant macres communiter sunt velut cholerici & melancholici, quia iste motus formatur ex primo principio practicali scilicet insolatione, tamen cum igne innaturali per alia principia benè informata ita ut excedat in quantitate virtutem caloris naturalis, nisi secundum quid ad corruptionem naturalem, neque à tali actione sit diminutus, quia quanta est proportio talis potentiæ ad sic corrumpendum, tantò est calor naturalis virilior ad generandum seu renovandum ejus individua cum modica corruptione ab eorum temperamento sint lapsa, quia non expedit naturalem calorem præ nimia fortitudine corrumpentium in omni sui parte vincere vel suffocare excellentia ignium quia tum non effet in actu reformationis, quia natura reformativa scilicet calor thesaurisans per calorem corrumpentem sibi contrariam extinctus tanquam malleo mortis percussus ad intima sui cordis repercutitur totaliter, unde totius vitæ influentia evacuatur. Alius motus est cum calor naturalis non intenditur alieno calore: sed per se motu proprio & per accidens motu informationis perfectæ caloris extrinseci, ut cùm homo dormit post cibum sumptum ab aliena frigiditate per calorem extrinsecum confervatus efficaciter illum dirigit & ad se convertit & hoc ideò fit, quia tunc natura limites sui corporis non transgreditur in quo ipsa universaliter est dispersa: sed ibi tanquam in proprio thalamo corporis se ipsam sollicitat ad suas perficiendas actiones & tunc non debilitatur corpus per evacuationem spirituum in quibus calor naturalis quiescit, sed potius confortatur per repletionem, attractionem, & transmutationem ipsorum & conservationem humidi radicalis in quo affluentia caloris naturalis conservatur naturaliter velut in subjecto suo proprio naturaliter calescendo & iste motus dupliciter confortatur, uno modo per informationem tertii principii practicalis scilicet per reductionem cum omnibus suis instrumentis, ut quando lapis creatur & calor naturalis contra suum contrarium augmentatur confortando ad secundarias ejus actiones celebrandas. Secundo confortatur per informationem quarti & ultimi principii factam per fixionem cum juvamine omnium signatorum ut cùm lapis post ejus creationem figitur & per suum calorem confortatum omnia in thesaurum transmutat, & quanquam adhuc modus iste sit duplex habendo respectum ad actiones quas medicina vel elixir per se perficit, attamen hoc non

tangit

tangit propositum operis artificis nisi solùm in applicatione illius ad humana corpora sufficientibus modicis relinquatur. Primò sciendum est quod innaturalis motus est in parte contra naturam quæ in terream substantiam mortuam reducuntur & in parte est in conservatione naturæ scilicet in quantum perficit, ut res remanens & individua corrupta perficiens, post eorum ablutionem in naturam fermenti & metalli educens; actione aëris & ignis quę sunt unguenta & olea philosophorum ac anima auri. Hoc enim est oleum naturas incerans & conjungens, eò dicta individua in medicinam inducens ad corpore tingenda & hoc oleum spiritus caloris retinet semper usque ad sui inspissationem & tunc induit citrinitatem aut formam metallicam. Causa verò suæ inspissationis est lapis factus ex individuis reformatis per artem, cujus reformationis finis est oleum ipsum & medium conjungendi. Talis processus est ultra invitationem naturæ supplectus, ex quo relucet tota substantia libri Geberi de perfecto magisterio, in quo revelando secretum materiale inquit; quod perfectio magisterii consistit in consideratione rerum sc. tam materialium quàm operantium quibus ad medicinam artifex pervenit, quia ex consideratione illius dirigitur intellectus & artifex perducitur ad operis complementum, idest ad medicinam veram & substantiam lapidis quæ ex argento vivo sumit originem; & substantia aëris & ignis colores manifestat consideratio rerum juvantium sine quibus rarò pervenitur ad formam lapidis supradicti, est ut quis consideret naturam illarum rerum quas corporibus adhærere videmus sine artificio. Et imitationem facere quæ media dicuntur inter illa quæ corpora mundificant sine adhærentia ut aquæ lapidis: ex quibus gratia elicitur quæ Piis in Domino relinquitur amatoribus, cum veri ignis vitri adhæret & natura communis recedit per dissolutionem, quando non ingreditur ratione sulphureitatis & salsedinis, substantiam argenti vivi in amaritudinem constringentis & reducentis, & hæc est illa substantia quæ per indurationem argenti vivi nostri convertitur in Elixir perfectum & in parte in conservatione naturæ: quia ex toto naturalis motus non confunditur, quemadmodum nec expedit ut dictum est in motu innaturali: quia sic non esset motus innaturalis sed contra naturam: qui motus ratione suæ extremitatis excellentis vincit & ad profundiora rei ingrediens corruptibilis, calorem obtundit naturalem & mortificat id de quo intendebatur educi spiritus motu regenerationis. Fac ergo ut naturalis motus debilis non confundatur per acritudinem sui inimici: sed semper ei resistendo & fabricando virili actione mallei, creet in suis partibus corruptis vice post vicem, non in grossum: sed in simplum & per minima medicinam ita ut natura sua corruptionem non sentiat nec violetur: sed reparando individua antiqua secundùm quid corrupta, reducat in nova. Hoc autem est quod diximus videlicet quod innaturalis motus est intus naturalis sub conservatione speciei, ut patet per fabricationem motus naturalis mox corruptioni successivam in ejus composito, remissa ejus contrarii actione, relicta est etiam vis naturalis non ut absolutè sit contra naturam, quia tunc esset totaliter in destructionem illius sine conservatione primæ formæ, sed est quodammodo contra naturam scilicet in parte, vel sub terminata forma corruptionis limitata, quamvis impropriè utiq; dicat cùm potius sit adjuvans naturam quam ei nocens: ut patet per subtiliationem cum conservatione speciei individuorum, & ideò dicimus ipsum esse innaturale quia de se non naturatur; nec tollit aliquid naturæ naturatæ; imò potius eam adjuvans mediante exercitatione moderata secundùm quod natura in suis requirit reformationibus ut dictum est Theor. cap. 55. Et ex hoc passu revelatur qualiter omnia sub globo lunari composita quodammodo fiunt in quodam motu & in motu corrumpuntur; quia omnia naturalia contrarietatem habent quâ excidunt quidem non in virtute, sed secundùm quid, ad resolutionem individuorum non usque ad materiam primam; sed ad illam materiam generi metallico proximam in qua est major similitudo agentis naturalis quàm in alia prima. Propter quod si materiam transiret proximam perderetur majoritas ex similitudine sua & per consequens; æqualitas & minoritas & sic in cursu magillerii naturalis esset vacuum secundùm quid, quod est impossibile; sunt etiam quædam in toto contraria & tamen excellunt in virtute cujus ratione invicem continuè agunt & cõtinuè patiuntur, ut illa quę sunt contra naturã quæ continuè agunt in corpora & patiuntur. Si hæc intelligis cognoscere poteris causam abbreviationis vitæ illarum, eò quod continuè tendunt ad corruptionem & regenerationem, igitur addiscas resolutionem illam exquisitam usque ad illam materiam primam in qua similitudines ignis sunt multiplicatæ aliorum elementorum ac agentium naturalium & patientium secundùm quod exigit cursus naturalis. Quia si generationem & corruptionem quas jam revelavimus in communi theorica benè intellexeris, ad eandem illam solutionem de facili pervenire poteris.

CAP. IX.

Quomodo discurrendo per principia, artifex se debet dirigere in Practica & quomodo intelligitur Modus Tractationis eorumdem.

DIcitur tibi Fili charissime, quod ultra sensum præstare te oportet oculos mentis pro canone directivo seu regula, ad omnia intelligibilia principia supradicta, & hoc secundùm ordinem sequentia doctrinæ intellectuales & memoria excolenti, voluntate diligenti & intellectu invigilare oportet, si completum hujus operis finem volueris adipisci, quatenus tamen respectum habueris ad signa & naturas mediorum & extremorum, quia extrema ex mediis convertuntur & media in extremis gradatim resolvuntur: quod fieri poterit si extrema per ingenium, & naturam non traheretur à medicis de potentia in actum, cùm non sit transitus de extremo ad extremum nisi per media, & hoc etiam naturaliter proprium est omnium imperfectorum metallorum, quæ in specie videntur incompleta propter quod omnia illa imperfecta metalla in quolibet sunt convertibilia, quia omne medium in se habet naturam informem, formata tamen & distincta retinentur per sua propria extrema, quæ latius declaravimus in scientia de sensibilibus, ubi ostenditur qualiter extrema sunt in mediis secundum formas confusas, igitur extrema de mediis possunt educi, secundùm quod virtus, naturæ unius extremi in illis mediis super virtutem alterius juvatur, in omni naturali scientia plura existent media & illorum notitia in omnibus transmutationibus est necessaria & hoc per exquisitam potentiam naturæ illorum, sive materialia, sive operativa fuerint sive signa demonstrabilia, respiciendo ad naturam generis à quo

quodlibet eorum immediatè vel abſolutè dependet ſecundum ſuum actum extremum. Sulphur & argentum vivum extrema ſunt omnium metallorum: ergo metalla inter ea erunt media, ſed metalla differunt ob argentum vivum nti eorum compoſitione ſecundùm quod ipſum differt per mixtionem ſulphuris puri vel immundi terrei ſibi extranei propter quod depurata magis aliis reperiuntur duo ſcilicet aurum & argentum ſine quibus ars illa non poterit integrari, cùm illis inſit puriſſima Sulphuris ſubſtantia ingenio naturæ perfectè depurata, ad cujus depurationem debilior eſt ars quam natura, nec eam conſequi valet licet multùm in ea laboret. In arte igitur Pater ejus eſt ſol, mater ejus luna: quia ex illis duobus corporibus cum ſuo ſulphure vel arſenico præparatis, noſtra elici medicina poterit & ſine illis haberi nequit. Vocantur autem media, quia ex primis puris extremis ſunt compoſita naturaliter, ſcilicet ex ſulphure & argento vivo, nec ſunt Sulphur, nec argentum vivum: ſed media inter illa, cùm argentum vivum ſua proprietate & vapore ſui depurati Sulphuris in metalium congelatur perfectum, & ſecundum quod dicta metalla magis tenent de natura argenti vivi, majoris ſunt perfectionis ut aurum & argentum: & ſecundùm quòd minus tenent de natura argenti vivi & magis de natura ſulphuris, majoris ſunt corruptionis ut cætera metalla imperfecta & maximè marcaſſita, magneſia & tuthia, & ultra hæc majoris corruptionis ſunt ſales, alumina, atramenta & cætera quæ media dicuntur inter lapidem & metallum, dicimus autem quod cùm extrema ſecundum quod ſunt de mediis ſuis propinquiſſimis educuntur aſſiduè ex virtutibus illorum propriis efficaciter & ſecundum rationem naturæ ſequentis retineri cenſentur ad eorum actum propinquum vel proprium. Præterea aſſumere debes fili ſucceſſivè principia alterata & miſcibilia alteranda magis apta ratione propinquitatis naturæ affinis quæ eſt in eis propinquior & perfectior, verbi gratia (H) eſt principium, de (G) ad aſſequendum (M) mediante (G) & (G) eſt principium de (M) ad aſſequendum (R) per M & M eſt principium de (R) ut per ipſum attingere poſſit (Y) gradatim & in ſuam naturam converti & ſic patet qualiter natura extremorum eſt cognoſcibilis per naturam ſuorum mediorum, & è converſo quia (G) naturam tenet medii de B et (M) & M retinet medium conjunctionis naturæ per quam G vertitur in R & R natura affinis mediis per quod natura de M convertitur in naturam de Y & per B intelligere debes principia materialia ſcilicet aurum & argentum ac naturam vitri & ſalis cum mercurio. Per G intelligere debes principia materialia ſecunda ſcilicet elementa terram, aquam, aërem & ignem quæ ſucceſſivis & gradatis operationibus fluxa ſunt & elicita ex jam dictis principiis materialibus primis tempore, & per M intelligere debes principia materialia tertia quæ ſunt ſulphur & argentum vivum putum & fermenta Philoſophorum ſucceſſivè creata & elicita per magiſterium ex jam dictis principiis ſecundis immediatè. Per R intelligas medicinam vel Elixir completum aut argentum vivum fluens, penetrans, tingens & permanens à terra ſublimatum, quod quidem eſt compoſitum ſecundum gradum ex M & immediatè materia præjacenti puta ex tertiis principiis ſupradictis. Per Y debes intelligere multiplicationes quæ ſunt ex ſucceſſivis operationibus ex medicina jam dicta ulterius & exquiſitè & providè cognoſcendum eſt genus mediorum & extremorum, quæ ſunt inter ſupra dicta principia, quemadmodum evidentiſſimè ex literis alphabeticis percipi poteſt, quibus operationes ſuccinctè & gradualiter decurrunt & labuntur ad principales gradus ſublimationum quæ ſunt C, D, E, F quæ deſcendunt de B & portare ipſum poterunt ad naturam G. Secunda media vel extrema de G deſcendentia ſunt H, I, K, L, quæ portant ipſum G in naturam M. Tertia verò media ſeu extrema ſunt illa quæ ſucceſſivè & immediatè deſcendunt de M & deducunt M in R videlicet N, O, P, Q. Quarta media ſunt S, T, V, X, & iſta immediate per ſucceſſionem legitimam deſcendunt de R ut ipſum eorum beneficiis ſubtiliare poſſint & deportare in Y & ad ultimam perfectionem deducere & hæc tota alphabetica circulariter eſt completa. Verumtamen ſunt adhuc aliqua media, circa illa intelligibilia ad ſenſum ut in Practica gradatim percipere potes per operationes & per talem ſcalam poteſt intellectus humanus gradualiter aſcendere & deſcendere ad omnes alias ſcientias ſenſibiles & intellectuales mediante imaginativa ut Dei & creaturarum ejus notitiam habeat per inſtrumenta prædicta, præſertim cùm naturales vires diſcernere poterit evidenter per philoſophicas rationes, ſcilicet quomodo B ſit remotius aliis à perfectione ultima, quamvis cæterorum exiſtat principale principium ut clarè patet, & ut Chriſtus Jeſus de ſtirpe Davidica pro liberatione & diſſolutione generis humani peccato captivat ex tranſgreſſione Adæ naturam aſſumpſit humanam: ſic etiam in arte noſtra quod per unum nequiter maculatur per aliud ſuum contrarium à turpitudine illa abſolvitur, lavatur & reſolvitur & quæ inter duo contraria collocantur, per id quod magis recedunt ab uno, magis appropinquant ad aliud & è contrario elongati fuerint à perfectione appropinquantes fini perfectionis, perfectius eſt, & quò minus fini perfectionis appropinquat imperfectius eſt. Ex hoc clarè patet quod M nequit immediatè generari de G niſi primo ipſum B tranſeat in G, nec tranſire poteſt in C niſi per omnia ſua media quæ ſunt C, D, E, F primò decurrat, ſimiliter nec G tranſire poteſt in M niſi per ſua media ſcilicet H, I, K, L primò tranſierit, Nec de M generari poteſt Y niſi primò tranſeat per N, O, P, Q. quæ ſua ſunt media, nec R reduci poteſt in Y niſi primò reducatur in S deinde in T poſt in V & demum in naturam X, poſt talem graduationem cadit in Y & ſic natura de G proximus reſpicit naturam de M per ſua media ſucceſſiva quam naturam R & M propinquius reſpicit ad naturam de R quam naturam de Y gradatim diſcurrendo per ſua media, non igitur potes per artem certam immediatè de R medicinam componere niſi prius diſcurrat in G & de ipſo tranſeat in M quouſque puriſſima illorum ſubſtantia ſucceſſive per naturale magiſterium noſtrum fuerit generata & cùm ille ſit verus curſus naturæ & ars imitari ſatagit naturam taliter quemadmodum præſcribitur, eſt proſequendum, quia natura quæ complere poteſt per aptitudinem materiæ ſuæ nunquam ab extremo decurrit ad extremum niſi prius ſucceſſivis operationibus tranſeat omne medium. Mediorum igitur natura conſideranda eſt ab artifice antequam aliquod magnum attentare præſumat & diligenter curet nihil de ſuis mediis omittere ſive ſint materialia ſive practicalia ſive monſtrativa, donec ipſa natura reduxerit gradatim ſua media ad primum ſuum eſſe id eſt ſulphur & argentum vivum quæ ſunt propria ſpermata metallorum & eis magis propinqua cum quibus facias ſpecioſas illas tranſmutationes per quæ omnia imperfecta perficiuntur.

CAP.

CAP. X.

De Natura Ignium & quomodo instrumentaliter se regulari habeant.

EX præcedentibus colligitur duo fore quorum quilibet expresse debet artifex ignem innaturalem sapienter disponere & ejus vires certis & notis operationibus regulare, quæ sunt ignis naturalis & contra naturam. Innaturalis inter utrumque est medium. Qui formam hujus exemplaris seu regulæ suæ menti præscripserit & ipsam diligenter servaverit, infallibiliter cognoscet illorum qualitates. Consideret ergo artifex naturales vires & fortitudines lapidum philosophorum, quæ vires sunt ignis naturalis, innaturalis & contra naturam, quæ & quales sint in toto cursu naturæ & quis cujuslibet fuerit amicus vel inimicus ut demonstrativa & infallibili arte per certificationem naturæ eorum, materiam ejus prudenter noscat disponere à qua cætera materialia principia effluunt cum corruptione naturali & debilitatione tali ut extremitas naturalis caloris non pereat in aliquo: sed ipsam per modum reductionis ad suam naturam integram pro confortatione ipsius prudenter in propria multiplicatione suam substantiam sublimare & etiam sursum ascendere, ita ut nihil sit quod virtutem rerum naturalium attrahat affectiùs, conservato tamen privilegio naturæ ideſt caliditate naturali in corruptione suæ substantiæ quam amor in ipsum spirans & omnia vivificans scilicet humidum spirituale existens sibi connaturale, ordinabit artifex ipsum viribus amoris attrahere, præcipuè cùm per defectum illius & per corruptionem ab eo fuerit elongatus; Hunc autem modum reductionis exprimit ars clarissime in regimine tertii principii practicalis, ut sui amoris exuberantia cunctis patefacta sit experientibus visibiliter. Dicimus ulterius & duo sunt quibus artifex sapienter cognoscere potest, quantum calor innaturalis & differens vel indifferens à calore naturali & contra naturam in qualibet parte totius magisterii, quorum primum est mensura contrarietatis ipsius ad naturalem vel conformitas ejus ad contra naturam quod idem est. Mensura elongationis ipsius ab illo qui est naturalis & approximationis ad illum qui est contra naturam. Mensura ignis innaturalis docebit te Fili clarissime hujusmodi certitudinis semitam veritatis, quia quod inter duo collocatur contraria, per illud idem quo magis recedit ab uno, appropinquat magis ad aliud & è contra & ideo sive consideres innaturale medium ut elongatum à calore naturali, sive ut approximatum ad ignem contra naturam cùm hoc fiat per debilitationem unius & confortationem alterius, jam transcendit potentia ignis innaturalis super naturalem per confortationem illius & conformitatem ustivi qui est contra naturam: Similiter si consideretur ipsum medium innaturale ut appropinquans sit per confortationem ipsius ad ignem naturalem & elongatus sit ab igne contra naturam potentia adurens per sui debilitationem, jam devincitur, quæ est contra naturam in medio innaturali, per attractionem sui ad naturam & conformitatem caloris non urentis propter quod appropinquationem & elongationem illius medii, sive ad naturalem sive ad contra naturam, semper eisdem signis mensurare teneris: quia illis operationibus quibus dictum innaturale medium recedit à natura unius, confestim accedere incipit ad naturam alterius, dum tamen natura medii innaturalis & ejus operationes scilicet, confortatio & debilitatio sint extra latitudinem duorum extremorum antedictorum: Audiat ergò lector hujus philosophiæ & naturam confortationis & debilitationis cognoscat non tantùm quid sint: sed quot modis valeant exerceri & quæ & qualis fuerit illa virtus quæ potius est confortanda quam debilitanda & in quo lapide ac quâ operatione altior habetur notitia de eadem: Nos autem providentes tibi in hoc, dicimus quod calor naturalis est illa virtus quæ confortanda est potius quàm debilitanda & hoc in propria argenti vivi substantia in quo calor innaturalis discernitur. Quid autem sit confortatio noscit ignarus satis & per consequens omnes sophistæ decernere queunt ut patet in projectionibus sophisticationum quæ non valent exquisitam operationem perficere, quia in hoc tanquam in generalibus prudens cognitor & ignarus sophistæ satis communicant, præcipuè cùm cognoscere poterit uterque quod lapis aut ejus virtus hunc confortari dicatur cùm natura valet ejus confortationem perficere aut cùm debilitatur oppositum. Quia communis est animi conceptus, quod lapis vel ejus virtus non confortari vel debilitari dicitur nisi respectu operationis exercendæ per ipsum & in hoc passu decipiuntur illi qui principia ignorant demonstrativa quibus effectus operationis ejus promptè agnoscitur. Unde cùm in hac exercenda deficit vel proficit, solo sensu percipi potest tam à vulgari quam ignorante sophista. Et ideò clarè liquet nihil aliud fore necessarium in cognitione ejus, quam discretione vel prudentia rationis. Audiat ergo cæcus sophista, qui tantùm dicit lapidem pati debilitatem exquisitæ virtutis, quando operationem ejus non perficit rectè, nec se ostendit plus noscere de ipsius dispositione ad potentiam suam augendam quam merum vulgus in cujus ore satis multiplicatur hoc dictum & communiter sonat quàm diminutum est aut non perfectum, ex quo patet quod ipsum non denotatur altiorem habere notitiam de lapidis compositione quàm si diceretur non faciat quod quæritur.

CAP. XI.

Quibus & quantis Modis confortari & debilitari poterit Lapis & de substantia virtutis.

DIcemus quot modis virtus lapidis confortari poterit & quibus debilitari, quia quot modis dicitur oppositorum unum, tot modis & dicitur reliquum: sicuti notabiliter cognoscitur per scientiam mediorum & extremorum, debilitatur virtus lapidis in genere duobus modis. Primus est quando substantia argenti vivi virtutem ferentis habens in corpore ab eodem per debilitatem minuitur, scilicet subjectum caloris naturalis. Quia substantia hæc, cui virtus caloris ineſt, argentum vivum à philosopho dicitur, & vocatur quandoque essentia corporis vel argenti vivi: quia per ipsum lapis habet esse in actu & sine ipso non. Duo ergo sunt subjecta virtutis scilicet corporis & spiritus (primum innatæ & istud fluentis) cùm igitur corporis substantia vel spiritus minuitur, necesse est

virtutem

virtutem debilitari : nam cuncta minuentia ſunt quæ debilitatem inducunt & quæ ad utilitatem mediocris ignis innaturalis & artificialis vel communis ignis quandoque cum humiditate & frequenti exercitio & quandoque cum ſiccitate non immoderata. Et quæ debilitare dicuntur uſque ad totius rei corruptionem quæ immoderatæ ſunt ſiccitatis & excellentis caliditatis extremorum. Et ſimiliter cætera alia univerſaliter quæ ſuperfluè igniunt (inurunt) corpora ex quibus patêre poteſt cuilibet intuenti, quod per oppoſitum ea confortant quæ non ſolùm augent ſulphuris ſubſtantiam : ſed etiam ſpiritum ſive per ſe ut alimentum quod corpus ſumit ab argento vivo per virtutem vegetativam, ſive per accidens ut exercitia ſupradicta moderata. Fili moderatus uſus rerum innaturalium ſuo modo confortant virtutem in omnibus rebus mundi & illam multiplicant ut in lapide noſtro qui ſecreta naturalia dirigit & detegit, ut oculis propriis vidimus & tetigimus & certis experimentis approbavimus. Hæc omnia prædicta intelligas de rebus quæ ſeparant vel approximant ad generandum vel ad calorem naturalem augmentandum per confortationem vel ad temperamentum elixiris per naturalem fixionem. Secundo modo debilitatur virtus quando ſubjectum ejus alteratur in qualitatibus, tranſeundo de naturali qualitate in innaturalem propter quod iſte ſecundus modus accidit ſuper corporibus lapſis à verô temperamento, reperitur etiam primus in naturaliter temperatis velut in auro, vel in temperatis artificialiter ut in Elixire perfecto. Virtus igitur corporis ſecundo modo debilitatur, quando ſpiritus vel corpus deſcendunt à naturali diſpoſitione ipſorum, per quod apparet quod iſte ſecundus modus poteſt eſſe multiplex. Quia quot modis poteſt corpus vel ſpiritus naturaliter alterari, tot modis debilitatur virtus lapidis, cujus ratio eſt, quia virtus non viget niſi per ſubſtantiam horum duorum ſufficienter & naturaliter diſpoſitam & ideo debilitabit virtutem per oppoſitum quidquid diſponet innaturaliter & quidquid ad diſpoſitionem naturalem reducit confortabit eandem. Conſtat autem quod corpus, ſulphur aut medicina, innaturaliter diſponi poſſint per malitiam complexionis, compoſitionis & ſolutionis continuitatis & ideo in mercurio crudo confortabitur virtus per calefaciens, digerens, excoquens materias crudas & reincrudatas per frigiditatem, propter quod terra metallica aut argentum vivum vel ſulphur argenti vivi vel ſulphuris quæ debilitatem digeſtionis patitur, propter defectum caloris naturalis à ſiccitate & ipſum confortant magis res humidæ ad naturam illius approximatæ, & amara & pontica debilitant quia groſſa & terreſtria ſicca & contra naturam caliditſima, ſimiliter in terra in cujus contentiva caloris naturalis vel ſpiritus debilitatur propter innaturalem caliditatem. Aqua mercurii illam confortat & ipſum retinet. Cætera verò calida ſumpta in primo reductionis gradu debilitant amplius, nec minus ſumpta in ſecundo gradu adhuc debilitant niſi prius per ſecundam reductionem præparationis cum aqua dicti mercurii confortetur prima. Si verò per levitatem innaturalem, inſcienter debilitas virtutis orta eſt in terra vel lapide: habitua te ipſum ad cognitionem erroris, ipſum corrigendo exaſperativis & abſterſivis puta aquâ mercurii, Quod verò debilitatur propter extenſas exaſperationes recedit ad amaritudinem & confortando dulceſcit cum ultimis confortativis ut oleo lampadis (lapidis) & igne ſpiritus verò tot modis alterari poſſunt quot ſunt qualitates quæ ad temperamentum ſive ad perfectionem eorum requirantur. Harum qualitatum quædam ſunt tangibiles ut ſunt omnes qualitates complexionales : quædam ſunt viſibiles ut limoſitas vel charitas, quædam complexiones carnis ut groſſities & ſubtilitas & quædam olfactivæ ut aromatitas, fœtiditas & inſipidorum inolfactibilitas, ſpiritus verò metalli naturaliter diſponuntur odoribus prædictis licet eorum ſuavitas ſapida cum ſubtilitate vehementer confortet, poſſunt tamen ſpiritus ingredi temperamentum qualitatum in quolibet corpore & in quantum ex parte ſpirituum debilitatur virtus corporis, per oppoſita reſtitui ei poteſt temperamentum & virtus confortabitur, pari modo debilitant cuncta illa quæ obſcurant per ingroſſationem rerum elementatarum. Præcipimus igitur tibi, benè purificare elementa antequam conjungantur ut in eorum terminatione colorem fuſcum obtineant : ſed illum potius qui eſt extremitas corporis terminati calore naturali, proprium fulgorem habentis tanquam incorporatum colori cùm condenſatur in corpus, Caula autem quare perſpicuè nitet & fulget, eſt quia denſitas eis nata eſt in ſublimatione retinens lumen quod pronitatis ejus eſt in præparatione recipere ſicuti potentia proprium actum recipit, unde talis nitor & fulgor ſemper conſtat ex aquis ſubtiliter terminatis & condenſatis in metallis & quando plus argentum vivum aqueum in metallis ſubtilius fuerit purius & denſius, tantò plus illud erit nitidius, fulgentius & ſplendidius : quemadmodum natura cuilibet in auro quod generavit, demonſtrare non ceſſat. Ex quo patet quod illa quæ illuminant, confortant & ſubtiliant calorem innaturalem, groſſitiem ipſam corrigunt, ſimiliter quoq; ex parte ſpirituum debilitant quæcunq; ſi cor inficiunt ut auferant puritatẽ & ſuavitatẽ ſulphuris & fragrantiæ lapidis naturaliter (fundatur delectamentum) funditur, debiliſſimum corporis exiſtit: & ideò virtutem confortat quidquid puritatẽ eis reſtituit non ſolùm per ablutionem ſed etiã per admixtionem vaporum & fermentorum aquæ & aëris mercurialis non fixorũ, & puritatis ſubſtantiæ cujuſq; informatoris, conformem puritatem habentis puritati eorum ut aurum & argentum quæ ſunt illuminantia ſpiritus, proprio ſplendore aut purificantia puritate propria ut eſt aqua mercurii. Ex præmiſſis patet quod qui corruptionem vel debilitatem virtutis ignorat, ſimiliter ipſius multiplicationem quæ fit per confortationem neceſſariò penitus ignorabit non ſolùm in lapide ſed in humanis corporibus. O medice ſi habes memoriam ad recolendum & intellectum ad intelligendum, voluntâtem ad diligendum, aures ad audiendum, oculos ad videndum, ôs ad loquendum aut legendũ, applica ſenſus tuos ut recte intelligas, diligas, audias, videas, perlegas & retineas, quia cum hæc ars de vero ſit graduali & inveſtiganda ex ſecretis naturæ, ſine quibus inſtrumentalis directio integrari non valet totius medicinæ fundamentaliter, artẽ illam ſub certis ſuis principiis planarie comprehendetis, Dilectus à Deo eſt cui hoc donum artis largitur per gratiam & intelligentiam ipſam reducere ſcienti ad medicinam quotidianam & neceſſariam. Quia hujus ſcientiæ principia generalia ſunt & reducibilia ſimilitudine & effigie ad principia medicinæ reſpectu corporum humanorum paſſibilium quibus applicari debet medicina : ſed hæc pauci obſervant & intelligunt cùm artis principia ignorent ſupradicta. Cauſa igitur tenacis cupiditatis & lucri abſq; dictis principiis ad magiſterium hujus artis nituntur introire & propter fallaciam ſuæ operationis, fallacem credunt eſſe ſcientiam & contemptibilem dicunt

eandem,

eandem. Hanc igitur theoricam intellige & secundum illam operari incipias : quia cum illa errores tuos corriges cùm fueris in opere, quos sine illa corrigere non potes Non distet à te Testamentum quia cavernas hujus Theoricæ aperit & revelat cum certis suis notis operationibus. Cor igitur habeas ad Practicam illius.

CAP. XII.

De Divisione Magisterii.

MAgisterium hoc in quatuor dividitur partes secundū quod sunt quatuor principia Practicalia: Prima pars ostendit modum graciliandi grossum per liquefactionem; elementationem, dissolutionem & lapidis separationem in quatuor elementa. Secunda ostendit modum alleviandi ponderosum per distillationes, calcinationes, rarefactiones, condensationes, inhumationes, congelationes, solutiones & animationes quæ sunt elementorum (separationes) præparationes. Tertia ostendit modum (lenificandi asperum) vivificandi à spiritu & lapidis nutrimentum per imbibitiones, decoctiones, assationes, inhumationes ac lapidis sublimationes.

Quarta pars ostendit modum dulcificandi amarum, & maturandi crudum per reductiones, impinguationes, inhumationes, fomentationes, animationes, fixationes & inserationes. Si igitur grossum gracile facis per dissolutionem & ponderosum leve facis per levigationem sive rarefactionem & asperum lene per reductionem, amarum verò dulce per maturationem, post hæc & volatilium fixationem completum habebis magisterium.

CAP. XIII.

Narrationem per conclusionem principiorum.

CUm igitur constet quemadmodū supra dictum est artem esse inchoandam à certis suis & determinatis principiis, ad illa propterea est recurrendum, tanquam plenitudinis practicæ effectiva: sed quia Practicalia principia secundi generis & regiminis perfici non valent veluti per medium absque suis extremis quibus ipsum integrari oportet, mystico igitur & aperto sermone ex illis declarando refert Philosophus alterum ab altero nullo modo differre à Practica artificiali & processu qui breviter successivè formabuntur: & primò de Practicali principio sive regimine primò quod est dissolutio est dicendum cum suis quatuor principiis primis materialibus & de ejus principio demonstrativo, quod est nigredo sine qua artificium feliciter inchoari non poterit.

CAP. XIV.

De primo practicali Principio & quomodo per primam sublimationem depuratur mercurius cum sale communi præparato & vitriolo & in hac aqua infunde mercurium.

DEpuratio mercurii per primam sublimationem est ut sumas partem unam de D. & dimidiam partem (C) & distilla aquam per illum modū quem natura requirit ut explicavimus in nostro Testamento in capitulo quod incipit tu in virtute de A &c. Et infunde in tali aqua mercurium scilicet testamentarium, deinde separa totam aquam per sublimationem. Postea sublima ipsum donec sit albissimus ut cristallum. Speramus autem in Domino nostro Jesu Christo quod adhuc sublimabitur ad majora & res magis altas per sublimes gradus præparationum cum additione rei agentis & perficientis se ipsum & ejus anima exaltabitur in gloria. Oportet enim matrem quæ prius generat Filium inhumari in ventre Filii & ab eò generari.

CAP. XV.

De Conversione Elementorum & de Prima conjunctione spiritus cum corpore & ejus exuperatione.

CUm tribus ergo unciis talis mercurii, mitte tantundem purissimi solis in aqua sua liquefacti & super infunde duas libras aut tres quod melius est, prædictæ aquæ mercurii aqua ipse mercurius separatus fuit & rectificatus & mox cooperies cucurbitæ cum suo operculo vitreo sine alia obstructione donec motus ejus cessaverit, dehinc obstrue junctūram cum cera communi calefacta & stet tribus diebus & noctibus in Balneo tepido, deinde separa aquam per distillationem in dicto Balneo cum igne æqualiter continuato de facta serratura; cùm autem distillare cessaverit tunc in fundo videbis corpus nigrum fusum ad modum picis nigræ fusæ vel olei subnigri. Si verò corpus quod cum mercurio conjunctū est fuerit lunare ad album, nondum erit nigrum donec tota terra solis cum terra lunæ fuerit conjuncta: quinimo in ejus principio est ad modum salis albi cum viscositate sua, qui est ad modum olei subnigri: cujus humiditas per aquam separari nequeūt rationibus in nostro testamento expressis in capitulo de animatione elementorum & alibi de rarefactione eorumdem. Supra ergo humorem illum per ignem siccum collocando vas super cineres. Et humiditatem illam recipiendo ad partem quæ aër est; cùm animatus sit majoris caloris quam aqua. Vide Fili quid facias in hoc passu, & cave ne materia nimio calore rubeat in principio & comburantur tincturæ: quia nunquam poterūt separari tincturæ in commodum artificis; nisi per aquam & ignem paulative ita ut semper ignis tincturæ occultetur in ventre aquæ ne oculis videatur, si verò ulterius corpus calcinaveris sine humore, rubificabitur & proprietas sulphuris aduretur cùm non habeat retinaculū quod ipsum in ventre suo retineat & à combustione defendat; defende igitur à combustione imponendo cum eo de humore suo anteqnam veniat rubedo & appropria ei ignem de serratura extrahendo humidum paulatim & paulatim deficcando materiam quia sic ipsa patitur & corpus corrumpitur & considera qualiter materia semper mutabitur de colore in colorem in ista pūtrefactione scilicet in viriditate quod est unum ex peregrinis signis dependentibus à demonstrativo primo principio ad album. In rubeum verò nigredo apparebit post citrinitatem, quia cùm corpus evacuatur à suis humidis spiritibus ita patitur ut de colore in colorem transmutetur, defende ergò ipsum semper à combustione ne calor naturalis suffocetur in aliquo & proprietas mercurii aduretur: videlicet ut quantum dissolutio tollerare poterit, tantùm assando decoquatur & non plus quia statim rubificaretur & quantùm corpus assando defecerit in humiditate in tantum imbibendo erit dissolvendum, Hoc enim facit natura, deperdita recuperare cupiens sicuti expressè id notavimus in Theorica nostri Testamenti & ad plenum per modum Practicæ demonstrabimus inferius. Cùm ergò videris corpus siccum si ad album sub colore viridi si ad rubeum sub colore nigro, subtrahe ignem & permitte infrigidari, quo infrigidato infunde aquam super terram siccam & statim pone in Balneo ad distillandum aquam per ignem æqualiter benè continuatum recipiendo, quæ distillata videbis in fundo perpessione vacui per calcinationem in sua rarefactione aquam attractam in aërem, separa illud iterum per cineres evacuando

& rarefaciendo

& rarefaciendo corpus à ſpiritu cùm calcinatione jam dicta modo philoſophico & ſemper aërem cum aëre pone ad partem in phiala vitrea bene ſigillata.

CAP. XVI.

De Documento Reiterationis.

FIlli omnes operationes vice poſt vicem tribus vicibus iterabis vel quatuor ſi volueris, quia aqua per tales operationes elementatur & de propria ſubſtantia corporis in ipſa defenditur & corpus per minima corrumpitur & in aqua proprietas ejus augmentatur ut poſt in naturam ſui per attractionem convertatur. Reitera igitur prædictas contritiones naturales, imbibitiones & decoctiones & eris in linea ſecreta diſſolutionis.

CAP. XVII.

De Vnione & elementatione ſecunda, & primò de diſtinctione literarum Alphabeticarum.

PEr hanc diſtinctionem literarum referre volumus quod (V) ſignificat calorem furni ſecreti & omnes ſuas proprietates quæ ſunt attenuatio, animatio, inſpiratio, ſimplex vivificatio, inhumatio & corporis conjunctio cum ſpiritu ſine diviſione. Et per (X) ſignificare volumus ignem ſiccum cinerum, tam de ſerratura quàm de carbonibus, & cæteras ſuas proprietates quæ ſunt mortificatio, calcinatio, rarefactio, retentio ſpiritus & ſeparatio. Per (Y) ſignificare volumus, calorem Balnei & omnes ſuas proprietates quæ ſunt elementatio, rarefactio, vivificatio, ablutio, diſtillatio, animatio, & ſpirituum ſeparatio. Per (Z) nullam aliam operationem intelligere volumus, niſi liquoris ſeparationem & totius corporis liquefacti ſubſtantiam. Harum literarũ ſignificationes cum omnibus ſuis proprietatibus corde tenus te ſcire oportet: quia aliter bene ſecundum curſum naturæ operari & practicare non poteris, nec proprietates illius operationis diſponere bene ſcies, niſi per potentiam literarum, illarum cognitam, ac earumdem ſignificationem quam deſignant. Cognoſcere igitur oportet artificem firmiter hanc potentiam, ſecundum exigentiam naturæ, ut illa præcognita vires ejus ad illius perfectionem in qualibet ſua operatione prudenter noſcat dirigere.

CAP. XVIII.

De Rarefactione & ſubtiliatione.

RArefactio hujus aquæ fit per binam diſtillationem in Balneo per ſe & ſine corpore, diſtilla eam bis cum igne lentiſſimo bene continuato, fæces verò quas facies, in qualibet diſtillatione collige & pone cum terra ſupra calcinata.

CAP. XIX.

De Condenſatione ſpiritus & rarefactione corporis.

CUm opus inceptum continuare volueris, & operationes ſupradictas jam compleveris, ſume corpus in illa decoctione ultima ſuperius facta quam aſſationem appellamus philoſophicam, & infunde ibi quartam partem aquæ primæ rarefactæ ut præmittitur & cum coopertorio claude & cera & pone ad digerendum in [V] per tres dies, dein cautè ſepara quod liquefactum eſt in aqua per (Z) in alia cucurbita bene munda in illa ſcilicet in qua exiſtit aqua rarefacta & illam ſimiliter cùm ſuo coopertorio proprio claude & cerâ obtura & illud ſerva in digeſtione (V).

CAP. XX.

De Evacuatione corporis per ſpirituum extractionem.

POſtea ſume corpus quod ſuperius remanſit & primò ſepara per (Y) quod eſt aquæ frigidius in natura, ne ipſa natura calida aërea confundatur quæ per expulſionem extrahitur fortiorem.

CAP. XXI.

De Diſtillatione & aëris animatione ac corporis mortificatione.

CUm verò illius ceſſaverit diſtillatio, pone ipſum ad [X] cautè continuando & quod de eo in natura aëris diſtillaverit, hoc recolligas & cum alio aëre ad partem reponas & cave ne ignis corpus igniat, de principiis demonſtrativis recolendo quibus practica dirigitur, quia omnes colores ſunt laudabiles dempta rubedine, donec in fine fueris poſt incinerationem, caveas ergo ne corpus rubeat ante alios colores per ignem alienum.

CAP. XXII.

De Inhumatione, vivificatione & liquefactione corporis mortificati.

LIquefactio corporis eſt continuare partes comminutas & calidiores per calcinationem in unũ cum humiditatis beneficio. Poſtea ſume aquæ reſiduum primæ rarefactæ & de ea ſuper terram infunde tertiam partem ita quod tertia illa pars natet vel ſuperemineat uno bono digito ſuper corpus, deinde penitus cum ſuo cooperculo & cætera obſtruatur os vaſis, & per triduum permittatur in digeſtione furni ſecreti.

CAP. XXIII.

De Separatione corporis vivificati à non vivificato.

POſtmodum quod liquefactum eſt de corpore in aquam ſeparetur cautè per (Z), in vaſe in quo alium ſeparaſti liquorem & cave ne aqua ſive liquor turbetur per fæces ratione declinationis vaſis. Quo ſeparato & obturato cum tota ſui materia reponatur mox in digeſtione (V) & conſervetur ibidem, donec ſuæ ſeparationis advenerit tempus.

CAP. XXIV.

De Diſtillatione aquei quod remanſit in corpore per Y.

SIcuti jam ſuperius dictum eſt in capitulo proximo, ita ſimiliter in iſto dici poterit nec plus minus te habêre coneris.

CAP. XXV.

De Diſtillatione aëris & mortificatione terræ per calcinationem.

EOdem modo procede ad aërem hujuſmodi ſeparandum per cineres & corpus ſiccum mortificandum, ut dictum eſt ſupra in capitulo cùm verò illius ceſſaverit &c.

CAP. XXVI.

De inhumatione & vivificatione corporis per (V).

SVme corpus contritum vel aſſatum & in eo mediam partem aquæ quæ remanſit de aliis inhumationibus

inhumationibus (in fundo) ita quod una digito ſupereminear abſolutè, demum procede ſicuti diximus in capitulo Liquefactio &c. Et aliis quæ per [V] formaliter implebitur talibus imbibitionibus corpora molliſicantur poſt earum contritionem, contere ergo corpus ſolo igne, ſcilicet illud quod liquefactum remanſit, deinde mollifica & ejus partes ſubtilia ut corpus & ſpiritus ad invicem copulantur quia quæ imbibuntur per aquam, molliſicantur & quantò plus teras, tantò plus mollificabis & quanto plus mollificas, tantò plus partes groſſas ſubtilias; quouſque ab invicem dividantur & domentur. Quia tunc ſpiritus impaſtantur vel liqueſcunt cum corpore & illa quæ impaſtantur ex toto ſolvuntur, & impaſtatio vel liquefactio fit cum minima & ſubtili contritione, inceratione & aſſatione corporis cum ſpiritibus. Quia natura per contritiones & aſſationes, partes ligatas dividit cum viſcoſitate aquæ, quæ eſt in corporibus & ab eis reſolvitur per minima, Unde corpora ſoluta ad naturam ſpiritus ſunt reducta licet magis ſunt fixa. Hic autem ſpiritus eſt participans duabus extremitatibus in natura tanquam in ſe extrema retinens ſpiritualitatem ſcilicet & corporali atem, fixationem & volatilitatem & ideò ſi aliquo modo partes illius inſpiſſentur per ignem ulterius ſe corrumpi non permittit, nec per ingreſſum furioſæ flammæ in illud ulterius permittit ſe in fumum elevari quia rarefactionem ſui non ſuffert propter denſitatem & carentiam aduſtionis quæ per ſulphureitatem qui non habet perficitur. Et ideò cum figitur, tinctura eſt rubedinis tingens perfectiſſime, nec recedit à commixto, ſicut nec aqua mixta aquæ. Quia natura naturæ lætatur cùm ſponſus ſponſæ copulatur. Præterea cùm ipſum ſit totum in natura aëreum aut remanet totum in igne aut totum evolat in fumum cùm ſit incombuſtibile & aëreum quod perfectionis eſt ſignum. Signum perfectę ſolutionis corporis eſt Elevatio totius ſubſtantiæ in fumum. Ideo ſi in terra ſulphurea ipſum miſcueris calefactum ſuperius aſcendet & ſublimabitur & ſi iſtam ſublimationem reiteras cùm continuatione philoſophica ſuper terram ſuam, nimium durabitur, decoquetur & inſpiſſabitur ac gradatim in ſulphur album & rubeum congelabitur. Diſſolve ergo corpora & quod quæris invenies. Quia cùm in totum partes nõ diſſolvuntur ſubtiliari non poſſunt niſi molliſices, ideò cùm in reiteratione ſolutionis laboras puriores partes ſegregas ab impuris, quia ſubjecta ſemper eſt turpitudini pars illa quæ cum ſuo toto non convenit, ſepara ergo quæ graviora ſunt naturæ, ut illis abjectis, opus cum levioribus perficias, per eundem illum modum quem diximus ſupra in capitulo poſtmodum & ſimilibus, cum illis procedere non dubites quia idem ſemper eſt in modo procedendi ordinem igitur quem obſervari mandavimus in capitulo ſicut & aliis capitulis ſimiliter quæ explentur per (Y) & quemadmodum in capitulis formatis per (X) ita etiam in præſenti faciendum eſt nec plus, nec minus, Practicam tuam dirigendo cum principiis demonſtrativis cavendo ſolùm ne corpus rubificetur. Et eadem practica quæ formata eſt in capitulis per (V) eadem in iſto obſervare teneris, infundendo reſiduum totius aquæ quæ remanſit ex cæteris inhumationibus obturando ſemper vas cum cera & operitorio vitreo & demum totum ponendo in digeſtione de (N) & cum hoc habebis totam primam finitam de converſione elementorum ad invicem & operationes iſtæ ſunt contritiones, aſſationes, imbibitiones decoctiones, inhumationes, vivificationes, ſolutiones, congelationes, ſublimationes, ſeparationes, fixationes, reductiones, generationes & corruptiones quas Philoſophi non ſub completa ſermonis ſerie, ſed ſub tegumento expreſſerunt & ſub elati providentia & totius naturæ fabricam in duas naturales & extremas operationes velut omnium limites reduxerunt, quæ ſunt condenſatio & rarefactio. Et rotatio hujus rotæ in ſumma eſt quando nobilioris activitatis ſeu virtutis fuerit materia & ejus ſubſtantia nobilior & ſubtilior, tantò habilior erit ad ſuſceptionem formæ & oppoſitum quando materia compactior fuerit & terreſtrior & a ſublimi natura remotior, tantò ad ſuſceptionem formarum procul dubio erit debilior unde principium deſtructionis, diviſionis & alienationis in rebus generabilibus mineralium ſemper eſt materia, cùm ipſa cauſa ſit individuationis rerum & ſic patet quod diviſio ſpeciei ſit per individua & ſecundum materiam & non ſecundum formam licet propiam ſibi ſemper appropriet ſecundum genus mediante operatione naturæ & hoc ideo quia forma accidentalis ſemper indiget forma ſubſtantialis ut ipſa ſit cauſa formæ accidentalis ideo ſecundùm exigentiam formæ quæ imprimenda eſt materiæ, oportet primò illam diſponere & præparare per ſubtiliationem & depurationem ac ſimplicitatem antequam fiat medicina & Ignis.

CAP. XXVII.

De Aviſamento artificialiter per doctrinam.

SI verò aliquid de corpore atido & groſſe adhuc retinuerit ad vivificandum lympham aquæ definitæ, nondum eſt converſionis Elementorum rota perfecta quæ niſi perficiatur, ſtructura ſeu machina hujus principii penitus deſtruetur quia nullum agens, accidens ad ſimilitudinem formæ corporeæ naturalis, perficiet materiam, niſi totam eam reddat homogeneam & hoc per figuram primæ rotæ converſionis elementorum ad invicem, ſicuti ad plenum declaravimus in noſtro teſtamento & hic quoque.

CAP. XXVIII.

De modo perficiendi Rotam imperfectam.

SUme ergo fili chariſſime cum intrinſecorum principiorum cognitione, per memoriam, intellectum & voluntatem, corpus liquefactum, animatum & vivificatum quod poſuiſti in digeſtione de (V) & remoto coopertorio protinus ſuperponatur alembicus & lutetur cum cera junctura Ejus & ſepara ab eo aquam per Y uſque ad mediam ſui partem.

CAP. XXIX.

De diſtillatione aquæ quæ remanſit cum ſuo corpore.

MOdò expedit evacuare corpus quod in via permanſit ſuæ perfectionis à ſuis ſpiritus ut calcidetur & mortificetur, ad hoc ut majorem valeat in ſe recuperare raritatem, per quam majorem attrahet humiditatem, cùm ratiora humiditatem attrahant majorem uſque ad profundum corporis alterati: Propter quod ſume illud & ipſum tracta in operatione per modum dictum in Capitulis per (V.)

CAP. XXX.

De diſtillatione aëris & mortificatione corporis.

IN digeſtione hujus operis particulariter te habeas, Fili, ſicuti dictum eſt in capitulis ſupra dictis formatis per (X.) Et nempe magis facias vel minus, cavendo ne tincturæ comburantur per talem contritionem & aſſationem, dividuntur partes ligatæ, viſcoſitate aquæ, quæ eſt in corporibus.

CAP. XXXI.

De Inhumatione & vivificatione corporis per (V)

TAli verò ordine perficiatur Practica capituli hujus veluti in cæteris capitulis formatis per (V) fit converſio & ſic per talem converſionem, corpora mortua ad naturam vivam ſpiritus ſunt reducta & quia mixta ſunt, nunquam unum ſeparatur ſine alio. Fili ſi aliquam partem corporis adhuc videris per hoc Practicale principium circulariter non rotatam vel in lymphan converſam, aut ſub homogeneorum genere non contentam, ſume mox partem illam, Et ſine terrore confidenter pone in una parva cucurbita cum ſuo alembico cujus fundus lutatus ſit luto forti & tenui, dein eam colloca in ſuo Furnello, poſtea applica illi ignem trium candelarum vel quatuor ellychniorum ita ut flamma cujuslibet immediatè hinc & inde tangat fundum cucurbitæ. Talem ignem Fili, continua prope vas, donec tali calore corpus videris liquefactum quod infra tres horas vel ſaltem quatuor efficietur, & recipe ſudorem quem mittet in receptaculum, quamvis ſit inſenſibilis quantùm ad oculum & hunc ſudorem ſume & pone ſeorſim ad uſum, ſtatim cùm videris corpus liquefactum, ſubtrahe ignem, & fac vas infrigidari: cùm autem ſenſerit ſe aëre frigido circumdatum remiſſione caloris, mox congelabitur ad modum ferè ſulphuris philoſophorum fuſi habentis colorem cineris quaſi nigri, & hoc eſt proprium ſulphuris liquari calore & congelari in frigido. Hoc eſt ſulphur, fili, & hic coluber & draco vorans ſuam caudam, Leo rugiens & gladius acutus ſcindens, omnia mortificans & confringens ac ſe ipſum refugens, ſume ergo ex eo nebulam quam peperit tenebroſam & infunde ſuper eam de aqua ſeparata ab eo per [Y] ita ut ſuperemineat digitis quatuor vel ſaltem duobus & ictu oculi in aquam convertetur puriſſimam. Talibus autem cautelis obſervatis, perficitur tota de converſione elementorum ad invicem, quæ una eſt ex quatuor figuris quibus figura in magiſterio completur magnæ circulationis quam tradidimus in noſtro teſtamento.

CAP. XXXII.

De Effectu primi Regiminis.

FIli effectus & intentio hujus regiminis eſt ut vires argenti vivi dominentur ſuper vires ſulphuris & ut res unius patiantur à viribus alterius & illas in ſui naturam converſat. Quia cùm effectualiter argentum vivum deputare volumus, per virtutem deputati ſulphuris, utiliter neceſſariò congelare oportet, ut in hoc prius imitemur naturam, ſcilicet ut virtutes ſulphuris intrent ſubſtantiam argenti vivi, antequam ſulphur argentum vivum tranſmutare valeat & in hoc ars imitatur naturam. Hoc autem memoriter teneas in cellulamentis tuæ quod neceſſariò oportet ut corpus quod eſt principale convertens, primo convertatur in ſpiritũ convertibilem ut poſt illud convertibile in ſulphuris ſubſtantiam congeletur & convertatur. Et ideò recordamur nos dixiſſe in noſtro teſtamento, quod nullum argentum vivum promptiùs convertitur in ſubſtantiam ſulphuris, quàm illud in quo ſulphuris qualitates per diſſolutionem ſunt ſufficienter introductæ, nec ullum Sulphur promptiùs congelat argentum vivum, quàm illud in cujus naturæ ſubſtantia, ipſum argentum vivum exiſtit per artis ingenium ita converſum, quia tunc natura naturam complectitur propriam, & amicabilius magis gaudet in ea quàm in extranea in omni tranſmutatione elementorum ſemper talis paſſio præcedit tranſmutationem ſubſtantiæ, quod ſcilicet virtus argenti vivi tranſmutantis in toto obtineat partes ſulphuris tranſmutati, ita ut in ipſo ante ſui tranſmutationem commiſceatur per minima in proprium ſulphur non urens album vel rubeum & illud argentum vivum propriam habebit materiam, & ſic lapis ſuaviter cum magno ingenio à terra aſcendit in cœlum & iterum deſcendit in terram, quia terra nutrix eſt ejus, & portat illum ventus in ventre ſuo, hoc eſt ſulphur portatur in argento vivo. Cognoſcenda igitur erit paſſio quæ præcedere debet tranſmutationem argenti vivi & ejus operationem, quia hujuſmodi operatio fit quotieſcunque virtus argenti vivi per ingenium naturæ & artis, levat ſuper virtutem ſulphuris, cum certo determinato modo operandi.

CAP. XXXIII.

De Penultima Practica quæ eſt de Putrefactione Elementorum ad invicem converſorum & in unum conjunctorum.

INtentio verò, Fili, quam in hac parte habere debes, eſt ut lapidem diſſolutum accipias & illum in ſecreto Furno collocare non deſinas ut ibi putrefiat per quadraginta dies, Hoc enim fit ideò ut aduſtiones & aſſationes quas corpus in ſupra dictis paſſum eſt à ſuis liquidis ſubſtantiis animatis tollantur per animationem & facilem coctionem & totum illud quod tollitur, in argentum redeat vivum, quia elementa ſulphurea mixta cum aqueis argenti vivi per minima jam converſa alterantur pariter & ad invicem corrumpuntur. Talis corruptio argenti vivi noſtri ſolemnis & generatio quæ haberi nequit niſi poſt putrefactionem quæ eſt mater omnium. Quia per operationem iſtam, corpus naturaliter in argento vivo putrefit & ejus qualitates ſulphureæ humectantur & in aërem convertuntur, partes igitur ipſius digeſtæ, in mercurium rediguntur & in illud ſalſuginoſum quod omni naturæ eſt condimentum notabiliter ſeparatur & ab inde in dulciferum convertuntur. Ex permixtione rerum in putrefactione hujuſmodi, reſultat quædam vis quam quintum appellamus ſpiritum cum ſexta virtute ſua operativa quæ eſt cauſa connexionis elementorum & introductionis rei petitæ in illis. Sciant ergo omnes artifices hujus artis, ſpecies perfectas tranſmutari non poſſe, nec artifex, tranſmutationem facere poteſt, niſi primò corpora reducere ſciat in primam eorum materiam, qualia ſi convertere ſciverit artifex, tunc individua eorum de facili tranſmutare ſciet operatione philoſophica in aliam formam quam prius non habuerant non tamen ſpecies individuorum tranſmutant cum viciniores ſint cauſæ & primæ materiæ omnium corporum & pura elementaris eſſentia incorruptibilis quia omnium generabilium & corruptibilium eſt eadem materia prima & ideo ingenita & incorruptibilis quapropter ſpecies actionibus ſenſibilibus nunquam ſubmittuntur nec per conſequens corruptionem patiuntur; ſed bene individua quæ ſunt ex prima & propria materia generi metallico illius proxima & ſpecierum conſervativa quæ à primordiali materia dependent in proximis materiis naturæ quæ actionibus ſenſibilius ſunt ſubmiſſæ & ideo talium materiarum individua naturaliter generabilia ſunt & corruptibilia. Hic eſt quod plurimi Antiquorum aſſerant primordialem materiam nullam habere formam & plures alii dicunt illam eſſe ens purum in potentia, nihilominus eſſe agens quoddam univerſale in natura quo uniformiter ſuas ſubſtantias congregat ad corrumpendum illas & generandum Quamobrem nullatenus eſt intelligendum niſi per ſenſum anagogicum ſive analogicum

gicum ad universalem formam quæ velut spiritus cum re quinta participat, sed quanquam ab agente universali inducatur forma simplex in actu in metallis naturaliter & hoc ex potentia materiæ simplicis & formæ simplicis: Eductio tamen illius multiplicationis vel augmenti in corporibus metallicis sicut in animalium sit corporibus & plantarum per se evenire non potest donec prius corpora solida & per totum homogenea in tenuissimam materiam germinatam ab agente universali claræ prius processu artis formaliter transmutentur quia tunc resultabit corpus simplex generabile & corruptibile per viam naturæ, corpus simplex dicimus ad differentiam corporis solidi in cujus forma ipsum erat priusquam corrumperetur, quod tamen nullo modo ita potest corrumpi quin sub aliqua materiali remaneat forma Et ideo soluta primâ formâ corporis & per elementationem in mercurium conversâ, forma ejus corrupta, mox introducitur alia nova forma in sulphur, quæ quidem forma corrupta in mercurio est in colore subnigra, in odore fœtida & in tactu subtilis & discontinuata, In tali autem materia simplici insunt quatuor Elementa composita, separabilia & resolubilia in aqua mercurii post putrefactionem. Decoque ergo completè in igne levi, ne comburantur elementa & priventur effectu quod accidit cùm comburuntur ante putrefactionem completam, quia ex illorum conjunctione ad invicem certa generantur mixta scilicet sulphur & omnium medicinarum medicina. Effectus verò hujus putrefactionis est corruptio & naturalis caloris ab innaturali caliditate Quia innaturalis caliditas in materia metallica applicata moram contrahit & in sua actione prævalet secundùm mensuram illam quæ Geometrica vocatur, medietas semper putrefactionem in liquidis facit substantiis & hoc sine resolutione humiditatis naturalis ipsius metalli, imò ipso in substantia sine consumptione manente : sed corrumpit innaturalis calor naturales qualitates & mutat conditionem quæ substantiæ metalli convenit quod tamen facere non valeret quandiu staret humiditas calore naturali informata, & ideo oportet quod prius corrumpat calorem naturalem sub conservatione illius: sed quia lator ejus est spiritus, necessario decet ut conditionem ejus corrumpat. Propter quod dicimus necessarium est ut calor innaturalis corrumpat argentum vivum & humiditatem naturalem sulphuris ut ipsum ab eo resolvat, Et cùm ipsam informare volueris junguntur cum humiditate & siccitate à quibus informationem recipiat quæ argento vivo contrariatur & naturali humido sulphuris.

CAP. XXXIV.

De ultima Practica primi regiminis quæ est de Divisione elementorum ad invicem connexorum, & primò de Aqua.

SUmatur ergo in Dei nomine compositum superius putrefactum & per alembicum distilla primò totam aquam in Balneo mariæ continuando ignem lentum cum æquali informatione donec virtute illius, subtiliores partes lapidis ad naturam simplicis aqueitatis tantùm sine calore approximantes fuerint distillatæ ut nihil amplius per calorem illum distillari valeat, causa autem quare separamus elementa est ut ad plenum quodlibet per se secundum exigentiam suæ naturæ præparetur & lapis magis subtilietur ut ratione suæ subtilitatis postea firmius conjungatur. Divide ergo ipsa per primum regimen & postea illa per secundum regimen rectifica.

CAP. XXXV.

De separatione aëris & mortificatione terræ.

FIli aër simplex cum suo igne simplici distilletur per cineres, quia majorem ignitionem sustinent & in tua Practica patebit illos simplicem sustinere igneitatem & hoc ideo quia expedit calores & grossiores partes terreas per ignitionem simplicem elevari superius. Sume ergo distillatorium cum materia tota & colloca super cineres & distilla aërem ad partem cum igne continuato de serratura bene composito, donec pro ista vice totum aërem receperis cum igne permixtum & in visceribus aëris ignem occultatum. Illud autem quod residet in fundo combustum, est ignis separandus à terra sicca & nigra.

CAP. XXXVI.

De inhumatione & corporis vivificatione.

CÙm autem aër separatus sit à corpore per distillationes cineris, & corpus per calcinationem mortuorum exiterit & vas rationabiliter fuerit infrigidatum, infunde statim super ipsum tantùm de aqua sua prima ut quatuor supereminеat digitis cum omnibus substantiis aëreis quas superius recollegisti & mox claude vas cum suo coopertorio & in calore febrili significato per (V) dimitte per sex horas fermentare.

CAP. XXXVII.

De separatione corporis lymphati per (Z)

AB hinc verò separa aquam caute cum igne soluto per literam (Z) in alia cucurbita munda, summa cautela cavendo ne aliquid de suis fæcibus conturbetur.

CAP. XXXVIII.

De separatione aquæ secundæ aëris & ignis in substantia.

ACcipe ergo materiam liquidam per (Z) separatam & quemadmodum per distillationem in Balneo separasti aquam primam, ita etiam per levem ignem ad partem; recipe hanc aquam secundam, quia cum aqua ista secunda rectificabitur ignis & ipsum in aërem sine attractione convertet, Cùm verò per aquam totaliter fuerit distillata hæc aqua secunda, in fundo aër & ignis ad modum substantiæ oleosæ fortiter viscosæ remanebunt, quam seorsim reconde, quia talis ignis est à terra separatio pro dissolutione prima, quam dissolutionem meritò liquefactionem nuncupamus, Quia duo elementorum sunt lapidea, scilicet ignis & terra in siccitate concordantia quæ tali ordine sunt separanda ut aër ignis non confundatur aërco terreo in rectificationibus suis. Et ideo cùm calidiores partes lapidis ad naturam ignis approximantes per aquam naturaliter citius resolvi valeant ut in aërem convertantur postea, illas prius per [Z] ut corpus lapideam separare expedit & sic terra cum terra dabit suam humiditatem & ignis cum igne & quilibet per se aëritatem suam præstabit in rectificationibus suis. Considera Fili, quam pulchrum, utile sit mysterium, elementorum separatio ac leonis venatio, beneficio & ingenio discretionis humanæ sub conservatione proprietatis illius ab igne separare, cujus signum est cùm in utero venti deportatur, nec rubescit in commodum aliquod donec sit completum. Aër igitur ad album & aër & ignis extrahuntur ad rubeum in quibus est major tinctura ex

duabus ſubſtantiis lapideis ſiccis, in ablutione igitur iguis qui deſcendit ex illo eſt oleum rubeum licet in oculis noſtris videatur album; quod verò exit à terra oleum eſt album pretioſiſſimum. Vide ergo & intellige primum principium quartum completum.

CAP. XXXIX.

De Secundo Principio Practicali cum ſuis ſecundi generis materialibus principiis, & primò de Aqua & ſignis demonſtrativis quod eſt abluere.

ABlutio aquæ fit diſtillando eam ſepties per ſe ſine aiquo additamento, vice poſt vicem cum inhumatione fimi interpoſita, diſtilla ergo eam ſepties per (V) & omnes ſas proprietates & erit optimè à ſuis fæculentiis terrudiviſa. Hæc autem eſt aqua vitæ, lac virginis, ſanguis reincrudatus, menſtruum dealbatum, nutrimentum infantis, cibus cordis, aqua narium, venenum viventium, cibus mortuorum & argentum vivum philoſophorum à ſua fæculentia terrea per ſublimationem depuratum, ſecundum ac principale principium materiale ſecundi generis in magiſterio noſtro confortativum ad creandum lapidem laronis vel aëris, qui terra dicitur & principium materiale ſecundi generis primum, caput draconis ſolutivum & medium tincturarum, conjunctionem faciens vel matrimonium inter corpus & ſpiritum. Unde Paganus philoſophus inquit Qui argentum vivum à corporibus extractum taliter commiſcêre noverit & corporibus amicari, ſciet unum ex ſecretis maximum & viam principalem perfectionis, Nullus autem ipſum commiſcêre corporibus poterit ſine cognitione hujus magiſterii, Propterea philoſophi dicunt, nemo utetur ipſo ſine magiſterio, quia cum non poſſit mutari ipſum ſine perfecta adminiſtratione alterationis naturæ illius, expedit ipſum neceſſariò taliter præparari debêre ut firmius conjungatur & perficiatur in profundo uſque ad occultum corporis ſine ſeparatione; ex quo patet quod argentum vivum noſtrum, non eſt argentum vivum vulgi, nec præparatum ſublimatione vulgari: ſed potius ex unâ vinoſa ſubſtantia procreatum & vili, as unâ ſolâ viâ naturali ſcilicet magiſterio noſtro. Verum tamen non putes ex illo ſolo opus elicere per aliquod magiſterium, quia per ſe nunquam ad ultimam perfectionis partem deveniet. Unde idem Paganus & nos ſimiliter pro certo teſtamur noſtris experientiis manifeſtis quod cum commixto & cum corpore vel ejus terrâ, ſulphurea perficitur & ſine illo magiſterium protelatur uſque ad deſperationem & illud ideo eſt, quia licet ars naturam ſequi ſatagat quantum poſſibile eſt, tamen in hoc toto imitari non poteſt niſi quadam ſimilitudine quam ars ſupplet in iſto paſſu ad naturam reducendo, quod natura facere nequit, cùm materiam talem non poſſideat quæ proprietate ſua ſuum argentum vivum neceſſariò habet indutare ut ars breviori & pauciori tempore quàm natura operetur, ratione cujus dicimus quod illud quod ars facit in paucis diebus multiplicibus digeſtionibus ſuper terram ſine præjudicio naturæ, id calor facit in mineralibus digeſtione ſimplici in mille annis. Ingenium verò hujus brevitatis ſuppletæ eſt æqualitas & virtus terræ ſulphureæ cujus Primus & principalis Inventor eſt Hermes Triſmegiſtus Pater Alchymiſtarum, qui non curavit tanquam cupidus artis eam omittere aut celare, ſed tanquam principalis in magiſterio clara veritate ſucceſſoribus ſuis in poſterum revelando fideliter & clarè eam commendando reliquit cùm apertè dixerit nutrix ejus eſt terra, cùm conſtet in illa eſſe realiter virtutem lapidis integram: ſed non integrabitur niſi argentum vivum fuerit reductum in cinere, & ideò ſubjungit quod cùm à terra aſcendit ad cœlum & iterum deſcenderit in terram, tunc vim recipiet ſuperiorum & inferiorum ſcilicet integram virtutem cùm in terram ſuam verſus fuerit. Alii appellaverunt hanc terram leonem viridem fortem in prælio, Alii draconem vorantem, congelantem vel mortificantem caudam ſuam ideſt ſuum argentum vivum, Alii appellaverunt illam locum deſertum: quia depopulata eſt à ſuis ſpiritibus, Alii venenum, quia interficiens eſt, Alii arborem quia fructum eſt gerens. Alii Hyle occultam, quia totius naturæ eſt fundamentum & ſubjectum omnium elementorum. Præterea non obliviſcaris fili hanc terram quam ad literam nominavimus, dum per plura & diverſa opera maximè fluxerit per media & extrema quia ſemper indiget calce id eſt ſua terrâ propria in qua virtus mineralis poſita eſt maximè ad mercurium indurandum. Quamobrem neceſſaria eſt & ceruſa ſcilicet ſulphure & Arſenico vel argento vivo congelato & in ſulphure gelato virtute ſuæ terræ ad indurandum & colorandum arte & natura. Et ideo ſubjungit idem Paganus quo cum ſuo compari in natura & ſubſtantiæ propria id eſt ſulphure per virtutem terræ ſuæ ex ipſomet procreato fit tinctura, & dat pondus completum unicuique metallo & à fœditate ipſum depurat & illuſtrat, ut patet per præparationes & reductiones illius in corpus ſuum, quia tunc ipſum à fœditate ſua abluit, dealbat & perficit cum magiſterio ſine quo nihil horum præſtat.

Talem igitur aquam, fili, ſepties diſtillatam aut tale argentum vivum ſerva ad partem in vaſe vitreo bene obturato, Illius vero præfatæ ablutionis ſignum eſt ſplendor tranſparens & fulgens ut cryſtalli ſereniras, aliquando cum fæcibus albis ad modum ſalis cryſtallini qui poſt ſeptimam diſtillationem in fundo remanet & aliquando ſine fæcibus, quia tunc aqua ſtare incipit multum deſiderans terminari & in ſulphur congelari, quia phlegma paucum poſſidet Et cùm in fundo nihil remanêre videris, ſignum eſt quod pauciras corporis eſt elevata in aqua multa: Et ideo quia Pori ſui non potuerunt impleri propter corporis parvitatem, raritatem patitur affectans potius attrahere quàm dimittere. Quapropter tale argentum vivum eſt valdè macrum & ideò non bene fertile donec impinguatur per repletionem ſui in argentum vivum verum.

Collige ergo fæces quas faciet in ſuis diſtillationibus vice poſt vicem & repone cum terra nigra & alba in prima ſeparatione collecta. Et ſicut feciſti de aqua prima, ita etiam facies de aqua ſecunda, fæces ſemper reponendo cum terra ſupra dicta.

CAP. XL.

De Extractione & augmentatione Aeris utriuſque ſexus, & mortificatione ignis & terræ.

FIli in operatione tuæ Practicæ & extractione aëris & ignis, poteris ſimul & ſemel vice qualibet ſine interpellatione temporis ignem & terram quamlibet ſeparatam per ſe abluere per calcinationem & aërem extrahere per diſtillationem quouſque de animabus nihil remaneat in corporibus ſenſibiliter. Primo igitur recipe aërem & ignem ad modum ſubſtantiæ ſpiſſæ liquidæ vel olei vitroſi ſuperius reſervatum & exinde diſtilla per cineres totum aërem, ſummâ cautelâ cavens ne ignis in tincturis igniat. Et cùm aër fuerit diſtillatus remanebit ignis in fundo inferius ſiccus ad nigredinem vel rubedinem declinans: quia parva ineſt nigredo & albedo, & multa cum colore citrino, Nigredo

citrino, Nigredo hæc est in albo & rubedo in rubeo, quia indiget Sulphure rubeo & mundissimo: quemadmodum album indiget sulphure claro & albo, Et quod facis in operatione ad album idem facies ad rubeum & e contra. Quia hæc medicina una est in essentia & in modo agendi vel practicandi: Sed additamentum in rubeo citrini coloris à mundissima perficitur substantia sulphuris fixi.

CAP. XLI.

De Ablutione Ignis & terræ per mortificationem.

FIli ablutio terræ fit cum aqua prima rectificata & ablutio ignis fit cum secunda: quamvis error maximus non sit si terra similiter præparetur cum aqua secunda, dum tamen ipsa prius benè fuerit rectificata, cum sit calidior prima & ideo in aerem reducitur citius. Si igitur dicta duo Elementa lapidea præparare volueris cum aqua secunda, accipe illam ac divide ipsam in duas partes, De una parte terram, de alia ignem insimul separatum rectifica, aquam terræ cum terra, & aquam ignis cum igne miscendo in qualibet præparatione, ab hinc per distillationem verò in Balneis sepera aquas Ab hinc quamlibet substantiam ad partem pone & non misceas aquam albam cum rubea, nec rubeam cum alba, quia cum alba albificabis & cum rubea rubificabis. Verum tamen non putes Fili hanc aquam in aspectu esse rubeam vel albam, importans potentiam rubificandi cum in effectu. Et ideo hoc quia ignis, cum natura venerabilis ignis occultatur in ventre aeris non sit subjectum propinquissimum retinens tincturam in aspectu contra ignis pugnam & manifestare nequit eam contra pugnam ignis donec prius in Sulphur bene complexionatum fuerit congelata; quia cùm ipsa per minima seminatur super terram foliatam albam, tunc recedit aqua per desiccationem virtute expulsiva & conjugali fœdere seu amore naturæ, remanet anima ligata, quæ tinctura est in Leone, in corpore proprio fixo, quod secundum suum retinaculum est manifestativum contra pugnam ignis. Cùm ergo aquas destillaveris & cum diligentia infrigidari permiseris, colloca mox vasa inter cineres & destilla inde aerem cum igne de serratura albi ad album & rubei ad rubeum & cùm destillati fuerint seorsum serva. Sume ergo corpora assata & super ea aquam suam infunde, quam per distillationem in Balnei ultimo separasti, superpone mox alembicum & juncturas luta cum cera, deinde colloca vasa in Balneis & cum igne æqualiter continuatio de serratura, & distilla aquam in qua partes lapidis sunt, quæ magis ad naturam simplicis aqueitatis approximantur quàm aliæ & cùm tota aqua fuerit distillata, pone vas seorsim bene sigillatum.

CAP. XLII.

De secunda separatione aliarum partium subtiliatarum & in aerem devectarum quæ corpus faciunt invisçare & uniformiter continuare.

CUm autem substantia aquea fuerit per alembicum separata & seorsum posita, vasa infrigidata colloca inter cineres & aerem recipe totum album ad album, rubeum ad rubeum cum igne de serratura Quia quod ab igne ascendit oleum, est rubeum ut diximus, Et quod à terra ascendit est olsum album preciosissimum.

CAP. XLIII.

De Assatione prima ignis & terræ post aeris Extractionem.

STatim ergo cùm videbis oleum ob utroque corpore distillatum, continua ejus ignem per sex horas sine remotione receptaculi ut corpora suaviter calcinentur, digerantur & ad ultimum subtilientur.

CAP. XLIV.

Assatio non est nisi corporis in igne conservatio.

AD hoc autem faciendum cum cautela ignis ad perfectionem dubita te habere, non proponas quia hæc assatio non est nisi illorum corporum in igne per nos jam dicto terminato.

CAP. XLIV.

SIcut jam dictum in capitulo de secunda Attractione aquæ in aerem convertendæ, quod incipit Sume ergo &c. Ita etiam intelligas præsens capitulum ita ut non putes ipsam in Practica aliqualiter discrepare.

CAP. XLV.

De Tertia separatione aquæ

EOdem modo quo te in Practica habueris superius data in Capitulo secundæ separationis aquæ per Balneum, pari modo habêre coneris in Practica capituli præsentis.

CAP. XLVI.

De Tertia Separatione olei vel rerum calidarum.

SI tali forma qua in Practica capituli (cùm autem in secunda separatione) jam Exercitatus fueris clara in ipsa Practica indicatur notitia bene exercitata, præsertim cum forma mortui rubei vel albi sine humore in altiori cacumine in siccum aerem progrediisse non videtis.

CAP. XLVII.

De Assatione ignis & terræ secundæ.

CUm autem jam dicta Practica oleum separatum fuerit à corporibus terrâ scilicet & igne ficco serraturâ per distillationem, suppone ignem de carbonibus tenuissimum ut acutiori lancea subtilis punctitatis duabus aut tribus horis corpora per eum calcinentur summâ cautela cavens ne vas vel materia rubeat & animæ sive spiritus fugiant & tinctura comburatur. Quia nullo modo necessariò ut animæ rubeæ per nimium ignem fugiant à corporibus suis sine spiritu, alioquin deficient per recessum sui & fugient ad regionem remotam cum combustione tincturæ & hoc ideo est quia non habet locum proprium mediante quo se retinere possit, hospitare vel quiescere, unde retinaculum ejus est aqua cum qua extrahitur anima quæ est ignis paulatim & paulatim cum venatione lenta ipsam à combustione defendens & dicta aqua est spiritus, qui in ventre animam trahit à corporibus sicut matrix virtutem formativam embrionis Cum verò extrahitur à corporibus, tunc ipsa hospitatur & remanet in dicto spiritu, nullo modo visui se præsentans & de ipsa spiritu

ritus impręgnatur, cùm ſit locus ejus proprius ipſum retinens ne fugiat in fumum ſiccum vel comburatur, & anima ipſa eſt ſulphur ac virtus formans & ſigillans ſpecies rerum, ſecundum genus ſuum ut ſemen maſculinum & ideo per ablutionem aquæ & deſiccationem ignis ſemper extrahi oleum à cordibus ſtarnatum, quia anima eſt in ſimilitudine & ignis occultatus in ventre aquæ deportatus ex quibus reſultat aer, qui aer eſt tinctus aqua & ejus tinctura non eſt ignis nec ipſe ignis eſt niſi corpus ad ultimum ſubtilitatum & in ventre aeris jam occultum [ex quo manifeſtiſſimè conſtat quod aer eſt ſpiritus ignem deferens] Lapis eſt ignis deportatus in ventre aeris. Si igitur cum tali igne quodlibet argentum vivum miſcueris ſtatim ſine ſeparatione erit rubeum in æternum. Quotieſcunque ergo volueris, rubifica ſemper cum igne lapidis quæ rubificare quæris & erunt rubea ſemper.

Fili, Practica per quam doctrina in Capitulo. Sume & capitulo Sicut, jam patere poteſt in oculis tuis per capitulum præſens, iſtas operationes practicæ facias ſimilare: Nam illo modo quo operatus fueras virtute formæ tibi revelatæ in capitulo (Ad hoc) & capitulo (eodem modo) Si practicam hujus capituli illis coæquare volueris ex forma proceſſus illius exarata, ſuo fructu non privaberis.

CAP. XLVIII.

De ſeparatione quarta olei.

Regimen quale operatus fueris ſeu exercueris per doctrinam capituli (cùm autem) & capituli (ſi tali) Practicæ hujus capituli adhærêre facias.

CAP. XLIX.

De Aſſatione tertia ignis & terræ.

CUm verò per ſuptadictam artem oleum à corporibus extraxeris in regimine ſicco de ſerratura, ſtatim receptaculo depoſito alio parvo & novo vitro cautè ſuppoſito ad theſaurum naturæ recipiendum, ignem de carbonibus paula ivè ſubjicias ita ut majori punctuitate quam diximus in Capitulo (cùm autem jam) de aſſatione ſecunda augmentetur juxta rationem menſuræ illius naturæ debitæ ſeptem horis vel quaſi conſideres quouſque videris ipſa olea ab humiditate privata. Terra verò in ſuis ultimis calcinationibus majori indiget, igne informato tam conditionis menſuræ, quàm ignis naturæ quod ſit corpus ſimplicius terrâ & magis ligatum cum viſcoſitate ſua eo quod ignis ipſe, corpus ſit ſimplicius quam terra ipſa & ligatum magis viſcoſitate ſua, propter partes ejus cum humido minimo poſſunt confundi igne & ideo nunc elucidatur ratio quare ignis non calcinatur cum terra, cùm ipſa groſſioris fuerit ſubſtantiæ & naturæ, tanquam omnium elementorum ſubjectum. Vide ergo & perſecutare naturas iſtorum lapidum ſenſu, ratione & experimento & fortitudinem ejus, puis cujus & quantus ignis eſt alterius lapidis amicus vel inimicus & antequam aliquid experimentes perfectes vide quid quare, unde, de quo, ubi & quomodo facis & hoc intelligendo totum cum memoria recordanti, intellectu intelligenti & voluntate diligenti & frequenti ectuâ multiplicatur memoria perſecutatione & contemplatione aſſidua, intellectus per novem diſtinctiones ad penetrandum cauſas rerum acuitur, dum tamen limites rerum non tranſcendat. Quia ſi fuerit extra lineam naturæ, errans in devio potius dirigat ſe & reformabitur. Cum experimentali ſemita veritatis, Amoris vinculi veritas gignitur & vehitur indiſſolubiliter tam in divinis quàm in naturalibus ut ex viſibilibus argumentis nobis exuberantia illius exeritur patefactam. Calcinare tunc naturam terræ ſapienter præcognitam igne ſuo fortiter accenſo cum reiterationibus attractionis & aquarum diſtillatione ac corporum calcinatione, non omittas, donec terra ipſa ſuba baremeat ab humiditate vacua & ipſe ignis ſit in pulverem redactus, rubeus ut hic intus cujus ſignum tunc oſtenditur, cum humiditate radicali omninò remanet privatus. Hæc humiditas radicalis tardius ſemper ſeparatur à corporibus, eò quod ipſa magis exiſtit de natura, quam fuerunt aliæ caliditates & quia in natura eſt calidior, ideo in ultimis incerationibus reperta eſt pretioſior, propter quod ſepara ſemper illam modicam humiditatem ad partem vice poſt vicem, ſemper eam in parvo receptaculo recipiendo: in quo obſervari præcipitur ne tantus theſaurus deperdatur confuſione plurium, cùm ipſe ſit modicæ quantitatis cujus una gutta certiſſimè poteſt in mille partibus corporum incerare. Poſtea quando volueris incerare, miſce de re calida & humida magis quam de re frigida & ſicca magis quàm de re calida & humida. Hoc tamen intellige poſt extractionem naturæ maturatæ: ſed quia talis extractio fieri non poteſt abſque elementorum corruptione & partium ſeparatione, clarum eſt quod ſine illis, magiſterium non perficitur. Et ideò oportet te ſeparationem elementorum ſubtiliter facere, pro tuo poſſe cum præparatione lenta tibi nota: cùm talis ſeparatio, naturarum ſit mutatio & conſtat quod hujus operis ingenio inſtans erit perfectio. Pone ergo ſuper prædictorum corporum calcinatorum ſubſtantias ex quibus adhuc oleum extrahere volueris, tantum aquæ tuæ puriſſimæ quod quatuor digitis aut plus ſuperemineat & alembicum ſuperpone ac luta. Fili per hoc quod diximus puriſſimæ indimus rarefactionem aquæ mercurii in aeris lævigationem Et per hoc quod diximus ſubſtantiam, intelligas materiam terreſtrem albam ad modum ſalis ſolutam aut ſicut folia cryſtalli ad album: ſed ad rubeum ſubſtantiam adde rubeam quaſi nigrum ut ſanguis gelatus. Quia inſtinctus ſive appetitus naturalis in elementatione provenit in terum ſubtiliatione & rarefactione, unde cùm non diu vacuitatem tolerare valeat natura, neceſſe eſt quodlibet elementum jam rarefactum ſtatim de alio condenſetur & illud ad ſe attrahat & convertat, ut terra in aerem per aquæ medium & ignis in aquam per aeris medium. Ex hoc elucidatur capitulum Iſtud Teſtamenti quod incipit) Fili impoſſibilitas, &c. & alia plura capitula Quare illa relegas & intelligas) Ab hinc per diſtillationem Balnei totam aquam ſepara & videbis in fundo oleum, corpus in aerem groſſum per media minima jam redactum ſuper mercurium ſiccum qui indiſſolutus manſerat. Demum vero ſepara oleum cautè ab aere in ſicco igne de ſerratura & ſeorſum ſerva. Poſtremum vero receptaculo depoſito & alio vitro parvo ſuppoſito ad recipiendum illud quod tardius ſeparatur quod ad partem ponas & ſtatim de carbonibus ignem ſubjicias majorem quam in jam dictis aſſationibus ſuppoſitus fuerat paulativè tamen ſecundum naturæ exigentiam & rationis menſuram, novem horis illum augmentando, & diligentiam rectam adhibere cognoscas. Sic autem corpora calcinantur, aſſantur: comburuntur ac omni ſpirituali humiditate privantur & hæc cùm præparationes lenta donec ſint in modum pulveris inſenſibilis cui non eſt tactus niſi lævis forte, cùm autem per jam dictam ſolutionem

Mercurii

Mercurius diminutus fuerit à corporibus, mercurium superadde alium mundum, calidum & rarefactum, ut expedit in natura &; in balneo iterum distilla, quod frigidius est in natura separando & repone ut expedit ad coquendum, quia sic continuè faciendum est, donec totum oleum sumas à corporibus & nihil de eo spiritibus maneat insolutum; & demum corpora bene combusta sint & in tenuissimum pulverem redacta quia tunc in eis important signum manifestum quod non remansit aliquid de anima in corporibus quod ab artifice sentiri possit in sua operatione vel spiritus sublimatione cujus manifestius signum demonstrativum erit cùm de his laminæ ignitæ superposueris, tum subtilia & pura si efficaciter erunt appropriata sub nomine spiritus, subtilia & pura non minus erunt quam approximata nomine animæ tingentis & lucentia & etiam tanquam appropriata nomine corporis per media ad extrema, subalba, rubea, sicca, fixa. Et illud ideo est, quia in nulla nostra operatione indigemus aqua nisi candida cum anima simplici propinqua: nec oleo indigemus nisi albo, subcitrino aut croceo: nec igne nisi rubeo, nec terra nisi pallida & subalba cum subtili substantia fixa. Quia ipsa desiccat & figit sed aqua mundat & abluit, aër verò & ignis tingunt & fluere faciunt. Propter quod docet Philosophus artificem multam necessariò habere debere aquam & aërem multum, quia quanta erit multitudo ignis & aquæ, tanta erit multitudo olei ecce quomodo ex duobus extremis resultat medium commensurativum in natura, ex quo patet ignem in aquam reduci non posse, nisi prius reducatur in aerem, unde per instinctum naturæ, utriusque amor gignitur similiter & quanta fuerit multitudo olei, tanta erit multitudo tincturæ, ecce quomodo aqua reducitur per aërem determinatur in ignem & hoc ideo quia aqua jam attracta fuerat per ignem in aërem qui cibus ejus est: Cum ergo taliter præparaveris elementa tunc terra erit habilis ad solvendum non in aquam vulgarem, sed in aquam siccam, sulphuream & mercurialem. Hoc in hac tertia dissolutione, aqua etiam erit efficax subtilitate & rarefactione ad ingrediendum, & oleum in quo portatur ignis est ad tingendum superabundans penetratione & acuitate & quanta erit multitudo olei tanta erit multitudo tincturæ, quia hoc oleum est tinctura, aurum & anima ac philosophorum unguentum quo totum perficitur magisterium, si verò talia elementa non habueris certum signum demonstrativum erit erroris. Errorem ergo, tuum corrige. Totum insumunt ponendo ad inhumandum completè & postea redeunt ad separationem elementorum, quia propinquior est præparatio in ea quàm si inciperes in opere novo: subtiliora sunt jam & quasi elementata quia omnia in operatione jam cepta, memoriæ ergo commendes cùm erratum constiterit in operatione, semper ad separationem elementorum redeundum.

CAP. L.

De Distillatione Aquæ, aëris & olei mercurii.

CUm verò argenti vivi humiditas per modum traditum à corporibus fuerit penitus resoluta, distilla eam per alembicum in balneo mariæ (septies) inhumatione lentissimi caloris semper interposita & sicut fecisti de aqua ita fac etiam de aëre & sicuti fecisti de aëre fac ita de igne vel oleo, quia abluvio eorum est eadem sicuti fuit aquæ primæ quæ quidem inhumando & distillando patitur fieri potuerunt donec aër & oleum ad crystallinam perveniant serenitatem sine fæcibus, & licet aër & oleum fæces non habeant alba, tamen sunt ejus signa demonstrativa certa & gutta spissior & aquæ color intensior & substantia aërea levior: quod patet per hoc, quia si miscueris ipsum aquâ natabit superius & congelabitur ad modum tenuissimæ pelliculæ diversorum colorum apparentis, si igitur solis radio fuerit circumseptum, crystallinam etiam tingit laminam sulphuream tertiò in auro puro extinctam, & cum hoc completur elementorum ablutio: ipsa ergò sic abluta in vase sigillato reserva & maximè oleum ab aëre, quoniam ipse aër consumeret oleum propter naturæ suæ vicinitatem & quia nihil aut parum saltem discrepant in similitudine ad invicem, super totum scribas quod reconderis seorsum singulariter, virtutes, nomina & colores ne unum accipias pro alio cùm operatus fueris nec corrumparur opus.

Tres humiditates sunt specificè differentes nempe aquea, aërea & oleaginosa.

Tres quippe sunt humiditates, Prima aqua caput resolubilium, Secunda aër medium inter aquam & oleum. Tertia oleum ipsum omnium elementorum cerativum nostrumque finale secretum ac ultimum.

Prima humiditas separatur per Balneum quia calida est, Secunda in sicco de serratura quia calidior Tertia in igne de carboribus sicco quia calidissima. Et si oleum est frigidum, aër erit frigidior, aqua erit frigidissima & similiter hoc etiam intelligas de terris si naturas de lapidis effectualiter perscrutari volueris, quia virtutes naturæ denominationis semper accipias à suis substantiis & secundum quod illarum subjecta earum virtute alterationes accipiunt, secundum illud enim diversimodè operantur & alterantur quia per tales alterationes corpora semper labuntur de natura in naturam, & quanto magis natura illorum peritur ad ima, tantò magis gradualiter sublimatur graduando ad virtutes supercœlestes & quamò magis ad virtutes permittatur cœlestes, tantò nobiliores & altiores sunt ejus operationes ut superabundans actionibus propriis tolleratur. Si scire vis causam hujus quare terra nostra magis efficax est ad penetrandum & congelandum argentum vivum quam terra sophistatum, scias quod est, quia siccitas terræ nostræ per digestionem caloris complexionalis subtilis facta est & ideo magis congelat & subtilius penetrat in profundo, non solùm substantiam argenti vivi, sed etiam cæterorũ corporum quibus applicatur, quam penetrationem frigiditas terræ sophistatum facere non potest quia nec congruit eò quod complexionale non est, nec penetrat, quia per calidum virtutes & subtilitatem non habet quæ cum aqua prima petagitur & oleis perficitur. Hanc autem virtutem sublimiter informatur operatio nostra in terra nostra per reductiones in magisterium.

Tres sunt terræ philosophicæ quemadmodum tres sunt humiditates.

Tres ergo sunt terræ, prima ex metallo soluta & illa simplex est cum qua mergitur aqua prima. Secunda media est magis aerea quæ ex illis duobus elementis resultat cum qua mergitur aqua secunda quæ simplicior est Tertia est terra luminosa fulgentissima. Solis radios in se habere cupiens & hæc dicta terra ac suis fermentis accedit ad subtiliorem gradum elevata quæ postremò ad perfectionem cum aqua tertia est inceranda & hæc est simplicissima. Prima terra supradictis regiminibus præparatur. Secunda tertio principio operativo mediatur Tertia quarto & ultimo principio cum sui indulcoratione perficitur Prima terra calida est, ideo aqua ad ungitur sibi prima, quia frigidissima ut ignis monstrum Secunda verò caldior propterea aquæ illi adjungitur, secunda quæ frigida

frigida eſt ut lactis ferculum. Tertia eſt calidiſſima propterea illi aqua appropriatur tertia & propinatur, quia frigidiſſima eſt ut caloris nutritivum & conſervativum ac totius rei penetrativum & perfectivum.

Per oppoſitum igitur paret, ſi ultima terra eſt frigida, prima erit frigidiſſima quia evacuata eſt à calore naturali & ſi calor veneni ei adjungatur in calorem naturalem & proprium convertitur. Conjunge ergo extrema extremis & reſultabunt tibi media quibus nobiliſſima retinentur extrema.

Ex jam præmiſſis patet quod niſi reverſionem hanc perfectè intellexeris de differentia in differentiam, nihil valebit opus præſertim cùm ſecundum ſuam qualitatem magis proprium quodlibet elementum habeat ſuum proprium actum finem perfectionis reſpicientem. Nec eſt lapis ſolùm de calore in frigidum permutandus: ſed etiam de frigido in calidum gradualiter terminandus & cùm hoc perfecimus ſecundum practicale principium cum materialibus principiis ſecundi generis & ſignis demonſtrativis.

De Tertio principio Practicali cum ſuis tertii generis materialibus principiis & demonſtrativis quæ ſunt levificare & lapidem nutrire.

Intentio hujus practicalis principii eſt ut argentum vivum à corporibus extractum per diſſolutionem ſui ſulphuris vapore per reductionem congeletur, ac in ipſum vertatur & exaltetur donec vim habeat ſulphuream congelandi mercurium aut aliud argentum vivum. Quia ſi primò exaltatus fuerit à terra ſua propria, omnia trahet ad ſe ipſum & in ſui naturam convertit quia ex puriſſima argenti vivi & ſui ſulphuris ſubſtantia ſunt, quæ magis naturæ metallorum conveniunt & magis in profundo ſibi naturaliter abhærent. Medicinam igitur noſtram neceſſariò creare expedit antequam illius converſionem perficere poterit, unde proprium argenti vivi noſtri eſt quod vapore ſui ſulphuris congelatur quia omne ſiccum naturaliter ebibit ſuum humidum & illud ad ſe naturali calore convertit, hinc eſt quod vapor ſulphuris argentum vivum propriè coagulantis eſt terrea ſubtilis ſui ſubſtantia aërea decocta & digeſta in mixtionibus ſolicet prima naturali actione caloris ei unita. Secunda ut tam naturali quam artificiali proceſſu ut puta præparationibus ſupradictis, quia omne quod ſubtilis ſubſtantiæ eſt & ſimile citius generatur & velocius quam ſpiſſum & ſolidum in ſolido enim corpore nulla fieri poteſt generatio niſi terminata primò & digeſta fuerit materia & digeſtio materiæ non fit niſi uſu, hoc eſt frequēti & continua actione calidi naturalis per minima ſuper eam: unde iſto modo & iſta de cauſa ſolutio fit in lapide noſtro eo quod ſolutio ipſum lapidem omninò facit eſſe ſubtilem, quia cum materia lapidis poſtquam diſſoluta eſt valdè vicina ſit lapidi: in qua diſſimilitudine non diſtat in eo potentia ab actu: propter quod etiam citò terminatur ad actum, calore naturali operante & igne artificiali excitante ut velox ejus efficiatur generatio. Et ideo revelatur tibi quod cùm lapis non ſit niſi in potentia, procul dubio per ſubtilitatem reducitur ad actum unde non indiget niſi ſubtiliatione ut poſtea melius cum ſpiritibus conjungatur, quia quod ſubtilis aut raræ ſubſtantiæ eſt illud cum ſubtili & rarefacto citius conjungitur & celerius naſcitur quàm illud quod ſpiſſum eſt, durum & compactum. Multis igitur digeſtionum viribus indiget corpus durum, compactum & ponderoſum antequam rarum fiat & leve.

Generatio lapidis & medicinæ fit & completur ratione ſimilitudinis & ſubtilitatis partium ad invicem.

Quapropter relinquitur quod generatio tam lapidis quàm medicina fit & completur ratione ſimilitudinis & ſubtilitatis partium ad invicem, idcirco omne corpus tranſmutabile, ad hoc ut in quacunque ſpecie tranſmutetur ad primam materiam illud reduci neceſſè eſt & primò in argentum vivum & hoc per diſpoſitionem primam quæ præcedit illam quam tranſmutationem facit Sulphur per contrarium. Deinde reducitur in Sulphur per diſpoſitionem ſecundam jam dictam. In hoc enim contrarii ſumus Ariſtoteli quarto meteororum dicenti quod omne corpus paſſibile reducitur ad ſuam primam materiam per operationes naturæ ſuæ contrarias. Item mundare corpora ſolubilia per ſpoliationem ſulphureitatum internarum accidentalium neceſſe eſt, donec ſint albiſſima ut Cryſtallus omni vitiditate privata, quia Sulphureitate remanente in corporibus metallicis eſt impoſſibile ea conjungi cum ſpiritibus.

Ideo contrarietate remota contrarium induci neceſſè eſt Sulphur Purum per ignem materiæ.

Et ideò corpora calcinantur ut citius ſolvantur & eadem ſolvuntur ut ab oleagineis ſordibus, & Sulphureis ac aliis vitiis ex inſufficienti digeſtione emergentibus & à fixatione & fuſione recta corpora deferentibus melius mundentur, & hoc ex ratione eadem quia remota contrarietate contrarium induci neceſſè eſt. Alia quidem eſt cauſa ut ad penetrationem ſint aptiora videlicet ut ſolutiva & mercuriali humiditati aboleantur & ideo fit corporum luminarium combuſtio & ſola aſperitate naturæ igne noſtro & proprio ſpiritu, donec innaturalis eorum ſulphureitas deleatur & multa argenti vivi humiditas reſolvatur & admodum ſquammæ ferri aut æris combuſti redigantur & ſicut corpora levia & ſpongioſa ſunt quia tunc per ſpongioſitatem eorum poſtmodum intrat humidum ſubtiliſſimum per viam reſtaurationis rei deperditæ & confortationis corporum ut calore naturali per minima gradualiter congeletur in ſulphur, unde Paganus iſtud in ſumma efficaciter intellexerit cum dicat in capitulo quid ſit ſublimatio in fine, quod melior modus eſt ut ſumatur ferri, ſtamni vel æris uſti ſubſtantia, propter privationem humiditatis multæ illa coagulantur de facili aut arſenicum ſolutum in argento vivo ſimul uniuntur non enim ſolùm extrahimus ſulphureitatem à corporibus: ſed etiam humiditatem illam quâ calor naturalis habetatur ut majorem inde per reductionem humiditatem recuperent per minima quam humiditatem in reſolutione perdiderunt in claſſe, quia tunc neceſſe eſt ſpiritibus aquis & calce reſolutis, vehementi comixtione commiſcêre per modum reductionis, ut omnium ſubſtantiarum fiat una res ſtans, penetrãs, tingens & permanens.

De inquiſitione cauſæ quare fiat Diſſolutio ſecunda & quid ſit.

Duabus ergo de cauſis diſſolutionem facimus ſecundam. Prima eſt ut ſpiritus habeamus in ſubtili natura de propria ſubſtantia corporum ad modum aquæ claræ, ſecunda cauſa eſt ut corpora habeamus ſpongioſa & levia de eorum natura, proptiâ humiditate privata in quibus ſit calor naturæ operans, penetrans & congelans ſuum argentum vivum & in ſulphur convertens. Quia qui extractum argentum vivum à corporibus non coagulat per ſui converſionem in ſulphur proprium album, nullam viam ad præparationem elegit rectam. Si ergo in naturalibus ſublimationibus fueris exercitatus, nos verum dixiſſe ſcies, quod talium ſecum adminiſtratio, quibus convenire debent ſublimanda, prætermittenda non eſt ac unire humoris attractione in eorum profundo, quia oportet ut de propria ſubſtantia ſpirituum exiſtant, ac rara in ſubſtantia aërea ſint diſpoſita, ad reſumendum per minima eoſdem ſpiritus præparatos, nec invenitur aliquid quod eorum locum poterit obtinere in magiſterio, cùm non reperiatur ejuſdem generis ſpiritus commiſceri

per

per minima cum ipsis, non potuerunt unione naturali uniri & si non permiscerentur ut expedit, tota spirituum substantia ascenderet sine mundatione aliqua & sic nullo modo deputata post illorum invenientur ascensionem, ideo qui argentum vivum nostrum à re extranea, sublimare laborat ab eorum natura, sublimare frustra procurat. Et si cum calcibus duorum luminarium sublimabis utiliter sublimabis, & mundabis cum facilitate quia est in illis per generationem facilis eorum sublimatio, illud autem extraneum non est ei, in quo argentum vivum per magisterium nostrum convertitur, scilicet sulphur album & rubeum ex quo creatur argentum & aurum. Quia si sulphur & mercurium haberemus de illa materiâ super terram, de qua aurum & argentum fit sub terra bene poterimus aurum & argentum de illis facere cum proprietate naturæ suæ. Nihil ergo convenit rei nisi quod propinquum est ei ex sua natura: Vides enim quod homo non generatur nisi ab homine, nec ab aliis perfectis animalibus, nisi similia Quia in hoc unumquodque generatur quod simile sibi generatione consequitur. Venerabili igitur utimur materia quoniam non emendatur nisi per reductionem illam in materiâ sua, cui alienum nolite introducere nec pulverem, nec aquam, nec ullam rem, nisi suum proprium argentum vivum in materia propinquissima.

Terra esse debet ex duobus corporibus, scilicet sole & luna, & duo elementa sicca & lapidea scilicet ignis & terra.

Cum fœcibus igitur corporalibus in natura maximè convenientibus scilicet solis & lunæ, necesse est mercurium commiscere per minima & quousque sulphur fiat decoquere, Reduc ergo aquam super terram suam ut recuperet humiditatem perditam, generaliter enim terra illa in se continet fumum album siccum, tenuissimum, subtilissimum & insensibilem, congelantem argentum ut de sua propria natura & substantia existens: sed cum terra & duobus corporibus esse debeat sole videlicet ac lunâ & duo eorum elementa sicca sint, dura & lapidea scilicet ignis & terra in siccitate concordantia simul sunt præparanda, cùm secundum eorum qualitates, conveniant in unam & eandem præparationem, ut rursus generaliter vapores fumosi illorum, dum terria dissolutione uniformiter resolventur & in ventre mercurii deportantur cum tota natura quinta utriusque corporis congelentur & retineantur. Quia cùm argentum vivum in terra albissima constringatur virtute prædictorum corporum utriusque vaporis, propinatur ibi quinta essentia quæ in ternis dictorum corporum duorum fuerat à natura infusa. Et ideò cùm argentum vivum radiosis vestibus induitur bipartitis, propinquior erit terra foliata ad tingendum in sulphur rubeum, quàm si sola alba simpliciter fuerit vestitum: præsertim cùm de sua natura simili per talem colligationem per minima jam imbibitur, maximè etiam quod argentum vivum continens germen dissolutum in spiritu proprio assimiletur quæsito, necesse est ut attrahatur in locum in quem semen projicitur matris, in quo est calor naturæ formans & sigillans: quia sic verteretur ad naturam venerabilis complexionis loci ipsius generationis, quando fuit factus coitus terrarum solis & lunæ & omnium eorum quæ generationi talium circunstant, conjunge ergo grossiorem solis substantiam cum terra lunæ post aëris extractionem & præpara insimul propter eorum bonam commixtionem, & ne confundatur præparatio, ob defectum confortationis & unus alium bene tingat ac de utriusque natura in se ipso retineat ne aduratur in pugna ignis, quamobrem separate eos salvum est & naturæ propinquum.

Quomodo corpora calcinata & totaliter discontinuata præparentur.

Eorum autem præparatio quæ calcinata sunt corpora: non est aliud nisi ut majorem humiditatem naturaliter recuperent quam in calce perdiderât. Quia cùm corpora sunt calcinata totaliter sunt discontinuata, eo quod ab aqueo humido ingrossante & continuante, naturaliter sunt privata. Arida igitur cum sunt vacua ac naturaliter multùm silentia, humiditate aquea confortati cupientia, proprio congelans calore humiditatem quæ in substantia sulphuris est per minima operatione directa virtutem masculinam in eo infundendo: Qui cum talia corpora formandi sulphuris gratia sint activa principia, caliditatem naturalem possident in se ipsis, sed quia ulterius propter certa & determinata opera formationis necessarium sit ut argentum vivum penetret partes ejus congelationis, cùm ipse calor absque penetratione & motu formaliter congelare cùm nequeat, oportuit ut illa caliditas moderata foret quæ propter illam superfluam humiditatem, calorem naturalem hebetantem à corporibus subtraximus quantum huic fini expediens fuit per solutiones & calcinationes supra dictas, & quia hæc digestio per calidum celebratur & humidum, medicina tamen digestiva participare notabilius est siccitatem quam humiditatem, ita ut siccitas non sit excellens, sed tanta solùm quanta moderatæ sufficit siccitati: sed quæritur quate mensura siccitatis plus convenit medicinæ digestivæ quam humiditati. Vade ad tractatum de intentione Alchymistarum quia ibi de ista materia & de aliis digestionibus ad plenum tractavimus. Quamobrem recapitulare hic ea non intendimus nisi quantum immediatæ operationi fuerit expeditus.

Quæ sit materia Lapidis & quæ requirantur ad ejus creationem.

Materia siquidem Lapidis nostri vel Sulphuris est humor seminalis per actum generationis decisus ex singulis partibus utriusque parentis corporis scilicet & mercurii, Ergo ista materia in loco conceptionis dispersa vi naturæ attractiva in cellulis id est poris matricis terreis recolligitur & per calorem cum contritione pariter commiscetur & nisi humoris commixtio reincrudati utriusque parentis, corporis videlicet & mercurii fieret, infantis nostri, sive Sulphuris nostri creatio fieri non potest & materia amore redundat humoris sive vaporis à corpore procedens, vehementer sicca est & calida & ideo præ nimia siccitate se non posset uniformiter dilatare seu continuare absque deperditione suæ substantiæ. & materia etiam ex superabundantia caloris sulphuris in decoctione comburetur & destruerentur substantia sulphuris, nisi ex humore mercurii qualitates contrarias habentis ex inhumatione reciperet temperamentum. Et sic patet quod per contrarias qualitates reciprocè generetur infantulus noster. Circa igitur illius lapidis generationem quatuor exiguntur scilicet materia convertens ut est Sulphur & argentum vivum, Locus expediens id est matrix vel terra quæ propriè vas naturæ dicitur, formativam virtutem lapidis retinens in quo si lapide vis naturalis infunditur, est etiam virtus formativa exiens à vase per spiritum, quantùm ideo appellatur matrix tanquam naturali Sulphuri virtutem conferens & illud pascens. Tertium quod in generatione lapidis exigitur, est calor naturalis expediens in loco generationis existens, per moderatum calorem velut causa efficiens excitatus. Quartum verò quod est spiritus quintæ essentiæ corpori virtutem influens & in loco generationis regens ut virtus frigoris mortificativa non suscipiet virtutem spiritus attrahentis in se virtutem caloris cœlestis, spiritum ipsum vivificantem; Et si spiritus deficit in

calore

calore, non erit receptivus caloris vivifici nec caloris recepti retentivus, & ſi caloris recepti non ſit retentivus nunquam ex eo formabis quæſitum: ſic intelligis quomodo corpus infantis ex maſculo & fœmina procedit in actum qui actus eſt in eorum materia in potentia & ſic patet quod lapis noſter aſſimilatur creationi hominis cui omnia inſunt. Fili notare debes quod unum documentum, principium, doctrina & demonſtratio ad aliud, & ſi viam inveſtigationis ſemel generaliter habueris gratiâ Dei infundente ſpiritum intelligentiæ, ad omnes alias ſcientias, ſimiliter pervenire poteris. Conſidera ergo quæ dico & perſcrutare in ſtatu gratiæ, quæ in hac operatione ſunt neceſſaria & laude digna.

Reciproca in principiis materialibus primis eſt operatio.

Sicut argentum vivum virtute & proprietate ſua ſulphur devictum ad ſe attrahit per converſionem illius in argentum vivum ita, ſulphur operatione contraria proprietate ſua argentum vivum devincere poteſt & illud convertere per reductionem ejus in ſe ipſum. Et hæc reciprocatio fit virtute alterius digeſtionis ſcilicet caloris naturalis. Perfectio enim hujus digeſtionis eſt cùm calor naturalis vivificat omninò ſuum ſubjectum vel ſaltem abſolutè ut continet in omnibus alimentis. Ideo patet quod medecina digeſtiva nomine digeſtivo, abſolutè eſt illa quæ caliditatem habet conformem in quantitate & qualitate calori naturali, per quem eumdem confortat ad tranſmutationem alimenti perficiendum & maximè in hac digeſtione prima, quia in hac digeſtione, digerens majorem habet repugnantiam. Ex his ſcire poteris an terræ corporum debeant conjungi ad invicem cùm una confortetur per aliam & argentum vivum noſtrum complexionatum ſit alia complexione & alia naturâ naturarum quàm argentum vivum vulgi cujus natura eſt remotiſſima à ſulphure noſtro & è converſo inter ſulphur & argentum vivum noſtrum non eſt differentia, quia in genere complexionis naturaliter conveniunt licet unum ſit de ratione humidum & alterum ſiccum. Et nos modum hujus maturationis latius dicimus in noſtro teſtamento, ubi de animatione mercurii ad plenum tractavimus, quia cùm argentum ſit de ſui proprtia ſuſtantia corporis, neceſſe eſt ut cum eo concorder in complexione, eſſentiâ, qualitate & natur', & quia in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus ad eſſe, aderit tibi velox ſulphuris & lapidis generatio. Cùm ergo corpus ſulphureum ſurſum aſcendere non poterit ut ſpiritus niſi ſpiritus fuerit incorporatus cum eo prius per minima, infunde ergo primam aquam per vices paulatim, hoc eſt vice poſt vicem, per minima conterendo & decoquendo quouſque congeletur, igne tamen taliter informato ut calorem naturalem à quo virtus formans & ſigillans procedit quæ eſt in materia. Cùm autem aqua fuerit congelata, leviter continuando ignem ſiccum materiam calcinat in ſiccitatem moderatam producendo ad perficiendam digeſtionem ſequentem ponendo ſuperius alembicum ut in tranſmutatione digeſtionis aqueitatis argenti vivi ſequeſtretur & reſurgat incolume: Sic circulatione cujus medicina filiæ eſt artificialiter provenit quod ſulphur per ingenium naturæ digeſtum eſt & ad plenum præparatum, ad decoctionem poſtea tranſiens per organa mercurii quorum excoctione artificialiter incrudatum in cavernas corporum funditur & tandem alteratus qui virtute ſulphuris naturalis calidi conſtringitur & revertitur in ſeipſum. Et ad hoc advertant præſumptores alumni qui aſſerunt abſolutè quod coctum reincrudari non poteſt. Hujus autem formam practicando multoties te reiterare non rædeat, conterendo & digerendo cum igne naturæ, imbibendo aquâ mercurii primâ, decoquendo & leviter calcinando cum igne excitanti bene ut expedit informato, donec terra de ſua aqua biberit quantùm evidentiſſimè videre poteris per ejus volatilitatem ſi modicum de ipſa ſuper laminam ignitam fuerit ſuperpoſitum. Hoc enim unum de ſigni, ſuis luculentiſſimis. Super omnia autem cavendum eſt vice poſt vicem, ne terram imbibat niſi paulativè hoc eſt per minima de octavo in octavum diem, cum longa trituratione in Furno Secreto taliter ut virtus mercurii virtutem ſulphuris non apprehendat quia debiles ſunt in principio ſui nutrimenti. Nam ſi virtutes mercurii virtutes ſulphuris devicerint per appoſitionem & multam imbibitionem aquæ debilitatur ſulphur diſſolutione ſui & ſit pelagus conturbationis & ſic calor ſpiritus hebetatus & mortificatus remanebit abſque utilitate & propter hoc tibi notificavimus confortationem eorum in principio hujus & etiam in noſtro teſtamento. Errorem ergo tuum corrige ſi in hoc caſu aliqualiter defeceris quemadmodum dicemus infra in capitulo de virtutibus & doctrina quibus corrigitur error. Quia oportet quod in iſta tranſmutatione vires ſulphuris apprehendant vires mercurii ut & illas ad ſe attrahant & in ſe convertant, quia oportet ut ſpiritus reſolutus per reductionem ſui congeletur in corpus & cum ipſo fortiter colligetur & commiſceatur per minima ut inſenſibiles partes corporum & ſubtiles uniformiter cum partibus minimis ſpiritus humidi copulentur & unum alteri conjungatur & cùm hæ partes conjunguntur nunquam ſeparantur, ſicuti nec aqua mixta aquæ, quia tunc corpora vi ſpiritus attractiva ad ſuam propinquiorem naturam poſt homogeneitatem eorum primam ſunt redacta.

De Metallorum Homogeneitate.

Prima Homogeneitas metallorum eſt ſperma fœmineum metallicum ſcilicet argentum vivum noſtrum ad opus reductionis; ſed proxima natura aptum ſcilicet eſt & gelatum in Sulphur ad fixationem, quia ſolutio corporis in ſpiritum eſt cum congelatione ſpiritus in Sulphur & congelatio ſpiritus in Sulphur eſt cum diſſolutione corporis in ſpiritum, qui ſpiritus eſt aqua congelata. Et ideo corpora ſoluta, ad naturam ſpiritus ſunt redacta & non differunt niſi quod magis fixa ſunt ratione corporum quam ſpiritus volatilis & ratione ſpirituum magis volatilia ſuntquam fixa corpora: Amorem enim naturæ uterque eorum agit in ſocium ſibi ſimilem. Et ideo qui tranſmutare vult ſpecies metallorum, laborabit in vanum, niſi prius corpora reducat in talem materiam, tunc autem in aliam reducuntur quam prius erant, quia deſtructa prima forma corruptionis mercurii ut infra latius dicetur, immediatè introducitur alia per tranſmutationem mercurii in ſulphur. Sapiens enim & ſtudioſus utiliter corrumpere poterit corpora & novam ſulphuris formam introducere in illis: Quia noſtræ operationis intentio non eſt aliud niſi ut eligatur puriſſima mercurii ſubſtantia ad corpora in ſulphur reſolvenda, quia ex illis tantum conſiſtit elixit, quia forma argenti vivi in lapidem ſulphureum tranſmutata mox alia forma introducitur per converſionem illius lapidis in elixir & hoc cum temperamento humidi & ſicci quemadmodum declarabimus in fixatione ſequenti. Ex quo patet quod non poteſt eſſe tranſitus de extremo in extremum niſi per medium. In hac arte medium accipimus ſpiritum conjunctionis modicæ inter duas qualitates quæ ſpecie inter ſe diſconveniunt non autem in genere niſi ſolùm ſecundum majorem vel minorem diſtantiam unius ab altero, quam in decoctionibus ſuſcipiunt tam per artem quam per naturam & ideo ſpecies hujus medii minorem habent ſimilitudinem cum temperamento & puncto quod æquidiſtat inter extrema & cum virtute quæ conſiſtit in medio extremorum, ſi intellectus tuus notitiam habet de medio in ſpecie antedicta, conſervare poteris & reſtituere ſanitatem omnibus corporis infirmis & ægritudinem eorum mortificare omninò

omninò & educere scis medium de potentia ad actum. Unde specie hujus medii augere poteris vel minuere, si jungere vel disjungere noveris flores arboris & frondes per solutionem & congelationem ut tradidimus in nostro testamento de multiplicationibus virtutum servatis suis conditionibus Ad habendum ergo & deducendum tale medium de potentia in actum, conjunge corpus cum spiritu & per illum modum quem natura requirit ipsum paulatim imbibendo cum aqua mercurii, solo igne conterendo decoctione lenta ut misceantur per desiccationem unius & dissolutionem alterius ut totum unum fiat.

De Fixatione.

Cùm hoc tibi revelatur declaratio dicti Avicennæ præcipientis omnibus Electis hujus artis ut inter corpora & spiritus fiat amor. Et statim post subjungit & docet modum faciendi cum dicit nisi corpus fuerit ablatum & mundatum ab intus & extra, nunquam recipiet spiritus fermentales qui sunt res perficientes & deducentes illud corpus ad verum temperamentum subjungit altera repetitione iterum, cùm in effectu idem dicat fac pacem inter ignem & aquam & habebis magisterium, hoc est ut corpus deducatur in simplum illud medium aereum ut sit quemadmodum spiritus de natura aeris participantis naturam aquæ & ignis, ita ut ratione suæ simplicitatis per sublimationem quasi in terream ascendat substantiam tenuissimam & aeream quæ pars aquæ est permanentis. Sed hoc est impossibile nisi corpus prius beneficio naturæ decoctionis incorporetur cum spiritu & fiat totum unum, tunc verè vivum ascendit sursum secundum majores vel minores decoctiones & imbibitiones quas habuit in sui dissolutione, quia uniformiter est congelatum cum spiritu congelato illud quod solutum est de corpore nec minus quam illud congelatum est de spiritu & fortiter colligatum cum corpore dissoluto certis & inenodabilibus naturæ vinculis, ita quod nunquam amplius ab invicem separabuntur. Expedit igitur & necessarium est, ut quantum summa volatilis superat summam fixi ut cum ea evolet & attractatione naturæ non fixum superius ascendat & sublimetur ut spiritus. Quapropter illud quod ascendit de corpore dicimus esse solutum in spiritum qui factus sicut punctum in medio duorum conveniens melius cum temperamento tanquam medium duorum Extremorum contrariorum, ratione speciei & duorum concordantium ratione generis, quam aliquid aliud. Et ideo dicitur unum corpus & unus spiritus ac unum medium retinens in se naturam extremorum scilicet aquæ & ignis, de ratione medii naturæ inter illa, ut est aer. Sic ergo patet artifici quod dissolutio corporis fit cum congelatione spiritus id est ut patet ascensione sublimationis & Fixio spiritus fit cum dissolutione corporis ut petat per reductionem ejus quæ fit cum præcipitatione illius super corpus fixum. Propinquior autem causa hujus fixionis est mixtio utriusque per minima, quemadmodum superius diximus, ita tamen ut summa volatilis non superet summam fixi corporis: sed virtus fixi superet summam spiritibus non fixi ad fixationis intentionem. Ex prædictis secretum totum hujus artis recollige & similiter intentionem Aristotelis qui dicere non tacuit quod lapides fugientes ab igne, suas virtutes demonstrare nequeunt nisi eum fixis fuerint mundati id est coadunati & artificiosis gomphis artis sulphuris naturaliter constricti. Si hoc intelligis, Fili, habere thesaurum cœli & terræ poteris: sed opus est in principio reductionis hujus aquæ, terram non imbibas nisi paulatim ut gurges non mare fit, ne se in dissolutionem ponat vulgi & colores spiritus seu virtutis terræ heberentur & mortificentur. Sed potius per confortationem vivificentur cum longa trituratione igneæ bonæ informationis ut aqua unum corpus fiat cum terra; nec suspendas te ab opere donec sit aqua sicca & terra alba, quia Exsiccatio cum forti trituratione & assatione terram facit albam. Nec minus tamen adhuc ipsam imbibere debes paulativè & postea calcinare suaviter, ut argenti vivi sequestretur aquositas, sub conservatione tamen illius ut sit urina infantis, albificans, dissolvens & vivificans lapidem pretiosum, cujus quidem urinæ virtus seu veneni sublimati multiplicatur per resolutionem in eadem. Et cave quod assatio lapidis non sit multùm fortis, ne corpus solutum & ad naturam spiritus redactum ratione suæ sublimitatis & acumine ignis vertatur in fugam & pereat magisterium. Et cùm naturaliter fuerint exsiccati iterum ejus virtutem confortando ipsum imbibe per ingenium tibi notum, & post decoctionem illud in digestione dimitte & cùm digestum fuerit congelatum conforta per virtutem ejus sequestrando superfluam urinam naturalis humidi jam conversi per assationem naturalem. Hoc enim fit ut virtus sulphuris promptius sui acumine cum informatione notabili, residuam humiditatem spiritus congelare valeat & congelatum per naturam sui retinere, Omnes enim istas operationes reiterabis sine tædio, vice post vicem mercurii incorporamentum, donec terra de aqua sua biberit quantum manifestabitur per signum supra dictum.

De Sublimatione Mercurii & nutrimento per multiplicationem.

Fili operatio hujus est sublimatio mercurii & nutrimentum vel multiplicatio lapidis in substantia mercurii cum qua nutritur, augetur & multiplicatur sicut res cæteræ, Quia in nutriendo non modicum assimilatur puerorum educationibus, quorum virtus digestiva invalida est, nec patitur lac sugere nisi per minima donec calor naturalis cum virtute sui multiplicatus sit in ejus substantia & virtute valida præmunitus & ideò cum corpus in suæ nutritionis principio sit fragilissimæ virtutis, ita ut lac virginis infans epotare nequeat, nisi quantum sua virtus attrahere valeat de ratione sui, & corpus de dicto nutrimentali humido secundum mensuram suæ qualitatis & virtutis ipsius retinere poterit & si hoc intellexeris, intelliges quare multa quantitas spiritus humidi, congelari non poterit cum parva quantitate sicci corporis, nec parvâ quantitate spiritus dissolvi multa quantitas corporis sicci. Et si hoc iterum intelligis velociter pondera intelliges naturæ in qualibet imbibitione, quæ quidem à quolibet exercitato mediantibus signis quæ in qualibet decoctione demonstrantur, cognita existunt. Quorum vera informatione præcipitur, ut terram tantùm assando decoquas, quantùm dissolutio adjecit & tantùm imbibendo dissolvas quantum assando deficit omni genere post calcinationem, omni ergo vice post calcinationem terræ superfunde aquam temperatam secundum pondus notum aut secundum æstimationem probabiliter veritati appropinquantem quantum tibi possibile fuerit, non multum neque parum: quia si multum fuerit, dissolvetur corpus non dissolutione solemni sed potius vulgi & sic mortificabitur in contumbatione pelagi, & si parum fuerit comburetur in favillam & non perficiet, quia corpus comburitur & naturalis calor suffocabitur cùm materiam non habeat in qua natura sua & proprietas continuari poterit & à combustione defendi Illud vero quod probabiliter æstimationem ponderum artificis regulat in approximando veritati, est regula artis principiorum demonstrativorum, quorum visibilibus signis intellectualis regulatur doctrina: quia incerta probari nequeunt, nisi ex his quæ aliquam habent certitudinem ex quibus ars debet semper procedere cùm circa suam materiam sint certiora. Et hoc ideo quia ars esse non potest nisi à certis & determinatis principiis inchoet artifex & regulare se debet per signa demonstrativa

ſtrativa quæ ſunt colores in opere apparentes tam ſubſtantiales quàm accidentales, licet alumnus artis de accidentalibus non curet : ſed ſolùm de ſubſtantialibus coloribus qui ſunt quatuor ſcilicet niger, albus, citrinus & rubeus in qualibet decoctione apparenter ſecundùm magis & minus donec completum ſit magiſterium Et cum videris corpus tuum in quantitate pondere & colore augmentatum, tunc noveris ſubſtantiam mercurii mediam, quæ cauſa eſt albedinis in Sulphur eſſe congelatam per uniformem mixtionem ſibi unitam naturaliter cum corpore, actione caloris quia ſic corpus uniformiter de ſubſtantia exuberata augmentatur per minima & ratione ſpiritualis nutrimenti creſcit ita ut in parva quantitate corporis ſive principii ſeminalis ſit magna ſubſtantia & quantitas virtutis, ſulphur quod eſt medicinarum principium ſeminale & medicinæ creſcentis & multiplicantis cauſa ac reſtauratione deperdita cum exuberata humiditate nutritura. Quapropter expedit cum corpus ita naturaliter augmentatur & nutritur per conveniens humidum quod juxta menſuram ut tum ſuæ nutritionis ſive augmentatione majori imbibas aqua, ſecundum pondera revelata per artem ad conformitatem principiorum & quantitatem corporis augmentandi datam, quia tunc corpus majoris eſt attractionis & per conſequens ratione ſuarum partium ſpiritualium in corpore aſſatarum & congelatarum, majoris virtutis digerentis exiſtit, & naturaliter per minima permixtarum ratione bonæ & perfectæ contritionis utriuſque, quibus partibus ſpiritualibus nutritur corpus & in purum Sulphur redigitur. Et tum majori quam prius indigebit alimento quod primò indigetur, imbibatur & nutriatur ſecundum menſuram portionis determinatæ, ad conformitatem principiorum & virtutis vice poſt vicem & decoquatur lento igne naturalem calorem excitante & non excedente donec ad perfectam perveneris albedinem, quia tunc verè calor naturalis ſe viriliter defendit ab omni igne extraneo rationibus in noſtro Teſtamento expreſſis & infra in capite Fili de abſolutione terræ.

De Calcinatione imbibitionis ultimæ.

Cùm autem ad finem perveneris decoctionis & ultimæ imbibitionis calcina corpus expellendo humiditatem urinalem, quantùm diſſolutio illius abjiciet ſuaviter & non feſtinanter ne corpus diſſolvatur in fumum & magiſterium ſit deperditum. Hoc autem reiterare te non pigeat multis vicibus, quamvis ſit longum, quia tincturam non videbis proficuam donec colorem compleas albedinis permanentis, quod ſecundum principale eſt demonſtrativum principium, Hic eſt color qui per ignem non ut inferius diximus utitur, nec intus, nec extra, ſed per majorem decoctionem ignis, cùm in citrinitatem reducitur, quod eſt terrium principale principium demonſtrativum : Et demum per ſucceſſionem & majoris ignis digeſtionem, terminatur in rubedinem, quod ſignum eſt numeri complentis & quarti principii demonſtrativi, quibus alumnus ſe debet regulare in magiſterio, ſtudeat Ergo artifex & prudenter attendat cùm in opere fuerit, omnia ſigna demonſtrativa quæ in qualibet decoctione apparent, & illa in mente ſua recondet & ſapienter eorum cauſas inveſtiget, quia dum terra egreditur nigra imperfecta eſt. Et ideo non completa, quacunque ergo vice poſt vicem paulatim vigora ignem in calcinationem donec ex ignis fortitudine terræ egrediatur alba, quia ſicut calor ingens in humido primo generat nigredinem, ita agens in ſicco generat albedinem & ſucceſſive in illo albo citrinitatem producit, ſed cum additione rei tingentis illud perficitur, quæ tota eſt naturæ & hoc in calcinatione plumbi videtur quod primo in cinerem nigrum vertitur, poſt in album, deinde in citrinum & poſtmodum in rubeum, ſic etiam ſulphur habebitur album & rubeum ex metallorum materia ad plenum depurata, diverſo tamen modo ſicuti declaratum eſt decocta & digeſta. Ideo ſi dominium humidi in terra fuerit magnum & parum in ea de Dominio calidi, certiſſimè nigredo apparebit in ea & ſi in ea dominia fuerit calidi temperati & parum de dominio humidi ita ut humidum aquæ expulſione taliter menſurato calore, exhalari poterit Et ſi ibidem inſit etiam parum de dominio frigidi ad hoc ut poſt exhalationem humidi aquei tanquam complexionabilis, ratione calidi temperati retinêre valeat ſpiritus congelator certiſſimè apparebit citrinitas, & exinde rubedo. Quæ actio, licet frigiditati conveniat, non tamen convenit exc llenti ſed potius ei qui eſt complexionalis quæ aſſiſtentiam naturæ retinet medicinalis, ne ex ipſa calores fluerint & in ea ſpiritus fixi.

Aqua prius terræ jungitur quàm aer & oleum.

Cauſa tibi revelatur in hoc paſſu quare anima non conjungitur cum corpore, niſi ſpiritu mediante & quare primò aqua in terram figitur, antequam aer vel oleum per reductionem configantur in terram. Intellige intentum naturæ, ſcilicet quod calor in humido agens primò nigredinem generat & fumum ſed vincens humiditatem, induit poſtea ſiccitatem in materia in quam agit & ſic in illa materia inducta ſiccitate tranſmutationem facit novam, & colorem generat novum in ſubtiliatione ſicci, pulchrum, album, ſplendidum & nobiliſſimum. Si igitur terra non fuerit alba, tere eam cum aqua limpida & iterato calcina, quia Azoth ideſt aqua & ignis latonem ideſt terram ab'uunt & obſcuritatem ab ea auferunt, quia præparatio terræ ſemper fit cum aqua, & qualis fuerit claritas aquæ, talis erit claritas terræ, & quantò magis fuerit abluta, tantò magis erit alba, eo quod humidum per calidum congelativum, dum rectificatum fuerit, cum humidum aqueo urinali magis ſe habet ad albedinem quam ſiccum ad nigredinem & ideo quando quantitas humidi congelati & ſublimati quantitatem obtinebit corporis, albedo magis generatur in materia quam alius color ratione ſui proprii humidi depurati eò quod in humido ſemper eſt natura perſpicui. Et hæc eſt propria materia coloris & ideo quantùm magis terra noſtra cum tali humido abluitur tantò magis albificatur & quantò magis tale humidum depuratur, ſubtiliatur & præparatur, tantò plus colore limpidiore, ſubtiliori & magis ſereno nobilitatur & è contra quanto noſtrum nutrimentale humidum minus præparatur & à gradu ſublimationis magis remittitur, tantò plus proportionatur nigredini & combuſtioni & quantò magis approximatur combuſtioni dum modo in ea ſit dominium calidi, tantò magis erit famus, caligo & denigratio.

Perſecutare hæc ergo fili chariſſime & alia quæ dico & præpara elementa ut ſint à ſordibus munda à combuſtione tuta, donec eorum ſumetur tinctura, quia ſi comburantur, effectu & commodo privantur.

Ex his recolligi poteſt Elementorum præparationem fieri debere arte & eorum conjunctione ut eorum melioretur tinctura ab omni corruptione ſervata.

De virtutibus & doctrinâ quibus corrigitur error per inſtrumenta propria.

Dicimus autem quod virtus eſt primum & particulare operationis principium in materia propinqua. Primum diximus ad differentiam argenti vivi noſtri, quod eſt proximum & immediatum operationis principium ut diſſolvens aut congelans. Particulare diximus ad differentiam corporis conjuncti quod eſt univerſale principium operationis ſulphuris ut eſt Congelans vel diſſolvens. Ideo non volumus quod ab eſſentia,

diſtincta

distincta sint genera virtutum, sed solùm ab operationibus proximis & earum origine quam habent in materia, Quantum verò ad considerationem operationum proximarum unum est genus virtutum scilicet naturalium: dicitur verò naturalis, cujus operatione principaliter salvatur natura & perficitur tàm species quàm individuum, & hujus duo sunt genera: quia quædam sunt quibus ministrantur & illæ ministrativæ vocantur, quædam verò sunt ministrantes virtutes naturales qui ministratur generativa, augmentativa & nutritiva. Generativa quidem illa est quæ ad hoc operatur ut corpus procreatur simile, quod fit dupliciter vel per longam & successivam operationem quæ fit per minima: vel per promptam & brevem transformationem repentinam quæ fit absque eo, quod sensibiliter aut visibiliter per sua transeat media & sunt hujus generativæ opera duo. Primum est in matrice vel terrâ quæ vas philosophiæ dicitur in quo virtus naturæ diffunditur & nihil aliud est quam immutare materiam generationis, & hoc est secundum qualitatem & substantiam prout sulphuris dispositio generandi exhibet, veluti fumosos vapores ipsius, ingrossare humectando, & argentum vivum desiccare congelando & materiam mediam quæ propinqua est naturæ sulphuris, retinendo. Hanc partem generativæ maturativam hic appellare volumus cujus duæ sunt differentiæ, una est principium passionis in substantia cujus ratione multa & diversa proceduut instrumenta à materia, ut sunt colores & accidentia & similia.

Alia verò differentia activa dicitur quæ agit motum constrictionis & dilatationis in materia mercuriali in qua facit suam impulsionem & habituationem vel inspiratianem licet quandoque juvari poterit per contritionem exteriorem sicuti est cibus qui nisi per artificium comminutum fuerit & bene masticatus, materiam sui corporis valde defraudat & ideo ex prima institutione naturæ habetur, quod cibus prius perfectè comminuatur dentibus ad hoc destinatis antequam ad locum digestionis transmittatur. Et ideo quia constrictio exercetur & dilatatur animali virtute, licet Antiqui impropriè eam illi assimilaverint.

De secundo Opere generativæ informante.

Aliud quidem, opus est generativæ informare virtute informanti & ista est duplex, quia una est intrinseca & naturaliter est in materia innata per naturam per quam immediata materia metalli transmutatur. Alia est extrinseca & ista dependet ab artifice in quantum materiam præparat & disponit per artificium naturæ secundum exigentiam virtutis informativæ quæ est in materia, propter quod dicimus quod Alchymista non est nisi simplex administuator naturæ quia ipse non transmutat metallum, sed natura quæ sagax est & sapiens artificium peragit. Sufficit igitur artifici sapienter disponere & informare materiam intrinsecus ad sui perfectionem. Motus siquidem sui ipsius adhærentes sibi viæ uni, & ordini uni meliori & certiori modo quæ excogitare poterit, sicuti patet in inceratione cujuslibet generati. Propter quod patet quod præparamentum esse debet in magisterio philosophorum lentum & tardum ut natura motus præterire non posset & similiter. Præparamentum ratione informationis qua materia per artificem recipit ab extra ut interius natura motus ejus integret quemadmodum conveniens est ut virtus caloris excitantis, virtutem caloris naturalis excitati non excedat, alioqui motus non integrabit: sed ad alia transient quæ non sunt de virtute hujus naturæ aut informationis, cujus notitiam superius per signa dedimus demonstrativa. Qui autem principia hujus artis ignorat, informationem materiæ necessariò habet ignorare, quare experimentatorem hujus artis ad plenum oportet cognoscere vires naturæ & illis mediantibus firmiter adhærere principiis jam dictis, maximè cùm sufficiens sit natura tibi & sibi, in omnibus quibus ad sui perfectionem indiget. Quia ipsa sagax est sollicita in contritione, continuatione & inceratione sui corporis, cujus sollicitudinis non est finis. Unde certum habet tempus ad imprægnandum, ad pariendum, ad nutriendum & operandum. Cùm terram habueris imprægnantem expecta partum; cùm verò terra peperit nutri eam donec omnem ignem tolerare possit, tunc de ipso projectionem facere poteris.

Quid sit informare & quot sint informationis Opera.

Ex his potest sensus rationabiliter cognoscere, quod opus informare nihil aliud est quam debitam & naturalem formam sulphuri vel lapidi & postea Elixiri & medicinæ tribuere; cujus virtutis informativæ in genere tot sunt opera quot sunt ea quæ ad formationem sulphuris vel lapidis possunt esse necessaria & sunt sex in sensu visus, sc. in quantum dependent à virtute formativa quæ est in materia seu in sensu visus, scilicet figura quæ sub diversis coloribus ostenditur antequam ad perfectionem perveniat, meatus vel spongiositas, gracilitas, levitas, asperitas & levitas: Sed in gustu sunt duo scilicet amaritudo & dulcedo. In odore duo aut tria sunt, foeditas, insipiditas vel quasi fragrantiæ vel redolentiæ magnæ. Sed hæc quidem in Elixire, Illa verò in lapide nostro. Necesse igitur est, licet eliciatur lapis à natura duorum luminarium, antequam de eo Elixir fiat perfectum, ulterius digeratur & sulphuris salsedines auferantur, quæ à menstruali sexu, primæ originis in eo convenerunt & postea fermentis suis complete albis vel rubeis decoquatur, quoque fixum sit & liquefactum admini tratione incerationis naturalis: sed opera informationis extrinsecas, quæ immediatè procedunt à notitia practicæ, sunt tot quot jam diximus & dicturi sumus licet exercitatus possit illa si intelligens est valde abbreviare vel etiam elongare. Et nos de illa prima nigredine à paucis cognita benignum spiritum aggregare affectantes pugnam ignis vincentem, licet sensibus multoties palpavimus & oculis propriis vidimus, extractionis tamen ipsius notitiam non habentes quacunque arte, sentientes nos adhuc aliqua rusticitate suffultos, nullo modo eam plenè comprehendere valuimus, donec aliquis spiritus prophetiæ, spirans à patre luminum descendit, tanquam suos nullatenus deserens, qui nobis in summis vigilantibus tantam claritatem oculis mentis nostræ infulgit, ut illum intus & extra, remotâ figurâ gratis revelare dignatus sit, insatiabili bonitate nos reficiendo, demonstrans ut ad eam implenda disponeremus corpus ad unam naturalem decoctionem secretam, quam penitus ordine retrogrado cum pungenti lancea tota ejus natura protinus in meram nigredinem visibiliter sit dissoluta: cujus modum expresse tradidimus in præsenti volumine per excepta ut de more suscepimus antiquorum, cùm celare fuerimus coacti loca, in quibus ea posuimus. Nos sacra pandimus illis, qui Dei secreta decenter servando honorant, cùm solius Dei sit revelare ea Homo divinæ majestati subtrahere nititur, cùm talia soli Deo pertinentia vulgat. Spiritu prolationis humanæ aut literarum serie. Propterea operationem illam habere non poteris quousque spirituali prius fueris divinitatis meritis comprobatus. Tradidimus nihilominus practicam certam ex secretis illis extractam, præcepto naturæ opificis per quam facimus nostram secretam dissolutionem infra novem dies mediocriter intellectam, cùm

tion fiat tranſitus à prima ad tertiam niſi per ſecundam quæ eſt media. Quia hoc ſecretum à nemine mortali revelandum eſt, præterquam ab almo ſpiritu qui ubi vult ſpirat, inſpiretur. Poinde informativa ſulphuris vel elixiris certo linearum concurſu figuram propriam adaptat ut perforata quandoque, quandoque aſpera, & quandoque levia, tamen cum adjutorio exterioris virtutis intrinſecam informantis, quæ ab artificis ingenio neceſſe eſt provenire, præſertim cùm per illam virtutem directum motum acquirat ad formandum quæſitum virtutis informantis & naturaliter informatæ, quæ eſt materia informans, naturaliter informata in materia.

De augmentativa & de exuberatione Mercurii per reſolutionem individuorum.

Augmentativa eſt illa quæ vel ſulphuris aut lapidis per medicinæ quantitatem naturaliter perducit ad illum terminum ad quem individua pervenire poſſunt & in iſto paſſu revelatur exuberatio mercurii, & ad quid prodeſt, quæ per reſolutionem perficitur individuorum ſub conſervatione proprietatis, Qui ergo proprietates individuales ignorat, proprium regimen corporis & ejus exuberationis ignorabit, quia augmentativa proprietas cum ſuis virtutibus individuis exiſtit ſulphuris & argenti vivi, & ideo cùm individua ſulphuris per minima ſint cum individuis argenti vivi ſoluta, ſcilicet per reductionem illorum in argenteum vivum, exuberatur illud proprietatibus permixtis ſub alteratione notabili in ſpeciem & formam argenti vivi noſtri & cùm tale argentum vivum à proprietate ſui ſulphuris exuberatum, iterum per contrariam ſui operationem in lapidem reducitur, proprietas ſulphuris ingreſſa in argentum vivum ratione exuberationis & amore attractionis cum auxilio proprietatis illius quæ in ſicco ſulphuris remanſit aſſiduo ut augmentativa. Et quamdiu hæc virtus operatur in lapide ſemper deperditio amplius reſtauratur ex talis argenti vivi ſubſtantia exuberata, quæ ei eſt ut lactis ferculum in infante & magis proprium quam alimentum in animalibus & ideo ad quantitatem devenit majorem, Propter quod amplius virtus paſcitiva fuit appellata, & illud ideo quia ſicut paſtus ſatiativus ſi lactea quam ſubſtantia media ratione ſublimata ad conformitatem qualitatum ſulphuris lapidem noſtrum extendit in quibus intuens propriis oculis videre poteſt manifeſtè in ſuis enutritionibus. Alii autem appellaverunt ipſam virtutem nutritivam & hoc quamdiu lapis creſcit reſtauratione deperditi, ſed quia cibus ſibi propinatus introducitur veluti paſcens, ideo paſtatum meritò nuncupatur: Ex ſe tamen ſolummodo reparat quantum deperditum eſt in proprium ſulphur vel minus, cujus propria operatio eſt alimentum ſeu mercurium exuberatum in ſulphuris ſubſtantiam aſſimilatione perfecta tranſmutare albi vel rubei cum igneitate ſimplici non urenti, de cujus ſubſtantia aurum vel argentum ſubtus terram fuerat procreatum. Et per hunc actum aſſimilationis ſervit augmentativæ & quia hæc deperditio multam ambit latitudinem & hæc latitudo terminum continet infinitum quod eſt continens in natura creata quantitatis finitæ magnitudinis & augmenti cunctorum animalium & vegetabilium eſſet, ideo ejus augmentatio eſt indefinita, ideſt infinita ſi mundus unquam ei deficeret. Quia continuè operatur in augmentatione ſui quandiu ei durare poteſt informativa virtus exterius data per quemlibet qui fuerit alumnus in arte, verùm poſſibile eſt aurum vel argentum eorum omni perfectione ſecundum magis & minus, ſecundum quantitatem magnitudinis turris & ultra vidiſſe. Cùm natura oſtendat continuationem partium ad illam quantitatem vel majorem vel minorem, ratione uniformis proprietatis & ſubſtantiæ argenti vivi immortalis reſpicientis indeſinenter naturam metalli & formam, quare conſtet ſi perſpicaciter intueris naturæ parvam quantitatem multam amiſiſſe de ſuo cùm elongata vel ſeparata fuerit à quantitate magna cum quâ amoris conſortio poterat naturali vinculo colligare ſervatis proprietatibus & magna à majori & major à maxima, non enim vidimus hominem vel capram continuatos naturali potentia ad quantitatem vel magnitudinem turris prætereuntem à communioris magnitudinis quantitate quam individuorum natura expoſtulat, tum propter diſſimilitudinem quàm propria ſagacitate natura illius generis partibus contribuit, tum quia illa de cauſa illius ſpeciei individua quæ ex parte ſexus fœminei educuntur niſi ſemel cum maſculi ſemine miſcentur in matrice ad generationem non introducuntur, ulterius valet naturale principium aliud quam miſceri illud quod primo radicali humido exiſtit colligatum. Cauſa hujus eſt, quia materia ſpermatica mulieris pro majori parte maris & potius remanet paſſiva & in radicale humidum nequit tranſmutari: eò quod partes non ſunt ſimiles ſicuti ſunt illa quæ per totum unius ſunt eſſentiæ quemadmodum ſunt metalla in ſe.

Natura verò ultra quam perfecta ſpecies requirit per ſolam infuſionem & ſi abundat in materia diſſimilitudo propriæ ſpeciei ſequitur, ut monſtrum ſit duorum capitum vel trium & hoc ratione diſſimilitudinis partium à partibus differentium, Aut adhuc poteſt exiſtere ratio, quia hoc quod debeat aut valeat majoris quantitatis eſſe quàm proprium genus requirat, ratione ſuæ ſpeciei, quâ cogitur eſſe ſub termino certæ magnitudinis & augmenti cùm videamus manifeſtè illam ſequi formam determinatæ quantitatis ut patet per omnia naturæ generata, & ideò cùm metallorum individua ſunt unius eſſentiæ & hæc materialis eſſentia purum eſt argentum vivum hermaphroditum & naturam in ſe poſſidet uniformem. Conſtat quod pars addita parti & totum ad integram partem vice poſt vicem per minima abſque diſſimilitudine partium radicalium à partibus radicalibus quinimò ad quantitatem maximam ideſt indefinitam uniformis diſſimilitudinis congelare valeat in ſulphuris ſubſtantiam. Et hoc eſt ſulphuris illa ſubſtantia media, quâ certa & naturali proprietate tenuiſſimus ſpiritus ille retinetur, cùm ſit de natura ſua: virtute cujus amoris copulæ & infrangibili privilegio in rectam ſe fuſionem conſtituit, unde & ſuper primo paſſu ſi hujus radicalitatis obmutuit Paganus dicere in ſumma ſua Hebraica quo exercitato & maximè experto in adminiſtratione minima pars ſecum ſufficit, licet cauſam diverſitatis inter hanc proprietatem & cæterorum generatorum proprie ignoravit explicare, quapropter hanc habuiſſe ſcientiam per cauſæ notitiam conſtat nullatenus, ſed per experientiam laboris & diuturnæ conſiderationis, ad mediatas cauſas ut conſtat per hoc tanquam referens per demonſtrationem ingenii ſui, ſtatim ſubjungit, quod quandò fæces fuerint minoris quantitatis, tantò majoris exuberantiæ ſublimationi mercurii neceſſe eſt eſſe. Et hoc ideo, quia ſcivit per cauſam mediatam, totâ illius ſubſtantiâ & totam radicalitatem convertendam in complemento quantitati naturæ ſecum per demonſtrationem circa quam verſatur tota experientia hujus artis & ſi tu hoc intelligis ſine fallacia poteris operare, tamen conſtat magnam quantitatem citius majorem recipere quam parvam, oppoſitum verò faciendum ad cautelam expertum & ſollicitum te eſſe oportet ut in parva quantitate fœcum parvum ſubiicias ignem ad perfectionem ſublimationis illius & cùm augmentatæ fuerint fæces ex illo majorem tunc adhibeas ignem neceſſe eſt. Ad primam

igitur

igitur formationem lapidis valde modica quantitas fæcum sufficiens erit seminali principio quod albi sunt fumi : sed ad augendum & nutriendum ipsum principium exuberare oportet humiditatem nutritivam de duobus fumis tenuissimis albis quorum unus est sensibilis ut mercurii & alius insensibilis ut vapor sulphuris in opere depurati, qui igitur amator fuerit veritatis & inquisitione propria sublimationem nostram rectè scire voluerit & uriliter, primo ad naturalium recurrat principia de gradu in gradum generalem totam hujus artis volvendo, scilicet extremorum & mediorum donec per gyrum expletæ fuerint ad plenum revoluta & insuper addiscat qualiter primò in lac exuberata substantia menstrui in vasis mammillaribus sit retenta : deinde in substantiam fœtus vehitur, & ad extremum proprii complementum solenniter in uberibus sublimatur. Sagax in arte non est qui nutriendo lapidem cum continua successione lapidis, aquam facere ad partem ignorat, unde exuberationem mercurii tempore formationis illius cum ram exuberata substantia conficere debeat. Si hæc intelligis, evidenter tibi patet multiplicationis complementum, Fac ergo ex substantia illius, informatione superius data, attenta ascendere fumum & erit in vapore sublimatus. Hanc sublimationem vocamus exuberationem ratione bonæ mixtionis & subtilis quam partes mixtæ suscipiunt in præsenti eorum decoctione : sed complementum earum partium exuberatarum sublimatio est, cùm in sulphuris substantiam à substantia aquea fugitiva separata, sunt congelatæ quantum est expediens sulphuris acumini & opus est ne per retentionem illius in reductione fixionis totam ejus substantiam mediam in projectione fugitivam faciat.

Quatuor sunt naturales virtutes quæ tribus serviunt prædictis, scilicet Attractiva, elementativa, retentiva & expulsiva.

Virtutes naturales quæ prædictis tribus serviunt & ministrant sunt quatuor, videlicet attractiva per quam substantia lapidis de mercurio attrahit id quo in artificio indiget & hoc per virtutem elementativam implere cupiens vacuum. Retentiva virtus est quæ retinet ratione vacui appetentis. Elementativa potentia & digestiva retentum transmutat ab una dispositione in aliam, ut argentum vivum in substantiam sulphuris coagulantis & postea aliud argentum vivum coagulans & hoc ratione vegetativitatis vel quasi : cujus virtus ex igne provenit occulto in fixa argenti vivi substantia. Et hic est ignis naturæ absconditæ filiis artis revelatus, Per quem ignem tantum facere poterunt in una die quantum calor solis in mineris efficit in mille annis: quia sicut glutinum vituli vel agni sua proprietate lac coagulat in caseum, ita iste ignis per absconditam virtutem naturæ, congelat mercurium per magisterium. Expulsiva est illa per quam natura expellit quod ei non convenit, In hoc passu attenti & solliciti sint hujus artis & totius medicinæ artifices, ut quæcunque facienda præparent ad beneplacitum naturæ, cùm ipsa sit sufficiens attrahere quod suæ naturæ est conveniens & alienum reijcere ut auxiliatrix principalis in fine suæ perfectionis, scire etiam te oportet in complementa correctionis erroris, quod virtutes prædictæ quantùm ad originem quam ab elementis elementatis contrahunt, dupliciter differunt. Quia quædam illarum sunt innatæ & quædam influentes. Innatæ virtutes illæ sunt quæ propriè sunt elementorum lapidis elementatorum. Dicitur autem innata virtus uniuscujusque elementi pro tanto quia non inhæret illi ex influentia alterius elementi ut post illorum divisionem per effectum patet in quo ostenditur propriam virtutem minimè non adhærere nisi ex propriis & intrinsecis generationi sui principiis. Influentes autem dicuntur virtutes quæ ab aliquo alio elemento elementato vel à pluribus eorum derivantur, Ex quo clarè tibi patêre poterit quod unumquodque elementum elementatum, lapidis innata virtute tantùm regitur vel virtute innata & influente simul sicut in reductionibus conjunctionum tam alteratorum mixtibilium propriè, demonstratur autem sufficere artistæ hujus magisterii, nec oberit auferre aliud quod illa elementa elementata solùm ab innatis reguntur virtutibus, quæ à principiis descenderunt sensibilibus, ad quorum meatus nondum venerunt, sed ab innatis & influentibus reguntur virtutibus quæ aliquo meatu sensibili emanationes recipiunt ab illis.

Quibus instrumentis prædictæ virtutes operationes suas perficiant.

Necessariò scire habet artifex in magisterio & cognoscere quibus instrumentis præfatæ virtutes operationes suas perficiant in elementis elementatis, adhoc ut peccata operationum rectè corrigere valeat & etiam perfectiones conservare. Illa ergo instrumenta quibus innatæ virtutes operationes suas producunt & in elementis elementatis perficiunt sunt compositio & complexio : unde omnis vis & virtus localem motum exercens per se utitur compositione immediatè, Et licet non insit talis virtus localem motum exercens, tamen in ea virtus est motum exercens immobilem secundum locum, & licet primò & principaliter insit ibi motus immobilis tamen est secundum locum.

Secundo modo & posterius motus inest ei quidem in attractione alimenti quia sicuti probatum est in libris de animalibus, nutrimentum movetur ad partes ejus quod nutritur, sicuti locatum movetur ad locum: sed hæc attractio cibi quantum ad locum ad quem alimentum attrahitur, est vis terræ quæ est in concavo suo aere plena, exuberatum, ad se humorem attrahens, licet forma alimenti per digestivum calorem ei dati, cibum misceat cum terra. Etiam vis terrei elementi trahit ad se alimentum & sicut locus trahit locatum sic nutrimentum ejus quod nutritur, intra ejus spongiositatem receptum ex quo de necessitate oportet, quod talis virtus utatur posterius compositione. Cæteræ virtutes utuntur immediate complexione, & etiam prædicta quæ non exercet motum secundum locum & hoc in quatuor naturalibus certius artifex experitur, Naturalis verò compositio terræ lapidis quia particeps est caliditatis quantùm sibi sufficit, attrahere potest. Quia verò particeps siccitatis quantum sufficit potest retinere. Quia verò humiditatis expellere, quia caliditatis & humiditatis digerere & sic fit quod una qualitas, qualis est in sulphure ex diversis qualitatibus quatuor elementorum composita, sit principium unum operationum diversarum videlicet in compositione elixiris, cui quidem qualitati sive principio, calor etiam naturalis & spiritus fluentes instrumentaliter serviunt quamvis tamen etiam in lapide formato, non sit nisi una qualitas actualis vel in elixire composito vel adhuc in terra depopulata, videlicet complexio quâ omnes naturales virtutes ejus, suas operationes perficiunt, verumtamen quisque sagax artifex in hoc magistetio, quatuor esse determinatas considerare debet; non quia sic terra lapidis vel ipse lapis aut medicina realiter informetur, scilicet determinatè cùm una qualitas instrumentalis in terra vel sulphure vel elixire ex diversis insimul mixtis componi sit necesse ut sit proprium instrumentum cum quo perficiuntur actiones sed quia sic exigit

ſic exigit forma practicalis in opere practicandi ut ſciat artis alumnus, quod labilitas vel lapſus cujuſcunque virtutis naturalis, ſive in terra, ſive in lapide, ſive in elixire, qualitatibus determinatè alterantibus proprijs rectè corrigitur. Ita quando juvat retentiva in actione ſua, tunc determinatè ſufficit exſiccare quantùm & quando prædictorum quodlibet indiget ſuo loco, ſed cùm retentiva confortatur per deſiccationem & exhalationem humidi, tunc expulſiva debilitatur in ſicco & cum retentione illius, confortatur in humido, & hoc per aggregationem humoris aquei ſcilicet mercurii, cujus natura ſufficienter exuberatur cum vapore corporis de quo exſiccatur. Idcircò ſi expulſiva debilitatur in corpore vel lapide, confortabis illam humectando determinatè cum aqua propria. Si verò digeſtiva in aliquo defecerit & maximè in ultimis reductionibus ſuccurrere ei confortando eam per modum quem tradidimus in tractatu de intentione Alchymicorum ſcilicet calefaciendo & humectando cum calore ſpirituali donec recuperaverit virtutem perfectè digerendi. Similiter peccante attractiva, ſufficit calefacere & moderatè deſiccare: proinde intelligens hoc magiſterium atque practicans, debet eum virtutibus lapidis operari cum eis & non lapis informati ab eis. Ad notitiam verò certitudinis menſuræ virtutum cujuſlibet prædictarum habendum, generaliter obſervare debet quiſque naturalis in magiſterio, quod velocitas atque frequentia vel etiam vehementia cujuſcunque naturalis actionis, eam qualitatem ſignificat in congelatione dominari, per quam actio illa maximè perficitur. Sicut poteſt certitudinaliter experiri per elementorum cujuſlibet actionem in aliud. Exemplum, velocitas digeſtionis velut in igne ſpirituali mediocriter viſcoſæ caliditati atteſtatur & moderatæ humiditati. Fortitudo autem attractionis caliditati & moderatæ ſiccitati, proinde privamus ejus ſubjectum humiditate propria ad menſuram attractionis, Retentio verò atteſtatur dominio ſiccitatis, Expulſio humiditatis. Ex his verò patebunt utique rationes, propter quas naturalis artifex notare debet omnes quatuor qualitates complexionales activas, quarum una eſt, quia ſunt principium activum naturalium operationum in quolibet corpore tanquam inſtrumenta virtutis. Alia verò ratio eſt quia per ſe faciunt immutationes vel alterationes in corpore quolibet: Nam ſiccitas & humiditas ita bene ſecundum naturam, corpus alterant faciendo impreſſionem in eo ſicut & reliquæ duæ, licet non ita cito aut fortiter. Conſiderare verò has ſecũdum quod ab invicem ſe habent in tranſmutationibus Philoſophicis ſolius eſt naturalis. Partus verò terræ fit per viam ſublimationis inventæ; Cùm igitur terra conceperit & biberit de aqua mercurii, quantum cognoſcere poteris per ejus volatilitatem & ſpoliationem fæcum à ſubſtantia puriſſima alba, & per jam dictas reductiones mundaveris à ſulphureitate corrumpenti non fixa, protinus ejus materiam ſublima cum fortiore igne quo poteris donec aſcendat ad modum albiſſimi pulveris vel foliorum lunæ aut talchi ſplendentis cujus major pars eſt argenti vivi quantitas quam ſulphuris corporis, & ideo ſubita ignitione ſpiritus unitus per minima corpora fæcum elevat in fuga ſulphuris: Cùm autem videris naturam terræ puriſſimam ſurſum elevatam & tanquam rem mortuam aludel ſpondilibus adhærere, tunc ſublimationem ſuper eam reitera ſine fæcibus inferius remanentibus, quoniam pars illius fixa cum fæcibus adhæreret & tunc per aliquod ingenium ab illis ſeparare non poſſet aliquis. Illud verò quod in ſuperficie aludel tam à fæcibus quam à ſua ſubſtantia media fuerit ſublimatum ad modum ſubtiliſſimi pulveris, aduſtionem cum corruptione inducit, licet pro majori parte in perforatione vaporis, tempore conceptionis vel reductionis ſcilicet in calcinationibus quod ſubtilius eſt & magis intenſum à puro vapore evolet altius fuliginoſum & à fixione retentionis ſubſtantia ſeparatur cùm non ſit de argenti vivi ſubſtantia neque de perfectione illius. Reſiduum verò quod ſublimatum eſt à fæcibus, eſt pars illa quæ ita in æqualitate conſiſtit quod ſimplicem fuſionem ſuper ignem facit ſine aduſtione aliqua tanquam onus & fundamentum totius magiſterii, eſt enim ſubtilis ſubſtantia media mercurii ex qua noſtra conficitur medicina, quæ ex argenti vivi materia ducit originem & ex illa debet creari immediatè, cui alienum noli introducere aliquid, niſi illud quod ortum ſit ex eo in propinquitate ſuæ naturæ & in iſto paſſu realiter oſtendimus doctrinæ filio quod materia de qua componimus medicinam eſt argentum vivum in natura ſua cum jam mutatum ſit in ſulphur. Nec in tota ſubſtantia ſua, cùm jam partes extremæ terræ & aquæ fuerint ſeparatæ ab illa media ſubſtantia, imò eſt lapis benedictus & ſpiritus participans duabus extremitatibus, verum tamen quamvis lapis ſi factus ſit de ſubſtantia ſua media, vocatur ſimpliciter argentum vivum quia ſuum ſulphur illuminat & ab aduſtione conſervat quod eſt ſibi proprium ſignum velut cauſa perfectionis. Fac ergo agnitionem inter clarum & limpidum ejus, quoniam illud quod immediatè aſcendit ſuper fæcibus, adhærens aſcenſione menſura, vocatur cinis à cinere extractus, vel à concavo illius ſublimatus & honoratus, quod verò remanet in parte inferiori ſcilicet in fundo Aludel, eſt inferior cinis, vituperatus, damnatus, fæx, ſcotia & nigredo obſcura quâ nullatenus indiges in magiſterio. Collige ergo caute quod in medio ſublimatum inveneris refugiat in fumum quoniam illud eſt approbatum, quæſitum, optimum, terra alba foliata, coagulans ut coagulum, cinerum cinis, lapis & mercurius, arſenicum & ſulphur album, & ſal naturæ proximum ac infans generatus & natus & alumen noſtrum & genus & prima & proxima materia metallorum & primum ſubjectum in quo ſua Elementa proptia ejuſdem ſcilicet natura naturata, humida & temperata quæ debet reduci atque figi in & cum igne ſuo per modum nutrimenti donec fluat cum ſuo fermento ſicut cera ſine fumo & omnem patiatur ignem. Operare ergo cum eo ad argentum & citò incipias magiſterium ne inveteraſcat ſine commixtione, quoniam aſſumere eum non debes niſi recenter poſt partum cum ſanguine ſuo ut natura venerabilis quæ ex labilitatis violentia fuit debilitata, laſſata & à ſuo temperamento diſtracta vel elongata, confortetur cum ſuis fermentis albis quouſque ad melius ſit temperamentum propinquum, cujus ſignum erit tunc quando fluet per minimum ignem ſcilicet ante argenti vivi fugam & inſuper augmentatum remanſerit ad ultimum ſtans & penetrans, profundans, tingens & perſeverans. Cùm autem ad elixir rubeum naturalem ignem dico viſibilem, in colore ſuo habere voluetis pro ſulphure rubeo, hoc facias per tertiam conjunctionem, tertiam prægnationem & tertium partum. Fac ergo maſculum aſcendere ſupra mulierem candidam ut generet filium ſibi ſimilem: naturaliter enim deſiderat pater multiplicare ſpeciem ſuam in filium ut naturam quam non poteſt ſervare in ſe cuſtodiat in ſua prole. Et ideo ad generationem illius, oportet quod transfundat de ſua propria ſubſtantia. Hujus verò pater eſt ſol, Luna mater ad eorum primam ſimplicem materiam redacta, Argentum quoque vivum in cujus naturam ſunt deducta & medium gignens naturam conjunctionis illorum: quia cùm argentum vivum cum argento vivo conjungitur nunquam amplius ſeparantur ſicut nec aqua mixta aquæ. Conjunge ergo ſperma maſculinum ſcilicet ſulphur rubeum abſconſum & ſolutum in aqua cum ſperma fœmineo ſuperius collecto ad modum ſulphuris albi, per modum contritionis, imbibitionis & lentæ decoctionis,

decoctionis, donec in aquam rubeam dissolvatur & totum fiat unum verissimæ mixtionis, cumque verò dissolutum fuerit & unum quidem factum, per modum reductionis congeletur, coagulatum iterum solve in aquam & iterato congela in lapidem per modum superius ostensum. Tertio verò ipsum in aquam dissolve & decoque donec totum fiat rubeum, Fili, non subtiliat qui non conjungit per minima, Nec ille qui deficcat prinsquam imbibat, nequit conjungere per minima, Imbibe ergo totum & deficca & fiat pulvis tenuissimus solutus, non in aquam nubis sed in aquam sanguinis & mercurialem. Dein administra ignem fortissimum ut separetur substantia alba non tincta & residuum deauretur, tingatur, digeratur, coquatur & rubificetur, Quod verò in similitudinem pulveris subtilissimi ascenderit sursum est sulphur sublimatum albissimũ quod autem in fundo manet, est sulphur fixum rubificatum cum igne lapidis quod prius videri non poterat, cum quo artifices faciunt Elixir ad aurum; nam illud argentum vivum convertit per artificium in verissimũ aurum & in isto passu manifestamus philosophos verum dixisse quod ignari & rustici tenent pro impossibili; & nos similiter obviati fuimus hoc absolutè non credere longis temporibus, donec in fine vidimus & manualiter probavimus scilicet quod unus est lapis, una medicina, una natura, una dispositio, unum opus, ac unum vas ad album & ad rubeum sulphur simul & semel faciendum, quanquam omnes hujus artis investigatores videntes prædictam albedinem in vase apparentem, adstare credant in illa rubedinem esse, se se occultantem. Non enim oportet te, Fili, si totum sulphur album in rubeum convertere volueris, albedinem prædictam extrahere per sublimationem à rubedine, sed solùm coque cum igne lapidis, donec totum fuerit rubeum atque fixum & nihil de eo in sulphur album valeat sublimari, quod erit signum completæ decoctionis. Caveas tamen in modo faciendi & intelligendi effectum facientis scilicet ignis rubificantis. Nam secus quod virtus ignis lapidis existens in semine solis, vincit virtutem aeris puri sulphuris albi in semine lunæ, sulphur album purum erit simile soli in rubedine & etiam in pondere, sic enim Pater generat suum filium in spermate mulieris, ita ut per filium spiret spiritum, quo tingimus tinctura inseparabili cùm amor sit utriusque adnexus qui per filium suum sulphur rubeum à patre procedit ad omne imperfectum perficiendum ut puta in solificum verum. Et ex hoc tibi revelatur, quod perfectio circularis relucet in magisterio cum complemento lapidis, quo mediante per sequentem operationem facimus elixir completum.

CAPUT LIV.

De Quarto & ultimo practicali Principio in quo determinatur de potentia secundæ reductionis aquæ quæ traditur cum intentione figendi & corporis abluendi ut totum sit fermentum.

INtentio hujus quarti & ultimi Practicalis Principii, est figere album sulphur & rubeum super corpus fixum ut scilicet album sulphur figatur super argentum & sulphur rubeum super aurum. Quoniam qui argentum vivum à corporibus extractum & in sulphur conversum, non coagulat in sulphur album fixum ignem patiens per additionem unius cum argento vivo, nullam certè viam exigit ad albedinem. Et qui ipsum argentum vivum in sulphur album mutatum non coagulat in sulphur rubeum fixum ignem patiens, pro certo nullam viam exigit ad rubedinem, Fili, cavere debes cùm fueris in conjunctione ista, quia sine fermento nunquam existit sol neque luna; Et illud ideò quia locus certus & determinatus generat locatum certum & determinatum per proprietates suas. Quamobrem revelabimus tibi, quod natura omnium complexionatorum, sive plantæ fuerint, sive animalia, sive mineralia, vergit ad naturam complexionis loci generationis ipsorum. Conjunge ergo sulphur cum corpore de quo fuit præparatum ab initio ut generet sibi simile & fiat elixir totum quod conjungis cum eo quod suæ naturæ est, alienum verò respuit igni exponens. Cùm igitur conjunxeris cum suo corpore nunquam desinet ipsum sulphur in aliud agere donec totum convertat: Nam sicut humidum per primam reductionem induratur, commiscendo vaporabiliter cum vapore terreo & præfocatur ut fiat sulphur simile terræ quæ est matrix sua vel nutrix, sic & illud sulphur per secundam reductionem illius, in propriam materiam metalli convertitur, & in naturam fermenti per proprietatem sui additamenti liberè permutatur. Primò quando volueris fermentare, misce sulphur cum corpore, ut totum sit fermentum. Quoniam fermentum redigit sulphur nostrum ad suam naturam, colorem & saporem per omnem modum. Non tamen putes hanc conjunctionem, primam fermentationem me dixisse: sed quandam in quantum reducit lapidem ad appropriamentum temperamenti cujusdam, & corpus simpliciatur ac præparatur ad modum pulveris calcinati, soluti & indurati atque fixi, ad resumendum fermentum proprium quod dicimus oleum. Sit autem fermentum ad album, album, & ad rubeum rubeum; si verò posueris vel præparaveris corpus argenti cum sulphure auri, reducetur in naturam argenti: sed non ad illius colorem & e contra ut erit turbatio naturarum in magisterio. Caveas igitur tibi ne ponas fermentum vel corpus unius sulphuris cum sulphure alterius. Quia fermentum auri, nihil nisi suum sulphur rubeum in aurum convertit, nec fermentum argenti nisi suum sulphur album in argentum. Quia illud nunquam potest figere quod naturaliter fixum non est, nec fuit. Hoc igitur erit proprium sulphuris ferculum in hoc regimine, Ipsum enim modo indiget nutriti, majori & fortioris cibo. Quapropter in sui fixione administratur ei de corpore fixo in cibum quem sua virtute potenter digerit, subtiliat & ad naturam sublimem convertit & seipsum attractione illius in fermentum naturaliter & per minima in verum temperamentum constituit, in forma pulveris sicci quod patet, quia si modicum sulphuris præiiciatur super multum corporis ita tamen ut super illud habeat potentiam, converter ipsum citò in pulverem cujus color erit sicut color corporis super quod projicitur spiritus. Fili, non est autem hoc corpus fermentum licet fuerit argenti putissimi substantia, sed est in genere participans cum ea, quia exivit ex eo & iterum per minima, servata sui medii naturâ reducetur in illud, Animæ enim sunt fermenta, olea, unguenta, Aurum & argentum nostrum, Appropria igitur corpus fermenti, ante fermentationem scilicet antequam animæ conjungantur cum eo, quia certum est quod anima non conjungitur nisi in spiritu, nec spiritus cum corpore nisi prius fuerit & simplex ad modum spiritus unde versus.

Hæc res est actu dum fit pulvis sinè tactu.
Simplex, corrosus, subtilis, erit pretiosus.

Et illud ideo quia cùm sit subtile ut spiritus, amplectitur spiritum & retinet animam, Ergo fiat de corpore pulvis calcinatus, solutus, induratus, dealbatus & illuminatus, ut sit spiritus cum quo anima præcipuè cõjungetur. Nisi enim corpus perfectè simplicietur per ablutionem & illuminetur, non poterit spiritum fermentalem retinere quin in fugam constituat se: nam

ſimplicia groſſis nunquam bene conveniunt. In quantum ergo corpus tuum alleviasipſum ſublimando cum mixtione ſublimati ſpiritus, erit fixioris retentionis animarum & tardioris fugæ: nec minus toties lucraberis in projectione centum partes ut ſi primò convertit centum, ſecundo convertit mille, tertio decem millia, quarto centum millia & ſic perſequendo multiplicationem per millia infinita. Quia quantò magis hujus operis reiteratione regimen aſſiduatur ſuper medicinam, tantò melius digeritur, unitur & figitur & perfectius operatur. Perſevera ergo, Fili, & videbis mirabilia qualia Deus poſuit ſua bonitate in natura. Si quis diſcendi horum gratia, aliquo fortunio adſtans in opere fuerit ſagax & providens quamplurima, imo multa & maxima videndo dupliciter poterit adipiſci. Multa enim ſigna poſſunt videri in opere qualia providens ſecreta debet in mente ſua retinere & recondere & aſſiduè cauſas eorum propriè inveſtigare, ſi veritatis amator cupit exiſtere & verus effugator mundanarum fallaciarum & inſuper redarguens quotidiana opera ſophiſtarum, Per ea quæ videbit clarâ notitiâ in magiſterio. Si verò ſtultus adfuerit à ſapientia refugiens nihil cernere poterit cæca mente & ſpiritu obnubilato, nec de ferculo exuberantiſſimæ refectionis guſtare nec quidem odorare valebit. Cùm per illud pateat Tributorem omnium bonorum præſens donum noluiſſe largiri.

CAPUT LV.

De modo præparationis ſecundi ferculi vel fermenti cum ſulphure & congelatione mercurii & illuminatione vel ablutione ac fixatione totius compoſiti per reductionem illius in calcem.

FIli, nos appellamus corpus lunare ad album, ſicut eſt creatum à natura, propriè fermentum, ratione ſuæ naturæ temperatæ & vocamus ſulphur noſtrum, venenum peſtiferum, ratione labilitatis ſuæ & elongationis à temperamento, propter quod omnia corrodit & comedit cum cauda ſua propria quæ eſt aqua, cum ergo volumus ipſum reducere ad temperamentum, conjungimus eum cum corpore temperato ut per confortationem illius, deducatur ad temperamentum & quod corpus adminiſtret ſibi de ſuo temperamento, ut totum fiat fermentum: Nam ſulphur multum elongatum eſt ſeu diſtractum à temperamento ratione ignis participantis cum illo qui eſt contra naturam & ideo ignorantes indigentiam naturæ putaverunt hoc fermentum præparari debere cum novo menſtruo in quo eſt ignis contra naturam, non videntes perditionem temperamenti à quo corpus recedit per ignem urentem, qui eſt contra naturam, nec præmeditantes virtutes & potentias ignis naturalis exiſtentis in ſulphure jam creato ſine ignitione adurente quâ corpus fermenti promptius ſub conſervatione naturæ temperatæ tranſmutatur modica reincrudatione in calcem ſicut ſpiritus, ut ſit proprium & appropriatum ad reſumendum ſuam naturam fermentalem ſcilicet animam & ultra quam nunc perdidit in præſenti calce, ac per talis attractionis temperamentum, totum in naturam fermenti convertatur. Fili, corpus fermenti modicum reincrudatur per ſulphur noſtrum ſcilicet in quantùm adhuc ſe ſentit de igne non naturali & decoquitur argentum vivum in quantum eſt magis participans cum igne naturali & mortificat ipſum coagulando, & in ſuæ rectitudinis naturam convertit. Non tamen reincrudatur fermentum tantum, quantum ſi foret conjunctum (quod abſit) cum igne qui eſt contra naturam, cùm calor naturalis potius operetur in ipſo ſe ipſum confortando, quàm innaturalis. Si verò fermentum præparetur cum tali menſtruo novo, ſcilicet, ſimile illi cum quo corpus primum fuit ab initio conjunctum pro ſulphure creando: tunc oporteret ipſum tranſire per tantam reincrudationem per quantum & lapis & per conſequens per tantas depurationes & digeſtiones. Et inſuper oportet ipſum tantum amittere de natura ſua confortanti per labilitatem ſui à vero temperamento, ratione principii ſcilicet novi menſtrui remoti ab omni temperamento, nec unquam approximanti ad illud in toto vel in parte, niſi hoc fuerit per naturam remiſſiſſimo modo ut patet per ſuam venenoſitatem, & qualitatem non confractam ſimplicis Elementi ignis adurentis & potentis virtutes temperatas niſi paulativè confortetur per confracta menſtrua ut patet in ſulphure noſtro & ſic ſi fermentum tantùm amiſiſſet de natura ſua ſicut & lapis, non poſſet eundem confortare, quinimo ipſummet indigeret tali confortatione ſicut & ſulphur, ratione ſimilis labilitatis à temperamento. Et ſic non eſſet fermentum nomine aut virtute, cùm non aſſumpſerit fermentum præparatorium, nec per conſequens debilitatum valeret confortare, nec facere quod expedit proprietati boni fermenti cùm non ſit præparatum rebus appropriatis quibus debet præparari appropriatè. Fili adverte in hac lectione regali, quoniam res cum quibus teneris fermentum præparare ſcientificè ſunt illæ quæ tam in parte deductæ quam deducendæ ad viam temperamenti & tenent de natura temperata in radice ſuæ naturæ ut ſulphur noſtrum & argentum vivum noſtrum jam per artificium creata. Illa quidem ſunt principia materialia appropriata & propria præparatoria noſtri regalis fermenti & conjunctoria ut ipſum fermentum reducant eò per confortationem ſcilicet exuberantiſſimam refectionem ad temperamentum & naturam ſui. Attende tu veritatis amator & comprehenſibilis ad ea quæ dixi quibus evidenter cognoſcere potes, quod fermentum ſcilicet corpus in quantùm intelligitur pro fermento nunquam præparatur niſi cum igne naturali & aqua mercurii cocti & ſublimati ut ipſe ignis digerendo materiam metalli juxta vires & propoſitum ſuæ naturæ, deducatur ad temperamentum perfectum & hoc per humidum ſibi connaturale quod fermento radicalius ineſt, Item & in præparatione fermenti ante ultimam ſui fermentationem apponimus Mercurium vulgi non tamen ſolenni præparatione præparatum ſcilicet in lac virgineum, ſed prout exiſtit in natura ſua per ſolam qualem poſtea dicemus ſublimationem ad hoc ut reducat corpus fermenti in ſimplicitatem & ſit medium conjungendi tincturas Inter ſulphur & fermentum cùm ſit radix & fermentum omnium liquabilium quæ non liquantur niſi per ipſum & ideo à natura illius liquabilia fugere nequeunt & hoc cùm ſit congelatum atque fixum in calcem, ſubmergatur in oleo ſuo, quod in jam dicta ſui fixione poſt aquæ ſublimationem recipiendum eſt, cum intentione reſtituendi ſibi quouſque fluat & ſit fixum, propter hoc enim amalgamari debet corpus fermenti cum ſpiritu ideſt argentum vivum ut ſubtilietur donec fiat unum corpus molliſſimum ad inſtar argenti vivi non currentis velut paſta metallina in effigie. Hoc enim erit ſecundum Ferculum cum quo habet nutriti ſulphur donec valeat tolerare omnem ignem idcirco ad hoc faciendum per jam dictam intentionem, incipe noſtrum fermentationis magiſterium & compoſitionem elixiris cum ſulphure & argento vivo noſtro, ita ut tria pondera lunæ puræ in foliis tenuiſſimis aut limatæ ſumantur, & cum duplo ſui ponderis de mercurio albo vulgari præparato uniformiter miſceatur, totum terendo inſimul in mortario vitreo cujus piſtillum ſit etiam vitreum, fortiter quoque mercurius totum combiberit

argentum

argentum ita quod nullo sentiatur, sed fiat amalgama. Post cum aceto distillato & sale communi præparato & trito fortiter abluatur, fricando sine timore cum jam dicto pistillo donec videris acetum exire clarum & purum & semper auferatur quod ex eo ad partem separetur de nigredine in lavatione. Cùm autem acetum clarum exierit, ablue compositum separando salem cum aqua dulci per alembicum distillata & illud ad ignem desicca.

CAP. LVI.

De Conjunctione Sulphuris cum fermento.

POstmodum vero conjunge illi unum pondus supradicti sulphuris congelati & sublimati ad album, scilicet, quartam partem totius compositi & tere simul totum in mortario vitreo ut sulphur misceatur cum composito & fiat quasi corpus unum in effigie. Hoc enim est quod facit visibiliter animas à corporibus resolvere.

CAP. LVII.

De Reductione Aquæ supra Compositum.

ILlud ergo imbibe per minima cum Aqua sua alba in vase philosophiæ ut in corpus virtutes sulphuris confortentur: nam in paucis horis fiet totum pasta.

CAP. LVIII.

De Prima Sublimatione hujus Massæ.

DEinde mitte totum ad sublimandum in principio subtus faciendo ignem lentum donec receperis aquam, postea aërem. Quoniam quæ sublevantur & evolant aquæ & aëris per rationem sibi nomina appropriant. Et quod gravius & stabilius ad ima residet per ipsius ponderositatem sibi nomen tertæ usurpatur quæ cum fermento sublimantur. Vigora igitur ignem paulatim de carbonibus, donec sublimetur quidquid ex ipso fuerit volativum & permitte infrigidari.

CAP. LIX.

De Secunda Inceratione.

CUm autem fuerit infrigidatum, extrahe opus & quod ad latera vasis superius elevatum videris, cum alia parte aquæ suæ repones super fæces suas cum contritione, imbitione, & assatione, quousque fiat ut pasta & remitte ad sublimandum. Primò recipiens aquam & postea oleum in sublimatione forti. Has autem aquas pone ad partem & oleo similiter per se.

CAPUT LX.

De Tertia Inceratione rei inceranda cum Aqua predicta.

POstmodum verò iterato quod sublimatum fuerit cum altera parte suæ aquæ, reduc super fæces terendo ut dixi, imbibendo & assando quousque sit sicut pasta & corpus cum spiritibus sit commixtum & iterum mitte ad sublimandum ut supra dictum est, recipiendo aquam & oleum. Hoc autem reitera quousque de aqua ad duplum sulphuris fuerit perfectè rotata.

CAP. LXI.

De Quarta Inceratione per viam reductionis, congelationis & sublimationis.

ADhuc verò sumatur quod sublimatum est ad latera sublimatorii & cum una parte aquæ suæ, quæ exinde extitit distillata conjunge cum fæcibus & hoc per modum reductionis donec aqua congelctur. Deinde evigora ignem paulatim donec bene desiccetur & postea super levetur ex illo quidquid fuerit volatile. Ordinem hujus capituli re reiterare non tædeat, conterendo, imbibendo, assando, & sublimando ac semper ignem vigorando, donec ad sulphuris duplum cum terra figatur de aqua jam rotata cum viscositate fermenti, & nihil penitus sublimetur ab ipsa terra, & semper repone quod superius ascendit, super id quod inferius remanet fixum, quousque per talem præcipitationis modum figatur deorsum, verùm nullum sulphur promptius argentum vivum congelat, quàm suum proprium in cujus substantia ipsummet argentum vivum extitit, tam natura quàm artis ingenio jam conversum, & ideò cùm sit fixum idest habeat naturam fixandi & coagulans coagulum quod naturaliter coagulat suum Mercurium. Et hoc per frequentem reiterationem sublimationis super ipsum quousque sit fixum & in terream substantiam jam mutatum. Tunc enim est aptum ut per successivam illius iterata vice sublimationem, fusionem Metallicam præbeat, velut consequenter dicemus. Nam pro certo maxima & firma unio fit inter siccum & humidum, per istas tales operationes quæ ferè similes sunt illis quas natura in opere mixtionis suæ facit, ut postea humiditas non valeat relinquere terram suam, imò eam protegat & ab adustione defendat, quia est de natura sua, & cum hoc bene mixta, ita quod minimum terrei sulphurati est cum hoc minimo aquei argenti vivi & e contra & plurimum unius cum plurimo alterius. Sic quod neutrum à suis partibus homogeneis in posterum separatur, nec ullius permittat se corrumpi cùm per ingressionem furiosæ flammæ se in fumum ulterius non patiatur elevari propter partes densas per ignem inspissatas compositionis fortissimæ & uniformis naturæ ac adustionis carentiam: Et hoc totum per sulphureitatem quam habet non corrumpentem, perficitur.

Argentum ergo vivum in regimine fixionis cùm primò per ignem incipit converti, ad speciem efficitur glanduloſum, ratione sulphuris penetrantis ubique suam substantiam: & postea incipit cruſtati paulatim & inspissari & deinde converti sulphuris virtute digerentis ipsum, taliter quod non sinit eum in toto diffluere: sed quasi per globulos constare, eò quod jam in eo vapor sulphuris deputati apprehendit subtile & tanquam glutiendo ligatum tenet humidum & terminat ipsum in tantùm quod non permittit eum adhærere alii quam sibi, cùm sit de natura sua. Et ideo cùm humidum sit ubique extra se ipsum constrictum & terminatum, & illud humidum suum proprium siccum terreum, constringens eum ut sulphureum in ventre suo, necesse est illud per calorem fluere & fluxum currere in plana superficie, donec frigido cogente redire humorem ad interiora congelatur constanti terreo prædicto. Ex qui-

bus patet non esse nisi unum lapidem qui argentum vivum necessariò congelat.

CAPUT LXII.

De Vltima Fermentatione Lapidis cum nostro fermento quæ fit per tertiam reductionem Artis, superius rotati.

FIli, hoc fermentum est ultimum lapidis confortamentum & cibus regalis in quo sunt virtutes cœlestes & elementales, quibus confortantur illæ quæ in vasis naturæ artificialiter præparatæ existunt vel remanserunt in sui radicabilitate: nam cùm virtutes sulphuris & argenti vivi subtilibus circulationum ingeniis confectorum quæ insunt eorum medicinæ radicabiliter elementales & cœlestes confortantur per illas scilicet virtutes quæ in præsenti regali ferculo in actu spiritualium elementorum existunt, ut res quinta: & hoc ad proportionem mixtionis Metalli superius positi in fixionis principio & etiam lapidis, per quem argentum vivum intenditur notabiliter effici. Tunc pro certo videbis naturam illius mirabiliter operari cum omnibus suis instrumentis, scilicet quando virtutes supradictæ in unum, per artis ingenium fuerint circulatione ultima conjunctæ.

CAPUT LXIII.

De Circulatione ultima: Cur fuit inventa.

CIrculatio ista fuit inventa post alios circulos circulatos ut lapis noster in quo cæteri circuli sunt rotati frigidi elementaliter: qui ingressionem propterea non habet in corpore ex privatione suæ naturæ liquefacientis ipsum, ad alterationem cum incoratione facienda in radice naturæ lapidis fusibilis, mollificetur cum humiditate jam dicta quæ super omnes humiditates est expectans ignem quousque fluat & ingressionem habeat. Fili, antequam hoc volueris attentare oportet te primò de necessitate rectè & formaliter intelligere quales circulos & quomodo elementa ac qualia & quando debeant per instinctum naturæ eosdem circulariter circulare & quantis modis & quot circuli generaliter existunt. Ultimum tamen ad satisfaciendum responsioni ultimæ quæstionis per modum informationis scilicet documentalis artifici traditæ. Dicimus quod licet plures circuli extiterint, quatuor videlicet in minori numero comparatione plurium ad duos tantùm habendo respectum ad siccum & humidum quæ postea reducuntur universaliter in unum.

Ex quo eleganter dixerunt Philosophi quod opus magnum non est nisi solutio & congelatio: sed ista fiunt per viam circulorum, ignorantiâ quorum plures magnates in literatura fuerunt decepti in magisterio credentes notabiliter cum confidentia eorum scientiæ formam intelligere dictorum & circulandi modum, ex quibus nos fore unum lethaliter vulneratum non celare intendimus. Cùm sola præsumptione & temeritate scientiæ alterius naturam firmiter intelligere credebamus idem ullo modo nec intellexeramus donec tempus adfuit in quo spiritus non immediatè sed mediatè per M. Arnoldum de Villa-Nova qui immediatè sua largitate immensa reficienter inspiravit in nobis, etenim multifariè multisque modis, rotarum circulationibus, circulavimus, resumendo vegetativum exemplar, cujus opus nusquam absolutè patuit minerale donec propriis gubernatoribus noviter pullulavit quibus natura vera constringitur sub conservatione ac successiva confortatione virtutum illius in magisterio. Circa quod loqui nunc adstrictus vinculis tibi non audeo cum lingua propria ut solebam favorabiliter in hoc passu quanquam revelandi licentiam acceptaverimus, dono constrictus solito videlicet alienæ linguæ, & ideo quia natura generalis, naturæ particularis admixtos possidet circulos & diversos multifariè idest diversimodè occultantes ambitibus ad indefinitas virtutum probationes ostendendas, expedit cunctis inquisitoribus veritatis & incumbit maximè practicantibus tam prudenter illos circulos exquisitè cognoscere, ne de ignotis incautè considerantes per ipsos sicut & nos lethaliter vulnerentur. Ad quorum cognitionem uti recolui arte demonstrativa & infallibili ut per certitudinem cognoscantur qui & quales sunt tantummodo in cursu naturæ Mineralis circumactæ generali prædicta, ne vagans animus per opinionum nebulas, incidat in errorem aut pereat in conflictu: Nam semper in agilibus cognitio sterilis reperitur tunc quando non sequitur rectum opus. Quapropter nos ad tantum ulterius recoluisse meminimus extendere veram artem sub totius secreti comprehensione quod tibi præstabimus mutuò tantùm in fine nostri compendii sub restitutione coram judice generali quo mox ad Practicæ assiduationem cogimur & ob hoc cupimus excitari.

CAPUT LXIV.

De modo Fermentationis rerum cerendarum per viam Confortamenti & naturæ Spiritus.

DIcimus ergò quod modus Cerationis est ut toties super lapidem reiteretur partis humidæ reservatæ sublimatio, donec in ipsam cum humiditate proprie scilicet radicaliter manente atque fixa quæ nunquam deseruit suum corpus mixtione circulata fusionem rectam præstet. Nec putes hanc humiditatem esse primam, sicut erat cum tota sui substantia crassa, spissa, indigesta ut oleum vel adeps, quoniam faceret lapidem combustibilem. Nec ita parum fore secundam, quia phlegmatica est, nec generat vel augere potest quantum est de natura sui nisi solum humectat lapidis partes illas vaporabiliter in suis digestionibus deferendo, ne & substantiam mediam in toto faciat fugitivam. Cùm de sui proprietate non sit sustinere ignitionem neque fusionem quin contingat ex toto recedere cum tota substantia supradicta: sed tertiam radicalem fere proposito conferendam à primæ tamen visceribus eradicatam & extractam cum magisterio. Et hæc est illa secunda unctuositas quæ erat intrinseca, multùm subtilis, non cremabilis, continens admixtum scilicet subtile terreum, deductum ad actum igneum vel aëreum fortiter digestum, quod retinetur in radicibus rei taliter quod amplius per ignem nullo modo potest evelli seu in flammam defici. Quinimo ignem mirabiliter patitur & non crematur. Ideo si mixta fuerit toti substantiæ lapidis ipsius, ignem superabit nec unquam superabitur ab eo, nisi per iteratam destructionem suæ substantiæ cum natura sua, ex quo tibi præcipitur quod cum ista humiditate permanente, quæ similiter ex argento vivo sumpsit originem, lapidem nostrum imbibas quoniam per illam partes ejus constant clarissimæ ut patet quando potest illius perfectam mundationem ab omni re corrumpente & maximè ab humoribus duobus superfluis, pinguinoso, adustibili & phlegmatico evaporabili redigitur in propriam sulphuris substantiam non urentur & sine illa nunquam emendatur, nutritur, augetur, nec multiplicatur.

CAPUT

CAPUT LXV.

De modo Practicandi & indulcorandi Lapidem cum humiditate Nota.

IN modo enim faciendi Lapidis hujus indulcorationem est ordo Tripartibus & etiam Bipartibus. Quia aut per reiterationem solutionum, coagulationum aut sublimationum, vel ex utroque fixio & recta fusio, perficitur. Ille verò qui regimen solutionum efficietur sine ignitione ad instar naturæ, rectè dirigitur sine vasis periculo fractionis. Qui autem per sublimationis regimen intenditur gubernari, tunc prudentia artificis nusquam debet omittere periculum protestari. Quamobrem ratione modi præcipitationis, citius figitur, sed tardius funditur, in cujus complementum recurrendo ad primum ordinem, regimen tertium ex utroque mixtum, cum ignitione & sine ignitione sagaciter est inventum. Idcircò tumatur Lapis & terendo illum imbibe in suo vase, imbibitione per minima & id per vices factas etiam ad modum RORIS cum una & dimidia parte sui. Postea decoque cum igne levi donec pars illa fuerit in lapidis substantiam congelata. Postmodum vigora ignem de carbonibus paulatim ac paulatim, donec sublimetur ex eo quidquid resolutum fuerit tam de aqua sulphuris sicca, quàm argenti vivi humida.

CAPUT LXVI.

De Secunda Roratione ad Indulcorandum seu Mollificandum.

TUnc iterum quod sublimatum extiterit, reduc super fæces suas, terendo & imbibendo cum dicto spiritu qui magis in humiditate exuberanter abundat & hoc iterata imbibitione rorida, decoctione, sublimatione cum ignibus suis successivis & diligenter continuatis, si cum moderamine notæ ignitioni quam natura exigit, & hoc per hoc, quod in sequenti capite dicitur. Fortè donec per continuam sublimationum reiterationem spirituum non flammabilium super illas & continuum motum, totum figatur deorsum.

CAPUT LXVII.

De Vltimis Digestionibus optetìcis.

CUm autem fixum fuerit secundum proportionem ignis sibi appropriati cum moderatione, tunc sub eo ignem facias fortem, bene continuatum per diem naturalem, secundo verò die naturali fortiorem, sed & tertio die fortissimum prout est ignis quasi fusionis. Per primum verò continuatur materia & spiritus domatur ac partes illius diriguntur & ab humido primæ originis emendantur. Nec minus quoque per siccum diffunditur & eorum malitia configitur ac crudum decoquitur ut ignem fortiorem scilicet secundum, valeat tolerare per quem aër manifestabitur actu in materia fluente: sed per tertium recipit medicina potentiam ad actum quem agere debet: nam oportet materiam Mátalli à suo phlegmate fortiter depurare & crudum coquere per ignem opticum. Non quod intelligas secundum naturam animalium corporum seu plantarum cùm sint humidioris naturæ quam materia Metallorum ut patet ex hoc quod natura Mineralium quamplurimum sicca reperitur ratione cujus est de sui proprietate tolerare ignem propter quod debes intelligere hoc fieri in arte secundum rationem subjectorum quemadmodum natura exterius manifestat, digeratur ergo medicina ut humidum terminetur in ea & sit fixum ut stet, ne separetur à Metallo dum ingressum in eo fuerit cum alteratione. Verùm oportet sicut dictum est, ut radicalis humor imbibatur à suismet partibus rei, ex quibus majores virtutes ut puta confortativæ, tam elementales quàm cœlestes essentialiter & corporaliter rerum constant, cujus exempli gratia certificamus nos vidisse argentum vivum fixum ac fluens in veram fusionem Metallicam & fecisse cum magisterio sine additione ulla rei extraneæ: sic igitur talis decoctio optetica, optimam facit commixtionem in medicina nostrâ sicut evidenter apparet in elixationibus ejus. Quia cùm aër prosequatur aquam, tunc avis fuga detentæ immediatè perit.

CAPUT LXVIII.

De Vltimo Confortamento post fixionem perfectam.

HOc autem confortamentum per modum ultimæ inerationis supplemus medicinæ quandoque & quandoque non. Cujus causa est quia cum ignis optetícus sibi ad ultimum suæ fixionis præbeatur aut est in gradu fixo cum tota sui humiditate nec aliquid de illo possit amittere, quin insit ibi juxta pondus dictum, hinc nulla recta fusione anticipabitur per aliquid diminutum nec per consequens est ultima inceratione inceranda: si verò ad conformitatem vel æqualitatem fixionis dictæ juxta mensuram ignis optetici nondum advenire contigerit: aut hoc erit ratione malæ informationis ignis, quæ nimia festinatione necesse est evenire, aut macritudine spiritus in quo phlegma dominatur, superat virtutes humidi radicalis, propter defectum exuberationis. Per primam verò natura eradicata suos spiritus resumere requivit in confortando seipsam, quia festinata motus retentionis gradatim proprios complere non potuit, & ideo spiritus thesaurisantes de necessitate fugere decuit defectu retentivæ alienis motibus occupatæ, videlicet in conservando illos quos assumpserat contra ignem præliando, cùm de more naturæ fuerit conservare in specie individua sua. Per secundam verò nec potuit natura superfluum in sui alimentum convertere quod nunquam fuit de natura sua. Et ideò cùm loco spiritus velut verus cibus, credat humidum phlegmaticum assumere, ratione minimi saporis illius scilicet spiritus quem in se continet, non tamen in radice naturæ suæ ipsum potest amicabiliter colligere qui superfluum recedere habet per ignem optetícum, & quod est deterius, cum majori parte substantiæ mediæ, cadit & deficit nisi adhibeatur ignis administrationalis quæ augmentando ei secundum exigentiam sui tolerabilitatis, ex illo superfluam humiditatem tollat, cum conservatione illius in igne proprio. Cùm verò contigerit defici porosam reddet medicinam durissimæ fusionis, cujus causa est defectus humiditatis naturalis quam radicitus natura appetit colligare, ad sua individua protegenda contra ignis pugnam. Et ideo fuit inventus succursus supplendo & corrigendo errores prædictos per ultimum confortamentum ut quod de non fixo recedit igne optetico per incerationem infra scriptam naturaliter restauretur, donec fluat virtute non fixi quod fixum est & ingressum habet in complementum suæ naturæ.

CAPUT LXIX.

De modo faciendi Vltimam Incerationem.

SUmatur ergo de lamina crystallina, quam in fundo vasis fixam reperies, quantùm volueris & illam in crucibulo tenui super levem ignem inceratione ultima

cera

cera cum aëre ſuo albo prædicto ſtillando ſuper ipſam guttatim cera ſine fumo. Tunc de illa aliquid ſume & ſuper laminam ignitam pone. Si verò conſpexeris eam velociſſimè reſolvi quaſi cera, tunc ſatis eſt cerata in radice naturæ ſuæ. Si autem adhuc non videris certiſſimæ liquefactionis ſignum reitera ſuper cerationem dictam donec fundatur ſicut cera ſine fumo. Deiu fac projectionem per illum modum quem medicina requirit, à nobis in noſtro Teſtamento explicatum. Quoniam elixir eſt completum & pretium inappretiabile, theſaurus incomparabilis convertens omne in infinitum luxificum verum.

CAPUT LXX.

De Compoſitione Elixiris rubei ad rubeum per traditionem generalis doctrinæ.

CUm ergo volueris facere Elixir ad rubeum, doctrinam faciendi Elixir ad album reſumes in exemplum. Nam hic modum faciendi repetere non oportet niſi ſolùm pro quolibet elemento albo, elementum apponas rubeum. Quoniam in elixire ad rubeum apponitur ignis ulterius qui totum rubificat, & eſt ultimum ſecretum in natura & ſublimatur ut ſpiritus. Pondera verò elementorum ſunt, quod apponas duo pondera terræ, tria aquæ, de aëre totidem & unum pondus cum dimidio de ſulphure rubeo. Primò enim ponas terram quia participat cum fermento, Secundò ponas aquam quia eſt medium inter terram & aërem, Tertiò ponas aërem, quia eſt inter aquam & ignem. Quartò ponas ignem, ignis per aërem figitur ut aqua per terram,

CAPUT LXXI.

De forma Circulorum & totius ſecreti per quod revelatur totius operis intentio.

TOtum autem ſecretum & modus operandi in rotatione elementorum conſiſtit, verùm niſi circulum naturæ propriè prius perfectè cognoveris, illorum circulationis notitiam intelligere non poteris. Quoniam ignorantia teget te tenebroſo velamine formam rotandi ad inſtar naturæ & circulandi modùm; vides ergo quod natura non attrahit niſi modicum nec convertit & hoc ſecundùm Mercurii quantitatem. Quod ergo magis attractum eſt in profunditate naturæ ſeparatur tardius & ideo quod gravius ſeparatur de humido, ſemper illud educit de re, ſcilicet de materia Mercuriali in natura ſua alterata per rotam præſentem & quod eductum eſt in illo vel de illo humido, eſt ſiccum ſubtiliſſimum ligatum cum humido, ita quod neutrum dimittit reliquum in diſtillationibus ſucceſſivis & tunc totum illud dicitur vapor in quem ſiccum ſulphureum eſt converſum, quia tunc in illo vapore elementa ſunt benè mixta. Cùm verò taliter elementa ſicca rotata ſunt in humidum, per plures circulationes totius humidi, tunc primò ſeparatis exinde elementis, poſt per alias circulationes quæ per modum fiunt reductionis, elementa humida rotantur in ſiccum & quantò magis iſtæ duæ reiterantur, tantò magis depurantur terra vel lapis à ſulphure immundo terreo ſibi extraneo, quod de macula originali provenit & intellige bene quod tinctura menſtrui ſeparatur à ſuo terreo, groſſo, fæculento per diſtillationes lentas, & in aqua Mercurii deportatur. Cave ergo ne opus rubeſcat ante nigredinem & tinctura concremetur, quæ in ventre Mercurii debet deportari & abſcondi. Quoniam Mercurius eſt terra ſua propria ſubtilis valde in qua ignis tam ſolis quam menſtrui retinetur. Recorderis ergo quando vidiſti ignem in Mercurio & fæces erant nigræ, ex quo patet quod nunquam opus nigreſcit, donec à terra extrahitur tinctura per ſuaves diſtillationes & in ventre Mercurii deportetur & iſte ignis eſt illa proprietas Mercurii quam debes totis tuis viribus à combuſtione conſervare, ſcilicet tinctura ſulphuris cum qua debet Mercurius ſul limari quoniam eſt primus & eſt additamentum tincturæ noſtræ, quod eſt additio magna in virtute & poteſtate, quoniam conjuncta eſt cum tinctura ſolis. Iræterea ſi â vitriolo & ſale ſcis extrahere proprietatem Mercurii & ſibi amicare per conjunctionem quæ fit per ſublimationes lentas, non ignorabis unum de ſecretis naturæ maximum & veram perfectionem principalem.

CAPUT LXXII.

De Primordialibus Conjunctionibus ſecretis, trium generum, tam ſimpliciter quàm compoſitive Solis, Lunæ & Mercurii.

DIſſolve ergo primò Solem puriſſimum in aqua ſua ferventi, poſtea ſepara phlegma, & remanebit ſol inferius cum ſubſtantia ſalis aquæ. Poſtea diſſolve Mercurium in aqua ſua & poſt congela & iterum diſſolve in aqua ſua diſtillata & ſeparando iterum aquam per Balneum congela & ſemper oleum extrahe per cineres & pone ad partem in qualibet diſtillatione. Hanc autem diſſolutionem & congelationem tribus aut quatuor vicibus reitera aut plus & ultimò congela. Deinde infunde aquam ſuam primam ſuper ſolem congelatum & mox diſſolvetur in aquam rubeam vel citrinam, congela ipſum in Balneo Mariæ, Reiteta hoc tribus vicibus ſicut feciſti de Mercurio, tamen non extrahes aërem ex illo quia nondum tempus eſt, & ultimò ſolvatur. Hanc verò diſſolutionem totam infunde ſuper Mercurium calcinatum & ſiccum, & diſſolvatur totum in aquam turbidam, nigram, colore ſubrubeam, diſtilla & iterum diſtilla & totum elementetur, & poſt iſtum paſſum recorderis de ſigno terræ putrefactæ & combuſtæ quod vidiſti ſuper vitrum per ignem candelæ expiratis ſuis ſpiritibus, quod eſt ſignum putrefactionis. Putrefac totum inſimul ſine diſtillatione per tempus ſuum, deinde ſepara elementa & proſequere magiſterium. Non obliviſcaris ponere etiam aquam Mercurii cùm fueris in elementatione ut totum animetur & elementetur.

CAPUT LXXIII.

De Secunda Conjunctione ejuſdem cum Mercurio & Luna.

SUmatur Luna & Mercurius, & quilibet eorum in aqua ſua diſſolvatur ad partem. Poſt conjuge aquas & diſtilla aquam & invenies argentum ad modum ſalis pretioſiſſimi, Accipe illud ſal & liquefac in igne trium candelarum, deinde infunde aquam deſuper & diſſolvetur in aquam albam, illam aquam infunde ſuper ſolem congelatum poſt ejus primam diſtillationem & poſtea procede ut ſupra.

CAPUT LXXIV.

Alia Conjunctio per aliam præparationem Mercurii, & nota quod in hac præparatione includitur ſublimatio Mercurii uſque ad revivificationem quâ indiges in omnibus principiis & Fermentatione ut ſupra dictum eſt.

ACcipe Mercurium cum vitriolo & ſale aſſato quem ſublima, poſt projice eum in aqua vegetabili

abili & posito cooperto io decoque per diem naturalem : post superpone alembicum & distilla aquam totam, deinde vigora ignem & sublimabitur vivus, illud vivum sume & ablue cum aceto distillato, sed magis valet cum aqua vegetabili simili primæ ; & non misceas aliud cum illa ablutione. Post terge cum panno lineo mundo. Insuper festina ad aliam præparationem, videlicet quod in aqua sua dissolvas ipsum: post distilla cum reiteratione per vium elementationis. Dein putrefac per mensem philosophorum, post separa elementa & de aqua & de terra, & sume substantiam mediam per sublimationem: & de illa fac conjunctionem cum corporibus sicut volueris præparatis. Nam multæ sunt viæ conjunctionum & separationum ad unum finem & ad unum effectum quas videre poteris per totam latitudinem magisterii ; & secundum istas quas tibi dedimus, multas alias ad libitum facere potes dum tamen intelligas magisterium.

Explicit Codicillus M. Raymundi Lulli Majoricani.

Joh. Braceschi Brixiani Lignum Vitæ, seu Dialogus ex Italico in Latinum versus à G. Gratorolo Physico. Quo Raymundi Lulli Scripta explicantur.

Interlocutores

Discipulus Artis & Raymundus.

SAlve Magister Raimunde.

RAI. Bene veneris. Dic mihi, quinam es, & quorsum venis?

DIS. Tuæ sapientiæ fama, operaque tua præferunt te omnium scientiarum cognitione præditum esse: quandoquidem verò innatus sit omnibus hominibus appetitus, & potissimum senibus, ut diutius vivant: ideo licet annorum gravis, ex Longobardia discessi, & huc Majoricam in Insulam veni ad te, solummodò ut ex te remedium addiscam, quo etiam annos aliquot citrà morbum me contra mortem tueri possim.

RAI. An nescis Deum vitæ nostræ terminum posuisse, quem præterire haud liceat.

DIS. Non peto auxilium ultra terminum illum à creatore nobis impositum, sed contra multas infirmitates & debilitationem radicalis humidi & innati caloris: Nam & antiqui Patres, qui plus annis quingentis vitam protrahebant, aliquam possidebant medicinam, qua diu sine aliqua infirmitate ipsorum vitam sustentabant.

RAI. Primi Patres ita vivebant, quia sic erat Dei optimi voluntas, ut ex longa illa hominum vita citò humanum genus multiplicaretur.

DIS. Cur ergo non omnes tandiu vivebant?

RAI. Plus vivebant qui primis parentibus proximiores erant, eo quòd primi à Deo immediatè creati fuerint optimæ temperaturæ, simúlque longioris vitæ: quæ temperaturæ bonitas proximioribus magis communicata est, quàm remotis.

DIS. Igitur primi omnes illi diutius vivere debuissent, quum nihilominus scriptura sacra paucorum mentionem faciat: & aliqui, licet non ex illis primis, annos quingentos excessêre.

RAI. Primi anni non tam longi erant & duodecim mensium, ut nunc sunt.

DIS. Non affero fuisse duodecim mensium, sed tamen longos. Nam quum Moses in Ducem à Domino Deo ascitus est, ut Hebræum populum ex Ægypto educeret, tunc primum annos quadraginta numerabat: atque ideo si anni illi non æquè ac nostri longi erant, parum certè aberant: & propterea doctores nostri rimantur eorum longæ vitæ causam.

RAI. Terræ fructus meliores erant, & aptiores humanæ vitæ sustentationi ante diluvium, quàm pòst.

DIS. Omnes ergo diu vixisse debuerunt: quod tamen verum non est.

RAI. Non omnes æquè forti complexione erant præditi: nec omnes, jam natura in Adam corrupta, temperatè vivebant: ideo pauci annorum centum ætatem superabant.

DIS. Possibile ne est, tot inter homines non plures viginti aut viginti quinque extitisse, qui robore complexionis pollerent? haud equidem credo: & præterea multi Deò amici temperatè vivebant, qui tamen centum annos minimè viderunt.

RAI. Primi Lignum vitæ habebant, quod eos à morte tuebatur.

DIS. Quàmprimum à terrestri Paradiso expulsi fuerunt, eo ligno privati sunt.

RAI. Adam plenus scientiæ fuit creatus; & naturalium rerum omnium cognitionem habuit: & cognovit res, quæ humanam vitam protrahere poterant, & eas aliquos successores docuit, & illi aliquos. Et ideo primi non omnes diu vixerunt, quòd non omnibus secretum hoc revelatum fuerit.

DIS. Tu ergo, in quo scientiæ omnes sunt infusæ, doce me hanc medicinam, quam Adamus aliquot descendentes docuit, qua noningentos annos vitam degebant.

RAI. Conservantia medicamina & admodum durabilia esse debent, & à corruptione remota: nam quum humanum corpus à corruptione servare debeant, ea in primis durabilia sint oportet : secus magis corrumperent: quàm servarent. Ideo volentes in juvenibus humidum radicale ac calidum innatum servare, & in senibus amissum restaurare, & eos veluti ad juventutem reducere, quo ad vires, opus est incorruptibiliorem substantiam sub Lunari globo reperibilem eligere, ipsamque in medicinam, & cibum suavissimum præparare, ita ut per os assumpta quasi statim per totum humanum corpus penetret, illudque quasi incorruptibile reddat.

DIS. Salva reverentia ; mihi videtur impossibile quod nuper dixisti, & rationem addam.

RAIM. Dic, quia libenter audiam.

DISCIP. Res omnes corporeæ à Deo in humanum usum creatæ, aut sunt elementa, vel ex elementis, & contrariis genita, ideôque corruptibilia, ubi ergo erit medicina hæc tam incorruptibilis ? Videmus etiam omne genitum, à suo simili generari, & à suo contrario corrumpi, ut inquit Philosophus septimo Metaphysicorum. Quod ergo deperditum est ex humana carne corruptibili, regenerari debet, & acquiri per aliam corruptibilem rem, ut videmus in cibis corruptibilibus, qui virtute caloris naturalis corrumpuntur, & transmutantur in stomacho, in hepate, & membris : & nutritivæ potentiæ vi, humanam in carnem convertuntur. Si ergo medicina incorruptibilis est, haud poterit sic in carnem humanam verti : sicut cœlorum materia transmutari non potest in materiam elementalem.

RAIMUND. Doctè locutus es: at putâs ne in rebus elementatis aliud non inesse, quàm corruptibilia elementa?

DIS. Ex quinam ergo re simul cum elementis elementata sunt composita?

RAIMUND. Ex subtili substantia, seu radicali humiditate, ac intrinseca, diffusáque per partes elementales, quæ simplex est, & admodum incorruptibilis: quæ diu in suo vigore conservat res ipsas : & sapiens

natura

natura istud ordinavit, quia diutius in individuis conservari satagit,& perpetuò in speciebus. Et quamvis in generatione univoca animalium omne animal sibi simile generet in specie : nihilominus in generatione cessabili, quæ per corruptionem generantis fit, genitum differt à generante in specie vel genere: ut videmus in cibis, ex quibus illud generatur quod ex humana carne deficit vi caloris intrinseci, & extrinseci. Neque propterea dico hanc medicinam prorsus incorruptibilem esse ut cœlum : sed quia genita est ex materia super alias, seu aliarum respectu incorruptibili, & facta est simplex ex separatione omnium corruptibilium elementorum : quæ si debitè conservaretur, duraret annorum decem millia sine corruptione : & per os sumpta corpus humanum diu servaret incorruptum. Hac ratione periti medici semper nos hortantur, ut cibis minus corruptibilibus utamur.

DISCIP. Mihi videtur hæc opinio similis illi quorundam Philosophorum, qui dicebant, Salamandram solo igne vivere, & Alecem sola aqua, Talpam terra, & Chamæleontem solo aëre : quæ opinio falsa est, quia nulla res elementata vivit è simplici elemento, sed ex his vivit, ex quibus etiam componitur, ut inquit Philosophus. Homo ergo non posset vivere ex sola illa humiditate radicali, simplici, & adeò incorruptibili.

RAI. Non dico hominem ex ea sola medicina posse vivere, sed ea utens cum aliorum ciborum moderatione posset ad veterum Patrum ætatem accedere, qui in paradiso terrestri, non solùm vitæ Ligno usi essent, sed etiam aliis fructibus.

DISC. Utebantur primi Patres hac medicina?

RAIMUNDUS. Hac uti debebant ad producendam vitam.

DISCIP. Poterant ne uti re meliori qua se tuerentur à morte?

RAIM. Naturaliter loquendo nulla erat in toto mundo hac melior medicina:nam juxta Philosophi sententiam decimo Metaphysic. In omni genere unum quoddam est, quod primum in eo genere gradum tenet : Et quia medicina hæc genita est ex incorruptibiliori & efficaciori materia (ut intelliges) quæ sub cœlo sit, ideo primum tenet gradum in ordine medicinarum conservativarum.

DIS. Ergo aliud esse nequit quàm Lignum vitæ.

RAIM. Jam tibi dixi,secundum Mosis Scripturam eos fuisse privatos ligno illo.

DIS. Fortassis Moses, qui sua in juventute instructus fuit in omni Ægyptiorum scientia, & novit hanc divinam scientiam (ut Vincentius ait in suo Naturali libro septimo) loquutus est cum aliqua obscuritate, ut & cæteri Philosophi.

RAIM. Nolo plus vel minus quàm deceat credere.

DISC. Fortassis est herba illa, qua Medea Æsonem ad juventutem reduxit, & quacum Æsculapius suscitabat ferè mortuos.

RAIM. Ea est quidem medicina, sed ne dicas herbam.

DISC. Dicunt Poëtæ herbam fuisse.

RAM. Antiqui sub fabulis poëticis hanc scientiam occultarunt,& parabolicè loquuti sunt.

DISC. Qualis est hæc similitudo?

RAIM. Quum hæc medicina paratur,semel fit viridis ut herba,ideo rem vegetabilem nominarunt & herbam.Hac de causa Metuendus Hermetis discipulus,de hac materia loquens, dicebat, O quàm similis est vegetabilibus ob viridem colorem.

DISC. Cur herba esse non posset,quum herbæ tot virtutibus scateant,& viribus?

RAIM. Medicina hæc haud fieri posset ex rebus vegetabilibus aut animalibus,neque ex re aliqua ab eis manente.

DISC. Quæ est ratio?

RAIM. Cum ea super omnem elementatam rem incorruptibilis esse debeat,necesse est ut trahatur à materia super omnes à corruptione aliena.

DISC. Tu tamen in libro Secretorum naturæ dixisti, ut eam à vino rubeo extrahamus. Idem affirmat Joannes de Rupescissa. Alii dicunt à Chælidonia herba: alii à sanguine humano.

RAIM. Ne decipiaris,neque simplici literæ Philosophorum in hac scientia credas : qui ubi apertius loquuti sunt,ibi obscurius,id est ænigmaticè,aut per similitudines.

DISC. Qua similitudine hoc in loco usi sunt?

RAIM. Senior philosophus dicit : Hæc res convertit ex colore in colorem, de sapore in saporem, & ex natura in naturam : ideo multiplicata sunt ejus nomina.Mirerius philosophus dicit: Cur factus est rubeus,antequàm foret albus? Respondet, bis fit niger, bis citrinus, & bis rubeus. Quoniam igitur bis fit rubeus ut vinum rubeum, & sanguis humanus, nempe post putrefactionem,& in ipsa distillatione, ideo Antiqui per similitudinem loquentes nominarunt vinum rubeum,sanguinem humanum & similia.

DIS. Crederem animalia plus virium medicinabilium habere,quum etiam sint quacunque alia re inanimata nobiliora.

RAIM. Animalium excellentia non versatur aut existit circa proportionem & commistionem elementorum,sed in anima consistit. Et quia supradicta medicina fit ex substantia corporea & materiali, ideo meliora sunt quædam Mineralia, quorum compositio durissima est, & fortior animalibus, quorum compositio quoad corpus, debilis est & facilis corruptionis, paucæque virtutis. Videmus animalia occupata circa res altas & sublimes, privata esse vilibus & infimis: Ideo Mineralia quædam, quæ nullam habent operationem intellectualem aut sensitivam, majorem habent vim corpoream cæteris animalibus.

DISC. Si medicina hæc confici non potest ex vegetabilibus neque ex animalibus,posset ne elici ex mediis Mineralibus: ut sunt sales, alumina, atramenta; marchasitæ, antimonium, sulfura & argentum vivum communia?

RAIM. Neque etiam ex his.

DISC. Sunt tamen admodum durabilia.

RAIM. Non sunt super omnia efficaciora & incorruptibilia.

DISC. Quis hæc corrumpit?

RAIM. Ignis magnus.

DISCIPULUS. Ignis omnia corrumpit & dissipat.

RAIMUNDUS. Non corrumpit humidum radicale elementorum, neque eorum calidum innatum & radicale.

DISC. Quamobrem?

RAIM. Ob illorum homogeneitatem, & durissimam,ac fortissimam compositionem & colligationem, & ob vaporosam mistionem & longissimam & temperatissimam decoctionem in Minera.

DISCIPULUS. Concludere ergo vis hanc medicinam fieri debere ex humido & calido radicalibus Metallorum.

RAIM. Videmus Metalla quæ mille annos defossa jacuerunt sub terra in Romanis antiquitatibus,

adhuc

adhuc incorrupta esse, & nullum detrimentum ferè sensisse: cogita ergo quantum duraret eorum humidum radicale purificatum, destillatum, & à quacunque corruptibili & elementali parte separatum. Hac de causa Geb. lib. 2. cap. 12, dicit: Videmus rem distillatam fieri magis puram, & melius custodiri à putrefactione.

DISC. Unde vis metalla tantam habere vim supra omnia elementa?

RAI. A cœlo.

DISCIP. Res duræ non recipiunt vim cælestem, quia cœlis non obediunt: Videmus sigillum non imprimere suam figuram in duro lapide, sed in molli cera.

RAIM. Corporum cœlestium radii in nullo elementorum tanta vi & potestate uniuntur, quantum in terra: quoniam ipsa est proprium & firmum retinaculum virtutum cœlestium, & centrum ejus sphæratum: & propterea ipsa est productivâ rerum mirabilium, nempe vegetabilium, animalium, & mineralium Hermes dicebat, genitricem metalli esse terram, quæ fert ipsum metallum in ventre suo; & terram esse metallorum matrem, & cœlum patrem: ex eoque terram in montibus concipere sylvestribus & planis, & aquis, & omnibus aliis in locis: Verum est tamen, quòd dum terra in sua permanet duritie, nil potest producere, quoniam non obedit moventibus: sed quia continuus motus cœlestis, & Solis aliorumque planetarum virtus, terram ipsam continuè excoquit, ideo alteratur & subtiliat: & subtiliores partes virtute Solis elevantur in fumum. Ideo vires cœlestes quæ continuè à cœlo fluunt & in terram penetrant, invenientes materiam simplicem, subtilissimam spiritualem incorruptibilem, lucidam, perspicuam, & naturæ ingenio præparatam & aptam ad recipiendum influxus cœlestes, ob similitudinem quam invicem habent, nobiliter infunduntur in ipsum duplicem fumum metallicum radicalem. Cumque materia ipsa spiritualis diutissimè fuerit in ea spiritualitate & cœlesti obedientia: quam substantia metallicorum principiorum uniformis est ac homogenia, quæ longissimo tempore & mille annis induratur, ut dicit Geb. lib. 1. cap. 7. Ideo cœli in illam infuderunt plures ac plures mirabiles virtutes, quam in quacumque alia re, quia in ea plus operati sunt. Et hæc est causa maximæ metallorum virtutis super omnem aliam rem elementatam. Illud autem verum est; quod cùm post diuturnum tempus hic duplex fumus & spiritualis vapor venerit ad duritiem metallicam, quamvis cœlestes retineat vires nihilosecius impeditus & suffocatus à terreitate & duritie, eas vires præ se ferre non potest. Sed volentes nos eas vires cœlicas in lucem producere, removemus terreitatem & densitatem metalli, & illud ad primam simplicitatem reducimus, quæ sufficienter decocta, tantam ostendit vim, ut quasi subitò humana corpora immutet, & ea reducat ad veram sanitatem.

DIS. Quod nunc dixisti, perplacet; sed an non melius foret ex gemmis, quam ex metallis, suptradictam medicinam parare?

RAIM. Quamobrem?

DIS. Quia incorruptibiles admodum sunt, & valde medicinales, & pluribus pollent cœlicis virtutibus quam metalla. Ideo Hermes & ejus assectæ dicebant, omnes rerum inferiorum virtutes, primitus esse in stellis, & imaginibus cœlestibus, easque vires ajebant descendere in res naturales, nobiliter & ignobiliter: nobiliter quando materiæ ipsas cœlestes vires suscipientes sunt similes corporibus cœlestibus in lumine ac claritate, ignobiliter, cum materiæ sunt confusæ ac fœculentæ, in quibus veluti opprimitur virtus cœlestis. Quia igitur gemmæ in substantia, lumine, perspicuitate, ac colore, similiores sunt corporibus cœlestibus quam metalla, qua de re ab aliquibus Philosophis nominantur elementales stellæ, idcirco nobilius vires cœlestes recipiunt quàm metalla & meliores esse deberent ad faciendum hanc medicinam tam incorruptibilem & virtuosam.

RAIM. Fateor si totam substantiam in medicinam converteremus meliores essent aliquæ gemmæ, quàm metalla, quorum virtus hac terreitate opprimitur, quæ radicali supervenit materiæ, in qua locantur vires cœlestes: Sed quia ut superius dixi neque metalla neque lapides recipiunt cœlestes, quando sunt in metallorum forma, vel lapidum; sed quando sunt in forma vaporum, donec durescant: Et quia vapores è quibus fiunt metalla plus moræ trahunt in ea spiritualitate ac similitudine cœlesti, quam vapores è quibus gemmæ fiunt, ideo metalla plus virium habent cœlestium quàm gemmæ.

DISC. Quomodo possumus hujusce rei certiores fieri?

RAIM. Gemmæ in substantia propinquæ sunt elementis: & earum prima materia, primæque elementales qualitates parum sunt alteratæ aut permutatæ à sua prima natura: Et natura pauco artificio coagulavit & induravit illas cum ea transparentia & claritate, quam habebant in ipsarum prima sumosa materia. Et idcirco quamvis duræ sint, & earum virtus aliquantisper ligata, nihilominus exerunt etiam vim aliquam cœlestem, quod non ita accidit metallis. Nam antea quàm introducatur forma metallica, opus est multa & longissima transmutatione, & elementorum contemperantia & purgatione & transmutatione sulphuris & argenti vivi, salium, & aluminum, & harum rerum longissima decoctione. Quòd si gemmæ admodum durant, non hoc evenit ob multam humidi radicalis & viscosi quantitatem, quòd arctè simul partes colliget, quia illius parum sunt participes, & sunt facilis triturationis: Sed ideo fit, quia coagulatæ sunt à frigore, & in hoc natura parum laboravit. Quoniam autem frigus coagulando poros claudit, & intus nativum calidum continet, ideo aëris calor aperire ac corrumpere non potest: Sed ignis calor vehemens; qui, quamvis aliqua metalla corrumpat, eorum tamen humidum radicale corrumpere non potest, quod sit cum sicco terrestri fortissimè commistum & concoctum, ut in auro: His igitur duobus, nempe, cum hoc humido & calido radicalibus, fit supradicta medicina super omnes incorruptibilis & virtuosa.

DISC. Tot rationibus & efficacibus persuasionibus cogor id quod dixisti credere: Sed velim scire, num hæc medicina fiat ex uno aut ex pluribus metallis.

RAIM. Morienus Romanus dicit: Scitote quòd totum hoc non aliud est quàm res una sola, quæ patrem & matrem habet, & pater & mater eam creaverunt & nutriverunt, & ipsa est sui ipsius pater & mater.

DISCIP. Hunc loquendi modum non assequor.

RAIM. In metallorum generatione, sulphur est velut semen paternum, & argentum vivum ut materia fœtus fœminei.

DISC. Ergo medicina hæc (ut dicere videris) fit ex una sola re.

RAIM. Omnes Philosophi dicunt hanc medicinam fieri ex unica re, quæ in se habeat quicquid ei opus est ad ejus perfectionem, nimirum ex corporibus, sole, aqua, spiritibus, animabus & tincturis. Et quamvis in præparatione dividatur in plures,

nihilominus ad unam redit poſt præparationem partium ſeparatarum.

DIS. Si medicina hæc fieri debet ex unico metallo, ergo aliud eſſe non poteſt quam aurum.

RAIM. Quare aurum?

DIS. Quoniam virtuoſius eſt, perfectius, medicinalius, putius, incorruptibilius, & incombuſtibilius aliis: nam ejus partes fuere ſubtiliſſimæ, homogeniæ, ac puræ: igitur ex convenienti præparatione, reductum ad puritatem, ſubtilitatem, & ſimplicitatem multo erit incorruptibilius & efficacius, & converſum in medicinam ſuaviſſimam diutiſſimè poterit à corruptione humana corpora ſervare & propterea medici eo utuntur contra multas infirmitates, & præcipuè contra melancholiam & cordis tremorem. Et Geber quoque lib 1. cap.17. dicit aurum eſſe medicinam quæ corpus in juventute lætificat. Et antiqui Poëtæ hac de cauſa finxerunt Phœbum ſeu Apollinem fuiſſe inventorem medicinæ, & omnium virtutum herbarum.

RAIM. Concedo aurum in ſua natura cæteris metallis perfectius eſſe: Sed nos non præparabimus in medicinam totam metallicam ſubſtantiam; ſed ſolùm primam materiam radicalem, quæ una & eadem eſt in omnibus metallis (ut aſſerunt omnes Philoſophi, & præſertim Philadelphus, & Albertus in 2. Tract tertii lib. de Mineralibus cap.6.) & non eſt differentia inter ea, niſi ex accidentibus ſupervenientibus,& in majori vel minori decoctione. Et idcirco dicere non debemus aurum in hoc opere cæteris præſtare,quamvis in ſe perfectius ſit,& minus accidentium habeat: Namque (ut dicit Geber libro primo capite octavo) in depurando alia metalla per artificium reducuntur in puram & nobiliorem ſubſtantiam brevi tempore. Et hoc inde evenit, quòd in ſe omnes cauſas habeant corruptionis & calcinationis, quas Geber ſcribit libro tertio capite ſexto, & facile reducuntur ad materiam primam ſuam & ſepatantur accidentia quæ ſupervenerant: id quod auro non contingit (ut affirmant Geber lib. 1. cap. 8. & Alb.2. tract lib. 3. de Min. cap. 5. & 4. lib. cap. 7.) ratio eſt quod non ſolùm habuerit fortiſſimam compoſitionem, ſed quia prima mineralis materia eſt ſal,aut vitriolum (ut aliàs intelliges.) Et quia metalla debite in ſal verti non poſſunt niſi mediante convenienti calcinatione (ut dicit Geber in toto Teſtamento) quæ calcinatio auro evenire non poteſt: quoniam debita metallorum calcinatio fieri debet ſine ulla alterius rei miſtione, ſed cum proprio ſulphure interno & aduſtibili (ut dicit Geber lib 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 13. & 14. & lib.3. cap 6.) quod ſulphur aduſtibile non eſt in auro: ergo debite calcinari & ad primam materiam reduci non poteſt: Et hoc confirmat Geber libro tertio capite quarto dicens, Aurum habere denſam ſubſtantiam & ſine ſulphureitate comburente, manifeſtum eſt ex ejus omni operatione in igne, quoniam neque diminuitur, neque inflammatur: Et quicunque illud calcinaret cum ſulphure extrinſeco, aut cum ſale, aut cum aqua vitæ, aut aqua fortis,aut Mercurio, aut odore plumbi; & ſimilibus aliis externis rebus, amitteret tempus & expenſas. Ideo Geber libro primo capite decimo ſeptimo loquens de auro dicebat Calcinatur & ſolvitur ſine utilitate. Et hoc fatetur Agrippa ſe eſſe expertum Et ratio eſt, quia juxta veterum opinionem, ſolum aurum eſt metallorum forma, & eſt ſpecies deducta ad ultimam perfectionem: nam neque natura neque arte poſſet melius fieri.

DISC. Juxta Gebri ſententiam libro tertio capite ſeptimo, Artificium vincit opus naturæ in hac arte: & hoc etiam affirmant alii Philoſophi.

RAIM. Intelligunt de metallis imperfectis, in quibus facile ſeparari queunt accidentia ſuperinducta radicali materiæ, & ea magiſterii auxilio reduci ad ultimam perfectionem: Et hoc Geber confirmat in lib.Inveſtigationis. cap. de Præparatione aceti accerrimi.Ideo Albertus in quinto de Mineralibus capite primo dicit, Omnium metallorum eſſe peculiare (ſcilicet imperfectorum) ut videantur eſſe incompleta in ſpecie,ideo convertibilia ſunt in omnia. Sed ut idem Albertus libro tertio capite ſeptimo dicit, Ars non permutat aurum: quoniam cum pervenerit jam ad ultimam ſui perfectionem, quamvis paucula accidentia ſeparares quæ ejus radicali materiæ ſupervenerunt, non tamen eam efficeres meliorem, quandoquidem (ut dixi) ad ultimam perfectionem pervenerit illi poſſibilem. Ideo Marſilius Ficinus dicit, Omnino falſum eſt credere auri materiam ingredi humanum corpus, aut in ſubſtantiam potabilem converti: quoniam oporteret ipſum converti prius in ſanguinem, & poſtea in carnem: quod impoſſibile eſt, propter ejus duritiem. Ideo vanus eſt multorum labor, qui medicinas cum auro faciunt, aut eas inaurant ut delicatioribus placeant Quod ſi veteres Medici Philoſophi, & Poetæ aurum laudarunt,non intellexerunt de communi auro.

DISC. Eſt ne fortaſſe aliud aurum quàm commune?

RAIM. Quando vi ignis humiditas radicalis diſtillatur, ſimul cum ea deſtillatur ſuus naturalis calor in colore auri: & illud eſt aurum Philoſophorum. Et de his duobus vaporibus loquebatur Alb. in 3. Met. dicens: Vapor humidus includens, & vapor ſiccus incluſus in illius ventre ſimul elevantur, & hoc fit vi caloris utrumque vaporem elevantis, quoniam ſemper commiſcet, & facit ut unius eſſentia moveatur in alterius eſſentia. Ipſe etiam Alb in 4. Met. tract. 3. cap. 18. de his vaporibus dicebat: Ex natura miſti, ſiccum retinet humidum ut ſine ipſo non evaporet, & humidum confert ſicco quandam ſubtilitatem, ut cum eo evolare poſſit. Ite igitur vapor ſiccus radicalis, quoniam eſt aurei coloris, ideo antiqui nominaverunt aurum, & animam. Hermes de hac anima loquens quæ per diſtillationem portatur in ventre vaporis albi, dicebat: Portavit eam ventus in ventre ſuo, hoc totum occultarunt Poetæ ſub Jovis & Ganimedis fabula. Hoc idem ſignificare voluerunt dicentes, Jovem eſſe converſum in auri pluviam.

Et quoniam Virgilius hujus ſcientiæ notitiam habuit, ut aſſerunt aliqui philoſophi, & multis in locis obſcurè de illa locutus eſt: idcirco volo ut aliqua ejus carmina declaremus huic ſcientiæ pertinentia, & huic loco admodum convenientia. Dicit in ſexto Æneid. auri ramum intra opacam arborem abſcondi. Superius dixi hac in ſcientia partem vegetabilem eſſe ſal, quod interdum viride eſt ut herba, & quòd in eo erat occultus Philoſophorum Sol ſeu aurum. Et arbor illa vocatur obſcura & opaca ob ſuam terreſtreitatem, quæ nondum eſt ſeparata: Ideo vocatur ſaturnus. Et aurum iſtud nominatur ramus, quia ex hoc vegetabili ſale participat, & totum oſtendit aureum colorem. Quia verò ſuperius dixi quod in manifeſto ſeu extrinſeco ad rubedinem vergat, & eſt lentus ac debilis is ramus: Ideo Geb. in ſecunda deſcenſionis cauſa vocat corpus debile. Sacer eſt Proſerpinæ inferorum Deæ: per Proſerpinam intelligit aquam mercurialem aliter etiam Junonem dictam, quæ inferni Dea fertur,quoniam ipſa omnia tenet ligata in centro terræ Martis, & ea ſeparata,

omnis

omnis pars soluta est. In distillatione trahit secum aurum istud (ut superius diximus) ideo dicitur illi dicatum. Aurum istud cinctum est à clausis umbris & obscuris vallibus: per quas significantur ferri terræ partes. Nemini ergo conceditur terræ viscera ingredi, id est terram à prædicto sale separare, nisi prius per distillationem non separetur dictum aurum, quod (ut ait Geber lib. 2 cap. 7.) nunquam separari posset à prædicta terra & fæcibus nisi per sublimationem. Et quoniam prædictum aurum Philosophorum in distillatione non confertim descendit (ut ait Geber in secunda descensus causa) sed paulatim, guttatimque ut ait Senior philosophus, ideo Virgilius dicit, uno evulso, non deficit alter aureus. Quandoquidem verò hujus scientiæ notitia est admodum profunda, & ut inquit Geber, Servatur in Dei potentia: ideo Poeta dicit omni studio quærendam esse! Nam si Deus & Cœli te in hoc negocium deducunt; facilè poteris evellere seu rapere dictum aurum, quoniam facile est. Sed si fortunatus non es, ut hanc scientiam ejusque materiam veram non calleas, nunquam posses prædictum aurum carpere, neque cum duro ferro id est à duro ferro, & hac loquendi phrasi utuntur etiam Philosophi.

Mirerius Philosophus dicit, Coquas quousque humiditas elevetur in alembicum: quoniam ipsa est sudor similis auro. In Cælo philosophorum scriptum est: Exaltetur ignis usque ad quartum gradum per spacium horæ, & exhibit aqua in colore auri. Senior philosophus ait: Aurum hujus lapidis, est aurum philosophorum, & est tinctura quæ est anima, cum qua ascendit spiritus. Dicit etiam, Nominat Hermes aquam albam illorum, aurum: quoniam anima tingens est abscondita in eorum alba aqua. Razes in Lumine luminum dicit: Oleum quod capit rubeum colorem est sulphur, & illud etiam est æs, & Soli comparatur & auro. In Philosophorum Turba scriptum est: Numus noster dum rubeus est, vocatur aurum. Dicit rursus Senior philosophus: Aquam nominarunt animam quam Hermes vocavit aurum, quando dicit Seminate aurum in terra foliata.

DISC. Quid est hæc terra foliata, in qua hoc philosophorum aurum seminare debemus?

RAIM. Est mercurius præparatus, cum quo unire debemus suum sulphur: quamvis intelligi posset in alio modo.

DISC. Differe mihi hunc alium modum.

RAIM. Secundum Geberi sententiam in 3. lib. cap. 7. in corporibus metallicis sunt duæ sulphureitates, quarum una concluſa est in profundo argenti vivi in suæ commistionis initio, & hæc vocatur aurum, æs, venus, numus, arsenicum, auripigmentum, viteum, vitriolum, anima, ignis, aqua viridis, leo viridis, vinum, sanguis humanus, sanguis draconis, aqua permanens, ad differentiam aquæ mercurialis, quæ non est permanens: quoniam illa est fixationis impedimentum. Alia corporum sulphureitas est superveniens, & fixa, & hæc vocatur sulphur, mars, vitrum, vitriolum, vinum & sanguis, Et quia hæc sulphureitas sublimat ut folia auri vel argenti & multorum aliorum colorum significatur per Argi oculos in pavonis caudam conversos. Supradictum verò sulphur, dictum aurum, venus & compar, uniri debet cum hoc alio sulphure matte appellato (ut ait Geber lib. 1. cap. 13.) hoc fieri debet mediante aqua mercuriali, quæ (ut dicit Geber lib. 1. cap. 15.) est medium conjugendi tincturas, & significata est per subtilissimum Vulcani rete, cum quo simul Martem Veneremque ligavit. Ideo Hermes dixit: Seminate aurum in terra foliata. Arnaldus dixit: Aqua est medium quo junguntur tincturæ id est sulphura, quæ (ut dicit Geber ut supra c. 13) sunt lumen & tinctura omnium corporum.

DISC. Ne mihi amplius de hoc auro differas, quia certus sum aurum philosophorum non esse aurum commune, neque ab auro communi elicitur, sed bene credo ab argento communi debere accipi.

RAIM. Quis tibi hoc persuadet?

DISC. Quoniam Luna in suo profundo est aurum (ut inquit Geber in Testamento) & tu superius dixisti; ut acciperemus illud philosophorum aurum, quod in metallorum jacet profundo, & videtur etiam argentum esse perfectius aliis, & in igne incorruptibilius, & multi medici eo utuntur in aliquibus medicinis.

RAIM. Possem ea omnia quæ ferè de auro dixi respondere, quamvis inter ea sit multa differentia: Nam si præparaturi essemus omnem substantiam metallicam, melius foret argentum quàm alia: Sed quia non est quod aliud capiamus quàm radicalem partem, & illud aliud sulphur supradictum, quæ in omnibus sunt, ergo dicere non potes argentum in hoc opere melius futurum quamvis in se perfectius sit. Imò quia perfectius est, ideo difficilius potest converti ad primam & proximam materiam naturæ metallicæ, nempe in salem aut vitriolum: quoniam in se habet parum sulphuris adustibilis, & difficulter calcinatur: quoniam (ut dicit Geber lib. 3. cap. 9.) corpora paucæ terreitreitatis sunt difficilioris calcinationis. Ideo idem lib. 1. cap. 18. in fine, dicit: Argentum calcinari & solvi similiter cum maximo labore & nulla utilitate. Et quia Arnaldus in libro perfecti Magisterii dicit: Metalli ad primam materiam reductionem esse facilem, ergo non intelligit de auro vel de argento.

DISC. Dixisti duritiem metalli, causam esse quo minus radicalis substantia possit suas vires ostendere: ergo si illud in aquam solvero, poterit statim eas cœlestes vires ostendere, & inde utilitatem consequar: quod si utilitatem non referrem, stans solummodò in calcinatione ac solutione, ulterius procedam ad coagulationem.

RAIM. Indebitè ac cum extraneis rebus radicale simul cum accidentali solves, & propterea non valebit, quamvis coagules: cum liber non sit à terreitreitate & aliis accidentibus: Sed dico tibi, quòd neque aurum, neque argentum, verè solvi possunt, quia (ut dicit Geb. lib. 1. cap. 52.) Solummodò res quæ salis naturam habent vel aluminum, sunt solubiles.

DISC. Convertam eos in sales.

RAIM. Indebitè convertes in sales, cum in se causam calcinationis non habeant: Ideo erunt sine utilitate. Quòd si Medici & Philosophi dixerunt ut præparemus in medicinam, & quòd in suo profundo sit aurum, intellexerunt de argento Philosophorum.

DISCIP. Quale est hoc Philosophorum argentum?

RAIM. Sicut prima materia mineralis metallorum est unum sal (ut dixi & dicemus) ita etiam volentes naturam imitari, convertimus metallum nostrum in salem album ut argentum, & à Philosophis nominatur argentum & in suo profundo tenet occultum vaporem illum rubeum, sulphureum, dictum aurum, & de hoc argento loquuntur Philosophi: Ideo non oportet fundamentum aliquod (in hac scientia) jacere super aurum, aut super argentum communia, quoniam omnes Philosophi dicunt, hanc medicinam fieri debere ex re vilissima. Morienus Romanus dicit: Ego tibi præcipio, ut in pondere materialium pro hoc opere nihil expendas ullo modo. Alphidius

Philoſophus dicit : Hoc ſecretum non emitur , & invenitur in via projectum , ut quivis pauper habere poſſit.

DISC. Tu cerebrum involveres non ſolùm mihi , ſed Solomoni ; dixiſti nos debere hanc medicinam facere ex metallis imperfectis , & nunc dicis fieri eam ex re viliſſima , non ſunt tamen viliſſima metalla imperfecta , neque in vias projiciuntur , ſed emuntur.

RAIM. Quamvis imperfecta metalla in ſe viliſſima non ſunt : eſt tamen eorum calx viliſſima apud ignaros , nam eam projiciunt in angulos ſemitarum, & ex ea tam pauperes quàm divites gratis habere poſſunt. Geber in libro Radicum dicit : Cum vidiſſemus corpora imperfecta, noſtra experientia & ingenio præparata & ab omni ſuperflua corruptione mundata, nos ea invenimus majoris claritatis & ſplendoris, quàm ipſa corpora naturaliter perfecta.

DISC. In primo fundamento dixiſti , oportere, ſi fiat hæc medicina , ut fieret ex incorruptibiliori ſubſtantia quæ foret inter miſta ex elementis. Qui ergo fieri poteſt ex imperfectis metallis , quæ ſunt corruptibilia ?

RAIM. Superius dixi metalla imperfecta quo ad primam formam ſubſtantialem eſſe ab igne corruptibilia : ſed quo ad radicalem ſubſtantiam eſſe ſuper alias elementatas res , incorruptibilia. Philadelphus Philoſophus dicit , humidum radicale metallorum in ipſorum calcinatione ob homogeneitatem & fortem metallorum unionem non conſumi, nec ſeparari, quemadmodum conſumitur & ſeparatur humidum lapideum, volatile & fugiens ab igne , ſed metallorum humidum fixum eſt & permanens in igne. Albertus in 3. Miner. cap. 2. dicit : Videmus omnia metalla etiam in magnis ignibus retinere ipſorum humiditatem , de qua radicali humiditate loquens Geb. in 2. lib. cap. 19. dicit , quod ſupra omnem humiditatem expectat ignis calorem.

DISCIPUL. Dixiſti metalla imperfecta quo ad formam ſubſtantialem eſſe incorruptibilia : certum eſt partem radicalem eſſe per totam ſubſtantiam metallicam diſperſam , ergo dum corrumpetur ſubſtantia radicalis.

RAIM. Dicit Alb. in 4. Meteor. tract. 2. cap. 9. calorem vehementem congregare partes homogeneas : nam ignis ſolvit humidum & ſeparat illud à terreo craſſo ea à ſe invicem ſeparando : cum verò humidum detineatur à terreo ſicco, non poteſt taliter ſeparari , & ideo diſtillare incipit cum terreo ſubtili , & ob ignem fortiſſimum funditur in vitrum , & tunc terreum craſſum quod fortiter eum tenebat , in ſquamas uritur.

DISCIP. Reſponſio hæc admodum placet : Sed nónne vis calcinare ac ſolvere tuum metallum?

RAIM. Spiritus fixus ſulphureus & quaſi extrinſecus , dictus Mars , non ſolvitur : quia , ut dicit Geber libro primo capite tertio decimo , non habet partes ſalſugineas , ſed ſubtiliatur cum aqua mercuriali ſignificata per omnes acutas aquas , ut dicit Geber libro ſecundo capite quinto decimo : Mercurialis ſimul cum ſulphure ſuo intrinſeco dicto Venere ſolvuntur, quia ſalis naturam habent; Et hoc modo carmina illa intelliguntur :

Solvere qui neſcit, vel ſubtiliare metallum ;
Corpus non tangat , Mercuriumq; ſinat :
Nam ſolvere nequit fixum volativum probe tenere.
Dictorum alterutrum facere ſi neſciat.
Omnibus hoc dico liquate corpora in aquam &c.

DISC. In alio carmine dicunt :
Quid per corpora intelligunt ?

RAIMUNDUS. Quamvis interdum de humanis corporibus ; tamen Philòſophorum corpora ſunt duo ſulphura ſupradicta, unum dictum Mars & ſulfur; aliud dictum Venus & arſenicum. Geber libro 2. cap. 17. dicit : Omnia corpora ſunt ſulphur aut arſenicum, & hæc ſunt medicina quæ coagulat argentum vivum. Hæc igitur corpora ſolvi ac ſubtiliari debent , ut antea dixi , ut per minima uniri poſſint : Ex duabus Aquis unam capite , quæ vobis magis placet & facite quod dico : date illam potui veſtro illi inimico.

DISC. Jam din optavi hæc carmina Italica intelligere, ideo mihi gratum erit tuam expoſitionem intelligere.

RAIM. Ex his duabus aquis ſulphureis , cape illam quæ aurum vocatur, & conjunge cum ea quæ ferrum vocatur , ſignificatum per inimicum noſtrum , & hæc conjunctio fit mediante aqua Mercuriali ut ſuperius dixi.

DISCIP. Quamvis hæc non intelligam niſi praxin videam, nihilominus verbis tuis credo , hoc tamen pacto ut quæ videntur mihi dicenda dicam.

RAIMUND. Quoniam & ipſe libenter hiſce de rebus loquor, idcirco dic quod tibi placet, eritque mihi gratum omne.

DISC. Quo modo poteris ex aquis metallicis facere medicinam corpotum humanorum , cum ille ſint fœtidiſſimæ , horribiles , corroſivæ , & tam acutæ , ut Philoſophi dicant illas eſſe venenum peſſimum? Nam Morienus Romanus de illo odore loquens inquit : Iſte eſt odor qui aſſimilatur odoti ſepulchrorum , in quibus mortui ſepeliuntur. Videmus thermarum aquas aliquam habere horribilitatem , quia dum per loca ſubterranea & mineralia præſertim ſulphurea & bituminoſa tranſeunt , trahunt ſecum partem aliquam mineralem & odorem metallicum vel ſulphureum; ergo eo magis erit horribilis ea ſubſtantia metallica in aquam converſa.

RAIM. Quemadmodum fructus in æſtatis initio ſunt acerbi & auſteri , quia ſufficientem concoctionem & maturationem non ſunt aſſequuti : & dum ſubinde à terra novum humorem trahunt , non poſſunt ſufficienter maturari & dulceſcere , id quod fit longo æſtatis calore , in quo dum concoquuntur & eorum humor maturatur , fiunt dulces & odorati : ita evenit noſtræ medicinæ extractæ à terra metallorum, nam ante ſufficientem concoctionem & digeſtionem ea eſt fœtida & horribilis , & dum ejus vapores in decoctione ſaliunt & aſcendunt, non poteſt ſufficienter dulceſcere. Sed his corporibus coagulatis, & ſufficienter concoctis , acquirit mirabilem ſuavitatem & dulcedinem. Ideo Arnaldus in Roſario dicit , Dulcifica amarum, & totum habebis magiſterium.

DISC. Superius dixiſti juxta Marſilii Ficini ſententiam, aurum non habere cum humana carne convenientiam vel ſymbolum aliquod, nec in eam poſſe converti : ergo metalla imperfecta minorem cum humano corpore affinitatem habebunt, & ex illis medicina fieri non poterit quæ per os ſumatur.

RAIM. Verum eſt metalla dum in metallorum ſubſtantiam perſtant, quamvis cum aqua vitæ ſubtiliatentur, non haberent affinitatem aut convenientiam aliquam proximam cum humana carne , ſed corrupta forma prima duriſſima , & deducta ad ipſorum primam materiam ſufficienter purificatam, concoctam, & dulcificatam, tunc haberent eam affinitatem & convenientiam cum humano corpore quam habent alii cibi aut medicinæ conſervativæ, quamvis hæc foret multò aliis efficacior.

RAIM.

DISC. Hæc tam efficax medicina posse me omnes curabiles infirmitates sanare?

RAIM. Dixi juxta philosophi sententiam rc. Metaphys. In omni genere unum esse quod primum gradum teneat in eo genere, & quia diversi gradus reperiuntur in medecinis, & aliquæ plus vel minus operantur in curatione diversarum infirmitatum & in humano corpore à corruptione servando, ergo necessarium est medicinam reperiri, quæ super omnes virtuosa sit & potens ad sanandas omnes infirmitates, & ad tuendum corpus à corruptione. Et hæc est nostra medicina, quia genita est ex efficaciori & incorruptibiliori substantia quæ sub cœlo sit. Scimus etiam, appetitum naturalem non posse ubique & in omni parte suo privari effectu (ut ait philosophus) Et quia omnis res naturaliter perfici desiderat, quantum suæ naturæ possibile est: Ideo hic appetitus naturalis, qui est in medicinis ut perfectissimæ sint, & ut possint omnes morbos curare, oportet ut in aliqua adimpleatur, & hæc erit nostra medicina. Videmus etiam substantiam subtilem & formalem in quantitate materiæ submersam, non posse suas vires exetere: Sed quo magis spiritualis, & formalis atque à materia separata & à quantitate, eò magis suas vires extendit in multos effectus. Quoniam autem medicina nostra composita est ex spiritibus subtilibus & materiæ simplicis & quasi sine materia elementali, ideò sine ullo impedimento extendi potest ad omnes infirmitates curabiles. Cognoscimus etiam omne agens habere virtutem operandi juxta propinquitatem & similitudinem, qua cum primo agente participat: Primum verò & universale agens corporeum & simplex, est corpus cœleste, quod veluti universalis causa ad omnes inferiores res extenditur: Et quia medicina nostra ob suam subtilitatem, puritatem & incorruptibilitatem; super omnes substantias corporeas maximam propinquitatem & similitudinem habet cum cœlestibus corporibus, ideò super res omnes corporeas inferiores poterit omnes curabiles infirmitates sanare non solùm physico medico, sed etiam chirurgo pertinentes. Dicunt præterea medici: Hieram picram compositam singulari pollere virtute ut à capite, collo, pectoréque humores trahat, & non ab aliis inferioribus membris, quoniam genita sit virtute stellarum quæ super caput, collum, & pectus influunt: ut sunt altra dicta Aries, Taurus, & Gemelli. Similiter de aliis medicinis dicere poterimus, quæ humores trahunt à cruribus, genubus; & pedibus: quoniam specialem influxum receperunt & virtutem à stellis Capricorno, Aquario, & Piscibus: Et quia omnia metalla recipiunt esse, nomen, numerum, colores, vires, & proprietates ab omnibus planetis, & planetæ influunt super totum corpus humanum. Certum est autem (penes veterum philosophorum sententiam) omnia metalla juxta similitudinem, virtutem, nomina, colores, & proprietates, esse in quolibet metallo (ut dicemus) ergo medicina nostra quamvis ab uno solo imperfecto metallo, nihilominus in se habet omnem virtutem metallorum & planetarum, & in ejus compositione veniunt omnia illa metalla: ideo vim habet supra totum corpus humanum ut sanet omnes curabiles infirmitates. Et quia illa humiditas radicalis à nostro metallo destillata per similitudinem à philosophis nominatur aqua vitæ & aqua ardens, ideo Joannes de Rupescissa loquens de illa dicit: Aquam ardentem bonam habere in se virtutem omnium metallorum: Sed ut dicit prædictus philosophus: Aqua nostra non est aqua vitæ. Similiter loquens de sulphure subtili supra dicto nominato auro, sanguine, & vino, dicit: Scito vinum non modò auri proprietates retinere, sed multò magis omnium metallorum.

DISC. Quamvis jam dictæ rationes sapienter sint dictæ, attamen videtur mihi impossibile unam medicinam solam posse omnes infirmitates sanare, & causam dicam: morbi contrarii (ut dicunt medici) curantur contrariis medicamentis: quoniam verò contrariæ qualitates in eodem subjecto esse non possunt, ideo non mihi videtur possibile ut una medicina possit omnes infirmitates curare. Dicunt ad hæc omnes philosophi, ab una re unum solum effectum produci, ergo una medicina sola non potest plus quàm unum morbum curare.

RAIM. Una & simplex res, multos contrarios effectus producit juxta naturam & diversam dispositionem recipientium. Videmus enim solis calorem contrarias operationes facere: nam lutum desiccat, & ceram liquefacit, nihilominus est eadem operatio, & in se contrarietatem non habet: Et quamvis medicina nostra una sit, & forsan unam solam & propriam operationem habeat, nihilominus si consideratæ volumus illam in quantum pro magna similitudine quam habet cum omnibus causis cœlestibus, quæ multæ sunt, ipsa est susceptiva multarum virtutum cœlestium, & hoc modo dicimus medicinam nostram in virtute multiplicem esse, & posse causare multos & varios effectus juxta recipientium dispositionem.

DISC. Sinamus tandem sermones hos, nondum mihi declarasti ex quo imperfecto metallo fiat hæc medicina.

RAIM. Gratum mihi erit sententiam tuam intelligere.

DISC. Mihi videretur ut ex plumbo fieret, aut ex stanno: Nam Pythagoras dicit hoc totum secretum esse in plumbo: Hermes quoque ait, in Saturno esse naturisque conjunctis cum complemento, id est terram, aquam, aërem, & ignem, cum eo portæ aperiuntur scientiarum. De stanno loquens Geber libro primo capite vigesimo dicit: stannum esse perfectius inter corpora imperfecta, & libro quarto capite decimo octavo etiam dicit: Consideravimus ob examen hujus magisterii, Jovem approximari maximæ perfectioni in ordine majoris operis.

RAIM. Plumbum & stannum communia (juxta Geberi sententiam libro tertio capite duodecimo) sunt immunda in radice & in principio ipsorum creationis, quia habent substantiam immundam sulfuris & argenti vivi. Et quia impurum simul cum puro facta sunt una substantia & una essentia, ideo dicit; non esse possibile ulla industria per medicinam primi ordinis, id est, per præparationem aliquam removere talem terreitatem immundam & impuram, nequeuntes nos removere essentiam: Et inquit Geber se multum temporis fuisse sub umbraculo desperationis cum non posset hæc corpora præparare cum complemento splendoris sui lucidi Sed in se reversus, animadvertit hæc corpora in profundo esse naturæ suæ immunda. Hac de causa libro secundo capite septimo dicit: Si sublimaveris id est si exemeris argentum vivum à plumbo aut à stanno communibus, post sublimationem videbis illud nigredine infectum, & quarto libro capite octavo in principio dicit: Solùm in mollibus corporibus ingenio hujus artificii non possumus removere festinantiam liquefactionis, neque impuritatem in radice innatam suorum principiorum; alia ratio quod ista duo metalla mundari non possunt, est, quia ut dicit Geber libro secundo, capite secundo: Si sulphur & arsenicum nostra naturaliter & per minima non sint conjuncta cum fæcibus alicujus

rei fixæ neceſſarium eſſet ut illa in ſublimatione aſcenderent cum tota ſubſtantia non mundata. Quia igitur plumbum & ſtannum communia non habent ſubſtantiam fixam id eſt duram, terream & permanentem in vehementi igne, ſed cum tota ſubſtantia refugiunt, ideo ſpiritus, qui ab eis ſublimarentur, ſecum ferrent immundiciem. Ideo Geber in fine libri primi dicit: Quòd metalla illa quæ in radice participant majorem lividitatis infectionem, inveniuntur longioris laboris, & minoris perfectionis, & hæc eſt plumbum & ſtannum communia.

DISC. Fortaſſe credis me quoque non ſtudiſſe Gebero? Quamvis non intelligam, quia profundiſſime locutus eſt.

RAIM. Credo te avidum eſſe hujus ſcientiæ, & interdum legiſſe Geberum, ſed rurſus credo (ut dixiſti) neque te, neque multos alios intelligere: Nam in fine ſummæ dixit, talem doctrinam ſe ſcripſiſſe cum modo loquendi quem ſolus Deus intelligere poſſit, aut is cui Deus ſuam gratiam infuderit, aut ipſemet qui ſcripſit. Et eodem in loco dicit, ſolummodò artificem & doctrinæ filios poſſe hanc ſcientiam intelligere. Sed quod inferre volebas.

DISC. Volebam dicere, mihi videri in Geberi ſententiis contrarietatem: Nam libro tertio, capite octavo dicit: Conſideravimus corrumpentia in ſtanno, non eſſe conjuncta in radice, ſed ſuperveniſſe. Et quia in prima miſtione non multum ſunt illi conjuncta, ideo facile ſeparari poſſunt. Et capite decimo dixit: Jovem eſſe mundum, ſed Saturnum immundum. Et in libro Inveſtigationis, capite de Præparatione æceti acerrimi, loquens de corporibus imperfectis, dicit, omnia quæ ſupervenere accidentia poſſe removeri, & quòd integrè præparari poſſunt ac mundari.

RAIM. Certè mihi videtur quod ei ſtuduerit, ſed æquivocationem non intelligis. Nam quando Pythagoras, Hermes, & alii philoſophi dicunt, in Saturno totum ſecretum conſiſtere, & illum eſſe immundum, ſed ſtannum mundum, & aliis perfectius, & quòd in radice ſit mundum, accidentia ſuperinducta poſſe ab illo & ab aliis removeri, & quòd in ordine majori id eſt in multiplicatione approximet perfectioni maximæ, tunc intelligunt de metallis quæ occulta ſunt in noſtro metallo puro & mundo in radice. Intelligunt tunc de communibus.

DISC. Reſponſio: Hæc mihi videtur fuga eſſe, ſed tamen judicium ferre non poſſum, quia notitiam non habeo horum metallorum intrinſecorum tuo metallo: ideo ſcire verè velim quæ ſint hæc metalla Philoſophorum intrinſeca tuo metallo.

RAI. Quamvis ſuperius de auro & argento vivo tibi declaraverim, volens tamen ampliorem tibi dare intelligentiam, de aliis etiam differam. Sed operæ pretium erit, ut tibi prius metallorum origines declarem, & modum generationis illorum; ut cognoſcas quid in occulto habeant aut teneant.

DISC. Et hoc mihi erit gratiſſimum.

RAIM. Imo utile ac neceſſarium: nam Geber libro primo capite nono dicit: Quòd cum locutus eſſet de principiis quæ ſunt de naturæ intentione, loquetur etiam de illis in quantum ſunt principia hujus noſtri magiſterii. Principia ergo naturalia metallorum, ſunt etiam principia hujus magiſterii. Ideo ipſe Geber in proœmio primi libri dicit: Quòd qui neſcierit principia naturalia, remotus erit & longinquus ab arte noſtra, quia veram radicem non habet, ſuper quam fundet ſuas intentiones. Et tertio capite ejuſdem libri dixit. Qui magno naturali ingenio præditus non fuerit, & animo ſubtiliter rimante principia naturalia & naturæ fundamenta, non inveniet radicem hujus precioſiſſimæ ſcientiæ. Scire igitur debes principia naturalia metallorum in tres tecati differentias: Aliqua enim remotiſſima ſunt, alia ſunt media mineralia, alia immediata.

DISC. Ordine igitur hæc princia omnia explica & naturalem ordinem generationis metallorum.

RAIM. Quamvis (juxta Hermetis opinionem) principia metallorum remotiſſima ſint quatuor elementa, nihilominus quia denominatio ſit à prædominante, ideo dico quod ſecundum communem opinionem, terra cum aqua miſta, eſt principalis radix & fundamentum omnium mineralium. Ariſtoteles quarto Meteororum inquit: Ex terra & aqua ſunt metalla & quæcunque igne liqueſcunt. Et idem ibidem, atque Avic. de Mineralibus inquiunt, metallorum materiam eſſe aqueam ſubſtantiam terreæ ſubſtantiæ miſtam forti miſtione.

DISC. Dic quomodo in metallum convertantur.

RAIM. Stellæ omnes & planetæ ex lumine à Sole recepto, & ob illorum continuum & uniformem motum circularem & radiorum reverberationem, atque etiam propter tenuiſſimam & potentem virtutem penetrativam, continuè terram calefaciunt in centro ac ſuperficie, intus ac foris. Quoniam verò res omnis decocta & alterata, immaturatur tandem & corrumpitur: Ideo terra miſta cum aqua diutiſſimè cocta & uſta, convertitur in aliam naturam terream, ut videmus in lignis uſtis, & lapidibus in calcem converſis.

DISC. Terra ita tranſmutata, quam in terram vertitur?

RAIM. Convertitur in quoddam terræ genus aduſtæ, quæ in ſe aliquam ſalis ſubſtantiam continet vel aluminis: ut experientia videmus calcem, cineres, ſudorem, urinam, ſputum, maris aquam, à ſole decoctam, in ſe continere aliquos ſales. Et ideo Geber in principio Teſtamenti dicit, ab omni re combuſta fieri ſal poſſe.

DISC. Vulgò hic ſal quo nomine indicatur, qui in ea terra occultatur aduſta quæ eſt metallorum principium remotiſſimum?

RAIM. Vulgò nominatur vitriolum, & illud eſt medium minerale, & proprium ſemen generandi omnia metallâ.

DISCIP. Ey: ergo ex vitriolo generantur cuncta metalla? quomodo hujus rei certior fiam?

RAIM. Ratio & experientia te docebunt: nam res omnis in id reſolvitur ex quo eſt compoſita. Si metalla ſolvere ſcies in eorum primam materiam & proximam naturæ metallicæ, videbis ea in vitriolum reſolvi: ex eo igitur conſtant. Et hoc confirmat Geber in libro Inveſtigationis, capite de Vitriolo dicens: Certum eſt (ut aliàs conſideravimus) à corporibus imperfectis elici diverſa genera vitrioli nobis neceſſarii. Idem confirmat libro tertio cap. ſeptimo.

DISC. Si omnia metalla generantur ex unica materia cum ſulfure, cur ergo ait Geber trahi diverſa vitrioli genera?; Et cur dicit à metallis imperfectis potius quàm à perfectis?

RAIM. Per vitriolum in hac ſcientia intelligitur non ſolùm illud ſal vel alumen ſupra dictum, ſed etiam ſulfur, & hæc arti noſtræ neceſſaria debent à metallis imperfectis educi ob jam ſupra narratas rationes.

DISC. Quare magis ex vitriolo generantur metalla quàm ex alio alumine aut ſale?

RAIM. Quoniam illud eſt magis ſulfureum & naturæ metallorum propinquius ac in ſe vim mineralem continet, & eſt proprium ſemen & prima mate-

ria

ia aut medium minerale ex quo generantur omnia metalla. Et quando Philosophi dicunt non fieri metallorum transmutationem nisi prius ad primam reducantur materiam, intelligitur ad naturam vitrioli. Et ideo vana est eorum opera qui vegetabilibus utuntur, aut animalibus, aut aliis rebus quæ non sunt metallorum naturalia principia & arti propinqua.

DISC. Omnes Philosophi dicunt, sulphur & argentum vivum esse principia naturalia metallorum.

RAIM. Vitriolum componitur aut generatur ex aqua & terra simul digestis & decoctis, ex qua decoctione terreum subtile unctuosum convertitur in sulphur, & humidum aqueum radicale cum terreo subtili, fit viscosum & est materia argenti vivi: ob hanc causam inquiunt Philosophi metalla generari ex sulphure & argento vivo: Sed non sunt sulphur neque argentum vivum communia (ut probat Geber l. c. 12.).

DISC. In prædicto loco ait Geber, hunc esse metallorum generationis modum, nempe quod eorum quodvis prius in terream substantiam convertitur, & ex his duobus terreis naturis emanat duplex fumus subtilissimus à colore multiplicatus in terræ visceribus, & hic duplex fumus (sufficienter concoctus) est immediata materia metallorum. Antea igitur quàm in terram convertantur, erant sulpur & argentum vivum communia, & hoc modo possumus dicere illa esse principia metallorum.

RAIM. Non bene capis Geberi sermonem, nam ibi dicit: ea non esse principia naturalia in natura sua, id est, communi: Sed aliud, quod sequitur, ob eorum substantiæ alterationem in naturæ radice ad terram substatiam.

DISC. Non te assequor.

RAIM. An non tibi dixi radicem & naturale fundamentum omnium mineralium, tam sulphuris & argenti vivi communium quam metallorum esse terram cum aqua mistam?

DISC. Sequere.

RAIM. Ergo duorum horum alteratio ad substantiam terream non fit in ipsa substantia & essentia argenti vivi & sulphuris communium, sed in eorum radice, id est, in terra cum aqua mista, quæ ob calorem mineralem & cœlestem decoquuntur & transmutantur in vitriolum. Et quia ut dicit Gebr. lib. 2. cap. 15. Ex operibus naturæ possumus probare, solummodo res quæ salium & aluminum naturam habent ac similium, esse solubiles: Ideo prædictum vitriolum opera subterranei caloris & diametralis reverberationis Solaris ac stellarum, solvitur, & ab eo elevatur aut emanat duplex fumus: nam color semper miscet, & subtilissimè ac fortissimè simul unit subtile terreum & humidum aqueum simul concocta. Hæ igitur duæ exhationes à calore cœlesti tractæ, si terrestrem locum reperiant aut apertum & porosum; per quem exhalare possint, trahuntur in aerem, & ibi in cometas vertuntur, aut in stellas (ut vocant) cadentes, & circulos apparentes circa Solem & Lunam, aut in eum arcum cœlestem, seu iridem, in ventos, tonitrua, fulmina, nubes, nebulas, grandines, nives, pruinas, rores, & similia in aëre apparentia. Quod si clausum montem aut locum fortiantur & lapide munitum seu circumdatum, ita, ut neque calor mineralis, neque ille duæ exalationes vaporosæ possint effugere, tunc ille duplex fumus sublimando crasse fieri incipit & multiplicari, & cadens atque excolans per saxum & locum mineralem, prout meatum & viam invenit penetratu faciliorem per eum locum, ut distillationibus videmus. Quod si eo in loco virtutem mineralem non invenit, non potest indurari ac in metallum converti, sed variis coloribus eos lapides maculat, aut in commune argentum vivum convertitur. Si autem duplex ille fumus lapidem inveniat in quo sit vis mineralis indurativa & fixativa; mediante convenienti calore convertitur in metallum.

DISC. Non intelligo quæ sit virtus illa mineralis indurativa & fixativa.

RAIM. Est sulphur quoddam lucidum ac lotum & ex parte fixum, & invenitur in excisis lapidibus atque in arenis, licet ut argentum: Et sine hoc sulphure nunquam possent generati metalla, de hoc sulphure loco loquitur Albertus in mineralibus libro tertio capite primo & secundo & tractatu secundo capite quinto. Ideo (ut ipsemet ait lib. 4. Min. cap. 1.) natura abundat hoc sulphure ubicunque locus est generationis metallorum. Et propterea metallum quod plus abundat sulphure, illud est locus generationis metallorum Philosophorum; & per artificium educi potest & lavari. Et ideo Avic. in mineralibus obscurè loquens de his sulphuribus metallicis per artificium genitis, in quibus est virtus mineralis indurativa & fixativa, dicit: Attramenta, id est sulphura metallica per similitudinem dicta attramenta, quia sicut vitriolum commune est pannorum tinctura, ita sulphura sunt tinctura metallorum composita ex sale, sulphure, ac lapidibus Superius dixi in corporibus metallicis esse duo sulphurea: Sulphur illud subtile dictum aurum, intrinsecum sali, & compositum ex sale ac sulphure: Aliud sulphur crassius dictum Mars, & ferè sali extrinsecum, quia genitum est ex lapidibus vi caloris: Ideo compositum est ex sulphure ac lapidibus, & non funditur, quia proprietates habet Martis, ut superius dixi: & in his sulphuribus metallicis est virtus mineralis perficiendi in metallum argentum vivum. Nec solvitur sulphur dictum Mars quia non participat de salsedine Sed per distillationem solvitur salsedo simul cum suo illo sulphure intrinseco, & postea in igne coagulatur, & illud sulphur metallicum jam virtutem mineralem adeptum est in aliquibus corporibus metallicis. Illud ergo sulphur quasi extrinsecum quia cepit vim & proprietatem ferri, ideo nominatur ferrum, & post metalli putrefactionem est rubeum vel croceum, & per lavationem fit album; Sed illud sulphur illi sali intrinsecum quia cepit virtutes & proprietates æris: ideo vocatur æs, & in suo sale est viride ut vitriolum commune. Et hæc duo sulphura per artificium extrahi possunt à metallis.

DISC. Putabam solum Geberum obscurè locutum esse, sed mihi videtur Avicennam profundè admodum locutum esse.

RAIM. Res omnes huic scientiæ pertinentes, ut artifici claræ sunt & manifestæ, is qui doctrinæ filii non sunt, obscurissimæ videntur; ita ut vix quicquam intelligant nisi praxim viderint.

DISC. Velim causam & modum scire, quomodo sulphur illud lavetur.

RAIM. Morienus Romanus dicit: Ignis & Azoth, id est argentum vivum conversum in salem Latonem lavant, id est sulphur nostrum metallicum, & ab eo obscuritatem removent, id est adustivam sulphureitatem. Idem dicit: Quamvis nostrum Laton, id est sulfur, primò sit rubeum: nihilominus inutile est, nisi post rubedinem convertatur in album, & hoc fit igne mediante & suo sale absque aceto distillato. Ideo Geber in libro Investigationis capite de Jovis præparatione dicit: Ignis separat & consumit omnem fugitivam substantiam & inflammabilem, id est cum sale communi mundato, & cum alumine ac cum aceto purificato & acerrimo multum lavando.

DISCIP. Eo in loco Geber loquitur de Jovis præparatione, non verò ſulphuris?

RAIM. Dixi tibi poſt puttefactionem omnia Philoſophorum metalla ſimul eſſe, & omnia ſalis naturam participare, excepto ſulphure dicto Marte, quod licet tunc rubeum fiat, tamen rubedo illa non eſt utilis, imò nocua, quia unctuoſa eſt & inflammabilis: Sed dum cum ſuo ſale omnibus metallis communi & cum aceto diſtillato (leviter in balneo bulliendo) iſtud præparas, ſimul etiam ex parte præparas alia Philoſophorum metalla. Et ideo Geber libro quarto, capite tertio dicit: Rubificationem cum ſplendoris apparatione non invenire Veneri ver Marti cum medicina primi ordinis, id eſt ex prima præparatione, quia immunda ſunt ob adaſtibilem unctuoſitatem. Et hac ratione fixari non poſſunt niſi prius mundentur, & propterea Geber libro ſecundo capite decimo octavo dicit. Sulphur & arſenicum fixari non poſſunt niſi prius eorum partes inflammabiles ſubtiliſſimæ artificio ſubtilis diviſionis ab eis ſeparentur. Et lib. 1. capit. 14. dicit: Sulphur eſt tinctura rubedinis, facile, ſed rubedinis difficile. Idem confirmat capite vigeſimo ſecundo libri primi dicens: Mars eſt tinctura rubedinis facilè, ſed bonæ rubedinis difficile, & illa facilis rubedo non eſt utilis, & hic habes quomodo ſulphur vocatur Mars. De hujus ſulphuris præparatione loquitur Geber in multis locis, potiſſimè libro primo capite decimo & tertio decimo, & libro tertio capite primo & in lib Inveſtigationis ubi de Metallorum præparatione agit. De hac lavatione loquitur etiàm Albertus libro tertio Mineralium cap. 1. & 2. & in 2. tractatu cap. 5. In libro Vaporum ſcriptum eſt, Arſenicum vel auripigmentum duas habet unctuoſitates, & ſulphur ſimiliter, nam quando ſublimare volumus auripigmentum vel ſulphur, his adimimus unctuoſitatem per lavationem in urina & lixivio, & aceto & lacte caprino, quæ lavationes ſunt acutæ & ab eo removent unctuoſitatem, quæ ſi remaneret, auripigmentum ſublimari non poſſet, nam ſubito accenderetur, & fieret flamma, quoniam ea unctuoſitas habilis eſt calori ſuſcipiendo, & talia corpora ſublimari non poſſent: per arſenicum & auripigmentum intelligit quod ſupra nominavimus Venerem, & per illas acutas lotiones intelligit acetum diſtillatum cum illo ſale. Avicenna in epiſtola ad Hatſem Philoſophorum dicit: Satagamus ut à ſulphure & arſenico ſeparemus, quicquid in eis eſt, quod argentum denigrat: Sed quum ſulphur melius ſit cæteris mineralibus invenimus illi viam, quæ eſt ut coquamus cum lento igne, ut in eo vis ignea non aduratur, ſed eximatur, neque comburatur ex ſulphuris ſubſtantia & virtute ignea, ſed de unctuoſitate Razes in libro Divinitatis, loquens de ſignis, quæ accidunt in præparatione hujus ſulphuris, dicit: Cape oleum cum ſpongia quod aſcendit; donec nil amplius elevetur nigri, & ſuperius elevabitur nubes rotunda, & ſinas ut compleatur, & ſublimatio firmetur: Poſtea cape nebulam, & adde aquam bullientem, quando deficiet aqua poſtea cape aliam nebulam & aliam & ita fac, quoad nebulæ conſumantur, nam illæ ſunt oleum ſulphuris.

DISC. Fateor me neſcire cum ſpongia eas nebulas elevare.

RAIM. Tu perpetuò credis ſimplici Philoſophorum ſcripturæ. Volunt autem dicere, quod quando ſuperius elevata erit pellicula & firmata, ut tu leviter vas movendo facias ut in fundum cadat; & ita ſucceſſive de aliis facias, & iſtud voluit Geber ſignificare libro ſecundo capite octavo dicens: Sine ignitione ſublimetur illius ſulphur ſemper removendo, quod ab ea ſublimatur ſæpiſſimè, & loquitur de noſtro metallo ſub nomine matchaſitæ.

Raſes etiam in Lumine luminum dicit: Omne oleum congregatur ſupra ſuam aquam, Et hoc intelligi poteſt; non ſolum in putrefactione materiæ, & ſulphuris præparatione, ſed etiam in ultima decoctione: nam ſulphur dictum arſenicum totum ut oleum elevatur ſuper ſuam aquam, & ſuum Mercurium. Ideo Joannes de Rupeſciſſa dicit, quod poſita calce, mediante calore elevabitur quædam pellicula in modum olei. Hæ pelliculæ ſignificatæ ſunt per vela nigra, & per navim, qua Theſeus Athenas revertebatur, & per navim qua Pyrrha & Deucalion à diluvio ſalvati ſunt, nam ſuperius tibi duxi, arſenicum eſſe hermaphroditum, quum ſit ex hoc ſulphure & argento vivo compoſitum. In Arca etiam Noe ſalvati ſunt maſculi & fœminæ, Forma vaſis hujus præparationis ſulphuris debet in fundo plana eſſe, ut dicit Geber lib. 2. cap. 10. & cap. 8. de hoc loquens ſub nomine marchaſitæ, dicit: Primam ſublimationem marchaſitæ debere fieri in vaſe ſublimationis ſulphuris, donec ſulphur diſceſſerit.

Sulphur autem diſceſſiſſe fertur, quando rubedo illa, vel unctuoſas illius, cauſa rubedinis remota fuerit, & hoc ſit ut ſupra dixi. Inter alias laudes quas Geber dat huic ſulphuri præparato, libro primo, capite decimo quarto, dicit: Quod qui in præparatione ſciet unire & amicare corporibus, ſciet unum ex maximis naturæ ſecretis; & unam viam perfectionis quum ſint multæ viæ ad unum effectum & intentum.

DISCIP. Amabo rogo te, ut mihi ſententiam hanc particulatim partes, quoniam multi eſt momenti.

RAIM. Videtur tibi admodùm difficilis & obſcura tamen facilis intellectu. Nam qui ſulphur præparare novit noſtri metalli, & illud ad albedinem & mollitiem argenti deducere (ut inquit Geber in Teſtamento, loquens de Marte) tunc ille ſcit amicare & unire cum corporibus metallicis communibus, quia cum illis affiniratem habet & convenientiam, non alterat tamen & tranſmutat illa, quia nondum eſt alteratum aut tranſmutatum ipſum. Et ideo Geber in ultimo cap. primi libri de hoc ſulphure loquendo ſub nomine Martis inquit: Quando conjungitur non alteratum non mutat conjuncti colorem, ſed illum in quanto auget. Et quia dictum ſulphur præparatum non eſt fixum ultima illa fixatione, ideo conjunctum ſeparari poteſt, ut inquit Geber ut ſupra, & hoc etiam in libro tertio, capite primo, loquens de ſulphure & arſenico præparatis confirmat, dicens: Mediocris eorum ſubſtantia non eſt perfectionis cauſa in corporibus, vel argento vivo, niſi fixetur, quæ quia fixa non eſt ultima fixatione, quamvis illius impreſſio non facile removeatur, nihilominus non perpetuatur ſtabiliter. Et libro tertio, capite octavo, loquens de hoc ſulphure, & arſenico præparatis ſub nomine Martis & Veneris dicit: Fixio harum duarum ſubſtantiarum approximatur firmæ fixioni, ſed non eſt firma & perpetua.

Tria ego ſunt naturæ maxima ſecreta nempe ſulphur præparatum, arſenicum, & argentum vivum præparata, & eorum præparationes ſunt tres viæ ad unum effectum, nam ſulphur præparatur uno modo, arſenicum alio, & argentum vivum alio modo, quamvis interdum unum adjuvet in alterius præparatione.

Qui ergo ſcit hoc ſulphur præparatum, ſcit unum naturæ ſecretum, quia etiam ipſa natura illud lavat (ut ſuperius dixi.) Ideo Geber libro primo, capite decimo ſeptimo in fine ait: Ultimum eſt Mars, id eſt ſulphur, & hoc eſt unum de naturæ ſecretis, Idem etiam confirmat libro ſupradicto, capite decimo

cimo quinto, & libro tertio, capite nono: cum illo igitur sulphure præparato, & ex parte fixo uniuntur spiritus, id est arsenicum & argentum vivum præparata, & per illum fixantur cum maximo ingenio, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis, ut ait Geber, libro primo, capite decimo septimo in fine. De hoc sulphure loquens Albertus, libro quarto Mineralium capite primo dicit: Debemus istud observare, quod fumus illius (ante præparationem) ostendit substantiam terrestrem illius admodum ignibilem esse, & cremabilem, & fœtor illius ostendit illam esse admodum inconcoctam, & non terminatam, sed magis per calorem corrumpentem, esse corporis indigesti, quam per digestionem completam. Et hæc ejus intemperies facit ut illud esse possit materia universalis omnium metallorum, nam si ipsum esset completum, & unius determinatæ complexionis, tunc certè non esset ad alia convertibile nisi prius illa removeretur, sed pro sua discrasia est in omnia convertibile, & semina & alia ex quibus res in natura generantur.

Et ideo sagax natura abundat sulphure, ubicunque est locus generationis metallorum, & quia calidum est ideo appetitivum est & humidi terminativum, id est argenti vivi, quod eum tangit. Et quia calidum est & siccum, ideo acutum est & ideo vires habet sigillantis, & formantis; & non recipientis.

Qua de re Hermes Trismegistus dicit esse patri & masculi semen.

DISC. Jam certior sum hanc nostram medicinam, fieri non debere ex auro, quia finitum & terminatum est.

RAIM. Ad illud quod aliqui dicunt: Omne simile generare suum simile, superius respondi. Et propterea dico; in metallo nostro imperfecto esse, Solem & lunam in virtute ac potentia propinqua, ut etiam dicit Arnoldus in Epistola ad Regem Neapolitanum.

Ad illud quod dicunt de fermento, intelligunt de medicina finita, & perfecta; nam illa est fermentum in multiplicatione, & illa generat simile sibi. Sulphura etiam dicta aurum & argentum sunt fermentum sui argenti vivi.

DISC. Te die noctuque audirem tam me delectant istæ expositiones, sed velim tandem concluderes quæ sint principia immediata metallorum.

RAIMUND. Iam dixi, duplicem illum fumum per saxa penetrantem, si inveniat sulphur illud lotum & quasi fixum, ob multam affinitatem & convenientiam uniuntur ad minima, & duplex ille fumus incipit aliquantulum incrassari; & ex virtute caloris mineralis subtilissimæ partes aqueæ exalant aut consumuntur & mistio illa indurari simul cum saxo incipit, & virtute caloris, qui semper commistivus est, prædicta talem simul unionem faciunt, quam ignis separare non potest. Et quia videmus per experientiam, quod ex aliquibus metallicis ad ignem positis exhalant aliqui vapores sulphurei, qui etiam odore sentiuntur, & videmus etiam substantiam aqueam fortissimè unitam cum substantia terrea in forma argenti vivi, perseverare in igne.

Scimus etiam ex terra non generari sulphur sine calore, neque aqua tam fortiter unitur terræ, nec terra aquæ, nisi per causam dictam. Calor ergo est causa efficiens metallorum, qui transmutat terreum subtile in sulphur & humidum aqueum unitum cum terreo subtili in substantiam argenti vivi. Et hæc sunt principia proxima & immediata metallorum. Et hoc modo verificari potest quod dicunt Philosophi, scilicet quod sulphur & argentum vivum sunt metallorum principia, tamen non sunt sulphur; vel argentum vivum communia.

DISC. Si omnia metalla genita sunt ex una substantia sulphuris & vitrioli simul unitorum, unde provenit ergo tanta inter metalla diversitas?

RAIM. Ex diversa illius sulphuris lotione, & ex diversa quantitate pura vel impura, & à loco minerali diverso, atque ab accidentibus diversis, quæ supervenerunt & à diverso calore, qui variè digerit materiam metallicam. Verum est tamen quod omnia accidentia, quæ supervenerunt materiæ radicali, artificio removeri possunt, & partes inconcoctæ concoqui possunt.

DISCIP. Unum abs te velim intelligere, nempe, quomodo ars possit naturam imitari.

RAIM. Omnes generationes & transmutationes, quas natura facit mediante aliquo semine, illas etiam eo mediante, semine potest ars facere, & sine illo solus Deus naturæ creator rem talem creare posset, aut etiam generare, ut est, ex lapidibus, potest panem facere, & ex costa viri facere mulierem.

Quum igitur natura in metallorum generatione proprium ac determinatum semen habeat, quod potentiam & virtutem propinquam habeat, ut in naturam metallicam convertatur: ergo sine illo semine omne humanum opus vanum foret, & hac ratione infiniti errores excluduntur: Verum est autem artem non posse naturam imitari in remotis principiis, sed oportet ea principia ex metallis elicere, in quibus in sunt jam decocta, & ex parte fixa, & arti propinqua. Et hoc totum confirmat Thomas Aquinas in fine tertii Meteororum. Et in principio quarti dicit. Quod metalla invicem transmutari possunt, quia naturalia sunt, & eorum materia est eadem. Ideò Hermes ponebat circulationem in metallis, ut in elementis, nam unum sua corruptione convertitur in aliud.

DISC. Declara tandem quomodo quodlibet metallum sit in quolibet metallo.

RAIM. Dicit Rasis in libro Divinitatis: Scias res naturæ subtili artificio ita simul esse colligatas, quòd in qualibet re est res quælibet in potentia, quamvis actu non videatur. Quæ res melius comprehenditur in rebus liquefactivis, quàm in aliis: Nam auri interiora sunt argentea, & argenti interiora sunt aurea, quia elicitum est aurum ab argento, & argentum ab auro, & in ære adest potentia aurum & argentum, sed non visibiliter, & in illis ferrum plumbum & stannum, & in his aurum & argentum. Hoc idem scribit Albertus 2. lib. de Min. cap. 8. dicens, Hermes, Gilgil, Empedocles, & quasi omnes illa Philosophorum turba dicunt, in quocunque metallo esse plures species, & naturas metallorum, & aliam esse occultam, aliam manifestam, aliam intus, aliam foris, aliam in fundo, aliam in superficie (ut qui formarum latentiam dixere) & omnia in omnibus esse dixerunt, ut Anaxagoræ placuit, sed intus in plumbo dixerunt esse aurum, & exterius esse plumbum, & aurum in superficie esse aurum, & intus atque in profundo esse. Et idem eodem modo esse inter æs & argentum, & ferè in omni metallo erga aliud metallum.

Et dicunt, ne nomines aut voces intus & foris vel alias differentias juxta partium situm in toto, sed secundum proprietates, & naturas dominantis, aut non dominantis, nam dominans claudit in se & occultat illud, cui dominatur. Et hoc modo isti rectè dicunt Anaxagoræ sententiam, id est omnia metalla in omnibus esse, & denominationem fieri à prædominante.

DISCIP. Mihi videtur, Albertum in superiori loco hanc opinionem improbare.

RAIM. Ipse Albertus adducit eas rationes pro his, qui non aliorum, quam communium metallorum notitiam

notitiam habent, atque ut aliis metallorum Philosophorum notitiam non daret: Sed bene cognoscebat esse rationes debiles, quodque cum æquivocatione facile poterat omne dubium solvi.

DISCIP. Obsecro te ergo mihi distinctè de his philosophorum metallis declara, & quomodo in plumbo sint omnia metalla.

RAIM. Per calcinationem, & putrefactionem reducimus nostrum commune metallum in album salem, & illud vocatur Saturnus. Et quia hoc sal fortiter est commistum cum partibus sulphureis. Ideo dum dissolvitur istud & in aceto sublimatur, trahit secum partes sulphureas, atque in iis sale & sulphure, sunt omnia philosophorum metalla. Et ideo Geber libro quarto, capite decimo quarto loquens de hoc Saturno dicit: Citius aliis cedit, id est solvitur, quia naturam habet salis, & citius à commisto trahit secum omnia imperfecta. Et in Testamento in capite de Iove, dicit, Calcinationem corporum esse breviorem, quoniam calx facile in salem resolvitur, & facile corpus calcinatum mundatur & præparatur.

Dicit ergo Razes in loco allegato, Saturnum in suo profundo frigidum & siccum esse, id est plumbum est argentum, nigrum, molle, terreum melancholicum, acerbum, fœtidum, fœmineum? Sed est plumbum in actu, & argentum potentia. In suo profundo, est calidum & humidum id est aurum, æreum, sanguineum, croceum, dulce, odoriferum, masculinum. In uno latere est frigidum & humidum, id est stannum & argentum vivum, aqueum, phlegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum. In alio latere, est calidum & siccum, id est ferrum & æs, igneum, coleticum, rubeum, amarum, acutum, masculinum. Ecce ergo, quomodo in uno solo communi metallo, & in uno philosophorum metallo sunt omnia philosophorum metalla. Et hoc de omnibus suo modo dicere poterimus.

Et juxta prædictas proprietates & qualitates, Antiqui hisce rebus posuerunt omnia nomina mundi. Ideo multi errant, quum capiant eam rem communem per illa nomina significatam.

DISC. Interdum & ego eum in errorem cecidi, sed multo magis in hisce rebus caderem, quum mihi videantur admodum obscuræ & intricatæ.

RAIM. Secundum Razis sententiam, in omni corpore sunt tres dimensiones, nempe, altitudo, profunditas, & latitudo. Altitudo est in manifesto, profunditas est in occulto, latitudo in medio occulti & manifesti: Et hæc latitudo habet duo latera, & eorum quodlibet participat de manifesto, & occulto. Istud ergo philosophorum plumbum, quoniam in suo manifesto est album, ideo dicitur esse frigidum, quoniam albedo est frigiditatis signum. Et quoniam illud habet multam terreitatem intrinsecam, ideo dicitur esse naturæ siccæ, nigræ ac melancholicæ: Nam ut inquit Geber libro primo capite quinto decimo. Quamvis habeat humiditatem viscosam, tamen non adhæret sulphuri dictum Mars, præterquam artificio, id est præparano illa propter siccitatem id est illius terreitatem, qui contemperat ejus viscositatem, & non sinit eum adhærere: Et de hoc sale dicto Saturno intelligit Geber libro secundo capite septimo: & alibi quum loquitur de mercurii præparatione, & quomodo ab eo separetur terra & aquositas superflua: Et quia illud est de natura Vitrioli indigesta, ideo acerbum est & propter albedinem & frigiditatem dicitur fœmineum, fœtidumque vocatum est propter sulphureitatem adustibilem, indigestamque: Et quia manifestum semper est occulto contrarium, & è converso (ut ait Razes) ideo profundum occultum istius plumbi per distillationem fit manifestum & calidum, quoniam est sulphur rubeum: Et quia in hujus rubei sulphuris compositione intervenit arg. viv. ideo dicitur esse humidum & de hoc loquens Albertus in 4. Mineral. capite primo dicit, Observare debemus esse calidum quoddam & siccum humido frigido conjunctum in una complexione quæ hermaphrodita est, ut in plantis videre est, quæ ab omni parte sunt imprægnatæ & imprægnant. Dicitur ergo aurum, quod etiam nominatur Venus, fore hermaphroditum: quia hermaphroditum nomen est compositum è duobus, significans Mercurium & Venerem. Ideò Geber libro primo, cap. vigesimo primo loquens de hac Venere conjuncta cum Mercurio, dicit illam esse mediam inter Solem & Lunam, id est, sulphuris & argenti vivi, quoniam ex utroque participat: Aereum nominatur, quia est spiritus subtilis, & sublimatur simul cum aqua mercuriali dicta aere: sanguineum, quia rubeum, & ob hoc vocatur sanguis & vinum rubeum: citrinum, quia compositum est ex argento vivo albo & sulphure rubeo, nam ut dicit Geber libro tertio, capite tertio: Citrinitas non est aliud quam determinata proportio rubei & albi, & libro prædicto capite nono loquens de distillatione hujus Saturni dicit. Non separatur ab illo in fumum quantitas, quæ non sit citrini coloris multæ citrinitatis: & parum infra dicit. Quando fumus exit ab eo necessario exit cum sulphure non comburente: cujus proprietas est creandi citrinitatem. De his duobus fumis & vaporibus, deque hoc auro satis dixi superius. Dulce & odoriferum dicitur ob suam rubedinem, caliditatem & bonam concoctionem, masculinum quia calidum & veluti paternum semen simul cum sulphure in metallorum generatione. De hoc inquam occultò auro scriptum est in libro Trium verborum: Oportet ut sciamus facere de manifesto occultum & de occultò manifestum: Et istud occultum est de natura Solis & ignis, & est preciosissimum oleum omnium occultorum & tinctura viva, & aqua permanens.

De hoc oleo Geber libro secundò, capite duodecimo, dicit: Causa inquisitionis olei fuit, ut haberetur color qui permistus est cum substantia illius, nam istud operari nostro auxiliari potest. Etiam ipse Saturnus in uno latere ipsius latitudinis, id est in parte manifesti, & parte occulti: est naturæ frigidæ & humidæ, id est Iupiter & arg. viv. præparatum: quod quia est album, ideo dicitur frigidum, & quia illud habet quandam aqueitatem admodum unitam, & homogeniam, ob quam difficulter coagulari potest (ut dicit Geb. libr. 2: cap. 16.) ideo humidum est. Et istud accidit post lavationem fæcum ustarum, quod affirmat Geber lib. 1. cap 19. dicens, Plumbum habet multum substantiæ terreæ, ideo lavatur, & ob lavacrum convertitur in stannum. De hoc plumbo dicto mercurio non præparato Geber in lib. 3. c. 12. dicit: Per leve artificium videmus ab illo exire terram nigram & fæculentam per lavationem. Morienus Romanus dicit, Corpus immundum secundum philosophos dicitur plumbum, sed corpus mundum est stannum. Quia ergo stannum istud & arg. viv. præparatum est album ut cera alba vel butyrum, & facilis fusionis, & multum de humiditate participat, ideo dicitur esse naturæ frigidæ & humidæ, phlegmaticæ, insipidum & remissum dicitur ob remotionem aquæ acutæ ac vaporis calidi sicci, id est ferri & æris: Quamvis (ut dicit Razes) Veneris siccitas sit minor Martis siccitate, quia participat de arg. vivo, quod suam siccitatem contemperat: Et nota, quod (ut ait Geb. lib. 1. cap. 12. & libr. 3. cap. 7.) in corporibus metallicis communibus sunt duo sulphura necessaria

nostræ

nostræ arti, quæ in manifesto tendunt ad rubedinem, sed in occulto sunt alba, rubea, & nigra. Quod Venus dicitur, intrinsecum est prædicto Saturno; aliud quia est naturæ terreæ, quasi fixum, & sine fusione, id est solutione, est dictum Mars. Et istud à commisto separatur Saturno, quia (ut dicit Geb. lib. 4. c. 14.) ea metalla quæ participant minori quantitate arg. vivi, facilius separantur à commisto, & rationem adducit in sequenti capite, videlicet, quia in substantia diversificantur, ideo resultat diversa fusio & spissitudo & raritas, quæ sunt causa separationis. Loquendo igitur de hoc sulphure dicto Marte dico esse calidum & siccum: Ideo Razes in Lumine luminum dicit, Mars exterius habet calorem & siccitatem, & intus per propriam naturam habet arg. viv purum, quod per administrationem extractum, tandem finit se converti in speciem puri auri. Dicitur etiam istum Martem esse igneum ante lavationem, quia sulphur est & facile inflammabile, ob adustibilem unctuositatem, cholericum ob multam caliditatem atque amarum & acutum, masculinum ob suam caliditatem, & quia est ut semen paternum in generatione metallorum. Ecce ergo quomodo in uno communi metallo, & in uno philosophorum metallo sunt omnia metalla philosophorum, idem dicere poterimus de aliis. Sed nota quod sulphur istud dictum Mars, quia est quasi extrinsecum dicto Saturno, & non habet salis naturam, ideo separatur & non solvitur, sed subtiliatur: sed alia omnia, quia salis naturam retinent, ideo solvuntur, & hoc innuebat Geber lib. 1. cap. 15. loquens de mercurio, id est de isto sale dicto Saturno: Solvuntur Jupiter & Saturnus, Luna & Venus ab illo, id est per illius naturam: nam omnia simul habent naturam salis. Nam solæ res quæ habent naturam salis aluminis solubiles sunt, ut sæpius dixi. Et supra dicta philosophorum metalla nominantur nominibus planetarum & deorum antiquorum, & sub his, & aliis nominibus Geber occultavit suam scientiam. Idem fecere alii fere omnes philosophi, Ideo Razes in Lumine luminum dicit: Antiquis placuit occultare harum rerum significatum cum tot nominibus, ut vix nemo amplius reperire possit nova vocabula. Morienus Romanus dicit Nulla res inclusit hujus artis magistros in errore magis quam nominum multitudo. Sed qui inveniet hæc nomina non aliud esse quam colores apparentes in commistione, non errabit in via hujus operationis. Antiqui ergo ut hanc scientiam occultarent, multis usi sunt nominibus, similitudinibus, ænigmatibus, & potissimum fabulis poëticis.

DISC. Superius volui tibi dicere, me multum mirari homines sapientissimos occultasse hanc scientiam tam divinam sub velo illarum fictionum & chimærarum. Sed si me hujus rei capacem reddas, perpetuò tibi devinctus ero: nam neminem unquam inveni qui eas exposuerit præterquam moraliter.

RAIM. Antiqui sapientes publicè operibus & verbis moralia docebant, ideo qui notitiam hujus scientiæ non habet, non potest ea scire, quæ significare voluerunt per tot deorum nomina, eorumque genealogiam, amores, metamorphoseosque. Et nisi credas hasce fabulas hunc sensum habuisse, vide Albert. in 1. Min. Tract. 2. cap. 8. qui eas exponit in hunc sensum.

DISC. Is dicit Gorgonis fabulam habere, ipsum in lapides convertisse quotquot eum respiciebant: Vim fortem mineralium nominarunt Gorgonem: ejus aspectum aiunt esse humorum corporum dispositionem ad vim lapidificativam: ecce igitur quomodo antiquorum nonnulli exponebant ut dixi.

DISC. Nondum ista intelligo.

RAIM. Superius dixi, in sulphuribus esse vim fortem mineralem indurativam & fixativam per Gorgonem significatam: illius respectus est humorum, id est vaporum metallicorum ad hanc virtutem lapidificativam: Nam quando fumi saliunt per longum bociæ collum, & postea pluries descendunt, tandem uniuntur, cum prædictis sulphuribus, & convertuntur in lapidem admodum preciosum. Scribunt etiam Poëtæ, Græcos serpentem vidisse super arborem salientem, in cujus summitate invenit matrem cum illis quos omnes comedit; sed ipse inclinans caput conversus est in lapidem. Vapor & humiditas radicalis metallorum est serpens: nam ante decoctionem est admodum venenosa, & nominatur nominibus serpentum, draconum, leonum, ursorum & basilicorum ob eorum ferocitatem & venenositatem. Iste igitur vapor ascendit per distillationem in bocia, & ibi reperit filios, id est illa duo sulphura, cum matre, id est cum arg. viv. fœminino, à quo prædicta sulphura soluta sunt, & omnes comedit, quia illa sulphura solvit, & ad se trahit. Sed ille vapor quia salit, & postea descendit per collum bociæ, ac simul cum illis sulphuribus siccatur, ideo convertitur in lapidem. Sacra etiam Scriptura dicit: Vxorem Lot ignem fugientem, quia contra Dei mandatum respexit retro, conversam fuisse in statuam salis. Alph. dicit: Antequam operaris, volo tibi describere bonam medicinam, oportet ut sit humida, & quando coquitur, ut coaguletur, & inspissetur ut sal, nix, grando, & sit dulcis saporis, ventris nigri, coloris albi.

DISC. Quid sibi vult ventris nigri?

RAIM. Vult dicere, quod quamvis illa materia in decoctionis initio sit alba, tamen in suo occulto habet in se nigredinem: quæ procedit ab adustiva unctuositate, quæ totaliter separata non est. Ideo primum signum apparens in coagulatione, est nigredo, quam caput corvi, & post coagulationem durat 40. dies: postea iterum fit alba, prout illa humiditas consumitur: Fingitur etiam quod cum Jupiter iratus esset contra patrem suum Saturnum, abscidit illi genitalia cum acuta falce, quæ in mare ceciderunt, & ex eo sanguine simul cum maris spuma genita est Venus: per Saturnum intelligunt salem illum ante separationem suarum terrarum; nam dicitur Iovis pater, quia ex illo generatur Iupiter, separatis terris. Cum ergo hic sal positus est in bocia super ignem, Iupiter iratus, & alteratus ob ignem, solvitur in aquam subtilem significatam per falcem acutam cum qua incidit, separat, & secum trahit partes masculinas, nempe sulphur illius salis dicti Saturni, & simul in bociam descendunt, ideo dicitur eos in mare cecidisse, id est in eam aquam salis amari: Ex quo sale ac sulphure genita est Venus, ut superius dixi. Aqua illa amara est Phaetontis currus, dictus Eridanus, quia in illa defertur Sol & spiritus fœtens dictus æs & Venus. Scribunt Dedalum simul cum filio Icaro inclusos in labyrintho fecisse alas ex pennis, easque cum cera sibi appendisse ac filio, cum hisque volasse extra labyrinthum per aerem, sed Icarus nimis altè volans, cecidit in mare in quo submersus est, quoniam Sol ceram liquavit, sed cum ab undis maris in litus esset projectus pater eum sepelivit in arena.

DISC. Hujus expositio mihi magnopere grata erit.

RAIM. Non possum quæ tibi dico probare longiori serie, quia brevis esse cupio: per Dedalum patrem Icari, volunt significare sulphur illud dictum Martem, & per Icarum norant aliud sulphur vocatum arsenicum: nam secundum Geber libr. 1. capit. 14.

Arsenicum

Arſenicum eſt de materia ſubtili & cum ſulphure ſimili. Et 4. lib. cap. 5. dicit: Medicinam ſpecialem Martis fuſivam eſſe arſenicum: nam eſt ſulphuris dicti Martis ſubtiliſſima pars, quæ quia ſalis naturam habet, ideo fuſiva eſt & ſoiubilis: Per labyrinthum in quo ſunt incluſi, ſignificatur metalli noſtri calx, in qua ſunt dicta ſulphura, alæ quibus evolant & ſublimantur, eæ ſunt de quibus Geber lib. 2, cap. 10. dicens: Corpora quæ adminiſtratione rei ſublevantis indigent, ſunt Venus & Mars propter eorum fuſionis tarditatem. Venus indiget tutia, & Mars arſenico, & cum illis facile ſublimantur, quia multum cum eis conveniunt.

DISC. Credo locum hunc ex illis eſſe, quos Geber & tu ſolus intelligitis.

RAIM. Superius dixi, multoties per corpora intelligi, ſulphura illa dicta Martem & Venerem, quæ ſunt tardæ fuſionis & ſolutionis, quia Mars non habet partes ſalſas, & Venus his parum participat, ideo diſtillatur cum ignis expreſſione & ignitione aludel, ut dicit Geber lib. 2. cap. 2. & 8. Venus ergo ſuæ ſublimationi tutia indiget, ideo fumo aut aqua ſupradicta, nam ut dicit Geb. lib. 3. cap. 3. Tutia eſt fumus corporum alborum, id eſt ejus ſalis dicti plumbum, ſtannum & Luna, & cum his alis ſublimat extra dictum Saturnum extractum à dicta calce metallica. Alæ, quibus Mars in putrefactione ſublimat extra ſuam calcem, eſt arſenicum: nam humiditas & acuitas aceti (mediante fimi calore) agens in corpore calcinato diſſolvit & trahit ad ſe ſalis ſubſtantiam, cum quo etiam trahit ſubtile ſulphur dictum arſenicum clauſum in profunditate ſalis ipſius. Et quia ſulphur illud ſubtile eſt de ſubſtantia illius ſulphuris dicti Martis ideo illud ſubtile dictum arſenicum ſimul cum ſale trahit de ſe & elevare facit ac ſublimare illud craſſius dictum Mars, quoniam tunc ſunt inſimul conjuncta omnia, & unum non poteſt ſine alio elevari. Cera qua glutinabantur, alæ, eſt ſupradictum ſal viſcoſum ut cera alba: Et quoniam ſulphur illud ſubtile ſignificatum per Icarum, per diſtillationem altè volat, ideſt in caput alembici portatum à prædicta aqua ſignificata per Iovis aquilam, ideo cadit in mare, quoniam calor diſſolvit illum ſalem in aquam: & in eam cadit ſulphur dictum, & ibi moritur, quia fit nigrum, ſed à ſupradicta aqua projectum ad litus, id eſt ad ſuperficiem in ea pellicula, & navicula prædicta, quia pars oleaginoſa ſemper ſupernatat, ideo deſiccata aqua, ipſum arſenicum fuit ſepultum in arena; id eſt in eo ſulphure dicto Marte ſubtiliato in modum ſubtiliſſimæ arenæ ac lucidæ.

DISC. Non ſum harum expoſitionum capax, ſed verbis tuis credo, quia magiſter es hac in arte.

RAIM. Quando praxin videbis, hæc tibi erunt manifeſta. Dicunt etiam Poetæ, quum Io amaretur à Iove eam fugientem Iupiter circumdedit nube ſpiſſa & obſcura, ita ut à curſu firmaretur. Per Iovem ſignificatur prædicta aqua mercurialis, quæ à Iove amatur, quia ſunt ejuſdem ſubſtantiæ, ſed hæc duo poſita in vaſe ad ignem, dicta aqua ſubtiliſſima fugit per longum collum vaſis, ac revertitur, & Iupiter illud ſulphur circumponit ſubtile in modum ſpiſſæ nubis ac nigræ ob quam coagulatur, ac firmatur. Illæ nigræ pelliculæ (ut ſuperius dixi) ſunt nigra vela quibus Theſeus revertebatur Athenas: quod Ægeus pater illius videns, ac putans Theſeum eſſe mortuum, deſperans projecit ſe in mare, in quo ſuffocatus. Per Theſeum ergo ſignificatur ſulphur illud ſubtile quod in ea pellicula latet, aut oleo per navem ſignificato. Et tunc Ægeus, id eſt ſulphur dictum Mars qui eſt pater hujus ſubtilis ſulphuris projicitur in mare; id eſt in eam aquam ſalis; & hic ſolvitur ac moritur, quia iterum fit nigrum. Scribunt etiam poſt diluvium & aquarum deſiccationem, terram animalia producentem quendam etiam ſerpentem produxiſſe Pythonem appellatum, quem Phœbus ſuis ſagittis interfecit. In materiæ noſtræ diſtillatione, primò lento igne diluvium venit, id eſt quædam aqueitas, de qua loquitur Geber libr. 2. capit. 2. & 7. & remota illa aqueitate, & aucto igne; terra, ideſt materia noſtra, quæ multa ferreitate participat, producens animalia; id eſt ſulphur illud ſubtile dictum ſulphur & ſulphura quia paulatim diſtillat, ut dicit Senior, & vocatur animal & animalia, quia ut ſcriptum eſt in Philoſophorum Turba: Noſtrum æs eſt ut homo qui habet animam, corpus, & ſpiritum, produxit etiam ſerpentem dictum Pythonem, id eſt aquam illam fœtidam, quam phœbus, ideſt ſol noſter interfecit, id eſt coagulavit & nigrefecit. Ferunt quoque Apollinem philecaptum Draphnes, eam fugientem ſecutum. Apollo eſt Sol noſter, qui in diſtillatione ſequitur aquam mercurialem per Daphnem ſignificatam. Finxerunt quoque Phœbum & Bachum fuiſſe Iovis filios, per Phœbum ac Bacchum intelligunt ſulphur ſuperius dictum Solem & vinum, quod quia diſtillatum eſt ab illo Iove, & illius partem retinent, ideo dicitur eſſe Iovis filius. Scribunt etiam Minervam Jovis fuiſſe filiam: Nam cum Iupiter caput ſuum percuſſiſſet, exilit armata Minerva à ſuo cerebro. Per Minervam intelligunt aquam mercurialem, quia minuit & ſubtiliat nervos, id eſt ſulphura: Iupiter ergo feriens caput ſuum igne, id eſt ſal illud dictum Saturnum, in quo eſt illud ſal ſubtile, album, molle & humidum ſignificatum per cerebrum per diſtillationem ab eo exit Minerva armata & induta partem illam ſubtiliſſimam & fuſivam Martis. Deſcribunt etiam Vulcanum admodum Minervæ amore captum, omnibus viribus illam ſequebatur, at ipſam illum fugiebat & contemnebat, cum verò illi Vulcanus forte approximaret, arripiens eam veſtimentis ſemen ſuum in terram præ libidine fudit, ex quo ſemine ſcilicet natus eſt filius, & illa dimiſſa eſt in pace, per Vulcanum intelligunt illud ſulphur dictum ignem & Martem, qui multum hanc mercurialem aquam diligit ſignificatam per Minervam, quia ſimul in ſuo metallo fuerunt, ſed quia facile ſeparantur, quia diverſas habeant naturas, ideò dicitur Minervam eum fugere, at ſulphur ipſum illi appropinquans, eamque comprehendens, antequàm ſeparetur, ſuum ſemen relinquit, id eſt partem illam ſulphuream, ſubtiliſſimam dictam arſenicum in terra ipſius ſalis dicti Saturni, & per diſtillationem naſcitur puer, quem ſupra nominavi, Ganymedem, Apollinem & Phœbum, & ipſa aqua relinquitur in pace, quia illa eſt fixationis impedimentum; eſt tamen neceſſaria ut diu vitam humanam ſuſtentet. Dicunt etiam quidam Martem fuiſſe filium Jovis ac Junonis, alii dicunt Junonis ſine patre. Per Junonem quamvis ſæpe intelligant elementum aëtis, id eſt aquam illam mercurialem, tamen hîc intelligunt elementum terræ, quando dicunt fuiſſe Junonis filium ſine patre. Jupiter ergo & Juno ſignificata per elementum aeris, poſt putrefactionem ſunt ſimul cum Marte, & quia illud ſeparatur à ventre iſtorum ideo dicitur illorum filius, ſed quia filius aliqua in re ſolet patri ſimilis eſſe ac matri, & Mars ſeu illud ſulphur omnino eſt diſſimile noſtro Jovi, quia Mars eſt calidus & ſiccus, rubeus, durus, ſine fuſione & privatus arg. viv. Jupiter eſt frigidus & humidus, albus, mollis, fuſibilis, & eſt arg. viv. mortificatum, ideo dicunt illum fuiſſe filium ſolius Junonis intelligentes elementum terræ, quemadmodum ſulphur eſt pinguendo terræ, nam ſimilitudinem non habet cum aqua mercuriali.

DISC.

DISC. Nescio quid de tuis istis expositionibus dicam, & veluti stupidus maneo, & timeo si eas aliis docere voluero dicturos me insanire.

RAIM. Dixi jam tibi eum non posse ista intelligere, qui praxim non viderit: ideo si primò te contemnent, postea laudabunt. Dicunt præterea Vulcanum fuisse Jovis filium ac Junonis. Et quia erat deformis, subitò natum projectum esse in Lemnum, ibique fuisse à similis nutritum; quod superius de Marte dixi, potest etiam de Vulcano intelligi, qui quia deformis ac turpis est, id est, quia ante lavationem habet illam adustivam unctuositatem, & non habet partes salsugineas, ideo abjectus est, quando ab aliis separatur ob diversam naturam, fusionem, spissitudinem & ratitatem, ut dicit Geb. lib. 4. cap. 14. & 15. & lib. 3. cap. 4. dicit: Arg. viv. non aliud capere quam quod suæ naturæ est. Projectus est ergo in Lemno insula, id est in bociam ubi sagittæ cadunt, id est sulfura genita ex vaporibus calidis ac siccis, & ibi fuit nutritus, id est lotus, à similis, id est ab his qui naturam imitantur, & fuit ad perfectum adductus. Scribunt Vulcanum duxisse Venerem in uxorem: Geb. lib. 1. cap. 10. dicit: Compar sulfuris esse arsenicum, quod dicitur Venus. Dicunt Apollinem fuisse Vulcani filium, per Apollinem intelligunt Solem nostrum, qui quia est subtilissima pars ipsius sulfuris dicti Martis & Vulcani, ideo dicitur ejus filius.

DISC. Dic mihi, ubinam per Junonem intelligunt elementum aëris.

RAIM. Dixerunt Junonem fuisse Saturni filiam, & Opis sororis & uxoris Jovis: in partu natam ante Jovem, fuisse Deorum reginam & divitiarum, præfuisse partubus & matrimoniis: ideo dictam fuisse Junonem, quæ matrimonia jungeret. Aqua mercurialis est filia Saturni, quia ab eo distillat, & à sua terra significata per Opim, quia illa dat divitias, id est aqua illa mercurialis, & Jupiter, id est sal occultus in fæcibus combustis: de quibus fæcibus Hermes & Metuendus ejus discipulus, & Mireris Philosophus dicunt: In cineribus est quod quæris. Hermes dicit: Cape fæces quæ remanent in fundo bociæ & serva illas, quoniam sunt cordis corona, & sublima, quia sublimat alba ut sal. Idem scribitur in Divin. libro. Geber etiam lib. 2. cap. 2. dicit: Fæcum separationem esse possibilem à salibus sublimandis ob salium solutionem, quod non evenit aliis rebus. Modos lavandi eas fæces combustas scribit in lib. Inveltigat. ubi dicit: Atramentum nigrum solvatur in aceto mundo aut in aqua bulliente postea per filtrum distilletur & coaguletur, & erit præparatum, aut prius in alembico ponatur, & tota eliciatur humiditas: Quia ergo in distillatione prima distillat ea mercurialis aqua significata per Junonem, & postea extrahitur sal præparatus significatus per Jovem, ideo dicitur uno in partu Junonem natam ante Jovem: & istud voluit Geb. significare lib. 1. cap. 11. quando loquens de hac aqua mercuriali, dixit: Illam potius reverti à calce sua quam Jovem ipsum: Fertur esse supra partus, quia distillando eximit à suis terris, & in lucem producit nostrum Phœbum. Præest Matrimoniis quia est medium conjungendi tincturas, ut superius dixi. Ideo Morienus dicebat: Animam, id est nostrum Solem non conjungi cum corpore sulfuris nisi mediante spiritu, & animam non conjungi præterquam cum corpore, à quo fuit extracta, & si conatus fueris illam cum alio corpore conjungere, in vanum laborabis: dicitur soror & uxor Jovis, quia eodem partu nata est, ut dixi; uxor, quia ejusdem substantiæ, regina Deorum Gentilium significatorum per nostra metalla, sulfura, & sales, nam ipsa regis illa, per eam nascuntur, solvuntur, subtiliantur, separantur, conjunguntur, mortificantur, vivificantur, & fructificant, ideo dicitur Opum regina. Fingunt etiam Venerem filiam fuisse Deiones & Jovis, & Vulcani uxorem, & fuisse amatam à Marte: per Deionem, Vulcanum, & Martem, intelligunt ipsum sulfur dictum vinum, igneni & Martem: Etymologiæ nominum alibi abs te reperiri poterunt, sulfur dictum Venus post distillationem videtur vinum: Et quia distillat ab eo sale dicto Saturno in quo est Luna & Jupiter, ideo dicitur illorum filius. Dicunt Amorem fuisse filium Jovis & Veneris, per Amorem possumus intelligere sulfur illud subtile superius nominatum Phœbum, quia componitur ex mercurio dicto Jove, & ex sulfure dicto Venere, ideo eorum dicitur filius. Fingunt etiam Latonam fuisse violatam à Jove, ob quam rem Juno Jovis uxor de cœlo descendit, & eam in Delo insulâ proscripsit, ubi Phœbum & Dianam peperit: Per Latonam intelligunt quod superius de Amore dixi, nam componitur ex Jove & Venere. Juno, id est aqua illa mercurialis descendit de cœlo, id est à capite alembici facti in modum cœli, in quo cœlo fuit etiam Ganymedes portatus, id est istud sulfur, & Juno portat & proscribit ipsam Latonam in bocia, & tamdiu ibi moratur, quòd primò in Lunam, deinde in Solem vertitur. Hoc voluit Geber significare lib. 1. cap. 17. dicens: Vidimus in minetis æris, à quibus exibat aqua quæ secum spumas ducebat subtilissimas æris, & illas continuo cursu aquæ lavat & mundat, postea cessato aquæ cursu, vidimus eas cum arena sicca per annos tres calore Solis fuisse decoctas, inter quas inventus est Sol verissimus.

DISCIP. Si superius tibi non respondi, fuit in causa, quia expositiones illas fantasticas non intelligebam: sed quia nunc apertè loqueris, potero aliquid dicere.

RAIM. Si debile tibi est cerebrum, & non capis illas expositiones, ne saltem eas vituperes; sed quidvis dicere?

DISC. Volo dicere, Geberum naturaliter loqui, quoniam interdum accidit aquas transire per mineras, ac secum trahere aliquam mineræ partem, ut supra dixi: ideo dicit, ut naturam imitemur.

RAIM. Nimium es credulus si putas naturam potuisse convertere æs in aurum.

DISC. Quid ergo innuebat Geber?

RAIM. Hic est unus ex eis locis, ubi videtur apertius eum esse locutum, & tamen obscurius loquebatur. Nam æris nostri minera, est illud sal dictum supra Saturnum: à quo per distillationem exit aqua mercurialis, quę secum illud sulfur ducit subtile dictum æs, quod per continuum cursum illorum vaporum aqueorum ascendentium lavatur à sua unctuosa nigredine, & fit album cessantibus dictis vaporibus. Sed post tres menses fit Sol verissimus, posita bocia in arena vel cineribus cum igne temperato; Tandem volens verba truncare, expositio Geberi, harumque fabularum poëticarum ac similium, consistit in omni eo quod superius dixi de metallis intrinsecis, ideo non amplius alias fabulas pro nunc declarabo quoniam ex te ipso intelligere poteris ex his quæ superius dixi, potissimum verò si nominum etymologiam & significatum consideres, quibus in fabulis utuntur Antiqui.

DISC. Omnino ingentes ago tibi gratias: sed ad nostram mediciuam revertentes, velim scire num

ſupradicta Philoſophorum metalla præparata & ſoluta intrent compoſitionem noſtræ medicinæ.

RAIM. Pluries dixi omnia ad hanc hujus medicinæ compoſitionem concurrere. Et hoc confirmat Joh. de Rupeſciſſa dicens: Quemadmodum cœli influxus & Solis augmentatur aliarum ſtellarum influxu, ita etiam noſtrum humidum radicale dictum cœlum, non ſolùm ornari debet ex Sole, ſed etiam à ſtellis aut planetis, ut ejus influxus augeatur & virtus: Et hoc etiam confirmat Geber in fine primi libri, dicens: Quæcunque perfectionum diverſitates parum antea fuerunt à nobis determinatæ, inventæ ſunt in opere medii ac minoris artificii vel operis: ſed in majori omnes ſunt ejuſdem perfectionis.

DISC. Haud credo inveniri hominem qui obſcurius ſcripſerit ipſo Gebero: ideo non mirandum eſt, ſi multi ob deſperationem eum lacerant.

RAIM. Minor ordo eſt præparatio, in qua multæ ſunt viæ & medicinæ imperfectæ: ſecundus ordo eſt fixatio, & in hac etiam eſt aliqua diverſitas, quia non omnia æqualiter fixatione indigent: ſed in tertio ordine, id eſt in multiplicatione, quia in medicina completa pervenerunt omnia ad perfectionem unam, ideo dicuntur omnia eſſe neceſſaria. Si verò certior eſſe vis horum trium ordinum expoſitionem eſſe juxta Geberi mentem, lege in fine Summæ ſuæ, ubi de Sublimatione loquitur, & præparatione primi gradus, ſecundi & tertii, & veritatem cognoſces ejus quod tibi dixi.

DISC. Concedo in medicina minerali ac fixa, omnia illa eſſe neceſſaria: ſed in medicina quæ per os accipi debeat, ſum dubius: Nam ſicut aqua mercurialis in minerali medicina non eſt permanens, quemadmodum illa eſt impedimentum fixationis, ita in medecina humanorum corporum non deberet ingredi ſulfur illud tam fixativum dictum ferrum quum non opus ſit eam fixari, nam ſtomachus ſeu ventriculus ea concoquere non poſſet, ut ſuperius de auro dixiſti.

RAIM. In hoc fac quod volueris, ſed tibi dico Albert. in fine 2. Meteor. ubi Avicennæ ſententiam adducit, dicere, in optimis aquis aurum reperiri: poſt has, illa eſt in qua ferrum eſt, & multum interiora corroborat, & tamen fixa non eſt: atque hoc cognoſcere potes à ſignis quæ videntur cùm medicina eſt finita.

DISC. Gratum erit mihi hoc intelligere.

RAIM. Joannes de Rupe atque ego ſimul, diximus cognoſci duobus ſignis, quando medicina hæc finita ſit & perfecta: primus, ſi vas in quo poſita eſt hæc medicina, poſitum in angulo domus, veluti miraculo & vinculo inviſibili ad ſe trahet omnes intrantes, & eos circa ſe ſtantes faciet tunc completa erit ſecundum ſignum, ſi prædictum vas poſitum ſupra turri trahet ad ſe omnes aves odorem medicinæ ſentientes & eas circa ſe ſiſtet.

DISC. Hæc mihi videtur res magna & ferè impoſſibilis.

RAIM. Per turrim ſignificatur fornacula poſita in angulo domus, in qua fornacula vel furnulo poſitum eſt vitrum, in quo noſtra medicina coquitur, per intrantes in domum, & per aves prætervolantes ſignificatur illi ſpiritus vel vapores, qui virtute caloris volant, & ſurſum deorſum eunt per longum bociæ collum, qui cùm firmantur, nec amplius aſcendunt, & materia eſt coagulata, dulcificata, & medicina perfecta eſt & non tamen fixa: Atque ut dicit magiſter Leonellus, coagulabitur in modum ovi quod tenet acumen in fundo: Superius dicta occultarunt Poëtæ, fingentes Orpheum ex cantus ac ſoni dulcedine, ad ſe traxiſſe bruta animalia, homines, avec lapides, arbores ac montes, ſtitiſſe ventos: ita ut dicant etiam Phœbum, arcu ac phæretra depoſitis, ſtetiſſe captum dulcedine cantus, ac ſerpentem qui continuè aureum vellus cuſtodiebat, Orphei cantu ſomno correptum fuiſſe.

DISC. Hæc nimirum pulchra eſt fabula ſcienti verum ſignificatum & ſenſum.

RAIM. Per Orpheum intelligo totam materiam coagulatam: & in hac medicina eſt pars vegetabilis, id eſt ſal per arbores ſignificatum & herbas: adeſt & pars animalis, id eſt anima, & aurum ſignificatum per animalia, homines, Phœbum, & per vellus aureum, pars mineralis eſt illud ſulfur dictum Mars, ſignificatum per lapides, montes, oſſa, reſque alias duras, adeſt etiam aqua mercurialis, & vapores ſignificati per aves, ventos, ſerpentes, tauros, & dracones, qui aureum vellus cuſtodiebant. Namque ut dicit Geber lib. 1. cap. 15. In diſtillatione nullum Philoſophorum metallorum ſubmergitur in mercurio, id eſt aqua mercuriali, ſole noſtro excepto: Per Orpheum denique ſignificatur noſtra medicina, quæ cùm ſit dulcis, ſiſtit & coagulat omnia ſupradicta. Sed præcipua cauſa coagulandi & fixandi partem mercurialem ſunt ſupradicta ſulfura præparata & ſoluta, de quibus intelligebat Alb. lib. 1. Miner. cap. 8. tract. 1. dicens: Philoſophi ſupra modum ſtudent, ut aquas faciant, quæ habeant in virtute diverſas elementorum qualitates, & non actu, ut per illas exiccent & coagulent id quod tranſmutare volunt. Et 4. Meteor. tract. 3. cap. 1. dicit: Arg. viv. in artis operibus deſiccari ex multa aduſtione & miſtione ſulfuris non omnino adurentis.

DISC. Quid de his dices, qui congelant & fixant argentum vivum cum herbis?

RAIM. His ſatis eſt ut dicam quod Geber ſcribit lib. 2. cap. 17. loquens de medicina quæ coagulat arg. viv. & illi adhæret in profundo, & per minima cum illo miſcetur ante illius fugam, neceſſe eſt illam colligere à rebus illi convenientibus, & ſunt omnia corpora ſulfur vel arſenicum: & parum infra concludit, dicens: Quòd à quacunque re illius medicina trahatur, debet eſſe ſubſtantiæ ſubtiliſſimæ ac puriſſimæ, ex natura illi facilè adhærens, ac facillimæ fuſionis in modum aquæ fixæ ſuper ignis pugna, nam iſtud coagulabit, & in naturam Solarem convertet, vel Lunarem. Et lib. 4. cap. 10. inquit: Cùm nil inveniatur quod illi magis conveniat, quam id quod eſt ſuæ naturæ, ideo æſtimavimus cum illo medicinam illius facere, & libro ſecundo, capite decimo ſeptimo dicit: Dictam medicinam facilius, propinquius, & perfectius inveniri à ſolo arg. viv. quia natura amplectitur amicabilius naturam propriam, & ejus pluſquàm extraneæ gaudet: Et lib. 3. cap. 4. ait: Argentum vivum non aliud capit, quàm quod ſuæ naturæ eſt: Et cap. 7. dicit: Si poteris facere medicinam perfectam ex ſolo argento vivo, eris inquiſitor precioſiſſimæ perfectionis: notare igitur debes quòd, ut dicit Geber capite 16. libro 2. argentum vivum Philoſophorum habet partes ſulfuris naturaliter cum eo miſtas, id eſt ſulfur & arſenicum, & cum his præparatis facilè unitur ob convenientiam in natura, & hæc ſunt propria medicina coagulativa & fixativa argenti vivi Philoſophorum. In lib. Vaporum ſcriptum eſt; Quòd

qui

qui cito vult coquere carnem imponat aquæ cum carne fruſtrum vitri, nam vitri ſiccitas tantum adimit humiditatis à carne in ebullitione, ut caro citò remaneat cocta, ſed citius coquitur ea caro ſi vitrum illud fit ex cinere fœni ac filicis, quia illud minus abundat humiditate: nam primum vitrum aliquid habet humidi quod à plumbo contraxit, quod primum fuit in compoſitione.

DISCIP. Mihi videtur hoc eſſe unum Plinii mendacium.

RAIM. Tuam ignorantiam incuſes, & noli excellentes homines vituperare, qui per ſimilitudinem vel per allegoriam ſunt locuti.

DISC. Quid voluit ergo ſignificare per illud vitrum, carnem & aquam?

RAIM. Dixi tibi per vitrum interdum ſignificari ſulfur: Et quia, ut pluries dixi, ſunt duo ſulfurum genera, quorum alterum nominatur ferrum, calidum & ſiccum, quia participat humiditate quam cepit ab eo ſale dicto plumbo, à quo ipſa Venus diſtillata eſt, ideo citius coagulatur & fixatur ipſum arg. viv. ſignificatum per carnem mollem, ſi cum eo ponatur ſulfur illud ex cinere fœni ac filicis, id eſt, dictum ferrum ex nominis affinitate. Hoc Philoſophi occultarunt dicentes: Theſeum glutinaſſe os Minotauro in labyrintho cum tribus pilis. Per Minotaurum & alia animalia ferocia & venenoſa ſignificatur aqua Mercurialis, quæ in bocia coagulatur cum dictis ſulfuribus, & cum noſtro Mercurio dicto Jupiter, qui ſemper eſt plenus Apolline. Ideo hæc ſunt tria poma aurea ob quæ Atlas, id eſt aqua iſta velociſſima, in curſu firmata eſt. In hunc propoſitum dicebat Iſidorus lib 7. Chalcanthum, id eſt flos æris fit in modum ſalis cum ſole calidiſſimo & eſt virtutis adeò conſtrictivæ, quòd in leonum & urſorum os áſperſum tantam habet conſtringendi vim, ut mordere non poſſint.

DISC. Quid voluit Iſidorus ſignificare in his verbis?

RAIM. Per florem æris voluit ſignificare ſulfur illud dictum Venerem & æs, quod eſt occultum in ſale, & ſalis natura participat, & fit per calcinationem ut ſal, & illud unitum cum aqua noſtra Mercuriali ſignificata per urſos & leones, ita inviſcat & coagulat illam ut amplius non poſſit ſulfura ſolvere, quia dulcis fit.

DISCIP. Mineralis medicina quamdiu moratur antequam coaguletur poſt ſulfurum & argenti vivi præparatorum commiſtionem?

RAIM. In artis Speculo ſcriptum eſt, Guberna materiam illam lento igne, donec major pars convertatur in terram nigram, quod erit in diebus 12.

DISCIP. Quamdiu durat nigredo?

RAIM. In roſario ſcriptum eſt: Continuatione 40. dierum ſtat utraque aqua permanens nigredine tecta, quæ nigredo ſi debitè gubernetur, non plus diebus 40. durabit. Adverte nihilominus, quòd ubi accedit aqua Mercurialis, plus temporis requiritur & ignis plus. Per duas aquas permanentes intelligit duo ſulfura ex parte fixa.

DISC. Dicit Geber lib. 2. cap. 16. quòd remotio ſulfuris eſt cauſa varietatis colorum medicinæ poſt coagulationem. Putabam ſulfur non debere amoveri ſi ſit aqua permanens.

RAIM. Dixi materiam noſtram bis fieri nigram, bis albam, biſque rubeam. Et quoniam albedo & nigredo ſunt colores extremi & contrarii, & omnes alii colores ſunt medii: Ideò quotieſcunque ob præparationem & decoctionem paulatim conſumitur humiditas unctuoſa ſulfurea quæ eſt illius nigredinis cauſa, ita paulatim conſumitur illa nigredo & quotidie alium apponit colorem. Ideo dicitur, ſulfuris remotionem eſſe colorum varietatis cauſam, ſed in ſulfuris lotione manifeſtiores apparent hi colores (nam illud eſt lumen & tinctura) quam faciant in coagulatione & fixione medicinæ, in qua minor eſt unctuoſitas, & ſulfur miſtum eſt cum arſenico & arg. vivo, quæ colores imperfectos confundunt.

DISC. Tandem, age, mihi explica quo ex metallo fiat hæc medicina.

RAIM. Dixi hanc medicinam non debere ex auro fieri, neque ex argento, neque plumbo, neque ex ſtanno communibus: ergò ex ære fieri debet vel ferro communibus, nam illa in ipſorum radice ſunt munda, & accidentia facilè removeri poſſunt, quia omnes corruptionis cauſas habent & calcinationis: Et hoc voluit Geber ſignificare lib. 4 cap. 3. dicens, Subſtantiæ Veneris & Martis (communium) dealbatio pura eſt, & ſimiliter Lunæ rubificatio.

DISC. Hanc ſententiam non intelligo.

RAIM. Vult dicere, dealbationem id eſt argentum vivum & Lunæ rubificatio, id eſt ſulfur quod eſt tinctura rubedinis ipſius argenti vivi dicti Lunæ, ipſa eſt pura & munda in eorum radice. Et hoc voluit Geber dicere lib. ſecundo capite ſeptimo. Qui cum excluſiſſet Solem, Lunam, Jovem, & Saturnum communes, concludit poſtea, dicens: Melior eſt ergo argenti vivi ſublimatio ab illis corporibus quibus cum non convenit, nempe quia munda in radice. Sed certum eſt argentum vivum minus convenire in natura cum ferro & ære quàm cum aliis, ergo ab illis ſublimari & extrahi debent ſpiritus: Et quicquid dicit Geber in lib. Inveſt. & alibi de præparatione corporum perfectorum & imperfectorum, intelligit de his.

DISC. Quomodo de his intelligit loquens de perfectis?

RAIM. Dixi hanc artem non uti auro vel argento communibus, ſed ſolùm tractat de corporibus imperfectis (ut dicit Geber in proœmio lib. Inveſt.) Neque dico per commiſtionem cum medicina (nam hæc foret reſponſio parum ſciens) ſed per reductionem ad primam materiam & ſeparationem omnium accidentium immundorum ſupra inductorum materiæ puræ radicali. Quando ergo in præparatione hæc metalla intrinſeca ſunt immunda, tunc imperfecta vocantur, ſed quando ſunt præparata & etiam ex colorum conſideratione vocantur perfecta. Et hoc manifeſtè aſſerit Geber lib. 2. cap. 16. in fine, & cap. 7. in fine. Et hæc omnia perfecta vel imperfecta poſſunt à ſupradictis elici, vel ab uno illorum. Particularius tamen nota, quòd cum Geber in lib. Inveſt. dicit corpora perfecta, id eſt Solem & Lunam non indigere præparatione quo ad perfectionem, cum ſint jam perfecta ſeu perfectè præparata, ſed ut magis perfecta fiant, ſubtilientur, ſolvanturque, intelligit, ſolùm de ſulfure craſſo dicto Marte: quod præparatum vocatur Sol & Luna, quia in eo apparet rubedo ſolis & albedo Lunæ, ut dicit Geber lib. 1. cap. 14. & 22. loquens de Marte, nam eadem res albificat & rubificat. Et illud omne corpus illuminat, quia eſt lumen & tinctura, ut dicit Geber lib. 1. cap. 14. Et ſi benè conſideres præparationis modum Solis, & Lunæ ſcriptum in fine in libro

investigationis, invenies eandem esse quam superius dixi de sulfuris lotione facta cum sale & aceto, & postea subtiliato cum sale armoniaco, id est cum sua aqua Mercuriali & tunc corpus fixum factum est verè spirituale ac subtiliatum. Ideo Geber in libro Investigationis, loquens de præparatione aceti accerrimi cum quo possunt præparari corpora imperfectavel corpus imperfectum, & ab eo extrahi suum argentum vivum & sulfur radicalia, & cum his fieri nostra medicina, dicit: Hæc aqua composita ex duabus aquis id est ex sulfure præparato & subtiliato, & argento vivo similiter soluto, ea est nostra medicina, & est argentum vivum præparatum ab argento vivo præparato, & sulfur præparatum à sulfure non præparato, & factum corpus spirituale & subtiliatum & attenuatum: Et quotiescunque Geber loquitur de solvendo aut subtiliando corpus purum & præparatum cum sale armoniaco, id est cum aqua nostra Mercuriali, semper intelligit de hoc sulfure, nam neque argentum vivum, neque arsenicum indigent illa subtilitione, & ideo Geber lib. 2. cap. 15. loquens de hac aqua Mercuriali sub nomine multarum aquarum acutarum, acerbarum & ponticarum, dicit causam inventionis illius fuisse subtiliationem earum rerum, id est prædicti sulfuris, quod ante præparationem non habet fusionem aut ingressum, ideo amittebatur magna utilitas ipsius fixi spiritus, & per consequens arsenici, quod de illius natura, ut dicit Geber lib. primo capite decimo quarto, ideo vocatur sulfuris compar, & sæpe vocatur Luna. Et unum sine alio non esset utile, imò (ut dixi in libro dicto Apertorio) arsenicum est medium conjungendi argentum vivum cum sulfure, quoniam utraque natura participat: Et Arnaldus in libro Flos florum dicit: Sperma non conjungitur cum corpore nisi Luna mediante, quoniam anima est medium inter corpus & spiritum, & illa simul conjungit.

DISCIP. Quia locutus es de fixis spiritibus, velim ut mihi declares dubium quoddam: Nam juxta tuam sententiam medicina hæc fieri debet ex spiritibus, & hoc etiam confirmat Geber lib. 2. cap. 1 & lib. 3. cap. 10. Quòd si spiritus non sint fixi comburuntur aut ab igne fugiunt: si fixi sint, non funduntur, quoniam terra sunt facti, ergo ex spiritibus haud fieri potest.

RAIM. Tuæ rationis vis erat in consequente ob insufficientiam, neque enim sequela valet si à superiori ad inferius affirmativè arguas, ac si diceres, est animal, ergo est homo: ita non valet dicere, fixum est, ergo est terreum. Nam spiritus fixantur etiam sine conversione in naturam terream, ut dicit Geber libro tertio capite sexto. Sulfur in principio suæ præparationis cum sale suo & aceto calcinatur & ad naturam terream convertitur, & post perfectam præparationem, conjunctum cum suo argento vivo in ultima decoctione fixatur perfectè, & non convertitur in naturam terream: Sed argentum vivum, id est nostrum sal dictum Saturnus, fixatur & in terram convertitur ob festinationem ad illius fixionem, quæ fit per præcipitationem aut descensionem, id est distillationem, in qua corpora descendunt debilia, id est oleum vel aqua Mercurialis & arsenicum reducta in aquæ formam aut olei paulatim in capello seu pileo bociæ, à calcibus eorum, id est ab eo sale, cujus similiquodo est veræ calci similis: Vide Geberum in secunda descensus causa. Et ob hanc distillationem aut præcipitationem, citò, id est in horis tribus consumitur substantia dicti argenti vivi & in terram convertitur, id est in fæces ustas in bociæ fundo. Fixatur etiam dictum argentum vivum simul cum sulfure & arsenico in ultima decoctione per successivam spirituum sublimationem, qui per bociæ collum saliunt, & hæc fixio longa est & tarda, ut inquit Geber libro tertio capite sexto.

DISC. Profectò Geber iste hac in arte admodum excellens fuit, & quia illum diligo, mihi pergratum esset illius vitam intelligere.

RAIM. Parvam illius notitiam habemus, præter quàm quòd nonnulli dicunt eum esse Arabem, Persarum Regem, & partis Indiæ: atque ut scribit Aldimatus Parisiensis in suo dialogo, filius fuit filiæ magni Maumethes, pater ejus fuit Baldechitarum Princeps, ut ipsemet Geber scribit in quodam suo libro de Regno. Patris nomen fuit Aycius cognomento Rasis Hebobechee Philosophus, aut Harem, juxta opinionem Hali Philosophi. Tantæ verò existimationis est is Geber in Ægypto, ut magnus Aristoteles illi decedat in triplici Philosophia, illi cedit Rabbi Moses in Algorismo, Hermes Trismegistus in Magicis, & Ptolemæus in Astrologia quadrivia, illi cedunt, sed in sua scientia omnes Philosophi deferunt illi: Et posteriores ab illo habuerunt veritatis ejus scientiam, & meritò ab eis magistrorum magister vocatus est.

DISC. Meritò illum commendas: Sed nisi tibi essem molestus, orarem ut hæc tua opera mihi declararet capitulatim, atque ut hanc praxim multis in capitibus sparsam ordine in libellum redigeres.

RAIM. Rem petis quam Philosophorum nemo unquam aggredi voluit: sed quia in me non regnat invidia, & amore afficior erga te, ideo si ocium dabitur ut tibi satisfiat in hoc, libenter faciam, nihilominus in præsens talem operum illius notitiam tibi dabo, ut ex teipso facere possis quod ex me quæsivisti.

DISC. Tibi perpetuò devinctus ero: Sed ad metallorum sermonem revertentes, dixisti superius hanc medicinam fieri debere ex uno solo metallo, ergo duo supradicta æqualiter bona esse non possunt hoc in opere.

RAIM. Verum est hanc medicinam ex ære fieri posse, tamen ferrum est melius, & facilius præparari potest, ac melius purificari, & huic arti propinquius est & plures habet virtutes cœlestes quàm omnia & alia metalla, & omne id ratione & authoritate intelliges.

DISC. Bene loqueris si ratione probabis: Sed mihi omne contrarium videtur, nam æs ferro præstat, quia minas terreitatis habet, & plus substantiæ argenti vivi, & minus adustibile est. Et Geber etiam primo libro capite 21. dicit: Venerem in suæ substantiæ profundo ostendere auri colorem & essentiam mediumque esse Solis ac Lunæ, ac facilè converti in utramque tincturam, esseque bonæ conversionis & pauci laboris.

RAIM. Si de communi ære loqui volumus, dico si deberemus integram substantiam præparare, melius foret quàm ferrum: Sed nos quærimus solùm spiritus radicales, atque hi à communi ære non debent extrahi: Cum verò laudat æs Geber, dico illum intelligere de spiritu sulfureo superius nominato arsenici & auri nominibus illudque ostendit colorem & essentiam auri, malleatur, id est subtiliatur ac solvitur, quia participat naturam salis, & funditur ignitione & ignis expressione, ut argentum & aurum, id est ut illud quod compositum

est ex

est ex sale ac sulfure, nam si illud esset solum sal, faciliter solveretur, si sulfur tantummodò, non solveretur: Ideo solvitur ignitione aludel. Cape ergo secretum ab illo. Superius dixi tria esse secreta, & tres vias, nempe sulfur, arsenicum, argentum vivum, & diversam eorum præparationem, & quia compositum est ex sulfure & argento vivo, ideo dicitur medium esse inter Solem & Lunam, & interdum vocatur Sol & Luna simul, interdum distinctè, & ita Geber intelligit sequenti capite dicens: Mars id est sulfur est longæ præparationis ac duræ ob suæ fusionis id est solutionis impotentiam, quod si fundatur id est si subtilietur & spargatur in aceto per putrefactionem sine medicina quæ illius naturam mutat, quæ est argentum vivum præparatum dictum Jupiter, & hoc facit in ultima decoctione, & non facit in putrefactione, in qua sulphur conjunctum est Soli ac Lunæ, id est, arsenico dicto Veneri, quod interdum Sol vocatur, interdum Luna, & separari nequit sine magna industria, quia multam affinitatem & conventeniam in natura habent, ut dicit Geber in capite de Arsenico. Et libro tertio capite septimo dicit: In corporibus metallicis communibus duas esse sulfureitates, & supervenientem difficilè removeri, sed si præparetur, & lavetur ipsum sulfur, ut superius dixi, in ea præparatione invicem separantur, & post simul iterum conjunguntur & per decoctionem simul fixantur, non mutantes tamen in parte fixa ipsius sulfuris loci: supradictum ergo arsenicum & Venus facilè, id est unica distillatione in utramque tinctura convertitur, id est fit citrinum quia participat ex albo & rubeo, & est bonæ conversionis & pauci laboris, quoniam participat naturam salis: Et cum illo convenit tutia, id est fumi illi albi aut aqua Mercurialis: ideo in distillatione ascendunt simul, & dicta aqua rubea est vel citrina ob ipsam Venerem, quæ submersa est & inclusa in ventre illius aquæ, & citrinitas illa bona est, & in hoc opere proficua. Ideo Geber lib. 2. cap. 12. dicit, inquisitionem olei fuisse ut haberetur illius color qui cum illius aquæ substantia permistus est, & hoc nobis auxiliari potest in opere, sumus tamen ab ea aqua excusati ab induratione ac fixione spirituum, nam quando in corporum humanorum medicina ponitur, non possunt nec debent fixari, cape igitur, illam Venerem super alia corpora imperfecta, id est sulfura, in opere minori, id est in præparatione, vult dicere quod facilius præparatur quàm sulfur, & in opere medio, id est in decoctione ultima: Et hoc intelligit in medicina pro humanis corporibus, quoniam facilè in dulcedinem convertitur, & forte non accedit sulfur dictum Mars: sed in medicina minerali Mars est melior, quia ejus substantia fixior est & fixativa sed in ordine majori, id est in multiplicatione (quæ inventa fuit ut opus abbreviaretur) neque Venus, neque sulfur apponuntur: Sed cum una parte medicinæ fixæ ponitur multum argenti vivi aut salis præparati dicti Jovis, & cum hoc fit multiplicatio, nam hoc solvit medicinam fixam, & medicina fixa congelat & fixat illud, ita ex terra fit aqua, & ex aqua terra. Istud voluit significare Geber lib. 4. cap. 18. dicens: Consideravimus ob examen istius magisterii, Jovem approximari maximæ perfectioni in opere majoris ordinis, id est multiplicationis: Et libro 3. cap. 19. dicit Jovem approximari maximæ perfecto, id est medicinæ fixæ, quia plus de perfectione participat, id est de argento vivo: Et quia illud habet substantiam viscosam, ideo multum adhæret Soli ac Lunæ, id est arsenico, nam ut dicit Geber lib. 1. cap. 20. Illud Soli ac Lunæ convenit, id est arsenico dicto Soli ac Lunæ: Et non semper ab illis separabitur. Et qui sciet illi elevare vitium factionis corporum, id est, qui sciet removere & consumere humiditatem aqueam, quæ frangit, id est solvit corpora sulfurea, statim gaudebit utilitate illius Jovis.

DISC. Ex sufficienti divisione mihi videtur ut velis concludere inter omnes mundi res non esse meliorem, nec arti nostræ propinquiorem ferro communi.

RAIM. In hoc est occulta hæc medicina.

DISC. Nunquam hoc cogitassem, imò contrarium credebam, nam Philosophi dicunt esse ex magis distantibus à veritate hujus artis, & est magis vile inter omnia metalla, quia minus habeat argenti vivi. Et Geber lib. 3. capite 9. dicit: corpora imperfecta quæ plus habent argenti vivi, propinquiora esse perfectioni. Et libro prædicto capite 7. dicit ea corpora quæ plus habent argenti vivi, majoris esse perfectionis, & quæ minus habent, minoris esse perfectionis. Et privatim loquens de Marte libro 1. capite ultimo inquit: Mars inter corpora imperfecta in transmutatione, est tractationis aut præparationis difficillimæ, laborisque longissimi, ob suæ fusionis impotentiam. Et hoc idem fatetur multis in locis.

RAIM. Quando Razes clarè locutus est de Marte, tunc locutus est de supradicto sulfure crasso, quod quia minus habet arg. vivi, & magis terreum ac sine fusione est ante præparationem, & est sine solutione, quia non habet naturam salis: Ideo magis imperfectum est omnibus aliis metallis intrinsecis: Et quia est quasi extrinsecum argenti vivo suo, ideo separatur ab illo, neque uniri potest sine subtilissimo artificio, & ejus præparatio longissima est ob multam unctuositatem, terreitatem, ac duram solutionem: hac de causa dicitur esse ex magis distantibus à veritate hujus artis.

DISC. Semper hoc refugium habes de metallis intrinsecis: Geber dicit se manifestasse materiam hanc pluribus in locis ac diversis capitibus. Si dices ergo materiam illam esse Martem, ac per Martem intelligam sulfur, ergo quando dicet cape Martem, capiam sulfur solum, & in errore versabor: aut materiam hanc aliter nominavit quam Martem, atque hoc pacto non manifestavit, sed occultavit. Quando igitur discernere potero quòd per ferrum ille de communi ferro intelligat aut de sulfure?

RAIM. Quando Geber & alii Philosophi dicunt Martem esse calidum & siccum, atque rubeum & tingere Lunam, illique attribuunt supradictas proprietates, & apertè de sua præparatione loquuntur, tunc sis cautus, quia de suo sulfure intelligunt?

DISC. Nonno Geber scribit hujus artis praxim?

RAIMUNDUS. Scribit.

DISC. Illum igitur loqui oportet de præparatione ferri communis, si in illo sit secretum.

RAIM. Loquitur, sed occultè, id est in capitibus generalibus quando loquitur de metallorum præparatione, marchasita, sulfure, argento vivo salibus ac similibus.

DISC. Quomodo ergo secretum hoc manifestavit & hanc materiam in diversis capitibus?

RAIM. Pluribus in locis is dixit Philosophorum secretum esse in Marte, quodque illum accipere debeamus, & quamvis sermo ille intelligi posset de sulfure, aut videatur in aliud propositum dictum,

tamen illi ſufficit dixiſſe maximum ſecretum eſſe in Marte, & de hoc etiam allegavit aliquas rationes: quæ quamvis ad aliud propoſitum videantur, tamen concludunt de Marte.

DISC. Iſtud eſt quod ſummopere ſcire deſidero: nam eſt concluſio ejus omnis quod mihi dixiſti. Incipias ergo authoritates narrare, & poſtea rationes adduces. Lib. 1. cap. 15, dixit: argentum vivum facile omnibus metallis adhærere, ſed Marti nullo modo niſi per artificium, ab iſto certè ſeligit & capit maximum ſecretum, ab iſtò, id eſt à Marte. Lib. 3. cap. 9. dicit: Jovem approximari perfecto: Saturnum minus, & minus Venerem, ac multò minus Martem, à quo perfectio dependet, à quo, id eſt à Marte dependet hujus medicinæ perfectio) Quamvis alicubi textus hic ſit depravatus) & in ſupradicto loco dicit, cauſam impedimenti cujuſque fuſionis eſſe ſulfur fixum, ab hoc certè colligere potes maximum ſecretum: ab iſto, id eſt à ſulfure fixo, per quod intelligit ferrum commune, nam major illius pars eſt ſulfur fixum & terreum, ideo non funditur. Et denominatio fit à prædominante, & hoc modo illud intelligitur quod dixit libro 3. cap. 7. loquens de ſulfure fixo: nam ut dixit libro 2. capite 18. Corpora imperfecta fixantur per ſuam calcinationem, & partes ſubtiliantur per ignem, ſed partes ſalis quæ à corpore fixo & calcinato reſolvuntur ſolvuntur ut ait libro 3. cap. 7. Dicit etiam Geber in Teſtamento, Martem qui ſubſtantiæ ſit fixæ, ideo meliorem eſſe inter cætera corpora, & hoc intelligi poteſt de ferro communi, & de ſulfure ſuo. In primo etiam libro capite decimo ſeptimo dicit omnia metalla convenire auro, & ultimum eſſe Martem, & hoc eſſe unum ex naturæ ſecretis. Et lib. 3. cap. 6. loquens de Martis eſſentia, in fine concludens dicit: Laudetur ergo benedictus & glorioſus Deus altiſſimus qui illum creavit, & illi dedit ſubſtantiam & proprietatem ſubſtantiæ, quæ nulli rei in natura convenit, ut in illa ullo artificio perfectio hæc inveniri poſſit, quia in illo potentiâ propinquam invenimus: Nam ipſe (ſua in calce) ignem ſuperat, & ab eo non ſuperatur: ſed admirabiliter in eo acquieſcit, illo gaudens [quia ſemper fit perfectior.] Hoc idem Arnaldus in Roſario ſcripſit dicens, Manifeſtum eſt corpora eſſe majoris perfectionis, quæ plus hæbent Mercurii, & quæ minus de illo continent, ſunt minoris perfectionis. Laudetur ergo rerum omnium opifex Deus glorioſus & benedictus cauſator optimus & altiſſimus, qui ex vili precioſum creavit.

DISCIP. Quid volebat ſignificare Magiſter Arnaldus?

RAIM. Volebat dicere quòd à viliori corpore metallico, id eſt à ferro communi, quod in natura ſua & penes vulgum vilius eſt, Deus creavit hanc precioſam medicinam, & quamvis in aliud propoſitum exire velle videatur: nihilominus illi & Gebero ſatis eſt ſecretum manifeſtaſſe illorum loquendi modum intelligentibus Rudienus Philoſophus apertè manifeſtat ſecretum in Marte, dicens: Scimus omne metallum in ſuo occulto continere Solem & Mercurium, & nos jam extraximus à ferro arg. viv. & ex illo poſtea facta eſt medicina, & ex illius colore bonum opus fecimus in ignium termino; dicit etiam ſupradictus: Dico majorem petram eſſe Mercurium, & iſte eſt qui extrahitur à lapide quem dicemus: exponemus ergo quid ſit ille lapis, & modum extrahendi argentum vivum ab eo. Lapis ergo ex quo elicitur argentum vivum, ubique invenitur, omnes habent, & homines eo indigent, nomen ejus eſt Mars: illum ergo cape & bene contere ſubtiliter & lava. Senior Philoſophus dicit: Loquitur ferrum & dicit: Ego durum ferrum ego forte, conterens, contrito ex me bonum omne hac in arte eſt, & lux, & ſecretum ſecretorum per me generatur. Dicunt etiam Avicebron & Races: Corpus ferri eſt corporibus fortius & eſt Indorum lapis, & eorum voluntas magis in illo eſt quàm in alio corpore: illud elegerunt ſapientes.

DISC. Sinas pro nunc has ſententias: ſi aliquam rationem habes, prome: nam ratio me magis in veritate confirmat.

RAIM. Superius dixi, quòd juxta Geberi ſententiam in Teſtamento, Mars quia ſubſtantiam habet fixam, eſt inter alia corpora melius: Et quamvis per Martem intelligi poſſit de ſulfure arſenici reſpectu, quod eſt minus fixum, tamen etiam de ferro intelligi poteſt communi, quoniam nullum metallum habet tantum ſulfuris fixi quantum ferrum commune: in præſentiarum verò per ſubſtantiam fixam intelligo ſubſtantiam terream: namque ut dicit Geber lib. 3. cap. 6. Si ſulfur fixum terreum miſtum fuerit cum argento vivo terreo, ex his fiet ferrum commune.

DISC. Hæc non videtur mihi ratio, ſed irrationalitas, credere ut ex majori terreſtreitate ſit cæteris melius in opere noſtro: nam medicina noſtra fit ex materia puriſſima & ſeparata ab omni terreitate ſuperflua.

RAIM. Non dico ferri terreitates eſſe hoc in opere bonas, ſed ajo Spiritus natos & nutritos in ferri terreitate meliores eſſe & efficaciores ſpiritibus alitis in pauca aliorum metallorum terreitate: & hanc ego rationem ſcripſi in libro Secretorum naturæ dicens: Terra ob virtutem radiorum corporum cœleſtium qui continuè in illam influunt, continet tres principales partes, nempe animalem, vegetabilem, & mineralem, & eſt productiva rerum adeò terribilium ut narrari non poſſint: id quod aliis elementis non evenit: Et quanto res aliqua magis in terreſtre elementum deſcendit, eo magis in cœleſti virtute creſcit: Ergo aquæ & ſpiritus qui ſunt terreſtri elemento immerſi, ob ſimilitudinem in materia naturali, imitantur & trahunt proprietates ac virtutes materiæ ac loci.

DISC. Mihi videtur te eo in loco loquutum eſſe de elementis mundi majoris.

RAIM. Volentes Philoſophi occultare hanc ſcientiam, ſcripſerunt eam ſub elementorum nomine, & nominarunt ferrum, minorem mundum, & quia plus terram participat quàm alia elementa, ideò ſpiritus & aquæ illius ſunt aliis virtuoſiores, & illi ſunt nominati vegetabiles, animales & minerales, & hac de cauſa Philoſophi noſtri allegant divinam illam ſententiam: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ſolum ipſum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert. Alia ratio allegari poteſt ad probandum ferrum quantumcunque aliis metallis terreſtrius ſit, tamen eſſe perfectius poſt præparationem: Nam in ſe habet omnes cauſas corruptionis, quas Geber ſcripſit lib. 3. cap. 6. Et facile corrumpitur: Et quia ſuæ terreſtreitates non ſunt bene commiſtæ, & non habent affinitatem vel convenientiam cum parte radicali, ideo melius & facilius in ferro ſeparantur quàm in aliis metallis: Ideo Albertus lib. 4. Meteor. tractatu 4. cap. 5. dicit: Ferrum eſt malleabile & etiam liquefactibile cum forti igne, tamen multum habet terræ, & eſt mirabile in ſua terreſtreitate: quoniam quando aqua facilius patiatur

ab

ab igne quàm terra, tamen in ferro citius à commisto solvitur terra & comburitur quàm substantia magis aquea. Et hujus causa est, quia terreum quod est in ferri compositione est lutulentum, non bene depuratum, nec bene commistum. Hujus signum est quia facilè rubiginem contrahit, & quando in igne comburitur, multæ adustæ terrestreitates ab eo cadunt, quoniam terrestre illius porosum est, & ignis ab omni parte potest illud comburere, Idem confirmat Geber lib. 4. cap. 14. loquens de hac calcinatione ac separatione sub nomine cineritii dicens: Corpora illa imperfecta quæ plus habent terreitatis, minus in hoc examine perdurant calcinationis & separationis, quia citius calcinantur, & eorum terreitreitates facilius separantur: Sed quæ metalla minus habent terrestreitatis, plus durant in eorum præparationis examine, quia difficilius corrumpuntur, & eorum partes terreæ difficulter separantur: Et manifestè ubi supra dicit, Martem & Venerem necessario separari à commisto plus quàm omnia alia metalla: Et rationem adducit eo in loco & in sequenti capite. Quoniam eorum terræ diversæ sunt in substantia à parte radicali: Et ob hoc resultat fusio diversa, & spissitudo & raritas quæ sunt eorum separationis causa: Hæc ratio confirmatur ex eo quod dicit Geber libro 3. capite 7. loquens de Mercurii sublimatione. Dicimus ergo ingenium separandi terram superfluam à Mercurio, id est, sale, esse commistionem cum rebus, cum quibus affinitatem non habet, & multoties sublimationem seu distillationem ejus à fæcibus reiterare: Et hæ res sunt veluti talcum, & calx corticum ovorum, & marmoris albi similiter, & vitri minutissimè triti; & omni genere salis præparati & similium, ab his enim mundatur, sed ab aliis cum quibus convenit, non mundatur, præterquàm à corporibus perfectis, à quibus si posses eximere, mundum esset, quia munda sunt in radice.

DISC. Mihi videtur in eodem capite contradictionem haberi: nam loquens de hac sublimatione Geber dicit: Quando videbis argentum vivum ut nix albissimum, & veluti mortuum adhærere lateribus alembici, tunc reitera super eum suam sublimationem sine fæcibus. Primò dicit ejus sublimationem reiterari debere cum fæcibus, postea dicit sine fæcibus.

RAIM. Dicerent aliqui primam & secundam sublimationem non esse eandem, & primò deberi cum fæcibus sublimari, & post sine fæcibus: Sed illa est unica sublimatio id est solutio: Ideo scire debes quòd quando volumus nostrum sal distillare, quod est argentum vivum mortificatum, album est, & pariter suæ terræ sunt albæ, & habent cum talco similitudinem & marmore albo, & aliis fæcibus supradictis cum quibus affinitatem non habet, & ideo facile separari possunt à Sale ferri. Ideo Geber non intelligit ut artificialiter imponantur fæces illæ extraneæ: Sed vult dicere naturaliter esse conjunctas aliquas terreitates, cum quibus non habet in natura affinitatem, & ideo non impones fæces extraneas, quia ut dicit Geber lib. 2. cap. 8. Quicquid ignitione sublimari debet, debet sine fæcibus sublimari quia in seipso habet fæces sufficientes, imò superfluas, & hujus signum est suæ sublimationis difficultas: Certum autem est in arsenici sublimatione qua terreitates à dicto sale separantur, sublimatur cum ignitione ut dicit Geber libro 2. cap. 2. ergo non requiruntur feces extraneæ: Et quicquid supra dixi declarat Geber in loco ut supra, dicens: Separatio fæcum ab ipsis salibus sublimandis est possibilis ob solutionem salium; quæ res aliis non convenit, ut dicit Geber libro 2. cap. 15. & cap. 11. in tertio Descensionis causa, id est distillatione & solutione supradicti salis, & in libro Investig. capite de præparatione aceti acerrimi; & sequenti.

DISC. Vellem ut declares aliud dubium: Geber dicit in 2. lib. cap. 2. loquens de fæcibus à quibus debemus spiritus sublimari, quòd debeat materia eligi cum qua magis conveniant spiritus sublimandi, & cum qua uniantur profundius & per minima: Et eo in loco rationem adducit hujus, ergo istud contrarium est illi quod superius dixit, nempe quòd volentes nos sublimare argentum vivum debemus illud cum fæcibus unire, cum quibus neque affinitatem habet neque convenientiam.

RAIM. Superius satis huic dubio respondi: Cum enim Geber dixit, debere nos fæces eligere cum quibus conveniunt, voluit significare ne extraneas fæces acciperemus, sed ut sublimaremus cum fæcibus naturaliter per minima unitis & fixis, id est terreis: Et hoc loquendi modo multi Philosophi utuntur, nam dicunt: Cape talem vel talem rem & misce simul, & nihilominus nihil earum rerum apponitur, sed hoc faciunt ut indignos decipiant, & per illa verba significare volunt, in sua materia naturaliter unitam esse unam vel alteram rem quæ cum illis similitudinem habent: Sed quando Geb. dixit ut fæces caperemus cum quibus ipsum argentum vivum non habet affinitatem vel convenientiam voluit significare, illas terreitates, argenti vivi Martis, non habere affinitatem vel convenientiam cum illo (ut habent aliorum metallorum terreitates) quamvis naturaliter & per minima sint unitæ, ex superiori ratione sequitur, spiritus à ferro sublimatos puriores esse quàm si à quocunque alio metallo sublimarentur. Nam terreitates & alia accidentia superinducta primæ materiæ radicali, melius possunt à ferro separari cum quo affinitatem non habent, neque sunt bene commista, quàm in quocunque alio metallo, cum quo majorem symboleitatem & convenientiam habent, atque arctè commista sunt. Aliam hujus rationem adducit Geber lib. 2. cap. 2. nempe quia ferri fæces fixæ sunt, id est terreæ, quæ in sublimatione aut solutione ascendere non possunt, & spirituum immunditiem secum in fundo bociæ retinent, ita ut spiritus possint puri & mundi ascendere. Ferrum quia terrestrius est & crassius in natura cæteris metallis, quæ sunt magis aquea magisque subtilia in substantia, ideo melius est aliis: Nam ejus Mercurius, id est sal præparatus unitur cum suo sulfure non solùm ut creationem præbeat & facilem fusionem illi, sed etiam ut servet illud à combustione, nam est proprietas salium præparatorum ut ante fusionem haud urantur, & ut spiritum sulfureum commistum salvent à combustione, ut dicit Geber lib. 2. cap. 15. Spiritus ergo Mercurialis qui post æquales præparationes servabit magis naturam corpoream sui salis, tuebitur magis spiritus sulfureos à combustione: Nam quo is subtilior est & solutior eo magis ad ignis naturam accedit, & tanto citius comburitur, ut dicit Geber libro 2. cap. 2. Sed certum est quòd si omnes metallorum spiritus Mercuriales æqualiter præparari possent, Martis spiritus servaret magis crassem & corpoream naturam, idcirco minus combureretur, & melius servaretur sulfur à combustione, & hoc probat Geber libro 3. cap. 7. dicens: Subtilior res in sui natura, si ad naturam

terream reducatur, id eſt ſi calcinetur, & in ſalis naturam reducatur, magis ſubtiliatur, ergo magis ſolvitur. Quoniam verò metalla omnia ſunt in ipſorum natura ſubtiliora ipſo ferro, ideo æqualiter præparata magis ſubtiliantur & ſolvuntur, & facilius comburuntur: hoc totum fatetur Geber libro quarto capite decimo quinto loquens de ſulfure ſub Martis nomine, dicens: Quando Mars unitur corporibus multæ humiditatis, illa combibit ob privationem multæ humiditatis, & ideo illis conjunctus non inflammatur neq; comburitur, niſi ſint inflammabilia vel combuſtibilia corpora cum eo commiſta, idem confirmat Iſidorus dicens: Stannum tuetur alia metalla ab igne, & quamvis æris natura & ferri duriſſima ſit, ſi fuerint ſine ſtanno, comburentur. Per ſtannum, æs, & ferrum, intelligit de ſupradictis intrinſecis. Vincentius quoque in ſuo Naturali libro 7. capite 90. dicit: Sal qui cum limatura corporis in igne miſcetur, in igne tuetur illam ne comburatur: per limaturam corporis, intelligit ſulfur præparatum ut argenti limatura. Alb. etiam lib. 5. Mineralium cap. 1. dicit: proprium eſſe omnium metallorum, i. e. imperfectorum, ut videantur incompleta eſſe in ſpecie, & ideo ſunt in omnia convertibilia: Et reſtringens hanc poſſibilitatem ſolummodò ad Martem ſub nomine ſulfuris lib. 4. c. 1. probat illum eſſe inconcoctum & non terminatum: Et dicit hanc ejus intemperiem facere, ut is omnium elementorum materia univerſalis eſſe queat, & in omnia metalla convertibilis: nam ipſe abundat magis ſulfure aliis metallis. Alibi Alb. probat à ferro debere noſtram medicinam extrahi: nam illud eſt proprium minerale medium à natura incoctum: non tamen ut ex eo per naturam aliud generari poſſit, ſed quia ab eo per artificium hæc noſtra medicina generari poteſt: Ideo libro 5. capite 1. ita dicit. Quicquid aliqua ex parte lapidum paſſionem participat, & ex parte metallorum proprietatem, dicimus illud eſſe medium minerale: nam lapidum proprium eſt non liquefieri, metallorum autem liquefieri in calido ſicco: Et ideo lapides ſunt in genere ſiccorum & terræ, metalla verò in genere humidorum: Quòniam autem hæ proprietates ferro conveniunt, ideo illud eſt verum minerale medium: Et quia multam terreitatem participat & ſubſtantiam ſaxeam qua non funditur, ideo à Philoſophis nominatur lapis.

DIS. Albertus lib. 5. cap. 6. probat marchaſitam eſſe hoc minerale medium, neq; de ferro loquitur.

RAIM. Ob ſubſtantiæ convenientiam & nominis, Philoſophi ſub marchaſitæ nomine locuti ſunt de ferro communi: Et quia, ut dicit Albertus ubi ſupra, Medium habet naturam informem, & formatam & diſtinctam, extrema poſſident: Ideo extrema formata & diſtincta per artem & naturam reducuntur à mediis. Et valde conſiderare debemus mediorum naturam ad metallorum tranſmutationem quia in illis eſt multa ſcientia eorum quæ quærimus & conamur invicē convertere. Omne id brevibus verbis ipſe Alb. lib. 3. Miner. cap. 8. concludit dicens: Ars hoc modo procedit, nempe unum metallum corrũpens illudque à ſpecie ſua removens, & cum auxilio rerum quæ ſunt in ipſa ſpecie metallica, inducens ſpeciem alterius metalli. Multas laudes Antiqui ferro attribuêre: inter quas hæc una eſt. Quòd dicant ferrum eſſe propriam mineram argenti vivi Philoſophorum. Razes in lib. Divinitatis dicit: Occultum ferri eſt argentum vivum. Iſidorus lib. 16. inquit: Argentum vivum præcipuè in metallis reperitur, & tantæ eſt virtutis, quod ſi ponas centenarium ſaxorum ſuper ſextarium (vel modium) argenti vivi, ſtatim reſiſtit gravitati: quòd ſi ſuperponas auri ſcrupulum, ſtatim ejus levitatem in ſinum ſinum recipit.

DISC. Haud æſtimo qui poſſibile ſit, ut argentum vivum poſſit tantum lapidum pondus ſuſtinere.

RAI. An non cernis Iſidorum loqui de argento vivo quod in metallis eſt, & maxime in ferro: nam illud ſuſtinet multam lapidum ſubſtantiam: ſed ſi ejus Mercurium diſtilles, in eò diſtillato ſubmergitur ejus ſulfur dictum aurum, ut inquit Geber lib. 1. cap. 15. Dicit Aros Philoſophus: Cape ſal. commune: Sed dico omnibus metallis commune neque intelligas ſal marinum: Et ſcias quia non agnoſco aliud ſal, neque aliud atramentum, eo excepto quod in capillis Virginis Paſchalis ſtat.

DISC. Neſcio quæ ſit Virgo Paſchalis.

RAIM. Antiqui hanc ſcientiam occultarunt non ſolùm ſcripturis, ſed etiam variis picturis, characteribus, cifferis, monſtris & animalibus: Ideo in ipſorum templis pingebant illas poëticas fabulas, in planetis, ſignis cœleſtibus, monſtris, animalibus, & aliis ſignis: neque intelligebantur præterquàm ab his qui hujus ſcientiæ notitiam habebant. Virginem Paſchalem pingebant in forma mulieris, capillis poſt humeros ſparſis, in quorum ſummitate erat Mercurii, character, in medio erat dimidia Luna, in extrema autem parte Solis character.

DISC. Quid hæ res ſignificabant?

RAIM. Virgo Paſchalis, herba eſt naturalis, quæ cum Marte ſimilitudinem habet: Ideo Philoſophus loquens per ſimilitudinem, dicit ſe aliud ſal aut ſulfur non agnoſcere, illo excepto quod in partibus ſubtilibus & radicalibus ferri ſitum eſt: ſed Mercurius præparatus aut aqua Mercurialis, ſubtilior eſt altiuſque volat ſale non præparato dicto Luna, & ſulfur dictum aurum ob ſuum colorem rubeum aut citrinum, eſt iſtis gravius. Dicit etiam Rudienus Philoſophus: Hujus operis initium eſt quando Sol erit in ariete. Et Ariſt. in lib. Secretum ſecretorum ad Alexandrum dicit: Ver tunc incipit quando Sol arietis ſignum intrat.

DISC. Credo eos loqui de primo ignis gradu, id eſt de putrefactione, qui eſſe debet levis, id eſt calidus & humidus, ut eſt aër tempore veris.

RAIM. Satis bene intelligis: ſed quia aries eſt domus Martis, ideo dicere volunt principium materiale hujus medicinæ eſſe Martem. Razes in lib. Divinitatis dicit: Accipe petram poſt ingreſſum Solis arietem: & ibidem ait: Dico hanc rem eſſe animalium calidiorum & cæteris meliorum, id eſt hominis, cujus complexio ſit cholerica.

DISC. Superius dixiſti, hanc medicinam haud fieri ex animalibus, nunc verò dicis ex homine fieri.

RAIM. Hic homo calidus & biliosus eſt ferrum: Razes dicit, Mars in profundo eſt calidus & ſiccus, igneus & cholericus, ideo homines, qui ſub Marte planeta naſcuntur ſunt bellicoſi & cholerici. Ferrum vocatur homo ſanus & juvenis, quia purum eſt in radice, & quia durum eſt & forte. Vocatur homo quia habet animam, corpus, & ſpiritum (ut ſuperius dixi) bonum iſtud metallum, quamvis genitũ ſit virtute omnium ſtellarum & planetarum, eſt tamen ſpecialiter in terra genitum virtute potentiſſimæ & virtuoſiſſimæ polaris ſtellæ dictæ Septentriones: ideo acus poſita ſuper magnetem navigantium, ſemper ad Septentrionem vertitur tanquam ad ſuum ſimile: ideo ferrum vires habet & proprietates illius ſtellæ. Superiora occultarunt Antiqui dicentes, Dæmogorgonem fuiſſe omnium gentilium Deorum proavum, & ab omni parte circumdatum tenebris,

nebulis

nebulis, & caliginibus, deambulare in mediis terræ viscеribus, inibique absconditum manere, indutum quodam pallente viridi, & neglecta humiditate, evaporare terrestrem odorem horribilem ac fœtidum, non genitum ab aliquo, sed æternum, & omnium rerum patrem.

DIS. Quamvis hæc mihi videatur deformis chimæra, tamen etiam tua mihi placebit interpretatio.

RAIM. Dæmogorgon Græcè, Latinè Deum terræ significat, vel Deum terribilem, & ferrum significat, proavus est omnium gentilium Deorum quoniam ab eo cuncti derivarunt, ut superius dixi in illarum fabularum expositione: ab omni latere circumdatus est nebulis & caligine, id est terrestri substantia: deambulat in medio viscerum terræ quia sub terra generatur ibique nutritur: dicunt illum æternum esse, neque ab aliquo genitum, quoniam ante terram aliaque elementa, nulla est res elementata: Indutus est quandam humiditatem neglectam, nempe æruginem & quandam pallidam viriditatem, id est vitrioli terrestris & sulfurei: projicit odorem terrestrem horribilem ac fœtidum i. e. sulfureum ad ignem positum, est rerum omnium pater, quia omnia sunt in eo secundum aliquam similitudinem: Huic (ut inquit Boccacius lib. de Genealogia Deorum gentilium) Antiqui attribuerunt æternitatem & chaos pro sociis: æternitas & argent. vivum præparatum, quod ut dicit Plinius lib. 33. est liquor æternus. Et istud arg. viv. Claudianus nominat serpentem, qui in coagulatione comedit & devorat caudam suam, id est, aquam Mercurialem ab ipso arg. vivo distillatam in forma caudæ serpentis & draconis: Chaos est illud sal terreum dictum Saturnus: est enim materia, in eoque res omnis est informis, nempe Sol, Luna, stellæ supradictæ, quæ suum lumen non dant, quatuor elementa, res vegetabiles, animales, & minerales, atque, ut ait Claudianus, cum demogorgone habitant diversi metalli figuræ. Et ego dixi omnia Philosophorum metalla in ferro esse Primus Dæmogorgonis filius fuit Litigius, id est, sulfur illud dictum Mars, quod in putrefactione tumultuatur in ventre chaos, id est illius salis, quia separari vellet, cum sit diversæ naturæ ab illo: ideo aperto istius chaos, ventre, id est soluto in aceto, Dæmogorgon extensa manu sua Litigium exemit, id est sulfur illud dictum ferrum: per Dæmogorgonis manum, significatur illud aliud sulfur dictum arsenicum, quia ut supra dixi, Mars elevatur cum arsenico, & quia superius dixi per Vulcanum & Martem idem significari, & Vulcanum subitò natum, quia deformis esset, fuisse in Lemnum insulam projectum: ita dicunt hunc Litigium illico natum, quia turpis erat ob adustivam unctuositatem, projectum fuisse in auras id est in aquas distillatas, ubi lavatur, subtiliatur, & in altum volat, nempe in illas aquas, nam non poterat inferius descendere, quia arsenicum illud quod exemerat illum, seu separaverat ab ejus salis ventre, est omnibus rebus inferius: nam ipsum in terræ centro ipsius salis habitat.

DISC. Longa fuit hæc expositio, de qua quia judicare non possum, ideo hac declaratione contentus ero quia tuis verbis credo.

RAIM. Nonne dicunt Poetæ Vulcani rete chalybeum fuisse? Et vellus aureum, tauros & dracones fuisse Marti dedicatos?

DISC. Dicunt. RAIM. Volunt significare aquam Mercurialem, aurum Philosophorum, & Mercurium, omnia ex ferro constare: ferrum est lapis ille qui vili venditur precio respectu aliorum metallorum. In Lilio scriptum est, Philosophi tam diversimodè hunc lapidem nominarunt, ne insipientes agnoscerent, nam si cognoscerent non venderent vili precio ut faciunt: In philosophorum Turba, Lapis quem quæritis publicè ac vili precio venditur.

DISC. Jamdudum volui tibi dicere, quòd cum Philosophi de lapide loquuntur, aliam habent intentionem quàm ut medicinam parent pro humanis corporibus.

RAIM. Scripsi in libro Secretorum naturæ omne fieri ex una sola materia.

DISC. Superius allegasti Morienum, ac dixisti, in materialium pondere pro hoc opere nihil expendendum esse, quia sit re vilissima: non est tamen admodum vile ferrum: Nam in Lilio scriptum est: Scitote hujus artis fundamentum, pro quo multi periêre, est res magis tincta, fortior, & sublimior omnibus rebus apud Philosophos: apud verò insipientes vilior est omnibus rebus. In Turba Philosophorum, Non est istud nisi ut sapientes dixerunt, id est, diviti ac pauperi, liberali, & avaro, ambulanti & sedenti, communis: nam in vias projicitur, & in sterquiliniis teritur. Alphidius dicit: Secretum hoc non emitur precio, & in viis projectum invenitur, ut quivis pauper habere possit.

RAIM. Concedo Martem reduci veluti in lapidem vilissimum, ex quo fiat hæc medicina. De hoc lapide Arist. ad Alexandrum dicit: Accipe lapidem vegetabilem, animalem, & mineralem: qui non est lapis neque lapidis naturam habet. Arnaldus dicit: Lapis est in similitudine ac tactu, non in natura. Hali Philosophus ait: Sunt & non sunt lapides, sed nominamus lapides ob similitudinem quam cum eis habent.

DISC. Concedo medicinam, cum finita est habere lapidis formam vilis apud ignaros, & non esse lapidem: Et idcirco haud dicere debemus materiam, ex qua fit hæc medicina, ullo modo lapidem esse, nisi dicere vellemus, omnem rem in quatuor elementa divisibilem, aut in igne non combustibilem, nominari lapidem.

RAIM. Dico materiam, ex qua fit hæc medicina, similitudinem vilissimi lapidis in operis initio habere, non autem in fine: Et hoc omnes Philosophi affirmant, & dicunt nos debere accipere lapidem illum vilem, & illum præparare, & projicere superfluitates & immunditias: hoc autem intelligi non potest in operis fine, nam medicina facta, si lapidis habet similitudinem vel ovi, non existimatur vilis aut preciosa penes insipientes, quia illius nullam habent cognitionem, qui verò eam cognoscunt, eam super omnem rem appreciant, neque verum est: Omnem rem quæ dividi possit in quatuor elementa, aut in igne non comburitur, nominari lapidem aut lapidis similitudinem habere: sed Philosophi significare volunt, eorum materiam esse vilem lapidem, quæ in igne non consumetur, & potest in quatuor elementa dividi: illamque fundamentum esse hujus artis. Hali Philosophus inquit: Lapis iste omni tempore invenitur, & ubique & apud quemcunque hominem, cujus intentio non aggravat quærentem ubicunque sit, & est lapis vilis, niger, fœtens, neque precio emitur. In Philosophorum Turba, Res ista lapis est, & non est lapis, ubique reperitur, res est vilis & preciosa, obscura, & occulta, & omnibus cognita. Senior Philosophus inquit: Interrogatus Rex Marhos de lapidis cognitione, dixit: omnis homo illum cognoscit, & qui illum lapidem non agnoscit, nihil cognoscit.

DISC. Dic tandem clarè quinam sit hic lapis tam vilis, qui igne non comburitur, & in vias projicitur.

RAIM. Quia (ut tibi dixi) in me non regnat

invidia, & cupio multis fidelibus Chriſtianis prodeſſe, ac maximè tibi, quem tuas ob virtutes amo: ideo tibi dico, ferri excrementum ſeu ſcoriam vel calcem, Italicè, Joppam, quæ in igne generatur, & à fabris ferrariis, ſeu ferri fuſoribus in viis projicitur. Illa, inquam, eſt Philoſophorum viliſſimus lapis, habetque lapidis ſimilitudinem & non eſt lapis, ſolaque omnes habet proprietates, quas Philoſophi dicunt de ipſorum lapide.

DISC. Quomodo hæc eſt vegetabilis, animalis, & mineralis?

RAIM. Superius dixi, noſtrum metallum habere in ſe has res omnes: de hoc lapide loquebatur Albertus lib. 1. Min. cap. 4. dicens: Empedocles ſatis Hermete poſterior, confirmavit lapides ab ardenti calore genitos eſſe.

DISC. Quomodo hæc eſſe poteſt virtuoſiſſimus Philoſophorum lapis, cum ſit exuſta terra, in qua aliquid efficax eſſe vix poteſt: nam quum tam longo tempore fuerit in magno igne, credibile haud eſt in ea relictam eſſe ſulfuris ſubſtantiam & argenti vivi, vel aliorum ſpirituum.

RAI. Annon dixi tibi rem omnem in igne comburi, excepto calido & humido, radicalibus metallorum, atque ex his medicinam parari noſtram? Et quamvis arida videatur & ſicca dicta calx atque humiditatis expers, tamen ſi experies, invenies omnia ſuperius dicta. De hac calce loquebatur Geber lib. 2. cap. 7. dicens: Argenti vivi ſublimatio melior eſt à calce, quàm ab omnibus aliis mundi rebus, quia parum cum illo convenit, neque ſulfureitatem habet (vide textus dicit talcum, error eſt.)

DISC. Non nominat ferri calcem Geber.

RAI. Ut tibi ſuperius dixi, Geber concludit arg. viv. debere ſublimari ſeu eximi ab illis metallis, cum quibus neque convenit, neque affinitatem habet: Quoniam verò ferrum non convenit, neque affine eſt arg. viv. ideo ab eo extrahi debet. Sed quia, ut dicit Geber in Teſtamento in cap. de Jove, corporum calcinatio eſt brevior ad perfectionem via, idcirco Geber ipſe dixit, fore melius extrahere arg. viv. Philoſoph. à calce ferri, quam à quacunque alia re: quia illius terreitates parum conveniunt illi, neque habet aduſtibilem ſulfureitatem, aut immundam in radice. Quòd ſi leges cap. 2. lib. 2. Geb. ubi de fæcibus ac calcibus metallorum loquitur, ex his quæ tibi ſuperius narravi ſine alia declaratione ex te intelliges: nam ſulfur & arſenicum conjungi debent cum alicujus rei fixæ fæcibus, ut ſunt calces Martis, in quibus naturaliter conjunguntur ſupradicti ſpiritus, ac profundè & per minima: atque cum illis convenire dicuntur, quia ex natura uniuntur: ideo ipſe dixit. Experientia illum ſcire hoc eſſe neceſſarium qui hoc vidit & cognovit; nam quando ſublimavit à re extranea ab illorum natura, fruſtra ſublimavit: quia nullo modo illos depuratos invenit poſt ipſorum aſcenſionem. Si vero ſublimavit cum calce alicujus corporis, tunc bene ſublimavit, & perfectè ac cum facilitate mundare potuit. Eſt ergo fæcum intentio ut adminiſtrentur metallorum calces, nam in illis facilis eſt ſublimationis labor, cum aliis autem rebus eſt difficillimus. Nihil eſt igitur quod earum loco ſtare poſſit. Non dicimus tamen ſublimationem eſſe impoſſibilem ſine corporum calcibus, ſed difficillimam longiſſimique laboris & prolongationis, uſque ad deſperationem: Hæc ſunt magiſtrorum magiſtri verba. Quid ergo dicent hoc in loco infiniti ferè homines in variis ipſorum fantaſticis opinionibus & chimæris errantes?

DIS. Quantum ad me jam credere incipio.

RAI. Idem confirmat lib. 1. cap. 14. dicens: Fixatur arſenicum ut ſulfur & utriuſque ſublimatio melior eſt à calcibus metallorum. De hac calce intelligebat Joannes de Rupeſciſſa, quando dixit, velle docere excantare aurum & argentum eaque in terram & calcem reducere, ut poſſent publicè in manu ferri bellorum tempore ſine latronum metu.

DISC. Quando mihi concedetur commoditas, experiar hoc opus, poſteaquàm pauci eſt ſumptus.

RAI. Vide ne erres.

DIS. Si erravero, rurſus incipiam.

RAIM. Non dico de praxi, ſed circa materiam.

DIS. Capiam eam ferri calcem quam dixiſti.

RAIM. In ea dico te errare poſſe.

DISC. Mihi videtur omnis eadem.

RAI. Non omnis eſt unius modi & poſſes minus bonam capere.

DISC. Doceas ergo me quæ melior ſit.

RAI. Invenies calcis ſpeciem quæ gravis eſt & non frangibilis, & iſta eſt ferrum, nec bona eſt. Invenies aliam quæ frangibilis eſt & alba in fractura atque illa non admodū bona eſt, quia tenet adhuc ferri naturam, & poſſet reduci in corpus ferreum. Sed ea quam videbis ex maxima ignis vehementia converſam eſſe in vitri naturam & coloris quaſi viridis vel cærulei obſcuri, illa vera eſt efficax ſapientum perra, quæ in igne generatur, & non poteſt amplius in corpus ferreum reduci, quia terreitates & ſulfureitas ex parte ſunt combuſtæ.

DISC. Tibi gratias ago tantam ob liberalitatem qua uſus es erga me: tamen [bona venia] dicam quod ſentio de hac materia vitrificata.

RAim. Ne te ullus reſpectus teneat in dicenda opinione tua (ut ſemper feciſti) nam hoc modo veritas lucidior & manifeſtior fit.

DISC. Geb. lib. 2. cap. 13. in fine, dicit: Rem omnem ſua humiditate privatam, nullam dare fuſionem, excepta vitrificatoria. Ferrum ergo ex maximo ignis calore converſum eſt in naturam vitri, & humiditate privatam, & ex conſequenti caret argento vivo aliiſque ſpiritibus.

RAIM. Juxtà Alb. ſententiam libro 3. Mineral. cap. 2. & cap. 5. tract. 2. In metallis duæ ſunt unctuoſitates, ſeu humiditates unctoſæ: quarum una eſt veluti extrinſeca, ſubtilis & inflammabilis: alia intrinſeca, in radicibus metalli retenta, ne evellatur vel abſorbeatur ab igne, hæcque cremabilis non eſt aut combuſtibilis, ſed certum eſt illud vitrum eſſe humidum radicale ferri, ergo erit incombuſtibile, neque omnino ab humiditate privatum, quamvis ſit illius humiditatis quaſi extrinſecæ expers. Ideo Albert. lib. ſupradicto cap. 4. loquens de hoc vitro dicit: Negamus materiam, quæ vitri ſubſtantiam intrat eſſe cinerem, ſed potius illud humidum radicale puriſſimum quod erat intrinſecum illi incineratæ rei, quod humidum ex potentia unius incinerantis ignis, extrahi non poterat: ſed fluit ob fortiſſimum ignem: & hoc eſt humidum quod maximè à ſicco paſſum eſt. Hæc eſt ergo liquabilium materia, & materia prima & remota una & communis, id eſt hujuſmodi humidum. Superius etiam dixi ſecundum Albert. ſent. lib. 4. Meteor. tract. 2. cap. 9. Calor vehemens congregat partes homogeneas: & ſeparat heterogeneas: nam illud ſolvit humidum, ſeparatque illud à terreo. Cumque humidum prehenſum fuerit à terreo ſubtili, non poteſt omnino ſeparari, & ideo diſtillare incipit cum terreo ſubtili, & ab igne fortiſſimo funditur in vitrum: Et tunc terreum craſſū quod fortiter eum tenebat, uritur in ſquamas.

Manifeſtum

Manifestum ergo est vitrum illud esse partem radicalem ferri: Et quia terreitates quæ fusionem impediebant combustæ sunt in squamas, ideo illud humidum est fusibile, quia reversum est ad suam liquabilem naturam: quia verò pori sunt clausi, ideo ignis illud penetrare nequit & exterminare. Alph. dicit: Ignis intrat omnia corpora, substantias, spiritus & lapides, sed lapidem illum non intrat, neque illi dominatur, nec sulphura illum corrumpunt.

DISC. Cùm Philosophi dicunt eorum lápidem ab igne non consumi, ipsi intelligunt de completa medicina.

RAIM. Mala est ea glossa quæ textum destruit, tibi dico eos intelligere de principio & fundamento materiali. Et hoc confirmat Roger. Baccon Anglus, dicens: De omnium qualitate dico debere fixos esse super ignem, id est, ne ab igne fugiant neque consumentur, nec ab eo corrumpantur, & tandem ne colorem mutent in igne: talia sunt igitur quæ huic operi initium dant: Vincentius in suo Naturali 8. lib. de hoc lapide loquens; inquit: Dicitur lapis non lapis: lapis quia teritur, non lapis quia funditur & fluit in igne sine evaporatione, ut aurum: nec aliud est cui ea proprietas conveniat. Arnaldus in Ep. ad Regem Neap. dicit. Quo plus ille lapis in igne jacet, eo magis in virtute & bonitate augetur: quod non evenit aliis rebus, quia res omnes aliæ in igne comburuntur, sed dictus lapis totus, solus, semper in igne fit melior, & bonitas ejus crescit, atque ignis est ejus nutrimentum, Et hoc est unum ex evidentibus signis in ipso lapide cognoscendo; Geber etiam in fine procemii libri investig. & in procemio lib. 2. summæ dicit: Vitrum esse unam ex rebus quæ præparationi auxiliantur, & vult innuere: Quod si ferrum ad vitti naturam reducatur, præparatur: quia multæ cadunt terreitates ideo Geb. lib. 3. cap. 7. dicit: Si ergo dicemus corpora ob calcinationem esse mundata, intelligas certè à substantia terrea, quæ unita non est in radice, Avic. in lib. Animæ dicit: Sunt nonnulli qui magisterium non concedunt, dicentes: à re cujus natura non est ut ignem sustineat, elici rem non posse quæ ignem sufferat: Quibus rationem nitri objicimus: Nam terra quidem citò ab igne removetur, sed dum ab igne tangitur, fortis evadit, quoniam ignis vim non habet supra nitrum.

DISC. Sal nitrum mihi videtur admodum combustibile.

RAI. Antiqui carmen invenerunt, ne hæc scientia posset alterari, utique illam occultarent, non modò fabulas poeticas nacti sunt, sed etiam grammaticales figuras: ideo Avic. per nitrum intelligit vitrum, per figuram antithesin, mutando primam literam: ut si dicas olli pro illi: Dicit quoque Avic. in Ep. Ad Arsem Philosophum. Locus Orientis, ubi gemmæ inveniuntur, est Soli proximus. Ita etiam nitrum, quo magis à calore Solis tangitur, eo magis valet. Ergo lapis mineralis qui plus ignes sustinet, & alios labores, is plus valet. Alb. in 4. Meteor. tract. 3. cap. 16. inquit: Quamvis aliqua sint corruptibilia ab igne, non sunt tamen combustibilia; Quoniam ipsorum humor non est ignis alimentum ut sunt lapides & ferrum. Sed aliquæ res, quæ tales habent humores ob corporum angustiam non dant igni ingressum, & propterea rursus non ardent. Ferrum igitur in vitrum conservum non ardet, quia pori sunt clausi, & eosdem habet humores, id est sulfura, & arg. viv. radicalia, quas ferrum habet & cætera metalla.

DIS. Fortasse Philosophi quando de vitro locuti sunt, intellexerunt de communi vitro.

RAI. Vitrum commune non habet in se sulf. neque arg. viv. metallis convenientia: Ideo Razes dicit: Antiqui fecêre vitrum metallinum. Et Geber lib. 1. cap. 11. dicit: Philosophos facere vitrum ex corporibus metallicis. Razes etiam in libro Divin dicit: Alii dixerunt tincturam esse à vitro, & non ab alio & esse lapidem majorem, vilem, inventum, famosum. Idem quoque in lib de Aluminibus dicit; Vitrum liquat ferrum & omnia corpora, & illo facit in fusione currere.

DISC. Quando superius dixisti, vitrum citò facere carnem coctilem, dicebas per vitrum Philosophos sulfur intellexisse: quomodo ergo de illa calce intelligunt?

RAI. Verum est (ut superius dixi) Philosophos multoties æquivocatione uti.

DISC. Declara igitur quando de illa calce intelligant, & quando de sulfure loquantur.

RAI. Cum dicunt vitrum esse tincturã ac omnes colores recipere ac tincturas quòdque citò ad lapideitatem revertatur, & in illo ac sale inesse totum secretum, tunc de sulfure intelligunt ab ea calce extracto, sed cum scribunt, vitrum esse lapidem majorem, vilem & famosum, ac facem esse vel calcem mercurii, ferrum liquefacere & alia corpora, tunc de illa calce intelligunt. Alphidius dicit: Frange vitrum: & lapidem extrahe, ac illam pone in bocia vitri, & oleum extrahe, & invenies quod dicit Philosophus. Idem Philosophus quoque ait: Frange vitrum & cape medicinam coagulatam, illamque pone in cannam vitreatam, Per vitrum Philosophus intelligit calcem supradictam, & illa frangitur, quia subtilissime teri debet, & postea per putrefactionem educi debet lapis seu medicina coagulata, id est sulfur & sal. In hoc vitro est arg vivum quod ignem superat, nec ab eo superatur, ut dicit Geber lib. 3. cap. 6. in fine. Isidorus in hunc propositum loquens, dicebat: Arg. viv. melius servatur in vasis vitreis, nam alias materias perforat. Geb. etiam lib. 2. cap. 6 dicit. Solummodo vitrum & vitro simile, quia poros non habet, potens est spiritus retinere ne fugiant, & ab igne exterminentur: Volunt dicere, spiritus ferri semper fugere ab igne vehementi, donec in vitri naturam convertantur coloris sapphiri, aut cærulei obscuri. Ideo Geber lib. 4. cap. 18. dicit: In corporibus præparatis debemus cœlestem colorem creare, qui fit perfectus ob arg. vivi bonitatem. Albertus magnus etiam in fine suorum Meteor superiora occultè confirmat, dicens: Non est facilè scire quando mineralia suam formam specificam habeant, & quando non: quia haud facilè est scire, quando sit verus lapis aut metallum, nisi per corruptionem veniat ad multum debile, ita ut sola figura supersit, & nihil ex virtute quæ essentiam sequitur. Et hujus rei similitudo est in corporibus mortuorum: nam cùm illa ex parvo tempore mortua sunt, videntur parum differre à vivis: sed cùm diutius in sepulchris jacuerint, tunc in illis est sola figura, & si tangantur, statim solvuntur in cineres: ac tunc maxima est differentia inter viventium & mortuorum corpora. Pariter videre est in vegetabilibus & mineralibus, nam mineralia suo modo pereunt ut animalia, sed nescitur quando proprium esse ac naturam amiserint, nisi ex maxima mutatione. Nam cùm sapphirus adhuc colorem & transparentiam atque figuram sapphiri habet, & veluti vivus, qui operationem sapphiri habet, & ideo nominatur sapphirus ac si

vivus

vivus eſſet : ſed poſt diuturnam ejus mutationem obſcuratur & diſcontinuatur, tunque agnoſcitur non eſſe niſi tantùm ſimilitudine ſapphirus. Idem dicere debemus de auro vivo & mortuo, de argento cæteriſque mineralibus.

DISC. Poſteaquam tam humaniter ac patienter mihi ſatisfeciſti quibuſcunque in rebus quas ex te quæſivi : obſecro ne te pigeat quatuor etiam verba addere in hujus longæ ſententiæ declarationem, & tunc contentus abibo.

RAI. Sententia talis eſt : Quòd quum Mars tamdiu in igne fuerit, quòd multum debilis ac frangibilis factus ſit, nec reliqua ſit in eo pars aliqua naturæ vel ſubſtantiæ ferri, ſed in vitri naturam ſit converſus coloris ferè ſapphiri obſcuri, tunc in lapidem mutatus erit.

DIS. Dum vivam, tibi ſemper debebo. Vale.

Finis Dialogi de Ligno vitæ, Joannis Braceſchi Brixiani.

FINIS TOMI PRIMI.



Rupellæ 1677




2.





Il faut communier l'Oeuvre
le Soleil étant
au Signe du Belier

et la Lune étant
au Signe du Taureau





On la distille




6



















10 10




11






12




100 · 1000 ·
10000 · &c ·
100 · 1000 ·
10000 · &c




TOM I
P 238
14
VI
II
X
Ora
Lege Lege Lege Relege labora
et Invenies.




Oculatus alis
Oculatus



JO. JACOBI

MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

Et Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Pruſſiæ Archiatri,

BIBLIOTHECA CHEMICA CURIOSA,

SEU

Rerum ad ALCHEMIAM pertinentium

THESAURUS INSTRUCTISSIMUS:

Quo non tantùm

ARTIS AURIFERÆ,

Ac SCRIPTORUM in ea Nobiliorum Hiſtoria traditur; LAPIDIS Veritas Argumentis & Experimentis innumeris, immò & Juris Conſultorum Judiciis evincitur; Termini obſcuriores explicantur; Cautiones contra Impoſtores, & Difficultates in TINCTURA UNIVERSALI conficienda occurrentes, declarantur:

Verùm etiam

TRACTATUS OMNES VIRORUM

Celebriorum, qui in MAGNO ſudarunt ELIXYRE, quíque ab ipſo HERMETE, ut dicitur, TRISMEGISTO, ad noſtra uſque Tempora de CHRYSOPOEA ſcripſerunt, cum præcipuis ſuis Commentariis concinno Ordine diſpoſiti exhibentur.

Ad quorum omnium Illuſtrationem additæ ſunt quamplurimæ Figuræ æneæ.

TOMUS SECUNDUS.



GENEVÆ,

Sumpt. CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCCII.

CATALOGUS LIBRORUM
MEDICORVM, MISCELLANEORVM.

Apud CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES, Bibliopolas impreſſorum.

ALbinæi Bibliotheca Chymica. 8
Anatomia Corporis Humani Dionis. 8. *cum Fig.*
——— Authore Munnicks 8. *Fig.*
Atrium Medicinæ & Pharmacopœæ Helvetiorum 12
Aldrovandi Ornitologia ſive de Avibus fol. *cum Fig.*
Bauhini Hiſtoria Plantarum. f. III. Vol.
Boneti Sepulchretum ſive Anatomia Practica f. *III. Tomi* Nova Editio cum multis Addit. 1700.
——— Polyalthes, ſive Theſaurus Medico-Practicus fol. *III. Tom.*
——— Medicina Septentrionalis f. II. *Tom. cum Fig.*
——— Bibliotheca ſive Theſaurus Chirurgicus f. cum *Fig.* ſub Prælo.
——— Labyrinthus Medicus extricatus &c. 4
——— Pharos Medicorum. 12
Bibliotheca Anatomica aucta & illuſtrata f. *II. Tom* cum multis Fig. 1699.
——— Medico-Practica, Mangeti fol *IV Tomi.*
——— Pharmaceutico-Medico-Chymica ejuſdem Authoris fol. *II Tomi* cum Fig. *ſub Prælo.*
de-le-Boë Sylvii Opera omnia Medica *cum nov. Addit.* fol. 1698.
Boyle Opera omnia Philoſophica-Chymica *&c.* 4. variis Tomis diſtributa *cum Fig.*
——— Tractatus varii *ſeparatim.* 4
Burneti Theſaurus Medicinæ 4. Edit. nova aucta & illuſtrata 1698.
Beguini Tyrocinium Chymicum 8
Bicaiſii Manuale Medicorum 12
de-le-Boë Sylvii Caſus Medicinales, *ſive* Hiſtoriæ Ægrotorum in Noſocomio Leydenſi *&c.* fol. *ſeparatim.*
Cenſura Celebriorum Authorum, *ſive* Tractatus in quo varia Virorum Doctorum de Clariſſimis cujuſque Sæculi Scriptoribus Judicia traduntur, Ord dig. per Th. Pope-Blount. 4
Ciceronis Opera cum Notis Variorum 4. *IV. Tomi.*
Charas Hiſtoria Naturalis Animalium, Plantarum, & Mineralium, nec non Theriacæ Andromachi Compoſitionis Ingredientium, *cum* Experimentis circa Viperam. 4. *Fig.*
Catalogus Authorum qui Librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum Litterat. Elogia, Vitas, Orationes Funebres ſcriptis conſignarunt, ab *Ant.* Teiſſerio adornatus cum Phil. Labbei Bibliotheca Nummaria *&c.* 4
Cardani Opera Omnia. fol. *X. Vol.*
Chaſſanæi Catalogus Gloriæ Mundi fol
Charas Opera Pharmaceutica, & Medica 4. *II. Vol. Fig.*
Chabræi Icones Stirpium, *ſive* de Plantis. f. *Fig.*
Crollii Baſilica Chymica 8
Chalmetei Enchiridium Chirurg. 8
Celſus de Re Medica 16
Colladonis Sphalmata Medica 8
Caſſiodori Opera 4
Cozzandus de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum. 12
Cordemoy Tractat. Phyſicus de Corporis & Mentis Diſtinct. 12
Corps de Medecine & de Chirurgie contenant la maniere de guerir toutes les Maladies tant interieures qu'exterieures par Obſervations & Exemples avec toutes les Operations de Chirurgie & les Cures &c. 4. *IV. Tom.*
Diemerbroeck, Opera Omnia Anat. & Medica 4. *II. Vol. Fig.*
——— Opera Medico-Pract. *ſeparatim.* 4
——— Appendix ad Anatomiam *ſeparatim* 4. *Fig.*
Dionis Anatomia Corporis Humani 8. *Fig.*
Duretus in Coacas, *ſive* Prænotiones Hippocratis fol.
Derodonis Philoſophia Contracta 4
——— Opera Omnia Philoſophica. 4
De la Fond de Hydrope Tympanite 12
Dictionarium Poëticum, Geographicum & Hiſtoricum Henrici Stephani 4
——— IV. & VI. Linguis 16
Dictionarium Hiſtoricum, Geographicum, Poëticum *&c.* à *Car.* Stephano inchoatum, Ad incudem verò revocatum, innumeriſque locis auctum & emaculatum per *Nic.* LLoydium 4
——— Græco-Latino-Gallicum Morelli. 4
Dale Pharmacologia. 8
Ecriteaux pour les Apoticaires, Droguiſtes & Epiciers. fol.
Fabricii ab Aquapendente Opera f. Fig.
Joh Fortis Conſultat. Medic. fol. Tom Secund. *ſeparatim.*
Fabricii Hildani Opera Medico-Chirurgica cum Severino de Efficaci Medicina. f. *Fig.*
Fracaſtorii Opera Medica 8
Ferrarii Lexicon Geographic. *cum Notis* Baudrand *&c.* f. *II. Vol.*
Fernelii Opera Medica *cum Augment.* f.
——— Idem 4. & 8.
Ferrerii vera Medendi Methodus. 8
Gaveti Nova Febris Idea, ſeu Novæ Conjecturæ Phyſicæ circa Febris naturam 12
Graaff Opera Omnia. 8
Hippocratis Opera cum Œcon. Foeſii f. III. Tom. *Gr. & Lat.*
——— Œconomia Foeſii fol. *ſeparatim.*
Hollerius in Aphoriſmos 8
——— Practica Medica 4
Hartmanni Praxis Chymiatrica 8
Hiſtoriæ Romanæ Scriptores. f II. Vol.
Hiſtoire de la Medecine par Mr. le Clerc. 12
Indices Librorum Prohibitorem. fol.
Keckermanni Opera. fol.
Latini Latinii Bibliotheca. f.
Lemeri Curſus Chymicus 12
Muſitani Chirurgia Theoretico-Practica. 4. IV. Tomi.
——— Opera Medico-Chymico-Practica 4. *III. Tomi* 1700.
Morton Opera Medica cum novis Tract 4
Munnick de Re Anatomica 8. *cum Fig.* Editio nova.
Malebranche de Inquirenda Veritate *&c.* 4
Meiſis Medico-Spagyrica Schrodero-Hofmanniana f. *Fig.*
Mayernus de Arthritide 12.
Morelli Methodus Remediorum 8
Medicina Salernitana 16
Magni Philoſophorum Arcani Revelator. 12
de Mayerne Praxis Medicinæ. 12
Muſitanus ad Mynſicht Armamentarium Med. Chym. cui acceſſit Battimelli Auctuarium & Piperi Corollarium. 8
Mynſicht Armamentarium Medico-Chymicum cum Mantiſſa Muſitani. 8
la Medecine Domeſtique contenant le Gouvernement de la Santé, l'Apothiquaire, le Chirurgien & le Medecin Charitable. 8
Novum Lumen Chymicum. 8
Peyeri Parerga. 8
Plempii Opera Medica f.
Pharmacopœa Schrodero-Hoffmanniana illuſtrata & aucta. f. *cum Fig.*
Piens Tractat. de Febribus, *cum Notis ampliſſ. &c.* 4
Paracelſi Opera Omnia. f. *III. Vol.*
Pharmacopœa Helvetiorum 12
Riverius Reformatus, *ſive* Praxis Medica Methodo-Riveriana non abſimilis, & alii Tract. *Editio nova valde aucta.* 8. 1696.
Renodæi Pharmacopœa 8
Roſini Antiquitates Romanorum 4. *Fig.*
Riolani Schola Anatomica. 8
Rondeletii Opera Medica 8
Rohaulti Phyſica 8
Riverius Contractus 8
Scapulæ Lexicon Græc. Lat. f.
Scaliger de Emendatione Temporum. f.
Sennerti Inſtitutiones Med. 8
Sylvatici Conſilia Medica f.
Sinapii Paradoxa Medica 8
Sacchi Opuſcula Medica 8
——— Med. Theoretico-Practica f. Parmæ.
Sydenham Opuſcula Medica 8. *Editio aucta* 1696.
Schmitzii Compendium Med. 12
Schola Salernitana. 16
Seminarium totius Philoſophiæ. f.
Sylvii Methodus Medendi 12
——— Opera Medica. f.
Schedulæ, ſeu Inſcriptiones pro Aromatariis, & Pharmacopolis. fol.
Tilingii Rhabarbarologia. 4
Tractatus de Potu Caffe, Thé, & Chocolata *nova Edit.* 12. *Fig.*
Theatrum Machinarum Beſſoni f.
Theſaurus Secretorum &c ſub Prælo. 4
Viridet Tractatus Medico Phyſicus de Prima Coctione. 8
Vieuſſens Neurographia Univerſalis. f. *Fig.*
——— Tract. de Remotis & Proximis mixtis *&c.* 4. *Fig.*
Willis Opera Omnia Medica *cum* novo Tractatu de Febre. *II. Vol. cum Fig.*
Wyſſii Curſus Philoſophicus. 8
Zodiacus Medico-Gallicus. 4. *V. Tom.* Fig.



BIBLIOTHECÆ CHEMICÆ CURIOSÆ

LIBER TERTIUS,

Quo AUTHORES *in* REBUS ALCHEMICIS *Celebriores, qui à* RAYMUNDO LULLIO *ad noſtra uſque tempora ſcripſere, adducuntur.*

SECTIO I.

Tractatus qui ab ipſo Petro Bono, Lombardo, ad uſque Anonymi Conſilium Conjugii Maſſæ Solis & Lunæ &c. complectitur.

SUBSECTIO I.

MARGARITA PRETIOSA, *novella correctiſſima, exhibens* INTRODUCTIONEM *in* ARTEM CHEMIÆ INTEGRAM, *ante annos plus minus trecentos ſeptuaginta compoſita.*

Autore Magiſtro PETRO BONO, Lombardo Ferrarienſe, Phyſico & Chemico excellentiſſimo.

PRÆFATIO.

ALCHEMIAM SUB PHILOSOPHIAM naturaliter comprehendi: ejuſque Materiam eſſe unam & determinatam.

INQUIT Bonus, Ferrarienſis Phyſicus, *Entia realia ſunt in triplici gradu, ſecundum Philoſophum ſexto Metaphyſica: Quia aut ſunt conjuncta motui & materiæ, & de iſtis eſt Scientia naturalis: aut conjuncta materiæ, & ſeparata à motu, & de iſtis eſt Mathematica: aut ſeparata à motu, & materia, & de iſtis eſt Metaphyſica, id eſt divina. Sed de ſeparatis à materia, & conjunctis motui, non eſt ſcientia, cum tale ens reale ſit omnino impoſſibiliter eſſe. Cum ergo ſcientia Alchemiæ ſit de ente reali, neceſſario erit ſub aliqua illarum partium Philoſophiæ: ſed non ſub Mathematica, quia ſcientia Alchemiæ eſt de ente reali, conjuncto motui & materiæ, neque ſub Mathaphyſica, id eſt, divina, quia non eſt de ente reali ſeparato à motu & materia, ſicut ſunt intelligentiæ. Oportet ergo neceſſario, quod ſub Naturali Philoſophia ponatur, cum ipſa ſit de ente reali, conjuncto motui & materiæ. Similiter Entia naturalia concipiunt ſibi materiam determinatam, ut ſimilitas naſum, & viſus oculum: & ideo ſine ſua materia ſive ſubjecto non poſſunt intelligi. Entia autem mathematica non cernunt ſibi materiam determinatam, ut linea, triangulus, & numerus: quia talia entia poſſunt eſſe in qualibet materia, propter quod poſſunt intelligi circumſcripta qualibet materia. Entia autem metaphyſica, id eſt divina: cum careant materia, nullam cernunt ſibi materiam, quare ſic ſpiritualiter intelligantur. Cum ergo ars Alchemiæ ſit ſub parte naturalis philoſophiæ, cum libro de Mineralibus ſubalternetur: oportet neceſſario, quod cernat ſibi materiam determinatam, Et quia intentio artis Alchemiæ eſt, ſequi naturam omnino, & per omnia, ut faciat idem aurum quod ipſa: qua, & qualis erit materia apud naturam, erit & neceſſario apud artem, cum de potentia materiæ determinatæ extrahatur forma ſua, & non de materia aliena. Si autem fuerit materia non eadem, ſed quodammodo ſimilis ſecundum genus, erunt & generata non eadem, ſed ſimilia ſecundum genus, & non ſecundum ſpeciem & formam omnino: Cum igitur materia ſit una, & determinata omnino*

apud Naturam,& non multiplex: ergo necessario illa una eadem materia determinata erit similiter apud artem Alchemiæ,& non multiplex. Hæc autem materia est argentum vivum secundum omnes Philosophos, tam naturales quàm Alchemistas: ergo & apud artem Alchemiæ materia erit similiter argentum vivum. Et quia materia non producit seipsam in esse ad generationem, & formam, sed ab agente proprio digeritur, & informatur: tum necessario oportet, quòd istud argentum vivum, quod est materia, digeratur, dirigatur & informetur à suo agente proprio ad finem intentum naturæ, quæ est generatio metallorum, & auri, & aliorum quorundam, quæ nunc relinquemus. Hoc autem agens est sulphur sibi in propriis mineris conjunctum habens illud argentum vivum à propria virtute coagulare & digerere per calorem naturalem minerali secundum Philosophos naturales, ita ut in fine digestionis necessario aliquod metallorum ex eo generetur, & ultimo aurum. Videtur ergo necessario, quod illud idem agens esse debeat apud artem conjunctum argento vivo, ut digerat, dirigat, & informet illud argentum vivum, ita ut in fine digestionis & complemento, generet idem aurum omnino, sicut facit natura ex eo: necessario ergo oportet quòd idem argentum vivum & idem sulphur, quod subjicitur operationi naturæ, subjiciatur etiam omnino operationi actus, & non aliud quantumcunque simile videatur secundum genus, & apparentiam: nisi enim hæc essent subjecta actibus nostris, impossibilis esset hæc ars omnino. Verumtamen modus agendi, & dirigendi, & informandi artis, est diversus à naturali, & similiter organum sive locus, & tempus, sed æquipollent ad eundem ultimum finem. Propterea quod sicut natura generat aurum ex illa materia, sic ars formam auri, eliciendo ex illa materia generat, cum qua forma omne metallum, cum sit sibi materia, per constationem convertitur in purissimum compositum scilicet aurum. Omnis enim forma, advenies materiæ suæ dispositæ, informat eam necessario, cum actus activorum non sint nisi in patiente disposito. Qui ergo laborant in mineralibus extraneis absque intentione naturæ, & in vegetabilibus & partibus suis, & animalibus & partibus suis, & superfluitatibus, in vanum laborant: quia alterant alterationibus vanis & extraneis, non disponentibus ad formam: quare non transformant, cum in talibus materiebus & agentibus nulla sit habitudo, nec proportio, nec dispositio per esse informans metalla imperfecta forma auri, nisi forte in primam materiam, id est proximam, redigantur, quæ est, quæ dicta est. Dicere ergo plures materias posse subjici naturæ & arti huic, esset quasi entia naturalia dicere mathematica esse, vel econverso: quod est omnino impossibile.

Sic ergo patet quòd ars ista est naturalis, & quare, & quomodo, in principiis naturalibus, & effectibus est imitatrix naturæ, & ejus sequela: & ex parte ejusdem materiæ, & ejusdem formæ omnino, tam substantialis quam accidentalis cujuscunque modi: propter quod in examinationibus nullum judicium ignis pertimescit, qualecunque sit illud, sed quiescit in eo, & gaudet in ipso sine sui diminutione & mutatione aliqua, sicut minerale purissimum & purificatum quod in experientia verè patet: Si enim deficeret in examine aliquo, non esset idem cum minerali: propter quod sicut in forma, quæ est res divina non est inventa hypocrisis, neque falsitas, neque malitia, sed pura veritas in judicio ignis, ab qua nulla iniquitate: sic & in composito, cum compositum contrahat suum esse tale, à forma sua tali.

Incipit Tractatus Magistri Petri Boni Lombardi De Ferraria Physici, introductorius ad Artem Alchemiæ, compositus 1330. anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi in Civitate Polæ, de Provincia Istriæ.

CAPVT PRIMVM.

In quo introducit generaliter partem speculativam veritatis ejus.

OMnis ars, & omnis scientia, aut est de rebus aut de accidentibus & proprietatibus rerum: aut de utrisque: & de eorum utilitatibus abstractis sunt & fiunt, & res quæ propriè finitæ sunt: accidentia autem, quæ ingeniosè considerantur in rebus, sunt infinita numero corpora. Et eorum quædam sensu, illa autem intellectu cognoscibilia, similiter in entibus rationis hoc idem esse videtur: ad eas autem introeuntibus, quasi omnia facilia esse videntur, & occurrunt dubia levia, & superficialia, & pauca: cum autem maturantur in eis & radices & profunditates occultas prius intelligere incipiunt, emergunt dubia fortia, & obscura, & plurima, quæ finem non habent. Et hoc est causa quare artium & scientiarum finis est infinitus, sed eorum, quæ sunt ad finem non infinitum, ut dicitur primo Politicorum. Et omnis scientia & ars inferior, accipit à suo superiori subjectum suum, & continetur sub eo, & contrahit ad se accipiendo de ipso quantum sibi sufficit. Ideo plures artes & scientiæ possunt contineri sub una, & sibi subalternari, propter diversas considerationes accidentium diversorum in eodem subjecto. Et sic omnis scientia inferior, quia accipit sua principia tradita à sibi superiori elevatur ad eam, & illa ad aliam sibi superiorem, quousque principia omnium scientiarum eleventur secundum ordinē ad philosophiam primam, quæ Metaphysica nuncupatur, & ibi ortus & principium. Et omnes quidem artes, exordium & originem contrahunt a scientiis, & manant ab eis sine mente, sive in mente. Scientiarum enim principium est intellectus, scilicet aut speculativus, aut practicus: & eis subalternari videntur omnes, vel secundum quod, vel simpliciter. Et ideo ars coquorum parum subalternatur 4. Metaphysicorum, & partim libro de artificiis ciborum: & artes transformationum rerum inanimatarum sicut est vitrorum, & salium artificialium, subalternantur alchimiæ: & ars navalis partim subalternatur Geometriæ, & partim Astrologiæ: & ars ædificatoria Geometriæ, & musica Arithmeticæ. Sed artium quæ sunt de ente rationis principium est intellectus speculativus. Et sicut principium naturæ est intelligentia, ita principium rationis est intellectus: quia omnis ars & scientia est cum ratione, ideo principium artis & scientiæ est intellectus. Et quia intellectus semper est verorum, ideo omnis ars & scientia est verorum. Si ergo ponimus Alchemiam de genere artium vel scientiarum, necessario ponemus eam esse verorum: ipsa enim subalternatur libro Metaphysicorum, aut libro de Mineralib. proprie & per se: & liber de Mineralibus, libro Metaphysicorum & proprie 4. Et si scientia subalternans est vera, necessario & subalternatam dicemus veram: principia enim & propria sēper sunt causa veritatis, & origo posteriorū, & ortorum à principiis, & non è contrario: nam principia attestantur ortum & è converso. Similiter qui habēt ordinē adinvicē secundum prius & posterius, qualia sunt priora in vero & falso, talia sunt & posteriora. Quorū ergo principia & præmissæ,

missæ,& priora, vera sunt, necessariò & quæ secundũ ordinem consequuntur:&quorum falsa,falsa:&quorum sophistica,sophistica, propter quod natura semper est verax,& principia ejus,& opera ejus,cum ipsa oriatur ab intelligentia, & intelligentia ab esse divino,in quo veritas omnis relucet,&à quo veritas omnis manat,cum ipsum sit ipsa veritas.Cum ergo naturam non possimus dicere falsam,nec sophisticam, ergo nec artem,nec scientiam. Ergo Alchemiam dicimus omnino veram.Quòd si quia falsa & sophistica occurrant, tractabitur de eis in arte illa vel scientia necessariò, ut cognoscantur & evitentur: quia contrariorum eadem est disciplina, & aliter non posset fieri perfecta doctrina: quæ autem nullam veritatem omnino habent,sed solam apparentiam &fantasiam, sicut ars lapidum pretiosorum artificialium, non dicentur omnino artes,nec scientiæ, nisi abusivè : quia principia falsa sunt:ergo non naturalia: propter quod in scientiarum & artium serie non numerantur, nec illis subalternantur omnino. Est ergo Alchemia primò & per se de rebus,quæ dicuntur metalla, & accidentibus eorum,& proprietatibus , prout ingeniosè possunt ad invicem artificialiter transformari,&perfici,ministrando naturæ,ut sequatur naturam: & ejus principium videtur intellectus uterque scilicet speculativus primò & practicus secundò.Pars enim,quæ docet modum investigandi, est speculativa: sed pars, quæ docet quomodo sit ministrandum,necesse dicetur practica sive operativa , sicut patet veraciter in scientia medicinæ : ratione autem formæ dicetur naturalis,quia sequitur naturam omnino,tam in forma substantiali,quam in accidentibus:& secundum hoc dicitur ars ministrans naturæ,ergo naturalis, non autem Metaphysica:quia non est factiva:nec de ente rationis,quia non est de ente intellectuali,sed reali, sicut est scientia medicinæ. Amplius animadvertendum est, quòd naturalis Philosophia, in scientia mineralium, docet de metallorum cognitione , scilicet quomodo sint secundum eorum substantiam,& quot sint numero,& ex quot principijs sint,& ex quibus& qualibus sint, & quomodo sint,& ubi sint, & de eorum generatione , & eorum ad invicem commixtione,propter generationem metallorum fiendam,& de cognitione metallorum,secundum suas proprietates & passiones , & eorum ad invicem tranſmutationem à natura in suis mineris, & de locis mineralibus diversis,in quibus generantur, quamvis locus in communi debeat dici unus , & secundum sui proportionalis subiecti exigentiam , scilicet in quantum sunt substantia , soli operationi naturæ ostendit, quæcunque dicta sunt speculativè, in generali & speciali, & declarando omnem operationem naturæ in eis , non applicando ad operationem artis , cum hoc non sit de consideratione ipsius; unde quidam.

Hæc ars optatur à pluribus,iis verò datur :
Quos Deus acceptat , dum tali munere ceptat.
Nec tu mireris sub ænigmate talia dici,
Vilia ne fiant , ista latere volo.

Ars autem Alchemiæ cum ei subalternetur, quantum ad hanc partem mineralium , recipit omnia hæc credita ab ipsa, & ponit investigationem ulteriorem super illa eadem,& altiorem perscrutationem, & penetrat usque ad ultimas profunditates , & primas radices illarum rerum , cum ultimata dearticulatione operationis naturæ in illis,ita , ut de naturæ arcanis in generatione & transformatione prædictorum nihil remaneat,quando fit cognitum secundum eorum occultum, & manifestum. Et hæc consideratio est omnino necessaria arti Alchemiæ, quia sine ipsa impossibile est ut sciat, utrum possit sequi naturam, vel non : qua consideratione habita, quia visum est ei, quòd possit sequi naturam, ingenita est humano ingenio mirabili ac divino simul unite sequi naturam in earum transmutatione. Et tales scientiæ sunt de rebus,& earum accidentibus & proprietatibus Sed ars fossoria,quæ fodit ferrum, considerat loca in quibus generatur & reperitur,&ipsius electionem &purificationem à sordibus suis per ignes, & bonitatem & malitiam:non autem considerat ex quibus,&quãtum sit,& qualibus,nec ex quibus principijs fit , nec modum mixtionis & generationis ipsius , cum hoc sit de consideratione scientiarum superiorum : hanc autem sequitur ars,quæ per malleorum ictus,& concussiones,ferra ignita extendit in virgas diversas, in magnitudine & parvitate. Et hanc sequuntur artes plurimæ,accipientes de hoc substantivo,sicut&quãtum sibi sufficit:unde quædã Ars facit anchoras ex eis pro navibus,quædam vomeres,quædam falces,quædam forcipes,quædam enses& gladios, quædam frena pro equis,quædam galeas,quædam claves,&quædam in longissimis filis exilibus extendit , ex quibus quædam facit acus ad consuendum, quædam hamos ad pisces hamandos, quædam loricas, & sic plurimæ artes consequuntur ad idem substantivum , secundũ genus:&quędam variant,secundum diversam acceptionem ipsius in eis,scilicet considerando accidentia varia & diversa in ipso subjecto. Et istæ artes sunt de accidentibus diversis , consideratis in rebus eisdem. Similiter dicimus in metallis aliis , & in ligno, & in lapide,& lana, & lino : quia infinita sunt accidentia, per quæ artes considerantur in rebus, similiter in entibus rationis talis diversitas accidentium reperitur omnino, sicut patet in Grammaticis , Dialecticis & Rhetoricis,quæ sunt de tali ente.Similiter subjectum scientiæ Medicinæ, & partes ejus,subalternantur naturali Philosophiæ,& est scientia vera: quia oritur ex principijs veris , & subalternatur naturali Philosophiæ, quæ est scientia vera. Et sicut ad scientiam de anima, sequitur scientia vegetabilium, & de sensu & sensato,&de somno & vigilia,& de animalibus, & de sanitate & egritudine,&de intellectu & intelligibili, & de morte& vita,&de juventute &senectute,propter diversitatem animæ, &diversitatem partium ejus, & diversitatem passionum ipsius: Sic ad scientiam de mineralibus,sequitur scientia Alchemiæ, propter diversitatem metallorum,&transmutationem ipsorum ad invicem,in suis mineris, & transmutationem suorum principiorum,diversam factam à natura, in generationibus diversarum rerum, in quibus ars mirabiliter administrata, conata est sequi naturam , in transmutationibus metallorũ,& sibi hoc nomen, scilicet Alchemiæ vendicavit:Si ergo scientia mineraliũ est vera,ergo & scientia Alchemiæ est vera omnino, & ejus partes sequentes eam, & sic de omnibus artibus & scientijs. Causa autem eorum quæ dicta sunt, est solum ut demus intelligere, quod omnes artes & scientiæ subalternatæ, quantumcunq; descendentes sint, & in fine sunt veræ : quia oriuntur ex principiis veris.Ergo & ars Alchemiæ ob hoc est necessariò vera. Cum autem à principio introitus ad hanc artem, incepissemus gustare aliquid, fuit statim nobis visa facilis,sicut fere omnibus accidit prima facie,qui intrat ad eam,& dubia valdè pauca & levia , quæ quasi spernebamus,occurrebant nobis:sed cum valdè ulterius gustaremus,percepimus,quod eramus decepti,& fueramus tanquã pueri lactantes,ignorantes masticationem durarũ rerum &difficiliũ,& non potentes: & sicut cum juvenes imprudentes , volentes ambulare per semitas senum & sapientũ, credentes scire quod nesciunt, & senes antiquos reputant ignorare. Conversi ergo vidimus quod oportet senum consilio nos

penitus adhærere,& ab eo non recedere:& tunc cœperunt emergere dubia plurima , & difficilia, & obſcura , quæ quotidie nos moleſtant ad ſolutiones inveniendas,tam ſpeculando quàm operando:& quanto magis ſtudemus & inquirimus, tãto magis de novo incurrunt.Sic enim ſperamus finem hujus artis verè attingere poſſe,divinâ bonitate & clementia præpoſita, & ſui gratia revelante ,ſi ſit verax. Amplius dicimus,quod ſicut res ſe habẽt ad eſſe,ita ſe habent ad intelligi & cognoſci;& per conſequens ad ſignificari:ideo ex hoc triplex modus in rebus repertus eſt, ſcilicet modus eſſendi,modus intelligendi,& modus ſignificãdi.Et quia veritas nihil aliud eſt,quàm adæquatio intellectus ad res ipſas , ideò intellectus cognoſcendo res,concipit res prout ſunt,& verificatur de rebus ipſis:unde dicitur 3.Metaphyſicæ, quod eadem ſunt principia eſſendi rerum,& cognoſcendi.Et quia conceptus rerũ in intellectu non ſufficiunt niſi exprimantur , ideo modi ſignificandi conſequuntur illos,ut intellectus applicat conceptus ſuos res ipſas exprimendo,quomodo ſignificẽt:& ideo intellectus, in quantum intellectus,ſemper eſt verorum.Ab oppoſito ergo patet,quod ſi intellectus cognoſcit res,non prout ſunt, quod tunc eſt inadæquatio & obliquitas intellectus ad res ipſas:ergo neceſſariò modus intelligendi non eſt verus,ſed falſus:& habent ſe ambo iſti intellectus, ſicut habitus & privatio;propterea intellectus obliquus abuſivè dicitur intellectus , & hoc ideo,quia caremus nomine proprio ejus,ad exprimẽdum ipſum.Si igitur intellectus, ſive modus intelligendi,eſt inæqualis, & falſus,ergo & modus ſignificandi neceſſariò.Cum ergo eſſe rerũ ſemper ſit verum de ſe,ergo & intellectus,qui ſuper eas fertur directè, sẽper erit verus:quia res directè intelligit & cognoſcit prout ſunt:ergo & modus ſignificandi neceſſariò erit verus;ſi autem obliquè & falsè,ergo obliquus & falſus , ergo & modus ſignificãdi obliquus & falſus neceſſariò & veritate privatus.Ergo & propoſitiones ex eis cõpoſitæ ſimiliter ſe habebunt,quia ab eo quod res eſt,vel non eſt,dicitur oratio vera vel falſa.Si ergo ponimus artẽ Alchemiæ realiter eſſe verã,ergo ad hãc veritatẽ habendã & cognoſcendam,oportet quod intellectus directè ſuper eam feratur, & ſic intellectus & modus intelligẽdi eſt verus:ergo & modus ſignificãdi eſt omnino verus. Et quia ens,& verũ,& unum convertũtur,ut patet ex 4.Metaphyſicę:Ergo oportet neceſſariò , ut intellectus & modus intelligendi uno modo ſuper Alchemiã feratur.Ergo & modus ſignificandi realiter erit unus.Pluribus ergo modis & infinitis cõvenit intellectui ſuper ipſius cognitionẽ obliquari, & derivare ab intellectu & cognitione iſtius unitatis & veritatis,ſicut in operantib.& operabilib. quotidie patet:unde vult philoſophus2.Ethicor.quod bonũ & rectum , uno ſolo modo ſit,malum autem & obliquum, modis plurib. & infinitis:quia bonum & rectum ſtat in puncto,ſed malum & obliquum,modis infinitis à puncto deviat & recedit.Et hoc eſt una ex cauſis potiſſimis,quare ars Alchemiæ apud ignorãtes dicitur falſa & ſophiſtica:ponunt enim ſe ad judicandum de eo , quod non habent potentiam judicandi, cum ſint privati in eo modo eſſendi,modo intelligẽdi & cognoſcendi,& modo ſignificandi;de hac ipſius invariabili unitate. Nam unuſquiſque benè judicat de iis,quæ cognoſcit , & eorum eſt bonus judex , ut dicitur 1.Ethicorum. Ergo per oppoſitum,nullus benè judicat de iis, quæ non cognoſcit; nec eorum penitus eſt bonus judex:præſertim cum judicium operabilium in operibus cauſatur , unde dicit philoſophus 5. Politicorum. Unum enim, quod impoſſibilium aut difficilium eſt,eos, qui non communicaverunt operib. judicẽs fieri ſtudioſos. Et eſt ſciendum, quod Ars iſta quaſi ſola inter omnes mundi , in ſui doctrina utitur nominibus propriis, & extraneis, & inuſitatis, & allegoriis,& ænigmatibus, & metaphoris.& æquivocationibus, & tranſſumptionibus,& involucris , & proſopopœis , & hyperbolis, & ironiis, tam practicè quàm ſpeculativè,cum ipſa omnes artes & ſcientias ad ſe trahat , & immiſceat ſe eis: propter quod neceſſariò eſt difficilis valde & occulta , nec non ardua & tenebroſa , ſicut patebit in tractatu inveſtigationis ipſius,& ejus principium,unde & cauſa.Notandum eſt ſuper hoc paſſu, quod ratione ejus, quod primò occurrit intellectui , practicus intellectus eſt,præcedit ſpeculativum: ſed ratione ordinis, & doctrinæ tractandæ,ut poſſimus devenire per inveſtigatiouem in cognitionem veram,& rectam operationem ipſius,ſpeculativus præcedit practicũ,& hoc eſt ratione in omnib. operabilib. Quæ enim priora ſunt in intentione & mente , poſteriora ſunt in doctrina ſpeculativa,& modo operandi pervenimus ad opus ultimò,& non aliter. Eſt tamen ſciendum,quod ſpeculativus intellectus & practicus ſecundum modum prædictum,dicuntur ſic largo modo etiam impropriè. Dicitur autem propriè intellectus ſpeculativus , qui verſatur circa philoſophiam theoricam, id eſt,ſpeculativã. Practicus autem qui verſatur circa philoſophiam practicam, id eſt,moralem:unde dicitur ſexto Ethicorum , quod intellectus ſpeculativus eſt ſubjectum ſcientiæ &ignorantiæ:practicus autem virtutis & vitij. Ideo per intellectum ſpeculativum dicitur quis ſciens & ignorans : per practicum autem,dicitur bonus & malus : propterea quod finis ſciẽtiæ ſpeculativæ proprie eſt veritas,practicæ verò opus,ut dicitur 2.Metaphyſicæ,Ideo ſpeculativus eſt in affirmatione & negatione:practicus autem in electione & fuga,ut patet 6.Ethic.Et hoc modo intellectus ſpeculativus non præcedit practicum,nec è converſo , ſed ambo æqualiter dividunt intellectum, & continentur æqualiter ſub intellectu. Et hoc modo philoſophus diviſa philoſophia, prima ſui diviſione, in activam & contemplativam,diviſit in ſexto & nono Metaphyſicæ contemplativam , id eſt ſpeculativem,in theoricam , & naturalem, mathematicam & metaphyſicam,quæ eſt theorica.Et alibi dividit activam,id eſt,practivam, ſive moralem,in monoſticam, id eſt,Ethicam,Oeconomicam, & Politicam.Omnes autem aliæ quæ dicuntur practicæ : non dicuntur activæ,ſed practicæ,id eſt factivæ.Ideo artes ſunt habitus factivi ſolum,ut dicitur ſexto Ethicorum. Eatum enim operatio tranſit in materiam exteriorem, & facit formas artificiales : & hoc propriè artibus mechanicis pertinere videtur,Aut ſunt factivi,id eſt miniſtrantes naturæ,& ſequitur forma naturalis,non artificialis,ut eſt ars medicinæ & Alchemiæ,propterea quod ſanitas introducta per artem medicinæ, non eſt artificialis, ut habetur ex altero Metaphyſicæ , quia ibidem dicitur ſic : Quædam fiunt ab arte & caſu, ut ſanitas, quia in ea eſt aliqua pars, quæ eſt principium motus generationis:quædam ab arte ſolum, ut domus, quia in ejus materia non eſt principium motus generationis,ſed in alio, propter quod quædam erunt ſine habente artem , ut ſanitas: quædam verò non , ut domus. Ideo dicitur in libro ejuſdem , quod poteſtas ædificativa non exiſtit in ædificio : ſed poteſtas artis medicinalis exiſtit in ſanato , ſed non quantum ſanatum. Unde in ſecundo quidem dicitur , quod principium motus in activis & factivis eſt in agente & faciente exteriori , in naturalibus autem eſt inſeipſis. Cum ergo principiũ motus generatiouis, in materia

Alche-

Alchemiæ sit intrinsecum, quamvis administratio sit extrinseca: ergo ipsa est naturalis,& non factiva, nec activa. Et quamvis potentia artis ædificationis, non sit in ædificato, & potentia artis medicinalis sit in sanato, non in quantum sanatum est, tamen in Arte Alchemiæ est aliud, quum potentia Artis Alchemiæ est in metallo sanato, in quantum sanatum est. Est hoc idem est, quia sua potentia fundatur in formâ substantiali, quæ datur, & infunditur,& permiscetur metallo sanato,& permanet sicut perfectibile cum suo perfectibili,cũ principium generationis & transformationis sit intrinsecum, hoc enim potentia transmutationis, & virtus non est naturæ solius, cum non reperiatur in rerum natura: nec etiam Artis solius,cum non sit forma artificialis, sed opùs naturæ, prout ministratur & dirigitur ab arte voluntate divina.

CAPUT II.

In quo introducit generaliter in partem practicam veritatis Artis Alchemiæ.

POstquam ergo declaravimus secundum rationem,modum speculativum generalem veritatis istius artis,nunc modum practicum generalem narrabimus,qui est ejus finis,cujus acquisitione ars servit &ministrat naturæ.Dicimus ergo,loquendo secundũ naturam rerum & rationem, quæ ex earum natura propria potest dici secundum sapientes ad cognitionem essentiæ quarumlibet rerum, quod non procedunt,neque generantur aliqua,nisi ex suis principiis propriis & univocis,ut patet ex altero Metaphysicæ. Non ergo naturalia, nisi ex suis principiis naturalibus:nec scientia alia,nisi ex suis principiis scientalibus:nec artificialia,nisi ex suis principiis artificialib. procedunt, nec generantur. Dico autem principia, causas,partes,& elementa proxima suorum compositorum,esse ex quibus sunt,vel fiunt,vel manant.Unde dixit philosophus octavo Politicorum:Eorum quę consistunt, illæ sunt partes constitentiæ, sine quibus totum non erit:& quemadmodum principia inter se sunt differentia,sic & principiata.Ex diversitate ergo principiorum naturæ accidit diversitas naturalium. Idem etiam est in scientiis,& in artibus.Ubi ergo deficiunt principia,necessariò deficit processus & generatio eorum,quæ videntur debere posse oriri à principiis:quare ex eis non poterit esse natura,neq;scientia,neque ars Ergo ubi reperiuntur principia naturæ,& scientiæ, & artis ibi videtur posse esse natura, & scientia & ars.Ergo:& naturalia, & scientialia, & artificialia,quæ possunt ab illis oriri.Quia ergo principia naturę mineralia,in generatione corporum metallorum apud sapientes reperiuntur,& possunt subjici regimini & ministrationi Artis Alchemiæ: Ergo possibile est, ut ex eis procedant sive generentur res naturales metallicæ:sed res naturales metallicæ sunt, aut materia earum, aut forma, aut compositum ex eis:Ergo videtur possibile, aliquod istorum per Artẽ Alchemiæ posse generari ex illis:sed non materia,neque compositum, sive perfectũ sit sive imperfectum, cum ipsa sint subjecta soli operationi naturæ,ut alibi jam ostendimus. Ergo forma naturalis ex illis principijs mineralibus naturæ, videtur posse generari ab arte Alchemiæ,scilicet ministranti naturæ,quo generatio talis formæ,quia nullo modo visa est,posse pertinere naturæ soli, cum ipsa nusquam visa fuerit generata in aliqua minerarum.Ergo arti Alchemię propria pertinere videtur. Et quamvis principia mineralia corporum metallorum sint eadem, vel omnino similia apud artem,& apud naturam, tamen eà quæ procedunt & generantur à principijs, sunt diversa, sed tendentia ad unum finem scilicet: quia sicùt natura generat ex suis principijs mineralibus principia corporum metallorum mineralia, ex quibus facit compositum perfectum & imperfectum: ita ars Alchemiæ,ex eisdem principijs corporum metallorum elicit&generat formam compositi perfectam,ut perficiat composita imperfecta ad unum finem, scilicet ad aurum.Neque mirandum est, si ex principijs mineralibus corporum metallorum, ars generat aliud quam natura,scil.ars formam,& natura compositum: quia eo modo quo regimen artis est diversum à regimine naturæ in eisdem principiis,& similiter:eodem modo & principiata ex illis procedentia,vel generata erunt diversa & similia necessariò fit ex ente in potentia scil.propinqua,& sic quòd erat in potentia, fit in actu ab aliquo existente.Et quia hæc principia sunt in potentia,ut ex eis fiat compositum vel forma,ergo secundum diversitatem agentis, generabitur forma, vel compositum. Generatio autem talis formæ scil. nudæ à materia sua perfectibili & composito,est difficilimæ inquisitionis & considerationis:ergo & difficilimæ operationis ut habeatur operatum.Ergo & tota ars difficilimæ inventionis, ut talis finis consequatur.Si ergo ars Alchemiæ ratione, ministraverit naturæ modum agendi in principiis naturalibus, & mineralibus corporum metallorum, videtur, quod principiatum procedet&generabitur omnino ex eis, scilicet Elixir,quod est forma auri: quod quidẽ projectũ super imperfecta metalla,sicut super materiam, fiet ex eorum cõmixtione compositum,quod est aurũ, & si non,non.In principijs autem non naturalibus,sicut sunt reliqua mineralia,ab eis aut naturæ contrarijs,sicut sunt & vegetabilia,& eorum partes, & quæ ab eis procedunt, quis erit qui possit naturam sequi, in generando aliquod naturalium metallorum, scil. materiam aut formam,aut cõpositum,cum nullus veterum sapiẽtum potuerit hoc,nec voluerit:&sic proculdubio à ratione, & à veritate, & experientia, & principijs,&intentione naturæ remotum omnino, & quantumcunq;&quomodocunq;& qualicunq;ingenius unusquisq; voluerit ministrare naturæ.Sic similiter esse videtur in entib.rationis, unde constructiones,&syllogismi,& argumentationes omnes,&ornatus, & ordines tractandi & loquendi, nonnisi ex suis principijs, & proximis, & univocis & elementis suis procedere possunt,non autem ex extrancis &alienis: unde maxima pars in acquisitione omnium artiũ & scientiarum,est in omnibus introeuntibus,informari à principio principijs veris.Ideo dicitur 1.Ethicorum: Videtur enim plus quam dimidium totius esse principium, multa manifesta fiunt per ipsum eorum quæ quæruntur.Amplius omnium rerum cognitio nostra incipit à confusis&indeterminatis,& cõpletur in cognitione causarum&principiorum ipsarum rerum,& eorum ex quibus ipsæ res constituuntur: propterea quod prior est cognitio totius, quàm suarum partiũ: quia non potest haberi perfecta cognitio rerum,nisi resolvantur usque ad sua principia, ex quibus constant. Et hoc est verum in omnibus naturalibus& scientijs, & artibus. Cognitio enim hominis primò occurrit nobis,post resolvitur in partes suas,quousq; ultimo veniamus in cognitionem suarum causarum& suorum principiorum,& suarum partium,ex quibus constat, usque ad elementa sua: & ibi completur perfecta cognitio hominis,&secundum naturam per se, & secundum moralem per se,& secundum medicinam per se,& secundum Theologiam per se.Similiter cognitio constructionis & syllogismi, &ornatus

loquendi, occurrit nobis primò, poſt reſolvitur in partes ſuas ordinatè, uſque ad ſua principia & elementa ex quibus conſtant. Similiter cognitio domus ſe habet. propter quod dicit Philoſophus 1. Politic. ad cognoſcendum quid ſit civitas, minimè eſt compoſitum uſque ad incompoſitum dividere: hæc enim minime partes totius. Sic & civitatem, ex quibus corpora conſiderantes, videbimus, &c. Eandem etiam ſententiam ponit in 1. Phyſic. Et hæc eſt cognitio & doctrina reſolutiva. Et eſt alia quæ dicitur compoſitiva ſcilicet quæ componit quæcunque illa diviſit incipiendo à principiis & elementis, & finit ad compoſita Et ſic artem iſtam oportet procedere & procedit, cognitio ergo naturæ rerum vera, neceſſario ſumenda eſt à natura rerum, & à principiis ſibi propriis, & non alienis, ut patet per Philoſophum 1. de Anima, quoniam eadem ſunt principia eſſendi rerum & cognoſcendi, ut dicitur 3. Metaphyſ. Cognitio enim equi non ſumitur à cognitione lapidis, nec principiorum lapidis, ſed à cognitione principiorum equi, ſimiliter & in alijs. Videtur ergo ex iis, quod cognitio auri & aliorum metallorum, circa quę verſatur ſcientia Alchemiæ, & cæterorum Mineralium, cum primò occurrat nobis, ſint confuſa & determinata. Ergo ſi velimus eam diſtinctam & determinatam, ſcire oportet, quod reſolvamus ea in ſua propria principia, & elementorum, ex quibus conſtant: quia ab eis habent eſſe ſuum: ergo ab illis eorum perfecta ſumetur cognitio, & ex iis procedemus ad compoſita, ut habeamus perfectam cognitionem compoſitorum ſcilicet metallorum. Si ergo volumus aliquid operari in trãsmutationibus corporum metallorum, ſcilicet, ut perficiamus omnia ipſa in aurum, cum hoc minimè fieri poſſit abſque cognitione ſuorum principiorum, & ſuarum partium ex quibus conſtant: Ergo oportet neceſſariò habere certam & determinatam cognitionem principiorum ſuorum & ſuarum partium. Et quia nulla res perficitur, niſi ab eo, quod ſuæ naturæ eſt: Ergo oportet metalla tranſmutari, & perfici ab eo, quod ſuæ naturæ eſt, cum ab extraneis ſit impoſſibile: ſic enim facit ſapiens Natura. Cum ergo non reperiatur in univerſo aliquid quod ſit de ipſorum natura, niſi eorum propria principia, quæ ſunt apud naturam, ex quibus conſtat, ſicut notum eſt, in ipſis & in ſuis mineris. Ergo per illa eadem principia transmutabuntur, & perſpiciuntur apud artem, ſicut apud naturam. Sed cum ſcientia mineralium, det nobis confuſam & indiſtinctam cognitionem principiorum naturæ, in generatione corporum metallorum: quia dicit quod ſunt ſulphur & argentum vivum, & non dicit articulatè hæc principia, ideo oportuit hanc artem neceſſariò habere diſtinctam & determinatam cognitionem ipſorum, ſcil. qualia ſint illa principia; quomodo ſint: & qualiter ſe habeant in mineris metallorum: & quomodo omne metallum ex eis fiat: & quomodo ad invicem tranſmutentur: & quomodo & quare tendant ad unum finem, ita ut ex eisdem principiis, vel omnino quaſi ſibi ſimilibus, poſſit ſequi naturam, dearticulando omnia hujuſque ad ultimam ſimplicitatem, quod ſcientiæ mineralium non videtur: aliter enim impoſſibile eſſet, ut ars hæc poſſet finem, quem deſiderat, adipiſci. Et quia natura in generatione corporum metallorum obſervat modum unum quendam agendi determinatum in illis principiis, oportuit neceſſariò artem illum modum agendi inveſtigare, & ipſam obſervare, quantum poſſibile eſt: quia aliter non poſſet ſequi naturam. Et quia natura generat compoſitum, & ars formam eiſdem principijs, ideo quanta eſt ſimilitudo eorum & differentia, tanta ſimiliter eſt ſimilitudo & differentia regiminis. Non ergo debuit regimen artis & naturæ eſſe omnino idem: poſtquam generata non ſunt eadem. Poſtquam ergo oſtendimus in hoc tractatu introductorio generaliter modum introductionis ad Artem Alchemiæ, tam ſpeculativæ partis, quàm practicæ, ſecundum id quod videtur poſſibile eſſe de veritate ipſius credenda, & pluribus validis rationibus repugnantiam patiatur: Idcirco diſpoſuimus ipſam exquiſitiſſimè ventilare, & componere Tractatum novum, prolixum, qui diſcutiat utramque partem, & per modum exquiſitum oſtendat cognoſcere partem veram; qui intitulabitur: *Pretioſa Margarita Novella*, quam ſecundum ordinem iſte præcedit, ſicut Præfatio utilis & præambulum, donec enim memoria fuerit, oportet interrogare, & reſpondere invicem ut dicit philoſophus tertio Rhetoricorum.

INCIPIT MODUS DIVIDENDI

Pretioſam Margaritam novellam in omnibus Capitulis ſuis ſecundum ordinem, factus per Magiſtrum Bonum Ferrarienſem Phyſicum, qui edidit Librum iſtum.

POſtquam complevimus Dei favente gratia, miſericordis, excelſi, glorioſi, cum difficultate non modica, ſcribere ſecundum diſtinctionem congruam & ordinem, Librum iſtum, diligentius inquirere ſecreta & ardua arcana naturæ: ideo ne quis temerariè præſumat, eum compoſitum eſſe à caſu ſive fortuna, & abſq; ordine, aſſignabimus diſtinctionem ordinariam capitulorum & colligantiam, quam ſecundum ordinem habent à principio uſq; ad finem. Cui autem cura & mens fuerit atque diſcretio, poterit capitulum quodlibet dividere & ſecare in partes ſuas, & partes in particulas, ſecundum exigentiam cujuſlibet capituli, quam curam illi relinquimus. Fuit enim viſum nobis hoc eſſe conveniens, quia propter magnam novitatẽ corporis hujus tractatus, fuiſſet difficile poſteris ipſũ ordinariè dividere, & diviſũ in unũ colligere.

Dividetur ergo liber iſte in duas Partes.

In prima ponetur Proœmium, in quo dat intentionẽ ſuam, cauſam intentionis, & cauſam proceſſus. In ſecunda exequitur intentum, ibi: Et quia mos. Secunda dividitur in quatuor partes: In prima arguit ad quæſtionem, in ſecunda dat ſolutionem generalem, ibi: In hac admirabili. In tertia ſpecialem, ibi: Quoniam quidem diſpoſitiones. In quarta concludit omnia dicta in fine, ibi: Quia finis, Prima dividitur in duas. In prima arguit ad partem negativam, in ſecunda, ad affirmativam, ibi: Ad contrarium autem. Pars, in qua ponit generalem ſolutionem, dividitur in duas: quia primò tenendo cum affirmativis rationibus dictis, affirmat, & dicit in genere, hanc artem eſſe veram. In ſecunda reiterato aggreditur, & nititur probare eam eſſe veram, ibi: Poſtquam determinavimus & probavimus abjuramus, &c. Pars prima dividitur in duas, quia primò facit quod dictum eſt, dicendo: quæſtionem difficilẽ eſſe, & cauſas difficultatis ejus, & modũ introductionis, inveſtigando veritatem ipſius. Secundò oſtendit modos omnes, & cauſas difficultatis iſtius artis, introducendo amantes ejus ad ſemitam per varias authoritates philoſophorum: ibi: Dicimus ergo. Iſta pars, Dicimus ergo, dividitur. Secunda, eſt primò ſciendũ, quòd ſicut quælibet ſcientia & ars, alia eſt de ſe una non multiplex, cũ ſit unius generis ſubjecti, quamvis partes, in quibus dividitur, ſint plures & diverſæ, & inſtrumenta & adminiculantia ſint plura & diverſa, quibus fit introitus ad complẽdã doctrinam fiendam, ſic & iſta. Et quia non fit completa nec perfecta doctrina, niſi aperiantur introitus & meatus

cum

cum suis clavibus, quibuslibet dignè intrare volentibus, ad illuminandas tenebras, & reserandas difficultates veterum, existentes in terminis & propositionibus suis: ideo hæc omnia dilucidè aperire cupientes, dicimus, quod prius hæc dividitur in tres: In prima ostendit omnes modos difficiles istius artis, quibus fit impedimentum, cuilibet intranti ad hanc artem, ne verum adipiscatur finem ipsius. Secundò apponendo quæ dixit, tractat de quibusdam magnis obscuritatibus, pertinentibus magis ad speculationem istius artis, ibi: Narravimus sufficienter. Tertiò tractat de quibusdam obscuritatibus alijs pertinentibus potius ad practicam & operationem, ibi: Postquam narravimus terminum. Secunda pars, ibi, Narravimus sufficienter: dividitur in partes sex. In prima, ne quis putet hanc scientiam esse multiplicem, & diversis rebus operationem suam impendere, ostendit eam esse unam, unimodè per omnem modum: In secunda ostendit, scientiam hanc, & ejus operationem, partim esse naturalem, & partim divinam, ibi: Amplius ars. Tertio ostendit hanc scientiam non pro sapientibus omnibus esse, propter errorem, qui fit in complemento operis, ibi: Cum naturalia & eorum causæ. Quartò ostendit causam, quare sic obscurè scripserunt eam Philosophi, & quibus data sit, & quibus non, ibi: Nunc dicimus & naturæ. Quinto ostendit quod Philosophi tetigerunt eam mysticè in omnibus artibus & scientiis, & quod eorum Lapis similatus est omnibus rebus mundi: & solvit antiquorum opiniones, quas Aristoteles quasi ubicunque reprobat, ibi: Antiquissimi Philosophorum, Sexto improbat Sophistas & omnes alios, dicendo artem de se esse levem, brevem & nobilem, ibi: Moderni autem, Illa pars: Postquam narravimus: dividitur in quatuor partes. In prima tractat de fermento, & quid sit, quomodo ingrediatur in compositionem Lapidis philosophorum, & similiter de corpore, anima, & spiritu, qualia sint, & quomodo ibidem ingrediantur in compositionem Lapidis Philosophorum, ibi: Et quia diximus. Tertio tractat de Theriaca & veneno, quid sint, & quomodo ingrediantur in compositionem lapidis philosophorum, ibi: De coagulativo quoque. Illa pars: Quoniam quidem dispositiones. In qua incipit solvere in speciali, sciendum est, quod non poterant solvi argumenta, nisi præcognitis quæ dicta sunt: & similiter quæ dicta sunt, nec introitus etiam operiri ad artem. Solum enim Geberum inter Philosophos, quos vidimus, hujus Artis invenimus tradere modum investigandi & intrandi ad artem, in Summa sua, quamvis valde difficilem.

Ibi enim tenet, stilum & ordinem tradendi scientiam Alchemiæ, per modum doctrinæ, tàm speculativæ partis quàm practicæ. Suum autem librum de inventione perfectionis, quem dicit præcedere, nondum vidimus. Dividitur autem hæc pars in partes tres: In prima solvit majorem partem argumentorum: In secunda quia ultima ratio Philosophi videbatur difficilis solutionis, cum quibusdam alijs præmittit quædam naturalia necessario præcognoscenda ad illorum solutionem, & post solvit, ibi: Rationi autem ultimæ. Tertio tractat de modo generationis auri, & aliorum metallorum ex suis primis principijs, secundum naturam: & quomodo ars debet sequi naturam in hoc, ibi: Cum generatio. Prima pars dividitur in quatuor, quia primo solvit decimam quartam rationem ex argumentis: secundo roborat solutionem decimæ quartæ rationis, tractando de materia & proprietatibus & passionibus metallorum, ibi: Dicimus ergo. Tertiò ex dictis movet quandam dubitationem, & removet, ibi: Dubitabunt tamen aliqui. Quarto ex dictis movet aliam dubitationem, & removet, solvendo scilicet rationes, ibi: Amplius idoneæ. Illa pars scilicet. Rationi autem ultimæ: Dividitur in tres, quia primò facit quod dictum est: secundò ex dictis movet quandam dubitationem, & removet, ibi: Dubitabit autem aliquis. Tertiò ex dictis aliam dubitationem movet & solvit, ibi: Adhuc autem. Illa pars scilicet. Cum omnis generatio; Dividitur in tres, quia primò, ut omnia dicta comprobentur, reducit ea ad naturales causas, ostendendo in generali, quod dictum est, & solvendo alias rationes, secundò ostendit hoc idem in speciali, scilicet quomodo, in quibus determinare ars potest & debet sequi naturam, demonstrando signa artis, quomodo sunt similia signis naturæ in generatione ista, ibi: Dicamus denuo quòd. Tertiò roborat hæc dicta à proportione & simili ostendens similitudines pulcherrimas, decoras & mirabiles ex generatione fætus ex utroque spermate, & avis ex ovo, comparando generationem auri, & lapidis Philosophorum, ex sulphure & argento vivo ad generationem illorum, ibi: Quia locus sumptus à simili. Explicit.

Incipit Numerus & Ordo *omnium* PRETIOSÆ MARGARITÆ NOVELLÆ, *in Arte Alchemiæ.*

Capitulum primum, in quo disputat & probat, Artem Alchemiæ non esse veram,

Cap. 2. In quo disputat & probat, artem Alchemiam esse veram.

Cap. 3. In quo ponit determinationem generalem, quam declarat post, & ostendit causas, & modos difficilis istius quæstionis; & ostendit causam & modum processus de tali solutione quæstionis istius.

Cap. 4. In quo ostendit omnes modos & causas difficultatis istius Artis.

Cap. 5. In quo ostendit, quòd ars hæc sit tantum unica, non solum quo ad materiam, sed per omnem modum.

Cap. 6. In quo ostendit, quod hæc ars partim naturalis & partim divina, & quòd per ipsam Philosophi antiqui fuerunt vates de futuris miraculis divinis.

Cap. 7. In quo ostendit errorem omnium desiderantium rectè operari, quæ est in fine operis, scilicet in compositione Elementorum, & quod hæc ars non est pro omnibus sapientibus.

Cap. 8. In quo ostendit, quomodo ars hæc inventa sit, & quibus data sit, & quibus non, & quare sic obscurè scripserunt eam Philosophi.

Cap. 9. In quo ostendit hunc lapidem similari omnibus rebus Mundi, & quot, & quæ sint nomina ejus, & quod Philosophi hujus scientiæ tetigerunt eam cum omnibus alijs scientijs, & solvit operationes antiquorum, quas Aristoteles in Philosophia reprobat.

Cap. 10. In quo reprobat sophistas & deceptores, & contradictiones, & ostendit artem de se esse brevem & levem, & nobilitatem & veritatem ejus ostendit.

Cap. 11. De fermento, & modis, & conditionibus, & proprietatibus ejus, & conversione, quam facit secundum Philosophos ejus artis.

Cap. 12. In quo ostendit quot sint elementa lapidis philosophorum, & quomodo in ipso conveniant, & in auro, & in omnibus mixtis, & similiter in cœlestibus, secundum antiquos Philosophos hujus artis.

Cap. 13. In quo ostendit quid sit Tyriaca & venenum in hoc lapide, secundum antiquos philosophos hujus artis.

Cap. 14. In quo ostendit, quid sit coagulum, & quid lac in lapide philosophorum, & quid masculus & fœmina, secundum antiquos philosophos.

Cap. 15. In quo probat hanc artem veram esse tripliciter, scilicet primò autoritatibus: secundò rationibus: tertiò à simili & exemplis.

Cap. 16. In quo solvit rationes contrarias, dictas cum quæstionibus & notabilibus.

Cap. 17 Incidentale, in quo roborat solutionem dictæ rationis ostendendo materiam metallorum, cum causis suis & proprietatibus & passionibus, & ex qua materia sit lapis philosophorum.

Cap. 18. Incidentale, in quo ex dictis probat quod sulphur sit pars materialis, cum argento vivo auri, & lapidis philosophorum, & solvit.

Cap. 19. Incidentale, in quo probat quod sulphur solum sit materia lapidis philosoph. & auri secundum antiquos philosophos, & solvit.

Cap. 20. In quo præmittit quædam ad solutionem ultimæ rationis philosophi, & aliarum non solutarum, prius loquens de actu & potentia, & perfecto & imperfecto in rebus, & solvit rationem.

Cap. 21. Incidentale, in quo probat, quod ex ære & ferro non possit fieri aurum & argentum per Alchemiam, & solvit.

Cap. 22. Incidentale, in quo probat metalla imperfecta non converti in aurum à naturâ in mineris & solvit.

Cap. 23. In quo tractat de principijs metallorum in generali, & eorum generatione & transmutatione ad Metalla, secundum naturam: ostendens quomodo ars possit sequi naturam, & solvit ex ijs rationem 18. & 19 &c.

Cap. 24. De principiis metallorum in speciali, & metallorum generatione secundum intentionem naturæ; & de signis generationis, ostendens quomodo ars debet simili modo sequi naturam, & similibus signis, & similibus principijs in generatione lapidis.

Cap. 25. De similitudinibus generationis fœtus ex spermate, & sanguine menstruo, & artis ex ovo comparando generationem auri ex sulphure & argento vivo, & lapide philosophorum ad generationem ipsorum.

Cap. 26. In quo imponens finem tractatui, concludit & epilogat vera esse quæ dixit.

Significat posteris editor & aggregator quæstionis istius, quod plura notabilia scripsit in calce paginarũ istius libri ad declarationem quorũdam dictorum majorem, quæ sub certo numero sigillavit per capitula infra scripta ad hoc, ne aliquis existimet, quod alter addiderit & subscripserit. Sunt autem omnia notabilia numero 26.

In proœmio, 1. &

In Capitulo 2 1. 3. 1. 4. 1. 6. 1. 7. 1. 9. 1. 10. 1. 11. 3 12. 2. 13. 1. 15. 1. 16. 2. 19. 1. 20. 1. 21. 2. 24. 3. 26. 1.

Quòd si quæ alia superaddita fuerint, hujus Autoris non esse censetur. Et quia quilibet sapiens tenetur addere in scientia quod deficit, ut vult Ptolomæus in Centiloquio: Ideo composuimus Tractatum hunc mirabilem, cum notabilibus dictis: quia ignotus erat modus investigationis & inquisitionis veritatis, scilicet hujus quæstionis & istius occultæ artis, unde philosophus 1. Ethic. dicit: Omnis est apponere, quod deficit naturæ: & artium facta sunt addimenta, &c. Neque deficiebant de esse attis omnino, sed solum modus investigationis & introductionis illis, qui ejus veritatem & finem desiderant adipisci, neque similiter ob prolixitatem transivimus metam, cum natura ejus hoc requirat, ut patet procedendo suis in locis: unde Arist. 1. Eth. Disciplinati enim est in tantum certitudinem inquirere, sed unum quodque genus in quantum natura ejus recipit, &c. Docet etiam similiter difficilium, & occultorum magnæ facultatis & speculationis authorem, plura dicere & definire quam sciat in opus ponere, ut elicitur ex verbis philosophi 2. Ethic. propter quod quamvis ab operatione etiam, & finali adhuc usque simus suspensi & immunes, tamen occulta, & difficilia, & ardua ipsius introitum & investigationem aperuimus; de quibus enim nescimus, tamen accepimus existimationem quandam ut dicit philosophus tertio Rhetoricorum.

Incipit Pretiosa Margarita Novella, *quæ est Investigatio Artis Alchemicæ, scilicet, Utrum sit omnino apparens & existens, aut solùm apparens & non existens.*

Proœmium, in quo aperit intentionem & causam dicendorum.

Quia consuevit, † non solùm apud antiquos speculatores & inquisitores veritatis arcanorum naturæ, sed etiam modernos, inquiri & disputari. Utrum Ars Alchemiæ, ministrans Naturæ, sit omnino apparens & non existens: Ideo gratia hujus ipsam inquiramus, & disputemus, non superficialiter, ut consueverunt, sed profundè & exquisitè valdè: ut quilibet doctus, secundum rationem cognoscar quæ pars tenenda sit, & utrum ipsius operationi vel non debeat insudare. In istius tamen quæstionis difficilem & obscuram veritatem eliciendo, & annexotum suorum, quæ cum ea insurgunt, sæpius dubitamus, temporibus anniculatis, donec nunc

† Quia consuevit, &c.) *Notandum est, quòd cum subjectum alicujus artis vel scientiæ, & ejus propriæ passiones fuerint notæ & manifestæ omnibus, vel pluribus sapientibus non egent investigatione primo & probatione, postea declaratione, ultimo autem experimentatione, si fuerit finis ejus ad opus, quantum experimentum rationem certificat præcedentem. Cum ergo subjectum hujus artis si sit verum, vel falsum, si ignotum, vel manifestum, cum suis propriis passionibus, & extraneum apud plurimos sapientum, necessario eget investigatione, probatione, & declaratione, ut veritas medullitus discernatur, & si quid contra hoc apparentia vel falsitatis occurrat, discutiatur & reprobetur: quia unaquæque scientia & ars sive medicina sive non, habet in*

nunc visum est nobis, ut ipsius investigationem & dubitatorum solutionem aggrediamur, quod præcessores non sic fecerunt, unde Philosophus, hunc modum inquirendi veritatem in rebus insinuans, in principio tertij Metaphysicæ, sic dicit ad Literam; Ineſt autem investigare volentibus, præ opere dubitare, posterior enim investigatio priorum est solutio dubitatorum. Solvere enim non est ignorantis vinculum, sed mentis dubitatio. Hac de re demonstrat; in quantum enim dubitat, in tantum ligatius est passus, impossibile enim utrisque procedere ad quod est antè, propter quod oportet difficultates speculari prius, harumque causas Et quia quærentes sine dubitatione, primò similes sunt quo oportet ire ignorantibus, & adhuc neque cognoscit quando quæsitum invenit, aut non, finis enim huic non est manifestus, prædubitanti verò manifestus. Amplius necesse est habere ad judicandum eum qui audivit, velut adversariorum & dubitantium omnis rationis, &c. Dicimus denuò, quod non contingit demonstrantem descendere de genere in genus, nec ascendere, ut dicit Philosophus primo Posteriorum. Quælibet enim scientia habet proprium genus subjectum, de quo propriè passiones demonstrantur per suas dignitates & principia. Similiter passiones debent ostendi de subjecto, cui primò & per se insunt, & non de alio, ut vult idem. Unde subalternans scientia & generalis, ostendit passiones generales de suo subjecto generali: quia primò & per se insunt ei: subalternata autem & specialis, hoc idem facit de suo subjecto speciali, unde passiones lineæ, in quantum linea, Geometria ostendit: Lineæ autem visualis, in quantum visualis, Perspectiva, & non convertitur. Per quod patet, quod declarantes aliquid in aliqua scientia, debent scire passiones subjecti, cui primò insunt, & dignitates, & principia in illa scientia, & ex ijs declarare, & non cum omnibus & extraneis. Similiter est in artibus. Et hanc eandem sententiam declarat nobis Avicenna in medicina, capitulo secundo libri de Subjectis medicinæ. Ex quibus liquido innotescit, quod non potest Philosophus naturalis, in quantum naturalis, nec Philosophus Mineralium, hanc investigare quæstionem: solus ergo Alchemista, quia Philosophiæ de Mineralibus subalternatur in mente, hoc est, potest investigare, cum ipse solus de hoc dubitet & sciat, tanquam suæ propriæ considerationis: forsitan etiam quod Methaphysicæ pertinet investigatio hæc, sed non similiter sicut huic. Naturales tamen quam plurimi sapientes, non bene dubitantes, neque idoneè sed in superficie investigantes, disputaverunt & determinaverunt eam quidam veram omnino, & quidam sophisticam judicaverit. Quidam etiam Alchemistarum, sicut Geber & Morienus, in suis Alchemicis, ipsam disputaverunt tanquam potentes hoc, sed valdè breviter & obscurè, arguentes ad partem negativam, & solventes; ad affirmativam autem, solum quædam exempla adducentes, & sermonibus typicis & figuris affirmantes, & docentes artem esse omnino veram. Nos ergo, cum in Alchemia aliqua ex terminis ejus & dictis sapientum veridicorum veterum noverimus, hanc dubitationem cum auxilio Dei aggredientes, sicut docentes, cum explanatione prolixa aperiemus eam ordinatis capitulis distinguendo.

CAPUT I.

In quo probat Artem Alchemiæ non esse veram.

QUod debeamus arguere primò destructivè sive negativè, patet ex secundo Topicorum juxta principium: Et quia mos antiquorum fuit arguere primò destructivè, ergò sequimur eos. 1. Nam quicunque ignorat certam & determinatam quantitatem

in sui doctrina proprias dubitationes & responsiones, sine quibus non potest fieri perfecta doctrina. Est autem artium triplex genus, ut dicuur secundo Physicorum. Quia aut est dispositiva materiæ aut efficiens formæ, aut usualis. Sub iis autem non ponitur Alchemia, cum ipsa non sit Mechanica, quod si concedatur, ipsa erit dispositiva & efficiens simul, non autem usualis. Ipsa enim veraciter docet cognoscere materiam, quæ est de intentione naturæ, omnes alias excludendo, & præcipit super illum modum dispositionis & informationis, secundum aptitudinem materiæ, quod totum cognoscit unus artifex, & efficit, & potest uti, & non. Sunt & aliæ artes ab iis non absolutæ, id est, artificiales sed potius naturales sicut ars medicinæ, & ars plantationis, & insertionis plantarum, & uzifur, & vitrorum: quia ex parte ministrationis sunt artes, ex parte autem formæ sunt naturales. Quia quorumcunque forma & operationes sunt naturales, ipsa sunt à natura: At Ars Alchemiæ talis est. Est & aliud genus artium de non entibus in rerum natura, sed de entibus factis ab intellectis, sicut Grammatica, Logica & Rhetorica. Et sub hoc genere non est hoc. Et quia in omnibus artibus speculatio & investigatio operationem præcedit necessario, ideo hic tractatus præcedit omnes. Speculativi enim intellectus finis est veritas quam nunc inquirimus & primò: Practici verò opus, quod cum sequitur ut patet ex secundo Metaphysicæ, & sexto Ethicorum, quod post desideramus; quia posterius non absolvitur à priori. Et quia cujuslibet artis & scientiæ finis est in infinitum & eorum quæ sunt ad finem, non in infinitum, ut dicitur primo Politic: Ideo hic tractatus necessario prolixior fuit. Vnde Philosophus in hunc modum.

Notandum quod Philosophus primo de Anima docet hunc eundem modum investigandi, & ratio est; quia sic deveniemus in cognitionem causæ, unde in secundo Posteriorum dicitur: De eo quærunt omnes quæstiones: quo cognito, cessat omnis quæstio Hoc autem quod quæritur est causa sive medium, ut ibi dicit. Ergo cognito medio quæstionis unius artis; cessabit quæstio. Ergo solum apud scientes ipsum, aut per investigationem appropinquantes ad ipsum: quia hoc non cessat; quamvis tamen congruè & inutiliter conentur ipsam definire & determinare; quia non potest aliquis quæstionem aliquam determinare, nisi cognoscat medium primò, aut per investigationem appropinquet ad ejus cognitionem. Videtur similiter irrationabile, aliquem ponere se in opus ejus, nisi investigatione causæ sive medij præcedente. Est autem causa sive medium multiplex, scilicet intelligibile, reale, sive sensibile, naturale & artificiale. Et quia, cui est dubitare, ejusdem est investigare; ergo Alchemistæ pertinet hæc investigatio & dubitatio. Non ergo ignorantes hoc, temerè ex abrupto prorumpant, affirmando vel negando artem hanc cum hoc non possint, nisi dubitatione congrua præcedente, ad quam investigando consequatur. Ultimo vero, operatio proposita si sit possibilis, quia qualis operatio talis & investigatio comprobatur; ergo & talis dubitatio, qui enim dubitat bene, investigat bene, ergo operatur bene, & qui male, malò, in impossibilibus rebus: impossibilia autem non investigantur.

tatem uniuscujusque elementorum in aliquo mixto, ignorat efficere illud mixtum, sed Alchemistæ ignorant hoc in metallis,& eorum componentibus,ergo, &c.Major est nota, cum talis notitia sit determinata & certa, solum quoad naturam, & non quoad nos, nisi valde confusè & in communi,& hoc in omnibus mixtis. Minor ex habitis nota videtur, cum metalla & eorum componentia sint de genere mixtorum,circa quæ Alchemistæ laborant.

2. Item quicunque ignorat determinatam proportionem elementorum ad invicem, cum veniunt ad mixtionem, & modum mixtionis eorum, & digestionis, quibus adipiscitur forma mixti, ignorat componere illud mixtum; sed Alchemistæ sunt hujusmodi: ergo, &c. Major patet ex hoc; quia unaquæque res in specie habet formam suam specificam, ad quam sequuntur virtutes & proprietates & operationes determinatæ, per quam formam ab omni alia specie separatur: & forma hæc sequitur determinatum modum mixtionis, & proportionis, & digestionis in debitis mensuris elementorum, quia ratione materiæ, & quantitatis materiæ, & qualitatis materiæ, species non separatur à specie, sed ratione formæ sequentis, ut dictum est. Minor patet, quia hæc sunt nota soli naturæ, non solùm in metallis & eorum componentibus, sed in omnibus naturalibus, modo autem confuso & communi sunt quoquo modo longinquo nota arti. Talis autem cognitio non est sufficiens, ut ars verè sequatur naturam.

3. Item quicunque ignorat proprium instrumentum naturæ, quo mediante agit in materiam, ad introductionem formæ in aliquo mixto, ignorat efficere illud mixtum; sed Alchemistæ sunt hujusmodi; ergo, &c. Major patet, cum nullum agens, sive naturale sive artificiale, agat sine instrumentis propriis determinatis. Minor nota est, quia natura in generatione cujuscunque rei, agit cum calore digerente & alterante, modificato, tanquam cum instrumento, sicut natura cujuscunque rei exigit, sive sit res habens calorem in actu, ut in animalibus perfectis sive in potentia, ut in rebus alijs: Unde in generatione auri & argenti, & aliorum metallorum, agit in cavernis terræ profundissimis, cum calore quodam suavissimo & temperatissimo, per mineras multiplicato, digerente, alterante, subtiliante, & inspissante. Talis autem calor penitus ignoratur à nobis: quia non est calor solis, neque ignis absolutè, sed calor quidam ex ijs miro modo mixtis, & à natura confusis.

4. Item, illud ad cujus generationem non sufficit vita, non potest fieri per artem; sed ad generationem metallorum non sufficit vita, &c. Major est nota, quia omnis generatio & corruptio determinato tempore mensuratur, unaquæque enim res habet tempus præfinitum in generatione ad receptionem formæ propriæ, per quam recepit esse completum. Minor patet: tempus enim generationis & perfectionis auri & argenti secundum naturam, ponitur apud Alchemistas esse in millibus annorum sicut ponit Geber in Summa sua, & Rasis in libro perfecti Magisterij: Cum ergo nullus hominum tale spacium attingere possit, imò vix ferè 100. annorum attingit, fatuum videtur dicere, quod per artem Alchemiæ fiat verum aurum & argentum. Et si ad hæc respondere vellent quod abbreviatur tempus: quia quod natura facit in millibus annorum, cum calore suavi & temperato, nos facimus in mense uno, aut tempore breviori, aut longiori, cum calore ignis forti; quia tantum facit forte agens in brevi tempore, quantum debile agens in longo. Et quia Ars imitatur naturam, & ejus opera accelerat & festinat, dicimus, quod impossibile est quod hæc faciant, & specialiter in metallis Quoniam metalla sunt ex fumis subtilissimis, resolutis ab argento vivo, cum substantia sulphuris, & calore humido & sicco, temperato, in cavernis terræ profundissimis, habentibus humiditatem, quæ super omnes est humiditates, quæ à siccitate terrea tenuissima occulta temperatur, & inspissatur: calor autem temperatus, illos fumos convolvendo resolvens, sublimans & inspissans, usque ad locum alicujus refrigerij illam humiditatem conservat, digerit, subtiliat & inspissat, quæ est causa metallicæ fusionis; & sic in fine convertitur in metallum Si ergo tempus decoctionis abbreviare voluerit in illa materia; ergo per excessum caloris ignis, dissipabunt humiditatem, quæ est necessario causa metallicæ fusionis. Ergo non generabitur forma specifica metalli; quare solutio nihil valet.

5. Item ubi deficit locus proprius generationis rei, deficit ejus generatio; sed in Arte Alchemiæ est sic: ergo, &c. Major patet, quia sicut locus facit ad conservationem rei, sic & ad generationem, unde dixit Porphyrius, quod locus est principium generationis, sicut & pater. Et Plato: Munivit natura naturans loca terræ virtutibus, ut in eis sigillentur proprietates diversæ, ut in plantis & in rebus alijs, quales metentur secundum genus suum, &c. Et hoc est verum, inducendo in singulis, tam animalibus quàm vegetabilibus & mineralibus. Propterea non ubique locorum generantur vegetabilia quælibet, nec mineralia quælibet, nec animalia quælibet, nec similiter habitant, propter diversam naturam locorum, sicut disposuit natura naturans præcepto & ordinatione glorioſi Dei. Minor ex habitis nota est, & experientia; quia suas decoctiones & digestiones & mutationes faciunt in locis extraneis ab intentione naturæ, scilicet in vasis vitreis, lapideis,metallicis & figulinis, natura autem in sinu terræ proprio & occulto ipsa efficit.

6. Item effectus qui sunt naturæ solius, non possunt fieri ab arte; sed generatio metallorum est effectus naturæ solius, ergo, &c. Major est nota, quia generatio & corruptio sunt à principio intrinseco; principium autem intrinsecum est natura, quæ efficit formas substantiales in rebus: Ars autem est principium extrinsecum, quæ solum in superficie operatur per motum alterationis.Similiter, quia natura generat res, per mixtionem elementorum: Talis autem mixtio est solum ex opere Dei benedicti & summi, & opere naturæ, ut dicit Galenus primo de complexionibus: Minor patet, cum metalla fiant à principio intrinseco, scilicet à natura, per generationem & corruptionem, mediante mixtione.

7. Item si de quo magis videtur inesse, & non inest, nec id de quo minus; sed in debilibus mixtionibus videtur, quod Ars magis possit sequi naturam, & non potest; ergo multo minus in fortibus. Major patet per locum à majori, Minor est sensui manifesta; quia per facilem vel difficilem corruptionem rei, arguimus fortem & debilem mixtionem ejus; unde equus, & canis, & piscis, & omne vivens, facilè corrumpi potest; ergo sunt debilis mixtionis; aurum autem & argentum de difficili; ergo sunt fortis mixtionis. Cum ergo in generatione equi & piscis, quæ sunt debilis mixtionis,non possit

possit sequi ars naturam, ergo nec in generatione eorum, quæ sunt fortis mixtionis, ut auri & argenti.

8. Item impossibile est unam speciem in aliam transmutari, sed metalla differunt specie; ergo, &c. Major est nota per Philosophum 4. Metaphysic. Minor similiter patet. Quia enim non habent easdem proprietates nec operationes; ergo per consequens, nec formas, conveniunt enim solum in genere, quod est, esse metallum. Sic homo & equus conveniunt in hoc genere, quod est esse animal, sed per proprias differentias unum ab altero separatur, sicut ergo ex homine non fit equus, nec è converso: sic ex metallo uno non fit aliud, nec converso.

9. Item quicunque ignorat prima principia moventia ad generationem & introductionem formæ in aliquo mixto, ignorat efficere mixtum illud; sed Alchemistæ sunt hujusmodi, ergo, &c. Major est nota; quia prima principia moventia ad generationem & introductionem formæ in unaquaque re, sunt stellæ, & corpora supercœlestia, per motum & lucem, ut vult Philosophus in libro Cœli & Mundi, & in libro de Causis proprietatum elementorum, ipsa enim sunt, quæ primo movent mota ab intelligentijs, ad naturam generationis & corruptionis perficiendam, ad conservationem specierum; & ab ijs datur forma & perfectio, & hoc fit in instanti, scilicet cum pervenerit una stella aut plures ad situm determinatum in firmamento, & ex influentia determinata introducitur forma instanti & momento. Minor patet ex confessione eorum, & absque confessione; ignorant enim determinatos situs & aspectus stellarum, à quibus datur forma auri & argenti in materia determinata; ergo hæc ars frivola est & vana.

10. Item sicut se habet Ars ad Naturam, ita artificialia ad naturalia; sed Ars non est idem quod Natura, nec potest esse; ergo artificialia non erunt idem quod naturalia, nec esse possunt; ergo aurum artificiale & naturale non sunt idem. Major est nota, Minor patet; quia natura informat compositum in instanti, Ars autem successivè; & naturam præsupponit materia, Ars autem facit eam ut dicitur 2. Physic. Similiter quia omne artificiatum est opus desiderativum & voluntarium sicut eligibile & volitum, ut patet ex sexto Metaphysicæ. Et variatur idem opus pluribus modis juxta voluntatem artificis; natura autem est ordinata, & uniusmodi semper; Aurum ergo artificiale non erit idem quod naturale.

11. Item facilius est res destruere quàm construere; sed aurum destruere vi possumus, ut ipsius forma substantialis corrumpatur; ergo non poterit tam citò construi sicut dicunt. Major & minor notæ sunt ad sensum.

12. Item ab experientia hoc patet; quia mos Philosophorum est sine invidi à scientias discipulis suis & posteris alijs in scripturis tractare vel oretenus; sed nullum antiquorum Philosophorum in arte ista reperimus fecisse hoc: Ergo videtur quòd ipsam ignoraverunt; ergo videtur Ars hæc impossibilis. Videmus enim in alijs scientijs, unumquemque Philosophorum antiquorum visum esse, quicquid scivit in aliqua scientia, verè tradere; quia Philosophi desiderabant in scientia sibi reliquos similari. Unde Philosophus primo Metaphysicæ, signum scientis est posse docere. Quia igitur solum cartas antiquas, & fabulas extraneas poëticas, & derisoria quædam ficta, & verba plena ambagibus invenimus, in quibus mendacia pura, & errores, sicut in operatione videtur apparenter, Ideo satis patet ex hoc, hanc artem non esse veram; Imò quod deterius est, eorum sequaces adhuc errores super illos multiplicant quotidie, & in infinitum extendunt.

13. Item ad oculum hîc videmus; tandiu enim est à sapientibus antiquis & Philosophis cum summa industria perquisita & non inventa, quòd si ejus inventio esset possibilis, jamdudum adinventa esset. Similiter à regibus & principibus infinitum thesaurum possidentibus, & magnorum Philosophorum copiam habentibus, est inquisita, & non inventa; quamvis eam desideraverint, & expensas plurimas interposuerint, sicut omnibus apparet. Ergo inanis videtur Ars ista.

14. Item adhuc fortius ex datis eorum. Dicunt enim quod est lapis unus, solus in arte major, qui fit albus & rubeus, & secundum quod ipsi volunt præparare, qui metalla mollia indurat, ut Saturnum & Jovem, convertendo in aurum & argentum, & metalla dura mollificat, ut æs & ferrum convertendo in aurum & argentum. Sed contra eos sic arguitur. Impossibile est alicujus unius rei duas operationes esse contrarias per se, sed hic lapis est solum unus, ergo, &c. Major apparet ex hoc; quia cum uniuscujusque rei sit forma unica tantum, & unica perfectio per se; sic similiter erit unica operatio, procedens per se ab illa forma, ut patet ex secundo de Generatione & corruptione; sed si sunt duæ operationes contrariæ procedentes ab una forma, oportebit necessario quod una illarum operationum procedat ab illa forma per se & primo, alia autem per accidens & secundario; quia impossibile est duo contraria æqualium eidem inesse. Minor patet. Cum enim secundum eos hic lapis sit unicus, unica etiam erit ejus forma, & per consequens, unica ejus operatio per se & primo ab ipso procedet. Quomodo ergo esse poterit, quod quædam metalla mollificet, & quædam induret per se. Et primo non videtur hoc esse posse. Ergo videtur quod unum facit per se & aliud per accidens. Et sic quoddam non erit verum aurum & argentum, postquam mutatum est per accidens, sive quod mollificatum est, sive quod induratum. Videmus quod aqua non habet potentiam infrigidandi & calefaciendi primo & per se, nec ignis similiter; sed unum per se & primo, & aliud per accidens. Vel oportebit eos ponere, quod sint duo lapides in arte Alchemiæ, quorum unus indurat per se & colorat, & alter per se mollificat & colorat, quod est contra eos qui dicunt, eos esse tantum unum. Et similiter, quia qualis diversitas erit lapidum inter se, talis erit & diversitas formarum introductarum ab eis in metallis: Ergo non erit eadem forma introducta in hoc auro & in illo, nec in argento hoc & in illo. De mutatione autem colorum, quod fiat primo albus & post rubeus, & quod aliis coloribus multiplicibus coloretur, secundum quod volunt præparare, concedimus utique; qui bene scimus possibile esse res, & maximè minerales liquefactivas, per decoctionem & ad invicem mixtionem posse mutari de colore in colorem, sed facere illas duas operationes contrarias impossibile reputandum.

15. Item si id de quo magis videtur inesse, & non inest, neque id de quo minus; sed magis videtur, quod ars Alchemiæ possit reperiri in rebus propinquis

quis ſubſtantiæ auri & argenti; & non reperitur; ergo nec in remotis reperietur: Ergo nec in remotiſſimis. Ergo nuſquam. Major nota eſt per locum à majori. Minor probatur; quia res propinquæ auri & argenti ſunt, quæ ſunt ejuſdem materiæ & naturæ cum eis, quod cognoſcitur ex hoc, quod ſunt eorum principia, vel ex eisdem principijs. Et quia omne ſimile ingreditur magis in ſimile, per mixtionem & liquefactionem, quàm in extraneum, ideò invenimus res quasdam minerales, quæ dicuntur ſpiritus metallorum, ex quibus metalla generata ſunt tanquam ex principijs, & ingredi, & ſunt argentum vivum & ſulphur ex quibus metalla omnia originem contraxerunt, ſicut patet ex 4. Meteororum, & per Alchemiſtas. Sunt etiam auripigmentum, & ſal armoniacum ſpiritus; ſed auripigmentum eſt de natura ſulphuris, ſal verò armoniacus de natura ſalis. Et ſicut ſapor vel ſapo metallorum dicitur à quibuſdam quamvis non ſit de ſubſtantia eorum. Sunt autem alij ſpiritus ſecundarij, ſcilicet Marcaſita, Magneſia, & Tutia, ſed magneſia & marcaſita ſunt ſpiritus, facti à natura, commixti de ſulphure & argento vivo: Tutia autem eſt fumus metallorum ſubtilis, revolutus ab eis, quæ omnia ſunt aut principia metallorum, aut ex eisdem principijs præterquam Sal Armoniacus. Sunt ergo ſeptem Alchemici ſpiritus ſcilicet quatuor principales, videlicet, argentum vivum, & ſulphur, auripigmentum, & ſal armoniacum, & tres ſecundarij & compoſiti, ſcilicet Marcaſita, Magneſia, & Tutia; ſulphur tamen & argentum vivum ſunt ſicut elementa, & primum obtinent principatum. Ex dictis ergo nihil aliud volumus, niſi quod ſola metalla & ſpiritus ſunt operi neceſſaria: quia unum in aliud ingreditur, & ſe invicem combibunt, & miſcentur in conflatione, & ſunt ad invicem ſicut principia & principiata: quod ipſa ſola in materia & natura propinquitatem habere videantur. Ergo ex metallis ipſis, aut ſpiritibus, hunc lapidem prædictum colligere neceſſe eſt, aut per eorum commixtionem, vel omnium, vel pluriorum, vel ex uno ſolo; ſed ex ipſis metallis hoc impoſſibile videtur, quia ſecundum Philoſoph. Alchemiæ, hic lapis ſe habet ad metalla, ſicut forma ad materiam, & ſicut anima ad corpus: ergo oportet ipſum eſſe ſubſtantiæ ſubtiliſſimæ. Cum ergo metalla ſint ſubſtantiæ groſſæ per totum, non videtur ex eis poſſe elici. Ideo dicit Geber in Summa ſua, Capitulo de præparatione Saturni: Redeuntes ergo in nos ipſos, nosmet torquentes, immenſæ cogitationum medizationis afflictionibus; reſpeximus à perfectione corpora diminuta in profundo ſuæ naturæ fœda exiſtere & nil in eis fulgidum inveniri, cum in eis ſecundum naturam non ſit. Ideoque ex illis ſubſtantiam fulgidam elici non contingit, &c. ſimiliter nec ex corporibus perfectis, ſcilicet auro & argento; quia quod de ultimo perfectum eſt, non eget perfici, & ſimiliter, quia non ſunt ad finem alium ordinata. Et ſi dicant, quod hæc corpora calcinant & ſolvunt, deſtillant & coagulant, & multas alias præparationes faciunt, ita quod illud, quod eſt corporale & groſſum, fit ſpirituale & ſubtile, & poſt alterant metalla cum ingreſſu eorum, & faciunt verum aurum & argentum: Dicimus quod eorum experientia eſt firmiſſimè contra eos, quia quale ſit opus eorum, ignis declarat. Quæcunque enim alteraverunt per ignis violentiam, & rerum urentium examinationes, evaneſcunt & non permanent: fantaſtice ergo ſunt altera. Similiter nec per ſpiritus poſſe fieri videtur: quia per experientiam inveniunt, ſpiritus poſſe figere & non figere, quamvis eorum natura ſit fugitiva ab igne. Sed ipſos non fixos viderunt corporibus inutiliter adhærere; quia in igne non perſeverant, imò fugiunt paulatim ab eis, & ipſa corpora relinquunt immunda magis quàm prius, vel quandoque elevant corpora ſecum in fumum, & evaneſcunt ſimul. Ipſos autem fixos eſt impoſſibile ingredi: quia autem non funduntur cum ſint terra lapidea vel ſaxum; & ſic non ingrediuntur nec miſcentur, & per conſequens non alterant aut funduntur fuſione vitrificatoria, ſicut omnis res ultimò combuſta & incinerata, quæ poſt per fortem ignem fit vitrum, & nullum vitrificatum ingreditur metalla: quoniam fuſio metallica fit per conſervationem humiditatis naturalis argenti vivi in metallo, fuſio autem vitrificatoria fit ex ultima conſumptione radicalis humiditatis uniuscujusque rei aduſtibilis, quæ ex aduſtione incineratur, & ideo ſerè ex cinere cujuslibet rei fieri poteſt vitrum. Propter quod nos videmus, quod cum ſtannum & plumbum fuerunt calcinata & combuſta, quod poſt ad ignem congruum convertuntur in vitrum, ſicut faciunt qui vitrificant vaſa figuli: & ideo impoſſibile eſt, quod tale vitrum, nec etiam aliquid aliud revertatur in metallum, nec in fuſionem metallicam, cum ſit conſumpta radicalis humiditas argenti vivi, quæ erat cauſa metallicæ fuſionis, ſecundum partem, & ſecundum aliam partem derelictam ſit converſa in humiditatem vitream. Ex quibus etiam dictis patere poteſt, quod ſermo quorundam idiotarum, ignorantium principia naturæ, dicentium, quod vitrum poteſt fieri malleabile ſicut metallum, eſt inanis. Nam illa eadem humiditas, quæ eſt cauſa metallicæ fuſionis, eſt etiam cauſa malleationis, & extenſionis ſub malleo, per omnem diviſionem. Cum ergo in vitro, & re quacunque vitrificata, illa talis humiditas non reperiatur, aut conſumpta ſit, tunc ſicut impoſſibilis eſt fuſio metallica in eis, ita & malleatio, & quia impoſſibilis eſt reditio vitri, & vitrificatæ rei ad ſubſtantiam metallicam, ſic etiam ad malleationem. Nullæ enim res de mundo habent humiditatem talem, ut metalla; aut ſi habent, habent eam indigeſtam ut elementa metallorum, aut alio modo terminatam per ſuas formas ut marcaſita, antimonium & alia ſimilia; quoniam diverſitas formarum facit illam eandem humiditatem diverſimodè terminatam, & diverſimodè paſſibilem. Et hoc accidit propter diverſam proportionem mixtionis ſuorum elementorum propinquorum componentium, prout reguntur à cœleſtibus, quamvis elementa ſint eadem. Similiter hoc patet per aliud; quia ſicut proprietates & propriæ paſſiones ſpecierum non reperiuntur extra ſpecies ſuas, ſic proprietates & propriæ paſſiones generum non reperiuntur extra genera ſua. Cum ergo extenſio per omnem diviſionem ſub mallei percuſſione ſit propria paſſio hujus generis, quod eſt metallum, quia ſoli metallo propriè convenit; ergo alicui alterius rei de mundo non conveniet; aut ſi convenit vitro, ſic artificioſe præparato, ut dicunt, oportebit eos neceſſario confiteri, illud vitrum eſſe metallum, & ſub aliqua ſpecie metalli, ſcilicet quod ſit aurum, aut ferrum, aut æs, aut aliquod aliorum, quod eſt omnino falſum; aut oportebit eos dicere, quod hæc non ſit propria paſſio metalli, quod ſimiliter eſt falſum, & penitus contra ſenſum. Similiter quia ex proprijs paſſionibus metalli eſt, quod in conflatione omnia ad invicem commiſcentur, propter ipſorum ſimilitudinem in materia propinqua, vitrum autem, & quælibet res vitrificata, non commiſcetur in conflatione metalli, ſed ſupernatat

ſicut

sicut oleum, & omnis pinguedo aquæ: ergo hoc vitrum artificiosum non communicabitur, sed supernatabit, quod si communicaretur, non diceretur vitrũ, sed metallum, & esset in numero alicujus metallorum, quod est omnino falsum. Similiter quia si aliquod aliud, quam metallum, esset dignum habere hanc proprietatem, & propriam passionem dictam, dignum esset illud, quod eadem humiditate participat, quam quod aliena, sicut est marcasita, magnesia, tutia, aut monium: sed hæc non habent. Ergo multo minus vitrum, & quælibet res vitrificata, cum sit exspoliata humiditate tali. Et propter hanc singularem & specialem humiditatem sic digestam, quæ est causa malleationis, & liquefactionis, accidit, ut lapidi nigro, confricando metalla abradendo adhæreant, quod non potest accidere marcasitæ, nec sibi similibus: quanto ergo minus vitro? Et propter eandem causam ex quâdam similitudine in substantiâ humiditatis sit, ut argentum vivum metallis adhæreat omnibus, marcasitæ autem & sibi similibus non; quanto ergo minus vitro, sive artificiosum sit sive non. Omne similiter vitrum & vitrificatum scinditur, comminuitur, & frangitur, cum post ignitionem subito in aëre frigido infrigidatur, vel aqua: nullum autem metallorum hac passione participat, propter causam dictam. Omnis præterea imago, sive sit excussa sive exarata, fieri potest in frigidis metallis & calidis, & per sculpturam & per incisionem: in vitro autem non nisi sit ignitum, vel liquefactum, & hoc tantum per sculpturam, quod est propter humidum diversum in tali passione recipienda. Soli ergo metallo, & omni semper, hæc propria passio malleandi inesse videtur, diversificantur tamen metalla in er se in malleatione, fusione, igunitione, & reliquis passionibus, secundum diversitatem suæ digestionis & sulphuris mixtionem. Vitra autem inter se diversificantur in citâ & tarda fusione, & perspicuitate, & opacitate, & coloratione diversa secundum magis & minus, & alijs suis passionibus, propter diversitatem cinerum ex diversis materijs adustarum. Similiter metalla quando liquefacta sunt, sunt de natura argenti vivi: & sicut lapides supernatant argento vivo, sic similiter supernatant metallis liquefactis, & non cedunt: sed vitrum liquefactum cedit eis propter sui viscositatem tenacem & alienam. Non est tamen aliquid liquabile præter metalla, quod hanc habeat passionem, nisi vitrum ignitum & liquefactum propter viscositatem suam actualem magnam, infrigidatum autem, non propter ipsius actualem privationem. Metallo enim infrigidato, aut ignito, valde major inest viscositas quam liquefacto, propterea in malleatione ipsius extenduntur partes, in liquefactione autem separantur. In vitro autem est è converso. Quicunque ergo operans fecerit opus vitrificatum aliquod casuale, ab ipso manum suspendat, & sibi finem imponat. Sic ergo patet, quod spiritus vivificati non ingrediuntur, ergo non alterant. Similiter igitur per ipsorum commixtionem ex dictis causis hoc fieri non posse videtur. Cum igitur in substantia magis consimili & affini substantiæ metallorum, hæc Ars non reperiri videatur. Ergo per consequens nec in remota, ergo neque in remotissima, ergo nusquam.

16. Item quia videntur dicere, se non generare metalla de novo, sed solum quæ imperfecta sunt, perficere: dicentes perfecta solum aurum & argentum, reliqua autem imperfecta, dicimus hoc esse non posse: quoniam omnis materia, quæ habet esse in aliquâ rerum naturalium permanente, est completa per suam formam substantialem; sed materia stanni, plumbi, æris & ferri habet esse in eis, eorum esse sic permanente, sicut materia auri & argenti: ergo materia est completa in eis per suam formam substantialem, sicut materia auri & argenti. Major est nota; quia ea quæ sunt in motu ad aliquam formam, non permanent in natura, nisi quando sunt in fine motus, in quo acquirunt formam suam substantialem completivam, potius enim corrumpuntur & cito; quàm permaneant, propterea non permanent abortivi fœtus: quia nondum habent formam completivam, aut quia fortè organorum non habent complementum deservientium suæ formæ. Similiter in seminibus abortivis hoc idem se habet, quia nec permanent, nec speciem multiplicant, cum careant ipsa. Similiter & in alijs. Minor nota est ad sensum. Videmus enim stannum & plumbum, & reliqua per se habere permanentiam in naturâ, sicut aurum & argentum per se, hoc autem non esset, nisi essent completa per suam formam substantialem. Falsum ergo dicunt, hæc metalla esse perfecta, & illa imperfecta, & ex hoc hæc esse convertibilia in illâ, & ordinata ad illa. Non ergo magis erit ordinatum, nec magis convertibile stannum in aurum quàm è converso.

17. Item quæcunque multiplicantur à naturâ in sua specie per continuam generationem & perseverantiam, sunt completa per suam formam substantialem, sed metalla ista, quæ dicuntur imperfecta, sunt hujusmodi, sicut etiam aurum & argentum, ergo, &c. Major est nota: quia nullæ res naturales de mundo aliter à naturâ multiplicantur, nisi compleantur per suam formam substantialem. Minor patet ad sensum. Non igitur hæc dicentur imperfecta metalla, illa verò perfecta, sed potius hæc nobilia, & illa ignobilia. Ignobilia autem non sic nobilitantur ut credunt. Non enim videmus captum nobilitari in equum, nec equum in hominem: ergo nec illa metalla ignobilia sic nobilitabuntur, ut dicunt. Non igitur convertentur hæc metalla in illâ, propterea, quia hæc sunt imperfectâ, illa verò perfecta, sicut dicunt.

18. Item quæcunque non disponuntur eadem ultima dispositione, non possunt habere eandem formam substantialem & specificam: sed aurum & argentum Alchemicum non disponuntur eadem ultima dispositione, ut naturale: ergo, &c. Major patet; quia forma substantialis, sive specifica est quæ ultimò adveniens rei disponit rem ultima dispositione & ipsam complet. Ubi ergo non erit eadem ultima dispositio, non erit eadem forma substantialis & specifica: ergo nec eadem species. Minor patet ad oculum: quia Ars fundit metalla ad ignem, & imponit suas medicinas exteriores, informantes ultimò: hoc autem non facit natura.

19. Item quorumcunque generatione non sunt eædem, ipsa non sunt eadem & quorumcunque ipsæ sunt eædem, & ipsa sunt eadem, ut dicit Philosophus, 7. Topicorum. Sed generatio auri & argenti à Naturâ & ab Arte non est eadem, ergo nec generata erunt eadem. Similiter & de corruptione idem est argumentum: ergo Ars Alchemiæ non est vera, sed fantastica. Major & minor sunt per se notæ.

20. Item de entibus à fortunâ non potest esse veritas, nec scientia: sed Alchemia est hujusmodi; ergo, &c. Major patet per Philosophum primo posteriorũ, qui dicit, quod omnis scientia est de necessarijs & perpetuis, & incorruptibilibus, & impossibi-

libus aliter ſe habere, talis autem non videtur Alchemia. Similiter quia ſi verè naturam ſequitur, hoc erit ſemper vel frequenter: quia naturalia ſunt, ut dicitur 2. Phyſicorum. Minor patet, quia rarò, imò rariſſimè accedit hoc, ut ipſi confitentur, ſcilicet, ut artifex imitetur verè naturam; Quæ autem rarò contingunt, fortuita ſunt, ut dicitur 2. Phyſicorum, ergo. &c.

21. Item Ariſtoteles in fine 4. Metaphyſicorum, ſecundum tranſlationem veterum, Alchemiam eſſe veram, expreſsè negat, ſed eam eſſe ſophiſticam & phantaſticam affirmat: quamvis quidam dicant, illa verba fuiſſe Avicennæ, qui ipſa addidit, quod non credimus. Quia Avicenna in principio ſuæ Epiſtolæ, quam fecit de hac Arte ad Altem regem de Retia Philoſophum, allegat de hac contradictione, dicens ſic: Et fuit ſententia, quam affirmant Alchemiam profitentes, una rerum, quibus ille, ſcilicet Ariſtoteles, qui ad bonitatem & ſcientiam cooperatur plurimum, contradixit, & illorum ſententiam annihilavit, &c. unde ſic inquit Philoſophus ad Literam. Sciant autem ſemper Alchemiſtæ, ſpecies verè permutari non poſſe: id eſt, *formas ſubſtantiales rerum manente re*: Sed ſimilia illis facere poſſunt, id eſt, *in accidentibus communibus*, & tingere, i. e. *colorare rubeum æs*, citrino, i. e. *colore ſimili auro*, ut videatur aurum, id eſt, *ad aſpectum*, & album, i e. *argentum, ſtannum, vel plumbum*: tingere colore, id eſt, *citrino*, quo volunt, donec multum ſit ſimile auro vel æri, id eſt, *ad viſum in accidentibus communibus*. Poſſunt quoque plumbi immunditias abſtergere, id eſt, *ut videatur aurum vel argentum*, veruntamen ſemper erit plumbum, id eſt, *ut prius erat in forma, etſi videatur argentum*. Sed obtinebunt in eo, id eſt, *plumbo ſic mutato*, qualitates ſic alienæ, id eſt, *ſimiles qualitatibus auri vel argenti*, ut errent homines in eo, ut qui accipiunt ſalem, id eſt, *communem*, & ſalem armoniacum, id eſt, *quia videntur idem & non ſunt*. Cæterum quod differentia ſpecifica, id eſt, *ſubſtantialis*, aliquo tollatur ingenio, id eſt, *Alchemiæ*, non credo poſſibile, id eſt, *ut forma prima ſubſtantialis corrumpatur*, & non eſt quod complexio, id eſt, *formæ ſubſtantialis ſequens complexionem*, vertatur in aliam, id eſt, *formam*, quia iſta ſenſibilia, id eſt, *accidentia ſenſibilia*, non ſunt differentiæ, id eſt, *formæ ſubſtantiales*, quibus permutatur ſpecies, id eſt, *forma*, ſed ſunt accidentia & proprietates, id eſt, *quæ ſenſu apparent*, differentiæ verò eorum, id eſt, *forma ſubſtantiales conſtituentes ſpecies*, non ſunt cognitæ, id eſt, *quia non poſſunt ſentiri*. Cum verò non ſit differentia cognita, ſcil. *ſenſu*, quomodo ſciri poteſt, ultimò tollatur nec ne, id eſt, *nullo modo, quia non ſentitur*, vel quomodo tolli poſſit? Sed expoliatio, id eſt, *quia illa ſunt accidentia quæ ſentiuntur*, vaporis, coloris, ponderis, vel ſaltem diminutio, id eſt, *occultatio accidentium, non eſt impoſſibilis*, quia contra hoc ratio non conſtat: ſed confitetur: ſic. Proportio compoſitionis, id eſt, *proportio mixtionis, ad quam ſequitur forma ſubſtantialis*, iſtarum ſubſtantiarum non erit in omnibus eadem, id eſt, *ſed ſolum ſimilis*. Hæc igitur in illam permutari non poterit, id eſt, *verè ſecundùm formam, ſed ſolum apparenter*, niſi fortè in primam reducantur materiam, id eſt, *nudam à prima forma ſub qua erat, & ab omni alia*, & ſic in aliud quam prius erant permutentur in aliam formam. Hoc autem, id eſt, *reductio in primam materiam & nudam*, per ſolam liquefactionem non fit, ſed accidunt eis ex hoc, id eſt, *liquefactione*, res quædam extraneæ, &c. id eſt, *apparentes & ſophiſticæ*, &c.

Hæc ſunt verba Philoſophi ad Literam. Per ea autem verba Philoſophus vitus eſt & conatus probare, Artem Alchemiæ non poſſe eſſe ſecundum veritatem puram & certam, ſed ſolùm ſecundum phantaſiam & deceptionem. Et ex dictis ſuis quinque elicimus rationes, quarum prima ſumitur ex parte accidentium communium, & eſt talis:

Quicunque mutant res ſecundum accidentia ſolum, non mutant eas verè de ſpecie in ſpeciem: ſed Alchemiſtæ ſic mutant metalla ad invicem: ergo, &c. Major nota eſt, quia differentia ſpecierum ad invicem, eſt ſecundum formam: ſed differentia ſecundum accidentia, eſt: individuorum in eadem ſpecie, ad invicem: quia non habent easdem formas, ſed habent quædam ſimilia accidentia in colore & pondere, & aliis accidentalibus: talis autem mutatio in accidentibus eſt alteratio, & non tranſmutatio. Unde quamvis abſtergant immunditias plumbi, & ipſum colorent, ut videatur aurum vel argentum, tamen ſecundum formam ſubſtantialem eſt plumbum ut prius: quia in eo ſunt qualitates alienæ introductæ, & non forma alia: & propter hæc accidentia, alienantur homines aſpicientes, & errant, & dicunt, ipſum eſſe aurum vel argentum, cum tamen in rei veritate non ſit: ſicut qui aſpiciunt ſalem communem, & ſalem armoniacum: quia enim utrumque habet naturam ſalis, & communificant in genere ſalis, credunt ob hoc eſſe idem, cum tamen differant ſpecie.

Secunda ratio ſumitur ex parte corruptionis formæ præexiſtentis: & eſt talis: Quicunque non tranſmutat rem per corruptionem formæ ſubſtantialis & ſpecificæ præexiſtentis, non tranſmutat eam in aliam ſpeciem: ſed Alchemiſtæ hoc non faciunt, ergo &c. Iſta ratio ferè reducitur ad primam, & probatur major ſicut in prædicta.

Tertia ratio ſumitur ex parte noſtri judicii ſcilicet: quod non poſſumus verè cognoſcere & judicare, utrum ſint verè tranſmutata in aliam ſpeciem, vel non, & eſt talis: Illud quod eſt nobis ignotum in aliqua re, non poteſt ſciri, utrum per aliquod artificium poſſit tolli vel non, vel quomodo tolli poſſit ab illâ re: ſed differentiæ ſpecificæ metallorum ſunt hujuſmodi: ergo, &c. Major eſt nota, quia de ignotis exiſtentibus non poteſt haberi ſcientia, neque ars, nec modus ad introducendum vel corrumpendum ea in re. Minor ſimiliter patet, quia differentiæ ſpecificæ in rebus naturalibus metallicis, ſunt ignotæ nobis, non ſolum in metallis, ſed etiam in omnibus rebus naturalibus, præterquam forſitan in homine; quæ autem ſunt nobis nota in eis ſunt accidentia, & proprietates, & paſſiones ſolum; quia ſubjacent ſenſibus noſtris. Ideò hæc corrumpere ſcimus, & alia introducere. Ideo non poſſumus verè cognoſcere & judicare in metallis mutatis, utrum verè ſint mutata in aurum vel non: quoniam unusquiſque benè judicat de ijs, quæ cognoſcit, & eorum eſt bonus judex, ut dicitur primo Ethicorum.

Quarta ratio ſumitur ex parte mixtionis, & proportionis, & miſcibilium in compoſito. Quæcunque non habent eandem proportionem mixtionis & miſcibilium in compoſito, non poſſunt eadem eſſe in ſpecie; ſed metalla, mutata per Alchemiam, ſunt hujuſmodi, ergo, &c. Major eſt nota, quia determinata proportio mixtionis, & miſcibilium in mixto ad invicem, diſponunt mixtum ad talem formam

formam determinatam, sequentem illam determinatam proportionem, & non ad aliam, per quam differret ab aliis: Minorem supponit probatam ex prius dictis. Cum hac igitur tali ignorantia, quomodo efficiet ars hæc verum aurum & argentum? Quinta ratio sumitur ex parte materiæ primæ, mediante qua fit omnis generatio & corruptio, & transmutatio de specie in speciem, & est talis. Omne quod transmutatur de specie in speciem, debet reduci in materiam primam, id est, nudam à forma prima, ut illa ad quam dispositа erat introducatur: sed Alchimistæ non sic faciunt: ergo, &c. Major est nota: Quia reducendo in materiam primam, fit generatio & corruptio, non aliter; quia talis motus est ad formam substantialem, & hic talis motus, propriè dicitur mutatio (ut dicitur quinto Physicorum) & non motus. In alteratione autem & augmentatione & diminutione est propriè motus, ut dicitur ibi: propterea generatio est de non subjecto in subjectum, & conversio, & sunt ambo in oppositione contradictoria: reliqui autem motus semper sunt de subjecto in subjectum, & in contraria oppositione. Minor patet ad oculum. Non enim reducunt metalla in materiam primam: ergo nec generant, nec corrumpunt, sed solum alterant. Liquefaciunt enim metallum ad ignem, & ipso sic existente metallo, projiciunt suas quasdam medicinas, prius per artem Alchemiæ factas, alterantes ipsum, ut similetur auro & argento. Per solam enim liquefactionem non reducitur in primam materiam, sed accidunt res quædam extraneæ & fantasticæ: ergo quia non faciunt primo metallum nudum à forma prima, quomodo poterit in aliam speciem transmutari: nullo modo. Et si vellent dicere, quod suas medicinas, & suum lapidem philosophicum faciunt propriè per generationem & corruptionem, & proportionem mixtionis, & mixtorum determinatam: & cum hoc transmutant metalla de specie in speciem, dicimus, quod quamvis faciant medicinas per generationem, & corruptionem, & proportionem mixtionis, & mixtorum determinatam, & transmutent speciem in speciem, tamen per projectionem ipsarum super metalla, conflata in igne, non accidit corruptio & generatio alterius metalli: ergo per consequens, nec mutatio speciei in speciem, sed alteratio sola: quoniam non expoliant materiam, nec denudant à forma prima sub qua erat, ergo aut oportebit ponere duas formas substantiales in eadem materia, quod est impossibile: aut oportebit ponere hanc introductam accidentalem: ergo est idem metallum ut prius. Vel possumus aliter formare hanc rationem ultimam, quia possent dicere, quod philosophus non accipit ibi materiam primam, prout est subjectum generationis & corruptionis, sed intelligit materiam primam, id est, propinquam ad susceptionem formæ in aliqua specie, ut sanguis menstruus. Similiter & in aliis, quamvis ut plurimum materiæ propinquæ sint nobis ignotæ. Arguemus ergo sic: Nulla res potest transmutari in aliam speciem, nisi reducatur in materiam primam, ex qua generatur illa res: sed Alchemistæ non sic faciunt: ergo, &c. Major est nota: Deficiente enim materia prima, propinqua alicui rei, deficit & generatio illius rei: quia non introducuntur formæ, nisi de potentia materiæ determinatæ. Minor patet per ipsam, quia materia prima & propinqua auri & argenti, & aliorum etiam metallorum, est argentum vivum & sulphur, ut patet ex quarto Meteororum, & per omnes philosophos Alchemiæ, sed ipsi per solam liquefactionem non reducunt nec reducere possunt illa quæ transmutare intendunt in argentum vivum & sulphur: ergo nunquam verè transmutant metalla ad invicem, sed sophisticè. Nam sicut ex aliqua re debet fieri homo, ut ex carnibus & oleribus, quæ comeduntur, & ex aliis cibis, oportet quod prius fiant sanguis, & ex sanguine sperma: Ita si aliqua debent fieri aurum & argentum oportet quod prius fiant argentum vivum & sulphur. Et hæc ratio non sic videtur consona dictis philosophi, ut prima. Vel possumus dicere, quod accipit pro materia prima quatuor elementa, quoniam omne mixtum in potentia confusa, cum sint materia prima mixtorum omnium, & hoc modo ex quolibet fit quodlibet, & potest formari ratio, & probari præmissæ, ut in ratione præcedenti dictum est, quamvis hæc ratio non videtur consonare dictis Philosophi. Et si adhuc vellent dicere, metalla non differre specie, sed solum per accidentia quædam, ut plures eorum existimant, etiam sicut sanum & ægrum, unde, sicut homo æger, per solum motum alterationis fit sanus, absque motu generationis & corruptionis: Item metalla ægra per solam alterationem, & accidentium eorum ægritudinem, in ipsis facientium remotionem sanantur & perficiuntur, & remanent aurum & argentum verum: Dicimus, quod posito hoc, in magnum incidunt inconveniens, scilicet quia oportet eos ponere omnia metalla esse aurum actu, quod est impossibile. Et ratio est, quia quæcunque differunt solum secundum accidentia, habent necessariò eandem formam substantialem actu. Si igitur ita est, ut dicunt, oportet eos necessario confiteri, omnia metalla ægra, habere eamdem substantialem actu cum auro & argento: ergo plumbum & æs, & metalla reliquà, sunt actu aurum & argentum. Et quia quæcunque habent eandem penitus formam substantialem, actu habent easdem proprietates & passiones, cum proprietates & propria passio immediatè procedant à forma substantiali: ideo oportet, quod omnia matalla habeant easdem proprietates & passiones actu cum auro, sive sint activæ sive passivæ: sed hoc non habent, quia neque tolerant examinationes ignis omnes, ut aurum, nec cor confortant, aut aurum: ergo ipsa necessariò differunt specie, & non accidente solum. Oportet ergo, quod per motum generationis & corruptionis transmutent, & non sint solum alterationis, sed hoc non faciunt: ergo fantasticè transmutant. Et si adhuc ipsi vellent dicere, confitemur, quod omnia metalla sunt actu aurum, & habent formam substantialem auri actu, non tamen est necesse ut habeant easdem proprietates & passiones actu cum auro: quia ægritudo ipsorum hoc occultat. Sicut verbi gratia: Si quis enim homo laboret epilepsia, aut apoplexia, aut mania, aut phrenesi, planum est, quod non potest exercere operationes hominis: Similiter mulier, cum patitur suffocationem matricis, aut syncopen, omnes tamen habent formam substantialem hominis actu, non tamen proprietates aut passiones hominis habent actu, nec eas exercere possunt nec activas nec passivas. Simili modo sic dicimus, posse esse in metallis ægris, quantum sunt actu aurum, & habent formam substantialem auri actu, sed eorum ægritudo ipsorum proprietates & passiones occultat, ut non actu appareant operationes auri vel argenti. Et ideo sicut homo æger adhibita medela, per alterationem solam fit sanus, & manet idem homo formaliter ut prius, sic & in metallis per artem Alchemiæ posse fieri est existimandum. Dicimus eos loqui, ut mente capti, & veritatem naturalium penitus ignorare: quia talem differentiam non possunt

ſunt habere metalla ad invicem. Et ratio hujus eſt: Quæcunque habent eandem formam ſubſtantialem, actu pervenerunt in ſui generatione ad terminum motus, in quo acquiritur forma: ſed metalla reliqua, præter aurum & argentum, non pervenerunt ad illum terminum motus, ad quem pervenit aurum & argentum: ergo non habent actu formam auri & argenti. Major eſt nota, quia non acquiritur nec generatur forma ſubſtantialis in aliquâ re, niſi in termino motus. In toto enim motum præcedunt diſpoſitiones habilitantes ad formam ſuſcipiendam, & in termino generatur forma: ergo non poſſunt alicui ineſſe proprietates, & propriæ paſſiones, quæ ſequuntur formam aliquam, niſi rei, quæ fuit in termino motus. Non enim poteſt aliquid habere proprietates & proprias paſſiones hominis, niſi ſit informatum forma hominis. Similiter & in alijs. Minor patet ad ſenſum: quoniam terminus motus eſt in expoliatione ſulphuris ab argento vivo, facta digeſtione, hoc autem ineſt ſoli auro & argento: Imo propriè & per ſe auro ſoli, ſicut in determinatione oſtendemus. Cum igitur cætera metalla nondum ſint expoliata ab ipſo: ergo nondum pervenerunt ad illum terminum motus, quamvis ſint in continuâ potentiâ ordinariâ ad ipſum; ergo non poſſunt ineſſe, nec occultari in eis proprietates, & propriæ paſſiones auri & argenti, propterea quia ſunt ægra. Sed homo ſanus & æger fuerunt, & ſunt in termino motus, & acquiſiverunt formam, per quam ſunt homines: ideo habent proprietates & proprias paſſiones, quæ ſunt ineſſe homini, ſive per ſe ſive per accidens inſitum eis, & poſſunt manifeſtari & occultari in eis, non autem ſic in metallis. Falſum ergo dicunt quidam ſapientes naturales, talia in ſuperficie conſiderantes ſcilicet quod Alchemiſtæ operantur, ſicut periti medicorum, qui dant ægro Medicinas digeſtivas, & purgantes humores corruptos, & poſt Medicinam confortativam, & fiunt ſani: quia ſecus eſt in iis & in illis. Sic igitur Ars iſta & operatio ejus frivola & vana & impoſſibilis videtur, quia ſive ponant metalla omnia differre ad invicem ſpecie, ſive accidente, hæc ratio ponit tam artem quàm ejus operationem impoſſibilem. Aliæ adhuc rationes adduci poſſunt: ſed quia dictæ ſufficere videntur, ideo ſilemus eas.

CAPUT II.

In quo diſputat & probat, Artem Alchemiæ eſſe veram.

AD contrarium autem arguentes, dicemus primò, ſecundùm Ariſtotelem ſecundo Poſteriorum, quod primò quærimus de re, ſi eſt: & ſcientes ſi eſt, quærimus poſt quid eſt. Aliquando tamen manifeſta ſunt ſimul utraque. Nunquam tamen cognoſcere poſſimus ipſum quid eſt, ante ipſum ſi eſt. Unde quærere ipſum quid eſt, non habentes ipſum ſi eſt, nihil eſt quærere. Quapropter dicimus, quod volentes oſtendere de hac Arte ſi eſt, oportet quod ſimul oſtendamus quid eſt. Et cauſa eſt hæc, quia termini quibus oſtenditur ſi eſt, ſunt idem cum terminis, quibus oſtenditur, quid eſt, quamvis illi iidem termini, ſint de ſe priores ad inveſtigandum ſi eſt, quam quid eſt, ſecundum rationem. Ergo nunquam poteſt verè probari, ſi hæc ars ſit, niſi ſimul oſtendatur quid ſit quodammodo, non tamen convertitur. Ferè enim medium cujuslibet rationis, oſtendentis de hac arte ſi eſt, neceſſario oſtendit quodammodo quid eſt, & etiam quomodo eſt. Similiter & in rationibus negativis oſtenditur negativè. Et ideo Philoſophi hujus artis nolentes oſtendere manifeſtè, ſed occultè, de hac arte quid eſt, difficile accidit probare ſi eſt. Non facto enim manifeſto quod compoſitum eſt, difficile eſt arguere, ut dicitur 8. Topic. Similiter vix probari poſſunt, quæ proxima ſunt principiis, tamen principia probari non poſſunt. Non enim contingit plures invenire rationes, cũ ſunt pauca media, ut ibidem dicitur. In hac autem principia & principiata uſque ad ultima ſunt valde proxima, non ſunt definita ſive manifeſta, ut in determinatione patebit. Et niſi diſſeratur per principia poſita, difficile eſt argumentari, & fortaſſe omnino impoſſibile, ut ibidem dicitur. Ipſa enim utitur nominibus alienis & obſcuris ſemper, ut infra patebit, abſque definitione ipſorum vera. Arguimus ergo: Sicut eſt poſſibile, ſic: Omne imperfectum & incompletum, quod alteratur ſecundum aliquid verſus perfectam rem ejuſdem generis, & completam à ſuis componentibus & perficientibus, poteſt etiam alterari magis, & iterum magis, & per conſequens maximè ſcilicet uſque ad ultimum, cum tranſmutatione ejus, in rem perfectam & completam ejuſdem generis: ſed metalla imperfecta ſunt hujuſmodi in Arte Alchemiæ, in comparatione ad aurum & argentum: ergo metalla imperfecta, poſſunt converti in perfectum & completum aurum & argentum: ergo Ars Alchemiæ eſt poſſibilis & vera. Major eſt nota per Philoſophum de generatione & corruptione, & 1. Metaphyſ. & 7. Topic. Quia ſi ſimpliciter, ad ſimpliciter, & magis ad magis, per conſequens maximè ad maxime, ut ibi dicit: Unde dicimus, quod tranſmutatio alicujus rei in aliam non fit niſi ordinate. Non enim fit niſi alteratione paulativâ, & ordinariâ præcedente: quia natura non facit ſaltus, ut patet ex 2. Phyſic. ſed in omnibus ſuis operibus ordinata. Et ideo dicit ibidem: Neceſſe eſt enim primò fieri ſemen, ex facto ſemine non ſtatim ſunt animalia, ſed per proceſſum temporis in ſe ordinatè fient animalia. Et in decimo ſexto de Animalibus dicit: Nos dicimus, quod anima cibantia, eſt principium in ſemine animalis, potentiâ & non actu, antequam cibus adveniat, & faciat operationem animæ: quia in principio videtur, quod conceptum omne vivat, ſicut vivunt arbores, quando nutrimentum fit à ſanguine menſtruo: ut cum creverit, erit in eo anima ſenſibilis, per quam dicitur animal, ſed complementum erit in ultimo, ſupple, in animâ rationali. Similiter in plantis & ſeminibus, & rebus aliis hoc videmus: quia motus naturæ omnes ſunt ordinati & regulati uſque ad finem. Minor patet ad ſenſum: Videmus enim Alchemiſtas quotidie facere alterationes metallorum imperfectorum verſus perfecta, cum ſuis componentibus & perficientibus alteratis, imo etiàm cùm pluribus extraneis, quamvis ſit penitus vanum & divinum, quamvis valde pauciſſimi perficere ſciant, & quidam plus, quidam verò minùs alterant, & quidam fortius, quidam verò debilius. Quia igitur ad ultimè alteratum, ſequitur introductio formæ futuræ, diſpoſitæ per generationem & corruptionem: ergo ultimo alteranda metalla, ſic generabitur forma futura, ſcilicet auri & argenti, ſed proprie auri: ergo poſſibilis eſt converſio & mutatio metallorum imperfectorum & incompletorum per Artem Alchemiæ, in verum aurum & argentum. Volentes autem oſtendere per ſimile, quod ita ſit, accipimus exemplum à Philoſopho in 4. Metaphyſ. Cap. de corporibus mineralibus & de atramentis. Natura enim in mineris atramentorum generat atramenta, in quibus eſt virtus ferri vel

æris

æris innata, & quandoque in mineris illorum, per modum stillicidij & generositatis. Unde dicit ibidem, quod atramenta conceperunt vim mineralem aliquorum corporum liquabilium, & quod ceperit vim ferream, erit rubeum vel croceum, ut colcothar: quod autem ceperit vim æream, erit viride, ut calcanthum, aliorum autem corporum nihil. Colcothar est atramentum album crystallinum, ut esset salis petræ: calcanthum secundum synonyma, est vitriolum viride. Quorum causam dicimus, quia aqua mineralis, transiens per venas mineræ vel mineralis, dissolvit, digerit, & commiscet subtilitatem quandam sulphureitatis eorum cum substantiâ subtili lapidum mineræ, cum quadam virtute sallugino sa & aluminosa & fluit, stillat inde paulatim, & ista invicem per virtutem mineræ commiscentur, alterantur & digeruntur: & se invicem alterant & alterantur, quousque ex ipsis per processum temporis, per coagulationem generetur atramentum in termino motus: quia tota materia compositionis atramentorum est ex substantiâ tenu ssimâ sulphuris, salis, & lapidum cum virtute aluminosa eorum liquabilium resoluta, ut dicit Philosophus Et dico, quod ibi est etiam virtus aluminosa, quæ in sapore manifestè patet, cum ibi sit ponticitas. Ars autem cum ipsa sit imitatrix naturæ, ut dicitur 2. Physicorum, & 4. Metaphysicorum, assumit sibi substantiam æris aut ferri, & secundum ingenium artis ministrat naturæ sicut expedit, & facit, ut sulphureitas aluminosa cum rubedine, aut viriditate floreseat: post solvit, destillat, & congelat, & reiterat pluries ingeniosè, sicut vult, permiscendo cum eis quæcunque permiscet natura, ita ut in termino motus generentur eadem atramenta omnino, in omnibus proprietatibus & passionibus, & operationibus, tàm activis quàm passivis, quæ discerni possint in mineralibus atramentis. Testificatur autem nobis hoc Philosophus ibidem, qui dicit: Quod ista duo atramenta, scilicet calcanthum & colcothar, per artem fieri & componi possint. Similiter experientia Alchemistarum demonstrat hæc ad oculum, ut scimus & vidimus. Similiter scimus, quod in partibus Constantinopolis, lapides quosdam mineræ calcinant, posteà in aquâ solvunt, & decoquunt in vasis, donec fiat alumen, quod dicitur alumen de alumine, de rochâ, & de alap. Si ergo ars ministrando naturæ, generat tales res minerales, quales sola natura in suis mineris omnino in brevi tempore, & in alio loco, & præter determinatum modum quantitatis componentium, & mixtionis, & proportionis: quia hæc sunt nota soli naturæ, & metitur hæc omnia absque consideratione artis, & ars cognoscit propinquam materiam, ex quâ facit natura, & modum agendi. Eodem modo erit possibile arti, quia cognoscit materiam auri & argenti propinquam, & modum secundum quem operatur in ipsis natura, ut sumat materiam propriam, & agat in imitando naturam in illa materia, sed in alio loco, & generet idem aurum & argentum penitus, sicut est naturale de minerâ, habens omnes proprietates & passiones, & operationes omnino ut illud; quia nisi haberet differentias omnes, non esset idem cum illo, & nisi sciremus materiam propinquam, & modum agendi naturæ, nunquam possemus pervenire ad artem, unde Philosophus primo Physicorum dicit: Sic enim compositum cognoscere arbitramur, cum cognoscimus ex quibus, & quantis sit. Et in quarto Metaphysicorum: Ita enim cognoscimus unumquodque propter quid, & quid sit, si materiam vel causam habuerimus. Neque video rationem qua coarctemur propter hoc simile consiteri, artem Alchemiæ non esse omnino veram, sed tamen ad remotionem cujusdam dubii potentis insurgere, est sciendum, quod Ars Alchemiæ alium modum assumit in generatione auri & argenti, & alium in generatione atramentorum, semper tamen mutando naturam. Nam sicut aurum & argentum differunt ab atramentis, ratione materiæ & formæ, & mineræ, & modi agendi secundum naturam: ita etiam conveniens videtur, ut secundum artem & operationem Alchemiæ differant in eisdem. In generatione tamen auri & argenti, natura ferè tenet penitus eundem modum, cum ipsa sint quasi idem, & unum ad aliud ordinetur sicut ad finem. Ars igitur respicit naturam, & perpendit, quod ex eadem materia facit utrumque, & quod ferè eundem modum agendi tenet in utroque, & ideo assumit similiter eandem materiam ad generationem utriúsque, & tenet eundem modum, sed in generatione calcanthi, & colcothar, Ars similiter respicit naturam, ex quâ materiâ illa facit, modum etiam operandi. Et quia videt modum operandi in eis ferè eundem, ideo ars similiter ferè eundem modum assumit. Et quia videt materiam istorum esse similiter ferè eandem, & non diversificari, nisi secundum genus, quia calcanthum sumit de materiâ mineræ æris, & colcothar de materiâ mineræ ferri: ita & ars diversificat ea, nec plus nec minus ut natura. Sed sicut natura assumit modum valde diversum & extraneum in generatione auri & argenti ex unâ parte, & generatione calcanthi, & colcothar ex aliâ parte, ita ars Alchemiæ imitans naturam tenet eundem modum diversum in ijs & in illis. Similiter ratione materiæ. Et ideo non valeret argumentum, si diceretur: Quia natura non tenet eundem modum in generatione auri & argenti, sicut in atramentis: Ideo quamvis faciat atramenta, non tamen faciet aurum & argentum, solutum autem est ex dictis. Et causa diversitatis agendi in iis & in illis est, quia in generibus atramentorum non reperitur aliquod imperfectum quod valeat perfici per artem, sed sunt omnia perfecta, quamvis quædam sint alijs meliora, sicut in omnibus rebus de mundo reperitur; quia in eadem specie unum melius alio reperitur. Quare atramenta de novo componimus, & efficimus: metalla autem non, sed solum imperfecta reperta perficimus. Propter quod ars generat formam, sed compositum: oportet igitur quod diversus modus agendi consurgat necessario. Item ex habitis, aliam rationem formare possumus fortem, & talem sic cognoscere causam materialem, determinatam & propinquam in aliquibus corporibus mineralibus liquabilibus & modum agendi, qui ex intentione naturæ consistit in illis, est totalis causa imitandi naturam, ut faciamus eadem, mineralia liquabilia penitus, ut natura: ergo similiter & in alijs mineralibus liquabilibus: sed sic est in quibusdam: ergo, &c. Major patet per locum à proportione. Nam eo modo quo cognitio materiæ determinatæ & propinquæ, & modi agendi naturæ determinati se habent ad unum: quia conferet nobis modum possendi omnino imitari naturam in illo, vel non: Eodem modo se debet habere ad alia mineralia liquabilia proportionaliter. Minor est nota per Philosophum, in exemplo atramentorum prædicto. Quia igitur in auro & argento, quæ sunt mineralia liquabilia, sicut & atramenta & homogenea, per totum magis cognoscimus materiam determinatam, propinquam scilicet argentum vivum cum sulphure coagulatum, &

modum agendi qui ex intentione naturæ conſiſtit; quia cum calore ſuaviſſimo digerit, & ſuaviter decoquit argentum vivum, cum ſulphure ſibi commixto ſulphur, & hoc proprie in auro. Ergo ſimiliter erit poſſibile, uti imitemur naturam in generatione auri & argenti. Et ſi quæratur, quare in ſulphure & arſenico, cùm ſint mineralia liquabilia, & cognoſcamus materiam, quia ſunt pinguedo terræ, non etiam poſſumus imitari naturam? Reſpondemus per nunc dicta, ſcilicet: quia materiam propinquam & determinatam non cognoſcimus, nec invenire poſſumus, niſi in genere, & confuſo valde, ſcilicet quia ſunt pinguedo terræ, & hoc non ſufficit arti; quia non qualiſcunque pinguedo terræ, imò talis pinguedo, apparata & determinata ad hoc, & non ad aliud. Modum agendi in eis ſatis cognoſcimus; quapropter ſi materiam dictam reperimus, cum fortè ſatis modum agendi ſciamus, utique ſciremus ea formare per artem, & ſequeremur naturam naturæ, ſecundum modum generationis atramentorum, ſed non metallorum. Eſt autem potiſſima cauſa, ut natura non poſſit generare aliquid ſimile alteri, non reperire materiam ſimilem illi, ut dicit Philoſophus primo Cœli & Mundi, quomodo dicit quòd cœlum eſt factum ex tota materia ſua, nec eſt ex ea extra ſe aliud, & ideo non poteſt fieri cœlum aliud. Unde dicit ibi, quòd omnis ſubſtantiæ compoſita ex materia, non eſt poſſibile ut ſit alia ex ea ſimilis ei, quando non eſt materia alia ſimilis illi materiei ex qua componitur. Quodlibet enim naturalium comparatur ad propriam materiam, cum ipſa ſit radix ipſorum, & ſubſtantia, & prima natura, & quæ habet in rebus perpetuari, ut dicitur ſecundo Phyſicorum. Modo dico, quòd carentia materiæ eſt potiſſima cauſa in aliqua re, ut non generetur alia ſibi ſimilis. Ita & inventio materiæ ejuſdem, debet eſſe potiſſima cauſa, ut poſſit generari res alia ſimilis illi, quia ſi oppoſitum in oppoſito, & propoſitum in propoſito, ut dicitur quarto & ſexto Topicorum. Nam ſi negatio eſt cauſa negationis, & affirmatio erit cauſa affirmationis, ut dicitur primo Poſteriorum. Si igitur apud naturam accidit potentia potiſſimè eſſendi & non eſſendi, aliud ſimile alteri ex parte materiei, ſic ſimiliter erit in arte ſequente naturam. Quia igitur ars reperit materiam illam eandem aur & argenti, quæ eſt omnino naturæ; ergo ex parte materiæ ars erit poſſibilis. Similiter etiam ex parte agentis, ſicut oſtenſum eſt in exemplo atramentorum, & iterum aliter; quia ars approximat illi materiæ agens naturale, ſed aliter quàm natura, quia non ut aurum vel argentum, vel aliud metallum generat, ſed formam auri & argenti ex illa eadem materia elicit, ut in determinatione patebit. Ergo alio agente utitur, ſcilicet igne, cum qua forma omnia metalla imperfecta, conflata ad ignem perficit in momento. Et quia ejuſdem eſt cognoſcere materiam & formam, ut dicitur ſecundo Phyſicorum, & ſeptimo Metaphyſicæ, neque eſt ſermo propter materiam tantum, ſed propter formam, ut dicitur undecimo de Animalibus; quia non eſt inventa materia, niſi propter formam, tàm etiam in artificialibus quàm naturalibus, & ambo propter compoſitum, & compoſitum propter operationem, ut dicitur ſecundo Cœli & mundi. Ideo cum ad Alchemiſtam ſpectet conſiderare materiam auri, & aliorum metallorum, ad eundem etiam ſpectabit conſiderare formam & cognoſcere: quoniam ſi cognoſceret formam auri, ſicut & materiam, nunquam poſſet verè ſequi naturam, quibus cognitis, debitus modus agendi in debita materia eſt totalis cauſa generandi formam auri ex illâ materiâ: & dicitur ſolum forma, quâ coniuncta metallis imperfectis ſicut materiæ, ſtatim fit compoſitum, ſcilicet aurum. Et hoc ſatis patet in operantibus ſophiſticè; quia ſuas medicinas de ſpiritibus & corporibus faciunt, quæ ſunt in comparatione ad imperfecta metalla, ſicut formæ ad materiam, quamvis forma ſit ſophiſtica, ſcilicet alterans ſolum, & non tranſmutans, & nullum mixtum de mundo convenit cum metallis in hoc. Adduximus autem quæſtionem hanc contra nos, nunc & iterum adducemus alias cum inſurgant, ſequentes ritum Philoſophi & ſtylum in ſecundo Cœli & Mundi, qui dicit: Oportet igitur, qui vult inquirere rem, & de ea perſcrutari, ut contradicat ſibi contradictione ſana, convenienti aptarioni rei quæſitæ, & poteſt hoc facere quando inquirit, & ſcit omnes differentias, &c. Et iterum in eodem dicit: Nam quando invenit aliquas neceſſitates puras, ſubtiles, ſufficientes, oportet tunc ut lauderut inventor earum & remuneretur, &c. Et iterum in eodem dicit: Cum ergo inquirimus quæſtiones Topicas, & poſſumus ſolvere eas ſolutione parva ſubtili, tunc convenit auditori, ut vehemens ſit gaudium ejus, & delectetur per pectus ejus, &c. Et ſi de metallis imperfectis quæratur, quare non poſſumus ea informare per artem mutando naturam, poſtquam fecimus perfecta, cum habeamus materiam, & præciſum modum agendi, ſicut in perfectis, & ſicut liquabilia, ut perfecta. Nam ſi poſſumus generare res perfectas, multò magis videtur quod imperfectas, maximè ejusdem generis, præſertim cum ſint ſicut via, & ſemita, & medium ad perfecta, & non poſſit fieri tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium, dicimus, quod natura non expoliat metalla imperfecta omnino à ſulphure ſicut aurum ſolum, ut in determinatione oſtendemus, Imò dimittit quandam partem ſulphuris adurentem in eorum commixtione, diverſam in uno & in alio, per quam imperfecta ſunt, & diſſimulata ab auro & argento. Immiſcere autem hanc partem ſulphuris determinatam in eis, & diverſam in quantitate & qualitate, penitus ignoramus, ſed non miſcere ſulphur abſolutè, quamvis Geber dicat, Capit. de ſublimatione Mercurij, & Cap. de coagulatione, quòd accidit iſta fieri per non rectam depurationem argenti vivi à ſulphure; hoc autem adhuc uſque ignoro. Sed quia expoliatio argenti vivi à ſulphure ſibi commixto, quod ipſum decoxit toraliter, eſt poſſibilis, ita ut remaneat argentum vivum purum, ſolum, mortificatum: ideo poſſibile eſt, ut imitemur naturam, ut faciamus verum aurum & argentum. Non dico tamen quod impoſſibilis ſit cõmixtio, & remanentia ſulphuris in decoctione cum argento vivo: imò eſt neceſſaria in magiſterio decoctionis, uſq; ad complementum decoctionis, ſecundum quantitatem & qualitatem diverſam, mixtam argento vivo, ſecundum proceſſum dierum: ex qua diverſitate, poſſibile eſt fortè, quòd illa medicina mutet metalla imperfecta ad invicem, ut omnia fiant æs, aut plumbum, &c. Sed quòd hoc ſtudiosè poſſit accidere, juxta voluntatem artificis, non cognoſco: ſed rationabiliter cognoſco, quod tota expoliatio, eſt ſtudioſa juxta voluntatem artificis, quæ ad oculum perpendi poteſt. Similiter cùm ars non intendat, nec poſſit generare aliquod metallorum omnino de novo, ſed ſolum imperfecta perficere, incongruum & irrationabile videtur, ut perfecta mutetur in perficere: quia neque natura hoc facit in ſuis mineris: ſimiliter nec unum imperfectum, in aliud imperfectum, quia nec

natura

natura facit hoc, nisi fortè Saturnum in Jovem, quod tamen ignotum est: quia imperfecta sunt in via & semita ad formam perfectorum, & non è converso absque transitu alicujus imperfectorum ad aliquod imperfectum primò. Et quamvis natura generet aurum, ex suis primis principiis, absque transitu, per dispositiones & semitas alicujus alterius metallorum, & similiter generet idem aurum, transeundo per dispositiones & semitas alicujus illorum, non tamen videtur, nisi quod ars possit sequi naturam, realiter scilicet, ut generet elixir, quod convertat metallum aliquod in æs, aut Saturnum aut Jovem vel Martem, sed sic secundum similitudinem & analogiam: quia non credo artem posse transire per illas dispositiones & semitas tales, realiter scilicet, quod possit occultare in argento vivo sulphur taliter & tantum, & tale ad suum Elixir componendum: quod talis conversio & mutatio fiat: Et sic patet solutio. Sed est advertendum, quòd aurum, quod per Alchemiam fit, est melius & purius & perfectius minerali. Et ratio est: quia Alchemicum est omni sulphure ac superfluitate mundatum, minerale autem, quodcunque sit illud, habet sulphuris alicujus adhærentis commixtionem. Et hæc est causa, quare sulphur ingreditur, & adurit ipsum, & ob hoc in igne minuitur: Cum autem illud sulphur per ingenium artis etiam minoris auferatur, remanet purum, simile quasi auro, & de cætero non minuitur, cum sulphur adurens non ingrediatur in ipsum: aurum autem Alchemicum, est æquale minerali quod jam ad ultimam perfectionem devenit ut sit aurum oborizon, id est obradians & purissimum. Dixi autem, quòd jam ad ultimam perfectionem devenit, propter aurum, ab illius colore remissum: hoc enim tale, etsi habeat formam perfectam auri, tamen accidentia sequentur formam, ut color totalis non sunt omninò completa in ipso. Et quia natura in illo perfecto posuit ultimos gradus perfectionis, ultra quos non potest esse transitus, ideo similiter aliquis ultra transcendere non conatur, cum sit impossibile, est ergo utrumque æquè perfectum, quamvis possit ars suum colorare eodem colore, magis intenso, quàm natura suum, & minus, sicut vult. Sed quia hoc esset deviare à recto tramite naturæ, & intentione ipsius perfecta, & non esset simile operibus mineralibus, ideo ars colorat in gradu naturæ. Cognoscere igitur hæc duo principia in natura, scilicet materiam determinatam propinquam, & pretiosum modum agendi, qui ex intentione naturæ consistit in illa materia, dirigit & extra tollit artem, ut sequatur omnino natura, & hoc propriè in liquabilibus mineralibus, ut dictum est: ubi autem unum illorum principiorum, aut ambo defuerint, impossibile erit artificem imitari naturam, sive illa principia sciri & haberi possint, sive non. Ignorans igitur principia naturæ, non adhæreat huic arti, quoniam potius erit sophista quàm Alchemista. Nam per illorum cognitionem, artifex devenit in cognitionem principiorum artis, & sine cognitione illorum est impossibile. Unde Geber in Proœmio Summæ suæ dicit: Scias Chariſſime fili, quòd qui principia naturalia in seipso ignoraverit, jam multum remotus est ab arte, quoniam non habet radicem veram, supra quam fundet intentionem suam, &c. Omnis ergo ejus labor est vanus, & in desperationem adducens & inopiam. Cum igitur ita sit, expressè patet veritas cujusdam, de quo non est facta mentio, scilicet, quia impossibile est per artem, pretiosos lapides veros fieri ut naturales, nec gemmas, cum ambo illa principia deficiant, quæ sunt naturæ: non habitis autem naturæ principijs, impossibile est artem sequi naturam. Quia igitur sumunt alia principia, scilicet de via ab intentione principiorum naturæ, ergo faciunt alia opera diversa ab operibus naturæ, & sophistica, quia quorum principia sunt diversa, oportet opera esse diversa: sumunt enim arte illa Vitrum aut Cristallum, quod ingeniosè fundunt, & ingeniosè colorant, ab extraneis rebus exterioribus. Naturales autem lapides pretiosi non sunt facti subtiles à natura, ab arte autem sic violando naturam & reducendo eos ad substantiam & formam vitri, & tunc non sunt quod prius erant. Et similiter natura introducit colores, & diversitates colorum, de potentia materiæ ab intrinseco, artifices autem ab extrinseco dant: neque sumit natura pro materia vitrum, sicut isti, sed materiam quandam ex quatuor elementis commixtam, quam ignoramus præcisè. Quæ ambo principia, si sciremus adhuc deficeremus in generatione illorum lapidum, scilicet quia nullo modo possemus imitari naturam verè, & causa est: quia non sunt res liquabiles, & ideo hanc rationem, quàm fecimus, solum in mineralibus liquabilibus adaptavimus, ut patuit, & non alijs. Et si non possumus imitari naturam, in iis, quorum materiam propinquam habemus, & ignoramus modum agendi, ut in generatione marcasitæ, magnesiæ, tutiæ & antimonij: quorum materia est argentum vivum & sulphur, multo minus in iis lapidibus, in quibus ignoramus utrumque. Et si dicatur, quòd imitamur naturam in generatione mineralium non liquabilium, ut lapidum: quia ex terra viscosa cum aqua ars facit lateres crudos, quos in fornace cum in digestione decoquit assariva in lapides: ergo non solùm in mineralibus liquabilibus ars imitatur naturam, ut dictum est, sed etiam in non liquabilibus. Respondemus, quòd quamvis ars ministrando naturæ lapides generet istos, non tamen natura sola generat tales alicubi. Nusquam enim visum est, natura lapidum aliquorum naturalium, nec omnibus similes istis artificialibus, nec conveniunt cum naturalibus aliquibus, nec in genere: diversitas enim proprietatum & passionum hoc declarat.

3. Item possibili posito, nullum sequitur impossibile. Sed posito, artem Alchemiæ esse veram, imitantem naturam, omninò ponitur possibile: ergò nullum sequitur impossibile: ergo ars Alchemię est possibilis. Major patet ex hoc, quia possibile & impossibile sunt in contraria oppositione, ut dicit philosophus secundo περὶ ἑρμηνείας. Posito autem uno contrariorum, removetur reliquum: & ideo dicit 7. Physicorum. Contingenti enim concesso, nullum inconveniens accidere oportet, ut dicitur in 8. ejusdem. Similiter non ponamus possibile esse, nullum impossibile accidit. Minor patet sic, quia metalla imperfecta, & argentum, quo ad naturam: & in propinquiori, quo ad artem: ergo possibile est artem, & per naturam reduci in actum illum, aliter enim esset frustra talis potentia, quod totum declarabitur in determinatione, ubi opera naturæ in mineralibus, & eorum invicem transmutationibus occultis, cum instantia veraciter inquiremus. Adhuc etiam probari posset minor per antecedentia de atramentis, quoniam perscrutatio super substantiam eorum secundum naturam, & eorum similiter secundum operationem, & administrationem artis directam, super eandem materiam naturalem, valdè confert ad probandum, hanc artem esse veram, & ostendunt eam apertè possibilem.

4. Item quorumcunque causæ propinquæ sunt

similes eædem & modus mixtionis idem, ipsa sunt, vel esse possunt de facili idem. sed metallorum omnium essentiæ propinquæ sunt hujusmodi: ergo, &c. Major patet per Philosophum secundo Cœli & mundi, qui dicit: Quòd causæ similes, eædem sunt similes similibus causatis. Et in 10. de Animalibus dicit. Quæcunque habent easdem causas, habent eadem accidentia. Minor patet inducendo per omne genus causarum. Materia enim ipsarum est una, scilicet quæ dicta est, similiter agens est unum, scilicet sulphur accensum calore suavi, mixtum argento vivo: similiter forma est una, ad quam ordinantur, scilicet ad formam auri, ut ostendetur: Similiter finis est unus sicut & forma. Similiter conveniunt in modo mixtionis, propter quod funduntur ad ignem, & invicem permiscentur sola, & sub malleo percussione per omnem dimensionem extenduntur, quod est magnum signum, & probabile, quod sint similia, & ad invicem ordinata ad unum finem ultimum antedictum, propter quod marcasita, & sibi similia, quamvis ex eisdem causis proximis sunt, tamen quia modus mixtionis est valde diversus, prædictas non sustinet passiones, & ideo non videntur ordinata ad finem illum.

5. Item omne indigestum, ordinatum ad digestionem, & omne impurum, habile ad purificationem, potest compleri, digeri & depurari: sed metallorum imperfectorum quædam sunt indigesta & impura, ut Jupiter & Saturnus, & quædam impura tantum, ut Venus & Mars, & sunt habilia ad digestionem & purificationem completam: ergo ipsa possunt digeri, & purificari completè: sed completè digestum & depuratum, est esse aurum & argentum, & propriè aurum: ergo ipsa possunt converti in aurum & argentum. Major patet per Philosophum 4. Meteororum Cap. de Digestione, Optesi & epsesi: quia dicit, quod cũ indigestionem patiuntur, scil. molensin, quæ contrariatur epsesi, & stategi, quæ contrariantur optesi, ex indigentia caloris. Et si calor digestivus sufficiès exhibeatur, decoquũtur & digerũtur completè, finis enim digestionis est natura, ut ibi dicitur, id est generatio formæ in materiam in fine digestionis. Et cum in omni digestionn sit aliqua superfluitas, oportet quod per digestionem fiat separatio ejus: quia calor homogenea congregat, & segregat heterogenea, ut ibidem dicitur, & 2. de Generatione & corruptione. Unde calor digerens res indigestas, generat speciem novam, propter quod dixit Philosophus 4. Meteororum, quod simplex generatio & simplex permutatio harum virtutum, scilicet calidi & frigidi, est opus digestionis, & generant cum sunt vincentia materiam, id est humidum & siccum. Calor etiam exterior æquipollet naturali, juvando ipsum ut completè digerat, & citius & melius: unde dicit Philosophus 4. Meteororum. Quotiens id est quandocunque enim digeritur materia complete, & fit, & principium completionis à calore proprio accidit, quamvis per aliquod extrinsecorum adminiculantium compleatur: quemadmodum cibus, partim digeritur per balnea, & per alia similia: & principium est caliditas, quæ in ipso est, &c. Et dicit Avicenna, Capit. de signis completionum, quod cum calor naturalis fuerit debilis, sumendo res exteriores calefacientes, vivant ambo se invicem incalefaciendo. Propter quod videmus in maturatione fructuum, quod deficiente calore exteriore, scilicet solis, non maturantur fructus. Minor patet etiam, quòd digestio & indigestio in metallis, est optesis & statesis, ut dicitur 4. Meteororum, capite de corporalibus mineralibus: * Optesin autem passum est aurum solum ex completa actione caloris: reliqua autem metalla statesin, ex indigentia caloris non digerentis, &

* Optesin autem passum est aurum, &c. *Notandum est quod digestio optesis, & oppositum ejus, scilicet molensis dicitur elixatio, & fit à calido & humido extrahendo de materia, quæ digeritur, multum de humido naturali: cum autem non completur digestio, dicitur molynsis, sed digestio optesis, & ejus oppositum, quæ est statesis, dicitur assatio, & fit à calido & sicco, cum conservatione humidi naturalis materiæ, quæ digeritur, ut dicitur quarto Meteororum, propter quod assa sunt humidiora elixis ut ibi dicitur. Cum igitur metalla semidigesta & indigesta, cum conservatione propriæ humiditatis, à caliditate & siccitate sulphuris, quæ est flammabilis & assativa, per longa temporá, quæ caliditas etiam est muliebris, & suavis propter assationem levissimam, ad conservationem talis humidi. Ideo facta sunt liquabilia, à calido igneo: ergo necessario coagulata à frigido aqueo. Quod si assatio fuisset rigida & aspera, & fortis, dissipasset humiditatem naturalem ante tempus, aut aliud, quod metallum generasset in breviori tempore valde, sicut forte est magnesia & marcasita: propter quod non liquatur sicut metalla, quamvis sint ex similibus principiis. Quæcunque verò coagulantur per privationem humidi, scil. aerei, aut per privationem calidi, quæ sunt per privationem humidi, liquantur à frigido aqueo ut vitrum & sal: quia à calido igneo coagulata sunt, Quæ autem per privationem calidi coagulata sunt, liquantur à calido igneo, ut glacies, plumbum, & aurum, coagulata enim sunt à frigido aqueo. Omnia igitur coagulantur & solvuntur necessario à contrariis. Non igitur videtur digestio & indigestio, quæ in metallis fit epsesis & molynsis. Ad hoc deterius videtur mihi, quod quidam ponunt, scilicet, aurum passum esse digestionem, quæ peepansis dicitur: cujus oppositum dicitur homotes. Hæc enim digestio & indigestio proprie est in fructiferis, ut videtur quarto Meteororum, aurum autem & metalla reliqua, non sunt ex illis. Secundum metaphoram dicuntur superfluitates in corporibus animalium esse passa peepansin, & ejus oppositum, ut ibi dicitur, unde catharri & urinæ secessus, & apostemata & flegma, dicuntur digesta & indigesta istis nominibus, cum propria nomina non sint eis imposita, sed aurum & alia metalla non sunt talia. Digestio autem alimenti in corporibus animalium similatur epsesi, ut ibi dicitur, per quod non solum ars similatur naturæ, sed etiam natura arti. Unde si natura deberet facere domũ faceret etiam sicut ars: & si ars deberet facere naturalia, faceret ea sicut natura, hoc autem est propter finem, ut dicitur secundo Physicorum. Propter quod ibi dicitur, Omnino quidem aliqua ars aliqua quidem perficit, quæ natura non potest operari, alia verò imitatur, &c. Causa autem fortè, quare ars imitatur naturam, & e converso, videtur quod sicut natura est opus intelligens, & ab ea dirigitur sicut à cognoscente, sic & ars est opus intellectus, & ab eo dirigitur sicut à cognoscente: quare sic agit propter finem. Sicut ergo intellectus imitatur intelligentiam, & e converso, sic ars imitatur naturam. & e converso. Ita quod ab arte refulget opus intelligentiæ & influxus, & e converso. In intelligentia enim & mente divina sunt ideæ omnium naturaleum, in intellectu autem, ideæ artificialium. Quare cum intellectus recipiat ab intelligentia, de Ideis naturalium, intelligentia ab intellectu, de ideis artificialium, secundum quod est possibile: sequitur, quod ars imitetur naturam & è converso: & quod ars perficiat aliqua, quæ non potest natura, & è converso juvando se.*

& non depurantis cõpleta. Ita quod etiam argentum quandam ſtateſim paſſum eſt: in comparatione optesis complete exuberatur eis per artem, ut juvet naturale calorum digeſta & depurata complete erunt, ergo erunt aurum : ſed talis calor poteſt ſic haberi, imò & locus etiam ſecundum Philoſophum ibidem, qui dicit ſcilicet: Et nihil differt in organis naturalibus ſive artificialibus : ſi autem propter eandem nimirum cauſam, univerſa erunt, &c. Et poſt dicit: Opteſis ergo & opſeſis fiunt quidem arte , quia ſicut diximus, ſpecies univerſaliter iſtæ & natura, & ſimiles ſiquidem paſſiones fiunt , cæterùm innominabiles, imitatur enim ars naturam. Sic igitur fit generatio metalli novi ex alio metallo: & transformatio per digeſtionem completam in organo artificiali : quia quod incipit generare aliud per digeſtionem, debet complere illud per digeſtionem: quia idem agens diſponit ad formam, & dat formam: hæc autem eſt natura, ſive ſola auxiliata per artem, non autem eſt neceſſe , quòd in eodem loco , & maxime in mineralibus liquabilibus , ut patuit , Nonne videmus plumbum , & aurum , & metalla omnia , generari in mineris à natura , ex ſuis principijs , quæ ſunt ſulphur & argentum vivum ? ſed neceſſe eſt primò congelationem iſtorum principiorum ad invicem fieri ad generationem omnium metallorum , taliter , ut fiat ex eis quædam natura media, quæ ſit ſicut via & tranſitus à mollitie argenti vivi ad duritiem metallorum malleabilem: hæc autem media natura ſic coagulativa, & non depurata eſt , ex qua propter diverſam digeſtionem , & diverſam habitudinem, & proportionem miſcibilium, in quanto & quali , & loco & tempore, generatur omne metallum diverſum , propter finem diverſum . qui fines omnes ordinantur, & terminantur ad unum à natura , ſcilicet ad aurum : ars ergo volens ſequi naturam ad talem finem , inquirit & invenit hæc principia congelata à natura, in hanc naturam mediam, & non depuratam : & conatur digerere & depurare talem materiam cum calore ignis, ut ex ea eliciat formam auri, cum qua omnia metalla perficiat in aurum , cum ordinata ſint à natura ad hunc finem, propter quod, ſicut differt forma, quam generat ars à compoſito quod generat natura, quàm, niſi ad unum finem ultimum ordinentur , ſic conveniens videatur, ut regimen artis differat à regimine naturæ , non in materia , ſed in digeſtione , & calore, & loco, & tempore , & habitudine , & proportione miſcibilium. Videtur ergo , quod digeſtio, & locus , & ortus generationis metallorum , id eſt formæ metallorum , ſcil. auri , cum alijs circumſtantiis, ſit penitus poſſibilis apud artem. Si igitur digeſtio , quemadmodum dictum eſt, & locus , ſive organum artificiale æquipollet naturali , ergo neceſſariò , quo ad digeſtionem , & locum , ars Alchemiæ eſt poſſibilis. Et cum digeſtio compleatur à calore naturali intrinſeco , & calor extrinſecus æquipolleat naturali , juvando ipſum : ergo calor exterior in Alchemia juvabit naturalem , ut completè digerat metalla , quæ indigeſta ſunt. Ergo ars Alchemiæ neceſſariò eſt poſſibilis : & ſi dicatur : Confitemur ſatis , quod per ſuum Elixir debent tranſmutari imperfecta ad perfecta ſufficienter , digerat in multò tempore , vel pauco , quoniam omnis digeſtio requirit ſibi tempus ſufficiens : ſed tamen quando veniunt ad projectionem ejus, ſuper imperfecta liquefacta ut perficiantur , cum hæc digeſtio completiva digerens imperfecta fiat : in momento aut in parva hora valde , non videtur quod ſit tempus ſufficiens talis digeſtionis completivæ imperfectorum : quare talis tranſmutatio nulla erit , ſed erit fortè alteratio ſimilis ei. Et nos reſpondemus, quod digeſtio ſolius auri & Elixir , eſt completa, aliorum autem metallorum incompleta & imperfecta , in diverſis gradibus imperfectionis , & differt valde digeſtio auri à digeſtione Elixir, quoniam digeſtio auri eſt ſicut compoſiti , & ſufficiens ſibi ſoli , propter quod , ſi cum aliquo indigeſtorum commiſceatur in conflatione , non poteſt digerere illud , nec de ſua digeſtione ſibi conferre , ut transferant illud in aurum, ſed digeſtio Elixir eſt ſicut formæ , & non ſolum ſibi ſoli ſufficiens , ſed exuberans , ut diffundi & extendi & multiplicari poſſit per alia ; propter quod , ſi cum aliquo indigeſtorum commiſceatur in conflatione , extenditur in digeſtionem ſuperfluam , quam habet uſque ad terminum certi numeri , taliter , ut ex ambobus fiat compoſitum , ſcilicet aurum , ſicut ex materia & forma in momento vel parva hora valde: non tamen in tali projectione fit digeſtio in momento , ſed in ſufficienti tempore , jam facta in ipſo Elixir, quando ingenioſe ad ignē decoquebatur, propter quod digeſtio ſuperflua & abundans ipſius Elixir, ſunt indigeſtio imperfectorum , quæ dicuntur ſemidigeſta , habent proportionem ad invicem in certis numeris & ponderibus , quibus obſervatis, fit aurum puriſſimum in momento. Si enim de imperfectis deberet extrahi forma ſua , ſcilicet auri , egerent digeſtione omnino in tempore ſufficienti , ſed hoc non eſt ſic: imò forma digeſta, ut dictum eſt, aſſociatur materiæ, & fit aurum puriſſimum : & ideo aurum Alchemicum non plus habet de potentia tranſmutandi , nec minus, niſi ſicut minerale, cum ſint comparata. Et ſi de argento vivo objiciatur , quod non ſit ſemidigeſtum , ut illa alia , ſed omnino crudum , & indigeſtum : quomodo ergo in tali momento perficietur, ut illa ? Dicimus quod tota perfectio conſiſtit in ſolo argento vivo , ut in determinatione oſtendemus expreſſe. Quare cum imperfecta perficiuntur, expoliantur omnino à ſulphure corrumpente , & ſolum argentum vivum eorum perficitur in aurum in ipſo momento : quare cum eorum argentum vivum ſic expoliatum , ſit ejuſdem naturæ cum iſto , & è converſo , & eodem momento recipiunt digeſtionem & perfectionem æqualiter , ſcilicet : quia diffunditur & multiplicatur per prima Elixir , & perficit & complet ea in eodem momento , vel tempore æqualiter.

6. Item quidquid eſt in medio motus, ad aliquam ſuſcipiendam , poteſt duci ad terminum motus , niſi impediatur: ſed metalla imperfecta ſunt hujuſmodi, aurum autem in termino motus: ergo, &c. Major eſt nota, quia exiſtens in principio motus eſt in potentia ad terminum motus , multò magis quando eſt in medio motus , cum medium magis propinquum ſit extremis , quam extremum extremo: unde Philoſophus 2. & 8. Meta. dicit , quod aliquid fit ex aliquo dupliciter : aut tanquam ex medio & imperfecto fit extremum ut ex aqua aër. Minor probatur infra in determinatione , ubi oſtendimus, argentum vivum & ſulphur eſſe principia metallorum omnium , & exiſtere in principio motus: aurum autem in termino motus, & reliqua metalla in medio, imò juxta finem motus.

7. Item omne quod eſt in potentia ordinaria ad aliquam formam, ſicut ad finem, poteſt duci ad finem illum: ſed metalla imperfecta ſic ſunt in comparationem ad aurum: ergo, &c. Major eſt nota, quia ad hoc, ut aliqua res recipiat formam , oportet quod ſit in potentia ordinaria ad eam: natura enim ducit res de potentia ad actum ſecundum ordinem: ſic & ars, Minor

nor probabitur in determinatione.

8. Item in iis quæ habent symbolum & convenientiam in materia facilis ad invicem permutatio & transitus: sed metalla sunt hujusmodi: ergo, &c. Sed congruentius est, ut imperfecti permutatio fiat ad perfectum, quàm è converso: ergo, &c. Major patet per Philosophum secundo de generatione & corruptione, ubi dicit, quod elementa, quæ tantum in una qualitate contrariantur, & in alia conveniunt, facilius propter symbolum possunt converti, quàm quæ in ambobus contrariantur scilicet in passiva: Quia ignis est siccus, & aër humidus. Ignis autem & aqua non sic ad invicem facilè transmutantur: quia in ambabus qualitatibus contrariantur, scilicet activa & passiva: quia aqua frigida est & humida, & ignis calidus & siccus. Unde dicit ibidem, quod facilius est unum quam multa transmutare. Et causa transmutationis ipsorum ad invicem est, quia valde modicum distant à materia prima, ex qua generata sunt, cum materia prima recipit divisionem & partitionem in ipsa quatuor Elementa. Unde propinquitas ultima in materia prima, est maxima causa, ut una res facile in alia transmutetur. Minor satis patet: quia metalla omnia sunt ex eadem materia prima propinqua, quæ est sulphur & argentum vivum: & propterea sola in conflatione ad invicem commiscentur. Unde qualis est proportio & symbolum elementorum ad invicem, propter materiam primam, in qua constant in transmutatione, talis etiam est metallorum: propter quod dixit Hermes Trismegistus; quod generatio & transmutatio, & conversio metallorum ad invicem, est sicut elementorum. Similiter locorum propinquitas, in quibus sunt, multum confert: utrum tamen hæc similitudo sic differt: quia elementum unum non est ad aliud ordinatum, sicut imperfectum & perfectum: quia unumquodque per se in sua specie est in ultima perfectione, ideo non transmutatur unum in aliud ut perficiatur, sed ut perpetuetur in mundo generatio & corruptio continua & reciproca: & similiter mixtorum, sed secus est in metallis: quia solum unum inter cætera metalla perfectum & completum est, scilicet aurum, ad quod omnia alia ordinantur, tanquam ad finem. Si igitur elementa sic ad invicem transmutantur, propter convenientiam ac qualitatem: & quia parum distant à materia prima, ex qua sunt, nec est unum ad aliud ordinatum, sicut imperfectum ad perfectum, quanto magis erit hic in metallis, in quibus est quasi totalis convenientia? Sic enim conveniunt in materia, quod eorum materia est eadem penitus, & eodem modo digesta, sive sic maneant sive versus aurum alterentur: quod sic non est in elementis, & perpenditur hoc visu: quia in conflatione, & ante & post conflationem, videntur similia in sua materia prima, & proxima prædicta: ergo valde conformia & habilia, ad ultimam formam. Similiter nullum mixtorum est, quod servet naturam propriam materiæ suæ primæ & propinquæ, ad accidentia & proprietates, ab exordio ejus usque ad informationem qualemcunque nisi metalla sola: quod patet in liquefactione. In elementis autem non sic. Magna enim differentia ipsorum ad invicem apparet in visu, & auditu, & tactu, & gustu, & odoratu, neque ante ipsorum commixtionem ad invicem, nec in mixtione, nec post neque ante transmutationem ipsorum habent similitudinem illam quam metalla habent, nec illo modo miscentur ad invicem: ideo non debent habere tam bonam transmutationem ad invicem, sicut metalla, eorum enim transmutatio est, sicut de contrario in contrarium: quia dominatum transfertur in dominans: metallorum autem est sicut imperfecti versus perfectum. Quia igitur ars Alchemiæ habet symbolum & convenientiam in metallis, & vidit ea transmutari à natura in suis mineris versus aurum, & fieri aurum: ideo ars ingeniata est sequi naturam, modo mirabili extra mineras, ut ea transmutet in tale aurum, sicut facit natura sola. Sufficiant igitur nunc hæ rationes, affirmantes artem Alchemiæ esse omnino veram, quamvis nunquam audiverimus aliquam affirmativam, nec in Scripturis aliquorum viderimus: quia semper consuetudo fuit, facere rationes ad hanc artem destruendum, ad constructendum autem nemo consuevit propter difficultatem: & hanc difficultatem aperuimus nunc sufficienter & benè, & fortè determinationem, si contingat addemus alias.

CAPVT III.

In quo ponit determinationem generalem, quam declarat post: & ostendit causas & modos difficultatis istius quæstionis: & ostendit causam & modum processus, de tali solutione quæstionis istius.

IN hac admirabili, excellenti, & divina, & occultissima Arte, quæstio quæ de ipsa fit, scilicet, Utrum sit omnino apparens & existens, aut solum apparens & non existens, est valde difficilis, quamvis prima fronte ob dicta Philosophi, & alias intermixtas rationes, quampluribus facilis videatur, non enim facilis est apud nos: cum tamen, quia pro & contra disputavimus, exquisitus conveniens videtur, ut ipsam etiam exquisitè elucidemus, & enucleemus, & veritatem determinemus. Non modicum autem admirandum occurrit, quod nulla ars, nec scientia probat suum subjectum esse, nec probare potest, sed ipsum præsupponit: quia est, & quod significat, ut dicitur primo Posteriotum, & similiter undecimo Metaphysicorum, ostendens, quod ea quæ nota sunt, non debent probari, sed præsupponi. Dicit, quod ridiculum est probare, naturam esse. Ideo dicimus & in artibus, quasi autem sola ista eget hoc, & est subjectum ejus, hoc scilicet, transmutatio metallorum omnium, in verum aurum & argentum per ingenium artis. Considerat enim metalla & sibi similia etiam non solum, in se, & in relatione ad sua principia, & suas causas, & proprias passiones, & transmutationes eorum à natura in suis mineris, in verum aurum & argentum, ut liber de Mineralibus: sed etiam prout transmutantur à natura, similiter extra mineras, per artis ingenium & ministrationem. Unde ars hæc quærit, propter difficultatem inquisitionis ejus, & quid est, sive quid significat: & hoc habito, utrum sit verum vel non: quia talis erit ipsa similiter. Ideo bene dicitur secundo Posteriorum, scilicet, quando medium est sensibile, & non sentimus, quærimus. Nam impossibile est scire, quid est, ignorantes si est, ut ibidem dicitur. Et quia definitio est forma definiti, ut dicitur septimo Metaphysicæ: Ideo hujus gratia expositoriè nos Alchemiam sic definimus: * *Alchimia est scientia, qua metallorum principia,*

* Alchemia est scientia, &c. *Ad expositionem & notitiam hujus definitionis est notandum, quòd per hoc, quod dicitur scientia, datur intelligi genus suum, cui subjicitur, quia sicut medicina est scientia, sic & ista. Per hoc autem quod dicitur metallorum, datur intelligi, quod non de omnibus mineralibus tractat, sed solum de me-*

principia, causæ, proprietates & passiones omnium radicitus cognoscuntur, ut quæ imperfecta, incompleta, mixta & corrupta sunt, in verum aurum transmutentur. Ex qua subtiliter colligi potest, quod proportionatur & subalternatur hæc scientia libro de Mineralibus naturalis Philosophiæ: sicut scientia Medicinæ, de Sanitate & ægritudine, naturalis Philosophiæ. Nam sicut medicina contrahit genus subjectum commune illius ad corpus humanum tantum, tam Theoricè quam Practicè, sic & hæc contrahit genus subjectum commune istius ad metalla tantùm, tam theoricè quam practicè. Ideo hæc scientia est operativa, sicut & medicina, & forma naturalis in subjecto naturali, introducta à natura per ministrationem artis, ut in illa: & agens naturale, scil. ignis, modo debito approximatus, quamvis agens artificiale & voluntas aliud regat, modificet, & coaptet in suis propriis organis cum sedulitate, usque ad tempus prorsus stabilitum & præfinitum. Veruntamen medicina duas partes habet practicæ scil. sanitatis conservativæ, & curationis ægritudinis, hæc autem non habet nisi curativam, id est completivam, & differt valde hæc curativa ab illa; quia illa manente eadem forma substantiali, sanitatem inducit, ità quod utitur loco motu alterationis: hæc autem transmutat, & curat & sanat, & formam novam substantialem inducit: & non eguit hac parte conservativa, ut illa: quia metalla non sunt sic disposita, ut viventia, nec sic formata in forma una. Amplius difficultates hujus quæstionis in duobus comprehenduntur generibus, primo speculationis scilicet propter sapientes diversa rationis intuita opinantes & maximè, quia hæc quæstio ab antiquo semper habuit rationes. Ad destruendum quamplures, ad construendum autem nullus ferè dedit juvamen: nisi fortè authoritatibus & exemplis. Vidimus ergo magnos Philosophos & sapientes, contraria de hoc adinvicem opinari: & cum discordant sapientes, necessario magna arguitur difficultas in illius rei cognitione, sicut elicitur ex verbis Philosophi, primo de Anima: & sicut dicit Galenus, in commento 1. Aphorismorum. Secundò practicæ: hæc quæstio manet difficilis scilicet in experientia & in operatione, nam cujuscunque artis veritas & experientia ad oculum debet videri. Unde Philosophus tertio Cœli & mundi dicit: Quod complementum artis, & complementum naturæ, est per rem sensibilem cadentem sub visum, & sic per sensum visus judicamus in operibus artis & naturæ. Quia igitur pura veritas non videtur in operibus hujus artis, sed sophistica solum sunt, quæ quotidie videntur & phantastica: ideo arguunt ab effectu, eam non esse veram. Et quia vident alterationes magnas & fortes versum aurum & argentum, non completas, arguunt ex hoc alij, eas posse compleri, & per consequens artem veram esse posse: si enim nulla alteratio in eis fieri videretur, tunc nulla esset quæstio. Compellitur tamen necessariò utraque pars confiteri, alterationes prædictas fieri posse? Unde quasi dicere possumus quod dicit Philosophus 1. Physicorũ, quod omnes antiqui absq; ratione principia naturæ contraria, tanquam ab ipsa veritate cõacti, posuerunt, quãvis ignorarẽt principia ipsa. & quibus contrarietas inesset, sic eodẽ modo cogũtur ambę partes ponere has alterationes in metallis fieri posse: quam-

tallis primò & per se. Per hoc autem quod dicitur, principia, causæ, proprietates, & passiones, &c. dantur intelligi differentiæ metallorum, quæ additæ huic quod est metallum, datur integra cognitio cujusque metallorum. Dixit ergo quatuor, scilicet principia, causæ, proprietates & passiones. Per principia enim intelligit causam efficientem & finalem, quæ sunt causæ extrinsecæ, nam efficienti propriè debetur ratio principii: quia movet rem in esse, similiter fini debetur ratio principij, quia est causa causarum, & imponit necessitatem iis quæ sunt ad finem, ut dicitur 2. Phys. Per causas autem intelligit materiam & formam: quia sunt causæ intrinsecæ, & de substantia rei, & sunt elementa rei. Per proprietates autem intelligit proprias operationes metallorum in agendo, sicut in auro confortare cor. Per passiones autem, intelligit proprias operationes in patiendo, sicut in auro, pati ignem absque aliqua sui lasione, mutatione, & diminutione: & sicut in ferro non liquefieri ad ignem. Et sciendum, quod quia propriæ differentiæ rerum sunt nobis ignotæ, loco differentiarum nos assignamus in definitionibus proprietates & passiones, & sic facimus descriptiones, non definitiones. Per hoc autem quod dicit, ut quæ imperfecta, incompleta, &c. datur intelligi tota finalis intentio istius scientiæ, per quod scitur quis est finis. & quæ materia hujus scientiæ. Ad cujus expositionem notandum est, quod nullum agens naturale desistit ab actione in materia sua, nec separatur nisi cum introductione formæ in illa materia: Ergo donec agens est conjunctum materiæ, vel agit in materiam, res est imperfecta, quoniam perfectio rei non est, nisi per introductionem formæ. Cum igitur in metallis omnibus, argen. viv. subjiciatur loco materiæ: sulphur vero loco agentis, & introducentis formam in illa materia, ergo nullum metallum est completum & perfectum, nisi à quo separatum est sulphur. Et quia solum aurum est expoliatum omnino ab ipso, ideo solum aurum est perfectum & formatum, secundum primam & veram intentionem naturæ. Et quia alia metalla omnia habent admixtionem sulphuris in materia: ergo ipsa non sunt formata, ergo nec completa. Dicuntur ergo omnia alia metalla ab auro imperfecta: quia nondum adepta sunt formam qua perficiuntur & dicuntur incompleta: quia nondum pervenerunt ad finem, in quo complentur. Et dicuntur mixta: quia agens adhuc est immixtum materiæ, & non separatum. Et dicuntur corrupta, quia hoc agens, id est sulphur, est una ex magnis causis corruptionis metallorum: quia per ipsum interficiuntur, denigrantur, evaporant & comburuntur. Et ob solum aurum ab istis passionibus est immune, tam in igne quam extra ignem. Quicunque ergo nititur transformare metalla reliqua in aurum, oportet necessario, quod hoc faciat cum ipsorum expoliatione ab illo sulphure, & non aliter, si vult verè sequi naturam, tunc enim fiunt aurum penitus, & tunc sunt perfecta completa simplicia & non corrupta. Et fit hoc in instanti per solum lapidem Philosophorum, qui generatur per ingenium artis valde extraneum & perfundum (dixit transmutentur) quia non sufficit alteratio sola, sed oportet ut alterationem sequatur transmutatio ut generetur forma auri: Consueverunt autem Alchemistæ aliter definire, unde Morienus & Lilium: Alchemia est ars ministralis, septem Metallorum essentiam continens, qualiterque forma eorum à diminutione ad complementum naturale deducantur, ostendens. Item Lilium, Alchemia est substantia corporea, ex uno & per unum composita, pretiosiora ad invicem per operationem, cognitionem & effectum conjungens, & eadem naturali commixtione ingenij melioris, naturaliter convertens. Et sicut hoc nomen medicina est æquivocum, ad scientiam medicinæ, & ad instrumentum suum, & sic dupliciter definitur: Sic & hoc nomen Alchemia. Prima istarum definitionum & nostra est ejus, prout est scientia: secunda autem prout est instrumentum, scilicet ipsum Elixir, sive lapis Philosophorum, complens & perficiens.

quamvis tranſmutationem alterationes ſequentem ultimas, ignorent ferè omnes Non enim diceretur ars, ſi ſophiſtica eſſet tantum: quoniam ars imitatur naturam: & ſicut natura non eſt ſophiſtica in operibus ſuis, ſic nec ars. Cum igitur Alchemia ponatur in numero artium, non videbitur ſophiſtica. Et cum artifex ipſius non reperiatur aliquis: ergo nec ars erit, cum ſint ſicut relativa. Ideo diverſi diverſa ſentiunt. Non tamen eſt ſtandum utrique judicio aliquorum contraria judicantium: quia oporter alterum judicium eſſe corruptum, ſcilicet ex parte ſenſus vel intellectus: & illius judicio non eſt acquieſcendum, ut dicit philoſophus 11. Metaphyſicæ. Si igitur quæſtio iſtius artis eſt ita difficilis, quid dicemus de ipſius inventione & inveſtigatione reperienda? Poſito quod ſit vera: dico ergo, quod ars Alchemiæ eſt omnino apparens & exiſtens, & naturam imitans, faciens penitus idem aurum & argentum, ſicut eſt minerale, quod enim à minerali deficit in aliquo, non eſt idem cum eo, & hoc in capitulis ſequentibus oſtendemus apertè, ſecundum quod eſt poſſibile apud volentes intelligere, & rationes omnes, tam Ariſtotelis quàm aliorum, evidentiſſimè deſtruemus: & oſtendemus eas veritatem aliquam non continere, ſed apparentiam ſolam, quamvis difficilem. Unde dicitur 7. Ethicorum: Si enim ſolvantur difficilia, & aſſumantur probabilia, oſtenſum utique erit ſufficienter & in eodem, non ſolum oportet verum dicere, ſed & cauſam falſi, hoc enim confert ad finem: Ergo in ipſius operatione eſt inſudandum, ſed ſolum ab habente ingenium callidum, ſublime & perſpicuum, & valde profundum. Et quia contra negantes ſua principia, non poteſt quis diſputare, ut patet ex 1. Phyſicorum: contra autem confitentes principia, & propter ignorantiam concludentes falſa, diſputari poteſt, ut patet ibidem. Et ſicut de bonis principiis otiuntur mala, ſic ex veris principiis concluduntur falſa. Ideo contra confitentes principia, & concludentes ex eis falſa, dirigimus noſtram diſputationem, & quæſtionis ſolutionem. Veruntamen ad iſtius quæſtionis veritatis cognitionem, primò ſequemur autoritatem, & verba antiquorum philoſophorum, in hac arte famoſorum, ut introitus fiat apertus, iis qui hoc ignorant, etiam reliquis, oſtendo ſemper quomodo intelligimus eos & dubia plurima movendo, quæ cum hac quæſtione inſurgunt: & rectè ſolvendo, & rationes noſtras aſſignando ſemper ad quodcunque quod dicimus, credere nos inducunt: Secundario autem, ſcil. in ſolutione ultimæ rationis philoſophi, roborabimus omnia dicta prius rationibus naturalibus, tunc veridicis penitus inhærentes. Amplius, ut verum fatear, dico, quòd quicunque veritatem alicujus artis vel ſcientiæ, aut alicujus difficultatis in illa radicitus videre intendit, debet cognoſcere terminos in illa arte, & differentias proprias & quid dicatur per nomen. Si enim hoc ignoraverit, radicem & veritatem, quam quærit aut diſputare intendit, nullo modo perpendit, ſed arguet ex extraneis & ignotis, & paralogizabit ſeipſum, & in hac ignorantia ſtabit, & quieſcet. Sed impoſſibile eſt ex ignotis pervenire ad nota. Ideo vidimus quamplurimos ſapientes hujus artis terminos ignorantes, hanc quæſtionem inveſtigare volentes, arguentes ex extraneis, hanc artem non eſſe veram, & ſic in fine concludunt, & determinant, & ignorant. Unde philoſophus in principio 11 de Animalibus, hanc inſinuans ſententiam, dicit ſic: Ex operatione auditorum, docti eſt judicare ſuper ſermones dicentis, & locutiones loquentis, utrum inveniatur in ſermone ſuo veritas, aut erretur, & fortè eſt doctrina docti in cognitione naturarum, alicujus rei ſcientia ſingularis, & alter eſt doctus & ſapiens naturarum alterius rei propriè: & omnis ſcientia habet differentias notas, & quælibet partium ſcientiarum etiam. Et in 1. Poſteriorum dicit, quòd non contingit unumquemque interrogare de unoquoque interrogato, neque reſpondere. Et ibidem, in qualibet ſcientia ſunt propriæ interrogationes & reſponſiones, & deceptiones Et ibidem dicit, quòd non Geometra non poteſt diſputare in Geometria. Unde primo Topicorum dicit, quod non ex extraneis, ſed ex propriis doctrinis ſermocinabimur. Ex quibus verbis patet, quòd qui ignorat proprios terminos hujus artis, & differentias, ignorat ipſius diſputationem & veritatem, & nihil arguit. Unde philoſophus 1. Poſteriorum, & decimo ſexto de Animalibus dicit; quòd ſermo Geometricus eſt ex principiis & terminis geometricis: ideo bene dicetur primo Elementorum, ſcilicet imperiti, velut longè diſtantes, ſpeculantur. Cogitur ergo neceſſariò, hanc quæſtionem diſputare, radicitus ad intellectum intendens, ut terminos hujus artis immiſceat quæſtioni: quibus ignotis ignoratur diſputatio ejus & veritas. procedit tanquam cœcus ad colores, & ſicut carens potentia ad objectum potentiæ. Unde dicitur ſecundo Poſteriorum: Impoſſibile eſt ſcire differentias ad unumquemque, non cognoſcentem unumquodq; . Hoc autem in unaquaque arte & ſcientia numerando & ſingulariter inducendo, eſt notum ad intellectum & ſenſum planum. Et quia termini hujus artis, apud plurimos valde extranei ſunt & ignoti: ideo hæc quæſtio neceſſariò multam requirit dilationem ſermonis. Quia igitur aliter ex ejus terminis novimus, plures libros magnorum philoſophorum antiquorum vidimus, & ſtuduimus, determinabimus ipſam ut promiſimus.

CAPUT IV.

In quo oſtendit omnes modos & cauſas difficultatis iſtius.

DIcimus ergo, quod non eſt mirandum apud aliquem ſapientum qui terminos in libris philoſophorum hujus artis novit, ſi non appareat aliquis hanc artem actu habens, ſed potius mirandum, quomodo quis poſſit pervenire ad ipſam: hujus enim artis inquiſitio, & veritas, & experientia, aliarum rerum omnium inquiſitione fortior, difficilior, & occultior, & longioris temporis eſſe videtur. Quia non ſolùm hæc operatio per viam naturæ procedit, imò veriſſimè aſſerendo, ars ipſa & ejus inquiſitio, & regimen operationis cum complemento ſupra naturam exiſtit per modum miraculi: quoniam divinis operibus ſupra naturam exiſtentibus, hujus artis finem, ſimilatur omnino, ſicut dixit Hermes. Unde Barſeus in libro qui dicitur Turba philoſophorum, artis iſtius difficultatem inſinuans, ſic ait: Quod enim quæritis, non eſt parvi pretii, heu vobis, vos quæritis theſaurum Dei maximum & remunerationem, nonne ſcitis, quod pro minimo hujus mundi propoſito, mundani ſe invicem necidant? Quid igitur agerent pro hac excellentiſſima oblatione, ferè impoſſibili? regimen enim ejus majus eſt, quam quòd ratione percipiatur, ubi inſpiratione divina, &c. Et Roſinus, Nullo modo poſſunt ſtudentes ea, quæ philoſophi ambigua poſuerunt, à vero ſequeſtrare, niſi Deo inſpirante, vel aliquo docente. Et Rhaſis in Lumine Luminum: Ex

hoc ergo in quantum divina voluerit revelare clementia perpendes. Et Hermes: Nullo modo ratio & intellectus aliud percipiunt, quam rubiginis sublimationem. Et Senior: Nihil occultaverunt præter præparationem, quia est difficilior rerum: unde si invenerunt rem, non habuerunt præparationem, & res non perficitur nisi cum præparatione. Et Mundus in Turba Philosophorum: Regendi namque ignorantia nonnulli erraverunt. Et Rasis primo 70. præceptorum: Dico quòd nomen Lapidis non est possibile ut dicatur: non enim possumus eum dicere. Et idem in Epist. quadam: Hic Lapis occultatus est, tam ab hominibus quam à Dæmonibus. Et Eutheſia: Qui tum nostrum fuerit, libros nostros potentissimè legit: qui verò nostrum non fuerit, nihil eorum intelligit. Et Morienus: Quicunque igitur hanc artem sectatur, cæteras & præcipuè Dialecticam scire convenit, quoniam Philosophi hujus Artis non nisi sub involucro & figura locuti sunt. Et Theophilus in Turba Philosophorum: Nemo novit quod Philosophi in suis libris narraverunt absque lectionum & tentationum frequentatione, ac sapientum inquisitione. Quod enim posuerunt, sublimius & obscurius est quod sciri potest. Et Parmenides in eodem: O illæ Naturæ cœlestes, veritatis Naturas nutu Dei multiplicantes: O illa Natura fortis, quæ vicit & superavit, suasque gaudere fecit Naturas. Hoc igitur est cui specialiter posse Deus tribuit, quod ignis non potest: Ideoque magnificavimus & honoravimus eam, quia nihil pretiosius invenitur in Natura, cui simile vel par minime invenitur, ipsa est veritas, &c. Et Barseus iterum in eodem: Qui curvat dorsum suum in libris nostris legendis, eisque vacat, & non est vanis implicitus cogitationibus, Deumque precatur, in regno regnabit indeficienter, priusquam moriatur. Et Rosinus: Qui autem in hanc Artem ingrediuntur, intellectu carentes, & notitia eorum quæ Philosophi in suis libris descripserunt, multipliciter errant, &c. Ejus ergo modus essendi, tractandi, & intelligendi, & studendi, & regendi arguit in hac Arte ultimatam difficultatem & obscuritatem.

Similiter ex diversitate eorum qui circa ipsam hodie operantur, arguitur difficultas: quoniam variis & diversis modis, & circa res diversas & extraneas eos quotidie operari vidimus: & utroque modo attribuitur error arti, unde Galenus in commento Regiminis acutorum juxta principium ait: Ex diversitate, quæ est inter illos, qui exercent aliquam artium, quæcunque fuerit, dubitat homo necessariò, ita quod facit eum hæsitare quod non est de ipsa scientia, sed error, convenientia autem eorum in ea est significatio magna super scientiam illam. Similiter ratione insuetudinis arguitur difficultas: quia rarissimè reperitur aliquis actualiter, per experientiam ipsam habens, unde Philosophus 6. Topico. Omne quod insuetum est, obscurum est.

Similiter ratione verborum suorum, quibus unusquisque contradicere sibi ipsi videtur & aliis, ut non perpendat quilibet legens quod dicunt, fortis arguitur difficultas. Unde Rasis in Lumine luminum. In Alchemicorum libro, perfectum insinuavi fermentum, annotatione planum, in inquirendo facile, quòd non esset fermentum in eodem asserui: sed qui discretione viget & sapientia floret, si nostri sermonis interiora perscrutari voluerit, tàm ipsius locum, quam exordium se invenisse gaudebit. Idem in eodem: Cujus negotii si qua restat expositio, sacerdotum liber tibi pulsanti monstrabit, si quid enim in eodem minus dictum est, hoc in loco dilucide aperitur, &c. Item etiam in eodem: Quod si aliqui in libro duodecimo Aquarum transverse accepti, tu dum operatus fueris ab ordine non declines, &c. Similiter ratione pretij arguitur difficultas in Arte: quia quandoque dicunt, hunc lapidem nullius pretij, aut vilissimi, ut Geber, Morienus & Haly, & quod in via projectum invenitur, & in stercore. Et quandoque dicunt, quod absque multis sumptibus non potest homo pervenire ad artis complementum, & quod Natura preciosissima est & charissima: Unde dicit Zeno in Turba Philosophorum: Lapis quem quæritis, palam vilissimo venditur pretio. Et Barseus in eodem, Quod enim quæritis, non est parvi pretij. Et Zeno iterum in eodem: Philosophi etiam fecerunt in hac Arte vulgus errare, cum dixerunt quod Natura vilis est, quæ pauca re venundatur. Et dixerunt, Naturam omnibus Naturis esse pretiosiorem: quare insipientem in suis libris fefellerunt. Scitote ergo quod Ars duabus eget Naturis: Non enim fit pretiosum absque vili, nec vile absque pretioso, &c. Et Daucus, Cave ne in hoc Magisterio quicquam expendas, & maxime in auri magisterio.

Similiter ratione transumptionis ejus & æquivocationis & allegoriæ, & metaphoræ, maxima accidit difficultas. Ipsa enim si tota tradita est, ut expresse patet in libris Philosophorum. Et quod in talibus traditionibus sit difficultas, ostendit Philosophus sexto Topicorum, qui dicit: Contingit enim in nominibus secundum translationem dictis calumniari. Et in octavo ejusdem dicit: Quod propositio difficile probabilis est, quia utitur nominibus obscuris, simpliciter, sive multipliciter dicantur: aut quia non facit notum, si principaliter vel secundum translationem de definito dicantur: vel quia proxima est principijs, ideo eget definitione: Imo quod difficilius & obscurius est, ipsa tradita est secundum nomina inusitata. Et hæc traditio adhuc est pejor translatione, ut patet in sexto. Unde dicitur ibidem: Quædam sunt quæ non dicuntur secundum translationem, nec secundum æquivocationem. Et sunt pejora translatione, ut Lex est mensura, vel imago eorum, quæ naturaliter justa sunt. Et ideo sunt pejora translatione: quia translatio facit notum per similitudinem ejus quod dicitur: nomina autem inusitata non. Et quia ipsa utroque modo tradita est, ideo difficilis est ipsius inquisitio, & per consequens operatio, imo ipsi etiam volentes exponere, exponunt ignotum per aliud ignotum, aut per ignotius, qui modus exponendi & intelligendi est pessimus, ut ibi patet. Unde Philosophus in eodem dicit: Definitio debet esse causa innotescendi. Qui ergo definit, vestem nigram esse coloratam, non male definit. Et in quinto dicit, Omne quod est extra morem, indiget determinatione semper. Non est ergo mirandum, si in hac scientia studentes & operantes, errent valde: quia non possunt determinate asserere, certam & determinatam intentionem fuisse Philosophorum hanc vel illam nisi cum actu habent hanc Artem, vel sunt juxta. Ideo verba eorum sunt aspera & mordacia. Unde Philosophus secundo Elenchorum dicit: Est autem acris oratio, quæ dubitare maxime facit, mordet autem, & maxime. Talis autem est oratio Philosophorum Alchemistarum. Est tamen etiam sciendum, quod cum ab aliquo Philosophorum hæc scientia scribitur in terminis suis proprijs, ipsa est valde difficilis ad investigandum & operandum directè: & cum multiplici fallacia præcedente, ita ut pauciſſimi valde sapientes possunt attingere finem ejus. Et hoc solus Geber fecit in Summa sua, inter omnes Philosophos quos vidimus. Cum igitur ipsa apud alios omnes scri-

ſcribatur in terminis alienis, & ænigmatibus, & figuris extraneis, & impoſſibilibus, quid dicemus de inquiſitione finis, inveſtigatione & operatione, & adeptione finis ipſius, ex talibus traditionibus? Videtur ergo mihi ejus adeptio quaſi impoſſibilis, niſi aut per vocem viventem, aut per inſpirationem divinam, quamvis interpretationem plurimarum figurarum quis bene & vere cognoſcat.

Similiter ratione modi tradendi hanc artem plurima accidit difficultas: quia omnis ars & ſcientia procedit theoricè, præter iſtam ſcientiam: quia docet ordinare per capitula principia ſua & terminos, cum definitione & expoſitione nominum, & inſtrumenta quibus pervenitur in cognitionem & notitiam concluſionum ipſius, & ſui operis in quibus eſt finis, & nititur omnia omnibus modis docere & explanare quibus libet juxta poſſe: Sola autem iſta facit contrarium: quia abſque notitia principiorum ſuorum, & terminorum, & inſtrumentorum aggreditur tradere eſſe ſuum & opus ſuum, intermiſcendo modo hæc, modo illa, & diminutè tradendo, & ſuperabundanter, & ſine ordine, & præpoſtero ordine. quia incipiendo à fine ſuo abſque expoſitione finis, & nititur omnia obſcurè tradere, & occultare in quantum poteſt. Unde Anaxagoras in Tuba Philoſophorum dicit. Scitote quòd invidi in hoc opere, perfectionem prius quàm initium narraverunt. Et Roſinus: Scito quod Philoſophi non poſuerunt in ſuorum operum initio, medietate, vel fine, niſi arcanum occultis, unde nunquam celare deſtiterunt, &c.

Similiter ratione vaſis decoctionis, videtur nobis non modica difficultas. Quia quamvis doceant plura vaſa facere & diverſa, propter diverſas operationes quas docent, tamen unum ſolum vas eſt in quo omnes operationes fiunt in una decoctione: quod quidem vas eſt unum tantum, tàm ex parte materiæ, quàm figuræ, & quàm numeri, ſicut patet in vaſis generationis animalium perfectorum. Ideo dicit Lilium: Scias quòd non niſi unicum vas huic noſtræ operationi attribuunt. Similiter omnes hoc idem ſentiunt. Omne tamen vas cum operculo ſuo, aut cum operculis ſuis, dicitur ſolum unum vas ex ſuis partibus conſtitutum. Difficile tamen valde eſt imaginari hanc figuram vaſis & compoſitionem: cum tamen quis veritati appropinquat, iſtius artis modus operandi aperit ſibi hanc unitatem vaſis invariabilem, ante autem quàm appropinquet veritati, eſt impoſſibile.

Similiter ratione prognoſticationis ſuper determinatum tempus & diem & horam Criſis, nativitatis, & generationis hujus lapidis, ars iſta difficilimè comprobatur: quoniam non eſt niſi unum tempus determinatum ortus ipſius, in cujus ortu obſervatur tota natura, & elementorum ſimplicium depuratorum conjunctio, & radix totius operis, & pondera ſapientum: quibus ignoratis, & totum magiſterium ignoratur. Unde Tebith loquens ad Hamec interrogativè, ſicut diſcipulus in proœmio ſcoliæ Platonis dicit: Scientia namque ſuæ Philoſophiæ eſt infinita, opus eſt infinitum, & opus terminatum termino, & tempore terminato. Et Haly in ſuo libro Secretorum: Qui hunc lapidem honoratum cum germinaverit non inveniet, non ſurget alius loco ſuo: & qui neſciverit & non fecerit, & non certificabitur, quando naſcetur, jam paravit ſe morti, & pecuniam ſuam perditioni, &c. Et Raſis in libr. 70. Præceptorum lib. 1. ſcilicet divinitatis. Animalia habent ordinem, quorum quædam addunt ſuper alia: Lapis verò Philoſophorum ſemper eſt ſecundum unum terminum, quem nunquam tranſcendit, & ſecundum unam unam habitudinem. Item idem in lumine luminum: Amplius omnia ſub definito tempore & diſpoſitione certa conſiſtunt, &c. Item idem in lib. 70. Præceptorum lib. Ludorum: Qui ſciverit convertere aurum in argentum, ſciet etiam convertere argentum in aurum. Ad hoc autem ſunt pondera & termini, quæ præparator ſtudeat ſcire. Cum enim ſciverit pondera, ſciet totum magiſterium, & qui ignoraverit pondera, non laboret in ijs noſtris libris. Philoſophi enim nihil ſuarum rerum poſuerunt, niſi ſecundum hoc, nec aliud occultaverunt niſi hoc, &c. Et ideo philoſophus 4. Phyſicorum, & in ſecundo Cœli & mundi, vult, quod determinatum tempus ſit cuilibet actioni naturali, in quo minori vel majori compleri non poteſt illa actio. Et Galenus in 2. de diebus Criticis dicit. Quòd motus & opera naturæ adhærent ſemper viæ uni, hunc autem terminum temporis Philoſophi ſcientes, concorditer in eorum verbis variaverunt ad errorem idiotarum. Unde quidam ponunt hunc terminum uno anno, ut Roſinus & Plato, qui dixit in Scolis: Et ſcias quòd pauciores dies præparationis, eſt circuitus & revolutio luminarium majorum: Raſis autem ponit in novem menſibus. in lib. Trium verborum: Alii in diebus ſeptem: Alij in 40. Alij in 80. Quidam alijs modis infinitis, cum tamen in rei veritate non ſit niſi unus terminus: propterea, quia ſola una eſt decoctio à principio usque ad finem, ſicut patet de generatione infantis & pulli. Sub tempore autem concluditur ſecretum ignis, quod eſt maximum in arte. Ad hanc autem diem Criſis & partus & ortus lapidis qui eſt terminus totius conſummationis operis cognoſcendam, oportet diem præcognoſcere indicantem, cum ipſa ſit ſicut ſignum, & indicata ſicut ſignatum, & habeant ad invicem quandam naturalem colligantiam, determinatam & ordinatam. Sicut patet in febribus putridis, in quibus oportet medicum ſcire dies indicationis, & dies Criticos indicatos ab illis, ut rectè regat infirmum. Et ſicut in generatione fœtus: quia quando ſcimus tempus motus ejus, ſcimus & tempus partus ejus, & non aliter. Sed hic multo fortius, prædictis enim non permiſcetur voluntas, niſi valde per accidens. Huic autem voluntas neceſſariò permiſcetur, cum totius operis complementum ſit à voluntate, regente naturam, quæ ſi tunc non affuerit, annihilatur opus. Hos autem dies judicationis, & præſertim Criticos nunquam narrare præſumpſerunt per ſe, & putè. Imò ſemper myſticè, tanquam ab indignis celare cupientes. Ibi enim eſt operis perfectio, & ipſius annihilatio; quoniam in ipſa die, imo hora, oriuntur elementa ſimplicia, depurata ab omnibus inquinamentis, quæ egent ſtatim compoſitione, antequam volent ab igne, & convertantur in terram, id eſt fixionem, & non prius nec poſterius. Cognitio autem hujus compoſitionis reddit totàm artis operationem vigilem & difficillimam, cum ipſa ſit divina, & incredibilis, & quaſi impoſſibilis credatur & judicetur.

Similiter ratione materiæ ex qua fit hic lapis, ars videtur difficilis. Ipſi enim loquentes metaphoricè ut duræ cervicis ſeducant ignaros, nominant quaslibet res de mundo, docentes ex eis diverſis modis operationum, poſſe fieri lapidem philoſophorum, ita quod quidam in arſenico, quidam in ſulphure, quidam in argento vivo, quidam in ſanguine, quidam in ſpermate, quidam in urina, quidam in ovo, quidam in capillis, quidam in ſtercore, quidam in fermento, & ſic in rebus aliis infinitis intentionem & opus ſuum applicant. & adhuc in eadem re diverſi ſunt ad invicem, & diverſimode operantur, & ſimpliciter

pliciter & commixte. Sed tamen in rei veritate materia, ex qua fit hic lapis, est tantum unica, nec potest in aliqua alia re de mundo, hic propinqua potentia inveniri, & est illud, quod magis simile est auro. Est autem illud ex quo generatum est, & est argentum vivum solum purum, sine alicujus alterius rei commixtione, sicut infrà probabimus in suis locis expresse. Quia igitur materia hujus lapidis est unica tantum, sed in arte & magisterio Alchemiæ est infinitis nominibus varia, & modus operandi est solum unus, sed à Philosophis multipliciter variatus, ideo non est mirandum, si ars est difficilis, & operatores errent valde. Nam si plures res possent subjicere pro materia in arte ista, & essent planè traditæ sicut in arte medicinæ, ubi ad eandem ægritudinem plurimæ medicinæ pro materia subijciantur & sine allegoria traditæ, tunc ars hæc esset facilis, imò facillima. Et si in arte medicinæ esset tantummodo unica medicina ad sanandas omnes ægritudines, non ita facilè ab aliis reperiretur & maxime si similitudine esset tradita, ut est medicina sive materia Alchemiæ. Sed quia medicinæ plures & diversæ, & quasi infinitæ repertæ sunt, ideo non sic potuerunt occultari & abscondi, sed plano sermone omnes traditæ sunt. Et causa profectò hujus & illius est: quia materia Alchemiæ est solum illud, quod est materia naturæ: aliter enim ars non poterit imitari naturam, & ipsa est materia metallorum. Et eget hæc materia, cum fuerit perfecta mixtione cum eis per liquefactionem, ut unum fiant omnino, absque diversitate, sicut est substantia auri: sed materia scientiæ medicinæ non est sic, non enim fit unum cum corpore hominis, nec cum sanitate, nec cum ægritudine, imò existens in corpore separata agit in ipsum, & sanitatem per alterationem inducit. Quia igitur non nisi res unica reperitur, quæ sit origo & materia metallorum, & de eorum substantia, ut dixi-us, ideo una sola materia erit Alchemiæ. Et quia in arte medicinæ plurimæ & quasi infinitæ medicinæ reperiuntur, scilicet, quæ non sunt de substantia humani corporis, quæ agunt in ipsum per motum alterationis, absque transmutatione, ideo infinitæ poterunt reperiri medicinæ, sive materiæ, ad corpus humanum conservandum, in sanitate, aut curandum, tam in mineralibus quàm in animalibus & vegetabilibus. Et non solùm plures ad unam ægritudinem, sed etiam una ad plures ægritudines: quia de medicina non fit sanitas, quamvis sit causa sanitatis. Similiter cum forma substantialis cujuscunque rei extrahatur de potentia suæ materiæ propinqua, & non extranea tunc cum sit tantum materia una propinqua auri, ex qua ipsum facit natura: ergo & ars illa unicam materiam tantum recipiet necessariò, si veram formam auri generare debet: ex materia autem medicinæ non fit in homine generatio, sed alteratio, ideo quamplures sunt. Jam istius artis tot & tantas difficultates enumeravimus, quòd si plures sint, prosequendo patebunt.

Similiter ratione materiæ. Notandum est secundum Aristotelem primo Posteriorum, quando comparat demonstrationem universalem ad particulatem, quæ sit prior: quia quantò aliquid magis dividitur in partes, magis infinito appropinquat, & ideo minus scibile: Ergo quanto minus dividitur in partes, magis finito appropinquat, & ideo magis scibile. Cum ergo de essentia universalis sit, esse unum in multis, & de multis, ut in eodem dicitur: de essentia autem particularis sit esse multa, ergo quod universale est unum est & magis scibile, & è converso. Similiter qui cognovit unum, & utile; cognovit plura, & particulare, non autem è converso, ut ibi dicitur: quoniam unum & utile est in intellectu, pluralitates autem & particulare in sensu. Quamobrem cum ars Alchemiæ per omnem modum sit tantum una, absque pluralitate: ergo maximè est finita & utilis, & maximè scibilis de se: ergo cognita hac unitate & utilitate, cognoscetur omnis pluralitas certitudinaliter, quæ ponitur sibi subjecta, & non è converso. Quia ergo Sophistæ pluralitatem & diversitatem materiæ, scil. generis subjecti, huic supponunt arti recedentes ab unitate, & mixtiones varias ex eis, & operationes in infinitum extendunt & multiplicant, quod est contrà intentionem naturæ: ergo ab hac unitate & ab hoc utili maximè recedunt: ergo per consequens de hac arte minimè sciunt: unitas enim est pluralitatis & scientiæ ejus, non autem è converso: ergo Alchemista cognoscet omnes illorum pluralitates & non è converso. Adhuc similiter, quia dicit Aristoteles secundo Ethicorum: Peccare quidem multis modis dicitur: malum enim infiniti, bonum autem finiti: dirigere autem uno modo: ideoque hic quidem facilè, illud autem difficile, facile quidem non contingere signum, difficile autem contingere, &c. Per quod patet, quod illud quod est bonum, fit uno modo; malum autem fit, multis modis.

CAPUT V.

In quo ostendit, quòd Ars hæc sit tantùm unica; non solùm quo ad materiam, sed per omnem modum.

NArravimus sufficienter, probando cum ratione, quòd Ars Alchemiæ sit tantum unica ratione materiæ, nunc etiam dicimus, quòd per omnem modum similiter est unica, ita quòd omnia quæ sunt in hac arte necessaria, quocunque modo tradita sint, semper reducuntur ad unum, tanquam ad genus suum, non recipiens diversitatem: signum autem hujus unitatis prædictæ est, quòd omnes Philosophi hujus artis, quocunque modo extraneo & figurativè loquantur, mutuò se intelligunt, quasi una lingua, & loquela extranea ab omnibus alijs, & nota solis eis, quasi sibi invicem loquerentur, quod nullo modo esse posset, si ars hæc esset multiplex & varia, & diversa, sive ex parte materiæ, sive modi agendi & operationis Quomodo enim aliter se mutuò in omnibus, quæ dicunt, intelligere possent? Sicut enim Græci mutuò se intelligunt, & Arabes se, & Latini se propter unitatem loquelæ ad rem eandem, non autem Græci Arabas, nec è converso propter variationem ab unitate: sic & in proposito se habere videtur. Unde Rasis in Lumine luminum: Diversos diversi nominando protulere sententias, nusquam tamen oberrare videntur. Et dicit Senior: Sapientes non sunt diversi in intellectu, sed in nominibus & similitudinibus, & per omnia idem intelligunt, Et huic sententiæ concordat Galenus primo de Ingenio sanitatis, qui dicit: Non possumus de scientia alicujus rei tractare, nisi prius qualis sit ejus intentio, & ubi sit, cognoscamus: tamen intentionem intendo: in qua omnes unius concordiæ sint: nam nisi tales fuerint, non debet constitui fundamentum & initium, &c. Ideo pro principio veritatis hujus scientiæ, & fundamento, & initio firmamus, quòd omnes antiqui Philosophi hujus artis sunt & fuerunt in unâ & eadem intentione, & natura concordes: nunc autem speciebus auctorizamus.

Dicit Lilium: Una via, una re, una dispositione, uno actu totum magisterium terminatur. Et Alphidius: Non indiges nisi una re, scilicet aqua, & una actione quæ est coquere, & non est nisi unum vas ad album & rubeum simul faciendum. Et Hamec in commento primi Scoliarum Platonis: Cum enim res ista sit difficilis, & via applicandi ad eam sit tantùm una, non poterit reduci ad simplex, nisi post magnum laborem animæ, & elongationem inquisitionis. Et dicit Hermes Trismegistus in suis Secretis: Sicut res omnes natæ fuerunt ab hac re, aptatione una. Et Mahometus: Unum vas in albo & rubeo, & unus ignis, & unum determinatum in albo & rubeo. Et Morienus: Licet sapientes sua nomina & dicta mutarint, tamen semper intelligere voluerunt unam rem, & dispositionem unam, & viam unam. Idem in eodem: Qui alium lapidem ad hoc magisterium quæsierit, assimilabitur viro per scalas absque gradibus nitenti ascendere, qui cum nequierit pronus super faciem suam in terram decidit. Idem in eodem: Sapientes hanc rem cognoverunt, & eam rem esse unam sæpius probaverunt. Idem in eodem: In mundo alius lapis non reperitur, qui huic assimiletur, vel qui ipsius habeat effectum. Quicunque ergo alium lapidem in hoc magisterio quæsierit, ejus opus omnino frustrabitur. Et Yesmudrus in Turba Philosophorum: Omnia nomina sunt vera, ficta tamen sunt, eo quòd unum sunt, & opinio una, & unum iter. Et iterum Morienus: Ejus substantia atque materia est una, & de ea: & cum ea unum fit, nec aliquid sibi addunt, vel ex ea minuunt. Et Geber in Summa sua: In rerum multiplicitate ars nostra non perficitur, est enim lapis unus medicina una, in qua totum magisterium consistit; cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus, nisi quia in præparatione superflua removemus. Et Rasis in Lumine luminum: Album item & rubeum ex radice una, nullo alterius generis interveniente pullulat; nam seipsum dissolvit, & copulat seipsum, albescit, & rubore decorat: seipsum croceum facit & nigrum; præterea seipsum desponsat, & à seipso concipit, quousque operis finem acceleret. Idem in libro trium Verborum: Huic lapidi nullus est similis in mundo, quo seipsum imprægnat, de seipso concipit, & seipsum parturit. Et Salomon filius David: Nemo habet in sulphure nisi unum iter. Et Senior: Natura cognoscit naturam, & natura congaudet naturæ, & tamen non est nisi unica Natura, & genus unum, & substantiâ una, & essentia una. Et Mundus in Turba Philosophorum: Natura naturâ lætatur, Natura namque superat, & Natura naturam continet, & tamen non sunt diversæ naturæ, nec plures, verum una sola, habens in se suas res quibus cæteris rebus imminuit. Et Haly in suis Secretis: Scias frater, quod hoc officium est hujus lapidis, super quem non intrat garip, id est, aliquid aliud, & cum eo operantur sapientes, & de eo exit quod quærunt, & non commiscetur cum eo aliquid, nec in ejus parte, nec toto, & vocatur origo mundi, & oritur sicut germinantia. Et Hercules rex sapiens: Hoc autem magisterium ex una sola prima radice procedit, & postmodum in plures res expanditur, & iterum in unum revertitur. Unde subtiliter inspiciendo Philosophi semper dicunt unum, & circa ipsum versantur, & illud unum idem repetunt, sub diversis verbis, & talis diversitas & multitudo facit errare valde: unde Philosophus quinto Topicorum: Conturbat autem audientem, quod frequenter dicitur. Et dicit Cæstes in Turba Philosophorum; nimius sermo omnis doctrinæ filij intellectum habentium, intellectu errorē augmentat. Sed videtur quod plures viæ sint ad hoc, & non una sola. Nam dicit Geber in Cap. de Natura sulphuris: Qui etiam ipsum, scilicet sulphur, in præparatione commiscere & amicari corporibus novit, sciet unum de secretis Naturæ maximum, & unam viam perfectionis, cum multæ sint viæ ad unum effectum, & unum intentum, &c. Et dicit Rasis, in libro perfecti Magisterij, loquens de corporibus & spiritibus, & eorum purgatione & compositione diversa & multiplici quam prius narravit, & diversis viis. Ego autem novissimè tibi dico, quòd unumquodque prædictorum corporum & spirituum, si præparatione perfecta fuerit præparatum album vel rubeum, est elixir per se solum, &c: Ergo plures viæ perfectionis, & plures materiæ possunt esse in hac arte. Et nos respondemus ut prius, quòd sola una via est & una materia. De unitate materiæ satis patuit, & infrà patebit. Ad illud autem, quod dicit Rasis, dicimus, quòd in subjecto realiter loquendo, spiritus & corpora sunt idem, sed solum secundum rationem differunt, sicut infrà patebit. Ideo sive corpus sive spiritus sit, quod perfectè præparatur, est elixir per se solum. De pluralitate autem viarum dicimus ut prius. Nam sicut patet de nutrimento & nutribili, quod una sola via est & una ultima dispositio, ut nutribile nutriat, sed multæ dispositiones præcedentes hanc, sive viæ, sunt ex diversitate alterationum præcedentium, & quasi infinitæ ad illam: quæ tamen etsi multæ & diversæ sint ad invicem, nunquam tamen secundum ordinem propter finem ad invicem variantur. Et ideo una sola via à principio usque ad finem est per se; sic eodem modo hic est; quia intentio, & finis, & modus est unus solus, & ideo una sola via ad ipsum; sed quia multæ dispositiones sunt, necessariò præcedentes hanc ultimam, ideo dici possunt multæ viæ, sed sunt habentes ordinem & colligantiam naturalem ad illam viam finalem, & ideo nunquàm variant, nec diversantur ab invicem. Imo Geber hanc unitatem affirmans, dicit sic Capitulo de Differentijs omnium medicinarum: Tertij autem ordinis medicinam appello omnem præparationem, quæ quando corporibus advenit, omnem corruptionem cum projectione sua tollit, & cum omnis complementi differentia perficit. Hæc autem est una sola, & ideo per illam excusantur à laborum inventione decem medicinarum, &c. Et dicit similiter de Medicinis tertij ordinis: Est autem hujus tertij ordinis medicina duplex, Lunaris scilicet & Solaris: est tamen in essentia una, & agendi modo similiter, & ideo à nostris veteribus medicina una nuncupatur, &c. Et Pythagoras in Turba Philosophorum: Aliam gubernationem ponamus, quæ non est alia radice, verùm nomine. Et Florus in eodem: Natura enim una est, à qua si quis errat perditum tendit, ac vitam amittit. Hanc igitur unam habeatis naturam, alicuam verò dimittite. Idem in eodem: Hujus artis fundamentum propter quod multi periere, unum est. Et Lucas in eodem: Pluribus autem rebus non indiges, nisi una re Et Morienus: hoc totum est nisi res res una, quæ scilic. habet patrem & matrem, & ejus pater & mater eam nutriunt atque pascunt; neque ipsa à suo patre atque matre aliquo modo differre potest, &c. Quia igitur res sive materia ista, est tantùm una, tam ad tincturam albam, quàm ad rubeam, & dispositio una, & via una, & vas unum, & terminus & finis unus, & modus operandi unus, & omnia unum sed pluribus modis & infinitis quasi tradit

dita, tunc planum est, quod pluribus modis & quasi infinitis ab unitate & veritate, & tramite directo artificem deviare continget. Cum enim omnia hæc sint & revertantur in unum in operatione, tunc in principiis istius artis & magisterii, quæ sunt modi operationum, quibus artifex applicatur ad hoc magisterium, multipliciter loquuntur, & deceptorie, ita ut nunc dicant rem debere solvi, nunc sublimari, nunc descendi, nunc destillari, nunc coagulari, nunc cerari, fixari, nunc calcinari, & sic si qui modi operationum sunt alii, quas tamen operationes omnes faciunt simul & semel in uno vase: Deviantes autem distinguunt & separant opus ab opere, & variant & multiplicant, & quod facile est, fit difficile & impossibile. Unde Rasis in libro trium Verborum dicit: Scias quòd in solo igne, sine aliqua separatione, possunt fieri omnes destillationes, & sublimationes, & calcinationes, & dealbationes, & rubificationes, & mortes ipsius Mercurii mortui, & fusiones cum omnibus resolutionibus & congelationibus, sicut debent esse, &c. Et Morienus: In una dispositione mutantur omnes colores, sed quanto ignis magis ejus colores innovat, tanto plura nomina sibi imponunt. Et Barseus in Turba philosophorum: Oportet vos opus coquere, similare, assare, calefacere, dealbare, terere, rigare, & rubiginem facere & tingere. Hæc igitur plura nomina sunt, quorum regimen unum est. Et Pythagoras in eodem: Quicquid dixerunt philosophi in libris suis, funde, assa, decoque, descende, reitera, &c. non est nisi una operatio in igne. Et Rasis libro trium verborum, verbo 12. Regimen enim est unum, & operatrix una, operatio verò atque transmutatio non sunt una Possunt etiam iis adaptari verba philosophi secundo Mundi & Cœli, qui dicit: Quòd rectificationes rei unius, feliciores & leviores sunt rectificationibus rerum multarum: & rectificationes rei semel, sunt faciliores & feliciores rectificationibus ejus multotiens: & quando res recipitur operatione una, & operationibus duabus est facilior, quæ autem suscipitur operationibus multis, vehementior est & difficilior. Similiter quod bene fit, uno modo, ut dicit philosophus secundo Ethicorum.

CAPUT VI.

In quo ostendit, quòd hæc Ars sit naturalis, & sit divina, & quod per ipsam philosophi antiqui fuerunt vates de futuris miraculis divinis.

AMplius Ars hæc cogens nos, tum propter difficultatem ejus, tum propter insuetudinem dilatare sermones: dicimus quod ipsa partim est naturalis, & partim divina, sive supra naturam. Si enim consideretur ex parte projectionis lapidis super imperfecta metalla: quia perficit omninò ipsa in aurum, sicut facit natura, sive una pars super centum, sive super mille projiciatur, sic est naturalis. Si autem consideretur ex parte digestionis, & generationis, & germinationis, & ortus lapidis, hoc est dupliciter: quia aut ex parte sublimationis, in cujus fine germinatur anima candida mediante spiritu, & cum spiritu, ipso volans ad cœlum. Et hic est lapis patens, & manifestus, & in isto etiam modo est naturalis; germinatio enim nihil aliud est, quam redactio rei ad id, quod erat tempore præfinito, & hoc est naturale, & hoc apud nos est satis mirabile, quamvis non apud Philosophos: aut ex parte fixionis & permanentiæ animæ & spiritus in fine sublimationis, & hoc fit per adjectionem lapidis occulti, qui sensu non comprehenditur, sed intellectu solum per inspirationem, vel revelationem divinam, aut per doctrinam scientis. Unde Plato in scholis: Cognosce illud ad quod perveneristi, deinde considera per intellectum; quæ acquisivisti. Et dixit Alexander: Duo sunt in hac arte ordines, scilicet aspectus oculo, intellectusque corde. Et hic lapis occultus est, qui proprie dicitur donum Dei, de quo dicit Atisleus, in suo somnio: Manus magistri nostri occultum est non patens. Et hic est lapis divinus occultus, sine cujus commixtione lapidis potenti annihilatur Alchemia, cum ipse sit ipsa Alchemia, & perditur opus eadem hora, & hic lapis divinus est cor & tinctura auri, quæsita à philosophis, de quo dixit Hermes: Necesse est ut in fine Mundi, cœlum & terra conjungantur: quod verbum est philosophicum. Et de hoc dixit Rasis in Lumine luminum: Occulti lapidis natura, ejusque dissolutio omnino cognoscenda est, ea ubi ad imaginem cognita fuerit, ab opere cessandum moneo. Et Pythagoras in Turba philosophorum: Hoc autem Deus celavit Apollo, ne mundus devastaretur. (*) Et hoc modo Alchemia est supra naturam, & est divina. Et in hoc lapide est tota difficultas istius artis, neque potest assignari sufficiens ratio naturalis, quare hoc ita esse possit: & sic cum intellectus non possit hoc comprehendere, nec satisfacere sibi, sed opottet ipsum credere, sicut in miraculosis rebus divinis, ita ut fundamentum fidei Christianæ, quod supra naturam existit, à non credentibus primo existimetur verum omnino, quoniam finis ejus miraculosè, & suprà naturam completur. Ideo tunc solus Deus est operator, quie-

(*) Et hoc modo Alchemia, &c.) *Notandum est quod operationes naturales, in quibus natura sua non videtur sufficiens, sicut in aliis, sed quasi modo quodam mirabili & divino fieri videntur, debent reduci ad potentiam divinam, regentem eas supra naturam rei, cum naturalis ratio sufficiens ibi deficiat, Unde Avicenna in tertio, Feria vigesima prima capite secundo, scilicet de Generatione embrionis, dicit sic: Et quando separatur fœtus, aperitur matrix apertione tali, cujus similem efficere non valet in suo simili, & necessarium est ut separentur junctura quædam, & sustententur adjutorio Dei excelsi post illud, & propter illud redeunt in proximo ad continuationem naturalem: & est operatio illa de fortibus operationibus naturalibus, & formativa quidem appropriata est, cum re continuata à creatione, ut sit præparata, non cessans comprehendere cum augmento fœtus, qua non comprehenditur: & hoc est de secretis Dei. Sit ergo Deus exaltatus, qui est Rex verax & benedictus, &c. Ista sunt verba Avicennæ. Dico ergo, quòd natura non separat aliquas junctiuras corporis propter necessitatem aliquam, nisi hanc, scilicet ossa femorum tempore partus, neque aliquas separatas restaurare potest, nisi hanc solam tali tempore, quod est mirabile valde, sed sola Chirurgia illas restaurat. Ergo expresè videtur quod divina potentia immisceat se secretè huic tali operationi naturali, & regat naturam supra condutionem naturæ, quasi modo supra naturam, cum ultra naturam*

ſcente natura artifice. Unde Morienus: Poſt putredinem verò, ad hoc deveniet, quod omnipotens Deus, & omnium Creator altiſſimus & magnus, perficiet hanc quæſitam compoſitionem, &c. Et Raſis lib. trium verborum dicit: Caliditas & ſiccitas deſtruit frigidum & humidum, aquotum & aduſtum, ratione divina. Et præterea antiqui Philoſophi hujus Artis, in quibuſdam futuris, hanc Artem divinam ſcribendo, quoquo modo prophetaverunt. Unde Raſis in epiſtolâ quadam dicit: Cum hoc autem, ſcilicet lapide rubeo, magnificaverunt ſe Philoſophi ſuper omnes alios, & vaticinati ſunt futura. Et in Turbâ Philoſophorum reſpondens Turba Pythagoræ dicit, Remuneret tibi Deus pro diſciplinis tuis Philoſophe, qui futurorum dicendorum cauſa à regionibus noſtris nos congregaſti, cujus præmium apud futurum judicem non perdes. Specialiter autem non ſolum generaliter prophetaverunt, ita quod cognoverunt diem judicij, & conſummationis ſeculi debere venire, & mortuorum reſurrectionem in ipſa in qua unaquæque anima ſuo primo corpori conjungetur, & de cætero ab invicem non ſeparabuntur in perpetuum, & erit tunc omne corpus glorificatum, ad incorruptibilitatem tranſlatum, & luciditatem, & ſubtilitatem ferè incredibilem, & penetrabit omne ſolidum; quia ejus natura tunc erit natura ſpiritus, ſicut & corporis: reliqua autem damnanda reſurgent, ut illa, quod ad perpetuitatem & incorruptibilitatem, paſſibilia tamen erunt, & cum tenebris & obſcuritatibus & oppoſitione illis. Unde Bonellus in Turbâ Philoſoph. Omnia vivunt & moriuntur nutu Dei. Et eſt natura, cui cum humiditas vel combuſtio accidit, & cum ea dimittitur per noctes, tunc ſimilis videtur mortuo, & tunc res illa igne indiget, quouſque illius corporis ſpiritus extrahatur, & per noctes dimittatur, ut homo in tumulo ſuo, & pulvis fiat. Iis peractis, Deus reddet ei animam ſuam & ſpiritum, ac infirmitate ablata, confortatur illa res, & poſt coruſcationem emendatur, quemadmodum homo poſt reſurrectionem fortior fit & junior, quam fuerat in mundo hoc. Et dicit Milveſcindus Creator animarum, cum has mortificat creaturas, poſtquam ſequeſtrat animas à corporibus, reddet eis animas ſuas ut judicet & remuneretur. Similiter oportet nos iis adulatione uti animalibus, &c. Et Hermes in primo; Porrò niſi judicij diem timerem, hujus ſcientiæ nihil patefacerem, nec ulli prophetarem, &c Quia igitur viderunt diem noviſſimam in hac arte, ſcilicet germinatione, & nativitate, hujus lapidis miraculoſam potius, quàm rationalem: quia fit conjunctio animæ beatificandæ cum ſuo primo corpore, mediante ſpiritu, & eorum perduratio in æternum glorioſa: Ideo ex hoc judicavetunt diem judicij domini noviſſimam hujus ſeculi debere venire, quæ erit ſupra Naturam & miraculoſa. Ideo Pythagoras in Turba Philoſophorum dicit: Intelligite omnes ſapientes, quòd omne quod ex una eſſentia Deus creavit, non moritur, niſi in die judicij. Similiter per hanc Artem cognoverunt & judicaverunt antiqui Philoſophi hujus artis, virginem debere concipere & parere: quia apud eos hic lapis concipit & imprægnatur à ſe ipſo, & parit ſeipſum: unde eſt conceptio ſimilis conceptioni virginis, quæ abſque viro concipit: quod eſſe non poteſt niſi miraculosè, ſcilicet per divinam gratiam: & in partu iſtius lapidis, fit partus ſimilis partui virginis: quia poſt partum manet virgo, ut prius ante conceptum, quod etiam eſſe non poteſt, niſi divino miraculo mediante. Quia igitur viderunt conceptionem, imprægnationem, & partum, & nutricationem iſtius lapidis ita miraculoſam, judicaverunt mulierem virginem debere concipere abſque viro, & imprægnari, & parere miraculosè, & manere virginem ut prius. Unde Alphidius: Hic lapis in vijs projectus eſt, in nubibus exaltatus, in aëre habitat, in flumine paſcitur, & in cacuminibus montium quieſcit: cujus mater virgo eſt, cujus pater fœminam neſcit. Adhuc etiam noverunt, quod Deus fieri debeat homo die noviſſima hujus Artis, in qua eſt operis complementum, generans & generatum fiunt omnino unum, & ſenex, & puer, & pater, & filius, fiunt omnino unum: ita quòd omnia vetera fiunt nova. Unde quia hanc rem ſic miraculoſam viderunt, judicaverunt etiam Creatorem cum creatura fieri debere unum. Quia igitur Creatori nulla creatura uniri poteſt, niſi homo ſolus, cum ſit ad imaginem & ſimilitudinem Creatoris factus ratione animæ intellectivæ, judicaverunt, Deum cum homine fieri debere unum. Et hoc factum fuit in Chriſto Jeſu, & virgine Matre ejus. Unde Balgus in Turba Philoſophorum dicit: O quàm miræ naturæ, quæ animam ſenis in juvenile corpus transformaverunt, ac pater filius factus eſt. Benedictus igitur ſit Deus Creator optimus, &c. Similiter Plato ſcribens in Alchemicis, ſcripſit Evangelium, quod poſt eum per tempora longa valde ſcripſit Joannes Evangeliſta & complevit. Scripſit enim Plato, In principio erat verbum, continuò uſque ad locum illum: fuit homo miſſus à Deo, &c. Sicut recitat Beatus Auguſtinus, in ſumma Confeſſionum: & oſtendit Deus hoc exemplum miraculoſum Philoſophis in hoc lapide, ut oſtenderet potentiam ſuam, ut ipſi ſcirent, & cognoſcerent eum, opera quæ ſuprà naturam conſiſtunt, quæ noſter intellectus non poteſt comprehendere, poſſe efficere quando vult. Unde Morienus: Scias quod hoc magiſterium non eſt niſi Secretum ſecretorum Dei altiſſimi & magni. Ipſe enim hoc magiſterium ſuis Philoſophis vel Prophetis commendavit, quorum animas in ſuo paradiſo collocavit.

CAP.

turam rei, hæc talis operatio fieri videatur. Natura enim rei de ſe hoc pati non poſſe videtur, & ratio eſt: quia ſi alio tempore fiat ſeparatio illius juncturæ, non poteſt reddi ad diſpoſitionem naturalem, niſi per opus Chirurgiæ, ſic nec aliæ juncturæ. Sic eodem modo dicimus, in hoc opere divino: quia nec ex parte naturæ tantum, nec artis miniſtrantis, juvantis naturam, videtur hæc talis compoſitio lapidis in fine operis fieri poſſe, ut ſuper ignem perpetuo perſeveret: ſed potius in divina potentia reſervari videtur hoc, mediante cognitione artificis: ergo quàm difficile, quam occultum, quàm mirabile, quàm arduum eſt exiſtimandum, hunc punctum artificem attingere poſſe? De hoc autem mirabile verbum dixit Socrates, ſcilic. Quod virtus ſupra virtutes exiſtens, eſt res impoſſibiles redigere ad poſſibilem facilitatem præclare. Rectè ergo dicendum, hoc opus eſſe divinum, & ſecretum divinum, & ſupra naturam: & ſicut formativa informat ſupra noſtrum intellectum, & ultra noſtram cognitionem, quaſi ſupra naturam: ſic & in hoc opere accidere videtur.

CAPVT VII.

In quo ostendit errorem omnium desiderantium rectè operari, qui est in fine operis: scilicet in compositione Elementorum: & quòd hæc ars est pro omnibus sapientibus.

CUm naturalia & eorum causæ sint difficilia ad investigandum & sciendum: ergo quæ sunt supra naturam erunt difficilima, cum in eis causas penitus ignoremus. Omnis enim res dicitur difficilis ad sciendum, propter paucitatem cognitionis causarum ipsius, aut quia non habet causas, & tunc non debet inquirere eas, ut dicitur decimo de Animalibus: Ex parte ergo ars ista est naturalis & similiter dubitativa, est difficilis. Ergo ex parte, qua est divina, erit difficillima, propter quod non est mirandum de difficultate inventionis veritatis ipsius, apud desiderantes ipsam & operantes in ipsa: quia non sufficit ratio ad ipsius investigationem, sed oportet credere finem ejus sic esse posse, & fidem penitus adhibere. Neque in hoc prodest fortuna, sed gratia Dei, rationi conjuncta, aut gratia divinæ revelationis sola: non enim est res secundum fortunam aut casum procedens & adveniens. * Propter hoc igitur quamplures antiqui sapientes solummodo naturaliter operantes, primam partem operationis compleverunt directè, sed secundam partem, cum sit supra naturam, ignorantes & non credentes, sine qua prima permanere non potest, prætermiserunt, & vacui à proposito remanserunt. Non enim permanet prima pars, nisi alligetur secundæ in eadem hora: quia hæc secunda est clavis totius operis. Unde dicit Balgus in Turba Philosophorum: Vidi enim tempore nostro quendam, qui elementa sciebat, quemadmodum & ego: Deinde Medens hanc erexit dispositionem, ad cujus lætitiam non pervenerit, propter tristitiam suam in regendo, & patientiam nimiamque festinationem ad propositum, &c. Et dicit Gregorius in eodem: Vidi enim tempore meo quendam, qui hoc incepit opus, & veritatis naturas est operatus, rubore autem aliquantulum mutante, putavit se errasse, & sic dimisit opus, &c. Isti duo qui sic erraverunt, sciebant elementa simplicia artis, & deputata, & ipsorum ad invicem mixtionem, & signa apparitionis ipsorum, & omnia necessaria huic arti, neque deficiebat eis aliquid, nisi cognitio certa determinatæ diei, imò horæ ortus & partus lapidis, in quâ fieri debet conjunctio elementorum simplicium, & finis totius operis. Propterea igitur, quòd non fuerunt attenti in visione hora illa, evanuit totum opus de manibus eorum. Lapis enim tunc oritus est candidus, & volans ab igne propter perseverantiam ignis, & evanescit in fumum simul cùm lapide fixo, cum summa volatilis tunc superet summam fixi. Sed si per ingenium artis, tunc summa fixi superat summam volatilis, quod fit per compositionem elementorum simplicium ad invicem, retinebit lapis fixus volatilem, & permanebunt invicem in æternum, & non aliter. Et hic est tota fortitudo Alchemiæ, & ipsa Alchemia: quæ Deo glorioso, & non naturæ soli, nec arti pertinere videtur. Unde Geber in Summa sua: Ars nostra in potentia Dei reservatur, qui cui vult eam largitur & subtrahit, qui est gloriosus & sublimis omni justitia, & bonitate repletus, &c. Et iterum idem ibidem: Miserrimus enim & infelicissimus est, quem DEUS post operis sui atque laboris finem in veritatem denegat conspicere: quia vitæ suæ spatium semper in mœrorem concludit & terminat, &c. Et Rasis in Lumine luminum: Adhuc etiam cura observata eadem, superna mente recedit: ejus quoque signa & vestigia penitus omnino pereunt. Et Alexander in Epistola sua: Mundus major creatus est naturis quatuor diversis & contrariis, scilicet apperitiva, digestiva, retentiva, & expulsiva, sive mundificativa. Est quoque vis altera, scilicet ab eis vita, quæ vires has conjungit quatuor, quas tibi narravi, ac descripsi, & est sicut clavis ad aream, quam si ab eis perimas: tota dissolvitur, cum ejus sic nexus, ejusque latera continens, &c. Et Lucas in Turba Philosophorum: Ego notifico vobis omnia, quæ Deus creavit, ex quatuor esse naturis, id est quatuor elementis, &

* Propter hoc igitur quamplures, &c. *Notandum est, quòd Philosophi antiqui appellaverunt primam partem operis, principium autem operis appellaverunt, lapidis nativitatem & germinationem: & hoc fit in die complementi, decoctionis, & sublimationis perfectæ. Non autem appellaverunt principium operis, ut quidam in superficie imaginantur, principium digestionis usque ad complementum digestionis, sed ipsam digestionem jam perfectam, & ipsum digestum jam perfectum, ut patet subtiliter enucleanti verba ipsorum: Finem autem & complementum totius operis appellaverunt retentionem lapidis sic digesti. Si igitur principium fuerit invariabile, & impermutabile, quicquid fuerit de essentia principii, & pertinebit substantialiter ad principium, erit invariabile & impermutabile: Si autem principium recipit variationem & permutationem, quicquid erit de essentia principij, & pertinebit substantialiter ad principium, variabitur & permutabitur. Unde Philosophus undecimo & decimo octavo de Animalibus ostendens, quod testiculi sub una particula principali nostri corporis, dicit, quòd principio modicum permutato, mutata simul permutari consueverunt eorum, quæ sunt circa illud principium. Et primo Cœli & mundi, quod parvus error in principio maximus est in fine. Et 1. Physicorum dicit: Uno inconvenienti dato, alia plura sequuntur. Quapropter si principium Alchemiæ fuerit invariable, & steterit impermutabile, quæcunque pertinebunt ad istud principium, erunt necessariò invariabilia. Si autem permutentur, & illa necessariò permutabuntur: & si in illo principio fiat error, in fine & toto opere necessariò erit, & isto inconvenienti facto, quicquid fiet post, erit inconveniens. Ideo penitus cavendum, & præcavendum à permutatione aliqua hujus principii, & sic nec error, nec inconveniens aliquod adesse poterit Cum igitur principium recipiat perfectionem & complementum, propter attingere finem suum & amplecti, & è converso: ergo oportet quòd istud principium includatur in suo fine: finis autem est fixio principii immediatè, & absque mora, Unde dicit Morienus: Oportet quod finis restituatur super suum principium, & principium super suum finem. Et hoc est compositum, quod sic perpetuabitur nutu Dei, & non aliter. Est autem totius operis initium dealbatio, rubor autem perfectio, ut dicitur in Turba Philosophorum. Et est rubedo in albedine, quemadmodum minium in cerussa: ita quod finis & principium sunt simul eadem hora. De hoc autem tali principio dixit Rasis in Lumine luminum: Nunquam igitur spiritui in corpora patebit ingressus, quousque eadem munda & purgata subjiciant hæc autem præcipua & dignior, notanda & attendenda istius negotii radix atque principium, &c. Et dicit Lilium: Dealbatio semper expectanda est, quæ operis dicitur initium & firmamentum.*

quæ ex eis creata ſunt, ad eas revertuntur, in quibus creaturæ generantur & moriuntur, prout DEUS prædeſtinavit. Et Alphidius: Scias fili quod ex vitio ſuæ creationis omnia corrumpuntur: unde tum homo, quàm omnis creatura, ex accidenti ad corruptionem tendit. Ideo idem ibidem: Omnis enim creatura poteſt augeri, quouſque perficiatur: Cum autem ad finem perfectionis devenerit, in detrimentum diminutionis deſcendit: per ejuſmodi viam iter ſuum dirigunt, quæ in mundo ſunt univerſa. Et huic ſententiæ concordat Albumazar, introductor judiciorum, dicens: Res in quibus eſt initium, ſunt in initio inceptionis ſuæ in profectu & augmentatione, & in medio ejus fortiores quàm poſſint eſſe, in fine verò, imperfectione & debilitate. Et Philoſophus octavo de Animalibus in fine dicit: Caliditates & frigiditates temporum, conveniunt modis generationis, & poſt hoc conveniunt corruptioni. Eget igitur lapis iſte in ortu ſuo auxilio artificis, ut ſit tunc vigilans, & oculata fide videat quod germinavit, & cum voluntate ſociata naturæ perficiat ipſum retinendo: & non ultra eas. Unde dixit Morienus: Vide ne hanc radicem prætereas, nec aliquam ejus quæras mutationem: quoniam neque proficuum, nec bonum tibi quæſitum invenire poteris. Sicut verbi gratia, fœtus in utero à principio conceptionis perficitur continuò uſque ad tempus partus, & tempore nativitatis perfectus eſt de ſe, & ſi tunc non egreditur, ſuffocatur & moritur: quia tunc eget auxilio expulſivæ virtutis, & cum ortus eſt, tunc eget ultimè perfici quia motus ambulationis deficit ei, cognitio, loquela, fortitudo, ut dicit Milveſcindus: Eodem modo quando hic lapis oritur, eſt perfectus per ſe: ſed deficit ei tinctura, & fixio ſtans, & conjunctio matrimonialis: Ideo eget auxilio artificis extrahentis tunc ſtatim ipſum complentis eum, ut dictum eſt. Hoc idem etiam eſt in avibus, quando in ovo generatæ ſunt: perfectæ enim ſunt de ſe, quòd ſi tunc non egrediantur, ſuffocantur & moriuntur: & ſi egrediantur, perficiuntur ultimè, & non aliter. Et de hac tali imperfectione loquens Philoſophus in octavo de Animalibus dicit: Non eſt differentia inter animam pueri, & aliorum animalium, neque ſunt ſine cognitione omnino. Ideo hic lapis ita eſt occultus, quòd à nemine inveniri poteſt, niſi Deo volente, à cognoſcentibus ipſum tempore ſuo. Et hoc eſt, quod dixit Hermes in quarto, ſcilicet: Intelligite filij ſapientum quod hic lapis pretioſiſſimus eſt, & clamat, protege me, & ego protegam te. Largiri mihi vim meam, ut te adjuvem. Sol enim meus, & radij mei intimi ſunt in me, &c. Et in ejuſdem dicit: Scito quòd vultur ſupra montem exiſtens, in cacumine clamat voce magnâ, inquiens: Ego ſum albus, citrinus & rubeus, &c. Unde Parmenides conſulit nobis bene in Turba Philoſophorum dicens: Notis omnibus conditionibus lapidis & naturis, in hoc opere manus veſtras imponite: ſi vero veritatis naturas ignoretis, nolite huic appropinquare, quia totum noxium eſt & infortunium, & triſtitia. Et Raſis in Lumine luminum: Occulti lapidis natura, ejuſque diſſolutio, omnino agnoſcenda: ea enim, niſi ad unguem cognita fuerit, ab opere ceſſandum moneo. Idem in libro trium Verborum: Nihil enim eſt hujus noſtræ ſcientiæ radix, niſi cognitionis, & cautelæ erroris bonitas.

Idem in Lumine luminum: Cavendum etiam ſummo opere moneo, ne unquam ad aggredi præſumas, emolumentorum admixtione incognita. Et hoc pars operis eſt, quæ ſupra naturam quæ terrena cum cœleſtibus conjungit, quam dicunt divinam, cœleſtem, ſpecioſam, mirabilem, pulcherrimam, difficilimam, cum ejus inventio in divina potentia reſervetur. Unde dixit Hermes, in principio lib. ſeptimi Tractatuum: Hujus autem artis ſcientiam, ab unius tantùm Dei habeo inſpiratione, &c.

CAPUT VIII.

In quo oſtendit, quomodo hæc Ars inventa ſit, & quibus data ſit, & quibus non, & quare ſic obſcure ſcripſerunt eam Philoſophi.

NUnc dicimus, & verè firmamus, quòd nullus antiquorum, à primo homine uſque ad ultimum, potuiſſet ſecretum iſtius artis divinum adinvenire ſuo ingenio naturali ſecundum rationem naturalem ſolam, nec ſecundum experientiam, cum ipſum ſupra rationem & experientiam conſiſtat, ut quid divinum occultum: Sed Deus gloriosus, gratiarum largitor, ipſum ſuis fidelibus ſapientibus, eum timentibus, aperuit & probavit. Unde Alphidius: Nõ ignores fili mì quòd filiis Adæ rationalibus, Deus hunc ſcientiæ theſaurum aperuit: demum pauperibus proprium eſſe voluit. Et Raſis in lib. trium verborum: Hoc eſt donum Dei. Unde Ariſt in lib. de Secretis ſecretorum ad Alexand. dicit, cap. de Medicina magna, & ſecreto Philoſoph Dignum itaq; eſt, ut ſcias medicinam magnam, quæ dicitur gloria inexiſtimabilis, & Theſaurus Philoſophorum. Ego ſiquidem nunquam percepi, nec veraciter novi, quis eam invenerit. Quidam enim dicunt, quòd Adam fuit ejus inventor: Alij quòd Æſculapius, &c. Quidam autem affirmant, quod Enoch novit hoc ſecretum per viſionem. Volunt etiam dicere, quòd iſte Enoc fuit magnus Hermogenes, id eſt Hermes, quem Græci multum laudant & commendant, & ei attribuunt omnem ſcientiam ſecretam & cœleſtem, &c. Idem in eodem, in Epiſtola quam ſcribit in principio, reſpondens Alexandro dicens: Præterea quod interrogaſti, & ſcire deſideras, eſt arcanum tale, quod vix humana pectora poterunt tolerare: quomodo ergo in mortalibus pellibus poterit depingi? Ad illud itaque, quod te decet quærere, mihi licitum eſt tractare, & me oportet, & teneor ex debito reſpondere, ſicut tu teneris ex debito tuæ diſcretionis, non exigere à me amplius ex hoc ſecreto, quàm quòd tibi tradam in hoc lib. &c. Et quamvis dicant aliqui hunc librum non fuiſſe Ariſtot. cum non redoleat eloquentiam ejus, ut in naturalibus & Metaphyſ. tamen quia fama teſtatur ejus fuiſſe: & quia materia libri magis eſt narratoria, quam inquiſitiva, ita quod ſtylus facilis fuit utilior: & quia invenimus autoritates ejus libri allegatas à Joanne Meſue, cap. de Ægritudinibus oculorum, & ab Haly, in lib. ſuo de Secretis ſecretorum, ideo credimus ipſum fuiſſe ſuum. Item Hermes in principio libri ſeptimi tractatuum: Hujus autem artis ſcientiam, ab unius tantum Dei habeo inſpiratione. Amplius ſciendum eſt, cum mos philoſophorum ſit non invidere, quoniam ſignum ſcientis eſt docere poſſe, ideo hoc arcanum divinum à Deo primis philoſophantibus revelatum, poſteris tradiderunt in ſcripturis, timore & præcepto Dei coacti. Et quia arcana, præſertim hoc, non quibuſlibet, ſed ſolis ſapientibus dignis, à Deo dilectis, non ſunt revelanda, ideo ſolis illis ſcripſerunt. Si enim omnibus indifferenter hoc ſcripſiſſent arcanum, ſicut in aliis ſcientiis omnibus, plano ſermone & ordinè omnem ipſius modum, & circumſtantias om-

omnes, quibus pervenitur ad ipsum absque figura & ænigmate revelassent Ergo volentes hoc solis aperire prædictis, & ab insipientibus occultare, tradiderunt sermonibus obscuris illis, & obscurissimis istis, neque potuissent philosophantes sequentes aliter ad ejus notitiam pervenisse. Unde Morienus:Si sapientes, qui post illos fuerunt, de qualitate vasis in quo conficitur, expositiones suas non invenissent, nunquam ad ejus notitiam pervenire potuissent. Idem dicit:Est autem Yeksir medicina ex pluribus confecta, quam Philosophi non funditus celant, & tamen aperiunt non nisi sub involucro, & operimento detegunt.Idem in eodem: Philosophi allegorizaverunt dicta super vulgus, non sunt tamen mentiti, sed locuti secundum quod bonum videbatur eis.Et secundum hoc,quod ad invicem se intelligerent, ut alios lateret hoc, &c. Unde Geber in summa sua cap. de negantibus artem à datis,dicit sic: Hæc enim ars occulto sermone non eget omnino,neque penitus manifesto, tradimus igitur ipsam sermone tali quem prudentes latere non accidit, hic autem mediocribus profundissimus erit, fatus autem utrosque terminos miserabiliter concludit in hac una & eadem traditione nostra. Idem in eodem cap. de Administratione solaris medicinæ:Sed liquidem hanc scientiam palliamus,non miretur doctrinæ filius:nõ enim illi palliamus,sed malis & improbis: & eam tali sermone tradimus, quòd latere insipientes necessariò accidet,&eo ad illius inventionis perquisitionẽ prudentes alliciet. Filij igitur doctrinæ perquirite, & hoc excellentissimum Dei donum vobis solis servatum invenietis. Filij insipientes,nequitiæ & malevolæ pravitati immensæ, ab hac scientia fugite: quia vobis inimica est & adversaria & vos in miseriam paupertatis constituet, quoniam vobis penitus hoc Dei donum est occultum, & à divina providentia denegatum omnino. Idem in eodem Capitulo ultimo: Non enim tradidimus scientiam nostram, sermonis continuatione,sed eam separavimus in diversis Capitulis:& hoc ideo,quoniam tàm quilibet improbus,quàm probus,si continuatione fuisset tradita,usui passet ipsam indignè,&c.Idem in eodem:Solum igitur prudentes ad artem allicuimus,& per ingenia à nobis tradita viam investigationis eisdem exposuimus,non autem eam inventam nisi solis nobis scripsimus,sed investigationis modum & modorum ingenium, &c. Et Alexander: Scias quòd hunc meum librum,nullis nisi philosophis posui. Et Rasis libro 70.Præceptorum, libello Ludorum: Non enim fecimus libros nostros, nisi nobis & filiis nostris, & quisquis sit, qui pervenit ad intelligendum eos, erit ex nobis, & qui non pervenerit contrarius nobis.Idem in Lumine luminum: Si enim omnia prout se habent, vellem enodare, nullus ultrà prudentiæ esset locus, cum insipiens sapienti æquaretur,neque sublimari circulo quisquam mortalium, paupertate noverca, inediarum ulterius defleret angustias. Et Hermes in primo: Scito fili, quòd Philosophi non invident morigerosis, neque legitimis, neque religiosis, nec sapientibus: Veruntamen ignaris & vitiosis à lege, & benignitate privatis, ne mali potentes fiant: quoniam penitus indigni sunt sapientia. Unde deprecor vos filios Philosophorum, ut nemini fatuo, nec ignato, nec cuiquam ad hoc inepto, hujus scientiæ quicquam narretis. Et Alphidius: Philosophi autem timentes Deum, non adeo illud pretiosum habuerunt, quin aliis Philosophis arcanum lapidis patefacere vellent: Ideoque patens opus lapidis aliis in lucem non posuerunt, timentes ne luce manifesta, totus mundus vergeret ad occasum, metendi, seminandi, plantandi, agriculturæ periret exercitium. Quod propalare volentes, posuerunt in scripturis & figuris, & ænigmatibus velata tenuerunt, maluerunt enim suam scientiam sic abscondere, quàm per eam patefactam mundi conditionem delere. Item ibidem: Hanc artem tibi aperui, & sicut aperui, ita abscondi, ne cuicunque patefiat nisi peritis: quoniam in imperitam animam non introibit sapientia Dei, cui adest rationis imbecillitas. Et Rosinus, potius namque Philosophi mori volunt, quàm ea patefacere, quæ alienis nominibus nuncupaverunt. Idem in eodem: Scito quòd non invidiæ caussa hanc artem Philosophi celaverunt, ut alii ditarentur, verùm timuerunt, ne quis devastator, aut malefactor, hoc habito illicita ageret, & abominabilia, & esset ad suum detrimentum. Idem in eodem: Dei namque judicium est, hanc rem scientibus invidiam invenire, non propter mundi avaritiam, sed ne mali percipientes hoc, ad prophana agenda fiant promptiores, & de eorum peccatis reddituri sint Philosophi rationes. Et Dyonedes in Turba Philosophorum: Si ignorantes estis, Deus celavit vobis veritatem: nolite ergo sapientes reprehendere, sed vos ipsos. Et Pythagoras in eodem: Hoc autem Deus celavit Apollo, ne mundus devastaretur. Et Alfritis in eodem: Juro vobis, quòd si reges hanc artem scirent nemo vestrum unquam ad eam perveniret. Et Bonellus in eodem: Hunc igitur lapidem, reges quærentes non invenerunt, exceptis quibus Deus annuit. Et Morienus: Si apertè eam docerent, omnes eam scirent, vilisque efficeretur: vel fortè qui primus legisset eam post eos ob invidiam, ne ad posteros pervenirent, libros destruxissent, &c. Patet igitur ex iis, quòd non est scientia hæc pro quolibet, nec scripta pro quolibet. Et hęc simul sententia scribitur libro de Proportione, & proportionalitate sic, scilicet Plato prohibuit, ne scientia omni loco, & omni demonstretur discipulo: & hujus significationis hæc verba protulit: Si quis scientiam demonstraverit in loco,ubi cupiditas & timor vincunt inquirendi voluntatem, & existimaverit eam ab inquisitoribus recipi,semetipsum deludet. Rationabiliter etiam subtiliati fuerunt Philosophi, obscurè & difficulter ipsam scribere ut unusquisque sapiens, cum summa diligentia studere nitatur, ut cum ipsam invenerit, magis diligat, & gratias innumerabiles agat altissimo largitori. Unde Rosinus: Voluerunt enim Philosophi, ut perscrutatores suis in libris frequentissimè investigent. Et Barseus in Turba Philosophorum: Jubeo ergo vos frequenter legere, & super iis,quæ plurimùm meditari. Legere namque sermo mortuus est, labiis autem proferre sermo vivus. Idem ibidem: Heu vobis, qualiter vultis habere hanc nobilissimam oblationem, lecto semel libro, vel primo regimine experto? Et Rasis in libro 70. Præceptorum: Liber enim librum aperit, & sermo sermonem explicat. Idem in libro Perfecti magisterij. Unde cum de hujus rei experientia nemo possit per se prima fronte esse discretus, tibi suadendum providi, ut actione incepta, ab ipsa non cesses, si prima vice non rectè fueris operatus, secundò, tertiò, & etiam amplius si opus fuerit, reiterando, quousque quod appetis, perfectissimè deprehendas,neque te ab hac re, labor manuum rerumve impensa dimoveat: quia cum instantia vinces, & cum patientia superbis, & ad id, Deo duce, devenies quod optasti, & de manuum labore mercedem & lucrum, de rerum sumptibus, rehabebis, Sic igitur propter

dictas

dictas cauſſas, hanc Artem taliter Philoſophi tradiderunt.

CAPUT IX.

In quo oſtendit, hunc Lapidem ſimilari omnibus rebus mundi, & quot ſint nomina ejus, & quot Philoſophi hujus ſcientiæ tetigerunt eam, cum omnibus aliis ſcientiis. Et ſolvit opiniones antiquorum; quas Ariſtoteles in Philoſophia reprobat.

ANtiquiſſimi Philoſophorum viderunt hunc Lapidem in ortu, & ſublimatione ſua, & conjunctione Elementorum ejus, omnibus rebus mundi, tàm realibus quàm intellectualibus, & eorum accidentibus, poſſè in ſimilitudinibus convenire. Unde quæcunque dici & tractari poſſunt de virtutibus & vitijs, de cœlo, & omnibus, tam corporeis quàm incorporeis, de mundi creatione, & ejus principio & fine, & de Elementis omnibus, & eorum qualitatibus, tàm primis quàm ſecundis, & eorum confuſione in materia prima, & ipſorum diſtinctione, & aſcenſione, & eorum proprietatibus & paſſionibus omnibus, & de elementatis omnibus, tàm animalibus quàm vegetabilibus, & mineralibus, & de corruptibilibus & incorruptibilibus, & viſibilibus & inviſibilibus, & de ſpiritu, & anima, & corpore, & ipſorum unione, & ſejunctione, & de vita & morte, & bono & malo, de veritate & falſitate, de unitate & multitudine, de paupertate & divitijs, de volante & non volante, de bello & pace, de victore & victo & labore & requie, de ſomno & vigilia, de conceptione & partu, de puero & ſene, de maſculo & fœmina, de forti & debili, de albis & rubeis, & quibusliber coloratis, de inferno & abyſſo, & eorum tenebris, ac etiàm ignibus ſulphureis, & de paradiſo & ejus celſitudine, & claritate, ac etiam pulchritudine, & gloria ejus inæſtimabili: Et breviter de iis quæ ſunt, & de iis quæ non ſunt, & de ijs quæ loqui licet & de ijs quæ loqui non licet, poſſunt omnia dici de hoc Lapide venerando. Unde Philoſophi hujus Artis, in omnibus ſuis ſcientiis & operibus, tetigerunt ſcientiam hujus Lapidis, myſticè loquendo: Ita quòd ſcientia iſta nihil dimiſit, quin ad ſe detraheret, & ſibi componeret: Neque eſt hoc inconveniens, quoniam omnia quæ ſunt, & quæ non ſunt, ars iſta divina ſibi pro terminis ſuis aſſumet, & loquitur de omnibus ſecundum analogiam in ſuis libris, & omnes aliæ de ipſa hoc idem poſſunt. tàm Philoſophia, & quàm Aſtrologia, & quàm Geomantia, & quàm ars Turba imaginum, ut dicit Balgus in Turba Philoſoph., & Morienus. Et hoc confirmans Albumazar, in Introductorio judiciorum dicit: Inveniemus quoque quoſdam antiquorum retuliſſe, quòd ſint imagines in circulo, & res aliæ diverſæ ab hac, quod diximus, & locuti ſumus ſuper eas multas locutiones figurativè, quaſi per Allegoriam: ſed dimiſimus hoc, quia incongruum erat huic noſtro libro &c. Non ſolùm autem ſicut etiam tota poëtica facta eſt, & hiſtorialis & fabuloſa, ſicut patet in libris Vergilij & Ovidij Unde, quidquid eſt de creatione mundi, & tranſmutationibus rerum, tàm extraneis quàm impoſſibilibus, in libro Ovidij Metamorphoſeos, & in aliis, qui hoc ſciverunt, eſt de hoc. Legentes autem eos, & in ſuperficie conſiderántes, habent fabulas mirandas; & de radice nihil guſtant (*) Quod ſi fidem noſtram Chriſtianam non offenderem, neque legem, auderem dicere quoſdam antiquorum prophetarum habuiſſe, (ſi fas eſſet) artem, ut Moyſen, David, Salomonem, & quoſdam alios, & ſimiliter Joannem Evangeliſtam, & eam dictis Domini intermiſcuerunt & occultaverunt, ſicut perpenderunt ſapientes. Unde Raſis in Lumine luminum: Seria adminiſtratione dignum judicavim, ut id ad propriam reduceret naturam, unde ſententiam hujus ſermonis, & in lege Moyſi, &c Et Roſinus: Deus tribuit rectè Moyſi, &c. Et Alphidius in libro Malachiæ prophetæ: Hujus autem rei purgandæ per propheram benè prædictum eſſe legimus, Tota die ſedebit conſtans, & mundabit argentum, ac purgabit filios Levi, quà purgatione peracta erit cœlum novum & terra nova, & videbit omnis caro ſalutare ſuum, cum ſe cognoverit ab omni corruptione fore mundatam, & ad priſtinam ſanitatem, in qua condita fuerat redire, &c. Ideæ in libris philoſophorum plures prophetarum vidimus allegatos, qui in ſuo principali propoſito hanc artem intermiſcuerunt. Iſta enim ſcientia eſt divina, & cum reliquis myſticè patitur implicari.

Ex dictis igitur verè patere poteſt, quòd iſtius lapidis infinita nomina conſurgere neceſſe eſt, quæ omnia ſunt vera apud philoſophos Alchemiæ, quamvis ficta ſint, id eſt ſimilitudines. Unde Raſis in Lumine luminum: Hæc enim quæ dicimus, ad imagines referuntur. Et ideo primo 70. Præceptorum: hæc omnia quæ dicimus, ſunt typica, quæ ſubtiles in hac arte intelligere debent. Idem in eodem libro: Mihi eſt neceſſario dicere ſicut dixerunt antiqui, ipſi namque ſunt, quibus intuendum eſt. Et Pythagoras in Turba Philoſophorum: Scitoteque res quam multiplicuer narraverunt, ſuum abſque igne ſocium conſequitur, prout magnes conſequitur ferrum, quam ubique inveniunt, quæ eſt lapis & non lapis, vilis & preciosa, obſcura, celata, & à quolibet nota, unius nominis & multorum nominum. Et Alphidius: In eo enim omnis ſimilitudo, & omnis deſcriptio inventa eſt. omnium animalium genera; & lapidum ſunt in ipſo, naturis, coloribus, odoribus, operibus eſt ſimilis, cui nihil eſt ſimile in actione, in deſcriptione, in tranſitu, in dominatione &c. Et Milveſcindus: Si ſpirituale nuncupes, probabile quid agis: Si corporale, verum dicis: ſi cæleſte, non mentiris: ſi terreum, certum refers, &c. Et Morienus: Ego veritatem vobis dico: quia nihil aliud hujus artis operatores in errorem dettuſit, niſi varietas, & nominum multitudo. Sed ſi quis rectè cognoverit, quod hæc nomina non ſunt, niſi colores in conjunctione apparentes, in hujus magiſterij via non deviabit. Et dicit Lilium: Noſtri

(*) Quod ſi fidem noſtram, *&c. Non fuerunt hanc Artem antiqui Prophetæ perſequuti, propter argentum & aurum habendum, ſed ideo, quia viderunt inquiſitionem ejus, & inventionem per ſuos terminos miraculoſam & ſuper naturam, & ideo divinam & myſticam: quod circa terminos ejus, cum ſuis divinis intermiſcere potuerunt, & voluerunt, principali propoſito & indice manente, cum ipſorum termini ſint divini: & myſtici etiam. neque hoc principale propoſitum derogare videntur, nec removere intentionem eorum ab inquiſitione ipſius. Non enim propter bonum utile, neque delectabile inquiſiverunt, ſed propter honeſtum, quia dilexerunt rem propter ſeipſam. Et legimus in libro Avicennæ de Circulo animæ, Joan. Evangeliſt. in numero Philoſophorum hujus artis.*

stri lapidis tot sunt nomina, quo tres vel rerum notabilia. Et Rosinus: Philosophi namque millibus millium legionum nominibus ipsum nuncupaverunt, unde homines in eo errare fecerunt, & ad eum pervenire non potuerunt. Et Rasis in Lumine luminum; Antiquis enim tot & tam diversis istarum rerum significantiam libuit occultare, ut vix aut nunquam ulterius nova possent inveniri notabilia. Unde non nisi studiosa assiduitate, vel multiplici exercitio, cui parti faveant, quis advertere poterit. Et Alphidius: In hoc opere est parabolarum diversitas, & nominum & actionum, ut ab imperitia celent, & intelligentiæ capitibus aperiant & demonstrent. Et Morienus: Sapientes hujus magisterij, ejus dispositiones alia de causa non multiplicaverunt, nisi ut sapientes in hoc magisterio instruerent, & insipientes penitus excæcarent. Et Rosinus: Cave ne sis de illis, qui aliter libros nostros legunt, quàm intentio nostra in eis extiterit. Quare cæci memoriæ remanent à vero sequestrati, & eorum imputant ignorantiam, Philosophorum esse peccatum, ac Philosophos mentiri testantur, cum ipsi sint potius mentientes. Amplius quamvis hæc nomina infinita ficta sint, non est mirandum: quoniam hic lapis Orphanus proprio nomine caret, nec proprium nomen aliquod habere potest, nisi Lapis Philosophorum. Ergo cum hoc in ipsius cognitione non sit sufficiens, attribuerunt ei nomina aliarum rerum omnium, ut per tales similitudines, sapientes devenire possint in cognitionem ipsius. Propterea igitur omnia ejus nomina verba sunt apud Philosophos, & nota solis eis: quia intelligunt quid significant. Quamvis enim materia ex qua lapis, sit tantum una, & ipse lapis tantum unus, tamen secundum diversos colores & varietates, quæ in decoctione apparent, & ortum ejus, & conjunctionem in magisterio diversam, nomina imponunt ad libitum. Similiter vulgus hoc idem facit, scilicet quia imponit nomina diversa uni rei, propter diversas formas accidentales. Nam ex auro & argento fit annulus, scyphus, armilla, nummus, corona, & tamen omnia sunt aurum & argentum. Similiter in alijs metallis, & in cera, & in ligno, & argilla & vitro, quæ tamen omnia, secundum materiam & formam naturalem, sunt idem & unius nominis, & ratione accidentium multorum nominum. Et sicut hæc nomina plura unius rei, sunt nota vulgo & omni populo, cum sit omnium, sic & Lapis Philosophorum, cum sit de se unicus, & ipsius nomina plurima & infinita, sunt nota Philosophis solis, cum sit res ipsorum, & non aliorum. Et cum vulgus procedat proverbialiter & figurativè, in sermonibus suis, scilicet unum dicens, & aliud occultè intelligens, ut sapiens vulgus ab insipienti discernat quod occultum est, quanto magis hæc ars divina hoc facere debet, præsertim cum ipsa sit Secretum secretorum Dei altissimi & magni, ut dicunt Philosophi hujus artis? Unde Aristoteles in Epistola libri Secretorum ad Alexandrum dicit: Causa quidem, quare tibi revelo secretum meum, figurativè loquens tecum exemplis, ænigmatibus atque signis, est: quia timeo nimium, ad manus deveniat infidelium & ad potestatem arrogantium, & sic perveniret ad illos ultimum bonum, & arcanum divinum, à quo summus Deus judicavit immeritos & indignos. Ego etiam sanè transgressor divinæ gratiæ, & fraudator cœlestis secreti, & occultator revelationis: ea propter tibi sub attestatione divini judicij istud detego sacramentum, eo modo quo mihi revelatum est, &c. De iis similitudinibus etiam, & allegorijs loquens, quas dixerunt antiqui, dicit decimo sexto de Animalibus, quod quædam monstra assimilaverunt capræ sufflanti ignem, & quædam porrò præconizanti. Et dicit ibidem: Est autem nihil eorum quæ dicunt, sed assimilata solum. Et dicit iterum duodecimo Metaphys. quod talia quæ dixerunt antiqui, non derisoriè dixerunt. Aristoteles contra antiquos, & solutio contradictionum. Antè tamen quàm Aristoteles perveniret ad intellectum talium sermonum antiquorum, improbat eos, maximè Platonicos & Pythagoricos, qui tractando Philosophiam, & artes, & scientias, loquebantur mysticè & metaphoricè, & non quo ad veritates rerum. Unde primo Physicorum improbat Anaxàgoram, qui dicebat omnia fieri ex similibus, & in principio de Generatione & corruptione, Democritum, qui dixit, quod actio & passio fit à simili, & quod generatio fit per congregationem atomorum, & corruptio per segregationem ipsorum. Et in primo de Anima, improbat eundem de eo quod dicit: quod omne simile cognoscitur suo simili, & animam ingredi quodlibet corpus, cui primò obviat, & quamlibet animam ingredi quodlibet corpus. Et ideo dicit ibi: Hæc dicta, esse Pythagoricas fabulas. Et 2. Metaphys. dicit: Quod propter consuetudinem audiendi fabulas, multi negligunt veritatem. Et 2. Cœli & mundi, dicit contra illos, qui dicebant, cœlum esse corruptibile, sed propter animam, quam habet, scil. intelligentiàm, esse sempiternum. Volo autem nunc dimittere ista antiqua & fabulosa, &c. Et in 2. Perigeneseos, Platonem improbat, qui dixit, primam materiam esse planitiem & superficiem. Et in eodem similiter increpat Empedoclem, qui dicit: Omnia moveri per litem & amicitiam, & per amicitiam fit generatio, & elementorum conjunctio; & per litem corruptio, & elementorum segregatio, & quod in circulo sunt elementa conjuncta vera amicitia, ideo non potest ibi esse lis, & ideo est incorruptibile. Et in 3. Cœli & mundi ipsum improbat quia dicit, quod dilectio & amicitia aggregaverunt elementa quædam, & generata sunt capita multa sine collis. Et ibidem: Quod elementa omnia sunt similium partium, & quod omnia sunt ex similibus. Et iterum: Quod omnia sunt generata ex spissitudine unius elementi, quod tamen dictum est verissimum, imò necessarium, & reliqua. Unde Philosophus improbat eos, quia non inquirebant causas proprias rerum. Ideo dicit 2. Cœli & mundi contra illos, qui dicunt, quod ignis sit in medio mundi, & terra una ex stellis sit, & non dixerunt hunc sermonem, nisi quia non inquirebant cognitionem propriam earum rerum: sermo enim in terra est per visum, verum ipsi pertransierunt visum ad quasdam voluntates, &c. Et in 3. ejusdem contra illos qui dicunt: Elementum unum esse commune alterationi & permutationi, dicit: Accidit autem eis illud, quoniam non acceperunt principia rerum acceptione bona, secundum veritates suas: Sed loquuntur de rebus cadentibus sub visum, quod non testificatur eis visum: elementa autem omnia cadunt sub visum, &c. (*) Sed quamvis hæc talia dicta extranea

(*) Sed quamvis hæc talia, &c.) *Notandum est, quod sicut prius est esse rerum, & veritas secundum naturam, quam earum similitudo & allegoria, scientiæ & artes, prius tractare dicuntur esse, & veritates rerum, secundariò autem similitudines, & allegorias, quoniam veritas nihil aliud est, quàm adæquatio intellectus ad rem:*

nea non ſint vera apud Ariſtotelem quia non inquirunt proprias cauſas rerum, ſicut requirunt res: tamen omnia ſunt vera in Alchemia, & ei correſpondentia, & in libris Alchemiæ tradita, & narrata in ſimilitudinibus, dictis, & alijs quaſi infinitis, Unde omnes in ſuis libris naturalibus, & aliis volentes artem hanc intermiſcere, & inſipientibus occultare & ſapientibus aperire, videbantur opinari falſa, cum tamen naturalium veritatem non ignorarent. Propter quod dixit Morienus: Quod omnes philoſophi in ſuis libris paſſim eam tetigerunt. Nam qui dicebant, omnia eſſe unum, & principia corporum laminæ, & atomi, & alia talia dicebant referendo ad Alchemiam. Quis enim philoſophorum tam faruè locutus fuiſſet, ut naturaliter ſolum loquendo, diceret omnia eſſe unum, & nil moveri, & alia ſimilia. Et ideo Philoſophus 1. Metaphyſicæ dicit: Quod dicere exemplaria eſſe, & eis alia participare vaniloquium eſt, & metaphoras dicere poëticas. Ideo volens definire ſcientiam, quid ſit, 6. Ethicorum dicit: Certificari oportet de ea quid ſit, ſi non velimus ſequi ſimilitudines: Signum autem, quod ob hoc, quod dictum eſt, reprehendat eos, eſt, quia 3. Metaphyſ. inquirens, utrum eadem ſint principia rerum corruptibilium & incorruptibilium, dicit ſic: Ponunt enim antiqui principia eſſe Deos, & ex elementis, & finxerunt quod principia, quæ non guſtaverunt de amaricio, & non potaverunt de ſublimatione, moriuntur. Alia tranſlatio ponit nectar & manna, ubi hic pouit amaricium & ſublimationem. Et poſt dicit: Sed de fabuloſe ſophiſticantibus, non eſt dignum cum ſtudio intendere, &c. Ipſi enim dixerunt iſta, & ſunt nota apud eos, ſed hoc quod poſuerunt de iſtis cauſis, quantum guſtant & potant, eſt extra noſtras rationes, & ideo non oportet perſcrutari de ſermonibus ipſorum, quorum philoſophia eſt ſimilis picturæ, &c. Patet igitur ex omnibus dictis, quod omnia nomina hujus lapidis ſunt ficta. Quod ſi contingat, ut quandoque vero nomine hunc lapidem nominent, ſi aliquid habet, multa alia extranea intermiſcent, ut indignè quærentes errent. Unde Roſinus: Scias quod philoſophi nunquam merum & verum verbum poſuerunt, quando quamplurima cum eo falſa poſuerunt, ut ſimilatis nominibus illa tranſfigurarent. Quare neminem invenimus merum verbum poſuiſſe à falſo denudatum, excepto Hermete, cum inquit: Scitote, quod nulla tinctura verax ſit unquam, niſi ex lapide rubeo. Quia igitur cum uno vero verbo multa & extranea commiſcent falſa, & regimen in operatione, & terminum, & reliqua variant & multiplicant, ſolus vir excellentis ingenij, potentis intelligere figuras & analogias veterum cum diuturna inquiſitione, & labore magno prolixo, animæ & corporis, & pluribus ſumptibus, & multiplici fallacia præcedente, & admiratione deceptionis ſuorum operum, & difficultate plurima eorum conſortium poterit adipiſci. Quomodo ergo libros ipſorum ſuperficialiter, & ſecundum ſonum literæ tantum conſiderantes, & prima fronte accedentes ad operationem, ipſius veritatem: & profunditatem attingent. Unde Raſis hoc inſinuans, dicit lib. Perfecti magiſterij: Iſti enim 7 ſpiritus ſuper ignem non perſeverant, ſed ſenſim paulatim ab eo fugiunt & evolant, niſi ad ipſos perficiendos quibuſdam menodabilibus vinculis, & artificioſis gumphis, indiſſolubiliter conſtringantur, quæ diuturna conſtantia, ſubtili meditatione, indefeſſa ſimul inſtantia & operatione, poſt multiplices laborum fallacias, & operationum diverſa ſophiſmata, eſt philoſophia perfectiſſimè conſecuta, & eorum arcana ſuis reliquit filiis, &c. Sic ergo patet: quare tanta eſt varietas & multitudo nominum, introductione occulta iſtius occultæ artis & diverſitatis, cauſa intentionis philoſophorum in omnibus artibus & ſcientiis, propter quod oportet eum, qui vult fructus iſtius ſcientiæ adipiſci, derelinquere nomina, cum ſint infinita, & ſicut ſigna imaginata, & deſcendere ad ſignificata, & res ipſas, cum res ſint finitæ & paucæ. Et hoc conſilium dans Plato dixit: Contemnere oportet nomina eos, quibus tantarum & tam magnarum rerum præjacet inveſtigatio, &c. Non eſt ergo utilitas, ſed confuſio, ſpeculatio in nominibus, ſed per eorum diſtinctionem tranſire ad ſignificata propria, quod eſt difficile valde. Unde dicitur primo Topicorum: Quæ habent fantaſiam, id eſt apparentiam in ſuperficie, & non in profundo videntur probabilia, & non ſunt. Et dicitur primo Elenchorum: Philoſophi non ſunt ferentes res ad diſputandum, ſed nominibus utuntur pro rebus notis. Ideo qui ſunt ignari virtutis nominum, paralogizantur, & ipſi diſputantes & ipſi diſputantes & audientes, & ubi dicitur, Diſtinguere ergo nomina multiplicia, eſt utile, ad manifeſtandum propoſitum, & ſyllogizare ad rem, & non ad nomen, ut dicitur primo Topicorum: Et debet interrogans & reſpondens ferre intellectum ad idem, ut ibidem dicitur. Adhærendum eſt ergo rebus per ſe, & non nominibus.

CAPUT X.

In quo improbat Sophiſtas, & deceptores, & contradictores: & oſtendit, Artem de ſe eſſe brevem & levem, nobilitatem & veritatem ejus oſtendit.

MOderni autem ferè omnes, alterationes ſolas abſque tranſmutatione facere curantes, propterea quia hæſitant, finem hunc arduum attingere nunquam poſſe, aut pluribus modis aliis & rebus hoc idem poſſe perficere, aut quod nunquam fieri poſſit, alterant metalla pluribus modis, & pluribus rebus, tam ſimilibus quàm extraneis, ut videantur aurum & argentum. Cumque non appareat alicui, niſi opus ſophiſticum, meritò omnes tales ſophiſtæ judicabuntur, non tamen ob hoc ars hæc ſophiſtica dicitur. Deceptores etiam ac Baractores quamplures repe-

rem: Similitudo autem & allegoriæ ſunt, ſicut figmentum in accidentibus rerum, ſive ſint, ſive non ſint, factum ab intellectu ſolo. Maximè ergo fefellerunt antiqui Philoſophi, qui fuerunt ante Ariſtotelem, qui volentes tradere cognitionem veritatis rerum, & aliis communicare, ut cum eis participarent: quia ſemper ſub allegoria & ſimilitudine loquebantur. Solus autem Ariſtoteles, videbatur incepiſſe à traditione propriæ veritatis rerum & ordine tradendi, quem Alexander Philoſophus, & Averroes, & Avicenna, & plures alii, ſunt ſecuti. Ideo quantum ad hoc, juſtè Ariſtoteles increpavit eos. Poſtquam autem Ariſtoteles tradidit eſſe & veritatis rerum, & cauſas ſuas locutus fuit, ſicut & ipſi: quia hoc requirebat rerum natura, & ordo, & modus & hoc irreprehenſibile eſt. Similiter Philoſophus eſt locutus, & docet loqui metaphoricè, ſimilitudinariè & allegoricè in tertio Rhotoricæ: quia hoc requirit ars illa, & ex ænigmatibus acquiruntur etiam metaphoræ convenientes, ut ibi dicitur: Sed Poetæ non ſic utuntur, ſed faciunt ridiculoſitatem & obſcuritatem, ut ibi dicitur.

reperiuntur, dicentes, se posse facere verum aurum & argentum,& qnamplurima commiscent,& imponunt aurum, vel argentum verum, pulverizatum & denigratum, ut non noscatur, & qui discere volunt, hoc non perpendunt, & in conflatione remanet aurum vel argentum verum: quod imposuerunt,& extorquent pecuniam ab eis: & ob hoc, cum sentiunt se deceptos, arguunt artem hanc esse Baratoriam. Conantes autem veritatem inquirere, & cupientes, non potètes autem consequi hunc glorioſum finem, præsertim propter errorem radicis,præfinito tempore orientis,quam oculo non conspiciunt ex ignorantia,evanescit ab igne: quam iterum expectant, quæ nunquam est regnatura,quasi desperati arguunt hoc esse non posse & contradicunt. Habuerunt enim quod quærebant in sua potestate: sed quia non viderunt, non præparaverunt, & evasit de manibus eorum. Non enim loris & retinaculis suis ligaverunt eum. Omnes ergo contra arguentes, sive prædicti, sive alij, errores suæ imperitiæ indignè huic imponunt arti.Nonne videmus,quod Astrologia est scientia in semetipsa vera, & in principiis veris fundata, & habet vera judicia in seipsa: Si quis autem Astrologus non rectè judicaverit, nunquam ipsius scientiæ erit error,absit,imò erit error judicantis,ignorantis proportiones subtiles & profundas in correspondentia planetarum, secundum suos aspectus, secundum diversitatem signorum & graduum,& circumstantiarum aliarum. Inspiciunt enim ad pauca & communia, non autem ad multa & propria. Unde Philosophus primo Perigeneseos, ad pauca, id est, utilia inspicientes, facilè enunciant. Et hoc confirmans Albumazar,in Introductorio judiciorum dicit: Quod si acciderit in hac scientia error, non erit hoc ex nostra scientia & magisterio:imo erit ex pravitate scientiæ multorum, qui aspiciunt in hoc magisterio, & deficiunt à comprehensione scientiæ ejus,præ debilitate eorum, ab intellectu subtilitatis causarum, quibus eum experiuntur.Idem in eodem:Verùm neque propter ignorantiam ejus, qui Astrologiam ignoraverit, ponenda est ratio erga eum, qui eam benè sciverit, & veridicus in ea fuerit, &c.

Similiter scientia Geometriæ,est scientia vera valde,in suis mensuris,cum ipsa sit de genere mathematicorum, quæ sunt verissimæ. Mensurat enim altitudines turrium, & montium inaccessibilium, & profunditates puteorum, & aliarum profunditatum, & latitudines corporum, in instrumentis suis appropriatis, per lineas, & angulos, & altitudines cœlorum, & planetarum, & stellarum magnitudines, & ambitum cœli, & ambitum totius terræ & ejus diametrum, & breviter, omnium magnitudinum per sensum visus, absque hoc quod tangat illa. Et cum hæc talia sint admiranda,& extranea valde,& videantur impossibilia posse esse apud vulgum,& ignotantes principia hujus scientiæ, & instrumenta, quibus pervenitur ad hoc,nunquam ignorantia eorum,& rationes inanes suæ probabunt geometriam non esse esse veram, absit.

Similiter scientia medicinæ, est scientia vera in seipsa,cum judiciis &medicationibus veris:sed si quis quasi medicus (ut sunt nostro tempore humoristæ) erraverit non noscendo ægritudinem per signa propria, & in meditando & prognosticando, nunquam errores illi attribuentur scientiæ medicinæ absit: Sed illi quasi medico & quasi artifici, in scientia illa erranti. Eodem modo verè dicimus,quòd errores, qui accidunt Alchemistis, rectè operari desiderantibus,non erunt artis Alchemiæ, sed Alchemistarum deficientium comprehensione veritatis ipsius: quia sicut res se habent ad esse, ita & ad cognosci, & cognitio erit tantum una,ut dicitur secundo Metaphys. Ergo cum esse rei sit tantum unum, & veritas erit tantum una: Deviantes ergo ab unitate & veritate rei,pluribus modis & infinitis quasi errare contingit.Propter suam igitur ignorantiam,& errores suos multiplices, volunt & credunt, hanc artem interimere. Unde Rasis hujus artis egregius, libro Perfecti magisterij,dicit sic: Quidam verò sophistæ, naturalium rerum inscij, & secretorum Philosophiæ expertes, & ejus tegumentorum improvidi, invenientes scripta ejusdem, iis rebus, ipsaque non intelligentes, cum post opus in manibus suis nihil inveniant, errorem imperitiæ suæ Philosophiæ ascribentes, hoc opus non solum non facilè, verùm impossibile prædicant, de quibus Philosophia non curat. Non enim omnes ad hoc epulum convocat, sed illos tantum, qui hujus mensæ accubitu, & istiusmodi refectione epuli sunt inventi digni.Satage igitur,ut non sis sophista,sed sophus,id est,ut rerum virtutes, non meditatione solum, verum etiam meditatione & experientia cognoscas, &c. Et Alexander:Dum verò opinio sit brevis, contemplatio verò debilis, & non pervenit ad propositum, impotentiæ suæ peccatum inferat, neque me pùtet errasse, sed seipsum, &c. Et Geber in Summa sua: Si igitur æs tuum perdideris, nostra non attendens monita, quæ in hoc loco tibi scripsimus, aperta & manifesta, non nos iniquè corrodas, nec nobis blasphemias inferas, sed tuæ impuræ ignorantiæ & præsumptioni, &c. Aristoteles 1. Metaphys. *Magis insistendum Veritati, quam Opinioni Hominum.* Idem in primo Topicorum Loquendum est ut plures, sed sentiendum ut pauci. Idem quarto Ethicorum de Magnanimitate: Et curare debet magis veritatem, quàm opinionem. Idem dicit tandem sententiam tertio de Somno & vigilia, loquens de somniis & divinatione, quæ fit in somniis, & quia si tales sophisticis operationibus solum adhærent, postquam veritatem hanc unicam habere non possunt, receptas plures scripserunt, & composuerunt diversas, ex diversis, sophisticas, omnes in alba tinctura & rubea, de hac re plus, & de illa minus, aut æqualiter absq; ratione apponentes.Sequentes autem hæc scripta, reperientes & operantes secundum ea, inveniunt omnia erronea:& ex hoc libri magnorum Philosophorum veridicorum erronei reputàtur,cum tamen sint verissimi. Unde Geber in Summa sua,Capitulo de Negantibus artem, à datis eos valde vituperat & blasphemat. Philosophi etiam hujus artis, in libris suis commixtiones multas scripserunt diversas,& falsas: & hæc merito facere debuerunt, cum contrariorum eadem sit disciplina. Nam ad eundem artificem spectat tractare veritatem de subjecto suo & proprietatibus & passionibus ejus,& postmodum falsitatem,ita ut discreta veritate persequatur,& falsitas refutetur. Non enim potest quis verum prosequi, nisi cognita falsitate, dantes intelligere, quod quicquid dicunt, de istis pluralitatibus & diversitatibus,sophisticum & fallum est,cum hæc ars sit unica solùm, ut supra ostensum est. Scripserunt enim Philosophi hæc,cum versutiis parabolarum, unum dicentes, & aliud intelligentes, ut fatuos seducant, & à vero sequestrent: & ij non intelligentes,operantur juxta sonum scripturæ tantum, & in fine nil veritatis reperiunt, & mirantur: & post credentes bene agere, has receptiones mutant, & in infinitum multiplicant & extendunt, Philosophi autem unum tantummodo volunt, & in illo omnes mutuo se intelligunt. Et verè dico, sicut opinor, quod si

totam hanc artem, cum omnibus neceſſariis, practicè tradere vellent, relinquendo omnes figuras, quod in 6. vel 12 lineis ſcribere ipſam poſſent, quod quare non fecerint, ſupra dilucidè ſatis enituit. Ex habitis ergo habere poſſumus, quod nemo ad finem & complementum hujus glorioſæ artis occultæ accedet, per ſolum ſtudium & librorum copiam, ſed oportet ipſum habere ingenium naturaliter profundiſſimum & excelſum, ut diſcernere ſciat figuras, & analogias verborum, in ſuis ſignificationibus varijs & multiplicibus. Figura enim unius ejuſdem verbi, erit in uno loco unius ſignificationis, & in alio loco contrariæ, ut dicit Raſis in Lumine luminum, ubi loquitur de elementis: unde Morienus: Sunt autem libri hujus artis ſub figura compoſiti omnes, quorum pars major multum obſcura videtur: neque ferè niſi à ſuis compoſitoribus intelligi poſſunt, & qui per ejus inquiſitionem libros circuit, tarde ipſam reperiet. Et Geber Capitulo ultimo Summæ ſuæ: Non deſperet igitur doctrinæ filius, quia ſi illam quæret, illam inveniet, non doctrinæ, ſed proprij motus indagatione naturæ: quoniam qui per ſe, & ſuæ bonitatis induſtriam quærit ſcientiam, inveniet: qui verò per librorum inſecutionem quæſierit, tardiſſimè perveniet ad hanc artem precioſiſſimam: quoniam nobis ſolis artem per nos ſolos inveſtigatam tradimus, & non alijs: veriſſimam tamen, & omnino certam, quia ars juvatur ab ingenio & ingenium ab arte ſimiliter. Et Lilium: Hoc fideli memoriæ commendavi potius, quam ſcripturæ. Et ideo in iis potius eſt viſio quam ſcriptura quærenda. Et Expoſitor in Lumine luminum, ſequendo & cognoſcendo naturam per ſeipſum invenies: quia à Philoſophis non perpendes determinatum modum ſolutionis corporum. Ideo dixit Avicenna: Nobis itaque neceſſarium eſt, ut operationem hanc per nos ipſos inveniamus. Idem in eodem: Iſtæ res fuerunt nobis notæ ante experimentum, cum cogitatione ſubtili, vehementi, & longa. Unde Geber, Capitulo de præparatione Saturni: conqueritur & lamentatur de difficultate, quàm habuit in acquirendo hanc artem dicens Propter hoc igitur & nos ſimiliter in ſtuporem adducti, multi temporis ſpatio, ſub deſperationis umbraculo delituimus: redeuntes igitur in nos ipſos, noſmet torquentes, immenſæ cogitationum meditationis affectionibus reſpeximus, &c. Idem capitulo de modo adminiſtrationis ſolaris medicinæ: Et in hoc ordine completur arcanum precioſiſſimum, quod eſt ſuper omne hujus mundi ſcientiarum arcanum, & theſaurus incomparabilis, & tu quidem exciteris ad illud, cum laboris inſtantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immenſæ: cum illa enim invenies, & ſine illa non. Poſtquam autem inquiſitor inveſtigaverit, quantum poteſt, tunc ſubjiciat ſe operationi, inveſtigatæ prius, ut cum erraverit, cognoſcat errores ſuos. Tam magnum enim quid eſt, cognoſcere errores ſuos in operatione, quod aliter non poteſt aliquis attingere veritatem, nec ipſam inveſtigare. Ergo cum erraverit, redeat ad inveſtigationem iterum, & poſt operetur iterum, nunquam tamen renuendo ac vilipendendo inveſtigationem: quia operando detegentur errores inveſtigati prius, & veritati appropinquabit, & non aliter: & totiens operetur & inveſtiget, quouſque operis finem attingat, Deo volente. Sicut enim dubitans, poteſt inveſtigare veritatem dubitanti, & non aliqui's aliter: ita per inveſtigationem operans & errans, reinveſtigando poteſt veritatem invenire. Unde Raſis in libro 70. præceptorum, libro ultimo: Uſus alleviabit tibi hoc opus, & oſtendet tibi mirabilia tuarum operationum, ſed ille qui non habet uſum, aggravabitur in hoc opere. Et ita accidit omni homini, qui ingreditur ad hoc magiſterium, donec uratur eo. Item idem libro Perfecti magiſterij: Meditatio enim ſine experientia nihil valet, ſed experientia abſque meditatione perficit, unde plus eſt experientia quà Meditatio perquirenda. (*) Operatio autem hæc & experientia, ager continuâ operatione manuum quaſi, & intuitu viſus, in ſuis horis determinatis, ut artifex mundet elementa, & ipſa mundata videat, & conjungat.

Amplius animadvertendum eſt, hanc ſcientiam omnibus tã ſpeculativis quã practicis, excepta Lege, in qua eſt ſalus animæ, per divinam revelationem oſtenſa nobiliorem eſſe Fere enim omnes, qui addiſcunt, tam in artibus quam ſcientijs quibuſcunque, faciunt propter aurum & argentum acquirendum: quia

(*) Operatio autem hæc, &c. *Notandum quod in hac glorioſiſſima arte, valde eſt neceſſaria operatio manuum & intuitus viſus. Operatio manuum propter auferenda ſuperflua qua natura ſeparat & mundificat toto tempore digeſtionis per ignem & ſublimationis continuo, abſque intervallis magnis juvando naturam: quia ipſa ſola, etſi ſuperflua ſeparet, non tamen continuo: niſi juvetur: nec illa ſuperflua etiam auferre poteſt, ſed ſolus artifex. Unde dixit Socrates: Inquirite frigus Lunæ, & invenietis calorem Solis, & utantur manus veſtræ operibus, ut cuera vobis allevientur. Et Geber in Summa ſua: Qui non habuerit ſua completa organa, non poterit ad hujus operis complementum per ſe devenire. ut ſi cæcus fuerit, vel in extremis detruncatus, &c. Et de hoc Ariſtoteles reprehendit Anaxagoram 14. de animalibus, qui dixit, Hominem eſſe prudentiſſimum animalium propter habere manus, Ariſtoteles enim non intellexit eum, cum tamen uterque verum dicat diverſis reſpectibus. Sine manibus enim eſt impoſſibile, quenquam per ſe devenire ad hanc ſummam prudentiam, intuitus etiam viſus eſt neceſſarius omnino, præſertim cum in fine decoctionis & ſublimationis, ut ablatis omnibus ſuperfluis, videat artifex candorem mirabilem, & terribilem, & ſtatim inveniat ſibi requiem, poſt hanc conſummationem laboris: tunc enim infrigidando Lunam Sol occultatur in intimis ejus, & oriens conjungetur occidenti, & cœlum terræ, ſecundum antiquos, & ſpirituale cum corporali. Unde dicitur in Turba Philoſophorum: Scitote quod vos non tingitis purpureum colorem, niſi frigido, Et Hermes in 2. Cujus enim natura fuerit calida ſi frigus eum invenerit, non ei nocebit. Et Avicenna: Scias quod ſi evaporavit totum, tunc bene operatus es in compoſitione, ſed erraſti in calcinatione: infrigida ergo ipſum, &c. Tum enim manifeſtatur occultum, & occultatur manifeſtum infrigidando: Et hæc infrigidatio fit cum requie, in qua requie nulla eſt operatio manuum, cum ſit finis operationis, de qua dicit Morienus: Hæc eſt diſpoſitio illa, quæ manibus perfici non poteſt, &c. Et dicit Pythagoras in Turba Philoſoph. Scitote, quod res, quam multipliciter narraverant Philoſophi, ſuum abſque igne ſocium conſequitur, prout lapis magnetis conſequitur ferrum, & multos facit apparere colores, &c. Quaſi dicat, quod non egemus plus igne, ſed frigido componimus ſpiritus & corpora. Prima operatio, quæ fit cum manibus, eſt primus gradus operis, qui fit per ſublimationem & mundationem, Secunda vero operatio, qua fit cum requie, & abſque labore aliquo, eſt ſecundus gradus operis, qui fit per fixionem & permanentiam ejus quod ſublimatum & mundatum eſt: quia tunc agens cum introducit formam, imponit finem operi, & quieſcit, & delectatur. Nam delectatio magis eſt in quiete quam in motu, ut dicitur ſeptimo Ethicorum.*

quia cum iis omnia necessaria acquiruntur. Ita quod non addiscunt scientias & artes propter se ipsas, scilicet propter inquisitionem veritatis, quæ est intrinseca rei, scilicet propter intrinseum, quod tamen acquiritur cum labore & fatigatione animæ & corporis plurima, & dolore, & servitute, & obedientia, & quandoque cum toto hoc non acquiritur. Hæc autem propter se ipsam adipiscitur: quia in ea est intrinsecum aurum & argentum, & non extrinsecum, & veritatis inquisitio, & semper acquiritur, & commiscetur hæc scientia omnibus, & amicatur: hæc autem per se separatur ab eis. Et quia est de nobili subjecto, cui omnia obediunt, & quod omnia suppeditat, ipsa est nobilis valde. Et quia modus ejus tradendi & investigandi est figurativus, & divinus totus, dicetur nobilis valde, & quia finis operationis ejus est supra rationem, dicitur nobilior. Cum ergo omne quod est nobile, & propter se magis sit eligendum & concupiscendum, quam quod est propter aliud & per accidens, ideo quo ad hoc, hæc scientia omnes alias superat. Unde Hermes in secundo septem Tractatuum: Scias fili, quod omnes sapientiæ, quæ in mundo sunt, huic nostræ sapientiæ subditæ sunt: Hac namque in mirabilibus arcanis, quæ in iis sunt elementis finita est consecuta. Et idem in libro primo: Omnium bonorum clavem, vobis Philosophorum librum nuncupavi. Et idem in suis Secretis: Sicque habebis gloriam claritatis totius mundi. Et idem in libro de Quindecim stellis & Quindecim herbis, & Quindecim lapidibus, dicit: Quatuor sunt scientiarum scientiæ nobiles, scilicet Astrologia, Physica, Magica, & Alchemia. Imò etiam propter nobilitatem suam, non patitur applicari alicui, nisi ejus filius sit & hæres, sicut intellectus non patitur alicui applicari, nisi animæ humanæ. Unde bene doctus Rasis, libro Perfecti magisterij dicit: Si enim alius quam ejus filius hoc attentare præsumpserit, ut indignus penitus repulsam patietur, & se opus & impensam amisisse merito deplorabit. Ideo Morienus: Hæc est scientia, quæ inter alias maxime inquiri debet, cum per ipsam ad aliam magis admirabilem pervenire possimus. Et quia illa scientia, sic altissima & nobilissima est, ideo apud unumquemque sapientum, sagacissime inquiri debet, quamvis rarissimi sint, qui ipsius finem & complementum attingant. Unde Philosophus decimo de animalibus: Magis enim concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus, & altissimis, etiamsi topicè illud sciamus, quam scire multum per certitudinem, de rebus minus nobilibus. Et idem insinuat primo de Anima: ipsa enim ingenium nobilitat, & sublimat, & à captivitate naturæ animam & corpus liberat. Unde Morienus laudans finem ejus dicit: Utilitas hujus artis duplex est: Nam & animam, dum rectè fit, felici jucunditate decorat, & corpus à paupertate & servitute liberat. Et Plato juxta finem Stellicarum dicit: Et qui cognovit propositum nostrum, & intentionem nostram, jam est Philosophus, & ditatus est: & qui non cognovit dicta nostra, est in laqueis naturæ. Hæc autem est lucerna sapientis in vita sua, sicut lumen lucens: filij autem naturæ in loco tenebroso vexantur, quibus non lucebit lucerna cum sint vacui ea. Et Morienus iterum, universi enim qui hujus artis expertes sunt, quoque miseriæ genere mendici sunt, quod enim faciunt, faciunt ut habeant res abundè, quas tamen sine hac arte adipisci non possunt. Rursus dicimus, hanc artem esse omnibus certiorem: quia Philosophi ipsius omnes concordant in unum, tam in parte speculativa quàm practica, nec in aliquo sibi invicem contradicunt, nec variant opiniones: secundum rei veritatem, nec verba, sed solum secundum apparentiam, propter causas superius dictas, ita quod talis convenientia omnium eorum ad unum & idem ostendit, eam esse omnibus certiorem & veriorem. In omnibus enim aliis, tam artibus quam scientiis, plerunque quantum ad id de quo quærunt, variantur opiniones, & diversantur, & contrariantur, & quandoque valde, tam in speculativis partibus, quam in practicis. Similiter tota operatio hujus artis, vera & certa, cum sit unica tantum, potest doceri & addisci in die una, imo in hora una ab aliquo sciente, absque investigatione & scientia, quod in nulla scientia nec arte contingit. Non tamen diceremus ipsum Alchemistam, cum ignoraret Principia & causas, & intellectum figurarum, & sermonum allegoricorum. Sicut enim turpe esset, aliquem ignarum docere hanc operationem perfectam: Sic de rationabile esset ipsum dicere Alchemistam, propter operationem solam quam sciret. Unde Philosophus secundo Ethicorum: Non quicunque facit grammaticalia vel musicalia, est Grammaticus vel Musicus. Scientia enim hæc extollit intellectum ad divina, & super naturam, & hoc in operatione verificatur, quod non fit in illo, sic solam docto, & ideo certissima est, & unica, & occulta, & cœlestis, &c. Unde Alexander: Demonstravi arcanum, cœlesteque patefeci, scientiarum difficile, atque absconditum illuminavi, perfectamque scientiam regendi modum certificavi, alias tamen certitudines scientiarum ad invicem, scilicet quæ sit certior, & quæ non assignat Philosophus primo Posteriorum. Quæ quamvis sint veraces, non tamen faciunt idcirco ad hoc propositum. Et hanc certitudinem ostendens Hermes in principio Secretorum suorum, dicit: Verum sine mendacio certum, certissimum, verissimum: Quod est superius est sicut quod est inferius, & quod est inferius est sicut quod est superius, ad perpetrandum miracula rei unius, &c.

CAPUT XI.

De fermento, & modis, conditionibus, & proprietatibus ejus, & conversione, quam facit secundum Philosophos hujus artis.

POstquam narravimus terminorum quorundam, & propositionum difficilium extranearum modos faciliores secundum Philosophos, per capitula ordinata, quibus fieri potest introitus ad hanc quæstionem investigandam, & artem veram esse cognoscendam, nunc difficillimos quosdam terminos per investigationem exercitando expositione ad eandem intentionem aggrediamur, interponendo semper, cum fuerit expediens, authoritatem ipsorum. De fermento igitur, sine quo ars Alchemiæ perfici & compleri non potest, occultissime & velatis sermonibus tractaverunt, quoniam ipsum est de secretissimis terminis hujus. Sicut igitur intelligimus, disseramus nunc. Apud Philosophos fermentum dupliciter videtur dici: uno modo ipse lapis ex suis Elementis compositus, & completus in comparatione ad metalla: Alio modo illud quod est perficiens lapidem, & ipsum complens. De primo modo dicimus, quod sicut fermentum pastæ vincit pastam, & ad se convertit semper, sic & lapis, convertit ad se metalla reliqua. Et sicut una pars fermenti pastæ, habet convertere infinitas partes pastæ, vicissim & nō converti, sic & hic lapis habet convertere plurimas partes metallorum ad se, & non converti. Et sicut pasta alteratur, & convertitur ab eo quod suæ

naturæ eſt,& quod ſumpſit originem ex ea:nec convertitur à re extranea : ſimili modo metalla alterantur, & convertuntur ab eo, quod ſuæ naturæ eſt, & quod ſumpſit originem ex eis , & non ab alia re extranea . Et ſicut paſta non alterat nec convertit aliam paſtam ad ſe , niſi prius alteretur, & recipiat virtutem quandam additam , per quam recipit potentiam alterandi , & convertendi aliam paſtam ad ſe : ſimili modo hic lapis non alterat , nec convertit metalla ad ſe niſi prius alteretur,convertatur,& recipiat quandam naturam additam,per quam habeat potentiam alterandi , & convertendi metalla ad ſe. Unde dicitur in Turba philoſophorum , quod non alterat, niſi prius alteretur, nec colorat,niſi prius altere,nec colorat, niſi prius coloretur,nec mutat,niſi prius mutetur. Et ſicut fermentum recipit illam virtutem alterandi,convertendi,& tranſmutandi aliam paſtam à calore quodam occulto ibi decoquente, per caliditatem actis continentis,& digerente,& extrahente in actu de potentia , quod erat ibi in potentia : per quam virtutem convertit aliam paſtam in potentiam exiſtentem omnino ad ſe. Simili modo hic lapis recipit virtutem alterandi , convertendi & tranſmutandi aliam paſtam, omnia metalla à calore quodam, ſcilicet artis,coquente & digerente , & extrahente in actu de potentia materiæ virtutem illam,per quam metalla omnia ad ſe convertit: quoniam ſine colore non eſt digeſtio nec operatio, nec motus , ut dicit Theophilus. Veruntamen eſt ſciendum,quod eſt diverſitas magna in hoc fermento & illo : Nam à paſta per talem decoctionem nihilominus auferetur quando fermentatur,cum in ea nihil ſit ſuperflui. Sed in hoc oportet , ut per decoctionem demantur partes ſuperfluæ, corrumpentes, ſicut facit natura in decoctione auri : quibus demptis,dirigitur lapis, & recipit tunc virtutem alterandi,& convertendi,& tranſmutandi ex ſe ſolo, non ex alio , ſicut patet in paſta , per ingenium valde extraneum , & profundum artis miniſtrantis. Unde Raſis libro Perfecti magiſterij dicit , quod omnia ſunt in ipſum, ſcilicet calidum,frigidum, durum, molle,humidum,ſiccum, grave, leve, aſperum & lene, &c. Et Avicenna in fine ſui tractatus : Hoc Elixir tingitur tinctura ſuâ, & ſubjungitur oleo ſuo, & figitur calce ſua,&c.Et Pythagoras in Turba philoſophorum Lapis noſter proprio jaculo interficit ſeipſum, deſponſat ſeipſum, ſolvit ſeipſum,calcinat ſeipſum, imbibit ſeipſum, cibat ſeipſum, impræegnat ſeipſum, & parit ſeipſum in una die, aut breviori tempore,&c. Et Raſis libro Trium verborum: Huic lapidi nullus eſt ſimilis in mundo : quia ſeipſum impræegnat , de ſeipſo concipit , & ſeipſum parturit. Sicut igitur fermentum maſſæ , fit ex maſſa : & omnem aliam maſſam ad ſe convertit , ſic & fermentum metallorum . fit ex eâdem ſubſtantia metallorum, & omnia metalla, ad ſe convertit. Et cum metalla ſint generata ex ſulphure , & argento vivo : ergo & hoc fermentum generabitur ex eiſdem. Et cum hoc fermentum convertere debeat omnia metalla in aurum , & fit ex ſolo argento & vivo puriſſimo , abſque permanentia ſulphuris generatum , ut infrà expreſsè probabitur : ergo ex ſolo argento vivo hoc fermentum, ſive hic lapis fieri debet per Alchemiam.Ex quibus liquidè patet,quod hoc fermentum ſive lapis, duplici de cauſa poteſt dici fermentum. Prima , quia ſicut fermentum maſſæ , non fit niſi ex ſimili ſubſtantia, non ex extranea , per quam omnem maſſam ad ſe convertit,ſimili modo & hoc fit ex ſubſtantia metallorum,non ex extranea. Secunda,quia ſicut fermentum maſſæ remanet idem quod prius , ſed cum virtute convertendi addita , omnem maſſam convertit ad ſe, ſic & hoc.Ex quo patet,quod argentum vivum fermentatum , & ad naturam fermenti converſum, convertat ad ſe omne liquabile ſui generis , ſcilicet omne , metallum , cum ſint ſimilis liquefactionis generis, & ipſum argentum vivum. Et cum ipſius generatio , proprie ſecundum materiam , fit ex argento vivo ſolo, ſicut eſt aurum:ergo omnia convertet in aurum , Sed advertendum occurrit , quod converſio metallorum per ipſum ad ſubſtantiam auri eſt,non convertere omnino ad ſe,ſicut fermentum paſtam.Et ratio eſt:quia tunc ſequeretur,quod per ipſius converſionem, nunquam haberemus aurum,nec aliud metallum: quia ſicut tota paſta convertitur ad naturam fermenti , & fit fermentum : ſic & metalla omnia fierent lapis ille , ſive fermentum : de hac autem converſione non curat Alchemia. Sed ego imaginor, quod converſio metallorum per ſeipſum, ſit reductio ipſorum ad quoddam medium ſcilicet in ſubſtantia, in colore, in digeſtione,& in fuſione, & in ſonoritate : & per hanc talem converſionem fiunt aurum. In ſubſtantiâ quidem , quia cum aurum habeat ſubſtantiam mediam in duritie & mollitie inter omnia metalla , propter ejus ſummam perfectionem : ita hic lapis convertit & reducit omnia metalla ad illam ſubſtantiam mediam. In colore verò , quia quædam ſunt nigra , ut Saturnus & Mars : quædam rubea ut Venus: quædam alba, livida,ut Jupiter; quædam alba albedine vera, ut Luna: quædam crocea, ut Sol : & hic color eſt medius omnium, ad quem hoc fermentum convertit. In digeſtione vero : nam omnis digeſtio fit per calidum: calidum autem comburens generavit Venerem & Martem : diminutum autem Saturnum & Jovem: Temperatum autem generavit Lunam & Solem. Unde Raſis in libro 70. Præceprorum libro primo: Melius quod eſt in lapide , eſt digeſtio : & digeſtio quidem eſt æqualitas, & applicatio ad complementum.In fuſione ver, quia Venus funditur cum difficultate:Mars autem non niſi ingenioſe: Jupiter autem & Saturnus facilè : Sol autem & Luna medio modo. Ad hoc autem medium convertuntur per dictum fermentum. In Sonoritate verò , quia quædam ſunt muta in ſono,ut Jupiter & Saturnus:Quædam in ſono acuta , ut Mars, & Venus, & Luna : Sol autem ſolus tenet medium. Ad quod per hunc lapidem reducuntur, ſed in pondere, & extenſione ſub malleo, omnia præexcellit propter ſui ultimam perfectionem: quia ultima ſubtilatio partium metallorum, & ſuorum principiorum , & uniformitas in ſubſtantia eſt tam magni ponderis , & aliarum conditionum, contrarium autem contrarij : Reductio autem talis fit,per ipſorum commixtionem, ſecundum determinata pondera. Et quamvis lapis hic convertat, quodammodo etiam convertitur & patitur. In omni enim mixtione fit actio & paſſio mixtorum ad invicem,& mutatio in quoddam tertium quamvis ad eorum prædominetur ſecundum diverſam ipſorum proportionem,ut patet ex primo Perigeneſeos. (*) Fermentum autem ſecundo modo dictum , eſt illud quod eſt lapidem perficiens,& ipſum complens:ſine quo lapis philoſophorum conſtare non poteſt,& hoc propter enim fermẽtũ,in quo tota artis eſt difficultas. Hoc

(*) Fermentum autem ſecundo modo , &c. *Notandum eſt quod fermentum dicitur quaſi ferventum à fervore , quia fervere , ebullire & excreſcere facit paſtam , & habet ſubſtantiam unam per totum ſimilem: & habet virtutem victricem , & dominantem , occultam & corrumpentem paſtam , & ſubſtantiam & virtutem totius*

Hoc autem fermentum est occultum sensui, sed intellectui & rationi manifestum, & est corpus retinens animam: & tunc anima suas vires demonstrat, cum suo corpore est unita, quas sine unitione monstrare non potest. Cum igitur animam candidam ortam, artifex vitu perpenderit, suo corpori eodem momento conjungat: non enim potest anima sine suo corpore detineri: talis autem unio fit mediante spiritu, quia anima non potest vitam habere in corpore suo, nec perseverantiam, nisi per spiritum: & talis unio & conjunctio est finis operis. Neque est intelligendum quod hoc scilicet corpus, cui unitur, sit aliquid novi & extranei, quod addatur, nisi quia quod erat occultum, fit manifestum, & è converso: sicut patet in cera liquefacta quando coagulatur, ita quod virtus corporis tam fortis est, quod anima de cætero in æternum non separari non potest. Unde dicitur in Turba Philosophorum, & in Lilio Milvescindo, quod corpus habet majorem vim fratribus suis, id est anima & spiritu. Et dicit Plato in Stellicis: non retinetur res, nisi à fortiore illâ. Unde sicut pasta absque fermento suo intrinseco, occulto, & non cum alieno, fermentari non potest: ita sine hoc corpore occulto, spirituali, lapis non potest fermentari, nec perfici, nec compleri, quamvis in rei veritate, ipse lapis secundum se totum, & secundum corpus, & secundum animam, & secundum spiritum semper sit idem secundum rem: sed secundum diversas relationes, & intentiones Philosophorum, dicunt ipsum esse nunc hoc, nunc illud. Et hoc voluit Plato, quando dixit, quod materia fluit in infinitum, nisi forma sistat fluxum. Oportet enim quod corpus retineat animam, ne ipsa fluat. Et sicut intellexit Rosinus, & antiqui primi, quando dixerunt: Omne corpus, quod animam invenit, facile ipsam occupat. Et de hoc prophetavit quasi Plato diem judicii, qui dixit in quarto Stellicarum, & Hamech in commento: scil. Oportet quod conjungatur anima cum suo primo corpore, de quo fuit, & non cum alio, quod nisi feceris, deficies à proposito, sicut plures operantium, eo quod ignorant hoc secretum. Et ideo Rasis in Lumine luminum, appellat hoc corpus spirituale occultum, quod est fermentum & forma cum dicit: Non ingrediendi vero causa est, quia ipsum corpus est forma, spiritus verò materia, &c. Et vere subtiliter loquitur: quia sicut materia non habet esse absque forma; sed totum esse suum & dependentia est à forma: ita anima, mediante spiritu, non potest esse in ipso lapide, nisi per corpus, quia eorum esse & perfectio dependet à corpore: ergo corpus est vinculum & forma eorum, quamvis sunt idem. Similiter iterum patet, quod corpus sit forma: quia illud quod disponit rem ultima dispositione, & ipsam complet: est forma specifica ejus, sed corpus est hujusmodi; ut diximus: ergo, &c. Similiter cum omne compositum sit ex materia & forma, & ipse spiritus, id est virtus sit materia: ergo corpus formæ similiter cum sit informans tam lapidem quam aurum, & sit de natura corporis, Mercurius autem sit qui figitur & informatur, & sit de natura spiritus, ergo corpus est forma. Et iterum. Quia quod est principium totalis cognitionis alicujus rei est forma specifica ejus, sed ipsum corpus sic est, ut diximus: ergo, &c. Ideo notanter dixit Plato in 1. Stellicarum: Cognitio corporum ac qualitatum, principium eorum est ex eo, quod facit opus facile. Corporea namque dura substantiva, aspera sunt & fortia, subtilia vero infima & levia sunt, &c.

(*) Hoc igitur corpus est, quod est forma, & fermentum, & perfectio, & tinctura quam philosophi quæsiverunt, & est sol & aurum Philosophorum, quod est album in actu, & rubeum in potentia: & album est imperfectum, & perficitur rubedine, & non alio,

totius pastæ, cui admiscetur in sui similitudinem conversam. Unde corrumpendo pastam, convertit eam in similitudinem suam, rectificando & reducendo eam ad statum digniorem & meliorem. Cum igitur corpus, quod est occultum in argento vivo Philosophorum per Alchemiam generato habeat substantiam unam per totum similem, & convertit in sui similitudinem totum illud argentum vivum dictum, cui ei miscetur per voluntatem artificis, & faciat ipsum fervere, ebullire & excrescere secundum similitudinem quandam propter virtutem suam occultam, victricem, dominantem, & convertentem, corrumpit, id est mortificat ipsum, rectificando & reducendo ad statum digniorem & meliorem. Ideo digne nominatum est illud corpus fermentum. Argentum enim vivum, de se nihil valet: Cum autem cum illo suo corpore occulto mortificatur, retinetur cum eo semper, & vita vivit incorruptum in æternum, & cum suum corpus sit de natura solis, oportet quod totum id convertat ad naturam solis, & totum fiat fermentum convertens omnia in solem. Unde Hermes in septimo: Scias quod fermentum pastæ, non fit nisi ex sua natura, ita similiter & fermentum auri, &c. Nos autem formam frumenti puram, aspersione aquæ manibus massando conglutinamus in massam, & fuit facta massa azyma. Post servavimus hanc massam in vase vitri, & fuit fermentum in seipso, solato a calore aeris cum calore intrinseco, & factum fuit fermentum per sui corruptionem, cum acetoso sapore, sine extrinsecæ rei additione aliqua, in quinque diebus. Et causa est, quia fermentum compositum est diversis virtutibus occultis in una substantia.

(*) Hoc igitur corpus: &c.) *Notandum est, quod antiqui Philosophi hujus artis appellaverunt corpus omne illud, quod secundum sui potentiam naturalem habet fixionem & permanentiam ad pugnam ignis, cum continua perseverantia, & super hoc habet potentiam retinendi secum in commixtione illud, quod non est corpus, & est de sui natura. Incorporeum autem, sive non corpus, sive animam appellaverunt omne id, quod secundum sui potentiam naturalem, non habet fixionem, nec permanentiam ad pugnam ignis, sed evolatur, & evolat ab igne, & super hoc habet potentiam elevandi in fumum corpus in eo occultum, quod est de sui natura. Et hoc est anima, de qua quidam Philosophorum dixerunt eam esse aerem: quidam ignem: quidam nubem: quidam vaporem incorporalissimum: quidam substantiam tenuissimam: quia secundum analogiam locuti sunt. Spiritum autem appellaverunt omne illud, quod subtiliatum, vel solutum, vel liquefactum ad ignem, secundum sui potentiam naturalem, habet potentiam resolvendi corpus cum anima in vaporem, vel retinendi animam cum corpore ad pugnam ignis, ut non evaporent: quia spiritus cum æqualis fuerit, facit corpus retinere animam: & cum fuerit fortis facit animam separari à corpore, & cum corpore, quoniam sine spiritu nec anima cum corpore manet, nec à corpore separatur cum sit ipsorum vinculum. Una tamen & eadem res in subjecto est habens omnes istas proprietates & operationes. Dum enim in liquefactione permanet ratione subtilitatis dicitur spiritus, sine quo spiritu non potest fieri generatio animæ & corporis, nec conjunctio animæ & corporis. Unde in toto magisterio dominatur spiritus in actu, usque quo generetur anima & corpus. Dum autem volare potest ab igne, dicitur anima: dum autem manere potest in igne, & perseverare dicitur corpus. Si igitur tempore generationis anima steterit in igne, & prævaluerint vires per vim spiritus, tunc volat ab igne, & trahit secum corpus ad volatum, & permanet operans vacuus à proposito, & expectat quod jam venit, & jam recessit, & nunquam de*

alia, ut dicitur in Turba Philosophorum. Et hoc est quod dixit Rosinus, scilicet, Sol albus est apparitione, rubeus verò experimento. Et Anaxagoras dixit Solem esse lapidem rubeum ardentem, anima autem cui jungitur sol spiritu mediante, est alba & est de natura lunæ, & dicitur argentum vivum Philosophorum.

Et ideo nunc patet veritas ejus, quod dicit Hermes, scilic. quod sine rubro lapide nulla sit verax tinctura. Et patet veritas ejus, quod dicit Morienus, scil. Quod ad effectum non perveniunt, donec Sol & Luna in unum corpus redigantur, quod ante Dei præceptum evenire non potest. Et patet etiam, quomodo sine Sole ars Alchemiæ non perficitur, nec completur: quoniam ipsum est vetum fermentum, tam Solis quàm Lunæ. Et patet veritas ejus, quod dicit Rasis in Lumine luminum, scil. rubicundus servus candidam duxit uxorem. Et similiter ejus quod dicit alibi, scil. Nisi quis ruborem cum candore adjiciat, & introducat etiam quod cum labore & expectatione paravit, ad ruboris fulgorem accedere non potest. Et patet similiter, quomodo duplex est aurum, unum album & aliud rubeum, de quibus dixit Rosinus: Tu autem, nisi aurum in aurum ponas nihil habes. Et de hoc auro albo dicit Rasis lib. perfecti magisterii, quod ipsum est corpus neutrum: quia nec ægrum nec sanum: & hoc aurum album est argentum vivum, de quo dicit Geber cap. de argento vivo, quod nullum metallorum submergitur in ipso nisi sol, & quod est medium conjungendi tincturas. Et iterum de hoc sole & argento vivo dicit, cap. de Natura solis: Cum ipso similiter commiscentur spiritus, & figurantur per ipsum maximo ingenio, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis, &c. Quæ videntur plana, sed sunt valde deceptoria. Et quod hoc sit verè fermentum, videtur velle Hermes in 7. qui dicit: Et notandum quod fermentum confectionem dealbat, combustionem inhibet, tincturam continet, ne fugiant, corpora levificat, & se invicem ingredi facit; & conjungi, quod finis est operum, &c. Et Morienus: fermentum auri autum est, sicut fermentum pastæ pasta est. Ex quibus omnibus liquido patet, quomodo Sol & Luna sunt ejusdem naturæ, & quod Luna præcedit Solem, & ordinatur ad ipsum: & quomodo sol est occultus in luna, & quomodo de ventre lunæ sol extrahitur, Inde dixit Senior, quod Sol est oriens in Luna crescente. Et Zeno in Turba Philosophorum: Scitote omnes hujus artis investigatores, quod nisi dealbetis, non potestis rubeum facere, eo quod duæ naturæ nihil aliud sunt quàm rubeum & album, & de albo fit rubeum & album. Et Dardanus in eodem: Sciatis firmissime, quod si parum auri in compositione ponatur, exibit tinctura, potens, candida. Et Alfridus in eodem: Scitote quod totius operis initium est dealbatio, cui succedit rubor, post quam est operis perfectio.

Unde dicit Lilium, quod spiritus & anima nunquam uniuntur vero modo, nisi in albo colore. Eædem enim sunt res, quæ dealbant & rubificant, intus & extra, ut idem in eodem dicit. Et quia hoc totum, scil. corpus & anima, simul unita per spiritum, est de sola natura auri: ergo quicquid convertet, penitus convertet ad naturam auri: quia quamvis hæc tota massa sit in fine primi magisterii & primi gradus, alba propter naturam lunæ tunc apparentem, attamen quia sol est ibi occultus, & sicut dominans, cum sit fermentum, facit illam massam in potentia propinquissima rubeam in 2. magisterio & gradu. In magisterio autem tertio, quod est gradus tertius; & decoctio secunda & ultima, fermentum dominatur in actu, & convertit totam illam massam in naturam rubedinis actualem, talem ut est in croco, ut dicit Zeno & Rasis & Lilium, &c, Amplius dicimus, quod hoc fermentum est illud forte & fortissimum, quod omnia vincit & ad se convertit. Et hoc est veritas, occultata à poëtis in fabula Gorgonis quę dicit, quod omnes respicientes se convertebat in lapides. Et hæc imago lutea, quæ semper durescit in igne, & imago cerea, quæ in eodem igne liquescit, quas Vergilius describit in Bucolicis. Et hæc est fabula Prothei, qui dicitur Deus Marinus, quem Vergilius describit in 4 Georgicorum, qui si capiatur quando dormit, dat responsa de omnibus præsentibus, præteritis & futuris, scil. quando capitur, transmutat se in omnes formas extraneas & mirabiles: Ita ut nunc fiat sus horridus, nunc serpens, nunc leo, nunc fluvius qui det terribilem sonum, & sic de aliis, ut te illudat, & eum non cognoscas, & ipsum dimittas: sed quanto magis se transformat, tanto vinculis magis retinetur, quousque revertatur in illam formam, in qua inveni sti eum dormientem. Et Aristeus hoc modo cepit & tenuit ipsum, ut ibi dicitur, &c. Minerva secundũ poëtas dicitur Dea sapientiæ maxime, & armorum & lanificiorum, in cujus pectore celatum est caput Gorgonis, & in ea est omnis mirabilis sapientia, quæ confundit & superat omnes alios sapientes, & imperitos in lapides & saxa convertit, quæ aliter dicitur Tritonia. Gorgones autem secundùm poëtas tres fuerunt in extrema Africa circa montem Athlantem: quæ omnes dicuntur unum solum oculum habuisse: & nomina eorum sunt Stheno, Euryale, Medusa. Et hæc est fabula Æneæ, quàm describit Vergilius in sexto Æneidos, qui ivit cum Sibilla Cumea ad accipiendum ramum aureum infernalem, quem nemo accedens accipere potest viribus aliquibus, sed solum si fata eum vocent, quem pro numero quilibet accipiens, Proserpinæ uxori Plutonis præsẽtare deber, quo ramo ablato, semper immediate virescit alter, & sic potest omnia inferualia videre secreta, ut ibi dicitur: Et hæc est fabula Ovidij in Metamorphosi de Phaetonte, qui super radium solis, perforamen domus ingredientem, orationibus coagulatũ, ambulavit, & gressus est usq; ad cœlum ad Solem patrẽ suum, qui incipit regere currum Solis cũ equis suis, qui nimium appropinquans terræ, combussit eam, &c. Et hoc est fabula ejusdem de ædificio perplexo, quod dicitur Labyrinthus, in insula Creti, cujus unus

catero est venturum, & videtur ei mirabile. Si enim prævaluerint vires corporis, tunc super vires animæ per æqualitatem spiritus, conversum de actu in habitum, tunc corpus retinet animam omnino, nec unquam habet anima vim fugiendi ab igne, & operans tunc habet propositum quod habuerunt tunc antiqui: & tunc spiritus permanet cum eis semper, quandoq; in actu, quandoq; in habitu: quod totum recipitur ex verbis Platonis in Turba Philosophorũ, & intellicis, ex verbis Senioris, & Haly, & Rasis, & aliorum omnium. Quia igitur hoc corpus perficit & retinet animam, & dat esse sibi & toti operi, & anima in hoc corpore suas vires demonstrat, & per spiritum fit hoc totum, ideo dignè, quamvis metaphoricè dixerunt, corpus formam esse. Unum igitur & idem secundum substantias, quandoque anima, quandoque corpus diversis respectibus. Alia igitur est consideratio spiritus, animæ, & corporis, quod ad Philosophum Alchemistam: & alia quoad naturalem Philosophum & Metaphysicum. Imo valde diversa subtiliter speculanti. Et sciatis similiter, quod spiritus procedit æqualiter ab utroque necessario,

unus est introitus, & idem exitus secundum veritatem, multiplex autem secundum falsitatem, in quo Minotaurus morabatur, qui devorabat gentes, in cujus ore massæ plurimæ de sebo, & de cera vicissim per Theseum projectæ sunt, quæ inviscantes dentes ejus, & vires dentium obtundentes, per ipsum interfectus est armis. Et hoc est fabula ejusdem illius senis, volentis rejuvenescere, quem Medea docuit, membra sua omnia anatomia dividi, & decoqui in aqua usque ad perfectam decoctionem integrè, & non ultra, & tunc membra omnia in suis locis glutinarentur, & esset factus juvenis: sed cum custos dormiret, in complemento decoctionis integræ, resoluta sunt omnia membra in fumum & non revivisc it, &c. Et hoc est aurum in Ovidio occultatum. Et serpens quem interfecit Jason, cujus dentes seminavit, & homines armatos. Et hoc est fabula de mora, quæ cum primitus essent alba, facta sunt nigra & rubea, propter effusionem sanguinis Pyrami, qui amore Tisbæ, quam credidit à feris interfectam, framea se interfecit, juxta arborem moriferam. Et breviter, hoc est omnis transformatio extranea, & impossibilis, quam fabulatoriè ipsi narrant. Rursus nimirum dicimus, quod isti sapientes Poëtæ, scilicet Virgilius & Ovidius, assumpserunt pro materia principali & manifesta suorum librorum, historias, quasdam veraces, quibus intermiscuerunt historias fictas, & fabulas mirandas, & extraneas auditui, quod quidem concessum est eis, quamvis non vera dicant. De quibus philosophus primo Metaphysicæ dicit, quod fabulæ compositæ sunt ex miris, & in iis historiis & fabulis hanc artem interseruerunt mysticè cum ornatu loquendi, pro principali materia & occulta, ut solis intelligentibus eorum occultum propositum patefiat: quia ut prius dictum est, hæc scientia, cum omnibus quæ dici & fieri possunt, est Mystica. Quidam vero posteriores ipsorum, materiam principalem manifestam, solam verbis pictis ornatis & fictis habentes, aut eam tropice ad moralitatem corporis & animæ humanæ contrahentes, principalem autem materiam occultam & veram ignorantes, omnino exposuerunt illorum dicta, & easdem fabulas, & alias similes narraverunt, & de radice occulta nil gustaverunt. Et sic vicissim continuò faciunt consequentes, poëtarum nomina sibi falso mendicaverunt. Poëmata quippe, quamvis ficta sint, tamen semper veritatem occultam quandam propriam existentem in mente poëtæ fundamentum habent ita, ut ex poëmatibus veritas occulta à sapientibus solis possit discerni. Aliter enim non poëmata nec figmenta, sed fatuitates potius judicarentur, & omne quidem poëma, & omnis figura extenditur ad plurima significata. Quapropter quibusdam libuit, hoc secretum in historiis & fabulis occultare & aperire, quibusdam autem in divinis narrationibus, quibusdam autem in divinis narrationibus, quibusdam in aliis scientiis & artibus, quibusdam in terminis propriis & similibus, cum sit possibile omnibus, quod quidem secretum, quocunque modo traditum sit, est difficile valde. Unde dixit Morienus: Quod philosophi omnes passim in libris suis eam tetigerunt. Opinati sunt quidam quærentes artem, & quam plurimi iterum opinantur, quòd fermentum sit aliud, & aliter dictum. Dicunt enim, quod per magisterium Alchemiæ, ex argento vivo, aut alia re, fit lapis philosophorum completus: quia lapis est fermentum, non in compositione ad metalla imperfecta, nec secundum illam intentionem, quam diximus, sed ad comparationem ejus, quod est sui generis: & est illud, ex quo generatum est, quicquid sit illud. Unde sicut fermentum massæ convertit ad se continuò infinitum illud quod est sui generis, & ob hoc dicitur fermentum: & per hunc modum, quòd nunquam deficit iste lapis, dicunt, ita quod minima pars ejus extendit semper in infinitum. Et hoc confirmant autoribus. Dicit enim Plato in 4. Stellicarum: Superfluum est apud operantes hanc scientiam: quia qui præparavit semel hoc opus, ditatus est ab iteratione operis. Hoc autem non videtur illi, qui non est peritus in iis scientiis superiorum, &c. Idem ibidem: Oportet quòd spiritus conjungantur cum corpore, de quo fuit principium operationis, & dives fit operans, per hunc effectum spiritus, sine hoc quod iterat opus, velut qui attrahit ignem à lapide, dives est ab igne superfluo, quamdiu ignem habet, nec desinit augmentari & multiplicari sine termino, ita quod afficitur tædio operans, & oportebit ipsum derelinquere partem. Et Rasis in primo 70. Præceptorum: Qui semel perficit opus, ditatus est. Et idem in libro Perfecti magisterij, neque indigebis hujus rei iteratione, ex quo ipsam semel rectè peregeris. Ego autem rationabiliter non possum imaginari illud, sed solum illud, quod prius narratum est. Et ratio est, quia non ex aliqua alia re fit hoc fermentum, quàm ex substantia illa, de qua est aurum, ut infrà probabitur. Et quia aurum est ex solo argento vivo: ergo totum argentum vivum, quod converteret, fieret tale fermentum; & non aurum. Similiter cum imperfecta metalla sint ex eadem substantia, ex qua est aurum, quamvis impura, tunc eorum conversio esset semper in fermentum, & nunquam in aurum vel argentum. De tali autem conversione non curat Alchemia: Ultimus enim finis intentus est generare aurum: hoc enim in consideratione est primum, in opere verò ultimum. Unde Geber, ubi loquitur de numero decimo Medicinarum, ponit, quòd per hunc lapidem convertitur argentum vivum in aurum, & omne metallum: similiter omnis philosophus. Igitur lapis iste non dicitur fermentum secundum modum quem dicunt. Ad illud autem quod dicit Plato, & Hamec, & Rasis, dicimus, quòd ipsorum dicta non intelliguntur juxta sonum literæ. Nam qui errat in opere experiendo, eget reiteratione secundo & tertio, & totiens, quousque quod appetit comprehendat. Ut ibi dicit Rasis: Cum autem semel perfecerit, non eget reiteratione illa, sed perfectione: quia aliter reiterat perfectus & imperfectus in opere. Voluit ergo, quòd postquam opus semel rectè peregeris, & cognitione conditionum omnium & circumstantiarum, quod tu es dives ratione cognitionis; quia potes reiterare quotiens vis sine fallacia, & ideo non eges reiteratione hujus rei ratione cognitionis: cum ipsa sit infinita, neque ratione probationis, sed sit ratione operis. Unde dicit Thabit ad Hamec, tanquam discipulus ad Doctorem, in commento proœmij Stellicarum: Scientia namque tua philosophe, est infinita, & opus terminatum termino, & tempore terminato. Et Rasis in Lumine luminum, & Expositor: Non nisi semel eges lapide, id est, ut cognoscas ejus pondera. Et Rasis in eodem: Si pulveris præparatio semel cognita sit, secunda non eget iteratione: id est si pondus semel cognitum sit, denuò iterari recusat. Unde Morienus: Hoc quod nos de ejus principali substantia atque materia jam sæpe probavimus, explicabo. Ecce quia cognitio & scientia hujus rei infinita videtur, sed operatio pluries reiterata & finita. Ad quid vellent etiam philosophi pluribus vicibus operari, si hoc esse fermentum? esset enim perditio temporis. Unde sciendum, quòd cum operans in decoctione sua &

putrefactione, pervenerit ad finem primi gradus, in quo apparet color primus & ſimplex, poſt anteceſſionem omnium aliorum colorum, qui color eſt albus, tempore maturationis apparens, tunc ſtatim incipit ſecundus gradus operis, & hic ſecundus gradus eſt fermentum, & fermentatio maſſæ: tunc enim elementa omnia debent æqualiter ponderari & commiſceri, & non palpari, cum ſint facta in illo colore ſimplicia, & mundiſſima: & cum commixta ſunt, facta ſunt perpetua ſuper ignem, & operans factus eſt dives tunc per hunc affectum, neque eget reiteratione illius effectus, in illo magiſterio, ſed cognitione ſemper, ut alias reiterat quando vult novum opus. Quod ſi tunc coniungat elementa, evaneſcunt ab igne propter vim ſpiritus, & rei volatilis dominantis, & fit pauper, cum perdat divitias acquiſitas. Unde hanc difficultatem inquirendi, & inveniendi fermentum infinitum inſinuans Geber in libro Spoliationum, Capite de auro & perditione operis in hora una, & inventionis, dicit ſic: Et ſciatis, quòd niſi poſueritis levamentum, amittitis totam perfectionem: & hæc eſt clavis omnium Philoſophorum, &c.

Hermes etiam idem dicit Capite ſeptimo ſic: Negligentia verò ex mala opinione de eo, id eſt fermento, opera corrumpuntur. Et idem in ſuis Secretis dicit: Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis. Et Haly in ſuis Secretis dicit: Et vade cito quia cito evaneſcunt: & qui neſciverit, & non fecerit, non certificabitur, quando naſcetur, jam paravit ſe morti, & pecuniam ſuam perditioni. Et idem ibidem: Qui hunc Lapidem honoratum, cum germinaverit non inveniet, non ſurget alius loco ſuo. Et Plato in quarto Stellicarum: Cave ne in putrefactione pervenias ad terminum novum: ſi enim contraxerit opus in ſolutione moram fortaſſe augmentabitur in corruptione, unde cave ab hoc, &c. Idem in eodem: Ditatus eſt operans ab eo quod retinetur, cum pervenerit ad terminum, in quo nihil poteſt videri ſubtilius, non tamen ſum fidejuſſor de defectu & diminutione, quoniam eſt in loco multorum accidentium & defectuum, ita quod poteſt eſſe, & cum ſalvatione, & cum errore, &c. Et Raſis libro ſeptimo Præceptorum libro ſexageſimo ſexto: Hoc eſt in converſione rerum ad ſuas naturas, & converſione occultorum ad manifeſta, & manifeſtorum ad occulta. Idem in lib. Ducatus de ſeptem, convenit ut colligant lapidem in diebus ſuis. Et Milveſcindus dicit: quomodo eſt, quod putrefactio fuit ejus cibus & vita: deinde facta eſt ejus mors & ruina? Et ipſa tunc reſpondet per exemplum fœtus in matrice. Et hoc eſt quod voluit etiam Pythagoras & Heraclitus, & alii antiqui, ſcilicet quod omnia ſunt in continuo fluxu, & tam citò velociter uniantur, ut nulla natura permanentis aliquo tempore ſit fixa in rebus, ſed continuò & ſubito permutetur. Nonne videmus in iis quæ per artem coquuntur, quæ noſtræ ſubjacent voluntati, ut panis, & confectiones de melle, & de ſaccaro, ſolidæ ſubſtantiæ, cum fuerint in complemento ſuæ decoctionis, perfecta ſunt, & ab igne removenda ſunt: & ſi ulterius coquantur, comburuntur & deſtruuntur, quamvis completa & perfecta ſint, neque eget homo reiteratione illius decoctionis perfectæ in illo opere. Unde Haly adducit nobis exemplum de ſapone, quoniam habet terminum decoctionis perfectæ, quem ſi artifex transgreditur, corrumpit ipſum, quamvis non ſit totalis ſimilitudo. Ex quibus liquido patet, quòd oportet artificem continuo eſſe vigilem cum fuerit in opere, ut cum pervenerit ad gradum primum illius perfectæ decoctionis, in quo ſubtilius non poteſt videri, ibi permaneat: quia voluntas perficit ſecundum gradum, & corrumpit primò, & reiteratione ejus non eget, ſi recte peregerit & dilatus eſt, imò ſi reiterare vellet, non poſſet. Quòd ſi ulterius tranſcendat, evaneſcit opus: quia ſumma volatilis, quæ eſt de natura ſpiritus, ſuperat ſummam fixi, quæ eſt fermentum, propter vim caloris ignis: & ſic evaneſcunt omnia elementa. Quicunque; ergo tunc per compoſitionem ſciverit concordare & pacificare elementa, cum ſint contraria, perficiet opus, & faciet mira, & non aliter. Ideo dixit Roſinus: Miror Philoſophi, qualiter ignem & aquam ſibi ipſis placabiles eſſe fecitis, quousque in regimine ſimul habitaverunt: & tunc Philoſophi eorum partem notificare deterriti ſunt, &c. Idem dicit Morienus. Vide ergo, ne radicem hanc prætereas, ne aliquam ejus quæras mutationem, &c. Unde pulchrè dixit Plato in Stellicis, ſcilicet: Circuivi tres cœlos, cœlum animæ, cœlum animæ, & cœlum intelligentiæ: cumque voluiſſem ingredi ad altius, prohibuit me propoſitio naturalis, & inſpiravit mihi intelligentiam, quod non eſt iter ulterius, dixi ergò: Cognoſco id quod circuivi & intelligo illud, quod non circumeo per hoc quod acquiſivi per gyrum, & circuitum trium cœlorum, & ſi fuiſſet ulterius ambulare, abii: ſpem verò ex diminutione, hoc accidit non ex negligentia, &c. Idem in eodem? Ne quæras voluntatem complementi: quia hic ducit ad remotionem remotam, & hæc ſpecies actionis eſt de fortioribus paſſionibus animæ, &c.

(*) Cauſſa quippe ejus, quod dictum eſt, videtur mihi,

(*) Cauſſa quippe ejus, &c.) *Notandum quòd operationes caloris in generatione & corruptione in quantum color, non ſunt determinatæ nec ordinatæ ad aliquem unum finem determinatum & manifeſtum, niſi in quantum calor regitur ab anima vel intelligentia: quoniam calor eſt inſtrumentum animæ, & omne agens ſuum inſtrumentum menſurat ut introducat formam: per calorem autem intelligo eum, qui eſt in actu, ut in animalibus habentibus ipſum in actu, aut potentia & virtute: ut in vegetabilibus & mineralibus, & animalibus habentibus ipſum modo ſimili: & iſte calor eſt elementalis & cœleſtis, confuſus in mixtis. Unde Philoſophus ſecundo Phyſicorum dixit: Homo generat hominem & ſol: quia ſine iſto duplici calore, non fit generatio. Menſuratur autem iſte calor quantitate, qualitate & tempore ab anima, vel ab intelligentia, vel ab utroque in omnibus naturalibus, ad aliquem unum finem determinatum, in quo eſt acquiſitio formæ. Cum igitur ars Alchemiæ ſit ſequela naturæ, & operetur cum calore actu, ſcilicet ignis, oportet neceſſario, quòd anima artificis modificet & menſuret illum calorem quantitate, qualitate & tempore, usque ad finem quendam determinatum ad formam adipiſcendam: quia ſemper determinatum tempus eſt inter agens & patiens, in quo introducitur forma: quod ſi artificis anima ſic non menſurat, ſed continuet calorem ignis ultra terminum, tunc ignis neceſſariò deſtruet formam, quam fecit propter immenſurationem. Hoc autem ſatis patet ſic: quia ignis actio eſt infinita, & omne quod efficit, de ſe deſtruit: ſed anima artificis menſurans ipſum, imponit ſibi finem quando vult, & conſervat, quod generavit ignis: & de cætero in igne poterit conſervari in infinitum, abſque aliqua menſuratione ignis facta ab artifice, quod eſt mirabile: quia igne gaudet, ſicut res quælibet inanimata,*

in loco

mihi, quòd in fine perfectæ decoctionis & putrefactionis, natura generat ministratione artis materiam simplicem, nudam, non conjunctam formæ suæ quam antiqui vocaverunt materiam primam, propter similitudinem cum materia prima mundi, antequam informaretur, de qua dicit Plato in tertio Tymei. Quòd cum materiam primam imaginamur, patimur velut somniantes: & eget hæc materia conjunctione cum forma sua, quæ est fermentum quod quidem fermentum occultum est in gremio ejus, quæ conjunctio debet fieri statim in ortu materiæ, ut materia permaneat, & perseveret: natura enim sola hanc conjunctionem facere non potest: quia actio naturæ est continua cum igne, & actio ignis est infinita, ut dicitur secundo de Anima: & est irrationabilis. Similiter ut dicitur secundo περὶ ἑρμενείας & sic natura continuè agendo destruit quicquid perfecerit: sed artis sapientia tunc ipsa conjungit, post completam actionem naturæ, faciendo naturam ab actione desistere. Ideo artifex tunc ab operatione & vigilia est totaliter absolutus, & potest quiescere. Vnde dixit Socrates in Turba philosophorum de Conjunctione: Ci autem (Ci, id est, plumbo quod est fermentum corporis) noto, nil aliud est, quam mulierum opus, & ludus puerorum, &c. Non enim artifex plus laboris eget occupatione illius sed debet ab eo quiescere, aut quicunque vult agere, ab hoc magisterio. Propter hæc, conjunctio est res facilima. Ideo Rasis in 66. 70. Præceptorum dicit: Conjunctio verò mercurij cum vitro difficilis est ad inveniendum, non tamen est res facilior in mundo. Rasis in Lumine luminum: Sola custodia totum complet negotium. Sic enim elementa tunc conjunguntur & perpetuantur, propter vim fermenti. Unde dixit Morienus: Et in hora conjunctionis maxima mirabilia apparebunt. Et sicut elementorum ablutio & depuratio fit propter præsentiam ignis: sic post eorum ablutionem, conjunctio & perpetuatio, & fermentatio fit tunc propter ipsius absentiam. Unde Rasis in libro Trium Verborum: Et hoc fit virtute Dei, temperamento ignis, & moderantia terminorum ignis. Et Moriehus: Ejus ignis est tota hujus rei vera ac perfecta probatio. Et Plato in tertio Stellicarum: Igneitas contrariatur in hora coagulationis. Et idem in libro Sanationum: Commodum & incommodum hujus rei, pervenit à commodo & incommodo ignis. Et quamvis hoc dictum sit extraneum & mirandum, scilicet quòd natura generat materiam simplicem informem, non conjunctam suæ formæ, attamen est verum secundum antiquos, sed similitudinarium. Et Philosophus in sexto de Animalibus simili verbo mirandi utitur: ubi ostendit, quod anima vegetativa & sensitiva dantur ab intrinseco materiæ, intellectus ab extrinseco. Unde dicit ipse sic ibi: Corpus spermatis, cum quo exit semen, spiritus est, qui est virtus principii animæ, est separatum à corpore, id est materia, & est res divina: & tale dicitur intellectus, & iste spiritus non separatur à spermate, &c. Ecce quod ponit sperma separatum à corpore, quamvis in rei veritate non sit separatum, neque esse possit. Intelligendum est ergo corpus spermatis separatum à corpore, non quia non sit in materia spermatis, sed quia est ibi quoddam occultum, non eductum de materia spermatis, sed ab extrinseco datum, quod est intellectus, ad cujus nutum, id est potestatem, cujus spermatis sic spiritualiter disponitur. Eodem modo est hic intelligendum, sed secundum analogiam, cum tota traditio artis istius sit analoga & typica. Amplius sciendum est, quod hoc tempus fermenti & fermentandi massam, est tempus in quo germinat lapis: quia oritur sicut germinantia, ut dicit Haly & Plato & omnis alter. Et quia germinatio proprie est vegetabilium, & reditio rei post corruptionem ad id quod erat tempore præfinito, ideo cum hic lapis quasi germinet redeundo ad id quod erat, similabitur quasi vegetabilibus. Cum igitur esset in principio argentum vivum coagulatum, ergo quando orietur argentum vivum per decoctionem tunc germinabit: sed cum sit liquefactum per decoctionem, oportet ut tunc coaguletur: & hæc congelatio fit cum fermento sine corpore suo, quod est idem. Et hæc proprie est Alchemia instrumentaliter. Unde Lilium definiens Alchemiam, sic dicit: Alchemia est substantia corporea, ex uno & per unum composita, &c. Hamec autem in commento 1. stellicarum dicit: Nos utimur ingenio cum subtilitate præparationis, secundum possibilitatem ingenii quæ fieri potest in hoc mundo, ut erigatur res una & eadem, quæ fuit in principio, vacua tamen ab alterationibus suis contrariis, &c. Et Rasis in Lumine luminum: Quæ seminaverit homo, hæc metet. Idèm ibidem: Omne semen in terra projectum, proprio generi correspondet. Quòd si diversa generis genera ad invicem mixta sint, unumquodque proprium exprimit genus, &c. Idem in lib. 70.

in loco proprio suæ generationis. Vnde Philosophus nono Metaphysicæ dicit: Quòd potentia irrationabilis, est determinata ad unum tantùm, & exit in actu existente, præsente passivo disposito ut ignis ad combustibile: potentia autem rationalis se habet ad contraria, & exit in actu in alterum per appetitum sensitivum, vel rationalem, præsente passivo disposito, & facit in eo quod vult, sive quod desiderat. Et propter hoc dixit Pythagoras, Hominem esse mensuram omnium rerum, ut recitat Philosophus undecimo Metaphysicæ: Quapropter veraciter dicimus, quod natura est, quæ regit opus hujus artis per decoctionem in igne suo & vase proprio, prout regitur à cœlestibus usque ad finem operis, & ultra. Voluntas autem est libera, & debet regere & modificare naturam in fine operis, ut non transcendat ultrà: quia voluntas regendo naturam debet trahere ad se naturam, sed si voluntas trahatur à natura, & inclinetur ad eam natura, transcendet finem operis, & ipsum destruet, quod omnino ab omnibus prohibitum esse videtur. Adhuc opera naturæ planius scrutando dicemus, quòd sicut natura agit propter finem, sic & ars: finis autem naturæ est introductio formæ in propria & convenienti materia cum fuerit in ultima dispositione, per actionem agentis instrumentalis, directi ab ipsa natura, quod est calor appropriatus, & tunc operi finem imponit. Cum igitur per ingenium & sapientiam artificis, fuerit ortum & generatum argentum vivum philosophorum, quod est materia disposita ultima dispositione ad formam, per actionem agentis instrumentalis, scilicet ignis, directi ab anima artificis: ergo oportet quòd deformetur tunc, & operi finem imponat, cum finis intentionis artis & naturæ fuerit, generare tale argentum vivum, habile ad talem informationem, scilicet auri vel elixir, sive lapidis philosophorum: anima autem artificis æquipollet naturæ in hoc: frustra ergo in desperatione laborat, qui ultrà laborat, cum laboret contra naturam, & contra naturæ intentionem & artis. Et hoc est quod posuit Parmenides & Melissus qui posuerunt principia naturæ esse solum unum & immobile, ut dictum est.

lib. 70. Præceptorum, in lib. Ducatus: Scias quod fiducia Philoſophorum in cap. Majore, eſt ſecundum duas res, quibus jungitur tertia: & ſunt dividere naturas lapidum, & mundare eas ſingulariter & tornare eos lapides, &c. Et hoc eſt quod dicit Senior, ſcil. Ex paucitate æquitatis ignorantium eſſet, ſi dicerem, ovis peperit homines, aut grana tritici fructificant galbanos, aut palma portat mala granata, aut volatilia parturiunt piſces. Non enim generant res, niſi ſibi ſimilia, nec fructificant res, niſi fructus ſuos, &c. Idem ibidem: Mineralia non nutriuntur ut exeant à radice ſua, ſed redeunt ad id ex quo fuerunt, nec convertuntur ex hoc ad aliud: & qui aliud dicit, falſum dicit, Et Roſin. Inſpicite ſeminatores, qui ſeminant, quid eis extet. Et Hermes in 4. Ex homine non fit niſi ſibi ſimile: nec ex volatilibus niſi ſimilia: nec ex tauro vel leone niſi ſibi ſimile. Et ſi aliqua creaturarum concumbat cum altera diverſa, procedit quod non eſt ſimile, nec uni, nec alteri, nec priori. Et Dyomedes in Turba philoſoph. Non exit ex homine niſi homo, neque ex brutis animalibus niſi ſibi ſimilia: ſic etiam nec ex volatilibus, nec piſcibus, niſi ſibi ſimilia, &c. Sic igitur patet, quid ſit fermentum, & ejus germinatio, & compoſitio. Et quamvis hæc verba dicta ſic plana & aperta videantur, ſunt tamen obſcura & ponderoſa valde.

CAPUT XII.

In quo oſtendit quid ſint elementa Lapidis philoſophorum, & quomodo in ipſo conveniant, & in auro, & in omnibus mixtis, & ſimiliter in cœleſtibus, ſecundam antiquos Philoſophos hujus Artis.

ET quia diximus, quòd omnia Elementa in lapide philoſophorum ſunt depuranda primo, & poſt ponderanda, & ultimo commiſcenda, ut compoſitum perpetuetur, ideo de ipſis narremus. Sunt quamplurimi, hanc artem moderno tempore inquirentes, & fuerunt antiquitus, & ſemper erunt, & operantes in ſuperficie juxta ſonum primum verborum, qui ex partibus animalium, ſicut cerebro, ſanguine, ovo, & ſpermate, aut ſuperfluitatibus ut capillis, ſtercore & urina, & ſibi ſimilibus: aut etiam ex vegetabilibus ſicut frumento & ſimilibus, aliis præmiſſis putrefactionibus in fimo, per diſtillationes, deſtillant primò aquam limpidam per ſe, ſecundo oleum album per ſe, quod eſt aër, & fex, quæ eſt remanens in fundo ex terra, in qua eſt ignis: id eſt tinctura. Vel poſt oleum album ſequitur oleum citrinum aut rubrum, quod eſt ignis. Poſt calcinant terram totiens, quousque figatur, & imbibunt eam cum aquis & oleis albis pluries deſtillatis ad album, & cum oleo rubeo in fine ad rubeum, dividendo pondera eorum, & conjungendo ſicut litera ſonat. Et dicunt, quod per talem diviſionem talium elementorum, & depurationem & conjunctionem, fit fermentum verum, & Elixir magnum, & lapis philoſophorum.

(*) Sed iſti ab elementorum conſideratione, & ipſorum materia prima ſecundum Alchemiſtas & operatione ipſorum, ſunt valde remoti. Quia oportet, quòd omnis forma extrahatur de potentia ſuæ materiæ propinquæ. Cum igitur nullum illorum ſit, nec eſſe poſſit materia auri: ergo nec ex eis generabitur forma auri: ergo nec lapis philoſophorum: ergo neque elementa generabuntur ex eis. Omnis enim forma debet eſſe univoca, & ejuſdem generis cum ſua materia, ex qua fit, & potentialiter in materia ſua. Nos igitur antiquorum ſententias occultas ex verbis barbaris elicere volentes, de elementis dicimus, quod in omni mixto quatuor ad mixtionem con-

(*) Sed iſti ab elementorum, &c.) *Notandum eſt, quod inveſtigatio, per quam devenire poſſumus in cognitionem veritatis cujuslibet rei ſumitur neceſſario ab eſſentia & naturâ rei, & ab accidentibus propriis ipſius, non ab extraneis: & per conſequens, operatio in generatione ipſius, ſi ſubjacere poſſit actibus noſtris, ut inveſtigatio in cognitione hominis, ſumitur ab eſſentia & natura hominis, non autem à natura, ligni & eſſentia, neque lapidis. Si igitur ab extraneis quis voluerit inveſtigare, ut cognoſcat naturam rei & eſſentiam ſtabit in extraneis. Ergo ſi operabitur in generatione illius rei, extranea generabuntur: Quia qualis fuit inveſtigatio, talis & cognitio: ergo & per conſequens talis operatio & generatio. Cum igitur Alchemia inveſtigando inquirat, tranſmutare omnia metalla in aurum, ergo oportet prius inveſtigando præcognitam habere cognitionem auri, & aliorum metallorum: & hæc cognitio neceſſario erit ab eſſentia & natura ipſorum, & accidentibus: ergo & operatio & tranſmutatio ſumetur ſimiliter ab eisdem. Non igitur inveſtigatio ſumpta ab extraneis eſt neceſſaria, nec utilis, cum non ducat nos in cognitionem rei per accidentia, ſed potius in majorem ignorantiam. Ergo nec operatio ſumetur ab ipſis, cum non poſſit fieri recta operatio abſque recta cognitione & inveſtigatione præcedente. Operantur ſimiliter abſque inveſtigatione & cognitione fortuitò, ſicut vident & audiunt alios operari, ſed non ſperent aliquo modo à fortuna juvari in operibus ſuis. Et ſciatis, quòd cognitio eſſentiæ, & natura rei, ſumitur à cognitione principiorum ſuorum: principia autem ſumuntur, aut à per ſe notis, aut à ſuperioribus ſcientiis: principia autem rei, ſunt cauſæ ſuæ propinquæ. Mirabile ergò videtur & fatuum cum inſania, quomodo, & quare conantur operari cum prædictis extraneis, cum per illa non ſit cognitio, neque inveſtigatio aliqua ſuarum cauſarum & principiorum, ſcilicet auri. Et hanc eandem ſententiam inveſtigandi, in habenda cognitione veritatis cujuslibet rei, oſtendit & affirmat Philoſophus, in primo de Anima, qui dicit: Quod quælibet res debet inveſtigari per ſua propria Item dicimus, circumſcriptis libris omnibus, & doctoribus hujus artis, & per nos ipſos volumus inveſtigare hanc artem, & ipſam veram ratione bonæ inveſtigationis probare.*

Ponamus, nunquàm operationem impendemus in vegetabilibus, aut animalibus, aut eorum partibus & ſuperfluitatibus aut etiam partibus mineralibus, extraneis ab intentione naturæ; abſit. Cum enim nullum prædictorum cadat, neque cadere poſſit in intellectum ratione veræ inveſtigationis, cum non ſint de intentione naturæ omnino: ergo & in operatione minime reponentur: ergo ſola illa, quæ inveſtigando cadunt in intellectum, per judicium ſenſibus datum, & habitum à natura, neceſſariò in opere reponentur, nec de cætero egemus niſi inveſtigatione modi operandi in eis, quæ inveſtigatio fit reſpiciendo ad modum operationis naturæ, & non aliter. Oportebit igitur ſequi naturam penitus in materia & principiis, & elementis ſimilibus: In modo autem operandi, quantumcunque poſſumus. Et hanc ſententiam principiorum, & elementorum cognoſcendam, oſtendens Geber, dicit Capitulo de principiis corporum: Cognoſcere verò non eſt poſſibile tranſmutationes corporum, vel ipſius argenti vivi, niſi ſuper mentem artificis primo deveniat vera cognitio illorum naturæ ſecundum ſuas radices.

Prius

conveniunt elementa : quorum duo sunt inclusa, ut ignis & aër: duo includentia, ut terra & aqua. Et ideo in omni mixto videtur superabundans terra & aqua : Ignis autem & aër sunt principia magis formalia & moventia : alia vero magis materialia, & non quietem facientia. Et virtus ignis & aëris proprie apparere non possunt, nisi in terra & aqua, sicut nec virtus formæ, nisi in materia: quia sicut forma est inclusa in materia, sic ignis & aër in terra & aqua. Unde Philosophus decimo septimo de Animalibus dicit: Et forma ignis non apparet per se omnino, quoniam ignis habet formam propriam, & forma ejus non apparet nisi in alio copore, &c.

Et in decimo sexto etiam dicit : Ignis autem non generat animalia, neque apparet sustentatus, nisi in rebus humidis aut siccis, per se autem non habet substantiam, &c. Et Rasis in septimo libro Reprehensionis: Omne compositum componitur ex quatuor naturis, duabus manifestis, & duabus occultis. Cum igitur inclusa fuerint fortia, includentia verò debilia, tunc mixtum facile corrumpitur: quia principia formalia exhalant, per quæ datur forma, color, sapor, odor, & similia, & materialia remanent, non tamen penitus deserunt illa hæc. Si autem è converso, non facilè corrumpitur mixtum: quia propter fortitudinem includentium, inclusa non facilè resolvuntur. Si autem ambo debili, tunc totum mixtum facilè corrumpitur: quia una pars elementi non potest alia retinere: ut patet in Camphora. Cumque in fortitudine elementa æquantur omnia, secundum omnem modum possibilem naturæ, tunc invicem pariter continentur, & pars minima cujusque temperatur, ligatur & retinetur à suo compari, & contraria æqualiter: ita, ut humidum & siccum sint æqualia in virtutibus, & calidum & frigidum fiunt omnino unum absque diversitate, & tunc perpetuatur mixtum, cum ibi non sit repugnantia elementorum componentium, nec contrarietas, sed identitas, & similitudo totalis. De elementis igitur secundum Alchemistas loquendo dicimus, quòd elementa in hac arte sunt humidum & siccum, id est aqua & terra, & in aqua est aër, & in terra ignis. Veruntamen primum elementum & radicale, de quo elementa omnia alia originem contraxerunt, est humiditas sive aqua, id est liquefactio : aut secundum alios est terra: sed quicquid sit, ad idem vertitur. Et de hoc Empedocles, & quidam antiqui dixerunt, quod solum unum elementum est commune alterationi & permutationi, & quod omnia generata sunt ex spissitudine unius elementi: quia quando inspissatur aqua; tunc cum qualitates terræ vincunt qualitates aquæ, ex aqua fiet terra: ergo tunc quatuor elementa conveniunt & faciunt mixtum, secundum eos, quos Philosophus redarguit in libro de Sensu & sensato, dicentes, quod omnia facta sunt ex aqua. Unde dixit Morienus & Hermes, quod ex grossitie aquæ terra concreatur, & alij antiqui, quod terra natat super aquas, & est super aquas fundata. Et quia aqua & terra adæquantur in pondere & virtutibus, & aër adæquatur aquæ, & ignis terræ, & sic mixtum fit perpetuans: ergo necessario quatuor elementa conveniunt æqualiter in compositione lapidis philosophorum & auri: Signum hujus est, quia cera, dum liquefacta est ipsa tota, dicitur aqua secundum eos, ratione humiditatis fluxibilis: dum autem coagulata est ipsa tota, dicitur terra, ratione siccitatis: quia quolibet modo æqualiter ponderat. Unde Alexander in fine suæ Epistolæ dicit: Scias quòd Philosophi omne calidum ignem vocaverunt, & omne fluxibile aquam, & omne coagulatum terram vel lapidem, &c. Et neque aqua nec aliquod elementum simplex, confert nobis aliquid utile in arte, nisi omnia divisa & depurata invicem conjungantur, & æquantur perpetuò. Ergo necessariò cum generata erit aqua munda & candida, oportet quod ei terram conjungamus eadem in hac hora, & conjunctis istis duobus omnia quatuor conjuncta erunt, & tunc perfectum est opus: & si non conjungantur, tunc aqua resolvitur in fumum cum terra, & per consequens alia elementa, propter vim & perseverantiam ignis, & sic opus annihilatur: propter quod oportet artificem cognoscere elementa simplicia penitus, antequam ipsorum compositionem incipiat, ut sciat ea rectè componere ad constitutionem compositi. Unde dicitur in Lumine luminum : Oportet antequam inhumentur elementa, ut simul cognoscatur pondus cujuslibet, & ejus similitudo, & de conjunctione non est separandum aliter ; Idem ibidem: Si vis elementa miscere, necesse est ut elementorum cognoscas naturas, & componas contrarium cum contrario. Similiter in cæteris artibus & scientiis, oportet primò habere veram cognitionem simplicium, quæ dicuntur elementa, antequam deveniatur in certam & determinatam compositionem ipsorum: quia simplicia per se non considerantur, nisi in quantum ex eis fuit suum compositum. Unde Alexand. in secretis suis dixit quòd elementa simplicia nihil prosunt, cum autem complexa sunt, mirabilium & altissimarum sunt operationum: Et Aristeus in Turba philosophorum: Scitote, quod in iis elementis, quæ vobis narravi, est arcanum absconditum, quorum duo tactum habens & aspectum apud visum largientia, & quorum virtus ac opus sumitur, quæ sunt terra & aqua: alia autem duo elementa nec videntur, nec tanguntur, nec quicquam largiuntur, nec locus eorum videtur aliquis, nisi in prioribus elementis, id est terra & aqua. Cum autem quatuor elementa non conjunguntur, nihil hominib. artificij de eo quod concipiunt perficitur: mixta autem, & à suis naturis exeuntia alia fiunt, &c. Et Morienus: Hæc dispositio est naturarum mutatio, & earum naturarum calidi cum frigido, humidi cum sicco, subtili dispositione admirabilis connexio. Et Aristoteles in suo libro de Secretis secretorum : Quando habueris aquam ex aëre, & aërem ex igne, & ignem ex terra, tunc habebis plenè artem. Et Horculfus in Turba philosophorum : Converte elementa, & quod quæris invenies. Convertere autem elementa, est facere humidum siccum, & fugiens fixum, &c. Et sciatis, quod omnia elementa tunc convertũtur in terrã actualiter, & nelement alia sunt & remanent cum ea in potentia & virtute, propter quod dixit Hermes: Terra est elementum : de terra omnia facta sunt, & ad terram convertuntur. Et Moyses : Terra est mater elementorum : omnia de terra procedunt, & ad terram convertuntur, sicut recitat Morienus : Hæc autem terra est corpus & fermentum, per quam alia elementa perpetuantur cum ea.

Secun-

** Prius igitur corporum principia notificavimus, &c.) *Hoc autem totum recipit ingenium & similitudinem per Philosophum tertio Metaphysicæ, dicentem: Quòd eadem sunt principia essendi & cognoscendi. Et in secundo ejusdem dicit : Quod sicut res se habent ad esse sic ad intelligi & cognosci. Quapropter bene vidimus, quod in omnibus rebus reperiuntur tres modi, scilicet modi essendi, modi cognoscendi sive intelligendi, & modi significandi. Qui tamen tres modi sunt unum & idem essentialiter. Sic igitur modus investigandi & cognoscendi elementa in auro & lapide philosophorum patet, verè, & non sicut illi existimant.*

Secundum hunc ergo modum, in compoſitione lapidis philoſophorum, & in auro, conveniunt quatuor elementa: æquantur enim ibi omnia elementa, æquatione vera ſecundum omnem poſſibilitatem naturæ. Ec. Unde Raſis, libro Perfecti magiſterii, loquens de corpore & ſpiritu, prout ſunt principia & elementa lapidis philoſophorum ratione qualitatum contrariarum, repertarum in eis, dicit ſic: Cùm vero alternatim modo congruo deſponſantur, generatur ab eis ſubſtantia temperata, quam non poteſt ignis violentia ſeparare, nec terræ feculentia vitiare, nec aquæ limoſitas condemnare, nec contactus aeris obumbrare, &c. Idem in eodem dicit quod in ipſo, & in auro, qualitates quatuor elementorum, cum duritie & mollitie, ſic ſunt æquatæ æquabiliter, quòd nulla vincitur à ſua contraria. Et idem dicit libro de Aluminibus & ſalibus, capitulo de auro. Et Geber libro Denudatorum, Capite de Auro, dicit, quod in auro ſunt decem partes caliditatis, & decem humiditatis, & decem ſiccitatis. Et ideo aurum, & lapis philoſophorum non corrumpuntur in igne, quantumcunque ſtent in igne: ipſa enim generata ſunt in igne & ſicut locus ad generationem rei, ſic & ad conſervationem ejus: quia omnis res ferè, tam vegetabilis quam mineralis, & ſimiliter animalis, in loco proprio generationis melius quàm alibi conſervatur. Quia igitur lapis philoſophorum, & ſimiliter aurum, præſertim Alchemicum, ſunt generata in igne: ergo proprius locus conſervationis, & melior, erit ignis: quia inter ea actio non fit, nec paſſio corruptiva, quia quandocunque agens tantum poteſt in agendo, quantum patiendo, & è converſo, tunc perpetuatur patiens per actionem agentis. Unde dixit Philoſophus, libro de Moribus animalium: Tantum poteſt terra in quieſcendo, quantum Deus in movendo. Quia igitur lapis philoſophorum tantum poteſt contra ignem in patiendo, quantum ignis in agendo: ergo eſt perpetuus in igne: Patitur enim paſſione, quæ eſt ſalus & perfectio, non autem paſſione, quæ abjicit à ſubſtantia. Ex quibus directè patet veritas & intellectus antiquorum philoſophorum, de generatione corporum cœleſtium, quam poſuerunt ex elementis, & eſſe incorruptibilia: poſuerunt enim cœlum & cœleſtia ſic mixta, & ideo incorruptibilia facta: quoniam principia materialia non poſſunt à formalibus ſeparari, nec è converſo, cum in eis non fiat actio & paſſio propter æqualitatem in virtutibus activis & paſſivis: & ideo natura ſagax, ſecundum eos, poſuit ſphæram ignis juxta cœleſtia, ad conſervationem ipſarum, cum maximè activis. Qualis igitur proportio eſt ipſius ignis materialis ad lapidem philoſophorum & aurum, talis eſt proportio ignis elementi ſphæra ſua ad cœleſtia corpora. Si igitur hæc in hoc igne ſervantur in eſſe ſuo absque corruptione aliqua, ſic & illa cæleſtia, in illo igne, & tales res gaudent igne, ut dixit Alexander. Veruntamen cœleſtia, ſic à ſolo Deo proceſſerunt juſſu Dei: Lapis autem philoſophorum, & ipſorum aurum, à Deo non ſolo, ſed à natura etiam, non tamen à natura ſola, ſed ut eſt ab artificis voluntate directa juſſu Dei: quoniam natura ſola non poteſt, nec ſcit in jis æquare elementa in virtutibus, ut perpetuentur in mixto, niſi prout eſt ab artificis voluntate directa. Et per hunc modum etiam, ſcil. voluntatis divinæ, cœleſtia corpora incorruptibilia ſunt, ut dicit Plato, qui dicit: Natura quidem noſtra diſſolubilis eſt: voluntate autem mea indiſſolubilis. Et ſic patet, quomodo ars juvat naturam. Ideo non poſſumus ſequi naturam in modo ſui operis, ſed ſic in opere. Unde Hamec in commento primi Stellicarum dicit: Oportet ut ſcias ô Thebit, quòd natura & voluntas ſunt repugnantia & contraria, & actus naturæ eſt impoſſibilis propter repugnantiam duorum, judicii ſcilicet voluntatis & naturæ: Generatio enim auri in hoc mundo cum voluntate, ſicut generatio ejus per naturam, eſt impoſſibilis: ſed nos diverſificamus ab hac, & præparamus ipſum præparatione voluntatis in radice, & tunc convertimus ſimplex in compoſitum, ad hoc quæritur in ſubſtantiis, &c. Ex quo patet, quod noſtra voluntas cum ſapientia ingreditur in hoc opus, ſicut complens & perficiens: quoniam voluntas cum ſapientia cognoſcit naturam & opera ejus, & ipſam ſequitur & gubernat propter eundem finem, ut ſuperius dictum eſt. Sunt igitur omnia elementa numero quatuor, ratione quatuor qualitatum, & ſunt convertibilia ad invicem: quia quodlibet eſt in quolibet potentia & virtute, propter quod reciprocè continuò generantur & corrumpuntur. In ſubſtantia autem ab exordio mundi unum ſolum eſt elementum, quod eſt materia prima ex ejus diviſione. Propter repugnantiam quatuor qualitatum, generata ſunt quatuor elementa actu, quæ erant ibi in potentia. Similiter in hujus lapidis ortu ſunt quatuor elementa in uno in potentia, quòd eſt materia prima, quæ inenarrabili artificio dividuntur & complectuntur. Cenſemus porro hunc lapidem eſſe perpetuum, & incorruptibilem ſuper ignem, non ſolum propter adæquationem quatuor elementorum in viribus ſuis: ſed propter conjunctionem quinti elementi cum illis: quia ſicut major mundus ex quatuor elementis corruptibilibus eſt compoſitus, & uno incorruptibili, quod dicitur quinta eſſentia: ſic & ars divina virtute, elementa quatuor lapidis corruptibilia, nexu & nodo unius incorruptibilis, quod quinta eſſentia dicitur, in hoc minori mundo indiſſolubili copulavit, quod quintum dicitur elementum. Ideo dicit Avicenna: Hoc eſt unum quinque elementorum. Unde Alexander dicit: Initium hujus artis ex quatuor eſt viribus peragentibus, ſcilicet apperitiva, retentiva, digeſtiva & expulſiva, ſive mundificativa, & quinta ſcilicet anima vel vita ſtans, ortus & lumen clariſſimus: propter quod etiam dicit ibi, eam non eſſe calidam, nec frigidam, nec humidam, nec ſiccam. Eſt autem hæc quinta eſſentia, ſulphur divinum, incorruptibile, quo compoſitum incorruptibile perpetuo perſeverat. Et ſicut humidum & ſiccum ſunt elementa hujus artis, ſecundum modum quem diximus: ſic ſimiliter anima, ſpiritus & corpus, cum ſint unum & idem cum humido & ſicco, & è converſo. Eodem modo fixum & volatile ſunt elementa: ſimiliter etiam candidum & rubicundum. Ad hæc etiam ſulphur & argentum vivum. Similiter aurum & argentum vivum, quoniam eadem ſententia eſt omnium. Et quia inter omnia elementa quatuor, ſola terra eſt fixa, & ars Alchemiæ vult ſuum lapidem eſſe fixum, ideo oportet neceſſario quod in fine operis convertantur omnia in terram, id eſt fixionem, ſecundum Philoſophos. Quæ ergo dixerunt antiqui Philoſophi ante Ariſtotelem de elementis, & poſt ipſum in hac arte, & de elementatis, & ipſorum generatione, ex uno ſolo elemento, aut duobus, aut tribus, aut quatuor, & ipſorum corruptibilitate & perpetuitate, ſecundum allegoriam dixerunt.

CAPUT

CAPVT XIII.

In quo ostendit, quid sit Tyriaca & venenum in lapide Philosophorum, secundum antiquos Philosophos.

QUia antiqui Philosophi assignaverunt in compositione sui lapidis venenum & Tyriacam, & ipsum comparaverunt eis vel è converso, sicut venenum & Tyriacam humano corpori, & sunt hæc de terminis occultissimis hujus artis, nec possit lapis perfici & compleri, nec etiam quodammodo elucidari sine ipsorum cognitione sicut sine cognitione prædicti fermenti & elementorum, & sibi similium: ideo de ipsis nunc dicamus. Sunt quidam sicut mos est, & fuit hanc artem secundum verborum scripturam & sonum inquirentes, & operantes, qui credunt interficere Mercurium cum rebus venenosis: unde quidam ipsorum acceperunt venenum ex vegetabilibus, ut ex napellis aut cicuta, & sibi similibus: quidam autem ex animalibus, ut ex bufonibus & serpentibus, & aliis similibus. Quidam autem ex mineralibus, ut Arsenico & similibus Et eodem modo in Tyriacis fecerunt & similiter & commixtè: & credidérunt coagulare Mercurium cum salute, in elixir cum eis, & delusi sunt omnib, modis: quia non intellexerunt antiquos. Reprobantur enim, sicut in capitulo elementorum nuper diximus. Et similiter: quia non commiscentur nisi homogenea in natura. Cum igitur ea quæ sunt vegetabilium & animalium, non sunt homogenea, in mixtione cum natura ductibilium: ergo eorum venenum & Tyriaca Julij perfectionis operabuntur super Mercurium, ut interficiatur, & coaguletur, & fiat elixir. Et si mineralium aliquorum natura ipsum mortificet & coagulet propter homogeneitatem mixtionis in naturam, & sint res venenosæ, ut sulphur & Arsenicum: dicimus, quod illorum coagulatio est ad corruptionem, & non ad perfectionem: ut, infra benè probabitur: ergo de veneno alio, & Tyriaca alia erit intellectus Philosophorum. Dicimus ergo, quod sicut fermentum dupliciter dicebatur, sic & venenum, cum sint idem, & similiter Tyriaca. Uno modo ipse lapis perfectus & completus in operatione ad imperfecta metalla: Alio modo id quod est perficiens ipsum lapidē. Primo modo est impropriè dictum: Secundo autē modo propriè. De primo modo dicimus, quod ipse mundificat imperfecta metalla, & omnem egritudinem & corruptionem, ab eis aufert, & ea sanat, & convertit & perficit in aurum: dicetur dignè Tyriaca ipsorum hominum Et quèmadmodum res venerosa, quemadmodum patet de Tyriaca appropriatæ, corpori leproso adhibitæ, ipsum ab humoribus corruptis, membra principalia & alia corrumpentibus, sanant omninò: Sic & hic lapis efficit in metallis leprosis, & ideo quándoque venenum, quandoque Tyriaca dicitur. Metalla enim corrupta, quæ sunt quatuor, laborant speciebus lepræ quatuor, ex aliquo quatuor humorum corruptorum, & sanatur per dictum lapidem, sicut lepræ hominum per serpentes appropriatos. Ferrum enim patitur lepram ex corruptione coleræ, ad naturam melancholiæ conversæ, quæ Leonina dicitur. Æs autem ex corruptione sanguinis, ad naturam melancholiæ conversi, quæ dicitur Alopecia. Stannum autem ex corruptione flegmatis, ad naturam melancholiæ conversi, quæ dicitur Tyriaca. Plumbum autem ex corruptione melancholiæ solius, quæ dicitur Elephantia. Hæ autem lepræ omnes sunt per admixtionem diversi sulphuris, corrumpentis ipsa, quod fuit in mineris suis. Et ideo per sulphuris illius ablationem directam, cujuscunque modi sit, sanantur & perficiuntur per hunc lapidem, sicut lepræ hominum per serpentes appropriatos. Argentum autem patitur principium lepræ flegmaticæ: quia in seipso habet partes sulphuris adurentis, ut patet: Sed natura sagax, in ipsius generatione miscuit Tyriacam talem, quod non augmentatur, sed si manet, aut in melius transmutatur, quod sulphur, cum per hunc lapidem ablatum fuerit, statim erit aurum. Aurum autem purissimum est, & nobilissimum, & æqualissimum, sicut sol inter sidera, & sicut sanguis purissimus in corpore humano temperatæ complexionis; carens omni extranea qualitate, & habens sanitatem summam. Et ideo ars sequens naturam, vult omnia cum hoc lapide sanare, & est Tyriaca & venenum, & in solum aurum transmutare, sicut facit natura. Venenum autem proprie dictum, & similiter Tyriaca, secundum Alchemistas, est quod fuit dictum fermentum: & hoc est, quo ad operantem: quia si stet in gradu suo vigilanter, tempore ortus & germinationis, est Tyriaca & vita sibi & operi. Quod si ulterius ignoranter transcendat, corrumpit opus: quia evanescunt omnia elementa, quæ erant miscenda: quare est sibi venenum, mors & desperatio: & moritur etiam lapis, eo modo, quo sibi inerat vita. Unde Hamec. in 3. Stellicarum in commento, hanc insinuans sententiam obscurè dixit: Res quando pervenerit ad terminum suum, est venenum mortificum, & est res simplex unius essentiæ, & attrahit quicquid assimilatur ei, & propter hoc interficit animal: & hic gradus est vita, & interfictio operantis ex odore suo. Et ideo cavendum est omnimoda cautione ab ejus odore, ne interficiat, & quando hoc signum apparuerit, pervenit ad terminum, & ditatus est operans ab ejus observatione, &c. Et Rasis in Lumine luminum: Si morieris tecum moritur: & si interimitur, & tu cum eo obis mortem. Idem in eodem: Amplius, aqua dum admiscetur æri, ipsum dealbat interius. Expecta ergo candorem. In hoc enim negotio, si dilatio quælibet seu agendi difficultas, aut tædiosa defatigatio opificem negligentia afficiet, ipsum expectando gaudio privat, spem suffocat, & existimationem interimit, &c. Et Hali in suis Secretis: Hoc est sulphur rubeum, luminosum in tenebris: & est hyacinthus rubeus, & toxicum igneum, & interficiens & Leo victor, & malefactor, & ensis scindens, & Tyriaca sanans omnem infirmitatem, &c. Et Rasis in Epistola: Lupus noster in Oriente invenitur, & canis noster in Occidente: hic momordit illum, & ille momordit istum, & fiunt rabidi ambo, & interficiunt se ad invicem, donec ab eis exeat toxicū & Tyriaca, &c. Et Rosinus: Hoc est venenum ineffabilis pretij, quod palam minima & vilissima venditur re, &c. Et Haly: Hic lapis est vita mortuorum, & eorum refectio: est etiam medicina, conservans corpus & purgans, &c. Et Morienus: Est autem elixir medicina ex pluribus confecta, quæ quidem medicina infirmitates metallorum sanat, quemadmodum Tyriaca infirmitates hominum. Unde à quibusdam venenum appellari solet: quia sicut venenum in corpore humano, ita elixir in corpore metallino, &c. Unde sciendum est, quod in magisterio & termino operationis, cū oritur anima ipsa, quærit corpus suū, ut uniatur cum eo, & recipiat vitam & operationem, & unio ista & cōpositio fit mediāte spiritu & cū conjuncta fuerit corpori, vivit in æternū cū suo corpore.

Hæc autem conjunctio fit in ortu & reſurrectione animæ: quia quamvis prius creata eſſet cum ſuo corpore, tamen propter inquinationem corporis & corruptibilitatem, non poterat anima ſuas proprias & incorruptibiles oſtendere operationes: imò tanquam mortua & inutilis jacebat & quaſi cum corpore tumulata: & quando per magiſterium ipſa purificatur & candidatur, reſurgit à ſuo corpore ſeparata, & tunc ſuum corpus eſt etiam purificatum, & ipſa quærit ſuum corpus, & deſiderat conjungi ſibi ut in æternum vivat, nec poteſt conjungi cum corpore alieno: Ante enim tunc evolat ab igne, trahens ſecum corpus ſuum ad volatum, quàm alteri corpori patiatur conjungi & uniri: & ſic opus annihilatur, & artifex à ſuo propoſito vacuatur. Ideo corpus dicitur Tyriaca ipſius animæ, cum anima per ipſum ſalvetur, & cum ipſo beatificetur: & dicitur venenum, cum ſit cauſa mortis animæ perpetuæ, quando per inſipientiam artificis non conjunguntur. Et ex hoc patet veritas illius Platonis, quod apud Philoſophum non verificatur 8 Metaphyſ. ſcilicet. Quod anima noſtra otta in horizonte æternitatis, antequam ſuo corpori uniatur: quia poſuit formas uniri per medium & ſeparatas: fuit enim locutus ſecundum analogiam. Et in hac conjunctione reſurrectionis fit corpus totum ſpirituale, ut ipſa anima: & fiunt ſic unum, ſicut aqua mixta aquæ & non ſeparantur de cætero in æternum, cum in eis nulla ſit diverſitas, imò veritas & identitas omnium trium, ſcilicet ſpiritus, animæ & corporis, abſque ſeparatione in æternum. Sicut verè patet de identitate & unitate Trinitatis in Deo ſcilicet Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quæ ſunt in ipſo Deo unum & idem, cum diſtinctione, abſque diverſitate in ſubſtantia. * Ex quibus verbis convincere poſſumus directè, quod Philoſophi antiqui hujus artis fuerunt vates verè, per hanc divinam artem, de apparitione Dei in humana carne, ſcilicet Chriſti, & identitate ipſius cum Deo, mediante influxu & manatione Spiritus ſancti, quamvis indiſtinctè valde hoc noverint & confuſe.

Ad propoſitum autem de Veneno & Tyriaca, propriſſimè loquentes, dicimus nunc, quod hic lapis, cum in decoctione oritur, oritur in diebus præfinitis, ad ſimilitudinem argenti vivi candidiſſimi, & dicitur argentum vivum, & eſt argentum vivum Philoſophorum, ut ex verbis eorum omnium conſpicimus. Et quia argento vivo nulla utilitas ſequi poteſt, niſi cum à corpore ſuo conjungatur & mortificetur: ideo neceſſariò, ut veritas & finis conſtet operis, oportet, ut à corpore ſuo tunc interficiatur. Et quia omne interimens, largè ſumendo, poteſt dici venenum, ideo iſtud corpus dicitur: & dici poteſt venenũ, ſine quo hoc opus cõſtare non poteſt. Et quia talis interemptio eſt ſalus & perfectio ejus quod interimitur, ut vivat vita incorruptibili in æternum, ideo dicitur Tyriaca, quia ad vitam incorruptibilem per interemptionem ipſum reducit: Sicut verè patet de glorificatione Sanctorum. Nam quod eos interimit, ſcilicet mors, poteſt dici venenum: ſed quia ex hoc accidit vita perpetua cum glorificatione, ideo poteſt dici, quod ſit Tyriaca, quæ Tyriaca propriè & verè erit in die judicij, ſcilicet noviſſimè: tunc enim fiet animarum & corporum ſuorum purgatorum reſurrectio, & conjunctio, & unio perpetua. Et ſic etiam in hac arte accidit glorioſa, in ſuo die noviſſimo. Hoc autem venenum & Tyriaca eſt corpus antedictum, & fermentum, & clavis totius operis, & eſt forma ſolis, & flos auri. Unde Zeno in Turba Philoſophorum: Scitote, quod nullum corpus eſt preciosius, nec purius ſole, & quod nullum venenum tingens generatur abſque ſole, & ſua umbra. Qui igitur Philoſophorum venenum abſque hoc facere conatur, jam errans decidit in id, quod ejus triſtitia permanet, qui cum ſapientum venenum ſole & ejus umbra tinxit, ad maximum pervenit arcanum, &c. Et Acſuboles in eodem; cum autem venenum corpus penetrat, ipſum invariabili colore colorat, & nunquam demittit corpus animam, quæ compar ſibi eſt, à ſe ſeparari, &c. Ex quibus dictis patet, quod ſine veneno & Tyriaca Alchemia non perficitur, non ſecundum intentionem conſiderantium in planicie, ſcilicet quod apponatur aliquod illorum ab extrinſeco, ſed quia in fine operis & decoctionis fiunt hæc obtinentia nomina eorum, ut dictum eſt. Et hæc verba ſunt profundiſſima, & dicta ſecundum ſententiam antiquorum Philoſophorum, & ſunt conſona cum prius dictis de Fermento, & de Elementis.

CAPUT XIV.

In quo oſtendit, quid ſit coagulum, & quid lac in lapide Philoſophorum, & quid maſculus & fœmina, ſecundum Philoſophos.

DE coagulatione quoque & lacte, ne que nonex maſculo & fœmina, Philoſophi in hoc lapide tractaverunt, ſunt enim de ſecretiſſimis terminis hujus artis, quibus incognitis, & hæc ars totaliter ignotur. Sunt quidam, qui imaginantur, quod hic lapis, cum perfectus eſt, comparatur ad mercurium, ſicut coagulum ad lac. Sicut enim modica pars coaguli, multam quantitatem lactis coagulat, ſic modica pars hujus lapidis, ſuper multas partes mercurij projecta, coagulat in Solem vel Lunam. Qui longè valdè eorum intentione loquuntur: Si enim ſic eſſet, quænam eſſet comparatio hujus lapidis ad metalla? Non enim poteſt coagulare ea, cum jam coagulata ſint à natura:

Ex quibus verbis, &c.) *Notandum cenſeo, apud conſiderantes veritatem, & figuras in rebus, quod quicunque hujus artis divinæ & glorioſæ fuerit verus opifex, ponere in Deo poterit Trinitatem in unitate, & Unitatem in Trinitate cum diſtinctione trium, ſed abſque diverſitate in ipſo. Nam in hoc lapide verè aſſignatur trinitas in unitate, & è converſo, cum diſtinctione & abſque diverſitate, ſubtiliter intuenti & ſcienti. Neque video exemplum in mundo ſic per omnia ſimile, ad aſſignandam Trinitatem in Deo, ut hoc. Illud enim beati Auguſtini, quod ponit de 10. de Trinitate, de Anima: & ponitur 1. Sententiarum, ſcilicet quod in anima ſunt iſta tria idem: ſcilicet memoria, intelligentia, & dilectio: ſive voluntas & pulchrum & verum, ſed fortè aliquam patitur contradictionem: hoc autem nullo modo. Et credo firmiter, quod quicunque infidelis hanc artem divinam veraciter ſciret, fieret neceſſariò fidelis in Trinitate Dei, & crederet in Chriſto Jeſu filio Dei Domino noſtro. Et ſi hoc facit, non eſt niſi ex timore pœnæ præceptæ in ſecta & lege illa, & aliis illatæ, ne ſibi ſimilis inferatur. Nihilominus tamen perfectiſſimè videt, & trinitatem in Deo eſſe, & aſſignari neceſſariò poſſe, per iſtius lapidis pretioſiſſimi & occultiſſimi inventionem, ſicut viderunt Hermes, Plato & antiqui Philoſophi. Non igitur videtur in mundo ſimilitudo ſimiliter, nec inquiſitio, nec ſubtilitas, nec utilitas, nec theſaurus ſimilis huic, cum anima ſcientis hoc, & corpus ſint in hoc mundo libera, & futuri ſeculi beatitudine adipiſcatur, cum ex fide & bonis operibus poſſit ad ſuum creatorem poſt mortem transferri, & in die noviſſimo iterum conjungi, & apud creatorem beatificari completè.*

natura: mercurius autem sic. Non ergo dicimus, quod coagulum apud Philosophos, dicitur illud, quod in capitulis est dictum corpus, sive fermentum, sive venenum, sive flos auri, quod est occultum in mercurio Philosophorum, quando oritur: & ille Mercurius dicitur lac. Illud enim coagulum est, quod coagulat illum mercurium, & ipsum & mercurius sunt unum & idem in substantia, ita quod seipsum coagulat, & ab alio non coagulatur, ut verè patet de cera liquefacta quando coagulatur. Et sicut coagulum fit ex lacte solo, sed per quandam digestionem & decoctionem alteram recipit potentiam & virtutem coagulandi illud lac in quo est; sic & hoc coagulum quod est in mercurio Philosophorum, ortum recipit per quandam digestionem & decoctionem, alteram potentiam & virtutem coagulandi illum mercurium in quo est, & recipiendi, & perficiendi, cum sit in ipso, & cum ipso ortum. Unde sicut coagulum dominatur lacti, & ipsum coagulando ad se convertit, & fiunt omnino unum coagulatum absque diversitate; sic & hic. Propter quod non est confidendum in mercurio sublimato, sed in calcinato post sublimationem, ut dicit expositor in Lumine luminum: quia cum fuerit sublimatus mercurius Philosophorum, candidus, de sui natura est volans ab igne: cum autem à suo coagulo coagulatur, calcinatur, figitur & retinetur, & hoc coagulum est aurum Philosophorum & venenum. Et sciatis, quod hoc coagulum est clavis Philosophorum: quia coagulando spiritus, dissolvit corpora simul & semel in eodem momento: & ideo dixerunt Philosophi, quod spiritus non possint detineri, nisi cum aquis corporum, & quod unum & idem est coagulatio spiritus, & solutio corporis. Unde Rasis in Epistol. Gummi nostrum coagulat lac nostrum, & post hoc apparebit rubedo orientalis, &c. Et Lucas in Turba Philosophorum: Accipite argentum vivum, quod est ex masculo, & ipsum secundum consuetudinem coagulate: non enim hoc est regendi initium, eo quod jam coagulatum est, &c. Et de hoc dixit Hermes: Lac cum parturitur, est humidum, & post paulatim induratur & incrallatur & coagulatur. Et Senior: Quando vidi aquam coagulare seipsam, tunc certificatus sum, quod res vera est sicut assignatur. Et tunc aquam coagulatam nominant nomine cujuslibet masculi: deinde desponsaveruut cum fœmina, & ipse est ex ea, & ipsa est radix ejus, & coagulatio ejus, sicut dixit Hermes, &c. Idem in eodem: Congelat autem hæc aqua, cum est congelata, & aqua currens, est mater coagulatæ, & ex ea fuit, &c. Ad hunc quoque modum assignaverunt in suo lapide masculum & fœminam, nominantes fœminam ipsum lac quod coagulatur, masculum autem quod coagulat: quia actio attribuitur masculo, passio verò fœminæ. Nam in hoc lapide, quando oritur, cum ipse sit liquidus, & fluens & patiens dicitur fœmina: suum autem coagulum, à quo cogulatur cum sit solidum, firmum, permanens & agens in illud, dicitur masculus: compositum autem ex iis, dicitur lapis commixtus, perfectus & compositus, & fiunt in commixtione unum omnino, sicut in cera: Unde dixit Alexander: Scias, quod nullus nascitur, nisi ex mare & fœmina, & nullum germen gignitur, nisi ex humido & sicco, &c. Et Moses in Turba Philosophorum: Cum enim masculus & fœmina conjungitur, fit mulier non fugiens, compositum verò spirituale. Ut enim masculi recepta gaudet fœmina, eo quod masculo adjuvatur, masculus verò à fœmina tingentem accipit spiritum. Masculus ergo & fœmina conjunguntur, & unum fiunt, &c. Et Barseus in eodem: Veneramini regem & uxorem suam, & nolite eos comburere, &c. Et Theophilus: Philosophi tamen mulieres suos conjuges interficientes, neci dederunt, illius enim mulieris venter armis plenus est & veneno, &c. Et Senior: Masculus est sine alis existens sub fœmina: fœmina verò habet alas, & vult volare: masculus autem retinet volantem. Et propter hoc dixerunt Philosophi: facite fœminam ascendere super masculum, & ascendet masculus super fœminam. Et Rosinus: Fœmina masculo roboratur, &c. Et est sciendum, quod masculus & fœmina sunt idem, & in eodem substantivo, & sunt habentes virtutes diversas in tali subjecti unitate. Et hoc potest confirmari per Philosophum primo de Plantis, qui ponit, quod in seminibus est mixtio masculi & fœminæ. Dicit enim sic: Semen plantæ est simile imprægnationi, quæ est mixtio masculi & fœminæ: & sicut in ovo est vis generandi pullum, & materia cibi ejus usque ad horam complementi, & sui exitus ab eo: & sicut fœmina ponit ovum in una hora, ita & planta semen, &c. Et idem dicit 10. de Animalibus. Ex quo patet, quod talis copulatio potest dici Hermophrodita: quia plantæ & semina ubicunque imprægnant, imprægnantur etiam, & hoc denotat agens & patiens in eodem subjecto simul esse commixta in unitate quadam. Quando ergo oritur lapis iste, habet in se mixtionem masculi & fœminæ: sed oritur liquidus, fluens, volans, lucidus, & coagulationem patiens; & sic est fœmina; coagulum autem oritur in ventre ejus, & est solidum, stans, permanens, umbram ostendens, sicut faciunt lapides precioſi lucidi: & coagulationem in illo faciens, & est masculus, & sicut fœmineum & patiens est quid diminutum & imperfectum: ita masculinum, cum sit agens, est quid completivum & perfectivum ipsius. Unde dixit Hermes: Fili extrahe à radio umbram suam. Radius enim est humiditas & fœmina, umbra verò est siccitas in humiditate occulta, & est masculus: cujus generatio fuit à natura, antequam generatio fœminæ. Masculus autem est rubeus, persequens fœminam fugientem, & ipsam capiens, & retinens: invalida fœmina autem est alba, fugere volens, sed valde leviter permittit se à masculo capi: propterea dixerunt, quod fœmina habet alas, masculus verò non. Simili quoque modo dixerunt, hunc lapidem esse primò senem, & secundo juvenem: quia de ratione juventutis est, colorem rubeum insererè in cute humana & in capillis: de ratione autem senectutis albedinem. Cum ergo hic lapis, primo in sui generatione sit albus, in secundo rubeus, merito primo dicatur senex, secundo juvenis. Unde Rasis in Epist. Lapis scientiæ nostræ senex est primo & ultimo puer; quia albedo est initio, & rubedo in ultimo, &c. Dixerunt etiam cum proportione simili, hunc lapidem regionalem: quia ratione suæ humiditatis dixerunt ipsum esse Ægyptiacum, ratione siccitatis Persicum. Unde Ægyptum, domum humiditatis esse dixerunt: Persiam autem domum siccitatis: & quod Ægyptii terræ Persarum egent subsidio, sicut dixit Mulvescindus: Omnis enim putrefactio fit in humido, finis autem putrefactionis est siccitas & incineratio. Dum ergo fuerimus in fine putrefactionis completæ, oportet desiccare, & tunc fit conversio elementorum: quia humidum fit siccum, & Ægyptii recipiunt subsidium à Persis, & sic alternatim lapides ad invicem commutantur. Et ideo putrefactio non valet alibi quàm in Ægypto: ipsius autem finis, non nisi in Persia. Secundum ergo hunc modum, assignaverunt

in hoc lapide mulierem prægnantem, maſculum rubeum in utero habentem, & parturire clamantem. Unde lapis, qui ſuperius dictus eſt fœmina, eſt mulier prægnans: qui autem dictus eſt maſculus, eſt ſtans in utero, paratus ad partum. Et ideo in coagulatione apparet partus: quia lapis dictus fœmina, parit lapidem alium: quia quod erat fluxibile, fit coagulatum. Multos quoque alios terminos invenerunt Philoſophi, ſed prædictorum cognitione integrè habita, aliarum omnium cognitio nullarenus poterit occultari.

CAPUT XV.

In quo probat, hanc Artem eſſe veram tripliciter, ſcilicet primò Autoribus: ſecundò rationibus: tertiò, à ſimili & exemplis.

POſtquam declaravimus, & abbreviavimus per capita, quantum potuimus, terminos & modos traditionis iſtius occultæ artis, ſecundum antiquos Philoſophos, & probavimus, ipſam eſſe veram, nunc iterum hoc idem probare aggrediamur, ſed aliter. Quòd quidem erit tripliciter, ſcil. primo Autoribus, ſecundo rationibus, tertiò à ſimili & exemplis. Autoribus primò multis, quia reperimus antiquos Philoſophos famoſos, qui in alias artibus & ſcientiis ſcripſerunt & veritatem tradere conati ſunt, in hac arte libros compoſuiſſe affirmantes, & docentes quòd Ars hæc ſit veriſſima, & ſequela naturæ, & regulans naturam in materia propria, ad finem à natura intentum, quem natura ſola attingere nunquam poſſet & hoc uno modo tantùm, ut prius narratum eſt. Unde Hermes in ſuis Secretis dicit: Verum ſine mendacio, certum, veriſſimum: Quòd eſt ſuperius, eſt ſicut quod eſt inferius: & quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius, ad perpetranda miracula rei unius, &c. Et Morienus: Si autem ea quæ tibi dixero, & teſtimonia antiquorum rectè inſpexeris, bene & apertè cognoſces, nos omnes in uno convenire, & omnia quæ dicimus, vera proferre, &c. Et omnes breviter hoc idem volunt, & ſunt ſicut Hermes Triſmegiſtus, Pater & propheta philoſophorum, Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Plato, Democritus, Ariſtoteles, Zeno, Heraclitus, Dedalus, Diogenes, Exiodus, Lucas, Hipp. Hamec, Thebit, Geber, Raſis, Calid, Haly, Morienus, Thephi, Parmenid. Meliſſus, Empedocles, Albohaly, Almeon, Ptolemeus, Homerus, Vergilius, Ovidius, & alii quamplurimi Philoſophi, & hujus veritatis amatores: quorum nomina valde prolixum & tædioſum eſſet ſcribere: & horum plurium libros vidimus & juxta poſſe noſtrum & modicum ingenium ſtuduimus, quamvis operationi & labori fuerimus rarò dediti. Voluimus enim libros eorum mente vigili ſtudere prius, & eos imaginabiliter volvere & revolvere, die ac nocte cum inſtantia, ut loquelam veram ipſorum figuraram, & radicem habere poſſemus, ut ſciremus circa quid, & quomodo operentur ſecundum rationem, & non ſecundum fortunam, ſi Deus voluerit. Unde Hermes in ſecundo: Filii, quicquid audis, ratiocinare (non enim puto te ratione eſſe privatum) &c. Philoſophus 2. Meteororum: Contra illos qui dixerunt, omnes ventos eſſe unum ventum natura & omnia flumina unum flumen, dicit. Et dicentes ſermonem hunc, dixerunt ipſum absque inquiſitione: melior autem ſermo eſt poſt inquiſitionem & rectitudinem inquiſitionis. Et Raſis primò de 70. Non eſt idem inquirere rem cum ſcientia, ſicut inquirere ipſam absque ſcientia. Idem ipſe Raſis, libro perfecti magiſterii, hortans nos ad tale ſtudium, dicit: Rogo itaque te fili, ut inceſſabili lectione Philoſophiæ libros ſcruteris, ut ejus filius eſſe, & ejus arcani magiſterii habere ſagaciam mereaſ. Qui enim in legendis libris deſes, id eſt. piger extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit, quia non poteſt de levi ejus in practica manus clareſcere, niſi cujus mens prius in Theorica maceratur. Ille namque ad operationes ſecurus, in cujus mentis ænigmate, plures operationum imagines variæque reſultant, &c. Et Geber in proœmio Summæ ſuæ: Labora utique fili ſtudere in noſtris voluminibus, & ea ſæpiſſimè in mente tua revolve, ut intentionem ex loquela noſtra veram acquiras, &c. Unde Gal. talem inquiſitionem oſtendens, dicit 6. de ingenio ſanitatis: Oportet ut primitus ſecundum rationem conſideranda conſiderentur, deinde cum experimento certificentur, ut ratio per experimentum confirmetur. Et idem in 2. ejuſdem: Virtus rationis experimenti virturem oſtendit & ordinat: & ſicut bona ratio experimentum decorat, ſic mala eum dedecorat. Eſt autem magna probatio in aliqua obſcura ſcientia, & maximè quando eſt obſcurè tradita, inducere autorum nomina, & autoritates antiquorum philoſophorum in illa. Ideo Philoſophus in Ethicorum 2. In obſcuris oportet apertis teſtimoniis uti. Et Morienus: Omnis enim res, usque dum per ſuum effectum eſſe dignoſcatur, multorum teſtimonio verior comprobatur. Et Raſis in 70. Antiqui Philoſophi ſunt, quibus innitendum eſt. Unde Albohali, id eſt Avic. in Medicina, lib. 4. cap. de Febrib. rariſſime evenientibus, quæ dicuntur quintanæ, ſextanæ. dicit: Et non oporret ut negentur ægritudines, quas non contingit videre, niſi in tempore quodam, & regione quadam: nam hoc genus non comprehenditur præ multitudine, &c. Item ibidem: Conceſſio & poſſibilitas eſt res ampla, & rarò fit poſſibile, ut neceſſariò ſequatur ejus contradictio, &c. Idem ibidem: Non eſt diſpoſitio inconceſſivè ejus, quod nunquam videtur neque auditur, nec de quo non teſtificatur experimentator aut ſapiens, ſicut conceſſio ejus quod teſtificatur qualis Hippocr. &c. Videtur ergo, quòd teſtificatio ſapientum in ſuis artibus & ſcientiis, ſit magna probatio ad ſententiam, dum veritates obſcuras & difficiles aperit. Proptera dicitur in Dialecticis. Unicuique experto in ſua arte credendum eſt. Unde Ariſt. 10. Ethicorum: Conſonare utique rationibus videntur ſapientum opiniones. Neminem igitur ſapientem naturalibus concedere neceſſe eſt, artem Alchemiæ non eſſe veram, quamvis eam ignoret: ſufficit enim habere teſtes tales, ut Iſocratem, Hermetem, & plures alios, Cauſſæ enim quamplures ſunt, quare ſcientes eam occultant: & quia non viderunt, homines in partibus in quibus ſunt, nec audiunt à longinquis alios habentes ipſam, judicant quod vana ſit. Iſti enim tales ſunt, tanquam puer à principio nativitatis usque ad ſenectutem in domo concluſus, non putans mundi latitudinem extendi ultra domum, in qua concluſus eſt: vel ultra quàm oculus ſuus poſſit conſpicere. Et ideo Gal. in commento 1. regiminis Auctorum, laudans allegationem antiquorum autorum: Loquens de Græco & Arabe in arte augurandi, circa judicium evaſionis mortis ægrorum dicit: Quòd Arabs, cum interrogaretur à Galeno quomodo erat hoc de iſtis judiciis quæ dicebat, nullas diſtinctiones faciebat, nec per autoritates aliquas dicta ſua confirmabat, ſed per actiones eorum: Et Græcus faciebat diſtinctiones de volatu avium à dextris & à ſiniſtris, & ab ante

& retro, de sursum, & deorsum, & longè vel propè, & motu & quiete, & de garritu diverto, & sic de aliis conditionibus, & post judicabat, & dicta sua omnia confirmabat, scilicet autoritatibus antiquorum sapientum in illa arte. Et cum vidisset Galenus, quòd judicia sua, ut in pluribus vera erant, sententiam tulit quòd apud Græcum erat scientia in arte illa, apud Arabem verò minime: Eodem ergo modo in arte Alchemiæ nos judicabimus omnino. Et ob hæc Avicenna in primis verbis sui tractatus, quem fecit ad Asten de Retia, sic dicit ad literam: Tractanda sunt inter me & Asten, de eo quòd ipse scit verba, qui me rogavit, ut in parte una tractando scriberem, ut essent ei memorialia, & ut faciam eum intelligere quibus modis ego ad id applicui, secundum quòd cogitavi & novi, in rebus naturalibus consideravi. Et fuit sententia: Quam affirmant Alchemiam profitentes una rerum quibus ille, id est, Aristoteles, in fine 4. Metaphysicæ Quæ ad bonitatem & scientiam cooperatur, plurimum contradixit, & illorum sententiam annihilavit. Mihi verò excusatio non fuit in arte mea, quando scirem intentionem ambarum sectarum. Consideravi igitur libros affirmantium artem, & inveni eos vacuos à ratiocinationibus quæ sunt apud omnem artem, & reperi plurimum ejus quod in eis continetur, alienationi simile, id est similitudine & figura. Postea aspexi in libris contradicentium eis, & reperi contradictionem debilem, & ratiocinationem levem, qua ars non destruitur & evacuatur. Hoc dicit, quòd omnis ars & scientia habetur per suas demonstrationes expressas, sive per sensum, sive per intellectum. Sed Alchemia non utitur demonstrationibus aliquo illorum modorum: quoniam non probatur nec probat, ut aliæ, neque exprimit eas quas habet ut aliæ, sed magis occultat, cujus causæ in superioribus dictæ sunt. Rationibus autem nunc duabus diversis à superioribus probemus, quamvis sit valde difficile. Unde Philosophus in 1. Topicorum: Quædam sunt problemata, de quibus sunt contrarii simili probabiles ud utramque partem: dubitationem tamen habet utrum sic sit, vel non sit, propter rationes utriusque partis verisimiles. Et quædam sunt de quibus non habemus rationem, propter difficultatem: &c. Et Alchemia est de illis. Modo dico, quòd sicut in cæteris scientiis operantis earum veritas esse probatur, sic & in hac sufficiet, cum hoc fit in earum serie. Unde Philosophus primo Topicorum & tertio: quando utitur hypothesi. Si monstravimus, sic se habere in aliis, & in proposito demonstrationem fecimus. Sicut ergo in scientiis operantis volendo probare veritatem alicujus sensitivi, nos probamus per demonstrationem sensitivam solum, ostendendo veritatem medii ad sensum, & non ad intellectum: simili modo oportet nos facere in hac. Unde Philosophus 1. Posteriorum: Sicut in demonstrationibus utilibus, medium monstratur ad intellectum, ita in particularibus medium monstratur ad sensum. Sicut ergo de objecto intellectus, non possumus judicare per sensum, sic nec è contrariò, ut patet in eodem. Et sicut elicitur ex verbis ejus secundo Cœli & mundi, contra illos, qui dicunt, terdam moveri circulariter, & terram esse in cœlo unam ex stellis, & locum ignis esse in centro: quia in sensibilibus debemus judicare per sensitivum. Ergo qui hanc artem ab intellectu non esse veram arguunt, nihil probant. Quòd si eis sensibile deficiat, causam suprà ostendimus, & hoc non probat artem non esse veram sufficienter: imo magis probat contrarium, cum imperfectorum alterationes versus perfecta videant. Propter quòd bene dixit Philosophus 7. Ethicorum scilicet. Cum enim rationabile appareat, Propter quod videtur verum non esse verum, credere facit vero magis. Et Avicenna in quarto de Cura putridorum febrium in generali dicit: Omnis contradictor, imprimis cum est super veritatem est excusatus. Unde de iis judiciis sensus & intellectus, Philosophus 17. de Animalibus, de generatione apum dicit, quod ex ratione probavit, generationem apud talem esse, ex accidentibus quæ nunc videntur circa ipsas, non tamen accidentia sufficienter accepta sunt: sed si sumuntur, tunc sensui magis quam rationi credendum est. Amplius dicimus, quod probare & similizare, hanc artem esse veram apud ignaros, incredulos & insensatos, est sicut similizare de coloribus & figuris & motibus apud cœcos, & de sonis & vocibus apud surdos: Quantumcunque enim eis in his probes, quàm verum non confitebitur: quia medium non sentit, nec intelligit: ergo nec judicari nec confiteri potest. Unde Philosoph. 1. Ethic. Unusquisque bene judicat de his quæ cognoscit, & eorum bonus est judex Et in 1. Topicor. Qui sentit aliquo modo, judicat. Et in eodem: Qui negat nivem esse albam, indiget sensu. Unde in principo Posteriorum dicit: Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiva, ex præexistenti fit cognitione. Ideo idem in eodem cap. de Ignorantia dixit: Si enim aliquis sensus deficit, necesse est illam scientiam deficere, quæ per illum sensum acquiritur. Similiter & in reliquis sensibus est inducere: Veruntamen sicut cœcis deficit virtus visiva, ratione organi impediti, & objectum est præsens, ita hic est è contrario. Propterea ergo, quòd hoc objectum non sentiunt, cum tamen sit sensibile, judicant hanc artem non esse veram: Talibus autem artem hanc veram esse non probamus, nisi prius credant:

Ideo Philosophus 1. Posteriorum: Oportet discentem credere. Et idem 1. Topicor. Non est autem cum omni disputandum, nec contra quemlibet exercitandum. Ideo bene dixit Pythagoras in Turba philosophorum: Si enim elementa veraciter scieretis hoc non negaretis. Rursus, si quis in scientia medicinæ, quæ est operativa, velit probare, aliquam medicinam particularem in sua specie, talem in humano corpore curare ægritudinem, & talem efficere operationem, per demonstrationem sensitivam solum procedet: cujus veritatem solum experimentum certificat. Experimentum autem fecit artem, ut dicit Philosophus 2. Posteriorum, & primo Metaphysicæ. Verbi gratia, aliquis patitur superabundantiam coleræ rubeæ in venis stomachi & hepatis: ejus autem cura secundum rationem, post digestionem est evacuatio: Volens autem probare, quòd sit aliqua medicina, faciens hanc operationem, arguam sic necessariò: Omne quod habet evacuare coleram superabundantem in venis stomachi & hepatis, post digestionem habet sanare patientem sed reubarbarum & scamonea sunt hujusmodi: ergo, &c. Major nota est, cum evacuatio illius coleræ jam digestæ, sit ejus vera sanatio: quia ipsa facta est horribilis & odiosa natutæ. Minor autem probari non potest, nisi experimento & experimentum non probatur, nec cognoscitur nisi per sensum, & propriè per sensũ visus, sc. videndo ad oculum utrum sit vel non. Unde Hamec in cõmento Stellicarum: Non pervenitur ad scientiam rei, nisi per visionem rei. Et Avicenna in Tractatu suo: Nos quidem scivimus illud ante experimentationẽ, cum ratiocinatione, quam verificavit experimentũ. Similiter cũ aliquis patitur febrim sinocham, inflãmativam, ejus cura est phlebotomia

venæ purpureæ sive communis usque ad syncopim: Et si quis velit hæc probare, arguet sic. Omne quod habet removere causam facientem febrim sinocham inflammativam, habet removere ipsam febrim: sed phlebotomia purpurea est hujus modi: ergò, &c. Major patet ex hoc, quia causa cujus effectus est in fieri, tum removetur, & effectus etiam, sicut remoto motore removetur motus: sed in causis quæ derelinquunt effectum suum in esse, post ablationem causarum, est secus, Sicut est domificatoria ars, & navalis, & fabrilis: quia in talibus remota causa, non propter hoc removetur effectus. Febris autem sinocha dicta, est in fieri, & dependet à causa sua, scilicet sanguine sano, supercalefienti calore extraneo accidentali, ut probatum est in scientia medicinæ. Minor autem nota est per experimentum solum, & hujus experimenti ratio jam præcessit: Similiter si quis velit probare quòd hermodactili attrahant, & evacuent phlegma à juncturis, & quòd lapis Iudaicus frangat & educat lapides renum, & lapis spongiæ lapides vesicæ, & quòd lapis lazuli, & lapis armenius evacuant melancholiam, & scammonea coleram, & æs ustum, aquam, & quòd apium noceat prægnantibus, & pueris, & epilepticis, & quòd lepus marinus comestus inducat phtisin, & piper calefaciat & lactuca infrigidet, & coloquintida & absinthium sint amara, & mel sit dulce, & napellus venenum est, & magnes attrahat ferrum, carabe & paleas, & quòd arsenicum dealbat æs, & multa talia, non nisi per experimentum probabit. Quoniam veritas, quæ consistit in medio rationis, debet ostendi ad sensum necessario. Eodem modo est in Geometria, Astronomia, Musica & Perspectiva, & in cæteris scientiis, quarum finis tendit ad practicam, & operationem. Simili ergo modo per hypothesin arguemus in Alchemia penitus, sic: omne quod habet transmutare metalla imperfecta & incompleta, habet efficere aurum & argentum: sed lapis de quo dicunt Philosophi est hujusmodi: Ergo, &c. Major patet: quia cum sint tantum duo metalla perfecta, scilicet aurum & argentum: sicut in mundo sunt duo luminaria perfecta scilicet, sol & luna: reliqua vero metalla imperfecta sunt, & incompleta: tunc, quicunque reducet illa de imperfectione & incompletione, ad perfectionem & completionem, convertet in aurum & argentum. Minor probari non potest, nisi experimento, & experimentum non cognoscitur nisi per sensum, ut prius declaratum est. Et in hoc propriè est finis artis, & complementum, & confessio veritatis ipsius. Ideo bene dicit egregius Aristotel. in 3. Cœli & Mundi scilicet, ut necesse est, ut judicemus super quasdam res, ex complemento ipsarum, & earum fine, & non ex earum principiis. Nam omni scientiæ, est complementum & finis, quod est: quia complementum naturæ est per rem sensibilem, cadentem sub visum, &c. Et huic concordat quod dicit Galenus de Crisi scilicet, quod verificatio in unaquaque arte, & ipsius affirmatio, fit ex operationibus ejus, & ipsius inventio & excessio ex ejus principiis, &c. ex quibus patet, quod hæc ars, & omnis ferè alia, non potest probari ex suis principiis, sed ex operationibus. Unde Avicenna in tractatu suo: Testatur autem ad credendam medicationem experimentum. Et Philosoph. 7. &c hic: In operabilibus ex operibus indicatur. Et Rasis in lumine luminum: Nam ejus quod diximus experimentum, veritatem indicat ex quibus pater, &c.

Notandum, quòd quia ars ista est ministrans, natura, & eam consequens, ideo duplicia sunt ejus principia scil. naturalia & artificialia. Naturalia sunt 4. causæ metallorum, cum suis annexis, & hæc principia recipit credita à scientia sibi superiori, sed exquisitè discutit ea, ut possit sequi naturam. Principia autem artificialia dicuntur modi operationum, quibus artifex applicatur ad magisterium, ut intentum perficiat, quæ sunt 8. scil. Sublimatio, Descensio, Distillatio, Calcinatio, Solutio, Coagulatio, Fixio & Ceratio, absque annexis suis. Quædam sunt non propriè principia, sed sicut probationes & judicia ostendentia veritatem & falsitatem dictorum principiorum, ejus quod operatum est ex eis scil. utrum sit idem penitus cum minerali vel non: & sunt novem, scil. Cineritium, Cementum, Ignitio, Fusio, Expositio super vapores acutos, Extinctio, Commixtio rei adurentis, Reductio post calcinationem, & Susceptio argenti vivi facilis vel difficilis. Est autem principium unum: aliud ab his excelsum & divinum quod est sicut clavis & nexus illorum, sine quo non potest perfici opus hoc, quod supra omnem rationem naturalem, debet cadere in intellectum, ante principium operationis, & ultimo in sensum. Et hoc est quod induxit Platonem, investigando Philosophiam incipere ab intellectu, & finire in sensu & iterum redire & reflectere ad intellectum via circulari: cujus contrarium fecit Arist. Unde Avicenna: Non potens hoc principium firmare per naturales rationes, sicut nec unquam aliquis. Alter naturalis Philosophus dixit cap. de Subst. fixa: quòd experimentum destruit formam specificam ejus: & vult dicere, quòd fixum destruit formam specificam volatilis ut non fugiat: & cap. de composit: medicinæ dicit, quòd cum aquæ commiscentur, & permiscentur vehementer, deinde exsiccantur, & coagulantur, & conglutinantur, ita quòd si vicerit summa volatilis summam fixi, volabit cum ea: & si non vicerit, figetur cum ea, & vult dicere, quòd volatile, potest volare cum fixo, & perditur opus: & fixum potest retinere volatile, & perficitur opus, quod est mirabile valde. Idem in eodem dicit sic: Et scivimus per principia plurima scientiæ naturalis, quòd possibile est, ut res & substantiæ, quarum radix est terra & aqua, resolvantur, & currentes fiant. Deinde scivimus per canones alios, scilicet non naturales, sed alchemicos & divinos, quòd ista Elixiria prædicta cum resolvuntur, non prohibetur resolutio ab operibus radicalibus omnino: imò remanet nobis de virtute earum quod volumus. Testatur autem ad credendum medicationem, experimentum, &c. Principium autem hoc præcipuè traditum est totum sub figura & allegoria propter ultimam difficultatem ejus, & investigationem supra rationem, ex cujus ignorantia, principia prædicta nihil prosunt: quia hoc sui veritatem & aliorum in experimento ostendit & sensu: & in experimento patet veritas principiorum. Ratio secunda est hæc: In quocunque reperiuntur proprietates, & passiones, & operationes omnes specificæ alicujus rei, Illud est idem penitus quod illa res: sed in auro & argento per alchemiam generato reperiuntur omnia hæc, quæ sunt in argento & auro minerali: Ergo, &c. Major hujus rationis rectificatur ex hoc, quia differentiæ specificæ rerum, sive formæ substantiales sunt nobis ignotæ, ut patet ex quarto Metaphysicorum in fine, & ex primo de Anima. Nec cognoscimus eas, nisi per proprietates & passiones: & proprietates & passiones per operationes & accidentia. Et ideo quales sunt operationes & accidentia in rebus, tales judicamus proprietates & passiones, ergo & per consequens formas: quia omnis cognitio etiam incipit à sensu, & patet ex 1. Physicorum, & primo Posteriorum,

riorum, & primo Metaphysicæ. Unde Philosophus primo de Anima, volens nos inducere ex hoc in cognitionem animæ & aliarum formarum, dicit sic: Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum, id est, definitionem & formam substantialem, quod quid est. Talis autem cognitio, scil. accidentium, est per sensum: quia sola accidentia sunt subjecta sensuum. Et ideo philosophus 4. Metaph. arguens ex operibus rerum & accidentibus super ipsas formas, dicit sic: Quod enim facit operationes oculi, est oculus: quòd verò non, non est oculus, sed imago oculi, & serra lignea non est serra: sed imago serræ. Undę dico, quòd optimum genus inquisitionis & certissimum est cognitio rei per accidentia propria: quia tum per causam uniuscujusque rei propriam res cognoscitur, cùm de accidentibus ejus propriis minimè dubitatur. Neque est hoc in metallis difficile, cum non sint diversæ substantiæ ad invicem, sed homogenea per totum. Minor patet sic, quia quicunque vult verè cognoscere aurum & argentum secundum eorum formam specificam, cognoscet per eorum proprietates, & passiones, & accidentia, & operationes, sive sint activæ, sive passivæ. Modo de proprietatibus esse auri est, esse metallum coloris citrini fulgentis, ad ignem fusile, sub malleo per omnem dimensionem extensibile, substantiæ homogeneæ & ponderosæ valde, & sustinere judicium ignis absque mutatione & diminutione sui per cineritium & cementum, & confortare cor: neque plus cognitum est de conditionibus auri in toto mundo per Philosophos & fossores mineralium metallorum. Per experientiam sic confirmant: In quocunque ergo metallo per alchemiam transmutato, reperiemus omnes proprietates prædictas, accidentia, & operationes, necessariò arguemus ipsum esse aurum. Et si aliqua illarum conditionum quæ dicta est, deficiat, non erit aurum. Quia igitur aurum alchemicum habet omnia prædicta, ideo judicamus, ipsum esse aurum necessario. Experimentum autem secundum philosophos testificatur hoc, ut dictum est, secundum sensum. Quòd si non est idem aurum alchemicum cum minerali, oportebit necessariò eos ponere easdem proprietates omnes in specie manere à contrariis formis, quod est penitus impossibile. Oportet igitur quòd sint idem. De confortatione autem cordis, quam facit aurum minerale, sicut dicunt medici: quia quidam idiotæ dicunt, quòd aurum alchemicum cor non confortat. Plat. in 3. Stellicarum expresè est contra eos, & similiter in commento ibidem Hamec: & similiter Haly in suis Secretis: & Aristoteles in suo de Secretis secretorum cap. de Lapidibus pretiosis, &c. Nunc verò à simili probemus. Quibusdam enim placet & satisfacit magis audire similia & proportionalia, cum rationes syllogisticas intelligere non possunt: & similiter, quia difficile est syllogizare. Unde philosoph. 9. Metaph. Non oportet cuiquam terminos quærere, sed proportionale conspicere. Et in primo de Vegetabilibus dicit: Quædam omni anno nascuntur & arescunt, ut triticum, & olera: & quædam non. Et non possumus hæc omnia scire per syllogismos, nisi per exempla & descriptiones: & ideo oportet determinare eas, ut sint exemplum & similia, & non debes omnium perscrutari definitiones, &c. Hæc autem similitudo & proportio reperitur tàm in animalibus quàm in vegetabilibus & mineralibus, & etiam elementis, & à natura sola, & cum auxilio actis. Natura enim generat ranas in nubibus, aut in pulvere aspersо pluvia, & per putrefactionem ex ultima dispositione materiæ ad hoc propinquæ. Et refert Avicenna, quòd vitulus in nubibus generatus est cum tonitruis, & cecidit cum pluvia semivivus. Et dicit quòd natura in talibus facit subitas generationes: cum ministratione etiam artis facit similia naturalibus, ut ex Basilicon contrito & debitè ministrato & putrefacto scorpiones generantur. Et elixatura anatis ad setenum cooperta bufones, & ex vitulo strangulato apes, cum putrescit humiditas illa per ebullitionem à calore extraneo: Et vespæ ex carne asini: & scarabei ex carnibus equi: & locustæ de carnibus muli. Et planum est quòd hæc talia sunt omnino similia illis, quæ à sola natura processerunt, quamvis locus sit alius, & materia alia & dispositiones aliæ. Sed proportiones miscibilium ultimas & dispositiones ultimas in tali materia, & tali loco credimus esse omnino easdem cum iis quæ à sola natura generata sunt virtute corporum cælestium, quamvis præcedentes sint valde diversæ propter diversitatem materiæ: ergo & formas easdem credimus. Aristot. tamen 6. de Animalibus est contra hoc, qui dicit, quod sunt idem solum secundum genus & similitudinem, non secundum formam. Et in 15. de Anim. dicit idem. Et similiter 7. Metaph. Unde Averroes in commento ibidem dicit mures generatos ex putrefactione non esse idem in specie cum generatis ex propagatione, quia dicit quod propagando conservari non possunt in specie. Sed nos dicimus, formicas, araneas, & alia pluta generata ex putrefactione, quæ postea ovando per propagationem conservantur in specie sibi simili: aut ergo erunt eadem in specie cum illis, quod credimus: aut eadem accidentia & operationes manabunt à contrariis formis, quod est impossibile. Similiter natura non faceret membra generationis in eis frustra.

In vegetabilibus etiam hoc patet: Natura enim generat ex putrefactione portulacas, bletas, parietariam, caules, & cucurbitas, & alia plura genera vegetabilium. Et illa etiam eadem ex propriis seminibus, & faciunt flores & semina eadem, & conservantur in specie sibi simili per semina eadem. Et hoc patet per Gal. in 1. Alimentorum cap. de Fœniculo; qui dicit sic: Et spontaneum quidem quandoque nascitur hoc, sicut & anetum: sed etiam seminantur ipsa per hortos, &c. Unde dicimus, quòd quædam sunt quæ per solam putrefactionem, ut pediculus, pulex, gramen & similia: Quædam quæ utroque modo, ut mures, portulaca, &c. Sicut ergo in animatis anima vegetabili utroque modo generatis, penitus arguimus esse eadem specie: quia eodem modo utraque possunt conservari in essentia: sic & in animatis sensibili penitus arguemus, quod totum accidit propter ultimam dispositionem & proportionem agentis & patientis. Unde dicit Philosophus 1. de Vegetabilibus quòd natura transmutat calamentum in mentam, & triticum in siliginem, & linum in silicem, id est lolium, & malas in bonas, & è contrario. Ut illa quæ fuit transplantata de Persia in Ægyptum. Et adeo dicit ibi, quòd à quibusdam malis seminibus proveniunt bonæ plantæ, & è contrario, sed non de facili. Et hoc etiam in animali contingit multoties, ut ibi dicit: & diversitas regionum hoc quam maximè operatur. In mineralibus etiam hoc est planum, quamvis non in omnibus. Generat enim natura in nubibus quandoque sagittas lapideas, & ferreas cum tonitruis terribilibus. Unde philosoph. juxta finem 4. Metaphysic, sic dicit ad literam: Sæpe etiam fiunt lapides ex igne, cum extinguitur, id est vapore igneo, scil. in nube. Et sæpe contingit, corpora ferrea & lapidem cadere cum

corruſcationibus, ut vapor igneus: quia ignis frigidus eſt & ſiccus in extinctione ſua. Et in Perſia cadunt cum corruſcationibus corpora ærea, ut æs uſtum, vel ſimilia ſagittis hamatis, id eſt barbatis, & non poſſunt liquefieri per ignem, ſed evaporant in fumum, viriditati attinentem, donec reſiduum ſit cinis. Cecidit quoque apud Vergen fruſtum ferri 150. atronarum, quod præ duritie ſua ferè erat infrangibile. Miſſa eſt tamen pars ejus regi Coraſceni, qui quum præcepiſſet enſes inde fieri, erat infabricabile. Dicunt tamen Arabes, quod enſes Alamanici, qui optimi, de ferro tali fiunt. Cum autem cecidit maſſa illa, reſilbit aliquoties à terra, ut pila, eratque compoſita ex minimis fruſtulis cohærentibus ad invicem, ad quantitatem granorum milii magnorum. Simile huic rei evenit apud Tepaſtrem. Sic ergo etiam fiunt lapides, eorum ſiquidem generatio vel erit ſubitò, propter magnum calorem accidentem luto viſcoſo: aut paulatim, propter multum temporis, &c. In quibus verbis Philoſophus inſinuat, quod natura facit generationes ſimiles, ſed aliquando ſubitas, aliquando paulativas, & in diverſa materia & diverſimodè. Idem in eodem: Sunt autem certa loca, ſuper quæ aquæ effuſæ vertuntur in lapides diverſorum colorum. Suntque aquæ quæ ſeorſim acceptæ non gelantur: quæ ſi prope alveum ſuum fundantur, congelantur, & fiunt lapides. Scimus ergo, quod in terra illa eſt vis mineralis, quæ congelat aquas, &c. Idem ibidem dicit, quod ſunt quædam vegetabilia, & quædam animalia, quæ convertuntur in lapides, virtute quadam minerali lapidificativa. Et hæc tranſmutatio corporum animalium in lapides, eſt aquæ propinqua, ſicut aquarum tranſmutatio. Et quædam fiunt citiùs, & quædam tardius ſecundum potentiam activorum, & reſiſtentiam paſſivorum. Idem ibidem dicit, quod eſt locus in Arabia, qui omnia corpora ibi exiſtentia, colorat colore ſuo. Panis quoque juxta Coraſcem, in lapidem mutatus eſt: remanſit tamen ei color ſuus, ſuntque talia mira: quia raro fiunt, vel accidunt. Cæterùm cauſæ eorum manifeſtæ ſunt, &c. Ita talia extranea natura facit in paucis locis mineratum extraneis, & ſunt valde miranda. Multa etiam in ſcripturis vidimus, & eatenus audivimus de mineris diverſis, in quibus quaſi incredibilia fiunt omnino: ſimiliter in elementis hoc idem patet. Excuſſione enim quorundam lapidum cum calibe, generamus ſubito ex aere ignem, & ex aquæ ebullitione aerem, & ex condenſatione aëris aquam, & ex reſervatione aquæ terram, & connectuntur, & ſunt eadem penitus cum naturalibus ſolis. Quæcunque tamen exemplaria hîc adducta ſunt de tranſmutationibus, non ideo ut omnino proportionalia ſint, adducta ſunt. Quoniam exempla ponimus, non ut ſemper vera ſint, ſed ut ſentiat qui addiſcit, ut dicitur primo Priorum. Sed hocideo, ut ſit ſatisfactio quibusdam in ſuperficie ſpeculantibus, & non in profundo, oſtendendo opera miranda naturæ, & tranſmutationes extraneas, ut adhuc velut longè diſtantes imaginentur hanc artem poſſibilem. Quibus autem mens & diſcretio medullitùs & profunditùs eſt evigilans, talia exempla & proportionalia puerilia ſunt. Neque omnino, ut in pluribus in eadem ſpecie tum ſibi ſimilibus collocata, in quibuſdam autem fortè ſis. Et hæc probatio extrancorum æquè prodeſt Alchemiſtis & Sophiſtis, imo Sophiſtis magis: quoniam diverſas materias propter hoc ſibi ſubjicere poſſunt. Huic quoque lapidi nihil omnino ſimile videtur poſſe adduci, ſed ſolum ſecundum partem. Et quod magis ſimile videtur, eſt de generatione atramentorum, & ſimilter fumus reſolutus à lignis cum comburuntur. Hic enim fumus eſt tanquam ſpiritus, qui reſolvitur ad aerem cum toto corpore ſuo. Sed ſi inveniat corpus aliquod ſolidum, cui appodietur, retinetur à ſuo corpore occulto ſuper illud corpus aliud, & induratur, & figitur, & fit fuligo: ita quod ſpiritus dum fugit ignem, convertit corpus ad ſuam naturam: & corpus cum permanet, convertit ſpiritum ad ſuam naturam. Et hoc idem ſimile patet de generatione tartari in vaſis boni vini. Quemadmodum etiam motui circulari cœleſtis ſphæræ ſuper ſuum centrum non poteſt adduci aliquis alter motus, circulari omnino ſimilis, ſed ſolum partium: quia centrum ſphæræ cœleſtis eſt ſeparatum à circumferentia, nec eſt annexum alicui alteri, ſed in ſeipſo, & per ſeipſum ſic in medio manet, & omnis alter motus ei aſſimilatus eſt volubilis rotativus, & non circularis: cujus centrum firmatur & annectitur polis ſuæ circumferentiæ, mediante axe ſuo: Sic & in hoc non poteſt aliquod omnino ſimile adduci, ſed ſolùm in parte: quia ipſe lapis eſt quiddam proprium in ſe, & orphanum & unicum ab omnibus ſeparatum. Non tamen inconvenienter exempla dicta appoſita ſunt. Ex prædictis igitur ſatis patet, quod ſi Alchimiſta præparaverit naturæ matèriam ſuam, & in organo proprio, & ignem ſuum, & gradus ſuos, & tempus congruum & juvat (alias invenit) naturam manibus ſuis, & vigilanter inſpiciat ſigna colorum omnium: ita quod circumſtantiæ omnes in ſuis horis absque alio defectu concurrant, generabit quod narrant Philoſophi, ſi Deus voluerit. Et natura conjunget quantitates componentium determinatas, divino judicio, absque conſideratione artificis aliqua: quoniam cognitio talium prodeſt ad ſpeculationem ſolam: ad operationem vero minimè: & poterit cum hoc tranſmutare omne metallum, ut dictum eſt: ita ut à puris naturalibus in nullo declinare comperiat, Et lignum ſenſatum inducens nos credere debere, hoc eſt: quia videmus metalla imperfecta alterari per artem à quibusdam rebus ſui generis & extraneis, quamvis non tranſmutantur. Tucia enim alterat æs in colorem auri: Auripigmentum autem in albedinem argenti, quamvis comburat: & fumus Saturni congelat argentum vivum. De extraneis autem dicimus, quod cortex mali granati convertit ferrum in calybem, & fumus capillorum citrinat argentum. Quia igitur ad alterationem expectamus tranſmutationem, cum per hæc extranea non poſſit fieri, quia eorum alteratio non profundatur usque ad occultum corporis, tunc cum videamus alterationem aliquantulum profundari à ſuis ſimilibus absque præparatione aliqua eorum, ut ſimilentur auro & argento, non debet quisquam dubitare quin ſit propinqua potentia in his vel aliis: ita ut ars ducat in actum & perfectionem ipſam, & ſimiliter fumus reſolutus, &c. Notandum quod omnium inanimatorum, quæ generantur æquè, vel eſt vapor ſiccus, vel humidus, vel uterque ut dicitur 1. Meth. & 4. Omnis autem vapor eſt de genere ſpirituum, id eſt, volantium, propterea ſublimatur: ex vaporibus autem ſiccis generantur res ſiccæ, & ex humidis humidæ: ſed ex eorum commixtione & digeſtione & proportione exiſtente diverſa in habitudinibus & menſuris ipſorum, accidit diverſitas generatorum omnium ſecundum exigentiam naturæ cujuslibet ſpeciei: & ſicut ipſi vapores habent in actu naturam aſcendendi & volandi, ſic habent in potentia naturam ſtandi & permanendi, propter quod generata, in quibus permanet actu natura volandi prima, ſem-

per

per volant secundum naturam suam, ut argentum vivum, marcasita, & camphora. In quibus autem occultata est natura volandi, & manifestata natura standi & permanendi, semper permanent secundum naturam suam ut aurum, antimonium, marmor, alumen, sal & tartarum: in quibus autem utraque natura permanet mixta dominans virtuti dominatur alteri, ut patet in mixtione corporum & spirituum. Cum enim vires spirituum dominantur, trahunt secum corpora ad volatum. Et cum vires corporum dominantur, retinent secum spiritus, & figuntur cum eis. In spiritibus enim sunt corpora in potentia, & in corporibus sunt spiritus in potentia, & hæc est causa, quare natura facit corpora ex spiritibus, & è contra. Propter quod quæcunque resolvuntur à corporibus metallorum, in furno apud ignem, non habent naturam, quorum sunt scilicet corporum, sed magis spirituum: & quilibet spiritus cum ingreditur corpora, acquirit similiter naturam corporum. Ideo in mineris metallorum, reperiuntur sui spiritus, sed non è contrà: quia in posteriori includitur prius, sed non è contra. Cum ergo ex generatis utroque vapore conservantibus naturam vaporum & spirituum, scilicet ex argento vivo & sulphure natura generat corpora metallorum omnium: propterea quod in illis spiritibus sunt omnia corpora in potentia, potuit natura illam potentiam ducere ad actum: quia natura secundum ordinem proponit potentias actibus, & sic ex potentia non fixi facit fixum, & è converso Et ex immundo facit mundum, & ex immundo extrahit mundum, & ipsum retinet. Ars ergo post contemplationem omnium horum sequitur naturam, & recipit spiritus naturæ immundos, & eos sublimando sublevat & mundat, sicut natura: & tunc volendo fugere ab igne ars ministrat naturæ, & natura convertit eos in corpora munda fixa, & de cætero natura corporum dominabitur naturæ spirituum in æternum, per hoc ingenium mirabile. Sunt & similiter mineralia quædam, quæ generantur & perficiuntur secundum substantiam, in qua sunt absque resolutione in fumum. Et ars similiter perficit metalla in aurum.

CAPUT XVI.

In quo solvit rationes contrarias dictas, cum quæstionibus intercedentibus & notabilibus.

QUoniam quidem dispositiones præcedunt habitus, & habilitant ad formas tàm intelligibiles quàm reales: Ideo præmisimus dispositiones quamplures, per quas potest sapiens amator horum credere, & disponere sensum, & intellectum suum ad habitus & formas recipiendas, quas diximus. Quapropter de cætero modum habituandi & informandi cum quibusdam aliis dispositionibus juxta sapientum doctrinam, & nostram narremus, incipientes prius à solutionibus rationum dictarum à principio, scilicet ignorantium hanc scientiam gloriosam, & volentium eam interimere. Ad argumenta ergo quinque prima, ex prius dictis patet solutio. Quoniam, quamvis per artem Alchemiæ velimus sequi naturam, hoc est in opere scilicet faciendo, ex similibus principiis metallorum, idem aurum quod ipsa facit, sed non in modo operis. Ars facit ex illis principiis lapidem suum, cum quo omnia metalla convertit in aurum. Sed si metalla vellet generare de novo, tunc ars coacta esset sequi naturam in modo operis etiam, & in quantitate elementorum & proportione, & mixtione, & colore, & tempore, & loco. Et sic ars esset & est impossibilis, & cognitio talium non potest haberi certitudinaliter, sed solum secundum conjecturam: quæ cognitio confert speculanti, operanti verò minimè. Veruntamen ars prius investigat omnem operationem naturæ, & omnem modum operationis & materiam determinatam, & reliquâ, sine quorum investigatione ars nunquam posset naturam sequi. Et quia natura in ipsis mineris transformat omnia imperfecta metalla in aurum, paulatim digerendo & expoliando ipsa in fine à sulphure corrumpente, quod ipsa decoxit, & in tali expoliatione observat natura quantitates & proprietates & proportiones in mensuris elementorum determinatas ad generationem auri: quæ quantitates & proportiones mixtionis, sunt notæ soli naturæ: Ideo ars hæc subtilissimè investigans, expoliat ipsa similiter ut natura, sed cum alio calore, scil. liquefaciente, & in brevi tempore, valde, scilicet in momento, & alio loco: quia quocunque tempore, quocunque loco, & quocunque calore expolientur imperfecta metalla, omnia à sulphure corrumpente statim perficiuntur in aurum, & in hac expoliatione natura æquat quantitates elementorum, & eorum proportiones in mixtione, & mixto voluntate divina: quamvis hæc ignoremus: quia nec necesse est nos hæc scire, nec possumus scire. Et sic ars sequitur naturam: quia sic operatur ars penitus ministrando naturæ, sicut sola natura tam in generando philosophicum lapidem, quam in perficiendo metalla: quia solus lapis Philosophorum cum sic sit ex-

(*) Quoniam quidem, &c. *Notandum est, quod accidit quibusdam sapientibus in syllogizando, ut faciant syllogismos sophisticos fortes, & sibi ipsis & aliis, & quandoque contra illud quod opinantur: ita quod ipsi nescientes solvere, stant in dubio ligati. De quibus dicit Philosophus 7. Ethic. sic ad literam: Sophisticus sermo est mentis dubitatio. Propter mirabilia enim velle arguere ut sapientes sint, cum non attingant, factus syllogismus dubitatio fit. Ligata enim est mens, cum manere non velit propter non placere concluſum: procedere autem non potest: propter solvere non habere sermonem, &c. Quia ergo quamplures nesciunt solvere argumenta jam dicta, & eis similia, cum sint magna apparentia facta propter sophisticationes latentes, eo quod non habent terminos sermones huic arti pertinentes: Ideo nescientes solvere, eorum mens manet ligata, etiam si credant appositum. Posuimus ergo in antedictis sermones notos & veros, & similiter in sequentibus, ut possint solvere omnia dicta contra quæstionem propositam secundum solutionem possibilem: Et si quæ similiter alia arguerentur, ita ut eorum mens nunquam de cætero sit ligata. Solvimus autem omnia ordinatè, sicut patet in textu libri. Adhuc similiter decipiuntur, quia solum universaliter considerant & arguunt, non descendendo ad particularia. Unde Philosophus primo Politicorum: Considerantes particulariter magis veritatem discernunt: universaliter enim dicentes seipsos decipiunt. Et in sexto Ethicorum: Neque enim prudentia est universalium solum, sed oportet etiam singularia cognoscere. Si enim sciat quis, quoniam leves carnes bonæ, digestibiles & sanæ: quales autem leves ignorat, non faciet sanitatem, sed sciens: quoniam quæ volatilium leves & sanæ faciet magis, &c. Et in Posterioribus considerantes universale, multotiens nesciunt quædam singularium propter id quod non intendunt. Et in secundo ejusdem: Æquivocationes magis latent in universalibus, quam in singularibus. Et in 2. Ethicorum: In his enim quæ circa operationes sermonibus, universales quidem communiores sunt, particulares autem veriores.*

ſit expoliatus, & habeat naturam perficientis & informantis, poterit ipſa expoliare & perficere, & informare in liquefactione, quod totum adhuc lucidius explicabitur infra in capitulis de Generationibus metallorum. Ad illud autem quod dicunt de abbreviatione temporis in decoctione per exceſſum caloris exaſperantem: quia diſſipabitur humiditas metallica, & deſtruetur forma ſpecifica metalli: dicimus quod eorum intentio & imaginatio à tramite veritatis omnino declinat: quoniam nolumus ponere metalla imperfecta in igne ignitionis & liquefactionis, & ſic ſervare quousque digerantur & perficiantur in aurum: quia fatuum eſt hoc dicere & imaginari, & eſt impoſſibile, ſicut probant: ſed ipſis liquefactis, ad ignem immediatè ponimus lapidem, ſecundum juſta pondera ipſa perficientem, cum ipſe ſit forma ipſorum informans ipſa: & in momento perfecta ſunt in aurum cum conſervatione propriæ humiditatis, & ſic perpetuantur in igne. Neque etiam ipſa naturæ principia volumus convertere in aurum, nec in metallum aliud per talem ignem, cum ſit impoſſibile, ſed in igne ſufficienti ad liquefactionem conſervamus ea in ſua humiditate, auferendo ſuperflua, quousque generetur lapis, quem quærimus, volatilis, cui jungimus lapidem fixum rubeum: & hoc eſt impoſſibile.

Ad ſextum dicimus, quod in opere hujus artis eſt conſiderare duo, ſcil. naturam agentem, & artem miniſtrantem. Si conſideremus ex parte naturæ agentis, dicimus quod totum opus eſt naturale, quia materia eſt illa, quæ decoquendo appetit, retinet, digerit, & expellit, & permiſcet, & corrumpit, generat, & informat præcepto Dei benedicti & glorioſi, ſuo tempore lapidem antedictum, & cum hoc lapide natura informat metalla per ipſarum permixtionem. Si autem conſideremus ex parte miniſtrationis, tunc opus hoc eſt artificiale: non quia ars generet, & corrumpat, & informet, ſed ſolum miniſtrat naturæ operanti totum hoc. Natura enim ſola non poteſt in talibus per ſe, niſi ars miniſtret ſibi. Propterea eo modo quo ars miniſtrat naturæ, eo modo operatur natura, quia ſi benè, benè: & ſi malè, malè. Tota ergo operatio ratione generationis & mixtionis eſt naturalis, ratione autem miniſtrationis, eſt artificialis, ſicut patet in decoctione ciborum.

Ad rationem ſeptimam dicimus, quod illorum ratio non concludit, quia forma quæ eſt perfectio rei, eſt duplex, ſcilicet una ipſius mixti in quantum mixtum: alia ipſius mixti non in quantum mixtum, ſed in quantum animatum, ſive ſit anima introducta de potentia materiæ ab occultis naturæ, ſive ſit data ab extrinſeco, ſcil. ab eſſentia quinta, vel à primo motore, ſicut veteres diverſimodè ſunt opinati. Diverſificavit enim Deus rerum perfectiones multipliciter, quoniam in quibus compoſitio, quæ ſecundum naturam fuit debilis, in illis majorem & nobiliorem perfectionem ponit, ſcil. quæ eſt ſecundum animam: in animatis autem è contra. Et ideo nos ignoramus formare leonem, capram & hominem, non ratione mixtionis, cum ſit debilis in eis, ſed magis ratione formæ nobilis, quæ ſubjacere non poteſt actibus noſtris. Similiter quia quamvis quorundam mineralium, & vegetabilium, & animatorum, ſive ſint fortis mixtionis, ſive debilis, generationem facere ſciamus, cum eorum formas ſpecificas ignoremus omnino.

Sed ad generationem auri cognoſcimus ſuam formam ſpecificam ſeparatam à ſua materia perfectibili, & modum perfectionis & unionis omnino ſequendo naturam. Similiter quia non fit recta comparatio mixtionis fortis ad nobilem, ſed fortis ad debilem, & nobilis ad ignobilem: quia recta comparatio eſt univocis, ut dicitur 7. Phyſicor. Similiter quia animatorum ad inanimata in hoc non eſt proportio. Similiter quia non eſt proportio ejus cujus materia propinqua determinata invenitur ad illud, cujus materia non invenitur, ſive ſint ejuſdem propinquæ generationis, ſive non. Similiter quia non reperitur in illis, nec in aliquibus de mundo aliquid: quod egeat perfici, ſicut in iis ſolis, quare ratio non convenit.

Ad rationem 8. dixerunt quidam, quod non convenit: quia metalla non differunt ad invicem ſpecie, ſed accidente ſolum, quos reprobavimus ſupra in argumentis Philoſophi. Dixerunt alii, quod ratio ſimpliciter eſt falſa, quia generatio & corruptio eſt individuorum, diverſarum ſpecierum, quæ poterunt ad invicem tranſmutari. Sed quamvis iſti ſufficienter dicere videantur, non tamen ſic eſt: quia quidam modus eſt in metallis diverſus mutationis ſpeciei in ſpeciem, propterea ipſius rationis ſolutio ſufficiens cum ſolutione ultimæ rationis Philoſophi infrà patebit.

Ad rationem 9. dicimus, quod rerum eſt, quod per motum & lucem corporum ſupercœleſtium, & per eorum determinatos ſitus aſpectus introducuntur formæ in inferioribus: ſed non eſt neceſſe nos ea ſcire, nec poſſumus ſcire, niſi in genere quodam confuſo, ſcilicet ex parte ſolis in quibuſdam, qui eſt cauſa 4. temporum anni: quia certis temporibus fiunt ſeminationes, & meſſes, & plantationes: & in quibuſdam animalibus, ut equis, & aſinis, & accipitribus, & falconibus, periodis certis ſolaribus fiunt conjunctiones ad coitum & generationem. In quibuſdam autem omni tempore fiunt hæc indifferenter, ut in homine, columbis, & gallinis. Unde ſi volumus generare vermem ex carne putreſcibili, non conſideramus ſitum quenquam ſtellarum: ſed ſolum diſpoſitiones aëris circumſcribentis, & alias putrefactionis cauſas. Similiter ſi ova ſub fimo aut ſimili loco, ad pullorum generationem ponamus quocunque tempore, dabitur forma ſuo loco & tempore præfinito à cœleſtibus abſque noſtra conſideratione in hoc. Eodem modo in generatione calcis & vitrioli, & ſolis, & uſifur, & ceruſſæ, & minii, & zimar. Similiter in compoſ. Tyriacæ, & aliarum confectionum: quia quocunque tempore & quacunque hora poſſunt fieri hæc. Virtus enim cœleſtis eſt valde communis ad omnia, & recipit terminationem per virtutes & diſpoſitiones eorum, quæ ſunt ſubjectum ejus in rebus elementatis & elementis: quia ſicut operantur virtutes cœleſtes in tota natura generabilium & corruptibilium continuo ſecundum materiam ſibi diſpoſitam, aut propriè aut communiter, Unde dixit Lilium, quod opus non cauſatur à motu ſuperiorum, quia omni tempore fieri poteſt. Et Raſis in 70 in libr. reprehenſionis. Tempus non operatur in hoc aliquid. In hoc, addit: quia ſi tempus operatur in eo, eſſet vile apud gentes, Si ergo in hoc magiſterio omnia contingentia ſuo tempore rectè concurrant, introducetur forma ſua ſub debito ſitu & aſpectu ſtellarum tempore præfinito in materia abſque conſideratione in hoc aliqua. Unde dixit Plato, quod ſecundum meritum materiæ infunduntur virtutes cœleſtes, quæ res naturæ operantur, &c. Sed de rebus, in quibus infunditur forma accidentalis nova & occulta à cœleſtibus, ut patet in arte imaginum, oportet neceſſariò, ut ſciamus & cuſtodiamus determinatos ſitus & aſpectus corporum cœleſtium tempore propoſito: quia à ſolis illis impri-

imprimitur forma talis,& tempore tali,& non alio, sicut patet in libris Astrologiæ de electionibus horarum, imaginum, & bellorum,ædificiorum, & itinere,&c. Quia ergo Alchemiæ ars non est talis, ideo non expedit ut hæc sciat.

* Ad rationem 10. dicimus, quod formarum aliæ sunt naturales,aliæ artificiales. Et naturarum quædam sunt substantiales, & introducuntur in instanti omnes à natura præcedentibus dispositionibus habilitantibus ad eas, sive concurrat ibi administratio agentis aliqua ad disponendum, sive non: & istæ sunt formæ substantiales,quæ sunt principium operandi in omni re. Et istas dicit Dialecticus formas specificas,sive differentias constituentes speciem, & per ipsas quælibet res habet esse. Quædam autem formæ accidentales, quæ si immediate manant & fluunt à formis substantialibus, ultrò ducuntur in instanti cum formis substantialibus à natura, cum sint sicut formæ, cum quibus quælibet res operatur propriè. Si autem non immediatè manant & fluunt, tunc introducuntur successive in tempore,ut est color,odor, sapor, & figura talis determinata,sequens suam formam substantialem, quarum quædam sunt propriæ ex tota specie sua,ut color pavonis, & figura elephantis: quædam communes, ut color equi & gallinæ,& odor violæ. Artificiales autem formæ omnes sunt accidentales,& non sunt aliud,quàm figuræ rerum introductæ per artem, sive sint juxta voluntatem artificis, sive sint à casu aliquo, ut patet in figuris fragmentorum lapidum. Quarum quædam permanent in facto esse, ut forma domus,quædam non, sed sunt in solo fieri,ut patet in arte cantandi & saltandi. Et omnes istæ introducuntur successivè in tempore,ut patet ex 7. Metaphys. Propter quod benè dixit Philosophus ibidem, quod artificialia ratione materiæ ponuntur in genere subjecto, & ratione formæ ponuntur in ratione accidentis.

Cùm ergo generatio lapidis Philosophorum fit à natura, mediante agente naturali, scilicet igne,cum colore suo naturali, & odore,& figura naturali, quæ sunt formæ accidentales sequentes suam substantialem determinatam, sed tamen cum administratione artis, quæ ministrat sibi materiam naturalem in organis artificialibus: Ergo necessariò forma ejus erit naturalis & substantialis,quæ substantialis forma cognoscitur per suas formas substantiales, accidentales,proprias,sicut & omnia alia de mundo. Et quamvis ministratio & ministrationis modus materiæ sit voluntarius: tamen forma,quæ in instanti generatur, est naturalis. Non ergo poterit dici forma illius lapidis artificialis, ut quidam fatue imaginantur. Eodem modo intelligendum est de auro per ilium lapidem generato, cujus forma introducitur in instanti,ut patuit,& non successivè, sed dispositiones præcedentes benè inducuntur successivè.

Ad rationem undecimam quando dicunt, quod facilius est,res destruere quàm construere: Respondet Geber Hispanus in Summa sua sic: quod non concludunt de necessitate, qua coarctamur ad non posse construi credere. Nam quod difficulter construitur, difficulter destruitur: non autem est impossibile ipsum non posse construi. Hujus autem causam assignamus: quia fortem habuit compositionem, ideoque difficiliorem habet resolutionem: ideoque difficulter destruitur. Et hoc est quod facit eos opinari, impossibilem esse ejus constructionem. Sed quia ignorant ipsius compositionem naturalem,ideo illius constructionem & destructionem attificialem ex cursu naturæ ignorant. Attentaverunt tamen fortè,quod sit fortis compositionis,sed quantæ fortitudinis compositionis sit non attentaverunt. Hæc est responsio Geberi Hispani hactenus Philosophi præcipui & Astrologi, & Magici, & Alchemici. Nos autem cum modici simus intellectus, & ingenij nihil contradicimus tanto Philopho: nec contradicere præsumimus, nec audemus, cum ipse sciverit actu & opere hanc mirabilem scientiam. Nos autem,quamvis propinqua potentia credamus, eadem semita ipsum debere consequi propter magnam didictionem, & electationem: quoniam delectatio perficit operationem, ut dicitur decimo Ethicorum, Et iterum in eodem: Cogauget enim propriam operationẽ delectatio, & magis singula judicant,& certius exquirunt cum delectatione operantes,&c. Sed tamẽ argumentum in sua efficacia permanere videtur. Ideo quod constructio sive factio rei dupliciter consiederari

* Ad rationem decimam, &c.) *Et præterea notandum,quod formæ naturales dicuntur,ad quarum introductionem natura sola præparat sibi materiam, & introducit formam ut in homine, palma & marmore. Aut quia ars præparat materiam naturæ non ultima præparatione: & ipsi porrigit, & naturam præparat, & disponit sibi ipsi usque ad ultimum cum auxilio artis, & post introducit formam, ut patet in generatione Uzifur, Ceruſſæ, & Teriacarum omnium compositarum. Formæ enim istarum sunt naturales,ministrante arte: Quia in talibus natura non potest sibi præparare materiam, nec componere: sed ars præparat naturæ materiam, & natura disponit & introducit formam, quod enim præparat alteri materiam ad formam, non dat formam: quod autem sibi præparat & disponit,sic: quia idem agens disponit ad formam, & dat formam. Sunt tamen quædam formæ naturales accidentales,quæ introducuntur à natura sola præter artem,& à natura per administrationem artis,ut sanitas quoniam omnium harum principium agens est intrinsecum, quod est natura. Formæ autem artificiales absolutæ dicuntur accidentales, ad quarum introductionem natura præparat materiam remote secundum magis & minus: nunquam tamen posset natura introducere formam, cum deficiat principium exirinsecum in hac operatione. Ars autem potens recipit à natura hanc materiam, & eam præparat & disponit dispositione propinqua, & introducit successivè formam, sicut est forma domus,navis,annuli. Satis enim posset ars porrigere naturæ ligna, lapides, cementum & clavos, quod nunquam sciret domum construere, nec navim: sed ars hæc recipit à natura, & sibi ipsi disponit, & formam artificialem facit ex his successivè, propterea formæ naturales rerum substantiales non variantur in sua specie: quamvis quædam accidentales sint ratione regionum: artificiales autem omnes quampluribus modis variantur secundum voluntatem artificis variando figuras. Similiter in artificialibus absolutè semper servat eandem materiam & eandem formam naturalem & variat formas artificiales ad libitum. In naturalibus autem cum quibus ars ministret,non servatur eadem materia, sed variatur materia continuò,ut ad formam diversam disponatur juxta variam dispositionem materiæ. Cùm ergo lapis Philosophorum generetur,à natura, ministrante arte,& divina potentia volente manifestare,dicetur ipse & forma sua, & aurum Alchemiæ, non artificiale, sed naturale penitus. Ars etiam est cum natura connexa,quia principium artis est natura,ut patet ex 2. Physicor. scilicet secundum quod exit à suo principio cœlesti, cujus principium est intellectus practicus. Principium autem naturæ est intelligentia,quia natura est opus & instrumentum ejus. Patet igitur quomodo ars hæc est naturalis, & similiter opera sua, & quomodo non,& forma sua.*

siderari potest : Uno modo quando res incipit constrúi ex suis primis principiis generationis , ut sanguis existens in venis matricis gallinæ ad generationem pulli , ita quod est in principio motus. Alio modo quando res construitur , & præcesserunt ferè omnes dispositiones habilitantes ad formam , & est juxta finem motus, ut ovum ex sanguine illo generatum sub gallina per 7. dies totum , sive digestum ad generationem. Potest etiam tertius modus addi, quasi medius harum existens , scilicet ovum , quod gallina peperit; si primo modo accipiatur, vel tertio, verum dicunt.Facilius enim est rem destruere quando facta est , quàm ipsam construere , incipiendo à primis principiis generationis vel mediis: Et hoc modo non intelligitur hic.Si verò ultimo modo,falsum dicunt : unaquæque enim res naturalis quando fit,cum ipsa fuerit in ultima dispositione, postquam immediatè sequitur forma , facilius est ipsam construere , quam destruere quando facta est : quoniam ipsius constructio fit in instanti , sed ipsius destructio,quando facta est, non potest fieri,nisi præcedant dispositiones omnes , & alterationes disponentes ad corruptionem, & sic accipimus hic.Et ideo: quia ars Alchemiæ invenit (hac ultima dispositione disposita) omnia metalla perficit ipsa in instanti absque alterationibus præcedentibus, sola liquefactione præmissa,neque potest ea ita facilè destruere,quando facta sunt aurum, sicut construxit.

Ad rationem duodecimam & decimam tertiam, ex prius dictis patet solutio.

Ad rationem decimam quartam , quando dicunt, quod impossibile est alicujus unius rei duas contrarias operationes per se esse.dicimus quod verum est, respectu ejusdem,sed respectu diversorum possibile est. Et hæc diversitas propriè est ex parte dantis , sed non recipientis : quia omne quod recipitur, per modum rei recipientis , & non per modum rei receptæ,ut dicitur 1.Metaphys. quia agens non disponit materiam , nisi prout est habilis ad dispositionem hanc vel illam: post informationem, juxta meritum dispositionis. Ideo videmus de nutrimento & nutribili , quod in humano corpore diversa cibaria valde in unum sanguinem , & in unum nutrimentum convertuntur ab uno agente propter talem ipsorum dispositionem,in materia & forma: ita ut cibaria dura mollificet , & mollia induret , & ad medium reducantur. Unde dixit Galenus 3. de Complexionibus: Et omnes cibi calidum in digestione perseverant, calefaciunt corpus , frigidi autem infrigidant. Sed cum nutriunt, augent calorem naturalem in quanto, secundum similitudinem unam,&c.Et hoc ideo est: quia quamvis nutrientia sint inter se diversa & in materia,& in forma à principio;tamen informari,in compositione ad nutribile , ab uno agente possunt una forma in fine. Propter quod dicit Philosophus 2. de Anima: quod nutribile nutritur à contrario,& à simili , à contrario in principio : à simili autem in fine. Et causa est , quia in fine expoliantur ab omnibus qualitatibus diversis,quibus differebant & contrariebantur, & fiunt unum & idem in forma membri naturæ:tamen fit unum per se, & aliud per accidens , nec sunt propriè & per se ordinata ad talem finem.Cum igitur metalla imperfecta,tum subjacent digestioni naturæ , aut sunt de Mineris effossa , sunt propriè & per se ordinata à natura ad unum finem: quamvis inter se sint altera & diversa & in duritie & mollitie , & accidentibus aliis. Poterunt tamen ab uno agente multo melius informari secundum similitudinem unam , in forma, una quam nutrientia diversa: ita ut dura mollificentur , & mollia indurentur , ut in medio perficiantur : sed non illud quod mollificatum possit indurare , & è contra : & ideo quod est molle nimis, non eget mollificatione , sed induratione , & quod est durum nimis: & è contra quod totum per expoliationem solam fit in his diversis subjectis,tali diversitate, ad eundem finem ordinatis : nec tamen fit una mutatio per se, & alia per accidens : sed ambæ per se, cum operatio lapidis de se sit unica tantum. In dissimilibus autem à se nihil operatur de his:ideo ratio non valet.Unde Geber in Capit.de duplici Medicina,scilicet alba & rubea,dicit : quod quatuor corpora imperfecta egent duplici medicina , scilicet alba & rubea: quorum duo egent eis indurantibus , scilicet Jupiter & Saturnus : alia verò duo mollificantibus, scilicet Mars & Venus, & argentum vivum eget similiter duplici medicina coagulante & inspissante ipsum, scilicet una alba,& alia rubea. Et ideo medicina corporum imperfectorum & argenti vivi sunt decem medicinæ:& hoc intelligendum est in minori opere : quia in majori opere, non est nisi unica perficiens omnia ad Album & Rubeum. Et ideo subdit eodem capitulo sic : Verùm utiq;cum diuturnitatis laboris instantia , & magnæ indagationis industria excusari volumus ab inventionis labore harum decem Medicinarum per unius medicinæ beneficiũ,& invenimus inquisitione longa,nec non laboriosa,maxima,& experientia certa,medicinam unam, qua quidem durum mollescit, & molle induratur corpus , & fugitivum figitur , & illustratur fœdum splendore inenarrabili , etiam eo qui supra naturam consistit , &c. Nec apud quenquam sapientum habitandum existimo , si hic lapis unus existens habeat has operationes oppositas,quoniam si rectè consideraverit causas duritiei metallorum, & mollitiei, & causas fusionis, & impedimenti fusionis,& causas citæ fusionis & tardæ;& causas fusionis cum ignitione & sine ignitione : & causas fixionis & perseverãtiæ ad pugnam ignis,& volatilis in fumum ab igne , & causas perfectionis metallorum & corruptionis , & causas diminutionis , & superfluitatis in ipsis , cognoscet statim quod possibile est,quod dictum est:Ex qua re,vel quibus rebus efficitur lapis iste, &c.

CAPVT XVII.

Incidentale,in quo roborat solutionem dictæ rationis, ostendendo materiam Metallorum cum causis suis & proprietatibus , & passionibus, ex qua materia fit lapis Philosophorum.

DIcimus ergo secundum sententiam , quam ponit Geber,pollens ingenio mirabili, & subtili in Summa sua,tractatu de Essentia & procreatione metallorum,quod cum metalla materialiter composita sint ex sulphure & argento vivo : quamvis sulphur sit loco argenti potius, quam materiæ:tunc ex eorum diversitate , ad invicem eorum commixtione & digestione , diversitates plurimas contingere nec cesse est,sicut apud artem satis patet.Hæc autem diversitas potius est ex parte sulphuris: quia reperitur album, lucidum , rubeum, croceum, viride, nigrum. Omne autem argentum vivum omni alteri argento vivo est simile,quantum est de se:quia semper est album, lucidum , liquidum , non adhærens tangenti, gravissimum. Nusquam enim repertum est argentum vivum alterius coloris & conditionis:Si autem metalla reciperent diversitatem in substantia & colore,ratione argenti vivi in suis mineris,tunc natura eandem

eandem diversitatem in argento vivo vulgari feciſſet, ſicut in ſulphure vulgari. Hoc autem nuſquam viſum eſt. Quod ſi aliqua terreitas livida aut nigra ſin ipſa reperiatur, hoc eſt ex admixtione alicujus ſubſtantiæ plumbeæ, aut ſibi ſimilis ſecum commixtæ. Propterea Sophiſtæ quidam argentum vivum fraudantes decimam partem plumbi ei commiſcent, quod per expreſſiones & ablutiones acres ſeparatur. Poteſt ergo ſulphur cum ſit proprium coagulamentum argenti vivi eſſe diverſi coloris, & fixum, vel volatile, parum vel multum, aut æquale, ſed argentum vivum, cum ſemper ſit album, & albedo ſit ſicut elementum colorum, in quo variantur omnes colores: Ideo argentum vivum recipiet è ſulphure omnium colorum diverſitates, & ex hoc omne metallum diverſo colore coloratur, & generantur alia diverſa, ut eſt Marcaſita, Magneſia, Antimonium & Thutia. Poteſt ſimiliter argentum vivum fixum eſſe, vel volatile, & parum vel multum, aut æquale. Similiter ex parte mineræ poteſt eſſe diverſitas : quia munda aut immunda, ſive corrupta, & caloris exaſperantis, aut temperati, ſecundum magis & minus. Ex his ergo arguimus unumquodque metallorum, ſecundum adhærentiam ſulphuris exterioris & argenti ad ipſum facilem vel difficilem, participare parum vel multum de utriuſque illorum ſubſtantia: aut ſolum unius ipſorum : quia nihil aliud adhæret metallis, niſi ſulphur & argentum vivum, & quæ ſunt ex ipſis, cum ſint ejuſdem naturæ, niſi fortè artificioſe valde. Dico autem adhærentiam quæ eſt per mixtionem propter convenientiam in ſubſtantivo : quia omnis mixtio fit ratione ſimilitudinis, quæ acquiritur in digeſtione à natura, quamvis prius fuerint diverſa: propterea metallum cum metallo, & nitrum cum nitro, & ſibi ſimilibus miſcentur. Hoc autem non cum illo, niſi fortè laborioſe. Secundum hunc igitur modum judicandum eſt in metallis : per eorum enim ad invicem mixtionem, de hoc eſſe plus vel unum ſolum, ſecundum ſenſum, cum illa duo ſola ſint principia metallorum. Sunt enim hæc perfecta principia, ex quibus ſunt hæc, ut dicit Philoſophus 14. Metaphyſico: Unde in quarto Metaphyſicorum in fine capituli de Corporibus mineralium dicit ſic : Et ideo miſcetur argentum vivum cum illis corporibus: quia eſt de illorum ſubſtantia, &c. Et reticuit de ſulphure: quia non ſic videtur de illorum ſubſtantia. Dicimus ergo, quod ſulphur fixum tardat fuſionem & liquefactionem in metallis : & ipſam impedit, & propriè ubi ejus quantitas multum ſuperat quantitatem argenti vivi. Quia ergo in ære ejus quantitas non ſuperat quantitatem argenti vivi, ſed quaſi æquatur: ideo ſolum tardat fuſionem in eo: & quia in ferro quantitas ejus multum ſuperat quantitatem argenti vivi, & ipſum inquinat & impedit fuſionem ferri : ideo ferrum non funditur. Experientia autem hoc nobis monſtrat : quia cum volumus facere ſulphur fixum, oportet ut illud prius calcinemus : calcinatum autem nullam dat fuſionem : Ergo ubicunque componatur, de ſe illam impedit. Sulphur autem non fixum accelerat fuſiones: cujus ſignum eſt: quia Arſenicum quod eſt de natura ſulphuris, ferrum ignitum fundit. Quod autem Arſenicum ſit de natura ſulphuris, dicit Geber & Alchemiſtæ omnes, & experientia ſimiliter hæc demonſtrat : quia foſſores examinant argentum, & æs ad ignem, ut ea purificent ab immundiciis, & aſcendit tunc fumus ſulphureus, citrinus, in odore ſulphuris: qui ſi colligatur ſeorſim & in vaſe ſublimationis ponatur, aſcendit & adhæret ſpondilibus vaſis in ſubſtantia Realgaris, & eſt omnino idem Realgar cum eo; quod fit de auripigmento, de ſua minera extracto, & hanc experientiam manibus propriis fecimus, & oculis noſtris vidimus. Quia ergo in his mineris invenitur ſic ſubſtantia auripigmenti mixta, ideo, judicamus ipſum ex hoc, & odore, & ſubſtantia ſui habere naturam ſulphuris, & ex prædictis judicamus in ære eſſe utrumque ſulphur : quia funditur, ſed cum difficultate. Similiter dicimus, quod ſulphur fixum eſt cauſa duritiei metallorum, ſicut patet in ære & ferro. Et eſt etiam cauſa fixionis metallorum, ut patet ex eis : ſed ſulphur non fixum eſt cauſa fuſionis ſine ignitione : & cauſa mollitiei, & cauſa volandi ab igne : ſicut patet in Jove & Saturno. Argentum autem vivum ſive fixum, ſive non, eſt cauſa metallicæ fuſionis, ſed fixum eſt cauſa duritiei, & cauſa fuſionis, & cauſa ignitionis cum liquefactione, ut patet in ære, auro & argento. Funderetur etiam ferrum, ratione ſui argenti vivi fixi, quod habet : ſed ſulphur fixum ipſum valde ſuperat & impedit : non fixum autem eſt cauſa mollitiei, & volatilitatis ab igne, & fuſionis ſine ignitione, ſicut in Saturno & Jove. Iſta enim ambo corpora ſemidigeſta ſunt, & per coagulationem modicum remota à natura argenti vivi. Ex quibus patet, quod quæcunque corpora tardè funduntur, citò coagulantur, & è contra.

De adhærentia verò ipſorum ad metalla, judicemus etiam per ſenſum: ſulphur enim facilè adhæret ferro & æri comburendo ipſa: commiſcetur autem argento facilè, quod habet partes aliquas ſulphuris aduren-tis, id eſt, non fixi ſibi commixtas, quæ per artificium facilè ſeparatur. Plumbo autem miſcetur facilè: quia multas partes ſulphuris non fixi habet ſibi commixtas. Stanno autem non ſic facilè propter multitudinem argenti vivi ſuperantem quantitatem ſulphuris: & quia ſuum ſulphur eſt occultum profundum, ſed auro nullo modo adhæret, neque ingreditur ipſum: quia non conveniunt, ſed ſunt naturæ diverſæ : ſed argentum vivum facillimè cum auro commiſcetur propter ſimilitudinem in ſubſtantia: Poſt aurum autem argento, & poſt argentum ſtanno & plumbo, & hoc propter argentum vivum indigeſtum in eis. Et ideo tam citò funduntur: imò quaſi facilius adhæret eis propter hoc. Poſt ipſa autem, æs cum difficultate recipit ipſum propter nimium ſulphur ejus. Ultimò autem ferrum, imò ferro non niſi per artificium adhærebit: & iterum adhæret plumbo magis propter indigeſtionem, quàm propter quantitatis multitudinem argenti vivi. Habet enim plumbū multum de ſulphure, ſicut in ſui reſolutionem per fumum perpenditur.

Stanno autem propter utrumque adhæret, ſcilicet propter indigeſtionem & propter multitudinem argenti vivi. Sed argento propter multitudinem argenti vivi benè digeſti, & ſui perfectionem: æri autem difficulter, propter multitudinem ſui ſulphuris, ſordidi & fixi & non fixi : ferro autem difficillimè, ſcilicet non niſi per artem propter paucitatem argenti vivi, & magnam copiam fixi ſulphuris, & ſordidi & terrei. Ideo terra de minera lapidum conglutinat duo ferra candentia per malleationem propter ſimilitudinem. Sed auro ſecundum totum maximè adhæret propter maximam copiam argenti vivi, quæ eſt in ipſo, & ſui ultimam perfectionem, & complementum, contentum à natura: imò ipſum eſt totum argentum vivum abſque ſulphure extrinſeco. Ex habitis ergo expreſsè collige, quod argentum vivum fixum fuſibile eſt cauſa totalis perfectionis, & ipſum non fixum eſt diminutum à perfectione: ſulphur autem ſive fixum, ſive volatile corruptionis eſt cauſa, & imperfectionis, dum remanet in metallo. Ergo

hunc venerabilem lapidem ex ſolo argento vivo, ſine alicujus ſulphuris extrinſeci commixtione colligere neceſſe eſt. Subſtantia enim auri hoc ad ſenſum oſtendit: quia in mundo nihil inventum eſt amicabilius,&ſimilius,& mixtibilius,& unibilius ei, quàm ipſum, tam abſque conflatione; quàm cum conflatione.

Propterea dixit Geber.cap.de natura argenti vivi, quod abſque ipſo nullum metallorum poteſt deaurari: ſulphur autem in his omnibus penitus ab auro eſt diſſimile. Veridicè ergo patet,quanta conformitas, quanta ſimilitudo, quanta identitas ſit argenti vivi ad unumquodque metallorum, & è contra, & ſi quis neget, hic indiget ſenſu viſus, quemadmodum qui negat nivem eſſe albam. Cum igitur per ingreſſum & commixtionem hujus lapidis cum metallis in conflatione debeant metalla in aurum perfici: expreſsè patet ſolum argentum vivum eſſe perfectivum hujus operis,ſine alicujus ſulphuris aut alterius rei commixtione. Propter quod dixit Geber cap de Procreatione auri: Quæcunque ergo alterare volueris, ad exemplum ipſius altera. Unde Raſis in 70 Præceptis ſcilicet in lib Utilitatis: Mercurius eſt radix omnis rei, & ipſe ſolus eſt præparandus,& erit ex eo tinctura bona, & impreſſio vehemens,& fortitudo.Et Alphidius: Attende fili mi, quod omne ſapientium opus & Philoſophorum in ſolo conſiſtit argento vivo, nam ad argenti vivi ſcientiam pervenientes, neſciebant quod totius ſui operis perfectio eſſet in argento vivo: cujus argenti vivi ſubſtantiam prius ignorabant eſſe, &c. Et Geber cap. de Procreat.Veneris: Et ſtudeas ergo in omnibus tuis operibus argentum vivum in commixtione ſuperare:& ſi per ſolum argentum vivum perficere poteris, perfectionis pretioſiſſimæ indagator eris, & ejus perfectionis,quæ ſupra opus naturæ vincit:mundare enim poteris intimè, ad quod natura non pervenit, &c.Ideo cap.de principiis magiſterij dicit:Conſideratio autem rei quæ ultimò perficit, eſt conſideratio electionis puræ ſubſtantiæ argenti vivi,& eſt medicina quæ ex illius materia ſumpſit originem, & ex illa creata eſt. Idem cap.de 5. differentiis perfectionis: Per hoc ergo patet, ex quibus medicina elicitur noſtra:nam per ea elicitur,quæ maximè corporibus adjunguntur, & amicabiliter in profundo eiſdem adhæreant alterantia. Ideoque cum in rebus cæteris exquirendis non invenerimus inventione noſtra rem aliam magis quam argentum vivum naturis corporum amicari in natura ſua, unde eis miſcetur, & poſtea figitur lento: per hoc opus noſtrum in illo impendentes, reperimus ipſum alterationum veram eſſe medicinam in complemento cum alteratione vera & periculoſa non modicè, &c. Idem Sermone univerſali de medicinis ſecundi ordinis probavimus: nam ex noſtris ſermonibus patet, ſulphur cujuſque generis perfectionis eſſe corruptivum, argentum quippe vivum, perfectum in opere naturæ, completis regiminibus. Ergo & naturam imitantes, in quibus eſt poſſibile nos ſequi operibus,& argentum in hujus magiſterio vivum aſſumimus, in ejus perfectionis medicina Lunari ſcilicet & Solari. Idem capit. de Procreatione Martis dicit: Laudetur ergo benedictus glorioſus Deus altiſſimus,qui creavit illud, ſcilicet argentum vivum, & dedit ei ſubſtantiam, & ſubſtantiæ proprietates, quas non contingit ullam ex rebus in natura poſſidere, ut in ipſa poſſit inveniri.Hæc perfectio per artificium aliquod, quod in illa propinqua potentia invenimus. Ipſum enim eſt quod ignem ſuperat: & ab eo non ſuperatur:ſed amicabiliter in ipſo quieſcit, gaudens eo. Et idem vult Geber capit.de Coagulatione Mercurij per præcipitationem.Et quamvis ibi dicat,quod hæc medicina elicitur de corporibus metallicis cum tuo ſulphure vel arſenico præparatis,& ex aliis ſolis ſimiliter ſulphure vel arſenico:dicimus quod nullum eſt: ſed ipſius verba ibi & alibi ſimilia juxta ſonum literæ non intelliguntur: quia ibi latet anguis in herba. Unde dicit ipſe in cap. ultimo, in quo concludit: Et eam ſimiliter occultavimus,ubi magis apertè locuti fuimus,non tamen ſub ænigmate,ſed ſub plana ſermonis ſerie. Et dicit Morienus:Quod ſi fumus albus non eſſet,id eſt,Mercurius,nullatenus aurum purum Alchemię fieri poſſet.Ad quod plura.De hoc Hermes enim,&Senior,& Plato,&Alexander,&quilibet Philoſophus in hac arte peritus,hoc velle videtur,& ſenſus viſus propter ejus ultimam amicitiam in mixtione ad invicem, hoc credere nos inducit. Ex quibus noſcitur, quod hic lapis unus omnia metalla perficiendo, & ad unum medium reducendo poteſt dura mollificare.

CAPUT XVIII.

Incidentale in quo ex dictis probat, quod ſulphur ſit pars materialis cum argento vivo auri & lapidis Philoſophorum: & ſolvit.

DUbitabunt tamen aliqui ſapientes,& ſimiliter ſophiſtæ contra dicta, ſcilicet, Ex verbis ergo tuis videtur, quod ſulphur poteſt eſſe pars materialis auri & Lapidis Philoſophorum cum argento vivo, quod negaſti:nam ſulphur miſcetur & mutatur cum argento vivo:ergo videtur magnam habere ſimilitudinem & conformitatem cum eo. Si ergo argentum vivum probatur eſſe materiam auri, & lapidis Philoſophorum, quia ſuper omnia conformitatem habet cum auro in mixtione:Ergo ſimiliter & ſulphur, cum habeat magnam conformitatem cum argento vivo in mixtione, præſertim cum ſulphur ſit ſicut proprium coagulamentum ejus, ut dicit Philoſophus 4. Metaphyſ.qui dicit:Et proprium quidem argenti vivi eſt, quod coaguletur ex vapore ſulphuris, & fortaſſe hoc modo gelatur ut plumbum, &c. Si quis ergo voluerit coagulare argentum vivum,ut faciat aurum vel lapidem, oportet quod hoc faciat cum ſulphure. Ergo ſicut mixtione ſulphuris coagulatur argentum vivum, ita ex ejus ablatione redderetur currens & fluxibile,ut prius:ergo abſque commixtione ſulphuris cum argento vivo,& ejus permanentia cum eo non poterit generari aurum nec lapis Philoſophorum. Item cum aurum omne ſit citrinum ſecundum magis & minus, & lapis Philoſophorum rubicundiſſimus, ut ſuprà diximus, & tinctura auri detur à ſulphure, ut vult Philoſophus 4. Meteororum, & Geber & Raſis, & omnis Alchemiſta:ergo & ſulphur neceſſariò erit pars materialis ejus,cum ſulphur eſt,& colorat argentũ vivum omni colore. Argentum autem vivum ſemper eſt album, nec alterius coloris unquam viſum eſt. Ergo eadem cauſa erit pars materialis Lapidis Philoſophorum.Et nos reſpondemus ut prius, ſcilicet quod ſolum argentum vivum eſt tota cauſa materialis, & tota ſubſtantia Lapidis Philoſophorum. Sed eſt ſciendum, quod argentum vivum in ſua prima creatione habet multas partes terreæ ſubſtantiæ ſulphureæ, albæ, in actu ſubtiliſſimæ, quæ ſunt de ſubſtantia materiali ipſius, ſine quibus ſubſtantia argenti vivi conſtare non poteſt, quæ ipſum naturaliter albo colore colorat, ſed in magiſterio ipſum colore albo albificat & rubificat,ſicut volumus,regendo naturam ipſius.

Quod

Quòd autem argentum vivum sic sit compositum, patet per Philosophum 4. Meteororum, ostendentem compositionem ejus, qui dicit: Argentum vivum est ut aqua, quæ miscetur cum terra subtili nimium sulphurea, mixtione forti, donec non quiescat in superficie plana: & hæc est ex siccitate magna terrea quæ inest illi, & ideo non adhæret tangenti: estque albedo ejus ex claritate illius aquæ, & ex albedine illius terræ subtilis. Et hoc idem insinuat Geber capite de Natura argenti vivi. Et propter hoc tale sulphur cum conveniat in generatione & communitate quadam cum sulphure intrinseco commiscetur cum argento vivo, & ipsum coagulat: & est utrumque sulphur non fixum, & unumquodque ipsorum coagulat & colorat argentum vivum, sed cum argentum vivum fuerit coagulatum, & fixatum cum solo suo sulphure intrinseco, & coloratum suo albo colore vel rubeo in magisterio, tunc sulphur extrinsecum non poterit de cætero in ipsum ingredi & commisceri: quia dissimilia facta sunt propterea non ingreditur in aurum: non ergo poterit esse materia vel pars materiæ lapidis Philosophorum, nec ipsum ingens, sed nec in auro mineræ. Ex quibus secretum unum maximum panditur in hac arte, scilicet quòd argentum vivum non coagulatur coagulatione, quæ fit per mixtionem, nec coloratur, nisi cum sulphure, sed cum suo solo sulphure intrinseco ad perfectionem, tum cum extrinseco vero coagulatur & coloratur ad corruptionem:

Quæcunque ergo coagulant argentum vivum, quocunque modo sit coagulatum per virtutem sulphuris, ut vapore Saturni, atramenti, & quæcunque talia: quia non poterit esse quod duæ diversæ res in substantia eundem effectum & eodem modo in aliud faciant nisi per aliquod unum, idem commune eis: Dico autem coagulationem, quæ est per mixtionem cum permanentia metallicæ fusionis: Propterea si aliqua alia ipsum coagulant, sive mineralia, sive vegetabilia: sive animalia, sunt extranea, & aliter coagulant & colorant: quia non propriè sunt, sed communiter. Cum ergo sulphur extrinsecum, quamvis sit sicut generans, non possit esse materia, nec pars materiæ auri, nec lapidis Philosophorum: concludimus, quòd nec aliquod aliud de mundo, nec solùm argentum vivum, propter quod patet solutio ad objectum. Oportet ergo quòd per artificium quoddam occultissimum & divinum, ex solo argento vivo generemus argentum vivum mediante sulphuris actione extrinseci, sibi à natura mixti, & absque illo sulphure ipsum coagulemus: quoniam generans non potest esse materialis pars generati. Hoc enim tale erit facilè liquefactionis metallicæ, & tenuissimæ in modum ceræ, & fixæ super pugnam & asperitatem ignis, & complebit omne metallum in aurum subito sequendo naturam. Cum in se concludat omnes differentias perfectionis absque diminuto & superfluitate, convertet omnia in unum metallum, quod est aurum.

CAPUT XIX.

In quo probat, quòd Sulphur solum sit materia Lapidis Philosophorum & Auri secundum antiquos Philosophos: & solvit.

AMplius idoneè satis hæsitabunt alicui transcurrentes libros Philosophorum in superficie, scilicet videtur quod magisterium hoc sit totum in solo sulphure. Dicit enim Rosinus ad Euthiciam, quod sulphur incombustibile, quod adversus ignem pugnavit, est quod quærunt Philosophi. Et in fine ejusdem libri dicit: Certum ergo habeas quod nulla tinctura fit unquam, nisi per aquam sulphuris mundam. Idem in eodem dicit, quod color precioſus Philosophorum exit de sulphure, & nunquam potest sulphur, quod naturaliter fugit, postea fugere. Item Salomon filius David: Prætulit enim Deus omnibus lapidibus sulphur: ideo apud nos prætulit ipsum, & apud ignaros vile est, &c. Item Geber cap. de natura sulphuris: Per Deum altissimum illud illuminat omne corpus: quoniam est alumen & tinctura, &c. Item Belus in Turba Philosoph. Notandum quod aqua munda ex solo est sulphure, verum ex pluribus rebus, quę unum sulphur facta. Item Anaxagoras in eodem: Scitote quod hujus operis perfectio est aqua sulphuris. Item Pythagoras in eodem: Scitote quod nostra compositio nihil aliud est, quam aqua sulphuris, & sulphuris munda aqua ex solo est sulphure Idem in eodem: Tota operis perfectio fit, cum sulphur à sulphuribus continetur, & breviter omnes Philosophi hoc idem velle videntur.

Relinquo autem quæ dicit Plato in Stellicis, & Hamec, & Hermes, & alij Philosophi, qui dicunt lapidem fieri de humano stercore, quandoque de sanguine, & quandoque de quibusdam partibus aliis animalium, & de vegetabilibus, & mineralibus. Sed omnia talia, ut diximus, dicta sunt mysticè, & sermone typico, & sub imagine, & allegoria, propter causas ante dictas. Ideo de ipsis disputare silemus.

Ad hanc quæstionem ut suprà respondemus, scilicet quod in solo argento vivo est tota perfectio. Et quia ipsum habet in sua compositione partes sulphureas siccas, ipsum tingentes & colorantes albedine actu, & rubedine in potentia: ideo hoc sulphur est ipsum perficiens & informans. Et quia non potest educere seipsum in esse, ideo natura commiscuit ei sulphur extrinsecum in suis mineris, ut ipsum decoquat & extrahat de potentia in actum, & ars eodem modo ut natura operatur. Et quia humidũ aqueum & siccum terreum sulphureum penitus in ipso facta sunt idem per omnem modum: ideo aut cum tota sui substantia in igne permanet, aut cum tota recedit: quia pars unius aliam non derelinquit, ut dicit Geber. Unde dicit Philosophus quarto Meteororum: Materia ductibilium est substantia aquea mixta cum substantia terrea, mixtione forti: neque potest unum separari ab altero. Et congelatur substantia aquea illius cum frigore post actionem caloris in ipsum, quæ est optesis, &c. Et hoc sulphur occultum fit manifestum in magisterio artis cum maxima sapientia Sic dicebatur argentum vivum: quia secundum se totum ostendebat naturam argenti vivi in manifesto prius, ita quando cum hoc suo sulphure in fine magisterij coagulatum est, cum totum in manifesto ostendat naturam sulphuris, dicetur sulphur: & hoc sulphur est quod coagulat suum argentum vivum, quod est ignotum vulgo. De quo dicit Senior: Satisfecerunt sapientes antiqui hominibus, quando dixerunt, Sulphur nostrum non est sulphur vulgi: quia sulphur vulgi comburit combustione nigredinis & corruptionis, & comburitur: sed sulphur sapientum comburit combustione albedinis & melioralionis. Et hoc sulphur est, quod albificat, & rubificat, & coagulat, & perficit argentum vivum in substantiam auri secundum naturam, aut lapidis Philosophorum & auri secundum artem. De quo dicit Senior. Juxta quod notandum est, quod cum omnis res composita sit ex materia & forma, & res habeat esse, & denominationem, & definitionem à forma: Ergo quanto res magis habet de forma,

tanto de entitate: ergo etiam magis de virtute & operatione de ipſa conſequenter ad formam. Et cum forma ſit in genere qualitatis primò & per ſe, non à quantitate, niſi per accidens, quoniam quantitas & paſſio attribuitur materiæ, quamvis in majori, quanto magis virtus videtur, & fundatur, ex quarto Meteorotum. Cum ergo in magno quanto eſt parum de operatione: ergo parum de virtute: ergo & parum de entitate: ergo parum de forma: Et cum in parvo quanto fuerit multum de operatione: ergo plurimum de virtute, ergo & plurimum de forma. Forma autem recipit extenſionē ſecundum extenſionem ſubjecti, in quo eſt, & diviſionem: propter quod dicitur in libro de Cauſis, propoſitione 17. Quòd omnis virtus unita eſt fortior & magis infinita quam virtus multiplicata. Et in libro 13. de Animalibus dicit, quòd animalia habentia magnum cor ſunt timida: ſed habentia parvum aut mediocre, ſunt audacia; quoniam eadem virtus in majori & minori, quanto ſit fortior & debilior: & ideo tantum poteſt res in opere ſuo quantum forma ſua permittit, cum operatio rei ſit limitata per formam ſuam, in quanto in quo eſt. Si ergo ita eſt, dicimus, quòd ſulphur rubeum, luminoſum, occultum in argento vivo, cum ſit forma auri, eſt tingens, & transformans omne genus metallorum in aurum: propter quod talis tinctura potius attribuitur qualitati ſulphuris ſcilicet formæ, quàm quantitati: propterea ejus rubedo intenſa trahit ad nigredinem, ſcilicet ad colorem epatis, vel aloes, ut dicitur libr. 3. verborum. Ideo quantitas magna ſulphuris non eſt tingens aurum, neque Elixir, ſed illud modicum, quod eſt forma ſive qualitas argenti vivi, in quo eſt. Secundum ergo ipſius intentionem in quibuſlibet metallorum, quæ perficiunt in aurum, erit ipſius ſulphuris qualitas ſimili forma; id eſt virtute & opinione, quantum ſi plurimum operatur in informatione: ergo plurimum habet de virtute. Ergo & de forma: & ſi modicum: modicum. Cum ergo una pars ipſius informet, & tingat mille partes cujuſlibet metallorum in aurum ſecundum Philoſophos: ergo oportet quòd habeat multum de virtute: ergo multum de Entitate: ergo multum de forma: Et hoc bene oſtendit color ejus in ſua materia.

Imò veraciter loquendo, ipſum eſt pura forma auri: ideo poteſt extendi ejus operatio propter rubedinem, in magna quantitate cujuſlibet metallorum, & tingere ea in citrinitate auri, & perficere. Et ratio eſt, quia cum in iſtis ſulphur rubeum ſit idem omnino cum ſuo argento vivo, & è contrà: quamvis quandoque argentum vivum dicatur materia, & ſulphur ſuum, forma, & habeat perficere metalla, oportet quòd perficiat ea, in quantum habeat naturam argenti vivi, & colorem, ſcilicet quod expolientur à ſulphure extrinſecus adveniente, & corrumpente: & remaneat alba, albedine argenti vivi, cum abſterſione ſui primi coloris. Ergo oportet quod in eodem momento, in quo expoliantur, & fiunt alba, recipiant ab illo ſulphure rubedinem & citrinitatem auri; & formam: niſi enim expoliarentur & dealbarentur, non poſſent tingi & perfici: unde videmus: quod facimus Uſifur, quod eſt ſic rubeum ex argento vivo, quod eſt album, & ſulphure, quod eſt citrinum: & in ſublimatione ejus remanet quaſi ſolum pondus argenti vivi recedente quaſi toto ſulphure. Cum ergo rubedo ejus videatur debere attribui qualitati & formæ ſulphuris potius, quam quantitati; qualitati ergo tinctura auri, & Elixir dicetur, eodem modo, & hæc tinctura eſt ſulphur Sapientum. Accidit etiam tincturæ multiplicatio ſimilis in exterioribus. Crocus enim propter ſuam rubedinem plurimas partes aquæ citrinat, quod potius attribuitur qualitati & formę, quam quantitati: quod autem tales colores ſic dari poſſint, ſic patet, quod ex Saturno fit albiſſima cauſa, quæ ſine alicujus adjunctione per ſolum ignem citrinatur, & in fine rubeſcit per ſuum intrinſecum ſulphur, & dicitur minium. Et ideo Raſis in Lumine luminum dicit: quod hoc opus operi miniario aſſimilatur: quia hic lapis cum germinat, habet tincturam ſuam totam in ſeipſo ſicut Minium, & hoc propriè eſt ſulphur Philoſophorum, & lapis eorum eſt ſulphur divinum de quo dicit Alphidius: Lapis iſte à glorioſo loco magni terroris procedit: quia multos ſapientes necidavit, qui ſimilis eſt illi: cujus nojus nomen magis occultari, quam dici, &c. Et dicit de hoc Raſis in Epiſt. Hic eſt lapis cum quo tubavetunt omnes qui obierunt, & mortui eorum plurimi cum dolore & triſtitia, quando declinaverunt ad viam dæmonum, & reliquerunt viam Prudentiæ. Et hoc ſulphur occultum, cum quo omnia deaurantur & decorantur, hoc eſt umbra Solis, & coagulum argenti vivi, coagulans omne liquidum, & in ſuam naturam convertens.

Hic eſt qui cum volantibus volat, & cum quieſcentibus quieſcit, & omne quod eſt propter ſuum robur, ad ſe convertit & vincit. *Et eſt aurum Philoſophorum:* quia omne cui jungitur convertit in aurum. Hic eſt lapis necidans, & in pulverem convertens fratrem ſuum Uterinum, & carens miſericordia. Hic eſt quæſitus à multis: inventus vero à paucis. Hic eſt qui ab antiquis Quinta eſſentia nuncupatur. Et eſt ſal Armoniacus & acetum Philoſophorum: & æs, & corpus & terra, quæ dicitur Materia elementorum, ad quam connectuntur omnia elementa: & hæc eſt arbor aurea: de cujus fructu qui comederit, non eſuriet unquam. Hic eſt lapis omni precio carens, cui abſque aliquibus ſumptibus invenitur, hic eſt in igne nutritus & generatus, & in igne gaudet. Hic eſt qui omni nomine nominatur, & omni rei ſimilatur de mundo. Ideo à Philoſophis Minor mundus dicitur: quia ſicut homo dicitur Minor mundus, eò quod in ipſo omnium rerum ſimilitudo, & participatio reperitur: Ita hoc ſulphur dicitur Minor mundus. Et hoc eſt ſulphur quod eſt perfectio & arcanum Philoſophorum, quod non invenitur niſi ab eo qui ipſum noſcit & accipit. Et hoc eſt ſulphur ſecundum quod conjungitur primo ſulphuri, ex quibus fit tertium ſulphur, de quo dicitur, quod ſulphur à ſulphuribus cōtinetur: & hoc eſt ſulphur de quo autoritates adductę arguūt. Aqua autem ſulphuris, vel eſt argentum vivum de ſulphure compoſito extractum. Et eſt aqua viva, & hoc eſt quod propriè dicitur Lac virginis, & aqua ſyncera, cœleſtis & glorioſa, & avis volans, quæ ſubſtantialiter idem eſt cum ſulphure dicto, Sulphur autem vulgi, eſt diverſum ab his, & ſic patet ſolutio quæſtionis & argumentorum.

Amplius advertendum occurrit plurimum, quod propter dictas auctoritates ſulphuris, & alias ſimiles, quidam ignorántes metallorum principia & naturas dixerunt, quod aurum eſt materialiter totum ex ſulphure citrino puriſſimo cum omni æqualitate in ventre terræ digeſto, & habet ibi modicum de argento vivo, à quo recipit luciditatem & extenſionem ſub malleo, ſed à ſulphure recipit ſubſtantiam, colorem, fuſionem, & reliqua accidentia propria: ita quod argentum vivum non ingreditur ibi, niſi ſicut temperans materiam ad extenſionem, eò modo ſcilicet, quo frigiditas ingreditur in opus naturę: quia inſtrumentum proprium naturæ eſt caliditas, &

non

non frigiditas propter suas operationes in sulphure vulgi impendentes, vacui semper à proposito fuerunt. Declarantes ergo hoc, dicimus non solum secundum veritatem hujus scientiæ, sed & Astrologiæ, & aliarum & omnium veterum Philosophantium, quod omnes antiqui Philosophi posuerunt numerum metallorum, juxta numerum astrorum errantium, cum metalla habeant etiam motum errantium & cum ipsa astra sint 7. numero: ita 7. metalla repererunt, quæ ipsis tribuerunt ranquam causis efficientibus & convenientibus ea: conveniunt enim sicut causæ superiores cum suis effectibus inferiorib. Unde Saturno attribuerunt plumbum. Jovi stannum, Marti ferrum, Soli aurum, Veneri æs, Lunæ argentum: Mercurio autem nullum metallum attribuerunt, cum non reperiantur nisi prædicta metalla 6. numero, scilicet quæ pervenerunt ad coagulationem cum liquefactione & extensione. * Et ideo Philosophi tunc reversi sunt ad materiam propriam, ex qua metalla originem contraxerunt, cum ipsa materia sit eorum substantia: & dixerunt omnes quod erat argentum vivum, quod attribuerunt Mercurio: ita quod coacti ab ipsa veritate posuerunt materiam metallorum de numero metallorum, ut complerent eorum numerum, juxta numerum planetarum. Si ergo sulphur esset materia & substantia metallorum, ex qua fiunt: tunc omnes antiqui posuissent sulphur, & non argentum vivum. Nullus autem eorum hoc unquamposuit. Ex quo patet, argentum vivum esse originem, materiam & substantiam metallorum, non autem sulphur.

Ad rationem 15. ex nunc prius dictis patet solutio.

Ad 16. Quando dicunt metalla omnia perfecta esse in sua specie per suam formam substantialem: propterea, quia sic permanent in natura, &c. Dicimus quòd res quæ permanent in natura, sic se habent; ut dicunt: sed advertendum: quòd quædam sunt res, quæ permanent in natura in sua specie, quæ perficiuntur quoquo modo per suam formam substantialem, ad quam est quidã terminus motus. Sed quia ordinantur ad aliam substantialem formam ultimã, omnino complentẽ & perficientẽ, post illam: ideo dicitur esse imperfecta, donec sub illa forma prima permanent in relatione ad ultimam. Si autẽ non referãtur ad hanc ultimam formam, sed solũ in se considerentur, ipsa sunt perfecta in illa specie per illam suam formã substantialẽ secundã quod exigit illa species. Ideo videmus in generatione ovorum esse quendam terminum motus in requisitione suæ formæ substantialis, quæ hic permanet: sed quia sunt ordinata à natura non permanere sub illa forma: sed ad generationẽ avis proprię; ubi fit acquisitio substantialis formæ ultimæ: ideo dicuntur imperfecta sub forma ovi, quamvis permaneant: perfecta autem cum fuerit perfecta generatio avis facta, cum ibi sit finis ultimus. Similiter de seminibus plantarum hoc idem patet. Unde Philosophus in lib. dẽ Morte & Vita dicit, quod accidit imperfectis mors & corruptio sicut ovis & seminibus plantarum: sed dissimilatim quidem & alio modo, quod animalibus: ita quod dicit hæc imperfecta, respectu finis ad quem ultimò ordinantur. Omnia enim principia & elementa, ex quibus fit aliquid, & omnia intermedia, sive simplicia, sive mixta, in quibus est aliquis terminus motus, habent formam suam substantialem, perficientem in specie, in qua sunt. Sed in relatione ad ultimã formã ad quam ordinantur, habẽt eas imperfectas. In quibus autem non est terminus motus stans, sed cõtinuus, maneat forma substantialis prima, quousq; forma substantialis ultima introducatur, quamvis formæ accidentales plures superveniant,

* Et ideo Philosophi, &c. *Notandum quòd Aristoteles 2. Physic. & 7. Metaphysica improbat Platonicos & Pythagoricos, & eorum sequaces antiquos: quia non cognoverunt de causis nisi materiam, & omne aliud à materia esset substantia omnium rerum: sed tamen est sciendum quòd Aristoteles & reliqui sui improbantes, non habuerunt antiquorum intentionem. Cognoverunt enim omnes causas alias, sicut & ipsi. sed aliter tradiderunt de cognitione earum, & ad aliud suam referentes sententiam: quia in hac arte ferè omnes locuti sunt mysticè, & in naturalibus, & in aliis scientiis. Materia enim Alchemiæ, quæ dicitur Materia prima, & Chaos secundum antiquos, in qua sunt omnia in confusione, figurativè est argentum vivum Philosophorum per digestionem quandam propriam generatum, quæ est lapis quæsitus, occultus sensui, & manifestus intellectui quæ est forma & flos auri Et quia ista materia st omnino necessaria, & debet esse necessario maximè cognoscibilis, si materia formam auri debeat adipisci: Ideo oportuit eo maximè super omnia tractare de materia, quâ verè & infaliabiliter cognita, & forma auri immediatè cognoscitur: similiter & finis immediatè cognoscitur, cum forma sit idem quod finis: similiter & agens, cum natura sit agens cum calore sulphuris in ipso argento vivo, prout ab arte regitur: ita quòd cognita materia verè absque defectu aliquo statim disponitur homo in veram cognitionem aliarum causarum omnium, & ipsa iguorata ignorantur aliæ causæ omnes necessariò, non autem econtra: propter qisod oportuit eos maximè tractare de materiæ cognitioue: non autem sic de aliis. Dixerunt etiam omnia alia à materia esse accidentia: ob hoc quamvis impropriè, quantum ad rei veritatem: quia cum materia fuit orta, ipsa de se est disposita ad receptionem formæ, & inclinatur ad conceptionem ipsius sicut imperfectum ad id quod debet perfici, & per artificis sapientiam fit ipsius informatio, & per ignorantiam ejus, fit totius destructio, Et per hunc modum ipsi dixerunt, formam esse accidens, cum ipsa possit inhærere materiæ, & non inhærere. Sed postquam adhæsit ipsa inseparabiliter adhæret, & dicitur forma substantialis apud eos, cum ipsa det esse materiam, & substantiam propriè: unde si ipsorum verba secundum eorum intentionem intelliguntur, unusquisque videbit, quod ponunt formam esse substantiam rerum, sicut & materiam, & similiter accidens diversis respectibus. Forma enim substantialis est principium essendi magis quam materia, cum ipsa sit actus, materia verè potentia. Et quia secundum veritatem formarum nominantur Substantiæ rerum: materia tamen alio modo potest dici magis substantia, scilicet in quantum principium inest unicuique rerum & ex ea extrahuntur omnes formæ: & quia ipsa est quæ perpetuari habet in rebus, ut declarari habet 2. Physicor. Unde dicit Philosophus 9. de Animalibus quòd materia est prior generatione & tempore: forma autem ratione. Cum ergo formæ qnælibet existens in materia extrahatur de potentia suæ materiæ, & è contra: Ideo ignoranter, & præter rationem laborant illi, qui volunt extrahere formas de materia absque cognitione materiæ: quia ex materia extranea non extrahitur forma propria, quam desiderant. Si quis ergo velit cognoscere formam auri, oportet necessariò ut prius cognoscat materiam lapidis Philosophorum: & per consequens disponitur in cognitionem formæ ejus, per quod prima & principalis cognitio rerum incipit à materia: hæc enim primò subjacet sensui cum suis accidentibus Bene ergo dixerunt antiqui, incipiendo à materia: quia cognitio ex parte materiæ, etsi sit prior, tamen est imperfecta & incerta.*

* *Cognitio autem formæ in sua materia cum sit ultima, est perfecta & certa, & est in ea status.*

veniant, & varientur. Ex quibus verbis patet, quomodo ſtannum, plumbum, æs & ferrum perfecta ſunt in ſua ſpecie, & quomodo non, & quomodo nobilia & ignobilia. Eodem modo in Artificialibus inducendo, hoc idem eſſe patet. Hanc autem multiplicitatem metallorum fecit natura propter finem, non à caſu, ſed ad commoditatem humanæ naturæ. Diverſa enim opera facit ars ex aliquo illorum & ipſorum mixtione, quæ ex auro & argento facere nunquam poſſet: ſed aliæ res quæ non ordinantur à natura ad formam aliam ſubſtantialem acquirendam, ſicut Marcaſita, Triticum, & Equus dicuntur habere ſubſtantialem formam completivam abſolutè, non referendo ad aliud: nobile autem & ignobile ad aliud referendo. Et de iſtis ſolis arguebat ratio.

Ad rationem 17. quando dicunt: Quæcunque multiplicantur à natura in ſua ſpecie, &c. Patet ſolutio ex nunc dictis.

Ad rationem 18. & 19. fiet ſolutio in cap. de generatione metallorum, cum ſolutione ultimæ rationis Philoſophi ſuo loco: quia ſolutio harum & illius haberi non poteſt, niſi quibuſdam præcognitis.

Ad rationem 20. dicimus, quod ad hoc ut aliquid ſit à fortuna, non ſufficit quod rarò accidat, ſed accidit à propoſito idem præter intentionem, ut dicitur 2. Phyſic. Ideo cum Alchemia non accidat, nec accidere poſſit ſic, ſive inveſtigando eam per ſua principia, ſive practicè operando in ipſa, non erit à fortuna: tamen poſſunt accedere errores in ipſa præter intentionem, ſed non veritas, neque perfectio: ſua enim veritas & perfectio eſt ſemper, & neceſſaria, & perpetua & immutabilis, & una, tam ſecundum partem ſpeculativam, quàm ſecundum practicam omnino, ut ſuperius eſt oſtenſum. Et de talibus ſunt artes & ſcientiæ, ut patet ex primo Poſteriorum, quamvis artes ſint de his quæ aliquando contingunt aliter ſe habere, ut dicitur 2. & 6. Ethic. Et tum ſi accidat interdum completo artifici à propoſito, to error vel fallacia, hoc non erit ex parte artis nec operis; ſed ratione adminiculantium, deficientium, aut accidentium tempore operis, & fractura vaſorum, caſu, aut à ſomno, tempore non ſuo, aut pavor mali hominis & tyranni ſupervenientis, aut ſimiliter languor invadens validus, aut aliqua occupatio exterior, aut aliqua alia cauſa non comprehenſa. Et tunc dicitur accidere frequenter: quia interdum fallit per accidens.

Ad rationem autem Philoſophi nos nunc reſpondere oportet.

Ad primum jam ex ante habitis patet ſolutio: quia Alchemia tranſmutat metalla omnia tranſmutatione vera naturali ad ſubſtantiam & formam auri: ut oſtenſum eſt, & non ſolum alterat. Inquiſivit enim ſagaciſſimè alterationes metallorum & principiorum ſuorum proprias & veras cum tranſmutatione ipſorum veriſſima: & alterationes, & ſophiſticas abſque tranſmutatione, cum contrariorum eadem ſit diſciplina, & illam veram conſecuta & adepta eſt, & illam, quæ eſt ſophiſtica, ſcribendo dereliquit.

Ad 2. jam patuit ſolutio cum prædicta, & iterum infrà patebit.

Ad 3. patuit ſolutio ſuprà, ubi oſtendimus, tranſmutationem metallorum eſſe omnino veram ex parte noſtræ cognitionis & noſtri judicij: quia non eſt neceſſe, ut cognoſcamus eorum formam ſpecificam, nec præexiſtentem, nec introductum, ſicut nec in rebus aliis. Sed ſufficit, ut cognoſcamus eorum accidentia, & proprietates, & paſſiones, quæ ſequuntur formas, ita quod in quocunque metallo tranſmutato reperiuntur omnes proprietates, & paſſiones auri mineralis abſque ſuperabundantia & defectu, judicabimus neceſſario, ipſum habere formam auri mineralis. Nunquam enim Ariſtoteles, nec aliquis alius antiquorum fuit, qui poſſet habere cognitionem rerum per formas ſuas, nec unquam erit aliquis: quia non ſubjacet ſenſibus noſtris. Et hanc ſententiam oſtendens Philoſophus quarto Meteororum, dicit: Quòd enim facit operationes oculi, eſt oculus: quod verò non, non eſt oculus: Ideo oculus lapideus vel cæcus, quia non facit operationes oculi, non dicitur oculus, ſed imago oculi, & ſerra lignea non dicitur ſerra, ſed imago ſerræ, & ſimilitudo, &c. Dico tamen, quod inter cætera mixta, forma ſolius auri & lapidis Philoſophorum, videtur propriè nota propter perfectam cognitionem materiæ propinquæ, quæ ſubjacere poteſt accidentibus & oculis noſtris, quæ ſi ſubjacere non poteſt, ignota eſſet, & inoperabilis, ſicut & in aliis mixtis. Aliorum autem metallorum non eſt neceſſe ut formas cognoſcamus: ſed ſufficit ut cognoſcamus, eſſe in ſemita perfectionis ad aurum, per proprietates & accidentia in materia propinqua prima, & poſſe formari forma auri. Poſſibilitas ergo tranſmutationis in arte eſſe videtur, propter cognitionem propriæ formæ in propria forma. Ergo impoſſibilitas tranſmutationis erit propter ignorantiam ejus: ergo & judicium ſimiliter ſe habere debebit. Qui ergo ignorat formam in ſua materia ignorat poſſibilitatem tranſmutationis ejus: ergo & judicium, quamvis judicium ſumatur ab accidentibus & proprietatibus, poſt ipſorum cognitionem.

Cum ergo eædem proprietates & paſſiones omnes ſint penitus tam in auro minerali quàm alchemico: quod cognoſcitur per viſum, ad omnem examinationem & probationem continuam tam in igne, quàm extra ignem: Ergo neceſſariò judicabimus, utrunque aurum eſſe idem, & eadem forma eſſe formatum.

Ad quartam rationem reſponſum eſt ſimiliter ſuprà de proportione mixtionis & miſcibilium in mixto, in ſolutione primarum rationum, & ſimiliter ante.

CAPUT XX.

In quo præmittit quædam ad ſolutionem ultimæ rationis Philoſophi, & aliarum non ſolutarum, prius loquens de actu & potentia, & perfecto & imperfecto in rebus: & ſolvit rationes.

RAtioni autem Philoſophi quintæ ſive ultimæ nunc nos reſpondere oportet. Compellit enim Philoſophus per ea neceſſariò Alchemiſtas confiteri, metalla omnia ad invicem differre ſpecie, & non ſolum accidente, ſicut quædam longè à verò imaginante: quia oportet in eis fieri per generationem, formam ſubſtantialem novam complentem eſſe ipſorum, quæ eſt forma auri, cum ſint propinqua potentia ordinaria ad hoc. Advertendum eſt autem, quod potentia ſe habet ad actum, ſicut non eſſe ad eſſe, & ſicut imperfectum ad perfectum, & ſicut materia ad formam: quia ex ente in potentia fit ens in actu, & ex imperfecto fit perfectum, & ex materia fit forma, tam in naturalibus quam in artificialibus: non autem è contra. Unde non dicimus, quod ſperma ſit in potentia cibus, nec cibus in potentia 4. elementa: ſimiliter nec domus ſit in potentia ligna, lapides, & cementum, neque quod veſtis ſit in potentia lana, vel linum: ſed

sed potius è contra. Quia loquimur in via & semita generationis rerum, & perfectionis ipsarum, & sic per motum, secundum ordines gradiales ad esse, & perfectionem, & actum. Finis autem motus perficit & complet eas, propterea dominatur res à termino motus, scilicet ad quem, & non à principio motus, scilicet à quo: quamvis in artificialibus sit potius è converso, cum materia & forma naturalis servetur eadem, & forma artificialis sola sive figura varietur, ideo determinatur ab eo, ex quo sunt, & ex eo propriè definiuntur. Quapropter non omne illud ex quo fit aliquid, dicitur materia illius: ut ex vivo mortuum, & ex vino acetum, ut dicitur 8. Metaph. Eodem ergo modo dicimus in generatione metallorum, quod omnia se habent ad aurum, sicut potentia ad actum, & sicut imperfectum ad perfectum, & sicut materia ad formam, & sicut non esse ad esse. Et hoc patet ex operibus naturæ in suis mineris: quia omnia digerendo paulatim convertit in aurum, ut infrà ostendemus: aurum autem non convertitur in aliquod illorum. Cum ergo natura in fine denùdet ea à forma illa transitoria sub qua erant: ergo reducit ea in materia primam, & perficit in aurum. Ergo & ars sic necessariò coacta facere, faciet, si debet sequi naturam, & sic facit.

Amplius potentiam duplicem esse dicimus. Quædam est quæ est sicut dispositio ad formam, quæ tenet se ex parte privationis, ut ex ignorante fit sciens. Et quædam est ipsius formæ jam adeptæ, ut sciens, cum jam considerat. Prima potentia est triplex, scilicet, propinqua, remota, & remotissima. Propinqua dicitur approximata agenti, una vel modica mutatione facta, recipit actum sive formam, ut dicitur 9. Metaph. & secundo Cœli & mundi: ut nutrimentum cum fuerit juxta ultimam dispositionem ad nutribile. Remota autem dicitur, quæ pluribus eget mutationibus. Remotissima verò, in qua ferè nulla convenientia invenitur rei, quę transmutatur ad rem, ad quam transmutatur, ut elementa & generatio granorum nutribilium ad nutrimentum nostri operis. Et de hac remota potentia & remotissima, dicit Philosophus 9. Metaphys. Quòd terra antequam transmutètur in æs, non dicitur esse in potentia ad formam statuæ æreæ: nec arbores, antequam sunt incisæ & dolatę ad formam domus. Posteriorautem formę adeptę dicitur actus, ut patet ex secundo de anima: & est duplex, scilicet primus, ut habere scientiam: & secundus, ut considerare, & impossibile est devenire in actum secundum, nisi præexistente primo. Est ergo secundum seriem, primò potentia remotissima: secundò remota: tertiò propinqua: quartò actus primus, qui est forma: quintò actus secundus, qui dicitur habitus procedens à forma, de qua forma dicitur secundo de Anima quod actus sunt priores potentiis. Et similiter 9. Metaphysic.

Cum ergo secundum hanc semitam, &c. dixit Aristoteles 2. Cœli & Mundi: Bonum completum est unum, quod non indiget operatione sua, qua fiat bonum, & perfectio rerum ut suscipiat complementum, & ultimum, & melior res, quæ est propinquior completo bono, & quæ facilius illam recipit bonitatem, &c.

Verba hæc possunt huic capiti, pulcherrimè coaptari sic: inter metalla enim omnia est solùm unum, quod est bonum & completum, scilicet aurum: & ideo non indiget operatione aliqua, ut fiat bonum & completum. Et quia perfectio omnis rei est, ut suscipiat complementum, & ultimum: ideo cum cætera metalla sint imperfecta & incompleta, & non ultima, secundum ad aurum, sicut ad ultimum ordinata, necessariò egent operatione, qua fiant bona perfecta completa, & ultima: ergo fient aurum.

Et quia res, quæ est propinquior bono completo, & quæ facilius illam recipit bonitatem, est melior: Ideo argentum in primo gradu est meliis aliis, æs secundo, & tertio stannum, quarto plumbum, ultimo ferrum: ut ex dictis in superioribus & inferioribus est declaratum. Cum ergo secundum hanc semitam veritatis consideravimus arcana naturæ in generatione metallorum, ponemus, aurum solùm habere actum primum & secundum: Ergo formatum, & ens & perfectem, & completum, & ultimum. Reliqua autem metalla ponemus esse in propinqua potentia ad ipsum: ergo non formata nec entia actu, nec perfecta, nec completa, nec ultima: potentiam tamen remotam & remotissimam jam transierunt: Si igitur sunt in propinqua potentia tali, non egent nisi modica mutatione, & erunt in termino motus ad quem, sive in actu primo: & formata esset forma auri, sive hoc fiat operatione naturæ in suis mineris per tempus, sive operatione artis in momento. Natura ergo ultimo denudando ea ab illa forma reducit materiam primam, & perficit in forma auri: & sic facit ars, quia denudando materiam datur forma.

Rursus dicimus, perfectum & imperfectum tripliciter dici: uno modo in habentibus eandem formam: alio modo in habentibus diversas formas: tertio modo in ordinatis ad eandem formam.

De primo modo dicimus, quod cum perfectio sit per formam, & non per materiam, tunc quæcunque pervenerunt ad eandem formam, pervenerunt ad eandem perfectionem, cum sint in eodem termino motus sed ratione eorum, quæ consequuntur ad formam, & deserviunt formæ, possunt dici perfecta vel imperfecta: ut homo habens organa completa, potest dici perfectus: habens autem ea imperfecta, & malè disposita, dicetur imperfectus, & de tali perfectione & imperfectione non est sermo in metallis.

De secundo modo dicimus, quod in habentibus diversas formas per se distinctas, & non ad invicem ordinatas, quod res habentes nobiliores formas aliis, habent eis perfectiores: ut homo dicitur perfectior equo secundum hoc, & equus asino, & de hac perfectione & imperfectione similiter non loquimur in metallis: quamvis hunc modum quodammodo metallis adaptare possemus.

De 3. modo dicimus, quod omne quod est in motu ad formam ad quam ultimo ordinatur, debet dici imperfectum: cum autem fuerit in finem motus, debet dici perfectum: & de hac perfectione est loquendum in metallis. Cum ergo solum aurum jam pervenerit ad finem motus, & sit formatum secundùm primam & veram intentionem naturæ, ipsum solum dicitur perfectum, & cum reliqua metalla sint in motu ad formam auri, dicentur imperfecta quamvis habeant formas ad invicem diversas, per quas permanent & terminantur, & sint perfecta quodammodo in sua specie: attamen non sunt in ultimo termino motus, in quo est ultima perfectio, per quod patet quomodo sit dare gradus in formis secundum antiquos & quomodo non. Et patet, quod non est dare in metallis nisi unam formam impropriè, scilicet auri: quia sub forma illa transitoria non perficiuntur. Natura ergo in ultimo termino motus denudat ea ab illa forma, & sic reducit in materiam primam, & perficit in aurum, & ibi est status. Eodem modo ars informando ea liquefacta cum lapide suo, necessario reducit ea in materiam primam, & in momento perficiuntur. Generationem autem metallorum imperfectorum à natura, non dicamus esse à casu superve-

veniente naturæ, &à propoſito, propter cauſas impedientes, ſicut quibuſdam antiquis & modernis viſum eſt, & ſicut nobis propter eorum dicta jam viſum fuit: ſed genera ſunt ex propria intentione naturæ, cum ſint in via & ſemita ad generationem auri: ita ut quidam jam exiſtimaverint, quod natura non generat aurum, niſi prout fit tranſitus per diſpoſitiones, & naturas, & formas metallorum imperfectorum. Et quia res caſuales à propoſito accedentes non permanent, nec in ſpecie multiplicantur, neque ſpeciem conſtituunt. Oportet ergo neceſſariò dicere, quod imperfecta metalla fiant ex intentione naturæ, & non à caſu, propter cauſas impedientes & corrumpentes: propter complementum enim univerſi natura ſapiens prævidit de generatione ipſorum arti, & conſtituit ea ſicut medium ad tranſitum auri: quoniam diverſa opera facit ars ex aliquo metallorum imperfectorum, vel ipſorum commixtione, quæ non poſſet facere ex auro: propter quod quædam eorum debili calore coagulvit, & fecit ea ſemidigeſta, ut Saturnum & Jovem, & quædam ſuperfluo calore adurente coagulavit, Martem videlicet & Venerem: quædam calore ſatis temperato coagulavit, ut Lunam quædam non coagulavit, propter penuriam caloris & carentiam, & ſeparationē agentis ſtudioſè, ut argentum vivum ſive Mercurium: quędam coagulavit cum omni temperamento, ut Solem. Unde dicere poſſumus, quod ſicut ſecundum rationem naturalem tota terra debet eſſe cooperta aquis: ſed natura operans, reſpiciens ad complementum univerſi, & commoditatem humanæ naturæ, & cæterorum animalium anhelantium & vegetabilium, coacta fuit dimittere partes quaſdam diſcoopertas: Sic cum omne metallum ex parte naturæ intendentis deberet eſſe aurum, natura operans coacta propter humanæ naturæ commoditatem, alia generavit metalla. Natura enim nihil facit fruſtra, nec ſuperfluum, ut dicitur ſecundo Phyſicor. Et ſimiliter dicimus, quod ſicut natura generat teſticulos in animalibus, non propter neceſſitatem, ſed propter melius, ut dicitur 15. de Animalibus: ſic quaſi dicere poſſumus, quod natura generat metalla imperfecta, non propter neceſſitatē, ſed propter melius, cum omne quod facit natura, facit propter alterum iſtorum. Et ibidem dicitur. Ab experientia autem imminens acquiſita expreſsè patet: tranſmutationem metallorum imperfectorum continuò à natura fieri verſus aurū: & propterea ſæpe reperiuntur mineræ mixtæ. Minerarum enim foſſores in quibuſdam mineris ſtanni & plumbi reperiunt ſubſtantiam argenti, puram in examinatione & in purificatione, & in quibuſdam mineris æris & ferri ſubſtantiam auri puram: quamvis fortè in mineris ferri hoc non reperiatur, propter ſuum magnum inquinamentum & elongationem ab auro. Et in quibuſdam mineris argenti reperiunt ſubſtantiam auri puriſſimam, ut in regno Serviæ, id eſt, Raſſiæ, quod eſt in Sclavonia, ſunt ſic ſimul à natura unita, ut aurum non appareat ſenſu: imò videtur totum argentum: ſed propter examen, quod cum ſulphure fit, in igne ſeparatur hoc ab illo. Ex quibus patet, omnia metalla in tranſitu & via eſſe ad aurum, & ideo jam pluries repertum eſt in partibus Allemaniæ, & etiam alibi in minera argentum imperfectum copioſè, quod eſt paſſum ſcateſin, id eſt, indigeſtionem ex indigentia caloris, & dicunt tunc & conſulunt, qui de mineris ſciunt, quod ſic dimittatur uſque ad trigeſimum, aut plus, ſicut cognoſcunt experti ut fiat opteſis, id eſt, completa digeſtio à calore mineræ, & erit argentum vivum. Propter quod dixit Geber capitulo de Natura ſolis quod à mineris æris manant ſquamæ æris per fluxum aquarum cum arenis: & ceſſante fluxu aquarum, ſquamæ illæ in arena coquuntur, & digeruntur per trigeſimum ex Solis calore & ſiccitate arenæ, inter quas inventum eſt aurum puriſſimum. Patet ergo experientia veridica, naturam continuò mutare reliqua metalla ad aurum: quia quamvis ſint in quodam termino motus, tamen non ſunt in ultimo. Unde quaſi ſicut in generatione Embrionis fit comparatio animæ vegetabilis ad ſenſibilem, & ſenſibilis ad rationalem: quia illæ ſunt ſicut diſpoſitiones ad rationalem, & non ſicut formæ: Sic ſimiliter imperfecta metalla ad aurum ſe habere videntur: quamvis hæc non ſint permanentes gradus, ut in metallis. Generatio quippe metallorum in mineris diverſimodè à foſſoribus reperitur: quamvis generatum ſit unum. Quandoque enim reperitur aurum generatum in lapide, & cum lapide corporatum, quaſi ſit marcaſita aurea. Quandoque autem non corporatum cum lapide, ſed quaſi eſſet vena tranſiens per lapidem, & ſeparata à ſubſtantia lapidis: quandoque autem in arenis fluviorum, in ſimilitudine arenarum, non quod ibi ſit generatum, ut quidam exiſtimant, cum ibi non reperiatur minera ſulphuris & argenti vivi, ſed aqua diſcurrens per mineras aureas occultas, & profundas, indè diſſolvit, & ſecum adducit: aut etiam fortè per mineras æreas, quas in fluxu natura perficit in aurum, lavando & digerendo: propter quod reperimus in mineris aquas profundas, diſcurrentes, & alibi fontes & fluvios, quorum aquæ habent ſapores ferri aut æris, quod oſtendit aquas habuiſſe diſcurſum, per illas mineras. Inveniunt etiam ſimile aurum in partibus Indiæ in arenis aridis, abſq; aquarum fluxu, ſicut dicitur. Argentum autem neque aliud metallum unquam in fluviis & arenis ſic dicitur repertum eſſe, niſi fortè æs. Invenitur autem in mineris ſuis quandoque incorporatum cum lapide, ut videatur marcaſita argentea, & quandoque ſicut vena in lapide, & quandoque ſicut vena pertranſiens, & eſt purius prædictis: & quandoque ſicut pultes viſcoſæ, & illud eſt puriſſimum. Plumbum autem & ſtannum quandoque cum lapidibus, quandoq; cum terra incorporata inveniuntur. Et quandoq; reperitur argentum vivum, currens cum eis, ut dicunt quidam. Invenitur etiam ęs ſic cum lapidibus incorporatum, quaſi ſit marcaſita ærea, & ſimiliter ferrum, quæ omnia conteruntur cum fortiſſimis modis, & calcinantur, poſt purgantur per ignem, & purificantur. Et invenerunt foſſores ſæpius ex eadem minera argento prius extracto aurum in ultimo: dolent tamen valde aurum ſe inveniſſe: quia ibi eſt principium originis mineræ, & deficit ibi vena ſicut in ſuo principio. Eſt autem quandoque hoc aurum in lapide, & eſt lapis, habens foramen apertum ſpirans ad lapidem ſuperiorem, in quo conſecutivè erat argentum. Et ergo quaſi ex eodem loco evaporavit materia eadem, ſed natura puriorem partem ſalvat in origine, & per evaporationem & ſublimationem pars impurior aſcendit, & diverſitas digeſtionis & depurationis operata eſt diverſam metalli ſpeciem. Ex quibus omnibus jam dictis patet, quæ & qualis & quanta ſit differentia metallorum ad invicem tam forma, quàm materia & accidente, & tam actu quàm potentia.

Cum enim in materia, tam propinqua quàm remota, & mixtione, & modo mixtionis, non niſi modicum diſtentum: tunc eorum differentia, quamvis ſit in forma ipſa, non erit propriè differentia ſpeciei, ſicut differentia hominis & equi: Sed eorum differentiæ magis propriè ſumentur penes materiam & partes ejus, ſcilicet ſecundum digeſtum & indigeſtum, completum & incompletum, cum illa ſint ejuſdem pro-

propriæ materiæ penitùs: sed indigesta & incompleta ad aurũ ordinata. Et sicut non est necesse quod indigestum extra in semita & via digestionis continuò revertatur ad principium digestionis, ita neque in materiam suam primam, id est, proximam. Cum ergo imperfecta metalla sint in semita & via digestionis continua, & cum indigesta sint, non erit necesse, quod reducantur ad principium digestionis, nec in materiam suam primam, sed solum digestio continuetur quousque fiant aurum. Sed in his quæ non habent hunc ordinem gradualem & potentiam naturalem, necessarium est, ut in suam primam materiam reducantur, ut si ex bove vel tritico, fieri debet homo, necesse est ut corrumpantur & digerantur, & fiant materia prima hominis, quod est sperma, ex quo fiet homo. Ideo ars non inquisivit convertere animalia nec vegetabilia, nec eorum partes, nec mineralia extranea in aurum, sicut neque natura, cum sit impossibile, tam apud naturam quàm apud artem, nisi in primam materiam, id est in propinquam sive proximam reducantur prius. Ars ergo sequitur naturam in eo, quod vult facere natura, extollit naturam mirificè, non violando naturam, sed ipsam juvando. Distinctionibus ergo & generationibus metallorum jam dictis consideratis, patet solutio quintæ rationis Philosophi: quia natura denudando materiam metallorum imperfectorum à forma illa transitoria, sub qua erat in mineris, cum eodem instanti transformavit eam ad formam, ad quam ordinata erat, scilicet auri: & sic reducit metalla ad materiam primam, id est nudam ab omni alia forma, & sic transformant ea in aurum. Eodem modo ars facit: quamvis enim per liquefactionem non reducantur in materiam primam: tamen per appositionem & ingressum & mixtionem lapidis Philosophici, qui est forma auri, fit expoliatio & denudatio materiæ à forma illa, sub qua erant, & ab omni alia, & transformatio ad quam ordinata erant in eodem momento, scilicet, auri: quia sine liquefactione meralli non potest esse ingressus neque mixtio, neque transmutatio medicinæ transmutantis: & hoc modo reducuntur in materiam primam, & transmutantur de specie in speciem secundum ordinem naturæ per generationem & corruptionem. Quandocunque enim forma submergitur & materiæ immiscetur, necessariò fit materia nuda: & generatio, & transformatio ad formam ordinatam finalem: quia non potest generari forma nova in re deposita, nisi per corruptionem præexistentis.

Non ergo erunt simul duæ formæ substantiales in eadem materia, sed solum introducta nunc: nec ipsa est accidentalis, sed substantialis. Similiter quia si de Jove vel Saturno facere vitrum, oportet quod reducamus in materiam primam, non tamen ut perficiantur. Alia ergo reductio est in materiam primam perficiendo: quia retinent nomen generis primum & acceperunt nomen speciei, ad quam ordinata erant, scilicet auri. Et alia faciendo ex eis vitrum: quia tunc perdunt nomen generis, & nomen speciei similiter ad quam ordinata erant, & in qua prius erant. Reducuntur ergo in materiam primam per artem, secundum ordinem naturalem, successivum, sicut facit natura, & non sicut imaginantur.

Aliis autem rationibus, accipientibus materiam primam, id est propinquam, vel 4. elementa sic respondemus, & dicimus: quod transmutatio alicujus rei in aliam, potest sumi dupliciter. Uno modo prout res, quæ transmutari debet, est in primo principio termini à quo incipit motus, & hæc est materia prima quæ est chaos, principium & elementum 4. elementorum. Alio modo, prout jam per alterationes plurimas remota est à termino, à quo & facta est in propinqua potentia valde ad speciem, ad quam transmutatur: ita ut modica mutatione facta, generatur forma. Et ista magis dicitur materia propinqua, quæ secundum ordinem sequitur materiam primam, sicut dicimus: quod elementa sunt materia prima hominis. Sed cibus ex elementis est propinquior: sperma autem ex sanguine propinquius. Frustum autem carnis ex spermate illo generatum, est propinquissima materia. Si ergo ratio accipit pro materia prima, elementa 4. sic nihil contra nos: quia si ex elementis debet homo fieri, oportet necessariò quod per dispositiones transeant ordinatas, quas diximus: sed si ex sperm ate debet fieri homo, non est necesse, ut in primam materiam reducantur, quæ est 4. elementa, nec in sanguinem, nec cibum: quia esset retroducere à forma disposita, sed oportet ut continuetur digestio, quousque materia recipiat formam hominis. Unde Philosophus 6. Metaphys. dicit: Quando aliquid fieri ex aliquo dicitur, aut ex medio & imperfecto fit extremum & imperfectum, ut ex puero vir: aut extremo extremum, ut ex aqua aër, Sic eodem modo, si ex elementis debet fieri aurum: oportet necessariò, ut per dispositiones transeat ordinatas, scilicet ut ex eis fiat aqua viscosa, gravis cum terra tenuissima, sulphurea, quæ sit argentum vivum: post hoc autem mediante mixtione, & actione sulphuris extrinseci, in eo fiat aurum vel metallum aliud quod post fiat aurum.

Si ergo hæc metalla imperfecta volumus perficere in aurum, non est necesse, ut in materiam primam reducantur, Similiter quia natura non operatur per illum modum in suis mineris: Ergo & ars cum sit sequela naturæ, tenebit modum naturæ. Si autem ratio accipit pro materia prima, materiam propinquam: sic ratio magis oppositum arguit: quia qualis est ordo & proportio elementorum ad sanguinem & sperma, ut fiat homo, talis etiam est ordo & proportio elementorum ad argentum vivum & sulphuris: sicut ergo non est necesse, ut illa convertantur in primam materiam, quæ est 4. elementa, nec in ipsorum intermedia, ut fiat homo: Sic in proposito: quia sicut natura in suis operibus non intendit recedere, sed continuò propinquare ad terminum: sic & ars. Et per sperma antedictum, intelligo menstruum, cum à spermate ad materiam spermatis convertantur passiva: ut fit materia embrionis. Considerando ergo materiam propinquam, & remotam, & remotissimam, & potentia ad invicem ordinatas, magis ista ratio arguit rem esse possibilem, quàm impossibilem. * Metalla enim imperfecta sunt, sicut medium inter aurum ex parte una, & argentum vivum & sulphur ex parte

* Metalla enim imperfecta, &c.) *Notandum quod medium cum suis extremis sunt in genere relationis, & dicuntur multipliciter. Uno modo ratione loci, de quibus dicit Philosophus 1. Meteor quod sola extrema elementorum inveniuntur pura: & intelligit per extrema elementorum centrum terræ & sphæram ignis sub orbe Lunæ: medium autem aërem & aquam. Alio modo dicitur medium & extremum, ratione motus localis, scilicet à termino à quo, ad terminum ad quem, transitum per medium. Alio modo dicitur medium, quod componitur ex duobus extremis contrariis, ut album & nigrum dicuntur extrema coloris, id est contraria, ex quibus colores omnes alij componuntur, & dicuntur Medij. Alio modo dicitur Medium, quod ex iis principiis componitur, ut Marcasita & Magnesia, quæ ex argento vivo & sulphure componitur, & sicut atramenta: Et breviter omnia dicuntur medium*

parte alia:cum aurum ſit ſicut finis, & iſta ſunt principia. Et quia medium eſt propinquius fini , quàm principium : ideo imperfecta metalla ſunt propinquiora auro quàm ſua principia , quæ ſunt materia prima & propinqua. Quocunque tamen modo materia prima accipiatur , oportet ut in ipſam materiam nudam , id eſt , metalla omnia , ſi debent tranſmutari , in aurum reducantur. Sola enim liquefactio metallorum non reducit ea in materiam primam,id eſt nudam,ut arguit ratio,& benè:ſed oſtendit apertè materiam ex qua ſunt: quia omne metallum cum liquefactum eſt , oſtendit naturam & accidentia argenti vivi. Unde dicit Philoſophus quarto Meteororum:Plumbum cum liquatur, procul dubio eſt argentum vivum : dixit enim de plumbo potius quàm de aliis : quia plumbum minus remotum eſt à materia argenti vivi,quam aliquod aliorum. Notandum , quod quamvis imperfecta metalla dicantur, ſicut medium & tranſitus ad aurum : argentum vivum autem ſicut principium,à quo incipit talis motus : hoc intelligendum eſt , quo ad naturam quia quantum ad naturam alia diſpoſitio , & aliud tempus tranſitus eſt, ſicut ipſius argenti vivi ad aurum: & alia diſpoſitio,& aliud tempus unuſcujuſque metallorum imperfectorum , ut per finem digeſtio & complementum aurum.

Sed quantum ad artem , ſunt ejuſdem diſpoſitionis,& ejuſdem temporis:cum enim ſolum argentum vivum imperfectorum perficiatur ab elixir in aurum per prius explorationem à ſulphure corrumpente,& argentum vivum vulgi non indigeat expoliatione aliqua: Ergo oportet, quod per talem expoliationem iſtud redeat ad naturam iſtius. Ipſius coagulatio non impedit identitatem ſuæ naturæ cum natura iſtius , quare eadem diſpoſitio, & idem tempus erit perfectionis ipſarum,quum potentia & virtus Elixir , multiplicata , exuberans ſemper utrumque extendit & diffundit in momento, & perficit æqualiter communicando utrique digeſtionem ſuperfluam , & excedentem, quam habet: ita quod in utriſque fiat digeſtio.

CAPVT XXI.

Incidentale,in quo probat , quod ex ære & ferro non poſſit fieri aurum & argentum per Alchemiam : & ſolvit.

DUbitabit autem aliquis,æs & ferrum in aurum vel argentum non poſſe converti , reliqua autem ſic:quia eſt impoſſibile illi rei,quæ tranſivit decoctionis medium, incrudari:ſicut non eſt poſſibile, ut aſſum revertatur in elixum , Averrois 3. Colliget: Cum æs & ferrum hujusmodi Ergo,&c Reliqua autem confitemur poſſe converti. Similiter quæ crudæ ſunt poſſunt decoqui : è contra autem incrudari non poſſunt , & quæ ſunt ſemidigeſta , poſſunt complete digeri:quæ autem ſuperfluè, ad temperamentum reverti non poſſunt , ut patet in cibis qui elixantur & aſſantur, propter quod dixit Raſis de tali digeſtione lib. Perfecti magiſterij , & Morienus & quilibet Alchemiſta,quod argentum & aurum à calore ſuavi & temperato decocta ſunt : Stannum autem & plumbum à calore diminuto: Ferrum autem & æs à calore ſuperfluo aſſativo & urente argentum vivum crudimine. Ad hoc reſpondemus , omnia poſſe converti in aurum,tam ſecundum artem,quàm ſecundum naturam.

Sed eſt advertendum; quod cum duplex ſulphur ſit in quolibet metallo, præterquam in auro:ſcilicet extrinſecum comburens,& intrinſecum non comburens , quod eſt de ſubſtantiali compoſitione argenti vivi: ideo iſtud extrinſecum eſt ſeparabile ab eis, intrinſecum autem nullo modo.Et quia hoc ſulphure extrinſecum poteſt per artificium ſeparari : ſicut & à natura : Patet verè quod non eſt unitum cum ſui argento vivo : ideo non facit veram aduſtionem in argento vivo,ſed in ſeipſo. Quod patet:quia ipſo ſeparato , remanet argentum vivum purum, quod non ſic remaneret , ſi ſecum eſſet unitum. Et ideo cum purificantur imperfecta metalla in opere minori per ablationem quandam hujus ſulphuris , videtur eorum argentum vivum lucidius.Unde de hoc duplici ſulphure loquens Geber cap.de Procreatione Veneris,ſic inquit : Ex præcedentibus itaque ſermonibus relinquitur , in compoſitione duplicem eſſe ſulphureitatem.Unam quidem in profunditate argenti vivi concluſam in principio ſuæ mixtionis,alteram verò ſupervenientem : quarum alteram cum labore tolli, alteram verò nullo artificiorum ingenio eſt poſſibile tolli,quod per ignem perficiunt , ad quod poſſit noſtra operatio congruò ac utiliter pervenire , cum jam ſecum per eandem creationem unitum factum ſit.Et hoc experimento probatur , cum ſulphureitatem aduſtam videmus per ignem deleri : ſulphureitatem verò fixam minimè. Si ergo dicimus: Corpora calcinatione mundari,intelligas utique à terrea ſulphurea ſubſtantia , quæ non in radice ſuæ naturæ unita eſt:quod unitum mundare per ignis ingenium non

medium compoſitivum. Componentia autem dicuntur extrema. Et talia media obtinent perfectionem & formam in ſpecie , in qua ſunt, nec ad aliam formam ulterius ordinantur. Et in iis formæ extremorum ſunt confuſæ in medio aliquo modo, ut patet in libro de Senſu & Senſato. Alio modo dicitur medium Temperantia in quæſtione ex contrariis tranſitus : aut à temperantia ſecundum ſuperabundantiam & defectum dicuntur extrema , ſicut ſanitas & ægritudo. Alio modo dicitur medium Poſitio rei unius in medio duarum: quæ dicuntur Extremæ, & dicitur Medium rei. Alio modo dicitur medium Punctus in circulo , & circulus nomen obtinet extremorum. Alio modo dicitur,quod recta ratione eligitur ut virtus:vitium autem nomen obtinet extremorum. Alio modo dicitur medium Spatium, tranſitus de extremo in extremum, in motu generationis & corruptionis,ſcilicet à termino,à quo incipit motus,ſcilicet ad terminum, ad quem finit motus, in quo fit generatio novæ formæ,cum corruptione præexiſtentis quemadmodum duo ſpermata ad generationem,dicuntur unum extremum,cum animadvertit anima intellectiva. Fructum autem carnis in matrice ex duobus ſpermatibus cum ſuis diſpoſitionibus annexis , dicitur Medium Et ſic etiam dicuntur Extremum unum ad nutritionem membrorum. Conſimilatio autem eorum membris dicitur ad extremum. Sanguis autem in venis cum aliis diſpoſitionibus ſuis dicitur Medium, & talia media non obtinent perfectionem ſuam & formam in ſpecie,in qua ſunt. Et ideo talia media donec ſunt in motu ad formam dum ſunt imperfecta ducuntur in formam. Non enim poſſunt detrerminari à forma,cum nondum ſunt in termino ad quem, qui dicitur Extremum Et hoc modo dicuntur omnia metalla,ab auro habere rationem medij in operatione ad aurum,& ad eorum principia:ſed ſi vellemus reſpicere medium in quæſtione id eſt temperantiam:tunc diceremus aurum eſſe medium,cum in eo ſit omnis temperantia,& æqualitas & ſanitas. In aliis autem contrarium ſecundum ſuperabundantiam & defectum. Et hoc modo, nec aliis prædictis,medium & extremum non ſunt hujus propoſiti. Patet ergo quæ , qualis , & quanta ſit differentia metallorum omnium ad invicem, & ad ſua principia: Et quæ, & qualis , & quanta conformitas & ſimilitudo. Similiter in quibus patet ſolutio rationis ad præſens.

non est possibile, nisi adveniat argenti vivi medicina, occultans & contemnens, aut illum de commixto separans. Item cap. de coagulatione: Habet similiter, scilicet argentum, partes sulphuris naturaliter sibi admixtas, quoddã plus quoddã verò minus: quas removere per artificium contingere non est possibile, &c. Quia ergo istud sulphur extrinsecus adveniens potest per artificium separari à metallis, patet, quod non est verè unitum cum illo argento vivo, nec de ipsius substantia. Et ideo illud argentum vivum æris & ferri potest perfici in aurum purissimum, sicut argentum vivum stanni & plumbi per sulphuris extrinseci separationem. Et sicut ipsum est fœdum, & fœtidum, & malum: veruntamen in hoc tantum bonitatis habet: quia ipsum agens in materia, sine cujus actione natura nunquam posset generare aliquod metallorum. Ideo Geber ipsius tincturam vituperans, tractatu de Medicinis primi ordinis, cap. de Citrinatione Lunæ, dicit sic: Per sulphur etiam rubificatur Luna: sed illius rubificatio est difficilis & laboriosa immensè, & tamen non resultat ejus citrinatio fulgens: imò fusca & livens terreitate mortifera. Ex quibus jam dictis nos æstimamus cum ratione, quod cum lapis Philosophorum super æs & ferrum liquefacta projectus fuerit, commiscebitur in momento cum omnibus & solis partibus argenti vivi existentis in eis, & unietur cum eis, cum sint ejusdem naturæ, & perficiet eas in aurum purissimum: & omnes partes sulphuris extrinseci separabuntur seorsim, quia non sunt de natura sua. Et hæc est intentio Geberi de Differentiis perfectionis differentia prima: quamvis videatur aliter dicere capitulo de Præparatione corporum, in generali, scilicet Saturni & Jovis. Argentum enim vivum semper absque violentia & labore commiscetur cum eo, quod suæ naturæ est: alterum verò respuit, & seorsim relinquit. Similiter dicimus in stanno, & plumbo, & argento: quamvis in argento sint modicæ partes sulphuris extrinseci. Sed cum super argentum vivum projicitur hic lapis qui tam secundum totum, quam secundum omnes partes sunt unius naturæ & substantiæ: ideo totum perficitur in aurum. Videmus enim genus exempli in coagulatione lactis, quia coagulum coagulat solùm partes sibi similes existentes in lacte: alias verò dissimiles respuit, & seorsim relinquit: & ita substantia casealis in lacte consistens, se habet sicut principium materiale & passivum. Nota coagulum sicut principium formale & activum quamvis sint ejusdem materiæ, & substantiæ, & naturæ. Quod autem talis adustio sit in solo sulphure ferri & æris, & non in eorum argento vivo, experimento patet: quia cum adurimus sive coagulamus argentum vivum cum sulphure, & facimus ex eis sublimationem Uzifur post magisterium sublimationis: alteram separamus substantiam argenti vivi ab Uzifur puram & mundam prius, & magis: quod patet: quia nulla adustio facta erat in isto argento vivo, sed in solo sulphure: Ergo eodem modo in ferro & ære est æstimandum. Et sic patet solutio.

CAPVT XXII.

Incidentale, in quo probat, metalla imperfecta non converti in aurum à natura in minerâ: & solvit.

ADhuc autem ex prius dictis aliquis dubitabit, scilicet, Non videtur, quod natura perficiat aliquod aliorum metallorum in aurum: quia non potest fieri transitus à substantia & proprietatibus alicujus metallorum ad aurum, nisi per eorum medias dispositiones. Sed nihil invenitur in mineris eorum, in quo salventur istæ mediæ dispositiones: Ergo in eis nullus videtur fieri transitus ad aurum: fossores mineratum plumbi & ferri nunquam dixerunt expectandum per tempus, nec per tempora, & relinquere sic mineras: quia ex ulteriore decoctione fient aurum. Ergo videtur, quòd ab experientia sciant, hoc nunquam posse fieri à natura. Si enim hoc esse posset, quãto melius & lucrabilius esset, sic dimittere mineras per tempora. Videtur ergo, quod natura solũ salvat ea sic in specie, in qua sunt. Si ergo natura non perficit hoc in suis mineris, æstimandum est, quòd nec ars extra mineras, cum ars sequatur naturam: frustra ergo conatur hoc ars in transmutationibus metallorum. Respondemus sicut prius. Est tamen sciendum, quòd sicut natura generat metalla ex sulphure & argento vivo, non quod sulphur in sua natura reperiatur per se in suis mineris nec argentum vivum sic, sed reperiuntur hæc à natura commixta in naturam tertæ redacta, nec reperitur etiam aliquid ibi, in quo salvetur media dispositio à mollitie argenti vivi, ad duritiem alicujus metalli, cum tamen non fiat transitus de extremo ad extremum per medium: Sic & in transmutatione metallorum imperfecta versus perfecta est æstimandum, quia natura in his occultissimè operatur: & sic patet responsio ad primum. Ad aliud dicimus, quòd regiones variant res, & generationes diversificant ipsas, non solum secundum species, sed secundum proprietates & accidentia in eadem specie: unde Philosophus 6. de Animal. dicit, quòd regiones diversificant animalia: unde Scorpiones, qui sunt in Ægypto, non sunt mali, & in aliis multis locis sunt mali valde, ita ut interficiant. Et 18. ejusdem dicit, quod in octavo mense non vivit natus, nisi in quibusdam partibus Ægypti. Et in lib. de Plantis dicit, quòd planta in Persia erat, quæ fructus generabat venenosos, & cum transplantata fuisset in Ægyptum & Hierusalem, fecit fructus de cætero bonos & comestibiles, propter quod videtur esse, quòd triticum seminatum in terram latitudinis majorem, ut decem graduum, rarò convalescit, & post quartam generationem ad plus, degenerat in siliginem. Et è contra: In terra minoris latitudinis quadraginta & triginta graduum seminata siligo, post quartam seminationem degenerat, & nobilitatur in triticum. In loco autem medio germinavit in sua specie continuò. Videmus in quibusdam regionibus perficere uvas ad vinum fiendum, in quibusdam autem nullo modo. Et similiter eandem mentem in locis diversis variare vinum. Sic similiter æstimamus esse posse de mineris metallorum: quia ratione diversitatis mineratarum in regionibus diversis quædam possint nobilitare imperfecta metalla in aurum, & quædam non: quamvis de se semper & ubique dispositæ sint ad finem illum: sicut etiam videmus quasdam melius æs, propter dictas causas: similiter & in aliis. Et propterea consulunt experti minerarum, prout experientia didicerunt è relatu, secundum regiones debere, talem transmutationem expectare, vel non. Similiter potest minera esse corrupta aut carens aquis lavantibus: per fluxum autem sulphuribus malis plena, quibus transmutatio talis fieri prohibetur in loco illo: similiter aspectus cœlestes operantur ad hoc: imo sunt sicut primæ causæ, & prima principia influentia ad tales generationes, prout sunt instrumenta

ſtrumenta primæ intelligentiæ, & aliarum ſecundarum: & ſic patet ſolutio.

CAPUT XXIII.

In quo tractat de Principiis metallorum in generali, & eorum generatione, & tranſmutatione ad metalla ſecundum naturam, oſtendens, quomodo ars poteſt ſequi naturam: & ſolvit ex his rationes 18. 19. & 20.

CUm omnis generatio ſit ex conveniente univoco, ſicut dicit venerabilis Ariſtoteles ſepti. Metaph. & videamus omnia metalla deducta ad ſpeciem per coagulationem & per unum modum mixtionis eſſe liquabilia, & coagulabilia, & inſimul miſcibilia, & retinentia ſimiliter nomen & ſpeciem, ſive coagulata, ſive liquata: Ideo eorum materiam oportet nos ponere unam ſubſtantiam: ſcilicet humidam aquam: quia non poteſt unum ex eiſdem, & uno modo commixtum pluribus ſecundum ſpeciem differentibus eſſe conveniens: tale autem humidum ſemper quærit terminum alienum, non quieſcens in terminis propriis. Et quia terminari termino alieno eſſentiali, & primo ineſſe humido aqueo, id eſt, elemento aquæ: ideo omne tale terminatur per humidum aqueum: tale autem terminare omnibus ineſt metallis, dum liquata ſunt; &c. Similiter quæcunque à frigido congelantur, abundant in ſua materia prima humido aqueo, ut dicitur quarto Mereororum. Talia autem ſunt metalla, & eis ſimilia. Et quia humidum aqueum facilè evaporat ab igne, metalla autem ſuas conſervant humiditates etiam in magnis ignibus: ideo humiditates metallorum non ſunt ſimiliter aqua: ſed ut eſt paſſa ab aliis elementis, & cum aliis elementis. Cum autem oporteat permanere naturam aquæ in metallis cum durabilitate, non reperimus, niſi ut fiat viſcoſa & unctuoſa in univerſali paſſione & actione: & talis humiditas in calore & colore diutius conſervatur, & non de facili ſiccatur, ut patet in humido nutritivo, animali, vivente: & hoc facit natura, quando natura deſiderat permanere diu in individuo, & perpetuare in ſpecie. Sed quia humidum viſcoſum videmus in pluribus inflammabile ab igne facilè, nec ſeparari ab eis, donec finiatur, tale autem humidum non reperitur in metallis: ergo videtur non ſolum humidum viſcoſum & unctuoſum metallorum eſſe naturam, ſed ut eſt ad paſſum. Unde ſciendum, quòd in generatione metallorum eſt duplex humiditas, viſcoſa, & unctuoſa: una extrinſeca, quæ non devenit ad unionem totalem cum terreſtribus partibus rei, & hæc inflammabilis eſt, & ſulphurea, & alia, quæ eſt extrinſeca: & hæc una & ſimilis per totum, cum partibus terreis: & hæc non eſt inflammabilis. Et hæc viſcoſa eſt incombuſtibilis in ſuis partibus terreis tenuiſſimis, non inflammabilibus, adæquara & commixta commixtione forti, taliter, ut minimum unius ſit idem factum cum minimo alterius, & unius plurimum cum plurimo alterius: & facta ſunt à propria digeſtione argenti vivi: ideo pars humida non derelinquit partem ſiccam in igne, & econtra: ſed aut cum tota ſui ſubſtantia recedit ab igne, aut cum tota permanet, & ad hoc eſſe pars humida non adhæret tangenti: quia partes terreæ ipſam ligant, & æqualiter contemperant, Pars etiam ſicca non terminatur termino proprio, quia partes aqueæ ipſam ſolvunt, & æqualiter contemperant, ideo humidum & ſiccum æquantur in ipſa natura.

Eſt ergo materia metallorum omnium prima humidum viſcoſum, incombuſtibile, ſubtile, incorporatum terreſtri ſubtili, æqualiter & fortiter commixto per minima in cavernis terræ mineralibus.

Materia autem proxima eorum eſt argentum vivum, generatum ex illorum forti commixtione. Sed cum materia non producat ſeipſam in eſſe: ideo ſagax & ſapientiſſima natura adjunxit ſibi agens proprium ſulphuris, ut ipſum digerendo & coquendo in metalli formam convertat. Eſt enim ſulphur quædam pinguedo terræ in mineris propriis generata per temperatam decoctionem inſpiſſata & indurata. Et habet ſulphur ſe ad argentum vivum ſicut maſculus ad fœminam, & ſicut proprium agens ad propriam materiam. Et quia quoddam ſulphur eſt liquabile de ſui natura, & quoddam non: ideo quæcunque natura voluit facere liquabilia, adjunxit eis ſulphur liquabile, ut de potentia materiæ extrahat ſimilem liquefactionem. Et hinc fuit cauſa liquefactionis metallorum in igne, & coagulationis extra ignem: quamvis argentum vivum de ſui natura ſemper ſit liquidum. Quæcunque autem voluit natura non liquabilia fieri, adjunxit ſulphur non liquabile, tamen coagulativum, ut in Marcaſita, Magneſia, & Antimonio. Sulphur & Marcaſita eſt non fixum & combuſtibile: Antimonium autem fixum, incombuſtibile.

Eſt ergo materia prima, propinqua, & proxima & univoca metallorum omnium argentum vivum non in natura ſua: ſed ut eſt ab agente proprio, ſcilicet ſulphure liquabili in terræ mineralibus coagulatum, & cum ipſo ſulphure: ergo materia. Hic autem omnino ſibi conſimilis erit materia argenti, videlicet ſi generatio debet fieri ex convenienti & proximo. Oportet ergo neceſſaria dicere, illa duo ſimul commixta eſſe principia, tam artis quàm Naturæ. Quia ergo ſic conveniunt in materia proxima & agente, & modo mixtionis; ideo habent inter cætera mixta articularem generationem ad invicem, ut dixit Hermes, Raſis, & alij Philoſophi.

Sicut enim elementa parum diſtant à materia ſua prima ex qua ſunt, & ideo ad invicem particulariter generantur: ſic & metalla, ſed aliter: quia generatio elementorum eſt omnino reciproca, & converſio propter æquales, quaſi ſuam perfectionem & parvam diſtantiam à materia ſua prima, nec hæc magis ordinatur ad iſtud, quàm è converſo: in metallis autem eſt ſecus, quia omnia deſunt imperfecta, præter ſolum aurum, ſcilicet in aliquo gradu perfectionis, & ordinantur omnia ad aurum ſolum, ſicut ad finem ultimum. Ideo non revertuntur, poſtquam facta ſunt aurum.

Signum autem tranſmutationis eorum à natura in aurum, eſt mixtio eorum in una minera, & ſucceſſiva mutatio. Si enim eſſent perfecta & completa ad naturam unam, & completionem unam dererminatam, ſcilicet ad illam, in qua ſunt, tunc proculdubio non eſſent convertibilia ad aliam niſi prius reducerentur in non metallum. Cum ergo primo & ultimo retineant nomen metalli, non egent niſi forma, qua nominentur nomine alterius metalli, ſcilicet auri: & hanc formam novam & ultimam dat natura in mineris abſque liquefactione.

Ex

* Ex dictis ergo nunc & prius patet, quod natura duplicem modum assumit in generatione auri: Unum per se, & primo scilicet: quia generat aurum in mineris propriis, & ex suis principiis: alium per se, sed non primò, scilicet quia primò generat aliquod metallorum imperfectorum ex eisdem principiis in sua minera, & convertit ultimò ipsam in aurum. Sequitur ergo ars naturam in generatione auri: secundo modo, scilicet, quia generat ex imperfectis metallis aurum: sicut facit natura. Primo autem modo impossibile est artem sequi naturam.

Cum igitur in arte Alchemiæ sit eadem materia, tam mediata, quàm immediata: sicut apud naturam: & reducat mediatam ad immediatam, sicut fecit natura: & sit idem scilicet secundum eandem intentionem agens, quæ est expoliatio argenti vivi totalis, post decoctionem completam à sulphure corrumpente, quod ipsum decoxit: sicut facit natura, & fit eadem forma, scilicet sulphur intrinsecum argenti vivi introductum de potentia materiæ, sicut facit natura, quòd sit idem finis omnino, scilicet unio istius formæ cum materia, ut fiat aurum sicut facit natura, cum forma & finis sit idem: tunc necessariò idem aurum erit hoc & istud: quia quorumcunque causæ sunt omnino eædem omnes: oportet necessario ipsa esse omnino eadem. Sed quis callidus artifex sciret transmutare materias qualescunque extraneas, & mediatas, sive sint de mineris: aut de mineralium aliorum aut vegetabilium & plantarum, aut animalium, sive eorum partium, aut superfluitatem ad materias proximas, & immediatas auri, proculdubio posset facere verum aurum: sed quia hoc est impossibile, ideo talium operatio est inanis: quia non potest fieri generatio, nisi ex convenientibus & proximis, & immediatis, ut dictum est: hoc autem nullus potest artifex efficere ex illis, etiamsi vita eorum perpetuetur: Et hoc insinuans Geber in fine capituli de Medicinis primi ordinis, scilicet, quod omnis medicina alterans: aut est ex argento vivo, aut sulphure, aut amborum, aut ex aliquibus habentibus naturam eorum: quidam verò plures annuerunt medicinas, sed unam ex duobus necessario evenire contingit: quia aut ex eisdem, aut eandem naturam habentibus, illos medicinam creare hanc necessarium est: aut medicinam componunt, quæ ei, quod non est, æquipollet cum alteratione sua, & quæ nec mundo confert, nec mundi partibus, donec motor in sublimi naturæ mobili quieverit incorruptus.

Et cap. de Procreatione magnesiæ, thutiæ & marchasitæ ostendens, quòd sint composita ex sulphure & argento vivo, propter alterationem in colore auri vel argenti, quam faciunt in corporibus: Quæcunque enim alterantur per argenti vivi virtutem, vel sulphuris, aut horum similium, necesse est alterari: quòniam hæc sola communicant ad ipsa corpora indifferentia. Et quanta differentia est ultimæ dispositionis metallorum imperfectorum, quando fiunt à natura in mineris aurum per se, sed non primo ad dispositionem ultimam auri, quando fit à natura per se primo, tanta similiter est differentia ultimæ dispositionis naturæ utriusque modi auri: sed est eadem penitus cum naturali, quæ est per se non primo: ultima enim dispositio secundum naturam utriusque modi nihil aliud est, quàm expoliatio argenti vivi per digestionem completam omnino à sulphure corrumpente, quod ipsum decoxit: & in eodem instanti informat illud argentum vivum forma auri: & quia ars eodem modo operatur in expositione ista, tàm in generando lapidem physicum, quàm in perficiendo metalla, & complendo cum ipso: ideo ultima dispositio cum informatione secundum naturam utriusque modi, quam secundum artem est penitus eadem. Modus enim expoliandi, quamvis diversus sit, tamen non diversificat rem in forma: quia modus rei non est idem quod ipsa res: quod si natura non transmutaret imperfecta metalla in aurum, fortè quod ars non posset pervenire ad illud, & sic ars vana esset: talis est generatio sanguinis in corpore humano. Quia generatur per se & primò & generatur etiam ex phlegmate per se, sed non primo, cum phlegma sit sanguis indigestus, & via media ad sanguinem.

Amplius dicimus, quod sicut impossibile est, quòd natura sequatur artem in generatione lapidis Alchemici: quia cum ipsum in argenti vivi similitudinem generasset, perficere non potuisset, cum elementa conjungere nescivisset: ita econtra impossibile est, ut ars sequatur naturam in generatione auri, aliquo illorum modorum penitus: & hoc dico, quantum ad dispositiones præcedentes & habilitantes ad ultimam, quamvis ultima sit eadem penitus. Et ex dictis patet solutio 18. rationis: quia eandem ultimam dat ars & natura, sed aliter dispositiones præcedentes hanc ultimam sunt diversæ in arte & natura: & nisi natura haberet hunc modum generandi aurum, ratio hæc quasi esset insolubilis propter generationem formarum.

Et quia ars faceret quod natura non posset, hec verè posset solvi, nisi cum exemplis atramentorum.

Rationis similiter 19. patet solutio: quia generatio cujuslibet auri secundum naturam, & hujus auri secundum artem est eadem omnino: quæ generatio est in expoliatione sulphuris, agentis & dirigentis, & inquinantis omne metallum. Generatio enim fit in fine actionis novæ formæ, scilicet auri secundum dispositionem & legem datam à natura. Dispositiones autem præcedentes hanc ultimam, quamvis sint diversæ marte & natura, non impediunt generationem quodammodo æquivocam, quantum ad dispositiones præcedentes, & habilitantes: tamen univoca est in fine. Et per hunc modum omnis generatio æquivoca reducitur ad univocam, si generet eandem formam, ut patet 9. Metaph. Similiter & de corruptione dicendum est. ** Et ideo si aliquis per aliam medicinam, sive per aliud Elixir, sciret sic metalla expoliare, generaret verum aurum: sed impossibile est, quòd hoc fieri posset, nisi per hunc lapidem, ut tota Alchemia clamat. Unde Philosophus 2. Phys. dicit: Non fiũt autẽ omnia ex unoquoque semine, sed ex tali. Et 6. de Animalibus: Non autem erit ex quo-

* Ex dictis igitur nunc, &c. *Notandum, quòd secundum Philosophum nono Metaphysicæ, quòd plures possunt esse materiæ ejusdem, scilicet mediata & immediata. Et sic duobus modis fit aliquid ex aliquo, scilicet mediatè & immediatè, veruntamen oportet, quòd materia mediata veniat ultimò ad materiam immediatam. Unde dicit ibi, quòd ad idoneitatem rerum producendarum requiratur identitas agentis & materiæ: quia si materiæ sint diversæ inter se, necessariò res quæ producuntur erunt diversæ. Ideo ad habendum perfectam notitiam cujusque rei, oportet assignare causas ejus omnes proximas, & cognoscere.*

** Et ideo si aliquis, &c.) *Notandum est, quod sulphur occultum in argento, mundans formam auri per virtutem coloris auri mineralis & sulphuris extrinseci: ergo quodcunque aliquo metallorum colore aureo cum tutia aut sulphure extrinseco, aut croco ferri, aut calcantho, aut quibuscunque aliis, sive simpliciter, sive commixtè sophisticè colorant, & non dant formam auri.*

quolibet, ſed iſtud erit ex ſemine, & hoc ex hoc.

In vanum ergo laborant in alio, quàm in argento vivo cum ſulphure, ſicut natura docuit.

Alia non ſunt de intentione naturæ in generatione auri: propterea in mineris auri & metallorum nil eorum reperitur. Et ideo: quia tale aurum eſt ſophiſticum, ſemper inficitur ab aëre, & igne ignitionis & pulveribus coroſivis, quibus fit cementum, aut ſi ſuſtineat omnia hæc, & cementum, ſicut iſtud, quod fecit jam quidam, ut audivimus de argento reducto ad pondus auri: Dicimus quòd non habet molliciem ad malleum, & flexionem, nec ignitionem, nec fuſionem, nec ſonum mutum auri, ſed æris vel argenti: nec bibit argentum vivum facile, ut aurum: nec poſſunt cum eo deaurari metalla, ut audivimus ab illo. Ex quibus patet quòd cementum non eſt ultimum examen auri, ſicut communiter æſtimant. Non eſſe ergo iſtud, quòd alterat metalla imperfecta in colore ſimili colori auri, eſt potens facere aurum: ſed quod poſt ultimas operationes transmutat. Unde Geber cap de Ponentibus artem in Aluminibus & Salibus, & corporibus, & gemmis, dicit: poſſibile tamen eſt in his omnibus alterationem aliquam inveniri: ſed remota eſt valde, & maxime laborioſa. Et in eodem cap. de his qui poſuerunt artem in vegetabilibus, dicit: Qui autem vegetabilibus eam ponunt, ſed non eis: quoniam potius deficiunt à labore, quàm laboratum perfici ſit poſſibile Cum igitur lapis Philoſophorum, poſt habitas laborationes tranſmutet, ipſe ſolus aurum faciet, & hoc eſt rationabile. Unde Philoſophus 14 dicit: Omnia irrationabilia repugnant ſibi ipſis, & rationabilibus. Et 10. Ethicor. dicit: Omnia vero conſonant, verum autem & unum, & ens & pulchrum convertuntur. Unde 4. Metaph per locum à contrariis falſum & multiplex, & non ens & malum & turpe convertuntur.

Ad 8. ſimiliter rationem, quòd non mutatur ſpecies in ſpeciem, &c. Dicimus quod verum eſt, manente ſub prima forma, ſed generando novam formam: tunc ſpecies mutatur in ſpeciem, quaſi corruptiones primæ formæ ſint generatio alterius, quantum poſſibile eſt, eſſe naturam ſcil. materiam abſque forma, & hæc talis generatio & corruptio ſit cõtinuò.

Verum tamen ſciendũ eſt, quòd generatio & tranſmutatio ſpeciei in ſpeciem aut fit in his, quæ habent ordinem viciſſim à natura, continuum uſque ad finem, & diſtantiam in forma valde modicum, ut in generatione ejuſdem rationis: nam & forma humana cum non ſit actũ ſcilicet in ſpermate, tamen diſtat modicum: aut fit in his, quæ ſunt valde remota, ſicut eſt diſtantia terræ ab homine: nam ex terra fieri non poteſt homo. Cum igitur imperfecta metalla differant fortè ab auro, & habeant ordinem viciſſim ad ipſum: tunc oportet quod corrumpatur forma præexiſtens neceſſario, ſi debeat forma auri introduci, & hoc confitemur: quia natura ſic mutat ſpeciem in ſpeciem ſcilicet corrumpendo formam unius individui, & generando aliam, & hoc poſtquam tranſierint omnes diſpoſitiones habilitantes ad eam: & in his ſequitur ars naturam. Sed in his ſcilicet quæ ſunt valde remota in ſpecie, ſcilicet quæ non habent ordinem naturalem, propinquum, ut quod ex aſino fiat homo oportet ut in primam materiam reducantur, & ſimiliter propinquam, & corrumpatur forma prima præcedentibus diſpoſitionibus ordinatis. Item quod nunquam poteſt fieri generatio abſque corruptione, & è contra, & in his nunquam ars poteſt ſequi naturam, nec vult: patet ergo: Argumentum non valet.

Amplius dicimus: quod ſi nullum metallorum reperiretur, niſi aurum ſolum, quod ars Alchemiæ vana eſſet: quia cum ars non poſſet generare aurum ex ſuis principiis, ſicut natura, ſed ſolum quæ imperfecta ſunt perficit: ideo ſublatis imperfectis annihilatur Alchemia. Nihilominus tamen ars ſuum lapidem generaret, ſed non habet materiam, ſuper quam projiceret ad aurum generandum. De tali autem lapide non curat ars, niſi in quantum ex metallis imperfectis efficit aurum.

CAPUT XXIV.

De Principiis Metallorum in ſpeciali, & metallorum generatione ſecundum intentionem naturæ, & de ſignis generationis, oſtendens quomodo ars debet ſimili modo ſequi naturam, & ſimilibus ſignis, & ſimilibus principiis in generatione lapidis.

DIcemus denuo quandocunque in aliquo uno inveniuntur duo compoſita ad conſtitutionem illius, & unum illorum componentium inveniatur ſine alio, neceſſe eſt reliquum componens ſine reliquo inveniri. Sicut probat Philoſophus 8. Phyſicorum, in his quæ moventur & movent, in quibus, quia motum invenitur abſque movente, oportuit etiam, quod movens abſque motu reperiretur. Ex quo patet, quòd ſi à tali compoſito unum componentium ſepararetur, neceſſarium eſt, quod reliquum de reliquo ſeparetur ſeorſim. Quia ergo natura pro principiis ad generationem metallorum omnium recipit argentum vivum cum ſulphure mixtum, & generata ſimul in mineris eorum cum bona digeſtione, & liquefactione metallica ſua abſque ſtrepitu & ſtridore ſit collecta, fide vidimus & experti ſumus, & non recipit argentum vivum vulgi, nec ſulphur ejus, ſicut oſtendit Geber capitulo de Natural bus principiis hujus magiſterij, & ipſa ſimul ſuaviſſimè ſublimando & convolvendo, & lavando decoquit, digerit, & in fine actionis elicit, & ſeparat per ſe argentum vivum: ergo & ſulphur remanebit ſeparatum per ſe, & ſicut tunc natura in inſtanti perficit, & informat iſtud argentum vivum forma auri, in quo argento vivo tota naturæ intentio per ſe fuit, ſic & ſulphur ſeorſim ſine aliquo regimine derelinquit. Et ideo natura poſt completam actionem abſque ſulphure ipſum fixerat & ipſum perficit: de cujus remanentia ante completam decoctionem, ab auri ſubſtantia & forma degenerat, & fit aliud metallum: aut iſtud ex eis commixtum, ut ſupra dicimus: patet ergo quæ ſi materia metallorum apud naturam, & quid agens, & quis finis in agendo. Quia igitur ars hæc in mineris metallorum non repetit aliquid quod ſit in natura ſulphuris, ſed aliquid ex his generatum eſt & commixtum, & in naturam terræ redactum, ſed invenit illorum Mineras ſimplices ſeparatas ab invicem, & à metallis: Ideo ars ſequens naturam recipit eandem materiam, ut natura commixtam de minera propria, ſive omnino ſimilem in mineris proprius exiſtentem. Et eſt ex eiſdem principiis compoſita penitus, ſicut materia mineræ metallicæ cum liquefactione metallica ſua, abſque ſtrepitu & ſtridore, quam natura de ſe ulterius non tranſmutat, nec ad generationem metalli, nec alterius rei, unde dicit Avicen. Inventui tamen adhærentiæ liquefactionem: & deinde ſimilitudinem minereitatis. Et in hac materia nullam reliquit artem ſibi hæredem.

Sicut

* Sicut ergo natura in fine suæ actionis separat argentum vivum per se, & ipsum informat in instanti forma auri & operi suo finem imponit, sicut cætera agentia naturalia, & sulphur remanet derelictum seorsum, postquam peregit totum opus naturæ: sic & ars in sua operatione omnino se habere debebit. Cum ergo artifex in magisterio decoctionis viderit, & argentum vivum de commixto separatum: ergò sulphur quod decoxit, est etiam sulphur separatum. Hoc enim est signum completæ & finalis decoctionis, sicut natura nos docuit. Ergo necessariò cogitur artifex, ut formet illud argentum vivum, forma lapidis Philosophorum, & operi finem imponat, sicut facit natura. Omnis enim materia recipit formam suo tempore prout est capax formæ, & non prius, nec posterius.

** Ex quibus liquidè innotescit, quod sit coagulatio & expoliatio argenti vivi à sulphure de qua dicit Geber capitulo de Coagulatione mercurij sic: Cum igitur sulphuris proprietas sit, cum argento in rubeum vel citrinum secundum mensuram suæ quantitatis, creare colorem, ejus albationis proprietas erit, argento albedinem dare per ignem. Ex quo patet, quod color qui apparet in fine completæ decoctionis, est albedo: quia cum tunc oriatur argentum vivum purissimum, cum suo sulphure decoctum & ab ipso omnino expoliatum: ergo oportet quòd sit candidus. Unde dixit Rasis in Lumine luminum: Hujus novissima signa candor & cristallina serenitas monstrat. Et Milvescindus: Nota, quòd omnibus attentè peractis & percepris, si dealbationem tamen ignoras, speratam amittis licentiam, Et Lilium: Spiritus & anima non uniuntur veto modo, nisi in albo colore Idem: totius operis initium & fundamentum est albedo. Et Darduus in Turba Philosophorum: Sciatis firmissimè quod si purum auri in confectione ponatur, exiet tinctura patens candida. Et Rasis in Lumine luminum: Rubescere namque candorem significat. Et Rosinus: Recta hujus operis emendatio est albedo. Unde Morienus: Quicunque alumina dealbaverint, & ea sulphure ascendere fecerint.

* Sicut ergo natura, &c.) *Notandum quòd omne, quod terminatur: aut terminatur termino proprio, ut est corpus terrestre siccum, sicut lapis & lignum: quia servant figuras suas, stando in terminis propriis: aut terminatur termino alieno, ut corpora aquea, humida, sicut aqua & oleum: quia non servant figuras suas sed recipiunt alienas, ratione diversi corporis continentis, ut dicitur 4. Meteor. propterea omne liquabile cum liquatur, terminatur termino alieno: quia partes aquosæ tunc vincunt: cum autem coagulantur, terminantur termino proprio, propter partes terrestres intentas tunc: quia fit conversio elementorum de contrario ad contrarium. Cum igitur argentum vivum, quando oritur in magisterio terminantur termino alieno propter partes aquosas, vincentes tunc, & velimus ipsum retinere: oportet necessario, ut faciamus ipsum termino proprio. Ergo oportet nos coagulare ipsum cum suis partibus terrestribus, non cum alienis; ut sint vincentes aquosas. Et tunc conversio elementorum de contrario ad contrarium. Ex aqua enim tunc fit terra, ex aëre ignis: suæ autem partes terrestres nihil aliud sunt, quàm aurum occultum Philosophorum, sive corpus, sive fermentum, aut venenum. Similiter cum digestio fuerit completa, patet illud per digestum completum: quia sulphur superfluum & corrumpens, est separatum, debet imponi finis operi necessario. Sulphur enim superfluum erat duplex in principio digestionis, scilicet subtilissimum, igneum & comburens: & per evaporationem in sublimatione est divisum & separatum. Aliud verò grossum, terreum & fœculentum, separatum in fundo vasis, super quam fecem stat substantia munda, æqualis & temperata, volare volens. Nam sicut in digestione musti & sanguinis separatur superfluitas una subtilis ignea & alia terrestris, & quod remanet, est mundum, æquale & temperatum: sic & in hoc opere, & omnis superfluitas est contraria ei, cujus est superfluitas: quare eget divisione & separatione. Hoc autem facit digestio sive decoctio mensurata per artem: tunc enim debet retineri volans, & termino proprio terminari, quod tunc terminabatur termino alieno. Quòd si hoc signum artifex non perpendat, vacuus à proposito & in desperatione: sicut si non decoquat completè quousque fiat separatio argenti vivi à sulphure, opus remanet imperfectum, diminutum & mixtum, sicut remanent imperfecta metalla in comparatione ad aurum. Et hoc est argentum vivum Philosophorum, quod habetur solum de corporibus liquefactis, & de sulphure, & de arsenico &c. Hoc est quod recipit conjunctionem cum vitro, id est, corpore suo, sive fermento, sive veneno, vel sale. Hoc est quod bibit vitrum, sicut sitiens aquam frigidam valde, hoc est, in quo conjungitur Soli & Lunæ. Hoc est electrum natura: hoc est spiritus qui dicitur Servus fugitivus, de quo dicit in Lumine luminum expositor. Beatus qui hunc servum humilem coaptat, quia ejus natura ad omnia se inclinat, cùm totius naturæ sit ultimum, Hoc est lac virginis, non illud quod dicunt de Lytargiro & alumine, nisi analogice. Hoc est illud separatum à suo corpore, de quo omnia mirabilia Philosophi & poetæ, & reliqui cecinerunt. Et hoc credimus esse absconditum & miraculum totius artis.*

** Ex quibus liquidè, &c.) *Notandum est, quòd albedinis proprium est ab omnibus aliis corporibus facilè immutari, & vinci per eorum compositionem: sed tamen magis & minus, ita ut parva quantitas cujuscunque coloris magnam partem immutet albi, & non contra, cum in albedine est quædam puritas & simplicitas quæ non suscipit alterius commixtionem, ut patet apud pictores, & tingentes lanam & sericum. Est enim albedo elementum & fundamentum aliorum colorum. Similiter in saporibus hoc patet, quando sapor insipidus, cum sit simplex, ut patet in aqua, recipit immutationem aliorum saporum, & non è converso, secundum modum dictum. Similiter in odoribus hoc patet, sicut in aëre & similibus. In metallis autem solis & eorum principiis est secus: quia modica quantitas argenti vivi dealbat multum quantitatem auri & æris, & non è contrà cum ex eis fit, amalgama, ita ut in manifesto ostendant albedinem argenti vivi in actu & occulto servent citrinitatem & rubedinem. Sulphur autem quia non servat colorem suum, nec alia, cui miscetur, servare permittit propter suam adustionem relinquimus. Cum ergo per digestionem alchemicam ex principiis metallorum orietur argentum vivum, apparebit albedo mera, sincera, & simplex in actu & manifesto. Et tunc debemus esse rati & firmi, quod sub illa albedine est citrinitas auri, & rubedo in occulto, ut dicitur in Turba Philosophorum, quia donec vincit argentum vivum, apparet albedo simplex, cum autem vincitur, apparebit citrinitas & rubedo. Vincit autem dum fluxibile est: vincitur tamen quando coagulatur, coagulatur tamẽ ab eo, quod est in seipso ad perfectionem, & non ab alio. Hoc autem est sulphur divinum, quod est in ipso, quod est album in actu propter potentiam & virtutem argenti vivi dominantem, insuper autem tunc in colore, & est rubeum in potentia propinquissima, quæ cum actu fiet, semper dominabitur, Et hæc est de natura Solis, & forma Solis, & cor Solis, & flos auri, & arbor aurea, & aurum Philosophorum, & est aqua sicca, & lapidea, & pulvis siccus, & ignis, & terra, & lapis rubeus, & secretum*

* Et hæc forma fuit illa, quæ induxit antiquos Philosophos ponere formas à materijs separatas, & dari ab extrinseco, sicut ponit Philosophus octavo Metaph accusans Platonicos. Forma enim, quæ est ejusdem naturæ cum materia, semper datur ab intrinseco, quæ autem est diversæ naturæ, ab intrinseco, ut intellectus.

CAPUT XXV.

De similitudinibus generationis fœtus ex sperma-

te & sanguine menstruo, & avis ex ovo, comparando generationem auri, ex sulphure & argento vivo, & Lapidis Philosophorum ad generationem ipsorum.

QUia locus sumptus à simili & proportione in arguendo in qualibet arte & scientia, familiaris est, & manifestum conferre videtur: Ideo generationem auri à natura, & ab arte & sulphure & argento vivo, per prędictam generationē fœtus ex sper-

mate, secretum secretorum, secundum Philosophos omnes. Sed argentum vivum est de natura lunæ, & spiritus lunæ & aqua humida, & pulvis humidus, & anima & aer, & lapis albus, & aquila volans, & lac virginis, & mulier superba. Cum autem istæ duæ aquæ conjunguntur, coagulantur in albo colore & fit electrum propriè, qui est lapis mixtus ex auro & argento, cujus color est argenteus, & albissimus tanquam nix, & tunc fit partus virginis, & identitas generatur, & generat secundum antiquos. Et hæc est confectio alchemiæ ex similibus, & ex contrariis, & in hoc fit pax & concordia elementorum, & perpetuitas, scil. in albo colore. Ex quibus dictis duo secreta revelantur nobis in arte ista. Primum est modus operandi, secundum est materia circa quam, quæ adeo secreta: quamvis satis exposita sint, attamen dicunt de primo, quòd volentes sequi naturam omnino in generatione coloris auri actu, sensibus, & imponere circa finem errant. Sed oportet, quòd in colore albo componant rubeum, & appareat actu totum album. Propterea duo magisteria, sive duæ decoctiones diversæ sunt necessariæ in hac arte: in natura verò una sola. Vnde dicit Geber in Proœmio: Scias fili, quòd in hoc errant artifices: quia naturam in omnibus proprietatum differentiis actionis desiderant immutari. De secundo iterum dicimus, quòd cum præter animam humanam omnis forma alia cujuscunque rei tam animalis quam vegetabilis, & mineralis, introducitur ab intrinseco de potentia materiæ, sola autem anima humana ab extrinseco & primo motore detur: Hinc est quòd volentes reliquis metallis dare formam auri, oportet necessario ipsam dare ab intrinseco, & de potentia materiæ illius circa quam operatur natura, si debet verè mutare naturam: tunc enim erit generatio ex convenienti & proximo. Quia igitur natura recipit pro materia, quod dictum est: Ergo ars coacta erit recipere istud idem, propter quod videmus, quod argentum vivum vulgi cum conveniat omnino cum illo argento vivo Philosophorum uniri & permisceri cum auro. Vnde Philosophus quarto Meteororum: Et quia argentum vivum cum corporibus metallicis commiscetur: ideo est de illorum substantia, &c. Reticuit autem de sulphure, quia non sic videtur de substantia illorum. Cui igitur metallorum magis commiscebitur sulphur, magis participabit naturam sulphuris, & magis argentum vivum participabit naturam argenti vivi: Sed cum sulphur nullo modo permisceatur auro: ergo solum argentum vivum erit tota materia auri, cum hæc duo sola sint elementa ductibilium. Cum igitur lapis Philosophorum sit forma auri, & debeat metalla reliqua informare: ergo ex solo argento vivo ipsum generare necesse est. Sicut enim forma alicujus rei est per se nobilior, & in sublimiori gradu auro & argento vivo, & sic similiter altior & sublimior est artis operatio quàm natura.

* Et hæc forma fuit illa, &c.) *Accusantur Platonici & Pythagorici, & eorum sequaces per modernos, quòd ipsi posuerunt ideas, id est, formas separatas à materiis, velut si in aere permanerent, & dari ab extrinseco, & secundum mentem dispositionis materiæ, ideæ illæ infundunt formas, ideo diversitas dispositionis materiæ exigit diversitatem formæ. Informantur ergo materia & perficiuntur secundum suæ dispositionis diversitatem. Hanc autem opinionem improbat Philosophus 8 Metaph. Sed sciendum ut in præhabitis dictum est, quod Plato in suis dictis quasi semper fuit mixtus, & figurativus plus: ita quòd sensus verborum est alius à figura & significatione. Et sic fecerunt etiam alij Philosophi hujus artis. In istius enim operis fine reperitur aliquid, quod est sicut forma per se, & cum conjunguntur fit compositum, quod quidem est forma auri verax. Et ideo informat imperfecta metalla forma auri, & est forma inseparata à tali materia perfectibili: tamen hæc forma fundata est in materia, cum ipsa fit completa. Ad aliud ergo refertur intentio Aristotelis & ad aliud intentio Platonis, & aliorum.*

Et ideo Aristoteles præcavens sibi de reprehensionibus, quas facit contra Platonem & alios antiquos, dixit tertio Metaphys. quod reprehendit eos secundum literam & sono literæ: nunquam autem voluit eos reprehendere secundum sensum mysticum, & occultum, & analogum, neque potuit, sicut antè diximus. Et quia in Senectute hoc arcanum novit, tunc eorum intentiones laudavit, & eorum dicta approbavit, &c. Sed sicut forma sola nihil valet, quia suas virtutes & operationes manifestare non potest, nisi conjungatur materiæ, ut fiat compositum, quæ materia est argentum vivum, & imperfecta metalla, compositum autem est aurum: & hoc modo aurum nobilius est lapide. Ex dictis ergo liquidissimè patet, quod semper superius dictum est, scil. quod sit solus unus lapis tam ad album, quàm ad rubeum, omnia metalla perficiens in aurum, ut tota Alchemia clamat. Nam cum forma omnium individuorum ejusdem speciei sit tantùm unica: Ita oportet, quod forma omnis auri sit tantùm unica.

Quia ergo omnia imperfecta metalla debent fieri aurum per alchemiam: ergo per unam formam solam, ergo per unum lapidem solum. Omnis igitur alia forma est inutilis & sophistica. Amplius notandum est, quod in mineris argenti vivi nunquam reperitur sulphur, nec è converso: propter quod natura nunquam in aliquod aliud transmutat eam, quantum separatio agentis & patientis facit necessario, ut non fiat actio & passio: ergo nec generatio. Ars autem ipsa conjungens, generat Vzifur, aut aliud, in minera metallorum non reperitur argentum vivum, nec sulphur in sua natura, sed quoddam tertium ex his ambobus commixtum & per digestionem obtinens naturas, virtutes & proprietates ipsorum, ut ex eo possit generari unumquodque metallorum secundum ipsius compositionis diversitatem, & digestionis & loci. Quicunque ergo ignorat radices minerarum, & simplices & compositas, ignorat radices & principia naturæ: ergo & artis. Non ergo adhæret huic arti, nisi eam primitus investiget. Et hoc novit Avicenna in sua epistola capit. de Medicina sumpta ex animalibus, comparans operationem artis figurativæ, ad operationem naturæ, dicens: Et invenimus aquam animalium: hoc est sicut argentum vivum, quod est in mineralibus, & elementum ipsorum: hoc fit sulphur & arsenicum, quod est in mineralibus, & Elixir aggregatum ex eis, sicut Elixir quod est in mineralibus, nomen hoc est largius, & melius, & abundantius operans, & sublimius, &c.

mate, & sanguine menstruo intendimus proportionabiliter explicare, ut ex his omnia quæ diximus à simili roboremus. Erunt autem proportiones naturales veraces, novæ, & inauditæ. Dicimus igitur, quod principia generationis fœtus sunt duo, scilicet sperma & sanguis menstruus, quia in generatione est necessarium agens & materia. Materia autem & agens non incidunt, ut patet ex secundo Phys. Sperma autem est agens, & sanguis menstruus est materia, ut patet ex quindecimo, & 16. de Animalibus. Et ut dicit Averrois secundo Colliget. Et quia omne agens cum introductione formæ simul separatur à materia, nec subjicitur pro materia generati: igitur sperma separabitur ab illa simul cum introductione formæ. Quod autē sanguis menstruus sit materia generati, sic patet, quia ex eisdem generamur & nutrimur, & è converso, ut dicitur secund. Colligit, & secundo de Generatione & corruptione. Et 15. de Animalibus, quia igitur fœtus nutritur ex sanguine: ergo similiter generatur ex eo. Oportet ergo dicere, quod sperma sit agens. Vere ergo dixit Philosophus 15. de Animalibus scilicet vir dat formam & principium motus, & fœmina dat corpus & materiam. Et sicut in lacte coagulato: ita erit quod abscinditur à mare & fœmina. Est ergo masculus operans, & fœmina patiens, sicut est scamnum ex carpentario & ligno, non ergo erit sperma sicut pars generati, & erit sicut motor & forma. Et sicut sanitas, quæ accidit infirmo ex scientia medicinali, &c. Possumus igitur in proposito dicere, quod sicut scamnum est ex carpentario, sicut ex efficiente, & ex ligno sicut materia, & fœtus est ex spermate, sicut ex efficiente & ex menstruo sicut ex materia: Eodem etiam modo omnino dicimus, quod aurum & lapis Philosophorum est ex sulphure, sicut ex efficiente, & ex argento vivo sicut ex materia: & sicut sperma informat cum forma sibi simili, & non aliena, & carpentarius informat lignum forma sibi simili, scilicet forma sulphuris, & non aliena. Et ideo hoc sulphur agens extrinsecum extrahit per digestionem illud sulphur, quod est in potentia in argēto vivo in actu, quod sulphur informat ipsum argentum vivum forma auri, aut lapidis Philosophorum. Et hoc est, quod aurum informat, coagulat, colorat, & infixat per actionem illius. Et præterea advertentum, quod sperma generat ex materia cor primo, & primam virtutem in corde sibi similem, quando sperma habet primam virtutem generativam, contractam ab eo, à quo decisum est, & generando cor dat similem virtutem generativam, & post separatur ab eo, & derelinquit ipsum solitarium: quia cor potest de cætero generare alia omnia sibi similia per virtutem primam introductā in ipso à spermate: quia sperma postquam generavit cor jam totum suum opus peregit, nec est de cætero necessarium ad generationem. Non solum autem in corporibus animatis anima sensibili, sed etiam animatis anima vegetabili hoc idem patet. Post seminationem enim determinata periodo germinant semina per virtutem generativam insitam in ipsis, & in quibusdam ascendunt semina divisa super terminum in ipsa generatione; & in quibusdam manent in terra, & ista semina adhærent germini; quia similem virtutem generativam quam habebant intus, duxerunt in ipsis germinibus, & germina obtinuerūt eam; evanuit virtus quæ prius fuit in seminibus, postquam opus suum totum peregit propter quod illa germina sunt, & permanent per se sufficientia ad generationem successive absque seminibus, ex quibus generata sunt. Ideo generant folia, flores, & semina in circulo, sicut ista ex quibus originem contraxerunt. Omnes etiam res quæ generantur, & in sua specie multiplicantur, non generantur nisi à sibi similibus in natura, tanquam à principijs & radicibus suis secundum modum quem diximus. Est ergo germen sicut cor generatum & separatum à semine suo, in quo est tota virtus seminis generativa omnium membrorum plantæ, & partium ejus secundum exigentiam suæ speciei, ut in corde embrionis generato à spermate. Eodem modo dicimus, quod sulphur extrinsecum generat ex argēto vivo sulphur quoddam, quod est sicut cor, & primam virtutem generativam introductam in ipso à sulphure extrinseco, absque ejus præsentia: quia sulphur extrinsecum jam totum opus suū peregit. Sicut ergo sperma post generationem cordis non habet aliquid efficere de cætero: quia jam introduxit formam, & etiam, quia impossibile est duo agentia concurrere æqualiter ad eundem effectum: sic & sulphur extrinsecum similiter se habere debebit. Ergo sulphur extrinsecum, post quam introduxit in actu sulphur intrinsecum argentī vivi, quod est sicut cor & forma argenti vivi, debent similiter separari. Confirmamus autem hoc per Philosophum 16. de Animalibus, qui dicit: Creatur autē cor prius à spermate, aut membrum conveniens cordi, quod erit principiū generationis corporis totius, &c. Et post hoc dicit: Et propter hoc in creatione apparet cor prius inter omnia alia membra in actu, & manifestum est sensui, & similiter rationi, quando conceptum sustentatur ex semine maris, & superfluitate fœminæ, & fuerit solitarium, debet regere se, sicut qui exit à domo patris, &c.

Ex dictis est sciendum, quod sicut non est necesse: quod primum movens tangat suum mobile continuò: sed sufficit, quod jam terigerit, ut patet in sagittatore & sagitta: Sic est de spermate: Et ille, à quo decisum est scilicet corde, quod generavit sperma, & corde, quod generat membra fœtus. Unde dicit Philosophus 16. de Animalibus: Sicut accidit rebus quæ sunt per se, quod primum movens movet, non quia cum tangit corpus est omnino alterius corpus: sed quia jam tetigit in præterito: Ita est illud, ex quo est sperma, & non tangit post hoc. Unde ibidem ante hoc dicit: Non differt dicere, sperma facit hoc, vel nihil à quo est sperma. Eodem modo dicimus in sulphure & argento vivo: quia postquam sulphur extrinsecum tetigit argentum vivum, & creavit in argento vivo sulphur ex ipso, in quo est virtus prima generandi & informandi aurum, non est necesse, ut de cætero tangat ipsum, sed sufficit, quod jam tetigit in præterito: Ideo dignum est, ut hoc extrinsecum separetur, sicut perpetuum à corruptibili.

Amplius subtiliter advertendum est, quod sperma, quando est fortis & temperati caloris, tunc est potens digerere materiam completè: quia non potest fieri completa digestio, nisi per calorem completum, sicut indigestio per calorem diminutum. Ergo cum sperma fuerit vincens & potens bene digerere materiam, scilicet cum sit sicut motor & operans assimilabit sibi communi necessario: ergo generabit masculum, cum sperma sit ex masculo. Et quia omnis corruptio & alterario est contrarium, tunc quia sperma non poterit vincere, & digerere bene materiam propter penuriam caloris, non poterit fœtum, secundum similitudinem formæ suæ: ergo erit alterata ad contrariū. Et quia fœmina contrariatur mari, necessario creabit fœminā: quia sperma est sicut operans, & Mercurius sicut patiens: propterea accidit, quod mares calidiores fœminis: quia caliditas attribuitur agenti. Sic eodem modo dicimus de sulphure

& argento vivo: nam quando ſulphur eſt bene potens digerere argentum vivum ex completa actione caloris: tunc ſulphur aſſimilabit ſibi argentum vivum, & faciet ipſum aurum, & quando ſulphur eſt ipſum digerens, eſt citrinum. Ideo aurum eſt citrinum & maſculum, & completè digeſtum. Cum autem ſulphur non poterit bene digerere argentum vivum ex indigentia caloris: tunc non erit alteratio ad contrarium. Ergo ſulphur non aſſimilabit ſibi argentum vivum: ergo non fiet aurum, ſed argentum, & hoc argentum album, ſicut argentum vivum, & eſt ſicut fœmina: & completè digeſtum: & hæc eſt cauſa albedinis argenti, & citrinitatis auri. Unde ſicut fœmina eſt mas occaſionatus ſecundum Philoſophum in libris præallegatis Auri: ſic ſimiliter, quod argentum eſt aurum occaſionatum. Eſt autem citrinitas & albedo in auro & argento, non ex utroque: ſed ex argento tantum, quemadmodum in ovo album & citrinum ſunt ex parte fœminæ & non maris, quamvis non ſint ex argento vivo diſtincta, ſicut in ovo. Ideo dicit Philoſoph. lib. 17. de Animalibus: Album & citrinum in ovo non ſunt ex mare & fœmina, ſed ex fœmina tantum.

In alijs autem metallis, quod ſulphur, aut nondum potuit digerere bene, & vincere argentum vivum propter paucitatem caloris, ut in plumbo & ſtanno: aut combuſſit nimis, ut in ære & ferro: & ideo in ipſis nondum potuit generare aurum, nec argentum, quando ſulphur non eſt vincens, nec victum omnino. Et in temperantia caloris ſulphuris poteſt eſſe, tam in ſuperabundantia quàm in defectu, & poteſt utraque in temperantia dici indigeſtio diverſis reſpectibus, poſtquam non tenet medium. Ideo bene dicit Philoſophus 18. de Animalibus, ſcilicet Mares & fœminæ indigent temperantia caloris: quoniam omnia naturalia & artificialia non ſunt, niſi per terminum & temperantiam determinatam. Cum calor vincit, valde deſiccat res humidas, & cum diminuitur multum, non poterit ſuſtentare humiditates, & propter hoc indiget temperantia. Si autem non fuerit ita, accidet iſtud, quod accidit rebus decoctis: quoniam ignis multus comburit, & paucus non poteſt digerere: & propter hoc indiget mas & fœmina ad creandum filium temperantia caloris. Et huic concordat verbum Galeni in 4. de Ingenio ſanitatis, qui dicit: Omnis error duobus modis eſt, in quantitate ſcilicet ſi ultimum temperamentum. Nam idem facit plus & minus. Unde dicimus, quod ſolum aurum eſt à colore temperato decoctum; & naturæ digeſtum: & citrinum & maſculum, & ſimile eſt argentum, & nullum aliorum hoc habere meruit.

Rurſus ne videamur ignorare intentionem verborum dictorum Ariſtotelis, dicimus, quod quamvis ſperma ſit factor Embrionis, ut dictum eſt: tamen non eſt ſicut principale agens, ſed magis ut organum & inſtrumentum: quia anima exiſtens in ſpermate, eſt principale agens, & movens mota ab anima generantis. Cum omne quod habeat animam actu vel potentia, vel ſecundum quid, vel ſimpliciter, ut dicitur 16. de Animalibus: Et utitur ſpermate, ſicut inſtrumento calido & frigido ad generationem & formationem, ut ibidem dicitur: quamvis verius ſit dicere, aliquid fieri per motum inſtrumentotum, quam inſtrumenta, ut ibidem dicitur. Unde dicit in eodem: membra omnia facta ſunt à calore naturali: durities verò & mollicies, & ſimilia accidentia erunt in membris animatis ex caliditate & frigiditate, mixtio verò, ex qua quoddam erit caro, & quoddam os, non erit ex caliditate & frigiditate, ſed ex motu generantis, ſicut accidit in artificialibus: quoniam calidum & frigidum faciunt durum & molle in ferro: gladius verò efficitur ex motu inſtrumenti, quod modo ſecundum ſcientiam artificis, &c. Unde ſicut anima hominis, in qua eſt ſpecies, & ſcientia movet manum ſicut inſtrumentum extrinſecum. Hæc autem materia fit ex anima exiſtens in ſpermate, movet ſperma ſecundum motum generantis, à quo exivit, & utitur ipſo ut inſtrumento calore naturali. Et ſperma movet inde ut materiam.

Unde dicitur 16. de Animalibus, quod cum ſperma venerit in matricem, movet inde eodem motu, quo ipſum extitit motum ſcilicet ab anima generantis, à quo exivit ſperma, & omnia membra ſunt in potentia, tam in materia, quam in ſpermate: in actu autem nullum, ſed in materia paſſive, in ſpermate naturæ active. & hoc facit cum calido aliter proportionato ordinationi aſtrorum, quod eſt vitale, quod calidum non eſt ignis, nec ab igne, ut ibi dicitur, cum ignis animalis non generet nec nutriat. Eodem modo dicimus de ſulphure & argento vivo in operibus naturæ, quoniam ſulphur non eſt agens principale, ſed virtus mineralis occulta exiſtens in ipſo, mediante calore mineræ digerente, eſt principale agens intrinſecum cum corporibus cœleſtibus, & movet ſulphur cum calore ſuo, ſicut inſtrumentum; ſulphur autem movet argentum vivum, ſicut materiam ſibi propriam ad generationem, eo motu, quo moto ab agentibus primis, ſimiliter in operibus ejuſdem naturæ, menſuratis ab arte: quia anima artificis, in qua eſt ſpecies & ſcientia, eſt principale agens extrinſecum, & movet virtutem mineralem digeſtivam, & liquefactivam, & generativam, exiſtentem in ſulphure per tempus caliditatem ignis menſuratam ab artifice, ſicut principale agens extrinſecum. Et hæc virtus movet ſulphur ſicut inſtrumentum, in quo eſt. Sulphur autem motum movet argentum vivum, ſicut propriam materiam ad generationem, eo motu quo movetur à primis, & eſt aurum in argento vivo, in ſulphure, in potentia: actu autem non. Sed eſt in argento vivo paſſive ſicut in materia ſulphuris activè ſicut in efficiente. Unde liquefactio & coagulatio, & alia accidentia fiunt à calido & frigido: forma verò efficitur ex motu inſtrumentorum motorum ſecundum ſcientiam artificis menſurantem, & miniſtrantis ea naturę.

Dicimus denuò, quod argentum vivum vulgare aſſimilatur menſtruo & ovis venti. Unde ſicut ex materia abſque ſpermate non fit embrio, nec ex ovis venti abſque ſemine maris avis generatio: quia virtus animæ non eſt in eis, niſi ex ſpermate vel ſemine maris, ut patet ex 16. de Animalibus: Sic ex argento vivo vulgari nunquam fiet aurum, nec lapis Philoſophorum abſque ſulphure: quia non eſt in eo virtus generativa niſi per ſulphur. Secundum hanc ergo proportionem dicimus de ſulphure, quoniam ipſum aſſimilatur ſpermati, & ſeminis maris, & ſicut abſque menſtruo fœminæ non fit generatio, quemadmodum tota materia generationis & nutrimenti non eſt niſi ex fœmina: Sic ex ſulphure ſolo abſque argento vivo nunquam fiet aurum, nec lapis Philoſophorum, quia in eo non eſt virtus materiæ nec nutrimenti. Et ſicut ex albo ovi fit generatio pulli, & nutrimentum ex ſolo citrino: ſic ſimiliter generatio auri fit ex argento vivo, & nutrimentum ejus ex ſuo citrino, ſcil. ſulphure ſuo. Ergo & generatio lapidis ex albo, id eſt, argento vivo, & nutrimentum ex ſuo citrino, ſcil. ſulphure ſuo occulto. Dicimus per actionem ſulphuris extrinſeci regimine artis & artificis miniſtrantis naturæ. Propterea natura

tuta sapientissima in animalibus perfectis, in quibus est dare marem & fœminam, separavit marem à fœmina, quia ad generationem temporibus congruis conjunguntur. In seminibus autem quia non sunt corpora nobilia localiter à principio intrinseco, conjunxit natura ex eis simul marem & fœminam. Ita quod in quolibet semine est conjuncta & indistincta virtus maris & fœminæ ad generationem fiendam. Sic similiter & propter eandem causam conjunxit in mineris metallorum sulphur & argentum vivum ad generationem ipsorum: ideo mineræ ipsorum omnium sunt necessario mixtæ ex sulphure & argento vivo vulgi, cum sint simul ibi generata, & mixta, & coagulata: Et ob hoc sicut mas non generat in substantia propria, sed in passiva, & oppolita sibi, sive agens & patiens sunt conjuncta, sive separata: Similiter sulphur generat non in substantia propria: sed in passiva & oppolita sibi, quæ dicitur argentum vivum. Si igitur verum quod in principio hujus capituli diximus secundum sententiam Aristotelis, Averrois, & Alexandri, scilicet quod ex eisdem generamur, nutrimur, perficimur, & complemur, & non ex extraneis: ergo ex eisdem aurum debet generari, nutriri, perfici, & compleri, & non ex extraneis. Cum ergo aurum sit generatum, nutritum, perfectum & completum à natura ex solo argento vivo ab extrinseco sulphure digesto, & ultimo ab eo expoliato: ergo & lapis Philosophorum ex eisdem debet generari, nutriri, perfici & compleri, ex quibus est aurum, & non ex extraneis: quia sicut cognitio rei sumitur ab essentia & natura rei, & suis principijs, & nõ ab extraneis: sic & operatio ipsius.

Quia ergo ex imperfectis metallis debet per hunc lapidem aurum generari, nutriri, perfici, & compleri per eorum mixtionem: ergo ex solis partibus eorum, quæ sunt ex eisdem ut aurum, generabitur aurum, & partes extraneæ corrumpentes separabũtur seorsim, & tum partes, quæ sunt eis, quæ sunt ex eisdem, ut aurum, sunt argẽtum vivum. Ergo ex solo argento vivo generabitur aurum, & nutrietur, perficietur, & complebitur per hunc lapidem. Ergo & partes sulphuris quæ sunt in eis, cum sint extraneæ & corrumpentes, separabuntur seorsim: quia non miscebunt. Omnis enim res ex suis similibus conficitur, & perficitur, & completur, & non ab extraneis. Unde Philosophus in secundo de Anima dicit, quod nutrimentum in principio est dissimile à nutrito, in fine autem simile: ergo à similibus res nutritur & perficitur, & non ab extraneis. Sic ergo patet quod aurum alchemicum est quod debet esse necessario ex eisdem omnino, & eodem modo generatum ut minerale, & non ex extraneis, nec modo extraneo. Qui igitur in extraneis laborant, & modo extraneo à natura operantur, extranea faciunt & aliena. Similiter autem & qui in eisdem, non extraneo operantur.

Cupientes ergo per artem alchemiæ naturam sequi, non impendent laborem in argento vivo solo, scilicet vulgi: nec in sulphure solo, scilicet vulgi: nec cum aliquibus alijs intermixtis, sed nec naturæ, imo nec in argento vivo, & sulphure vulgi conjunctim, quod forsan videtur mirabile: sed in eo, in quo sunt à natura conjuncta, quia natura præparavit arti sicut ancillam. Conjungit autem natura ipsa à principijs generationis, sicut in lacte butyrum, caseum, & seraceum, quæ post digerit, & ab invicem separat, & sequestrat: similiter autem & ars. Similitudines autem istæ sunt sufficientes & veraces etiam ad hoc propositum ostendendum, quamvis non sint totales, quando animatorum ad inanimata potest non in omnibus totalibus totalis similitudo adduci. Non enim generatur aurum ex auro, sicut animal ex animali, sed talis investigatio extranea & pulchra est. Concludimus ergo ex omnibus prius dictis, quod quicunque sapiens, callidus, figuras & analogias verborum, cum omni imaginatione in hac arte investigare voluerit, cum ipsa ars supra naturam & rationem naturalem consistit, ut prius ostendimus, oportebit ipsum necessario operibus divinis supra naturam & naturalem rationem & intellectum existentibus consentire, & fidem omnimodo adhibere. Quod si solam rationem adeptus fuerit, finem artis penitus non attinget.

CAPUT XXVI.

Et ultimum, in quo imponens finem Tractatui concludit & epistolat, vera esse quæ dixit.

QUia finis cujuslibet rei debet restitui super suum principium. Ideo concludendo dicimus, quod de hac quæstione, opinionem hanc credimus, & tenemus: & de esse, & veritate artis, sine quo hæc quæstio delucidari non potest, tenemus quod scripsimus, sicut secundum rationem nostram & experientiam nondum completam perpendere potuimus, & extrahere ex libris virorum famosorum cum difficultate non modica. Neque diximus hoc ad derogandas opiniones aliorum contrarias huic, ad quorum intellectum & scientiam non attingemus: sed secundum quod unusquisque secundum rationem apprehendit, ita judicet, si sit ratio ex principijs veris exigens. Propter nostrum enim affirmare vel negare nihil mutabitur in re, ut dicit 1. περὶ ἑρμηνείας Contrarietas autem fortè Philosophi fuit: quia juvenis erat, & intentus inquisitioni scientiæ Philosophiæ tunc, & cum olim opinative negat: quia dicit veterum. Quia doctrina specifica aliquo tollitur ingenio. Ego non credo possibile, &c. &c. Et quia prudentia non est in juventute, ut dicitur sexto Ethicorum, sed in senectute, cum ipsa in longa experientia versetur temporis, ideo ipsam negavit. * Et similiter, quia est valde singularis: quia unica tantum per omnem modum, ut supra ostendimus. Et similiter, quia habet rationes ad destruendum paratas, & plures ad construendum, aurum non sic.

* Et similiter quod est valde singularis, &c.) *Notandum, quod omnis scientia, & omnis ars est de substantivo suo universali, quod potest applicari entibus pluribus, & quasi infinitis, ut Grammatica de constructione, Logica de syllogismo, Naturalis de corpore mobili. Hæc enim possunt applicari entibus, quasi infinitis. Similiter de moralibus & artib. mechanicis. Sola autem Alchemia, quamvis sit de substantivo universali, & ratione ejus dicatur universalis: tamen in quantum non potest applicari, nisi uni soli enti in ipsius operatione ut omnis speculatio aliorum entium omnium: sic propter idem solum ipsa dicetur singularis & particularis valde cum nulla variatione. Et ideo absque errore ipsa est maxime subtilis: in speculativis enim solis, magis discernimus veritatem, & minus erramus in universalibus, quam in singularibus, ut patet ex primo Posteriorum: in operalibus autem è contra. Unde dicitur 1. Politicorum: Considerantes particulariter, magis veritatem discernunt: universaliter enim dicentes, solum se ipsos decipiunt. Cum igitur hæc scientia sit operativa & singularis, habita cognitione universalium suorum oportet devenire ad singularia in operatione, & tunc discernere veritatem*

Similiter ſenibus, ut dicitur 7. Ethic. expertes magis proficere videamus finem experientia rationem habentibus, ut dicitur 1. Metaph Ideo Philoſophus tunc juvenis, & ſicut univerſalis, & cognitione hujuſmodi experientiæ carens, ſola ratione motus probavit hanc artem non eſſe veram. Et hoc non ſufficit: quia omnis probatio, quæ in aliqua ſcientia operativa fit, manifeſtatur, & declaratur ſolum in experientia utrum ſic ſit vel non. Antiqui autem Philoſophi, & experti ſcientijs hoc tam ratione diviha, quam experientia certa ſententiaverunt & judicaverunt hanc artem eſſe penitus veram & ſequentem naturam. Unde Philoſophus effectus ſenex, eam ſubtiliſſimè inquiſivit per antiquorum dicta, & ipſam cum ratione poſſibili perpendit: Naturam & ipſam experientiam habuit: Et oculis vidit, & manibus tetigit: tamen multiplici fallacia præcedente, & interpoſitione multorum ſumptuum. Et idem ſcripſit eam Alexand. Regi diſcipulo ſuo in lib. de Secretis ſecretorum, cap. de lapidibus precioſis eodem more, quo antiqui Philoſophi alij ſcripſerunt, ſcilicet occulto, figurato, velato ſermone. Imò totus ille liber eſt myſticus, & eſt de hac atte, ſicut de principali propoſito. Scripſit etiam Philoſ. librum alium, propriè in hac arte ad quendam ſuum diſcipulum, nomine Arda, quem nondum vidimus, ſicut recitat Haly in ſuo lib. de Secretis ſecretorum. Ad iſtius ergo arcani mirabilis & divini finem, complementum cum experientia circa quam in idem deſideramus quia adhuc ipſa caremus, & operationi dediti fuimus, perducat nos Creator omnium Deus, ad cujus gratiam anhelamus, à quo hæc & cuncta dona procedunt qui in trinitate conſiſtit, & in unitate manet, ſine principio & abſque finem. Amen.

Hanc quæſtionem prolixam ſic ſolemniter & exquiſitè inveſtigatam, ventilatam, diſputatam, determinatam & roboratam compoſuit & ordinavit magiſter Bonus Ferrarienſis Phyſicus ſubtilis, Anno à nativitate Chriſti, 1339. qui tunc erat in Pola ſalariatus, de Provincia Iſtriæ, in qua inſervit, quod de cognitione ſpeculativa, practica, & operatione illius intelligit. Defendendo autem & antiquorum authoritatibus & rationibus inhærens, & & proprias ſibi adjungens. Rogo autem & adjuro unoſquoſque in his intelligentes, ad quorum manus pervenerit hæc precioſa Margarita novella, ut communicent ipſam viris intentis ad hanc quæſtionem & artem eſurientibus, & naturalibus principiis eruditis: ab inſipientibus autem & pueris ipſam occultent, cùm ſint indigni. Scripſimus prius ſimilem quæſtionem in civitate Cragurii in 23. Anno, quam caſſamus propter magnam excellentiam ejus.

Explicit precioſa novella Margarita, edita à Magiſtro Bono Lombardo de Ferraria Phyſico, introducens ad artem Alchemiæ, compoſita anno Domini 1330. In civitate Pola in Provincia Iſtriæ.

SUBSECTIO SECUNDA.

Liber Magiſterii Johannis De Rupescissa De Confectione Veri Lapidis Philoſophorum, *clare & abſque palliatione editus ab eo viro utique à Deo illuſtrato, quem Libellum compoſuit ad hoc divina præmonitus revelatione.*

PRACTICA.

NATURA ſeu materia Lapidis res vilis precij, ubique reperibilis: quia eſt aqua viſcoſa, cum ſit argentum vivum commune, ſicut extrahitur de terra. Et quia aqua viſcoſa, ſcilicet argentum vivum generatur in latrinis, dixerunt aliqui, quod in locis vilibus reperiebatur: Et multi beſtiales non intelligentes intentum Philoſophorum, ipſum ad literam in ſtercoribus quæſiverunt. Hæc autem natura operatur aliquid, amovendo ſcilicet terreſtreitatem, quam habet, & aliquid apponendo, ſcilicet ſulphur Philoſophorum: quod non eſt ſulphur vulgi, ſed eſt ſulphur inviſibile, tinctura rubedinis. Et ego nominabo tibi eum nomine ſuo & vitrioli ſcilicet Romani. Et iſtæ duæ præparationes fiunt ſimul ſic; Recipe ſalis petræ & vitrioli Romani ana lib. duas, & tere eas ſubtiliter, & in patella ferrea movendo, deſicca ad ignem lentum aliquantulum, ut aquæ humiditas recedat; deinde & lib. 1. Mercurij de minera extracti, & non de plumbo facti, & volve ipſum in corio leporis, & ſparge ipſum ſuper materiam prædictam calidam aliquantulum, quia ſeminabitur, & exibit, &

tem, & judicare, & non prius. Judicare enim in operalibus, ſecundum univerſalia errare contingit, ſecundum particularia autem non. Vnde dicitur. 6. Ethicor. Singularium eſt prudentia, quæ fiunt cognita experientia. Juvenis autem expertus non eſt: Longitudo enim temporis experientiam facit Et in 2. Poſteriorum: Æquationes magis latent in univerſalibus, quam in ſingularibus. Videtur ergo cauſa potiſſima apud eos qui errant inveſtigando artes, quæ experimento experiuntur, quando aſſumunt rem, & ponunt in eam univerſalem. Et ideo quicquid probant, non rectè probant. Et ſicut actus & operationes omnes ſunt ſingularium, ut patet ex 1. Metaph. ſic & probationes debent eſſe ipſæ in quantum ſingularia & non univerſalia. Eſt ergo rectificatio talium errorum in artibus per cognitionem & diſtinctionom rerum particularium ab univerſalibus: non ergo poteſt dare judicium in artibus & earum operationibus, niſi qui ſic ſcit diſcernere. Qui ergo quærit ſcire veritatem alicuius rei particularis, non ponat eam univerſalem, ne defraudetur & proteriat, & ſeipſum decipiat, ut velit quærere victoriam contra veritatem. Sed conformet mentem ſuam illi rei, eo modo, quo ſe habet res illa. Sic enim fit inquiſitio veritatis rei. Et cum unusquisque bene judicet de his quæ cognoſcit, & eorum ſit bonus judex, ut dicitur 8. Ethicor. & 1. Politico. Et infantes non poſſint addiſcere vel judicare.

& mundificabitur transeundo per poros corij prædicti, ut non appareat in eo. Et pone totum in vase aludel (seu alembico) ad sublimandum primo cum lento igne, donec humiditas per foramen capitis vasis recedat aliquantulum, quod cognosces cum gladio, si positus super foramen non recipiat ex fumo ascendente humorem: postea claude foramen cum luto sapientiæ: sed tutius est, ut ante materia paululum desiccetur, & in aludello nullum sit foramen, & fortifica ignem per duodecim horas, & in fine da fortiorem ignem, ut bene totus Mercurius sublimetur, & extrahe ipsum album sicut nix est. In isto autem opere feciſti duo: Primo enim purgasti ipsum à terrestreitate & nigredine ac humiditate maxima, quæ undique currit, & coagulasti eum & reduxisti album ut nix, & contribilem & miscibilem, aptum ad digestionem in stupha sicca: & aptasti eum ad reducendum in aquam, prout inferius apparebit. Secundo, postea misisti in ipsum sulphur invisibile Philosophorum, quod est tinctura rubedinis, & spiritus vitrioli Romani: & est ibi miraculum maximum: quia cum spiritus ille invisibilis habeat tincturam rubedinis, tamen coagulat Mercurium in sublimatione in albedine nivis. Et hoc est quod multi maximi Philosophorum scripserunt, quod lapis fit ex Mercurio & sulphure, quod non est sulphur vulgi, sed sulphur Philosophorum. Et de prædicta præparatione, sublimatione, & operatione dixit magister Arnoldus de Villanova: in Tractatu parabolico de majori edicto: Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Intelligas per granum frumenti in terra mortificandum, Mercurium mortificandum in terra salis petræ & vitrioli Romani: & ibi mortificatum, & cum igne sublimatum multum fructum affert, nempe lapidem magnum, quem omnes Philosophi quæsierunt. Signum autem quod spiritus vitrioli incorporetur Mercurio est, quia licet Mercurius sublimatus multas feces terreas dimittat in terra, tamen si posueris libram unam, tantundem rehabebis: sed hoc esset impossibile, nisi quod Mercurius albior nive secum traxit purissimum spiritum vitrioli prædicti, quod est invisibile sulphur. Demonstratur autem spiritus invisibilis vitrioli ad sensum per ingenium sic: R. acetum & in eo extingue ferrum quatuor vicibus: Deinde pone ibi Mercurium sublimatum & tritum per unam noctem, in crastino destilla acetum per linguas bis vel ter, donec sit clarum, post mitte in ampulla vitreata ad ignem lentum, & amove cappam nigram ferream, quæ elevabitur, & post purgationem da ignem & evapora acetum, & remanebit ibi spiritus vitrioli in fundo, de colore floris gaudij amœnissimo supra modum, si experto credatur. Et ita habebis ad partem Mercurium mortuum effectum, & ex illa parte sulphur invisibile supradictum. Quare mihi est monstratum, quo Mercurius per vitriolum sublimatus secum portat spiritum ejus, qui sulphur invisibile lapidis tinctura appellatur. Nam de Mercurio sine vitriolo sublimato, non poteris extrahere spiritum prædictum. Hæc est operatio prima.

Secunda Operatio.

Secunda Operatio hujus artis est: Ab illo Mercurio sublimato, qui est albus ut nix, extrahe spiritum ejus, qui à quibusdam magnis Philosophis quinta essentia clamatur, quia spiritus ille est incorruptibilis fere ut cælum, licet sit non fixus volatilis, quia sic est necesse: extrahitur enim hæc quinta essentia, hoc est spiritus Mercurij ab illo supra sublimato, sic: R. libram unam salis Petræ, & tantundem vitrioli Romani, & extrahe aquam fortem, & tere Mercurium supra limatum, & dissolve eum in illa aqua forti super cineres calidos in amphora vitri clausa per duodecim horas: quo si non dissolvatur, pone intus de sale armoniaco septem partes aquæ vel plus: & hoc est maximum secretum in arte: (N. si in principio sumatur sal nitrum pro sale petræ, puto fore melius.) Appone ergo cor tuum ad ipsum, & post dissolutionem pone in urinali, & desuper alembicum, & mitte super ignem: & destilla aquam fortem quam recipe, & post totalem destillationem continua ignem, & ascendet per latus urinalis spiritus Mercurij: & hæc est quinta essentia albior nive: in fine fortifica ignem, & totum ascendet: deinde aperi vas, & extrahe quintã essentiam, & invenies in fundo vasis fæces combustas & nigras à spiritu Mercurij separatas. In hac autem operatione feciſti duo: Primo separasti illud quod in albo Mercurij separato erat terrenum, corruptibile & imperfectum: totum enim combussit illud aqua fortis: & est mirum valde, quod de re alba, ut nix, possit extrahi res terrestris & nigra. Secundo imbibisti intra spiritum Mercurij amplius de spiritu vitrioli, qui est in aqua forti, & hoc est quod in prædicto tractatu dixit magister Arnoldus, dicẽs sic: Bibat, bibat, bibat quantum bibere potest per duodecim horas (N. vices) quia Mercurius dissolutus est in aqua vitrioli, hoc est de sulphure invisibili, quam habet: & hæc dissolutio fit in duodecim horis. Secundo dissolve spiritum Mercurij in aqua forti, & sublima ut prius, & remanebunt in igne fæces non tot ut prius. Tertio reitera opus, & nihil de nigris fæcibus, aut parum invenies, & tunc habebis perfecte quintam essentiam, materiam lapidis secundario præparatam, incorruptibilem, volatilem, non fixam, & nive albiorem.

Tertia Operatio,

Recipe præfatum Mercurij spiritum separatum, seu ejus quintam essentiam, & tere mundissime super lapidem, & pone pulverem in vase vitreo, & mitte in furno Philosophorum in stufa sicca ad digerendum, prout quidam volunt nominare: licet alij dicant ad calcinandum ad ignem lentum de carbonibus factum per octo dies, vel plus, quem furnum fortasse inferius describam, vel alibi invenies: Ibi enim decoquitur ut possit dissolvi in aquam: quoniam quando aliter dissolveretur, nec opus perficeretur.

Quarta Operatio.

Quarta operatio est, ut digestionem prædictam in urinali ponas clauso in balneo intra ollam plenam aqua, donec tuus spiritus dissolvatur in aquam: qua dissolutione facta & completa, pone super alembicum, vel in principio, quando urinale ponis in balneo, potes desuper alembicum adaptare: Demum da ignem, & ascendet stilla roris madij in modum aquæ vitæ, lucida lacryma oculi, lac virginis, purissima lapidis materia occulti ultima præparatione perfecta, gustu amara, ad literam acetosa, volatilis non fixa, incorruptibilis fere per digestionem in pulverem, à Gebero nunquam cognita, ab Avicenna ignorata. Hanc Hermes palpavit, Alphidius aptavit, Rosarius intellexit, magister Arnoldus dictavit: nam de hac quarta operatione, quæ dicitur expressio lactis virginis, dicit magister Arnoldus: Quod oportet exaltare filium hominis in aëris cruce: quod est ad literam, de materia in tertia operatione digesta, quæ trita ponitur

tur ad diſſolvendum in fundo urinalis, aſcenditque quod ibi eſt puriſſimum & ſpirituale, & in aerē ſurſum convertitur, & in cruce exaltatur capitis alembici, quaſi Chriſtus, ut magiſter Arnoldus dicit, elevatur in cruce. Et iſta diſſolutione completa, habes tuam materiam ultima præparatione præparatam & perfectam: & ſi unam guttam ex hoc lacte virginis ſuper laminam ignitam projeceris, dealbat eam intus & extra. Et ita vidiſti quod materia lapidis eſt una, non ſimplex omnino, ſed compoſita ex ſpiritu Mercurij, & ex ſpiritu vitrioli Romani, quod dicitur ſulphur inviſibile, non vulgi, ſed Philoſophorum: quia eſt tinctura Mercurij & rubedinis: licet Mercurius in ſe non habeat tincturam ad rubeum intrinſecus abſconditam: ſed propter purgationes: quia nimis eſt terreus, dimittit, & ob hoc indiget ſulphure puriſſimi vitrioli imbibi ad plenum, ut ſupra.

Hac autem deſtillatione cōpleta, invenies in fundo urinalis elemēta tria miſta ſimul, quod remaneat terra craſſa & combuſtilis: & extraxiſti ab eo elementū aquæ animatum anima ſpirituali vitrioli Romani: & eſt per ſe ſine alijs tribus elementis ſufficiens materia lapidis, maxime ad album, & ad rubeum conſequenter, ut dicetur. Si autem vis ſeparare alia tria elementa ad invicem, operaberis in hunc modum: R. illas fæces terræ, & pone ad digerendum in ſtufa ſicca, ut prius: poſtea pone in balneo ad diſſolvendum & deſtillandum ut prius cum fortiſſimo igne: & quod aſcendet per ignem balnei, eſt elementum aëris de colore olei: recipe ipſum & ſerva: & cum nihil amplius poterit aſcendere, transfer vas de balneo ad ignem ſublimationis in cinere, & da ignem bonum, & aſcendet per alembicum elementum ignis rubicundum in liquore olei rubei: R. ipſum & ſerva ad partem: & ita habes à Mercurio quatuor elementa ab invicem ſeparata. Primum elementum aquę, quod lac virginis dicitur: Secundum elementum aëris, ſcilicet oleum reſplendens in balneo deſtillatum: Tertium elementum ignis, ſcilicet oleum rubeum deſtillatum ad ignem: Et quarto habes in fundo vaſis elementum terræ nigerrimum ut carbo, quod nihil ultra valet. Intellexiſti hæc omnia? Neſcio quid de Mercurio clarius dici poſſit.

Quinta Lapidis Operatio.

Materiam lapidis perfecte præparatam in hac quinta operatione docebo: quomodo videlicet materia præparetur ad album, id eſt, quomodo lac virginis digeratur & reducatur virtute ignis in pulverem tam ſubtilem, ut non ſentiatur per tactum manus. Recipe lac virginis: quod quidem lac dixerunt quidam Philoſophi, animal cum ſanguine ſuo: animal quod creſcit in ſublimando, & habet animam ſanguinis, id eſt tincturam rubedinis, ſpiritum vitrioli ſupradictum: & pone intra vitri amphoram in fundo rotundam, & ignias ei collum & ſtrangula ipſum cingendo cum forcipibus, caute tamen, ita quod nihil poſſit exire quoquo modo: & ponas tegulam perforatam in collo furni inter ignem & amphoram, ut lac virginis non deſtruatur ab igne: & pone vas in furno Philoſophorum ad digerendum in igne, ubi vas habebit per ingenium ignem ab omni parte, ut vas æqualiter ignem recipiat, ut ad nullam partem lac virginis poſſit evolare quomodocunque: id quod fieret niſi ignis ab omni parte daretur æqualiter. Et eſt ars ad dandum ignem temperatum, non exceſſivum & operis deſtructivum, ut ſubtus tot carbones accenſi ardeant, ut manus hominis teneri poſſit in aëre inter latus furni & vas, in quo eſt materia, id eſt lac virginis fulgentis: & continuabis hunc ignem, donec videas materiam denigrari. Quod ſi nimis tardaret, adauge ei ignem: & cum videris materiam denigrari, gaude: quoniam principium digeſtionis tunc habebis: & continua ignem, donec omnes carbones conſumentur: & videns materiam aliquantulum dealbari, tunc augmenta ei ignem, paulatim & ſenſim, donec videas materiam magis ac magis dealbari. Et cum videris perfecte dealbatam, habes perfecte lapidem ad album.

Sexta Operatio.

Sexta operatio docet lapidem jam completum perfici ad rubeum, nil plenius addito, nilque remoto, ſic videlicet: Extrahe de vaſe prædicto, quod vocatur ſepulcrum Philoſophorum: Et magiſter Arnoldus dixit, quod lapis eſt clauſus in eo, ut Chriſtus in ſepulcro: & partem unam, quam volueris, pulveris ſine tactu accipe: per ipſum enim convertes omnia metalla imperfecta in verius metallum, quam eſſet de minera. Reliquam partem conclude in vaſe ut prius, & fortifica ignem ei, jubente magiſtro Arnoldo, qui dicit: Poſtquam lapis pervenit ad perfectionem albedinis, non ſentiet pœnas creſcentis ignis, nec periculum aliquod, etiam ſi notabiliter fortificetur: quia ſic ei expedit, & eſt omnino neceſſe: cujus cauſa eſt in veritate per ignem lentum, qui fit, quando digeritur ad album, non poteſt decoqui ſulphur inviſibile abſconſum, vitrioli ſcilicet ſpiritus latens ſub albedine lapidis: ſed digeritur ſpiritus illo igne ad album. Quapropter neceſſarium eſt, ignem augmentare, ut attingat profundius & digerat tincturam rubedinis & ſulphur latens vitrioli, & ipſum exterius apparere faciat, & nihil addito, nihilque remoto, quod lapis albus per majorem ignem efficiatur, reſuſciratus à mortuis cum diademate refulgente & glorioſus, ut magiſter Arnoldus excellenter teſtatur. Sed nota quod in duobus vaſis ſimul operari debes: in uno ad album, in altero ad rubeum. Et nota quod aliqui operantur per omnia, ut dixi de lacte virginis, & de elemento aëris: & ignem non curant. Et eſt opus eorum per ſolum lac virginis nobile & perfectum pro certo, & maxime ad album. Alij vero miſcent tria elementa ſimul, ſcilicet unum pondus ignis, quatuor pondera aëris, & octo pondera lactis: & hic modus fortior eſt ad rubeum, debilior vero ad album. Tres hos modos potes facere ſimul in uno vaſe de ſolo lacte ad album: in alio vaſe de ſolo lacte ad rubeum: in tertio vaſe de tribus elementis ad aurum, & in eodem furno, ut probes ſublimitates diverſorum modorum & videas mirabilia maxima à Deo glorioſo creata in rebus. Credas, vir Evangelice, quod ante me nullus hominum in aperto hanc ſcientiam & veritatem ſcripſit. Sciro autem, & adverte, quod Philoſophi magni, quibus revelatum fuit myſterium hujus artis revelationibus veritatis, imprecati fuerunt maledictiones horrendas, timentes, ne veniret arcanum ad manus indignorum.

Septima Pars.

Septima pars hujus operis eſt praxis virtutis elixir, hoc eſt medicinæ præfatæ: virtus autem reſervatæ, & perfectæ ad album eſt, ut convertat Mercurium, plumbum, cuprum, ſtannum, latonem, & chalybem in argentum veriſſimum.

Reliqua duo capitula: Unum fuit de modo fornacis Philoſophorum, quod alibi melius ſupra poſui: Aliud de modo tingendi & projiciendi elixir, quod etiam

etiam satis alibi potest inveniri. De fermentatione autem Solis vel Lunæ nusquam mentionem facit hic magister, cum tamen omnes Philosophi concorditer dicant, quod Sol facit solem, & fixum figit: Et quale semen in terram seminaveritis, tale & metetis: Et non potest inveniri in re quod in ea non est: & cætera similia multa, &c. Tu autem sicut prudens & discretus elige quod bonum est (omnibus probatis) & applica fermentum ut scis, &c.

ANNOTATIO.

Nota quod Sal petræ & Sal nitri sunt unum & idem: tantum differunt, quod sal nitri est sal petræ præparatum & purgatum à sale quem habet: & ita præparatum invenitur copiose in apothecis Præparatur autem sic: Conunditur, & in aqua communi bullitur aliquotiens, ultimo bullitur, & fervens in vas projicitur ligneum, quod vas habet multos erectos stipites, quibus in bullitione adhæret prædictum sal petræ, quibus frigefactis colligitur: & tunc sal nitri vocatur.

Scias infallibiliter & in veritate, quod ex solo aceto nostro acerrimo, & absolute nullo alio extraneo addito, opus nostrum perficitur: quo absente, nec nigredo, nec albedo, nec rubedo consistit, quod facit Solem & Lunam purum esse spiritum. Quare aliqui hic graviter errant operando, qui solvunt amalgama nostrum in aqua forti: & per hoc opus destruitur: quia in pluralitate rerum ars nostra non consistit. Venerabili igitur utimur natura, cui aliena nolite introducere, nec aquam fortem, nec salem, nec pulverem: quia natura non emendatur nisi in sua natura. Et natura nostri aceti acerrimi benedicti continet omnia necessaria in se, &c. Recipe igitur de Sole foliato partem unam, & de aceto nostro partes septem, & fac amalgama more solito. Deinde pone in una vesica bovina de vitro, & obtura os vitri, & pone ad destillandum in fimo equino calido & humido per tempus, sic quod caput vitri remaneat in aëre extra fimum: diebus finitis, extrahe vitrum de fimo, & pone ipsum supra cineres calidos, & ibidem permitte stare ore clauso dando ei lentissimum ignem tamdiu, quousque videris materiam in vitro esse coagulatam, &c. sicut scis.

De Sale. Ignoscat mihi Deus.

Ratio de Sale cibi: Scias quod sales sunt multi, & nobilius eorum est à loco, qui dicitur Andaram: deinde sal panis, & sal Indus, qui est rubeus, & sal nabati, & sal calcis, deinde sal amarus, qui est in Hispania, in loco qui dicitur Bolongi. Ejus quidem natura est calida & sicca: & est aqua quam coagulavit siccitas ignis: & ex proprietatibus ejus est, quoniam liquefacit argentum cum ignis vehementia, & addit in ipso albedinem, & vertit ipsum à corporeitate ad spiritualitatem: & similiter facit de auro, in quo ruborem augmentat, & abluit corpora à sorde, corrodit sordiciem eorum, & cum ipso calcinantur corpora, & non cum alio. Et propter hoc nominaverunt ipsum Sapientes argentum communicans, propter albedinem suam: Et quoniam omnes homines indigent & utuntur ex eo in omnibus rebus, & cum eo rectificantur creaturæ, & Deus excelsus non laudavit creaturam in lege veteri sine illo, & præcipit ut nullum sacrificium & oblatio fieret sine sale, &c. Et sal invenitur in omnibus membris plantarum, & calcibus lapidum, & ossibus animalium, & in omnibus rebus: ergo secretum totum est in sale. Et qui scit solutionem & coagulationem ipsius, jam tunc est elevatus supra secretum occultum, quod est lapis sapientum: & ipse dealbat corpora & mundificat & resolvit ea, & coagulat spiritus, & retinet eos, & prohibet ab eis adustionem ignis. Pone ergo mentem tuam in sale, & præpara ipsum & ne cogites præterquam in ipso. An non vides apud complementum omnes redire ad salem armoniacum sapientum, & dicere ipsum multotiens? & ipsi volunt salem sibi post præparationem ejus: pervenit enim ex eo sal sapientum, nobile, fixum, & non fugiens ignem. Et Hermes quidem dixit filio suo: O Fili, quando sciveris saponem sapientum, consequeris cōcupiscentiam, & evades cum parte meliori. Et ipse quidem est difficilis super eum qui nescit, tamen pervius super eum, qui scit eum. Inquit autem Compilator: Non perit quærens ad proprietatem nisi ignorantia ejus, quod verè occultaverunt sapiētes, de quo evacuaverunt omnes libros, & non explanaverunt. Et ego juro per Deum, sine quo non est Deus, qui est sciens, absens, præsens Vir qui ignorat secretum salis, non comprehendet parum vel multum, ex eo, qui conceditur ei comedere: quoniam cum ignorat naturam ejus, est sicut qui sagittat sine chorda. De modo utendi est, ut accipias de ipso partem, & tere ipsum optime, & ultimate ponas ipsum tritum in olla, & bene destrue seu tege, & pone ad furnum panis die ac nocte: deinde solve ipsum in duplo sui in aqua dulci: deinde coagula ipsum, & veniet sicut nix: repone ergo ipsum, & utaris de eo non nisi soluto per modum ut scis, &c.

De Elixir.

Hoc Elixir tingitur tinctura sua, & submergitur oleo suo seu aëre, & figitur calce sua, seu terra sua. Et oleum quidem est aggregans vel conjungens inter tincturam subtilem valde: & aqua, id est argentum vivum, est deferens tincturam, id est elementum ignis & oleum antecedens cum sale tingente: & tinctura perfundatur cum eo: & quando figitur calx, figitur cum eo propter vehementiam commistionis. Et exemplum calcis est terra. Et album quidem completur tribus, in quibus non est ignis. Et citrinum seu rubeum completur quatuor totis elementis seu partibus lapidis.

Totius mundi status periret, si noster in libris nominaretur lapis. O felix scientia, quæ à sciente quæritur: non immerito super omnes hujus mundi scientias perquirenda est: Quia qui eam habet, incomparabilem habet thesaurum: In salubri constellatione natus est in hoc seculo, dives divitiis infinitis super reges & princípes hujus mundi, quis non diliget talia? quia sanum & longævum se utentem conservat super omnium medicorum medicinas. Hæc sunt bona justa coram Deo & hominibus, non per usuram acquisita, seu per fraudem & deceptionem plurimorum: sed est speciale donum Dei, ut dicit Psalmus: Labores manuum tuarum māducabis, beatus es, &c.

Vt placeat cunctis, nullum decet esse superbum,
Qui sic inflatur, deserit omne bonum.
Sit blandus facie, sit mitis, & ingeniosus:
Ni contemptibilis forte sit ipse cito.
Officio propriò sapienter sit studiosus,
Vt fiat doctus quivis in arte sua.

Liber

Liber Lucis JOANNIS DE RVPESCISSA, *Fratris Ordinum Minorum.*

CAPUT I.

PRimo conſideravi futura tempora, quæ prædicta ſunt à Chriſto in Evangelio, ſcilicet de tribulationibus tempore Antichriſti, ſub quo Romana Eccleſia flagellabitur, & per tyrannos omnibus ſuis divitijs ſpoliabitur. Et quamvis Eccleſia Dei tunc ſic fuerit deſolata & confuſa, à Chriſto tamen de tantis tribulationibus liberabitur. Quamobrem ad liberandum populum electum Dei, cui datum eſt cognoſcere miniſterium Dei & magiſterium veritatis, ſine multiloquio volo dicere opus magni Lapidis Philoſophorum, tam ad album quam ad rubeum, & hoc eſt contra conſuetudinem Philoſophorum, qui ante nos fuerunt qui propter malitiam & invidiam, artem iſtam proprios filios celaverunt. Et intentio mea eſt prodeſſe bonis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & aperte breviter narrare totam ejus veritatem.

CAPUT II.

De Materia Lapidis noſtri.

Materia Lapidis eſt una & eadem res, vilis precij, quæ ubique reperitur in aqua viſcoſa, quæ dicitur Mercurius, & quoniam dicunt quod reperitur in vilibus locis, multi brutalium hominum qui non intelligunt ſecundum intentionem Philoſophorum, iſtũ lapidem in ſtercoribus quæſiverunt. Et ſcias fili mi, quod materia præparatur removendo terreitatem quam habet Mercurius, & apponendo ei ſulphur Philoſophorum, quod non eſt ſulphur vulgare, imo ſulphur noſtrum eſt inviſibile, & ego ſuo nomine proprio nominabo, quod eſt vitriolum Romanum, quod quidam Philoſophorum vocant magneſiam, & hæ duæ operationes ſic fiunt,

CAPUT III.

De prædicta Operatione.

Recipe Salpetræ, vitrioli Romani ana lib. j. id eſt, libram unam de quolibet tritorum & mixtorum, deſicca in patella aurea ad ignem lentum, ſemper movendo ut humiditas recedat. Deinde recipe libram unam argenti vivi, de minera, non de plumbo, & in aluta involutum experge ſuper materiam vitrioli & ſalispetræ calidam aliquantum, quia per poros ſeminatur, & move materiam cum baculo, ut bene miſceatur, ita quod nihil appareat de Mercurio, & pone in vaſe ad ſublimandum ſuper leni igne, ſi materia bene fuerit deſiccata ore clauſo: ſit autem apertum, donec humiditas receſſerit, quod cognoſces cum lamina vel gladio poſito ſuper foramen, & poſtea fortifica ignem per duodecim horas, & in fine fac fortiorem, ut opus bene ſublimetur, & vaſe infrigidato extrahe ipſum, & ſic invenies Mercurium ſublimatum album ſicut nivem, & ſic ſublima ipſum Mercurium ter cum ipſius fæcibus, & ſemel ſine fæcibus & ſic in ipſa operatione feciſti duo, ſcilicet purgaſti Mercurium à terreitate & nigredine ſua & humiditate quam habebat, & congelaſti, & feciſti illum album ſicut nivem, feciſti illum aptum ad molendũ & commiſcendum, & aptum ad digerendum in ſtufa ſicca, & aptum ad convertendum ipſum in aquam, ut inferius dicemus. Poſuiſti intra ipſum ſulphur inviſibile, quod eſt tinctura rubedinis; & eſt ſpiritus vitrioli Romani, & cum ipſo fit magnum adminiculum, quoniam cum habeat ipſe ſpiritus naturam tingendi in rubeum, & ad congelandum Mercurium in ſubſtantia, & facit ipſum album ſicut nivem. Et hoc eſt illud quod magni Philoſophi ſcripſerunt, quod lapis noſter fit ex Mercurio & ſulphure præparatis & ſeparatis, & de hoc opere & ſubſtantia dicit Magiſter Arnoldus in tractatu ſuo parabolice, niſi granũ frumenti in terram cadens mortuum fuerit, &c. Intelligens pro grano mortuo in terra, Mercurij mortuum cum ſalepetræ & vitriolo Romano, & cum ſulphure, & ibi mortificatur, & ibi ſublimatur cum igne, & ſic multũ fructus adfert, & hic eſt lapis major omnibus, quem Philoſophi quæſiverunt, & inventum abſconderunt. Signum autẽ eſt, quod ſpiritus vitrioli ſit incorporatus Mercurio, & quod Mercurius ſublimatus dimittat multas fæces in fundo vaſis, & aſcendit ſpiritus vitrioli propter aſcenſus ingenium. Recipe acetum, & in eo extingue ferrum quater, poſtea mitte ibi dictum Mercurium ſublimatũ, & ſubtiliſſime calcinatum, & ibi dimitte uſq; ad alium diem, & poſtea deſtilla prædictum acetum per filtrum bis aut ter, donec ſit clarum, poſtea mitte in patella terrea vitreata ad lentum ignem, & faciet quandam cappam nigram deſuper materiam illam, tunc illã nigredinem amove, & fac ignem donec acetum inde penitus exeat, & remanebit ſpiritus vitrioli in fundo vaſis, in calore albo ſuaviſſimo, & ſic habebis Mercurium ſeorſim, & ex alia parte prædictum ſulphur inviſibile. Quamobrem à nobis oſtenſum eſt, quod argentum vivum ſublimatum portat ſecum ſpiritum, & commovet ſulphur lapidis inviſibilis & dicitur tinctura rubedinis. Et ſcias quod de Mercurio ſive vitriolo non poteris extrahere ſive ſeparare ſpiritum ſupradictum Mercurij, & ſic eſt præparatum & non fixum. Quare ſic eſt neceſſe, ut extrahas ab ipſo Mercurio quintam eſſentiam ſic.

CAPUT IV.

De ſecunda Operatione, quæ eſt Reductio Mercurij ſublimati in quintam eſſentiam.

SEcunda verò operatio eſt ipſius Mercurij ſublimati, qui eſt albus ut nix: extrahe ab eo ſpiritum ſuũ, qui à quibusdam magis quinta eſſẽtia ſeu terra foliorum & terra foliata dicitur, & iſte ſpiritus eſt incorruptibilis, paululum minus ut cælum, quamvis ſpiritus non ſit fixus, imo ſit volatilis, & ſic neceſſe eſt. Extrahitur autem & ſeparatur quinta eſſentia, ſc. ſpiritus Mercurij, hoc modo, Recipe libram unam ſalispetræ, & tantundem vitrioli Romani, & fac aquam fortẽ ut ſcis: & tere Mercurium præfatum ſubtiliſſime, & diſſolve ipſum in dicta aqua forti, ſuper cineres calidos, in fiola vitrea bene clauſa, per 12. horas, & ſi Mercurius noſter diſſolvitur, mitte in dicta aqua cũ Mercurio dicto non diſſoluto, ſc. ſeptimam partẽ ponderis aquę prædictę de ſale armon. trito. Et hoc eſt quoddã magnũ ſecretum in hac arte, ibi pone cor tuum, ſuperpone alembicum cœcum veſicæ, & deſtilla illum, & videbis aſcendere per latera veſicæ ſpir. Mercurij ſeu animam albiorem nive. Secundo fortifica ignem, donec Mercurius plenarie aſcẽdat, poſtea frange vas, & extrahe quintam eſſentiam ſeu ſpir. Merc. & invenies ſpecies nigras combuſtas in fundo vaſis, à ſpir. Mercurij ſeparatas. Et in hac operatione feciſti duo: Primo ſeparaſti ſpir. album Mercurij, qui erat terreus, corruptibilis, & imperfectus, & totum illud terreum combuſſit aqua forris, & eſt quaſi impoſſibile, quod de re alba inſtar nivis, extrahatur & ſeparetur talis res terreſtris & nigra. Secundo imbibiſti dictum ſpiritum Mercurij de ſpiritu vitrioli, qui eſt in dicta aqua forti. Et hoc eſt illud quod dicit Magiſter Arnoldus: bibat quantum poteſt bibere per duodecim horas, eo quod Mercurius diſſolutus in aqu. vitrioli, plus bibat ex ſpirit. vitriol. ſulphure inviſibili, & diſſolutio fit in duodecim horis. Secundo fac aquam novam fortem ut prius, & in ea iterum ſolve quintam eſſentiam prædictam, & ſublima,

ut

ut postrema vice feciſti, & remanebunt fæces nigræ in fundo vaſis, ſed non tantùm ut prius : & iterum tertio fac aquam fortem ut prius, & diſſolve quod fuit ſublimatum, & tertia vice, poſt deſtillationem & ſublimationem invenies fæces quaſi paucas parum nigras, & tunc habebis quintam eſſentiam perfectam, quæ dicitur humiditas conjuncta quinta, nec poteſt alterari, nec igne perpetuo comburi, & fundetur in igne ut cera, & nunquam facit fæcem, nec poteſt comburi aliqua aqua calcinativa, & habebis ex libra unâ unc. j. & non plus nec minus, & tunc habes totam materiam lapidis ſecundo ſeparatam, incorruptibilem, volatilem, albam, albiorem nive, & iſta eſt ſecunda operatio.

CAPUT V.

De tertia Operatione, in qua præparatur quinta eſſentia dicta, & ſolvitur in aquam.

TErtia operatio hæc eſt : Recipe dictum ſpiritum Mercurij ſeu eſſentiam quintam perfectè ſeperatam, & mole ſubtiliſſimè eam ſuper lapidem vitreum, & commiſce cùm unâ parte ipſius duas partes ſulphuris vivi inviſibilis, & pone in unâ tazzâ vitreâ, in furno phyſico, in ſtufâ ſiccâ ad digerendum, hoc eſt calcinandum in cineribus ad ignem carbonum, per octo vel duodecim dies, vel amplius, & ibi decoquitur, ut poſſit per ſeipſum in aquam diſſolvi, quia aliter non diſſolveretur, nec opus poſſet fieri perfectum.

CAPUT VI.

De quarta Operatione, in qua deſtillatur quinta eſſentia reducta in aquam.

QUarta operatio eſt, ut recipias Mercurium, vel dictam quintam eſſentiam cùm vaſe ſuo, ſimul poſt digeſtionem in ſtufa ſicca Phyſica, & pone in balneo Mariæ, & ibi dimittatur, donec totum in aquam diſſolvatur, & ſtet cum capite alembici, & aſcendit ab eâ ſtillâ roris madij (al. madidi) quæ dicitur aqua lucida, vitæ lacryma, lac virginis, puriſſimi materia lapidis, ultima præparatione vel ſeparatione perfectâ, guſtu ad linguam acetoſa, volatilis, non fixa, incorruptibilis fere, per digeſtionem in pulverem reducibilis, quæ à Gebro fuit cognita, & Hermes pater filiorum invenit, Roſarius intellexit, ab Avicenna non ignorata, Magiſter Arnoldus de Villanova eam dictavit, & Magiſter Raymundus Lullius pariter. Qui quidem Arnoldus dicit, quod oportet ut filius hominis aſcendat à terrâ in aërem, & aſcendat in cruce alembici ut Cryſtallus, & propterea dicit Arnoldus, quod vult aſcendere in crucem, quando dicit, oportet filium hominis exaltari in crucem, id eſt in aërem, quod eſt in alembicum, & completa hac diſſolutione tunc habes tuam materiam perfectam, & ſi unam guttam projeceris ſuper laminam candentem, dealbabit eam intus & extra. Et ita vidiſti quod lapidis materia eſt una res non ſimplex ſed compoſita, ex ſpiritu ſcilicet Mercurij & ſpiritu vitrioli Romani. Quoniam ſpiritus dicitur ſulphur inviſibile, non vulgi, ſed Philoſophorum, qui eſt tinctura intrinſeca rubedinis, quâvis alba videatur, experimento tamen rubea eſt, & propter hoc Mercurius indiget ſulphure albo vitrioli. Ipſa igitur deſtillatione ſeu diſſolutione completa, invenies in fundo vaſis elementa duo mixta, ſcil. elementum aëris & ignis incombuſtibilia, nàm remanet materia groſſa combuſtibilis, & extraxiſti ab eâ elementum aquæ animatum anima ſpirituali, & tunc eſt ſufficiens materia ad album ſpecialiter, & conveniens ad rubeum, & ſi vis ſeparare alia tria elementa ab invicem, operaberis per hunc modum: Recipe illas fæces, tere, & pone ad digerendum in ſtufâ ſiccâ, ut prius feciſti, poſtea pone in balneo ad diſſolvendum & deſtillandum ut prius cùm igne fortiſſimo, & quod aſcendit per ignem balnei, eſt elementum aëris in colore, id eſt in tactu olei albiſſimi, Recipe ipſum & ſerva, & poſteà transfer vas ad ignem ſublimationis in cinere, & da ignem bonum & aſcendet per alembicum ignis rubicundus, in colore olei rubri. Recipe ipſum & ſerva ad partem, & ita habes à Mercurio ſublimato quatuor elementa ab invicem ſeparata. Primo elementum aquæ, ſcil. lac virginis, ante ultimam materiam, diſſolutione in balneo deſtillatam in quartâ operatione : Secundo elementum aëris, ſcil. oleum reſplendens albiſſimum, in balneo deſtillatum, facta ultima diſſolutione : Tertio oleum ignis rubeum, ſcil. oleum deſtillatum ad ignem extrà balneum : Quarto oleum ſeu elementum terræ habes in fundo urinalis nigerrimum ut carbo, quod ut nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foras, conculcetur ab hominibus: Intellexiſti-ne hoc totum ? Neſcio quomodo clarius dici poſſit, ſcil. de iſtâ quartâ operatione.

CAPUT VII.

De quinta Operatione, quæ eſt præparatio materiæ ſeu lactis virginis ad album, per ejus reductionem in pulverem.

HÆc operatio eſt quomodo præparetur ad album, & quomodo lac virginis digeratur, & redigatur virtute ignis in pulverem tam ſubtilem, ut non ſentiatur per tactum. Recipe igitur cum benedictione Jeſu Chriſti, & aliqui Philoſophi dixerunt, quod capiatur animal cùm toto ſanguine, & dicitur animal, quia creſcit quando ſublimatur, & quia habet animam ſanguineam, videlicet ſpiritum vitrioli inviſibilem ſupradictum, & pone in ampulla cùm fundo rotundo, ignias ei collum & ſtrangula, id eſt ſtringe ipſum cùm forcipibus, ita ut nihil poſſit exire, & pone laminam inter ignem & amphoram, quæ bene ſit præparata, hoc eſt perforata, ne lac virginis deſtruatur ab igne, & pone in furno Philoſophorum, ita quod habeat ignem ab omni parte æqualem, ne lac evolet per ignem inæquàlem, & eſt magnum Miniſterium dare ignem temperate, ne opus deſtruatur, & tot carbones accenſi ardeant, ità tamen ut manus hominis teneri valeat infrà latera furni, & vas in quo eſt materia lactis virginalis ſulgentis, & continuabis ignem, donec videris materiam denigrari, & goude, quia tunc principium digeſtionis habes, & continua ignem donec omnes colores tranſierint, & videbis materiam aliquantulum dealbari, & cum videris materiam optimè dealbatam, lapidem habes perfectum ad album.

CAPUT VIII.

De ſexta Operatione, rubificatione ſcilicet lapidis albi.

OPeratio ſexta lapidis lapidem jam completum ab albo perficit ad rubeum, nihil penitus addi-

addito vel remoto. Sic extrahe de vase prædicto, quod vocatur ovum Philosophorum, & Magister Arnoldus dicit, quod lapis noster est reclusus in ipso vase, ut Christus in sepulcro. Et accipe tunc partem unam istius pulveris, & serva eum ad partem, cum quo poteris convertere omnia metalla imperfecta in veram lunam, & aliam partem claude in vase supradicto ut prius, & fortifica ignem, ut Magister Arnoldus ait, qui dicit, quod postquam lapis pervenit ad perfectam albedinem, non metuit pœnas ignis, quoniam non est in eo periculum aliquod si dederis ignem fortem, quoniam sic est ei necesse. Causa est quia si per ignem lentum digeritur, ad album non potest decoqui sulphur invisibile absconsum vitrioli, scilicet spiritus latens sub albedine lapidis, sed digeritur spiritus Mercurij illo igne ad album, quapropter necesse est ignem augeri, ut attingat profundus, & digerat tinctura rubedinis, sulphuris vitrioli latentis, & faciat ipsum exterius per vigorationem ignis, & sic per vim ignis vertitur in rubeum, nihil ei aliud addendo, & sic ascendit de sepulcro clauso rex maximus, & resurrexit à mortuis, cùm coronâ in capite fulgentissima, ut dicit Magister Arnoldus. Sed nota quod in duobus vasis, scilicet tale opus lapidis potest fieri & operari album & rubeum cùm uno igne & uno furno, nisi quod vas ad album extrahas albedine induta, & vas ad rubeum notabiliter aucto ut dixi, & nota quod aliqui solum hoc operantur opus de lacte virgineo, & de elemento igneo, & aereo non curant, & est opus eorum solummodo per nobilissimum lac virgineum. Aliqui commiscent tria elementa simul, unum pondus ignis, quatuor pondera aëris, octo pondera lactis virginis, & hic modus est fortior ad rubeum, debilior ad album, & istis tribus modis potest simul in uno vase de solo lacte virgineo ad rubeum. Et in alio vase, ex tribus elementis, uno furno, & uno igne. Et videbis si probabis diversis modis magna miracula, quæ collata sunt ab altissimo Deo, & de hoc opere nunquam fuit ante me alius qui ita clare loqueretur veritatem. Etenim magni Philosophi quibus hoc secretum ac Magisterium fuit revelatum conjurati fuerunt horribili maledictione Dei, ut nulli hominum hoc opus divinum modo aliquo declararent, ne hoc secretum ad manus pravorum hominum deveniret. Sed ego non curo talium maledictionem: quare istud secretum non revelo hominibus nequam, sed revelo Ecclesiæ Dei, & perfectis Christianis, & Deum timentibus, ut succurrant pauperibus, & præcipuè Evangelicis, & Ecclesiis, ut viduas, pupillos, & orphanos visitent in necessitatibus & tribulationibus, & hæc est sexta operatio.

CAPUT IX.

De septima Operatione, quæ est de Projectione.

SEptima pars hujus operis est de practica virtutis Elixiris scilicet medicinæ perfectæ, & virtutis istius elixiris ad album est quod convertit Mercurium, Jovem, Saturnum, Martem, & Venerem, in veram Lunam; & virtus Medicinæ perfectæ ad rubeum est, quod prædicta corpora & lunam convertit in solem, & sic fit: Pone Mercurium in crucibulo, & calefac ipsum tàm diu quoad Mercurius quasi bulliat & fumet, posteà projice super ipsum sic bullientem Medicinam albam, vel rubeam, ut vis, & da ei ignem fortem, ac si velles fundere lunam, & habita competenti decoctione, extrahe ipsum, & si haberet colorem multum, vel si esset frangibile, tunc est perfecta medicina, & tunc projice super alium Mercurium quousque color & malleatio tibi placeat, & super quot pondera cadat, experientia te docebit, quoniam aliquando cadet super multa pondera, aliquando suprà pauca, sicut unus modus operationis transibit alium, & prout est Magister artis. Super plumbum & stannum projicitur Medicina fusa, & augetur ignis ut supra. Super latonem, ferrum, & chalybem projicitur taliter: Primo super laminas igneas projicitur pulvis, & ponderatur ad recoquendum, aut illa corpora funduntur, & medicina projicitur in ipsa fusa, & hæc corpora purgatione præcedenti non indigent, quia medicina est quasi ignis inferni, virtualiter consumens omnem imperfectionem cunctorum corporum, & convertit ea in suam naturam, quod est eis bonum & finis ultimus. Et aliqui Philosophi quando volunt operari ad lunam, projiciunt medicinam super æs aut ferrum, & quando est ad solem, projiciunt Medicinam super solem purissimum fusum, & iste sol Medicinatus est Medicina, ad convertendum æs vel lunam in solem. Potest autem medicina dissolvi in balneo, & congelari ad ignem iteratis vicibus, & sic augetur virtus in infinitum.

CAPUT X.

De octava Operatione, in qua tractatur de Magisterio Furni, & calcinatione Mercurii, Solis & Lunæ.

OCtava operatio hujus Artis continet Magisterium Furni calcinationis Mercurij Solis, & Lunæ, & sic fit: Recipe lutum sapientiæ, scil. cretam, stercus equi, & papyrum carminatum, & confice insimul, & fac Furnum magnum vel parvum, sicut vis, qui habet portas, ut sit latùs illius unius palmi circumcirca, & fac ei auriculas seu spiracula, per quæ fumus exeat, & non sursum ascendat, & posteà accipe unam laminam ferream fortem, & adapta eam super caput dicti furni qui est rotundus, hoc modo, quod non claudatur totum os furni, sed dimittatur circa ipsum aliquod spiraculum parvum unde calor possit exire, & super ipsam laminam aptabis aliquantos gotos, videlicet quantos volueris, & omnis hiatus habeat suum ovum Physicum, ubi ponatur lapis ad digerendum, & in circuitu laminæ sunt quatuor laminæ adhuc, ut teneant laminam aliquantulum à longe à lateribus furni, & sic facies fieri unam ollam æream vel ferream, aut de terrâ rotundam, & ità fiet cooperculum Furni, quod posset elevari, & poni secundum quod erit necesse ad videndum materiam; & nota quod dicta olla cujusque materiæ sit, debet esse lutata intus & extrà, ad hoc ut melius teneat calorem, & dicto cooperculo facies unam portam per quam posses intromittere manum ac calorem



FIG·2·







rem furni, sicut prædictum est, sed cave quod non tangat vas, quoniam est valde calidum & venenosum. Item nota quod quando posuisti materiam intus tu debes lutare portarum (al. parietum) junctûras cum luto sapientiæ, & panno lini, & hoc ut calor non respiret, & non ascendant fumi. Et hoc dicitur stufa sicca, in qua potes ponere omnes spiritus & medicinas, ad operandum seu digerendum, ad hoc ut in balneo possint dissolvi in aquam. Et iste vocatur furnus Physicus, quia illa lamina facit ascendere calorem diametraliter; similiter fac, quod latus laminæ non ascendat ad caput ollæ, ne ignis reverberet ad vasa ex medio aërem supra ciathos & tripodem, & fac quod ignis ei sit ab omni parte, major enim ignis ascendit per tria foramina, quam per unum, & sic poteris ignes augere vel diminuere, secundum quod tibi videbitur. Nota quod super tripodem ubi hiatus est in lamina, potes aptare unam scutellam terream & infra scutellam unum tripodem, & ibi ponere ovum Philosophicum, & supponere aliam scutellam, & ita convenit duas scutellas levare vel erigere in aëre, ut non tangat latera scutellarum, &c.

CAPUT XI.

De nona Operatione, circa ordinem projectionis facienda.

OPeratio nona est, cum volueris facere projectionem, sic facies. Recipe centum partes Mercurij cum sale & aceto loti, & pone in crucibulo super ignem; Cùm autem cœperit fervere, pone unam partem hujus elixiris, dicto modo præparati, super centum partes illius Mercurij abluti, & fiet totum medicina super alium Mercurium ablutum. Deinde projice partem unam illius Medicinæ coagulatæ super centum partes Mercurij abluti, in crucibulo ferventis ad ignem, & adhuc totum fiet Medicina. Postea pone partem unam istius Medicinæ ultimo congelatæ, super centum partes istius Mercurij abluti, & fiet totum aurum vel argentum in omni judicio optimum, secundum quod fuit paratum elixir ad album vel rubeum. In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, qui est benedictus & glorioſus in secula seculorum, AMEN.

Sequitur

DESCRIPTIO ET FORMA FURNI PHYSICI.

FUrnus iste totus altus erit pedes tres & medium, latus autem sesquipedem inclusive, & divisus, ut sequitur.

Primum furnus ita componitur, ut spatium quâ cineres per cratem ferream defluant, altum sit pedem unum. A crate ferrea ad meditullium usque, spatium ubi focus instruitur, altum erit digitos novem. Altitudine itaque habita duorum pedum minus digitis tribus, collocanda est in medio tabula testacea vel ferrea, in cujus medio foramen rotundum sit, diametrum quatuor digitorum habens, qua fervor ignis in superiorem partem, ubi operatio fit, ascendere possit. Deinde supra foramen illud tria opercula exemptilia, paulo quam tabulæ intermediæ foramen latiora erunt, quemadmodum notatum est litera A. *Quodlibet operculum etiam rotundum foramen habebit diversum. In primo foramen erit digitorum trium, in secundo duorum, in tertio denique unius; ut subinde uno pro altero uti liceat, prout calor ignis mutationem operculorum exiget.*

Spatium ubi operatio fit, à tabula nimirum intermedia ad supremum usque tegmen, altum erit pedem unum & tres digitos. In isto autem spatio tabulæ intermediæ tripes testaceus aut ferreus directè supra foramen imponitur, quemadmodum notatur litera B. *qui tripes in superiore parte latus erit digitos tres & medium, altus verò sex digitos, cui vitrum impones, quod materiam omnem ad operationem destinatam contineat.*

Supra istud spatium in quo operatio fit, Operculum sive tegmen furni testaceum collocabitur, in formam dimidiæ sphæræ sive disci tornatum, profunditate digitorum sex, quod ad altitudinem furni accommodatum sit. Istud autem tegmen in medio rotundum foramen habebit unius digiti, quo calor ignis, num vehementior, num remissior, explorandus sit.

Utuntur quidam in tripode signato litera B. *globo fisso, cujus medietates sibi mutuò respondeant, uti litera* B. *in margine notatum est. Globus iste latus erit in medio digitos septem, ubi instrumentum quoddam aut vasculum includitur testaceum, quod Chemici Ovum appellant. Habes ergo perspicuam descriptionem, & expressam effigiem artificii hujus furni Chemici.* Vid. Tab. II. Fig. 1, & 2.

SUBSECTIO TERTIA.

ROSARII PHILOSOPHORUM *duplex exemplar; item* ROSARIUM abbreviatum Ignoti, *tradit.*

Incipit Liber Rosarium Philosophorum, *compositus, & in unum compilatus diligentissimè.*

QUI desiderant Artis Philosophicæ Scientiæ majoris cognitionem verissimam habere, Libellum hunc diligentiùs inspiciant, & sæpissimè perlegant, & optatum prosperum consequentur. Audite hæc filij priscorum Philosophorum, quàm altissima possum voce libet proclamare. Venio namque vobis præcipuum humanarum rerum statum aperire, secretissimum omnium secretorum, totius Mundi thesaurum, non fictè nec irrisoriè, sed certissimè & humanissimè palam ipsum efficiam. Quapropter vos mihi talem exhibeatis audiendi devotionem quale vobis afferam doctrinæ Magisterium; nempe eorum quæ vidi proprijs oculis, & manibus meis palpavi,

pavi, aliquod nunc poſſum vobis rectius teſtimoniũ perhibere. Quidam & confidentius quàm fallaces multi jactatores, qui poſt multas tandem expenſas & labores, nullum ſibi niſi miſerabilem inveniunt effectum. Clarè ergo vobis loquor & apertè, quatenùs tàm periti quàm etiam imperiti valeant ex hoc Magiſterio ſecretum intelligere. Nec meritò poterit me quiſquam blaſphemijs afficere; Nam cum antiqui Philoſophi tàm obſcurè quàm & confuſè ſcripſerunt, ità ut nedum intelligantur, ſed nec convenire videantur, quatenus precioſiſſimam artem hanc inquirentes, aut fallerent, aut à propoſito deterrerent. Ego quidem remota omni fallacia & obſcuritate, vobis planè experimentũ omne ante oculos apponam veriſſimum, ſimul & cùm Philoſophorum ſententiis, ad propoſitum adductis ipſum quamoptimè facientibus, quatenus res de qua agitur, eo apertior fiat & clariùs intelligatur.

Unde primò notum facimus, omnes extra naturam operantes, deceptores eſſe, & in re non debita laborare. Portò ex homine non naſcitur niſi homo, & ex bruto non niſi brutum, & omne ſimile profert non niſi ſuum ſimile. Quapropter qui de proprio non habet, de alieno ad libitum ſuum habere non poteſt. Hoc autem dicimus, ut nemo amittat ſuam pecuniã. Nam cùm quidam decepti ſint ingenij ſui tarditate, & ad inopiam deducti, alios tentant etiam ſeducere, & ad miſeriam compellere. Conſulo autem ut nemo ſe arti huic intromittat ad inveniendum, niſi principium veræ naturæ & ejus regimen agnoſcat, qua cognita pluribus non indiget rebus, niſi una, nec magnas requirit expenſas, quoniam unus eſt lapis, una medicina, unum vas, unum regimen, unaq; diſpoſitio. Et ſcias quòd Ars eſt veriſſima. Porrò Philoſophi nunquam ſtuduiſſent tot colorũ diverſitates, & ordinem exprimere, niſi vidiſſent & tetigiſſent. Quare illud repetimus: Omnes extrà naturam laborantes deceptos eſſe ac deceptores Igitur in naturâ noſtrum ſit exercitium, & intentum obſequium; quia lapis noſter de re animali, vegetabili & minerali. Unius ergo eſto voluntatis in opere naturæ, nec modo hoc, modò illud attentare præſumas, quia in rerum multitudine Ars noſtra non perficitur. Quantumcunq; enim diverſificentur ejus nomina, tamen ſemper una ſola res eſt, & de eadem re: non enim introducitur in naturâ, quod in eâ non eſt de ſuâ naturâ. Quare oportet eſſe neceſſarium, ut agens & patiens ſint in genere res una & eadem: In ſpecie autem altera & diverſa, ſecundùm Mercurium, quo diverſificatur mulier à viro, quia licet in uno genere conveniant, tamen inter ſe habent differentiam diſtinctam, ut differunt materia & forma. Materia namq; patitur actionem, forma verò agit ſibi aſſimilans materiam. Ideo materia naturaliter appetit formam, ſicut mulier virum, & turpe pulchrum Sic liberius complectitur corpus ſpiritum ut ad ſuam perveniat perfectionem. Cognoſcendo ergo radices naturales, melius facies ex eis opus tuũ: quia non poſſum alio modo lapidem noſtrum exprimere, nec alio nomine nominare. Patet ergo ex præmiſſis, quòd lapis noſter eſt ex quatuor elementis, & habent eum tàm divites quàm pauperes, & invenitur ubique, & aſſimulatur omnibus rebus, & eſt compoſitus ex corpore, anima, & ſpiritu; & convertitur de naturâ in naturam, uſque ad ultimum ſuæ perfectionis gradum.

Dixerunt etiam quod lapis noſter fit ex unâ re, & verum eſt; nam totum Magiſterium fit cùm aquâ noſtrâ; ipſa namque eſt ſperma omnium metallorum, & omnia metalla reſolvuntur in ipſam, ut eſt oſtenſum.

Item: Sal metallorum eſt lapis Philoſophorum; lapis enim noſter eſt aqua congelata in auro & argento, & repugnat igni, & reſolvitur in aquâ ſuâ, ex quâ componitur in genere ſuo. Ergo reductio corporum in primam materiam, ſeu in argentum vivum, non eſt alia niſi congelatæ materiæ reſolutio, per quam ſeratura aperitur per ingreſſionem unius naturæ in aliam. Unde Philoſophi dixere: Solem nihil aliud eſſe, quàm maturum argentum vivum. Nam in Mercurio ſunt ſolùm duo elementa actu, ſcilicet terra & aqua, quæ ſunt paſſiva. Elementa autem activa, ut aër & ignis, ſunt in eâ in potentiâ ſolùm. Sed quoniam iſta in Mercurio mundo deducuntur de purâ potentiâ ad actum, ſecundùm debitam digeſtionem, & proportionalem decoctionem, tunc fit aurum. Quare in auro ſunt quatuor elementa in æquali proportione aptata; & ideo ibi eſt ſulphur maturum & activum. Ars autem noſtra juvat naturam, ſuper adminiſtrando Mercurio Aurum maturum, in quo (ut dictum eſt) eſt ſulphur maturum & optimè digeſtum, à naturâ autem per opus naturæ.

Arnoldus: Quicunque velit ad hanc ſcientiam pervenire, & non eſt Philoſophus, fatuus eſt, quia hæc ſcientia non eſt, niſi de occultis Philoſophorum.

Senior: Ars enim illa in Dei potentia reſervata, quæ Laycis eſt inimica.

Unde Geber: Non ergo hæc ſcientia pauperi & egenti convenit; ſed potius eſt illis inimica.

Secundò Politicorum dicit Philoſophus: Impoſſibile eſt indigentem philoſophare.

Duplex eſt via in iſtâ arte ſecundùm Philoſophos: ſcilicet univerſalis & particularis. Via univerſalis eſt facilis & rata. Et eſt talis quæ ex principijs veris & naturalibus educitur, quibus virtus ſeminaria & reformativa ſtatim, & in momento indurat Mercurium, & quodlibet metallum debitè præparatum tingit in verum aurum vel argentum, ſecundùm quod talis virtus primordialiter ad ſuum finem fuerit activorum ad paſſiva conjunctione.

Secunda verò via dicitur particularis, & eſt difficilis & laborioſa. Nota, licet Alchimia in via univerſali partim ſit naturalis, partimque artificialis, magis tamen eſt naturalis; quia natura in viâ veræ Alchimiæ nil alienum vel extraneum introducitur; quia natura habet in quod operatur, eò quod activa junguntur paſſivis per competentem unionem ſeu applicationem, cætera verò natura per ſe operatur.

Plato, lapis noſter eſt res quam ignis non tetigit, à qua noſter Mercurius ſurgit.

Tria ſunt genera laborantium artem Alchimicam, ſcil. Alchimiſta, Lauchimiſta & Lachrimiſta. Non omnis qui dicit, recipe, recipe, intrabit in artem, quia unum tantùm eſt recipe; unum corpus non intrat alterum.

Gratianus: Accipe hoc & hoc, & fac ſic & ſic, & habebis hoc, & illud eſt verum apud omnes Philoſophos. Unde Philoſophus: Primum verbum recipe, recipe, multos errores fecit. Ideo primum opus eſt diſſolvere rem lapidis; id eſt, Mercurium non vulgi.

Arnoldus: Fatui autem intelligentes ad literam dicta Philoſophorum cæcutiunt, & non inveniunt niſi mendacium & tunc dicunt; falſa eſt ſcientia, quia tentavimus & nihil invenimus. Et tunc ſunt ſicut deſperati, & vilipendunt libros & ſcientiam; Et ideo ſcientia vilipendit eos, quia ſcientia noſtra de occultis naturæ, non habet inimicum niſi ignorantem. Verſus:

Hic lapis exilis extat, precio quoque vilis,
Spernitur à ſtultis, amatur plus ab edoctis.

Sicut & Alphidius dicit: Scito quòd hunc lapidem de quo hoc arcanum agitur, Deus non poſuit magno precio emendum, quoniam in viâ ejectus invenitur, qua-

quatenus tàm à paupere quàm à divite haberi possit, ut ratione & scientia ad eum quisque possit leviter pervenire. Argentum vivum non est lapis. Unde Constantinus; quia fusibilis, ergo non est lapis. Argentum vivum est ignis, unde Philosophus; Scitote ergo quod argentum vivum est ignis, corpora comburens magis quàm ignis.

Succus lunariæ, Aqua vitæ, Quinta essentia, Ardens vinum, Mercurius vegetabilis, omnia idem sunt; Succus lunariæ fit ex vino nostro, quod paucis filijs nostris notum est, & cùm illo fit solutio nostra & fit aurum potabile nostrum mediante illo, & sine illo nequaqam. Corpus namq; imperfectum conversum est in primam materiam, & istæ aquæ conjunctæ cùm aquâ nostrâ faciunt unam aquam mundam, claram, omnia mundans, omnia tamen necessaria in se continens; & ista est cara & vilis, de quâ & cùm quâ perficitur nostrum Magisterium. Nàm copora solvit non solutione vulgari, pro ut tradunt ignorantes, qui convertunt corpus in aquam nubis, sed solutione vera Philosophica, in quâ convertitur corpus in aquam primam, ex quâ fuit ab initio, ipsa eadem aqua corpora in cinerem transformat. Scias autem quòd ars Alchimiæ est donum Spiritus sancti. Et scias quòd diebus nostris habuimus Magistrum Arnoldum de Nova villa, in curiâ Romanâ, summum Medicum, & Theologum qui etiam magnus Alchimista fuit, qui etiam virgulas auri faciebat, quas consentiebat omni probationi submitti.

Arnoldus: Sciant artifices Alchimiæ species metallorum transmutari non posse, nisi fortè in primam materiam reducantur, & tunc quidem transmutantur in aliam quàm priùs erant speciem. Et hoc ideo, quia corruptio unius est generatio alterius, tàm in artificialibus quàm in naturalibus. Ars enim imitatur naturam, & in quibusdam corrigit & superat eam, sicut juvatur natura infirmi medicorum industria.

Speculum: Venerabili ergo utimini natura, quoniam non emendatur natura, nisi in suâ naturâ; cui alienũ nolite introducere, nec pulverem, nec aliquam aliam rem; quippe quia diversæ naturæ lapidem nostrum non emendant, nec intrat in eum quod non sit ortum ex eo, quoniam si aliquid extranei sibi apponatur, statim corrumpitur, & non fit ex eo quod quęritur. Unde notifico, quod nisi similes res initio coquendi receperis, & absque manuũ contritione subtiliaveris, donec omnia aqua fiant nondum opus invenisti. Quare scire facio pretiosissimum arcanum studentibus, ut non fatigentur in vanũ, quia hoc Magisterium nihil aliud est, quàm coquere argentum vivum, & sulphur, donec unum fiat argentum vivum quod defendit sulphur à combustione, si fuerit vas bene clausum, ità quòd argentum vivum non possit evanescere, nec sulphur possit comburi, nec devastari; quia argentum vivum nostrum est aqua clarissima nostra. Et videmus per exemplum in aqua communi, quòd omne quod cum ea coquitur, nunquam comburitur donec ipsa aqua consumatur, quantumcunque etiam ipse ignis sit fortis. Et quando aqua consumpta est, hoc quod in vase est comburitur, & ideo Philosophi jusserunt claudere os vasis, ut aqua benedicta nostra non exhalaret, sed defenderet à combustione, hoc quod in vase est; Aqua verò cũ illis posita rebus, prohibuit ne ignis combureret, & factæ sunt illæ res. Quantò magis flamma occupatur, tantò magis aqua in intimis absconditur, ne ignis calore lædatur; aqua verò in suo ventre eas recipit, & ignis flãmam ab eis repellit. Jubeo autem omnes investigatores hujus artis, in principio facere ignem levem, donec facta sit patientia inter aquam & ignem. Et postquam videris aquam fixam sine ascensione aliquâ, non cures qualis sit ignis, sed bonum est regere cùm patientiâ, donec spiritus & corpus unum fiant, ita quòd corporea fiant incorporea, & incorporea corporea. Ergo Aqua est illa res quæ dealbat, & rubere facit. Aqua est quæ occidit & vivificat. Aqua est quæ comburit & candidat. Aqua est, quæ dissolvit & congelat. Aqua est quę putrescit & postea facit germinare novas, & diversas res. Unde, fili, moneo te, quod totum intentum tuum sit in decoctione aquæ, & ne tædeat te, si vis habere fructum, & non cures de alijs reb. vanis nisi de solâ aquâ. Coque ipsam paulatim putrefaciendo, donec mutetur de colore ad colorem perfectum. Et cave quòd in principio non combures suos flores, nec suã viriditatem; & noli citò perficere opus tuum. Et nota, quòd janua tua bene & firmiter sit clausa, ut ille qui est intus evolare non possit, & Deo concedente, ità pervenies ad effectum. Natura facit suam operationem paulativè; ego verò volo quòd tu ita facias, imò secundùm naturam tua sit imaginatio. Et vide secundùm naturam, de quâ regenerantur corpora in viscеribus terræ. Et hoc imaginare per veram imaginationem & non phantasticam. Et vide similiter quo calore fit decoctio eorum, si est violentus vel suavis.

Geber de Veritatis Investigatione.

Consideravimus in nostris voluminibus ex secretis & naturalibus potentijs, & naturalium proprietatibus, etiam per experientiam nostram inventione investigationis materiam omnino certam. Non enim omnino invenimus aliud, nisi quòd ea ex quibus elicitur nostra medicina, in corporibus transmutandis, habet in se has qualitatum proprietates.

Primò quod habeat terram subtilissimam in se, & incombustibilem, aptamque ad figendum omnimodè fixam cùm suo proprio radicali humore.

Secundò, humiditatem aëream & igneam, uniformiter conjunctam, sic, quòd si unum fuerit volatile quod & reliquum. Et quod ipsa humiditas est super omnes humiditates, expectans ignis calorem usq; ad sui sufficientis inspissationis cineris complementum quoad indigentiam ipsius cùm permanentia inseparabili terræ, scil. annexæ sine evaporatione.

Tertiò, quod humiditatis dispositio naturalis sit talis, quòd per beneficium suæ homogeneitatis, in omnibus suarum proprietatum differentijs; terram habet annexam conversione utriusque, quia in alterutris homogeneitate sit contemperatum virtuosè, & unione totali, & vinculo connexionis inseparabilis æqualiter post finalis præparationis gradum fusionem bonam præstet. Quartò, quòd hæc homogeneitas sit tantæ puritatis essentiæ, & ab omni re combustibili seu urente artificialiter emundata, quòd omnia cùm quibus conjungitur per minima non comburat, sed à combustione præservet. Quintò, quod claram & splendidam habeat tincturam in se albam, rubeam, mundam & incombustibilem, stabilem & fixam, quod ignis nequaquam valeat ipsam permutare, nec sulphura adustiva seu acuta corrodentia corrumpere, nec perfraudare. Sextò, quod totum compositum inseratum cùm suo complemento finali sit tantæ subtilitatis materiæque tenacitatis, quod post finalem suæ decoctionis termini injectionem tenuissimæ maneat fusionis, ad modum aquæ, & penetrationis profundæ usque ad ultimæ rei permutabile, cujuscunque fusionis ipsum extitit in complemento, & cum vicinitate & affinitate sua adhæreat suo fumo naturaliter, cùm inseparabili consolidatione, contrà impressionem ignis in ipsâ horâ suâ, spiritualiter corpora in sui naturam reducens.

His conſideratis invenimus inveſtigatione noſtra ſeptem proprietates rerum in noſtro lapide neceſſarias & opportunas; Et ſunt hæ: Oleagineitas, materiæ tenuitas, affinitas, radicalis humiditas, puritas, claritas, Terra figens, & Tinctura.

Prima verò differentiarum proprietas eſt ipſa Oleagineitas, dans in projectione univerſalem fuſionem & apertionem medicinæ. Nam primum quidem neceſſarium poſt projectionem medicinæ, eſt ipſius medicinæ ſubita & conveniens fuſio, quæ cum oleagineitate naturali perficitur & inviſceratur.

Secunda eſt materiæ tenuitas, ſive ipſius ſubtilitas ſpiritualis, tenuis ſive fluens infuſione ad inſtar aquę penetrans in profundum rei alterabilis. Quia ſecundò poſt fuſionem medicinæ, neceſſaria eſt ingreſſio ejus immediatè.

Tertia eſt Affinitas ſive vicinitas, inter Elixir & rem tranſmutandam, dans inhærentiam in obviationem ſui ſimilis & retentionem. Quia tertiò poſt medicinæ ingreſſionem, immediatè adhærentia conveniens eſt & neceſſaria.

Quarta eſt radicalis Humiditas, & ignea, congelans & conſolidans partes retentas cùm adhærentiâ ſui ſimilis, & unione omnium partium conſimilium inſeparabiliter in æternum; quia quartò poſt adhærentiam, opportuna eſt partium conſolidatio ſua radicali humiditate viſcoſa & neceſſaria.

Quinta eſt Puritas & Claritas mundificata, dans ſplendorem eminentem in combuſtione exiſtenti, non adjunctis poſt conſolidationem partium putrificatarum quę relinquuntur, quòd ignis agens actualis habeat comburere omnes ſuperfluitates extraneas non conſolidatas; quare ſequitur putrefactio immediatè, & eſt neceſſaria.

Sexta eſt Terra figens, temperata tenuis, ſubtilis, fixa, incombuſtibilis, dans fixionis permanentiam, in ſolutione adhærens, ſecum ſtans & perſeverans contra ignem; quia ſextò neceſſaria eſt fixio poſt purificationem & opportuna.

Septima eſt Tinctura dans colorem ſplendidum & perfectum, album & citrinum intenſum, dans lunificationem & ſolificationem rerum tranſmutabiliũ; quia ſeptimò poſt fixionem neceſſarius eſt, & ultimus color tingens ſeu tinctura, colorans materiam convertibilem in verum aurum vel argentum cùm omnibus ſuis differentiis certis & notis.

Calidius Philoſophus de aquâ noſtrâ dicit: Eſt enim ignis, quia omnia comburit & terit, argentum vivum eſt acetum. Unde Socrates in Turba dicit: Prima vis eſt acetum; id eſt, argentum vivum. Unde Turba: Si corpus abſque aceto ſuper ignem ponatis comburetur; id eſt abſque argento vivo. Turba dicit: Eſt acetum acerrimum quod facit corpus merum ſine quo nullus color venit.

Nota bene; In arte noſtri Magiſterii nihil eſt celatum à Philoſophis excepto ſecreto artis, quod non licet cuiquam revelare; quod ſi fieret, ille malediceretur, & indignationem Domini incurreret, & apoplexia moreretur. Quare omnis error in arte exiſtit, ex eo quod debitam materiã non accipiunt. Igitur venerabili utimini natura, quia ex ea & per eam & in ea generatur ars noſtra, & non in alio; & ideo magiſterium noſtrũ eſt opus naturæ & non opificis. Et ſic qui neſcit principium, finem non conſequitur; & qui neſcit quid quærit, neſcit etiam quid inveniet.

Scias ergo quòd æs, quod eſt Philoſophorum aurum, eſt aurum eorum. Dixit autem Senior: Aurũ noſtrum non eſt aurum vulgi. Quæſiviſti autem de viriditate, putans quòd æs eſſet corpus leproſum propter illam viriditatem quam habet. Unde enim tibi dico quòd totum illud, quod eſt perfectum in ære eſt, illa ſola viriditas quæ in ipſo eſt, quia illa viriditas per noſtrum Magiſterium vertitur citò in veriſſimum aurum noſtrum, & hoc experti ſumus. Nullo tamen modo poteris lapidem prępărare abſq; duen ech viridi & liquido, quod videtur in miñeris noſtris naſci. O benedicta viriditas, quæ cunctas res generas; unde noſcas quod nullum vegetabile, atque fructus nullus apparet germinando, quin ſit ibi viridis color. Similiter ſcias, quòd hujus rei generatio viridis eſt, quare Philoſophi germen ipſum appellaverunt. Et ſimiliter eam aquam vocaverunt ſuæ purificationis ſeu putrefactionis, & veritatem dixerunt, quia cùm ſuâ aquâ putrificatur ſeu puriſicatur à ſuâ nigredine: abluitur & album reddit ipſum, poſteà rubeum, unde ſcias quòd nulla ſit tinctura vera niſi ex ære noſtro. Coque ergo ipſum cum ſua animâ, tere, coque, reitera, donec ſpiritus conjungatur cum ſuo corpore, & unum fiant, & habebis intentum. Sapientes autem multa nomina illi impoſuerunt, ſed tu conſidera illam ſolam rem, quæ argento vivo & corporibus adhæret, & habebis ſcientiam veram. Sed ut non erres, ſcias quid ſit adhærere in corporibus. Aliqui dixerunt, quòd argentum vivum vulgi adhæret in corporib. quod eſt falſum. Putant enim ſe intelligere capitulum Gebris de argento vivo, ubi dicit: Cùm in rebus cæteris exquirentes, non invenimus inventione noſtrâ rem aliam magis quàm argentum vivum corporum naturis amicari, &c. Hoc autem totum intelligendum eſt de argento vivo Philoſophico. Ipſum enim ſolum adhæret in corporibus, & nullam aliam rem invenire potuerunt Philoſophi antiqui, nec moderni invenient aliã rem, quæ corporibus adhæret, niſi argentum vivum Philoſophicum. Quoniam argentum vulgare non adhæret in corporibus, imò corpora adhærent ipſo argento vivo. Et hoc eſt verum per experientiam, quia ſi conjungitur argentum vivum vulgi cùm aliquo corpore, argentum vivum manet in naturâ propriâ aut recedit, & non vertit corpus in ſuam naturam, & ideo non adhærer corporibus, ſed corpora adhærent ſibi. Et propter hoc multi ſunt decepti in operando in illo argento vivo vulgi. Quia lapis noſter ſcilicet argentum vivum occidentale quod prætulit ſe auro & vicit illud, eſt illud quod occidit & vivere facit. Scias ergo quod argentum vivum coagulatum, mortificatum propria natura, eſt pater mirabilium omnium hujus Magiſterij noſtri, & eſt ſpiritus & corpus; id eſt, ſpirituale corpus, quia ſublimatione aſcendit. Et hoc eſt quod Geber dixit: Conſideratio veræ rei quæ omnia perficit, eſt conſiderâtio electorum puræ ſubſtantiæ argenti vivi. Sed ex quibus maximè hęc argenti vivi ſubſtantia elici poſſit, ſolet quęri. Et nos reſpondentes dicimus quod in his in quibus eſt, ex illis elicitur. Ergo, fili, conſidera, & vide ubi ſit illa ſubſtantia, & iſtam accipe & non aliam, ſi pervenire deſideras ad verum intellectũ, &c. Dico tibi in charitate Chriſti, quòd nullo modo invenire potuimus, nec Philoſophi ſimiliter invenire potuerunt aliquam rem perſeverantem in igne, niſi ſolam illam unctuoſam humiditatem perfectam non cremabilem. Et illa quando eſt præparata, ut oportet, omnia corpora quę tangit ducit ad veriſſimum ſolare complementum, & ſuper omnia corpora, & maximè Lunam.

Radix artis, eſt ſapo ſapientum, & eſt minera omnium ſalium, & dicitur ſal amarum; quia oritur de minera maris, & eſt acurior omnibus ſalibus in ſuo genere, quia eſt minera, & cum eo calcinantur corpora & ſpiritus, & cùm eo fiunt reſolutiones & coagulationes Elixir.

Geber: Nota, quòd nullum argentum poteſt fieri

niſi

nisi omnia priùs solvantur. Secundò, quòd nulla solutio debet fieri, nisi in sanguine proprio vel appropriato: id est, in aquâ Mercurij, quæ dicitur aqua draconis. Tertiò, quòd illa aqua draconis debet fieri per alembicum sine omni alia re addita: & quòd in faciendo ipsum est maximus fœtor. Quartò, quòd cum illâ aquâ potest solvi amalgama, corpus & spiritus, cinabrium, & breviter omnia & singula quæ sunt de natura ipsius. Quintò, quòd illa aqua debet esse munda: ergò non debet fieri, nisi de dracone purgato; purgatur autem draco ipsum ter elevando, & inde ipsum vivificando. Sextò, quòd oportet ut solutum putrefiat in calido & humido; id est, in fimo equino, ex hac oritur una nigredo. Septimò, quòd coaguletur in sicco Solis in humido; id est, in balneo Mariæ. Octavò, quòd tempus perfectionis Elixir est ad minus unus annus. Est tamen videre, quod debet esse tempus fœtus humani in utero matris. Nonò, quòd Mercurius, nullo modo interficitur, nisi cum odore corporis perfecti rubei ad rubeum, & albi ad album; & quòd corpus potest dare pondus suo pondere remanente.

Quatuor sunt quibus opus nostrum completur, videlicet pondus, ignis, corpus & spiritus. Decimò, quòd omnes receptæ sunt spernendæ in arte. Undecimò, quòd rebus præparatis in vase positis, erit ludus puerorum, & quod in uno vase potest magisterium adimpleri. Item quicunque habet Mercurium verum, habet Elixir, & quòd Elixir est Mercurius mortificatus, seu fixus cum odore corporis, quia draco non moritur nisi cum fratre & sorore sua. Item nota, quòd oportet omnino, quòd de corpore fiat Mercurius: id est, quòd fixum fiat volatile cum volatili; id est, cum Mercurio mundo, & est necesse quòd plus sit de volatili quàm de fixo, à duplo usque ad quintuplum vel sextuplum usque ad decimum, & non ultra. Et quantò plures sunt partes volatiles, tantò tardius fixantur, & fixum fit volatile in spacio unius mensis. Et nota quòd non potest esse Elixir, nisi corpus & spiritus transeant per omnia elementa: id est, per naturas omnium elementorum, ut priùs fiant terra, postea aër; id est vapor, tertiò aqua, quartò ignis: infixa quòd fugiat ab igne; nam ignis vocatur omne illud quod non fugit ignem, & quod in igne non marcescit, nec consumitur.

Qui vult investigare hujus artis secretum, cognoscere eum oportet materiam primam nostrorum corporum, alioquin labore suo frustrabitur.

Prima materia corporum non est Mercurius vulgi, sed est vapor unctuosus & humidus. Nam ex humido fit lapis mineralis, & ex unctuoso fit corpus metallicum. In talem namque vaporem unctuosum oportet ut corpora convertantur, & in conversione corpora interimuntur, & granum corporis in mortem prosternitur, & totaliter mortificatur. Et hoc fit mediante nostra aqua alba & rubea. Et sic intellige, nisi granum frumenti; id est, granum corporis projectum fuerit in terram; id est, in suam primam materiam: id est, in unctuosum vaporem vel Mercurium Philosophorum & sapientum, &c. Et talis vapor dicitur lapis in capitulis librorum notus, & principium materiæ nostræ operationis, & sulphur unctuosum, ex quo in complemento extrahitur quinta essentia. Mercurius, tingens omne corpus in Solem vel Lunam, secundùm quod lapis fuit finaliter præparatus. Item nota, quòd quasi omnes Alchimiæ Sapientes antiqui, quoniam multa dixerunt, concludunt de sale, quod dicunt saponem Sapientum, & claviculam quæ claudit & aperit; & iterum claudit & nemo aperit: sine qua clavicula dicunt neminem in hoc seculo posse pervenire ad perfectionem hujus scientiæ; id est, nisi sciat salem post suam præparationem calcinare. Et dicunt quòd debet esse in loco temperato per tres dies, ut calor ignis & fumositates evaporent. Et ergo ex hoc concludo, quòd omnis bona & perfecta medicina Alchimiæ & Elixir, seu pulvis, oportet quòd sit in modum salis, & sit sal, & habeat virtutem salis, & sit lentissimæ fusionis & penetrationis, projecta super corpora metallorum, fusa vel ignita. Et hoc Geber etiàm monet, cùm dicit: Oportet quòd medicina sit velocioris fusionis quàm Mercurius, ità quòd citius fluat ante Mercurii fugam. Et quòd ignis ipsum consumere nec destruere possit. Et tunc dicitur sal fusibile & oleum incombustibile, & sapo sapientum. Item: Nota, sal metallorum transmutat Mercurium in verum Solem & Lunam. Et sic sal animalium transmutat quodlibet animalium in veram temperantiam & optimam complexionem. Ignis fimi est causa agens in opere digestionis lapidis nostri, nec valet ignis balnei Mariæ, quamvis etiam temperatissimus sit, loco illius. Unde Alphidius dicit; Igne coquere quem tibi ostendam, est se abscondere in equorum stercore humido, quod est sapientum ignis, humidus & obscurus, & est calidus in secundo & humidus in primo gradu. Cujus ignis proprietas est non destruere oleum; id est, materiam, sed augmentat propter suam temperatam humiditatem. Solus enim ille calor est æqualis & temperatus, & talis est summè necessarius in generatione istius rei. Unde Geber dicit: Quia sunt fumi subtilissimi, intemperata indigent decoctione, ut in seipsis secundum æqualitatem inspissentur. Solus enim calor temperatus est humiditatis inspissativus & mixtionis perfectivus, & non super excedens. Nam generationes & procreationes rerum naturalium habent solum fieri per temperatissimum calorem & æqualem, uti est solus fimus equinus humidus & calidus.

Hermes libro quarto Tractatuum.

Oportet illum qui introduci vult in hanc artem & sapientiam occultam, arrogantiæ vitium à se repellere, & pium esse ac probum, & profundum rationis, hominibus humanum, & sereni vultus & hilarem; salutare diligenter, ac arcanorum permanentium, sibi parentium observatorem. Fili, prius ante omnia moneo te, Deum timere, in quo dispositionis tuæ visus est, & adjuvatio cujuslibet sequestrati.

Geber libro perfecti Magisterii.

Artificem hujus scientiæ, oportet esse subtilissimi ingenij, & naturas metallorum & eorum generationes, infirmitates & imperfectiones in suis mineris scire & cognoscere, antequam perveniat ad hanc artem. Non autem ad ipsam indagandam accedat artifex grosso ingenio & duro repletus, nec cupidus, nec avarus in sumptibus vel expensis. Nec vir duplex animo, sine felle & cervice, vel mente variabilis, nec nimis festinus aut capitosus; Sed doctrinæ filius, vir subtilissimo ingenio decoratus, sufficienter locuples, largus, sanus, firmus in proposito & constans, patiens, mitis, longanimis & temperatus. Alphidius: Scito, fili, quòd istam scientiam habere non potes, quousque mentem tuam Deo purifices, & sciat Deus te habere certum animum ac rectum, & tunc Mundo dominari te facier. Aristoteles: ô si Deus sciret fidelem mentem in homine, utique revelaret sibi arcanum.

Corrector Fatuorum.

Unicuique arti ſcoriam imitari neceſſe eſt, illius naturæ cognoſcere cujus rei ſit natura, & ſic ars imitatur ſuam naturam. Scias fatue per artem ipſa dignoſcitur natura, nec emendari poteſt : nam naturæ non imitatori impoſſibile eſſet Philoſophorum ſecreta ad perfectum finem pervenire.

Hermes & Geber.

Qui hanc artem ſemel perfecerit, ſi deberet vivere mille millibus annis, & ſingulis diebus nutrire quatuor millia hominum non egeret, hoc confirmat Senior, dicens: Eſt ita dives habens lapidem de quo Elixir fit, ſicut qui habet ignem poteſt dare ignem cui vult & quando vult, & quantum vult ſine ſuo periculo & defectu. Ariſtot. 20. de Anima: Naturaliſſimum & perfectiſſimum opus eſt generare tale quale ipſum eſt.

Tabula Scientiæ majoris.

In primis habetur in Leone noſtro viridi vera meteria, & cujus coloris ſit, & vocatur Adrop, Azoth, aut Duenech viride.

In ſecundo habetur ſimiliter, & in trigeſimo qualiter corpora ſolvuntur in argentum vivum Philoſophorum : id eſt, in aquam Mercurij noſtri & fit unum corpus novum. In quarto, habetur putrefactio Philoſophorum, quæ nunquam fuit viſa diebus noſtris, & vocatur ſulphur. In quinto, habetur qualiter major pars iſtius aquæ, facta eſt terra nigra & fæculenta, de qua loquuntur omnes Philoſophi. In ſexto, habetur qualiter iſta terra nigra in principio ſtabat ſuper aquam, & paulatiné ſubmerſa eſt in fundo vaſis. In ſeptimo, habetur qualiter iſta terra ſoluta eſt in aquam iterum in colore olei, & tunc vocatur oleum Philoſophorum. In octavo habetur, qualiter natus eſt draco in nigredine, & paſcitur Mercurio ſuo, & interficit ſeipſum, & ſubmerſus eſt in eo, & aqua aliquantulum dealbatur, & iſtud eſt elixir. In nono habetur, qualiter aqua mundatur totaliter à nigredine & remanet in colore lactis, & multi colores apparent in nigredine. In decimo habetur, qualiter illæ nebulæ nigræ quæ erant in vaſe ſupra aquam, deſcenderunt in corpus ſuum unde exierunt. In undecimo habetur, qualiter ille cinis factus eſt albiſſimus, ut marmor coruſcans, & illud eſt Elixir ad album & fœtus eſt cinis. In duodecimo habetur, qualiter illa albedo converſa eſt in rubedinem tranſparentem ut rubinus, & iſtud eſt Elixir ad rubeum. Et ſi vis bene intelligere, totum opus lege de parte in partem & videbis mirabilia. Hæc omnia vidi in diebus noſtris uſque ad leonem. Ego non dixi omnia apparentia & neceſſaria in hoc opere, quia ſunt aliqua quæ non licet homini loqui. Depinxi tamen uſque ad complementum, licet non viderim. Scio quia de neceſſitate opus ad talem perveniat naturam. Et impoſſibile eſt hoc ſciri, niſi à Deo ſciatur, aut à magiſtro qui eum doceat. Et ſcias quòd hæc eſt longiſſima via, ergo patientia & mora ſunt neceſſariæ in noſtro magiſterio. Argentum vivum eſt ſal commune, unde Roſarius dicit: Sal commune aurum & argentum ſolvit, & auget in auro rubedinem, & in argento albedinem, & mutat æs à corporalitate ad ſpiritualitatem, & cum ea re calcinantur corpora. Unde Lumen luminum: Si hoc ſal omnipotens Deus non creaſſet, non perficeretur Elixir, & vanum eſſet ſtudium Alchimicum. Nota, quatuor ſunt Mercurij, videlicet Mercurius crudus, Mercurius ſublimatus, Mercurius Magneſiæ, & Mercurius unctuoſus. Sed Magneſia eſt Luna plena. Mercurius Philoſophorum : id eſt, materia in qua continetur Mercurius Philoſophorum. Et eſt ille quem natura paululum operata eſt, inmetallicam formam formavit, tamen imperfectum reliquit. Hæc ille : Notandum quòd talis res quæ dicitur medium ingreſſionis, quæ neque eſt perfecta, neque ex toto imperfecta. Quia ex nihilo nihil fieri poteſt, & quòd natura non perfecit in ipſa, ipſe artifex adjuvando naturam ipſam poteſt reducere de imperfectione ad perfectionem. Et ille dicitur lapis inviſibilitatis, lapis ſanctus, res benedicta. Geber.

Argentum vivum aduſtionem non habet. Eſt ergo ejus depuratio terreſtreitatis & aquoſitatis remotio per ingenium, quod ſi fuerit purum, coagulabit illud vis ſulphuris albi non urentis, in argentum : & illa eſt res optima ut per artificium ex eo fiat Elixir ad argentum. Si autem fuerit ſulphur rubeum optimum naturæ non urentis erit res optima, ut fiat ex eo Elixir ad aurum. Tale ſulphur eſt ſulphur noſtrum & ſapientum, & non reperitur ſuper terram, niſi quod ex illis corporibus extrahitur. Arnoldus : Sulphur quod eſt occultum in argento vivo, eſt dans formam auream ipſi argento vivo per virtutem coloris ſulphuris miheralis ejus extrinſeci. Avicenna : Tale ſulphur non reperitur ſuper terram, niſi illud quod eſt in corporibus. Ideo corpora illa ſubtiliter præparentur, ut ſulphur habeamus ſuper terram. Nam corpus perfectum per noſtrum magiſterium juvat & perficit imperfectum, ſine mixtione alicujus rei extraneæ. Aliàs ſulphur cujuſcunque generis fuerit, fuſionem rectam impedit, ut patet in ferro, quia non funditur, quia ſulphur fixum in ſe habere dignoſcitur. Si verò fixum non fuerit, fuſionem rectam anticipans, impeditur ab igne & comburitur & evaporat, ut patet in plumbo & in alijs corporibus infirmis. Ideo ſulphur vulgare non eſt de veritate noſtræ artis, neque de perfectione ejus, quoniam perfectum impedit in omnibus operationibus ſuis. Unde Geber : Sulphur nunquam niſi calcinetur poteſt figi : & cùm fuerit calcinatum, nullam dat omnino fuſionem. Senior : Sulphur & arſenicus non eſt vera medicina hujus magiſterij, quia non complent nec perficiunt, ut ſufficienter notum eſt de omnibus minoribus mineralibus. Albertus : Sulphuris proprietatis eſt Mercurium congelare & cum Mercurio perficere. Sed tinctura ſolum exiſtit ex duobus perfectis corporibus, ex quibus ſulphura illa elici poſſunt.

Philoſophus : Fundamentum artis eſt Sol, & ejus umbra. Morienes dicit : Tres ſpecies ſufficiunt ad totum magiſterium, ſcilicet fumus albus : id eſt, vis quinta, ſcilicet aqua cœleſtis : & Leo viridis : id eſt, Aes Hermetis, & aqua fœtida, quæ mater eſt omnium metallorum, ex qua & per quam, & cum qua præparant Philoſophi ipſum, ſcilicet Elixir in principio & in fine. Has igitur tres ſpecies ad ejus confectionem nemini detegas. Sed ſtultus hoc magiſterium tractat circa quamlibet aliam rem. Arcanum Philoſophorum ſecretiſſimum. Hermes pater Philoſophorum dicit : Tres partes habet Philoſophia, ſcilicet Solem, Lunam, Mercurium. Ex illis conjunctis pater Hermes ſcivit conficere tincturam. Johannes de Aquino : Qui auri deſtructionem ignorat, conſtructionem ejus ex curſu naturæ neceſ-

necessario habet ignorare: faciliùs itaque est aurum construere quàm destruere. Qui verò sine his tincturam efficere credit, cæcus procedit ad practicam, sicut asinus ad cœnam. Quia corpus non agit in corpus, nec spiritus in spiritum, eò quòd forma non recipit impressionem à forma, nec materia à materia, quia simile in suo simili non habet actionem & passionem, cùm neutrum eorum sit dignius altero, quia par in parem non habet imperium. Unde Aristoteles: Nulla est generatio vera nisi ex convenientibus in natura. Quoniam res non fiunt nisi secundùm earum naturam. Nunquam enim sambucus profert pyra, nec rubus mala granata: Nec arbor mala bonos potest facere fructus. Item dicit Philosophus: Mercurius noster convertitur in omnem naturam vel naturas, cum quibus junctus fuerit vel divisus.

Philosophus: Qui aurum scit destruere quod per amplius non erit aurum, ille ad maximum arcanum pervenit. Alius dicit Philosophus: Difficile est aurum destrui, difficillimè construi, facilius est destruere accidentale quàm essentiale. Aurum est totum Mercurius, quod patet ex ipsius pondere: & ex ipsius Mercurij facili combinatione: ergo in ipso est totalis & radicalis Philosophorum intentio & voluntas. Has enim virtutes & excellentias acquisivit mediante calore cœli & planetarum motu, quas per se creare est impossibile nisi per accidens. Ad hæc autem omnia in Mercurio, si artifex opus incipit pervenire quidem posset cum meditatione, suffragio ignis, & ingenio, quod laboris est copia. Albertus: Unde patet quòd multa quantitas argenti vivi est causa perfectionis in corporibus. Multa verò sulphureitas, scilicet immunda, est causa perfectionis & corruptionis. Euclides vir sapientissimus nobis consulnit ut nihil operemur nisi in Sole & Mercurio simul junctis, in quibus lapis Philosophorum consistit. Ex perfecto nihil fit, quia jam perfectum est, prout ista natura seu artificium, habemus exemplum in pane. Panis fermentatus & coctus, est perfectus in suo statu seu esse, & ad suum ultimum finem pervenit, nec ex eo plus poterit fermentari sicut est in auro, aurum purum deductum est per examen ignis in corpus firmum & fixum, & cum eo amplius fermentare omnino impossibile est apud Philosophos, nisi habeatur materia prima metallorum, in qua resolvatur aurum in primam materiam, & in elementa miscibilia. Recipiamus ergo illam materiam, unde erit aurum, & mediante artificio, deducitur in verum fermentum Philosophorum. Et mutemus hoc cum ingenio in materiam perfectam, vel in spiritum corporum perfectorum. Quare multi inter modernos laborantes etiam Philosophi sunt decepti, quia opus dimittunt ubi esset incipiendum. Heu vobis doctrinæ filij, qui speratis fructum colligere antequam maturi sunt, & speratis metere ante messem. Alius Philosophus: Ex perfecto nihil fieri potest, quoniam rerum species perfectæ in sua natura non mutatur, sed potiùs corrumpitur: neque ex imperfecto penitùs secundum artem aliquid fieri potest. Ratio est, quia ars primas dispositiones inducere non potest, sed lapis noster est res media inter perfecta & imperfecta corpora, & quòd natura ipsa incœpit, hoc per artem ad perfectionem deducitur. Si in ipso Mercurio operari incœperis, ubi natura reliquit imperfectum, invenies in eo perfectionem, & gaudebis.

Perfectum non alteratur, sed corrumpitur. Sed imperfectum bene alteratur: ergo corruptio unius est generatio alterius.

Speculum. Necesse est quòd lapis noster extrahatur de natura duorum corporum, antequam de eo fiat Elixit completum: quoniam est necessarium quòd Elixir magis sit depuratum, & digestum quàm aurum & argentum eò, quòd ipsum habet convertere omnino à perfectione diminuta in aurum Philosophorum vel argentum, quòd ipsa minimè perficere possunt. Quia si de perfectione sua alteri darent, ipsa imperfecta remanerent, eò quòd non possunt tingere nisi in quantum se extendunt: quoniam nulla res dealbat, nisi secundùm suam albedinem: nec ulla res rubificat, nisi secundùm suam rubedinem. Et ideo ad hoc fiunt opera in lapide nostro ut melioretur ejus tinctura in eo plus, quàm in sui natura. Et etiam ut fiat Elixir juxta Sapientum allegoriam compositum ex speciebus limpidis condimentum, antidotum, medicina & purgamentum omnium corporum purgandorum, tranformandorum in lunificum & solificum verum. Hermes.

Ibi fit conjunctio duorum corporum, & est necessaria in nostro magisterio. Et si unum istorum duorum corprum tantùm non esset in nostro lapide, nunquam aliquo modo tincturam daret. Ideo dicit Philosophus, portavit eum ventus in ventre suo. Planum est ergo quòd ventus est aër, & aër est vita, & vita est anima: id est, oleum & aqua. Arnoldus: Ordines inter quantitatem ignis experimentum demonstrat mediocrem. Quoniam in solutione ignis semper erit lenis, in sublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis. Si verò istis nescienter erraveris, casum sæpissimè & laborem deflebis: Oportet ergo ut sedulus operi insistas: quoniam ars ab ingenio juvatur, & ingenium ab arte similiter. Sed & Soli complemento intendas, alia prætermittas. Sanctus Thomas de Aquino: Est autem materia lapidis aqua grossa. Agens autem est calor aut frigus congelans illam aquam. Idem: Et credas preciosiores esse lapides qui procedunt ab animalibus quàm alij.

Lumen luminum: Nullum tamen genus lapidum poterit præparare, absque duenech viridi & liquido quod valet, & in mineris nostris nascitur. Rasis:

Fili, contemplare altissima mundana, quæ sunt à dextris & à sinistris, & ascende illuc ubi lapis noster invenitur, & in illo monte qui fert omne genus pigmentorum & specierum similiter & minera.

Malchamech: Lapis qui est in hoc opere necessarius de re animata est. Hunc invenies ubique in planitie, in montibus & aquis, & habent eum tàm divites quàm pauperes. Estque vilissimus atque carissimus, crescit ex carne & sanguine, quam pretiosus homini scienti illum. Ex thesauro Philosophiæ: Dixerunt Philosophi, quòd lapis noster est ex spiritu, corpore, & anima, & verum dicunt. Nam corpus imperfectum dixerunt corpus, fermentum animam & aquam spiritum, & bene quidem. Nam corpus imperfectum per se est corpus grave & infirmum & mortuum. Aqua est spiritus, corpus purgans, subtilians & dealbans. Fermentum est anima quæ corpori imperfecto vitam tribuit, quàm priùs non habebat, & in meliorem formam perducit. Corpus est Venus & fœmina, spiritus est Mercurius & masculus, anima est Sol & Luna. Corpus habet liquefieri in primam materiam suam, quæ est Mercurius, ut dicit Morienes: Mercurius noster non habetur nisi ex corporibus liquefactis, liquefactione

ctione non vulgari, ſed ea tantùm quæ durat donec conjuges vero matrimonio ſociantur & uniuntur, & hoc uſque ad albedinem. Morienes dicit: Accipe flegmaticum & colericum, & terite ſanguineum cum eis donec ſanguineum fiat cœlum tingens. Hermes: Intelligite filij ſapientum, quòd hic lapis precioſiſſimus clamet: Protege me, protegam te: largire mihi jus meum ut te adjuvem. Sol enim meus & radij mei intimi ſunt in me. Luna verò mihi propria eſt, & lumen meum omne lumen ſuperat, ac mea bona omnibus bonis ſunt ſublimiora. Gaudium & lætitiam, & divitias, & delitias optantibus largior multas, & cùm quid inquiro, agnoſcunt: eos intelligere facio, & divinam vim poſſidere facio.

Ego gigno lumen, tenebræ autem naturæ meæ ſunt, niſi metallum meum eſſet ſiccum. Omnia corpora me indigent, eò quòd ea liquefacio: eorum rubiginem deleo, & ſubſtantiam extraho. Me igitur & filio meo conjuncto, nil melius ac venerabilius in Mundo fieri poteſt.

Vaſis diſpoſitio ad Opus noſtrum conveniens ſecundum traditionem cujuſdam Ferrarij nomine dictum.

Fiat concha vitrea rotunda cujus fundus parvæ ſit quantitatis ad modum parapſidis. Et in medium ejus ſpondilium formetur zona vitrea circundans eam. Et ſuper illam zonam paries fundetur rotundus æquè diſtans à conchæ pariete ad groſſitiem cooperculi ipſius conchæ, ita quod in diſtantia hac cadat paries coopertorij largè ſine preſſura. Altitudo verò parietis hujus ſit ad menſuram altitudinis parietis conchæ, aut parum plus aut parum minus. Formentur verò duo coopertoria ad menſuram hujus concavitatis duorum parietum æqualia, quorum longitudo ſit æqualis, & ſit quælibet duarum magnarum palmarum, & figura eorum una ſcilicet pyramidalis: In quorum capitibus duo æqualia ſint foramina, unum videlicet in uno, & alterum in altero, in quib. ambobus poſſit cadere una gallinæ penna. Eſt autem tota vaſis intentio, ut poſſit removeri ſecundùm artificis voluntatem coopertorium illius: & quòd junctura ſit ingenioſa, per quam ſine lutatione aliqua, non pateat ſpiritibus: id eſt, Mercurio & lazmer egreſſio. Specialis intentio ſuper hoc eſt, ut concha inferior cum ſpondilibus ſuis uſque ad medium ſubintret coopertorium ſuum.

Hermes: Draco non moritur niſi cum fratre & ſorore ſua interficiatur, non per unum ſolùm, ſed per ambo ſimul, ſcilicet per Solem & Lunam.

Philoſophus: Mercurius nunquam moritur niſi cum ſua ſorore interficiatur: id eſt, cum Luna vel Sole illum congelare oportet. Nota quòd Draco eſt argentum vivum, extractum à corporibus, habens in ſe corpus, animam & ſpiritum, ſuper quo dicit: Draco non moritur niſi cum fratre ſuo & ſorore ſua: id eſt, Sole & Luna: id eſt, ſulphure extracto habente in ſe naturam humiditatis & frigiditatis ratione Lunæ, cum illis Draco moritur: id eſt, argentum vivum ab eiſdem corporibus extractum à primordio, quæ eſt aqua permanens Philoſophorum, quæ fit poſt putrefactionem, & poſt ſeparationem elementorum: & aqua illa alio nomine dicitur aqua fœtida.

Unde Philoſophus: Omnia fert ſecum quæ indiget hæc aqua fœtum. Ariſtoteles ſecundo Phyſicorum: Ridiculum eſt ex perfecto facere imperfectum melius.

Bonellus Philoſophus: Æs quod prædixi non eſt Æs, neque ſtannum vulgi, ſed eſt verum opus noſtrum. Quia oportet corpori magneſiæ miſceri ut coquatur & teratur cum aqua vitæ, donec diruatur. Habere autem vos oportet hujus filij artis aquam multam, & hoc continuò donec per partes aquæ appoſuiſti, & maxima pars terræ fuerit ſoluta. Avicenna: Quod fit ſpirituale in vaſe ſurſum aſcendit. Quod verò ſpiſſum & groſſum in vaſe remanet deorſum. Et niſi corpus ita denigraveris & deſtruxeris, donec aqua non vult miſceri ei, vel recipi à terra, nihil conſequeris. Nam quando fit pulvis ſpiritualis in vaſe; manet deorſum. Ideo niſi omnia vertas in pulverem ſpiritualem non dum eam contriviſti. Et quod facis in albo corpore, fac & in rubeo: quia hæc medicina eſt in eſſentia una, & in modo agendi ſimiliter una. Verſus:

Æs in aquam puram nil plus perficere cura,
Tinctura gymme de rebus fixis in igne.
Solvitur in igne rata, lapis eſt aqua fixa gelata,
Quum redit in formam primum ſic percipe normam,
Tunc erit æs noſtrum Lapis inſtar Philoſophorum.

De Sale Philoſophorum.

Tres ſunt Lapides, & tres Sales ſunt, ex quibus totum magiſterium conſiſtit: ſcilicet mineralis, plantalis, & animalis. Et ſunt tres aquæ, ſcilicet Solaris, Lunaris, & Mercurialis. Mercurius eſt minera, Luna planta, quia recipit in ſe duos colores, albedinem & rubedinem. Et Sol eſt animalis, quia recipit tria, ſcilicet conſtrictionem, albedinem & rubedinem, & vocatur animal magnum. Et ſal Armoniacus fit ex eo. Et Luna vocatur planta, & ſal Alkali fit ex ea. Mercurius verò vocatur lapis mineralis, & fit ſal commune de eo. Item: Quando Philoſophi viderunt rem hujus artis diſſolutam, vocaverunt eam, ſalem Armoniacum. Et quando fuit putrefactum, tunc dixerunt lapis noſter eſt vilis, & in ſterquilinio invenitur. Et multi foderunt, & in ſtercore operati ſunt, & nil invenerunt. Et quando fuit in aquam converſus, habent eum tam divites quàm pauperes & invenitur in omni loco, & in quolibet tempore, & apud omnem rem, cùm inquiſitio aggravat inquirentem. Et quando fuit dealbatus, vocaverunt eum Arſenicum, & nomine omnis rei albæ, & luc virginis. Et quando fuit rubea, vocaverunt ſulphur, jacintum, & ſanguinem, & nomine cujuſlibet rei rubeæ.

Gratianus: De omni re poteſt fieri cinis, & de illo cinere poteſt fieri ſal, & de illo ſale fit aqua, & de illa aqua fit Mercurius, & de illo Mercurio per diverſas operationes fit Sol.

Arnoldus: Cinis verò iſte fuſione caret: qualiter autem ingrediatur ut tingat, certè liquefactio ſibi redditur, ſive ſudor, per modum à Philoſophis traditum. Quis ergo modus eſt ille, eſt ne in aquam ſolvendo? certè non: quoniam Philoſophi non curant de aquis tangenti adhærentibus, & hujuſmodi humiditatibus.

Philoſophus: Quicunquè vult corpora & ſpiritus alterare, & mutare à ſua natura, oportet ut prius reducat ad naturam ſalium & aluminum, aliter nil faciet, deinde ſolvat ea.

Philoſophus: Salia & alumina ſunt, quæ ab operibus noſtris fiunt. Unde Arnoldus: Qui haberet ſal fuſibile, & oleum incombuſtibile, laudaret Deum. Avicenna ait: Si vis ditari, præpara ſales, donec ſint aqua pura: quoniam ſales convertuntur

tuntur in spiritum igne. Sales sunt radices tui operis. Hermes: Omnia salia cujuscunque generis arti nostræ sunt contraria, dempto sale nostræ lunariæ. Arnoldus: Ratio autem quòd non sit in salibus seu aluminibus est: quia factus est, qui quærit à natura quod in ea non est. Philosophus: Sal metallorum dat solvere Mercurium in aqua pura sub fimo. Et illud mixtum coagulatum erit perfecta medicina.

Nota, omne sal bene præparatum, redit ad naturam salis armoniaci, & totum secretum est in sale communi præparato. Nota Vitriolum Romanum habet naturam lapidis metallorum, & est calidum & siccum. Item: Alumen videtur esse mercurius coagulatus, sed deficit à suo complemento, calidum & humidum: & dicitur compar unius: id est, Mercurius. Qui ergò scit salem & ejus solutionem, ille scit secretum occultum antiquorum sapientum. Pone ergo mentem tuam super salem, nec cogites de alijs. Nam in ipsa sola occultatur scientia & arcanum præcipuum, & secretissimum omnium antiquorum Philosophorum.

CONJUNCTIO sive COITUS.

Aristeus in visione.

Conjunge ergo filium tuum Gabricum dilectiorem tibi in omnibus filijs tuis cum sua sorore Beya, quæ est puella fulgida, suavis & tenera. Gabricus est masculus, & Beya fœmina, quæ ipsi dat omne quod ex ipsa est.

O natura benedicta, & benedicta est tua operatio, quia de imperfecto facis perfectum. Idcirco non assumas ipsam naturam nisi puram, mundam, crudam, amœnam, terream & rectam. Si verò secus feceris, non proderit quicquam. Vide quod nil contrarium intret cum lapide nostro, nisi ipsum solum pone. Conjunge ergo servum nostrum sorori suæ odoriferæ & inter se filium gignent, qui non assimilabitur parentibus. Et quamvis Gabricus sit charior Beyæ, tamen non fit generatio sine Gabrico. Gabrici enim cum Beya concubium protinus mortuum est. Nam Beya ascendit super Gabricum; & includit eum in suo utero, quòd nil penitùs videri potest de eo. Tantoque amore amplexata est Gabricum, quod ipsum totum in sui naturam concepit, & in partes indivisibiles divisit. Unde Masculinus ait: Versus:

Quæ quasi lac fuerat conceptio sanguinem mutat,
Pallida nigrescunt, rubea diffusa nitescunt,
Candida mulier, si rubeo sit nupta marito,
Mox complexantur complexaque copulantur.
Per se solvuntur, per se quoque conficiuntur,
Ut duo qui fuerant, unum quasi corpore fiant.

Unde Maria soror Moysi dicit: Matrimonifica gummi cùm gummi vero matrimonio, & fac illa sicut aquam torrentem. Astanus.

Spiritus non conjunguntur corporibus, donec perfectè fuerint depurati. Et in horâ conjunctionis maxima apparent miracula. Tunc enim corpus imperfectum coloratione firma coloratur fermento mediante, quod fermentum est anima corporis imperfecti. Et spiritus mediante anima cum corpóre conjungitur & ligatur, & cùm eâ simul in colorem fermenti convertitur, & fit unum cum eis. Basius dicit: In perfecto magisterio lapides non recipiunt se ad invicem, nisi utrique priùs fuerint mandati. Non enim recipit corpus spiritum, neque spiritus corpus, ità quòd spirituale fiat corporeum, vel corporeum spirituale, nisi priùs fuerint ab omni sorde depurati perfectissimè. Senior: O Sol tu mei indiges, sicut gallina gallus indiget, & ego ind geo opere tuo. Alexander in secretis naturæ; scias quòd nullus natus nascitur, nisi ex viro & muliere.

Hermes tractatu secundo: Hoc, fili, noscas, quòd nisi quis sciat ducere, & prægnantem facere, & generare species nil fit, nec aliquid peragitur. Si autem hoc fecerit, maximæ dignitatis erit.

Rosinus Philosophus: Artis auri arcanum sit ex masculo & fœmina, quia fœmina masculi vim recipiens lætatur, eò quòd fœmina masculo roboratur. Alphidius: Fili per fidem glorioſi Dei, complexio est ex complexione inter duo luminaria, masculinum & fœmininum. Deinde seipsa complectuntur & coeunt, & lux moderna ab eis gignitur, cui nulla lux similis est per totum Mundum. Senior:

Ex duabus aquis unam facite aquam. Si verbulum meum intellexistis, omne regimen sub pedibus vestris erit. Rosarius: Oportet te duas aquas habere, una est alba, altera verò rubea.

Senior: Hæc aqua est in quâ congregatæ sunt potentiæ albedinis & rubedinis. Hali, Philosophus & Rex Arabiæ in suo Secreto dicit: Accipe canem coëtaneum, & catulam Armeniæ, junge simul, & hi duo parient tibi filium canem, coloris cœlici; & iste filius servabit te in domo tua ab initio in hoc Mundo & in alio. Senior: Servus rubicundus candidam duxit uxorem, & in istorum conjunctione uxore gravida remanente, peperit filium, qui in omnibus suos genitores servavit, & est splendidior & lucidior. Rosinus Philosophus: Hic enim lapis est clavis; conamque excepto nihil fit, lapis enim noster est fortissimi spiritus, amarus & æneus, cui corpora non miscentur quousque dissolvatur. Et si verò nomine nuncuparem, insipientes eum esse non crederem. Arnoldus: Tu qui cupis investigare hujus Artis secretum cognoscere te oportet primam metallorum materiam, alioquin tuo labore frustraberis. Rosinus: Ultimur vera natura, quoniam natura non emendat naturam, nisi in suam naturam. Tres sunt lapides Philosophorum principales, videlicet, Mineralis, animalis, & vegetabilis. Lapis mineralis, vegetabilis, animalis, triplex in nomine unus in esse.

Spiritus est duplex scilicet tingens & præparans. Albertus: Spiritus præparans res dissolvit, & à corpore magnesiæ extrahit, & iterum ad ipsum corpus reducit. Senior dicit: & ipse est præparator & extractor animæ à corpore ejus, & ipse reducit ad corpus suum. Spiritus tingens dicitur quinta essentia, quæ est vis & anima stans, profundans & penetrans. Unde liber trium verborum. Oportet te extrahere quintam essentiam, aliter in vanum laborabis, & hoc sine dubio absque aqua fieri non potest. Secundus verò spiritus est extrà corpus, & est aqueæ naturæ, & est tingens corpus in Elixir ut Turba dicit: Masculus verò hic est corpus, & fœmina hæc est spiritus. Arnoldus: Quod spiritus non alteratur à corpore, ita quòd amittat suam virtutem spiritualem, sed omne corpus alteratur à spiritibus & tingitur. Aristoteles: Notate ergo verba, signate mysteria, quia spiritus qui solvit terram albam foliatam, non permanet aliquid eorum fixum, nisi occupaveris ipsum cùm corpore illo de quo præparatum erat in principio, Aqua permanens sive perennis sive vinum ardens, dicitur aqua corporis; id est, quando corpus est redactum in Mercurium: Item absque aqua permanente nihil fit, dicitur etiam

etiam aqua vitæ. Unde Philoſophus: Juro Deum cœli, nihil aliud eſt ars, quàm lapidem ſolvere & coagulare ſemper. Et iterum: Solum cum ardente vino poſſes complere Elixir perfectum. Aqua Philoſophorum vocatur vas Hermetis, de qua Philoſophi ſic ſcripſerunt: In aqua noſtra fiunt omnes modi, ſcilicet ſublimatio, diſtillatio, ſolutio, calcinatio, fixio. In dicta aqua fiunt tanquam in vaſe artificiali, quod eſt maximum ſecretum. Et aqua eſt pondera ſapientum, ideo aqua & ignis tibi ſufficiunt ad totum opus, aqua noſtra fortior eſt igne: quia facit de corpore auri merum ſpiritum, quod ignis facere non poteſt. Et ignis reſpectu ejus eſt tanquam aqua reſpectu ignis vulgaris. Ideo dicunt Philoſophi: Comburite æs noſtrum igne fortiſſimo. Ariſtoteles: In regimine principum dicit ad Alexandrum de quatuor elementis. Quando habueris aquam, id eſt, Mercurium ex aëre: id eſt, Sole, & aërem ex igne, ſcilicet ſpiritum Mercurij, & ignem, ſcilicet Mercurium ex terra, ſcilicet Lunæ, tunc plenè habebis artem. Unde Philoſophus: Lapis noſter tranſit in terram, terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem, ibi eſt ſtatus, ſed deſcendetur econverſò. Opus album completur tribus elementis, in quo non eſt ignis, ſcilicet tria pondera terræ, duo aquæ, unum aëris. Ad Elixir verò Solis, mitte duo pondera terræ, aquæ tria, aëris unum cum dimidio, & de igne id eſt fermentum rubeum.

Raſis in Libro magno præceptorum ſic ait: Quicunque ignorat pondera non laboret in noſtris libris quia Philoſophi nil ſuarum rerum poſuerunt, nec aliud occultaverunt niſi hæc.

Turba dicit: Noſtra contritio non fit manibus, ſed fortiſſima decoctione. Calidius: Minor ignis omnia terit. Nota: differentia eſt inter elementum & elementatum, & quintam eſſentiam. Elementum eſt primum componibilium, unde nec terra, nec aqua, nec aër, nec ignis purum elementum eſt, & ſimplex apud nos: quia inter ſe invicem iſta commiſcentur, & maximè in illa parte ubi ſe conjungunt. Sed quinta eſſentia eſt corpus per ſe ſubſiſtens, differens ab omnibus elementis & elementatis, tàm in materia quàm in forma, tàm in natura, quàm in virtute, non habens in ſe cauſam corruptionis, & dicitur quinta eſſentia: ideo quia ex omnibus elementatis eſt extracta, nec in ea eſt motus elementalis, ſicut in alijs corporibus elementalibus. Lapis ergo dicitur omnis res: quia habet in ſe & de ſe omnem rem neceſſariam de ſua perfectione. Ubique invenitur propter elementorum participationem: omnibus nominibus nominatur, propter naturæ ſuæ dignam & mirabilem colorum varietatem: & viliſſimus per putrefactionem, & chariſſimus per virtutem, apud Philoſophos eſt hoc magiſterium tectum & abſconditum. Lapis noſter dicitur una res, quando corporis ſubſtantia & aqua præparatur indivisè, ita quòd unum illorum ſeparari ab altero non poteſt. Lapis noſter dicitur eſſe de materia combuſtibili, & ſolus Mercurius ſpiritus eſt incombuſtibilis & aëreus, & ideo oportet quòd ſit in magiſterio. Item: Lapis quem Philoſophi quærunt in quo ſunt elementa prima mineralium, tinctura & calx, anima & ſpiritus cum corpore, fixum & volatile, eſt Mercurius ſcilicet non quilibet, verùm ille circa quem natura ſuas primas operationes determinavit ad naturam metallicam, & imperfectum reliquit. Hunc autem lapidem ſi extraxeris ab illa re, in qua invenitur, & circa ipſum incœperis operari ad perfectionem, incipiendo in eo, ubi natura illum reliquit, invenies in eo perfectum, & gaudebis.

Argentum vivum per ſe nil valet, cùm verò mortificatur cum corpore ſuo occulto, tunc valet & vivit vita incorruptibili, & hoc corpus eſt de natura Solis, ideo neceſſe eſt quòd totum argentum vivum convertat in naturam Solis, ſicut fermentum totam paſtam convertit in fermenti naturam, non autem econverſò: quia ſemper dominatum transfertur ad dominans. Lapis noſter apud omnes Philoſophos nominatur Mercurius qui non eſt natus, ut multi putant, ſed de corpore extractus. Lapis Philoſophorum ex tribus, ſcilicet Sole, Luna & Mercurio: id eſt, fac Mercurium ex Sole & Luna in ſuo eſſe ſine Mercurio vulgi, ſed per viam Philoſophicam. Nota: Hic lapis eſt unus in toto Mundo, & qui ab hoc uno in principio operis erraverit in vanum laborat. In toto Mundo non eſt alia res neceſſaria in opere noſtro niſi iſte lapis nobis Solis filijs datus. Arnoldus: In noſtro lapide ſunt Sol & Luna in virtute & potentia, ac etiam in natura. Si hoc eſſet, non fieret inde Sol neque Luna, quia Sol & Luna in noſtro lapide ſunt meliores, quàm vulgaris in ipſorum natura, eò quòd Sol & Luna in noſtro lapide ſunt vivi, & vulgares ſunt mortui reſpectu Solis & Lunæ in noſtro lapide. Ideo Philoſophi nominaverunt ipſum lapidem Solem & Lunam invicem: quia in ipſo ſunt potentialiter & non viſibiliter, ſed in virtute & in eſſentia. Quare dicit Hermes: Quia lapis noſter clamat, dicens: Fili, adjuva me, & ego adjuvabo te.

CONCEPTIO ſeu PUTREFACTIO.

Ariſtoteles Rex & Philoſophus.

Nunquam vidi aliquod animatum creſcere ſine putrefactione, niſi autem fiat putridum, in vanum erit Opus Alchimicum.

Morienes: Hæc terra cum aqua ſua putrefit & mundificatur, quæ cùm fuerit mundificata, auxilio Dei totum opus dirigetur.

Parmenides Philoſophus: Niſi corpus diruatur, confringatur & putreſcat, & convertatur in ſubſtantia ſubſtantiali, non poteſt illa virtus occulta extrahi nec corpori commiſceri.

Baccho Philoſophus: Quando naturæ corrumpuntur & putreſcunt, tunc gignunt. Plato Philoſophus: Habemus exemplum in ovo quod putreſcit primò, & tunc gignitur pullus, qui poſt totum corruptum eſt animal vivens.

Plato: Nota, quòd ſine corruptione generatio fieri non poteſt, unde ſtudeas in putrefactione. Philoſophus: Corruptio unius, generatio eſt alterius.

Hermes: Secundus gradus eſt putrefacere & terere. Diſpoſitio itaque ejus ipſum primò denigrare & putrefacere. Plato: Primum regimen Saturni eſt putrefacere, & Soli imponere. Compoſitio verò fit ex quatuor noctibus.

Democritus: Non ſis piger nec velox multum in putrefaciendo calculos, & corpora collocata & conjuncta, attende in opere tuo, & proficies. Roſinus ad Euthyciam: Accipe animal marinum, deſicca & putrefac. Morienes: Nullum creſcens & naſcens fit niſi poſt putrefactionem. Si autem putredo non fuerit, fundi nec ſolvi poterit, & ſi ſolutum non fuerit, in nihilum redigetur.

Morienes: Lapis noſter eſt confectio ipſius magiſterii, & aſſimilatur in ordine creationi hominis.

Nam

Nam primum est coitus, secundum conceptio, tertium prægnatio, quartum ortus, quintum sequitur nutrimentum. O charissime, hæc verba Morienis intellige, & non errabis in veritate. Aperi ergo oculos tuos & vide, quòd sperma Philosophorum est aqua viva: terra autem est corpus imperfectum, quæ terra meritò dicitur mater: quia est mater omnium elementorum. Ideo quando sperma conjungitur cum terra corporis imperfecti, tunc coitus appellatur; tunc enim terra corporis dissolvitur in aquam spermatis, & fit aqua sine divisione una.

Unde Hali: Solutio corporis & coagulatio sunt duo, sed habent unam operationem. Quia spiritus non coagulatur, nisi cum solutione corporis. Nec corpus dissolvitur, nisi cum coagulatione spiritus, & corpus & anima quando conjunguntur, agit utrumque in suum simile. Exemplum: Cùm aqua conjungitur terræ, aqua cum tua humiditate & virtute conatur eam dissolvere: nam facit eam subtiliorem, quàm priùs erat, & reddit eam consimilem sibi: quia aqua est subtilior terra, similiter facit anima in corpore. Et eodem modo intpissatur aqua cum terra, & fit consimilis terræ indensatæ, quia terra spissior est aqua. Ideo inter solutionem corporis & coagulationem spiritus non est differentia, nec diversum opus in aliquo, ita quòd fiat unum sine alio: sicut non est inter aquam & terram in sua conjunctione diversa pars temporis, quod cognoscitur vel separatur una ab alia in earum operationibus. Sicut sperma viri non separatur à spermate mulieris in hora sui coitus: sic & earum unus est terminus, unum factum, & una & eadem operatio insimul cernit super ipsa duo.

Ideo dicit Merculinus:

Rerum mixturam coitum vocat & geniturам,
Semina miscentur quasi lac, quæ mixta videntur.

Secundum est conceptio, cùm terra in nigrum solvitur pulverem, & incipit aliquantulum de Mercurio secum retinere: tunc enim agit masculus in fœminam: id est azoth in terram. Ideo dicit Arisleus Masculi ad invicem non gignunt, nec mulieres concipiunt. Generatio enim est ex maribus & fœminis, & maximè ex composito.

Maribus namque ducentibus fœminas natura gaudet, & fit generatio vera: natura autem alienæ naturæ ineptæ conjuncta, nullam veritatem gignit spermatis. Hoc est quod Merculinus dicit:

Qui quasi lac fuerat conceptio sanguinem mutat,
Pallida nigrescunt, rubea diffusa lutescunt.

Arnoldus: Quicunque color post nigredinem apparebit, laudabilis est in Turba Philosophorum. Et cùm videris materiam tuam denigrari, gaude: quia principium est operis. Idem: Combure ergo æs nostrum igne levi, sicut ovorum nutrix, donec corpus constituatur, & tinctura extrahatur. Non autem extrahas eam totam simul, sed per partum & parum egrediatur omni die, donec in longo compleatur tempore.

Ego sum nigrum albi, & rubeus albi, & citrinus rubei, & certè veridicus sum & non mentiens. Et scitote quòd caput artis est corvus, qui in nigredine noctis & diei claritate sine alis volat. Ex amaritudine namque in suo gutture existente, coloratio accipitur, à suo vero corpore, rubor, ac suo dorso mera aqua accipitur. Intelligite ergo donum Dei, & recipite, & ab omnibus celate insipientibus. De cavernis namque metallorum occultum est, cujus lapis est mirabilis & animalis color splendidus, mons sublimis, & mare patens. Etenim confitemur, quòd in lapide Philosophico post veram mundificationem, major pars est argentum vivum. Et propter hoc non comburitur, nisi per accidens. Et est illud verbum preciosissimum. Hoc autem totum factum est à natura, & non est credendum quòd hoc facere sit possibile per aliquod artificium, sicut quidam fatui putaverunt & putant. Lapis enim Philosophicus creatus invenitur à natura, & per Deum altissimum nihil plus indiget, nisi quòd removeatur quòd est superfluum in eo. Ergo ipsa præparetur materia, ut ex eo eliciatur quod est purum, terreum autem & fœculentum removeatur. Unde Tudianus Philosophus: Scias quòd lapis noster aëreus & volatilis est in suo manifesto frigidus & humidus, & in suo occulto calidus & siccus est. Et illa frigiditas & humiditas quæ est in manifesto fumus aquosus, corrumpens, denigrans & destruens se & omnia, fugit ab igne. Et caliditas & siccitas quæ est in occulto, est autum calidum & siccum, & est oleum mundissimum, penetrativum in corporibus, & non fugitivum: quia caliditas & siccitas Alchimiæ tingit, & non aliud. Fac ergo quòd frigiditas & humiditas aquosa, quæ est in manifesto, sit compar caliditati & siccitati, quæ est in occulto: ita ut insimul conveniant & conjungantur, & fiant insimul unà penetrans, tingens & profundans. Has autem humiditates oportet destrui per ignem & gradus ignis, cum molli temperamento & congrua ac moderata digestione. Putrefactio Philosophicalis nil aliud est nisi corporum corruptio sive destructio. Una enim forma destructa, statim introducit sibi natura aliam formam meliorem & subtiliorem. Putrefactio idem est quod fractio putridi: nam per putrefactionem omnis res digeritur & fit fractio inter putridum: id est, fœtidum & mundum. Mundum enim corpus putrefactum immediatè crescit, & multiplicatur in suo simili, ut pater in grano, quod postquam stetit per multos dies sub calore terræ, tumescit, ut & quod Mundum est ex eo crescat & multiplicetur: fœtidum verò evanescat, necessaria est ergo etiam in opere nostro propter prædictas causas putrefactio.

Conceptio & desponsatio fit in putredine in fundo vasis & generatio genitorum fiet in aëre, scilicet in capite vasis: id est alembici. Corpus nihil facit nisi putrefiat, & non potest putrefieri, nisi cum Mercurio, pro una parte corporis videntur accipiendæ propter putrefactionem trigesimæ sextæ partes aquæ. Putrefactio fiat igne lentissimo fimi calidi & humidi, & nequaquam alio: ita quod nihil ascendat: quia si aliquid ascenderet, fieret separatio partium, quæ fieri non debet donec masculus & fœmina sint perfectè conjuncti: & unum recipit aliud, cujus signum est in superficie ingenio perfectæ solutionis. Et licet azoth appareat in prima mixtione seu conjunctione albus, pro eo quòd fœmina vincit suo colore: nihilominus in putrefactione per ignis beneficium denigrantur ambo. Per ignem augentem in humido calorem putrescit nigrum, quæ est tinctura, & ideo servanda est. Secretum magnum.

Natura auri in aqua forti putrefacta excellit omnes naturas. Ideo in compositione lapidis est notandum, quòd nullus lapis excellit lapidem mineralem in virtute. Philosophus: Fac de masculo

& fœmina circulum rotundum, & de eo extrahe quadranguluni,& de quadrangulo triangulum: fac circulum rotundum & habebis Lapidem Philoſophorum.

Geber probat in libro Examinum, quod ſi Sol & Luna inſimul incorporentur cum arte, non ſeparantur de facili. Et ſic unum appetit reliquum, eò quòd unum ſiccum ſit & aliud humidum. Et poſtquam unum ademptum eſt aliud, adeò ſeu forti nexu complectuntur, & ſe invicem continent, quòd unum ab altero de facili avelli non poſſit. Multò fortius hoc erit ſi alterum illorum ſit ſpirituale: id eſt, medicinale: & ſic tingibile, ratione ſuæ ſpiritualitatis. Aurum eſt aurum actu, & ipſa materia: quòd ſi ſpiritualizetur, factum eſt ex actu potentia, & ex materia forma, & ex actu agens, & ex fœmina vir, & ex re nata res naturans. Ergo cùm nulla ſit materia auri, nullum aurum quod non fuerit priùs argentum, ut dicit Philoſophus: Si ergo talis forma conjungatur ſuæ materiæ: id eſt, Lunæ, certè avidiſſimè ſe amplectentur: & perfectum majus perficit perfectum minus, & hoc naturaliter & amicabiliter, quia omnis natura perfici appetit, & deſtrui abhorret naturaliter.

Sciendum, quòd ſecundum Avicennam in epiſtola ad Haſen de re tecta. Intentio operantium in hac arte, imò potiùs intentio ipſius artis, ſecundum poſſibilitatem naturæ rerum, eſt materiam unius induere formam & naturam alterius. Verbi gratia: Cuprum induere formam & naturam argenti vel plumbum auri, & ſic de cæteris ſimiliter. Cùm enim forma ſit natura rei uniuſcujuſque (ut habetur ſecundo Phyſicorum) ſpoliata aliqua re à forma ſua, & alia ſuperinducta eidem, proculdubiò & natura ipſius tranſmutata eſt à ſua ſpecie. Dicimus itaque quòd nomen Alkimia in Græco, ſonat Tranſmutatio. Et inde Alkimiam dicimus ſcientiam eſſe tranſmutationis rerum à ſuis formis & ſpeciebus, ſecundùm quòd formæ rerum divinæ ſunt.

ANIMÆ EXTRACTIO vel Imprægnatio.

De Nigredine plura.

Hermes rex tractatu ſecundo: Scito, fili, quod Lapis noſter hic plurimorum nominum & variorum colorum ex quatuor ordinatus & compoſitus eſt elementis, quem nos oportet dividere & in membra ſecare, arctius ſequeſtrare, ac partes mortificare, & in naturam quæ in eo eſt vertere. Aquam & ignem in eo habitantem cuſtodire, qui ex quatuor elementis eſt, & eorum aquas ſua æqua continere, ſi qua non eſt aqua, forma ignea veræ aquæ, aſcendentes in vaſe ſuo ſinere, quæ ſuis corporibus ſpiritus continent, & tingentes fiunt & permanentes.

In artificio Sorin diſtinctione prima: Accipe ab eo paulatim, totum divide, tere ſeriatim quouſque morte occupetur ex nigredinis intentione ut pulvis. Hoc eſt ergo magnum ſignum, in cujus inveſtigatione non nulli perierunt, deinde quodlibet diſcernes ſeparatim, tere ſeriatim.

Morienes: Omne corpus cùm anima caruerit, tenebroſum & obſcurum invehitur.

Hermes: Oportet nos duo argenti vivi ſimul mortificare. Idem: Accipe cerebrum ejus, aceto acerrimo terite, vel urina puerorum, quouſque obſcuretur. Hoc peracto vivit in putrefactione, & fuſcæ nubes quæ ſuper ipſum fuerant, & in ſuo corpore antequam moreretur, revertuntur. Reiteratus autem prout ſcripſi iterum moriatur prout narravi. Idem: Oportet autem ipſum à duobus ſulphuribus ſequeſtrare: continuè coquatur quouſque aqua nigra fiat. Idem: Qui ergo denigrat terram, ad propoſitum perveniet, & bene habebit. Arnoldus: Verùm cum primùm denigratur, clavem operis dicimus eſſe, quoniam non fit abſque nigredine: nam ipſa tinctura quàm quærimus, qua in quolibet corpore tingamus: Quæ quidem occulta fuit in ſuo ære, quemadmodum anima in humano corpore. Speculum: Ideo chariſſime fili, cùm in opere fueris, fac ut in principio habeas colorem nigrum, & tunc certus eris quòd putrefacis, & viam rectam procedis.

O natura benedicta, & benedicta eſt tua operatio, quia de imperfecto facis perfectum cum vera putrefactione quæ eſt nigra & obſcura. Poſtea facis germinare novas res & diverſas, cum tua viriditate facis diverſos colores apparere. Iſta nigredo nuncupatur Terra, quæ fit levi decoctione totiens reiterata, donec nigredo ſuperemineat. Et ſic habes duo elementa, primò aquam per ſe, dehinc terram ex aqua. Nam ut dicit Avicenna in titulo de Humoribus: Calor agens in humido corpore, primò generat nigredinem, ut eſt videre in calce quæ apud vulgus fit. Ideo dicit Menabdes: Jubeo poſteros facere corpora non corpora per diſſolutionem, & incorporea corporea per ſuavem decoctionem, in qua ſummè cavendum eſt ne ſpiritus convertatur in fumum & evanaſcat per nimium ignem. Unde Maria dicit: Cuſtodi ipſum, & cave ne fugiat aliquid in fumum. Et ſit menſura ignis caliditas Solis Julij, quatenus ex ſui & longa decoctione inſpiſſetur aqua, & fiat terra nigra. Sic ergo habes aliud elementum quod eſt terra, & tantum de nigredine pro modo ſufficiat.

Stephanus Philoſophus: Aperi oculos tuos & cor tuum, audi & intellige, oſtendam & dicam tibi verba intelligibilia, quæ ſcire poteris ſi fueris de intelligentibus. Scias quod ex homine non exit niſi homo: ſic ex quolibet animali ſibi naſcitur ſimile. Vidimus tamen aliquas res natas à radicibus ſuis diſſimiles, quia videmus res habentes tales generatas ex non habentibus alas. Videmus etiam & ſcimus res aliquas, quas homines neſciunt, de quibus egreditur natura, quam ſcimus quod ſufficit nobis, & ignoratur, quia ſunt res profundæ: & ſi quæris de eis, forſitan ſubtus terram ſunt. Et ſcias quòd de iſta natura minerali fit ars non de alio.

Avicenna: Cognoſce ergo radices minerales faciens ex eis opus tuum. Ariſtoteles ſecundo de Anima: Naturaliſſimum & perfectiſſimum opus, eſt generare tale quale ipſum eſt, ut planta plantam, capra capram.

Idem: Opera artis Alchimiæ nil in ipſa proficeret, niſi apparentes naturas abſque errore cognoſcere. Hermes: O aqua forma permanens regalium creatrix elemẽtorum. O natura maxima naturarum creatrix, quæ naturam continet, & mediocriter naturæ ſuperat, quæ cum lumine venit & cum lumine genita eſt.

Ex Lucidario Arnòldi.

Dixerunt aliqui, quod in opere Lapidis apparent omnes colores qui in toto Mundo excogitari poſſunt. Hoc eſt ſophiſma Philoſophorum, cùm non appareant niſi quatuor principales. Et quia

ex

ex eis omnes alij trahunt originem, ideo dixerunt omnes colores. Etsi tibi non apparent omnes colores non cures, dummodo possis elementa segregare. Nam citrinitas choleram significat adustam & ignem, rubedo sanguinem & aërem, albedo flegma & aquam, nigredo melancholiam & terram. Unde Hortulanus ait: Quatuor habens colores quatuor elementa sunt. Scias tamen quod dicti colores apparent in nostra dissolutione.

Quæro in quanto tempore possit fieri hic lapis benedictus: ad quod respondetur quòd quidam author Philosophus Lilius testatur, magisterium suum feciſſe in octo diebus, & quidam per septem, & quidam per tres menses, & alij per quatuor, alij per dimidium annum, & alij per unum annum. Et hoc Maria dicit se feciſſe in tribus diebus. Ad hoc dico quòd causa diversitatis scilicet brevitatis & prolongationis defectus potuit esse virtute aquæ Mercurij. Vel quia operabatur de Sole & Luna. Et quidam ipsorum apponebant plus & alij minus. Sol autem fixus est & non fugiens, & cum istis solum operabantur. Unde propter suam impotentiam fixionis, & impatientiam ignis, quando per fusionem erat commixta cum Sole, faciebat eam ascendere pro magna parte. Et quando ascendebat, sic vocabant aquam & animam & spiritum, dicentes quòd aqua eorum non erat aqua vulgi, nec Mercurij: & tunc remanebat terra in fundo, tunc reducebant aquam illam supra corpus, & iterum faciebant ascendere per virtutem ignis, & iterum commiscebant cum terra, quousque secum totam terram portabant in ventre suo. Unde necesse erat eis habere magnam quantitatem de dicta aqua. Et tunc fixus erat de corpore spiritus. Reiterabant ergo ipsam sublimationem, quousque totum remanebat fixum, & impotens ascenderet. Et tunc spiritus fixus erat in corpore, & Luna erat Soli incorporata, & per minima commixta: & sic erat operatio completa. Unde dicta diversitas in agendo, opus potuit esse in imponendo plus de fixo corpore, quàm de non fixo; vel econversò, quia non erat plus de fixo tardiùs ascendebat.

Sed quid dicitis de hoc quod dicunt Philosophi, scilicet: Aurum nostrum non est aurum vulgi, & argentum nostrum non est argentum vulgi. Dico quòd ipsi dicunt aquam aurum, id quod virtute ignis ad superiora ascendit. Et verè istud aurum non est aurum vulgi: vulgus namque non crederet ipsum posse ascendere, ad superiora propter suam fixionem. Scias insuper quòd talis per Deum consuevit esse modus Philosophorum, semper scilicet, quòd in passu certissimo claudicare, & rem quasi dictam quandóque per typos & figuram, & quandóque per verba metaphorica, & quandóque per falsam & àlienam practicam occultare, & ubi se verum dixisse sentiebant, se tunc similitudinariè locutos fuisse dicebant. Unde Geber dicit: Ubicunque apertè locuti sumus, ibi nihil diximus: sed ubi sub ænignate aliquid posuimus & figuris, ibi veritatem occultavimus, &c. Unde quidam dicit:

Sales & alumina non sunt lapis, sed adjutores lapidis. Qui non gustaverit saporem salium, nunquam veniet ad optatum Fermentum fermenti; fermentat etenim finitum per excellentiam. Tale superius quale inferius. Combure in aqua, lava in igne. Coque & recoque, & iterum coque. Sæpissimè humare & semper coagulare. Interfice vivum & resuscita mortuum. Et hoc septena vicè. Et habebis verè quod quæris. Si scis regimen ignis; sufficit tibi Mercurius & ignis. Versus:

Æs nostrum bene si scis sufficit, si cætera nescis.

Ex antiquo Libello Hortulanus super Epistolam Hermetis ait:

Solus ille qui scit facere Lapidem Philosophorum, intelligit verba eorum de lapide. Philosophi enim hanc artem manifestè conati sunt patefacere dignis; & indignis abscondere. Et sic de virtute intentionis semper dixerunt vera, sed de virtute sermonis non: & dixerunt sic lapidem Philosophorum fieri ex ovo, quia in ovo tria sunt similia tribus quæ integrant lapidem. Hermes ait: Pater ejus Sol, Mater ejus est Luna. Et sic innuit quòd jam duo hic lapidis compositionem intrant, & probat hoc Hortulanus. Quia aqua Solis est volatilis, & corpus ejus fixum. Et econverso de Luna, & tunc declarata sunt verba illa dicentia per Gebrum & alios Philosophos: Fac fixum volatile & volatile fixum; & volatile fixum, & fixum volatile. Persuadent enim multiplicent solutionem, quia totum opus stat in solutione. Item cùm dicit, quod est superius, est & inferius. Hic per superius intelligitur dignius, & per inferius indignius, ut scilicet fiat unus ex illis tribus, vel ex Sole & Luna fiat una res, cujus partes sint æquales: & appellatur hæc conjunctio sublimatio Philosophorum. Et dicitur sublimatio, exaltatio, sive dignificatio, quia Luna dignificatur & Mercurius. Nam cum facta est unio in tanta dignitate, est Luna sicut Sol & Mercurius. Similiter & cùm facta est fixatio, quæ appellatur corpus mortuum, ita vilis est Sol sicut Mercurius, & litera vult illa, & istud est ascendere & descendere Philosophorum.

Item: Lapis dicitur habere quatuor elementa, quæ exponit Arnolphus. Quia cum facta est solutio, dicitur unum elementum scilicet aqua. Et cùm corpus est immundum, dicitur secundum elementum, scilicet terra. Et cùm est calcinata, dicta terra, dicitur ignis: & cùm iterum solutus est lapis, dicitur aër. Item Lapis dicitur habere corpus spiritum & animam. Per corpus intelligitur corpus immundum, ut suprà. Per animam intelligitur fermentum, & per spiritum qui se habet in projciendo, quia alio nomine dicitur Quinta essentia, quam acquisivit hæc compositio, veram habet virtutem convertendi.

Item: prædictus lapis dicitur Rebis: id est, una res quæ fit ex duabus rebus: id est, corpore & spiritu, vel ex Sole & Luna, ex corpore mundato & fermentato. Item: dicitur lapis ubique repertus propter veram compositionem: quia quando illa tria Sol, Luna & Mercurius sunt conjuncta simul, virtus lapidis est per totum & in montibus & in planis: id est, in corporibus, & Mercurio, & in mari: id est aqua dissoluta. Et volantes accipiunt ab eo juvamentum. Volantes sunt Mercurius vivus, & corpora imperfecta, quæ convertuntur in Solem & Lunam, & dicitur Scorpio: id est, venenum: quia mortificat seipsum, & seipsum vivificat: quia illa trina res projecta super Mercurium vivum, vivificat ipsum: quia facit ipsũ verũ corpus, & sic ulterius possunt exponi omnium Philosophorũ dicta: & tamen à Philosophis dicitur argentũ vivum minerale, sed materia lapidis Philosophorũ est aqua, & intelligitur de aqua illorũ trium, ut probat Hortulanus. Nec debent esse plura

nec pauciora: & dicit quòd Sol eſt maſculus, Luna fœmina, & Mercurius ſperma. Sed ut fiat generatio & conceptio, oportet ut maſculus jungatur fœminæ: & ultra hoc requiritur ſemen, & ſic ante fermentationem debet fieri conceptio & imprægnatio: & cùm multiplicatur materia, dicitur quod infans creſcit in utero matris, & cùm fermentatur. Ortulanus & Arnoldus, quòd infunditur anima corpori, & naſcitur Rex coronatus. Item in libro Turbæ Philoſophorum habetur hæc doctrina: Solvite corpora & imbibite ſpiritum. Et dicunt corpora in plurali, quoniam oportet quòd ad minus ſint duo. Et dicunt Spiritum in ſingulari: & ſic oportet, quòd ſit unus. Et nullum eſt ſperma ſine materia corporum niſi Mercurius. Et cùm dicitur Imbibite ſpiritum, intelligitur operatio ea, quæ fixat Mercurium, & multiplicatur Lapis: multiplicatur, id eſt, reiteratur.

Item, quando materiam Solis & Lunæ mortificat Mercurius, remanet materia ſicut cinis, & vocatur à Philoſophis Cribratio & contritio eorum. De quo cinere dicitur in libro Turbæ & Arnoldi. Cinerem hunc ne vilipendas. Item: Prædictus cinis qui ex illis tribus appellatur à Philoſophis. Corpus immundum: quia oportet decoqui & calcinari uſque ad albedinem. Ideo dicit Morienes in libro Turbæ: Niſi corpus immundum mundaveris, & ipſum dealbatum reddideris, & in ipſum animam miſeris, nihil in hoc magiſterio direxiſti. Et ſic habentur duo, ſcilicet, calcinatio ipſius Lapidis, & fermentatio. Calcinatio: id eſt, in modum albi cineris, ſeu terræ, ſeu calcis albæ per ſpiritus operationis reductio, quæ fit igne noſtro: id eſt, aqua Mercurii noſtri. Item: cùm dicitur tinctum tingit, intelligitur, quòd ſi medicina hæc calcinata, diſſoluta & coagulata fermentatur ad album, fit Luna, cum Sole, fit Sol. Item: Geber de medicina tertij ordinis probat, & dicit ad literam: quia tam ad album & rubeum eſt una atque eadem via cum Sole & Luna, differunt tamen fermentatione. Cujus hæc tertij ordinis medicina eſt duplex, ſcilicet, Solaris & Lunaris: & eſt tamen in eſſentia una, & modus agendi unus. Eſt tamen additamentum citrinitatis ſeu citrini coloris, qua medicina perficitur à ſubſtantia ſulphuris fixi, hoc eſt, quòd utraque medicina incipitur cum Sole & Luna. Sed ad rubeum fit fermentum cum Sole, ad album cum Luna. Sol capitur dupliciter, uno modo pro aqua Solis, alio pro corpore Solis, ut ſuprà.

Item, cùm dicitur quòd apparent omnes colores, verum eſt; quia ante fermentationem in calcinationibus, diſſolutionibus, & fixationibus apparent omnes colores. Item; Lumen luminum ſic ait; Et ſcitote quòd eadem ſunt, quæ dealbant & rubificant intrinſecus & extrinſecus, ſcilicet, Sol, Luna, Mercurius. Quæ tria diſſoluta & fermentata appellat argentum vivum, dicens; Argentum vivum habet in ſe corpus, ſpiritum & animam. Ibidem, talis eſt cauſa, coquite maſculum & fœminam ſimul, quouſque coaguletur, & fiat lapis. Item: Notandum quòd noſtrum Elixir non fit niſi ex mineralibus. Et amplius notifico, quòd draco non moritur niſi cum fratre & ſorore ſua interficiatur: & non per unum tantùm, ſed per duo ſimul. Frater eſt Sol, ſoror eſt Luna. Ultimò ait Arnoldus: Quia Philoſophi dixerunt verum de lapide quicquid dixerunt. Quia de virtute ſermonis loquebantur, indignis ad celandum. De virtute autem intentionis loquebantur dignis & ſemper verum: & Philoſophi ſciunt, quòd talis materia debet tradit myſticè, ſicut poëſis fabulosè & parabolicè. Et cùm Philoſophi loquuntur de magnis rebus, non admiſcent parabolas, nec fabulas, ut dicit Macrobius.

Ablutio vel Mundificatio.

DEALBATIO PRIMI
Lapidis prima.

Senior in epiſtola Solis & Lunæ.

Aqua verò quam memoravi, eſt res de cœlo deſcendens, & terra cum humore ſuo ſuſcipit eam & retinetur aqua cœli cum aqua terræ, & aqua terræ propter ſervitium ſuum & arenam ſuam honorat eam, & congregatur aqua in aquam, & retinebit aqua aquam, & dealbabitur Albira cum Aſtuna.

Hermes: Spiritus non ingreditur corpora, niſi munda: Alphidius: Accipe albedinem, & nigredinem dimitte. Democritus: Mundifica ſtannum cum præcipua ablutione, extrahe ab eo nigredinem ejus, & obſcuritatem ejus, & apparebit candor ejus. In opere Sorin: Diſſolve albo igne quouſque videatur ut gladius denudatus, & fac dealbando corpus eſſe candidum. Raſis: Aqua cùm miſcetur Aeri, ipſum interiùs dealbat. Hæc dealbatio dicitur à quibuſdam imprægnatio, quia terra dealbatur. Dominante namque aqua, terra creſcit & multiplicatur; & augmentatio novæ prolis inde generatur. Alphidius: Tunc oportet te terram nigram abluere, & igne calido dealbare. Unde Hali dicit: Accipe quod ad fundum vaſis deſcendit: & ablue iſtud cum igne calido, quouſque auferatur ejus nigredo, & recedat ejus ſpiſſitudo, & fac ab eo evolare additiones humiditatum, donec deveniat calx nimis alba, in qua non erit macula. Tunc enim terra ad recipiendam animam eſt habilis & purata. Unde dicit Merculinus:

Firmans mutatum prægnatio ſpondet hiatum
Qui bene prægnantur, concordi pace ligantur.

Unde dicit Morienes: Hæc terra cum aqua ſua putrefit & mundificatur, quæ cùm mundata fuerit, auxilio Dei totum magiſterium dirigetur. Hermes quoque ait. Azoth & ignis latonem abluunt, & nigredinem ab eo auferunt.

Ideo dicit Philoſophus: Dealbate latonem, & libros rumpite, ne corda veſtra rumpantur. Hæc eſt enim compoſitio omnium Sapientum, & etiam tertia pars totius operis. Jungite ergo, ut dicitur in Turba, ſiccum humido: id eſt, terram nigram cum aqua ſua, & coquite donec dealbetur. Sic habes aquam & terram per ſe, & terram cum aqua dealbatam: illa albedo dicitur aër.

Salomon, Sapientiæ ſeptimo: Hanc ſcientiam pro luce habere propoſuit, & ſuper omnem pulchritudinem & ſalutem. In comparatione illius lapidi precioſi non comparavit illum: quoniam omne aurum tanquam arena exigua eſt, veluti lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Melior eſt enim acquiſitio ejus negociatione argenti & auro puriſſimi. Fructus illius precioſior eſt cunctis opibus hujus Mundi, & omnia quæ in Mundo deſiderantur, huic non valent comparari. Longitudo dierum & ſanitas in dextera ejus: in ſiniſtra verò ejus gloria & divitiæ infinitæ. Viæ ejus operationes pulchræ & laudabiles, non deſpectæ

& semitæ ejus moderatæ, & non festinæ, sed cum laboris diuturni instantia: lignum vitæ est his qui apprehendunt eam, & lumen indeficiens: beati qui tenuerint eam: quia scientia Dei nunquam peribit, ut Alphydius testatur, dicens: Qui hanc scientiam invenerit, cibus ejus legitimus erit & sempiternus.

Aristoteles: O quam mirabilis est illa res, habet enim in se omnia quæ quærimus, cui nihil addimus vel diminuimus: sed in sola præparatione superflua removemus.

Arnoldus: Materia prima metallorum est quædam substantia fumosa, continens in se humiditatem unctuosam, à qua substantia artifex separat humiditatem Philosophicalem, quæ apta est pro opere, quæ erit tam clara sicut lachryma, in qua habitat quinta essentia metallica, & illa est metallum placabile, & in ea est medium conjungendi tincturas, ideo quia habet naturam sulphuris, & naturam argenti vivi.

Geber: O quam utilis est ista res, quia nos utimur ea medicina cruda, quæ res postquam cocta & digesta fuit, est maximum venenum super omnia venena. Gratianus Philosophus: In Alchimia est quoddam corpus nobile, quod movetur de domino ad Dominum, in cujus principio erit miseria cum aceto, sed in fine gaudium cum lætitia. Astanus in Turba: Accipite ipsum spiritum nigrum non urentem, & cum eo corpora solvite & dividite. Idem, ipse est totus igneus, & solvens per igneitatem suam, dividens omnia corpora cum suis coæqualibus. Rosarius: Quicunque vult intrare Rosarium nostrum, & ibi videre, & habere rosas tàm albas quàm rubeas absque illa re vili, cum qua nostræ reseraturæ referentur, ille assimilatur homini ambulare volenti absque pedibus: quia in illa re vili est clavis, ex qua septem portæ metallicæ aperiuntur, & absque illa re vili nunquam preciosum perficitur. Ablutio est nigredinis terminatio, vel mundatio, donec album fiat perfectè album, & rubeum plenè rubeum. Azoth enim & ignis obscuritatem ignis evellunt.

Mortificatio est duritiei à corpore separatio: quia anima tunc est mortua, corpus autem vivum, ratione caliditatis & siccitatis. Omne enim habens calorem habet vitam. Et propter hoc calx Alchimica dicitur habere vitam: quia illorum vitam imperfectam Philosophi studuerunt occidere, & vitam perpetuam reddere.

Revivificatio est ratione nutrimenti, scilicet sui humoris perfecti, & humiditatis rectificantis, restauratio expeditione humoris ipsius imperfecti.

Ex quadam Chartula lacerata.

Nunc manifesto tibi naturali cognitione in hoc proposito meo de Lapide omnium Philosophorum & occulto, qui est lapis triplici veste decoratus, lapis divitiarum, lapis charitatis, & lapis relevationis ab omni penuria, & lapis curationis ab omni languore. Et in eo continetur omne secretum, & dicitur divinum mysterium à Deo datum, & in Mundo non est res sublimior post animam rationalem.

Diligenter notare debes: Dixi tibi, quòd lapis noster sit ornatus triplici veste: id est, in tres partes dividendus, in corpus, animam & spiritum. Unde corpus mortuum, quod anima caruerit, tenebrosum est.

Si vis, fili, ut corpus illud revivificetur, redde sibi animam suam, & statim vivit:

O Magister, non intelligo.

Fili, tibi dico expressius: Unus lapis, sive una res tantùm: quia corpus in suam naturam est redactum, videlicet, in aquam suam: id est, in primam suam materiam: quia prima materia corporum est aqua unctuosa, & tunc primùm dicitur una res, cùm corporis substantia & aqua unionis per partes minimas indivisè uniuntur, & lapis Philosophicus ex quo rami infiniti multiplicantur. Et hoc dicitur Lapis in libris Philosophorum notus. Ideo, fili, ab illo lapide extrahitur aqua sua propria, & in spiritu per modum separationis.

Sublimatio nostra est partium non fixarum elevatio à partibus fixis. Partes verò non fixæ elevantur per fumum & ventum.

Sed volumus ut hæc duo simul fixentur, & præstent fusionem facilem. Et sic intelligas nostram sublimationem veram & certam, & lapis quem nemo potest tangere sua lingua. Hermes dicit: Divide subtile à grosso, &c. Terra calcinatur, aqua sublimatur: terra manet deorsum, aqua ascendit sursum: terra purgatur per calcinationem, aqua per sublimationem: ambo per putrefactionem. Aqua defendit terram ne comburatur, terra ligat aquam ne fugiat, ambobus sufficienter purgatis fiunt unum ultra non separabilia: quia unum sine alio non potest esse: cujus prima pars projectum super centum argenti vivi, in verum argentum tingit. Et si talis tinctura fuerit, una pars in rubeum versa, tingit tot partes in verum aurum, quo auro melius non reperitur, & hoc ex natura occulta, & acquisita per calorem ignis, &c.

Nota: Spiritus Domini ferebatur super aquas ante cœli & terræ creationem, Genesis 1.

Videndum ergo, quòd omnia ex aqua creata sunt: Hanc aquam Deus divisit cùm dixit, & præcepit aquæ partem in ariditatem, & illam vocavit terram, & aquam non conversam pro terra conservavit irrigandam & humectandam: quia terra sicca non multum fructum facit, nisi aqua sua pluviali desursum humectetur sapiùs, & sine aqua vix, aut nunquam.

Animæ Jubilatio, seu Ortus, seu Sublimatio.

Modò sequitur quartum verbum, & est, quòd aqua quæ cum terra fuerit inspissata & coagulata, ascendat sublimatione. Sic habes terram, aquam & aërem. Et hoc est quod dicit Philosophus: Ipsum dealbate, & citò igne sublimate, quousque ex eo exeat spiritus quem in eo invenies, qui dicitur Avis, aut cinis Hermetis. Unde & Morienes ait: Cinerem ne vilipendas: nam ipse est diadema cordis tui, & permanentium cinis. Et in libro Turbæ dicitur: Ignis regimen augmentate: quia post albedinem pervenitur ad cinerationem, quæ dicitur terra calcinata. Unde dicit Morienus: In fundo remanet terra calcinata, quæ est naturæ igneæ: & sic habes in prædictis proportionibus quatuor elementa, puto aquam dissolutam, terram dealbatam, aërem sublimatum, & ignem calcinatum.

De istis quatuor elementis dicit Aristoteles in libro de Regimine principiorum: Cùm habueris aquam ex aëre, & aërem ex igne, & ignem ex terra, tunc plenam habebis artem Philosophiæ: & hic est finis primæ compositionis, ut Morienus dicit:

Patientia & mora ſunt neceſſariæ in noſtro magiſterio. Feſtinantia quidem ex parte Diaboli eſt in hoc magiſterio.

Hermes: Mortuum vult vivificari, & ægrotum curari. Idem: Oportet te corpus & animam conjungere contritione in Sole.

Idem: Seminate aurum veſtrum in terram albam foliatam. Senior: Deſcendet fumus ſuperior ad inferiorem, & concipit fumus à fumo. Idem: Hæc aqua divina eſt Rex de cœlo deſcendens. Idem ipſe eſt reductor animæ ad corpus ſuum, quod vivificat poſt mortem ſuam, per eum vita eſt, poſtquam non erit mors.

Roſinus: Corpus enim lætatur, cùm anima in ipſum ingreditur. Idem: Corpus verò occupat animam, & omne corpus quod animam invenit, facilè eam occupat. Et notum habeas, quòd anima punitur cum corpore, & cum eo incarceratur, & ab eo in corpus vertitur. Hermes: Ipſe ſpiritus eſt extractor animæ, & reductor, & totius operis reformator, & omnia quæ quærimus ſunt in eo. Senior: Nihil eo aſpectu vilius, & nihil eo in natura pretioſius, & eum Deus pretio emendum non poſuit. Senior: Præparatio noſtra natura ſurgit per ſeras aperientes ſeraturas.

Hermes: Oportet nos ſcire cognitionem principij tàm naturalium quàm artificialium. Nam qui principia ignorat, ad finem non venit. Idem: Hoc ſecretum eſt vita cujuſlibet rei, & eſt aqua, & aqua ſuſcipit nutrimentum hominum & aliorum, & in aqua eſt maximum ſecretum. Sed ut minus erres, ſcire te convenit, quòd noſtrum ſublimare nihil aliud eſt quàm corpora exaltare: id eſt, in ſpiritum ducere: quod non fit niſi igne leni. Sic enim dicimus: ille ſublimatus eſt in Epiſcopum: id eſt, exaltatus. Et ideo vulgaris ſublimatio, quæ tantùm eſt effectus, ſcilicet, quòd jam corpus ſublimandum ſit ita ſpirituale factum, quòd poſſit ſublimari. Nihil confert operi noſtro, nec ultrà requiritur poſt præparationem primi lapidis: quia tali ſublimatio non ſpiritualizat, ſed tantùm effectum ſpiritualitatis oſtendit. Ideo dene dicit ille regalis Philoſophus Geber: Quia in opere magiſterii noſtri non egemus niſi unico vaſe, una fornace, unaque diſpoſitione, quod intellige, poſt præparationem primi lapidis. Geneſis: Ex aqua omnia facta ſunt, & ſuper aquam ferebatur ſpiritus Dei, & principium generationis hominis ex ea. Hermes: O natura fortis, naturas vincens & ſuperans, fuſaſque naturas gaudere faciens. Geber: Expedit hujus artis principia & radices principales, quæ ſunt de eſſe operis non ignorare. Baſius: Sulphur noſtrum fortius eſt omni igne. Alanus Philoſophus. Una res ex omnibus eligenda, quæ eſt lividi coloris, habens ſpeciem metallicam, limpidam & liquidam, & eſt res calida & humida, aquoſa & aduſtiva, & eſt oleum vivum, & tinctura viva, lapis mineralis, & aqua vitæ miræ efficaciæ. Ariſtoteles: Nullum tingens venenum generatur abſque Sole & ejus umbra: id eſt, uxore.

Sublimatio eſt duplex: Prima eſt remotio ſuperfluitatis, ut remaneant partes puriſſimæ à fæcibus elementaribus ſegregatæ, ſicque virtutem quintæ eſſentiæ poſſideant. Et hæc ſublimatio eſt corporum in ſpiritum reductio, cùm ſcilicet corporalis denſitas tranſit in ſpiritus ſubtilitatem.

Secunda Sublimatio eſt extractio, quod in ipſa eſt de natura quintæ eſſentiæ, à fæcibus elementaribus ſeparata. Dico autem quintam eſſentiam animam tingentem; ad quam neceſſaria eſt ablutio, ut per eam extrahatur vnctuoſitas arſenici, ſive natura oleaginoſa puriſſimæ unctuoſitatis, quæ ligata eſt cum fæcibus ſuis, quæ fæces non permittunt ipſam ſublimari.

Vincentius de Lapide Elixir.

Vincentius in Speculo naturali, libro primo: In corporibus mineralibus ad inſtar operationis naturæ conati ſunt Alchimiſtæ facere brevi tempore quod natura facit in annis mille, unde & docuerunt rem quandam facere, quæ corpora ſuper quibus projicitur tranſmutat. Hæc vocatur ab eis Elixir, & dicitur lapis non lapis: lapis quia teritur, non lapis, quia funditur & currit abſque evaporatione, ſicut aurum, nec eſt alia res cui proprietas illa conveniat. Avicen. Elixir ergo eſt res quæ projicitur ſuper majus corpus, & mutat rem à natura ſua in aliam. Fit autem quando miſcetur corpus minus & ſpiritus, & elementa, & fermentum, fitque de omnibus una confectio. Et eſt Elixir verbum Græcum, quod ſonat magnum theſaurum, vel meliorem de theſauris. Et Elixir quidem quod ſe cum corpore miſcet, eſt quaſi Tutia cum Cupro. Sed augmentatur vel creſcit Cuprum de illa Tutia, cujus ratio eſt, quia Tutia res terrenalis eſt, Elixir autem ſpiritualis, & revertitur natura ſui generis ad aliud genus.

Alchimiſta: Fit autem Elixir duobus modis. Uno modo ex ſpiritibus mineralibus & corporibus mundis præparatis. Alio modo ex quibuſdam rebus mundis præparatis. Alio modo ex quibuſdam rebus provenientibus ex animatis, ſcilicet ex capillo vel ovo vel ſanguine, &c.

Primò modo ſic: Mortificantur quidam ſpiritus, & ſublimantur, donec mundi fiant. Poſt hoc unum de corporibus à natura generatis comburitur, donec poſſit teri: deinde calcinatur, donec in modum calcis mundum efficiatur.

Tandem verò ſpiritus & corpora ſic præparata teruntur & imbibuntur cum aquis acutis diſtillatis. Poſtea tam diu inhumidantur, donec in aquam claram convertantur, deinde congelantur, ad extremum tam diu ponuntur in igne donec fixa efficiantur.

De Complemento Elixir.

Avicenna in epiſtola ad Haſen: Elixir itaque tinctura ſua tingit, oleo ſuo ſubmergitur, & calce ſua figitur, & album quidem completur tribus, in quibus non eſt ignis. Citrinum verò completur quatuor totis. Gloſſa: Verùm eſt, quòd Elixir album non indiget niſi tribus, ſcilicet oleo, calce, tinctura, quæ dicitur Ignis. Et ideò ſubdit Avicenna: In quibus non eſt ignis.

De Igne multiplici.

Eſt autem ignis multiplex, & ejus qualitas diverſa, per quoſdam gradus diſtincta. Quidam enim in primo gradu eſt calidus ignis, & humidus in ſecundo ſcilicet ventris equi: cujus proprietas eſt, quòd non deſtruit oleum, ſed augmentat propter ſuam humiditatem: nam alij deſtruunt propter ſiccitatem. Huic ergo non aſſimilatur alius in Mundo niſi materialis ignis corporis hominis ſani. Ignis quidem Solis calidus eſt in eodem gradu, ſed ſiccus eſt. Hic autem eſt qui domat rem, & de re animata fit ac nutritur, ſicut puer cui datur in principio lac.

lac. Nam puer ex calido & humido nutritur & augmentatur; sic & ignis equi augmentat oleum suâ humiditate; figit autem lapidem suo calore temperando. Est inter hos duos & alius, qui est calidus & siccus in secundo gradu, ut ignis furni post panis extractionem hic fundit leniter, & non comburit; quia non est in eo flamma, nec fortitudo caloris. Calor enim paulatim declinando recedit; sed si staret, spiritum figeret in corpore, vel extrà corpus. Ignis autem equi nec fundit, nec comburit; sed domat, & humidum augmentat. Est & quatenus furni fixionis ignis, hic fundit & figit, non autem comburit; quia flammalis non est, nec differt à præcedenti, nisi quod in hoc est calor continuus, in illo non.

Quintus dicitur flammalis, & est calidus & siccus in tertio gradu; hic calcinat tantùm, & non fundit, scil. ad comparationem auri & argenti aliorum corporum in eodem gradu, vel ultrà; & est ignis in furno calcinationis.

Sextus est calidus & siccus in quarto gradu: & hic fundit & figit fortiter, mollificando corpora suaviter, nec dissipat ea vel dispergit. Hic est ignis furni fusionis in eodem gradu.

Est & ignis follium, qui corpora dissipat & dispergit, & fundit, & hic est septimus.

Octavus est qui fundit & calcinat, & est flammalis: quia in eo solâ flammâ operatur. Substantia ignis carbones & flamma & in istâ solâ flammâ lignorum, hic etiam in eodem quoque gradu cùm præcedentibus. In eodem quoque gradu est nonus, scilicet, qui omnibus est magister; ut iguis officiationis; id est, examinationis, hic fundit & comburit, & dissipat, & dispergit malum, salvat & rectificat bonum, & est quasi judex, discernens justum ab injusto.

Juniperorum Ignis.

Ignis artificialis continuus, durans in eodem gradu quo volueris, per unum, aut duos, aut tres menses, donec nudes carbones; ideo semper coopertos debes servare, & potes augmentare vel diminuere calorem pro beneplacito tuo, & hoc secundùm additionem plurium vel pauciorum carbonum incensorum. In primis, habeas cineres sufficientes, & solùm factas de ligno juniperi. Tunc habeas ollam magnam fictilem, in cujus medio sit alia minor olla sive crucibulum, & imponendo cineres magna olla stet super calorem ignis, quatenus ipse cinis calescat; & sic circumquaque ollam minorem super cineres pones, carbones etiàm de prædicto ligno Juniperi tantùm factos.

Habeas denique adhuc plures cineres calefactos ejusdem ligni, quos superspergas prædictis carbonibus, & cooperies eos suo cinere calido peroptimè. Et in illam minorem ollam sive vitrum habeas tuam materiam digerendam, & desuper majorem ollam coopertorium pones, & in stubam pones subter scamnum, vel suprà, super lapidem tamen, ne forte damnum inferatur. Poteris tali practica plures hujusmodi præparare ignes: poteris etiàm in minorem ollam ponere aquam calidam, vel ventrem equi humidum, & in illum fiolam materiæ.

Carbones prædictos facies in hunc modum: Secabis lignum juniperi in parvas particulas, ad grossitudinem duorum digitorum, vel majores, illos pones in magnam ollam bene undique clausam, & perlutatam, & repletàm; illam ollam ponas per integrum diem in ignem fortem furni venti, vel flammæ lignorum. Deinde permittas per se infrigidari: aperi ollam, & habebis quod optas. Cineres autem communi modo combures. Hic ignis potest esse ignis primi vel secundi gradus fixionis spirituum.

Hermes: Scitote rumorum inquisitores, & sapientiæ filij, quòd vultur supra montem existens in cacumine, clamat voce magna, inquiens. Ego sum albus, niger, & rubeus, citrinus, veridicus sum, & non mentior. Alphidius: Argentum autem vivum, quod ab eo corpore nigro extrahitur, est humidum, album, & corticibus mundum ne pereat. Morienes: Scire te convenit, quòd fumus albus est anima, & spiritus illorum corporum solutorum. Et certè si fumus albus non fuisset, aurum albi Alchimiæ non fuisset. Rosarius: Hic est Mercurius noster nobilissimus, & Deus nunquam creavit rem nobiliorem sub cœlo præter animam rationalem. Plato: Hæc est materia nostra & secretum nostrum. Ortulanus: Sic habes verum Mercurium extractum ab istis duobus corporibus prænotatis, & est bene lotus & digestus: & juro per Deum, quòd nullus alius Mercurius est in viâ universali, nisi jam declaratus, in quo dependet tota Philosophia: qui aliter dicit, falsum dicit. Parmenides in Turba: Quidam audientes aquam à Philosophis nominare, putant aquam nubis esse, certe non: sed si haberent rationem, scirent utique, aquam esse permanentem, quæ quidem aqua permanens esse non potest absque suo corpore cùm quo soluta est. Alphidius: Istam medicinam vocant Philosophi omnibus; quia tot nomina sunt huic Mercurio imposita, quòd vix aut nunquam possit aliquis nova ratione vocabula imponere. Et dicit Plato Philosophus: Nos omnia revelavimus, excepto secreto Artis, quod nemini licitum est revelare; sed attribuimus illud Deo glorioso, qui cui vult inspirat, & cui vult aufert. Salomon Rex: Hæc est filia, ob quam Regina austri ab Oriente dicitur venisse, ut aurora consurgens audite, & intelligere, & videre sapientiam Salomonis posset, & data est in manu ejus potestas, honor; virtus & imperium, & florens regni corona in capite suo radijs septem stellarum rutilantium, tanquam sponsa ornata viro suo, habens in vestimentis suis scriptum literis aureis, Græcis, & Barbaris, & Latinis: Ego sum unica filia sapientum, stultis penitus ignota. Hermes: Quemadmodum Sol in stellis; ità aurum in metallis. Sol dat stellis lumen, & omnem continet fructum. Item: Dies est nativitas lucis, Sol quoque lucerna dici quem Deus creavit ad opus nostrum: id est, pro Mundo regendo. Item: tinctura debet esse corporea, à corporibus metallicis extracta perfectis; per beneficium & medium mineralium.

Regulæ generales.

Omnis res de eo est in quod resolvitur: nam glacies convertitur in aquam: calore mediante: necesse est ergo, ipsam prius aquam fuisse quàm glaciem. Sic omnia metalla prius fuerunt argentum vivum, quod patet, quia cùm in igne liquescunt, convertuntur in ipsum. Hic nota, quòd Philosophus liquatùm metallum etiam vocat Mercurium, sive argentum vivum; ergo reductio metallorum in argentum vivum isto modo dicitur liquatio ista, quamvis fiat per violentiam ignis: tamen quia in liquatione illa forti tenet speciem argenti vivi, ideo

etiam nominat ipſum argentum vivum. Sed non eſt iſta ſolutio Philoſophicalis, ſed laicalis; ergo ad particulare tibi notum, aliquo modo correſpondet dictis Philoſophiæ.

Secunda Regula.

Omnis natura naturaliter perfici deſiderat, & deſtrui abhorret & fugit: ergo avidè amplectitur illud, quod ſui ipſius emendativum, & contrarium reſpuit in quantum poteſt, & ſecundum iſtud Ars debet imitari naturam, aliàs ſemper errat.

Tertia Regula.

Omne pejus laborans in aliqua arte, de ſua naturali malitia nititur melius deſtituere. Et omne melius laborans in aliquâ arte conatur pejus perficere ergo in primis tibi ſciendum erit naturas rerum, ut ſcias diſcernere quid ſit melius aut pejus naturæ, & unde perficiatur; & unde prohibeatur; & quòd quantitas pejoris non excedat quantitatem melioris, alioquin maximè errabis.

Quarta Regula.

Omne ſiccum naturaliter appetit bibere ſuum humidum, ut in ſuis partibus ſit continuatum. Hic nota quid ſit humidum radicale omnium liquabilium, & tali humido ciba nimis ſiccum, & fiet temperatum. Et ſic habebis optatum.

EX TRACTATULO QUODAM PROBATO,

De Differentia Sulphuris vulgi & ſimplicis Philoſophorum non urentis.

CUm generaliter Philoſophus loquatur, quòd ſulphur coagulat, dicendum quòd non: quia omne ſulphur vulgi ſecundùm Philoſophum, metallis eſt extraneum & contrarium. Avicenna: Non intrat in Magiſterium quod non eſt ortum ab eo: quia ſemper inficit & denigrat, & corrumpit, quocunque modo per artificium præparetur. Eſt enim ipſum ignis infectus, ergo fuſionem impedit. Si verò calcinatur, in terream redit ſubſtantiam, ut pulvis mortuus. Quò ergo modo poteſt alijs vitam inſpirare? habet enim duplicem ſuperfluitatem, ſcilicet, inflammabilem ſubſtantiam, & terream fœculentiam. Igitur per hæc conſidera, ſulphura vulgi non Philoſophorum eſſe, cùm ſulphur Philoſophorum ſit ſimplex ignis vivus, vivificans alia corpora mortua, & maturans ea, ità quòd naturæ defectum ſupplet, cùm ipſum ſit ſuperfluæ maturitatis, ſecundum quod in natura ſua fit perfectum, ac per artificium magis ac magis depuratum. Unde Avicenna: Tale ſulphur non reperitur ſuper terram, niſi in quantum exiſtit in iſtis corporibus, Sole & Luna, & in alio quidem eſt illud, quod nulli dicitur, niſi ex parte Dei ſibi reveletur. In Sole perfectius; quia magis eſt digeſtum & decoctum. Philoſophi enim ſubtiliter ſunt imaginati, quomodo in iſtis corporibus perfectioribus ſulphura illa elicere poſſent, & ipſorum qualitates per Artem purgare, ut hoc haberent in arte, mediante natura, quod in ipſis antea non apparuit, quamvis plenariè & occultè prius habuerunt, & hoc nequaquam fieri concedunt ſine corporis ſolutione, & in primam materiam reductione, quod eſt argentum vivum, ex quo facta ſunt ab initio, & hoc abſque ulla permixtione rerum extranearum, quæ extraneæ naturæ lapidem noſtrum non emendant; quoniam nihil convenit rei, niſi quod propinquum eſt ei, cùm ſit medicina ſimplicis ac virtualis naturæ, ex aqua Mercuriali producta, in qua aurum & argentum priùs ſunt ſoluta. Verbi gratia, ſi glacies ponitur in aquam ſimplicem, ſolvitur in ea per calorem, & redit in primam ſubſtantiam aqueam, & ſic aqua tingitur ex virtute etiam occulta, quæ fuit in glacie. Si autem glacies non reſolvitur per calorem in aquam, non conjungitur aquæ, ſed in aqua jacet, nec illam aquam tingit ſua virtute, quæ in ea antea coagulata fuit ex parte ſpecierum; ſic eodem modo ſi corpus non reſolveris in Mercurium cum Mercurio, occultam virtutem ex eo habere non potes, ſcil. ſulphur digeſtum & decoctum per opus naturæ in minera; ſic enim lapis eſt unus, una medicina, quæ ſecundùm Philoſophos dicitur Rebis, ex bina re, ſcilicet, ex corpore, & ſpiritu albo vel rubeo, in quo multi fatui erraverunt.

Quomodo ſulphur rubeum eſt in Sole, & album in Luna.

Cùm ſit dictum, quòd ſulphur Philoſophorum rubeum exiſtat in Sole per majorem digeſtionem, & ſulphur album in Luna per minorem digeſtionem. Unde Philoſophus: Citrinatio non eſt aliud quàm completa digeſtio; nam calor agens in humidum primò generat nigredinem, & agens in ſiccum cauſat albedinem: quia ignis ſi tranſcendit, agens in eo mutat in citrinitatem puriſſimam, hæc omnia in calcinatione plumbi attendi poſſunt. Et dicit Philoſophus, quòd jam actu unumquodque perfectorum ſuum bonum ſulphur cum Mercurio contineat, ſcil. aurum aureum, argentum argenteum, ideo ſulphur album per citrinum eſt aurum. Quamobrem ſulphur in eo eſt ſulphur rubeum, ignis ſubſtantia, qui hoc album plus digeſſit; & ſic ſulphur album & rubeum ex utraque parte exiſtit in Sole: quare ignis eſt perfectio ejus, & in igne generatum eſt: & ideo amicabiliter gaudet natura ſuæ igneæ naturæ.

Unde aliquæ res extraneæ hoc in corporibus non poſſunt cauſare, cùm ars non eſt aliùd, mediante natura, niſi decoctio & digeſtio illius naturæ per ſimplicem laborem. Verbi gratia: Manè cùm ſurgo, & video urinam meam albam, judico me parùm dormiviſſe; tunc repono me iterum ad dormiendum, & accepto ſomno, urina citrinatur; & hoc propter majorem digeſtionem caloris naturalis in me exiſtentem. Sic ſequere naturam, per artem ſimiliter decoquere, digerere, maturare, ſublimare, cùm jam actu natura contineat in ſe ignem naturalem, quo maturatur; hoc illæ res non habent, ideo dare non poſſunt. In Luna verò non eſt niſi ſulphur album, ſimplex, non tamen digeſtum ſicut rubeum, nec ſic à nigredine purgatum per actionem caloris, quem in ſe naturaliter continet. Sed ignis ſpecies eſt obtecta & occulta, agens eam magis in Arte quàm in naturâ, & è converſo, & ideo non eſt impoſſibile, ut ars mediante natura. Hîc nota mediantem naturam, quòd plus digerat & perficiat, cùm naturaliter intendit perfici; ſed per ſe non poteſt, niſi moveatur arte & operatione. Sed iſti labores, ut credo, non pervenient ad hominem duræ cervicis, & ideo non fit verum aurum, niſi fiat ita digeſtum & decoctum, ut melius melioret pejus. Quia omnium Philoſophorum intentio eſt, cùm me-

liore

liore perficere ; quod fatui contrariè intelligunt ; quia cum pejore melius perficere nituntur , & hoc quærunt in re quæ nunquam fuit in illa , scil. aurum & argentum in rebus aduſtibilibus , ut priùs explanatum eſt.

Quòd in aliis corporibus non eſt utile hòc ſulphur quærere, quia ibi non eſt.

Quæri non immeritò poteſt :Utrùm ex alijs ægris corporibus hoc ſulphur album & rubeum ad tingendum Mercurium elici poſſit. Dico quòd non : quia prius dictum eſt , quòd non eſt aliqua res majoris temperantiæ quàm in iſtis duobus corporibus reperitur , quibus inſunt radij tingentes ; cùm prius dictum eſt , quòd ægra corpora in ſe contineant ſulphur fœtidum & aduſtibile , & non virtualis naturæ ſicut in iſtis , &c. Cùm omnis ars non valeat , niſi præhabita natura , quam ſequatur : poſſes tamen cum minoribus mineralibus purgare metalla : quibus purgatis, tamen adhuc non haberent auream & argenteam naturam in ſe : quia digeſtio & decoctio aurea non fuit in illis , ſicut in alijs , nec ſulphur ita maturum : & ideo ipſis immaturis ſuccurrendum eſt cum maturis ut maturentur. Igitur nō tingunt, ſed tinguntur: quia tinctura auri & argenti proportionabilē naturā habet cum ipſis, ſcilicet immaturis vel imperfectis: quia originē ex Mercurio traxerunt. Ex his manifeſtè patet , quòd minora mineralia tingere non poſſunt : quia corpora metallica imperfecta quæ non conveniunt cum auro & argento ex parte Mercurij maturi , tingere non poſſunt , nec naturam auri vel argenti infundere. Et ideo non eſt tingendum , niſi cum illis quibus ineſt virtus tingendi. Tinge ergo cum auro & argento : quia aurum aureum tribuit colorem & naturam , & argentum argenteam. Quare omnia alia deſpicias , quibus non ineſt virtualiter ſeu naturaliter virtus tingendi , cùm in ipſis nullus ſit fructus , ſed ſolùm perditio rerum & ſtridor dentium.

FERMENTATIO.

Hermes tractatu ſeptimo de Sole : Filij , Philoſophorum corpora ſunt ſeptem , quorum primum eſt aurum eorum optimum , Rex & caput , quod nec terra corrumpit , nec res comburentes comburunt , nec aqua alterat , eò quòd ejus complexio eſt temperata , & natura directa in caliditate , & frigiditate , & humiditate , & ſiccitate , nec in eo eſt quid ſuperfluum , nec minus , quare ipſum prætulerunt Philoſophi & magnificarunt , & dixerunt , quòd aurum ſic ſe habet in corporibus , quemadmodum Sol in ſtellis ſuo lumine & ſplendore , eo namque vegetabilia germinant in terra , & omnis fructus perficitur nutu Dei. Similiter aurum in corporibus omne corpus ſecum continet & vivificat , quòd Elixir fermentum eſt , ſine quo nequaquam peragitur , quemadmodum paſta abſque fermento non fermentatur , nec elevatur : ſic cùm corpora dealbas , ſublimas , mundificas , & ex eis fœcem & turpitudinem extrahis : deinde volens ea coadunare , conjungere , & ſimul miſcere , impone fermentum eis : inſpice qualiter paſtæ fermentum , nihil aliud eſt quàm fermentum. Meditare igitur & contemplare , utrum rei fermentum ſit , niſi etiam ex ſua natura. Hæc eſt clavis omnium Philoſophorum. Et notandum , quòd fermentum confectionem dealbat , combuſtionem inhibet , & tincturam continet ne fugiat , corpora lenificat & ſe invicem ingredi facit & conjungit , quod eſt finis operantis , & ſua ſcientia corpora mundantur , & earum opus Deo annuente peragitur. Raymundus in Apertorio : Nunc per ſecundam partem colorabit ſe lapis , fixatur & fermentatur : fermentum autem lapidis ad album eſt argentum , & ab rubeum eſt aurum , ſicut Philoſophi demonſtrant : quia ſine fermento non venit Sol neque Luna , nec aliquid aliud quod ſit ſuæ naturæ : conjunge ergo fermentum cum ſulphure ſuo , ut generare poterit ſuum colorem , & etiam ad ſuam naturam , & ad pondus , nec non ad ſaporem & ſonum ſuum : quia quodlibet ſimile generat ſuum ſimile , quia fermentum ut Sol tingit , & mutat ſuum ſulphur in medicinam permanentem & penetrantem. Ideo dicit Philoſophus : Qui noverit ſulphur & argentum vivum tingere , ille pervenit ad maximum arcanum : propter hoc oportet , quòd Sol & Luna ſit in tinctura & fermentum ipſius ſpiritus , & aquæ permanentis argenti vivi , & per illam aquam illæ naturæ debent fixari , & nutriri cum naturali calore tam diu uſquequo habebunt ſuam fixationem & fuſionem perfectam , poſt hoc fit regimen conjunctionis lapidis cum ſuo fermento , ſcilicet uſque donec ad complementum ſuum opus perventum ſit , & hoc non fit una vice ſimul : quia hoc de intentione naturæ non eſt , ſed bene per copulationem , ſcilicet parum & iterum parum : & etiam per coagulationem fit vera medicīna uniformis , & propter hoc illa copulatio cauſatur à ſubtilibus & partibus tranſmutatis & alteratis in formam & eſſentiam ſpiritualem : quia ſcriptum eſt , quòd corpus groſſum cum ſimplici , & ſimplex cum groſſo propter earum contrarietatem ſe conjungere non poſſunt , niſi groſſum convertatur in ſubtilitatem ſuam per ſuum ſimplicem ſpiritum , & tunc ſint commiſcibilia ſimul , & hoc notificant Philoſophi declarando cuidam filio veritatis , & dicunt quòd perfecta mixtura eſt commiſcibilium alteratorum corporum per indiviſibilia ſibi junctorum unio : quia illa hic requiruntur per patentem rationem , quòd mixtio ſive uhio non poteſt fieri ſine alteratione, quæ eſt ſubtiliatio corporis , & reductio in formam ſpiritualem.

Et de illa parte dicunt Philoſophi , quòd jam medicina completa eſt ab una manerie in aliam maneriem criſtallinam : & tunc apparebit , quòd illa lamina compoſita eſt de ſubtilibus partibus naturalibus , per naturale ingenium uniformiter conjuncta , ſine diviſione illarum partium per modicum & iterum modicum : quia talis cauſa non poteſt fieri ſine ſubtiliatione & homogeneitate naturæ. Et propter hoc convenit , quòd veniat illa materia ita ſubtilis , quòd omnes partes in natura æquales ſint mixtæ cum aqua. Et hoc videre poteris per tuum intellectum , cùm factum ſit unum corpus tranſparens , & in unum continuatum per conjunctionem aut commixtionem multarum partium ſine diviſione , diſcontinuatione & terminatione in unam ſpiſſitudinem & figuram tranſparentem per omnes partes ſuas.

Jam , fili , tu modò habes non modicum ſecretum : illumina igitur primò corpus , antequam imponas animam : qui aliàs nunquam poſſet ſuſcipere , aut in ſe retinere ſpiritum. Hæc Raymundus.

Calidius Philoſophus ; Nemo unquam potuit , vel poſtea poterit tingere terram foliatam , niſi cum auro. Ideo præcipit Hermes , dicens ; Seminate aurum veſtrum in terram albam , foliatam , quæ per calcinationem facta eſt ignea , ſubtilis & aërea.

In iſtam ergo terram aurum ſeminamus cùm tinc-

cturam auri illi imponimus. Sed nunquam aurum potest perfectè aliud corpus tingere,quàm seipsum, certè hoc non potest nisi perficiatur arte.

Aurum est fermentum operis , sine quo nequaquam peragitur : quia est sicut fermentum pastæ, coagulum lactis in caseo,& sicut muscus in aromatibus bonis,& cum eo fit compositio majoris Elixir: quia illustrat , & ab adustione conservat , quod est signum perfectionis. Et scias quòd sine auro , nec perficitur , nec emendatur opus: quia aurum capistrum est argenti vivi , & nullus congelat argentum vivum , nisi in corpore magnesiæ,in quo est unum cremans, alterum verò fugiens, & ipsum aurum est tertium illorum tincturas recipiens , & est tinctura rubedinis , & argentum vivum transformat omne corpus cum eo. Unde quidam : Nisi aurum in auro ponas nil agis. Arisleus : Scias firmissimè quòd si parum aurum in compositione ponatur,exiet tinctura patens candida. Per fermentum Solis intelligitur sperma viri : & per fermentum Lunæ sperma fœminæ : ex illis fit primo coitus , postea fit generatio vera & casta , fermentum auri aurum est : sicut fermentum panis , panis est. Rosarius: Sicut in operatione panis modicum fermenti levat & fermentat magnam copiam pastæ: ita & illud modicum terræ, quod continet iste lapis,sufficit ad nutrimentum totius lapidis.

De duplici Differentia Mineralium ex eodem Tractatulo.

Distinguuntur autem corpora mineralia & specialiter in duas partes , scilicet, in partem metallicam : id est , in metalla quæ originem ex Mercurio ducunt ; & in partem mineralem , quæ ex Mercurio non ducunt. De metallis exemplum , Sol, Luna, Jupiter , Mars habet & electrum. De mineralibus exemplum,Sales,atramenta,alumina,vitriolum,arsenicum , auripigmentum. Sunt autem ductibilia & liquabilia omnia metalla, quæ originem ex Mercurio duxerunt : quia materia eorum ex substantia aquea mixta cum substantia terrea commixtione forti , ut unum ab altero separari non potest : quare congelatur substantia aquea illa cum frigore magis post actionem caloris , & erunt ideo ductibilia seu fabrilia,& non congelatur sola aqua nisi cum siccitate terrestri , quæ alterat aqueitatem , cùm in ipsis non est humor unctuosus: quia congelatio eorum est ex siccitate terrestri , ideo faciliter non solvuntur nisi per actionem caloris vehementem in ipsis , secundum quod sunt fortius commixta. Sunt autem minora seu media mineralia secundum quod dictum est , quæ originem ex Mercurio non ducunt: & horum quidam sunt sales:qui liquefiunt humido faciliter,ut alumen, sal simplex, sal armoniacum,sal lapideum , & omnia genera salium: & quidem sunt, nec liquefiunt solo humore faciliter,ut auripigmentum, arsenicum , sulphur , cùm aqueitas sulphureorum corporum est commixta cum terra viscosa commixtione forti cum ferventia caloris , donec facta sunt virtuosa , & postea coagulata sunt ex frigore : atramenta verò composita sunt ex sale , & sulphure , & lapidibus , & creditur in ipsis vis mineralis aliquorum corporum liquabiliũ, quæ ex eis fiunt,calchantum & olocari:sed corpora metallica ex ipsis artificialiter fieri non possunt , cùm sint alterius naturæ, & cum metallis ex prima materia propinqua , scilicet cum Mercurio originem non duxerunt , scilicet ex argento vivo. Non nego, quin cum ipsis metalla possunt purgari aut dissolvi , vel sophistica forma per ea introduci ad decipiendum homines &c.

Duplex est sulphur , vivum scilicet & virens. Vivum causat metalla , quamvis adhuc bene differunt unum ab alio,secundum quòd plus existit viscositate terræ infectum , cùm tamen sulphur simplex vivum causans aurum & argentum,non est nisi vapor calidus & siccus generatus ex purissima siccitate terrestri , in qua omnibus moribus prædominatur ignis,& illud dicitur elementum cum Mercurio metallorum, &c. sulphur, patet supra.

Quid impossibile est minora Metalla artificialiter fieri metalla.

Sed quia in præcedenti capitulo determinatum est,minora mineralia , artificialiter impossibile fieri metalla,propterea hic restat,fore probandum primò sic , quia minora metalla de prima metallorum materia,quæ est Mercurius, non sunt generata,quia generatio eorum cum generatione Mercurij in primis differunt in forma, in natura , in compositione: ideo etiam fieri metalla non possunt : quia rerum unius speciei una est materia prima , & sperma ex quibus generatur. Prima pars antecedentis patet, quòd minora mineralia non sunt generativa ex Mercurio, quod est causa:quia semper manet in prima materia metallorum & non extranea sulphurea. Unde Aristoteles & Avicenna : Ideo si deberent fieri metalla, oportet quòd primò transirent in primam materiam metallorum,sed quia artificialiter hoc fieri non potest, ideò minimè metalla ex eis fieri possunt: sic pater prima pars antecedentis satis declarata. Secundò ad idem, quòd minora mineralia principium metallorum artificialiter fieri non possunt, quod est Mercurius:ideo etiam medium & finem non pertingunt, quæ sunt metallum & tinctura quam tenet: quia nutrimentum in homine per generationem non potest fieri homo , nisi prius convertatur in sperma , & sic additum suo simili , novus generatur homo. Sed quia minora metalla à metallis extraneæ sunt naturæ , quamvis bene in aliqua vi minerali participant, & debilioris sunt virtutis, & adustibilia, ideo natura metallica eo non gaudet , sed resolvit & servat ea, quæ sunt suæ naturæ. Verbi gratia. Si aqua miscetur teriæ,separatur ab invicem: quia terra petit fundum,cùm fit gravis & sicca, aqua superficiem & nequaquam artificialiter sic possunt conjungi , quòd istæ naturæ contrariæ steterint in una natura conjunctim , bene quidem aqua potest abluere & mundare terram : sed quòd siccitas terræ artificialiter in aqueum humidum , credi non debet,licet terra madefiat aqua , sic minora mineralia possunt quidem conjungi cum metallis, & ea purgare, & aliquo modo novam formam introducere : sed cum ipsis permanere , & illud immaturum maturare natura non concedit. Quare fatui , ut diversa negotia & sophistica ad decipiendum homines adducunt,scilicet res improportionabiles , quæ nec materiam dant , nec eam etiam recipiunt,scilicet, secundinas,oculos animalium, testas ovorum, crines , sanguinem hominis rusi,vermes,herbas,radices, stercus humanum. Multi enim fatui laboraverunt , & adhuc laborant in his rebus vegetabilibus & sensibilibus, ubi tamen nihil invenerunt veritatis : sed quasdam humilitates , de quibus indicamus insciis , ut evitare possint deceptiones : nam ex his rebus postea dicendis longo tempore extraxerunt , quod appellabant argentum vivum artificiale, & olea, & aquas, quas nominaverunt quatuor elementa, videlicet,aquam,aërem,terram,& ignem, & salem armoniacum , arsenicum , &

sulphur

sulphur, & auripigmentum, quod emissent melius in foro, & citiùs perfecissent. Quæsiverunt etiam in rebus vegetabilibus & sensilibus siccorum & humore carentium combustibilium & corruptibilium, in quibus quæsierunt tincturam quam non habent. Hi verò damnificati sunt damno apparenti, & istæ sunt rationes, capilli humani, cerebrum, sputum humanum, lac mulierum, cruor humanus, urina, stercus humanum, embrio, menstruum, & sperma, ossa mortuorum, ova gallinarum: & simpliciter in omnibus animalibus brutis, piscibus, A volatilibus feminibus, scorpionibus, bufonibus, basiliſco naturali, & artificiali, in quo maxima trufa est: in testudinibus, & succis quarundam herbarum, & floribus arborum, & specialiter in his, videlicet herba lunari, & solari, quæ dicitur Toxicum, & in omnibus in quibus finxerunt nomina ad placitum suum secundùm metalla, decipientes se & alios, volentes cum pessimis rebus optima facere, & naturæ defectum cum talibus adimplere. Sed quia in his nullam virtutem imaginantes veraciter, nec scrutantes, volentes stercus seminare, & metere triticum, quod usui videtur impossibile. Unde dicitur: Si quid homo seminaverit, & hoc metet: ergo si stercus seminas, merdam & metes. Quare non est mirum, quod vix unus inter mille, aut nullus de talibus perficit. Semina aurum & argentum, & affert tibi fructum millesimum, cum labore tuo mediante natura: quia ipsum solum habet quod quæris, & nulla res alia mundi, cùm alia omnia sint fœtida, & naturæ cedunt per ignis assiduitatem & examen. Sunt & alij Alchimistæ in minoribus mineralibus laborantes, scilicet in quatuor spiritibus, ut in sulphure vulgi, arsenico, auripigmento, & sale armoniaco, volentes ex his tincturam perficere: sed hoc facere non possunt, ut patet per definitionem tincturæ: quia tingere non est aliud quàm tingendo tinctum in naturam suam transformare, & secum sine ulla transformatione permanere, & docens natura naturam contra ignem præliari: nam tingentis & tincti natura concordat. Verbi gratia: si ex auro vel argento tinxeris plumbum vel stannum, vel aliquod aliud tale, hoc concordat in naturis: quia originem ex utraque parte ex Mercurio duxerunt, maturum immaturo conjungitur, ut immaturum secum in tali via perficiatur. Sed cùm isti quatuor spiritus sint alterius naturæ cum metallis, ut sufficienter priùs dictum est: ideo si tingere debent, quæro, an debeant convertere vel converti: Si converti, tunc tinctura non est, ut patet per ejus definitionem. Si convertere, ergo tingendo convertit in suam naturam, quæ est terrea, naturæ metallicæ extranea. Ideo metallum tingendo facere non possunt. Quòd autem tingendo convertit in suam naturam probatur, quia omne generans generat sibi simile. Sed quia hæc tinctura quatuor spirituum generans est terrea, ergo generabit sibi simile, quod etiam est terreum, ut ipsum.

ILLUMINATIO.

Sic & istam tincturam & omnem aliam quæ non invenitur in proprietate naturæ respicias cum aliis viis extraneis: quia in ipsis non est aliud quàm rerum consumptio, temporis perditio & laboris, cùm omnia alia apparentia sunt, & non existentia metalla, quæ per minora mineralia vel cósimilia fuerint laborata.

Raymundus: Quamvis hic lapis noster jam in se tincturam naturaliter contineat: nam in corpus magnesiæ est creatus perfectè, per se tamen motum non habet, nisi perficiatur arte & operatione. Geber dicit in operatione radicum: Ad hoc fit operatio, ut melioretur tinctura auri in auro plus quàm est in sua natura, & etiam ut fiat Elixir juxta sapientium allegoriam compositum, &c. Sed nunquid solo auro, & non alio corpore indigemus? Audi Hermetem dicentem: Pater ejus: id est, primæ compositionis est Sol, mater ejus Luna. Pater est calidus & siccus, tinctaram generans: Mater ejus est frigida & humida, genitum nutriens: igitur si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam facilè flueret medicina, neque tincturam daret, & si daret, non tingeret, nisi in quantum esset, & reliquum, & Mercurius in fumo evolaret: quia non esset in eo receptaculum tincturæ: sed nostrum finale secretum est habere medicinam, quæ fluit ante fugam Mercurij: ergo duorum conjunctio est necessaria in opere nostro. Dicit enim Geber in perfecto magisterio: Preciosius metallorum est aurum. Ipsum enim est anima conjungens spiritum cum corpore scilicet imperfecto: quia sicut corpus humanum sine anima est mortuum & immobile: sic & corpus immundum sine fermento, quod ejus est anima, terreum & vegetabile: ipsum enim est tinctura rubedinis, transformans omne corpus: ipsum est fermentum, totam massam convertens ad suam naturam: quia sicut Sol & Luna cæteris planetis dominantur: sic ista duo corpora dominantur aliis corporibus metallorum, quæ ad naturam prædictorum corporum duorum conformiter convertuntur, & ideo fermentum dicitur: nam sine ipso germina non emendantur & sicut modicum fermenti totam massam corrumpit: id est, transmutat & elevat: sic & in nostro quoque lapide accidit. Unde Hermes dicit: Fili extrahe à radio suam umbram: accipe ergo quartam partem sui, hoc est, unam partem de fermento, & tres partes de corpore imperfecto, dissolve fermentum in æquale sui aquæ Mercurij: eoque in simul lentissimo igne, & coagula illud fermentum, ut fiat sicut corpus imperfectum, & orificio vasis clauso, eodem modo & ordine, ut dictum est, sit per omnia præparatum. Aristoteles: Elige tibi pro lapide, per quem reges venerantur in Diadematibus suis, & per quem Physici habent curare ægrotos suos, quia ille est propinquus igni.

Fili, recipe de simplicissimo & de rotundo corpore, & noli recipere de triangulo vel quadrangulo, sed de rotundo: quia rotundum est propinquius simplicitati quàm triangulus. Notandum est ergo, quòd corpus simplex nullum habens angulum: quia ipsum est primum & posterius in planetis, sicut Sol in stellis: quia in Astronomia firmamenti videmus, quòd Sol est Dominus omnium Planetarum, & omnes planetæ egent lumine suo: quia dat lumen suum sursum usque ad Saturnum, & deorsum usque ad Lunam: deinde respicit omnia tàm superiora quàm inferiora. Aristoteles, Fili, accipere debes de pinguiori carne fili, tu debes scire, quòd unumquodque semen suo germini respondet: quia ea quæ seminas, ea etiam & metes.

Quæ sunt particularia quæ perficiuntur in hac Arte.

Universaliter omnibus intuentibus, ad quos sermones præsentes devenerint declaro, quòd in totius artis serie non sunt nisi duo particularia, quæ particulariter perficiuntur secundum Philosophos & naturam: primum particulare tàm in albo quàm in rubeo existit in Mercurio sine administratione medicinæ perfectæ: quamvis bene corpus cum quo perficitur in se occultè ipsius tincturam continet, veluti natura requirit, primum quod in eo particulariter ex utraque specie rerum est illud, cùm mercurius

sit

fit ex prima materia omnium metallorum compositus, ex terra alba nimium sulphurea, & aqua clara: & ideò albedo terræ transparet limpiditatem aquæ, & est color in eo albissimus, ut docet experientia, & continet in se sulphur bonum, maturum, mundum, tunc possibile est ex eo particulariter fieri Solem & Lunam.

Philosophus: admisceatur per artificium alijs metallicis corporibus: quia est natura eorum, & ipsa generata sunt ab eo, & ideo per artificium fieri potest, & imitetur digestam naturam in illud, ut cum eis perficiatur: & sic quibus complectitur metallis, fit simile illis sine aliqua admixtione extranea, cum simpliciter natura gaudet suæ naturæ, & non per aliquod extraneum: sed cum Sole fit Sol, cum Luna Luna, cum Venere Venus, &c. cùm unumquodque mittit in illud vim suam: & etiam quia in se continet suum sulphur bonum, sed immaturum, quod per artem maturatur. Quare alia metalla coagulata & infecta per sulphur adustibile particulariter, sicut ipsum, Sol & Luna fieri non possunt.

Prima ratio: Si enim in Mercurium transformarentur, & admiscerentur cum Sole & Luna, tunc ipsorum Mercurius haberet in se illud præhabitum sulphur malum.

Et si purgaretur, tunc in tantum purgari non posset, quòd reduceret in Mercurium, sicut ante talem simplicitatem. Nec etiam posset corpus per Mercurium in eo dissolvi, & cùm dissolvi non posset tunc etiam vim seratam in illud mittere non posset.

Sed naturis ex utraque parte seratis unum quodque in examine ab altero separaretur, cùm in se non haberet naturam perfectam occultè, cum qua propè per ipsorum solutionem perficere possent: sed cùm semper ipsis necessarium sit mediante arte, ut alia corpora perfecta ipsis subvenirent cum sua natura, quæ naturaliter est perfecta. Secundò, si insoluta adjungerentur corporibus perfectis, minus aurum & argentum fieri posset, cùm naturaliter per congelationem ex utraque parte naturæ eorum seratæ sunt & cum non est medium aperiens illas naturas admittendum unam vim in aliam, tunc conjungi non possunt conjunctione naturali, it ut redeant in Mercurium: unde ex utraque parte originem duxerunt: & ideo per vehementiam ignis ab invicem separarentur per combustionem naturæ imperfecta, ut bene cernitur. Sed cùm conjungere volueris, facias Mercurium per Mercurium, qui dissoluit & aperit naturas seratas, ut simpliciter unum possit transire in aliud, & perfectum mittere vim in imperfectum, ut secum perficiatur. Et isti sunt labores viæ particularis, & sic particulariter aurum & argentum fieri possunt. Nota quòd Mercurius crudus dissolvit corpora, & reducit in ea primam materiam suam sive naturam: sed Mercurius corporum hoc facere non potest: hoc est, propter eruditatem sui sulphuris, quod in prima terra alba habuit, cum qua ex aqua clara factum est ab initio: quia illud crudum semper apperit corrodere, quod suæ naturæ vicinius est, primò aurum, secundò argentum, &c. Sed alter Mercurius ex corporibus congelatus hoc facere non potest: quia per congelationem illud crudum sulphur, quod antea fuit in eo, est alteratum in natura ideo non corrodit sicut primum, nec seratum aperit, & ideo una vis non mittitur in aliam, sed unum quodque per se manet: unde quidem fluctualiter sunt conjuncta, sed naturaliter ex utraque parte sunt serata. Quare per examen & asperitatem ignis imperfectum comburitur perfecto manente: quia una natura alteri succurere non potest, sed cum argento vivo crudo hoc facere potest, scilicet naturas reserare & aperire, ut unaquæque res vicina sit suæ naturæ adjuvamen: ideo si dissolvitur argentum, inveniet argenteam naturam: & si aurum, auream. si plumbum, plumbeam, &c. Per ipsorum sulphur congelatur. unde Philosophus: Si verò ista corpora quæ suam naturam participant, sicut tu quæris in multis rebus fœtidis, & immundis, & ideo est particulariter possibile ex utraque parte ex eo fieri aurum & argentum, & in alijs corporibus non, ut audivisti. Nota, duplex est solutio corporum, in Mercurium per Mercurium, & in aquam Mercurialem. Prima solutio requiritur ad particularia: secunda ad universalia. Prima solutio corporum in Mercurium non est nisi resolutio: id est, quod per solam resolutionem seratum aperitur propter ingressum naturæ unius in aliam: & ista resolutio est in particularibus. Secunda solutio est in aquam mercurialem, & fit universaliter: & illa fit non per solationem sulphuris immaturi in Mercurium: sed per putrefactionem corporis & spiritus in humido, cùm putrefactio omnium naturarum ad invicem ligatarum est solutio & separatio: & sic partes ligatæ ab invicem separantur, & unaquæque pars ab alia: & hoc fit per separationem & solutionem elementorum, quæ in generatione Mercurij sunt connexa, scilicet aquæ & terræ, & eædem partes dum purgantur in natura per conversionem conjunguntur, & plus se diligunt propter eorum mundificationem, quàm antea in natura: & hæc separatio fieri non potest in corporibus nisi per spiritum. Sic ars transcendit naturam in una via, licet artificialia bene subitò fiant, quæ tamen antea naturaliter prolixa fuerunt. Non credas, quòd hæc sint elementa vulgaria, scilicet, aqua nubis, vel consimilia: sed frigidum & siccum terra, frigidum & humidum aqua: humidum & calidum aër: calidum & siccum ignis. Et sic sunt in naturis elementa: tamen nequaquam ars potest partes connexas in generatione ita separare, quòd simpliciter in elementa quæ fuerunt transmutentur, cum prima natura unam qualitatem mutavit in aliam: taliter ars bene separare potest, ut humidum à sicco, frigidum à calido: sed tamen una qualitas adhuc de naturali commixtione possidet naturam alterius in aliqua parte, per hæc possunt per artem vice versa conjungi sicut divisa sunt, si illud non esset quòd una qualitas participaret naturam alterius, scilicet aqua naturam terræ in frigiditate, & aër naturam aquę in humiditate, & cæteris: tunc sequeretur, quòd naturale opus esset totaliter destructum, cùm simplicissimi essent elementa, sicut antea fuerunt: ante Mercurij generationem, ars destruxisset naturam, à capite incipiens, scil. ab auro & argento usque ad principium: id est, argentum vivum, & ultra ista principia simplicium elementorum. secundum quòd antea fuerunt ante Mercurij generationem, ita remotè in arte est impossibile. Si esset possibile, tunc sequeretur quòd de novo extra primam materiam metallorum ars componeret elementa, & vice versa ars generaret Mercurium, sicut destruxit, quod impossibile est artificialiter fieri: bene quidem ars destruitur à capite usque ad pedes? id est, Mercurium à pedæ ædificans usque ad caput in subtiliori forma, cùm substantia naturæ, quæ antea fuit ars concedit. Sic dissolvuntur species rerum, cùm in aliam formam transmutantur, quàm antea fuerunt. Quia dicit Aristoteles: Fiant artifices Alchimiæ, species rerum transmutari non posse, quod verum est nisi in primam materiam reducantur vel convertantur: id est, in argentum vivum, & ultra

hoc

hoc non consulit, secus fieri est impossibile, &c.

NUTRIMENTUM SECUNDUM Particulare est in Sole, Mercurio, & Sulphure Philosophorum.

Cùm supradictum est quòd Luna contineat in se sulphur album, sicut aurum rubeum, tamen ignis species sub albedine in eo est obtecta: ideo omne argentum possibile est fieri aurum. Unde Philosophus: Non est aurum nisi priùs fuit argentum: sic argentum continet in se aliquas qualitates indigestas, quæ possunt ab eo purgari per artem, ita quod particulariter transit in Mercurium fixum, & in vicinissimam naturam auri: quia omne tunc continet in se quod & aurum, per appositionem sulphuris rubei Philosophorum, quo plus digeritur, & citrinatio in eo causatur in adjunctione corporis perfecti, cùm sint simpliciter unius naturæ: hoc autem in aliis corporibus fieri est impossibile, cùm tantam vicinitatem naturæ perfectæ non habeant sicut ipsum, quod est impeditum in generatione ipsorum per sulphur adustibile & fœtidum, nec ipsa sunt Mercurius: de quo loquitur Philosophus: Non fit transitus ab extremo ad extremum, nisi per medium: id est, ex Mercurio non generatur aurum nisi priùs fuerit argentum, nec in se habet sulphur ignis simplicis non urentis, sed sulphur adurens, & ideo in Mercurium fixum particulariter transformari non possunt, ut suprà dictum est per Aristotelem: Sciant artifices, se similia illis facere possunt, & tingere per rubeum citrinum, ut videatur aurum, & album tingere albo, donec sit multum simile argento: possunt quoque plumbi immunditiam abstergere, vel aliorum corporum ægrorum, ut videantur aurum & argentum: veruntamen plumbum manet semper plumbum: quia in se non habet qualitates digestas auri & argenti, ut dictum est suprà: ut hi qui accipiunt salem armoniacum, vel alia minora mineralia ad illudendum homines & conjungunt cuprum vel stannum cum Mercurio, ut appareat hominibus argentum, & aliquo modo fabricale, & in igne examinabile secundum eos qui in igne experti sunt, qui tamen in hoc illuduntur: quia veram naturam argenteam in se non habet, sicut apparet in colore & examinatione.

Prima ratio est: Cuprum continet in se Mercurium aliqualiter mundum, nisi in quantum ex sulphure existit deforis: sed sulphur fœtidum & adustile quod ipsum comburit, & rubinem non bene digestam habet, sed ratione sulphuris rubei & immundi cum Mercurius præhabet substantiam præ sulphure, & ideo tardiùs deficit in igne quàm plumbum vel stannum, quia Mercurius, nisi quantum violentiam patitur à sulphure sibi commixto: sed quòd plumbum citiùs comburitur, hoc est ratione Mercurij infecti: quia infectus Mercurius cum infecto sulphure sicut plumbum est, quærit aliquod vicinatum suæ imperfectionis, & cùm argentum & cuprum commixta sunt in argento, non invenit quàm rem infectam, sed in cupro invenit primò sulphur adurens, cui citius admiscetur, & in commixtione universali Mercurius cupro magis inficitur, cùm plumbum sit ex utraque parte scilicet Mercurij & sulphuris infectum. Et jam quia plus malum citius adhæret malo, in tantum debilius & peius erit, & ideo citius adhæret cupro vel argento, inficiens & comburens illud, cùm natura cupri & argenti, ut audisti, ex utraque parte sit serata, peiori subveniri non potest: & sic plumbum comburit cuprum ab argento, quod tardius separatur sine plumbo, quoniam in quantum magis imperfectius est, tanto debilius erit & combustibile. Sed in conjunctione statim cum cupro & Mercurio aliquo modo aperit naturas, & conjungit hæc duo; scilicet, stannum & cuprum. Mercurium ex utraque parte aliquo modo mundum, cùm stannum habet Mercurium mundum, & sulphur malum debiliter commixtum, conjungitur Mercurius Mercurio. Et Mercurius semper habet potentiam sulphuris, variando colorem cupri, qui existit in sulphure, ita quòd nova forma appareat, & etiam citò sulphur comburere non potest: sicut antea ipsum Mercurium, & cùm Mercurius crudus coagulatur per ipsum, alteratur cum eis in natura, sicut aliquo modo appareat argentum, quamvis verè non est argentum, cum in eo non fuerit debita digestio & decoctio, & sulphur ignis non simplicis & virtualis naturæ sicut ipsum argentum vivum, ex quo aurum & argentum ex utraque parte, scilicet Mercurij & sulphuris, sufficienter sunt digesta, & bonæ maturitatis, & in omni digestione perfecta. Sic habes argentum sophisticum ex cupro, stanno, & Mercurio: & si tunc admiscueris aliquos pulveres minorum mineralium; non est impossibile, si Mercurius super potentiam agat, sed semper cùm adhuc sit imperfectum in fine diminuitur & comburitur in igne, cùm sulphur non sit virtualis naturæ, sicut ipse Mercurius, sed semper obnoxius occultè, & inficiens Mercurium quamvis bene Mercurius sit suppeditatus, & sic postmodum in stercus redibit, sicut antea fuit. Sic ergo intellige quomodo verum aurum & argentum differunt à sophistico: licet plures sophisticationes fiant eodem modo per alia metalla in rubeum & album, adjunctis minoribus mineralibus vel aliquo ipsorum. Sunt autem illi laborantes delusi, cùm æstimant se bonam inveniisse apparentiam hoc facit eorum ignorantia: quia naturas metallorum non cognoscunt, &c.

FIXATIO.

Raymundus: Nunc dicam fixationem tincturæ sive aëris qui portat in se tincturam, &c. qui fit calcinatione, de quo modo supersedebo. Lilius Philosophus: In fine exibit tibi Rex suo diademate coronatus, fulgens ut Sol, clarus ut carbunculus, foris effluens, ut cera, perseverans in igne, penetrans & retinens argentum vivum. Arnoldus: Color namque rubedinis creatur ex complemento digestionis: quoniam sanguis non generatur in homine, nisi priùs diligenter coquatur in epate. Sic nos cùm videmus de mane nostram urinam albam, scimus nos parum dormivisse, redimus ad lectum: somno autem recepto, completur digestio, & nostra citrinatur urina: sic per solam decoctionem potest albedo devenire ad rubedinem, ignem sic continuando. Aes nostrum album si diligenter coquatur, optimè rubificatur, igne ergo sicco, & calcinatione sicca decoquatur, donec rubeat ut cinabrium, cui de cætero nequaquam impones aquam, neque aliam rem, quousque ad complementum decoquatur rubeum.

Fusionem & ingressionem simul & fixationem quid præstet.

Geber libro secundo, capite quinto, dicit: Dicimus quoniam omnis solutionis perfectio adducitur

cum aquis ſubtilibus, & maximè acutis & acribus, & ponticibus, fæcem nullam habentibus : ſicut eſt acetum diſtillatum, & uva acerba, & pira multæ acritudinis, & mala granata, ſimiliter diſtillata, & his ſimilia. Fuit autem cauſa inventionis ejus ſubtiliatio eorum, qui nec fuſionem nec ingreſſionem habent, de quibus magna utilitas amitteb tur ſpirituum fixorum, & eorum quæ naturæ ſunt : nam omne quod ſolvitur, neceſſe eſt ſalis aut aluminis, vel eorum conſimilium habere naturam. Eſt autem natura eorum, quoniam fuſionem dant ante illorum vitrificationem. Ergo & ſpiritus ſoluti fuſionem præſtabunt, ſimiliter ſimilem. Cùm ergo multum ex natura ſua corporibus, & ſibi invicem conveniant, habita fuſione, neceſſe eſt per illam corpora penetrare, & tranſmutando penetrare, & penetrando tranſmutare. Ad hoc verò ſine magiſterio non pervenitur, quod eſt ſcilicet, ut poſt ſolutionem & coagulationem illius, adminiſtretur illi aliquis ex ſpiritibus purificatus non fixus, & totiens ab illo ſublimetur, quouſque ſecum maneat, & illi velociorem præſtet fuſionem, & ipſum infuſione à vitrificatione conſervet. De natura enim ſpirituum & corporum eſt non vitrificari, & à vitrificatione commixtum ſalvare, donec in eo fuerint ſpiritus, magis à vitrificatione defendit : magis autem ſervavit ſpiritus, ſolummodo purificatus, quàm purificatus, fixus, calcinatus atque ſolutus : ideo neceſſe eſt illi admiſceri, reſultat enim in his bona fuſio, & ingreſſio, & fixio ſtans. Ex operibus ergo naturæ probare poſſumus, ſola ſalium & aluminum, & ſimilium naturam ſervantia ſolubilia eſſe : non enim in operibus illius omnibus conſiderantes invenimus ſolvi præter illa : igitur quæcunque ſolvuntur neceſſe eſt per illorum naturam ſolvi per reiterationem calcinationis & ſolutionis : ideoque probamus per illud, omnia calcinata ad ſalium vel aluminum naturam approximare, ideo eſſe in proprietatibus neceſſe eſt concomitari. Modus verò ſolutionis duplex eſt, ſcilicet per fimum calidum, & per ferventem aquam : quorum eſt una intentio & unus effectus. Modus ergo per fimum eſt, ut ponatur calcinatum in ampullam vitream, & ſuper illud fundatur & quantitas aceti deſtillati vel conſimilis dupli ejus, & obſtruetur caput ſuum ne reſpiret, & ſub fimo tepido triduo dimittatur, & poſtea per diſtillationem philtri ſolutum removeatur, non ſolutum verò iteratò calcinetur, & poſt calcinationem iteratò ſimiliter ſolvatur. Modus verò qui per bullitionem aquæ fit, velocior eſt, & eſt ut calcinatum in ampull m : ſimiliter ordinetur, cum aceto, obturato foramine ne reſpiret, quæ in caldario pleno aqua & ſtramine ſepelietur, ut in deſtillationis modo per aquam præceptum attulimus per ordinem : & poſtea accendatur ſub ea ignis, donec per horam ferveat : poſt hoc verò ſolutum diſtilletur, & ſeorſum ſervetur, &c. ut ſuprà. Fuſio medio igne, qua fit ingreſſio, eſt perfectionum ultima, ut dicit Geber lib. 7. cap. 17 Coagulantur cuncta reſoluta cum ſolo adjutorio ignis, & hoc in vaſis firmiter clauſis, & hoc à me tene ſecretum, quòd res perfecta coagulata eſt, quæ fluit cum ignitione convenienti, & cum expectatione examinis ignis : ſin autem, reitera opus, & pervenies per reiterationem ad propoſitum Deo adjuvante. Raymundus : Noſter infans habet duos patres & duas matres : & quia ipſe charè nutritus eſt ex tota ſubſtantia in igne, propter quod nunquam moritur. Ceratio eſt reductio humoris ſuper terram igne mediante, ut per calcinationem privata humore, & arefacta molleſcat, & ad fluiditatem reducatur, & per conſequens habeat ingreſſum, non autem liquefactione communi, quæ vulgus per ignem liquefacit, ſed Philoſophica, quæ fit per aquam.

Fixio eſt cùm corpus recipit ſpiritum tingentem, & aufert volatilem, & fit per frequentem iterationem, donec fiat cinis perpetuæ durationis, & totum in igne permaneat.

Quomòdo ex Mercurio generantur metalla in ſpeciali.

Rerum omnium liquefactibilium natura ex argento vivo eſt, ex ſui ſubſtantia, eò quòd proprium eſt argentum vivum, quod coagulatur ex vapore, ſive calore ſulphuris albi vel rubei non urentis. Unde Ariſtoteles quarto Meteororum : Si fuerit ſulphur album non urens, congelat Mercurium in argentum bonum : ſi verò ſulphur fuerit purum cum rubore claro, & in eo fuerit vis igneitatis ſimpliciter non ventris, congelat in aurum puriſſimum melius quàm minera produxit : quia omne ſiccum naturaliter ebibit ſuum humidum, ut in ſuis partibus ſit continuatum. Vapor ergo ſulphuris argenti vivi coagulandus eſt ex ſubſtantia terrea ſubtili, aërea, decocta & indigeſta à commixtione prima ſibi unita actione caloris, poſtea elevata, decocta, & digeſta, donec habeat vim ſulphuream coagulandi argentum vivum in corpora metallica. Aurum habet multum de virtute ſulphuris & parum de ſubſtantia ejus, & multum de ſubſtantia Mercurij, & parum de virtute ejus, propter quod ratione. Mercurij eſt maximè pondero ſum, & ratione virtutis ſulphureæ multum eſt rubeum : argentum autem per omnia contrario modo ſe habet, quia habet de ſubſtantia ſulphuris multum, & de virtute ejus parum, & de ſubſtantia Mercurij parum, & de virtute ejus multum : ideo eſt album, quia color ſequitur multitudinem virtutis, virtus verò in vapore locata eſt, materia ejus vicinior eſt materiæ auri quàm aliquod aliud metallum, ideo faciliter vertitur in aurum, non indiget alio labore niſi tranſmutando colorem, & dando pondus.

Differentia olei & aquæ in ratione tinturæ.

Arnoldus : Differèntia eſt inter tincturam aquæ & olei, quia aqua abluit tantùm & mundat, oleum verò tingit & colorat. Exemplum autem hujus eſt, quia ſi pannus mergatur in aquam, mundatur ab ea, & quando deſiccatur, aqua recedit, & pannus manet in ſtatu ſuo, & in colore ſuo, in quo prius erat, niſi quòd eſt magis mundus. Econtrà eſt in oleo : quia ſi intingatur pannus in eo, non ſeparatur ab eo per calorem ignis vel aëris, niſi ex toto id deſtruatur : nec poterit ſeparari oleum ab ipſo panno niſi per ablutionem & ignis deſiccationem ; aqua autem eſt ſpiritus, extrahens hanc animam à corporibus. Cùm verò extrahitur anima ab ipſis corporibus, remanet in toſo ſpiritu deportata, ſicut deportatur tinctura tinctorum per aquam ſuper pannum : deinde recedit aqua per deſiccationem, & remanet tinctura in panno fixa propter oleoginoſitatem : ſic ergo aqua eſt ſpiritus, i

qu

quo portatur tinctura aëris, quæ cùm reducitur super terram albam foliatam, statim siccatur aqua spiritualis, & remanet in corpore animæ, quæ est tinctura aëris. Spiritus ergo retinet animam, sicut anima retinet corpus: quoniam anima non moratur in corpore, nisi mediante spiritu, cùm verò conjunguntur, nunquam separantur: quia spiritus retinet animam, sicut anima retinet terram. Unde præcipit Hermes, animas venerari in lapidibus: est enim mansio eorum in ipsis. Sunt autem retentivæ fugitivarum cum eis: ergo est coagulatio nostra, quoniam retinent fugientem. Seminate ergo animam in terram albam foliatam: quoniam ipsa retinet eam: quoniam cùm ascenderit à terra in cœlum, iterumque descendet in terram, recipiet vim inferiorum & superiorum, &c.

De Inceratione, sive mode reducendi aquam super terram.

Arnoldus: Infunde ergo aquam per vices conterendo, & pòst leniter calcinando, quousque ipsa terra biberit de sua aqua quinquagesimam partem sui, sciens quòd oportet primò terram nutriri modica aqua, & pòst majori: sicut est videre in infantis educatione. Idcirco multum contere terram paulatim imbibendo cum aqua, de octo in octo dies: decoque in fimo: quia per inhumationem adustio tollitur, & res in primam suam materiam redigitur: & postea mediocriter calcina in igne, & non tædeat te multoties hoc reiterare, quoniam terra fructum non gerit absque frequenti irrigatione. Et si trituratio non fuerit bona, donec aqua unum fiat cum terra, corpus nihil proficit. Non ergo suspendas manum à tribulatione triturationis, vel à triturationе & assatione: quia terram facit albam; cáveas tamen ne imbibas terram, nisi paulatim, & paulatim, cum longa trituratione supple post exsiccationem terræ. Deinde est pondus in hoc ubique notandum, ne scilicet nimia siccitas aut superfluus humor administrando corrumpant, ut videlicet tantum assando decoquas, quantum dissolutio adjecit & imbibendo dissolvas, quantum assando defecit. Ideo omni vice post calcinationem terræ superfunde aquam temperatè, neque multùm videlicet, neque parùm: quia si multum fuerit, fiet pelagus calcinationis: si verò parùm, comburitur in favillam. Quare suaviter & non festinanter de octo in octo diebus terram irrigabis, decoques in fimo, & calcinabis, donec de aqua biberit quinquagesimam partem sui. Et nota, quod post imbibitionem debet inhumari per septem dies. Itera ergo opus multis vicibus, quanquam sit longum: quoniam non videbis tincturam, neque proficuum profectum, donec sit completum. Studeas ergo cùm in omni fueris opere, omnia signa, quæ in qualibet decoctione apparent, in mente tua recordari, & eorum causas investigare.

Tres quippe sunt colores, niger, albus, & citrinus: cùm terra egreditur, nigredo imperfecta est, & nigredo completa.

Qualibet ergo vice paulatim & paulatim vigora, ignem in calcinatione, quousque terra egrediatur alba ex ignis fortitudine. Nam sicut calor agens in humido præstat nigredinem, ita agens in sicco, præstat albedinem. Idcirco si terra non fuerit alba, tere eam cum aqua, & postea calcina iteratò: quoniam Azot & ignis latonem abluunt, & obscuritatem ab eo auferunt: nam præparatio sua semper fit cum aqua. Ideo qualis limpida aqua, talis limpida terra, & quantò magis fuerit abluta terra, tantò magis alba. Ex multiplici ergo reiteratione imbibitionis cũ forti contritione, & frequenti assatione aqueitatis Mercurij major pars deletur, scilicet aqueitatis: cujus residuum per sublimationis reiterationem similiter removetur. Hæc Arnoldus in suo Rosario de verbo ad verbum.

De Modo sublimandi & albificandi, & Recapitulatio totius Magisterij.

Cùm autem terra exhauserit de aqua quinquagesimam partem sui, citò illam sublima fortiori igne quo poteris, donec ascendat sursum ad modum albissimi pulveris.

Cùm autem videris terram sicut nivem albissimam, & quasi pulverem mortuum, Aludel & spondilibus, & ad latera adhærere, tunc super eum reitera sublimationem sine fæcibus inferiùs remanentibus: quoniam adhæret pars illius fixa, & fixaretur cum fæcibus, & nunquam per aliquod ingeniorum genus posset separari ab eis.

Pulvis autem ascendens à fæcibus superiùs, est cinis à cinere & terra extractus, sublimatus, honoratus: quod verò remanet inferiùs, est cinis cinerum, & cinis inferior vituperatus, damnatus, fæx, scoria. Facio ergo differentiam inter clarum & limpidum ejus: quoniam cùm albissimum, ut nix ascenderit, completum erit, colliges ergo eum cautè ne evolet in fumum: quoniam ipsum est quæsitum bonum, terra alba foliata, congelans congelandum, & mundificans arsenicum, & sulphur album: de quo Aristot. dicit, quòd est res optima, quam recipere possunt Alchemistæ, ut de ea faciant argentum. Nullus debet sublimare terram ad opera sophisticorum, sed debet sublimare ad Elixir nostrum perfectum; & illa quæ sublimantur, duobus modis sublimantur, aut per se; quia spiritus sunt; aut cum aliis; quia in se incorporant cum spiritibus. Mercurius enim cùm sit spiritus, sublimatur per se; terra verò nostra, cùm sit calx, sublimatur, nisi quia in se incorporat cum Mercurio. Converte ergo calcem, & imbibe Mercurium, & decoque, donec fiat corpus unum; & non tædeat te hoc ipsum multoties iterare; quia corpus nisi cum Mercurio sit incorporatum, non ascendet sursum; ideo necesse est, ut in quantum poteris naturam suam subtilies, & cum Mercurio fortirer pistes, quousque fiat unum; quia sublimationem non facimus, nisi ut reducantur corpora ad subtilem materiam, scilicet, ut sint spiritus, & quòd corpus sit leve ad regendum in omnes res, sive in Solem sive in Lunam: & hanc sublimationem facimus, ut corpora redigamus in suam primam materiam scilicet in Mercurium & Sulphur. Facimus ergo hanc sublimationem tribus de causis: una est, quòd corpus sit spiritus de subtili materia & natura: secunda est, quòd Mercurius se bene incorporet cum calce: tertia est, quòd totum sumat colorem album vel rubeum. Idcirco quando calx sublimatur ad Lunam, debet esse alba, & Mercurius similiter albus, & calx quando sublimatur ad Solem, debet esse rubea, & Mercurius similiter rubeus igne calefactus, & debet esse pulvis inceratus. Non mittas Mercurium rubeum ad album, nec album ad rubeum: sed pone unamquamque speciem cum sua specie, & pone ad ignem accensum, & sublima totum, & non misceas illud quod remanet deorsum cum illo quod ascendit sursum: quoniam quod in fundo remanet, reiterabis ad sublimandum per Mercurij in corpora.

poramentum, donec ascenderit totum, alioquin non ponas ipsum in magisterium. Alembicum, in quo sublimas Mercurium, sit vitreum, & cucurbita terreâ vitreata, cujus os fundi sit amplum, quòd possit Mercurius ascendere liberius. Alembicum verò cum cucurbita debet jungi, ita quòd Mercurius non possit exire seu evaporare ne pereat magisterium, &c.

MULTIPLICATIO.

Capitulum Gebri septuagesimum nonum libri tertij.

Solaris medicinæ preparationi, non adurentis fit additamentum sulphuris, per modum figentem & calcinantem cum astutiæ industria, administrati perfectè, atque solutionis modum multiplicem, cum reiteratione multa quousque mundum fiat: his quidem administratione perfecta præveniente, quæ per sublimationem perficitur, & est hujus scilicet additamenti modus per reiterationem patris, non fixi lapidis sublimationis cum ingenio conjungendi quousque elevetur cum ea, & iteratò figatur cum illa ut stet, & quando hujus complementi exuberantiæ ordo reiteratur pluries, tantò & hujus exuberantia medicinæ multiplicatur magis: & illius magis augetur bonitas, & multiplicatur illius augmentum perfectionis maximæ.

Et nos quidem ne mordeamur ab impijs, complementum narramus totum hujus magisterij, sub brevi sermone completo & noto.

Et est illius intentio, ut per sublimationis modum mundetur perfectissimè lapis, & illius additamentum.

Et ab hinc quidem cum ingeniorum modo volativum ex eis figatur. De hinc verò fixum volatile fiat. Et iteratò volatile fixum, & in hoc ordine completur arcanum preciosissimum, quod est super omne hujus mundi scientiarum arcanum, & thesaurus incomparabilis: & tu quidem exciteris ad illum cum laboris instantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immensæ, cum illa enim invenies, & sine illa non. & huic quidem medicinæ reiteratio bonitatis administrationis, cùm talis cautelæ industria potest in præparatione lapidis evenire, quousque argentum vivum mutet in infinitum solificum, & vetum lunificum: & non dependet nisi in multiplicatione illius: jam enim laudetur suplimis naturarum Deus benedictus & gloriosus, qui nobis omnium medicinarum revelavit seriem cum illius experientia, quam illius investigationis bonitate, & nostri laboris instantia perquisivimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus, complementum illius nostro magisterio indagatum. Sed etsi quidem hanc palliavimus, non miretur doctrinæ filius, non enim illi palliavimus: sed malis & improbis eam tali sermone tradidimus, quam latere insipientem necessariò accidit, & eodem ad illius inventionis perquisitionem prudentes allici possint. Filij ergo doctrinæ perquirite, & hoc excellentissimum Dei donum vobis solis servatum, filij insipientes nequitiæ, & malevoli pravitatis immensæ, ab hac scientia fugite: quoniam vobis est inimica & adversa, & vos in miseriam paupertatis constituet: quoniam vobis penitus hoc Dei donum divina providentia est occultatum judicio, & denegatum omnino: Hæc Geber. Idem dicit libro primo, cap. 26. Innuimus ergo tibi secundùm antiquorum opinionem, qui fuerunt de secta nostra artem imitantium, quòd principalia naturalia in opere naturæ sunt spiritus fœtens: id est, sulphur & aqua viva, quam & siccam aquam nominari concedimus. Spiritum autem fœtentem divisimus: est enim albus in occulto, & rubeus & niger uterque in magisterio hujus operis: in manifesto autem uterque tendens ad rubeum. Idem lib. 2. cap. 39. Consideratio autem rerum juvantium perfectionem est consideratio naturarum illarum rerum, quæ corporibus sine artificio videmus adhærere, & mutationem facere, ut sunt, marchasita, magnesia, thutia, antimonium, & lapis lazuli, & consideratio illorum, quæ sine adhærentia corpora mundificant, & sunt, scilicet, sal & alumina, nitrum & boracia, & quæ suæ naturæ sunt, & quæ consideratio vitrificationis mundantis per consimilem naturam.

Mundatio aceti acerrimi secundum Gebrum in lib. Investigationis magisterij.

Acetum cujuscunque generis est, seu acerbum, subtiliatur & depuratur & illorum virtus sive effectus per distillationem melioratur, de eorum mundatione & depuratione sufficienter tractavimus, cum quibus corpora imperfecta præparari possunt, & deputari, & meliorari, & subtiliari, igneque semper debito mediante; præparantur enim & depurantur per ista ad intentionem ignis per hunc modum. Habent enim hæc corpora imperfecta humiditates superfluas, & sulphureitatem adustibilem, nigredinem in ipsis admiscendis generantem, ipsa prædicta corpora corrumpentem. Habent enim terrestreitatem immundam, fœtulentam & combustibilem, nimis grossam, ingressionem impedientem, & fusionem, ista & talia sunt superflua in hic corporibus prædictis, quæ in ipsis nostra experientia & investigatione, certa & ingeniosa sunt inventa: & quia hæc superflua accidentaliter his supervenium corporibus, & non radicaliter: ergo & spoliatio accidentalium possibilis est. Oportet ergo nos cum igne artificiali his prædictis mundandis & superflua demere accidentia cuncta, sola substantia argenti vivi & sulphuris radicalis permanente. Et hæc est integra præparatio imperfectorum, & depuratio perfecta, melioratio, depuratio, & subtiliatio horum, vel hujus substantiæ puræ remanentis fit multis modis, secundum quod indiget Elixir præparationis: ergo & depurationis in generali modus hic est. Primò enim elevanda est cum igne proportionali tota humiditas superflua, & corrupta in illorum essentia, etiamque superfluitas subtilis & comburens, & hoc calcinando: deinde totalis substantia remanens corrupta, in illorum calce superfluæ humiditatis comburentis & nigredinis, corrodenda est cum his mundatis prædictis corrosivis, acutis, seu acerbis, donec calx fuerit alba, sive rubea: aut secundum corpus, naturam & proprietatem colorata & munda, & pura ab omni superfluitate seu corruptione prænarratis, & hæc cum his corrosivis mundantur, terendo, imbibendo, lavando: postea verò delenda seu deponenda est totalis terrestreitas immunda, & fœtulentia combustibilis & grossa, cum rebus prædictis, mundatis vel puris, fusionem metallicam non habentibus, cum calce prædicta, modo prædicto depurata, commixtis & bene tritis, quæ in fusione seu calcis reductione retinebunt secum terrestreitatem grossam & immundam, remanente corpore puro, ex omni superfluitate corrumpente mundato. Ex hoc totum descendendo

dendo meliorationis & subtiliationis horum substantiæ puræ in generali modus hic est. Primò hoc corpus purgatum & redactum est iterum calcinandum cum igne & adjutorio mundativis prædictis. Deinde cum his quæ sunt solutiva solvendum: hæc enim aqua lapis noster est argentum vivum de argento vivo, & sulphur de sulphure ex corpore spirituali extractum & subtiliatum, sive attenuatum, quæ meliorari potest confortando in ipsum virtutes elementales, cum alijs præparatis, quæ fiunt ex genere sui generis, & augmentando colorem, fixionem, pondus, puritatem, fusionem, & alia, & omnia quæ pertinent ad Elixir perfectum, & iste est modus, per solos nos investigatus, præparationis, depurationis, subtiliationis, & meliorationis corporum mineralium in generali.

Multiplicatio. Elixir fit duobus modis, una per reiteratam solutionem & coagulationem lapidis: secunda per projectionem primi lapidis Elixir super corpus, aut album aut rubeum tali quantitate, quòd idem corpus etiam convertetur in medicinam: & tunc simul imponentur hæc ad solvendum in sua aqua & menstruo: & sic Elixir primum est fermentum talis tinctura, & sic mulieres pistrices faciunt.

De Inceratione Elixiris albi.

Ab hinc ergo extrahe de lamina crystallina, quam in fundo reperies lucidam, & primò tere & cera inceratione ultima, guttando super ipsum guttam ad guttam in crucibulo, super ignem levem de suo aëre albo jam dicto, donec fundatur sicut cera sine fumo: tunc proba super laminam ignitam, si se resolverit velocissimè sicut cera, cerata est: si verò non, reduc ipsam ad cerandam guttam ad guttam de oleo suo albo, donec fundatur ut cera sine fumo. Et hoc quidem est præceptum omnium Philosophorum, ut cùm partes sublimatas fixaveris, mundissimam terræ partem, reiteres sublimationem residuæ partis non fixæ super eam fixam, donec ipsa similiter figatur, hinc tenta super ignem: si bonam dederit fusionem, tunc sufficienter sublimationem reiterasti. Si verò non, reitera super illam vice post vicem non fixæ partis sublimationem, donec fundatur citò, sicut cera sine fumo: tunc extrahe & infrigidari permitte. Ex jam dicto capitulo nota attentè intentionem zelosam authoris in eo, quòd toties reiterat modum inceratio-nis: fortè sufficisset semel illud repetisse. Sed ut fortius & tenacius imprimeret lectoris intellectum de necessaria infatigabili inceratione multiplicatione, ideo toties illam repetit, quia in illa tota vis Elixiris dependet, &c. Etiam considera, quòd idem sunt ceratio, fixio, & sublimatio & sunt idem actus: inceratione enim figitur spiritus & sublimatur corpus. Idem Arnoldus capite priori ait: Aqua verò septies distillata serva eam ad partem, quoniam ipsa est Mercurius Philosophorum solutivus, faciens matrimonium, & aqua vitæ abluens latonem. Et ut feciſti de alba aqua, ita facies de rubea: quoniam unum & eundem modum habent ablutionis, & consimilem effectum, nisi quòd aqua alba est ad albificandum, & aqua rubea ad rubificandum. Non ergo misceas unam cum alia: quoniam errabis si feceris. Idem Arnoldus alio capitulo dicit: Si autem fundatur gravius quod est ex defectu ceratio-nis, succurrē ei cum oleo: id est, aëre, guttando guttam ad guttam super ignem levem, donec fundatur ut cera: quoniam quando inceras, misces de re calida & humida magis, quàm de frigida & sicca: & quando figis, misces magis de re frigida & sicca, quàm de calida & humida. Ergo intellige quæ dico, quoniam hujus operis perfectio est naturæ permutatio. Ex supra dictis nota, quòd aqua, aër, & oleum idem sunt: id est, spiritus Mercurij mineralis, &c. Idem alio capitulo: Modi regiminis ad invicem convertentes sunt quatuor principales, scilicet, solvere, abluere, reducere, & figere. Solvere grossum in simplum & subtiliare, abluere obscurum in lucidum, reducere humidum in siccum, figere volatile supra corpus fixum. Solvere est dividere corpora, & materiam vel naturam primam facere. Abluere est inhumare, distillare & calcinare. Reducere est impinguare, incerare vel impregnare, subtiliare. Figere est desponsare, resolvere, & coagulare. Per primum mutatur natura intetius: per secundum exterius: per tertium superius: per quartum inferius.

REVIVIFICATIO.

Geber lib. 3. cap. 90 Epilogatio totius. Quia pertractavimus hujus magisterij causarum sufficientiæ experientias notas, secudùm nostri propositi sermonis exigentiam, restat nos ad complementum totius operis divini pervenire in capitulo uno, & in summam contrahere sermonis abbreviati in capitulis, dispersum magisterium. Dicimus igitur, quoniam totius operis intentionis summa non est, nisi ut sumatur lapis in capitulis notus: deinde verò cum operis instantia assiduetur super illum opus sublimationis primi gradus, & per hoc mundatur à corrumpente impuritate. Et est scilicet sublimationis perfectio, & cum ea subtilietur lapis, donec in ultimam subtilitatis puritatem deveniat, & ultimò volatilis fiat: ab hinc verò cum fixionis modis figatur, donec in ignis asperitate quiescat, & secundus præparationis gradus consistit.

Sed & tertio similiter lapis administratur gradu, qui in ultimo constat præparationis complemento, scilicet ut jam fixum lapidem cum modis sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum solutum, & solutum iteratò volatilem, & iteratò volatilem fixum, quousque fluat, & alteret in complemento solifico & lunifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis hujus gradus tertij in medicina resultat bonitatis alterationis multiplicatio. Ex diversitate igitur reiterationis operis super lapidem in gradibus suis resultat multiplicationis bonitatis alterationis diversitas: ut ex medicinis quædam quidem septuplum, quædam verò decuplum, & quædam centuplum, quædam verò millesimum, & quædam in infinitum solificum, & verum perfectionis lunificum transmutet corpus. Ab hinc igitur & ultimò tentetur, utrum in perfectione consistat magisterium.

Attendat ergo quis proprietatis actionis seu modos compositionis Elixir majoris: nos enim quærimus substantiam unam facere, tamen ex pluribus aggregatam, coadunatam, fixam, quæ super ignem posita ignis eam non exprimat, & liquatis permisceatur, & liquescat cum ipsis, cum eo quod est in ea de substantia ingressibili, & permisceatur cum eo quod est de substantia permiscibili, & consolidetur cum eo quod est de substantia consolidativa, & figatur cum eo quod est de substantia fixativa, & non comburatur ab his quæ comburunt aurum & argentum, & afferat consolidationes cum ignitione debita & perfecta.

Non tamen eatenus brevi tempore intelligas, cum paucis diebus vel horis poſſit prima vice reſtitui. Sed quod reſpectu aliorum medicorum modernorum, reſpectu etiam naturæ operationis veritatis: hæc verò citiùs terminatur. Unde dixit Philoſophus: Medicina eſt cujus temporis longum ſpacium anticipavit. Quare vobis dico, quòd ſuſtineatis patienter: quia fortè moratur, & feſtinantia quidem ex parte Diaboli eſt. Ergo qui patientiam non habet, ab opere manum ſuſpendat: quia impedit eum ob feſtinantiam credulitas.

Omnis enim actio naturaliter ſuum habet modum, & tempus determinatum, in quo majori & minori ſpatio terminatur.

Ad hanc tria neceſſaria ſunt, ſcilicet patientia, mora, & inſtrumentorum aptatio: de quibus in Summa noſtri magiſterij perfecti artificem allocuti ſumus in capitulis diverſis, in quibus experiri poteſt, ſi in noſtris dictis fuerit ſufficienter inveſtigatus, in quibus manifeſta probatione & aperta concludimus lapidem noſtrum nihil aliud eſſe, quàm ſpiritum fœtentem, & aquam vivam, quam & ſiccam aquam nominavimus, & per naturalem proportionem mundatam, & unitam unione tali, quòd ſibi nec abeſſe poteſt, quibus addi debet, & tertium ad opus abbreviandũ, hoc eſt corpus perfectum attenuatum.

Ex præmiſſis igitur patent res, in quibus veritas eſt propinqua, & perficientes ipſum opus.

De Coagulatione & Præparatione primi Lapidis, & ejus ſublimatione.

Sequuntur nunc aliqua notabiliora ex libello cujuſdam dicti Ademarus ſuper Gebrum Regem Perſarum, capitulo quarto, ubi dicit: Quantumcunque lapis ſit mundatus per ſublimationem, & ejus aduſtio ſit deleta per ejus olei extractionem, & ejus fuga ſit deſtructa per ejus fixionem, nihilominus non funditur, nec ingreditur, nec permiſcetur: ſed vitrificatur, ut habetur capitulo decimo Gebri circa medium: imò oportet ipſũ in aquarũ acumine diſſolvi, & calcinari multis vicibus, ut habetur capitulo ſexageſimo ſeptimo & ſeptuageſimo tertio Gebri. Idem capite ſexto dicit, quòd ex multiplici reiteratione imbibitionis cum contritione & leni aſſatione aqueitatis ejus major pars deletur. Hæc eſt ergo ſublimatio primi gradus, per quam aqueum Mercurij deletur: poſtea in aludel vaſe, quod deſcribitur in capitulo vigeſimo octavo, iſta tota ſubſtantia ſpargatur in ipſius fundo: deinde ignis augeatur ut dicitur in capitulo tertio circa medium, donec ipſius pars albiſſimam præcellens nivem, ſua albedine quaſi mortua ſpondilibus aludel adhæreat. Et hæc eſt ſublimatio noſtra, per quam terrea fœtulentia, & partes ſulphuris cum fœcibus in fundo remanet, & in ea natura ejus purificatur, & ab hinc cum fixionis modo figatur: id eſt, fermentetur: quia quod fixum eſt figit, id eſt fermentum: deinde ad fimum ponatur. Sequitur, donec in ignis aſperitate quieſcat, & hic ſecundus præparationis: id eſt, ſublimationis gradus appellatur. Si autem quæratur, quomodo Mercurius ſubtiliari poteſt, cùm in actu habeat ſubtiliſſimam ſubſtantiam, ut habetur cap. 39. dicendum quòd in cap. 73. dicitur, quòd per ſublimationis vel ſubtiliationis modum; id eſt, cum ſublimatione primis gradus mundetur & ſubtilietur; ergo & ultimò volatilis ſtat: id eſt, ſublimetur cum ignitione, ita ut de fœcibus ad vaſis ſpondilia cryſtallo nitidior aſcendat.

Geber; Dealbate latonem; id eſt, terram, & libros reponite, ne corda veſtra rumpantur. Et alibi; Ignis & aqua latonem abluunt, & ejus nigredinem abſtergunt. Sequitur: Recipe ergo ipſum ſublimatum in vaſe aludel, reitera vice una: id eſt, ſublimando fixa, ſicut dicit cap. 62. circa medium, quòd plus quam fulgidiſſima, & cum cautela in adminiſtratione ignis, ut ipſius humiditas in tantum deleatur, quòd ſufficiat ad fuſionem perfectam complendam: quia ignis lentus, ut dicitur ibidem, eſt humiditatis conſervativus, & fuſionis perfectivus. Idem cap. 29. dicitur, quòd argentum vivum primò debet ſublimari, poſtea figi.

Item cap. 28. dicitur, quòd Mercurius figitur per ſucceſſivam illius iterata vice ſublimationem, ita ut fuſionem det Metallicam, hoc idem ſæpe in dictis ſuis reperies. Hæc omnia prædicta intelligi debent de præparatione primi lapidis & dealbatione ejus, ante impoſitionem ipſius infimum, quòd ſcilicet toties debet incerari aquis acutis; & ſolvi & coagulari ſuper cineres, donec nimium molleſcat, dealbeſcat, & tandem fluat ut Luna ſplendida, &c. Hæc eſt enim ſublimatio ejus, ſcilicet in altiorem dignitatem & virtutem, & ejus vera purificatio, &c.

Sequitur capitulum ſeptimum; Sed conſulo quod hoc opus imperfectis lapidibus inchoes: hoc enim fuit de principali & occulto ipſius Gebri intellectu; ſic habes in capitulo decimo ſeptimo; quòd natura Mercurij eſt ita in corporibus, ſicut eſt in Mercurio, imò Mercurio, imò in lapidib. notis eſt perfectiſſimus. Item in capitulo tertio dicitur, quod in Marcaſita eſt natura Mercurij mortificati, & mediocriter præparati, qui melius valet. Iſte Philoſophus in ſuis operibus ſolùm vult naturam Mercurij, ſed tota Solis natura eſt ex Mercurio, ut dicitur cap. 8.

Item Philoſophus iſte vult iſtam ſubſtantiam Mercurij mortificatam, ſed naturaliter Mercurius illius eſt in illo venerabili lapide, ut omnibus eſt manifeſtum; ergo, &c. Item iſte Philoſophus vult iſtam ſubſtantiam Mercurij eſſe fixam, ut patet; quia ingenia fixandi docet cum cautelis multis & ingenijs, ſed quis dubitet ſubſtantiam iſtius lapidis precioſi eſſe fixiſſimam? certè nullus qui cognoſcit eum, igitur, &c.

Item Philoſophus vult ſuum lapidem figi cautela ignis, ut ejus humiditas conſervetur, ſed ubi temperatior calor quàm in terræ viſceribus; ergo, &c. Item Philoſophus vult ſuum lapidem fundi ergo, &c. petet ergo quòd Philoſophorum Magiſter lapis eſt, quaſi diceret, quod naturaliter etiam per ſe facit quod tenetur facere: & ſic Philoſophus non eſt Magiſter lapidis, ſed potius miniſter.

Ergo qui quærit per artem extra naturam per artificium inducere aliquid in rem, quod in ea naturaliter non eſt, errat, & errorem ſuum deflebit.

Sol principium pro opere rubeo, Luna pro albo à ſuo ſulphure comburente, & combuſtibili purgata.

Quòd autem in ipſo ſit talis ſubſtantia, habes capite quadrageſimo ſeptimo. Quòd autem Luna ſit lapis pro opere albo, habetur decimo octavo. Recipe ergo hunc lapidem precioſum, habentem ſpiritum, corpus & animam, & calcina cum ſuo humido vel cum Mercurio, ita quòd non ſit in eo tactus.

Sed & tertio lapis adminiſtratur gradu, qui in ultimo

ultimo consistit præparationis complemento ; est scilicet, ut jam fixum lapidem cum modis sublimationis volatilem facias, & cum spiritibus non fixis sublima. Fixum sublimari nihil aliud est, quàm corpus in spiritum converti, quod secretum ex dictis Philosophi sic extrahitur. In capitulo namque trigesimo septimo habetur, quòd corpori : id est, substantię fixæ, quæcunque sit illa, non commiscetur spiritus, nisi priùs cum magisterio ; id est, lapis prius solvatur & coaguletur. Sed quæris quomodo lapis solvatur, dicendum quòd cum aquis acutis ponticitatem habentibus, & acredinem sine fæcibus existentibus, ut accetum est vini, &c. Si autem quæras cut lapis solvatur; dicendũ ut habetur capite trigesimo septimo;quòd omne quòd solvitur,acquirit naturam talium & aluminum:quia soli sales prius funduntur quàm vitrificantur, & similiter secundum suam naturam, ipsi soli scilicet sales solvuntur: Si ergo lapis noster solvitur, salium naturam acquiret ; sed quod funditur ingreditur ; & quidquid ingreditur, transmutat, &c. Capite quinquagesimo septimo habetur, quod corpora sublimantur per excellentissimum ignis gradum, quousque fixum cum non fixo levetur totaliter, ut capite duodecimo : quòd si totum non fuerit sublimatum, addatur illi non fixæ partis, quantitas iteratò, quo usque ad totalem elevationem sufficiat. Per ignem fortissimum, intellige ignem putrefactionis & Mercurij nostri, quo tantummodo corpus elevatur ; id est, in spiritum convertitur. Cum ergo levata fuerit, reiteretur ejus sublimatio, quousque administratione reiterationis figatur totum. Et fixum solutum ; id est, acetum pone ut supra, quater omnia reiterando, ut habes satis suprà declaratum. Et solutum volatile ; quasi dicat, quòd per solutionem lapis fit volatilis. Et iterum : Volatile fixum facias, sic enim continuat se Philosophus, hæc in capite quinquagesimo septimo, &c. quousque fusionem præstet vel fluat. Capitulum decimum ; Opus hoc ne est ad album, vel ad rubeum ; Respondet Adamarus ; Ad utrunque. Sic enim scribitur in capitulo sexagesimo sexto, quòd lapis lunaris & solaris sunt idem in essentia ; quia ex solo Mercurio perficitur uterque. Est etiam una via in modo agendi : quia per easdem operationes, & eodem ordine operatur. Est ergo vna medicina secundum omnes Philosophos : differunt tamen fermentatione.

Perfectionis ostensio.

Geber ; Investigatione verò nostra qua certi sumus & per experientiam manifestam considerauimus omnia verba vera esse, quæ jam per nos solos in nostris voluminibus scripta sunt,secundum quòd vidimus per experimentum & rationem in voluminibus istis redacta ; ea verò quæ per nostram experientiam digitis extraximus, & vidimus, oculis & manibus tetigimus, scripsimus in Summam nostri perfectionis magisterij.

Sapiens ergo artifex in nostris studeat voluminibus, colligendo nostram dispersam intentionem, quam in diversis locis proposuimus, ne malignis seu ignaris publicetur, & collectam probet, donec ad cognitionem studendo, & experimentando cum laboris instantia ingeniosi pervenerit totalem ; exerceat ergo se artifex & inveniet. Sed ne nos quidem mordeamus ab invidis, narramus, quoniam non tradidimus scientiam nostram sermonis continuatione ; sed eam sparsimus in diversis capitulis, & hoc ideo ; quoniam tam probus quàm improbus, si continuatim fuisset tradita, usurpasset indigne, & eam similiter occultavimus, ubi magis apertè locuti fuimus. Non tamen sub ænigmate, sed sub plana sermonis serie artificem allocuti fuimus, & sermonis modo eam asseripsimus, quam solius Dei altissimi & benedicti, sublimis & glorioſi, & nostræ qui illam scripsimus, menti recolligi accidit, aut divinæ gratia bonitatis infusi, qui cui vult largitur & subtrahit. Non desperet igitur doctrinæ filius ; quoniam si illam quæsierit, eam inveniet,non doctrinæ], sed proprij modus indagatione naturæ, quoniam qui per suæ industriæ bonitatem quæsierit, scientiam inveniet; qui verò per librorum insecutionem quæsierit, tardissime ad hanc perveniet artem preciosissimam ; quia nobis solis artem per nos solos investigatam edidimus, & non alijs ; verissimam tamen & omnino certam. Solùm igitur prudentes ad artem alicujus, & per ingenia nobis tradita viam investigationis eisdem exposuimus ; non autem eam inventam nisi solis nobis scripsimus, sed & inventionis modum & modorum ingenia. Per ea igitur quæ tradidimus, exerceat se bonę mentis artifex, & Dei donum altissimi se adinvenisse lætabitur. Ad artis igitur excelsæ perquisitionem hæc dicta sufficiant ; Hæc Geber. Geber in Summa sua, capite decimosexto de naturalibus Principijs sic dicit ; Notandum est enim, quòd postquam lapis fuerit purificatus, atque perfectè mundatus ab omni re corrumpente, & postea fuerit fermentatus, non indiges amplius mutare vas, nec ipsum aperire, sed solummodo quòd Deus custodiat, ipsum ne frangatur, & propter hoc dixerunt Philosophi, quòd in uno vase conficitur totum magisterium. Et est sciendum quòd in quadraginta diebus & noctibus completur opus ad album post veram purificationem lapidis ; quia in purificatione non potest esse tempus determinatum, nisi secundum quòd artifex bene laboret ; & in nonaginta diebus & noctibus completur opus ad rubeum, & isti veri sunt termini ad totam perfectionem ; hoc intellige de coagulatione, quæ fit post purificationem, quæ purificatio non habet aliter fieri, nisi in putrefactione & conversione corporis in merum spiritum, & cùm hoc habueris, lauda Deum. Senior ; Ego sum Luna crescens humida & frigida, & tu Sol, calidus & humidus (aliàs siccus) quando copulati fuerimus in æquitate status in mansione, quæ non fit aliàs nisi igne levi, habens secum gravem in quo vocabimus, & erimus, sicut vacat mulier & vir ejus generosi partus, hoc est, verum ex locutione, & ego & Sol cum conjuncti fuerimus, vacaturi in ventre domus clausæ, recipiam à te animam adulando, si abstuleris pulchritudinem meam, & decoram figuram ex propinquitate tua, gaudebimus & exultatione spiritus exaltabimur, quando ascenderimus ordinem seniorum, tunc lucerna lucis tuæ infundetur lucernæ meæ, & ex te & me fit commixtio vini & aquæ dulcis, & prohibeo fluxum meum postquam fueris indutus nigredinem meo colore, qui fit velut atramentum post solutionem meam & coagulationem ; cũm intraverimus domum amoris, coagulabitur corpus meum, & ero in vacuitate mea. Respondit Sol Lunæ, dicens.

Si feceris hoc, & non inferes mihi ô Luna, nocumentum, revertetur corpus meum ; & postea dabo tibi novam virtutem penetrationis, per quam potens eris in prælio ignis liquefactionis & purgationis, ex qua exibis sine diminutione & tenebris, sicut æs & plumbum & non impugna-

beris cùm non sis rebellis : Hæc ex Ademaro.

Raymundus Lullius ad Rupertum Regem Franciæ in Epistola scribit.

Scire debes quòd ex plumbo Philosophorum extrahitur quoddam oleum aurei coloris : vel quasi, cum quo si lapidem mineralem, vegetabilem, vel animalem, vel mixtum post fixionem primam sublimaveris tribus aut quatuor vicibus, excusabit te ab omni labore solutionum & coagulationum.

Ratio est : quia hoc est occultum quod facit medicinam penetrabilem, amicabilem, & conjungibilem omnibus, & augmentabit ejus effectum ultra modum, sic quod in mundo non est secretius.

Unde mirabilia dico, quæ omnibus antiquis Philosophis incredibilia forent, scilicet quòd sciveris oleum hoc bene ab aqueitate separare, & laboraveris in modo mixtionis jam dicto, poteris in triginta diebus lapidem componere.

Hoc autem non est necessarium per se, quoniam solutiones & coagulationes illius (ut dictum est) citò fiunt.

Tamen si fieret sublimatio illius, credo tincturam lapidis multum ampliari : elige ergo ex his intentum tuum. Galeni ratio unde fiat Yecir, vel Elixir : & dicit quòd diversi doctores ponunt diversas medicinas. Aliqui dicunt, Yecir esse de mineralibus montium : alij de herbis : alij de bestijs & urina, &c. Fit tamen de una istarum rerum, quæ ponitur in ymbie, & primo exit aqua in fumo : id est, spiritus : secundò oleum in liquore : id est, anima : tertiùm verò quod in vase remanet terreum est, & vocatur corpus : ex his enim tribus, spiritu, anima & corpore, ita coctus commisceri & fundi possit, fit Yecir : alij dicunt quòd sulphur & argentum vivum, si quis ea fusibilia faciat, fit Yecir.

Nota, quòd nulla aqua, aut oleum, aut ignis, habet suam ad tingendum efficaciam : quin priùs rectificetur per reïterationem reductionis ad fæces & destillationes, addimus usque octies vel decies : In omnibus igitur tàm solvendis quàm figendis, quàm tingendis perficiendisque tenendus est modus, eo quòd intentio debito modo rem ornet & compleat, scilicet quòd corpora imperfecta calcinentur debitè, laventur subtiliter, & mollificentur, imbibantur, sive cerentur, fœcundentur, & ad solutionem modo prædicto ponantur : spiritus verò subtiliter laventur, & depurentur, & disponantur ad mollificationem & humiliationem, quæ calida sunt & sicca solvantur, calcinentur, sive sublimentur secundum quòd viderit, & melius judicatur secundùm sanum sensum operantis.

De nostro Mercurio, qui est Leo viridis Solem devorans.

Mercurius est ille : Et scias quòd ipse est frigidus & humidus, & ex eo creavit Deus omnes mineras. Nam ipsum est elementum & aëreum, fugiens ab igne. Cùm ergo figitur ei aliqua pars, efficit opem sublimem, & est spiritus utilis, & non est aliquod in mundo nisi ipsum, nec est quod stet loco ejus, & est profundans solùm in omni corpore, erigens ipsum. Cum ergo miscetur corpori, vivificat ipsum, & illuminat & convertit de dispositione in dispositionem, & de colore in colorem. Est ergo totum Elixir albedinis & rubedinis, & est aqua permanens, & aqua vitæ & mortis, & lac virginis, herba ablutionis, & est fons animalis : de quo qui bibit non moritur, & est susceptivum coloris & medicina eorum, & faciens acquirere colores, & est illud quod mortificat, siccat & humectat, calefacit & infrigidat, & facit contraria secundum mensuram regiminis ejus. Et sunt ei, quando est vivum operationes aliæ, & quando est mortuum, aliæ operationes ab alijs : & quando est sublimatum, aliæ operationes. Et ipse est Draco, qui maricat seipsum, & imprægnat seipsum, & parit in die suo ; & interficit ex veneno suo omnia animalia & ignis perdit ipsum, & disperdit tempore brevi propter argentum vivum : non enim potest super ipsum, nec comedit sed fugit ab ipso. Ingeniaverunt autem ei sapientes primi Philosophi modos ingeniorum, donec paulatim factum est expectans ignem : non ergo cessat gradari super pugnamentum ignis : & cibatur eo, ita quòd quando ei figitur aliqua fixio, perveniunt mirabilia & mutationes : quoniam cùm ipse mutatur mutat, & apparet nigredo ejus, & sonitus ejus, & splendor ejus : cùm ergo tingitur, est tinctum & tingit : cùm solvitur, solutum est & solvit, & ipsum albificat in visione oculi : & rubificat in successione, & est aqua congregans, & lac & urina fortis, & oleum mollificans, & pater mirabilium omnium, & est caligo & nubes, & servus, fugitivus, & Mercurius Occidentalis, qui prætulit se auro & vicit illud : dicit ergo ei aurum : an præfers te mihi ? & ego sum Dominus lapidum, expectans ignem. Dicit ei noster Mercurius, utique : sed ego genui te, & ex me natus es, & una pars ex me vivificat multas partes de te : sed tu es avarus, & non das aliquid in comparatione ad me, & qui ligaverit me cum fratre meo & sorore mea, vivit & gaudet, & sufficit ei in vita sua & si viveret mille millibus annis, & si reficeret omni die septem millia hominum, non egeret : & ego sum secretum totum, & in me occultatur scientia : converto omnia corpora in Solem & Lunam, cùm natura mea talis sit quòd durum mollifico, & molle induro : & ideo nota quòd lapis Philosophicus ad ipsam Alchimiam veraciter procreandam, est unus in toto Mundo, & qui ab hoc uno errat, in præcipitium abijsse credatur, non tamen est perfectus in sua natura, ad quam perduxit ipsum artificium : Nam sine magisterio nihil valet nobis, nec alicujus utilitatis est, nec perfectè præstat quicquam, sed potiùs corrumpit : & hoc ideo dico, quatenus eo utaris cum magisterio : quia ipsum est phlegma purum. Philosophi quandoque vocant ipsum sulphur & melancholicum citrinum, propter suæ mirabilis virtutis effectum : ut enim quidam voluerunt, ex ipso creavit Deus omnes gentes, & earum statuit originem. Hunc etiam lapidem nostrum, aliqui æs album vocaverunt. Unde Lucas & Eximenus : Scitote omnes scientiam quærentes, quòd nulla fit tinctura nisi ex ære nostro albo : æs enim nostrum non est æs vulgi : æs vulgi corrumpitur & inficit omne cui imponitur : æs verò Philosophorum perficit & dealbat cui associatur. Ideo dicit Plato : Omne aurum est æs, sed non omne æs est aurum. Itaque æs nostrum habet corpus, animam & spiritum, & illa tria sunt unum : quia ipsa omnia sunt ex uno & de uno & cum uno, quod est radix ipsius. Æs ergo Philosophorum est Elixir eorum, ex spiritu, corpore, & anima completum & perfectum. Sic Philosophi lapidem diversis nominibus nominaverunt, ut sapientibus esset manifestus, & insipientibus occultus. Sed quocunque nomine nominetur, semper tamen est unus & idem, & de eodem.

Unde

Unde Merculinus:

Est lapis occultus, & in imo fonte sepultus,
Vilis & ejectus, simo vel stercore tectus,
Unus habet unius lapis omnia nomina dinus,
Unde Deo plenus sapiens dixit Morienus,
Non lapis hic lapis est animal quod gignere fas est.
Et lapis hic avis, & non lapis, aut avis hic est.
Hic lapis est moles, stirps & Saturnia proles.
Jupiter hic lapis est Mars, Sol, Venus & lapis hic est.
Alliger & Luna, lucidior omnibus una.
Nunc argentum, nunc aurum, nunc elementum,
Nunc aqua, nunc vinum, nunc sanguis, nunc crisolinum,
Nunc lac virgineum, nunc spuma maris vel acetū,
Nunc in sentina fœtenti stillat urina,
Nunc quoque gemma salis, Almisadir sal generalis,
Nunc auripigmentum primum statuunt elementum,
Nunc mare purgatum cum sulphure purificatum.
Siccine transponunt, quod stultis pandere nolunt.
Sicque figuratur, sapiens ne decipiatur.
Aes quod tractatur stultis ne distribuatur.
Hæc Luna vocatur omnibus nominibus una.

Hi autem sunt modi operationis istius lapidis, quibus mediantibus, hæc res quam nos quærimus, generatur, & in esse actuale deducitur.

Et est unus modus Sublimatio, alter Descensio, tertius Distillatio, quartus Calcinatio, quintus Solutio, sextus Congelatio, septimus Fixio, octavus Ceratio, nonus Ceratio, & his similibus dicunt infinita, qui quidem modi, licet sint ad invicem ratione diversi, sunt tamen idem in re. Aliquando enim Philosophi considerantes materiam eorum, quæ quando in vase est, & sentit Solem, & calorem in continenti exhalat, seu evaporat in speciem fumi subtilissimi, & ascendit in altum in capite vasis, vocaverunt talem ascensionem Sublimationem. Videntes postea talem materiam, quæ ascenderat, descendere ad fundum vasis, vocaverunt distillationem seu descensionem. Adhuc videntes inspissari istam materiam & denigrari, & fœtorem malum dare, vocaverunt putrefactionem. Videntes colorem nigrum seu fuscum, & fœtorem malum post longum tempus dimittere, & albedinem aliqualem ad modum cineris coloris venire. vocaverunt Incerationem seu dealbationem. Ideo Morienes ait; Totum magisterium nihil aliud est nisi extractio aquæ ex terra, & aquæ super terram dimissio, donec putrefiat ipsa, & hæc terra cum aqua putrefit, & cùm mundificata fuerit auxilio cuncta regentis, totum magisterium perficitur. Adhuc videntes terram cum aqua commisceri, & & aquam paulatim propter temperatam decoctionem diminui, & terram crescere; dixerunt omnes quòd hæc erat Ceratio perfecta. Unde ait Philosophus, quòd terra cum aqua ceratur, imbibitur, & temperata decoctione Solis; id est, caloris desiccatur, & in terram vertitur tota materia. Unde idem; Hæc vis integra, si versa fuerit in terram.

Denique videntes, quòd tota materia veniebat in quandam dissipationem, & quomodo reducebat se ad solidam substantiam: & quia non fluebat, imò stabat strictè, dixerunt, quòd hæc esset perfecta Congelatio. Unde ait Plato: Solvite lapidem nostrum, & postea congelate cum magna cautela, sicut vobis est demonstratum, & habetis quasi totum magisterium. Idem alibi; Accipe lapidem nostrum, & pone in vase & assa igne levi, donec confringatur, & postea coquite ad calorem Solis, donec congeletur, & scitote quòd totum magisterium nihil aliud est, nisi facere veram solutionem, & perfectam naturalem congelationem; Hæc Plato; Idem dicit; Solvite & congelate, & sic scietis totum magisterium. Item videntes materiam prædictam, perfectè congelatam & inspissatam, ita quòd nullo modo ulterius resolvebat se in aquam, nec in fumum, dixerunt, quòd verè erat fixata; quia eandem congelationem & inspissationem seu fixionem, propter majorem decoctionis caloris viderunt venire ad perfectam desiccationem & dealbationem; & quòd ista albedo erat super omnes albedines dixerunt quòd hæc erat perfecta calcinatio, videntes hanc materiam ad suum colorem stare, & coloribus infinitis mutari; quia hoc fieri non poterat, nisi per materiæ resolutionem; ideo hanc resolutionem dixerunt solutionem; nam ipsa resolutione discontinuantur elementa, vicissim agunt & patiuntur, & ideo Philosophi dicta elementa conjuges vocant. Quare turpiter errant insipientes, qui credunt medicinam Philosophicam creari ex alia re, cùm tamen dicant Philosophi; Fili, Alchimici ac credentes suis cunctis dissolutionibus, sublimationibus, conjunctionibus, separationibus, congelationibus, præparationibus, contritionibus, aliisque insistunt deceptionibus; & sileant prædicantes aliud aurum à nostro, aliam aquam à nostra, quæ etiam dicitur acetum acerrimum; aliam dissolutionem & congelationem à nostra, quæ fit igne levi, aliam putrefactionem à nostra, &c. Plato in summa; Tuum quæsitum itaque sit de genere amborum luminum Mundi; nam aurum circundat partem superiorem, argentum verò inferiorem lunarem. Aristoteles; Nullum tingens venenum generatur absque sole & ejus umbra; id est, uxore. Hermes in suis secretis, pater ejus est Sol, mater ejus Luna. Rosarius; Quicunque conatur aliam tincturam quærere, absque Sole & Luna, ille assimilatur homini volenti scalam ascendere absque gradibus. Oportet ergo ut habeamus receptaculum nostrum tincturæ idoneum, quod est sibi consonans cum quadam similitudine ad patrem, & hoc receptaculum debet esse ipsa Luna; quia Sol per se est valde difficilis fusionis, & liquefactionis; similiter & Luna per se, dum autem simul conjunguntur, tunc valde faciliter simul fluunt & liquefiunt; & ideo aurifabri, sic faciunt eorum consolidaturas: Philosophus; Mulier est quoddam receptaculum virilis seminis, quia ipsa conservat semen in suis cellulis & matrice, & ibi nutritur, & pullulat usque ad tempus maturitatis, ideo eligamus sibi nunc conjugem, ut receptivum sui seminis habeat, quam pollumus sic eligere in uxorem, quæ propinquior est sibi in simplicitate & puritate, quia nihil propinquius viro quam uxor, quæ sunt homogenea. Hermes in allegoriis; Luna est lucerna noctis; nox est nativitas tenebrarum, quam Deus creavit pro Mundo. Luna autem à Sole lumen recipit, & est dilecta, eò quòd Solis lumen in ea est, ideo quod Solis natura Lunæ naturam superat, Mercurius noster fit ex minerali & vegetabili junctis pariter: quia conjuncta simul magis prosunt, quàm si per se forent separata. Ex istis considera necessitatem utrorumque Mercuriorum.

DEMOCRITUS

Philosophus.

Oportet te ut in primo negocio dissolvas corpora super cinerem candidum, & non fiat tritura nisi cum aqua. Avicenna: Primum quoque in opere

eſt diſſolvere lapidem in ſuam primam materiam. Senior & Hermes: Solvite corpora in aquas. Plato in Summa: Tu indiges, quòd in corporum ſolutione labores: ideo oportet ignem lentum continuare ſuper ipſum, donec ſolvatur totum hoc, & per eum efficitur opus. Nota, omnium rerum circularium reverſio circularia nequaquam perficitur, donec in primam deducantur materiam. Raſis: Niſi corpora ſolveritis, in vanum laboraris. Albertus Magnus: Scias pro certo, quòd nullus corporum ſpiritus tingi poteſt, niſi priùs ſolvatur.

Morienes: Niſi in vaporem cuncta tranſeant naturalia per ſuam naturam, aliàs fruſtrà fit operatio in hac arte. Et ſi ſolutum fuerit, præparatum eſt opus Alchimicum, multipliciter, congaudebit.

Hîc ſubalternantur ſcientiæ naturales, quod in ſolutione conſiſtit pariter operando. Sorin Diſtinctione undecima: Regiminis initium eſt perfecta ſolutio: ut autem corpus rareſcat, & ſicut ſpiritus tenuiſſimus fiat, oportet eos diſſolvere: corporum autem regimen, ut prędixi eſt ſolutum.

Alphidius: Argentum autem vivum, quod ab eo corpore nigro extrahitur, eſt humidum album, & à corticibus mundum ne opus pereat. Morienes: Scire te convenit, quòd fumus albus eſt anima & ſpiritus illorum corporum ſolutorum: & certè ſi fumus albus non fuiſſet aurum, ibi Alchimia non fuiſſet. Roſarius: Hic eſt Mercurius noſter nobiliſſimus, & Deus nunquam creavit rem nobiliorem ſub cœlo, præter animam rationabilem.

Hermes Rex Græcorum: Corpus ſolutum eſt aqua perennis, congelans Mercurium perpetua congelatione. Hippocras: Corpora ubi quis vult purgare, oportet fluxa facere. Nigredo putrefactionis durat ſecundùm quoſdam quatuor diebus vel quinque. Senior: Prima clavis eſt humorum extractio & pinguedinis, cujus ſunt hæc ſigna, ſcilicet nigredo ſuperabundans, qua conſumpta jam anima eſt in aqua. Albertus: Niſi anima corpus ſuum exierit, & in cœlum ſurſum aſcenderit, nihil proficies in hac arte. Parabola Senioris de tinctura alba: Si parentes dilecti mei de vita guſtaverint, & lacte mero lactati fuerint, & meo albo inebriati fuerint, & in lectulo meo nupſerint, generabunt filium Lunæ, qui totam parentelam ſuam prævalebit: & ſi dilectus meus de tumulo rubeo petræ portaverit, & fontem matris ſuæ guſtaverit, & inde copulatus fuerit, & vino meo rubeo: & mecum inebriatus fuerit, & in lecto ſuo mihi amicabiliter concubuerit, & in amore meo ſperma ſuum cellulam meam ſubintraverit, concipiam, & ero prægnans, & tempore meo pariam filium potentiſſimũ, dominantem & regnantem præ cunctis regibus & principibus terræ, coronatum aurea corona victoriæ, ad omnia à Deo altiſſimo, qui vivit & regnat in ſeculorum ſecula. Turba Philoſophorum: Videntes autem hujus artis inveſtigatores illam albedinem apparentem in omnibus ſupereminentem in vaſe, rati eſtote, quòd rubedo albedine illa occulta eſt, & tunc non oportet illam extrahere, ſed quouſque totum rubeum fiat coquere. Senior Philoſophus: Facite nigrum album, & omne album rubeum: quia aqua dealbat, & ignit illuminat. Nam lucet in colore ut rubinus per animam tingentem, quam acquiſivit virtute ignis. Hermes: Regimen ſeptimum eſt Lunæ videlicet aſſare, rubificare, calefacere & frixare per viginti quinque dies, & ſic habes operis peractionem. Idem Animæ color rubeus eſt. Item: Album vult rubificari. Item: Albedo eſt rubedo noſtra. Item: Lapis noſter hic eſt ignis ex igne creatus & in ignem vertitur, & anima ejus in igne moratur. Ænigma Hermetis de tinctura rubea: Ego coronor, & diademate ornor, & regijs veſtibus induor: quia corporibus lætitiam ingredi facio.

Hermes Tractatu tertio: Venite filij ſapientium ex nunc gaudebimus, & delectemur ſimul: quia mors conſumpta eſt, & filius noſter jam regnat, ac rubeo ornamento & carne indutus eſt. Jam filius noſter genitus Rex ſumit tincturam ab igne: illum verò mors, mare & tenebræ fugiunt, & Solis radios Draco fugit, qui foramina obſervabat, filiuſque noſter mortuus vivit, & Rex ab igne venit, ac conjugio gaudebit, & occulta apparebunt, filiuſque noſter jam vivificatus ſit igne bellator, & tincturis ſupereminens.

Metaphora Belini Philoſophi de Sole: Scitote quod Pater meus Sol dedit mihi poteſtatẽ ſuper omnem potentiam, & induit me veſtimento gloriæ, & totus Mundus me quærit, & currit poſt me. Ego enim ſum maximus, jam ſciverunt virtutem meam & altitudinẽ: ego enim unicus ſum, & aſſimilor patri meo, qui unicus eſt, qui dedit mihi virtutem iſtam ex gratia ſua, & homines quærunt à ſervis meis fuſtibus id quod quæritur à me, & nõ pervenerunt ad id niſi per me, & terra cum omnibus viribus ſuis me humiliare non poteſt, Imò ego ſum ſuper eam, & ſuper ſervos meos, donec humiliem eos, & extraho de potentia & natura eorum, & induo eos de ſplendore & lumine meo pulchro, quem dedit mihi pater meus, in omnibus operibus eorum. Ego enim ſum excellens, qui exalto, de primo cuncta, & nullus ſervorum meorum poteſt ſuper me, niſi unus, cui datum eſt, quòd contrarius eſt mihi. Et ipſe deſtruit me, non tamen deſtruit naturam meam. Et ipſe eſt Saturnus, qui ſeparat omnia mea membra. Poſtea vado ad matrem meam, quæ congregat omnia membra mea diviſa & ſeparata. Ego ſum illuminans omnia mea & facio lumen apparere patenter in itinere de patre meo Saturno, & etiam de matre mea, quæ mihi inimicatur. Veruntamen niſi hoc fieret, non poſſem bibere de animabus animalium & plantarum. Sed ego venio cum calore ignis ad expellendam virturem & iniquitatem eorum à me. Ego ſum habitans ſuper faciem mineræ, & tribuo ſervis meis de extremitatibus meis, & nomen meum vocatur nominibus magnis, & qui ſtudet in me non curat de aliquo, ſed non ſaturatur ex me. Ego defero naves per mare, & fabrico civitates denſas. Non quæratis in eis magnitudinem meam. Nuncio ergo vobis omnibus ſapientibus, quòd niſi me interfeceritis, intellectus veſter non erit perfectus, & in ſorore mea Luna creſcit gradus ſapientiæ veſtræ, & non cum alio ex ſervis meis, & ſi ſciretis ſecretum meum, ego ſum frumentum ſeminatum in terram puram, quod naſcens creſcit & multiplicatur, & adfert fructum ſeminanti: quia omne quod generatur genere ſuo, & quodlibet individuum multiplicat formam ſuæ ſpeciei, & non alterius, quemadmodum ex frumento naſcitur, & ſic de aliis: & in hoc expoſui omnes figuras. Cùm itaque egero cum uxore mea alba, pura & humida & munda, tactu, addo pulchritudini faciei ſuæ bonitati & virtuti ſuæ. ipſa enim eſt obediens mihi. Unde cùm fuero junctus cum ea, nihil melius in mundo, nec æquipollens: ipſa enim imprægnabitur, germinabit, & erit ſicut ego ſum in ſubſtantia & colore: quoniam hoc magiſterio multiplicatur ſemen. Ex me enim ſimile naſcitur, ſicut quando ſeminatur unum granum frumenti, naſcitur, multiplicatur, teritur, cribellatur,

bellatur, & fit panis, ex quo vivit totus mundus, & fabricatur minera terræ ex me, nec deficit, quia donum Dei est. Ego illumino aërem lumine meo, & calefacio terram calore meo, genero & nutrio naturalia, plantas & lapides, & demo tenebras noctis cum potentia mea, & facio permanere dies seculi, & illumino omnia luminaria lumine meo, & etiam in quibus non est splendor & magnitudo: quæ quidem omnia ex meo opere sunt, cùm induor vestimentis meis: & qui quærunt me, faciant pacem inter me, & uxorem meam. Itaque nisi separetur à me, & misceatur mixtione inseparabili: & hoc fiat quando extraxeris me partim à natura mea, & partim uxorem meam à natura sua, & postea occidatis naturas, & suscitamur resurrectione nova & incorporali, eò quòd postea mori non possumus. Nam post resurrectionem habebimus gloriam & fortitudinem sempiternam, tunc gaudebunt omnes in prosperitate magna, qui sciunt nostrum progressum.

Et in hoc completur precio sum Dei donum, quod est super omne Mundi scientiarum arcanum, & incomparabilis thesaurus thesaurorum. Quia ut dicit Plato: Qui habet istud Dei donum, Mundi habet dominium: quoniam ad finem divitiarum pervenit, & naturæ vinculum confregit. Non tamen ex eo quod habet potestatem convertendi omnia corpora imperfecta in purissimum Solem & Lunam. Sed magis ex eo, quòd hominem & quodlibet animal præservat in conservatione sanitatis. Lamina verò crystallina, quæ est Elixir album, si detur in quantum granum sinapis febricitanti, curat ipsum. Etiam leprosus si per quatuor anni tempora de eadem lamina purgatus fuerit cum pulvere rubeo, unde fit Sol bis in anno, in Martio & Septembri, curatur. Et uterque pulvis albus & rubeus sanat schiaticos in periculo mortis: sanat etiam paralysim. Item, si pulvis teneatur ad nares in partu laborantium liberantur: hoc dicit Hermes. Geber quoque dicit, quòd Elixir rubeum curat omnes infirmitates chronicas, de quibus medici desperaverunt, & facit hominem juvenescere ut aquila, & per 500. annos vivere & amplius, ut aliqui Philosophi fecerunt, qui usi fuerunt eo tribus vicibus in hebdomada quantum granum sinapis. Est herba quæ vocatur Saturnus de canalibus, de qua fit talis medicina. Quare nota quòd omnes infirmates quæ à vertice capitis usque ad plantam pedis generantur, si fuerint unius mensis, in die: si unius anni, in duodecim diebus: si ex longo tempore, in mense curantur: quia sicut curat omnia metalla infecta ab omni infirmitate, sic & humana corpora. Quapropter noster benedictus lapis non immeritò Tiriacus major tàm corporum humanorum quàm metallorum dicitur: de quo Hermes Rex Græcorum, & pater Philosophorum ait: Si de Elixir nostro omni die usque ad septem dies sumpseris pondus carrobiarum, capilli tui cani de capite tuo cadent, & renascentur nigri, & ita de sene fies juvenis & fortis.

Arnaldus dicit: Hic lapis noster virtutem habet efficacem omnes alias medicinas medicorum. Nam animam lætificat, virtutem augmentat, conservat juventutem, & removet senectutem. Non enim permittit sanguinem putrefieri, nec flegma superdominari, nec choleram aduri, nec melancholiam super exaltari: imò sanguinem supra modum multiplicat, contenta in spiritualibus purgat, & omnia corporea membra efficaciter restaurat, & à læsione custodit, & generaliter omnes tàm calidas quàm frigidas, tam siccas quàm humidas infirmitates arctissimè sanat præ omnibus alijs medicinis medicorum. Quoniam si ægritudo fuerit unius anni, sanat in duodecim diebus: si verò antiqua fuerit ex multo tempore, sanabit in uno mense. Et breviter omnes malos expellit humores, bonosque inducit: confert amorem & honorem ipsum deferentibus, securitatem & audaciam, & in prælio victoriam. Et in hoc completur secretum naturæ maximum quod est super omne precium precio sissimum secretum, thesaurus incomparabilis & precio sissimus, quem habentibus Deus in sua mente recondat, ne insipientibus patefiat. Amen dicat omni vivens!

Alterum exemplar ROSARII PHILOSOPHORUM *ex Compilatione omnium Philosophicorum Librorum, per* TOLETANUM *Philosophum Maximum.*

DEsiderabile desiderium impretiabile pretium, à cunctis Philosophis positum, quod non deponitur nec male propositum fuisse supponitur, ex Libris antiquorum hic in summa una breviter adunabimus, ut tibi charissime sufficienter pateat veritatis argumentum, tam excellentissimæ partis Philosophiæ esse probatissimum. Atque hanc quidem summam vocitamus Rosarium, eo quod ex Philosophorum libris tanquam rosas à spinis evulsimus tibi ipsum, in quo quidem claro sermone rectoque ordine, ac de verbo ad verbum, cum omnibus suis causis sufficientibus succinctum trademus quicquid ex illorum libris reperimus necessarium ad operis hujus complementum. Et quia nocet veritati quidquid contrariatur rationi, ideo sententiis veritatis per omnia utentes nihil ponemus in eo superfluum, nihilque diminutum ad totum magisterium. Placeat Domino nostro Jesu Christo nobis immittere spiritum suæ intelligentiæ.

Universa divinæ bonitatis opera circularia sunt & perfecta, ad ipsum à quo prodierunt sphæricè rotata. Ab initio ante suæ creationis primordium naturam cunctis præponens, Deus quatuor fecit corpora simplicia, ex quibus postea constituit corpora quæque mixta, mixtorum vero quædam fecit intellectiva, quædam sensitiva & vegetabilia, quædam tantum intellectiva, quædam tantum ex raritate elementorum creavit. Ideo inquietum est cor nostrum donec redeamus ad ipsum, omnium namque elementorum raritas ascendit ad ignem qui est super stellas; ideo & nos ab illa creati merito sursum tendimus ad Deum tanquam ad unum principium. Sensitiva verò cuncta necnon & vegetabilia ex spissitudine elementorum composita, in specie distinguuntur diversa, unde cum dissolvuntur

per

per mortem non immerito revertuntur ad terram & aquam, velut ad ſuam matrem, nam ſpiſſitudo elementorum naturaliter tendit deorſum ad ſuum centrum videlicet terram. Omnium tamen natura conſtantium certus eſt terminus magnitudinis & augmenti, ut in ſua ſpecie augmentem ſuum ſimile, & eorum quædam ex partibus ſunt diſſimilibus, ut à carne, ſanguine & oſſibus, ſeu à lignis, cortice & foliis. Quædam ex partibus ſunt conſimilibus, ut ea quæ per totum ſunt unius eſſentiæ, ſicut eſt videre in metallis: quæ autem ex partibus ſunt diſſimilibus in ſe ſuam poſſident ſementem, unde terræ infixa multiplicantur & creſcunt, ut videtur in arbuſtis & herbis. Quæ verò ex partibus ſunt conſimilibus non multiplicantur, niſi ad ſuam primam reducantur materiam, quare dicit Philoſophus Ariſtoteles: Sciant artifices Alchemiæ ſpecies metallorum vere tranſmutari non poſſe, niſi forte in primam reducantur materiam & tunc quidem transmutantur, & in aliud quam prius erant bene permutantur. Nota rationem quare oporteat fieri corporis reſolutionem in primam materiam ſcilicet argentum vivum, & illud ideo quia corruptio unius eſt generatio alterius, tam quidem in artificialibus quam naturalibus, ars enim imitatur naturam, & in quibusdam corrigit & ſuperat eam: ſicut & juvatur natura infirma medicorum induſtria, natura ſiquidem non conſtruit domum nec conficit electuarium, quoniam de ſe ipſa non habent motum ad hoc faciendum. Sic etiam lapis noſter quamvis in ſe tincturam naturaliter contineat (nam in terra perfectè creatus eſt) per ſe tamen non habet motum ut faciat elixir completum niſi moveatur per artem. Alia ergo ars perficit quæ natura non poteſt ſola per ſe operari, alia verò imitatur & perficit in quantum nata ſunt aptaque perfici per naturam. Ideò ſuccurrendum eſt naturæ per artem in eo, quod per naturam omittitur, quia non eſt differentia inter naturam & artem niſi quod ars agit exterius, natura verò interius; ars enim tanquam organum adminiſtrat motum, natura autem ipſa per ſe agit quoniam ad ſuam nititur perfectionem. Omne porrò corpus aut eſt elementum, aut ex elementis compoſitum, ſed omnis compoſiti generatio ex quatuor elementis ſimplicibus habet conſiſtere, quare oportet neceſſariò ut lapis noſter reductus ad primam originem ſui Mercurij & ſulphuris, dividatur in elementa, alias depurari non poteſt nec conjungi, quia ſuæ partes minimæ non poſſunt ingredi niſi in minimis partibus corporis; diviſus autem depuratur ac iterum conjungitur, & elixir quod quærimus operatur. Nam experimentum deſtruit formam ejus ſpecificam: verum ante elementorum diviſionem non videtur ex eis quicquam, nec tangitur niſi terra & aqua, quia aër & ignis nuſquam videntur, nec virtutes eorum ſciuntur, niſi in dictis prioribus elementis, rara quippè ſunt omnino & ſimplicia, quare ob oculis videri corporeis penitus non poſſunt, ideo de illo ne cures, quoniam ſufficit tibi reducere rem ad ſimplex puritatis. Elementa tamen ſunt quatuor, modi item quatuor, & humores quatuor, puta ſanguis, cholera, flegma, & melancholia; modi ſunt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum; Elementa ſunt, ignis, aër, aqua & terra, quorum duo ſunt activa, & duo paſſiva, ignis & aër ſunt activa, aqua & terra ſunt paſſiva, duo aſcendunt, & duo deſcenduut, unum eſt in medio, alterum ab altero, & illud ideo quia contrarium remotum à ſuo contrario non coadunatur niſi per medium, calidum contrariatur frigido, humidum ſicco, quare neutrum illorum coadunatur alteri niſi per medium. Igitur quod non eſt contrarium per ſe ipſum adunativum: ſic calidum & ſiccum per ſe coadunantur, quoniam in nullo contrariantur ad invicem, & ideo ex illis reſultat elementum aëris, neque etiam contrariantur inſimul frigidum & ſiccum ex quibus generatur elementum terræ, neque etiam frigidum & humidum, ex quibus congregatur elementum aquæ. Sed calidum & frigidum non coadunantur, niſi per medium videlicet per humidum & ſiccum, quoniam per ſe nolunt ſimul ſtare cum unum obtundat alterum propter ſuam contrarietatem, ideoque calidum & frigidum congregant & diſgregant unigenea diſſolvendo & coagulando, ſed humidum & ſiccum aggregantur & diſgregantur conſtringendo & humectando. Simplex etiam generatio & naturalis permutatio eſt elementorum operatio, nam gignunt calidum & frigidum vincentia materiam, cum verò vincuntur agentia liquet, quia ſecundum partem violentia, & indigeſtio fit, quare liquet res univerſas variabiles per calidum & frigidum, & ſimpliciter generari & naturaliter permutari. Verum ex quolibet determinato fit ſuum determinatum, quia nulla eſt generatio niſi ex convenientibus in natura, homo quippe generat hominem, leo leonem, ſic unumquodque generat ſibi ſimile, mulus verò cum ſit ex diverſis generibus nunquam reſpicit ſe ipſum, nec generat ſibi ſimilem; ſic etiam eſt de omnibus ex diverſo genere procreatis. Neceſſarium ergo eſt quod elementa ſint unius generis non diverſi, aliàs actionem & paſſionem non haberent ad invicem cum unum non tangeret alterum. In dubium igitur revocatur de lapide, qui dicitur Philoſophorum, quis ſit vel qualis, cum nunquam ab aliquo Philoſophorum nominetur apertè: in hoc ergo diverſi diverſa ſanxerunt, cum in uno ſolo conſiſtat veritas, ipſum chare ſervamus, & omnia alia docemus evitare, nam patet per Philoſophorum ſcripta rem unam eſſe, nec alienum quid ſibi jungi debere, quia nihil convenit rei niſi quod propinquius eſt ei, & ex ſui natura, non enim proferunt res niſi ſibi ſimilia, nec fructificant niſi fructus ſuos: igitur cum res unius ſunt generis, radices earum ſunt unum. Diverſitas verò rerum ex diverſitate partium ſuarum cauſatur: cognoſce ergo mundum ab immundo, quia nihil dat quod non habet. Mundum eſt unius eſſentiæ, vacuum alterationibus, immundum eſt diverſum & ex contrarijs partibus adunatum, facilis corruptionis ſuſceptivum, horum probatio in Sole eſt & Saturno, quia Saturnus omnino corrumpitur, Sol verò minime. Cognitio ergo contrarietatis corporum & ſuæ creationis principium facile facit hoc magiſterium, nam ſordibus adhærent ſordes cum ſint de genere earundem, ſed mundum vincit naturam immundi, non patiens commixtionis defectum. Non quæras ergo in natura quod in ea non eſt, quoniam res non fiunt niſi ſecundum ſuam naturam, & major corruptio eſt in re paſſiva quàm in activa: utere ergo membro nobiliore & ſimplicitate, & ſufficit tibi: membrum tamen cordis ex corpore eſt ſicut membrum cerebri ex capite, quia in corde eſt vis animæ rationalis. Horum tamen quod minus habet de angulis eſt nobiliori & ſimpliciori propinquius, ſicut propinquius, ſicut propinquior eſt ſimpliciori triangulus quam quadrangulus, quoniam terminos habet pauciores Rotundum eſt corpus ſimplum nullum habens angulum. Dimitte ergo conjunctum & utere ſimpliciore, quia illud eſt genus generum, & forma formarum

rum, nam ipsum est prius & posterius in planetis sicut Sol in stellis. Transferam ergo sermonem ad homogenea in natura licet sint fortia, nam in habentibus symbolum facilior est transitus. Igitur cum quæsitum tuum sit de genere amborum mundi luminarium, oportet eligi in eo quod est homogeneum ipsorum, & certè cum hoc genus appropriatur lumini multum scimus, quoniam non perficitur opus nisi per ipsum. Decorantur regum diademata lapidibus pretiosis, quorum pulchritudine visus juvatur, animus delectatur, dignitas ornatur, & eorum virtute ægritudines gravissimæ à corporibus expelluntur, sine quibus parum est efficax omnis medicina, quare iis utuntur medici in suis medicinis ad gravissimos morbos expellendos. Est autem doctorum verissimum argumentum, quod melior lapis omnium lapidum melius valet ad expulsionem omnium infirmitatum, nota hic de meliore lapide omnium lapidum quod est aurum per intellectum. Melior ergo lapis omnium lapidum est ille qui magis est coctus, & igni est proximus, qui plus sustinet ignem, & tardius frangitur ab igne. Idcirco magis valent lapides pretiosi ut Rubini & Saphyri, quam lapides alij, quoniam generantur in hoc calidiore, propinquius soli cum majori calore. Sic & in metallis magis valet aurum quàm argentum, quoniam magis est coctum, & argentum magis quam cuprum vel aliud metallorum, & sicut Rubinus habet in se effectum omnium lapidum pretiosiorum, sic habet & aurum in se virtutem omnium lapidum ductibilium. nam continet in se omne metallum, tingit ea & vivificat, cum omnium illorum sit nobilius, ergo aurum capias. Verum Rubinus proportionaliter ab elementis est complexionatus, cum pro majore parte sui sit ex substantia lucida, ut ex aqua clara, & coagulatur cum sicco & calore magno, ideo neque cuditur, nec ad alium statum reducitur nisi ex toto destruatur, quoniam igni ex omni parte contrariatur. Aurum verò cum sit ex substantia terrea mixta cum aqua per minima est homogeneum igni ex una parte duarum extremitatum & coagulatur cum frigore post actionem caloris in ipso, ipsum ideo cuditur & in igne melioratur, est enim proportionatum meliori complexioni, æquali, nobiliori compositioni præ omnibus aliis lapidibus pretiosis. Post illud immediate est argentum, ergo sunt & argentum pro lapide: defectus verò aliorum corporum est quod in eis est caliditas addita aut frigiditas diminuta, sicut deficit frigiditas cupro & ferro, caliditas autem stanno & plumbo, aurum enim & argentum juste & æqualiter sunt composita, & vere sunt temperata, præ omnibus lapidibus aliis qui sub cœlo sunt, ad speciem nostri lapidis pertinentia. Et certe aurum est dominus lapidum, nobilius corporum, Rex & caput optimum eorum, non enim corrumpitur ab aere, nec ab aqua neque à terra, nec ignis minuit ipsum, imo ignis eum humectat, decorat & rectificat, & res comburentes non comburunt illud, nec corrumpentes corrumpunt, eo quod ejus complexio est temperata, & natura directa in æquali caliditate & frigiditate, humiditate & siccitate, nec in eo superfluum quicquam est nec diminutum. Nulli ergo lapides quantumvis magno vendantur auro prævalent, tametsi auro quidam cariores sint, non quia pretium auri excedunt, sed quia rariores & pauciores inveniuntur. Nota igitur intime quod non est lapis melior quam Sol, & quod opus absque Sole nullo modo peragitur, quia est fermentum elixirij. De omnibus ergo rebus hujus seculi magis valet aurum, quoniam est fermentum Elixir, sine quo nequaquam opus peragitur, lætificat aurum, & juventutem conservat, renovat senectutem & omnem corporis depellit infirmitatem, est enim sicut fermentum pastæ, coagulumque lacti in caseo, & sicut muscus in aromatibus bonis. Merito autem aurum circundat partem superiorem Solarem, argentum inferiorem Lunarem, unde nisi Solem & Lunam viderem pro certo dicerem quod magisterium non esset verum, sed quia Solem & Lunam video, certissime scio quod magisterium est verum: nam quælibet res augmentat suum simile, & ista omnia sunt homogenea in natura, quare oportet ipsorum augmentum esse sicut & est vegetabilium in natura. Sol ergo est tinctura rubedinis, quæ transformat omne corpus. Luna vero tinctura est albedinis, quoniam est domina humiditatis: cum Sole commiscentur spiritus, & figuntur per ipsum ingenio magno quod non pervenit ad artificem duræ cervicis, spiritus namque in naturam suam conversus moritur, & mortuo similis videtur, inde postea inspiratus venit, multiplicatur, & crescit ut res cæteræ. Ideo nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit multum fructum adfert, & unde videbatur perdidisse quod erat, inde incipit apparere quod non erat, qui ergo illius destructionem ignorat, constructionem ejus ex actu naturæ necessario habet ignorare. Calcinatur & solvitur maximo labore, absque utilitate igitur quare aliis corporibus uteris? cum possis habere in istis illud quod est majoris temperantiæ & minoris fæcis. Si indigueris usu eorum oportet primo ut convertantur in speciem aliorum prædictorum, & tunc demum incipere operationem in eis; possibile tamen est quod operentur cum eis, cum in omnibus corporibus insit scientia: sed non erunt bona sicut prædicti, quia in majori opere non unius perfectionis sunt omnia corpora diminuta, cum non ingrediantur opus donec in compositionis subtilitate fuerint sicut corpora perfecta. Album tamen & rubeum ex una radice nullo alterius generis corpore interveniente pullulant, nam Luna in argenti opere ipsum candidum quod de purissimi Solis materia formatur, nihil tum ipsius coloris retinens designat, ipse tamen Sol absente argento vivo privatur effectu, quia ex materia & forma fit omnium generatio vera. Totum igitur beneficium hujus artis in Sole & Luna existit, sed indiges quòd circa illorum solutionem labores, redigens ea ad suam primam materiam, prima autem materia eorum est argentum vivum, quia cum liquantur, omnia convertuntur ad ipsum: certum quippe est omnem rem esse ex eo in quod resolvitur, gelu resolvitur in aquam mediante calore, clarum est ergo ipsam aquam prius fuisse. Sic omnia ductibilia resolvi possunt in argentum vivum, ergo ipsa prius fuerunt argentum vivum. Hic igitur nota de resolutione corporum in argentū vivum. Benedictus ergo & sublimis naturæ dominus, quibus donavit rationem discernendi, & reducendi omnem rem ad primam suam materiam & naturam, puta corpora præparata ad primam originem sui sulphuris & Mercurij, ut ex eis in paucis diebus faciamus super terram, quod natura operata est subtus terram, in mille tantummodo annis; unde si aliud beneficium non haberemus ab argento vivo, nisi quod corpora reddat subtiliora ad sui naturam, hoc ipsum satis nobis deberet sufficere; ipsum enim est amicabile & metallis placabile, ac medium conjungendi tincturas, quoniam in se recipit quod suæ naturę est, alienū verò respuit, quia est uniformis substātiæ, in omnibus suis partibus homo-

geneum, ipſum quidem eſt quod ignem ſuperat & ab eo non ſuperatur, ſed in eo amicabiliter quieſcit eo gaudens, propter enim ſuam bonam partium adhærentiam & ſuæ mixtionis fortitudinem, ſi quo modo partes illius inſpiſſentur per ignem, ulterius non permittit ſe corrumpi, neque per ingreſſionem fumoſæ flammæ ſe in fumum ulterius ſinit elevari, quoniam rarificationem ſui non patitur, propter ſui denſitatem & aduſtionis carentiam. Veridice ergo innuimus corpora ea majoris eſſe perfectionis; quæ plus argenti vivi ſunt continentia, & quæ minus minoris, & certe diminutum in corporibus imperfectis, eſt paucitas argenti vivi, & non recta inſpiſſatio ejuſdem, quare complementum in illis erit argenti vivi multiplicatio, bona inſpiſſatio & fixio permanens Studeas igitur cum in opere fueris in tuis operibus omnibus Mercurium ſuperare in commixtione, & ſi per illum ſolum perficere poteris, pretioſiſſimæ perfectionis indagator eris, & ejus perfectionis ſumma lætaberis, quæ naturæ vincit opus, mundare enim intime poteris ad quod natura non pervenit, & ſic per conſequens opus ex illo poteris creare, quod omnem ſuperabit naturam. Quia non eſt differentia utrum hoc fiat in organis naturalibus, an in artificialibus. Ex iis ergo elicias ſecretum, medicinam noſtram neceſſario ex iisdem eſſe aſſumendam quæ argento vivo maxime adhærent in profundo ejus, & ei per minima commiſcentur ante illius fugam; argentum autem vivum argento vivo magis adhæret, & eidem magis amicatur, poſt illud vero aurum, & poſtea argentum, alia vero corpora non habent tantam conformitatem ad ipſum, quia minus de ſua pura participant natura. Tum etiam nihil in illo demergitur niſi Sol, neceſſarium eſt ergo, quod hæc medicina ex illis potiſſimum elici debeat in quibus maximè conſiſtit, eſt autem tam in corporibus quam in ipſo argento vivo ſecundum naturam, cum unius ſint reperta naturæ, in corporibus quidem difficilius, in argento autem vivo propinquius non tamen perfectius. Cujuſcunque igitur generis ſit medicina tam in corporibus quam in ipſius argenti vivi ſubſtantia, lapidis pretioſi indagatur materia, cauſa hujus eſt quia non eſt tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium, extremum autem metallorum ex uno latere eſt argentum vivum, & ex alio elixir completum, media vero iſtorum ſunt ſex corpora quæ ſe elongant ad malleum, quorum alia aliis magis ſunt depurata, decocta & digeſta, atque illa ſunt propinquiora ut te chariſſime credimus non ignorare. Non ergo oberres, quia nulla eſt tinctura vera niſi ex ære noſtro, id eſt, ex lapide Philoſophico. Omne porro aurum eſt æs, ſed non omne æs eſt aurum, quia de genere ad ſpeciem non eſt conſequentia, ſic omne aurum eſt ſulphur rubeum, ſed non omne ſulphur eſt aurum, quia nihil eſt in auro ex corruptione ſulphuris. Lapis ergo noſter ſecundùm diverſitatem ſuæ operationis habet convertere argentum vivum in veriſſimum argentum, vel etiam in aurum puriſſimum ut patebit in ſequentibus. Verum cum in opere fuerit dealbatum, operatur operatione ſulphuris albi, Mercurium coagulans in argentum purum, & ſi majorem habuerit digeſtionem; erit ſulphur optimum rubeum, Mercurium convertens in aurum obriſum. Hic ſiſte gradum deſiſtens alium quærere lapidem, ſtulteque tuam conſumere pecuniam, & animo triſtitiam inducere perpetuam, quia quæ ſeminaveris hæc & meres: non ponas ergo in opere tuo muſcas & ſcarabeos, nec comedas de filio cujus mater eſt corrupta, ſed fruſtum de pinguiore carne comede, quoniam ſtultitia eſt magna opus tuum facere de pejore cum poſſit fieri de meliore. Tenebroſam ergo nominum dimittas pluritatem, quia huic rei diverſa imponuntur nomina, idque ſecundum diverſos colores in opere apparentes, quocunq; enim modo ejus diverſificentur nomina, ſemper tamen eſt una ſola res eadem de eadem. Venerabili ergo utimini natura, quia natura non emendatur niſi in ſua natura, ideo non introducas alienum, nec pulverem, nec aquam, nec aliam rem. Conſtantis igitur eſto voluntatis in opere, ne modo hoc modo illud præſumas attentare, quia in rerum multitudine ars noſtra non perficitur. Eſt ergo lapis noſter unus, medicina una, vas unum, unum regimen, & una diſpoſitio ejuſdem, cui non addimus rem aliquam extraneam, nec minuimus, niſi quod in præparatione ejus ſuperflua removemus, non enim ingreditur in eo quod non ſit ortum ab eo, nec in ejus parte nec in toto, ſi vero aliquid extraneum ei apponitur ſtatim corrumpitur, nec fiet ex eo quod quæritur. Eſt itaque lapis noſter unus, aqua videlicet permanens, munda, lucida, clara, cœleſtem habens colorem; verum niſi ſit in illa aqua quod ipſam emendet, quod quæritis non fiet. Nota igitur quod iſta aqua non poſſit emendari abſque Sole, Solem ſane honoramus, eo quod aqua noſtra non emenderur abſque ipſo, nam abſque Sole & ejus umbra nullum tingens generatur venenum, id eſt argentum vivum præparatum. Qui vero ſine his venenum tingens facere nititur, procedit ad practicam ſicut & aſinus ad cœnam, & illud ideo quia corpus non agit in corpus, nec ſpiritus in ſpiritum, eo quod forma non recipit impreſſionem à forma, nec materia à materia, nam ſimile non agit in ſuum ſimile, cum neutrum eorum ſit dignius altero, nullum ergo eorum agit in alterum, quia par in parem non habet imperium veruntamen corpus ſuſcipit impreſſionem à ſpiritu, ſicut & materia à forma, eo quod apta nata ſunt ad invicem agere & pati. Corpus itaque tingit, ſpiritus vero penetrat, non tamen tingit corpus niſi tingatur, quia ſpiſſum terreum non ingreditur propter ſuam groſſitiem, verum tenue aereum id eſt quod ingreditur & tingit, & hoc eſt ſulphur corporis extractum per ſpiritum. Non ergo tingit aurum niſi ſeipſum donec ſpiritus ejus occultus extrahatur è ventre ejus, fiatque omnino ſpirituale. Aqua igitur noſtra viva, eſt ignis aurum comburens, mortificans, & confringens magis quam ignis elementaris, & quanto magis illi miſcetur & teritur per ignem lenem, tanto magis diruitur, aquaq; viva ignea attenuatur: cum autem fuerit trita & unum quid facta, habet in ſe omnem tunc tincturam ignem patientem. Corpore ergo ſpiritu ſic colorato, colorat, & omnem tincturam in ſe habet & donat ideo qui è Sole & ejus umbra, id eſt Luna venenum tingens conficiunt, noſtrum lapidem perficiunt, verum niſi lapis haberet, tam ex ſubſtantia una quam altera, non haberent actionem & paſſionem ad invicem, & unum non tingeret alterum. Lapis ergo & lignum nullam habent inter ſe operationem, quod ſint ex diverſa materia ſicut in omnibus eſt materia differentibus: ideo eſt neceſſarium ut agens & patiens ſint in genere res una & eadem, in ſpecie vero altera & diverſa: ſecundum quod & mulier diverſificatur ab homine, quia licet in uno genere & natura conveniant, tamen inter ſe habent diſtinctionem & operationem diſtinctam, ut convenit inter agentem & patientem, materia namque patitur actionem, forma vero agit, aſſimilans ſibi materiam, ideo materia naturaliter appetit formam,

ſicut

ſicut mulier appetit virum, & turpe pulchrum; ſic etiam ſpiritus lubens amplectitur corpus, ut ad ipſius deveniat perfectionem. Cognoſce ergo radices minerales, faciens ex eis opus tuum, quoniam non poſſumus lapidem noſtrum alio modo nominando exprimere, nec ipſum alio nomine nominare, ſed per deſcriptionem ſuarum radicum à parte nominamus ipſum. Merito ergo lapis noſter à Philoſophis dicitur omnis res, quia habet in ſe & de ſe omnem rem neceſſariam ad ſui perfectionem, omnibus nominatur nominibus propter naturæ ſuæ excellentiam, & abſconditam ac diverſam actionem, ubique invenitur propter elementorum participationem, eſt viliſſimus per putrefactionem, cariſſimus propter virtutem, niger, albus & citrinus ſecundum colorum mutationem. Diverſorum ergo ſuorum nominum poſtpone multitudinem, quia quocunque modo nominetur, ſemper tamen eſt una ſola res & eadem. Philoſophi certe non curant de nominibus, ſed de nominum proprietatibus, eo quod per unam dant intelligere reliquum, non enim ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus. Nota intime de medicina quod rubea fieri non poſſit antequam alba fuerit, medicina igitur noſtra eſt una in eſſentia & in agendi modo ſimiliter, eſt tamen neceſſarium ut illa eadem medicina ſit alba antequam rubea fiat, quia non poteſt fieri rubea niſi primo fuerit alba, eo quod nemo poteſt tranſire de primo ad tertium, niſi per ſecundum, ſic non eſt tranſitus de nigro ad citrinum niſi per album, quia citrinum ex multo albo & pauciſſimo nigro eſt compoſitum, ideoque niſi hanc medicinam primo dealbaveris, verum rubeum facere nequibis. Non ergo differt inter ſe medicina alba & rubea in eſſentia ulla, ſed in hoc quod medicina rubea majore indiget ſublimatione & longiore digeſtione ac calore ignis in ſuo regimine: & illud ideo quia finis operationis rubei & quod completum eſt in una, incipiendum eſt in alia, nam totum magiſterium uno modo incipitur & finitur: opus rubeum indiget rubeo ſicut opus album albo indiget fermento. Noſtri porro lapidis vas eſt unum in quo totum completur magiſterium, & eſt quædam cucurbita & alembicum, ſive vas unum ſolum vitreum ſpiſſum undique clauſum, unius cubiti longum, ſubtus & ſupra rotundum ſine poris, planum, cujus fundus parvæ ſit circuitatis cum parietibus planis & amplitudine capitis, ut ſublimandum per illud aſcendat liberius, ſic enim cum neceſſe fuerit fit ignis ſubtus & ſupra ut melius accendi poſſit. De alia quidem materia non valet quam de vitro, niſi fortaſſis ſimilis eſſet ſubſtantiæ cum illo, quia ſolum vitrum & vitro ſimile cujus corpus ſit lucidum transparens, & poris carens, potens eſt ſpiritus fugaces tenere, ne exterminentur ab igne, & colores in opere apparentes oſtendere ne operator erret in regimine, alia vero vaſa non, quia corpora habent opaca, id eſt obſcura & poroſa, per quos ſpiritus ſucceſſive, id eſt parum & parum tranſiens in fumum evaneſceret. Proprium ſane eſt fumorum aſcendere & non deſcendere, ideo cucurbita ſpiritibus debilibus ſuis uſque ad zonam ſubintret alembicum ſuum. Sit autem junctura ingenioſa, bene conveniens ut nihil per illam poſſit incidere, claudatur etiam fortiter & continue ne quid poſſit exire vel intrare, quia ſi aer vel alienus humor intraverit, adminiſtrationem corrumpit, ſi vero flos ejus, id eſt fumus albus, egrediatur & fugiat, totum opus privatur effectu. Regimen autem noſtri lapidis eſt unum, & eſt ipſa decoquere jugiter & continue, in ſuo vaſe ſine intermiſſione, donec finem conſequaris optatum. Philoſophi tamen multa poſuerunt artificia, ad artis ſuæ venerationem, velut, continuationem, occultationem, & mundificationem, ne forcidum quid introducatur vel immundum, ut idem ſunt commiſceere, coquere, adæquare, putrefacere, dealbare & rubificare, hic ſunt nomina plurima, quorum tamen regimen unum eſt, quod eſt coquere tantum, & ideo non eſt aliud quam onus mulierum & ludus puerorum. Contere ergo, coque, reitera & ne tædeat hoc pluries reiterare, quia ſi ſcirent Philoſophi quod una decoctio & una contritio ſibi ſufficeret, non toties ſua dicta reiterarent, ideo quidem iſta fecerunt & dixerunt, compoſitum teratur continue, & coquatur ſine intermiſſione. Totum porro regimen ejus eſt in temperie ignis, quia diverſitas ſuorum regiminum eſt ab ignis graduum diverſitate, nam in ſolutione ignis temper erit lenis, in ſublimatione mediocris, in congulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis & continuus. Si vero in iſtis neſcienter erraveris, caſſum laborem ſæpiſſime deflebis. Conſultiſſimum eſt ergo ut ſedulus operi inſiſtas, neque opus detruncatum dimittas; quia ſcientiam nec proficuum ex opere dimiſſo acquires; ſed potius damnum & deſperationem Neceſſe quoque habes in ſcientia naturalis Philoſophiæ erudita eſſe, & induſtria provectum, ut in puncto errori ſubvenire queas per ſcientiam, quia per ſolam naturalem induſtriam emendare non poſſes, ars enim ab ingenio juvatur & ingenium ab arte. Similiter expedit te etiam hujus artis principia non ignorare, nam qui illa ignorat finem non inveniet, non etiam nitaris ſophiſticam operis metam invenire, ſed ſoli vero lapidis complemento intendas, ne forte Deus in cujus potentia reſervatur ars noſtra, ejus veritatem tibi deneget in æternum. Nota ergo intime de lapidis noſtri diſpoſitione quod eſt totum opus. Diſpoſitio itaque noſtri lapidis eſt una tantum, & eſt ut ponatur in ſuo vaſe, jugiterque coquatur in igne quouſque totum aſcendat ſolutum, deinde fortificandus eſt ignis donec ſuum exhauſerit humorem, fiatque ſiccum & multum album Tertio fortificandus eſt ignis, quouſque citrinum ſit & multum rubeum: verum ſi in operando negligens fueris iſtorum colorum nihil videbis. ſtudeas igitur cum in opere fueris omnia ſigna, quæ in qualibet decoctione apparēt in mente recondere, & illorum cauſas inveſtigare, quia hęc multum neceſſaria ſunt artifici, & idonea ad totius operis complementum, eo quod ignorantes cauſam neceſſe habent ignorare & cauſatum Nota igitur de ſuo vaſe, & quod ſemel ſemen imponendū eſt, ut generatio bona fiat & non pluries; & quamvis multoties dicatur à Philoſophis pone in ſuo vaſe & firmiter claude, ſufficit tamen ſemel imponere & claudere quouſque totum compleveris magiſterium, quod amplius eſt à malo eſt, quia ſi pluries aliquid impoſueris, tunc aurum non vertitur in rubeum neque fiet album. Totum igitur reſiduum ad artis ponitur occultationem, & certe ad generationem hominis & omnis rei vegetabilis nunquam niſi ſemel matrici imponitur ſemen, ſi autem alias imponeretur, tunc illud deſtrueret aliud ſemen propter indigeſtionis cruditatem, aut aeris ingreſſionem, vel materiæ ſuperabundantiam, ideo enim mulieres multis ſe viris exponentes rariſſime concipiunt, ac ſi concipere contingat abortivum pariunt. Sic crudis cocta, & indigeſta digeſtis apponentes opus non nutriunt ſed occidunt, quia de illo matris ſanguine tantum nutritur fœtus & vivit quouſque producatur in lucē. Ex his ergo patet quod pluribus re-

bus non indigemus ad opus noſtrum, neque etiam magnas requirit expenſas, quoniam unus eſt lapis, unum vas, & unum regimen, & una diſpoſitio ejuſdem tam ad album quam ad rubeum ſucceſſive, id eſt paulative faciendum. Igitur ſi verè & pulchre naturas direxeris, ejuſque compoſitionem bene coaptaveris, & conſanguineas ſuis conſanguineis convenienter junxeris, totum opus perficies, quia naturæ ſuis obviantes naturis, ſequuntur eas & exaltantur in eis, putreſcunt namque & gignunt, eo quod natura noſtra regitur, natura naturam diuit, liquefacit, & in pulverem vertit, deinde natura naturam recreat, gignit & innovat, quouſque finem operis inducat. Verum quod ſecundum meritum materiæ dantur formæ, ideo cum natura non præparata minime convenit aliquid operari: optimus autem præparationis modus eſt ſuperflua demere, & abſentia ſupplere, ſic enim tam integra quam corrupta ad perfectum renovantur ſtatum, & illud quidem eſt ut à rebus fictis ſibi in nullo convenientibus valde ſublimes Mercurium, quouſque cæleſtem acceperit colorem: caveas tamen præcipuè in ejus mundatione à privatione virtutis ſuæ ne vis activa ſuffocetur in aliquo. Omnium autem terræ naſcentium ſemina non multiplicantur nec creſcunt, ſi per nimium calorem vis eorum generativa tollatur extraneum: ſic certe nec iſta multiplicatur natura ſi modo præparetur indebito, non autem aſſumas ipſam naturam niſi puram, mundam, crudam, amœnam, currentem, ſyncetam, & rectam; ſi vero ſecus feceris, non proderit quidpiam, ejus additamentum melius per cæmentum depuratur. Cum igitur volueris intentionem facere ſolves in eo lunaturam, nam primus gradus ſuæ præparationis eſt ut fiat Mercurius, nec fit hoc donec lenifices per aquæ dominium, & caloris motum continuum. Oportet itaque ut ſit aqua multa & oleum multum, quia quanta fuerit multitudo aquæ, tanta eſt multitudo tinctura. Solvimus autem aurum ut in ſuam primam redigatur materiam, hoc eſt ut vere fiat ſulphur & arg. vivum, quia tunc poſſumus optimè argentum inde facere & aurum, cum fuerit converſum in naturam ipſorum, ideoque debet levari & decoqui, ut ſit verum ſulphur & argentum, nam illa ſecundum philoſophos ſunt materia prima omnium metallorum. Et certe noſtra ſolutio non eſt aliud niſi quod corpus revertatur humidum, & relevetur in eo natura argenti vivi, ſuæque ſalſedines ſulphuris minuantur; non autem revertitur in aquam nubis, ut ſtulti quidam putaverunt, nam ſi reverteretur in talem aquam, fieret tunc ſiccum per vim non per naturam, ad modum ſalium & aluminum; & ſic cum locarentur ad ignem converterentur in vitrum, ſed illud falſum eſt ergo & opus eorum. Nunc intime nota de ſolutione. Eſt ergo ſolutio noſtra ut tradas Gabricum Beyæ & conjugium fiat, & ſane cum Beya concumbens ſtatim moritur, & in ſuam transfertur naturam, deinde tranſactis diebus multis aſcendit ſuper Beyam, transferens eam in corpus ſuum & quamvis Beya ſit femina, Gabricum tamen emendat, eo quod ex ipſa eſt, & quamvis Gabricus ſit carior Beya; ſcimus tamen quod non fit generatio abſque ea, quia nulla fit generatio congrua niſi ex maſculo & fœmina. Idcirco conjunge ſervum noſtrum rubeum ſorori ſuæ odoriferæ, & inter ſe artem gignent. Poſitos igitur in ſuo vaſe claude diligentiſſime, decoquens continue ad ignem lenem, donec brodium fiant ſaginatum, nam ex principiis naturalibus eſt planum, ut omnis res, cujus radix eſt terra & aqua, ſolvatur & fiat currens, & certe ſecundum philoſophum terra fit aqua, cum vincunt eam aquæ qualitates, & aqua fit terra, cum vincunt eam terræ qualitates. Sic ſolutio corporis, eſt congelatio corporis, nam habent unam operationem, quod unum non ſolvatur niſi alterum congeletur. Injunge ergo toxico ſolium tuum, ut verificabitur tibi in operis principium, ex rotatu tamen cælorum felicia & infelicia geminant in terrenis, ideo in principio operis tui aduna ſolutionem per Solem, nam effectus inde apparebit, & quod ſuperior deprimitur cum juvat inferior, ſive vincant ſuperiora, ſiquidem inferioribus dominantur. Eſto ergo longanimus in regimine, vas firmiter claude, ac noli ceſſare, quia nulla fit generatio & corruptio rerum niſi per motum continuum, & aërem excluſum, & calorem temperatum, & hujus exemplum eſt uterus mulieris, quæ cum concepit immediate clauditur matrix, & caliditate & humiditate ſanguinis generatur fœtus, nunquam tamen flatus extraneos recipit niſi cum natus fuerit: ſic & eodem modo noſter lapis in vaſe jugiter maneat clauſus, donec ſuam biberit humiditatem, & calore ignis perfecte nutritus ſit, albus enim tunc naſcitur lapis, nec ſibi nocent aërei flatus. Eſt ergo ſumme neceſſarium continuare operationem, moderati ignem, excludere aërem, & maxime uſque ad albedinem; combure ergo æs noſtrum leni igne, ſicut in ovorum pullificatione, donec dirumpatur corpus ejus & tinctura extrahatur. Non autem extrahitur tota ſimul, ſed parum & parum egreditur omni die, donec in longo compleatur tempore, & quod ſolvitur ſemper aſcendit ſuperius, licet reſidens ſit majus: idco iguem ſemper caveas magnum, ne pervenias ad ſolutionem ante tempus neceſſarium, quia hoc producit opus ad remotionem remotam, privans illud ſenſu, operatione & motu. Nota igitur intime de calore leni, & de contritione Philoſophica quæ fit igne noſtro & non manibus. Calor itaque intenſus compoſitum perimit, frigiditas fugat. ſed calor lenis nutrit & conſervat, poſitum ergo in balneo temperato contere igne, & non manibus, abluas humiditate ſuæ aquæ, ut non aduratur virtus ejus ignea, ne comburatur ſua ſubſtantia ſulphurea, nam ipſa primo egreditur ſeparatione cum ſit lenior, & dignior operatione quam virtutes aliorum elementorum. Nunc nota de ſignis veræ diſſolutionis. Continuato ergo ſuper eum balneum temperatum donec in aquam ſolvatur impalpabilem & tota egrediatur tinctura in colore nigredinis, quod eſt ſignum veræ ſolutionis: nam calor agens in humido generat primo nigredinem, & in ſicco operatur albedinem & in albo citrinitatem, ſicut eſt videre in plumbo cum ex eo fit minium. In humido ergo igne rege ipſum continue, noli feſtinare nec ab opere ceſſare, quouſque totus diluatur & pulvis fiat omnino ſpiritualis: id autem quod pulvis fuerit ſpiritualis in vaſe ſurſum aſcendit, quod vero ſpiſſum & groſſum in vaſe remanet deorſum. Nota itaque de ſigno veræ contritionis corporis cum ſpiritu, quia niſi omnia in pulverem verteris ſpiritualem, nondum ea contriviſti, igitur deinceps tere quouſque convertantur & omnia pulvis fiant, & nota qualiter id igne fiat non manibus. Contritio igitur decoctionis eſt non manuum, quæ tantum habet fieri leni decoctione, humida putrefactione, continua contritione igne & non manibus, nam manuum contritione non egemus. Alkien certe facit hoc & per eam perficitur, quia Alkien terræ, id eſt quædam generatio ſecreta in terra, & eſt ſicut Alkien in homine, illud virtute ſua præparativa clarificat ſemper & dividit ſicut ſcit, & meritò, natura namque

que sagax est, & sibi sufficiens in omnibus quibus indiget, ex opere quidem suo est ut convertat terram in aquam, & aquam in terram, secundum compositionem diversam. Nota primo ad solvendum terram cum aqua, secundo terra coagulabit aquam, & hoc erit intra centum & quadraginta dies; primo siquidem conatur aqua solvere terram, ut ad modum sui subtilem habeat naturam, secundo autem terra coagulabit aquam ut secum sustineat ignem, & hoc est solutio corporis & coagulatio spiritus leni ignis decoctione in centum & quadraginta diebus, & forte apparebit albedo in quadraginta diebus, sed primum est melius, quoniam significat temperantiam ignis & bonitatem preparationis. Nihil tamen nisi sulphur nostrum agit in aurum, nostrum enim sulphur ipsum denigrat, consumit & cruciat, eo quod de sua consistit natura, quod vero denigratur est quod non fugienti januam aperuit, & non fugiens cum fugientibus vertitur: crucians tamen non cruciat nocumento nec corruptione, verum coadunatione & utilitate, si enim ejus cruciatus esset noxius & inconveniens, non amplecteretur ab illo, nec suos extraheret colores, quos aquam sulphuris nuncupavimus. Quod ergo primo denigrat clavem operis esse dicimus, quoniam non fit absque nigredine, nam ipsa est tinctura quam quærimus, qua in quolibet corpore tingamus, quæ quidem prius occulta fuit in suo ære sicut anima in humano corpore. Ideo nisi æs nostrum diruatur, imbuatur, & teratur, ac per se & diligenter regatur donec à sua spissitudine extrahatur, & in tenuem spiritum implacabilem vertatur, & nisi corpora vertantur in non corpora, & non corpora in corpora, nondum operis regula invenitur, & illud ideo quia non possumus illam tenuissimam animam omnem tincturam in se habentem à suo corpore extrahere nisi prius diruatur, & in tenuem spiritum impalpabilem vertatur, ac corpus solvatur partes habens constrictas per ignem & aquam. Sed aqua nostra est ignis, comburens corpora magis quam ignis, & ideo per se ea regit, & extrahit ex ea naturam omnem superantem naturam. Est ergo affinis operationis in omnibus statibus suis, patienter continuando decoctionem, quousque tota egrediatur tinctura super aquam in colore picis liquidæ & cum videris nigredinem illi aquæ eminere, scias tunc oportet ignem lenem conservare super ipsum, donec aqua perceperit nebulam quam peperit tenebrosam. Intentio ergo philosophorum est, ut corpus jam solutum in pulverem nigrum suam ingrediatur aquam & fiat totum unum, si vero dicas qualiter fiet pulvis aqua? scias quod ille pulvis non est nisi aqua sulphuris, soluta calore ignis, de merito ergo aqua suscipit aquam sicut naturam propriam, ideo nisi quodlibet vertatur in aquam nullatenus perveniet ad perfectionem. Nota tamen quod nihil debet apponi in commixtione, neque in toto regimine, nisi sua aqua, propria, quia non oportet unquam aliquid aliud uti in commixtione, contritione, nec in toto regimine nisi illa sola aqua permanente satis nota, vis enim ejus est spiritualis sanguis sine quo nihil fit. Convertitur autem in corpus; & corpus per id ipsum vertitur in spiritum, sic enim ad invicem mixta & unum redacta se invicem vertunt, nam corpus incorporat ipsum, nota tamen quod spiritus colorat corpus in colore ignis. Spiritus ergo corpus in spiritum tinctum vertit prout sanguis, quia omne quod habet spiritum, habet & sanguinem, quare oportet illam nigredinem aquæ suæ imminentem igne leni jugiter occupari donec in sua rejungatur aqua, fiatque aqua in aqua, id est donec totum fiat aqua una, cum autem aqua alteri aquæ miscetur, tunc aqua amplectitur aquam ita quod non poterunt separari ab invicem. Ignari autem aquam audientes putant eam esse aquam nubis, sed si rationem haberent, scirent utique eam esse aquam permanentem, quæ tamen absque suo corpore cum quo soluta & facta unum est permanens esse non potest: hanc autem aquam Philosophi dixerunt aquam auri, igneum venenum, & ovum multorum nominum ideo nos oportet cum hanc aquam possidemus sulphuream, alteri nostro eam miscere ut ejus nigredo deleatur, redde ergo carbonem suæ aquæ ut in eo extinguatur, & rerum conceptio fiat, & vas claudatur jugiter dum conficiatur. Nota quod hic loquitur de conceptione quæ debet fieri infra tres dies, tempus ergo suæ conceptionis, est spatium trium dierum, qua serie rerum fit conceptio specierum, rerum mixturam, coitus notas & genituram, semina miscentur quasi lac quæ mixta videntur. Qui ergo noverit ducere, prægnantem facere, generare, mortificare, vivificare, lumen inducere, & mundare ulterius à nigredine & tenebris erit maximæ dignitatis, nobis enim regem coronatum filiæ nostræ rubeæ conjungentibus, & ei in leni igne adhærenti, concipiet & filium giguet, nam fusæ nubes quæ super eam fuerunt revertentur in suo corpore, sicut exierunt. Tingens ergo & tingendum necesse est diruere, ipsum enim quod sibi miscetur superat & in suum vertit colorem: & quemadmodum apud visum superficialiter vincit, sic intima superat, ideo cum corpore misceatur & continetur, ut tinctum sit cum eo, vertit ipsum in spiritum, & spirituali tingit natura, invariabili, quæ deleri non potest. Continuato igitur eorum regimine, in quadraginta dierum spatio fiet utrumque aqua permanens liberata à nigredine, quæ quidem nigredo si debito modo regatur non permanet nisi quadraginta duobus diebus, in suo eam rege balneo, subjice ignem quousque fiat aqua clara, & ut verum a gentium vivum scandens in aerem. Nunc nota de destillatione aquæ. Cum ergo videris naturas aquam fieri & aërem sublimari, tunc omnia vapor facta sunt, nam anima à corpore separata, & in spiritum sublimatione delata factum est utrumque fugiens, aqua enim referavit januam fugæ non fugienti, convertens ipsum in spiritum sibi similem, unde facti sunt aërei spiritus in aëra simul scandentes, ibique accipientes vitam inspirantur à suo humore, sicut homo ab aëre, quate crescit & multiplicatur in sua specie sicut cæteræ. De jure igitur vapor continet vaporem, eo quod simul utrumque in decoctione est junctum, ideo fugiens natura quamvis sit ei fuga essentialis, dimisit tamen fugæ servitutem, eo quod in sublimatione jungitur ad invicem: quare debebit totum igne mediocri in vapore multoties elevari, ut inspiretur ab aëre & possit vivere; nam omnium constantium vita natura, ex aëris consistit inspiratione, quare totum opus consistit in vapore & sublimatione suæ aquæ. Summopere tamen caveas in omni sublimatione seu liquefactione aut fractione, à vitrificatione tui vasis, quia si in tantum accenderis ignem ut aqua ad vasis summitatem ascendat, gaudens refrigerio adhærebit tunc ibidem, & sic non poterit elementorum perficere sublimationem, eo quod oportet unumquodque eorum rotatu sphærico per se pluries deprimi & elevari, sed quod per violentiam ascendit, absque violentia non descendit. Sit ergo ignis lentus, ita ut per se totum opus ascendat & descendat libere, absque vasis adhæsione, ideo nisi corpus igne & aqua attenuemus, quousque ascendat ut spiritus, nihil facimus, eo autem ascendente in aëre nascitur, & in aërem

vertitur,fitq;vitacũ vita,ut una nõ ſeparetur ab altera, ſicut nec aqua mixta aquæ,ideo natus in aere ſapienter naſcitur, quoniam ſpiritualis omnino efficitur. Intellige porro quod tribus de cauſis ſublimationem facimus,prima eſt ut corpus fiat ſpiritus de ſubtili natura,ſecunda eſt ut ſpiritus incorporet ſe cum corpore &fiat unum cum eo,tertia eſt ut omnia fiant alba & munda,& ſalſedo ſulphuris minuatur, nam apud ſublimationem comburitur quicquid ex opere fuerit combuſtibile. Et certe ſumme nobis eſt neceſſarium ut elementa fiant ſimplicia, ut poſſint conjungi ad invicem, fieri tamen ſimplicia non poſſunt niſi in partes ſeparentur, ideo oportet utrumq; vaporem pluries ſublimare,donec aqua deſcendat in cribratione. Cribramus ergo res cribro ſphærico ſepties, ut omnia fiant aqua limpida clara, quoniam corpus nunquam dimittit animam à ſe ſeparari quæ ſibi compar eſt in propinquitate ſimplici, & ideo reiteramus eorum ſublimationem, ut ad ſubtilem reducantur naturam. Verum quidam ſagaciter opinantur ſeparationem fieri multis ſpeciebus, de quo non cures, quia proſperaberis in eo quod reducas operationem ad æqualitatem ſimplicis, & non in eo quod ſeparatur unumquodque ſingulariter in elementis. Et certe non erit difficile omnia reducere ad ſimplex albedinis. Pater ejus eſt Sol, & mater ejus Luna, portavit illud ventus in ventre ſuo, terra prægnata eſt ex eo. Idque quod aquam ab aere, & aerem ab igne, & ignem à terra deſtillando recepiſti, ex multa enim ſublimationis iteratione anima cum aqua aſcendens depuratur, & ejus groſſities ad ima deſcendens in terram lunatur. Sic ergo de igne facies terram, de aere aquam, quam reduces ſuper terram, nam vis ejus integra eſt ſi reverſa fuerit in terram: verte ergo terram in aquam, & aquam in ignem, tunc vero ignem in aerem, & occultans ignem in intimis aquæ, terram vero in aeris ventre; calidum autem miſceas humido, ſiccum vero frigido.Iſto igitur modo facias mixtionem, quoniam non eſt tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium. Aquila ergo volans per aerem & bufo gradiens ſuper terram eſt magiſterium, idcirco ſeparabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuaviter deſtillando cum magno ingenio. Aſcendit à terra in cælum, iterumque deſcendit in terram, recipit vim ſuperiorem ſpiritus, & inferiorem corporis, quia vincit omnem rem ſubtilem congelando, omnemque rem ſolidam penetrabit alterando: ſic enim dominatur ſuperioribus, & inferioribus, quia operatur tam in ſpiritibus, quam corporibus. Hic nota intime de ſpiritu, anima, & corpore. Liquet ergo quod æs noſtrum habet ſpiritum, corpus & animam, ſpiritus eſt aqua ejus, anima ejus eſt tinctura, corpus vero eſt ejus terra, ſpiritus tamen eſt delator virtutum animæ ſuper corpus, ſicut portatur tinctura tinctorum per aquam ſuper pannum; anima autem eſt vinculum ſpiritus ſicut corpus eſt vinculum animæ, corpus vero eſt fixum, ſiccum continens ſpiritum & animam, Spiritus ergo penetrat, corpus figit, anima copulat, tingit & dealbat, in his tribus eſt fumus,nigredo & mors, quæ niſi ablata fuerint perpetua non erunt. Oportet ergo ab aqua fumum, ac anima nigredinem, & à corpore mortem expellere frequenti diſſolutione quæ non differt. In his autem qui non fecerint duo ſulphura de ſulphure nihil norunt, duo ſulphura ſunt quæ ex lapide mixto vel juncto ſublimantur ad tincturam, quæ quidem tingunt & fugiunt, ſed à ſulphure continentur quod fugere non poſſint, quoniam omnium fugientium eſt connexio. Commiſce ergo ova gallinarum nigrarum cum ære, & habebis aurum & argentum quantum ipſe volueris, vultur namque ſine alis volans ſuper montem clamat dicens: *Ego ſum albus, niger & rubens albi, & citrinus rubei filius veridicus & non mentiens*: me igitur meæ matri & ſuo pectori junge, quia ſuam ſubſtantiam facio continere. Noli ergo alienum nobis introducere, nec ab opere ceſſare, nam omnis natura cum ſua adunatur ſocia &per eam perficitur. Mater me genuit, & per me gignitur ipſa, ipſa enim primo dominabatur mihi, de cætero autem dominabor illi, quia perſequutor matris meæ factus ſum, prius quam ab ipſa accepi volatum, ipſa tamen meliori quo poteſt modo ſicut mater pia fovet & nutrit filium quem genuit, donec ad ſtatum pervenero perfectum. Ponas ergo me in humido igne continue, qui mei humoris calorem augmentat, & ſiccitatis combuſtionem verat, quouſque finem operis inducat, deinde rubiginem & umbram meam extrahe per ſe, quouſque tertia parte perſiſtam, decoctio namque me minuit; tritum vero augmentat, & quod poſt quindecim dies diminuitur, poſt triginta augmentatur, hoc eſt initium & finis. Cuſtodi ergo argentum vivum in intimo thalamo ſuo, in quo coagulatum eſt, nam ex iterata cribrationis vice, aqua aſcendit alba eum anima ad alembicum & corpus paulatim deſcendit ad unum, & ipſum eſt argentum vivum quod dicitur terra reſidua quæ aquam recipit & bibit eam, quoniam connexio eſt tincturarum. Conſerva igitur vas & ligaturam ejus, ut ſis potens in conſervatione ſpiritus, nam aqua quæ prius erat in aere habitat in terra, ſi fugere nequibit redde eam tunc ad ſuperiora, & per ſuos terminos non inepte eam deinde ſuo corpori rubeo priori electo per te conjunge. Nam ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ, quia ſi ſine violentia aſcenderit, ſine violentia deſcendet ſuper ipſum, ſi vero non, non. Liga ergo mulieris lactantis manus poſt tergum ut non fugiat Gabricum, id eſt virum, apponite ſibi filium quem genuit ut lactet eum, quoniam cum mulier mortua fuerit, erit bufo groſſus de lacte, tunc ſcinde bufonem per medium, apponens gallinæ ut comedat ipſum. Reducas aquam ad terram temperatum adminiſtrans ignem, quouſque in natura ſua radicem fecerit, ſciens pro certo quod oportet ipſum primo nutriri pauco lacte, ſicut videre eſt in infantis educatione, nam pauco lacte nutritur & igne dum parvulus eſt, & quanto magis creſcit, tanto magis indiget cibo & calore, quouſque ſuum biberit humorem, nam humorum primus eſt frigidus, ideo capiendus eſt ignis qui frigori eſt inimicus. Si corpus poſueris ſuper ignem abſque aceto, comburitur nec fiet ex eo quod quæritur, quia ſi ignis non invenerit humiditatem quàm deſiccet, comburit corpus, ſed acetum ſibi appoſitum prohibet ignis combuſtionem, deſiccans ſe cum corpore ne patiatur læſionem. Et quanto magis flamma ignis occupatur, tanto magis in aquæ intimis abſconditur ne calore ignis comburatur. Hic nota de proportione, & pondere aquæ & corporis. Jubeo igitur non ſimul infundere aquam ne elixir ſubmergatur, verum paularim infundere ut ſemper corpus cum tribus partibus ſuæ aquæ decoquatur: nam ſi conficiatur abſque pondere, mors ſibi eveniet, qua eveniente malum eſſe putabitur, ſi vero convenienter regitur cum ſua pacificatur aqua ſuper ignem: verum quia corpus parum primo habet radicis, cujus virtus non æqualiter abundat in omnibus partibus, ſicut nec ſplendor Solis in planetis; ideo patientia & mora ſunt neceſſariæ; ut prolixita-

te coquendi vincat aqua pugnam ignis, leni namque ignis decoctione aqua congelatur, & humiditas extrahitur corruptiva, humoris radicalis calor augmentatur, & siccitatis combustio prohibetur. Jubeo igitur ignem nostrum in principio esse lenem, donec coaguletur in lapidem aqua & totum fiat deorsum, nam intra spatium quadraginta dierum tota aqua verteretur in terram: ideo cum videris aquam coagulare se ipsam, tunc ratus esto scientiam esse veram, nam corpus coagulat suum humorem in siccum, sicut coagulum agni coagulat lac in caseum. Corpus igitur coque cum aqua vitæ leniter coagulando ad ignem, quousque fiat spissum & multum siccum, quia cum fuerit siccum velociter bibit sui humoris residuum: impone tunc aliam aquam leniter coque ad ignem vas diligenter claude, noli festinare nec ab opere cessare. Aqua tamen in duas partes dividenda est, quarum una parte corpus coagulatur, altera putrescit & liquatur, coagulare autem est aqueam substantiam in terram redigere, putrefacere est coagulatum alias resolvere, nam putrefactio non fit nisi ex humido & sicco, sic enim spiritus penetrabit in corpus, & commixtio fiet per minima. Ignis autem administratus subtus temperatus sit, cave etiam nè nimis festinanter extrahatur suo vase fortè ~~aqua~~ mque morereretur, quoniam infanti nunquam patrebit egressus, quousque aëreos flatus exhauriat; Neoque custodias eum continue clausum, rore circumdatum, omnino præcavens ne flos ejus egrediatur in fumum, contere, coque, reitera, & ne te tædeat hoc ipsum pluries reiterare; veruntamen in opere pondere & mensura cuncta rege, ut quoties corpus imbuitur toties & desiccetur. Non tamen comedas festinanter, nec comedas quod non bibas, nec bibas quod non comedas, fit autem potus post comestionem, non comestio post potum, alioquin facies ventrem humidum, nec recipiet siccitatem; comede ergo & bibe unum post aliud secundum rationem, unũ dico tria, & sic usq; ad duodecim facies Lunæ. Currit hic numerus ex multiplicatione ternarij in quatuor, & erũt duodecim, & numerus ternarius fit ex multiplicatione unius in tria, & sunt tres salsaturæ, quarũ quælibet in alias tres dividitur salsaturas, & erũt duodecim. Verte ergo quadrãgulum in rotundum & habebis magisterium; & illud quidem fit si quadrangulus in unaquaq; suarum spatularum tres habeat angulos æquales. Fac circulum, & in medio circuli centrum, deinde in unaquaque spatula circuli fac tres angulos de circulo centri, sit autem linea æqualis de primo centro ad cæteros punctos, & æqualis, & una sit omnium ternariorum mensura, computa ternarios & duodecim invenies, desuper quos ducas compassum & invenies quod tanget unumquemque ternarium. Per duodecim ergo triangulos circulus eveniet rotundus, sic componitur magisterium, quia sic omnes spatulæ concurrunt ad centrum compassi. Sic tota aqua est ad suum corpus per suos ternarios reducenda, si autem diminutum fuerit uno diminuetur potentia ejus. Venare ergo animas, quoniam in terra est mansio earum, si fugere nequeant non sis in venatione nisi lentus, præcavens ne igne nimio vertantur in fumum; si autem fugient non capientur cum falcone, si vero includantur nec fugiunt, tunc revertuntur ad corpus unde exierunt, eo quod corpus attrahit sibi suum humorem sicut magnes attrahit ferrum. Contete ergo terram decoque aquam, & reitera operationem, quousque unus ex tribus ternariis vertatur deorsum, nam si unum ex tribus occidisti omnes mortui sunt, quia si unum sit fugiens alterum vero ignem patiens, utrumque junctũ parit ignem. Hic nota quid sit quod spiritum figit. Dico quod unum tunc continet reliquum propter naturæ suæ propinquitatem, & hæc quidem est coagulatio nostra, omne volatile retinens à fuga: veruntamen non efficitur hoc manibus, sed natura ad ipsum circulariter operatur, quia natura seipsam dissolvit & coagulat, seipsam albefacit & rubore decorat, seipsam croceam facit & nigram, seipsam desponsat & à seipsa concipit, quousque finem operis inducat, quare liquet quod hæc confectio non sit manualis operatio, sed naturarum mutatio, & earum calidi cum frigido, ac humidi cum sicco admirabilis connexio. Accipe ergo volatile volans, submersum & mancipa ut tibi respondeat non volando in regionibus, sed volatu evolans ad te contentum, nam quod est inferius est sicut superius & quod est superius est sicut id quod est inferius; ideo aqua nostra benedicta suam venit adaquare terram, mundare nigredinem, & omnem malum auferre odorem, eo quod inter eos est libido sicut maris & fœminæ: caveas ergo ne à vase exeat sua humiditas & pereat, verum ipsam reducens ad terram coagula leni igne, sicut coagulatur sperma in matrice, fœmina namq; suum amplexata conjugem velociter transit in corpus. Verte ergo aquam super terram suam quousque coaguletur deorsum, tunc enim citius à natura in naturam convertitur & in unoquoque gradu suarum operationum novam assumit naturam. Redde cineri sudorem suum, contere, coque, reitera, nec te tædeat reiterare, terra enim non germinat sine frequenti irrigatione, nec absque præmissa desiccatione, ideo omni vice post desiccationem terræ superfunde aquam temperate, nec multum nec parum, quia si multum fuerit, fiet pelagus conturbationis, si vero parum comburetur in favillam, & hoc nota intime. Ideo in omni pondere pondus, in omni mensura modus servetur, & in omni opere opus est ne nimia siccitas aut superfluus humor administratus corrumpat, sed tàntum assando decoquas, quantum dissolutio adjecit & imbuendo defecit: semper autem cavendum ne ignis asperitas exustionem generet, nec ab actione cessandum donec totum ad unum sicci lapidis formam assumat; veruntamen natura non habet motum nisi per caloris actionem. Nota igitur de utilitate mensuræ ignis. Si ergo calorem bene mensuraveris aqua & ignis tibi sufficiunt, nam corpus abluunt, mundant, nutriunt & ejus obscuritatem auferunt, & certe totum opus & regimen non est nisi aqua permanens omnia in se habens quibus indiget; nam liquefacit & congelat, dirimit & dealbat, nec oportet alio unquam uti in toto regimine, nisi hac aquâ permanente. Manu tene ergo hanc aquam cum suis bonis operationibus, quoniam facit album ad album, & rubeum ad rubeum: effectus tamen ejus consistit in regimine ignis, nam cum eo dividitur aqua, cum eo retinetur volatile à fuga, cum eo corpori jungitur anima, cum eo fit coagulatio nostra, caveas tamen ignis intensionem, quia si intendatur ante terminum fit rubeum quod non prodest, hoc autem verbum memoriæ tuæ commenda percipiendum. Sit ergo ignis lentus usque ad albedinem, inspice ergo multoties, quo modo facias amplexari conjuges, nam fortibus nexibus vinciendi sunt spiritus, ut roborati pugnent contra ignem, quia si mulieri vagæ patuerint egressus, alienos quærens amplexus fugit, si verò recludatur ut fugere non possit, tunc rediens ad virum concumbit cum eo, quem occidit. at ille calefactus ejus consumit humiditatem faciens ipsam morari secum,

nam ſpiritus ablati à corporibus, deſiderant eis ineſſe, ſequuntur ea, gaudent ipſis habitis, habitant in ipſis, vivificant ea, nec unquam ſeparantur ab eis: ideo non fruſtra confertur ſperma vulvæ, quoniam unum conſequitur reliquum tanquam ſponſa paranymphum, id eſt maritum. Hic igitur nota de mortificatione vivi ſpiritus, & de revivificatione corporis mortui. Vivificans ergo mortuum, id eſt corpus, occide vivum, id eſt ſpiritum, & habebis magiſterium. Extrahe à radio ſuam umbram & ſordidum, & quod nebula ei ſuperveniens coinquinat, & à luce retinet, quare anguſtatur & à ſua rubigine detinetur: ideo oportet prima parte ejus aquæ æs noſtrum comburere & coquendo coagulare, quouſque in ſua fiat rubedine, quæ quidem tunc dicitur fermentum auri & coagulum coaguli, quia aquam recipit & bibit coagulatque eam ſecum in terra: & in hoc eſt finis primæ operationis & principium ſecundæ, quoniam uno modo incipitur & finitur. Modus autem rubificationis lapidis alibi prædicti eſt quod oportet reſidua aqua ſua multoties imbuere ad incerandum congelatum, ad mundandum combuſtum, & ad colorem immutandum, donec tota aqua fiat deorſum: imbue ergo ipſum ſepties vice poſt vicem, emundans nigredinem, quouſque dealbatur & in terram vertatur, nam in quadraginta diebus totum vertitur in terram. Aperi & claude, ſolve & nota, extende & plica, ablue & deſicca, hoc facito continue donec in quadrangulum vertatur & in rotundum. Modo ergo ſimili æs gubernatum reſolves, quouſque fiat ut aqua, & ut verum argentum vivum; poſt hæc ſecundum conſuetudinem coagula ad ignem; dicimus quidem coagula ſecundum conſuetudinem, eo quod prius fuerit coagulatum in ſiccum rubeum; ideo cum ſiccum fuerit, ſolve, quod ex illo fuerit ſolubile, quod vero non ſolvitur continue coque quouſque ſolvetur omnimodo. Sic igitur iſte ordo reiterando ſervetur, quouſque illius major ſervetur quantitas, deinde coagula, & leniter aſſando in ignis temperamento conſerva, quouſque illi major ad illius exigentiam ignis adminiſtrari præſtet. Omnes igitur hos ordines præparationis ſuper ipſum quatuor vicibus reiterabis, & ultimo calcina per modum ſuum figentem & calcinantem, quoniam ſic pretioſiſſimam lapidis terram ſufficienter adminiſtrando rexiſti. Et certe calcinare, nihil aliud eſt quam deſiccare & in cinerem vertere; ideo comburens ipſum abſque humore donec cinis fuerit, optime miſcuiſti, eo quod cinis ille ſpiritum recipit ac bibit, & ſuo imbuitur humore, donec in colorem vertatur pulcriorem quam prius fuerat. O quam pretioſus eſt cinis! chariſſime hunc cinerem ne vili pendas, ſed redde ſibi iterum ſudorem ſuum quem ejecit, quouſque totum vertatur deorſum; quoties enim cinis imbuitur toties per vices deſiccatur, & ſeipſum invicem continet; quare oportet æs conterere, aqua vitæ pluries imbuere, & vice poſt vicem deſiccare, quouſque totum biberit humorem. Jubeo ergo aquam vivam coagulare, corpori ſuo miſcere, & coquere quouſque deſiccetur, tunc enim invenies totam aquam vivam à ſeipſa coagulatam, & in terra contentam, tunc corpori jungitur ſpiritus, aqua cineri, ac fœmina viro, quoniam quando æs convenienter regitur, cum aqua pacificatur, & albo colore coloratur. Nota bene de ablutione corporis per ſpiritum. Dealbatio noſtra fit decoctione & aquæ congelatione, & quanto pluries æs abluitur tanto intentioris efficitur albedinis. Ideo Philoſophi decoquendo & Etheliam imbuendo & terendo frequentiſſime præceperunt. Si autem certi fuiſſent quod una decoctio & una contritio ſibi ſufficere potuiſſent, non toties ſua dicta reiteraſſent, ideo ergo id fecerunt ut teratur continue, & coquatur ſine intermiſſione. Contere ergo, reitera, & ne tædeat hoc pluries reiterare; cum ſuo ære decoque nubem, ablue nigredinem aqua vitæ, aſſa latonem donec excitetur & fiat corpus novum, nam aqua vitæ gubernat, & omne corpus dealbat, vertens totum in ſuum colorem. Ille namque fumus albus eſt, ideo cum illo dealbatur quicquid dealbari præcipitur, quoniam natura naturam convertit, illum ergo fumum ſuæ fæci admiſcens, coque & tere multoties donec coaguletur, & à ſua nigredine privetur: Et certe aqua roris madidi ipſum abluit, quam dat deſcendens de cœlo tempore pluviæ, penetrat & dealbat, ipſa enim aqua habitans in aere, conſequitur terram ſicut ferrum conſequitur magnetem, inter eos ſane eſt ſocietas & libido, propter naturæ ſuæ propinquitatem; nam naturæ ſuis obviantes naturis lætantur in eis; reſiduum ergo humorem impone coquendo continue donec coaguletur, & nimis dealbetur, ſcies pro certo ſi fuerit ſiccum, quod velociter bibit ſui humoris reſiduum. Inſpice ergo qualiter compoſitum potat aquam, & in unoquoque gradu coloribus alteratur, dum enim res quælibet igni ſuperponitur, de colore ad colorem multiplicem natura operante transfertur. Nota de unione ſpiritus & animæ cum corpore per quod figitur lapis. Spiritus ergo & anima non uniuntur cum corpore niſi in albo colore, quia quamdiu apparuerit nigredo obſcura dominatur fœmina, & ipſa quidem eſt prior vis noſtri lapidis, quoniam niſi fuerit nigrum non fiet album nec rubeum, rubeum enim ex nigro & albo eſt compoſitum; veruntamen calor temperatus in humido agens operatur nigredinem, deſiccat humiditatem & tollit corruptionem; è contrario calor invaleſcens operatur rubedinem, humiditatem fugat & generat cauſaturque corruptionem; quare liquet quod ſi compoſitum plus quam oportet regatur, ſtatim extinguitur nec fiet ex eo quod quæritur. Cavendum eſt ergo ne aqua per nimium ignem vertatur in fugam & fugiat, idcirco fit pugna aquæ & ignis prolixitate coquendi, nam ut calore Solis aqua deſiccatur, ſic leni ignis decoctione aqua coagulata in terram continet ſeipſam contra ignis pugnam. Vincat ergo aqua pugnam ignis prolixitate coquendi, inſpiſſandi & coagulandi ſeipſam, nam ſi ejus naturam perfecte ſcires, utique prolixitatem coquendi ſuſtineres donec propoſitum invenires, quoniam bonitas hujus naturæ venerabilis, probatur in corporibus maxime, quod propter nullas exterminationis cauſas, ſe in partes ſuæ compoſitionis dividi permittit, quia aut cum tota ſui ſubſtantia ab igne recedit, aut cum tota in igne permanet ſtans, quare notatur in ea perfectionis cauſa neceſſario. Hic nota de regimine congelationis Mercurij cum Sole, quia dicitur quod ipſe ſit aqua munda, & rinctura vera, cum patienter regitur aſcendendo & deſcendendo donec coaguletur in album. Hanc igitur patienter rege naturam, ſuaviter coagulando argentum vivum quod ex ære noſtro pluit ſuper ipſum, amaræ aſcendunt nubes, & pluunt pluviæ ſuper terram, quia omne corpus grave & denſum ſemper ad ſuum labitur centrum. Argentum certe vivum ex ære noſtro ſublimatum ex quo omnia fiunt, eſt aqua munda & rinctura vera, quæ æris umbram deler, ipſum ſimiliter eſt ſulphur album, quod ſolum æs dealbat quo ſpiritus continetur ne fugiat, illud tamen ſulphu

phut non poterat dealbare, nisi in priori opere esset dealbatum, eo quod solam sulphur æs dealbat, quare liquet quod tanta erit pulcritudo æris, quanta fuerit albedo sulphuris. Volens ergo ad veram pervenire tincturam, impone sibi paulatim humiditatem quam ejecit coquendo assidue donec colorem induerit pulchriorem, & quoties imbuitur toties per vices desiccetur, quousque vertatur in album quod quæritur; nam inceratum cum desiccatur continet seipsum, & si unum est fixum figitur & reliquum, & si sit album exterius album est & interius: ideo non desistas ipsum imbuere, coquere & paulatim desiccare; donec toto suo imbuatur humore. Confice ipsum aqua permanente, & leni decoque igne donec nigredo pereat & recedat, imbue ipsum continue aqua vitæ pro ut videris eis sufficere apud visum, assa & coque donec totum bibit humorem. Scias quod purpureus color non tingitur nisi frigido, nec sit albus nisi sicco, nec rubeus nisi calido. Hoc igitur æs assando coque residuo suo humore donec seipsum faciat germinare, deinde in Sole desiccando tere quousque totum vertatur deorsum Venerare regem & suam uxorem, & noli eos comburere, ne nimio fugiant calore, quoniam indiges patientia & longanimitate, quæ regem & suam uxorem emendant in regimine: coque eos donec fiant nigri, deinde albi, postea rubei & tunc fit venenum tingens in aurum. Æs enim nostrum primo, quo magis coquitur magis solvitur, & fit aqua magis spiritualis; secundo quo magis coquitur magis in pistatur, & sic pulvis albioris coloris; tertio quo magis coquitur magis coloratur, & fit tincta majoris rubedinis, & tota hæc operatio non est nisi extractio aquæ à terra, & ejusdem super terram remissio. Igitur aqua tota exhausta & in terra contenta per quosdam dies id est per sexaginta, in suo vase super lenem ignem dimitte putrefieri, donec pretiosissimus ei color albus desuper appareat; sit autem calor lenis usque ad albedinem, quia si calor intentus irrepserit vaporem nigrum facit & album fugit compositum, nam vapor ille albus est, igitur si figitur cum ære dealbat ipsum intus & extra, si vero fugit ab ipso vertitur in rubeum quod non prodest. Et certe in putrefactione spiritus desiccantur in illo, quandoquidem nisi desiccentur cum ære non apparebunt colores animæ, quia putrefactio non est nisi mortificatio humidi cũ sicco humidum namque cum coagulatur per siccum, algor tum solum humidum putrefacit, sed nostra putrefactio non fit absque humido & sicco, eo quod humiditas siccitate tantum continetur. Quamvis autem humidum frigidum naturaliter fugiat ignem, à corpore tamen retinetur quod fugere nequeat, quoniam non possunt gravia nisi levium consortio superius elevari, nec levia nisi gravium consortio detrudi inferius, & utrumque est initium operis & finis. Adsit ergo diligens administratio, absit incontinens expectatio, revertatur omnium declaratio & sic eveniet tua desideratio. Rege ergo operationem continue, coque sine intermissione, noli festinare, nec ab opere cessare, quia nisi humiditas uteri & calor esset continuus, sperma non maneret nec fœtus perageretur, nam moriente matre moritur & fœtus propter imminens frigus. Deus igitur illum sanguinem & calorem uteri constituit ad nutriendum fœtum usque ad tempus nativitatis; sic oportet te continuo calore opus regere usque ad albedinem, nam in albo tantum colore spiritus uniuntur cum corpore quod fugere non possint, quare incipit tunc vivere, nec sibi nocent alieni flatus, nec deterius ad rubedinem possit procedere: Nota hic intime de nutritura per ignem suavem valde, circa quod sit calor ignis sicut ovorum sub ventre gallinarum. Balneum igitur intensi caloris petire facit, frigidum vero fugat, sed temperatum fovet & conservat, idcirco oportet suaviter regere sicut pro ovorum exclusione quousque totum fuerit album: quare præcipitur dealbare latonem & rumpere libros ne corda rumpantur, terra autem cum aqua putrescit & mundatur, quæ cum desiccata fuerit nigredo recedit & dealbatur. Tunc peribit tenebrosum mulieris dominium, & tunc vir ascendens super mulierem auferet ipsi regnum, tunc fumus penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in sicco, tunc cessabit nigrum corrumpens deformativum & fiet album, lucidum, clarum; quia calor agens in humido generat primo nigredinem, sic agens in sicco generat albedinem, & in albo citrinitatem: exemplum sit in ligno accenso cum faciunt eum carbonem, sic & lapidis nostri substantia, primo quo magis coquitur eo & magis solvitur & denigratur, secundo quo magis desiccatur eo & magis dealbatur, tertio quo magis coquitur tanto magis rubificatur quousque perficiatur. Res ergo cujus caput est rubeum, pedes albi, oculi vero nigri est magisterium. Quod autem sit necessarium opus primo denigrari, probatur per hoc, quod generatio unius non fit nisi per corruptionem alterius, & corruptio non fit nisi per putrefactionem & calorem in humido agentem, & calor agens in humido efficit nigredinem, quare liquet quod principium operis nostri est caput corvi; ipsum similiter putrefieri est necessarium, quia nihil unquam fuit natum, nec crescens, nec animatum, nisi primo in putredinem abierit. Si enim putridum non fuerit, fundi non poterit, neque solvetur, si vero solutum non fuerit ad nihilum redigetur, liquet ergo quod necessaria est nobis putrefactio ad omnem generationem: nostra tamen putrefactio non est sordida neque immunda; sed est commixtio terræ cum aqua, & aquæ cum terra per minima donec totum fiat unum corpus. Coque ergo masculum & uxorem simul quousque utrumque coaguletur in siccum, quia nisi fuerit siccum, colores diversi minime apparebunt, eo quod erit semper nigrum dum humidum dominatur. Ideo orificium vasis diligenter claudens, coque ad ignem donec totum vertatur deorsum, tunc fit draco alas suas comedens, & tunc diversos emittit colores. Multis siquidem modis vicibusque diversis movebitur de colore in colorem, donec ad firmam deveniat albedinem, nam omnes mundi colores apparebunt cum denigrans humiditas fuerit desiccata, verum de illis coloribus non cures, quoniam non sunt veri colores, nam pluries citrinescit & rubescit, pluriesque desiccatur & liquescit ante veram albedinem. Spiritus tamen non figitur cum corpore nisi in albo colore; quare liquet quod dealbatio expectanda est temper, cum ipsa sit totius operis complementum, nec variatur postea in colorem verum præterquam in rubeum. In unoquoque igitur gradu inspicias qualiter aqua coagulat seipsam, & quomodo de colore in colorem mutetur compositum, quia si regatur nescienter suorum colorum nihil videbitur, & sic sæpissimê deflebis laborem tuum, eo quod minimè scire poteris in quo gradu moderandus sit ignis, qui sciri nequit nisi per colores in opere apparentes. Colores itaque te docebunt quid facias de igne, ipsi namque ostendunt quanto tempore & quomodo ignis primus, secundus & tertius est

faciens

faciendus,unde ſi diligens fuetis colores te docebunt quid fieri oportreat. Nota igitur bene de igne & ſuis proportionibus in ſuis gradibus, quia ſemper ignis in ſolutione & coagulatione erit lenis, in ſublimatione mediocris, & in rubificatione fortis, verum quanto magis variantur colores, tanto magis ignis lenis eſt continuandus, donec ad metam deveniat albedinis: nam ad album non mittimus ignem multum eo quod ipſum eſt frigidum, crudum & ſemicoctum. Sit ergo ignis lenis in dealbando,ut figatur vapor cum ſuo corpore, alioqui ſi intenderis ignem, ante terminum fit rubeum quod non prodeſt, eo quod rubeum ex multo albo & pauciſſimo nigro cum calore magno eſt compoſitum. Si igitur ignem bene menſuraveris, & operationem parce rexeris, ad colorem album primo devenies,& cum fuerit album,tunc ignem accendes fortiorem: afferto autem ſuper ipſum ſubtus & ſupra calorem ſiccum per ſpatium aliquot dierum, ut totum figatur deorſum, & nihil exaltationis ſpiritus aſcendat ſuperius, quod eſt ſignum perfectæ fictionis, tunc fugiens non avolabit à non fugiente quamvis ſit ignis actuans; quia magneſia cum dealbatur ſpiritus fugere non permittit,nec æris umbram apparere non urentis, nam ipſum eſt ſulphur fixum album quod omne corpus tingit & perficit ac in verum convertit argentum. Unde ſi fuerit argentum vivum purum coagulabit illud vis iſtius ſulphuris albi in argentum, & illud eſt res optima quam recipere poſſunt operantes alchemiam, ut convertat illud in argentum, quia natura tunc continet naturam, & vero matrimonio copulantur ad invicem, verum non eſt niſi una ſola natura, quæ in unoquoque gradu ſuarum operationum in aliam vertitur naturam, eo quod natura lætatur, naturam continet; docens ipſam prælíari contra ignem, nec ſunt tunc diverſæ ut prius, verum eſt una tantum natura, habens in ſe naturas & res omnes quibus ſibi ſufficit, ideo uno ordine incipitur opus & finitur. Duplex tamen modus compoſitionis, quia unum eſt humidum, alterum vero ſiccum,cum autem coquuntur fiunt unum, & unum non dimittit alterum, & bene quidem; quia humidum faciliter impreſſionem ſuſcipit & facile dimittit, ſiccum verò graviter impreſſionem recipit, & graviter dimittit, ideo cum humidum & ſiccum contemperaverunt ſe ad invicem, adipiſcet ſiccum ab humido facilem impreſſionem, & acquiret humidum à ſicco ut firmiter retineat impreſſionem, omnem ſuſtinens ignem,unde propter humidum prohibetur ſiccum à ſua ſeparatione, & propter ſiccum prohibetur humidũ à ſua fluxibilitate. Exemplum hujus eſt opus ſiguli qui ligans terram cum aqua coquit ad ignem ut unum non dimittat alterum: ſic facito & magiſterium noſtrum, diſponens ſubſtantiam terream per humiditatem & caliditatem donec conveniant & conjungatur, & non diſcrepent nec dividantur. Nota ergo ue duabus virtutibus operativis de aqua ſcilicet & igne, in quibus completur opus: tunc ergo adjunge eis duas virtutes operativas, aquam videlicet & ignem, & complebitur magiſterium, quia ſi permiſeris aquam ſolam, dealbabit, & ſi adjunxeris ignem rubificabit. Nota etiam bene quod opus album in tribus completur rotis, in quibus non eſt ignis; rubeum vero in quatuor, in quibus minime differri poteſt Album igitur tribus completur rotis in quibus non eſt ignis, rubeum vero quatuor rotatur rotis, & hoc quidem elixir quod tingit tinctura ſua, conjungitur oleo ſuo & figitur calce ſua, & oleum quidem eſt conjungens & aggregans inter calcem & aquam,aqua tamen eſt deferens tincturam ſuper calcem ſuam, & quando figitur calx figetur & aqua cum eo propter vehementiam commixtionis. Anima eſt vinculum ſpiritus ſicut corpus eſt vinculum animæ; nec eſt hoc vinculum ſicut naturæ vinculum, ſed velut compoſitum, quia compoſitio naturæ eſt per ingreſſum contrariorum, & compoſitio noſtra eſt per fixationem compoſitorum, & tunc corpus eſt cauſa retinendi aquam, & aqua oleum quod non incenditur ſuper ignem, & oleum eſt cauſa tenendi tincturam, & tinctura eſt cauſa faciendi apparere colorem, & color eſt cauſa demonſtrandi albedinem,&albedo eſt cauſa retinendi omne volatile à fuga Nam corpus cum dealbatum fuerit ſpiritus fugere non permittit,nec nigredinem ulterius apparere. Qui igitur non liquefacit & coagulat multipliciter errat, quare denigra terrã ſeparando ejus animam, poſtea fac reverti aquam ſuper terram dealbando totum & habes magiſterium, nam qui terram denigrat, & album igne diſſolvit & coagulat, donec fuerit in colore ſicut gladius denudatus, & tenebris liberabitur,& qui dealbatione completa animam inducit, totumque poſt liquefactum fuerit, & in rapido igne figit, felix dici merebitur & ſuper mundi circulos exaltari. Jam didiciſti,clariſſime,album opus facere, nunc ergo rubeum facere nequibis, quia nemo poteſt devenire à primo ad tertium, niſi prius fuerit in ſecundo. Sic de nigro non poteris devenire ad citrinum niſi per album, eo quod citrinum ex multo albo & pauciſſimo nigro eſt compoſitum; quoniam ſicut annus dividitur in quatuor partes, ſic & opus noſtrum benedictum: primum enim eſt hyems, tempus humidum & frigidum,ſecundum eſt ver ſiccum & floridum, tertium eſt æſtas tempus calidum, quartum eſt autumnus tempus fructuum. Hac diſpoſitione tingentes rege naturas, donec naturæ fructum adferant ad libitum: verum hyems jam tranſiit, imber abiit,nos receſſit,dies autem appropinquavit:nam flores apparuerunt in terra noſtra tempore veris, ſed ſuper albam roſam ſtantes Solem quærimus, quoniam ipſa tantum ſortitur effectum corpora quæque ægra in verum convertendi argentum. Cum igitur videris illam albedinem apparentem & in omnibus ſupereminentem,ratus eſto quod rubor in illa albedine occultus eſt, & tunc non oportet illam albedinem extrahere verum quouſq; fiat rubeum Et certe rubeum quo magis eſt rubeum,eo magis valet,&quod magis eſt coctum,magis eſt rubeum, ergo quod magis eſt coctum magis valet,& ſic per conſequens quod maxime,& jam minimè.Et certe color rubens cauſatur ſolum ex cõplemento digeſtionis, nam ſanguis non generatur in homine niſi prius diligenter coquatur in hepate: ſed de mane cum nos videmus urinam noſtram album ſcientes nos parum dormiviſſe redimus ad lectum, ſomno autem recepto completo digeſto, & urina noſtra citrinatur; ſic per ſolam decoctionem poſt albedinem, devenies ad rubedinem, errare ſiquidem non poteris, ſi ignem ſiccum continuaveris ſuper ipſum. Nonne vides quod ſperma non generetur ex ſanguine, niſi coquatur prius diligenter in hepate quouſque intenſum habeat rubo-rem,& niſi ita fieret nihil ex illo generaretur ſpermate. Similiter & æs noſtrum album niſi diligenter coquatur non rubificatur, & certe ſolus calor hepatis rubificat chylum hepatis, & ſolus calor ignis accenſus rubificat ſulphur album, nam prima digeſtio ſtomachi omnia dealbat; ſecunda vero hepatis omnia rubificat, quia in ſolo hepate viget calor, ſicut in ſtomacho viget ficcitas. Igne igitur ſicco & calcinatione ſicca decoque ſiccum donec fiat ut cibarium, id eſt purpureum, cui de certo nequaquam impones aquam nec aliam rem uſque quo ad completum decoquatur rubeum,nam tempori æſtatis & fructuum inundatio pluviarum corrum-

pi

pit magisterium, quare oportet sicco igne ipsum comburere, absque timore, donec rubicundissimo vestiatur colore. Noli ergo cessare quamvis rubor aliquantulum tardaverit apparere, nam igne augmentato post albedinem ex primis coloribus habebis rubedinem, medio tamen tempore inter illos colores apparebit citrinum, sed ille color non est stabilis, quia post illum non moratur rubeum venire, quo eveniente certus esto opus tuum esse completum, quoniam habebit tunc convertere mulierem in masculum, & omne incompletum in Solem verum. Quare dicit philosophus: Si fuerit sulphur mundum optimum cum rubore clarum in se habens vim igneitatis simplicis & non urentis, illud est res optima quam recipere possunt operantes alchemiam, ut cum ea faciant aurum. Hoc enim argentum vivum omne corpus imperfectum convertit in aurum, quare manifeste liquet, quod istud solum est verum sulphur nostrum album & rubeum quod quærimus, quo in quolibet corpore ringimus in verissimum argentum melius quam de minera productum. Cum ergo duxeris unamquamque speciem ex partibus operis sicut ostendimus ea dirigere, tunc reduc spiritus ad illud, & sublima totum: quoniam sublimabitur lucidum clarum impermixtibile elementis. Et illud quidem est ut accipias partem illius noti lapidis purissimam, & per ingeniorum subtilem conjunge modum per minima & levetur totum, quod si non eveniat addatur ei non fixæ partis quantitas, ut summa volatilis superet summam fixi, quousque ad elevationem illius sufficiat. Nam vidimus in eis quibus usi sumus experientiæ modis, quod quæ cum aqua commiscentur & vehementer permiscentur, si summa volatilis vincit summam fixi quod fixum volabit cum ea, igitur cum elevatum fuerit revertetur illius sublimatio, quousque per hanc sublimationis reiterationem figetur totum. Cum ergo fixum fuerit cum non fixo, iterato parce quantitatem post quantitatem, combibe per ingenium tibi notum quousque fusionem præstet facilem sicut cera: & hæc quidem est medicina stans, tingens, penetrans, consolidans, & perseverans, cujus una pars convertit mille cujuscunque corporis in verissimum aurum vel argentum, secundum quod elixir album vel rubeum fuerit præparatum. Non autem dependet hujus bonitas multiplicationis, nisi ex multiplicata reiteratione sublimationis & fixationis medicinæ hujus, quoniam quanto hujus complementi ordo reiteratur pluries, tanto & ipsius exuberantia multiplicatur magis & augmentatur bonitas perfectionis illius maxime, quousque omne corpus à perfectione diminutum atque etiam argentum vivum mutet in infinitum Solificium vel Lunificium verum. Nam quoties more solito sublimaveris medicinam perfectam & solveris, toties lucraberis omni vice projiciendum unum super decem; & si primo ceciderunt super mille, secundo cadet super decem millia, tertio super centum millia, & quarto super mille millia, ac quinto super infinitum. Quanto igitur elixir magis subtiliatur tanto plus tingit, ideo in quantum elevaveris tuum opus, in tantum plus valebit, quia abundantius operabitur & majorem quantitatem convertet, & hoc certe est quod dixit Geber, qui fuit magister magistrorum in nostro magisterio: Operare cum lapide tuo & ego operabor cum meo, & plus valebit lapis meus quam tuus, quia si tu projeceris unum super decem millia, & erit totum bonum, si autem tu projeceris unum super decem millia, ego projiciam unum super decies mille millia, quare plus valebit lapis meus quam lapis tuus, quoniam in trãsmutatione multorum millium transcendit lapidem tuum, hoc autem non dicit Geber nisi ut nos seduceret, quia lapis noster & suus unus & idem est, sed solvebat totum & sublimabat multoties, ita quod unum de opere suo transcenderit decem de nostro. Ideo quanto magis sublimatus fuerit, tanto magis convertendi virtutem habebit, ergo & quod maxime maxime. Non ergo omittas elixir tuum subtiliare, & in quantum poteris alleviare, & certe causa suæ velocis liquefactionis est suarum partium ab igne subtiliatio finalis, nam quidquid ex Mercurio in natura propria ad fixionem deductum magis subtiliatur, magis solvitur, ita quod maxime maxime. Et ideo elixir completum ad ceræ modum citissimam dat fusionem, magis quam aliquod metallorum, ipsum enim non est nisi ex purissima argenti vivi substantia in fixionem deducta, & ex subtilissima materia & mundissima fixa, quæ ab argento vivo sumpsit originem, & ab illo est creata: & id ideo quia cum fugitivum sit argentum vivum de facile absque inflammatione aliqua medicina eget, quæ subito ante ejus fugam illi in profundo adhæreat, & ei per minima conjungatur, illudque inspisset sua fixione & à fuga in igne conservet, convertens totum per suum beneficium in momento in Solem vel Lunam veram, secundum illud quod elixir fuerit præparatum. Si ergo facilis non esset fusionis, non funderetur ante fugam Mercurij, nec retineret ipsum. Hoc igitur secretum nota: si autem de sua non esset natura non adhæreret illi in profundo neque conjungeretur per minima, nam argentum vivum in se non recipit nisi quod suæ fuerit naturæ, neque aliud eum figet, & si mundissimum non esset, non converteret Mercurium neque cætera corpora in aurum & argentum, quia nihil dat quod non habet, cum non inveniatur in re quod in ea non fuerit ante. Liquet igitur medicinam nostram necessario debere esse substantiæ subtilissimæ & purissimæ, adhærentis argento vivo ex natura sua, & facilimæ & tenuissimæ liquefactionis, ad modum aquæ fixæ super ignis pugnam, quia hæc ipsum coagulabit & in naturam Solarem vel Lunarem convertet. Jam ergo nostram complevimus medicinam, in caliditate & frigiditate, humiditate & siccitate æqualiter temperatam, unde quicquid illi apponitur fit ejusdem cum eo complexionis cui apponitur, ut si aquam illi apposueris totum solvetur in aquam, si vero ignem totum erit ignis: & hæc est causa quare multiplicari potest medicina in infinitum. Propterea est sicut ignis in lignis, & sicut muscus in aromatibus bonis, eo magis crescens quo magis usu fuerit conculcatus: quare oportet te partem relinquere omni tempore quoniam ditatus es ab illa, sicut qui habet ignem ditatus est ab ipso. Nota ergo intime de multiplicatione elixirij. Multiplicatur autem sive per solutionem, sive per fermentationem, sed per solutionem tardius, per fermentationem vero citius nostra augmentatur medicina, eo quod soluta non bene operatur nisi prius in suo figatur fermento. Abundantius tamen multo operatur medicina soluta quam fermentata, quoniam magis subtilis est, licet etiam per solam fermentionem possit multiplicari in infinitum, idque ideo quia fermentum reducit sibi appositum ad suam naturam, colorem, & saporem per omnem modum, nam confectionem dealbat, combustionem inhibet, tincturam continet, non fugitat, corpora leviat, & se invicem ingredi facit & conjungi, quod finis est operum, & sine illo elixir non peragitur, quemadmodum nec pasta absque fermento fermentatur.

Idcirco

Idcirco cum elixir sublimando fixaveris, reducas super ipsum apparatum corpus & commisceatur ac liquefiat per secretum naturarum in vase philosophico, nam cum steterint per moram temporis vincet fortius illorum, convertens totum in spiritum sibi similem & ipse cum potens sit super vinculo non stat. Hic nota de desponsatione spiritus cum corpore à quo extrahebatur in principio suo. Conjunge ergo ipsum ut generet sibi simile corpus, nec conjuges eum cum quovis alio ut convertat ad se, nisi cum eo de quo fuit in principio, si feceris hoc fiet elixir aliorum id quod fuerit conjunctum. Ratio autem quare deceat conjungi cum suo simili est, quia sulphura sulphuribus continentur, & humida simili humiditate, nam spiritus convertens sulphura in spiritum sibi similem factus est uterque fugiens, & spiritus ëë ei in ëë a simul scandentes se diligunt. Videntes igitur Philosophi quod illud non fugiebat cum fugientibus, fugiens factum iteraverunt ad simile corpus non fugiens, & intulerunt in idipsum à quo fugere minime potest, propter propinquam naturæ suæ convenientiam. Nota ergo hoc esse verum de ingressione spiritus in corpus. Anima certe corpus suum citius ingreditur quam si in aliud mitteretur; quod si immittere studueris, in vanum laboraveris, quoniam non erit communicatio tenebræ & lucis, ad corpus ergo simile corporibus ex quibus extracta sunt ipsa reverterunt, & peracta sunt. Quia si tingens & tingendum una tinctura facta sunt, non putas ergo illud quod tingit & non fugit veram esse tincturam Philosophorum? Quia autem sulphura tingunt & non fugiunt si simili argento vivo sui generis juncta sint, ideo oportet ipsum admisceri argento vivo albo vel rubeo sui generis & continere ne fugiant, quare jubemus argentum vivum commiscere argento vivo, quousque una munda aqua fiant ex duobus argentis vivis composita, verum in conjunctione eorundem pones parum de opere super multum de corpore, ita quod habeat apo eorum etiam convertendi illud in medicinam, alias eorum verteretur in spiritum sibi similem. Si autem projeceris parum operis super multum corporis, puta unum super quatuor alterius fiet in aliqua mora temporis pulvis, cujus color erit albus vel rubeus secundum quod fuerit fermentum super quod projecisti, & hic quidem pulvis elixir est completum. Et certe elixir debet esse pulvis simplex, & de melioribus hujus seculi, & corpus ac fermentum quod sibi misces debet esse pulvis subtilis. Nota hic quod dicit unum de opere super quatuor de corpore, & erit opus simul solutum per se & antequam sunt jungantur, quia non facies omnimodam eorum commixtionem, donec unumquodque separatim solvatur in aquam, eo quod qui deficcat antequam imbuat non conjungit per minima, nec omnino subtiliat, plenius quippe est separare unum à terrâ quam ab aqua. Nota igitur quod quando corpus solutum fuerit in aqua, quod nunquam disjungitur ab aqua sua, sed quando aqua miscetur cum aqua, tunc aqua recipit aquam quæ nunquam separantur ab invicem. Ideo si fueris hydropicus bibe multum de dicto illo & sanaberis. Nota de croco & de multiplicatione medicinæ. Unaquæque tinctura in millesima parte plus tinget in liquida substantia quam in sicca, ut patet de croco cum ponitur in liquoribus, si in siccis projiceretur parum tingeret, sed si solutus cum pauco jungatur, & hoc paucum cum multo tinget in infinitum. Sic ergo facies projectionem, primo multiplica decem in decem & erunt centum, & centum in centum, & erunt millia decem, & decem millia in decem millia, & erunt centum millia, & mille millia in mille millia, & erit numerus innumerabilis, hoc est dicere, pone unum super decem, & unum eorum super centum, & unum eorum super mille & sic de cæteris similiter. Iterum secundum alterum philosophum, pone partem unam super decem metalli præparati, & hujus unam partem super centum, & convertetur conversione fixa atque durabili, si Deus voluerit. Si autem una vice & prima pones unam partem super mille partes, timendum esset ne præ nimio calore consumeretur & exhalaret antequam penetrasset & confectum esset, cum autem ponis unam super decem, cito penetrat & miscetur, unde non est necesse frificare ignem, neque continuare sed cito debet deponi: cum autem infrigiditatum est, jam illud se tenet cum illo & adhæret ei, propter convenientiam naturæ, quare si dehinc partem unam super centum projicias, retinetur substantia lapidis ab eo cui mixta est, adhærens ei donec totum transmutaverit. Cum oleis ergo misce argentum vivum præparatum, non quod sit materia omnium metallorum, sicut quidam affirmant, & multi putant, sed quod per frigiditatem teneat medicinam super ignem donec nisi aurum exhaleat, custodi ergo illud & eris fortunatus in terra. Causa autem eorum omnium est triplex bonitas nec sitis, & perfectio bonitatis causa ut perfectius & abundantius tingat ut melius perficiat, & plurima conficiat; necessitatis causa ut melius coloretur, ut melius figatur, ut sibi simile generet aurum vel argentum, perfectionis autem numerus perfectus est denarius, centenarius & millenus. Ideo de primo ad ultimum facies projectionem, nam si ita parvus simpliciter dimicaret contra ita magnum superaretur ab eo propter sui paucitatem. Nota in sequenti de fundamentis medicinæ: Omnia medicinæ nostræ fundamenta sunt multum subtilianda & tingenda, quia quanto plus subtiliantur tanto plus elixir tingitur, tantoque abundantius operatur, ergo & quod maxime. Ideo ad solutionem pone solutionem, & solutioni immitte defunctionem, &. pones totum ad ignem, custodi summum præcavens ne fugiat aliquid ex illo. Regimen autem totum est in tempetie ignis, itaque morare prope vas & intuere mira quomodo movebitur de colore in colorem in minus quam in hora diei quousque perveniat ad metam albedinis vel coloris, id est citrinitatis, quoniam citissime liquefiet in igne, & congelabitur in aere, quia fumus cum sentiet ignem, penetrabit in corpus, & spiritus constringetur in sicco, eritque corpus unum fixum clarum, album vel rubrum secundum quod fuerit medicina & fermentum. Tunc de igne deme dimittens refrigerari, quia unum ipsius pondus projectum super mille cujusvis corporis impefecti habet illud convertere in optimum aurum vel argentum, secundum elixir quod fuerit projectum. Verum medicina alba, album elixir fermentum, sicut rubea, rubeum, quia in opere rubeo nihil intrabit nisi rubeum, sicut in opere albo nihil intrabit nisi album: ideo quod facis in albo, fac & in rubeo, quia una, & eadem est operatio amborum, sed complificans tincturarum & spirituum est illorum fermentum, hinc liquet quod qui argentum vivum album ignem patiens argento mero, id est puro non conjungit nullam eligit viam ad albedinem, qui vero argentum vivum rubeum ignem sustinens non conjungit, auro mero, id est puro, nullam viam eligit ad rubedinem. Non ergo fatiget corpus suum in his ad quæ pervenire non poterit, quia nec sibi, nec alteri, nec mundo proderit, donec major in sublimi naturæ mobili quieverit in incorruptum quasi non corruptum. Nunc totius operis recapitulationem subnectimus. Quia igitur nimius sermo intellectum mentis obruit & errores augmentat, ideo sub brevitate sermonis

totum

sermonis totum hujus complementum operis narremus. Et est, ut sumatur lapis sufficienter notus, & cum operis instantia assiduetur super ipsum perfectio sublimationis, ut mundetur per hoc intime, & subtilietur lapis donec in ultimam subtilitatis partitatem deveniat, & ultimo volatilis fiat, & hic quidem est primus gradus administrationis. Ab hinc vero cum fixionis modis figatur donec in ignis asperitate quiescat: fit autem opus Lunæ nimis album, opus vero Solis nimis rubeum, quia album est opus hyemis, & rubeum æstatis, ideo majori partium sublimatione indiget, per modos proprios in majori decoctione digestos, donec rubicundissimum assumat colorem, & in hoc uno secundi gradus perfectionis meta consistit. Sed in tertio gradu est totius operis complementum, & est ut jam fixum lapidem cum modis sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum solutum, & solutum iterato fixum quousque fluat & alteret in complemento Solifico vel Lunifico certo, quoniam ex reiteratione præparationis hujus tertij gradus, in medicinam resultat alterationis ac bonitatis multiplicatio, ut unumquodque imperfectorum corporum convertat in infinitū, in Solem vel Lunam veram. Præterea etiam virtutem habet efficacem omnem sanandi infirmitatem super omnes alias medicinas, nam lætificat animum, virtutem augmentat, conservat juventutem, & renovat senectutem, quoniam non permittit sanguinem putrefieri, neque phlegma dominari, neque choleram super exaltari, imo sanguinem supra modum multiplicat, contenta in spiritualibus purgat, & omnia corporis membra conservat, & generaliter tam calidas quam frigidas citissime curat infirmitates præ omnibus medicinis, quoniam si ægritudo fuerit unius mensis, eam uno sanat die, & si unius anni, sanat diebus duodecim, si vero antiquior & multi temporis, sanabit uno mense, & omnes malos expeller humores, bonosque inducet. Confert & amorem eorum quibus offertur, deferentibus securitatem, audaciam, & in palatiis victoriam. In hoc completur secretum secretorum naturæ maximum, quod est super omne hujus mundi pretiosum pretiosissimum.

Rosarium Abbreviatum *Ignoti, è Manuscripto vetustissimo.*

Adverte, carissime, quod quæ sequuntur verissima sunt intelligentibus. Prima præparatio & fundamentum artis est solutio, id est corporis in aquam reductio, hoc est in argentum vivum; & hoc vocarunt Solutionem, cum dixerunt: Solvatur autem quod in corpore, Magnesiæ est occultum, ut in suam primam materiam reducatur, ut fiat sulphur & argentum vivum non ut revertatur in aquam; quia nostra solutio non est aliud nisi quod corpus revertatur humidum, & resolvatur in naturam argenti vivi, sulque salsedo sulphuris minuatur, quod sulphur divinum, à duobus sulphuribus abstractum, fit cum spiritus obviat corpori. Secunda præparatio est cum aqua transit in corpus, quod unum non solvatur nisi alterum coaguletur, eo quod corpus argentum vivum concipiens coagulat ipsum, & coagulatur ab ipso, & fit terra. Istud est verbum opinionis, de quo dicunt Philosophi: Aqua de terra procreatur, quia aqua fit terra cum vincunt eam terræ qualitates, & terra fit aqua cum vincunt eam aquæ qualitates; fit enim solutio corporis & coagulatio spiritus, ut unam habeant operationem, & fit æs unum, cui nihil extraneum apponitur, nisi quod in præparatione superflua removentur cum apparatu. Tertia præparatio: aratur terra & rigatur, & in igne & aqua nutu Dei peragitur, & istud est tertium verbum hujus operis, dicunt enim Philosophi: Terra cum aqua putrescit, & mundificatur, tunc Dei auxilio magisterio relicto finire continuare, quia terra non germinat absque frequenti irrigatione, & absque præmissa exsiccatione; & hoc sciunt cum pueritum & mulieres, femina & fructus suos in hortis ad perfectionem ducentes: ideo Philosophi dixerunt: Naturæ operatio non est nisi opus mulierum, & ludus puerorum, & ideo toties corpus imbibitur, quoties per vices desiccatur, quia omni ponderi pondus, & omni mensuræ modus, & omni operi opus est adhibendum, & nunc recta putrefactio Philosophorum sequitur, & eorum putrefactio non est nisi mortificatio humidi cum sicco, eo quod humiditas tantum siccitate detinetur, & quamvis humidum fugidum fugiat ignem, tamen retinetur à sicco, quod fugere nequit, quia non possunt gravia nisi levium adjutorio superius trahi, nec levia nisi gravium consortio detrudi nisi cum scorpione. Quarta præparatio: gaudet natura cum natura, nam cum natura lætatur, natura naturam vincit, nam naturam continet, nam naturam sequitur & amplectitur, & nutu Dei opus perficitur, & istud est quarrum verbum hujus operis, & potest dici sublimatio seu assumptio, de qua dicunt Philosophi. Ipsa aqua efficitur aërea, cum prius esset inspissata & congulata cum terra, & hoc obviatione sui scilicet propinqui, & ideo natura cum natura gaudet & lætatur, quia continentia ipsius est ejus propinquitas, quia tanta est propinquitas inter naturam & naturam, quanta est inter adamantem & ferrum, atque etiam major, quia radice sunt una & non plures, virtute quoque, quia spiritus est alterius corporis mortificatio, morte imperceptibili, & ideo natura vincit naturam, mortificando scilicet corpus & vivificando, quod ex ipso radicaliter fuit, & in ipsum convertitur, augmentatur & multiplicatur, & extrahit Deus ex uno plura, & ideo natura naturam continet, & naturam sequitur completurq; nutu Jesu Christi. Quinta præparatio: noster spiritus est delator virtutum animæ, eo quod æs nostrum ut homo habet spiritum, corpus, & animam; & istud est quintum verbum hujus operis, de quo dicunt Philosophi, Spiritus enim ejus est aqua, anima ejus est tinctura, corpus ejus est terra, spiritus tamen est spiritus: & sicut corpus est vinculum ipsius animæ, sic corpus est fixum siccum, continens spiritum & animam, spiritus igitur penetrat corpus, figitque spiritum corpus, anima copulat, dealbat & tingit. Sexta præparatio: variatur & mutatur de colore in colorem, quousque perveniat ad metam albedinis & ruboris, de hoc dicunt Philosophi pluries citrinatur, pluriesque nigrescit, & pluries desiccatur & liquescit. Nota quod lapis Philosophorum est compositus ex duabus naturis, quarum una est humida, altera vero sicca, & cum coquuntur fiunt unum, quia neutrum relinquit alterum, & dicuntur una natura, & quamdiu humiditas dura nigrescit, quia

calor agens in humido generat primo nigredinem, & agens in sicco generat albedinem, & in albo citrinitatem, sicut apparet in plumbo, quando facimus minium. Nota quod humiditas nostri lapidis est acetum acerrimum, de quo summe est cavendum, ne convertatur in fumum propter nimium ignem & pereat magisterium: terra namque siccata recedit nigredo & dealbatur, tunc perit tenebrosum & humiditas diminuitur, & siccitas accedens aufert sibi suum regimen, & fumus penetravit suum corpus, & spiritus stringitur in sicco, & tunc cessabit nigrum comperiens deformatum, & fiet album lucidum clarum: tunc candida mulier si rubeo sit nupta marito, mox eum amplectitur, & complectitur; & tunc rex diademate coronatus clamat: Ego sum albus filius, niger & rubeus, & filius albedinis, & homo mutationis, & ideo dicunt Philosophi: Coquite eos donec nigri fiant, deinde albi, deinde citrini, & deinde tingens fiant venenum, quia quanto magis coquuntur tanto magis dissolvuntur & denigrantur, & quanto magis coquuntur tanto magis deliccantur, & dealbantur. Tertio quanto magis coquuntur, magis rubificantur, quousque perficiatur. In dissolutione tamen ignis sit lenis, in sublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis. Qui verò in istis nesciendo erraverit, casum sæpissime deflebit, res ergo cujus caput est rubeum, pedes albi, oculi verò nigri est magisterium. Si triangulus in quadrangulo perficitur est tum lapis honore decoratus. Septima præparatio: multiplicatur & perficitur lapis benedictus, quando summa fixi fixatur cum eo quousque fiat, & ideo Philosophi dixerunt, quod jam fixum lapidem cum modo sublimationis volatilem facias, philosophice conjungendo per minima, ut elevetur totum subtile in vasis, deinde fixetur, quod si non eveniat, addatur ei non fixæ partis quantitas, ut summa volatilis superet summam fixi, quousque ad elevationem ipsius sufficiat: nam si vincit summam fixi volabit; & si non vincit, fugiet cum re. Igitur quod elevatum fuerit reiteretur illius summam tum per vicem, quousque per hanc sublimationem & congelationem figatur totum, cum autem fixum fuerit totum, tunc non fixi partem reitera, & quantam prius quantitatem imbibe, per ingenium tibi notum quousque elevetur totum. Ad ultimum iterato figatur quousque fusionem præstet facilem ad modum ceræ, & alteretur in complemento Solifico & Lunifico. Ita quantum ex reiteratione ipsius præparaveris tot gradus in medicinam resultant alterationis & bonitatis à multiplicatione, ut unumquodque imperfectorum corporum & ipsum quodque Mercurium convertat in infinitum in Lunificum & Solificum verum. Et ideo concludendo debent Philosophi morari propè vas, & intueri mira, quando se de colore transmutat in colorem meliorem, quam dici queat, quousque veniat ad metam albedinis & roboris. Tota ergo gubernatio in regimine hujus operis est in temperamento ignis. Inde cessa ignem & dimitte refrigerari & invenies lapidem, corpus margaritale in colore papaveris silvestris, & ista res est incerans, liquefaciens & penetrans, & cadit unum pondus super mille millia, & ducentas vices mille, continuo convertens totum corpus in optimum aurum vel argentum, secundum elixiris proprietatem. Ista autem medicina citissime liquefiet in igne, & congelabitur in aere, quia fumus cum senserit aerem, penetrabit in corpus & spiritus constringetur in sicco, & fiet corpus unum fixum, clarum, album, vel rubeum, sicut fuerit medicina & fermentum, quam diu mundus steterit incorruptibile. Pro conclusione: nota quod argentum vivum, plumbum, æs, minium, sulphur, non sunt vulgi, sed sulphur nostrum est sulphur divinum, à duobus sulphuribus extractum, quod dicitur sulphur de sulphure, & argentum vivum de argento vivo, à Philosophis appellatum acetum acerrimum: & ipsa duo, scilicet sulphur & argentum vivum, realiter & essentialiter sunt in prædicto aceto, id est, in prædicta humiditate nostri lapidis est una natura in suis lapidis. Aurum vero & argentum, plumbum, minium & æs, & hujusmodi essentialiter & realiter continentur, & sunt in corpore physico vulgari, & proprium ejus nomen in prædictis septem propositionibus duplicatis reperies. Ideo qui habet aures audiendi, audiat, & qui habet oculos videndi videat lapidem in septem propositionibus notum, & laudet Deum.

Explicit Rosarium abbreviatum ignoti.

SUBSECTIO QUARTA.

Guidonis De Montanor Philosophi Galli

SCALA PHILOSOPHORUM.

VT dicit venerabilis Raymundus Lulij: Intentio naturæ ad faciendum nostrum magisterium est, quòd Lapis dividendus est in quatuor elementa, ut quodlibet per se, secundùm exigentiam naturæ possit purificari. Et illa est præparatio rerum quæ præcedit operationem perfectæ præparationis, & propriè dicitur Separatio elementorum, quoniam illa dividit omnes partes impuras à partibus puris, ut cum levioribus & purioribus fiat successivè cum naturali conjunctione nostra perfecta præparatio, quæ fit per reductionem humidi cum sicco, statim & immediatè præparatorum, per beneficium separationis elementorum, aliter humidum non amaret siccum, nec corpus spiritum, si primò non esset bene ab eorum infectionibus lavata cum distillationibus & calcinationibus, solutionibus & coagulationibus. Nam per separationem elementorum crematur salsatura suæ sulphureitatis comburentis, quę veniebat ei per maculam originalem nostri menstrualis, quod est corruptio nostri lapidis. Idcirco terra corporum calcinatur post extractionem æris, ut à sulphureitatibus salsis, & combustionibus sit optimè depurata. Ergo constat, quòd si tunc materia corruptibilis non esset posita per corruptionem lapidis, nunquam oporteret eam purgari.

Et cùm sic necesse est, ut post corruptionem lapidis compositum depuretur ipsius lapidis ab omnibus suis sordibus post separationem illius per quatuor elementa cum distillatione & calcinatione, ante quam

quàm Mercurius conjungatur cùm corpore ad inciendam realem præparationem, quæ est creatio nostri lapidis.

Ideò necesse est, quòd lapis dividatur per quatuòr elementa cum distillatione & calcinatione. Et ista divisio est solummodo, ut substantia lapidis sit fortiter munda, & quòd totum sit purus Mercurius, qui portat in se proprietatem fundendi & fixandi. Tunc quãdo vis corpus dissolvere post suam calcinationem, dissolve illud cum argento vivo, tracto ab ipso purificato septena distillatione. quoniam tunc corpus est multum efficax ad penetrandum, & intrandum per spongiositatem illius sui corporis. Spiritus congelantis beneficio dissolutionis naturæ fixæ & corporis, & mixtionis illius cum argento vivo: & ista, si me intelligis, est solemnis materia dissolutionis, quæ fit cum congelatione spiritus, & sine illo non: sed separationem elementorum non intelligas quòd fiat, aut fieri possit, nisi putrefactione, per quam miscetur spiritus in corpore, & cum suis elementis: & illa est quæ reddit volatilia, sicut apparet in eorum separationibus. Propterea ergo digere, & putrefac elementa in eorũ fimis ad finem, & hoc quando erit bene digestum ad satisfaciendum nostræ voluntati, ut possit bene separare: & postea inhuma, ut res separata possit melius depurari, & efficiatur argentum vivum in forma aquæ claræ. Sed si non dividis lapidem, videlicet substantiam quintam per quatuor elementa, scias, quòd ipsa uniri non poterit naturaliter, nec conjungi cum corpore sicco, si quodlibet eorum non tenet de natura quintæ essentiæ: quoniam illa est commixtio omnium elementorum, & reductio eorum in unam puram substantiam. Et convenit, quòd illa elementa sint bene deputata ab eorum infectionibus. Et dicimus tibi, quòd sulphureitates combustivæ & combustibiles per beneficium calcinationis separentur, & de toto annihilentur ab igne & à terra, & corpus comminuatur & subtilietur multum per talem digestionem, & aquæ depurentur multum ab illorum sordibus cũ distillationibus, & subtiliando vertantur in naturam aëris, per levigationem levitatis. Deinde potes facere conjunctionem masculi cũ fœmina, ut inter se gignãt filium ignis, qui tantus est amore omniũ Philosophorum. Et si me bene intelligis, hîc jacet tota nostra Philosophia. Et hîc notandum, quod in occulto nostri lapidis est caliditas & siccitas, & in manifesto frigiditas & humiditas: quare oportet ejus manifestum occultare, & ejus occultum manifestare: eò quòd caliditas quæ est in occulto, est elementum, oleum quoque est siccum. Hoc enim siccum figit, quoniam siccitas ignis tingit. Illud autem quod est in manifesto, est frigiditas & humiditas. Oportet ergo habere proportionem inter ista, ut frigiditas & humiditas sint contemperata caliditati & siccitati, ita ut non fugiant ab igne. Fac ergo ut humiditas & frigiditas recipiant caliditatem & siccitatem, quæ erant in occulto, ut fiant substantia una. Illa quidem frigiditas & humiditas est fumus aquosus & adustivus, qui corrumpit nigredinem, & ille lapis est alterius virtutis & naturæ in occulto, & alterius in manifesto: sed in integra commixtione est ejusdem virtutis & naturæ: & sic mutatur species in corpus nobilissimum. Deinde fit currens ut oleum, quod est tinctura viva, multiplicativa, consolidativa, colorativa, declarativa, purgativa, perpetuativa & confirmativa. In qua enim compositione sunt opera planetarum & eorum imagines suis locis & temporibus sicut in fœtu operativa? Nam in fœtu primo mense cum semen in matricem recipitur, operatur Saturnus coagulando & stringendo materiam sua frigiditate, & sic in ipsa natura in primam massam coagulatur.

Secundo mense operatur Jupiter digerendo caliditate in quandam massam crudam, quæ vocatur Embrio.

Tertio mense operatur Mars agendo in materia sua caliditate & siccitate, dividens ac sequestrans illam massam, membraque disponens.

Quarto mense operatur Sol, qui nutrit spiritus & incipit vivere partus.

Quinto mense operatur Mercurius, qui foramina & spiracula facit.

Sexto mense operatur Venus: disponit enim & ordinat oculos, supercilia & testiculos.

Septimo mense operatur Luna sua frigiditate & humiditate, laborat ad expellendum infantem, & si tunc nascitur, vivere potest: si verò non nascitur, debilitatur.

Et octavo mense iterum Saturnus operã constringendo, fit fœtus in matrice, & si tunc nasceretur, vivere non posset.

Nono autem mense iterum Jupiter caliditate & humiditate nutriendo, reducit vires fœtui & sic completè nascitur & bene vivit.

Igitur sciendum, quòd tribus mensibus aqua fœtum in matrice conservat. Aër quoque tribus mensibus fovet: ignis verò totidem custodit. Quibus completis, sanguis ejus qui fovetur in umbilico, eo præcisio egreditur ad mammas, ibique candorem nivis assumit. Igitur infanti nunquam patebit egressus quousque aëris flatus exhauriat.

Tunc autem egressus aperitur, & os ejus, & lactatur. Ab istis tribus oportet nos intelligere, & acuto ingenio scire componere & extraliere duo: nam à duobus non extrahuntur tria, sed bene è converso. Unde omnes qui cupiunt hoc scire, acuant ingenia sua ad acquirendum futurum thesaurum ex tribus verbis, in quibus occultatur lapis, in quo etiam occulta est caliditas & siccitas, tinctura & profunditas tincturarum, & oleum calidum, humiditas conjunctiva.

Sciendum, quòd quatuor sunt principalia lapidis nostri regimina, scilicet, solvere, abluere, conjungere & figere.

Solvere est corpora dividere, & materiam facere.

Abluere est inhumare, distillare, ascendere & descendere. Conjungere est impræghare, dealbare & rubificare. Figere verò est fermentare & desponsare. Solutio convertit lapidem in primam suam materiam: id est, suam aquam, ablutio in aërem, conjunctio in ignem, fixio in terram spiritualem & ringentem. Unde Aristoteles: Cùm habueris aquam ex aëre, & aërem ex igne, & ignem ex terra: tunc habebis plenam artem. Quia quatuor elementa sunt, tunc bene & perfectè præparata, & omnia ista magister operis & ignis benefacit in uno solo vase, in quatuor gradibus, scil. quatuor colorum species conversionis, sicut inferiùs dicetur.

Ignis secundùm Avicennam solvitur, ut in Mercurium convertatur, & in quatuor elementa dividatur, ut suam primam originem habeat: & ut sulphur Philosophorum à corpore extrahatur, & argentum vivum mundum habeatur super terram, de illa materia, de qua aurum & argentum subtus terram efficiuntur, ac illa simul conjuncta decoquantur, quousque fiant unum, stans, penetrans & profundans, tingens & permanens: cujus una pars convertit mille millia Mercurij, vel cujuslibet corporis imperfecti in verissimum aurum vel argentum, secundùm quòd Elixir fuerit præparatum. Et hoc admiratus Richardus Philosophus, & filius regis Persarum,

ait: Super omne mirum eſt, quòd uno igne & uno vaſe fit diſtillatio, ſublimatio, mortificatio, calcinatio, dealbatio, rubificatio, fuſio cum ſolutionibus & congelationibus. Et vult dicere de frigido & humido, & facta eſt ejus amicitia cum igne & fit oleum currens, penetrativum, colorativum, perpetuativum, oleum vivum, perſeverativum, color vivus, vivificativus, faciens reſurgere mortuos. Et eſt fermentum ſeipſum imprægnans, ſe concipiens, ſe parturiens. Hæc omnia oportet eos ſcire, qui hanc quærunt artem.

Et notandum, quòd nulla alia eſt in hac ſcientia, niſi iſta ſolummodo: videlicet quòd ſi argentum vivum, mundum, purum, coagulatum fuerit, per vim ſulphuris non urentis, illud erit res optima, quàm recipere poſſunt Alchymiſtæ, ut exinde faciant eorum aurum, ut dicit Ariſtoteles quarto Meteororum. Et ideo concluditur, quòd ſine ſulphure albo non urente nec aurum nec argentum fieri poſſunt: eo quòd ſulphur optimum cum rubore clarum, non poteſt ad aurum, niſi primò fuerit album, eò quòd citrinum ex multo albo & permixto nigro componitur. Et ideo tradiderunt primò Philoſophi compoſitionẽ ſulphuris albi ad argentum: & poſtea ſulphuris rubei ad aurum: quia non poteſt fieri aurum, niſi priùs fuerit argentum. Sulphur autem album ex puriſſima argenti vivi ſubſtantia habetur, eò quòd ipſum continet in ſe totum quo indigemus. Ideo oportet artiſtam eſſe conſtantis voluntatis nec pluribus uti, ſed ſolùm complemento intendere. Quia in rerum multitudine ars noſtra perficitur.

Artem autem hanc: quia valde ardua eſt ſcire, doctrinam dare intendimus de ſecretis ipſius: primò de Mercurio & ejus aquâ, de corpore, ſpiritu & anima, & de eorum operationibus, quæ apud quàm plures omnino non ſunt incognitę & occultatę.

Eſt enim aqua Mercurij aqua illa, qua, & non alia uti debemus in tota operatione noſtra. Sed in ejus regimine conſtat totum ſecretum: & ideo in principio oportet te ſcire naturam Mercurij, & ejus regimen, cum quo debitè præparato, totum opus perficitur. Quia Mercurius calefacit & infrigidat, deſiccat & humectat, & facit opera contraria ſecundùm diverſitatem, & modum regiminis ejus. Ergo in ejus regimine conſiſtit totum ſecretum. Ideoque oportet operatorem ejus regimen bene cognoſcere, ſine errore, cùm per eandem operationem non operetur in eodem gradu contraria, quantum eſt ex ſe: ſed contrarietas operationis debet præcedere à ſe ſic diſpoſito, & non ab alio, videlicet per ſublimem ſolutionem & congelationem, & permixtionem ejus aquæ cum aqua Solis, cum Sole purificato, & ante ejus congelationem non operatur, niſi unicam operationem, ut ſi projiciatur ſupra cuprum, tantummodo tingit illud, & non adducit aliam complexionem, quam priùs habuit: & hoc totum quantum ad apparentiam, non quantum ad exiſtentiam: quia per examinationem ignis poſſit fieri ſeparatio tincturæ à corpore, non obſtante tinctura fixa, ſicut Luna ſeparatur à Sole. Sed in vera tranſmutatione cupri, vel alterius metalli requiritur vera colorati, & vera colorantis unio cum colorato & coloratio nis omnium elementorum vera tranſmutatio. Secundus erit coloris fixio, & novæ formæ inductio, ad quam ſequitur coloratio propria.

Ideo principia quæ tradidit Geber, per ea non poteſt fieri medicina vera, nec per dicta Philoſophorum in Turba, ut ego firmiter teneo.

Præterea Turba dicit: quod medicina debet eſſe compoſita ex quatuor elementis, conſiderate ejus complexionem. Ideo turba non loquitur hîc niſi de baſis operibus: id eſt, de fundamento. Sic enim ait Geber: Ubi magis apertè & planè locuti ſumus, ibi magis ſcientiam occultamus.

Quare ſciendum ſecundùm authores, quòd unus eſt lapis, ſi quis errat ab illo uno in principio, tædium ſortietur in fine.

Hoc tamen unum non eſt unum in numero, ſed genere: ſicut maſculus & fœmina ſunt ſufficientes ad prolem procreandum ſine aliquo alio additamento. Et ſic lapis Philoſophorum ex duobus compoſitus ſufficit ad medicinam intentam, ſcilicet ſpiritus & anima, quæ ſunt Sol & Luna: & dicunt quidam quòd his duobus addatur tertiũ, ſcilicet corpus. Nam ſicut homo ex corpore & anima & ſpiritu conſtat: ita & lapis noſter. In hoc tamen ſunt diverſæ opiniones: quidam enim dicunt, quòd alterũ ipſorum eſt ſpiritus & corpus, & decipiunt homines de additione tertij. Alij dicunt, quod tertium dicitur compoſitum ex duobus: quoniam neutris componentium aſſimilatur, & vocatur nomine omni corporum. Alij dicunt quod debet verè corpus his duobus adjũgi: quia fortius erit opus, & in brevi tempore ipſorum operatio finietur. Sed quocunq; modo teneatur opinio, numeris non augetur. Ad evidentiam notandum, quòd Kibric eſt pater Mercurij & omnium liquabilium: & hoc dicitur illud unum, quod eſt carum & vile: argentum verò vivum, quod eſt filius ejus, licet ab eo ſit complexionativè diverſum & extraneum, & ſic ſe habet, ſicut pater & filius, & addatur his duobus tertium, videlicet corpus metallicum, numerus duorum propter hoc non multiplicaretur, nec etiã nomina, eò quòd corpus metallicum ex his duobus eſt compoſitum. Conſtat ergo manifeſtè, quòd ejus compoſitio, quocunq; modo reiteres ex duobus conſtat. Et ſciendum eſt, poſtquam iſta duo conjungũtur, ſemper vocantur uno nomine. Hoc tamen unum quod dicitur æs Philoſophorum nominatur nominibus omnium rerum iſtius Mundi. Et propter hoc toti errant; tum propter multiplicitatem nominum, tùm etiam propter ignorantiam debitæ proportionis. Item quando audis aliquid de fermento Philoſophorum, nihil aliud intelligis quàm corpus perfectum, ſcil. perfectiſſimè mundũ & ſublimatum. Et tamen non credat aliquis, quòd poſſit ſpiritum & animam conjungere corpori, per ſolam contritionem, aut per ſimplicem ſolutionem. Exemplum de argento vivo junctum plumbo, videtur ſibi mixtũ, ſed in veritate non eſt: quia ignis violentia ſeparatur. Quod autem Philoſophi dicunt: Solve & coagula; ſic ſine dubio intelligitur ſolutio corporis & animæ in aquam, & cõgelatio facit animam & ſpiritum corpori commiſceri. Unde ſi propter ſolam ſolutionem & ſimplicem congelationẽ animæ & ſpiritus perfectè conjungeretur corpori, non dixiſſet Philoſophus: Iterum ſolve, & congela, & iterum ſolve & congela, ut acreſcat lapidis tinctura, ſi in congelatione unà jungi potuiſſent. Scito ergo pro certo, quòd quãtò ſæpiùs ſolvitur & congelatur, tantò plus anima & ſpiritus corpori conjunguntur, & retinentur ab ipſo, & ad hoc qualibet vice tinctura multiplicatur.

Et hîc ſciendum maximum arcanum, quòd lapides rubei & albi, facti ex aliarum rerum elementis, poſſunt conjungi cum Elixire perfecto, & tunc addunt ad ejus tincturam & non aliter.

Aliud quoque ſecretum, ut fiant aquæ acutæ, cum quibus ſolvitur corpus cum animalibus & ſpiritibus perfecta ſolutione: & poſtea congelatur, Deo donante. Veruntamen omnes partes noſtri lapidis ſunt concreti & coeſſentiales. Hujus autem lapidis operatio multiplex à Philoſophis ponitur.

Quidam

Quidam enim rectificant singulariter, & componunt, postea perficiunt : & ista operatio multipliciter variatur, & est laboriosa ac difficilis & subtilis, ideo multi in ea errant : quoniam adminiculum, id est, adjuvamen illius multa extranea exigit. Veruntamen hujus lapidis operatio est una, linearum, & in uno solo vase perficitur. Ignis tamen non est uniformis in actione totali. Et ideo ut studentibus tractatus iste sufficiat, & proficiat : Dico quòd ignis hujus operis intrans, est sicut calor Solis in Mundo majori. Sol verò tempore Veris est moderatus & levis in calore : aliter verò herbæ quæ teneræ sunt, arefierent & fructus nullatenus perferrent. Est autem iste calor intrans plantas, donec paulatim crescant, & quanto plus crescunt, tantò majus calor Solis gradatim quotidie crescit & augetur, quousque segetes dealbantur, & finito Vere, incipit æstas, & quia tunc Sol fortior est: deinde fortissimus usque ad finem Leonis, donec omnia suam debitam recipiant formam & perfectionem. Et benedictus Deus hæc sua sapientia mirabiliter ordinavit. Simili ergo modo iste lapis regendus est. Dicunt enim quidam, quòd calor primi regiminis debet esse sicut gallinæ cubantis ova sua ad pullos procreandos. Alij autem dicunt, quòd debet esse sicut calor naturalis digerens cibum, nutriens corpus : alij, ut calor fimi, eò quòd calor iste est temperatus : alij, ut calor Solis in Ariete existentis, eò quòd Sol habet ibi principatum & exaltationem suam : quia ibi incipit mediocriter oriri & calescere.

Et propter hoc dixerunt quidam, quòd debemus incipere Sole existente in Ariete, & Luna in Tauro commorante : Quæ quidem omnia ad designandum calorem moderatum circa primam hujus operis actionem dicta sunt. Et quamvis hujus lapidis actio unica sit, scilicet de coctio cum igne naturali, tamen status caloris hujus tripliciter variatur : quia primò erit ignis moderatus, & durat ad nigredinem : & etiam donec illa in albedinem convertatur, quæ nigredo durat forte 46. diebus, vel plus vel minus, secundùm studium operantis, & regimen fortunæ : & iste calor assimilatur calori Solis ex Ariete labentis in Taurum. Albedine quadam apparente augeatur ignis gradatim, usque ad perfectam lapidis exiccationem seu incerationem, & iste calor assimilatur calori Solis in Tauro, discurrentis in Geminos.

Desiccato verò lapide & incinerato, iterum fortificatur ignis, donec lapis perfectissimè rubeat, & regali veste induatur ab igne.

Et iste calor assimilatur calori Solis in Leone. Hæc enim est suæ dignitatis domus. Deinde continuetur donec fit venenum.

Tunc enim draco noster in fixatione solari fulgens, radio cœlestium & terrestrium virtute decoratur. Hinc autem Lapis Philosophicus omni avincens, omnia digerens, qui corpori cuncta vitia corrigit & emendat. Hujus nomina multiplicantur secundum multitudinem colorum apparentium. Nam in regimine primo, cum niger est, vocatur terra, & Saturnus, & nominibus omnium nigrorum & terrestrium corporum. Deinde cùm dealbatur, vocatur aqua viva, & nominibus omnium aquarum & salium, aluminum, & rerum habentium albedinem. Postquam autem incitrinatur & sublimatur, & subtiliatur, tunc vocatur aër, oleum citrinum & nominibus omnium spiritualium & volatilium. Deinde verò cùm rubescit, vocatur cœlum, sulphur rubeum, aurum, carbunculus, & nominibus omnium sub eorum preciosorum pulchritudinem habentium, tàm in lapidibus quàm in animalibus & plantis.

Hîc notandum, quòd aqua nostra dicitur Masculus, & terra dicitur Fœmina, quæ est spissitudo lapidis, & sic terra fit spiritualis & aërea, & subtilis; & hæc spissitudo sive terra dicitur æs nostrum & plumbum nostrum.

Oportet ergo ipsum suaviter regere, ut sulphur fiat incremabile, cum aqua, in qua illud est. Aqua enim ipsum dissolvit, & dealbat. Sed dicunt quidam, quod alterum istorum, scilicet fæx remanentis in fundo, quæ dicitur fumus, est terra, & alterum quod ascendit à terra, scilicet à fœce, est cœlum: Toties ergo reiterandum est cœlum super terram, donec terra fiat cœlestis & spiritualis, & cœlum fiat terrestre, & jungatur cum terra, tunc completum est opus. Et hoc sciendum, quòd cùm corpus sit grossum, & spiritus subtilis, universaliter permisceri non possunt, nisi primò corpus in tantum subtilietur à spiritu, ut ipsum corpus eidem spiritui æquipolleat in subtilitate, & tunc fit mixtio talis, quam ignis non separat vel superat, si per mille annos continuè in ipsum ageret: quia sic per minima permiscétur, quòd nullo ingenio postquam sic se invicem cœperint, poterint separari. Sic enim morietur draco, & sine illo non, hoc est, nisi cum ipso interficiatur. Et iste draco: id est, sulphur, extrahitur de corpore per magisteriũ, & est nostrum secretum sulphur. Quando ergo volueris tentare medicinam, pondus unius grani tritici super laminam candentem cupri ponas, & si intrans cum pauco calore lamina se diminuerit per totum intus & extra, est perfectè tingens, & in igne secum perseverans est lapis, tunc est perfectus. Et sic patet quòd sunt tria, quæ complent nostrum Elixir quod fecimus: primum conjungit, duo componunt medicinam. Itaque sunt uno corpore tria juncta. Sed hoc notandum, quòd si iterum medicina solvatur, & per omnia regatur ut priùs: postea non erit finis suæ tincturæ, & constringit poros Lunæ efficiens illam ponderosam, & in cæteris corporibus faciet exire spumam & fœtorem, & ea perfectissimè tingit, & tandé mutabit in aurum vel argentum: & sic per artem nostram fit vera alteratio unius naturæ in aliam.

Sed hîc sciendum est, quòd omnis alteratio mineralium ad perfectionem mineralium stat in gradu sublimiori spiritualium. Non loquimur de angelis, nec de intelligentijs, sed de gradu sublimiori perfectionis omnium metallorum; & hoc est in spiritu mineralis: quia mineralia mineralibus, vegetabilia vegetabilibus conveniunt, ut nulla contrarietas sit, imò maxima convenientia. quoniam spiritus iste est mineræ aureus, nec ab auro differt nisi in hoc, quod ipsum est fixum, spiritus verò non fixum.

Sic aurum nostrum non est aurum vulgi, quoniam nostrum est spirituale : quia dissolvit omnia corpora imperfecta, separando purum ab impuro : quoniam natura non recipit nisi quod suæ naturæ est: alienum verò respuit, quod signum perfectionis ejus est. Et ideo illud omnia corpora dissolvit, separat, dividit, depurat, & illustrat, tingit, & in aurum optimum transmutat : quia sic est corpus fixum, spirituale factum, & secundùm diversum digestionis modum. Nam primò fuit argentum antequam fuit aurum: ideo aurum est maximè digestum, &c.

De modo nascentibus natis, Bachon in speculo Alchimiæ dicit, Nullus natus nascitur, nisi ex viro & muliere, nec etiam ullum germen gignitur, nisi ex caliditate, humiditate, frigiditate & siccitate. Ergo nihil est operis, nisi ex eo quod est verè lucidum, ut ex Sole purissimo, qui suo lumine omnia lumina est illuminans qui illuminat aërem, & calefacit terram, calore suo generat & nutrit animalia, plantas & lapi-

des,& ejicit tenebras illius Mercurij & aliorum corporum imperfectorum, cùm projectus fuerit ſuper ea, ut dicit Geber, de Eſſentia & Procreatione Solis.

Quia ſulphur eſt irradians & ſplendens in ſua clariſſima & mundiſſima ſubſtantia, illuminat & irradiat non ſolùm in die, ſed etiam in nocte in tenebris, & ſimiliter omnia in quibus eſt ſplendor & magnitudo illuminans, ſuo lumine.

Quæ quidem omnia ſunt ex opere ſuo cùm ex veſtimentis ſuis ſunt induta.

Ergo qui quærit illum, faciat pacem inter ipſum & uxorem ſuam, ita quòd non ſeparentur ab invicem,ſed miſceantur inſeparabiliter.Et hoc fiet quando ipſum extraxeris, partim à natura ſua, & ſimiliter uxorem ſuam, partim à natura ſua, hoc facto interficiantur, ut cùm interfecti fuerint (ut plenius patebit) reſuſcitentur reſurrectione nova incorruptibili: ita quòd poſtea ſint immortales. Nam poſt eorum reſurrectionem induentur gloria, & fortitudine ſempiterna, & tunc gaudebunt in proſperitate magna omnes qui ſciunt ſecretum illorum. Natura ex eis mundus major creatur, qui ſunt ſulphur, magneſia, Ceduæ, argentum vivum, & ſimiliter ſpiritus ſulphuris, & ſimili modo eſt ſpiritus occultus hujus ſcientiæ. Magneſia eſt terra, Ceduæ eſt aër, argentum quoque vivum eſt aqua, & corpus fluens. Spiritus quoque eſt aqua ſecunda, de qua omnia prædicta nutriuntur: omne germen vegetatur, omne lumen accenditur, ergo & omnes fructus facit.

Has ergo naturas, ſcilicet maſculum & fœminam, calidum, frigidum, humidum & ſiccum, verè conjunge, & nutrias ea aqua viva, ſpiritus lumenque ejus tinctura habetur. Opus coque, compone illud ex quibus corporibus eſt. Nam apud Philoſophos aqua Sapientiæ vocatur, à quibus ſapiens artis conjungit eam, ut natura alteretur, & in aliam naturam convertatur, & natura per naturam appareat. Ergo duas naturas conjunge, donec naturas tibi attrahas, & fiat res lucidiſſima & clariſſima, quæ luceſcit & illuminatur, poſtquam fuerit in ſua magna & excellentiſſima perfectione coaptata.

Ad talem utique & tantam perfectionem non pervenitur, niſi ſcala ſapientum, quæ ex duodecim gradibus conſtituitur, primitus aſcendatur.

Primus Gradus Scalæ Sapientum eſt Calcinatio.

Quæ eſt lapidis noſtri benedicti modulalati ſumma purgatio, caloris reſtitutio, humoris innati conſervatio, & ſolutionis inductio. Et omne calcinatum in ſuo genere eſt fixum. Et ſic Sol & Luna cum prima aqua calcinantur philoſophicè, ut corpora aperiantur: & fiant ſpongioſa & ſubtilia; ut aqua ſecunda melius poſſit ingredi ad operandum ſuum opus, quod eſt exaltare terram in ſalem mirabilem, ſola ſua virtute attractiva, quæ aqua ſecunda eſt ignis non naturalis, cujus virtute fit hujus magiſterij complementum. Et hinc loquens de ignib. Raym. und. dicit. Notandum eſt quòd hîc jacent contrariæ operationes quia ſicut ignis contra naturam diſſolvit ſpiritum corporis fixi in aquam nubis, & corpus ſpiritus volatilis conſtringit in terram congelatam: ita contrario ignis naturæ congelat ſpiritum diſſolutum, corporis fixi in terram globoſam, & corpus ſpiritus volatilis fixum per ignem contra naturam reſolvit, non in aquam nubis, ſed in aquam Philoſophorum: quia fixũ naturæ ignis revertitur in volatile,& corpus ſpirituale in ſpiritum, & humidum fit ſiccum, & ponderoſum fit leve, & ſpiritus humidus, ſecundùm formam aquę nubis,&ponderoſitatem conſtructivã.

Ignis innaturalis eſt ignis balnei, vel ſtercquilinij, vel vindemiæ, vel equi, vel alius occaſionatus ex abundanti induſtria.

Ignis autem elementalis eſt, qui combuſtibilibus enutritur,& nutrit flammam.Cognitis autem ignium arcanis, & veræ noſtræ medicinæ principijs, de facili pervenitur ad noſtrum magiſterium.

Unde ſi quæratur ex quibus fit noſtra medicina: Dico quod ex illis elicitur per artem, in quibus habitat potentialiter per naturam. Et ſecundùm Avicennam, ex illis in quibus perfectio ſeu propinquitas primæ materiæ reperitur, noſtra elicitur medicina. Non autem de imperfectis extraneis, quia imperfectum non poteſt perficere, nec immundum mundare. Et quia à radice convenit naturas extrahere dicit Ariſtoteles: Sciant artifices Alchymiæ, ſpecies metallorum tranſmutari non poſſe, niſi priùs reducantur in primam materiam & formam, quæ ſunt partes eſſentialitatis primariè, & omnibus corporibus ineſt ſcientia. Non tamen ſunt cruda operi noſtro neceſſaria omnino: ſed centrum lapidis Philoſophorum eſt neutralitas extremitatum, quia dicitur, ſperma metallorum in matrice terræ contentum, cujus extremitas unius lateris, inferius eſt metallum, quod in ſinu terræ tamen à natura creatur, & alterius lateris extremitas ſuperius eſt & elixir completum, quo ars mediante natura ſuper terram operatur.

Et non eſt tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium, quo neutralitas quæratur oportet, ut corpus ad centrum ſuum reducatur per artem, quæ imitatur naturam, in quantum poteſt, in quibuſdam tamen debilior eſt, & in quibuſdam naturam corrigit.

Unde ſciendum, quòd intentio noſtræ mutationis eſt, incipere ubi natura finivit, eò quòd origo operis naturæ omnium homogeneorum interius aquoſa, ad tres gradus extremitatis diviſionabiliter exenditur, videlicet ad altitudinem corporum perfectorum, ſeu profunditatem perfectorum, vel ad latitudinem neutralitatis illorum,videlicet vivificando mortuum, & occidendo vivum, cujus vivificatio mortifera eſt.

Unde Philoſophus: Omne totum componitur in tribus, quo circa poteſt opus naturæ eſſe. Primò naturas elicere, colligere, depurare, & in ſpecie aquoſa proportionabiliter conjungere, ac inſuper congelare, quòd ab humana penitùs ignoratur memoria.

Sed quo ad artificialem operationem ſuperiùs à ſenſu contrario ſpiritualiter operari nitimur: naturam tamen imitando, ſcilicet vivum occidendo, atque ſpiritualiter mortuum reſuſcitando, & ad pluſquam perfectum exterius diſponendo. Unde ſi fuerit quantitas aquæ æqualis quantitati ipſius ſulphuris, & paulatim major, ſcilicet quantum ſufficit ipſum incorporare, generatur ex eis aurum vel argentum, ſecundùm quantitatem ipſius decoctionis.

Sciendum quòd non accipiemus illud, ex quo ſunt ipſa ſcilicet corpora, ſed accipiemus illud, quod eſt ſui ipſius, ſcilicet omnium illius: & poſtquam ſciverimus unde illud omnium generatur, oportet ipſum ex eiſdem nutriri. Et Mercurius noſter non eſt Mercurius vulgi, ſed eſt Mercurius mortificans Mercurium odore ſuo.

Et ſecundùm Albertum: Mercurius noſter fit ex corporibus perfectis & non imperfectis: hoc eſt, cum aqua ſecunda, poſtquam per primam aquam fuerit debitè calcinata. Ex quibus tunc fit aqua alca-

alcali, quæ coagulata argento vivo, quia sunt nostri cineres clavellati, & soda nostra combusta.

Secundus gradus Scalæ Sapientum est Solutio.

Quæ est occulti revelatio, grossitudinis attenuatio, ac rei duræ, siccæ, terreæ, in quandam liquidam substantiam reductio. Unde Philosophus: donec omnia fiant aqua nihil operamini. Et illa aqua est Mercurius Philosophorum, quo & non alio debemus uti, qui tamen non fit, donec summa volatilis superat summam fixi. Hæc aqua secundum Hermetem patrem Philosophorum ex repugnantibus dicitur unica, & magnesia, continens in se spiritum, animam & corpus cineris, ejus nomine impar, quia nihil ei simile, cujus convenit occulta manifestare naturam: ejus secretum non est in alijs, eò quòd secundum Philosophos dicitur aqua cœlestina, & sunt repugnantia in hac aqua una. Converte ergo rem in rem, & habebis magisterium. Et in hac solutione dum turbabitur terra, transferentur montes in cor maris, & tunc destruitur forma, sed destructa una, immediatè introducitur alia. Quia omne quale advenies quali, facit ipsum tale, quale ante non fuit, eò quòd non est dare qualitatem naturalem, quin sub aliqua maneat forma, continens in se qualitates actu vel potentia.

Quare dicit Avicenna: Qualitas posterior trahit entitatem à qualitate, quæ est ejus prior.

Solutio autem lapidis est reductio ejus in aquam mineralem, ex qua erat compositus, operante natura: qui quidem lapis non fructificat, donec ad nihilum deveniat, tanquam aqua decurrens. Ex quo ergo solvendo ipsam reductionem fieri convenit, levius ac competentius est ad neutralitatem, & postea ad ejus primam naturam aqueam, vel aliter ad aliquam aliam subtilitatem finaliter reduci. Et quod fieri potest per pauciora, frustra fit per plura. Quare dicit Philosophus: Quòd si ex solo Mercurio perficere poteris preciosissimi operis indagatoreris. Et scias quòd illud non est extraneum in quo se convertit habet per naturale magisterium, prout per glaciem congelatum patet, qui cùm resolvitur, in aquam vertitur: patet ergo ipsam priùs aquam fuisse. Quare dicit: Nisi quodlibet vertatur in aquam, nullatenus devenietur ad perfectionem. Unde Hermes: Non emendatur natura nisi in sua natura, cujus naturæ emendatio fit artis ingenio, & ars in natura non corrigit quod natura nequit. Succurrendum est ergo naturæ, per artem quod omissum est per naturam, Nam quod natura in millenis annorum terminis habet tantum perficere inferius, nos supremum artis industria minori termino quàm solo anno, habemus plus quàm perfectum perficere, & sic natura ab ingenio juvatur, & ingenium ab arte.

Dicit enim Aristoteles: Nisi aurum & argentum viderem, pro certo dicerem, quòd Alchymia non esset vera, nisi perfectionem operis naturæ speculativè viderem Alchymiam pro vera non reputarem.

Sciendum quòd plures sunt modi solutionum, quorum tamen omnium solutio una tantùm est nobis necessaria, quæ solùm habet fieri, ut dixi, ex se cum se, &c. cruda, clara, sine violentia.

Unde Philosophus: Melior est solutio cruda quàm cocta, rorida quàm arida, voluntaria quàm violenta, temperata quàm festina, flagra quàm fœtida, clara quàm spissa, nigra quàm rubea.

Et ideò in omni solutione cavendum est intimè à vitrificatione materiæ cum odoribus & saporibus corporum imperfectorum, ac etiam ne vis illius formæ generativa cum corrosivis adurentibus in aliquo suffocetur. Adjuva ergo solutionem per Lunam, & coagulationem per Solem. Cujus solutionis digestio valde in nobis necessaria.

Et dicitur nostra digestio, humoris ratificatio, destructiva maturatio, connexorum relaxatio, dispositionis excitatio, & separationis habilitatio, quæ diversimodè fieri poterit, ut postea dicetur.

Sed ut Avicenna dicit: Solvere corpus, & congelare spiritus, est opus nostrum primum, quia non solvitur corpus nisi congeletur spiritus. Nec spiritus congelatur, nisi cum solutione corporis. Nam si simul conjungantur, agit uterque in alterum, sicut aqua agit in terram sibi commixtam: ergo subtilietis eum ad modum suum.

Nam non subtiliatur terra nisi inspissetur aqua, nec inspissatur aqua, nisi subtilietur terra. Sic enim inter congelationem spiritus, & solutionem corporis non est differentia temporis, nec opus diversum, eò quòd utrumque agit in alterum ad modum suum. Non enim resultat actio, & passio contrarijs in specie & similibus, in genere & natura, & unum contrariorum excedens destruit seu alterat reliquum secundum corpus humiditati mixtum, lentoque igni diu appositum solvitur: quia convertitur humiditas super ipsum, & ipsum dissolvit: ac corpus suo frigido & sicco claudit; retinet & inspissat humidum, incinerans ipsum siccum, & tamen non potest exire humiditas à corpore, nisi imbibat se cum igne.

Nam calore debito operante putrescendo, humidum vertitur in siccum. Et ideò cùm corpus dissolveris, humidum congelas, & hoc cum mora: quæ est maximè propter quatuor elementa repugnantia, ut pax fiat inter ea, &c.

Tertius gradus Scalæ Sapientum. Separatio.

Prædicta quatuor repugnantia inter se distincta, postea per distillationem rectificativam, in hoc tertio gradu Scalæ sapientum separantur: & ideo iste gradus dicitur nostra Separatio. Quæ est vaporis aquosi seu rei liquorosę à fæcibus separatio, seu depuratio, raritatis lęvigatio, partium grossarum extractio, connectentium divisio, principiorum productio, homogeneitatis segregatio.

Unde Psalmus: Eduxit aquam de petra, & oleum de saxo durissimo: quia fieri debet in balneis debitis, postea in stuphis siccis, secundùm exigentiam rationis. A quibus tunc in balneis primò phlegma eorum separatur & evacuatur. Deinde quatuor ista principia secundùm signa requisita ab initio separantur, & maximè Luna, prior masculus quàm fœmina, sicque matre illorum in fundo relicta in prima distillatione, scilicet saphiram citrinam reservabis, postea auripigmentum tàm ab humore, quàm per se totiens in stupha sicca separativè rectificatur, quousque rubore meridionali nihil ascenderit, & auripigmentum clarum & album remanserit, quod in tertia vel quarta vice perficitur: cujus signa perfectionis sunt viriditas, candor, puritas absque fæcibus, nisi fortè albis. Cujus viriditas ex animæ frigiditas abundantia creatur. Dicit enim Abakuc: Ignis est terra nigra in fundo vasis relicta, quæ dum nigra fuerit, corrumpit. Ergo calcinatur ipsa ut candescat, & suum oleum omnino recedat, ita quòd ab omni pinguedine privetur, ne ab bibendi opere impediatur, ut fiat sicca ignea, quæ priùs frigide

humida fuit, ut terra. Unde Senior dicit: Terra noſtra ex duabus naturis ſumitur, ſimiliter aqua ex duobus corporibus, ſicque ſeparatur ſubtile à ſpiſſo. Nam ignorans ex uno plura extrahere, ignorat quoque ex pluribus unum componere, tuncque perficietur coniunctio concupiſcentiæ. Propter hoc efficitur hæc anima illius, quæ ingreditur cum vita & ſpiritu per attractionem ejus aëris, ex reiteratione diſtillationis, cujus reiterationis ſuperetur ſit ignea: ſecundum, fortioris caloris eſt quam ſit ignis. Hæc eſt enim præparatio, quam plures ignorant: nam Philoſophi occultaverunt præparationem lapidis, quæ clavis artis eſt & difficillimarum rerum.

Præpara ergo præparando, purgando, ſepara reſtificando magiſterium conquirendo. Divide ergo lapidem in duas partes principales, videlicet in partem ſuperiorem ſuperius aſcendentem, & ſpiritualem, & ëream, & in inferiorem viam, & terrenum, & tamen iſtæ duæ partes ſunt unius naturæ, quarum diviſio eſt neceſſaria ad perpetranda mirabilia rei unius naturæ: id eſt, generationis Lapidis Philoſophorum. Nam pars inferior terrea illius eſt nutrix & fermentum, totum lapidem figens: & pars ejus ſuperior eſt anima totum lapidem vivificans. Ad hanc diviſionem faciendum in furno Philoſophico inferius ſpecificato, requiritur calor debitus & nutritivus, ac continuus, ſcilicet per denam & quindenam, & quantò diutius, tantò melius perficitur digeſtio aquæ, ex qua oritur æs noſtrum.

Et omne æs eſt ſulphur, ſed non omne ſulphur eſt æs: quia ſulphur naturæ ſulphuribus continetur: & omne aurum eſt æs, ſed non omne æs eſt aurum: ſicut omnis homo eſt animal, ſed non omne animal eſt homo: quia de genere ad ſpeciem, ut Plato dicit, non eſt bona conſequentia. Hæc enim aqua noſtra eſt clavis artis, & caput operis, & ſpiritus & anima, & corpus æs noſtrum componunt. Et dicuntur aliàs fratres uterini, quia procedunt de eodem utero. Et cùm habueris aquam ex aëre, & aërem ex igne & ignem ex terra, tunc fit ſeparatio perfecta. Nam ignem habes ex terra in rarefactione, calcinatione, & liquefactione: terram habes ex igne, & congelatione & inſpiſſatione. Cumque habueris temperatum: id eſt, æqualiter complexionatum, in vaſe Philoſophico, ignem ſuppone naturalem vaſi tuo, cujus calore ſunt omnia calefacienda, & ad ignis centrum tendentia. Quibus in cælum elongatis, collatis, & reſidentibus ſuper cacumina montium noſtrorum, ad modicum tempus aër ille factus eſt generatio, omnia in naturam ſuam convertendo, cujus levia gravibus ſuccumbunt, levia quæ prius vicerant cùm eis, & in eiſdem in illo rore cæleſti in terram deſcendunt in infinitum multiplicandum.

Unde Philoſophus Cæſarius dicit:

Vena prior fontis diſtillat ad verticem montis,
Terram movens undam, ſolvit additque ſecundam,
Tertia ſplendeſcit, ſed cum Luna dira quieſcit,
Quarta ſub immunda pruinali naſcitur unda,
Ignea vis quintæ generalis naſcitur in te,
Sexta marinarum venis reperitur aquarum,
Septima terrenis tingens reperitur arenis,
Vis nihil octava neſcit præbere ſuave,
Citrinis plenam dat gleba novenam,
Nigra prior denam tellus componit arenam,
Creſcit in undenam lapidis grave pondus arenam,
Rimarum venis ſplendet duodena ſerenis,
Is ergo venis, vel ab his diſtillat arenis,
Vena tamen fontis veniens de vertice montis.

Quartus gradus Scalæ noſtræ Sapientiæ eſt, & dicitur Conjunctio.

Igitur ſeparatis, ut præmittitur, quatuor diſtinctis, & rectificatis, ipſa quatuor conjungimus & connectimus: & dicitur noſtra conjunctio, qualitatum commixtio, complectentium copulatio, diſperſorum replicatio, principiorum coæquatio, repugnationis diſpoſitio.

Dicit enim Roſarius: Diſpone ſubſtantiam ëream per diſcretionem, ut ſic habeatur terra ex duabus naturis, & aqua ut prædictum eſt ex duobus corporibus: quia ſic ſeparatum ſubtile à groſſo, rarum à ſpiſſo: videlicet quod prædictus eſt faciendum ſuaviter, & cum magno ingenio: id eſt calore debito & nutritivo. Non enim eſt operi noſtro aqua neceſſaria, niſi candida: nec oleum, niſi album lucidum citrinitatis: nec terra, niſi pallida & ſubalba: quia tunc terra eſt habilis ad nectendum, aqua ad ſolvendum, aër ad tingendum ſuperabundans.

Et duæ ſunt terræ & duæ aquæ in noſtro opere. Prima terra quæ in prima diſtillatione in fundo remaner, propriè eſt pallida, ſuper quam fit rectificatio noſtra, ſeparatóque oleo ab iſta terra; ſicut ſuperiùs, confusè tamen innuitur, ab aqua ſimiliter. Iterum oleum per ſe diſtillatur, & tunc quod in fundo remanet, dicitur ignis, qui interdum dicitur, Terra ſecunda. De quibus duabus terris Ariſtoteles loquitur, utputa de terra & igne, quæ ſimul ſunt in album calcinatæ: acetivæ, quæ duæ ſunt aquæ, ſcilicet aqua & oleum. Et aliquando ſumit nomen unius alterius, ut indigni inquiſitores devient à tramite veritatis.

Rurſum dicit Ariſtoteles: Adjunge ei duas virtutes operativas, ſcilicet aquam & oleum, rectificando aquam & aërem rectificabitur enim terra & ignis. Hoc ideo addidi proco, quod in præcedenti capitulo de ſeparatione minus dixi. Et propter eos qui ſolent libros deflorare, ne ſimul in uno capitulo totum ordinatè poſitum inveniat quod requirunt. Sed quoad conjunctionem dico, quod tres ſunt modi conjungendi, ſcilicet, Dyptativa, ut inter agentem & patientem, rarum & denſum, maſculum & fœminam, ſulphur & Mercurium, materiam & formam.

Unde Philoſophus: Et materia & forma tantùm continetur generatio naturæ. Item alibi dicit: Sufficit operatori hujus artis, reducere rem ad ſimplicem puritatem raritatis & denſitatis: quamvis non ſingillatim in elementis. Conjunge ergo Gabricum Beyæ, ut inter ſe gignant ſibi ſimile, quorum ſemen multiplicabitur ſicut ſtellæ. Et ſic patet, quòd dyptativa conjunctio eſt ſufficiens in magiſterio.

Triptativa conjunctio: id eſt, trinitatis unio fit ex corpore, ſpiritu, & anima. Nam ſecundùm Philoſophos, ſicut anima eſt vinculum ſpiritus, ita & corpus eſt vinculum animæ, eò quòd ſpiritus penetrat, corpus figit, anima copulat. Sic iſta trinitas in eſſentia eſt unitas: quia coæternæ ſimul ſunt coæquales.

Tetraptativa conjunctio dicitur principiorum correctio, ut illorum unum quod perpetretur in altero: quare pro laudabiliſſima conjunctione neceſſe eſt, ut ſicut in opere noſtro quatuor elementa, in compoſitione liquida, recenti, tepida, & debitè proportionata.

Quoniam non conſurgit æqualitas ex tribus, ſed ex quatuor repugnantibus, in natura communicantibus

tibus. Et sicut mulier habet quindecim venas, & vir quinque: ita Sol in eo junctione, primò habebit tres partes aquæ suæ, uxor ejus novem, cujus caudam masculus cùm ascenderit super eam tenebit rostro, in vase Philosophico requisito, ac in furno Philosophico collocato, & subtiliter obturato antedicto humore supposito stare debet. Et sciendum, quòd nunquam nisi simul imponitur semen in matricem, & in continenti claudirur matrix, quousque producatur in lucem.

Et cùm steterit in eclipsi, videlicet per quinque menses, tenebrositate recedente & lumine claro superveniente, calor augeatur temperatè, & sic maximè diebus abstinentiæ, quousque Sol refulgens oriatur: & tunc in calore triplo nutriatur continuè, eò quod tunc non timet pœnas certantis ignis.

Et sic est corpus causa retinendi aquam, & aqua salvandi oleum à combustione, & oleum causa retinendi tincturam igneitatis, causa apparentiæ coloris: sicque conabitur spissum retinere subtile, & conabitur spiritus submergi, & fundi in cõporibus.

Et tunc simile applaudit suo simili, propter concupiscentiam adhærentiæ materialis maximè & formæ sulphureæ. Unde Vometras Philosophus:

Duo sulphura habitant in corpore, tanquam ignis in lignis & lapidibus, quæ arte subtilissima oportet extrahi absque combustione, Nam qui non differt sulphura duo, & sulphura, nihil novit, uno tamen odore opus incipitur & finitur.

Duplex tamen est modus compositionis: una videlicet humida, altera verò sicca, & decoctione fiunt unum. Itaque neutrum dimittat reliquum: quia humidum faciliter impressionem facit arque dimittit. Cumque humidum & siccum se simul contemperaverunt, adipiscetur ab humido facilem impressionem, & humidum à sicco, ut firmiter retineat impressionem omnem, sustinens ignem. Unde propter humidum à sua fluxibilitate ad perfectionem. Igitur non per tingens donec Sol & Luna, & spiritus, & anima in unum corpus: id est in terram conjunctivè convertantur. Exemplum hujus est opus figuli, cujus fidentia in duobus consistit, videlicet sicco & humido: sicco ut convertat humidum, humido ut solvat siccum, sicque spiritu cum corpore mixto fit temperamentum non ita rarum, ut spiritus, nec ita densum, ut corpus. Nam solvere & conjungere sunt principalia hujus artis, & operis exordia, & pollis unus. Nam qui non solvit & coagulat, multipliciter errat.

Quintus gradus nostræ Scalæ est, & dicitur Putrefactio.

Quæ quadraginta sex noctibus in umbra purgatorij celebratur. Et est necessaria putrefactio: quia est corruptio, & regenerationis habilitatio. Undè Arist. Ex roratu cœlorum felicia & infelicia germinant in terris. Idcirco in initio nascendi oportet, ut diximus, elementa præparare, recta arque suprema, & æquata supra levem ignem commiscere, & ignis intentionem cavere, quousque elementa conjungantur, & se invicem assequantur, & tali conjunctione complexentur, quæ paulatim sic assentur, & tandem levi igne sic deficcentur, & eorum conceptio fiat, cujus calor usque ad 16. diem duraturus erit, antequam cooperiatur nigredine. Quod cum humationis decoctione totum est prosequendum: igne autem accenso Mercurius ascendet superiùs propter naturam spiritualem ad aërem scandentem. Quare oportet regere virtutes donec sua humiditas igne ficcetur. Nam calore solari firmiter congela, deinde paulativè vigora ignem, ut siccatus possit tolerare.

Unde Moriennes: Scias nihil natum vel crescens, nec animatum nisi post putredinem, eò quòd si pùtridum non fuerit, lapis fundi non possit, neque resolvi. Et illud ideò: quia cùm per corruptionem moritur, compositum corporale per regenerationem consurgit simplex spirituale.

Unde Salvator: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, & nisi humiditas uteri esset conjuncta, & calor continuus, sperma non maneret, nec fœtum procrearet.

Unde Quatuor calorum gradus notandi sunt.

Primus lentus & tepidus, velut carnalis seu embrionis. Secundus mediocris & temperatus ut Sol in Junio. Tertius magnus & fortis, velut ignis calcinationis. Quartus fervens & vehemens, quasi fusionis, quorum quilibet duplicabit alterum.

Hermes dicit: accipiantur lapides permixtionis in principio operis recentis, & permisceantur æqualiter in terram, & donec desponsentur & alij in alijs cumulentur quadraginta sex noctib. ut fiat conceptio in fundo vasis. Hæc autem conceptio fit in putrefactione per vim caloris, donec corrumpantur, moriantur, denigrentur, ut pix liquida calore insuper debitè operante putrescens, humidum vertitur in siccum. Ignis autem continuus æqualiter temperatus totum ad libitum explet negocium. Sed si calor invaluerit, nimium consumitur humidum, & terra cadet in pulverem corruptum & rubeum: liquet ergo quod in calore humido fit humidi putrefactio. Dicit enim Johanninus: Terra & mater elementorum, & omnia ex ea exeunt, & ad eam revertuntur, & in ea quiescunt, & terminantur omnia mixta: quare oportet corpus esse fixum, calcinatum, cùm debeat figere fugitivum. Corruptio namque est rerum putrefactio, ex retentione vaporis & actione caloris temperati. Unde calor connectens humidum generat primò nigredinem: ideóque obscuratus est Sol in ortu suo: & hæc denigratio est operis initium, putrefactionis indicium, certúmque commixtionis principium, & corporis solutionis signum, & susceptio utriusque in alterum: in qua quidem nigredine & variabili purgatorij umbrositate, circa quinque menses restat permansurus, & calore temperato distinctè regatur tempore vernali in Aquilonem, velut infans matris suæ ante inanimationem, & est medium operis primi.

Et ut habetur in Historia Noe: Obtinuerunt aquæ terram, & dominationem eorem 156. diebus, in cujus nigredine occultatio ante veram albedinem omnes Mundi colores successivè manifestabuntur secundùm exigentiam naturæ, eò quòd literæ barbaræ descriptæ in thalamo sapientis, ac colores medij dicuntur.

Unde dicit Sapiens: Inter sapientiæ successus in 156. diebus egressivè florigeratur unum, in fine 56. peragitur.

Et sic certum est de his qui de hoc Mundo ad purgatorium vadunt, priusquam examinentur in elementis ad plenum transire ad paradisum terrestre, ubi est vita cum gloria, qui est dealbatio prima: cujus nigredo est, quæ non aperit fugitivi januam, quia est aër formalis, sulphurei caloris actione solutus, & alio corpore extractus: ibidem accipiens vitam à suo humore, sicut homo ab aëre & terra consequitur, sicut magnes ferrum. De jure ergo aqua suscipit aquam, sicut naturam propriam cujus vis est spiritualis sanguis sine quo nihil fit. Convertitur autem in corpus, & corpus in ipsam vertitur: id est, in spiritum. Nam unde fit corruptio, inde fit vita & regeneratio: quia unde

de mors oriebatur, inde vita resurgeret, & mors ei ultrà non dominabitur. Egressio autem animæ à corpore cum spiritu ipsam extrahentem, est quando alteratum fuerit corpus, & dissolutum paulatim, & paulatim aliquid post aliquid, vice post vicem. Non enim egreditur una vice: quæ quidem partes sunt de spiritu uno, præter quem non est alius, anima est ex eo, sed diversificatur ab isto spiritu qui est radix ejus ex eo quod acquisivit sibi a calore igneo: & è rectificatione facta est calida & humida, in natura sanguinis, & aër qui prius erat calidum, siccum, igneum. Et sic similiter quando extitit calidum & humidum, intellige, hunc modum cum convertentibus in frigido humido, ad calidum humidum. Similiter quando dicunt: aqua & aquas, intelligunt per hoc unam aquam, quæ est spiritus ex quo parturient aquæ, intellige hoc esse verum. Modus est in ijs animabus, & spiritibus: quoniam masculus & fœmina, & quælibet pars ingrediens super eos, scilicet corpus & spiritus & anima propter quod dixerunt corpora, animas & spiritus, quod verum est & planum, & non obscurum, & propter multiplicitatem conversionum, & statuum ex alterationibus, & morte, & vita, & generatione, & balneis, & lectuarijs, & nutritura, nominata est sapientia, & semen Mundi. Quia lapis est diversus ab omnibus lapidibus hujus Mundi, in naturis suis & perfectione sua, & susceptione nutrimenti, & augmenti, & separationibus suis, quibus nihil naturarum præparatione assimilatur, quia est de semine Mundi, multam habens benedictionem: & si essent, ut opinantur idiotæ ex lapidibus suis & rogenijs, non nominaretur sapientia: cùm neque mortificatio, nec vivificatio sit in eis, nec despensatio, nec conceptio, nec prolis generatio, nec nutritura, cum sint præparationes nostræ quas novimus ab animalibus & lapidibus nostris, quas vidimus & stetimus super eis ex vanitatibus, & præparationibus eorum inanibus. Dicitur enim in expositione statuæ Joseph. capit. 10. Duæ sunt aves inferius colligatæ, quorum caudam fœminæ masculinus cùm ascenderit, tenebit eam rostro, quod est principium lucis, & constellationis albificativæ in ortu Lunæ clarissimæ: sic quoque completur dictum Psalmistæ, dicens: Abierunt in sicco flumina, &c.

Sextus gradus dicitur Congelatio albificativa & naturaliter fixativa.

Et est congelatio mollis induratio, humoris occultatio, spiritus fixatio, diversorum colligatio, homogeneorum seu homogeneitatis renovatio fugientiumque ab igne ad ignem conveniens adaptatio, ut ostendit tinctura unius, & natura extraversiva perpetuatur in altero.

Et sciendum, quòd mortificatio grossi terrestri in humido, generatur nigredo, & constricto frigido humido in siccum, generatur albedo

Nam siccitas procedit dealbando, sicut humiditas dendo calore mediante: quoniam absque calore nutritivo mundo est dare motum Rubeum verò magis nigrum quàm album cum igne sine caliditate: Croceum de parvo nigro, & multo albo cum aëre humiditatis

Citrinum est magis album quàm nigrum cum multitudine aëritatis aquæ deficcatæ, quàm igne, quod de nigro non devenies ad citrinum, nec ad rubeum, nisi primò fuerit album: quia non est transitus de primo ad tertium, nisi per secundum.

Et sciendum, quòd elementa non uniuntur, nisi in albo colore. Cumque album sit semicoctum, non exigit magnum calorem sed rubeum per ignem fortem, ut complere digestum totum vertitur in ignem, ut nullum timeat ignem.

Unde cavendum est intimè nonnunquam à conjunctione usque ad albedinem, materia ne frigescat, nec aliqualiter moveatur propter periculum imminens: quia si præcepta nostra observaveris, de perfecta elementorum commixtione prosperaberis: scias quòd aqua nostra est oleum, & terra nostra est ignis siccus: eò quòd nec aër absque aqua, nec ignis absque terra tractari bene queant: & scias, quòd nigredo est color mortis, & eradicatio humidi: albedo verò regenerationis, & semicoctionis siccæ. Rubedo etiam incorruptibilitatis, & digestionis completæ, cumque videris materiam per 156 dies eclipsatam cum cæteris coloribus infinitis successivè transitorijs, scias tunc corporis solutionem, ejusque inanitionem atque naturarum unionis appropinquationem prænoscere, & quòd in illius nigredinis ventre occultatur. Unde Philosophus: Ita lapis noster est ille Sol stellatus, ut flores Veris pullulantes, à quo procedit alteratione omnis color Quæ quidem mirabilis alteratio non est tantum manualis operatio, sed & naturarum permutatio, scilicet calidi cum humido, frigidi cum sicco: prout patet in infantis procreatione, & generationis regeneratione, post quorum putrefactionem mortiferam multum fructum afferunt, eò quòd individuum multiplicat formam suæ speciei. Et sperma non generatur in matrice, nec sanguis in homine, nisi priùs diligenter coquatur in epate, donec intensum habeat ruborem. Solus enim calor epatis chylum rubificat, sic & calor ignis rubificat sulphur album nostrum. Nam prima digestio stomachi, in quo viget siccitas, omnia dealbat. Secunda verò epatis in quo viget caliditas, omnia rubificat, quòd à complectione digestionis creantur. Et sciendum, quòd natus sapientis in aëre nascitur, propter quod sit aqua nostra vivificans terram eorum, & est anima quæ est in corpore ejus, scilicet quando reducitur circa finem operis primi. Et scito quòd aër extensus inter cœlum & terram, per quem consistit vita unius cujusque rei currit super omnes quatuor naturas in manifesto eorum, & in occulto, quæ sunt quatuor elementa in statu rectitudinis & meliorationis, & ignis lapidis, & in illo aëre eorum est aër, & non aër. Item ignis quem tibi ostendimus, est aqua, & ignis noster est ignis, & non ignis, & per attractionem aëris viget spiritus, & per ipsum est vita ejus: aër verò est ex aqua, nec separatur ab ea: quia ex ambobus consistit vita uniuscujusque rei.

Item lapis noster medius, qui est anima, & oleum lapidis, de quo processit semo virtutum & tincturarum, nec ingreditur, nec egreditur per ignem, sed aqua exhalat cum operatione naturæ, eo quod velocioris egressionis est cum aqua: quoniam est de genere aquæ, & de genere spiritus, qui est aqua. Quoniam dicit Hermes: Secretum & vita cujusque rei, est aqua, eò quòd genitum habet principium ex emanatione aquæ, quæ egreditur ante partum à muliere, & vocatur albineum. Et hæc est potissima causa: quare Philosophi mandarunt, patientiam habere in dominatione subtilis aqueitatis terræ nigræ crudæ propter adversantium qualitatum repugnantiam. Scias etiam, quòd hæc præparatio conversionis, de re in rem, de statu in statum, elicitur, sicut convertitur semen hominis solum in matrice præparatione naturali de re in rem, donec formetur inde homo perfectus, ex quo fuit radix ejus, & principium: quare non ab hoc mutatur, nec exit de radice sua divisive de re in rem, ingressionis alterius rei super ipsum sanguis menstruorum, ex quo fuit nutrimentum ejus, & similiter

omnium

omnium sine ingressione alterius rei super eo exteriori calore conservativo & nutritivo, qui ingreditur super eo, & convertitur de statu in statum, & dividitur de re in rem, & fit pullus à nido volans, & sicut illud à quo habuit radicem, & principium, & similiter semina omnium terræ nascentium putrescunt, & mutantur per ingressionem corruptionis super eis. Deinde germinant & augmentantur, sicut illa ex quibus habuerunt radicem. Et propter hoc mineralia non nutriuntur ut exeant à sua radice, sed corpus reddit ad id ex quo fuit, nec convertitur ad aliud quo ad conceptionem & extractionem spiritus, quæ egressio sanguinis mulieris, quod menstruum appellatur, cum quo fœtus, quàm diu in utero est, tantùm pasci debet: quia tempore putrefactionis hujus fœtus nihil de eo apparebit. Vadit enim Sol tum ad Aquilonarem partem, & aqua quæ egreditur de muliere, bene tunc dicitur menstruum: quia cum illa & in illa sanguis menstrualis nondum bene digestus à corpore egreditur, & est pura illa essentia, quæ illam primò illuminavit, quam accepit à Sole, quæ est vita ejus post mortem ejus, quæ etiam egredi incipit ab ipso in prima solutione, cujus color est viridis, propter suam abundantiam frigiditatis animæ: & sic menstruum appellatur aqua cum qua tribus mensibus primis administrabitur compositum. Cùm verò fœtus incipit vivificari, attrahit in corpus suum hoc menstruum paulativè, donec abstrabitur à ventre, & hoc per cursum ad umbilicum, & sic producitur ad lucem. Est enim menstruum sanguis non bene digestus, propter defectum caloris quod bene digeritur convertitur in lac, quod corona vocatur. Unde patet, quod est sanguis biscoctus.

Et scias quòd aqua nostra ignea acuta est aqua menstruosa, tunc quatuor partes calcis primæ intus solutæ cujus quatuor naturæ congelatæ appositæ subitò putrefactione denigrat omnia, quæ est secunda aqua, de qua loquitur Rosarius, dicens: Aqua nostra dividenda est in duas partes, quarum una parte corpus congelatur, scilicet cum 7. suis imbibitionibus & congelationibus: altera verò parte putrefacit, & liquatur ut aqua ignea suprà dicta, acuata evomatur. Unde pro prima, secunda & tertia imbibitione apponendum est vicissim ad 4. 2. terræ 12. aquæ recentis, & semper & qualibet vice scilicet 45. b. 2, sed septem vice apponuntur 52. quæ cum alijs b. 2. aquæ acuatæ post congelationem apponendæ fiunt 3. actum cum quibus, ut prius omnino denigratur, & ulterius per decoctionem tantùm ad perfectionem dirigatur sine additione, secundùm Rosarium: cujus processus completio per sublimes, & dicendum est, completur.

Unde Averrois: Solvere corpus & congelare spiritus est opus naturæ primum, ut prædictum est.

Nota: Scripsi ut reperi depingendo magis quàm scribendo.

Septimus gradus est & dicitur Cibatio.

Quæ est ingrossati subtiliatio, subtilis ingrossatio, albedinis & rubedinis, bonitatis ac quantitatis augmentatio, & colorum varietatis plenaria denudatio. Unde Philosophus: Hoc est in corpus, sed quòd terra eorum est alba, in qua seminatur aurum eorum, & anima eorum est aurum. Et illud corpus est locus scientiæ, congregans illam, & mansio tincturarum. Unde illud Barbæ assimilaverunt: id est, domui scientiæ eorum: id est, congregationis Philosophorum, hoc est, corpori in quo congelavit aquam benedictam: quamvis ponitur albi barba pro cucurbita, quo constat totum opus nostrum: duæ faciunt res rem; scilicet secunda, tertia, quarta: id est, quod ad hanc cibationem, dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum vitæ. Quare dicit Hercules: Refundite, id est, solvite corpus magnesiæ, quod dealbatum est, & factum simile folijs Rubi: nam ipsum est quod fugit in optimam: & aurum extractum ab eo dicitur Aurum Philosophorum, & est tinctura quæ est anima: cum aqua enim ascendit spiritus ad aërem altiorem: & hoc corpus album, quando dealbatum fuerit aurum, post denigrationem ejus nominaverunt Aurum nostrum. Unde Senior: Commisce aurum cum auro: id est, aquam cum cinere. Et Hermes: Seminate aurum in terram foliatam: quare dicunt Philosophi, quòd aurum nostrum non est aurum vulgi. Quare quidam ob albationem duo ordines, scilicet albificandi & rubificandi. Unde in expositione statuæ Joseph: Cibatur terra margaritarum ac foliorum cum duobus aquis medijs concluſivè, atque reservate, vicissim transitoriè denigrando, & primariè multiplicando, cum quibus completur rosa alba tempore æstivali in Oriente: & Sol oriens in Lunæ crescente secundùm Seniorem.

Nam istarum duarum terrarum: id est humores, qui reducuntur super fæces materiales, Lunæ & Solis: id est, super terram albam veluntur ad altum ejus radium, sed simpliciter perficiendum. Nam cùm ingressa fuerit secunda, rapietur de purgatorio in paradisum, quæ vocatur albedo prima, dicti operis sequentis, & secunda terra foliorum. Et tamen hæc albedo secunda de primo opere naturali. Jam sufficit dixisse de prima & de secunda dimensione Tyriaci nostri: & de tribus qualitatibus & naturis ejus. Nunc restat dicere de tertia dimensione, & quarta qualitate nostra & colore, qui mediat tertio radio, efficietur rubea in manifesto tempore autumnali in metidie: & hæc rubedo dicitur prima operis secundi Solis quæ tamen est novissima de primo opere naturali, & cum rebus trinarijs dictæ aquæ conjunge integrè in b. phiala servatis, & tertiæ terræ Solis vicissim appositæ, completur opus secundum rubicundissimum, videlicet Tyriacus benedictus dimensione spirituali velut cinaprium. Nam secunda, tertia, quarta, unum fiunt convertendo quadrangulum in rotundum. Unde Alphidius: Igne sicco & calcinatione sicca cum suo humore decoque siccum, donec fiat cinaprium. Et utrumque opus concordat, excepto quòd opus album est opus hyemis, & rubeum æstatis: quia opus rubeum majori ignitione indiget in triplo, & cibatione acetosa in septuplo.

Et sciendum quòd anima est vinculum spiritus, sicut corpus est vinculum animæ. Nam spiritus penetrat corpus, & figit: anima copulat, in quibus est summa nigredo & mors, quæ nisi ablatæ fuerint, perpetuæ non erunt: ab aqua ergo extrahe suam ab anima nigredinem, à corpore mortem expelle, frequenti irrigatione, sed quantum in humido solveris, tantum assando desicces. Quare dicitur coque & iterum coque, & ne tædeat hoc pluries reiterare, videlicet denigrando, dealbando, & completivè rubificando. Cùm in opere fueris, adsit assiduitas, & patientia cum expectatione congrua: cujus finis commodum & lætitia: absit etiam pigrities, & negligentia & festinatio diabolica, cujus finis damnum & tristitia.

Octavus gradus dicitur, & eſt Sublimatio.

Quæ non eſt in Alembicum accenſio, ſed nebuloſæ materiæ notatio, ſeu in aqua deportatio.

Nam modi ſublimationis, & exaltationis noſtræ non differunt in eſſe, niſi quòd per ſolam hanc ſublimationem intelligitur lapidis habilitatio & perfecta conjunctio fermenti cum ipſo.

Tunc quoque eſt medicina ſimplex, ſed non perfecta, nec perfectiſſima, quouſque per exaltationem nobilitetur medicina, & erigatur, ut inferius patet.

Et ſciendum, quòd quatuor de cauſis facimus ſublimationem.

Primò, ut corpus fiat ſpiritus de ſubtili materia.

Secundò, ut Mercurius incorporet ſe cum corpore, & fiat unum cum eo.

Tertiò, ut fiat totum album: & deinde rubeum & mundum, & falſedo ſulphuris minuatur, & præcipuè ut reſtituatur innata lapidis humiditas, quam primus in calce perdidit, & ad citiſſimam liquefactionem permotivè habilitetur: quia medicina debet eſſe pulvis ſimplex ſubſtantiæ ſubtiliſſimæ, puriſſimæ, adhærentis argento vivo, ex natura ſua, & facilimæ liquefactionis, occultæ ſubtiliationis, & tenuiſſimæ ingreſſionis ad modum aquæ, & ſuper ignis pugnam fixè ante fugam Mercurij: tunc quidquid apponitur illi, erit ejuſdem complexionis, cum eo cui apponitur, ut ſi aquam illi appoſueris, totum ſolvetur in aquam: ſi verò in ignem, totum ignis erit. Cumque Elixir fixaveris, reducas ſuper ipſum apparatum ſpiritum, quòd commiſcentur & liquefiant per ſecretum naturæ in vaſe Philoſophæ. Nam cùm ſteterint per moram temporis, vincet fortius eorum, convertens totum in ſpiritum ſibi ſimilem: & ipſum cùm impotens ſit, vinculo ſuo non ſtat: conjunge ergo ipſum, ut generet ſibi ſimilem, nec conjungas ad ipſum cum quovis alio, ut ſe convertatur, niſi cum eo, de quo fuit in principio: & ratio eſt, quia ſulphura cum ſulphuribus continentur, & humiditas ſimiliter cum humiditate. Nam ſpiritus convertens ſulphur in ſpiritum ſibi ſimilem, factus eſt uterque fugiens, & ſpiritus aërei ſimul in aërem ſcandentes ſe diligunt, ut Hermes inquit: Portavit illum ventus in ventre ſuo. Quia generatio geniti noſtri fit in aëre, & naſcens in aëre ſapienter naſcitur. Aſcendit enim à terra in cœlum, iterúmque deſcendit in terram, conquirendo vim ſuperiorem & inferiorem. Unde Arnoldus: Oportet à terra exaltari filium noſtrum ad aërem in cruce: nam ſic oportet ipſum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.

Nonus gradus dicitur Fermentatio.

Quæ eſt duplex, ſcilicet alba & rubea. Quorum fermentum Solis eſt Sol, & Lunæ Luna.

Eſt autem fermentatio animantis incorporatio, ſaporis reſtauratio, odoris inſpiratio, entium ſuppletio. Et ſicut corpora ſubſtantialia & ſuper ignem fixa non poſſunt ſuas qualitates manifeſtare, nec de ſe vivunt, nec eriguntur niſi beneficio ſpiritualitatis, primùm purificentur & vivificentur: ſic nec accidentia ſpiritualia poſſunt oſtendere ſuas virtutes permanentes, niſi cum fixis corporibus priùs uniantur & perpetuantur: tuncque corpus complectitur ſpiritum, docens vigorando ipſum contra ignem prælari. Et ſpiritus corpus docens ipſum activè penetrare groſſa, ſubtiliare denſa, remeliorare imperfecta & perficere, omnibus quoque generaliter corporum infirmitatibus finaliter mederi. Dicit inſuper Avicenna, quòd corpus & fermentum quod ibi miſces, debet eſſe pulvis ſimplex & ſubtilis: non tamen facies omnino eorum mixtionem, donec utrumque eorum ſolvatur in aquam, eò quòd in illa ſpecie fit tantùm commixtio per minima: quia levius eſt ſeparare vinum à terra quàm ab aqua. Sed aqua quando miſcetur cum aqua, recipit aquam tanquam naturam propriam, quod nullatenus ſeparantur ab invicem, eò quòd Naturâ lætatur, & Natura naturam appetit, deſiderat, concipit, amplectitur, nutrit, renovat, dirigit, confortat, dealbat & rubificat.

Fermentum autem præparare ſecundùm Avicennam, & ipſum albuere, calcinare & ſolvere, ut poſſit conjungi cum ſubtili opere, vel corpore, videlicet album cum albo, rubeum cum rubeo: fermentum tamen non mutat pulverem lapidis ad formam, aliquam, niſi ſuam, verum dat ſibi ſaporem & odorem, cum vigore tranſmutandi alia corpora ad ſuam naturam. Nam cùm converſa natura ſit, fit unumquodque cum ſingulis, cujus complectitur eſſentiam primitus, eò quòd quouſque formentur ad omnem formam ſuſcipiendam, ſemper aptatur ad ſolutionem, & huic ſolutioni dant diffinitionem: ſic autem fermentum quarta pars æris noſtri. Et ſciendum, in qualibet tinctura plus eſſe milleſimam partem tingens in liquida ſubſtantia, quàm in ſicca, ut patet in croco cùm ponitur in liquorem. Unde fermentum reducit ſibi appoſitum ad ſui naturam, colorem & ſaporem ad omnem modum, videlicet de potentia ad actum. Nam confectionem dealbat, ſeu multiplicat, ſpiritualitatem corroborat, combuſtionem annihilat, tincturam continet ne fugiat, corpora leviat, & ſe invicem facit ingredi & conjungi, quod finis eſt operis, ſine quo Elixir non peragitur, quemadmodum paſta ſine fermento non fermentatur, quod dicitur fermentum fermenti, & coagulum coaguli.

Et ſciendum, quòd omnis diſſolutio fit ſecundùm convenientiam: omne enim quod diſſolvit Lunam, diſſolvit etiam Solem: eò quòd corpus calidiſſimum eſt, nec illud penetrare poteſt, niſi ſpiritus ſubtiliſſimus, qui & aër dicitur. Et hæc omnia dicuntur ſpiritus ſecundus, unde eſt homogeneum inter duo corpora, quaſi inter Deum & hominem: quia ſuperiori ſpiritu terminato recipit ſecundum. Et hic eſt ſpiritus de duobus humoribus complificans, & ſpiritus eſt illorum fermentum. Quare liquet, quòd per argentum vivum non coagulat album ignem patiens, & argento mero non conjungit, nullum exigit ad albedinem: & ſic de auro mero ad rubeum: quia nec ſibi, nec alteri, nec mundo prodeſſit. Una tamen & eadem eſt operatio amborum, niſi quod opus album eſt opus hyemis, ut dixi, & rubeum æſtatis: unde tempore æſtatis; & fluctuum, inundatio aquarum curtumpit magiſterium tertium.

Non tingit Sol, ut prædixi, niſi tingatur, nec etiam tingit ad complementum, niſi plenùs diſſolvatur. Ad plenum autem diſſolvitur, ſi in quartum gradum per ſublimationem confixentur. Et ſic patet quòd ſine fermento non exibit neque Sol neque Luna.

Nam ſecundùm Platonem: Niſi ſit in eò, quòd eum emendet, non fiet quod quæritis. Quare jubemus conjungere lapidem cum ſuo corpore, ut generet ſibi ſimilem: id eſt, cum argento vel auro mero, quæ ſunt fermenta Elixiris finalis noſtri.

Et

Et sciendum quòd cinis fermentum est auri, & aurum est aqua eorum, & aqua eorum est fermentum corporis, & corpora eorum sunt terra eorum. Et fermentum hujus aquæ divinæ cinis est, qui est fermentum fermenti. Commisce ergo aurum cum auro: id est, aquam cum cinere.

Item, conjunge spiritum cum terra sua dealbata & calce, quod est suum fermentum, tere & confice totum aqua sua, quousque fermentetur, & fiet ut pasta fermentata. Nam pastæ fermentum nihil aliud est, quàm levamen de sua natura. Et sic pulveris fermentum nihil aliud est quàm aurum & argentum, sine quibus completivè Elixir non peragitur: quia complificans tincturarum & spirituum est. Unde quod Philosophus: Regem nunc vestrum generosum diademate coronatū ab igne honorate.

Decimus Gradus dicitur Exaltatio.

Quæ est nostræ magnesiæ dealbatæ ingeniosa nobilitatio, quæ est possibilissimè per spiritus augmentationem, terræ sublimationem, liquefactionis pronotationem, elementa rectificata exaltando, & ex eis vivificativè quintam essentiam constituendo.

Unde Aristoteles: Quando habueris aquam ex aëre, aërem ex igne, & ignem ex terra, &c. Hic autem lapis in elementis dicitur finali operatione, non manuali. Primò amittit aquam quam habet ex aëre post ejus resolutionem in ipsam; aër namque & aqua sunt elementa contigua & media, unde leviora sunt mixtione, atque meliora operatione ignis. Cùm frigidum vicerit calidum, aër vertitur in aquam: cùm verò calidum vicerit frigidum, aqua vertitur in aërem: aërem verò habens ex igne, per ejus solutionem, putrefactionem, & multam convectionem super ipsum, donec bene ablutum sublimatione fiat album. Nam ut dicit Marchos: Cum suam biberit aquam adurentem, denigratur, manetque, ut prædixi, in umbra purgatorij cum noctibus. Concipit autem in balneis, & parit in aere: deinde rubescens, graditur super aquam, & super cacumina dealbatur, & fit albus, levis, & aëreus, qui prius fuit gravis, siccus & obscurus ignis, exaltato Sole incalescit aër & arescit. Unde Psalmus. Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes: id est, dominationes humorum. Ex quo tunc versa sunt in terram, & abierunt in sicca flumina, eò quòd volans cecidit in nidulum, unde prius exivit.

Ignem verò habes à terra exaltatum per lapidis divisionem, aquæ distillationem, & terræ calcinationem: quia sicut ab aëre aquam habes distillatione, sic ignem à terra habes calcinando. Et sic scias quòd terra suam frigiditatem aquæ præstat, aqua suam humiditatem aëri donat, aër suam caliditatem igni communicat. Et sicut ignis vivit de aëre, & aër de nutrimento aquæ, & aqua de nutrimento terræ: ita vivit lapis noster de omnibus elementis.

Et sciendum, quòd aër subterraneus, qui terram sustinet, non demergetur in aqua, quæ sub se est prohibens in terram humectari ab aqua. Factus est ergo aër complexionis, & dividens inter diversa, videlicet, inter terram & aquam, & factus est aër substantia solaris inter adversantia concordans, ne se invicem destruant, videlicet inter aquam & ignem. Exemplum hujus est ovum, quod unum est, continens in se plura scil. albumen & vitellum, pro materia, & forma, nec non testam: albumen & vitellum, pro corpore, spiritu & anima: pro quatuor autem elementis, videlicet testam, præterea pellicula inferiorem, pro aëre frigido subterraneo, qui est dividens terram ne demergatur in aqua.

Deinde albumen pro aqueitate, postea & pellicula superior pro aëre calido subsolari inter adversantia concordans, videlicet inter aquam & vitellum igneum, ne se invicem repugnando destruant. Omnia tamen unum sunt. Aër autem inferior ac frigidior superat terram, scil. aquæ densioris, aërisque altioris.

Ideoque altior aër altiorum, calidior, rarior & subtilior est aëre inferiore. Et sic in uno continentur quinque scil. una quaternitas: id est, terra, aqua, aër, & ignis, & punctus Solis in medio rubeus. Et hic pullus est avis Hermetis.

Quare omnium Philosophorum ab omnibus veteribus nostris lapis noster nuncupatus est, maximè etiam propter albedinem & siccitatem ejus, ac manifestam aqueitatem ipsius circundantem, ac intensissimam rubedinem ejusdem occultativè implicantem.

Dicit enim Aristoteles, quòd non fit transitus rectiùs inter extrema, nisi per medium. Idcirco non vertitur calidum in frigidum, nisi per humidum, quod est eorum medium: nec etiam aqua vertitur in ignem, nisi primò vertatur in aërem, nec terra vertitur in aërem, nisi priùs vertatur in aquam: nam ignis & aqua sunt elementa contraria sive extrema, & aër & terra sunt eorum media: quia sicut aqua est juxta aërem inferius: sic aër est juxta ignem superius: ideoque aqua contrariatur igni, sicut terra aëri, eò quòd aqua & aër conveniunt in humido, ignis & terra in sicco. Terra immediate mutatur in ignem, sicut aqua in aërem: sed ignis & aqua, aër & terra non rotantur, nisi terra in aquam, & aër in ignem priùs convertantur. Ignis verò sua in altitudine secundùm Rogerium Bacconem est calidus & siccus in quarto naturaliter, quæ si vis vertere in aquam, reduc corpus ad temperamentum, ut sit susceptibile, reduc in calcem nunc ad ignem, & apponenda est aqua, quæ est frigida & humida: in quarto tamen est temperamentum nec calidum nec frigidum: & sic aqua cum igne mixta, facit temperamentum nec humidum nec siccum.

Eodem etiam modo mediantibus qualitatibus remittentibus, & augentibus, terra & aër ad temperamentum reducuntur: sicque spiritu cum corpore mixto, ut prædixi, fit temperamentum, non ita rarum ut spiritus, nec ita densum ut corpus.

Insuper etiam cùm in opere fueris, studeas omnia signa naturæ, quæ in qualibet decoctione apparent, recordare in mente, & eorum causas investigare. Per hoc enim apparebit tibi scientia hujus regiminis certa, videlicet, in quo gradu moderandus est ignis. Sed si ad statum rubeum finalem ante terminum albedinis debitum in administrando opus deducitur, conficiendum est quod corruptivè errasti, quod absit. Tunc pro remedio aufer rubedinem, cum aqua alba recenti imbibendo, inhumando, & ad plenum cum calore in nigrum convertendo, & sic semper tepido quousque putrescat jugiter, & iterum nigrum efficiatur: quo tubore præcipue cave propter periculum: Signum autem perfectæ albedinis primæ, videlicet totius materiæ manifestatio cujusdam parvi circuli capillaris: quia circa materiam per latera vasis subcirrini, ubi priùs post summam nigredinem apparuit circulus albus. Et non cures de coloribus ante veram albedinem apparentibus: quia veri non sunt. Nam bis nigrescit, bis vilescit, bis albescit, & bis rubescit. Nam componitur

quatuor diebus putrefactus, colorem dabit nigrum obſcurum, diu moraturum: ſecundò nigrum citrinum: tertiò rubeum nigrum: quartò rubeum claro ſimilem croco ſicco: quinto demum colorem rectæ albedinis circa quam nullum conſequeris effectum. Cùm autem apparuerit candeſcens per totam materiam, ad inſtar terræ foliatæ, vel foliorum rubum, fixa firmiter illam & calcina. Deinde addendo novum humorem exalta, & iterum fixa, & hoc iteratius, Demum mortificato igne ut prædicitur, & continuè exalta albedinem in aurum Solis aurigam, ut aſcendat in curru igneo ad cœlum, poſt Heliam vel in paradiſum gloriæ diademate regio inſignito. Et tunc fit noſtra tyriaca perfecta & lapis rotundus: quia in qualitatem temperatus quatuor elementa lapidis concorditer exaltantur.

Vndecimus gradus dicitur Multiplicatio.

Quæ eſt bonitatis augmentatio, coloris exaltatio, & quantitatis infinitæ artificioſa accumulatio.

Et quare in infinitum multiplicari hæc noſtra medicina debet, hæc eſt cauſa.

Ipſe namque medicina eſt, ſicut ignis in lignis, & ſicut muſcus in aromatibus bonis. Ergo eſt magis creſcens, quo magis fuerit uſu concuſcatus: quare oportet te partem illius relinquere omni tempore, quoniam ditatus ter ab illa, ſicut qui habet ignem ditatus eſt ab igne.

Duobus autem modis multiplicari poterit medicina. Primò per ſolutionem & reiteratam coagulationem, & hæc eſt ejus multiplicatio virtualis in bonitate.

Secunda per fermentationem, & hæc eſt ejus multiplicatio in quantitate. Citiùs autem augmentationem per fermentationem perficies, eò quòd ſoluta non bene operatur, niſi priùs figentur in ſuo fermento: perfectiùs ergo per ſolutionem & exaltationem noſtra medicina multiplicatur, & hoc modo ſpiritualia, & poſt primam ſolutionem, exaltationem, & coagulationem pars una in prima projectione cadit ſuper 100. ſecunda ſuper 1000. & ſic ulterius decuplare, ſemper exaltando, uſque in infinitum, quod precioſiſſimum eſt Dei donum. Sic ergo concluditur quòd abundantiùs operatur in multa medicina fermentata, & ſoluta, quoniam ſolum fermentum, quia magis eſt ſubtiliata, licet per ſolam fermentationem multiplicari poterit in infinitum, & illud ideo: quia fermentum reducit ſibi appoſitum, ad ſui naturalem colorem & ſaporem, per omnem modum. Videntes ergo Philoſophi, quòd illud non fugiebat, cum fugientibus factum eſt fugiens. Reiteraverunt ergo illud ad ſimile corpus non fugiens, & tulerunt in id ipſum, à quo minimè fugere potuerunt, propter propinquam ſuæ naturæ convenientiam: anima certe ſuum corpus citius ingrediens, quàm ſi in alio mitteretur: quod ſi mittere ſtudueris, in vanum laborabis, quoniam non eſt communicatio tenebrarum & lucis. Ad corpus ergo ſimile corporibus, ex quibus tracta ſunt ipſa revixerunt, & parata ſunt: quia ſic tingens & tingendum una tinctura facta ſunt. Non pures ergo illud quod tingit & fugit eſſe veram tinctuam Philoſophorum. Quia ſulphura tingunt, & fingunt, niſi ſimili argento vivo ſui generis ſint juncta. Ideo oportet ipſum admiſceri argentum vivum alio albo, alio rubeo ſui generis, & tincturæ fugiat. Quare jubemus argentum vivum commiſce.i argento vivo, ut prædicitur donec una aqua munda fiat.

Et hoc ſciendum Adarnech, quod omnia rerum nomina, & eorum ſimilitudines nulla alia de cauſa ab antiquis contrariantur, niſi & vos intelligatis, quod hujus rei principium ſuper finem teſtatur. Et etiam ſciatis quòd hoc totum non eſt res niſi una, quæ patrem hujus & matrem, & ejus pater & mater ea miſcuerunt, & paſcunt, nec ipſa à ſua matre aliquo modo differre poſſunt. Rebus ergo mixtis, ut per confixationem multiplicentur, pone vas ad ignem, & cuſtodi fumum, præcavens ne fugiat ab eo aliquid, & regimen totum eſt: in tempore ignis morare propè vas & intuere medicinam quomodo movebitur de colore in colorem, in minori tempore quàm in una hora diei, quouſque veniat ad metam albedinis: citiſſimè namque liquefiet in igne, & congeletur in aëre: quia fumus, cum tenierit ignem, penetrabit in corpus, & ſpiritus confringetur in ſiccum, eritque corpus unum fixum, clarum, album, vel rubeum, ſecundùm quod medicina fuerit & fermentum, Tunc decide ignem, dimitte totum infrigidari: quia cadit unum pondus ſuper mille millia, & ducentà millia, cujuſvis corporis ut convertatur in aurum optimum vel argentum ſecundùm Elixiris qualitatem.

Duodecimus gradus & ultimus hujus Scalæ ſapientis & totius Operis completivus dicitur Projectio.

Quæ ad deſideratam lætitiam artificem perducit. Unde pro projectione in paucis verbis: Sciendum eſt, quòd prius dicitur projice: id eſt, pondus unum ſuper mille, &c. Melius tamen eſt projicere, nunc dimittis ſuper fundamenta, & fundamenta ſuper verba mea, & verba mea ſuper diligam te Domine, & diligam te, ſuper attendite. Exemplum ex eo de croco, qui ſi ſiccus projiceretur, parùm tingit, ſed ſi ſolutus jungatur cum parvo liquore, & illud parvum cum multo tingeret in infinitum. Sic ergo facies projectionem: primò multiplica decem in decem & erunt 100. & 100. in mille, & erunt decem millia: & ſic per communes uſque in infinitum. Cauſa autem horum omnino eſt dux, ſcilicet bonitatis, & neceſſitatis, & perfectionis. Bonitatis, ut abundantiùs tingat, ut melius perficiat, & plura convertat. Neceſſitatis, ut meliùs coloretur, meliùs figatur, & ſibi ſimile ingrediatur perfectionis, quia medicina perfecta habet convertere Mercurium in perfectiſſimum aurum & argentum. Numerus perfectus eſt, denarius, centenarius, millenarius. Ideo à principio ad ultimum facies projectionem. Nam ſi ita parum ſuprà ita magnum in ignem mitteretur, periclitaretur ab ea propter ſui parvitatem. Verùm omnia medicinæ fundamenta ſunt multum ſubtilianda & tingenda. Quia quantò plus ſubtiliatur & tingitur, tantò abundantiùs operatur. &c.

Epilogatio totius, & omnium ſupradictorum ſummaria Recapitulatio.

Sumatur ergo lapis in capitulis ſufficienter notus, & cum operis inſtantia aſſiduetur, ſuper ipſum perfectio ſublimationis, ut mundetur per hoc & ſubtilietur donec in ultimam ſubtilitatis puritatem deveniat, & ultimò volatilis fiat hic quidem eſt primus ejus adminiſtrationis gradus. Ab hinc verò cum modis fixionis figatur, donec in ignis aſperitate quieſcat: ſic autem opus Lunæ nimis album, & opus Solis nimis rubeum: quia album opus eſt hyemis rubeum verò æſtatis: ideoque ſubtiliationis majoris partium indiget per modos

pro-

proprios in majori decoctione digestionis, scilicet donec rubicundissimum assumat colorem. Et in hac una perfectione secundi gradus præparationis meta consistit. Sed & in tertio est totius operis complementum, ut scilicet jam fixum lapidem cum modis subtilisationis volatilem facias, & iterum volatilem fixum, & fixum solutum, & solutum iteratò volatilem, & volatilem iteratò fixum, quousque fluat, & alteret in complemento solifico & lunifico certo: quoniam ex iteratione præparationis hujus tertij gradus in medicina, resultat alterationis, & bonitatis multiplicatio. Ut unumquodque imperfectorum corporum convertat in infinitum solificum & lunificum verum. Sic etiam habet virtutem efficacem, ad sanandum omnem infirmitatem super omnes alias medicorum medicinas. Nam animum lætificat, virtutem augmentat, sanitatem conservat, inventutem renovat, senectutem retardat, &c. ut Arnoldus dicit: Et aurum sic factum per magisterium fit potabile per accumulationem quintæ essentiæ nostræ super ipsum, donec pariter inspissentur: cum quibus etiam elementa aliarum rerum medicinalium poterunt in spissitudinem olei circulari. Et tunc habeatur aurum potabile verissimum balsamum Philosophorum efficacissimum, quod est preciosissimum Dei donum. Cujus nomen glorificetur hîc & in ævum, Amen.

SUBSECTIO QUINTA.

Clangor Buccinæ Tractatus mirabilis, simul & attentissimus, ex quadam vetustissima scriptura excerptus,

De Lapide Philosophorum *satis fideliter, simul & physicaliter omnibus Philosophis edisserens.*

IN nomine Domini, Amen. Buccinæ Clangor de Lapide benedicto Philosophico: Qui operationis & virtutis genere mirabiliter intonat: De quo varias Philosophi posuerunt sententias & scripturas. Unde de prima essentia Philosophus primus Thales Milesius dicit: Antiquissimum entium Deus, ingenitum, æternum: Unde & Pythagoras dicit: Dico Deum ante omnia fuisse cum eo nihil fuit cùm fuit. Et intellige, quòd Deus cùm solus fuisset in principio, creavit unam substantiam, quam primam materiam nominamus Et ex illa substantia alias quatuor res creavit, ignem, aërem, aquam & terram. Ex quibus jam creatis omnia creavit, tàm sublimium quàm inferiorum. Et sic ante omnia alia præter materiam primam, quatuor creavit elementa, ex quibus postea quod voluit, creavit, diversas scilicet naturas. Unde Deus suo verbo creavit, quibus dixit Estote, & facta sunt, scilicet quatuor elementa, & alia. Ex ijs ergo quatuor elementis omnia sunt creata tanquam ex radice, cœlum, throni, Angeli, stellæ, Sol, Luna, mare, ac omnia quæ in mari sunt, quæ varia sunt; & non similia, quorum naturas Deus diversas fecit sicut creationes, eò quòd ex diversis creatæ sunt elementis. Nam si ex uno creatæ essent elemento, convenientes haberent naturas. Sed quia hæc diversa elementa cùm commiscentur, suas amittunt naturas, eò quòd calidum frigido commixtum, nec calidum, nec frigidum fit: humidum verò sicco mixtum, nec humidum fit nec siccum. Ideo creaturæ inde exeuntes naturas habent diversas. Quarum creaturarum quasdam ex uno creavit elemento, & sunt Angeli, quos ex solo igne creavit, & ex duobus Elementis, scilicet ex igne & aëre, creata sunt illa tria, scilicet Sol, Luna, & stellæ. Ideo sunt Angeli, Sole, Lunâ & stellis lucidiores, eò quòd uno singulari quod est quartum rarius creati sunt. Sol verò, Luna & stellæ ex ignis & aëris composito sunt creati: animæ aut (ut dicunt Philosophi) quę hodie & pòst, quotidie corporibus infunduntur, de novo in utero matris non creantur à novo, sed sunt creatæ ex solo igne ex primordiali principio universorum, & foventur in mente & potentia Creatoris usque ad præfinitum tempus, quandò infundi debent corpori novo, tanquam materiæ præjacenti, & hoc per medium, quod est spiritus, infunduntur corpori. Et à corpore non recedunt, nisi spiritus priùs recesserit & evanuerit: quo recesso & evanito, recedit & anima, licet Theologi dicant, quòd anima corpori infunditur, & infundendo creatur. Et Deus delectatur in hoc, quòd quotidie novas creat animas, & hoc ex prima materia. Iterum creavit Deus cœlum ex aqua & aëre. Cœlum quoque ex duobus est compositum; ex altero rariorum scilicet ex aëre, & ex altero densiorum, scilicet aqua. Et ex tribus scilicet elementis creavit Deus volatilia, bruta animalia, vegetabilia. Unde volatilia ex igne & aëre & aqua creata sunt, eò quòd volatilia, & omnia spiritum habentia in vegetabilibus ex aëre, aqua & terra creata sunt, vegetabilius tamen nihil ignis materia est. In vegetabilibus ignis elementum in aëris calore absconditus solum inest. Ignis autem spissus non inest nisi spiritum & animam habentibus. Ex quatuor autem elementis præter noster Adam & filij ejus, ex igne, aëre, aqua, simul & terra creati sunt. Et omnè quod ex una creavit Deus essentia non moritur, nisi in die judicij. Mortis enim diffinitio est compositi disjunctio. Incompositi autem nulla est disjunctio, unde non est mortis & animæ à corpore separatio. Ex duobus autem vel tribus vel quatuor compositis, unumquodque compositum separari necesse est, quod est mortis. Et scito quod nullum compositum igne carens, comedit nec bibit, nec dormit. Et qualiter cùm Angeli ex igne sint creati, cur non comedunt? Cùm dicitur ignem esse, quod comedit. Respondetur, quod ignis simplex non comedit, verùm spissus ignis. Non enim sunt Angeli ex spisso igne, verùm ex tenuissimo tenuissimi ignis & simplici. Igitur ex tenuissimo creati igne non dormiunt, nec comedunt, nec bibunt.

Nota quod quatuor sunt qualitates primæ, scilicet caliditas, siccitas, frigiditas, & humiditas: &

dicuntur primæ qualitates : quia ex ipſis omnia componuntur elementa, & omnia elementantur, & omnia complexionantur. Et elementa ſunt de ſimplicibus qualitatibus. Ideo poſſe habent convertere & mutare materiam de qualitate in qualitam, aliquando in humidum, aliquando in calidum, & aliquando in frigidum, ſecundùm quod diviſio naturæ eſt confortata per complexionum ſuorum elementorum, vel etiam debilitata. Et qualitates ſunt ſicut materia elementorum, in quas ipſa ponunt ſuas formas. Sunt & in eis retentæ, ſicut ejus natura demonſtrat in omni generatione. Item, unum ſolum elementum non poteſt corrumpi neque generari in ſeipſo, quia non eſt ibi ſufficiens natura, quare oportet eſſe plura. Item, illa natura eſt una ſubtilis ſubſtantia, in quam qualitates elementorum intrant. Ideo illæ qualitates elementorum de illo magis ad ſe trahunt in quo plus abundant. Et ſic qualitates ſunt ſicut materia elementorum, in quas ipſa ponunt ſuas formas, & in eis ſunt retentæ, ſicut ejus natura demonſtrat in omni generatione : & in ſubtili ſubſtantia condenſantur in omni generatione, & in ſubtili ſubſtantia condenſant ſe qualitates elementorum. Et ſi iſta natura non fuiſſet de ſubtili ſubſtantia eſſentiali elementorum, tunc illa impura eſſentialitas elementorum non potuiſſet eſſe & dominari in ſubſtantia. Et etiam ſi quodlibet elementum ſeorſum ſecundùm ſuam naturam eſſet minerale, tunc illa ſubſtantia non poſſet eam penetrare, nec ingreſſum habere, neque colorare. Ergo propter iſtam proprietatem illud cõvenit, quod ignis prædominetur in ſubſtantia prædicta elementorum, ſecundùm ſuam maneriem. Hæc Raymundus.

Item, corpora ſub concavitate orbis Lunæ à Creatore condita participiant quatuor elementis, quatuor humoribus naturalibus, ſcilicet : cholera, ſanguis, phlegma, & melancholia. Quatuor complexionibus : caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas. Quatuor coloribus principalibus, album, nigrum, citrinum, rubeum. Quatuor ſaporibus : inſipidus, acidus, dulcis & amarus. Quatuor odoribus : bonus, fœtidus, acutus, & remiſſus. Duobus ſexibus : maſculinus & fœmininus, ſecundùm eorum tres dimenſiones ; ſcilicet : altitudinis, longitudinis, & profunditatis.

Altitudo communis, & ejus manifeſtum : Profundum, eſt ejus occultum : & latitudo horum medium participat. Ergo omnia corpora ſecundùm has tres dimenſiones prædictas omnibus modis habent conſiderari. Idcirco corpus ſi in ſua altitudine eſt terreum, in eo eſt quid frigidum, & melancholicum, amarum, acidum, fœtidum, nigrum, & fœmineum. Et per conſequens in ſuo profundo eſt aëreum, calidum, humidum, ſanguineum, citrinum, dulce, odoriferum, maſculinum. Et ſi in uno latere eſt aquaticum, ſequitur quòd ſit frigidum, & humidum, album, inſipidum, redolens, fœtidum, fœmininum. Et per conſequens in alio latere erit igneum, calidum, ſiccum ; rubeum, amarum, acutum, & maſculinum. Et hæc ſunt ligamina quibus corpora omnia ad invicem conjunguntur, quod in corporibus liquefactis clariſſimè deprehenditur, ſcilicet auro, argento, plumbo, ſtanno, ferro, & ſandarico. Quoniam de proprietate cujuſlibet elementi eſt, habere in ſe contrarietatem, agere in ſuum contrarium.

Et nota quod quatuor ſunt elementa, ſcilicet ignis, aër, aqua, & terra : Quia quodlibet eorum eſt compoſitum ex duabus primis qualitatibus, & non ex pluribùs, ſicut ignis ex caliditate & ſiccitate, aër ex calido & humido, aqua ex frigido & humido, terra ex frigido & ſicco. Item caliditas in igne eſt ejus qualitas eſſentialis, & ſiccitas ejus qualitas accidentalis. In aëre humiditas eſt ejus qualitas eſſentialis, caliditas verò accidentalis. In aqua humiditas eſt ejus principale vel eſſentiale, ſed frigiditas eſt ejus accidentale. In terra ſiccitas eſt ejus principale principium vel eſſentiale, & frigiditas accidentale. Item ignis eſt calidus propriè & ſiccus à proprietate. Nam caliditas major eſt in re, à qualitatibus quàm à proprietate. Ita intellige de alijs qualitatibus elementorum. Item de principio elementorum quatuor dicit Mycretis. Scito quòd terra priùs fuerat aqua, deinde in lapidem verſa & petroſa facta eſt : aqua verò priùs fuerat aër, deinde liquefactus eſt, & inſpiſſatus & in aquam verſus eſt, aëris autem principium ignis erat, quia ex igne ſpiſſo. Ignis verò principio caret, ſuo creatore excepto. Et noſce, quod terra corpus aquæ eſt, de terra autem fit homo. Ignis autem tribus non deſiſtit elementis, quo & tria perſiſtunt. Et de elementorum eorum gradibus dicimus. Quia ignis prout eſt in mixtione, eſt calidus in quarto gradu, & ſiccus in tertio. Et quia caliditas ſibi ineſt in primo, patet, quia nil calidius eo : & quod ſiccum ſecundariò ineſt ei, patet quòd ſi eſſet in eo tanta ſiccitas, quanta caliditas, quam citò calefaceret, tam citò deſiccaret, quod non contingit. Et aqua frigida eſt in quarto gradu : & humida in tertio, quia etſi tendit in contrarium, ut poſſit calefieri, cùm non poteſt congelari in ſiccum, ſua manente frigiditate, & ita magis eſt frigida, quàm humida. Nota, ſcripſi ſicut reperi, ſed mihi videtur contrarium. Aër primò eſt humidus in quarto gradu, ſecundariò calidus in medio tertij : quia humiditas obtundit caliditatem. Terra primò eſt ſicca in quarto, ſecundariò frigida in medio tertij. Et ita fit circulatio omnium elementorum. Ignis caliditatem infundit aëri. Aer humiditatem ſuam per caliditatem rarefactam infundit aquę. Aqua frigiditatem ſuam immittit terræ per calorem aëris eam deſiccando. Et terra deſiccata ſiccitatem ſuam frigefactam, humefactam, & calefactam infundit aëri. Itaque recuperat ignis caliditatem ſuam remiſſam præ qualitatibus alio rum elementorum. Aër ſimiliter humiditatem, aqua frigiditatem, terra ſiccitatem ſuam. Et ſic ſecundùm iſtam mixtionem fit mixtio elementorum. Eſt ergo ignis in aqua, quia eſt in aëre exiſtente in terra. Et aqua eſt in igne, quia eſt in terra exiſtente in igne : & terra eſt in aëre, quia eſt in igne exiſtente in aëre. Et ita eſt eorum mixtio terminabilis ad quamcunque proportionem. Item dicit Raymundus, in principio in theorica Teſtamenti : Quia primordiale principium univerſorum eſt una natura, quam Deus creavit ex nihilo, in una pura ſubſtantia, quam quintam eſſentiam vocamus, in qua tota natura comprehenditur. Deiſta ſubſtantia diviſa in tres partes, ſecundùm ſuam eſſentiam de puriori, creavit Deus angelos & cœlum empyreum, per iſtam claritatem & per veritatem participant puræ animæ cum angelis in natura, per quam participationem eſt inter illam perfecta unio in glorificatione. Et de ſecunda creavit Deus cœlum : id eſt, firmamentum, planetas, ſcilicet Solem & Lunam, & omnes ſtellas. Et de tertia parte quæ erat minus pura, creavit Deus iſtum Mundum. Et iſtud habes intelligere, non ſicut ibi traditur, ſed ſicut totum fuit creatum inſimul, ad voluntatem Creatoris ſuperioris ſine aliqua ſucceſſione operatoris, & ſine materia præcedente, quæ reſpiciat ſucceſſionem generis : quia non eſſet creatio nec opus divi-

divinum, quæ respicit ad Creatorem dominum entitatis, ducta fumentificaliter pro creatione de nihilo in vera entitate substantiali, quamobrem hoc quod dixi & jam dicam, velis intelligere cum spiritu fumentifico & non grosso, nec vulgari: quia hic loquimur ad respectum naturæ opus, cui habes assimilari in nostro magisterio. Et ideo tibi dicimus cum sermone exempli, ut nos intelligas bene, sicut jam dictum est. Quia supremus Creator divisit istam partem minus puram in quinque partes. Ex una parte puriori creavit Deus quintam essentiam, substantiam elementorum, quæ participat cum re cœlesti. Et istam divisit in quatuor partes: Prima purior datur igni, quem creavit Deus ex secunda parte de natura elementorum. Secunda istius pura attribuitur aëri, qui creatus est ex tertia parte minus pura naturæ elementorum, & tertia minus pura datur aquæ, quod est elementum creatum de quarta parte minus pura de natura elementorum. Et quarta minus pura datur elemento terrestri, quod fuit creatum de quinta parte minus pura totius naturæ elementorum. Et quantò natura est minus perfecta, tantò magis appetit perfectionem sui, & perficitur unum cum altero propter concordantiam suarum proprietatum cum suo quinto instrumento, quod est participans cum causa cœlesti. Item, tamen est appetitus perfectionis naturæ, scilicet generationis in corruptionem, & corruptionis in generationem: quia ejus instinctus aut appetitus non venit immediate à Creatore naturæ: quod si veniret, res fieret à Creatore & non à creatura, unde esset perfecta sine destructione: & ideo cùm venit instinctus à natura, ipsa non potest facere illam rem perfectam, nisi perficiatur per scientiam divinam intellectualem, sicut humana, quæ rectificatur per intelligentiam divinam. Sic per magisterium operis nostri, propter hoc potest intelligere naturam elementorum primorum, post divisionem tertiæ substantiæ primordialiter creatam. Non intelligas quòd eorum substantia sit simplex elementum quintum, sed substantia tertia vel quarta, aut secunda, aut prima elementata à parte quinta, quam nos vocamus primordialem, & substantiam simplicem, per quam dictæ substantiæ quatuor elementales elementatæ sunt, quælibet secundùm suam naturam, sicut superiùs declaratum est. Ista quatuor elementa sic creata, restant ut pura & clara, ratione eorum claræ partis naturæ, à qua erunt creata usque ad tempus prædictum quod exivit à natura: aut adhuc usque ad Anathuel prius prædictum, sed ex post, mortui sunt homines & animalia, & nascentia terræ desiccata, cum destructione generationis, ducta à corruptione in generationem, & ex post, à generatione in corruptionem. Itaque corpus impurum resolutum manet hoc, quod contagiavit & corrupit elementa, propter quam corruptionem omnis res visibilis est parvæ durationis: quoniam natura non potest facere rem ita perfectam ratione suæ materiæ grossæ & corruptæ, sicut faciebat in suo principio. Imò dum magis continuat sua operatione, plus devastatur supra naturam, imperfectione participando cum magna corruptione propter materiam quam quotidie invenerit minus puram elementorum: quia quod ponit nunc ad immutandum ipsam, tunc ponebat ad componendum partes firmiores ligamenti. Et per istam potes intelligere omne prophericum quod consumetur in fine Mundi, quando JESUS CHRISTUS venerit judicare seculum per ignem, venientem de cœlo, qui ardebit totum illud quod non erit de veritate quatuor elementorum, & totum ab impuro & malo confundetur in abysso, & quod ignis veniet compositum de virtute pura, & ipse supra sphæram requiescet visibiliter in sempiternum. Et malum impurum cadet supra damnatos, & omnis pura super beatos. Quamobrem potest elucidari tuæ considerationi, quod in fine quodlibet ibit in suum proprium locum, à quo primum venerat: Et intellige adhuc quòd ista propria terra, quam calcamus, non est verum elementum, imò est elementata à suo vero quinto elemento. Nec recedit quinta substantia elementalis à corpore elementato de quo terra est formata. Sicut corpus sine anima, & putrefactio assimilata in unum, vel materia sine forma composita, ab antedicta infecta est, per reciprocam actionem ad elementa de uno in aliud. Sed in centro terræ est virgo & elementum verum, quod ignis non poterit ardere in die tremendo, & sic de alijs elementis tu cum elucidatione clarè debes intelligere, & conjungere principalem substantiam, materialem, simplicem, quæ cum divisione formes formata in unum contrarium. Cum divisione tibi locuti sumus, non separata substantia ipsorum, quæ est essentia quinta, & subtrahes omne principale elementum compositum. Et, ut dixi terra quam nos calcamus, non est purum elementum, sed elementata convententi elementato. Quia in suo centro reperitur quod est virgo & verum elementum. Sic & de alijs elementis debes intelligere. Et quicquid non erit de veritate puta elementorum; ardebit, & totaliter annihilabitur in die judicij. Et tunc elementa manebunt clara & pura, in terra resplendente sicut crystallum. Et talem faciet supremus Creator cum igne cœli, quousque magnus mundus revertatur ad primam causam, scilicet omnia elementa in suam puram essentiam: quæ post modum non timebit ignem cœli, quia tunc motus supernæ naturæ morabitur in illo sine omni corruptione.

Et scias quòd tria sunt principia omnium rerum; scilicet artificiale, & est Deus conditor omnium rerum. Secundum principium quod dicitur exemplare, manat ab ipso, quod dicitur sua sapientia. Tertium succedens principium, quod dicitur materia creata per ipsum, cum ipsa sapientia quæ procedit ab ipso, & est primordiale elementum, quod nos vocamus Yle, quod declarabimus tibi si bene nos intellexeris, quod etiam non est necesse quod præsumas ipsum perquirere in sua specie simplici, pro incipiendo nostram operationem, quamvis quòd sine quinta essentia non poteris ad finem deducere. Sed debes ipsum quærere in specie composita, quia sicut dixi, cum omnia elementa sint creata à dicta substantia, ab illa vivificantur ad creandum & corrumpendum, quoniam necessarium est sicut apparet per naturam. Quod cùm omnis res stans sub globo Lunæ, sit creata & formata à materia quod Yle vocatur, ut de illa influatur in omni re elementali, & plus in una quàm in alia sicut invenimus per naturam, & quod ibi spatietur & est istium solatium: quapropter sis securus quod nulla res Mundi potest sine ipsa creari nec generari: quia ipsa colligat corpus elementare in opere naturæ. Et ideo nos eam vocamus naturam, & primordiale cujuslibet elementi, quoniam de ipsius simplici substantia elementa quæ sunt materia naturæ, fuerant purè creata cum divina separatione, videlicet, aqua, aër, ignis, quæ sunt corpora elementata per dictum primordiale simpliciter elementum, quod est in ipsis, & ab ipso intellectu procedit.

Chronica Methaurea dicit: Quia species elementorum in solis terminis invenitur, & in dicto

principio, quod principium eſt primordiale rerum. Idcirco ſi talem materiam peris intelligere, ſcias ipſum eſſe purum ſubjectum & unionem formarum, in quo retinetur quælibet forma cum poſſibilitate: quoniam fluxus & labilitas infinitas continet motiones, ſecundùm diverſitatem formarum extremarum & mediarum, quam in ipſam recipit, per aliquam ſimilitudinem cœleſtium receptionum, formarum extremarum & mediarum, quæ naſcitur à natura cœleſti, quæ fuit de ſua natura. Et per alias, comparando eam venam directione ſuæ poſſibilitatis. Et per alios vocatur poſſibilitas: quia nullam formam habet in ſe actualiter, ſed oportet formam tribuat cum poſſibilitate, ſicut modo videndo videntur tenebræ, tali modo intelligatur iſta materia nil de ipſa intelligendo. Et propterea tibi ſcribitur forma Mundi qualis eſt. Et illo modo elementa ſunt ordinata in Mundo, à quibus quælibet res generatur modo quo apparet, per calidum ſuccedens. Hæc Raymundus Lullius. Item de igne: id eſt, de calido formali dicit Eximidius in Turba Philoſophorum. Omnium rerum: id eſt, creaturarum initium eſſe naturam quandam, & eam eſſe perpetuam & primam, omnia coquentem, & ad formam debitam & ſpeciem perducentem. Quare dicit perpetuam & primam? Fortè aliquis intelligeret de prima eſſentia, ſcilicet de creatione, ſed non eſt verum. Sed dicit perpetuam: id eſt, ſpiritualem & primam: id eſt, digniorem omnium creaturarum exiſtentium in elementis: quia aliter eſſet falſum. Omnia digerens & coquens, ipſo manſ calidum naturale, quo omnia ad ſpecificam formam & figuram deducuntur.

De Luna Philoſophica, Ænigmata diverſa.

Item, Ptolemæus in Almageſto dicit: Quia Sol non calefacit terram, neque ejus virtutem terræ imprimit niſi mediante Luna, quæ inter alia ſydera magis Solis lumen & caliditatem & receptiva, tanquam medium inter Solem & terram. Quare ut dicunt Philoſophi, duo ſunt impedimenta, quod unum virtutem ſuam alteri non imprimit, ſcilicet diſtantia remota & medium interveniens. Et ſic eſt ibi inter Solem & terram, quia Sol longe à terra diſtat, & quia ibi Luna mediat. Sic quoque in arte noſtra Alchimiſtica, Sol tincturam ſolum non perficit niſi mediante Luna, quia remotè diſtat, cùm ad ipſam ſubtilitatem nondum ut tingat pervenit, & etiam propter ipſa media ſcilicet denſitatem & groſſitiem. Quare neceſſariò requiritur ibi Luna, ut ipſum Solem ſubtili &, rarum & volatilem faciat, & ejus impuritatem ſegreget. Cùm ipſa magis ſuo lumine eget, & natura aliis planetis: id eſt, metallis. Ergo dicit Hermes & Ariſtoteles de Plantis: Sol pater ejus eſt, Luna mater exiſtit. Ego Luna mater & ager in quo ſolare ſeminarique debet ſemen, & ſic non indigemus alio ex quo lapis noſter & alchimia noſtra fiat, quàm Solis & Lunæ. Unde in epiſtola Solis ad Lunam in anno ſolari quando incipit in tenuitate Luna cum Sole conjungi, & ab eo illuminari, primò ait Sol: In ſorore mea Luna creſcit gradus ſapientiæ veſtræ, & non cum aliquo alio ex ſervis meis. Ego enim ſum ſicut ſemen ſeminatum in terram bonam, mundam & puram, quod naſcens creſcit, & germinat, & multiplicat, & adfert lucrum ſuo ſeminanti.

Et dicit ultra Sol Lunæ: Dabo tibi pulchritudinem meam, lumen ſcilicet ſolare, cùm per minima conjuncti fuerimus. Deinde dicit Soli Luna: O Sol, tu mei indiges ſicut gallus indiget gallina, & ego Luna indigeo operatione tua. O Sol cùm ſis perfectus moribus pater luminum, dominus excelſus, & magnus, calidus & ſiccus. Et ego Luna, creſcens frigida & humida, quando copulati fuerimus in æquitate ſtatus & manſione, in qua non ſit aliud niſi leve, habens ſecum grave, in qua manſione vacabimus commanendo, & erimus ſimul ſicut vir & mulier vacantes ejus generoſo partui. Tunc accipiam à te naturam adulando: id eſt, animam, & fiam propinquitate tua tenuis, & exultabimus tunc pariter exultatione ſpirituali: id eſt, ad modum ſpirituum ſublimatorum, quando aſcenderimus ordinem ſeniorum ſuperiorum, & lucerna luci ſcilicet ſolaris infundetur lucernæ meæ: id eſt, lumini: ex te ſcilicet Sol, & ex me ſcilicet Luna, fiet infuſio lucis lumini: id eſt, commixtio luminarium, ſcilicet vinum cum aqua: & ego ſcilicet Luna, prohibebo fluxum tuum, priuſquam tu Sol indutus fueris nigredine mea colore atramenti, poſt ſolutionem & coagulationem meam, cum intraverimus domum amoris, tunc coagulabitur corpus meum, & ego in nativitate mea ero Sol oriens, & convertetur corpus meum in decorem ſolarem. Ad hæc reſpondit Sol Lunæ: O Luna ſi feceris hæc quæ dixiſti, & non veneris mihi in nocumentum, revertetur corpus meum novum, & poſtea novam dabo tibi penetrationis virtutem: id eſt, tincturæ, per quam potens eris in prælio ignis liquefactionis, & purgationis, ex quo ibis ſine diminutione, & tenebris, ſicut, ſicut Sol, & non impugnaberis de cætero ſicut æs, plumbum, cùm non ſis rebellis. Beatus qui intelligit in eloquio meo, &c. Virtus ſulphuris Mercurij eſt quaſi ſemen paternum, & Luna mater: id eſt, propria ſubſtantia Mercurij, ſcilicet, aqueum ſubtile, mixtum terreo ſubtili, eſt quaſi menſtruum, & hoc eſt argentum vivum, Mercurius à Philoſophis nominatur. Cùm autem Mercurius: id eſt, argentum vivum ſit radix in arte Alchemiæ, quoniam ex eo, per eum, & in eo ſunt omnia metalla, ut dicunt Philoſophi. Verſus:

Eſt in Mercurio quicquid quærunt ſapientes.

Nam ſub umbra ſua viget hæc ſubſtantia quinta: Propter hoc: quia ſua media ſubſtantia eſt incombuſtibilis, ut dicit Geber: Quia omnis res hujus artis eſt de eo, & cum eo: quia omnis tinctura à ſuo ſimili procedit, ſcilicet a Mercurio. Dicunt philoſophantes: Hujus autem famoſæ ſcientiæ radicalia principia, ſuper quæ ipſa fundatur, ſunt iſta ſcilicet: Quædam materia vel ſubſtantia propria argenti vivi & ſulphuris fumoſa & ſubtiliſſima, ex natura prædictorum ſcilicet argentum vivum & ſulphuris per noſtrum artificium generata, limpidiſſima & clara, tanquam lachryma, in qua latet & habitat ſpiritus quintæ eſſentiæ. Non autem eſt ſubſtantia iſta ipſum ſulphur, nec ipſum argentum vivum, prout ſunt in natura ſua in mineris ſuis, ſed eſt quædam pars iſtorum ſcilicet duorum, quæ non ſunt argentum vivum, neque ſulphur, ut dicit Geber. Quæ ſubſtantia prædicta, fumoſa & volatilis in propria ſubſtantia exiſtens, in aliam quam argenti vivi & ſulphuris naturam fixam & firmam, quæ eſt ignem patiens & ipſum non fugiens, ſed in eo perſeverans, figitur & inutatur. Vel quæ priùs per decoctionem temperatam & continuam per magiſterium hujus ſcientiæ cum aliis ad hæc convenientibus congelatur in lapidem fluentem, figentem, tingentem, & in igne perſeverantem. Nota quòd principia hujus

rei

rei sunt duo, scil. materia & agens. Materia autem est argentum vivum & sulphur, seu arsenicum, quod idem est. Notandum quòd Philosophi dicunt, quòd istud argentum vivum & sulphur super quod fundat natura suam actionem & operationem, est argentum vivum & sulphur deductum seu prodductum ad aliquam naturam aqueam tenuissimam, clarissimam, albissimam & amœnissimam, quam Philosophi vocant argentum vivum, & ad quandam terream materiam subtilissimam, quam vocant sulphur, per artificium, quod Philosophi mirabiliter occultaverunt. Est autem istud argentum vivum & istud sulphur una res, & de una re exit. Quia una res sit, patet, quod Philosophi nominant dictum argentum vivum. Unde Geber: Est lapis unus, medicina una, in quo totum magisterium consistit. Secundum est agens, unde agens movens ipsam materiam ad corruptionem est calor, qui est instrumentum movens ad corruptionem. Et non est aliud agens in Mundo. Omne corpus passibile reducitur ad suam primam materiam, per operationes suæ naturæ contrarias, quod prima materia est argentum vivum, cùm ipsum sit oleum omnium liquabilium & ductroilium. Materia autem prima metallorum est vapor unctuosus, utriusque naturam in se habentes, scilicet Mercurij & sulphuris. Item, humidum unctuosum est materia nostri argenti vivi Philosophici: & substantia suæ unctuositatis est propria materia essentialis sulphuris. Ubi apertè poteris cognoscere, quòd tu non potes fixare unum sine alio, sicut materia sine aliqua forma: quare stat sulphur sicut calor compressionabilis in substantia argenti vivi, & stat ibi sicut virtus spermatis masculi quod stat in semine mulieris, vel sicut alia virtus generativa. Hæc dicit Raymundus.

Et nil est Mundi quod non sit naturaliter compositum à substantia quatuor elementorum, testimonio cujuslibet boni naturalis, & secundùm suas experientias non est substantialiter aliud nisi ex sulphure & argento vivo puris & mundis, incombustibilib. in primo puncto suæ creationis, & istud est principium, vel genus vel materia prima, & substantia media in quam natura infigit omnes suos colores, in figurando diversas tinctoritates. Isti colores veniunt per proprietatem naturæ quatæ sulphuris & argenti vivi, per instinctum suæ naturæ. Ex quibus patet, quòd in omni loco noster lapis reperitur ratione suarum proprietatum, & per istam experientiam cognoscimus clarè, hanc primam materiam omnium rerum universalium esse, quæ per corruptionem & generationem formantur secundum suam compositionem, & sicut in omni re de tali materia capiunt omnia Mundi suam formam substantialem, spiritualem & accidentalem. Igitur in omni loco reperitur, & in omnibus rebus, quia, ut dicit Raymundus: In omnibus rebus post ultimam suam depurationem reperitur prima materia omnium rerum in quilibet illarum, in forma Mercurii: quæ materia dicitur genus generativum, ens reale, terminus materialis naturæ, in quo natura capit sua principia materialia in actu generationis, quia est primum subjectum naturæ. Tunc enim species in aliam formam quàm prius erant, permutantur, sed non quidem species, sed individua specierum: quoniam ipsa individua actionibus sensibilibus sunt objecta, eò quòd inter se sunt corruptibilia. Species verò cùm sint universales, actionibus sensibilibus nòn sunt subjectæ, & ideo inter se non sunt corruptibiles. Species verò argenti quæ est argenteitas, non permutatur in speciem auri, quæ est aureitas, nec econtrà, quia species veræ permutari non possunt, sed individua specierum bene in suam primam reducuntur materiam. Quia cùm forma istius facta fuerit corrupta & in primam materiam resoluta, tunc etiam necessariò introducitur alia nova forma, quia corruptio unius est generatio alterius: sed quia materia nullo modo manere potest destituta quin tuo aliqua maneat forma, unde destructa una forma metallorum, immediatè introducitur alia, scilicet per transmutationem Mercurij in sulphur, ad nostram operationem quam utcumque finis. Etiam omne individuum multiplicat formam suæ speciei, & non alterius, ut dicit Aristoteles & Raymundus. Et ideo formata prima corporis formi per elementationem conversam in Mercurium, est in colore rubicundo, in odore fœtido, & in tactu subtili, & discontinuata. In tali autem natura sic implicitè insunt quatuor elementa composita, separabilia, & resolubilia in aquam Mercurij post putrefactionem. Hæc Raymundus.

Et cùm dico aqua Mercurialis, nolo intelligere Mercurium nudum, sed Mercurium Philosophorum tubæ substantiæ extractum à mineris in se habentibus materiam de sulphure & Mercurio. Ideo Lilium dicit: Necesse est congregare sulphur quod denigrat corpus. Et tale sulphur dicimus aquam esse, quæ seipsam nigrefacit, albificat, & rubificat, & ipsam fixat. Ideo aqua Mercurialis est prima materia ab omnibus metallis, & cum ea solvuntur omnia metalla, quæ in alia non possunt solvi aqua. Et si metalla non solverentur in eorum primam materiam per istam aquam Mercurialem, non fieret id quod quæritur, ut dicit Aristoteles. Et hoc opus non est opus opificis, sed naturæ, ministrante opifice & adjuvante eam. Dicit Albertus: quia inter omnes artes Alchimia plus imitatur naturam, & hoc propter decoctionem ejus & augmentum, quia decoquitur in aquis metallicis, igneis, rubris, maxime habentibus de forma, & minimè de materia. Nam aliæ artes imitantur naturam similitudinariè; Alchimia verò vera veritate. Ideo non est debilior natura: quia ars sive artifex tantùm sibi ministrat; ipsa verò naturaliter operatur, & perficitur & ideo dicitur: Diliges quod in solis fine luminarium primo labores, qui primus gradus est operationis ut fiat argentum vivum. Quia dicunt Philosophi: Nisi fiant corpora incorporea, & econversò, nil operamini. Et non sic intelligas, quòd corpus fiat simplex aqua elementalis pura: quia ex tali nullum corpus metallicum procedit, cùm simplex non alteretur, neque etiam in foro naturæ persistat, sed bene compositum: id est, grossum. quia unum solum elementum elementatum, tardam corruptionem facit, & tardam generationem in semetipso. Et propter hoc simplicia elementa modicum profunt in arte ista: quia in ipsis non sunt essentiæ primæ elementorum, in quibus sunt virtutes quæ mutant, generant, & corrumpunt. Ideo simplicia elementa sunt extra generationem & corruptionem, & hoc propter causam, quia non attingunt naturalem humiditatem, quæ omnia facit nasci. Etiam si reverteretur in aquam, esset tunc siccum per vim, non per naturam admodum salium vel aluminum, & sic liquaretur ad ignem. Etiam secundùm rei veritatem, si corpus deberet reduci in primum elementum, secundùm istos qui dicunt quòd debet reduci in aquam, aqua non fuit primum elementum inter elementa, licet dicant & allegent illud Genesis ubi dicitur: Spiritus Domini ante cœli & terræ creationem ferebatur super aquas: non sequitur ergo quòd

in ipſa creatione elementorum ipſa aqua fuerit primum elementum, cùm elementa aëris & ignis priùs fuerunt, ut dictum eſt ſuprà, licet bene in noſtra operatione inter elementa viſibilia quæ à nobis videntur & tanguntur, ipſa aqua ſit primum elementum, unde in arte ſolum duo ſunt elementa formalia quæ videntur & tanguntur, ſcil. aqua & terra, cùm virtualiter ſunt quatuor, ſcil. aër in aqua & ignis in terra. Quia dicit Raſis: Omnia quæ ſub lunari globo inferius à ſummo condita ſunt opifice, quatuor participant elementis, non tantùm per viſum, ſed etiam per effectum. Nam elementum aqueum vocamus ipſius aquæ humiditatem, aërem vocamus ipſius aëris naturam, Ignem illam virtutem quam habet, qua comburit, calcinat, & corpora ſolvit. Terra eſt ipſum corpus ſpiſſum & groſſum per ſe, & ſic aqua & terra à nobis videntur & tanguntur, alia duo in his duobus intelliguntur. Ideo ſequitur & oportet, ut in arte Alchimiæ metalla primò reducantur in Mercurium: id eſt, in argentum vivum, unde omnium metallorum materia & ſperma. Unde dicit Geber: Eſt Mercurius decoctus & inſpiſſatus in ventre terræ calore ſulphureo ipſum decoquente. Et ſecundùm varietatem ſulphuris & ipſius multiplicationem, diverſa metalla procreantur in terra: ipſorum enim prima materia eſt una & eadem, ipſa tamen inter ſe differunt ſola actione accidentali: id eſt, decoctione majori vel minori, temperato vel intemperato, adurenti vel non adurenti. Sic concordantes aſſerunt omnes Philoſophi. Quoniam unumquodque illorum ſcil. argentum vivum & ſulphur convertitur primò in terream ſubſtantiam, deinde ex his ambabus terreis ſubſtantijs reſolvitur quidam fumus tenuiſſimus, ſubtiliſſimus & puriſſimus, propter calorem in viſceribus terræ decoctus & digeſtus, convertitur in naturam cujuſdam terræ, & ſic fixionem quandam ſuſcipit & in metallum convertitur.

Nota, ultimus terminus naturæ recommendatoris & tranſmutationis cocti & crudi, ſcilicet ad quam naturaliter tendit artiſta, eſt ſubſtantia ſulphuris non urentis, quòd cùm fuerit converſum, eſt propinqua materia noſtri realis elixiris & puri metalli, prima natura & proxima, alterata tamen per calorem ſui corporis, ſcilicet cum illa alteratione per quam magis propriè & propinquius poſſit ſuam ſpeciem & formam ſuſcipere, cum voluntate concordantiæ naturæ mineralis. Et hæc humiditas nil aliud fuit quàm argentum vivum, erectum à corpore liquefacto intus & foris. Cum hoc argento vivo qualitates ſulphuris ſunt commixtæ per digeſtionem. Et ideo eſt alteratum ſicut natura requirit per ſuum calorem ſui ipſius; per converſionem ſuæ naturæ eſt converſum & congelatum in ſulphur, quia tu potes ſentire per naturam quòd nulla alia humiditas convertitur magis propriè & promptè in ſubſtantiam ſulphuris, quàm, in quam qualitates ſuimet ſulphuris ſufficienter ſunt introductæ per ingenium naturale, quòd fit per artificium, quæ humiditas eſt argentum vivum in forma aquæ claræ, ſicut lac in mammillis: & ſulphur, ſicut ſperma in teſticulis. Illud argentum vivum non habet aliquam contrarietatem quæ ſibi à ſua complexione veniat; quare neceſſe eſt, quod tale argentum vivum ſit nimis temperatum reſpectu complexionis ſui corporis. Quare ergo notifico, quòd materia hujus non eſt argentum vivum commune, cum tota ſua ſubſtantia, &c. Cauſa autem quare oporteat metallum ad naturam vaporis reducere, quia videmus omnia generari Mercurio vivo mediante, quo ipſum genitum fuit. Verbi gratia: Homo genitus fuit à patre mediante ſpermate, generat alium filium mediante ſpermate, & ſic de alijs: ergo natura Mercurialis eſt qua paſcimur, & nutrimur, ſine ipſo namque non eſt vita animalium, nec plantarum: ipſo enim ſemoto à re quacunque, ſtatim ſequitur corruptio & mors, cùm ſit fermentum vitæ & exiſtentiæ rerum univerſarum, ut dicit Philoſophus. Item Raymundus dicit: Quòd corpus quod eſt principale convertens inconvertibile, primò convertatur, ut prius illud convertibile in ſulphuris ſubſtantiam convertatur, & congeletur. Quia nullum argentum vivum promptius convertitur in ſubſtantiam ſulphuris quàm illud in quo ſulphuris qualitates per diſſolutionem ſufficienter ſunt introductæ: nec ullum ſulphur promptius argentum vivum congelat quam illud, in cujus ſubſtantia ipſum argentum vivum exiſtit, naturæ & per artis ingenium jam converſum: id eſt, aurum converſum in primam materiam. Tunc enim natura naturam amplectitur propriam amicabilius, gaudet ea magis quàm extranea, ut Philoſophi omnes clamant, natura lætatur ſola ejus naturâ, natura ſolam ejus naturam concipit. Et Hermes: nil convenit rei niſi quod propinquius eſt illi in ſua natura, & generat in illa re proles ſimiles ſibi. Hoc eſt: Si quæris medicinam metalla generantem, de metallis erit ejus origo, cùm ſpecies à ſuo genere tingatur, ut dicit Philoſophus. Etiam in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus, & non ſic intelligas quòd reducantur metalla in aquam elementalem ſimplicem, quia ex ſimplici nihil fit, ſed ex compoſito.

Sequitur Operis Inceptio.

Hujus artis quatuor ſunt regimina ſivè gradus: Primus gradus regiminis ſit calcinando: id eſt, corpus primò debet calcinari: Secundus ſolvendo, quia debet ſolvi: Tertius diſtillando, quia debet diſtillari vel ſublimari: Quartus igne levi congelando. Et in iſtis quatuor regiminibus & gradibus conſiſtit recta & vera præparatio. Ideo corpus & ſpiritus Mercurij ſunt neceſſaria ad perperranda hujus rei miracula, ut dicit Geber. Et ad hanc artem ſolùm duo requiruntur, ut dicit Hermes: Fiducia in duabus rebus conſiſtit, quibus & tertium adjungitur. Et dicit, tres facies: id eſt, tres ſpecies vidi in uno patre: id eſt, progenie. Quia dicit Morienus, quia tres ſpecies ad totum magiſterium ſufficiunt, ſcilicet fumus albus: id eſt, vis quinta, ſcilicet aqua cœleſtis, & leo viridis, & æs Hermetis; ex qua & cum qua præparant ipſum opus in principio, in medio & in fine,

Item, Eximidius in Turba Philoſophorum: Per calorem temperatum extrahitur à materia metallica quoddam humidum unctuoſum, ſubtile, terreo mixtum, & optimè purgatum, quòd Elixir vocatur, quo metalla tranſmutantur. Ergo requiritur quòd calor extrinſecus: id eſt, ignis artificialis vel materialis ſit calidus temperatè, ita quòd non excedat calorem intrinſecum, ſcilicet ut calor intrinſecus retineat ſecum ſuum humidum quod naturaliter ſecum trahit: quia ſi calor exterior excedit, tunc humidum unctuoſum ſubtili terreo mixtum à forti igne evolat, nec in corpore perſeverat. Oportet igitur quod quicquid eſt ſuperfluum, groſſum & nocuum, per virtutem & decoctionem lentam paulatim purgetur conſervetur, ſubtilietur. Item, quælibet res Mundi: id eſt, omne corpus elementatum,

tatum, habet in se calidum radicale seu formale, causa cujus persistit, & est ejus fixum quo persistit, in quo multiplicatur ejus semen. Et hoc est in Mercurio ejus media substantia, in auro ejus sulphur, quæ dirigunt materiam ad finem & formam, & speciem debitam. Et non est res adeò frigida quin foveatur sub calido, scil. in ipso inclusa tanquam radice, ut dicit Philosophus. Item, Mercurij est terra sua propria tinctura, subtilis valde, in qua ignis tàm Solis quàm menstrui retinetur, & subtilis media substantia Mercurij, & onus & fundamentum magisterij. Et est materia ex qua nostra conficitur medicina, quæ ex argento vivo ducit originem, & ex illa debet creari immediatè: cui alienum noli aliquo modo introducere aliquid, nisi illud quod fuit ortum de eo in proprietate naturæ suæ: & in isto passu realiter ostenditur doctrinæ finis, quod ista materia de qua componimus medicinam, non est argentum vivum in sua natura, cùm jam mutatum est in sulphur: nec in tota sua substantia, cùm jam extremæ partes, terræ & aquæ fuerint separatæ ab illa media substantia. Imò est lapis benedictus, & spiritus participans duabus extremitatibus. Veruntamen quamvis lapis scilicet sulphur factus sit de sui substantia media, vocatu simpliciter argentum vivum. Quia sulphur illuminat, & ab adustione conservat, quod est sibi proprium, velut perfectionis signum. Hæc Raymundus.

Et ex una libra Mercurij vix medium lotonem, hoc est, drachmas duas habebis, quod opus in se recipit, & in eo continet ad faciendum tincturam sive Elixir: Dicit Calid. Aqua: id est, Mercurius vel argentum vivum non plus ponderis adjicit vel dat corpori, nisi quantum de humiditate metallina secum habet vel in se habet, quia humiditas aquæ transit, & metallina manet. Et candida rubedo æris nostri transformat substantiam metallinam argenti vivi in ruborem & tincturam auream mirabilem.

Semen paternum, & propria substantia Mercurij est mater ejus, quia ejus menstruum, quod debet deleri & deponi, & solum semen paternum debet servari & recipi, quod est ejus media substantia quæ perficit & ab ustione defendit.

Hoc semen Mercurij non potes extrahere à Mercurio neque ejus menstruum: id est, humidum superfluum ab eo deponi, nisi mediante coagulo, quòd tale semen in Mercurio coagulet & retineat; ne in humido superfluo etiam recedat, ut coagulum lactis lac coagulat, & ejus meliorem substantiam: id est, ejus mediam substantiam ad se trahit & secum retinet. Et sic spiritus: id est, aqua; non coagulatur nisi mediante corpore, quòd in ea sit dissolutum, cùm corpora sint coagulum lactis hujus: id est, Mercurij: & tale coagulum debet esse aut Sol, aut Luna, in ipso Mercurio soluti. Sed tamen solummodo Luna ad album, & Sol ad album & ad rubeum opus, quia Sol dicitur æs Hermetis, cùm Philosophi loquuntur solùm de ære ipsorum: id est, Sole, quoniam talia, vel tale sunt, vel est coagulum quod coagulat Mercurium: id est, aquam nostram. Quia dicit Constans in Turba: Nil aliud curare, quoniam duplex est argentum vivum, videlicet fixum in ære, & volatile fugiens: id est, Mercurius: retinetque unum aliud quod est sui generis, & à fuga cohibet. Et hic maximum habetis arcanum. Item Raymundus dicit: Quia corpus in hac arte est ens metallicum, in quo virtus mineralis spiritus quiescit. Et metalla sunt id, ex quorum spiritu omnis lapis componitur. Spiritus autem dicitur mineralis virtus, in qua naturæ metallorum quiescunt. Et omnis lapis componitur ex spiritu metallorum, & ille spiritus consideratione Alchimistarum dicitur Mercurius, quia dicitur prima & proxima natura considerata in hac arte, & prima metallorum materia, & habet reduci super terram adhuc, ut si aliquid de spiritu remansit cum terra, quòd dictus spiritus sublimetur per sublimationem ignis tertij gradus, & convertetur in terram foliatam, quæ dicitur quinta essentia terræ metallorum, & ab aliquibus Philosophis argentum vivum, vel Mercurius, vel sulphur naturæ. Et terra tunc inferius manens vel pulvis, dicitur fex & scoria, pulvis damnatus quo non indiges, quia est pulvis vituperatus, qui modica sufflatione evanescit: tamen argentum vivum exuberatum est terra corporis, cum menstruo simul transiens per alembicum: & sulphur naturæ est spiritus metallorum sublimatus, & conversus in terram foliatam, quæ est prima & proxima materia metallorum. Prima materia dicitur etiam terra foliata. Est autem necessarium quòd spiritus exuberatus convertatur in terram foliatam per sublimationem, ut separetur mundum ab immundo, sub ile à ipsso vel grosso terrestri, & ut spiritus vivificans trahatur sicut visus basilisci in animalibus, & sulphur in fusione metallorum. Item necesse est ut custodias spiritum quintæ essentiæ si aliquid vis facere, qui dependet à prima re, sicut forma formarum, quæ se posuit in quatuor naturis honorabilibus & vocatur anima elementorum. Et propter hoc, quia omnis forma substantialis descendit immediatè à re propinqua quinta, volumus quòd vocetur in terminis omnium aliarum formarum. Et non debes intelligere quòd ista forma vel spiritus sit calida vel frigida, vel humida vel sicca, nec masculus nec fœmina: sed bene debes intelligere, quodque ratione suæ magnæ perfectionis ipsa participat cum qualibet aliarum quatuor naturarum: quia sine illo non esset complexio in aliquo complexionato, sicut nos videmus manifestè & cognoscimus cum certa experientia in ligamento, & conjunctione, & commixtione quatuor elementorum, quæ per suam contrariam qualitatem repugnant: quam repugnantiam dicta contraria elementa non possunt concordare, quòd ipsa unirentur in unum, nisi esset hoc honorabile medium, quod vadit confusè per omnia elementa, & participat cum qualibet suarum naturarum, & facit pacem inter inimicos. Hæc Raymundus. Virtus sulphuris Mercurij est quasi semen primum, unaque mater. Inde dicit pater ejus est Sol: id est, sulphur, lunaque mater existit: id est, propria substantia Mercurij, scil. aqueum subtile mixtum terreo subtili, est quasi menstruum: nutrix ejus terra est, scil. terreum subtile in quo habet humidum radicale. Et terra dicitur mater elementorum, quia portat filium in ventre suo, hoc tantùm est dicere: id est, quod oportet eum nutrire ex pura prima substantia: & filius dicitur corpus aut terra foliata: id est, spiritus & corpus mortuum, & opus quod spiritus in quo tota vis est, jungitur inseparabiliter suo subtili terreo magno & suavi ingenio: junge humidum sicco, & lætabitur; quia humidum est spiritus & anima, siccum dicitur terra aut corpus mortuum. Ideo animas corporum ingredi non possunt nisi mediante spiritu. Et opus quod manifestemus occultum, scilicet calidum & siccum, & occultemus manifestum, scilicet frigidum & humidum. Item lapis est spiritus humidus aqueus, sed Mercurius noster: id est, tinctura,

extra-

extrahitur ex incorruptibili grano, procreatum virtute divina: & pro certo hic Mercurius non eſt vulgaris, non enim coagularetur ita citò. Item ante omnia erit proficuum, ſpiritum ſcilicet Mercurium, à ſuis ſuperfluitatibus mundare, & ex eo ſubſtantiam elicere, in qua non eſt ſuperfluum humiditatem aqueam invenire, nec terream ſubſtantiam combuſtibilem opus inficientem, ſed tantummodo ſubſtantiam ejus unctuoſam aëream in qua latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, cujus ſolius magiſtraliter eſt aurum corrumpere, & in ſui primam materiam transformare: eſt autem maximum in arte ſecretum, & ab antiquis penitus celatum: ipſum enim aurum perfectiſſimè volatizat, & in ſpiritualitatem tranſmutat. Cujus operationis modus eſt, ſicut ſcis, &c.

Item tinctura eſt compoſitio lapidis, ignis, & aëris, auri vel argenti. Vel ſic: Eſt quoddam compoſitum ex igne & aëre auri vel argenti. Vel ſic: Eſt corpus tingens ortum & compoſitum à duobus elementis, ſcilicet ignis & aëris, auri ad rubeum, & argenti ad album. Iſtæ diffinitiones ſunt prout tinctura in hac arte conſideratur, ſecundùm quas poteris notare, quòd omnis tinctura Alchimiſtica neceſſariò habet eſſe ex jam dictis metallis. Quia ſimile producit ſibi ſimile in natura naturaliter & artificialiter. Nam aurum ita eſt principium omnibus artificiantibus. Qui ergo aliquid ſignificare vult, non quærat lapidem vel plantam, ſed ignem, qui eſt principium ignificationis. Igitur, fili, ſi aliquis voluerit aurificare metaliorice, non quærat ſulphur, vel alumen, vel arſenicum, ſed quærat aurum quod eſt principium aurificationis.

Tingere eſt tingendo tinctum in ſuam naturam transformare, & ſecum ſine ulla ſeparatione permanere, ut in natura figentis, tingentis & tincti.

Lapis eſt corpus compoſitum ex quinta metallorum eſſentia. Quæ aliàs dicitur argentum vivum, deductum de eorum potentia in actum per magiſterium omnium principiorum hujus artis.

Oleum eſt humoſitas omnium metallorum natans ſuper menſtruum poſt diſſolutionem illorum. Eſt autem neceſſarium ut corpora in oleum convertantur; quia ſi non convertantur in ſeipſis ſolida remanebunt, & quod quærimus non fiet, & ſequeretur privatio omnium principiorum hujus artis.

Menſtruum eſt id ratione cujus corpora metallorum naturali diſſolutione diſſolvuntur, & ſpiritus eorum de potentia ducuntur ad actum, & ſecundùm illam diffinitionem demonſtratur, quòd diſſolutio metallorum non debet fieri niſi cum prædicto principio: & ſi fieret aliter, nihil fieret in effectu.

Elixir autem Philoſophorum componitur ex tribus, ſcilicet lapide lunari, ſolari, & Mercuriali.

In lunari exiſtit ſulphur album, in ſolari ſulphur rubeum, & lapis Mercurij amplectitur utranque naturam albam & rubeam, & hæc eſt fortitudo totius magiſterij.

Item Raſis dicit, album & rubeum, ex una radice procedunt, nullo alterius generis corpore intervenient pullulant: id eſt, ex Sole: ipſo enim Sole abſente, Mercurius privatur effectu, quia ex materia & forma fit tantummodo generatio vera. Et dicitur in Floribus ſecretorum: Fac matrimonium inter virum rubicundum, & uxorem ſuam candidam, & totum habebis magiſterium. Et in ſpeculo dicitur, lapis Philoſophicus ex re vili conſurgit in precioſiſſimum theſaurum id eſt, ex ſperma auri in matricem Mercurij projectum per coitum id eſt, per commixtionem primam. Ideo dicit Verax: Cùm componitur ſcilicet Sol cum ſuo ſimili, ſcilicet Mercurio, erit germen prægnans. Nam anima, ſpiritus, & tinctura, poſſunt tunc ab ipſis per ignem temperatum extrahi.

Item, natura hujus lapidis albi ſive rubei talis eſt, quod tenet medium inter metalla & argentum vivum. Nam vivum argentum nullo modo poteſt cum metallis uniri ſine medio, ſicut anima non poteſt uniri cum corpore ſine ſpiritu, qui tenet medium inter animam & corpus, & ſic tenet ſpiritus medium inter corpus & animam. Et propter hoc dicunt ſapientes: Noſtrum æs ſicut homo habet ſpiritum, corpus, & animam: propter quod dixerunt tria, & hæc tria ſunt unum, & in uno ſunt tria, ſpiritus, corpus, & anima ſunt unum, & omnia ſunt ex uno. Et hæc præparatio eſt, quam vocant converſionem & diviſionem, quia vertitur de re in rem, ſicut convertitur in matrice ſemen hominis in præparatione naturali de re in rem, donec formatur inde homo perfectus, ex quo fuit radix ejus & principium. Nec mutatur ab hac nec exit à radice ſua & diviſione de re ad rem ſine ingreſſione alterius rei ſuper ipſum: niſi ſanguis menſtruorum ex quo fuit ſemen: id eſt, ex ſanguine ei ſimili, & in ipſo facit incrementum ejus. Et ſimiliter ovum ſine ingreſſione alterius rei ſuper eo convertitur de ſtatu in ſtatum, & dividitur de re in rem, & fit demum pullus volans ſicut aliud à quo habuit radicem & principium. Et ſimiliter omnia terræ naſcentia, putreſcunt & mutantur, & ingreditur ſuper ea corruptio, deinde germinant & augmentantur ſicut augmenta ex quibus habuerunt radicem & principium.

Et propter hoc mineralia non nutriuntur ut exeant à radice, ſed redit ad id unumquodque quod fuit, nec convertitur ex hoc aliud. Et qui aliud dicit, falſum dicit. Hæc eſt ergo converſio & diviſio quam volunt ſapientes.

Item ſperma Philoſophorum eſt aqua viva, terra autem eſt corpus imperfectum. Quæ terra meritò dicitur matrix; quia ipſa eſt mater omnium elementorum. Ideo quando ſperma Mercurij conjungitur cum terra corporis, diſſolvitur in aquam ſpermatis, & fit aqua ſine diviſione una. Item totum beneficium hujus artis eſt in Sole & Mercurio. Etenim ipſa in unum conjuncta, lapidem Philoſophorum conſtituunt, & tincturam habent infinitam: nam in corpore acquirit colorem ſanguine rubicundiorem. Modicum quippe talis coloris in album: id eſt, in Lunam infuſum, convertit albi magnam quantitatem in citrinum colorem. Præparatio autem harum rerum à principio uſque ad finem eſt aqua fixa honorata: nam illa manifeſtat tincturam in projectione, & ipſa eſt mediatrix inter contraria, & ipſa eadem eſt principium, medium & ultimum. Intelligens iſta, apprehendit ſapientiam. Et nota quòd illud quod non eſt bonum in corpore imperfecto, perficiatur per illud quod eſt bonum in corpore perfecto: quia corpus perfectum in ſua groſſitie permanens, minimè virtutem habere poteſt ſeparandi terram ſulphuream, à commixto imperfecto, & convertendi ipſum commixtum imperfectum ad ſuam perfectam naturam. Neceſſe eſt ergo, quòd corpus perfectum ſubtilietur antequam habeat talem virtutem. Eſt autem ſubtiliatum quando ad argenteitatem vivam eſt reductum.

Et

Et cùm ipsa argenteitas viva corporis perfecti sit fixa, figit argenteitatem vivam non fixam ipsius corporis imperfecti. Sed argenteitas viva non fixa quæ est in corporibus imperfectis, cum sua fuga & velocitate abstrahit argenteitatem vivam fixam, à corporibus perfectis, & facit illam ilicò penetrare, transformare, glorificare, & omnino perficere. Certum est enim quòd omnis res est de eo, & ex eo in quo resolvitur. Sed omnia metalla reducuntur ad argenteitatem vivam, ergo fuerunt argentum vivum. Et sic solvitur oppositio illorum qui dicunt, species metallorum non posse transmutari, quod verum est ut asserunt ipsi, nisi ad primam reducantur materiam. Tunc enim habetur proprium sperma metallorum, ex quo metalla artificialiter generantur, sicut enim fuerunt generata metalla per naturam à proprio spermate metallorum, ita possunt generari ab eodem spermate per partem potissimè. Quia argentum vivum corporum perfectorum est fixum, cùm sit calore sulphureo in ventre terræ decoctum actione mediocri seu temperata. Sulphureitas verò fixa, & argenteitas viva fixa, in profundo substantiæ auri & argenti sunt substantia fixa. Et talis substantia subtilissima & purissima est, facillimæ, & tenuissimæ liquefactionis ad modum ceræ, & est fixa super ignis pugnam. Per dictum ergo sulphur, & per dictum argentum vivum coagulant argentum vivum, & ipsum in naturam solificam & lunificam convertunt, & etiam convertunt omnia corpora metallica & imperfecta, ad naturam perfectam, solificam & lunificam. Ergo ex prædictis operatur ars, ut ista scientia in paucis diebus vel horis, quod natura facit in mille annis.

Notà: Omne sal fixum ponitur pro corpore vel pro retinaculo. Et tale sal extrahitur à rebus calcinatis, & sal nostrum quod est tinctura extrahitur à calce metallorum per putrefactionem, usque totum compositum exuat suam naturam, & induat alienam.

De tali sale dicit Senior: Primò fit cinis, postea sal, & de illo sale per diversas operationes Mercurius Philosophorum. Dicit Raymundus: Ars semper indiget calce: id est, terra sua propria, in qua maxima virtus mineralis est imposita, ad indurandum Mercurium: qua ipsa semper fluit per media & extrema lapidis, ideo ea non obliviscaris. Postmodum spiritus & anima debent reddi corpori, & sic corpus resuscitari, ac spiritus & anima in corpore mori, ut verificetur dictum Philosophi dicentis:

Qui mecum moritur, mecum oritur.

Quod sic intellige: Nam spiritus: id est, Mercurius est animæ locus: id est, Mercurij corporis, & ille spiritus est aqua sicca Philosophorum, scilicet media substantia Mercurij vivi, qui scilicet spiritus extrahit hanc animam à corporibus perfectis. Ipsa autē anima est tinctura soluta in spiritu: id est, aqua Philosophorum. Nam sicut tinctura vulgi portatur in aqua sua, quæ tingit pannos, & aqua colorata currit in pannum, & tunc recedit aqua per exiccationem, & remanet tinctura in panno. Sic quoque aqua sapientum in qua est tinctura eorum reducunt super terram suam albam benedictam sitientem, & currit aqua Philosophorum in terram eorum, & extenditur corporaliter in illa, & terram tingit. Deinde recedit aqua spiritualis & remanet anima in corpore, quæ est tinctura: quia est fumus subtilis, invisibilis, & non apparet effectus ejus nisi in corpore. Nam totum magisterium nostrum fit cum aqua nostra. Et ex eo & de ea sunt omnia necessaria. Nam ipsa corpora solvit solutione vera Philosophica, ut convertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt, ut dicit Socrates. Secretum cujuslibet rei est vita, videlicet aqua, ut dicit Hermes. Aqua aëris inter cœlum & terram existens, est vita uniuscujusque rei: ipsa enim aqua solvit corpus in spiritum, & de mortuo facit vivum, & facit matrimonium inter virum & mulierem. Etenim totum beneficium artis facit.

Et nota quòd argentum vivum seu spiritus est duplex: scilicet præparans & tingens,

Spiritus præparans, corpus dissolvit & mundificat à corrumpentibus causis, & extrahit secundum spiritum in corpore existentem & tingentem, & reducit ad seipsum corpora per dissolutionem, & eorum duritiem mollificat, corpora illuminat, tenebras & impuritatem eorum à partibus puriſſimis segregando & removendo erigit, & exaltat corpora reducendo ea in naturam sublimem, inspirat & subtiliat dum solidum facit spirituale. Et hæc sunt beneficia & effectus spiritus seu argenti vivi præparantis corpus extrahentis ab eo spiritum tingentem. Hic autem spiritus: id est, argentum vivum primò est grossus, immundus & fugitivus propter sulphur quod in meatibus terræ sibi occurrit & immixtum est: sed operatione artis quæ fit per distillationem & sublimationem renovatur, mundatur, depuratur, decoquitur, inspissatur ac per sulphur album & rubeum coagulatur.

Et hic spiritus præparans est duplex. Primus est vapor siccus non viscosus acedinis multæ, subtilis valde, faciem ignis fugiens, de facili, vim magnam penetrandi habens, minera corpora resolvens. Et hic spiritus ex vocabulis in æquivocatione vocatur Mercurius, sed Mercurius spiritus est, ergo & ipse ultimo rationis vocabulo spiritus siccus appellatur: & de tali spiritu necessarium est ut in ampullâ bene obturata secludatur, & hoc est de intentione Alberti. Iste enim spiritus generatur ex rebus ponticis, & ipse vocat ipsum humidum siccum igneum.

Alius spiritus præparans est in vapore humidus, non unctuosus, sed viscosus, acedinis maximæ, mediocriter subtilis, ignis asperationem de facili fugiens, & in eo evanescens, vim solvendo corpora & spiritus possidens, aqua in seipso existens.

Hoc etiam vult Albertus, & quamplures alij, licet sub alijs rebus. Et talis spiritus etiam vocabulo æquivoco vocatur Mercurius, & hoc ex comparatione & similitudinaria locutione. Nam Mercurius, ut dicunt Philosophi, virtutem maximam habet alterandi & penetrandi corpora, in plano non quiescens, ignis examen non expectans, sic est de duobus spiritibus, & ratione istius ambo vocantur Mercurij. Ex istis recipe intellectum in dictis Philosophorum, & erit intelligentia levis hîc & alibi, & videbis Philosophos inter se non errare sicut putaverunt multi. Et sic notandum est, quòd aliud est unctuosum, & aliud viscosum: nam ex humido viscoso generatur lapis, sed ex unctuoso generantur metalla.

Sed spiritus tingens est Mercurius Philosophicus cum suo sulphure rubeo vel albo, naturaliter sibi commixto, in ipsa minera, & terræ visceribus mediocriter præparato, artificis arbitrio relicto, usque ad consummationem perfectam. Aliud argentum vivum est tinctura permanens, quod à corporibus perfectis extrahitur per dissolutionem, distillationem

lationem, ſublimationem, & ſubtiliationem. Et tale argentum vivum, dicitur oleum incombuſtibile, anima, & aër, & ſplendor corporum: quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis vitam præſtat immortalem, & ea illuminat. Extrahe ergo argentum vivum ſeu lapidem Philoſophicum, tam à corporibus quàm à vivo argento, quoniam unius ſunt naturæ, & habebis Mercurium & ſulphur de illa materia, ſuper terram, de qua aurum & argentum generatum eſt in terra.

Item legitur in Turba, quod quicquid veritatis conſiſtit in Arte Alchimiſtica, eſt injungere ſeu conjungere humidum ſicco, & hoc ab omnibus Philoſophis conceditur. Pro humido intellige ſpiritum liquidum, ab omni ſorde mundatum, & pro ſicco intellige corpus perfectum, purum & calcinatum: & revera iſtarum duarum partium operatio conſtat, vel eſt penitus in diſſolvere & coagulare. Diſſolvere eſt corpus in naturam ſpiritus convertere, ſed coagulare eſt ſpiritum econverſò efficere corporalem, & ut fixum fiat volatile, & volatile fixum, & obtinebis totum magiſterium. Nunc iterum de principio operis, ſcilicet præparationis Mercurij primi.

Nota, quòd quando lapis noſter factus eſt, tunc cum tota ſui ſubſtantia in vaſe noſtro pone, & firmiter os vaſis cum luto magiſterij claude ut reſpirare non poſſit, & rege in igne lento, donec major pars in pulverem nigrum convertatur, quod erit in viginti uno diebus. Et ibi factæ ſunt iſtæ operationes, ſcilicet ſolutio, diſtillatio, diviſio, putrefactio, ablutio, ceratio, coagulatio ſeu fixio.

Item extractio tincturarum eſt primum opus, donec de corpore nil remaneat in corpore quòd non aſcendat cum ſpiritu humido, quo madificatur corpus, & in aquam vertitur claram. Primò tamen apparet nigredo, & in primo opere totum fit mundum. Secundum opus eſt ſolvere totum, ſcilicet corpus humidum, & fiet terra, ſcilicet lapis, & aqua, ſcilicet congelata in eo in colore picis liquidæ. Unde neceſſaria eſt conjunctio eorum, ſcilicet corporis & ſpiritus, & quando videris in principio operis ejus quaſi grana rubea, & in coagulatione velut oculi piſcium, & quaſi piperata nigra, ſciaste juſtam ſemiam ambulaſſe. Sin autem omnis operatio fruſtrabitur & cafletur, non quomodo ſpiritus in corpus vertitur. Dicit Aſſiduus Philoſophus: Ignis coagulatur & fit aqua: aqua verò coagulatur & fit terra. Ecce in unam naturam inimici convenerunt, qui cùm impulſantur: id eſt, coagulantur, fiunt amici: cumque rareſcunt, fiunt inimici, ſcilicet in ſeparatione elementorum. Quod ſi hanc regulam convertas, per contrarium veritis corpus in ſpiritum. Oportet te ergo totum extenuare in terra: id eſt, terram ſpirituare: id eſt, tingentem facere, & totum peregiſti.

Unde dicit Plato: Scitote omnis turba, quod omnis ſpiſſitudo in terra quieſcit. Spiſſum namque ignis in aërem cadit, & ſpiſſum ignis & aëris in aquam, & denſum quod ex ignis aëris & aquæ ſpiſſo coadunatur, cadit in terram.

Gratianus quomodo corpus fit ſpiritus. dicit: Terra reſolvitur in aquam, aqua in aërem, & aër in ignem, & hæc eſt via qua corpus fit ſpiritus.

Item Hermes dicit: Conjunge maſculum cum fœmina proprio humore, quia ſine maſculo & fœmina nullus natus generatur. Item alius dicit: Quando Rex vidit aquam congelare ſeipſum, certus fuit, quod res fuit vera ſicut aſſignat voluntas quæſita ſulphuris cum Mercurio, nil aliud intelligas. Sequitur, tunc fiat in amplo vitro, & pone eum in putrefactionem inter cineres calidos, & cineres in quibus ſtat vitrum in quo ſenex ſedet, debent tranſire uſque ad altitudinem illius ſenis, ſcilicet ad altitudinem ventris ampullæ.

Sic dicit Roſarius, & mitte ibi ſtare per 40. dies vel ulterius ſecundùm quantitatem materiæ, donec peragatur. Hoc addunt omnes Philoſophi in generali, quia omnis actio generalis unum habet tempus in quo perficitur & terminatur, ut dicit Ariſtoteles.

Dicit Mundus & Attamius in Turba: Et pone eum in putrefactione per quadraginta dies: id eſt, per 40. hebdomadas, diem per hebdomadam, ſicut in vulva ſperma moratur, hoc eſt novem menſibus vel circa, ſecundùm quantitatem materiæ, tunc munda ab ejus nigredine. Et dicit Roſarius: Caveas tibi præcipuè in ejus mundificatione à privatione virtutis ſuæ, ne vis activa ſuffocetur in aliquo. Nam omnium terræ naſcentium ſemina non multiplicantur, neque creſcunt ſi generativa illorum per aliquem calorem tollatur extraneum, ut dicit Philoſophus. Et munda per diſtillationem primo cum ſuavi igne: deinde modicè fortiori igne diſtilla Mercurium. Qui Mercurius animam Solis vel Lunæ ſecundum quod ibi eſt Sol vel Luna, ſecum portat, & non diſtilla ita forti igne, quod terra: id eſt, elementum terræ etiam in diſtillatione tranſeat, ſcilicet ſufficit quod ſolus Mercurius ſuperfluus qui cum corpore non poteſt exſiccari: Et quod inferius in cucurbita remanet, eſt ſal noſter: id eſt, terra noſtra, & eſt in colore nigra, draco caudam ſuam devorans: nam draco eſt materia in fundo remanens poſt diſtillationem aquæ ab ea, & aqua illa dicitur cauda draconis, & draco eſt ejus nigredo, & draco imbibitur aqua ſua, & coagulatur, & ſic devorat caudam ſuam. Et cinerem qui eſt in fundo vaſis ne vilipendas, quoniam eſt diadema cordis tui, & permanentium cinis, ut dicit Morienus: Et diſtilla ſic calore, ne corpus reducatur in ſolidam maſſam, aut nimis ſiccetur & aduretur. Et diſtilla tali igne, quod quando gutta incipit cadere quod ſexaginta octo, ut dicit Arnoldus, vel ſeptuaginta (aliqui dicunt octoginta) momenta ante caſum alterius guttæ numerabis, & ſi tranſcendat gutta, extrahe ignem ut dicit Roſarius.

Et ſi tardiùs, auge modicum ignem, & non ſequaris tuam imaginationem de fortificando igne in fine diſtillationis, ſed cum ſuavi igne. Unde verſus ſequens:

Senſibus æquato gaudet natura ſecundo.

Et ſic expecta diſtillationem cum patientia complementi.

Signum diſtillationis completæ eſt, quod medium Mercurij aut magis à terra per alembicum diſtillaſti, quam impoſuiſti, & quod terra remanet mollis & liquida: ſicut dicit Arnoldus: Quam terram ſic mollem & liquidam fac in vitro bono & longo collo & ſigilla ſigillo Hermetis, & pone in cineribus calidis.

Primò per octo dies lentè in cineribus calidis, alijs autem diebus ſint cineres calidiores: & ſtet in tali calore ad 25. dies naturales, vel ad triginta, uſque terra exſiccetur, & remaneat arida in fundo vaſis: poſt fac agitationem vaſis cum manu fortiter & ſubitò: quia materia, id eſt, terra adhærebit lateribus vaſis.

Quantò magis materia fuerit putrefacta, fortius adhæ-

adhærebit, ut dicit Rosarius. Et si ibi ignis occasu majoraretur aliquotiens, quòd materia esset nimis ad inriores partes vasis conculcata, tunc oporteret quòd fieret contritio prædicta in vitro cum pistillo vitreo. Et sic habes terram quæ priùs fuit. Quia solum duo sunt in lapide nostro elementa formalia, scil. aqua & terra, licet virtualiter in eo sint omnia quatuor elementa. Et ubi dicitur lapis noster est ex quatuor elementis, hoc non est per intellectum literalem, quòd sit terra, nec quòd sit aqua, nec aër, nec ignis, sed solummodo est una natura, quæ continet in se de natura & proprietate elementorum omnium.

Item totum magisterium est hoc, dividere elementa à metallis, & ea purificare, & à metallis sulphur naturæ dividere. Nam totus labor est in hoc & tota magisterij fatigatio in elementorum & sulphuris divisione. Hæc Raymundus. Sed ubi dicitur, ut Hermes dicit: Quatuor oportet te extrahere elementa, hoc profectò nil aliud est, quàm ipsas seminarias virtutes: id est, qualitates activas, vel passivas excitare, quia naturaliter exponentes quamplurimi in errores inciderunt infinitos. Et nos dicimus illam virtutem nostram spiritualem mineralem esse, quæ potest intendi & fortificari, ut pullulandi, & germinandi virtus inseratur. Et volens elementa mineralia recipere, non accipias de primis nec de ultimis sed de medijs. ad creandum lapidem: quia prima sunt multum simplicia, & ultima sunt multum grossa. Quando volueris comedere, capias panem & dimitte farinam: & quando volueris facere panem, accipe farinam, & dimitte triticum. Hoc est verbum nostrum, & doctrina Philosophica. Hæc Raymundus.

Item separatio elementorum est segregare eterogenia quæ sunt accidentia. Et conjunctio elementorum est cumulare homogenia: hoc est, quæ sunt de natura humidi radicalis, ut Turba Philosophorum dicit. Item Raymundus dicit: Habeas patientiam in dealbatione, quia hic jacet multa tarditas.

Item nigredo est in omni putrefactione; semper major debet esse in opere Solis quàm in opere Lunæ, ut dicit Rosarius: Quia Sol inter omnia alia corpora minoris est sulphuris quantitatis, majorem autem quantitatem argenti vivi continens; ex quo hæc nigredo procedit, ut dicit Geber.

Postea recipe terram nigram tritam, & imbibe ipsam cum Mercurio, ita quòd solummodò materia: id est, terra cooperiatur. Aliqui volunt quòd super eam maneat per duos digitos aut tres. Primum tamen melius: quia dicit Philosophus, ne Yesu submergatur, & sigilla vitrum sigillo Hermetis, ut suprà: Et hoc ideo, ut activa à passivis non recedant, donec ad decoctionem perveniant perfectam. Et pone in cineres calidos ad exsiccandum. Et hoc fac secundò, scilic. imbibendo, & exsiccando & tertiò & quartò, donec terra ipsa satis alba est fixa albedine. Cave etiam diligenter ne misceas aquam Mercurialem impuram cum corpore mundo. Qualis enim erit liquiditas aquæ Mercurialis, talis erit & puritas corporis; per quàm abluitur: & quantò magis corpus fuerit ablutum; tantò albius erit. Nam præparatione suæ perfectæ colorationis propter hoc fit cum aqua & igne. Idcirco si corpus non fuerit bene album, tere ipsum cum aqua, post iterato exsicca. Sic enim azoth: id est, terram nigram abluunt & mundificant, & ejus obscuritatem auferunt, ut dicit Philosophus: Nam præparatio terræ semper est cum aqua; ideo qualis erit limpitudo aquæ; talis & erit limpitudo terræ. Et hoc fiat in dealbatione terræ, & ejus ablutione.

Non ergo tædeat te prolixitatis, repetitionis, contritionis & assationis hujusmodi: Est enim actio naturalis, quæ suum habet motum & tempus determinatum, ita ut quædam in majori spacio temporis; & quædam in minori terminentur. Dicit Methodius: Quia in 40. diebus & totidiem noctibus completur totum beneficium & opus ad album, post veram purificationem lapidis. Quia in purificatione ejus non potest esse tempus determinatum, nisi secundum artifex bene laborat. Et in nonaginta diebus & totidem noctibus completur opus ad rubeum. Et isti sunt veri termini ad tantam perfectionem. Et in centum & quinquaginta diebus & noctibus; cum fermento ad perfectionem totam. Versus:

Coctio fit rerum ter quinquaginta dierum.

Dicit enim Pandolphus in Turba: Quia corpus in ejus decoctione in quarta parte diminuitur. Et Astantius dicit, quod corporis quarta pars diminuitur apud ejus decoctionem. Et in impositione imbibitionis terræ nigræ cum Mercurio debet præcaveri de fractione vitri, ut dicit Rosarius. Unde debet notari, quòd aqua sit calida, & etiã materia: id est, terra sit calida: & cum manu debet agitari vas & teneri in debito calore, & iterum agitari subitò: quia materia lateribus vasis adhærebit, donec materia & totum fiat sicut lutum turbidum. Et tunc vitrum debet sigillari, & poni inter cineres calidos ad exsiccandum ut suprà, usque quo fiat pulvis siccus. Et est maximè cavendum, ne spiritus qui corpus exsiccat, à corpore exiccetur, fiat volatilis: nam si volaverit à corpore, corpus perfectum esse non potest: Ideo etiam requiritur vas esse sigillatum sigillo Hermetis. Quia si vas in arte nostra non esset clausum ad inclusionem spiritus, tota vis exhalaret, sicut in generatione metalli. Quia si fumus ex quo metallum generatur in terra inveniret locum apertum, expiraret, & nullum generaret metallum.

Etiam ideo fit ut activa à passivis non recedant, donec ad decoctionem perveniant perfectam; ut suprà ostensum est. Et tempus cujusliber imbibitionis ad exsiccandum est viginti quinque dies naturales, vel triginta. Sic dicit Arnoldus, licet Rosarius dicat: Si corporis imperfecti scil. terræ fuerit libra duodecim unciarum, fixatur cum imbibitionibus suis nonaginta diebus. Addunt Philosophi donec peragetur, ut dictum est. Aliquando tamen fixatur in majori vel minori tempore, secundùm industriam operantis, & propter majorem vel minorem quantitatem pigmentalium.

Intellige hæc de toto tempore imbibitionum albedinis & rubedinis. Et istam solutionem & coagulationem vel exiccationem terræ nigræ quater reitera, & quarta vice solutione & coagulatione: id est, exiccatione istius terræ completa, remanebit hæc terra fixa & lucida nigra in fractura, & projecta super corpora, alterat in suo colore. Et quantumcunque hæc terra pluries soluta fuerit & congelata, erit penetrabilior & subtilior in naturâ sua. Dicit alius: Erit ergo ordo imbibitionis terræ, quæ reservatæ, unionis, exsiccationis & calcinationis quater reiteranius, & sic preciosam lapidis terram sufficienter abluisti & decoctionem administrasti. Et per hos gradus contritionis, aquæ imbibitionis, exiccationis & calcinationis, caput corvi, terram nigram & fœtidam sufficienter mundasti, & ad albedinem perduxisti, vi ignis & calcinationis, quæ apta est ad fermentationem suscipiendam, quæ fermentatio est ipsius lapidis animatio.

Dicit Socrates: quatuor decoctiones fieri successivè, & pòst debet vivificari per fermentum, & iterũ coqui. Dicit enim: Jungite illum aquæ suæ & coquite, & hoc fieri debet donec liquescat & dealbabitur: pòst iterum coquatur usque deveniat ad rubedinem & suavem compositionem. Et postea iterum coquatur igne fortio-

ſo riori,& hæc ultima decoctio, in qua figitur & vertitur corpus in ſpiritum. Et ita ſunt in ſumma ſeptem decoctiones, ſcil. quatuor ante vivificationem : id eſt, fermentationem, & poſtea tres, quæ deſignantur per ſeptem aſſaturas,ut etiam dicit Philoſophus. Æs noſtrum corpus habet hydropicum, ut Naamam Syrus leprotum, propter quod quærit lavacrum regenerationis ſepties in Jordane,ut ab innatis paſſionibus & corruptionibus emendetur. Tunc habes ſulphur & arſenicum non urens,quo poſſunt uti Alchimiſtæ,& cum eo faciunt argentum perfectum.Gratianus dicit: Dealbate ergo Latonem:id eſt,æs cum Mercurio,quia Laton eſt ex Sole & Luna compoſitum corpus imperfectum citrinum : quod cùm dealbaveris, & per diuturnam decoctionem ad priſtinam citrinitatem perduxeris,habes iterumLatonem eodem modo ductibilem,& ad quantitatem tibi placitam:tunc intraſti per oſtium,& habes artis principium.Et tunc calcina,diſſolve,& cinera,& ita procede per medium,& ſi reſuſcitatum facis penetrabile, tunc ad finem perveniſti. Dicit enim Raſis, Morienus & Aſſidnus: Quia terra cùm ſit dealbata, candida, fit fixa propter fixionem Lunæ,ſed non fixa fixione Solis,& ideo tingit in Lunam.Et poſtea in opere eſt ſaltûs Lunæ:id eſt, ſublimatio humiditatis lunatis & circulus Solis:Quia poſt extractionem ſpiritus ſolaris à corpore ſuo mortuo, fit & animæ reſtitutio & corporis vivificatio.

Dicit Plato : Quia omni argento ineſt ſulphur album, ſicut omni auro ineſt ſulphur rubeum, & tale ſulphur non reperitur ſuper terram,ut dicit Avicenna,ſicut in iſtis duobus corporibus conſiſtit. Et ideo iſta corpora ſubtiliter præparamus ſuper terram, de qua aurum & argentum efficiebatur ſubtus terram.

Via alia practica. Aliqui ſic faciunt cum terra.

Cùm jam habes terram exſiccatam,tunc fac in vitro,& pone ſuper ipſam de Mercurio ſextam vel ſeptimam ejus partem,ut ſolvatur:quare prius pondera ipſam,& ſigilla vitrum ſigilloHermetis ne flos fugiat, & ſulphur lento calore in cineribus exſicca & congela, & iſtam ſolutionem & congelationem quater teitera : quarta vice ſolutione & congelatione iſtius terræ noſtræ completa, remanebit hæc terra fixa & lucida,nigra in fractura,& projecta ſuper corpora alterat in ſuo colore,ſed non Mercurium. Et quantumcunque pluries hæc terra ſoluta fuerit & congelata, erit penetrabilior & ſubtilior in natura ſua, ut etiam ſuprà dictum eſt, etiam magis tendens ad albedinem, in iſtis quatuor ſolutionibus &congelationibus.Cùm verò completa erit decoctio iſta quæ dicitur prima, vertendum eſt ad alias tali modo.

Scias pondus totius congelati, ſicut ſciviſti primo per diſcretionem tuam,& pone in vitro,& ſuperpone quartam partem Mercurij ut ſolvatur, & ſigilla vitrũ ut ſuprà ſigillo Hermetis, & ſuper calore exicca & congela, & erit una maſſa alterius coloris quàm prima, nigra & clara aliquantulum. Continuatur autem hæc diſpoſitio dealbationis poſt ejus aquæ imbibitionem & exſiccationem & congelationem, donec fiat alba maſſa,perfectæ dealbationis, in igne perſeverans,fundens,fluens,& Mercurium congelans, & perfectè retinens, & tranſmutans quodcunque corpus metallicum imperfectum, unificum verum.

Et ſi velis Elixir tuum præparatum,ſecunda tertia & quarta vice volatizare vel imbibere,hoc debet fieri cum quarta parte elixiris Mercurij. Attamen ſi majus pondus de ipſa aqua poſueris ſuper ipſum corpus quàm quartam partem ipſius, dum tamen non ſubmergitur,melius erit,corpus dealbabit,& erit ſubtilius,penetrabilius,& cum majori pondere convertit.

Item cùm aliqua res eſt imbibita corruptione, non poteſt tolerare ignem, nec ignis in ſe poteſt pati corruptionem:quare neceſſe eſt,quòd lapis ſit magiſtraliter extractus,mundatus,& ſeparatus ab omnibus ſuis feculentijs corruptibilibus,antequam tu præſumas fixare eum, quouſq; ut purum elementum primæ rei.

Et nota quòd ſubtilior eſt medicina, quæ Mercurium convertit quàm illa,que convertit corpora.Unde ſciendum,quòd major labor eſt in dealbando propter pondera & commixtiones,quàm in rubificando: quia poſt dealbationem uſque ad rubificationem non ſequitur error. Et pro rubeo faciendo dicitur, quod debet fieri eodem modo & ſimili regimine in omnibus, ſicut in dealbando ipſius feciſti, & non debet iterum ire ut incipiatur à principio, ſed tantùm ut multiplicetur : & pone tantum Mercurij per ſolutionem terræ & exiccationem, ſicut in dealbando, niſi quod calor ſit major, & ſcias quantumcunque plus ſolvitur anima cum ſpiritu ſuo non fixo : id eſt,aqua ſua,& coagulatur, tantò plus multiplicatur, & non ſolùm in quantitate, ſeu cum hoc etiam in virtute & tincturæ ſubtilitate, & in projectione magnum pondus convertet & tranſmutabit.

De albatione terræ,dicit Hali : Accipe quod deſcendit ad fundum vaſis, & ablue ipſum in igne calido,uſque quo auferatur ejus nigredo. & recedat ejus ſpiſſitudo & fac evolare ab eo additiones humiditatum, donec deveniat calx nimis alba,in qua non erit macula. Tunc enim terra ad animam recipiendam eſt habilis & pura. Dealbatio enim eſt totius operis initium, & fundamentum : nam ex tunc errare non potes in decoctione, quia poſt dealbationem uterque fugiens, ſcil. anima : id eſt, Mercurius corporis, & ſpiritus : id eſt, Mercurius vivus, in non fugientem terram vertunt, & faciunt eam ſpiritualem, mundam à terreſtreitate, aëream & ſubtilem. Et ſic ſpiritus & anima non uniuntur cum corpore vero modo,niſi in albo colore : quia tunc in ipſa dealbatione omnes colores, qui hodie in Mundo excogitari poſſunt,apparent, & tunc firmantur, & in unum colorem ſcilicet albedinis conveniunt.

Et nota, quòd iſta diverſitas colorum non apparet in lapide noſtro niſi in conjunctione animæ cum corpore, ut dicit Morienus. In una tantum vice, ignis in eo novat diverſos colores. Anima eſt ſpiritus tingens, qui demum à corpore alterato ſuperatus, eo gaudet, ipſo incorrupto facto : & ſic alter in alterum tranſit,& alter vim alterius recipit natura diſponente.

Dicit Senior: Primum opus lunare eſt abluere, dealbare & putrefacere centum quinquaginta diebus. Et dealbatio totius,& fugatio tenebrarum ab ea. Et Flidius dicit : Scitote quòd totius operis initium eſt dealbatio, cui rubor ſuccedit : deinde operis perfectio, poſt hanc autem per acetum, nutu Dei, tota fit perfectio, quod eſt ſolvere & coagulare. Et de ipſa terra dealbata,dicit Morienus: Quia nihil cum ea facias ipſa non exiſtente fermentata. Et quia ſine fermento nulla ſit tinctura perfecta, ut dicunt Philoſophi, ſicut nec abſque paſta non fermentata fit bonus panis,ſic in noſtro lapide,cùm fermentum eſt ſicut anima,quæ corpori imperfecto mortuo vitam tribuit,mediante ſpiritu: id eſt, Mercurio. Quia dicit Ariſtoteles : Nil completur niſi cum fermento ſubtiliatio, ut ſpiritus, Verſus: Ad bonam paſtam utaris aqua,nec non fermento:ſimili modo in lapide noſtro. Hæc tria reperies dictis Philoſophorum conſimilia. Et non eſt aliud fermentum quàm Sol tam ad album & rubeum,& Elixir,&Luna ſolũ ad album Elixir,ſcil. aurum vel argentũ Philoſophorum, non aurum vel argentum naturæ.Unde fermentũ auri nil eſt niſi ſulphur ſuum,quod albũ in argentũ convertit,quia illud

nun-

nunquã figit, quod naturaliter fixum non est, nec fuit.

Item fermentum sit ex pura metallorum materia: id est, sulphure naturæ & vapore elementorum. Item fermentum non est aliud nisi à Sole & Luna. Et fermentum non est quousque dicta corpora convertantur in suam primam materiam seu naturam, quia expedit quòd ex Sole & subtilissima terra fermentum debeat componi. Quare si duo corpora perfecta nescis reducere in suam naturam primam, non poteris habere aliquod fermentorum. Hæc Raymundus.

Nota, fermentum album sic fit. Ciba unam partem Lunæ purissimæ minutim limatæ vel subtiliter foliatæ cum duplo sui Mercurij bene mundissimè albi, terendo simul fortiter in mortario lapideo, donec Mercurius ebibat ipsam limaturam, & fiat quasi butyrum, ità quòd nil inveniatur de ipsa limatura: Deinde ablue hoc fermentum fortiter cum aceto forti & sale communi, bene præparato, donec acetum inde exeat clarum & bene purum, & tunc ablue sal cum aqua dulci; & aquam ad ignẽ exsicca. Ab hinc verò superadde ei sulphuri albi partem unam, terendo insimul totum; donec redeat quasi in corpus unum: Deinde incera ipsum cum una parte aquæ, & mitte ad sublimandum, &c. Sic eodem modo fit fermentum rubeum cum Sole purissimo, ut suprà, licet Pandolphus dicat in Turba, quòd nullum venenum tingens generatur absque Sole & umbra ejus, quod volunt & plures alij: Quia non sit aliud fermentum tàm ad albam quàm ad rubeum tincturam quàm Sol. Dicit Aristoteles: Album & rubeum ex una radice, nulla re alterius generis interveniente pullulat.

Item Rosarius & Petrus de Zalento dicunt Fermentum quod est medium conjungens, si ponitur in principio vel in medio, opus perficitur citius, nec indiget reiteratione: Non tamen dicunt hæc per abnegationem. Arnoldus dicit: Cùm autem prædictam medicinam volueris fermentare; tunc solve eam in dicto humido distillato, sicut dictum est superiùs, donec sit aquatica ut Mercurius, tunc pone in vase super ignem in toto regimine, donec colores appareant; ut in primo regimine, donec habueris Elixir, ut priùs fusibilem & tingentem: & tunc duplicatus est ejusdem elixiris effectus in fermentatione, quantitate, & projectione; &c. Quoniam in omni solutione & fixatione acquirit sibi decem in multiplicatione, ideo quantum plus solvitur, figitur, tingitur, & funditur medicina, tantum melius & fortius operatur.

Item de fermento nota. Ex perfecto nil fit, quia jam perfectum est, prout ista materia seu artificium perficit. Habemus exemplum: Panis fermentatus & coctus; est perfectus in suo statu vel esse, & ad suum ultimum finem pervenit, nec eo plus poteris fermentare: Sic est in auro. Aurum purum deductum est per examen ignis in corpus firmum & fixum, & eo amplius fermentare est impossibile apud Philosophos, nisi habeatur prima materia metallorum; in qua resolvatur in primam materiam, & in elementa miscibilia. Recipiamus ergo illam materiam unde erit aurum; & mediante artificio deducitur in verum fermentum Philosophorum, & mutemus hoc cum ingenio in materiam perfectam, vel in speciem corporum perfectorum, & tunc demum incipiamus operationem. Quare multi moderni laborantes etiam Philosophicè sunt decepti: quia opus dimittunt ubi est incipiendũ.

Nota, aqua est spiritus corpus purgans, subtilians & dealbans. Et fermentum est anima, quæ corpori imperfecto, mediante aqua, vitam tribuit, quam priùs non habebat, & in meliorem formam reducit. Etiam si in lapide nostro esset tantùm alterum eorum, nunquam facilè flueret medicina, neque tincturam daret; & si daret, ut Mercurius in fumum volaret: quia non esset in eo receptaculum tincturæ.

Et in hora conjunctionis maxima, apparent miracula: tunc enim corpus imperfectum coloratione firmi coloratur, fermento mediante, quod fermentum est anima corporis imperfecti, & spiritus, mediante anima, cum corpore conjungitur, & ligatur cum eo simul in colorem fermenti; conjungitur & fit unum cum eis: Et sic in corpore imperfecto, primò extrahitur illud videlicet eorum purum ab impuro, subtile à grosso. Deinde desiccatur & fixatur, & erit mortuum: tunc fermentatur & revivisci per fermentũ, quod est anima. Quia si non misces fermentum cum Elixir, non coloratur corpus sicut debet, quoniam sine fermento non exibit neque Sol, neq; Luna, sed aliud quod non permanet in tinctura naturæ metallicæ, nisi præparaveris ipsum scil. corpus imperfectum. Conjunge ergo ipsum sulphur: id est; corpus imperfectum, cum eo scil. fermento, ut generet sibi simile, & fiet Elixir. Cùm autem sulphur: id est, corpus imperfectum conjunctũ fuerit cum suo corpore: id est, fermento, corpus non desinit in ipsum aliud agere, quousq; convertat totum in ipsum, scil. fermentum. Idcirco quando vis fermentare, misce simul cum corpore, ut totum sit fermentum; quoniam fermentum redigit vel reducit sulphur nostrum ad suam naturam, pondus & colorem; per omnem modum, qui erit & fermentum album ad album, & rubeum ad rubeum, quod patet: Quia si posueris fermentum argenti cum sulphure auri, rediget ad suam naturam, sed non ad suum colorem. Similiter si posueris fermentum auri cum sulphure argenti, convertit ad suam naturam, & non ad suum colorem, & econversò. Non ergo misceas aquam albam cum rubea, nec è conversò aquam rubeam cum alba, quia cum aqua alba albificabis, & cum rubea rubificabis. Veruntamen, fili, non putes hanc aquam esse rubeam, sed albam in aspectu, importans rubificandi potentiam cum affectu. Hæc Raymundus.

Cùm corpus mundatum fuerit, & cum spiritu incorporarum & sublimatum, tunc ambo facta sunt vapor unctuosus. Et nisi corpus fiat vapor, nihil in opere hujus peregisti, cùm hoc fiat mediante aqua Mercuriali depurata Ergo dealba & ablue corpus, quia dealbatio totius operis perfecti est initium & fermentum. Si enim sulphur non fuerit sublimatum, substantiam ingredientem & virtutem penetrantem non habebit, & per consequens ad verum Elixir non valebit. Et Mercurius vulgi dicitur spiritus. Mercurius corporis dicitur anima, & spiritus non conjungitur corpori nisi mediante anima, & econverso anima non conjungitur corpori nisi mediante spiritu: tantum subtilietur, ut si unum cum eo, & homogeneum sicut suus spiritus est. Tunc enim permixta sunt cõmiscibilia, & primò recipit naturã fermenti, & virtutẽ tingendi.

Spiritus non conjungitur corporibus donec à suis immundicijs perfectè fuerint mundati: id est, donec media substantia Mercurij & sulphuris corporis fuerint à suis mundicijs perfectè mundati: id est, horum conjunctio non est possibilis; nisi priùs spirituales fiant: id est, per mutationem utriusque à sua virtute & proprietate; per conversionem suarum naturarũ conjunguntur omnimodo conjunctione: & tunc sic purgati debent in corporibus conjungi: id est, cum fermento mediante aqua, quæ facit inter ea matrimonium: id est, conjunctionem sive unionem. Rasis dicit: Accidentia non possunt qualitates extendere; nisi fuerint substantijs sociata.

Item si vis ut fiat Elixir perfectũ, atque transsubstantians, & omne corpus sibi conjunctum tingat, hoc non potest fieri nisi per solutionẽ suam sæpiùs repetitam.

Unde quinta eſſentia eſt corpus per ſe differens ab omnibus elementis & elementatis tàm in materia quàm in forma, tàm in natura, quàm in virtute, non habens in ſe contrarietatem, unde nec cauſam corruptionis. Hæc Thomas in compendio: Ubi ponit differentiam inter elementum, elementatum, & quintam eſſentiam.

Modus faciendi Solutionem talis eſt.

Poſtquam Lapis noſter in igne eſt factus, & ab omni ſordicie: id eſt, purgatus eſt ab omni impuritate. Nota: id eſt, poſt dealbationem & Philoſophicam ſpiritualem purgationem ſuprà memoratam. Tunc tere ipſum in pulverem ſubtilem valde in uno lpide, & in aceto noſtro cœleſtino ſolve, & ſtatim ſolvetur in clariſſimam aquam, & quaſi fontaneam. Et poſtquam lapis totaliter fuerit ſolutus, ut dixi tunc diſtilla noſtra diſtillatione, & coagula temperato calore, & ultimò calcina prima coagulatione ſecundùm modum ſuum. Et ſcias quòd in iſta ſolutione lapidis una pars multò plures partes Mercurij, vel cujuſcunque corporis, in Lunam veram vel in Solem, ſecundum quod lapis fuerit præparatus, tingit. Et hæc ſolutio noſtra eſt ſecretum noſtrum. Et ſic multiplicabis lapidem, ut poſtea in capitulo de multiplicatione dicetur

Item terra vulgi ſic ſeparanda eſt à terra Philoſophicali: Accipienda eſt terra calcinata &c. & ponenda eſt in vaſe vitreo vel vitreato, in quo ſit aqua munda & pura ſerventiſſima, & cum baculo vitreo agitare debes uſq; quo illud quod poteſt diſſolvi, diſſolvatur, & ſcias quòd bona terra diſſolvitur & efficitur aqua alba ſicut lac, quam diſſoluram ponas ad partem, & iterum tere terram quæ remanſit inſolura, & injungas iterum aquam bene calidam, uſque quo facias donec aperte videbis quod nihil amplius poteſt diſſolvi: cujus ſignum eſt, quod terra quæ remanſit in fundo poſita ſuper lignum, nihil manet. Secundum ſignum ſi ponatur ſuper ignem nequaquam funditur neque adurit. Et poſtquam hæc videbis, tunc accipias totam terram tuam diſſolutam in aqua prædicta & ponas in vaſe vitreo, & congelabis de ſiccatione forti, & priuſquam congelata fuerit, tunc ſcias te habere terram Philoſophicam, mundam & paratam: Aliam projcias, quia eſt fex & ſcoria: dicitur etiam terra alba. Et cave ſemper ne eam aſſes niſi fuerit ſicca. Unde Hermes dicit: Seminate aurum veſtrum, in terram albam foliatam, quæ per calcinationem facta eſt ignea, ſubtilis & aërea, videlicet tantum: ſeminate aurum: id eſt animam & virtutem tingentem, in terram albam, quæ præparatione debita eſt facta alba & munda, in qua non ſint ſordes. Ex his patet quod aurum naturæ non eſt materia fermenti, imò aurum Philoſophorum eſt ipſum fermentum tingens.

Item Hermes caput Philoſophorum ait: Cùm naturas commiſcere volueritis Alchimiſtæ, lapidem auri commiſcete humori, qui eſt aqua permanens, ſuoque vaſi imponite ſuper levem calorem quouſque liquefiat: deinde dimitte quouſque areſcat aqua, & ſe invicem continuat. Ipſa autem aqua imbuta: id eſt, ſiccata, ſit ignis intenſior quàm prius fuerat, quouſque areſcat, & terra: id eſt, pulvis fiat. Hoc autem peracto, ſcitote hoc eſſe arcani initium, ſcil. aqua imbuere & deſiccare perfectè. Hoc verò multoties facite quouſque pereant partes: id eſt, deficiant, ſcil. quòd non aſcendat vltrà, ejuſque colores vobis appareant. Jubeo tamen vos non ſimul aquam fundere, ne ykeſir ſubmergatur, verùm paulatim: id eſt ſepties infundite, terite & deſiccate, & ſic multoties facite quouſque ſumatur aqua.

Buſen in Turba dicit: Et aqua ſepties imponitur ei, donec bibat totum humorem, & recipiat vim imminentem igni, apud pugnam ignis, & rubigo fiat. Hermes dicit: Humectate & contetite plutibus diebus: & hoc novem vicibus ſolvere & coagulare præcepit, quæ per novem aquilas deſignantur. In qualibet enim ſolutione & coagulatione augebitur ejus affectus. Unde Philoſophus in Turba:

Videntes autem omnes hujus artis inveſtigatores illam albedinem apparentem in vaſe, rati eſtote quòd rubor in albedinem occultatus eſt.

Tunc autem non oportet vos illa extrahere, verùm coquere quouſq; totum rubeum fiat, & ſic per plures imbibitiones aquę ſolaris requiritur, terream rubeam fore factam, etiam per majorem ignis adminiſtrationem. Item Barſen: Præcipio illis æs aqua dealbare candida, qua æs rubeum faciunt, ſcilic. æs noſtrum. Quare oportet quod priùs album fiat antequam rubeum fiat: quia non eſt tranſitus de extremo ad extremum, de contrario in contrarium, niſi per medium diſpenſativum: id eſt, de nigredine non eſt tranſitus in citrinum vel rubeum, niſi albedine mediante: quia citrinitas cauſatur ex altiſſimo vel multum albo, & modicum rubeo claro eſſentialiter. Quare natura oſtendit, quòd citrinatio eſt perfecta & completa digeſtio. Nec econversò poteſt eſſe tranſitus de citrino ad album, quouſque compoſitum convertatur in nigrum. Nec aurum poteſt fieri argentum indiviſibile, niſi priùs deſtruatur, & fiat nigrum, & corrumpatur, nec metallius poteſt fieri deterius, niſi per corruptionem ſui ipſius: quia generatio unius eſt corruptio alterius. Et hoc fit cum additione rei tingentis illud, quæ nota eſt naturæ, & perficitur. Et tunc fermentū imponitur.

Spiritus corpus exſiccat, & à corpore exſiccatur, ſcilicet perfectè à ſuo flegmate purgatus.

Nota in omni aſſatione & decoctione quia ſpiritus & corpora ſeparantur & aſſociantur ſcire debes, quòd anima ſeparabilis à ſuo ſubjecto non commodè ſeparatur à fixo, niſi in ſiccitſione, nec vivum cōmodè conjungitur mortuo, niſi in humido Sed in his omnibus natura non patitur ſubditas permutationes. Ideo maximè eſt cavendum, ne ſpiritus volatilis fiat: nam ſi volaverit à corpore, corpus imperfectum manebit.

Nota: Ideo fit ſublimatio, ut ſegregatis partibus puriſſimis & levioribus à fecibus groſſorum elementorum, virtutem quintæ eſſentiæ poſſideant formantem & diſponentem ad ſpeciem durabilem & perfectam. Dico autem quintam eſſentiam animam tingentem, colorantem, & formam puram inducentem, ad quam extrahendā valde neceſſaria fuit ſublimatio & ſubtiliatio. Per eam namque extrahitur unctuoſitas arſenici, ſive natura oleaginoſa puriſſima & incombuſtibilis unctuoſitatis, quæ ligata & commixta eſt cum fecibus, ſcorijs, & groſſioribus elementarijs. Quia ſublimatio non fit alia de cauſa niſi ut extrahatur anima tingens à corpore, & ut vertatur in ſpiritum penetrabilē: per ſublimationem enim corpus in ſpiritum reducitur, ſcil. cùm corporalis denſitas tranſit in raritatem. Et cùm corpora ſint gravia & ponderoſa, ut etiam ſuprà dictū eſt: ſi ergo debent ſublimari, oportet quòd cum Mercurio incorporentur & ſubtilientur, & coquantur, donec ex eis, ſcilicet ex Mercurio, & corpore fiat unū corpus; & non tædeat te hoc multoties reiterare: quia niſi Mercurius fuerit corpori incorporatus, non aſcendit: incorporati autē nullatenus poteſt, niſi priùs in Mercurio ſolvatur, ergo recipe primam aquam ab omni corruptione ſegregatam, in qua coque rem ſuo nomine nominatam per 40. dies in vaſe ſuo, & invenies corpus converſum in argentū vivum: & quandò per ſublimationē fuerit privatum ſua nigredine, fiet natura ſublimis carens umbra: id eſt, groſſa terræ fœculentia & aduſtione. Idcirco quantò magis poteris, ipſum corpus ſubtilia, & cum Mercurio mundo coq;

&

& cùm aliquam partem Mercurij corpus in se hauserit & concluserit, ipsum subtilia igne cito, & fortiori quo poteris, donec ascendat in similitudine albissimi pulveris, in modum nivis, adhærens sponsalibus aludel. Cinis verò in fundo manens est fex, & scoria corporum, vituperata, & abjicienda, in qua nil vitæ habetur: quia pulvis levissimus, qui modica sustlatione evanescit, quoniam non est nisi sulphur parvum, à natura exclusum. Tunc abjectis fecibus, itera per se sublimationem albissimi pulveris sine fecibus suis, donec figatur, & quousque non permittit aliquas feces, sed ascendit purissimam ad modum nivis, quæ est nostra pura quinta essentia, & tunc habes animam tingentem: & coagulantem & mundificantem, & sulphur arsenicum non urens: quo possunt uti Alchimistæ, & cum eo faciunt argentum.

In solari autem materia licet quædam pars albissimè ascenderit: tamen in fundo remanet ignis tinctus rubore, in modum scarlati. Et illud sulphur convertit argentum vivum in aurum purissimum & verissimum. Hæc est perfectissima compositio sulphuris albi & rubei non utentis secundum summam operationem Philosophorum: nil enim in his dictis superflui & diminuti invenies, sed hæc Philosophica veritas continet.

Item si cum calcibus duorum luminarium, scilicet Solis & Lunæ sublimaveris Mercurium, tunc utiliter sublimabis, & mundas cum facilitate. In illis enim est facilis operationis illarum sublimatio, per generationem: & collige semper tantum solum sublimatum, quia hoc non est fixum, sed quod in medio consistit aludel supra feces, quia illud est subtilis media substantia Mercurij, ex qua nostra conficitur medicina, quæ ex argenti vivi materia ducit originem, quæsitum bonum, terra alba foliata, arsenicum, & sulphur album, prima materia metallorum: hæc Raymundus. Hinc autem sublimationem facimus, ut corpora reducamus in naturam subtilem, ut sint sicut spiritus, penetrantia & redigentia omne corpus in solificum vel lunificum verum, vel ut ea reducamus in primam materiam, scilicet Mercurium & sulphur, & ut eorum fiat firmissima incorporatio, & etiam ut assumat perfectum colorem albedinis vel rubedinis, qui color sine sublimatione fieri non potest. Et non misceas illud, quod remanet in fundo cum eo quod ascendit, sed segregatim unumquodque eorum pone.

Si autem adhuc in fundo aliquid de materia valente remansit: iterabis ad sublimandum per Mercurium sibi incorporatum, donec totum ascenderit quicquid est de pura essentia ipsorum corporum: quia si non feceris, non ponas ipsum in magisterium. Alembicum verò sit vitreum, bono luto circumlinitum, quod debet conjungi cum subjecto, ita ut Mercurius non possit exhalare finaliter: quia non sublimatur Mercurius, nisi per fumositatem aëream, secum deferens partes corporis puriores: & ideo terra tunc in aërem & corpus in spiritum convertitur, & densitas in raritatem finaliter in modum aëris ascendunt, sic quod ratione veritatis recipiunt virtutem fortiter, & in profundum penetrandi: & ratione perfectæ clarificationis, perfectæ tincturæ & colorationis. Unde ergo diligenter vide ut vasa bene jungantur, quoniam si inveniat scilicet Mercurius locum apertum, evolat per fumum, sicque peribit & annihilabitur operatio, & magisterium tuum erit inane.

Sequitur de Regimine Fixionis.

Quomodo perficitur Sulphur album & rubeum in Elixir perfectum.

Accipe ergo sulphur album prædictum, & ipsum fige super corpus suum, album, fixum & mundatum: est, supra argentum. Et sulphur rubeum supra corpus suum rubeum, scilicet supra aurum, ut docet Pythagoras magister Turbæ, dicens: Quod argentum vivum à corporibus, dissolutione, subtiliatione, & sublimatione extractum, non coagulatum in sulphur album vel rubeum, sustinens ignem: id est, ut sit fixum, nullam viam habet ad albedinem vel rubedinem. Prudenter ergo & discretè oportet te operari, quoniam sine fermento non poterit Sol neque Luna esse. Et non est aliud fermentum nisi Sol & Luna: non enim permanebit in essentia naturæ prædictum sulphur, quod Philosophi dicunt Vaporem unctuosum, nisi ipsum corpore suo purgato conjunxeris, ut generet sibi simile. Et etiam propter hoc ut fiat Elixir perfectum id, quòd componis. Cùm autem sulphur conjunctum fuerit suo corpori purgato, non desinit in id agere, ipsum totaliter penetrando, quousque totum convertat in suam naturam. Ideoque quando vis fermentare, misce corpus sublimatum cum suo corpore optimè purgato ut totum fiat fermentum quoniam fermentum reducit sulphur artis seu Philosophicum in suam naturam, colorem & saporem. Si enim sulphur non fuerit sublimatum, substantiam ingredientem & virtutem penetrativam non habebit, & per consequens ad componendum verum Elixir non habebit virtutem, quia in sua permanens densitate & corporalitate, non miscebitur rebus tingendo, nec eas poterit in formam perfecti metalli transmutare. Sed cùm corpus mundatum fuerit, & cum spiritu incorporatum sublimatione descendit, tunc ambo facta sunt vapor unctuosus, & ab utentibus substantiis spoliatus, aër subtilis, clarus nimiæ penetrationis, anima à vitiis, & inquinamentis liberata: quia juncta suo corpori mundato, mediante spiritu: id est, aqua Mercuriali purificata, transit in eus purissimum & incorruptibile Et nisi fiat vapor, nihil in opere hujus artis peregisti. Ergo de alba ablue: quia dealbatio totius operis perfecti est initium & fermentum. Quæ quidem dealbatio non modò non variatur in colores diversos, sed permanet invariabilis & immutabilis, & fige juxta præceptum Philosophorum hoc modo.

Modus figendi.

Apta fermentum: id est corpus ante fermentationem, ut sit solutum & calcinatum: id est corpus per argentum vivum sit solutum & calcinatum: id est, argentum vivum sit ab eo separatum & remotum, & sit calx aut cinis purissimus: quoniam si non aptaveris fermentum, nil valebit. Et similiter apta sulphur non utens de calce per sublimationem, ut sit simplex & vivum. Quia si non miscueris in Elixir, non colorabitur corpus suprà quod fiet projectio sulphuris. Et si non mundaveris corpus quod vis miscere in Elixir, non dirigit corpus spiritum, neque retinebit eum. Et si non sublimaveris hujusmodi sulphur, quod vis mittere in Elixir, erit aurum & argentum multum & obscurum.

Et si non mundaveris spiritum, non sustinebit ignem: quia ipsum impurum corpori non conjungeretur per minima. Oportet te etiam multum cautum esse, ut facias Elixir medium inter durum & molle, quia nisi hoc scieris, non erit aurum & argentum habile ad operandum, scilicet malleandum vel fundendum. Subtilioris enim substantiæ & liquidioris oportet esse medicinam, quia ipsa sunt corpora, & majoris fixionis & retentionis, quàm sit argentum vivum, in sua natura, super quibus projicitur. Quia dicit Euclides: Nostrum finale secretum est habere medicinam quæ fluat ante Mercurij figuram. Cùm autem vis

componere Elixir, fac calcem de illa materia cujus est corpus,& ei immitte sulphur suum, sicut supra dixi: Si est aurum,de auro: Si argentum, de argento. Quoniam sponsalitium non est aliud,nisi ut conjungas fermentum cum suo corpore,de quibus vis facere Elixir. Dicit enim: Turba: Junge hæc duo: id est, cineres, videlicet corporis perfecti, & sulphur album: id est, corpus imperfectum ad invicem, unde Philosophus: Illumina primò corpus tuum, & junge cum spiritu & corpore mundo,æqualitate:id est,æquo pondere.

De Ponderibus Fermenti & Sulphuris & Mercurij.

Nota,quia sciendum est primò,quòd summa volatilis non superet summam sui corporis mundati, fixi, alioquin ligamentum sponsalitij verteretur in fugam spiritus non fixi,& sulphuris volatilis. Volatile non superet summam fixi cum eo uniti. Unde dicit Plato: Si parum sulphur projiciatur super multitudinem corporis, ita ut supra ipsum habeat potentiam, convertit ipsum in pulverem, cujus color erit sicut color corporis super quod projicitur spiritus auri vel argenti. Sed quia sulphura non possunt corpora ingredi nisi mediante aqua scilicet Mercurij, cum aqua facit eorum matrimonium: quia est medium conjungendi tincturas: id est, sulphur & fermentum:ideo in ea dispositione primò ponas calcem corporis seu fermenti.Secundò ponas aquam,id est spiritum.Tertiò ponas aërem:id est,animam, sive sulphur à corporibus extractum. Et ut utar Philosophico eloquio & doctrina: Si miscueris priùs oleum in terra, erit oleum mortificatum in terra, quoniam oleum in terram intrat, & ab ea sorbetur. Si verò priùs posueris aquam, & postea oleum, stabit oleum supra aquam:aut si priùs posueris aquam & postea terram, erit aqua ponderosior terra. Cùm ergo conjungis elementa, scilicet aquam & aërem ut figantur in terra: si est ad album Elixir,semper sit plus de terra quàm de aliquo alio elementorum: alioquin terra non figeret spiritum, imò secum evolaret Et hoc fieri debet,secundùm rationem, juxta adæquationis mensuram.Verbi gratia,ad lunare Elixir. Si est de aëre unum pondus & dimidium,de aqua debent esse duo pondera, & de terra tria debent esse pondera, & terræ fermentum sit ter tantum, quantum sit sulphur album. Ut si dimidium alterum pondus fuerit de sulphure albo, tria pondera debent esse de fermento,& duo de aqua,& erit Elixir completum. Et ideo hanc cautelam habeas in compositione veri Elixir,& ita operetis, ut dictum est,ut scias quantum debeas apponere de terra,quantum de aqua,& quantum de aëre ad album Elixir, & quantum de igne ad rubeum.Ratio est,quia si magis poneretur de terra quàm dictum est, mortificaret animam:si verò minus, fieret Elixir nimis humidum, nec figeretur. Et similiter de aqua, si plus apponeretur, & esset humidum & nimis molle:si minus, esset siccum & durum,nec penetraret. Et si de aëre similiter minus apponeretur, non coloraret perfecto colore: & si magis, esset in perfectione coloratum in albo Elixir.

Ad solare verò Elixir,cùm Sol sit calidior Luna,debent esse duo pondera terræ, tria de aëre,tria de aqua, unum pondus & dimidium de igne: nam pondus ignis est medium pondus aquæ. Et in hoc neque est additio neque diminutio.

Dicit Raymundus: Cùm volueris Elixir ad rubeum per traditionem generalis doctrinæ,doctrinam faciendi Elixir ad album resumes in exemplum,Nam hic modus faciendi Elixir ad album, reperi non oportet, nisi solum pro quolibet elemento aloo, elementatum ponas rubeum quoniam in Elixite ad rubeum apponitur ignis ultetius,qui totum rubificat,& sublimatur ut spiritus Pondera verò elementorum,sunt duo pondera terræ,& tria aquæ,& totidem & unum pondus & dimidium de sulphure rubeo. Primò enim ponas terram: quia participat cum fermento. Secundò ponas aquam: quia est medium inter terram & aërem. Tertiò ponas aërem: quia est medium inter aquam & ignem.Quartò ponas ignem,sed ignis per aërem figitur sicut & aqua per terram,&c. sicut scis.

Sciendum est:Quòd si lapis Philosophorum purificatus adjungatur cum aliquo corpore, & qualitercunque destruatur corpus,materia lapidis semper remanet cum illa parte corporis,quę magis est purificata secundùm viam naturæ. Nam lapidis materia figit ignem, neque potest comburi: quia ipse lapis super omnem ignem perpetuus est creatus Et ideo quantò magis in igne perseverat,tantò plus augmentatur virtus ejus in quantitate & qualitate:quia lapis Philosophorum non habet humiditatem terminabilium,& licet siccus sit in experientia,copiosius est humiditate unctuosa in ejus occulto, quæ nunquam potest destrui per aliquam viam Quia si corpus cum quo commiscetur, destruitur,semper remanet ejus substantia subtilis vel grossa, secundùm quod fuit præparata,quæ est vera & res fixa. Ideoque nisi destruatur corpus, materia vel medicina de ipso creata & extracta semper perseverat Hæc Gebet dicit.Alius Philosophus dicit in Turba:Sciant omnes investigatores hujus artis, quòd Elixir quantumcunque præparetur vel subtilietur, totum nihil est,nisi post præparationem cum vero fermento conjungatur.

Nota de Fermento.

Notandum est, quòd quando Elixir conjungitur cum corporibus,oportet quòd conjungatur per minima,ut dicit Albertus.Vehemens & utilis complexionatio fieri nunquam potest rebus solidis, nisi priùs solvantur in aquis,& tunc commiscentur ad invicem,& in locis calidis agente calore naturali, vel sibi proportionabili vaporaliter se connectant spacio temporis competentis.Quia oportet Elixir primò solvere,postea corpus præparare & solvere ut Elixir, postea verò accipere & conjungere dissolutiones,videlicet de Elixir partes tres,& de corporibus prædictis partem unam: postea oportet hoc totum congelare & iterum solvere & congelare,& sic reiterare, donec totum factum sit unum, sine aliqua separatione, & hoc totum completur per beneficium aquæ nostræ Mercurialis:quia cum ipsa solvitur, Elixirque præparatur, & cum ipsa solvuntur & præparantur corpora. Ipsa enim mundans, jungens,dissolvens,dealbans,& rubeum faciens.

Dicit alius:Sed quia fermentum non potest ingredi corpus mortuum nisi mediante aqua:quæ facit matrimonium & copulam inter fermentum & terram albam: idcirco primò in omni fermentatione notari debet pondus uniuscujusque. Si igitur terram foliatam albam ad album Elixir volueris fermentare, ut stabit in complemento tincturæ super corpora à perfectione diminuta, tunc recipe terræ dealbatæ seu foliatæ corporis mortui partes tres,& de aqua vitæ reservata partes duas,& fermenti partem alteram dimidiam.

Fermentum autem sit præparatum ut sit calx alba, fixa & subtilis,si ad album procedit tua intentio si verò ad rubeum tunc sit calx citrinissima auri præparata, & non erit alind fermentum. Ratio quia ista duo corpora lucentia sunt,in quibus sunt radij ringentes splendidi, cætera corpora albedine & rubedine naturaliter excellendo.

Postea sapienter ponas in suam fiolam ad hoc adaptatam,& in corium suum temperatum repone ut coagulen-

gulentur & fixentur, & fiet unum corpus Deinde iterum solve cum tertia parte aquæ,& exsicca:& hoc reitera pluries, donec excellentissimum lapidem album per hoc gradus reiterationis & præparationis præparabis album, fixum,stantem,per minima ingredientem corpora velocissimè fluentem ad instar aquæ fixæ, super ignis pugnam tingentem Mercurium & omnia corpora a perfectione diminuta in verum argentum.

Et nota,quantò plus vel pluries hujus complementi ordo reiteretur,solutionis,coagulationis & contritionis,tantò hujus majoris exuberatione,videlicet medicinæ multiplicatur bonitas magis & magis Nam quoties pertractaveris super ipsum lapidem ejus propriam bonitatem reservatam, toties multas lucraberis in ejus projectione super corpora partes, à perfectione diminuta. Quare Philosophi laudant reitetationem ultra. Si igitur terram albam fermentare ad rubeum Elixir volueris divide ipsam terram album in duas partes:unam partem augmentabis ad Elixir album cum sua aqua alba reservata, & sic nunquam desinit esse ejus: & aliam aliam partem pone in vitrum suum: id est, in furnum suæ digestionis, & auge sibi ignem, donec vis & potentia ignis digestionis in rubicundissimum lapidem convertatur,veluti sicut crocus siccus,cõbustus Et si volueris ut fiat tinctura rubedinis,Elixir albissimum transformans, & tingens Mercurium, Lunam & omne corpus in verissimum Solem, vel solificum corpus, tunc fermenta ejus partes tres cum parte alterâ dimidia auri purissimi præparata ut sit calx subtilissima,cum duabus partibus aquæ solificatæ artificialiter in unum chaos reducens connexione per minima, usque ad occultum corporis, & pone in suo vitro,in igne suo, & coque ut eluceſcat rubicundissimus lapis, sanguineus, verus. Illum iterum augmentabis de parte sua solificata, reservata scilicet aqua sua solari, ut gradatim per modum digestionis ignis fortioris procedas in ejus perfectionis augmentatione, & cumulatione bonitatis, & reiteratione operis de parte sua reservata, sibi suæ naturæ conveniente, solificata tandem, ut ejus bonitas multiplicetur usque in infinitum, dicit Raymundus.

De Modo indulcorandi Lapidem cum humiditate.

In Modo autem faciendi hujus Lapidis Indulcorationem:

Sumatur Lapis,& terendo imbibe illum in vase suo, imbibitione per minima, scilic.per vices, factas ad modum roris cum una & dimidia parte sui: postea decoque cum igne levi,donec priùs illa fuerit in lapidis substantiam congelata:Postmodum vigora ignem de carbonibus paulatim,donec subtilietur ex eo quicquid resolutum extiterit,tàm de aqua sulphuris, quàm de argento vivo humido.

Tunc iterum quod sublimatum extiterit, reduc super feces,terendo & imbibendo cum dicto spiritu, qui magis in humiditate exuberanter abundat. Et hoc iterate imbibitione rorida, decoctione, congelatione, & sublimatione,cum ignibus suis successivis,& diligenter continuatis,scilic.cum moderamine notæ ignitionis, quam natura exigit, donec per continuam sublimationem,iterationem spirituum non inflammabilium super illas,scil.feces & continuo motu totum figatur deorsũ.

Cùm autem fixum fuerit secundùm proportionem ignis sibi appropriati cum moderamine,tunc eo facias ignem fortem,bene continuatum per diem naturalem: secunda verò die naturali fortiorem, & tertia die naturali adhuc fortissimum, ut est ignis fundendi,vel quasi.

Quando voles incerare lapidem. Mittas magis de re calida & humida, quàm facias de frigida & sicca. Sed quando tu operatus fueris per intentionem fixandi, tunc mittas magis de frigida & sicca,quàm de calida & humida. Et si medicina non manet plenariè contra ignem, hoc est,per defectum fixationis:Igitur succurretur defectui,vel per reitetationem solutionis & congelationis, vel per sublimationem partium non fixarum, per partem fixam, quousque capiat quietem contra asperitatem ignis.Et si tu vides, quòd illa non possunt fundi nisi gravitate,scilicet per defectum incerationis supple sibi, & integra ei inceration em cum oleo lapidis, guttando gutta post guttam,supra levem ignem in crucibulo terreo, quo usque fluat ut cera, sine fumo. Hæc Raymundus.

De Multiplicatione vel Augmentatione Lapidis.

Nota primùm quid sit Augmentum. Unde augmentum est præexistentis quantitatis additamentum. Et augmentum in qualitate & bonitate, est ipsam tincturam solvere & coagulare, hoc est, Mercurio nostro imbibere & exsiccare.

Vel sic:Recipe tinctura præparatæ partem unam, & solve in tribus partibus Mercurii nostri, deinde fac in vase,& sigilla vas,& pone inter cineres calidos, per totum,ut suprà, expressum est, donec exsiccetur & pulvis fiat,Deinde aperi vitrum & iterum imbibe,& exsicca ut suprà,& quoties hoc pluries feceris,toties aliquas partes lucraberis,& ultrà tingit, ut dicit Arnoldus.

Augmentum in quantitate est : Recipe materiæ fixæ quæ tingit : id est, tinctura præparatæ partes tres, & Mercurij Philosophorum unam partem,& fac in vase & sigilla vas, & pone inter cineres calidos, ut suprà, & exsicca ut pulvis fiat.Deinde aperi vitrum & iterum imbibe,& exsicca,&c ut suprà.Et aqua:id est argentum vivum vel Mercurius non plus ponderis adjicit vel dat corpori, nisi quantum de humiditate metallina manet.

Hæc Calidius filius Isidoti : Item multiplicatio in quantitate fit per mixtionem medicinæ in crucibulo cum argento vivo vulgi Quod quidem argentum vivum per admixtionem lapidis convertitur in pulverem rubeum vel nigrum, & iteratò, quòd mittatur de illo pulvere argenti vivi super aliud argentum vivum, & iteratò convertitur in pulverem, & sic facies reiterationes pulveris argenti vivi super aliud argentum vivum, donec argentum vivum non convertatur in pulverem, sed manet conversum in metallum perfectum. Et hoc fit quia fortitudo medicinæ temperata est cum additione argenti vivi.

Item multiplicatio tincturæ non est aliud, nisi augmentatio & multiplicatio caloris naturalis, qui est sulphur non urens in materia argenti vivi.cùm sit certum, quod argentum vivum sit materia metallorum in substantia, in qua sua claritas est infixa, quia metalla non indigent nisi natura substãtiali.Et substantia in qua tinctura sulphuris infigitur,oportet quòd sit de materia servata ab omni adustione, & defectiva totius fusionis, amabilis & placens omnibus metallis.Et ideo est necesse,quòd tinctura sulphuris sequatur talem substantiam, & in illa colligatur, si vis quòd sit tinctura metallonum, & dicta substantia sit talis quòd possit fixari sine consumatione suæ humiditatis, & sine reversione illius in terram, & sine combustione suæ propriæ substantiæ: & totum hoc est argentum vivum. Quare dicitur quod illud causa perfectionis ad necessitatem metallorum, quia illud est sufficiens ad quemlibet gradum omnium fusionum, cum ignitione, sicut patet in plumbo & stanno, & hoc per bonam adhærentiam

ſuarum partium,& per fortitudinem ſuæ mobilis mixtionis. Hæc Raymundus.

Modus quomodo multiplicantur medicina rubea & alba in virtute & poteſtate. Quando perfeceris dictas medicinas, & de illis feceris projectionem, duobus modis poteris artificialiter multiplicare ſuas virtutes

Primus modus eſt: Diſſolves in aqua Mercurij ſui albi vel rubei,ex quibus fuerunt procreatæ, quouſque fiat aqua clara: & poſtmodum cum levi decoctione congeles,& cum ſuis oleis,inceres verò eas ſuper igne, quouſque fluant: certa ſua virtus erit duplicata in tinctura cum omnibus ſuis perfectionibus, ſicut videbis in projectione:quia pondus quod projiciebatur ſuper mille,tunc projicitur ſuper duo millia. Et in iſta multiplicatione non eſt magnus labor.

Secundus modus multiplicandi ſuas virtutes eſt majoris precij:quia ſi diſtilles quamlibet ſpeciem illarum ſingulariter,& in ſua aqua per inhumationem,poſtmodum ſeparabis elementa per deſtillationẽ,in recipiendo primam aquam, poſtmodum aërem:& manebit ſua ſubſtantia terræ fixa,tota clara in forma pulveris:reduc in illam aquam per diſtillationem quouſque totum biberit,& ſic tota fixa in terra: & poſtmodum imbibe totum cum ſuo oleo & cum ſua tinctura,quouſque ſit bene fixum,& fundetur totum ſicut cera.Et de illa medicina projice unum pondus ſuper corpus quod volueris convertere, & invenies certè ſuam tincturam multiplicatam de centum partibus,per talem modum,&c.

Iterum multiplicatur medicina dupliciter.

Solutione caliditatis, vel ſolutione raritatis. Solutione caliditatis, eſt,ut accipias medicinam in vaſe vitreo impoſitam,& eam ſepelias in igne noſtro humido ſeptem diebus vel amplius, donec medicina ſolvatur in aquam ſine turbulentia.Solutione raritatis:ut ſumas vas vitreum cum medicina,& ſuſpendatur illud in olla nova ænea, cujus orificium ſit ſtrictum, in qua bulliat aqua, & orificium ſit clauſum, ut ex vapore aquæ bullientis aſcendente vapore ſolvatur medicina.

Sed nota quòd aqua illa bulliens non tangat vas vitreum,in quo eſt medicina per ſpacium trium digitorum.Et ſolutio fit fortè una die vel duobus aut tribus. Poſtquam medicina fuerit ſoluta, aufer ab igne ad refrigerandum, fixandum,& congelandum, indurandum, vel deſiccandum,& ſic ſolvatur pluries:& quantò plus reſoluta fuerit medicina,tantò perfectior erit. Et talis ſolutio eſt medicinæ ſubtiliatio & ejus virtualis ſublimatio. Quæ quantò plus reiteratur,tantò abundantius & plures partes tingit.

Unde dicit Raſis:Non dependet hujus bonitas multiplicationis, niſi in multiplicatione reiterationis, ſublimatione & fixatione medicinę perfectæ.Quia quantò plus hujus complemẽti ordo reiteratur,tantò illius exuberãtia magis operatur,& augmentatur.Nam quoties magis ſolito ſublimaveris medicinam perfectam, & ſolveris, toties lucraberis omni vice ad projiciendum unum pondus ſuper mille.Et ſi primo cadet ſuper mille, ſecundo cadit ſuper decem millia, tertio ſuper centum millia,quarto ſuper mille millia,& ſic uſque in infinitum. Dicit enim Morienes Philoſophus: Scitote pro certo, quod quantò plus ſolvitur lapis noſter, & congelatur,tantò plus ſpiritus & anima conjunguntur, & retinentur ab ipſis, & qualibet vice tinctura multiplicatur. Alio modo multiplicatur medicina per fermentationem & eſt fermentum ad album,Luna pura: & fermentum ad rubeum,Sol purus Projiciatur ergo una pars medicinæ, ſupra duas fermenti,& totum erit medicina: & ponatur in vaſe vitreo ſuper ignem, & claudatur ſic,ut aër,non intret,nec exeat,& ſervetur,& regatur, & ſubtilietur quoties volueris, ſicut feciſti de prima medicina,tantam virtutem recipiet una pars ſecundæ medicinæ, quantum habuit una pars primæ medicinæ. Sic enim per ſolutionem, & fermentationem poterit medicina multiplicari in infinitum.

Tripliciter Lapis Philoſophicus multiplicatur.

Primo modo fit per reiterationem notæ corruptionis ad principium, hoc eſt, corrumpendo lapidem per diſſolutionem & putrefactionem,& per elementorum conjunctionem, & inhumationem in aëre vel in terra, & per decoctiones aëris, & ignis communis. Et hoc ad altera opera particularia, per conjunctionem elementorum cum terra foliata, & decoctione ignis communis in humatione fimi. Item utraque multiplicatio fit ſimul,ſi ex medicina multiplicata in quantitate duxeris ad dictas duas rotas, & feceris ſicut dictum eſt.

Nam quantumcunque medicina tranſit per iſtas duas rotas ad finem terminationis, tantum plus & multiplicatur in virtute propter materiam, qua ad tantam ſubtilitatem deducitur. Ex quo ſpiritus exiſtens in tali materia multiplicat ſimilitudinem ſuam, ſicut ſummitas ignis exiſtens in oculo Baſiliſci, ſuam ſimilitudinem multiplicat in igne exiſtente in animalibus, ratione cujus ſuffocatur calor naturalis unius cujuſque animalis ſicut lux ignis per lucem Solis extinguitur. Hæc Raymundus.

Modus projiciendi omnium præſcriptorum taliter poteſt experiri.

Sumatur una pars de medicina, & decem partes Mercurij crudi purgati,ſic quòd Mercurius calefiat ad ignem, uſque ad fumoſitatem. Extunc projiciatur medicina deſuper quæ ſtatim fluit, minima penetrando, tunc ſtatim vigorato igne, Mercurius fuſus colligatur, cujus recipiatur modica pars, & tantum ſui Mercurij vivi ponatur ad ignem,& probetur pondus. Si Mercurius additus notabiliter receſſerit, tunc medicina non ſufficit ad ulteriores partes.Si autem corpus in corpore notabiliter diminutum non fuerit, ſed materia adhuc fuerit frangibilis,& nimis mollis vel dura,tunc ſumatur hujus iterum modica pars, & tantum ſui de Mercurio crudo, & per omnia, ut dictum eſt,procedatur, donec habeatur intentum.

De Productione Medicinæ multiplicatæ in virtute.

Accipe unam partem vel unicam medicinæ dictæ multiplicatæ in virtute,& de illa projicias ſuper centum partes Mercurij,ſtatim cum dictis Mercurius incipiet calefieri in crucibulo, & prompte congelabitur,& citò totum in fixam medicinam, ad faciendum projectionem ſuper alium Mercurium,poſt accipe unam unciam,& de illa ſecunda medicina,& fac projectionem ſuper centum partes alterius Mercurij calidi, & adhuc erit purum totum,& vera medicina:tunc multiplicaſti in quantitate tũam primam medicinam,vel etiam totum,vel in parte,quam iterum poteris multiplicare per diſſolutionem, & congelationem, & inhumationem, &c.Quia modum quem dixi in multiplicatione,potes multiplicare in virtute in infinitum,& poſtea in quantitate. Projice de medicina ultimò congelata, unum pondus ſuper centum Mercurij loti cum ſale & aceto, & calefac ſuper igne ſtatim,cùm videris ipſum fumare & congelabitur in aurum, &c. Convertitur autem oleum:id eſt, cùm tinctura eſt oleum in pulverem tingentem hoc modo: Sumatur præparati olei una pars, & fundatur ſupra decem partes Mercurij crudi, ponatur

tur ad digestionem, & statim ingreditur illud oleum Mercurium talem, quòd non appareat, sed erit Mercurius albus vel rubeus, secundùm quòd præparata est medicina ad album vel ad rubeum, pulverisabilis & tractabilis in itinere, sine damno, qui ulterius poterit projici, ut scis, semper super Mercurium postea cum sale & aceto semper bene lotum.

De Virtute, effectu, & nobilitate hujus laudabilis Scientiæ, seu Tincturæ Philosophicæ.

Est sciendum quòd antiqui sapientes, quatuor principales effectus sive virtutes in hac glorioſa thesauri arca, consolatrice & adjutrice Scientia repererunt.

Primò dicitur corpus humanum à multis infirmitatibus sanare, secundò corpora imperfecta metallica restaurare. Tertiò lapides ignobiles in gemmas quasdam pretiosas transmutare. Quartò omne vitrum ductibile facere, sive malleabile.

De primo consenserunt omnes Philosophi: Quòd quando lapis ematites perfectè rubificatus fuerit, non solùm facit mirabilia in corporibus solidis, sed & in corpore humano, de quo non est dubium. Nam omnem infirmitatem ab intra sumendo curat, ab extra sanat ungendo. Dicunt enim Philosophi, quòd si datum fuerit de eo in aqua, vel in vino tepido paraliticis, freneticis, hydropicis, leprosis, curat eos. Alij sapientes dicunt, quòd guttam rosaceam relidit sæpè ungendo. Hinc verò passio cardiaca, ecthica, iliaca, cholica, ictericia, ac morbi Ægidij tum epilepsis, & omnes species febrium per eam curantur, sumendo plerunque; artetica per eam curatur ungendo, & quicquid est in ægroto stomacho, hoc tollit, & omnem fluxum humorum peccantium stringit & consumit potando vel ungendo, omnemque melancholiam sive mœstitiam mentis jejuno stomacho sumpta repellit, omnem fluxum renaticum exsiccat. Est etiam infirmorum oculorum sanatrix optima. Nam fluxum lachrymarum stringit, lippos os attenuat, ruborem depellit, pellem vel tunicam delendo mollificat.

Tela, albugo, & hugo, cornu & ungula, cataracta, inversio palpebrarum, æstus, nec non tenebræ, inflaturæ oculorum: hæc omnia per medicinam Philosophicam facillimè curantur. Cor & spiritualia confortat potando, dolorem capitis mitigat in temporibus ungendo. Præbet etiam surdis auditum, & omni dolore aurium succurrit, inflaturis nervos compactos rectificat ungendo, dentes corrosos restaurat lavando, fœtorem anhelitus dulcorat. Sanantur etiam per eam omnia genera apostematum ungendo vel emplastrando, aut pulverem siccum intermittendo. Ulcera, vulnera, cancer, fistula, noli me tangere, antrax, serpigines, impetigines, strumiones, scabies, pruritus, & tinea per eam sanantur. Cicatrices per ipsam planantur, ita ut caro nova regeneretur, vinum corruptum & acidum si permiscetur, reparatur: calculus inde solvitur si bibitur: venenum expellit sumendo: occiduntur etiam vermes: si impulverisentur capilli sub villo sic per eam ungendo removentur. Rugas in facie, aut omnes maculas delet ungendo, & faciem invenilem facit. Mulieribus in partu laborantibus sumpta auxiliatur, fœtum mortuum emplastrando educit, urinam provocat. Coitum excitat & auget, ebrietatem prohibet, memoriam inducit, humidum radicale augmentat, naturam vigorat, nec non multa alia bona corpori humano monstrat & ministrat. Quia hæc medicina est super omnes medicinas Hypocratis, Galeni, Alexandri, Constantini, Avicennæ, & aliorum doctorum omnium Artis medicinæ: præstantior in odore, sapore, virtute & affectu. Et est notandum, quòd hæc medicina est semper medicina apothecæ ad morbum depellendum permiscenda.

De secundo scribitur, quòd omnia metalla imperfecta transmutat: hæc enim transmutatio est satis manifesta. Nam omne quod est argentum, facit aurum in colore, substantia, perseverantia, pondere, ductibilitate, liquefactione, duritie, mollicie. De tertio scribitur, quòd lapides in gemmas preciosas transformat, ut dictum est suprà. In libro Sextariæ dicitur, quòd jaspides, hyacinthi, coralli rubei & albi, smaragdi, chrysoliti, saphyri, ex ipsa materia formari possunt. Et in Carta sacerdotum traditur, quòd ex chrystallo carbunculus sive rubinus aut topazius potest fieri per eam, qui in colore & in substantia excellunt naturales. His verò lapidibus, & alijs in quibus fuerit hæc medicina, præstat virtutem naturalem sua nobilitate, ita tamen, quòd colores deputati ad ipsos admiscentur: nam omnem lapidem sive gemmam liquefacit & demollit.

De quarto scribitur: Quòd vitrum reddit malleabile in miscendo quando liquescit. Nam hæc medicina est convertibilis in omnem colorem. Alia verò sunt experimenta artifici sagacius committenda.

Dicit Raymundus: Habet etiam potestatem dicta medicina rectificandi omne animal, & vivificat omnes plantas in tempore Veris, per suum magnum & mirabilem calorem: quia si de illa ad quantitatem unius grani milij dissolvas in aqua, & illam mittas in corde unius viris, ad quantitatem concavitatis unius avellanæ; artificiosè nascentur folia & flores, & boni rami in mense Maij, & sic de qualibet alia planta facias: quoniam sic reputatur miraculum & contra concursum naturæ, propter hoc, quia tales ignorant potestatem talis rei, sed non est aliud quàm purus calor naturalis infusus in suo humido radicali, & quia natura per suum instinctum appetit multum esse, ad plus profundum cujuslibet elementi ubi operatur, in multiplicando calorem naturalem corporis in centro, cujus ipsa est ingressa. Ideo habet potestatem rectificandi omnes, & illam virtutem fixare in illis. Et hæc est probata medicina Philosophorum, quam omni investiganti fideli & pio volenti, præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat, Deus per infinita seculorum secula; Amen.

SUBSECTIO SEXTA.

Correctio Fatuorum, Tractatus *satis perutilis & authenticus.*

Prologus in eundem.

Cum omnium rerum emendatio sit ipsius augmentatio: ideo in multis Philosophorum dictis scribitur, quòd per artem emendatur natura ultrà suum motum, quem habuit in prima sua forma, cùm nulla ars laborare potest nisi mediante natura, cùm ipsa natura in arte intrinsecè & occultè laboret per artificis admini-

administrationem. Et hoc sequitur, imitationem naturæ virtutis esse augmentum & laborem, ipsiusque rei augmentationem: quoniam natura perficit suum gradum, quem naturaliter perficere potest, & illum præterire nequit, nisi per contrarium fuerit impedita, quamvis bene ars naturam non transcendit faciendo novam naturam, per simplicem laborem. Et ideo dicitur quòd ars imitatur naturam, non quòd novam ædificet, sed quòd illius naturæ virtutem subtiliet. Propter quod incipit ars perficere, ubi natura deficit, subtilem scilicet naturam in re inclusam detegere, & ipsam manifestare. Ex quo minera generat metalla, tincturas tamen generare nequit, quamvis bene tincturam plenam in se occultè continet, sicut ait Philosophus: Natura continet in se quibus indiget, & quibus perficitur, nisi quòd moveatur arte, & operatione. Quare in nostro opere, ars non est aliud, quàm adjuvamen naturæ, quod patet in multis artium operibus laudabilium, ubi natura primò producit lignum: secundò ustio ligni per ignem vertitur in cinerem: tertiò, ars de cinere facit vitrum, & hoc taliter est intelligendum. Si in cineribus ista prima materia vitri occultata non fuisset, ars nequaquam vitrum ex eo fecisset sine natura Physica. Et sic perpende, quod à nullis rebus elici potest id, quod in ipsis non existit. Ideo omnis species in sua specie, & omne genus in suo genere, & omnis natura in sua natura, naturaliter virtutis efficit augmentum, & affert fructum juxta naturam suam, & non in alia sibi contraria natura. Cùm omne semen suo semini correspondet, ut dicimus, quo ad generationem. Ergo non generatur ab homine nisi homo nec ab aliquo animali, nisi sibi simile. Et quo ad imitandam naturam perfectam, non facit aliqua ars simpliciter laborans ministerium naturæ, nisi per illius naturæ complexionem. Quoniam si aliena natura peior introducitur, immediatè ars simpliciter non imitatur naturam. Sed illæ pejores extraneæ naturæ inficiunt illam naturam, & statim non fit ex ea, quod fieri sperabatur. Quoniam omne pejus laborans in aliqua arte nititur melius destruere: & omne melius laborans in aliqua arte, conatur pejus perficere. Et ideo unicuique artifici naturam imitari volenti, necesse est illius rei naturam cognoscere, cujus rei naturam sua ars imitatur, aliàs fatuus ipse per artem veram dignoscetur.

De Utilitate Studii.

Studium amovet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram cognitionem, & ad cujuslibet rei scientiam. Ergo in primis est necessarium per studium hujus suavis operis scientiam acquirere, & per physica dicta ingenium acuere, cùm in ipsis sit cognitio veritatis. Si ergo laborantes studium non desperexerint, fructum inde pervenientem dulciter degustabunt. Qui autem studere adhorruerint, & tamen laborare voluerint, videant ne ars ipsius naturæ sit imitatio, quam ars ipsius emendare debet. Quoniam impossibile est ei, secreta Philosophorum ad perfectum finem præparare. De his sapientes dicunt, quod ij transeunt ad practicam sicut asinus ad cænam, nescientes ad quid rostrum porrigant, nisi in quantum sensus exteriores sine intellectu per visum & gustum ad palatum adducit. Sic ipsi asini, sine bonis veris principijs, & fructuosis studijs, ac sine naturarum cognitione, quærunt perficere opera naturæ, & secretum totius Philosophiæ, ac opus optimum, quod hominem ornat moribus, ditat beneficijs, auxiliatur pauperibus, & corpus humanum incolume conservat, præbens ei sanitatem, prout potest dicere de illius naturæ virtute. Et ideo omnes artis hujus apicem diligentes, studijs conentur insistere, & ex libris haurire veritatem, & non ex mendosis, aliàs nidosis, neque fabulis fictis. Quia hæc ars non invenitur nisi per continuum studium, & Philosophorum dictorum cognitionem, aut per fidelem scientem informationem. Nam qui in legendis libris defessus extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit. Item non potest de facili practicæ assuescere, cujus mens studijs theoricis renuit insudare.

CAPUT I.

De Principijs naturalibus hujus Artis.

NOn est dubitandum, hanc Artem habere principia vera, cùm ipsa natura corpora metallica format de mineralibus. Unde Aristoteles quarto Meteororum; ubi distinguit corpora mineralia in lapides, sulphura, sales. Et horum quædam sunt ratæ, superbæ, & quædam illorum ductibilia, quædam non. Et quæ sunt illarum rationes, & causæ earum generationis, patet ibidem. Ideo non est necesse, pluta hic de illis dicere.

CAPUT II.

Quot sunt Partes Mineralium.

DIstinguuntur corpora mineralia specialiter in duas partes, scil. in partem metallicam, & partem mineralem. In partem metallicam: id est, in metalla quæ originem ex Mercurio ducunt. Et in partem mineralem, quæ originem ex Mercurio non trahunt. De metallis exemplum, ut aurum, Luna, Mercurius, Jupiter, Mars, Saturnus, electrum. De mineralibus exemplum, ut sales, atramenta, alumen, vitriolum, arsenicum, auripigmentum, de metallis quæ originem ex Mercurio ducunt. Sunt autem ductibilia & liquabilia omnia metalla, quæ originem ex Mercurio duxerunt: quia materia eorum est substantia aquea, mixta cum substantia terrea commixtione forti, ut unum ab altero separari non possit: quare congelatur substantia aquea illa cum frigore magis post actionem caloris, & erunt ideo ductibilia seu fabriliata & non congelatur sola aqua nisi cum siccitate terrestri, quæ alterat aquositatem, cùm in ipsis humor non est unctuosus: quia congelatio eorum est exsiccitate terrestri, ideo faciliter non solvuntur, nisi per actionem caloris vehementem in ipsis, secundùm quod sunt fortius, ac fortiter commixta.

CAPUT III.

Quomodo ex Mercurio generantur Metalla in speciali.

RErum omnium liquefactibilium natura ex argento vivo est & sui substantia, eò quòd propter idem argentum vivum coagulatur ex vapore, sine calore sulphuris albi vel rubei non urentis. Unde Aristoteles quarto Meteororum: Si sulphur album non urens fuerit, congelat Mercurium in argentum bonum. Si verò sulphur fuetit purum cum rubore claro, & in eo fuerit vis igneitatis simpliciter non urentis, congelat in aurum purissimum melius quàm minera produxit: quia omne siccum naturaliter bibit suum humidum, ut in suis partibus sit continuatum. Vapor ergo sulphuris argentum vivum coagulantis, est ex substantia terrea, subtili, aërea, decocta & digesta à commixtione prima, sibi unita actione caloris, postea elevata, decocta, & digesta, donec habeat vim sulphuream coagulandi argentum vivum in corpora metallica. Sed quando sulphur fuerit simplex vel adurens, perfectionem vel imperfectionem causat in metallis, sicut post patebit exemplum de his, quòd ipsorum prima materia sit argentum vivum: quoniam cùm liquefiunt, per calorem convertuntur in ipsum. Certum est ipsa antea fuisse argentum vivum, quia omnis res de eo est, in quod resolvitur. Exemplum de glacie.

CA-

CAPUT IV.

De Generatione Mercurij & quæ metalla ex eo generantur.

ARgentum vivum in prima sui radice est compositum ex terra alba, subtili, nimiùm sulphurea, cum aqua clara fortiter admixta, donec fiat substantia una non quiescens in superficie plana, nec adhæret tangenti ratione siccitatis, quæ alteravit aqueitatem in ipso. Est autem homogenium in natura: quia aut totum remanet in igne & fixatur, aut totum evolat in fumum, cùm sit incombustibile & aëreum. Et hoc est finum perfectionis. Et ideo cùm priùs in terra sulphurea decurrit calefactum, superius ascendit. Unde ejus natura est, ut per calorem subtilietur. Verumtamen continua sublimatione nimiùm depuratur, decoquitur & inspissatur, ac per sulphur album & rubeum gradatim congelatur. Quando quidem sulphur dissolvitur multoties, & priùs coagulatur argentum vivum sublimatum, inceratum caloris actione, donec vix in millibus annorum successivè opere naturæ in metallum perfectum coagulatur. Ex hoc quidem in vasis mineralibus ipsa natura operatur metalla. In istis ergo operibus, naturam imitari oportet quicunque vult medicinam perficere ab imperfectione perfectam: licet ipsa corpora differant compositione sua ab argento vivo, quæ ab eo generantur, eo modo quo ipsum fuerit purum, vel impurum, ex sulphure mundo, vel immundo. Si enim argentum vivum coagulatur ex sulphure puro, in quo est vis igneitatis, simplex erit aurum. Si verò sulphur fuerit malum & debile, & Mercurius bonæ substantiæ, convertit ipsum in æs. Si verò argentum vivum fuerit ponderosum, terreum & immundum, & sulphur immundum & fœtidum ac terreum & fixæ substantiæ, fit inde ferrum, quod postea non faciliter funditur. Stagnum verò videtur habere argentum vivum bonum, sulphur verò malum non bene mixtum, ideò inter dentes causas stridorem. Plumbum habet grossum argentum vivum, malum, mali saporis & fœtidi, ac virtutis debilis, unde assiduè per ignis violentiam corrumpitur. Sic differunt corpora metallica ab argento vivo; secundùm quod ipsis inest sulphur extraneum vel adurens. Quòd si consideratur quæ virtus sit in ipsis, cùm multa quantitas sulphuris est imperfectio, & multa quantitas argenti vivi est in ipsis perfectio, cùm argentum vivum sit incombustibile & aëreum, quoniam sulphur comburit & comburitur, & perfectum in omni opere impedit. Hæc sunt verba Aristotelis quàrto Meteororum: Non est credendum quòd Philosophi in aliquo mendacio reperti sunt: ergo ipsis summè est credendum.

CAPUT V.

De Formatione mirabilium quæ originem ex Mercurio non ducunt.

SUnt autem minora seu media mineralia secundùm quod dictum est, quæ originem ex Mercurio non ducunt. Et horum quædam sunt sales quæ liquefiunt humido faciliter, ut alumen, sal simplex, sal armoniacum, sal lapideum, & omnia genera salium. Et quædam sunt virtuosa, nec liquefiunt solo humore faciliter, ut auripigmentum, arsenicum, sulphur, cùm aqueitas sulphureorum corporum est commixta cum terra viscosa, commixtione forti cum ferventia caloris, donec facta sunt virtuosa, & priùs coagulata sunt ex frigore. Atramenta verò composita sunt ex sale & sulphure & lapidibus, & creditur in ipsis vis mineralis aliquorum corporum liquabilium, quæ ex eis fiunt, ut calcantum, & olocari ager: qui generantur ex majoribus gr nis atramenti, & non solvuntur, nisi solvatur taliedo cum ipsis quæ est in ipso sulphure, & priùs congelantur in frigore. Et illud jam accipit vim mineralem ab aliquibus corporibus, naturaliter in terris existentibus. Quod accipit vim ferream; erit rubeum & terreum; sicut olocari. Quod autem vim accipit aëream, hoc erit viride calcantum. Unde possibile est ista duo, scilicet olocar; & calcantum ab ipso generari, cùm tamen hæc omnia prædicta participant in vi minerali cum metallis. Sed corpora metallica ex ipsis artificialiter fieri non possunt, cùm sint alterius naturæ, & cum metallis ex prima materia propinqua, scilicet cum Mercurio originem non duxerunt, sed ex argento vivo. Non nego quin cum ipsis metalla possunt purgari aut dissolvi, vel forma sophistica per ea introduci, ad decipiendum homines, propter quod plumbi nigredo abstergi potest, verumtamen plumbum, semper manet plumbum. Sic artifices possunt facere congelationes per ea: id est, extrahere humidum ex Mercurio cum rebus siccis, ut videatur Mercurius coagulatus, sed illa coagulatio est pessima. Unde Aristoteles: Sciant Alchimistæ, se species rerum permutare non posse, sed similia illis facere possunt: id est, tingere rubeum citrino, ut videatur aurum, & album tingere colore quo volunt, donec fiat multum simile argento: ut hi qui conjungunt stannum, cuprum & Mercurium, & inde faciunt argentum sophisticum. Et fit etiam purgatio per mineralia in metallis, & non est impossibilis, & contra hæc non stat ratio, sed contra verum aurum & argentum, quod nequaquam in natura & arte fieri conceditur, nisi per corporum in primam materiam reductionem. Sic species rerum transmurari possunt, ut priùs Aristoteles subdit. Et hoc non fit per solam liquefactionem, sed per congelati Mercurij resolutionem, cum sui spiritus admixtione corpus in Mercurium transformatur.

CAPUT VI.

De Differentia Generationis Sulphuris vulgi, & simplicis & Mercurij.

CUm dictum Sulphur causans metalla, est elementum metallorum cum Mercurio, nunc pono differentiam in Mercurij generatione, & sulphuris, licet bene ex utráque parte causent metallum, scilicet Mercurio essentiali, & sulphure ex parte accidentali. Tamen illud sulphur adhuc est duplex, vivum scilicet & urens. Vivum causat metalla, quamvis adhuc bene differunt unum ab alio secundùm quod plus existit viscositate terræ infectum, cùm tamen sulphur simplex vivum, causans aurum & argentum, non est nisi vapor calidus & siccus, genetatus ex puriſſima siccitate terrestri, in qua omnibus moribus prædominatur ignis, & illud dicitur elementum cum Mercurio metallorum. Sed generatio sulphuris vulgi, differt à generatione Mercurij, ut suprà dictum est: quia aqueitas sulphuris vulgi, est commixta cum terrestreitate viscosiſſima, cum ferventi calore, & facta sunt unctuosa. Sic generatio Mercurij differt in parte secunda à generatione istius sulphuris, cùm sit generatum ex terra subtiliſſima, alba, sulphurea, cum limpidiſſima aqua, quoniam transparet admixtione fortiſſima,

tissima, ita quod unum ab alio separari non potest donec non quiescat in superficie plana, nec adhæret tangenti propter siccitatem terræ, quæ alteravit aquentatem ratione formis commixtionis, & ideo est elementum cum sulphure simplici omnium ductibilium, vel propè simile est aliquibus ductibilibus. Et ideo propter concordantiam aliquo modo ipsorum in generatione commiscetur sulphur Mercurio, & unum alterat in natura. Quare unumquodque corpus metallicum in se sulphur expresse habere dignoscitur, cùm liquefiat calore ignis, ibi apparet Mercurius, & sulphur, Mercurius in substantia, sulphur in colore, & in cute rubea superiùs natante. Sic proprium est unius, quod sit adhæremia alterius, eum unum sine alio in metallum generari non potest. Et in quantum sulphur est magis simplex, in tantum magis gaudet & cohæret Mercurio simplici & mundo, ac fortius cum altero conjungitur, & sic perfectiora tunc ex ipsis generantur metalla.

Quæstio.

Cùm generaliter Philosophus loquatur; quòd sulphur coagulat, dicendum quod non. Quia omne sulphur vulgi secundùm Philosophum, metallis est extraneum & contrarium. Avicenna: Non intrat in magisterium quod non est ortum ab eo. Quia semper inficit & denigrat, & corrumpit, quocunque modo per artificium præparetur. Est enim ipsum, ignis infectus, ergo fusionem impedit. Si verò calcinatur, in terream redit substantiam, ut pulvis mortuus. Quo ergo modo potest alijs vitam inspirare? Habet enim duplicem superfluitatem, scilicet inflammabilem substantiam, & terream fæculentiam: Igitur per hæc considera sulphur vulgi non Philosophorum esse, cùm sulphur Philosophorum sit simplex ignis vivus, alia corpora mortua vivificans, & ea maturans, ita quod naturæ defectum supplet, cùm ipsum sit superfluæ maturitatis, secundùm quod in natura sua sit perfectum, ac per artificium magis ac magis depuratum. Unde Avicenna: Tale sulphur non reperitur super terram, nisi in quantum exit in istis corporibus Sole & Luna, & in alio, quod est illud, quod nulli dicitur, nisi ex parte Dei sibi reveletur. In Sole autem perfectius: quia magis est digestum & decoctum.

CAPUT VII.

Quomodo possibile sit minora Metalla artificialiter fieri Metalla.

SEd quia in præcedenti capitulo determinatum est, minora metalla artificialiter impossibile fieri metalla, propterea hic restat fore probandum. Primo sic: quia minora metalla de prima metallorum materia, quæ est Mercurius, non sunt generata: quia generatio eorum cum generatione Mercurij in primis differunt in forma, in natura, in compositione, ideo etiam fieri metalla non possunt: quia rerum unius speciei, una est materia prima, & sperma ex quibus generantur.

Prima pars antecedentis patet, quod minora metalla non sunt generata ex Mercurio, quod est causa, quia semper manet in prima materia metallorum, & non extraneam sulphura. Unde Aristoteles & Avicenna: Ideo si deberent fieri metalla, oportet quòd primò transirent in primam materiam metallorum. Sed quia artificialiter hoc fieri non potest, ideo minimè ex eis metalla fieri possunt. Sic patet prima pars antecedentis satis declarata.

Secundò ad idem: Quia minora mineralia principium metallorum artificialiter fieri non possunt, quod est Mercurius: ideo etiam medium & finem non pertingunt, quæ sunt metallum, & tinctura quam tenet: quia nutrimentum in homine per generationem non potest fieri homo, nisi priùs convertatur in sperma; & sic additum suo simili novus generatur homo. Sed quia minora metalla à metallis sunt extraneæ naturæ; quamvis bene in aliqua vi minerali participant, & debilioris sunt virtutis, & adustibilia, ideo natura metallica eo non gaudet, sed respuit, & servat ea quæ sunt suæ naturæ. Exempli gratia: Si aqua miscetur terræ, separantur ab invicem; quia terra petit fundum cùm sit gravis & sicca, aqua superficiem, & nequaquam artificialiter sic possunt conjungi, quòd istæ naturæ contrariæ stent in una natura conjunctim. Bene quidem aqua potest abluere & mundare terram, sed quòd siccitas terræ artificialiter mutetur in aqueum humidum, credi non debet; licet terra madefiat aqua. Sic minora mineralia possunt conjungi cum metallis, & ea purgare, & aliquo modo novam formam introducere, sed eum ipsis permanere; & illud immaturum maturare; natura non concedit. Quare fatui, ut diversa negocia & sophistica. ad decipiendum homines adducunt, scilicet res improportionabiles, quæ nec materiam dant, nec etiam recipiunt: scilicet secundinas, oculos animalium, testas ovorum, crines, sanguinem hominis rufi, Basiliscum, tàm artificialem quàm naturalem, vermes, herbas, radices, stercus humanum. Multi enim fatui laboraverunt; & adhuc laborant in his rebus vegetabilibus & sensibilibus, ubi nihil tamen veritatis invenerunt, sed quasdam humilitates, de quibus indicamus inscijs, ut evitare possint deceptiones. Nam ex his rebus postea dicendis, longo tempore extraxerunt quod appellabant argentum vivum artificiale, & olea, & aquas, quas nominaverunt quatuor elementa, videlicet aquam, aërem, terram, & ignem, & salem armoniacum, arsenicum & sulphur, & auripigmentum, quod emisserunt meliùs in foro, & citius perfecissent. Quæsi erunt etiam in rebus vegetabilibus & sensibilibus, humore carentium, & siccorum combustibilium & corrupribilium tincturam, quam non habent. Hi verò damnificati sunt damno apparenti. Et istæ sunt rationes: Capilli humani, cerebrum, sputum humanum, lac mulierum, cruor humanus, urina stercus, embrio, menstruum, & sperma, offa mortuorum, ova gallinarum, & simpliciter in omnibus animalibus brutis, piscibus & volatilibus, vermibus, & carnibus, scorpionibus, bufonibus, basilisco naturali & artificiali, in quo maxima trufa est. In testudinibus, & succis quorundam herbarum, & floribus arborum, & specialiter in his, videlicet herba Lunari & solari, quæ dicitur toxicum, & in omnibus in quibus finxerunt nomina ad placitum suum, secundù metalla decipientes se & alios, volentes cum pessimis rebus optimam perficere, & naturæ defectum cum talibus adimplere, in ijs nullam virtutem imaginantes veraciter, nec scrutantes, volentes stercus seminare & metere triticum, quod vivi videtur impossibile. Unde dicitur: Si quæ homo seminaverit, hæc & metet, Ergo si stercus seminat, merdam quoque & metet. Quare non est mirum quod vix unus inter mille, aut nullus de talibus perficit.

Simina

Semina aurum & argentum & afferet tibi fructum milleſimum, cum labore tuo, mediante natura: quia ipſa ſolum habet quod quæris, & nulla alia res mundi, cum alia omnia ut fœtida, & naturæ cedunt per ignis aſſiduitatem, & examen. Sunt & alii Alchimiſtæ in mineralibus minoribus laborantes, ſcilicet quatuor ſpiritibus ut in ſulphure vulgi, arſenico, auripigmento, & ſale armoniaco, volentes ex his tincturam perficere, ſed hoc facere non poſſunt, ut patet per diffinitionem tincturæ. Quia tingere non eſt aliud quàm tingendo tincturam in naturam ſuam transformare, & ſecum ſine ulla transformatione permanere, & docens naturam contra ignem præliare. Nam tingentis & tincti natura concordat. Exempli gratia: Si ex auro vel argento tinxeris plumbum, vel ſtannum, vel aliquid aliud tale, hoc concordat in naturis, quia originem ex utraque parte ex Mercurio duxerunt, maturum immaturo conjungitur, ut immaturum ſecum in tali via perficiatur. Sed cùm iſti quatuor ſpiritus ſint alterius naturæ cum metallis, ut ſufficienter priùs dictum eſt: ideo ſi tingere debent, quæro utrum debeant convertere, vel converti? Si converti, tunc tinctura non eſt, ut patet per diffinitionem. Si convertere, ergo tingendo convertit in ſuam naturam quæ eſt terrea, natura metallicæ naturæ extranea; ideo metallum tingendo facere non poſſunt. Quia autem tingendo convertit in ſuam naturam probatur: quia omne generans generat ſibi ſimile. Sed quia hic tinctura quatuor ſpiritum generans eſt, terra igitur generabit ſibi ſimile, quod eſt terreum ſicut ipſum. Sic & iſtam tincturam & omnem aliam quæ non invenitur in proprietate naturæ deſpicias cum aliis viis extraneis: quia in ipſis non eſt aliud quam rerum conſumptio, temporis perditio & laboris, cum omnia alia apparentia ſunt, & non exiſtentia metalla, quæ per minora mineralia vel conſimilia fuerint laborata. Ergo ſtultum eſt quærere in re, quod in ea non eſt, & cætera: ut in rebus fœtidis & uſtibilibus quærere aurum & argentum, &c.

CAP. VIII.

Iterum de Sulphure Philoſophico ſimplici non urente.

PHiloſophi ſubtiliter ſunt imaginati, quomodo in iſtis corporibus perfectioribus ſulphura illa elicere poſſent, & ipſorum qualitates per artem purgare, ut hoc haberent in arte, mediante natura, quod in ipſis antea non apparuit, quamvis plenariè & occultè priùs habuerunt. Et hoc nequaquam fieri concedunt ſine corporis ſolutione & in primam materiam reductione, quod eſt argentum vivum, ex quo facta ſunt ab initio, & hoc abſque ulla permixtione rerum extranearum, quæ extraneæ naturæ lapidem noſtrum non emendant, quoniam nihil convenit rei, niſi quod propinquius eſt ei, cùm ſit medicina ſimplicis ac virtualis naturæ, ex aqua mercuriali producta, in qua aurum & argentum priùs ſunt ſoluta. Exempli gratia: Si glacies ponitur in aquam ſimplicem, ſolvitur in ea per calorem, & reddit in primam ſubſtantiam aqueam, & ſic aqua tingitur ex virtute etiam occulta quæ fuit in glacie. Si autem glacies non reſolvitur per calorem in aquam, non conjungitur aquæ in qua jacet, nec illam aquam tingit ſua virtute quæ in ea antea coagulata fuit, ex parte ſpecierum. Sic eodem modo ſi corpus non reſolveris in Mercurium, cum Mercurio occultam virtutem ex eo habere non potes, ſcil. ſulphur digeſtum & decoctum per opus naturæ in minera. Sic enim lapis eſt unus, una medicina, quæ ſecundùm Philoſophos dicitur Rebis ex bina re, ſcilicet ex corpore & ſpiritu, albo vel rubeo, in quo multi fatui erraverunt.

CAP. IX.

Quomodo Sulphur rubeum eſt in Sole, & album in Luna.

CUm dictum ſit quòd Sulphur Philoſophorum rubeum exiſtat in Sole, per majorem digeſtionem, & ſulphur album in Luna per minorem digeſtionem. Unde Philoſophus: Citrinatio non eſt aliud quàm completa digeſtio. Nam calor agens in humidum, primo generat nigredinem, & agens in ſiccum cauſat albedinem: quam albedinem ignis, ſi tranſcendit agens in eò, mutat in puriſſimam citrinitatem. Hæc omnia in calcinatione plumbi attendi poſſunt. Etiam dicit Philoſophus: Quia jam actu unumquodque perfectorum corporum ſuum bonum ſulphur cum Mercurio continet, ſcilicet aurum aureum, & argenteum. Ideo ſulphur album per citrinum eſt aurum. Quamobrem ſulphur in eo eſt ſulphur rubeum: id eſt, ignis ſubſtantia, qui hoc album plus digeſſit. Et ſic ſulphur album & rubeum ex utraque parte exiſtit in Sole. Quare ignis eſt perfectio ejus, & in igne generatum eſt. Et ideo amicabiliter gaudet natura ſuæ igneæ naturæ. Unde aliquæ res extrancæ hoc in corporibus cauſare non poſſunt, cùm ars non ſit aliud mediante natura, niſi decoctio & digeſtio illius naturæ per ſimplicem laborem. Exempli gratia: Mane cùm ſurgo, & video urinam meam albam, judico me parum dormiviſſe, tunc repono me iterum ad dormiendum, & accepto ſomno, urina citrinatur. Et hoc propter majorem digeſtionem caloris naturalis in me exiſtentem. Sic ſequere naturam per artem, ſimiliter decoquere, digérere, maturare ſubſtantialiter, cùm jam in actu natura contineat in ſe ignem naturalem quo maturatur. Hoc aliæ res non habent, ideo dare non poſſunt. In Luna non eſt niſi ſulphur album ſimplex, non tamen digeſtum ſicut rubeum, nec ſic à nigredine privatum per actionem caloris, quem in ſe naturaliter continet. Sed ignis ſpecies eſt obtecta & occultata, agens in ea plus per artem quàm per naturam. Et ideo non eſt impoſſibile quòd ars mediante natura hoc plus digerat & perficiat, cùm naturaliter intendat perfici, ſed per ſe non poteſt, niſi moveatur arte & operatione. Sed iſti labores, ut credo, non perveniunt ad hominem duræ cervicis. Et ideo non fit verum aurum, niſi fiat ita digeſtum & decoctum, ut melius melioret pejus. Quia omnium Philoſophorum intentio eſt, cum meliore pejus perficere. Quod fatui contrariè intelligunt: quia cum pejore melius perficere nituntur. Et hoc quærunt in re, quod nunquam fuit in illa, ſcilicet aurum & argentum in rebus aduſtibilibus, ut ſuprà dictum eſt.

CAP. X.

Quod in aliis ægris corporibus non eſt utile hoc ſulphur quærere, quia ibi non eſt.

QUæri non immeritò poteſt, utrum ex aliis ægris corporibus, hoc ſulphur album & rubeum ad tingendum Mercurium elici poſſit: Dico quòd non, quia priùs dictum eſt, quòd non eſt aliqua res majoris temperantiæ, quàm in iſtis duobus corporibus reperitur, quibus inſunt radii tingentes,

cùm priùs dictum eſt, quòd ægra corpora in ſe contineant ſulphur fœtidum & aduſtibile, & non virtualis naturæ, ſicut in iſtis, &c. Cùm omnis ars non valeat, niſi præhabita natura, quam ſequatur. Poſſes tamen cum minoribus mineralibus purgare metalla; quibus purgatis tamen adhuc non habent auream & argenteam naturam in ſe, quia digeſtio & decoctio aurea non fuit in illis, ſicut in aliis, nec ſulphur ita maturum. Et ideo ipſis immaturis ſuccurrendum eſt cum maturis ut maturentur. Igitur non tingunt ſed tinguntur, quia tinctura auri & argenti proportionabilem naturam habet cum ipſis ſcil. immaturis vel imperfectis, quia originem ex Mercurio traxerunt. Ex his manifeſtè patet quòd minora mineralia tingere non poſſunt, quia corpora metallica imperfecta, quæ non conveniunt cum auro & argento ex parte Mercurii maturi, tingere non poſſunt, nec naturam auri vel argenti infundere. Et ideo non eſt tingendum niſi cum illis quibus ineſt virtus tingendi. Tinge ergo cum auro & argento, quia aurum aureum tribuit colorem & naturam. Quare omnia alia deſpicias, quibus non ineſt virtualiter ſeu naturaliter virtus tingendi, cùm in ipſis non ſit fructus, ſed ſolùm perditio rerum & ſtridor dentium.

CAP. XI.

Quomodo Aurum curet infirmitates hominum & ægra corpora metallorum.

CUm autem inter vulgares & Philoſophos aurum formam teneat, quod in prima ſua diſpoſitione manens, lepram curet, & plures alias virtutes habeat: hoc autem eſt propter ejus completam digeſtionem, quia excellentia ignis in eo agens, omnes malos humores conſumit in corporibus ægris exiſtentibus tàm ex cauſa calida quàm frigida. Sed hoc argentum facere non poteſt, quia tantam ſuperfluitatem ignis non habet, nec tantum eſt digeſtum & decoctum naturali maturitate. Tamen iſto non obſtante, igneitatem occultè & virtualiter habet, ſed non ita plenè, quia adhuc ignis non facit tales qualitates elementales ſicut in auro. Et ideo argentum in ſua prima diſpoſitione manens non curat lepram ita potenter, niſi priùs per artem digeratur, quouſque habeat gradus ſummos auri in omni maturitate: quare alia ægra corpora metallica minus curant infirmitates, ſecundùm quod magis differunt in imperfectione & maturitate ab eis, & ex defectu ſulphuris infecti, & fœtidi, & urentis, ex quo, generatione & coagulatione ſua facta ſunt ab initio, & ideo non curant. Cùm ergo aurum tanti vigoris ſit apud vulgares, & hoc in ſua prima diſpoſitione manens, quare non mirum, ſicut expertum eſt, ſi aurum in medicinis per artis miniſterium ſequentis naturam redigatur, & ejus virtus ſubtilietur per digeſtionem decoctionis, & qualitatum purgationem, quòd multas ſeu omnes ægritudines habeat tunc curare. Quod patet per Arnoldum de Villa nova peritiſſimum medicum, qui Dominum Innocentium Papam cum hac medicina ab infirmitate, cæteris medicis incurabilem liberavit. De ſene facit juvenem, & reviviſcere facit, ſervat ſanitatem, corroborat naturam, & omnem ægritudinem corporis expellit: venenum à corde declinat, arterias humectat, contenta in pulmone diſſolvit, breviter totum corpus habile reddit. Eſt ita precioſum quòd nullus habet exſolvere, & ita rarum quod nullibi poteris reperire: ergo, &c. O fœlix ſcientia cum ſciente, qui eam habet, incomparabilem theſaurum poſſidet, in ſalubri conſtellatione natus eſt, & in hoc ſeculo ſuper omnes ditatus, coram Deo & hominibus honoratus: quia non per uſuram & fraudem vel falſis mercimoniis, & pauperum ſpoliationem, nec per ſubditorum oppreſſionem, ſicut jam potentes Mundi ditantur: ſed per laborem manuum & induſtriam ingenii hic theſaurus acquiritur: ergo beatus. Philoſophi veritatem cognoverunt, ideo eam ſcientiam poſuerunt ſuper naturę motum, & modum ejus imitantes, nunquam aliquis Philoſophus repertus eſt mendacium poſuiſſe, licet obſcurè locuti ſint, & hoc propter ejus nobilitatem fecerunt. Aliqui ſcribunt in libris ſuis mendoſis & altercatis. Cave tibi ab odore ejus, ne te interficiat. Ecce qualis medicina & contrarietas, quæ cùm ſanare debet, inducit mortem. Non eſt mirum, quòd res intoxicativæ ex venenis compoſitis, hæc facere poſſunt. Videte fatui quomodo veſtra opera differunt ab opere naturæ. Quare fatigamini in hujuſmodi rebus altis ad quas venire non poteſtis taliter laborando, niſi miraculosè eveniat, ut accidit beato Joanni, qui de virgultis fecit aurum. Dico vobis qualis eſt medicina, tale fit & aurum. Cùm res fœtidas ſeminatis, merdam metetis. Revertimini ad viam veritatis propter voſmetipſos. Conſulo vobis ſtudere, dicta ſapientum revolvere, ex quibus veritatem elicite, non caſualiter ad opus accedite. Non advertatis Recipe recipe, hoc & hoc, neſcio quid, & fac taliter, neſcio qualiter: Inſtrue me hoc, & ego docebo te illud. Sic deceptus alium decipit, & ſic totus Mundus per tales eſt defraudatus. Cæcus enim ſi cæco ducatum præbeat, ambo in foveā cadunt. Ubi enim videris, recipe, cogita quòd ſignificet decipe, mutato r in d.

CAP. XII.

Quæ particularia ſunt perficiuntur in hac arte.

VNiverſaliter omnibus intuentibus ad quos præſentes devenerint ſermones, declaro. Quia in totius artis ſerie non ſunt niſi duo particularia, quæ particulariter perficiuntur ſecundùm Philoſophos & naturam. Primum particulare, tàm in albo quàm in rubeo exiſtit in Mercurio, ſine adminiſtratione medicinæ perfectæ. Quamvis bene corpus cum quo perficitur in ſe occultè ipſius tincturam continet, veluti natura requirit.

Primum, quod in eo particulariter perficitur ex utraque ſpecie rerum eſt illud. Cùm Mercurius ex prima materia omnium metallorum compoſitus ex terra nimium alba, ſulphurea & aqua clara. Et ideo, albedo terræ tranſparet limpiditatem aquæ, & eſt color in eo albiſſimus, ut docet experientia. Et continet in ſe ſulphur bonum, maturum & mundum, tunc poſſibile eſt ex eo particulariter fieri Solem & Lunam. Philoſophus: Admiſceatur per artificium aliis corporibus metallicis: quia eſt de natura eorum, & ipſa generata ſunt ab eo. Et ideo per artificium fieri poteſt, ut imitetur naturam digeſtam in illo, ut cum eis perficiatur. Et ſic quibus complectitur metallis fit ſimile illis, ſine aliqua admixtione extranea: Cùm ſimpliciter natura gaudet ſuæ naturæ, & non per aliquod extraneum. Sed cum Sole fit Sol: cum Luna Luna: cum Vedere Venus, &c. Cùm unumquodque mittit in illud vim ſuam, & etiam quia in ſe continet ſuum ſulphur bonum & immaturum, quod per artem maturatur,

tur. Quare alia metalla coagulata & infecta per sulphur adustibile particulariter sicut ipsum, Sol & Luna fieri non possunt. Prima ratio est: Si enim Mercurium transformarent, & admiscerent cum Sole & Luna, tunc ipsorum Mercurius haberet in se illud præhabitum sulphur malum. Et si purgaretur, tunc in tantum purgari non posset, quòd reduceretur in Mercurium, sicut ante talem simplicitatem. Nec etiam posset corpus per Mercurium in eo dissolvi. Et cùm dissolvi non posset, tunc etiam vim seratam in illud mittere non posset, sed naturalis ex utraque parte seratis, unumquodque in examine ab altero separaretur, cùm in se non haberet naturam perfectam occultè, cum qua propriè per ipsorum solutiones perficere possent. Sed cum semper ipsis necessarium sit, mediante arte, ut alia corpora perfecta ipsis subvenirent cum sua natura, quæ naturaliter est perfecta. Secundò si insoluta adjungerentur corporibus perfectis, minus aurum & argentum fieri possent, cùm naturaliter per congelationem ex utraque parte naturæ earum seratæ sunt, & cum non est medium aperiens illas naturas, ad mittendum unam vim in aliam, tunc conjungi non possunt conjunctione naturali, ita ut redeant in Mercurium, quæ ex utraque parte per originem duxerunt, & ideo per vehementiam ignis ab invicem separantur per combustionem naturæ imperfectæ, ut bene cernitur. Ideo cùm conjungere volueris, facias Mercurium per Mercurium, qui dissolvit & aperit naturas separatas, ut simpliciter unum possit transire in aliud, & perfectum mittere vim in imperfectum, ut secum perficiatur. Et isti sunt labores viæ particularis. Et sic particulariter aurum & argentum fieri possunt. Non quòd Mercurius crudus dissolvit corpora, & reducit ea in primam materiam suam sive naturam: Sed Mercurius corporum hoc facere non potest, & hoc propter cruditatem sui sulphuris, quam in prima sua generatione habuit. Sed Mercurius crudus ex aqua clara ab initio factus, ille crudum semper appetit corrodere, & primo quòd suæ naturæ vicinius est, scilicet aurum & argentum, &c. Sed alter Mercurius ex corporibus congelatus hoc facere non potest: quia per congelationem illud crudum sulphur quod antea fuit in eo, est alteratum in natura, non corrodit sicut primum, nec se ratum aperit. Et ideo una vis non mittitur in aliam, sed unumquodque per se manet. Bene quidem fluctualiter sunt conjuncta, sed naturaliter ex utraque parte sunt serata. Quare per examen, & asperitatem ignis imperfectum comburitur, perfecto manente: quia una natura alteri succurrere non potest. Sed cum argento vivo crudo hoc facere potest, scil. naturas reserare & aperire, ut unaquæque res vicina, sit suæ naturæ adjuvamen. Ideo si dissolvitur argentum, inveniet argenteam naturam: & si aurum, inveniet auream: si plumbum plumbeam, &c. per ipsorum sulphur congelatur. Unde Philosophus: Sed non alia corpora quæ suam naturam non participant sicut tu quæris in multis fœtidis rebus & immundis. Et ideo particulariter possibile est ex utraque parte ex eo fieri aurum & argentum, & in aliis corporibus non, ut audivisti.

Nota, duplex est solutio corporum in Mercurium, per Mercurium, & in aquam Mercurialem: Prima solutio requiritur ad particularia: Secunda ad universalia.

Prima solutio corporum in Mercurium non est alia, nisi resolutio: id est per solam resolutionem seratum aperitur, propter ingressum naturæ unius in aliam, & ista resolutio est in particularibus.

Secunda solutio est in aquam Mercurialem, & fit universaliter. Et illa fit, non per solam dissolutionem sulphuris immaturi in Mercurium, sed per putrefactionem corporis & spiritus in humido. Cùm putrefactio omnium naturarum ad invicem ligatarum est solutio & separatio. Et sic partes ligatæ ab invicem separantur, & una quæque pars ab alia: & hoc fit per separationem & solutionem elementorum, quæ in generatione Mercurii sunt connexa, scilicet aquæ & terræ. Et eædem partes dum purgantur in natura per conversionem conjunguntur, & plus se diligunt propter eorum mundificationem, quàm antea in natura. Sed hæc separatio fieri non potest in corporibus nisi per spiritum, sic ars transcendit naturam in una via, licet artificiali bene subitò fiant, quæ tamen antea naturaliter prolixa fuerunt. Non tamen credas, quòd hæc sint elementa vulgaria, scilicet aqua nubis vel consimilia. Sed frigidum & siccum terra, frigidum & humidum aqua, humidum & calidum aër, calidum & siccum ignis. Et sic sunt in naturis elementorum. Tamen nequaquam ars potest partes connexas in generatione ita separare: quòd simpliciter in elementa quæ fuerunt transmutentur, cùm prima natura unam qualitatem mutavit in aliam, taliter ars separare bene potest, ut humidum à sicco, frigidum á calido. Sed tamen una qualitas adhuc de naturali commixtione possidet naturam alterius in aliqua parte, & per hæc possunt per artem viceversa conjungi, sicut divisa sunt. Si illud non esset, quòd una qualitas participaret naturam alterius, scilicet aqua naturam terræ in frigiditate, aër naturam aquæ in humiditate, & sic de cæteris. Tunc sequeretur, quòd naturale opus esset totaliter destructum, cùm simplicissima essent elementa sicut antea fuerunt. Ante Mercurii generationem ars destruxisset naturam à capite incipiens, scilicet ab auro & argento, usque ad principium: id est, argentum vivum. Et ultrà ista principia simplicium elementorum, secundùm quod antea fuerunt, ante Mercurii generationem: ita remotè in arte est impossibile. Si esset possibile, tunc sequeretur, quòd de novo extra primam materiam Mercurium metallorum, ars componeret elementa, & viceversa ars generaret Mercurium sicut destruxit, quod impossibile est artificialiter fieri. Bene quidem ars destruitur à capite usque ad pedes: id est, Mercurium à pede ædificans usque ad caput in subtiliori forma cum substantia naturæ, quæ antea fuit, ars concedit. Sic dividuntur species rerum cùm in aliam formam quàm antea fuerunt, transmutantur. Ut testatur Philosophus, dicens: Sciant artifices Alchemiæ, species rerum permutari non posse, (quod quidem verum est) nisi in primam materiam transmutentur vel convertantur: id est, in argentum vivum. Et ultrà hoc non consulit. Secus fieri est impossibile.

SVBSECTIO VII.

MARSILII FICINI * *Florentini* Liber DE ARTE CHIMICA.

CAP. I.

De Generationibus Metallorum in Visceribus Terræ.



MNIUM rectè Philosophantium eadem est opinio atque sententia: cuncta Metalla vapore sulphuris, ac argento vivo generari Quoniam cùm pinguedo terræ calefacta, aquæ substantiam adinvenerit aliquantulum globatam, eandem tum virtute naturali, tum corporum cœlestium radiis atque conatu cœli, secundùm puritatem aut impuritatem utriusque aurum, argentum, cuprum, stannum, ferrum & plumbum corpora illa speciosissima in venis terræ consolidavit.

CAP. II.

De Natura & Arte.

SUnt autem duæ in hac Mundi testitudine causæ effectrices, natura & ars. Natura quotidie novas producit res atque generat: Ars verò illarum rerum similitudines per conceptum in se imprimens, naturæ vestigia lineationesque miro modo prosequitur. Ita ut si ingenium hominis in quibusdam aliquando non opituletur, ipsam naturam, ab operatione sua palam est defeciſſe. Ars etenim naturam, adjumento naturæ nonnunquam corrigit, supplet, & quodammodo (præsertim in hac magnifica mineralium rerum diatribe) superare videtur. Quod à priscis illis Philosophis jamdudum in memoriam est consecratum. Duo sunt Philosophorum genera. Quidam naturam duntaxat per se investigantes, virtutem ac potentiam quam habent res sublunares, tum ab elementariis qualitatibus, tum à cœlo & stellis, literarum monimentis tradidere, ut sunt Medici: Et quidam, alii, qui animantium naturas, arborum, herbarum, metallorum & lapidum preciosorum descripserunt. Alteri longè quidem splendidiores, non solùm naturam, sed ipsum denique naturæ arcanum, ejusque penitiora adyta, sagacissimè ac argutissimè penetrantes, veriori vocabulo Philosophi nomen sibi usurparunt. Sed quia natura ex duobus Sulphure & Mercurio cuncta producit metalla, nobisque superiora corpora ex eis generata cum inferioribus reliquerit, certum est, diligentes eadem ex tribus suis operationibus conficere, & inferiora corpora ad naturam & perfectionem corporum superiorum deducere posse.

* *Hunc Librum sæpius citat Evraldus Vogetius tanquam Marsilii Ficini, ut & etiam Theob. de Hogelande in Proœmio &c. itaque illi Authori non malè à nobis tribuitur.*

CAP. III.

Refellit opinionem quorundam in hac arte, & ponitur Ars Philosophicæ verbis pauciſſimis.

ET quoniam apud plerosque Philosophiæ studiosos concessum est, ipsa metalla Sulphure & Mercurio generari, arbitrati sunt nonnulli, sulphur & mercurium cùm sint metallorum radix & materia accipi debere, & tantisper decoqui, donec in corpus metallicum essent conglutinata. Isti quidem si profundius in naturæ sanctuarium descendissent, ac hujusmodi stolidas opiniones neutiquam devenissent. Quamvis enim sulphur & mercurius quodammodo metallorum radix ante primam coagulationem fuerint, modò tamen non sunt, cùm ad aliam naturam sint deducta: unde relinquitur, ex ipsis non posse fieri aliquod corpus metallicum: Cùm item ignoretur vinculum, quo Venus & Mercurius in debita proportione coeant. Quare non sunt accipienda ea, sed potius id, quod ex ipsis in ventre terræ est plenè decoctum, & illud quidem purissimum: cujus simile comperies in natura vegetabili. Manifestum est cuncta arbusculas, flores & herbulas, ex aqua & unione terræ subtilis progigni. Et si arborem aut herbam producere coneris, non terram aut aquam capies: sed potius id quod ex ipsis est veluti, surculum aut semen, quæ terra omnium parentis gremio commissa, & suæ naturæ alimento enutrita, luminisque solaris vibratione evocata, in speciem arboris & herbæ ad superficiem terræ debito tempore erumpunt. Pari modo ars ea divina, semen è corpore perfectiori docet eximere, quod terræ Philosophicæ per artem præparatę, immissum, & calore temperato in pulverem album aut rubeum jugiter decoctum, inferiora corpora ad naturam superiorum traditur convertisse.

CAP. IV.

Ponit, quare Philosophi hanc artem quæsierint, quid eos ad hoc moverit, & solvitur ea quæstio: Quare spiritus in metallis non possit sibi simile propagare, cùm cujuslibet rei spiritus, sit generationis author.

CAusam autem potissimam, quare prisci illi Philosophi hanc Scientiam indagarint, inspirationem Dei alacriter asserimus. Videntes enim Philosophi cuncta res vegetabiles, animalesque, tum cæteras res suo quodam spiritu se multiplicare, & sibi similes producere, transmutationemque fieri in hoc Mundo inferiori per aërem, qui longo tempore singulas res corrumpere videretur, naturamque alterius, se motibus alterare, suborta est inter eos hæc quæstio: Quare, videlicet, spiritus in metallis non possit sibi simile propagare, cùm ex uno surculo multi coalescerent, & ex uno granulo innumer-

pen-

pene grana sese multiplicarent. Decretum est tandem divino oraculo, spiritum cum crassiori cohiberi materia, qui si sublimatione quadam ad ignem secernatur, secretusque in sua sede connaturali conservetur, tanquam seminaria virtus, præter omne falsum, possit sibi simile generare. Ex hoc cogitarunt Philosophi, corporibus inferioribus perfectissimi corporis lucem & nitorem inducere, cùm invenissent metallica corpora solum penes decoctionem aut majorem aut minorem inter se discrepare omniumque metallorum Mercurium fuisse primam originem, cum quo metallicum auri Mercurium extrahentes, aurum ad naturam primam reduxerunt. Quæ quidem reductio cùm sit facilis & possibilis, concluſum est à Philosophis, transmutationem in metallis facilem & possibilem esse. & cùm primigenii illi Philosophi, aurum ad naturam primam reduxissent, influxu cœlesti usi sunt, ne rursus metallum efficeretur, quale prius erat. Deinde naturam ejus purificabant immundum à mundo separantes. Quo facto eam rem, Philosophorum lapidem transmutantem vocitarunt. Propter cujus confectionem diversæ operationes à diversis Philosophis sunt inventæ, ut compleretur artificio id quod à natura esset relictum, cùm natura ipsa semper prona sit ad sui ipsius perfectionem.

CAPUT V.

Pertractat Quid sit Lapis Philosophorum, & agit primò de ejus prima parte.

ET quoniam Philosophi eam peritiam miris verborum involucris, figurarumque umbraculis adeò obscurè declarassent, dubitatum est à quamplurimis, de Philosophorum Lapide. Quidnam sit, & de quibus conficiatur? Quod si aures diligenter attrigere velis: Lapidem in duas secamus partes. Primam ejus partem Solem terrenum dicimus, quod mihi tum prisci Philosophi, tum recentiores testimoniis suis liquido astipulantur in Turba. *Sine Sole terreno opus Philosophicum non perficitur.* Cùm omnes asserant, nullam tincturam esse veram, sine ære suo: quia in ipso est sulphur sapientum purissimum, in quo natura sagax continet sementem suam. Et quemadmodum Sol, vivacissimos & penetrantes radios in hunc mundum elementarium diffundit & transverberat: sic Philosophorum lapis, ex auro Solis, ut ita dicam, filio, Philosophica operatione compositus in alia metalla sese conspergit, eaque sibi virtute, colore & pondere æquiparabit in perpetuum. Et quia in auro sunt omnia metalla, aurum meritò ante alia accipimus. Cùm etenim aurum vel argentum creare voluerimus, necessarium est eadem accipere. Ex homine generatur homo, ex arbore arbos, herba herbam producit, & leo leonem, cùm quælibet res secundùm suę naturæ contemperamentum, quam complexionem vocant, sibi simile generet & producat, verius tamen Philosophi aurum vel argentum non creant: sed natura operantis ingenio mundificata.

CAP. VI.

Agit de Lapidis parte secunda, ubi spiritus gloriosissimæ Virgini Mariæ comparatur.

SEcundam Lapidis partem Mercurium vivum dicimus. Qui cùm sit vivus & crudus, corpora ipsa solvere perhibetur: quia in profundo naturaliter adhæret eis. Hic est lapis sine quo natura nihil operatur. Unde nobis Philosophi consulunt, ut non operemur nisi in Sole & Mercurio, quæ juncta Lapidem Philosophorum constituunt. Quis ergo Mercurium merita laude prosequi sufficit, cùm ipse sit solus qui aurum tenue faciat: & qui tanta polleat potestate, ut ipsum Solem ad naturam primam possit redigere? quam potestatem nulla res in hoc Mundo habere dignoscitur. De ipso Mercurio ita dicitur: *Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes. Mercurius Solem foliatum destruit omnem; hunc solvit, mollit, animam de corpore tollit. Si sublimetur aqua vitæ tunc generatur.* Si quis ergo ex te quæsierit: Quinam sint lapides? Respondebis: Solem & Mercurium esse lapides Philosophicos. Isti verò lapides sunt mortui super terram, & nihil operantur, nisi quoad industria hominis eis administratur. Audi similitudinem profundam, Cœlum Æthereum fuit omnibus hominibus occlusum, ut omnes homines ad infernas sedes descenderent, & ibi detinerentur perpetuò. Sed Christus Jesus Ætherei Olympi januam aperuit, & jam Plutonia regna patefecit, ut animæ eruerentur, cùm in utero virgineo Spiritu Sancto cooperante, ineffabili mysterio profundissimoque sacramento conciperet Maria virgo, id quod erat excellentissimum in cœlis & in terra: & tandem nobis progenuit Mundi universi Salvatorem, qui sua exuberantissima benignitate, omnes peccato deditos salvos faciet, si sæpe peccator ad eum se converterit. Mansit autem virgo illæsa, atque illibata: unde non immeritò glorioſissimæ divæ virgini Mariæ æquiparatur Mercurius. Virgo etenim est Mercurius, quia nunquam in ventre terræ aliquod corpus metallicum propagavit, & tamen nobis lapidem generat, solvendo cœlum, hoc est aurum, aperit educitque animam: quam divinitatem intellige: portatque eam in ventre suo aliquantulo tempore, & tandem in corpus mundificatum tempore suo transmittit. Unde nobis puer, hoc est, Lapis nascitur, cujus sanguine inferiora corpora tincta in aureum cœlum salva reducuntur, & permanet virgo Mercurius sine labe, qualis antea fuerat unquam.

CAP. VII.

Decernit quare Philosophi hanc peritiam occultarint, ubi ponitur laus artis, & invehitur in philosophomastigem Zoilum.

QUare autem Philosophi hanc scientiam per similitudines recedentes Allegoriasque obscuras posteritati, & sapientiæ filiis commendarint, præcipuam ponit causam Hamuel in Seniore. Ut attribuerent eam Deo glorioso, qui revelaret eam cui vellet, & prohiberet à quo vellet. Etiam Rasis id in lib. Luminum refert. *Si enim omnia secundùm quod se habent enodare velim, nullus ultra prudentiæ locus esset, cùm insipiens sapienti æquiparetur.* Legitur etiam in fine Turbæ. *Nisi enim nomina multiplicarentur in arte Philosophica, pueri sapientiam nostram derideren.* Quare illos non magni facimus, qui divinam eam peritiam cavillantur esse adulteram, à qua celeberrimi Philosophi omnem omnium penè rerum notitiam, tanquam olim à Policleti statua statuarii fabri artis suæ furta & fila solebant accipere, Absurdissimum itidem foret suspicari, antiquos illos venerandæ autoritatis Philosophos, in hac præsertim rerum naturalium diatribe,

aliquid falſitatis memoriæ commendaſſe, qui ſummam operam veritati inquirendæ ſemper accommodarunt, licet ad fidei naturæ ſalutiferæ ſublimitatem ſummumque divinæ eſſentiæ faſtigium non aſcenderint. Quæ ergo niſi Zoilus hanc ſcientiam non laudet, eamque ſingulari favore non proſequatur? A qua cunctæ pene detractorum artes ſunt depromptæ: a qua tot colores arti pictoriæ multum idonei ſumpſerunt exordium. Taceo artem monetariam: taceo eruditam eam medicorum deſtillationem, qua virtus, quam eſſentiam quintam vocant, elici ſolet. Quid de vaſis illis æneis dicam? quibus fulmina & tonatio apud mortales excitari ſolent, ſi modò adverſus Chriſtianæ fidei ſacrilegos hoſtes eis uterentur? Eſt præterea ſcientia lapidis adeò ſublimis atque magnifica, ut in ea tota penè natura totaque rerum univerſitas, tanquam in quodam liquido ſpeculo conſpiciatur. Habet etenim ſe inſtar Mundi minoris, ubi ſunt quatuor elementa & quinta eſſentia, quam cœlum vocant, in quo ſedem poſuit alia quædam, nobiliſſima eſſentia, quam Philoſophi quidam omnipotenti Deo (cum pace loquor) ſanctiſſimæ atque individuæ Trinitati, ſoliti ſunt comparare. Quæ nec ſit de natura cœli, nec de naturis elementorum, eamque nomine peculiari animam mediam naturam vocitarunt. Et quemadmodum Deus mundi faber, ubicumque adeſt in hoc Mundo majori: ita hæc eſſentia, quæ Dei appellatione cenſetur, ubique eſt in toto Mundo: id eſt, vitro Philoſophico. Et ſicut omnipotens Deus immenſus eſt & infinitus: ſic ea res quaſi innumera videtur in ſui ſimilis procreatione uſque ad finem extremum Mundi majoris. Tunc enim natura generativa ab omni re procreatili auferetur. Ex quibus verbis naturæ peritus colligere poteſt, lapidem multas partes tingere poſſe, quibus etiam multæ aliæ difficultates dilui poſſunt. Valeat ergo Ariſtarchus Theologus, qui divinarum ſe literarum interpretem fateri non erubeſcit, & hanc naturę à Deo conditæ peritiam, qua Deus magnificentius atque ſublimius, poſt Sacras literas huic Mundo contulit nihil, ſuis impudentiſſimis convitiis non veretur inceſſere. Dic mihi per Deum immortalem, quid eſt, iniquius, quàm ut oderint homines quod ignorant, & jam ſi res mereatur odium, quid demum eſt futilius? quid abjectius? quæve major eſt deliratio ac vecordia, quàm eam damnare ſcientiam, in qua nihil prorſus olfeceris? qui nec naturam, nec naturæ majeſtatem, nec proprietatem, nec occultas metallorum operationes unquam didiceris? Crocitat ac blaterat itidem Jureconſultus ac Forenſis ille rabula Philoſophiæ oſor maximus, qui ex miſerorum lachrymis venalis linguæ malleo numiſmata ſibi cudit: qui ſacratiſſimos legum textus præteriens, per ambages gloſſematum totum Mundum ſuis dolis eſt perſecutus. Sed quid ſannas & Satyras perſequor? Maneant ſalebroſi iſti homines eorumque pediſſequi in ſua opinione perpetuò, qui nihil ſapiunt quod caſtum, quod jucundum, quod feſtivum, quod denique ſeductum ſit à vulgari diſciplina: quique nihil inclytum & celebre, ſed quippiam forſan gregarium è nigellis Cadmi filiis ſunt conſecuti. Sed quorſum hæc? Ego hanc lapidis Philoſophorum indaginem mihi familiarem ſelegi, eamque ſæpius appello, totius Philoſophiæ occultæ, aut Magiæ (haud quidem ſuperſtitioſæ ſed naturalis) Minervam unicam, atque Margaritam præcipuam. Videtur tamen opinione indoctorum longè degenerare à ſtudio meliori: quod à voluntate divina decretum eſt & conſtitutum.

CAP. VIII.

Tractat de Prima omnium rerum Eſſentia, & diſcutitur hic: Quid ſit Natura, quid Anima media natura, quid Anima Mundi, & quòd Sol ſit oculus Mundus, & cor Cœli.

Libet nunc, candide Lector, aliqua de Naturæ ſecretis è penu tum Philoſophico, tum Theologico in medium depromere. Cùm viderim multos e veteribus, tum etiam recentioribus ipſi naturæ indagandæ multum inſudaſſe, quæ toti Academiæ atque paleſtræ Philoſophicæ uſui futura, nemo niſi mentis exors, inficias ibit. Sed hîc paulò altiùs repetenda ſunt naturæ cunabula. Non afficiaris ergo tædio, ſi aliquanto fecero digreſſum longiùs quam hujus fortè ſit inſtituti.

Glorioſiſſimus Deus omnium rerum opifex, & inenarrabilis author, ante Mundi exordium nullo indigus, ſed ipſe ſibi ſufficiens, atque in profundiſſimo ſuæ divinitatis ſacrario ſemper permanens, ex uberrima ſua bonitate volens res ab æterno cognitas prodire inelſe, earundem in principio eſſentiam quandam creavit, crudis, ut ita dixerim, lineamentis, adhuc ineffigiatam, quam Moſes ille, quem Philoſophiæ fontem ac primarium philoſophorum Antiſtitem appellare libet, modò terram inanem & vacuam, modò abyſſum & aquam: Anaxagoras verò Chaos confuſum. Alii matrem Mundi, fundamentum atque naturæ vultum ritè appellarunt. In cujus gremio cùm omnes res indiſcretæ atque indigeſtæ conſiſterent, neque formis propriis eſſent conſpicuæ, ſpiritu Dei interveniente hunc Mundum viſibilem, ſecundum Mundi intelligibilis exemplar & ſimilitudinem graphicè & ad amuſſim Dædalius conditor expreſſit atque deſcripſit. Hinc cœlum ipſum in ſublimi ſuſpenſum rutilis ignibus faberrimè decoravit, motumque ejus & aſtrorum ita compoſuit atque digeſſit, ut per aream cœli mirabili ratione decurrerent ad efficiendas ſuccedentium ſibi temporum varietates: utque res inferiores motu ac lumine ſuo calefacerent, foverent, & in eſſentia conſervarent. Propterea res inferiores ſuperioribus, ut ovum gallinæ fovendum, ut fœminam viro fœcundandam ſuppoſuit. Quibus à primordio ſeminales quaſdam rationes inſperſit, ut ſeſe acceptis opportunitatibus perpetua, ut ita dicam, fœcunditate atque prole multiplicarent. Fabrefecit autem Deus hanc Mundi compaginem harmonia quadam, atque muſica ſibi invicem proportione cognatam, ut quæ ſunt in Mundo ſuperiori, in inferiori quoque ſint, ſed modo terreſtri: quæ itidem ſint in inferioribus, etiam in ſuperioribus viſantur modo quidem cœleſti & ſecundùm cauſam. Ad quod fortè opinionem Anaxagoræ, ponentis quodlibet eſſe in quolibet, applicare poſſes. Quare congruum eſt Deum cuncta moderari & implere quæ creaverit. Nec ideo Deum omnia implere dicimus, ut eum contineant, ſed ut ipſa potius contineantur ab eo. Nec arbitrandum eſt, ita Deum eſſe in omnibus, ut quæque res pro modulo ſuæ portionis eum poſſit capere, utpote majora majus, minora minus, ſed ita Deus omnia implet, ut non ſit aliquid ubi non ſit. Et ergo intelligimus eum intra omnia, ſed non incluſum: extra omnia, ſed non excluſum: Ideo interiorem, ut incircumſcripta magnitudine ſuâ, omnia concludat. Quare divus Dionyſius ait:

Omnes

Omnes res affirmari posse de Deo, cùm sit author & gubernator: E diversò, omnes res negari de eo verius, cum nihil sit de his quæ condidit. Quod mihi etiam videtur esse gratius & certius, cùm ob variabilem hujus Mundi decursum, tum propter investigabilem altissimæ Divinitatis abyssum. Posuit etenim Deus maximum intervallum inter se & res creatas. Est autem Deus immensus quidem, & ineffabilis, inexcogitabilis, non intelligibilis, supra omnem imaginationem, supra omnem cogitatum, supra omnem intellectum, supra omnem essentiam, innominabilis, solo silentio in corde prædicandus, potentissimus, sapientissimus, clementissimus, Pater, Verbum, Spiritus sanctus, altitudo incomprehensibilis, Trinitas impartibilis, essentia immutabilis. Cujus imago est omnis natura. Qui omnium creaturarum unitas est, & cardo omnis, & unus: qui est omni potestate validior, omni excellentia major, omni laude melior. Quem divus Plato in ignea substantia habitare posuit: Intelligens, videlicet, inenarrabilem Dei in se ipso splendorem, & circa se ipsum amorem. Quem alii spiritum intellectualem asseruêre & igneum, non habentem formam, sed transformantem se in quæcunque voluerit & coæquantem se universis. Qui ratione multiplici quodammodo creaturis suis annectitur. Rursus eas sua infinita æternitate ac omnipotentia excedens fervido amore, sincera fide, & spe solida, mentibus hominum expiatis insinuari possit. Qui sit benedictus per omnes chiliadum chiliades.

Diximus paulò antè Deum esse innominabilem, quem proprio nomine Arithmeticam Martianus Capella salutasse dicit, cùm septingentos decem & septem numeros, complicatis in eos digitis, Jovem salutabunda depromerer. Sed quid nobilissimus ille numerus sibi velit, ejusque in membra sua respersio, novit Arithmeticus; non qui artem numerandi mercatoriam, sed qui proportiones inquirit. Hoc in numero omnes numeros, omnemque proportionem, tum Musicam, tum Geometricam deprehendimus. Adde aliquid magis arduum: Nomen Dei in his numeris offendi quam exactissimè. Cujus nomen sacrosanctum & in æternum adorabile in hac temporis plenitudine quinque literis adnoratu: Cum tempore naturæ tribus, legis verò quat or scriberetur Dicimus præterea Deum habere omne nomen, quippe cùm sint omnia in ipso & ipse in omnibus, ut infrà disputabitur. Et tamen nullum nomen cùm divinæ majestati non possit nomen idoneum attribui. Quantum autem mysterii atque nervorum numerus in se habeat, Pythagoricos belle calluisse facilè crediderim, qui alium Palladem, alium Dianam, alium Patrem, alium matrem, alium denique virilem, alium fœmineum nominabant, aptaruntque numeralis scientiæ consultissimi Monadem opifici Deo: Diadem aut dualitatem materiæ: formis ipsis Triadem virginem: tum homini ejusque vitæ Hexadem & Heptadem. Enneadem verò omnibus creaturis haud abs re pulcherrimè accommodarunt. Cæterùm, ut ad institutum redeam, audi Dionysium recitantem, Deum esse in omnibus, vel omnia esse in Deo, sicut numeri sunt in unitate, sicut in centro sunt omnes rectæ Lineæ circuli. Et sicut membrorum vires sunt in anima. Quoniam sicut unitas omnium numerorum communis mensura, fons est, & origo, omnemque numerum in se unicè conjunctum continens, multitudinis omnis est principium: Sed omnis multitudinis insons, semper eadem, & immutabilis: sic pari modo res creatæ se habent circa creatorem. Et quemadmodum anima humana individua rectrix extat sui corporis, & tota toti corpori ejusque cuique parti præsens: ita similiter Deus in hoc Mundo ubique est, eumque implet & moderatur jugiterque conservat, per virtutem quàm rebus creatis quotidie de perenni fonte spiritus sui impluit liberaliter. Unde ritè per quandam similitudinem animæ naturæ Deum aut Dei virtutem, qua omnes res substinet, Animam mediam naturam, aut animam Mundi appellamus. Non quòd Mundus ipse sit animal, quòd à Christianæ Philosophiæ vestibulo, partim in Metaphysica Christiana, partim in hac lapidis consideratione explodere licet. Sed illam filo orationis tersiori contexere persuadet naturæ sublimitas hic pedestri sermone incedere placuit: Eamque Mundi animam præcipuè in Sole collocamus. Nihil etenim est in ipso firmamenti circulo, præter animam, quod majorem Dei similitudinem præ se ferat, quàm ipsum lumen. Cum quælibet res tantum sibi, ut ita dixerim, Dei vendicet, quantum capax est luminis. Et cùm nihil sit oculatius Sole, multi ex Platonicis, Orpheum in hoc potissimùm imitati, Solem Mundi oculum nominarunt: Quoniam in eo tanquam in quodam lucidissimo speculo cuncta viserentur, atque sese ostenderent. Hinc Heraclitus cuncta dicit nocteſcere, si Solem Mundo sustuleris. Quid est nostrum corpusculum, si desit anima? Nulla ibi contrectatur vena pulsatilis, sentiendi nullum ineſt judicium: Nullus in eo vitalis halitus, aut ulla spiratio. Quare etiam nonnullis visum est Solem cor cœli, nuncupare: Quoniam sicut in corde unus extat fons sanguinis, cætera humani corporis membra humefaciens & irrigans, motumque vitalem infundens: sic in Sole videtur esse omnium rerum tum inferiorum, tum superiorum vegetatio & conservatio: Quoniam vitam & calorem inferioribus quodammodo inspirat lumine suo. Est autem lumen actus quidam simplex, cuncta ad se vivifico calore convertens, cuncta permeans entia, qualitates eorum virtutesque ducens per omnia, ac tenebras caliginesque dispergens. Quare in medio considet Phœbus aurea coma fulgente, tamquam Rex & Imperator, Mundi sceptrum, & gubernaculum tenens: cui omnes cœlestium ineſse virtutes, non solùm Jamblichus, sed & multi alii confirmarunt. Et inquit Proclus Ad Solis aspectum omnes omnium cœlestium vires congregari in unum atque colligi, quas tandem in hunc Mundum inferiorem per ejus ignea spicula credimus disseminari. Hoc tibi etiam vel maximo argumento esse potest Sole ad nos vergente terram herbescere atque pubescere, Abeunte verò deflorere. Sed de naturæ infantia nonnihil commentandi voluptate capior.

CAP. IX.

De Natura.

NAturam vim quandam esse rebus insitam ex similibus similia procreantem asserimus. Generat enim natura cunctas res, auget, alitque: Quare omnium habet in se nomina rerum. Animal est à natura, lapis, lignum, arbor, & corpora quæ vides, sunt à natura ejusque retinaculo. Natura est ligamentum elementorum virtusque commiscendi, quæ in qualibet re hujus Mundi sublunaris elementorum mixtiones efficit, formamque suæ speciei congruam impressit: per quam ea res à quavis

alia re distinguitur atque segregatur. Nec est natura alicujus coloris, omnium tamen colorum particeps & effectrix: nullius etiam ponderis aut qualitatis, omnium denique qualitatum rerumque fœcunda genitrix. Quid ergo est natura? Deus est natura, & natura Deus. Sic intellige: Ex Deo oritur aliquid proximum ei. Est ergo natura ignis quidam invisibilis; à quo Zoroaster cuncta esse genita docuit: cui Heraclitus Ephesius astipulari videtur. Nonne Spiritus Domini, qui est amor igneus, quum ferebatur super aquas, edidit eisdem igneum quendam vigorem, quum nihil sine calore generari possit? Inspiravit Deus rebus creatis, quum diceretur in Mundi genitura: Crescite & multiplicamini, quandam germinationem, hoc est, viriditatem, qua sese cuncta res multiplicarent. Unde quidam profundiùs speculantes, omnes res dicebant esse virides, quum esse viride crescere dicatur, ac coalescere, eamque viriditatem Naturam vocitabant. Sed Aristoteles inquit ignorato motu ignorari naturam, quum modò sit volatilis & in continuo motu generationis, augmentationis, alterationisque quæ tandem in extrema Mundi calce stabilis erit, atque fixa. Quoniam tunc eam generandi virtutem potentiamque Deus à rebus auferet, & in reconditissimo suæ omnipotentiæ thesauro ubi ab æterno erat, collocabit. Hanc ergo generandi virtutem rerumque conservationem Animam Mundi vocare libuit: non quòd Mundus sit animal, ut Platonicæ rationes, & etiam Astrologorum Arabum, Ægyptiorum, Chaldæorumque testimonia comprobare videntur. Posuerunt etenim Philosophi Mundum esse animal, cœlosque ac stellas esse animalia, & animas rerum esse intelligentes, mentem participantes divinam. Insuper cuilibet rei Deum aut animam quandam præesse, omniaque plena diis esse Democritus & Orpheus & multi Pythagoreorum sunt opinati: quibus statuerunt divinos honores, precesque & sacrificia dedicarunt eisdem, & diverso cultu venerabantur: Præterea omnes ejusmodi animas reducebant ad unam animam Mundi. Similiter deos omnes ad unum referebant Jovem. Hoc Aristotelicusque Theophrastus: hoc Avicenna, Algazeles: hoc Stoici, omnesque Peripatetici confitentur, ac summo opere comprobare sunt conati. Hinc omnem gentilitatis errorem: hinc Poëtarum figmenta diabolica sacrificia, & immolationes sacrilegas emanasse non ambigo: hinc Aegyptia tellus animalia quædam, & alia monstrifica portenta in Lararis suis coluit & adoravit. Qui ergo Ethnicorum Philosophiam vanam esse non dixerit, quæ hoc vulgatissimo errore aliisque multis est miserrimè labefactata? Ubi mihi visi sunt Philosophi Pelidibus, puellisque simillimi puteum magnum perforatis urnulis haurire satagentibus. Eos tamen venia dignos judicare possumus, quum ipsis nondum illuxerit vera lux, Jesus Christus Salvator. Quare Christiani Philosophi, cujus authoritas est gravior judiciumque certius, interest, quæcunque ad fidei naturæ sacramentum facere videntur, tanquam ab injustis hæredibus possessa, ad Catholicæ Ecclesiæ septum deducere, Virgiliano more. Qui aurum se colligere dicebat ex stercore Enniano. Apicularum item more, dum suaviores Hymeti flores generandi mellis gratia exsuxerint. Quis non intempestivam Pici Mirandulani necem lachrymis non madefaceret? quem nostris seculis Parcæ sorores singulariter inviderunt. Qui si vitæ munere aliquandiu functus esset, laceram eam Philosophiam atque mendicantem, expunctis erroribus, novo candore concinnasset. Legitimam tamen Philosophiam quisque summa laude decantet: cujus natura aut mundus est fundamentum, quæ mores & virtutem homini præscribit.

Quæ tibi Lactantes prima Lanuginis annos
Corrigit, & vitæ lineamenta tuæ.

Quæ naturæ interpretationem & abstrusissimarum ab oculis rerum investigationem sibi vendicat. Dignissima quidem cui divinarum & humanarum rerum disceptatio deferatur. Per eam mundi penetralia, terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum, quantum possumus divina gratia, & naturali lumine perquirimus. Ipsa decernit cœlum astrorumque innumerabilem multitudinem: tum auricomi Solis iter, Triviæque labores. Hæc vias syderum radio describit.

Hæc docet Æoleos fallax ventique susurros,
Hippotades sceptro quos domat ille suo.
Cur tumet terræ moles, quid Iridis aureum
Efficiat, canasque nives rigidamque pruinam.
Quid generet rorem, fulgur, quid concava nubis
Vellera, quid terræ gibbos, fulmenque trisulcum.

Quid glomeret imbres, vitrea quid grando: Quæ sint auri, quæ semina ferri. Unde sæva tonatio: Unde aquarum perennium fontes sibi sumant initia, & cætera id genus. Eam Philosophiam perdiscant teneri juvenes lactantibus annis, fabulasque aniles Philosophorum ubique devitent, ponentium Mundum esse animal, ipsumque innumeris constare animalibus, eisque divinis. Quid inutilius? quid ineptius? Quid etenim est dicere Solem animarum, aut alia corpora cœlestia, esse animata, mentemque participantia divinam, quàm labi ad malam hæresim & abominabilem idololatriæ perfidiam? Neque concedendum est (divo Augustino teste) globos illos sydereos, quibusdam propriis animis vivere, eisque intellectualibus atque beatis. Ego certè scio tantùm animam humanam lucem esse divinam ad imaginem verbi, causæ causarum primi exemplaris, creatam, substantia sigilloque Dei figuratam: cujus character est verbum æternum, participatu cujus animam eam brutalem è naturæ gremio depromptam, subsistere credimus tenuem animæ rationalis similitudinem modicum que vestigium præ se ferentem: quemadmodum vivæ vocis Echo imago est & simulachrum. Sed de anima vegetali cæteri viderint. Admittunt Theologi Doctores intelligentias orbium motrices, non quòd ipsos orbes informent, aut sensibiles, juxta D. Hieronymi sententiam, intellectualésve reddant, sed ut assistant eos movendo. Licet & ii orbes possent esse divina voluntate jubente propria ratione volubiles. Voluit tamen omnipotens Deus ex ineffabili bonitate sua huic mundanæ fabricæ secundas causas præesse, ut quæcunque se ipso moveat, dent etiam cæteris movendi potentiam. Unde etiam animabus humanis angelos in custodiam deputavit: licet & ipse primariè eas custodiret. Non est tamen arbitrandum hujusmodi intelligentias ex necessitate volvendis sphæris accommodatas, quasi non possent proprio rotatu versatiles. Cum quidam solliciti homines ex ære, aut orichalco machinam eam cœlestem consimiliter effingant in meditullio terram stabilientes. Deinde consequenter cætera elementa tum orbes syderum & cœlorum rotulis quibusdam affigunt, quibus planetarum motum, & cœli faciem ad amussim conantur exprimere. Sunt alii scrupulosi homines, qui machinas horarias, tum molas quasdam molendinarias perpetuò versatiles fabricare,

fabricare nituntur. Quòd si homo potest divinam rationem æmulari, quis non existimaret globos istos syderéos propria virtute non posse rotari? Sed quid de varia Astrologia dicam, quam Picus noster in omni genere disciplinę famigeratus superioribus diebus validis rationibus enervavit? Dic mihi, quid omnia in cœlum refers Astrologe? quid de naturis astrorum, & signorum, & motibus planetarum comminiscéris? Qui nullo pacto nec minimæ cujusdam rei terrenæ vires & proprietatem augurari queas? Quid sydera & stellas metiris, aut potiùs mentiris? qui ne terreum aliquod corpusculum mensione complecteris? Quid magis ridiculum? quid est absurdius, quàm in cœlo nono, aut decimo, tales figurationes, ac linearum imagines, aut figuras cœli octavi ex multivaga stellarum applicatione forte deprehendere? Quid virtutis habere credis hujusmodi imagines imaginatas? Quid triplicitates? Quid syderum eorum aspectus? & cætera id genus folia inania veritatis aut virtutis præ se ferant? Licet hujusmodi motus & naturæ stellarum varięque rerum inter se adaptiones viderentur habere aliquid significationis: mihi tamen ita persuasi, hominem non posse ea probe dignoscere, nisi miraculo quodam sibi cœlitùs ostendatur. Hinc divus Hieronymus Astrologos & Genethliacos ita deridet: *Hi sunt qui élevant se adversus scientiam Dei, & omne quod geritur in seculo, fictam sibi scientiam pollicentes: referunt ad ortus stellarum & occubitus. Hi sunt qui vulgò appellantur Mathematici, & ex astrorum cursu lapsuque syderum, res humanas regi arbitrantur; & cùm salutem aliis promittebant, sua ignorabant supplicia.* Ego quum adhuc essem in Agrippa civitate, de Astrologis ita luserim: illis quidem Astrologis, meo judicio, solet accidere, quod Thaleti Milesio olim usu venit; qui quum è domo spectandorum syderum gratia exiret, in subjectam foveam cecidisse fertur: Qui quum rem ridiculam cuidam aniculæ faceret, ab ea derisus in ædes cùm ludibrio est reversus. Quare Christiane homo hujusmodi stolidos Astrologiæ cornicationes, ejusque filias Geomantiam, Hydromantiam, Pyromantiam, Necromantiam, Haruspicinam, & multa id genus alia deliramenta cum gregariis æmulis ultra montes Caspios in æternum exilium relega. Et gloriam omnipotentis Dei Domini tui noli creaturis suis attribuere. Videamus nunc quam naturam Philosophi petierint.

CAP. X.

Quid Philosophi, & qualem Naturam desideraverint, ut spiritus æthereus animæ currus perhibetur.

QUem Philosophi lapidem quærunt, est spiritùs invisibilis & impalpabilis, est tinctura & spiritus tingens: Quem alter quidam spiritus visibilis atque palpabilis in penitissimis visceribus abdidit. Ita pariter Philosophi eundem spiritum sub ænigmatum velamine inexplicitum nobis reliquerunt. Lapis ille est quintum à quatuor segregatum. Est ligamentum elementorum, medium atque vinculum, quod elementa auri fecit esse concordia, & quod sulphur & Mercurium in alvo terræ in corpus metallicum conglutinavit. Et qnia tale ligamentum, quod est in terra, quum sit invisibile, haberi non possit, quæsiverunt ipsum Philosophi in corpore perfectioti. Petunt ergo Philosophi naturam eam generativam quæ metalla generare poterit, ut eam mundificent, & in tinctura reddant potentiorem centies milles, magis quam priùs in natura sua fuerit: Eamque vivum ignem, aut ignem naturæ, aut animam mediam naturam vocabulo secretiori appellare consueverunt. Et quemadmodum Medici hominem in corpus, spiritum, & animam discriminant, pari modo Philosophi lapidem suum in eas partes sunt partiti. Modò spiritus est vita animæ: anima vita est spiritus: Rursus illa duo vita sunt corporis. Etiam spiritus nodus est animæ & corporis, & tanquam æthereus animæ currus vehiculumque, quod virtutem animæ per totum corpus disseminet. Poteris etiam intelligere, cùm Philosophi asserunt lapidem ex corpore, spiritu & anima constitui, quatuor elementa corporis. Aqua enim est spiritus: itidem aër: ignis medius, ut ita dicam, est spiritus: terram non spiritum, sed corpus dicimus, quoniam aliorum elementorum retinaculum est, materia, atque sedes.

CAP. XI.

Docet solutionem esse necessariam, per quam spiritus generativus è corpore ducitur.

TAle autem ligamentum non potest facilè haberi, propter fortissimam ipsius auri compactionem, nisi per solutionem, quæ hujus nobilis scientiæ fundamentum est, & principium, in qua consistit totius naturæ arcanum. Ipsa est hujus rei thesaurus: ipsa est quæ erigit pauperem de stercore, & comparat eum regibus & principibus. Unde quærunt Philosophi, quare solvantur corpora, hoc est, aurum vel argentum. Respondent ipsi ut separetur purum ab impuro. Ad hoc enim solvitur corpus, ut terra ipsa in profundo possit mundificari. Quod natura non potuit, quia simpliciter operatur. Et in ea mundificatione deletur impedimentum tincturæ, ita ut innumerè possit sibi simile propagare. Quòd si fieri debeat ea sui similis propagatio per spiritum, quum omnis spiritus sit generationis author, & crassiori cohibeatur materia, necessariam solutionem dicimus, per quam aurum vivum, & (ut ita dicam) spirituale efficiatur, & in primam naturam, hoc est, in spiritum aquæ & vaporem terræ reducatur, ut tandem habeatur sulphur & mercurius apud nos è quibus in ventre terræ sunt metalla generata. Perfecta autem solutio est, quum spiritum & animam auri separaveris. Sed quoniam aurum apud Philosophos corpus est temperatissimum, æquales habens partes calidi frigidi, humidi & sicci. Ideo ipsum difficiliùs propter parem elementorum concordiam atque proportionem, corrumpi potest, atque dissolvi. Oportet ergo fieri discordiam in elementis per contraria elementa, & hæc discordia facit corporis solutionem & mortificationem: qua facta fit naturę mundificatio, quæ tamen non potest fieri sine Philosophica elementorum separatione. Elementa verò corporis separari debent, ita ut natura generativa maneat in flore & germine. Quòd si quis eum florem combusserit, atque elementa ab invicem separaverit, sperma generativum perdetur, nec ea posset aliqua creatura ampliùs conjungere, ut generent. Hæc est verissima Philosophorum consideratio: si quis secus ex propria phantasia consideraret, stultus quidem est naturalis: quia contra naturam falsò syllogizat.

CAP.

CAP. XII.

De Occultatis in Arte disputat, & de triplici Separatione.

SUnt autem tres solutiones filiæ sapientiæ in opere Philosophico. Prima est crudi corporis: secunda terræ Philosophicæ: tertiam in augmentatione ponimus. Sunt item in solutione hæc tria abdita, pondus, mensura temporis, & ignis. Quare si pondus Mercurii & auri mensuramque temporis quamdiu fiat solutio, atque ignem temperatum cognoveris, solutionem habes: quæ fieri debet in fornello secreto, & vitris paulò majoribus. Unde inquirendi sunt diversi ignes, & tam variæ partes in vitris ponendæ, ut tandem divina gratia dotatus eam offenderes. Oportet etiam in hoc præclaro opere dies, menses & annos Philosophorum dignoscere. Asserunt Philosophi te in tribus diebus naturalibus facere periculum si bene operatus sis. Quod si ingenio vivaciori fueris, inquiunt te in 24. horis cognoscere. Ipsi in Philosophia duas noctes & tres dies statuerunt: Obsecra Deum Opt. Max. ut diem ultimum rubeum videre dignus sis. Ponunt si militer Philosophi tres Philosophiæ claves, solutionem, conjunctionem, atque fixionem: Aut si profundè intellexeris, tres separationes. Primò fit separatio animæ à corpore per spiritum. Secundò crimina ipsa, quæ sese in solutione ostenderint, ab anima, & spiritu secernuntur. Postremò spiritus ab anima separabitur: & hoc in naturæ fixione contingit: ut infrà & hic tibi tanta secreta dixerim, quòd non credi possit. Ego duas claves in toto Philosophiæ ambitu fideliter affero. Altera quidem quæ corpus aperit in varias claves potest distribui. Quæcunque enim res aurum solverit, atque in spiritum reduxerit, clavis dicitur: quamvis una duntaxat inter alias sit clavis potentissima & naturalis, ut 8. cap. scripsi: Et talis res dicitur lapis. Altera clavis quæ claudit, & spiritum tingentem retinet, & coagulat, terram solam dicimus, quam cuncti Philosophi Principem lapidem vocitarunt. Sed de capite corvi dicimus alacriter omnes à principio Mundi Philosophos tam modicum habuisse, quòd vix credi possit. Miselli tamen Philosophastri eam nigredinem quæ ex superfluitate Mercurii & corporis in superficie apparet, caput corvi sunt arbitrari.

CAP. XIII.

Agit de Praxi Lapidis, de ejus prima solutione, atque separatione, ubi Arcanum illud naturæ alioqui abstrusissimum sapientiæ filio in aprico ponitur, in quo Lucifer è cælo labitur.

TEmpus est nunc, fili sapientiæ, calamum ad praxim convertere: ubi quemque Philosophiæ deditum imprimis monitum velim, omnia genera salium, aluminum, & aliarum multarum & peregrinarum rerum vana esse nec aliquid momenti aut efficaciæ præ se ferre. Similiter cunctas vulgares solutiones, sublimationesque communes, esse labores adulteros, & nihil ad veram & naturalem Philosophorum scientiam pertinere. Quare eos homines circumforaneos effugiendos censeo, qui totum fermè Mundum suis dealbationibus, aut rubefactionibus deceperunt, in quibus nulla Philosophiæ vena calet: quique potiùs Pseudophilosophi sunt judicandi, cum apud Philosophos nihil veritate sit antiquius, nihil turpius falsitate atque deceptione. Quo fit ut pauciores sint Philosophi quam forsan credidisti. Nunc in praxim descendamus, quam in duo partiemur opera. In primo erit mentio de solutione prima, & separatione distillationeque. In secundo agemus de conjunctione & fixione, ubi de augmentatione secretissima habebitur consideratio, Quam in nullo libro Mundi invenies. Sed hîc in universali gradus operis lubet interferre: Primo etenim componimus, compositum putrefacimus, putrefactum solvimus, solutum dividimus, divisum mundamus, mundatum unimus, & sic completur opus. De his verò particulatim nostra laborabit oratio. Arbitrantur autem Philosophi, in lapidis praxi non minus quàm 12 partes mercurii accipi debere. Etiam apud eos corporis soluti periculum est, si per pellem ejus fieret compressio putabant itidem nonnulli è recentioribus solutionem posse fieri tempore breviori, si priùs solius auri per molam quandam, aut mortario fieret diuturna contusio, aut contritio. Depuretur ergo primò mercurius cum sale communi parata, aut alia quavis re idonea, ut ejus subtilissima substantia haberi possit. Hujus aquæ purificata aliquot partes perbellè commisceantur cum una parte Solis purissimi in folia, aut tenues bracteolas ducti: & ponatur in ampulla vitrea longiori, panniculis atque crucis signaculo obstipata: & operiatur vitrum cineribus ad aquæ superficiem: detur que ignis levissimus, ne aqua ascendere videatur, sed viva apud aurum remanear, & fervetur quasi. Is calor æquilibris, quod in aqua Mercurii superexudet terra quædam vaporosa & subtilis, quæ in colore mirabili solet cognosci quando sit extrahenda. Fulget autem sulphur ipsum iridis instar, per aquas: non tamen secundùm omnes colores, quemadmodum iris in hoc Mundo majori. Stat ipse iridis arcus medius in pura, liquida, & fluente aqua, & medius super terram. Hinc tota sulphuris proprietas, ejusque naturalis similitudo per iridem exprimitur: nec conspicitur in cœlo iris, nisi Sole fulgente: cui etiam pluvia solet succedere. Venientibus autem nebulis, aut nubibus opacis, Sol ipse, similiter arcus iridis occultatur. Iridem Physicis sic explicare placuit, quando imago Solis humidam & cavam nubem, densamque, instar speculi colorat, & medietatem orbis ejus intersecat, quod ad hanc divinam & mirabilem peritiam nostram propiùs accedit. Non est tamen opinandum sulphur ipsum nigrescere cùm ipsum extraxeris, ut nonnulli putaverunt. Extracta tandem Venere, aquam in qua est anima Solis, aut Mercurius auri metallicus, distillabis calore lento, ut inter guttam & guttam 60. momenta recenseri possint. Et vocatur aqua illa destillata, aqua nostra viva, quæ vivificat omnia corpora, & est ex duabus naturis composita: intellige spiritum & animam, quoniam spiritus animæ sedes est, ejusque retinaculum, vocaturque hæc aqua nominibus multis, acetum acerrimum, luna, fœmina, sperma vel menstruum fœmineum, cœlum, Mercurius, capilli rubei hominis: hoc, est spiritus Solis: id est, auri. Sulphuris verò dicitur corpus, Sol, masculus, sperma masculeum, terra & Mercurius. Sunt autem hæ destillationes necessariæ, per quas depuratur Mercurius ab omni feculentia terrestri, & cadit Lucifer, hoc est in munditia, & terra maledicta è cœlo aureo: & hic est separatio criminis ab anima, ut in cap. 12. disputavi, Audi similitu-

similitudinem arduam: Cœlum, hoc est, aurum fuit in primordio purum, sed quum solutum esset ostendit corruptionem. Ergo primum malum in cœlo fuit, cùm adhuc corruptio aut Lucifer esset, quo lapso, cœlum est mundificatum. Itaut nullus angelus jam è cœlo aureo labi possit. Quòd si Lucifer in se animam mediam naturam aut Deum habuisset, nullo pacto ad inferos detrusus esset.

CAP. XIV.

De Praxis parte secunda disputat, ubi de Igne & coloribus secretior habetur disputatio: & solvuntur hæ quæstiones: An cœlum descendere debeat ad terram, vel terra ascendere ad cœlum: Vtrum spiritus debeat cum anima in cœlum: vel, an ambo manere debeant infra cœlum: ubi spiritus angelo comparatur, qui cum anima humana in corpus videtur descendere.

REstat nunc pars altera Philosophicæ praxeos, longè quidem difficilior, longè sublimior: In qua omnes ingenii nervos, omnia denique mentis curricula multorum Philosophorum elanguisse legimus. Difficilius etenim hominem facere reviviscere, quàm mortem appetere: Hic Dei petitur opus. Maximum quidem mysterium est creare animam, atque corpus inanime in statuam viventem confingere. Putas ne esse vivacis ingenii animam ad spiritum, tum spiritum ad animam, rursus illa duo ad corpus reducere? In hoc nostro Opere scire convenit, quantum spiritus, quantum animæ, & quantum sit corporis. Porrò quantum animæ mediæ naturæ sit in spiritu, & quantum in corpore, ut has quasi duas naturas sibi congeneas atque coguatas in debita proportione conjungas. Conjungere ergo debemus duas aquas, sulphur auri ac ejus Mercurium, animam & corpus, Solem & Lunam, masculum & fœminam, duo spermata, cœlum & terram, & duo, ut ita dicam, argenta viva; & ex istis argentis vivis fit vivus Mercurius, ex quo solo dicunt Philosophi lapidem suum constitui, quod miselli homines de Mercurio crudo sunt hallucinati. Is verò Mercurius est omnia metalla, masculus & fœmina, & monstrum Hermaphroditum In ipso animæ & corporis matrimonio, quàm ego solutionem & Philosophorum putrefactionem voco, Terra auri suo proprio spiritu solvitur, quod in his propositionibus deprehendes. Corpus debet solvi in medio aëre subtilissimo: corpus item propria caliditate & humiditate solvitur: ubi anima media natura in colore nigredinis ubique in toto vitro principatum tenet, quam naturæ nigredinem caput corvi, aut Solem nigrum prisci Philosophi nominabant. Unde quidam hanc propositionem afferebat in medium: Tres circulos circuivi, vidi tres Soles in firmamento habentes tres facies, Solem nigrum videlicet, Solem album, & rubrum. Vocabatur etiam ea nigredo omnium rerum nigrarum nominibus, postquam cuncti Mundi colores, qui ingenio concipi possunt, solem apparere, qui tandem ad albedinem veram tanquam ad centrum & cardinem referuntur. In albo sunt omnes colores, & ex ipso cæteri, ut ita dixerim, colorari videntur. Album & nigrum sunt ipsa natura colores, & quidem extremi: ex quorum multiplici ad se invicem commixtione proportioneque medios, quos dicunt colores, suboriri credimus. Opinamur etiam ex albi & nigri confusione quandam conflari rubedinem. Eam verò albedinem appellamus lapidem album, Solem album, Lunam plenam, lunamque calcinatam, argentum album, terram albam fructuosam, mundificatam & calcinatam, calcem albam, & sal metallorum, corpusque calcinatum, & aliis plerisque nominibus nuncupamus. Dicitur insuper terra viva & sulphur vivum albumque, quando anima introducta est in corpus, & impedimentum est remotum. Hic quæstionem hanc solvimus, utrum terra debeat esse aërea aut ignea? Utrumque simul dicimus. Quòd si solum ignea existeret, combureretur in cinerem mortuorum. Si verò solum aërea, volatilis effecta in tingendis metallis evaneseeret. Sed de igne quo fit terræ solutio, quid memorem? Vide calorem in terræ visceribus, quem sola natura ministrat, ubi quasi nullum videris deprehendere, qui tum à calore Solis infligatus in montibus metalliferis ascendendo & descendendo multis cubitis ubique aquam spissiorem coagulet, & unà cum pinguedine terræ in unum corpus associet. Sed cùm natura vix nonnunquam in quingẽtis annis suas operationes efficiat, & nobis non sit tributa tanta vitæ usura, nec ultra elephantum, aut ad annum, quem aiunt, Platonis, detur vivere: Philosophus igni gradum majorem attribuit, quo naturam ducem tempore breviori æmuletur. Propterea eum singulari ingenii beatitudine pollere jure dixeris, qui tibi ignem naturæ congruum possit ostendere. Ignem suum naturalem Philosophi balneum, aut Solem suum, aut fimum equinum vocant: quem alii aut ligno, aut alia quavis materia, nos verò carbonibus furnello præsertim ad hoc aptato conficimus. Solet præterea lapis in triplici vase fictili componi, quo lentior igniculus haberi possit, calori inquam gallinæ, dum excubat ova, quamsimillimus. Et eo calore draco, hoc est terra auri, se ipsum mortificat, quando elementa & spiritus de se dat. E diversò seipsum vivificat, quando spiritus rursum ad se acceperit. Quare comparatur Jesu Christo qui se ipsum morti pro nobis obtulit voluntariè, & sese postea per resurrectionis gloriam propria virtute vitæ restituit amplius non interiturus. Dicimus hoc etiam in loco, draconem de se expuere omnem obscuritatem, & venenum, & postea imbibere & dealbari. Et quoniam supra cœlum cum terra debere conjungi diximus, oritur hæc quæstio: An cœlum descendere debeat ad terram, vel terra ascendere debeat ad cœlum? Certum est terram non posse ascendere, nisi priùs cœlum descenderit: terra autem in cœlum sublimari dicitur, quando spiritu proprio soluta tandem cum eo una res efficitur. Hac similitudine tibi satisfaciam: Filius Dei delapsus in virginem, ibique caro figuratus, homo nascitur: qui cùm nobis propter nostram salutem veritatis viam demonstrasset, pro nobis passus & mortuus, post resurrectionem in cœlos remeat. Ubi terra, hoc est humanitas exaltata est super omnes circulos Mundi, & in cœlo intellectuali sanctissimæ Trinitatis est collocata. Pariformiter cùm ego morior, anima adjuta gratia & meritis Christi ad fontem vitalem remeat unde descenderit. Corpus in terram revertitur: quod tandem depuratum in extremo Mundi judicio, anima è cœlo labens secum perducit ad gloriam. Cæterùm quia congruum est animam ad cœlum ascendere, aliud quoddam dubium sese ingerit: An spiritus videlicet cùm anima transire debeat ad cœlum, vel an ambo manere debeant infra cœlum. Diximus spiritum esse animæ retinaculum in isto Mundo, sed cùm lapis ad albedinem

fixam

fixam pervenerit, erit alius Mundus priore longè excellentior, ubi ſpiritus manebit in medio, Anima in cœlo, & corpus in fundo: intellige terram eſſe cœlum animæ: E diversò, animam eſſe cœlum corporis. Et quia ſpiritus animam in ſolutione labefecerit, ambo faciunt pœnitentiam & purgatur anima per ſpiritum & ſimiliter corpus. Anima defecata tota in cœlum conſcendit, & abit ſpiritus cum ſuis criminibus. Quòd ſi is ſpiritus apud animam & corpus manſerit, perpetua ibidem eſſet corruptio, nec fieret elementorum recta concordia atque paritas. Hunc ſpiritum angelo congruè in quibuſdam æquiparare poteris, qui cum anima humana (quando in punctum cordis medium & exinde per univerſas corpuſculi partes infunditur) ſolet deſcendere. Fingimus item corpus, ſpiritum, & animam loqui per modum dialogi: dicente ſpiritu ad animam: Ego ducam te ad æternam mortem, ad inferos, & ad domum tenebroſam. Cui anima: Anime mi ſpiritus, Quare ad eum ſinum non reducis, à quo me adulando exceperis? credebam te mihi devinctum neceſſitudine. Ego quidem ſum amica tua, ducamque te ad æternam gloriam. Sed putat corpus, quod vivificando glorioſum efficit. Cui ſpiritus: Faciam certè, ſed miſer ego abire cogor, cùm te ſuper omnes lapides precioſos conſtituero, beatamque fecero. Quare te obſecro, cùm ad regni ſolium deveneris, mei aliquando memor exiſtas. Cui corpus tandem gratias egit innumeras, quòd eſſentiam ſibi dederit excellentiſſimam, per quam Deum tanquam in ſpeculo eſt intuitum, promiſitque recordaturum, primaſque ei partes in regni ſolio congratulatur.

CAP. XV.

Explicat hanc propoſitionem: In umbra Solis eſt calor Lunæ, & in calore Lunæ eſt frigus Solis: ſimiliter quo pacto cognoſcitur in Luna quando Sol fulgere debeat. Quid eſt umbra Solis & Lunæ. Et quod neceſſarium eſt Solem & Lunam, ſimiliter cœlum & terram conjungi, & de Aurora citrina meminit.

DIximus capite præcedenti, Solem & Lunam debere conjungi: credimus te ſapere quid Sol, quid denique ſit ipſa Phœbe. Cynthia; id eſt Luna, Phœbum Solem aperit. Phœbus ſororem, id eſt Lunam, ſuam claudit atque coagulat. In ipſo Solis & Lunæ conjugio hanc propoſitionem intellige: In umbra Solis eſt calor Lunæ, Et in calore Lunæ eſt frigus Solis. Enimverò quando humiditas Lunæ calorem & lumen à Sole acceperit, Sol in Lunam intrare dicitur, quo intrante incrementum Luna ſuſcipit atque caleſcere incipit, Sol verò frigeſcere & humeſcere: quoniam aquam ad ſe acceperit, & calorem ſiccitatemque perdiderit, ex quo luminis exors obtenebreſcit. Cùm autem Luna in Solem ierit, Sol ipſe reviviſcere incipit; atque fulgeſcere: quia lux ei redditur, & Luna ſplendore viduata gracileſcit & inumbratur. Unde Solis umbra frigiditatem & humorem Lunæ, umbram verò Lunæ diem aſſero. Deme ergo umbram à Sole, & tota lux ejus ubique diſpergitur. Non tamen ſpineris Lunam à Sole poſſe capere lumen uno horæ punctulo, ſed paulatim & paulatim corpus ſolvitur. In principio quando Soli Phœbe eſt conjuncta, ab ipſo incenditur: quæ incenſa paulatim ante noctem mediam fulgere conſpicitur: quando verò Orbe toto plena extiterit, totam noctem ſolet nitore ſuo perfundere: Qua rurſus decreſcente, atque à lumine hebeſcente Phœbi calor vigere incipit. Ubi liquido cognoſces in Luna quando Sol ſplendere debeat, ſi ſcriptorum meorum mentem deferens introrſum animo pervadas, licet & alio ingenio intelligi poſſit. Cùm Luna, hoc eſt, lapis albus citrineſcere aut rubeſcere cœperit, Solis fulgentis eſt indicium. Principium rubedinis aurora eſt, auroram citrinam quis non diceret? Tithonia, id eſt, aurora, communi huic videtur eſſe mancipata muneri, ut aërem perroret atque rapidum Phaëthontis, id eſt Solis, iter luce prima demonſtret: Ubi tandem fulvus Eous fundit odoratam Nabathæo cardine lucem, quæ anima videtur. Quod autem ut ſuprà diſputatum eſt, Solem in Lunam ire, deinde Lunam in Solem ſit neceſſarium: duo in cœlo impedimenta inter media deprehendimus Venerem & Mercurium; quibus ablatis eorum mirabilis erit coitio: qua facta Luna non perder amplius lumen ſuum, ſed fulgebit luce propria. Et Sol identidem: Aderitque dies ultimus Mundi prioris: poſt quem ſequitur alius Mundus, atque alia vita, ubi erit aut dies perpetuus apud ſuperos, aut apud inferos umbra perpetua. Deſcenderque ignis cœlo, & rurſus ad cœlum aureum conſcendet: id eſt, tinget imperfecta.

CAP. XVI.

De ipſa Lapidis Augmentatione tum priſcorum Philoſophorum tum Neotericorum: Et inducitur tantùm unum eſſe diem, & unam noctem: Rurſus ſeptem dies à ſeptem dominis Mundi.

PLacet nunc, fili ſapientiæ, lembum eum Philoſophicum ad portum felicem appellere: age ergo remos, expande vela, da ventum celerem & fœcundum: portus ſalutaris eſt petendus. Poſtquam lapis noſter factus eſt albus, filium noſtrum generatum dicimus? Licet modò puer homo ſit perfectus, corpore & anima conſiſtens, non tamen aliam prolem generare potis eſt, quin priùs ſuæ naturæ alimento educetur, donec ad ætatem generationi maturam perveniat. Accepimus à priſcis illis Philoſophis, qui ſola natura ſunt operati, aquam ſuam vivam in partes duas eſſe partitos. Qui cùm ad albedinem fixam cum altera parte aquæ perveniſſent, eandem cum altera parte reſervata, aut etiam ſolo fortè igne rubefecerint. Alii in lapide rubro, quia ad ſupremum gradum aſcenderit, & per ſe augeri non poſſit, labores quos antea confecerint rurſum ſunt auſpicati. Solventes eam rubedinem cum altera parte aquæ reſervatæ, ipſam ad primam, ut ita dixerim, eſſentiam denuò reduxerunt: laboraruntque penè in omnibus ſicut à primordio: ſed majori quidem tum ignis tum laborum induſtria: & hanc repetitionem veriorem, aut majorem augmentationem crediderunt. Quare etiam tempore prolixiori in lapide peragendo uſi ſunt primi Philoſophi: Quem minores natu atque poſteri, anni curriculo ſoliti ſunt abſolvere: ea de re ut alibi lapidem, quo in Lunam tingere velint, ſpermate lunari per totum, aut ei addendo alios ſpiritus albos, videlicet, è Jove & Saturno per ſublimationem eductos, augmentaverint: Quin etiam lapidem album ſpermate ſolari aut ſpiritibus aliis rubellis è Marte & Venere augmentando rubefecerint. Et hoc haud abs re factum eſſe exiſtimes; quando ejuſmodi inferiora corpora multum tincturæ in ſe habeant.

Quòd

Quòd si perfectius ex eis corporibus exemeris, & corpori perfectiori addideris, totum effici perfectum quid ambigitur ? Et dicuntur hujusmodi corpora inferiora spiritus, cùm dicimus, solve corpus, hoc est, lapidem factum, & adjunge spiritus. Vocantur itidem pueri cùm dicimus : Pueri ludunt cum lapide, quando ipsum majorem pondere & virtute fecerint. Unde etiam in aliis laboribus urinam puerorum quatuor annorum scimus esse aquam, quatuor inferiorum corporum : quæ cùm sit dicta aqua fortis Philosophorum, Aurum solvere dicitur, ex quibus lapidem quendam creari non imus inficias. Mineralem Lapidem trifariam distinguimus. Philosophorum Lapis ex solo auro, solâque natura conficitur, & is est sublimior : qui omnes ægritudines curare à Philosophis perhibetur. Alius simplex lapis est, quando sola radix & sulphur auri aut argenti in fine spiritibus inferiorum corporum augmentatur : ubi hæc pondera : Unum ad tria, vel duo ad septem in Minori Turba posita discutiuntur, solo sulphure indigens aut aureo aut argenteo. Ad sulphur aureum tres rubelli spiritus : Ad argenteum verò tres albicantes reducuntur. Modò duo sunt sulphura, & septem spiritus ; è quibus novenarius ille numerus excrescit atque colligitur : De quo plerique in hunc usque diem stolide sunt commentati. Tertium lapidem omnium metallorum sulphura cum suis spiritibus constituere dicimus. Lapidem partes innumeras posse tingere, apud Philosophiæ consultissimos, ita decernitur : Quemque spiritum esse multiplicabilem, sed nullum corpus. Et cùm lapis noster factus sit maximè volatilis, atque, ut ita dicam, spiritualis, totusque igneus, & diuturna decoctione in igne enutritus, atque per multijugas solutiones & coagulationes sæpiùs repetitus : Quidni crederes eum lapidem innumeras partes tingere, si emunctis naribus naturæ rationem ejusque dotes mirificas introrsum olfeceris ? Quò plus in Solem album solveris, & iteratò coagulaveris, eò plus tinges : Quantò item plures fœminas vir acceperit, eò plures habebit proles. Et quidem Philosophus ita inquit : Si tincturam dederis, tinges quomodo volueris. Quod etiam in frumentariis aut semine videre licet, cùm ex uno granulo multa producantur : ex quibus sæpiùs repetitis, optima tandem segs solet exurgere. Nec hoc minori argumento erit, si Soli & Lunæ priùs conjunctis pueros, hoc est, inferiores planetas addideris : & planetæ sunt domini Mundi, qui totam hanc molem regunt. Quid refragetur, lapidem ex omnibus metallicis compositum, totum Mundum non posse tingendo rubefacere ? Manifestum est etiam de lapide ex solo auro : Quoniam Sol aliorum Planetarum est dominus, & cæteri planetæ ab eo capiunt fulgores aureos. E quibus eliçi potest, tantùm unum esse diem, unamque noctem tota ætate Mundi : Rursus septem dies à Planetis septem, eosque dies unum diem : quoniam unus est Sol : splendor Solis dies est, quo lucescente fugit à te omnis ærumna atque calamitas.

CAP. XVII.

Quasdam Propositiones obscuras in Libris Philosophorum hujus Diatribæ positas explicat.

PYthagoras ille Samius cùm auditores ad collegium suum erudiendos acciperet, in primis hoc præceptum eis tradidisse fertur, ne quid ex his quæ in eorum scholis tractabantur, in vulgus emitterent. Quare auditores suos quinque annorum curriculo fecit obmutescere, ut neque interrogare præceptorem de his rebus, neque inter se disserere liceret. Quem morem consecuti Pythagorei, tandem memoria labente cœperunt ea, quæ à præceptore didicerant, tum de primis rerum principiis, tum de rebus divinis, literis commendare : ita ut secretaria earum rerum medulla in numerorum sacramentis delitesceret. Quod etiam Platonem fecisse, qui per similitudines recedentes, Mathematicasque figuras, præceptiones suas abstruserit, indicio est ejus epistola, quàm de natura primi entis ad Dionysium scripsit. Scribendum est, inquit, per ambages & ænigmata : ut si fortè mari vel terra jactari librum contigerit, qui legerit non intelligat. Hoc etiam Poëtis fabulandi locum dedisse arbitror, quo ne res sublimes ad plebem ignobilem devenirent, sub fabellarum extraneo cortice suavissimum Philosophiæ victum intus reconderent. Legimus Ægyptios, ut dogmata sua haberent in sanctuariis, literis ignorabilibus, hoc est, quibusdam animalium figuris, ipsa occultasse : utpote, naturæ signaculum, si bene memini, vultur erat effigiatus : Draco in circulum ductus caudámque suam mordicans, anni currentis imaginem figurabat. Nónne quidam curiosiores cuilibet rei proprium characterem nituntur ascribere, quo ejus rei occultior esset annotatio ? Eò fit ut prisci illi Philosophi hanc divinam artem sub verbis obscurioribus tradere censerent : Causam in capite septimo reperies. Quare putaverim frugi & operæ pretium esse, si tibi tanquam filio Philosophiæ, quasdam propositiones obscuras explicarem, è quibus facillimè alias tibi objectas excutere queas. Dicunt Philosophi, lapidem suum ubique offendi, in montibus & cavernis. Ex ea propositione malè intellecta, mihi persuasi omnes errores emanasse ad posteros, qui in sanguine ovis, capillis, & cæteris rebus vanis & extraneis sunt operati. Eam sic intellige. Quemadmodum Sol ipse cœlestis, ubique est in hoc Mundo majori per radios suos : ita Sol iste terrenus : id est, aurum, ubique est in toto vitro : id est, Mundo minori. In montibus : id est, capite vitri, & cœlo, atque cavernis : id est, in fundo vitri & terra. Dicunt lapidem nasci in duobus montibus : In cœlo monte, & terra, intellige in vitro. Præterea asserunt lapidem suum esse in omnibus rebus : id est, in omnibus metallis, quæ eorum res sunt. Lapis item est in omni re : id est, natura est in omni re : & quia natura habet in se nomina, & natura est totus Mundus : Ergo lapis habet multa nomina, & dicitur esse in omni re, quamvis una sit propinquior quam in alia, cùm Philosophi solam naturam generativam metallorum efflagitent. Unde dicunt, divites : id est, perfecta corpora, sicut est aurum & argentum, habent eam naturam ut pauperes : id est, imperfecta metalla. Est tamen perfectior & in igne permanentior auri vel argenti natura ; quàm in cæteris metallis. Etiam Philosophi rem fixam & permanentem quærunt, quæ totum Mundum regat, utpote Solem aut Lunam. Unde antiquitus Solem, Mundi Dominum vocitabant : in quo est vita ad sanandum omnia, quæ diem motu suo efficit, atque noctem, totumque Mundum suo fulgore illuminat : Quare dicit Sol : Ego sum lapis, vel : In me est lapis. Dicunt etiam Philosophi : Opus lapidis esse opus mulieris, & ludum puerorum. Mulier nonnunquam terra est ; aliquando Mercurius, qui totum opus videtur perficere : pueri ludunt cum lapide, hoc est, elementa tria cum terra, vel

inferiora corpora ludunt cum lapide aureo, quando ipsum in fine augmentaverint. Similiter pueri ludunt cum lapide & projiciunt, hoc est, ignari & imperiti projiciunt in fundo terram ipsam, quando sublimationem fecerint. Compararunt aliqui Philosophi opus lapidis creationi Mundi: Similiter, generationi hominis & ejus naturalitati. Posteriores verò Philosophi non solùm hanc peritiam verbis recen ibus: sed etiam imaginibus depictis abdiderunt. Vidi ego depictam filo pulcherrimo, virginem nudam, ætate viridem, coma eburnea, oculis fuscis, albicantibus, rubentibusque genis, cujus papillæ erant lacteæ & admodum teretes atque tornatæ. Eratque ea virgo toto corporis candore adeò insignis, atque omnibus naturæ dotibus adeò venustè decorata, concinnata, ut regio thalamo dignissima censeri posset: quam etiam cuncti Philosophi, tum prisci, tum neoterici deperirent. Quàlem Venerem, aut Junonem, aut aliam quamvis venustam puellam, aut juvenculam Poëtæ solent describere. Habebat autem ea Nympha in manibus pendulis faces duas ardentissimas, & sub pede ejus dextro lapis erat aureus, è cujus gremio aureus quidam fons in multas venulas excurrebat. Sub levo pede lapis erat argenteus, argenteam de se flammam evomens. Depingebatur à dextris Titan ipse, radiis suis undiquaque scintillans: A sinistris depicta erant cornua Phœbes: terebantur hinc inde quædam aviculæ, partim ad aëra sursum, ad terram deorsum. A tergo virginis coaluisse vides arborem variis pomis & floribus gravidè refertam, quam vitæ arborem in horto Paradisi consitam putares, si modò ejus gratiam & vivacitatem delibares. Describitur in Tiara Philosophica Hermes omnium Philosophorum facilè Triumvir, in Cathedra sedens, super genibus geminas tabulas servans. In quarum altera delineabantur, tum globus Solis, tum Phœbe cornicularis: sub quibus duæ aves in circulum ductæ mutuò sese glutientes, consistebant: quarum altera superior alata: altera sine alis depingebatur. In tabula altera depicti erant tres circuli versicolores, in quorum medio imago erat Lunæ, ad quam duo Soles, alter radium unum, alter duos diverberabat. Volabantque circum Hermetis Cathedram novem aquilæ habentes in pedibus arcus extensos, è quibus sagittæ pennatæ emittebantur in terram. Nonne scientiam nostram Ulmannus quidam divi Francisci ordinis frater Minor, miro artificio in lingua vernacula ac populari contexuit? atque per Christi passionem verissimam esse comprobavit? Ubi visitur imago illa biformis, partim mascula, partim fœminea, monstrum illud androgynum Imperatoriæ majestatis sceptrum in manibus gestans? Et pleraque id genus alia in Philosophorum libris conspiciuntur.

CAP. XVIII.

Ostendit quòd Lapis omnes ægritudines curare potis sit, cùm omnis Natura sit in Sole, & Sol in natura, & præsertim in Lapide.

QUod verò Lapis omnes ægritudines curare queat, de his omnium Philosophorum libri sunt referti: Ratione tamen naturali id ostendere pro virili portione studebo. Omnis natura est in Sole, & Sol in natura: ergo spiritum ejus aucupari possumus in omnibus, & præsertim in auro: Et quandò natura est ægrota, ille lapis sanat naturam. In auro propagando maximè elaboravit cœlum, similiter Sol ipse, & Jupiter, Sol quidem ei cunctas suas dotes indidit: Propter igneam ejus virtutem atque splendorem. Jupiter autem, quem vitæ patronum Medici vocant, temperantiam & elementorum æqualitatem ei infudit. Ab his dotibus adeò incorruptibile factum est aurum, ut nullus ignis in ejus substantiam, aut virtutem corrumpendo agere possit. Accedit ad hæc auri solutio, & naturæ ejus purificatio, atque longa in igne enutritio, à quibus mirabilem, & propè divinam fortitum est operationem. Quod si eo Lapide in esculentis, aut poculentis in pondere grani sinapi vescereris, vitæ oleum & igniculum cœlesti suo vigore, in æqualitate conservaret, elementáque tui corporis in pace & fœdere colligaret, temperaretque. Quibus temperatis, anima elementis servaretur, & homo incolumis semper existeret, usque ad eum finem, quem omnipotens Deus homini propter inobedientiam primi parentis instituit. In corpore Christi tanta erat elementorum affinitas, tantáque colligatio, quia nulli crimini obnoxius erat, tum propter mirabilem essentiæ divinæ unionem, quod nunquam fuisset mortuus naturaliter, nisi hominis redimendi gratia, propter quem & natus esset, voluntariè mortem appetiisset. Age illi gratias perpetuas te creanti, te pretioso sanguine suo ab infernis sedibus redimenti, teque hoc tanto munere donanti, quo sanitatem atque vitam diuturnam in fœlicitate transigeres: propter quam præcipuè Lapis noster est petendus. Taceo divitiarum ubertatem, quæ homini confertissimè ac copiosissimè per hanc artem exuberant. Aurum potabile, vel aureum liquorem habens. Si in aqua vitæ è vino Malvatico expressa, aut alio quodam Falerno: id est, vino nobili, lapidem eum solveris.

CAP. XIX.

Praxim Philosophicam repetit: ubi divinam eam Lapidis peritiam brevibus Sententiis totam contexit sapiusculè.

MAsculinum pretium foliatum aut limatum compone cum Mercurio in duodecima proportione se habente ad pretium. Pone ad ignem lenium, & continua eum, quoad in Mercurio corpora solvente supereminеat Venus natans, quod extrahe, donec nihil corporis in fundo remaneat: & habes primam partem operis Philosophici. Secunda pars operis est sulphur, ipsum pone in vitro sine aqua, & aquam corporis, in qua est anima Lunæ destillando. Hanc aquam junge sulphuri, & permitte ut multis vicibus unum cum altero quandoque surgat, quandoque deprimatur, donec Venus aquam suam conceperit, quod fit in corpore albissimo: & habes elixir ad album. Tertia pars operis est: Habitam terram albissimam forti igne citrinabis; deinde vi ignis rubificabis: & est elixir ad rubeum.

De alio modo operandi. Adhuc peritiam eam divinam brevibus, & cum miro ingenio comprehendere lubet. Solve corpus, accipe sulphur, mundifica ipsum, sublima spiritum, junge spiritum cum sulphure, & habebis Artem Philosophicam. In omni perfecto Opere Alchimico, quantumcunque etiam exiguo, spiritum & sulphur auri habere est necessarium. Spiritus tingit colore aureo: Sulphur dat pondus aureum, atque coagulat. Si altero careret,

careret, ôpus nihil efficeret. In Venere auri Philosophici totum naturæ arcanum inquiunt delitescere, & dicunt verissimum. Quare coagulum nominari solet, cùm dicitur: Accipe coagulum à corpore, & habes magisterium, quo non est majus in natura. Similiter mundifica coagulum, & dele impedimenta, & tinges. Sed quia pannus immundus, sulphuri comparatus, mundificari non possit absque aqua: sic sulphur naturæ sine aqua non abluitur. Abluere est solvere, solvere est purificare, aqua est Mercurius, ipse est clavis: solus aperit corpus, & albificat sulphur: quo albato recedit cum immunditia: Ego te singulari eruditione vigere dicerē, si eam amovere poteris. Ipsa est impedimentum & mors æterna. Quare non ibit in cœlum, ut suprà in cap. XIV. insigniter demonstravi. Et dico tibi per Deum Creatorem cœli, quod est unum de secretis maximum. Amplius ipsa Lapidis scientia nihil est aliud, quàm terræ aut naturæ purificatio: Nec est Alchimia aliud, quàm naturæ purificatio. Non potest terra à sordibus suis defœcari ac purgari, nisi per medium aquam ad se acceperit. Et hoc totam artem brevibus complectitur, si naturam intellexeris. Plura his similia per te ipsum divina gratia poteris deprehendere. Lauda Deum per omnia sæcula sæculorum.

CAP. XX.

Ponit Quæstiones factas à Necromantico Illardo ad Diabolum de Lapide Philosophorum.

NEcromanticus quidam, nomine Illardus, in Provincia Catilania has fecit Quæstiones ad Diabolum. Quæstio 1. Utrum possit fieri Philosophorum Lapis ad convertenda imperfecta metalla in Sole & Luna igne judice? Respon. In auro sunt omnia metalla essentialiter cum suis terris in colore multiplici. Ex terra ejus cum essentia sua conficitur Lapis, qui sua natura omnem immunditiam aufert, & projectus ad imperfecta, fixat ea perpetuò. Quæstio 2. Quid & qualis est ea essentia? Resp. Est anima media natura, quæ permittit unam formam converti in aliam. Quæst. 3. Quo pacto agit anima media natura? Resp. Omnes Angeli aut homines non possunt introrsum per intellectus suos acutissimos ullo pacto eam videre, aut comprehendere. Quoniam hoc Dei proprium est, qui suæ majestati hanc servavit. Quæst. 4. Potestne homo eum lapidem conficere? Respon. Quicquid Deus creavit, proprietatem habens, possibile est homini ut in id agat: sed valde difficile est lapidem conficere: tamen confici potest. Quæst. 5. Anima media natura habetne corpus? Resp. Color auri est corpus animæ mediæ naturæ. Quæst. 6. Quo pacto potest color de auro separari? Resp. Anima media natura cum calore suo & vix humiditate dividit, & conjungit ambo simul. Quæst. 7. Color auri est albus, aut niger, aut cujus generis? Respon. Est albus ad visum humanum, sed spiritu est cyaneus. Quæst. 8. Quo pacto, & è quibus fit color? Resp. Natura facit eum ex pura terra & pura aqua. Qu. 9. Est color in omnibus metallis? Resp. Non solùm in metallis, sed etiam in omnibus elementis est color absconditus. Quæst. 10. Cujus virtutis est lapis? Respon. Lapis depurare potest omnia corpora metallica imperfecta ab omni lepra, ut sint perpetua, usque ad judicium extremum. Corpora humana sanat ab omni ægritudine, usque ad mortem naturalem. Quæst. 11. Quanis, & quæ res est anima humani corporis? Respon. Est ignis vivus cœlestis vitæ, & habet in se animam mediam naturam. At anima media natura vocatur Deus, Creator omnium rerum, quæ sunt in Mundo. Quæst. 12. Habuitne Virgilius lapidem? Respon. Non solùm ipse habuit lapidem, sed multi Philosophi habuerunt eum, & scripserunt de eo multifariam obscuris nominibus, & multis operationibus. Qu. 13. Quomodo & quare appellatur lapis? Respon. Ego dico tibi, lapis est nomen ejus, & non est mihi data libertas tibi aliquid manifestandi amplius. Quæst. 14. Quanto tempore potest lapis ad finem deduci? Resp. Duodecim menses sunt necessarii à primo die inceptionis. In triginta diebus terra ex Saturno generatur, vel natura terræ facit crescere Saturnum. In centum diebus crescit argentum vivum in aqua. In sexaginta diebus completis crevit aër ex Jove. In aliis diebus anni crescit ignis à Sole. In puncto anni anima media natura de cœlo descendit in hanc terram, & mortificat superiores & inferiores potestates. Imago multiplicis victoriæ ad consumendum bellum in corde ventris eorum, usque ad ignis judicium perpetuum. Non amplius tibi dicam.

FINIS.

SUBSECTIO VIII.

LIBER SECRETORUM ARTIS, *compositus per* CALID, *Filium* Iaichi, translatus ex Hebræo in Arabicum, & ex Arabico in Latinum, incerto Interprete.

Præfatio de Difficultate Artis.

GRATIÆ sint Deo omnium Creatori, qui nos conduxit & recoluit, & docuit, & intellectum & scientiam nobis dedit. Nisi Dominus nos custodiret & conduceret, essemus sine custodia, & sine doctore tanquam etronei, imò hujus Mundi nihil sciremus, nisi ipse nos doceret, qui principium est, & scientia omnium, sua potentia & bonitate super populum. Qui dirigit & erudit quem vult, & reducit sua misericordia ad viam justitiæ. Misit enim nuncios suos ad tenebras, & vias explanavit, & sua misericordia replevit suos diligentes. Scias Frater, quòd hoc nostrum magisterium de lapide secreto, & officium honoratum, est secretum secretorum Dei, quod celavit suo populo, nec voluit ullis revelare, nisi illis, qui fideliter tanquam filii meruerunt, & qui ejus bonitatem & magnitudinem cognoverunt. Qui enim secretum Dei postulat, necesse est ei hoc secretum magisterii plus quàm aliud. Et sapientes qui illud assequuti fuerunt, aliqua de seipso celaverunt, & aliqua revelaverunt. Sic enim inveni sapiente

antecessores, in hoc convenientes in suis libris honoratis. Unde scias, quòd discipulus meus proprius, Musa, honorabilior omnibus apud me, in ipsorum libris multum studuit, & in opere magisterii laboravit, unde aggravavit ipsum ejusdem compositio, & in ea multipliciter dubitavit, & ignoravit similiter rerum compositionis naturas. Et supplex ac humilis pro ipsa a me explanationem petiit, & directionem ejusdem. Ego autem eidem nihil in ea respondi, nec volui discernere, sed præcepi ei, Libros Philosophorum legeret, & in eis quod à me petierat indagaret. Ipse verò abiens, legit plusquam centum libros, prout invenire potuit: libros videlicet veridicos, secretos, nobilium Philosophorum, & in eis quod petiit, non potuit invenire, qui tunc remansit ideo stupefactus, & quasi extra mentem positus; etiam per annum continue in ea perscrutando. Ex quo igitur discipulus meus Musa, qui inter Philosophos, in gradum & modum sapientiæ meruerat computari, sic in compositione ejus dubitavit, & hoc ei contingit in ea, quid faciet ignarus, vel insipiens, rerum naturas non intelligens? neque rerum complexiones cognoscens? Cùm autem hoc viderem de meo discipulo præelecto, & charissimo, motus pietate, & dilectione ejusdem, quin etiam nutu & voluntate divina, edidi hunc meum librum in obitu meæ mortis, in quo præter nisi dicere quædam, quæ antecessores Philosophi retulerunt in suis libris. Et dixi quædam quæ ipsi celaverunt, & nullo modo dicere, aut referare in scriptis suis voluerunt. Et explanavi & exposui quædam, quæ ipsi cooperuerunt suis dictis obscuris & figuratis: Et vocavi hunc meum Librum Secretorum Alchemiæ. In quo nominavi quicquid necesse est inquisitori hujus scientiæ, sive magisterii, juxta linguam ejus intellectui convenientem, atque sensui inquirentis. Et nominavi in hoc libro, quatuor magisteria magis alta, & meliora, quàm sapientes fecerunt. Quorum sunt Elixir, unum minerale, & aliud animale, alia verò duo residua sunt mineralia, & non sunt elixir unum, quorum est artificium lavandi, quod vocant corpora. Alterum quidem est, facere aurum ex azoth vivo, cujus factura est generatio, est secundum generationem sive ordinem generationis in mineris, in corde & interioribus terræ existentibus. Et hæc quatuor magisteria atque artificia explanaverunt sapientes in libris suis de compositione hujus magisterii. Sed de eis defuit multum, & de ejus operatione noluerunt in libris suis ponere, vel si invenit, non potuit intelligere, & nihil gravius invenit quàm illud. Et ideo dicam in hoc meo libro, ipsam, ejusque factum. Qui ergo hunc meum librum legerit, legat aliquid geometriæ, & ejus mensuras addiscat, ut clibanorum fabricam rectè componat, nec modum eorum excedat, per augmentum vel diminutionem, & quantitatem ignium: sciat & modum sive etiam gradum vasis operis. Similiter videat & cognoscat, quid sit radix penitus & principium magisterii: & est eidem, tanquam matrix animalibus, quæ in ea generantur, & capiunt creationem pariter ac nutrimentum; quod prædictum est. Nisi res magisterii inveniat sibi idoneum, destruetur factum atque opus ejus, & ejus operarii quæsitum non invenient, nec ipsa res proderit in effectum generationis, quia cùm non invenerit causam generationis, sive radicem, & ipsam caliditatem, continget in operationibus casus destructionis. Hoc idem in quantitate ponderum est contingens, quæ cùm disconvenit in composito, partibus quidem ejusdem naturæ terminum transcendentibus, per augmentum vel diminutionem, destruitur cum ea proprietas compositi, & fit effectus compositi casus atque vacuus. Et ego ostendo tibi unum exemplum: Nónne vides quòd in sapone, cum quo panni abluuntur & mundificantur, & fiunt albi, generatur in sui recta compositione hæc proprietas, propter æqualitatem, & rectas compositiones, & debitas compositi, quæ participant in longitudine & latitudine: unde propter hanc participationem convenerunt, & tunc apparuit quod erat in ea de veritate ad factum, & nota fuit inde virtus quæ prius latebat, quam vocant proprietatem, & est virtus ablutionis, in composito generata. Cùm verò quantitas ipsius compositi transcendit suum terminum, & per additionem vel diminutionem, transgreditur ipsa virtus æqualitatis terminum, & exit ad contrarium, secundum distemperantiam compositi. Et ita in compositione nostri magisterii intellige.

CAP. I.

De quatuor Magisteriis Artis, scilicet, Solutione, congelatione, albificatione, & rubificatione.

ET incipio dicere artificium majus, quod vocãt Alchemiam, & certificabo dictum meum, & nihil celabo, nec tacebo hic dicere de eo, nisi illud quod non convenit dicere, nec est nominare. Dicimus igitur, quod artificiũ majus, sunt quatuor magisteria, prout dixerunt sapientes, videlicet, Solvere, Congelare, Albificare, & Rubificare. Et hæ quatuor quantitates sunt participes, quarum duæ similiter sunt inter se participes, similiter & aliæ duæ. Et utraque harum duplicium quantitatum habet aliam quantitatem participem, quæ est major quantitas particeps post has duas. Et volo dicere, pro iis quantitatibus, quantitatem naturarum, & pondus medicinarum, quæ solvuntur & congelantur per ordinem, nec intrat diminutio, nec additio. Sed hæ ambæ, scilicet solutio & congelatio, erunt in una operatione, & unum factum meruerunt, & hoc ante compositionem: Sed post compositionem ipsarum opus erit diversum, sed hæc solutio & congelatio, quas nominavi, sunt solutio corporis, & congelatio spiritus, & sunt duo, & habent unam operationem. Quia spiritus non congelantur, nisi cum solutione corporis, & similiter corpus non solvitur, nisi cum congelatione spiritus. Et corpus & anima, quando conjunguntur insimul, agit uterque eorum in suum socium, factum sibi similem. Et exemplum est hujus, aqua & terra: quia aqua cùm terræ conjungitur, conatur ad solvendum eam cum sua humiditate, & sua virtute & proprietate, quæ in ea sunt, & facit eam subtiliorem, quàm priùs erat, & reddit eam sibi consimilem: nam erat aqua subtilior terra. Et similiter facit anima in corpore, & eodem modo inspissatur aqua cum terra, & fit consimilis terræ in densitate, quia terra spissior est aqua. Et scias, quòd inter solutionem corporis, & congelationem spiritus, non est differentia temporis, neque opus diversum, ita quòd sit unum sine alio, sicut non est inter aquam & terram in sua conjunctione pars temporis diversa, quòd cognoscatur, vel vespietur una ab alia, in eorum operationibus: sed eorum est unus terminus, & unum factum: & una & eadem operatio circuit super ipsa duo, & sit ut ante compositionem. Et ideo dixi ante compositionem,

ne

ne putet, qui hunc librum legerit, & audierit solutionem & congelationem, ut dixi, quòd sit compositio quam nominaverunt Philosophi, quia sic esset in errore sui facti, & suæ scientiæ. Quia compositio in hoc artificio seu magisterio, est conjunctio sive matrimonium congelati spiritus cum corpore soluto, & eorum conjunctio, & eorum passio est super ignem. Nam caliditas est ejus nutrimentum, & anima non dimittit corpus, nec cum eo conjungitur omnimoda conjunctione, nisi per mutationem utriusque à sua virtute & proprietate, & post conversionem suarum naturarum. Et hæc est solutio & congelatio, quam priùs Philosophi vocaverunt. Et scias, quòd hanc solutionem & congelationem jam celaverunt sapientes, & loquuti fuerunt in ea subtili ratione, ex dictis obscuris & coopertis, ut sensus inquisitoris ab ipsorum intellectibus elongaretur. Et hoc esto exemplum dicti Philosophorum cooperti & obscuri in eis. Ungite folium cum toxico, & verificabitur in eo vobis principium officii, sive magisterii ejusdem. Et: Operamini corpora fortia cum jure soluto, quousque utrumque eorum convertatur ad suam subtilitatem. Similiter & dictum Sapientis in eisdem est: Nisi converteritis corpora in subtilitatem, ut sint subtilia, & tactu impalpabilia, non dirigetur vobis quod quæritis. Et si trita non fuerint, revertamini ad operationem, quousque terantur, & fiant subtilia: quod si hoc feceritis, vobis quod cupitis dirigetur. Et hoc modo plura verba talia de eis posuerunt. Nec ullus probantium potuit attingere ullatenus hoc factum talis celamenti, quousque apparuit ei bona apertio documenti ostensiva, remoto dubio præcedenti. Et similiter nominaverunt compositionem, post solutionem atque congelationem. Postea etiam dixerunt, quòd compositio non completur, nisi cum matrimonio & putrefactione. Et iterum ipsorum dictum postea docuit pro solutione & congelatione, & divisione, & pro matrimonio & putrefactione & compositione. Et hoc est, quia compositio, rei est origo & vita. Nisi enim esset compositio, non produceretur res in esse. Et divisio est separare partes compositi, & sic separatio fuit sua conjunctio. Et dico quòd in corpore non morabitur spiritus, nec in eo erit, nec cum eo ullatenus remanebit, quousque ipsum corpus habeat ex subtilitate & tenuatione, ut habet spiritus. Et cùm jam ipsum attenuatum fuerit & subtiliatum, & exierit à sua densitate, & spissitudine ad tenuitatem, & à grossitie & corporeitate ad spiritualitatem, commiscebitur tunc spiritibus subtilibus, & imbibetur in eis, & sic uterque evadent unum & idem, & non separabuntur, sicut nec aqua mixta aquæ. Ponatur quòd duæ quantitates participes, quæ sunt in solutione & congelatione, major sit anima, & minor sit corpus: postea adde quantitari, quæ est anima, quantitatem quæ est in corpore, & participabit quantitati primæ, & erunt in virtute participes solummodo, & operare eas, sicut operati fuimus, & inde habebis quod cupis, & verificabitur tibi linea, sicut dixit Euclides. Postea accipe ejus quantitatem, & scias ejus pondus, & adde ei de humiditate, quantum possit bibere, cujus humiditatis non habemus hîc pondus determinatum. Postea operare eas operatione dissimili, primo videlicet imbibendo & sublimando: & hæc operatio est illa, quam vocant albificationem, & vocant eam Yaricht: id est, argentum & plumbum album. Et cùm jam albificabitur hoc compositum, adde ei de spiritu quantum est medium totius, & reduc ad operationem, quousque rubefiat, & erit tunc de colore alsafir, quod est nimis rubeum, & assimulaverunt eum sapientes auro. Et effectus hujus ducit te ad dictum Aristotelis, quæ dixit suo discipulo Ardæ: Lutum quando albificatur, nominamus ipsum Yaricht, id est, argentum: & quando rubificatur, nominamus ipsum Temeynchum, quod est aurum. Et albedo est, quæ tingit cuprum, & facit eum Yharit. Et illa rubedo est, quæ tingit Yharit: id est, argentum, & facit eum Temenchum: id est, aurum. Unde qui poterit solvere illa corpora, & subtiliare, & albificare, & rubificare, & ut tibi dixi, componere imbibendo, & ad idem convertere, consequetur magisterium, & faciet factum, quod dixi, sine dubio.

CAP. II.

De Rebus, & Instrumentis huic Operi necessariis, & opportunis.

ET oportet te scire vasa in hoc magisterio, scilicet Aludela, & sapientes vocant cœmeteria, seu cribratoria: quia in eis dividuntur partes, & mundantur, & in eis perficitur & completur, depuratur res magisterii. Et quodlibet horum habeat Clibanum sibi convenientem, & utrumque eorum habeat similitudinem & figuram operi competentem. Et jam omnia nominavit, & modum & formam eorum docuit Mezleme, & plures Philosophorum in libris suis. Et scias quòd sapientes in hoc convenerunt in suis dictis, & celaverunt per signa, & fecerunt inde plures libros, & instrumenta, quæ sunt necessaria, in his quatuor prædictis. Et sunt duo. Unum est cucurbita cum suo alembico, & alterum est Aludel, quod est benè factum. Et similiter quæ sunt eis necessaria, sunt quatuor. Et sunt corpora & animæ, & spiritus, & aquæ: & ex his quatuor, est magisterium, & factum minerale. Et sunt explanata in libris sapientum, & abstuli ab hoc meo libro, & nominavi in eo, quod non nominaverunt Philosophi. Et qui aliquantulum intellectus habuerit, sciet quæ sunt illa. Et non feci hunc librum ignaro & nescienti, sed composui ipsum prudentibus, & sensum & sapientiam habentibus & scientibus.

CAP. III.

De Naturis Rerum ad hoc Magisterium pertinentium.

ET scias, quòd Philosophi nominaverunt ea pluribus nominibus. Unde quidam eorum nominaverunt ea mineras, & quidam animale, quidam autem herbale, & quidam per nomen naturarum, hoc est naturale. Alii quidam vocaverunt ea quibusdam nominibus ad libitum, secundùm quod eis videbatur. Etiam scias, quòd earum medicinæ sunt naturis propinquæ, prout dixerunt Philosophi in libris suis, quòd natura propinquat naturæ, & natura assimilatur naturæ, & natura conjungitur naturæ, & natura submergitur in natura, & natura dealbat naturam, & natura rubificat naturam: & generatio cum generatione retinetur, & generatio cum generatione vincit.

CAP. IV.

De Decoctione & ejus Effectu.

ET ſcias, quòd Philoſophi nominaverunt in ſuis Libris Decoctionem. Et dixerunt, quod faciant decoctionem in rebus. Et illud eſt, quod eas generat,& mutat à ſuis ſubſtantiis & coloribus ad alias ſubſtantias, & ad alios colores. Et non tranſgrediaris, quod dico tibi in hoc Libro, & procedes rectè. Reſpice frater ſemen, quod eſt in vita hominum, qualiter in ipſum operatur Solis caliditas, quouſque exit ex eo granum, & comedunt homines, & alia animalia Poſtmodum operatur in ipſum in homine natura cum ſua caliditate, & reddit carnem & ſanguinem. Et noſtra operatio magiſterii eſt ſic.Unde noſtrum ſemen, quod à ſapientibus eſt ſic, quod ſua perfectio, ſuique proceſſus eſt ignis, qui eſt cauſa vitæ & mortis,qui non tribuit ei vitam, niſi cum intermedio, & ſua ſpiritualitate, quæ non commiſcentur niſi cum igne. Jam verificavi tibi veritatem, quam vidi atque feci.

CAP. V.

De Subtiliatione, Solutione, Coagulatione, & Commixtione Lapidis, & eorum cauſa, atque fine.

ET ſcias, quòd niſi ſubtiliaveris corpus, quouſq; fiat aqua totum, non rubiginabitur, nec putrefiet, & non poterit congelare animas fugaces, cùm tetigerit eas ignis: quia ignis eſt qui eas congelat, cum auxilio ipſius ad ipſas. Et ſimiliter præceperunt Philoſophi ſolvere corpora, & ſolvimus, ut adhæreat caliditas eorum profunditatibus. Poſtea redimus ad ſolvendum ipſa corpora, & ad congelandum poſt ejus ſolutionem, cum re quæ ei appropinquavit, quouſque conjungamus omnia commixta bona & idonea commixtione, quæ eſt quantitas temperata. Unde conjunximus ignem & aquam,& terram & aërem: & quando commiſcuit ſe ſpiſſum cum ſubtili, & ſubtile cum ſpiſſo, remanſit alia cum aliis, & converſæ fuerunt ſuæ naturæ pares, cùm priùs eſſent ſimplices, quia pars eſt generativa, addit & tribuit ſuam virtutem in ſubtili, quod eſt aër: quia adhæſit cum ſuo conſimili, & eſt pars generationis. Unde accepit poteſtatem ad movendum & aſcendendum. Et potuit frigiditas in ſpiſſo: quia amiſit caliditatem, & exivit ab eo aqua,& apparuit res ſuper ipſum. Et exivit humiditas aſcendendo, & ſubtile aëris, & commiſcuit ſe cum eo: quia eſt ſuum conſimile, & ſuæ naturæ. Et quando corpus ſpiſſum amiſit caliditatem & humiditatem,& potuit ſuper ipſum frigiditas & ſiccitas, & comminuerunt ſe ſuæ partes, & diviſæ fuerunt, & non fuit humiditas quæ conjungeret ipſas partes diviſas, elongaverunt ſe partes. Et poſtea pars quæ contraria frigiditati, quia continuavit, & immiſit ſuam caliditatem & ſuam decoctionem ipſis partibus, quæ ſunt terræ, & in eis ipſius poſſe valuit, ſive potuit, & habuit dominium & victoriam ſuper frigiditatem, & latuit frigiditas, quæ priùs erat in corpore ſpiſſo per victoriam caliditatis ſuper eam,converſa fuit pars ſuæ generationis, & facta fuit ſubtilis & calida, & conata fuit ſiccare cum ſua caliditate. Et poſtea ſubtile, aſcenſor naturarum, cùm amiſit calorem accidentalem, & accidit ei frigiditas, tunc converſæ fuerunt, & inſpiſſaverunt ſe, & deſcenderunt ad centrum, & conjunctæ ſunt naturæ terreſtres, quæ ſe ſubtiliaverunt, & converſæ fuerunt in ſuam generationem, & imbiberunt ſe in eis: & conjunxit humiditas illas partes diviſas, & conata eſt terra ſiccare illam humiditatem, & obſedit eam, & prohibuit, ne exiret ab ea, & apparuit quod erat abſconſum ſuper eum. Et non potuit humiditas ſeparari retentione ſiccitatis.Et ſimiliter invenimus, quod quicquid eſt in Mundo, retinetur per ſuum contrarium, vel cum ſuo contrario: ſcilicet caliditas cum frigiditate, & ſiccitas cum humiditate. Poſtea cùm quilibet eorum obſedit ſuum ſocium, commiſcuit ſe ſubtile cum ſpiſſo, & factæ fuerunt illæ res una ſubſtantia, ſcilicet ſua anima calida & humida, & ſuum corpus frigidum & ſiccum. Poſtea conata fuit ſolvere & ſubtiliare cum ſua caliditate, & ſua humiditate, quæ eſt ſua anima. Et conata fuit claudere & retinere, cum ſuo corpore quod eſt frigidum & ſiccum. Et ſic ſuper hoc circuit & convertitur officium hujus. Jam aſſerui tibi veritatem,quam vidi & feci, & præcepi tibi, ut convertas naturas à ſua ſubtilitate, & ſuis ſubſtantiis cum caliditate & humiditate, quouſque convertantur ad aliam ſubſtantiam, & alios colores. Et non tranſgrediaris quod in hoc libro dicitur, & procedas rectè in magiſterio prout cupis.

CAP. VI.

De Fixione Spiritus.

ET ſcias, quòd corpus cùm commiſcet ſe cum humiditate, & ipſum invenit ignis caliditas, convertitur humiditas ſuper corpus,& ſolvit ipſum, & tunc non poteſt ſpiritus ab eo exire:quia imbibit ſe cum igne. Et ſpiritus ſunt fugaces,quouſque corpora cum eis commiſcentur, & conantur pugnare cum igne, & ejus flamma. Et parum tamen conveniunt iſtæ partes, niſi cum operatione bona & continuo & longo labore: quia naturæ animæ eſt tendens ſurſum, ubi centrum animæ eſt. Et quis eſt ille ex probatoribus,qui valet duo,vel diverſa conjungere, quorum centra ſunt diverſa, niſi poſt converſionem naturæ earundem, & mutationem ſubſtantiæ, & rei à ſua natura, quod eſt grave quærere: Ergo qui potuit convertere animam in corpus, & corpus in animam, & commiſcere cum eo ſpiritus ſubtiles, tinget omne corpus.

CAP. VII.

De Decoctione, Contritione, & Ablutione Lapidis.

ET ſcias illud, quod eſt multum neceſſe in hoc ſecreto atque magiſterio, eſt decoctio, contritio atque cribratio & mundificatio, atque cum aquis dulcibus ablutio.Unde qui aliquid hujus operatus fuerit,mundificet ipſum bene, & abluat atque mundificet ab eo nigredinem, & tenebras quæ apparent ſuper ipſum in ejus operatione. Et corpus ſubtiliet, quanto plus poterit, poſtea miſcebit cum eo animas ſolutas,& ſpiritus mundos quouſque ſibi placeat.

CAP. VIII.

De Quantitate Ignis, & ejus commodo & incommodo.

ET cognoſcat ſimiliter quantitates ignium, & commodum rei hujus, & incommodum ejuſdem,

dem, provenit à commodo ignis. Unde dixit Plato in suis sermonibus, in libro suo: Ignis addit perfecto commodum seu profectum, & corrupto incommodum seu corruptionem. Unde cùm fuerit ejus quantitas bona idonea, proficiet, & cùm multiplicaverit in rebus, ultra modum corrumpet ambo, scilicet perfectum atque corruptum. Et hac de causa oportuit sapientes mittere medicinas suas super Elixir, ad prohibendum & removendum ab eis combustionem ignium, & eorum caliditatem. Et dixit Hermes patri suo: Pater timeo ab inimico in mea mansione. Et dixit: Fili, accipe canem masculum Corascenem, & caniculam Armeniæ, & junge insimul, & parient canem coloris cœli, & imbibe ipsum una siti ex aqua maris: quia ipse custodiet tuum amicum, custodiet te ab inimico tuo, & adjuvabit te ubicunque sis, semper tecum existendo in hoc mundo & in alio. Et voluit dicere Hermes, pro cane & caniculo, res quæ conservant corpora à combustione ignis, & ejus caliditate. Et sunt illæ res aquæ ex calcibus & salibus, quarum fæturæ inveniuntur in libris sapientum de hoc magisterio. Et aliqui ex sapientibus nominaverunt eas, aquas marinas, & lac volatilium, & his similia.

CAP. IX.

De Separatione Elementorum Lapidis.

INde oportet, ô frater, quem Deus honoret, ut accipias lapidem honoratum, vel preciosum quem nominaverunt, sapientes, & magnificaverunt, & absconderunt, & celaverunt. Et ponas ipsum in cucurbita cum suo alembico, & separa ejus naturas, hoc est quatuor elementa, terram, aquam, aërem, & ignem. Et sunt ea, corpus & anima, spiritus & tinctura. Et cùm separaveris aquam à terra, & aërem ab igne, serva utrumque duorum per se, & accipe quod descendit ad fundum vasis, & illud est fæx, & ablue ipsam cum igne calido, quousque auferatur ejus nigredo, & recedat ejus spissitudo: & albifica ipsam albificatione bona, & fac ab ea evolare additiones humiditatum, & tunc convertetur, & deveniet calx alba, in qua non erit obscuritas tenebrosa nec immundicia, nec contrarium. Postea redi ad naturas primas, quæ ascenderunt ab ea, & mundifica eas similiter ab immunditia & nigredine atque contrarietate: & reitera super eas multotiens, quousque subtilientur, & purificentur, & attenuentur. Et cùm hoc feceris, jam misertus est tibi Deus. Et scias frater, quòd hoc officium est unus lapis, super quem non intret Garib: id est, aliquid aliud. Cum eo operantur sapientes, & de eo exit, cum quo medicatur, quousque compleatur. Non commiscetur cum eo aliquid, nec in ejus parte, nec in toto. Et hic lapis invenitur in omni tempore, & in omni loco, & apud omnem hominem, cujus inventio non aggravat inquirentem, ubicunque sit. Et est lapis vilis, niger & fœtens, non emptus precio, & sine aliquo non existit levis in pondere, & vocant eum Origo mundi: quia oritur sicut germinantia. Et hæc est ejus revelatio, atque apparitio inquirenti.

CAP. X.

De Natura Lapidis & ejus Origine.

ACcipe ergo ipsum, & operare ipsum, ut dixit Philosophus in suo libro, quando nominavit eum sic: Accipe lapidem non lapidem, vel qui non est lapis, nec est de natura lapidis. Et est lapis, cujus minera generatur in capite montium, & Philosophus voluit dicere montes pro animali. Unde dixit: Fili, vade ad montes Indiæ, & ad suas cavernas, & accipe ex eis lapides honoratos, qui liquefiunt in aqua quando commiscentur ei. Et illa aqua est ipsa videlicet, quæ sumitur ab aliis montibus & illorum cavernis. Et sunt, fili, lapides & non sunt lapides, sed nominamus eos per similitudinem, quam habent ad eos, Et scias quòd radices minerarum ipsorum sunt in aëre, & eorum capita in terra, & quando evelluntur à suis locis, audietur, & erit rumor magnus, & vade, fili, cum eis: quia citò evanescunt.

CAP. XI.

De Commixtione elementorum separatorum.

ET incipe compositionem, quæ est circuitio totius facti, nam compositio non erit, nisi cum matrimonio & putrefactione. Et matrimonium est, commiscere subtile cum spisso. Et putrefactio est assare, terere, & rigare, quousque commisceantur insimul, & fiant unum: ita quòd non sit eis diversitas, nec separatio de aqua mixta aquæ. Et tunc conabitur spissum retinere subtile, & conabitur anima pugnare cum igne, & pati ipsum. Et conabitur spiritus submergi in corporibus, & fundi in eis. Et oportuit hoc esse: quia corpus solutum, cùm commiscuit se cum anima, commiscuit se cum ea, & cum omnibus suis partibus, & alia in aliis intraverunt cum sua similitudine, & conversa fuerunt unum & idem. Et ideo oportuit, quòd accidat animæ de commoditate, & de durabilitate, & permanentia, quæ accidit corporis in loco commixtionis. Et similiter spiritui in hoc statu vel permanentia animæ & corporis, conveniens fuit accidisse, Quia spiritus cùm commiscetur cum ea cum labore operationis, & commixtæ fuerint partes ejus cum omnibus partibus aliorum duorum, quæ sunt, videlicet anima & corpus, tunc conversa fuerunt, spiritus & alia ambo, unum quid, & indivisibile, secundum substantiam integram, cujus, salvæ fuerunt suæ naturæ, & convenerunt suæ partes, unde cùm obviaverit istud compositum corpori soluto, & ipsum consequuta fuerit caliditas, & apparuit super faciem ejus quod erat in eo ex humiditate, & liquefactum fuerit in corpore soluto, & transivit in ipsum, & commiscuit se cum eo, quod est de natura humiditatis, incendit se, & defendit se ignis cum eo. Unde cùm tunc ignis voluerit cum eo suspendi, prohibebit eum apprehendere se: id est, adhærere cum spiritu admixto aquæ suæ. Et ignis non adhærebit ei, quousque sit purum. Et similiter aqua, ex sua natura fugit ab igne, & quando ipsum consequitur ignis, & vult eam avolare, & sic fuit corpus causa recisa retinendi aquam, & aqua causa retinendi oleum, quod non comburetur nec consumetur. Et fuit oleum causa retinendi tincturam: & fuit tinctura causa faciendi apparere colorem, & causa demonstrandi tincturam, in qua non est lumen, nec vita. Unde hæc est vita recta & rei perfectio, & Magisterii, & hoc est quod quæsivisti. Scias igitur & intellige, & invenies quod quæris, si Deo placuerit.

CAP. XII.

De Solutione Lapidis compositi.

SEd postea Philosophi subtiliaverunt se ad solvendum ea, ut bene se commiscerent, corpus & anima. Nam omnia quæ simul sunt in contritione & assatione, & rigatione, habent vicinitatem & colligationem adinvicem, ideoque potest ignis assumere naturam a debiliori, quousque deficiat & evanescat: & similiter revertitur super partes fortiores, quousque remaneat corpus sine anima. Unde quando sic solvuntur & congelantur, accipiunt partes adinvicem, partes suas magnas videlicet atque parvas, & fuit hoc ex eis complexio, & est eorum assumptio, & sic conversa fuerunt illa duo unum & idem. Et quando sic fuit, assumit ignis ab anima, quantum assumit à corpore, nec addit nec diminuit, unde fuit per ea perfectio. Ex eo necesse est ei capitulum proprium in scientia Elixiris, scilicet dictum, de solvendo corpora & animas simplices. Quia corpora non intrant super animas, & erunt retinacula eis, & excusabunt eas ab omni opere sublimandi, figendi, atque retinendi, & commiscendi, & his similia, nisi cum mundificatione prima. Et scias quòd solutio non transcendit hos duos modos: aut enim est extrahere interius rerum ad suam superficiem, & erit pro hoc solutio, & est exemplum ad hoc, quòd argentum est frigidum & siccum in sua apparentia, & quando apparet suum interius, est solutum: quia est calidum & humidum: Aut dicta solutio est corpus acquirere humiditatem accidentalem, quam non habebat, & addit suam humiditatem cum ea, & ideo solvunt se suæ partes, & erit pro eo solutio.

CAP. XIII.

De Coagulatione Lapidis soluti.

ET dixerunt aliqui ex sapientibus: Congela in balneo congelatione bona, quam tibi dixi, & est sulphur luminosum in tenebris, & est hyacynthus rubeus, & toxicum igneum & interficiens, & est Elixir, quod super nullum remanet: & leo victor, malefactor, & ensis scindens, & tyriaca sanatrix, vel sanans omnem infirmitatem. Et dixit Geber filius Hayen: Quòd omnes operationes hujus magisterii sub sex contineantur rebus, quæ sunt fugere, fundere, & incerare, & dealbare, ut est marmor: & solvere & congelare. Et illud fugare, est fugare & removere nigredinem à spiritu & anima. Et fundere, est liquefactio corporis. Et incerare, est propriè corporis & ejus subtiliatio. Et dealbare est fundere citò corpus propriè. Et congelare, est congelare corpus cum anima præparata. Rursum fugare cadit super spiritum & animam: & fundere & dealbare, & incerare & solvere, cadit super corpus: & congelare cadit super animam, & intellige.

CAP. XIV.

Quòd unus tantùm sit Lapis, & de ejus natura.

DIxit Bauzan Philosophus Græcus, cùm interrogaverunt eum: Nunquid germinans potest fieri lapis? Dixit sic: Duo scilicet primi lapides, apis alkali, & lapis noster, qui est vita illi, qui ipsum scit, & ejus factum. Et qui nescivit & non fecit, & non certificabitur quomodo nascatur, aut putabit lapidem aut qui non comprehendit super omne quod de modis hujus lapidis dixi, jam paruit se morti & pecuniam suam perditioni. Quia nisi hunc lapidem honoratum invenerit, non consurget alius suo loco, & non vincent naturæ super ipsum. Ejus natura est caliditas multa cum temperamento. Unde qui ipsum scivit, jam docuit ipsum, & qui ipsum ignorârit, non docuit ipsum. Habet autem proprietates & virtutes multas. Nam ipse mundificat corpora ab additionibus accidentium ægritudinum, & conservat substantias salvas, ita quòd non appareant, neque videantur in eo turbationes contrariorum, nec fugimentum sui vinculi. Hic est enim sapo corporum & eorum spiritus, & eorum anima: quando commiscetur cum eis, solvit ea sine detrimento. Hic est vita mortuorum, & eorum resurrectio, medicina conservans corpus, & purgans superfluitatem. Et qui ipsum sciverit, sciat, & qui nescierit nesciat. Nam hujus officium non consurgit precio, nec associatur venditioni, seu emptioni. Intellige ejus virtutem & valorem atque honorem, & operare. Et dixit quidam sapiens: Non est tibi datum à Deo hoc magisterium solum pro tua audacia, fortitudine & caliditate, sine omni labore. Nam laborant homines, & Deus tribuit fortunam hominibus. Adora ergo Deum creatorem, qui tibi tantam gratiam suis operibus bene dictis voluit exhibere.

CAP. XV.

Modus Operationis Lapidis ad album.

CUm ergo volueris hoc magisterium honoratum facere, accipe lapidem honoratum, & pone eum in cucurbita, & cooperi cum alembico, & claude eam bene cum luto sapientiæ, & dimitte exiccari: quod sic facies, quotiescunque claudes cum luto sapientiæ, postea mitte in stercore calidissimo: deinde distillabis eum, & pones sub eo recipiens, in quod distilletur aqua, & dimittes sic, quousque tota aqua distilletur, & exiccabitur humiditas, & poterit siccitas super eum. Postea extrahes eum siccum, & servabis aquam, quæ distillavit ex eo, quousque tibi sit necessaria. Accipiesque corpus siccum, quod remansit in fundo cucurbitæ, & teres ipsum, ponesque in vase Chalcofolario, cujus quantitas sit secundùm quantitatem medicinæ, & subhumabis eam in stercore equino humido excellentissimè calido, prout potest, & sit ipsum vas clausum bene cum pisa & luto sapientiæ, & sic dimittas ipsum esse ibi. Et cùm noveris quòd voluerit infrigidari stercus, parabis aliud calidissimum, & in eo pones dictum vas. Sic facies cum eo quadraginta dies, renovando sæpe stercus calidum, cùm necesse fuerit, & solvetur medicina in se, & fiet aqua spissa, alba: & cùm sic eam videris, scias ejus pondus, & adde eidem quantum est medietas ponderis ipsius de aqua, quam priùs servasti & claude tunc ipsum vas cum luto sapientiæ, & iterum reduc ad stercus equinum calidum: quia in eo est humiditas & caliditas, & non omittas (ut priùs diximus) renovare stercus, cùm infrigidari inceperit, quousque compleantur quadraginta dies. Quia tunc medicina congelabitur in simili quantitate dierum, quibus soluta fuit priùs. Postea accipe eam, & scias pondus ejus integrè, & accipe quantitatem ejus de aqua, quam priùs formasti, & tere corpus, & subtilia, & pone aquam

super

super ipsum. Et iterum remitte in stercore equino calido, per unam septimanam & dimidiam, & sunt decem dies, tunc extrahes, & invenies corpus jam bibisse aquam. Postea tere ipsum & pone super ipsum de ipsa aqua, quantum prædictum est. Et subhuma eum in stercore, & dimitte ibi per alios decem dies. Postea extrahe, & invenies ipsum corpus, quod jam biberit aquam. Postea, ut priùs tere, & pone super ipsum & prædicta aqua, juxta quantitatem prædictam, & iterum subhumabis in stercore prædicto, & dimittes ibi per decem dies, & postea extrahes. Et sic facies quarta vice, tunc cùm jam quarto complebitur hoc extrahe & tere: & sublimabis eum in stercore, quousque solvatur: deinde extrahe, & reitera adhuc semel, quia tunc est origo perfecta, & jam complevit suum factum. Tunc verò cùm sic fuerit, & adduxeris rem, ô frater, ad hunc statum honoratum, accipe ducentas quinquaginta drachmas plumbi vel stanni, & funde ipsum. Deinde cùm liquefacta fuerit, projice super ipsum unam drachmam de Cinnabari: id est, de hac medicina, quam adduxisti ad hunc statum honoratum, & hunc ordinem altum, & retinebit ipsum stannum seu plumbum, ne evolet ab igne, & albificabit ipsum, & extrahet ab eo ipsius detrimentum, & ejus nigredinem, & convertet ipsum in tincturam permanentem perpetuò. Deinde accipe unam drachmam de istis ducentis quinquaginta, & projice super ducentas quinquaginta stagni aut latonis, seu cupri, & convertet ipsum in argentum melius quàm de minera, & hoc est majus quod facere potest, & ultimum, si Deus voluerit.

CAP. XVI.

Conversio prædicti Lapidis in rubeum.

ET si volueris hoc magisterium ad aurum convertere. Accipe de hac medicina, quam (ut dixi) adduxisti ad hunc statum honoratum, & ad hunc ordinem altum, pondus unius drachmæ, & hoc secundùm modum exempli tui superiùs dicti. Et pone eam in vase chalcofolario, & subhumabis eam in stercore equino per quadraginta dies: quia solvetur: postea dabis ei ad bibendum aquam corporis soluti, primò quantum est medietas sui ponderis, postea, usquequo congeletur, subhumabis in stercore calidissimo, ut priùs dictum est. Deinde per ordinem facies in hoc capitulo auri, sicut fecisti superiùs, in capitulo argenti. Et erit aurum, & operabitur aurum, si Deus voluerit. Custodi, fili, hunc librum secretissimum, & non ponas ipsum in manus ignorantium, secretum secretorum Dei: quia perficies quod volueris, Amen.

SVBSECTIO IX.

Liber TRIUM VERBORUM KALID Regis acutissimi,

Ex Manuscripto, longè aliis præcellentiore.

ALCHIMIA est Ars Artium, Scientia Scientiarum ab Alchino inventa. Chimia autem Græcè, massa dicitur Latinè: Per istam enim artem Metalla, quæ in Minera imperfecta, reducuntur ad perfectionem, de corruptione ad incorruptionem: quod sicut puer in utero matris ex corrupta matrice, quæ habet infirmitatem & corruptionem, licet sperma fuerit mundum, fit leprosus & corruptus, causa matricis corruptæ: Sic est in metallis, quæ corrumpuntur natura, ex sulphure corrupto, vel in aqua fœtida. Quia natura intendit facere Solem & Lunam, in puncto suæ originis, & non potest: Unde metalla corrumpuntur per actus sicut supra dictum est.

CAP. I.

De Qualitate Lapidis Philosophici.

LApidis iste, de quo fit hoc opus, habet in se omnes colores. Est enim albus, rubeus, rubicundissimus: citrinus, citrinissimus, cœlestinus viridis, gravis. In Lapide isto sunt quatuor elementa. Est enim aquaticus, aëreus, igneus, & terreus. In Lapide isto in occulto est caliditas & siccitas: & in manifesto frigiditas & humiditas: Oportet ergo nos occultare manifestum, & id quod est occultum, facere manifestum. Illud autem quod est in occulto, scilicet caliditas & siccitas est Oleum: & istud oleum est siccum. Illa siccitas tingit, quia siccitas Alchimiæ tingit & non aliud, quia alkale & non aliud tingit. Illud quod est in manifesto frigidum & humidum, est fumus corrumpens. Oportet ergo quod frigidum & humidum recipiant caliditatem & siccitatem, quod erat in occulto, & fiant una substantia. Illa autem frigiditas & humiditas est fumus corrumpens & aquosus, de quo dicitur, quod humiditas aquosa & adustiva corrumpit corpus, & tingit in nigredinem. Istas ergo infirmitates oportet destruere in igne & per gradus ignis.

CAP. II.

De Lapidis ipsius proprietate

HIc est Liber Trium Verborum, liber Lapidis preciosi, qui est corpus aëreum & volatile, frigidum & humidum, aquosum & adustivum, virtute divina. Et tunc mutatur spiritus in nobilissimum corpus, & non fugit ab igne, & currit ut oleum, quod est tinctura viva multiplicativa, ponderativa, colorativa, declarativa, consolidativa, pulchertima, ingressiva, præservativa.

CAP. III.

De occultaCaliditate & siccitate in humido & frigido existentibus.

OPus mirabile Trium Verborum, est opus illud, quod de tribus verbis legitur, & aliter à quibusdam intelligitur, ut omnes clarè & apertè non intelligant causam in tribus verbis. Hoc inquiritur in humido & frigido, in quo est occulta caliditas & siccitas, & hoc scire nos oportet, ut faciamus

de

de manifeſto occultum, & de occulto manifeſtum: & iſtud occultum eſt de natura ſolis & ignis, & eſt pretioſiſſimum oleum omnium occultorum, & tinctura viva, & aqua permanens, quæ ſemper vivit, & permanet, & acetum Philoſophorum, & ſpiritus penetrativus: & eſt occultum tingitivum, aggregativum & revivificativum, quod rectificat & illuminat omnes mortuos, & ſurgere eos facit, poſtquam non fugit ab igne ejus caliditas & ſiccitas.

CAP. IV.

De Converſione ſpiritus in corpus & corporis in ſpiritum.

SPiritus iſte vertatur in corpus, & hoc corpus in ſpiritum, & iterum ſpiritus iſte fiat corpus, & tunc facta eſt amicitia inter frigiditatem & humiditatem, caliditatem & ſiccitatem. Sed virtute Dei fieri poteſt cum molli temperamento, & moderativo termino ignis. Et hujus longitudinis duorum & unum, à tribus duo intelliguntur, à duobus verò tria non intelliguntur. Et hæc ſunt verba pretioſa, occulta & aperta, data non pravis, non impiis, non infidelibus, ſed fidelibus & pauperibus à primo homine uſque ad ultimum.

CAP. V.

De Planetarum imagine & eorum operibus in Mercurio exiſtentibus.

DIco ergo, quod in Mercurio ſunt opera Planetarum, & eorum imaginationes in ſuis locis, ſicut in fœtu ſuis partibus & temporibus operantur. Nam in fœtu primo menſe cum ſemen à matrice acceptum eſt, Saturnus operatur congelando, & conſtringendo ſua frigiditate & ſiccitate ipſam materiam in unam maſſam. Secundo menſe operatur Jupiter ſua caliditate, digerendo in quandam maſſam carneam, quæ embrio vocatur. Tertio menſe operatur Mars agens in materiam, & caliditate & ſiccitate dividit & ſequeſtrat illam maſſam & membra diſponit. Quarto menſe Sol, ut Dominus, immittit Spiritum, & ſic incipit vivere. Quinto menſe operatur Mercurius, qui foramina & ſpiracula facit. Sexto menſe Venus diſponit & ordinat ſupercilia & oculos, teſticulos, & ſimilia. Septimo menſe Luna ſua frigiditate & humiditate laborat ad expellendum fœtum: & ſic tunc naſceretur, vivere poſſet. Si verò non naſcitur, tunc debilitatur. Et iterùm Saturnus octavo menſe ſua frigiditate & ſiccitate incipit operari, tunc conſtringendo ipſius fœtus acceptionem in matrice, & ſi tunc naſceretur, vivere non poſſet. Nono menſe Jupiter iterum operatur, & ſua caliditate & humiditate, iterum nutriendo reducit vires ipſi fœtui. Et ſic completo nono menſe naſcitur & benè vivit. Et hæc ſunt verba vera. Aqua fœtum tribus menſibus in matrice conſervat, Ignis totidem cuſtodit: Aër quoque tribus menſibus fovet. Infanti verò nunquam parebit egreſſus, quouſque aëreos flatus exhauriat. Egreſſus tandem os aperit, & lactatur.

CAP. VI.

De Obſervatione Planetarum in opere.

AB iſtis tribus menſibus oportet nos intelligere, te cum acuto ingenio ſcire, & componere & extrahere duo, quia ab iſtis verbis intelliguntur duo. Unde omnes qui cupiunt ſcire hanc rem, acuant ingenium ſuum ad aperiendum theſaurum ex tribus verbis, in quibus occultatur tota præparatio & virtus lapidis, in quo eſt caliditas & ſiccitas, quæ ſiccitas eſt oleum vivum, & tinctura viva. Hæc eſt expoſitio: Quia ſic à principio conceptionis uſque ad nativitatem infantis, quilibet Planeta ſuo loco dat imaginem virtute divina ſic creante. Ita in omnibus operibus Alchimicis quilibet Planeta ſuo loco facit imaginem uſque ad complementum operis, & tunc naſcitur Alchimia artificiosè. Et in hoc opere Alchimiæ multi errant, & pauci perveniunt ad finem. Nam in hoc opere eſt ſaltus Lunæ, & circulus Solis ad gradus tres. Primus debilis: ſecundus firmus: tertius perfectus: & termini tres. Primus, quando Sol intrat in arietem, & eſt in ſua exaltatione. Secundus, quando Sol eſt in Leone. Tertius, quando Sol eſt in Sagittario. Intellige ergo, quia ſecundum iſtos gradus completur opus Alchimiæ.

CAP. VII.

Expoſitio Trium Verborum.

REdeamus nunc ad expoſitionem Trium Verborum: in quibus tota Ars conſiſtit. Aqua enim dicitur tribus menſibus fœtum in matrice conſervare. Aër tribus menſibus fovet: Ignis totidem cuſtodit. Hoc totum dictum eſt de Mercurio per ſimilitudinem. Et verbum iſtud, & ſermo iſte, & terminus obſcurus eſt apertus ad intelligendum verum. Nam & alia natura eſt in muliere prægnante, & alia in Mercurio. Tamen per ſimilitudinem caloris, qui in matrice inventus eſt, æſtimatus eſt ignis, qui eſt triginta duorum graduum. Unde iſtud tertium verbum de quo dicitur: Ignis totidem cuſtodit, obſcurum eſt, & multi errant in eo, & intrant terram regionem neſcientem, quia à tribus accipiunt duos gradus, & ab iſtis duobus gradibus extrahuntur reliqui gradus, & in 32. particulis craticulæ partitur libellus: & in iſtis gradibus expletum eſt verbum tertium totum, de quo dicitur totidem. Primus gradus complet aquam & aërem. Secundus gradus complet totum hoc quod diximus & totidem, & hoc eſt donum Dei.

CAP. VIII.

De Gradibus Ignis.

SPerma ergo Lapidis eſt frigidum, & humidum & liquidum, Liquor verò facit globum, & recipit carnem & ſanguinem, & membra, & imaginem deinde à Deo altiſſimo, & venit ad ortum & interitum. Et iſti ſunt duo gradus & 7. Secundum ſperma eſt lapis ſolus, nec eſt ei alius ſimilis in hoc mundo, qui ſeipſum imprægnat, & de ſeipſo concipit, & ſeipſum parturit? & poſtquam hoc vivum moritur, à rubea, à morte mortuum, cauſa eſt tum per calidum & ſiccum, & non fugit ignem, nec emittit fumum: nec ſaltum faciet, & funditur ſicut cera, & eſt ſicut electrum, & eſt ſiccum, quæ ſiccitas tingit. Et cum hac tinctura vivificantur omnes mortui, & ſemper vivent. Et eſt tinctura vera viva, rubea, & alba. Nota quod in ſola aqua ſine aliqua ſeparatione poſſint fieri omnes diſtillationes, ſublimationes, & calcinationes, & rubificationes, & mortificationes ipſius mercurii mortui: Et infuſiones, cum omnibus reſolutionibus & congelationibus. Sic debent ergo ingenia excogitare quando fiat. Unde cum jam facta eſt amicitia inter illum & ignem, tunc incurrit ut oleum, in uno ictu.

ictu. Oleum est ingressivum, penetrativum, permixtum, coagulatum & generativum. Vincit enim omnem rem subtilem, solidum penetrat, unde omnes qui quærunt hanc scientiam, acuant ingenium suum, quando ista fiant, & quæ sint species istius artis. Probationes autem lapidis sunt hæ, ut quando jam est firmus, ut ponatur aliquantulum de illo super ferrum candens, vel æs, vel argentum candens, si fluit sicut cera & non fumigat, & cohæret firmiter metallo, tunc est perfectus, quia si hæc non apparent, tunc tamdiu coquendum donec ita fiat. Est hæc probatio super omnes probationes, & hæc probatio debet fieri inter primam & secundam congelationem, & resolutionem. Et sciendum est, quod primus terminus mortificat frigidum & humidum. Secundus terminus complet mortem primi mortui, & augmentat rubedinem, & facit massam salsuginosam (aliâs staliginosam) & pineam, sicut primi fructus pini, lucidam, fulgentem, ut folia auri, & hæc rectificatio mortis, quod est oleum fixum, quod rubificat omnia metalla corrupta, perducit ad summitatem, & naturam meliorem. Laudetur ergo Deus, & sanctum nomen ejus, quod est benedictum super omne nomen, de hoc sancto dono.

SVBSECTIO X.

MERLINI ALLEGORIA *Profundißimum Philosophici Lapidis Arcanum perfectè continens.*

REx quidam alios cupiens superare potentes, se contra eos præparavit ad bellum. Cumque vellet equum ascendere, præcepit cuidam ex militibus suis, ut daret ei ad potandum de aqua, quam plurimùm diligebat. Qui respondens ei dixit: Domine, quæ aqua est illa quam quæritis? Et Rex ait: Aqua illa quam quæro aqua est à me plurimum affectata, & ipsa diligit me præ cæteris. Et ille perpendens, statim ivit, & eam detulit ei. Rex autem accipiens eam, bibit & rebibit, donec omnia membra sua repleta sunt, & omnes venæ ejus inflatæ, & tunc fuit valdè discoloratus. Hoc facto, dixerunt ei milites ejus. Domine ecce equum, ascende si placet. Qui respondens dixit: Sciatis me ascendere non posse. Dixerunt milites, quare non potes? Respondit, quia sentio me gravatum, & doleo caput: & ut mihi videtur omnia membra mea ab invicem dividuntur. Jubeo igitur vobis, quòd ponatis me in cameram unam lucidam & ea constituatur in loco calido & sicco continuè temperato per diem & noctem, & ita sudabo, & aqua quam bibi desiccabitur in me, & ita liberabor. Fecerunt ergo sicut Rex præceperat eis. Completo verò tempore, aperuerunt cameram, & invenerunt eum quasi mortuum. Parentes verò statim cucurrerunt ad medicos Ægyptiacos & Alexandrinos præ cæteris honorandos, & adduxerunt ad eum, narrantes eis secundùm quod Regi acciderat. Qui quidem viso eo, dixerunt, ipsum posse proculdubio liberari. Et illi: Quis vestrùm erit magister? Responderunt Alexandrini, nos si placet vobis. Dixerunt Ægyptii, non placet nobis, imò nos volumus esse magistri. Antiquiores enim vobis sumus, licet juniores videamur. Alexandrini verò consenserunt. Tunc dicti magistri acceperunt Regem, & dilaniaverunt eum in partes minimas, terentes eas, & miscuerunt cum medicinis suis humectantibus aliquantulum, & ita posuerunt ipsum aptatum in camera sua, in loco calido temperato, sicut priùs, per diem & noctem. Hoc facto extraxerunt eum quasi semimortuum & adhuc habentem aliquantulum vitæ. Quem videntes parentes ejus, exclamaverunt dicentes: Heu Rex mortuus est. Quibus Medici dixerunt, non est mortuus. Nolite clamare, dormit enim, & jam incepit terminare. Acceperunt itaque ipsum iterum & abluerunt eum aqua dulci, donec sapor medicinarum recessit: & miserunt cum eo iterum de eadem medicina nova, & posuerunt eum in loco suo sicut prius, Et quando extraxerunt. Tunc parentes ejus fortiter clamantes dixerunt: Heu Rex mortuus est. Quibus Medici respondentes dixerunt: Interfecimus eum ideo, ut melior & fortior fiat in hoc Mundo post resurrectionem in die judicii, quàm fuisset priùs. Quod quidem parentes ejus audientes, crediderunt eos esse truffatores, & statim abstulerunt eis medicinas suas, & expulerunt de regno. Hoc facto, loquebantur adinvicem, considerantes quid deberent agere de hoc corpore venenato & mortuo. Et convenerunt ut sepelirent ipsum, ne putrefieret, ac ejus fœtor nocumentum inferret. Alexandrini verò Medici hoc audientes iverunt ad eos, & dixerunt: Nolite ipsum sepelire, quoniam (si placet vobis) restituemus eum saniorem, pulchriorem, & potentiorem quàm priùs. Tunc illi subridere cœperunt, dicentes: Vultis ne truffare nos, sicut & alii? Sciatis quòd nisi feceritis quod promittitis, manus nostras evadere non poteritis. Medici autem ad hoc se obligantes, acceperunt Regem mortuum, sicut alii dimiserunt, terentes eum, bene abluerunt, quousque nihil de medicinis aliorum remansit, & desiccaverunt eum. Deinde acceperunt partem unam Salis armoniaci, & duas de nitro Alexandrino, & miscuerunt cum pulvere mortui, & impastaverunt cum parum olei lini, & posuerunt eum in camera una, facta ad modum crucibuli inferiùs perforati: & sub foramen posuerunt aliud vas mundum ad modum crucibuli factum, & dimiserunt eum ibi per unam horam. Deinde coopcruerunt eum cum igne insufflantes donec fuit penitus liquefactum, in aliud crucibulum descendens inferius per foramen. Tunc Rex ita de morte ad vitam resurgens, magna voce clamavit, & dixit: Ubi sunt inimici? Sciant quòd omnes interficiam, nisi mihi obedientes adveniant sine mora. Omnes igitur audientes, venerunt coram eo, dixerunt: Domine ecce parati sumus vestris in omnib. obedire mandatis. Itaque ab illa hora ut antea: Reges omnes & potentes aliarum regionum honoraverunt & timuerunt eum. Et quando volebant videre de mirabilibus ejus, ponebant in crucibulo unciam unam Mercurii bene loti, & projiciebant desuper tanquam unum granum milii

de

de ungulis, vel de capillis, aut de sanguine suo, & sufflabant leviter cum carbonibus, dimittebant eum infrigidari cum eis, & inveniebant lapidem qualem ego scio. De quo lapide projiciebant parum super Saturnum purgatum, & statim mutabatur forma ejus sicut scio. De quo postea ponebant partem unam super decem Veneris, & erat totum unius coloris & bonitatis. Item aliter: Accipiebant dictum lapidem tritum, & miscebant cum sale, & Sole sicut priùs, & liquefaciebant eum, & projiciebant dictos sales solutos in sero captino, & tunc fiebat optimum ad omnia. Custodi frater hunc Tractatum, & serva bene, quia truffa est optima inter stultos, & non truffa inter sapientes. Hæc enim est via Regum trium dierum, quoniam parum laboris sustinentes, magnum lucrum desiderant obtinere. Laudes Creatori maximo referamus, qui fidelibus suis gratuiter inspiravit, accidentia pro velle in substantiis transmutare, & ut quod in potentia rebus latitat, ad actum reduci valeat sapienter.

Allegoriæ Merlini Finis.

SVBSECTIO XI.

Thesaurus Philosophiæ, Anonymi.

Reserat nobis ejus salutare, cujus sunt omnia, cœlum, terra, mare, qui de nihilo cuncta creare potuit: & dissona consona ligare voluit: & ægra statuit medicinis curare ex sua bonitate: quod antiqui sapientes ad plenum intelligentes duplicem de hoc modum in suis libris posuerunt, unum verum, alium vero devium. Verum quidem modum posuerunt verbis obscuris, ut à nullo, nisi à filiis ad plenum intelligeretur. Hoc autem celaverunt, nec impii hanc scientiam usurpantes, ad profana perpetranda fierent promptiores: & de eorum peccatis essent rationem reddituri. Idcirco cave tibi carissime, ne hanc scientiam alicui indigno participes, sed more Philosophico eam celes, quam cum vero experimento cognoveris, amor ejus & dilectio in te augebitur.

Falsum autem modum in verbis liquidis posuerunt: quem modum & ejus errores cum suis causis dicere prætermittam: Sed carissime audi & intellige, & Deus tuum illuminet intellectum. Scito quod scientia nostra est scientia 4. elementorum, & temporum, & qualitatum, & eorum ad invicem conversio: & in hoc omnes Philosophi conveniunt. Et scito quod in omni re sub cælo sunt 4. elementa, non per visum, sed per effectum. Unde Philosophi sub velamento scientiæ elementorum, scientiam istam tradiderunt, & operati sunt: sed non intelligentes literam operationis, hæc omnia in sanguine, capillis, & ovis, nec non & multis aliis truffis tentaverunt, & ego tentavi, & in stuporem fui redactus. Et ideo tanquam de scientia desperatus, Magisterium postposui: alias reprobavi imbecillitate proprii intellectus. Ad me ipsum tamen postea revertens tandem cum Avicenna cogitare cœpi: Si hæc res est, quomodo est? Et si non est, quomodo non est? Scivi igitur quod omnium metallorum materia & sperma est Mercurius decoctus & inspissatus in ventre terræ, calore sulphureo, ipsum decoquendo, & secundum varietatem sulphuris & ejus multiplicitatis diversitatem, diversa metalla procreantur in terra. Ipsorum enim prima materia est una & eadem ipsa tamen differunt sola actione accidentali, & in decoctione majori vel minori, temperata vel intemperata, adurente vel non adurente: sic concorditer asserunt omnes philosophi. Certum quippe est omnem rem esse ex eo vel de eo in quod resolvitur: nam gelu convertitur in aquam mediante calore: Clarum est ergo ipsum primo fuisse aquam, sic & omnia metalla convertuntur in Mercurium, ergo ipsa prius fuerunt ex Mercurio: modum autem convertendi ipsa in Mercurium, inferius ostendam. Hoc autem supposito, solvitur dictum Aristotelis dicentis 4. Meteorol: Sciant ergo artifices Alchimiæ, species metallorum permutari non posse. Et hoc verum est, nisi ipsa (ut sequitur) reducantur in primam materiam, Reductio vero ipsorum est facilis & possibilis ad invicem, nam omne crescens & nascens multiplicatur, ut patet in omnibus plantis & arboribus & animalibus: nam ex uno grano mille procreantur grana: ex una arbore mille procedunt ramuli, & ab uno homine omne genus hominum procreatur: sicut unum quodque augetur ex sua specie, sic & metallum potest per consequens ex se augmentare suum metallum. Et non est differentia, ut dicit Aristoteles, utrum hæc fiant in organis naturalibus vel artificialibus. Metalla vero omnia in terra nascuntur & crescunt: possibile est ergo in eis augmentationem & multiplicationem fieri, & ita usque in infinitum. Sed hoc non potest fieri, nisi per illud quod est perfectius in linea metallorum: perfectioris generationis est illorum metallorum completa medicina, quæ est elixir Philosophorum. Ad hoc autem elixir perveniri non est possibile, nisi per suum medium. Vide naturam medii, in quo semper est continentia extremorum. Extrema vero sunt sulphur & Mercurius, & elixir completum: ex illis istorum quæ magis depurata & decocta sunt & digesta, illa sunt meliora & perfectiora, & etiam propinquiora. O carissime non oberres, quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. Jam satis patet quis sit lapis, quæ medicina ejus, cui nihil extraneum additur, nisi quod superflua removentur: quia non conveniunt rei, nisi quæ propinquiora sunt ei ex natura. Nunc igitur carissime explicabo dicta Philosophorum, & verba sapientum obscura in parabolis celata, ut judices me verba philosophorum intelligere, & ipsos verum protulisse affirmes. Est igitur illud primum quod Philosophi vocaverunt solutionem, quæ est artis fundamentum: Unde dicit Maria: Copula gummi cum gummi vero matrimonio, & fac illa sicut aquam torrentem. Rosinus Philosophus ait: Nisi corpora in incorporea verratis, in vanum laboratis. Item Parmenides de hac solutione tractat, dicens in Turba: Quidam hanc solutionem audientes, putant eam fieri absque corpore suo cum conjuncta est, & factum est unum permanens: Non est enim philosophorum solutio aquæ nubis, sed corporum in aquam solutio,

solutio, seu conversio, ex qua primo creata fuerunt, videlicet in Mercurium prout gelu convertitur in aquam liquidam ex qua prius fuit. Ecce per Dei gratiam unum elementum quod est aqua, & ipsius corporis in aquam liquidam reductio. Secundum verbum est, quod ex aqua fit terra leni decoctione totiens reiterara, donec nigredo superemineat: Nam ut dicit Avicenna in titulo de Humoribus: Calor agens in humido corpore primo generat nigredinem, ut est videre in calce quæ apud vulgus fit. Ideo dicit Menabdes: Jubeo posteros facere corpora non corpora per dissolutionem, & incorporea corpora per suavem decoctionem: in qua summe cavendum est, ne spiritus convertatur in fumum, & evanescat per nimium ignem. Unde Maria dicit, Custodi ipsum, & cave ne fugiat aliquid in fumum. Et sit mensura ignis caliditas solis Julii mensis, ut ex suavi & longa decoctione inspissetur aqua, & fiat terra nigra. Sic ergo habes aliud elementum quod est terra. Tertium verbum quod præcessit, est terræ mundificatio. Unde dicit Morienus: Hæc terra cum aqua sua putrefit & mundificatur: quæ cum mundata fuerit, auxilio Dei totum magisterium dirigetur. Hermes quoque ait: Azot & ignis latonem abluunt, & nigredinem ab eo auferunt. Ideo dicit philosophus: Dealbate latonẽ, & liberos reponite, ne corda vestra rumpantur. Hæc est enim compositio omnium sapientum, & etiam tertia pars totius operis. Jungite ergo, ut dicitur in Turba, siccum humido, id est terram nigram cum aqua sua, & coquite, donec dealbetur. Sic habes aquam & terram per se, & terram cum aqua dealbatam. Quartum verbum est, quod aqua, quæ cum terra fuerit inspissata & coagulata, ascendat sublimatione. Sic habes terram, aquam & aerem. Et hoc est quod dicit Philosophus: ipsum dealbate, & cito igne sublimate, quousque ex eo exeat spiritus, quem in eo invenies, qui dicitur avis, aut cinis Hermetis, Unde & Morienus ait: Cinerem ne vilipendas: nam ipse est diadema cordis tui, & permanentium cinis. Et in lib. Turbæ dicitur: Ignis regimen augmentate: & per albedinem pervenitur ad cineratiõnem, quæ dicitur terra calcinata, quæ est naturæ igneæ: & habes in prædictis proportionibus quatuor elementa, nempe aquam dissolutam, terram dealbatam, aerem sublimatum, ignem calcinatum. De istis etiam 4. elementis dicit Arist. in lib. de Regim. Principum ad Alexandrum, cum habueris aquam ex aere, & aerem ex igne, & ignẽ ex terra, tunc plenam habebis artem philosophiæ. Et hic est finis primæ compositionis, ut Morienus dicit. Nunc ad secundam compositionem transeamus, quæ habet inspirasse, tingere, & vivificare primam compositionem. Unde dicit Calindus philosophus: Nemo unquam potuit, vel postea poterit tingere terram foliatam nisi cum auro. Ideo præcipit Hermes dicens: Seminate aurum vestrum in terram albam foliatam, quæ per calcinationem facta est ignea, subtilis, & aerea. In illam ergo terram aurum seminamus cum tinctura auri illi imponimus. Sed nunquam aurum potest perfecte aliud corpus tingere quam seipsum: Certe hoc non potest nisi perficiatur arte. Unde ait Raymundus: Quamvis hic lapis noster jam in se tinctura naturaliter contineat: nam in corpus magnesiæ creatus est perfecte, per se tamen non habet nisi perficiatur arte & operatione. Geber dicit in Operatione radicum: Ad hoc fit operatio, ut melioretur tinctura auri in auro plus quam est in sua natura: & etiam ut fiat Elixir juxta sapientum allegoriam, id est, compositum ex speciebus limpidum condimentum, antidotum, & medicina omnium corporum curandorum, purgandorum, & transformandorum in Lunificum & Solificum verum. Sed nunquid solo auro, & non alio corpore indigeamus, audi Hermetem dicentem: Pater ejus, id est, primæ compositionis est Sol, mater ejus Luna: Pater est calidus & siccus, tincturam generans: Mater ejus est frigida & humida genitum nutriens. Ideo Sol per se, & Luna per se, sunt difficillimæ fusionis. Et dum conjunguntur in modum quo fit solidatura ad aurum, funduntur citissime. Ideo dicit Maria: Accipe corpus projectum, sive monticulum clarum, quod non capiatur putrefactione, & tere cum elsapenos quod comprehendit tincturam spirituum, & appropinqua igni, & totum liquefiet cito, si super eum projecisti uxorem suam Lunam. Igitur si in lapide nostro esset tantum alterum ipsorum, nunquam facile flueret medicina, neque tincturam daret. Et si daret, non tingeret nisi in quantum esset: & reliquum, ut Mercurius, in fumo evolaret: quia non esset in eo receptaculum tincturæ. Sed nostrum finale secretum est, habere medicinam quæ fluat ante fugam Mercurii. Istorum autem duorum conjunctio est necessaria in opere nostro: Dicit enim Geber: In perfecto Magisterio preciosius metallorum est aurum: ipsum est enim tinctura rubedinis transformans omne corpus. Ipsum est fermentum totam massam convertens ad suam naturam. Ipsum quoque est anima conjungens spiritum cum corpore: quia sicut corpus humanum sine anima est mortuum & immobile, sic & corpus immundum sine fermento quod ejus est anima, terreum & invegetabile. Nam fermentum præparati corporis totam massam convertit ad suam naturam. Et non est fermentum nisi Sol & Luna planetis appropriata: Quia sicut Sol & Luna cæteris planetis dominantur, sic ista duo corpora dominantur aliis corporibus metallorũ, quæ in naturã prędictorum duorum conformiter convertuntur, & ideo fermentum dicitur: Nam sine ipso gramina non emendantur. Dicit enim Raymundus: Sed hanc emendare non poteris nisi prius subtilietur arte ac operatione. Quare Hermes dicit: Fili extrahe à radio suam umbram. Igitur præparatio & subtiliatio fermenti nobis est necessaria, sicut est in fonte, quia quantum est ad creationem perfecte nascitur, sed non quantum ad operationem, nisi prius alatur pauco lacte & post pluri, deinde plurimo, sic contingit ex toto in lapide nostro. Accipe igitur quartam partem sui, hoc est unam partem de fermento, & tres partes de corpore imperfecto, dissolve fermentum in æquale sui aquæ Mercurii: Coque insimul lentissimo igne, & coagula illud fermentum, ut fiat sicut corpus imperfectum, & orificio vasis clauso eodem modo & ordine ut dictum est sit præparatum: hoc autem præcipit Hermes dicens: Charissime, in principio operis recentis æquales partes permistionis commisce insimul, & tere donec desponsetur, & ale ut fiat in eis conceptio in fundo vasis, & generationes geniti siant in aere. Morienus quoque dicit: Fac in principio ut fumus rubeus capiat fumum album in forti vase firma conjunctione sine spirituum exhalatione, & hoc est quintum verbum. Sextum verbum est, ut quartam partem, fermenti subtiliati conjungas cum tribus partibus terræ dealbatæ, & aquam suam imbibe huic, & ut prius toties hæc coque & reitera, donec duo corpora unum fiant sine coloris diversitate. Unde Morienus: Cum corpus album fuerit calcinatum, mitte in eam quartam partem sui de fermento

auri: Nam aurum eſt ſicut fermentum panis, quod totam maſſam paſtæ convertit ad ſuam naturam: Coque ergo ipſum in aqua ſua donec fiat res una, & corpus unum ſiccum: Quia ut dicit Maria: Percutiet ipſum aer, congelabit eum, & erit unum corpus: & illud eſt ſecretum Scaliæ: Tunc intruditur fermentum in ſuo corpore, quod eſt ejus anima. Et hoc eſt quod dicit Morienus. Niſi corpus immundum mundaveris, & id dealbatum reddideris, & in id animam miſeris, nihil in hoc Magiſterio direxiſti. Ideo fit permiſtio fermenti cum corpore mutato, & non cum corpore immundo Nam ut dicit Gaſius, in perfecto Magiſterio: Lapides non recipiunt ſe ad invicem, niſi utrique prius fuerint mundati. Non enim recipit corpus ſpiritum, neque ſpiritus corpus, ita quod ſpirituale fiat corporeum, vel corporeum ſpirituale, niſi prius fuerint ab omni ſorde depurati perfectiſſime. Quando vero mundatur mox complectuntur ſe invicem corpus & ſpiritus, & pervenit ex eis operatio una perfecta, quia alterata ſunt à natura, & craſſa facta ſunt ſubtilia. Hoc etiam dicit Aſtanus in Turba: Spiritus non conjunguntur corporibus, donec ab immunditiis perfectè fuerint denudati: & in hora conjunctionis maxima apparent miracula: tunc corpus imperfectum coloratione firma coloratur fermento mediante, quod fermentum ſit anima corporis imperfecti: Et ſpiritus mediante anima cum corpore conjungitur, & cum ea ſimul in colorem fermenti convertitur, & fit unum cum eis. Hoc eſt igitur elixir, ut dicit Avicenna ad Aſtem philoſophum, quod tingitur tinctura ſua, & ſubmergitur oleo ſuo, & figitur calce ſua: cujus aquam invenimus ſicut eſt argentum vivum in mineralibus, & oleum ejus ſicut eſt ſulphur, aut arſenicum in mineralibus, & calx ejus eſt calx in mineralibus: Verum etiam melius: abundantius & ſublimius eſt opus: ut album completur tribus, in quibus non eſt ignis: & citrinum quatuor rotatur rotis. De iſtis rotis etiam dicit Maria: In hac ſchola non ſunt niſi mirabilia: intrant namque in eo quatuor lapides, & ejus regimen verum eſt. Ex prædictis igitur patet ſubtiliter intelligenti vel intuenti, philoſophos in eorum verbis obſcuris verum dixiſſe: Nam dicunt: Lapis noſter eſt ex quatuor elementis: & ipſum elementis comparaverunt. Et primo oſtenſum eſt qualiter quatuor ibi ſunt elementa. Quia ut dicit Rhaſis: Omnia quæ à Lunari globo inferius à ſummo condita ſunt opifice, participant quatuor elementis, non tamen per viſum, ſed per effectum. Nam lapis eſt una ſola res, tantum una ſubſtantia, radix una, & una natura. Hermes dicit, Incipe in nomine Domini, & cognoſce naturam lapidis. Ipſe enim eſt à radice materiæ ſuæ, qua in eodem & de eodem: nec ingreditur alium ſuper eo quod non ſit ortum ab eo: Revera non convenit rei, niſi quod propinquius eſt ei ex natura ſua: nam unumquodque diligit ſui ſimile. Idcirco dicit Plato: Subſtantia una, & una eſſentia: in hoc uno eſt calidum, frigidum, humidum, & ſiccum: Ideo dicitur minor mundus, quoniam ex eo, & per eum, & in eo, & cum eo, ſunt omnia metalla. Ipſe quoque eſt ſicut arbor, cujus rami, & flores, & fructus ſunt ex ea, & per eam: & ipſa eſt totum ſimiliter. Unumquodque non generat res niſi ſibi ſimiles ex ſpecie ſua: ita hæc res una eſt & eadē, & quicquid de ea eſt, unum & idem eſt, & non diverſum. Hunc autem lapidem nominant philoſophi nomine omnis rei corporis & omnis ſpeciei: Unde Pythagoras: Omnibus nominibus nuncupatur, cujus nomen proprium eſt tantum unum: unde verſus:

Dicitur hæc Luna nominibus omnibus una.

Et dicit Phieras: Tenebroſorum nominum pluralitatem dimitte. Natura quidem una eſt quæ omnia ſuperat, non autem diverſæ naturæ illam rem emendant: Verum quidem una ſola natura eſt, quæ ſeipſam germinare facit. Igitur, ut dicit Diomedes, Venerabili utimur natura, quoniam natura non emendatur niſi ſua natura: cui noli alienum introducere pulverem, neque ullam rem, neque res diverſæ illam rem emendant: Nam ipſa ſeipſam facit germinare.

Maria tamen dicit: Quod exibit album & calx humida, quæ ſunt unum de uno, ſunt radices hujus artis. Et Philoſophi nominaverunt illam multis & omnibus nominibus, quorum una ſola res eſt tantum ut dicit Morienus. Ego veritatem dico vobis, quod nihil aliud duxit modernos in errorem niſi nominum multitudo. Sed omnis ſapiens ſciat, quod hæc nomina non ſunt niſi colores in conjunctione apparentes. Et ſic non errabis in via hujus operis, quamvis philoſophi dicta & nomina ſua multiplicaverunt, tamen non intelligunt niſi rem unam, & viam unam operandi, & vicem unam caloris (vel coloris) oſtendi. Et nota, iſta diverſitas colorum non apparet in noſtro lapide, niſi in conjunctione animæ cum corpore, ut dicit Morienus; Una tantum vice ignis in eo innovat diverſos colores. Dixerunt Philoſophi, quod lapis ex corpore, anima, & ſpiritu eſt: & verum dicunt. Nam corpus imperfectum dixerunt corpus, fermentum animam, & aquam ſpiritum: & bene quidem. Nam corpus imperfectum per ſe eſt corpus grave & infirmum, ac mortuum: Aqua eſt ſpiritus corpus purgans, ſubtilians, & dealbans. Fermentum eſt anima quæ corpori imperfecto vitam tribuit, quam prius non habebat, & in meliorem formam perducit. Corpus eſt Venus & femina: Spiritus eſt Mercurius & maſculus: Anima eſt Sol & Luna. Corpus habet liquefieri in primam materiam ſuam, quæ eſt Mercurius, ut dicit Morienus noſter, Mercurius non habetur niſi ex corporibus liquefactis liquefactione non vulgari, ſed ea tantum quæ durat donec conjuges vero matrimonio ſociantur, & etiam uniuntur: & hoc eſt usque ad albedinem. Et nota quod corpus liquefactum eſt ex toto, cum in decoctione apparuerit nigredo, unde dicit Bonellus: Videntes autem nigredinem illi aquæ imminere, ſcitote illud corpus jam liquefactum eſſe, hinc coquite eum in aqua leni igne, uſque quo cum ſuo vapore compari deſiccetur, & fiat res, quæ in ea à ſuo corpore introducitur. Spiritus vero, corpus ſubtiliatum convertit ad ſe & penetrat, ideoque dicitur aqua permanens, & aqua vitæ. Unde dicit Mundus in Turba: Mercurius eſt aqua permanens, ſine qua nihil fit: Vis enim ejus eſt ſpiritualis, ſanguis contritus, unde cum corpore iſtum in ſpiritum vertit, & ſibi ad invicem miſſū, in unum redactum ſecundum virtutem virtutum corpus incorporat ſpiritum, ſpiritus vero corpus in ſpiritum tinctum, prout ſanguis vertit: Nam omne quod ſpiritum habet, habet & ſanguinem: & ſanguis eſt humor naturalis naturam confortans. Et ſcito, quanto magis decoquitur, & in ſuo humore abluitur, tanto magis limpidius apparebit & melius. Sed ut dicit Morienus: Nihil eſt quod à latone poſſit ſuam umbram auferre niſi azot, quando in eo decoquitur, donec eum coloratum reddit & album, velut ſunt oculi piſcium: tunc enim expectat ſuum bonum ut confortetur ſuo fermento. Nota autem quod fermentum eſt anima fixa lapidis tingens, vivificans, & complectens. Unde dicit

Maria:

Maria: Corpus fixum est de materia Saturni comprehendificans digestionem tincturatum, & complens sapientiam sediarum, sine quo hoc Magisterium nunquam perveniet ad effectum, donec Sol & Luna in uno corpore conjungantur: Nam totum hujus artis artificium, ut dicit Euclides, est in Sole & Mercurio: ipsa enim in unum conjuncta, tincturam habent infiniram. Nam in opere quærit colorem sanguine rubicundiorem. Modicum quippe hujus coloris in album infusum, convertit magnam albi quantitatem in citrinum colorem, sicut experiri potes, si sanguinem projeceris in lac vel in aquam. Igitur, ut dicit Josephus: Commisce ignem & aquam, & erunt quatuor: deinde fac ista unum, & pervenisti ad illud quod quæris: tunc enim fiet corpus non corpus, debile super ignem non debilem, & erit super eo pax. Præparatio autem harum rerum à principio, usque ad finem est aqua fixa, honorata: nam illa manifestant tincturam in projectione: & ipsa est mediatrix inter contraria, & ipsa eadem est principium, medium & ultimum. Intelligens ipsam, apprehendit sapientiam. Dixerunt etiam quidam Philosophi: Nisi corpus vertatis in non corpora, & incorporea in corpora, regulam veritatis non inveniſtis: & verum dicunt. Nam corpus primo fit aqua, & sic corporeum fit incorporeum, id est, spiritus: deinde in conjunctione spiritus aqua fit corpus. Ideo dicit Hermes: Converte naturas, & quod quæris invenies: & hoc est verum. Nam in nostro Magisterio primo facimus de crasso gracile, id est, de corpore aquam: Postmodum verò facimus de humido siccum, id est, de aqua terram: & sic vere naturas convertimus, quia facimus de corporali spirituale, & de spirituali corporale. Et hoc est quod dicit Senior: Est conversio corporum de statu in statum, de re in rem, de infirmitate ad potentiam, de crassitie ad tenuitatem, de corporeitate ad spiritualitatē, sicut convertitur semen hominis in matrice mulieris conversione naturali de re in rem, donec formetur homo inde perfectus, ex quo fuit radix & principium ejus: nec mutatur ab hoc nec ex sua radice aliqua divisione. Nam ut dicit Aristoteles: Omnis generatio est ex convenientibus in natura. Et hoc est verum, maxime in generationibus metallicis: ideo enim Philosophi dicunt: Ne facias ingredi super eum alienum, neque pulverem, neque aquam, neque ullam rem: quia si intraverit super eum alienum, corrumpit eum & destruit eum. Unde dixit Arabs rex quidam: Aqua non conglutinatur nisi cum simili sulphuris sui in hoc quod ex eo est. Deinde facimus illud quod est superius, sicut est illud quod est inferius, id est, ut spiritus fiat corpus, & corpus spiritus, sicut est in principio nostræ operationis, ut in sublimatione, quod est inferius, est sicut quod est superius, & totum vertitur in terram. Idcirco dicit Hermes: Quod est superius per sublimationem, est inferius per descensionem, & quod est inferius per constipationem, est sicut quod est superius per ascensionem, ad perpetranda miracula rei unius: aqua & terra habent locum inferius: aër & ignis ascendunt superius, aqua & terra concipiunt & nutriunt: aer & ignis, agunt & conjungunt. Et ista quatuor in nostro lapide conveniunt, ut dicit Senior: Quod quatuor elementa in lapide nostro purificata sunt, quia in eo est aqua fixa, & aer quietus, & terra quiescens, & ignis circumdans omnia: & in hac repugnantia in eo conveniunt. Et hæ quatuor naturæ in eo, & ex eo, & per eum generatæ sunt. Patet ergo ex præmissis, quod lapis noster ex quatuor elementis est. Dixerunt ergo Philosophi, Quod lapis noster habet corpus, spiritum & animam: Et ista tria dicuntur ex una natura, & una re cum una aqua de una radice: & certe verum dicunt: Nam totum Magisterium nostrum fit cum aqua nostra, & de ea, & ex ea sunt omnia necessaria: Nam ipsa corpora solvit, non solutione vulgari, prout tradunt ignorantes, quod convertantur in aquam nubis, sed solutione vera Philosophica, ut convertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt. Unde dicit Socrates: Secretum cujuslibet rei & vita, est aqua: ipsa solvit corpus in spiritum, & de mortuo facit vivum. Ipsa est acetum acerrimum, quod omnibus imminet, & omnia superat. Terite ergo lapidem nostrum aceto acerrimo: incoquite donec inspissetur, citissime tamen, ne acetum convertatur in fumum & pereat totum. Item, ipsa eadem aqua calcinat corpora, & in terram reducit. Ipsa etiam eadem corpora denigrat, dealbat & rubificat: ipsa eadem in cinerem transformat, pulverizat & ea intrat: juxta quod dicit Marchos rex, Aqua nostra solvit corpora, congelat, & denigrat ea: & ipsa abluit omne corpus, & aufert omnem nigredinem, & tingit omne nigrum: & facit album, & tingit omne album: & facit rubeum, & vivificat omnia mortua in vitam sempiternam. Ideo magnificatur hæc aqua, exaltatur, & facta est domina omnium rerum, nec invenitur res agens suas operationes. Morienus quoque dicit, quod Azot & ignis latonem abluunt, mundificant, & obscuritatem ejus penitus ab eo eripiunt. Laton autem est corpus immundum, Azot vero est Mercurius. Et hæc aqua conjungit corpora diversa modo prædicto præparata tali conjunctione, quod non potest ignis potentia ea separare. Ipsa facit matrimonium inter corpus & fermentum, & eorum unum mutat in aliud, & ab ignis combustione defendit. Calcinata namque terra & dealbata ipsa altiora petens loca, fit spiritualis & aerea: Et quod est spirituale, & aereum, est incorruptibile & penetrativum. Unde dicit Hermes: Aqua aeris inter cœlum & terram existens, est vita uniuscujusque rei: nam ipsa est mediatrix inter ignem & aquam per calorem & humiditatem suam, unde ipsa aqua suspicit aerem: nam ipse aer suspicit ignem, quia ipse est vicinus igni per calorem, & propinquus aquæ per humiditatem: idcirco facit matrimonium inter virum & mulierem. Omnis enim spiritus consistit ex subtilitate fumositatis aeris. Nam omne animatum vegetabile attrahit spiritum & viam ex aere. Ignis igitur aquam aeris vivificat mortuam, facit matrimonium, & à combustione ignis protegit compositum. Ideo dixerunt Philosophi: Converte aquam in aerem ut fiat vita: vita tamen cum vita, quia ipsa est vita & spiritus cui ipsa intraverit. Igitur aqua nostra sublimat corpora non sublimatione vulgari, quam intendunt idiotæ credentes quod sublimare, sit superius ascendere: Unde accipiunt corpora calcinata, & miscent ea cum spiritibus sublimatis, ut sulphure & Mercurio cum sale armoniaco conjungunt, & per fortem ignem sublimationem faciunt, ut corpora simul cum spiritibus ascendant, & dicunt tunc quod spiritus & corpora sunt sublimata, & à suis superfluis optime depurata: sed delusi sunt: quia ipsi postea ipsa magis immunda reperiunt, quam prius fuerint. Nam ars est debilior quam natura: Unde dicit Albertus in libro de Mineralibus: Quoniam duo extranei humores à sulphuris substantia artificio & ingenio naturæ purgati sunt, melius ab arte purgari vel depurari non possunt: Nam artificium naturæ certius est & sublimius omni arte. Igitur

noſtrum ſublimare non eſt ſuperius aſcendere : ſed ſublimare Philoſophorum eſt de re parva & humili, ſeu baſſa & corrupta magnam facere, altam & purã. Unde quum dicimus: Ipſe ſublimatus eſt in Epiſcopũ hoc eſt, promotus eſt ad dignitatis gradum. Sic dicimus corpora ſublimata, id eſt ſubtiliata, & in alteram naturam translata: Unde ſublimare idem eſt quod ſubtiliare, quod totum facit aqua noſtra: Unde dicit Morienus. Aqua à corpore mortuo in quo non eſt anima aufert fœtorem, & quando dealbaverit animam, & eam ſublimaverit & corpus cuſtodierit, aufert ab eo obſcuritatem, & omnem odorem malum. Albides quoque dicit: Accipite res à mineris ſuis, & ſublimate eas ad altiora loca ſua, & mittite eas à cacumine montium ſuorum, & reducite eas ad radices ſuas. Sublimare igitur eſt rem groſſam ſubtiliare: Unde dicit Hermes: Sublima ſubtile à ſpiſſo ſuaviter, & cum magno ingenio. Aſcendit enim terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperioris ſubtilitatis penetrandi, & inferioris gravitatis remanendi. Sic ergo intelligite ſublimationem philoſophorum, quia multi ſunt in hoc decepti. Item aqua noſtra vivificat corpora & mortificat, deducit ad occaſum, & reducit ad ortum. Ipſa colores nigros apparere facit in mortificatione, dum convertuntur in terram putrefactione: Poſtmodum apparent multi colores & varii ante dealbationem, quorum omnium finis eſt albedo ſtabilis: Ipſa enim eſt ut granum frumenti cadens in terram, quod niſi mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Sic ſemina omnium terræ naſcentium mutantur, & putrefiunt, donec ingreditur ſuper eis corruptio: Idem germinant & augmentantur ſicut illa, ex quibus radicem habuerint. Sic aqua noſtra nutritur, putrefit, & corrumpitur, deinde germinat, reſurgit, & ſe ipſam vivificat. Idcirco dicit Calidus, Quando vidi aquam congelare ſeipſam, tunc certificatus fui, quod res vera eſt ſicut aſſignatur. Coquite ergo eam cum corpore ſuo donec ſiccetur humiditas ejus ab igne, & ſit ſicca, donec videatur eam colligere ſpiritus ejus ab ea, & feciſſe manſionem in radice elementi ſui: hoc autem erit quando mortificaveris, corpus album decoxeris: tunc erit aqua ſpiritualis, potens naturas convertere ad alias naturas, tunc autem corpora mortua vivificat & germinabit. Item, Aqua noſtra eſt mater diverſorum colorum mirabilium: quia per ipſam diverſitas colorum apparebit, & hoc erit maxime in miſſione aquæ corporis præparati & fermentati: tunc enim infiniti colores apparent, tot quot excogitari poſſunt: quia tunc ſpiritus conjungitur cum corpore & anima: nam ſpiritus eſt locus animæ, & anima à corporibus extracta eſt aquæ tinctura: Unde Senior: Hæc aqua eſt tinctura ſoluta in corpore deportata, ſicut portatur tinctura tinctorum ſuper pannum: deinde recedit aqua per deſiccationem, & remanet tinctura ſua per impreſſionem: Similiter eſt de aqua animæ in qua portatur tinctura, quam reducunt ſuper terram ſuam albam ſitientem, foliatam. Hanc aquam vocat Hermes auri, ſpinarum & florum, & croci: quia tingit terram eorum calcinatam: unde etiam dixit, Seminate aurum in terram foliatam: deinde recedit aqua ſpiritualis, & in corpore remanet anima, quæ eſt tinctura Solis: nam ipſa eſt ſicut fumus ſubtilis, inſenſibilis, non niſi in effectu apparens. Sed ejus actus eſt manifeſtatio colorum, & ignis ex igne generatur & nutritur in igne, & eſt filia ignis: ideo oportet reduci ad ignem, ut non timeat ignem, ſicut reducitur puer ad ubera matris ſuæ.

Hunc etiam lapidem noſtrum aliqui æs album vocaverunt. Unde Lucas & eximius in Turba: Scitote omnes ſcientiam quærentes, quod nulla ſit tinctura, niſi ex noſtro ære albo: æs enim noſtrum, non eſt æs vulgi, æs vulgi corrumpitur & inficit omne cui imponitur: æs verò Philoſophorum perficit & dealbat cui aſſociatur. Ideo dicit Plato: Omne aurum eſt æs, ſed non omne æs eſt aurum: nam in natura aurum aſſimilatur æri, ut in gravitate, tactu: ſed in natura æris non eſt aliud, quàm in natura auri: ex corruptione in terra & manſione in patientia, in igne & manſione in mari. Itaque æs noſtrum habet corpus, animam & ſpiritum: & illa tria ſunt unum: nam ſpiritus, corpus & anima ſunt unum: quia ipſa omnia ſunt ex uno & de uno, & cum uno, quod eſt radix ipſius. Æs igitur philoſophorum eſt elixir eorum ex ſpiritu, corpore & anima completum & perfectum. Sic enim Philoſophi lapidem diverſis nominibus nominaverunt, ut ſapientibus eſſet manifeſtus, & inſipientibus occultus. Sed quocunque nomine nominetur, ſemper eſt unus & idem: & de eodem: unde dicit Merculinus hæc cármina:

Eſt lapis occultus, & in imo fonte ſepultus,
Vilis & ejectus ſumo vel ſtercore tectus:
Unus habet vivus lapis omnia nomina divus:
Unde Deo plenus ſapiens dixit Morienus.
Non lapis hic lapis eſt animal quod gignere fas eſt,
Et lapis hic avis, & non lapis aut avis hæc eſt:
Hic lapis eſt mollis, ſtirps, & Saturnia proles:
Jupiter hic lapis eſt, Mars, Sol, Venus, & lapis hic eſt
Aliger, & Luna lucidior omnibus una,
Nunc argentum, nunc aurum, nunc elementum,
Nunc aqua, nunc vinum, nunc ſanguis, nunc chriſolinum,
Nunc lac virgineum, nunc ſpuma maris, vel acetum,
Nunc in ſentina fœtenti ſtillat urina,
Nunc quoque gemma ſalis, almizadir ſal generalis,
Auripigmentum primum ſtatuunt elementum
Nunc mare purgatum cum ſulphure purificatum:
Sicciné tranſponunt quod ſtultis pandere nolunt,
Sicque figuratur ſapiens ne decipiatur,
De quod tractatur ſtultis ne diſtribuatur.

Item ut dicit Morienes: Lapis noſter & confectio ipſius magiſterii aſſimilatur in ordine creationi hominis. Nam primum eſt coitus, ſecundum conceptio, tertium prægnatio, quartum ortus, & quintum ſequitur nutrimentum. O cariſſime, hæc verba Morieni intellige, & non errabis in veritate. Aperi ergo oculos tuos, & vide quod ſperma philoſophorum eſt aqua viva, terra autem eſt corpus imperfectum, quæ terra merito dicitur mater: quia ipſa eſt mater omnium elementorum: ideo quando ſperma Mercurii conjungitur cum terra corporis imperfecti, tunc coitus appellatur, tunc enim terra corporis diſſolvitur in aquam ſpermatis, & fit aqua ſine diviſione una: unde dicit Hali: Solutio corporis & coagulatio ſunt duo: ſed habent unam operationem: quia ſpiritus non coagulatur, niſi cum ſolutione corporis: & corpus & anima quando conjunguntur, agit uterque in ſuum conſimile: Exemplũ cùm aqua conjungitur terræ, aqua cum ſua humiditate & virtute conatur eam diſſolvere, nam facit eam ſubtilio ẽ quam prius erat, & reddit eam ſibi conſimilem: quia aqua eſt ſubtilior terra: ſimiliter facit, anima in corpore, & eodem modo inſpiſſatur aqua cum terra, & fit conſimilis terræ in denſitate: quia terra ſpiſſior eſt quam aqua. Ideo inter ſolutionem corporis & coagulationẽ ſpiritus, non eſt differentia temporis, nec diverſum opus in

aliquo

aliquo, ita quod fiat unum sine alio, sicut non est inter aquam & terram in sua conjunctione diversa pars temporis: quod cognoscitur si conjungatur vel separetur una ab alia in earum operationibus: Sicut nec sperma viri separatur à spermate mulieris in hora sui coitus, sic & eorum unus est terminus, unum factum, & una & eadem operatio simul cernitur super ipsa duo. Ideo Merculinus rerum misturam coitum vocat & genituram.

Semina miscentur quasi lac, quæ mista videntur.

Secundum est conceptio, quum terra in nigrum solvitur pulverem, & incipit aliquantulum de Mercurio secum retinere: tunc enim agit masculus in feminam, id est Azot in terram: ideo dicit Aristeus: Masculi ad invicem non giguunt, nec mulieres concipiunt. Generatio enim est ex maribus & feminis, & maxime ex invicem convenientibus. Maribus namque ducentibus feminas, natura gaudet & fit generatio vera. Natura autem alienæ naturæ ineptæ conjuncta, nullam veritatem spermatis gignit. Conjunge ergo filium tuum Gabricum dilectiorem tibi omnibus filiis tuis cum sua sorore Beya, quæ est puella fulgida, suavis & tenera: Gabricus est masculus, & Beya femina, quæ ipsi dat omne quod ex ipsa est, & quamvis Gabricus sit carior Beya: tamen non fit generatio sine Beya, Gabricus enim cum Beya concumbens, protinus mortuus est: nam Beya ascendit supra Gabricum, & includit eum suo utero ut nihil penitus videri poterit de eo, tantoque amore amplexata est Gabricum, quod ipsum totum in sui naturam concepit, & in diversas partes divisit: & hoc est quod dicit Merculinus.

Quod quasi lac fuerat, conceptio sanguine mutat,
Pallida nigrescunt, rubea diffusa nigrescunt.

Tertium est prægnatio: quia dealbatur terra: dominante namque aqua, terra crescit & multiplicatur, & augmentatio novæ prolis inde generatur: tunc oportet te terram nigram abluere, & igne calido dealbare. Unde Hali dicit: Accipe quod ad fundum vasis descendit, & ablue istud cum igne calido, quousque auferatur ejus nigredo, & recedat ejus spissitudo, & fac ab eo evolare additiones humiditatum, donec deveniat calx nimis alba, in qua non erit macula, tunc enim terra ad recipiendam animam est depurata, ideo Merculinus.

Firmans mutatum, prægnatio spondet hiatum:
Quæ bene purgantur, concordi pace ligantur.

Quartum est ortus, quando fermentum conjungitur terræ dealbatæ, ita quod unum fiant substantia & colore, tunc enim natus est lapis noster in vitam sempiternam: quia tunc spiritus cum corpore, anima mediante, conjungitur. Hæc namque est compositio, quæ ut dicit Hali, fit cum putrefactione & matrimonio: & matrimonium est subtile cum crasso seu spisso commiscere, & animam cum corpore commiscere. Putrefactio vero est assare, terere & rigare quousque insimul commisceantur, & fiant unum, & non sit in eis diversitas neque separatio de aqua mista aquæ, tunc conabitur spissum retinere subtile, & conabitur anima pugnare cum igne, & ipsum pati: & conabitur spiritus multum alienatus in corporibus fundi cum eis. Ideo Merculinus:

Quantum prægnatum, producit stercore natum:
Natis vita datur, non natis vita negatur.

Quintum est nutrimentum, quia fœtus extractus non nisi lacte nutritur & igne, parcè & paulatim, dum parvulus est, & quanto magis esurit ossibus confortatis in juventutem producitur: in quam perveniens sibi subsistit & sufficit, & sic oportet te in hac operatione facere, sciens quod absque calore nil unquam generatur: & intensus calor perire facit: & frigidum balneum compositum fugat, temperato verò & suavi balneo, & igne levi cortumpentes humiditates corporis extrahuntur: ideo dicit Merculinus:

Postea nutritur, quod natum lux reperitur,
Ignis aquam superat, fornax alimenta ministrat:
Hinc etiam lapis natus noster appellatur.

Unde Plato in libro Turbæ dicit: Honorate Regem ab igne venientem, diademate coronatum, & ipsum illuminate quousque ad ætatem pervenerit perfectam, & nolite ipsum comburere, nec fugetis ipsum comburendo nimio igne: quasi ipsum provocaveritis ad iram, aufert à nobis regimen suum: Cujus pater est Sol, mater verò Luna, quem portavit ventus in ventre suo: & nutrix ejus est terra, nutritur autem suo lacte, id est sperma ex quo fuit ab initio imbibatur ergo sæpè & sæpiùs parcè & paulatim suo Mercurio, quousque bibat quod sibi sufficiat. Tunc autem, ut dicit Hali, erit corpus causa retinendi tincturam: & erit tinctura causa retinendi colorem, & color erit causa demonstrandi tincturam, in qua est lumen & vita naturæ. Unde hæc est via recta, brevis, summa perfectio rei, & conservatio totius magisterii: O carissime amice singulariter dilecte, per ea quæ dicta sunt faciliter potes intelligere verba obscura, & cognosces omnes in eo convenire, quod nullum est magisterium nisi illud quod dixi. Jam enim habes corporis solutionem, & ipsius ad primam materiam reductionem. Deinde habes ipsius in terram conversionem: Præterea terræ nigræ dealbationem, & in aerem levigationem: quia tunc destillando humiditatem quæ in ea invenitur, fit aereum quod ascendit, & terra remanet calcinata, & tunc est igneæ naturæ: & habes conversionem ipsorum ad invicem: & accipit augmentationem tantam, cujus utilitas major est, quàm possit percipi aliqua ratione. Amen.

SUBSECTIO XII.

AURELIAM OCCULTAM PHILOSOPHORUM, cum Tractaculo Senioris Zadith de Chymia, complectitur.

LECTORI.

Libuit Candide Lector, in vestibulo hujus Opusculi Symbolum Saturni *præfigere, cum Materia illa prima per hoc dilucide & perspicue explicetur. Tu nostro studio fruere & vale.*

ÆNIGMA PHILOSOPHORUM sive SYMBOLUM SATURNI, Per Parabolas AZOTH dilucide ostendens.

EVENIT aliquando cum per tot annos vitæ meæ navigarem à polo Arctico ad polum Antarcticum, ut singulari Dei nutu ejicerer ad littus magni cujusdam maris: Et licet maris illius mundi aditus & proprietates optime cognitas & perspectas haberem, nihilominus inscius fui, an etiam in illis oris generaretur pisculus ille, Echeneis, quem tot magnæ & parvæ conditionis homines hactenus tam solicite quæsierunt: Dum autem in littore Meloſynas hinc inde natantes cum Nymphis conspicio, fessus etiam à præcedentibus laboribus, & cogitationibus variis gravatus, ab aquarum murmure somno corripior: Et dum suaviter obdormisco, occurrit mihi in somnis visio mirabilis: Video e mari nostro venerandæ canitiei senem NEPTUNUM cum tridente egredientem, qui me post amicam salutationem in Insulam deducit amœnissimam. Hæc Insula pulcherrima versus austrum sita erat, ac rebus omnibus ad hominis necessitatem, & ad ejusdem delitias spectantibus, refertissima.

Virgilii campus Elysius vix cum illa potuisset comparari. Totum Insulæ littus, undique virentibus myrtis, cupressis, ac Rorismarino cinctum erat. Prata virentia variatis floribus tecta, jucundissimo aspectu, suavissime redolebant. Colles vineis, oleis, & cedris, miro modo decorati erant. Nemora Arantiorum & Limoneorum arboribus referta: Viæ publicæ laurorum ac Granatorum arboribus singulari artificio intertextis, utrinque consitæ, gratissimam peregrinantibus præbebant umbram. Ut paucis dicam, quidquid in toto mundo est, ibidem videbatur: Inter ambulandum monstrabantur mihi à dicto Neptuno sub aliqua rupe, latentes duæ illius Insulæ mineræ Auri & Chalybis. Non longe illinc deducor ad pratum in quo peculiaris hortus variis & spectatis dignissimis arboribus plantatus erat; Inter complures Arbores autem, ostendit mihi septem arbores nominibus insignitas: ac inter has, duas præcipuas aliis eminentiores observavi, quarum una ferebat fructum instar Solis lucidissimi & fulgentissimi, & folia ejus erant instar Auri; Altera vero producebat albissimos Liliis candidiores fructus, & folia ejus erant sicuti argentum vivum: Vocabantur autem hæ arbores à Neptuno una Solaris arbor, & altera Lunaris. Et quamvis in hac Insula omnia ad nutum essent, unicum tamen ipsi deerat: Aqua non habebatur, nisi magna cum difficultate. Erant quidem multi, qui partim tentabant illuc Aquam fontis per canales deducere, partim etiam ex variis rebus eliciebant, sed frustraneus erat attentatus labor, quia illic locorum nullo poterat haberi medio: & si habebatur, inutilis tamen fuit & venenosa: nisi è radiis Solis vel Lunæ, quod pauci præstare potuerunt, & qui in hos perfi iendo fortunam habuit propitiam, nunquam ultra decem partes potuit attrahere. Erat enim ejusmodi Aqua mirabilis, & crede mihi, quod oculis meis viderim, palparim Aquæ illius niveum candorem, & dum illam aquam contemplarer valde miratus sum: Interim fatigatus illa consideratione, evanuit coram oculis meis Neptunus, & apparet mihi vir magnus, cujus fronti nomen Saturni erat insculptum: Hic accepto vase hauriebat Aquæ partes decem; & statim de fructu Arboris Solaris accepit & imposuit, & vidi fructum Arboris consumi & resolvi instar glaciei in Aqua calida: quæsivi ex illo: domine, video rem mirabilem, Aquam esse fere ex nihilo, video fructus Arboris in illa, adeo suavi calore, consumi; quid ista? At ille mihi gratiose respondit: Fili mi, verum est quod res hæc est mirabilis, sed ne mireris, ita enim oportet esse: Nam hæc aqua est aqua vitæ, habens potentiam fructus arboris hujus ita meliorare, ut postea non plantatione seu insitione, sed solo suo odore faciat sibi cæteras sex Arbores uniformes. Insuper hæc aqua est huic fructui instar fœminæ, in re nulla possint arboris hujus fructus putrefieri nisi in hac aqua. Et licet fructus per se sit mirabilis, & res pretiosa: attamen si in hac aqua putrescit, gignit ex hac putrefactione Salamandram in igne perseverantem, cujus sanguis omni thesauro pretiosior est, habens facultatem sex arbores, quas hic vides, fertiles reddere, illarumque fructus melle dulciores proferre. At ego petii, Domine, quomodo fit istud? Dixi tibi, inquit, arboris solaris fructus esse vivos, dulces, at ubi nunc unus saltem ex illo saturatur, quando in hac aqua coquitur, possunt postea mille ex eo saturari. Quæsivi porro, Domine: coquiturne igne forti & quandiu? At ille: aqua ista habet intrinsecum ignem, & si juvatur calore continuo, comburit tres partes corporis sui cum hoc corpore fructus, & non remanebit nisi pars minutissima, quæ vix imaginari potest, sed in summa virtute, coquitur sagaci ingenio Magistri septem mensibus primo, postea decem: sed interea apparent res variæ, & semper in die quinquagesimo, plus vel minus. Adhuc interrogavi: Domine, nonne potest etiam in aliis aquis coqui hic fructus, vel additurne illi aliquid? Respondit: non est nisi hæc una aqua, quæ utilis est in hac regione vel in Insula: Nulla etiam

alia

alia aqua potest penetrare poros hujus pomi, nisi hac: & scito arborem solarem etiam ex hac aqua ortam, quæ ex radiis Solis vel Lunæ vi magnetis extracta est. Propterea inter se magnam habent concordantiam: Sed si aliquid peregrini ipsi adderetur, non posset id præstare quod facit per se: Relinquenda igitur per se, nihilque ei addatur, nisi hoc pomum: Post decoctionem enim est fructus immortalis, vitam habens & sanguinem, quia sanguis omnes arbores steriles facit portare fructus ejusdem naturæ cum pomo. Rogavi ulterius: Domine, hauriturne Aqua hæc alio modo, vel habeturne ubique? Et ille, in omni loco est, & nemo sine ea vivere potest, hauritur miris modis, sed ista est optima, quæ extrahitur vi chalybis nostri, qui invenitur in ventre Arietis. Dixi ad quid utilis? Respondit, ante debitam coctionem est summum venenum, sed post coctionem convenientem summa est medicina, & dat viginti novem grana sanguinis, quodlibet autem granum octingentos sexaginta quatuor suppeditabit tibi fructus arboris solaris. Quæsivi: nonne ulterius meliorari potest, iste scriptura philosophica? ait, ad decem, postea ad centum, deinde ad mille, & decem millia, &c. potest exaltari. Instabam, Domine mi, noverunt ne multi istam aquam, & habet ne nomen proprium? Ille clamabat palam dicens, pauci noverunt, sed omnes viderunt, & vident & amant. Habet nomina, sed multa & varia. At nomen proprium ejus est Aqua maris nostri, Aqua vitæ, non madefaciens manus. Petii adhuc: utunturne ea alii ad res alias: Vitur ea, ait, omnis creatura, sed invisibiliter. Nascituruc in ea aliquid, interrogavi? At ille, ex ea sunt res omnes in mundo, & in ea vivunt: sed in ea proprie nihil est, sed est res quæ se miscet omni rei. Quæsivi: est ne sine hoc arboris fructu utilis? ad hoc dixit: in hoc opere nequaquam, siquidem non nisi in solo hoc arboris solaris fructu melioratur. Incipi adhuc rogare: Domine, quæso nomina mihi illam tam manifesto nomine, ut nullum possim amplius habere dubium: At ille sublata voce ita clamavit, ut me è somno excitaret, ideo non amplius poteram quærere, nec ille ulterius mihi respondere voluit, nec ego tibi plura dicere possum: contentus esto hisce, & crede quod non est possibile, lucidius loqui: Nam si hac non percipis, nunquam aliorum Philosophorum libros assequeris. Post Saturni insperatum ac subitaneum discessum, novus me sopor invasit, & denuo mihi forma visibili apparet Neptunus: Præsentem in hortis Hesperidum congratulatur felicitatem, monstrando mihi speculum, in quo totam naturam detectam vidi: Post varios ultro citroque commutatos sermones, gratias ipsi pro exhibitis beneficiis ago, quod suo videlicet ductu, non solum hunc amœnissimum Hortum ingressus fuerim, verum etiam in optatissimum Saturni colloquium venerim. Sed quia propter improvisum Saturni discessum difficultates aliquæ quærendæ & investigandæ adhuc restarent, rogavi enixe, ut hac exoptata occasione mihi scrupulum eximeret. His autem verbis illum compello, Domine, legi libros Philosophorum affirmantium generationem omnem fieri per Marem & fœminam, & tamen solum fructum arboris solaris vidi in somnis Saturnum Mercurio nostro imponere, credo etiam tibi ut Domino Maris hujus, quod ista bene scias, responde quæstioni meæ quæso? At ille, verum est, fili, omnis generatio fit in mare & fœmina, sed propter distinctionem trium Naturæ regnorum, alio modo nascitur animal quadrupes, alio modo vermis. Licet enim vermes habeant oculos, visum, auditum, & reliquos sensus, tamen per putrefactionem producuntur, & eorum locus vel terra, in quâ putrefiunt, fœmina est: Ita in corpore Philosophico mater est hujus rei, repetita toties illa aqua tua, & quicquid ex ea nascitur, more vermium, per putrefactionem nascitur: Ideo Philosophi Phœnicem & Salamandram vocarunt: Si enim è duorum corporum conceptione fieret, esset res morti obnoxia, at quia se tantum revivificat, destructo corpore priori, emicat aliud incorruptibile: Siquidem mors rerum nihil aliud est, quam separatio unius ab altero. Et in hac phœnice ita fit, quod se vita à corpore corruptibili per se separat. Insuper quæsivi: Domine mi, sunt ne diversæ res rerum vel compositio in hoc opere? At ille, unica res est, cui non miscetur aliquid aliud præterquam aqua Philosophica, tibi in sumno aliquoties manifestata, quæ in decuplo esse debet ad unam corporis partem: Et firmiter ac indubitate credas, fili, quæ per somnia in hac Insula, pro more regionis, tibi à me, & à Saturno fuerunt patefacta, nullo modo esse somnia, sed purissimam veritatem, quam experientia unica rerum Magistra tibi Dei assistentia detegere poterit. Ulterius quærentem sine responso post valedictionem discedens, me à somno excitatum, in desideratam Eutopiæ regionem sistit. Et ita tibi etiam, amice Lector, satis hactenus à me dictum sufficit. Vale.

Aureliæ occultæ Philosophorum Pars Prima.

Collocutores,

ADOLPHUS. SENIOR.

SAlve venerande Senex: cum jampridem è longinquo juxta arborem hanc solum tecum ipso nescio quæ animo volutantem videam, intermittere non possum, quin te adeam, deque causa illiusmodi meditationis inquiram.

SENIOR.

Imò, ô Juvenis, jam demum ea mihi cognoscere licet, quæ in invenili ætate constituto absona & incredibilia videbantur, cum enim literis adhuc operam darem, turgida ambitione inflatus, omnium rerum scientiam mihi arrogabam, verum nunc demum ætate provecto, diligentiori studio naturæ librum illum magnum, & perplexum investigare libet, cum tamen temporis omnem opportunitatem & diuturnitatem, tanquam præterfluentem aquam, præterlabi, videam, & ingemiscam sedulo.

ADOLPHUS.

Hoc vero est, quod admiror in te, ô senex, cum diversimodas inter nos affectiones conspicio, tibi enim avolare tempus præcox, mihi tardi senesque videntur ire dies, eaque de causa jam dudum in apricum exoptarumque deflectere equum animus gestit campum, & sodalium quærere congerronumque sodalitia, quæ temporis tarde gradientis molestiam excutiant.

SENIOR.

Video equidem, amice, te liberali facie in ipso ætatis flore constitutum, libet itaque de tuo nomine ac progenie liberius inquirere, non enim molestum tibi fore puto, si remota fraudis suspicione, nomen tuum & vitæ conditionem inquiram diligentius.

ADOLPHUS.

Adolphi nomen, & Hassiam patriam mihi esse scias, quæ me literis in puerili ætate imbuit, & provectiorem ætate ad mercaturam literalem publicis

ſcholis tranſmiſit, verum cuſtode pædagogoque remoto, bonorum paternorum legitimus effectus adminiſtrator longinquas inviſere terras & peregrina adire loca animus geſtit, & quidem ante alia Romam illam terrarum dominam petere cum comitibus libet, tuum verò, vir uſu rerum & experientia clare, de ea profectione conſilium audire prius velim.

SENIOR.

Conſilium meum tibi non deerit, quod quidem eo facilius ſuppeditare queo, locorum horum gnarus, modo tu ſanis monitionibus parere non recuſes.

ADOLPHUS.

Mihi juſſa capeſſere fas puto, tu qui ætate & rerum experientia præſtas, conſilio fauſto vias tenebricoſas ingredienti præmonſtra, videbis docilem, & attentum te nactum eſſe auditorem.

SENIOR.

Dixiſti Fili, teneri te deſiderio inviſendi Romam, at hoc tibi perſuaſum habeas optime, Romam hanc sodomam eſſe, & nuncupari vere. Vidi equidem & ego hoc orbis caput, ſed prudentiore jam ætate ſeptus, ad diſcrimina & pericula attentior. Meo igitur conſilio, diu hærere hisce in locis animum non inducas, vere enim Roma via mundi pericioſa, paradiſus eſt terrenus, hortus delitiarum venerearum, & locus à quo probitas, pietas pudorque omnis exulat, regia vicarii principis mundani. Videbis in hac omnes hujus mundi illecebras, & ſuperbiæ fontem, voluptatumque colluviem, & fructus carnis, quæ nullius eſt pretii, & litera eſt abſque ſpiritu. Spiritus enim hic loci non reperitur, ſed altiori indagine quærendus, felix terque quaterque cui Deus ſpiritum hunc interiorem exſuſcitat, quem Judæi etiam cœci repudiarunt, etiamſi velum templi abruptum eſſet & agnus librum ſeptem ſigillorum aperuiſſet & dixiſſet, conſummata eſſe omnia. Ante omnia igitur pietatis opera amplectenda, nec mundi ſtudia naturæ iis anteponenda, prout in ſequentibus latius ex me audies. Verum hoc maxime diſplicet, cùm videam te valetudine optima temporis accuſare diuturnitatem, licet florenti ætate ſubnixus morbi nullius vim ſentias, meliori igitur calculo hæc trutinanda tibi omnino exiſtimes velim, breviuſcule enim hæc me attigiſſe potius, quam prolixius decurriſſe hoc ſtadium vides; nec temporis opportunitas inanis abſque labore ſtudioque tranſmittenda, ſed potius cognitioni Dei ac operum ejus accuratè ſeduloque inſistendum & exerendæ ſenſuum noſtrorum vires, eum enim in finem ad imaginem Dei ſumus creati, non ad ſimilitudinem beſtiarum, quæ noſtrum in uſum ſunt potius conditæ, oculi igitur noſtri & aures in laudem Dei exacuendi, arrigendæque ſedulo ſunt, otiumque profligandum, nec tempus ullum abſque ſtudiis honeſtis tranſmittendum.

ADOLPHUS.

Equidem mi ſenex videor mihi jamdudum ea quæ uſui mihi eſſe poſſent, percepiſſe, acquiſivi enim Latinæ Linguæ cognitionem & Ariſtotelicæ Doctrinæ notitiam non pœnitendam, non igitur hiſce in ſtudiis ætatem terere, ex uſu eſſe video, præſertim cum ſentiam omnia imperfecta & vana eſſe, nec ullum video magiſtrum & doctorem artis, qui abſque fraude & dolo actiones ita ſuas inſtituat, ut ad finem præoptatum dextre perveniat. Aſtronomiæ ſtudium, quod ante alia certum maxime & indubitatum eſſe debebat, incertum prorſus, fallax, inconſtans, idem de medicina judicium. Qui verò errorum cacoëthes in ſacris Theologorum ſcriptis verſentur, nemo non videt, cùm tamen Scripturæ Sacræ ſumma ſit certitudo, & conſtantia: ab omnibus tamen ferè in diverſum rapitur ſenſum, nec ullus controverſiarum finis, hac vitæ inſidiatur alterius alter, alius vel ipſam animam occidit, altera ex parte fortunæ bonis alii inſidiantur, nec ullus furtorum, rapinarum, contentionum, & pugnarum finis eſt, & hæc vel ſummæ doctrinæ, vel prudentiæ, vel fortitudinis eſſe opera quivis gloriari ſolet: Ego verò in juvenili ætate conſtitutus hiſce me aſſenſum præſtare poſſe video, licet literarum cognitioni & ſtudiis operam meam amplius non addicam, præſertim cum videam ſcopum verum à nullo fere contingi, quod & ſuperioribus diebus à ruſtico quodam mihi objiciebatur, Doctiores pejores ſcilicet & deteriores aliis eſſe: & metuunt nonnulli, nec quidem abſque ratione, doctos vel proprio exitio pœnas hujus rei daturos: nec rationem ullam video, ob quam à vera & cœleſti doctrina deflectamus, cùm tamen ea nobis cœlitus tradita ſit per Verbum in carne natum, ut & ante ex te audiebam, imò, ut verbo dicam, humana ſapientia & doctrinarum circulus inconſtans, imperfectus eſt, huicque meæ opinioni te aſſenſum præbiturum, confido.

SENIOR.

Verum quidem hoc, Latinæ Linguæ cognitionem eatenus & mihi vindico, ſed exoticarum linguarum notitia peculiarem locum non habet, nec eo modo neceſſariæ videntur, prout Hebraicæ; Græcæque notitia, in quibus omnium artium cognitio nobis antiquitus tradita, ſed videmus etiam illarum exoticarum cognitionem in aulis maximè Principum, ob varia negotia, neceſſariam eſſe, & præclarum Dei donum, quod exemplo ædificantium turrem Babel patet, inter quos varia linguarum idiomata exoriebantur, eum quidem in finem ut in diverſas orbis partes diſſipati, in diverſas etiam opinionum ſectas traderentur, hæc omnia tamen à Deo Optimo Maximo ita regebantur, ut ad honorem Dei inſervirent: & efficacia Spiritus Sancti, piis ex omnibus gentibus collectis, turris illa inſana ſtructura in ſacroſanctum Dei templum, miniſterio Apoſtolorum converſa eſt, in quo Dei laudes audiantur, non enim Deo ulla confuſio & diſſipatio placet, cùm è contra Dæmon controverſiarum & diſcordiarum author ſit, & Deus Trinunus omnium maxime concordiam à nobis & pacem exigit, hæc pax eſt, omnibus ſupereminens, in qua mundus hic conditus, & regnorum adminiſtrationes elucescunt, qua in re Chriſtus Salvator & ejus aſſeclæ nobis exemplum præbuerunt, quod imitari omni ſtudio decet. Et hæc quidem de linguarum cognitione, ſed quoad animarum rem procurandam, neceſſarium haud eſt, ætatem omnem in linguarum cognitione aſſequenda atterere, ſed requiritur, ut ſacras miniſtrorum conciones audiamus, & Sacræ Scripturæ lectioni incumbamus ſedulo, prout idem ex tribus illis linguis primariis, lingua vernacula omnibus proponitur, idem judicium de naturali Philoſophia, & ſtudio acquirendorum.

rendorum fortunæ bonorum. Verum sapientes hujus mundi & astuti sæculi hujus varias insistunt vias; nec regimine à Deo præscripto contenti, extera quærunt, hinc temporis thesaurus ille pretiosus disperditus & varia animarum pericula, quibus extremo hoc sæculo subjacemus, in quo Deus ultimam illam urbem Hierosolymorum, universum nempe orbem visitaturus & judicaturus est. Exorientur etiam pari ratione tres illi inimici capitales, & primarii, spirituales, prout & Christi in carnem adventum præcedebant, & ultimam ejusdem desolationem, sed ultimo ejus adventu consilia eorum inania reddentur, & elusoria ante Christi Tribunal. Si igitur postremis hisce temporibus hi advenerint, animadvertemus, mundi finem instare: & eodem tempore existebant Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum diversæ sectæ. An non autem Pharisæi operarii meri erant, externis operibus occupati, literales, non cognoscentes spiritum, nec Messiæ adventum. An non Sadducæi resurrectionem mortuorum pernegabant, Essæi autem Anabaptistico spiritu agitati, Sacrosanctam Trinitatem oppugnabant: in Omnipotentiam divinam blasphemia prima, secunda in misericordiam, & tertia in justum & verum Dei Spiritum injuriosa. Hinc vides, homines normæ divinæ semper adversantes, & quamvis plures numero essent & diversæ sectæ, prænominatæ tamen primariæ erant & præcipuæ, quarum unaquæque doctrinam de sacrosancta Trinitate oppugnabat, subinde una ex alia exoriente, mutatis tantum nominibus, accrescente indies horum malitia, & procedente, pauci enim erant inter Judæos, qui veræ religioni addicti clanculariam quasi vitam agentes, summo studio insidias mundi hujus effugiebant. Spiritus igitur omnis probandus, imò unusquisque nostrum semetipsum probet ex verbo divino, tanquam ad lapidem lydium: quod si fiat; spiritus ipse conscientiam uniuscujusque perscrutando, examini sistet. Hæc de linguarum cognitione dicta sunt. Persuasum verò habeas, hominis naturalem illam, quotidianam, & æternam conservationem & cognitionem non in animali notitia solum exquirendam, humanum enim errare, sed in ipso Dei verbo ex utraque parte quærendam, quam naturæ investigatio sequatur, ex Deo enim ortum trahentes, ad eundem revertuntur, & in eodem terminum finemque statuunt, verbum enim sola norma & sceptrum est, & natura norma omnium creaturarum, & ad animæ corporisque habitationem viam sternens, ex quibus omnibus Theosophus verè cognoscitur, horum autem omnium cognitio vera Aristotelem latuit, nam in tenebris cæcutientem eum videre licet, humanæ quamvis rationis acumine aliis longè præstantem. Idem & de sectatoribus ejusdem dicendum, authoritate nominis apud plerosque licet magna polleant. Temporis itaque ante omnia exacta considerandæ ratio, & veritatis justitiæque studium conatu omni sectandum, implorandumque Sacri Spiritus auxilium, qui spiritualium nobis rerum cognitionem largiatur, & viribus omnibus cavendum in labyrintho hujus mundi, vitiis inhæreamus, sed bonum & æquum sectantes, & diem, horamve nullam absque fructu laboreque præterlabi permittentes actiones nostras omnes ad divini nominis gloriam & proximi emolumentum dirigamus.

ADOLPHUS.

Copiosè adeò de his omnibus disseruisti, mi senex, ut minimam eorum partem assecutus, de omnibus respondere haud possim, videó quidem bonum omni studio sectandum, sed non cunctis simul respondendum, & lentè quidem festinandum statuo.

SENIOR.

Discenda ea, ô amice, quæ adhuc ignorare te fateris, teniorum enim & antiquorum beneficio viam hanc expeditam & facilem mihi reddiram, fateor, idque etiam tibi contingere posse ne despores, modò tua etiam ipsius voluntas & studium diligens non desit.

ADOLPHUS.

Ego verò hæc omnia ex te audire percupio, & nullum unquam laborem subterfugiam, quo minus huic desiderio meo satisfacere queam cum præsertim ea omnia & honesta & utilia esse facile perspiciam.

SENIOR.

Summo rationis acumine ante omnia considerandæ est nobilitas & excellentia septem dignitatum illarum, quas mox ordine tibi pandam, quæ sunt, valetudo prospera, & temporis accurata dispensatio, quæ triplex est, rejicienda item venustatis & authoritatis existimationisque humanæ, ut & fortitudinis ac potentiæ, divitiarum quinetiam & rei familiaris cura: hæc enim quatuor dona sunt, quibus incogitanter homines abuti solent. Quod ni Deus Opt. Máx. afflictionum & tentationum flagellis præter hæc nos haud visitaret, nec inopinatæ quandóque morti traderet, nec terribili illa tuba revocans (coram eo enim nullus personarum respectus, aut dignitatis consideratio, & nescia hominum mens, serus quid vesper vehat) remoram injiceret humano generi, faciliori via ad bonorum ejusmodi contemplationem & cognitionem perveniremus. Verumenimvero, quotusquisque nostrum juxta animæ salutem etiam de æterna illa, & perpetua valetudine, æterna pace, angelica venustate, cœlesti fortitudine & sapientia, ac thesauris gloriæ curam suscipit? quæ omnia nobis promissa sunt, & quorum communicationem expectamus per Salvatorem nostrum Jesum, sed non in marcessibili & putrido hoc corpore, si nimirum in viis ejus ac præceptis ambulantes ad finem usque perseveravimus, ad arcam illam fœderis veniemus. Qui enim voluntati illi divinæ in libro vitæ patefactæ & demonstratæ, obedientiam præstiterit, ex libro vitæ nomen ejus non auferetur, omnes enim vocati sumus. Quamvis verò & de gloria hujus mundi dicenda aliqua essent, quæ vera scilicet est, nulla tamen hæc est & emortua plane cœlesti illi comparata, pretiosissimus licet & hæc sit thesaurus, talem enim & ego agnosco, sed caduca & vana, non autem perpetua & immortalis, prout cœlestis illa gloria, Christus, Beati autem & verè felices illi sunt dicendi, quorum mentes Deus per afflictionum tenebras illuminat, & hucusque perducit, tunc enim spiritualis illa concertatio & lucta & arma quibus in ea utendum, patefiunt, unde patet, temporalia illa tantam efficaciam præstare non posse, sed vim illam à solo Verbo Dei pendere & in mortis articulo hominibus concedi, verum nec omnibus hæc conceduntur, hinc etiam præposteram curam agentes, minus de ea soliciti, vitam planè otiosam & voluptuariam vivimus, arbitrantes cum sola naturâ nobis pugnandum esse & concertandum,

dum, cum tamen longè aliter hæc ſeſe habeant, hinc ſecuritas illa in tota fere hominis vita tyrannidem gerens. Hinc manifeſtum quoque evadit, etiam ſpiritum hominis paſſionibus & cruci ſubjici, prout etiam primus ille peccavit, & corpore ſecundatio peccata conſummavit. Eodem modo etiam ſpiritualis illa anxietas & afflictio mortem præcedit, eamque horribiliorem homini, & terribiliorem omnium aliarum rerum proponit, & hoc præcipuè iis, qui in ſecuritate illa & voluptatum palude ætatem tranſegerunt, hinc ille conſcientiæ vermis animas hominum mille tentationum modis arrodens. Utinam vero tempore gratiæ florentis gloriam Dei verè cognoſceremus, & oculis auditu que apprehenderemus tanquam in præterito digniori & futuro comparati in verbo ejus, in quo cœleſtes theſauri & æterni latent, qui & poſt omnium aliarum rerum deſolationem & interitum permanent, quamvis omnia plena ſunt gloria majeſtatis divinæ, & de illa omnes creaturæ & opera manuum ejus in cœlo, ſubtus cœlum, in terra, & infra eandem teſtimonium perhibent. In his enim omnibus Dominum Deum in potentia virtutis ſuæ & bonitate contemplari licet, hoc ſi exactius conſideraverimus, deprehendemus ingentes adeo ſapientiæ theſauros nobis contemplandos eſſe, ut præter cognitionem verbi ejus, præ tenuitate noſtri intellectus ante Dei faciem contremiſcentes, eos aſſequi vix unquam ſperare poſſumus, cum videamus Deum Opt. Max. cuncta in noſtri amorem ordine bono & decenti creaſſe: Talis enim Deum ſpiritu vere contemplatur, & de eo gaudere poteſt, cùm imaginem Dei ſpiritu ſeſe eſſe ſciat, & vitæ ſuæ actiones ad Chriſti primi Adami & Præcurſoris actionum normam dirigere, ad proximi utilitatem, teneatur. In futura autem & perfecta vita cognitionem plenariam Divinæ gloriæ acquiremus, abſque ullo addiſcendi labore ac tædio, quod in hac vita devorare cogimur, in ea vita divini nominis honor & gloria conſummabitur, in æternum permanſura, novimus enim miſericordiam ejus quotidie renovari & gloriam ejus linguis Angelicis decantari ſatis non poſſe, nec enim homines nos myſteria divina perſcrutari & prædicare ſatis poſſumus, niſi hæc omnia ex dono Spiritus Sancti fiant. Improbi verò, qui in adminiſtranda illa re familiari male verſantur, propoſitam habent æternam ignis æterni afflictionem, ſitim & famem æternam, ſpectra dæmonum, frigiditatem & æſtum intolerabilem, quæ etiam ipſos dæmones affligent, quamvis elementares paſſiones ſentire non poſſint, ſed ſolum pœnas æternas & ſpirituales ſentient, de quibus nihil certi, niſi quod ex Verbi Divini myſteriis hauſimus, dicere poſſumus. Quin & æternitas illa & temporis duratio omni fine carens, conſideranda, & examinanda eſt, omnique temporis momento Deus exorandus, ut nos ab hoſte, qui in omnibus viis & ſemitis noſtris infinitis tentationibus & malis nos opprimere tentat, liberet: prout etiam creaturæ aliæ & elementa, cœleſtia corpora & ſpiritus, idem periculum inferre attentant, niſi etiam hac in parte Dei auxilium occurreret. Omnium igitur maxime eſt neceſſaria precatio ardentior, quæ auxilium Spiritus Sancti implo ramus, ut ejus gratia adjuti Verbum Dei abſque intermiſſione audiamus & addiſcamus, per quod fiduciam illam in Deum acquiramus, quæ norma etiam eſt & lydius lapis vitæ noſtræ, cum & ipſe dicat, Fac hoc & vives: & alibi: qui peccavit, pœnitentiam agat, & à peccatis deſiſtat, non enim morte peccatoris gaudet, ſed vult ut convertatur & vivat. Quod vero ad carnis noſtræ ſenſum attinet, videretur prima facie, nullum eſſe numen cœleſte, cujus ira & pœnæ timendæ forent, cùm nihil niſi terrena omnia & caduca, non autem divinum numen, oculis noſtris cernere & audire queamus, Verum aliter res ſeſe habet, habemus enim Moyſen & Prophetas, & vocem clamantem in deſerto, qui Verbum Dei & voluntatem ejus annuntiant, & viam præparant, quo digni efficiamur in die illa magna mortis noſtræ & judicii univerſalis, cum actiones hominum omnes, juxta normam libri vitæ & teſtimonium Spiritus examinabuntur, & ſententia feretur ſuper omnem carnem viventem, tunc enim infideles videbunt eum, cujus latus perforarunt, cum tamen inviſibiliter & in ſpiritu ac fide eum videre noluerint, niſi digitos ſuos vulneri illi à Judæis illato applicaverint, ea magis conſiderantes, quæ naturæ hujus mundi conveniunt, quam quæ cœleſti illi Regi attribuuntur.

ADOLPHUS.

Concionem equidem paſtoris cujuſdam audire mihi videbar, licet diffiteri nequeam ſpiritualia hæc oneri mihi fore, & actiones vitæ meæ juxta hanc normam inſtituere non libeat, ſed forſan & olim hæcce didiciſſe & perfeciſſe juvet. Interim tamen vires ingenii exercere & ea omnia facere ſedulo annitar, quæ per humanæ noſtræ imbecillitatis vires facere licet. Verum cum antea theſauri hujus mundi mentionem feceris, aveo ex te ſcire, quiſnam ille ſit theſaurus mundanus, videor enim & mihi eum jam pridem cognoviſſe, eumque nullum alium eſſe, quàm mundi hujus opes & divitias, quod ſi vero alius & diverſus ab opinione mea hic ſit, ejus deſcriptionem & cognitionem pleniorem à te vehementer expecto.

SENIOR.

Quidni expectare ejus cognitionem pleniorem putem? cum vel univerſus hic mundus ejus cognitione ardeat, verum perſuaſum hoc tibi habeas, eſſe theſaurum hunc virtuoſam & ſpiritualem eſſentiam, nec ſolum divitiis, ſed etiam medica ſcientia pollentem, & quidem tali medica potione, qua homines inſuperabilibus morbis, divina aſpirante gratia, liberantur, quibus etiam medicus alius levamen aliud afferre nequeat: hoc vero myſterium omnem auri argentive præſtantiam longè exuperans, rationem humanam exacuat, & plenum eſt myſteriorum, quæ vel incredibilia aliis videntur. De his omnibus Apocalypſin Hermeticam Theophraſti perlegere poteris; non enim hac vice ego tibi dicere conſtitui quidnam ille ſit, myſterium namque hoc arcanum eſt & abſconditum ab ipſo mundi exordio, ad hoc uſque tempus, hæc enim Dei eſt voluntas, nec ego Naturæ illud ſigillum revelabo apertius; more antiquorum Philoſophorum, & myſteria hæc præter alia alias etiam ſatis apertè & dilucidè variis ſcriptorum monumentis tradita ſunt, verum divina providentia factum eſt, quod piis hujus artis ſectatoribus myſterium ſit revelatum, à principio enim futura hic cognoſcit omnia, & hæc eſt divina illa providentia cui faſces ſuperbiæ ſubmittere homines omnino decet.

ADOL-

ADOLPHUS.

Equidem jam demum ego agnosco & intelligo dicta tua, licet spirituali velamine hucusque tegere ea sis conatus, hoc enim mysterium vere lapis est ille Philosophorum omnium scriptis adeo decantatus, ex prima materia compositus, sale nimirum, mercurio & sulphure. De hoc Lapide Philosophico omnium libri pleni, & adhuc plura scripta quotidie in lucem prodeunt, & quidem nonnullos etiam novi, qui huic arti addicti, etiam multa de hac mecum collocuti, scripta etiam monstrare solent, quæ & ipse quibusdam in locis mutavi. Etsi vero hæc quandoque accuratè & artificiosè elaborata sint, corrumpuntur tamen & perniciosè mutantur à talibus, hinc & typographus & plebs imperita fraudem sentit, cum emolumentum ad solum illum perveniat plagiarium: hinc magnum scandalum percipio. Præter hæc & nullibi fere artis finem & effectum videmus, ac rari nigroque similimi cygno artificii hujus cultores, qui verum ejus usum & effectum assequuti sunt, quin & plerisque in scholis artis hæc præcepta pro nugis ac fabulis reputantur, quod non semel ex viris apprimè doctis audire licuit, qui dissertatione cum artis hujus cultoribus instituta, plagiarios eos, impostores & sycophantas pronunciarunt, cum nulla artis constantia & certitudo reperiatur, nec & mihi credibile unquam videbitur, hujus artis mystas verum aurum & argentum ex aliis inferioribus metallis producere posse, & vel divina virtute vel incantationibus & ministerio dæmonum fieri hæc puto. Præsertim cum plerosque de familiaritate cum dæmonibus suspectos non abs re audiverim sæpiuscule. Verum à te Vir venerande, cùm videam te hujus artis haud levi cognitione imbutum, enixius audire gestio, licet mysteria hujus revelare alia & primaria recuses, verum de hac & accuratius judicium, num scilicet hocce donum verè à Deo Opt. Max. hominibus datum siet, tantam metamorphosin naturæ arcanorum instituere, quæ quidem cogitantem magna me subit admiratio, præsertim cum & nonnulla legisse me recordor, in hunc sensum, verum sensum eorum assequi minus videbar, cum recondito ab aliis dicendi genere mystæ hujus artis uti soleant, hinc vanæ tot annorum & sumptuum laborumque immensorum profusiones, ut verè exclamare hic mihi liceat, dubiam plane, incertam ac fallacem spem esse, quæ huic arti addictos nutrit, præsertim cum nullibi verum effectum hujus videre liceat.

SENIOR.

At, verum hujus artis effectum, & finem ego tibi, amice, ostendam, quo certitudinem ejusdem, & ne possessorem ejus verum agnoscás, ut lapidi hoc dictum velim, hoc vero persuasum tibi habeas, me anà cum aliis huic studio addictis radicem hujus arboris veram optime cognitam habere, quæ tamen radix aliis omnibus ignota eo usque est, donec de arbore decidat, & ab aliis etiam ac vulgo cognoscatur. Ne vero tædio afficiaris, cum videris me prolixius solito de hisce differere, sic enim ratio hujus artis exigit, & primaria, præstantiaque præcedere debent, terrenis subsequentibus, ad quæstiones autem mihi à te propositas, inferius dilucidius respondebo, & vera me dixisse demonstrabo apertius.

ADOLPHUS.

Ante omnia verò causam mihi aperiri velim, quæ fiat, quod hujus artis cultores nullos sciamus, qui verum artis finem assecuti, transmutationem metallorum exacte calleant, è contrariò verò nullius pretii ferè apud omnes doctos hæc habeatur, cùm tamen meritò & hi ejus plenariam cognitionem callere debeant, præsertim cum hæc tanta cum utilitate & fructu sit conjuncta, licèt nullum uspiam locorum viderim, audiverimque, qui hujus beneficio decantatas illas Crœsi opes sit consecutus. Et quidem cum & tu hujus artis cognitionem tibi vindices, paupere vestitu & eremitaneo incedis. Ego verò si hujus præstantis adeo & auriferæ artis processum cognitum haberem, ingentes divitiarum thesauros, & mundi opes, dignitatemque comparrarem, quæ vel potentissimis mundi Regibus terrori essent, & æmulationi, tales enim hujus cultores aliis pollicentur: quæ tamen, circa hæc, tua sit sententia, audire percupio.

SENIOR.

Video tibi, vulgi hujus mundi, & insipientium omnium sententiam arridere, qui omni studio divitiarum solummodo marcessibiles thesauros & voluptatum illecebras quærunt, longè verò alia est Philosophorum mens, ac sententia, non enim Philosophi nomine talia ludicra sectantes digni sunt sed ii, qui ad mysteriorum divinorum cognitionem plenariam assequendam annituntur sedulò, omneque studium & laborem ad Deo Opt. Max. & proximo inserviendum conferunt, ostentationis titulo, ac ambitione terrenæque opum congestionis cura remota, licet & illis necessaria ad hanc vitam Deus misericorditer largiatur alia hujus seculi studia, alia mens in sola pecuniarum acquisitione laboriosa & opum dignitatisque ostentatione invidiosa occupata, quorum in odium Philosophi hujus artis mysteria abscondere solent, ne Nemroticæ familiæ hujus vim & oppressionem sentiant. Eadem ratio est, ob quam hæc secreta circulatoribus & præstigiatoribus concluſa permaneant, ex ejus namque prolatione magna cujusque ordinis hujus mundi confusio & perturbatio exoriretur, cùm tamen ordinum hæc distinctio summo consilio à Deo ipso instituta, & ad concordiam pacemque inter homines propagandam, necessaria maximè siet: Deus enim Opt. Max hanc ordinum & graduum inter terrigenas distinctionem ita disperſit, ut alteri alter inserviret, & concordiam ac pacem alterius procuraret, quousque à Deo rursus ab invicem separentur, quemadmodum Artis Alchymicæ cultor animam, corpus & spiritum abs se invicem segregat, & vicissim conjungit. Hæc autem Divina Dei Opt. Max. segregatio nulli hominum facienda est, nisi improbos coercendi præceptum acceperit è verbo ejus, quod solum est veritas illa unica & justitia: quicquid autem extra hoc est, blasphemia est abominatio coram Deo. Hinc enim magistratus Dei vicem gerens, potestatem planè divinam accepit: hinc & legis illa vindicta adversus eum, qui sanguinem humanum extra hoc præceptum effundit, nec enim apud Deum ullus est personarum respectus: separatio autem hæc divina attentius consideranda & summo in pretio habenda. Verum hæc extra cancellos dicta videntur magnum tamen emolumentum & utilitatem humano generi afferunt, ob eamque annectere placuit

Verum

Verum enimverò in libro Ezechielis Prophetæ mentio fit quatuor ventorum, qui oſſa demortua afflarunt, quæ ex illis carne circumdabantur, quin & ſpiritus, qui illa occupavit, mentio ibidem habetur, pari ratione etiam diſſipationis & reditus ventorum mentio fit crebrior, videmus etiam in agone mortis omnia in homine ab invicem ſegregari, quatuor enim tunc elementa, ſpiritus & anima, quæ ſpiritus nomine inſigniuntur, ſegregantur, & ab invicem diſcedunt, horum loco elementaris illa aqua & terra copulantur, & alius etiam aër ac ignis condenſantur. Sideralis ſpiritus vitæ, internus & inviſibilis homo ad ſidera tendit, & ſuprà elementa elevatur, anima in ſinum Abrahæ tendit juxta Dei promiſſiones, & ſub altari quieſcit, uſque ad conſummationem & conjunctionem, donec ſcilicet numerus & tempus hujus mundi, terrenæ matris noſtræ, & cœli naturæ parentis compleatur: quin etiam videmus, quomodo terra quotidianos nobis cibos ſuppeditet, in iis latet ſpiritus elementorum, tanquam nutrimentum, ut & cœleſtis eſſentia. Pari ratione etiam nutrimentum aquæ & ignis habemus, quo temperamentum conſervemus, in corpore terreno, quod ſpiritualem etiam ignem & aquam continet, ad confortandum interiorem ſpiritum. Quemadmodum enim terra hæc ambo in ſe habet, eodem modo & cœlum, quod quinta eſſentia dicitur, hoc enim longè nobilius eſt Elementis, & ſpiritus nutrimentum, prout Verbum Dei, cibus eſt animarum, & corporeum factum eſt, ut corpus, animam & ſpiritum cœleſti beatitudine donaret, quamvis cibus nutrimentum corporeum non ſit, ſed vinculum & ſigillum apochæ & libri vitæ, in teſtimonium veritatis, propter exiguam fidem & cognitionem numinis divini imbecillem, cùm Deus naturalia & ſpiritualia ſummo amore proſequatur, & velit creaturam ſuam omnem in homine eſſe, & in comjunctione Chriſti, quo lapſi releventur. Quemadmodum verò Verbum Dei principium eſt omnium rerum, pari ratione etiam eſt principium imaginis Dei, ex auditu namque Verbi Dei, flos ille Spiritus Sancti fides oritur, & ex ſemine illius floris exoritur arbor bonorum operum, quamvis opera bona ſalutem æternam non mereantur, ſed ſola fides in Verbo Dei, ante faciem noſtram ſtultro & impoſſibili exiſtente. Hoc verbum amor eſt ille magneticus, per quem nos cum piis omnibus ad ſe trahit, & à nemine ſeparari poteſt. Eodem modo & ſiderali magneticus eſt amor, & natura illa terrena, quæ omnia exactiori trutina conſideranda ſunt & penſitanda, prout & illud exagitandum, in cognitione naturæ, quod internus homo in natura efficiat, qui inviſibilis eſt & cœleſtis, anima autem eſt ſupernaturalis & ſupercœleſtis, de quibus omnibus nihil aliud ſcimus, niſi quod à Deo nobis revelatum eſt. Natura verò naturales illos ſpiritus proponit, licet ſummi ſint, & abdita conſideratione egeant, corporalis autem homo ſpiritualia non intelligit, niſi per Regem Spirituum, Spiritum illum Sanctum, Spiritum veritatis illi revelatum fuerit, per hunc omnes artes, ſapientia & ſcientia ponderatur, hic ſpiritus ſupercœleſtem ignem amoris & magneticum ſpiritum ſapientiæ in Chriſtianis excitat, & accendit, & aqua nos abluit & candidos reddit, ut pœnitentiam agamus pro peccatis noſtris, & reatibus noſtris quotidie moriamur, hinc crebra illa mentio aquæ & ignis, ſanguinis & aquæ ſpiritus, hic eſt, qui vitam dat, peccatum enim noſtrum ſanguinei coloris, peccati autem merces mors atra, crux & afflictio, piorum verò ſtola candida & corona gloriæ. Hæc prolixius dicta in præſentiarum ſufficiant: ad quæſtionum à te propoſitarum enodationem deſcendamus, quarum & explicationem tibi ordine pandam, & reipſa artis hujus certitudinem demonſtrabo, ita ut fides tua inpoſterum oculata reddatur. Ad alterum autem objectum quod attinet, doctos pleroſque hujus ſcientiæ exiguam cognitionem habere, ſcias hoc ſingulari Dei voluntate, & ob certam utilitatem fieri, Deus enim ſuperbiam omnem & ambitionem reprobat, & humilibus ac pauperibus, non autem magnatibus & filiis hujus mundi theſaurum hunc largitur, quem homo juxta præceptum Domini fœnori locare tenetur, ad honorem & gloriam Dei extollendam, & pauperum inopiam ſublevandam, ne ſcilicet inerti otio torpeſcentes vitæ munia derelinquamus, ſed juxta Dei voluntatem & beneplacitum opera vocationis noſtræ obeamus. Quod ſi verò hic theſaurus omnibus tribueretur, quæ quæſo confuſio & diſcordia inter mortales exoriretur: nec video, qua ratione dictum illud Syracidæ, mi fili, ſi Deo inſervire & placere vis, præpara te ad diem afflictionum, verificari poſſet? quod quidem dictum de paupertate, inopia, & imbecillitate humana loquitur, ut ex teipſo conjicere facile poteris. Nec etiam hominibus conceditur, theſauro hoc pro animi libitu utendi fruendi, malitioſa enim hominis natura & depravata. Hoc igitur arcanum nemini revelato, nec ſuperbiæ, avaritiæ, & ambitioni manus dato. Dei enim honor eſt & gloria ſola, ſic enim ſi fortuna favet, caveto tolli, ſi fortuna tonat, caveto mergi, Deus enim utriuſque fortunæ arbiter, pro ſua voluntate utramque moderatur, non enim minor virtus eſt ante adeptam ſcientiam, omni ſtudio eam venari, quam poſt illam adeptam ſilentio eandem tegere: verum ſi alio modo, quam revera ſese habet, revelaveris, ars illa ſumma artis nomen & dignitatem amittit. Hinc è Philoſophis quidam inquit: Hoc opus præ omnium oculis abſcondito, tanquam verbum in lingua tua, & ignem in oculis tuis, imo de hoc tecum ipſum ne differas, ne ventus verba tua ad alium perferat, quod quidem ad tui incommodum poſtea redundabit, de hiſce ego te fideliter prämonui, tuum eſt cavere ſedulo, ne corpore & animo pœnas luas. Magnus verò eſt abuſus præſtantiſſimorum horum Dei donorum, quæ ex mera gratia & liberalitate Deus nobis largitur, ſumma etiam ignominia conculcantur & abjiciuntur Philoſophica hæc dona, & ſententiæ, quæ ab ignorantibus peſſimè conſpurcari ſolent, ob quam ignorantiam etiam lucem hanc videre non potuerunt. Avaritiæ autem & luxuriæ crimen adeò prorſus in filiis hujus ſæculi inolevit, ut & domeſticis eorum fide lubrica & juſtitiæ fontes, juraque omnia ſubvertantur, hujuſce rei exemplum quod oculis hiſce meis videre mihi licuit, enarrare placet. Habitabat in urbe quadam vir prædives & opum divitiis apprimè affluens, plurimorum filiorum parens, avarus, parcus, & in proprium corpus ob avaritiam injurius, ingentes filiis theſauros congerebat, qui in omni rerum affluentia per matrem educati, opum fiducia paternarum luxuria & otio torpeſcentes, ſceleribus diffluentes, cum vitiorum progreſſu etiam ætatis incrementum capiebant. Cùm verò pater ex hoc vitæ diverſorio diſceſſiſſet, bona illa paterna indies abligurientes, vitiis & ſceleribus immerſi, opum & divitiarum incrementum (ut prius factum fuerat) ſtulti expectabant. Verum fruſtra, ſed rei familiaris & opum decrementum indies ſentientes,

sentientes, ad extremam pauperiem redacti etiam a maximis sceleribus perpetrandis non abstinebant, ignominiæ & dedecori per omnem vitam expositi. Hæc autem omnia ex perversa educandi instituendique liberos ratione provenerunt, prius enim morum & scientiarum cognitione instituendi fuerant. Dei namque voluntas est, ut distincti sint ordines & gradus hominum, & alteri alter inserviat: omnes etiam homines in vocatione sua & ordine servi sunt, & mercenarii. Dominus enim & Servator noster aliis itidem opera servilia præstitit, & discipulorum pedes abluit, honor autem in aliis minor, in aliis major est, & summus, prout dona quoque sunt, & benedictio, hinc illa norma ab ipso patrefamilias Deo Opt. Max. præscripta, quomodo servieris in vocatione tua, eo etiam mercedem tibi numerabo. Deus verò unica die dispensat ingentes adeo divitiarum thesauros ut & opulentissimorum Regnorum divitias longè exuperent, nec tamen ullus inopiæ futuræ apud eum metus, quinimo, quo plus dederit, & pluribus abundat, & hinc Deus ante alia omnia & super omnia amandus & diligendus est amore summo. De opibus verò humanis plerunq; hoc contingere videmus, quod avarum congerentem Euclionem liberalis subsequatur dispensator, juxta doctiorum illud: Opes cornua pauperi addunt, & in extremam sæpius præcipitant possessorem pernicieim, ac sempiternos Gehennæ cruciatus. Si enim divitiis & opibus hujus mundi quis abundaverit, veræ valetudinis & cœlestis pacis seriam cogitationem, curamque haud facilè suscipit, nec egentes liberalitate sublevare studet, omnem contra diligentiam & studium acquirendis magnarum opum acervis consecrat, Dei interim & pietatis omnis oblitus, summo igitur cum periculo juvenes in hisce illecebris versantur, etsi prudentia ætatis defectum interdum suppleat, pii autem calicem afflictionum bibere coguntur, improbis ad æternos Gehennæ cruciatus reservatis. Verum hæc omnia filiis hujus sæculi ludibrio sunt & risui, qui liberos suos præpotentibus familiis & opibus inserere satagunt, non attento conscientiæ morsu, qui serio dictitat sapientiam divinam primum omnium quærendam esse, sine qua nihil unquam in hoc mundi theatro consistit, hinc ille conscientiæ vermis, variis tentationum telis corda miserorum in agone mortis arrodens: non enim homines animæ salutem in humilitate vera quærere solent.

ADOLPHUS.

Aliena planè à scopo & diversa adducere videris, licet nonnulla & in me dicta esse sentiam, verùm sedulò reliqua attexe, attentus ipsum finem expecto, interim tamen hic scrupulus animum meum mordet, qui fiat, quod ars hæc & mysteria Philosophorum non etiam aliis revelentur, & innotescant, cùm videamus artes alias omnes plerunque vulgò innotescere, & hoc quidem nonnunquam maximam dubitationem diligentius consideranti movet.

SENIOR.

Ante hæc ex me audivisti, omnibus hujus artis cultoribus silentium imponi, & occultationem hujus scientiæ, propter tyrannorum hujus mundi, scortatorum, superborum, usurariorum, luxuriosorum & aliorum scelestorum potentiam, & flagitia. Omnes enim Philosophi veram cognitionem scientiæ hujus summa arte abscondunt, nonnulli verò qui ejus possessionem adepti, malè in ejus administratione versati sunt, amiserunt usum ejus & commoda, quibusdam etiam, immatura morte, ut & violenta ab aliis illata, abreptis. Auditor enim & possessor hujus artis humilis, pius, taciturnus & probus sit oportet. Si igitur & tibi Deus ejus scientiam & possessionem largitus fuerit, eodem modo te geras, nec alii divendas, sed assidua diligentia ulteriori cognitioni & operibus vocationis tuæ sedulò incumbas, proximo etiam quin & inimico beneficentiam exhibeas, ad hoc enim norma Christianæ religionis nos obligat: hostibus autem fidei summis viribus resistendum, & in hoc sedulo annitendum, ut & alii in Dei laudem accincti, misericordiam ejus nobiscum decantent: propter ingratitudinem verò multa abscondita latent, ignorantia enim damna plurima parit, scientia contra bona adauget, & est radius ille lucis. Plurimi autem inveniuntur qui artem hanc investigare conantur, sed nec taciturnitati nec aliis virtutibus ad ea assequenda necessariis studeut, in eundem cum Phaethonte illo Ovidiano, currus Solis paternos regere nescient, interitum incidunt, summa quinetiam cura thesaurus hic est custodiendus, & asservandus. Quod si homo vel parabolas solum & mysteria consideraverit, abundè sibi satisfactum putet, cùm videat in natura sigillum & imaginem bonitatis divinæ esse impressam: Natura enim omnia accuratè perficit & quidem perfectius, quam ipse homo, qui tamen nobilissima est creatura, & proximior Deo, rationalis & dilecta creatori, unde patet præstantia hominis respectu aliarum creaturarum, quam ob causam etiam præcepta & vitam æternam eidem Deus Optimus Maximus proposuit.

ADOLPHUS.

Fateor equidem quamplurima hic consideranda esse, breviuscule autem tuam de parabolis sententiam expecto, præsertim cùm eas attendendas esse sæpius dixeris.

SENIOR.

Imo ante omnia aliæ hæ sunt considerandæ, & hinc prolixam adeo earum mentionem feci, quod cætera ferè cuncta præterierim, infinita enim ferè sunt, non tamen necessaria: qui enim opus ipsum novit, per se cognoscit ansam hæresibus non esse præbendam, conantur enim nasutuli sub sacro Bibliorum nomine plebeculæ hæc nonnunquam venditare, quæ obviis ulnis ea accipere solet, impium etiam & blasphemum opus aliud divino comparare numini, Verbum namque Dei scala est Jacobi, & Christus Mediator & norma solus est, ad quem omnia in libro vitæ diriguntur. Pari ratione in opere nostro naturæ, videmus vitam & mortem, & resurrectionem, creationem item orbis universi, numeros, mensuram & pondus, incrementum, vires & efficaciam stellarum & elementorum, inprimis verò Solis & Lunæ, per Solem enim juxta beneplacitum & ordinationem divinam descendit, eamque ob causam Soli comparatur, & ejus nomine appellatur, quemadmodum enim superius, ita & inferius, quo miracula perficiuntur, est etiam masculus & fœmina & servus totus orbis, universi opes & divitias in se continens, sol purpureus, & rubicundus, aureus. In hisce duo sunt notanda, ut de uno & duobus, Deus enim Opt. Max. ex nihilo aliquid creavit, illud aliquid verò fiebat unum aliquod, in quo omnia, creaturæ cœlestes & terrestres, dixit enim

Deus: fiat, & erat. Cum verò cuncta verbo suo creata essent, & ante eum erat universa natura, & a re separata erat, ac bona, in essentia sua ante Deum erat, & beneplacitum erat Deo, in eo, erat enim valde bonum, verum aliquid ex eo cito perierat, & non perduraverat usque ad tempus magni illius mundi, præter hoc igitur & aliud requirebatur, per unum enim perdurare non poterat, prout initio conditum fuerat propter imbecilliorem creaturam, quam Deus pariter volebat, & dicebat, crescite & multiplicamini, tunc enim multiplicabatur in tantum, ut nihil interiret, usque ad magnum sæculum finis mundi, hæc enim erat benedictio Domini, quam homini verbo suo impertit, & omnia ad finem usque obedientia summa perficiuntur, & Spiritu Sancto reguntur, idem etiam est in Adamo & Eva, masculo & fœmina. Observandum hic, qua ratione per Unum creatio, per alterum augmentum, multiplicatio & conservatio, & per tertium administratio perficiatur, tanquam per spiritum, hæc enim exactiori trutina examinanda sunt. Laus & honor Deo Trinuno Postremo, Deus homini quoque ad essentiam citò præceptum & prohibitionem adjungebat, & omnia ei subjiciebat, absque omni defectu, & potestatem dabat de omnibus fructibus Paradisi comedendi, præter unicam illam arborem scientiæ boni & mali, cujus fructu interdictum ei fuerat, & quidem forsan ob dæmonis malitiam, cujus voluntati tandem tamen ex inobedientia subjiciebatur, bonum enim solum est cognoscendum, & malum fugiendum, quo & hosti via præparetur: Deus namq; solus est Dominus qui cuncta administrat, creaturæ verò omnes ei subjectæ: præceptum peccatum introduxit, cum ne no id observaret, ex instinctu scil. dæmonis & proprii arbitrii, hoc enim erat peccatum primum, blasphemum & idololatricum, scientiam omnem ignorantiæ tenebris involvens, quin imo in cognitionem & scientiam mali convertens, usque in hodiernum diem, in vitia omnia & flagitia, & artes dæmonum, quibus in sacro baptismatis fonte renunciamus, in regeneratione scilicet & renovatione vitæ nostræ, in Adamo novo, utpote ligno vitæ, quod parentibus nostris ablatum, in terrestri paradiso vitæ terrestris, repromissum tamen in semine mulieris Christo qui est arbor vitæ & spiritualis ac corporalis, quo non tantum anima, sed & corpus vitam acciperet. Quemadmodum enim Adam ex Paradiso ejectus, in mundum hortum tenebrarum & afflictionum ac mortificationem sanguinis & carnis mittebatur, eadem etiam ratione, si manna, hoc est, panem cœlestem, Verbum Dei audiverimus, & juxta præcepta ejus actiones vitæ nostræ instituerimus, & verbum quod caro factum est, credentes participaverimus, per illud vitam resumemus, & ex domo ignorantiæ in cœlestem paradisum transferemur, & sicut mors Adamum rapiebat, ita nos invita etiam libertati sistere cogitur per solum Verbum Dei, Christum, in quo omnia sunt, in veteri enim Adamo morimur, in altero autem & novo resurgimus, prout nos ille præcedit, quapropter arbor est vitæ, de qua comedere debemus in domo hac afflictionum exultantes. Quemadmodum vero primo Adamo certo genere fructus Paradisi interdictum erat, ita pari ratione, normam, præceptum ac viam nullam aliam excogitemus, neque ad dextram, neq; ad sinistram, præter verbum Dei, in libro vitæ comprehensum, quod septem sigillis occlusum, Christus aperuit. Sin verò præter hoc alia & majora cognoscere desideramus, & de fructu arboris scientiæ boni & mali comedere, duobus inservire velle Dominis dicemur, hoc est, Deo & Diabolo, amplectentes mendacium pro veritate, & veritatem tanquam mendacium reprobantes, reportabimus quinetiam mercedem condignam nostris operibus? Et inprimis nostris parentibus factum est ut detruderentur è conspectu Dei vivi, Deus enim non est homini similis, sed homines ad imaginem ejus sunt conditi, ut præceptis ejus obediant, nec illis detrahant, addantve: cum sapientia & scientia, quæ in cibum nobis concessæ sunt, è verbo Dei, de quo homo vivit, & in libro vitæ horto spirituali decerptæ, nobis proponantur, ex hoc enim omne bonum, & per verbum omnia condita sunt, quæcunq; oculis & manibus comprehendere licet, ex invisibili enim visibile factum est, ita etiam ex auditu Verbi Dei fides ortum capit, ex fide bona opera, hoc est, ex invisibili, visibile, & ex verbo Christianus generatur. Hæc autem ita sese habent, ut homo pari ratione agat & operetur, non verò otiosas & manes quæstiunculas, de omnipotentia divina fectetur, hæc enim Dei est ordinatio & omnipotentia, qui consimile etiam exemplum homini præbuit. Thomas verò ille incredulus assequi illud non poterat, cum tantummodo humanam naturam & scientiam ad cœlum elementare inferius agnosceret, & inprimis quę interiora sunt, ut aqua & terra, quæ tamen receptacula sunt & carceres mortis, hæc autem est Philosophia illa à Paulo reprobata, in qua nulla perfectio, sola autem Philosophia illa cœlestis per fidem, charitatem & spem consummatur. Hoc loco illud notandum, quemadmodum per verbum Dei omnia conservantur, & nos fidem habere oportet verbo quod ex ore Dei progreditur: ita etiam Christus Patri hunc honorem tribuit, quod absque fide nihil acquiratur, verum major hominum pars non credit ea quæ non vident, nec considerant Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum S. oculis nostris peccato obnoxii videri non posse, prout etiam homines radios vultus ejus qui omnem Solis splendorem longè excedit, cùm in visibili forma adhuc inter eos versaretur, videre ob naturæ peccatricis defectum non potuerunt, quamvis ipse Christus etiam hodie corporaliter nobis adhuc adsit, & sit ad dextrum Dei, hoc est, in sacrosancta illa puritate & Deitate, prout omnem etiam voluntatem Patris adimplevit, & omnia ex abysso in summum usque, in carne & spiritu peragravit, & adhuc omnia in omnibus complet. Quis verò hominum qui summam illam altitudinem & sapientiam Dei perveștigare queat? scimus enim cœlum esse sedem illius, & terram scabellum pedum ejus. Non igitur de cœlestibus illis inquirere possumus nec cognoscere, nisi quæ in verbo Dei nobis traduntur, quæ D. Palus vidit, & enunciare non valuit, sed verbum cœlestem illum panem, tanquam sigillum nobis transmissum, in quo animarum nostrarum salus consistit, nempe Dei voluntas, vera arbor vitæ, ut sanguinem ejus bibamus, & comedamus carnem ejus, firmiterque credamus, sese hæc ita omninò habere, si verba institutionis recitentur. Ita etiam natura perfecta in speculo unico multa miracula ostentat, quæ breviusculè hic attigisse sufficiat, cum Sacræ Scripturæ hæc concessa, ab ea satis revelentur, talis autem Dei voluntate subnixus, omnia videt & cognita habet prout etiam quidam è sanioribus Ethnicis cognoverunt.

ADOLPHUS.

Eo prolixo adeo sermone tuo deduxisti, ut vel majoris partis oblivio me ceperit, verum ex te hoc audire desidero, an non hocce opus naturæ spiritum in se habeat, qui mutationem introducit, cùm

cum videam te secundi numeri mentionem fecisse, qui multiplicetur, ad hoc enim vitalis spiritus requiritur.

SENIOR.

Vere vitalis spiritus mineralis huic inest, qui cursum suum in eo consummat, postquam ab artifice præparatur juxta dignitatem suam. Deus enim hominem ex mera bonitate dominum ejus constituit, ut ex eo aliud quid, novum nempe mundum, formaret, per vim ignis, juxta ordinationem & præceptum à Deo traditum, præter hoc enim homo nihil omnino efficiet, & omnino requiritur ut hæc omnia in timore Domini, honesto proposito & pura conscientia peragantur. Quod si ergo quidam è fece hominum artis hujus finem non assequatur, nemini scandalo sit, quin etiam licet hominibus præ oculis versetur, & ad alios plerunque fines adhibeatur, paucissimi tamen verum usum ejus ignorant, nescientes præclarum hunc thesaurum tenebris illis obnubilatum: hinc plerunque aurum hoc purissimum densa caligine & ærugine septum cœno & sordibus immersum derelinquitur, quæ omnia recto naturæ ordine sic fiunt. Verum Philosophi saniores audito solum Mercurii nomine agnoscunt hunc thesaurum & præ oculis habent, licet invisibilis siet & spiritualis, est nihilominus materialis, & virgo castissima, quæ virum non cognovit, substantia fragilis, hinc nomen ejus lac virgineum, mel montanum, terrestre lac, urina infantum, & similia: in his enim omnibus quæliverunt hactenus artifices, sed non invenerunt, ex metallica enim materia, & optima quidem præparatur.

ADOLPHUS.

Annon igitur aurum hoc est, cum hoc nobilius adeo sit metallum, video enim te jamdudum hoc innuisse.

SENIOR.

Minime omnium, sed alia etiam prius tibi cognoscenda sunt ex me, avidius enim adhuc terrestris auri thesauris inhias, verum nondum satis hæc percepisti, & quidem literis consignatum ultimum & præcipuum hujus artis mysterium tibi tradam, quamvis verò etiam in præsenti sermone meo dubia quædam inesse videantur, non tamen necessarium erit, ea dilucidius explicare. Non verò thesaurus hic aurum est illud mundanum, ut nec argentum, mercurius, sol, antimonium, nitrum, sulphur, nec simile horum quid, sed est spiritus auri, & mercurius, qui à Philosophis prima & secunda materia vocatur, peculiaris ac singulis naturæ & proprietatis, nullam ignis vim expertum, aurum obryzum orientale, omnium præstantissimum, altero illo auro mollius, & fusum, verus ille mercurius auri, & antimonium, ex corporibus qualitates suas attrahens, si liquidum fuerit. Præparatio hujus nihil aliud est, quam ut purè abluatur, & mundetur, aqua & igne, prout etiam alia pleraque eodem modo præparantur, ut Deo & hominibus complaceant: Sublimatio igitur illa, distillatio, separatio, digestio, purificatio, & coagulatio, cum fixatione exactè cognoscenda, & ovum illud naturæ à quamplurimis ab ipso exordio quæsitum, diligentius inquirendum, de hoc plurimorum monumenta extant, inter alia quoque comitis Bernhardi, & aliorum, quæ tibi quoque sub calcem nostri sermonis ostendam, & parabolas multas iis adjungam.

ADOLPHUS.

Cùm videam artis hujus usum multo sudore comparandum possessionemque ejus cum periculo conjunctam, omninoque etiam subeunda vocationis munia, gaudium illud quod prius ceperam, remissius aliquanto factum, & vana spe me delusum video.

SENIOR.

Hoc tibi è tripode dictum putato, laborandum strenue esse & beneficentiæ munera erga pauperes exercenda, non tamen pauperes quosvis, sed illos, qui verè pauperes sunt, curam etiam pupillorum & viduarum ad Divini Nominis gloriam & honorem suscipiendam. Honor autem Deo proprius nemini alii tribuatur, tum & consolationes è Verbo Divino petantur, Verbum enim Dei naturam longo ordine præcedit, & servus dominum subsequitur, paterque matrem dignitate antecellit: omnino autem ita agendum, ac si de hoc nobis nil prorsus constaret, sed labori vocationis sedulo inhiandum, ad proximi utilitatem & Reip. emolumentum procurandam, & ignorantiæ mala profligandam, sine intermissione enim & ratio & corpus bonum operari debent (otium namque pulvinar est Satanæ, & gravi sub pœna prohibitum, ex hoc enim scelera alia omnia, luxuria, avaritia, homicidia, mendacia, impostura, ac fraudes,) in hoc imitantes naturam ipsam, nostrum autem opus nullo unquam tempore otiatur, & sine intermissione operatur, omnibus diebus & horis, donec sextum tempus hebdomadarum ejus compleatur, & sabbathum ejus appropinquet, tunc enim requiescit & honorat dominum suum, hominem, cui juxta Dei ordinationem inservire debet, obtemperans præceptis ejus; pari ratione etiam homines absque ulla intermissione laborare & operari debent, donec in æternum Dei regnum ingrediamur, verum hæc omnia repugnante quasi natura fiunt, & moleste ferimus, cùm audimus assiduo labore victum quærendum esse, donec in terram revertamur, ex qua conditi sumus, cùm otium & dominandi libido omnibus ex æquo arrideat, pari ratione etiam in orationibus & deprecationibus segnes sumus, licet omnia precibus à Deo impetranda & flagitanda sint, alios ut mendicantes contemnimus, exiguo & ipsi censu sublevati, avari interim existentes, etiam inimicis ad benefaciendum obligati, quin & alia innumera flagitia inter nos regnum possident, ut sunt, ira, avaritia, odium, inimicitiæ, mutua diffidentia, propter hæc enim præstantissimum hoc bonum à nobis aufertur, ut & scientia illa præclara medicinæ, quæ in hoc latet, doctoribus aliis medicis incognita, nec enim hic thesaurus in scholis medicorum traditur, sed absconditus præ oculis illorum remanet, eodem modo quo & Pharisæos internus spiritus Sacræ Scripturæ latebat, qui erat verus ille Messias, & medicina animæ, quamvis in medio eorum versaretur, hinc etiam patri illegratias agit, quod thesaurum hunc sapientibus hujus mundi præcluserit, & insipientibus ac stultis eum revelarit: Eodem etiam modo de hac nostra naturali medicina dicitur, voluntatem Dei præcedere debere, quæ ardenti precatione efflagitetur, prout in omnibus etiam aliis rebus mundanis hæc divina voluntas prædisponit omnia: hinc patet vanitas illorum medicamentorum simplicium, & syruporum, qui ab unguentariis vulgo, maxima cum

jactura famæ & existimationis medicorum, ac dispendio ægrotorum, quinimò eorum certissima pernicie ac interitu propinantur, & sumptus illi ab ægrotantibus facti in superbiæ & luxuriæ alimoniam convertuntur, prout nuperrime quidam homo rusticus querebatur, se ea arte delusum, universæ propè substantiæ ac familiæ jacturam fecisse, nisi propere quidam exiguæ fortunæ homo ei auxilium tulisset. Sic enim plerisque fere eam tantum curam esse videmus, ut famæ & nominis celebritate donati majorum gentium diis assideant, interim curam illam & diligentiam, qua proximi emolumentum & particularia illa studia sublevantur, imò & ipsa universalis illius cognitio acquiritur, prorsus negligunt. Summo itaque studio omnibus in id incumbendum est, quo bonum à malo separent, hoc est, virtutem & fructus arboris bonæ cum radice triplici, mansuetudine, modestia & patientia cognoscant, pari ratione etiam fidem, charitatem, & spem animæ fructus, excolant, ut sciamus quid veritas & justitia eaque tam animæ, quam corporis sit, hoc est, boni cœlestis & corporei: hoc vero ut facilius assequamur, scientia Theologica & Juridica nobis à Deo tradita est, in his enim puritas & sanctimonia naturæ consistit, virtus enim, opera vocationis & justitia singularis est sapientia, lumen & Philosophia, juxta quam Salomon homines alios omnes longè præcellebat. Verùm Deus ipse unicuique opera vocationis suæ assignavit, mandavitque unicuique nostrum, ut in vocatione sua ac munere vitæ juxta normam verbi divini, prudenter, piè & justè actiones suas institueret, tanquam servus Dei, & rationem de omnibus redditurus ante tribunal Judicis omnium gentium, coram quo omnia hominum facta revelabuntur. A Deo autem omne bonum descendit, pariter etiam ab eo sapiens & dives, pauper & insipiens, venustus ac debilis: qui autem pauperem & imbecillem contemnit, spernit illum, à quo est creatus. bonum enim omne à Deo, ex Diabolo autem mala descenderunt, tanquam fonte & origine omnis mali. Singulari autem consilio Dei malum etiam in hac vita tyrannidem agit & piis molestiam exhibet, licet Dæmon ex mera malitia ad detrimentum & interitum hominum dirigere illud conetur, omne enim malum Deo & piis in bonum servit, quin & ipse dæmon invitus gloriæ divinæ inservire cogitur. Solum autem peccatum nostrum in causa est, quod malum bono in hac vita commisceatur, sustentante interim nos benignitate & misericordia divina. Eum in finem etiam præcepta Decalogi nobis tradita sunt à Deo, ut malum à bono separaremus ad evitandum æternæ damnationis dispendium. Verum quæ sit mundi facies & studia, quivis facile videt, & avari illi prædones Christi nomen in sacro Baptismatis fonte professi, Judæorum perfidiam & rapacitatem immodicis usurarum exactionibus imitantur, cùm illi diviuæ voluntati morem se gessisse improbè putant, dum Ethnicorum & exterorum (quo nomine Christianos appellitare solent,) bona rapuerint, licet æternas pœnas salvator iis comminetur, qui proximum usuris & exactionibus lædentes, eorum bona abligurunt, ut ex illis, qui crapulæ & luxuriæ nomina dantes pupillorum & viduarum bona intercipiunt. hæc vero duo genera hominum avarorum & luxuriantium conjungenda sunt & pari calculo censenda. Vita verò locupletum illorum Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi & Jobi pretiosa, & justa, modestiæ & obedientiæ erga Deum plena. Dei enim cultum omnibus aliis creaturis præponebant, & in puritate vitæ & justitia ambulantes, ardentes & efficaces preces ad Dominum fundebant. Quemadmodum vero in veteri testamento apud plerosque magnæ erant divitiæ, sed magno constantiæ vinculo conjunctæ: ita in novo inopia plurimos premit Christi cultores, requiritur tamen consimilis constantia, timor & amor erga Deum. Ex hisce omnibus satis copiosè te intellexisse puto, causa quæ sit, ob quam mysteriem hoc abscenditum adeo & arcanum hactenus præ oculis multorum fuerit, cum dæmon facili negotio viam aliam aberrantem à recta via demonstrare possit, per vanas hujus mundi voluptates, hic enim in cognitionem omnis mali nos seducit, perversus namque & sceleratus sapientissimum omnium, primum nostrum parentem Adamum seduxit: quinimò per hujus astutiam omnes sancti in deteriora lapsi, & hoc propter peccatum nostrum, ex quo ira Dei in nos effusa est, & omnia summo labore, cura, ac solicitudine mortalibus venduntur, hic enim calix ille crucis ad usque sabbathum illud magnum & requiem futuro seculo æternam, in qua cum Christo Salvatore de fructu vitis bibemus, ubi specie alia prorsus ab hac induti ad eum, pariter ad nos properantem, transmigraturi sumus, ad quam felicitatem quamprimùm nos perducat Deus ter Opt. Max per Mediatorem nostrum, & Spiritum Sanctum, cui fœdere filiationis conjuncti sumus, cui obedientiam promissam præstare tenemur, in sectando bona & profligando mala opera, ut offeramus ei novos Israelitas, spiritum contritum, & vota Deo facta reddentem. In his Spiritus Dei operatur per fidem, charitatem & spem, quemadmodum etiam ardens illud desiderium & consuetudo, in natura multa perficit, quæ incredibilia videntur. Pauci namque hominum patienter in cognitione Dei adipiscenda tædia illa devorant, sed plerique terrestria bona & caduca sectantur, innixi voluptatibus, ambitioni & potentiæ mundanæ, hinc Christus regnum suum à mundo separat, & mundanarum rerum curam ab se rejicit, licet rerum omnium, sapientiæque ac scientiæ cognitio, fons & origo ipsa siet, hisce tamen neglectis, regnum sapientiæ divinæ annunciavit, quod ante omnia à nobis quærendum esse, & ipse statuo: verum quæ tua circa hoc sit sententia, audire desidero.

ADOLPHUS.

Fateri equidem vel ipsa veritas me cogit, hæc omnia ita se habere, licet opinioni longè diversæ jamdudum calculum addiderim. Et quidem sententia illa mea cum filiorum hujus lucis opinione ad amussim convenit, sed cum aliena prorsus ab hac ex te audiam, mutanda illa foret. Prorsus itaque & mihi indubitatum videtur, mysterium hoc & arcanum non omnibus communicari & revelari posse, præsertim cum & in aliis omnibus artibus tam iis ad quas nos natura provocat, quam quas magistro duce cognoscimus, idem prorsus obtinere videam, ad harum enim cognitionem assequendam gratia divina, industria, diligentia & ardens studium maximo cum labore conjunctum requiritur, prout etiam in aliis omnibus vitæ muniis hæc necessario desiderantur. Me vero quod attinet, equidem & ego voluptuariam hanc vitam complectendo, ardelionum, gnathonum, helluonum, & fallonorum consortia haud gravate ferrem (cum & aliis quibusdam magnam fœlicitatem absque labore obtigisse videam) & thesauri hujus usum ad potentiam & ambitionem, magnasque opes acquirendas, conferrem.

SENIOR.

SENIOR.

Quin tu regibus & principibus hujus mundi datam esse potestatem, nescis? ut loco Dei Opt. Max. militiam hominum reprimant, justitiam, veritatem & pietatem & obedientiam colant, propagent, quò omnia in hoc vitæ statu decenter & ordine bono fiant. Quemadmodum autem magistratus politicus gladio seculari sceleratos punire solet, ita etiam spirituales illi patres & magistratus ecclesiastici gladio spiritus, & Verbi Dei ac mandatorum ejus, vitam populi Christiani regunt, & post vulnera, legis maledictione illata, oleo justitiæ inungunt & sanant, nisi ipsi prævaricatores sanitatem & curam vulnerum respuant, non tamen hæc conscientiæ vulnera gladio temporali ab Ecclesiasticis sananda sunt, prout etiam videmus, Aaronem, Moysen & Josuam distincta habuisse officia, donec in terram promissionis ingressi erant, & subditis etiam mandatum est, quod obedientiam & honorem exhibeant Magistratui à Deo ordinato, ne ambitione inflati se ipsos officiis magistratus ingerant, & dignitatum munia munere, dolo, potentiave præripiant, nisi ad hoc legitimè vocentur, qui enim semetipsum aliis præposuerit, humiliabitur, cum ex ambitione & superbia hoc proveniat, cui Deus summopere resistit, superbia enim præ omnibus execranda est idololatria, cùm Deus solus sit summus, & potens, omnesq; ordines & gradus secularis potestatis juxta suam ipsius voluntatem & beneplacitum instituat & gubernet, omnia in lumine & tenebris perspiciens, creator & author omnis ordinis justitiæ & creaturarum, prohibens arbores & montes cœli fastigiis immiscerì, bestias rapaces coercens, gigantum & tyrannorum vim & crudelitatem reprimens: omnibus enim qui Deo resistunt, & dilectis ejus adversantur, bona in malum & venenum cedunt, iis licet Sol communis oriatur, Deo turrim potentiæ illorum ventorum turbine mirabiliter prosternente, cujus rei quotidiana exempla testimonium præbent. Præter hos reperiuntur quidam, qui mediocrium & minorum gentium artium scientia aliqualiter imbuti magnos spiritus ducunt, Dei Opt. Max. potentiæ vim elevantes, & vitam Epicuream viventes. Ab hisce summopere cavendum, præsertim cum natura ad malum propensi simus, licet ignoremus quomodo per Verbum Dei mundus conditus sit, exque eo verbo spiritus procedens, ac imago Dei, quod Moyses à tergo in rupe videbat, lateat, non enim Christus eo tempore oculis corporeis videri poterat.

ADOLPHUS.

Longius ab instituto ad spiritualium quæstionum enodationem digredieris, cujus descriptionem & cognitionem avidus hactenus expecto, quamvis nonnulla ex te audire visus sim mihi, quæ antehac diligentiori trutina examinanda esse, non animadvertebam.

SENIOR.

Divinorum pariter & humanorum bonorum cognitio pari passu quærenda est, cum externa illa bona ad temporalem felicitatem saltem aditum præbeant, sitque Dei immutabilis voluntas, ut nocte dieque legem ejus meditemur, ex hac enim animæ salus exoritur, homoque cognoscit, omnia precibus ab eo bonorum fonte efflagitanda, terrenorum curam abjiciendam, & dona nobis collata in humilitate & modestia custodienda esse, in hoc enim dæmonis maxima omnium potestas & astutia elucescit, ejusque vim & caliditatem nemo nostrûm effugeret unquam, nisi Dei misericordia nos protegeret. Quæ verò ulla hominis felicitas, emolumentum ac præstantia, omnibus licet mundi voluptatibus & divitiis abundet, nisi animæ morbi curentur, & auferantur? Hoc enim maximum illud erat beneficium, cùm Christus Salvator noster peccatorum remissionem curationi morborum semper conjungebat.

ADOLPHUS.

Vera quidem hæc sunt, sed non satis decenti trutina examinantur apud plerosque, quod etiam vitium mihi ipsi inhærere diffiteri plane nequeo, cum & æquo plus animus jamdudum cupiditatibus & voluptatibus mundanis adhærescat. Verumenimverò cùm divitiarum usus & possessio, ut & opus illud naturæ divinæ voluntati non repugnet, spes me optima tenet, juxta Dei Opt. Max. ordinationem & voluntatem me eo usurum, præter hæc Pharisæorum illa cœcitas me aliquantulum tenet, qui credere nolebant, nisi miracula & signa viderent Christi, quamvis fidem ad salutem animæ necessariam adesse mihi per Dei gratiam minimè dubitem, sed ad confirmandam fidem de miraculis divinis & cognitionem parabolarum præclarissimi hujus thesauri exactiorem explanationem dictorum expecto.

SENIOR.

Hæc omnia eò prolixius à me cõmemorata sunt, ut intelligas thesaurum hunc magicis artibus non acquiri prout alia iis acquiri nonnulli putant, nec fiduciam plenariam in eo collocandam, ut nec omnem ei fidem derogandam esse. Sed ut apertius demonstrem tibi, quæ vera illa causa siet, ob quam abscondi debeat à cultoribus, nec uni soli eum dari, nec enim omnia uni soli dantur. Hinc illa Christi Salvatoris præclara parabola, Matth. 6. neminem duobus dominis inservire posse: & ut videamus, Deum in naturæ operibus semetipsum patefeciisse, quò opera ejus mirabilia in omnibus cognoscantur, & quidem hoc modis variis, & tentationum afflictionumque generibus diversis, non voluptatum cœno, prout videmus eum Zachæum illum animi vitio labascentem suscepisse, prætenuis licet & infimæ sortis hic esset; ejus nihilominus hospitio uti voluit, quoniam magneticus ille amor apud Zachæum erat, qui in alios quoque derivabatur. Verum ex communi humanæ naturæ labe animum efferimus, & benignitatis fontem occludimus, quasi hoc Dei donum nobis in nostram solum utilitatem concessum sit, cum potius in beneficentiæ opera erumpere, & misericordiæ beneficia erga pauperes exercere debeamus, sed hæc omnia mundi hujus sectatores facile rident, divitiæ namque hominum animos pervertunt ut diversa planè agant, & justitiæ frænum immutent, hinc Mammon opes à Christo dicuntur. Quin & sapientiam divitiæ conferunt, & nummo loquente pauperum sapientia silentio involvitur, difficilis ea de causa introitus locupletum in regnum cœleste, sapientes autem pauperes, mansuetos, humiles Dominus novit, & sustentat, divitum copiam in inopiam redigens (cum putent nullius opera sese indigere) & sapientiam mundi hujus stultitiam esse demonstrans. Ante omnia, amice jucundissime, regnum Dei quæramus, & cum Propheta Davide oremus, ut Deus secundum nostrã indigentiam & suam ipsius voluntatẽ

neceſſaria largiatur, ne ad ſiniſtram & errorum viam deflectamus, cum via mundi hujus lubrica valde ſit & periculoſa. Salomon etiam Rex à Deo ſapientiam flagitat, ut populum Dei ad ejus honorem ac laudem gubernare poſſit, & ab ipſo immenſos divitiarum theſauros accipiebat, prout etiam idem Salomon inquit, ſapientiam in biviis clamantem ad ſui amorem & ſtudium amplectendum invitare, magna enim & præclara eſt gloria divina, ubique nobis ſeſe exhibens, & invitans, pauci autem ex nobis attentius hæc conſiderant in hac mortali vita, quæ velociùs avolans, pleriſque nihilominus ſegnis abire videtur. Magnum autem eſt myſterium Dei, apud timentes eum, & piis lux exoritur in tenebris, ex Deo miſericorde & juſto, Pſal. 112. Ne igitur temporis pretioſum illum theſaurum, & mentis aciem corporiſque vires in acquirendis & congerendis mundanis divitiis conſumamus, ambitioſoſve & ſuperbos imitemur, ſed potius omnia noſtra ad commodum & utilitatem piorum, imprudentum licet, in timore Domini dirigamus.

ADOLPHUS.

Licet vera hæc fatear, ſcrupulus tamen ille adhuc me mordet, cùm audiam Philoſophorum ſententiam, theſaurum hunc precibus à Deo efflagitandum eſſe, & depoſcendum.

SENIOR.

Aliquoties jamdudum ex me audiviſti, regnum Dei ante omnia eſſe quærendum, & hinc omnia Deum nobis additurum, nec hominem ex ſolo pane vivere poſſe, ſed ex verbo omni, quod ab ore Dei progreditur. Eadem autem ratione qua Dæmon Salvatorem noſtrum tentavit, eodem modo & adhuc hodie nos tentare ſolet, tempore neceſſitatis, ubi enim fides & verbum Domini non adeſt, in afflictionibus deſperamus & animum omnino abjicimus, imò & proſpera flante fortuna idem nobis accidit, ſectamur quietiam ipſum dæmonem, & authorem omnis mali, & auxilium ab eo requirimus, ille verò ea nobis pollicetur, quæ ſua non ſunt, & in extremas ignorantiæ tenebras præcipitat, cœleſtem igitur panem & manna terreſtri longis paraſangis anteferamus. Quid vero Philoſophi, in inveſtigando hoc theſauro, Deum exorandum dicunt, recte hoc & verè dictum, Deus enim ſolus nobis eum largitur, modo ne temporis etiam momenta ei præfigamus & modum, voluntatique ejus frænum injici ne præſumamus, hic enim eſt veritas, ſapientia & juſtitia, unicuique juxta ſuum debitum per Spiritum Sanctum tribuens, prout etiam in Apoſtolos ille eſt effuſus. Hac etiam de cauſa quotidie in Oratione Dominica, panem noſtrum quotidianum efflagitare jubemur, neſcimus enim quæ petere à Deo debeamus, & ſæpius ea quæ in noſtri perniciem ceſſura ſunt petimus, licet hæc quandoque concedantur nobis ut per ea tentemur. Solum igitur auxilium Spiritus Sancti, proſpera valetudo, & pacis commoda à Deo petenda, ab hoc enim omnis ſcientia, & ſapientia, & naturalis & ſpiritualis, deſcendit, Chriſtus autem ardenter admodum ſalutem hominum deſiderabat, hinc dicit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & ad hoc ſe in mundum veniſſe, ut homines ſalvos ad regnum cœleſte reduceret, & ex tenebris ignorantiæ ac terrenarum opum erueret, donec tandem aliquos eo perduxerit, eum in finem orationem illam dominicam quam appellamus nobis tradidit, & docuit quo modo ad Deum Patrem, cujus filii per adoptionem ſumus, preces noſtras dirigere debeamus, cùm antehac ſub ceremoniis Legis in metu & timore ſervili coram eo ambularemus. Præter hæc latere te non puto, naturale ex ſupernaturali oriri, & regnum Dei ab æterno eſſe, ex quo regnum temporale promanat. Annon enim primum cœlum & firmamentum præparatum eſt, poſt hoc Elementum, & omnium ultimo terra, poſt hanc conditus eſt homo, creatura nova, & microcoſmus. Primum enim Deus in homine in terra tanquam centro circuli incipit, prout prius ex majore centro initium ſumpſerat, poſt hæc hominis corpori vita & anima indita eſt, vita & anima æterna, ac immortalis, hoc enim ſupercœleſte eſt, & tanquam cœlum divinum ſidereum, tanquam ſpiritus eſſentialis omnium creaturarum viventium naturalium, poſtremo autem corpus elementale, tanquam in corpus unicum, centrum terræ, nomine ſalis terræ à Chriſto indigitatum, ſal enim omnia à putredine conſervat, quemadmodum ex oceano naturali mundi cognoſcitur, quænam contagio ex tali putredine naſceretur, niſi Deus ſale illo hoc præſervaret, inprimis verò ſi motus omnis expers jaceret. Sali etiam conferuntur Paſtores & Miniſtri verbi, qui membra fidei ſuæ commiſſa à putredine præſervant, per prædicationem Verbi Divini & Spiritum S. in hoc mundi oceano. Primus etiam pater noſtrum omnium Adamus univerſalem cognitionem habebat omnium creaturarum, cum nos poſteri ejus vix particularia quædam poſſideamus, & cognoſcamus cognitionem illam noſtram imperfectam eſſe, prout etiam ultimis temporibus homines multi loco unius Adami in multis congregabuntur, & dicitur omnes artes ante ſupremum mundi judicium plenariè revelandas eſſe. Nulli autem hominum tanta cognitio & ſcientia datur, quanta primo noſtro parenti Adamo conceſſa fuit, & Chriſto Adamo illi novo data, quam ſcientia etiam ſponſæ ſuæ largitur, hoc eſt multis in uno collectis, donec in vitam æternam ingrediamur, in qua omnia nova reddentur, & revelabuntur, & unicuique merces debita tribuetur, in hoc enim mundo variis tentationum moleſtiis & curis ſubjacemus propter labem peccati, ex quo magna incommoda per inimicum generi humano inferuntur, nos enim imagine Dei amiſſa, contraria ſemper ejus voluntati facimus. Præter hæc conſiderabis etiam dictum illud Salvatoris, quo theſauros illos nos quærere jubet, qui nec putredini nec furum aut prædonum rapacitati ſubjacent, ſed ſint theſauri ſpirituales, hominum conſcientias in extremis tentationum fluctibus ſuſtentantes, cum ſpiritus & corpus terrore ac tremore convulſa humanæ opis auxilium fruſtra quærunt, eo enim temporis momento armatura cœleſtis ſumma ope requirenda, & quæ ſit cardinalium illarum virtutum mundanarum, quibus tempore gratiæ florente, nitebamur, venuſtatis ſcilicet, ſapientiæ, Opulentiæ & Potentiæ, vis caduca ac fragilis patet, divinæ gloriæ collata, quæ in ſolo Chriſto & verbo ejus quærenda. Quod ſi vero tempore hujus noſtræ peregrinationis vigilantes & orationi vacantes, fidem noſtram, charitatem, ſpem, modeſtiam, humilitatem & patientiam, tanquam ſponſa Chriſti, teſtatam fecerimus, ut conformes ſimus Sponſo noſtro Chriſto Salvatori, in ſinum Abrahæ & Iſaaci per ſcalam Jacobi aſcendemus, & videbimus gloriam & petram fidei, ac dilectum domino diſcipulum Joannem, qui tanquam Aquila ſupervolans, in ſolem oculos ſuos convertit, gloriam ſcil. & claritatem Dei, quæ Jacobo etiam ignota & abſcondita fuit,

fuit, cujus quidem gloriæ gustum & tadium quendam tres hi discipuli in monte Thabor perceperunt. Verum hæc omnia eum in finem conscripta sunt, ut exemplo horum, mundanas opes aspernati, solum verbum divinum & mandatum ejus sectantes, opem Spiritus Sancti imploremus, & in fide, charitate, spe, humilitate, & patientia coram Deo ambulemus percipientes pari modo gustum aliquem hujus cœlestis Hierusalem & Paradisi. Hæc enim ex solo Dei verbo addiscimus, non vero mundi hujus illecebris, hic enim solus est justus, & misericors. Qui igitur imaginis divinæ in sese restaurationem exoptat, misericordiæ operibus, & charitatis studeat, cum multi nos unum corpus simus in Christo, & unica ejus sponsa. Hæc vero omnia tibi necessaria proponere volui, licet quotidie etiam ex auditu verbi Dei haurias, quo, ardentiori cura hisce intendens, juxta dictum illud Pauli certo stamus, magnum esse vectigal, si quis pietatem colens, majora non appetat. Nec enim quicquam in hunc mundum afferimus, nec egredientes ex hoc de fortunæ bonis quicquam efferimus. Quod si Deus hujus vitæ & victui necessaria largitus fuerit, æquum est, ut donis illis contenti vivamus. Qui enim mundanas illas opes anxiè quærunt, in tentationes & cupiditatum retia incidunt, donec ab iis in extremam perniciem præcipitantur. Avaritia namque radix est omnium malorum, & qui concupiverunt, à fide aberrarunt, in profundas calamitates demersi. Hæc omnia, ô homo Dei, summa ope fuge, & sectare justitiam, pietatem, fidem, patientiam & humilitatem, militans bonam militam, & apprehende vitam illam æternam, ad quam es conditus, & quam professus es coram multis. Divitibus autem hujus seculi præcipe, ne superbia efferantur, & sperent in divitiis incertis, reponant autem spem suam in Deo vivo, qui omnia suppeditat, ut benefaciant aliis, divites & abundantes operibus bonis, & thesauros in fundamentum bonum & apprehensionem vitæ æternæ acquirant. Hæc est summa & argumentum totius responsionis nostræ, adeo prolixe hactenus enumeratæ, quo desiderium illud terrenarum opum tibi aliquatenus lenirem: verba enim hæc ex centro cœlesti Solis illius Justitiæ, & radiis Spiritus Sancti per vas illud electum Dei, prolata sunt. Vita autem & beatitudo cœlestis terrenam illam longe præcedit, quam & nos æmulari decet in hac carne, ut efficiamur caro spiritualis, quæ ab omnibus hujus mundi illecebris abstinet, cum inimicis Dei continuum & sub jugo spiritus bellum gerens.

ADOLPHUS.

Magna me admiratio subit, cum videam te spiritualibus illis & cœlestis doctrinæ mysteriis inhiare, quamvis pauci hujus mystæ iis animum attendere soleant, adeo vero prolixe & subobscure hæc omnia hactenus tradidisti, ut facilius quivis in auri quam divinæ scripturæ amorem accenderetur. Ego vero magna cum voluptate ea omnia hactenus audivi, cum multa audiam, quorum me nulla huc usque cura habuit, prout etiam natura ad malum proniores, recte dictis factisve minus attenti sumus.

SENIOR.

Eo vero magis hisce attendere debemus, quod etiam naturale hoc opus divinæ gloriæ in imaginibus ac parabolis plenissimum sit, præter terrenarum etiam opum abundantiam. Verum intuentem nominum vitam, plerorumque tædium me capit, pauci enim digni quibus mysterium hoc reveletur, in juvenili enim ætate omnium rerum egenus, cunctis ludibrio habitus, ægre tandem à bono quodam viro susceptus, huc usque magna cura, solicitudine & variis afflictionum molestiis jactatus, vix tandem emersi, ex his vero hominum cæcitatem in spiritualibus animadvertens, Christo Salvatori aures & oculos præbeo morigeros, ardenti voto obtestans, ut & me, & alios ex mundana illa cæcitate eruat. Hujus generis & illud est, quod plerosque doctorum, divitiis abundantes videmus, alios pene omnes despicatui habere, nimia ambitione ac superbia inflatos, cum tamen in extremo illo vitæ articulo opes & ambitio illa opem nullam eis ferre possint, virosque adeo attenuentur, ut abigendis muscis vix sufficiant. Num vero ambitio illa, superbia, & desidia solæ causæ sunt, ob quas è Deo hanc in lucem missi sumus, fruges consumere nati? An non omnem curam & sollicitudinem eo intendere decet, quò sapientiam illam divinam acquiramus, quæ quidem à plerisque male extruditur, nec hospitio excepta prout olim ab Abrahamo, Lotho & Deipara virgine susceptа fuit, ad hos enim & divertit, & habitationem firmam in pectoribus eorum sibi præparavit. Hæc autem est Spiritus Dei, imò & ipse Deus. Hinc patet, quidnam sit verbum Dei, quod in nobis habitare intendit, hoc enim est sapientia illa perfecta, non autem in iis habitat, qui superbi sunt & animo elati, & qui sapientiam non quærunt, hæc enim quos diligit quærit & investigat, pios nempe & rationi obtemperantes, quæ pietas initium est sapientiæ. Hinc diversi status humani generis constituti, & quidem tam in spiritualibus, quàm corporalibus, ut sunt, Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Mechanicæ artes, & liberales, quæ vocantur. Hac ratione artes omnes manuariæ per septem illas ad ordinem bonum & justum reductæ sunt, bonum à malo separatum, veritas à mendacio discernitur. Dei namque voluntas est, ut malo à bono separato lumen verum in nobis fulgeat, cum post lapsum illum Adami primi per iram & stultitiam dæmonis omnia subversa & turbata fuere, novusque Adamus nos tanquam Evam illam regeneratam ab omni labe separat, bonum à malo discernit, vitam & mundum novum reducit per semetipsum, & verbum suum sanctum, ne posthac corpus & spiritus unquam abinvicem separentur, sed firma permaneant in imagine Dei: Hæc enim est voluntas Dei, hocque modo nobiscum permanet in mundi usque finem. Verum mundo refractario cæcitatem illam & tenebras Judaicas proponit, qui veteris illius Adami vestigiis insistit, nec eundem per fidem in S. Baptismate morti tradit & opprimit: hæc enim sacra est operatio Spiritus Sancti, per verbum in fide, absque verbo autem nihil est, est enim ipsum Dei verbum. Qui autem verbo non credit, cum Adamo illo in mortis tenebris hæsitat, nec spem habet vitæ æternæ, non enim absque fundamento in fide persistere potest: estque Ethnicus & hæretica pravitate insignitus, qui offendit ad lapidem angularem, à D. Joanne præmonstratum. Deus namque pro immensa sua misericordia quamplurima media nobis proposuit, per quæ juxta voluntatem ejus à plurimis tentationibus & malis præservaremur, & vitare possemus spiritum maledicum & doctrinam perversam, animæ pariter ac corporis subversionem procurantem. Officium magistratus politici

huc quoque accedit, per quod magiſtratus malorum vim & audaciam a cervicibus piorum propulſat, concordiam ac pacem procurat, fraudes ac dolos omnes propellit, & jus ſuum unicuique tribuit, non quidem juxta hominum affectiones & voluntatem, ſed juxta juſtitiæ & divinæ voluntatis normam. Idem de medico, & facultate medica ſentiendum, qui omnis generis morbos & infirmitates abigit, propulſat. Spiritus enim ille malignus omnis generis mala, tentationes & afflictiones humano generi immittit, ut ſunt fraudes, malitia, inimicitæ, odia, mendacia, adverſitates calumniæ, inopia, perſecutiones, inconſtantia, aliæ tentationum variæ ſpecies, contra fidem, charitatem & ſpem militantes, prout etiam in Apoſtolis Joanne, Petro, & Jacobo videre licet, qui dum Chriſtus Salvator captivus ex horto adduceretur, humanæ fragilitatis & inconſtantię exemplum manifeſtum præbebant. Verbum igitur divinum ſummo ſtudio ſectandum, & animis inſigendum, ſacramentorumque ſigillo confirmandum eſt, quo ſub exceſſum noſtrum ex hac vita fidem noſtram obſignemus, & contra vim portarum inferorum in vitam æternam ingrediamur. Hæc vero, quæ prolixe adeo a me dicta ſunt, ne tædio te afficiant, quin exemplo Tobiæ curam mundanarum opum abjicias, contentus neceſſario quotidiano victu, ſpem omnem in Deum reclines, pauperibus eleemoſynas diſtribuas, reliquorum omnium ſoli Deo cura relicta. Verum quo dictorum enodatione & intelligentiam plenius aſſequaris, munus hoc tibi offero, per quod dicta plenius & uberius declarabuntur tibi, & conſequaris ſtipendium & theſaurum largiſſimum, quo in novitate vitæ aſſiduitate ſtudiorum ad proximi utilitatem & Divini nominis gloriam felicius progrediaris. Hic vere talis eſt theſaurus, (ſi modo Deo adjutore ejus cognitionem perceperis,) qui in nullis doctorum libris, nec unguentariorum thecis obvius habetur, abſconditus præ oculis uſurariorum, fœneratorum & Euclionum, nec ab ullo homine pretio ullo comparari poteſt, hæc enim eſt aqua noſtra & ignis, bonis in utilitatem & emolumentum, malis vero in perniciem cedens manifeſtam, quandocunque mali eo abuſi fuerint ad voluptates mundanas, & deſidiam, non enim homines mundani ea amplectuntur, quæ magno labore quæri ſolent. Si igitur humilis, patiens, modeſtus & placido animo fueris, theſaurum hunc veræ tranquillitatis & opulentiæ aſſequeris, & Deo ac proximo utiliter inſervire poteris. Primum autem omnium Ægyptium illum ſacerdotem & Regem Hermetem, ejuſque tabulam Smaragdinam tibi proponam, ei comites F. Baſilii, comitis Bernhardi, ſcripta Theophraſti, tincturam Phyſicorum adjungam, ſi modo prius, quæ tua de hoc ſit ſententia, apertius declaraveris.

ADOLPHUS.

En tandem deſiderii mei colophon, quem tanta aviditate & ardore hactenus expectavi: Ego vero ſancte polliceor, me theſauro hoc ad utilitatem & emolumentum proximi, & divini nominis gloriam uſurum, & communicaturum eſſe, actionesque meas omnes eum in finem inſtituturum, ut aliis ex uſu quod ſiet monſtrem, nec animus meus ſpirituſve vitiis aut flagitiis contaminatus, aliis ſcandalo cedat, quantum quidem in hacce humanæ carnis fragilitate fieri unquam poterit.

SENIOR.

Hoc tibi perſuaſum habeas, etiam illum miſericordiæ opera exercere commodè poſſe, qui mediocri opum affluentia gaudet, & quidem beneficentia ex tenui opum rivo profecta Deo impenſius probatur. Verum enimvero cum animi tui candorem ſatis perſpexiſſe mihi videar, ſub finem noſtri hujus colloquii myſterium hoc Parabolarum tegumento involutum tibi trado. Tuum verò erit, lectioni prædictorum, cæterorumque qui hujus myſterii arcana reſerarunt, attentiori ſtudio invigilare, præſentem verò commentatiunculam in tui uſum à me conſcriptam maximopere obſerves, cæterorum curam Deo Opt. Max. committe.

ADOLPHUS.

Equidem, venerande ſenex pro munere adeo pretioſo & inſtitutione quam hactenus ex te percepi, fideli, gratias habeo tibi immenſas, & quantas animo concipere poſſum, ſancte interim promittes, me diligenti lectione in ſuccum ſanguineum tradita converſurum: Dei verò opem ardentibus votis implorabo, & vitæ actiones omnes ita inſtituam, ut virtutum exemplum aliis præbeam, omnia verò ſtudia mea, & operam tuis commodis dico, conſecro, offero.

SENIOR.

Utinam verò hæc omnia Dei benignitate adjuvante ita fiant: Quod ſi verò Deus Opt. max. hujus magiſterii cognitionem tibi largitus fuerit, gratus eſto, ſoli Deo laudem & gloriam referens, juxta dictum illud Jeremiæ 9. Sapiens non glorietur in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine, nec dives divitiis ſuis fidat: qui verò, gloriatur, in hoc ſolo glorietur, quod cognovit, quod ego ſum Dominus, miſericors, & juſtus, inquit Dominus DEUS tuus, *Amen.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Pars Altera AURELIÆ OCCULTÆ PHILOSOPHORUM.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 1.) EN cœlum terramque humeris meis porto, eaque fundamentaliter & exactè obſervo, ac perſcrutor, primùm quidem prudens, pòſt ſimplex exiſtens, donec mercedem debitam reporto.

Ars hæc & myſterium nulli remotis adeo repagulis & apertius traditur, quàm in parabolis, quæ quidem exactè conſiderandæ, & trutinandæ ſunt, præterquam quod etiam aliorum Philoſophorum libri & commentationes ſunt cognoſcendæ. Ad hanc autem noſtram artem penitus aſſequendam labor & ſtudium exiguum, ſumptus, & inſtrumenta paucæ & exigua requiruntur, poteſt enim ars hæc vel horis duodecim addiſci, & octidui ſpatio in opus ac effectum deduci, cum proprium in ſe principium habeat, licet in aliis artibus vel ſex ſeptemve annorum curriculum requiratur, quo illæ effectum conſequantur. Nonnulli tamen vel triginta, vel quadraginta annorum ſpatia magnis ſumptibus confecerunt, finem hujus magiſterii nunquam aſſequuti: Artifices autem quibus finis cognitus & perſpectus eſt, abſcondere & tegere ſumma ope hoc artificium conantur, quod quidem mundi hujus aſſeclæ mirari ſolent. Verùm hæc omnia in Dei miſericordia poſita ſunt, & ad opus hoc noſtrum tantummodo Azoth & ignis requiritur, quod nihil aliud eſt, quàm lavare, coquere, ſolvere, putrificare,

ficare. coagulare & fixare: hæcque omnia à paupere pariter ac egeno, & divite præstari possunt, nec etiam opus est, ut memoriæ conservandæ causa literis hoc artificium tradatur, sed vel ipsa viva vocis traditione cognosci possunt. Ego verò planius & dilucidius hæcce tibi declarare nequeo, ob vim quorundam injustam, sed hoc saltem dico & præcipio: ad hoc artificium adhibe aquam lunarem, sive aquam argenti in qua radii solis conjuncti sunt: Hæcque operatio verè mulieribus, ut veteres dicebant, convenit, licet tot ac tanta volumina de ea à variis conscripta habeantur, tantusque numerus plebejorum juxta ac magnatum magnis sumptibus & laboribus investigent, vano scilicet & frustraneo labore, natura enim repagulum intus obduxit. Post hæc parabolæ quædam cum Tabula Smaragdina Hermetis Philosophi præstantissimi, tibi ad majorem & pleniorem cognitionem proponuntur.

VERBA HERMETIS IN PŒMANDRO.

Hermetis Trismegisti Pœmander.

CUm aliquando cogitarem circa entia, & elevata mente, valde sopitis mei corporis sensibus, veluti qui somno sunt gravati ex cibi satietate, vel corporis labore, visus sum videre quendam permagnum mensura indefinita, vocare meum nomen, & mihi dicere. Quid vis audire & inspicere? Et quid mente concipiens, discere & cognoscere? Ajo ego, tu verò qui es? Ego quidem, inquit, sum Pœmander, Mens ejus qui dominus est. Novi quid velis. Et tecum sum ubique. Dico ego, discere volo entia, & intelligere eorum naturam, & cognoscere Deum. Quomodo? Dixi, audire volo. Inquit, me rursus habe mente tua, quæcunque vis discere, ego te docebo. Cum hoc dixisset, mutatus est forma. Et illico cuncta mihi aperta sunt momento.

TABULA SMARAGDINA HERMETIS.

VERBA SECRETORVM HERMETIS.

(*Vid Tab. III. Fig.* 2.) VErum hoc est, & ab omni mendaciorum involucro remotum, quodcunque inferius est, simile est ejus quod est superius, per hoc acquiruntur & perficiuntur mirabilia operis unius rei. Quemadmodum etiam omnia ex uno fiunt, per considerationem unius, ita omnia ex uno hoc facta sunt per conjunctionem. Pater ejus Sol est, mater Luna, vētus in utero gestavit, nutrix ejus est terra, mater omnis perfectionis Potentia ejus perfecta est. Si mutatur in terram, terram ab igne separato, subtile & tenue à grosso, & crasso, & quidem prudenter cum modestia & sapientia. In cœlum hoc à terra ascendit, & à cœlo rursus in terram descendit, & potentiam ac efficaciam superiorum & inferiorum recipit. Hoc modo acquires gloriam totius mundi: Propulsabis igitur tenebras omnes & cæcitatem, hæc enim fortitudo omni alii fortitudini & potentiæ palmam præripiens: omnia namque subtilia & crassa duraque penetrare ac subigere potest. Hoc modo mundus hic conditus est, & hinc conjunctiones ejus mirabiles, & effectus mirandi, cujus hæc via sit, per quam hæc mira efficiantur, & propter hæc Hermetis Trismegisti nomine me appellarunt, cum habeam partes tres sapientiæ & Philosophiæ universi mundi, consummatum est verbum meum, quod dixi de opere solari.

Hoc dictum palmarium est & omnibus aliis de hac materia prolatis palmam præripiens, totius artis mysteria in sese continens, prout etiam Theophrastus de hac arte sequentia tradidit. Summa dictorum in hoc consistit, recipe lunam è firmamento, mutato eam superiori loco in aquam, & in terram conjicito, & tunc miraculum toto orbi admirandum perpetrabis. Si verò operationem ad finem perduxeris, & è principatu in terram cribratam conjeceris, quæ in arte nostra terræ lutosæ comparatur, purga & libera ab ea illam, tunc enim longe splendidiore radio fulgebit. Si verò subtristem, & mutatam eam videris, in balneo venustatis eam lavato, & vestimento fulgoris permanentis, & terra cruda qua mirificè gaudet, orna, & in eo vestitu permaneat ad tempus ipsi congruum, tunc enim perpetuò in eo permaneat, quo etiam juxta libitum ei vincula injicere possis. Hoc est mysterium universæ Lunæ, quod si assecutus fueris, omnia arcana artis tibi revelabuntur.

SYMBOLVM F. BASILII VALENTINI.

LApis est minimè omnium precios̄us, ex quo ignis fugitivus extrahitur, ex hoc autem igne lapis ipse est constructus, colore candido & rubro, nec tamen lapis est. In hoc lapide natura operatur & fontem limpidum producit qui patrem suum fixatum aquis suffocat, & absorbet, donec anima ei tandem reddatur, & mater fugitiva in regno similis fiat. Hic etiam Lapis potentiam, ac vires magnas acquirit, Solem ætate præcedit, matre fugitiva per Vulcanum præparata, & patre per spiritum progenito. Anima pariter, corpus ac spiritus in duobus consistunt, ex quibus omnia: ex uno hæc, & unum est, fixum & fugitivum conjungens. Hæc duo sunt, & tria, & unum, quod si horum cognitio te lateat, artis effectu frustrabere. Adamus in Balneo sistitur, in quo Venus similem sibi reperit, hoc verò balneum ab antiquo illo Dracone, cum vires ac potentiam suam amiserat, præparatum fuit. Hoc verò nihil est aliud, inquit Philosophus, quàm duplex Mercurius, In hoc nomen ejus latet, quod omni diligentia, & assiduo labore quærendum.

Exitus Acta probat.

SYMBOLUM NOVUM.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 3.) DEa sum, venustate & claritate generis insignis, nata ex æquore nostro proprio, terram universam ambiente, & semper mobili, ex uberibus meis lac & sanguinem profundo, hæc duo coque, donec in aurum & argentum convertantur: Omnibus autem aliis longè antecellens, possessori mercedem largam refero.

O Fundamentum præstantissimum, ex quo omnia in hisce terris prognata sunt, venenum licet primo aspectu, aquilæ fugitivæ nomine ornatum! Prima materia, & benedictionis divinæ semen, candidum & rubrum, in cujus corpore siccitas & pluviæ latent, quæ tamen impiis abscondita sunt, propter ornatum & vestem virginalem, in toto terrarum orbe dispersum, parentes tui sunt Sol & Luna, in te operantur etiam aqua & vinum, aurum pariter & argentum in terra, ut lætetur homo mortalis. Hoc modo Deus ter Opt. Max. benedictionem suam & sapientiam cum imbre & solis radiis largitur, ad laudem nominis sui sempiternam.

Verum,

Verum, ô homo hîc adverte, quænam Deus per hoc tibi largiatur. (*Vid. Tab. III. Fig.* 4.) Excrucia aquilam, donec lachrymas effundat, & Leo debilitetur, ac mortem lachrymando oppetat. Hujus ſanguis theſaurus eſt terrenus, cum lachrymis aquilæ conjunctus. Hæc vero animalia invicem degutire & occidere, mutuoque amore ſeſe proſequi ſolent, & proprietatem ac naturam Salamandræ induunt. Si vero in igne illæſus permanſerit, ſummas ægritudines hominum, beſtiarum & metallorum abſumit.

Poſtquam verò antiqui illi Philoſophi ſignum hoc cognoverunt, in hoc myſterio, centrum arboris mediæ in Paradiſo terreſtri ſummo ſtudio indagarunt, per portas quinque litigioſas intrantes. Prima harum fuit, cognitio veræ materiæ, in hac enim prima & atrox pugna oritur, ſecunda eſt præparatio, juxta quam materia præparanda eſt, ut favillas aquilæ & leonis ſanguinem invenirent, ſub hanc portam acris pugna exoritur, acquiritur enim aqua & ſanguis & corpus ſpirituale lucidum, tertia porta ignis eſt, ad maturitatem conducens, quarta multiplicatio & augmentatio, in hac pondus neceſſario requiritur, quinta & ultima porta eſt, projectio in metallum. Glorioſus autem, prædives & ſublimis ille eſt, qui quartam portam occupat, univerſalem enim medicinam omnium morborum acquirit, hæc eſt character ille magnus libri naturæ, ex quo Alphabetum totum oritur: Quinta vero metallis ſolum inſervit. Hoc myſterium ab ipſis mundi incunabulis & Adami creatione exiſtens, omnium antiquiſſimum eſt, & ſcientia à Deo Optim. Max. naturæ per verbum inſpiratum, potentia mirabilis, & ignis vitæ benedictus, carbunculus pellucidus, aurum rubrum, & benedictio hujus vitę divina, verum propter hominum malitiam hoc naturæ myſterium paucis datur, licet toti mundo præ oculis quotidie verſetur, & vivat, ut ex ſequenti parabola patet.

Materia Prima.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 5.) Draco ego ſum venenatus, ubiq; præſens, & minimo pretio comparandus, illud ſuper quo aquieſco, & quod ſupra me requieſcit, in me ipſo deprehendet qui rite inveſtigaverit. Aqua mea & ignis deſtruunt, & componunt, ex corpore meo viridem & rubrum leonem extrahes; quod ſi me exacte non noveris, ſenſus quinque igne meo abſumis. Venenum præcox è naribus meis egreditur, quod quamplurimis exitium attulit. Craſſum itaque à ſubtili artificioſè ſeparato, niſi extrema paupertate gaudeas. Vires maſculorum pariter ac fœminarum, quin & cœlorum ac terræ tibi largior, Animoſe vero & magnanimiter artis meæ myſteria tractanda ſunt, ſi modo vim ignis me ſuperare deſideras, in quo negotio quam plurimi & rei & laborum jacturam fecere. Ovum ego ſum naturæ ſapientibus ſolis notum, qui pii & modeſti microcoſmum ex me progenerant, hominibus quidem à Deo Opt. Max. præparatum, licet pauciſſimis (quam plurimis etſi fruſtra deſiderantibus) datum: ut pauperibus ex theſauro meo benefaciant, nec animum auro perituro addicant. Mercurii nomine à Philoſophis dicor, maritus meus aurum eſt, (Philoſophicum) Draco antiquus, ubique terrarum præſens ſum, pater materque, juvenis ac ſenex, fortiſſimum & debile, mors & reſectio, viſibilis & inviſibilis, durum, molle, in terram deſcendens, & ad cœlum adſcendens, ſummum & infimum, leviſſimum & graviſſimum, in me naturæ ordo ſæpe invertitur, in colore, numero, pondere, & menſura naturale lumen continens, obſcurus & lucidus, ex cœlo & terra progrediens, notus & nihil omnino exiſtens, colores omnes in me elucent, & metalla omnia per ſolis radios: Carbunculus ſolaris, terra nobiliſſima clarificata, per quam cuprum, ferrum, ſtannum, plumbumve in aurum transmutare poteris.

Operatio Philoſophici Myſterii.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 6.) Senex ego debilis & infirmus, cognomine Draco, caveæ incluſus eam ob cauſam ſum, ut regia corona redimar, & familiam meam divitiis locupletem, ſervus fugitivus nunc primum exiſtens, poſt hæc vero omnes regni theſauros poſſidebimus, gladius igneus magnis tormentis me afficit, mors autem carnem & oſſa mea infringit, donec tranſeant ſeptimanæ tex, utinam vero inimicos ſuperare queam. Anima mea & ſpiritus meus me derelinquunt, venenum atrox, corvo nigro aſſimilior, hæc enim malitiæ merces, in pulvere & terra cubo, utinam vero ex tribus unum fieret, ne vero ô anima & ſpiritus me derelinquas, ut diei lucem rurſus intuear & ex me heros ille pacis, quem vniverſus orbis aſpiciat, exoriatur: In corpore meo ſulphur, ſal & Mercurius reperiuntur, hæc vero rite ſublimentur diſtillentur, ſeparentur, putrificentur, coagulentur, fixentur, coquantur & laventur, ut feces ac ſordes detergantur.

Quod ſi vero colores quamplures abigantur (*Vid. Tab. III. Fig.* 7.) & heros ille rubeus apparet, hic enim eſt filius ille præpotens, minimus parem in totius mundi ambitu non habens, & viribus, ac efficacia ſolis lunæque præditus, omnium victor, aurum rubrum, cujus noritiam magnopere comparabis, ſi tamen per ignem ſeptics purgatum fuerit, poſt hæc in turbam hominum & plebem producas, quæ honori, & gloriæ ipſius invidet, ſed attende ſequentia.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 8.) Viri decem Heroem hunc ac terram proſternentes, vitâ exuunt, quod tamen flagitium illis remittit & condonat, cum poſt hæc in vitam hanc redivivus ſempiterna vita gaudet, per hunc major pars mortę ejus reviviſcunt, qui ſubſtantiæ ejus communicant, urbs tamen undique obſidione cingitur, quò & hi patiantur & moriantur vel primo mox intuitu perditi. Tenebris autem Lunæ & Solis ingruentibus paſtor hic occumbit, non tamen ſeparari & dividi poteſt, cum terræ primæ ſimilis non ſit, hoſtes autem ejus morte pariter cum eo occumbent, ſi modo gloriæ & honoris participes fieri velint. Mera autem ex gratia Iris apparet, cum Rex his faveat, & tunc laudes & encomia hujus decantanda.

Jam demum & inimici Regis torquentur, & malitiam ſuam agnoſcentes occumbunt omnes pariter, quin & ſecundo rei declarantur, & urbs eorum ab hoſtibus & igni obſidetur, prius quidem ſpiritualiter, nunc vero & corporaliter, pariqu exitio cum priore omnes ſuccumbunt.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 9.) Verum heros hic tanquam Rex verus auxilium illis fert & aſſiſtit, cum jam unum tantum ii ſint, & in nihilum fere redacti, propter Eclipſin illam ſolis, e qua corvi nigerrimi provolantes carnem eorum omnem

omnem absumunt, & anima ac spiritu illæsis, juxta putridam carnem eorum versantur. Rex vero à putredine immundus est, & ob id anima, spiritus & corpus conjunguntur, ut ipse in ris, iique vicissim in ipso habitent. Fixum autem alterum illud fixum pariter reddit, ut ex eo proles nova nascatur. Verum ulterius animadverte: Colores iridis ostendunt eos veste candida nuptiali dignos esse: Quod si amicabiliter illum complexi fuerint, vestium purpureum & aureum consequentur, & sabbatho requiescent, in quo creatori suo honorem debitum exhibebunt. Jam quidem Luna obediens prodit, die solis illucente, & amica illa dilecta (Argentum) niveo vestitu amicta prodit. Tu vero reliqua lætus percipe.

(*Vid. Tab. III. Fg.* 10.) IAm demum è sepulchro redivivus prodeo, & fratribus meis appareo, sponso meo me amplectente, quo etiam fratrem meum debilem adhuc & imbecillem tingendo, constantem & spiritualem candidumque reddam, quin & vim & potentiam Regis revelem, qui victor me propediem subsecuturus, Soli nos similes reddet, quoniam in me resurrexit, assimilor autem mari crystallino fixo, & malitiam, imperfectionemque fratrum eorum amarè deploro, per quam à me recedentes, lapidibus & pulveri terreno conjuncti, vim omnem amittunt, terrenis inhiantes, & cœlestia negligentes, sine remissione enim ulla lachrymas profundo, ex quibus benedictio promanat, nec vanitati & impudentiæ studium addico, prout soror mea Venus, hisce intenta, semper lascivit. Verum & illa vestitum meum consequi poterit, quem quinque distribuere debebam, si modo vivere mecum sustinent. Frater autem meus, sceleratus ille Mars, fraudulentus, posthabitis lachrymis & lamentationibus meis quamplurimos prosternit, & perimit innocentes, & ira radiante inflammatus, sapientiam, modestiam & pacem omnino aspernatur. Idem animus etiam fratri Saturno est, qui melancholica passione obrutus, avaritia, plurimorum salutem obvertit, hinc facies ejus subtristis. Jupiter vero clemens, coronæ regiæ adpropinquat, severus, subtimidus & sæpiuscule inconstantiæ passionibus subjacens: prout maxima pars hominum iisdem subjacet, licet omnes tandem in unum congregandi & conjungendi sint homines. Mercurius vero frater meus junior, senex quamvis, prudentia, concordiæ vinculum pariter abrumpit, lacrymat, ridetque affatim, cum salamandræ similem sese esse videt, mercenarius est, & mirabilium operum patrator: similis ei per universum terrarum orbem discurrens, bonorum juxta ac malorum consortio gaudet, & oritur. Si vero constantiam meam imitarentur, & Rex ille cœlestis summa nobis bona largiretur. Sol autem pluviis delectatur, & post pluvias opes magnas & divitias largitur, quemadmodum pater familias uxorem ardenti amore prosequitur, rixarum & contentionum discordia penitus inter eos sublata. Ita etiam argentum tingam, Rege meo in aurum figente.

(*Vid. Tab. III. Fig* 11.) HOstes inimicosque meos universos insigni nunc claritate fulgens, levici. Ex uno multi, & ex multis unum, prosapia celebri oriundus, è minimo ad summum ascendo: vis omnium infima in orbe terrarum cum suprema uniur. Unum ego sum, & multi in me, & per decem multiplicatus, tot enim vicibus amicos illos meos ex emendo, si modo in fusione promptum obsequium præstiterint, exemplo amicæ meæ Lunæ Sex mihi sunt vestes nuptiales, & coronæ aureæ sex, quarum singulæ singulis dabuntur, ut Regibus similes mecum regnent, aliis, qui me, an oremque meum aspernati fuerant, dominantes. Per ignem enim revelabuntur, quod è terra ascendere satagunt, si nimirum læti, candidi, sanguinei, purpureique fuerint, divitias magnas largientes. Quemadmodum è Deo omnia, summa & infima, principium & finis. Ipse enim est A. & O. ubique præsens. Philosophi nomine Azoth me ornarunt, Latinis A. & Z. Græcis α & ω Hebræis א ת Aleph & Thau, quæ nomina summam reddunt. In ignem A... { Z ω n } conjectus tanquam Ira, aquam opprimo, sex vero metalla reliqua summa laude nomen meum celebrant, quoniam in regnum Solis ea introduco, hinc universale vocitant, cum in purissimum aurum ea transmuto, quod quidem aurum ex aqua, igne, aere, terra venenove damnum nullum unquam sentiet. Quin & morbis hominum remedium præbeo, thesaurus verè regius sum, piis solum donatus. Si vero Deus ter Opt. Max. hujus thesauri cognitionem tibi donaverit, modesto animo tecum vive, ne improborum consortio gaudens, periculum maximum & afflictionem incurras. Solent enim quam plurimi sub specioso amici titulo, saluti ac incolumitati tuæ insidias struere: Revelatio autem soli Deo debetur.

Opus Universum Philosophorum.

SEnex ille primum est principium per hermeticam artem revelatus, Sulphur est, Sal, Mercurius, inferius sicut superius, astrum Solis, coloribus abundans, ignis, aer, aqua & terra ex prosapia Dianæ & Apollinis prognatus, virilis ignem & aerem, fœmineus terram & aquam denotat, pondere gravis & levis, stabilis, constans, & fugitivus. Exue hunc veste terrena, & nudum præpara, balneo calido include, calore vaporum diebus noctibusque coquito, donec stella septemplex appareat, per sphæram circumcutsitando, & in aqua suffocetur. Corvus niger prima avis, circa cadavera circumvolitat, donec columba alba progreditur, eam subsequente ave rubra. Spiritualiter igitur corvum primum extingue, ut colores omnes emergant, monoceros vero requiescit, Luna corporali existente, viam Regi præparat, argentum candidum emergit. Rex hoc subsequitur, ruber, solitarius adhuc, sed purissimus, quod si eundem cum matre ipsius per omnia regna deduxeris, pretium ejus in decuplum multiplicabitur, & fratribus suis divitias commodaque infinita præstabit.

Felix terque quaterque beatus qui hujus artis plenariam cognitionem est assecutus.

Declaratio Et Explicatio Adolphi.

POstquam Ego Adolphus ex consuetudine pariter, & animi cupiditate iter Romam versus instituveram, ut artium secreta penitus indagare possem, nocte quadam diversorio exclusus, virium imbecillitate coactus, & somno aggravatus, cum per totam diem tempestatum imbribus debilitatus maxime fuissem, specum quandam subterraneam ingressus sum, quarum quidem Romæ magnus numerus, oratione itaque ad Deum opt. Max. fusa,

fuſa, auxilium ejus implorans, jejunus & ſomnolentus obdormii. Ob loci incommoditatem media nocte expergefactus, ſpecus, diverſorii mei, incommoda conſiderans, mirabilia opera Dei Opt. Max. animo volvens, afflictionesque ac ærumnas humanas, attentius examinans, tandem etiam ſecreta illa & opus philoſophicum exactiori lance trutinans, ſtrepitum quendam in ſpecu mihi exaudire videbar, qui tamen eodem fere momento conticeſcebat, hinc magnus metus animum meum invaſit, & anxius hærebam, num dæmonum præſtigiæ, aut hominum latrunculorum inſidiæ eſſent, Dei itaque opem implorans, tandem exiguam lucem procul à me in abditis ſpecus video, quæ ſenſim aucta propius ad me accedebat, Ego vero vitibus deſtitutus hæſitans tandem videbam virum quendam pellucidum, tanquam aereum, corona regia, ſtellis undique exornata, redimitum, dum vero attentius inſpicio, omnia interiora ejus conſpiciebam, cerebrum quidem tanquam aquam cryſtallinam, ſemper ſeſe moventem inſtar nubis, & cor tanquam carbunculum, rubens, præter hæc videbam alia ejus inteſtina, pulmonem, jecur, ventriculum & veſicam, quæ omnia pura & pellucida erant inſtar vitri, nec tamen fel, lien, cæterave inteſtina apparebant, ejus vero claritatem ac puritatem verbis declarare non poſſum, & tanquam inſomnio preſſus tandem exclamo, Libera me, ô Domine Deus, ab omni malo. Vir autem ille ad me accedens inquit, Adolphe, ſequere me, monſtrabo tibi ea, quæ præparata tibi ſunt, ut è tenebris in lucem transmeare poſſis. Ego, inquam, quisnam ſies, ignoro, ſpiritus Domini cœli ac terrarum me regat: ille vero, ſequere me, ait, cum enim & me & dominum meum diligas, reciproco amore à me redamaris, tu vero æternum illum Dominum ſumma laude celebrabis. Hisce dictis, tandem in interiora ſpecus ingreſſus, omnia illa attentius conſiderans, video in corona illius ſtellam præfulgidam rubram, cujus radii totum corpus meum, & præcordia penetrabant, veſtis ejus erat linea, candida, floribus verſicoloribus aſperſa, colore viridi interius perfulgente, præter hæc ex corde ejus ad cerebrum & vice verſa vapor quidam ſemper mobilis aſcendebat. Tandem vero manu parietem fragore magno concutit, & oculis meis ſeſe ſubducit, hinc rurſus magnæ tenebræ, & ſolicitudo metuſque animum meum occupant, exoriente verò ſole, accenſo cereo interiora ſpecus perſcrutando parietem concuſſum video, arcam plumbeam reperio, quam cùm referaſſem, librum video in cujus foliis fagineis figura parabolica de veteri Adamo annotata erat, ergo vero diurna nocturnaque verſabam hanc manu, donec tandem per unicam vocem arcanum illud mihi revelaretur, ex quo mirabilia multa penitus cognovi. In Meridiem perſpiciebam, in qua calidi illi Leones, & in loca Polis ſubdita in Septentrione in quibus urſi vagantur, ſumma vero laude nomen domini decantabam, & cognoſcebam myſterium obſignati illius libri naturæ, quod arcanum etiam prout antea additum fuerat hoc loco apponam.

SYMBOLUM SATURNI.

ADamus ſenectute confectus, cum conjuge legem prævaricatus, maledictionis ſententiam in ſeſe derivarat, metu igitur ambo conſternati, fugam capeſſentes, in veprem ſe abdiderunt, & pudore ac verecundia ob nuditatem corporum moti, extremam quoque mortem objiſſent, niſi Dei Opt. Max. creatoris miſericordia, in priſtinum perfectionis ſtatum futurum reducti fuiſſent, liberos enim imperfectos generabant, antequam renovarentur. Verum cum horti illius poſſeſſione ſemetipſos indignos reddidiſſent, & toti alias orbi revelandi eſſent radio ignito ex horto illo delitiarum ejecti fuerunt. Quamvis vero hortus ille delitiis & amœnitate abundaret, Adamus nihilominus cum conjuge multi paraſangis illum excedebat. Cum vero ex eo ejicerentur, Eva muliebri inconſtantia mota prior abſcedebat, Adamo, viro conſtante & magnanimo cedere nolente, donec tandem poſt plagas ſex acceptas, cederet loco. Eva vero e ſingulis plagis dimanantem ſanguinem ejus recipiebat, & cuſtodiebat eumque pari vi magnetica è horto extrahebat, defeſſus namque vires priſtinas recuperare nequibat, donec ambo in eodem balneo loti, unctique ob mutuum amorem ſimul mortem oppererent, rurſus tamen in unum reſurgerent, & poſt mortem filium ſupremæ eſſentiæ progenerarent. Filius vero ille pariter mortem oppetens, revixit, ut omnia penetraret, & multiplicandus venit per decem, fratres enim imperfecti & debiles, cum oppugnant, niſi enim hoc fieret, labor omnis inanis & fruſtraneus eſſet: poſthæc vero omnes pariter cum eo morte occumbunt, reſurgentes tandem & regnantes unà cum eo, fulgentes & radiantes tanquam Sol terrarum. Voluntas enim eorum Regi obediens, hinc divitias ſempiternas adepti, decies, centies, & millies numerabantur. Soli Deo, à quo ſapientia omnis, honor & gloria.

Amen in Mercurio qui pedibus licet carens decurrit, aqua manus non tingens, & metallici univerſaliter operatur.

FINIS.

SENIORIS ANTIQUISSIMI PHILOSOPHI LIBELLUS ut Brevis, ita Artem diſcentibus & exercentibus utiliſſimus, & verè aureus,

Dixit Senior Zadith filius Hamuel.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 12.) INtravi ego & Oboël, Chariſſima Barba, in domum quandam ſubterraneam, & poſtea intuitu ſumus ego & Elhaſam univerſos careceres Joſeph ignitos, & vidi in tecto imagines novem aquilarum pictas, habentes alas expanſas, ac ſi volarent, pedes verò extentos & apertos, & in pede uniuſcujuſque aquilæ ſimilitudo arcus ampli, quem ſolent ferre ſagittarii, & in pariete domus à dextris & à ſiniſtris intrantis, imagines hominum ſtantium, prout poſſent eſſe perfectiores & pulchriores, induti diverſis veſtimentis & coloribus, habentes manus extenſas ad interiorem thalamum, imminentes ad quandam ſtatuam ſedentem intus in domo, in latere juxta parietem thalami interioris, à ſiniſtris intrantis thalamum contra faciem ſuam. Et ſedebat ſub cathedram ſimili cathedræ Medicorum extractam à ſtatua illa, & habebat in gremio ſuo ſuper brachiis ſuis, & in manibus extentis ſuper genua ſua, tabulam marmoream extractam ab ea, cujus longitudo brachii unius, & latitudo unius palmæ, & digiti manuum ejusdem ſub tabula reflexi deſuper, acſi teneret eam, & erat tabula ſicut liber apertus cuilibet intranti, veluti ſi innueret reſpicere in eam, & in parte thalami in qua ſedebat erant imagines diverſarum

FIG. 1.



FIG. 2.





FIG. 8.



FIG. 3.



FIG. 9.



FIG. 6.



FIG. 4.



FIG. 10



FIG. 12.



FIG. 5.



FIG. 11.



diversarum rerum infinitæ, & literæ de barbaria. Et erat tabula quam habebat in gremio in una ejus medietate divisa. Erat enim quædam linea per medium imago duarum avium in inferiore parte ejus pectore inclinato, quarum avium una habebat alas abcisas, & altera habens alas duas, & utraque tenebat rostro caudam alterius, acsi volans vellet volare cum altera, & illa vellet retinere volantem secum. Erant autem illæ duæ aves colligatæ, homogeneæ, depictæ in una sphæra, quasi imago duarum in una, & erat juxta caput volantis ex duobus sphæra, & supra has duas aves juxta caput tabulæ, proximè digitis statuæ imago Lunæ lucentis: Et ex altera parte tabulæ alia sphæra, respiciens ad aves inferius. Erant autem universa tempora quinque, inferius videlicet aves duæ, scilicet imago Lunæ, & alia sphæra.

In alia autem medietate in capite tabulæ declinante ad digitos statuæ, erat imago Solis emittens radios, velut imago duorum in uno. Et in altera parte alia imago Solis, cum uno radio descendente. Et hæc sunt tria, scilicet duo lumina & radius duorum in uno, & radius unius descendens, porrectus ad inferius tabulæ, circundans sphæram nigram divisam per circuitum ejus, & factum est duo tertia & tertium.

Tertium verò ejus habet formam Lunæ crescentis, & pars interior alba sine nigredine, & sphæra nigra circumdat eam & forma earum quasi forma duorum in uno, & Sol simplex Et hæc est imago unius in uno, & hæc sunt similiter quinque, & fiunt omnia decem, secundum numerum illarum aquilarum & terræ nigræ.

Exposui tibi omnia ista, & composui in carmine, & hoc non habemus nisi à gratia Dei, cujus nomen sit benedictum, ut intelligas & cogites benè in eo, & super eo, & depinxi tibi imagines singulas illius tabulæ, & quæ in ea sunt imagines & figuræ in locis suis in isto carmine, quod poteris perpendere capitulis, quæ significant has figuras.

Exposui etiam & explanavi has decem figuras, & demonstravi postea finem carminis mei, quod planè non potuit fieri sine carmine, & aperiam tibi manifestè quæ celavit ille sapiens, qui fecit statuam illam in domo illa, in qua descripsit totam illam scientiam, quasi in figura sua, & docuit sapientiam suam in lapide suo, & manifestavit eam intelligentibus.

Scivi quod ista statua est in figura sapientis, & quod est in tabula existente super brachiis & genibus suis in gremio suo, est scientia sua occulta, quam descripsit per figuras, ut dirigatur ad illum qui cognoverit & intellexerit, quod voluerit sapiens per illud propinquius. Est enim illud interius subtiliter perspicientis & cognoscentis terminos sapientiæ, ex sermonibus obscuris & typicis, cum contulerit illos sermones illic imaginibus & figuris, unum aperiet reliquum, nec regetur super lapide occulto.

Epistola Solis ad Lunam crescentem.

In tenuitate enim nimia dabo tibi de pulchritudine mea lumen, quo pervenitur ad perfectionem. Exaltatur enim per hoc ad omne altum. Dixit primo luna soli. Tu mei indiges, sicut Gallus Gallinæ indiget, & ego indigeo operatione tua ô Sol, sine cessatione, cum tu sis perfectis moribus, pater luminarium, tu es lumen excelsum, dominus, & magnus. Ego luna crescens frigida & humida, & tu sol calidus & siccus, quando copulati fuerimus æquitate status in mansione, in qua non fit aliud, nisi leve habens secum grave, in quo vocabimus, & erimus sicut vacat mulier & vir ejus, & hoc est verum ex locutione. Et erimus ô sol, cum conjuncti fuerimus vacaturi in ventre domus clausæ, recipiam à te animam adulando, & si abstuleris pulchritudinem meam, & fiam ex propinquitate tua tenuis, exaltabimur exaltatione spirituum, quando ascendimus ordinem seniorum. Lucerna lucis infundetur lucernæ meæ, & te & me, sicut commixtio vini & aquæ dulcis, & prohibeo fluxum meum, postquam indùta fuero nigredine tua, colore qui fit velut atramentum post solutionem tuam, & coagulationem meam. Cum intraverimus domum amoris, coagulabitur corpus meum, & ero in vacuitate mea.

Respondit sol, si feceris hoc & non intuleris mihi nocumentum ô luna, & revertetur corpus meum, postea novam dabo tibi virtutem penetrationis, postquam potens erit in prælio ignis liquefactionis & purgationis, ex qua ibis sine diminutione & tenebris, sicut æs & plumbum, & non impugnaberis, cum non sis rebellis.

Beatus qui cogitat in eloquio meo, nec dignitas mea ipsi negabitur, nec vilescet per carnem infirmatus Leo. Quod autem successisti mihi, non nego aptum augmentum plumbi. Igitur desinet lux mea, extinctus est decor meus, quoniam capient de ære mei mundi corporis, & à pinguedine de plumbo verificato, in syllogismo pondus eorum absque sanguine hircorum, & discernit verum à falso. Ego terrum durum siccum, ego fortis pistans, omne bonum per me est, & lux, secretum secretorum per me generatur, nec res est agens actionem meam,

Quod habet lucem, factum est in luminis obscuritatem, postquam verò deductum est ad perfectionem, convalescit à languoribus, & à tenuitate, & apparebit illud magnum fluxibile capitis & caudæ. Et hæ duæ proprietates, & septem ordines ponderum, quinque eorum scilicet absque obscuritate, & quinque lucentium est pulchritudo.

Expositio Horum dabitur tibi de virtute mea, & proprietate solis de computatione mea, &c. Solis perfectio.

Sol est clavis cujuslibet Januæ, & quod restat sine dubietate, est in firmamento directo determinante. Hæc est distinctio septem partium, hæc divisio est directionis & spoliationis, quæ has res sordium jubet revertere in decoctione, & infirmatione ad temperantiam suam reversorum pullorum, hæc est coagulatio absque divisione. Posteaquam feceris illa septem, quæ divisisti per septem stellas, purgasti & hoc tritum minute, donec videantur sicut margaritæ in similitudine, hæc est dealbatio, detegens dubium societatis ad aquam nubium. In hoc ostendit tibi flores aureos, extremitatem omnis coloris, conversi in similitudinem pavonis, quod introitu residui numerorum stellarum remanentium in corpore decoctum est à qualibet stella singulariter. Hæc est perfectio coagulationis sine fallacia, & factus est Sol perfectus.

Tinctura.

Pater ejus ignis est, & in igne crevit, nec timet terminum ignis, sed fixus est, & non fugitivus. Pingitur in corpore usquè ad cor, hoc est vilis filius, inter filios charior, præparatio ejus est

difficilis & occulta. Et homines in vanum ambierunt eam, & hoc est simile ei, non possederunt, cum nunquam noverint in æstimatione. Sed cum sit difficilis, delicabilis, facilis, modica, levis, propinqua, intelligit ipsam ingeniosus, subtiliter arbitrando, qui fuerint clarificati animi ex libris relictis, quos occultaverunt philosophi, propter præparationem, quæ est difficilium rerum, Hoc est quod coruscat in Elixir, & quod habet de tinctura impressionem, & incipit à potente, & perducit ad actionem.

Omnis præparatio vana est propter hanc, illius rei quam composuerunt prohibitione ejus ab actu suo infirmata est. Facta ignota, propter hoc, est cognoscat omnis animus concupiscentiam suam. Fluit, quod videntes dicant.

Præparamus eam cum omni præparatione, nec adepti sumus eam, & cum scientia fecimus illam, & cum præparationibus sapienter operati sumus. Et per hoc stultis sunt stultiores, qui præparaverunt illud, quod non habet tincturam in se, ex omni re quæ tendit ad nihilum, & credunt bene facere, sed nihil acquirunt præter laborem, & sunt per hoc inflati, quia in impossibilitate excæcati sunt à veritate, & præparantes ab opinione sua cadunt.

Dixerunt sapientes antiqui: Hircus est nec cognoscit, convenit apud considerantem, & videntem ad arandum sive pascendum cum camelis. Superbit enim ex eo quidam sapiens & sciens, & quod omnis sciens novit, quomodo etiam erret vulgus, habens oculos clausos, dormit, cujus barba convenit pueris. Si habuerint eam, non inveniunt ejus præparationem. Et res non perficitur, nisi cum præparatione, & hoc est quæsitum Omnis opinio ipsorum est fallax, quod attraxerunt ignorantes in suis sermociunculis.

Ignorans scrit ignoranter colocynthiden, & sperat inde melius comedere, sed quando quod sperabat non invenerit, redit ad cognitionem suam, & extendit eam, & dicit hoc est ex infortunio. Et hirci deinde quærunt in testis capitum, & in nervis, & in ventribus, cum vita sit sine ipsis. Nonne hoc est ex paucitate distinctionum ignorantium & vituperantium? Si dicerem aves homines, aut grana tritici fructificant galbanos. Aut palma portavit mala etiam granata, aut volatilia portaverunt pisces: Respondetur fabulam dixisti: Non generant res, nisi sibi similia, aut fructificant res, nisi fructus suos, nonne convertentur à sua ignorantia? Oves malæ, & à vituperio actus earum ipsis veniunt, sed priùs à dubitatione. Dixerunt patrem argenti & auri esse in terra & mari. Quidam dixerunt esse in arboribus, alii dixerunt in lapidibus, & abbreviati sunt in his super erroribus ex credulitate rerum inventarum, & removerunt laudabilia, veram significationem scientiæ, ex masculis hircibus oculis videre res manifestas ex oculis virorum & mulierum. Per dicta si consideramus stellas, non est inter nos diversitas in hoc, quod opinamur.

Ex his & per hoc præparat sapiens, & per hoc operatio nostra surgit, per feras vel per aperientes feraturas. Per Deum si porrecta fuerit ad eum palma, non revertetur vacua, & hoc adulterat occupationem ejus in eo, nec scit, quæ sit perventio, nec clavis, nec mutat feras, & coagula tinctorum, propterea non pervenit ad artem.

Fixatio.

Et quicquid figitur de duobus, ex uno similiter potest figi, sumenda est pars alia in scientia, absque partibus, & factum est totum totius oculi. Accipiantur autem cum scientia & figuris, scilicet solis & Lunæ, respicias ad radices cum ramis separatim duplicatas à conjunctione & ligatura duarum avium in cauda, qualiter prohibetur una ab ascensu ejus, quæ est sine plumis propter paucitatem humoris, qui est sulphur rubeum verum. Et nomina & cognomina excæcaverunt in libris suis, & videntes bene probaverunt scientias eorum, hoc est tinctum & tingens, quod super quolibet igne durat. Et cum vicinatur igni, est venenum, quia omne venenum est in eo, velut in luminaribus, & factum est habens splendorem. Abcisſę sunt ab eo alæ, & pennæ, & est manens, non recedens ad superiora, anima ejus volat propter similitudinem suam, tunc lucerna cum habente alas ascendit in statu, ascendit ab eo anima ejus, & exaltatur ad cœlum, ut est sol, ut est oriens in Luna crescente, tunc ad ipsum revertetur & vilescit animari eum, & humiliatur.

Sublimatio.

Desponsavi ego duo luminaria in actu, & factum est illa quasi aqua in actu habens duo lumina, sicut videmus solem habentem duos radios super cinere mortuo pluentes, & reviviscit quod fuerat morti deditum, sicut mortuus post inopiam magnam. Hæc est soror & hic est frater ejus, per quem induraverunt & desponsaverunt subtilitate præparationis, figentes eos. Sed postquam facta est conceptio, volare fecerunt, & fuerunt in domibus montium, hoc significat crescenti luminari, lunam crescentem, & aves duas ex ea.

Respice igitur præparationem ejus primam, & cogita hoc, & solem, & soles duos, hoc est utilia ex tribus, & tres comparationes rubeum habentes splendorem. Quatuor, si sunt ex quinque quæ non impellunt, & tria ex duobus sumuntur, & sol & soles duo, non ascendunt.

Triplex est anima hujus projectionis, virtus superioris & inferioris est similis. Dixit vero Hermes Corona sapientum facta est residuum hujus aquæ, quæ non permittit rem in aquam, sicut tenebræ, sed vivificat terram sicut accidens pluvia & terræ, sicut duo tertia, & tertium combustum, & congregata est in illa prima, sicut vides ejus imaginem depictam, nec est in aperto quod remansit. Sera & sera, infra seram, clavis ei una existit, vilis radicis, & id quod in operatione projicitur ignorando, minus est vilius. Cooperite figuras expositioni, non enim habemus imaginem præter picturam. Videns hanc habet considerationem & discretionem clavis, nempe solem radiantem cum justitia, & non cum injustitia.

Coagulatio.

Hoc carmen sequitur expositionem figurarum ejus & imaginum verbis planis & manifestis, licet prolongetur ex repetitione dictorum. Alterum est ignis quietus, & est terribilis, forma ejus gloriosa. Congelatum autem est eadem aqua, tamen est congelata, & aqua currens est mater congelati, & ex ea est & fuit fœmina, & iste masculus.

Dixit iterum Maria. Aqua quam jam memoravi, est rex de cælo descendens, & terra cum humore suo suscepit eum, & retinetur aqua cœli cum aqua terræ propter servitium suum, & propter arenam, suam honorat eam, & congregatur aqua in aquam, Alkia in Alkiam, & dealbatur

alkia

alkia cum Aſtuam. Sunt verba actoris qui voluit directionem animæ in ſpiritum, donec commiſceatur, id eſt, conveniat, & fiat res una, velut marmor. Et ſcito ſimiliter quod dictum eſt de aqua quam memoravi, quæ eſt rex qui de cœlo deſcendit in terram, cum humore ſuo ſuſcepit eum, & retinetur aqua cœli ab aqua terræ. Voluit per hoc aquam divinam, quæ eſt anima, & nominavit eum regem, quia ſpiritualis, & ex terra extractus eſt, & aſcendit ad cœlum Et quod dixit de cœlo venit, voluit per hoc reductionem ad terram ſuam. Et hunc regem quem nominavimus, exponam tibi per illum genitum quem memoraverunt, gignitur in aëre, & fuit conceptus ejus in terra, vel inferius, & hæc eſt virtus ſuperior cœleſtis quam acquiſivit aqua, quæ extrahit aërem de aqua.

Dixit Hermes. Perficitur in ea virtus ſuperior & inferior. Et de illa dixit Marcos. Non cognovit eam neque concepit eam mater ejus. Et dixit de ea alius ſapiens. Hoc eſt ovum generatum in aëre, ex ſubtilitate aëris & terræ. Et de ea dixit Calid filius Seid. Accipe ovum ruffum de meliori minera quam poteris reperire, quæ neque in aëre, neque in terra exiſtit. Nominavit eam ovum ruffum, quoniam exaltatur, & fit aër, quia color aëris eſt ruffus, per quod vult intelligi animam quæ eſt aqua. Et in hoc quod tibi expoſui, diverſitas eſt in dictionibus, ſed intellectus eſt idem. Sermo eorum eſt idem, verus, non diverſus tamen, diverſi turpiter uſi ſunt exemplis. Item quod dixerunt in diverſis locis: Aër alienus incorporatus, ſignificat per hoc ſolamen extractum ex oppoſito poſt ſolutionem & deſtillationem. Et hoc fere ſolum manifeſtum eſt, & eſt cinis extractus ex cinere, & hic eſt cinis de quo dixit Alhomianes.

Quis quærit ovum? an inveniet in eo diem pulchrum? id eſt non exibit eis de cinere ovorum, linis. ſuavem faciens illorum præparationem, & pulchram, & coagulantem aquam eorum, ſicut ille dixit poſtea. Et retinebitur aqua cœli cum aqua terræ, & eſt idem interius. Deinde dixit. Et congregatur aqua, & aqua retinebit aquam, & amaritudo amaritudinem, cinis cinerem, & albriam retinebit albriam. Et hoc eſt illud idem, nec eſt qui inveniat aliam operationem.

Dixit ſapiens: Invenit proximus proximum ſuum. Item alius: Aqua retinet aquam, videlicet ſpiritus & anima quando decocti fuerint in iteratione deſtillationis, & tunc permiſcentur permixtione univerſali, & unus retinebit alterum, & fient unum: Unum in ſubtilitate & ſpiritualitate, & hoc totum eſt illud quod vidiſti pictum.

Verum duo ſoles qui ſunt in uno, & ſol ſimplex, eſt terra exiſtens ſub ipſa aqua ſplendente. Et radix hujus aquæ ſunt ambæ aves colligatæ, quarum utraque retinet caudam alterius, & radix harum avium eſt luna plena, & hæc eſt Magneſia & Abarnahas perfectum.

Quidquid autem pervenit ad te ex parabolis, ſimilitudinibus, nominibus, gemmis, floribus, ſulphure, arſenico, & argento vivo, de Cambar, & omne nigrum, rubeum & album: Et omnia humida ex acetis, lactibus, ſanguinibus, urinis, ſpermate, fellibus & his ſimilibus: Hæc omnia ſignificant hanc aquam divinam. Et omnis aqua ei ſimilis, quia aſſimilaverunt eam omni ſubtili ex humidis & aliis, & ovo compoſito ex rebus.

Explanatio Tabulæ.

Dixit filius Hamuel, author hujus operis. Feci inimicos in carmine figurarum & imaginum, quas prædixi fuiſſe deſcriptas in marmore in gremio ſapientis, exiſtentis vel ſedentis juxta hoſtium Thalami, in domo quam ſibi ædificaverat, quibus imminebat ad ſapientiam ſuam, ſicut præceſſit in dictis meis in initio carminis mei. Deinde cognovi explanandam eſſe prædictarum figurarum, ſignificationem, & quidem modo perfectiore quo poſſum exponere, ad denarrandam hujus rei virtutem, teſtimonio authoritatum ſapientum antiquorum. Unde intendo ſermonem dirigere ad omnia quibus indigent illæ figuræ & imagines explanandæ, & radix earum & facilitas præparationis primæ & alia quædam.

Figuræ autem illæ quas ordinavit ſapiens, ſunt ſicut radix ſapientiæ & præparationis, & ſunt ſcientia ſapientiæ totius. Et cum ipſe non explanaverit totum, & indiget explanari multis expoſitionibus, aſſignationibus & ſimilibus coloribus, & nominibus quibus nominatur in ordinibus præparationis, & feci hoc apud finem carminis, exponens manifeſtè, & explicavi ſermonem ſicut mos eſt ſapientum antiquorum, ut addatur intellectus interius & certitudo, & reveletur quod in aliis eſt coopertum. *Et figuratur in eo Aqua foliata*, puri coloris, & illa eſt quam nominaverunt ſapientes illis nominibus. Nominaverunt etiam ipſam aquam divinam, & terram ſtellatam. Feci autem hoc propter multiplicitates eorum quæ memoravi, & multiplicavi ex aſſignationibus in ea, & eam demonſtravi ex nominibus eorum cum coloribus.

Dixit Sapiens. Hæc explanatio demonſtratio eſt ſine invidia, nec aliquid typici feci, ſed eam plenam & manifeſtam indicavi.

Tabulæ ad dextram Significatio generalis.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 12.) Scias ergò quæ ſunt quas deſcripſit ſapiens decem figuræ. Quinque ad dextram tabulæ uſque ad medium, quæ ſunt luna ſemiplena, & luna plena ex altera parte ſupra in margine tabulæ. Et tria alia inferius. Scil. duæ aves, & luna plena, & illa ſunt quinque, & hæc eſt medietas primi temporis, quam non præcedit alia præparatio. Hæc medietas initii operis eſt, deſtillatio, tenuatio, & extractio Animæ à corpore in aqua ſpirituali, & hoc corpus, eſt lapis eorum compoſitus. Deinde deſtillatio *aquæ ſolius. Hoc eſt noviſſimum primi operis, & eſt aqua munda.*

Tabulæ ad ſiniſtram generalis Demonſtratio.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 12.) In alia vero medietate tabulæ uſque ad extremitatem ejus declinantem ad ſiniſtram, erant quinque ſicut vidiſti deſcriptas in carmine, quæ ſunt tres ſuperiores, una ſimplex, & una ex duabus, & hæc eſt duorum in uno, & hæc eſt figura ſolis, habentis duos radios deſcendentes, & ſol ſimplex habens unum radium, & eſt figura unius in una Et ſubtus in inferiore parte tabulæ figura, ſimiliter duorum in uno, & hoc eſt quod nominavit mundum inferiorem.

Tria verò ſuperiora, imago eſt divinæ ſpiritualitatis, in qua eſt aqua portata, quam vocavit aurum, & nominant hanc aquam divinam naturæ omnis humidi, ex acetis, urinis, & lactibus, pinguedinibus, ſanguinibus, & ſpermatibus. Et vocant iſtam aquam nominibus omnium tincturarum, & florum. Et intendunt per hoc animam lapidis, quam exaltaverunt in aquam iſtam ſuam, & hoc eſt propter generationē ſuam in præparatione ſecunda.

Similiter nominant hanc aquam Nubem vivificantem, mundum inferiorem, & per hæc omnia intelligunt Aquam foliatam, quæ eſt aurum Philoſophorum, quod vocavit Dominus Hermes Ovum, habens multa nomina. Mundus inferior eſt corpus & cinis combuſtus, ad quem reducunt Animam honoratam, & cinis combuſtus & anima ſunt aurum ſapientum, quod ſeminant in terra tua alba, & terra margaritarum ſtellata, foliata, benedicta, ſitiente, quam nominavit terram foliorum, & terram argenti, & terram auri. Per omnia illa intendunt corpus ſuum calcinatum & dealbatum.

Iſta aqua triplex eſt Sol deſcriptus cum duobus radiis, & eſt figura duorum in uno, & ol ſimplex habens tradium unum, & hæc eſt figura unius in uno, quæ ſunt terra. Et hæc eſt aqua ex duobus naturis, & vocat hanc aquam triplicem, quia eſt unum in quo ſunt tria, videlicet aqua, aer & ignis. Et terra nigra exiſtens inferius, eſt mundus inferior, ex duobus permixtis & temperatis, & eſt figura duorum in uno, & hæc eſt terra ex duobus corporibus, & iſta ſimiliter ſunt quinque, quæ ſunt ſcilicet ſphæra ſicut luna plena, & in ventre ejus eſt figura lunæ, & duo radii & tertius radius deſcendens de cœlo inferius ſcilicet ab extremitate tabulæ ſuperioris ad extremitatem inferioris, circumdans terram. Hæc eſt tertia terra. Prima quæ intrat in corpora eorum. Secunda quæ eſt terra eorum ex opere Lunari quod eſt initium operis ſecundi.

Secundum quod ſequitur eſt rubificatio, quam vocant opus ſecundum & opus ſolis. Et hæc tertia pars aquæ diviſæ in novem partes, & hoc tertium eſt dealbatio ſecundæ, quæ eſt initium operis ſecundi, præter ſecundam denigrationem quæ eſt denigratio prima ſecundi operis, quæ denigrat terram eorum albam quando intrat ſuper eam, deinde dealbat eam, & hanc dealbationem ſecundam vocant Philoſophi ſapientes dealbationem primam, quia eſt initium ſecundi operis, poſtquam fit rubificatio cum reſiduo novem partium aquæ, quia projiciunt præparationem primam totam, quæ eſt diſſolutio, deſtillatio & extractio ſpirituum de lapide ſuo, poſt diſpoſitionem ſuam, & temperationem primam, quæ non præcedit operationem, & nominaverunt opus ſecundum quod eſt dealbatio ſecunda, & initium ſecundi operis. Et nominaverunt opus ſecundum rubificationem ſolarem, & dealbationem Lunarem. Intellige hæc ſophiſmata in ſermonibus ſapientum.

Et hoc quod ante aſcendere feciſti ſupra has tres partes aquæ præparatæ, ſupra terram eorum albam foliatam, ſolvetur totum, & fiet terra una, & aqua ſuper eam colore picis liquidæ, Unde neceſſaria erat præparatio prima. Sicut conſuetudo eſt, Et hæc eſt putrefactio corporis cum igne beſtiarum ſubtili, levi, 150. diebus, & fortè apparebit in 50. Et quidam dixerunt 120. diebus, & forſan apparebit albedo 70. Nec approbatur hoc apud eos, quia fortè albæ ſignificant calorem ignis, & bonitatem præparationis, quæ apparet prius, quia hoc ſignificat intentionem caloris ignis.

Reſiduum verò aquæ ſunt ſex partes quas nominant tincturas, & aquam rubeam, & ſanguineam, & nomine omnis rubei, & ſunt albæ in manifeſto, colorant in rubeum. Et opus ſecundum eſt albificatio, & ſapientes hæc duo opera in unum contraxerunt. Nam quando loquuntur de uno, loquuntur etiam & de alio, unde diverſificantur legentibus eorum ſcripta.

Cum ergo mundata fuerit nigredo, & reducta fuerit albedo, imbibunt terram ſuam illis partibus, quæ ſunt ſex partes, diviſæ in ſex filias, & habent decem colores apparentes in compoſito, ſcilicet ſecundum numerum novem aquilarum, & decima eſt fex, de qua extractæ ſunt, quas memoravi in prologo carminis præcedentis, quas vidi depictas in toto Elbarba ſcilicet domus, & quod in pedibus de potentiis quas ibi memoravi.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 12.) Hæc ſunt omnia quæ ibi erant depicta in tabula, quæ deſcripſi, ſicut tunc reperi, & contuli ſcientiis, ex his quæ in epiſtolis ſuis ſunt. Et novi intellectum quem indicavit ille ſapiens, ex eo quod reliquit nobis opus ſuum velatum, quod deſcripſit per figuras. Hoc fecit ut eſſet propinquum inquiſitoribus hujus ſcientiæ.

Et radix horum decem quæ ſunt perfectio operis, ſunt quinque ſcilicet maſculus & fœmina, & tres ſorores eorum, ingredientes ſuper eis, quæ ſunt ſalſatura, ingredientes ſuper maſculum & fœminam. Prima autem ſalſatura ſecundum ipſos, eſt ſimiliter maſculus & fœmina.

Secunda quam vocant hic aërem, quia jam pervenit in præparatione, quam præcedit ſalſatura ſecunda quam memoravimus, & facti duo maſculi ſuper unam fœminam. Deindè ingreditur ſalſatura ſecundò in eo recens, quæ eſt fœmina ſecunda, & facta ſunt univerſa quatuor, ſcil. duo maſculi & duæ fœminæ, ex quibus exierunt quatuor colores, & hi ſunt numerus ejus. Intellige hoc principium numeri, primum & ſecundum, & dicis duo, & illa ſunt tria in numero, deinde dicis tria quæ ſunt in numero ſex, deinde dicis quatuor, & fiunt in numero decem, numeri manifeſti, occulti autem ipſorum quatuor. His autem numeris perficis Magneſia, quæ Abarnahas exiſtens ex quatuor. Decem verò ſunt quatuor, & ex eis extrahuntur, & quatuor ex eis ſunt decem, Hæc ſunt quatuor naturæ, ſcilicet terra, aqua, *aer & ignis, ex quibus conſiſtit omnis creatura.* Intellige autem hoc.

Aër autem germinare facit ſegetes, & aſcendunt per eum ad aëra, & propter extenduntur & creſcunt, propter quod dixerunt, cum ſit aër mediator inter ignem & aquam, per calorem & humiditatem ſuam propterea ſuſcepit ignem & aquam, eſt enim vicinus igni per calorem, & aquæ per humiditatem.

Significant ergò *per mediatorem aerem, quia omnis ſpiritus ſubſiſtit ſubtilitate fumoſitatis aeris, propter quod diximus, quod natus ſapientiæ in aere naſcitur, quando ſublimatur ad Alembicum. Propter quod fit aqua vivificans* terram illorum, & embrionem qui eſt in terra, qui eſt anima ex corpore eorum.

Secundo quando reducitur ad id circa finem operis, & ſcito quod aër exiſtens inter cœlum & terram, per quem exiſtit vita uniuſcujuſque rei, & currit ſuper veſtras quatuor naturas in occulto, quæ ſunt terra, aqua, ignis, aer, & currit ſuper illas in ſtatu rectitudinis, & meliorationis, & eſt calidus & humidus.

Similiter eſt anima extracta ex lapide eorum, quando exiſtit vita ejus, poſt mortem ejus. Et ſicut aër eſt vita uniuſcujusque rei, ſimiliter aqua eorum eſt caput operis eorum, & clavis, & vita corporis defuncti eorum, quæ eſt terra eorum benedicta ſitiens. *Et ſicut aer eſt calidus & humidus, ſimiliter aqua eorum eſt calida & humida*, & eſt ignis lapidis, & eſt ignis circundans, & humiditas aquæ eorum eſt aqua. *Et cum*

aer

aer diutius coqueretur, factus est ignis, in forma aëris habens actionem ignis. *Nam postquam labor iste super* aërem *reiteratus est, & iteratus est calor super ipsum*, factus est *fortioris caloris, quo comburunt* res imas & denigrant, & dealbant, quia factus est operans operationis, ignis, non in veritate, sed secundum *similitudinem vocabuli operationis ignis.*

Dixit Hermes rex Græcorum, in illo aere est aer, & non aer. Item dixit Ignis eorum quem tibi monstravimus est, aqua, & ignis noster est ignis, & non ignis. Et sicut dixerunt sapientes. Homines attrahunt spiritum ex aere, ex quo nutu Dei constitit spiritus eorum. *Similiter æs sapientum attrahit spiritus ex humiditate eorum, & virtutem acquirit, & crescit* illud æs, & nutritur, sicut cæteræ res augmentum recipientes. Et scito quod per attractionem aeris viget spiritus, & per ipsum est vita ejus. *Significatur per hoc anima lapidis, quæ facta est tenuis per extractionem spiritus in fixione. Et per illud quo induta est, facta est tenuis & subtilis ad multiplicationem caloris* in fixione ignis, scil. in virtute ignis & combustione ejus. Cum autem accepit vitam ex aëre, quæ est vita uniuscujusque rei ex animalibus, & vegetabilibus, in quibus est augmentum, fiet aër & vita illius quod ingreditur & vivificat illud mortuum, post mortem suam, propter quod dixerunt sapientes. *Converte aquam in aerem, ut fiat vita quod in ipso est*, & spiritus illius qui ingreditur cum eo, ex quo fit vita uniuscujusque rei, & aër similiter vivificans unamquamque rem. Aër verò ex aqua est, nec separatur ab ea, & ex ambobus constitit vita uniuscujusque rei.

Scias ergò hanc præparationem, & hunc intellectum, & dimitte alia, nec est ex animalibus, nec ex vegetabilibus, & lapidibus, inanimatis, adustibilibus, corruptibilibus, aliquid simile huic præparationi, quibus omnibus inaniter homines occupantur.

Hæc est enim aqua calida, & aër quietus, & terra liquescens & ignis circumdans. Et hoc est quod ipsi *fecerunt aquam suam corpus, cum ad ignem figeretur*, in quo virtute caloris spoliaverunt eum sua superflua humiditate, deinde unius in aquam solverunt, postea in præparatione ut ignis ipsum exaltaverunt in aërem.

Hinc deinde addiderunt præparationi suæ, hæc facta est calida, ignea, adurens, potens, quam vocaverunt ignem operatione sua, & erant hæ quatuor naturæ in ea, & ex ea, & per eam generatæ sunt, & convenerunt repugnantia in hoc unico. Propter quod hæc Anima quæ ingreditur, *fit vitalis in spiritu, per attractionem aeris, ex reiteratione sublimationis ejus*, id est, destillationis, ex qua *reiteratione fit ignis, sed fortioris caloris & adusti onis quam ignis.*

Hæc est præparatio, qua excæcati sunt homines, & erraverunt errore longo cum ignorent hunc lapidem hac præparatione præparatum. Et pervenit in hanc aquam præparatione prima virtus superior & inferior. Sicut dixit sapiens studiosis, qui est mare sapientum. Hermes. Et facta est dominans superioribus & inferioribus, & faciens mirabilia in re, & ejus contraria, quia denigrat, dealbat, & rubificat, indurat molle, & mollificat durum, & frater ejus est cinis extractus à cinere, cum corde eorum albo.

Secundo quod vocat terram benedictam, sitientem, & cinerem qui est fermentum. Auri aqua aqua est fermentum, & corpora sunt terra eorum, & fermentum hujus aquæ divinæ est cinis, qui est fermentum fermenti. Quod vocavit Maria sapiens in quodam loco librorum suorum, Coagulum, cum sit coagulans aquam illorum, in terra eorum, quæ est corpus secundum. Et hæc est Corona victoriæ, & vocaverunt ipsum argentum propter intensionem albedinis ipsius, & hoc in aqua illorum foliata significaverunt per dictum suum: Commiscete aurum cum auro, id est, commiscete aquam & cinerem. Et de hoc cinere, & de hoc corpore eorum secundo dealbato dixit Hermes filio suo: Semina aurum in terra alba foliata. Nominavit ergo hic Hermes aquam illorum albam, aurum, ideo quod Anima tingens latet in aqua illorum alba, cum dominetur ei spiritus calore suo & albedine. Vocavit corpus eorum terram albam foliatam. Luna plena est aqua Philosophorum, & radix scientiæ. Est enim Luna dominatrix humorum, & Luna crescens superius, & Luna duplex superius, sunt tres partes aquæ.

Et innotesco tibi ô fili, quod investigavi super communicationem Lunæ plenæ, per figuram Lunæ quam descripsit sapiens juxta Lunam plenam, quæ est vicina illi; & fecit significationem ejus, & nisi esset bona illa sphæra, quæ est figura lunæ plenæ, ignoraretur quid esset. Et hæc semper est Luna apud perfectionem, & plenitudinem sui luminis.

Et per omnia illa intendit sapiens opus inventum approximare inventis.

Et Luna plena est Magnesia quæ est Abarnahas perfectum, & est lapis perfectus & rotundus, & est mare, unde intellexi, quod hæc est radix scientiæ hujus occultæ. Intellexi etiam quod duæ aves sunt ex Luna plena, quia sapiens depinxit eas juxta, sicut descripsi tibi in loco suo inter carmen meum, ut scias & intelligas illud. Cum autem depinxisset eas, & etiam depinxisset ex altera parte Lunam semiplenam, quod ipsæ essent ex ea, & idem sunt rami ejus, & illa est radix earum ex qua sunt, & quod illa est totum, & pars totius. Et quod ex illa egrediuntur duo fumi, quorum caput unius est ad caudam alterius, sicut vidisti. Et hoc est quod sapiens fecit sermonem harum, sicut fecit plenæ Lunæ, ut significaret per suam Lunam plenam, quod duæ aves essent colligatæ ex ea, &ego cognovi rem ad quam intendit, per Lunæ plenæ figuram, quid sit. Quia Luna est domina humiditatis-

Specialis Investigatio Tabulæ ad dextram positæ, quæ continet operationem & materiam primam Lapidis benedicti.

Et I.

De duabus Avibus invicem junctis.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 12.) Et scito, quod istæ aves sunt masculus & fœmina, quos indicant sapientes, & ipsi sunt Lapis eorum, cum desponsati fuerint & coagulati, sicut vidisti figuram eorum, quod coagulati erant & conjũcti, & facti una res. Apparet tamen quod sint duo, & illa res una ex duabus quæ coactę, factę sunt una res, id ex quo fuit, & hoc est Luna plena. Et in statu diminutionis, & plenitudinis ejus aspectus plenæ Lunæ. Et unaquæque illarum avium retinet alteram. Coagulatum autem retinet Kaled, id est masculus retinet volantem, & volans est fœmina, quæ habet alas integras, & volans vult volare cum alia, sed avis quæ non habet alas, retinet illam. Et hoc principiũ primi

operis eſt. Prohibet autem volantem à volatu, & ipſum facit ſtare ſecum, & colligatæ ſunt & retentæ, & incarceratæ. Maſculus autem eſt, qui ſine alis exiſtit ſub fœmina, fœmina verò habet alas. Propterea dixerunt: Projicite fœminam ſuper maſculum, & aſcendet maſculus ſuper fœminam.

II.

De Tribus Lunæ Imaginibus, quæ circa has duas Aves conſpiciuntur.

Vid. Tab. III. Fig. 12.) QUando autem ingredi feceris ſuper eis tria alia, videlicet Lunam duplicem & crelcentem fiet totum aliquid, ſed non ingreditur ſuper eos unaquæque pars trium, niſi in vaſe ſuo, & in ordine ſuo ex præparatione, nec ingrediuntur ſimiliter. Cum verò duæ fuerint perſonæ, & tres fuerint perfectę, *coagulabitur totum, & fiet unum.* Duo verò prima erant Abarnahas imperfectum. Sed quando ingreſſæ ſunt tincturæ, & pluerunt pluvię de cœlo, tunc eſt Abarnahas perfectum, & hoc eſt ovum ruffum, quod habet in ſe totum, quod eis eſt neceſſarium, & eſt mare eorum, & pater auri, & mater cœlorum, & propter hoc nominaverunt lapidem hunc *poſt dealbationem ejus ſecundum aurum.* Et dixerunt, aurum noſtrum non eſt aurum vulgi, & illud ſignificaverunt in dicto ſuo, ante ſalſaturam, quæ eſt dealbatio.

Poſtquam denigrati ſunt maſculus & fœmina, dealbaverunt aurum, & hæc ratio habet triplicem intentionem. Primò dixerunt dealbata avis, hoc eſt compoſitum primum, quod eſt maſculus & fœmina, quia denigratum eſt, poſtquam dealbavit id fœmina, & vicit colore ſuo. Deinde denigrati ſunt duo, quia iguis denigravit id cum præparatione, & nominaverunt illam denigrationem primam conjunctionem, quia conjunctus maſculus eſt fœminæ. Et eſt ſignum perfectæ conjunctionis, & ſuſceptionis unius alterius. Et hoc non inaverunt opus nomine omnis nigredinis, ſicut in denigratione ſecunda, videlicet carbonem montis & picem, & antimonium, & alkali, & martali, & aliis nominibus. *Et hoc eſt argentum vivum extractum de Cambar*, ſine typo & ſimilitudine, & eſt animæ extractio à cinere, & cinis qui eſt mundatus poſtea fit fex, quia ulterius non indigemus ipſo.

Nominaverunt ſimiliter cinerem ſuum calcem & vitrum, & Lithargirium ſuum, & aquam mundam, quia mundata eſt à tenebris animæ, à materia nigredinis. Separatur enim ab ea malitia ejus, quæ eſt terreſtritas mala. Et hæc ſunt folia & flores ejus, ſcilicet anima, & ſpiritus ejus qui ſunt in ea, & vocaverunt aquam coloratam à coloribus ſuis.

Alius autem intellectus hujus orationis eſt dealbare aurum, & *eſt præparatio animæ cum aqua ſpirituali*, donec dealbetur, & dominetur ei cum colore ſuo, & fient ambæ albæ reſplendentes, habentes lucem & ſplendorem, deinde colorat anima. Cumque pervenerit ad hunc terminum dealbationis & præparationis, *factus eſt ſubtiliter ſpiritus*, cum quo præparata eſt, & vocatus eſt tunc ipſe ſpiritus, aqua purificata, aqua divina.

Tertius hujus orationis intellectus eſt dealbare aurum, ſignificat dealbationem corporis eorum, quia eſt terra corum alba, poſt ingreſſionem trium partium primarum ſuper eo, ex novem partibus, & manifeſtationem nigredinis in eo. Unde dixerunt dealbate aurum, ſignificaverunt hoc dicto tertium intellectum. Cùm ergo dicunt dealbate aurum, comprehendunt hos tres intellectus in hac oratione una. Et nominant hæc tria, de primo maſculo auri, & vocant animam extractam ab eo poſt complementum lapidis, cum ſuis permixtionibus auri, & eſt aurum ſapientum in virtute. In quo dixit Hermes: Seminate aurum in terram albam foliatam. Terra alba foliata eſt corona victorię, quæ eſt cinis extractus à cinere, & corpus eorum ſecundum. Nominant autem corpus eorum, in quo ſeminant aurum ſuum. Cum autem dixerunt in libris ſuis ſecundum ſimilitudinem exemplorum: Extrahe ſalem Alkali, ſcilicet per nigredinem, intelligunt, corpus ſuum, & per ſalem ſuum cinerem, & animam, quam extrahunt ab eo. Homines verò qui legunt in libris modernorum dicunt & extrahunt ſalem alkali tinctorum, & operantur cum eo, & non proſperantur in aliquo, & per hoc & ſimilia deviarunt homines à cognitione lapidis eorum.

Et ſcito *quod hæc denigratio eſt tinctura totius*, quæ redit poſtquam cooperit albedinem tinctura, & hoc eſt in fine præparationis, & poſt complementum deſtillationis & reductionis aquæ ſuper terram. Solvunt enim hanc tincturam cum humiditate, quæ eſt ex ipſo in principio, & in fine cum igne, ſicut vides gramen Hoſpho ſeu offoto in gramine ſuo cum aqua & igne naturaliter augmentari & nutriri, & generatur in eo tinctura, ex eo, & in eo. Unde oſtendit nobis Heſſor, in quo eſt tinctura in cacumine ejus. Et propter hoc dixerunt: Vertite aurum in folia, id eſt, facite ut habeant colorem foliorum, ut ſint folia noſtra color. Voluerunt enim per hoc dealbationem ejus primam, quam nominaverunt ſalſaturam, & coagulationem totius in album.

Projicite folia, id eſt ſolvite ut fiant aqua, & cum corpus fuerit album, tunc extrahe animam ejus, quæ eſt ſulphur ipſius, & tinctura ejus, quam vocant gemmam & gluten auri, *& extrahitur poſt putrefactionem & ſolutionem in aqua eorum ſpirituali, cum ſublimatione & deſtillatione.* Et hoc nominaverunt cribrationem. Unde dixerunt Cribra illud cribro, & filo, id eſt cucurbita, & alembico. Unde occultaverunt hoc nomen cucurbitæ, & alembici, & dixerunt cribro & filo. Nam quidam ſapientes (quos vocant avos mundi) dixerunt vas ſupra vas.

Cùm autem extraxerunt illam Animam, & ipſa perfecta eſt in aqua ipſorum ſpirituali, quæ eſt ſpiritus humidus, prœparans illam ſolam cum aqua ſua in ſublimatione, donec attenuetur in deſtillatione per rectificationem, & clarificetur & convertatur in ſpiritum, cum ſpiritu humido, quo madefecerunt eam & diſſolverunt Et poſtquam *erat corpus fixum & ſiccum, accommodaverunt ei animam per putrefactionem & ſolutionem*, deinde cum ingenio *extraxerunt* eam à corpore ſuo, illam *retinente*, Diſtractione autem & diſſolutione corporis ſic facta, manſit ipſa *in aqua ſibi ſimili*, quæ eſt pater ejus in præparatione, donec convertat ipſum in ſpiritum, tunc penetrat & extenditur in corporibus cum ſpiritu humido, quem nominant ſapientes avem Hermetis, quia præparator eſt ſive rector corporis ejus, & extractor. Et ipſe eſt reductor ad corpus ſuum, quod vivificabit poſt mortem ſuam, per hanc vitam poſtea nulla erit mors, *Propterea quod vita infunditur ſicut ſpiritus corpori.*

Deinde fecerunt hoc corpus, quod nominaverunt ignem cum diſſolutione animarum, & mutaverunt ipſum ab anima cum humiditate, & factum eſt calidum humidum, & tunc nominaverunt animam, & ſanguinem

& sanguinem aëris, & aurum, & tinctutam, & nomine uniuscujusque rei sibi simili.

Nominaverunt similiter ipsam Embrionem, & genitum. Cœpit autem esse Embrio per multiplicationem adscendens ad aëra, & descendens cœpit esse in hac aqua præparata prolongatione præparationis, res non existens in ea. Propter quod dixerunt sapientes: Facite res esse rem, & propterea factus est lapis eorum agens res. Et quicquid est in manibus hominum, est vacuum & vanum. Quia virtus, quam vocant Embrionem & genitum, non generatur nisi in lapide eorum tingente, aliter quam universi lapides, sive sicci, sive humidi, per putrefactionem, & calorem alarum, sicut formatur pullus. Et sicut formatur homo ex spermate, & alia animalia Et sic formatur *res per putrefactionem & calorem alarum*.

Deinde fecerunt hanc animam per *attenuationem & subtiliationem*, in conversione spirituum, ut tingat & imprimatur corporibus. Propterea dicunt sapientes: Æs nostrum est sicut homo habens spiritum, animam & corpus. Propterea dicunt sapientes, Tria & tria sunt unum. Deinde dixerunt in uno sunt tria, & spiritus, anima, & corpus sunt unum, & omnia sunt ex uno. Et præparatio est, quam vocant conversionem suam, in præparatione de statu in statum, de re ad rem, de infirmitate ad potentiam, de grossitie ad tenuitatem & subtilitatem, sicut præparatur semen solum in matrice præparatione naturali, de re ad rem, donec formetur inde homo perfectus, ex quo fuit radix ejus & principium, nec mutatur ad hoc, nec exit à radice sua de re ad rem, sine ingressione alterius rei super ipsum, nisi sanguis menstruosus, ex quo fuit semen, id est, ex sanguine ei simili, & ex ipso fuit nutrimentum. Et similiter ovum sine ingressione alterius rei, quæ ingreditur super eo, convertitur de statu in statum, & dividitur de re ad rem, & fit pullus volans, sicut illud à quo habet radicem & principium.

Et similiter semina omnia, & nascentia terræ, putrefiunt & mundantur, & ingreditur super eis putrefactio vel corruptio, deinde germinant & augmentantur, sicut ea ex quibus habuerunt radicem & principium. Et propter hoc mineralia non mutantur, ut exeant à sua radice, sed redeant ad illud, ex quo sunt, nec convertuntur ex hoc ad aliud, & qui dicit aliud, falsum dicit.

Hæc est ergo conversio & divisio, quam audis in libro sapientum. Ne intendas ad multas aquas, habentes colores, faciunt multi in capillis, in fellibus, & ovis, cùm non intelligant veram sapientiam. Illi autem numeralibus nominaverunt Kibrick siccum & combustum, & comburens, & vocaverunt Abmitam animam, & dixerunt in manifesto sermonis eorum sulphura & animam. Volunt tamen sapientes illam animam, quam tibi assignavi ex lapide eorum, qui convertitur de statu in statum in præparatione, quam animam vocaverunt sulphura & corpora. Similiter vocaverunt eorum corpora sulphures & sulphur rubeum, & est anima. Et occupaverunt se homines sulphuribus quæ novit vulgus, & denominaverunt à cognitione animæ, quum vocaverunt sulphur album portare in aqua eorum. Non tamen est sulphur, sed facit operationes sulphuris. Unde satisfecerunt sapientes hominibus, qui dixerunt sulphur nostrum non est sulphur vulgi, quia sulphur vulgi comburitur, sicut sulphur sapientum album combustione albedinis & melioratonis. Et combustio sapientum est dealbatio tota. Et de hoc locutus sum diffusè in Libro meo, qui dicitur Clavis Sapientiæ majoris.

Nominant autem hæc tria, argentum vivum ingrediens super, masculum & fœminam, quo dealbant compositum & tinguntur, & tinguntur ab eo.

Altera Tabula à sinistris posita continens Operationem Lapidis Philosophici, multis in specie illuminatur.

(*Vid. Tab. III. Fig.* 12.) ET propter hoc dixerunt Sapientes, quod Lapis eorum consistit in quinque, & verum dixerunt, quia intendunt per hoc masculum & fœminam, & hæc tria argenta viva. Et quando dixerunt de uno, verum dixerunt, quia omnia illa sunt ex uno. Et similiter dixerunt ex septem, & quod addunt super his est ex eo quod ingreditur super eo, ex additionibus quæ sunt ex eo & in eo, & in ordinibus præparationis, in putrefactione, conversione, & dissolutione, & in pluribus ex his, & verum dicunt. Et quod in eo est ex coloribus, & virtutibus, & naturis, & saporibus est. Et propterea dixerunt decem, sicut ex uno, & in uno decem sunt, & illa sunt partes superiores, cœlestes scilicet, sol duplex habens duos radios, & sol simplex, & sunt flores quos nominaverunt secundum multitudinem flores lignorum, videlicet flores lapidis, qui sunt anima, & animæ tinctura, & & tinctura sulphuris, & sulphura quæ despoliabantur in hoc permixtione, quæ est Magnesia post putrefactionem, & post destillationem, aliquid post aliquid, paulatim & paulatim. *Nec egreditur hæc anima à lapide una vice, sed egreditur multis vicibus, paulatim & paulatim, aliquid post aliquid.*

Digressio Authoris ad alia, quæ tamen huic Operationi convenientia apparent.

POstea nuncupatum est hoc, anima & animæ, & flos & flores, & tinctura & tincturæ, sanguis & sanguines, pinguedo & pinguedines propter egressionem ejus cum spiritu paulatim aliquid post aliquid ascendens ad aëra, propter quod dixerunt animas & dixerunt & nominaverunt eum spiritum, & spiritus, *quoniam ejus natura subtiliata est* & facta *est tenuis & subtilis postquam facta est Anima*, Ideoque dixerunt Spiritum cum quo extraxerunt à corpore suo, & cum ipso præparaverunt eam, & redegerunt in spiritus, & est spiritus unus, & anima una per egressionem spiritus à corpore, & est Abarnahas perfectum.

Nominaverunt etiam *Magnesiam aliquid post aliquid, propter ingressionem ejus in ipsum super animas*, aliquid post aliquid in ordinibus praparationum, & tunc nominatur spiritus & est spiritus unus. Similiter vocaverunt corpus, & corpora eodem modo, quia corpora sunt masculus & fœmina, colligatæ & coagulatæ, & tres imbibitiones, quas vocaverunt nutrimentum, & salsaturas, & vitrum, & alumen calcinatum, & cinerem & ligamentum album, & arenam, & nomine cujuslibet rei siccæ & similium.

Quando *verò cogulata est anima* cum masculo aut fœmina, quæ sunt ex eis, & de radice eorum, & una illarum trium imbibitionum est masculus, quem vocaverunt aërem addenda erit, quia effectus est masculus & effecti sunt duo masculi & duæ fœminæ, & inter eos est una fœmina. Et facti sunt omnes quatuor, duo masculi & duæ fœminæ. Et perfecta est domus quatuor partibus suis, & tecto. Et hic

eſt lapis perfectus ex quinque, & facta ſunt quinque corpora, & ſunt unum, quia ſunt eadem. Propterea dixit ſapiens:

Tres compaſſiones ſunt, quælibet compaſſio eſt coagulatio, unde ſunt tres coagulationes. Significavit per hoc hæc tria alia quæ coagulata fuerunt cum maſculo primo & fœmina, & hæc eſt tinctura quæſita, & res perfecta.

Quidam verò eorum nomina variant, ut hoc, Ex tribus terris Quarum prima eſt margaritarum, ſecunda terra foliorum, tertia terra eſt terra auri. Ideò nominaverunt ſimiliter Animam & ſpiritum, ex hac permixtione egredientes, Arſenicum citrinum, arſenicum rubeum, Per rubeum volunt animam tingentem. Similiter vocant hanc *animam tingentem ſulphur rubeum*, ſpiritum, arſenicum citrinum: quia ſpiritus dealbat animas, & dominatur colore ſuo. Et nominant Animam æs, & ipſa eſt famus gravis, & ideo nominaverunt ſpiritum Iermick, & argentum, quia dealbat æs eorum. Et *quia dominatur ſpiritus colore ſuo huic Animæ, & dealbat eam*, ſicut argentum dealbat æs eorum. Ideoque poſſibile fuit ſapientibus dicere corpus & corpora, anima & animas, ſpiritum & ſpiritus. Et ſi exiret hæc Anima à ſpiritu ſuo una, dicerent animam & animas, ſpiritum & ſpiritus, corpus & corpora, nec dicerent hoc niſi propter hoc, quod tibi demonſtravi *de egreſſione ejus paulatim*. Nec mentiuntur quia egredientur ex partibus, *& una quæque pars habet ſpiritum, & animam & corpus*. Hæc autem res eſt una, & alia quæ partitus eſt in plura per ingreſſionem ejus, ſuper illa in gradibus ſuis, ex ordinibus præparationis, & dicitur Spiritus, & ſpiritus anima, & animæ corpus & corpora, ſicut ordinavi & demonſtravi per dictum eorum ex pluribus, & uno, & diverſis rebus. Et hoc eſt quando congregatur radix, & illud quod ingreditur ſuper eo, ex partibus quas partitus eſt ex eo, in una præparatione, quæ convertit ipſum de re in rem, de colore in colorem, & de ſapore in ſaporem, & de natura in naturam. Et propter hoc multiplicaverunt ejus nomina & aſſignationes. Unde poſſibile eis dicere ex pluribus, ex uno, *& diverſis rebus. Sed iſta plura ſunt unum*, nec ſunt ex alio, & dictum illorum eſt, quod tibi expoſui ex pluribus, & ex uno & ex rebus diverſis, *eſt idem & unum*, non habens ſecundum. Et ſi dixerunt plura, verum dixerunt, propter quod ingreditur ſuper eo, & ex his quæ diviſerunt ex eo, & ipſum eſt ex eis, & propter quod habet in ſe, & illa habent in ſe externa, in coloribus, ſaporibus, & ſtatibus, in quæ commutantur in præparatione, & ſunt diverſæ res & numeri noctium & dierum, in præparatione longinqua. Quia non perficitur medicina hæc, quæ eſt Elixir eorum, niſi ex diverſis rebus, *& hunc laborem nonniſi in multis diebus abſolvunt*. Et hoc voluerunt quod typicè protulerunt, memorando Planetas ſeptem & ſigna 12. & naturas eorum & colores & quicquid in eis eſt. Cujus exemplum eſt granum frumenti, quod non fit in germine ſuo granum, niſi ex diverſis rebus, cùm ſit res una, & diverſæ res ſint præparationes ejus, in multis diebus & noctibus, per humorem terræ & calorem ſolis. Quia prius terra aratur & ſeritur, poſtea metitur, deinde trituratur & ventilatur, & alia multa quæ operantur homines, donec extrahantur grana, deinde purgantur & moliuntur & tartariſantur, & maſſantur, fermentantur, & coquuntur, & fit panis, & hoc non fit, niſi ex diverſis rebus, in multis diebus & noctibus & horis, & ex hoc conſequitur hoc quod conſignavimus prius. Et multitudo præparationis tam varia eſt, ut comprehendi vix poſſit. Deinde & Sophiſmata ſapientum accedunt, veluti cum dicunt, quod res noſtra eſt ex una re, non opinetur aliquis, quod ſit ex una re, ſed ex diverſis, quæ præparatæ *factæ ſunt unum*. Et hoc dictum tibi monſtravit intellectum ipſo non in illo.

Quando enim congregatæ fuerint hæ res *ex ſimilibus lapidibus*, & nomina eorum, & naturæ, & ſapores, & odores, & operationes & numeri plures & diverſi ſunt. Licet cùm reducti fuerint ad illud ex quo ſunt, *unum in veritate eſt*. Unde verum dixerunt per omnia. Homines verò non intelligunt verba eorum, nec percipiunt quid intenditur, unde falſificant veridicos, & verificant falſidicos opinionibus ſuis, & ſibi debent imponere culpam, non ſapientibus. Error enim eorum eſt ex ignorantia intentionis eorum, quando audiunt diverſa verba, ſed ignota intellectui eorum, cùm ſint in intellectu occulto. Ipſi vero ſaltem prout eſt litera & aſſignatio intelligunt, & ſic falluntur, cùm ſit ſepultum *in occulto, quod manifeſtandum eſſet*. Nam qui dicit ex ſapientibus Animam, intendit tincturam totaliter ab ipſo lapide extractam. Et qui dixerunt tincturas, flores & animas, & pinguedines, & his ſimilia, ut in pluribus de ſanguine, de ſanguinibus, de aceto, & acetis, volunt per hanc tincturam de anima quam diximus eſſe animas. Et ſecundum hunc modum & præparationem dicitur in ſpiritibus.

Et ſi quis ſtuderet invenire aliam rem, quæ faceret hæc operationes, non inveniret. Et hæc eſt hujus ſapientis intentio. Similiter & in lapide eorum intellige, quia non inveniunt rem quæ faciat operationes ſuper intentionem inquiſitionis & ſtudii.

Per hoc etiam quod dixit: Studuerunt inquirere aliud quod faciat operationes ſuas, & non potuerunt invenire. Et ipſi quærunt tincturas, quæ faciant eis argentum & aurum ex alio lapide, & ſapientes non poſſunt extrahere tincturam ex alia re, nec potuerunt invenire, niſi ex hoc lapide impari. Et ipſi dicunt quod ſcientia ſit in omni re creata, ex lapidibus terrenis, & aliis, & ipſi ſemper præparant, & non proſperantur, & ab ignorantia non exterminantur.

Dixit iterum Marchos. Medius lapis ſapientum ſine dubio eſt lapis citrinus, & funditur in igne fuſione plumbi, & rubet tali rubore, quod nunquam de cætero erit citrinus, & habet oleum lucens, & rubens, ſicut rubinus. Et oleum ejus velocioris egreſſionis in aquam, quia eſt de genere aquæ, licet ſit lapis. Nam qui dicit ſpiritus intendit totum ſpiritum & animas ſimiliter ingredientes ſuper corpus in gradibus præparationis, paulatim & paulatim, partem poſt partem. *Et tinctura eſt tota aqua tingens*. Et tincturæ ſunt ſex partes reſervatæ in ſex violis, quibus tinguntur, cùm ingreditur ſuper corpus eorum album, quod vocant terram ſuam. Et illæ ſunt quas aſſimilant fructibus arborum & nominant eas alumina, & *aquam rubeam, quæ tamen non ſunt rubea, ſed nominaverunt ſic ab operatione ſua*.

Similiter *eſt extractio animæ à corpore ſuo cum ſpiritu ipſum exigente*, quando alteratum fuerit corpus, & *diſſolutum paulatim & paulatim aliquid poſt aliquid, non enim ingreditur vice una*. Et hæ partes ſunt *de ſpiritu uno præter quem non eſt alius*. Spiritus autem eſt ex eo, ſed diverſificatur anima ab iſto ſpiritu, qui eſt radix ejus, ex eo quod acquiſivit *ſibi à calore ignis, & facta* calida & hu-

& humida in natura sanguinis & aëris, qui prius erat corpus siccum, calidum & igneum, & hoc similiter, postquam extitit calida & ignea. Intellige hunc modum, *cum convertisti ipsum à frigido humido ad calidum humidum.*

Similiter cum dicunt aquam & aquas, intendunt per hoc dictum aquam unam, quæ est spiritus, ex qua patiuntur aquæ. Intellige & cogita bene, quia invenies esse verum.

Modus alius animalibus & speciebus, quod masculus & fœmina, & quodlibet per se ingrediens super eis, habet spiritum, corpus & animam. Propter quod dixerunt : Spiritus, animas, & corpora : Et hoc planè, non obscurè & verè dicunt. Et propter multiplicationem conversionum & statuum ex alterationibus, morte & vita generatione, lactatione, balneis & nutritione nominata est sapientia. Quia lapis iste est diversus ab omnibus lapidibus in naturis suis, & in perfectione sua, & susceptione nutrimenti, & augmenti in præparationibus suis, quibus nihil nostrarum præparationum assimilatur. Quia est de semine mundo, habens multam benedictionem. Et si esset ut opinantur, de lapidibus suis terrenis, aut vegetabilibus, aut terrenis, non nominaretur sapientia, cùm nec mors, aut vita in ipsis sit, nec desponsatio, nec conceptio, nec generatio prolis, nec nutritio, cum nostræ præparationes quas *nominavimus ex animalibus nostris & lapidibus*, quos vidimus & fecimus super eis, non ex vanitatibus & præparationibus illorum sint.

Age ergo semper gratias Deo glorioso, & sublimi, & abhorre conventum hominum, & apprehende solitariam vitam, & diutius cogita in omnibus quæ habes, & quæ percepisti per expositionem meam, quam tibi exposui in his tribus libris, quibus potens eris super liberatione verborum sapientum, & expositione omnium quæ typicè protulerunt, in figuris etiam, imaginibus, & parabolis, & cognosces lapidem eorum, & præparationem, non sicut ille, qui obscuravit librum suum, & modum adeundi. Quidam enim dixerunt : Accipe taliter & taliter &c. sed injustè & avare, & non aspicias libros ipsorum, nec dubites de his quæ pervenerunt à te ad nobis. Et si contradixerunt tibi ignorantes, aut humiliati fuerint pro posse suo, non proferas eis aliquid ex his quæ habes, nec improbes vanitatem illorum similitudinibus veritatis, quæ facta est tibi, & esto cum vero ubicumque fuerit, & dimitte eos, quia non invenio aliquem quærentem illud, quod inveniunt sapientes, sed sunt omnes involuti vanitate, incidentes ad illud quod non est dignum respici, propter magnam ignorantiam suam, & defectum intellectus.

Sed ego feci tibi per hoc quod exposui hoc sapientiæ intellectus. *Sapientia cor est in constantia.* Unde videri tibi poterunt omnes inquisitores hujus artis ipsam ignorantes bestiis similes, ex eo quod ignorant quod tu nosti. Cum autem intelligis hos tres libros meos, librum *clavis* sapientiæ majoris & *hunc* librum cum his quæ pervenerunt ad te ex *carminibus* meis in arte, & verabaha, id est, figuris suis & similitudinibus, & imaginibus & significationibus illarum imaginum, factus es sapientior omnibus istis.

Exterior homo vero habens rationem benè dispositam, subtilis ingenii, percepit ex paucis significationem multorum. Itaque ex doctrina illa multa tibi aperientur, & ex verbis eorum verba manifesta. Longinquum est, ut concludat ipse aliud, qui prodit ex uno libro sapientum, vel ex multis libris, sicut ego prodidi. Et quomodo est hoc, cum ipsi non intelligant à me, quod ego *legi & studui die ac nocte, & laboravi multis annis.*

Deinde exposui eis, & cogitavi in eo per inspirationem & suspensionem, & propter hoc propitiatus sum huic scientiæ, & seniores eorum apud quos est judicium, non intellexerunt à me literam unam ex his quæ explanavi eis, & approximavi intellectui eorum, sed ipsi postea nitebantur super præparatione ciborum, & gallinarum earum, & capillorum, & lapidum eorum carentium humore, siccorum, combustorum, corruptibilium, frigidorum, malorum, ex quibus quærunt quam non habent tincturam, qua tingunt aurum & argentum. Sic ergo erraverunt, & damnificati sunt damno apparente.

Revertitur Author ad Operationis continuationem.

REvertamur ergo ad illud de quo digressi sumus in extractione Animæ paulatim & paulatim à corpore suo.

TYPUS OPERATIONIS.

DIxit rex Marchos, & est typicum in eo & parabola, in venatione Leonis, secundum quod ipse ordinavit, quia retinet in similitudinibus modos typicos, & in parabolis, ut annunciet posteris per hoc, quanta sciebant philosophi, & quanta malitia erat, & est in hominibus, & contumacia, ut deveniant homines insipientes ab illa scientia, & tamen est propinqua habentibus intellectum. Dixit ergo Marchos matri suæ : Quomodo venaris Leonem? & admirata est mater ejus, & dixit : Ego respicio in eum, cum vult arripere iter suum, & exiens præcedo eum, & sedet in via, & fodio ipsi foveam in medio viæ, per quod intendit cucurbitam, & ædifico super foveam tectum vitreum, quod cum ingressus fuerit, video quo modo moritur, & alteratur color ejus post mortem à colore in colorem. Et cum appropinquatus fuerit Thalamo, accendo ignem sine fumo in ista fovea, habentem flammam egredientem super stakonos i. e. super nigros carbones, sicut graditur mater pia super ventrem filii sui. Et assimilavit subtilitatem caloris ignis gressui piæ matris super ventrem filii sui. Dixit enim ei mater sua : O Marchos, oportet ne hunc ignem esse leviorem calore febris? Dixit ei Marchos, ô mater fiat in statu febris. Deinde : ô mater revertor & accendo illum ignem, sicut tibi assignavi, & pono ad illum lapidem, quem qui cognoscit ponit illum super oculos suos, & qui non cognoscit projicit illum.

Cum autem apportavero illum super ignem, facit odorem quem diligit Leo. Cum verò Leo odorat lapidem illum, veniet velox ut intret thalamum illum vitreum, & cadit in foveam quem transglutit lapis ille, ita quod non potero videre aliquid de eo, & hic lapis quem diligit Leo, est fœmina, quia ipsa cooperit ipsum colore suo, propter quod dixit, non videbo ex eo aliquid. Cum verò vigoratus fuerit per dies aliquot (vult per hoc stationem suam in præparatione) & quot ingreditur in ipsum de nutrimento, emittit manum ejus dextram, quam cum emiserit, abscindo eam. Deinde stat rursus per aliquot dies, & emittit manum

ejus

ejus ſiniſtram, quam cum emiſerit, abſcindo eam. Deinde ſtat & emittit pedem ejus dextrum, quem cum emiſerit, abſcindo illum, Deinde emittit pedem ejus ſiniſtrum, & eundem etiam abſcindo, tunc interfectus eſt. Deinde caput, manus, & pedes alligo, & calefacio eis aquam extractam a cordibus ſtatuarum ex lapidibus albis & citrinis, quæ cadit de cœlo tempore pluviæ, & colligimus eam, & reſervamus ad decoctionem capitis, manuum & pedum Leonis hujus. Quod poſtquam decoxerimus, recipimus jus eorum, & nutrimus in vaſe vitreo, deinde reducimus ad corpus Leonis iſtius & decoquimus cum illo jure. Innuit per illam decoctionem permixtionem & reductionem, donec liberetur Anima paulatim & paulatim, videlicet reducatur totum ſuper Leonem, & coquatur cum eo, & deſtilletur quouſque non remaneat humiditas in illo corpore quæ non egrediatur cum aqua, ſcil. anima.

Explicat Author Parabolam præcedentem.

ET quod dicit: Quando decoctus fuerit ille Leo, colamus jus, & projiciamus carnes ejus, intendit per hoc quod dicit carnes, feces Lapidis. Et quod dicit: Calefaciamus eis aquam extractam à corporibus ſtatuarum ex lapidibus, vult per corda Animas lapidis in Magneſia collectas, quæ ſunt maſculus & fœmina, & patres eorum, qui ſunt albi & citrini, verum maſculus primus, cujus color eſt obſcurus, & maſculus ſecundus, quem diximus fieri maſculum, & eſt in natura æris, color eſt apud eos rubeus. Per hoc etiam quod dicit: Cadit de cœlo tempore pluviæ. Pluvia eſt deſtillatio aquæ eorum.

Deinde recipimus illud jus, & decoquimus in vaſe vitreo, & tenui & integro, donec rubeſcit & coagulatur & fiat lapis ſive rubinus, & ponimus in barba in aquam, ubi quam diu fuerit lapis ille, lucet. Intendit per hæc verba decoctionem aquæ cum Anima, poſt extractionem à fecibus ſuis, donec coquitur, & permiſceantur permixtione univerſali, quam *commixtionem nominant coagulationem.*

Et quod dixit Rubinus, per hoc vult Animam tingentem, *propter quod acquiſivit virtutem ex igne*, quia ipſa licet ſit alba, ex eo quod ſpiritus dominatur ei colore ſuo, novit ipſe, quod ipſa ſit ſicut rubinus rubeus, quamvis lateat in aqua non apparens, & quod ipſe deduxit ipſam ad iſtam præparationem decoctionis, & ſic ex certitudine perveniſſe ad illum terminum, per quem eſt tingens & penetrans, unde dixit ſicut rubinus in colore. Notificavi prius, quod nominaverunt aquam ſuam iſtam, Animam lapidis, & ideo dixit in eo lapide, nec eſt lapis, eſt tamen aqua eorum diviſa. Et ubi dicit ponimus in barba, id eſt, in domo, ſignat per hoc locum in quem ponitur corpus eorum, ſcilicet quod eſt terra eorum alba, in quem ponunt aurum eorum in quo coagulant aquam ſuam Et quod dixit lucet: vult per hanc manifeſtationem lucis tincturæ in eo, ſicut barba in alio loco eſt cucurbita congregans totum opus ſuum.

Sapientes vero uſi ſunt diverſis tropis in aſſimilatione, & ſunt diverſi in hoc in nominibus, ſed intellectus in quem innuunt eſt idem. Et ex dicto ſuo ſimiliter eſt in extractione animæ à lapide hoc: *Scilicet ablutio cum aqua, & igne*: hoc autem non eſt currens per ſe. Propterea quicunque voluerit abluere rem, cum ipſo abluit, ſicut ego aſſignabo tibi quid ſit, ut ſcias illud.

Eſt *itaque lapis aqua eorum congelata*, & talis eſt *forma ejus quæ cum ingreſſa fuerit aliquid*, imprimitur, *& coagulabitur in eo, cumque voluit illa extrahere, calefaciunt cum igne ſuo, quem menſurati ſunt illi, & occultaverunt, & cum invenit illam calor illius ignis, ſolvitur, & fit aqua currens. Cum autem præparata fuerit, revertitur ad formam ſuam priorem, & congelatur, & extenditur albedo ejus.*

Similiter cum ſolvitur, non ſolvitur totum, ſed ſolvitur ex eo parum, & continuant in eo patientiam, & reductionem in præparatione, & hoc quod extrahitur qualibet die parum, eſt illud quod dixit Marchos matri ſuæ in venatione Leonis, & extractione manus ejus dextræ, quam abſcidit, deinde extraxit ſiniſtram etiam, donec perveniat ad id quod audiſti.

Deinde ad ſecundum modum quem aſſignavit, & pervenit hinc uſque ad hanc aliam aſſignationem. Et hoc eſt quod dixit congelatur & ſolvitur, abluit omnem rem, aufert omnem nigredinem, & tingit omne nigrum, & facit album, & tingit omne album, & facit rubeum. Et ideo res magnificatur & exaltatur, & facta eſt domina omnium rerum, quia non invenit res agens operationes ſuas.

Tincturæ Operatio.

DIXIT iterum Marchos: Medius lapis ſapientum ſine dubio eſt citrinus lapis, & funditur in igne fuſione plumbi, & rubet tali rubore, ut de cætero nunquam citrinus erit. Et habet oleum rubens & lucens ſicut rubinus, & oleum ejus velociore egreſſione aquæ, quia eſt de genere aquæ, licet non ſit lapis. Vult per oleum Animam, de qua præceſſit ſermo, quæ non egreditur per ignem, ſed aqua extrahit eam per præparationem, ſicut oſtendimus tibi. Et ideo dixit Marchos regi Theodoro: Notum faciet tibi Deus, quod hoc quod egreditur ab oppoſito tenui, eſt caput mundi. Nonne vides aquam quæ eſt vilius illa, & ex ipſa formatur margarita ſubtilis. Aut non conſideras creatorem noſtrum, qui formavit nos de limo terræ, & hoc poteſtate Dei glorioſi & ſublimis, & per omnia iſta ſignificant lapidem eorum de quo eſt, & de quo fecerunt ipſum. *Et ipſe eſt de aqua viva, quæ vivificat res, & ipſe eſt vivus & immortalis, quem poteſt ignis comburere*, & propter hoc extrahitur tinctura vera, Kalid, id eſt, fixa, incombuſtibilis, cum granum ejus prius fuerat combuſtibile.

Et quicquid eſt ex aliquo ſuper quod ingreditur corruptio, combuſtio & annullatio, non habet in ſe tincturam, Quod ſi eſſet in aliquo combuſtibilis & corruptibilis tinctura, eſſet tinctura non fixa, ſed combuſtibilis, ſicut radix ejus ex qua eſt.

Et propter hoc dixerunt ſapientes, *quod fixum facit res fixas.* Et dixit Hermes, quod ſecretum & vita cujuſlibet rei eſt aqua, & aqua ſuſcipit nutrimentum hominum & aliorum, *& in aqua eſt maximum ſecretum.* Hoc modo autem fit, ut in fermento fermentum, & in oliva oliva, & in quibuſdam arboribus gummi, & in perſicis oleum, & omne genitum habet *principium ab aqua.* Et dixit Dominus, cujus nomina ſanctificentur, *fecimus ex aqua omnem rem.* Ille autem qui fecit in eis fermentum, oleum, & gummi, & pinguedines, fecit voluntatem ſuam. Ergo non quæratur vita & tinctura ex mortuis, combuſtibilibus, quæ non habent tincturam & vitam. Aqua vero recipit tincturam.

In-

Intelligo excœcata sunt corda & oculi, & surdæ factæ sunt aures ab his similitudinibus, & indiciis in omnibus hominibus. Legunt & non intelligunt, studeut, & non percipiunt, ignoraverunt veritatem & projecerunt eam. Qui enim erraverit à veritate, præcipitabitur in vanitate.

Marchos etiam assignavit aquam eorum, cum dixit ei Seneca: Nominasti mihi, ô Rex mirabile mirabilium, cum dixisti: Vivificabit eam post mortem suam, & tingit eam colore post colorem, id est, terram suam tinctam cum aqua illorum viva. Dixit Marchos: Talis est natura illius aquæ, & propterea nominaverunt eam dominam Barbæ, id est domorum, super omnibus nominibus, & fecerunt eam caput mundi. Mundus autem est Magnesia, quo nomine nominat eam Hermes, & dixit: Est mundus minor. Item: est unum quod non moritur quàm diu fuerit mundus, & vivificat quodlibet mortuum, & manifestat colores occultos, & celat manifestos. Dixit Sohalta: Quomodo potest hoc esse ô Rex? Marchos ait, in hoc est mirabile, quia si miseris ista super illa tria commixta, & dimiseris, & in illis vivet album super citrinum & rubeum, & albificabit ea, ita quod facit ea in albedine nigra. Deinde juvat citrinum super album, & rubeum, ita quod facit citrina citrinitate auri. Deinde juvat citrinum rubeum super citrinum & album, ita quod rectificet, & facit in rubedine Chermerina. Cumque videris hoc, tunc gaude, si verò remanserit in illa nigredine post rubificationem ejus, peccasti in præparatione ejus, & corrupisti quidquid antea operatus fueras, & morieris præ dolore peccati & inopiæ. Et hæ sunt divitiæ incomparabiles, ut hujus explanationem memoravi tibi in libro meo, qui dicitur clavis sapientiæ in inventione aquæ, quæ egreditur à muliere, ante egressionem prolis, quam vocant mulieres alhedi, propter egressionem ejus ante infantem, & est ibi perfectè. Iterum interrogavit scilicet regem Marchos, de cognitione lapidis. Omnis homo cognoscit illum, & apud unumquemque est de cognitione ejus utilitas, quæ non est apud alium. Utilitas verò quam quæris non est nisi apud Dominos Barbi, id est doctiores. Et dixit scilicet domine mi Rex, invenitur quando quæritur? Respondit etiam Marchos, non est res in mundo quæ cognoscitur quam illa. Unusquisque & omnis homo indiget ea, & est apud illum. Nec potest etiam esse sine illo. Intendit Philosophus omnia quæ dicit, Aquam. Invenitur enim aqua in omni loco, in vallibus, in montibus, & apud divitem, & pauperem, robustum & delebilem. Et talibus similitudinibus utuntur omnes sapientes in lapide suo, qui est spiritus humidus. Dixit Hermes, scitò quod non conveniunt calor & sanguis, humiditas & siccitas, nisi post extensionem, nec conveniunt habentia frigiditatem cum calore quia vita hominum per animas est continua aquæ, quæ si perhibetur, ab eis non invenitur. Ideo non convenit nec erit sive genitum, sive semen. Oportet ergo te scire, quod humores significavit per has similitudines, & sic alii sapientes lapidem suum comparaverunt, commixtiones autem ejus, & rami, & partes, & commixtio, & nutrimentum, & id quod componit ipsum, & non repugnat, est ex eo, & per eum, & ad eum, & non ex alio, & ipse operatur cum humiditate aquæ maris.

Lapides verò nostri generantur ex terra & comparantur terræ mineralia terræ. Convenit ergo nobis intelligere dicta hujus sapientis, & aliorum sapientum. Et sciant omnes habentes rationem, & intelligentes, quod lapides nostri terrei aridi, non conveniunt lapidi sapientum; nec exiret ex illis semen unquam, sunt enim terrei & mortui. Et intendit per hoc quod dicit semen gummam. Imò dixerunt omnes sapientes ne facias ingredi super eo aliquid alienum, corrumpit enim ipsum. Quod si intraverit destruet, & hoc non concludetur cum lapidibus nostris & corporibus nostris unquam. Dixit Hermes, non convenit rei, nisi quod propinquius est ei ex natura sua, & generabitur inter ea proles similis illi, humiditas autem est de dominio Lunæ, & pinguedo de dominio Solis. Ideo fecerunt pinguedinem super aquam, & omnis calidi elementum ejus est pinguedo, & omnis frigidi elementum est scilicet humiditas. Res autem consistit ex subtilitate elementi sui, deinde ingrossatur & induratur secundum temperantiam naturæ suæ. Et postquam fecit Deus & ei attribuit & est quietiva. Et quædam sunt motum habentia, & quædam limpidificantur, & quædam sunt fluentia, & hoc simile ejus est, quod dixit Aros Regi, quod aqua non conglutinatur, nisi cum simili sui sulphuris, nec invenit in re aliqua aliquid simile sulphuris sui, nisi in hoc quod ex eo est. Quod autem dixit Hermes, convenit rei id quod propinquius ei est, deinde adjunxit: ex natura sua, & non dixit de alia natura; & hoc est planum & manifestum ex verbis Hermetis. *Lapis igitur sapientum in ipso, & ex ipso perficitur radix, & rami, & folia, & flores, & fructus.* Est enim sicut arbor, cujus rami, & folia, & flores, & fructus sunt ex ea, & per eam, & ad eam, & ipse est totum & ex ipso est totum. Et similiter dico vobis. Quod unumquodque alias non generat res, nisi cum eo, quod est ex specie sua, quod hic dici potest homogeneum ipsi. Similiter ex Adam & Eva omne hominum genus, ergo omnis res conveniet cum suo simili & propinquo, & secundum speciem suam. Similiter dicunt, carnes ex carnibus generantur. Et incipe in Nomine Domini & cognosce materiam ejus. Est enim à radice materiæ suæ totum quod est in eodem, & de eodem, nec ingreditur aliud super eo, nisi id quod ex eo est, & etiam ab eo, & est radix ejus. Similiter fecerunt caseos ab eo, & hoc est ex quo extrahitur, & est in eo, & ex eo, & per omnia significavit lapidem suum, qui est unus lapis, & permixtiones ejus sunt ex eo, non ex alio, & quapropter appropinquaverunt illum intellectum pro posse suo per similitudines & assignationes. Veruntamen non est interius potens nec auram capiens, nec ratio quæ perducat eos ad quæsitum suum. Et dixit Averrois sapiens: Respice Carpentarium an conjungat lignum cum ligno nisi sibi simili, & sutorem, vel sartorem, an suat pannum nisi cum panno simili, lineum cum lineo, & laneum cum laneo. Item sapientes dederunt doctrinam plenam, & appropinquaverunt intellectum pro posse suo, & tunc non intelliguntur ab eis. Dixit Hermes recipe conjunctiones in principio operis recentes, permisceantur æqualiter & terantur, deinde desponsentur, deinde triturentur, aliæ in aliis, ut fiat conceptio, deinde extrahantur & nutriantur ut fiat genitum. Scias quod hæc *conceptio & desponsatio fit in putrefactione in fundo vasis geniti eorum.* Et fit in aëre videlicet in capite eorum vasis, & caput vasis est superior pars thalami, & thalamus est alembicus, in quo est illud genitum. Dixit Marchos genitum earum est in barba, id est in domo ejus terrea, & cœlum ejus secundum quod oritur super eo Luna terræ & Sol ejus, & Stellæ ejus & Ventus ejus, & diversi colores ter-

ræ ejus. Item dixit Marchos & eſt tempus in iſto genito quod naſcitur, de quo facit talem ſimilitudinem. Tunc ædificabimus ſibi talem domum, quæ *dicitur monumentum Sthcka*. Dixit, terra eſt apud nos quæ dicitur tormos, in qua ſunt reptilia comedentia opera ex lapidibus adurentibus, & bibunt ſuper eis ſanguinem hircorum nigrorum, manentia in umbra, concipiunt in balneis & pereunt in aëre, & gradiuntur ſuprà mare, & manent in ſepulchris, & pugnat reptile contra maſculum ſuum, & in ſepulchro manet maſculus ejus 40. noctibus, erit vacans, ſicut columbæ albæ, & proſperabitur greſſus, & projiciet ſemen ſuum ſupra marmorem in ſimulachrum, & venient corvi volantes, & cadunt ſupra illud, & colligunt, deinde volabunt ad cacumina montium, ad quæ nemo poteſt aſcendere, & dealbantur & ibi pullulant, & hæc eſt parabola dicti ſui. Similiter non novit hoc niſi *quæ concepit intra ſe in capite ſuo*. Quod autem dicit: Reptilia comedentia opaca: Intendit per hoc lapidem adurentium, & bibentium ſuper eis ſanguinem hircorum nigrorum. Intendit per reptilia imbibitiones. Et quod dicit comedere opaca, quod tranſglutient unum tingens. Ad hoc congregati ſunt ſocii ſui, qui latent in illis imbibitionibus, & non apparent & recipiunt ſubtilitatem ejus; per ſanguinem hircorum nigrorum &c. vult animam fluentem lapidis ab eo. Et hirci nigri, per hoc vult lapidem, quando ingreditur non fœmina in præparatione, *& denigratur poſt dealbationem ejus præparatione ignis*.

Et per hoc, quod dicit concipit in balneis, & parit in aëre, intendit cucurbitas, & etiam ſepulchra, quia in eis fit mors, aſſimilavit calorem ignis calori balneorum, in quibus lapis ſudat in principio diſſolutionis ſuæ paulatim & paulatim. Et per hoc quod dicit pariunt in aëre, ſignificat ſuperiorem thalamum alembici, quia aër eſt inter cœlum & terram. Et ſimiliter eſt generatio hujus tincturæ à ſuperiori cœlo, id eſt barba, quod eſt ſuperius alembici, & fundo cucurbitæ.

Et hoc eſt quod dixit Hermes, *Leviter & prudenter ſublimatur à terra uſque ad cœlum, & acquirit vim à ſuperioribus, & deſcendit in terram, & habet in ſe virtutem ſuperioris & inferioris, dominans inferiori & ſuperiori, & habet lumen luminum, & propter hoc fugiunt ab eo tenebræ*. Et illud eſt quod nominant Regem de terra prodeuntem, & de cœlo deſcendentem. Et ſimile eſt huic quod dicit quidam in iſta aqua: Accipe res à minera ſua ſublimate eas ad altiora loca, & mittite à cacumine montium eorum, in quibus invenitur, & reducite ad radices. Et in hoc dixit quidam alius ſapiens, hoc ovum vagit in terra tota, per quod vult aërem, qui deſcendit de cœlo & terra & lato. Et hoc dixit alius, & ego dico *ovum generatio in aëre à ſpiritualitate terræ*. Et dixit in hoc Calid filius Iſid ſignificans, genitum hoc pronominaverunt tincturam, & ſanguinem, & ovum. Accipe ovum ruffum à meliori minera quam invenire poteris, nec in cœlo nec in terra, Dixit etiam Avicenna, non eſt in cœlo, nec in terra nutrimentum ejus, ſed in umbra aëris. Conſidera diverſitatem eorum in dictis parabolis, & aſſignationibus, & ſimilitudinibus, & convenientia eorum in intellectu, quod ſapientes non ſunt diverſi in intellectu, ſed in nominibus & ſimilitudinibus, & per omnia iſta ſolum intelligunt lapidem ſuum prædictum ſcilicet animam. Calid autem ſignificat per ovum ruffam genitum, quod generatur ex eis in aëre. Et hoc eſt nec in cœlo, nec in terra. Et hoc totum dictum eſt à ſapientibus per ſimilitudinem, & omnia dicta ſunt idem de eodem, licet ſint diverſi in nominibus & ſimilitudinibus, opinatur quod ſint diverſi, & quod res ſint diverſæ & ſtupent propter hoc. Et recipit res quibus nominaverunt lapidem ſuum ſophiſticè, & hoc credit eſſe calidum eorum, & lapidem eorum, quem non novit inſipiens, & nihil invenit, ſed cum percipit verba eorum, & interius invenit veritatem manifeſtam, & quicquid præceſſit de dictis eorum, ſcilicet quod tibi oſtendi. Conſerva igitur hoc, & apprehende, & eris cum veritate. Omnis enim typica, & tropica elocutio eorum, eſt ſuper hac tinctura, quam extraxerunt in ſua aqua, quam nominaverunt animam & regem.

Et hoc genitum eſt pinguedo, quam vocant animam & ovum, quia hæc anima rubea latet in ipſa aqua alba ſpirituali, quam extraxerunt de lapide, quam dixerunt in permixtione ſua magneſiam: Ideo vocaverunt hanc aquam ovum maris, quia radix ejus eſt aqua, & vocaverunt aërem, & etiam multis aliis nominibus. Et hoc eſt quod ipſam rubeam aſſimilaverunt eam vitello, & aquam albam in qua portatur album ovi. Cumque apparuerint colores, vel tincturæ, erit ſicut cum apparet ex ovo pullus. Nominaverunt etiam lapidem ſuum, qui eſt magneſia, mare, quia ex eo aſcendit nubes eorum & pluvia. Dixit Plato natura coquit naturas, & natura congaudet naturæ, & non eſt niſi unica natura, & genus unum, & ſubſtantia una, & una eſſentia. Hoc eſt: ovum in quo eſt calidum & frigidum, humidum & ſiccum. Propter quod vocat Hermes hunc lapidem mundum minorem. Et hæc res eorum eſt una, quam nominaverunt nomine omnis rei, & omnis corporis, & omnis ſpeciei, quam habent homines in manibus, & omnium iſtorum exponenda, auditis autem, & adduxiſtis ſuper his teſtimonia ſapientum. Et dixit alius panem aſperum, & alius panem de ſimila, & alius tortum panis. Non poſſunt rectè dici diverſa, quæ non diverſificaverunt à farina, nec declinaverunt à tritico ad aliud, ſcilicet omnes convenerunt, quia omnia illa ſint una res, & de eadem re, cujus nomina ſunt diverſa, & aſſignationes ejus, & quod fit ex eo reducitur ad farinam & triticum, & eſt radix illorum, & ex qua ſunt, diverſi tamen ſunt in nominibus, & quod diverſa ſint nomina harum rerum propter diverſas ſpecies præparationum earum & omnes illæ res ſunt ex tritico, & materia ejus eſt eadem, ſimiliter verba ſapientum licet ſint diverſa, idem tamen ſignificant, nec differunt niſi in nominibus & aſſignationibus, propter mutationes ejus in gradibus præparationis ex re in rem, & de ſtatu in ſtatum. Ideoque multiplicaverunt nomina ejus & aſſignationes. Item dabo tibi exemplum ejus in panno. Pannus ſive tela eſt una & eadem res quando ſcinditur, ut inde fiat aliquod indumentum, & dividitur in multas partes & aſſuitur, & fit una res uno nomine nominata, ſcilicet tunica, vel camiſia, & omnes illæ diviſæ partes ſunt à tela, & ſunt in diviſione & nominibus plures, ſed ſunt ſecundum materiam & intentionem unum & idem. Dixit Salomon Rex: Recipe lapidem qui dicitur Thitarios & eſt lapis rubeus, albus, citrinus, niger, habens multa nomina, & diverſos colores.

Dixit etiam naturam unam, & ſpiritualem, ſepultam in arena, & aſſignavit lapidem coloribus propriis, qui apparent in præparatione. Dixit Sapiens aſſignate mihi illum: Dixit, & eſt corpus magneſiæ nobile, quod commendarunt omnes Philoſophi. Dixit, Quid eſt magneſia? Reſpondit

magneſia

magnesia est aqua composita, congelata, quæ repugnant igni. Hoc mare latum, magnum bonum, cujus bonitatem commendavit Hermes. Fecit enim magnesiam hîc spiritum & animam, & corpus cinerem, qui est intus in cinere. Et dixit Plato, unumquodque est unum, quia omnis homo est animatus, sed non omne animatum est homo, sed quoddam animatum est homo, & in natura hominis est illud, quod est in natura animati. Nec potest rectè dici quod omne animatum est homo, cum enim dicis animatum, comprehendis in eo bestias terræ, & volucres cœli, & homines, & arbores, & vegetabilia, sed cum dicis homines, non comprehendis aliquid ex illis.

Intellige hoc dictum Platonis, & quid intendit. Item dixit Plato: Omne aurum est æs, & non è converso: Nonne vides quod in natura auri nihil est quod assimilatur æri (in tanto motu & colore, nec aliquid in natura æris est, quod sit in natura auri ex corruptione in terra, & patientia in igne, & mansione in mari, *Dixit etiam: Omne argentum vivum est sulphur*, sed non omne sulphur est argentum vivum, *fecit ex sulphure hîc magnesiam*. Hæ duæ orationes sunt planæ, propter quod non est in lapidibus aliud quod sit in lapide eorum, & propter hoc hæc omnia significant lapidem suum, qui est unus, non habens similem sibi, quem si nominaverunt lapidem, tamen est spiritus, & habet nomen spiritus. Et si dicatur aqua, non est sicut cæteræ aquæ, nec habet intellectum distinctum. Et si congregata fuerint, impositum est ei nomen impar, nec perficitur in se, nec ex se, nec per se. Et secretum quod est in eo, non est in alio. Intellige hæc quæ præcesserunt, in quibus facta est mentio ejus, & adhuc augebo tibi intellectum, & cogita semper hoc quod dixit Hermes in præparatione lapidis occulti.

Lapidis Philosophici Confectionis demonstratio, à natura humana desumpta.

DIxit Hermes, quod *secretum unius cujusque rei in una est aqua*, & hæc aqua est susceptibilis nutrimenti in hominibus, & in aliis, & in hac aqua est maximum secretum. Aqua enim est, quæ fit in tritico frumentum, & in oliva oleum, & in quibusdam arboribus gummi, & in Persicis pinguedo, & in omnibus arboribus fructus diversi. Et *principium generationis hominis est aqua*. Semen enim viri projectum in matricem mulieris adhæret septem diebus, & fit humor subtilis, & manet septem diebus, donec coaguletur in omnibus membris, in ventre mulieris, per tenuitatem ejus, & subtilitatem, & pervenit ad carnem, & fit caro, & super ossa, & fit os, & super pilos, nervos, & simile fit in eis.

Deinde coagulatur in 10. die, & fit tanquam caseus. Deinde rubificatur in 16. die, velut color carnis. Deinde incipit in die 24. discerni, & habere membra similia filis, & in 32. formatur in forma hominis, sicut dicit liber, & in die 40. apparet in ea anima, & à 40. die incipit nutriri sanguine menstruali, per sursum ejus, per umbilicum, & induratur etiam infans, & crescit paulatim & paulatim, & vigoratur. Et scito quod aqua famulatur ei in ventre tribus mensibus primis, deinde aër tribus mensibus secundis, deinde famulatur ei ignis tribus mensibus tertiis, & decoquit eum, & perficit, & cum completi sunt 9 menses, abscinditur sanguis quo nutriebatur, & ascendit ad pectus mulieris, & fit ibi sicut corona, & fit aliud nutrimentum ejus post egressionem ejus ab utero, ad hunc modum. Et hæc tota est assignatio præparationis lapidis eorum, & secundum hoc præparaverunt. Intellige ergo hanc præparationem & modum. Per matricem intelligit fundum cucurbitæ, & quod intus est, & obturationem oris ejus, & firmationem conjunctionis, ut quod intus est, *non recipiat inspirationem ab aëre, & coagulabit se*, sicut dicit Calid: Cum vidi aquam coagulare se ipsam, tunc certificatus sum, quod res vera est, sicut assignatur. Et dixit Rosinus simile huic, & memorabilis est coagulatio corporis sui 47. diebus, & vocaverant *corpus igneum*, & Alkanibar, *& vivum argentum*, & sulphur rubeum. Et his nominibus vocaverunt, & nominaverunt animam ab ipso egredientem. Et dixit Roseu, quod affalia est virtus fœminæ, quam fecimus in 9. diebus, & nominavimus eam affalia, propter solutionem ejus ad aëra, & saporem ejus ab eo, in quo erat de corporibus sui & propter fugam ejus, & propter intensionem caloris ignis super eo, & propter debilitatem ejus ex eo, quod invenit inimicis suis. Ergo coquite eam cum corpore suo, donec siccetur humiditas ejus ab igne, & sic siccatur, donec videris eam relegisse spiritus ejus ab ea, & fastidivisse mansionem in radice elementi sui, & hoc est cum mortificaverunt corpus album, & decoxeris, & trivetis, & fuerit aqua spiritualis, potens convertere naturas ad alias naturas, tunc vivificabit corpora. Quod autem dixit Affalia, vult intelligere duo humida ascendentia ad aëra, & hæc sunt spiritus & anima, & quod dicit, hæc est virtus fœminæ, quam fœminam fecerat in 9 diebus, significat animam quæ est virtus fœminæ, quam fecerunt masculum, cum coagulatur & figitur in igne, & fit masculus calidus & siccus, per idem quod acquisivit à parte ignis, & nominatur tunc masculus, & nominant hanc aquam coagulatam nomine cujuslibet masculi. Deinde desponsaverunt cum fœmina, & ipse est ex ea, & ipsa est radix ejus, & coagulatio ejus.

Sicut dixit Hermes, secundum proportionem spermatis in matrice, & ex his judiciis manifestis & occultis, planis & obscuris, ad quæ potest vix dirigi aliquis, intellexi & novi veritatem dicti eorum, cum dicerent scilicet, quod lapis noster res est, quam habent, & non participat cum eis alia. Quoniam in eo, quod est sulphur, arsenicum, aut ferrum, aut æs, aut ovum, aut capilli, aut aliud ab aliquibus vegetabilibus, aut lapidibus mortuis, non dixisset lapis noster, & non appropriasset sibi, cum omnes homines participarent secum in illis.

De omnibus istis modis sicut nos præparavimus ante intellectum & cognitionem operis, & præparationem quam cognovimus ex omnibus præmissis, & videmus quod omnia erant vana, unde projecimus vana, & laudamus Deum, qui notificavit nobis vanitatem omnium talium, & egimus ei gratias, & scivi cum dixerunt lapis noster, quod est res appropriata eis præter homines. Igitur necesse erit nobis investigare illum. Et quod dixerunt verba nostra in manifesto sunt corporalia, & in occulto spiritualia, quæ cum audivimus, quæsivimus cognitionem hujus occulti. Spirituale quidem occultaverunt, & manifestaverunt per aliud, ad res corporales. Hoc non potest intelligi nisi per sensus interiores, & veram rationem & intellectum, & non apprehendimus ab eis, quæ percepimus in manifesto auditu. Veruntamen inquirimus occultum, quod occultum occultaverunt sensui

noſtro, quod ſi non eſſet, non extraheretur quod cogitaverunt in cordibus ſuis. Ego autem declaravi vobis quod occultaverunt, & non abſcondi ab eo aliquid, & hoc etiam eſt ex dictis eorum. Aurum noſtrum non eſt aurum vulgi. Aurum verò noſtrum eſt, quod eſt ex opere noſtro. De quo dixit Roſinus: Cum deſponſatus eſt cum ſorore ſua, & facta eſt conceptio, & prodiit genitum, quod eſt anima Aſſalia eſt, inquit, virtus fœminæ quam perfecimus 9 diebus: Significavit nobis, quod cum viderimus virtutem hujus aquæ, & magnum effectum ejus, & flores ejus in terra eorum, & quod erit poſtea in projectione ſuper folia vulgi. Et hæc eſt minima res, ſed lux ſuper rubeum tingit illud in melius aurum, quàm ſit aurum vulgi, oportuit ſignificare vobis, quod hoc magnum periculum eſt, virtus ſeu potentia illius rei, quam tinxerunt prius, & hoc eſt ſecretum, ſuper quo juraverunt, quod non indicarent in aliquo libro. Nec aliquis eorum declaravit hoc, & attribuerunt illud Deo glorioſo, ut inſpiraret illud cui vellet, & prohibeatur à quo vellet. Eſt enim radix ſine qua nullum juvabit æs, & quod occultaverunt eſt præparatio illius rei, donec figeretur in igne, & tunc fit res magna, & homines ignorant hoc, nec habent illa n affaliam, nec illam virtutem quæ habeat talem effectum. Et dicit filius Hanuel: Laudate Dominum, cujus nomina ſanctificentur, ſuper hoc quod dignatur ei tribuere, & inſpiravit ei conjunctionem hujus rei occultæ, & ſic poſt multas inveſtigationes, & vigilias continuas hujus rei occultæ, & revelationis occultorum dictorum, adeptus ſum lapidem.

Quid Philoſophis Plumbum ſit, & quid Azoth.

INtravi die quadam domum ſenioris Abielhaam, cauſa viſitandi ipſum, & ſedi ad dextram ejus, & erant ibi duo viri, quorum unum cognoſcebam, alium verò non, & collocuti fuerant ante præſentiam meam de arte, & ut percepi per illud quod quæſivit à me, quod indurata fuerat ſuper eis res, & obſcuratum verbum, neſcientes id quod conſiderabant in dictis ſapientum, & erant in ſtupore, & convertit ad me Senior faciem ſuam ſecurus amicitia, quam co plectebamur, & dixit mihi: Qualis eſt intellectus ſermonis ſapientum: Recipe plumbum, & quod aſſimilatur plumbo, & recipe Azoth, & quod aſſimilatur Azoth, hæc ſunt quatuor, quorum duo manifeſta ſunt, nominant enim plumbum, & nominant quod aſſimilatur ei, & obſcurant iſtud, & nominant Azoth, & celant nomen illius quod aſſimilatur ei. Quæ ſunt ergo iſta quatuor? Et dixi ei: Hæc verba ſapientum habent in ſe obſcuritatem, & ſunt ex ſophiſmatibus eorum. Dixit quomodo eſt hoc? Dixi: voluit per hoc ſapiens duo tantum, quæ ſunt eorum occultorum occultum ſignificantia, & adinvenit verba quatuor, & non intendit niſi duo Dixit, & quomodo eſt hoc? & ipſe nominavit quatuor, etiam repetit verba ſapientum ſecunda vice? Et dixi, non intendit per hoc dictum niſi duo tantum. Et ille ait: Sapiens dixit quatuor, & tu dicis duo. Et dixi ei: In his tribus ſicut prædixi, eſt obſcuritas & ſophiſma ſapientum in hoc loco, & ſi voluiſſet quatuor partes, ex quibus componuntur maſculus & fœmina, dixiſſet: Recipe ignem & aquam, & commiſce, & conſiſtet unumquodque ex duobus. Deinde fac quatuor unum, veruntamen ſapiens dixit: Recipite plumbum, & quod aſſimilatur ei. Deinde repetit, dicens: Recipite Azoth, & quod aſſimilatur Azoth, unde ex illis & in ſimilibus celant ſcientiam ab omnibus. Intellige & confide in Domino meo, & intelligas hoc dictum ſapientis hujus, & exempla. Dixit enim, accipe plumbum, plumbum verò apud eos eſt nomen maſculi, nominavit enim maſculum, & tacuit nomen fœminæ, & dixit, & quod aſſimilatur plumbo, quia ipſa eſt ex eo, & ipſum eſt ex ea. Deinde dixit ſecundo: Recipite Azoth, & quod aſſimilatur Azoth. Azoth autem eſt fœmina, & nominavit hic fœminam, & tacuit nomen maſculi. Et dixit, & quod aſſimilatur Azoth, & non nominavit hic maſculum, quia non nominat illum in principio ſermonis planè, ut deſit dubitatio, & tantum valent hæc verba ac ſi diceres: Recipite Adam & quod aſſimilatur Adam. Nominaſti hîc Adam & tacuiſti nomen Evæ, quæ eſt fœmina, & non nominas eam, quia ſcis quod homines qui ſunt tui ſimiles in hoc mundo, ſciunt, quod illud quod aſſimilatur Adæ, eſt Eva. Deinde repetens ſecundò dicis ut res obſcuretur, & minus intelligent: Recipite Evam, & quod aſſimilatur Evæ. Nominaſti hîc fœminam quæ eſt Eva, & tacuiſti nomen maſculi qui eſt Adam. Quia nominaſti eum, ſemel ab ipſo incepiſti. Et hoc non poteſt eſſe cavillanti dubium. At illi cœperunt reſpicere unus in alterum, & ſtupor reprehendit eos ſuper hoc, quod eis explanavi. Et ſimile huic eſt, quad dixerunt, commiſce calidum cum frigido, & fiet temperatum, nec calidum, nec frigidum. Et commiſce humidum cum ſicco, & fiet temperatum, nec humidum nec ſiccum. Manifeſtum hujus dicti eſt ſuper quatuor, & generaverunt ex his duo tantum, videlicet maſculus & fœmina, maſculus eſt calidus & ſiccus, fœmina autem eſt frigida & humida, quæ cum commixta fuerint, commixtum eſt calidum cum frigido, & humidum cum ſicco, & hoc non eſt dubium intelligenti, & ſuſtinet hic intellectus verba ſapientum, quod habet aliud modum quàm tibi monſtravi de aqua & igne, & aqua ac aëre, & terra, & alius modus eſt ex præparationibus. Et eſt hoc dictum, ſicut dixit Joſeph: Commiſce aquam & ignem, & erunt duo. Commiſce aërem cum terra, & erunt quatuor. *Deinde fac quatuor unum, & perveniſti ad id quod audiſti* aut quod vis. Et tunc fit corpus non corpus, & debile ſuper ignem non debile, & apprehendiſti ſapientiam Fac ergo ſecundum quod dixit ſapiens ſuper eo, parum poſt parum, & præparatio harum rerum à principio uſque ad finem, & eſt aqua calida, id eſt fixa, honorata, & eſt illa quæ manifeſtat tincturam in projectione, & niſi illa eſſet, non eſſet intentio aliquorum ſapientum in aliqua radice ſapientiæ, & ipſa eſt mediatrix inter contraria, & ipſa eadem primum, medium, & ultimum.

Intellige & quod tibi demonſtravi, & ſcito modum verbi mei, & ipſe manifeſtat tincturam. Talis enim ſolet eſſe improbitas ſapientum, & eorum ſophiſmata. Et ipſi fortè adduxerunt in vero ſenſu, & ſub eo eſt alius, & ego ſpero quod apparebunt vobis per verba quæ innui vobis de ſecretis illorum & ſophiſmatibus, & Dominus tribuat vobis proſperitatem. Si verò aptus fuerit de aliquo ex ſophiſmatibus ſapientum modus alicui hominum, non aperietur niſi legenti librum & carmina mea. Explicavi enim tibi & omnibus fratribus meis, quicquid obſcuraretur à philoſophis pro poſſe ſuo, & quod celaverunt à patribus & filiis, & comprehendi in paucis paginis, quod ipſi expanderunt in millibus paginarum, ſepultum in tropicis

&

& typicis locutionibus, & magnis obscuritatibus involutum, quod intellectus intelligentium apprehendere nunquam valet.

Ego autem, ut portaretur memoria mea à posteris in arte illa, sedi solitarius, considerans libros antiquorum, & quærens à quolibet nobiscum sedentium scientiam hanc inquirentium, quos cum alloquerer, non intelligebant me, habebant enim præ manibus libros, qui describunt eis Alkakir, id est, species vel res vanas, quas nesciunt quibus occupantur, & hæ sunt res quæ deteriorant ipsos occupatos, & ipsi intendunt suis commixtionibus deviantes à veritate, ignorantia excæcati. Cum autem vidi te, & vultum tuum illustratum per id quod innui & exposui ex secunda apprehensione tui interius, converti faciem meam ad te, & explicavi tibi ex eo quod concluserat scientia mea in pectore meo, ut cognoscas intentum scientiæ, & locum secreti, & dividas inter te & homines, errores incidentes his quæ legisti in libris aliorum, & quod locuti sunt, & adduxerunt ex verbis sapientium antiquorum & modernorum, quorum libri apportantur, quorum etiam nullus ausus est exponere unicam literam ex dictis Philosophorum, sed tantum illud protulerunt quod posuerunt in libris sapientum, nec aperierunt ex eis aliquem sensum. Est autem opus mihi ut sapiens sim, ut aperta incerta sint, & noverim occulta, & exponam veram sapientiam, & perveniam per illam expositionem ad veritatem & manifestationem eorum, ut post manifestationem manifestetur studentibus in illis, & aperiatur fastidientibus & impatientibus & sufficientiam habentibus in his quæ præ manibus habent ex ignorantia. Sed quando non expono ex eis aliquid, erit liber meus idem quasi liber illius sapientis, & verba mea verba sua, & ego velut accedi verba eorum, & mihi attribui, & hoc est inconveniens, & dedecus illi qui sic facit. Quæ enim utilitas est legenti librum meum, quando res est ut assignavi scientiam? talis qui sic facit appetit jactantiam Composuit enim librum suum, opinans, quod intellexerit illud occultum mysticum, & ipse nescit, nec intelligit literam unam ex his, quæ composuit in libro suo, & si quæratur ab eo aliquid ex ipsis, respondet per falsitatem. Et si comprobetur ei, defendit per cavillationem & similitudines vanas. Veruntamen si sim magnæ rationis in scientia, & aperti fuerint tropi mihi eorum occulti, & manifestum est mihi quod occultaverunt. & hoc apprehendi per scientiam, debeo rectè hoc appropinquare intellectui successorum meorum, sermonibus in aperto velatis, significantibus intellectum occultum & velatum, ut hoc sit apertum & celatum. Est autem apertum studiosis sapientibus & intelligentibus, & investigantibus, celatum autem minus intelligentibus, quod nisi fecero non manifestabo industriam meam præ cæteris. & erunt dicta mea tanquam proposita sunt, sicut proponunt ignorantes, propter quod feci sic, & Deus aperiat tibi quod restat ex meis carminibus, & versibus, & libris meis, scilicet libro Clavis Sapientiæ majoris, & hoc magna sua gratia & largitate. Revertar igitur ad complementum intentionis nostræ in verbis super his figuris, & non prætermittam exponere imagines, quas descripsi in carmine meo, licet illud modicum comprehendit modos, quos intendit sapiens, & imagines illas & figuras. Iterum conversus, quia scio quod sufficit tibi id quod aperui in isto, & appropriavi hanc partem istius libri mei in expositione aquæ divinæ foliatæ, mundæ, & terræ stellatæ, & abbreviavi expositionem paucis verbis, & sufficientibus. Et hoc sicut præcessit mentio ejus in expositione figurarum carminis mei, quod sic incipit: Epistola Solis ad Lunam crescentem. Et sunt multi versus Feci tamen illud carmen determinatum habens minores inventiones imaginum, & mirabilium quæ continet, & illud est per se non indigens expositione alia, quod sic incipit: Et in domo Hamuelis mansio &c. Et sunt centum versus & unus, & præter hæc carmina quæ legisti, & locutus sum tibi, quod sufficit in omnibus istis, est unus modus. Veruntamen alia indigent aliis, redit sermo ad locum suum. Similiter dictum est, sicut prædixi in corpore & corporibus, sed quod tibi explanavi in spiritibus, & spiritu, & in anima, & in animabus, & est unum corpus & partitur, & tunc dicitur duo corpora, scilicet partes, sed prius est unum ex uno. Qui autem dixerit aliud ignorat scientiam, quia nescit corpus, nec corpora, nec spiritum, nec spiritus, nec animam, nec animas nec cognoscit lapidem, nec ex quo est, nec percipit ordinem operis aliquo modo. Et causa est, quia ex parte illarum qualibet falsaturarum incorporatum est corpus unum. Propter quod similiter dixerunt corpus unum & corpora, & propter hoc habent esse ex illis spiritibus & animis scilicet unde occupantur in præparatione sulphuris eorum, & in sublimatione arsenicorum suorum combustibilium & corruptibilium. Sed manifestum est quod audiunt, & nudum quod legunt. Cognoscunt enim illa, veritatem ignorantes, sulphur verò & sulphura, & auripigmentum & auripigmenta, & Zainoick. Omnia illa sunt nomina aquæ divinæ foliatæ, cujus dealbatio est præparatio ejus per sublimationem, quæ est dealbatio, donec fiat alba lucida, in qua non sunt sordes, hæc est dealbatio sulphuris, & sublimatio Zerruck, & ablutio corporis, & inductio aquæ super illud tam diu, donec non remaneat in eo aliquid ex anima, quæ est tinctura, quæ non ascendit cum ipso spiritu. Cumque acceperis animas, & anima fuerit in ista aqua, & non remanserit in copore ex ea, tunc abluisti corpus à sordibus, & innuisti per hoc totam extractionem animæ totius ab eo, ut liberetur cinis à cinere mundus, in quo non sit pinguedo, quæ prohibeat ipsam ab operatione. Et scito quod quicunque percipit scientiam suo modo, non latebit ipsum dictum expositionis meæ, & maximè ad quem pervenerunt libri mei, & intellexerit eos, Et Deus sit testis super nos, ut non prohibeatis eos ab his, qui sunt digni ex sermonibus nostris, & non expandatis eos indignis. Iniquè enim agetis contra scientiam, & merebimini pœnas ab eo cujus nomen glorificetur in infinitum. Commissa est enim vobis hæc scientia, ut subveniatis fratribus vestris, & pauperibus, & Deus rettribuet vobis quod benè agitis.

Memoratus sum in hoc libro, quod Luna plena quæ est ex his figuris, est radix omnium, ex ipsa extractæ sunt res, per hoc significatur aqua, quia Luna dominatur omnibus humoribus, & est domina aquæ, & duæ aquæ extractæ sunt de ea, & sunt duo fumi, de quibus facit mentionem Hermes, & dicit: Descendit fumus superior ad inferiorem, & concipit fumus à fumo, & ex aliis non subsistunt creaturæ. Intellige hunc modum, & ex his tibi cum tribus fororibus aquarum mentio præcessit, extractæ sunt omnes res. Et res sunt quæ nominantur sulphur, & flores spinarum, & flos omnis spinæ, & tincturæ & fermenta. Et hoc totum post imbibitionem, & ingressum ttium imbibitionum priorum,

priorum, quas nominant ſalſaturas, & poſt fixionem eorum in lapide, qui eſt deſponſatus & coagulatus cum eis, videlicet cum maſculo & poſtquam totum dealbatum eſt cum his tribus deſponſatis, dixit Annanus ſolum modo non addens quartum. Item dixit Viemon: Cum perfeceris tria non timeas ab operatione ſua fixionem. Et idem dixit Aros regi: Si diminuta fuerit palma digito uno, diminuetur potentia. Intendunt per hoc, ut non diminuatur in coagulatione aliquid, ex his videlicet quinque quæ ſunt duo maſculus & fœmina, & tres imbibitiones, de quibus iterum dixit Aros.

Si diminuta fuerit palma digito uno, erit ſanguis tantum diminutus. Cum autem coagulatum fuerit totum, tunc nominatur mare ſapientum. Et hæc terra eſt mater mirabilium, & mater cœlorum, & mater duorum fumorum, & eſt totum, & ex ipſa trahitur totum, quo indigent in opere ſuo. Et ipſa eſt cinis animatus, de quo dixit Viemon: Projicitur in ſterquiliniis, hoc eſt vile in oculis omnis ignorantis, quaſi diceretur ei, hæc eſt ſcientia & opus, apparet ei eſſe falſum, & iſte ſenſus eorum evenit verbi magneſiæ & cineri extracto à cinere. Scito ergo modum qui aprehendit duo in unum, & hæc tria quæ dealbant maſculum & fœminam, ſunt quæ nominaverunt tres terras. Nec ſufficit una ex eis ſine alia, habet enim quæque illarum opus ſuum. Terra prima eſt terra margaritarum, ſecunda foliorum, tertia eſt terra auri, & ipſa tingit Elixir, & elixir tingit eam. Et hæc quinque cum congregata fuerint, & colligata, ſunt unum, quod lapis eſt ſapientum naturalis perfectus, & eſt ſicut domus cum ſuis quatuor partibus & tecto. Et hæc eſt magneſia alba vera, non falſa, & eſt Abarnahas perfectum, occultum, typicum, hæc eſt aqua in qua congregatæ ſunt potentiæ, albedo & rubedo, quam aſſimilaverunt ovo, propter albedinem ejus manifeſtam, & ſiccitatem, in cujus occulto eſt rubedo. Et hæc albedo quam aſſimilant ovo, circumdat quicquid eſt in eo, quo indiget præparator, ſicut cortex ovi circundat album & vitellum totum quo indiget pullus. Et hinc lapidem nominaverunt omnem rem, & dixerunt: Scientia noſtra illa eſt in omni re, & hoc eſt ex ſophiſmatibus eorum propter homines. Unde homines conſumpſerunt pecunias ſuas & ſenſum, & laboraverunt totaliter in præparatione uniuſcujuſque rei, quam opinati ſunt præſumptione, & ignorantes æſtimaverunt lapidem eſſe in omni re, quam præparant. Unde & unuſquiſque præparat illud, quod opinatur, & cadit æſtimatio ejus fallax ſuper eo.

Certum eſt autem, quod ſcientia eſt in omni re præparationem habente, ſicut demonſtravi in pluribus locis librorum meorum: Et intentio eorum in hoc eſt, ut lapis eorum quem nominaverunt omnem rem, habet enim in ſe totum quo indiget, ex corpore, ex ſole, ex aquis, ex ſpiritibus, & animabus & tincturis. Et hic lapis eſt aurum, & eſt mater auri, quia generat aurum, & ex ipſo eſt draco, qui comedit caudam ſuam. Et ex ipſo trahuntur mures, & aſcendunt nubes, & pluunt pluviæ ſuper terram, & ex ipſo prodeunt flores & tincturæ. Hæc aqua facit omnia opera, & ejus mirabilia ſunt majora, quàm dicuntur, in aſcenſione ejus ad aëra, vel ſuperiora thalami, & fiunt ibi flores, & ideo aſſimilaverũt ipſum floribus, quia flores arboris & ſpinarum generantur & apparẽt in cacumine & extremitate eorum ſuperiori.

Draco autem eſt aqua divina, & cauda ejus eſt ſal ejus, & eſt cinis qui eſt in cinere. Et de illo cinere aſcendit pluvia viva, & vivificans, quæ deſcendit de cœlo poſt exaltationem ad illud, & pervenit ad illum virtus ſuperior & inferior per attractionem aëris. Cumque deſcenderit ſuper terram, vivificabit eam poſt mortem ejus, & vivet per eam, quicquid eſt in ea. Et per omnia illa ſignificant hunc lapidem, & ex eo prodeunt omnia illa.

Et hic lapis eſt albus, de quo dixit Roſinus: Scitote, quod ſi feceritis corpus album, recipite per id modum operis ſui, & relinquite illud in quo eſtis. Et de hoc lapide dixit Philoſophus: Eſt lapis & non lapis, hic eſt lapis quem aſſimilavit Aros ſapiens lapidi vel Aquilæ. Eſt enim lapis Aquilæ lapis cognitus, & eſt lapis in cujus ventre eſt lapis qui moritur, per quem ſignificavit aquam aſcendentem, & cinerem extractum à cinere. Similiter eſt lapis, in cujus ventre eſt lapis, qui moritur, quem cum ſolverunt, prodit ex eo aqua ſua, quæ erat congelata in eo, & moritur aſcendendo & exaltando ad aëra. Significant per hoc ſpiritum & animam, qui eſt in ventre ejus. & remanet fex ex aqua, & exuitur illud aſcendens immobile. Deinde apparet ex ea præter animas, frater ejus, qui eſt Cinis cineris, quem nominant mare coagulatum, coagulans aquam eorum in terra eorum. Et de illo dixit Calid filius Iſid: Niſi eſſet fermentum, non coagularetur aqua maſſæ. Magnifica hunc cinerem, cum hic eſt fermentum auri vulgi & filiorum eorum. Et hoc eſt fermentum aquæ eorum, & aqua eorum eſt aurum, & eſt fermentum corporum, ad quem reduxerunt eam. Et cinis eſt fermentum aquæ, quæ eſt eorum. Ideo nominaverunt hunc cinerem fermentum fermenti, per illud vigorant aquam ſuam magna potentia. Et dixit Roſinus: Si fuderitis corpus album &c. Non intendit hic per fuſionem, ignis fuſionem, ſed ſignificat ſolutionem ejus, ut fiat argentum vivum, & extrahentur flores ejus ab eo. Et hic eſt lapis, de quo dixit Argos regi. O ſi cognoſcerent aurifabri, quid haberent operis, lucrarentur per ipſum multum. Item, Maria dixit in eo: Recipe corpus magneſiæ quod dealbatum eſt, & factum eſt ſimile foliis, quia ipſum eſt quod fugat paupertatem, quia non habet poſt Deum aliam medicinam. Et aurum extractum ex hoc lapide, eſt aurum Philoſophorum, & eſt tinctura quæ eſt animata, quia aſcendit ſpiritus ad cuſtodem altiorem, & hoc corpus album nominant, cum fuerit dealbatum aurum, poſt denigrationem ejus, de quo Calid filius Iſid: Præteriti, nec præſentes, non poſſunt tingere aurum, niſi cum auro, & hoc quod non eſt aurum, ſed lapis eorum tingens, quem memorati ſumus. Ex illo enim corpore generatum prodit aurum, & de iſto auro creſcunt flores, qui ſunt aër ſubtiliatus. Dixit ſapiens Alkides: Accipe res à mineris ſuis, & exaltate eas à cacumine ſuorum montium, & reducite eas ad radices ſuas. Et hæc ſunt verba ſua manifeſta, in quibus non eſt invidia hec obſcuritas. Veruntamen non nominant res quæ ſunt. Per montes autem ſignificant cucurbitas & per cacumina montium alembicum. Verè autem eſt ſecundum ſimilitudinem, recipere aquam illorum per alembicum inventam, Reducere verò ſuper radices, eſt ſuper hoc à quo prodierunt. Et nominavit cucurbitas montes, quod in montibus ſolent mineræ auri & argenti eſſe, & in his montibus qui ſunt cucurbitæ generatur aurum eorum & argentum, & in ipſis fit, & illæ ſunt mineræ foliorum & auri eorum, & in ipſis manifeſtant eam præparationibus, & hoc totum eſt ſecundum ſimilitudinem, & eſt admirabilis & pulchra ſimilitudo, nec vult per montes homines, nec intendit per altio-

ra

ra loca sua capita hominum, nec quod de ipsis metitur sicut capilli, sicut dixerunt quidam glossatores, qui recesserunt à veritate, & laboraverunt in capillis, & consumpserunt pecuniam suam, & dies in inquisitione vanitatis. Sed scientia est dignior, altior & nobilior, quam id quod opinati sunt, & pervenerunt homines quos vides per falsas opiniones ad vanitatem. Et similiter quicunque dixerunt, quod hæc ars est ex ovis, unguis animalium, urina, sanguine, felle, sperm ate, & similibus & aliis etiam mineralibus diminutis combustibilibus corruptibilibus & nihil venientibus, falsi sunt, postquam sciverunt, quod sit scientia perfecta magni pretii, & quod est secretum Dei glorioſi, & sublimis, magnum, & multitudo multitudinis, & quæ inspirata est à Deo philosophis suis, & electis, & in eum credentibus, & est dignius quàm est in mundo, & nihil comparatur ei, & est soror Philosophiæ, & habuit esse à Deo per inspirationem. Postquam sciverunt hoc dixerunt, quod esset ex capillis & ovis, arsenicis, & sulphuribus & rebus immundis & sordidis, ita quod quidam ex infirmitate suæ rationis fecerunt eam, & ex stercore & urina, & hoc absit à sapientibus Dei glorioſi & sublimis. Ego autem depictam vobis eam ostendam, sicut depinxit sapiens, & hæc figura depicta quasi figura duorum in uno. Et h. e. opus secundum & est rubificatio. Et illa similiter ex quinque sunt tria cælestia aërea, ignea, possibile est ut dicantur ex eis hoc. Tres verò superiores partes, est aqua duarum naturarum, & depinxerunt hanc aquam tertium, quia est tertium aquæ diversæ, & est tertium ejus ex iis, & ista tria denigrant folia eorum. Secundo quod est corpus secundum, & dealbat ipsum, & sex partes aliæ reservantur ad rubificandum, & demonstraverunt, quod tertium aquæ sunt tres partes, per illud quod depinxerunt, sicut vidisti, quod habet tres naturas, i. e. aquam, aërem & ignem, & per hoc ostenderunt, quod est unum, in quo sunt tria, & mundus inferior terreus est terra ex duobus corporibus, & aqua ex duabus naturis, per hoc intendit sapiens animam, & spiritum animam ferentem. Dicunt enim quod spiritus est locus animæ, & est aqua quæ extrahit hanc naturam à corporibus suis, & anima est tinctura soluta, & portata in ea sicut portatur tinctura tinctorum nostrorum in aqua sua, quâ tingunt. In aqua sunt tincturæ eorum, quæ aqua tingitur, & extenditur in panno, & ex ipsa currit tinctura in panno. Deinde recedit aqua per siccationem, & remanet tinctura in panno. Similiter est aqua sapientum, in qua portatur tinctura eorum, quam videlicet aquam in qua est tinctura reducunt super terram suam albam, benedictam, sitientem, quam assimilaverunt panno, & currit aqua illorum in terra eorum, & extenditur totaliter in illa, cum qua currit tinctura illorum, quam vocaverunt animam, quem etiam vocavit Hermes aurum, cum dixit: Seminate aurum in terram albam foliatam, significavit hanc tincturam, & assimilavernnt floribus spinarum, & nominaverunt eam crocum & Effer. Et hæc tria tingit & remanet anima, quæ est tinctura in corpore, in quo manifestavit tincturam suam, & pulchritudinem. Est enim fumus subtilis in sensibus & non apparet nisi effectus ejus in corpore, & actus ejus manifestatione coloris, & est ignis, & ex igne est, h. e. generatur ex igne & nutritur, & est filia ignis, propter quod oportet reduci ad ignem, nec timet ignem, sicut reducitur puer ad ubera matris suæ, & hæc omnia ostendi tibi depicta sicut ordinavit ea sapiens. Hoc autem quod memoravi tibi, est intellectus dicti eorum, *terra ex duobus corporibus & aqua ex duabus naturis, & opus albi & rubei, est opus unum*, licet nominaverunt ea duo opera. Nonne vides hoc opus primum, constat ex quinque, quorum tria sunt superius, & duo inferius. Ita quod albi opus est medietas operis, & est primum opus. Opus vero rubei, est medietas secunda, & totum est unum opus, licet nominaverunt duo opera, sicut prædixi, secundum quod ordinavit sapiens, & ego exposui id tibi. Et primum opus quod omne præcedit opus, est extractio tincturarum pro istis duobus operibus, quæ sunt opus unum, & duo pro uno, super quod non ingreditur aliquid alienum ab eo, & est ignis. Operatur enim operatione ignis. Dixit autem Hermes. Omne subtile ingreditur in omne grossum. Intendit per hoc dictum suum, ingressionem aquæ eorum in corpus eorum, & reservat corpus illud, & vivificabitur post mortem suam in vitam sempiternam. Recommenda igitur memoriæ verba à me prolata, quorum intellectum aperui per ea quæ tibi demonstravi, & magnifica scientiam, qui enim spernit scientiam, spernit illum Dominus glorioſus, & sublimis, & decora conscientiam tuam, & multiplica preces magistro tuo. Respexisti enim ad hæc secreta magna, nobilia, quæ latent omnes homines, in quorum tenebris sunt, & fuerunt eorum intelligentiæ: donec manifestavit ea Philosophus filius Hamuel: Zadith, & extraxit à fundo eorum margaritas pretiosas, & ostendit tibi manifestè & apertè hoc secretum celatum, quod appropriavit Dominus glorioſus huic lapidi vili & impreciabili, & est pretiosius quod est in mundo & vilius. Et similiter quod pretiosius est in mundo ex vestibus, est sericum ex vermibus, & mel in quo est sanitas hominum est ex apibus, & margaritæ ex conchis extrahuntur, Et homo qui est dignius quod est in mundo, est ex sperma te. Et verba Hermetis quæ audistis in hoc dicto, assimilantur dicto sapientis in assignatione lapidis eorum, & verba eorum omnia sunt eadem, & pars parti est propinqua. Et hoc jam præcessit cum dixit: Accipite res cum mineris suis, & exaltate ea ad altiora loca sua, & metite eas à cacumine montium eorum, & reducite easdem ad radices suas, & ex his quæ jam præcesserunt ex ipso. Et est idem intellectus cum dicto Mariæ. Est rex qui de terra prodiit, & de cœlo descendit. Itaque intellectus verborum suorum est, & innuit ad idem, licet diversæ sunt voces eorum in nominibus, & assignationibus, & similitudinibus, & judiciis, & parabolis. Et per omnia illa significant lapidem suum: & ad ipsum innuunt, & ego ostendi tibi modum, quo poterit tibi veritas aperiri. Et scito quod non potest esse quin verba explicentur in his literis. Et hoc est propter multiplicitatem authoritatum sapientum, ut intelligas hoc arcanum. Habeas sensum seu intellectum, & ingenium, & insipiens exercetur. Tu autem cum perceperis intellectus verborum sapientum, liberaberis à tenebris, & ingressione in errorem. Quod si non poteris ex libris eorum intentionem tuam adipisci, ex eo quod intellectus tuus non percipit hoc, non cognoscis lapidem. Jam demonstraverunt tibi modum manifestè, & per prohibitionem è rebus vanis, unde lucratus es multum, & redemisti pecuniam tuam, ne expendatur in vanum. Et hæc est magna utilitas. Et si intellexeris, ambulasti in lumine lucente, & in luce coruscante. Et ego replicabo tibi verba eorum, in aqua spirituali, quæ est alba. Et hoc est quod

docet interrogare, ne deviet interrogantem, & ne dubites, cum audis eos dicentes flores, vel tincturas, aquam albam, vel aquam rubeam, quæ aqua alba eſt ad dealbandum, & aqua rubra ad rubificandum. Ne igitur æſtimes quod rubea in manifeſto ſit. Sed eſt rubea in effectu, quia color ejus qui eſt rubedo, latet in occulto ejus, & hoc demonſtrabo tibi ex verbis ſapientum, ut addatur tibi rectitudo ſuper hoc quod prædixi tibi. Quod autem dicunt aqua alba ad dealbandum, ſignificant per hoc tres partes, & nominaverunt duo opera, ſcilicet Lunare & ſolare, primum eſt lunare, & hoc eſt abluere, & dealbare in putrefactione ſeptuaginta diebus. Et hæc eſt dealbatio totius, & fuga tenebrarum ab eo. Secundum eſt rubificare, & tingere ſolum, & coagulare tincturas eorum in terra eorum benedicta, ſitienti. Terra autem prima quam non præceſſit aliquod opus liquefacta & ſoluta eſt, & extractæ ſunt ab ea tincturæ ſuæ, quæ ſunt ſulphura ejus, & facta eſt fermentum, & ingreſſa eſt ſuper aliud corpus, cum quo maſſatur illud corpus cum alio fermento, quod eſt fermentum fermenti, & hoc corpus eſt cinis, cujus operatio ſuperius ſufficienter expreſſa eſt, unde multi non intelligentes hunc lapidem, nec dicta Philoſophorum, combuſtibilibus, & corruptibilibus, & aridis adhæſerunt mineris, quæ ſiccæ tincturam non habent, laborantes inutiliter conſumpſerunt pecuniam, & damnati ſunt damno apparente. Tu autem qui in timore Dei ſtudioſus fueris, & lapidis hujus ſecretum, & apparentem virtutem ejus videbis, & invenies ſpiritu altiſſimi inſtructus. Ut cognoſcas, quoniam omnis ſapientia a Deo eſt, & cum ipſo fuit ſemper, cujus nomen Domini in ſeculum ſeculi benedictum, qui abſcondit hæc à ſapientibus & prudentibus, & ea parvulis revelavit. Et ſic finiunt dicta ſermonis,

Expoſitio Aquilarum.

Vid. Tab. III. Fig. 12. DEcem Aquilæ, Sol, & Luna, tres ſphæræ, & domus, & intus in domo Cathedra, & in illa Cathedra imago ſapientis, quæ eſt locus artis, & tabula marmorea ſuper genibus illius ſapientis, diviſa in duo media in tabula illa cum quadam differentia, & ſuper genibus illa, & digiti reflexi, & duæ aves in una ſphæra, & multi hominum intuentes in illam imaginem, induti diverſis coloribus, Arcus in pedibus aquilarum potentiam & fortitudinem illarum indicant, & ipſius originis à principio uſque ad finem. Per Aquilas ſubſtantiam volatilem intelligas. Cathedra ſignat locum operationis, & formam vaſorum, quod eſt intus. Sol cum uno radio conſequenter cum duobus radiis, tertio luna ſemiplena, ſemper cum duabus avibus redit in idem. Luna ſemiplena, quia quarto ex ea plena diminuitur, tamen additur ſoli cum duabus radiis, & hoc uſque ad terminum fermentaneum, & tunc ex duabus mediis fit totum. Sed modò veniamus ad illam tabulam diviſam per duo media. Et dico, quod non eſt dubium, quod quadrant, & reducant ad formam circularem, oportet dividi per medium cum digitis ſuis, quod ſunt tam rotundi, & tale erit vas operis, quia digiti illi ſunt dilatatiores, rotundi, ad quantitatem duorum digitorum, ſuper aſthanor & althanor. Habet ſcabellum ut vides in figura, propter hoc, ut facilius conſervatio argenti vivi fiat. Sed quomodo illæ duæ aves poſſunt eſſe in una ſphæra? Debes intelligere quod ſphæra dicitur rotundum, & rotundum eſt figura cæleſtis, & cælum eſt diaphanum, & quantitas diſtantiæ fit operativa, ſed propinquitas clarum facit, & eſt illius cauſa. Sed quomodo illæ duæ aves habent eſſe, ut unius roſtrum tendat ad alterius caudam? Dicendum quod homogeneæ ſunt, & unius naturæ, nec una valet ſine alia, ſed una eſt ex alia, & una per magiſterium perficit aliam, & artem ex ea, & ſic per omnia, donec utraque ſit in ſua origine, & tunc incipit fieri res magna. Sed quid de diverſis imaginibus intuentium intus thalamum & ſtantium? niſi diverſos operantes in arte: & nihil ſcientes, & mirantur de dictis philoſophorum, & de arte, cum apud eos non ſit apprehenſibilis, & ideo ſtupefacti ſunt, ut dementes, & inflati, credentes eſſe in poſſibile, & hi ſunt à dextris, & à ſiniſtris intrantis, & dicuntur dextrè & ſiniſtre intrare, quia aliqui ſunt qui ſciunt circa quid debent operari, ſed ut ſciunt operationem. Siniſtri ſunt illi, qui nihil habent in re, ſed operantur ex contrariis veritati.

Sed quid de illis Philoſophis & magiſtro circa tectum? Dico quod illi fuerunt hujus artis inventores, & ille magiſter compoſitor illius figuræ literæ Hebr. Per primum inventorem Sem filium Noë intelligite, nec fuit primus Hermes, ſed ſucceſſor illius. Alio modo exponitur illa tabula marmorea extenſa ſuper genibus ſapientis. Et quæ diviſa quadã linea per medium. Et dico quod illa tabula oſtendit totum opus, & modum operationis ſcienti. Et in prima medietate à dextris oſtenditur medietas operis, hoc eſt operationis Alkysderam, & illa eſt operatio à principio uſque ad adventum conjunctionis avis & avis. Et iſta operatio dividitur in duas operationes, ſc. ſolis cum uno radio, quæ operatio oſtendit jam agens aliquid imprimere de ſua virtute & potentia in ſuum ſubjectum, ſive paſſum, & in aquatione deſcribitur ſol cum uno radio. Sed quando agentia aliquid imprimunt, ſc. formam appellatur ſol cum duobus radiis, quaſi duplicata potentia, vel duplicatus effectus reſpectu primi.

Sed quid de alia medietate à ſiniſtris, ubi eſt Luna ſemiplena cum ſphæra nigra, & alia ſphæra cum duabus avibus? Dicendum eſt quod hoc oſtendit quid ſit de operatione poſt mortem Leonis, & quomodo reſuſcitatur, & quid ſit de ratione animæ: & quid dicitur ratione corporis. Et in Luna ſemiplena oſtenditur accidens inſeparabile ipſius animæ, tanquam propria paſſio: Et ſemiplena, dicit imperfectionem, ſed ſicut corpus vivens dependet ab anima, ſic & ſemiplena Luna cum ſphæra, dependet à ſole cum duobus radiis. Et quia dictum eſt, quod eſt à potentia ad fermentandum, incidunt in ſphæram cum duabus avibus, quarum una apparet mortua, & in veritate mortua, & alia viva. Et viva attribuitur Lunæ ſemiplenæ, & mortua ſoli cum duobus radiis, vel fermentaneo. Illæ duæ aves ſic ſunt colligatæ in una ſphæra, quod roſtrum unius caudæ altetius eſt appenſum, ſic cauda colligata roſtro in eadem ſphæra, quod tam cauda quam roſtrum propter indiviſionem naturæ, & homogeneitatem utriuſque poſſe & virtus eſt eadem, nec una præter alteram, nec altera præter alteram, per ſe & in ſe. Et hoc ideo, quia quod eſt ſuperius, eſt ſicut quod eſt inferius. Et nonne vides quod aqua aquæ eſt homogenea. Et ego dico quod fermentum panis panis eſt, & ſic fermentum auri aurum eſt. Sed aurum noſtrum, ut intelligas, non eſt aurum vulgi, quod eſt propterea, quia aurum vulgi non habet tingere, niſi quantum in ſe eſt, Sed aurum noſtrum, quod eſt verificatum omni ſolutivo, ſuper omnem paſſivum,

&

& est regula & regulans, & tingens & tinctum, & hoc avis & avis, nec avis & avis est hoc, sed ex ave & ave consurgit, illa forma fermentanea fermentata. Et est ibi duplex fermentum scilicet fermentans, & illa est avis mortua, & fermentatum, & est avis viva. Et ex his duobus sequitur fermentum fermenti per excellentiam. Et illud est ex operibus magisterii, & super hoc gaudent Philosophi. Et sic in sinistra parte habemus Lunam semiplenam, & sphæram, & duas aves & sphæram. Et sic habemus totum numerum de tenente tabulam. Dicitur quod est Alchanor, & est locus præparationis, & digestionis, & actionis. Et talis est dispositio & forma illius, & hæc statua ut supra depicta apparet.

Senioris Tabulæ Chimicæ Finis.

SUBSECTIO XIII.

Anonymi Veteris Philosophi CONSILIUM CONIUGII, *seu* DE MASSA SOLIS & LUNÆ Libri III. *Verè aurei & incomparabiles, ex Arabico in Latinum Sermonem reducti.*

Incipit Primus Liber Consilii Conjugii, de Massa Solis & Lunæ, *cum suis Compendiis.*

NON legitur à divina munificentia majus emanasse donum sapientia. Unde Hamuel, Recommenda memoriæ, exorna conscientiam, magnifica scientiam. Qui enim spernit scientiam, spernit illum Deus sublimis & gloriosus; sapientes verò & electi servi Dei, quorum unus post alium, hanc sibi hæreditavit sapientiam gratia & dono Dei, cujus nomen sit benedictum, ut sibi facerent memoriam perpetuam posteris, de hac libros suos conscripserunt, typicis & tropicis locutionibus velatos. Nisi enim hanc scientiam posteris descripsissent seculis oblivioni dedita periissent, sicut & domini ejus mortui. Sunt enim libri vasa memoriæ, & fama perpetua sapientum. Ne autem hæc sapientia & donum Dei altissimi hilariter elargitum microcosmo ad interitum tenderet, Deo volente philosophi & prophetæ, scientiarum domini; hujus sapientiæ series in scripturis deposuerunt velatas, propter plures causas. Prima est Hamuelis in Seniore, ut attribuerent illam domino glorioso, ut revelaret illam cui vellet, & prohiberet illam à quo vellet. Nam ut dixit Morienus ad Regem Calid: O bone rex, scire te convenit, quod hoc magisterium nihil aliud est nisi secretum secretorum, & arcanum Dei altissimi & magni. Ipse enim hoc magisterium suis prophetis mandavit, quorum animas in paradyso suo collocavit. Si autem sapientes, qui post illos fuerunt, suas dispositiones de qualitate vasis in quo conficerent non invenissent, nunquam ad hujus magisterii perfectionem pervenire potuissent, & in eodem libro postea alibi dicitur: & scire te convenit, quod intentio omnis hominis, hanc scientiam puram & divinam inquirentis, nihil aliud arbitrari debet nisi donum Dei altissimi, & magni, qui eam servis suis commendat, cujus nomen sit benedictum. Secunda causa est in libro luminum Rasis, qui, postquam multa de dispositione artis docuisset, dicit: Quamvis omnia dilucide præmissa sunt, idoneum tamen arbitror, quamplurima sub ænigmatis specie involvi. Si enim omnia prout se habent, vellem enodare, nullus ultra prudentiæ locus esset, cum insipiens sapienti æquaretur, nec sub circulo Solari vel Lunari quisquam mortalium paupertate noverca medias angustias deflere. Tertia causa velationis hujus scientiæ legitur, ne detur occasio malignandi pravis, hæc scientia occultatur in verbis obscuris, unde bonis celari non debet. Dicit Assiduus: Quidam ex philosophis Dominum timentes, non tam sublime, nec tam pretiosum hoc magisterium habuerunt. Immò opus suum patens & manifestum scribere voluerunt: sed expavescebant hæc agere, eo quod mundum deleret, & opus arandi & serendi plantarum periret. Ergo non frustra libros suos scripserunt velatos, nec eventui composuerunt. Quarta causa obscuritatis legitur in fine turbæ philosophorum, ubi dicitur: Nisi enim nomina multiplicarentur in hac arte nostra, sapientiam nostram pueri deriderent. Quinta causa est Mundi Philosophi in Turba, dicit enim: Si plebei venditores hanc mineram agnoscerent, non venderent eam vili precio. Arsuberes in eodem libro. Et si reges eam agnoscerent, non sinerent eam ad pauperes devenire.

Libri autem Philosophorum, quanquam obscuri, tamen valde utiles sunt ingeniosis hanc scientiam inquirentibus, quæ sine literatum cognitione haberi non potest. Unde Pythagoras in Turba: Quanto plus libros legebam, tanto magis agnoscebam: Et Mirtiganus ad Horfosum: Narrasti frater de argento vivo, & intus quod est magnesia, & jussisti libros philosophorum legi & experiri. Et Morienus ad Kalid regem dixit. Quod jam diximus tu ne bene intellige, & intellectum memoriæ commenda, & juxta suum ordinem illa dispositione, & in eorum dispositione frequenter stude, quia ejus frequens studium viam rectam tibi ostendit, ita ut eam videas, nec amplius à te celari possit.

Rasis in libro luminum: Cum ergo nostrorum statuum scripta omnia diligenter & serio perspexeris, si universa ad propriam formam reducere studeas, voti nullatenus cessabitur effectus. Propterea artifici summe videtur necessarium scrutari, æstimare, diligere: nam in inquirendo & eliciendo libros nostros sic apperunt, quod amando repertos colligant & servent. Nec in his alicujus temporis dispendium impendente te pigebit. Cui autem hæc tria deficiunt, nec librorum deliciis ditari merebitur. Hamuel commentator Senioris se excusans quod sapientiam suam in figuris descripsit, dixit: Propinquius est illud intellectui subtiliter prospicientis, & cognoscentis terminos sapientiæ,

ex sermonibus typicis & obscuris, cum contulerit illos sermones illis imaginibus & figuris, unum aperiet tibi reliquum, nec legitur aliquid super lapide occulto. Item etiam commentator suadens libros legere suos, diffuse loquitur, causam subjungens dicit: Ego autem ut portaretur memoria mea à posteris in ista arte, sedi solitarius considerans libros antiquorum, inquirens à quolibet nobiscum sedentium, scientiam hanc inquirentium: quos cum alloquerer, non intelligebant me, habebant enim præ manibus libros, qui describunt eis species & res vanas, quas nescunt, qui his occupantur. Et hæ sunt res quæ deteriorant occupantes & ipsi incumbunt suis commixtionibus deviantes à veritate, & ignorantia excæcati, quorum nullus ausus est exponere nec literam unam ex dictis philosophorum. Est autem opus cum sapiens sim, & aperta mihi cætera sunt, & noverim occulta, ut exponam verba sapientum, & perveniam per illam expositionem ad veritatis manifestationem: post eorum manifestationem, ut manifestaretur studentibus in illis, & aperiatur fastidientibus in illis & impatientibus, & sufficientiam habentibus in his, quæ præ manibus habent ex ignorantia. Sed cum non explano aliquid ex eis, erit liber meus tanquam ipsius sapientis, & verba mea, & verba sua vel illorum, & mihi attribui, quod est inconvenies, & dedecus illi qui hoc facit, quia appetit jactantiam. Veruntamen si fai cum magno labore in scientia, & aperti sunt mihi tropi illorum occulti, & manifestum est mihi quod occultaverunt, & apprehendi per scientiam quod occultaverunt, debeo hoc appropinquare intellectui successorum meorum, sermonibus in aperto velatis, significantibus intellectum occultum, & velatum, ut hoc sit occultum & velatum.

Est enim apertum studiosis & sapientibus, & intelligentibus, & investigantibus; occultum autem insipientibus, quod nisi sic fecero non manifestabo industriam meam præ cæteris, & erunt dicta mea tanquam propositio sine demonstratione, quod non feci sic. Et scito, quod qui percipit scientiam uno modo, non latebunt ipsum dicta expositionis meæ, & maxime ad quos pervenerint libri mei. Et Deus sit mihi testis super vos, ut non prohibeatis eos, qui sunt digni ex fratribus nostris, & non pandatis ea indignis, alias indigne ageretis, & contra conscientiam & merebimini pœnam à Deo, cujus nomen glorificetur.

Commissa enim est vobis hæc scientia, ut subveniatis fratribus nostris pauperibus, & Deus retribuet. O quantum est honoratum ex his assignationibus & argumentis philosophorum per libros eorundem inquirendos. Hæc omnia dixit Senior. Ego inter sapientiæ amatores minimus ipsorum ex eo invictus, quorum experientiam non attingo, ocium cupiens evitare, fructum studii mei longinqui & laboris immensi, propter quod multis annis laboravi cum diligentia & assiduitate, quærendo & æstimando, multas noctes insomnes duxi, degendo diebus multis.

Jam habito hoc quod sum dono domini mei Dei consecutus, dignum duxi non solum intellectui, qui locus est specierum intelligibilium, verum scripturæ, quæ gazophilacium sapientiæ Dei est, fore mandandum, ne tanquam avarum possessorem & degenerem, me scientia dignaretur deponere, procuravi primo in laudem Dei, datoris scientiæ, & ad utilitatem fidelium ejus. Hanc enim scientiam inquirentibus, necessarium est habere mentes purificatas Deo, cum sit donum & secretum secretorum Dei, & soror Philosophiæ ac Philosophorum, quia habet esse à Deo per inspirationem. Singulariter verò motus ut proprium munus habeat virtus societatis, non errantis, sed vere existentis in intelligentia principiorum, & scientiarum, & conclusionum artis, per expositionem trium verborum & clavis sapientiæ majoris, volui specialissimè declarare, ut multorum sapientum dubiam aciem mentis figat. Quia verò problema diversorum philosophorum commutando exponere decrevi de viro artis & muliere ejus: hunc librum consilium conjugii de massa Solis atque Lunæ volui nuncupare. In quo prius de minera artis eloquar, exponendo secreta secretorum. Secundo de regimine ejus. Tertiò ponam carmen trecentorum versuum, & commentabor dicta philosophorum, & exponendo societati quicquid obscuraverunt pro posse suo, & celaverunt præ pattibus & filiis, comprehendens in summa quod ipsi in multis passibus librorum expanderunt sepultum tropicis & typicis locutionibus, & magnis obscuritatibus involutum. Sed quia lapis sapientum in cavernis planetarum occultatus est, id est, in definitione Solis & Lunæ Planetarum reliquorum, ab iis ducam exordium.

Prima Pars Hujus Libri.

SOl, ut dicit Algazel, est mundi oculus, splendor firmamenti, pulchritudo cœli, orbium viator, fons totius caloris, planetarum rector, horarum divisor, gratia & honor Dei. Luna, ut ait idem, est cœli purpura, Solis sectatrix, navigantium solamen, roris nutrix larga, præsagium tempestatis, domina humiditatis. Sol dicitur quasi super omnia lucens, Luna quasi luce lucens aliena, quia ipsa non lucet de se, sed omnem splendorem suum à Sole mutuat. Hermes, Sol etiam est dominus corporum & lapidum & est nobilior eis, quoniam est rex eorum & ipsorum copia, quod non corrumpit terra nec aqua, nec ignis, nec minuitur in igne, sed ignis ipsum rectificat & humectat, & non comburunt ipsum sulphura corrumpentia, quia natura ipsius est æqualis, clare & recte temperata, propter quod extulerunt ipsum sapientes; & magnificaverunt ipsum, & posuerunt in ipso compositionem Elixir magni lapidis, quoniam est substantia æqualis permanens, fixa longitudine æternitatis. Hoc quidem Elixir est de complexione substantiæ auri, quia est calidum & humidum, & est Elixir hoc in corporibus, sicut Sol in stellis, quare Sol est rex stellarum, & lumen earum, & per eum complentur res terræ ex plantis, fructibus & mineris. Etenim retinet omne corpus, & retinetur ab eo, & est fermentum duorum Elixirium albi & rubei, & non rectificantur nisi per ipsum, & non complentur per illud, sicut pasta quæ non completur nisi per fermentum, & est hoc fermentum in Elixir, sicut coagulum in lacte, & sicut muscus in odore bono. Luna verò, sponsa Solis, est coloris cœlestini, vicina complexioni solis, & est domina humiditatis, ex qua cuncta procreantur adjutorio solis. Mercurius vero mercantum dominus est, qui aurum, & argentum, & gemmas latere volentia in luto mercatoribus adinvenit, & Mercurius est pars materiæ omnium metallorum, & est ex sicco terreo, & subtili, & humido unctuoso, inadustibili, vehementer & optime universaliter complexionato, nisi quod vergit ad humidum aquosum, unde ratione humidi humidantis fluit

fluit in frigido, quærens iter alienum, & fugit in igne. Et ratione humidi unctuosi, inadustibilis, & vehementis complexionis non aduritur, sed in totum sublimatur.

Nam humidum unctuosum motum ab igne, trahit secum subtile suum siccum omnino ita, quod post se nullas relinquit feces, & ratione sicci fluit globose, & non madidat illud quod tangit, nec adhæret ratione vehementissimæ complexionis, & ex soliditate partium densarum privatarum raritate ponderosum est, & super ipsum natant lapides, & metalla omnia, præter aurum, quod petit fundum: Ex quo elicere poteris maximum secretum: scilicet naturam, symbolum, & similitudinem magnam: Et sciendum, quod Sol, & Luna, & Mercurius digesta sunt calore temperato Mars vero & Venus calore igneo, excedente temperiem adustivam, & hic calor dicitur optesis. Calore vero molendesi, qui est defectivus, ac ejus parte digeritur Jupiter & Saturnus. Et sciendum quod Mercurius purus, id est, optime complexionatus est in Sole & Luna, & seipsum solvere reperitur, licet sit materia vel potius pars materiæ omniũ aliorum. Et postquam ad suam speciem est productus naturæ beneficio, ratione suæ optimæ complexionis ultra corrumpi non potest, sed alia corruptibilia metalla ex eo habent generari. Contingit ex eo, quamdiu est in fieri non facto esse, scilicet digestione, optesi & molendesi. Et ex his, & per hæc, quæ dicta sunt præparaverunt sapientes lapidem suum de meliori minera, quam possunt invenire. Unde Geber, qui prima naturalia ignoravit, jam multum remotus est ab arte nostra, quia radicem non habet veram, super quam intentionem suum fundet. Qui verò principia sciverit naturæ & causas atque essentias, non tamen adeptus & consequutus est verum finem & profectum artis hujus occultissimæ, habet tamen faciliorem aditum, & hic parum remotus est ab artis introitu: Qui vero sciverit omnia principia & causas mineralium & generationis modum, quæ ex intentione naturæ consistunt, parum quidem aufertur ab eo de operis complemẽto, sine quibus non potest sciẽtia nostra perfici.

Lapis philosophorum est rex de cœlo descendens, cujus montes sunt argentei, & rivuli aurei, & terra lapidis, & gemmæ pretiosæ. Ecce jam omnes species artis enumeratę sunt. Assiduus: Scito fili, quod opus philosophorum & prophetarum non fit nisi in solo argento vivo, quoniam illis in omnibus rebus cogitantibus & ad argenti vivi scientiam perveniẽtibus, nesciebant, quod argentum vivum accipiant, quo operantur. Ideoque in naturis & in accidentibus, quæ omnia alterant, cogitationem & complexionem iteraverunt. Cum autem super lapidem eorum quieverit intentio, & notum habuerint, quod ex hoc lapide procedit argentum vivum, quod voluerunt quidam ex ipsis valde celare, omnibus nominibus nominaverunt, & omni operi & rebus ipsum assimilaverunt. Quidam vero tantum uno nomine, quod est lapis: aquam vero quæ ex eo, vel ex ea, vel ab eo extrahitur, argentum vivum nominaverunt, quod diviserunt in duas partes, quas illos oportuit duobus nominibus nominare. Quidam enim dixerunt cœlum & terram: Quidam masculum & fœminam: Quidam lapidem & aquam: Quidam spiritum & corpus: Quidam ovum & gallum, Quidam hominem & magnesiam: Quidam vile ac charum, & stercore tectum, ad quod vix poterit perveniri, quod homines ac pueri in plateis & viis prætereunt, & id est, humidum, quorum expositio in sequentibus apparebit. Unde Rasis in lumine luminum, sapientes quidam in uno, scilicet humido, quidam in duobus, masculo & fœmina, quidam in tribus, scilicet, spiritu, anima & corpore, scilicet, aqua, terra & tinctura, quidam in quatuor scilicet elementis consistere volunt.

Sapientes tamen dicunt, quomodo quinque elementa ex radice una, scilicet ære philosophico pullulant: scilicet quatuor elementa, calidum, frigidum, humidum & siccum & quinta essentia quæ nec est calida, nec frigida, nec humida, nec sicca, nullo alterius generis adveniente. Nam & seipsum dissolvit, & coagulat seipsum, albescit & rubore decoratur, seipsum croceum facit & nigrum: præterea seipsum desponsat, id est, spondet uniri, quia natura naturæ congaudet propter vicinitatem, id est proximitatem naturæ inter illa, & à seipso concipit, quia unum est genus omnium illarum specierum, scilicet masculi & fœminæ, & spiritus Lunæ: & natura naturam vincit, & natura naturam continet, quousque finem operis acceleret.

Adomat, sciatis, quod non est nisi res una, quæ patrem habet & matrem, & ejus pater & mater eum nutriunt, atque pascunt, nec ipse à suo patre & matre in aliquo differre potest. Hermes, cujus pater est Sol, mater verò Luna. Et Assiduus, cujus mater est virgo & pater non concubuit, ergo est generatio casta. Et iterum Hermes dicit, non convenit rei, nisi quod propinquius est ei ex natura: & statim adjunxit: Humiditas autem est ex dominio Solis.

Et dicit Dantinus: Quod omnis res artis hujus, non est nisi de eo & cum eo: quia omnis tinctura à suo simili procedit. Et Arctorienes etiam commemorat, quod tres species ad totum magisterium sufficiunt, scilicet, fumus albus, id est, vis quinta, id est, aqua cœlestis: & leo viridis, id est, æs Hermetis: & aqua fœtida, quæ est mater omnium, ex qua & per quam, & cum qua præparant ipsum in principio, & in fine.

Has igitur species tres, & ejus confectiones, nemini detegas: sed stultis hoc magisterium circa quamlibet aliam rem quærere, & quærendo errare contingit, quia ad ejus perfectionem non pervenient, donec Sol & Luna in unum redigantur corpus, quod nisi Deus voluerit, nunquam fiet. Et Aristoteles in Epistola ad Alexandrum dicit: Quod hujus artis duo sunt lapides principales, albus & rubeus, mirabilis naturæ. Albus in occasu Solis incipit apparere super facies aquarum, abscondens se usque ad mediam noctem, & postea vergit in profundum. Rubeus vero ex opposito operatur, quia incipit ascendere super aquas in ortu solis usque ad meridiem, & postea descendit in profundum. Et in alia Epistola dicit: Aqua instrumentalis in arte intelligitur esse duorum, quorum unum Soli, alterum Lunæ deputatur. & jam arcanum cœleste perfeci. Et Kalid, in his duobus lapidibus, quos designavi, est quatuor naturarum relictarum perfectio, quorum alter est vir, id est, Sol, alter vero uxor, id est, Luna. Et Hamuel commentat. Hæc est magnesia nobilis quam commendaverunt omnes philosophi, quæ ex multis vocabulis una est res, & sunt duæ atque divinæ, Lunaris, scilicet, & Solaris, nec una ex eis operatur sine alia.

Et Hermes dicit: Quod lapis esse, est secretũ totum, & vita majus cujusque rei, & omnis homo indiget eo.

Et hæc est aqua, quæ est in tritico fermentum, & in oliva oleum, & in persicis gummi, & in omnibus arboribus fructus diversi, & principium generationis

tionis hominis eſt ex ea, & eſt vivum quod non moritur quamdiu mundus eſt, quia eſt caput mundi, id eſt humor. Raſis in libro luminum, ſupervacue videtur tibi illud nominare & deſignare, quia nunquam à te recedit, quia ſi morieris tecum moritur, ſed ſi interierit, cum ipſo obibis mortem.

Et in eodem ipſo libro de minerarum arte ſic loquitur, ſed diffuſius eſt ſermo, oleum quoque ſuſcipiens colorem, id eſt ſplendorem ſolarem, ipſum ſulphur eſt: ita eodem modo idem etiam eſt æs. Ergo Plato dicit, omne arg. vivum ſulphur, ſed non è converſo, & omne aurum æs, & non omne æs aurum. Textus, ſed omne oleum Soli comparatur atque auro. Ergo Hermes, Pinguedo eſt ex dominio Solis: & humiditas ex dominio Lunæ, quia omnis frigidi oleum eſt humiditas, & omnis calidi oleum eſt pinguedo, Textus, Atque ſecundario mortem reſpiciendo, ab ipſo oleum exprimitur, ſed propter ſiccitatem terræ poſtquam totus vapor æris eſt extractus in aqua ſibi ſimili. Dicitur etiam opus mortis propter rubiginem. Unde Theophilus, Dico vobis quod ferrum non fit rubiginoſum niſi per aquam illam, & ipſa eſt quæ laminas tinxit. Et Donellus, Ego autem dico vobis, ſumite ferrum facientes inde rabulas poſtea aſpergite eas veneno, & ponantur in vas cujus os bene claudatur, &c. Et propter nigredinem in opere primo & ſecundo apparentem dicitur Mars: Unde Florus: Et ſcitote quod prima nigredo ex natura Martis eſt & ex illa nigredine exortus eſt rubor qui nigrum emundavit, & pacem inter fugiens & non fugiens ordinavit: Eſt enim Mars Deus belli. Textus, quod aut fex, id eſt, nigredo atque tinctura emittitur, aqua vocatur perpetua & incorruptibilis, fex ipſa dum nigreſcit magneſiæ nomen uſurpat. Gloſſa in turba, Ablue donec exeat nigredo, quam quidam nummos vocaverunt. Et Gradinon ait, Rebus artis noſtræ ſemel contritis, & coctis, invenietis nigredinem, & illud eſt plumbum ſapientum, de quo dixerunt nummi noſtri nigri ſunt. Textus, Alba fex ipſa plumbum album nominatur id eſt ſtagnum. Ipſa quidem Mercurio aſſcribitur, & ipſa eſt oleum, quod cum digniori administratione præparata ipſum aurum viſcoſum & atramentum nominant & gummi rubicundum, & auripigmentum rubei ſibi nomen aſſumit, quia eſt pinguedo auri & tota ejus tinctura. Textus, natura quinta ipſa eſt Veneris, apud Philoſophos, quæ nec calida, nec frigida, nec humida, nec ſicca eſt, ſed medium. Ea etiam auripigmentum croccum & Iris prò multiplici ejus colore dicitur. Eſt enim lapis à quo procedit omnis color, ipſa eſt aqua perpetua, alba quidem quando prima candida apparet, tum etiam albumen ovi, & acetum, aqua marina & almizadir, & ſimilia his nomina attribuunt. Ex hac quidem aqua, & ex hoc corpore argentum vivum mutatur: Et ſicut candor in rubeum ſe transformat: ſic hoc oleum occulti & ſecretum in candido amplius argenti vivi quod jam prædictum eſt totius operis exordium & radicem firmat, & cum perfectum fuerit ſtanno, vel plumbo, vel æri ſupra poſitum, in argenti optimi ſpeciem convertit. Ipſum quoque deinceps de auri tinctura produci poſſibile eſt; Et tandem rubeſcente, oleum ſcilicet ſulphuris cum argento vivo, quod de candido corpore habet eſſe, deſponſandum erit, ex aqua æris candor & ſerenitas arg. vivi quæ album efficit, & ipſa eſt rubea, poſt candorem namque rubeſcit. Hoc itaque oleum & argentum vivum in unum redacta, unum quiddam conſtituunt, unde verus & commune ſentit proverbium & eſt ſermo ſapientis: Servus rubicundus candidam duxit uxorem, & per conceptionem feminis gravida, peperit filium qui omnes ſuos progeniores, id eſt Solem & Lunam ſuperat. Cum igitur arg. vivum ex candido corpore procedit, oleo id eſt ſulphuri ſociatur. Gloſſa, argentum vivum de argento ſociatur oleo, id eſt pinguedini ſolari, quæ maſculus eſt & illa fœmina. Textus: Etiam habet argentum vivum nomine alterius deſignandum. Nam quæ corpora candida & rubea, ſunt commiſta vel admixta, totum hoc corpora quatuor nuncupamus.

Sic igitur de argento vivo in corpore magneſiæ, eſt per corpus candidi & rubicundi ſolutum cognoicunt congelari. Etiam Hermes in libro ducatus qui eſt unus de 7. dicit: Fiducia in duabus rebus conſiſtit, quibus tertium adjungitur, & eſt idem dictum quod prius. Et idem albi dicit: Tres facies id eſt, ſpiritus vidi, ex uno patre natos, id eſt, una progenie quia ipſorum eſt unum genus, quarum una eſt in igne, altera in aere, tertia in aqua. Quia, ſcilicet, Hamuel commentator ſenioris dicit: Eſt aqua vitæ triplex, quia eſt unum in quo, ſunt, ſcil. aer, ignis, aqua in qua eſt anima exorta quam vocant aurum, & vocant eam aquam divinam. Textus, quas ſcilicet facies pater eorum conjunxit, pater, id eſt, genus unum quia homogenea ſunt, ideo ſymbola: & tum vidit eas eſſe conjunctas ſcilic. naturas tres, quia ſeſe congaudent, tunc uno ore locuti ſunt, ſcilicet illæ tres naturæ conjunctæ in aqua dicentes, eas quæſitum quatuor elementorum naturas, ſcilicet in terra, quia in corpore mortuo ſunt quatuor, calidum, humidum, frigidum & ſiccum, & iſta uniuntur per quam illiani quæ omnia operatur, ſcilicet vivificat, mortificat calcinando, & cætera ſolvit, & ſe cum terra coagulat. Textus? Quas ſcilicet naturas 4. formicæ id eſt, nigredo in ventre terræ æris Philoſophici prius eduxerunt in aquam, quæ nec eſt calida, nec humida, nec frigida, nec ſicca, ſed medium omnium incorruptibile, conjungens tincturas fixas.

Et Lucas Philoſophus: Comburite æs, id eſt, comburite argentum, & comburite aurum, quod non eſt niſi unum comburite, quia comburere eſt dealbare, ſcilicet prima & ſecunda dealbatione. Et rubeum facere eſt vivificare quod eſt ultimum operis. Et idem ſubjungit: definitio artis hujus eſt, corporis liquefactio id eſt ſolutio in aquam, & animæ à corpore diviſio: animæ quoque corpori ſuo mundo reaſſociatio: Æs enim noſtrum habet animam & corpus ſicut homo.

Oportet ergo dirui corpus, & animam ſeparari ob eo, quod non penetret corpus ſed anima, id eſt, tinctura in aqua, quæ eſt ſubtilis & tingens ipſum corpus, id eſt penetrat terram mortuam, & ita eſt corpus & anima in natura.

Et ſubjungit pulchrum ænigma & obſcurum, quod ſplendor Saturni, id eſt, nigredo ſolaris, quæ eſt Spiritus ejus & tinctura, dum ſcandit in aceto, id eſt, dum reſolvitur in vaporem aereum in aqua ſua ex qua eſt prius, non apparet niſi tenebroſus, id eſt, viget, & tunc naſcitur proles Philoſophorum. Textus: Mercurius id eſt ſtilbon quaſi ſtillans bonum, radio ſolari id eſt ſplendori ſolis occurrit, ut conjungatur lumen lumini, & albificetur poſt ſummam nigredinem. Textus, & argentum vivum id eſt aqua viva virtute ſua ignea, id eſt ſolari quæ potentior eſt igne, corpus ſc. mortuum vivificat, id eſt rubificat & perficit, id eſt figit. Præterea de lapide iſto impari Caſtis in Turba dicit: Si vultis ad

per-

perfectionem nummum noſtrum, id eſt æs experiri, inſpicite, ſi eſt æs impalpabilis id eſt munda & purgata à nigredine, ſc. quod eſt oleum, quod quaſi fruſta deſuper natare conſpexeris, & congregatur & in aquam candidam converſum fuerit: quod ſi tale inveniatur, eſt aptum, quia aliter non tingit, Raſis Spiritus in corpora habet ingreſſus, cum adeo munda & purgata ſubjaceant. Et hæc radix præcipua eſt hujus negotii. Sequitur: Et ſcitote quod ſi aliud quicquam præter æs noſtrum & aquam noſtram ſumitis, & in aquam noſtram rigatis nihil proficit: Si vero æs noſtrum per aquam noſtram rigatis veritatem invenietis. Et ſubdit: Per æs noſtrum & aquam noſtram permanentem, Philoſophi ſignificaverunt in hoc lapide, quem etiam lento igne coqui juſſerunt, quæ utique duo ſunt lapis noſter nummoſus, ſcil. æs & aqua, & ſunt etiam id de quo dixerunt ſapientes, quod natura naturam lætatur propter propinquitatem naturæ in illa duo, id eſt maſculum & fœminam, ac aquam noſtram, & eſt ejusdem naturæ, ſc. aqua illorum duorum, id eſt Solis & Lunę inter quam maxima conſiſlit propinquitas, quæ niſi eſſet, tam citò non converterentur ſc. in unum. Et Caſtis in Turba. Quod non exiſtit ab homine niſi homo, nec ex volatili niſi volatile. Et natura non emendatur niſi per naturam. Ex ea quidem & non ex alia colitur ars, quam niſi capiatis, & rigatis, non bene agitis. Jungite ergo maſculum, id eſt, Solem, filium ſcilicet ſorori ſuæ, id eſt Lunæ odoriferæ, id eſt per odorem ſeu fumoſam evaporationem & vobis artem gignent: & nolite eis alienum jungere pulverem, nec rem aliam præter aquam ſuam. Et ſubdit, O quam precioſiſſima & mirifica eſt ſervi hujus rubei, id eſt, Mercurii rubificati, natura, ipſe enim eſt ſine quo regimen operis ſtare non poteſt. Et dicit Laſam, Quod natura illa maſculus eſt & fœmina, & invidi vocaverunt eam magneſiam, eo quod in eo eſt maximum arcanum. Et Aſſaracus, Qui veritatem vult conſequi capiat Solis humorem & ſpiritum Lunæ, quia ſulphur ſulphure continetur & humiditas humiditate. & Arſuberes, ſulphur ſulphure, id eſt argentum vivum cum ære, omne enim arg. vivum ſulphur eſt, ſed ambo ſulphura ſunt incombuſtibilia, & humiditas humiditate, id eſt, Mercurius humiditate æris, Et Conſtans dicit, Nihil aliud curate, niſi quomodo duo ſunt arg. viva, ſcil. fixum in ære, & volatile fugiens in Mercurio. Et invidus dicit, quod hoc ſulphur, id eſt, arg. vivum, conſuevit fugere, & ſublimatur ſicut vapor.

Oportet enim alio arg. vivo ſui generis id eſt, æris retinere, & fugam cohibere, quod ſi cum albo vel rubeo ſulphure ſui generis non miſceatur, id eſt, auro vel argento, proculdubio fugiet. Argentum ergo vivum arg. vivo ſui generis jungite, quo peracto maximum habetis arcanum. Et Parmenides dimitte aquas & brodia, corpora & lapides, ſed nummos cauſate, & æs pro nigredine, & ſtannum pro liquefactione ſumite, id eſt, fac tabulas, id eſt, folia de auro, & pro nigredine ſumite, id eſt cum mercurio denigrate & computreſcite, & ſtannum pro liquefactione ſumite, id eſt, quando videtis ipſum album totum, tunc eſt liquefactum, id eſt in aquam converſum, ſubdit idem Parmen. Dimitte ſermones ſuperfluos, & accipite arg. vivum, id eſt, aquam compoſitam, & congelate eam in corpore magneſiæ, id eſt, in terra aquæ divinæ, & fiet album & rubeum, id eſt, aurum & argentum. Et dicitur lapis magneſiæ, quia ſecundum Pythagoram eſt res illa conſequens ſocium ſuum, ſicut magnes ferrum. Quoniam ſicut propinquitas magnetis eſt cum ferro, ſic conſimilis eſt aquæ cum terra Et ſicut anima cum corpore lætatur, ſic natura quidem cum natura ſibi compari congaudet. Et Eximius dicit, Dico vobis veraciter, quod non eſt tinctura Veneris niſi in ære noſtro. Nolite ergo pecunias veſtras in vanum conſumere, cordibus & animalibus veſtris triſtitiam inducendo. Et Hermes ait. Quod Azoth id eſt arg. vivum, & ignis putredinis, qui eſt ignis ſapientum, Latonem, id eſt æs, abluunt atque mundificant, & ejus obſcuritatem ab eo penitus eripiunt. Quod ſi ignis modum recte diſpoſueris, Azoth & ignis in hac diſpoſitione hujus rei ſufficiunt. Unde Livo interfector ait, Dealbate Latonem id eſt æs, & non poteſt dealbari niſi ſolvatur in Azoth. & libros rumpite ne corda veſtra rumpantur. Et Dantinus inquit, Laton quamvis prius ſit rubeus, tamen inutilis, ſed ſi poſt rubedinem in album variatur nullum valebit. Et Hermes In primis eſt nigredo, & poſtea cum ſale & anatron, id eſt igne & mercurio ſequitur albedo, & in primis fuit rubeum & in ultimo album. Et ſupradicta nigredo omnino aufertur & deinde vertitur in rubeum, lucidum, nimis pulchrum. Et Marion dixit, quum Laton noſter id eſt æs noſtrum cum Aclibrie comburitur, id eſt cum ſulphure noſtro humido, albo incombuſtibili, & mollicies Azoth ſuper ipſum funditur, ita ut fervor, id eſt pinguedo calida ejus tollatur, tunc omnis obſcuritas atque nigredo ab illo aufertur. Humor enim in igne generat nigredinem, quo humore digeſto, ſequitur albedo, ſic eſt in propoſito, Et cum in aurum puriſſimum convertitur, id eſt in colorem aureum in effectu non aſpectu, quia aurum viſcoſum & album eſt in aſpectu vel viſu. Non igitur in vanum teſtimonia de minera artis ad loca adduxi diverſa. Qui dicit Morienes: Ego autem dico tibi, quod in ſpecierum ponderibus nihil expendas & maxime in auri artificio. Quia ſi quid aliud ab hoc lapide quis in hoc magiſterio quæſierit, aſſimilatur viro per ſcalas atque gradus aſcendere nitenti, qui cum nequiverit ſuper faciem ſuam pronus in terram cadit.

Et poſtea dicit, quod in hoc lapide ſunt quatuor elementa, & aſſimilatur mundo & mundi compoſitioni, nec in mundo alius lapis invenitur qui huic aſſimiletur in effectu vel natura. Quicunque autem alium lapidem ab hoc magiſterio quæſierit, ejus opera omnia fruſtrabuntur. Hamuel, jam demonſtraverunt tibi ſapientes modum manifeſtè per prohibitionem à rebus vanis, unde lucratus es multum, & redemiſti pecuniam tuam ne expendatur in vanum. Et hæc est magna utilitas ſi intellexeris: Ut autem plenius pateat hoc capitulum, figuras minerarum & compoſitiones earum cum diſtinctione operis duplicis, quas ſenior in domo ſua in imagine ſua deſcripſit, ſcientiam pulchriorem ſed obſcure traditam, ego exponam breviter. Dicit ſenior: Intravi ego domum quandam ſubterraneam, quæ domus est theſaurorum: Et vidi in tectis 9. imagines aquilarum, habentes alas expanſas ac ſi volarent, pedes extentos habentes & apertos, & in pede uniuſcujuſque aquilæ ſimilitudo arcus ampli quem ferre ſolent ſagittarii.

Et à dextris & ſiniſtris domus, imagines hominum erant, prout poſſent eſſe perfectiores, ſtantium induti diverſis ſpeciebus & coloribus habentes manus extenſas ad interiorem thalamum, imminentes ad quandam ſtatuam intus in domo. Et in interiore parte thalami erat imago ſapientis, quæ

habebat

habebat tabulam unam marmoream in longitudine unius brachii, & latitudine unius palmæ in manibus ſuis ſuper genua ſua. Et digiti manuum ejus deſuper refixi, & deſubtus, ac ſi innueret reſpicere in eam, ſicut in libris apertum cuilibet videbatur intuenti. Et habebat tabula illa columnas ſicut liber, diviſa enim erat per medium, & in parte in qua ſedebat Sapiens, erant imagines diverſarum rerum, & literæ barbaricæ. Et in prima medietate tabulæ erant quinque in inferiori parte tabulæ. Prima ſphæra ex duabus avibus pectoribus inclinatis: quarum una habebat alas abſciſſas ſcilicet maſculus: alia vero ſuper iſtam erat alata ſcilicet fœmina, & utraque tenebat roſtro caudam alterius, ac ſi volans vellet volare cum altera, & illa vellet retinere volantem. Et erant iſtæ duæ aves homogeneæ, in una ſphæra. Deinde alia ſphæra 8. Luna plena. Superius in prima tabula erant duo juxta caput volantis, imago erat Lunæ creſcentis, & ex altera parte Luna in ſphæra. In altera vero medietate tabulæ ſecundæ, erant ſimiliter 5. tria ſuperius & duo inferius. Superius Sol cum duobus radiis, qui erat Sol duplex, & imago duorum in uno. Et ex altera parte imago Solis cum uno radio, qui eſt Sol ſimplex, quaſi imago unius in uno. Et radius deſcendebat circumdans terram nigram, in inferiori parte diviſam per tria. Tertia ejus habebat Lunam creſcentem, pars interior alba ſine nigredine, & ſphæra nigra circumdabat eam. Et hæc ſunt duo ſcilicet terra ex duabus naturis ſcilicet ſphæra nigra, & Luna quam circumdabat. Et ſuperius tria, ſcil. Sol cum duobus radiis, & Sol ſimplex cum uno radio & hæc ſunt omnia decem ſecundum numerum 9. aquilarum & terræ nigræ. Gloſſa: Domus hæc theſaurorum eſt vas artis in ſimo pendens ſterquilinii, de quo poſtea diffuſius dicetur. Novem vero aquilæ ſunt novem partes aceti, ſeu maris noſtri, quia ſicut pennæ aquilæ ſuſcipiunt aurum cum deaurantur, ita nulla alia res poteſt ſolvere Solem, niſi aquila noſtra, nec ulla alia aqua fit aurea. De quo dicit Marion, Nihil eſt quod à Latone ſuam obſcuritatem vel ſuum odorem auferre poteſt, ſed Azoth eſt quaſi ſuum tegumentum, primo videlicet quando decoquitur, nàm & cum colorat & album reddit, & iterum Laton dominatur Azotho, quia eum rubicundum reddit. Alius quoque Philoſophus dicit. Et Azoth nequit ſubſtantialiter latoni auferre ſuum colorem, vel eum mutare niſi quantum ad viſum, ſed Laton ab Azoth ſuam aufert ſubſtantialiter albedinem, quia ei ineſt mirabilis fortitudo, quæ ſuper omnes colores apparet, Laton quidem Azoth dominatur & eum reddit rubicundum, cum novem aquilis, id eſt, novem partibus aquæ volat tinctura æris noſtri & ſublimando in illo vaſe ſuo dealbatur totum. Unde Raſis, ſubſtantia omnium rerum decimæ adæquatur parti, ſi autem totum ſignare volueris, novem decimas ſui neceſſe eſt fieri de ſubſtantia aquæ. Et Moſes in Turba. Jungite primo novem partes de aceto, hæ enim aquilæ habent arcus extentos mortificantes corpus, & extrahentes ejus animam, quæ eſt tinctura æris. Parmenides. Hoc mare rubrum vertit aurum in rubeum ignem, eo quod natura naturam lætatur. Coquite igitur in humore, donec appareat natura abſcondita, id eſt donec privetur nigredine quæ ferat Ethel de Ethel, id eſt de argento, Roſin. Si fuderitis, id eſt ſolveritis, in aquam noſtram corpus album, id eſt, æs noſtrum, extrahentur ab eo flores, id eſt tinctura ejus. Et Ariſtæus in Turba: Accipite corpus quod magiſter ſumi juſſit facientes inde tabulas tenues: deinde in aqua maris noſtri ipſas ponite, quæ poſtquam tenguntur aqua permanens dicitur, in igne leni decoquas donec confringatur corpus & fiat aqua, & projicite Ethel, id eſt argentum vivum jungite, & lento igne ſimul allate donec fiat brodium ſagginatum ex pinguedine ſolari, & in ſuum proprium Ethelio convertite, ſcilicet ex quo fuit & natura eſt compoſita, donec fiat nummus bonus, id eſt nigredo, quam Solis florem nuncupamus, coquite eum etiam donec privetur nigredine, & appareat albedo, & eſt æs combuſtum & auri flos. Pythagoras in Turba dicit. Eſt acetum acerrimum quæ aurum merum ſpiritum facit eſſe, quo habito nec albedo, nec nigredo, nec rubigo conſiſtit. Et cum iſtud acetum miſcetur corpori, vertit ipſum in ſpiritum, ipſum quoque tingit tinctura ſpirituali, quæ nunquam deleri poteſt. Et filius Azir, Hoc acetum comburit corpus, & vertit ipſum in cinerem & dealbat eum ſimiliter, & ſi coquitur donec bene privetur nigredo, fiet lapis & nummus albiſſimus. Poſtea ſubjungit: Nunc per iſtam diſpoſitionem, oſtenſa eſt vobis natura fortior omnibus naturis, atque potentior ac nobilior, quam ſola Dei miſeratione acetum purum novi eſſe. Et quanto plus libros legebam, tanto plus agnoſcebam. Homines vero prout poſſent eſſe perfectiores induti diverſis ſpeciebus & coloribus ſunt Philoſophi & Prophetæ ſervi Dei, qui annuunt ad legendam & intelligendam ſapientiam Dei altiſſimi, ut percipiant quod qui ſervus Dei eſt, quod theſaurus ejus nunquam deficiat. Literæ vero barbaricæ & infinitæ ſpecies, ſunt ænigmata & obſcura ſophiſmata infinita ſapientum, ut ea malignis celarent hominibus. Unde in Turba: Cum enim infinita habeant nomina, uno tamen nomine nominantur, in quo non eſt fallacia nec diverſitas. Et hoc ubi non prodest magnificè nominatur, & ubi prodest, ibi celatur. Eſt enim lapis & non lapis, & quia ſpiritus anima & corpus eſt albus volatilis concavus quoad poroſitatem terræ. Et quia totam combibit terram ſuam, ſalſus, pilis carens, quem nemo infrigidatum valde, id est, ſublimatum tangere potest ſine magna offenſa, quem ſi volare facis, volat, & ſi dixeris ipſum eſſe aquam, verum dicis, & ſi dixeris ipſum non eſſe aquam falſum dicis.

Non igitur pluralitate nominum decipiaris, ſed certum habe, quod unumquodque est, cui nihil alienum infertur. Ejus igitur ſocium investiga, id est æs, & nihil aliud ei inferas, & ſine homines multiplicare nomina, quæ ſi non multiplicarentur, ſapientiam noſtram pueri deriderent. Hæc omnia ſcripta ſunt in Turba, in fine de ænigmatibus ſapientum.

Duæ aves ſunt homogeneæ, id est, unius naturæ, & ſunt lapis ſapientum, maſculus est ſine alis, id est, non potest volare, quia de ſe ignis non potest ipſum corrumpere, nec exhalare in igne, vel nullum ſalium, vel ſpirituum aut aluminum, niſi aquila noſtra dicta. Avis vero alata est fœmina, quę cum corporibus corrumpentibus conſumitur. Unde dixerunt: Facite fœminam ſuper maſculum, & aſcendit maſculus ſuper fœminam, quoniam per fœminæ adjutorium, & aquæ ſuæ volat, & ſpiritus efficitur humidus, & argentum vivum ab hominibus extractum, id est, ratione & magna intelligentia. Unde Theophil. Et quicquid invidi in ſuis libris occultè narraverunt, argentum vivum ſignificare voluerunt, quod alii aquam ſulphuris, alii album plumbum, alii æs, aliquando nummus

compilatus

nominatur. Et conjunxerunt masculum cum fœmina in proprio humore, quia sine masculo & fœmina nullus fœtus generatur. Morienes quinque partes seu ordines describit lapidis. Primo est coitus, secundo conceptio, tertiò imprægnatio, quartò ortus, quintò nutrimentum. Si enim non fuerit coitus, non erit conceptio, & si non fuerit conceptio, non erit imprægnatio, & si non fuerit imprægnatio non erit ortus. Hæc est hujus dispositionis directio, quia scilicet hominis creationi assimilatur. Unde prius dixit Morienes: O bone Rex, tibi confiteor verum, quia hæc divino nutu in sua creatione magis conficitur. Omnis enim à Deo creatio, sine ista aqua persistere non potest, scilicet, humore seu aqua, Et post subdit: Quid multa referam? hæc enim res à te extrahitur. Cujus minera existit apud te nunquam & illam inveniunt, & ut verius cognoscar, ex te ipsi accipiunt, & nullius minera a te exegisti. Intellige quoad creationem hominis de mare & fœmina, & libidine quoad humidum. Si enim non esset humidum in utero, sicut dicit Boneilus in Turba, non servaretur sperma, donec fœtum prodicat.

Et Assiduus humidum aquosum lapidem suum dicit propter sophisticate. Et scito Fili, quod hunc lapidem de quo hoc arcanum extrahitur, Deus non emendum pretio posuit, quoniam in viis ejectus invenitur, ut à paupere & divite haberi possit, ut ratione ac scientia possit ad eum quis leviter pervenire, humidum verò ubique est, & lapis noster humidus est humiditate aquosa, & metallina, unde dixerunt ipsi & vilissimum & pretiosissimum quod est in mundo.

Humor enim communis de quo omnia generantur impretiabilis est, Hamuel exponit hoc vilissimum dicens, pretiosius quod est in mundo ex vestibus est sericum, & est ex vermibus, & mel in quo est sanitas hominis, est ex apibus, & margaritæ ex conchis extrahuntur. Et homo, qui est dignius, quàm quod est in mundo, est ex spermate. Æs verò artis, & mineram, sola hominum opinio facit pretiosa, ut præclare dicitur in lib. de consolat. Philosophiæ.

Pulchritudo enim, quam habent, non est eorum sed lucis: Omnis enim color est lux in corpore perspicuo, terminata per opacum. Aurum enim atque argentum, & gemmæ de natura sua latere volunt in luto & terra opaca, unde hoc significare voluit Morien. dicens: Si hoc, quod quæsieris, in sterquilinio inveneris, illud accipe, si verò in sterquilinio non inveneris, manum tolle ex marsupio. Et item Gratianus. Et si hoc in stercore inveneris, quod tibi placet vel expedit, nihilominus tolle, significans quod de minera recenti accipere debes, quod non fuit in opere: Et quod subdit Morien. Omnis enim res quæ magno emitur pretio, in hujus operis artificio, mendax & inutilis reperitur, significat prohibitionem à rebus vanis, ut margaritis, argento vivo, sulphure, arsenico, sale armoniaco, quæ ignem fugiunt. Quomodo igitur expectabitur bonum de eo, quod non est permanens. Tinctura enim quæ extrahitur à corporali & combustibili radice annullatur, sicut radix ejus. Non enim mutantur res, ut à radice sua exeunt, in mineralibus, nec in seminibus videtur vegetabilium, & seminibus animalium, ut ex ovo fit pullus diversis transmutationibus, à quo habet radicem. Et similiter ex sperma fit homo, nullo alio superingrediente nisi menstruo sanguine, ex quo fit sperma, sicut ex sanguine tibi æquali atque confundi per quem inde nutritur.

Sed egestio stercoris & urinæ, sanguinis, capilli, & ova, & similia, nullam vicinitatem habent cum metallicis, ita quod à radice ipsorum possit fieri aurum & argentum, sicut quidam putant ignorantes, non enim exit ab homine nisi homo, nec ex simili nisi sibi simile.

Igitur aurum & argentum non nisi ex consimili specie ejus. Unde ait Senior filius Hamuel: unumquodque animal non generat res ex se, nisi cum eo quod est ex se, cum specie sua, quod est homogeneum ipsius. Similiter Adam & Eva & omne hominum genus. Ergo omnis res convenit cum suo simili & propinquo ei secundum speciem. Incipe in Nomine Domini Nostri Jesu Christi, & cognosce naturam ejus, est enim à radice materiæ suæ, quod in eodem & de eodem est, nec ingreditur aliud super eo, quod non sit etiam ab eo, & est radix ejus. Similiter Mercurius est ab eo, & hoc est, ex quo extrahitur, & est in eo & ex eo.

Lapis enim Philosophorum est aqua congelata sicut in auro & argento, & repugnat igni & resolvitur in aquam suam ex qua componitur ex genere suo. Unde Hermes: Non convenit rei, nisi quod propinquius est ei ex natura sua, & generabitur in illa proles ei similis. Et statim subjunxit, humiditas aurum est, ex dominio Lunæ, & pinguedo ex dominio Solis. Unde hæc duo, scilicet, Sol & Luna unum sunt, & coagulatum, & semen. Et Aros Rex dicit, Aqua non conglutinatur nisi cum simili sulphuris sui, nec invenitur in re aliquid simile sui, nisi quod est ex eo. Et Calid filius Jesid: Præteriti nec præsentes possunt tingere aurum, nisi cum auro, & cætera in Seniore invenies. Et hæc de duabus avibus atque aquilis dicta sufficiant.

Sequitur, quare posuit plures Soles & Lunas? Respondetur: Quia non egreditur simul uno actu spiritus & anima, sed paulatim pars post partem successivè. Hæc in Seniore planè declarantur: Sed ego exponam, quod ille prætermisit. Duæ plenæ Lunæ & media sunt quinque à minori computando scilicet media Luna, & quatuor mediæ Lunæ sunt in duabus plenis & duo Soles sunt omnia septem, & hoc est, quod postea est dicturus, septem sunt ordines ponderis, quinque ex eis sunt absque obscuritate, scilicet Lunæ: duorum lucentium est pulchritudo, id, duarum partium Solis. Et quia non est nisi imago Solis & Lunæ, in tabula, & numerus, pondus sequitur numerum figurarum in ea, & subjungit postea: Scito unius radicis, non minus quàm tres & tertiam dimidiam partem esse, quod scilicet pondus ponitur cum eo, id est, Sole, ad illud scilicet tertium, id est, novem. Secundum enim quod Hermes dicit, Sol & Luna sunt radices hujus artis. Et Rasis tres partes ignis, & septem terræ præcipit recipere, & pars parti ut dicit æquatur correspondendo, scilicet, æqualitate proportionis. Et secundum opinionem Obede: Rasis, de Luce quatuor partes, & de aëre partem unam, & ex igne partem unam. In Libro Trium Verborum quatuor ponuntur pondera, primum est de terra 11. partes, & de igne partem unam, & inferas ei de unguento, & pone ad solvendum quousque conficiantur. Hæc autem dissolutio est ab eo colore accepta. Quidam dicunt tres partes terræ & unam ignis, regimen verò unum & idem, & utrumque rectum, primum tamen melius dicit. Et Zenon in Turba dicit: Unam partem de sincero corpore, id est, Solis, & tres de alio ære: deinde commiscete

aceto, & continuo coquite, quouſque terra fiat.

Et Dardaris in Turba dicit: Et quatuor nummi vulgi non tingunt, ſed tingunt æs, id eſt Mercurium, tincto autem ære tingunt nummos vulgi. Et dicit, quod argentum vivum, eſt quatuor corporum, quæ ſunt animæ occultæ in quatuor corporibus. Alii dicunt, quod non, ſed ſint ſeptem partes terræ, & una ignis, & hoc etiam bonum eſt, primum tamen melius.

Quidam dicunt, quod non, ſed ſint undecim partes terræ, & una ignis, & idem regimen eſt, primum tamen melius, & ſubdit: Operare ergo quod volueris, quia regimen eſt idem, & ſpatium temporis etiam idem. Et ut quidam dicit in libro luminum. Volunt tres partes terræ & unam ignis, quod tamen Raſi non placet: Dicit ergo: Non enim precii inæqualitas commutari debet. Et nota, quod folia cum duabus partibus unguenti debent vento, igne amalgamari, & poſtea totum unguentum infrigidari, cum pondere ſuo vero, ita quod ſint novem unciarum & æris una pars. Et in Turba Pandulphus: Ecce quod in ovo ſint quatuor, terra, aqua, aër, & ignis, & punctus ſolis in medio rubeus, qui eſt pullus. Et Morienes dicit: Quod prima propoſitio eſt quaſi nulla. Et quidam expertus in hac arte dixit: Modicus Solis ut drachmam unam: ut ſit ſemen ignis. Et aſſiduus omnia inveſtigans dicit: duas inveni ſubſtantias, ſcilicet, agentem & patientem, & ecce agens unum ubique, patiens verò plura: ex quo notum: Quod in hoc opere accepto uno duo ſiunt, ſcilicet maſculus & fœmina. Porro maſculus ubique ſingulare, fœmina vero plura. Et nota quod duplex eſt pondus artis, ſcil. commune in quo non eſt diverſitas, ſc. novem, & pars decima: Aliud eſt pondus ſingulare, ſeu plurale, & eſt duplex: Primum eſt primi operis, & illa eſt in prima compoſitione æris, & eſt diverſum ſecundum diverſos. Nota de pondere imbibitionis, quantum ſcil poteſt ignis imbibere partes, quod natura ſcit melius quàm artifex, quia natura ſimul imbibit nec fit manuum contrectatio, ſed ignis & Azoth ut Aſſiduus dixit.

Jam aliud eſt pondus ſpirituale ſecundi operis. Et illud etiam eſt diverſum ſecundum diverſos. Athomus in Turba vult tertiam partem ignis, & duas terræ commaſſari. Dicit enim: Et ſi fuerint viginti quatuor unciæ, extinguite calorem illum tertia parte, id eſt, octo unciis de aceto. Et Bonellus in Turba moderate dicit: Cavete humorem multiplicare, nec ponatis ipſum ſiccum, ſed facite ipſum ut maſſam fortem: Scientes, quod ſi aquæ maſſam multiplicaveritis, non continebit eam, nec bene ardebit in camino, id eſt, non bene exſiccabitur, nec cito: Et ſi nimis ſiccaveritis, non conjungetur nec coquetur. Atſuberes etiam dicit in Turba: inungite ipſum aqua nivis, ut apud viſum ſufficere credatur, & decoquite donec rubigo conſumatur. Morienes vero quartam partem vult ignis, & tres terræ. Dicit enim: Nam cum corpus immundum duxeris mitte poſtea de fermento, id eſt, aquæ vitæ, quartam partem ſui, fermentum enim auri eſt aurum, ſicut fermentum panis eſt panis. Et quando eum miſeris, depone in Solem ad coquendum, donec hæc duo in unum redigantur. Hermes vero, cui nullus fuit ſimilis, quartam partem docet addere, & illam non ſimul, ſed ex quarto ad quartum, id eſt, in quatuor diebus, pro qualibet quarta, & tere in mortario, donec fiat ſicut pinguedo, vel unguentum, & poſtea aſſa ad ſiccitatem, & iterum humiditatem contere in pluribus diebus, & hoc novem vicibus ſolve & coagula. In qualibet enim ſolutione & coagulatione, augebitur effectus ejus. Raſis vero in libro luminum, aqualem docet addere partem aquæ ipſi terræ, ut in opere ſuo videbitur: Tamen Hermetis modus eſt melior iſtis.

Et ſciendum quod Philoſophi finem ante principium in ſuis tractationibus ſæpius poſuerunt, & principium in finem interſerentes. Unde quandoque depreſſerunt primum opus, & locuti ſunt de ſecundo, quandoque primum opus pertractaverunt dimittentes ſecundum, quandoque tamen ex radicibus ſcientiæ, quandoque ſine mineris. Propter quod Hermes in libro radicum, qui eſt ſecundus de ſeptem dicit: Quod ſapientia autoris, major eſt libro ſuo. Poteſt enim auferre principium vel finem, cum radice, vel ſine radice ſicut prius inventor. Et in quinto de ſeptem, Poſtquam de contritione aquæ & teræ ſatis ſuperque dixiſſet, & pondere ſecundi operis, ſcilicet, de quarta parte, & de quinta parte, & de altera dummodo deglutire poſſit cum: Deinde loquitur de pondere primo in fine, dicens: Quod ſecundum ſcilicet ſententiam cœleſtium, atque ſecundum ſententiam ſingularium, & ſecundum ſententiam bonorum materialium eſt arcanum, & non dicam tibi niſi ſingularitèr. Et hæc eſt, una pars ignis & tres terræ: & jam per Deum bene dixi: Naturæ enim ſunt quatuor & non plures. Unde & multiplicia ſunt pondera eorum: Aut penes quatuor naturas elementorum, aut penes quatuor naturas & aquam ſecundam, aut penes pluralitatem rerum, ſcil. trium, qui eſt numerus perfectus: aut penes ſeptem planetas, aut penes 12. ſigna, quibus opus regitur, pondera ſua deſcripſerunt. Primi poſuerunt quartam partem Solis, ſecundi quintam, tertii tertiam, aut paulo plus; quarti ſeptimam, ut Raſis ponit ſeptem partes terræ, & tres ignis; quinti duodecimam, & ſecundum diverſas rationes diverſa pondera ſtatuerunt. Et quandoque loquentes de uno opere poſuerunt pondera alterius. Unde Senior: Et ipſi forte locuti ſunt verbum in uno ſenſu, & ſub eo eſt alius. Amplius prima, quinque ſcilicet, duo ſuperius, luna ſemiplena creſcens, & Luna plena, & ſubtus alia tria ſcilicet duæ aves & Luna plena ſignificant primum opus, quod eſt extractio tincturarum de corpore donec nihil remaneat in corpore, quod non aſcendit cum ſpiritu humido, quo modificatur corpus, & in aquam vertitur claram: Primo tamen apparet nigredo ex dominio humidi in calido, quæ tam diu durat, quouſque conſumatur humidum, & tunc dealbatur aqua. Et de hac aqua dicit Morienes, quod nihil cum ea facies ipſa non exiſtente fermentum. Et Senior dicit: Antequam deſcendere feceris has tres partes aquæ, id eſt, aquam, aërem & ignem, exiſtentes in aqua ſuper terram eorum albam & foliatam, ſcilicet, in ſecundo opere, primus in primo opere ſolvetur totum, ſcilicet corpus humidum, & fiet terra, ſcilicet, lapis. Unde neceſſaria eſt præparatio eorum prima, ſicut conſuetudo eſt, & hæc eſt putrefactio corporis cum igne beſtiarum ſubtili 150. diebus: & quidam 120 diebus naturalibus, & forſan apparebit albedo prima in 70 diebus, nec approbatur hoc apud Philoſophos, quia ſignificat intentionem ignis. Et ideo primum in humore eſt apud eum melius, quam ſecundum, vel tertium, quia ſignificat temperantiam ignis, donec detur albedo, & rubedo reducatur. Nota licet hæc retorqueantur ad ſolutionem rerum primam,

tamen

tamen senior intelligit de albedine secunda, quæ in centum quinquaginta diebus resolvitur, cum una tertia de novem coloribus: aut quia in viginti uno die resolvitur in aquam, aut in 150. diebus resolvitur a bedo secunda, quæ est primum opus & coagulatio tota totius, quod est verius & expertum. De hac putredine dicit Pandolphus in Turba: Sume occultorum honorabile, hoc est magnesiam albam, quæ in vino mixta est & contrita, & non accipiatis eam, nisi mundam & puram, & ponatis eam in vase suo, & orate Deum, ut vos ipsum videre faciat lapidem rectum, & coquite ipsum lentè, & cùm extraxeritis ipsum, videte, si factus est niger, & si est, bene rexistis. Sin autem, regite ipsum album, quod est magnum secretum donec operiatur nigredine, atque postea nigredo fiat, quæ quadraginta diebus tantummodo durat & dealbatur, & coagulatur.

Et hæc aqua est flos æris, aurum indicum, & aqua croci, & alumen fixum. Et ut Asuarus in Turba ait autoritate Hermetis. Dicit enim: Hermes partem nummorum sumi jussit, id est, album humidum, & ex ære Philosophorum partem, & nummis commisceri, & vasi imponere, cujus os bene claudatur, & coquatur septem diebus unius nominis, tunc convertetur æs in nummos, id est, in album humidum, atque coquatur iterum septem diebus, & non tædeat decoctio, postea aperiatur vas, & invenietur nigredo: desuper iteretur decoctio, donec consumatur nigredo, qua consumpta apparebit albedo nobilissima, & sic cepisti Solis humorem & spiritum Lunæ. Et hoc est opus primum, quod non præcedit aliud.

Duæ verò aves homogeneæ sunt masculus & fœmina, sed numerus duorum in unum positus in figuris, scilicet septem: Luna vero plena subtus, designat humorem Solis & sputum Lunæ Lapidis humidi Philosophorum extrahendi in aqua sua.

Superius est Luna crescens similiter quia paulatim & paulatim, non simul, sed pars post partem ascendit tinctura, donec humor totus congelatus in ære, convertatur in spiritum humidum sui generis, quod designatur per secundam Lunam plenam, quæ est Abarnahas perfectum, & de ista aqua divina, quæ est Lapis Philosophorum, est totus liber Senioris. Secunda verò medietas figurarum, similiter opus secundum, id est, coagulationis, videlicet partium aquæ eorum, id est, colorum aquæ in terra alba munda, id est, fixationis ejus in ea. Sol cum duobus radiis est imago aquæ divinæ, in qua sunt tria, scilicet ignis, aër & aqua, & est aqua ex duabus naturis composita, & maris & fœminæ. Et tamen est aqua triplex, propter rem tertiam additam duobus, & ista aqua non simul imbibitur, id est, conteritur, cogulatur & incineratur. Sol verò cum uno radio est, quod aqua triplex est una natura homogenea in una aqua. Et licet sint duo opera, album & rubeum, tamen est unum opus in eodem incipiens, & eodem & non alio modo terminans, & est figura unius in uno. Terra vero est corpus inferius ex duobus corporibus cui admixtum est tertium sui generis, quo primo coagulatur, ut speculum vel gladius denudatus, & postea per majorem calorem incineratur, & iterum conteritur cum spiritu humido, donec non appareat, sed ei commisceatur, & fiat unguentum, & iterum coagulatur: deinde incineratur, & sic primum reducendo hæc super suum finem, donec plenè dealbetur albedine fixa. Et est secunda, tertia artis de qua dicit Morienes; O Rex si regnum tuum vendidisses, hoc opus non compensares. Deinde iterum imbibitur, donec commisceatur & congeletur & incineretur. Quia dicitur in Turba à Pandulpho: Scientes quoties cinerem unitis, toties oportet ipsum exiccari, & humectari, donec vertatur color ejus in id, quod quæritur, & totum congeletur. Et in imbibitione infinitos emittit colores, donec perfectum & ultimum puniceum & fixum colorem producat in igne continuo sine manuum contritione. Unde Mundus Philosophus: Postea per 40. dies finite, donec spiritus pertranseat corpus. Hoc enim est regimen quo spiritus incorporantur, & corpora in spiritus vertantur: Et moneo siquidem ne compositum fumiget, quo peracto maximum habetis arcanum, quod Philosophi in libris suis celaverunt. Terra verò quam circumdabat sphæra nigra, est secunda nigredo quæ pervenit ex humiditate aquæ missæ super terram: Sed quod est divisa per tertiam ejus, id est per tria tertia; significat tres salsaturas, vel tres terras, scilicet terram margaritarum, & terram foliorum, & terram auri. Terra margaritarum est prima terra, ex qua extractæ sunt tincturæ in aqua sua, ex qua procedunt margaritæ: secunda terra foliorum, id est colorum: nam variabiles producit colores, donec perfectè dealbetur, & cùm perfectè dealbatur est tertia. Vel potest dici prima terra foliorum, quia folia æris mutata transeunt in aquam & terram. Secunda margaritarum, quando plenè dealbatur. Et tertia terra auri, quæ est tinctura Solaris & ipsa terra post denigrationem. Secunda dealbata dicitur aurum Philosophorum. Et aqua est aurum eorum, quia est mater auri, quia generat aurum secundum Seniorem: Et illæ tres terræ est una natura unius sphæræ, & unius generis: & similiter est intelligendum de tribus salsaturis, & salsatis, id est imbibitionibus cum tribus tertiis partium novem. Prima terra congelatur & incinerata efficitur masculus, & sunt duo masculi Solis & Mercurii, & una fœmina Lunaris naturæ: Deinde per reliquum aquæ, quæ sunt 6. colorum partes fit altera fœmina, & erunt duo masculi & duæ fœminæ. Secunda verò tertia est salsatura, quod totum nihil aliud est dictum, nisi calcina, solve, & distilla, coagula & incinera, & iterum calcina, donec totum coaguletur, & ultimo figatur, quod est, ultima tertia & finis operis: De quibus tribus tertiis in Turba cap. de ænigmatibus per omnia ænigmata, postquam opus suum divisit in tria, primò in corpus mortuum, & animæ extractionem à corpore, quod est primum opus. Secundò de calcinatione corporis, & ejus mundificatione per aquam suam imbibendo, & assando, donec ad modum nivis dealbetur, seu salis candidi. Tertia est animæ mundæ, corpori mundo & candido sociatio, propter quod ænigma primum ponam Turbæ. Dicit enim: Accipe hominem, tunde eum super lapidem vel laminam trahendo donec corpus ejus moriatur, & spiritus ejus extrahatur, & hoc est primum. Deinde de secundo dicit, tunde eum iterum & trahe corpus donec spirituale fiat, & ejus pereat spissitudo, & esto securus, quod cum suam amiserit spissitudinem fiet spirituale. De tertio sic statim sequitur. Redde ei postea animam suam id est colorem viridum tyrium, deinde pone in balneo per 40. dies, sicut & in vulva sperma moratur, quod utique regenerationis nostræ est principium, & ita surget creatio, propositumq; peragetur. Ecce tres terras ponit, terram mortuam, terram candidam, quæ est Luna interior alba, quia albedo in ventre libidinis, id est nigredinis occultatur, &

in albedinẽ rubor, id eſt terra vivida quæ eſt tertia terra. Unde Florinus in Turba: Cum albedinem illam ſupereminentem videbitis, certi eſtote, quod rubor in illa abſconditus eſt, & tunc oportet vos ipſum extrahere, & tam diu decoquere, donec totum rubeum fiat. Quod autem dicit per 40. dies ſignificat unius nominis: Athomus ſimiliter dicit per 42. dies, & ſubjungit quantitatem, ſcil. ſicut & in vulva ſperma moratur, hoc eſt 40. hebdomadas. Et quia citius & tardius poteſt hoc fieri, inde ſubdit Athomus, quod opus hoc ſecundum à die menſis Septembr. 10. qui eſt primus menſis ſecundum Ægyptios ex ubertate fructuum, ad decimum libræ perficitur, id eſt per annum eſt ejus perfectio, quia contingit ex diverſitate ignis citius & tardius perfici. Et poſtquam anima conjuncta eſt corpori, non extinguitur ignis, ſc. per tres terminos & tres gradus ignis, & fit alteratio gradativa, donec tertio gradu compleatur, ut dicit Gratianus. De terminis autem & gradibus ignis conſule librum trium verborum, & hoc ego ibi expoſui. Nota de domo theſaurorum de qua dixit author in primo, Aſſiduus loquitur de ea ſic, Ergo fili locum hujus lapidis tibi oſtendam, nec peritum tædeat legere, & ne deſperet ſe ad ſcientiam pervenire poſſe. Hoc autem quodam eſt in loco, qui utique locus eſt quatuor elementa, & ſunt quatuor januæ, quas ſi noſſe vis, dico primo quatuor eſſe ſtationes, quatuor angulos, quatuor terminos, & quatuor parietes. His autem, quatuor claves exponam, in fine carminis hujus. Sequitur: Hæc autem domus eſt theſauraria, in qua omnia theſaurantur ſublimia de ſcientiis ſive ſapientiis, vel rebus glorioſiſſimis quæ haberi non poſſunt, & in hac domo theſauriſantur. Domus in qua hi theſauri ſunt, quatuor januis clauditur, quæ quatuor clavibus reſerantur. Cuique iſtarum clavis eſt una: Nullus hanc domum poteſt ingredi, nec aliquid ab ea retrahere, nec arcanum, quod in ea clauſum eſt ſcire, niſi prius clavem cognoſcat, & eam ſecum habeat, aut ſaltem ſit de familia domus. Scito ergo fili, & animo adverte, quod qui ſcit clavem unam, & ignorat reſiduas, domus januas ſua clave aperiet, ſed ea quæ ſunt in domo non aſpiciet, quoniam domus ſuperficiem habet ad infimum viſum tendentem. Ergo oportet ut ſingulæ januæ ſingulis clavibus aperiantur, quouſque domus tota adimpleatur lumine, tunc ingrediatur quivis de theſauro accipiens. Scito fili, quod iſti theſauri non ſunt abſconditi, verum in ea ſervati domo coram oculis tuis, cum domum ingrederis. Volo tamen unam clavem tibi oſtendere vel tribuere, quod per ejus ſigna invenies, quibus ſi rationem habes, tertias ejus reſiduas poteris invenire ex ea. Porro hæc una clavis eſt aſcenſio aquæ per vaſis collum, ad caput ejus habens ſimilitudinem animalis hominis, & eſt baſiliſcus ſapientum abſque cornu, quod extrahit aquam cornu cervi, & germen aquæ præcipuę, & lumen fluminis pulcherrimi, cujus ſunt notiores lapides, precioſæ & gemmæ & coralli. Ex eorum nempe pinguedinis vapore, fit clavis una, & ſi vis perfectionem oportet te reliquas tres extrahere, & ſcire gloriam de quatuor terminis inferius, prima clavis eſt humoris extractio, & pinguedinis id eſt aquæ & olei, & humor eſt Lunæ & pinguedo ſolis: cujus ſunt hæc ſigna, ſcil. nigredo ſuperabundans, qua conſumpta putificata jam eſt anima in aqua per deſtillationem. Dicit Victimerus: Expedit vobis aquam ex vapore ſublimare. Nam cum videritis naturam aquam fieri ab ignis calore, totumque corpus magneſiæ ut aquam liquefactam, omnia tum vapor facta ſunt, de jure attrahit vapor & continet ſuum par; quia fixum retinet volatile, natura enim naturas continet. Et Raſis in libro luminum. Cum inhumationem facias donec vertatur in aquam mollem, tunc enim fine tui deſiderii potieris, & hoc eſt poſt albedinem primam, Secunda clavis eſt attenuatio corporis terreſtris quoniam rigiditas ei ineſt & flexibilitas & inquinatio, quæ non niſi laborioſo & ſubtili ingenio evelli poteſt ut dicitur in Turba. Non enim poteſt attenuari corpus quam diu flexibilitas & rigiditas & durities in eo conſiſtit. Capiatur ergo, ut dicitur in Turba, corpus, & abluatur, & ad lentum & tepidum ignis calorem regatur, & ad modum eorum qui linum cum cinere & aqua calcis majoris albi candidum faciunt, dealbetur: Deinde per noctem unam dimittatur in humidum locum, poſtea aqua maris ablutum roretur paulatim, donec pleniſſime dealbetur, donec ab omni inquinamento mundum & albiſſim ũ videatur. Hæc autem albedo non fit ſine nigredine magna primò, in cujus ventre eſt albedo illa ſalis candidiſſimi noſtri, & hæc eſt ſecunda clavis.

Tertia clavis eſt totius aquæ, id eſt humiditatis reſiduæ, quæ jam olei nomen habet imbibitio, contritione longa, quia allatio & congelatio, incineratio & inceratio, cum eodem oleo fiat, donec tota aqua adunetur. Quarta clavis eſt fixatio in tribus terminis & tribus gradibus ignis, donec ſit fixum tingens. Et ſubdit in alio capitulo Aſſiduus: Deinde poſt coagulationem fac ipſum volare, per quoſdam menſes, id eſt 40. diebus unius nominis in humido ſtercore, id eſt igne humido vel lento donec aqua rubeſcat, & inſpiſſetur & fiat æqualis. Et intellige quod Aſſiduus vult tres partes terræ & unam ignis. Dicit enim: Ex eorum pinguedinis vapore fit clavis una, pinguedo autem fit ex dominio Solis. Et ſi vis perfectionem, oportet te tres reliquas partes terræ extrahere. Sed prima gloſſa eſt melior, & hæc non fallit. Et nota quod omnes Philoſophi experti unum vas habuerunt, inexperti duo, ad minus unum pro regiſtro, in quo reliquum perceperunt.

Unde Gratianus dicit, & nota ſi præparentur omnia ſimul apud expertos, bonum eſt: tamen major experientia inquirentibus cum ſingula ſingulariter præparantur & examinantur unum in reliquo. Non enim potes aliter præparare ſingulariter, non enim ſufficit una aqua abſque alia, id eſt, Lunaris abſque Solari, non fiet genitũm ex uno tantum, ſed ex mare & fœmina ſimul. Et per Deum in expoſitione iſtorum omnium longo tempore libros conſului, centies perlegendo lectiones, & non habui iſtud niſi per inſpirationem à Deo. Et in his paucis conſului multiloquium & gravitatem benedictam Senioris. Deinde doctrinam Aſſidui breviter exponam: Accipe albedinem & Nigredinem, quæ ſcil. ſunt claves operis primi & ſecundi, & dimitte dum coquitur, id eſt fermentatur, id eſt, corrumpitur in alembico & in vaſe ſuo: Et aſcendit id eſt ſublimatur in vaporem in ſuo humore: Fecem, id eſt nigredinem quæ eſt Ethel, projice, id eſt, dele & purga aquam, extende, id eſt, aquam ablue. Gloſſa: Hermes ſecundum claritatis quantitatem tingit, unde aquam extende, id eſt diſtilla ſublimando, donec fiat clara, & omnis humor maſſæ extrahatur clarus & albus, terram munda ſcil. à groſſitie & rigiditate, ut fiat cinis ſubtilis privata nigredine, vas firmiter claude ſcil. gipſo vel cera, & albumine, ſunt enim in eo venti, qui ſi detenti

non

non fuerint, totum opus periret, ut dicit Morienes ad Regem Kalid in dialogo, ventum veta, quia infrigidaret materiam in vase, & ignem extingueret: Fumum veta, id est, quod fumiget materia de vase, vel non debet esse ignis fumosus, carbonum lignorum, sed ignis bestiarum subtilis bene colatus. Ignem propius duc, id est, massatione terræ cum aqua sit fortior, de prope apponendo, putrefactionem serva. Gratianus, Et unumquodque calcinatum dissolvatur suo modo ut putrescat. Et Morienes in dialogo autore sapiente: Quod tota fortitudo hujus magisterii non est nisi post putredinem. Ait enim: Si putridum non fuerit, ad nihilum revertetur. Et subdit, quod post putrefactionem Deus altissimus perficiet quæsitam compositionem; frigiditatem & calefactionem veta, id est, excessu n caliditatis & frigiditatis, in temperantia, id est in medio persevera extremorum calorum, scilicet non excessivum. Et omne opus quod est extra modum, id est, cum excessu & superabundantia veta, ut non sit nimis sicca massa, nec nimis humida: Unde Bonellus in Turba. Scito quod si massæ aquam multiplicaveris, non continebit eam ignis, nec bene ardebit in camino. Et si nimis siccaveris, non conjungetur nec coquetur. Noli festinare. Unde Rasis in libro luminum: Aqua dum miscetur æri, ipsum interius dealbat, expecta igitur candorem. In hoc enim negotio, si agendi difficultas aut tædiosa fatigatio opificem negligentia afficiet, ipsum expectato gaudio privat, spem suffocat, æstimationem interemit. Sequitur: Esto patiens coquendi, & putrefaciendi, temporis non te tædeat quamvis sit longinquum, tamen omni alio operi, quia ut dicit Senior propinquius. Et aliena semper præparant, & nunquam prosperantur. Sequitur propinquum veta, quod ut dicit Senior non nisi multis diebus hoc opus perficitur, nec est necesse ut reiteretur, prout dicit Hermes, sufficiet homini per mille millia annorum, & si quotidie duo millia hominum pasceres, non egeres: tingit enim in infinitum, & tantum quod non potest comprehendi intellectu. Et in quinto libro de septem dicit: Et non scies effectum ejus nisi postquam projeceris: & compleveris, & totum hoc jam scis, nec in infinitum &c. Sequitur: Et animalia, id est, colores, qui fiunt per aquam vivam in terra, noli fœtisare, id est immundare fece, id est, pulvere seu nigredine. Quia ut dicit Rasis in Libro Luminum: Nunquam in fine nigrum fit, quod si nigrum quid procedat imperfectum est medicamen. Et Senior dicit: Si remanserit in ea nigredo post rubificationem ejus, pecca ti in præparatione ejus, & corrupisti quicquid operatus es, & morieris præ dolore peccati & inopiæ, quia hæ sunt divitiæ incomparabiles. Colores autem vividi sunt albus citrinus & rubicundus. Quia ut dicitur in Turba: Comburere est dealbare & rubificare, & ideo dixit, animalia quorum anima corpus colorat & vivificat.

Quidam tamen libri habent: Et animalia fœtisare, id est, producere non te pigeat, fœtus enim lapidis est color semper vividus, & in perpetuum manens: Quidam libri habent animalia noli effœtare, id est aperire, sit enim vas clausum. Sed in registro, illa animalia, id est colores poteris experiri. Sequitur: non te pigeat quod agis: rubifica donec aqua tota coadunetur vel coaguletur, & ignem non fugiat, id est, fixum fiat, quæ est probatio super omnes probationes, si fumum super laminam ferream & ignem non emiserit & fluxerit sicut cera, & firmiter metallo adhæserit.

Sequitur, Scit enim aqua pugnam ignis, & prolixitatem coquendi, & putrefaciendi, & inspissandi. Opus enim quodlibet sibimet est duplex, & artifex sequitur naturam eorum, donec ad suum ordinem perveniat igne coquente. Sequitur: Deinde scilicet post coagulationem in humido stercore, id est, igne sapientum, vas circunda & latonem, per aliquot menses, id est novem, sicut & in vulva sperma moratur, ut dicitur in ænigmatibus Turbæ, Fac ipsum morari vel volare, id est, ascendere. Ascendit enim & descendit in arbore Solis donec fiat Quelles, id est, Elixir. Quod dicit per aliquot menses, hoc Mundus in Turba dicit per quadraginta dies, & subdit quales sint ut in vulva sperma moratur, hoc est novem mensibus vel circa. Sequitur: Scito etiam quod nullum Quelles facit rubeum nisi id quod fit de scarabeis, id est pigmento rubeo, quod est auripigmentum. Sequitur: Nulla aqua fit Quelles, nisi illa quæ fit de scarabeis aquæ nostræ. Hæc enim sola aqua est aqua thesauri infiniti. Et bene dicis: Nulla aqua fit Elixir, nisi ista aqua olei rubei, quæ est aqua singularis, & nulla alia, quia nulla alia totaliter congelatur. Unde Rasis omnium lapidum genus, hoc nostro excepto, liquidam producit aquam, quia ex quibus elementis constituitur nostra natura consociatur, & illa est temperantissimæ complexionis, & compositionis fortissimæ. Aliorum autem lapidum aqua est simplex liquida, debilis compositionis. Senior: Et si quis studeret invenire aliam rem facientem hujus operationes, non posset. Et alibi dicit: Et post Deum non habes aliam medicinam: Ipsa est enim aurum sapientum, quod fugat paupertatem. Unde subdit: Præteriti nec præsentes possunt tingere aurum, nisi cum auro, & quod non est aurum, scil. lapis eorum, ex ipso procedit aurum. Et bene dicit Assiduus: Cùm verò de substantia dicimus, non dicimus aurum, quoulque nobis peragatur scilicet aureum, quoniam non est aurum dictum, sed aqua cœlestis glorioſa scil. æs nostrum, ac argentum nostrum, ac sericum nostrum, totaque oratio nostra, quod est unum & idem, sc. sapientia, quam Deus obtulit quibus voluit. Et subdit Assiduus prædictis unde sermo venit, vade ad fontem sc. sitiens, & perveniens in terram nigrorum vel fuscorum, quia oportet quod terra denigretur in primo opere, sicut in secundo & novem. Nec opus est pluribus quam novem partibus aceti secundum Seniorem & Mosen in Turba. Et Hamuel 9. aquilas ponit. Sequitur etiam suffoca illas, id est, concludes in vase bene obstruendo, & accipe eorum sanguinem, id est, rubedinem pinguem quæ est eorum venenum, occidens, id est, corem omnium imperfectorum corporum quorum lepram occidit, & quod Mercurio competit in aurum perfectum reducit. Non enim convertit nisi quod suæ naturæ est, & competit ei. Sequitur: Quod est scandens ad superiora, & incontinenti fluit ad receptaculum, coque ipsum donec fiat rubeum, id est donec tota tinctura extrahatur, quod fit post summam nigredinem, quam dealbatio summa sequitur. Et subdit statim: Ego autem dictum lapidem tibi significabo. Nisi hic vapor ascendet nihil habes ex eo, quia ipse est opus, & absque quo nihil. Et sicut anima corpori, ita est ipse, qui fit Quelles. Ne igitur dicas quod invidiæ causa ipsam aquam nominaverim, licet nominaverim, inspice & crede mihi quod hic lapis est non lapis.

Nunquam aliquem Philosophorum audisti dicere, hunc lapidem esse aquam fontis vivi. Et Rasis

in Libro Luminum: Lapis noſter in quo totus noſter effectus & gratia eſt aëreus, viſu quidem aqua, ignis natura, colore comburens, naturatum proprietate integer, nec durus, humidus: ſubſtantia etiam liqueſcit, multorum etiam medicamentorum uſui aptus exiſtens, & utilis, ut in omni apparatu ſuo, ſpeciem aquæ ſuſcipiat.

Deinde ſequuntur alia præcepta Aſſidui dicentis: Quod in hoc libro eſt literarum vel librorum perfectio, & opus perfectiſſimum ac certiſſimum in medio generis ſui: Qui Sol eſt in medio Planetarum, id eſt metallorum mediæ & temperatiſſimæ complexionis, & in medio generis inter Mercurium & urinam, & in medio ætatis ſuæ quoad ſecundum opus vel primam dealbationem, quia tunc tingit in album perfectum: Et eſt aptiſſimæ putredinis, id eſt incinerationis, & tractionis animæ à corpore per putrefactionem, & exiccando putreſcit, & in aptitudine bonitatis, aut poſitionis ſuæ, id eſt partium in tota ſituatione bona quieſcit. Et cum hoc fuerit immundum ſcil Sol, aut permiſtum, ſcil. Luna, aut turbatum, ſcilicet Jupiter, vel non accipitur in tempore opportuno, id eſt, ſenex vel juvenis, nondum notus, id eſt, regulatus tranſmutatione in aquam ſuam. Et aptitudo putredinis ſit cum aptitudine bonitatis poſitionis, quoad poſitionem ignis fortis, & vaſorum debita proportione. De Senio dicit Moyſes in Turba: Et ſi ovum compoſitum ultra quam debeat regitur, id eſt, magno igne profecto extinguitur lumen ejus à pelago ſumptum, quia æs cedit ad latera, nec ſolvetur, & per conſequens non congelaretur, nec tingeret. De opportuno tempore dicit idem. Regite ipſum, & coquite, donec appareat album, & tunc videbitis unum à tribus ſociis derelictum, id eſt, aquam vitæ, in qua ſunt tria, ignis, aqua, & aër, vel aquam vitæ à corpore in quo ſunt ſimiliter tria. Et dicit Limenis circa 12. vel 18. dies, quam diu non eſt nigrum, & quandiu eſt in nigredine etiam ſumma. Et Morienes dicit, quod ſanguis frangendus eſt, ne impediat, quæ fractio, id eſt ſeparatio, fiat poſtquam dealbatum fuerit. Et nota, quod ſi ulterius quam debeat regatur, tunc corpus ſubintrabit, & ideo in tempore opportuno debet accipi. Et ſequitur: Vel ſi accipiatur ab inferiori parte ſui generis, id eſt, ex planetis perfectis aliis. Et nota, quod Pandulphus in Turba dicit: Quod ovum Philoſophicum everſum eſt, ſcilicet contra majorem mundum, quia ovum noſtrum ſecundum medium ſuum dicitur altius, ſcilicet à Sole: & ſecundum extremitates dicitur inferius, id eſt, alias duas partes, quia ovum mundi ſecundum polos dicitur altius, & ſecundùm ſuum medium inferius, & in medio eſt Solis punctus, ſicut pullus, & ſecundum hoc ſuperius. In ovo verò mundi è converſo eſt, ſcilicet medium ſuum inferius eſt, exempli gratia: In mundo ignis eſt ſubtilius, levius & altiùs elementum, ſed in ovo illius ignis eſt infimum elementum, quia in medio conſtitutum, & in mundo eſt groſſius & gravius & infimum elementum, ſed in ovo, ſcilicet cortices exteriores ſunt terra & altius elementum & ſic de cæteris. Ergo eſt verum, quod ovum habet ſe per contrarium ovo mundi. De ovo mundi contrarium eſt, quia ovum mundi ſecundum polos dicitur altius, & ſecundum ſuum medium inferius, vel ſecundum extremitates, id eſt Saturnum & Lunam, quæ in mundo ſunt inferius & ſuperius. Saturnus ſuperior & altior, & Luna inferior, & ſex planetarum. Sequitur: Ecce in ovo ſunt quatuor ſcilicet terra, aër, aqua & ignis, & punctus Solis in medio rubeus, qui eſt pullus. Et hæc eſt cauſa, quod Philoſophi artem hanc ovum nominarunt. Sequitur dictum Aſſidui: Nec in igne operatur alieno, vel extraneo ſpiritu, quia ut dicit Senior: Nec facias ſuper ipſum ingredi aliquid alienum, corrumperet enim ipſum & deſtrueret totum. Vel ſic & melius, quod in igne non operatur alieno, ſed in ſuo igne, qui eſt humidus: Extraneus enim ignis inæqualis eſt exceſſivus carens temperantia. Tota enim hujus operis efficacia in ſuo conſiſtit igne, ut dicit Mori. & Geber. Solus calor Solaris eſt generans complexionem bonam, quem calorem ignis ſcilicet natura imitatur. Sequitur: quoniam cum digeritur aliud iſtud, id eſt, aquæ vitæ avis, quæ eſt animata tinctura, incorruptibilibus ejuſque forma perficitur, ſcil. poſtquam dealbatum fuerit, tunc operationi aptum eſt, unde non debet ſumi, antequam Melancholia, id eſt, nigredo in eo non abundet nec poſtquam abundet, vel ſi ſumatur antequam aër, id eſt, vapor aëris in eo gignitur, id eſt, in corpore immundo non ſpirituato, & ſeneſcat in poſterum, vel expone poſtquam forma ejus perficitur, aptum eſt operationi antequam melanch. nigra in eo abundet, quia ſic operaretur in nigrum & non in rubeum vel in album. Et antequam aër, id eſt, anima vitæ, gignet in eo ſcilicet immundo & groſſo exiſtente non ſpirituato corpore, & ſeneſcat, id eſt, morbidum fiat & melancholicum, antequam melancholia abundet, & aër gignitur alienus. Nota quod hoc fit ſi dimittatur ſtare aqua quando operationi apta fuerit, quia coagulum ejus cadit in fundum coagulatum, per frigidum aëris & ſiccum congelans: quod cuidam ſociorum meorum contigit qui per annum ſic invenit, ſed non fuerat deſtillata. Deinde dicit, quod in his decem præceptis erraverit nullus. Et de iſto opere quidam ſapiens, pulcherrimam ſimilitudinem de viro ſcilicet & muliere artis locutus eſt, dicens: Qui me miſerculam offenderit, & à quiete mea diſperſerit, do plagam in faciem ſuam, per quam fugam capiam, per hoc tangit evitare exceſſum caloris, miſerculam, id eſt, humiditatem teneram Lunarem, & qui me de loco meo vi abſtulerit, id eſt, de ære meo, & dilectum meum mecum vinculaverit, id eſt, conjunxerit Solem cum Luna in uno corpore, in aqua ſua, ſagittæ ex pharetra noſtra, id eſt, humores vaporis noſtri corporis vindicabunt nos, & vitam regenerabunt, & nunquam de cætero morientur, & ſi præter dominium noſtræ mobilitatis, id eſt, ſine exceſſu tranſmutationis incluſi creati fuerimus, ſcilicet igne lento, propugnatores noſtri, vel propagatores, id eſt, parentes noſtri peribunt, id eſt, morientur, tradentes animas filio, id eſt, aquæ vivæ, & nos amentes, id eſt, ſine mente, ſcilicet ſine ſpiritu, jacebimus ſcilicet in terra, & veſtibus vilibus denudati, id eſt, coloribus, & tincturis noſtris, quæ ex natura ſunt vilia, quia in ſtercore & in limo terræ, & in opacis locis naturaliter volunt latere, & ſola opinione hominum pretioſa ſunt. Vel ſic expone, veſtibus vilibus, id eſt, nigredine ſecundi operis, & balneati fuerimus in aqua noſtra, tunc ſequitur animæ noſtræ, id eſt, tincturæ mortuæ, id eſt, extinctæ, in corporibus noſtris apparebunt. Unde quidam dixit: Et ſi nudus in cœlos aſcendero, tunc veſtitus in terram veniam, & complebo omnes mineras. Et ſi in fonte auri & argenti baptizati fuerimus, & ſpiritus corporis noſtri cum Patre & Filio in cœlum aſcenderit & deſcenderit, animæ noſtræ reviviſcent, & corpus meum animale candidum permanebit, ſcilicet, Lunæ: Corpus

verò

vero dilecti mei, id est, Solis delectabile, & rubicundum, & roseum relucebit, significat secundum opus, & si parentes dilecti mei, id est, corpora mortua, de vita gustaverint, & de aqua vitæ sapientiæ, lacte meo lactati fuerint, & mero albo inebriati fuerint, & in lecto meo, id est, vase, nupserint, generabunt filium Lunæ, id est, tincturam Lunarem, qui totam parentelam suam prævalebit, id est, omnes progenitores. Et si dilectus meus, de rivulo rubeæ petræ potaverit, & fontem matris suæ gustavarit, & mihi tunc copulatus fuerit, & vino rubeo affinis nostri mecum inebriatus fuerit, & multiplicia biberit, & in lecto suo mihi amicabiliter accubuerit, & in amore meo per sperma suum, cellulam meam subintraverit, concipiam, & ero prægnans, & tempore meo pariam filium potentissimum, dominantem & regnantem præ cunctis rebus, regibus & principibus terræ, coronatum aurea corona victoriæ, à Domino Deo altissimo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, *Amen.*

Explicit Liber Primus.

Incipit Liber Secundus, De Expositione Figurarum, de Massa Solis.

Expositio Epistolæ Solis ad Lunam crescentem, in anno Solari, quæ incipit: In tenuitate sua, seu teneritate, id est, novitate sua nimia, scilicet conjugii cum Sole, id est, illuminationis ab eo. Dicit Sol: Dabo tibi de pulchritudine mea lumen, scilicet solare, quo pervenitur ad perfectionem tincturæ, exaltatur enim lumen solare. Omne enim altum, id est, omnis planeta per ipsum perficitur. Dixit primo Luna Soli: O Sol, tu mei indiges, sicut gallus indiget gallinæ, quæ sunt aves homogeneæ duæ in sphæra una, de qua prius dictum est. Et ego Luna indigeo ope tua, ô Sol, sicut primum passivum suo activo, ad quod est in potentia propinqua, scilicet transmutandi sine importunitate, id est, sine festinantia, de Luna plena, id est, aqua perfecta, quia Luna est domina humorum, ponit efficiens pro effectu: Quia ut dicit Morien. radix hujus scientiæ est in hora compositionis suæ, & expectes die noctéque super fixionem ejus. Omnis igitur festinantia procul pellatur ab ipso artifice, & providentia, & ratio, & firma expectatio adhibeatur. Quapropter ignis blandus diutius apponi debet, qui in diebus suis semper æqualiter perduret, ne festina combustione corpus consumatur. Sequitur: Cùm sis Sol perfectus in omnibus partibus luminarium, tu es lumen, dominus excelsus & magnus, quia per te complentur res minerales, vegetabiles & animales. Ego Luna crescens in lumine solari, frigida, & humida, quia sum mater humorum, & tu Sol calidus & siccus, quod est principium generationis omnium, quando copulati fuerimus, id est, conjuncti in æqualitate status, id est, in proportione, & in mansione, & in vase, ubi non sit aliud, id est, alia res extanea, nisi leve habens secum grave, id est, spiritus proprius cum suo corpore, vel intelligit quatuor elementa, per leve, ignem & aërem, per grave, terram & aquam, sicut per rarum & densum, antiqui significaverunt hæc quatuor. Sequitur: In qua mansione, id est, domo vasis vacabimus commanendo, & erimus similes, sicut vacat mulier & vir ejus in generatione partus, & hoc est verum ipsa locutione. Et ego ô Sol cùm conjuncti fuerimus, vacaturi in ventre domus clausæ, ex omni parte recipiam à te animam, id est, pinguedinem olei, quæ est tinctura vivificans omnia, adulando, id est, blando modo, quia natura gaudet propter vicinitatem eorum in natura conformi in aqua sua, vel cum aqua sua, & natura naturam vincit, & natura naturam continet. Ut in Turba: Et si abstuleris pulchritudinem meam, id est, Lunæ, per decoram lineationem, intendit nigredinem primam, quia decolorat eam Sol, & exaltabuntur, id est, sublimabuntur exaltatione spirituum, id est, ad modum spirituum sublimatorum, cùm ascenderimus ordinem, id est, ordinatam dispositionem Senioris, id est, Saturni, Jovis, & Martis, & his nominibus nominaverunt nigredinem illam, scilicet Saturnum albedinem, Jovem rubedinem, Martem rubiginosum, vel æruginosum, unde à principio conceptionis, usque ad medietatem infantis, quilibet planeta dat suam imaginem, virtute divina sic creante.

Ita etiam in hoc Opere quilibet Planeta suo loco facit impressionem suam, usque ad complementum operis, ut dicitur in libro trium verborum. Et ideo dictum est prius sine importunitate, qui enim importunus & festinus vult esse, sua vehementia opus confundit, quia non est opus opificis, sed opus naturæ ministrante artifice, & adjuvante eam.

Sequitur: Lucerna Lucis, scilicet, Solaris, infundetur lucernæ meæ, id est, lunari ex te, scilicet, Sole, & ex me Luna, fiet infusio luminosæ, sicut commixtio vini cum aqua dulci, sic ex me atque te fit commixtio luminum, est enim utrobique similitudinis proportio, vinum enim & Sol, calida, Luna & aqua frigida, confluent. Sed postquam lucerna Solis infusa est lucernæ Lunæ, cessat humor fluere, qui quod indurat denigrat lumen. Ideo sequitur: Et ego scilicet Luna, prohibebo fluxum meum, & potest litera sequens esse connexa præcedenti dicendo: Ego Luna prohibebo fluxum meum, postquam Sol indutus fueris nigredine mea, colore atramenti: & tunc innuit primam nigredinem, de qua dictum est, quæ est argentum vivum de argento. Vel potest esse spiritualis versus continuus sequenti, innuendo secundam scilicet nigredinem, sic post solutionem atque coagulationem humoris mei, cui intraverimus templum amoris, scilicet in secundo opere, postquam indutus fuerit nigredine mea, colore atramenti, tunc coagulabitur corpus meum, in nativitate mea fiet sol oriens, in Luna crescente, & convertetur in decorem Solarem. Dixit Sol Lunæ, si feceris hoc quod dixisti, non invenies in me nocumentum, id est contrarium, & revertetur postea corpus novum. Quia dicit Gratianus: Cùm Mercurium fermentaverimus, quid ultra quærimus? nisi decoctionem ignis cum sulphure, quia ignis & Azoth sufficiunt tibi, ut dicit Elbo. Dealbate igitur Latonem cum Mercurio; hic nota secundam dealbationem, quia Lato est ex Sole & Luna compositum corpus citrinum, quod cùm dealbaveris per diuturnam decoctionem, id est, longam, & ad pristinam citrinitatem perduxerii, habes iterum latonem eodem modo ductibilem ad quantum tibi placuerit, quia in infinitum virtus ejus extenditur, & tunc intrasti per ostium, & habes artis principium, & tunc calcina, dissolve, distilla, coagula & incera, & ita procede per medium, & resultatum facis penetrabile, & tunc ad finem perveniisti; & Senior dicit de eo:

Eſt enim hoc minerale, quod cum miſeris aquam ſuper terram, vincit album ſuper citrinum & rubeum, & dealbificat ea in albedine argenti Deinde vincit citrinum ſuper album & rubeum, ita quod citrinare ea faciat, ſuper citrinitate auri. Deinde vincit rubeum ſuper citrinum & album, & rubificat ea in rubedinem Alkazel marini, & tyrii, vel Oſtreæ, quibus tingitur Olerum, vel præparatur & melius. Et cùm videris hæc, gaude. Sed ſi remanſerit in eo nigredo, corrupiſti quicquid operatus es, & morieris præ dolore, quia ſunt divitiæ incomparabiles. Et alibi non eſt differentia inter ipſum, & argentum, vel aurum, niſi quod citius funditur.

Sequitur: Dabo virtutem penetrationis, ſcilicet, tincturæ, per quam potens eris in prælio ignis; prælio liquefactionis & purgationis, ex qua exibis ſine diminutione, ſicut firmus Sol: non impugnaberis de cætero ſicut æs & plumbum.

Sequitur: Leo, id eſt, Sol inferius, vileſcit per carnem, hic eſt metaphora ſicut Leo fortis & Rex animalium, vileſcit per infirmam carnem ſuam, die enim quarto in quartum, quartanam naturaliter patitur: Ita Leo natura, per carnem ſuam ſibi contemporaneam lunarem vileſcit & eclipſatur.

Luna enim eſt umbra Solis, & cum corporibus corruptibilibus conſumitur, & per ipſius corruptionem mediante Mercurii humiditate Leo eclipſatur, ſed ejus eclipſis in meliorem convertitur naturam & perfectiorem priore.

Sequitur: Quod autem ſucceſſiſti mihi, id eſt, in meam tranſmutaris naturam & dignitatem: Deinde oſtendit, quomodo Sol vileſcit per carnem infirmam, dicens: Apud augmentum plumbi nigri, apud augmentum, id eſt, abundantiam nigredinis plumbi, id eſt, æris noſtri deficit lux mea, id eſt, Solis, & extinctus eſt decor meus. Quia ut dicitur in Turba: Coquite donec exeat nigredo, quam nigredinem alii nummos nigros, alii plumbum ſapientum vocaverunt. Dum reddit cauſam, quare ſit lux Solis extincta circa angulum nigredinis, dicit, quoniam alia duo principalia luminaria capient pinguedinem, id eſt, humiditatem meam metallicam mercurialem fixam, de ære meo mundi corporis exiſtentis, & de plumbo verificato, id eſt, de plumbo ſapientum, quod ſcilicet æs vel plumbum eſt verificatum in ſyllogiſmo, id eſt in ratione ſcientiæ, ex parte apud Philoſophos.

Aliter poteſt punctari verſus iſte. Pondus, id eſt, compoſitio eorum, in ſyllogiſmo, id eſt, in ratione, diſcutitur ſine ſeu in intellectu componente de ſanguine Solis, & in humiditate Lunæ, abſque ſanguine hircorum, & aliorum animalium, quæ nihil ad propoſitum faciunt, ut pondus, id eſt, compoſitio ſapientum in ſuo Elixirio diſcernat verum compoſitum à falſo compoſito & è converſo, Quia hæc eſt magneſia vera & non falſa. Sequitur; Ego, ſcilicet Sol, ferrum, durum & ſiccum. Et dicitur ferrum propter rubiginem, quam florem vocant æris. Ergo fortis, quem ignis non ſuperat, nec ſulphura vaſtant, piſtans, id eſt, condiens omne bonum. Per me enim lux generatur, & ſecretum ſecretorum Philoſophorum, id eſt, tinctura perpetua corporum conficitur, nec eſt res in mundo alia agens actionem quam meam. Et Senior dicit: Si quis ſtuderet invenire aliam rem facientem ejus operationes, non poſſet, & non eſt qui inveniat aliam operationem. Eſt enim Sol radix incorruptibilis, & ab igne, & ærugine, & ſulphuribus, & ideo extrahitur tinctura vera fixa ab eo. Alia autem omnia opera & ſpiritus corruptibilia ſunt, & quomodo poteſt tinctura incorruptibilis extrahi à radice corruptibili? & jam tot ſunt & fuerunt vanarum rerum præparatores, qui nunquam perfecerunt: Imò non eſt aliud fundamentum artis, quam Sol & ejus umbra, ſicut dictum eſt prius, & nunc ſermo proceſſit, & de radicibus ſapientiæ majoris. Sequitur: quod habet lucem, id eſt, Sol lucens factus eſt, habens obſcuritatem, id eſt, nigredinem, poſtquam non eſt ad perfectionem deductus, id eſt, dummodo eſt in fieri: Intelligit nigredinem ſecundam in ſecundo opere: Convaleſcit à languoribus, id eſt, tenuitate, id eſt, infirmitatibus & debilitate, & habebit vitam leonis rugientis vel reſurgentis poſt nativitatem. Metaphora potens eſt, quia dicit Lucas in Turba: Diffinitio hujus artis eſt liquefactio, & animæ à corpore diviſio, & iterum, animæ cum corpore conjunctio. Et ſic ſurgit reſurrectio corporis nunquam de cætero moritura. Et hæc eſt cauſa, quare æs noſtrum vocatur Leo, quia ſicut Leo rugiendo reſuſcitat prolem mortuam, vitam immittendo, ſic corpus æris mortuum reſurgit, conjuncta ſibi anima per aquam vitæ. Sequitur: & apparebit illud magnum fluxibile, id eſt, oleum in menſuris, & tinctura Philoſophorum currens in ictu oculi ſicut cera ſuper laminam.

Capitis & caudæ ſunt duæ proprietates, ſcilicet dealbandi & rubificandi corporeum, & ſpirituale vel mortuum & vivum, tamen prima gloſſa eſt melior. Unde Senior in fine dicit: Hæc eſt aqua, in qua congregatæ ſunt potentiæ albedinis & rubedinis Unde aſſimilaverunt eam ovo, quia circundat totum quod eſt in eo, habet enim totum in ſe, quo indiget, & præparatur in præparatione ſua. Et ſubdit: Et hic eſt draco, qui devorat caudam ſuam. Draco eſt aqua divina, & cauda eſt ſulphur ejus, & cinis, qui eſt inter cinerem, & de iſto cinere deſcendit pluvia viva, vivificans terram &c. Et cinis ille eſt fermentum aquæ, quem cinerem Morienes vocavit coagulationem, cùm ſit coagulans aqua terram. Alia gloſſa Capitis & Caudæ, ſicut dicitur in Turba. Sume viperam, & priva eam capite, & cauda, in his enim duobus locis quieſcit ejus venenum, id eſt, tinctura: ex quo ſcilicet veneno, procedit ſpiritus, ſcilicet, tingens. Deinde caudam & caput, id eſt, principium operis, & finem ejus, & eſt unum & idem, à quo incipit, & cum quo finit: Omnia enim operatur aqua iſta cœleſtis, ſume igitur reſiduum corporis viperæ, id eſt, terram, & coque lento igne, ſcilicet Philoſophico, quouſque ab oſſibus ſecernatur, id eſt, donec fiat durum, & ſplendidum ſicut gladius denudatus, & pone eam ſuper laminas, id eſt, in vas, & tamdiu tunde, ſcilicet igne & piſtillo, donec vertatur corpus in ſpiritum, & auferetur ab eo flexibilitas. Non enim poteſt attenuari, id eſt, ſpirituari corpus, quandiu flexibilitas in eo conſiſtit. Intendit quod incineretur corpus reſiduum, quod vocatur terra, à qua eſt extracta tinctura per aquam. Sicca corpus hujus ad Solem, id eſt, ad lentum ignem, intendit æqualitatem ignis. Deinde capiti ſuo junge & caudæ, & cum eis tere, ſcilicet igne lento qui omnia terit, donec videas quod inquiris. Hoc itaque completo, ſcias quod habes corpus corpora perforans, & naturam naturam continentem, & naturam natura lætantem, quod profecto theriaca Philoſophorum vocatur, & dicitur vipera, quia ſicut vipera concipiendo præ libidinis ardore caput ſecat maſculi, & pariendo moritur, & per medium ſecatur: ſic lunaris humor concipiens lucem ſolarem, ſibi convenientem,

venientem, Solem necat, & pariendo progeniem Philosophorum, ipsa similiter moritur, & uterque parens moriendo animas filio tradunt, & moriuntur & pereunt. Et parentes sunt cibus filii, & naturam eorum accipiunt & cum ære roborantur ad pugnam ignis. Hic autem filius laudabitur in omnibus libris Philosophorum: Et est lapis Indus Babylonicus, & æs combustum, ut Kalid dixit.

Sequitur, Septem sunt ordines ponderum ordinatorum corporum. Quinque partes ex eis sunt absque obscuritate, scilicet de umbra Solis duorum lucentium est pulchritudo, scilicet Sol, & hæc compositio est secundum numerum figurarum, scilicet tertia dimidia Luna à minori computando numeri quinque mediæ Lunæ, & duo Soles, unus cum duobus radiis, secundus cum uno radio. Expositio harum dabitur tibi expositione mea, & proprietates radicis. Hoc dicit propter hoc, quia dixit duorum lucentium est pulchritudo. Sol est clavis cujuslibet januæ, id est, omnis introitus artis, & quod restabit, id est, quod reliquimus, est de radicibus artis sine dubietate, id est certitudinaliter, Sol est, simplex clavis totius operis, cum firmamento & terreitate, id est cum Luna terra & opaca, inter cæteros planetas feculentior, quod post maculas quas habet dum in plenilunio est, & cum firmamento directo, id est regulato per artem. Et dicitur Luna firmamentum, quia dicit Hermes, Luna potens in firmamento est, & pauper luminis, & cum Mercurio lucrum eorum convertibilis natura, Solis umbra. Quidam libri habent, cum firmamento directo terreitati, directio enim in medietate ordinato terreitati, id est elementari corpori, & utraque litera est bona: Quia septem partes ponderis sunt, & per versum istum exponit præcedentem. Ideo dixit: Hæc est demonstratio, id est, expositio septem partium: hæc est divisio id est, separatio spoliationis, id est tincturæ spoliatæ, hæc est divisio decoctionis, id est in igne coquente. Quam scilicet spoliationem nigredinem appellamus, quæ fit per decoctionem competentem, in qua dissolubile temperatum dissolvitur, & anima temperati extrahitur. Nota secundum Seniorem, quod præparatio hæc vocatur conversio & divisio in subtilitate & attenuatione spirituum, ut tingant & imprimantur corporibus, & hoc propter conversionem suam in præparatione de statu in statum, & de re in rem, & de infirmitate in potentiam: & de grossitie in tenuitatem & subtilitatem, sicut convertitur semen solum in matrice præparatione naturali de re in rem, donec formetur inde homo perfectus, ex quo fuit radix ejus, & principium ejus, & hoc sine ingressione alterius rei nisi sanguinis menstrualis ex quo fuit semen, & ex sanguine ei simili, & ex ipso fuit nutrimentum ejus. Et similiter ovum sine ingressu alterius rei convertitur de statu in statum, & dividitur de re in rem, donec convertatur in pullum volantem, sicut illud à quo radix fuit & principium ejus. Et similiter semina terra nascentium putrescunt, & mutantur, & ingreditur super eis corruptio, sicut ea ex quibus habuerunt radicem. Et propter hoc mineralia nostra non mutantur ut exeant à radice sua, si redit ad id ex quo fuit, nec convertitur ex hoc in aliud, & qui dicit aliud, falsum dicit. Hæc est ergo conversio & divisio quam audis in libro sapientum. Huc usque Senior dixit. Sequitur: Hæc est coagulatio absque divisione, id est conjunctio maris & fœminæ & absque dissolutione postquam feceris, id est præparaveris, singulariter affirmando illa septem scil. 5. partes Lunæ & duas Solis, quæ septem divisisti per septem stellas, id est, secundum numerum septem Planetarum, qui omnes Planetæ operantur super istas septem partes Planetarum Nostrorum, & hoc est tertium scilicet Mercurium amalgamare, cum septima parte ponderis, deinde mitte de albo humido novem partes, ita quod decima sit æris pars. Et postquam purgaveris in præparatione conversionis, donec videantur sicut Margaritæ in similitudine, tunc errare non poteris de cætero. Hæc est dealbatio detegens dubium terræ tuæ sitientis, & hoc per aquam nubium cœlestium, in hoc scilicet dicto demonstrato ostendit tibi flores aureos, id est tincturam solarem omnis floris, id est, coloris conversi ad medium extremitatum scilicet albi & nigri, velut indumentum pavonis in similitudine. Hic enim est lapis cui inest omnis color, secundum diversas conversiones ejus in preparatione sua. In hoc igitur opere, Sol ut rex & dominus cœli, immittit spiritum & vitam: Mercurius vero format spiracula, est enim acetum acerrimum, quod aurum merum spiritum facit esse, ut dicit Pythagoras: Ipse est quo mediante fit corruptio & regeneratio ejus: Luna vero sponsa Solis, spiritum seminis conceptum à sponso suo illuminat, & sua frigiditate & humiditate laborat ad expellendum fœtum ex his productum. In introitu vero residui numeri stellarum scilicet quatuor detecta est tibi impressio & imago in decoctione, quibus Planeta facit virtutem Dei, & hoc est quod dicit, decoctum à qualibet stella singulariter: sc. Saturnus constringendo, & congelando sua frigiditate & siccitate ipsam naturam in massa, Jupiter vero sua caliditate & humiditate digerendo, Mars veto sua caliditate & siccitate homogenea congregat, & heterogenea sequestrat: Venus vero frigiditate membra & imaginem disponit. Et sic nascitur Alchimia naturalis per principia naturalia, & per impressionem formæ scilicet naturalis, substantialis, ministrante artifice. Æs enim de se non habet, nisi formas accidentales, sed juvat naturam, disponendo principia, inducit formas substantiales. Et locus generationis licet sit artificialis, tamen imitatur naturalem quia est concavus, conclusus, in quo fumus principiorum naturalium generatorum per naturam, ratione caloris diuturni & continui, diu reflexus in se & vaporaliter commistus congelatur in metallum, cujus est vapor secundum speciem, ex qua est radix. Ex his dictis patet solutio duorum argumentorum contra possibilitatem artis: Quorum unum est quod non habet ars inducere formas substantiales, sed accidentales: secundum est quod locus naturalis debet esse principium generationis. Adducunt tamen dicentes, metalla generari secundum influentiam Planetarum, quæ constellatio latet Alchimistas, quia oportet eos in illo incipere operari in quo natura cœlestis incipit movere mineram. Quibus dicendum quod motores cœlorum quandocunque & ubicunque inveniunt materiam dispositam habentem potentiam ad talem formam, tunc incipiunt movere per impressiones suas ad illam formam, dummodo artifex conjungat activa passivis. Sol enim & homo generant hominem, nec tamen oportet, quod homo generans hominem, præsciat impressiones Solis: Sed convenientibus principiis activis & passivis, cum habilitate materiæ, Sol disponit & movet ut cæteri Planetæ, secundum distantiam localem ad orbem, tum licet omni tempore posset incipere opus, unum tamen tempus habilius est altero. Quia dicit

Hermes

Hermes, in 2. lib. de septem, Quod hoc elementum est humidum in vere & æstate, oportet ergo ut sumatur inter istud & illud sc. 15. dies post introitum Solis in Arietem, usque ad introitum Tauri. Hoc enim tempore amplius augmentabitur, & oportet distillare hanc lapidem, Sole existente in Ariete & Tauro: Hæc Hermes dixit. Sed Assiduus dicit, quod oportet poni lapidem istum in vase suo carente sectione in hyeme, æstate, autumno, & vere, & omnibus anni diebus. Quia ut dicit Senior: Est semen mundum, mundum habens benedictionem: ex potentissimo enim masculo & fœmina generosa & castissima procreatur. Et huic femini nihil incongruum & commistum, & exiliit albissima materia auri & argenti, ex purissimo Mercurio & sulphure incombustibili. Ideo quilibet Planeta imprimit suam imaginem & impressionem singulariter, sicut & in fœtum humanum donec perficitur. Sequitur: Hæc est perfectio coagulationis sine fallacia, & factus est Sol, id est Solaris minera, perfectis statibus. Principium ejus ignis est, & in igne crevit, nec timet cinerem. i. e. testam cineris. Est & fixus non fugitivus, jungitur in corpore, sc. metalli, usque ad cor, id est in profundum, quia ex radice fixa, sc. ex Sole, qui est fons totius caloris. & Planetarum rector, proficiscitur. Sequitur, hic est filius vilis & carior id est, hic filius sc. lapis, cujus mater est virgo & non concubuit, & est vilissimus & carissimus. Et dicitur filius vilis, quia nullius precii in oculis est omnis ignorantis, hæc fœmina est vilis, quia si diceretur ei hoc opus, videretur esse falsum sibi. Senior: Et est carissimus, quia sine eo non operatur natura, sc. sine humido. Lapis enim Philosophorum aqueus & humidus est, humor vero vilissimus, quia pedibus conculcatur, & est carissimus, quia principium est generationis naturarum: & est ænigma sapientum dictum illud. Præparatio ergo hujus est difficilis, & occulta destruens, quæ multos sapientes nudavit, nec est super eo lapide iter in opinionibus laborantium & operantium, quia dicit, infiniti sumunt radicem ejus, & homines in vanum abierunt à radice hujus scientiæ, & simile ei non possederunt, quod tamen nusquam currit in æstimationem eorum. Est itaque difficilis ignorantibus, & mirabilis, facilis scientibus, modicus, levis, delectabilis & propinquus: Intelligit autem ipsum ingeniosus. Est & subtilis, ex hoc arbitrando: cum clarificati fuerint ejus animi, ex libris relictis à græcis, quoniam nihil occultatur præter præparationem ejus, quæ est difficilior omnibus. Hoc est quod coruscat in Elixiri, quod hic de tinctura incipit à potentia, id est, à materia potenti, aptissima ad talem formam, & pervenit ad actum, id est, formam auri & argenti, ad quam fuit in potentia. In talem enim metalli speciem congelatur humor, cujus est fumus, & vapor: quia simile non generatur, nisi ex sibi simili per naturam. Deinde invehitur autor contra operarios vanos hujus artis, nec radicem habentibus, nec præparationem ad minus, dicens: Omnis præparatio est bona illius rei, præter hanc præparationem occultam Philosophorum: sed ipsi composuerunt prohibitionem ejus in actu suo, quia ipsi semper præparant, & nunquam prosperantur. Quia ut dicit Morienes ad Regem: Scito quod terra, aut lapis, aut ovum, aut sanguis, aut acetum, aut omnia hujus, ut sulphur, arg. vivum, auripigmentum, falsa, ad hoc magisterium inutilia, & malum exitum habentia, & homines sæpe hæc omnia terunt & coquunt, & à sua decoctione extrahunt, & extractum sepeliunt, & juxta suam opinionem bene facere credunt. Et ut error eorum magis confirmetur, & ne desperent, hoc quod quærunt, nequeunt, sed sperant invenire. Et de compositione librorum falsorum dicit Senior. Composuit enim librum suum, opinans, quod intellexit illud occultum mysticum, & ipse nec scit nec intelligit literam unam de his quæ cõposuit in libro suo de libris Philosophorum remotus. Et si quæratur ab eo, ex ipsis respondet per similitudinem, & si comprobentur ei, defendit se per cavillationes & similitudines vanas. Sequitur: In te firmata, id est, in radice artis firma, præparatio eorum facta est ignota, quia non habent esse, & si habent radicem, non habent præparationem, propter hoc non cognoscunt. Omnis animus sequens concupiscentiam, id est opinionem suam vanam, fluit, id est fluctuat, & divagatur per diversas vias erroneas, ita quod ultimo dicant. Præparavimus eum cum omni præparatione, nec adepti sumus, & cum scientia fecimus illum, & cum præparationibus suis sapienter operati sumus. Et propter hoc sunt stultis stultiores, quia præparant illud quod non habet tincturam in se, ex omni re quæ tendit in nihilum & infimum, & credunt se bene facere, & nihil acquirunt præter labores, & propter hoc sunt inflati in possibilitate partis, & excæcati sunt à veritate. Dixerunt antiqui sapientes: Hic autor deridet superbiam Alchimistarum Philosophorum operantium in rebus fœtidis. Dixerunt antiqui sapientes de tali operatione. Hircus est, id est superbus & olens fœtidior hirco, ex oleis capillorum, & stercorum, & menstruorum, & multorum talium fœtidorum combustibilium laborant, & non recognoscunt radices scientiæ, nec præparationes ejus: vel sic, non recognoscunt homines quod decipiunt in ignominiam illius, Talis operator convenit, id est aptus est, apud considerantem, id est Philosophum, & videntem, id est Prophetam, de quo cum se intromittit scientiæ talis, magis convenit, id est, aptus est, ad arandum, id est ad pascendum cum camelis, id est convenientior est rustico vel pastori, quam Philosophiæ huic, quæ tantum à Deo habet esse per inspirationem humilibus & justis. Sequitur: Superbus enim scilicet ex eo hircus iste, quod dicitur sciens & tamen non est. Quibusdam enim magis operæ precium est videri sapiens esse, quam esse & non videri, ut dicitur in Elenchis, sic etiam iste superbit, quod creditur & dicitur esse sapiens & sciens & quod omnis sciens novit quantum erret in illo. Vulgus, id est operator vulgaris, habens oculos mentales, clausos, id est obnubilatos, dormit, id est, somniat, quia imaginationes fantasticas & vanas habet in rebus vanis Cujus scilicet vulgi barba, id est operis vas convenit pueris id est ludo puerorum. Dicitur enim in Seniore: Quod utilitas quam intendis non est nisi apud dominos barbæ, id est domorum. Et iterum dicit, quod genitum eorum est in barba, id est in domo dominorum: Vel potest esse alia derisio talis, quia antiquitus sapientes, in signum maturitatis, barbati incedebant, cujus barba, id est sapientia, convenit pueris, id est stultis. Vel potest esse sensus ex simili, quod illudunt homines tales falsidici, sicut pueri trahunt barbas dormientium illudentes eis. Sequitur: Si habuerint rem, id est radicem scientiæ, non inveniunt ejus præparationem, & res artis non perficitur, nisi cum præparatione: Et hoc est quod quærunt, & omnis opinio eorum, præter illam, fallax

est

est. Attraxerunt ignorantes in funiculis, id est per deceptiones, & demonstrationes suas vanas. Transmutant enim in apparentia Lunam in cuprum, & aurum in aliam speciem coloris fantasticam, & cum in ignem veniunt, revertuntur in formam Solis & Lunæ sicut prius fuerant, & ignorantes credunt quod fecerunt eis aurum & argentum. Aut Amalgamata faciunt Solis & Lunæ cum Mercurio, & promittunt eis tingere Mercurium & coagulare in Solem & Lunam, & per limaturas auri & argenti dissillatores attrahunt ignorantes & decipientes. Sequitur, ignorans ferit coloquintidam, & sperat inde comedere mel, sed quando quod speravit non viderit, redit ad agnitionem suam, & extendit, id est magnificat & confortat errorem suum, & dicit hoc esse ex infortunio. Similiter iste de capillis & de urina, & illi de stercore, & illi de ovis, & ventribus concharum, & sanguine, ea pro seminibus & radicibus auri & argenti seminant, in quibus nulla proportio est, nec potentia parva ad actum illorum, & reiterant operationes, insistentes diversis modis, & tamen nunquam proficient, dicentes hoc esse ex infortunio nostro, non ex materiarerum vanarum, nec operationibus suis falsis. Templa, id est corpora Alchimistarum vulgarium, quæ videntur esse templum sapientiæ majoris, ornata, id est vestita indumentis, sicut locuti sunt de arte sulphuris & arsenici, & eorum decoctionibus, & in pigmentis & urinis. Et si locuti fuerint de capitellis ovorum & stercorum, & capillorum, & consimilibus quibus maculantur, ut dicimus hirci sunt, qui cum fœtore montana conscendunt per devia. Sic isti philosophantur, componentes libros fœtidos, in quibus nulla est utilitas, nisi de perditione temporis & expensæ, de quibus superbiunt. Deinde inquisitive dicit autor, interrogando qua de re, id est ob quam causam, dictum est ab istis doctoribus, in multis, nunc in hoc nunc in illo labore, scilicet in testis capitum, id est, in ossibus capitis, & carne, cerebro, capillis, & in ovis gallinarum, & scorpionum, & in utribus & in testudinibus conchilium, id est concharum, cum tamen veritas sit sine diversitate in una re, & una dispositione, & uno actu scilicet decoquendi. Unde Moriones ad regem. Hoc mysterium totum ex una re, & una via persistit, & unica dispositione perficitur, & autor respondet quæstioni dicens: Nonne hoc est ex paucitate æquitatis dictum ignorantium, & vituperatorum. Et reprobat eos per quandam quæstionem, & solutionem ejus manifestam dicens: Si diceres, quod ovis peperit homines, aut grana tritici fructificabunt galbanos, aut palma portavit mala granati, aut volatilia cœli parturiunt pisces aquarum: Ipsi respondèrent falsum dicis & dixisti. Deinde solvit dicens: Aut non generant res nisi similia, aut non fructificant res nisi fructus suos, nonne convertentur à sua ignorantia? Dixerunt quod pater auri & argenti, sit animal terræ & maris, vel homo, id est pars hominis, ut capilli, sanguis, menstruum, secundina.

Et quidam dixerunt in arboribus, id est plantis & herbis. Et quidam in lapidibus, ut arsenicis, & aliis mineralibus, alienati sunt à veritate scientiæ, ex his erroribus ex credulitate rerum incertarum removerunt à se laudabilia nota, id est desiderata, scilicet stationem scientiæ, id est stabilem scientiam & mineram ejus. Etenim res ejus est manifesta, in oculis virorum & mulierum rectis, de habentibus oculos justos. Et quidam libri habent masculinos oculos, id est procaces & vagos, qui etiam cognoscuntur ex oculis perfectorum hominum. Sic & in libris & in intellectibus virorum & mulierum hanc scientiam scientium per Prophetas suos, quorum intellectum nullus illorum audet nec potest exponere. Manifesta est res quæ est vagæ mentis & instabilis intellectus super res vagas, non fixas, multimodus, cum tamen veritas artis sit sine diversitate. Probatio, quod sit sine diversitate, quia est res una. Unde Senior dicit inferius de lapide artis. Aqua non conglutinatur, nisi cum simili sulphure sui, nec invenitur in re aliquid simile sulphuris sui, nisi in hoc, quod ex eo est, scilicet, sole, qui est ex humido albo aquoso. Et Hermes: Non convenit rei, id est aquæ, nisi quod propinquius est ei ex natura sua. Et generaliter nulla proles est similis ei, ex quo non est, humiditas autem ex natura sua & est ex dominio Lunæ: Pinguedo autem est ex dominio Solis. Et subdit Senior: Lapis ergo sapientum ex seipso & in seipso perficitur. Est enim arbor, cujus rami & folia, & flores & fructus, sunt ex ea, & per eam, & ad eam, & ipsa est tota, vel totum & non aliud. Et subdit: Et similiter dico vobis, quod unumquodque aliud non generat ex se, nisi cum eo, quod ex eo est, & specie sua, quod est homogeneum ipsius. Similiter Adam & Eva, & omnium hominum genus. Ergo omnis res convenit cum suo simili & propinquo, secundum speciem suam, & similiter carnes ex carnibus generantur, & tinctura metallorum in metallis. Et subdit: Incipe ergo in nomine domini nostri Jesu Christi, & cognosce naturam ejus. Est enim à radice suæ materiæ, quod est in eodem, & de eodem, nec ingreditur aliud super eo, Et est radix ejus, sc. Mercurius. Similiter Mercurius est ab eo, & hoc est de quo extrahitur, & est in eo, & ex eo, & per eum. Omnia ista significant lapidem suum, qui unus est, id est, singularis, & non potest esse quin verba repetantur frequenter eadem, propter expositionem, declarationem & testimonium Philosophorum.

Ecce, quam lucide dicunt philosophi, & ignorantes oblique ad aliud intendunt oculos mentis. Et Geber dicit: Necesse est artificem constantis esse voluntatis, & non modo hoc, modo id, attentare præsumat, quia in rerum multitudine ars nostra non perficitur.

Est enim lapis unus, medicina una, in quo magisterium totum consistit, cui non addimus rem extrancam aliquam, nec minuimus, nisi quod in præparatione superflua, id est frigidum & humidum, removemus, quæ denigrant opus & destruunt. Sapientes doctrinam plene tradiderunt, pro posse suo demonstrantes, sed stulti non intelligunt.

Sequitur: Per Deum, si consideraveris stellas, id est, planetas erraticos, id est, metallorum corpora, non est inter nos, scilicet, philosophos, differentia, id est, diversitas, in hoc quod opinantur, quia ex his metallis, & per hoc præparant lapidem suum in quibus est Mercurius, & sulphur fixum incombustibile, per naturam rectificatam. Et propter hoc præparatio nostra surgit per seras, & claves aperientes seraturas id est, problemata obscurata. Per Deum si porrecta fuerit ad eam, scilicet, præparationem sapientum, palma, id est, manualis operatio, non revertetur ad eundem vacua, sed locupletata thesauro incomparabili, tamen pro se inmundo, id est, hominibus mundanis, scilicet absque vera præparatione, per aspectum, id est, intellectum vituperatum, & assignationem erroneam fit, manus revertetur prorsus vacua,

Et

Et præparatio ignorantum continuans artem, annihilat occupatum in eo, nec ſcit, nec fit proventio artis, nec claves, neque ſeras, id eſt, problema ſapientum, neque etiam ſcit, quod coagulans mittat tincturam neque pervenit ad proventum: Eſt iſta noſtra præparatio ſapientum, eſt largi muneris, habens labores ſolutionis. Et quicquid figitur ex duobus, id eſt, ex humiditate metallica duorum luminarium, ſine alio extraneo ab iisdem fixatur, ſeu ſit exiſtens, ſuo ſcilicet genere. Unde Hermes: Tres facies in uno vidi patre, & bene dixit, quod ex uno ſunt, licet habeant partes elementales, ut aquam & terram, ignem & aërem, quæ tamen omnia ita ſunt vehementiſſime complexionata, quod minimum elementi unius, eſt cum minimo elementi alterius, quod per nullum artificium poſſent ſeparari, propter compoſitiones tam fortes ipſorum. Unde ſubdit autor: Pars in ſcientia abſque partibus, id eſt, ſine diverſitate, & factum eſt totum totius, id eſt, unum unius, quia totum eſt ex eo, & non ex alio. Sicut ſartor ex ipſo panno partes format diverſas, ut plicas & manicas, girones & thorale, quorum ipſa principalis materia eſt pannus: & textor cum iisdem filis pannum componit, de quibus eſt ſtamen; Sic & hoc magiſterium eſt unum per ſe, nec alio indiget, ut dicitur in Moriene ibidem. Sequitur: Oculi ſc. intellectuales, accipiantur à figuris Senioris, cum ſcientiam reſpicias ad radices, cum ramis ſeparatam, duplicata conjunctione & ligatura duarum avium, in cauſa qualiter prohibetur una per aliam ab aſcenſu. Et una eſt ſine plumis, propter ponderoſitatem, ſcil. terræ, ſed aqua habet plumas. Et utrumque eſt Sulphur, & retinaculum alterius, & ſunt duo argenta viva. Et ſubdit. Hoc eſt ſulphur rubeum, ſcil. aqua, quæ non habet in actu ſuo finem, quia tingit in infinitum, & nomina & cognomina, id eſt, pluralitas nominum in hac arte, excæcaverunt videntes in libris ſuis, unde examinaverunt ſcientias erroris, excæcati multitudine nominum, hoc ſcil. ſulphur noſtrum, vel hæc aqua noſtra, eſt tinctum, & tingens hoc, ſcilicet ſulphur, eſt quod ſuper quolibet igne eſt durans, ſcilicet, ſeminum arboris, olivarum & aliarum quando vicinatur igni beſtiarum continuò duranti eſt venenum, id eſt cur corporum. Omne venenum eſt in eo, id eſt, omnis medicina lętans, id eſt omnem morbum corporum & hominum & metallorum corrigens. Et factum eſt hoc ſulphur velut Lunare, habens ſplendorem, ſcilicet ſolarem. Abſciſſæ ſunt ab eo, ſcilicet ſulphure cæteræ pennæ & alæ, id eſt, ſpiritus, & ſpiritus eſſe eſt manens, & non recedens, id eſt fixum. Ad ſuperiora enim anima ejus volat propter ſimilitudinem ſuam, id eſt, humiditatem metallinam, conformem & unigeneam ſulphuri rubro. Tunc lucerna fixa cum habente ſcilicet alas, & cum lucerna Lunari, aſcendit in ſtatum, id eſt in terminum. Aſcendit ab eo anima ejus, & exaltatur in cœlum, id eſt, ad ſpiritum, & fit Sol oriens, id eſt, rubeus, in luna creſcente in naturam ſolarem. Et tunc lucerna duorum luminum, id eſt, aqua vitæ, ad ipſum, unde orta fuerat, revertetur, ſcilicet, in terram, & vileſcit, & humiliatur & putreſcit, & figitur amanti eum, id eſt, ſulphur terreum. Diſpenſa ergo duo luminaria, quæ aqua ex duobus corporibus & naturis eſt, vel ſic, diſpenſa duo luminaria ſcilicet, Solem & Lunam, & utraque litera eſt bona, ſed ſecunda eſt melior.

Et facta eſt illa aqua una, habens in ſe duo lumina: ſicut videmus Solem cum duobus radiis in figura ſignificantem conjunctionem duorum luminarium radiantium ſuper cinere mortuo, & pluentes, & revivificit quod fuerat morti deditum, ſicut poſt magnam inopiam, quando mortuus eſt, id eſt, depauperatus reſurgit.

Hujus conſimile dixit alter: Si nudus aſcendero in cœlum, & veſtitus veniam in terram, complebo omnem mineram. Hæc eſt ſoror, & hic eſt frater, id eſt, maſculus & fœmina ſunt unius generis. Induxaverunt aquam, & deſponſaverunt maſculum fœminam in aqua, & totum in terra, & tamen ſubtilitate præparationis, id eſt, igne æquali, lento, non excedente calorem cœleſtem, fixerunt eos. Sed poſtquam facta est conceptio volare fecerunt, ſcilicet genitum, & fuerunt in domibus montium, ſcilicet, animæ parentum; ſignificat creſcentem Lunam creſcente luminari majori. Et duas aves, ſignificat ex eo, id est, duos ſpiritus, vel duas animas duorum luminarium, ex ære. Ut enim Morienes dicit: Opus hoc aſſimilatur creationi hominis, quia primo est coitus, deinde conceptio, deinde imprægnatio, postea ortus, ultimo nutritio.

Et inter alia quoque Marcus dicit: Concipiunt in balneis, ſignificat calorem lentum & humidum balneorum, in quibus ſudat lapis in principio diſſolutionis ſuæ paulatim, atque pariunt in aere, ſignificat ſuperiorem thalamum ſcilicet alembici quia generatio hujus tincturæ est in aere alembici, ſuperiori, & gradiuntur ſuper mare, & manent in montibus & ſulpuchris ſuis. Et ſubdit idem: Et projicient ſemen ſuper marmore ſimulachrorum, & in aqua ſibi ſimili Deifica, & veniunt corvi volantes, & cadunt ſuper illud ſimulachrum: intendit nigredinem, quæ est flos æris aureus, per corvos. Deinde volabunt ſuper cacumina montium, ad quæ nemo poteſt aſcendere, id eſt, ad ſuperiorem partem alembici concluſam undique & dealbabuntur ibidem. Reſpice præparationem primam ejus, & cogita hanc, quæ eſt ſpirituum extractio omnium de corpore, & ipſorum mundificatio in aqua ſua. Et reſpice Solem, & Soles duos, id eſt, Solem cum uno radio & cum duobus radiis. Et hæc eſt ultima præparatio, ſcilicet, ſpirituum cum corpore ſuo, cum contritione & allatione multipliciter iteratis, donec videas illa, quæ quæris in ea. Et dicit quod ſecunda & ultima præparatio eſt ex tribus ſcil. ſalſaturis vel terris, ſcil. terra foliorum, terra margaritarum, & tertia terra auri, vel ex tribus, id eſt ex trinitate lapidis. Et ſunt tres compoſitiones rubei lapidis habentis ſplendorem. Gloſſa: Gratianus dicit, quatuor ſunt elementa, & triplex elementatum minerale. In terra tamen vegetabile, partim in terra ſecundum radicem, partim ſuper terram ſecundum herbam: Et animale omnino ſuper terram gradiens. Secundum Morienem, terræ ſunt tres tertiæ hujus artis: Prima eſt aquæ vitæ præparatio poſt corporis putrefactionem: Secunda tertia eſt ſecunda dealbatio: Tertia tertia eſt animæ cum corpore conjunctio. Vel ſecundum Seniorem tres ſunt terræ, ſcilicet, foliorum, margaritarum & auri. Quatuor ſunt elementa, quia calidum, frigidum, humidum & ſiccum ſunt in terra, & quinta eſſentia, nec calida, nec frigida, nec humida, nec ſicca, ſed medium horum. Et hoc jam prius expoſitum eſt de numero principiorum artis. Quidam enim in uno, quidam in duobus, quidam in tribus, quidam in quatuor, quidam in quinq; dicunt & omnes bene dicunt. Hæc autem

omnino

omnino non impelluntur, sed sponte sibi congaudent, quia sunt homogenea, unde naturæ natura congaudet, natura naturam continet, & natura naturam vincit. Tertia est ex duobus corporibus principalibus & aqua triplex, aeris, & ignis, & aquæ natura, & omnia unum, quia sunt ex uno, & Sol simplex, & Soles duo, id est cum radiis duobus contriti, in terra non ultra ascendunt, sed figuntur in ea. Triplex est anima habens projectionem tingentem, scilicet, anima Solaris, & anima Lunaris, & tinctura sulphuris, albi, humidi, & sunt unum de eodem, virtus superioris, scilicet, aquæ vitæ, id est, tinctura, & virtus inferioris, scil. terræ, sunt simul similatæ naturæ, quia eadem generatione generantur & corrumpuntur. Eorum autem corruptio, est ipsorum putrefactio, quæ totam generans naturam in melius disponit: Quia ut dicit Morienes ad regem: Quod tota fortitudo hujus magisterii, non est nisi post putredinem, quia nunquam fuit aliquod animatum, aut nativitate editum nisi post putrefactionem: Si enim putridum non fuerit non funderur, neque solvetur, & si solutum non fuerit, ad nihilum revertetur. Sequitur, dixit Hermes: Corona factum est residuum, id est, reliquiæ hujus aquæ divinæ, quæ non prætermittit rem, id est, terram, ratam & fixam, in qua sunt tenebræ, id est, nigredo.

Secunda in secundo opere, scilicet, per residuum hujus aquæ imbibendæ, summe dealbabitur, & hoc est, quod dicit, scilicet vivificat eam, scilicet, terram, occidens, id est, humor pluviæ & vivificat duo tertia terræ, scilicet album & rubeum, & tertium tertiæ combustum. Notat tria tertia terræ vivificandæ, scilicet tertam foliorum, & terram margaritarum, & terram auri. Et prima tertia est combustum quia flores tincturæ, animæ sunt extractæ, cum illa aqua pura congregata est in illa terra, ut dicit Anaxagoras in libro quarto, quia spissum omnium elementorum coagulatur in terra: Sicut vides imaginem ejus depictam in Sole, cum duobus radiis Planetæ super terram. Id vero quod remansit de tinctura in terra congregata, non est in aperto, id est, non apparet eo modo, sicut ante præparationem fuit, scilicet, ut non videamus in manibus puerorum de cætero, sed est thesaurus inappreciabilis sapientum. Qui ut dicit Socrates: Dispositio operis est ludus puerorum: scilicet, ante præparationem: In præparatione autem, ocium & opus mulierum, scilicet coquere. Unde quidam philosophus dicit, quod hunc lapidem pueri portant in manibus quorum est silentium post clamores. Et in his dictis philosophorum, est fera, & fera infra feram aptata, id est, obscuritas obscuratur obscuritate, quia typus & figura in tropo, clavis ejus & una ex eis, quia una via, una dispositio, una actio. Deinde ponit in carmine suo in fine pondus primum. Scito filii radices sunt non minus quam tres, id est, tertia dimidia Luna, cum eo scil. Sole, ad illud, id est, humidum aqueum, hoc projicitur ignorando, id est occultando, quod in eo lapide est, ex operibus, quia nihil occultaverunt, nisi præparationem ejus. Unde ignorando non sumitur active, quia magister tenetur scire operationem, scil. passive, id est, non notifico aliis indignis. Scit enim Deus protector hominis, cui vult inspirare, & à quo vult celare. Comparate igitur figuras expositioni: quia non habemus imaginem præter picturam tabulæ Senioris, & videbit hoc habens considerationem, & discretionem clarius, quam Solem radiantem, cum justitia, non cum injustitia, in dispositione.

Nota quod dicit Morienes ad Regem in dialogo suo: Si Sapientes, qui post antiquos Philosophos & Prophetas fuerunt, suas expositiones de qualitate vasis in quo conficerēt non invenissent, posteri nunquam ad hujus ministerii perfectionem pervenissent. Igitur de qualitate vasis tuæ commenda memoriæ: Gratianus dicit, In primo gradu expediunt vasa metallica, in secundo gradu vitrea, in tertio testea, id est, in primo opere sit vas metallicum, in coagulatione vitreum, in fixione testeum Forma autem omnium sit sphærica inferius ad medium dimidiæ Lunæ, & altum secundum quantitatem materiæ. Antiquorum tamen quidam in vitreis vasis perfecerunt, sed talia vitrea non sunt apud nos, nisi si consimilia inveniantur. Quidam antiquorum in testeo vase totum terminaverunt opus: Ut Zenon: Debet enim esse vas lapideum molare, forte, non porosum, bene decoctum, quale habent vitrearii, in quibus liquescunt vitra. Hoc enim vas quod eis durat sex hebdomadas, bene durat in arte sex annos; quia ars non habet calorem excessivum, spiritualem autem glebam habet, quæ non liquescit in igne sicut communis glutifigulorum gleba, sed resistit igni, fortis existens compositionis & densum, non porosum, nec potest ex altero quolibet lapide vas artis fieri, quia alter lapis non maneret in igne, sed scinderetur paucis exceptis. Ergo debet esse ex lapide cocto. Sic autem fiat tale vas: Accipiatur gleba dicta, & exsiccetur, deinde conteratur, & ejiciantur aqua & lapides, & terra aliena, & quicquid est alterius naturæ in ipsis, vel ab ipsis. Deinde pars fere media cremetur igne, ut lapidescat, quam contere molendo subtiliter, & cribrando, & cum isto molito conficias glebam loco arenæ, & bene commisce quoad sit salis tenax, & de isto fac vas, & decoquatur in igne, & devitreari permittas intus vitro forti quod non scindatur, nec debet devitreari vitro plumbi, sed cineris, & fiat sibi coopertorium ejusdem generis sine spiraculo. Est enim vas, quod nec est cucurbita nec alembicus. Verum vas ex duobus lapidibus unius generis, ut Calid dicit filius Jesidis.

Nota, quod nullum metallum expedit pro vase nostro, nisi ferrum limpidum bene digestum, nullum enim aliud duraret. Aqua etenim nostra ferro non commiscetur. Unde Rasis in libro luminum dicit: Si in ferro exaltatum fuerit, salutem confert. Et prius dixit, quod non potest excogitari compendiosus instrumentum dicens: Potissimum autem ad destillandum administratio, & inter cætera compendiosius vas ferrum exigit, & ex limpidissima factum materia, & in hoc vitrum præcellens, quod frangi non potest. Et pro certò breviter terminaretur primum opus in hoc vase, quia supra lampadis ignem cito absolveretur putrefactio, & corporis solutio.

Et sicut dictum est apud expertos, unum solum vas requiritur. Sed apud inquirentes plura & singulariter præparantur, & unum in reliquo vase experitur & examinatur, sed tunc nota: non debent esse ejusdem spissitudinis, & tantum in uno de materia, quantum in alio, & ponatur ut ignis æqualiter agat in ea ipsa, & sit æqualis expositionis in furno, ut quatuor digitis aut paulo plus excedant, & intus æqualiter pendeant, ut ignis æqualiter eis deserviat lumen. Si autem sit vas vitreum, locetur æqualiter unum sicut alterum ex gleba priori & limo. Fornacem facias de gleba com-

muni luti figulorum, communiter facta in ſpiſſitudine trium digitorum, & altitudine ulnæ capitalis, & latitudine palmæ bonæ, ita quod ignis flamma ſua non tangat fundum vaſis, & quod libere deferat calorem æqualiter ad omnes partes. Habeant etiam reſpiracula trium vel quatuor foraminum. Sit autem furnus æqualiter elatus, & in ſummo ſuppone ei rotam factam de bona gleba, in ſpiſſitudine duorum digitorum, vel amplius paulo, quæ tota habeat in medio foramen unum vel duo. Et nota, quod non totum ſimul ponatur in præparatione, ſicut apud expertos, ſcilicet parte experiatur, quod in toto errare non contingat, vel duo in quibus pendeant vaſa tua. Et bona cautela eſt, quod non augeas ignis gradus duplo priore; ſicut docet Nodanus, ſed in medietate, ut ſcilicet in primo gradu ſit libra, in ſecundo gradu ſit libra & dimidia, &c. Per lentum enim ignem non errabis, ſed per exceſſionem corrumperes, licet prolixiori tempore coquitur lento quam acuto. Tolerabilius eſt autem ſub moderatione prorogare, quam ſub exceſſu irrevocabiliter peccare. Nota etiam, cum quibus partibus aceti citius ſolvitur Rebis in aquam, ſed prolixius exſiccatur & figitur. Et hic communis eſt modus, & doctrina philoſophorum. Experti vero ſuperfuderunt aquam ut ſupereminet tribus digitis, ſecundum quod eis videbatur bonum. Si vero ſeptem partes, aut circa ſumantur pauciores, ſed tardius ſolvitur corpus artis. Plus enim agunt novem partes, quam ſex vel ſeptem, ſed citius exſiccantur pauciora quam plura, & citius figuntur. Et quicquid poteſt virtus in uno opere, hoc poteſt duplex virtus modico tempore ſecundum Philoſophum, dummodo ſit æqualis comparatio proportionis agentis ad paſſum, ad ejus perfectionem producendam, unum eſt quod legitur verius 21. alius 6. dies habet dies pro ſolutione pro ducatu primo 13. dies, pro complemento 40. dies, ſecundum quod natura & ignis te docebunt. Sequere naturam ejus, ſecundum ſigna & claves traditas & errare non permittent Sic enim pugnam aquæ & ignis, prolixitatem coquendi, ut dicit Aſſiduus, donec viſui pateſiat, ita quod ipſius operis imitatio te doceat operari. Eſt enim rectiſſima norma & formula hujus artis. Sumatur ergo lapis humidus & albus, bene fermentatus, & cum una tertia de novem abluatur, & putrefiat paulatim & paulatim: pars poſt partem, donec dealbetur in 150. diebus id eſt, 21. diebus unius nominis, & hoc ſecundum Seniorem. Dicit enim primum opus luminare eſt abluere, dealbare, & putrefacere 150. diebus, & hæc eſt dealbatio totius, fuga tenebrarum ab ea. Et forte apparebit albedo in 70. diebus, id eſt, 10. hebdomadis & duobus diebus, vel in 4. hebdomadis univerſaliter. Sed ſubdit: Nec approbatur apud eos hoc, ſed primum eſt melius, quia ſignificat temperantiam & bonitatem ignis. Secundum autem, & tertium intentionem ignis, & corruptionē operis Nota idem vult ſcilicet Morienes, quod albedo quæ eſt primum opus & fundamentum rubedinis in 21. die peragatur & duobus diebus. Ultimo ſubtus & ſupra fortem ignem dando, & ſimiliter erunt 13. dies, ſicut Senior dicit. Et docet Morienes, cum 4. parte imbibere, in prima expoſitione, donec ad octavam partem tincturæ redigantur, id eſt in tertium. Item dicit Antonius in Turba: Extinguite caloris tertiam partem, id eſt 8. & de aceto ſi fuerint 24. eſt ejuſdem aceti, & cum quarta parte per tres dies aſſare præcipit. Et 7. erunt aſſationes, & iterum ulterius cum quarta parte, donec album & fixum fiat, per duos dies ſubtus & ſupra adminiſtrando ignem. Iſti igitur duo concordant in opere: Eadam eſt intentio Raſis, 7. aſſat, & iterum aſſat & humectat, donec candidum fiat, & ignem non fugiat, & tunc cum aqua ſua diſſolvit, & coagulat & tingit. Et dicit in triduo ſcilicet unam fieri diſtillationem, & coctionem rectiſſimam & perfectam. Et ſubdit: Quamvis triduo conterere mandamus, dies aut pars diei ſufficit: & in operis, cum tinctura completa eſt, dicitur numerum dierum inhumationis compleviſſe, tamen 21. dierum ſpatium & transmutatio coctionem exſolvit promiſſam. Et iſte tertius philoſophus cum prædictis concordat. Et nota ſi una tertia in tot diebus completur, duæ tertiæ reſiduæ in duplici tempore complebuntur, & in 24. diebus. Et hoc dicit Mundus & Antonius & Zenon & plures Philoſophi, ita quod in octavo die totum terminatur opus, quia decoctio 21. die, ut dicit Hermes & multi alii, & dealbatur terra in aliis viginti diebus & uno. Et in allegoriis? Anima decoquitur 40. diebus: ſicut in vulva ſperma moratur, & ita reſurget propoſitum. Et eadem via eſt ad rubeum, ſicut ad album, niſi prius dealbetur complete & fixe. Quæ dealbatio eſt fundamentum ſecundi operis, & primum opus eſt extractio tincturarum, deſervit iſtis duobus operibus, quæ ſunt unum opus, & ſi non eſſet fixum poſt albedinem, iteretur decoctio, donec ſic contingat in igne fortiori, quia quod fixum fuerit fixum, redibit. Et quanquam iſti periti Philoſophi breviores aliis, poſuerunt terminum dealbandi: tamen communiter Philoſophi in turba 40. diebus juſſerunt regi utrumque opus. Mundus ſcilicet docet primo 40. diebus regere, & quando tota aqua eſt imbibita, iterum docet 40. diebus ſpiritum incorporari, & cum corpore ſpirituari. Idem docet Pantophilus 40. diebus dealbare. Et Theophilus dicit, quod vorax ſapientum æs liquefacit, & velut in aquam fluxibilem vertit, eo quod oportet nos eos in tenues laminas producere. Deinde cum veneno coquere ad 7. in duobus 7. ad 7. id eſt per 21. dies, dicitur in ænigmatibus Turbæ. Et quia nigredo prima, ſecundum Pantophilum in Turba, niſi 40. diebus durat, ſubjunxit Theophilus. Et in ſua aqua coquite 42. diebus, deinde aperite vas, & invenietis æs in argentum vivum verſum. Dividentes igitur hanc aquam in duo æqualia, alteram partem coquite 40. diebus, donec fiat flos candidus, ut flos ſalis in ſuo ſplendore & coruſcatione: & iterum docet aliam partem coquere, donec crocus fiat, & donec decoctione & aqua convertatur, & fiat ſimile quiddam ſyrupo granatorum. Similiter Belus dicit, majorem propinquitatem eſſe inter æs & aquam, quam inter magnetem & ferrum, & jubet poſteros coquere argentum vivum quod eſt vis maſculi cum corpore, donec liquefiat ut aqua fluxibilis, & aquam docet dividere in duas partes, quarum prima medietate ad liquefaciendum & coquendum utitur: Secunda vero medietate, ad mundandum combuſtum, & ſuum ſocium, quæ unum factæ ſunt imbibere ſepties, donec ab omni conquinatione mundentur, & fiat terra. Et ſubdit: Scitote quod 40. diebus ipſum totum in terram vertitur. Similiter Victimerus dicit: Aquam divide in duas partes, quarum altera parte æs oportet comburere: illud enim æs immiſſum in illam aquam, fermentum dicitur auri. Tunc oportet vos reliqua aqua ſepties imbibere uſque bibat totam aquam; ac cum toto humore deſiccato in terram

ram vertatur avidam. Deinde in accenso ponantur in igne, 40. diebus, quousque putrefiant, ejusque colores appareant. Idem dicit Bonellus: Aquam divide in duas partes, quarum altera parte corpus comburite, id est dealbate secundum Lucam in Turba, qui dicit, comburere est dealbare: Altera vero parte putrefacite. Scitote quod totum regimen non est nisi in aqua. Accipe ergo æs nostrum, & cum prima parte sua imponite vasi, & coquite 41. diebus, & ab omni immunditia mundate, & coquite, donec finiantur dies ejus, & lapis fiet humore carens. Deinde coquite, donec non restet nisi fex. Deinde munda abluite aqua septies, aqua finita, dimitte ipsum putrefieri in suo vase, donec desiderabiliter vobis appareat propositum, & cavete ne ab aquis ipsum separare faciatis, ne inficiatur & pereat quod in vase est. Et ante hæc omnia, circa principium hujus capituli dicit Bonellus: Omnia decoquite lento igne, donec omnia quæ in vase sunt aqua fiant. Namque calore ei adveniente, Dei nutu aqua fient. Videntes itaque nigredinem illam in minerali aqua, scitote corpus liquefactum esse jam, tunc suo vasi imponite, & 40. diebus coquite, usque aceti & mellis bibat humores. Et quidam detegunt ipsum in quolibet 7. dierum, vel 10. noctibus transactis in quibus mera videtur aqua, usque in 40. dierum perfectionem. Tunc enim bibit amoris decoctionem. Iterum abluite ipsum & private nigredine usque terra fiat & humor pereat, & lapis tactu siccus existat. Item Ephistus ait: Jubeo, quod dealbatio non fit nisi decoctione Etheliæ, terendo & imbibendo æs frequentissime tractando, non autem simul fundite aquam ne Ixir submergatur. Arescente igitur humore, & in pulverem verso, 40. diebus ipsum dimittite, donec appareant colores à Philosophis descripti. Et Pandulphus jubet coquere, donec totum nigrum fiat, quæ nigredo quadragirta durat diebus, deinde in alumine fixo, & croco docet imbibere quadraginta diebus, donec tertia pars consumatur. Item Athanius 42. diebus jubet, & iterum à decima die Septembris, usque ad decimam diem Libræ, dicit opus secundum fieri. Senior vero vult, quod albedo resolvi incipiat ultra 150 diebus. Et similiter Rasis. Morienes vero primo docet 21. diebus fieri dealbationem completam, dicit. O rex, si in eo album firmatum conspexeris, si totum tuum regnum & homines vendidisses, opus hoc non compensares.

Rasis in libro luminum dicit de operis regimine: sic tandem assare alternatim, & adaquare convenit, ut nec fugiat ignem nec fumum emittat. Et post pauca sic tradit regimen, dicit inhumationem 21. diebus continuis absolvi, unde & si 21. dies expendit, prius & posterius eosdem impendere oportebit: Sicut dicit Rasis in libro luminum: Artifici summe videtur necessarium scrutari, æstimare, diligere, nec in his aliquid dispendii impendere te pigebit. Cui autem hæc tria deficiunt, nec librorum deliciis ditari merebitur. Unde scrutationibus, duobus modis didici operis fieri complementum, primo modo in vitreo vase, sine manuum citritione, sicut in primo & ultimo, ita & in medio operis ignis & aquæ ministerio tantum. Sicut seipsum dissolvit, ita copulat seipsum, albescit & rubore decorat, croceum facit, & nigrum, seipsum desponsat, & à seipso concipit quousque finem operis acceleret. Quia in ænigmatibus dicitur, lapis proprio jaculo interficit seipsum, macerat & desponsat seipsum, & rubificat seipsum, solvit & coagulat seipsum, figit & imbibit seipsum, & anima præparat corpus, & corpus animam, nec prius, ut dixit mihi eruditor meus, videbis albedinem, donec totum coagulatum fuerit corpus seipsum, imbibendo, nec aquam ab ipso separando, nec tertiam nec mediam ejus partem, cum non fiat, hæc dispositio manibus humanis, ut dicit Morienes: Sed ignis & aqua tibi sufficiunt, & illi habent registrum, ut quando albedo apparuerit, procedant in 6. gradibus ignis, sicut à Philosophis est descriptum, & hanc viam probant sequentes. Primo Morienes dixit; Rex Kalid, cum hæc dispositio non fiat manibus hominum, quæ est ista dispositio, qua totum perficitur magisterium? Respondet magister ei, quod hæc dispositio est naturarum mutatio, calidi cum frigido, & humidi cum sicco mirabilis connexio. Juxta quod ait sapiens, quod Azoth & ignis latonem abluunt atque mundificant, & ejus obscuritas penitus ab eo aufertur. Quia si recte ignis modum disposueris Azoth & ignis in hac dispositione tibi sufficiunt ad albedinem latonis & ejus perfectionem. Et hæc dispositio est aquæ è terra extractio, & ipsius aquæ super terram dimissio, donec ipsa terra computrescat. Et hæc aqua cum terra putrescit & mundatur, qua mundata totum magisterium Dei auxilio dirigitur. Quia tunc caret fœtore & obscuritate, & omni humiditate alba candida, & potens est recipere tincturam. Item Gratianus: Non enim possumus propriis manibus operari in Mercurium, sed cum 10. speciebus, quas manus nostras appellamus in hoc opere nostro, id est 9. partes aquæ & decimam terræ. Item Theophilus in Turba: Accipe Magnesiam albam, & arg. vivo masculo mixtam convertite coquendo in igne, & non manibus, quousque tennis fiat aqua. Quia Ixir seipsum conterit, donec decoctione & aqua conteratur, & fiat syrupo Granatorum similis. Iste tamen Philosophus vult quod aqua dividatur in duas partes, cum una dealbari, & altera rubificari, & forte notat duo opera, album & rubrum: Quia quandiu album est durat frigiditas & humor. Et ut Belus dicit, quod tripliciter mediante aqua mundatur corpus ab omni inquinamento & diruitur, & fit terra dicens: Et scitote, quod 40. diebus ipsum totum vertitur in terram. Unde & subdit: Coquendo ipsum liquefacite, donec fiat aqua, deinde aquam ter abluite, donec fiat ut nummus liquefactus, deinde coquite donec coaguletur, & fiat stanno similis, coquite iterum ipsum, & residua aqua imbibite, donec propositum inveniatis. Qui eodem modo dicunt aquã dividere, id est, materiam, in duo opera scil. album, est sophisma sapientum, & non verbum manifestum. Item Locustes dicit: Aquam dividite in duas partes, quarum altera liquefactum est plumbum ut aqua, & coquite donec desiccetur & fiat terra: Deinde terite aqua adversata, donec rubeum induat colorem. Sed subdit, argentum vivum volentes congelare, cum suo mystico corpore, deinde coquite donec utrumque fiat aqua permanens, deinde coquite illam aquam donec congeletur. Hæc autem aqua cum compari sibi desiccatur, eo quod invenietis tunc argentum vivum, jam coagulatum à seipso, ac suo vasi imponite, & coquite ipsum, donec conteratur, & donec fiat crocus colori aureo similis. Et secundum Gregorium; Post splendorem coruscantis regitur, usque rubeus fiat, sic autem videntes, coquite usque fiat aurum.

Deinde iterate, & fiat aurum tyrii coloris. Et Baxon; Coquite donec fiat niger, deinde albus, deinde rubeus. Et Zimeon dicens quomodo corpora in non corpora vertantur, dicit: Ethelia conteratur quousque pulvis fiat. Scitote quod non fit pulvis, nisi continua & fortissima decoctione, & contritione in igne, & non manibus, cum imbibitione & putrefactione & solutione & expositione & solutione Ethliæ. Item Alfatos Philosophus: Nisi similetis res in initio coquendi, absque manuum contritione, donec aqua fiant, non opus invenietis. Sed isti plures aut omnes volunt pluries imbibere aut dividere aquam, Et dicent quod non simul conteritur, sed successione aqua & igne, non manibus. Et Bonellus dicit: Manuum autem contritione vere inargent, cavete tamen ne ab aquis separari faciatis, ne ad vos venena perveniant, & ea quæ in eo sunt pereant. Ephistus autem contrarium dicit, quia dicit: Jubeo autem non simul fundere, ne ixsir submergatur; verum paulatim infundite, & conterite, & deficcate, & multoties facite, donec finatur aqua & aresecat. Deinde 40. diebus dimittite, donec varios emittat colores: Dixit ad hoc quia non simul funditur, id est, coquitur atque conteritur, sed successive. Quia secundum Rasin, fundere, mundare, manare, adaquare, coquere, abluere, idem est. Item Baxon: Heu vobis, intelligere dicta Philosophi & qualiter opus divisit, commiscere, coquere, similare, attere, calefacere, dealbare, terere, adaquare Ethelia, rubiginem facere, & tingere: hæc igitur plura sunt nomina, quarum rerum tamen unum est, quia una aqua viva, & una decoctio est, sicut dicit Assidaus. Et statim cum videtur unam actionem continuam prætendere, &c. subdit: Et si scirent Philosophi, quod una contritione, & una affatione, sive decoctione sufficeret, non tantum dicta eorum iterassent. Et ideo fecerunt, ut teratur compositum & coquatur jugiter, & monuerunt ne vos illius tædeat. Et statim immediate subjungit, ad primam intentionem intendens, cum quibus dictis vos obscuraverunt, mihi autem sufficit, dicere simile. Ecce quod pro sophismate & obscuritate habet divisionem illam, & tamen subjungit, præcipiens multipliciter coqui, & ne tædeat decoctiones reiterare. Morienes enim vult, quod continuetur, & æqualis fiat ignis, ne maximum sequatur damnum. Et subdit, quod vas suæ fornaci immobiliter adhæreat, donec totum tempus frigidæ actionis auri compleatur. Sed tamen cum quarta parte rei mortificare, & irrigare, cavendo ne flamma vas attingat, nam omnia in damnum verterentur. Et tamen hoc divisim imbibere, & apponere aquam terræ, & non omnia simul. Et idem: Et forte hæc simul parare est apud expertos. Quia dicit Gratianus: Nota si præparentur omnia simul, bonum est apud expertos, attamen major experientia quærentibus, ut cum singula singulariter præparentur & examinentur unum in reliquo. Subjungit enim quod in dissolutione omni, fit incorporatio dissoluti, vel dissolventis, & ibi potest fieri spiritus corpus, & corpus spiritus. Et ipse Gratianus singulariter præparat, dicens, Mercurius in omni sua dispositione fit Ixsir, id est Mercurius fusibilis, tingens, non fixus, in Leone fit Ixir, id est Mercurius præparatus, & separatus, & tingens, tinctura fixa, pro quantitate sua, sed non ad plenum: cum fermento inceratus fit Elixir, id est Mercurius inceratus, tingens & mutans, inseparabiliter, & infinitum, & ultra modum: ita quod principium attestatur supra suum finem, quod est calcina, dissolve, coagula, Mercurium incera: Xir dicitur quælibet medicina stringens Mercurium, Alchimice præparata super ipsum. Extrahe ergo oleum de terra primam & dissolve in eo medicinam stringentem, & coagulantem, id est tertam, & iterum sublima per alembicum, & calcina, & manet expressa calcinatio, & dissolve, & distilla, & coagula, & incera oleo suo, & projice super Mercurium fermentatum illud Xir, & est Ixir aptum ad faciendum Elixir. Et scias pro certo quod corpus sic dissolvitur falsedine mediante ratione metallinæ humiditatis, quia nisi corpus suum à quo extrahitur introibit &c. Postea idem dicit Mercurius capiatur, & ponatur in custodiam inter adurens & adustum, & committatur Soli Lunæque, quę sunt fontes frigoris & caloris, & terra nostra profert germen candoris & ruboris fixum & fusibile. Quia ibi exponit, dicens de præparatione fermenti. Nota Mercurium sublima de fermento, & dissolve cum in aqua aquilæ, & calcina fumum rubeum & coagula cum eo Mercurium solutum, & sicca & hoc siccum junge cum fermento, & totum calcina, & dissolve iterum, & iterum coagula cum eo Mercurium dissolutum, & hoc est quod dicit adustum & adurens. Et alias dicit: Dealbate Latonem, quem cum dealbaveritis, & per diuturnam decoctionem ad pristinam citrinitatem perduxeritis, habebitis iterum &c. Et tunc calcina, dissolve, distilla, coagula, & incera, & itaprocede per mensem, & si resultatum fuerit penetrabile, tunc ad finem pervenisti? Et pro ista parte omnes videntur consonare, Senior, Turba, Ænigmata Turbarum ut patet.

Explicit secunda Pars, de Massa Solis & Lunæ.

Incipit Tertia Pars Libri Trium Verborum, *De Massa Solis & Lunæ.*

Opus mirabile trium Verborum, in quibus pretiosissimum arcanum, & donum Dei totaliter comprehenditur, de Lapide precioso, qui est corpus aereum, volatile, frigidum & humidum, aquosum & adustivum. Cujus expositio sola delectatio illius secreti, & venerabilis societatis nostrę, me compulit declarare, ut scientes tantum arcanum, quod infinitis problematibus est celatum & à sapientibus & prudentibus hujus mundi elongatum, gaudeant de dono Dei glorioso, quod est thesaurus indeficiens. Nec exponam nisi difficiliora libri appropriando testimoniis Philosophorum diversorum, vel expositionibus eorundem, nec quicquam novi adinvenire queo plus dictis Philosophorum, quia una res, una est via ejus, & hæc est secunda pars tractatus libri de Massa Solis & Lunæ, id est Consilii conjugii super demonstratione libri trium verborum. Dicunt igitur Philosophi, combinationes duarum contrarietatum, quod est frigidum & humidum, quæ sunt aquosa & adustiva, non sunt amicabilia caliditati & siccitati; quia caliditas & siccitas destruunt frigidum & humidum virtute domina, & tunc vertitur spiritus iste in nobilissimum corpus, & non fugit ab igne, & currit oleum in igne, & est tinctura pulcherrima perpetua. Unde scire oportet, ut manifestemus ejus occultum, id est calidum & siccum, & occultemus manifesta, scil. frigidum & humidum.

Istud

Illud occultum est de natura solis, dignius & pretiosissimum omnium occultorum, & tinctura una, id est, singularis, & non est alia, quia est aqua permanens, quæ semper vivit, & acetum philosophorum. Unde Mundus in turba: Gumma, scil. nostra, non emendatur nisi auro tantum. Dico quod Gumma nostra fortior est auro, qui noscunt eam, auro preciosiorem tenent eam. Aurum quidem honoramus cum Gumma nostra, quia sine ipsa aurum non emendatur. Et inde est quod philosophi scribentes de ea, nihil manifeste narrant, si enim plebei venditores cognoscerent eam non venderent tam vili precio. Et Arsuberes dicit: Scitote unum quid esse omnibus naturis fortius & sublimius, apud philosophos, & apud insipientes vilius, sed nos hoc veneramur: Et si Reges hoc agnoscerent, non sinerent ipsum venire ad pauperes. O quam mirabiliter natura gummi hoc vertit aurum in spiritum, & quam mirabili modo eminet cunctaque superat. Et Pandophilus: Dico, quod non est dignius corpus & purius Sole, sine quo & ejus umbra, id est, Luna, quæ de se est tenebrosa, nullum venenum tingens generatur. Qui vero venenum philosophorum absque eis componere nititur, totus errat, qui autem cum Sole & ejus umbra venenum novit tingere, venit ad arcanum, quod dicitur nummus, qui cum rubeus efficitur, vocatur aurum, & qui novit decambar philosophorum occultum novit totum opus. Et dicitur Luna umbra Solis, cum Sol induitur nigredine Lunæ, colore qui est sicut atramentum ut dicitur in Seniore, & dicitur de Cambar id est, filius ignis, quia in igne crevit, nec timet terminum ignis, & dicitur à canna, quod est incensio vel ignis, & bar quod est filius, vel dicitur decambar, à deca, quod est decem, & bar filius, quasi filius decem specierum artis, scil. 9. margaritarum, & decima æris, de quo expositio jam præcessit in primo tractatu. Gratianus autem dicit, quod his decem speciebus capitur Mercurius. Et in Seniore dicitur: Præteriti nec præsentes possunt tingere aurum, nisi cum auro. Idem dicit autor, quod occultum istud est de natura Solis dignius, quia est spiritus Solaris, & sanguis Solis, & tinctura ejus. Nota, quod lapis non est adustivus passive, quia non aduritur: ignis enim ipsum non corrumpit, sed emendat, ut in sequenti probabitur. Sed dicitur adustivus active: quia sulphur sapientum, ut dicit Senior, adurit combustione albedinis, & meliorationis, quia combustio sapientum est dealbatio tota totius. Satis fecerunt autem philosophi hominibus, dicentes: Sulphur nostrum non est sulphur vulgi, quod comburitur combustione nigredinis & corruptionis. Et Floris in Turba: Nonne videtis quod hæc crucians, cum nocumento vel corruptione cruciat, imo cum utilitate & coadunatione. Si enim cruciatus hic esset noxius, non complecteretur ab eo, quousque variabiles colores extraherentur ab eo, vel ex eo. Et hanc utique aquam sulphuris nominamus, quam etiam ad rubeas tincturas applicamus. De incorruptione autem ejus ab igne Geber eleganter declarat, dicens: Quod sulphur nostrum est fortissimæ complexionis, & uniformis substantiæ, quia in eo minimæ partes terræ taliter partibus aëreis, aqueis, & igneis commixtæ sunt, ut nulla ipsarum alteram in resolutione possit dimittere, sed quælibet cum qualibet resolvitur, per fortem unionem, Solis calore, quam habuerunt in mineralibus, secundum debitum cursum naturæ. Argentum quoque vivum, ut dicit Geber, est aqua viscosa, in visceribus terræ generata, substantiæ subtilis terreæ, per calorem temperatissimum unita totali unione per minima quousque humidum temperetur à sicco, & siccum ab humido, æqualiter, imo fugit superficiem planam de facilli, propter suam humiditatem aqueam, non autem adhæret, licet viscosam habeat humiditatem, propter siccitatem illius, quæ illam temperat, & non adhærere permittit, est enim amicabile, & placabile, metallis, & est medium conjungendi tincturas, & sine ipso nullum metallum deaurari potest, & non submergitur aliquod metallum in argento vivo, nisi Sol. Ex quo maximum elicies secretum: figitur etiam, & est tinctura rubedinis, & exuberantissimæ reflexionis, & fulgidi splendoris, & non recedit à commixto: commiscetur cum auro, & figitur per ipsum maximo ingenio, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis vel petrinæ. Est etiam incombustibile, & incorruptibile, quia omnis corruptio metallorum, vel est per inclusionem sulphuris adurentis in illorum substantia, per inflammationem ipsa metalla diminuens, & exterminans in fumum, vel multiplicatio flammæ exterioris penetrantis illa, & secum in fumum resolventis, ut patet in calcinatione plumbi, ubi est partium rarefactio per calcinationem, tunc enim flamma in ea potest penetrare & exterminare. Si ergo omnes causæ metallorum corruptionis conveniant, maxime corpora corrumpi necesse est. Quia igitur argentum vivum per nullas causas corruptionis se in partes corruptionis suæ dividi permittit, quia aut in tota sui substantia ex igne recedit, aut cum tota in illo manet stans, imo notatur necessaria perfectionis causa, propter enim bonam partium adhærentiam, & fortitudinem suæ complexionis & commixtionis, scilicet quando partes illius inspissantur per ignem, ulterius non se permittit corrumpi, nec per ingressionem furiosæ flammæ, illud in fumum elevantis, quoniam rarefactionem sui non patitur, propter densitatem compositionis suæ. Et ideo ponderosum est. Et propter carentiam adustionis, quæ fiet per Sulphur, non aduritur. Laudetur igitur benedictus Deus gloriosus & altissimus, qui creavit illud & dedit illi substantiam, & substantiæ proprietates, quas non contingit ullam ex rebus in natura possidere. & in illa possit hujus perfectionem reperiri per aliquod artificium quod in illo invenimus potentia propinqua. Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab eo non superatur, sed in illo amicabiliter quiescit ei congaudens. Hæc omnia Geber dicit de Mercurio, & hic est sulphur artis. Unde Plato: omne argentum vivum sulphur, non autem omne sulphur argentum vivum: & omne aurum æs, non autem omne æs aurum. Et cum ista duo sunt bene regulata, ignis non separabit in æternum, scilicet quod similes sunt naturæ, & temperatissimæ & fortissimæ compositionis sint ambo. Hæc sunt tria verba præmeditatæ intentionis, & sunt verba typica ad similitudinem fœtus philosophorum. Aqua tribus mensibus fœtum in matrice conservat. Aer tribus mensibus fovet: Ignis totidem custodit, quibus scilicet totidem expletis, sanguis, qui fovebatur in umbilico, à quo nutriebatur infans, pectus maternas mulieris conscendit mammas, ibique post angustias nivis candorem assumit. Infanti vero nunquam patebit exitus, quousque omnes status aereos exhauriet. Egressus tandem os operit & lactatur, Et ab istis verbis oportet nos cum acuto ingenio extrahere duo, & septem, quæ ab istis verbis intelliguntur.

Et Senior autoritate Hermetis similiter idem dicit sic: Et scito quod aqua famulatur ei in ventre tribus mensibus primis: Deinde tribus mensibus aer: Deinde ignis tribus sequentibus, & decoquit eum & perficit eum. Et cum completi fuerunt novem menses, abscinditur sanguis quo nutriebatur in umbilico matricis, & ascendit ad pectus mulieris, fit ibi sicut corona, atque fit nutrimentum ejus, post egressionem ejus ab utero. Et hoc dictum est totum propter assignationem præparationis lapidis, quemadmodum præparaverunt eum sapientes. Per matricem intendit fundum cucurbitæ, & per semen viri & mulieris, humorem Solis & Lunæ, per sanguinem menstruum, album humidum, quo fœtus fovetur & formatur in matrice vasis nostri: Per matricem clausam tempore conceptionis & imprægnationis nota abstructionem vasis, & diligentissime confirmationem conjunctionis, ut quod intus est, non recipiat inspirationem ab aere. Sunt enim ibi ventus & spiritus, qui si exhalarent totum opus cassaretur. Per sanguinem, qui rubeus est, & niger intendit nigredinem apparentem in principio operis, ex qua exortus est rubor tinturæ: Per ascensum sanguinis ad maternas manus, nota sublimationem ejus ad aera, in superiori parte Alembici, ubi candorem nivis assumit, & tunc perfectus est lapis, qui est spiritus humidus & aqueus. Et Morienes dicit: Et non est tamen sicut aqua alia, sed est aqua quæ ubique reperitur, & nullius est precii & est semper, quia est principium mundi. Ex aqua enim omnia facta sunt. Super aquam ferebatur spiritus Dei glorioſi & altissimi, & principium generationis hominis est ex ea. Cujus aquæ pater est Sol, cujus mater est Luna: ut dicit Hermes pater philosophorum. Et Assiduus: Cujus mater est virgo, & pater non concubuit: & est unum & idem dictum. Et pro certo, Sol est principium generationis hominis in obliquo circulo. Unde philosophi de hac arte loquentes, alii naturaliter docent, ut de masculo & fœmina, de calido & humido, & aliis principiis naturalibus. Alii arithmeticæ edisserunt dicentes de 9. & parte 10. & ut duo tria faciunt 6. unum & duo tria. Alii astronomice, ut de Sole, Luna & Planetis, quorum lux & motus est causa eorum, & ubique & semper sunt virtute, & in qualibet re subjecta, & nullius precii, quia non videntur lux & motus horum. Sicut autem lac efficitur nutrimentum infantis, post ejus egressum ab utero, sic terra nutritur, vivificatur & crescit per hanc aquam divinam donec sibimet sufficiat. Unde per similitudinem spermatis in matrice naturaliter docent philosophi præparationem Mercurii philosophici. Unde Pythagoras in Turba. Et non sine causa confertur spermati vel vulvæ quibus recte assimilatur, quia in complexione sua multoties facit apparere colores, prout in uno quoque regimine gubernatur res. Et Bonel. in Turba dicit: Scitote nihil absque complexione generari. Sperma quidem ex sanguine & libidine generatur, & nutritur caliditate & humiditate sanguinis, post 40. vero dies fœtus formatur, & nisi esset humiditas in utero, non solveretur sperma, nec procrearetur fœtus. Illum vero sanguinem constituit ad nutriendum sperma, donec fœtum producat, qui cum productus est, non nisi lacte nutritur quam diu parvulus est & quanto plus calore naturali exuritur tanto plus ossibus confortatur, in juventutem ducitur, & cum venit ad senium, sibi ipsi sufficit, Simili modo oportet nos in hoc opere laborare, scientes nihil absque calore generari. Et quod intensus calor balnei facit exhalare, frigidus vero perire. Si vero sit temperatus, tunc suavis est ei, & ita levificantur venæ, & calor totaliter augmentatur. Et iste philosophus pulcherrime docet præparationem & generationem & nutritionem fœtus. Et Arist. in Epistola ad Alexandrum regem. Et scias quod nullus natus nascitur, nisi ex patre & matre. Infans vero quando omnis spiritus materię suæ, ad ejus organi fationem existentibus exhaurit, nascitur naturaliter sine suo nutrimento. Et sicut in 9. mensibus infans omnes flatus aereos exhaurit, & menstruum conversum est in lacteam formam: ita in novem mensibus conficitur primum opus scil. albedo secunda, qua totum coagulatur opus, tamen solvitur circa sex mensibus, secundum autoris experientiam. Sed secundum Balgum in Turba 180. diebus. Et secundum plures philosophos ut Rasim, Assiduum & Seniorem, & secundum autorem in turba in 20. diebus & die ejusdem nominis omnis fumosi vaporis sit cessatio, cumque candorem lactis suscipit, nullius suspicionis ambiguitas relinquitur. Ut dicit Rasis in libro luminum. Corpore etenim mortuo, & ab eo argento vivo in ipso coagulato prius extracto in qua sua, ex qua nutritur, & crescit istud corpus & revivisit, nunquam de cætero moriturum, quia est tinctura incorruptibilis & ex incorruptibili grano procreatum virtute divina. Et pro certo hic mercurius non est vulgaris, non enim coagularetur tam cito: Aqua igitur tribus mensib. fœtum conservat in matrice: Aer tribus mensibus fovet ipsum: Ignis totidem coquit. Hoc dictum est per similitudinem de Mercurio nostro, quia infra sex menses, per lentum, continuum, & æqualem ignem philosophorum coletur aqua & aer, id est spiritus & vapor æris in aqua philosophica. Sicque capitur Mercurius extractus, rubeus in occulto, sed in manifesto candidus est, & forte in 12. die solvitur, & in totidem coagulatur diebus. Sed ignis regimen in extractione hujus Mercurii nota, secundum quod dicit Avicenna: Quod calor in humido corpore efficit nigredinem prius: deinde ipsum nudat nigredine, quia ejus omnino finit humiditatem, & cum superfluit illa, calor ipsam albificat, ut videtur in colore apud vulgus. Primo enim in opere omnia denigrantur, secundo dealbantur, tertio per majorem ignis intensionem oportet compositionem incinerari totam. Sic enim in nostro opere, ex abundanti humore in corpore, nigredo generatur in igne. Hæc autem nigredo vocatur Ethel de Ethel, id est argentum vivum de argento vivo. Et Pandulphus in Turba: Regite ipsum albo humido, quod est magnum secretum, donec operiatur nigredine & pura nigredo fiat. Estque hæc dissolutio nigredinis, humiditas Lunæ, & pinguedo Solis, quibus nihil est affinius, & propinquius Et secundum Hermetem: Hæc autem nigredo secundum experientiam Pandolphi, tantum 40. diebus durat, qua consumpta apparebit albedo nobilissima postquam calor ejus omnino finierit humiditatem, & tum omnes flatus aereos exhausit corpore interempto. Ignis autem totidem custodit, id est totum opus complet, ut glossat autor, id est ignis primò corpus mortuum coagulat: Secundo incinerat, & iterum dissolutum in aqua sua conterendo pistetur, donec totum humidum fiat ut pinguedo spissa, & extinguetur aqua tunc per ignem: Iterum distilla, coagula, incinera. Quia ut dicit Pandolphus in turba: Scitote, quoties

cinerem,

cinerem, id est, corpus imbiberitis incineratum: & quoties gummi suum imbibitis, toties oportet ipsum siccari, & iterum humectari donec vertatur color ejus in id quod quæritur. Et Assid Coque ipsum, donec aqua coadunetur, & coaguletur, & ignem non effugiat, significat temperantiam ignis, ne compositum fumiget. Scit enim aqua pugnare contra ignem, prolixitate coquendi & putrefaciendi & inspissandi. Deinde vas humido stercore & igne humido philosophorum circunda, & per quosdam menses fac illum volare, donec aqua rubescat, & inspissetur, & fiat Elixir tingens per quosdam menses, h. e. secundum Mundum philosophum, per 24. dies, id est, septimanas, aut secundum quot in vulva sperma moratur, donec formetur inde homo, sicut ex radice sua, ex qua fuit. Gloss. Volare, quia ascendit & descendit in arbore aurea. Et sic interficit superiorem & inferiorem virtutem, donec fiat fixum. Et Athan. in Tur. dicit de ejusdem mensibus: Coquite ipsum in Sole, i. e. calore Solari, qui est ignis continuus unius generis, & in terra nigra per 40. dies & duos dies, & forte hoc diutius continget coqui: Ideo subdit exponendo illud tempus, dicens: Opus vero secundum à die mensis septembr. 10. usque ad decimum libræ perficitur, id est per annum. Sic igitur expone: Ignis totidem custodit, id est 9. mensibus, vel per annum temperatiori igne, quibus 9. mensibus fovebatur sanguis ab umbilico descendens ad pectus mulieris, ubi candorem lactis assumit, qui efficitur nutrimentum fœtus post egressionem ejus ab utero. Intelligitur per hoc, quia secundum hunc modum præparaverunt lapidem, quod non ad temporis quantitatem sed qualitatem intelligi debet, de progenie philosophorum nutrienda vita sua sc. aqua divina, spiritus igitur iste veritur in spiritum, quia dupliciter exponitur in corpus, id est coagulatur in terra, & corpus vertitur in spiritum, id est totum sublimatur in arbore aurea, aliter corpus vertitur in spiritum, id est amissa sua spissitudine & rigiditate fit spirituale, Unde in Turba dicit, certus esto, quod cum amiserit suam spissitudinem spirituale fiet. Et Gratianus dicit; Quod autem corpus fiat spiritus & spiritus corpus, intellige quod corpus & spiritus fiant unum, & cum corpus solutum in salsedinem tingit est spirituale. Corpus igitur istud vertitur in spiritum, id est, est spirituale, id est tingens, quia tingere est spiritus officium. Et secundo spiritus iste iterum vertitur in corpus, id est, ad ultimum fixatur. Et primo fixatione Lunari, secundo fixatione solari & virtute Dei, à quo hæc sapientia suis quibus voluit emanabit, & moderantia patientia moderativa terminorum ignis, quia quatuor sunt termini ut postea videbitur. Et hæc longitudinis duorum & septem. Hæc sunt verba difficilia, quæ longo tempore rimatus sum. Unde nota de temperamento ignis, quod debet esse æqualis in omnibus suis gradibus septem & in omnibus tertiis suis, sc. 4. donec interior ignis opus suum perficiat, ut dicit Gratianus. Et hæc de longitudine duorum ignium, & septem graduum ejus ignis. Nam à tribus duo intelliguntur non è converso, ut autor dicit in litera. Et secundum autorem duplex inventus est ignis qui est trium graduum. Glossa: Duplex ignis, id est simplex ut ovorum vel avium aut in statu febris secundum Marcum in primo opere, & secundus ignis gradatus aut duplatus. Et iste ignis duplex est trium graduum in prima clave operis & triplex in secunda clave operis, sunt enim duæ claves artis ut dicit autor. Prima clavis est annus, & secunda clavis alter annus, & 7. dies ut postea per alios autores probabitur. Et quælibet clavis est trium graduum, sicut in processu patebit, testimonio aliorum sapientum: vel aliter potest exponi hæc trium graduum, id est, secundum tres gradus Solis in circulo: Primo dum Sol est in Ariete in exaltatione sua: Secundo dum Sol est in Leone: Tertio dum Sol est in Sagittario. Et huic dicto concordat Gratianus dicens: Quod calor artificialis imitatur naturalem in tribus gradibus: Primo in humido dissolvente, dum Sol est in Ariete ad Cancrum usque in exaltatione sua in primo opere Secundus gradus est in humido aggregante, quando Sol est in Leone, sc. in dealbatione secunda operis secundi. Tertius gradus est in humido incorporante, ubi fixatur Sole intrante Sagittarium: ibi enim calcinatur substantialis humiditas. Primus gradus est debilis, qui est spirituum à corpore extractio, & relinquitur terra foliorum. Secundus gradus est fumus, id est secunda dealbatio, quæ est terra margaritarum. Tertius gradus est perfectus quantum ad terram auri, id est, rubedinem suam. Unde autor loquitur Arithmetice de opere, cum dicit, longitudinis duorum & septem. Et loquitur Astronomice, cum dicit de triplici gradu Solis. De quibus Gratianus dicit, Mercurius in omni dispositione sua, fit Xir, in Leone inceratus fit Ixir in terra: In fermento inceratus fit Elixir. Ita quod principium attestatur super suum finem & è converso, quod est calcina, dissolve, distilla, coagula Mercurium, & incera. Mercurius namque trinomius efficitur in aptatione sua; primo fit Xir, secundo Ixir, tertio Elixir. Xir est Mercurius fusibilis, & tingit tinctura non fixa, nec mutat: Ixir est Mercurius præparatus, & separatus & tingens fixa tinctura, pro quantitate sui, sed non mutans, sc. dum est in Leone: Elixir est Mercurius inceratus, tingens & mutans inseparabiliter, & ultra modum, sc. Sole intrante in Sagittarium: in quo grando & pluvia de cœlo cadit in terram, & animæ id est colores spirituum premuntur, id est, incinerantur, & fixantur, & reviviscunt. Triplex est ignis igitur, trium sc. graduum, & est duplex sc. positivus & gradatus. A tribus enim duo intelliguntur, id est ab istis tribus gradibus ignis, duo ignes accipiuntur, simplex & duplicatus: & isti ignes sunt diversi, quia positivus non est gradus, quia non est duplicatus. Isti autem tres gradus dividuntur per septem gradus, includendo primum cum sit fundamentum ad cujus additionem omnes ignes sequentes gradantur. Qui autem sint 7. ignes, intelliges per Gratianum, dicentem, Quod Mercurius non sit ponendus in aliquem gradum caloris, nisi prius capiatur cum Mercurio extracto, & fixo, in fermento Solis & Lunæ, similis in uno corpore. De cujus aptatione sic dicit: Corpus dissolutum in humido superveniente Mercurio dissolvit ipsum, sed hoc non est opus humidi, sed salsedinis mediante humido, à quo consociatur corpus cum Mercurio, ratione metallinæ humiditatis, quare magis amica est corpori metallino, quare anima in suum corpus ingreditur, & quia duo corpora non habent unum locum, descendunt ad fundum, & aqua pristina supernatat, & dicitur secundario, in qua Mercurius simplex dissolutus non cadit, & hoc est bonum secretum, si causam noveris. Nota hujus expositionem in Epistola Aristot: ad Alexandrum, ubi enumerat species artis dicens, Scias igitur quod ignis sulphur est, id est Sol. Unde

Parmenides in Turba : Quod hoc mare vertit aurum in rubeum ignem. Et Gratianus : Ita certa teneritudo Mercurii conſuescit in igne cum Alkibric, id eſt Sole, à quo ſeparabit ſubſtantiam rubicundiſſimam, cum benefio ferventis olivæ, aut per animalium pinguedinem, de paſcuis uberrimis aſſumptorum. Cujus verbi expoſitionem poſtea demonſtrabo. Igitur ſulphur ignis eſt, ſcilicet ſolaris ſplendor, & ſpiritus potens magneſiæ eſt terra, id eſt corpus mortuum duorum luminarium, quæ alium locum obtinet quam corpus aquæ, quia unumquodque ſeorſim ponitur ſcil. corpus & aqua, & aqua ſupernatans priſca eſt Mercurius, qui prima dicitur aqua. Secunda eſt aër, id eſt vapor corporis. Et arg. vivum eſt aqua prima, per totum fluens corpus: Sed ſpiritus eſt aqua ſecunda in qua Lunaris humor & pinguedo Solaris, ratione Metallinæ humiditatis, Mercurio ſunt conjuncta. Sequitur : Quia omnia nutriuntur, & omne germen vegetatur, & omne lumen aſcendit, & omnis fructus. Mercurius vero ſimplex, communis & vulgaris, non eſt operis noſtri, ſed compoſitus, quia congelatur ſubito, & figitur ſicut illud, ſed ſimplex Mercurius caret fermento, nec eſt nobis utilis, & hoc eſt magnum ſecretum. Unde de iſto Mercurio compoſito dicit Enimerus in Turba: Moneo igitur vos argent. vivum quod ex pluribus rebus conſluxit, congelare, ut duo tria faciunt, id eſt maſculus & fœmina faciunt aquam vitæ, in qua ſunt tria, aër, ignis & aqua, quatuor unum, ſcilicet quatuor elementa faciunt ut ſiat unum, & duo unum, ſcilicet ſpiritus & corpus conjunguntur, Vel ſic, & quatuor unum, id eſt, 4. partes æris & una Solis & Lunæ, tres fiant unum ſcil. continuatione, ut dicit Senior in Turba : Accipe de ſincero corpore partem unam, & ex alio ære tres & commiſce aceto. Et Dardaris dicit: Quatuor vulgi nummi tingunt æs. Et repetam ego verbum primum, quod Mercurius non eſt ponendus in aliquem gradum caloris, niſi prius capiatur cum Mercurio extracto, & fixo ab ære. Unde Raſon : Si ſolveritis corpus album, ut fiat argentum vivum, extrahentur ab eo flores ejus, & ſi ſcirent aurifabri, qui cum eo opus habent, lucrarentur per ipſum multum non fuſione ignis, ſed ſolutione ejus, ut convertatur in id, ex quo fuit radix ejus. Et iſta eſt Gloſſa Senioris. Sed talis ſolutio non fit niſi per ignem ſimplicem, lentum, velut ovorum vel avium, nutriatur in primo opere. Deinde Gratianus de ſecundo opere dicit, ſignificando 6. gradus, ignis, Mercurius gradatim ducendus aſt ad fixionem. Primo igitur calcinatur ejus ventoſitas in primo gradu caloris, ſecundo cruditas in ſecundo gradu caloris, tertio ſubſtantialis humiditas in tertio gradu caloris. Et unum quoque calcinatum diſſolvatur ſuo modo ut putreſcat, ſcilicet conterendo, imbibendo & aſſando : Et ita tandem in unum contentum corruat imbibendo cum uno fermento, id eſt aqua una, quia aqua eſt fermentum aquæ, Et rurſum ducantur per tres gradus caloris, & ita Mercurius agit in ſeipſum, Et ſic patet 6. eſſe gradus ignis duplicati, & ignis ſimplex eſt ſeptimus.

Gratianus vero non ponit niſi ſex gradus vel modos, excludendo ſeptimum, & poſitivum ignem, & poſitivus non dicitur gradus, ſed quia eſt fundamentum graduum.

Autor vero operis ponit 6. gradus ignis includendo ſimplicem primum : Ideo quia primus ignis poſitivus, & ſecundus qui eſt primus gradus, non differunt, niſi quia primus, ſcilicet primi operis eſt uniformis in primo, in medio, & in ultimo. Sed gradus primus ſecundi operis eſt difformis, quia ultimo acuitur, & per ipſum ignem fit coagulatio aquæ cum corpore, & corporis ſpirituatio. Quomodo autem ſit difformis, patet per plura teſtimonia Philoſophorum. Lucas in Turba dicit : Ignis ſit lenis in dealbando, donec coaguletur, poſtea faciatis ignem aliquantulum fortiorem. Et Archiratus ibidem dicit : Coquite ipſum donec in lapidem vertatur, poſtea coquatur igne fortiori, quouſque lapis durior fiat, & confringatur, & in cinerem vertatur, poſtea imbibite ipſum donec humidus fiat, & coquite igne fortiori. Et ut dictum eſt claudite os vaſis, & coquite, donec totum corpus confringatur & incineretur. Et verſus finem libri dicit Autor Turbæ : Poſtea in vaſe vitreo ponite, dimittentes eum in loco tenebroſo, donec videatis vas candeſcere, & velut Jacinthum lucere. Sed antequam ulterius exponatur, Notandum quo igne rubor primi operis & ſecundi extrahatur, Gratianus dicit : Sed non te ſeducat, quia dicitur ſpiritus fiat corpus, ut intelligas ſcilicet fixum, & corpus fiat ſpiritus, quod ſimili modo intelligendum eſt. Itaque trita teneritudine Mercurii : ſicut dictum eſt prius, Gloſſa : Trita & contrita teneritudine id eſt humiditate Mercurii, & exſiccata poſt reſtitutionem animæ corpori, conſuevit ſc. Mercurius in igne cum Alkibric, id eſt ſulphure incombuſtibili manere: quia nec ignis nec ſulphura vaſtant, ſed ignis magis ipſum emendat, id eſt Sol. Et ſcito quod duplex eſt ſulphur artis, Mobile aqueum, ſcilicet argentum vivum, de quo dicit Plato: Omne argentum vivum ſulphur, & non è converſo: Et aliud eſt ſulphur ei ſimile in natura, ſc. Sol & iſta duo ſulphura ſe conſequuntur, ſicut ferrum magnetem, à quo ſcil. Sulphure, id eſt auro, ſeparabis ejus ſubſtantiam, rubicundiſſimam, id eſt colorem ſubſtantiæ purpureæ. & venenum tyrium, cum beneficio ferventis olivæ, & animalium pinguedine, de paſcuis uberrimis aſſumptorum. Et ideo dicit Morienes ad regnem Kal. de igne 2. operis : Præcipietis enim ignem ſervare æqualem, ut nec augeatur, nec minuatur. Et ſubdit; Ignis autem Philoſophicus talis eſt, quod ejus materia ſit cum viva partitione. Partitur autem ejus materia ex ſtercore ovino, apponendo de foliis olivarum. Nihil eſt enim aliud quod ignis combuſtionem æqualem perdurare cogat. Aſſiduus dicit, Ignem Philoſophicum eſſe ignem humidum, id eſt, in equorum & boum ſtercore, abſcondere & putrefacere in igne lucernæ. Dicit etiam, con pone pacem inter ſpiritum & corpus, ſuper ignem putredinis de ſpeciebus, id eſt floribus, ſive corporibus quæ à terra procedunt, vel quæ aër generat, vel quæ in animalium ventre naſcantur. Et in alio capitulo dicit de igne ſecundi operis, poſt aquæ coagulationem in terra : Deinde vas humido ſtercore circunda, & per quoſdam menſes fac ipſum volare, donec fiat quelles. Et ſenior dicit quod putrefactio eſt corporis cum igne ſubtili beſtiarum, & hunc ignem menſurati ſunt & occultaverunt. Et per hunc ignem aqua congelata fit lapis quietus aqua currens, & cum præparata fuerit revertitur ad formam priorem ſuam & congelatur, & continuant in eo patientiam & reductionem in præparatione. Et notabiliter exponendo ignem beſtiarum ſubtilem, & ſubjungit Senior dicens, quod primum luminare ſcilicet 130. dierum melius eſt quam ſecundum vel tertium, ſcilicet 120 vel 90. dierum, quod oportet eſſe intenſum lumen, ſed primum eſſe temperatum. Et Kalid, Scitote etiam ignes eſſe unius

generis,

generis, igne quoque coquentibus quandoque corruptio accidit, unde præstat unum genus habere in coquendo. Et Aristoteles in Epist. ad Alexandrum: Cave ne ipsum sua flamma contingat, sed quemadmodum liquefacta ea liquefac. Et Rodanus in libro trium verborum dicit: Quod in solo igne, sine aliqua separatione possunt fieri omnes distillationes, & sublimationes & calcinationes, & rubificationes, & fusiones, cum omnibus resolutionibus, & coagulationibus, sicut dicunt esse, donec amicitia fiat inter istum & illum: Tunc vincet omnem rem solidam, & curret oleum in ictu oculi. Et Gratianus dicit, quod ignis in omnibus suis gradibus debet esse æqualis donec inter ignis opus suum perficiat. Et Bonellus in Turba: Et quanto plures transeunt dies, tanto fortius congelatur & non comburitur. Solis enim beneficio, id est, igne solari, coctum & coagulatum est, vel congelatum est, & albedo illa potentissima facit eum ignem superare. Et Theophilus dicit, quod cum Philosophi vident lapidem versum in sanguinem, ponunt eum ad Solem, id est, ignem lentum continuum & mensuratum, quousque lentitudo cessat, sanguis aresçat, & tunc apparet venenum, & occultum manifestatur, Unde Rases in libro luminum: Quòd soli apponere mandamus, inhumationem aut ignem denotat. Et Calstus: Regite ipsum Sole & rore, donec fiat lapis. Et Antonius in Sole & terra nigra jubet decoqui, dicens; Quod opus hoc citius & aliud tardius congelatur ex diversitate coquendi. Si enim locus ubi coquitur, roridus fuerit, congelatur citius: Si vero siccus tardius: servamus ignem humidiorem, citius perficere ficciore. Et ad quid omnes Philosophos eloquar? unus & æqualis debetur in omnibus gradibus ignis. Ignis igitur & Azoth sufficiunt tibi in hac arte: Cera vero, oleum, & sepum ex dominio sunt Solis, & de rore cœli, in quibus multa sunt hominum secreta. Sed antequam de gradibus ignis dicatur, sciendum est prius, quomodo spiritus iste vertitur in corpus, & corpus in spiritum. Assiduus: Scito filii, quod naturarum omnium rerum, quædam quibusdam perfectiores sunt, nec quidquam aliarum dirigitur absque aliis, nec totum jungitur nisi insit ei pars, nec pars nisi insit ei totum, quomodo liquescit terra & in aërem vertitur. Et subdit quomodo spiritus in corpus vertitur, dicens similiter: dum opus convertis, dicis quod ignis coagulatur, & fit aër, Aër vero coagulatur & fit aqua: Aqua vero coagulatur & fit terra. Ecce in unam naturam inimica convenerunt, quæ cum impulsantur, id est coagulantur, fiunt amica, rarescunt vero & fiunt inimica, scilicet in separatione elementorum. Oportet te igitur totum extenuare in terra, id est, terram spirituare, & tingentem facere, & jam peregisti. Et Gratianus consimile huic dicit: Ignis in aëre fit lux. Unde deficiente humido, deficit splendor: Intendit coagulationem ad modum speculi, seu gladii denudati. Ex osse fit calx, intendit exsiccationem illius humidi splendentis, ut vertatur in cinerem, de quo dicit Aziratus: Et quam preciosus est cinis iste: Aër in ovo fit spiritus, id est spissum aëris in vitro concluso, concidit in aquam, unde fissa pellicula evaporat. Et Pandophilus: Et claudite os vasis diligenter, ne exeat flos, sed suo propinquo societur, & augmentat ejus albedinem. Aqua in terra fit vitrum, unde sicci adunati semper sunt duriores. Intendit per hoc coagulationem aquæ in terra, sicut dictum est. Quia principium hujus rei attestatur super suum finem, quod est, calcina *dissolve*, distilla, & coagula, & iterum calcina, & incera. Socrates etiam dicit; Lapis mortuus est vitrum igne confectum, & viscositas ejus, quia spiritus virtute ignis aperuit. Spiritus ergo in viscositatem agit, quamvis enim perforare non possit, sed spiritus magis tingens corpus penetrat, & non corpus corpus sequitur: Terra in igne. Sal: id est terra calcinatur in cinerem, sicut dicit Pandophilus: Quoties cinerem imbibitis, toties oportet ipsum exsiccari, donec vertatur color ejus in id quod quæritur. Ideo sequitur: Et hæc postea fiunt inter se variæ res. De hac conversione spiritus in corpus dicit Plato in Turba: Scitote omnis Turba quod omnis spissitudo in terra quiescit. Spissum namque ignis in aërem cadit, & spissum aëris & ignis in aquam & densum, quod ex ignis & aëris & aquæ spisso coadunatur cadit in terram. Unde subdit Gratianus, Quomodo corpus fit spiritus, dicens; Terra resolvitur in aquam, aqua in aërem; aër in ignem, & hæc est via qua corpus fit spiritus. Hæc enim aqua est calida, ignea, adurens, potens, sed fortioris caloris & adustionis quã ignis, ut dicit Senior, quod superat eum sicut dictum est. Et Parmenides dicit; O natura illa cœlestis virtutis, naturas multiplicans, o vere fortis naturas vincens & superans, suasque naturas gaudere faciens. Hæc est ista natura spiritualis, cui Deus posse dedit, quod ignis dare non potest. Sequitur, ignis per contritionem fit aër: Aër per contritionem fit aqua. Et hæc est via qua spiritus fit corpus. De istâ conversione spiritus in corpus, & è converso, Gratianus distinguit dicens, Quod Ir non facit Xir nisi beneficio diuturni caloris, æqualiter & continenter perdurantis, tunc se diffundit minera in diversos lapides, & postmodum separatur ab eis. Deinde exponit & dicens. Ir interpretatur manus seu mancipans. Non enim possumus propriis manibus operari in Mercurium, sed 10. speciebus quas manus nostras appellamus in hac arte, id est 9. partibus albi humidi, & 1. parte æris: & pondus istud est ovum in genere. Sed Rasis 7. partes terræ & tres æris ignis nostri ponit in specie, quæ sunt 10. species, quibus Mercurius capitur & fermentatur, Sequitur, Xir dicitur esse quælibet medicina stringens Mercurium Alchimistice præparata super eum: sc. terra lapidis quæ coagulat lac virginis, id est, retinet Mercurium. Unde subdit modum dicens, Extrahe oleum id est Mercurium, primo de terra, id est ab aëre, & dissolve in eo medicinam stringentem, & coagulantem id est terram dissolve se. imbibendo, conterendo, donec fiat sicut spissa pinguedo, & dispareat oleum longa contritione, triduo secundum Rasin, & postea assà simul, donec in unam transeat naturam. Et hoc est quod dicit: Et iterum sublima per alembicum, id est, assa. Et dicit sublima, quia igne sibi ministrando, surgit in altum acetum, quia ejus natura spiritualis est, & ideo ascendit ut apparet in vase, & in coopertorio nodi parvi, propter hoc ignis fit levis in coagulando: Sequitur, calcina, id est incinera exsiccatum, & manet, id est, figitur expressa calcinatione, & iterum calcina, & incera oleo suo, & projice super Mercurium fermentatum illud Xir id est terram calcinatam, & imbibe Mercurio fermentato, id est composito, & ad Ixir aptum, ad faciendum Elixir. Glossa Xir interpretatur mancipatus, id est manibus, id est speciebus captus est: quia extractus est de terra, vel à terra Mercurius fixus. Ixir interpretatur emancipatus: vel extra manus quasi Mercurius extractus, id est, in corpore suo albo mancipatus,

id,

id eſt, captus, & tunc tingit in album, quia Mercurius tinctus tingit. Lucas; Magneſia cum ſit alba, omnia dealbat, Jungite ipſum feci ſuæ, donec coaguletur, & album fiat ut nix: & aſſate donec ſeipſum incinerare faciat. Magneſia quidem cum dealbatur non dimittit ſpiritus fugere, nec in eis umbram apparere, quo completo maximum habebis arcanum Sulphur enim ſulphure mixtum eſt. Et Enimidius dicit, ſulphur ſulphure continetur. Sulphura enim fugiunt, niſi vivo arg. ſui generis, id eſt, extracto ex ære detineantur. Et non credatis quod tingant, & poſtea fugiant. Et Raſis in libro luminum; Et Morienes, & Aſſiduus volunt, quod terra cum ſit dealbata & candida, ſit fixa; ſupple fixione Lunæ, ſed non fixa fixione Solis, & ideo tingit in Lunam: Et hæc ſecunda tertii operis, Elixir dicitur Abelon, quod eſt totum, & Xir mancipatus quaſi totum captum, id eſt fixum, ſc. tota animæ incorporatio & fixio perfecta longitudine duorum annorum & 7. dierum, ſecundum experientiam autoris. Et iſta eſt ſecunda Gloſſa libri duorum & ſeptem, Et ſic naſcitur Alkimia naturalis, ſecundum impreſſionem Planetarum, ſicut in litera autoris: quia in hoc opere eſt ſaltus Lunæ, id eſt ſublimatio humiditatis Lunaris, & circulus Solis, quia poſt extractionem eſt gradus triplex ſicut prius expoſitum eſt, Et bene dicit circulus Solis, quia poſt extractionem ſpiritus ſolaris, corpore ſuo mortuo, fit animæ reſtitutio, & corporis vivificatio. Et in hoc verbo tangit autor mineram Rebis, de qua ſufficienter declaratum eſt in primo tractatu. Redeamus igitur ad expoſitionem trium verborum, in quibus tota ars conſiſtit, ſcil. aqua tribus menſibus fœtum in matrice conſervat. Aër tribus menſibus fovet: Ignis totidem cuſtodit. Hoc totum dictum eſt de Mercurio, ſecundum ſimilitudinem æris in matrice. Et duplex inventus ignis eſt, qui trium graduum, & à tribus intelliguntur duo, ſicut prius expoſitum eſt. Primus gradus ignis complet aquam & aërem: Secundus id eſt ſequens gradus in igne, complet totum opus, ſcil. coagulat, calcinat, incerat & figit, hoc eſt quod diximus, totidem. Lapis autem eſt duplex frigidus & humidus. Et liquor Mercurialis de primo ſpermate facit globum, id eſt ſphæram, per pannum ſubtilem, quicquid continere non poteſt de humido, id eſt aqua ſecunda, & hoc tranſacto primo opere, quod completur per ignem primi gradus. Nota ſi non fiunt globi non natabit, ſed ſubmergetur æs ad latera vaſis, nec confringetur diſſolvendo etiam per annum, ſi aſſatur, hoc expertum eſt. Deinde per ignes ſequentis gradus, recipit ille globus carnem, id eſt, coagulationem, & ſanguinem, id eſt, tincturam. Unde Aſſiduus, eſt enim lapis, noſter auro incarnatus, & recipit membra, id eſt, partes integrales, notat incarnationem aquæ reſiduæ, & coagulationem, & incinerationem & iterum diſſolutionem, deſtillationem, coagulationem & calcinationem, ita quod principium atteſtatur ſuper ſuum finem. & è converſo, donec omnes partes membrales ſui in unam tranſeant naturam. Et deinde per ignis adminiſtrationem recipit imaginem, ſecundum naturam, id eſt ſpeciem ſuam, ex qua fuit radix ejus, à Deo altiſſimo, & veniet ad ortum, & lucebit colore purpureo, id eſt, puniceo. Unde in Allegoriis philoſophorum de ultimo regimine: Poſtquam totum opus verſum eſt in terram, in vas vitreum ponite, dimittentes eum in loco tenebroſo, ſignificat obſtructionem vaſis, donec videas vas candeſcere, & velut hyacinthum lucere. Et hic color tyrius quo tingitur purpura, extrahitur igne duorum & ſeptem graduum, de quibus dictum eſt, & adhuc melius in ſpecie dicitur. Quidam vero hoc dictum volunt intelligere de primo opere, & faciunt globum, & illum aſſant ſupponendo patellam per tres vel quatuor horas, in panno pendente infimo. Deinceps projiciunt ipſum in totum humorem 9. partium, & coquunt donec ſuam recipiat imaginem, & membra, id eſt, donec totum humorem lunarem, & pinguedinem ſolarem, extraxerit acetum noſtrum, quæ ſunt tincturæ æris. Sed mihi videtur eſſe dictum de opere ſecundo, nam citius folia amalgamiſata in malla ſine tactu convertuntur per acetum noſtrum, & magis agit in rebis, quia magis tangit agens patiens, & fortius in malla plana, quam compacta in globo, in quo non poſſunt partes aceti noſtri ita libere permiſceri. Unde Ariſteus, Accipite corpus quod magiſter ſumi juſſit, facientes inde tabulas: Deinde in aquam maris noſtri imponite, & in ſuam Etheliam vertite, & coquite donec privetur nigredine, & appareat albedo. Et idem Bonellus in Tuba dicit: Sumite de veru ferrum, facientes inde laminas, & aſpergite eas veneno, & imponite in vas cujus os bene claudatur. Et Ariſteus & Theophilus ajunt, vas debere fore concavum ad capacitatem librarum 30. licet magiſter operis non poſuiſſet niſi 25. libras corporis noſtri æris in laminas tenues coaptati, vel producti, puri, crudi, an œni & ſinceri. Deinde tangit primum opus, dicens: ſed ſperma ſi nile eſt huic, quia æs & Mercurius ſunt adhuc intranſmutata in coagulatione & fixione, ſicut in ſecundo opere in ſe invicem tranſeunt. Et lapis hic eſt ſolus, & non alius in mundo, nec eſt ei alius ſimilis in effectu vel natura, qui ſeipſum imprægnat & de ſeipſo concipit, & ſeipſum parturit, poſtquam hoc vivum moritur à rubea morte, &c. In Etymologiis ſapientum, lapis noſter proprio jaculo interficit ſeipſum, ſimiliter maritat ſeipſum, & ſolvit ſeipſum & coagulat ſeipſum & figit ſeipſum, & imbibit ſeipſum, & anima præparat corpus & corpus animam. Et poſtquam hoc vivum moritur à rubea morte, hoc intelligi poteſt de corpore vivo æris, poſtquam hoc rubrum mortuum eſt à rubra morte, i. poſtquam extractus eſt humor & tinctura ſua rubea. Vel poteſt intelligi aliter de argento vivo compoſito & jam extracto in primo opere, poſtquam illud moritur, id eſt, calcinatur & figitur à rubea morte, id eſt ab igne ejus, frigiditatem & humiditatem corrumpendo, tunc eſt cura mortui, i. e. cujuslibet corporis imperfecti, quæ ſunt corpora mortua, carentia tinctura, quæ ſpiritus & anima ſunt corporis vivi, & æris noſtri, & ideo eſt cura corporis imperfecti, cum per caliditatem & ſiccitatem tingit, & non fugit ab igne, nec fumum emittit, & fluit ſicut cera, & eſt ſicut oleum. Quia ſiccitas Alchimiæ tingit & non fugit ab igne, & cum hac tinctura rectificantur omnes mortui, id eſt omnia corpora metallorum imperfectorum, de tinctura vera rubea & alba, ut ſemper vivant.

Dehinc de clavibus, & terminis, & gradibus ignis eſt dicendum. Prima clavis, & primus terminus completur 11. menſibus, & ſi completum non fuerit, ſaltem complebitur hoc in fine quarti termini. Unde Autor in litera; Primus terminus mortificat frigiditatem & humiditatem extrahendo animas, & totum ſpiritum, & vertit in terram coagulando & calcinando &c. Secundus vero terminus eſt ſequens annus, & loquitur de termino in genere quia ſequens annus habet tres terminos. Et in hac ſecunda clave operis, terminus ſequens, id eſt, annus,

annus complet mortem primi mortui, id est, corporis nostri, cujus spissitudo & rigiditas in primo termino destructa est, & augmentat rubedinem & facit massam caliginosam & pineatam, & ascendit in arborem crispata ad modum fructus primi, quasi conspersa pruina, & lucida fulgens & folia auri facit annus iste. Et hæc est rectificatio Mercurii, quod est oleum fixum, quod rectificat omnia metalla corrupta & producit ea ad sanitatem, & ad naturam meliorem. Secundus terminus est quatuor mensium, & si completum tunc non fuerit, saltem in tertio termino hoc contingit, qui est etiam quatuor mensium: & si tunc similiter non perficitur, saltem in quarto termino hoc fiet, qui est quatuor mensium & 6. dierum. Dixit Rachay filius Dybei; In fine primi termini, vide si fundat se super laminas, fumumque non dederit, nec crepitum, quod est signum perfectæ concoctionis quod si hæc defuerint, reduc ad quartum ignem. Sequitur de ignibus. Primus terminus tribus regitur ignibus, primus ignis est in primo gradu levis & debilis, & hoc regimen fit 6. mensibus, & hic ignis complet aquam, & aërem, id est, spiritum in aqua sua, qui est lapis solus, sicque capitur & Mercurius extractus, fit rubeus in effectu, & occiditur corpus. Deinde ignis totidem custodit, scilicet sex mensibus cujus regimen fit duobus ignibus scilicet, Secundo qui est duplex respectu tribus primis mensibus, & sic completur primus terminus & prima clavis: licet tamen autor longum tempus consumpserit, in extrahendo frigiditatem & humiditatem lapidis in sua experientia. Kalid tamen filius Iesidis in 13. hebdomadis complevit totam coagulationem, quia in tribus hebdomadis, id est, 21. diebus, unius nominis, complevit aquam & aërem, lege in libro suo. Ista autem diversitas est secundum diversitatem ignis. Debet enim aqua dividi per medium mediamque ejus partem imbibere per 7. hebdomadas, super tepidum ignem, & ad gradum majorem perveniet: deinde ei imbibere aliam residuam partem in sex hebdomadis & tunc substantia & calor ejus resplendebunt. Secunda clavis est similiter 12. mensium, & 7. dierum, & habet tres terminos. In primo rege cum igne quarto, qui est duplum tertii, & sunt quatuor menses. Hic est secundus terminus 16. mensium. Deinde rege cum igne quinto quatuor mensibus qui est duplus quarti, & hic est tertius terminus, scil. 20. mensium. Posthac rege igne sexto, qui est duplus quinti, mensibus quatuor & 7. diebus cum tribus gradibus ignis. Assiduus similiter spatium prolixum ponit. Dicit de quo varie philosophi dixerunt, sc. per 21. dies, & 40. dies & 80. dies per 4. menses & 7. menses, & unam hebdomadam & tribus diebus, & partem unius diei. & addiderunt, & diminuerunt quod tibi ostendam absolvi per annum ejus perfectionem, sc. per quatuor temporum perfectionem sc. hyemis, cujus est frigiditas & humiditas, & veris cujus est occulta caliditas, & æstatis, cujus est caliditas apparens, & autumni cujus est siccitas apparens: Ergo post autumnum non oportet te cessare ab opere, & novum opus incipere, quasi diceret, siccata materia oportet figi, & maturari altero anno. Et nota quod Morienes & Rasis & senior & alii plures primum opus in 21. diebus i. e. hebdomadis terminaverunt. Mundus & Pandoph. in 42. diebus quia nigredo non nisi 40. diebus durat. Quidam per 80. D. ut Rosinus & Socrates: Quidam per 4. menses, quidam 21. dies nominaverunt tres hebdomadas ut Rasis quod triduo tantum opus primum perficit. Et Kalid in tribus hebdomadis, & h. e. tribus mensibus philosophicis, & etiam per 21. hebdomadas. Quidam vero opus secundum in 9. hebdomadis, i. e. mensibus terminaverunt, ut dicitur in allegoriis 40. diebus sicut & in vulva sperma moratur i. 40. hebdomadis. Et Antonius similiter per annum, Et quidam 7. mensibus i. e. 28. diebus alias hebdomadis, quidam per hebdomadam, i. 70. diebus philosophicis, ut Zenon. Et sic debet intelligi dictum Assidui, qui etiam 40. diebus dicit totam aquam esse lucidam. Quidam per quatuor menses. & hoc est 120. diebus quam ad dealbationem secundam. Quidam per unum diem dicunt, quod intelligatur de distillatione & imbibitione. Tandem Rasis, quamvis triduo conterere mandamus, dies aut pars diei sufficit, id est per hebdomadam, triduo, id est tribus hebdomadis. Unde Bachaseus dicit: Non potestis ad utilitatem pervenire absque prolixo termino & regimine continuo. Et Senior dicit: Non perficitur hæc medicina, nisi præparatione longinqua, in multis diebus & noctibus. Unde patet quod philosophi diversum posuerunt hujus combustionis terminum, forte propter diversitatem locorum. In calidis enim regionibus citius, quam in frigidis: Item in humido igne citius quam in sicco coagulatur. Constans dicit, quod hoc opus toties continue operatur, donec visui patefiat, id est, quod ipsius operis imitatio te doceat. Scit enim aqua pugnam ignis & prolixitatem coquendi, ut dicit Assiduus, vel sequere cujusliber alterius dictum Theophilus dixit quod in 100. diebus vertitur totum opus in terram. Bonellus & Archanus & Myretis idem volunt. Et Aristeus dicit fieri complementum in 80. diebus, idem dicit Rosinus. Socrates in 150. diebus Balgus & Aziratus opus in 190. diebus decoqui & magister operis ponit idem: Et dicit se perfeciisse totum opus in 80. diebus. Et in allegoriis in 40. diebus debet decoqui, & dicunt quod infra hebdomadam albescit. Item Antonius dicit decoctionem fieri 42. diebus. Item alibi in Allegoriis per 21. dies. Idem dicit Morienes, Item Lucas quod assequitur, 7. diebus & fit album. Item Socrates dicit terite cum ratione, & sale & aqua maris, & pluvia per 21. dies, & aqua salsa per 10. dies, & aqua dulci per 10. dies, & invenietis: Item Mundus dicit quod oportet decoqui per 40. dies, & dicit idem, iterum debere decoqui 40. diebus hoc est 80. diebus unius nominis vel bis 9. mensibus, ita quod in 9. mensibus figatur. Item Pandulphus dicit quod in 7. diebus appareat nigredo. Item Rasis in libro luminum dicit inhumationis terminum 21. dierum, exsolvere promissa: Et nota quod dies quandoque sumitur in arte pro die naturali, quandoque pro hebdomada, ut Rasis in libro luminum de humatione 21. diem ponit, id est hebdomadas 21. Senior vero accepit diem naturalem dicens in 150. diebus quod forte in idem incidit. Et quidam istos 20. dies & unum, vocant 3. hebdomadas, ut Kalid & Hermes in primo cap. Marinas testas, &c. Et Rasis tribus diebus quemadmodum ad assationem perfectam secundum Morienem. Et nota ad intellectum horum pleniorem, quædam dicta terminorum debere intelligi de primo opere tantum, quædam de secundo tantum, quædam de toto opere: quædam de prima albedine vel nigredine, quædam de nigredine & albedine secundi operis, secundum quod diligens studens in autoribus plenius & manifeste videre poterit: unde diversitas ignis prolongatur & breviatur. In 10.. enim diebus unius nominis

&

& 80. hebdomadis plures finierunt opus. Et hæc omnia natura rei quæ coquitur & ignis te docebit. Quia ut dicitur in libro Etymologiarum noster proprio jaculo interficit seipsum, & similiter maritat seipsum, & desponsat seipsum, & coagulat seipsum & figit seipsum, & imbibit & incerat seipsum, & anima præparat corpus, & corpus animam, si autem maxime philosophi inde 70. philosophorum, locum habeant in hoc opere, de proportione moventis, tunc in medio tempore poterit præparari. Si enim aliquod movens movet aliquod mobile in uno opere, duplo fortius movens movebit ipsum, in medio tempore, dummodo æqualiter perficerent, & utrumque ignem non effugiat compositum artis. Sed tamen cavendum est de igne excessivo propter periculum, quia ut dicit Rasis in libro luminum: Et quia maximus quam mediocris ignis æqualiter efficiat, lentus tamen semper est adhibendus: Et sic continue pista donec in speciem pulchram convertatur. Nota non mireris æquivocasse dies, quia hoc philosophi fecerunt per inspirationem: Lege Danielem, qui dicit quod post 70. hebdomadas nascetur Christus, & post 60. hebdomadas occidetur Christus, &c. Daniel etiam dicit post 14 hebdomadas veniet filius iniquitatis, & alias dicit 14. dies. In ultimo capite hujus tractatus, quandam quæstionem declarabo, cujus difficultas floridam habet declarationem & lumen præstabit intelligendi secreta philosophorum in libris ipsorum. Quæritur igitur, utrum tota aqua tinctura coaguletur in corpore, vel solum tinctura existens in aqua coaguletur. Quod non probatur: primo per dictum Gratiani: Ir non facit Xir nisi beneficio diuturni caloris æqualiter & continuè perdurantis, sicut se diffundit minera in durissimos lapides, & postea separatur ab eis, Ideo videtur similiter quod tinctura æris se diffundat in aqua sua & postea separatur ab ea. Hoc idem videtur dicere Rasis in libro luminum, dicens, quatuor sunt naturæ quæ philosophicum constituunt hominem, quarum tres naturæ, scil terrestres gummi inficiunt rubicundo subjecto, nihil tamen ponderis, præterquam quod in candido erat, rubicundo adjiciet, dum argentum solum in ruborem mirabiliter transformat hoc idem arg. 3. autoritate senioris, qui dicit spiritus est locus animæ, & est aqua quæ extrahit hanc animam à corporibus suis, & anima est tinctura soluta, in aqua, & portatur in ea, sicut portatur tinctura tinctorum nostrorum in aqua, qua tingunt pannos, & tinctura extenditur in panno. Deinde recedit aqua per exsiccationem, & remanet tinctura in panno, similiter aqua sapientum, in qua portatur tinctura, reducitur super terram suam benedictam sitientem, quam assimilaverunt & aquam nominaverunt animam, quam vocat Hermes aurum dicens: semina te aurum in terram albam foliatam, & hæc terra tingit, deinde recedit aqua spiritualis & remanet anima, quæ est tinctura in corpore, in quo manifestabit pulchritudinem suam, hæc omnia dicit Senior, ad istam quæstionem dicendum, quod aqua cum tinctura coagulatur quod per experientiam vidi. Unde Kalid filius Isidis: Quoniam vidi aquam coagulare seipsam, tunc rarificatus sum quod vera est res quæ assignatur. Et alibi dicit: Est enim lapis non lapis, quoniam in ipso est fermentum, sine quo non coagularetur massa aquæ, Et senior dicit aqua eorum est aurum, & est fermentum corporum, ad quam reducunt ea. Et de hoc lapide extractum est aurum quod fugat paupertatem, & post Deum: non habes aliam medicinam. De quo dixit Kalid: Præteriti nec præsentes possunt tingere aurum nisi cum auro, & hoc quod aurum, sc. lapis eorum tingens, ex ipso generatum prodit. Et de isto auro, quod est flores, qui sunt aër sublimatus, omnis eorum intentio constituta est: Unde quod non diceretur lapis non lapis nisi quia est aqua congelabilis in lapidem. Et in quodam libro dicit Kalid filius Jesidis. Quod quatuor sunt signa demonstrantia artem. Primum est siccitatis & humiditatis conjunctio, & nigredinis apparitio, eo quod oportet te conjungere humidum cum sicco, & calidum cum frigido. Secundum signum est unguentum apparens in initio operis, & est similis liquefacto, cum fuerit super ignem, & cum aëris frigiditas ei succedit & accedit, coagulatur: deinde in igne liquescit, quemadmodum unguentum: Et est venenum occidens, quod dissolvitur & fit ponderosum, in inferiori parte instrumenti subsistens nigrum, & fit aqua, & tunc vocant ipsum spiritum & arg. vivum quia multa sunt nomina. Tertium signum est quod ipsum est minoris aquæ post præparationem, prout lac sc. virginis, i. e. sicut lac coagulatum, est minoris ponderis separatum à sero. Et huic signo tertio Pythagoras in Tuba ponit simile. Dicit enim Accipite Etheliam, & more lactis quia corpora sunt ei sicut coagulum lactis. Et iterum dicit: Id ipsum suo vasi imponite & coagulate donec fiat pulvis & coquite cum sputo lunæ, & coagulate & dirigite, & invenietis lapidem fractum, & aqua imbibitum. Iste est lapis quem cunctis nominibus nominamus, qui opus recipit & bibit seipsum, & est lapis à quo procedit omnis color. Quartum signum est quod suam spissat naturam, hæc igitur est via præparationis. Hujus autem operis fundamentum est patientia, suavitas, mora, & aptitudo instrumentorum ad ea agenda. Ecce in istis 4. signis patet ejus coagulatio cum tinctura. Ex his ad rationes. Ad primam cum dicitur sicut minera se diffundit in durissimos lapides, &c. Dicendum quod est simile & dissimile: simile est in hoc quod sicut metalla generantur in concavo loci obtusi & clausi in lapidibus duris vel similibus taliter, quod à materialibus elevatur fumus sive vapor ratione caloris qui scilicet fumus, dum in se reflexus, & vaporabiliter commixtus congelatur in metallum, illud quod est sibi congruum, & in talis metalli speciem terminatur, cujus est vapor, secundum proprietates cœli, quæ influunt à stellis, & à materia. Qui si esset locus apertus, nullum ibi metallum generaretur, sed tota ejus materia expiraret, sicut in plantis & in animalibus locum habet. Ita à simili, si vas in arte nostra non esset clausum ad inclusionem spiritus, tota vis ejus exhalaret. Dissimile autem est in hoc, quod lapides sunt materia inconveniens ad commixtionem metallorum. Ideo ab ipsis separatur metallum ab inconverso & heterogeneo. Ignis enim heterogenea separat & homogenea congregat, sed in hujus artis mixtione omnia sunt homogenea, ideo fit universalis commixtio, ità quod minimum illius elementi unius est cum minimo alterius. Ideo ignis non separat inter ea, sed totum congelatur in talis metalli speciem cujus vapor est. Quod autem conjugantur per minima, patet per Hermetem dicentem: Nisi lapis noster esset aëreus, non conjungeretur Anhaurit: ita quod ignis non separet inter ea. Et Gratianus dicit, solaris splendor transit in aërem, & ubi transit splendor, transit & aër. Lapis igitur noster aëreus est, quia non obstat ei nec vilui odore tamen sentitur, nec tactu facit vestigium, &

coagula

coagulat Mercurium dissolutum ut ipsum est. Lapis igitur invisibilis est. Hæc omnia Gratianus dicit. Et dicitur lapis aëreus, quia per evaporationem sui in aërem transit, & spiritus efficitur potentissimus, unum extans cum Mercurio ex quo fuit primo. Unde Rosen: Si fuderitis corpus album ut fiat argent. vivum, extrahentur ab eo flores ejus, non autem mutaretur in Mercurium, si non essent homogeneæ naturæ. Unde Kalid filius Ididis, Dixerunt sapientes hujus artis, plures sunt res quibus adjuvatur opus, quæ non proximæ sunt, tamen sunt ex progenie generis sui. Et idem dicit, Masculus & fœmina & quatuor naturæ sunt unum, eo quod alterum generatum est ex altero ex cavernis suis, & ex genere suo, sunt ergo unum & ad unum revertuntur. Igitur ignis non superat inter tincturam & aquam, sed magis coagulat lac virginis, id est Mercurium, ut ipsa sit coagulata. Ad secundam rationem dicendum, quod processit ex falso intellectu. Unde triplicem habet expositionem. Prima sit expositio, quatuor sunt elementa lapidis optime proportionata, Philosophicum constituentia hominem, id est Elixir perfectum humanum, quia multas infirmitates & plurimos defectus humanos fugat ab homine, & lapis dicitur homo, quia nisi ratione & scientia humana ad eum pervenitur. Unde in allegoriis. Accipe hominem &c. Et Assiduus, Benedictus qui tendit ad hunc lapidem, gratiasque Deo agit, quia in nullo propinquiorum vel extraneorum opera indiget: Et Morienes: sed hæc est scientia quæ maxime inter alios inquiri debet, cum & per illam, ad aliam magis admirabilem pervenire possimus scilicet Medicinam, Philosophi cum utebantur hoc lapide, vixerunt longo tempore. Nam ut dicitur in Etymologiis Philosophorum, quod in hoc convenerunt omnes Philosophi, quod lapis noster Hæmatites quando fuerit rubificatus, quod est completus, tunc facit diversas operationes, non solum in corporibus solidis, sed etiam in humanis, lapidibus pretiosis & gemmis: Et non est res mirabilior in hoc mundo, quam ipse est in omnibus operationibus suis. Ipse vero non solum curat metalla, sed etiam corpora humana conservat ab infirmitatibus suis. Et subdit ibidem: Recipe lapidem hæmatitem, & da bibere cum aqua paralytico, hydropico, phrenetico, omnibus leprosis & præcipuis infirmitatibus, videlicet internis & externis, maculas malas quæcunque fuerint in corpore delet, & valet ad visum procul dubio oculorum, & quicquid tale est, maxime confortat naturam. Et scias, qui utitur eo omni die hilaris erit ultra modum, & faciem lucidam reddit omnibus ipso utentibus: Et Melancholiam omnesque malos humores indifferenter à corpore expellit. Et quid mirum, nonne aurum curat multas ægritudines? si facies aurum nobilius auro, spirituatum & attenuatum attenuatione spirituum, curat solida corpora & humana. Est enim Theriaca Philosophorum, ut dicitur in Allegoriis ipsorum. Istæ igitur quatuor naturæ lapidis constituunt Philosophicum hominem quarum tres naturæ, id est terra in aqua sunt tria, scil. duo arg. viva cum sulphure suo, & quarta natura est aqua lapidis, scilicet aurum viscosum quod vocatur gummi rubicundum, quo inficiuntur illæ tres naturæ terrestres, inficiuntur, id est, tinguntur & desponsantur tinctura perenni. Quia ista aqua omnia facit, scil. per eum dissolvitur, coagulatur, calcinatur terra, & inceratur, & per eum retinetur omne volatile. Tres igitur naturæ inficiuntur gummi rubicundo, id est aqua aurea superjactata, quæ est aqua simplex in essentia.

Et consimile huic dixit Moses in Turba, de primo opere: Decoquite ipsum levi igne donec appareat album: Deinde extinguite, & videbitis unum, id est aquam vitæ; à tribus sociis divisum, id est à corpore in quo sunt tres naturæ, quia duo Masculi, scilicet Sol & Mercurius coagulatus, & Luna ista in terra inficiuntur gummi rubicundo superjecto: Nil tamen ponderis id est metallinæ humiditatis accedit præterquam in candido erat, & in aqua viva rubicunda, & æri nostro rubificando, quia naturaliter æs nostrum licet mortuum sit, est rubicundum. Et licet extrinsecus sit album, intrinsecus tamen rubicundum est, adjicias solummodo argentum vivum, id est, substantiam metallinam argenti vivi, tunc in ruborem id est, tincturam auream mirabiliter transformat. Est enim ut dicit Kalid minoris aquæ post præparationem sicut lac, quasi diceret non plus ponderis adjiciet aqua corpori, quam de humiditate metallina in se habet. Quia licet humiditas aquea transeat, sed metallina manet dum solummodo argentum scilicet vivum in ruborem mirabiliter transformat. Unde in Moriene dicitur: Quod Azoth nequit substantialiter Latoni auferre suum colorem, nisi quantum ad visum, sed Laton ab Azoth suam aufert albedinem, & ei dominatur, & rubicundum reddit eum, quoniam Latoni inest naturalis fortitudo, quæ super omnes colores apparet. Ergo bene dixi dummodo solum argentum vivum in ruborem mirabiliter transformat: Est enim color Latonis perpetuus, & quod seminas in Mercurio, metes ex eo. Unde Gratianus, omne metallum est in Mercurio, unde quale seminas in eum, tale & metes ex eo, habet enim fixum incorruptibile semen, id est humiditatem metallinam incorruptibilem: quia aut totaliter incombustus ab igne recedit, aut totus in eo manet, sicut dicit Geber, Et habet in se humidum aqueum superabundans, cum quo transit fixum. Alia Glossa, Tres naturæ gummi inficiuntur rubicundo, nihil tamen ponderis, id est, augmenti præterquam in candido erat, id est in lacte virginis, quia mater ejus virgo est, & pater non concubuit, ut dicit Assiduus. Et Hermes, Cujus pater Sol & mater Luna, &c. Ideo bene dicitur lac virginis, & adjiciet rubicundo & Soli, quia Sol non augmentatur, non enim manet sed corrumpitur in melius. Augmentum enim est præexistentis quantitatis additamentum, sed Sol effectus est Azima seu fermentum corruptum. Diffinitio enim mortis est, animæ à corpore separatio, & animæ mundo corpori conjunctio, & hoc fit dum gummi rubicundum solummodo argentum, terram albam argenteam, quia argentum in ruborem mirabiliter transformat, id est in colorem purpureum, & sic Sol non augmentatur sed ipso corrupto Luna nostra viva in tincturam solarem virtute aceti mirabiliter transformat. Unde Morien. fine stultos in omnibus aliis errare, qui ad hoc propositum nunquam pervenient, donec Sol & Luna in unum corpus conjungantur, quod nisi Deus altissimus voluerit nunquam fiet: Est enim donum Dei & secretum altissimi. Hæc autem conjunctio Solis & Lunæ non fiet nisi post ipsorum corruptionem. Unde in allegoriis: Oportet enim utrumque occidi gladio proprio, inhibendo sibi animas permanentes, donec anima interius occultissima extinguatur, quia ex homine non exit nisi homo, nec ex brutis nisi similia ejus. Similiter nulla erit via ad rubedinem & albedinem, nisi si argentum vivum iguem patiens, Soli & Lunæ con-

conjunxeris, nec aliter animam penetrantem & tingentem ei poteris extrahere quæ in ventre corporis occultatur: Igitur nullum eorum manet incorruptum corporum.

Ideo non fit ibi augmentum, sed genera tincturæ perennis, quæ corruptio unius est generatio alterius, secundum Philosophos, sed hæc dictio solummodo non excludit coagulationem argenti vivi. Quia dicit Rosen: Et memoratus sum coagulationis corporis quod vocatur corpus igneum, & Cambar, & argentum vivum & sulphur rubeum. Et his nominibus nominaverunt animam ab ipso corpore egredientem. Aliter posset exponi, deinde multum ponderis, &c. id est, quantitate non augmentat tinctura in tingendo, dum solummodo argentum in aurum mirabiliter convertit, Ita, quod humiditas metallina cum aqua sociatur, corpus metallinum, id est, pinguedo Solaris & humor Lunaris coagulatur, id est fixatur. Unde Arsuberes in Turba: in urina puerorum & aqua munda permanente coquite ipsum lento igne antequam tingat, donec tota nigredo ab eo recedat, postea de facili confringetur. Si autem recederet sicut aqua tinctorum nostrorum non dicerent aqua perpetua aut permanens, nec dicerent quod de facili confringeretur id est, coagularetur. Hoc enim argentum vivum est perfectio rei, ideo non transit, ut dicit Geber. Consideratio verò rei quæ perficit, est consideratio electionis puræ substantiæ argenti vivi, & est materia, quæ ex materia illa sumpsit originem, & est ex illa creata. Non est autem ista materia argentum vivum in sua natura, nec in tota substantia sui, sed fuit pars illius. Nec est modo cùm lapis noster factus est, sed pars ejus. Ipse enim illustrat & ab ustione conservat, perfectionisque significatio est, Laudetur igitur Deus omnipotens, qui creat carissimū ex re vilissima, qui est lapis noster, de quo fit opus istud habens in se omnes colores.

Est enim albus, rubeus, rubicundus, citrinus, citrinissimus, cœlestinus, viridis, gravis. In lapide isto sunt quatuor Elementa. Est enim aquaticus, aëreus, igneus & terreus. In occulto ejus est caliditas & siccitas, & in manifesto frigiditas, & humiditas, & est oleum, & istud est siccum, & illa siccitas tingit Alchimice, quia siccitas tingit & non aliud. Humiditas autem aquosa & adustiva corrumpit hoc opus & tingit in nigredinem. Istas igitur infirmitates oportet destruere per gradus ignis, de quibus hoc melius, censendum est, ut quod post coagulationem suam in tali gradu ignis teneatur, quod fugere non possit, donec majorem possit sustinere gradum ignis, in quo teneatur iterum per dies dummodo ipsum non effugiat, quod ad triplum majorem possit sustinere ignem, & sic manu ducatur de gradu in gradum, donec ignitionem perfectam in corpore patiatur & igem non effugiat, & in ultimis tribus gradibus expedit vas lapideum non porosum, ignem patiens, sicut præcessit sermo in fine libri primi. Nec credo in vitro, mediante cinere, hæc fieri posse igne Philosophico, quod non agere possit actiones in gradibus ignis, per tot media removentia fixationem medicinæ scilicet per testam & cinerem, nisi pendeat lutatum in rota super ignem æqualem in gradibus suis. Unde Gratianus, in primo gradu, expediunt vasa metallica, scilicet in primo opere: In secundo gradu vitrea, scilicet ad coagulationem, & terræ dealbationem, & donec tota vis aquæ incineretur: in tertio gradu expediunt vasa testacea, scilicet quoad fixionem ejus plenariam &c. *Amen.*

Explicit Studium Consilii Conjugii de Massa Solis & Lunæ Artis completæ, &c.

LIBRI III. SECTIO II.

Quâ Autores Chemici *qui ab ipsô* RICHARDO ANGLO, *ad usque* IOH. PICUM MIRANDUL. *inclusivè scripserunt, adducuntur.*

SUBSECTIO I.

RICHARDI ANGLICI Libellus utilissimus περὶ Χημείας, *Cui titulum fecit*, CORRECTORIUM.

CAPUT I.

Præfatio. Quomodo Ars imitetur Naturam.

CUM omnis rerum emendatio illius rei naturam augmentet, cujus est: Ideo in multis Philosophorum datis, per artem emendatur natura ultra suum motum, quem habuit in prima forma. Et tamen nulla res laborare potest, nisi mediante natura, cum ipsa natura in arte occultè & intrinsecè laboret per artis administrationem: per hoc sequitur emendationem naturæ virtutis esse augmentationem, & artis laborem, illius rei emendationem. Quoniam natura perficit suum gradum, quem naturaliter perficere potest, & illum præterire nequit, nisi ipsa natura impedita fuerit per artis impedimentum. Quamvis enim ars naturam non transcendat, faciens novam naturam per simplicem laborem, tamen ars transcendit naturam, quoad illam naturam quam potest propriè subtiliare. Et ideo dicitur: Ars imitatur naturam, non quod novam ædificet, sed quod illius naturæ virtutem subtiliet. Ad hæc incipit ars proficere

proficere, ubi natura deficit, subtilem naturam in re inclusam detegere, & ipsam manifestare. Cum natura generat metalla, tincturas generare nequit, quamvis bene tincturam in se plenam occulte contineat. Unde Philosophus: Natura continet in se quibus indiget, & non perficitur, nisi moveatur arte & operatione. Quare in nostro opere ars non est aliud, quam adjuvamen naturæ, quod patet in multis artium operibus Laicorum: ubi natura primum producit lignum: Secundo, ustio ignis de ligno cinerem: Tertio ars de cinere vitrum: Et hoc totaliter intelligendum est. Si in cineribus ista prima materia vitri occulta non fuisset, ars nequaquam vitrum inde produxisset, aut perfecisset, sine natura præhabita. Et sic perpendes, quod è nullis rebus aliquid dici potest, quod in ipsis non exiit: ideo omnis species in sua specie, & omne genus in suo genere, & omnis natura in sua natura, naturaliter virtutis affectat augmentum, & fructum affert juxta naturam suam, & non in alia natura sibi contraria, cum omne seminatum suo semini correspondeat, hoc dicimus quoad generationem. Non generatur ab homine, nisi homo, nec ab aliquo tali, nisi simile sibi, & quoad naturam imitandam per artem, non facit hoc aliqua res simpliciter laborans per ministerium naturæ, nisi per naturæ illius complexionem: quoniam si aliena natura pior introducitur, immediate ars simpliciter non imitatur naturam, sed illæ pejores naturæ extraneæ inficiunt illam naturam, & statim non fit ex ea quod fieri credebatur: quoniam omne pejus laborans in aliqua re, nititur melius destruere, & omne melius laborans in aliqua re, nititur pejus perficere. Et ideo unicuique artifici naturam imitari necesse est, & illius naturam cognoscere, cujus rei naturam ars sua imitatur alioqui fatue per artem ipse naturam dignoscitur emendare.

CAP. II.

Studium Philosophiæ esse necessarium ad hanc Artem.

STudium secundum Doctores amovet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram scientiam, & cognitionem cujuslibet rei. Ergo in primis necesse est, per studium hujus suavis operis, scientiam acquirere, & per Philosophica dicta ingenium acuere, cum in ipsis sit cognita via veritatis. Si ergo laborantes laborem non despexerint, fructum inde provenientem dulciter gustabunt. Qui vero studere abhorruerint, laborando perpendant in suis cogitationibus, utrum ars ipsorum sit naturæ imitatio, præcipue illius rei, cujus naturam ars illorum emendare debet. Nam præter naturæ imitationem impossibile est ipsis secreta Philosophorum ad perfectum finem perpetrare: sicut de his loquitur Philosophus: Hi transeunt ad practicam, sicut asinus ad fœnum, nesciens ad quid porrigat rostrum, nisi in quantum sensus exteriores, sine intellectu, per visum & gustum ad pabula deducunt. Sic ipsi asini sine veris principiis & studiis fructuosis, ac naturarum cognitione, quærunt perficere opera naturæ, & secretum secretissimum totius naturalis Philosophiæ, ac opus optimum, quod hominem ornat moribus, ditat beneficiis, auxiliatur pauperi, & corpus humanum incolume conservat, præbens ei sanitatem. Et postea subditum de illius occultæ naturæ medicina: Et ideo omnes hujus artis beneficium diligentes, studiis insistere tenentur, & ex libris veritatem exhaurire, & non ex fabulis fictis & operibus mendosis, cum hæc ars nullatenus veraciter inveniatur (quamvis hominibus multæ sophisticationes appareant) nisi post terminum studii & philosophicorum dictorum cognitionem, seu per scientis fidelem informationem cum docetur. Qui enim in legendis libris defes extiterit, in præparandis rebus promptus esse non poterit, & ultra: Non bene potest est de levi practicæ assuescere cujus mens in studiis renuit desudare.

CAP. III.

De Principiis naturalibus.

NOn est autem hæsitandum hanc artem habere vera principia naturalia, cum ipsa natura corpora metallica formet in minera, quod patet per Aristotelem 4. Meteoron. ubi distinguit corpora mineralia in quatuor species: In lapides, in liquefactiva, in sulphura, & sales, & horum quædam sunt raræ substantiæ, & compositionis debilis, & quædam fortis substantiæ, & quædam eorum ductilia, & quædam non. Et quæ illorum rationes generationis sint, patet ibidem: ergo hic non est necesse poni.

CAP. IV.

Quot sint Partes Mineralium.

DIstinguuntur autem corpora mineralia specialiter in duas partes, scilicet in partem metallicam, id est metalla, quæ originem ex Mercurio ducunt, ut aurum, argentum, cuprum, stannum, plumbum, & ferrum, & dicuntur mineralia majora: Et in partem mineralem, quæ originem ex Mercurio non ducunt, ut sales, atramenta, alumina, vitriolum, arsenicum, auripigmentum, sulphur, & similia, & dicuntur mineralia minora: sunt tamen corpora non metallica, cum manifestum sit, quod majora mineralia, id est corpora metallica, originem habeant ex sulphure & argento vivo, secundum magis & minus depurato. Et nunc ponam differentiam eorum generationis, & dicam unde originem habeant, quod tamen sufficienter patet in multis philosophorum libris.

CAP. V.

De Metallis, quæ originem ducunt ex Mercurio in genere.

SUnt autem uctibilia, omnia liquabilia metalla, quæ originem ducunt ex Mercurio: nam materia eorum est substantia aquea, mista cum substantia terræ, commistione forti, & non potest unum ab altero separari: quare congelatur substantia aquea illius cum frigore magno post actionem caloris, & ideo ductibilia sunt, & fabricabilia. Sed non congelatur sola aqua, nisi siccitate? quæ alteravit aqueitatem & terrestreitatem cum in ipsis humor non est nimis unctuosus: nam congelatio eorum est ex siccitate terrestri, ideo non faciliter solvitur, nisi per actionem caloris vehementum in ipsis, secundum quod sunt fortius ac fortius commista.

CAP. VI.

Quomodo Metalla ex Mercurio fiant, in ſpecie.

RErum natura omnium liquabilium genera naturaliter operata eſt ex Mercurio, vel argento vivo, & ſui ſulphuris ſubſtantia, eo quod proprium eſt argenti vivi quod coagulatur ex vapore, ſicut ex calore ſulphuris albi vel rubei non urentis. Unde Ariſtot. in 4. Met. Si ſulphur album non urens fuerit, congelat Mercurium in argentum bonum. Si ſulphur purum cum rubore clarum, & in eo vis igneitatis ſimpliciter non urentis, congelat Mercurium in aurum puriſſimum: quoniam omne ſiccum naturaliter ebibit ſuum humidum, ut in ſuis partibus ſit conſummatum, Vapor ergo ſulphuris argentum vivum coagulantis ex ſua ſubſtantia eſt terreus, ſubtilis, aëreus, decoctus, & digeſtus à commiſtione prima ſibi unita à concoctione caloris. Poſtea elevata, decocta & digeſta, donec habeat vim ſulphuream coagulandi Mercurium in corpora metallica, ſecundum quod ſulphur fuit ſimplex, vel adurens, quod perfectionem vel imperfectionem in metallis, cauſat, ut poſtea apparebit. Exemplum de his, quod ipſorum prima materia ſit argentum vivum: quoniam cum liquefit per calorem, convertitur in ipſum. Certum quippe eſt, ipſa antea fuiſſe argentum vivum, quia omnis res de eo in quod reſolvitur, eſt: nam glacies convertitur in aquam, calore mediante, neceſſarium eſt ergo prius aquam glaciem fuiſſe.

CAP. VII.

De Generatione Sulphuris & Mercurii, & quæ ex eis oriantur Metalla in generali, & quomodo perfecta ab imperfectis differant.

HIc notandum eſt, quod ſulphur provenit ex pinguedine terræ, in minerâ per temperatam decoctionem inſpiſſata, quouſque induretur & ſicca fiat. Et quum indurata fuerit, Sulphur vocatur. Argentum vero vivum in ſua radice prima, eſt compoſitum ex terra alba, ſubtili, nimium ſulphurea, cum aqua clara fortiter admiſta, & unita tali unione per minima, quouſque humidum temperetur à ſicco, & ſiccum ab humido æqualiter, donec fiat ſubſtantia una, non quieſcens in ſuperficie plana, nec adhæreat tangenti propter ſiccitatem, quæ alterari aqueitatem in ipſo. Eſt autem homogeneum in natura, quia aut totum remanet in igne, & fixum, aut totum evolat in fumum, quum ſit incombuſtile, & aëreum, & hoc eſt ſignum perfectionis: & ideo quum poſtea de terra ſulphurea decurrit, calefactum ſuperius aſcendit. Unde in ſua natura eſt, ut per calorem ſublimetur. Veruntamen continua ſublimatione nimium ſublimando depuratur, decoquitur, & inſpiſſatur, ac per ſulphur album & rubeum gradatim congelatur: quod quidem ſulphur diſſolvitur multoties, & poſtea congelat argentum vivum, & illius ſublimatione inceratur caloris actione, donec vix in millibus annorum ſucceſſive, & operatione naturæ in perfectum metallum congeletur. Et ſic quidem ipſa natura in vaſis mineralibus, mediante calore operatur metalla. In iſtis ergo operibus naturam imitari oportet quicunque vult medicinam perficere, ad imperfectorum perfectionem, licet iſta corpora differant in compoſitione ſua ab argento vivo, quæ ab eo generantur eodem modo, quo ipſum fuerit purum vel impurum, & ſulphure mundo vel immundo, ſibi extraneo, ut dictum eſt. Si enim argentum vivum coagulatur à ſulphure albo, non urente, erit argentum. Si coagulatur ex ſulphure puro, in quo eſt vis igneitatis, ſimiliter non urentis, erit aurum. Si vero ſulphur fuerit malum & debile, & Mercurius bonæ ſubſtantiæ, convertit ipſum in æs. Si vero argentum vivum fuerit poroſum, terreum & immundum, & ſulphur etiam immundum, fœtidum & terreum, & fixæ ſubſtantiæ, fit ex ipſo ferrum, quod poſtea, non funditur. Stannum vero videtur argentum vivum bonum habere, ſulphur vero malum, non bene miſtum, & quaſi non bene congelatum. Plumbum vero habet argentum vivum malum & groſſum, mali ſaporis & fœtidum, ac debilis virtutis: unde aſſidue per ignis violentiam corrumpitur. Sic differunt corpora metallica ab argento vivo, ſecundum quod ipſis ineſt ſulphur extraneum, vel adurens, vel ſimplex. Ex ſic conſideratur, quæ virtus ſit in ipſis. Cum enim multa quantitas ſulphuris ſit infectio, & multa quantitas argenti vivi in ipſis dignoſcitur eſſe perfectio, cum ſit incombuſtibile & aëreum, quoniam ſulphur comburit, & comburitur, & perfectionem omni tempore impedit, Hæc de verbo ad verbum ſunt Philoſophorum dicta ſuper Ariſtot. in 4. Meteor. Credendum eſt autem, quod ipſorum Philoſophorum veritas in aliquo mendacio nunquam eſt reperta. Sic faciens ars ſequitur viam naturæ, ex quibus elici veritas poteſt: nec eſt credendum fabulis fictis nec operibus mendoſis, ab opere naturæ omnino extraneis ut dicitur. Qui credit mendacio, & non ſecretis Philoſophorum, perdit tempus cum opera, & labores.

CAP. VIII.

De Formatione Mineralium, quæ originem ex Mercurio non ducunt.

SUnt autem media mineralia ſecundum quod dictum eſt, quæ originem ex Mercurio non ducunt, id eſt, ex Mercurio propinquo, & debilis ſubſtantiæ: & horum quædam ſunt ſales, quæ liquefiunt humido faciliter, ut alumen & chalcanthum, ſal ſimplex, & ſal ammoniacus, ſal petræ lapidis, & omnia genera ſalium. Et quædam ſunt unctuoſa, nec liquefiunt ſolo humore faciliter, ut auripigmentum, arſenicum, ſulphur, & alia ſulphurea. Nam aqueitas ſulphureorum eſt commiſta cum terra viſcoſa, commiſtione forti cum ferventia caloris, donec facta ſunt unctuoſa, & poſtea coagulata ſunt ex frigore. Atramenta vero compoſita ſunt ex ſale & ſulphure, & lapidibus. Creditur in eis eſſe vis mineralis aliquorum liquabilium, quæ ex eis fiunt, vel chalcanthum & colcotar, quæ generantur ex majoribus granis attramenti, & non ſolvuntur, niſi ſolvatur ſalſedo cum ipſis, quæ eſt in ipſo ſulphure, & poſtea congelatur in frigore, & iſtud jam accipit vim mineralem, ab aliquibus corporibus naturaliter in terra. Quod accipit vim ferream erit rubeum, vel terreum, & colcotar. Quod autem vim æream accipit, hoc erit viride æris, vel chalcanthum. Unde eſt poſſibile iſta duo, ſcilicet colcotar & chalcantum ab ipſo generari. Quamvis autem omnia prædicta participent in vi minerali cum metallis, tamen corpora metallica artificialiter ex ipſis fieri non poſſunt, cum alterius ſint naturæ, & cum eis una materia propinqua originem non duxerint.

duxerint. Non tamen nego, quin cum ipsis possint metalla purgari aut dissolvi, ac sophistitica forma per ea introduci, ut in ipsis errent homines. Potest quoque plumbi nigredo sive immunditia abstergi, veruntamen plumbum semper manet plumbum, quamvis videatur argentum, & introducant in eo novas qualitates alias, ut appareat argentum. Sic artifices etiam possunt facere congelationes per ea, id est, ex Mercurio humidum extrahere cum rebus siccis, ut videatur Mercurius coagulatus, sed ista coagulatio est pessima: Philosophorum autem coagulatio, non humidum exiccat, sed Mercurium suæ radicalis humiditatis consumptione coagular. Audi quid dicit Aristoteles: Sciant Artifices Alchemiæ, species rerum transmutari non posse, sed similia illis facere possunt, & tingere rubeum citrino, & album tingere colore rubeo, donec fiat multum simile auro, vel argento, ut hi qui conjungunt stannum, cuprum & Mercurium, & inde faciunt aurum sophisticum. Sic expolitio per minora mineralia non est impossibilis, aut vapor caloris, ponderis etiam diminutio contra hæc non stant, sed contra verum aurum & argentum, quæ nequaquam in natura & arte conceduntur fieri, nisi reductione corporum in primam materiam: sic species rerum transmutari possunt, ut postea Aristoteles subdit: & hoc non fit per solam liquefactionem, sed per congelati Mercurii resolutionem, cum admistione sui spiritus, corpus in Mercurium transformatur.

CAP. IX.

De Generatione Sulphuris vulgi, & simplicis, & Mercurii.

CUm jam dictum sit, quod sulphur in metallis est impedimentum, nunc pono differentiam in Mercurii generatione & sulphuris, quamvis ex utraque parte causent metallum, scilicet Mercurius essentialiter, & sulphur ex parte accidentali, tamen illud sulphur adhuc est duplex, vivum & adurens. Vivum causat metalla, quamvis unum differt ab alio, secundum quod plus existit viscositate terræ infectum, cùm tamen sulphur simplex vivum, causans aurum & argentum non est nisi vapor calidus, & siccus, generatus ex puriſſima siccitate terrestri, in quo omnibus modis prædominatur ignis, & illud dicitur elementum cum Mercurio metallorum. Sed generatio sulphuris vulgi differt à generatione Mercurii, ut dictum est, quod aqueitas sulphuris vulgi est commista cum terreitate viscosissima, cum fervente calore, & facta sunt unctuosa. Sic generatio Mercurii differt in parte secunda à generatione sulphuris istius, cùm sit generatus ex terra subtilissima, albissima, sulphurea, cum limpidissima aqua quam terra parit admistione fortissima, ita quod unum ab altero separari non possit, donec non quiescat in superficie plana, nec adhæreat tangenti propter siccitatem terræ, quæ alterat aqueitatem ratione fortis admistionis, & ideo est elementum cum sulphure simplici omnium ductibilium. Vel propriè, simile est aliquibus ductibilibus, & ideo propter concordiam aliquam ipsorum generationum, commiscetur sulphur Mercurio, & unum alterat aliud in natura. Quare unumquodque corpus metallicum in se sulphur expressè habere dignoscitur & Mercurium. Cùm liquescit calore mediante, apparet Mercurii substantia, & sulphuris, maxime in colore & cute rubea superius nascente. Sed proprium naturæ unius est adhærentia alterius, cùm unum sine alio metallum generare non possit. Et in quantum sulphur fit magis simplex in tantum magis gaudet & cohæret Mercurio simplici ac mundo, ut fortius unum cum alio conjungatur, & tunc perfectiora ex ipsis generantur metalla.

CAP. X.

Quod impossibile sit media mineralia artificialiter fieri Metalla.

SEd quia in præcedente capitulo determinatum est, minora mineralia artificialiter non posse fieri metalla: ideo propter majorem veritatem, restat hoc fortius probandum. Primo sic: Quia minora mineralia de prima metallorum materia, quæ est Mercurius, non sunt generata. Cùm autem generatio eorum cum generatione Mercurii in primo differat in forma, & materia, & compositione: ideo etiam metalla fieri non possunt: quia unius speciei una est materia prima, & sperma ex quo generatur. Sed prima pars antecedentis patet, quia minora mineralia non sunt generata ex Mercurio, ut patet per Aristotelem & Avicennam. ideo si deberent fieri metalla, oportet quod primo transirent in materiam primam metallorum. Sed quia artificialiter id fieri non potest, ideo metalla minimè erunt. Sic secunda pars antecedentis sufficienter patet, ut declaratum est in præcedenti capitulo. Secundo ad idem: Quia minora mineralia principium artis artificialiter fieri non possunt, quod est Mercurius, ideo etiam medium & finem non pertingunt, quæ sunt metallum & tinctura. Consequentia tenet: quia nutrimentum in homine per generationem, non potest fieri homo, nisi prius convertatur in sperma, & sic addito suo simili, novus generatur homo. Sed quia minora mineralia à metallis extraneæ sunt naturæ, quamvis in aliqua vi minerali participant, tamen debilioris sunt virtutis, & adustibilia: ideo natura metallica de ipsis non gaudet, sed ea respuit. Conservat autem ea quæ suæ naturæ sunt. Verbi gratia: Si miscerentur aqua & terra, tunc separantur ab invicem, quia terra petit fundamentum, cùm sit gravis & ficca, aqua vero superficiem. Et nequaquam artificialiter sic possunt conjungi, quod istæ duæ naturæ stent in una natura conjunctim, quamvis aqua possit abluere & mundare terram. Sed quod siccitas terræ artificialiter mutetur in humidum aqueum, credi impossibile est, licet terra madefiat aqua. Sic minora mineralia possunt conjungi cum metallis, & ea purgare, & aliquo modo novam formam introducere, sed cum ipsis permanere, & illud immaturum maturare natura non concedit. Quare fatui sunt, qui tot & tam diversa negotia, & sophistications ad decipiendum homines adducunt, scil. res improportionabiles, quæ nec naturam dant, nec eam recipiunt, scilicet secundinas, testas ovorum, crines, sanguinem rufi hominis, basiliscum, vermes, herbas, stercus humanum: & sic de infinitis generibus stercorum, volentes cum pessimis optima perficere, & naturæ defectum cum his adimplere. Sed quia in his naturalibus, nec aliquatenus talium unquam veram materiam imaginando sunt perscrutati, volentes stercus seminare & metere triticum, quod satis videtur impossibile, ut dicitur, Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Ergo si stercus seminat, stercus inveniet. Quæ non est mirum, quod nullus in tali stercore perficit, cum sint deluſi & omnes ipsis adhærentes. Semina igitur aurum & argentū, ut

afferant fructum cum labore tuo, mediante natura, quia ipſum habet, & eſt illud quod quæris, & nulla alia res mundi: cum alia omnia ſint fœtida & naturæ cedant per ignis aſſiduitatem, & examen. Sunt & aliqui Alchemiſtæ in minoribus mineralibus laborantes, ſcilicet in quatuor ſpiritibus, ut ſulphure vulgi, & arſenico, & auripigmento, & ſale armoniaco, volentes ex his tincturas perficere: ſed illud minime facere poſſunt, ut patet per diffinitionem naturæ. Quia tingere non eſt aliud, quam tingens tinctum in naturam ſuam transformare, & ſecum ſine ulla ſeparatione permanere, docens naturam præliari contra ignem perſequentem: & ita, ut natura tingentis & tincti concordent: verbi gratia, Si ex auro vel argento tinxeris plumbum, vel ſtannum, vel aliquod tale, quod concordat in naturis, quia originem ex utraque parte ex Mercurio duxerunt: & cùm maturum immaturo conjungitur, cum maturo perficietur in tali via. Sed cùm iſti quatuor ſpiritus ſint alterius naturæ cum metallis, ut ſufficienter prius dictum eſt: ideo ſi tingunt, tunc quæro, utrum debeant convertere, vel converti. Si converti, tunc tinctura non eſt, ut prius patuit per ejus definitionem: ſi autem convertere, tunc tingendum convertet in ſuam naturam, & hæc eſt terrena, naturæ metallicæ contraria: ideo tingendo metallum facere non poteſt. Quod autem tingens tingendum convertat in ſuam naturam, probatur, quia omne generans naturaliter generat ſibi ſimile, ſed quia natura quatuor ſpirituum generans eſt terrea, ideo generabit ſibi ſimile, quod etiam erit terrea materia ſicut ipſum. Sic etiam omnem aliam tincturam fatuam, quæ non invenitur in proprietate metallicæ naturæ, deſpicias cum viis aliis naturæ extraneis, quia in ipſis non eſt aliud, niſi rerum conſumptio, temporis perditio & laboris, cùm omnia iſta apparenter ſint metalla, & non exiſtenter, quæ per minora mineralia, vel conſimilia ſunt præparata. Et ergo ſtultum eſt, quærere in re, quod antea non fuit in illa, ſicut verum aurum & argentum in rebus fœtidis & aduſtibilibus.

CAP. XI.

De differentia Sulphuris vulgi, & Philoſophorum ſimplicis non adurentis.

NUnc quærendum eſt de differentia ſulphuris ſimplicis Philoſophorum non adurentis, & ſulphuris vulgi. Cùm Philoſophus generaliter loquatur: ſulphur coagulat Mercurium; Utrum omne ſulphur Mercurium coagulet? Dicendum eſt quod non. Quia omne ſulphur vulgi, ſecundum Philoſophum, metallis eſt contrarium. Item Avicenna: Non intrat in magiſterium noſtrum, quia non eſt ortum ab eo, cùm ſemper inficiat, denigret, & corrumpat, quocunque modo per artificium præparetur. Eſt enim ipſum ignis infectus. Ergo ſi figitur, fuſionem impedit, nec eſt poſſibile corpori conjungi, cujus exemplum cernitur in ferro, quod ſulphur fixum, groſſum, immundum in ſe habet dignoſcitur. Si verò calcinatur, in terream redit ſubſtantiam, ut pulvis mortuus. Et quomodo poſſet aliis metallis vitam inſpirare? Habet enim duplicem ſuperfluitatem, inflammabilem ſubſtantiam, & terream fœculentiam. Igitur per hoc conſidera ſulphur vulgi, & non Philoſophorum, cùm ſit ignis ſimplex, vivus, vivificans alia corpora mortua, & ea maturans, & ita quod naturæ defectum ſupplet, cùm ipſum ſit per ſe ſuperfluæ maturitatis, ſecundùm quod in ſua natura eſt perfectum & per artificium magis ac magis depuratum. Unde iterum Avicenna: Tale ſulphur non reperitur ſuper terram, niſi quantum exiſtit in iſtis duobus corporibus Sole & Luna. In Sole autem perfectius, quia magis eſt digeſtum & decoctum. Philoſophi autem ſubtiliter ſunt imaginati, quomodo ex illis corporibus perfectioribus ſulphura illa elici poſſent, & ipſorum qualitates melius purgari per artem, ut hoc fieret in arte mediante natura, quod antea in ipſis non apparuit, quamvis plenariè occultè habuerint. Et hoc nequaquam fieri concedunt ſine corporis ſolutione, & in primam materiam reductione, quod eſt argentum vivum, ex quo facta ſunt ab initio, & hoc ſine ulla admiſtione rerum extranearum, cùm extraneæ naturæ lapidem noſtrum non emendent: quoniam nihil convenit rei niſi quod propinquius eſt ei, cùm ſit medicina ſimplicis, ac mineralis naturæ, ex aqua Mercuriali producta, in qua aurum & argentum prius ſunt ſoluta. Verbi gratia: Si in ſimplici aqua congelata glacies * ex nive creavit virtus, in ea ſolvitur per calorem, & redit in primam ſubſtantiam aqueam, & ſic aqua tingitur ex virtute, quæ occulta fuit in glacie. Si autem glacies non reſolvitur per calorem in aquam, non conjungitur aquæ, in qua jacet, nec illa aquam tingit ſua virtute, quæ in ea ante coagulata fuit ex parte ſpecierum. Sic eodem modo, ſi corpus non reſolveris in Mercurium per Mercurium, occultam virtutem ex eo habere non potes, puta ſulphur digeſtum, & decoctum per opus naturæ in minera. Sic lapis eſt unus, una medicina, quæ ſecundùm Philoſophos dicitur Rebis, id eſt bina re, ſcilicet ex corpore & ſpiritu albo vel rubeo, in quo multi fatui erraverunt, diverſimodè exponentes illud:

Eſt Rebis in dictis rectiſſima norma figuris.

Id eſt, duæ res, & hæ duæ res ſunt una res, id eſt aqua conjuncta corpori, quo corpus ſolvitur in ſpiritum, id eſt in aquam mineralem, ex qua factum eſt ab initio: & ſic ex corpore & ſpiritu fit una aqua mineralis, quæ dicitur elixir, id eſt, fermentum: quia tunc aqua & ſpiritus eſt una res, ex qua fit tinctura & medicina omnium corporum purgandorum, quod multis fatuis videtur impoſſibile. Igitur ex una re, quæ eſt aqua corporis, & ſpiritus, medicina perficitur. Unde verſus:

Hæc fallit multos ſua per problemata ſtultos.
Ars unam poſcit rem, quam quivis bene neſcit,
Hanc optant plura rem, res ſic eſt tamen una.
Illi non ſimilis præeſt, pretio quoque vilis,
Nec contemnenda, nam perficit illa ſtupenda.
Hanc tu fixare debes, & in igne domare:
Sic quod & aſcendat, & rurſus ad infima tendat.
Diſſipa rem captam, per rem prius hanc ſatis aptam,
Leniter extractam, ſic maſſam contere factam.
Hæc non feſtinet, ſed temporis ordine fiet.

Item alii verſus, quod corpus groſſum fit ſpiritus ſubtilis, id eſt fixum volatile: & è converſo, volatile fiat fixum,

Aſpera res lenis quoque fit vaſis in amœnis.
Quæ dum calcatur, tamen à doctis adamatur.

Alii verſus, quod vice verſa ſit fixum.

Sed dum fixatur hæc res, & in igne domatur.
Hanc tegit umbra ſua, rerum ſubſtantia quinta.

Id eſt fermentum ſecundum, qualiter incepiſti, taliter finias cum fermento. Alii verſus de Inceratione, cum funditur, tunc omnia cum eo funduntur.

Omnia conjungit, ſi funditur, omnia fundit.

Et

Et sequuntur plures versus secundum Albertum, ad quos remitto studiosos. Et sic exposui tibi quid sit Rebis,& Elixir, & Medicina, & unde dicantur,& quæ aquæ Philosophorum,ex qua viva fiunt elementa postea, & è converso unum fiant, Versus,

Quatuor ex uno fiunt, & quatuor unum.
Hæc sunt secreta, sic gaudebis sine meta.

Et sic secundùm Philosophos habemus naturam Sulphuris & Mercurii super terram, ex quibus aurum & argentum factum est sub terra. Ex his dictis videtur, quomodo ars imitatur naturam,& per nullum alium modum.

CAP. XII.

Quomodo Sulphur album & rubeum existat in Luna & Sole.

CUm sit dictum, quod sulphur Philosophorum rubeum, existat in Sole, per majorem digestionem & sulphur album in Luna per minorem digestionem. * Unde Philosophus : Citrinatio non est aliud quàm completa digestio. Nam calor agens in humidum, primo generat nigredinem, & agens in siccum generat albedinem, quam albedinem ignis transcendit, agens in eo, purissimam citrinitatem causat. Et hæc omnia in plumbi calcinatione attendi possunt. Etiam dicit Philosophus: quod jam actu unumquodque perfectorum corporum suum sulphur bonum cum Mercurio contineat, scilicet aurum aureum,& argentum argenteum.Ideo sulphur album per citrinitatem fit aureum,eo quod sulphur rubeum, id est ignis substantia est ibi, qui hoc album plus digessit, & sic sulphur album & rubeum ex utraque parte existit in Sole. Quare ignis est summa ejus perfectio, ut in igne generati. Et ideo amicabiliter congaudet natura suæ igneæ naturæ. Unde quæritur : Utrum aliquæ res extraneæ hoc in corporibus possint causare ? Cùm ars non fit aliud, mediante natura, nisi coctio & digestio illius naturæ per simplicem laborem. Verbi gratia. De mane cum surrexi, & video urinam meam albam, judico me nimis parum dormivisse, repono igitur me ad dormiendum, & accepto somno, urina fit citrina, & hoc nullo alio modo fit, nisi per digestionem caloris naturalis : Sic sequere naturam per artem similiter decoquendo, digerendo & maturando, & subtiliando, cùm jam actu contineat natura in se ignem naturalem, quo maturatur, hunc aliæ res non habent, & eum dare non possunt. In Luna verò non est, nisi sulphur simplex album, non tantum digestum sicut rubeum, cùm non sit nigredine privatum per actionem caloris, quem in se naturaliter continet, sed ignis species est obtecta & occulta, agens tam in arte, quàm in natura, & è converso. Et ideo non est impossibile, quod ars, mediante natura, hoc plus digerat & perficiat, cùm naturaliter natura appareat perficere: sed per se non potest, nisi juvetur arte & operatione: quamvis isti labores, ut credo, non perveniant ad hominem duræ cervicis. Quia boni laboratores rarò inveniuntur. Et ideo non fit verum argentum & aurum, nisi fiat ita digestum & decoctum, velut medicina, cum qua tingitur, & in melius melioratur pejus. Quia omnium Philosophorum intentio est, cum meliori pejus perficere. Quod fatui contrariè intelligunt : quia cum pejori melius perficere nituntur, & hoc quærunt in re, quod nunquam fuit in illa, scilicet aurum & argentum in stercoribus, & in rebus adustibilibus, & hoc faciunt sophisticè, ut appareant hominibus vera, ut dictum est prius.

CAP. XIII.

Quod in aliis corporibus ægris, non est utile hoc sulphur quærere, cùm in ipsis non sit.

QUæri verò non immeritò potest, utrum in aliis ægris corporibus, hoc sulphur, scilicet album & rubeum, ad Mercurium tingendum elici possit ? Dico quod non. Quia prius dictum est, quod in ipsis non est aliqua materia majoris temperantiæ, & minoris fæcis, quam in istis duobus corporibus, quibus insunt radii tingentes, quibus uti possis ad tingendum, sed cum aliis non tinges, cùm priùs dictum sit, quod in se contineant sulphur fœtidum & adustibile, & non virtualis naturæ, sicut in istis,cùm omnis ars non valeat nisi prohibita natura quam sequatur. Posses tamen purgare metalla imperfecta cum minoribus mineralibus, & cum purgata essent, non haberent auream vel argenteam naturam in se, quia decoctio vel digestio aurea non fuit in eis, sicut in istis duobus corporibus nec sulphur ita maturum, & ideo ipsis immaturis succurrendum est cum maturo, ut maturentur. Igitur non tingunt, sed tinguntur, quia tinctura auri vel argenti in ipsis habet proportionabilem naturam, quia cum eis originem ex Mercurio duxerunt. Ex his manifestè patet, quod minora mineralia tingere non possunt. Quia si corpora imperfecta metallica, quæ conveniunt cum auro & argento ex parte Mercurii tingere non possunt, nec naturam auream sive argenteam infundere, quomodo tandem illa facere possent, quæ non conveniunt in aliqua natura cum eis ? & ideo non est tingendum, nisi cum illis, quibus inest virtus tingendi. Tinge ergo cum auro & argento, quia aurum aureum, & argentum argenteum tribuit colorem & naturam. Quare omnia alia despicias, cum ipsis nullus fructus sit, sed solum rerum perditio, nec non temporis & laboris.

CAP. XIV.

Quod Aurum curet infirmitates, & alia corpora metallica.

CUm autem inter vulgares & dictos Aurum famam teneat : quod in prima dispositione manens, lepram curet, & plures alias virtutes habeat, & hoc non est nisi propter completam ejus digestionem, quia excellentia ignis in eo agens omnes malos humores consumit in corporibus ægris existentes, tam in calidis quàm in frigidis causis. Sed hoc argentum facere non potest, quia tantam superfluitatem ignis non habet, & tantum non est digestum, & coctum naturali maturitate. Tamen isto non obstante igneitates in se occultè & virtualiter habet, sed non ita plenè, quia adhuc ignis non vincit alias qualitates elementares sicut in auro. Et ideo argentum in sua prima dispositione manens, non curat lepram ita potenter, nisi prius per artem digeratur, quousque habeat summos gradus auri, & omnem maturitatem. Quare alia ægra corpora metallica, minus curant infirmitates, secundum quod magis differunt in perfectione & maturitate ab eis. Aliud minus, aliud magis differt, & secundum hoc minus curant, quod est ex defectu

ſulphuris infecti, fœtidi & urentis, ex quo in genere coagulationis facta ſunt ab initio, & ideo non curant, cum ignis in ipſis ita infectus ſit elementaribus fœcibus, & urens, cum adustione aliarum elementarium qualitarum.

Nunc ad propoſitionem primam virtutis auri curantis. Cum autem tanti vigoris ſit promulgatum, & hoc in prima ſua diſpoſitione manens: Quid eſt mirum, ſi in medicinam (ſicut expertum eſt) per artis miniſterium ſequentis naturam redigatur? & ejus virtus ſubtiletur per digeſtionem decoctionis, & qualitatum purgandarum, quod plures ac infinitas, ſeu omnes ægritudines tunc habeat curare? Quod patet per Arnoldum de Nova villa expertiſſimum medicum hujus ſummi operis, qui Dominum Apoſtolicum, Dominum Innocentium à peſte incurabili cum hac medicina * tinctum, & operæ naturæ per artis miniſterium, non eſt aurum, aut argentum vulgi, quoniam additur eis additio magna, in proſperitatibus multarum utilitatum, ad omnem ægritudinem cujuslibet generis expellendam. Et nominanter has aſſignavit virtutes: De ſene facit juvenem, & ſenem revireſcere facit naturam, conſervat ſanitatem, roborat infirmitatem, omnem corporis expellit ægritudinem, venenum declinat à corde, arterias humectat, lividam immunditem à pulmone diſſolvit, vulneratum conſolidat, ſanguinem mundificat, lapidem frangit, contenta in ſpiritualibus purgat, ſi caput reumaticum eſt purgat à fluxu, ſtomachum in calore naturali confortat. Et ſi ægritudo fuerit unius menſis, ſanat eam in uno die vel hora: ſi vero ægritudo fuerit unius anni: ſanat eam in octo diebus: ſi vero morbus fuerit antiquus longo tempore, cum aliis medicinis incurabilis, ſanat eum in dimidio menſe. O felix ſcientia cum ſciente. Quare non immerito hæc medicina ſuper omnes alias medicorum medicinas eſt quærenda, quia qui habet eam, incomparabilem habet theſaurum, & in ſalubri conſtellatione natus eſt, in hoc ſeculo dives, divitiis affinitis ſuper reges & principes hujus ſeculi. Quis non diligeret ſuper talia, quæ ſanum & longævum ſe utentem, ſupra omnes medicorum medicinas, conſervant? cum ipſum ditent, & alios non depauperent. Hæc ſunt bona juſta coram Deo & hominibus, non per uſuram acquiſita, ſeu fraude & deceptione mendacium, ac per mercimonia in deceptionem plurimorum, ut in omnium aliorum bonorum acquiſitione: quia hæc ars eſt ſpeciale donum Dei, ut dicitur: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Sed è contrario, ait beatus Auguſtinus ad omnes alios Alchemiſtas, qui homines ſophiſticationibus deludunt: Vos deceptores eſtis, & ſententia excommunicationis aggravati, cum veſtra opera, elementa falſa ſint & mala. Et excludens ſeu ſalvans artifices naturam imitantes, quamvis pauci hujus artis veritatem ſumme cognoſcere valeant, ut ſupra ad propoſitum dictum eſt de virtute hujus medicinæ. Si truffatores in ſtercore aurum & argentum quærentes in libris ipſorum propriis, quos & ipſi proprie compoſuerunt, & ipſos tamen compoſuiſſe Philoſophos teſtantur, quod veritas non teſtatur, quoniam veritatem poſuerunt: Quum veritas philoſophorum (ut dictum eſt ab aliquo) in forma mendacii non cernitur unquam fuiſſe reperta, ſed ſemper naturæ motum & modum imitatur. Sic enim in libris veſtris ſcriptis in arte Alchemiæ. Caveas tibi ab odore ejus, ne interficiat. Ecce qualis medicina, quæ quum vivificare deberet, mortem inducit. Quare hoc non eſt mirum, quod ſi res toxicativa, cum antea ex ſtercoribus & venenoſis receptis ſit compoſita. Videte fatui, quomodo veſtra opera differant ab operibus naturæ. Quare tantum fatigamini in hujusmodi rebus altis, ad quæ pervenire non poteritis taliter laborando? niſi miraculoſe fieret contra naturam, ut accidit beato Joanni, qui de virgis fecit aurum & argentum, confiſus in potentia Dei, & de arena maris lapides precioſos. Dico enim vobis, qualis eſt medicina, tale fit & aurum & argentum. Cum merdam ſeminaveritis, merdam metere viſi eſtis, & apparentias ſophiſticationum. Revertamini fratres ad viam veritatis, qui eam ignoratis, quoniam propter vosmetipſos conſulo ſtudere & laborare, ſapientum dicta revolvendo, ex quibus veritas elici poteſt: & non caſualiter, aut temere ad opera accedite, per hoc quod ſcribitur: Recipe hoc vel illud, id eſt merdam, & fac ſtercus. Scitote quod hæc ars à Philoſophis occulte tradita eſt propter ejus nobilitatem, & non æſtimate eam in foro eſſe venalem, aut vendendam & emendam, ſicut libri veſtri multarum falſitatum continent. Unus emit, alter vendit, diſcas mihi merdam, & ego te docebo ſtercus. Sic permerdatus alium permerdat, & omnis mundus exiſtit quaſi permerdatus. Volentes ergo alios ditare, vos ipſis infinitis paupertatibus eſtis ſubjecti. Fratres revertamini, cum Sapientia cognoſcat vos errare cum libris veſtris. Philoſophorum vero libros perlegite, & perlectos repetite. Si autem repetitos non intellexeritis, non Doctores, ſeu Philoſophos reprehendatis, ſed veſtræ ignorantiæ calumniam reddatis.

CAP. XV.

Quod duo particularia tantum ſint vera in hac arte quorum primum eſt in Mercurio.

PRimum univerſaliter omnibus intuentibus, ad quos præſentes pervenerint, declaro, quod in totius hujus artis ſerie, non ſunt niſi duo particularia, quæ particulariter perficiuntur ſecundum Philoſophos & naturam. Quamvis deceptores infinitas ſophiſticationes, dealbationes & rubificationes faciant, quibus fideles deluduntur. Primum particulare, tam in albo quam in rubeo, exiſtit in Mercurio, ſine adminiſtratione medicinæ perfectæ, licet corpus, cum quo perficitur, in ſe ipſius tincturam contineat particulariter, ſi movcatur arte & operatione, veluti natura requirit, Primum quod in natura particulariter ex utraque ſpecie perficitur eſt cum Mercurius ſit prima materia omnium metallorum, compoſitus ex terra alba nimium ſulphurea & aqua clara, & ideo albedo terræ transpareat limpiditatem aquæ, & ſit color in eo albiſſimus, ut docet experientia, & hic ſit immaturus, poſſibile eſt ex eo fieri Solem & Lunam. Unde Philoſophus: Admiſceatur aliis corporibus metallicis, quia ſunt de materia ejus, & ipſa generata ſunt ab eo, & ideo per artificium illud ſibi poteſt mittere digeſtam naturam in eum, ut cum eis perficiatur: Et ſic quibus complectitur metallis fit ſimilis ipſis, ſine aliqua admiſtione extranea, cum ſimpliciter natura congaudeat ſuæ naturæ, & non per aliud medium, extraneum, ſcil. cum Sole Sol, cum Luna Luna, cum Venere Venus, & ſic de aliis, quia, unumquodque mittit in illum vim ſuam, etiam quia continet in ſe ſulphur ſuum bonum immaturum, quod

quod per artem maturatur. Quare alia metalla sic coagulata & infecta per sulphur particulariter, sicut ipsum Sol & Luna fieri non possunt. Prima ratio est. Si enim corpora imperfecta metallica transformarentur & admiscerentur cum Sole & Luna, tunc ipsorum Mercurius haberet illud in se præhabitum sulphur malum: & si purgarentur, adhuc in tantum purgari non possent, quod reducerentur in Mercurium, sicut ante talem superfluitatem, nec etiam posset corpus perfectum in eo dissolvi. Et cum in eo dissolvi non posset, naturis ex utraque parte seratis, unumquodque in examinatione ab altero separaretur ex quo non haberet in se naturam perfectam occultare, cum qua solutiones propriæ ipsorum perficere possent, mediante arte, ut alia corpora perfecta subvenirent cum natura sua, quæ naturaliter est perfecta. Secunda ratio: Si insoluta adjungerentur perfectis corporibus, minus aurum & argentum fieri possent, cum naturaliter per congelationem ex utraque parte naturæ eorum seratæ sint: & cum non sit medium aperiens illas naturas, nec una vis in aliam conjungi possit naturali conjunctione, nec mitti, ita ut redeant in Mercurium, ex quo ex utraque parte originem duxerunt: Ideo per asperitatem ignis ab invicem separantur, scilicet per combustionem naturæ imperfectæ, & per resistentiam naturæ perfectæ, ut bene cernitur. Sed cum conjungere volueris facias medium per Mercurium, qui dissolvit & aperit naturas, ut simpliciter unum possit transire in aliud, & perfectum vim mittere in imperfectum, ut secum perficiatur. Et hi sunt labores viæ particularis, quibus aurum & argentum fieri potest, sed universaliter non. Nota. Mercurius crudus dissolvit corpora, & reducit ea in primam materiam, sed Mercurius corporum hoc facere non potest. Est enim propter cruditatem sui sulphuris, quod in prima habuit alba terra, ex qua cum aqua clara factus est ab initio, quia illud crudum semper appetit corrodere, quod suæ naturæ vicinius est: primo aurum, secundo argentum, & sic de cæteris. Quare alter Mercurius corporum sic facere non potest, quia per congelationem illud crudum sulphur, quod antea fuit in illo, est alteratum in natura, & ideo non corrodit sicut primum, nec seratum aperit, & ideo una vis non mittitur in aliam, sed unumquodque manet per se, quamvis confluctualiter sint conjuncta, secundo naturaliter ex utraque parte sunt serata. Quare in examinatione, & per asperitatem ignis imperfectum comburitur, cum una natura alteri succurrere non possit. Sed cum argentum vivum crudum hoc facere possit, scil. naturas seratas aperire, ut unaquæque res suæ naturæ vicinæ sit adjuvamen: ideo si dissolverit argentum inveniet argenteam naturam, & si aurum, inveniet auream naturam, si plumbum plumbeam, & sic de aliis, per ipsorum sulphur congelatur, ut dicit Philosophus, & simile fit illis. Si vero ista corpora quæ suam naturam participant, scilicet imperfecta non possunt ipsum perficere, minime ista, quæ suæ naturæ non sunt, nec in minerali cum eo participant, sicut tu quæris in multis stercoribus. Et ideo est particulariter possibile ex eo fieri argentum & aurum, & in aliis corporibus non, ut audivisti: Nota: Duplex est solutio corporum in Mercurium, per Mercurium & in aquam Mercurialem. Prima solutio requiritur ad particularia, secunda ad universalia. Prima solutio corporum in Mercurium, non est aliud nisi congelati resolutio, id est, quod per solam solutionem seratum aperitur, propter ingressum unius naturæ in aliam, & ista resolutio est in particularibus. Secunda solutio est in aquam Mercurialem, & hæc est in universalibus: & ista non fit per solam solutionem sulphuris immaturi in Mercurium, sed per putrefactionem corporis & spiritus in calido & humido. Cum putrefactio omnium rerum natura ad invicem ligatarum sit solutio & separatio, & sic separentur partes ad invicem ligatę, ut unaquæque pars separetur ab alia. Et hoc fit per solutionem elementorum, quæ in generatione Mercurii sunt connexa, scilicet aquæ & terrę. Et eædem partes cum purgatæ fuerint in natura per conversionem conjunguntur, & plus se diligunt propter ipsorum mundificationem quam antea: quamvis ista separatio fieri non possit in corporibus, nisi per spiritum. Et sic ars transcendit naturam in una via, quod artificialia subito fiunt, cum tamen naturalia ante prolixe facta fuerint. Non credas quod sint elementa vulgaria, sicut aqua nubis, & consimilia: sed humidum aqua, frigidum terra, calidum aer, siccum ignis. Et sic sunt in naturis rerum elementarium, cum nequaquam ars possit partes ita naturaliter separare, quod simpliciter in elementa secundum quod fuerint, transmutentur, cum primo natura mutavit unam qualitatem in aliam. Taliter ars bene separare potest, ut humidum à sicco, frigidum à calido separetur. Sed tamen una qualitas adhuc de naturali commistione possidet naturam alterius in aliqua parte, per hoc possunt per artem vice versa conjungi, sicut divisa sunt. Si enim una qualitas non participaret naturam alterius, scilicet aqua naturam terræ in frigiditate, & aër aquæ in humiditate, & sic de cæteris, tunc sequeretur, quod naturale opus esset totaliter destructum, cum simplicia essent elementa, sicut antea fuerunt ante Mercurii generationem, & ars destruxisset naturam à capite incipiens, scilicet ab auro & argento, usque ad primum, id est, argentum vivum: & ultra ista principia ad simplicia elementa, secundum quod antea fuerunt ante Mercurii generationem, quod tamen ita remote in arte est possibile. Et si esset possibile, tunc sequeretur, quod de novo extra primam materiam, Mercurii scilicet metallorum, ars componeret elementa, & vice versa generaret Mercurium, sicut destruxisset, quod est impossibile artificialiter fieri. Sed bene ars destruit à capite usque ad pedes, id est, Mercurium à pedibus ædificans usque ad caput, in subtiliori forma naturalis substantiæ, quam antea fuit. Sic dividuntur species rerum, cum in aliam formam transmutantur, quam antea fuerunt, quod dicit Aristoteles: Sciant artifices Alchemiæ, species rerum transmutari non posse, quod verum est, ut ipse confirmat, nisi in primam materiam convertantur, id est, in argentum vivum, & ultra hoc non consulo, cum fieri sit impossibile.

CAP. XVI.

De secundo particulari, quod est in Luna.

QUum superius dictum sit, quod Luna contineat in se sulphur album, sicut aurum, cum ignis species sub albedine in eo obtecta sit: ideo omne argentum est possibile fieri aurum, ut dicit Philosophus: Non est aurum quod non prius fuerit argentum. Sic argentum continet in se aliquas qualitates indigestas, quæ possunt ab eo purgari, ita quod per artem particulariter transeat in Mercu-

rium

rium fixum, id est, in vicinissimam naturam auri, quia tunc omne illud continet in se, quod & aurum, per oppositionem sulphuris rubei Philosophorum, per hoc plus digeritur, & citrinatio in eo causatur in adjunctione corporis perfecti, cum fuerint simpliciter unius naturæ. Hoc autem in aliis corporibus fieri est impossibile, cum tantam vicinitatem naturæ perfecte non habeant, sicut ipsum, quia est impedimentum in generatione ipsorum per sulphur adustibile & fœtidum: nec ipsa sunt medium, de quo loquitur Philosophus: Non fit transitus ab extremo in extremum, nisi per medium: id est, ex Mercurio non generatur aurum, nisi prius fuerit argentum, nec in se habent sulphur ignis simpliciter non urentis sed sulphur adurens, & ideo in Mercurium fixum particulariter transformari non possunt, cum semper prædictum sulphur ea combarat per ignis examinationem. Et sic habes rationes, quomodo particulariter aurum & argentum fieri possunt.

CAP. XVII.

De Sophisticis particularibus.

ARistoteles dicit: Sciant artifices Alchemiæ, species rerum transmutari non posse, sed similia illis facere possunt, & tingere rubeum citrino, ut videatur aurum, & album tingere, donec fit multum simile auro vel argento. Possunt quoque plumbi immunditias abstergere, vel alterius corporis, ut videatur aurum vel argentum: veruntamen plumbum semper manet plumbum, cum in se non habeat aurum & argentum, sicut prius dictum est, ut hi, qui accipiunt salem ammoniacum, vel alia minora mineralia, ut in ipsis fallant homines, sed aurum & argentum sophisticum faciunt. Conjunguntur enim stannum & cuprum cum Mercurio, ut appareat hominibus argentum, & aliquo modo fabricabile, & in igne examinabile, secundum eos qui in igne experti sunt, qui tamen in hoc deluduntur, & in examinatione naturæ. Adustibile & fœtidum, secundum quod est, veram naturam argenteam non habet in se, sicut apparet in colore & examinatione aliqualiter. Prima ratio est, Cuprum continet in se Mercurium mundum aliqualiter, nisi in quantum in sulphure existit defectus, quia sulphur fœtidum & adustibile habet, quod in quantum adustibile, comburit: & rubedinem non ratione digestionis habet, sed ratione sulphuris rubei & immundi, tamen Mercurius habet substantiam præ sulphure, & ideo tardius in igne deficit, quam plumbum vel stannum: quoniam Mercurius resistit, nisi in quantum violentiam patitur à sulphure sibi commisto. Et quod per plumbum citius comburitur, hoc est ratione Mercurii plumbi imperfecti, quia infectus Mercurius cum infecto sulphure, sicut plumbum est, quærit aliquid vicinum suæ imperfectioni, & cum argentum & cuprum commista sunt, in argento non invenit aliquam rem infectam, sicut in cupro, ubi invenit primo sulphur adurens, cui citius commiscetur. Et in commistione universali Mercurius cupri magis inficitur, cum plumbum sit ex utraque parte, scilicet Mercurii & sulphuris infectum, & plus malum citius adhæreat malo, quam bono. Et in quantum majus malum malo cohæret, in tantum debilius & pejus erit. Et ideo citius coadhæret cupro, quam argento, inficiens & comburens illud, cum natura cupri & argenti, ut audivisti, ex utraque parte sint feratæ, pejori subvenire non possunt: & ideo comburitur cuprum ab argento, quæ fluctualiter conjuncta fuerunt, naturaliter autem ex utraque parte naturæ eorum sunt feratæ. Et sic bene plumbum comburit cuprum ab argento, quod tardius separatur sine plumbo, quoniam in quantum magis comburitur, in tantum debilius erit & combustibile. Sed in conjunctione stanni cum cupro & Mercurio, Mercurius aperit aliquo modo naturas feratas, & conjungit hæc duo scilicet stannum & cuprum. Nam cum ex utraque parte aliquo modo mundum habeant Mercurium, & sulphur malum debiliter commistum, conjungitur Mercurius Mercurio: sed quia habet potentiam sulphuris, variando colorem cupri, qui existit in sulphure, ita quod nova forma appareat, & jam ita cito sulphur comburi non possit, sicut ante ipsum Mercurium, & Mercurius crudus coagulatur per ea, & alteratur cum ipsis in natura, sic ut aliquo modo appareat argentum, quamvis verum argentum non est, cum in eo non fuerit debita digestio & decoctio, & sulphur non sit ita simplicis & virtualis naturæ, sicut ipsum argentum vivum, cum aurum & argentum ex utraque parte sui Mercurii & sulphuris sufficienter sint digesta, & bonæ maturitatis, & in omni digestione perfecta. Sic habes argentum sophisticum ex stanno, cupro & Mercurio: & sic tunc admiscerent aliquos pulveres minorum mineralium, tunc magis debilitarent sulphur, & sic non esset impossibile, quod Mercurius ageret super potentiam naturalem, sed semper in fine diminuitur, & comburitur in igne, cum sulphur non sit virtualis naturæ, sicut ipse Mercurius, sed semper occulte comburens & inficiens Mercurium, quamvis Mercurius sit suppeditatus, & sic postmodum in stercus redeat, secundum quod stercus fuit. Sic intellige, quomodo verum aurum & argentum differant ab auro & argento sophistico, quamvis plures sophistications fiant eodem modo per alia metalla in rubeo, vel in albo, adjunctis mediis mineralibus, vel aliquot ipsorum. Sunt vero ipsi laborantes delusi, æstimantes bonum secundum apparentiam, hoc facit ipsorum ignorantia, quod non cognoscunt naturas metallorum.

CAP. XVIII.

De Via universali, Sermo generalis.

DEterminato Prologo hujus Artis, & particularibus ejus, nunc dicemus de via, universali, in qua ars imitatur naturam. Est autem via universalis, ut audivisti superius, possibilis in naturis metallorum, plantare ramos, in quibus crescunt flores nitri odoris, & rosulæ tam albæ, quam rubeæ. Primum autem incipere, est solvere lapidem in suam primam materiam, & est conjunctio corporis & spiritus, ut ex eis fiat una aqua Mercurialis. Unde Avicenna: Primumque incipere, est solvere lapidem in suum Mercurium. Unde Rasis Philosophus: Nisi corpora solvas, in vanum laboras, scilicet argentum & Mercurium, ad elixir album, & aurum & Mercurium ad elixir rubeum. Et hoc in balneo roridо, ratione putrefactionis, ut corpora viscositate aquæ Mercurialis solvantur. Unde Parmenides: Cum conjuncta est in unum permanens aqua, cum qua fit ab initio, postea sequitur elementorum divisio, & ipsorum purgatio. Unde Albertus magnus: quatuor ex uno fiunt, & quatuor unum: id est, ex aqua mercuriali. Tertium est terræ mundificatio, de quo dicit Morienus philosophus. Hæc aqua cum terra sua putrescit, per hoc magisterium totum dirigetur. Unde Rasis philo-

Philosophus; junge siccum humido: humidum est aqua, siccum vero terra. Postea sequitur terræ sublimatio, de qua dicit Parmenides philosophus. Ipsum dealbatum cito igne sublimate, ut exeat ex eo spiritus, quem in ipso inveneris, & terra maneat calcinata, de qua terra dicit Philosophus Parmenides & Morienus: Scit cinerem qui est in fundo, ne vilipendas, quia est diadema corporis tui, & permanentium cinis. Sic sunt quatuor elementa sic præparata, ut superius intellexisti. Nec conjunxeris ea ante ipsorum mundificationem, cum propter eorum immunditiam separentur, quod dicit Ascanius: Spiritus non conjungitur corpori, donec à suis immunditiis perfecte fuerint denudati. Et fermentum album & rubeum conjunguntur, secundum quod elementa sunt alba & rubea. Si alba, tunc requiritur ignis: si rubea, tunc elementa per ignem rubificantur, ut ipsa digerat, maturet, consolidet, & absorbeat sordes aquarum in conjunctione. Habeat proportionabiles virtutes quatuor elementorum, terræ in frigiditate & siccitate, aquæ in frigiditate & humiditate, aëris in humiditate & caliditate, ignis in caliditate & siccitate. Ignis & terra extrema sunt elementa. Aqua & aër sunt media elementa, quæ conjunge per debita & vera pondera, ut plus diligant se quam antea: primo terram cum aqua, secundo aerem cum igne. Et sic converte naturas, & quod quæris invenies. Tunc terra habilis est ad solvendum, aqua efficax ad mundandum, oleum vel aër in quo portatur spiritus ad miscendum: ignis ad tingendum. Sic corpus retinet spiritum, sicut spiritus retinet animam cum adjunctione fermenti.

SVBSECTIO II.

GEORGII RIPLEI, *Philosophi Doctissimi Angli, Ordinis Canonici regularis Brittlintonensis*, Liber DUODECIM PORTARUM *Nequaquam mutilus, sed integer.*

Philosophi Artem potius occultare conati sunt quam patefacere: Etenim in Metallis scientia tota consistit & eorum radicibus: propterea characteribus, diversisque Nominibus ad Artem occultandam usi sunt: Ego vero studiosis scientiæ plane, ut nactus sum in meis peregrinationibus offero: bonique consulite:

B. à Portu Aquitanus.

Pigmæi.	*Silvani.*	*Vulcani.*	*Penates. Superi.*	*Heroes.*	*Nymphæ.*	*Lemures. Manes.*
♄ *Plumbum.*	♃ *Stannum.*	♂ *Ferrum.*	☉ *Aurum.*	♀ *Cuprum.*	☿ *Mercurius.*	☾ *Argentum.*
Mysteriũ extremæ ũctionis	*Mysterium Ordinis.*	*Mysterium Cõtritionis.*	*Mysterium Altaris.*	*Mysterium Conjugii.*	*Mysterium Cõfirmationis.*	*Mysterium Baptismatis.*
Sal Marinum.	*Sal armoniacum*	*Sal petræ.*	*Sal commune.*	*Vitriolum.*	*Alumen plumosum.*	*Alumen.*
Splen.	*Epar.*	*Fel.*	*Cor.*	*Renes.*	*Pulmo.*	*Cerebrum.*
Antimonium.	*Visnat.*	*Chobolt.*	*Sulphur.*	*Thutia.*	*Cinabrium.*	*Talc.*
Capricornus.	*Libra.*	*Aries.*	*Leo.*	*Taurus.*	*Virgo.*	*Cancer.*
Noctua.	*Columba.*	*Struthio.*	*Aquila.*	*Pavo.*	*Ciconia.*	*Cinnus.*
Linum.	*Hordeum.*	*Avena.*	*Triticum.*	*Pisa.*	*Milium*	*Siligo.*
Vrsus.	*Ovis.*	*Equus.*	*Vnicornu.*	*Alces.*	*Panthera.*	*Tigris.*
Bufo.	*Aranea.*	*Scorpio.*	*Draco.*	*Lacerta viridis.*	*Basiliscus.*	*Serpens.*
Decrepitas.	*Senectus.*	*Virilitas prima.*	*Virilitas plena.*	*Juvenilitas.*	*Pueritia.*	*Infantia.*
Calx metallorum.	*Oleum vel resina metallorum.*	*Sac. Metallorum.*	*Tinctura metallorum.*	*Crocus metallorum.*	*Mercurius metallorum.*	*Liquor metallorum.*
Putrefactio.	*Destillatio.*	*Calcinatio.*	*Transmutatio.*	*Coagulatio.*	*Sublimatio.*	*Solutio.*
Dii terrestres.	*Dii aerei.*	*Dii ignei.*	*Dii cælestes.*	*Dii mortui.*	*Dii aquei.*	*Dii infernales.*

Prologus

Prologus ipſius Libri.



Lumen incomprehenſibile, glorioſum in majeſtate, cujus radiorum claritas offuſcat noſtra lumina. O unitas in ſubſtantia, & triplex in Deitate, Hierachii jubilei gratulans glorificatio. O miſericors animorum purificatio & pura perpetuatio, ex occurrentibus periculis qui nos eripis benigne, ex hac turbulenta valle vanitatis cælo infers. O potentia & ſapientia, ô benignitas inexplicabilis, ſubſtine me quotidie, ſiſque meus gubernator, ut nunquam tibi vita mea diſpliceat, ſed potius tibi obedium tanquam fidelis profeſſor. In meo principio (bone Deus) audi preces meas, virtute tuæ gratiæ adauge voluntatem meam: da ſimul ut poſſim voluntatem tuam abſolvere. O ſcrinium excellens, & abundans omni theſauro, tu es à quo omnis bonitas largiſſime manat ad homines, atque ad quamlibet creaturam. Digneris igitur tueri opus tuæ potentis dextræ, ne tempus noſtrum in vita teramus inutiliter. Concede, ſine fraude ut victum nobis comparemus, ne in periculum grande peccatorum incurramus. Et quandequidem nos tua de cauſa renuntiavimus noſtræ voluntati, mundo, & concupiſcentiis ejus, tanquam propriam & ſpontaneum profeſſorem me recipe: cum ex te ſolo dependeat noſtra fiducia tota, ulterius non poſſumus: nos tibi ſubmittamus oportet Occultos tuos theſauros dignare nobis detegere. Oſtende nobis tua abſcondita, nobiſque ſis benignus. Inter alios qui te profeſſi ſunt me ipſum offero cum humili ſubmiſſione orantem, ut tuus ſervus poſſim eſſe, vita integra non aliena à meæ profeſſione, ordinis canonici regularis Brittlintonenſis. Deprecor te Domine ut mihi velis ignoſcere, famulis tuis fidelibus ſi tua ſecreta, aperuero.

In principio cum creaſti omnia ex nihilo, ſphæricum opus & obſcurum ex confuſo chao, te auctore, non ſine miraculo fuit fabrefactum, in ſe continens omnes res promiſcuas, quod ſex dierem ſpatio fuit diſcretum, ut Geneſis aperte teſtatur. Tum cælum & terra facta ſunt tuo verbo, tua voluntate atque potentia; ex una maſſa confuſa creata ſunt omnia quæ nunc ſunt: ſed antea tanquam creator eras in gloria, nunc es, & eris ſine fine proculdubio; animæque purificatæ ſurſum ad tuam beatitudinem venient. Hoc principium unum eſſe poteſt ad declarationem noſtri benedicti lapidis. Nam quemadmodum ex una maſſa creata ſunt omnia, ſic in noſtra ſecreta practica hoc ipſum debet eſſe: nam omnia noſtra ſecreta ex una oriuntur imagine. In libris philoſophorum, ſi cui lubet videre, noſter lapis appellatur Microcoſmus, unus & trinus, Magneſia, atque etiam ſulphur & Mercurius à natura proportionatus.

Sed aliqui admirantur neque id ſine cauſa, & attoniti ſunt de re tam admiranda quid ſit noſter Lapis cum Philoſophi dicant iis, qui perpetuo illum quærunt, volatilia & piſces eum ad nos deferre, unumquemque noſtrum habere eum, & in quolibet eſſe loco, in te, in me, in qualibet re, tempore, & ſpatio, ad hoc reſpondeo: Mercurium hunc eſſe profecto, ſed non vulgarem, vocatum argentum vivum nomime, verum Mercurium ſine quo ullum exiſtens eſſe poteſt. Omnes philoſophi memorant, & dicunt hoc ipſum: Quare philoſophiæ rudes immerito nos accuſant, affirmantes nos hunc celare: ſed magis culpandi ſunt ipſi, qui cum indocti ſint, ſeſe tamen philoſophiæ immiſcent. Itaque, niſi tu Mercurium noſtrum recte noveris in quo ſit, & ubi eum quærere debeas, cave ne hoc opus in manus aſſumas: nam Philoſophi deludunt ſtultos blandis verbis. Sed ſi me audieris, ego te revera docebo, qui ſit ille Mercurius tibi maxime utilis, nec te quicquam hac in re celabo.

Propinquius invenitur in quibusdam rebus quam aliis, animadverte igitur quod tibi ſcribo, nam ſi nunquam ad ejus cognitionem perveneris, hoc mihi non imputabis. Ego profecto te docebo, ut intelligas Mercurios eſſe tres, qui ſunt claves ſcientiæ, quos Raymundus ſua menſtrua vocat, ſine quibus nihil recte fit: ſed duo iſtorum ſunt ſuperficiales; tertius eſſentialis Solis & Lunæ, quorum proprietates tibi ſincere declarabo. Et Mercurius aliorum metallorum eſſentialis, eſt noſtri lapidis præcipuum materiale. In Sole & Luna noſtra menſtrua non ſunt conſpicua viſui, nec apparent niſi per effectum. Hic eſt ille lapis quem intelligimus, ſi quis noſtra ſcripta recte intelligat. Eſt anima & ſubſtantia ſplendida Solis & Lunæ, ſubtiliſque eorum influentia per quam terra recepit ſplendorem. Nam quid aliud eſt aurum & argentum, inquit Avicenna, quam terra munda alba, & rubea: Tolle ab ea præfatum ſplendorem, & nunc terra erit parvi momenti, totum compoſitum vocamus noſtrum plumbum. Qualitas ſplendoris à Sole, & Luna provenit, atque in ſumma hæc ſunt noſtra menſtrua.

Corpora perfecta cum primo naturaliter calcinamus: ſed nullum corpus immundum ingreditur excepto uno, quod vulgariter vocatur à Philoſophis Leo viridis, quod eſt medium conjungendi tincturas inter Solem & Lunam cum perfectione, quemadmodum Geber ipſe teſtatur. Cum ſecundo, quod eſt humiditas vegetabilis revivificans quod prius erat mortuum, ambo principia materialia debent ſolvi, & formalia, alioquin parvi eſſent momenti. Hæc menſtrua itaque noſcas, tibi dico, ſine quibus nec vera calcinatio poteſt fieri, nec naturalis diſſolutio. Cum tertio, quod eſt humiditas maxime permanens, incombuſtibilis, & unctuoſa in ſua natura, Hermes arbor in cineres comburitur. Hic eſt noſter naturalis ignis terriſſimus, noſter Mercurius, Sulphur, noſtra tinctura munda, noſtra anima, noſter lapis elevatus cum vento in terra generatus. Hæc animo reconde tuo. Hic lapis audeo tibi dicere, eſt vapor potentialis metalli, hunc quo pacto acquiras oportet te eſſe cautum: nam inviſibile profecto eſt hoc menſtruum, quanquam cum ſecunda aqua philoſophica per ſeparationem elementorum, poteſt apparere ad viſum in forma aquæ claræ. Ex hoc menſtruo labore exuberato, atque cum eo poteſt fieri ſulphur naturæ, ſi ſit naturaliter acuatum, & circulatum in ſpiritum purum: tum cum eo diſſolvere poteris tuam baſim aut maſſam diverſis modis, quemadmodum ex praxi intelliges hoc; propterea ſuo loco declarabo cum multis aliis, ſi Deus conceſſerit mihi ſpatium & gratiam, & ſi conſervabit meam vitam in ſanctitate. Quemadmodum te docebo, vide ut ſic facias, ac pro tuo primo fundamento principali, vide ut intelligas tuas aquas menſtruales: & jam facta calcinatione, augens, non diminuens humidum radicale, donec tua maſſa frequenti ſubtiliatione leviter fluat ut cera ſuper metallum: tum ſolve illam cum tuo vegetabili menſtruo, donec habeas oleum inde coloris lucidi, tum eſt illud menſtruum conſpicuum uſui. Oleum extrahitur inde coloris aurei, aut huic ſimile ex noſtro ſubtili rubro plumbo, quod Raymundus dicebat cum eſſet

senex multo magis quam aurum esse in pretio. Nam cum propter senectutem vicinus esset morti, ex eo fecit aurum potabile, quod illum revivificavit: nam sic simul possunt circulari, hoc est, illud oleum, & vegetabile menstruum, & sic arte, & labore exuberari, & fieri per artem lapis cælestis, tam igneæ naturæ, ut inde illum vocemus nostrum basiliscum, magnumque magni Elixir pretii: quia quemadmodum visus basilisci suum objectum necat, sic occidit ille Mercurium crudum quando super ipsum projicitur, in ictu oculi, ita, ut citissime ille Mercurius tingat, stabili tinctura, omnia corpora in Solem & Lunam perfecte, hoc pacto guberna basim utramque, & rubeam, & albam. Aurum potabile hoc modo fiet ex auro, non communiter calcinato, sed ex nostra tinctura quæ non evanescit, ex nostra basi extracta cum menstruo circulato. Sed naturalis subtiliatio nihilominus debet fieri, antequam tuum aurum dissolvatur, hoc principium ante omnia tibi dictum putato.

Nunc in capita hunc tractatum volo dividere numero duodecim, & cum debita recapitulatione, superfluas repetitiones seponens, studens solummodo dare veram informationem tum theoricæ, tum practicæ operationis: ita ut quicunque meis scriptis doceri volet, suum propositū perfecte consequatur.

Primum caput tractabit de naturali calcinatione:
Secundū de dissolutione secreta & Philosophica.
Tertium de nostra elementari separatione.
Quartum de conjunctione matrimoniali.
Quintum de putrefactione sequetur.
Sextum de congelatione albificativa erit.
Septimum de cibatione consequetur.
Secretum nostræ sublimationis octavum demonstrabit.
Nonum erit de fermentatione.
Decimū de vera exaltatione paucis verbis agam.
Undecimum de nostra mirabili multiplicatione.
Duodecimum de projectione, & postea de recapitulatione.

Et sic hujus tractatus erit finis auxiliante Deo, quemadmodum in animo habeo.

De Calcinatione, cum servatione nativi caloris, & humidi radicalis. Porta prima.

CAlcinatio est purgatio nostri lapidis, restaurās cum suo proprio naturali calore, de radicali humido nihil deperit, inducens solutionem nostro lapidi imprimis necessariam, Philosophos ut imitemini vos moneo; nolite operari vulgato more, sulphuris aut salibus præparatis variis modis. Neque enim corrosivis, aut igne solo, aut aceto, aut aquis ardentibus, aut vapore plumbi noster lapis calcinatur, juxta nostrum propositum. Quicunque sic calcinare studetis, ab hac difficili sententia reducite manum, donec melius nostram calcinationem intelligatis. Nam hujusmodi calcinatione corpora destruuntur, quæ diminuunt humiditatem nostri lapidis: nam quando corpora in pulverem exuruntur siccum, tanquam cineres, aut ossa combusta, hujusmodi calcinationem nolumus omnino: nam humidum multiplicamus radicale in calcinatione, nihil de eo minuendo. Et pro fundamento nostræ calcinationis operare caute, genus cum genere tantum: nam genus cum genere habet inclinationem appetibilem, qui hoc non novit, in scientia cæcus est, hic vagari potest, ut caligo ventis agitata, incertus ubinam aliquod commodum reperiat, eo quod non potest recte intelligere nostra verba.

Junge genus cum genere, & speciem cum specie, & æquum est. Nam unumquodque germen respondet suo proprio semini, vir generat virum, brutum brutum. Profecto latius tractare non est admodum necesse, sed hic unum animadverte, si vis obtinere: omnis spiritus igitur calcibus sui generis, hoc bene animadverso fructum referes. Et nos calcem conficimus unctuosam, tam albam, quam rubeam trium graduum, antequam nostra basis sit perfecta, liquida ut cera: alioquin nulli est usui, idque longo progressu, ut philosophi scribunt: annum enim sumimus, & amplius, pro nostra expectatione, nam minori temporis spatio calx nostra confici non potest, fusionis capax, cum colore qui non evanescit. Quod ad proportionem attinet; oportet te attendere, nam in hac multi decipiuntur; itaque ne opus tuum corrumpas, sint tua corpora subtiliter limata, cum Mercurio, tum æquali proportione subtiliata, unum Solis, duo Lunæ, donec hæc omnia tanquam in pultem redigantur: tum, fac tuum Mercurium, cujus quatuor partes Soli, duas Lunæ jungas ut decet: atque hoc modo opus tuum incipiat oportet in figura trinitatis, tres partes corporis, & spiritus totidem, & pro unitate substantiæ spiritualis, una pars amplius spiritus, quam substantiæ corporalis. Juxta Raymundi repertorium ista vera est proportio, si cui libet videre. Hoc ipsum meus Doctor mihi ostendit, sed tres de spiritu Bacco sumpsit, pro una parte corporis, pro qua vigilavi multas noctes, antequam illud recepi. utrumque verum est, sume tibi quod lubuerit. Si etiam aqua tua æqualis fuerit in proportione cum terra, calore mensurata, ex his emerget novum germen, simul album & rubeum, in pura tinctura, quod in igne perpetuo durabit, donec vivum mortuum revivificet, fac itaque trinitatem unitatis sine dilentione, Hęc est certissima optimaque proportio. Nam quo minor fuerit pars spiritualis, hoc facilior erit dissolutio, potius quam si nimia aqua terram submergeres, quod totum opus destruit. Animadverte igitur lutum figulorum, ne unquam facias nimis dilutum ventrem, hoc lutum attende quomodo sit temperatum, & modum item quo sit calcinatum, semperque hoc in pectore geras, ut nunquam tua terra aqua suffocetur. Et sicca tuam humiditatem calore temperatissimo, juva dissolutionem cum humiditate lunæ, & congelationem cum Sole. Tum egisti.

Sic quatuor naturas in quintam convertes, quæ est omnium perfectissima, & temperata. Sed durum est, nudis pedibus calcitrare contra stimulum, ferreum, aut chalybeum exacuatum, quemadmodum multi faciunt insipientes, cum hujusmodi res magnas aggrediuntur, quas nullo pacto intelligunt: in ovis, vitriolo, aut sanguine, quas divitias arbitrantur se illic reperturos, si philosophiam recte intelligerent, neutiquam in operatione cæcutirent, aurum & argentum ut quærerent extra speciem: nam quemadmodum ignis est ignificandi principium, ita certe principium aurificandi est aurū. Si tu itaque studes conficere, Solem & Lunā arte philosophica, ad id nec ova nec sanguinem accipies, sed Solē & Lunam quæ naturaliter & prudenter calcinata, & non manualiter novam generationem foras producūt, augentia suum genus, ut omnes res naturales, & si hoc verum esset, aliquod elementum esse in rebus non metallicis, in quibus colores reperiuntur aspectu jucundi, ut in sanguine, urina, ovis, & vino aut mediis mineralibus effossis ex fodinis, attamen necesse esset eorum elementa prius putrefieri, & separari. & cum elemētis corpotum perfectorum matrimonio conjungi, Primum

mum igitur tuorum elementorum fac rotationem, & in aquam terram converte ante omnia: deinde ex aqua fac aërem per levigationem, & aërem reduc in ignem: tum te magiſtrum vocabo totius noſtri magiſterii ſimul magni,& parvi, nam rotam elementorum circumrotatti, recte percipiens noſtra ſcripta. Hoc peracto rettorſum reduc tuam rotam, & in aquam converte ignem, aërem in terram,alias in caſſum laboras: nam hoc pacto ad temperamentum perducitur lapis noſter, quando ex quatuor contrariis naturis una componitur, poſtquam fuerint ter circulatæ, & ſic tua baſis erit perfecte conſummata. Itaque ſub humiditate Lunæ, & ſub temperato calore Solis elementa tua cito incinerentur, & tum magiſterium totum conſecutus es. Tum gratias age Deo, quod opus tuum ſit inceptum, nam in hoc habes ſignum verum, quod in nigredine ibi apparebit: Corvi caput hoc ſignum vocamus, & aliqui hoc nominant corvi roſtrum, aliqui vocant cineres arboris Hermetis, & ſic id nuncupant pro ſuo arbitrio; noſtrum bufonem, qui è terra ſatiatur aliqui vocant, per quam eſt mortificatus ſpiritus veneno intoxicatus, aut infectus, ſed habet nomina propemodum infinita, nam ab unaquaque re, quæ nigra eſt in aſpectu denominatur, donec incipit albeſcere: nam poſt nigredinem cum lucidum fit, tum habet nomina jucundiora, ſecundum res albas ſimiliter & rubeas, ſic ſuas habet denominationes. In primam portam jam intrasti arcis philoſophorum, in qua habitant, procede prudenter quo poſſis occupare plures januas hujus arcis, quæ rotunda eſt in modum campanæ,& portas habet adhuc undecim,una ſuperata eſt,ad ſecundã nunc propera.

De Solutione, Porta ſecunda.

DE ſolutione ut loquamur verbum unum, aut alterum, quæ manifeſtat quod prius erat ſubtractum viſui, & extenuat res, quæ prius erant denſæ, virtute noſtri primi menſtrui clari & lucidi, in quo corpora noſtra patiuntur eclipſin, & à ſuis duris, & ſiccis compactionibus ſubtiliantur, & in ſuam primam materiam naturaliter retrogradãtur, unum in genere ſunt, in numero non item, cujus pater eſt Sol,Luna vero mater,mediator eſt Mercurius, hi,& non plures ſunt Magneſia noſtra, noſtrum Adrop. & non alii. Nulli hic eſt præter ſororem, & fratrem, hoc eſt, ſi interpreteris, Agens & patiens, ſulphur & Mercurius, coeſſentialia noſtro propoſito. Inter hæc duo in qualitate contraria, generatur medium maxime admirandum, quod eſt noſter Mercurius, & menſtruum unctuoſum, noſtrum ſecretum ſulphur, operans inviſibiliter, violentius igne exurens corpora,quouſque in aquam diſſolvantur mineralem, id quod noctem, propter tenebras, & ſeptentrionem vocamus.At nondum,ut arbitror, perfecte intelligis verum ſecretum diſſolutionis philoſophorum, itaque conſulo tibi, ut mea verba concipias ſapienter, dicturus enim ſum tibi ſine fallacia, quænam ſit noſtra ſolutio, eſt cauſa noſtræ congelationis. Nam diſſolutio unius partis corporalis,cauſat congelationem alterius partis ſpiritualis, & nos diſſolvimus in aquam, quæ manum non madefacit, nam cum terra prorſus in cinerem redigetur, tum eſt aqua congelata, hoc intellige. Nam cum elementa ſint ita concatenata, quando corpus à prima ſua forma eſt alteratum, nova forma inducitur immediate.Nam nihil eſt in rerum natura ſpoliatum omni forma. Et ſecretum hic tibi cupio aperire,fundamentum totius noſtri ſecreti,ſi hoc ignoraveris, nihil aliud quam perdes operam & impenſas, magnas, & exiguas. Cave igitur ne in errorem incidas:Nam quo major terræ,& minor aquæ quantitas erit, eo melius, & citius ſolutionem videbis. Animadverte ut glacies in aquam reſolvitur, & rectè quidem, Nam aqua erat prius: eodem modo rurſus noſtra terra in aquam reducitur, & aqua per hanc congelatur in perpetuum.Nam ſecundum opinionem omnium philoſophorum, omne metallum fuit aliquando aqua mineralis, quamobrẽ cum aqua rediguntur in aquam omnia. In qua naturaliter ſunt quatuor qualitates repugnantes cum diverſitate. Subſtantia in ſubſtantiam, & qualitas in qualitatem converti debent,donec diverſitas ad perfectam unitatem redigatur. Nam ſcriptura teſtatur,quod cum terra turbabitur, in maris profundum conjicientur montes. Sic quoque noſtra corpora tandem in aquã convertuntur. Corpora enim noſtra, quæ à planetis nomen ſumſerunt, comparantur non inepte montibus. In profundum itaque Mercurii hæc projice ne damnum incurras, tum pulcrum videbis ſpectaculum: totum enim convertetur in pulverem impalpabilem, quemadmodum coagulum noſtrum naturaliter lac coagulat. Corpora tum primum ſuam formam amiſerunt, aliaque immediate inducitur, tum tuas impenſas recte collocaſti,quod multi alii, licet docti, non aſſequuntur, ignari ſecretorum noſtræ philoſophiæ, unum propterea verbum addam, nempe ſingula corpora tres habere dimenſiones: altitudinem, latitudinem & profunditatem, per quæ continue circumducetur rota noſtra. Sciens ingreſſus ſuos in occidente futuros, ulterius producendo in ſeptentrionem & ibi luminaria omnino perdunt lumen ſuum: nam illic debent manere nonaginta noctibus in purgatorii tenebris abſque lumine: Tum vero quamprimum curſum tuum in orientem dirige, tranſiens per colores varios & multiplices, & hoc pacto hyems, & ver pertranſierunt. In orientem igitur tuum aſcenſum molire, ubi Sol claro lumine oritur, in æſtate, idque fiet magna delectatione: nam ibi opus tuum perfecte dealbabitur; deinde ab oriente in meridiem aſcende, & ibi quieſcat in cathedra ignea: nam ibi eſt meſſis, hoc eſt, finis operis, ſecundum deſiderium tuum completi. Tunc Lucet Sol cum rubedine in ſuo hemiſphærio, poſt eclipſin in gloria triumphans ut rex, & imperator ſuper Mercurium & metalla. Et in uno vitro hæc omnia debent fieri, ovo ſimili in forma, & bene clauſo; tum debes ſcire ignis menſuram, qua ignorata tuum opus omnino deperdetur.Nunquam permittas tuum vitrum eſſe calidius quam ut poſſis tangere & ſuſtinere manu nuda quamdiu lubet, durante tempore ſolutionis, ut philoſophi teſtantur. Attende propterea meæ doctrinæ. Cave ne vitrum hoc vel aperias, vel moveas unquam,ab initio uſque ad finem. Si ſecus feceris opus tuum nunquam poteſt perfieri. Sic in hoc capite, quod eſt per breve docui te veram ſolutionem. Nunc ad tertiam portam, nam hæc eſt occupata.

De Separatione, tertia Porta.

SEparatio unamquamque partem ab altera dividit, ſubtile à groſſo, denſumque à tenui, ſed ſeparationem manualem ut ſeponas vide, ſtulti enim eſt hoc, qui parum inde facit lucri: at in noſtra ſeparatione non ceſſat natura, faciens diviſionem qualitatum elementalium, uſque ad quartum gradum donec eæ transmutentur omnes. Terra tranſit in aquam colore nigro, & livido, & aqua deinde in aërem in vera albedine, Aër in ignem, non ſunt plura elementa, inde noſter lapis efficitur arte delectabilis. Sed de iſta ſeparatione plura ſcribere opus habeo. Separatio vocatur ut eſt apud Philoſophos definitio,dictorum elementorum quadrupla diſperſio. De ſepartione iſta

invenio

invenio similem figuram quæ apud propheras extat in psalmorum codice: Eduxit Deus de petra flumen aquæ puræ,& ex saxo durissimo oleum copiose: sic etiam ex nostro lapide pretioso, si sis sapiens, oleum incombustibile, & aquam hauries. Et circa hoc negotium non est opus carbonum sufflatione: Hoc facito leni calore & enutrito,primum igne humido, & postea sicco phlegma extrahens cum patientia, ac postea alias naturas sapienter, exsicca terram,donec illa sitiat calcinando:alioquin in vanũ laboras, ac tum fac, ut bibat rursus suam humiditatem. Sic tibi facienda sæpe separatio est, dividens materiam in duas partes, ita ut subtile à grosso separes, donec terra in fundo manserit colore livido. Ea terra est fixa, ut possit perpeti omnem violentiam, pars altera spiritualis est, & volatilis, sed omnia illa in unam rem debent converti, Tum oleum, & aquam ab aqua destillabis, auxilioque ejus additionis,aquæ scilicet recipies motum, observa bene hoc, ne tu deperdas tuum opus incuria debitæ occlusionis,fac tuum obturamentum ex vitro,fundens superiorem partem vitri tui, ut simul cohæreat,tum erit tuum vitrum philosophice clausum. Aquam cum qua debes revivificare lapidem vide ut destilles, antequam cum eo operis, sæpius per se solummodo ex visu poteris cognoscere quando erit purgata à fœculentis fæcibus, quam aliqui possunt multiplicare cum Saturno, & aliis substantiis, quas rejicimus.

Destilla eam igitur donec sit munda,& tenuis ut aqua quemadmodum decet, colore cæruleo, splendenti, & livido, retinens simul suam figuram, & ponderositatem. Cum ea humectavit Hermes suam arborem cum suo vitro, fecitque crescere in altum flores discoloratos admodum pulchros visui. Hæc aqua comparanda est venenosæ viperę,de qua efficax coquatur theriaca. Est enim toxicum potentissimi furoris, quo nullum potest excogitari nocentius à pharmacopolis, idcirco sæpe petitur, sed nemo isto veneno inficietur,postquam in medicinam elixatur, tum enim veluti potens & vera theriaca maxime valet ad expellanda venena, & in suo opere mirabilia quædam ostendit, multos morte eximens, vitæque servans, unde ne illam misceas cum corrosivis, at puram elige, & quæ facile fluat, si inde aliquid boni cupis facere. Res est ea naturæ admirabilis, & sine qua, nihil potest fieri: propterea vocavit eam hermes suum ventum, ob suum à Sole, & Luna proclivem volatum, faciens mox cum eo lapidem nostrum volatilem, mortuum vitæ reddens vitamque impertiens Soli & Lunæ; marito & uxori, qui nisi arte redderentur animati, & eorum pinguedo cum aqua extraheretur, ita quod tenue separaretur à duro, nunquam hoc opus perduceres ad optatum finem. Rem igitur facturus proculdubio, sustollito aves ex suo nido, easque postea rursus nido restituas. Aqua cum aqua convenit, & ascendit, ac spiritus cum spiritibus, ut quæ inter se sint homogenea, quæ postquam exaltata sunt, fac ut descendant, itaque prius dividas, quod prius natura ligarat, Mercurium essentialem convertens in ventum: sine qua naturali, & subtili separatione nunquam profutura complebitur generatio. Jam, ut ope mea hanc portam occupes, ultimum hoc secretum tibi volo declarare: aqua tua debet esse septies sublimata, alias naturaliter nulla fiet dissolutio, nec putrefactionem ullam videbis, picis instar liquidæ, nec apparebunt colores, ob defectum ignis in tuo vitro operantis. Quatuor sunt ignium genera, quæ scire debes, naturalis, innaturalis, & contra naturam, elementatisque qui accendit lignum, his ignibus utimur, & non pluribus. Ignis contra naturam debet excruciare corpora ipse est draco, quemadmodum tibi dico, violenter comburens ut ignis inferni. Ignis naturę est tertium menstruum, ille ignis naturaliter inest cuique rei ignem occasionatum vocamus innaturalem, ut calorem cinerum & balneorum ad putrefaciendum, absque his ignibus tu nihil perduxeris ad putrefactionem, ut possit separari tua materia, ut simul sit proportionata ad novam conjunctionem, fac igitur ignem intus in tuo vitro, qui comburat corpora efficacius quam ignis elementalis, si modo vis facere lucrum ex nostris secretis ex animi tui sententia, tum tua semina & putrefient, & germinabunt, auxiliante igne ex occasione nato naturaliter ut illa pòst queant separari, separationis ita debes superare portam, post poteris ulterius progredi arcanæ conjunctionis versus portam, in penitiorem arcem quæ te conducet; Utere meo consilio, si vis rem facere. Porta hæc duabus est obserata seris, ut ex iis consequenter audies.

De Conjunctione, quarta Porta.

POst caput illud naturalis separationis, per quam nostri lapidis elementa separantur, consequitur modo caput arcanæ conjunctionis, quæ naturas repugnantes conjungit in perfectam unitatem, & sic eas convertit, ut nulla ab altera diffugiat, quando erunt per ignem simul examinata, firmum adeo existit earum conjugium. Philosophi itaque hanc definiunt, dicentes nihil esse conjunctionem aliud quam copulationem separatarum qualitatum, aut ut alii volunt,quandam adæquationem principiorum. Sed quidam cum Mercurio venali apud pharmacopœos corpora miscent, quia non possunt dividere eorum elementa, & propterea à via aberrant: nam quoad anima fuerit separata,& purgata à suo originali peccato, cum aqua, & pure spiritualizata, veram conjunctionem non potes accipere. Divide ergo animam à corpore, tum ex parte corporea & spirituali, anima causabit conjunctionem perpetuam. Conjunctionum duarum mentionem faciunt philosophi: grossa, una, quæ corpus cum Mercurio recrudescit; sed hac relicta secundam persequere, quæ, sicut dixi, post separationem elementorum est celebranda, in qua relictæ partes, sicut sunt colligatæ,& sic ad perfectam temperiem reductæ,ut nulla inter eas sit futura unquam repugnantia. Sic separatio est causa veræ conjunctionis aquæ & aëris, cum terra & igne, ut unumquodque elementum in alterum possit traduci, itaque persistent in perpetuum ex voto animi tui. Fac ut faciunt plastæ cum argilla, & luto: tempera ea spisse, & non nimis dilute, ita ad desiccationem citius pervenies, At tria sunt hujus conjunctionis genera. Prima à Philosophis vocatur dupla, quæ inter agens & patiens existit, masculumque & feminam; Mercurium,& sulphur vivum; materiam, & formam; tenue,& spissum connita, hæc instructio certe te adjuvabit nostram conjunctionem recte perficere. Genus alterum appellatur Triplum, quæ est conjunctio facta de tribus rebus, corpore, anima, & spiritu donec inter se conveniant, quam triadem debes traducere in monadem: Nam sicut anima debet esse vinculum spiritus, sic etiam corpus animam sibi connectere opus est, quare hæc dicta animo ne excedant tuo: quartum genus conjunctionis, quod item est ultimum, quatuor elementa conjungit ut maneant una, quadruplam recte eam Philosophi

vocant, ac ſpiritualiter Guido de Montanor, cujus nomen latè ſpargitur. Itaque pro commodiore via nunc temporis, in noſtra hac conjunctione quatuor elementa debent aggregari in debita proportione, quæ prius à ſe invicem erant ſeparata, ut enim femina venas habet quindecim, mas autem non plures quinque, ad actum ſuæ fœcunditatis neceſſarias; ſic etiam in noſtra conjunctione intellige, quod mas, Sol noſter, debet habere ſuæ aquæ partes tres, & illius uxor novem, quæ debent ad ipſum eſſe tres: tunc par cum pari gaudebit ſemper habitare. Nec de conjunctione eſt opus plura ſcribere, idcireo jam huic capiti volo finem imponere, jubens ut conjunctiones groſſas non facies plures una, raro enim meretrices habent à ſe natos; ſic ad noſtrum lapidē nunquam pervenies, ni fœminam viduo jacere lecto permiſeris, ſic ut poſtquam ex mare illa conceperit, ſit deinde ejus matrix clauſa cæteris: nam quisquis cocto crudum ſemper adjicit, vas ſuum aperiens, materiamque ſinit frigeſcere, non ille ſperma conceptū nutrit, ſed illudit ſibi ipſi, opuſque ſuum omne perfundit. Quamobrem, ſi cupis tibi bene eſſe, obſigna matricem, & bene nutrias tuum ſemen, calore jugi, & temperato, ſi modo vis proficere, cumq; jam vas ſteterit menſes quinque ſic ut poſt omnes nubes, & eclipſes lumen appareat, tum ſtatim calorem auge, donec clara tuus pelluceat claritate lapis, tum demum poteris ſtatim aperire tuum vas, & enutrire prolem, quæ jam tibi nata eſt, lacte, & cibo ſemper magis & magis: tunc enim humiditas, & ſiccitas ſic ſunt temperata, ut terra impreſſionem receperit ab aqua, quæ nunquam deinceps à ſe mutuo poſſunt ſeparari, & ſic aqua terræ dedit ingreſſionem ut ex profeſſo pariter ambo velint habitare, aquaq; terræ ſibi acquiſivit vim retentricem, inde illa duo unum facta, nunquam poſtea contrariantur, ſic duabus in rebus tota noſtra intentio dependet, in ſiccitate, & humiditate, quæ ſunt duo contraria. In ſiccitate, quæ humiditatem ad fixionem ducit, in humiditate, quæ terræ liquefactionem inducit, ut his ita temperatis naſcatur temperies, non ita denſa ut corpus, nec ita tenuis, ut aqua. Sine dubio ſolutio & connexio ſunt duo principia arduæ hujus ſcientiæ, & cardines præcipui: ſunt tamen multo plura principia ſplendida, quæ poſtea demonſtrabo. Progredere igitur ad aliud propugnaculum firmæ hujus arcis noſtræ ſapientiæ, quintam ut ſic poſſis ingredi portam.

De Putrefactione, quinta Porta.

HIc incipit Caput de Putrefactione, ſine quo cardine nec ſeges nec ſemen multiplicatur, ea autem debet fieri ſolummodo cum actione continua caloris in corpore, non manuali. Nam corpora omnia naturaliter alterari non poſſunt ſine ipſa, ut Chriſtus eſt teſtis, dicens: Niſi granum tritici moriatur in terra, augmentum nullum faciet, ſic niſi putrefiat materia, nullo modo poteſt recte alterari, nec poſſunt elementa naturaliter dividi, nec eorum abſoluta eſſe conjunctio. Idcirco ne fortaſſis actum agas, principia putrefactionis recte intellige, antequam hoc aggrediare opus. Putrefactio poteſt hoc modo definiri juxta Philoſophos: Ea eſt corporum interemtio, ac in noſtro compoſito trium rerum diviſio, corpora interemta ad corruptionem perducens, & poſtea ad generationem apta reddens. Nam quæcunque in terris generantur dubio procul cœlorum rotatione generantur, atque hinc elementa miſce tua, coæquaque ſapienter & temperato in calore ſerva, ante omnia cavens, ne nimio calore in cineres redigantur, pulverem ſic-cum rubicundum & inutilem, ſed in pulverem nigrum, corvi roſtro ſimilem, in balneo calente, vel alias in noſtro fimo, tanto tempore dum noctes tranſierint nonaginta, in humido calore hæc conſerva diligenter: mox poſtea nigredo erit tibi index, quod illa ad putrefactionem properant, quæ tu deinde poſt diverſos colores pertrahes ad perfectā albedinem facile, ac tuum ſemen in ſua natura multiplicabitur, fac ut illa ſe mutuo amplectantur & oſculentur, & ut pueri ſurſum deorſumque volutando ludant, & quando eorum linteamina erunt fœdata lotio, tunc femina abluere teneatur, quæ ſæpius infirmata in deliquium animi cadet, & tandem morietur cum omnibus ſuis infantibus, & ibit in purgatorium, ut purgetur originali peccato. Quando illic erunt, paulatim & paulatim augentur pœnæ eorum, ſemper calore magis magisque aucto, qui nunquam ceſſare debet: ſitque fornax huic negotio bene apta, quam ſapientes vocant Athanor, ſervans calorem, uti par eſt, temperatiſſimum, cum quo materia naturaliter putreſcit. Hoc de principio loquitur Guido vir ſapiens, dicens quod cum per putrefactionem morietur compoſitum corporale, tum ſecundum Morienum & plures alios, reſurgit per novam vegetationem corpus ſimplex, & ſpirituale. Et ſi non eſſet calor & humiditas in continuo motu, ſperma non maneret in matrice, & ſic nulla fieret generatio. Principio igitur accipe noſtros lapides, ac ſpelias unumquemque in ſepulchro alterius, æquabilique inter ſe eos jungas connubio, ut ſimul concumbant ſex hebdomadas, tum foveant ſuum ſemen naturale, conceptum nutriant ac conſervent, toto illo tempore à fundo ſui ſepulchri non ſurgentes: quod ſecretum multos fallit. Conceptionis tempus hoc levi calore exſpectes. Nigredo ſeſe oſtendens ſignificabit tibi quādo moriūtur, nam ſimul ut pix liquida eo tempore turgescent, & ebullient; ſubſident, & putrefient, ſplendentes colores ibi apparebunt inſtar iridis, aſpectu pulcherrimi, & tunc aqua incipit omnino deſiccari. Nam in corporibus humidis calor temperate agens, & nigredinem gignit, primum omnium conjunctionis naturalis certum indicium & veræ putrefactionis, hoc ne obliviſcaris, nam tum à perfecta alteratione non aberraveris; & ſic per portam nigredinis debes intrare, ſi lucem paradiſi in albedine vis acquirere: Sol namque in ſuo exortu primum obſcurus erit, ac tranſibit per aquas diluvii Noæ, ſuper terram quod centum perſtitit dies & quinquaginta, antequam omnes aquæ receſſerint. Sic noſtræ aquæ, ut ſapientes aſſerunt tranſibunt, ut tu cum Davide recte dixeris. Abierunt in ſicco flumina, hoc ſerva tibi: mox vineā poſt Noha conſevit ſuam, quæ flores ſplendidos, & botros illico reddidit: quo habito non eſt quod timeas: nam eodem modo ſubſequetur germinatio noſtri lapidis. Et ſtatim cum triginta dies tranſierint uvas habebis carbunculi rubedine, ſcilicet hoc eſt, noſtrum Adrop, Uzifur, atque plumbum rubeum, nam velut animæ è pœnis temporariis ſolutæ Elyſio inferuntur, ubi vita fruuntur felici; ſic noſter lapis in purgatorio à caligine purgatus, ſine cōtroverſia gaudebit albedine, & pulchritudine ſuæ conjugis, & tranſibit ex purgatorii caligine ad lumen paradiſi in albedine Elixir præpotens. Atque ut citius poſſis ad putrefactionem pervenire, iſtud exemplum accipe pro concluſione, ſecreta enim putrefactionis latent in eo omnia. Quercus perenni madefacta gurgite non cito putreſcit, mihi crede, vel experto; nam ſi centum annis vel amplius ſit ſub aqua, invenies illam

lam æque integram atque erat prius. Sed si sit aliquando humida, & aliquando sicca, ut potes animadvertere per experientiam in lignis, successu temporis illa quercus putrefit. Sic nostra quoque stat sententia, ut quandoque arbor nostra Sole comburatur, & tum aqua statim post refrigeretur: hoc enim modo ad putrefactionem facile adduces: esse enim nunc in humido, & nunc rursus in sicco: nunc in magno calore, & nunc rursus in frigido, efficiet ut cito admodum putrefiat, ac inde protinus aurum putrescet tuum. Corpora tractabis ut tibi dixi Et in putrefactione cum calore ne sis velocior, ne in cineribus postea quæras lucrum tuum. Aquam igitur ex terra extrahas, & fac cum ea ut anima ascendat: tum rursus in terram eandem deprime, ut illæ totiens descendant, quoties ascendunt: à violento calore, ac subito frigore defende vitrum tuum, moderatoque adeo utere igne, ut hac ratione nunquam vitrescat tua materia. Adverte quam tibi deligas materiam, ne immiscеas te salibus, sulphuribus, nec mediis mineralibus: nam quicquid sophista aliquis garriat, Sulphur nostrum, & Mercurius sunt in metallis tantum, quæ quidem vocant olea & aquas, aves & bellias & aliis multis nominibus, ne aliquando stulti nostrum lapidem noscant, sed si Deus tibi concesserit ut aliquando nanciscaris hanc scientiam per doctrinam quam tibi tradimus, ne detegas cuiquam, quicunque sit qui postuler. Nec favore, nec argento, nec etiam auro. Ne sis oppressor, luxuriosus, nec jactator impudens, sed inservias Deo, & pauperes sint tibi curæ, si vis esse longævus super terram, Nunc in hoc te capite docui, qua via debent tua corpora putrefieri, dirige ergo gressus versus sextam portam. Nam quinta est jam occupata.

De Congelatione, sexta Porta.

DE congelatione necesse non est multa scribere, sed quid ea sit primum significandum est. Ea est mollium rerum induratio in colore candido, & confixatio spirituum volatilium. Quomodo congelabis, ne sis multum sollicitus, nam elementa protinus connectuntur, modo putrefactio facta fuerit naturaliter. Sed congelationes diversis fiunt modis spirituum & corporum dissolutorum in aquam claram, ac salium item dissolutorum bis, vel ter, ac tum congelatorum in fluxibilem materiam, de quibus congelationibus stulti multa garriunt. Et quidam dissolvunt dividentes manualiter elementa, ac postea congelantes in siccum pulverem. Sed talem congelationem nos non quærimus, quia nostro operi est omnino contraria. Nam nostra congelatio non metuit ignem quippe quæ semper unctuosa in ea stare debet, ac etiam in sua tinctura abundare, quæ congelata in aere, non liquescat in aquam, tunc enim nostrum opus destrueretur, Præterea non congelatur in tam durum lapidem ut vitrum, aut crystallum quæ ignis fundunt violentia, sed sicut cera, quæ cito funditur, sine follium flatu. Cave ne decipiatis, talis enim congelatio non convenit nostro proposito, quæ redit rursum in aquam ut congelati sales, sed quæ fluit & permanet, tales enim salium congelationes nobis non prosunt, pertinent enim ad sophistas qui congelant vulgariter, quatenus propter si cupis recte facere cum tua medicina, nunquam naturaliter fluat nec congeletur nisi prius putrefacias, prius purges, & figas elementa nostri lapidis donec ea simul congelentur & facile fluant: nam cum materia facta est candida, tum spiritus cum corporibus congelabuntur, temporis tibi est adhuc statuendus longus terminus, antequam talis congelatio tibi appareat in similitudine perlarum. Lætare aspectu talis congelationis, quæ postea educet grana sanguinis modo rubentia, omnibus præferenda mundi divitiis. Quapropter terræ grossitie mortificata, in humiditate nigredo generatur. Principium hoc nemo mortalium negaverit, sic profecto dicunt omnes philosophi naturales, qua habita, non est, quod dubites de albedine, & si in albedinem illud semel congelaveris, habes lapidem omnium lapidum pretiosissimum: & sicut per humidum siccum fuit putrefactum (quod facit in colore apparere nigredinem) sic sane, humidum congelatum per siccum, generat albedinem noctu clarissime lucentem, & siccitas procedit, & dealbat materiam, ut in nigro humiditas se prodit, coloribus variis semper novis, ac novis. Causa horum omnium est calor temperatissimus operans, & movens continenter materiam, atque eo modo per hunc materia alteratur, tam intrinsecus quam extrinsecus substantialiter, non ut faciunt stulti quoad aspectum sophistice, sed hic ut unaquæque pars quemvis ignem toleret, fluxibilis, fixa, ac stabilis in tinctura: & de tali digestione determinat medicina facta prius in stomacho, in quo est siccitas, quæ albedinem efficit sine cõtroversia; quemadmodum secunda digestio causat rubedinem completam in hepate calore temperato: sic etiam noster lapis per siccitatem & calorem digeritur ad album & rubeum perfectum. Sed hic aliud secretum cognoscas oportet, quo pacto noster filius in aere nascitur, ne nimiũ studeas perflandis carbonibus, nec putes hoc jocum esse, nec ludibrium, sed crede mihi omnis periit tuus labor, nisi terra tua revivificetur aqua, congelationem veram nunquam videbis. Est quædam anima existens inter cœlum & terram, oriens à terra, ut aer, cum aqua pura, causa vitæ omnium rerum viventium, decurrens perpetuo super nostram quadruplicem naturam, omni sua virtute perducens illam ad meliorem statum, quæ anima aerea, est secretus ignis nostræ philosophiæ, vocata alias nostrum oleum, & nostra aqua mystice. Atque hic medius aer, quem oleum vel aquam dicimus, nostrum ignem, nostrum unguentum, nostrum spiritum, & nostrum lapidem, in qua re sola fundata est omnis nostra sapientia; nunquam solus exit nec intrat per ignem, sed aqua quamprimum eum educit, ac post introducit, ut aqua, quæ ab aqua nunquã separatur, & sic post aqua solum nostram aquam movere, qui motus causat mortem simul & vitam, & aqua naturaliter adhærer, sine ulla repugnantia ac contentione. Quæ aqua à stultis ignoratur, cum sit ex natura, procul dubio, spiritus calcinati & educẽtis. Aqua est secretum & vita omnium rerum in toto orbe existentium, ab aqua enim res singulæ habent suum initium, ut cernere est in fœminis parturientibus, aqua effluente prius, si omnia sese recte habeant, vocata Albium, quæ prius ab illis emanat ante partum: non sine magnis doloribus. Ac certe, causa hæc est omnium præcipue, cur nos philosophi jubeant esse patientes, usquequo omnis aqua siccetur in pulverem, foventes calorem continuum, sed non violentum: nam qualitates sunt contrariæ cujuslibet elementi, quoad postea nigri cum albo, facta sit unio ex his congelatis in æternum sine divisione. Præterea præparatio hujus conversionis unius rei in aliam, & de statu in alium statum, fit solum per naturalem & prudentem operationem naturæ, ut est spermatis in matrice: nam sperma, & calor, sicut soror, & frater quæ tandem in seipsis, ut natura fert, actione & passione convertũtur

in perfectum virum. Quantum ad partem corporalem à natura confectam in virum, talis tunc est qualis fuit inchoator, quæ, quamvis sic de una re in alteram erat alterata, non tamen extra speciem, cum alia specie conveniebat; sic enim nostra materia spermatica in uno vase, in seipsa debet converti de una re in aliam, calore temperatissimo eam decoquente. Possum tibi adhuc afferre aliud exemplum quo pacto substantia ovi per naturam est operata in pullum non egrediens ipsam testam; similitudinem aptiorem non potui recitasse. Illic conversiones fiunt, donec perducatur de statu in statum, simile à simili in specie fovente calore solummodo mediante. Potes his & aliud exemplum legere rerum vegetabilium, considerans quo pacto quævis planta ex suo proprio semine crescit mediante calore & humiditate per naturalem operationem: similiter etiam mineralia nutriuntur humido radicali, quod eorum erat principium, non prætergredienti suam speciem in uno eodemque vase. Ibi convertimus rursus unam rem in aliam, in suam matrem, scilicet aquam, quando transferuntur. Hoc principio ignorato, in cassum laboras: tunc totum nihil aliud est quam sperma, nec quicquam est præterea, præter speciem cum specie, in numero duo, mas & fœmina, agens & patiens in matrice terræ pretiosissimæ, atque hæc convertuntur colore de una re in aliam. uno in vase vitreo, & sic de statu in statum, usquequo natura eos perducat in unam substantiam, ex aqua regenerata: Et sic sperma in sua specie est alteratum, aptum in similitudine suam speciem multiplicare, ut faciunt in sua specie omnes res aliæ naturaliter. Tempore dicti hujus naturalis processus, dum sperma conceptum crescit, substantia nutritur suo proprio menstruo, quod aqua solum, & terram produxit, cujus color est viridis proprio aspectu; ac eo ipso tempore Sol abscondit lumen suum, capiens cursum noctu per Septentrionem; hoc dictum menstruum, est, (idque pro arcano tibi dictum puta) sanguis nostri leonis viridis, & non vitrioli. Domina Venus veritatem hujus tibi poterit aperire, si eam ab initio consiliariam advoces. Hoc secretum absconditum est à Philosophis summis & infimis. Qui sanguis extractus ex prædicto leone, ob defectum caloris non habuit perfectam concoctionem. Hic sanguis vocatur nostrum secretum mẽstruum, cum quo nostrum sperma nutritur temperate, quando ipsum convertitur in fæces corporales, & fit album, & perfecte siccum, congelatum, & fixum in suo proprio corpore, tunc bis coctus sanguis bene poterit videri, istius operis vocatum albissimum Diadema. Intellige nunc quod ignea nostra aqua, sic acuta, vocatur menstrualis aqua, in qua terra nostra soluta est, & naturaliter calcinata, per congelationem, ut ea nunquam possit dividi. Adhuc tamen non cessabis congelare plures aquas, in partes tres aquæ acuatæ, ut prius dictum est, cum quarta parte terræ congelatæ, nec amplius. Hinc, substantiæ sic congelatæ adde quartam partem aquæ Crystallinæ, & fac ut mutuo copulentur conjugio, per congelationem in medium metallinum, quod sicut ensis bene politus splendebit, post nigredinem quæ prius apparebit. Da illi tunc quartam partem novæ aquæ. Multo plures imbibitiones adhuc debes habere. Da illi secundam, ac post etiam tertiam, servans in tua mente dictam proportionem, tunc ad aliam quarta vice propera, quintam vicem & sextam ne omiseris: & pone duas partes qualibet vice illarum trium, & septima vice debet habere partes quinque. Quando fecisti imbibitiones septem, tunc iterum debes rotam circumvertere, & putrefacere omnem illam materiam sine additione, primo nigredinem speculans, tunc in albedinem congela totum, tunc basim ad finem perduxisti, ac post in rubedinem per meridiem ascende. Sic aqua tua divisa est in partes duas, cum prima parte corpora purificantur. Secunda pars imbibitionibus destinatur, cum qua postea materia denigratur, statimque super leni igne albificatur, tunc vocatur à Philosophis Sol cœlestis fulgoris, Reduc eum ad rubedinem, ac ita sextam portam vicisti.

De Cibatione, Porta septima.

NUnc calamum meum ad cibationis descriptionem converto, ecce ea debet occupare locum septimum, sed paucis illa expedienda est verbis, propterea adverte, & me diligenter audi. Cibatio vocatur nutritio nostræ materiæ siccæ, lacte & cibo utriusque moderate datis, donec reducatur in tertium ordinem. Sed nunquam illi tantum des, ut illam suffoces, cave ab hydropisi, & Noæ diluvio, propterea paulum & paulum ei addas cibi & potus, ut videbitur ei profuturum, ne aquei humores, superent sanguinem. Ideo potus sit ita mẽsuratus, ut naturalem appetitum inde nunquam exstinguas. Nam si bibit nimium provocandus est vomitus, alioquin nimis diu ægrotabit, ab hydropisi igitur conserves ventrem, & à fluxu, alioquin res non bene se habebit. Sine potius ut sitiat interdum, quam ut una vice nimium potum ingeras, cui in juventute diætam præscribas. Utatur igitur diæta ut natura requirit moderata, donec ad ætatem pervenerit, custodiens illam à frigore, & humido calore fove. Tum crescet & augebitur virtus illius parietque tibi utilitatem simul & jucunditatem: nam obscura & ægre corpora reddit sana & lucida, mundando eorum lepram sua propria virtute. Tribus vicibus sic totam tuam circumvertes servans dictæ cibationis regulam. At tum quam primum ignem senserit, uti cera citissime fundetur. Non est hic opus pluribus verbis, nam dixi tibi diætam maxime convenientem postquam elementa facta sunt æquipollentia. Dixi etiam quomodo ad albedinem reduces tuum aurum, similimum in figura floribus spinę albæ, dictum magnesia, ut antea tibi dixi. Et nostrum sulphur album incombustibile, quod ad ignem nunquam evolabit: itaque septima porta ut tu desideras in ortu Solis est acquisita.

De Sublimatione, Porta octava.

HIc de nostra sublimatione verbum unum aut alterum faciam, quę Porta est octava. Stulti quidem sublimant. Sed tu ne sic sublimes: Nam non sublimamus certe ut illi. Ad sublimandum igitur recte, non errabis, si corpus primo scies facere spirituale, ac tum tuos spiritus, ut docui, corporales. Quidam Mercurium sublimant à vitriolo & sale, & alios spiritus à scamnis ferri & chalybis, à testis ovorum, & à calce viva, & suo modo sublimant recte; sed talis sublimatio nihil convenit omnino nostræ intentioni: nam sic non sublimamus, quare ad veram sublimationem jam tendimus. In sublimatione primum cave ab hac una re, ne sublimes ad summitatem vasis, nam sine violentia non coges rursus ad fundum, sed illic vult adhærere, & morari; sic refrigeratione lætatur. Retine illud igitur temperato calore inferne, quadraginta dierum spatio donec nigrũ sit & obscurum: nam tunc incipit prodire anima, ex suis propriis venis: nam quicquid subtile

subtile est ascendet cum spiritu procul dubio. Mente igitur hoc serva, & cogita quo pacto hic eclipsata sint corpora, quæ dum putrefiunt, sublimantur magis ac magis, donec in aquam omnia elevata fuerint, sicque, cum suum venenum exspuerint, in aqua tunc apparet nigredo, sitque spirituale omnino, sublimando leviter nostro modo, in aquam quæ illum portat: nam sic in aëre noster infans debet renasci, quousque in aquam suam revertatur, At quando hæc duo per sublimationem continuam ita sunt elaborata, calore simul humido, & temperato, ut totum sit album & omnino spirituale factum: tunc cœlum super terram reiterandum est, donec anima cum corpore incorporetur, ut terra fiat, quod ante erat cœlum, quod fiet in sublimationibus septem. Sublimationem autem facimus tribus de causis, prima est, ut corpus fiat spirituale, secunda ut spiritus fiat corporalis, & fixetur cum eo, & consubstantialis fiat: tertia causa est, ut ab originali immunditia purgetur, & ejus salsedo sulphurea diminuatur in eo, qua est infectum. Tunc cum ea simul purgata sunt, sublimabuntur in altum albiora nive, aspectus ille erit tibi gratissimus: nam tum statim perfecte cognosces, quod spiritus erit præcipitatus: tunc octava tibi patebit janua, à qua multi sunt exclusi cum ludibrio.

De Fermentatione, Porta nona.

VEram fermentationem pauci intelligunt operatores, quapropter secretum hoc explanabo tibi. Multas profecto peragravi regiones antequam unum invenire potui, qui id mihi explanaret, tandem, divino favore, cujus nomen sit benedictum, perveni ad perfectam notitiam. Animadverte ergo, quid hic scripturus sim: fermentationes diversis fiunt modis, per quas medicina nostra perpetuatur. In claram aquam quidam solvunt Solem, & Lunam, & cum eorum medicina faciunt ea congelari, quæ cum igne examinantur, non possunt durare, nec alterari cum complemento. Talis fermentatio non est nostri propositi. Quidam faciunt magis naturaliter, fermentantes suam medicinam hoc modo, dissolventes in Mercurio Solem & Lunam donec cum spiritibus assurgant, simul ea sublimantes bis, vel ter. Tum cum eis fermentationem faciunt. Via quædam est ista, quam tamen rejicimus. Quidam sunt fortunatiores, ad eligendam veritatem in parte fermentationis, illi amalgamant corpora cum Mercurio in pultis modum, tunc super illa medicinas suas projiciunt, Isti nostrorum secretorum habent aliquam notitiam, sed non veram cum perfecto complemento, quia nec putrefaciunt, nec alterant suum fermentum: propterea refera tibi hoc secretum, vide quomodo fecisti in corporibus imperfectis, sic fac per omnia in corporibus perfectis, id est, primo ea putrefac, destruens omnino primas eorum qualitates, nam hoc totum est de nostra intentione, ut prius alteres, antequam fermentes. Ad totum compositum fac fermenti quartam partem, quod fermentum est solum Solis, & Lunæ. Quare si es magister hujus artis, sine ut tua sic fiat fermentatio, fige aquam & terram simul statim, & quando tua medicina fluit ut cera, tunc vide ut supra amalgamatum eam projicias: cum omne illud simul est mixtum, supra suum vitrum bene clausum fac ignem, sicque continua donec totum sit fixum, & bene fermentatum ex animi tui sententia. Tunc fac projectionem sicut placet tibi: quia ea est medicina omnino perfecta: ita facies fermentum tum rubeum, tum album. Nam sicut farina frumenti in massam redacta requirit fermentum ut panis naturalem possit habere gustum, esseque nutrimentum homini aptissimum: sic etiam tu fermentabis, ut gustare possis de fermento puro, ad ferenda omnia examina in æternum. Scitoque quod fermenta sunt tria, duo corporum in natura pura quæ alterari debent ut tibi diximus, tertium secretissimum quod nos meditamur, est illa prima terra cum sua propria aqua viridi. Quapropter cum leo sitit, fac ut bibat donec ejus corpus rumpatur. De hoc si vellem movere quæstionem, & rogare operatores quid sit hæc res, mox hoc eos examinavero, si habent notitiam nostræ fermentationis. Vera ergo fermentatio, ut tibi dico, est animæ cum corpore incorporatio, restaurans ei naturalem odorem, gustum & colorem per naturalem inspissationem rerum separatarum, debita reintegratione, unde corpus à spiritu recipit impressionem, ut unumquodque possit juvare alterum ad ingressionem conciliandam. Nam sicut corpus in sua corporali compage, non potest ostendere suas qualitates effectualiter, donec factum sit spirituale, sic nec spiritus possunt manere prius cum corpore, quam ipsi cum eo proportionaliter sint confixati. Tunc enim corpus docet spiritum ignem pati, & spiritus, corpus ingredi ad tuum placitum, ea propter Solem tuum cum Sole debes fermentare, cum suæ propria aqua, terram purgatam intelligo, quod nihil aliud est dicere, quam elemento, spiritu viræ solummodo intercedente. Nam sicut Magnes, ut tu vides, trahit ad se ferrum, sic nostra terra per naturam trahit deorsum animam suam à se elevatam cum vento. Cum vento igitur animam inducito & educito. Misce aurum cum auro. Hoc est, fac elementum cum elemento simul currere, donec omnem ignem possint pati: nam terra fermentum est sine dubio aquæ, & vicissim aqua terræ, hoc pacto debet fieri tua fermentatio. Terra est aurum, sic & anima, non commune sed nostrum elementatum, his tamen debet Sol adjungi, ut per nostram rotam possit alterari: nam sic ad fermentum debet esse præparatum, ut profunde possit esse junctum cum aliis naturis, ut ego tibi dico: & quicquid unquam de auro dixi idem de argento tibi dictum puta. Nempe ut putrefacias & alteres quæ tibi dixi, antequam tuam medicinam fermentare occipias, Solem & Lunam videtur renoves, ut ipla possint tenere de quinta essentia, tunc eorum tinctura perpetuo durabit. Est & alia via excellentissima pertinens ad aliam operationem, aquam facimus maxime odoriferam, cum qua omnia corpora in oleum reducimus, cum quo nostram medicinam facimus fluentem: quintam essentiam vocamus hanc aquam, hominum quæ sanat omnes infirmitates. Sed cum tua basi secundam nostram doctrinam præparata, quæ est nostra calx, hoc debet fieri: nam quando corpora sunt sic calcinata, aqua illa protinus in oleum dissolvi,t fac igitur oleum ex Sole & Luna, quod est fermentum odoratu fragratissimum, Superata est nona porta hujus arcis.

De Exaltatione, decima Porta.

PRosequamur nunc caput exaltationis, cujus debes habere perfectam notitiam, nam parum differt à sublimatione, si nostra verba concepisti, huic convenit Scriptura sacra, Christo dicente: Ego si exaltatus fuero, omnia ad me traham. Si nostram medicinam hoc pacto exaltaverimus, hac ratione erit nobilitata, quod fieri debet

duobus modis, ab eo tempore quo partes sunt desponsatæ, quæ sunt crucifixæ, & exanimatæ, & contumulantur simul mas, & fœmina, & postea revivificantur spiritu vitæ. Tum sursum in cœlum debet exaltari, ut ibi corpus & anima glorificentur, Non debes illud adducere ad talem subtilitatem, ut ascendant simul inthronizanda in nubibus splendentibus, angelis consociata, tunc trahent, ut videbis, omnia alia corpora ad suam propriam dignitatem. Si igitur velis tua corpora exaltare, augmenta illa primo spiritu vitæ, donec terra sit bene subtiliata, per naturalem rectificationem omnium elementorum, illa exaltans sursum in firmamentum: tunc multo preciosiora erunt auro propter quintam essentiam de qua retinent: nam quando frigus vicit calorem, tum in aquam aër convertitur, & sic duo contraria simul fiunt obviam, donec cuique cum altero recte conveniat. Sic in aërem aqua, sicut tibi dixi, quando calor frigori dominatur, convertitur arte nostræ circulationis: tunc ex igne aërem habebis, solvendo, putrefaciendo, & sublimando, & ignem habes ex terra materiali, separando vicissim elementa specialiter terram bene calcinando, & quando unumquodque purum factum est, tunc tenent omnia de quinta essentia. Hoc modo igitur fac ut circuletur unumquodque in alterum festinanter exaltans, ac in uno vitro bene sigillato hæc omnia peragantur, non manibus, sed sicut te doceo naturaliter. Ignem in aquam tum primo diligenter converte. Nam ignis est in aëre, qui est in aqua existens & hæc conversio convenit nostro proposito. Tum ulterius verte tuam rotam, quousque aër convertatur in terram, quod rectissime fieri potest, nam aër est in aqua, existente in terra, quamvis aquam in ignem, contraria in sua qualitate, cito convertere potes: nam aqua est in terra, quæ est in igne, hæc est vera conversio. Rota est jam propemodum circumversa. Converte aquam in terram, quæ est proprius nidus aliorum elementorum: nam terra in igne est quæ in aëre quiescit. Istam circulationem debes incipere in occidente, tum post meridiem versus, donec exaltentur, procede debite, ut in figura tibi ostendi; in hoc progressu aperte potes videre, quod ab uno extremo ad aliud non fit transitus nisi per interjectum medium, cum sint contrariæ qualitatis. Et certe ratio dictat, ut calidum in frigidum cum multis aliis inter se contrariis sine medio, ut est humiditas circa calidum & frigidum, non potest converti, ut antea tibi dixi. Hactenus te docui facere omnium tuorum elementorum perfectam circulationem, in rotæ figura exemplum habes, quo modo dictam exaltationem facies, ac tuæ medicinæ in elementa veram gradationem, donec eam conduxeris in complexionem temperatam; tum portam decimam acquisivisti.

De Multiplicatione, undecima Porta.

AD multiplicationem declarandam me accingo, quæ à Philosophis sic definitur: Est augmentatio revera Elixiris in bonitate & quantitate, simul pro rubro & albo, multiplicatio est, sicut illi describunt, ea res quæ facit augmentum medicinæ, in quovis gradu, in colore, in odore, in virtute, & quantitate. Et ut possis tuam medicinam in infinitum multiplicare, causa hæc est, nam est ignis, qui excitatus nunquam moritur, sed semper tecum habitat, sicut ignis in domibus, & sicut moschus in confectionibus aromaticis, cujus una scintilla potest excitare plus ignis, in virtute, multiplicati. Idem fit in nostra medicina. Dives est ille qui ignem habet plus vel minus, propterea quod tantopere potest quantum vult augeri, sic dives est ille qui particulam habet nostri Elixiris, quia potest augeri in infinitum. Una via, si dissolvas nostrum pulverem siccum, & facias horum frequentem congelationem, hujus in virtute tum facies augmentationem. Secunda via simul in bonitate & quantitate multiplicatur, per iteratam fermentationem, ut in illo capite tibi manifeste ostendi diversis modis naturalis operationis, & sic in capite nostræ cibationis, ubi potes cognoscere quo pacto infinite tua materia cum Mercurio multiplicatur. Sed si tu velis una solvere atque etiam fermentare, augebitur tam in quantitate, quam in virtute: & sic potes illud multiplicare, ut in vitro crescat in modum arboris, quam Hermetis arborem vocamus, aspectu pulcherrimam, cujus unum granum multiplicabitur in mille si sapienter noris facere tuam projectionem. Nam prout crocus pulverisatus si cum liquore paulatim teneretur, & postea addatur majori liquoris quantitati, tingit multo plus liquoris in quantitate, quam si esset integer in sua grossa substantia: sic nostrum Elixir, quo tenuius factum fuerit, hoc largius se profecto tua tinctura sparget. Itaque cooperi tuum ignem vesperi, æque ac mane, ne tibi sit opus ostiatim illum disquirere inter vicinos, ut ab illis accipias mutuo. Quo diutius retinebis, eo amplius lucraberis, multiplica semper magis ac magis in tuo vitro, enutriens illum Mercurio dum vixeris, sic habebis amplius quam tibi opus erit, hoc est manifestissimum. Non est quod scribam apertius, utaris igitur ratione duce, ne frenum propterea laxes peccatis, sed inservias Domino Deo tuo attentius, & quamdiu hic vixeris hæc menti tuæ recondere ne obliviscaris, cogita te aliquando ante Dei tribunal assistendum, dona tua propterea & tuos thesauros probe & pie disponas, juva pauperes in necessitate, ut in hoc mundo possis procurare misericordiam & gratiam. Ora Deum, ut te conducat in hanc portam, ut possis tuæ conquisitioni finem imponere.

De Projectione, duodecima Porta.

IN projectione probabitur si nostra praxis est utilis, cujus oportet me secreta quædam monere: si tinctura sit vera & non variabilis, probabis cum pauca quantitate tuæ medicinæ, metallo, aut Mercurio, ut pix adhærebit, & tinget in projectione ut omnem ignem sustineat, intrabit & sparget seipsam largissime. Sed multi per ignorantiam destruxerunt opus suum, quando faciunt projectionem super metallum impurum: nam illorum tinctura propter corruptionem evanescit, quod à corporibus non removerunt, quæ post projectionem sunt frangibilia, fusca & nigra. Ut igitur tinctura possit perpetuo durare, vide ut tuam medicinam prius projicias super fermentum, tum erit illud fermentum frangibile ut vitrum, projice illam frangibilem substantiam super corpora mundata & valde pura, & statim videbis ea curiose colorata cum tinctura, quæ omnes probas sustinebit, Et sic à Psalmis Davidis numerato, ut utilem projectionem & perfectam facias, Super Psalmum cujus initium est fundamenta, projice, Nunc dimittis. Super verba mea, projice fundamenta. Tum verba mea super diligas, & diligam super attendite. Sic fac projectiones tres, aut quatuor, aut quinque, quousque medicinæ tuæ tinctura incipit decrescere. Tunc tempus est finem projectionis faciendi. Mystico hoc sermone nihil aliud volo quam

ut

ut imprimis minus projicias super majus crescendo semper numerum, ut sapientes dicunt, & reserva hoc tibi secretum apud te. Sis avidus doctrinæ, ea non erit tibi oneri. Nam qui corporibus ægris jungit Elixir ille parum novit, quid sibi velit projectio. Decem si multiplicas primo per decem, centum efficit numerus ille, si centum rursus per decem multiplicabis mille dicitur numerus iste; si mille item per decem, efficiunt decem millia, quæ rursus per decem multiplicata centum millia efficiunt. Jam superasti istas duodecim portas, ac totam arcem gubernas ad libitum, serva hæc secreta apud teipsum, & in igne contineas tuum vitrum: & multiplica tuam medicinam magis ac magis: nam sapientes dicunt, quod habes apud te non est quod aliunde quæras.

Sequitur Recapitulatio.

UT hunc tractatum in Epitomen redigam, attende diligenter latitudinem nostri lapidis, & incipe in occidente, ubi mas rubeus & conjunx alba fient unum, desponsati spiritu vitæ, ut vivant in amore & quiete, terra & aqua æqualiter proportionati, & una terræ pro tribus spiritus, est enim bona proportio, quæ est spiritus duodecim, pro quatuor partibus terræ sive corporis. Tres partes fœminæ, & unam viri debes accipere, & quo minus fuerit de spiritu in hac desponsatione, eo citius tuam calcinationem absolves. Tum in septentrionem per obscurationem progredere rubri viri & conjugis, quæ dicitur eclipsis, solvens eos, & alterans, inter hyemem & ver, in aquam convertens terram obscuram, illinc per varios colores ascende in orientem, ibi Luna erit plena apparens interdiu. Tunc præteriit purgatorium illius cursus. Nam illic Sol oritur apparens albus & lucidus, ibi est æstas post hyemem, & dies post noctem. Tunc terra, & aqua post nigredinem conversa sunt in aërem, & nubes & tenebræ sunt præteritæ & omnia apparent lucida. Et sicut occidens erat principium hujus practicæ, & septentrio perfectum medium alterationis profundæ, sic oriens est principium speculativæ, sed sui cursus, mox in meridiem facit consummationem, ibi sunt elementa circulatione in aquam conversa. Tum quin optatum tuum consequaris, non est quod dubites, nam totam nostræ philosophiæ circumvolvisti. Nihilominus tuam rotam bis adhuc circumdes oportet, in quo sunt comprehensa nostræ philosophiæ secreta declarata in 12. portis, si recte concepisti quo pacto perfecte calcinabis corpora, dissolves, & putrefacies, & omnia secreta alia nostræ infimæ astronomiæ, cum perfecta intelligentia omnium polorum in nostro cœlo lucentium coloribus inexplicabilibus, pulchriores nunquam sunt visi, pallidus, & niger, falsus citrinus, imperfectus & rubeus, pavonis plumarum color elegantissimus, iris qui etiam præteribit, Pantheræ color varius, leo viridis, Corvi rostrum nigrum ut plumbum, ii apparebunt ante perfectum album, & alii plures colores, & post perfectum album cineritius, & falsus citrinus, & postea apparebit sanguis rubeus impermutabilis: Tum habes medicinam tertii ordinis in suo genere multiplicabilem. Sed secretum istud omnino non debes ignorare, quod noster mas rubeus non tingit, neque illius conjunx donec tingantur: si igitur velis, tibi hac arte rem parare altitudinem tuorum corporum absconde, & patefac eorum profunditatem, destrue primam qualitatem omnium tuorum materialium, & secundas qualitates excellentiores quamprimum in his repara, & in uno vitro, uno regimine: converte quatuor naturas in unum. Dividendum erit tuum elixir rubeum in partes, antequam rubifices, quod pones in duobus vitris. Si vis habere Solis & Lunæ duplex elixir, fac sic: cum Mercurio multiplica statim in magnam quantitatem. Si in initio habes tantum, ut cochlear solum impleat, poteris multiplicare, simul in album & rubeum, ut etiam si viva mille annis satis superque habeas. Dissolve ergo caute tuam basim, & converte illam in perfectum oleum, quod circulatione fieri debet secundum nostrum propositum, hæc olea figent crudum Mercurium, in perfectum Solem & Lunam, hanc oleagineam substantiam fixam & puram, Raymundus vocavit suum basiliscum, cujus nusquam tam planam fecit explicationem.

Memento hominem esse nobilissimam creaturam in compositione terrea, quam unquam Deus creavit, in quo est quatuor elementorum proportionatorum per naturam neutralis Mercurialitas, quæ omnino nihil constat, producitur arte ex sua minera: nam nostra metalla nihil aliud sunt, quàm nostræ duæ mineræ nostri Solis & Lunæ, ut Raymundus sapienter notat. Splendor Lunæ & Solis lucidi, in has duas mineras secrete descendit, quamvis splendor sit absconditus tuo visui, arte potes efficere ut appareat manifeste. Hunc lapidem absconsum, hanc unam rem putrifica, lava in suo liquore donec albescat: tum fermenta sapienter. Et sic habes summam totius Operis.

SVBSECTIO III.

THOMÆ NORTONI Tractatus. *Crede Mihi seu Ordinale.*

Præfatio I. Authoris ipsius.

LIber iste Clericis monstrat scientiam,
Liber iste Laicis auget insitiam,
Liber honoris juvans per copiam,
Et liber pauperum fugans inopiam,
Liber fiduciæ est & veritatis,
Regibus consilium, doctrina Prælatis,
Et liber utilis viris beatis,
Vivere qui cupiunt absque peccatis,
Liber secretus, liber Doni Dei,
Electis semita viris bonæ spei,
Valens constantibus firmæ fidei,
Nec non credentibus verbis oris mei.
Quærunt Alchymiam falsi quoque recti,
Falsi sine numero, sed hi sunt ejecti,
Et cupiditatibus (hei) tot sunt infecti,
Quod inter mille millia vix sunt tres electi.
Isti ad scientiam multi sunt vocati,
Nobiles & pauperes, insci, literati,
Qui nolunt labores neque tempus pati,
Ideo non perficient, quia sunt ingrati,
Liber artis filios doceat iste satis,

Quibus

Quibus hæc percipere Deus dedit gratis,
Verſiculis propheticis quatuor his credatis,
Omnia dat gratis Divinæ fons pietatis.
Hæc nobilis ſcientia eſt tantum illis data,
Qui diligunt juſtitiam mente cum beata,
Doloſis & raptoribus ſed eſt denegata,
Propter peccata tardantur munera grata.
Sæpe Reges Angliæ decoraſſet hæc res
Firma ſi in Domino fuiſſet eorum ſpes,
Ille ſed qui capiet per hanc rem honores,
Antiquos mores mutabit in meliores.
Iſte cumque venerit, regnum reformabit,
Virtutibus & moribus & exemplum dabit
Sempiternum regibus, plebs tunc jubilabit,
Et mutuo ſe diligens laudes Deo dabit.
O Rex hæc facturus, Deum regem ora,
Et ejus auxilium pro re hac implora,
Tunc regi juſto fulgenti menti decora
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora-

PRÆFATIO II.

IN honorem Dei Unius, Trini in Perſonis,
Hic liber eſt factus, ut indocti viderent
Doctique, poſt meum obitum:
Quo omnes imperiti, qui conantur
Quærere per Alchymiam magnas opes,
Inveniant bona conſilia, antequam opus id incipiant:
Nihilominus Eruditi magna ſecreta quoque hic diſcent:
Verum omnes indocti cauſam habebunt hic timoris,
Vt ſibi caveant à falſis deluſionibus
Operum multiplicatorum, eorumque concluſionibus.
At ideo famam præ mundo non deſidero,
Niſi veſtras ad Deum preces, nomine meo non expreſſo:
Ne quis in hoc inquirat aut animadvertat,
Sed ſapienter conſideret flores hujus libri:
Si quemcunque hominum ſtatum
Reſpiciatis, quamplurimos invenietis,
Qui mentem Alchymiæ adjiciant
Saltem deſiderio lucri & divitiarum:
Vtpote Papæ Cardinalibus magnarum dignitatum
Archiepiſcopi & Epiſcopi ſummorum graduum,
Abbates & Priores religioſi
Cum Monachis, Eremitis & Presbyteris variis:
Et Reges cum Principibus, Dominiſque alti ſanguinis.
Nam quilibet ſtatus deſiderat de ejus bonis
Mercatores, & qui circa ignem opera tractant
Ex avaritia ejus opus deſiderant:
Et opifices ex vulgo nolunt ab ea excludi,
Illi enim æque, ac Domini, amant hanc artem:
Vt aurifabri, quos magis excuſamus,
Quia viſio ipſorum artis inducit eos ad credendum.
At mirum eſt, quod textores hoc opere participent,
Murarii, coriarii, pauperculique presbyteri,
Pictores & vitriarii ab ea ceſſare nolunt.
Imo & refectores rerum fabrilium ſeſe exaltare cupiunt
Magna cum præſumptione; quibus talis color
Convenit, qui dat tincturam vitris.
At multi operarii decepti ſunt
Credendo nimis ſubito, ad mittendum in fumũ ſuas opes
Et quamvis damna dolorem iis excitent,
Tamen continua ſpe ſe recreant,
Promittentes ſibi optimum exitum:
De multis hujuſmodi dicere novi verum,
Qui per totam hac ſpe ſe oblectant vitam
Donec evadant pauperes & egeni:
Melius equidem fuiſſet illis, deſiſſe
Laborare: quia nihil præter vexationem invenient.
Nam certe qui non eſt valde eruditus,
Vilior eſt, quòd quàm hoc opere præoccupari debeat:
Crede mihi, non eſt res parvi momenti
Cognoſcere omnia ſecreta ad hanc reſpectantia mineram,
Eſt namque valde profunda Philoſophia
Subtilis ſcientia, ſacra Alchymia.
De qua intendo hic ſcribere:
Quamvis forte non adeo curioſe:
Nam is, qui velit communiter populum docere,
In ejus gratiam uti debet ſimplici & communi lingua:
Et quamvis ſtylo plano & humili ſit utendum,
Nullus vir candidus putet ſibi id deſpiciendum:
Omnes, quicunque ſcribunt de hoc opere
Libros ſuos valde obſcuros aliis reddunt
Poëticis figmentis: parabolis & metaphoris,
Quod deſcendentibus plurimam moleſtiæ & difficultatis creat,
Nam ſi in practica id conentur experiri,
Omnes impenſas perdunt, ut quotidie pateſcit:
Hermes, Rhaſis, Geber & Aviceuna,
Merlinus, Hortulanus, Democritus & Morienus,
Baconus & Raymundus, cum multis aliis
Tecte ſub velamento ſcribunt, ſic & Ariſtoteles:
Eam quæcunque illi hac de re tradiderunt,
Eorum cauſa obſcuriores multos ſeduxerunt,
A vulgo & doctis & ſic ab omnibus
Celarunt artem, ne quiſquam inveniat
Medio eorum librorum, quamvis pulchras rationes addiderint.
Quibus illi in deſperationem deducuntur.
Attamen Anaxagoras omnium rectius ſcripſit
In libro ſuo de Converſione naturali,
Ex antiquis Philoſophis, quos unquam reperii,
Ille optime hujus ſcientiæ fundamentum aperit,
Unde Ariſtoteles ipſi valde inimicus
Carpit eum abſque cauſa
In multis locis, prout probare potero,
Hac intentione, ne quis eum ſequeretur.
Nam ipſe erat abundans doctrina & amore,
Deus animæ ejus benedicat ſuperius:
Ac illis, qui inimicitiæ ſerunt ſemina,
Deus condonet malefacta,
Quemadmodum monachus ille quantum edebat librum
Mille receptarum, ex malitia & vexatione,
Qui in multis locis deſcripſit
Innumeros decepit & circumduxit,
Multoſque ad inopiam redegit,
Exque veris & probatis viris falſarios effecit:
Quapropter miſericordia quadam cogor
Ad monſtrandum veritatem in paucis & ſimplicibus verbis
Ita ut à falſis doctrinis averti poteritis,
Si huic libro mihique fidem adhibueritis:
Dimittite receptarum veſtra volumina,
Nam ejuſmodi ſunt deceptionum plena,
Nec fidatis illis, at hoc obſervetis bene
Quod nihil ſit ſcriptum niſi ex proprietate cauſæ:
Unde Practica multum aberrat,
Vbi cognitio cauſæ non præceſſit;
Quo circa prudenter in mente hoc teneas,
Quod nil opereris, niſi cur & quomodo cognitum habeas:
Ille etiam, qui in hac arte progreſſum facere cupit,
Opus habet ut falſitatem omnem fugiat
Nam veritas ipſe Deus eſt, qui hanc artem monſtrat,
Ideo falſitati nunquam vos dabitis:
At conſtanter in animo vobis maneat fixum,
Nullo modo adulterina metalla procurare,
Sicut illi, qui quærunt albificationes aut citrinationes,
Quæ pati nequeant omnes Examinationes,
Quibus falſum argentum conficiunt, prout norunt,

Aut

Aut nummos, ad decipiendum homines:
Verum Deus providit, ne quis in hac arte benedicta
Quicquam speret, qui falsarius unquam fuerit.
Gratiam ut habeat à Deo necessum est, qui hanc artem
inquirere velit,
Ideo debet esse justitiæ veritatisque amans:
Nec vero quis nimium se in animo vexet,
Qui propter externa desideria hanc artem exoptet:
Atque is, qui intentione sua frui velit,
Ut satis sit dives, convenit:
Diversis viis ne sese dedat operationum,
Sed solummodo sequatur hujus libri ordinem,
Qui vocatur Alchymiæ ORDINALE,
Et CREDE MIHI, columna perpetua,
Nam, veluti Ordinale presbyteris ostendit
Ministerium dierum, quos observare tenentur,
Ita, ex omnibus Alchymia inordinatis libris
Effectus hic secundum ordinem ponuntur:
Quapropter hic liber pro Alchymiæ modo
Est incomparabilis precii,
Cujus veritas nunquam poterit reprobari,
Quamvis humili forma sit compositus.
At veluti ego artem hanc obtinui ex divinæ gratia,
Sic eam vobis obsero in septem capitulis,
Adeo plene, quam ex conscientia mihi licitum.
Ex nutu severi Judicis in extremo die:
Primum caput omnes docebit ex æquo,
Quinam hanc scientiam assequi poterit ex populo:
Et cur vera Alchymiæ scientia
Ab antiquis vocata sit benedicta & sacra.
In secundo capitulo monstrabuntur
Inania gaudia circa hanc & pericula:
Tertium caput in cujusdam amorem
Fideliter aperiet lapidis materiam,
Quem Arabes Elixir appellant,
Hoc unde sit, ibi intelligetis:
Quartum caput ostendet majus opus,
Molesti laboris, inconveniens doctis,
In quo currunt varia diverticula
Multis cum periculis & erroribus plena:
Quintum caput de subtili est opere,
Quod Deus solummodo pro erudito disposuit,
Verum perpauci doctorum id comprehendunt,
Hinc haud multis hæc scientia appropriatur,
Sextum caput est de proportione & convenientia
Naturæ inferioris cum cœli sphæra superiore,
Cujus vera cognitio multum promovet eruditos
Et adjumentum iis præstat in nostro mirabili opere.
Septimum caput vere vobis demonstrabit
Varia regimina vestrorum igneum.
Nunc DOMINE Deus ducas me & juves,
Nam ad rem jamjam producere cupio:
Singulos exorando, qui in hunc inciderint librum,
Ut in mente preces pro anima mea dicere velint;
Et ne quis meliori aut viliori
Mutet meam scriptionem, timore divinæ maledictionis:
Ubi enim sententiæ cui vivæ non apparebunt
Ibi prudentiores ipsi sibi invenient;
Et si quædam syllabæ fuerint mutatæ,
Reddere potuerunt inutilem hunc librum:
Quapropter ne uni aut alteri confidas lectioni,
At vigesies desiderat iterari:
Nam continet magni ponderis sententias,
Licit parum Eloquentiæ pra se ferat:
Verum optimum erit, quod fieri à vobis convenit,
Nempe at legatis quamplures libros, & post hunc cum
illis.



Capitulum primum.

MAgisterium valde admirabile & Archimagisterium
Est Tinctura sacræ Alchymiæ,
Scientia mira secretæ Philosophiæ,
Singulare donum & gratia omnipotentis Dei,
Quod nunquam, labore manuum ab homine inventum fuit,
At solummodo revelatione & doctrina aliorum
Nunquam hoc venditum aut emptum est precio
Ulli, qui id quæsiverit:
Verum datum est Dei gratia solummodo viro digno
Perfectum magno sumptu, longo labore & tempore
Subvenit alicui in necessitatibus,
Tollit vanam gloriam, spem & timorem
Submover ambitionem, violentiam & excessum,
Mitigat adversitates, ne quem opprimant,
Quicunque ejus perfectam habuerit cognitionem
Fugiendo extrema mediocritete est contentus,
Quidam dedignantur hanc artem vocare sacram
Et hoc modo subjiciunt,
Dicentes, quod maledicti hanc scientiam sibi acquirant
Quibus Deus nihil boni conferre velit:
Nam eorum voluntaria & falsa infidelitas
Non admittit ut possideant id, quod boni sit causa,
Ad hæc nullam aliam rem conficit
Nisi saltem aurum aut argentum ad pecuniam, pocula aut annulos

Quæ à sapientibus probatæ & inventæ sunt
Res minus vi tuosæ ex omnibus sup.a terram :
Hinc concludant istius farinæ homines,
Negantque hanc scientiam quoad effectum esse sacram,
Ad ea nos referimus & protestamur, vt novimus,
Quod hæc scientia nunquam alicui fuerit tradita,
Nisi omni ex parte probatissimo per multum temporis,
An dignus sit ut hanc recipiat gratiam,
Ratione ejus veritatis, virtutis & absolutæ intelligentiæ,
Ex quibus si quid ei defuerit, nunquam habebit.
Ita nemo hanc artem potuit assequi,
Nisi à Deo quis missus fuerit, à quo institueretur:
Res enim adeo est honoranda & cara,
Ut necessitatio alteri tradenda sit oretenus,
Sic ut oporteat, etiam voluntas adsit paratissima,
Eam recipere sub sacratissimo & summo juramento,
Quod, ut nos recusamus magnas dignitates & famam,
Eodem modo ipse eadem recusare velit,
Et quod nunquam adeo audax sit futurus,
Ut hoc secretum proprio filio insinuare præsumat,
Nam propinquitas sanguinis aut affinitas
Non recipienda est ad hanc dignitatem,
Si sanguis, prout sanguis non participat
At saltem virtus hac potiatur arte,
Ideo secrete inquiratis & videatis
Omnes mores & virtutes, nec non habilitatem
Ejus personæ, quæ sit apta ad hanc discendam scientiam,
Et eadem ratione astringatis ipsum stricto juramento,
Ne quisquam hanc artem post se relinquat,
Cum dignum & probatum virum invenire possit,
Si ætas ei ingraveteat, aut molesta sit,
Unum quidem docere eam potest, at non plures:
Nam oportet hanc scientiam secretam semper manere;
Causa est hæc, prout animadvertis,
Quod si improbus hanc artem sciret,
Multum inde periculi Christiano orbi contingeret,
Inflatus enim ille superbia suis hæreditatibus removeret
Legitimos Dominos, qui aliis imperant :
Cujus rei periculum & pœna
Immineret illi qui artem docuisset :
Si itaque propter suspicionem tantæ elationis & superbiæ.
Sibi cavere debet, qui hanc scientiam velit tradere,
Hinc nullus tam præclarum assequetur donum,
Nisi is, qui virtutibus valde excellat.
Quod si illi ipsi putent, contra possidentes, negare
Hanc scientiam sacram, veluti prædictum fuit,
Nec videri benedictam ex effectibus,
Secundum ordinem suum tamen sancta est:
Siquidem nemo eam invenire queat,
Nisi ex gratia divina, unde sacri apparet generis:
Si quoque opus est & labor divinus
Ex vili cupro facere aurum & argentum finum :
Nullus ejusmodi mutationem reperiet suis meditationibus
Ex diversis rebus, quas Deus creavit.
Nam quæ Deus conjunxit, homo non disjunget
Nisi ipsius gratiosus consensus plenarie adfuerit
Ope hujus scientiæ, Quam Dominus noster summus
Concessit his, quos ille diligit.
Unde antiqui Philosophi non inconvenienter
Vocarunt hanc sacram Alchymiam,
Idcirco nemo tam temerarius erit,
Ut tantum Dei munus benedictum abjiciat,
Si modo consideret, quod Deus omnipotens
Hanc scientiam à magnis celaverit doctoribus,
Et dederit eam perpaucis ex sua misericordia,
Qui sint fideles, veraces & humiles :
Et veluti saltem sunt planetæ septem
In tanta multitudine stellarum cœli,
Ita inter milliones millionum hominum
Vix septem ad hanc scientiam perveniunt
Unde indocti vos addiscitis & videtis,
Quomodo multi doctores magnæ authoritatis
Cum variis inquisitoribus aliis hanc artem indagare conati sint,
Quorum tamen labor tetendit in nihilum,
Et quamvis sumptus impenderint, tamen nil invenerunt,
A proposito enim suo semper deciderunt,
Et sic desperantes cessarunt ab hac arte,
Dicendo tum, non esse hanc veracem,
Nisi fictas fabulas ; quovis cundo,
Et rem falsam, naucique proclamarunt.
Tales sibi nimium videntur attribuere,
Illi putant suam sapientiam fore tantam, ut hanc artem reperiret,
Verum de eorum calumniis & verbis injuriosis
Nos equidem ne tantillum curamus.
Nam ejusmodi non sunt invitati ad nostrum convivium,
Qui se sapientes existimant, cum ne minimum facere norint.
Quamvis hi ipsi non curent eam prosequi
Nihilominus Alchymiæ scientia veram permanet.
Et liceat quidam elati ex doctis id negent,
Attamen quilibet sapiens consideret,
Quod ille, qui veritatem ejus nunquam viderit,
Nullum testimonium legitime reddere valeat,
Esset enim res admiranda & inaudita,
Quod quidam, qui nunquam visum habuisset ad pingendum
Aut cæcus à nativitate quomodo posset certificari
Ut scriberet aut optime imagines depingeret :
D. Pauli (Lond:) turrim, permagnum foret dubium,
Ab illis doctis, superbis, posse ædificari.
Forte enim contingeret eos ipsos succumbere,
Antequam sapienter loco removissent.
Quocirca tales procul absunt ab eo,
Quod invenirent rem omnium secretissimam ;
Hinc quilibet sua utatur fortuna,
Et ejusmodi doctos remittat ad suam propriam ignorantiam.
Nunc vos, qui hanc scientiam quæretis,
Discatis discernere falsos à veris,
Omnes investigatores veri artis Alchymiæ
Sint eruditi in philosophia,
Alias omnis illis perdetur labor,
Prout ei, qui aquam haurit cribro,
Veri indagatores quærunt per se soli.
Spe præconcepta inveniendi nostrum delectabilem Lapidem
Idque ideo, nolunt ut quis alius damnum patiatur,
Omnes illi propriis utuntur sumptibus,
Sic dum expensas semper adhibere non detrectant,
Suas consumunt opes & cistas vacuas reddunt :
Magna cum patientia ipsi progrediuntur,
Sperantes solummodo in Dei auxilium :
Falsarii discurrunt ex oppidis in oppida
Ut plurimum vilioribus pannis obsiti,
Semper inquirendo diligenti cura,
Quam capterent, prædam falsa deceptione,
A pejerando hi non desistunt.
Dicentes, quod possint argentum augmentare :
Nil frequentius quam perjuria illis,

Dum

Dum affirmant se posse multiplicare
Aurum & argentum, atque hac ratione
Promissis suis arridentavaris;
Quorum mentem ad se facile inclinant,
Tum Deceptio & avaritia optime conjunctæ sunt:
Verum post non longo tempore
Multiplicator eum decipit
Magnificis suis promissis & juramentis falsis
Avarus ad inopiam redigitur,
Nisi forte confestim sibi caveat
A multiplicatoris deceptionibus,
De quibus quamplurima possem referre,
Sed non audeo, ne eos stimulem,
Qui ad male agendum sunt dispositi.
Nam multum damni hinc exoriri posset:
Quocirca consulo vobis & demonstro
Ejusmodi, qui tale officium offerunt:
Quod si illi scientiam eam haberent absque dubio
Nulli unquam ostenderent:
Cum illi promittunt multiplicationem
Proponunt sibi agere nequitiam,
Bonæque voluntatis aliorum bona deprædari,
Quid de ejusmodi sodalibus dicam?
Tales falsarii quocunque sese conferant.
Puniri deberent, nec tot talesque forent:
In naturam mendacia falsa congerunt;
Nam metalla non multiplicantur,
De hac sententia quilibet sit certus,
Quod natura plus artis ostendat,
Nihil multiplicat, (ut authores dicunt)
Nisi una ex his duabus viis:
Aut putredine, quam vocant putrefactionem,
Aut alia, velut animantia, per propagationem,
Propagatio in metallis esse nequit,
At in nostro lapide multum illi simile videbitis,
Putrefactio destruere & corrumpere debet,
At id fiet in loco convenienti:
Metalla generantur intra terram;
Nam supra terram ærugo apparet in illis,
Et ita supra terram est corruptio
Metallorum & longo tempore destructio,
Et quibus nulla causa adest in hoc casu,
At supra terram non sunt in suo loco,
Loca autem naturæ contraria adversantur,
Veluti pisces extra aquam extinguuntur,
Et homo cum volucribus & bestiis in aëre degit,
Ita lapides & metalla sub terra generantur:
Medici & Apothecarii non desiderant
Quærere aquarum rivos in collibus siccis.
Nam Deus ordinavit ex sua sapientia & gratia
Omnes res crescere naturaliter in suis locis;
Contra hanc doctrinam quidam opponunt,
Et asserunt metalla multiplicari:
Argenti enim, plumbi, stanni & æris
Venæ quædam sunt ditiores, aliæ minus,
Quam diversitatem naturæ non admitteret,
Si metalla non multiplicarentur nec crescerent,
Quocirca dicunt hanc rationem demonstrare
Quomodo sub terra augeantur & crescant illa,
Cur itaque non supra terram in vasis bene dispositis
Ad præservandum ea ab igne, aqua & aëre?
Ad hæc respondemus, hanc rationem esse inanem,
Cum non sit perfecta similitudo:
Nam causa efficiens metallorum invenitur
Solummodo virtus mineralis,
Quæ in qualibet terra non adest,
At saltem in certis locis & selectis fundis,
Quibus sphæra cœlestis
Immittit suos radios directe quotannis,
Et prout materia ibi tum est disposita,
Tale quoque metallum formabitur:
Paucæ terræ sunt aptæ ad eam generationem,
Quomodo igitur supra terram possit esse eorum multiplicatio?
Ita omnes percipiunt, qui prudentes sunt,
Quomodo aquæ congelatæ, seu glacies se habeat,
Antequam indurata fuerit,
Quædam in locis copiosior, quædam paucior,
Ut aquæ in fossis & torrentibus
Fuit exigua quantitas, cum rigere cepit;
At aquæ in lacubus majores habent venas
Propterea copiam materiæ in iis congelatæ,
Propterer dicere, non bene conveniret,
Quod ideo hinc multiplicari possit ipsa glacies:
Ita quamvis metallorum fuerint venæ plures aut pauciores,
Non probat, quod producant plus, quam ante fuerint,
Ita credere vos oportet absque ullo dubio,
Quod ingredientia omnia redigenda ad simplicitatem,
Et compositio discernenda sit, ut animadvertitis:
Nam in multiplicatione herbarum, veluti natura providit
Ut singula secundum semina sua differrent,
Seorsim stipites & folia, quæ virtualiter illis insunt,
In actum deduci non possunt, ut notentur oculis:
At metalla manent in sua integra compositione,
Cum ab aquis fortibus dissolvuntur:
Idcirco siquidem glacies simplicitati sit propinquior
Quam metalla, nec tamen augeri possit,
Certe credere vos oportet, (ut antea dixi)
Quod ex una uncia argenti plus fieri nequeat.
Adhæc nihil multiplicari reperietis,
Nisi sit vegetabile aut sensitivum genus,
Cum metalla saltem sint Elementativa
Nec habeant semina, nec sensum corporis:
Ergo concludimus, omnes multiplicatores cessare debere,
Nam metallum semel generatum nunquam accrescit:
Nihilominus unum metallum transmutatum invenimus
In aliud metalli genus
Propter materiæ propinquitatem, quæ in ipsis erat,
Veluti cognitum est inter ferrum & æs,
At facere verum argentum & aurum nihil potest,
Nisi solummodo Philosophorum Medicina.
Ideo opera ejusmodi, quæ multiplicatores usurpant,
Docti omnes reprobant & extreme fugiunt,
At sacra Chymia merito honoranda est,
Quæ tractat de preciosa Medicina
Tali, quæ fere facit aurum & argentum purum,
De quo exempli vice testimonium
Extat in quadam civitate Cathaloniæ,
Quod Raymundus Lullius nobis, veluti supponitur,
Fecit in septem imaginibus ad monstrandam veritatem,
Tres fuere ex argento bono in forma matronarum,
Quatuor ex auro habitu virili,
In quarum vestium margine literæ apparuerunt,
Significantes sententiam hanc, quæ sequitur:
Ex solea equina veteri (una inquit) qui ferrum, ☽ ex ♂ I,
At nunc sum argentum purissimum:

Ego eram, alia dicit, ferrum ex minera deſumptum ☉ ex ♂ 2.
Sed jam, ſum aurum perfectum & finum,
Olim fui cuprum ex veteri cupa ☽ ex ♀ 3.
Nunc ſum argentea tota, inquit ſœmina:
Quarta ait, eram cuprum in loco vili generatum, ☉ ex ♀ 4.
At nunc ſum aurum perfectum factum Dei nutu,
Quinta dicit, fui argentum purum & finum, ☉ ex ☽ 5.
Sed nunc excellens aurum melius quam prius:
Sexta, canna plumbea ducētis fere annis fui, ☽ ex ♄ 6.
Et jam optimum argentum omnibus appareo,
Septima inquit, ego plumbum ex auro factum ut monſtrum, ♄ ex ☉ 7.
Sed certe ſorores meæ, quam ego, ſunt propiores.
Hæc ſcientia, ut quidam volunt, dicta eſt
Olim ab Alchymo rege percelebris famæ:
Qui princeps glorioſus animo generoſo
Et virtute præſtans hanc artem indagare ſperavit,
Scrutatus naturam vir ille doctiſſimus
Extortione omiſſa quæſivit & invenit illam,
Rex Hermes quoque idem fecit,
Qui fuit vir eruditione celeberrimus:
In quadripartitis ſuis Aſtrologiæ
Artis medicæ & hujus Alchymiæ,
Nec non magiæ naturalis,
Veluti quatuor ſcientiis in natura exiſtentibus,
Ac ibi, inquit ille, beatus habetur,
Qui res novit vere, prout ſunt,
Et beatus eſt is, qui debite probat
Illud quod ad ſcientiam ſpectat:
Nam ex opinione ſua quamplurimi
Decipiuntur, in iis, quæ non cognoverunt:
(Vetus eſt proverbium) quod in magno acervo imaginationis
Non ſit exiguus ſcientiæ manipulus,
Cum probatione debita & diſcretione ſufficiente
Sapientes quoque quotidie multa addiſcunt.
Per ſcientiam homines ſeipſos noſcunt & res quaslibet,
Homo enim beſtia eſt pejor abſque ſcientia:
At vix ulla cupidine quis ducitur
Scientiæ, cujus nil ipſe tenet:
Et defectus eruditionis audaces & feros
Sufficiens autem ſcientia reddit humanos,
Nobiles nunc ſolent deſpicere
Eos qui ſcire deſiderant.
Sed Reges antiquo tempore
Ordinantur (veluti auctores multi tradunt)
Quod ſeptem ſcientias liberales diſceret
Nemo, niſi nobili liberalis ingenio.
Et qui illis deditus eſſet, liberrime
In ſtudiis ſuis vitam ageret:
Hinc antiqui eas vocaverunt
Septem ſcientias liberales
Nam qui vellet eas addiſcere perfecte & bene
Oportuit eum libertate certa gaudere.
Ab aliis operibus mundanis abſtinebit
Qui leges ſaltem humanas percepturus eſt,
Multo magis ſe mundo abdicabit,
Qui multas ſcientias addiſcere velit.
Et hac ex cauſa ſatis videtur,
Cur eruditi viri ſint deſpecti.
At excellens ejus memoria non ceſſabit,
Qui rerum cognitione ſemper accreſcit.
Amans ſcientiæ, juſtitiæ & gratiæ
Multis in locis repudiatur.
Sed in aulam qui portat quocunque modo
Utile ſeu munus, eo prævalet tempore.
Quapropter hæc ſcientia aliæque gratiæ plurimæ
Sunt perditæ & amiſſæ ab omnibus.
Porro memento ejus, quod dico,
Nonnulli eam appetunt in vita ſua,
Avaritia & ſcientia diſcordi ſunt genere,
Qui deſiderat lucrum, hanc artem non inveniet.
Sed ille qui amat ſcientiam pro ejus dignitate
Indagare utramque poteſt fœlici ingenio:
De hoc capitulo non opus eſt plura tradere,
Nam hic apparet, quales eam attingere poſſint,
Hoc eſt, ſolummodo fidelis,
Et qui eſt conſtans animo ad inveſtigandum,
Non ambitioſus, nec ab aliis quid mutuari coactus,
Qui ſit patiens, nec nimium properet,
Quique in Deum firmiter confidat,
Et ſcientiæ omnino adhæreat;
Et cum omnibus his qui vitam agat integerrimam,
Falſitatem deteſtetur & à peccatis abhorreat,
Tales ſunt apti ut ad hanc ſcientiam perveniant,
At capitulum ſequens eſt de gaudio & dolore.

Capitulum Secundum.

IN Normandia vixit nuper monachus quidam,
Qui decepit quamplurimos cujuſcunque ſtatus,
Hic poſtquam in phantaſia
Præconceperat, ſe hanc artem perfecte ſcire,
Tanta lætitia perfuſus eſt,
Ut furere pene inciperet,
De cujus præpoſtero gaudio, (licet non diu durarit)
Exempli gratia hunc apologum narrabo:
Monachus iſte Franciam pervagatus erat,
Ut apoſtata deſideriis ſuis indulgendo:
Et poſt in hoc regnum venit
Cupiens cuique perſuadere,
Se totius Alchymiæ fundamentum plenarie callere,
Quod in libro quodam Receptarum repererat;
Idcirco animum omnino induxit ſuum
Præclara quædam facta ac nobiles actus poſt ſe relinquere
Unde nomen ejus foret immortale,
Et fama in hac regione maneret perpetua:
Atque hinc ſæpe ſpeculabatur, unde incipere
Tantas divitias abſumere, quas inventurus eſſet:
Et ſemper cohibat, En hoc novi,
Ubi reperiam quendam virum fidelem,
Qui voluntati meæ morem gereret,
Et propoſitum meum in actum ducere juvaret,
Tum facerem, ut in planitie
Salisburgenſi glorioſe extruerentur
Quindecim Abbatiæ in exiguo tempore,
Ita ut ſingulæ ſingulis miliaribus ab invicem diſtarent,
Hac de cauſa hic monachus ad me accedens

Fiducia

Fiducia ea, quam dicebat de me referri;
Mentem suam jam dictam mihi aperiebat,
Et orabat ut sibi consilio adessem:
Ego ante imaginem sancti Jacobi promisi,
Me nolle ejus nomen patefacere,
Nihilominus scribere mihi licitum est absque vitio
De ejus desiderio tam inani.
Cum magnam mihi suam scientiam mihi aperuisset,
Dicebat sibi nihil deesse
Nisi oportunam occasionem
Ad laborandum in Regis commodum
Et impetrandum licentiam ab ejus senatu
Et Dominis mediate,
Ad coëmendum agros pro antedictis Abbatiis
Nam pro expensis se latis facturum:
Verum multum adhuc dubitavit,
Quomodo, à quibus & ubi emendæ essent terræ:
Cum de tam magno ejus opere audissem,
Explorare volui quam peritus esset in literis
Et quantum eruditionis haberet scholasticæ,
Sed in his fatuus saltem inventus est:
Nihilominus sustinui & secrete me gessi,
Ut plus ejus desiderii cognoscerem:
Tum dicebam; rem esse adeo leviculam
Ut Regi aperiri non debeat:
At si proba esset non conveniens,
Ipsum pro stulta fabula acceptarum:
Monachus respondit, quod in igne teneret,
Rem, quæ suam voluntatem complere posset,
De qua veritatem intra 40. dies
Me cogniturum certissime:
Tum retuli me non urgere amplius
Sed 40. dies (dixi) expectaturum:
Quod tempus ubi advenerat,
Ipsius monachi scientia evanuerat,
Tum omnes ejus Abbatiæ & conceptæ
In rem nihili redierant;
Et veluti venerat, sic abiit
Non absque magno animi pudore:
Nam paulo post, brevi tempore
Multos bonæ voluntatis viros decepit,
Et deinde repetiit Franciam;
Ecce quam miserabilis hæc fuit permutatio,
Quod quindecim Abbatiæ religiosæ
Hoc modo deberent confundi.
Res mira fuit quod ipse putarit,
Et omnem suam mentem intenderit
Abbatias extruere & detraxerit
Sub obedientia vivere:
At velut apostata circumvagatus est
Ut benedictam hanc scientiam indagaret:
Verum veluti superius hoc libro scripsi,
Nullus deceptor huic scientiæ sit intentus.
Aliud quoque exemplum memorandum est
De quodam qui speravit æque bene hanc rem facere,
Ac Raymundus Lullius, aut Bacon monachus,
Unde sese vocitavit sanctum Petrum,
Fuit minister parvi oppidi,
Non procul à civitate Londinensi,
Qui videbatur aliis exiguam
Prædicandi habere scientiam:
Certus putabat hanc artem reperire,
Et nomen voluit suum hinc celebrari,
Ratione pontis imaginatione concepti
Supra Tamesin faciendi pro commodo transeuntium,
Quod fieret publica quædam utilitas
Cessura toti regioni circum circa:
Verum ad opus ejusmodi perficiendum,
Nihil ejus voluntati sufficere potuit.
Quocirca sublimem adeo erigere voluit
Pontem; ut omnibus admirationi futurus esset,
Cum turribus deauratis lucentibus instar auri,
Quæ res magnifica videretur spectatoribus:
Tum sæpe commemorabat de novo
Quam magna fama sequutura esset,
Si pontem adeo illustrem faceret,
Ut noctu perlucere late possit,
Atque sic continuo perduraret,
Tum omnes eum celebraturi essent:
At in animo ejus variæ dubitationes exortæ sunt,
Quomodo hoc opus perficeret,
Putavit quidem lampadas igne incensas
Satisfacturas huic suo desiderio:
Ideo lampadas ea intentione
Sufficienter ordinandas statuit.
At iterum veritus est valde
Quod post mortem suam:
Alii hoc lumen ministrare recusaturi essent,
Et reditus aliis rebus impensuri,
Hinc cogitabat fælicem eum,
Qui sciret cui tuto confideret,
Denique præsumpsit lumen illud apponere
Ponti, quod noctu reluceret,
Ex carbunculis gemmis, pro miraculo,
Cum duplici reflexione subtus & superius:
Interim novæ imaginationes animum ejus vexabant,
Ubi carbunculi essent reperiendi,
Ac ubi sapientes viri ac fideles offendendi,
Qui pro ejus intentione inquirerent
Per mundum ubicunque
Copiam carbunculorum:
Hac de causa adeo se macerabat,
Ut maciem fere contraheret,
At cum putaret sic firmissime
Se tantæ artis possessorem fore,
Postquam annus jam finitus esset,
Ars omnis ejus, viresque defecerant,
Nam ubi vitrum suum extraxerat,
Mil materiæ continuit pro auro vel ære,
Tum iratus & fere furore percitus fuit,
Suas enim opes perdiderat,
Atque hoc modo vitam transegit,
Quid amplius de eo referam?
At ut laici doctique in scholis
Agnoscant res horum fatuorum,
Meminerint exemplorum eorum ubicunque sint,
Eo enim animo sunt quam plurimi alii:
Ipsi leviter credunt omnes conclusiones
Quamvis sint falsæ illusiones,
Si saltem in libris scriptis reperiant,
Existimant verum præ mentis levitate,
Tam facilis & temeraria confidentia,
Causatur pauperiem & frustraneas expensas,
De spe hujus artis vanum surgit gaudium,
Spes enim inanis stulti est paradisus,
Veri autem filii artis confitentur
Deum, sine quo omnia fallunt:
Nam veluti non habent scientiæ initium,
Ita absque eo non sortiuntur finem bonum,

Confiteor Altiſſime nullus iſta capit,
Licet prius didicit, abſque te nil ſapit.
Nam tanta ſtat gratia te Deum ſemper apud,
Perficere ſicut capere, nam finis es & caput.
Veluti nunc de gaudio hujus artis audiviſtis,
Ita nunc de dolore circa eam percipietis,
Quamvis contrarium deſiderio
Illius, qui hac arte delectatur.
Prima cura eſt, agnoſcere animo
Quam multi hanc quærant, pauci vero inveniant,
Et quod nemo hanc ſcientiam adipiſci poſſit,
Niſi doceatur, antequam incipiat.
Vere doctus eſt & intellectu puro,
Qui per doctrinam alterius eam apprehendere poteſt,
Varias diverſitates ut cognoſcat neceſſum eſt,
Qui ſecreta naturæ opera indagare contendat,
At inſtitutio non adeo certa eſt,
Quin contingat aliquem poſt eam errare poſſe,
Veluti omnes qui nunc è vivis diſceſſerunt,
Errarunt antequam lapidem noſtrum invenerint,
Sive primo ſeu ſequenti tempore,
Omnes errant, donec vera practica accedat,
Nullus autem aberrat magis in calore & frigore,
Quam artifex temerarius & audax,
Nam nemo citius opus noſtrum perdit,
Quam is, quid hic complere præſumit.
At ille qui rem profecturus eſt,
Sit providus & acutus in operando,
Præ omnibus enim cutis hæc eſt graviſſima,
Ut ſi quis in uno erraverit, de novo iterum incipiat,
Certe curas permultas habiturus eſt,
Qui hanc artem adipiſci deſiderat,
Sæpe voluntatem ſuam permutabit
Rebus novis, quas cognoverit,
Conſilia ejus ſæpe erunt irrita,
A quo infortunio nunquam ſecurus fiet,
Et ſæpe animus ejus vacillabit
Novis opinionibus, dolore afflictus,
Atque ita continuabit in phantaſiis,
Ut miſerabilis ſit, ſi eam attingat,
Quin curas verſabitis acerrimas
In hac arte qualeſcunque fueritis,
De moleſtiis plus vobis aperiam
Quod deſiderium veſtrum refrenabit,
Magna eſt cura, ut ſapientes tradunt,
Cognoſcere ubi perfectus ſit artifex:
Et quamvis incidatis in eum, qui vos doceat,
Varias tamen moleſtias & curas habebitis,
Nam ſi mens tua virtuti ſit dedita,
Diabolus ut noceat allaborabit,
Tribus modis offendere te præſumet
Feſtinatione, deſperatione & deceptione,
Propter opera virtutis, quæ facturus ſis,
Si ad hanc ſcientiam perveneris,
Primum jam dictum periculum eſt feſtinatio,
Quæ multum deſtruit & corrumpit,
Omnes authores qui de hac arte ſcribunt
Feſtinationem dicunt eſſe ex diabolo,
Exiguus ille liber de philoſophorum turba
Inquit, omnis feſtinatio ex parte diaboli eſt,
Ideirco ille rem maturabit,
Qui procedet lento gradu,
Juxta proverbium veritatem cognoſcetis,
Quod quo quis magis feſtinet, eo lentior futurus ſit,
Nam qui properat, opus non perficiet
Interdum nec in menſe, nec aliquando in anno,
Et in hac arte ſemper erit verum,
Quod feſtinans nunquam carebit querelis,
De celeritate quoque eſtote certi,
Quod à veritate eos præcipitabit,
Diabolus non habet ſubtiliores modos,
Quam ut celeritate vos circumveniat,
Idcirco ſæpenumero præſumet
Per hanc vos in errores ſeducere,
Ipſe gratiam ubique inveniet,
Qui feſtinationi ſemper ſe opponet,
Semper, dico, nam in momento temporis
Feſtinatio deſtruere poteſt omnia veſtra opera,
Ideo ab omni feſtinatione cave,
Tanquam ipſa prorſus ſit diabolica,
Ratio mea non ſufficit, ut debet,
Feſtinantiam reprobare,
Quamplurimi ſe involverunt magnis curis,
Quia feſtinantiam admiſerint,
Sed ſemper ad finem properarunt,
Quod ex Sathanæ tentatione accidit,
Nil amplius de feſtinantia modo,
Sed beatus eſt patientiam habens,
Cum vero feſtinatione inimicus non prævalet,
Tum deſperatione mentem veſtram fatigabit,
Et ſæpe hanc ſententiam vobis ingerit,
Quam multi id quærant, quam pauci inveniant,
Iique longe te ſapientiores,
Quæ igitur certitudo tibi ſupererit,
Ipſe inſtigabit, ut quoque dubites
An magiſter tuus habuerit, nec ne,
Et quod forte evenerit,
Ut partem, non totum, te docuerit,
Ejuſmodi incertitudinem movebit,
Ad dubitationem menti tuæ ingerendam,
Et ſic labores tuos recompenſabit
Cum tali diffidentia & deſperatione,
Contra aſſultus ejuſmodi nil juvabit,
Niſi confidentia ſola virtus,
Ad quam ipſa ratio accedat,
Nec cauſa remanebit timoris,
Si prudenter in animum revocabitis
Virtuoſos mores, quos reperitis
In veſtro Magiſtro & Doctore,
Nec opus erit, ut deſperetis,
Si circumſtantias omnes conſiderabitis,
An ex amore vel dubio vos docuerit,
Et num ipſa motio ab illo inceperit,
Nam tali viro difficile eſt confidere,
Qui enim vobis eam rem profert, magis indiget
Veſtri, quam vos illius,
Hoc modo certitudinem habebitis,
Priuſquam opus veſtrum incipietis,
Cum talem obtinueritis fiduciam
A deſperatione ſecuri eritis:
At quis ejuſmodi magiſtrum reperiet,
Ceu meus fuit, non habebit cauſas, cur dubitet,
Qui vere erat nobilis & laude dignus,
Amabat juſtitiam & abhorrebat à fraude,
Secretorum tenax, cum alii clamarent,
Noluit agnoſci eorum ſciens,
Si quando alii differerent de roſæ coloribus,
Nil ipſe addidit tacite ſe gerens.
Ad quem longo tempore me recepi,
Sed ille me ſtrictis obſervabat modis,
Ut agnoſceret meam diſpoſitionem
Diverſis probationibus, ſciretque conditionem,
Cumque reperiret in me certam fidelitatem,
Magnamque ſpem, quam conceperam,
Tandem ejus gratiam ex Dei nutu
Obtinui, quæ ad me inclinata fuit,
Unde paulo post ipſe cogitarit,
Quod ulterius dilationem pati non deberem,
Variæ meæ literæ affectuſque mei cordis,
Moverant ejus animum mihique addicarant,

Quocirca

Quocirca calamum sumere non recusavit,
Sed iterum mihi rescripsit, prout sequitur:
Amice fidelis & frater amantissime,
Respondere tibi cogor, non est futurus alter,
Tempus adest, quo hanc gratiam à me captes,
Pro magno præmio & solatio tuo,
Tua persona & firma ejus confidentia,
Tua virtus probata, ejusque sapientia,
Tua veracitas, amor, ac perseverantia,
Animusque constans, desideriis suis fruetur,
Ideo necessum est, ut intra perbreve tempus
Colloquamur invicem oretenus:
Si scribere deberem, juramentum meum solverem,
Hinc conveniamus necessario.
Et cum adfueris, hæredem artis
Te faciam atque ex his tertis discedam;
Tu eris & frater & hæres mihi
Hujus tam magni secreti, de quo docti desperant:
Quocirca age gratias Deo pro hoc nuncio,
Nam melius est, quam ferre aliquot coronas
Proxime post sanctos suos Deus hoc elegit,
Qui hanc habent artem, qua ipse fit honorandus;
Nil magis ad te scribam in præsenti,
Sed quamprimum ad me equitare velis;
His literis acceptis, mox properavi
Ad magistrum meum per centum millia & amplius,
Ubi quadraginta dies continuando
Didici omnia secreta alchymiæ,
Quamvis philosophiam ante intellexeram
Velut alius quispiam in hoc regno,
Nihilominus fatui, qui hanc scientiam quærunt;
Existimant quod 40. diebus perfici queat,
Sed inter 40. dierum opus, animadvertitis,
Et 40 dierum doctrinam, multum differentiæ,
Tum obscura dubia mihi apparebant clara,
Ubi inveni reserata vincula naturæ.
Causæ rei tam mirabiles videbantur mihi adeo certæ
Et ita rationabiles ut desperare non potuerim:
Si vos cum magistro vestro sic convenietis,
Nos de vobis nullum concipimus dubium.
Tertium impedimentum deceptionem vocamus,
Inter alia adversus me pessimum:
Idque dictum est de servis, qui attendant
In opus vestrum, quidam enim norunt multum deceptionis,
Et quidam sunt negligentes, alii ad ignem obdormiunt,
Quidam sunt pravæ voluntatis, qui vobis nocebunt,
Quidam sunt fatui, alii nimis audaces,
Alii doctrinæ sunt inobedientes,
Quidam habent digito, rerum alienarum retractivos,
Qui tractant res nefarias, valde nocivas,
Quidam sunt ebrioti, leves, & aliis intenti,
Cave tibi ab hisce si velis esse absque damno,
Fideles sunt stulti, prudentes falsi,
Unus me lædit, ut & alter obest,
Nam cum opera mea bene præparatam,
Tales abstulerunt mihique nihil reliquerunt;
Tum revolvens apud me sumptus, tempus & labores,
Quod de novo incipiendo perferre deberem,
Tristato corde mox valedixi,
Non appetens magis Alchymiæ:
At quomodo hoc eo tempore evenerit
Pauci id crederent ratione vera,
Quamvis vel decem personæ attestari.
Queant, quo infortunio laborarim:
Quod vix ab hominibus solis contigerit
Absque diaboli ope, ut ipsi narrare possent:
Faciebam quoque Elixir vitæ,
Mecumque sentiebat mercatoris uxor,

Quintam essentiam etiam comparabam
Cum multis aliis secretis,
Quæ nequissimi homines mihi auferebant,
Magno meo dolore & tristitia,
Ut in hoc mundo nil aliud dici possit,
Nisi lætitiam quamcunque curis esse permixtam:
De curis parum adhuc restat dicendum,
Quod convenit in mente reservari;
Id accidit viro benedicto,
De quo veritatem ipse referre queo.
Thomas Davvltonus vir bonus
Deo nocte dieque inserviens
De rubea medicina magnam habuit copiam;
Quo vix alius ex Anglis plus obtinuit,
Satelles quidam regi Eduardo à Servitio existens
Cui nomen erat Thomas Harbard,
Hunc Davvltonum vi extraxit
Ex Abbatia Comitatus Glocestriæ,
Et coram Rege constituit,
Ubi Delvis tum præsens aderat:
Nam Williami Delvis Davvltonus scriba fuerat;
Delvis de Davvltoni opere narraverat:
Delvis quoque servus erat fidelis
Ipsi Eduardo Regi sæpe astans:
Delvis ubi retulit, quod intra horam:
Davvltonus sibi fecerat mille libras Starlingenses;
Auri tam boni, quam Regales nummi,
Spacio dimidiæ diei, vel adhuc minori,
In cujus rei testimonium Delvis in Biblia jurabat;
Tum Davvltonus respiciens ad Delvin
Dicebat, ô Delvis pejerasti ante,
Ideoque sollicitum te esse deceret,
Nullam inquit, ille, ob causam modo dictam,
Uti Deus novit, quem Judas prodidit,
At semel (inquit Delvis) juravi tibi,
Quod à me non esset manifestandus,
Sed id servare non teneor (ut autumo)
Pro Regis commodo & hujus regni,
Tum Davvltonus respondit modestissime
Hæc responsio perjurium non excusat,
Quomodo Rex ipse tibi confideret?
Qui sis confessus eo præsente perjurium?
Sed ego, inquit Davvltonus ad Maj: Regiam,
Sæpe sollicitus variis in locis
Propter hanc medicinam animoque indolui,
Ideo jam cogitavi ne amplius molestaret,
Nam in ea Abbatia, ubi comprehensus fui,
Projeci illam in publicum lacum,
Currentem ad fluvium, qui fluxu & refluxu maris movetur
Et sic ibi tantum divitiarum perditum,
Quantum inserviviſſet ad Terram sanctam recuperandam
Viginti millium exercitui pro reditu,
Diu propter amorem Dei id servavi,
Ut subveniremRegi,qui eam expeditionem assumeret;
Heu Davvltone, tum Rex dicebat,
Stultum fuit tantam rem perdidisse;
Et voluit, ut id Davvltonus de novo faceret,
Davvltonus respondit, hoc fieri non posse,
Cur non? inquit Rex, quomodo id nactus?
Ipse referebat quod à Canonico Lischseldensi accepe-rat,
Cujus opera Davvltonus diligenter servaverat
Per multos annos, donec ille obierit,
Propter quod servitium, dixit, hoc spatio
Canonicus sibi dederat, quicquid ejus haberet,
Rex Davvltono quatuor marcas donavit
Licentiamque abeundi mox quo vellet,
Tum Rex ex animo tristis fuit,

Quod Daultonum ante non cognoverat.
Et ſic ſæpe accidere ſolet pro certo,
Quod tyranni regi ſunt propinquiſſimi,
Nam Harbardus Daultonum comprehenſum
Abduxit in Stepnei, ibique detinuit,
Miniſtri Harbardi pecuniam abſtulerunt,
Daultono quam Rex ante dederat,
Et poſt Harbardus Daultonum inde portavit longius
Ad caſtrum quoddam Comitatus Gloceſtriæ,
Ibi Daultonus diu captivus detentus fuit,
Cui Harbardus maximas injurias inferebat,
Inde eum in careeres ſtrictiores
Trojam deduxit, ubi poſt quatuor annos
Illum morti addixit:
Daultonus ad moriendum obediens
Benedictus, inquit, ſic Domine Iheſu
Videor nimis diu à te abfuiſſe,
Scientiam tu mihi dediſti magna cautione,
Quam tenui abſque inſolentia,
Et nullum unquam invenni aptum
Qui mihi mortuo hæres ſuccederet,
Ideo dulciſſime Domine, nunc cogor
Id tuum donum iterum tibi reſignare
Et tum devotiſſimas preces fundens,
Subridens, inquit, fac nunc quod cupis:
Cùm Harbardus videret eum ita ad mortem paratum,
Lachrymæ deciderunt ejus oculis.
Nam neque carcer, nec mors prævalere potuit,
Ad hanc inquirendam artem, nec doloſus aſtus,
Nunc dimittatur, tum Harbardus inquit,
Non enim oberit aut proderit poſthac alicui,
At cum Daultonus ſurgeret de loco,
Circumſpexit triſti vultu
Abiitque preſſus anguſtiis,
Nec deſideravit annum ſupervivere.
Hæc illi injuria accidit, ut narravi,
Per homines infernum non timentes
Harbardus non diu poſt obiit,
Et Delvis in Tenkesburia decollatus fuit,
Hoc modo magna moleſtia, veluti videtis,
Hanc artem comitatur in quolibet gradu,
Hic ipſe rex ſua intentione fruſtratur,
Quia Harbardus erat inſolens & violentus,
Dum virum adeo nobilem ſuperbus oppreſſerit,
Et veluti maleficum captivum duxerit,
Cum tamen lenitate, patientia & gratia
Multum ſolatii inde eveniſſet,
Non ſolum regi, ut intelligitis,
Sed quoque toti Reipublicæ hujus regni,
At non mirandum eſt, quod gratia non accedat,
Nam peccata regnant ubique in hac regione,
Ecce hic gratia perfecta præſto fuit,
Ad tollendas taxas & vectigalia à populis,
Unde multum boni & charitatis conſigiſſet
Inter viros equeſtres, Sacerdotes & communem plebem,
Hic obſervare licet quod vitioſa violentia
Acquirere nunquam poſſit ſapientiam.
Nam vitia & virtutes res ſunt contrariæ,
Hinc vitiis dediti eam poſſidere nequeunt,
Si vitioſi poſſent hanc ſcientiam indagare,
Multum violentiæ hinc aliis inferrent,
Et in ambitione ſua in dies accreſcerent,
Pejoriſque conditionis, quam ante fierent.
Nunc hoc capitulum de gaudio & dolore finitum eſt,
Quod ſi caput ſequitur materiam noſtri lapidis manifeſtat.

Capitulum Tertium.

TOnſilus igne laboraverat
Sexaginta annos & amplius ad obtinendum deſiderium,
Brianus alius fuit cum Hovvltono in occidentali parte
Semper occupatus, practicam exercendo,
Attamen hanc nobilem ſcientiam non invenerunt,
Quia nec materiam nec artis radicem noverant,
Sed illegitimè procedentes ſemper id quæſiverunt
Donec vitam & bona ſua profuderant;
Multum ſumptus, damni & anguſtiæ paſſi ſunt
Inter ſua Recepta, quæ operabantur,
Tum Tonſilus coram me conqueſtus eſt
Cum lachrymis, dicens quod corde doleret,
Quia conſumpſerat potiorem ſuæ vitæ partem
In falſis receptis & in vilibus materiis
In herbis, gummis, radicibus & gramine,
Quorum varia recenſebat genera,
Ut Coronopum, Selandinam & Mezerion,
Verunam, Lunariam & mortagon;
In capillis, ovis, in excrementis & urina,
In antimonio, arſenico, in melle, cera & vino,
In calce viva, Sandiver, & vitriolo,
In marchaſitis, tutia & ſingulis mineralibus,
In amalgamatis, albationibus & citrinationibus,
Omnia ad nihilum redacta ſunt in ejus operationibns,
Nam non conſiderabat, quid intenderet
Securus de proportione naturæ,
Poſthæc omnia nihil putabat melius,
Quam in ſanguine humano operari,
Donec ego dicerem, quod ſanguis in fumum corrumperetur
Ignibus fortiſſimis & deſtrueretur.
Ex amore Chriſti tum dixit, me doce,
Qualis eſſe lapidis ſubſtantia eſſe debeat.
Tonſile, ego inquam, Quid tibi prodeſſet
Adeo ſeni ideo ab hac re ceſſe,
Et incumbe precibus, quia tempus id poſtulat:
Nam ſi ſcires materiam noſtri lapidis,
Antequam perficeres eam, ætate occumberes.
Ne hoc cures bone Magiſter, ipſe retulit,
Satis mihi ſolatii contingeret
Si cognoſcerem ſaltem materiam
Illius lapidis, tamdiu à me quæſiti.
Tonſile, dicebam, non eſt res parva,
De qua certior fieri deſideras,
Nam multi authores ſcribunt de illo dubio,
At nullus ex iis id clare demonſtrat,
Ipſi enim auctores de hac arte ſcribentes
Orarunt Deum [teſte Democrito]
Ut ſubito ex hoc mundo auferret
Illorum animas, qui hac de re libros ſcripturi eſſent,
Multi enim ſunt veriti ex iis
Ne plus quam deceat, de hac ſcientia traderent,
Quilibet illorum ſaltem unum aut duo puncta docuit.
Unde agnoſci poſſit certiſſime à ſociis,
Quod illis æqualis eſſet:
Siquidem unus eorum alium intelligit,
Ita ſcripſerunt, non ut omnes inſtruerent,
At ut ſeſe manifeſtarent ſecreto dicendi genere.
Idcirco ne ſis contentus ut unum ſaltem librum legas,
Sed varios authores perluſtres,
Liber librum aperit, ut vir doctus Arnoldus aſſerit,
Velut & Anaxagoras de eodem opere teſtatur.
Qui enim deſes ad legendum varios libros extiterit,

Ille

Ille ad practicam inutilis censebitur.
At Tonsile, velut Eleemosynam id non offeram
Alicui aperiendo (quod nunquàm antehac factum)
Per modum responsionis tibi dabo solatium,
Si prudenter me interrogaveris
Bone Magister, ipse tum dicebat, me certe doce,
Num materia sit Sol & Mercurius?
Aut verò Sol & Luna,
Aut an tres illi simul sumendi sint?
An solus Sol, an solus Mercurius,
An verò sulphur cum iis sit materia nostri lapidis:
Seu num sal armoniacum conveniat,
Vel alia mineralia ad conficiendum lapidem:
Hic sunt, ego inquam, Tonsile, variæ quæstiones
Prudenter institutæ non absque astutia?
Non autem adhuc nominatti, nisi in genere,
Nam oportet te partem ex omnibus sumere
Diverso tempore, prout arti inserviunt,
Variæ res adjuvant quidem nostrum lapidem;
Licet duo sint materialia, unusque sit lapis,
Inter quæ est hæc differentia,
Velut inter matrem & sobolem accidit,
Alium quoque diversitatem observabis inter ea,
Velut est inter marem & fœminam,
Hæc duo genera tibi omne præstabunt servitium
Ad album quoque opus, si sapiens fueris,
Unum ex hisce lapidem invenies,
Nam patitur ignem, ut lapides solent,
Sed non est lapis in tactu vel visu,
Verum subtilis terra purpurea, rubra nec lucida,
Et cum separata est & præparata,
Tum nominamus id nostrum lithargyrium,
Primo purpureum, rubrum & post subalbum,
Atque tum vocatur electa nostra marchasita,
Una uncia ejus superat quinquaginta libras,
Non venditur per Christianum orbem,
At qui eo indiget, cogetur
Ut curet fieri, aut ipse præparet.
Sed hæc gratia magna in eo opere apparet,
Quod fieri possit semel nec deinde amplius,
Antiqui Authores vocant eam rem vilis pretii,
Nam nihil æstimantur in mercatura,
Nemo qui inveniet, tollere id curabit
Magis quàm unam unciam luti
Nullus vult credere, quod sit magni pretii,
Nullus itaque agnoscit id, nisi valde prudens,
Hic aperui ego mirabile secretum,
Quod nunquam factum est per totum orbem.
Alium adhuc lapidem, Tonsile habere oportet,
Aut aliàs perdes tuum præcipuum materiale.
Qui lapis est valde pulcher & clarus,
Lapis in mercatura, lapis in visu,
Lapis resplendens cum perspicuitate,
Existens mirifica diaphanitate,
Pretium unius unciæ convenienter
Est viginti solidorum, vel circiter:
Nomen ejus est Magnesia, pauci eam norunt,
Invenitur tam in summis, quàm imis locis.
Plato agnovit ejus proprietatem vocavitque nomen,
Et Chavvcerus inquit, quod Dyranos appelletur,
In Canonici sermone dicitur quid sit hoc modo,
At quid ignotum per magis ignotius.
Hoc est, quid illud existat
Nisi quid incognitum magis incognito appellatum
Nihilominus Tonsile, jam vere docebo,
Quid sit Magnesia in nostra lingua,
Magnum quid mirabile in Latino dicitur,
Æs est pecunia, scientia sed ars,
Id est, quod sit res hujusmodi
In qua sit multum divinæ scientiæ,
Nunc agnoscis, quid est magnesia,
Res æris, in qua latet scientia, divinaque mira,
Hos duos lapides, Tonsile, assumes
Pro materialibus ad Elixir elaborandum,
Quamvis prima vice non sint plures materiæ,
Tamen variæ res adjuvant, ut ante narravi,
Hoc secretum ante hoc tempus
Non adeo manifestatum fuit, quod tibi habeto,
Orabo Deum, ne tibi pro crimine imputetur,
Vereor enim, ne calamus meus plus justo aperuerit,
Nam etsi pauci percipiant hanc sententiam,
Attamen subtiliores inter doctos plus nimio habent evidentiæ,
Multi enim eruditi sunt adeo excellenti ingenio,
Ut si hoc haberent fundamentum, artem indagarent,
Cum Deus velit, ne quis eam inveniat
Nisi ipse solummodo, qui sit virtuosa mente
Ideo antiqui authores celarunt cum ratione
Materiam nostri lapidis, quæ hic aperta est,
Alia materialia accipere non teneris,
Nisi hæc bina, ad album faciendum lapidem,
Excepto sale armoniaco cum sulphuris genere,
Quod ex metallis educitur,
Hæc duo sufficiunt ad implendum tuum desiderium,
Præter hæc alia ignem fugiunt,
Sulphur comburitur & mutat suum colorem,
Sed nostrum Lythargyrium semper perdurat,
Ne cum metallo aut argento vivo incipias
Ad faciendum Elixir, ut intentione fruaris,
At si destruxeris totam ejus compositionem,
Quædam ex componentibus te adjuvabunt,
Sed illud nihil aliud est, hoc atque illud
Quam saltem Magnesia & Lythargirium, ipsius frater.

Capitulum Quartum.

De magno opere non subterfugiam;
Licet sit secretum, largissime tradere,
Ut veritatem vobis aperiam unicè attendam,
Quatenus mihi concessum sit Dei mandato,
Ego vobis viam monstrabo tanquam ductor,
Eo modo, quo inveniatis vestrum propositum,
Si consideretis, quomodo partes hujus operis
Sint contusæ ab antiquis authoribus:
Velut ante dicebam, magistri hujus artis
Quilibet saltem unam declarabant partem,
Ideo quamvis satis perceperitis eas ad lubitum,
Non tamen ordinare valetis, ut debetis,
Arnoldus in scriptis suis testatur,
Quod finale secretum sit, agnoscere rem illam,
In qua opus nostrum sit fundatum,
Et quomodo puræ naturæ & simplices sint inveniendæ,
In libro ejus, qui incipit, Multifarie,
Inquit, materiæ nostræ fundamentales duorum sunt generum,
At quomodo eæ reperiantur, præterit omnino,
Nomina illarum proximè præcedente capite habetis,
Frater Baconus plus de eo puncto aperit,
Dum inquit, Divide partes omnes
In Elementa propinqua, de eo sitis cauti,
Sed imprudentes ita non operantur:
At pertinaciter procedunt, tanquam fere furiosi,
Ad materiam divisibilem plus addentes,
Ita cum putent se producturos flores,
Nihil aliud agunt, quàm quod multiplicent errores,

Ibi Baconus ratiocinatur, ut & alii ejusmodi,
Et timet, ne plus justo aperiat:
Avicenna in Porta scribebat, si memineritis,
Quomodo progredi debeatis ad perfectionem obtinendam,
Veraciter docendo, prout veritas se habet,
Comedas, ut bibas, & bibas ut comedas:
Et intermedio tempore sudore perfundatur,
Rasis aliquatenus hæc declarans dicit,
Non tamen comedat res festinanter,
Sed pedetentim consumat suum alimentum,
De quo Propheta facit quoque mentionem,
Si modo respexeritis ad ejus intentionem,
„ Visitasti terram & inebriasti eam,
„ Multiplicasti locupletare eam,
„ Terram fructiferam in salsuginem,
„ Et terram sine aqua in exitus aquarum,
Si habuerit copiam cibi & potus,
Necessum est vigilare, tum cum foret dormiendum,
Nam labor est in vigiliis & magna diligentia
Et nutriri debet preciosis elementis,
Ideo omnes pauperes abstineant, inquit Arnoldus,
Nam hæc ars est pro divitibus hujus mundi,
Confidite ejus verbis vos pauperes quotquot estis,
Ipse enim sum testis, quod ita esse verum invenietis,
Esto longanimis & suavis, inquit ille,
Nam festinantes finem nunquam videbunt,
Diuturnitas putificationis materiæ infectæ
Decipit quamplures, qui id non credunt,
Idcirco pauperes ne præsumatis
Hæc indagare mira, sed in tempore cessate,
Excessus quadrantis unius horæ
Destruere totum potest, hinc divitiæ succurrunt:
„ Is primum pro quo & ultimum pro quo non,
Ad cognoscendum lapidis nostri lentam elixationem,
Donec non magis elixetur, ne desinas,
Attamen longa continuatio non dat incrementum,
Cogites quod aqua velit ebullire,
Sed butyrum elixetur, velut & oleum:
Et sic lenta coctione consumas,
Non ebulliendo, quod fit festinanter:
Propter dubia periculorum variorum,
Et propter superegressionem nostri lapidis:
Inter magna opera omnium est gravissimum
Ut clarificemus nostra media mineralia:
Extremitates variæ bene sunt perfectæ
Absque multis mediis prudenter quæsitis,
Et singula media oportet fieri pura,
Si Opus vestrum absolvi debeat,
Nam impura & pura (ex carnali affectu)
Valde inter se adversantur, & sic maturum & immaturum,
Fixum fixo per se adhærebit,
Et volatile volatili genere trahetur,
Et ubicunque amplius est concordia,
Natura trahet, quod albi foret ante:
Hoc magnum opus in suo genere impurum est,
Et plenum periculi id invenietis,
Nullius prudentia tanta esse poterit,
Ut non interdum aberret in illo
Tam bene doctus, quam laicus,
De quo Anaxagorus hoc modo inquit:
Nemo prima fronte reperitur discretus:
Et quondam virum sapientem dicere audivi,
Quod hoc tempore in Catalognia
Magnesia cum aliis mineralibus
Vendatur, si saltem inquirere curetis:
Ut ita manus delicati viri
Non sint inquinandæ tam vili opere:
Et longe citius opus vestrum, ut existimo,
Ita inciperet & finiri posset:
Nam si deberitis omnia facere, ut ego novi,
Defatigati essetis, priusquam opus aggredereminí:
Philosophorum opus non incipit
Priusquam omnes res sint puræ extus & intus,
Nos qui quærimus tincturam valde speciosam,
Oportet demere omnes res viles & vitiosas,
Ex variis mediis quodlibet suam habet proprietatem
Ad officium suum præstandum, secundum suum gradum,
Ex iis, quibus nostræ res aluntur,
Quædam prodesse poterunt, quædam obesse,
Nostri Pharmacopæi ignorant ista præparare,
Et nos eos docere subterfugimus,
Cujus rei causa non est alia,
Quam quod adulterarent ea (ad decipiendum homines)
Potius, quam ut omnibus viribus incumberent
Curarentque veritatem obtinere:
Mos illorum est (unde ex animo doleo)
Plurima appetere & pauca pro iis præstare:
Qui velit verum habere opus, ne pareat labori
Nec expensis, quamvis loculos inaniat,
Et in magno opere omnium longissime abest,
Quo quotidie desideret ejus finem reperire:
Si grande opus cum omnibus circumstantiis
Perfici posset tribus annis, res fortunata foret:
Nam ille qui illud semel finire poterit.
Nunquam necessum habebit id de novo incipere:
Si medicinam suam sapienter augmentare noverit,
Illud enim magisterium est omnis nostræ intentionis,
Non opus est nominare hic mineralia,
Nam Albertus clare de omnibus scribit,
Multum tradere possem de naturis minerarum,
Quod in hoc magno opere foret fruſtraneum:
In hoc enim grandi opere nihil invenietis
Nisi manuum labores vocatos Mechanicos,
Ubi in centenis modis & pluribus
Aberrare poteritis, quocunque incedetis,
Idcirco credite, quicquid antiqui authores tradunt,
Absque experientia nihil rectum fieri posse.
Considerate omnes circumstantias & curate
Observare uniformitatem in omnibus requisitis:
Utere uno vasis modo in materia & forma,
Cave à commixtione, ne quid infortunii accidat,
Centum errores magis speciales
Præcavere poteris hac admonitione generali,
Et hæc doctrina erit sufficiens
Illi, qui practicæ prudenter insistit,
Si famuli vestri sint probi & fideles,
Non pigebit vos vestri operis,
Idcirco si expertes omnis timoris eritis,
In magno opere, sequere meum consilium,
Nunquam ad id uxoratos admittetis,
Mox enim se fessos dicent, ut ipse narrare novi,
Nullum itaque conducetis
Nisi certa mercede, quodcunque feceritis,
Non in menses, quodcunque poteritis,
Nec in septimanas, sed in singulas dies:
Et ut merces vestra illis arrideat
Magis, quam alibi impetranda,
Et ne cogantur propter mercedem expectare,
Sed ut satisfactio æris ipsis sit in promptu,
Nam hoc eos excitabit ad amorem & metum,
Ut ad opera sibi commissa sint attentiores,
Quo existiment, quod dimittendi mox forent
Si negligentes vel uno die existerent:
Uxorati non ita convenient
Pro hoc opere, quos ideo fugias:
Si hoc cognovissem & fecissem antea,

Multas

Multas injuriarum molestias declinassem,
In hoc quoque opere oportet adesse libertatem
Sine impedimentis quocunque in gradu,
Cum multo solatio ad curas relevandas
Continui laboris, qui cessare nequit.
Alias angustiæ propter labores & melancholiam
Possent esse causa destructionis tui operis,
Non necessarium est plura nunc ostendere,
Nam antiqui authores reliqua jam ante tradiderunt,
Et quod requisitum sit ab iis intermissum,
Hic liber absque ullo demonstrat dubio,
Idcirco exiguus hic libellus ORDINALE
Est Alchymiæ omnium complementum,
Capitulum sequens convenit pro clerico
Ostendens consilia pro subtili opere.

Capitulum Quintum.

BRiseus cùm monetas mutaret,
Quamplurimis damno, multis gaudio extitit,
Et veluti diversis ea mutatio visa est
Res nova & ratissima,
Sic eo tempore quid miri contigit,
Quod ad hanc spectarit scientiam,
Cùm tres magistri artis hujusmodi
In uno decumberent lecto prope Leadenhal,
Qui habereat Elixir perfectum album & rubeum,
Mirabile est tales ternos uno jacere lecto,
Atque hoc spatio decem dierum,
Siquidem vix inveniantur in millione hominum,
Ex ducatu Lotharingiæ, velut accepi,
Unus eorum fuit, secundus ex medio Angliæ,
Sub cruce circa finem trium Comitatuum
Tertius natus erat ætate minimus:
Qui ex nativitatis figura à doctis judicatus est
Exornaturus Anglicanam terram,
Posset quis totum peragrare mundum,
Et tales magistros tres non reperire,
Duo ex illis discessuri, sed junior permansurus est
Multum boni in hac regione aliquando facturus,
Sed peccata principum morabuntur
Id boni, quod ipse præstiturus esset.
Senior magister de eo vaticinatus est
Et dixit, quod passurus esset multum injuriæ
Ab iis qui grati erga eum esse deberent,
Et multa alia hic enarrabat,
Quæ exinde vera inventa sunt,
Et nonnulla adhuc eventura
Ex quibus unum est certissimum, dicebat ille,
Post multas molestias magnum futurum est gaudium,
In singulis quartis hujus regionis
Quod omnes probi percipient,
Junior quæsivit, quando id eventurum,
Senior respondit, postquam visum foret
Sanctam crucem honorari nocte dieque,
In terra Dei & in terra Luminis,
Quod convenienti tempore continget,
Sed diu dilatum absque causa est,
Cum id inceperit, notes bene hanc rem,
Hæc scientia aperietur Regi,
Et longe plures gratiæ
Quam hic à nobis enarrari poterunt,
Gratia illi Regi tum aderit
Cum mores antiquos emendaverit,
Ipse in secreto investigabit
Hanc scientiam obscuro sermone:
Et inter solitarios seu monachos
Ea de re semper fiet certior,
Ita Rex Calid eam quæsivit apud multos,
Donec inciderit in Morienum,
Qui opem tulit Calidi in sua necessitate,
Virtus enim ejus ad hoc incitavit:
Sed nunc de hac materia tacebimus,
Et de subtili opere trademus.
Necessum est, ut sit eruditus,
Qui velit percipere subtile opus.
Oportet eum cognoscere primam Philosophiam,
Si confidat Alchymiam inquirere,
Et primo vos intelligere debetis
Qui huic operi intenti estis,
Cum metalla vestra per præparationem
Sint facta habilia ad generationem,
Tum divisione separanda erunt
In quatuor Elementa, si lucrari desideretis,
Quod si perficere nequeatis,
Ite & discite ab Hortulano,
Qui ea de re suum fecit librum,
Quomodo vinum sit dividendum in 4. Elementa,
Et præterea vos scire decet
Effectus quatuor qualitatum,
Quæ dicuntur, caliditas, frigiditas, humiditas & siccitas,
Unde omnes res sunt compositæ,
Et quia præcipuè in hac arte apperatis
Habere colorem in igne perseverantem
Sciatis, antequam illum obtineatis,
Quomodo quilibet color generetur,
Nam omnis color, qui nominari potest,
Hic apparebit, antequam albedo aderit,
Ad hæc vultis habere in opere
Facilem liquefactionem instar ceræ aut gummi,
Alias non intraret, nec penetraret
In metalla, testantibus authoribus,
Sic desideratis quoque habere fixum & fluxibile,
Cum coloris copia, quocunque modo.
Hæc tria contraria conjuncta ut fiant
In uno subjecto, magnum est secretum,
Nihilominus ille, qui valet ingenio,
In hoc capite id invenire poterit.
Et primo, ut dem vobis brevem doctrinam,
De prædictis quatuor qualitatibus primis,
Calor & frigiditas sunt qualitates activæ:
Humiditas & siccitas verò passivæ:
Nam hæ patiuntur semper illas,
Ut lapides cum fiunt calx & aqua glacies,
Unde facillimè judicare poteritis,
Nihil generatum est, nisi calore aut frigore,
Attamen passivæ habent aliquid activitatis,
Veluti in mechanicis operibus quotidie videmus,
In panis & cerevisiæ coctione & aliis opificiis
Humiditas operatur & siccitas.
Aristoteles in physicis, multique alii
Dicunt, ab actionibus procedit speculatio,
Referunt quod practica sit radix & initium
Speculationis & omnis scientiæ.
Nam proprietates rerum quarumlibet
Perceptæ fuerunt per earum operationes:
Veluti per colores urinarum audemus
Pronunciare de calore vel frigore,
Per istas quatuor qualitates primas
Indagamus colores successu temporis;
De quibus certi esse non possumus
Nisi in substantia valde pura.
Multum doctrinæ inde capietis,
Si sciatis, quomodo colores quotidie generentur;
Color est extremitas cujusque corporis clari,
Clara substantia bene terminata hic est materia,
Si caliditas dominetur in materia sicca,

Color albus adesto ibi certissime,
Veluti apparet ad oculum ex ossibus combustis,
Et in calce viva ex lapidibus facta,
Ubi frigiditas agit in materia humida & clara,
Albedo apparebit in eâ operatione,
Ut constat in glacie & frigore induratis,
Causa ejus declarata est jam ante in Philosophia,
Sed hic non de communi philosophia loquor,
Verum per exempla, ut tradam Alchymiam,
Unum per aliud percipi potest,
Veluti soboles agnoscitur ex sua matre,
Si caliditas in materia humida & crassa
Agat, niger inde color generabitur,
Quod si exemplum ejus desideretis,
Observate cum vi[illegible] ligna igni apposueritis,
Cum frigiditas operatur in materia crassa & sicca,
Niger erit color, cujus rei ratio est,
Talis materia est compacta & valde crassa,
Cum frigore constituente, vitæ inimico,
Crassities facit obscuritatem, & lucis privationem,
Si color privetur, nigredo apparebit.
Ideo semper hujus memor esto,
Quod clara materia sit materia albedinis,
Causa efficiens potest esse varia,
Nam interdum est caliditas, interdum frigiditas,
Sed albedo & nigredo ut omnes norunt)
Sunt colores contrarii in extremitatibus,
Hinc opus vestrum cum nigredine incipiet,
Si finis esse debeat albedinis perfectio,
Intermedius color, ceu philosophi tradunt,
Est rubeus inter nigrum & album,
Nihilominus firmiter mihi crede,
Rubeus est ultimus in opere Alchymiæ,
Dicunt quoque in sua doctrina,
Quod hi duo colores, rufus & citrinus:
Sint intermedii inter album & rubeum.
Et quod viridis & plumbeus color
Inter rubeum & nigrum intercedat,
Incarnatus color est ex materia valde pura
Medici in urinis habent colores novemdecim,
In album & nigrum, ut ipsi tradunt,
Ex quibus color subalbus unus est,
Similis colori lapidis Onichini,
De eo colore Magnesia videtur,
Sed magnesia splendet cum puritate,
In nostro subtili opere Alchymiæ
Omnes occurrent colores, qui unquam habentur,
Centum & plures certissime,
Quam in urina sunt animadversi,
In quibus omnibus colotibus esse nequit,
Quin lapis noster contineatur secundum omnes gradus,
In omni compositione operum, quæ fiunt,
Et in omni compositione, qui mente concipitur,
Quotquot ibi colores se offerunt,
Tot graduationes prudenter institues,
Et si non omnes graduationes cognoveris,
Ex Raymundo illas discas in arte ejus generali,
Gilbertus Rymerus scripsit juxta suam inventionem
De 17. proportionibus, at illæ non sufficiunt
In hac scientia quam nunquam invenire potuit,
Quamvis in medicina fuerit valde eruditus,
Cum excellentia naturæ humanæ
Sæpe superet medicinas medicorum,
Et sic honoret non raro suam artem
Cum sua medicamenta forte sunt inania,
At ita non se habet in medicinis minerarum,
Ea enim ars excedit omnes alias generationes,
Et solum existit hominis sapientia,
Veluti per experientiam prudentes testari possunt,
Et ita alchymiæ verum fundamentum
Est in compositione ratione prudentis graduationis,
Caloris & frigoris, aut humiditatis & siccitatis,
Cognoscendo, quod aliæ qualitates per eas generentur
Utpote duricies & lenitas, gravitas & levitas,
Asperitas & lævitas, per certa pondera,
Cum numero & mensura sapienter indagata,
In quibus ternis existit omne à Deo confectum,
Nam Deus fecit omnia & disposuit certe
In numeris, ponderibus & mensuris,
Quos numeros si mutuaveritis,
Naturæ injuriam facitis,
Ideo Anaxagoras inquit, cave bene,
Ne ad conjunctionem procedas,
Antequam pondera plenarie cognoveris
Omnium componentium, quæ hic requiruntur,
Baconus dicit, quod antiqui nihil celaverint,
Nisi solummodo proportiones, quas non docuerunt,
Nam nullus authorum est, nec rex, nec princeps
Scribens de hac scientia cum aliis congruit
In proportionibus, quas si scire velitis,
Raymundus cum Bacono & Alberto docebit,
Cum Anaxagora seniore, ex his quatuor
Habebitis perfectam cognitionem, at non ex uno omnem,
Et si junxetis 4. qualitates ad unam intentionem,
Tum oportet conjungere singula Elementa,
Ut aquam & terram secundum vestrum desiderium,
Bene composita cum aere & igne,
Sciendo, quod in activitate sit dignior
Secundus & tertius quorumlibet graduum,
Quartus & primus excludi nequeunt,
Nam utilis est & maxime usurpandus,
Et optime extendere potest suam multiplicationem,
In quo existit virtus generationis,
Atque hoc est terrestre Lithargyrium nostri lapidis,
Absque eo nulla erit generatio,
Nec nostræ tincturæ fixatio,
Nam nihil est fixum, nisi terra sola,
Cætera omnia Elementa sunt volatilia,
Ignis, aër & aqua, ut quotidie videtis,
At ignis est causa extensibilitatis,
Et facit materiam esse permiscibilem,
At clarus splendor in pulchro colore
Fit magis ex genere aerio,
Et aër quoque si fuerit condensatus
Facit res levis liquefactionis,
Veluti est cera, & butyrum & omne gummi,
Exiguus calor ea omnia liquefacit,
Aqua purgat cum ablutione,
Et res mortificatas causatur revivere,
De multiplicatione ignis nil miri videtur,
Quæ multiplicatione terræ inferior est,
Nam terra generat herbas quotidie novas,
Absque numero idcirco verum est,
Quod terra tam sit admiranda, quam ignis,
Quamvis una scintilla in immensum se multiplicet,
Si tota ditio foret repleta lino,
Tum vana scintilla mirabiliter in eo crescceret,
Ignis & terra solummodo se multiplicant,
Et illæ sunt causæ multiplicationis nostri lapidis,
De hac terra Albertus magnus meminit
In mineralibus quod Lythargyrium sit optimum
Pro Elixire albo, ibique recensct illud,
Quod quoque in libro carminum demonstratur:
Nunc ad conjunctionem accedamus;
Et quædam consilia de ea adferamus,

1. Conjunge Elementa tua grammaticaliter
Cum omnibus suis regulis convenienter,
Quæ regulæ ad adjuvandum eruditos
Sunt præcipua instrumenta in hoc opere,
Nam nihil magis sibi contrariatur,
Quam esse fixum & volatile:
Omnes Grammatici Angliæ & Franciæ
Ignorant docere vos hanc concordantiam:
Hoc ORDINALE eam tradit, ut videbitis
In Physica, libro de Arbore.
2. Conjunge ea quoque Rethoricæ modo
Cum naturis ornatis & purificatis,
Postquam tinctura vestra debeat est pura & pulchra;
Accipe puram terram, aquam, ignem & aerem,
3. Logica via, quandocunque sit,
Misce vera genera, non sophistica,
Quorum ignorantia adduxit multos doctos
Ut omnem suum laborem & opus perderent;
4. Junge ea invicem quoque arithmetice,
Per numeros subtiles proportionales,
De quo parum adhuc fuit cognitum,
Cum Boetius scriberet, Tu numeris Elementa ligas;
5. Conjunge tua Elementa Musice
Duas ob causas, unam propter melodiam,
Quæ suos concentus placitos habeat,
Cum verum effectum ejus invenietis,
Et sic compone, ut Diapason
Cum Diapente & Diatesseron,
Cum hypate, hypaton & Likanos misce;
Cum regulis, quæ sunt in Musica,
Cum proportionibus causantibus harmoniam,
Quibus valde similes proportiones sunt in Alchymia,
Nempe pro magnis numeris actu positis,
Sed pro secretis numeris intellectualibus
Oportet ut inquiratis, velut ante dixi.
Ex Raymundi & Baconi doctrina,
Baconus tradit ea obscure in tribus suis epistolis:
Et Raymundus melius in Arte generali:
Multi existimant, cum ista legunt,
Quod intelligant, at revera falluntur.
6. Cum astrologia junge quoque Elementa,
Ut prosperentur eorum operationes quæcunque;
Quæ simplex genus, rude & inexpertum
Prudenter ducunt, donec inveniatur finis,
Cum tempore illa obediunt
Supra naturas formatas stellarum influentiæ,
7. Et scientia perfectiva multum præbere evidentiæ
Omnibus in hac arte nobili laborantibus,
Et ita quam plures scientiæ aliæ faciunt
8. Velut præcipue illa de pleno & vacuo,
Sed magistra inter scientias omnes habenda,
9. Ad serviendum huic arti, est magia naturalis,
Cum quatuor Elementa sapienter composita fuerint,
Et singula in suo gradu ordinatâ
Tum ex variis gradibus & digestionibus
Colores apparebunt usque ad perfectionem,
Tunc enim intrinsecus operatur calor naturalis,
Qui in nostra substantia saltem est intellectualiter,
Visui non patens, nec manibus palpandus,
Ejus operatio paucis rarisque est cognita,
Et cum hic calor naturalis movebitur
Per externum calorem artificialem,
Tum natura excitata operari non desinet,
Ad varias diversitates graduum producendas:
Quæ est una causa, ut ex ratione animadvertitis;
Quod in opere nostro tot appareant colores,
Idcirco causatur in hac arte multum dubii
Ignorantia caloris intrinseci & extrinseci:
Ad sciendum, quomodo uterque hic calor congruere debeat.
Et uter eorum in operando prædominari,
Digestiones in hoc opere valde conveniunt
Digestionibus rerum animatarum,
Et præ cæteris (ut certe testificari possum)
Magis assimilantur coctioni in homine:
Ideo Morienus dicebat, lapis noster in generatione
Valde est similis creationi hominis:
In quo, inquit Raymundus quatuor omnes gradus
Complexionum quatuor invenire licet,
Idque actu, quod non poteritis reperire
Inter alias creaturas in alio genere,
Hinc inter creata hæc duo solummodo
Vocantur Microcosmus, Homo & noster lapis;
Nunc de digestione ad nutritionem
Perfecte cognoscendum opus est accedere,
Humor est solidus, constans cum siccitate;
Fortiter mixtus in suis gradibus,
In opposito passiva debite mixta
Generantur calore intrinseco & extrinseco;
Ita nihil aliud est nostra digestio,
Nisi ex humore substantiali creata perfectio,
Oro vos, ô laici, ut me excuseris;
Quamvis ad hujusmodi verba non sitis assuefacti,
Oportet me iis uti, quia omnes authores affirmant,
Quod quælibet scientia suos proprios habeat terminos,
Digestio interdum magis augmentatur
Externo frigore, ut quotannis videre potestis,
Quomodo in hyeme homines plus cibi capiant,
Quam æstate, cum calor eorum sit intensior,
Nam frigus tum cogit calorem intrinsecus fugere
Et magis conjungit, ut fiat fortior,
Cujus virtus & potentia major est
Ad digestionem perficiendam, quam antea,
Sed præcipuum nostrum Digerens pro hac intentione
Est virtualis calor materiæ digerentis,
Nihilominus calor rei digestibilis
Adjuvat digestionem, ejusque operationem,
Febrilis calor nihil digerit,
Radii solares juvare possunt & causari destructionem,
Vinum digestum plus habet caloris naturalis,
Quam recens mustum, cujus calor est accidentalis,
Coagulatio non est forma substantialis,
Sed saltem passio rei materialis,
Adhæc vos scire oportet, cum colores apparent,
Quod si præcipuum agens in ea materia,
Interdum enim calor est, interdum frigus,
Et aliquando humiditas, aliquando siccitas.
Ad cognoscendum principale agens semper
Requirit indagationem subtili ratione,
Quod non perceptum est, nisi à magistris paucis;
Nam non norunt, quomodo colores oriantur,
Principale agens qualitatum quatuor
Potentiam regalem obtinet & prædominatur,
Ut reliqua ad suum genus convertat,
De qua conversione Anaxagoras tradit
In libro suo de conversione naturali,
Cujus causas speciales Raymundus adducit;
Non est res ludrica aut levis docere,
Quomodo vestrum principale agens debeat discerni,
Quod tradam vobis per quatuor signa,
Ut per colorem, saporem, odorem & liquorem.
Et primo per colorem, quo intentioni vestræ serviat,
Ut principale agens agnoscatis,
Respicite in vas vestrum, qui color magis apparet
Tum illud, quod hunc causatur est principale:
Pro eo tempore, cujus insolentiam mitigare poteritis;

Per hanc doctrinam, ſi furere incipiat,
Quod perficietis, ſi bene cognoveritis
Cauſas colorum omnium, qui occurrent,
Hos ego his tradam breviſſime
Per cauſas ſuas, ne opus ſit alibi eas quærere:
Albedo producitur ex varia materia clara,
In alia re terminata, prout hic quoque invenitur,
Nigredo eſt, cum partes corporis obſcuri
Cum Craſſitie opprimit claritatem ſubjecti,
Aut fit ex combusta terreſtreitate,
Sed ex ea combuſtione magna durities ſequitur,
Ac per commixtionem obſcuri, clari & puri
Generantur omnes intermedii colores,
Quælibet res clara, perſpicua & pulchra
Oritur ex materia aquæ & aëris,
Quam pura terra apprehendit,
Talis quæ claritatem ejus non tollat,
Et ſi in ejuſmodi claritate & perſpicuitate
Non videatis colores ſpeciales,
De quibus audacter judicare poteritis,
Qui cauſa earum rerum fuerit intenſe frigida,
Veluti in Criſtallo, berillo, aliiſque plurimis,
Diverſitatem inter ea ſcire debetis:
Criſtallus habet aquam ad aerem declinantem,
Inde eſt clara, ſpecioſa & pulchra:
At ſi declinet magis verſus aquam,
Eſt obſcurior, ut berillus, vel glacies congelata,
Sed ſi materia tendat ad ſiccitatem,
Obſcuritas cum duritie naſcitur,
Ut apparet in adamante lapide,
Et in pluribus ejuſmodi aliis:
Splendoris, qualis eſt in Magneſia,
Lux eſt cauſa in materia clara,
Quæ ſuperinducta eſt in aqueum vaporem,
Antea calore incenſa certiſſime;
Nunc poſt claritatem & colores extremos
De mediis coloribus nonnihil addam,
Rubini color eſt de tenui fumo ortus
In claro corpore, qui tum cauſatur,
Cum in eo corpore dominatur copia lucis,
Nam ejus plus vel minus facit plus vel minus ſplendere,
Sic Amethiſtus rubinum ſequitur dignitate,
In minori claritate & majori obſcuritate,
Et Calcedonius micante ſubſtantia
Sequitur berillum in gradibus variis,
Viridis, ut Smaragdus, eſt ex aqua pura,
Cum terreſtri materia combuſta mixta,
Ex quo clarioris ſubſtantiæ terra fuerit,
Et clarios viriditatis color apparebit,
Fuſcus eſt ex claritate terminatæ
Infuſa ex craſſi fumoſitate congregata,
Ex aqua & terra productus,
Cui adeſt claritudo aeris:
Lividus vel plumbeus color generatur
Ex partibus aqueis & terreſtribus,
Et ubi hæ partes ſunt frigidæ & craſſæ,
Ibi plus ejus coloris viſitur,
Ut apparet in inveterato plumbo,
Et in hominibus morti propinquis,
Hic color vocatus lividitas,
In lividis inimicis frequens,
Naturalem calorem & ſanguinem movet
Ad cor, ad confortandum illud,
Et derelinquit faciem frigidam & ſiccam,
Quia calor & ſanguis inde receſſerunt:
Similiter cum rebres ſunt in extremitate,
Ungues manuum iſto colore conſpiciuntur,
Saphyri color ex oriente cæruleus
Cœleſti ſphæræ non abſimilis,
Longe pulchrior eſt ad viſum livido,
Quia plus in eo eſt aeris, aquæ & lucis,
Quam in livido colore & multis modis
Hinc talis color precioſior æſtimatur,
Quam alii cærulei, qui quo ſint obſcuriores,
Eo minus habent aeris & plus terreſtreitatis,
Argentum in lazurinum facile adduci poteſt,
Cujus ratio eſt, perſpicuitas,
Quæ in argento exiſtit, producta ab aere,
Ideo ad cœleſtium colorem tendit:
Et copia argenti vivi, quæ in eo eſt,
Cauſatur in argento ſplendorem,
Subtilis terra, pura aqua cum claritate aëris
Efficit illum ſplendorem in argento vivo,
Citrinus color, flavus ut eſt in auro.
Eſt color placitus, quibuſdam valde gratus,
Generatus ex valida & forti digeſtione,
Nam humor in eo habet fortem decoctionem,
Talis color per calorem generatur,
Velut eſt in melle, urina, lixivio & felle,
Fulvor in auro producitur [ut vere dico]
Ex pura & ſubtili materia bene terminata,
Perſpicuitate condenſata; nam aqua purior
Quo fuerit condenſata, eo magis ſplendebit.
Cauſa enim ejus non eſt alia,
Quam humiditas terminata, ut doctiores ſtatuunt,
Ita ut ſit quoque polibilis,
Quia aër nullas figuras recipit:
Nam aër per ſe non terminatur,
Sic cauſam perſpicui in aqua agnoſceris:
Albus & rubeus bene mixti & puri
Generant pulchrum colorem citrinum,
Ita diverſa commixtio Elementorum
Facit diverſos colores pro diverſa intentione,
Cum variis digeſtionibus & variis gradibus,
Omnes colores facti ſunt pro oculis.
Elementorum colores proprios notabitis,
Unde de coloribus melius judicabitis,
Medici dicunt de herbis quibuſdam,
Quod ſint exterius frigidæ & calidæ intus in radice,
Si exemplum hac de re expetitis,
Conſiderate operationem nobilium violarum,
Communis philoſophia cauſam hanc aperit,
Quod frigida ſit intus & rubea extus roſa,
Anaxagoras dicit in ſua converſione naturali,
Intrinſecum & extrinſecum in omni re eſſe contrarium,
Quod verum eſt, exceptis iis rebus, quæ ſunt
Et parva compoſitione ſimplicitati proximæ:
Ut eſt ſcammonium & laureola laxativa,
Quæ non nutriunt ut vegetabilia,
Memento, quomodo in qualibet re mixta,
Semper unum elementum regnare deſiderat,
Qui inſolens appetitus & vitioſus
Cogit homines, ut ſint tam ambitioſi,
Quod Deus optime diſponere novit,
Dum pro peccatoribus bene providerit,
Omnes efferos appetitus ad æqualitatem reduci,
Cum Requiem æternam eccleſia canit,
Tum omnes ambitioſæ cogitationes
Apparebunt in nihilum redactæ,
Domini & mendici tunc evadent
In ſarcophago omnino æquales,
Principale veſtrum agens ita tractabitis
Si ultra æqualitatem tetenderit,
Ideo Ariſtoteles inquit, componite lapidem veſtrum
Æqualiter, ne in eo ſit repugnantia,
Nec ulla diviſio, cum proceditis,
Cavete de eo, qui valde neceſſum ſit,

Et cum contigerit, ut videatis
Omnes colores simul, qui numerati sunt,
Tum permitte naturam tua operatione
Pro libitu suo instituere generationem,
Ut ita inter tot tamque varios colores
Natura ostendat unum principalem,
Talem qui ad propositum tuum vergat,
Correspondens elemento vestri desiderii,
Hoc modo ex coloribus providebitis,
Quid vos in opere dirigere debeat,
Quamplurima alia de coloribus possem scribere,
Sed hæc promissis meis satisfacient,
Quatenus colores vestro inservient proposito,
Ad agnoscendum principale vestrum agens,
Sed multi ex doctis mirabuntur, ut patet,
Tam varios colores, in lapide nostro
Ante perfectam albedinem & claram,
Immutabilemque apparituros,
Considerando paucitatem ingredientium,
Quibus respondebo ad placitum eorum,
Et tradam veritatem illius magni dubii,
Per genus magnesiæ, isti colores eveniunt,
Cujus natura est convertibilis
Ad quamcunque proportionem & gradum,
Veluti Christallus ad ejus subjectum existit,
Nam cujuscunque rei, quæ est in terris,
Si Christallum ei supponatis,
Colorem repræsentat, hinc desine mirari,
Ideo Hermes inquit nec falso nec invide,
Ad perpetranda miracula rei unius,
Deus ita ordinavit, Rex Hermes ait,
Ut mira fiant de re unica,
Communes Philosophi hinc reperire nequeunt,
Virtutem nostri lapidis captum, eorum excedentem
Odor quoque intentioni vestræ proderit,
Ad sciendum prædominans Elementum,
Et una cum colore erit pro testimonio,
Quo principale agens indagetis,
Et vos qui odore doceri vultis
Principale agens ut discernatis,
Velut album & nigrum sunt extrema colorum,
Ita suave & fœtidum inter odores existunt,
Sed cum pisces ex visu non cognoscant
Intermedios colores, quia ipsorum oculi
Careant palpebris, ad claudendum eos,
Sic nec medii odores odoratu,
Percipientur à vobis, & hæc est ratio,
Quia nares patent ut piscium oculi,
Ideo medii odores non certissime
Captantur naribus, ceu medii colores oculis videntur:
Gravis odor non est (ut docti sentiunt)
Medius odor, sed saltem minus fœtens,
Atqui scribebant in suis libris
De sua experientia (quæ mihi non est cognita)
Quod si misceatis suavem & redolentem odorem,
Æqualiter cum fœtente, ad probandum vestram intentionem,
Suavis odore percipitur, non autem fœtidus,
Causam ejus rei cognoscere poteritis,
Omnes res suaves habent plus puritatis,
Et magis sunt spirituales, quam fœtidæ:
Idcirco in aere sunt magis penetrativæ
Et magis extensibiles, & sic quoque vitæ,
Magis acceptabiles, seu amicæ naturæ
Et hinc magis receptæ quod est certum,
Odor est fumosus vapor, calore resolutus
Ex substantia quadam sudore visibili,
Qui in aërem libere intrat,
Et mutat aërem, vestrumque odoratum,
Veluti sapor ciborum mutat vestrum gustatum

Et quemadmodum soni afficiunt auditum
Et colores afficiunt vestrum visum,
Ita odor mutat odoratum sua potentia,
Si causam odorum, scire desideretis,
Quatuor res ad eos requiruntur,
Primo, quod subtilis materia sit obediens
Operationi caloris, ut referat
Per fumum similitudinem ejus rei,
De qua fumus ille evaporat,
Et ut propaget fumum eum purum,
Sed retinebit eundem fortius,
Et sic materiæ crassæ non obediunt
Caloris operationi, ut patet in nostro lapide,
Calor efficit odorem, frigus impedit.
Quia fimeta in æstu magis fœtent, quam hyeme,
Odores grati generantur
Ex pura substantia & vaporosa,
Ut apperet in ambra, nardo & myrrha,
Quæ res fœmineo sexui in primis placent,
Sed ex substantia pura cum mediocri calore
Proveniunt temperati odores, ut in violis,
Ex mediocri calore & substantia impura
Fit odor ingratus, ut aloës & sulphuris,
At cum naturalis calor diminuitur,
Tum inde gravis odor exoritur,
Veluti olet piscis inveteratus,
Ubi naturalis calor putret & odor fœtet,
Fœtor est vapor & resolutus fumus
Rerum, quæ sunt malæ complexionis,
Et cum humor saltem corrumpitur,
Ita ut substantia non destruatur,
Inde saltem gravis odor spirabit,
At non omnino fœtens eo modo,
Fœtoris putidi vera causa existit
Solummodo corruptio ipsius substantiæ,
Et cum mala substantia putrefiet,
Horribilis odor inde generabitur,
Veluti draconum & hominum cadavera putrida
Odore causari possent pestilentiam,
Non est salubre, olfacere carbones
Extinctos, ex fœtore vel equa abortire potest,
Quando qualitates conveniunt rei alicujus
Cum natura vestra tum bonus odor non deerit,
Sed cum substantia vestro generi fuerit contraria,
Tum odorem ingratum repræsentabit,
Pisces amant suaves, odores veluti constat,
Non appetunt escam putidam, velut novam,
Omne quod participat bono odore,
Habet naturalem calorem sibi convenientem,
Quamvis Camphora, rosæ & res aliæ frigidæ
Habeant suaves odores, tamen auctores scribunt,
Quod in calore virtualiter id sit inclusum
Cum puritate substantiæ, unde ita olent,
Hanc veterum opinionem aliis instillate,
Quod bonus odor non sit alteri contrarius
Sed ita non fit cum fætido odore,
Nam odor allii putorem fimi tollit:
De odoribus hæc doctrina sufficit
Pro ut in Alchymia vestræ intentioni servierit,
Quo opera vestra hinc intelligatis,
Quando res ad putrefactionem tendant.
Per odores quoque cognoscetis
Subtilitatem & crassitiem materiæ discernere,
De media etiam substantia cognitionem habebitis,
Quæ ostentat corruptionem caloris naturalis,
Et cognitionem diversitatum tenebitis
Cum humor sit corruptus & cum substantia,
Sed nostra substantia facta fuerat valde pura,
Et est conservata virtute minerali,

Ne inde fætorem percepturi ſitis,
Quamvis putrefiat in ſuo proprio genere.
Tertium ſignum & teſtimonium,
Quo intelligatis veſtrum principale agens,
Sapor vocatur, guſtatus oris,
Qui ſemper cauſa eſt diminutionis
Subſtantiæ illius rei,
De qua guſtare præſumitis,
Sapor judex longe certior foret,
Quam color aut odor, ſæpius probandus,
Si non adeo ſapor eſſet periculoſus,
Dum lapis noſter eſt in opere,
Nam nocet & ſanitati & vitæ,
Tam eſt res penetrativa
Res omnes ſubtiles ſuperat,
Et ſolidas res ſubito penetrat.
Hinc eſt periculum, nec conveniens,
Multum vel ſæpe de eo guſtare,
Confortat metalla, ut novimus,
Sed nocivus omni hominum generi eſt,
Donec perfecta rubedo accedat,
Quæ in igne ſemper duratura eſt,
Quidam de plebe vilis, huic arti inſerviens
Guſtavit de lapide albo particulam,
Exiſtimans eo ſe revelatum iri
Ab omni ægritudine & dolore,
Unde miſer ille ſubito fuit,
Conjectus in fortem paralyſin,
Quem magiſter meus magna fælicitate
Curavit cum Bezoare minerali,
Idcirco quamvis guſtatus communiter
Sit optimus judex quocunque tempore,
Tamen guſtatus ejus eſt abominabilis,
Nec ſapor hic quicquam proderit,
Nihilominus de quibuldam partibus ſeparatis
Guſtatio fieri commode poſſet,
Ante conjunctionem factam experiendo,
Num operatio rite peracta eſſet, vel non,
Quomodocunque ſit, ſapiens ſatis noverit
Colore & odore intentionem ſuam perficere,
Nam multi judicant de vino bono
Ex colore & odore, cum purum ſit
At de novo vino invenitur in genere
Guſtatus verus judex præ omnibus,
Odoratus enim habet ſaltem unum organum,
Nihil diſcernens niſi res fumoſas,
Sed guſtatus habet organa ſex abſque dubio,
Ad percipiendum qualitates intus & exterius,
Quæ natura ordinavit contra pericula,
Ad ſecuritatem rerum vitam habentium,
Simia judicat de ſuo cibo ex odoratu,
Homines & pſitaci confidunt guſtui,
Nam multæ res boni ſunt odoris,
Quæ tamen guſtui non conveniunt
Quia ſunt abominales, nimis acidæ,
Nimis acres, amaræ vel alias horridæ,
Seu venenoſæ, corrodentes ſeu nimis fortes;
In his guſtatus judex non admittitur,
Auctores antiqui olim retulerunt,
Quod ſapores eſſent novem,
Quos diſcere poteritis exiguo tempore;
Ut ſaporem acrem, unctuoſum & acetoſum,
Qui tres ſubtilem materiam ſignificant,
Et alii tres mediocres materias teſtantur,
Ut mordens, falſus & aquoſus,
Reliqui tres ex craſſa ſubſtantia procedunt,
Ut ſapor amarus, ſubacidus & dulcis,
Hi novem inveniuntur multis in locis,
Quinque ex iis generantur cum calore,
Unctuoſus, acris, ſalſus, amarus & dulcis;
Sed reliqui quatuor numero
Facti ſunt ex frigore, veluti eſt acetoſus,
Acidus vocatus ſapor ponticus,
Et ſubacidus qui dicitur ſtipticus,
Aquoſus quoque dictus inſipidus
Cum frigiditate generati effectualiter,
Sapor ex duabus rebus concipitur,
Diverſæ ſubſtantiæ & diverſæ complexionis,
Ex caliditate & humiditate in ſecundo gradu
Cum ſubſtantia craſſa dulcis ſapor provenit,
Idem gradus ejuſdem complexionis
Cum mediocri ſubſtantia mixtus
Unctuoſum ſaporem producit,
At ubi eſt calor & ſiccitas ſimul
Cum mediocri ſubſtantia in ſecundo gradu
Inde ſapor ſequitur neceſſario ſalſus,
Cum res in tertio gradu calida & ſicca fuerit
Cum ſubſtantia craſſa, inde fit amarities,
Sed in quarto gradu materia calida & ſicca
Cum ſubtili ſubſtantia generat acredinem,
Ita quinque ſapores, ut antea dixi,
Producuntur à calore, nec plures,
Ex frigore & ſiccitate in ſecundo gradu
Cum ſubtili materia acetoſitas oritur,
Veluti ex vultu hominum animadvertitis,
Cum guſtant poma immatura,
Eadem complexio in eodem gradu
In re mediocris ſubſtantiæ,
Progenerat, veluti facile æſtimabitis,
Mordens ſapor, qualis eſt in roſa,
Sed acidus & ſubacidus, & minus acidus hi tres
Fiunt ex frigiditate & ſiccitate in diverſo gradu,
Et frigiditas & humiditas in primo gradu
Aquoſum ſaporem ſemper generant,
Veluti apparet in albuminibus ovorum
Et facie candida fæmellarum,
Nam tales ſunt frigidæ & humidæ,
Et habet multum ſuperfluitatis,
Ideo virorum ſunt minus appetentes
Iſaac dicit, ſapores eſſe ſaltem ſeptem,
Quia acidus ſubacidus ſit unus, ſed inæqualis
In complexione, unius radicis,
Et inſipidus foret ſaporis privatio,
Inveniuntur quoque ſapores compoſiti,
Ut dulcis acor & alii quamplures,
Ita ex ſaporibus homines indicabunt
Diverſas ſubſtantias, complexiones, gradus quoſcunque
Et ſi dubitetis guſtatu experiri,
Ad alia teſtimonia accedatis,
Veluti in medicina non credendum urinæ
Soli, ſed quoque in teſtem vocandus eſt
Pulſus manuum prudenti conſideratione,
Sed res non naturales corporis humani
Habentes reſpectum inſimul,
Ad ſeptem res illas naturales,
Caveat ſibi, ſi ſecurus eſſe velit,
A tribus rebus contra naturam,
Hæc octodecim fundamentabiliter teneat;
Ignarus medicus eſt ea præterientis,
Ita ab ignorantia eritis tuti
Et ægros à morbis relevabitis,
Sic ſi hanc ſcientiam velitis indagare
Operationibus, ad has reſpicite circumſtantias,
Prudenter conſiderando hæc 4. teſtimonia,
Tria ſunt tradita, quartum eſt liquor:
Liquor eſt ſolatium hujus operis,
Liquor erudito dat evidentiam,
Per illum nectendi ſua Elementa,
Atque etiam ſolvendi pro ſua intentione,

Liquor conjungit marem & fœminam,
Et facit res mortuas ad vitam redire,
Liquor purgat per ablutionem.
Liquor nostri lapis est præcipuum nutrimentum,
Absque liquore alimentum non est bonum
Liquor venit alimenta omnia
Ad singulas partes humani corporis
Et sic idem facit apud nos in Alchymia,
At considerare vos oportet puritatem
Omnium vestrorum liquorum & quantitatem
Et quam crassi sint vel tenues,
Alias parum lucri facietis.
Sed non, ut medici meminerunt
Quia elixir est res secundæ intentionis,
Ideo plus miri naturalis invenietis
In ejus operatione, quam in omni alio genere,
Medici dicunt, quæ urinæ sint crassiores,
Eo plus significant humiditatis,
Multi liquores requiruntur
Ad nostrum lapidem pro ejus appetitu,
In libro Turbæ Arisleus refert,
Quod aër in aqua secrete sit inclusus,
Quæ tollat terram aëria sua potentia
Pythagoras inquit, quod bene dictum id foret,
Aristoteles astute verba ejus ponit,
Dicendo, cum habueris aquam ab aëre
Plato sapientissime loquutus est
Et vocavit illud stillam roris Madii,
Quod appropriate de Alchymia dictum est,
Sed communes authores primæ philosophiæ
Inquiunt, Aër condensatus redit in pluviam
Et aqua rarefacta in aërem revertitur,
Aliqui dicunt, quod Mayus sit initium anni,
Ut sumatur aqua facta ex aëre;
Qui eam dicunt talis aqua de cœlo descendit,
Donec Sol ingrediatur Scorpionem,
Alii dicunt, quod omnes liquores sint fugiendi,
Quos frigus inficiat, nec sint usurpandi,
Causa, cur ita, ut narrant antiqui authores,
Est quod activitas eorum sit frenata frigore,
Quidam Philosophi dicunt, quod sumere debeatis
Lac pro liquore ad faciendum Elixir,
Alius ait pro sua intentione,
Quod nullus liquor pro complemento sufficiat,
Ut aqua ex lythargyrio, quæ sit utilis
Cum aqua Azoch, ut lac fiat virginis,
Sed Democritus ait, quod optimus liquor sit
Ad faciendum Elixir, Aqua permanens,
Cujus naturalis virtus & proprietas sit
Ignem tolerare, nec inde fugere,
Repescissa inquit, quod præcipuus liquor
Sit aqua vitæ pro Elixiris opere
Quia ea sit spiritualis & revivescens,
Res mortuas revocans ad vitam,
Existens quinta essentia rerum,
De qua Aristoteles scribens,
In libro suo de secretis ita dicit:
Quod omnis perfectio sit in quinario,
Repescissa vocat optimum omnium liquorem,
Nam facit crassas materias spirituales,
Sed apud Pythagoram invenietis
Aquam nostram vitæ alterius generis,
Ipse inquit, quod sit vivificans in hac sententia,
Fac fugiens fixum & fixum fugiens,
Eo enim modo forti coactione
Fixæ materiæ fiunt facilis liquefactionis,
Alii dicunt, quod nullus liquor superet
Liquorem congelationis amantem,
Ideo talis optime reperiri posset
Prope Islandiam, in tali terra,
Quam Oceanus circumambiat,
Ubi tales liquores facile occurrant,
De alio liquore alii sapientes dicunt
Qui sit frigidior quam aqua fontis,
Magis gelidus non gustatur liquor,
Attamen nunquam consumitur aut diminuitur,
Quamvis sit semper in opere occupatus,
Nunquam tamen in copia deficiet,
Quia a Democrito vocitatur
Lux umbra carens aqua orientalis,
Hermes inquit, nulla aqua tam est necessaria
Quam aqua crudi mercurii,
Nam illa, dicit vir doctissimus
Locum tenebit aquæ in nostro opere,
Nunc discitis omnes, quotquot hanc scientiam quæritis,
Quod per hos liquores lapis noster perficiendus sit,
Liquor est res mobilis
Substantiæ liquidæ & instabilis,
Omnes ejusmodi res sequuntur motus Lunæ
Magis quam res stabiles aliæ,
Idque apparet cuicunque clerico
In operatione albi operis,
Liquores lavant & purificant
Tam extremitates quam intermedia.
Deus creavit liquorem ad hominis usum
Ad purificandum res impuras in ædibus,
Liquor absque dubio educit
Res abditas corporum exterius,
Ut lotrices evidenter comprobant,
Dum ex cinere suum faciunt lixivium
Liquor confortat radices graminis,
Et arborum, quæ exiccatæ fuerant,
Nam liquores naturales restaurant
Humores antea perditos,
Liquores dividunt qualitates seorsim,
Resolvendo substantias in atomos admirabiles,
Liquores quoque in unum cogunt
Multas res, ut fiant noster lapis
Liquor juvat ad fluxum & motum,
Diversas res: & hinc animadvertitis,
Quomodo liquor investigandus sit
Ex rebus variis quæ in terra existunt,
Quidam per inclusionem, velut Terebinthina
Et quidam expressione, ut musta & vina,
Aliqui contritione, veluti oleum,
Quidam distillatione, quemadmodum aquæ fiunt,
Aliqui combustione, ut colophonia,
Et quidam per aquam, ut fœminæ faciunt lixivium,
Quidam aliis viis producuntur,
Et per naturalem operationem fiunt,
Ut urina, sudor, lac & sanguis,
Ac coagulum ad caseos faciendos utile,
Per tot modos & adhuc plures
Liquores quærimus pro nostro lapide,
Quilibet ex illis vult adhærere
Illi, quod tangit magis minusque,
Sed argentum vivum quamvis fluxibile sit,
Tamen nulli rei adhærebit,
Nisimet illis cujuscunque generis,
Quia ibi invenit sororem vel fratrem,
Mixtum ex subtili terra relinquit ea,
Nec adhæret illis, quæ tangit,
Omnes isti liquores enarrati.
Continent 4. Elementa æque, ut istud,
Ut lac continet serum, butyrum & caseum,
Et ita singula ex his omnibus:
Quæ quatuor Elementa separari possunt
Et iterum conjungi, ad vestrum lucrum,

Sed longe prudentius hæc inveſtigantur,
Quam caſeus, butyrum & ſerum fiunt,
Ex omnibus liquoribus, qui ſunt in noſtro lapide,
Non eſt ſimplex, niſi aqua ſola,
De ſingulis quoque liquoribus noſtri lapidis
Cognoſcatis complexiones & gradus,
Et tum cum liquoribus ſeparabitis
Principale agens de ſuo ſtatu,
Si ipſum fuerit permanens & durabile
In variis modis ſuperfluitatis,
Ut ſi qualitas prædominans ſit ſiccitas,
Emendabitis eam humoribus humidis
Jam magis, jam minus prout neceſſum videbitis,
Et ſic in omnibus qualitatibus procedetis,
Eoque modo ordinabitis pro veſtro nutu
Principale agens ad veſtrum propoſitum implendum,
Ex qua cognitione diverſitatis, contrarietatis & convenientiæ
Cognoſcetis, quæ qualitas prædominari debeat,
Liquores veſtri vel ſunt addendi vel ſubtrahendi
Ad æqualitatem faciendam magno ingenio,
Sed ne credatis, rem ullam exiſtere
Calidam & humidam ſimul in uno gradu,
Nam omnes, qui putant ejuſmodi bina; qualitates eſſe,
Decipiuntur ſua opinione, ubicunque ſint,
Communes ſcholæ, quæ ita docent, non ſunt veræ,
Mitte hanc opinionem & novam addiſce,
Omnes antiqui decepti inveniuntur,
Dum in uno gradu duas qualitates poſuerunt,
Aut ita dixerunt, ne inquirentes reperirent
Secretam mixtionem ex Elementorum genere,
Idcirco qui non novit graduationes,
Non poteſt eſſe perfectus in noſtris operationibus,
Nam in proprtis ſuis numeris Deus fecit omnia,
Abſque veris numeris nemo bene cantabit,
Qui errat in numeris in ipſo cantu errabit,
Qui errat nobiſcum, naturæ infert injuriam,
Conſiderate quoque naturam medii,
Cum in tertio gradu fuerit depuratum,
Quo purius erit veſtrum medium,
Eo major perfectio inde orietur,
Media complectuntur magnam partem
Virtutum quæ ſunt in hac arte,
Nam principale non poteſt reddere influxum
Ad finalem terminum, nec ille refluxum
Ad ſuum principale, abſque ſuccurſu
Mediorum, quæ extremitates continent prædictas,
Nam veluti per medium alti ſpiritus
Anima connexa eſt humano corpori,
Ex quibus tribus ſpiritibus unus vocatur vitalis,
Alter dicitur ſpiritus naturalis,
Tertius eſt ſpiritus animalis,
Et ubi hi morentur, nunc audietis,
Spiritus vitalis in corde habitat,
Spiritus naturalis (ut authores teſtantur)
In Epate exiſtere perhibetur,
Sed ſpiritus animalis in cerebro,
Et quamdiu hi tres ſpiritus
In homine ſanitatem continuant,
Tam diu anima abſque ulla repugnantia
In corpore manet, vitaque ſana eſt,
Sed quando hi ſpititus in homine remanere nequeunt,
Tum anima quoque inde diſcedit,
Ideo in opere noſtro, ut authores ſtatuunt,
Debent eſſe corpus, anima & ſpiritus,
In opere quoque noſtro oportet
Ut medium noſtrum cum quolibet genere conveniat,
Utriuſque extremitatis cum ſapientia inventæ,
Alias totum opus in nihilum redigeretur,
Nam natura prudens non poteſt operatione
Rem aliquam complere ad nutum,
Et ita incedere inter extremitates,
At ſi primo per omnes gradus tendat
Cujuſque medii, hoc eſt verum & legitimum
Hinc natura varia media ordinat,
Nunc poſt hæc omnia ſcire vos oportet
Septem circulationes cujuſque Elementi;
Quæ conveniant cum numero ſeptem planetarum,
Quos nemo cognovit, niſi ex gratia cæleſti,
Et philoſophi magni ingenii
Dicunt, quod circulationes debeant eſſe novem
Securius eſt illos ſequi in opere,
Nihilominus, ſeptem nobis ſufficerent
Per inventiones novas nuper inventas,
A recentioribus philoſophis, quorum opera ſunt vera,
Sed pro circulationibus Elementorum
Quidam docti putant ſatis fore pro ſua intentione,
Si ab igne ordine deſcendant
Ad aërem, nec ſe errare,
Si hinc ad aquam procedant,
Atque inde ad terram, cum opus fuerit,
Et hoc modo obſervato ordine
A ſummis ad inferiora tendant,
Quorum verborum hanc rationem exiſtimant,
Quia aër eſt cibus ignis repertus,
Sed, crede mihi, talis circulatio
Eſt ſaltem quædam rectificatio,
Quæ magis ſeparationi inſerviat
Eſt correctioni, quam tranſmutationi.
Attamen verum eſt, quod ignis appetitus
Sit inprimis operari in terra,
Tanquam in præcipuo ſuo materiali fomite,
Quia ignis cum terra maxime omnium conſentit,
Ideo, quod ſiccitas dependeat à calore,
Sed aër cum ſuo genere magis humidus eſt,
Quamvis ignis abſque aëre non operetur,
Cùm elementa inter ſe ſint connexa vinculis,
Per Dei manum, ne ab invicem diſcedant
Ullo ingenio vel virtute artis humanæ,
Veluti in tubis aquarum exemplum videtis,
Ubi aqua gravis aſcendit poſt aërem,
De quo cauſam rationabilem non percipitis,
Niſi connexionem elementorum in ſuo genere,
Sed noſtra circulatio ab igne ſummo incipit
Et finitur cum aqua ipſi maxime contraria,
Alia circulatio cum aëre incipiens
Finitur cum ſuo contrario, cohærent terra & ignis,
Ab igne verſus terram, hinc ad aquam puram
Inde ad aerem, atque hinc per medium
Progredimur ad terram, & mox ad ignem,
Per has circulationes opus rubeum perficitur:
Aliæ circulationes potius albedini conveniunt,
Quæ propter eam hic enarratæ ſunt,
Quælibet circulatio ſuum proprium habet tempus,
Pro ratione ſuæ difficultatis,
Nam ut unus planetarum gravior eſt
Altero & in curſu tardior,
Ita quædam circulationes, quas docti peragunt,
Requirunt ſpacium triginta hebdomadum,
Aliæ circulationes minus habent temporis,
Veluti planetarum alius alio eſt levior,
Sed tempus unius eſt, quo aſcendat alius,
Ad 26. ſeptimas extenſum experimento,
Poſt omnes groſſas præparationes ante factas,
Et circumſtantias intellectas,
Quarum ignorantia quam plures decepit,
Cogens eos ceſſare, ubi ſapientes inceperunt,

Vulgares

Vulgates alii, qui hanc scientiam quæsiverunt,
Putarunt, quod 40. diebus hic confici possit,
Non cognoscunt illi res naturæ & artis
Habere tempus proprium pro cujuscunque modo,
Veluti apparet in hac similitudine,
Elephas, quia sit animal magnum & rude
Fœtum fert duobus annis,
Et est quinquaginta annorum antequam generet,
Anaxagoras inquit in sua consideratione
Quod metalla habeant pro sui generatione
Mille annos, Hinc statuit
Ejus respectu nostrum opus saltem esse unius diei:
Ita oportet operari vos subtili ingenio
Cum videritis terram surgere super aquam,
Nam ut aquam sustinet terra, quam premimus,
Ita in opere hujus lapidis contingit,
Hinc fontis scaturigines levi motu
Prudenter instituetis sæpe numero,
Ut aquæ possint leviter fluere,
Quia fluxus violenti sunt periculosi,
Præterea prodest in Alchymia
Cognoscere septem aquas in effectu,
Quæ sunt traditæ à diversis,
Cum sint communes, quas quærere oportet,
Nec desideretis hunc librum omnia docere,
Quia hic est saltem Ordinale,
Per has aquas existimant quidam
Emendare se posse omnes defectus metallici generis,
Putant quoque Elementorum quatuor
Per has se inventuros effectus
Nam præsupponunt cum confidentia
Quod omnes virtutes requisitæ iis contineantur,
Et ad mollificandum metalla duriora
Ac indurandum alia nimis mollia,
Vel ad putrefaciendum vel reddendum ea malleabilia,
Pro cujusque convenientia & aptitudine,
Ejusmodi liquores cognoscere valde prodest,
Alias lapis noster nutriri non poterit,
Auctores fama celeberrimi
Vocant lapidem nostrum Microcosmum,
Nam ejus compositio absque dubio
Apparet persimilis mundo, cui insistimus,
Ex calido, ex frigido, humiditate & siccitate,
Ex duro & molli, ex levi & gravi,
Ex aspero & levi, & ex rebus fixis
Miscetur cum volatilibus & fluxilibus,
Et ex omni genere contrario in unum reducitur,
Compositum ex instituto Dei glorioſi,
Unde in metallis fiat transmutatio,
Non solum in colore, sed in transsubstantiatione,
In qua oportet vos scire illud.
Quomodo omnis virtus Elementorum transmutantium
In transmutatum prædominari debeat,
Antequam substantia transmutetur,
Omnesque partes ejus tranlmutatæ debent converti
In Elementa transmutantia gradatim impressa,
Ita ut res tertia elementa ex iis omnibus
Illius conditionis semper permaneat,
Ut vere habeat ab uno illorum
Substantiam, ab altero virtutem,
Puer ubi natus est potest edere & flere,
Noster lapis in nativitate sua potest colorare abundanter,
Post tres annos puer incedit & loquitur,
Tum noster lapis adhuc magis colorabit,
Unum in mille ejus tinctura procedit
Metallorum bene ablutorum, veluti ipse testis sum;
Firmiter credite & confidenter cogitate,
Quod argentum tam bonum faciat, quam minera producit,
Et ita lapis noster augmentabitur & accrescet
In quantitate & qualitate in infinitum,
Atque inde ejus incrementum & augmentatio
Assimilatur homini in crescendo & creatione,
Attamen unum veritatis punctum hic ponam,
Quod quibusdam displacere possit,
Cum primum feceritis nostrum lapidem,
Eo tempore de lucro cogiteris,
Quod si tum cessare animum inducatis,
Manibus vacuis inde abibitis,
Expensæ adeo fuerunt magnæ
Quæ huic adhibentur operi,
Sed ad primum augmentum ex omnibus
Dividite vestrum lapidem
In duas partes æqualiter
Cum subtili bilance & non ad visum,
Unam pro rubeo, alteram pro albo,
Ad tenendum utrumque pro vestro commodo,
Tum primo lucrum incipit exoriri,
Sed postea, si sapueritis
Ad singulas augmentationes continuas
Utilitas proveniet commodissime,
In hoc nostro opere albo
Veluti quoque in rubeo lapide,
Inde dicit Maria soror Aaronis,
Vita est brevis & scientia longa,
Nihilominus valde retardat senectutem,
Cum semel sit perfectum forti animo,
Sed quidam, quamvis docti fuerint,
Reliquerunt opus suum ex inconstantia,
Postquam majores labores præterierant,
Quia non cognoverunt quod ultimo
Generetur lucrum & utilitas,
Quam appetiverunt illi in principio,
Hinc video, quod necessarium sit
Verum dicere, quando vos lucrum captabitis;
Nam cum ego obiero ex hac mortalitate
Hoc testimonium superstes remanebit,
Qua de causa non subterfugio
Veritatem hujus artis declarare,
Quoad mihi liceat, ne male accuset,
Quod Dei præcepta neglexerim:
Hoc modo finitur nostrum album opus
Satis declaratum viro intelligenti,
Post hæc omnia quodam tempore
Audivi dicentem magistrum meum,
Quod permulti patientes & sapientes
Invenerint nostrum album & lapidem experimentando,
Veluti fuissent vere instituti,
Magno cum labore & acceperint,
Sed pauci, dicebat, aut vix unus
In quindecim regnis habet nostrum rubrum lapidem,
Eoque dicto conjecit oculos
In me respiciens immobiliter,
Propter sua verba me vidit tristem,
Respondit ego, Heu mihi quid faciam?
Nam supra omnes res terrenas
Appeto & amo scientiam,
Et quia lapis rubeus præservando
Sit res preciosa producens mihi vitam,
Lapis rubeus, inquam, mihi fuerit gratior
Quam totius mundi aurum
Tum dixit ille, quod ætate forem junior,
Corpore agilis, ad insolentiam adhuc proclivis,
Vix ætatis viginti octo annorum,

Et quod Philosophi tales non haberent coævos
Hoc responsum molestum tum mihi reddidit,
Donec senior fueris dicebat, esse non poterit,
Eheu inquam, bone magister, sis memor,
Quamvis corpus sit mihi agile & juvenile,
Fac mei probationem, & invenies
Satis ætatis in mente apparituram,
Nihil addidit ipse eo tempore,
Et sic se sustinuit aliquamdiu,
Post hæc subito miris modis
Tentavit me, ut mos est philosophorum,
Quod omne narrare nimis longum foret,
Et evulgare id non sine injuria possem,
Nam servari debet pro secreto
Huic, cui scientia hæc continget,
Attamen ultimo successu temporis
Ille me amore dignatus est ex divina gratia,
Ut ita veram doctrinam acceperim
Conficiendi hanc rubram medicinam,
Quam inquirere velle esset frustraneum,
Antequam alba medicina perfecte sit confecta,
Habent quoque utræque medicinæ in principio
Unum modum vasis & operationis
Tam pro albo quam rubeo,
Donec omnes res vivæ fuerint mortificatæ,
Tum vasa & forma operationis
Mutari debent in materia, figura & gradu,
Sed cor in me palpitat & manus tremunt,
Quando scribo de hac re rarissima,
Hermes sententiam veram olim protulit,
Dicens, Ignis & Azoth tibi sufficiunt.
Expositor Hermetis & Aristoteles simul
In eo adjuncto opere rem miram declarat,
Inquiens quod Albertus Magnus Ordinis prædicatorum,
Et Baconus minorita, quoque monachus,
Non lapidis rubei habuerint considerationem
Ad augendum cum multiplicatione,
Expositor ille hoc satis cognoverat,
Quemadmodum magister meus mihi vere ostendit,
Quamvis nunquam probaverim
Opus rubeum ante hunc diem:
Causa apparet in hoc libro superius,
Cum spoliatus essem, nil desideravi amplius,
Attamen eo usque me intromisi
Ut secretum vobis pandere non desinam.
Enarrando tales, qui ausi sunt
Tam grande secretum aperire aliis,
Ipsi dicunt, quod intra albedinem
Cælata sit rubedo nostri lapidis delectabilis;
Quæ possit vi forti ignis alicujus
Educi, ut appareat secundum nostrum desiderium,
Pandophilus in turba ait, mente secura
Est ejus umbra in vera tinctura,
Maria id confirmat fide oculata.
Quod in ipsa albedine est rubedo occultata,
Liber laudabilis ab Hermete factus
De rubeo opere loquitur hoc versu,
Candida tunc rubeo jacet uxor nupta marito,
Hoc est, si caute respexeritis,
Tum pulchra & candida fœmina est
Copulata rubeo viro,
Unde facile intelligere poteritis
Cum lapis vester albus tolerabit calorem
Et manebit in igne ut sanguis, rubeus,
Tum Conjugium est perfectum & bonum,
Et facile hoc tempus agnoscetis,
Quomodo semen masculinum
Operando obtinuit victoriam,
Supra menstrualia preciosissime,
Eaque bene convertit ad suum genus;
Veluti ab experientia vobis patebit,
Considerando substantiam embryonis,
Nam tunc completus est noster lapis,
Quem sapientes dicunt nutriri debere
Proprio suo veneno, quousque sufficiat,
Tum ibitis quocunque libuerit,
Nam omnes sumptus vestros ille recompensabit;
Hoc modo finitur subtile opus cum requisitis suis,
Non necessum est, nec possum, nec volo, plus ostendere.

Capitulum Sextum.

Respectu materiæ concordantiarum
Considerabitis non esse variationem,
Inter eas res, quæ convenire debent,
Num ex variatione oriri posset discordia,
Unde labor vester frustra foret impensus,
Quicunque nostrum opus incepturus est,
Quinque regulas seu concordantias tenere debet;
Primo regula est ut observet,
Num mens ejus cum opere consentiat,
Quod prædominari oportet præ omnibus,
Alias omnes labores vestros frustrabitur,
Secunda regula necessaria est ad cognoscendum
Discrimen inter hanc artem & ejus artifices,
Tertia vestræ intentioni inserviet,
Cum opus convenit cum instrumentis,
Quarta concordantia bene inquiri debet
Quo ad locum, ubi perfici optime queat:
Quinta est de concordantia & sympathia
Inter vestrum opus & sphæram cælestem:
De his quinque regulis hic tradituri sumus,
Incipiendo à prima inveniemus,
Quo vere pauci magnates sint constantes animo,
Quia illi sunt præcipites, & opus longum est,
Volunt ut vos naturæ violentiam faciatis
Quidam novitii sunt adeo celebres ac ignis,
Post animi dimidium illi nihil desiderant,
Et quidam in septimana vix completa
Mutabunt mentem, quidam in die:
Et per mensem firmiter credunt,
Sequenti mense vero totam artem reprobabunt,
Multo melius esset pro iis cessare,
Quam artem hanc velle indagare,
Tales musæ volent, quo velint,
Et tales verba prius addiscere elaborent,
Sequentes sententiam hujusmodi sacerrimam,
„ Attingens à fine usque ad finem fortiter
„ Disponens omnia suaviter:
Omnes parum prudentes & mente mutabiles
Necessario variari contingit,
Et quidam cuicunque fidem adhibent,
Quod opibus illos exuit:
Cuique fabulæ sibi narrare solent
Assentiri & antiqua relinquere:
Sed quidam Domini sunt animo constantes
Iique apti sunt ad finiendum illud:
Talis quicunque fuerit in hoc opere,
Sive laicus sive clericus,
Seu dives, eques, abbas aut dominus
Cum hac arte maxime convenit:
Secunda concordantia cum hac arte est,
Cum habiles invenitis ministros,
Nullus famulus huic intentioni inservit,
Nisi sit sobrius, prudens & diligens,
Fidelis vigilans & meticulosus,
Tenax linguæ nec vitiosus corpore,

Purus manibus, in attrectando curiosus;
Non inobediens, nec præsumptuosus;
Tales ministri vestro operi intenti
Servabunt illud ab omni injuria,
Sed ne confidite ejusmodi duos aut tres
Sufficere vobis ad finem operis:
Si materia vestra sit quantitate mediocris;
Tum octo tales servi convenient,
Sed ad quantitatem exiguam sufficient
Quatuor ad omnia peragendum:
Quorum per dimidia operabitur,
Quando pars altera dormit aut est in Ecclesia;
Nam ex hac arte nihil boni habebitis,
Nisi ministretur ei tam nocte quam die,
Cum continuatione excepto sacro sabbato,
A vespera numerando ad vesperam sequentem,
Et dum operantur; oportet eos cavere
Omnem nequitiam, alias hoc verum continget;
Quod tantam infortunii interveniet,
Ut corrumpant partem sui operis,
Ideo omnes ministri debent esse masculi;
Vel etiam omnes sint fœminæ,
Ne simul in opere adhibeantur;
Licet quidam ex illis ex vestris sint cognatis
Tamen necessum est eos quid habere solatii
Ad labores eorum magnos remittendos;
Nam nihil magis futurum est utile,
Quam hæc una concordantia,
Tertia regula est per multis obscura
Ad ordinandum instrumenta huic operi necessaria;
Veluti singula capitula habent diversas intentiones;
Ita quoque requirunt diversa instrumenta,
Tam in materia, quam in forma,
In concordia ne casus superveniat,
Veluti opera divisionum & separationum,
Parva poscunt vascula ad suam operationem;
Sed vasa lata pro circulatione,
Et longa pro præcipitatione,
Et brevia & longa faciunt pro sublimatione;
Sed angusta vasa & satis alta
Correctioni magis appropriantur,
Quædam vasa fiunt ex plumbo;
Et quædam ex luto seu vivo seu mortuo,
Lutum mortuum ea res vocatur,
Quæ sustinuit magnam perdurationem,
Tale mixtum cum pulvere & luto crudo
Ignem tolerabit, nec in eo deficiet,
Sed alia luti genera in igne non manebunt;
Quæ pro vasis accipere non desiderabis,
Alia vasa fiunt ex lapidibus
In igne mansura, sed pauca vel nulla
Apud operarios nunc inveniuntur,
In aliqua regione totius Angliæ,
Quæ nihil aquæ imbibant
Et tamen in igne sicca perseverent;
Ejusmodi lapidea vasa pro nostra intentione
Futura essent preciosa instrumenta,
Omnia alia vasa fiunt ex vitro;
Ne materia spiritualis exeat
Ex cinere, & silice in hac regione ejusmodi
Fiunt, sed alibi ex lapillis;
Ex nostris vitris genus optimum
Matutina frusta solent exhibere,
Quæ fuerunt cinis pridie
Et tulerunt ignem per noctem & amplius
Durior species vocatur freton,
Ex vitrorum fracturis id evenit,
Tinctura smaltorum vitriariorum
Non penetrabit illud, ut referunt;
Per hanc doctrina eligendo

Assumetis quodcunque volueritis pro vestro usu,
Sed quoad figuram generis vasorum
Quilibet pro arbitrio suo eam sequitur,
Optima forma vasis est, ut patet,
Quæ convenit cum vase naturæ,
Et figura, quæque respondeat quantitati
Omnibusque aliis circumstantiis materiæ;
Et hoc tradit optime Albertus Magnus
In libro suo de mineralibus;
Hac de re secretum manifestatum est
A magistro meo; dum hoc modo
Inquit, si Deus non dedisset nobis vas;
Nihil dedisset, atque illud est vitrum,
Instrumenta plura sunt necessaria,
Veluti fornaces habentur convenientes;
Auctores antiqui invenerunt pro hac arte
Furnum specialem ad omnes usus,
Quilibet pro suo ingenio alios,
Sed quam plures ex illis sunt inutiles;
Alii sunt nimis lati, alii nimis longi,
Multi ex iis naturæ non conveniunt,
Idcirco quidam furni possunt usurpari
Sed quamplures ex iis debent non admitti
Nam facti sunt saltem singulari inventione
A talibus, qui videbantur, nec erant sapientes;
Formam magis commendabilem ex omnibus
In hoc libro descriptam reperietis,
Quidam furnus à me inventus fuit nuper,
Qualis antiquis non fuit cognitus,
Cujus secreta potentia studio inquisita
Magnoque sumptu producta fuit,
In eo uno eodemque tempore fieri possunt
Sexaginta opera, fere nullis expensis,
Nec majoribus, quam quæ uni operi adhibentur;
Hinc certe magna ejus est utilitas,
Sexaginta diversos gradus habebitis
Pro totidem operibus & singulis diversum calorem
In eo furno pro implendo vestro desiderio,
Ita ut tamen exiguo igne hæc omnia fiant,
Qui saltem pedem in latitudine exæquet,
Et tamen quodlibet eorum 60. spaciorum ei æquale est,
Plura proposita ibi possunt perfici,
Quia ibi erit calor quicunque expetitur,
De hoc instrumento non omnes cognitionem habent,
Atque ideo in pictura non fuit adjectum,
Alius furnus poterit inservire sexaginta
Vitris & adhuc longe pluribus,
Quorum singula æqualem sentiant calorem;
Veluti ex pictura facile percipietis,
Deinde alia adhuc fornax ad operandum
A me inventa est per imaginationem,
Quæ optime inserviat separationi
Dividentium & exaltationi,
Et disjunctioni, quæ vocatur divisio,
Nec non correctioni quæ dicitur ablutio;
Et aliquando conveniet desiccationi,
Et optime facit ad præparationem,
Et ita pro sex rebus prodesse potest,
Et tamen simul & semel pro omnibus,
Hæc est res nova, quæ non debet
Exprimi pictura, ut omnes videant,
Alius furnus appingi potest
Magis periculosus, quam omnes alii;
Factus pro Magnesia, de quo antiqui tradiderunt,
Quod manu tangi nequeat & linteolum tamen,
In ejus medio positum non comburatur,

Præ timore flammæ ex ligni surgentis.
Quum sufficiem fornacem cum ipse reperissem,
Multa admiranda in eo perfeci.
Nunc convenit narrare hoc tempore
Cujus gradus sint in dubium vocandi,
In quo Magnesiæ materia preciosa
Viva servari possit, ne tota pereat,
De cujus graduationibus ut sitis certi,
Considerate vestra registra, & hoc notetis,
Quo plura sint registra, eo minorem esse calorem,
Per varia registra, varios gradus facietis,
Qui novit virtutem & genus operationum
Cujusque furni, ille veritatem invenire poterit,
Et è contra qui ea ignoraverit,
Omnia ejus opera casualiter procedent,
Nemo erit securus, se intentionem suam habiturum;
Absque convenientia artis & instrumentorum,
Plura alia instrumenta erunt requisita,
Quam in hoc capitulo recensentur,
Quæ ordinabitis subtili ingenio,
Et probabitis antea, si prudentes fueritis,
Quarta regula valde est notabilis,
Inter hanc artem & locum, qui sit aptus,
Quædam loca oportet semper esse sicca,
Ab aëre libera aut temperata luce,
In quibus radii solares nulli splendeant,
At pro quibusdam locis verum est,
Quod non nimium lucis habere possint,
Quædam loca necessario debent esse humida & frigida,
Pro quibusdam operibus, ut authores tradunt,
Sed in nostris operationibus ubicunque
Ventus nocebit quocunque modo:
Ideo pro singulis operum speciebus
Oportet vos rationabiliter locum eligere,
Philosophi dicunt pro suo ingenio
Quod fieri debeat intra seras novem,
Astrologi tradunt, singularem esse gratiam
Invenire locum operationi idoneum,
Nam multæ res mira producunt,
Quibusdam in locis & non in aliis,
Sed contraria admiranda ex una re
In contrariis locis generantur sæpissime,
Cujus nulla alia causa apparet,
Nisi loca contraria quo ad sphæram cælestem,
Et ubi locus terræ aliis fuerit contrarius,
Illi consentiens obedire forte reperitur,
De quo magna evidentia & testimonium clarum
In magnete lapide facile occurrit,
Cujus septentrionale punctum huc convertitur,
Quod versus austrum pellit aciculas,
Ideo sapientes hanc artem inquirendo
Reperierunt quædam loca ei apta, quædam inepta,
Certe ejusmodi loca ubi luxuries dominatur,
Pro hac arte extreme detestanda sunt,
Quinta regula à doctis sat cognita est,
Inter sphæram cælestem & subtile nostrum opus,
Nihil supra terram habet plus simplicitatis,
Quam elementa nostri lapidis,
Idcirco quando ea sunt in operatione,
Maxime obediunt constellationi,
Unde concordia valde amicabilis
Est in directo & fixo Ascendente,
Quod est commune signum pro hac operatione,
Pro multitudine ipsius reiterationis,
Fac ut sit fælix Ascendens tuum prædominans,
Et à malis aspectibus ipsum reservetur,
Quod si impediatur vel necessario inficiatur,
Causetur ut habeat bonum aspectum,
Pro albo opere fac fortunatam Lunam,
Ut sit domina quartæ domus,
Nam hic est Thesaurus absconditus ab antiquis,
Sic in domo sexta sit pro ministris operis,
Serva omnes eas à magnis impedimentis,
Velut est in picturis, aut ad istam intentionem,
Dummodo vestra Nativitas non prætendat infectionem,
Contrariam respectu hujus electionis,
Virtus motoris orbis est formalis,
Virtus octavæ sphæræ est ei instrumentalis,
Cum signis & figuris suis aspectivis,
Planetæ virtus est propria & specialis,
Virtus Elementorum hic est materialis,
Virtus infusa ex omnibus iis resultat,
Prima assimilatur operatoris ingenio,
Secunda vero ejus manibus par est,
Tertia instrumento bono æqualis est,
Reliqua rei simi lis est, quæ conficitur,
Fac ut omnia præmissa cum omnibus consentiant,
Et tunc merito fies magnus dominus,
Hoc modo Elixir (cujus fecimus mentionem)
Generatur res secundæ intentionis,
Ne confidas Geomantiæ, superstitioni arti,
Nam Deus rationem addidit, quæ alibi est posita,
Nec credas astrologo ulli, & dico, quare,
Quia ars ea est secreta, velut Alchymia,
Alterum illud vetitum est & omnino reprobatum
A sanctis viris & Dei ecclesia,
Nec fidas, nec ames Necromantiam,
Nam proprium est diaboli, mentiri,
Crede hunc doctrinæ eamque desidera,
At nunc à me discas Regimen ignis,

Capitulum Septimum.

PErfectum magistrum eum agnoscatis,
Qui sciat regimen ignis, ejusque gradus,
Nihil desiderium vestrum poterit impedire,
Nisi ignorantia caloris & ignis,
A multis authoribus reperitis scriptum,
☉ Totum consistit in ignis regimine,
Ideo in omnibus capitulis procedetis
Ita ne calor magis minusque operetur,
In quo multi ex Gebri coquis
Decepti sunt, licet docti ex libris,
1. Ejusmodi calor, quo porci vel anseres deplumantur.
In hac arte convenit pro decoctione,
Pro mediis mineralibus hic calor est aptus
Ad lythargyrium sudore perfundendum,
2. Talis calor qui subtilia lintea exiccat
In 30. operationibus inservit nostro aëri:
At pro divisione usurpabitis hunc calorem,
Quo coqui utuntur ad carnium assationem,
3. Idem calor cum circulari igne
Pro separatione dividentium requiritur,
4. Sed pro circulationibus Elementorum
Ignis candens vobis erit accommodatus,
Qui ignis semper maneat æqualis
Quocunque minuto & simul perpetuus,
Nam nunquam deficere, nec increscere debet
Iste ignis quamvis nec unquam cesset,
Studeas sapienter & respicias circum circa,
Ut talem investigare possis ignem,
Et in eo igne non debet esse humiditas,
Quam manus tangat aut oculus videat,
5. Ignis humidus adhuc alius est
Et tamen videtur oppositum in adjecto,

Talis

Talis ignis separat certo tempore
Materias adhærentes vasis latetibus ;
Multo plures res idem calor efficit,
Sæpe quæ sunt crassa, facit tenuia,
Philosophus prudenter de hoc calore
Asserit, quod summus ejus gradus futurus sit
Ut causetur & generet tam æqualem siccitatem ;
Velut sit de sicco calore in primo gradu,
6. Alius ignis est desiccationis
Pro materiis, quæ imbibitæ sunt liquoribus,
7. Alius est ignis conservationis,
Quia omnes res exiccantur per hujus operationem ;
8. Pro Magnesia facit ignis effusionis,
Plenus periculi & illusionis,
Non solum periculi, quod contingat operi ;
Sed etiam magistro nocere possit,
Quod semel receptum perimeret,
Ideo ordina ut respires salubriter,
Provideas ori, auribus, oculis & naribus ;
Nam decies pejus quam venenum,
Quidam hinc multum damni passi sunt,
Qui hanc cautionem antea non acceperint.
9. Ignis corrodens in hac arte servit,
Ad Elementa propinqua sapienter dividenda ;
In uno momento excellus opus vestrum periit ;
Et uno momento defectus non erit sufficiens,
Qui certus erit ad verum gradum inveniendum
Magister magnus in igne futurus est,
Difficile est cognoscere ejus potentiam,
Nulla est probatio nisi per visum,
Ideo omnes in eo exprimendo errant,
Ejus calor addiscitur sumptu & experientia ;
De hoc calore in specie Anaxagoras dixit,
Nemo prima fronte reperitur discretus,
10. Alius calor est magnæ coctionis
Pro mineralibus, quæ sunt duræ liquefactionis ;
Hic calor non potest nimis esse fortis,
Quamvis diutissime sit continuatus,
11. Alius est calor calcinationis
Pro impuris metallis, eorumque præparatione
Qui non comburat ea nec liquefaciat,
Alias enim facile dissiparentur :
12. Duodecimus est calor sublimationis
Omnium spirituum mineralium,
13. Ultimus calor ex his omnibus præcipuus est,
Cum ad projectionem lapis vester propinquet,
Usus facit artificem, nil amplius est dicendum,
Nisi quod qui erret, necessaria denuo incipiat,
Jam docui vos quaslibet res suo nomine,
Veluti alius alium docet viam ad quandam urbem,
Per omnes pagos, aquas, Pontes & clivos,
Ut prudentes iter suum bene perficiant,
Sic vir doctus per hanc doctrinam reperiet
Scientiam illam, si subtili sit ingenio,
Omnes alii hinc se stultos agnoscent
Ne immisceant se illi, qui paululum habent eruditionis.
Nam hic est apex mundanæ scientiæ,
Ad quem attingere nec papa nec rex valeat,
Per suos honores, nec magna sua consilia,
At saltem per virtutem & gratiam, ut auctores tradunt,
Hic lapis preciosus inveniri nec perfici potest,
Nisi cum summa devotione sit quæsitus,
Prædicti authores una cum hoc meo libro
De Alchymia omnem veram doctrinam demonstrant,
Si complebitis illorum sententias omnes
Non per opinionem, sed hoc Ordinale,
Nam in hoc Ordinali à vobis omne tollo dubium,
Nil hic nisi recte positum, nec quid omissum est,
Hoc die hæc doctrina ita tradita
Magis mihi placuit, quam mille librarum summa,
Trecentæ libræ non præ ea placerent mihi
Si hoc capitulum foret omissum,
Ne vero miremini vos Domini aut amici
Quod tam nobilis scientia, veluti hæc indigitatur ;
Hic sit exposita in Anglicano sermone rudi,
Nam hoc factum est ut multitudo
Populi rudis instituatur, æquivalent
Decem millia laicorum decem viris doctis,
Unde quotannis magnæ divitiæ in hac regione
Leviter perduntur ; veluti prudentes intelligunt ;
Et quamplures alii cujuscunque status
Quotidie rediguntur ad summam paupertatem,
Desinite laici, desinite, nec semper sitis fatui,
Melius est vobis desinere tarde, quam nunquam ;
Omnes quibus placuit hunc perlustrare librum,
Pro anima mea orent, proque vivis & mortuis,
Anno Christi 1477.
Hoc opus inceptum est, Deo sit gloria.

SVBSECTIO IV.

JOH. DAUSTENII *Angli*, Philosophi expertissimi, ROSARIUM, *Arcanum Philosophorum secretissimum comprehendens.*

DEsiderabile desiderium & impretiabile pretium hoc compositum fuisse supponitur ex libris antiquorum: Nos autem hoc in summa una breviter adunabimus omnia, ut tibi, carissime, chimicæ veritatis excellentissimum simul & certissimum sufficienter pateat arcanum. Quam quidem summam vocitamus Rosarium, eò quòd ex antiquorum libris tanquam rosas à spinis tibi ipsam avulsimus. Et quia nocet veritati quicquid contrariatur veritati vel rationi, ideò sententiis veritati per omnia convenientibus, claro sermone, recto ordine & de verbo ad verbum cum omnibus suis causis sufficientibus succinctè trademus, quicquid ex ipsorum libris reperimus necessarium ad operis complementum, nihil penitùs superfluum, nullumque additamentum ad totum magisterium ponentes. Placeat ergò domino nostro Jesu Christo nobis immittere spiritum intelligentiæ suæ.

Universa bonitatis Domini opera circulata sunt & perfecta, ad ipsum, à quo prodierunt, sphæricè rotata. Ab initio namque suæ creationis, naturam cunctis præponens, quatuor fecit corpora simplicia, ex quibus postea constituit corpora quæque mixta. Mixtorum autem quædam fecit intellectiva, quædam sensitiva, quædam vegetabilia, & quædam mineralia. Intellectiva quidem cuncta ex raritate elementorum creavit ad similitudinem sui ipsius. Ad ipsum ideò inquietum est cor nostrum, donec veniamus ad ipsum. Nam omnium elementorum

raritas

ritas ascendit ad ignem, qui est juxta stellas: idèo nos ab ista creati meritò tendimus sursum ad Deum, tanquam ad principium nostrum primum. Sensitiva verò cuncta & quæque vegetabilia & minerata ex spissitudine elementorum composita in species distinxit diversas, quæ omnia, cum dissolvuntur per mortem, non immeritò revertuntur ad terram & aquam veluti ad suam materiam. Nam spissitudo elementorum omnium naturaliter tendit deorsum ad suum centrum, id est terram, tanquam omnium terrea natura constantium matrem. Tertius est terminus, magnitudinis & augmenti, ut in sua specie augmentet unumquodque suum simile. Et eorum quædam ex partibus sunt dissimilibus, ut carne, sanguine ossibus, venis, nervis & similibus, ut homo. Quædam ex ligno, corticibus, foliis & his similibus, ut arbor. Quædam verò ex partibus sunt similibus, ut ea quæ per totum sunt unius essentiæ, sicut est videre in metallis. Quę autem sunt ex partibus dissimilibus in se suum possident semen, unde multiplicantur & crescunt, ut videtur in omnibus animatis & arbustis. Quæ verò è partibus constant consimilibus non multiplicantur nisi ad suam primam reducantur materiam. Quare dicit philosophus, sciant artifices Alchemiæ, species metallorum transmutari non posse, nisi fortè in primam reducantur materiam, & tunc quidem transmutantur & in aliud, quàm priùs erant, convertuntur. Et illud ideò quia corruptio unius est generatio alterius, tam in artificialibus, quàm in naturalibus. Ars enim imitatur naturam & in quibusdam corrigit & superat eam, sicut matatur natura infirma Medicorum industriâ. Nam natura non construit domum, nec conficit electuarium, quoniam de se non habet motum ad hoc faciendum, sic etiam lapis noster, quamvis in se tincturam naturaliter contineat, (nam in terra perfectè creatus est) tamen per se non habet motum, ut fiat Elixir perfectè completum, nisi moveatur per artem. Aliquando ergò ars perficit quæ natura non potest operari: ars verò imitatur naturam & naturalia perficit, in quantum apta nata sunt perfici per naturam, & ideò succurrendum est per artem, quia quædam omittuntur per naturam. Nec est differentia inter naturam & artem, nisi quòd ars agit exteriùs, natura verò interiùs operatur. Ars enim tanquam organum naturæ administrat motum, ipsa quidem per se agit, quando ad suam vertitur perfectionem. Omne ergò corpus aut est elementum aut ex elementis compositum: sed omnis compositionis generatio ex quatuor elementis consistit simplicibus: quare oportet necessariò, ut lapis noster deductus sit ad primam originem sui sulphuris, & Mercurius dividatur in elementa, aliàs depurari non potest, nec conjungi, quia partes ejus minimæ non possunt ingredi in minimis partibus corporis: divisus autem depuratur & iterum conjungitur, & Elixir quod quærimus operatur. Nam experimentum destruit formam ejus specificam novam introducens speciem. Verum post elementorum divisionem non videtur ex eis quicquam nec tangitur nisi terra & aqua. Quia aër & ignis nusquam videntur, nec virtutes eorum sciuntur nisi in prioribus elementis; rara quippe sunt omninò & simplicia, quare ab oculis corporis videri penitùs non possunt. De illis ergò non cures, quoniam sufficit tibi reducere lapidem ad simplicem puritatem.

CAP. II.

ELementa autem sunt quatuor: & humores quatuor, sanguis, cholera, phlegma & melancholia: & modi sunt quatuor humidus, calidus, frigidus & siccus. Elementa sunt ignis, aër, aqua, terra, quorum duo sunt amica & duo inimica, duo activa & duo passiva. Ignis & aër sunt amica, ut & aqua & terra: ignis & aqua sunt inimica, ut & aër & terra. Ignis & aër sunt activa, aqua & terra sunt passiva, duo ascendunt & duo descendunt, unum est in medio & alterum sub altero, & illud ideò, quia cum contrarium remotum sit à suo contrario, non coadunantur nisi per medium. Caliditas contrariatur frigido & humiditas sicco: quare liquet, quòd neutrum eorum coadunatur alteri nisi per medium. Igitur quod non est contrarium per se ipsum est adunativum. Sicut calida pars siccæ coadunatur quoniam in nullo contrariantur, ideò ex illis coadunatur elementum ignis. Sic calidum & humidum non contrariantur invicem; quare ex illis resultat elementum aëris. Nec contrariantur insimul frigidum & siccum, ex quibus generatur elementum terræ; nec etiam frigidum & humidum ex quibus congregatur elementum aquæ. Sic calidum & frigidum non coadunantur nisi per medium, videlicet per siccum & humidum, quoniam per se nolunt simul stare, cum unum obtundat reliquum propter suam contrarietatem, ideoque simul stabunt per humidum & siccum, cum unum sustineat reliquum. Verùm calidum & frigidum congregant & disgregant unigenea & non heterogenea dissolvendo & coagulando.

Sed humidum & siccum aggregantur & disgregantur constringendo & humectando. Simplex ergò generatio & simul permutatio est elementorum operatio. Liquet ergò manifestè res universas per calidum & frigidum insimul generari, & similiter permutari. Nam gignunt calidum & frigidum vincentia materiam. Cum vero vincuntur agentia liquet quoniam secundum partem violentia indignè fit. Ex quolibet tamen non fit quodlibet, sed determinatum fit ex determinato, quia non est generatio congrua nisi ex convenientibus in natura.

CAP. III.

IN dubium ergò revocatur, quid sit de quo philosophi loquuntur, cum nullus illorum illud exprimat. In hoc ergò diversi diversa sanxerunt, cum tamen in uno solo consistat veritas: ipsum certè carè servamus & omnia alia docemus evitare; nam patet per scripta Philosophorum? Rem unam esse, nec alienum quid sibi jungi debere quia nihil convenit rei, nisi quod illi propinquius est ex sui natura: non enim proferunt res nisi sibi similia, nec fructificant nisi fructus suos. Homo quippe generat hominem, & Leo Leonem; sic unumquodque generat suum simile. Mulus cum sit ex diversis generibus, nunquam recipit seipsum, nec generatum suis similibus parentibus; sic est de omnibus ex diverso genere procreatis: ideò est necessarium, ut elementa sint unius generis, & non diversi, aliàs actionem & passionem non haberent ad invicem, cum unum non tangeret reliquum. Ergò cum res ex uno genere sint, radices earum sunt unum. Diversitas ergo rerum causatur ex diversitate partium suarum: cognosce ergo mundum ab immundo,

quia

quia nihil dat quod non habet. Mundum est unius essentiæ vacuum alterationibus; immundum est diversum & ex contrariis partibus adunatum, facilis corruptionis susceptivum: horum probatio in Sole patet & Saturno, quia Saturnus omnino corrumpitur, Sol vero minimè, & ideo omnes Planetæ egent lumine illius. Cognitio ergo contrarietatis corporum & suæ creationis principium facile facit hoc magisterium: nam sordes adhærent sordibus, cum sint de genere earundem, sed mundum vincit naturam immundi, non patiens commixtionis defectum. Non quæras ergo in natura quod in ea non est. Quoniam res non fiunt nisi secundum suam naturam, & major corruprio est in re passiva quàm in activa.

Et tinctura est in lapide, quemadmodum cor in homine. Utere ergo nobiliori membro & simpliciori, & sufficit tibi: Membrum tamen cordis ex corpore est, sicut membrum cerebri ex capite; quia in corde est vis animæ irrationalis, sicut in cerebro vis animæ rationalis. Sed quod minus habet de angulis est nobiliori & simplici propinquius, sicut propinquior est simpliciori triangulus quàm quadrangulus, quoniam terminos habet pauciores. Principium nostrum simplex non commixtum est rotundum, ergò est corpus simplum nullum habens angulum. Dimitte ergo commixtum & utere simpliciori, quia illud est genus generum & forma formarum, nam ipsum est prius & posterius in Planetis, sicut Sol in stellis. Transferam igitur sermonem ad homogenea in natura, licet sint fortia. Nam in habentibus symbolum facilis est transitus. Igitur cum quæsitum tuum sit de genere amborum mundi luminarium, oportet eligere in eo quod est homogeneum ipsorum. Et certè cum hoc genus approprietur homini multùm, scimus quod non perficietur opus nisi per ipsum. Quapropter sic describitur ab Aristotele ad Alexandrum. Decorantur regum diademata lapidibus pretiosis, quorum pulchritudine visus juvatur, animus delectatur, dignitas ornatur, & eorum virtute ægritudines gravissimæ à corpotibus expelluntur, sine quibus parum est efficax omnis medicina: quare iis utuntur Medici in suis medicinis ad gravissimos morbos expellendos. Est autem Doctorum verissimum argumentum, quod melior lapis omnium lapidum meliùs valet ad expulsionem omnium infirmitatum. (Nota hic de meliore lapide omnium lapidum, quod est aurum per intellectum.) Melior ergò lapis omnium lapidum est ille, qui magis est coctus, & igni proximus, qui plus sustinet ignem & tardiùs frangitur ab igne. Idcircò magis valent lapides pretiosi, ut rubinus & saphyrus, quàm lapides alii, quoniam generantur in loco calidiore, propinquiùs Soli & cum majori calore. Et sic etiam in metallis: magis valet aurum quam argentum, quia magis est coctum: & argentum magis quàm cuprum vel aliud metallorum. Et sicut rubinus habet in se omnium lapidum pretiosorum effectum, sic habet & aurum in se virtutem omnium lapidum ductibilium. Nam continet in se omne metallum, tingit ea & vivificat, quoniam dat lumen suum sursum usque ad Saturnum & deorsum usque ad Lunam, cum sit nobilius omnium istorum ergò aurum capias. Verum Rubinus proportionaliter ab elementis est complexionatus, cum pro majori parte sui sit ex substantia lucida, ut ex aqua clara; & coaguletur cum sicco & calore magno: ideo neque cuditur, ne ad alium statum reducitur, nisi ex toto destruatur, quoniam igni ex omni parte contrariatur. Aurum vero, cum sit ex substantia terreâ mixta cum aqua per minima, est homogeneum igni ex una parte duarum extremitatum & coagulatur cum frigore post actionem caloris in ipsum: ideo cuditur, funditur, & in igne melioratur; est enim proportionatum meliori complexione, æquali, nobiliori & durabiliori compositione præ omnibus aliis lapidibus pretiosis. Post illud immediatè est argentum, ergò sume & argentum pro lapide. Defectus autem aliorum corporum est, quòd in iis est caliditas aucta aut frigiditas diminuta: sicut dificit frigiditas cupro & ferro; caliditas autem plumbo & stanno. Et natura eorum non potest fieri aurum nisi priùs fuerit argentum, eo quod nihil transire potest de primo ad tertium, nisi per secundum. Aurum ergo & argentum justè & æqualiter sunt composita; & verè sunt temperata præ omnibus aliis lapidibus qui sub cœlo sunt; ad speciem nostri lapidis pretiosissimi pertinentia. Et certè aurum est Dominus lapidum, nobilius corporum, rex & caput optimum eorum: non enim corrumpitur ab aëre, nec ab aqua, nec à terra, nec ignis minuit ipsum; immo ignis id humectat, decorat & rectificat, & res comburentes illud non comburunt, nec corrumpentes corrumpunt, eo quod ejus commixtio est temperata, & natura directa in æquali caliditate, & frigiditate, humiditate & siccitate; nec in eo quidpiam superfluum est nec diminutum. Nulli ergo lapides quamvis calores videantur auro, magis valent, quam aurum. Cariores quidem sunt, non quia pretium auri excedunt, sed quia rariores & pauciores inveniuntur. De omnibus ergo rebus scibilibus magis valet aurum, quoniam est fermentum Elixiris, sine quo nequaquam peragitur: lætificat animam, conservat juventutem, renovat senectutem, & omnem corporis depellit ægritudinem. Est enim sicut fermentum pastæ, & coagulum lacti in caseum, & sicut muscus in aromatibus bonis. Meritò ergò aurum circumdat partem superiorem Solarem, argentum verò inferiorem Lunarem: und nisi Solem & Lunam viderem, pro certo dicerem, quòd magisterium non esset verum. Sed quia Solem & Lunam videò, certissimè sciò, quod magisterium est verum. Quælibet namque res augmentat suum simile, & illa omnia sunt homogenea vegetabilium in natura, quare oportet ipsorum augmentum esse sicut est vegetabilium. Porrò Sol est tinctura rubedinis, quæ transformat omne corpus; Luna verò, cum sit domina humiditatis, est tinctura albedinis. Cum sole tamen commiscentur spiritus & figuntur per ipsum ingenio maximo, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis. Spiritus namque in naturam suam conversus moritur & mortuus videtur, inde postea inspiratus vivit, crescit & multiplicatur ut res cæteræ. Idcireo nisi Sol putissimus, & Mercurius conversus mortuus fuerit, ipse solus manet: si autem mortuus fuerit, multum fructum affert, & unde videbatur perdidisse quod erat, inde incipit apparere quod non erat. Qui ergo illius destructionem ignorat, constructionem ejus ex actu naturæ necesse habet ignorare. Calcinatur tamen & solvitur labore maximo absque utilitate. Corporibus ergo aliis non indiges, cum possis habere in istis, quod est majoris temperantiæ & minoris fæcis. Si autem indigueris usu eorum, oportet primo ut convertantur in speciem perfectorum, & tunc demùm incipere operationem in eis. Possibile tamen est, quòd operetur quis in eis, cum in omnibus corporibus inscit scientia, sed non erunt

ita bona ſicut prædicta, quia in majori opere non unius perfectionis ſunt corpora omnia diminuta, cum non ingrediantur illud, donec in compoſitionis ſubtilitate fuerint ſicut corpora perfecta. Album tamen & rubeum ex una radice, nullo alterius generis corpore interveniente pullulant: nam Luna in argenti opere ipſum candidum, quod de puriſſimi Solis materia formatur, nihil tum ipſius coloris retinens deſignant: ipſe tamen Sol abſente argento vivo privatur effectu, quia ex materia & forma tantùm fit generatio vera. Totum ergò beneficium illius artis eſt in Mercurio & Sole, & Mercurio & Luna: ſed indiges quòd circa eorum ſolutionem labores, reducens ea ad ſuam primam materiam.

CAP. IV.

PRima autem materia metallorum eſt argentum vivum, quia cum liquantur, omnia convertuntur ad ipſum. Certum quippe eſt omnem rem eſſe ex eo, in quod reſolvitur. Gelu reſolvitur in aquam calore mediante, clarum eſt igitur ipſum aquam priùs fuiſſe. Sic omnia metalla reſolvi poſſunt in argentum vivum, ergò ipſa priùs fuerunt argentum vivum. Hæc igitur nota, de reſolutione corporum in argentum vivum.

Benedictus ergò Deus ſublimium naturarum creator, qui nobis dedit rationem deſtruendi & reducendi omnem rem ad primam ſuam materiam & naturam; puta corpora præparata ad primam originem ſui ſulphuris & ſui Mercurii, ut ex eis in paucis diebus faciamus ſuper terram, quod natura eſt operata, ſubtus terram in mille annis. Unde ſi aliud beneficium non haberemus ab argento vivo, niſi quòd corpora reddit ſubtilia ad ſui naturam, deberet nobis hoc ſufficere: ipſum enim eſt amicabile & metallis placabile, & medium conjungens tincturas, quia in ſe recipit quod ſuæ naturæ eſt, alienum vero reſpuit, quia eſt uniformis ſubſtantiæ, in omnibus ſuis partibus homogeneum. Argentum etiam vivum eſt quod ignem ſuperat, & ab eo non ſuperatur, ſed in eo amicabiliter quieſcit, eo gaudens. Propter enim bonam partium adhærentiam in ſuæ mixtionis fortitudine, ſcilicet quando partes ipſius inſpiſſantur per ignem, ulteriùs non permittit ſe corrumpi, neque per ingreſſionem fumoſæ flammæ ſe in fumum ulteriùs ſinit elevari: quoniam mortificationem ſui non patitur propter ſuam denſitatem & aduſtionis carentiam. Veridicè ergò innuimus, corpora ea majoris eſſe perfectionis; quæ plus argenti vivi continent, & quæ minus, minoris. Et certè diminutio in corporibus imperfectis eſt paucitas argenti vivi, & non recta inſpiſſatio ejuſdem: quare complementum in illis erit argenti vivi multiplicatio, bona inſpiſſatio & fixio permanens. Studeas igitur, cum in opere fueris Mercurium ſolummodo ſuperare in commixtione, & ſi per illum ſolum perficere poteris, pretioſſimæ perfectionis indagator eris, & ejus perfectionis ſumma lætaberis, quæ naturæ vincit opus: mundari enim intimè poterit, ad quod natura non pervenit; & ſic per conſequens opus ex eo poterit creari, quod omnem ſuperabit naturam; quia non eſt differentia, utrum hoc fiat in organis naturalibus, an in artificialibus. Ex iis ergo elicias ſecretum, Medicinam noſtram neceſſario ex iiſdem eſſe aſſumendum, quæ argento vivo maximè adhærent in profundo ejus, & ei per minima commiſcentur ante illius fugam: argentum autem vivum argento vivo magis adhæret, & eidem magis amicatur, poſt illud vero aurum & poſtea argentum: alia autem corpora non habent tantum conformitatem ad ipſum, quia minus de ſua pura participant natura. Tum etiam nihil in eo demergitur niſi Sol. Idcirco eſt neceſſarium, quod hæc medicina ex illis potiſſimum elici debeat, in quibus maximè conſiſtit: eſt autem tam in corporibus, quàm in argento vivo ſecundum naturam, cum unius ſint reperta naturæ. Sed in corporibus quidem difficiliùs, in argento autem vivo propinquius, non autem perfectiùs. Cujuſcunque ergo generis ſit Medicina tam ex corporibus, quam ex argenti vivi ſubſtantia, lapidis pretioſi indagatur materia, & illud ideo quia non eſt tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium: extremum autem metallorum ex uno latere eſt argentum vivum, ex altero Elixir completum. Medium autem iſtorum ſunt corpora, quæ ſe elongant ad malleum, quorum alia aliis magis ſunt depurata, decocta & digeſta; atque illa ſunt propinquiora, quod chimiſtas non credimus ignorare. Non igitur aberres, quia nulla eſt tinctura vera, niſi ex ære noſtro. Et ſcias quod omne aurum eſt æs, ſed non omne æs eſt aurum; quia de genere ad ſpeciem non eſt conſequentia. Sic omne aurum eſt ſulphur rubeum, ſed non omne ſulphur eſt aurum, quia auro nihil ineſt de corruptione ſulphuris. Lapis ergò noſter ſecundum diverſitatem ſuæ operationis habet convertere argentum vivum in veriſſimum argentum, vel etiam in aurum puriſſimum, ut patebit in ſequentibus.

Hic ergò ſiſte gradum, deſinens alium quærere lapidem, ſtulteque tuam conſumere pecuniam, & animo triſtitiam inducere perpetuam, quia quæ ſeminaveris, hæc etiam metes, quia non poteſt arbor mala fructus bonos facere: non ponas ergò in opere tuo muſcas & ſcarabæos, nec comedas de filio, cujus mater eſt corrupta, ſed fruſtum de pinguiore carne comede, quoniam ſtultitia eſt magna opus tuum facere de pejore, cum poſſit fieri de meliore. Venerabili ergo utere naturâ, tenebroſorum non inum dimittens pluralitatem, quia huic rei diverſa impununt nomina, quoad diverſos colores in opere apparentes. Quando enim crudum eſt, vocatur argentum virum, aqua permanens, plumbum, ſpurum Lunæ, ſtannum &c. quando autem coctum, dicitur argentum, magneſia & ſulphur album: cum verò fuerit rubeum, dicitur auripigmentum, corallus, aurum & fermentum: iſta enim & ſimilia imponuntur nomina propter naturæ ſuæ excellentiam. Quocunque tamen modo diverſificentur ejus nomina, ſemper eſt una ſola natura, cui non introduces rem alienam, nec pulverem, nec aquam, nec aliam rem. Conſtat ſi etiam ſit voluntas tua in opere, ne modò hoc, modò illud præſumas attentare; quia in rerum multitudine ars noſtra non perficitur. Eſt enim lapis unus, materia una, vas unum, regimen unum, & una diſpoſitio ejuſdem, cui non addimus rem extraneam aliquam, nec minuimus, niſi quòd in præparatione ſuperflua removemus: non enim ingreditur illud, quod non ſit ortum ab eo, nec in ejus parte, nec in toto: ſi vero extraneum aliquid ſibi imponitur, ſtatim corrumpitur, nec fiet ex eo quod quæritur.

CAP. V.

EST itaque lapis noſter unus aqua videlicet permanens, munda lucida, clara, cæleſtem habens

habens colorem : verum nisi sit in illa aqua quod ipsam emendet, quod quæritis, non fiet. Solem sanè honoramus, eò quòd aqua nostra emendetur ab ipso : nam absque Sole & ejus umbra nullum tingens generatur venenum ; qui verò sine his tinctu-ram efficere credit, procedit ad practicam sicut asinus ad cœnam. Et illud ideò, quia corpus non agit in corpus, nec spiritus in spiritum, eò quòd forma non recipit impressionem à forma, nec materia à materia : nam simile non agit in suum simile, nec ab eo patitur, cum neutrum eorum sit dignius alio. Nullum ergò eorum agit in alterum, quia par in parem non habet imperium. Veruntamen corpus suscipit impressionem à spiritu, sicut & materia à forma, eò quod apta nata sunt ad invicem agere & pati. Corpus namque tingit : spiritus penetrat : corpus tamen non tingit nisi tingatur, quia spissum terræ non ingreditur propter suam grossitiem : verùm tenue aëreum est, quod ingreditur, & tingit, & hoc est sulphur corporis extractum per spiritum. Non ergò tingit aurum nisi seipsum, donec spiritus ejus occultus extrahatur è ventre ejus, fiatque omninò spiritualis. Et aqua nostra viva est ignis aurum combutens, mortificans & confringens magis quàm ignis elementalis, & quantò magis illi miscetur & teritur per ignem lenem, tantò magis diruitur, aquaque viva ignea attenuatur. Cum autem fuerit trita & unum quid facta, habet in se omnem tincturam ignem patientem. Corpore ergo cum spiritu sic colorato, colorat, & omnem tincturam in se habet & donat ; ideo qui è Sole & ejus umbra h. e. Luna venenum tingens conficiunt, nostrum lapidem perficiunt. Veruntamen nisi lapis haberet tam ex substantia una, quàm altera, non haberet actionem & passionem ad invicem, & unum non tingeret alterum. Nam lapis & lignum nullo modo inter se habent operationem, cum sint ex diversa materia, sic & in omnibus materiâ differentibus. Quare liquet esse necessarium, ut agens & patiens in genere sint res una & eadem, in specie vero altera & diversa, secundum quod & mulier diversificatur à viro : quia licet in uno genere & natura conveniant, tamen inter se habent operationem differentem, ut convenit inter materiam & formam, & inter agens & patiens. Materia namque patitur actionem, forma vero agit assimilans sibi materiam. Ideo materia naturaliter appetit formam, sicut mulier appetit virum, & turpe pulchrum. Sic etiam spiritus libens amplectitur corpus, , ut ad suam deveniat perfectionem. Cognosce ergo radices minerales faciens ex eis opus tuum, quoniam non possumus lapidem nostrum alio modo nominando exprimere, nec ipsum alio nomine nominare, sed per descriptionem suarum radicum ex parte nominamus ipsum. Et illud ideo, quia lapis noster à philosophis dicitur omnis res, quæ habet in se & de se omnem rem necessariam ad sui perfectionem : omnibus nominatur nominibus, propter naturæ suæ excellentiam, & absconditam & diversam actionem : ubique invenitur propter elementorum participationem : vilissimus est per putrefactionem, carissimus per virtutem : Niger, albus, citrinus secundum colorum mutationem. Diversorum ergò suorum nominum postpone multitudinem, quia quocunque modo nominetur, semper tamen est una sola res & eadem. Philosophi certè non curant de nominibus, sed de nominum proprietatibus, eò quòd per unum dant intelligere reliquum, non enim sermoni res, sed rei sermo est subjectus.

Medicina igitur nostra est una in essentia & in agendi modo similiter : est tamen necessarium ut illa eadem medicina sit alba antequam rubea fiat, quia non potest fieri rubea nisi primò fuerit alba, eò quòd nemo potest transire de primo ad tertium, nisi per secundum : sic non est transitus de nigro ad citrinum nisi per album, quia citrinum ex multo albo & pauciſſimo nigro est compositum ; ideoque nisi hanc medicinam primò dealbaveris, verum rubeum facere non poteris, Non ergò differunt inter se materia alba & rubea in essentia ulla, sed in hoc quod medicina rubea majori indiget subtiliatione & longiore digestione ac calore in igne in suo regimine : & illud ideò quia finis operationis albi est principium operationis rubei : & quod completum est in uno, incipiendum est in alio. Nam totum magisterium uno modo incipitur & finitur. Opus tamen rubeum fermento indiget rubeo, sicut opus album albo.

CAP. VI.

NOstri porrò operis vas est unum, in quo totum completur magisterium, & est quædam cucurbita cœca non habens sectionem, sive vas unum solum vitreum, spissum, undique clausum, cubiti longitudine, subtus & supra rotundum, sine poris, planum, & amplum : cujus fundus sit parvæ curvitatis, parietibus tamen planis & amplitudinè capitis, ut sublimandum per illud ascendat liberiùs. Sic enim cum necesse fuerit, ignis subtus & supra meliùs poterit accendi. De alia quidem materia non valet, quàm de vitro, nisi fortassis similis esset substantiæ cum illo : quia solum vitrum & vitro simile (cum corpus sit lucidum, transparens, & poris carens) potens est spiritus fugaces tenere, ne exterminentur ab igne, & colores in opere apparentes ostendere, ne operator erret in regimine : alia verò vasa non, quia corpora habent opaca & porosa, per quæ spiritus successivè, id est parum & parum transiens in fumum evanesceret. Et quia proprium est Mercurii per fumositatem ascendere, ideò claudatur spiraculum vasis fortiter & continuè, ne quid per illud possit exire vel subintrare : quia si aër vel alienus humor intraverit, administrationem corrumpet : si verò flos ejus, id est fumum albus egrediatur & fugiat, totum opus privatur effectu. Regimen autem nostri lapidis est unum, & est ipsum decoquere jugiter & continuè in suo vase sine intermissione, donec finem consequaris optatum. Philosophi tamen multa posuerunt artificia ad artis suæ venerationem & occultationem & præsertim in mundificatione, ne sordidum & immundum quid introducant, ut sunt commiscere, coquere, sublimare, assare, terere, coagulare, adaquare, putrefacere, dealbare, rubificare : hic sunt nomina plurima quorum tamen regimen est, quod est coquere tantùm, & ideo non est aliud, quàm opus mulierum & ludus puerorum. Contere ergo, coque, reitera, nec te tædeat pluries hoc reiterare, quia si scirent philosophi, quod una decoctio & una contritio sufficerent, non toties sua dicta reiterarent, quod ea de causa fecerunt, ut compositum teratur continuè, & coquatur sine intermissione. Totum tamen regimen ejus est in temperie ignis, quia diversitas regiminum suorum est à diversitate graduum ignis, & ordo inter ignis quantitatis expertum demonstrat artificem : quoniam ignis in solutione semper erit lenis, in sublimatione mediocris, in coagulatione temperatus, in dealbatione continuus, in rubificatione fortis. Si verò in istis nescienter erraveris, cassum sæpissimè laborem deflebis.

Neceſſum eſt ergò, ut ſedulus operi inſiſtas, nec opus detruncatum dimittas; quia nec ſcientiam nec proficuum ex opere dimiſſo acquire, ſed potiùs damnum & deſperationem. Neceſſe quoque eſt in ſcientia naturalis philoſophiæ eruditum eſſe, & induſtria præditum, ut in puncto temporis errori ſubvenias per ſcientiam, quia per ſolam naturalem induſtriam emendare non poſſes; nam ars ab ingenio juvatur, & ingenium ab arte. Similiter expedit, te hujus artis principia non ignorare, & radices principales, quæ ſunt de eſſe operis, nam qui principium ignorat, finem non inveniet. Non etiam nitaris ſophiſticam operis metam invenire, ſed ſoli vero operis complemento intendas, ne fortè Deus, in cujus potentia reſervatur ars noſtra, ejus veritatem tibi deneget in æternum. Nota ergo intimè de lapidis noſtri diſpoſitione, quod eſt totum opus. Diſpoſitio autem lapidis noſtri eſt una tantum, & eſt ut ponatur in ſuo vaſe: & jugiter coquatur in igne, quouſque totum aſcendat ſolutum: deinde moderandus eſt ignis, donec ſuum exhauſerit humorem, fiatque ſiccum & multum album: tertiò fortificandus eſt ignis, quouſque citrinum fiat & multum rubeum: verum ſi in operando negligens fueris, iſtorum colorum nihil videbis. Idcirco cum in opere fueris, ſtudeas omnia ſigna, quæ in qualibet decoctione apparent, in mente recondere, & illorum cauſas inveſtigare, quia hoc multùm neceſſarium eſt artifici idoneo ad totius operis complementum, eo quod ignorantes cauſam neceſſe habent ignorare cauſatum. Nota etiam de vaſe, quod ſemel ſemen imponendum eſt, ut generatio bona fiat & non pluries: & quamvis à philoſophis multoties dicatur, pone in ſuo vaſe & firmiter claude, ſufficit tamen ſemel imponere & claudere, quouſque totum compleveris magiſterium; quod amplius eſt à malo eſt, quia ſi pluries aliquid impoſueris, tunc procul dubio aurum non vertitur in rubeum, neque fiet album: totum ergò reſiduum ponitur ad artis occultationem. Et certè ad generationem hominis & omnis vegetabilis nunquam niſi ſemel matrici imponitur ſemen: ſi autem aliud apponeretur, tunc unum deſtrueret reliquum propter indigeſtionis cruditatem, aut aëris ingreſſum vel materiæ ſuperabundantiam: ideò etiam mulieres multis viris ſeſe exponentes rariſſimè concipiunt, aut ſi concipiunt abortum pariunt. Sic cruda coctis & indigeſta digeſtis ſuperponentes, corpus non nutriunt, ſed occidunt, quia de matris ſanguine tantum nutritur fœtus, & vivit quouſque producatur in lucem. Ex his ergò patet, quòd pluribus rebus non indigemus ad opus noſtrum, neque magnis opus ſit expenſis, quoniam unus eſt lapis, unum vas, una materia, unum regimen, & una diſpoſitio ejuſdem ad album & ad rubeum ſucceſſivè id eſt paulativè faciendum. Et omnium capitulorum hujus artis, & ipſarum medicinarum pretium non excedit quinquaginta argenteos. Igitur ſi verteris naturas, pulchrè direxeris, operationem benè coaptaveris, & conſanguinea ſuis conſanguineis convenienter junxeris, totum opus perficies: nam naturæ naturis ſuis obviantes ſequuntur eas, & exaltantur in eis; putreſcunt namque & giguunt, eò quòd natura regitur natura, diruit naturam, liquefacit & in pulverem vertit. Deinde natura naturam recreat, giguit & innovat, quouſque finem operis inducat. Veruntamen quia ſecundum meritum materiæ dantur formæ, ideò cum natura non præparata non convenit operari. Optimus autem omnium præparationum modus eſt, ſuperflua demere & abſentia ſupplere, ſic enim tam integra quam corrupta ad perfectum revocantur ſtatum.

Et illud quidem eſt, ut à rebus ſiccis, ſibi in nullo convenientibus, valdè ſublimes Mercurium, quouſque cœleſtinum acceperit colorem. Caveas tamen præcipue in ejus mundificatione à privatione virtutis ſuæ, ne vis activa ſuffocetur in aliquo. Nam omnium terra naſcentium ſemina non multiplicantur nec creſcunt, ſi vis generativa eorum per aliquem calorem extraneum tollatur; ſic certè nec iſta natura multiplicatur, ſi non præparetur modo debito. Igitur non aſſumas iſtam naturam, niſi puram, mundam, crudam, amœnam, currentem, ſinceram & rectam; ſi verò ſecus feceris, non proderis quicquam. Additamentum autem ejus meliùs depuratur per cæmentum. Ergò cum volueris facere intentionem, ſolves in illa ligaturam, nam primus gradus ſuæ præparationis eſt, ut fiat Mercurius, nec fit hoc donec lenifices per aquæ dominium, & caloris motum continuum, ſecundum humanæ generationis modum; in qua ſi humiditas uteri & calor continuus non eſſet, ſperma non maneret, nec fœtus produceretur: ſic oportet in opere noſtro, ut calore temperato fiat, & aqua ſit multa & multum oleum, quia quanta fuerit multitudo aquæ, tanta erit multitudo tincturæ. Suaviſſimum eſt tamen, ut natura regatur ſecundum debitum naturæ curſum, ne per calorem multum vel ejus defectum pereat magiſterium. Nam ſi natura minùs vel plus regatur quam oportet, ſtatim corrumpitur, nec fit ex eo quòd quæritur. Prudenter ergò & non caſualiter operare quia natura eſt ſagax & ſolicita in productione ſui ipſius, cujus ſolicitudinis non eſt finis, unde Verſus.

Ars non tentetur, niſi naturam comitetur
Hæc non feſtinè, ſed temporis ordine ſine.

CAP. VII.

SOlvimus ſanè aurum, ut in ſuam primam reducatur materiam, hoc eſt ut verè fiat ſulphur & argentum vivum, quia tunc poſſumus optimè argentum & aurum inde facere, cum fuerit converſum (in mſ. in materiam primam) in naturam ipſorum ideoque debet lavari & decoqui, ut ſit vivum ſulphur & vivum argentum, nam iſta ſecundum philoſophos ſunt materia prima omnium metallorum. Et certè noſtra ſolutio non eſt aliud, niſi quòd corpus revertatur in humidum, & reveletur in eo natura argenti vivi, ſuique ſulphuris falſedo minuatur: non autem ut revertatur in aquam nubis, ut quidam ſtulti putaverunt: nam ſi reverteretur in talem aquam, fieret tunc ſiccum per vim non per naturam, ad modum ſalium & aluminum, & ſiccum liquefierent ad ignem, converterentur in vitrum: ſed illud eſt falſum, ergò & intentio illorum. Eſt ergò ſolutio noſtra ut tradas Gabricum Bejæ in conjugium: qui cum Beja concumbens ſtatim moritur, & in ejus transfertur naturam. Deinde tranſactis diebus multis, aſcendit ſuper Bejam, transferens ipſam in corpus ſuum. Et quamvis Beja ſit fœmina. Gabricum tamen emendat, eò quòd ex ipſa eſt. Et quamvis Gabricus ſit carior Beja, ſcimus tamen quòd non ſit abſque ea, eò quod nulla eſt generatio congrua, niſi ex maſculo & fœmina. Idcirco coniunge ſervum noſtrum rubeum ſorori ſuæ odoriferæ, & inter ſe artem gignent, unde Verſus,

Candida ſi rubeo mulier ſit nupta marito,
Mox complectuntur, complexaque concipiuntur
Per ſe ſolvuntur, per ſe quoque conficiuntur,
Ut duo quæ fuerant unum quaſi corpore fiant.

Poſitos

Positos igitur in suo vase claude diligentissimè, coquens continuè ad ignem lenem, donec brodium fiant saginatum: nam ex principiis naturalibus est planum, quod omnis res cujus radix est terra, in aquam solvatur & fiat currens. Et certè secundum Philosophum terra fit aqua, cum vincunt eam aquæ qualitates: & aqua fit terra, cum vincunt eam terræ qualitates. Sic solutio corporis est congelatio spiritus, & congelatio spiritus est solutio corporis, nam habent unam operationem, quod non solvitur unam, nisi congeletur reliquum. Inunge ergo toxico folium tuum, & fortificabitur tibi in eo operis principium. Ex rotatu tamen cœlorum felicia & infelicia germinant in terris: ideo in principio operis tui adjuva solutionem per Lunam, & coagulationem per Solem: nam effectus inde apparebunt: eò quòd inferior deprimitur, cum juvat superior. Superiora namque inferius dominantur: unde Versus:

Destrue rem captam primò per rem satis aptam,
Leniter extractam, sic massam contere factam.

Esto ergo longanimis in regimine, vas firmiter claude, ac noli cessare, quia nulla fit generatio rerum nisi per motum continuum, aërem exclusum & calorem temperatum. Et hujus exemplum est uterus mulieris, quæ cum conceperit, immediatè clauditur matrix, & caliditate & humiditate sanguinis generatur fœtus, nunquam tamen flatus extraneos recipit, nisi cum natus fuerit. Sic & eodem modo noster lapis in vase jugiter maneat clausus, donec suam biberit humiditatem & calore ignis perfectè nutritus fiat albus, tunc enim nascitur, nec ipsi aëris nocent flatus. Est ergo summè necessarium continuare operationem, moderare ignem, excludere aërem, & maximè usque ad albedinem. Combure ergo æs nostrum levi igne, & sicut ova nutrias, donec diruatur corpus, & tinctura extrahatur. Non autem extrahitur totum simul, sed parum & parum egreditur omni die, donec in longo compleatur tempore. Et quod solvitur semper sursum ascendit, licet residens sit majus. Ideò ignem semper caveas magnum, ne pervenias ad solutionem ante tempus necessarium, quia hoc perducit ad remotionem remotam, privans opus secundùm operationem & motum. Nam calor intensus compositum perimit, frigiditas fugat, sed lenis nutrit & conservat. Positum ergò in Balneo temperato contere igne, & non manibus ablue ipsum humiditate suæ aquæ, ut non aduratur virtus ejus ignea, nec comburatur sua substantia sulphurea: nam ipsa primò egreditur, cum sit levior separatione, & dignior operatione, quàm virtutes aliorum elementorum. Continua super eum Balneum temperatum, donec in aquam solvatur impalpabilem, & tota egrediatur tinctura in colore nigredinis, quod est signum solutionis veræ: nam calor agens in humido generat primò nigredinem, & in sicco operatur albedinem, & in albo citrinitatem, sicut est videre in plumbo, cum ex eo fit minium. In humido ergo igne rege ipsum continuè, noli festinare, nec ab opere cessare, quousque corpus diruatur & pulvis fiat spiritualis: nam quod pulvis fuerit spiritualis, in vase sursum ascendit, quod vero spissum & grossum in vase remanet deorsum; ideo nisi omnia in pulverem vertas spiritualem, nondum ea contrivisti: coque ergo deinceps, quousque convertantur, & omnia pulvis fiant. Et hæc quidē contritio est decoctionis, non manuum, quæ tantum debet fieri leni coctione humida, putrefactione, continua contritione, igne & non manibus: nam manuum contritione non egemus. Alkien certè facit hoc, & per eam perficitur: quia Alkien terra, id est quædā generatio secreta in terra, & est sicut Alkien in homine, illud virtute sua præparativa clarificat sēper & dividit sicut scit & nutrit: natura namq; sagax est & sibi sufficiens in omnibus, quibus indiget. Ex opere quidem suo est, ut convertat terram in aquam, & aquam in terram, secundum operationem diversam. Primò siquidem conatur aqua solvere terram, ut ad modum sui subtilem habeat naturam; secundò autem terra coagulabit aquam, ut secum sustineat ignem: & hæc est solutio corporis & coagulatio spiritus leni decoctione ignis in 150. diebus: & fortè apparebit albedo in 70. diebus; sed primum est melius quoniam significat temperantiam ignis & bonitatem præparationis. Nihil tamen nisi argentum vivum agit in aurum, eo quod est commixtibile & perforativum. Ipsum autem corpus denigrat, consumit & cruciat, eo quod de sua consistit natura. Quod vero denigrat, est id quod non fugiente januam operit, & non fugiens cum fugientibus vertit: crucians tamen non cruciat nocumento nec corruptione, verùm coadunatione & utilitate. Si enim ejus cruciatus esset noxius & inconveniens, non amplecteretur ab illo, nec suos extraheret colores, quos aquam sulphuris nuncupamus. Veruntamen quod primo denigrat, clavem operis esse dicimus, quoniam non fit absq; nigredine. Nam ipsa est tinctura, quam quærimus, qua in quolibet corpore tingimus, quæ quidem prius occultata fuerat in suo ære, quemadmodum anima in humano corpore. Ideò nisi æs nostrum diruatur, imbuatur & teratur, ac per se & diligenter regatur, donec à sua spissitudine extrahatur, & in tenuem spiritum & impalpabilem vertatur, in vanum laboratur. Quia nisi corpora vertantur in non corpora, & non corpora in corpora, nondum regulam operis invenisti; & illud ideò, quia non possumus istam tenuissimam animā, omnem tincturam in se habentem, à suo corpore extrahere, nisi priùs diruatur, & in tenuem spiritum & impalpabilem vertatur. Nec solvitur corpus partes habens constrictas, nisi per ignem & aquam. Sed aqua nostra est ignis corpus comburens magis quàm ignis. Ideò qui per se ea regit, extrahit naturam omnem naturam superantem. Esto ergò assiduus operator in omnibus statibus suis, patienter continuando decoctionem, quousq; tota egrediatur tinctura super aquam in colore picis liquidæ, & cum videris nigredinem illi aquæ supereminere, scias tunc corpus liquefactum esse.

CAP. VIII.

TUnc oportet ignem lenem continuare super ipsum, donec conceperit nebulam tenebrosā. Intentio quippe philosophorum est, ut corpus jam solutum in pulverem nigrum, suam ingrediatur aquam, & fiat totum unum. Si verò dicas, qualiter pulvis fiet aqua? Scias quod iste pulvis non est nisi aqua sulphuris soluto calore ignis: De jure ergò aqua suscipit aquam sicut naturam propriam. Ideo nisi quodlibet vertatur in aquam, nullatenus devenies ad perfectionem, quia non oportet unquam aliquo alio uti in commixtione, contritione & toto regimine nisi illa sola aqua permanente. Et nota quòd vis ejus est spiritualis sāguis, sine quo nihil fit. Convertitur autem in corpus, & corpus per id ipsū vertitur in spiritum: sic enim adinvicem mixta & in unum redacta, se invicē vertunt: nam corpus incorporat spiritū, spiritus verò corpus vertit in spiritum instar sanguinis tinctū. Quia omne quod habet spiri-

tum, habet & ſanguinem; quare oportet iſtam nigredinem aquæ ſuæ imminentem igne leni jugiter occupari, donec in ſuam demergatur aquam, fiatq; aqua in aquam, id eſt donec totum fiat una aqua. Et cum aqua alteri aquæ miſcetur, tunc aqua amplectitur aquam, ſic ut non poſſint ſeparari ab invicem. Inſipientes autem aquam audientes, putant eam aquam eſſe nubis: ſed ſi rationem haberent, ſcirent utique eam eſſe aquam permanentem, quæ tamen abſque corpore ſuo, cum quo ſoluta eſt, & facta ſunt unum, permanens eſſe non poteſt. Hanc autem aquam Philoſophi dixerunt aquam Solis, igneum venenum, & bonum multorum nominum. Ideo oportet nos, cum hanc aquam formam ſulphuream habentem poſſidemus, aceto noſtro miſcere, ut ejus nigredo deleatur. Redde ergo carbonem ſuæ aquæ, ut in ea extinguatur, & rerum conceptio fiat: unde Verſus:

Igne tepeſcente caleant ſervore carente
Et vas claudatur jugiter dum concipiatur,
Unde duo quæ fuerant unum quaſi corpore fiant.
Semen ut humanum puro de ſanguine natum,
Renibus extractum nutricis femore ſumptum
Fœmineo junctum cum ſemine, fit velut unum
Hac ſerie rerum conceptio fit ſpecierum.

CAP. IX.

QUi ergo noverit ducere, prægnantem facere, generare, mortificare & vivificare, lumen inducere, & mundare ulterius à ſua nigredine & tenebris, erit maximæ dignitatis Nobis enim regem coronarum filiæ noſtræ rubeæ conjungentibus, & ei leni igne nodum nectentibus, concipiet & filium gignet. Nam fuſæ nubes, quæ ſuper eam fuerant, revertentur in ſuo corpore, ſicut exierunt. Tingens ergo & tingendum oportet te diruere; ipſum enim, quod miſcetur ſibi, ſuperat & in ſuum avertit colorem: & quemadmodum apud viſum ſuperficialiter vincit, ſic intima ſuperat: ideo cum corpore miſcetur & continetur, ut tinctum ſit cum eo, vertit ipſum in ſpiritum & ſpirituali tingit tinctura & invariabili, quæ deleri non poteſt. Continuatio igitur eorum regimine quadraginta dierum ſpatio, fiet utrumque aqua permanens cooperta nigredine. Quæ tamen nigredo, ſi debito regatur modo, non permanet niſi 41. diebus: ideò in ſuo eam regens balneo, ſubjice ignem, quouſque fiat aqua clara, & ut verum argentum vivum ſcandens in aërem. Idcirco cum videris naturas aquam fieri, ut in aërem ſublimari, tunc omnia vapor facta ſunt: nam anima à corpore ſeparata, & in ſpiritum ſublimatione delata, factus eſt uterque fugiens. Aqua enim reſeravit januam non fugienti convertens ipſum in ſpiritum ſibi ſimilem: unde facti ſunt aërii ſpiritus in aëra ſimul ſcandentes, ibique accipientes vitam inſpiratam à ſuo humore, ſicut homo ab aëre; quare multiplicatur & creſcit in ſua ſpecie, ſicut res cæteræ. De jure igitur tunc vapor continet vaporem, eo quod ſimul utrumque in decoctione eſt junctum. Ideo fugiens natura, quamvis ſit ei fuga eſſentialis, dimiſit tamen fugere, eò quod in ſublimatione junguntur ad invicem. Quare debet totum igne mediocri in vaporem multoties ſublevari, ut inſpiretur ab aëre & poſſit vivere. Nam omnium natura conſtantium vita ex aëris conſiſtit inſpiratione: quare totum opus conſiſtit in vapore & ſublimatione ſuæ aquę. Summoperè tamen caveas in omni ſublimatione à fractione vitri aut tui vaſis: quia ſi in tantum accenderis ignem, ut aqua ad vaſis aſcendat ſummitatem gaudens refrigerio adhærebit ibidem, & ſic elementorum non poteris perficere ſublimationem, eò quod oportet unumquodque illorum rotatu ſphærico per ſe pluries deprimi & elevari: ſed quod per violentiam aſcendit, ſine violentia non deſcendit. Sit ergò ignis lentus, ita ut per ſe totum opus aſcendat & deſcendat liberè, abſque vaſis adhæſione. Ideò niſi corpus aqua & igne attenuemus, quouſque aſcendat ut ſpiritus, nihil facimus. Eo autem ſcandente in aëre naſcitur, & in aërem vertitur, fitque vita, ut una non ſeparetur ab alia, ſicut nec aqua mixta aquæ: ideò natus in aëre ſapienter naſcitur, quoniam omninò ſpiritualis efficitur. Intellige ergò quòd tribus de cauſis ſublimationem facimus: prima eſt ut corpus fiat ſpiritus de ſubtili natura: ſecunda eſt, ut ſpiritus ſe incorporet cum corpore & fiat unum cum eo: tertia eſt ut omnia fiant munda & alba, & falſedo ſulphuris minuatur; nam per ſublimationem comburitur, quicquid ex opere fuerit combuſtibile. Et certè ſummè nobis eſt neceſſarum, ut elementa fiant ſimplicia, ut poſſint conjungi ad invicem; fieri tamen ſimplicia non poſſunt, niſi in partes ſeparentur; ideo oportet utrumque vaporem pluries ſublimare, donec aqua deſcendat in cribratione. Cribramus autem res cribro ſphærico ſepties, ut omnia fiant aqua limpida, clara, quoniam corpus nunquam dimittit animam à ſe ſeparari, quæ ſibi compar eſt in propinquitate ſimplici, & ideò reiteramus eorum ſublimationem, ut ad ſubtilem reducantur naturam. Oportet ergò ſeparationem pro poſſe exercere, ut nihil de pinguedine animæ remaneat in corpore, niſi quod non ſentiatur in ſui exaltatione, aliàs impedietur in operatione. Cribratur namque cribro ſphæræ vice poſt vicem, & corpus deſcendit ad imum, & aqua aſcendit alba cum anima ſimplici propinqua. Confunde ergò omni tempore partem cum parte, ut rectificata reſiſtant elementis, & præcipuè igni: quæ enim reſiſtenti reſiſtunt minimè, ſeparantur & deficiunt. Unde oportet corpus eſſe aridum ſiccum, animam humidam & ſpiritum fluentem. Verùm quidam opinantur ſeparationem fieri multis ſpeciebus, de quo non cures, quia proſperaberis in eo, quòd reducas operationem ad æqualitatem ſimplicis, & non in eo, quòd ſeparetur unumquodque ſingulariter in elementis. Et certè non erit difficile omnia reducere ad ſimplex album, cum ſint de natura ejus: pater ejus eſt Sol, mater ejus Luna, portavit illud ventus in ventre ſuo, terra prægnata eſt ex eo, eò quòd aquam ab aëre, aërem ab igne & ignem à terra deſtillando recepiſti: nam ex multa ſublimationis iteratione anima cum aqua aſcendens depuratur, & ejus groſſities ad ima deſcendens in terram limatur. Sic ergò de igne facies terram, & de aëre aquam, quam reduces ſuper terram. Vis enim ejus integra eſt, cum verſa fuerit in terram. Verte ergò terram in aquam, aquam in ignem, ignē verò in aërem, & occultes ignem in intimis aquæ, terram verò in aëris ventre. Calidum autem miſceas humido, ſiccum verò cum frigido, quoniam iſto modo facies mixtionem, quia non eſt tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium. Aquila ergò volans per aërem, & bufo gradiens per terram eſt magiſterium: idcircò ſeparabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuaviter cum magno ingenio. Aſcendit à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, recipit vim ſuperiorem ſpiritus, & inferiorem corporis, quia vincit omnem rem ſubtilem congelando, omnemque rem ſolidam penetrabit alterando. Sic enim dominatur ſuperioribus & inferioribus, quia operatur tam in ſpiritibus quàm in corporibus.

CAP.

CAP. X.

Liquet ergò quòd æs nostrum habet ut homo, corpus, spiritum & animam. Spiritus est ejus aqua, anima est tinctura, corpus verò est ejus terra. Spiritus est delator sive portator animæ super corpus sicut portatur tinctura tinctorum per aquam super pannum: anima autem est vinculum spiritus, sicut corpus est vinculum animæ, corpus verò est fixum, siccum, continens spiritum & animam. Spiritus ergò penetrat, corpus figit, & anima copulat, tingit & dealbat. In his autem qui non fecerint duo sulphura de sulphure, nihil norunt: & duo sulphura sunt, quæ ex lapide mixto & juncto sublimantur ad tincturam, quæ quidem tingunt & fugiunt, sed à sulphure continentur, quod fugere non possit, quoniam ipsum fugientium est connexio. In his tamen tribus est fumus, nigredo & mors, quæ nisi ablata fuerint, perpetua non erunt. Oportet ergò ab aqua fumum, ab anima nigredinem, & à corpore mortem expellere frequenti dissolutione. Commisce ergò ova gallinarum nigrarum cum ære, & habebis aurum & argentum, quantum volueris. Vultur autem sine alis volans supra montem clamat, ego sum albus nigri, rubeus albi & citrinus rubei filius veridicus & non mentiens: me igitur matri & suo pectori junge, quia suam substantiam facio continere. Noli ergò alienum nobis introducere, nec ab opere cessare, nam omnis natura cum sua coadunatur socia, & per eam perficitur. Mater me genuit & per me gignitur ipsa: ipsa enim primò dominabatur mihi, de cætero dominabor ei, quia persecutor matris meæ factus sum, postquam ab ea accepi volatum. Ipsa tamen meliori modo, quo potest, sicut mater pia, fovet & nutrit filium quem genuit, donec ad statum devenero perfectum. Pone ergò me in humido igne, qui mei humoris calorem augmentat, & siccitatis combustionem vetat, quousque finem operis inducat: deinde rubiginem & umbram meam extrahe per se, quousque tertia parte persistam: decoctio namque me minuit, tritum verò augmentat: & quod post 15. dies diminuitur, post 30. augmentatur, hoc est initium & finis. Custodi ergò argentum vivum in intimo thalamo suo, in quo coagulatum est, nam ex iterata cribrationis vice aqua ascendit alba cum anima ad alembicum, & corpus paulatim descendit ad imum; & ipsum est argentum vivum, quod dicitur terra residua, quæ aquam recipit & bibit eam, quoniam connexio est tincturarum. Conserva ergò vas & ligaturam ejus, ut sis potens in conservatione spiritus: nam aqua, quæ priùs erat in aëre, habitabit in terra, & sic fugere nequibit. Redde eam tunc ad superiora, & per suos terminos non ineptè eam mitte, deinde corpori priori eloto per se eam conjunge: nam ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ, quia aqua consequitur terram, quemadmodum ferrum magnetem: nam aqua quæ sine violentia ascendit, sine violentia descendit. Irrorate ergo terram, & mundate nigredinem; unde Versus:

Consurgit nullus unquam sine corpore fructus;
In quo dum moritur semen fructum dare fertur
Sic cibus in stomacho fomentum suscipit intrò,
Deinde merum separat, & idem per membra coaptat,
Firmans mutatum, prægnatio spondet hiatum,
Menstruus hunc pascit donec suus exitus adsit.

CAP. XI.

Liga ergò mulieris lactantis manus post tergum ut non fugiat Gabricum, & appone illi filium quem genuit ut lactet eum. quoniam cum fuerit mulier mortua, erit bufo grossus de lacte: tunc scinde bufonem per medium, apponens gallinæ ut comedat ipsum, & cum fuerit bufo comestus, erit albus intus & exterius. Reducas aquam ad terram temperatum administrans ignem, quousque in natura sua radicem fecerit, sciens pro certo quòd oportet istum nutriri primo pauco lacte, sicut est videre in infantis educatione, nam pauco lacte nutritur & igne parvo fovetur dum parvulus est, & quanto magis crescit, majori indiget cibo & calore, quousque suum biberit humorem: nam humor primus est frigidus, ideo cavendus est ignis nimius, qui frigori est inimicus. Veruntamen si corpus posueris super ignem absque aceto, comburetur, nec fiet ex eo quod quæritur: quia si ignis non invenerit humiditatem, quam desiccet, comburit corpus: acetum autem sibi impositum prohibet combustionem ignis, desiccans se cum corpore, ne patiatur læsionem: & quanto magis flamma ignis occupatur, tanto magis in aquæ intimis absconditur, ne calore ignis comburatur. Jubeo autem non simul infundere aquam, ne submergatur Elixir; verùm paulatim infunde aquam, & semper corpus cum tribus aquæ suæ partibus decoquatur: nam si conficiatur absque pondere, (mf. mors sibi) mora eveniet, qua superveniente, malum inde orietur. Si vero convenienter regitur, cum sua pacificatur aqua super ignem. Verùm quia corpus primo parum habet radicis, cujus virtus non æqualiter abundat in omnibus partibus, sicut nec splendor Solis in Planetis, ideo patientia & mora sunt necessaria, ut prolixitate coquendi aqua vincat pugnam ignis: nam leni decoctione aqua congelatur, & humiditas corruptiva extrahitur, humoris radicalis calor augmentatur, & siccitas à combustione prohibetur. Sed accidit quòd opus aliud citiùs, aliud verò tardiùs congelatur, quod ex coquendi diversitate accidit necessariò: quia si locus, ubi coquitur, humidus sit & roridus, citiùs perficitur opus, si verò siccus sit tardiùs congelatur. Jubeo ergo ignem nostrum semper esse lenem, donec congeletur in lapidem aqua, & maneat deorsum, nam intra spatium quadraginta dierum tota vertetur in terram: ideo cum videris aquam coagulare se ipsam, tunc ratus esto scientiam esse veram: nam corpus coagulat suum humorem in siccum, sicut coagulum agni lac coagulat in caseum. Idcirco corpus coque cum aqua vitæ, & leniter assando coagula ad ignem, quousque fiat spissum & siccum: cum autem fuerit siccum velociter bibit suum humorem residuum: tunc aliam aquam impone, suaviter decoque, vas diligenter claude, noli festinare nec ab opere cessare.

CAP. XII.

Veruntamen aqua dividenda est in duas partes, quarum prima in corpus coagulatur, & altera putrefit & liquatur. Coagulare est aqueam substantiam in terram redigere; putrefacere verò est coagulatum resolvere: nam putrefactio non est nisi cum humido & sicco, sic enim spiritus penetrabit in corpus, & commixtio fiet per minima. Ignis autem subtus administratus temperatus sit: cave etiam ne nimis festinanter extrahatur à suo vase, fortè namque moveretur, quoniam infanti nunquam patebit egressus, donec aëreos flatus hauriat: custodi ergo eum continuè clausum, rore circumdatum, omnino præcavens, ne flos ejus egrediatur in fumum, & pereat magisterium. Veruntamen in opere, pondere & mensura omnia

rege, ut quoties corpus imbuitur toties desiccetur : non tamen comedas festinanter, nec comedas quod non bibas, nec bibas quod non comedas; sit autem potus post comestionem, nec comestio post potum alioquin facies ventrem humidum, nec recipiet siccitatem. Comede ergo & bibe unum post aliud secundum rationem, unum 2. 3. 4. 5. 6. computando ad 12. facies Lunæ. Currit autem hic numerus ex multitudine ternarii in quatuor & erunt 12. Verum ternarius fit ex uno in tria : & sunt tres salsaturæ primariæ quarum quælibet in aliis tribus dividitur salsaturis, & erunt 12. Verte ergo triangulum in rotundum & habes magisterium. Et illud quidem fit, si quadrangulus in unaquaque specularum suarum tres habeat angulos æquales. Fac ergo circulum, & in medio circuli centrum, deinde in unaquaque specula æquali fac tres triangulos de circulo centri : sit autem linea æqualis de primo centro ad reliquos punctos, & æqualis & una sit omnium tertiariorum mensura : Computa tertiarios, & 12. invenies; desuper quos ducas compassum & invenies quod tanget unumquemque ternarium : [mſ. tertiarium.] ergo per 12. triangulos quadrangulus eveniet rotundus. Sic compone magisterium, quia sicut omnes spatulæ concurrunt ad centrum compassi, sic tota aqua est ad suum corpus per suos tertiarios reducenda. Si autem diminutum fuerit angulo uno, diminuetur porrio sua. Venare ergo animas, quoniam in terra est mansio earum, ut fugere nequeant. Non sis in venatione nisi lentus, præcavens ne igne nimio vertantur in fumum: fugam : si autem fugient, non capientur cum falcone : si vero includuntur nec fugiunt, tunc revertuntur ad corpus unde exierunt: eò quod corpus attrahit suum humorem, sicut magnes ferrum. Converte ergo terram, decoque aquam, & reitera operationem, quousque unus ex ternariis vertatur deorsum : nam si unum ex tribus occidisti, omnes sunt mortui; quia si unum sit fugiens, alterum vero ignem patiens, utrumque junctim patitur ignem, eo quod unum continet reliquum, propter naturæ suæ propinquitatem; & hæc quidem est coagulatio nostra, nam omne volatile à fuga prohibetur suo fixo. Veruntamen non efficitur hoc manibus, sed natura ad ipsum circulariter operatur, quia natura seipsam dissolvit & coagulat, seipsam albefacit & rubore decorat, seipsam croceam facit & nigram, seipsam desponsat & à seipsa concipit, quousque finem operis inducat. Quare liquet, quòd hæc confectio non est manualis operatio, sed naturarum mutatio, & earum calidi cum frigido & humidi cum sicco admirabilis connexio, unde Versus :

Est ergò munda secreti fluminis unda.
Quæ sua bis senis extrudit brachia venis;
Per se stillabit & mortua vivificabit.
Si congeletur quod destillare videtur
Igne tepescente foveas fervore carente :
Aluit, emundat, renovat, regit, unit & undat;
Germinet ut florem tellus & spiret odorem.

CAP. XIII.

ACcipe ergò volatile volans submersum, & manducipa ut tibi respondeat non volando in regionibus, sed volatu evolans ad tuum contentum: nam quod est inferius est sicut id quod est superius, & quod est superius sicut id quod est inferius. Ideo, aqua nostra benedicta suam venit adaquare terram mundare nigredinem, & omnem malum auferre odorem, eo quod inter eos est libido sicut maris & fœminæ. Caveas ergo ne à vase exeat sua humiditas & pereat, verùm ipsam reducens ad terram coagules leni igne, sicut coagulatur sperma in matrice : fœmina namque suum amplexata conjugem velociter transit in corpus suum. Verte ergo aquam super terram suam, quousque coaguletur deorsum : tunc enim citiùs à natura transit in naturam, & in unoquoque gradu suarum operationum novam assumit naturam. Redde cineri (mſ. secundum tertiarium suæ aquæ) sudorem suum contere, coque, reitera, nec te tædeat reiterare, nam terra non germinat absque frequenti irrigatione, nec suscipit irrigationem absque præmissa desiccatione. Ideo omni vice post desiccationem tere, & superfunde aquam temperatè, nec multum nec parum; quia si multum fuerit, fiet pelagus conturbationis, si verò parùm, comburetur in favillam. Ideo in omni pondere pondus, in omni mensura modus servetur, & in omni opere opus est, ne nimia siccitas aut superfluus humor administratus corrumpat, ut tantum assando decoquas, quantum in dissolvendo adjectum est, & imbibendo dissolvas, quantum assando defecit. Semper autem cavendum, ne ignis asperitas exustionem generet, nec ab actione cessandum, donec totum sicci lapidis formam assumat. Veruntamen natura non habet motum nisi per caloris actionem: Ideo si calorem benè mensuraveris, aqua & ignis sufficient tibi, nam corpus abluunt mundant, nutriunt, & ejus obscuritatem auferunt: & certe totum opus & regimen ejus non est nisi, aqua permanens, omnia in se habens, quibus indigemus : nam liquefacit & congelat, diruit & dealbat, nec oportet aliquo alio uti in toto regimine nisi hac aqua permanente. Manutene ergo hanc aquam cum suis operibus, quoniam facit album ad album, & rubeum ad rubeum : effectus tamen ejus consistit in regimine ignis, nam cum eo dividitur aqua, cum eo retinetur à fuga, cum eo corpori jungitur anima, cum eo fit coagulatio nostra : caveas tamen intensionem ignis, quia si intendetur ante terminum, fit rubeum quod non prodest. Sit ergo ignis lentum usque ad albedinem, inspice autem multoties, quomodo facias conjuges amplexari : nam fortibus nexibus vinciendi sunt spiritus ut roborati pugnent contra ignem : quia si mulier vagæ patuerint egressus, alienos amplexus quærens fugiet. Si verò occludatur ut fugere non possit, tunc rediens ad virum concumbit cum eo, & eum occidit : ast iste calefactus ejus consumit humiditatem, faciens ipsam morari secum: nam spiritus ablati à corporibus desiderant eis inesse, sequuntur ea, & gaudent habitare in ipsis, vivificant ea, nec unquam separantur ab eis, Ideò non frustra confertur sperma vulvæ, quoniam unum consequitur reliquum tanquam sponsa paranymphum. Vivifica ergò mortuum h. e. corpus, occide vivum h. e. spiritum & habebis magisterium : unde Versus :

Pluribus aptatis lac decoque virginitatis,
Igne tepescente fumo fervore carente,
Hinc cum siccatur citius serpens adaquatur,
Et tamen hæc grata, quod aqua tam sit moderata;
Unda sui fontis distillat à vertice montis,
Alter & alterius fons fontis fluminis hujus,
Suscipiet mulsum propria testudine pulsum
Et teneat mundam siccati sanguinis undam.

Extrahe à nube suam umbram & sordidum, & quod nebula ei superveniens coinquinat & à luce retinet quare angustatur & à sua rubigine detinetur. Ideò, oportet prima parte ejus aquæ æs nostrum comburere, & coquendo coagulare, quousque à sua liberetur rubidine : tunc namque dicitur à philo-

sophis

sophis fermentum auri, & coagulum coaguli, quia recipit & bibit aquam coagulans ipsam secum in terram: & in hoc est finis primæ operationis, & initium secundæ, quoniam uno modo incipitur & finitur. Modus autem rubificationis lapidis albi prædicti est quod oportet residua aqua sua multoties imbuere ad incerandum congelatum, ad mundandum combustum, & ad colorem immutandum, donec tota aqua fiat deorsum.

CAP. XIV.

IMbibe ergo ipsum septies vice post vicem emundans nigredinem, quousque diruatur & in terram vertatur, nam in quadraginta diebus totum vertitur in terram: aperi & claude, solve & noda, extende & plica, ablue & desicca: hoc facito continuè, donec quadrangulum vertas in rotundum cum suo genere. Æs gubernatum dissolve coquendo, quousque fiat ut aqua; & ut verum argentum vivum, post hæc secundum consuetudinem coagula ad iguem. Dicimus quidem coagula secundum consuetudinem, eo quod priùs fuit coagulatum in siccum rubeum: ideo cum siccum fuerit, solve quod ex illo fuerit solubile: quod non solvitur continuè coque, quousque solvatur omnimodè. Sic ergò reiterando iste ordo servetur, quousque istius major solvatur quantitas, deinde coagula; & leniter assando in igne temperato conserva, quousq; illi major, ad illius exigentiam, ignis administrari possit. Omnes ergò hos ordines præparationum super ipsum quatuor vicibus reitera; & ultimò calcina per modum suum figentem & calcinantem, quoniam sic pretiosissimam lapidis terram sufficienter administrando rexisti. Et certè calcinare nihil aliud est, quàm desiccare & in cinerem vertere: ideò cõbures ipsum absque timore donec cinis fiat, quod cum cinis fuerit, optimè miscuisti, eò quòd cinis iste spiritum recipit & bibit, ac suo imbuitur humore, donec in colorem vertatur pulchriorem, quàm priùs fuerat. O quàm pretiosus est cinis iste, carissime! hunc ergò cinerem ne vilipendas, sed redde ei sudorem suum quem ejecit, quousque totum vertatur deorsum: quoties enim cinis imbuitur, toties per vices desiccatur, quousque totum vertatur in album & crematum, namque cum desiccatur seipsum continet ad invicem. Quare oportet æs cõterere aqua vitæ pluries imbuere, & vice post vicem desiccare, quousque suum biberit humorem. Jubeo ergò aquam vivam coagulare, corpori suo miscere, & coquere quousque exiccetur; tunc enim invenies totam aquam vivam à seipsa coagulatam, & in terra contentam; tunc corpori jungitur spiritus, aqua cineri, & fœmina viro: quoniam quando æs convenienter regitur, cum aqua pacificatur; & albo colore coloratur: & benè quidem; quia dealbatio non fit nisi decoctione & aquæ congelatione, & quantò plùs æs abluitur; tantò intensioris fit albedinis. Ideò philosophi decoquere, ethelia imbuere & terere frequentissimè præceperunt. Si autem scivissent, quòd una decoctio & una contritio sibi sufficere potuissent, non toties sua dicta iterassent: ideò ergò id fecerunt, ut teatur continuè; & coquatur sine intermissione. Contere igitur, coque, reitera, nec te tædeat reiterare, cum suo ære decoque, imbue, ablue nigredinem aqua vitæ, assa latonem donec exiccetur & fiat corpus novum: nam aqua vitæ gubernat & dealbat omne corpus, vertens totum in suum colorem. Ille namque fumus albus est, cum quo dealbatur, quicquid dealbari præcipitur, quoniam natura naturam convertit. Illum ergo fumum suæ fœci admiscens coque & tere multoties donec coaguletur & sua nigredine privetur. Et certè aqua roris Madii ipsum abluit & emundat, descendens de cælo tempore (mss. pruinæ) pluviæ, penetrat & dealbat: ipsa enim aqua habitans in aëre consequitur terram sicut ferrum magnetem. Inter eos sanè est societas & libido, propter naturæ suæ propinquitatem: nam naturæ suis obviantes naturis lætantur in eis. Residuum ergò humorem impone coquendo continuè, donec coaguletur & nimis dealbetur, sciens pro certo, quod, si fuerit siccum; velociter bibit sui humoris residuum. unde Versus:

Tunc res misceri debent pariterque foveri,
In quarum cœna sitiens adaquatur arena,
Hujus aquæ vivæ viridis velut unctus olivæ
Partes bis senæ parti sociantur arenæ &c.

CAP. XV.

INspice ergò qualiter compositum potat aquam, & in unoquoque gradu coloribus alteratur. Dum enim res igne superponitur, de colore ad colorem multiplicem, natura operante, transfertur: spiritus tamen & anima non uniuntur cum corpore nisi in albo colore; quia quamdiu apparuerit nigredo obscura, dominatur fœmina, & ipsa quidem est prior vis nostri lapidis, quoniam nisi fuerit nigrum, non fiet album nec rubeum; rubeum enim ex nigro & albo est compositum. Veruntamen calor temperatus & humido agens operatur nigredinem, desiccat humiditatem, & tollit corruptionem; è contrario calor invalescens operatur rubedinem, humiditatem fugat, & generat corruptionem. Quare liquet: quòd si compositum plus regatur, quàm oportet, statim extinguitur, nec fiet ex eo quod quæritur. Cavendum est ergò ne aqua per ignem nimium vertatur in fumum & fugiat, idcircò sit pugna aquæ & ignis prolixitate coquendi; nam ut calore Solis aqua desiccatur, sic leni decoctione ignis aqua coagulata in terram contiuet seipsam contra ignis pugnam. Vincat ergò aqua pugnam ignis prolixitate coquendi, inspissandi & coagulandi seipsam: nam si ejus naturam perfectè scires, prolixitatem coquendi sustineres utique, donec propositum invenires, quoniam bonitas hujus naturæ venerabilis probatur in corporibus maxima, eò quòd propter nullas exterminationis causas se in partes suæ compositionis dividi permittit, sed aut cum tota sui substantia ab igne recedit, aut cum tota in igne stans permanet, quare notatur in ea perfectionis causa necessariò. Hanc igitur patienter rege naturam, suaviter coagulando argentum vivum, quod ex ære nostro pluit super ipsum, amaræ ascendunt nubes & pluunt pluviæ super terram, quia omne grave corpus & densum ad suum naturaliter labitur centrum. Argentum verò vivum ex ære sublimatum, ex quo omnia fiunt, est aqua munda & tinctura vera, quæ æris umbram delet: ipsum namque est sulphur album, quod solum æs dealbat, & quo spiritus continetur ne fugiat. Illud tamen sulphur non poterat dealbare æs, nisi in priore opere esset dealbatum, eò quòd solum sulphur album dealbat æs nostrum: quare liquet quòd tanta erit pulchritudo æris, quanta fuerit albedo sulphuris. Volens ergò ad veram pervenire tincturam, impone illi

illi paulatim humiditatem, quam ejecit, coquendo aſſiduè donec colorem induerit pulchriorem, & quoties imbuitur, toties per vices deſiccetur, quouſque vertatur in album quod quæritur: nam incratum cum deſiccatur continet ſeipſum, & ſi unum eſt fixum figitur & reliquum, & ſit album exteriùs album etiam erit interiùs. Idcircò ne deſiſtas ipſum imbuere, coquere & deſiccare, donec toto ſuo imbuatur humore. Confice ipſum aqua permanente, & leni decoque igne, donec nigredo pereat & recedat: imbue ipſum continuè aqua vitæ, prout videris ei ſufficere ad viſum; aſſa & coque donec totum biberit humorem, ſciens quòd purpureus color non tingitur niſi frigido & humido, nec albus niſi ſicco, nec rubeus niſi calido. Hoc igitur æs aſſando coque reſiduo ſuo humore, donec ſeipſum faciat germinare, deinde in Sole deſiccando tere, quouſque totum vertatur deorſum.

CAP. XVI.

VEnerare ergò regem & ſuam uxorem, & noli eos comburere, ne nimio fugiant calore, quoniam indiges patientia & longanimitate, quæ regem & ſuam uxorem in regimine emendant: coque eos donec fiant nigri, deinde albi, poſtea rubei, & tunc ſit venenum tingens in aurum. Æs ſiquidem noſtrum primò quo magis coquitur, eo magis ſolvitur & fit aqua ſpiritualis: ſecundò quò magis decoquitur, magis inſpiſſatur, & fit pulvis majoris albedinis: tertiò quò magis coquitur, magis coloratur, & fit tinctura majoris rubedinis, & tota hæc operatio non eſt, niſi extractio aquæ à terra, & ejuſdem ſuper terram dimiſſio. Adſit autem diligens miniſtratio, adſit continua expectatio: revertetur enim omnium declaratio, & ſic eveniet tua deſideratio. Aquam igitur totam exhauſtam & in terra contentam per quoſdam dies (ideſt per 60.) in ſuo vaſe ſuper ignem lenem dimitte putrefieri, quouſque pretioſiſſimus ei color albus deſuper appareat, ſit autem calor lenis uſque ad albedinem, quia ſi calor intenſus ſubito irrepſerit, vaporem nigrum facit, & album fugit compoſitum: nam vapor ille albus eſt, igitur ſi figitur cum ære dealbat ipſum intus & extra: ſi vero fugit ab ipſo, vertitur in rubeum, quod non prodeſt. Et certè in putrefactione æris ſpiritus uniuntur cum corpore & deſiccantur cum illo: qui quidem niſi deſiccentur, non apparebunt colores animæ, quia putrefactio non eſt niſi mortificatio humidi cum ſicco: nam humidum totum coagulatur cum ſicco vel per ſiccum. Vulgus tamen ſolum humidum putrefacit: ſed noſtra putrefactio non fit abſque humido & ſicco, eò quòd humiditas tantum ſiccitate continetur, ut fugere nequeat. Quia non poſſunt gravia niſi levium conſortio ſuperiùs elevari, nec levia niſi gravium conſortio inferiùs detrudi, & utrumque eſt operis initium & finis. Rege ergò operationem continuè, coque ſine intermiſſione, noli feſtinare, nec ab opere ceſſare quia niſi humiditas uteri & calor continuus eſſet, ſperma non maneret, nec fœtus perageretur. Nam moriente matre moritur & fœtus propter imminens frigus. Deus ergò illum ſanguinem & calorem uteri conſtituit ad nutriendum fœtum, uſque ad tempus nativitatis: ſic oportet te continuo calore opus regere uſque ad albedinem; nam in albo tantum colore ſpiritus uniuntur cum corpore, ut fugere non poſſint. Quare incipit tunc vivere, nec ſibi nocent alieni flatus, niſi decreveris ad rubeum procedere. Balneum igitur intenſi caloris perire facit, frigidum verò fugat, ſed temperatum fovet & conſervat: idcircò oportet ſuaviter regere, ſicut ovorum excluſione, quouſq; totum fuerit album: quare præcipitur dealbare Latonem, & libros rumpere, ne corda rumpantur. Terra quippe cum aqua putreſcit & mundatur, quoniam cum deſiccata fuerit, nigredo recedit, & dealbatur: tunc peribit tenebroſum mulieris dominium; tunc vir aſcendens ſuper mulierem aufert illi regnum: tunc fumus penetrabit in corpus, & ſpiritus conſtringetur in ſiccum: tunc ceſſabit nigrum, colore deformatum, & fiet album, lucidum, clarum. Quia calor agens in humido generat primò nigredinem, ſic agens in ſicco generat albedinem, & in albo citrinitatem: exemplum ſit in ligno accenſo cum faciunt carbonem: ſic & lapidis noſtri ſubſtantia primò quo magis coquitur eo magis ſolvitur & denigratur: ſecundo quo magis coquitur, eo magis exiccatur, & dealbatur: tertio quo magis coquitur, tanto magis rubificatur, quouſque perficiatur. Res ergo cujus caput eſt rubeum, pedes albi, oculi vero nigri eſt magiſterium.

CAP. XVII.

QUatuor tamen ſunt colores principales niger, albus, citrinus & rubeus. Et omnia æris nomina ex his quatuor coloribus, in corpore ſuo apparentibus dicta ſunt, qui quidem omnes ex aceto ſibi impoſito eveniunt. Prædictis autem coloribus apparentibus, oportet unumquemq; eorum 40. diebus coqui, & aqua tota conſumpta leniter deſiccari, quouſque albedo appareat. Quòd autem ſit neceſſarium opus primò denigrari, probatur per hoc, quod generatio non fit niſi per corruptionem alterius. Et corruptio non fit niſi per putrefactionem, & calorem in humido agentem, & calor agens in humido efficit primò nigredinem: quare liquet quòd principium operis noſtri eſt caput corvi. Similiter ipſum putrefieri eſt neceſſarium, quia nihil fuit unquam natum, nec creſcens nec animatum, niſi poſt putredinem. Si enim putridum non fuerit, fundi non poterit, neque ſolvetur, ſi vero ſolutum non fuerit, ad nihilum redigetur. Noſtra tamen putrefactio non eſt ſordida nec immunda, ſed eſt commixta terræ cum aqua & aquæ cum terra per minima, donec totum fiat unum corpus, coque ergò maſculum & uxorem ſimul, quouſq; utrumque coaguletur in ſiccum: quia niſi fuerit ſiccum, colores diverſi minimè apparebunt, eò quod ſemper erit nigrum, dum humidum dominatur: ideò os vaſis diligènter claudatur & coque ad ignem donec totum vertatur deorſum. Tunc draco alas ſuas comedit, & diverſos emittit colores. Multis ſiquidem diverſisque vicibus mutabitur de colore in colorem, donec ad firmam deveniat albedinem: nam omnes mundi colores apparebunt, cum denigrans humiditas fuerit exiccata: verùm de illis coloribus non cures, quoniam non ſunt veri colores, nam pluries citrineſcit & rubeſcit, pluriesque deſiccatur & liqueſcit ante veram albedinem: ſed ſpiritus non figitur cum corpore niſi in albo colore. Quare liquet quòd dealbatio eſt ſemper expectanda, cum ipſa ſit totius operis complementum; neque tam variatur poſtea in colorem verum, quàm in rubeum. In unoquoque igitur gradu inſpicias, qualiter aqua congelat ſeipſam, & quomodo de colore in colorem mutatur compoſitum, quia ſi neſcienter regatur, ſuorum colorum nihil videbitur, & ſic ſæpiſſimè caſſum deflebis laborem, eo quod minimè ſcire poteris, in quo gradu moderandus eſt ignis, niſi per colores in opere apparentes. Colores itaque te docebunt quid facias

facias de igne ; ipsi namque ostendent quoto tempore, & quando ignis primus, secundus & tertius est faciendus: unde si diligens fueris administrator, colores te docebunt quid fieri oporteat. Nam omni tempore in solutione & coagulatione erit ignis lenis, in sublimatione mediocris, & in rubificatione fortis. Veruntamen quanto magis variantur colores, tanto magis continuandus est ignis lenis in dealbando, donec ad metam deveniat albedinis: nam ante album non mittimus ignem multum, eo quod ipsum est frigidum, crudum & semicoctum, & ideo albedinis vices sunt ipsius mulieris. Sit igitur ignis lenis in dealbando, donec figatur vapor cum suo compare: aliâs si accenderis ignem ante terminum fit rubeum, quod non prodest: eo quod rubeum ex multo albo & purissimo nigro cum calore magno est compositum, unde Versus:

Hæc rubens vena candentis fontis amœna
Roris adhuc plena fiat sub Sole serena,
Leniter ferveſcat donec ſiccata quieſcat,
Inde candeſcat, & candida totâ niteſcat:
Candida tunc venas faciens candore ſerenas
Myſteriis plenas candentes pandit arenas

Ergo si ignem benè mensuraveris, operationemque rexeris ad colorem album primo devenies. Et cum fuerit album, tunc ignis fiat intensior, & etiam intendetur albedo. Facto autem supra ipsum & subtus calore sicco per spatium dierum aliquot, totum figetur deorsum, & nihil spiritus ascendet superius, quod est signum perfectæ fixationis; unde Versus:

Ignem qui ſpernit non ad ſublimia tendit,
Et ſi quid videas paulatim tendere ſurſum
Hæc ergò repetenda monet decoctio rerum,
Tempora coctura tria ſunt ſeptena dierum;
Sicut ſolvuntur ſpecies & concipiuntur,
Sic fit ſumma rei congeſtio materiei.
Ex hac mixtura ſurgit coitus genitura,
Accenſos ignes comburit fortior ignis;
Igne ſuperpoſito facias deſcendere rurſum
Donec prætereat coctura meta dierum
In quibus unitur contraria vis ſpecierum;
Quæ ſic accedunt nec diſſociata recedunt,
Et res certa ſpei ſequitur candor ſeriei
Cujus natura dat in omnibus omnia pura.

Tunc fugiens non volabit à non fugiente, quamvis sit ignis æstuans: quia magnesia cum dealbatur spiritus fugere non permittit, nec æris umbram apparere: nam ipsum est sulphur fixum album, quod omne corpus tingens perficit, & in verum argentum convertit. Quare dicit philosophus: si fuerit argentum vivum purum, coagulabit illud vis sulphuris albi non urentis in argentũ: & illud est res optima quam recipere possunt operantes Alchemiam, ut convertant illud in argentum: quia natura tunc continet naturam, & vero matrimonio convertuntur ad invicem. Veruntamen non est nisi una sola natura, quæ in unoquoque gradu suarum operationum in aliam vertitur naturam, eo quod natura naturâ lætatur, natura naturam superat, & natura naturam continet, docens ipsam præliari contra ignem: nec sunt tamen diversæ naturæ vel plures, verum est una natura tantum habens in se naturam & res omnes quibus sibi sufficit; idcirco uno ordine opus incipitur & finitur. Duplex tamen est modus compositionis, quia una est humida, altera vero sicca; cum autem coquuntur, fiunt unum, sic ut neutrum dimittat reliquum, & benè quidem, quia humidum faciliter impressionem recipit & faciliter dimittit, siccum verò graviter impressionem suscipit, & graviter remittit: ideò cum humidum & siccum temperaverunt se ad invicem, adipiscitur siccum ab humido facilem impressionem, & acquirit humidum à sicco, ut firmiter retineat impressionem, & omnem sustineat ignem. Unde propter humidum prohibetur siccum à sua separatione, & propter siccum prohibetur humidum à sua fluxibilitate. Exemplum hujus est opus figuli, qui ligans terram cum aqua coquit ad ignem, ut unum non dimittat alterum, sic facito magisterium, disponens solam terram per humiditatem & caliditatem, donec conveniant & conjungantur, & non discrepent nec dividantur. Tunc adjunge eis duas virtutes operativas, aquam & ignem, & complebitur magisterium: quia si permiseris aquam solam, dealbabit, si vero adjunxeris ignem, rubificabit. Nam album completur tribus rotis, in quibus non est ignis, rubeum autem quatuor rotatur rotis: & hoc quidem elixir, quod tingit tinctura sua, submergitur oleo suo, & figitur calce sua: & oleum est conjungens & aggregans inter calcem & aquam: & aqua est deferens tincturam super calcem suam, & quando figitur calx, figetur & aqua cum ea propter vehementiam commixtionis; & tunc corpus est causa retinendi aquã, aqua conservandi oleum ut non accendatur super ignem, & oleum est causa tenendi tincturam: & tinctura est causa faciendi apparere colores, & color est causa demonstrandi albedinem, & albedo est causa retinendi omne volatile à fuga: nam corpus cum dealbatum fuerit, spiritum fugere non permittit, nec nigredinem ulteriùs apparere. Anima autem est vinculum spiritus, sicut corpus est vinculum animæ, nec est hoc vinculum sicut naturæ vinculum, sed velut compositum: quia compositio naturæ est per ingressionem contrariorum, & compositio nostra est per fixationem compositorum. Et qui non liquefacit corpus cum spiritu, ut fiat aqua una impalpabilis, & postea coagulat super ignem lenem, multipliciter errat. Quare denigra terram separando ejus animam, postea vertet aquam super terram per se, paulatim dealbando & siccando totum & habes magisterium. Nam qui terram denigrat, & album igne dissolvit & coagulat, donec fuerit in colore, sicut gladius denudatus, à tenebris liberabitur: & qui dealbatione completa ei animam inducit, totumque postquam liquefactum fuerit, in rapido igne figit, felix dici merebitur, & supra mundi circulos exaltari.

CAP. XVIII.

IAm didicisti, charissime, album opus facere, nunc quoque oportet ut scias rubeum perficere: veruntamen nisi dealbaveris, verum rubeum facere nequibis, quia nemo potest devenire de primo ad tertium nisi per secundum; Sic non poteris accedere de nigro ad citrinum nisi album, eò quòd citrinum ex multo albo & pauciſſimo nigro est compositum. Dealba ergò nigrum, & rubifica album & habes magisterium. Quoniam sicut annus dividitur in quatuor tempora, sic & nostrum opus benedictum. Primum est hyems, humidum & frigidum, pluviosum: secundum est frigidum & siccum floridum: tertium est æstas calidum & siccum, rubicundum: quartum est autumnus tempus colligendi fructus. Hac dispositione tingentes rege naturas, donec maturatę fructum afferant ad libitum. Verùm hyems jam transiit, imber abiit, & nox recessit: nam flores apparuerunt in terra nostra tempore veris, sed

ſuper roſam albam ſolùm ſtantes quievimus, quoniam ipſa ſortitur effectum corpora quæque ægra in verum convertendi argentum. Cùm igitur videris albedinem illam apparentem, ratus eſto quòd rubor in illa occultus eſt, & tunc non oportet illam albedinem extrahere, ſed coquere quouſque totum fiat rubeum: & quò magis eſt rubeum magis valet, quoniam abundantiùs tingit: ſic quod magis eſt coctum magis eſt rubeum, ergò quod magis eſt cocta magis valet, & ſic per conſequens quod maximè etiam maximè. Et certè color rubedinis cauſatur ſolùm ex complemento digeſtionis: nam ſanguis non generatur in homine niſi diligenter coquatur in hepate. Sic de manè cum videmus urinam noſtram albam, ſcientes nos parùm dormiviſſe, redimus ad lectum: ſomno autem recepto completur digeſtio & urina citrinatur. Sic per ſolam decoctionem poſt albedinem devenies ad rubedinem, errare ſiquidem non poteris, ſi ignem ſiccum continuaveris ſuper ipſum. Nonne vides quòd ſperma non generetur ex ſanguine, niſi priùs coquatur diligenter in hepate, quouſq; intenſum habeat ruborem, & niſi ita fieret, nihil ex illo generatur ſpermate. Similiter & æs noſtrum album niſi diligenter coquatur, non rubificatur. Et certè ſolus calor heparis rubificat chylum, & ſolus calor ignis accenſus rubificat ſulphur album; nam prima digeſtio ſtomachi omnia dealbat, ſecunda verò hepatis omnia rubificat, quia in ſolo hepate viget calor, ſicut in ſtomacho viget ſiccitas. Igne ergò ſicco & calcinatione ſicca decoque ſiccum, donec rubeat ut cinabrium, cui de cætero nequaquam impones aquam, nec aliam rem, quouſque ad complementum decoquatur rubeum. Nam tempore æſtatis & fructuum undatio pluviarum corrumpit magiſterium. Quare ſicco igne abſque timore ipſum comburere oportet, donec rubicundiſſimo veſtiatur colore. Noli ergò ab opere ceſſare, quamvis rubor aliquantulum differat apparere: nam igne augmentato poſt albedinem ex primis coloribus habebis rubedinem: medius ramen inter illos colores apparebit citrinus; ſed ille color non eſt ſtabilis, quia poſt illum rubeus non moratur venire, quo veniente certus eſto opus tuum eſſe completum: quoniam tunc mulier converſa eſt in maſculum, & omne incompletum in Solificum verum. Quare dicit philoſophus: Si fuerit ſulphur mundum, optimum, cum rubore clarum, & fuerit in eo vis igneitatis ſimplicis non urentis, erit res optima, quam recipere poſſunt Alchymiſtæ, ut ex ea faciant aurum. Ex his manifeſtè liquet, quod iſtud ſolum eſt verum noſtrum ſulphur album & rubeum quod quærimus, quo corpus quodlibet tingimus in veriſſimum aurum & argentum melius quàm quod de minera producitur, ſecundùm quod elixir album vel rubeum fuerit præparatum.

CAP. XIX.

CUm ergò duxeris unam quamque ſpeciem ex partibus operis, ſicut oſtendimus ea dirigere, tunc reduc ſpiritus ad illud & ſublima totum, quia ſublimabitur lucidum clarum, impermixtibile elementis. Et illud quidem eſt, ut accipias partem iſtius noti lapidis puriſſimam, & per ingenioſum ſubtilem modum conjungas per minima, & levetur totum. Quod ſi non eveniat, addatur ei non fixæ partis quantitas, ut ſumma volatilis ſuperet ſummam fixi, quouſque ad elevationem iſtius ſufficiat. Nam vidimus in eis, quibus uſi ſumus experientiæ modis, quod quæ cum aqua permiſcentur, ſi ſumma volatilis vincit ſummam fixi, quod fixum volabit cum ea; & ſi non vincet, figetur cum ea. Spiritus namque portabit ad ſuperiora quicquid ſibi conjunctum fuerit. Ergò citiùs portabit quod eſt omninò de natura ejus: Hanc ramen ſublimationem cum calore ſicco oportebit facere. Et cum elevatum fuerit, reiteretur iſtius ſublimatio, vice poſt vicem, quouſque per hanc ſublimationem & ejus reiterationem figatur totum. Cum autem fixum fuerit, cum eo fixo non fixi parem quantitatem poſt quantitatem combibe per ingenium tibi notum, quouſque iteratò levetur: totum ergo iterato figatur, quouſque fuſionem præſtet facilem ad modum ceræ. Et hæc quidem eſt medicina ſtans, tingens, penetrans & perſeverans, cujus una pars convertit mille & ultra partes cujuscunque corporis in veriſſimum aurum & argentum, ſecundum quod elixir album vel rubeum fuerit præparatum.

CAP. XX.

NOn ergò dependet bonitas hujus multiplicationis niſi ex multiplicata reiteratione ſublimationis & fixationis hujus medicinæ: quoniam quanto hujus complementi ordo reiteratur pluries, tanto etiam ipſius exuberantia multiplicatur magis, & augmentatur bonitas perfectionis iſtius maximè, quouſque omne corpus à perfectione diminutum atque etiam argentum vivum mutet in infinitum in Lunificum & Solificum verum. Nam quoties ſublimaveris medicinam perfectam & ſolveris, toties lucraberis omni vice ad projiciendum unum ſuper mille: ut ſi primò cecidit ſuper mille, ſecundò cadet ſuper decem millia, tertiò ſuper centena millia, quartò ſuper millena millia, & quintò ſuper infinitum. Quantò igitur elixir magis ſubtiliatur, tantò plus tingit, atque adeò in quantum elevaveris tuum opus, in tantum plus valebit, quia abundantius operabitur, & majorem quantitatem convertet. Et hoc eſt quod dicit Geber, qui fuit magiſter magiſtrorum in noſtro magiſterio: Operare tu cum lapide tuo, & cum lapide meo, & plùs valebit meus quàm tuus; quia ſi projiceris unum ſuper mille, ego projiciam ſuper 10. millia, & totum erit bonum: ſi autem tu projeceris ſuper decem millia, ego projiciam unum ſuper millena millia; quare plùs valebit lapis meus, quàm tuus, quoniam in tranſmutatione multorum millium tranſcendit lapidem tuum: Hoc autem dixit Geber, ut nos ſeduceret, quia lapis ejus & noſter unus & idem eſt, ſed ſolvebat totum & ſublimabat multoties, ita ut unum de lapide ſuo tranſcenderit decem de noſtro; & ideò quantò magis ſublimatus fuerit, tanto majorem convertendi vim habuerit, ergò & qui maximè maximam. Non ergò omittas elixir tuum ſubtiliare, & in quantum poteris ſublimare: & certè cauſa ſuæ velocis liquefactionis eſt ſuarum partium ab igne ſubtiliatio finalis: nam quicquid ex Mercurio in natura propria ad fixionem deductum magis ſubtiliatur, magis etiam ſolvitur, & ideò quod maximè etiam maximè. Et hæc eſt cauſa quòd elixir completum ad ceræ modum citiſſimam dat fuſionem, magis quàm aliquod metallorum: ipſum enim non eſt niſi ex puriſſima argenti vivi ſubſtantia in fixionem deductum, & ex ſubtiliſſima materia, mundiſſima, fixa, quæ ab argento vivo ſumpſit originem, & ab illo eſt creata. Et illud ideò, quia cum fugitivum ſit argentum vivum de facili abſque inflammatione, alia

medicina

medicina eget, quæ subitò ante ejus fugam illi in profundo adhæreat, & ei per minima conjungatur, illudque inspissèt, ac sua fixione à fuga in igne conservet, convertens totum per suum beneficium in momento in Lunificum & Solificum verum, secundùm quòd elixir fuerit præparatum. Si ergo facilis non esset fusionis, non funderetur ante Mercurii fugam neque retineret ipsum: si autem de ejus non esset natura, non adhæreret illi in profundo ejus neque gauderet per minima permiscere nam argentum vivum in se non recipit, nisi quod suæ fuerit naturæ: si fixa non esset medicina, non figeret, & si mundissima & fulgidissima non esset, non converteret Mercurium neque cœtera corpora in aurum & argentum, quia nihil dat quod non habet, cum non inveniatur in re, quod in ea non fuerit antea. Quare liquet medicinam nostram necessariò debere esse substantiæ subtilissimæ & purissimæ, adhærentis argento vivo ex natura sua, & facilimæ & tenuissimæ liquefactionis, & fixam super ignis pugnam: quia hæc Medicina ipsum Mercurium coagulabit, & in naturam Solarem & Lunarem convertet. Jam ergo nostram complevimus medicinam in caliditate & frigiditate, in humiditate & siccitate æqualiter temperatam: unde quicquid illi apponitur, erit ejusdem complexionis cum eo cui apponitur, ut si aquam illi apposueris, totum solvetur in aquam, si vero ignem totus erit ignis, & hæc est causa quare multiplicari potest medicina in infinitum: ipsa enim est sicut ignis in ligno, & sicut muscus in aromatibus bonis, eo magis crescens, quo magis fuerit conculcata. Quare oportet te partem ejus relinquere omni tempore, quoniam ditatus est ab illa, sicut qui habet ignem ditatus est ab ipso.

Multiplicatur autem Medicina sive per solutionem, sive per fermentationem: sed per solutionem tardiùs, per fermentationem vero citiùs nostra augmentatur Medicina, eo quod soluta non benè augmentatur, nisi primùm in suo figatur fermento. Abundantiùs tamen operatur multò medicina soluta & fermentata, quàm solùm fermentata, quoniam magis est subtiliata, licet per solam fermentationem possit etiam multiplicari in infinitum. Et illud ideo, quia fermentum reducit sibi appositum ad sui naturam, colorem & saporem per omnem modum: nam confectionem dealbat, combustionem inhibet, tincturam continet ne fugiat, corpora vivificat, & se invicem ingredi facit & conjungi, quod finis est operum & sine illò elixir non peragitur, quemadmodum pasta sine fermento non fermentatur. Idcirco cum Elixir sublimando fixaveris, reducas super ipsum appropriatum spiritum, sic ut commisceatur & liquefiat per secretum naturarum in vase philosophico: nam cum steterint per moram temporis vincet fortius illorum convertens totum in spiritum sibi similem, & ipse cum potens sit super vinculo non stat: conjunge ergo ipsum: ut generet sibi simile, nec conjungas cum quovis alio, ut convertat ad se, nisi cum eo, cum quo fuit in principio: si feceris hoc fiet Elixir etiam illud quod conjunctum fuit: & illud ideò, quia sulphura sulphuribus continentur, & humiditas simili humiditate: nam spiritus convertens sulphur in spiritum sibi similem, factus est uterque fugiens, & spiritus aërei in aëra simul scandentes sese diligunt. Videntes igitur philosophi, quod illud non fugiebat cum fugientibus, fugiens factum iteraverunt ad simile corpus non fugiens, & intulerunt in idipsum, à quo fugere minimè poterat, propter propinquam naturæ suæ convenientiam. Anima certè suum corpus citiùs ingreditur, quàm si in aliud mitteretur: quòd si immittere studueris, in vanum laborabis; quoniam non est communicatio tenebrarum & lucis: ad corpus ergò simile corporibus ex quibus extracta sunt ipsa revertuntur, quia tingens & tingendum una tinctura facta sunt. Non putes ergò, quòd hoc quod tingit & fugit veram esse tincturam philosophorum, quia sulphura tingunt & non fugiunt, nisi simili argento vivo juncta sint sui generis; ideò oportet ipsum admisceri argento vivo albo vel rubeo sui generis & contineri ne fugiat. Quare jubemus argentum vivum commisceri argento vivo, quousq; una munda aqua fiant, ex duobus argentis vivis composita. Veruntamen in eorundem commixtione pones parum de opere super multum de corpore, ita ut habeat potentiam illud convertendi in Medicinam, aliàs totum verteretur in spiritum tibi similem. Si verò projeceris parùm operis super multum corporis, puta unum istius super quatuor alterius, sine aliqua mora pulveris tui color erit albus vel rubeus, secundum quod fuerit fermentum super quod projeceris. Et quidem pulvis est elixir completum naturæ horum, de quibus elixir habet fieri. Et elixir debet esse pulvis simplex, & habet fieri de meliotibus rebus hujus mundi: & corpus & fermentum, quod ibi misces, debet esse pulvis subtilis solutus, quia non facies omninò eorum mixtiones, donec unumquodque solvatur separatim in aquam; eo quod qui desiccat priusquam imbibat, non conjungit per minima, nec omnino subtiliat: lævius quippe est separare vinum à terra quàm ab aqua. Sed quando aqua miscetur aquæ, tunc aqua recipit aquam sic ut nunquam separentur ab invicem. Ideo si fueris hydropicus, bibe multum de dicto potu & sanaberis: quoniam unaquæque tinctura plus in millena parte tingit in liquida quam in sicca substantia. ut patet de croco, cum ponitur in liquoribus; si enim in siccis projiceretur parùm tingeret, sed si solutus jungatur cum pauco, & paucum cum magno tingit in infinitum.

CAP. XXI.

SIc ergo facies projectionem: primò multiplica decem in decem & erunt centum, & centum in centum & erunt mille, & mille in mille & erunt decem millia, & decem millia in decem millia & erunt centum millia, & centum millia in centum millia & erunt mille millia, & mille millia in mille millia, & erit numerus innumerabilis: hoc est dicere: primò pone unum super decem, & unum istorum super centum, & erunt decem millia, & de cæteris similiter. Iterum secundùm alium philosophũ: pone partem unam super decem metalli præparati, & hujus unam partem super centum, & converteretur conversione fixa atque durabili, si Deus voluerit. Si autem una vice & prima pones unam partem super mille partes, timendum esset, ne præ nimio calore consumeretur & exhalaret antequam penetrasset & confectum esset: cum autem ponis unam super decem, citò penetrat & miscetur, unde non est necesse fortificare ignem neque continuare, sed citò debet deponi: cum autem infrigidatum est jam illud se tenet cum illo, & adhæret ei propter convenientiam naturæ: quare si dehinc partem unam super centum projicias, retinetur substantia lapidis ab eo cui mixtum est, adhærens ei donec totum transmutaverit. Cum oleis ergò misce argentum vivum præparatum, non quòd sit materia omnium metallorum,

metallorum, ſicut quidam affirmant, & multi putant, ſed quòd per frigiditatem teneat medicinam ſuper ignem donec miſceatur ne exhalet, cuſtodi ergò illud & eris fortunatus in terra. Cauſa autem eorum omnium eſt triplex, bonitas, neceſſitas & perfectio: bonitas ut abundantiùs tingat, ut meliùs perficiat, ut plura convertat: neceſſitas ut meliùs coloretur, ut ſibi ſimile generetur, ut meliùs figatur: perfectio quia Medicina perfecta habet convertere metallum imperfectum in perfectiſſimum aurum & argentum. Numerus autem perfectionis eſt denarius, centenarius & millenarius: ideò de primo ad ultimum facies projectionem; nam ſi ita parvus ſimpliciter dimicaret contra ita magnum, ſuperaretur ab eo propter ſui paucitatem. Verùm omnia medicinæ fundamenta ſunt multum ſubtilianda & tingenda, quia quanto plùs ſubtiliatur Elixir, & tingitur, tanto abundantiùs operatur, ergo & quod maximè, maximè. Ideò ad ſolutionem pone ſolutionem, & ſoluto immitte deſiccationem & pone totum ad ignem, cuſtodi fumum precavens ne fugiat aliquid ex illo. Regimen autem totum eſt in temperie ignis, itaque morare propè vas, & intuere mira, quomodo movebitur de colore in colorem in minùs quàm in hora diei quouſque perveniat ad metam albedinis & rubedinis, quoniam citiſſimè liquefiet in igne & congelabitur in aëre: quia fumus cum ſenſerit ignem, penetrabit in corpus, & ſpiritus conſtringetur in ſiccum, eritque corpus unum, fixum, clarum, album vel rubeum, ſecundum quod fuerit medicina & fermentum. Tunc depone ab igne, dimittens totum refrigerari, quia cadet unum ipſius pondus ſuper mille millia, & ampliùs cujuſvis corporis, convertens totum in optimum aurum & argentum, ſecundum quod Elixir fuerit præparatum. Veruntamen Medicina alba album exigit fermentum, ſicut rubea rubeum: quia in opere rubeo nihil intrabit niſi rubeum, ſicut in albo nihil niſi album. Ideò quod facis in albo, fac & in rubeo, quia una & eadem eſt præparatio amborum, ſed complificans tincturarum & ſpirituum eſt ipſorum fermentum: quare liquet quod qui argentum vivum album, ignem patiens, argento mero id eſt puro non conjungit, nullam elegit viam ad albedinem: qui verò argentum vivum rubeum, ignem ſuſtinens, non conjungit auro mero id eſt puro, nullam viam elegit ad rubedinem. Non ergò fatiget corpus ſuum in his, ad quæ non poterit pervenire, quia nec ſibi nec alteri, nec mundo proderit, donec motor in ſublimi naturæ mobili quieverit in incorruptum quaſi non corruptum.

CAP. XXII.

VEruntamen quia nimius ſermo intellectum obruit & errores augmentat; ideò ſub brevitate ſermonis totum hujus operis complementum narrabimus: & eſt ut ſumatur lapis ſufficienter notus, & cum operis inſtantia aſſiduetur ſuper ipſum perfectio ſublimationis, ut primò mundetur & ſubtilietur lapis, donec ad ultimam ſubtilitatis puritatem deveniat, & tandem volatilis fiat: & hic quidem eſt primus ejus adminiſtrationis gradus. Abhinc verò cum fixionis modis figatur, donec in igne aſperitatis quieſcat. Sit autem opus Lunæ nimis album, opus verò Solis rubeum, quia album eſt opus hyemis, & rubeum æſtatis: ideò majori partium ſublimatione indiget per modos proprios in majori decoctione digeſtos, donec rubicundiſſimum aſſumat colorem: & in hoc unus gradus perfectionis ſecundi gradus conſiſtit. Sed in tertio gradu eſt totius operis complementum; & eſt ut jam fixum lapidem cum modis ſublimationis volatilem facias cum non fixo & volatilem fixum; & fixum iteratò ſolutum & volatilem, & iteratò volatilem fixum, quouſque fluat & liquefiat & alteret in complemento Solifico & Lunifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis hujus tertii gradus medicinæ reſultat bonitas & alterationis multiplicatio, ut unumquodque imperfectorum corporum convertat in infinitũ in Solem & Lunam veram.

Præterea etiam virtutem habet efficacem omnem ſanandi infirmitatem ſuper omnes alias medicinas: nam lætificat animum, virtutem augmentat, conſervat juventutem & renovat ſenectutem, quoniam non permittit ſanguinem putrefieri, neque phlegma dominari, neque choleram aduri, nec melancholiam ſuperexaltari: imò ſanguinem ſupra modum multiplicat, contenta in ſpiritualibus purgat, & omnia corporis membra conſervat, & generaliter tam calidas quàm frigidas infirmitates citiſſimè curat præ omnibus Medicinis. Quoniam ſi ægritudo fuerit unius menſis, eam uno die ſanat; & ſi unius anni ſanat diebus duodecim: ſi verò antiquior & multi temporis, ſanabit uno menſe, & omnes malos humores expellet, bonoſque inducet: confert & amorem illorum quibus offertur, deferentibus ſecuritatem, audaciam & victoriam. In hoc completur ſecretum ſecretorum naturæ maximum: quod eſt ſuper omne hujus mundi pretioſum pretioſiſſimum.

Viſio ejuſdem Iohannis Dauſtenii Angli.

CUm omnium rerum naturâ conſiſtentium certus ſit effectus generationis & augmenti, ex radice earundem ſumimus neceſſariam Planetarum inſinuationem: unde, ortum Solis & Lunæ magno deſiderio quærentes, talem vidimus viſionem. Putavimus nos raptos ante conſpectum Naturæ; & ecce ſeptem Planetæ venientes, volente ipſa natura, fratrem ſuum primogenitum perfecerunt ſibi in regem, ac diademate regni inſignitum, quaſi dominum ſuum adorantes, ſuos eidem pandebant defectus: Erant enim omnes ferè vel lepra vel ſcabie infecti. Rex autem confratres conſolari cupiens, ait: Expedit certe, ut unus ex nobis ſine macula exiſtens moriatur pro univerſis, & non tota progenies pereat, ut recenti ipſius ſanguine liniti conſequamini ſanitatem: nam, ut dicit Plato, ſecundum meritum materiæ dantur formæ. Planetæ autem cæteri ſuum regem audientes dicebant, & quis noſtrûm caret macula? nam ex ſemine immundo concepti ſumus, & fragilitati ſubjectos peperit nos mater noſtra: quis igitur poteſt facere mundum de immundo ſemine conceptum? non enim invenitur in re quod in ea non eſt. Quibus mater illorum Mercurius reſpondit: filii, ſex corpora genui, quorum unum eſt fulgidum, immaculatum, rex & caput & optimum Planetarum, nec quid ſuperfluum in eo eſt, nec minus in eo, quia ejus complexio eſt temperata & natura directa in caliditate & frigiditate, humiditate & ſiccitate: ideoq; res cõburentes illud non comburunt, nec corrumpentes corrumpunt, nec terra nec aqua alterant ipſum unquam. Cum ipſo ergò ſpiritus commiſcentur, & figuntur per ipſum maximo ingenio, quod ad duræ cervicis artificem non pertinet: ipſo ergò perficeremur benè

omnes,

omnes, sed quia perfectis moribus est, mori nequibit. Flebant ergo omnes fletu magno, dicentes: proh dolor! quare nos immundos & ipsum ita perfectum genuisti mater? heu nobis! cur nos constituisti fratres amaritudinis & doloris? quare non in utero suffocati sumus, aut antequam nasceremur periimus? cur excepti genibus, lactati uberibus nati sumus in combustionem & in cibum ignis? Quibus Natura respondit: Omnia in sapientia & mensura creata sunt: qui dedit consilium, ferat auxilium: nam bonus Princeps animam suam ponit pro subditis suis. Oportet ergo te, ô Rex, denuò nasci, quando alias mori non poteris, nec tuos perficere & curare fratres: quia qui quartum convertit in sextum, poterit tunc ipsum convertere in septimum & in quartum. Rex autem subridens inquit: quomodo potest corpus senile nasci denuò, num quid potest matris suæ uterum ingredi & renasci? Cui natura respondit: Tu es caput familiæ tuæ & hæc ignoras? Nonne scis, quòd nihil demergitur in Mercurio nisi Sol? te igitur matri & suo pectori juncto nihil melius: quia sic fugam suam quiescere & tua contineri substantia facies: non enim possunt gravia nisi levium additione sursum elevari, nec levia nisi gravium consortio inferius detrudi: nihil ergo creatum est sine causa. Qui ergo animam suam amat, eam perdet, nam unde videbatur perdidisse quod erat, inde incipit apparere quod non erat: quoniam quæ devastant, emendant, & unde corruptio procedit, inde emendatio apparet. Rex ergo gemens ait: Domina transferatur quæso à me onus istud, veruntamen si transferri non potest, nisi portem illud parebo sententiæ tuæ: quia non est dignus imperio, qui negligit certare pro ipso. Lunam igitur plenam assumam in matrem, ut fiam albus nigri, rubeus albi, citrinus rubei filius veridicus non mentiens. Fratribus ergo gaudentibus de nuptiis promissis sui regis, pararunt illi cubiculum grande, stratum rotundum, lucidum, rore circumdatum, bene clausum, quod & novem virginibus pulcharum facierum ad tanti regis servitium decenter munientes præstolabantur cum timore liberationem suam. Igitur dum medium silentium tenerent omnia, lux lucens valde rutilans, à regalibus sedibus veniens, novem virginibus dixit: oportet me per ignem & aquam transire, solùm serpentis venenum timeo, ne violentia nimia in ætate tenera perimat me: custodia ergo mei estote, quousque ad ætatem devenero perfectam, & vos tunc in regnum meum transferens, de cætero erimus immortales. Virginibus ergo custodiam optimam pollicentibus, Rex suum thalamum ingreditur securus, & magno libidinis ardore ex improviso succensus dormivit statim, & dormitavit cum virgine decora nimis, filia matris suæ. Et quia indigestus nimiùm incaluit, omninò discrasiatus virtute defecit. At mulier illa Sole amicta & sub pedibus ejus Luna, subitò absorpsit suum sponsum, ut de illo nihil reliquum videre posset: nam fumosa ex libidine effecta, totam suis basiis animam regis exhausit: unde & virgines regem mortuum penitùs existimantes, desperatæ de vita ipsius, similiter dormiverunt. Quod sentiens serpens callidus antiquas inimicitias erga mulierem recogitans, sub dicto ingreditur thalamo, venenum paulatim & paulatim effundens, ne fortè è somno dormientes excitaret; & toxicum hoc, parum & parum ascendens, corpus regis dormientis sensim comminuit. Mulier verò de tanto sanguinis calore nimiùm calefacta, cum suis virginibus effugiens, cameram ascendit altiorem, iterum atque iterum septies in lavacro purgatorii peccatum suum diluentes, ut vel de regis corpore, si solam animam secum conservarent, ne fortè pro ejus morte, si quid corporis ipsius secum haberent, suspendii damnarentur. Uxor autem cùm regem diligeret, & in se animam ejus exhaustam possideret, cogitavit quomodo mortuum suscitaret. Et cum ex scientia naturali diligenter cognovisset, quod absque alterationibus multis nihil reviviscere, primo ne corpus mortuum inficeret aërem, combussit in cinerem, & regiis exequiis magnificè celebratis secum combusto cinere grataner sepelivit. Sed æmulatio antiqua serpentis charitati invidens, parum & parum toxicum emovebat, nusquam ab inceptis desistens festinare opus mulieris destruere laborabat. Hoc fiebat prima luce octobr. Mulier autem more materno virum suum diligenter in intimis suis viscеribus recolligit, ne ampliùs læderetur volens venenum repellere: & quantò magis toxico serpentis fœtus infestatur, tantò magis maternis admissus visceribus occultatur, ne nimio calore abortum patiatur. Luna namque humiditate propria plena fœtum obumbravit & ignis flammam eminùs expulit. Verum ex labore conflicta fœmina & onere fatigata, efficitur turpissima, facie denigrata, & toto corpore prostrata super terram, nec oculos erigere nec manus extendere poterat præ languore. Nam artis principium est caput corvi nigrum, parum & parum exiccans se ad ignem, ut albus post fuscum induat indumentum. Interim mulieris adfuit tempus pariendi, peperitq; filium suum primogenitum: & ne inficeretur à serpente præcavens in futurum, assumptis alis superiorem ascendit cameram quærens exitum, nec inveniens, rediit ad nidulum unde exierat, nec inveniens requiem, quam quærebat, iterum atque iterum expansis alis superiùs evolabat; sed obserato exitu cogitur retroire. Et dum in hunc modum certabat evolare, filius noster genitus tres virgines devorabat, ita ut illarum alis deplumatis fuga penitùs privarentur. Quod cautiùs videntes sex cæteræ virgines valde timuerunt cursu moderato aërem petentes: verùm ipse desiccans se ad Solem de nigro ad album versus est colorem. Facta autem sunt hæc pridie Cal. Martii. Serpens igitur cùm ista didicisset, nimio furore repletus, regem incineravit fortiori calore: at ille magis & magis aquam hauriens, unam post aliam ex sex virginibus singulas devoravit, semper cum ipsis, ut priùs fecerat cum aliis, coagulans se ad ignem, itaut intra spatium aliorum 40. dierum totus versus sit in terram, & tum post alias 40. dies in æquali calore jugiter consistens, ultimò albissimum induit vestimentum. Multoties autem mutavit suos vultus, quandoque nigram & fuscam, quandoque rubeam & croceam, quandoque citrinam & albam emittens effigiem; ita ut cum Horatio dicerem: Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus. Cùm igitur in mera perstaret albedine, conjugio sororis suæ Lunæ scivimus ipsum indigere: Cùm illa igitur ipsum maritantes super alia corpora projectionem fecimus, & ecce una pars sui mille millia partes aliorum Planetarum in verissimum vertebat argentum. Igitur cum serpens videret se conteri, tactus dolore cordis intrinsecus, tuto suo posse regem albis indutum vestimentis perdere insudabat, ut quod prius neglexerat, vel serò saltem provideret. At Rex ossibus confortatis fortiter resistens magis ac magis serpentem conculcavit, & tandem

poſt tempora ipſo interfecto nullius prorſus venenum de cætero metuebat. Verùm ex ira, motu & duello nimiùm calefactus de albo in ſanguineum verſus eſt colorem, & ſic imperium reaſſumens de omnibus triumphavit, nulliuſque culpam reliquit impunitam. Cùm ergo purpura ſeſe veſtiſſet regali. Solem cum Sole copulantes ſuper corpora alia projecimus: & ecce una pars ſui mille millia aliorum in veriſſimum mutavit autùm. Expergefacti igitur viſionem conſcribentes, gaudio magno gaviſi fuimus, ita ut paupertate exulata de cætero domos proprias inhabitare recuſemus. Unde Domino noſtro Jeſu Chriſto gratias referentes, arborem conſcendimus, poma colligimus, maria timemus.

FINIS.

SVBSECTIO V.

Dialogus *inter* NATURAM & FILIUM PHILOSOPHIÆ.

Egidius de Vadis ſuo Amico N. S. P. D.

NOn mireris ſuper me (virorum optime,) qui omnium ſcientiarum ignarus, tantum opus ſuper vires aggredior, virtus enim tanti vigoris eſt, ut non modo ignotos flagrans amore & deſiderio conciliet, verum etiam inſcios, ignavos, torpenteſque inſtiget, ut meram ſcientiarum omnium medullam concupiſcant. Hos inter omnes (ut amici dicere ſolent) tui non obliviſcor, quippe qui virtutibus ita præditus es, ut minime poſſim aliquid agere, quin prius virtutem in te radicatam pro viribus honori poſtponendam cæteris divulgarem. Honor enim (teſte Philoſopho) præmium virtutis eſt: & viventium quidem cui potius attribuatur, omni adulatione poſtpoſita, Deum teſtor, ambigo: quamplurimos equidem video, qui propter ornatum dicendi modum ſcribendive ſibi honores magnos vendicant: qui tamen nihil aliud quàm verborum lenociniis, ac phaleratis dictis, meras fabulas & nugas docent: ii quidem nondum reliquerunt nuces, neque ſapiunt patruos, ſed tanquam pueri, vel juvenculi, ſi quis pomum ſimul & aurum offert, aurum quod ſummi pretii eſt & valoris, nihil pendunt: & pomum, nucem, quod minimum eſt anteponunt: hæc quidem Achillis & Glauci permutatio. Nam ſi quis de Naturæ ſecretis diſſertaret, illi pro certo veluti nucis teſtudinem lambentes nihilque medullæ dulcedinem guſtantes: comptis & ornatis verbis, aut parum aut nihil ad rem pertinentibus, quaſi garruloſi reſpondebunt. Qua nobrem iſtius verba proportione cum illis quadrant: qui dicit, eloquentiæ ſatis, ſapientiæ parum. Verumenimvero ſi illis plurimum deterior ſum, tamen præcipuè propter ignorantiam, cum etiam propter ſermonis barbariem, quam ipſi balbutiem vel ſolœciſmum vocant: quantum ii de teſtudine politis verbis contendere auſi ſunt: tantùm ego (quamvis inornate) de illius nucis dulcedine intima diligenter perquirere delector, ii exterius, ego exteriora & interiora liquide perſpicio. Igitur confidentia mea in te tanta eſt, ut hæc noſtra in te imprimerentur, & munus meum (quamvis exiguum) læta fronte ſuſcipias: mutuoque me amabis (ut ſoles.) Vale, ex Bibliotheca Regia Richemerum 17. Idus Julii Anno 1521.

E. D. V.

AUTHORIS PRÆFATIO.

CUM annis plurimis ſuper ſecretorum naturæ indagine, lucubrationibus non paucis propenſo animo laboreque infatigabili, me defatigaſſem: denique perpendens omnia ejuſcemodi indagationis itinera, tramites, tum devortia, tum diverticula, ambienſque ſemitas, quæ non ſolum de plena, verum etiam ſyrupis, gryphis, tropicis, ænigmatibus, apophthegmatibuſque variis (ne dicam larvis) occupata: nam Philoſophi omnes ſunt adeo ſententioſi, una tamen difficultate minime contenti, tantis ambagibus tam involvunt, ut per eas neminem ad optatum finem pervenire poſſe arbitrer. Sive ergo larvas (ut Plinio placet) cum mortuis luctari, & in paleſtra cum natura potius certare cenſui, præſertim Philoſophis dicentibus: Natura te docebit, quæ quidem multis varia multiſque modis pulſata quæſitaque (Deo docente) mihi tandem apparuit: quam primo impetu tantis varietatibus indutam, ornatam, rem intuens non parum ſtupefactus fui. Nam omnes hominum linguæ ad ſuorum veſtigamentorum enucleationem minime ſufficerent: Illa vero me conſolari cupiens prædulci ac blando ſermone taliter alloquuta eſt: Noli timere ô fili (inquit) nam ego ſum Natura quam tantis viribus quæſiviſti, quæ ex mandato Dei tibi miſſa ſum. Euge ergo, exulta, & lætare, quia duobus modis te felicem reddam. Primum in hoc quod vides quantum miſericordia Dei, pro te viliſſimo peccatore facere dignata eſt, quæ me oculis corporis cerneres, cùm ſis rudis & valde tenuiter qualificatus in ſcientiis. Secundo ſuper hoc conſolaberis, quod tibi dubitanti in omnibus reſpondebo. Interroga ergo ut libet, & quod tibi conceſſum eſt aperiam. Cui ego, ô bona Domina parce mihi obſecro, nam balbuties mea non me condignas ſinit tibi referre gratias. Nam ut jam aiebas, literis parum qualificatus ſum, pergam ergo, & Deo meo qui ſua largitate immenſa te mihi deſtinavit, gratias referam. Reverſus verò ſuper dubiis in quibus mergor, te interrogabo: At illa inquit. Age fili, & quod noviſti ne moreris reddere: Ego interim finem orationis expectabo.

ORATIO.

O Domine Deus omnipotens, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, da famulo tuo licet indigno, te cognoſcere, te ſuper omnia velle, ſecundum te vivere, & curſum præſentis vitæ conſummare. Scio equidem firmiter & manifeſtè confiteor: te eſſe fontem & originem univerſi boni, atque deſiderii honeſti & cognitionis omnis operationis atque debitæ perſeverantiæ. Tu enim produxiſti primum hominem naturalibus perfectum, & ſufficienti ſcientia præditum: tu enim dediſti ſervis tuis Bezaleel, & Aoliab ſcientiam excogitandi omne opus fabrile in metallis: tu dediſti Salomoni

moni servo tuo cor docile, tu corda omnium Prophetarum tuorum inspirasti, tu etiam dixisti, petite, & dabitur vobis, pulsate & aperietur vobis. Te igitur clementissime Deus, conservator ac protector meus, deprecor supplex atque imploro, ut illumines cor meum ad petendum, quę sunt ad gloriam & laudem tui nominis sanctissimi: non displiceat tuæ Deitati (quæso,) quod ego indignus peccator peto tuam misericordiam, me dignare illuminare, super cognitionem rerum naturalium: & cum sis ignotus per prius, saltem per posterius, per tuos glorioſos effectus scilicet, cognoscaris: Da mihi igitur clementissime Deus ita cognoscere, & efficaciter atque ornate, sine interruptione mundi, aut Diaboli perficere: cum corde meo in te fixo immutabiliter permanente, ut omnia opera mea facienda sint in laudem & honorem sanctissimi nominis tui, ac in redemtionem captivorum, atque sustentationem pupillorum atque viduarum, ac omnium fidelium indigentium, intercedente Domino nostro Jesu Christo filio tuo, qui tecum vivit & regnat in secula seculorum Amen.

CAP. I.

In quo natura docet filium artis, quænam sit materia lapidis: dicens, quod ex fine intentionis resultat principium operis.

Filius.

IAm ergo Domina, postquam Deo meo pro omnibus beneficiis suis gratias egi, interrogabo te, si vero libuerit respondebis.

Natura. Propone fili, & cum Dei adjutorio tuis dubiis satisfaciam.

Filius. O domina, postquam in oculis tuis tantum inveni gratiæ, dic mihi obsecro, quare Philosophi in libris suis non nominant materiam, unde lapis ipsorum procreatur? plures equidem tractatus me legisse memini neminem eorum tamen quovis modo eam nominare intellexi.

Natura. Fili scias omnes Philosophos eam in eorum libris palam nominare, sed quia non nisi Philosophis & filiis suis loquuntur, ideo qui non sunt in Philosophia qualificati atque imbibiti, non animadvertunt quomodo eam nominant; subtilitas vero apud ipsos est stultitia atque rusticitas apud insçios. Audi ergo, & sermones meos ausculta, quia ostendam tibi, quomodo viva voce nominant: Audivistine auctoritatem Aristotelis dicentis, actus activorum sunt in patiente dispositio: forma ergo non agit, nisi secundum dispositionem materiæ. Intelligis hoc.

Filius. Imo Domina.

Natura. Vide jam quomodo eam nominant. Quoniam si dixeris, quid facere intendis, videbis & clare intelliges atque quod quæris perpendes: eo quod ex fine cujusque intentionis resultat principium ejus.

Filius. Ego quidem solem & lunam producere intendo.

Natura. Adverte jam quomodo principia tuæ operationis nominasti: dicendo finem tuæ intentionis: qui est aurum & argentum te producere velle: quæ quidem erunt operis tui principium, ac si dixisses hominem te velle producere ibi tuum agēs nominasses. Quo habito nihil tibi deesset, nisi patiens tali generationi congruum. Quia sicut non est possibile generare hominem sine homine, sic neque aurum & argentum sine auro & argento: eo quod omne simile producit suum simile.

CAP. II.

In hoc secundo capite natura dicit mineralia esse hermaphroditæ naturæ eo quod utrumque sexum habent scilicet sulphur & argentum vivum. Et quod incrementum alicujus rei pendet à suo principio.

Filius. Quomodo domina, video hominem generari, ex copulatione maris & feminæ: in argenti sive auri productione, non percipio aliquam copulationem.

Natura. Scias fili, quod omne crescens, tum in vegetabilibus, mineralibus, sive animalibus, non educitur de potentia ad actum, nisi per conjunctionem formæ & materiæ: quæ loco masculi & feminæ capiuntur, si ergo in mineralibus, & vegetabilibus, non fit coitus, est tamen attractio inter ipsa, per quam homo cognoscet formam materiæ convenientem. Quia ut (inquit Plato) secundum meritum materiæ dantur formæ: nulla est generatio congrua, nisi ex convenientibus in natura. Mineralia tamen atque vegetabilia Hermaphroditæ sunt naturæ, eo quod utrumque sexum habeant. Nihilominus fit ex seipsis conjunctio formæ & materiæ, quemadmodum fit de animalibus.

Filius. O Domina ego te summe flagito ut illam copulationem ab ore tuo audiam.

Natura Audi quod Plato dixit, à quo dependet alicujus principium, in eodem erit suum incrementum. Nonne vides quod hominis generatio & ipsius productio fit ex sanguine menstruali, & nutritio sive educatio ejus ex lacte, quod est sanguis bis coctus: quia à menstruo non differt, nisi per reiterationem decoctionis. Modo simili planta fit, ex subtili terreo & aqueo: Cum ergo semen ejus habueris, commenda id terræ, per cujus subtile cum humido simili producas de potentia ad actum: Considera similiter naturam mineralis corporis: hoc est dictum principium, unde cœpit suam originem, & reduc etiam ad suam materiam, sicut dictum est de planta, & velle tuum adimplebis.

CAP. III.

Natura docet, quænam sit illa materia operis physico necessaria, exemplo probat ut videre licet legendo hoc caput tertium.

Filius. Profecto Domina mihi videtur quod si ipsum minerale corpus, ad suam primam materiam quæ prius erat reducere vellem impossibile erit: quia prima materia secundum Philosophum, neque calida est, neque sicca, frigidave vel humida: ergo illa reductio erit valde remota à metallis.

Natura. Quomodo intelligis primam materiam? ego enim non loquor de illa remotissima quæ dicitur hyle, neque de illa quæ dicitur Chaos, quamvis materia confusa indiges, eo quod novam formam inducere conaberis: Neque etiam intellige de naturis, unde elementa proveniunt, neque etiam de qualitatibus ab ipsis elementis provenientibus, sed tantummodo de prima materia propinqua, quæ quidem in animalibus sperma, in vegetabilibus semina dicūtur, in mineralibus vero sulphur, & argentū vivum dicitur, Philosophorum supple:

quia illa remotissima prima materia sive 2 3. 4. non est ita apta dispositа, ad creandum asinum sicut metallum: ego enim volo quod reducas ad primam materiam sub conservatione speciei, imo sub ipsius individui conservatione: species enim non sunt actionibus sensibilibus subjectæ. Jam nota bene exemplum quod tibi dabo, super ista reductione; cum enim homines & mulieres coeunt, tunc reducuntur ad primam materiem, quia de eorum corporibus cruda spermata generantur, ex quibus ipsi primo prodierunt: non tamen eorum corpora destruuntur, quemadmodum fierent, si ad primam materiam remotam reducerentur, Quare oportet quod sic facias in opere tuo, hoc est sub speciei conservatione, quod quidem notare debes peroptime.

Filius. Certe Domina, ego jam tua gratia adjuvante sapere incipio, quæ ut illa reductio, differentias tamen istarum materiarum primarum ignoro.

CAP. IV.

Quid sit chaos, & est materia illa arti necessaria. Materia etiam lapidis est provenſa ad omnes formas ſuſcipiendas: & palam venditur.

Natura. Fili, epilogare illud quod quæris, erit opus satis prolixum, nihilominus, quia te in istis propensiorem cæteris perpendo; breviori modo quo possum quod cupis enodabo: scias itaque, quod materia remotissima dicitur Hyle, & est primordiale omnium rerum principium, de quo quod dicit Augustinus referam: ait enim cum aliquid informe concipio, prius nihil intelligo, quam intelligebam quia sicut nihil videndo, tenebræ videntur, nihil similiter audiendo, auditur silentium Sequitur ergo quod hyle sit illud, quod inter aliquid & nihil percipitur, alia vero materia, quæ non est adeo remota dicitur Chaos; quod quidem Chaos est rudis indigestaque moles, in quo omnia erant confusa, & commixta, quam alii appellant materiam sive massam confusam: ab initio hiantem; alii materiam cæli & terræ informem, quæ primum ex nihilo facta est; de qua postmodum cuncta sigillatim per species varias formasque proprias prodierunt: quam Lactantius sic definit: Chaos est rudis inordinataque materia, confusa congeries, & ut melius istam primam materiam intelligas, quæ tibi super omnes alias est necessaria: eo quod absque ea opus tuum minime perficies: dicam tibi planius qualis ipsa est, quia quamvis in principio summus Deus præparavit quatuor elementa quæ erant confusa in ea, eo quod terra & aqua, quæ sunt aliis graviora attingebant usque ad orbem lunæ, & ignis & aër leviora cæteris elementis descendebant usque ad terræ centrum: Quare talis materia merito dicebatur confusa, remansit tantum in mundo isto aliqua pars illius materiæ confusæ, quæ ab omnibus cognoscitur & palam venditur; pauci tamen sunt, qui hujusmodi Chaos sive materiam confusam esse opinantur; quare (fili) erit tibi necesse eam scire, cum sine ipsa (ut superius dixi) in vanum laborabis, quia in se existens informis, & apta ad omnes formas, facilime Chaos formam sortietur, qualem attribuere ei cupies; & si uberius de ea inquirere volueris, vide Raimundum in suo testamento cap. 30. & 75. & ibi videbis, quomodo Deus primo quintam essentiam creavit, in qua in omnibus operibus universaliter comprehendor, quam in tres partes instar suæ essentiæ devisit; & de parte prima magis pura creavit angelos. De secunda cœlum & stellas, & de tertia mundum. Non intelligis tamen, quum Deus creavit terram simul absque alia temporis successione, & absque materia præcedenti, quæ respicit successionem generis: ego enim te hic instruo, ad tui operis propositum, quod primæ divisioni assimilatur, quare si absque divisione perficere intendis, conatus tuus erit impossibilis. De ista tertia parte divisa in quinque partes Deus creavit primo quintam substantiam: de cæteris quatuor elementa. Lege ergo capitula superius allegata, & omnia ista ad longum habebis. Jam fili restat videre de naturis, quæ sunt simpliciores elementis, scias ergo duas esse naturas: prima caloris: altera frigoris: natura caloris activa est; frigoris vero passiva; Calor generatur à motu, & frigus vel natura frigoris à quietudine terræ: lege Avicennam in clavi sapientiæ & invenies ista omnia ad longum, & delectabili modo ventilata, distinguendo quid sit simplex & compositum de simplici: & compositum de composito. Duæ illæ primæ naturæ dicuntur simplices, opus vero ipsius dicitur simplex de simplici, quod est natura caloris, frigiditatis, humiditatis & siccitatis, & super istarum naturarum generatione dicit quod in principio Creator absque sermonis prolatione dixit, fiat talis creatura; postea creata est creatura, quæ nec magna nec parva, nec subtilis nec grossa, nec movens, nec quiescens dici potuit, neque alia quacunque declaratione determinari, nec rei cuilibet assimilari, in qua quidem omnia potentialiter extiterant, quæ ut ad actum reducerentur creavit creaturam secundam, quam lucem appellari decrevit; hæc Avicenna quantum ad quatuor Elementa, jam dixi tibi quod reductio ad ipsa est nimis remota, ad qualitates vero ab illis provenientes, habita tamen materia prima & propinqua facies reductionem. Quia necessario habes Elementa dividere, quare non indiges aliis materiis: materia illa confusa excepta, propter rationes superius dictas.

Filius. Benedicta sis Domina, ego omnia tua dicta notavi super ista reductione ad primam materiam, non tamen bene video, quomodo corpora reincrudere possum: saltem in mineralibus: in animalibus vero rem satis facilem video, per semina eorum, quæ ab istis indigesta producuntur.

CAP. V.

In isto opere physico non capiatur id ex quo metalla ſunt, adducens exemplum de creatione hominis: item quomodo res in viſceribus terræ circulando generantur.

Natura. Non mirum est, quod nondum percipis modum, eo quod illa ex quibus procedunt, ista adhuc ignoras.

Filius. Quod illud est ergo in mineralibus, quod terræ commendare, sive in primam materiam reducere præcipis?

Natura. Jamque tibi dixi, quod ex fine cujuscunque rei resultet principium ejus.

Filius. Verum est Domina, ut videre videor quod ex fine cujuscunque rei resultat mihi materia, quod tamen erit forma non bene percipio, quod metalla homogenea sunt? in ipsis autem pars à suo toto non differt; in heterogeneis vero, sicut in animalibus & vegetabilibus, semina sunt satis perceptibilia.

Natura.

Natura. Fili, dixi tibi, quod à quo dependet alicujus principiũ, in eodem erit sui incrementum.

Filius. At si hoc verum sit, sequitur quod forma & materia sive eorum incrementum erit ex Mercurio, & sulphure, eo quod secundum omnes Philosophos, metalla omnia ex ipsis originem ceperunt.

Natura. Fili, verum dicis, non oportet tamen in tuo magisterio capere illud, ex quo metalla sunt; sed illud quod ex ipsis est: verbi gratia, capiam primum exemplum in homine, qui natura naturante principio factus est ex limo terræ quidem, unde primus factus est, quod est illud ex quo ipse est; sed ex eo popismate sive spermate; quod ex ipso est: Item in vegetabilibus capiamus eandem similitudinem. Planta enim (ut superius expressum fuit) generatur vel potius producitur ex subtili terreo vel aqueo, simul mixtis, si ergo ad ipsam productam caperetur terreum & aqueum, quantumcunque subtilissimum, nunquam intentum duceretur ad effectum Non capitur ergo illud, ex quo ipsa est, quod est semen vel surculus ejus: mineralia vero generantur ex sulphure & argento vivo, quæ quidem pro opere tuo perficiendo minime capiuntur, cujus rationem tibi consequenter ostendam, per compositionem saponis, qui ex aqua extracta ex cineribus clavellatis, & oleo vel sapo efficitur. Quia si quodlibet istorum per se caperetur, & congelaretur aqua, sive lixivium in sal, non esset possibile postea facere saponem: Inde quod similiter accidit de sulphure, quod primo erat aqua, cujus natura erat frigida & humida, quæ postea circulando per calorem solis, vertitur in aërem, cujus natura est calida & humida, denique vertitur in ignem, cujus natura est calida & sicca, cum quo postea se temperat terra, & sic efficitur sulphur. Et eodem modo intellige de Mercurio, sed non eodem ordine, eo quod alter est summe calidus, alter summe frigidus. Si tamen illa aqua unde componuntur ante talem circulationem haberetur, posset inde metallum fieri, sicut dictum est de sapone: quod postea nullo modo fieri possit; quare concluditur sicut dictum est, de animalibus, & vegetabilibus, illud non esse capiendum, ex quo metalla sunt, sed quod ex ipsis scilicet metallis est; si ergo me intellexisti, fili, sulphur & argentum vivum, unde creatur lapis, non sunt illa, ex quibus metalla generantur, quod combustibilia sunt, sed illud quod ex ipsis est, quod est non urens.

CAP. VI.

Natura docet artis filium se non posse facere materiam, ex qua Mercurium Philosophorum fit, & quare vocatur Mercurius Philosophorum.

Filius. Profecto Domina, omne illud quod dixisti, verum arbitror, eo quod per jam dictas similitudines apparet, quod sic sit in rei veritate, nihilominus sum magis confusus quam primo fueram: quod nullo modo intelligere possum, qualis debet esse ista forma. Philosophici dicunt, cape Mercurium nostrum, & sulphur nostrum, & tu dicis illa non intrare in magisterio. Quid ergo accipiam ignoro, cum nulla alia sulphura neque argenta viva cognosco.

Natura. Fili, Philosophi dicunt accipe Mercurium nostrum in hoc dant tibi intelligere, quod non loquuntur de communi, quia dicunt nostrum: Mercurius enim dicitur eorum, sicut filius patris dicitur, qui cum genuit, quia non est mihi (inquit natura) datum producere eorum Mercurium de potentia ad actum, absque adjutorio Philosophi, quare merito dicitur ipsorum, quia eum usque ad effectum producunt.

CAP. VII.

Ibi Natura docet rem omnem habere suum contrarium. Ultra ubi est attractio, ibi erit & retentio, & quod attractio ferri à magnete artem manifestat.

Filius. Enarra mihi obsecro, qualis est iste Mercurius, qui dicitur semen metallorum.

Natura. Fili per hoc quod dixi tibi superius spero te intelligere, quæ sit tua materia, eo quod ex fine tuæ intentionis resultet, scias ergo quod omnes res aliquid habent odisse & aliquid amare, quamvis in lapidibus convenientius dicitur attractio: quam amor vel odium, quod in animalibus melius congruit; Vide ergo qualis res in mundo sit, tua materia propinquior, in attractione scilicet, sciens quod levia superius non possunt, nisi gravium inferius consortio detineri, utraque ergo in opere erunt necessaria, grave & leve: inter quæ attractio quemadmodum inter causam & effectum, homo enim intuens mulierem trahit & trahitur ab ipsa magis quam à cæteris animalibus extra suum genus & suam speciem existentibus. Modo simili stomachus tuus esuriens, visis cibariis, magis ea appetit, quam multa quæ ab oculis videntur; nam solum ille appetit, quod naturæ suæ convenit: quare scias quod ubi fit attractio, ibi erit retentio. Digestio sequitur, & per consequens Evacuatio: quod quidem oportet fieri in tuo opere, eodem modo, ac eodem ordine: Primo in summitate vasis vice stomachi, 2. centro ipsius loco epatis, 3. inter poros & ipsius meatus: quemadmodum in venis, & 4. & ultimo in omnibus partibus corporis ut in membris.

Filius. Profecto Domina ego satis percipio omnia creata habere aliquid odisse vel amare: Quamobrem Philosophus dicit, in habentibus symbolum facilior est transitus, tamen ad istud propositum, hoc videtur, esse contra dicta philosophorum; qui dicunt unam rem fore in opere necessarium, cui nihil additur: nisi quod superflua removentur: Si ergo fuerit attractio, necessario duas res esse ibi oportet.

Natura. Fili, nũquid definitionem speciei ignoras, quæ prædicatur in numero differentibus. Vir & mulier non differunt specie, sed numero tantum: sic in isto magisterio, erit alia differentia, quia erunt duo in carne una, super quod dabo tibi exemplum in ipso homine, qui quidem generatur ex spermate activo naturali, & spermate passivo innaturali, cum sanguine menstruali contra naturam; quæ quidem spermata ab ipso menstruali originaliter proveniunt: Imo est matrix, in qua hujusmodi recipiuntur, quæ non differt ab ipso sanguine, neque totum corpus scilicet utriusque viri & mulieris: vide ergo qualiter ego operer in una re, quæ quidem non differt, nisi in combinatione Elementorum. Imitare me ergo in opere tuo & lætaberis, & tunc verificabitur illud dictum ante primitus assumptum, natura te docebit; Quod si ab isto itinere declinaveris nunquam ad bonum finem pervenies, eo quod in portentis non delector. Scias itaque fili, quod attractio ferri à magnete propalat atque manifestat sapientibus majorem partem secretorum

meorum: quia per hoc perpendis quod attractio non fit in animalibus duntaxat, sed & in lapidibus, dispone ergo materiam tuam sagaciter, & considera bene naturam ejus per ea, quæ superius dicta sunt; per hoc enim cognosces formam sibi congruam atque operi tuo convenientem, qua habita nihil tibi deerit.

CAP. VIII.

Quid sit Depuratio, & sine illa vix quicquam boni operabitur in hac arte, quia totum magisterium in materiæ præparatione consistit, & quod Aurum vulgi non sit lapidis materia.

Filius. O Domina, ego te obsecro, ut mihi dicas, quare Philosophi dicunt Solem exaltari in arietem debere, an ibi sit motus Arietis observandus? ipso Sole ascendente vel sole ibidem conveniente?

Natura. O fili scias, quod Philosophi non dicunt hoc, ut motus cæli movetur eo quod omni hora & momento est generationi atque corruptioni congruus; quia hoc dicunt quod sol superius exaltatur in arietis signo, quod est Saturni casus & domus Martis est; quia est totus colericus, sic oportet quod sol infernus, unde opus tuum sit exaltetur in domo Martis, in ariete scilicet, qui est tuus elibanus, in quo deprimitur frigiditas, quæ est propria Saturno, & calor exaltatur, qui est causa exaltationis tui Solis.

Filius. Quomodo Domina, non intelligo, quod Sol noster exaltetur propter elibani calorem, quia perfectus est, ut omnes Philosophi testantur.

Natura. Intellige fili, quod virtute ignis sol tuus depuratur, quæ quidem depuratio à Philosophis pro exaltatione intelligitur: & quia in ariete sol incipit ascendere ad augem, id est summum fastigium, quod ulterius ascendere non possit; simili modo sol tuus semper exaltatur, usque ad finem operis.

Filius. De quo Sole loqueris Domina?

Natura. Neque de superno loquor, neque de illo qui vulgariter sol nuncupatur, eo quod si non sit mixtus non potest exaltari, ultra id quod est; ego loquor de sole Philosophorum qui est una res vilis, & parvi pretii, qui per istud magisterium potest exaltari super aurum gradibus infinitis, & efficitur impretiabile pretium, ac thesaurus incomparabilis.

CAP. IX.

Necessario in hac arte duo necessaria esse, nempe agens & patiens: Quia unum & simplex non agit in seipsum.

Filius. Benedictus sit qui te creavit Domina, & benedicta sis in omnibus operibus tuis, jam enim sapere incipio, & intueri tuam nobilissimam operationem, per tua gloriosa dicta: postquam ergo tua doctrina mediante formam & materiam habeo cum modo exaltationis nostri Solis in ariete; Jam ostende mihi obsecro qua ratione forma agit, materia vero patitur: quia si me non fallet opinio, ibi latet arcanum, quia ejusmodi actio est necessaria, propter certam proportionem numerorum & mensurarum.

Natura. Fili verum dicis, quia tota vis magisterii tui ibi consistit, sed ad hoc intelligendum non habes ignorare, scientiam istam esse scientiam quatuor elementorum, quæ super omnes alias uberius ac melius de eorum symbolizatione & discordantia tractat: & quæ ipsorum sint nobilia, quæ ignobilia; quæ activa, quæ passiva: quamvis omnia vicissim agunt, & patiuntur, quæ concordantia & quæ discordantia, quam symbolizationem intelligimus; quibus arte præceptis scies qua ratione agens agit & materia patitur, quia (Arist. teste,) omne agens suo passo nobilius est: Cujuscunque ergo tuum agens complexionis extiterit, suum patiens contrarium necessario esse debet; verbi gratia, si tua materia frigidæ & siccæ complexionis fuerit, operæ pretium erit tuum agens calidæ & humidæ complexionis esse, quod par in parem non habet imperium; Sis ergo cautus ibi, nam Philosophi nihil celavere nisi quæ nunc quæris.

Filius. O bona Domina, ergo te summe flagitio, ut hæc me docere non dedigneris, quia meo judicio passus iste est omnium difficilimus.

Natura. Verum dicis omnia enim per pondus, numerum & mensuram esse creata; nemo sanæ mentis ambigit, sunt tamen talia bene rectèque cognoscere, admodum difficilia; nemo enim hoc enucleat, nisi sit de electis sapientibus, quia rari sunt, qui in talibus delectantur, tu vero es fragilis & parvæ capacitatis; quare per satis familiare exemplum te instruam: & hoc super hominis generatione, in qua vir dicitur agens, & mulier patiens; Si ergo agens sit suo passo nobilius, oportet quod magis nobiliora elementa sint in ipso, quæ sunt ignis & aer, alia vero duo terra & aqua scilicet in patiente sunt; non intelligas tamen, quin omnia quatuor sint, tam in agente quam in patiente: sed non eodem ordine, quia (ut jam dictum est) par in parem non habet imperium. Quare sequitur, quod si femina esset adeo calida sicut vir, generatio ab ipsis minime sequeretur. Oportet ergo: quod mulier sit valde frigida respectu viri, cum ergo tuam materiam habueris, sua complexione optime speculata, suum agens facilime reperies, & hoc non exeundo latitudinem speciei quam quæris.

Filius. Omnia quæ dicis peroptime intelligo, modum tamen proportionandi non video.

Natura. Ego profecto te satis rudem invenio, quare unum exemplum tuæ naturæ simile tibi dabo, si aliquis tibi præciperet ut lapidem projiceres, quem si nimis gravem sive ponderosum invenires, diceres eum te projicere non posse, modo simili faceres de levitate: quare tentando immediatè perpendis, si proportio debita sit inter te & ipsum. Item cum esuris & vides cibaria, ignoras quantum ex eis tibi sufficiat, comedendo illico sentis virtute tui stomachi, quantum tibi convenit, fac ergo similiter in tuo magisterio.

Filius. Certissime Domina dicta tua verissima sunt, minime tamen dubiis meis satisfacinnt. Certus enim sum his sicut in cæteris pondus certum esse determinatum; tu vero me hic instruis, non per causam quemadmodum Philosophi scire oportere dicunt: sed potius sicut rustici idiotæ hujumodi probare solent; eo quod calidus stomachus, & fortis plus potest in digerendo quam frigidus & debilis in productione alicujus speciei de potentia ad actum; opinor tibi certam mensuram esse observandam, imo pondus atque numerum determinatum, & quod hoc sit causa totius effectus.

CAP. X.

Hæc Scientia est pars Cabalæ, & potest doceri in aure, modo quis sciat proportionem ponderum.

Natura. Verum est quod dicis, fili, ista tamen non sunt palam dicenda neque manifestanda, nisi Deum timentibus, & hoc per colloquia, eo quod scripta tam ab indignis, quam dignis videri possunt, quare aliqui dixerunt, istam scientiam esse partem cabalæ, quæ receptio interpretatur per colloquium scilicet. Nam Philosophi de ea tractantes tantis ænigmatibus, tropicis scriptis; gryphis, atque problematibus involvunt, quod tantum docet Pythagoras suo silentio, quantum ipsi scripturis suis: hic ergo in ista frutice latet lepus, eo quod ista proportio est clavis omnium secretorum; quia metalla quæ ab una radice originem sumpserunt, in pondere diversificantur, per istam proportionem duntaxat, atque lapides pretiosi ab ipsis metallis non differunt qualitate, calore vel levitate, fusioneve, nisi ista mensura sive proportione mediante: eo quod illud, quod producit metalla in esse, ea gubernatione mediante similiter preciosos lapillos in esse producit, secundum tamen diversa instrumenta, atque informationem diversam, quam à me accipit, vel ab ipso artifice mihi ministrante.

CAP. XI.

Quomodo Natura regit omnia, tam inferiora quam superiora, certis mensuris & rationibus Elementorum.

Filius. Quid intelligis, Domina, per instrumenta diversa atque informationem diversam?

Natura. Intelligo quod locus generat vel conservat locatum; quod quidem Lullius in libro primo suæ quintæ essentiæ, capitulo quod incipit: Referimus, namque tibi, egregie ventilat, dicendo, fili, audi, quid super ista proportione dicit: hæc est multiplicatio & proportio tinturæ, quam Dominus noster dedit mihi naturæ ad faciēdum transmutationem. Quoniam ex uno pugillo terræ, & novem aëris, fiunt decem pugilli aquæ; & de uno pugillo aquæ, & novem ignis, fiunt decem pugilli aëris, ascendendo per scalam vivificationis naturæ grossæ, in simplicem & altam; similiter ex uno pugillo ignis, & novem aquæ fiunt decem aëris mortui, qui est aqua viva: & iterum de uno pugillo aëris mortui; qui est aqua viva, & novem terræ, fiunt decem aquæ glorificatæ. Intellige ergo quia ista est doctrina, per quam omnis mensura; & omnis temperantia indiget fieri; & est necessarium quod sic fiat in hac arte, quia aliter fieri non potest. Ista enim proportio est catena deaurata, & rota circulorum totius seculi, per quam ego Natura gubernor, per omnia mea instrumenta in rotando & circulando, hæc Raimundus.

CAP. XII.

In hac arte radices metallorum sunt cognoscenda. Cognita hac scientia cæteræ scientiæ facile cognoscentur. Idcirco Deus omnium scientiarum donator orandus est.

Filius. Obsecro Domina, doce me clariore ac faciliore modo si poteris, nam ista quæ nunc retulisti, sunt nimis obscura.

Natura. Fili, utere consilio Avicennæ, qui dicit, quod cognitio metallorum eorumque radicum, facile facit hoc magisterium: scrutare naturas eorum, & facillime quod tu desideras invenies: scias quod per cognitionem speciei quam quæris, qualis ista proportio esse decet. Noli ergo ulterius de ipsa inquirere, eo quod magistro meo non placet, quod talia divulgantur; sed itude diligenter, & implora tui creatoris auxilium, ut sua misericordia tuum intellectum illuminare dignetur, non ista specie duntaxat, sed in omnibus aliis, ut una cum isto magisterio omnia simul agnoscas. Quia quicunque istam scientiam per causam & rationem intelliget, omnia mea fere secreta eidem propalabuntur; eo quod ista est peculiaris ad omnes alias cognoscendas. Adhuc fili, volo te scire, quòd Arithmetici suam materiam in Dyade sive binario constituunt; formam vero in monade sive in unitate. Nam averrois commentator Aristotelis (inquit) Infima supremis proportio dupla ligavit. Quare fili, prudenter interrogasti, pauci equidem sunt, qui de talibus dubitant. Imo inter mille unum non video, qui considerat, quid in opere erit materia, sive forma, quare merito decipiuntur; nam eorum interrogatio non est nisi super Mercurium, quam si semel intelligunt argentum vivum esse, non petunt ulterius. Si sit bipartiens, vel unicus, sufficit illis, solum invenire modum mortificandi ipsum, quia tunc existimant se invenisse magisterium; cum in rei veritate sunt magis remoti quam ante fuerunt, quare super dubiis tuis te summe laudo.

CAP. XIV.

In numeris omnia sita sunt. Imo elementa certis numeris ligantur.

Filius. Profecto Domina, memini me legisse in principio Boetii, de consolatione Philosophiæ. Tu qui numeris elementa ligas, quod eum temere non sic dixisse arbitror, vidi & certo experimento elementa invicem combinari, aliquo numero; quod alio minime fieri potest; præterea Philosophi mira dicunt de numeris. Nam Picus Mirandulanus ita eos extollit, ut non vereatur dicere, per ipsos responderi posse, ad omne scibile, quod profecto verissimum arbitror. Quare libentius de iis interrogassem; salvo quod hujusmodi docere recusas.

Natura. Multa secreta in numeris sita sunt, nihilominus si mihi intimaveris, in quibus erudiri cupis, ergo forte precibus tuis acquiescam.

Filius. Ego enim informari cupio super corpus æquatum, vel potius æquandum; nam Philosophi affirmant, medicina nostra mediante omne corpus tam humanum quam minerale, sive vegetabile, rectificari posse: si ergo æquatum non fuerit: quomodo dabit quod non habet?

CAP. XV.

Hæc scientia est investigatrix rerum naturalium, qua pervenitur ad cognitionem abditarum rerum.

Natura. Profecto fili, quod quæris satis arduum est, quia tamen primo super dubiis tuis respondere spoponderam, omnia tibi manifestabo, sub conditione tamen quod nemini indigno revelabis. Idcirco primum scire debes, quod ista scientia super cæteris profundius secreta mea investigat,

eo quod ipsa sola imitatur, me tam in generationibus, quam in transmutationibus per digestiones superiores declaratas. Quæ quidem ostendunt, qua ratione vegetabilia in animalibus & animalia in hominibus, hoc est dictum carnem & sanguinem humanum convertuntur; denique ipsa rimatur omnimodas elementorum combinationes, quæ in universo sunt, & (ut Avicennæ placet) centum quadraginta quinque numerantur. Quibus omnia per me propagata generantur, variantur, atque diversificantur: quarum & cognitio ad illud quod quæris inveniendum erit tibi admodum necessaria, possuntque 145. prædicti 24 modos reduci, quos prout consequenter explicabo, quibus auditis percipies aliquas qualitates agere & pati; & hoc secundum magis & minus, per quas quidem finaliter invenies modum æquandi elementa in uno corpore, quod est illud quod quæris. Non opineris tamen quod talis æquatio fieri possit secundum quantitatem levis & gravis, quia corpus sic mixtum neque moveretur neque quiesceret, oportet ergo quod fiat secundum substantias & qualitates elementorum quantum ad æqualitatem virtutis potentiæ in operando, quia possibile est ad multum de terra ponere minus de igne, ut illud quod terræ est, habeat tantam potentiam ad agendum sicut illud de igne; Et sic de cæteris. Quæ cum sic fuerint congregatæ in mixto, Philosophi mixtam habere æqualitatem, in quo quidem maxime delector: eo quod in tali corpore neque est actio, neque passio, videre potes in auro, quod minime corrumpi potest, ratione prædictæ æqualitatis; ad istas ergo combinationes accedamus. Quare prima talis est, quia aut erunt duo elementa, scilicet majora, & duo minora, aut tria majora & unum minus, aut tria minora & unum majus; aut omnia æqualiter. Et hæc combinatio non potest esse secundum pondus, neque secundum quantitates qualitatum: oportet ergo ut sit secundum virtutes & potentias activas ipsarum qualitatum, eo quod complexiones attenduntur penes potentias & virtutes qualitatum, & non penes pondus & quantitatem. Intellige ergo quod ego hic loquor, de complexionibus, prout dixi tibi superius, si vero duo sunt majora, aut erunt ignis, aër, aqua & terra erunt minora: hic est primus modus: Aut erunt ignis & aër minora, & aqua & terra majora; & hic est secundus modus: Aut erunt ignis & aqua majora; Et hic est tertius modus: Aut ignis & aqua minora, & aër & terra majora; Et hic est quartus modus: Aut quod ignis & terra sunt majora, & aër & aqua sunt minora: Et hic est quintus. Aut ignis & terra sunt minora, & aër & aqua majora; & sic est sextus: si vero aër combinetur cum aqua & terra [ut prius dictum est de igne] aut cum terra fiunt combinationes sex: Licet non erunt modi diversi secundum rem sed solum secundum rationem combinandi, ut patet: Quia si dicitur, quod aër & aqua sint majora, terra & ignis sunt minora, jam fit sextus modus; si vero dicatur, quod aër & aqua sint minora, & ignis & terra sunt majora, sic fiet modus quintus: si vero dicatur, quod aër & aqua sunt majora, & terra & ignis minora, tunc est quartus modus; sic è converso tunc est tertius modus; si vero dicatur, quod aqua & terra sunt majora, ignis & aër minora tunc est secundus modus; si vero è converso, tunc est primus modus. Quare intelligere debes, quod Avicenna obnubilando has divisiones, ponit duodecim modos, qui sunt non nisi sex secundum rei veritatem. Qui si dividantur in viginti quatuor, quilibet 4. modos habebit. Nam cum dicitur, quod aër & ignis sunt majora, potest esse quod ignis sit maximus, & aër minor, & aqua minor, & terra minima. Et sic possunt modi omnes alii variari per quatuor, secundum formam nunc dictam. Nam in secundo modo cum dicitur, quod ignis & aër sunt minores, & aqua & terra majores, potest esse quod ignis sit minimus, aër major, aqua major, terra maxima; & sic primus modus: vel ignis minimus, aër major terra major, aqua maxima; & sic secundus: vel aër, sit minimus, ignis major, aqua major & aqua maxima; & sic est modus quartus. Et sic intellige per alios modos per exemplum illorum. Quare, fili, si illa omnia cognoscere volueris, lege ipsum Avicennam in sua majori Alchemia.

CAP. XVI.

Quatuor sunt gradus in rerum natura & non plures, & quod aurum est ultimum appetitus materiæ & formæ.

Filius. O Domina, non est mihi possibile tuæ doctrinæ dulcedinem explicare: quare te summe flagito, ut me jam instruas super illo corpore æquato, in quo neque est actio, neque passio, ubi dixisti te quiescere: eo quod in illo est ultimus appetitus formæ & materiæ.

Natura. Fili scias; quod complexio æqualis & temperata est ex qualitate quantitatum, quantum ad potentias activas, quæ quidem dicitur habere suos gradus; saltem respectu complexionis humanæ, & hoc usque ad 4. secundum gradum dominii, vel secundum aliquos usque ad decem gradus, quamvis Latini non doceant plures gradus quam quatuor, respectu sensus & humanæ complexionis tum naturaliter, & secundum se infiniti possunt esse gradus temperati, & æqualitatis. Tu vero in æqualitate tua habebis respectum ad aurum, ad instar ejus adæquabis opus quod quæris, & hoc fiet cum radices ejus cognosces; alias decipieris.

Filius. Deo adjuvante, tuam doctrinam imitando spero pervenire ad optatum; deprecor te tamen, ut exponas mihi istos quatuor gradus, secundum sensum humanæ complexionis.

CAP. XVII.

Adhuc sententiam graduum prosequitur, & quod gradus unus alium superat.

Natura. Fili scias, quod primus gradus respectu humanæ complexionis est ille, in quo est æqualitas, secundus vero æqualiter excedit, tertius quodammodo ad læsionem declinat; sed quartus propter suum excessum lædit sensum. Exempli gratia: Aqua multum tepida sensum succumbit, nec delectatur sensus in ea: & sic est primus gradus. Quando vero est bene temperata, calido cum frigido, ut sensus in eo delectetur, tunc est secundus gradus. Quando vero est calida & lædit sensum, tunc est gradus tertius; sed si est bulliens, tunc est quartus gradus. Et sic isti gradus possunt ire in infinitum quantum ad nos secundum augmentum istarum qualitatum, tamen in quarto statu, respectu humanæ complexionis. Maxime cum complexio, de qua superius tactum est, dicitur æqualis, & temperata humanæ complexionis, eo quod est humanæ naturæ maxime conveniens: non tamen sentiendum, & sciendo

sciendo quod gradus desideratur hic in rebus, quantum ad tactum & sensum; & secundum virtutem & potestatem vidi. Nam Zingiber secundum tactum, naturam, sensum & substantiam est frigidum & siccum; sed secundum virtutem complexionis, est calidum & humidum. Et vinum est frigidum & humidum secundum tactum exteriorem, & secundum substantiam & sensum; & secundum virtutem complexionis est calidum & siccum. Et sic intelligere potes, quod unum magisterium est suo occulto contrarium.

Filius. O Domina, quam dulcia sunt eloqui tua! declara mihi adhuc modicum super illa æquatione quam tantum desidero, quia in istis combinationibus me in tantis involvisti, quod cui parti adhæream ignoro.

Natura. Si magis de illo corpore æquato vel æquando scire desideras, audi quid super hoc sentiunt Philosophi.

CAP. XVIII.

Hic docet quid sit quadratura circuli, quam multi periti frustra quærunt, ut Aristotelem non intelligunt, varia tractantur in hoc capite.

Natura. Euclides in Rosario ait: hujus aquæ proportionale scire poteris, si multiplices pondus corporum in duodecim. Item quidam alius: si continens habuerit duas libras, appone duodecim grana Mercurii præparati: Item lapis aquilæ sit 9. fermentum, id est pars terræ, quia modicum de fermento totam massam corrumpit. Socrates in turba, si parum de auro posueris, exiet tinctura potens & candida. Parmenides, unum superat decem. Hali, quantitatem ipsam, & scias ejus pondus, & adde ei de humiditate quantum potest esse: ejus quantitas non habet pondus determinatum. Item & alius metrice dicit: cujus pars dena rerum sit germine plena. In tractatu qui incipit terra stat. Terra debet bibere tantum, quantum de vino ipsum est. Item in eodem tractatu, pone tantum de vino, quantum de altero alio. Item Bacon de complexionibus corporum; Spiritus debet esse proportio, vel decima pars corporis. Item in alio tractatu: Proportio corporis sit secundum rationem tuam, proportio vero metalli est quinta & sexta pars medicinæ. Item in tractatu qui incipit, Venerande pater, per quadrangulum intellige quatuor elementa, & per duodecim, tertiarias imbibitiones; accipe pondera, verte ergo quadrangulum in rotundum, & totum habebis Item in eodem advertendum est oppido, quod pondera in hoc loco sumuntur æqualia sine angulo, & illud ideo quia sic utimur æquali linea; sume ergo de unoquoque æquale eorum pondus. Iterum & alius metrice: Sulphuris & tantum capiatur de flumine quantum. Item tractatus quia nimis sermo: vide quod quantitas matris sit penes filium, ut habeat se numerus ternarius: 4. vicibus in se deductus. Audi similiter quid Hermes super hoc definit. O fili sapientiæ (inquit) scito te aquam sapienter ponderatam esse, cujus proportionem docebo consequenter. Accipe ergo de humore 2, tertias, & de rubore meridionali 4. partem, desehit, id est, terra citrina similiter, & de auripigmento similiter dimidium, quæ sunt octo. Quæ quidem verba mystica sunt mysteriis plena, & sensu obscura relata. Item Johannes Dastin, qui fuit excellens Philosophus, ad quendam Cardinalem scribens. Ex denario divino statues unitatem. Item Raym. Lulius cap. 91. Et ideo demonstrarum est, quod vapor menstrualis terrestris & argenti vivi, non debent excedere, neque pondus metalli puri, nisi æqualiter illi. Et idem cap. 82. Adjunge sibi capite rubeo novenam partem, cujus complexio est calidissima, cum duabus partibus pedis albi. Item Comes Bernhardus: Deus fecit unum & decem, & decies ipsum multiplicavit, & iterum idem: pone decimam partem cum decima parte. Item Arnoldus de Villa nova. Non sis prodigus neque avarus, sed tene medium. Item alius: Ut sit opus summum minus exigit uncia nummum. Item & quidam alius; Pondera propono, quibus hic secreta repono, Pondera quinque Jovis vivi, sint vincta duobus, Pondera quinque meri vicies, dant vulnera Marti. Item & alius, sunt 24. horæ diei, adde unum, & erunt 25. Fili, ego possem adducere adhuc plura eorum dicta ad istud propositum, sed meo judicio ista videntur dubiis tuis satisfacere posse: si illa intelligis, quia quamvis diversificantur invicem, in sententiis concordant tamen omnes, in sensu & intentione.

Filius. Ego gratias tibi ago immensas ô bona Domina, super omnibus beneficiis tuis, non modò duntaxat, sed multo tempore antehac exhibitis, tu enim me hic pulcre & sagaciter instruxisti, quamvis illa quæ nunc retulisti, sunt satis obscura atque admodum difficilia; spero tamen (gratia Dei interveniente) mediantibus illis ad optatum pervenire: memini enim me legisse in libro Mariæ sororis Moysi, Matrimonifica gummi cum gummi: Et Morienus inquit, fac ut fumus rubeus album capiat: modum agendi tamen non declarat, sicut multis modis jam [licet obscure] fecisti.

Natura. Non est ista scientia quemadmodum de cæteris, nam ista omnibus dari non debet: pauci enim sunt tanta gratia digni. Quare eam per ænigmata, parabolas, scirpos, gryphos tropicos, & hujusmodi, de more antiquorum tradere oportet. Sapientes enim & Deo dilecti sciunt eligere granum ex paleis, & teriacam conficere de serpente. Nam Bacone citato, ubicunque Deus magnam virtutem posuit, ibi magnam difficultatem pro custodia reliquit, ut est videre in viperis, in quibus maximum secretum latet, cum magno periculo, atque difficultate. Taceo istam scientiam quæ ducit majorem partem hominum in ea laborantium ad confusionem: eo quod rari admodum sunt qui eam inveniant; infiniti vero qui per eam deperdantur: tamen nihil in mundo ea verius invenitur. Tu vero si prima lectione quæ tibi retuli intelligere nequiveris, reitera lectionem: & roga Creatorem ut tuum intellectum illuminare dignetur. Et sic finaliter quod quæris invenies.

CAP. XIX.

Hæc scientia non acquiritur receptis aut vanis studiis, sed laborando, meditando, & re ipsa præstando.

Filius. Ergo te imploro Domina, ut unum saltem ex dictis tuis enucleare mihi non dedigneris, dixisti enim superius viginti quatuor horæ sunt diei, adde unum sient viginti quinque. Quod utique verissimum esse arbitror, quid tamen per hoc velis ignoro.

Natura. Non te præteriit, quod sole lucente dies est in die tuo: quod est sol tuus ad istud opus

peragendum: adde unum lunæ, qui eſt Mercurius, & erunt 25. habes ne jam quid ſit.

Filius. Imo Domina, quare iterum atque iterum de omnibus viribus meis regradior. Profecto multum obligamur Philoſophis, qui hanc ſcientiam nobis taliter tradiderunt, ut eam acquirendi cautos atque ſubtiles, imo & Deo magis devotos redderent. Bene inquit Caro, dicens: Dulcia non meruit qui non guſtavit amara. Dignus non eſt imperio qui negligit certare pro illo. Quis etiam victoriam poteſt ſperare ſine pugna?

CAP. XX.

Docet quid ſit primum movens in rebus naturalibus, Quomodo ex uno grano ſeminato natura multiplicat in infinitum. Sic & Ars facit imitatione naturæ; Et abſoluto lapide poteris ad talem formam ducere qualem volueris.

Natura. Jam fili video quod ſapere incipis, quare libentius à modo te inſtruam. Scias ergo quod primum movens in me natura, eſt ſpiritus vegetativus, qui in vegetabilibus humor aëreus, in animalibus vero humor radicalis: vel calor innatus dicitur: Et eſt propriè ignis naturæ: Non intelligas tamen, quod ſit calidus ignis & ſiccus. Imo ut prius dixi, eſt naturalis: qui proprie dicitur calidus & humidus: & propter hoc Philoſophi dicunt ſuum lapidem eſſe vegetabilem, eo quod abſque tali ſpiritu neque creſceret neque pullularet.

Filius. Quomodo eum creſcere ac pullulare ais, ô Domina? ego enim non intelligo quod creſcat neque multiplicetur, niſi prout panis creſcit apponendo magis de farina, & rebus cæteris ad ipſum faciendum requiſitis.

Natura. Fili tu male intelligis: eo quod lapis id eſt medicina quam quæris pullulat, & multiplicatur, quemadmodum granum frumenti cadens in terram bonam, cum mortuum fuerit, multum fructum affert. Quia (Divo Paulo teſtante) quod ſeminatur non fructificatur niſi prius corrumpatur, & moriatur. Dum corrumpitur ergo multa alia grana inde producere poteris. Modo ſimili hic intelligere debes quia de uno calco quod eſt pondus minimum, grano excepto, centum mille talenta quod eſt pondus maximum; imo milleſies mille millia talenta & uſque in infinitum, ſine fine, aut aliquo numero determinato, quantum ipſe volueris de potentia ad actum producere. Quare ſatis debile exemplum de pane aſſumpſiſti, eo quod panis nullam cum eo ſimilitudinem habet (fermentatione duntaxat excepta) quæ quidem in iſto opere eſt admodum neceſſaria, & hoc pluribus. Exemplum in hominis creatione vel potius generatione, ſi matrix mulieris non habuerit aliquid de menſtruis poſt ipſorum generationem, (quæ ibi pro fermentis capiuntur) generatio hominis eſſet impoſſibilis. Similiter panis quem pro exemplo adduxiſti, ſi non fermentaretur, eſſet ſatis difficile eum ducere in ſaporem panis: Quare fili multa ſecreta latent in fermentatione: quæ longum eſſet enarrare. Quia in rei veritate, ibi latet fere totum ſecretum. Quia poſtquam lapis eſt completus & perfectus, tu poteris eum ducere ad quamcunque formam quam volueris, iſta fermentatione mediante, Vide ad hoc propoſitum quiddicunt Philoſophi. Omne fixum in fixo, vertitur in naturam fixi. Noune vides ſperma in omnibus animalibus unum? eo quod generatur ex ſanguine bis cocto, & tamen in diverſitatem loci in quo projicitur producit diverſas formas? Adverte ergo quid dixi ſuperius, quod locus generat locatum. Sperma enim in omnibus animalibus eſt, quemadmodum Mercurius in mineralibus; dicitur enim Mercurius propter ſuam mirabilem convertibilitatis adhærentiam: nam adeo verſipellis eſt, quod ſemper illi aſſimilatur cui jungitur, Ut in ſuperiori aſtronomia, cum bonis bonus eſt, & fortunatus, cum malis malus & infortunatus, ſcias ergo ipſum in aſtronomia inferiori temere non poſſe modo ſimili aſſimilatum, nam in inferioribus omnino ſe habet, ſicut in ſuperioribus, quæ omnia profecto te intellexiſſe arbitrabar, niſi paulo ante ſatis ſtolide locutus eſſes.

Filius. Ædepol, Domina memini me audiviſſe quendam Philoſophum dicere: qui nondum erravit, nondum incepit; ſine me ergo paulatim errare antequam incipiam; quia in multis aliis etiam ambigo, quamquam gratioſe in omnibus quæſtionibus meis reſpondiſti: ego adhuc incertus tum, ſuper hoc quod ſuperius dixiſti, ipſum oportere habere ſpiritum vegetativum: non enim in mineralibus talem ſpiritum videre poſſum. In animalibus ſive in vegetabilibus ipſum clare video.

CAP. XXI.

Medicinæ pharmacopœorum ſunt corruptibiles, Medicina phyſicorum incorruptibilis; Lapis multiplicatur multitudine ſpirituum.

Natura. Audi Fili, quid Raymundus Lullius & Johannes de Rupeſciſſa ejus collega, in ſuis quintis eſſentiis ſuper hoc ſentiunt, Velle præſervare per rem putridam & cito corruptibilem, & reformare per rem deformitati ſubjectã, & facere incorruptibilem per rem deficientem, & infirmum curare per rem infirmam, & pulcre facere per rem fœdam eſt fantaſticum & inane. Cum illa enim medicina poteris omnem infirmitatem etiam deſperatam ſanare: Aurum & argentum lapideſque producere preciosos, ſi ergo ipſa de re corruptibili facta eſſet, quemadmodum medicinæ de præparatione apothecarii, quarum virtus momentanea recedit prima actione projecta; quoniam non mutant, ſed mutantur: quamvis actionem fecerunt ad diverſa (digeſtione tamen ſuperante) vertitur ſubſtantia earum in idem medicatum: eo quod ſunt ex rebus cito corruptibilibus compoſitæ (ut ſuperius dixi) Audi etiam quid Rogerius Bacon ſuper hoc ſentit; Ait enim in epiſtola de retardatione ſenectutis: Res quamplurimas quæ tuas vires & fortitudines oſtendunt, ſua forma, ſua materia, eſſentia, colore, durabilitate; conſervatione, & corruptione. Nam ut ipſe ait: illud conſervat quamdiu conſervatur; & illud corrumpit, quam cito corrumpitur. Vide ergo qualis con plexionis & poteſtatis eſſe debet; Quia ſi ſit corruptioni ſubjecta, in vanum ſuper eam laborabis, Quia ut Job placuit: quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; per iſtas rationes clare videre potes, rem iſtam, quam quæris, minime ſubjici corruptioni: Quantum ergo ad hoc, quod de ſpiritu vegetabili dubitaſti; Nonne vides, quod ſi granum frumenti vel alterius ſeminis perforatum fuerit antequam ſeminatur perdet ſuum ſpiritum vegetabilem; quia non poteſt creſcere niſi illo ſpiritu mediante. Deficiente enim cauſa, ergo deficiet effectus. Modo ſimili. quomodo ſperabis ex parva quantitate tui lapidis medicinam multiplicare in infinitum, niſi virtute illius ſpiritus. Nullam enim rem vegetare poſſum abſque illo.

Illa

Illa enim est prima potentia in homine dicta vegetabilis (potentia elementari excepta) & habet sub se potentiam generativam sub aliis quatuor potentiis, quas ego explanavi tibi superius, & dicuntur appetitiva,retentiva,digestiva,& expulsiva ; quæ cum bene proportionatæ sunt sine aliqua alteratione,ut ego ipsas ordinavi, totum hominis corpus erit sanum; & alia potentia, quæ dicitur sensibilis completa. Perfecte dijudicas, per suos quinque sensus exteriores,omnia eorum objecta, & si deinceps tertia , quæ dicitur imaginativa: denique & quarta, quæ rationalis dicitur. Vide enim aliquid in potentia vegetabili debilitatum, sensualis potentia infatuatur ; quia putat videre quæ non videt, & audire quæ non audit: gustus non est ei bonus , nec rectè discernit per olfactum. Quare ipsa vegetabili potentia alterata; alterantur & destruuntur cæteræ potentiæ. Peroptime ergo sequitur illam potentiam vegetabilem , sive spiritum ejus peculiarem , ad tuam medicinam generandam sive producendam. Quod si tu (ut prius dixisti) ignoras talem spiritum fore in mineralibus, inquirere diligenter de eo, tam in corporibus quàm in spiritibus , sive mediis , quia sine ipso nunquam perficies.

Filius. Profecto, Domina, omnia quæ dixisti verisimilia sunt prima fronte , tamen sunt intellectu difficilia. Memor sum te dixisse superius , medicinam instar auri esse æquandam, sequitur ergo quod non sit aurum.

Natura. Dedi superius distinctionem auri , ubi de Angelis solis locuta sum ; & qualis ille Sol est , qui exaltari debet , cum nonnullis rationibus: Quare sol vulgi non exaltatur ; quem Plinius in sua naturali historia definit, dicens : Sol omnium corporum nobilissimus , nihil igne deperit, tantisque incendiis rogisque durante materia. Perpendis jam, quod si æquatus in suis qualitatibus non esset , iguem tolerare minime posset,& hoc durante materia. Quare dixi tibi,quod ad instar suæ qualitati, medicinam tuam adæquare necesse est. Non erit ergo ille medicina, sed coadjuvans; quia non habet illum spiritum vegetabilem in se , de quo locuta sum ; quamvis Rasis dicit tincturam esse in lapidibus, quemadmodum cor in animalibus. Et sic clare vides quod ipse non est , sed Philosophorum qui exaltandus est ; ego enim ipsum exaltavi quantum possibile est.Quare dicitur carus, alter verò vilis, & parvi pretii : Exalta ergo ipsum sublimando usque ad suum fastigium : Tu enim reperies eum per attractionem, quam superius declaravi : & cùm videris eum sic exaltatum , tunc esto certus, te operari in una re ; quia puritas est unius essentiæ , impuritas verò diversarum. Vide ergo diligenter , ut unam rem & non plures habeas , & in summa ut tibi satisfaciam , totius artis istud secretum per anacephalæosin referabo. Intellige fili, istam scientiam se omnino habere , quemadmodum alimenta in alitum. Ego vero superius locuta sum de appetitiva, retentiva , & digestiva , hic iterum conabor , non solum modum digestionis tibi ostendere , verum etiam qua ratione ipsum in alitum vertitur.

CAP. XXII.

Digestio fit beneficio caloris humidi , & non sufficit in opere calorem externum habere, sed illum qui in materia delitescit.

Natura. Intellige fili , quod ubicunque vegetativum est pro instrumento , sensitivum vero pro motore: quare apparet digestio fieri virtute motoris , & non instrumenti : Quia , dato quod animal sumat sibi aliquod vegetabile pro cibo , non tamen convenit ille cibus in vegetale , sed in sensitivum ; oportet ergo quod ipsa conversio fiat virtute caloris naturalis illius ipsum cibum digerentis : Eo quod nullam aliam causam quare hoc fit perpendimus. Non est tamen verisimile hoc fieri (calore duntaxat mediante) quia si sic , digestio fieret citius per focum , quam per calorem naturalem. Quæ sic facta , non tamen converteretur in sanguinem & carnem & ossa , (ut experientia docet) necesse est ergo, aliquam aliam causam occultam ibi esse, quæ minime apparet , & dato quod locus conservat & generat locatum , (ut superius dictum est) tamen illa causa non per hoc propalatur: est tamen aliquo modo satisfaciens dubiis hominũ. Intellige ergo fili quod calor extrinsecus ignis, non erit tibi sufficiens in tuo opere, habitis etiam omnibus rebus operi necessariis cum illo calore naturali materiam digerente , nisi illam causam occultam etiam habueris , quam ego clarè hic aperui, si me bene intellexisti. Ipsa enim latet in motore, & non in instrumento, ut superius dictum est.

CAP. XXIII.

Natura docet rem omnem esse cum anima,id est, spiritu vegetabili , qui quidem Spiritu movet res ad esse. Item hanc artem, arbitrii nostri non esse sed Dei omnipotentis : Ideo invocandus & orandus est.

Filius. Domina , tu hic profunde loqueris id videre videor , illa quæ nunc adduxisti tangunt rem cum acu , non tamen bene video , quomodo ad instar illius causæ occultæ possum opus meum dirigere , nisi quod dicis motorem illius effectus esse causam. Erit ergo illa causa in anima , quæ nullum effectum faciet, nisi existens in corpore proprio , eo quod natura, non nisi in sua lætatur natura , ut dicitur de spiritibus in corporibus mortuis existentibus , quia quamvis faciunt movere ipsa corpora , loqui & comedere ; non tamen digerunt per calorem naturalem , quem minime habent , & per consequens per illam aliam causam occultam , de qua sic locutus es.

Natura. Fili , optime respondisti ; quia sic est in rei veritate. Junge ergo animam cum suo corpore (suo spiritu mediante) quia anima nullo alio modo coassumet suum corpus , nisi per proprium spiritum , eo quod ipsa est in natura , à suo corpore nimis remota ; verum si interponatur spiritus cum utroque symbolizans , tametsi corpus per se ineffi-cax & ineptum , longeque à natura animæ remotum , tamen existens conformis utrique facile utrumque , & ad utramque fiet attractus. Intellige ergo quæ dixi tibi , quia per hoc attinges magisterium. Quod si omnia capere primo impetu nequiveris, roga Creatorem tuum , ut gratiam suam concedere tibi dignetur , mediante qua intelliges & complebis. Noli tamen hanc medicinam ab ipso quærere , ut alios excedas & superbias , quemadmodum faciunt arrogantes & ambitiosi se ipsos de possessionibus suis jactantes , quoniam omnes tales, non solùm à Deo,sed ab ista scientia,& omni Dei dono reprobati , & indigni inventi sunt. Scrutare ergo illam, ut omnibus viribus Deo servias , & videas quantum ipse fecit pro hominibus bonæ voluntatis , & sic finaliter , qui misericordia infinitus est, gratis infinitis dignum invenies, cujus sanctissimum nomen sit benedictum. *Amen.*

SUBSECTIO

SVBSECTIO VI.

DIONYSII ZACHARII Opusculum Chemicum, *cum adjuncto* NICOLAI FLAMELLI *in illum Librum* Commentario; *item ejusdem* FLAMELLI Summario Philosophico.

Prima Pars Opusculi DIONYSII ZACHARII.

Qua via pervenerit Auctor ad veram notitiam hujus Artis, Operisque divini.

HERMES ille Trismegistus non immeritò vocatus Philosophorum omnium naturalium Propheta primus, atque pater, divini Lapidis Author, & Termagnus Interpres, postquam expertus esset veritatem hujus divinæ Philosophiæ, scriptum nobis reliquit, quod nisi meruisset universale Dei judicium postremum, nunquam de hac divina scientiâ quicquam scripsisset, in tantam venerationem habuit. Hujus opinionis etiam extiterunt quotquot eum in hac Arte sunt imitati: quo factum ut omnes libros conscripserint in ea, variis argumentis in utramque partem concludentibus, ut ait Geber in Summa, ut ignorantes ad hunc modum errare cogerentur, econtra doctrinæ filii sub opinionum ejusmodi varietate, mentem ipsorum perciperent. Quos nihilominus etiam errare fuit necessarium à principio, ut postquam adepti fuerint artem summis laboribus, cum intellectus, tum corporis, pluris faciant, occultiusque servent. Ista nimirum est occasio maxima celandi: nam ad intolerabiles, pœnososque labobores accedunt sumptus ingentes, his potissimum qui librorum lectura sola discunt, expectantes inspirationem à divino spiritu, quemadmodum ego feci spatio decem annorum, ut narraturus sum, & medium dicturus per quod in cognitionem hujus Arcani venerim. Cum annorum essem circiter viginti, postquam cura parentum instructus domi fuissem in principiis Grammatices, ad Artes & Philosophiam relegatus, annorum spatio trium, diligentia particularis mei Præceptoris, adeò profeci, ut visum fuerit meis tutoribus (interea temporis enim uterque parens interierat) altius me provehere, videlicet ad legisprudentiam sub eodem præceptore: sed priusquam discederem ab artium collegio, familiaritatem & amicitiam cum plurimis aliis scholaribus inieram, isti varios habebant receptorum Chemicorum libros, quos mihi datos mutuo summa diligentia descripseram, annuente Præceptore familiari, qui jamdudum etiam in hac arte laborare cœperat, adeò ut antequam abirem, collegissem librum admodum copiosum ejusmodi receptis refertissimum. Statim atque una cum præceptore meo venissem eo locorum, ubi legibus operam navare debui, scripta mea cœpi revolvere, quorum aliqua projectiones continebant unius super decem, alia super viginti, triginta, tertiam, mediam partem, ad rubeum octodecim characterum, viginti, &c. in coronatorum aurum, ducatorum, altiorisque coloris quam unquam esse possit, unum sustinere debuit liquationem, aliud examen Lydii lapidis, omnia aliud examina: de albo similiter, unum esse debuit denariorum decem, aliud undecim, aliud capitalium numismatis argentum, album ex igne rediens, aliud in affricatione lapidis Lydii. Summatim existimabam, si vel minimum istorum præstare valerem, in hoc mundo majorem felicitatem contingere mihi non posse. Præsertim cum legerem ejusmodi recepta magnarum inscriptiones præ se ferre, unum Reginæ Navarræ, aliud Cardinalis Lotharingiæ, Turnonis, & aliorum infinitorum, ut ejusmodi larvis atque titulis fides ab incautis hominibus adhiberetur, quibus etiam decipiebar facilè cum cæteris. Fornaculas itaque fabricari cœpi, & à minimis ad maximas deveniens, totum istis replevi magnum cubiculum: unam ad destillationem destinaveram, ad sublimationem aliam, ad calcinationem, dissolutionem, balneum Maris, ad fusionem, adeò ut pro primo introitu ei principii, ducentos coronatos, quos receperamus in sustentationem studiorum ad duos annos, penitus insumpsissem, partim in fornacibus, partim in carbonibus, infinitis mineralibus, & vasis vitreis, auro & argento inutiliter fusis, mixtis, atque solutis, quæ longa tractatione peribant inter loppas & cineres, ac ita diminuta vix apparebant, vel tantillo residuo fragili & corrupto: finito nondum anno priore, substantiam duorum, aut saltem posterioris jam inchoantis, in fumum redegi. Hoc tempore meus Præceptor callidissima febre correptus, per calores nostris carbonibus excitatos (illorum instar fermè qui Venetiis in Arcenali percipiuntur à fusoribus tormentorum) quia jam inflammatus, ac flagrans intrinsecus frigidè bibisset, ob cujus mortem maximè dolui: tum quia parentes renuebant plures mittere pecunias, quam pro me solo. Proinde cupiens inchoatum opus prosequi, domum redire coactus sum, ut liber à tutela factus, meique juris, de paternis modo quo vellem disponerem, quæ statim in arendam (ut vocant) conscripsi quatuor annis quadringentorum coronatorum pretio, quibus tandem receptum ab Italo mihi datum experirer; hunc alui mecum, donec viderem exitum rei: affirmabat enim se vidisse per experientiam ejus effectum. In hanc rem emi duas uncias auri, & marcam unam argenti, liquata simul dissolvimus in aqua forti, postmodum calcinavimus per evaporationem, aliis quoque diversis aquis, variisque destillationibus dissolvere conati sumus, tantisper dum tres præterirent menses priusquam hic pulvis paratus esset in projectionem, quam quidem juxta recepti præscriptum fecimus, at frustra: nam augmentum transmutatum est in detrimentum, adeò ut ex auri & argenti simul

unciis octo, restiterint unciæ tres tantum, ut interim taceam de multis aliis sumptibus, quibus quadringenti mei coronati, sunt ad ducentos & triginta redacti, de quibus etiam viginti defecerunt, istos, Italo meo dedi, ut auctorem adiret recepti, quem asserebat esse Mediolani, à quo melius instrueretur. Proinde per totam hyemem expectabam ejus reditum, verum in diem postremum potuissem ibidem mansisse, nunquam enim postea mihi visus est. Æstas tandem comitante peste rediit, quapropter loco mihi cedendum fuit, aliisque sociis anno dimidio, quo tempore incidi in quendam senem, vulgò Philosophum appellatum, quo cum amicitiam contraxi, meaque recepta communicavi, rogans ut suo judicio meliora notaret: decem itaque vel duodecim quæ sibi potissima videbantur, demonstravit. Hæc, cessante peste, rediens ad pristinum locum tentare cœpi mox à reditu, perque totam subsequentem hyemem operatus ad festum usque Joan. æquè tantum emolumenti, quantum ex præcedentibus reportavi: siquidem adhuc quadringinti mei coronati sumpserunt augmentum, ut ex eis septuaginta duntaxat numerarem, non propterea despondi animum. Quidam Abbas habebat receptum ab amico Roma transmissum, ex aula Cardinalis Armignaci, cui adjunctus exposui centum coronatos, totidem & ipse, ut communibus expensis experiremur. Fabrefactis igitur fornacibus diversarum formarum ab aliis, quoniam opus erat nobis excellentissima aqua vitæ, pro dissolutione marcæ aut libræ semis auri, generosissimi vini vas magnum emimus, ex quo per pellicanum ingentem copiam ejus aquæ sæpius rectificatæ, plurimis vitreis vasis ad hoc emptis paravimus. Postmodum auri nostri, prius integro mense calcinati, marcam unam, & quatuor marcas aquæ dictæ, posuimus in duo vasa vitrea spississima retorta, unum in aliud intrante, sigillatis, & ambobus collocatis in duabus magnis fornacibus rotundis: Emimus etiam carbones pretio triginta coronatorum unica vice, ad ignem subtus continuandum integro quidem anno, ut interea tamen aliquid in aliis etiam receptis tentaremus, ex quibus non magis quam ex opere magno consecuti sumus utilitatis, ex utroque videlicet omninò nihil. Construxissemus ignem ad infinitos annos, priusquam, ut receptum pollicebatur, congelatio facta fuisset in fundo vasorum, non præcedente solutione. Non autem operabamur in debita materia, nec erat ista solutionis aqua vera, quæ nostrum aurum dissolvere debet, ut ab experientia patuit. Invenimus enim aureum pulverem adhuc integrum, nec nisi paulò minutiorem, quem projecimus super vivum argentum, ut habebatur in recepto, sed in vanum. Ægrè tulimus hoc infortunium, & præsertim Abbas, qui tamquam optimus secretarius publicus, jactitarat coram suis monachis, se nihil expectare, præter finem operis, tandem plumbeum fontem existentem in monasterio liquefacturum, & conversurum in aurum: verum in aliud tempus reservare coactus est, ut postmodum suppeditaret ei sumptus, quos interea fecit per Germanum operatorem prætereuntem, & frustra me absente dum essem Parisiis tentavit. Abbas utique reassumpto animo, persuasit mihi, ut congregarem pro parte mea trecentos, vel quadringentos coronatos, totidem adderet meis, quibus mecum assumptis Parisios me conferrem, ubi laborantium numerus infinitus, tantisper inter ipsos ac diversos versarer, donec opus aliquod perfectum inveniissem inter nos velut fratres partiendum. Quod quidem pacto inito, bona possessionum mearum denuò conscripsi, Parisios utique veniens octingentos attuli coronatos, ea intentione, ut illinc non discederem, usque dum assumpsissem aut reperissem quod optabam. Non sine parentum & amicorum omnium offensionem maxima recessi, qui me libenter in ordinis senatorii virum promovissent in patria, existimantes me legis peritum esse promptissimum. Verum ego resistens, ac simulans me his pecuniis officium aliquod empturum, valedixi, & accinxi me itineri altera die natalis festi, ac Parisios appuli triduo post Reges. Ibidem integro mense primum incognitus latitare volui, Mox atque postmodum frequentare cœpi cum artistis, aurifabris, fusoribus, vitrariis, fornacum structoribus, aliisque, tantam contraxi notitiam, ut vix altero mense finito, plus centum operatorum facti sint mihi familiares. Nonnulli operabantur in tincturis metallorum per projectiones, alii per cimentationes, aliqui per dissolutiones, plerique per conjunctionem essentiæ lapidis smirilli vulgò nuncupati, nonnulli per prolixas decoctiones, aliqui in extractionibus Mercuriorum à metallis, alii verò in istorum fixationibus. Adeò frequens erat nostra congregatio, in domibus, alias in summo templo, ut festivis, ac dominicis diebus non parceretur. Aliqui dicebant inter se: Utinam nobis esset facultas opus nostrum repetendi, perveniremus ad perfectionem: alii, si vas nostrum integrum permansisset, res benè succedebat: nonnulli, si vas cupreum habuissemus optimè rotundum, fixum reddidissemus Mercurium cum Luna. In summa nemo omnium aliquid operatus fuerat, quod suis careret excusationibus, quibus adhuc tantisper surdas aures exhibebam, inutiles namque sumptus, quos feceram ejusmodi persuasionibus, memoriam refricabant. Interea Græcus quidam existimatione doctus, adiit mihi notum thesaurarium, aureos illi montes promittens ex fixatione Mercurii cinabaris. Hæc notitia dedit occasionem, ut cum amico simul pro parte mea pecunias erogarem, ad hoc opus exequendum. Cum igitur opus esset argento puro in limaturas confracto, hoc eminus pondere trium marcarum, ex quo, cum adjuncta pasta quapiam artificiali, clavos efformabat operarius noster, admixta cinabari pulverisata, quos in olla figulina clausa decoquebat suo tempore. Tandem exiccatos per cupellam fulminabat, adeò ut repererimus tres marcas, & paulò plus, argenti puri, quas quidem asserebat ex cinabari productas: nostras antea positas in fumum evolasse. Lucrum hoc Deo notum esse potuit, non nobis, cum ego pro parte mea triginta coronatos, & ultra, perdidissem, vel frustrà insumpsissem. Rumor hic clavorum increbuit per totam civitatem Parisiensem, ut nemo non de his audivisset, præsertim inter eos, qui sophisticationum operibus assueverant, velut antea de pomis cupreis ad fixandum cum luna Mercurium fama fuerat proseminata. Tandem advenit quidam nobilis in sophisticationibus insigniter expertus, adeò etiam, ut inde lucrum faceret opera sua vendens auri fabris, quocum amicitiam inii, non sine sumptu, ne me putaret egenum.

Anno integro cum ipso versatus fui, priusquam tantillum declararet, postremò tandem arcanum suum mihi communicavit, quod etsi plurimi faceret, nihil perfecti fuit. Nihilominus ad meum Abbatem scripsi cuncta, quæ successerat, ipsique duplum postremi hujus operis misi cum practicadicti nobilis.

Ad me reſcripſit ut manerem Pariſiis adhuc annum ſumptuſque non formidarem, maximè cum in arcanum incidiſſem, pro principio, quod exiſtimabat non exiguum, quamvis ego reſolviſſem in animo non uti materia, quæ non perſiſteret in eodem ſtatu, quo prius apparuerat, hoc mihi proponens, operandum non eſſe, neque laborandum cuiquam, ut nequa n & impoſtor evadat, aliorumque detrimento diteſcat. Proinde manſi, ut ſcripſerat alio anno, cum duobus antea præterlapſis, frequentans jam hunc, modo alium, eoſque de quibus opinio communis erat ipſos aliquid habere boni perfectique. Omnes fermè conſumpſeram pecunias, cum jam ad me rurſum ſcriberet Abbas, ut mox viſis perlectiſque ſuis literis abſque mora venirem ad ipſum quod feci: nolebam enim promiſſam fidem fraternam perfringere. Advenienti mihi literas obtulit à Rege Navarræ (qui harum rerum curioſus eſſe videbatur) ad ipſum miſſas, ut procuraret apud me, ſi rem gratam illi præſtare vellet, Regem adirem illico, arcanumque docerem illius nobilis, nec non alia quæ me ſcire audiverat ex relatu, promittentem in remunerationem tria, vel quatuor millia coronatorem. Summa hæc Abbatem adeò inflammarat, ut non magis lætum ſe demonſtraſſet, ubi jam in crumena ſua latitaſſent, nec prius quieſcere potuit, quam in Aulam me contulerim. Quo cum veniſſem, non ante ſex hebdomadas operari potui, quod alio quærenda eſſent materialia. Abſoluto tandem opere muneris, quod expectabam obtigit nihil, Nam etſi Rex in animo concepiſſet remunerare labores meos (ut interim taceam de favore & amicitia per incolas & aulicos, mihi demonſtratis ſcilicet, à valdè paucis tamen) nihilominus diſſuadentibus Regi bonam opinionem ſuis, ac maximis nobilibus, & præſertim illis, qui potiſſima cauſa fuerunt adventus mei, dimiſſus fui à Rege vacuis manibus, datoque verbo gratiarum, & ſi quid eſſet confiſcationum in ſuis regionibus, cujus poteſtatem haberet, perquirerem, hoc mihi dare pollicebatur. Tædioſa reſponſione perturbatus, fidere nolui tam vanis promiſſionibus, quæ mihi notiſſimæ fuerant olim, ad Abbatem non ſatis contentus redii, nec prius tamen quam inviſerem tranſeundo quendam religioſum Doctorem excellentiſſimum in philoſophia, de cujus ſingulari doctrina rumor erat non exiguus, hic me plurimum retraxit à ſophiſticationibus. Poſtquam cognoviſſet me Philoſophiæ navaſſe operam, eo uſque, ut magiſtratus gradum (quem vocant) recepiſſem, ut ipſi etiam narraveram, dolere ſe plurimum, ajebat, me non habuiſſe libros optimos quoſcunque priuſquam & tempus, & opes tam inutiliter conſumpſiſſem in ejuſmodi ſophiſticationibus diabolicis. Narrabam ei de hoc opere poſtremo, qui mox judicavit in multis examinibus perſiſtere non poſſe. Quapropter ſuaſit amice, ut prorſum deinceps abſtinerem ab iſtis erroribus, libroſque legerem antiquorum Philoſophorum attentius, ad cognitionem veræ ſuæ materiæ, in qua videbatur conſiſtere hujus ſcientiæ potiſſima perfectio. Proinde accelerabam iter ad Abbatem, ut rationem redderem ſumtuum, quos feceram Pariſiis, partemque darem ejus remunerationis, quam acceperam à Rege Navarræ. Cumque narraſſem omnia, contriſtatus eſt, & maximè quia nolebam in opere perſeverare: credebat enim induſtrium operatorem eſſe me, nec tantum efficere potuerunt bona verba, quibus utebatur, quin Doctoris conſilium amplecterer, ob evidentes rationes quas adduxerat. Calculo dato cum Abbate, utrique noſtrum ex octingentis coronatis communibus, nonaginta reſidui ſunt inventi. Vale utrinque dicto, ſeparati ſumus: ego verò domum reverſus, ut plures nummos à meis arrendatoribus haberem, quibus receptis, Pariſios iterum me contuli, deliberatione facta mecum, poſtquam eo veniſſem, à domicilio quopiam non exeundi, donec optimam & perfectam feciſſem reſolutionem, ex lectura diverſorum auctorum noſtræ philoſophiæ naturalis antequam operi noſtro magno n anum apponerem, relictis omnibus ſophiſticationibus auctori ſuo nequam. Appuli Pariſios itaque poſtridie Sanctorum, anno 1546. comparatiſque mihi libris aliquot pretio decem coronatorum in hac philoſophia partim excuſorum, partim verò non, cum antiquorum, tum modernorum ſcribentum, ut Turba Philoſophorum, Treviſanus, Lamentatio naturæ, & plerique alii tractatus nondum impreſſi, & locato cubiculo in ſuburbio Marceo, manſimus ibidem ego, & puer inſerviens mihi, neminem interea frequentans, atque aſſiduè ſtudens, dies & noctes integro anno ſumma cum diligentia. Primo menſe vix abſoluto, cœpi jam unam reſolutionem mihi proponere, mox aliam, hanc ampliare, modo mutare prorſum, idque tantiſper facere propoſueram, uſque dum in unam tandem incidiſſem, in quam nulla varietas, & nulla contradictio ſententiarum philoſophicarum quadrare poſſet. In iſtis annus, & bona pars alterius præteriit, priuſquam ſtabilem aliquam ex eis cognitionem elicere poſſem. Inter iſtas perplexitates conſtitutus, frequentare viſum eſt expediens bonos operatores in hoc opere divino, ſophiſtis à tergo relictis, quos cognoveram toto cœlo [quod ajunt] errare, & alios ſeducere. Verum quæ me tenebat ambiguitas à ſtudio, jam augebatur, ac magis dum conſiderarem varium atque diverſum operandi modum inter ipſos. Nam ſi hic in auro ſolo operabatur, alter in auro cum Mercurio, alius admiſcebat plumbum, quod ſonans appellabat, quia cum argento vivo per vas retortum tranſierat: alius item convertebat metalla in argentum vivum, variis ſimplicibus atque diverſis, per ſublimationem: alius operabatur in attramento nigro, quod aſſerebat veram eſſe materiam, qua Raymundus Lullius utebatur in compoſitione magni ſui lapidis.

Si quis operabatur in alembico, contra reperiebatur, qui in multis, atque aliis diverſis vitris, æneis nonnullis, cupreis, plumbeis, vel argenteis, etiam aureis. Item nonnulli ſuas decoctiones faciebant igne magnorum carbonum, alii lignorum, alii qui floribus racemorum, alii Solis radiis, & in balneo Mariæ alii. Adeò ut operationum ejuſmodi varietas, una cum librorum contradictionibus, eo me fermè redegerant, ut deſponderem animum, cum Spiritu divino rurſum erectus, ad librorum ſeriam lecturam denuò me contuli, diligentius & majore cum animadverſione relegi ſcripta Raymundi Lullii, præſertim in Teſtamento & Codicillo, quæ contuli cum epiſtola quadam, quam ſcripſit, prope mortem exiſtens, Roberto Regi, & cum ſcripto quodam à Doctore mihi dato, cui fuit inutile, ut contra prædictas omnes operationes, quas antea videram concludens, ad unam tandem reſolviſſem, talemque reperiſſem, quæ conveniret cum omnibus libris: item cum ea reſolutione, quam facit Arnaldus de Villanova præceptor Lullii in hac arte, ſub finem magni Roſarii ſui. In hac itaque manens opinione, aliud nihil operatus fui; quam

quam assiduè legere ac meditari circa meam resolutionem dies & noctes, donec terminus adesset mei census, ut domum redirem operatum. Cumque jam essem domi, proposui quod resolveram in effectum deducere, facta provisione prius omnium quæ necessaria sunt, ac primò furnum construxi, & altera die Paschatis laborare cœpi, non sine multis impedimentis, quorum hic non faciam mentionem, nisi parentum & amicorum crebrarum increpationum, ac vicinorum. Nonnulli dicebant mihi, Heus quidnam versas in animo, nunquid sat inutilium sumtuum in his nugis adhuc fecisti, quæso? Alius admonebat nisi abstinerem à tractatione tantorum carbonum, vulgus suspicaturum de fabricatione monetæ falsæ, cum jam hac de re murmurare cœpissent. Adveniebat alius, qui cives omnes asserebat mirari, ac præeminentiores, cur non facerem professionem Jurisprudentiæ, præsertim quod Licentiatus essem, quoad pervenerim altius ad officium aliquod administrationis è Republica. Qui mihi conjunctiores erant, ac familiariores, increpabant indies absque intermissione dicentes: Quando tandem istis ineptiis finem impones, & bonorum paternorum dilapidationibus? potius foret hujusmodi sumtus inutiles ad solutionem creditorum convertere, & emptionem alicujus officii. Nec id sat esse videbatur, quin minarentur mihi, nisi desisterem, facturos ut ministri Justitiæ ruerent in domum, & omnia perfringerent instrumenta cum reliquis. Si nostri nullus (inquiebant) nec cæterorum tibi amicorum sit respectus, tui saltem habeto rationem, considerans cum triginta, vel circiter, annorum sis, videris agere quinquagesimum. Sic tibi barba tingitur in albedinem fermè, præ nimiis laboribus, vanæ cujusdam opinionis gratia perpessis à tua adhuc juventute. Utrum hæc verba me pungerent asperrimè considerate: maximè cum viderem opus meum indies succedere prosperius, cui pertinaciter & constantissimè insistebam absque tædio, spretis etiam istis ac aliis intervenientibus impedimentis, & præcipuè peste, quæ sæviebat per totam æstatem, ut etiam cessarent omnes negotiationes. Singulis utique diebus conspiciebam apparitiones trium colorum, quos Philosophi scribent apparere debere ante perfectionem operis divini. Eos omnes gratia Dei vidi successivos unum post alium, & deinceps proprio die Paschatis alterius anni, vidi perfectionem, experientia facta super vivum argentum calefactum in tigillo, & conversum in purum aurum præ meis oculis, breviori spatio, quam unius horæ, pauco admodum hoc pulvere divino. Deus novit quanto fuerim gaudio perfusus. Nec propterea jactabundus, aut elatus mundo coram exsilii, sed clam Deo gratias agens immortales, qui meas preces exaudire dignatus fuerat, per Jesum Christum filium suum Dominum nostrum, oravi latius, ut illuminaret cor & intellectum sua gratia; quò possem uti ad honorem & laudem sui glorioſi nominis. Altera die statim accinxi me itineri versus meum Abbatem, quo promissæ fidei facerem satis, at obierat sex antea mensibus: quamobrem dolore maximo affectus fui, & ob mortem alterius Doctoris videlicet, de qua mihi relatum fuit itinere, non longè transeunti à suo Conventu. Proinde contuli me in queudam locum assignatum cuidam proximo parenti meo, priusquam discederem à patria, ut eum ad me venturum expectarem: hunc reliqueram domi meæ cum potestate procuratoria, vendendi omnia bona mea paterna, ut meis creditoribus satisfaceret, ac residuum secreto pauperibus & egenis distribueret, utque mei parentes & alii fierent participes ejus doni, quo me Deus honorare voluerat. Plerique, & ferè omnes alii existimabant me tanquam desperabundum, & præ dedecore ob tantos sumtus inutiles vendidisse omnia, quo ad exteras regiones fugiens, laterem incognitus, ut mihi retulit ille meus parens, qui ad me venit prima Julii. Deinceps Lausanam ivimus, in Sabaudia sitam, ut inde nos conferremus ad celebre quodpiam emporium Germaniæ, pauco admodum comitatu, ne innotescerem etiam illis, qui hoc meum opusculum legerent, me vivente, Quod quidem composui solum, ut diverterem bonos pioſque viros à sophisticationibus, ad viam rectam perfectionis in hoc opere divino. Pro conclusione hujus primæ partis, in memoriam omnibus refero quod Poëta cecinit:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

quo discant à meis erroribus inutiles sumptus fugere, qui fiunt in sophisticationibus: contra, patienter & constantes prius legere & intelligere bonos auctores, quam operi manum admovere: Deum orando semper pro gratia & intellectu sincero. Siquidem non fato neque fortuna huc pervenitur, at sola vocatione divinitus facta, potius quam studio. Quibus datum fuerit, dabitur pariter indignis velandi modus, & aliis probisque revelandi, ne omnes æqualiter intelligant: pariter & benè utendi gratia, in honorem Altissimi datoris luminum. Amen esto.

Opusculi Dionysii Zacharii *Secunda pars, quæ docet auctor legendorum Philosophorum naturalium ex facilima methodo modum & normam.*

PRimo Physicorum libro Aristoteles docet contra negantes principia non esse disputandum, at benè cum ipsis, qui fatentur esse vera, per ignorantiam (sed hac valeant, quantum valere possunt) incauti, non videntes anguem sub hac verba latentem, ob larvam sibi ante oculos positam, præ qua de falsis coloribus à veris discernere nequeunt. Sed auctorem in hac parte intelligere non sat valens, ad meliora transeo, qui prosequitur ad hunc modum; Bonis [inquit] viris, & hujus artis studioſis opusculum volui conscribere, quo valeant inde fructum & utilitatem referre non exiguam in legendis auctoribus, intelligendis obscuritatibus, & velamentis, confusione per varietatem inordinatam structis. Proinde ut obveniam istis, & meis subveniam auditoribus, ordine partiar narrationem, ac primò dicam per quos hæc scientia potissimum inventa prodiit in aliquorum successivam notitiam, tum quibus auctoribus usus sum in compositione hujus opusculi: causam etiam quare tam obscurè scripserint. Deinceps diversis probabimus argumentis veritatem & certitudinem artis, respondendo pariter magis apparentibus in contrarium adductis. Tertiò docebimus artem nostram esse naturalem, & qua ex parte: item quamobrem divina vocetur ab operationibus principalibus, inibi declarando manifestos errores operantum hac tempestate. Tandem opera naturæ sub terra per ipsam usitata, in generationibus metallorum declarabimus, ad quorum imitationem artifices operari super terram oportet. Postea materiam ad hoc opus necessariam indicabimus: & postremo terminos præ-

cipuos uſurpatos in hac arte, ſententias quoque Philoſophorum antiquorum apparentes, ſibi mutuo contrarias concordabimus, in filiorum artis utilitatem, & in maximum detractorum dedecus, ignominiam, & confuſionem; ſingula per antiquiſſimorum, & doctiſſimorum Philoſophorum auctoritates, ne ſe putent à moderno quopiam detegi cum ſuis impoſturis. Ut melius declaremus noſtræ ſcientiæ primos inventores beati Jacobi Apoſtoli doctrina eſt, quod revocemus in memoriam, quæ ſic habet: Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum, &c. Hæc ſententia generalis eſt, quapropter & noſtræ convenit intentioni, maxime quia ſcientia noſtra eſt tam divina, tamque ſupernaturalis (in ſecunda quidem operatione) ut ſemper fuerit, ac ſit adhuc impoſſibile hanc innoteſcere hominibus, quocunque ſtudio vel induſtria quavis, etſi omnium ſapientiſſimi ſint, atque doctiſſimi Philoſophi, niſi primum à Deo ſit inſpirata. Deficiunt enim hac parte nobis naturalis omnis ratio & experientia. Quapropter merito ſcriptum eſt à nonnullis, arcanum eſſe reſervatum à Deo ſuis, ipſum timentibus & honorantibus, ut ait ille magnus propheta noſter Hermes. A nullo alio (inquit) nec per alium, quam à Deo per divinam ejus inſpirationem habeo. Alphidius idipſum confirmat, his verbis: Scito fili, Deum reſervaſſe hanc artem Adami poſteris, & præſertim vere pauperibus. Id ipſum affirmat Geber in Summa inquiens: Noſtra ſcientia eſt in poteſtate Dei qui ex miſericordia ſua donat eam quibus vult. Non eſt igitur in hominum poteſtate, neque ab ipſis excogitata. Verum in quantum ipſa naturalis eſt, aut in primis ſuis operationibus naturam imitatur, eatenus variæ ſunt opiniones in demonſtrando primum inventorem ejus imitationis. Nonnulli aſſerunt fuiſſe Adamum, alii Æſculapium: aliqui volunt Enoch primam ejus habuiſſe cognitionem, quem dicunt Hermetem extitiſſe, cui etiam tantum honoris Græci tribuerunt, ut omnium artium occultarum inventorem appellarent. Ego pro parte mea libenter aſſentirem poſtremæ huic opinioni, cum certiſſimum ſit ipſum fuiſſe præcellentiſſimum Philoſophum; ut ex ſcriptis ejus apparet. Cauſas rerum diligentiſſime ſcrutatus eſt, per experientias in naturalibus, quibus cognitis, innotuit ipſi pariter materia qua utitur natura in concavitatibus terræ generando metalla. Quotquot enim hanc imitati fuerunt omnes pervenerunt ad veram hujus artis notitiam, uti Pythagoras, Plato, Socrates, Zeno, Haly, Senior Raſis, Geber, Morienus, Bonus, Arnaldus de Villanova, Raymundus, & plerique alii, quos recenſere prolixum foret. Ex quibus omnibus, tanquam ex præcipuis, compoſuimus hoc præſens noſtrum opuſculum, non ſine maximo labore, ut ipſorum libri teſtantur. Scripſerunt enim ad hunc modum [cum præ oculis timorem Dei ſibi proponerent] ut impoſſibile ſit ad cognitionem artis hujus pervenire lectura ſola ſuorum librorum; quod Geber in Summa: Non eſt (inquit) quod filius artis animum deſpondeat in hoc opere divino: ſiquidem aſſidue meditans cauſas naturalium compoſitionum, tandem eo perveniet, quo tendit animus ejus. Contra, quicunque prætendit invenire medio librorum noſtrorum, tardè rem aſſequetur: nam ad eum ſcripſere modum Philoſophi (ait alio loco) ut ſibi ipſis tantùm videantur congratulari practicam veram, huic inquirendi modum permiſcentes: item præcipuas quoque operationes vario modo, ac in diverſis capitulis ponentes: cauſam ponit: Quia ſi obſervaſſent ordinem in ſuis tractationibus, potuiſſet hæc ſcientia divina ab omnibus intelligi primo die, vel unica hora, adeò nobilis eſt, ac admiranda.

Alphidius inquit: Philoſophos, credendum eſt, prædeceſſores noſtros occultaſſe principaliorem ſuam intentionem, ſub ænigmatico & æquivoco ſermone, ac innumeris figuris ne per manifeſtationem ſuæ doctrinæ, mundus ruinam inde pateretur. Nam periret omnis agricultura, negotiatio, & quicquid neceſſarium eſt in conſervationem vitæ humanæ: nemo ſiquidem laborare vellet, cum ſe tantis opibus refertum videret, unuſquiſque neceſſitudinem contemneret. Quo fit ut Hermes in principio ſui libri, ſe excuſans dicat: Filioli, non eſt quod exiſtimetis Philoſophos occultaſſe hoc arcanum, ex invidia adverſus doctos ac ſtudioſos, at ſolum ne malignis & ignaris innoteſceret. Roſinus ait: Hoc medio ignarus æquaretur ſapienti, & malitioſus homo nequam abuteretur, in detrimentum, ruinam & perditionem totius populi. Similibus excuſationibus utitur Geber in Summa ſua, capitulo de Adminiſtratione Medicinæ ſolaris, inquiens: Non eſt quod merentur filii doctrinæ, Philoſophos obſcure ſcripſiſſe libros ſuos: non enim ipſis factum, ſed ignaris & indignis velatam eſſe voluerunt hanc ſententiam, ſub tanta varietate & confuſione diverſarum operationum, interea tamen ſtratam viam filiis ſapientiæ quâ pervenire poſſent ad cognitionem artis. Non enim (ut habetur alio loco) ſibi ipſis tantum ſcripſerunt artem, quam tenebant, ſed media dederunt, quibus cognoſceretur, & haberetur ab aliis. Hæc eſt igitur cauſa difficultatis in libris Philoſophorum. Quid enim difficilius eſſe poteſt, quam ex tam innumeris contrarietatibus & contradictionibus explicari, nedum in multis, ac inter omnes fere, verum etiam in unico auctore? ut Raſis ait, inquiens: Abunde ſatis demonſtravi libris meis verum fermentum, quo quidem opus eſt ad multiplicationem tincturarum ad metalla, quod alio loco dixi non eſſe verum fermentum, relinquens hujus ſententiæ ſententiarumque judicium illis qui ſanum habent intellectum, ſubtilemque diſcretionem. Item ſi unus ipſorum dicat materiam noſtram eſſe vilis pretii, atque nullius, ubique in fimis reperiri, uti Zeno in Turba Philoſophorum: contra hoc eodem libro Barſeus ait, quod quæritur non eſt parvi pretii. Alius dicet rem eſſe pretioſiſſimam, non abſque multis ſumptibus reperibilem. Hic docet præparationem materiæ in diverſis vaſis operationibuſque diverſis, uti Geber in ſua Summa: mox reperias alium aſſerentem uno vaſe tantum opus eſſe ad divinum opus noſtrum, ut ſunt Raſis, Lilius, Alphidius, & alii. In lib. ejuſdem Raſis habetur tempus novem menſium, in alio legitur annus eſſe neceſſarius ad hoc opus perficiendum, quod aſſerunt Roſinus atque Plato. Tandem in ipſorum terminis tanta varietas apparet, ut impoſſibile ſit rem à quoquam detegi, niſi per inſpirationem altiſſimi, vel immediate, vel per aliquem virum bonum & ſapientem in hac arte. Cauſa potiſſima hæc eſt, ut non appareat quiſquam hujus rei peritus vivens, at ſolum poſt mortem fateatur ſcriptis: tantis enim laboribus adeptam artem ſibimet, ſi poſſent, occultam vellent Philoſophi, quanto magis aliis. Hoc nobis igitur cum vulgo non eſt ita mirandum, atque cum ſapientibus, quanam via ſit ad illam perveniendum. Priuſquam autem ad ſecundum noſtræ diviſionis membum veniamus,

reſpon-

respondendum erit objectioni calumniatorum, labores alienos carpere solitorum, quod proprii sui lumine vero careant. Non observatam (inquient) Aristotelis doctrinam libro septimo Physicorum, quæ sic habet? Definitio est vera forma subjecti definiti. Cum ergo suscepissem veram tractare methodum hujus scientiæ, prius à definitione fuit inchoandum. Hos & similes remittam ad priscos auctores, qui cum scientiæ divinæ definitionem dare conarentur, & non invenirent perfectam & completam, fateri coacti sunt, non esse possibilem, maxime quia familiaribus caret principiis, ut ajunt Motienus, Lilius, & plerique alii. Quapropter descriptionibus variis duntaxat contenti fuerunt, quibus effectus artis demonstrarent. Ego vero dicam pro parte mea, quidnam hac de re sentiam. Est philosophiæ naturalis pars quædam docens modum perficiendi metalla supra terram, ex imitatione naturalium operationum, quanto proximius fieri potest: quam veram asserimus, diversis de causis. Præcipuè cum nihil sit inter Philosophos certius, veritatem ibidem esse, maxime ubi nulla apparet contradictio, teste Philosopho. Quotquot autem in hac arte scripserunt olim, sive Hebraice, Græce, aut Latine, sive quovis alio sermone, consenserunt inter se, etsi diverso tractandi modo per figuras æquivocationes, & ænigmata, ut videantur uno & eodem idiomate scripsisse, eodem etiam tempore, quamvis centum, ducentis, ac mille annis alii alios præcesserint, Senior in hanc sententiam ait: Quamquam apparet quodammodo Philosophos diversa tractare sub variis diversisque nominibus: Verum enimvero nil nisi rem unicam intelligunt. Idipsum asserit Rhasis libro Luminum, inquiens: Sub diversis sententiis, nobis prima facie contrariis apparentibus, Philosophi non nisi rem unam intellexerunt, eandemque: cujus rei testimonium exhibent aliarum sententiarum insignes professores, qui pariter in hac arte divina scribentes etiam, & affirmantes hanc divinam scientiam circa rem unam versari perhibent. Sola Philosophi sententia hæc nobis sufficeret, quam ponit Ethicorum libro 2. Omne quod rite peragitur, unico medio perfici. Omnium igitur opinio est, unica via divinum hoc nostrum opus absolvi. Teste Gebro in Summa: Scientia nostra (inquit) per diversa non perficitur, at solum per unicam rem, cui nihil addimus nec diminuimus, sed superflua tantum removemus, præparatione sola separando. Item Lilius ait: Magisterium nostrum, una re duntaxat, uno regimine, & unico medio perficitur. Idem asserunt omnes, quotquot scripserunt hactenus in hac arte Philosophi, licet videantur in varia distrahi. Potissima certitudo nostræ scientiæ, qua confirmamur esse verissimam, est experientia, quam fecimus ejus, ut loquuntur Senior & Rhasis. Verum ut iis talem approbemus, maxime, quibus dubitare merito contingit, cum cæteris Philosophis erit fatendum, ipsam contineri sub ea philosophiæ parte, quam operativam vocant, & sub medicina, quæ sui veritatem non aliunde comprobare, quam ab experientia potest, Ut cum per eam docetur Reubarbarum purgare choleram: non melius id poterit, quam ex oculo percipi, & experimento per applicationem dicti simplicis medicamenti. A simili concludimus in arte nostra: si videatur fumo solo plumbi coagulari Mercurium, & atramentorum fieri componique posse medicinam perfectissimam, naturæ metallorum & qualitatibus congruam, qua cum cæteris imperfectis perfici queat, sola projectione super ipsum facta, præsertim cum & ipsa mineralia composita congelent Mercurium, ipsumque reducant in suam naturam. Quanto magis perfecta per nostram artem rite præparata congelabunt ipsum ac reducent cum aliis imperfectis metallis, ingenti & exuberanti sua decoctione, quam habent per administrationem artis nostræ. Quo firmius hanc nostram intentionem curiosis hominibus approbemus, ut ejus veritati certitudinique melius assentiant, Aristotelis sententiam lib. 4. Meteor. adducamus: Omne, quod (inquit) eandem cum aliquo composito operationem efficit, est idem per omnia simile, ut omne quod operationem habet oculi, est oculus. Haud secus, cum aurum nostrum arte nostra compositum, per omnia simile sit minerali (in quo versatur omnis controversia disceptationis, utrum aurum à nobis compositum verum sit aurum) satis docuisse videmur ex Philosophi sententia, nostram artem esse veram & certissimam. Satis fatebuntur ipsis probatum, qui viderunt ejus experientiam, aliis vero non: quibus Philosophi probabiliores auctoritates in hanc rem adferemus. Eodem libro Meteororum, quarto Digestionum capitulo sic inquit, aut simile. Quicquid in perfectionem destinatum est, ac tale mansit ob digestionis defectum, assidua digestione perfici potest: qualia sunt omnia metalla imperfecta, cum à natura fuerint ad aurum ordinata prius ab initio suæ compositionis, ut postremo per eandem ad eum finem, auri videlicet, perducerentur, nec nisi talia sunt ob imperfectam digestionem: ergo quod sequitur audiemus eo loco, ubi quartum nostræ partitionis membrum discutiemus. Quod igitur natura sub terra voluit exequi, nos supra terram imitatione per nostram artem, & projectionem efficimus, ut infra latius audietur penultima nostræ divisionis parte. Rursus cum elementa qualitatibus suis sibi mutuo contraria (ut ait Philosophus libro secundo Generationum) in se invicem convertibilia sint, quanto magis ipsa metalla, quæ sunt unius & ejusdem substantiæ materiæque, cum non sint qualitatibus contraria, convertentur, hoc in illud facilimè. Quam ob causam Hermes procreationem ipsorum circularem esse dixit, at improprie quodammodo, ut ipsemet fatetur, quia non sunt ad eum finem à natura creata, ut ex perfectis fiant imperfecta, sed contra: quapropter eatenus non est eorum generatio prorsum circularis, nisi pro parte. Quanquam istæ similesque rationes per se sunt in confirmationem artis sufficientes: attamen quia sophistæ semper in contrarium adferunt, quod reluctetur veritati, si non omnia (quod prolixius foret, quam huic opusculo nostro conveniat) quæ difficiliora sunt argumenta, studiosorum animum & mentem perturbantia, mediamque inter dubium & resolutionem hærentem tenentia, producemus in medium, ut ab istorum solutionibus alia refellere discant; Ex auctoritate Philosophi quarto Meteororum, quæ paritet fuit Avicennæ, & Alberti Magni, sic argumentantur: In vanum operantur Alchemista metalla perficere conantes, nisi reducant illam in primam materiam. Cum igitur id non faciant, sophistica per conclusionem asserunt Alchemistarum omnium opera, ut ipsemet Albertus ait ad hunc modum. Quotquot metalla tingunt variis materialibus simplicibus in diversos colores, sunt impostores, nisi reducant illa in primam materiam. Multi sapientissimique viri hoc argumentum solvere conati sunt, cum sit ex magis apparentibus. Istorum nonnulli dicunt, etsi per projectionē imperfecta non reducātur,

nihilominus in compoſitione medicinæ ſimilis fit reductio, videlicet in ſulphur & argentum vivum, quæ ſunt vera materia metallorum, ut infra dicetur latius quarto noſtræ diviſionis membro. Sufficit igitur agentis ſola reductio, tum perfectio ſumma per decoctionem acquiſita, licet paſſivi nulla fiat reductio. In ea ſententia fuerunt Arnaldus de Villanova in magno ſuo Roſario, quem ſecutus eſt Raymundus Lullius in ſuo Teſtamento. Salva pace tamen & reverentia, quæ debetur graviſſimis auctoribus, hæc opinio contrariari nimium videtur Philoſophis omnibus. Cum enim concedunt metalla eſſe in primam reducenda materiam, quod motu fit corruptionis ex Ariſtotele, velle videntur ſola fuſione divini noſtri lapidis ſuper metalla, hæc ad eum corrumpi modum, ac nudari prima ſua forma, quod omni Philoſopho concedere nimis indignum eſt. Plerique alii diverſas adferunt ſolutiones, ut videre licet in ſuis libris. Ego vero meam ſolutionem proferam. Si quidem nova fabricare metalla moliremur, aut ex eis lapides vel quidpiam aliud alienum à metallis, neceſſario forent in primam ſuam reducenda materiam, idque mediis quæ dicta ſunt. Cum tamen hæc ſit intentio noſtra duntaxat, ut imperfecta perficiamus metalla in aurum, præter omnem transformationem in materias novas, & à propria ſua natura differentes, purgemus ac mundemus per operis noſtri divini projectionem, quo ad exuberantem deveniant perfectionem. Haudquaquam eſt opus illa reducere in primam materiam: differunt enim imperfectum perficere, & ex iſto novi quid producere vel generare. Alioqui concluderetur, omnia ſemicocta reducenda eſſe ad primam formam, ut complete decoquerentur: quod quidem indignum eſt omni Philoſopho. Cæteras objectiones adverſus chemicas artes fieri conſuetas, in præſentia miſſas faciam, quod per ea quæ poſuimus, reliqua facile ſolvi queant argumenta quævis Auctoritatis Avicennæ tamen eſt, quod meminerim, de contradictionibus Ariſtotelis contra chemiam objectis in ſua juventute: Cognovi (inquit) intentionem eorum, qui noſtram artem negant, & aliorum qui veram affirmant eſſe. Priores, ut ſunt Ariſtoteles & plerique alii, utuntur quibuſdam argumentis utcumque apparentibus, ac nomine veris. Poſteriores vero dicunt hanc ſcientiam certis demonſtrationibus probari non poſſe, vel licere, ut alias omnes, cum alia via procedat, aliis omnibus contraria. Nam celat ac velat ſuorum terminorum proprietates, cum cæteræ plurimum laborent in ſuorum declarationibus. Proinde noſtræ diviſionis ordinem proſequutus, tertium ejus membrum arripiam, exponens operationes ejus neceſſarias, ad executionem operis noſtri divini. Primo dicam rationem quare naturale vocetur atque divinum, ut cognoſcantur enormes operantium hac tempeſtate errores. Ariſtoteles docet naturam operari ſub terra in procreatione metallorum quatuor qualitatibus (ut melius intelligatur) elementis, igne, aëre, aqua & terra: quorum duo, reliqua duo comprehendunt, terra ignem, & aqua aërem. Cum igitur materia noſtra conſtat ex aqua & ex terra (ut infra dicetur amplius penultimo noſtræ diviſionis membro) merito naturalis appellatur, quia in ejus compoſitione quatuor intrant elementa: duo manifeſta, ſub quibus alia duo latitant, oculis velata corporeis, ignis, & aër videlicet, quæ ſolis mentalibus percipi debent, ut ait Raymundus Lullius in ſuo Codicillo, ad hunc modum: Conſidera (inquit) naturam, & proprietatem olei (quod ſophiſticatores aërem vocant, ideo quia ſuis qualitatibus magis abundare dicunt) oculus tuus non judicabit illius differentias, & proprietates. Per hæc verba ſatis innuit, elementa quatuor in in opere noſtro divino non eſſe evidentia, quod plerique falſo putarunt, ut infra dicetur, ubi terminos declarabimus artis. Naturalis etiam dicitur ſcientia, quod in prima ſua operatione imitatur naturam quanto diligentius poteſt: non poſſet enim in omnibus, ut ait Geber in ſua Summa. Veterum operationibus Philoſophorum naturalium, qui nos præceſſerunt, optime confirmantur: hi quidem poſteaquam diligentiſſimis inquiſitionibus cognoviſſent (ut ait Raymundus Lullius in epiſtola ſua ad Albertum Regem, & Albertus Magnus in tractatu Simpliciumanimalium) naturam ad metallorum procreationem, ſub terra ſolum operari per continuas & aſſiduas decoctiones veræ materiæ, quibus mundum ab immundo, purum ab impuro, perfectum ab imperfecto, continuatis evaporationibus ſeparat calore terræ mineralis partim id efficiente, partim calore Solis, qui per ſe ſolum integram & perfectam iſtam decoctionem non adimplet, iſlimet confirmati ſunt. Hoc declarat optime bonus ille Treviſanus, quod etiam nos docet experientia: videmus enim in mineris diverſitatem metallorum & materialium, nonnulla craſſiora, & alia ſubtiliora purioraque in ſublime plerumque exaltata. Quapropter noſtra ſcientia naturam imitando, procedit in prima ſua operatione per ſublimationem, qua materiam noſtram optime purificet: impoſſibile namque fuerit nobis aliter præparare, ut Geber in Summa, & Raſis in libro Luminum inquiunt: Initium operis noſtri, eſt ſublimare, quare merito naturale vocatur. Quam ob cauſam ſcripſerunt illi, qui nos præceſſerunt, opus hoc noſtrum non eſſe artificiale: quicquid enim facimus, aliud nihil eſt quam adminiſtrare naturæ per artem materiam ad compoſitionem operis neceſſariam, quam ipſa natura non potuit in hanc profectionem connectere, quia ejus actiones continuæ ſunt, ut ait Geber in ſua Summa. Ratione hujus tam admirandæ conjunctionis elementorum ſcientia noſtra divina vocatur: quam vero conjunctionem Philoſophi ſecundam operationem appellarunt, & nonnulli diſſolutionem, aſſerentes, arcanum arcanorum eſſe, quod Pythagoras ait in Turba Philoſophorum: Magnum hoc eſt myſterium, quod hominibus Deus velatum eſſe voluit. Item Raſis in libro Luminum: Si veram noſtri corporis diſſolutionem ignoraveris, non eſt quod opereris: illa ſiquidem ignota, reliquum inutile fuerit: hanc etiam ex libris diſcere nemo poteſt, neque ex notitia cauſarum naturalium: proinde vere divina dicitur, ut Alexander inquit. Corpus noſtrum (quod lapis eſt occultus) cognoſci minime poteſt, neque videri, niſi nobis hoc ipſum Deus per Spiritum Sanctum ſuum inſpirarit, vel per aliquem vivum hominem docuerit, ſine quo ſcientia noſtra nihil eſt. Hic eſt lapis, de quo loquitur Hermes tractatu ſuo quarto: Lapis noſter (inquit) divinus cognoſcendus eſt, qui clamat aſſidue: Defende me, & ego juvabo te, da mihi quod competit, ego tibi viciſſim optime ſuccuram. De hoc eodem occulto corpore loquitur primo ſuo tractatu: Falco ſemper in cacumine montis clamans: Ego ſum album nigri, & rubeum citrini. Scientiam noſtram inutilem eſſe præter iſtam conjunctionem, ratio eſt, quia tempore nativitatis & procreationis operis noſtri divini, pars volatilis ſecum defert partem fixam. Aliter enim quam per iſtam admirandam,

& plusquam supernaturalem conjunctionem efficere haud quaquam possemus, ut in igne fixum opus permaneret: ut quod omnes Philosophi præcipiunt, fiat fixum volatile, ac denuo volatile fixum. Ista conjunctio fieri debet ipsamet hora suæ nativitatis, ut inquit Haly secretorum libro: Quicunque nostrum lapidem non invenerit hora suæ nativitatis, non est quod alium expectet ejus loco. Nam is qui divinum opus nostrum aggreditur absque notitia determinatæ nativitatis ejus horæ, nil ex opere suo consequetur unquam, præter inutiles omnino labores & pœnas erroris sui. Hanc eandem conjunctionem Rasis libro Præceptorum propriè vocat pondera Philosophorum, & regimina, suadens ut ab hoc opere divino prorsum abstineamus, si non cognoverimus exactissime pondera, quæ Philosophi præ cunctis aliis arcanis occultarunt, ut patet ab eorum scriptis variis. Nam ubi quis dixerit, ejusmodi conjunctionem divinam fieri die septimo, mox reperias alium; qui asserat quadragesimo die compleri: alium centesimo: alium sub finem mensium septem aut novem, quod Rasis: alium sub anni finem, ut Rosinus: vix duos hac in re concordantes legere poteris. Cum tamen unicus sit idemque terminus, unicus dies, imò unica sola & eadem hora, qua fieri debet nostra conjunctio ad propriam suam decoctionem. Verum quia voverunt arcanum hoc potissimum se non revelaturos, de studio diversos scripserunt terminos, quamvis inter se conveniant, intelligentes unicum, quo cognitio reliquum nihil aliud est, præter opus mulierum & puerorum ludus, ut ait Socrates: Ecce tibi veram dispositionem albi plumbi demonstravi (hoc est veram præparationem materiæ nostræ, quæ nigra prius ut plumbum apparet, postmodum albescit per nostram continuatam decoctionem) si hanc probe intellexisti, residuum aliud nihil est, quam opus mulierum, & ludus puerorum. Innuens per hæc verba nullum opus hoc nostro levius, post conjunctionem existere: quod sane verissimum est. Cum non sit opus alio labore quam sola decoctione duarum materiarum jam conjunctarum: interea dum coquuntur, quies datur optatissima, ut ait Philosophus Ethicorum 7. Quietem longè delectabiliorem esse quovis labore. Nostram decoctionem postremam fieri cum requie, & absque labore tormentove testatur Rasis lib. Trium verb. inquiens: Omnes dissolutiones, calcinationes, sublimationes, dealbationes, rubificationes, ac reliquas operationes, quas Philosophi scripserunt esse necessarias ad divinum opus nostrum complendum, in igne fieri præter amotionem. Pythagoras in Turba Philosoph. idem asserit, inquiens: Cuncta regimina ad opus divinum & perfectionem ejus facientia, decoctione sola compleri. Barseus idipsum ait eod. lib. Coquendum, tingendum, & calcinandum in hoc opere, verum operationes decoctione duntaxat omnes perficiendas. Ne tamen Sophistæ calumniatores dicant, & suas operationes etiam non esse nisi decoctiones, alias Philosophorum antiquorum sententias allegabimus, quibus errores eorum detegantur. Alphidius ait: in operis nostri divini compositione, non nisi una materia sola (quam aquam propriè vocant) una tantum actione, decoctione videlicet, quæ fit in unico vase præter amotionem ab igne. Idem attestatur Rex Salomon: in operis nostri divini confectione (quod nostrum sulphur vocat) non indigemus (inquit) præterquam uno medio solo. Lilius idem sentit: Divinum opus nostrum (ait) fit in uno vase solo, uno medio duntaxat, & unica decoctione. Mahometus: Non habemus (inquit) nisi medium unum, decoctionem videlicet, vas unum, &c. quibus divinum opus nostrum ad album & rubeum perficiamus. Avicenna tenuit eandem opinionem, qui præ cunctis optime loquitur, ad hunc modum: Disputationes (inquit) omnes, id est, operationes, ad opus nostrum divinum componendum necessariæ, fiunt in uno vase solo, duplici tamen.

Operantum igitur hac tempestate maxima pars errorem suum hoc ipso fateri cogetur, cum nemo non ipsorum tres vel quatuor furnos habeat, & nonnulli decem vel duodecim, hunc ad calcinandū, illum ad solvendum, alium ad sublimandum, & innumera vasa quibus, utuntur. Verum enimvero tales in diem extremum operarentur, priusquam ad perfectionem hac via pervenirent, nisi corrigant suas operationes. Ut interim taceam de separationibus elementorum (quas vocant) usque dum de natura quatuor elementorum, ubi de terminis artis nostræ dicturus sum, tractetur. Satis mihi fuerit in præsentia demonstrasse modum, & viam detegendi, cognoscendique devios operarios in hac arte, pariter eos, qui persistunt in recta semita. Nam, ut antea dixi, latiusque dicetur infra, unicus est operandi modus, in unico vase (quod Lullius Hymen appellavit) in unica fornacula (quam Trevisanus ignem clausum, humidum, vaporosum, continuum, ac digerentem vocat) præter amotionem, donec decoctio compleatur. Non est ergo tantis opus instrumentis, neque sumtibus ad hanc rem factis. Scio multos esse literatos libris insistentes, qui præter ullam certitudinem operantur, istos pessime habebit mea reprehensio, cum Geber in Summa sua doceat varias præparationes, cum sulphuris, tum argenti vivi, similiter corporis & spiritus. Item Rasis, libro Perfecti magisterii, dicit corpora & spiritus variis præparari mediis, quorum plurima docet. Antea satis respondimus, hæc & similia per Philosophos scripta, non alia de causa, quam ut veram operis nostri divini præparationem velent indignis, & contegant. Hoc Geber attestatur in sua Summa, capitulo de Medicinarum differentiis, inquiens: Unica est perfecta via, qua relevamur à tantis præparationum operationibus, oneribusve. Jam est quod naturæ modum operandi ponam, in concavitatibus terræ generando metalla, quem ars imitari debet: ac deinceps materiam veram & necessariam, ad istorum perfectionem supra terram, declarabo. Cum igitur hoc sit præcipuum in arte (ut Geber ait ab initio suæ Summæ, & Avicenna, præcipientes à practica hujus operis abstinere, qui non prius vera fundamenta norint materiarum ac minerarum) imitabor excellentiores auctores & magis peritos in mineralibus, declarando quæ ad hanc rem apprime sunt necessaria: Omnium itaque Philosophorum sententia est, cuncta frigore congelata plurimum abundare humiditate aquea in sua materia prima, ut ait Aristoteles quarto Meteororum. Cum igitur liquata metalla frigore congelentur, necessario prima ipsorum materia humiditate multa pollebit aquatica. Verum Albertus Magnus (qui præ cæteris mineralia scrutatus est exactissime) istam humiditatem aqueam ait, non esse similem aquæ humiditati, quam videmus communiter in aliis naturæ compositis. Ista namque per ignis violentiam in fumum transit. At liquata metalla non ita reducuntur in

vaporem, concludendum hinc ipſorum humiditatem alicui materiæ permixtam eſſe, quâ retineantur in igne, tutaque ſint ab ejus vehementia. Nihil autem igni magis reſiſtit, quam humiditas viſcoſa permixta ſubtilioribus terræ partibus, ut ait Bonus Ferrarienſis, & experientia docet: quapropter metallorum humidatem eſſe talem firmiter credendum eſt. Cum tamen experientia doceat, repurgandum inter aliquas humiditates in fumum abire, metallis nihilominus in igne minime conſumtis, fatendum eſt cum præcipuis auctoribus noſtræ ſcientiæ, metallorum compoſitionem ſubintrare duplicem humiditatem viſcoſam, extrinſecam, & intrinſecam. Prior eſt craſſa, ſubtili ſuæ terreſtri materiæ non bene permixta, quapropter ab igne facile comburitur in cinerationem. Poſterior vero, quia maxime ſubtilis, & optime permixta ſubtili ſuo terreo, ut ambæ partes unicam & ſimplicem materiam conſtituant, neutra per ignem ab altera ſeparari, vel abſumi poteſt, quin ſimul abeant, aut una remaneant in igne. Ex ejusmodi humiditate procreatum eſt argentum vivum, quod videmus, ut patet etiam experimento. Teſtatur Arnaldus de Villanova: Hoc (inquit) nos reddit certiores, ambas materias antea dictas in ipſo perfectiſſime conjunctas: nam vel terreſtris humiditatem ſecum retinet, aut iſta rapit illam in auras. Quod quidem Albertus Magnus cauſas metallorum compoſitionis diligentiſſime requirens, optime cognovit, argentum vivum ſcilicet aſſidue moveri, ac fluere, quia viciſſim altera pars in alteram dominium habet, ut cauſa fluxus atque motus, eſt humiditatis imperium, & ſiccitatis terreſtris in humiditatem actus efficit, ut non adhæreat tangenti, neque madefaciat. Hinc Albeyti ſententia comprobatur libro Mineral. ſimpl. Materia prima (inquit) metallorum eſt humiditas viſcoſa incombuſtibilis, forti mixtione, cum ſubtili terreo conjuncta in cavernis terræ mineralibus. Optime cum Gebro convenit, aſſerente in Summa ſua, materiam veram metallorum eſſe argentum vivum, quia (inquit) natura nunquam otioſa procreavit argentum vivum ex dicta materia mixta, &c. Bonus Ferrarienſis ait, argentum vivum eſſe proximam materiam metallorum, ſed præcipuam humiditatem viſcoſam ſubtili ſuo terreo mixtam. Geber etiam in argenti vivi definitione, quam facit in ſua Summa: Eſt (inquit) humiditas viſcoſa per auxilium terreſtris ſuæ partis condenſata, ſuam compoſitionem intrantis. Conſideremus itaque diligenter naturæ progreſſum, in rerum omnium procreatione, quibus propriam admiſcet materiam, quam Philoſophi vocarunt agens; quia ſeipſam non producit, ut ait Ariſtoteles: hoc eſt, ſuos effectus non demonſtrat. Quapropter natura in procreatione metallorum poſtquam creavit materiam, id eſt, argentum vivum, tanquam ſagaciſſima, proprium adjungit agens: nempe terræ mineralis quandam ſpeciem, velut colloſtrum ejus & pinguedinem in cavernis terræ mineralibus, longa decoctione inſpiſſatam, hanc vulgariter vocamus ſulphur: comparatione ad argentum non alia, quam coaguli ad lac, viri ad feminam, agentis ad materiam ei ſubjectam. Philoſophi duplex ſulphur poſuerunt, unum facilimæ liquefactionis, alterum vero congelatum ſolum, & non fuſibile. Proinde quo natura demonſtraret virtutem & efficaciam agentis, id eſt ſulphuris, in materiam, cui adjunctum eſt, efficit admirabili compoſitione quadam, ut metalla coagularentur actione ſulphuris fuſibilis, ut eſſent liquabilia. Verum alia mineralia ſin plicia compoſuit actione ſulphuris non fuſibilis, u. non eſſent fuſibilia, uti ſunt magneſia, marcaſita, & id genus alia. Cum autem agens non poſſit eſſe pars materialis compoſiti, ut Ariſtoteles ait; natura procreans metalla ſub terra, poſtquam dictum ſulphur miſcuit cum argento vivo, compoſitione quidem inenarrabili, pretioſiſſimum inde generat metallum, aurum videlicet: ab eo decoctione perfecta ſeparando ſuum agens, id eſt, ſulphur. Et hæc eſt ratio cur ſit perfectius omnibus aliis metallis, tum quo videamus naturam illud in melius ultra non transmutare. Item hac de cauſa melius ac facilius conjungitur argento vivo, quia nihil aliud eſt, quam argentum vivum proprio ſuo ſulphure decoctum, & prorſus deinceps ab eo decoctione dicta ſeparatum. Ut itidem ſeparatio ſulphuris eſt auri perfectio, quod in aliis metallis remaneat, iſtorum eſt imperfectionis potiſſima cauſa. Hinc fit etiam, ut argentum ſit imperfectius auro, & cuprum argento: ſcilicet ob defectum completæ digeſtionis, qua ſola ſeparatur agens ab eis, id eſt, ſulphur. In eo declaratur potiſſimum, ac præcipuum arcanum totius artis noſtræ. Cum enim ars imitari naturam in ſuis operationibus debeat, neceſſario, priuſquam divinum hoc opus noſtrum perficiatur, agens vel ſulphur ſuum erit ſeparandum. Quod quidem occultarunt omnes Philoſophi, relegantes nos in ſuis libris ad naturales operationes, quas abunde ſatis declaravi. Quo tamen perfectius cognoſcatur, qua in re ſcientiæ noſtra naturæ operationes imitetur, operæpretium fuerit præcipuum & communiorem declarare modum, quo ipſa utitur in metallorum perfectione. Antea diximus metallorum perfectionem, vel imperfectionem fieri ob agentis privationem, vel mixtionem, id eſt, ſulphuris, & oſtendimus modum primum, quo natura conſueta eſt uti in compoſitione principis metallorum & perfectiſſimi videlicet auri. Modo ſciendum ipſam alio etiam uti progreſſu, qui licet priori contrarius eſſe videatur, eſt nihilominus perſimilis, ſi probe conſideretur finis, ad quem tendit intentio naturæ, qui pariter aliud nihil eſt præterquam repurgare metalla, purgareque penitus à ſuo ſulphure. Nam idipſum quod priore modo per decoctionem perfectam efficit, poſteriore continuatis, & longis digeſtionibus exequitur imperfecta ſenſim purificando tantisper, donec reducantur in aurum. Siquidem experientia nos docet, in mineris argenti reperiri communiter plumbum, & in nonnullis ambo ſimul permixta, ut argentum videatur imperfectum fermè ob digeſtionis defectum: quapropter metallicarum periti rerum ſuadent, ut occluſis cavernis, ne materiæ ſublimiores evaporare queant, diutius triginta, vel quadraginta annis relinquantur, ac donec perficiantur. Quod quidem Albertus Magnus recitat acciditſſe ſuis temporibus in regno Liburniæ, vel Sclavoniæ: pariter ab experto mineralium foſſore mihi relatum fuit, ſæpius evenire. Secundum itaque hunc modum quo natura in perficiendis metallis utitur, ars imitatur ſuis operationibus ad imperfecta perficiendum, privatione ſui ſulphuris videlicet, facta per projectionem operis divini ſuper illa, poſtquam liquefacta ſunt: qua purificantur à dicto ſuo ſulphure, perficiunturque in purum aurum, perfecta ſua decoctione exuberante, quam acquiſivit per adminiſtrationem artis noſtræ. Non aliter, quam varii modi, quibus natura utitur

in

in purificatione metallorum, non efficiunt ut variæ fiant auri formæ (puto in perfectione) pariter & quibus utimur diversis ipsa perficiendi modis supra terram, aurum nostrum naturali & minerali diversum non redditur, cum eadem utamur materia supra terram, qua ipsa sub terra, & in suis cavernis, attestante hoc ipsum Aristotele nono Metaphysicorum. Ex agente & materia (inquit) similibus, operationes semper sunt similes, quamvis media sint diversa: nam ista & materia duo sunt. Verum si materia sit una similisque per omnia cum agente, omnes operationes, quæ ab initio dissimiles videntur aut contrariæ sub finem eundem sortiuntur effectum. Ut approbemus materiam nostram, qua utimur ad metalla perficiendum supra terram, esse in omnibus persimilem illi qua natura sub terræ cavernis utitur in ipsorum procreatione, Gebrum citamus testem in sua Summa: Ars (inquit) nostra naturam imitatur quanto propius possibiliusque potest. Idipsum Hermes ait, Pythagoras, Senior, & plerique alii. Proinde si naturam ars imitatur, necessario fatendum est, ipsam uti simili materia qua natura, quæ utrobique non nisi una sola esse potest, quam vocavimus argentum vivum, non solum per se, at mixtum una cum agente suo proprio, sulphure videlicet vero. Eadem igitur materia, quam Philosophi vocarunt argentum vivum animatum, erit vera scientiæ nostræ divinæ materia ad nostrum opus divinum complendum. Cum hoc ipso, & non alio natura in terræ concavitatibus utitur in procreatione metallorum, pro sua vera materia, ut supra satis ample demonstravimus.

Vocaverunt argentum vivum animatum, ut ostenderent inter ipsum, & argentum vivum commune, differentiam, quod posterius ita remansit, quia natura non adjunxit ei suum agens proprium. Falso igitur existimarunt plurimi argentum vivum commune, & sulphur commune materiam esse metallorum. Nam ullo unquam tempore non accidit, ut illa simul ambo mixta reperta sint in mineris, qua ratione potuerunt igitur esse vera materia metallorum in concavitatibus terræ, vel artis nostræ supra terram? ut loquitur Geber in sua Summa de Principiis artis. Et idem alio loco: Nostrum (inquit) argentum vivum aliud nihil est, præterquam aqua viscosa, desponsata per actionem sui sulphuris metallici. Hæc est vera nostra materia, quam natura præparavit arti nostræ (ut ait Valerandus Sylvensis) & reduxit in certam speciem veris Philosophis notam, absque ulteriori transmutatione sui ipsius. Avicenna similiter ait: Natura nobis unam solam præparavit materiam, quam ars nostra componere per se minime potest. Fatuum igitur foret credere ex omnibus materiis, quas miscere possemus, ullas, etsi metallicas, aut quascunque alias, esse posse veram scientiæ nostræ materiam, cum natura nobis præpararit illam, ut nihil desit præter hæc duo: scilicet eam purificare & perficere, conjungereque per decoctionem sibi propriam & congruam. De hac materia loquitur Rasis libro Præceptorum: Noster Mercurius (inquit) est verum fundamentum nostræ scientiæ, ex quo tinctura veræ metallorum extrahuntur. Alphidius de eodem: Animadverte fili totum opus sapientum Philosophorum, in argento vivo solo consistere: quapropter Hermes præcipit nobis, hunc observare Mercurium, quem coagulatum vocat, & occultum in latebris deauratis. Geber de eodem Mercurio. Laudetur (inquit) Altissimus qui hoc argentum vivum creavit eique dedit potentiam incomparabilem, ad magisterium scientiæ nostræ verum perficiendum. In summa nemo non scribentium sapientum fuit ejusdem opinionis. Objicient operantes moderni temerarium me judicantes, qui tot ac tantos viros prædecessores ausim reprehendere, quorum theorica & practica sublimare docent argentum vivum [quod Mercurium appellant] cum vitriolo & sale communi, postea per calidam aquam revivificare, ut cum auro tandem permisceatur [quod Solem appellarunt] ac ad hunc modum solvere & fixare, quo divinum opus nostrum perficiatur: quod scribit Arnaldus de Villanova in magno suo Rosario: item Raymundus Lullius in suo Testamento. Ut istis respondeam quod satis sit ipsis, per eosdem auctores, quos allegant, quorum scripta testantur, istas operationes omnes, destillationes, separationes elementorum, reductiones, & id genus alias; nulla alia de causa positas fuisse, quam sub ejusmodi larvis practicam nostræ scientiæ velarent. Adducemus eundem Arnaldum Villanovanum, qui postquam in suo Rosario docuit diversas istas operationes, sub finem suæ recapitulationis in hæc verba, vel his similia prorumpit: Ostendimus (inquit) veram practicam, verumque modum opus nostrum divinum perficiendi, sed brevibus admodum verbis, quæ tamen satis prolixa videbuntur intelligentibus. Proinde tot tamque diversis, ac prolixis operationum fermocinationibus, non intellexit veram præparationem divini hujus operis, neque practicam, quam antea brevibus tractasse dixerat. Hoc ipsum Raymundus in fine Codicilli, ubi respondet illis, qui fortassis interrogare possent, cur descripserit artem, cum antea dixisset impossibile cuivis ad artem hanc, ejusque veram notitiam librorum lectura pervenire? Ut [respondet] lector fidelis introducatur, habitumque sibi contrahat, quo pervenire queat in veram operis nostri divini cognitionem, cujus præparationem sincere nunquam posuimus, nec declaravimus aperte. Constat igitur prolixas atque diversas ejusmodi præparationes, quas docet in suis libris, non esse solam & unicam practicam operis nostri divini. Qui paulo doctiores erunt, objicient mihi, rogantes, cur scripserim divinum opus nostrum fieri ex unica sola materia, videlicet ex unico & solo argento vivo animato, cum Geber in Summa, capitulo de Coagulatione Mercurii dicat, extractam esse à metallicis corporibus, cum arsenico suo præparatis. Rosinus contra dicit esse verum sulphur incombustibile, ex quo divinum opus nostrum constat. Salomon Rex filius David hoc ipsum attestatur, inquiens: Deus prætulit omnibus rebus existentibus sub cælo verum nostrum sulphur. Pythagoras in Turba Philosophorum scripsit: Opus nostrum divinum perficitur, quando sulphura vicissim conjunguntur, aliud cum alio: quapropter ex sulphuribus constat, & non ex argento vivo animato solum. Ut responsum demus quo spiritibus à via delirantibus satisfactum sit, in memoriam revocanda sunt, quæ supra diximus de metallorum materia, naturam videlicet in terræ concavitatibus, adjungere proprium ageus argento vivo. Cæterum quia divinum opus nostrum proprium nomen non habet, alii aliud indiderunt, ut Lilius scripsit ipsum tot nominibus appellari inter Philosophos, quot in hoc mundo res creatæ sunt, innuens per hæc verba nominibus infinitis vocaris quamvis una semper & eadem res, ex unica materia sola constans, existat. Philosophi nihilominus,

qui

qui præcesserunt, illi tot ac tam varia diversaque, juxta colorum in decoctione apparentium varietatem, imposuerunt nomina pro suo arbitrio. Qui uti nos vocaverunt argentum vivum animatum, considerarunt primam nostram materiam, (quam antiqui Philosophi Chaos appellarunt, cujusque principium ab exordio sumptum) verè per omnia simile esse naturæ & materiæ argenti vivi, ex quo natura componit, ac perficit in terræ concavitatibus metalla, uti supra demonstravimus. Item qui divinum opus nostrum vocaverunt lapidem Philosophorum [quod illi commune nomen est] id respectu finis decoctionis materiæ nostræ fecerunt, quia fixa permanet in igne, solent enim appellare lapidem, quicquid non refugit ignem, & ab isto non sublimatur. Plerique alii multa excogitarunt alia nomina, juxta suas rationes, quæ singula recensere longum foret: ut ait Malvascindus: Si materiam nostram dicamus esse spiritualem, verum est: si corpoream, non mentimur: si verò cœlestem, verum est nomen ejus: si terrestrem, non impropriè loquimur. His verbis manifestè patet, varietatem nominum ab antiquis nostris prædecessoribus impositorum operi nostro divino, diversis rationibus in diversitate colorum & operationum apparentium in sua decoctione fundatam esse.

Pariter & qui sulphur appellarunt, ut attestantur auctoritates quæ contra me possent adduci, respectu ad postremam decoctionem, in qua materia apparet fixa ita loquuti sunt. Ut igitur ab initio veram argenti vivi demonstrabat apparentiam, quia volatilis erat, in fine fixatur, tum demum occultum, & quod intrinsecus existens, erat incognitum, pars fixa videlicet, quam sulphur appellamus, manifestatur continuata, postremaque decoctione, in qua dominatur supra partem volatilem. Hac de causa materia nostra non appellatur amplius volatilis [intelligo de his, qui postremam decoctionem considerant] at sulphur denique fixum, ut ait Arnaldus de Villa nova in suo Rosario magno, cum de postrema decoctione loquitur operis nostri divini: Est [inquit] verum sulphur rubeum, per quod argentum vivum perfici potest in aurum. Proinde concludere verè possumus, omneque dubium resolvere, materiam ex qua divinum opus nostrum componimus, non esse nisi unam rem solam in omnibus, & per omnia, similem illi materiæ, qua natura in terræ concavitatibus utitur ad procreationem metallorũ, non obstantibus omnibus in contrarium supra allegatis auctoritatibus, ac similibus aliis quibuscumque. Nominum enim diversitas (ut ait Aristoteles) rem esse diversam non efficit. Ut nostræ divisioni finem imponamus paulatim, reliquum est, ut nostræ scientiæ terminos declaremus, id est, sententias optimorum & præcipuorum auctorum, qui præcesserunt, conferamus: uruntur præcipuè quatuor terminis inter alia, de nostri divini operis compositione differentes, ut sunt elementa quatuor, fermentum perfectum, venenum verum, & coagulum perfectum, quod alias masculum appellarunt, ad fœminam facta comparatione, velut coaguli ad hac simplex. Quo melius itaque declaremus, quidnam intelligant per elementa, sciendum quid Philosophi naturales dixerint de materia prima, quam Chaos appellarunt, in quo confusè quatuor illa continebantur, & quæ ob suam contrarietatem, quolibet suas actiones demonstrando, manifesta nobis facta sunt. Quamobrem Alexander in Epistola sua? Quicquid [inquit] antiquis demonstratum fuit, esse calidæ qualitatis, ignem esse judicarunt: quod siccum & coagulatum fuit, esse terram: quod humidum & labile apparuit eis, aquam: quod verò frigidum, subtile, ventosumque vilum est esse, aërem appellarunt. Quorum duo sunt in aliis duobus occulta & concluſa, ut ait Rasis libro præceptorum: Omne compositum (inquit) ex quatuor constat elementis, duobus occultis in aliis duobus apparentibus, aëre videlicet in occulto aquæ, & igne in interioribus terræ, ut antea diximus. Et quia duo concluſa non possunt actiones suas demonstrare, præter alia duo, debilia vocaverunt, alia verò fortia. Hac de causa dicunt composita esse perfecta, quando humidum & siccum, id est, aqua & terra conjuncta sunt æqualiter auxilio naturæ, cum frigido & calido, quæ sunt aër & ignis, per conversionem unius in aliud. Quamobrem Alexander libro Secretorum ait: Si converteris elementa unum in aliud, invenies quod quæris. Hæc sententia benè perfecteque cognita nobis demonstrat veram materiam, & perfectam indicat scientiæ nostræ practicam: quapropter, ut melius intelligi queat, proprius de quatuor elementis, & eorum natura loquendum est, cum sint necessaria in operis nostri divini compositione. Hermes ait: In terra nostra creata sunt alia quævis elementa, Alphidius contra profert aquam esse præcipuum elementum, ex quo cætera elementa, ad operis nostri divini compositionem requisita, creata sunt: in quibus nulla habetur, ut apparet contradictio. Nam ab initio procreationis operis nostri divini, aliud nihil apparet, quam aqua sola, quam Philosophi vocaverunt Mercurialem aquam, ex qua terra procreata fuit, cum inspissaretur conjunctione decoctioneque supernaturali, præter quam nobis est inutilis Proinde vera loquutus est Hermes, dum dixit ex terra prodiisse reliqua elementa, cum ipsa sola suas demonstret qualitates in operatione secunda, non secus atque aqua suas demonstrabat in operis initio. Quapropter Alphidius ad Valerandum scripsit, ac ad alios, ipsam esse præcipuum elementum, in operis nostri divini compositione.

Hæc sunt illa duo elementa, quæ Philosophi dicunt esse cognoscenda, priusquam aggrediamur opus. Ut Rasis libro Luminum: Priusquam (inquit) incipiatur opus, est cognoscenda natura & qualitas aquæ & terræ, quia in istis duobus comprehenduntur quatuor elementa: alioqui volatile fixum rapiet secum, & scientia nostra nobis inutilis futura est. Hac de causa præcipitur, elementorum quatuor conversio, ut divinum opus nostrum ritè qualificatum in fine fixetur, utque resistere valeat ignis omni violentiæ, corruptioni aëris, ærugini terræ, & aquæ putrefactioni, non aliter quam aurum minerale, propter magnam suam perfectionem. Ista conversio elementorum [ut ait Raymundus Lullius] nihil aliud est, præterquam terram, [quæ fixa est] volatilem reddere, & aquam [quæ est humida volatilisque] siccam & fixam efficere: quod probe fit continuata nostra decoctione in vase nostro, præter omnem amotionem, vel apertionem, ne fortè nostra pereant elementa, & in auras avolent in fumum.

Hoc ipsum attestantur scripta Rasis, & aliorum scripta varia Philosophorum in eandem sententiam, quum dicunt veram separationem, & conjunctionem elementorum quatuor, in vase nostro fieri nullatenus tacto manibus pedibusve: quoniam [ut aiunt] lapis noster seipsum dissolvit, coagulat, abluit, purgat, albificat, & rubificat, præter

extraneæ

extraneæ rei cujusvis additionem vel mixtionem.

Arnaldus de Villa nova est ejusdem opinionis in suo Rosario magno, dum inquit brevibus admodum verbis. Nullo alio labore est opus, quam in aqua trucidanda, hoc est, fixanda: nam statim atque hæc erit mortua, reliqua elementa necata sunt, id est, fixata. Falsæ sunt igitur operantum hujus temporis, & elementorum, separationes sophisticæ, in scriptis ejusmodi Philosophorum omnium pessimè fundatæ, qui vetant expressè destructionem simplicium in suis præparationibus, quia [ut ajunt] impossibile est arti primas formas dare. Certissimum est, elementa quatuor minimè componi posse, nisi prius destruerentur. Quapropter non est opus hac elementorum sophistica separatione, falsaque ad operis divini co positionem. Falsam esse talem separationem, hoc ipso probatur, quod antea dictum fuit: nempe duo elementa esse in aliis duobus comprehensa: quo fit, ut veram eorum separationem cognoscere minimè possimus, quantò minus perfectam conjunctionem. Experientia comprobatur, elementa, quæ separasse dicunt, nihil habere commune cum natura verorum elementorum [ut ait Valerandus] exemplo sit ipsorum oleum, quod vocant aërem, humectat & madefacit omne quod tangit: contra veram aëris naturam. Proinde sat mihi fuerit, ostendisse naturam & qualitatem elementorum, & eorum conversionem in hac nostra scientia necessariam, quo modernorum operantum palam fiat ignorantia scientiæ veris filiis, utque illos cognoscentes, fugiant ab eorum consortio. Jam videamus quidnam intelligant Philosophi per hunc terminum videlicet fermentum. Dupliciter se dicunt usurpasse: priori significatione dum faciunt comparationem operis nostri divini ad metalla: non aliter quam videmus parum fermenti panis multam farinam in suam naturam & pastam convertere: similiter divinum opus nostrum convertit metalla ad suam naturam: & quia est aurum, illa transmutat etiam in aurum. Verum quod raro in hanc significationem assumserunt [in qua nulla difficultas] ad secundam veniemus, in qua scientiæ nostræ maxima difficultas latet. Per fermentum itaque secundo modo verum corpus & veram materiam intelligunt, quæ divinum opus nostrum perficit: quod quidem oculis est incognitum, & intellectu solo perceptibile quid. Etenim ab initio materia nostra apparet volatilis [ut antea satis declaravimus] quam nos oportet conjungere proprio suo corpori, ut hoc medio retineat animam, quæ medio istius jam factæ conjunctionis, medianteque spiritu, suas divinas operationes demonstrat, in opere nostro divino, ut scriptum legitur in Turba Philosophorum, adhunc nempe modum: Corpus habet plus virium, quam duo fratres ejus, quos vocant Spiritum & animam. Non quod intelligant quemadmodum Aristoteles declaravit, & alii Philosophi (quod valdè notatu dignum) sed corpus vocarunt omne simplex, quod ex propria sua natura potest ignem sustinere, præter ullam diminutionem: hoc aliter fixum vocant. Animam appellarunt omne simplex per se volatile, potestatem habens secum rapiendi corpus, ac deferendi ab igne: hoc alio vocabulo nominarunt volatile. Spiritum esse dicunt id, quod potestatem habet retinendi corpus & animam: istaque duo simul adeò conjungendi, ut non possint amplius separari, sive perfecta sint, aut imperfecta. Quamvis in opere nostro divino, ab initio nihil intrat novi (puto post primam præparationem) nec in operis medio, neque in fine. Verum Philosophi diversis respectibus & considerationibus rem unam & eandem vocarunt corpus, animam, & spiritum, ut supra dictum abundè. Primò cum materia nostra esset volatilis, vocaverunt animam quia secum deferebat corpus. Posteaquam id quod occultum erat, manifestum est in nostra decoctione, tum demum corpus vires suas palam fecit, mediante spiritu, hoc est, animam retinuit, hanc ad propriam naturam suam reducendo (id est, in aurum) eamque sua fixavit potentia, per auxilium artis nostræ. Hoc ipso declaratur exactè, quod Hermes scripsit, nullam tincturam fieri citra lapidem rubeum. Nam ut Rosinus ait: Verus Sol noster apparet albus & imperfectus in nostra decoctione, & est perfectus in rubeo suo colore. Fermentum est de quo loquitur Arnaldus de Villanova in suo Rosario magno, quod apparet illis duobus coloribus, non tactum, neque mixtum alteri materiæ cuipiam, ut per ea scripta posset intelligi. Verum esse testatur Anaxagoras, inquiens: Sol noster est rubeus & ardens, qui conjunctus est animæ albæ, & naturæ lunæ, spiritus medio: quamvis totum sanè aliud nihil sit, præter argentum vivum Philosophorum. Morienus declarat: Impossibile fuerit [inquit] ad perfectionem scientiæ nostræ pervenire tantilper donec luna soli conjuncta sit præter quem scientia nostra est inutilis, ut ait Hermes, & reliqui omnes Philosophi. Per hæc intelligi possunt, quæ Rasis loquitur libro Luminum: Servus [inquit] rubeus uxorem duxit fœminam albam, in fine perfectionis operis nostri divini. Similiter quod Lilius habet: Unio vera corporis & animæ, fit in albo & rubeo colore, medio tamen eodem, certo tempore, per auxilium nostræ decoctionis, ad eum gubernatæ modum, ut materia nostra non destruatur: nam, ut in Turba scriptum reperitur, emolumentum ac detrimentum operis nostri divini, utrumque provenit ex administratione ignis. Proinde suaserim una cum Rasi, ne quis temerè hujus practices suscipiat provinciam, in hac nostra scientia, priusquam ignis regimina cuncta [quia diversa] in operis nostri divini compositione apprime necessaria, probè admodum cognoscat: alioqui terminus, quem venenum appellant, applicabitur ipsi, quod in secunda operatione solet accidere, ut antea dictum. Non propterea venenosum quid addendum esse quis existimet in nostra materia, neque Theriacam, minus extranei quidpiam [ut existimarunt nonnulli literam considerantes] sed quod industrium, ac vigilem operatorem esse oporteat, ne terminum & horam nativitatis aquæ nostræ Mercurialis prætereat, ut adjungat ei proprium corpus, quod antea fermentum appellavimus, & jam venenum vocamus, idque duabus de causis: Prior nos concernit, quia non aliter quam venenum humano corpori nihil præter damnum inferre potest: si hoc loco non conjunxerimus illud sua hora determinata, nihil nobis quam detrimentum adfert, ac dispendium, ut supra diximus. Posterior concernit Mercurium [quem vocamus aquam mercurialem] quia hunc trucidat, & fixat. Quo quidem interpretatur quod scripsit Hamech, inquiens. Cum nostra materia pervenit ad suum terminum, est conjuncta suo veneno mortifero. Item quod Rosinus: Venenum hoc [ait] est valde magni pretii. Haly, Morienus & reliqui omnes idem attestantur. Eadem comparatione theriacam vocarunt, ut ait idem Morienus. Quoniam idipsum operatur in corpore metallorum, quod in nostro theriaca. Quamvis

etiam

etiam id quod scripserunt, adaptari queat ad conjunctionem perfecti fermenti, cum hora determinata facta est, quia per ipsam divinum opus nostrum perficitur. Similes igitur auctoritates intelligi debent ex allegorico sensu, & non apparentia literæ, quod plerique falso existimarunt. Istiusmodi est postremi termini, magis usitati, & intellecti minus, interpretatio: etenim major pars per ipsum intelligunt divinum opus nostrum, quando perfectum est: non aliter [inquiunt] quam parum coaguli plurimum lactis congelat, nostræ materiæ tantillum projectum super vivum argentum, illud congelat, & ad propriam suam naturam adducit. Verum decipiuntur, aberrantes à veritate: nam per ea concludunt materiam nostram comparari non posse metallis, quia congelata sunt. Proinde sciendum est, quando Mercurius noster apparet simplex, est labilis, ipsumque Philosophi lac vocarunt, cujus coagulum appellant id, quod nos supra fermentum, venenum, & theriacam vocavimus. Quia velut coagulum non differt à lacte, nisi pauca decoctione, nostrum coagulum etiam à nostro Mercurio non differt, nisi per decoctionem, quam acquisivit antea: hoc est, magnum & supernaturale secretum, ob quod Philosophi nostram scientiam divinam esse dixerunt: quia deficiunt in ea rationes humanę, ut supra narravimus. Hoc est, coagulum, quod Hermes vocavit florem auri, de quo volunt intelligi, cum inquiunt: In congelatione spiritus, facta est vera dissolutio corporis: & è contra in dissolutione corporis est facta vera congelatio spiritus. Quia per ejus medium totum perficitur opus, ut ait Senior: Cum vidi nostram aquam [id est, Mercurium nostrum] per se congelari, credidi firmiter nostram scientiam esse veram. Eandem ob causam scribit Alexander in scientia nostra nihil esse creati, præter id quod factum est ex masculo & fœmina. Coagulum nostrum vocat masculum, qui ipsum est quod agit, & philosophi masculo tribuerunt actionem, & passionem fœminæ, quam dicunt esse Mercurium nostrum, adeò quia coagulum dictum agit in ipsum, suam potentiam demonstrans. Hac de causa dixerunt, fœminam alas habere, quia noster Mercurius simplex est volatilis: qui tamen retinetur per dictum suum coagulum. Ea propter scripserunt: Fac ascendere fœminam supra masculum, & postea masculum super fœminam, idipsum intelligentes quod in Turba Philosophorum: Honorandum esse Regem nostrum, & Reginam suam uxorem, ac diligentissime cavendum ne adurantur, id est, ne decoctio nostra acceleretur. Nam, ut Arnaldus ait in magno suo Rosario: Præcipuus error in operis nostri divini practica, est accelerata, vel festinata decoctio. Similibus ac variis terminis usi fuerunt in scriptis suis antiqui Philosophi, & quia præcipui sunt illi, quos declaravimus, finem interpretationibus terminorum imponemus: etenim his probe cognitis, vera materia non potest non cognosci, ac deinceps libri Philosophorum faciles facti sunt, ut ait bonus Trevisanus. Concludendum igitur cum Philosophis omnibus, quorum scripta hactenus in meliorem ordinem quam potui, redegi, non nisi unam esse materiam solam, ex qua divinum opus nostrum adimpletur. Componitur enim ex solo simplici Mercurio (quem Philosophi proprio suo termino, citra ullam æquivocationem, Mercurialem aquam vocarunt) coagulato per actionem sui proprii sulphuris (quod Hermes propriè vocavit florem auri) qui longa & continuata nostra decoctione, tantam ac tam excellentem acquisivit perfectionem, ut opus hoc nostrum valeat omnia corpora metallica imperfecta, quibus conjunctum fuerit projectione, in purum & putum aurum transmutare minerali simile, idque diversis rationibus antea deductis & allegatis, quibus amplè satis declaravimus, quinam fiat, ut imperfecta metalla per illud perficiantur. Cum utique nulla simplicia differentia, vel qualitatibus contraria conjungi possunt, aut perfectè misceri si nul, divinum pariter opus nostrum, quia conflata ex solo argento vivo, pati nullo modo potest conjunctionem cum sulphure, quod remansit in metallis imperfectis, ob digestionis defectum, ut supra notavimus. Verum enim verò, cum sic potentissimum, & summa digestione perfectissimum, separat sulphur dictum à metallis, & argentum vivum, quod in ipsis est reliquum, perficit in aurum. Experimento comprobatur, cum projectionem facimus ejus super commune vivum argentum, reperimus ipsum totum fermè conversum in aurum. Contrarium videmus efficere super metalla projectum: siquidem ex semilibra aliquorum vix habentur unciæ sex: at quanto magis decocta sunt, tantò minus hac via diminuuntur. Finem itaque hujus opusculi mei secundæ partis faciens, tertiam & ultimam tandem aggrediar, in qua veram & perfectam scientiæ nostræ divinæ practicam sub diversis allegoriis explicabo. Quam Deus manifestabit suis fidelibus, ejusque studiosis amatoribus, qui diligenter hæc mea scripta perlegent, veram dans intelligentiam per Spiritum Sanctum suum, ad sui gloriam & honorem: cui sit laus in æternum.

Tertia Pars Opusculi Dionysii Zacharii, *de Practica divini Operis.*

VNiversa terra per Philosophos & Cosmographos in tres partes principes divisa est: in Asiam, Africam, & Europam, sub quatuor plagis, vel regionibus, Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione sitas, subque dominio diversorum Imperatorum, Regum, Principum, potentumque Dominorum. Quorum unusquisque res diversas & varias habet in delitiis, cum ob earum raritatem, tum singularem valorem: posterior causa non æque grata, atque prior existit, quod experientia didici, cum varias atque adversas peragrarem regiones. Siquidem ubi doctorum frequentia virorum fuit, ibidem (maximo meo malo) vidi sapientes valde miseros & abjectos, econtra ditissimos ignaros, & in maximo haberi precio. Ubi vero penuria doctorum peritorumque hominum erat, maxima quoque pars ignari prorsus & inepti, hoc loco potissimum sapientes honorabantur ab omnibus, & præsertim à majoribus summo favore & observantia maxima prosequutos animadverti. Haud secus opum inopia minerarumque (unde nobis aurum communicatur & alia metalla) his locis ubi non reperiuntur, maximam istorum æstimationem efficit, ut abundantia secum adfert ejus vilipendium, cujus habetur magna copia penes opulentos: & viliora quæque nullíusve pretii, perfectique nihil habentia præter apparentiam, oculos eorum semper occæcarunt, ut perfecta pretiosaque non cognoscerent. Quapropter indignati sapientes, cum vident ignaros esse prælatos, alio se conferunt, suæ sapientiæ vires & potentiam deliberantes alibi locorum demonstrare. Quod fecit olim magnanimus quidam Gubernator, proponens nunquam desistere, donec reliquam mundi partem, ultra suam, qua potiebatur,

potiebatur, sibi subjeciſſet copiarum ſuarum præſidio, & præſertim fidelis œconomi ſui conſilio. Interim dum hæc in animo verſabat, varios ac diverſos adjunxit ſibi extraneos, qui quod minime fideles eſſent, exiſtimarunt ſe liberalius exceptos iri ab Imperatoribus, Regibus, aliiſque Principibus. Quapropter (ut ſolent exploratores) ab eo defecerunt, ejuſque vulgarunt illis conſilia. Qui parvipenderunt, nullam terrenam exiſtimantes potentiam ſuæ reſiſtere poſſe, quanto minus dicti Gubernatoris deliberationem. Dum igitur in Aulis magniſque Palatiis nil niſi ridebatur, cantabatur, procationibus, larvis, equorum exercitiis, choreis, ac variis ludis fallitur tempus inutiliter, adulatoribus, & ſuſurronibus benignæ præbentur aures, viri ſapientes deriſorie tractantur nomine philoſophico (quod olim magni Monarchæ Potentatuſque non ſunt dedignati, nec adhuc facerent, ſi ſanum, ut antea libenter adhuc audirent conſilium) interea bonus ille Princeps Gubernator, ſuis ſtipatus præſidiis, auxiliaribusve copiis, unam ex celeberrimis urbibus Imperii jam obſederat. Imperator conſcripto copioſiſſimo milite, multis Regibus comitatus, ac principibus, ſigna jamjam ad conflictum conferre parabat, cum bonus Princeps Gubernator perſuaſione ſui fidelis œconomi, aliorumque ſuorum, obſidione relicta, ſolus in munitiſſimam arcem tuto ſe recepit, copiis ejus campos circum occupantibus, & indies inimico ſtrenue reſiſtentibus. Adduxerat Imperator quinquaginta millia peditum, equitumque ſex millia, innumeraque tormenta bellica, Princeps itaque deſerens urbem ferrea turri propugnatam, ordine claſſico ſuis cum caſtra movit, pugnantibus ſtrenue poſt ipſum copiis poſterioribus adverſus hoſtem, & ni fluvium illico trajeciſſent, fractisque pontibus ſibi ſuoque Principi proſpexiſſent, maximum imminebat eis periculum, at illæſi omnes evaſerunt manus inimicorum. Altera die perſequentibus viriliter hoſtibus, coactus eſt Princeps conſilio ſuorum aſſentiens, in locum inexpugnabilem ſecedere, ſimul & omnis miles cum eo. Vallis & aggeribus muniebatur, in cujus meditullio ſedebat in rupe muris circumſepta, nunquam expugnabilis arx rotundiſſima cui aſtabat alia turris eminentiſſima, per quam ſub terra cuniculis excavatis, œconomus omnia quæ & victui, & bello erant neceſſaria, potuit introducere neſciis inimicis, ut olim factum extitit Neapoli Romaniæ, dum Solimanus Rex Turciæ hanc obſideret annis viginti, nec perciperet unde venirent urbi ſubſidia, victus, & alia. Princeps autem ſuis intra mœnia receptis, in arcem ſe recepit, ac in parvum cubiculum rotundum ornatiſſimum quoque ſingulis tanto Principe dignis, in quo tempore manſit, quo duravit obſidio, quod ſumme delectaretur eo receptaculo: fabrefactum erat, quemadmodum in Ducatu Lotharingiæ videre licet. Inde per quatuor feneſtras ei fuit conſpicuum quicquid hoſtes facerent machinationum, ut ipſum interciperent. Verum intrare non poterant, quod porta ſui domicilii præcipua, ad eum erat occluſa modum, ut nemo valeret eam aperire, præter fidelem œconomum, qui de ſingulis adeo prudenter diſpoſuit, atque providit, ut integro obſidionis anno deficeret nihil. Ob varios & aſperrimos inſultus ab Imperatoris milite factos indies, coactus eſt Princeps exercitum ſuum in quinque turmas partiri, ut quælibet ageret excubias per ſuas vices. Exercitus Ducibus ad hunc modum Imperatori ſuadentibus, ne caſtra moveret: Si Principem (inquiunt) reliquerimus, merito nos deridebit, præſertim quod noſtri fuerit ordinis à nobis receſſiſſe dicat ea de cauſſa, quia minus digne tractabatur: quamobrem ſi manus evaſerit noſtras, omnem vindictæ quæſiturus eſt occaſionem. Hæc & ſimilia verba moverunt Imperatorem, ut obſtinato prorſum animo deliberaret, Principem captivum facere per inediam, aut alia via qua poſſet At inſtante hyeme, parte caſtrorum ſuorum tantiſper ſecum retracta, reliquam in obſidione reliquit Imperator ſub Ducatu potentiſſimi Satrapæ, qui plurimos impetus faciebat indies adverſus boni Principis militem. Conſilium Imperatoris erat, ne ſui caſtra moverent ante præterlapſum annum. Quod intelligens Princeps per ſuum œconomum turmis imperavit ſuis, ut quælibet unum ex Imperatoris exercitu, vi direptum armorum adferret vexillum, indicta pœna maxima ſuæ indignationis, ni facerent imperata. Quod ſi etiam perſtitiſſent, additio ingenti præmio quibusvis, inſuper pollicitus eſt in propria perſona, comitante fideli ſuo œconomo prodire, hoſtique manum infligere tam ſtrenue, ut vel vitam foret amiſſurus, aut primum Imperatoris vexillum reportaret, ſpoliiſque ditaret omnes, qui ſequuti fuiſſent, ſupra cunctos ſuos inimicos, qui obſidebant eum. Reaſſumptis igitur animis, priuſquam tempus conſtitutum præterlaberetur, allata ſunt ei per ſuas turmas, quotquot Imperatoris ſigna deſiderarat, medio duplicationis circuli, quam docuerat œconomum ſuum Princeps quidam Galliæ: Primum vexillum erat nigrorum equitum Germanorum, quos vocant Reutherorum atrorum: Secundum interſertum erat variis coloribus: Tertium erat non uſque adeo diſſimile vexillo Regis Galliæ: Quartum inſignitum erat Luna creſcente: Quintum vero ſimile fuit ſigno maximo Imperatoris: quod quidem Principi animum auxit, ut altero die cum œconomo ſuo prodiret ad mœnia, & ibidem ſtrenue ſupra modum pugnaret, uſque dum conſequeretur maximum vexillum Imperatorum. A pugna tandem rediens, & fatigatus, ab œconomo, cibis prioribus obſidionis initio reſiduis, reficitur, ac refocillatis viribus altera die cum ſuis & œconomo viriliter inſiliens in hoſtem, totum exercitum partim proſtravit, partim fugavit Imperatoris, Ducum ſuorum auxilio, qui omnes ſui Principis coloribus illuſtrati ſunt. Quo factum deinceps, ut omnis Potentatus, ſive Papa ſit, aut Imperator, ſive Rex, Princeps, vel Solimanus, quotquot ſunt, huic uni Auro Principi deferant palmam, & victoriam cedant applauſu maximo, Deo ſic jubente ac volente, cui ſit laus, honor, & gloria perennis. Reliquum erit, ut operis noſtri divini projectionem ſuper metalla, tincturam gemmarum, & humani corporis medicinam in eo ſitam eſſe, declaremus.

De Projectione ſuper metalla.

REgis noſtri multiplicati viribus, & cibis refecti, uncia una projiciatur ſuper uncias quatuor auri puri, purique liquati, ſit inde materia frangibilis, quæ pulveriſata, coquatur in monte clauſo inſultus poſtremi calore, vaſe admodum ſtricto etiam obturato, ſpatio trium dierum. Hujus pulveris uncia una projiciatur ſuper viginti quinque marcas argenti, vel cupri, vel ſuper octodecim marcas plumbi vel ſtanni, vel ſuper quindecim marcas argenti vivi communis, in crucibulo calefacti, vel plumbo congelati. Materia mox ſpuma craſſiore contegetur, operatione completa: crepitus fiet, ac ſi crucibulum frangeretur. Tandem liquefiat hæc materia, & erit in aurum converſa. Verum ſi dictum

pondus obſervatum non fuerit, nec materia priore ſuo colore mutata: quapropter eſſet in cineritio magno fulminanda ſine plumbo, ut horarum trium ſpatio materia, quæ non erit transmutata, conſumatur; reliquum in fundo purum, eſt cimento regali ſex horis latius purgandum. Hac via totum habebitur aurum, opera magni Regis noſtri converſum, ſimile minerali cuivis & æquipollens. Et hæc eſt via, quam docet Raym. Lullius in ſuo Codicillo, quod ad projectionem attinet. Secundam pro tinctura gemmarum docet in ſuo Teſtamento.

De Tinctura gemmarum & unionum.

LAvandus eſt magnus ille Rex noſter, ac reſciendus ſtatim poſtquam allatum eſt ei ſignum album creſcente luna inſignitum, nec finis obſidionis eſt expectandus, ſed à ſuæ refectionis paſtu primo. Hic eſt Mercurius, quem Raymundus Lullius vocavit argentum vivum exuberatum. Ejus unciæ duæ vel tres ponantur ſuper cineres, in alembico parvo bene clauſo, deſtillentur igne lento primum, cum nihil hoc igne ſtillare volet amplius, mutato recipiente lutatoque fortiori tandem urgeatur igne, quicquid aſcendere poterit. Liquor ille ſecundus in alembico recenti, per balneum Mariæ deſtilletur, tertio cohobando liquorem ſuper fæces viſcoſas, & aqua brevi ſuo tempore diſſolventur: tertia vice tamen totum per cineres deſtilletur, & poſtmodum in alembico recenti per balneum rurſus deſtilletur quater, fæces vice qualibet ſervando ſeorſim, uſque dum aqua deſtillata ſit clara ſplendensque perlarum candido nitore, cujus uſus hic eſt ad uniones. Ponantur iſti licet minutiſſimi, in cucurbitam parvam, quibus affundatur aquæ dictæ tantum, ut paruper emineat, cooperiatur galea cæca, & poſt horas tres in paſtam reſolventur albam, & ſupernatabit liquor admodum clarus, evacuetur modeſtè ne turbetur. Cucurbita cum paſta ponatur cooperta, in balneum Mariæ tribus diebus digerendo, poſtmodum auferatur. Fabricetur formula argentea rotunda, intrinſecus deaurata, quæ per medium in duas æquales partes aperiatur, adapteturque filium aureum vel argenteum deauratumque inter ambas concavitates. Tandem ſpatula aurea formulæ medietas repleatur utraque dicta paſta, filum per medium collocetur in medio ſui foraminis, claudaturque formula, filum autem protrudatur, ac retrahatur, quo bene foratus ſit unio per medium. Aperta formula eximatur unio formatus, & ponatur in ſcutellam auream altera ſimili coopertam, non tangatur manu, ſiccetur in umbra, & non ad Solem. Cum plures habueris, filo perforentur omnes, & in canali vitreo ab una parte latum foramen habente, ab altera non majus filo aureo, & ſuſpendantur ſimul in bocia, vel urinali vitreo mundo ſupra liquorem dictum ſublimatum, lutetur vas, & octo diebus in aëre contineatur, poſtea tribus ad Solem, ſingulis ternis horis movendo vitrum, ut vapor aſcendat, hoc artificio perficientur uniones tantæ quantitatis ut voles. Ad eundem modum de rubinis & carbunculis fieri poterit, rubei Mercurii medio, poſt unicam ejus refectionem.

De Uſu divini Operis noſtri, ad humani corporis medicinam.

SUmatur pondere grani unius poſt exitum Regis, & albo vino diſſolvatur in argenteo vaſe. Tingetur vinum citrino colore, quod ægris adminiſtretur, paulo poſt mediam noctem uno die ſanabitur, ſi morbus ſit unius menſis, ſi fuerit unius anni, infra duodecim dies, vel infrà menſem, ubi valde diuturnus morbus eſſet futurus. Ad conſervandam ſanitatem, ſumendum ex eo parum ſingulis annis bis, ſub initium veris & autumni. Hoc medio ſane vivitur, & alacriter uſque ad prædeſtinatum vitæ terminum, Deo dante, cui laus ſit, honor & gloria nunc ſemper, & in æternum, Amen.

Finis opuſculi Dionyſii Zacharii.

NICOLAI FLAMELLI *Galli* Commentarius *in* Dionyſii Zacharii *Opuſculum Chemicum.*

AD Metallorum veram cognitionem ignorandum non erit, dum in primis adhuc ſpeciebus exiſtunt, in ſulphure videlicet, ac in argento vivo duas habere formas, unam maſculeam, alteram vero femineam, quæ duo ſpermata maris atque feminæ, ſulphuris prius, elementa maſculina duo continet, ignem & aërem: poſterius alia duo feminea, terram & aquam. Quo duobus comparantur in arte ſerpentibus, uni alato, terribili, alteri quidem alis carenti multo horribiliori. Hæc duo ſpermata ſi per naturam conjungantur in ventre Mercurii, qui propter ſuum ardorem vocatur ignis naturæ, & à nonnullis leo devorans, & ejus ventrem licet aurum & argentum ſubintrent, non abſumuntur, quod illo natura duriora ſint, atque perfectiora. Mercurius eſt imperfectus, nihilominus aurum & argentum communia proveniunt ex eo. Argentum eſt ſubſtantia lunæ inferioris, ut aurum ſolis etiam inferioris. Mercurium igitur matrem occidi, ac mori oportet per dicta ſpermata, qui poſtquam ſemel mortificatus fuerit à natura, nunquam poterit amplius reviviſcere. Nam vel tantillum congelatus in venis terreſtribus, adeſt mox in eo granum auri fixum, quod ex duobus ſpermatibus producit verum germen Mercurii: ut à plumbi cavernis videre licet, in quibus nulla minera locorum ubivis in qua fixi granum verum non contineatur manifeſte, id eſt, granum auri, vel argenti. Siquidem prima congelatio Mercurii eſt minera plumbi, in qua poſitum eſt à natura Hoc vere multiplicari poteſt in ſuam perfectionem abſque dubio vel errore, exiſtens tamen in ſuo Mercurio non ſeparatum à ſua minera. Metallum enim in minera ſua conſiſtens, eſt Mercurius, à quo ſi granum ſeparatur, ut pomum erit immaturum ab arbore ſua deſumptum, quod prorſus deſtruitur. Granum fixum eſt velut pomum, & Mercurius arbor. Non eſt igitur ſeparandus ab arbore fructus, quia non poteſt aliunde nutrimentum accipere quàm à ſuo Mercurio. Major eſt fatuitas in Mercurium ponere aurum & argentum, non ſecus atque diſcerptum pomum arbori rurſum infigere. Ut igitur negotium hoc adimpleatur ex æquo, ſumenda ſimul arbor cum ſuo fructu, quo denuo plantetur, citra fructus ablationem, in fertiliorem terram atque nobiliorem, quæ plus nutrimenti dabit unico die quam prior ager in centum annis exhibuiſſet, ob ventorum aſſiduam agitationem. Altera terra, quod ſoli proxima ſit, creſcere vegetareque facit arborem, continuo rore, & aſſiduo ſole in horto philoſophico, mane, veſperi, dies & noctes, ac in ſingulas horas, abſque intermiſſione lucente, arborque rore dulciſſimo conſpergitur, ac nutritur, uno anno magis, quam in priore terra decem millibus. Poſitis igitur ambobus in furno continui caloris dies & noctes, vapor ejus, qui ros eſt,

est, impedit combustionem. Lignorum vel carbonum calor est inutilis, imo noxius. Noluerunt itaque sapientes Philosophi in alia re quapiam operari, quam in ipsa natura, cum ipsa luna, in matre congrua Mercurio. Ex quo tandem generalem Mercurium effecerunt, longe potentiorem & fortiorem illo naturali. Ascende igitur in montem, ut vegetabilem saturniam, regalem & mineralem herbam videas. Succus enim ejus sumatur purus abjectis fæcibus. Ex eo namque maximam partem operis tui perficere poteris. Verus est hic Mercurius Philosophorum. In primis igitur Mercurium tuum ne laveris, sed jungas ipsum cum parte sua, id est, cum igne, super cineres, qui stramen sunt, in vitro solo, absque ulla re alia, quod nidus est, in furno, qui domus est: ex nido pullus nascetur, qui suo sanguine sanabit omnes.

Fons Chimiæ.

FOns & caverna metallorum omnium, est mater, ex qua nascuntur & proveniunt illa septem, ut ex sua natura: item Saturnus, Jupiter, Mars & Luna Plumbum intellectualiter est aurum leprosum, &c. Fons autem naturæ si Mercurium in eo positum recipiat, inde medicina fiet excellentissima. Nascitur in terra massa plumbea Mercurius, qui clausus in carcere postea liberetur, alioqui non potest sciri pondus, nec mensura, quæ deliberatur: ad eum tamen cognoscere modum poteris. Solis Mercurius non est Mercurio lunæ similis, cum hic semper albus manere debeat, quo sibi similem procreet, Mercurius vero solis est rubificandus & hic est labor primus: & postmodum congregari poterunt, Notandum utique quintam essentiam esse nobis in hac arte præcipue necessariam, & Mercurium istum reperiri potissimum eo loco, in quo Sol est in maximo suo calore, multosque flores producit: nam post flores sequuntur fructus. In luna similiter invenitur dum in ipsa quæritur, in Saturno, Marte, Venere, & in Mercurio securius: ego autem [Flamellus inquit] in sole reperi & elaboravi. Cum igitur singula conveniunt in hoc opere philosophico, quorum quodque simile est alteri, tum fœtus matrem devorat, patremque suum in unico lacu suffocat, in quo simul flores, lac, fructus, atque sanguis inveniuntur. Metallum igitur hoc unum in unico vase ponendum, & in unico furno. Mercurius est de quo loquor, & nihil aliud. In operis abbreviationem unicum habetur in hoc mundo metallum, in quo Mercurius iste noster abunde reperitur. Aurum calidum est & siccum, Luna vero frigidæ naturæ, Saturnus gravis atque mollis: quapropter soli similis hoc ipso, aurum leprosum appellatur: Venus est Lunæ similis pondere & malleatione, Mercurius frigidus & humidus similis Jovi, qui nascitur ex eo, Mars autem durus, gravis & frigidus. In duobus igitur negotium hoc omne consistit, ut videlicet igne tuum sulphur penetrativum efficias, & attractivum, quo matrem suam devorare queat, & compleveris opus. Matrem infige ventri sui fœtus, quem antea peperit, tum demum sibi pater erit, ac filius ex duobus spiritus perfectus. Postquam sulphur tuum devoratum erit, Mercuriusque suus mortificatus, conjiciatur in carcerem, in quo maneat diebus quadraginta, & videbis quod optas, juxta hoc versus:

Si fixum solvas, faciasque volare solutum,
Et volucrem figas, faciet te vivere tutum.

Joan. Mehunnius de Lamentationibus naturæ. Sub Luna quod concluditur, cælum hoc loco vocatur, quia materia formam appetit, non secus atque femina virum. Materia solum est ex 4. elementis, ex quibus sit chaos, & ex illo Rex atque Regina generantur. Primo quidem creatus est ignis à Deo, quem sub Luna collocavit, expertem corruptionis, & purissimam essentiæ quintæ partem in se continentem. Postea factus est aër subtilis, in quo Deus pariter essentiæ quintæ partem posuit, non tantam ac in igne, minorem in aqua, & in terra minimam. Ut ignis igitur in aërem agit, sic aër in aquam, & in terram. Terra mater est, & nutrix omnium quæ concipit in utero suo ab igne: hoc ipsum fovet, in centrumque usque suum absque intermissione. Cum igitur sola natura potentiam habeat reducendi 4. elementa in primam materiam generaliter mixtam, quibusvis elementis; impossibile fuerit cuiquam operantum id efficere, præter ipsam, quæ sola dat materiam atque naturam. Quinta namque essentia, quæ cathena dicitur aurea, ad hunc modum contraria connectit & concordat, ut nunquam dissentiant amplius. Considerandum in primis aurum, quod pulcherrimam formam suam accipit in cælo, & optimam in terra materiam pariter & gemmæ. Cælum igitur quintam essentiam informat forma & materia in elemento contenta, per quam forma determinatur: quæ depuratione, & successu longi temporis perficitur. Aurum itaque & gemmæ per me naturam solam componuntur: nemo enim proportiones præter me novit. Quod utique quæris summum est naturæ secretum, descendens ex virtute cælesti. Quapropter tota scientia naturæ debetur, qua simplicitas elementi de cælo depromitur, hæc in cælo dicitur essentia primitiva, & in elemento quinta, quam ipsa reductionibus efficit, ac prolixis circulationibus, inferius in superius convertendo, & frigidum & siccum, in humido & calido conservando, lapides atque metalla sub humido suo radicali, cælestibus motibus astrorum, quibus elementa gubernantur, & eorum obediunt influentiis: ut quanto purior est materia, tanto per naturam fiat excellentius opus. Cælestis itaque motus, est intelligentia correspondens in inferioribus, in quibus per suas influentias omnia producit in esse. Utitur ergo natura materia in igne quovis infallibili, quia ex isto virtutem recipit omnem. Item aqua ex origine sicca proveniens, nihil quod tangit humectans, non recedens neque volatilis, est oleum incombustibile. Nullus artificialis ignis tantum calorem infundere posset, quantus ex cælo provenit. Cæterum in istis non ignorandum, opus hoc nostrum integrum fieri ex vili materia homogenea, in unico vase clausa, in unico furno id continente, quod eam perficit: nam solo regimine perficitur, imitando naturam. Hæc in generatione hominis, corpus admodum subtiliter format ex argento vivo & sulphure masculino, agente, solo vase, matrice videlicet contento, cujus furnus venter est, quamvis auxilietur homo per suam artem, dum ardet in sua natura, materiam congruam infundendo, præter quod aliud nihil efficere potest. Non secus in arte nostra, si quis eligere norit materiam ejusmodi, qua natura delectatur, eamque rite præparatam suo vase & furno concludere, ego (inquit natura) & ipse perficiemus ubique sine mora, modo requisitum ignem administrarit naturalem, contra naturam, non naturalem & absque ardore: ignem (inquam) calidum, siccum, humidum & frigidum. Considera igitur qualem esse oporteat: nam absque igne & materia nihil fit in hac scientia. Do tibi materiam (inquit natura) forma est, quod ipsi tibi pares, non dico substantialem, neque accidentalem, sed

ſed conſtruendi vas, atque fumum. Deinceps præpara materiam tuam in pulverem factam cum aqua ſua, vaſe concluſam unico: rege calore temperato, hic promovebit actionem, & frigiditas putrefactionem. Siquidem ob magnam frigiditatem non poſſet impedire ſiccitas, neque reſiſtere huic agenti, quin argentum vivum ſtatim reducatur in primam materiam integra connexione. Proinde priusquam opereris (inquit natura) diſce me cognoſcere, quæ mater ſum, ſine qua nulla creatura poteſt eſſentiam recipere, vegetare, neque animam habere ſenſitivam abſque cælo & elementis. Eſt utique medium inter Mercurium & metallum, quod ſumendum eſt ad artem noſtram: Eſt (inquam) aurum potabile, & humidum radicale, ſummaque medicina quam per tuam artem, & meam ſcientiam perficimus. Absque me quæ materiam exhibeo, nihil unquam efficies, & absque te, qui miniſtras, non poſſum hoc opus exequi ſola. Sed per me & te brevi tempore conſequeris. Transmuta quatuor elementa, metalla deſerens & atramenta, ſub ſpecie tranſmutabili, quæ materia notatu digna fuit à Philoſophis uſurpata, & ab ignaris contemta. Similis eſt auro ſubſtantia, diſſimilis eſſentia: Convertens ejus elementa, quod quæris invenies, inferiora ſublimando, & ſuperiora & inferiora convertendo. Sumito igitur vivum hoc argentum agente ſulphure mixtum, & unico vaſe, unico furno etiam concluſum, inhumetur vas pro tertia parte, ſupraque philoſophicum ignem contineatur: omnisque ſpecies, præter materiam ſolam à qua minera ſumit originem, relinquatur.

Reſponſio.

Natura movens ſuperiora digitis & pedibus, inferiora transmutat elementa uſque in centrum terræ ſine intermiſſione, à cælo primam formam accipit, & materiam ab elementis: quamvis hæc materia confuſa ſit, & non diffuſa, donec per naturam ſpecificetur, & qualificetur. Tum demum recipit formam ſubſtantialem, & poſtea viſibilem accidentalem. Formam priorem tranſmutat, ut informet novam formam materiam. Objectum hamque potentia ſubjectum eſt, quia ſubſtantiam in actu, qui prius fuit in potentia, ſuſtinet. Aurum ſcitur eſſe minerarum omnium theſaurum, attamen formam non habet, neque materiam tantæ potentiæ, ut ſuam excedat perfectionem: non habet enim majorem potentiam, quam perficiendi ſeipſum, quicquid moliatur artifex. Ipſum deſtruere ac in eſſe reducere, fatuum eſſet opus, cum ex eo nihil plus virtutis, neque potentiæ haberi poſſit, quam obtinet ex propria ſua natura. Nulla ſit reductio eorum, quæ natura perfecit in ſpeciem, vel individuum, niſi primo corrumpantur. Etiam poſt corruptionem generatio non fit ſpeciei ſimilis, niſi fiat regreſſus in hoc genus. Quapropter auri deſtructio viam non ſternit ad ipſum conſtruendum, quia per ſui deſtructionem conſtrui nihil poteſt: ipſo namque mortuo pariter moritur ejus ſubſtantia, ut ex eo non poſſit amplius aliud argentum vivum enaſci, neque metallum. Et quia elementum ignis in terra continetur, & aëris in aqua, quorum quantitatem, qualitatem, proportionem perfectæ conjunctionis ſuæ nemo novit, ſeparanda non ſunt elementa, cum reparari nequeant. Solum id igitur quod natura generavit, nobiſque relinquit ſumendum ad artem. Summatim elementorum ſeparatio non fit effectualiter argenti vivi, neque ſolis, qui pater eſt artis filio ſuo ſpiritum impertiens.

Auctoris incogniti.

EST in Mercurio quicquid quæritur, ex quo corpus, ſpiritus, & anima trahitur, unde puriſſima & mundiſſima tinctura provenit. Humor eſt pretioſus, hominem lætificans, factus ex terra, aqua & igne. Corpore utique purgato, conceptoque ſpiritu, tandem clarus fons exurgit, in cujus fundo jacet leo viridis aut ſerpens qui extenditur. Si expergefiat in altum aſcendit, & poſtquam ei deficit animus, deorſum decidit in balneum, quo tantisper lavatur donec rubeſcat, lavatur (inquam) aqua vitæ uſque dum non agnoſcatur amplius. Poſtremo vertitur in digniſſimum lapidem, primo album, & poſtea citrinum viſu pulchrum, atque delectabilem, Sis igitur de Mercurio vero ſollicitus, quem natura generavit, & qui cum ſuo patre moratur proſpere, proſperaque reddit imperfecta metalla.

Teſtamentum Arnaldi Villanovani.

LAPIS generatus, ortuſque de terra per elevationem perficitur, aquæ potione ſatiatus. Infra duodecim horas, ut minimum inflatur, & intumeſcit circumquaque viſibiliter. Poſtmodum in balneo poſitus, vel in aëroſo hypocauſto moderate calido & ſicco, ac purificatus ab extraneo vapore, ſoliditatem ſuarum partium acquirit, extenuatuſque ſuperflua humiditate, fit idoneus ad commixtionem. Quo facto ex purioribus ejus partibus exprimitur lac virgineum. Quod mox inde poſitum in ovum philoſophicum, proprio & continuato calore, foveatur ut pro pullorum excluſione, Varietate ſuorum calorum nudatus, gaudet cum ſuo compare, colore tinctus inſtar nivis. Inde poſt abſque periculo reſiſtit ignis violentiæ, tantiſper, donec pavonis coloribus ornatus, de monumento deinceps egrediatur cum Regali ſummaque potentia.

Etſi brevis admodum hic videatur eſſe proceſſus, prolixiſſimis tamen circumſtantiis non caret, ac operationibus. Singula compendioſe tractantur, quæ circa hoc opus neceſſaria ſunt opera, per ſingulas periodos optime conſideranda, nec inconſiderate prætereunda. Nam facilius ex tantillo ſermone veritas comprehenditur, hujus divinæ ſcientiæ, quam ex copioſiſſimis & innumeris voluminibus, multitudine varietateque veritatis unitatem & ſimplicitatem contegentibus.

Aliæ quædam Annotationes ex variis Auctoribus.

De Solutione & Coagulatione Materiæ Chemiæ.

CUM Solutio ſit præcipua hujus artis operatio, primo de hac dicendum erit, adductis variorum Philoſophorum auctoritatibus, quo facilius intelligi queat, una aliam interpretante. Hæc ſunt igitur, quæ colligere voluimus, & attexere noſtris collectaneis. Etenim ex varietate mens Philoſophorum petenda eſt, ſi reducatur comparationibus ad unum & eundem ſenſum. In quibus maxime convenire videntur, hoc ipſum eſſe quod quæritur, non dubitandum. Totum utique negotium operis divini philoſophici conſiſtit in his duabus operationibus, videlicet in ſolutione & congelatione. Solutio igitur ex ſententia Gebri, eſt rei ſiccæ in aquam reductio.

Scala Philoſophorum.

Solutio lapidis eſt reductio ejus in mineralem aquam.

Villano-

Villanovanus.

Solvimus (inquit) quando corpora dividimus, ea simplicia & subtilia reddimus, atque in primam naturam & materiam resolvimus.

Avicenna de materia.

Duplex est materia prima, propinqua & remota: propinqua est argentum vivum: remota est aqua. Quia argentum vivum prius fuit aqua, deinceps argentum vivum.

Lullius.

Dissolutio primariam intentionem habet, ad destruendum cum lunaria.

Clangor Buccinæ.

Prima materia haberi non potest, nisi per operationes artificiales, naturalibus operationibus contrarias.

Auctor Incognitus.

Quam difficilis res sit dissolutio, testari possunt, qui solutioni dederunt operam. Multi ad eam sua imperitia pervenire non potuerunt. Qui aliter igitur quam per nostrũ artificium solvit, frustra solvit.

Clangor.

Solutio est opus naturæ, & non artis: artifex tantum naturæ minister est, & adjutor.

Avicenna.

Ut aqua est prior & propinquior materia lapidis, ita altera materia lapidis, est spiritus metallorum.

Rosarius.

Qui cupis investigare hujus artis secretum, cognoscere te oportet primam metallorum materiam, alioqui tuo labore frustraberis.

Villanovanus.

Dissolutio est sapientiæ perfectio: oportet enim ut ipsa sapientia quæratur: alioqui non invenietur. Propterea dixit Hermes: Homo non potest habere, nec reperire dissolutionem nisi per ignem divini ingenii.

Avicenna.

Verum principium nostri operis est dissolutio lapidis. Idem: Primum regimen lapidis est lapidem solvere, & in suam primam naturam reducere.

Villanovanus.

Indiges tu, quicunque vis operari, ut in solutione & sublimatione duorum luminarium primo labores, quia primus gradus operationis est, ut fiat argentum vivum ex ipsis.

Ludus Puerorum.

Artifex nostri operis primo debet lapidem solvere, deinde coagulare: quoniam opus nostrum nihil aliud est, quam facere perfectam solutionem & congelationem.

Glanger.

Tota hæc ars in hoc vertitur, ut jungamus humidum sicco: id est, ut solvamus & coagulemus. Humidũ est spiritus liquidus ab omni sorde mundatus. Siccum est corpus perfectum purum & calcinatum.

Mirneris.

Siccum est terra: humidum vero est aqua.

Aristoteles Chemiographus.

Primum quod facere debes in opere, est, ut Mercurium sublimes, deinde ut in Mercurium mundum corpora munda mittas.

Calid.

Nisi converteritis corpora in subtilitatem, ut sint impalpabilia tactui, non dirigetur vobis quod quæritis. Et si trita non fuerint, revertimini ad operationem, quousque terantur, & fiant subtilia. Quod si feceritis, vobis quod optatis dirigetur.

Turba.

Nisi corpora fiant incorporea, nihil operamini.

Geber.

Nullum argentum potest fieri, nisi omnia prius solvantur. *Rosarius.*

Qui aurum scit destruere, ita quod amplius non sit aurum, is ad maximum arcanum pervenit.

Joan. Aquinas.

Facilius est aurum construere, quam destruere.

Scala Philosophorum.

Solutio lapidis est occulti revelatio, crassitudinis attenuatio, rei duræ & siccæ in quandam liquidam substantiam reductio.

Villanovanus.

Aurum & argentum in penetralibus terræ dura, sicca, & strictissime ligata reperiuntur. Per dissolutionem vero artificialem mollia redduntur, fluentia & substantia liquida. Idem: Natura in suo corpore tincturam occultat, quam ars manifestat cruciando & torquendo corpus, modo per aquam, modo per ignem. Item: Non pigeat vos cruciare & corrumpere corpus terendo, & imbibendo, donec aquam extraxeritis, & corpus tenue factum sit, ac impalpabile. *Clangor.*

Corpora metallorum dissolutione dissolvuntur.

Villanovanus.

Aqua Philosophorum benevole & naturaliter dissolvit metalla, cum quibus non ingrato, neque contrario vinculo colligatur. Idem: In aqua Philosophorum virtus inest humida, proprietatem habens, quæ sine damno & detrimento corpus torquet.

Bernardus.

Similitudinarie generantur per artem homo & aurum: tamen horum spermata & semina per artem generari non possunt, eo quod illam proportionem mixtionis, ad producenda semina, ars nescit componere. *Congregatio Philosophorum.*

Natura cum gradum, quem perficere potest, perficit, sed quem præterire nequit. Alius: Natura continet in se ea quibus indiget: sed non perficitur, nisi arte moveatur, & operatione. Item: Primæ dispositiones lapidis nulla arte induci possunt, natura solum hoc facere potest. Item materia lapidis sit natura. Materiam facere per aliquod artificium impossibile est. Lapis enim à natura creatus invenitur, nec alio indiget, nisi ut removeatur quod superfluum est in eo, id est, in materia ejus.

Avicenna.

Lapis non fructificat, donec ad nihilum deveniat tanquam aqua decurrens.

Turba.

Totum magisterium nostrum fit cum aqua nostra, ex ea, & de ea fiunt omnia necessaria. Nam ipsa solvit corpora solutione vera & philosophica, ut convertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt. Alibi: Nisi quodlibet vertatur in aquam nullatenus pervenietur ad perfectionem.

Alphidius.

Nisi naturas attenues, aquam illas faciens, nihil colorare potes: fac ergo corpora esse aquam liquefaciendo, quæ apud Philosophos aqua sapientiæ nuncupatur. *Rosarius.*

Aqua permanens, sive perennis, sive vinum ardens dicitur aqua corporis, id est, quando corpus redactum est in Mercurium. Item: Aqua permanens esse non potest absque suo corpore, cum quo soluta est. Item: Absque aqua permanente nihil fit. Dicitur etiam aqua vitæ. Item: Solum cum ardente vino potes complere elixir perfectum.

Scala.

Draco est sulphur, quod extrahitur de corporibus per magisterium.

Avicenna.

Qui elixir album facere inſtituit, in argento ſulphur album reperiet, in auro rubeum. Et quoniam tale ſulphur non reperitur ſupra terra, niſi in illis duobus corporibus, ideo præparanda ſunt corpora ſubtiliter, ut ſulphur eorum, & argentum vivum ex ipſis habere poſſimus, qualia fuerunt illa, ex quibus aurum & argentum ſub terra efficiebantur.

Clangor.

Solvite corpus perfectum in Mercurium, inde habebitis virtutem occultam, id eſt, ſulphur philoſophicum digeſtum, & decoctum per opus naturæ, quemadmodum in minera digeritur, & decoquitur.

Ludus Puerorum.

Oportet noſtrum lapidem ad primam materiam reduci, & ad originem ſulphuris & Mercurii.

Clangor.

Et tale argentum vivum dicitur oleum incombuſtibile, anima, aër, & ſplendor corporum quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis vitam præſtat immortalem, & ea illuminat.

Geber.

Principalia naturalia in opere naturæ ſunt, ſpiritus fœtens, id eſt, ſulphur, & aqua viva.

Clangor.

Diſſolutio corpus in naturam ſpiritus convertit.

Rogerius.

Oportet omnino quod fixum fiat volatile: id eſt, quod corpus fiat ſpiritus, idque cum volatili, id eſt, cum Mercurio mundo.

Clangor.

Spiritus, id eſt, aqua Philoſophorum, eſt locus animæ, Anima eſt tinctura à corporibus perfectis extracta, & in ſpiritum, id eſt in aquam Philoſophorum derivata.

Villanovanus.

Hæc eſt via qua ſecretum conſequimur conficiendi ſulphuris albi & rubei, quod eſt anima corporis, quæ à corpore educta, tingendi vim habet, quam ſpiritui aquæ vitæ committit conſervandam.

Scala.

A radice convenit extrahere naturam, id eſt, primas partes eſſentiales, ſine quibus nulla fit metallorum transmutatio.

Villanovanus.

Intentio noſtræ operationis non eſt aliud, niſi quod eliciatur, & eligatur puriſſima ſubſtantia ex ſole & luna.

Clangor.

Extrahe argentum vivum, ſeu lapidem philoſophicum tam à corporibus, quam à vivo argento: quoniam unius ſunt naturæ, & habebis Mercurium & ſulphur, de illa materia ſuper terram, de qua aurum & argentum generata ſunt in terra.

Communis Sententia.

Mercurius Philoſophorum conſtat argento vivo & ſulphure.

Bernardus.

Sol nihil aliud eſt, quam ſulphur & argentum vivum. Terram, inquit, & aquam Mercurio attribuunt, aërem & ignem ſulphuri. Terra & aqua ſunt elementa paſſiva, aër & ignis activa. Terra & aqua feminæ rationem habent, aër & ignis viri, nec eſt alia extranea additio, niſi digeſtio, qua mediante, omnia quatuor in auro circundantur, & æquali proportione maturantur.

Communis Sententia.

Corruptio unius eſt generatio alterius, idque tam in artificialibus, quam in naturalibus. Aliter: Secundum naturā nihil generatur, quod prius non corrumpatur, & nihil reſurgit, quod præmortuum non ſit.

Bernardus.

Si aurum in argento vivo decoquatur, ſeu diſſolvatur debito modo & via naturali, ipſum argentum vivum naturales proprietates auri obtinebit. Idem: Solutio quæ fit per aquam Philoſophorum, formam quidem corrumpit exteriorem corporum ſolutorum, at non corrumpit materiam.

Villanovanus.

Quod diſſolvit corpus à ſpiritu eſt, quod verò coagulat ſpiritum à corpore eſt. Alibi: Spiritus diſſolvit, corpus coagulat. Idem, quantum corpus ſolvitur, tantum ſpiritus coagulatur. Quod ſi corpus non ſolveretur, neque ſpiritus inſpiſſaretur. Alibi: Quod à corpore ſoluto exit, humiditas eſt radioſa, quod diſſolvit corpus, de ſpiritu prodit, & virtus ejus eſt germinoſa. Idem alibi Solutio corporis fit cum coagulatione ſpiritus, & coagulatio ſpiritus cum ſolutione corporis. Tunc miſcetur corpus cum ſpiritu, & fit unum cum eo, nec unquā ſeparantur, non magis quam aqua mixta aquæ.

Clangor.

Quando ſperma Mercurii jungitur cum terra corporis, corpus diſſolvitur in aquam ſpermatis, & fit aqua una ſine diviſione.

Villanovanus.

Intellige autem corporis ſolutionem, & ſpiritus coagulationem, ſimul eodemque tempore fieri.

Roſarius ex Calide.

Solutio corporis, & coagulatio ſpiritus ſunt duo, ſed habent unam operationem. Quia ſpiritus non coagulatur niſi cum ſolutione corporis, nec corpus ſolvitur, niſi cum coagulatione ſpiritus. Ideo inter ſolutionem corporis & coagulationem ſpiritus non eſt differentia, nec diverſum opus in aliquo; ita ut fiat unum ſine alio. Quemadmodum videmus fieri, cum aqua vulgaris terram conatur ſubtiliorem efficere, & in ſuam materiam ſolvere: eodem enim tempore aqua denſior & ſpiſſior fit, terra autem ſubtilior & rarior.

Lullius.

Multi Philoſophorum in aqua fortis communi, facta ex vitriolo & ſale nitro, corpora metallorum diſſolvebant, & per evaporationem trahebant aquam illam, tunc calx in fundo vaſis remanebat, quam poſtea cum aqua dulci communi abluebant: deinde aquam illam per evaporationem tollebant, & calcem cum menſtruo diſſolvebant, ut opera ſua conficerent, quæ ſecundum quod competebat, finem non conſequebantur optatum. Diſſolutio enim quæ fit cum aqua fortis, non eſt ſicut natura poſtulat. Idem alibi ſic: Aurum & argentum ſolvuntur in rebus radicalibus ſui generis, non autem cum fortibus aquis, quæ metalla corrumpunt: quoniam illæ aquæ repugnant naturæ.

Rogerius.

Metallis nihil adhæret, neque eis conjungitur, neque transmutat, niſi quod ex illis eſt.

Bernardus.

Fatui ex mineralibus conficiunt aquas per diſſolutionem corroſivas, in quas mittunt ſpecies metallorum, & corrodunt, & non ſolvunt ſolutione naturali, quæ requirit permanentiam amborum, nempe ſolventis & ſoluti.

Idem.

Nulla aqua naturali reductione ſpeciem metallicam diſſolvit, niſi illa quæ permanet cum ſpecie metalli in materia & forma, & quam metalla ipſa poſſunt recongelare. Quod non eſt in aquis fortibus ad

ſoluta

soluta corpora non pertinentibus. Corpora quidem per aquas fortes corroduntur, sed non solvuntur. At quantò magis corroduntur, tantò magis à metallica specie alienantur.

Villanovanus.

Per solutionem corpus cum spiritu miscetur, & cum eo unum fit, ita ut alterum ab altero nunquam separetur.

Clangor.

Corpus dissolvitur in aquam spermatis, & inde aqua fit una sine divisione.

Philosophus.

Melior est solutio voluntaria quàm violata, & temperata quam festina: & ideo cavendum est, ne vis formæ generativa cum corrosivis & adurentibus suffocetur.

Rosarius.

In nostro Lapide Sol & Luna vivi sunt, aliosque Soles & Lunas ex se gignere possunt. Aliud aurum ad hoc, & alia Luna mortua sunt: remansit enim vis & potentia eorum in solutione facta per nostram aquam. Alia aqua ea perdidisset, ac sterilia reddidisset,

Villanovanus.

Solutio tantum fit per argentum vivum: ipsum enim solum potest Solem & Lunam ad primam materiam redigere. Idem: Totum beneficium hujus Artis in Mercurio, Sole & Luna consistit.

Aristoteles.

Si nihil aliud haberemus à Mercurio, quam quod corpora subtiliat ad naturam suam, non parvum nobis præstaret beneficium.

Geber.

Omnis solutionis perfectio, adducitur cum aquis subtilibus, & maximè acutis, acribus, ponticibus, & fecem nullam habentibus, sicut est acetum destillatum, uva acerba, pyra multæ acritudinis, mala granata destillata, & his similia.

Villanovanus.

Corpus soluti, & aquæ solventis natura una est, nisi quod natura corporis completa est, digesta & fixa: aquæ autem natura, incompleta, indigesta, & volatilis.

Regor.

Argentum vivum est ignis corpora comburens, mortificans & confringens.

Rosinus.

Aqua tantò est igne calidior, quantò ignis est calidior aqua.

Rosarius.

Aqua nostra est fortior igne, quia facit de corpore auri merum spiritum, quod ignis facere non potest. Idem: Spiritus est totus igneus per suam igneitatem solvens, & dividens corpora.

Turba.

Comburite æs nostrum igne fortissimo.

Calidius.

Minor ignis omnia terit: minus enim operatur, quam aqua nostra, quæ corpus solvit, quod ignis facere nequit.

Lullius.

Sciri potest materiam primam nostri Lapidis esse ex natura Mercurii vivi, & sulphuris: quoniam ipsa non potest in igne corrumpi, nec in aqua, nec in aëre.

Rosarius.

Aliqui dixerunt, quod argentum vivum vulgi adhæret corporibus, quod est falsum. Quod enim Geber ait: Non invenimus inventione nostra rem aliam magis, quàm argentum vivum amicari corporum naturis. Hoc totum intelligendum est de argento vivo philosophico. Ipsum enim Solem adhæret corporibus, nec ullam aliam rem invenire potuerunt Philosophi antiqui, nec moderni invenient aliam rem, quæ corporibus adhæreat, nisi argentum vivum philosophicum: quia argentum vivum vulgare non adhæret corporibus: Et propter hoc multi sunt decepti operando in illo argento vivo vulgi.

Lullius.

Qui cum forti aqua dissolvunt, ignorant vegetabilia nostrum menstruum acuentia: ignorant etiam aquam Mercurii vulgi, quam nos scripsimus in Testamento nostro.

Villanovanus.

Ut natura mutet naturam & convertat, tantum eo indiget, quod suæ est naturæ. Idem: Vera non est, neque philosophica corporis solutio, neque spiritus coagulatio, si in dissolutione erit materia, & natura extranea.

Dastinus.

Oportet ut elementa aquæ sint ejusdem naturæ cum elementis metalli transmutandi, alioqui degener soboles erit: quoniam ex diversitate partium nascitur & totius diversitas. Quomodo similitudo ex eis est, quæ ex uno genere sunt, & ex una radice pullulant.

Rosarius.

Lapis Philosophorum fit ex tribus: scilicet Sole, Luna, & Mercurio. Item: Fac Mercurium ex Sole & Luna in suo esse, sine Mercurio vulgi, sed per viam Philosophicam.

Lullius.

Lapis componitur ex argento vivo metallorum, non ex argento vivo vulgi.

Novum Lumen.

Argentum vivum nostrum non est argentum in propria natura, nec adhuc in natura ad quam deductum est per mineram, sed natura ad quam deduxit illud artificium nostrum.

Richardus.

Mercurius crudus disponit corpora in primam materiam, sed Mercurius corporum id facere non potest. Idem: Quia per congelationem illud crudum sulphur, quod antea, (id est, ante congelationem) in illo fuit, est alteratum in natura, & ideo non corrodit sicut primum.

Philosophi in genere.

Ab immundo ne quæras munditiem. Stultum est ex re quærere, quod in ea nunquam fuit. Quis dabit quod non habet? Quæ est illa insania, velle ex deteriore facere, quod sit melius: hoc est, perfecta facere ex imperfectis?

Lullius.

Cœlum, lunaria, menstruum, liquor vegetabilis, aqua argenti vivi rectificata & acuata cum vegetabilibus, est cum qua fit dissolutio metallorum naturalis.

Villanovanus.

Aquæ solutiones ex salibus, aluminibus, & aliis id genus confectæ, quæ cum metallis nullam habent cognationem, species metallorum non conservant contra, destruunt ac dissipant. His aquis contra est aqua Philosophorum, quæ metalla conservat, subtiliora reddit, deinde dissolvit, & magno naturæ consensu ea in primam transfert materiam.

Turba.

Accipite spiritum nigrum non urentem, & cum eo corpora solvite, & dividite.

Clangor.

In aqua Philoſophorum latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, cujus ſolius eſt magiſtraliter corrumpere, & in ſuam primam materiam transformare.

Roſarius.

Succus lunariæ fit ex vino noſtro, quod paucis filiis noſtris notum eſt, & cum illo fit ſolutio noſtra, & fit aurum potabile noſtrum, mediante illo, & ſine illo ñequaquam.

Lullius.

Menſtruum abſque auro & argento, Lapidem philoſophicum generare non poteſt nec econtra. Ubi autem illa conjunguntur, menſtruum movet metalla ad diſſolutionem. Et viciſſim metalla movent menſtruum ad producendum ignem in lapidibus.

Clangor.

Si corporis imperfecti, ſcilicet terræ fuerit una libra duodecim unciarum, fixatur cum imbibitionibus ſuis nonaginta diebus.

Lullius.

In ſingulari aqua de corpore rubeo præparato, id eſt, de terra noſtra rubea præparata, & in tenues laminas coaptata, vel in pulverem limaturæ redacta, pone duas drachmas, id eſt, quartam partem unius unciæ. Quod ſi plus ſolvere poteris plus apponas, verumtamen non excedas unciam unam. Si de terra remanſerit aliquid non ſolutum, relinque in vitro: quod autem ſolutum eſt, ſepone: poſtea quæ terra non ſoluta reſtitit, cum nova ſolvenda ponatur. De nova autem terra non ponas duas drachmas, ſed minus, nempe quantum relicta terra ponderat. Quod intellige, niſi perſpexeris aquam plus ſolvere poſſe.

Geber.

Modus ſolutionis duplex eſt: ſcilicet per fimum calidum, & per ferventem aquam: quorum una eſt intentio, & unus effectus. Modus ergo per fimum eſt, ut ponatur calcinatum in ampullam vitream, & ſuper illud fundatur quantitas aceti deſtillati, vel conſimilis duplum ejus, & obturetur caput ipſius bene, ne ſpiret, & ſub fimo tepido ſolvi dimittatur: poſtea per deſtillationem filtri ſolutum removeatur: non ſolutum verò iterato calcinetur, & poſt calcinationem iterato ſimiliter ſolvatur, donec per iterationem operis ſuper illud, totum ſolvatur. Modus verò ſolutionis, quæ fit per aquam bullientem velocior eſt, & eſt ut calcinatum in ampullam ordinetur cum aceto obturato foramine, ne reſpiret. Quæ ampulla in caldario pleno aqua & ſtramine ſepeliatur, & poſtea ſuccendatur ignis ſub ea, donec aqua per horam ferveat. Poſt hoc verò ſolutum deſtilletur, & ſeorſim ſervetur, non ſolutum verò iterato calcinetur, & iterato eodem ordine ſolvatur, donec per reiterationem ſolvatur.

Semita Semitæ.

Accipe pretii libram unam, cum quatuor libris aquæ: tere & incorpora cum ſale modico, & aceto, fiat totum amalgama. Pretio optimè amalgamato, pone ipſum in multam quantitatem aquæ vitæ, id eſt, Mercurii. Pone ſuper cineres & ſit ignis lentiſſimus per diem naturalem. Sine vas infrigidari, & cola aqua per pannum lineum, ut tranſeat quod de corpore fuerit reſolutum. Quod remanſit in panno, cum nova aqua benedicta repone ad ignem per diem naturalem, cola ut prius. Toties reitera, donec totum corpus in aquam convertatur.

Villanovanus.

Tere libram unam limaturæ mundæ in mortario, cem quatuor libris Mercurii. Illi libræ duodecim libras aquæ vitæ dato. Pone totum in urinali, & ſuper ignem cineru n debilem & lentum, & per diem coque. Frigefacto vaſe, aqua coletur, ut cum ea tranſeat, quod de corpore & limatura ſolutum erit, eam aquam ſepone. Et quod ſolutum non eſt, cum nova aqua benedicta ad ignem repone per diem & noctem. Cola ut prius quod eſt ſolutum, & hanc ſecundam aquam pone cum prima. Ita fac, donec tota limatura in aquam, id eſt, in primam materiam converſa ſit.

Lullius in Luce Mercuriorum.

Recipe unciam unam Solis puriſſimi, pone unciam illam in vitreo vaſe, & ſuperpone unciam unam cœleſtis menſtrui, vel duas, ad plus, & immediatè claude vas, ne reſpiret, pone vas in igne cinerum per diem ad naturaliter bulliendum. Menſtruum diſſolvendo Solem colorabitur, colore citrino reſplendente, poſtea ſoluto Sole, pone in balneo Mariæ per alium diem naturalem. Poſtea per tranſitum de uno vaſe in aliud vas, menſtruum ſic coloratum in alio vaſe repone, & vaſe ſigillato ad partem ſerva. Deinde ſuper ſolem qui remanſit inſolutus in fundo vaſis, pone de alio novo menſtruo, ut ſuprà diximus. Et demum clauſo vaſe, pone in igne cinerum per alium djem. Deinde extrahe ſolutum per tranſitum, ut ſuprà in alio vaſe cum alio ſole ſoluto. Et ſic cum novo menſtruo reitera ſolutionem prædictam, donec menſtruum amplius coloretur, & in fundo vaſis manebit de terra ſolis abſque anima. Idem: Accipe calcem cujuſcunque corporis volueris, pone in ampulla, quæ habet longum collum. Superfunde aquam lunariam, ut ſupernatet quatuor digitis. Pone ſuper cineres, ut bulliat per diem naturalem. Deinde pone in fimo per duos dies naturales, ut melius digeratur, & ut materia ſeparetur per partes ſubtiles à groſſitie ſua. Poſt extrahe ampullam. Recipe aquam illam claram in una cucurbita, & cave ne fæces turbentur, dum vas inclinatur. Mox cooperi cucurbitam, & pone in fimo ut prius. Vaſe autem benè obturato, & facta evacuatione, ſuperfunde aliam aquam ſimilem primæ, quæ ſupernatet ut prius, & pone in fimo. Iſtas operationes reiterabis, donec corpus à ſuis ſpiritibus evacuetur. Idem: Accipe aurum, & projice ipſum in aquam vegetabilem. Sit aurum ad pondus aquæ vegetabilis, pone illud totum in digeſtione balnei per ſex dies naturales, & aurum diſſolvetur in aquam, in colore croci. Poſtea verò deſtilla menſtruum in deſtillatione balnei. Poſtea ſuperpone aliam lunariam recentem, & pone iterum in digeſtione balnei alios ſex dies naturales. Et tunc extrahe & mitte aliud, quod ſolutum eſt, in aliam ampullam, & ſuper aliud, quod remanſit, finitis ſolutionibus, & deſtillationibus, iterum de menſtruo ſuppone ad quantitatem terræ, & pone in digeſtione balnei per quatuor dies naturales. Et illud quod ſolutum eſt de metallo, ſimul cum menſtruo pone in cucurbitam ut prius, & ſic fac uſque ad ſex inhumationes & deſtillationes, & illud quod remanſit finitis deſtillationibus de fœcibus non cures.

Geber.

Non ſolutum iterato calcinatur, & poſt calcinationem iterato ſolvitur.

Comes.

Opus diſſolutionis grave eſt, & difficile: expedit autem corpora ſolvere per aquam ſolam: id eſt, per argentum vivum ſine calcinatione: quoniam iſtud eſt ſecurius, licet in operatione ſit tardius,

tincturam igitur non festines extrahere. Festinatio omnia comburit, & ad remotum perducit. Potenter sustine, coque, & non te tædeat.

Alphidius.

Multitudo & diversitas relinquenda, una dispositio quærenda.

Lullius.

Terra rubea ubi purificata & mundata fuerit, & in tenues laminas coaptata, ponenda est in aquam, ibi non solvetur primò in aquam, sed tantùm calcinabitur, & in pulverem rubeum quodammodo sine tactu reducetur. Idem, terram eam desicca secundum suum modum, ita quod pulvis super eam non cadat, donec aliam aquam attuleris, in qua possit dissolvi.

Scala.

Sol & Luna cum prima aqua calcinantur Philosophicè, ut corpora aperiantur, & fiant spongiosa & subtilia, ut aqua secunda melius possit ingredi ad operandum suum opus.

Albertus.

Mercurius noster fit ex corporibus perfectis, & non ex imperfectis: hoc est, cum aqua secunda, postquam per primam aquam fuerint debitè calcinata.

Rosarius.

Fixum fit volatile spatio unius mensis.

Clangor.

In dissolutione facienda, terra toties terenda, id est, in igne continenda, & aqua est illi adjungenda, donec apertè videas nihil amplius superesse, quod dissolvi queat.

Rosarius.

In solutione corporis, si plus erit de non fixo, id est, de spiritu, solutio erit celerior, quam si plus erit de fixo, id est, de corpore, si contra, tardior erit solutio: quare volenti citò solvere multa opus est aqua. Idem: Necesse est autem, ut plus sit de volatili, quam de fixo, à duplo usque ad quintuplum, sextuplum, vel usque ad decuplum, & non ultra.

Comes.

In dissolvendis corporibus, vide ne corpus album cum rubeo, nec rubeum cum albo misceatur, sed utrumque seorsum dissolvatur, neque aquam unius cum aqua alterius confundas.

Lullius in Magia naturali.

Si tibi aqua defecerit, sume cucurbitam, in qua sunt omnes liquefactiones, & superpone alembicum. Destilla aquam lento igne, scilicet per balneum, in tantum quod habeas duas partes liquefactionis. De ista aqua pone super materiam corporis, quæ est in ampulla, in qua cœpit solutio fieri, usque ad quantitatem pristinam. Et sic iterabis, donec tota terra sit evacuata.

Regor.

Caveatur ne acetum in fumum convertatur, & pereat.

Rosinus.

Caveas tibi ne tantum fumositate pereat.

Lullius in Repertorio.

Solutiones aquæ sunt in balneo, vel in fimo collocandæ: unde quod destillari poterit levi calore educatur. Vasa destillatoria sunt arctè connectenda, ut ne quid foras exhalet, De tribus aquæ partibus, duæ tantùm sunt per destillationem evocandæ, aqua Solis & Lunæ sejunctim sunt excipiendæ. Vitreum vas ex lapide potius quam ex silice conflandum est: scilicet, ne mordacitate & acrimonia aquæ corrodatur. Et ne spiritus evanescant, ea vasa fideliter sunt obturanda. Deinde istiusmodi aqua virtute & bonitate præstantior est, quam antea.

Scala.

Qui non solvit & coagulat, multipliciter errat: Congelatio est rei mollis induratio, humoris occultatio, & diversorum colligatio.

Clangor.

Dissolvere est corpus in naturam spiritus convertere. Coagulare est spiritum efficere corporalem. Solutio facit corpus fixum volatile. Coagulatio contra, facit corpus volatile fixum. Idem: Spiritus, id est, aqua non coagulatur, nisi mediante corpore, quod in ea sit dissolutum. Corpora enim sunt velut coagulum hujus lactis, id est, Mercurii. Coagulum autem est, vel Sol, vel Luna, in Mercurio soluta.

Menabdes.

Jubeo posteros facere corpora non corporea, & incorporea corpora: illud per dissolutionem, hoc per suavem fit decoctionem.

Avicenna.

Sales sunt radices operis, Idem: Salia cujuscunque generis sint nostræ arti sunt contraria, demto sale nostræ lunariæ, quod lunaria nostra reliquit ex corporibus solutis.

Geber.

Non egemus nisi uno vase, una fornace, unaque dispositione. Quod intellige post præparationem primi lapidis.

Comes.

Ubi aquam magno ingenio, & subtili sagacitate tuæ mentis evaporaveris, cape tuum salem ita calcinatum, & pulverem subtilissimum, atque impalpabilem, & sepone mundo in vase vitreo, usque quo oporteat eum operi adjungere.

Rosarius.

Tres sunt lapides, tres sales sunt, ex quibus totum magisterium consistit.

Triplex est lapidis materia, aurum, argentum, & aqua philosophica.

Tres aquæ, solaris, lunatis, & Mercurialis: quæ postrema corpora Solis & Lunæ, in suas aquas resolvit.

Triplex est Mercurius Philosophorum, primus calcinans corpora, secundus solvens, ac sublimans, tertius his duobus conjunctus.

Clangor Buccinæ.

Duplex est argentum vivum, & nomina materiæ primæ multa. Prius dicitur præparans, quod corpus dissolvit per aquam Philosophorum. Alterum est tingens, quod à corporibus perfectis extrahitur per dissolutionem: & tale argentum vivum dicitur oleum incombustibile, anima, aër, & splendor corporum, quia corporibus metallicis mortuis imperfectis vitam præstat incorruptibilem, & ea illuminat.

Geber.

Principalia in opere naturalia, sunt spiritus fœtens, vel sulphur, & aqua viva.

Clangor.

Spiritus est aqua Philosophorum, animæ locus. Anima est tinctura à corporibus perfectis tracta. Aqua Philosophorum duplex est solaris & lunaris, ex quarum conjunctione fit Mercurius Philosophicus, & lac virginis, ex quo lapis albus & rubeus.

Trevisanus.

Taceant omnes quotquot affirmant aliam tinctura, quam nostram, esse alicujus momenti, tum qui aliud sulphur prædicant, quam nostrum, quod occultum est in magnesia. Item omnes qui

aliud

aliud argentum vivum extrahere conantur, quam ex servo rubeo, & aliam aquam quam nostram, quæ permanens est, & nullo modo se conjungit alteri, quam suæ naturæ, & nihil humectat aliud, præter id quod est unionis suæ propriæ naturæ. Non est enim aliud acetum, quam nostrum, nulli colores, nullum regimen, operationes nullæ.

Scotus.

Argentum vivum coagulatum, & argentum vivum sulphureum, sunt prima materia metallorum.

Collectanea quædam ex antiquis Scriptoribus.

CErtissimum est rem nullam extraneam posse metalla imperfecta perficere, vel aliquam ex eis facere transmutationem. Quapropter insanorum est hominum opinio, animalia & vegetabilia in hac arte aliquid efficere posse, cum reperiantur mineralia metallis propinqua. Philosophos tamen in illis artem posuisse credendum est, per similitudinem duntaxat. Nam ex duobus tantum, sulphure videlicet, ac argento vivo, metalla quævis oriuntur, & non ex aliis Nihil etiam eis adhæret, nec ea transmutat, nisi quod ex eis originem duxit. Constat igitur non nisi duo, quæ dicta sunt, esse necessaria ad construendum lapidem. Verum tamen ex altero disjunctim nullum generari metallum potest, sed ex amborum conjunctione, diverso modo præparatorum, metalla diversa generantur. Hoc vero in primis occultissimum est, ex qua re minerali fieri debeat propinquius. Si ex vegetabilibus, oportebit ex his prius fieri per artem sulphur & argentum vivum, quod impossibile fuerit: excusamur igitur in istis, quia natura nobis illa duo præparat. Sed si eligamus argentum vivum & sulphur in sua natura, quemadmodum creata sunt naturaliter, oportebit illa conjungi proportione, quam ignorat omne humanum ingenium, excusamur ergo & ab istis, maxime cum habeamus corpora, in quibus à natura debito modo proportionata reperiuntur: in quo totum secretum latet. Aurum est corpus perfectum masculinum, & argentum est etiam perfectum, quæ si sola fusione, & cum aliis imperfectis mixtione, hæc perficerent, essent elixiria, unum ad album, alterum ad rubeum, at non sunt ejusmodi, quia simpliciter à natura perfecta sunt. Si tamen plusquam perfecta decuplo vel centuplo forent, tanto perficerent imperfecta. Verum quia natura simpliciter in eis operatur simplicem perfectionem, in ea manent semper, nisi forte per artem reducerentur ad primam naturam sulphuris, & argenti vivi. Cum ergo perfecta corpora naturalia constent ex argento vivo mundissimo, & simili sulphure, quare non eligeremus illa pro materia nostra ad elixir album & rubeum? Responsio: Quia ista corpora sunt adeo compacta, & fortiter unita, ut vix inveniamus ignem in illis quicquam agere valentem, nec in ipsorum spiritus. Et quamquam ignem non ignoramus, per hunc tamen ad intimam sui mundificationem pervenire non possemus, ob fortissimam compositionem naturalem. Quamobrem excusamur etiam ab istorum duorum corporum electione, cum invenire possimus alia corpora, in quibus argentum vivum mundum, & simile habetur, in quæ natura paululum operata est, adeo ut igne nostro artificiali ad congruam ipsorum mundificationem, separationem, fixationem, ingeniosa nostri operis decoctione super ea continuata, valemus pervenire. Eligenda est ergo materia, in qua reperitur argentum vivum mundum, purum, clarum, album, nondum ad complementum adductum, sed commixtum æqualiter & proportionaliter, cum tali sulphure albo, vel rubeo coadunatum, ut ingenio nostro naturali, & nostro igne artificiali, ad intimam ipsorum mundificationem, & completam puritatem devenire queamus, & opere hoc absoluto millies sint perfectiora & fortiora quam corpora, in quibus natura est simpliciter operata. Ex his quæ dicta sunt, modo sis ingeniosus, gustabis hoc delectabile nectar, super quod intentio Philosophorum est fundata. Cùm igitur materiam in supradictis manifestatam, oporteat artificiali nostro labore plusquam perfectam reddere, modus non ignorandus, at à natura discendus. Hæc metalla perficit operatione frequenti & continua, instrumento solo caloris, qui montibus inest mineralium, ut crassities aquæ tantisper decoquatur & inspissetur, quo suo tandem temporis curriculo circulove transeat in argentum vivum. Item ex pinguedine terræ per eandem continuam decoctionem & calorem generatur sulphur. Hoc ipso continuato calore super ista duo simul unita, juxta puritatem vel impuritatem ipsorum generantur perfecta, vel imperfecta metalla. Quænam dementia tenet operantum animos in hac arte, ut alia via quam ipsa natura procedere velint: illam redarguere, vel superare conantes, quam vix ulla possunt industria imitari Deus per ipsam nobis viam rectam demonstrat, ut puta simplicem & continuam decoctionem igne lento factam. Et quamvis semper loquamur de lento igne, nihilominus in operis hujus regimine paulatim augendus est. Est itaque lapis unus, una materia, & medicina una, in qua totum consistit magisterium, cui nullam rem extraneam addimus, nec etiam ipsam imminuimus, sed in præparatione superflua removemus: & hoc fit in purificatione, quæ per solutionem perficitur. Sublimationem nostram cum facere volumus lapidis, ipsum cum tota substantia ponimus in vas nostrum, cujus orificium firmiter occludimus, ne respirare possit, & in furnum ponimus inter cineres: ignem tandem excitamus tam diu, donec tota materia solvatur, in aquam Mercurialem. Postmodum rege per lentum ignem, idque tantisper, donec major pars in pulverem nigrum vertatur. Ad modum completæ sunt omnes illæ quæ sequuntur operationes: scilicet Solutio, Destillatio, Descensio, Ablutio, & Calcinatio Philosophi de qualibet peculiare capitulum posuerunt, ut occultarent artem. Cùm enim Lapis noster est in vase nostro, & materia nostra sentit Solem nostrum, mox in aquam resolvitur, quæ ascendit in cœlum, id est, in altum ad cacumen vasis, & postea descendit in terram, vel fundum. Item videntes talem aquam inspissari, & ad terram converti nigram, quæ spissa stabat in principio super aquam, ac sinendo paulatim inspissari videbant, terram sub aqua mergi, & in fundo vasis residere nigram & fœculentam, dixerunt eam esse putrefactionis operationem. Videntes etiam terram croceam, subnigram, & fœculentam stantem sub aqua longo temporis spatio, in sole nostro amittere colorem nigrum & fœtorem malum, eorum nonnulli vocaverunt eam operationem, Ablutionem, Cerationem, de qua Morienus ait: Scitote totum hoc magisterium nihil aliud esse, præter extractionem aquæ à terra, & iterum ipsius aquæ in terram reductionē, donec

donec ipsa terra putrescat per suam aquam & mundificetur: quæ postquam mundificata fuerit auxilio divinitatis, totum magisterium dirigetur. Philosophus dicit, terra ceratur & imbibitur per aquam, & per temperatam decoctionem solis exiccatur; & in terram vertitur tota materia, si quis perfecte noverit operationem exequi. Hermes enim ait: Vis ejus integra est, si versa fuerit in terram. Videntes itaque totam materiam in terram verti, & reduci in solidam substantiam, quæ non fluebat, sed in se constricta stabat, dixerunt esse perfectam congelationem. Inde Plato: Solvite [inquit] lapidem nostrum, & postea congelate, id est, in terram vertite magna cum cautela, sic habebitis totum magisterium. Quod nihil aliud est, quam rectam facere solutionem, & perfectam congelationem, ut omnes Philosophi dicunt. Ut igitur metalla permutentur, oportet necessario illa reduci ad sui primam materiam in generi metallico proximam id est, in gummam fluentem. Tum demum ejusmodi materia prima, aptitudine sua innata, virtutibusque disponentibus, facile recipit veram speciem illius metalli, de quo intenditur philosophice: videlicet cum natura fermenti fixi, cui jam dicta materia adhæret in profundo inseparabiliter: sed fluit, quod non facit argentum vivum commune crudum. Quicunque vero ante hujus reductionem in materiam primam albificant, vel citrinant, manente specie prioris metalli in materia non conjuncta vaporabiliter, & non cum materia fermenti fixi in gummam inseparabiliter permixtam deceptores sunt, quia verum aurum non faciunt, nec verum argentum. Ut igitur quodlibet corpus transmutabile in quamcunque speciem transmutetur, ad primam reduci materiam necessum est, cum ratione materiæ possibilis sit transmutatio: ut ait Aristoteles 4. Meteor. de Generatione & corruptione, & Physicorum: Omne corpus possibile, per operationes suæ naturæ contrarias reducitur ad suam materiam primam, scilicet per corruptionem suæ formæ, quia omnis contraria operatio est ejus corruptio, & corruptio est generatio primæ materiæ. Demetrius demonstrans modum purificationis, vel putrefactionis utriusque, scilicet corporis & spiritus, ante ipsorum perfectam mixtionem, inquit: Nunquam autem ex illo, scilicet spiritu, habetur perfectio, quousque mixtione perfecta duxerit corpus suum, quod est frater suus, ad spiritualitatem secum, ut ambo sint unum facta sine separatione in æternum. Magisterium ergo dissolutionis disponit materiam lapidis, ut possit per se dividi in quatuor elementa, ex quibus primo fuit compositus. Alioquin elementa perpetuarent in genere, nisi vaporabiliter miscerentur, nec proportionata compositio, nec debitum pondus induceretur, ut decet, neque perfectio, quæ impressionis & retentionis est medium ultimum. Ad hunc modum perfectus lapis purgat, & sanat hominem ab omni ægritudine, ut innovetur tanquam à matre. Nam excitat motum in corporibus, & vivificat elementa: siquidem elementa vivificantur, cum in actum suum excitantur. Nam vita naturalis nihil aliud est, quam actus elementorum, post quem lapis non patitur dissipationem, aut separationem, ob indivisibilem sui compositionem: unde habet quo senium retardet per vitam suam, quam infundit humano corpori, non secus atque metallis, annos adaugens mediante gratia Dei, ultra propriam, & nativam proportionem, actumque naturalite susceptum, vitam producit. Attamen ejusmodi effectus non possunt alicui elementorum attribui, sed solummodo virtuti cæli, quæ est in ipso lapide. Et virtute cæli, lapis ad speciem deductus est. Licet igitur proprietas naturaliter adveniat lapidi ex impressione cælesti: tamen id quod disponit lapidem ad susceptionem istius impressionis, potest esse latitudo mixtionis, vel complexionis, quæ convenit speciei. Ergo tota vita lapidis, totumque magisterium in vapore consistit, & in subtiliatione aquæ suæ respirando ad aërem. Et lapidis vita fulgor est, & claritas metalli, in subtilitate aërea, atque fixa fusibili cum ignitione. Ex prædictis itaque sequitur argentum vivum nostrum nullatenus fixari posse ad utilitatem, nisi propriis naturalibus instrumentis [quæ sunt calidum & frigidum] & locis aut retinaculis sicci terrei alligetur, & retineatur. Et quia nec ipsa instrumenta, nec retinacula possidere valemus, nisi per virtutem separationis ipsiusmet naturæ in partes primas, videlicet elementares naturas. Ideo recta coagulatio fieri non potest, nisi prius facta separatione post debitam aptitudinem subtiliationis & putrefactionis. Causa ergo universalis conjunctionis, est separatio post putrefactionem, & debitam attenuationem corporis cum spiritu, quia sic unita debite conjunguntur. Separatio vero post putrefactionem nihil aliud est, quam reductio rei, à sua mutatæ natura iterum ad eandem. Cum igitur per mortificationem, & putrefactionem natura fuerit mutata à sua specie metalli viva, in aliam speciem mortuam, scilicet in substantiam terream, oportet eam iterum ad eamdem speciem vivam redigi metallico generi proximam: quod fit per separationem ipsam à mortuis resurgere facientem: & tunc propter uniformitatem naturarum insimul conjunguntur, & adhærentia forti conglutinabuntur. Et hæc est forma specialis nostræ dissolutionis: & hic est modus, quo naturæ gremium revelatur, tunicam ejus sublevando, & quod sub ipsa latet manifestando. Cavendum tamen ne ultra medietatem ejus tunicæ sublevetur, quo humiditas operetur in pauciori sicco, & quod elevatum fuerit, imprimatur, & candor elevati fumi in intimis retum cavernis iterum occultetur, ita humidum cum retinaculo sicci terrei adjungatur, coaguletur, & retineatur. Quò ut res deveniat, operationem ejus iterare minime te pigeat, scilicet spiritum reprimendo, ejusque candorem tam diu occultando, & iterum manifestando, quousque perveniat ad illam substantialem albedinem, quæ amplius occultari non potest, nec alterari, nec variari, nec in alios colores converti, præterquam in rubeum facta digestione. Et tum demum fit in eo passu conjunctio corporis & animæ, commixtio, seu potius unio quæ nunquam separatur.

Aristoteles ait, argentum vivum esse elementum omnium liquabilium: etenim quando liquantur, in ipsum convertuntur. Manifestum est ergo medicinæ hujus operationem esse operationem naturæ, quia ex natura solum est composita. Certissimum est enim omne componi ex eis in quæ resolvitur, uti gelu, vel glacies calore in aquam resolvitur, quia prius ex aqua est frigore congelata. Non aliter lapis noster resolvitur in argentum vivum per magisterium nostrum, ergo ipse prius fuit argentum vivum. Primum itaque verbum est, corporis in argentum vivum reductio & hanc vocarunt solutionem, quæ est artis fundamentum. Rosinus philosophus ait: Solvite corpora & spiritus, & conjungite, tunc de cætero non possunt separari per ignem. Hermes inquit: Primũ corpus solutũ, & aqua perennis,

nis, cõgelat Mercurium perpetua congelatione, quod etiam dicunt omnes Philoſophi. Qui habet aures ad audiendum, audiat: Omnia metalla fuſa ſe habent inſtar Mercurii, & ſi frigida poſſent in ea fuſione permanere, eſſent ipſemet Mercurius. Conſiderandum humida metalla, uti Saturnus & Jupiter, facile reducuntur in ſuum Mercurium primitivum. Et Mercurius debite præparatus omne corpus comedit & reducit in ſeipſum. Calor namque agens in humido efficit nigredinem primo, & agens in ſicco efficit albedinem, & operatur in albo citrinitatem ac rubedinem. Quod in plumbo videre licet, ipſum calcinando: primo uritur in cinerem nigrum, poſtea in album, & poſtremo in citrinum, atque rubeum. Verum itaque operis noſtri principium eſt diſſolutio lapidis, quia corpora ſoluta in naturam ſpiritus ſunt redacta, niſi quod magis fixa ſint, quam ſpiritus. Item: Solutio corporis fit cum congelatione ſpiritus, & contra congelatio ſpiritus fit cum ſolutione corporis. Tum demum commiſcetur corpus cum ſpiritibus, & fit unum cum eis, ut nunquam ſeparentur, non magis quam aqua mixta aquæ, quoniam tunc ſimul omnia ſunt ad homogeneitatem ſuam redacta. Hac de cauſa dixit Ariſtoteles, corpora metallorum transmutari non poſſunt, niſi ipſa prius in ſuam materiam primam redigantur: quod ſi fiat, aliam bene formam ſuſcipiunt, cui non contrariatur ratio. Sed non fit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium. Sulphur & argentum vivum omnium ſunt metallorum extrema: igitur metalla erunt media inter ſulphur & argentum vivum. Conſidera igitur ſi poteris ſubſtantiam puram argenti vivi, & ſine combuſtione digerere, ſin minus opus tuum vanum eſt. Oportet itaque artificem conſiderationibus uti, quarum certitudo traditur in aliis facultatibus, quas ſupponit. Et ut ſtudium ejus ad metam dirigatur experimenti, circa duo potiſſimum inſudare verſarique debet: prius ut de rei curandæ, vel ſublimandæ quidditate elementali diligentiſſime perquirat, ejusque proportione: alterum ut rei curantis, id eſt, principalis argentis, ac transmutantis rationem habeat. Artem enim oportet, agente fortiſſimo, diſponere materiam, quo virtutes naturales digeſtionis activæ, prævaleant in paſſiva materia. Videmus enim quandoque per agens inſufficiens omne digeſtum molinſin, id eſt, imperfectam digeſtionem pati, ſive cruditatem, quæ contingit ob commixtionem crudæ materiæ indigeſtæ, aut propter debilitatem caloris digerentis & terminantis. Quapropter ſumme curandum eſt, ut natura principalis agentis, tam fortis exiſtat in ſua natura & fortificata ſuo modo, ut proprio naturali officio ſit potens ad digerendum, & convertendum materiam in aurum: & ut illa natura ſit ad eum diſpoſita modum, per ſubtiliationem & ſublimationẽ, ut ſuis virtutibus acquiſitis per artem, approximet ad qualitates ſui agentis, & auri: utque mediantibus his, agens principale citrinans acuirate ſua poſſit eam convertere in lapidem Philoſophorum, & aurum. Examinet ergo naturalis artifex ingenium ſuum, ut mediante conditione præfatæ naturæ, quam ignoraverit, ipſam inveniat. Quia non ipſi nobis & noſtris filiis intelligentibus illam diſpoſitionem, id eſt, modum operandi certum & neceſſarium, tradimus, naturam fortificandi quoque, ac inveſtigandi cauſas. Hujus igitur operis artificium inventu fuerit impoſſibile, niſi prius ingenium artificis propriis experientiis à natura realiter informetur. Per has utique natura ſeipſam cognoſci demonſtrat, ejusque diſpoſitionem, qua perficitur: & menſuram approximationis ad perfectionem invenire docet. Proptium igitur opus propria indiget diſpoſitione, cum ſit ipſiusmet naturæ informantis ſuum argentum vivum, & operantis ejus contrariis qualitatibus: caliditate ſcilicet cum temperata ſua ſiccitate, in frigiditatem & humiditatem, demendo ſuperflua, & addendo, vel ſupplendo abſentia & requiſita, ut per id neceſſario habet recipere formam medicinæ completæ. Nec aliter natura prædicta motum habet, niſi juvetur, arte & operatione videlicet artificiali: diſpoſitione ſibi propria, ſine qua nihil fit. Cum illam inveneris, ſub veſtimento philoſophiæ reconde, quemadmodum tui fecerunt prædeceſſores, qui præceperunt ſtrictiſſime contegi: cum ſit totius hujus artis ſecretum & arcanum, adhuc à nullo philoſopho ſcriptis revelatum. Sciendum itaque dum ipſi dicunt ſolvite corpora in aquam, ipſos non intelligere, neque curare aquas tangenti adhærentes, vel humectantes, ſed permanentem aquam intelligunt, quæ vere tangenti non adhæret, ſed ſuperficiem diſcurrit, nihil humectans: ſicut argentum vivum noſtrum non eſt argentum vivum vulgare. Hæc namque materia nihil aliud adjungi ſibi vult præter id quod eſt de ſeipſa: omnia ſiquidem quibus indiget, in ſe continet: hoc de noſtro lapide dictum, & non de auro, vel argento vivo vulgari, &c. Nonnulli perperam ex minoribus mineralibus deſtillant aquas corroſivas, in quas ponentes ſpecies metallorum, eas corrodunt, ac putant eſſe diſſolutas naturali diſſolutione, quod falſum eſt: quia vera ſolutio philoſophica requirit permanentiam ſimul ſcilicet ſolventis & ſoluti corporis: quoniam ex maſculo & femina ſpecies novæ reſultant. Certo certius eſt, nullam aquam naturali reductione ſpeciem metallicam diſſolvere, præter eam quæ permanet eis in materia & forma, & quam ipſa metalla ſoluta poſſunt rurſum congelare: quod in aquis fortibus fieri minime contingit. Aqua nulla igitur diſſolvit corpora, niſi illa quæ fuerit ſuæ ſpeciei: & per quam corpora potuerunt inſpiſſari: nec aliqua alia re nutriuntur corpora ſub generatione, niſi ſpecie conſimili. Differt ergo ſolvens à ſolvendo ſola proportione & digeſtione, ſed materia non differunt ambo, eo quod per quamcunque admixtionem natura hoc format ex illo, ut mineraliter ex argento vivo ſimpliciter natura procreat Solem. Quicunque noverit artem diſſolvendi, jam jam pervenit ad ſecretum, quod eſt ſpecies permiſcere, & naturas à naturis extrahere, quæ in ipſis latent effectuoſæ. Siquis igitur ſulphur noſtrum ſciverit conjungere & amicare corporibus invenit unum de ſecretis naturæ maximum. Quaſi diceretur, ſi quis corpus coproduxerit, ut efficiatur gumma permixtibilis cæteris corporibus imperfectis, invenerit maximum naturæ ſecretum, &c. Eo quod lapis iſte perfectus eſt gumma & ſulphur, videlicet ex dictis, ſupple corporibus. Nominantur iſta corpora ſulphurea terræ. Subtiliatione exiſtente in aqua, diſſolutio trahit lapidem de potentia ad actum: ideo quia facit eum omnino ſubtilem. Et conjunctio ſpirituum cum corpore fit, cum corpora ſublimantur, ut ſpiritus per diſſolutionem, contritionem & aſſationem eorum cum ſpiritibus. Philoſophi dicunt aquam eſſe Mercurii, dictum lapidem liquefactum cum ſua aqua propria, quæ in ipſo lapide eſt fixa, & quæ tunc eſt currens & alba ſicut aqua. Item humiditas aërea, quæ eſt in argento vivo, eſt una res cum terra ſupradicta, & cum aliis elementis in dicta

terra

terra existentibus : quæ quidem humiditas, licet sit pauca, tamen est sufficiens ad nutriendum lapidem dictum, in quo est, & ad perficiendum. Insunt dictæ compositioni Sol & Luna. Et tamen non est Sol neque Luna communis, sed meliores quam in sua natura vulgari : insunt ibidem potentialiter, non visibiliter. Iste lapis sive compositum est res una duntaxat, & unius naturæ (ut aiunt omnes Philosophi) & est natura munda & clara de suis mineris propriis, quæ transmutat regimen ignis. Item medicina nostra elicitur de metallis, quæ naturaliter metalla transmutant, & nullo alio modo. Oportet enim ut elixir Philosophorum sit de Principio, radice, & natura metallorum, & medicina sit nobilior & pretiosior, quam metalla, &c. Inde liquet, ubi Philosophi loquuntur de argento vivo, & aliis humiditatibus dissolventibus, ipsos non intelligere de rebus vulgaribus à natura simpliciter datis, sed tantum de argento vivo à corporibus per putrefactionis artificium separato, quod aliter dicitur Azot : latinè interpretatum alumen potens illuminare, & clarificare omne corpus claritate sua. Cum igitur tale argentum vivum, sive Azot, sive aqua vitæ latonem abluens, à corporibus per generationem extrahi non possit, nisi post putrefactionem erit, ergo putrefactio sua generatio & dispositio. Mixtorum & vegetabilium varia est & differentialis nativitas. Nam simpliciter mixta dicuntur illa, quæ præter nostrum intuitum sub terra nascuntur, aut circa superficiem ejus, ex sola commixtione elementorum ad invicem compositorum: & est ejusmodi primæ, & simplicis naturalis mixtionis gradus multiplex. Primus est quatuor elementorum nuda compositio, in qua non est facta mutatio vel alteratio unius elementi ad aliud. Secundus primum sequitur, quia resolutis præfatis lapidibus, elementis videlicet, mineralia, de quibus sermo præsens, generantur: quæ nobiliores subterraneæ species inde procedunt, quia incipit in hoc eorum actio & transmutatio. Ad conjungendum mandarunt Philosophi, omni amoto extrinseco, solum calorem adhibendum, qui adjuvando, excitat intrinsecum calorem naturalem auri ad digerendum, & activè maturandum Mercurium. Cùm igitur ejusmodi spermata, seu semina per artem generari non possunt, ideo quod mixtionem proportionaliter ad producenda semina ars componere nescit, nec in homine, nec in terra, ubi est proprius locus generationis naturalis eorum, ista semina naturaliter facta, artificialiter conjunguntur, Et in hac naturæ proportionali actione, & Mercurii digestione, simul manent naturæ masculea fœmineaque insimul clausæ : fœminea, ut terra & aqua: masculea, ut aër & ignis: quam terram & aquam Philosophi ut Mercurium, aërem & ignem, velut sulphur esse dixerunt, in nostro lapide. Præter ista duo nihil aliud intrat, nec generat, nec multiplicat, ut patet ex præmissis. Et ista dissolutio solum dicitur liquefactio compositi, & non proprie ejus solutio, quia partes non solvuntur adinvicem separabiles. Quando compositum prædicto modo dissolvitur, partibus inseparatis manentibus (quamvis separabiles) ita quod virtus digestivorum elementorum à dissolvendis, per dissolutiones potest extrahi, scilicet argentum vivum, partes crassæ in tali dissolutione capiunt latitudinem subtilitatis, eo quod corpus in spiritum vertitur, & vice versa.

Quæ ex Democrito *collegimus, apponere visum est, quæ res dilucidior fiat, ex multorum opinionibus Authorum.*

CApiens Mercurium infige corpori magnesiæ, vel corpori Italici stimmi, vel corpori sulphuris ignem non experti, vel spumæ argenti, vel calci vivæ, vel alumini ex melo vel arsenico, vel ut scis, & conjice terram albam Veneris, & habebis Venerem claram, flavam conjice Lunam, & habebis aurum, & erit chrysocorallum in corpus redactum. Idem etiam facit arsenicum flavum & sandaraca præparata, & cinabrium valde contusum. Æs autem splendidum solum argentum vivum facit. Natura enim naturam vincit.

Si verò vis exactè rem scire, duobus catalogis mentem adhibe, quia sciendum ante omnia Mercurium positum esse, & in flavo, hoc est, in sole, & in albo, hoc est, in Luna. Et in Sole quidem dixit, Mercurius à cinabrio, in albo verò dicit Mercurius ab arsenico, vel sandaraca, vel quæ sequuntur.

Ego autem venio in Ægyptum naturalia ferens, ut materiam superfluam contemnatis, & confusam. Natura siquidem natura gaudet, & natura naturam vincit, & natura naturam retinet.

Mercurius itaque omnes induit formas, quemadmodum cera omnia sigilla, sic etiam Mercurius Philosophorum dealbat omnia, & omnium animas ad se trahit, coquit, & rapit. Ad instrumenta ergo aptatus, & in seipso humores habens, prorsus etiam corruptionem sustinens, permutat omnes colores, & permanet ipsis non permanentibus, imo vero ipso non subsistente, tunc etiam continetur corporum & subjectorum rectionibus. Quatuor (inquam) corporum composito, vel compositione, & his quæ affinia sunt, ut sunt materiæ ipsorum, & animæ ipsorum materiæ sunt ipsorum. Ut faber ex ligno, vel ex ære, aut lapide statuam erigens, de se nil nisi formam exhibet in materiam : sic etiam Mercurius arte elaboratus à nobis, ipse omnem formam suscipit, & infixus, ut dictum est, corpori ex quatuor generibus constanti, fortis & firmus manet, continens & contentus, & ob id Pibichius magnam affinitatem dixit habere. Per Mercurium ex cinabrio, ab arsenico, calcantho, cerussa, magnesia, vel stimmi Italico, & reliqua alba vel rubea cuncta sunt intelligenda corpora. Corpus etiam magnesiæ chrysocollam, vel chrysocorallum vocat. Oportet igitur prius rerum species liquefacere, & conflationibus consimiles in unum colorem convertere, duosque Mercurios, album & rubeum, in argentum vivum redigere, & ad putrefactionem separare.

Marcasitam ergo (pyriten Græcè vocant argenteam) rege & fac ex more, ut solvi possit : fluet autem per aureum, vel album litargyrium, vel in Italico stimmi : ex pugna cum plumbo. Plumbum non simpliciter intelligas, ne aberres, sed quod est ex scissili, & litargyrio nigro nostro, vel ut scis. Natura enim natura gaudet.

Rege (inquam) donec fiat incombustibilis, abjiciens nigredinem. Rege autem muria, vel urina incorrupta, vel aqua maris, vel oximellite, ut scis. Mercurius autem actu quidem albus est, virtute, vero citrinus.

Frustra laborant igitur, qui materias explorant, & non naturas corporum magnesiæ quærũt. Corpus

verò magnesiæ, substantiarum est mixtio quatuor generum, ut antea dictum. Capiens igitur Mercurium, &c. Præpositus est Mercurius, ob ipsum enim extrahuntur. Abjicit etiam chrysocollam, quod est batrachium, inter lapides invenitur sulphur ignem non expertum, claudianum masculinum, flavum arsenicum à cinabrio, androdamas, cadmia, sulphur incombustibile, &c. summi corporis vel masculini nomina.

Tria sunt artis præcipua: Chrysolitus, Mercurius, flavus flavus, vel favus albus, &c. natura gaudens. Corpus magnesiæ ex quatuor compositum elementis corporalibus. Aqua divina, natura quæ suam naturam gaudentem vincit & retinet, vincitur, & retinetur ab ea cum aliis. Annon vincitur natura crassioris & terrestris corporis, à natura chrysoliti existente spirituali & aërea? An non vincitur aqua divina astringente, ut juncta Sol & Luna, Marti vel Veneri, &c. retineant. Per se verò juncta his, vel aliis, non retinent: cùm tamen astringuntur per naturam aquæ divinæ, retinere possunt. Quid dicam de te magnesia, quæ corpora circumplecteris? Quis non admirabitur chrysocorallum à te perfectum? Ex te enim perficitur totum magisterium. Tu sola nos bono animo esse jubes. In te explicata est similis enitens nebula, multiformem in te fers Veneris imaginem, pincernam, & ministrum ignivomum. O natura supra naturam naturas vincens. Tu totum es una natura, eademque es, per quam etiam omne opus fit. Superfluo enim numero totus tuus ornatus artificiosè declaratur, per ejus numeri terminum in unitatem divinitati similem. Unitatis enim centrum immutabile stabileque manet. Nam circularem & sphæricam numerorum contemplationem sui, ostendit in opere majore. Sed redeamus unde progressi. Magnesiæ nomina synonyma sunt, lac maris, coagulum, aphroselinum Orientis, magnesia Lydiæ, Italicum stibium, pyrites Achaiæ, &c. Cujus fluxio est mysterium, quod in ipsa latitat, margarita pretiosa. Flammiger splendor, Vestis auro contexta, Aureus nitor, Bellator, Intelligi etiam possunt de albedine operis magni.

Ager chemicus est triplex. Quatuor fratres sunt pars una. Lapis magnus pars alia, semen in agro fatum repurgato, in sua terra. Mercurius alter flavus, aut albus corpori magnesiæ junctus pars tertia. Capiens igitur, &c.

Rursum fuligo vera duplex, humida & sicca. Humida est cœlestis vapor per destillationem prolectus. Sicca per ollam & cooperculum æreum, ut à cinabari vapor albus. Si igitur vaporem siccum irrigaveris humido vapore, divinum opus efficies. Sciatur enim omnes substantias atque metalla vapores existere, fierique: nam irrigati vapores fiunt humidi.

Scythica comaris etiam, novo permixta vapore, omnia perficit.

Aliud est utique verbosa alchemia, quæ sermonum multitudine continetur: aliud arcana, & abdita, sive mystica. Hæc enim sola creationis ratione progreditur, ut in Deum intuens, & à Deo creatus homo, rectam operationem per theologicos & mysticos sermones addiscat, Cœlestis enim est potissimum hæc operatio, quia constat ex cœlestibus materiis & formis.

Methodus alchemiæ mysticæ, cœli figuræ sunt, ad quarum normam ista dirigitur. Sic etiam corpora metallica transmutata à contraria natura, fiunt plana & aërea.

Semen igitur fatum in terra Lunæ, Solem etiam perficit, idque ob divinam operationem, præstat cinis & cadmia. Divinum item opus, & divina aqua illibata cum suo cinere, ad regenerationem faciunt. Audi Mercurium dicentem: Si videris omnia cinerem facta, existima rectè parata fuisse omnia. Cinis enim vim magnam habet, in ultumque operatur. Nam ut ligna in cinerem conversa, fiunt de cætero incombustibilia, sed in opera varia mirabilia vitrorum, ac aliorum: sic & metalla in cinerem vel calcem potius conversa, denuo in quandam virtutem & operationem revertuntur. Cùm eorum natura mundum universum, & ipsa etiam elementa imitetur, unde rursum generantur, habentque cujusdam spiritus participationem, & velut rerum, quæ materiali spiritu fiunt. Sic etiam æs nostrum, sive voles magnesiæ corpus (aut aliter intelligere) ut homo animam & spiritum habet. Hæc enim fusilia corpora atque metalla, postquam in cinerem versa sunt, in igne existentia resumunt spiritum, igne hunc ipsis suppeditante, & quem ab aëre, hæc omnia faciente, hauriunt. Quemadmodum quoque homines atque omnia inde vitalem spiritum & animam sumunt. Æs ustum igitur nostrum in suliginem siccam, omnia patiens magis assatum, fit lapis æthesius colore, ut quidam coruscans æthesius. Postquam igitur assatur, extinguitur divino more, quem divinam aquam appellant, ut dissolutum oleum, & vini crassitudinem suscipit, ac ibi manens per quadraginta dies lento calore, in vase vapores non transmittente, materia postmodum putrefacta, mysterium aquæ divinæ illibatum, id quod quæritur, perficit: atque hic est lapis, qui hæc facit. Notato igitur: Unum sunt omnia, per quod omnia. Ex unitate vel unione quidem incipit, & in unitatem rei quæsitæ consummationem terminat. Cùm enim multa sint in rerum natura, una dicitur divinissima aqua, una natura vincens omnia, non specie, sed arte, cum rationali scientia multos latente. O naturæ cœlestes, naturarum creatrices. His verbis incorporea natura innuitur. Nisi enim materiam spoliaveris, corpora incorporea feceris, nisi per corruptionem ipsa excusseris, dissolveris, quod latitat & spirabile est, in ortum produxeris, nisi hac via præparante res incorporeas feceris, non inferabis naturas, neque corpora facies. O naturæ cœlestes, corporis expertes, in quas corpora sese insinuant, & cœlestis sapientiæ beneficio informantur, in quibus illæ permanent, ac ipsa corpora postmodum complectuntur. Oportet igitur spoliare materiam, & ipsius animam extrahentes, per ipsam deinceps corpora non corpora facere, continere & informare. Spolianda est itaque materia, ut ad stabilem perfectionem perveniat.

Definitio igitur hujus Philosophiæ est, corporis dissolutio, & animæ à corpore separatio, ut tinctura in corpus sese insinuet, utque naturæ cognatio oblectet naturam, retinens, vincens, & in ea permanens. Hoc fit cum intrinsecum foras extruditur cum voluptate, totaque substantia terrea, cumque per elevationem aquæ feceris incorpoream compositionem: item cùm per assationes conspexeris extractam suliginem, atque ita velut per nebulam ferri. Non enim potest incorporea natura nisi superioribus adhærere: cùm enim in sublime ferri soleat, una cum eo, quod sibi simile est, & cognatum. Augmentum itaque amata & amans natura simul, oblectans & oblectata, splendensque, una res ambæ naturæ rei naturalis & unius, alias unitæ

naturæ,

naturæ, quæ vincit omnem rem totius mundi, quare dictum: Unum sunt omnia. Hoc autem unum & unam rem existima compositum ex anima & corpore non corpus facto, in temperatum unum per unum. Candida igitur & pura luna, lunaris species est, fuligo quæ per aquam divinam probe abstergitur, & abluitur. Nihil ergo deest, præterquam nebula, & aquæ elevatio: opus regimine consummatum. Primo cujus nebulæ? fuliginis videlicet in sublime ad cælum per aquam divinam & cælestem elevatæ. Lapis igitur omnibus notus, vilis & valde pretiosus, est conjunctus ex pugnaci Venere cum Mercurio, id est, mare & fœmina. Æs ergo rubeum ingredi facias, ac tinge rubiginem auri. Pugna Veneris cum pugna Mercurii. Venus cum luna pugnando per istam corrumpitur, & luna per Venerem conjunctione figitur, id est, Mercurius per magnesiæ fuligineum vaporem. Corpus igitur æris per lunam lunariumve liquorem corrumpi debet, ac egregie conteri, tantisper ut ars ipsa postulat. Si quis enim corpus hoc per spiritum reddat flavum, potentemque ipsius naturam, secundum artem blandè præparando extrahat, tingit omne corpus. Si quis morte corpus delens, ac dissolvens, spiritus beneficio per fuliginem citrinet, omne corpus tingit. Spiritus enim hoc modo fit ex corpore fuliginis, immunis à materia, vigor & splendor corporis, imperio suo creatoris. Capiens ergo Mercurium infige corpori magnesiæ.

Tota compositio fit per Mercurium, & magnesiæ corpus per marem & feminam. Est in corpore mixta & simul contrita luna, quæ per nebulam & fuliginem completur: ipsa rationabiliter gubernata potentem naturam intus latitantem evocat, omne corpus tingentem, Venerem dealbantem, Jovi stridorem auferentem. Magnum in his mysterium latet, quod cum videris, Deum lauda. Sulphurea à sulphureis continentur, id est, elementa cœlestia & ignea continentur è terrestribus, à quibus illa haberi possunt.

Prima clavis operis est, ut ignis argenti vivi, Mercurii videlicet conjungatur cum aqua terrestris magnesiæ per suam terram. Hac via fit separatio humidorum à siccis, id est, animarum æris ex corporibus.

Secunda clavis est, cum luna & aqua conjungitur cum igne argenti vivi dicti, per aërem æris in elevatione nebulæ, quæ est reductio frigidorum cum humidis, & mixtio superiorum cum inferioribus. Terra, id est, scoria æris, conjungitur cum aëre solari per ignem, id est, per argentum vivum.

Tertia clavis est, cum per torrefactionem putrefactionis, conjungitur scoria cum divina aqua per ignem: hoc est, per lunam, aër solis etiam conjungitur cum terra, id est, cum scoria per aquam, hoc est, per humidum.

Quarta verò fit conjunctione aëris cum terra, soluta scilicet per putrefactionem & assationem septem reductionum, cunctis in aquam unam coactis, & existentibus in cinabari philosophica, quæ constat ex dicto Mercurio & sulphure magnesiæ. Quibus peractis ad hunc modum, ignis fit rursum calidus & siccus, generans calorem aëris, & siccitatem terræ. Similiter & aqua, cum sit humida & frigida, generat humorem aëris, & frigiditatem terræ. Terra cum sit frigida & sicca, generat frigiditatem aquæ, & siccitatem ignis. Aër verò cum sit calidus & humidus, generat calorem ignis, & humorem aquæ. Singula cum duas qualitates habeant, fiunt ex tribus elementis constans elementum. Collecta simul omnia fiunt duodecim ex tribus in quatuor productis, juxta signa duodecim, quatuorque stationes, ut Verni temporis aërei, Æstivi ignei, Autumnales aquei. & Hyemalis terrei. Quæ vera est elementorum compositio per artem. Item colores septem apparentes in opere, corpora dicuntur planetarum septem ejusdem compositionis, qui jam adsunt, modo post absunt in signis operis, ut in cœlo, nunc ingrediuntur sua signa, postmodum egrediuntur. Itaque per septem astra sua, quæ planetæ vocantur, & per duodecim non errantia signa sua, verum Philosophorum mysterium perficitur.

Colores elementorum in opere sunt, à pedibus usque ad genua terreum elementum nigrum: à genubus usque ad umbilicum aqueum splendens & album: ab umbilico usque ad cor, aëreum, flavum, citrinum: & à corde ad cervicem igneum, candens, ac rubeum. Deinceps ubi hæc quatuor elementa mixta fuerint inter se, fit ex ipsis calx & cinis Philosophorum, ut perfectè atque omninò conjungantur per extremam unionem dealbata, nigredine prorsum abjecta. Sacra igitur atque divina hæc Philosophorum ars & scientia, ex una specie constat & perficitur divinè ac magnificè, hoc modo scilicet. Si enim feceris corpora incorporea, & incorporea corpora, mirificè operaberis, votique tui futurus es compos, per quatuor elementorum compositionem: per trinum regimen, duodenariam signorum mutationem: per septem astrorum aspectus, species & corpora: & per monadicam quandam singularem extremam unionem, glorificabis in trinitate & unitate Filium Dei, verbum æternum, qui ex quatuor elementis inferiorem hunc mundum perficit, & ex quatuor mutationibus anni circulorum exornavit, & post septem secula introducet eos qui vocati sunt, & electi in requiem æternam: laudantes unicum & indeficiens lumen in Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Duo sunt igitur quæ ex materia constant, cum binarius numerus materiam significet. Horum conjunctione, medio tertii causæ fiunt omnium. Siquidem per ternarium binarius: & omnis numerus ad unitatis simplicitatem reducitur. Vapor, qui in sublime fertur, est materia aëris, & fumus, sive fumida exhalatio siccorum est ignis materia. Non conveniunt ista duo cum reliquis duobus, aqua videlicet, ac terra, nisi per tertium, id est, vinculum, & igneam naturam. Tria hæc igitur, terno regimine dicto, novenarium constituunt, unitati secundo, ternario videlicet, proximum. Quapropter Sybillino quodam ænigmate notatur hoc mysterium ad hunc modum: Ter tres literas habeo, quadrisyllabus sum, considera me. Quælibet trium priorum syllabarum duas habet, reliqua verò reliquas habet, mutæ quinque: Totius autem numeri centuriæ duæ, octo & tres ter decades cum septem. Intelligens autem quis sum, non rudis vel ignarus erit ejus, quæ in me est sapientiæ. Aliter: Totius numeri centenaria sunt bis octo, & tres ter, & decades quatuor. Adhæc: Principia scientiæ sunt sensus & experientia: posterius est principium activæ cogitationis, prius verò apparentis rei cogitationem præbet, ex quibus intellectio sequitur animæ mundi hujusque prudentiæ. Cum enim ista sit ab omnibus exempta, sensibilem mundum complet. Tres igitur ternarii, ex ea considerentur immaterialium substantiarum ordines conficere.

Cùm tria ſint etiam ; quæ ad univerſalem operationem ſpectant ex quibus poſtea compoſitio fit quaternaria. Molybdocalco noſtro plumbo inquit: Injice Mercurium, donec incorruptibile fiat, & permanens, quod cùm fiet, non amplius erit plumbum. Hæc omnia unum ſunt, & duæ tincturæ nullo colore differunt, unam eandemque tantum cernis. Et quomodo totum ex una ſpecie, alia quidem Veneris, alia Lunæ, alia Solis. Unica tantum aqua videtur, Rhaponticum, à ponto, marique dicta, Rha verò ſuperficiem notat, ergo ſuperficies aquarum intelligitur. Flavam (inquit) injice Lunam, & erit chryſocorallum, &c. Capiens ergò Mercurium à Mare, vel maſculo, fige ut mos eſt, conjice Veneri vel pyriti ſulphurato, & dealbabitur, id eſt, fuligini ſiccæ. Corpora non corpora facito & incorporea corpora compoſitum erigendo, latitantemque naturam extrahendo. Per Mercurium corpora corrumpe, & per magneſiæ nebulam maſculum & fœminam conjunge, & latitantem rurſum naturam evocans, per ipſam denique corporum formationes facies, id eſt, colorum planetarum. Ad hunc itaque modum corpora redduntur incorporea, & iſta fiunt corporea.

Si omnia igne attenuentur, & fuligo ſurſum feratur, fierent varia & infrangibilia corpora. Per ignem intellige Mercurium & igneum pharmacum, quia Mercurius comburit, corrumpit, & extenuat uno & eodem artificio. Venus itaque non tingit, ſed tingitur, & cum tingitur tingit. Nihil enim poteſt per ſe corpus tingere, vel ſeipſum ſeparare, ſi ſpiritus, qui interius latet, non emergat. Quomodo enim poteſt corpus ſine ſpiritu conſiſtere, niſi per pulchram naturam, quæ in ipſo eſt, animalem puta ſpiritum, qui colorem tincturæ ſecum educit, & infert. Venus itaque non tingit, ſed tingitur. Terrea namq; materiæ pars, ut quæ craſſa exiſtit, non tingit, ſed illa qualitas ſubtantiæ tenuis tincturam in corpore procreat. Cùm enim Venus, id eſt, corpus, per magneſiam rectè gubernatur, ſuamque ſubſtantiam tenuem in lucem profert, tum demum tingendi vim aſſumit, ac tingit. Venus autem ſunt quatuor corpora. Tincturæ verò ſpecies ſolidæ, & humidæ, & herbæ dicuntur à ſimilitudine, ſolidæ quidem à nebula uſque ad chryſocollam, humidæ aqua divina. Divina enim à citrinis retinentur, &c. Veritas autem hæc eſt : Natura naturam oblectat, & natura naturam complectitur. Rurſus Veneris quadricorporea natura per magneſiam oſtenditur, & verſicolorum ſpecierum herbæ in compoſitione elementorum attritiones prodeunt in lucem. Cum rationabiliter attritiones corporum fiunt, tum efflorescentia virent, cum herbæ prorſus non ſint, niſi colore tantum, nec iſtæ poſſunt in igne permanere. Solida enim (inquit) & humida & herbas. Solida quidem vocat corpora, albedinem, citrinationem, &c. penetrantia, & in corporibus permanentia, nec omnino cedentia, ſed ipſa firmè retinentia & ſuperantia. Humida verò dixit, ut ita recrearet illa per humida, id eſt, per aquam divinam. Quænam hæc eſt aqua divina, & cur divinam appellant ? Magnum certè nomen hoc præ cæteris, atque præſtantius, quod ſine hac in opere nihil producitur, neque perficitur. Divina aqua eſt id, quod ſimplex & lucidiſſimam, & puriſſimam, & ſine umbra corporum naturam facit, velut immutans corpora, abſtergens, & eſt quod ex corporibus latitantem naturam extrahit. Conjuncta enim naturæ forma, pulcherrimum opus per naturam efficit ac operatur. Acuta aqua elevata & evocata dicitur. Divina enim ſunt, quæ intus latitant, & extrahuntur. Divina igitur à divinis retinentur. Anima & ſpiritus à divinis extrahuntur, & ab iiſdem retinentur, qualitate corpora penetrantia. Veritas enim eſt : Natura naturam oblectat, amplectitur, & vincit. Cùm enim quod intus latet per divinam aquam benè geritur, & expurgatur, oblectat ſeipſum ad propriam corporis naturam penetrantem, vincentem, & permanentem. Propriam itaque naturam agnoſcens, lætatur connexa & conjuncta viciſſitudine.

Sed ut ad rem revertamur : Quatuor corpora tinguntur, & non tingunt. Magneſia enim dealbata non ſinit corpora frangi, nec umbram Veneris induci. Sed vide quidnam Philoſophus dicat, quatuor corpora tingi, & non tingere, nec dicit ut antea, & cum tinguntur, tingunt : ſic ſolidorum corporum ſubſtantiam intellige : Magneſia (inquit) dealbata, &c. Quæ magneſia niſi totum compoſitum ? Quomodo igitur dealbatur ? quando rectè gubernatur, & aſſata, cum divina re expurgata, omnium corporum ſolidorum latitantia referat ex profundo, ut per iſta corporum natura tingatur. Compoſitum enim per divinam aquam irrigatum non ſinit frangi corpora, quin potius umbram eis adimit argenti ſpuma magneſiæ immixta, corpus dealbat, cæteraque generis ejuſdem. Magneſiæ pulchra vide miraque, quomodo per unum multitudinem infert aliqua quidem ab unitate : aliqua à dualitate : aliqua à ternario nec non pluribus intendit, donec ipſius univerſum conſervetur. Aliqua quidem à monade, igneum ſcilicet, pharmacum : aliqua à dualitate, ut cum corpore ipſo magneſiæ : aliqua à ternario, ſcilicet expurgatio cum aqua divina, & ſi quid intendit, & per alios aſſationem referat, donec totum opus quæſitum ſervetur abſterſum, & abſolutum perficiatur, & compleatur. Materia enim ad aurum conficiendum accommoda, eſt ipſe Mercurius. Mercurius à cinabari (inquit) aliquando à Venere aliquando verò à B. Mercurius à cinabari eſt magneſia : Mercurius à B. eſt aqua divina, quæ à contracto inſtrumento extrahitur, & hæc ſunt, quæ materiam immutant. Venus ut homo animam & corpus habet. Oportet igitur materiam corpore ſpoliare, ut permanente ſpiritu tingente, ad cujuſcumque quæſiti perfectionem accommodetur. Quid eſt Venus ? quod homo, materiale corpus. Anima quidem eſt pars tenuis in ipſa, quæ per regimen in lucem prodit : hoc eſt, ſpiritus tingendi potentiam habens. Corpus verò eſt grave & materiale, terreſtreque ſuum quod umbram habet, quam oportet ſpoliare igneo pharmaco. Diſpoliare eſt humiliare, corrumpere, ſolvere, & mortificare. Nihil poſtea defit, nihil eſt reliquum, præterquam nebulæ & aquæ extractio. Philoſophus uſus vera figura, aquam calcanthi vocavit : etenim ibi eſt æris generatio : & calcanthum aurum generat, flos æris (ait Philoſophus) ipſe eſt, qui rem conſummat, & perficit : eſt etiam ſpiritus maſculi. Sic exponitur : Conjice ex ſubſtantia hauſta ab Altiſſimo, ut divina virtus effecta, & in ſpiritum converſa divinum opus faciat. Divinum quærendum eſt, ut ſpolietur materia, & fiat ſola anima, & ſpiritus ſublime petens colorem ſumat, & ut cum igne ſit, pugnacior, & tenacior, veluti planum corpus dæmonum, & penetrantium : radix enim ſolidi eſt planum.

In ſpiritum ergo converſum, & ſurſum latum, ut ignis (doctrinæ ratione) igni quodammodo aſſimilatur, & penetrantior, ac tenacior fit ; quæ verò rationes à mundi natura inventæ ſunt.

Nam

Nam quemadmodum quatuor elementa in seipsa transmutantur, & fiunt quod non erant, cum eorum substantia substantiæ non sit contraria, ignis fit terra, & terra fit aqua, & aqua aër, & rursus aqua terra, & terra usque ad superiora, & in seipsa mutata & soluta omnia operantur, ut est apud Hermetem: Qualitates enim sibi ipsis contrariæ sunt, & non substantiæ. Sic etiam compositum cum terra fit, & ex aqua aër, & ex aëre ignis Quemadmodum igitur ex cœlo, quod tanquam camera terræ incumbit, hæc omnia sunt ab exhalationibus: sic etiam ex olla velut ex terra, & superposito alembico, velut ex cœlo, vehementes fiunt mutationes. Et quemadmodum terræ putrefactiones exhalantes transmutantur, sic etiam flos æris simul transmutatur exhalans. Hoc idem quoque considerabis in humano capite, cucurbitulæ, vel galeæ instar imposito corpori. Ut non frustra dictum igitur conterere: sic modo non temere dicitur, coquuntur sensim, & elevantur inter se. Levi namque elixatione spiritus tingens, qui latet elicitur: quod sursum fertur, spiritus est corporis expers, & anima totius compositi, id est, corporis. Quemadmodum igitur anima corporibus ostendit seipsam, fermentans omnia, in seipsa tres substantias effectrices habentem, motum, sensum & ignitionem: sic enim hic spiritus igneus factus, & anima corporis expers, cum rei cuncta tingentis corpus penetrarit, si in isto condita sit, ut planum in solido, per suæ medicinæ injectionem in argentum igne rarefactum. Lætus hic spiritus igneus (inquit) insilit, qui in corporibus etiam latitat, & sublime perens, etiam corpus ipsum, ut animam propriam, retinet. Cæterum, quod ad differentem aquæ extractæ causam spectat, ne hoc terreat, flos est enim, qui extrahitur, non solum semel, sed bis terve per maripetas. Postquam igitur ostensum est secundum accidens, flos aqua sulphuris est illibata, & fixationis usum habet. Dixit enim Philosophus, & gummi paululum, omne corpus tinget. Maria inquit: Retinaculum omnium, quæ ab igne fugiunt, est alabastrum omnium candidissimam, lapis encephalus, mente reconditus habens velut calorem: hunc capiens conterere, & misce cum aceto, & conjiciens in vasculum, postmodum tandem conde sub fimo: hoc enim est quod quæritur, aquam scilicet sulphuris illibatam, & rubiginem unum & idem esse: atque hic verè totius artis cardo vertitur, In ipsis deinceps consideratur in una compositione omnia fieri, quod tingit, & quod tingitur: quod fugit, & quod sequitur: quod familiare est, & contrarium: masculum & fœminam: sponsum & sponsam: agens & patiens. Unus enim est serpens, qui duas habet compositiones & rubiginem. Unum est totum, ob quod sunt omnia, & si totum non haberet totum, nihil totum esset, ait maximus Chimes. Nam res fixas facere non solum sulphuris est, sed etiam rerum, quæ dealbatæ, emollitæ & rarefactæ sunt. Cum enim substantiæ à sulphure albo in perfectione & assatione patiuntur, tunc & ipsæ sunt sulphur incombustibile factæ, & permanent facientes quod passæ sunt, dando & accipiendo: & tum utraque sulphur facta substantias fixas reddunt: hoc est, quod inter se non frangantur, efficiunt, Deinceps cur [inquit] multiplicium rerum species requiritis, cum una natura omnia vincat. Hanc naturam ab initio usque ad finem expendens manifestum videbis mysterium: hoc est, cymbalia. O naturæ cœlestium naturarum creatrices, hæ dissolutæ omnia operantur. Quid ergo hoc est dissolvere? Huc age ad liquores, & disce: Sume crocum Ciliciæ simul cum flore cineri conjunctum succo vitis, & una liquorum serie dissolutionem invenies. Huc age rursus ad album: & item in ipsum est dissolutio, ipse te docet, inquiens. Relinque inferius & fiet. Verum dixit: Alii corpora appellarunt, alii sulphur, & non decepti sunt. Et ob id diffusus est error per orbem terrarum, propter appellationum multitudinem. Quæ de quatuor & quinque elementa dicuntur, ad illa referenda sunt. Saturnum collocatur, & ex adverso plumbum in altissimo vertice, & post ipsum Jovem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, & infimo loco Lunam. Singula inter se distincta, uni tamen orbi conjunguntur, & unus ipsis ministrat, eademque gubernat, & ob unum spiritum amantur, mutuoque sese intuentur oculis, & mutuò versantur, & mutuò, solvunt. & in suis tectis spatiantur, quemadmodum statuit ipse Creator altissimus. In terra similiter enim reperiuntur, & in aëre sunt, & in aqua & in igne, omnino pacem inter se habent, & unus opifex ministrat illis, eademque regit, unoque jugo omnia conjugata sunt atque unam potionem bibunt, ex terra enim aluntur, & quolibet ipsorum proprium munus obit, & in propria sese constituit, & Creatoris arbitrio patet, quodlibet ipsorum occulitur in terra, & in propria gloria. Et vos ô amici, cum ad hanc pulcherrimam artem vultis accedere, spectate herbarum naturam, undenam prodeunt: aliquæ ex montibus, ex convallibus aliæ, ex campis item aliæ. Considerate aërem ipsis ministrantem: considerate divinam aquam irrorantem, & nebulam ferentem, ac æthera gubernantem ipsas: quæ cum permiscentur, unum sunt, & nemo potest ipsas separare, cum in unam coïerunt naturam. O Cleopatra [inquit Ostanes] in re totum arcanum latet, expone clarè nobis de elementis, & quomodo superius descendit ad inferius & quomodo medium supremo & extimo propinquum est, & non concurrunt partes, cum præcedenti & uniatur, quodnam sit ipsis medium, quod unum faciat, & quomodo descendunt aquæ benedictæ ad videndum mortuos jacentes, ligatos, & positos in tenebris, & in caligine intus in inferno, & quomodo ingreditur medicina vitæ, & suscitat eos, ut tanquam è somno expergis cantur, & quomodo ingrediuntur novæ aquæ, quæ in principio lecti, & in lecto generantur, & quomodo nubes ipsas fert, & quomodo ex mari ascendit nubes aquosa. Ea quæ ostensa sunt contemplantes Philosophi gaudent. At Cleopatra ait eis: Aquæ ingredientes corpora spiritus ipsis inclusos & debiles, velut è somno excitant. Rursus (inquit) angustias perpessi sunt, & rursum occludentur in inferno, & paulatim nascuntur, & surgunt, atque diversos & glorioso colores induunt, quemadmodum flores vere, quod lætatur, & exultat ob pulcritudinem, qua vestitur. Vobis (inquam) prudentibus herbas, elementa, & lapides, cum cruitis ex suis locis, pulcra admodum videntur, & non pulcra: quoniam omnia probat ignis. Cum verò gloriam induent per ignem & colorem viridem, ibi sunt majora spectacula, ibi gloria occulta, & accuratè quæsita pulchritudo, & terra mutata in divinitatem: quoniam in igne nutrit illa, Quemadmodum infans sub ventre nutritus paulatim augescit, & cum status mensis adest, non prohibetur in lucem prodire, ejusmodi res est hæc præclara. Verberant ipsam procellæ, & undæ in inferno, & sepulcro, in quo jacet, cum verò sepulcrum panditur, exurgit ipsa ex inferno, velut infans ex utero. Contemplantes Philosophi

loſophi pulchritudinem, quemadmodum ſtudioſa mater infantem, quem peperit. Tum demum quærunt quomodo, velut infantem lacte, aquis hanc artem nutriant: quandoquidem ut infans formatur, & cum perfecta fuerit in his omnibus, ecce arcanum, ſignatum. Nunc autem primum apertè, ubi vobis jacent elementa, & herbæ, in ænigmatibus exordiar dicere: Aſcende in ſupremum tectum, in montem arboribus conſitum, & videbis lapidem in veritate: ex lapide hoc ſume arſenicum, & dealba divine. Et vide in medio monte infra arſenicum, ibi eſt conjux ſua cum qua conjungitur, cum qua gaudio perfunditur, & lætatur, natura in natura, & extra ipſam non conjungitur.

Deſcende in Ægyptium mare, & educ tecum ex arena ex fonte, quod nitrum dicitur, & conjunge illud ſimul, & ipſe extrahet foras pulchritudinem omnia tingentem, & extra ipſum non copulatur: menſura enim eſt conjux: Ecce natura naturæ contra retribuit: & cùm omnia æquabiliter coëunt, tunc naturæ naturas vincunt, & invicem lætantur.

Conſiderate ſapientes, & intelligite: ecce enim artis perfectio, conjugatorum ſponſi & ſponſæ factorum unum: ecce herbæ, & ipſarum differentiæ: ecce dixi vobis omnem veritatem, & iterum vobis dicam, videte & intelligite Quoniam ex mari oriuntur nebulæ, quæ ferunt aquas benedictas, & ipſæ irrigant terras, & educunt herbas & flores. Item noſtra nebula egrediens ex noſtro elemento, cum ferat divinas aquas, & irriget herbas & elementa, nulla alia terra indiget. Ecce fratres arcanum admirabile, ignotum prorſus: ecce veritas vobis patefacta eſt. Videte quomodo irrigetis terras veſtras, & quomodo nutriatis ſemina veſtra, ut maturum fructum colligatis. Audi igitur, & intelligens eſto, ac dijudica exactè in quibus loquor: Sunt ex quatuor elementis arſenicum ſupremum & infimum, albumque & rubeum, & maris & fœminæ pondus æquale, ut conjungantur invicem. Nam quemadmodum gallina calore fovet, ac excludit ova ſua, ſic etiam vos fovete & perficite, & extrahentes & irrigantes divinis aquis in ſole, & in locis calidis aſſate igne levi, cum lacte virgineo, & cavete à fumo. In inferno autem occulite ipſa, & caute movete, donec ipſorum præparatio fiat ſolidior, nec fugiat ab igne, tum extrahatur ab eo. Cùm conjungentur anima & ſpiritus, & fient unum, tunc conjicite in corpus Lunæ, & habens Solem, quem non habuerunt regum repoſitoria. Ecce arcanum Philoſophorum, pro quo adjurarunt nos patres noſtri, ne patefaciamus illud, divinam habeat formam & operationem. Divinum enim eſt, quoniam conjunctum cum divinitate divinas ſubſtantias facit, in quibus ſpiritus fit corpus, & mortua animantur ſuſcipientia ſpiritum ex ipſis prodeuntem, ac invicem tenentur, & tenent. Quemadmodum ſpiritus contra tenebricoſus, plenus vanitate & triſtitia, prohibet corpora ne dealbentur, neve ſuſcipiant pulchritudinem & colorem, quem habuerunt à Creatore. Ægrotant enim, & corpus, & ſpiritus, & anima, ob tenebras extenſas: ſed cum ipſe ſpiritus, tenebricoſus & pernicioſus removetur, ut non appareat odor, neque color tenebrarum, tunc illuminatur corpus & anima, & ſpiritus gaudet cùm abeſt nigredo à corpore, & vocat anima corpus illuſtratum ad hunc modum inquiens: Egredere ex inferno, & reſurge ex ſepulchro, expergiſcere ex tenebris: indutum enim es ſpiritualitate, ac divinitate: quoniam audita eſt vox reſurrectionis, & medicina vitæ ingreſſa eſt ad te. Spiritus rurſus gaudet in corpore, & anima in eo, in quo eſt, ac citato curſu fertur in amplexum ipſius, & complectitur ipſum: nec ipſi tenebræ dominantur amplius poſtquam ſubiit lucem, nec patitur ut ab illo in æternum ſeparetur. Abiit nigredo, & conjuncti ſunt in amore corpus, anima, & ſpiritus, & facta ſunt unum, in quo latet æternum, & ſignata eſt domus plena luminis & divinitatis. Ignis enim ipſa conjunxit & transformavit, & ex ſinu ventris ejus exierunt, ſimiliter etiam ex utero aquarum, & ex aëre ipſis miniſtrante, & ipſe eduxit vos ex tenebris in lucem. Venter enim ignis ipſa portavit, & propter ipſum induerunt gloriam, & ipſe ad unionem unam perduxit, & abſoluta eſt imago corpore, anima & ſpiritu, & facta ſunt unum. Subjectus eſt enim ignis aquæ, & terra aëri, ſimul & aër cum igne, & terra cum aqua, & ignis & aqua cum terra, & aqua cum aëre, & facta ſunt unum. Unum enim herbarum & fuliginum factum eſt unum, & ex natura, & ex divino facta ſunt. Unum quod omnem naturam conciliat & retinet. Ecce naturæ naturas retinent, retinuerunt & vicerunt: propterea naturas alterant, & corpora, poſtquam ingreſſus eſt fugitivus in non fugitivum, & retinens in non retinentem, atque invicem in unum coiere, Corpora ſunt cœleſtia divinaque, ſupra memorata. Atque arcanum eſt, quia ut polus ex quatuor percurritur, & nunquam quies dabitur. Hæc creata ſunt in hac terra noſtra Æthiopiæ, ex qua ſumuntur herbæ, lapides, & corpora divina, quæ Deus & cœlum fecit: in quolibet enim Creator inſevit potentiam. Unum viride fecit, alterum non: unum ſiccum, unum humidum, unum conjungens, alterum diſgregans: unum retinens, & alterum recedens, & in occurſu mutuo ſeipſa retinent: & unum in alio reducit in corpus, in alio exornat, & fiunt una natura, quæ omnes naturas amplectitur, & retinet. Vt ipſum unum omnem naturam ignis & terræ vincit, & omnem potentiam ipſorum alterat: ecce finem.

Cùm perficitur fit medicina lethalis in corpore currens: quodammodo enim proprio colore ingreditur, & ſeſe inſinuat in corpora. In putrefactione enim & calore fit medicina currens in omne corpus ſine impedimento, vel nocumento. Hic enim Philoſophiæ ars extremam manum accepit.

Multa ſunt igitur quæ faciant aurum, quod vero ſit, unum eſt. Primum: arena quædam eſt littoralis, quæ ab auri colore chryſites appellatur: aliqui auream arenam vocant. Pila conterarur, ſale inſpiſſetur, & igne calefiat per diem & noctem. Trita rurſum abluatur aqua ſalis, & pulvis imbibatur aceto guttatim, ut coeat ſiccetur & imbibatur, idque quarto. Argentum ac plumbum liquans utraque, pulverem injice, confundantur ſimul, & permiſceantur. Poſtea auferens & frigefaciens horis quibuſdam, cernes totum durum: deinde arenam purgans invenies aurum.

Sin velis ita facito.

Sandaracum, calcanthum, & arſenicum, & ſulphur vivum & cinabarim ſimul terens, ac tenacem faciens mixturam in purum vitrum conjice oris anguſti, obſtructum argilla, per ignem die aſſato, poſtea auferens lutum invenies materiam ſiccam craſſitudine pici ſimilem. Hoc iterum terens in fictili vaſe reconde, totumque capiens loca in ignem, & ablato cooperculo invenies flavum, &c. Et magneſiam quidem ſi ceperis albam, & par pondus arenæ optimè præparatæ, poſtea verò utraque con-

conterens oleo raphani concoxeris, erit tibi id quod in fornacibus aurum. Si vero non sit colore nitens, sale uncta quæ superius dicta sunt, & mysi & ferri croco conterantur, & rebus potentias communicantibus, aurum fulgentius aureis Pactoli arenis efficies. Si vero aurum habens, duplum pondus facere voluetis, nihil auferens ex qualitate, hoc ponderans duplo majora pharmaca ponderata, mysi & berilli scobem ut sit quadruplum auri, quod ex ambobus constat hæc miscens, seu temperans, affige auro, atque ea, ubi in crucibulum conjeceris, & ignitum feceris, extrahe, & te ipso duplo ditior fies. Sed nostrum institutum erat, non ut de auro colluſtrando, neque augendo, sed de conficiendo ageretur. Hoc itaque præstabo, quamvis aliquantulum digressa oratio alias artes obiter respexit.

Cinabaris igitur, & aureus flos æris, velut naturales quædam formæ lunari materiæ injectæ, aureum corpus faciunt. Si igitur argentum liquefaciens medicinas miscendo temperaveris, sol tibi luna fiet, & si tale quid secueris, invenies colorem, & ad omnem auri usum argentum in aurum versum. Et luna aurum quidem facit, sol vero lunam non facit: sola enim ipsa inde lumen habet: nec lunæ tantum, sed magno etiam lumini ministrat. Æris igitur corpus protrahens quantum par est, ceu quandam linguam oblongam facito. Postea super carbones reponens, in ipsum vulcanum concita? irradians nunc sale fossili, nunc ocra Attica continue, vel alternatim humerum & pectus Paphiæ exornans, pulchrior plane fiet, ac glaucum colorem abjiciens, apparebit tota aurea. Cum talem fortasse Paris Venerem vidisset, Junoni & Palladi antepositi. Quoniam vero regiminis supra meminimus, interpretabimur quidnam sibi nomen velit. Et quia chrysitidis tinctura indigemus ad opera, prius medicinam habere necesse est, ut ea in tempore utamur. Chrysocolla terra flos est, in Macedonia nascens, hanc aqua dulci purgans, & postea solaribus radiis exiccans, æris Scythici flore & chrysolitho simul solve, & commisce. Postea humido excremento inspissans in vitro recondo, totamque flammis calefacito: ex hac enim igneum pharmacum facies. Habes simul & regiminis significationem, quodve tinctura facit. Aurum vero sic facere poteris: Ubi plumbum igne liquaveris, sulphur vivum huic inspergens, & igne uratur, donec vapor evanuerit. Postmodum aluminis scissilis & cinabaris par pondus capiens, miscensque in oximellite, liquato plumbo inspergito, itemque sulphur vivum (quod supra) ut tum solidum fiat, tum etiam colorem per cunctos poros capiens, propter hæc omnia autum efficiatur.

Quidnam tibi igitur totam Democriti Abderitæ sapientiam breviter revelabimus, nihil intus in adytis relinquemus? Sed nec qui alios sacris initiant hoc dicunt, neque mystica divinatio. Stata autem tempora sacrorum principem concitarunt, ac rursus ille à debacchatione conquievit, sacrisque initiatus compositum festinavit. Sed ne moleste feras, si tibi primo ac sacrorum principi, alius ipse sacrorum princeps sedeo. Tibi enim præstantiora concredita sunt, ac tu de cœlo Deum deducis, & evehis animam & mentem, quæ in materia est, & applicas rei exemptæ à materia. Ego vero humi jaceo, ac naturæ contemplator sum, nec dum retuli me ad rerum non aspectabilium speculationem: quoniam nondum mihi acutius lumen factum est. Hæc Psellus ad Xiphilinum Patriarcham, & ultra. Nosti igitur quid faciemus, inquit? Mihi quidem terræ adyta concredita sunt: tu vero illa cælestia es consecutus. Impertiamus ergo invicem res quas habemus: tu mihi egregia spectacula: ego vero tibi naturales effectus. Sed videa quid ego tibi fecerim, cum enim auri fontes aperuerim, nec Atho concussi, nec Pangeum commovi, nec venas quasdam subterraneas recluſi, sed lapides inter se conterens, & herbas quasdam miscens, ingenue tibi ac utiliter aurum valde pretiosum elaboravi. Hujusmodi aliquid tu mihi etiam commisceto, non in aërem concitans, non sublimem tollens, sed aliqua ratione in terris mihi ostende superceleste bonum: nullibi enim est, sed ubique, & in qualibet universi parte. Inventum multos latet, quodque intus in nobis est, in cælo, errantes quærimus. Sed doce quomodo prope est, & quomodo longius abest, non loco distans, sed dispositione propius accedens, quod longius abest. Dic quænam ratio est defensionis intelligentiæ? deinceps usque adeo descendens, quomodo rursus ascendit? In summa me manu ducas ad Deum. Si enim per satis angustum iter, contentus ero, si vero per iter nostri capax. His me sacris initiandum, si deduxeris, polliceor tibi me nullum reliquum scientiæ & naturæ opus, nullumque studii genus, vel antiquioris sapientiæ, vel arcanæ prætermissurum: sed tibi si placuerit, quæ sub terra sunt, explicabo. At vero si tibi studiosissime munus confero, tu autem mihi scientiam non ostenderis, ærea pro aureis minus permutans: nec ob id tamen succensebo, nec tibi turpem ingrati animi notam inuram: sed sciam in vitro magis solare lumen Atticum succendi. Vis igitur me dicere, quod pro omnibus dico. Impensius ama, & vale.

Summaria Declaratio eorum, quæ dicta sunt hactenus ex Democrito, per ænigmata

QUod est spoliare, humiliare, corrumpere, solvere, & mortificare, omnemque materiam extrahere, ut spiritu incumbente ac patefaciente, sciatur id quod tingendi corpus vim habet? Ad quæsiti perfectionem accommodetur responsio. Hoc enim promptum & idoneum est ad perfectum complementum, ex speculationibus, quæ sub sensum cadunt, ad eas quæ intelligentia sola percipiuntur, ascendendo, & magnum cæleste ornamentum intuendo. Horum ornatum ubi contemplatus fueris, super omnia mentem elevans, magnamque & sat nitentem angelorum gloriam, tantumque gaudium considerans, ne convertaris deinceps ad materialem hujus humilis & abjectæ jam patefactæ scientiæ auri conficiendi notionem: sed totum te ad superiora erigas, & ad splendorem supernarum substantiarum alas mentis attollens, innumerabiles & arduas harum pulcritudines, ac aliud lumen, quod omne lumen superat, intentis & internis oculis intuens, admirans, operaque omnia in mundo deponens, ac electam ante tempus mortem animo cogitans, tecumque tuum corpus mortificans: præterea vero tuam animam abnegans, claris hymnis cunctorum Regem ac dominum gloria glorificans, & laudans: tremore vero timoreque perculsus omnipotentem potentiam in mente contemplator, & ipsius bonitatem, quæ omnem bonitatem superat, & quemadmodum omnia producta sunt per ejus inenarrabilem sapientiam. Lingua torpet, mens quoque ferre non potest, vel prorsus investigare, vel recensere, quæ magnalia Dei omnipotentis menti contemplanti vere sunt

repoſita. Hæc vero omnia in nobis ipſis conſiderantes, ſtudeamus etiam ut cum omnibus, tanquam fratres per fidem, atque delectationem, uniamur, & aſſimilemur, quantum fieri poteſt, verbo Deo quod nos dilexit: ipſumque Deum dominum noſtrum adorantes, amemus ex tota anima, ex tota mente, & ex toto corde: tantumque theſaurum admirati glorificemus ut tandem contubernio Dei dignati, per ipſum gratia repleamur, & luce ejus ſapientiæ, quæ omnem naturam illuſtrat, ac mentem omnem illuminat. Cui laus in æternum.

Hæc Xiphilinus Patriarcha ad Michaelem Pſellum, qui contra retribuens ait: Accipe chryſolithi partem unam, magneſiæ cinabrii partes tres: contere vero donec ſimul conjungantur, & commiſceantur ſubſtantiæ, & nihil amplius ſulphuris vivi appareat: fit enim admodum nigrum, ut atramentum ſcriptorium, poſt tres dies conjiciens in lavacrum, impone ex liquore, qui ſolet abluere partes æquales, & ablue omnem tincturam excipiens. &c.

Chryſolithus eſt arſenicum, ut ſcis, vel lapis ætheſius Magneſia cinabrii eſt chalcopyrites, vocatur & plumbum. Humor lavacri eſt radicis raphani noſtri acetum radicatum cum ſuo ſale, & ab eo per cohobationem tractum in ſolutivam. Ablue, inquit, donec rubigo ejus egrediatur, & ſic abit nihil ex ære remanente in plumbo. Hæc eſt magna ſolutio per evocationem, æruginatio, denigratio, ablutio, &c. Procede ut ſcis. Evacuationem dictam accipiens in vaſis relinque reſidere, & exprimens liquorem exicca, quod ſubſidet, hoc invenies ut atramentum ſcriptorium, quod contere donec fiat perfectè citrinum, vel album prius: ad hunc modum exiccando conteratur igne continno, donec albeſcat, & candidiſſimum fiat. Vide igitur, ne dealbationis tempore deſes ſis: negligentia enim accidit, eo quod non videtur illa pulchritudo: quoniam per hanc dealbationem ſine umbra æs fit, omnem ſuam terreſtrem ſuperfluitatem & craſſitiem abjiciens. Si igitur æs dealbatur, ſpirituale fit, & denique nihil relinquitur, nihil deſit, præterquam nebulæ & aquæ elevatio. Zozimus ait; Unum ordinem ego novi duo opera habentem: prius, ut fluat per reſinam (intellige per purgatorium) poſterius, ut exiccetur humor Saturni per elevationem in pulverem levem. Ponas igitur lapidis levis partem æqualem, cum repurgato, & contere abluendo & evacuando cum aceto extracto per alembicum, donec albeſcat, donec candidum fiat. Vide igitur dealbationis tempore, ut ſupra, &c. Dulcificans igitur medicinam & exiccans, repone, & medicinam exæqua: Calcanthi partes tres, magneſiæ partem unam, & medicinæ partem alteram, contere ſimul, irrigans ad ſolem cum aceto albo dies ſex, & poſtea exiccans pone in fimo bovino, & ſine ut urantur per dies duos, vel tres, & tollens ab igne invenies aurum tinctum ut ſanguinem: hoc eſt cinabaris Philoſophorum, & æs clarum citrinum. Quid vobis (ait Senior) & multarum rerum ſylvæ? cum una ſit materia naturalis, & una natura, quæ omnia ſuperat. Tunc igitur per divinam aquam ſolutum & fermentatum, ut fermentum panis, ac deinceps etiam chryſolytho æquis partibus contrito & aqua ſoluto? ſecundum naturam ſuam per fluxionem, tingit omne corpus. Zozimus ait: Sol naturalis per chryſolithum ſpiritualis factus, ſecundum naturam tingit. Argentum etiam ſi diſſolvamus per aquam, & ſpirituale faciamus per chryſolythum, æs tingit alium. Hoc enim etiam aliis verbis dixit. Duæ enim tincturæ nulla alia re inter ſe differunt, niſi colore tantum: hoc eſt unam & eandem præparationem habent: quia & per divinam aquam prius conteruntur, & poſtea vero per chryſolithum ſpiritualis medicina fiunt, unum quodque ſecundum propriam naturam tingit, ſol ſolem, & luna lunam. Per aquam divinam intellige viſicationem occultorum. Ætheſius lapis igitur cum ære colligatus, & cum oleo raphani reductus, hic beatos Ægypti ſtudioſos reddidit. Arte compoſitum igitur erigens, ac latitantem naturam evocans, per ipſam denique corporum formationes facis, & ſic corpora incorporea redduntur, & incorporea corporea fiunt. Si omnia igne attenuentur, & fuligo feratur, erunt varia, & infrangibilia corpora. Laudetur Altiſſimus.

Nicolai Flamelli *Galli* Tractatus Brevis, *ſive* Summarium Philosophicum,

Qui Metallorum cognitionem, certamque ſcientiam, quomodo videlicet inter ſe invicem transmutetur, impetrare ſatagit: is ante omnia ſcire neceſſum habet, qua ex materia proveniant, & quomodo ſimul etiam in mineralibus ſuis formentur. Ne itaque huic forſitan erretur tranſmutationes veluti in terræ venis undique fiunt, ſpectandæ atque obſervandæ ſunt. Quocirca extra mineralia etiam transmutari poſſunt, ſi ante ſpiritualia efficiantur, ut videlicet in ſulphur & argentum vivum ſuum, quæ natura facit, perveniant. Omnia ſiquidem metalla ex ſulphure & argento vivo, omnium metallorum duobus illis ſpermatibus, formata ſunt: quorum unum virilis, alterum fœminini ſexus & complexionis eſt. Illa autem duo ſpermata ex elementis ſunt compoſita. Et primum quidem, virile ſcilicet, quod ſulphur dicitur, nihil eſt aliud, quam ignis & aër: juſtumque ſulphur eſt, ignis inſtar, abſque mutabili & metallica natura, non autem vulgare illud, quod nullius eſt metallicæ ſubſtantiæ. Alterum fœmininum ſperma, quod argentum vivum nuncupatur, nihil eſt aliud, quam terra & aqua. Dicta iſta duo ſpermata veteres ſapientes duos per Dracones vel ſerpentes præfigurarunt, quorum unus alas, alter autem nullas habuit. Draco ſine alis ſulphur eſt, nunquam ab igne avolans. Alatus ſerpens argentum vivum eſt, quod à vento transportatur, muliebre ſemen, ab aqua & terra factum: quocirca etiam certa ſua hora ab igne avolat, & in eo inconſtans eſt. Sin vero iſta duo, à ſe invicem ſeparata, ſpermata iterum in unum redacta, & per triumphantem naturam, in Mercurii libro, qui primum metallum metallorumque mater eſt, unita ſient, tunc illud Philoſophi volantem Draconem appellant, eo quod Draco, ab igne ſuo accenſus, ſub volatu ſenſim ignem venenoſumque vaporem in aërem ſpargat: idem quoque facit & Mercurius, qui, ſupra exteriorem ignem ſuo loco in vaſe conſiſtens, igne recte inſtituto, internum naturale, quod in profundo occultatum eſt, accendit: & tunc aliquis videre poterit, quomodo externus ille ignis qui vegetabilis nominatur, Mercurii naturale inflammet: Paulò vigilantior autem is in aëre venenoſum aliquem ſumum, vel vaporem, exhalare videbit, qui talis erit fœtoris, atque venenum pernitioſiſſimum, quod aliud nihil eſt, quam Draconis caput, quod celer-

rime

rime è Babylone, quæ duobus, vel tribus, miliaribus circumdata, egreditur.

Alii vero Philosophi Mercurium huncce volante cum leone compararunt eumdemve ideo ita nuncuparunt, quod leo multifaria voret animalia, seque ista sua voracitate, pro lubitu suo, recreet atque exhilaret, exceptis iis, quæ illius furori violenter possunt resistere. Ita quoque facit & Mercurius, qui talem in se operationem habet, ut etiam quodlibet metallum illico specie sua spoliet, absumat, atque devoret. Duo tamen metalla esse vobis significo, aurum & argentum videlicet, quæ ipsi obviare possunt: quamvis notum siet, quod Mercurius, nimium inflammatus, etiam duo ista metalla devoret, atque in ventre suo abscondat: Utrum horum tamen illud siet, certum est illud in Mercurii ventre non consumi: In sua namque natura perfecta, & magis, quam ille, indurata sunt, utpote qui imperfectum metallum, & nihilominus tamen in eo substantia perfectionis est. Vulgare aurum, quod perfectum est metallum, argentum quoque, & omnia imperfecta metalla; ex Mercurio proveniunt: Itaque veteres Philosophi illum matrem metallorum nominant: & exinde sequitur, quod, cum & ipse ad aliquid formatus siet, duplicem substantiam metallicam in se contineat. Et primo quidem substantiam interioris lunæ, dein etiam solis, quod metallum alteri est dissimile. De duabus istis substantiis Mercurius formatus est, quæ spirituali modo in illius corpore foventur. Quamprimum igitur Natura Mercurium illum de commemoratis istis duobus spiritibus formaverit; tunc eosdem perfectos corporales quæ reddere adlaborat. Cum vero duo isti spiritus adoleverint; & duo spermata evigilaverint, tunc propria sua corpora assumere desiderant, quo facto ipso mater, Mercurius, mori necessum habet: Qui, naturaliter ita mortificatus, tunc sese non amplius, veluti ante fuit, vivificare potis est.

Jactabundi arrogantesque quidam Chimici obscuris verbis affirmare conantur, quod quis perfecta & imperfecta corpora in currentem Mercurium transmutare debeat: verum dolus anguisque in herba latet. Verum equidem est, quod Mercurius imperfectum aliquod metallum, utpote plumbum, vel stannum consumat, &, absque labore, in quantitate multiplicet: ast eo ipso perfectionem suam amittit; ut non amplius hac ratione siet Mercurius: Sin vero per artem mortificaretur, ut non magis sese vivificum facere posset, tunc in rem aliam transmutaretur, quemadmodum in Cinnabari, vel sublimato fieri solet. Quando enim arte coagulatur, sive nunc illud tardius, vel citius fiat, tunc duo ipsius corpora fixatum corpus non adsumunt, neque etiam illud conservatura essent, quemadmodum in terræ meatibus videre est. Ne quis tamen heic erret, tunc æque tam parum à natura sub terra coagulari potest, ne fixatum granum proveniat, & à duobus spermatibus, non verum aliquod germen proferat, quemadmodum in plumbi venis conspicitur: Nulla siquidem istiusmodi vena est; ubi non fixatum aliquod granum adpareat, auri & argenti videlicet, idque in substantia & alimentatione. Prima Mercurii coagulatio minera plumbi, & quidem summe idonea commodissimaque est, illum ad perfectionem fixationemque perducendi. Quemadmodum enim antea dictum, minera plumbi non absque fixato grano auri & argenti est, quæ grana natura illuc sumministrat: ita sese multiplicari potest, quo melius ad perfectionem plenariamque virtutem perveniat, veluti ipse expertus sum, atque pro certo illud & affirmare, & confirmare potero. Quamdiu etiam suo in Mercurio, hoc est, à sua minera non separatum, sed bene custoditum est, (omne siquidem metallum, quod adhuc in sua minera, illud est Mercurius) tunc sese multiplicare potest; modo si à Mercurio suo substantiam habere queat. Sin vero fixatum granum ablatum, & à suo Mercurio; qui ipsius est minera, separatum fuerit, tunc simile erit virescenti immaturo alicui fructui in arbore; qui, flore sublato, fructus formatur; & ex eo pomum fit. Sin autem immaturum illum fructum aliquis decerperet, tunc prima illius formatio corrumperetur: Homo siquidem nullam habet scientiam, ut substantiam, vel maturitatem largiatur, quemadmodum natura interior, dum fructus adhuc pendet de arbore, & substantiam alimentationemque suam à natura habere potest. Quamdiu igitur nunc maturitas expectatur, tam diu etiam fructus saporem liquoremque adtrahit, idque tam augmentando, quam alimentando; donec ad perfectam maturitatem perveniat.

Simili etiam modo cum auro comparatum est. Si enim à natura granum factum, & ad Mercurium suum redactum fuerit, tunc etiam ab eadem illa cortice incessabilique modo sustentatur, in perfectum suum Mercurium, quomodo in se ipso est, redigitur: expectandum dein est, donec à Mercurio suo substantiam aliquam sortiatur, non secus ac ab arborum fructibus fieri solet. Quemadmodum enim Mercurius tam perfectorum, quam etiam imperfectorum; metallorum arbor est: ita quoque etiam illa nullam aliunde alimentationem habere possunt, quam à solo suo Mercurio. Si itaque fortassis à Mercurio fructum colligere volueris, qui est splendens lucensque Sol & Luna, si fiat, ut forsitan non procul à se invicem sejunctæ sient, ita tamen ut id absque longiore mora fiat: tunc ne cogites, ut, veluti Natura ab initio fecit, illa iterum conjungere, multiplicare; atque, sine immutatione, augmentare possis. Si enim metalla à minera sua separata sunt; tunc illa, non secus ac minores nimis mature decerpti arborum fructus, qui nunquam ad justam suam magnitudinem perfectionemque perveniunt, deprehenduntur. Similiter, & per neturam, ipsamque experientiam, de arborum fructibus notum est, quod si malum, vel pirum, semel ab arbore decerpatur, magna tum siet stultitia, si quis illud denuo arbori inserere, & hoc modo fructus illius maturitatem exspectare conetur. Quo magis enim, uti similiter experientia testatur, manibus circumvolvitur; tanto magis citiusque marcessit. Et eodem modo etiam res cum metallis sese habet. Nam si quis vulgare aurum metallicum & argentum sumere, atque ambo ista metalla in Mercurium redigere conaretur, is omnino stulteseceret. Heic enim nulla ars subtilis reperienda esset, qua quis seipsum non deciperet, licet etiam multifariis aquis, cæmentis, aut id genus infinitis rebus aliis, quæ singulæ commemorari nequeunt, uteretur: assidue à scopo aberraret, ipsique idem contingeret, quod illis, qui immaturos fructus decerpere, eosdemque dein iterum ad stirpem alligare velint. Quamvis veri aliquot Philosophi recte beneque dixerint, si Sol, atque Luna, per rectum Mercurium rite conjungantur, quod tum omnia alia imperfecta metalla perfecta reddant: qua tamen in re ut plurimi homines à scopo aberrant, qui nihil aliud in terra habent, quam

quam tria iſta, vegetabilia, animalia, vel mineralia, quæ una in re conjuncta ſunt: Non enim curæ ſibi eſſe patiuntur, quod Philoſophi non de vulga i auro, argento, & Mercurio loquantur, quæ omnia mortua ſunt, & nullam amplius ſubſtantiam recipiunt, ſed in ſuo ESSE permanent, nullumque alterum ad perfectionem juvare potis eſt. Equidem revera fructus ſunt, qui ante tempus ab arboribus decerpuntur, & idcirco nanci etiam æſtimantur: In illis ſiquidem, quod quæritur, minime invenitur: non amplius habent, niſi quibus indigent. Quocirca fructus in arbore quærendi, quæ ad ipſos recta ducit, & cujus fructus cottidie eo magis magisque major fit & augmentatur, quam diu arbor porrigit. Et hoc quidem opus viſum ſumma & lætitia. Per hoc medium quis arbor iſta, abſque collectione fructuum, plantari, & in alia humidiora, fructuoſiora, & meliora loca transportari poterit: quæ ſane fortaſſis uno in die fructui plus alimentationis conferre poteſt, quam alias etiam centum annorum ſpacio ab alia terra minus acceptiſſet.

Eo ipſo igitur intelligendum eſt, quod quis Mercurium, qui ſummæ laudata arbor eſt, ſumere debeat, qui ſimul penes ſe, & indiſſolubiliter quidem, Solem & Lunam habet: atque dein in aliam, Soli aliquanto vicinorum, terram transferatur, ut hac ratione mirabilem utilitatem conſequatur, qua in re ros abunde ſufficit. Ubi enim antea plantatus fuit, illic à vento & frigore, ita agitatus debilitatusque fuit ut exiguus ſane fructus de eo expectaretur: quo in loco etiam diu permanſit, & nullos omnino fructus protulit.

Verum enim vero Philoſophis hortus aliquis eſt, in quo Sol tam matutinis, quam veſpertinis horis, de die atque nocte, indeſinenter, commoratur, idque cum dulciſſimo rore, à quo bene inſpergitur atque humectatur, cujus terra arbores fructusque producit, qui illinc plantati ſunt, qui etiam decentem alimentationem à gratiſſimo paſcuo percipiunt. Id autem fit indies, illicque & corroborantur, vivificantur, & minime marceſcunt, ad minimum ferme uno in anno magis, quam antea etiam mille annis, ita ut loquamur, alio in loco, ubi, à frigore infeſtabantur, haud feciſſent. Sumantur itaque, & nocte, interdiuque aſſidue ſupra ignem in alembico foveantur. Non autem ignis carbonarius, vel è ligno confectus, ſed clarus pellucidusque ignis ſiet non ſecus ac Sol ipſe, qui nunquam plus juſto calidus ardensque, ſed omni tempore ejusdem caloris eſſe debet: vapor namque ros & ſemen omnium metallorum eſt, quem non alterari oportet. In creſcentibus fructibus videre eſt, ſi nimio calore abundent, ſine rore modico, ut ſicci maneant, & in ramuſculis ſuis immoriantur, atque ad nullam denique perfectionem perveniant: Sin vero per calorem, vel mediocrem humiditatem in arbore ſuſtententur, tunc elegentes & fœcundi fiunt. Calor namque & humiditas omnium terrenarum rerum alimentum eſt, utpote animalium, vegetabilium, & mineralium. Quocirca carbonarii, è lignis excitati ignes ipſis minime cõducunt: violenti ignes illi ſunt, qui non alimentant, quemadmodum ſolis calor facere ſolet, qui etiam omneis res corporales conſervat, eo, quod naturalis ille ſiet. Quem in finem etiam veri Philoſophi nullum alium ignem elegerunt, quam naturalem, quem ſequuntur, non quod Philoſophus faciat, quod natura facit: Natura ſiquidem res omneis, utpote vegetabilia, mineralia & animalia, quodlibet in ſuo, quo imperat, gradu creavit.

Simili quoque modo nunc non dicam, quod videlicet homines arte ſua res naturales faciant: Sin vero natura res iſtiusmodi perficiat operetur, tunc humana arte illæ perfectiores, quam à natura factum, efficiuntur. Et hoc modo Philoſophi veteres, ad nos omneis informandos, aliud nihil laborarunt, quam naturaliter cum Luna, & vera matre Mercurio, quibus de Mercurium Philoſophorum fecerunt, qui, in operatione ſua, multo eſt fortior, quam Mercurius naturalis. Hic enim ſaltim ad ſimplicia, perfecta, & imperfecta, frigida vel calida metalla operam ſuam præſtat Philoſophicus vero Lapis etiam plus quam perfectis, & imperfectis, metallis inſervit, ut illa cito perficiat & reficiat idque abſque ulla diminutione, additamento, aut immutatione. Quomodo à natura creata ſunt, in eodem etiam iſto ſtatu illa relinquit, nec tamen aliquid negligit. Non idem heic nunc dicam, quod Philoſophi omnia illa tria conjungant, quo melius Mercurium ſuum perficiant, veluti quidam rerum imperiti homines, indoctique Chimici faciunt, qui vulgare aurum, argentum, & Mercurium, ſumunt, illaque tam male tractant, donec per fumum evaneſcant, atque eo modo Mercurium Philoſophorum perficere conantur: ad illum tamen minime perveniunt, qui prima lapidis eſt materia, & vera minera. Sin autem ad illum pervenire, & boni aliquid reperire velint, tunc ad montem ſeptimorum, ubi nulla eſt planicies, ſeſe conferre, & ex alato deorſum ſextum intueri neceſſum habent, quem è longinquo conſpicient. In montis iſtius altitudine triumphantem Regalem herbam, quam quidam Philoſophi mineralem, nonnulli vegetabilem appellarunt, & Saturnialis nominatur, cognoſcent: Oſſa tamen relinquantur, & juſculum purum mundumque exinde ſumatur, atque hoc modo potior operis pars fieri poterit. Et hic rectus ſubtilisque Mercurius Philoſophorum eſt, quem ſumere debes.

Et primo quidem opus album, dein etiam rubrum faciet, ſi ſermonem meum bene intellexeris: Utrumque enim nihil eſt aliud, quam uti vocant, practica: Sol & Luna uno eodemque modo præparantur, unde album rubrumque in practica provenit, quæ adeo ſimplex & levis eſt, ut etiam fœmina juxta colum impedite perficere poſſit, vel ſi gallinæ hyemali tempore ova, ad incubandum, ſubponat, & illa tamen non lavet. Ova enim, ad incubandum ſubpoſita, non lota, ſed prout ſunt, gallinæ ſubponuntur: nulluſque in eo amplius labor requiritur, quam ut cottidie ova iſta invertantur, quo melius citiusque pulli egrediantur. Id quod nunc ſatis ſuperque declaratum eſt. Exemplum vero ut deducatur, primo Mercurium tuum non lavare, ſed illum ſumere, & ſuo cum ſimili, quod ignis eſt, in cinerem, qui ſtramen eſt, vitrumque unicum, quod nidus eſt, collocabis, abſque re alia, in idoneo aliquo alembico, qui domus eſt: & tunc exinde egredietur pullus aliquis, qui ſanguine ſuo te ab omnibus morbis liberabit, & de carne ſua te cibabit, atque de plumis ſuis te veſtiet, atque à frigore cuſtodiet. Quem in finem ſummum rerum omnium creatorem oro & obteſtor, ut omnibus fidelibus Chimicis, ad inveniendum iſtiusmodi pullum, quo de ſeſe ſuſtentent, gratiam ſuam clementiſſime largiri ne dedignetur; quemadmodum ut ego modicum illud, quod heic declaravi, è ſupernis à Deo Patre accepi, qui etiam illud ex amore & juxta bonitatem ſuam, mihi largitus eſt. Vobis itaque

itaque præsens conscripsi opusculum, ut majori cum desiderio inquiratis, & rectam viam ingrediamini: Opusculum illud vero in Summario complexus ideo sum, quo melius, juxta Philosophorum dicta, quæ imposterum rectius intellecturos vos esse mihi persuadeo, opus comprehendere valeatis.

SVBSECTIO VII.

IOANNIS AURELII AUGURELLI *P. Ariminensis*, Chrysopœia, & Vellus Aureum, *seu* CHRYSOPOEIA MAIOR ET MINOR, *ad Leonem X. Pontificem Maximum, cum* NATANIS ALBINEI, D. M. *Carmine aureo.*

AVriferam parvis animi pro viribus artem;
Quæsitam nobis, & longo tempore partam;
Vt rerum involucris tantarum evolvere moles
Se posset, claro perhibentes carmine nuper
Lusimus, & Musis hanc commendavimus almis,
Quod nulli ex omni numero fecere priores.
Cumque operi autorem cujus sub nomine tutum
Pergeret optarem, foret & res præside digna
Ipsa ex se magno, variâque hinc mente tenerer
Cui merito cuncta hæc, & non ingrata dicarem:
Interea nobis tute velut æthere ab alto
Missus ades mundi festis succurrere rebus,
Qui belli scelerumque faces, incendia tanta
Extinguas, placidamque piis sperare quietem
Des populis, solidamque per aurea secula pacem.
Cuive etiam, si parva licet componere magnis,
Ad sanctos hæc nostra pedes ars aurea tendat:
Vt quo te fidei sacra nunc cœtus honore
Prosequitur cunctus hoc te veneretur, & omni
Ipsa tuum pro me cultu sic numen adoret.
Hanc igitur; si non immensa negotia prorsus
Impediunt, permitte precor se prodere tantum
Quo tibi, detractio veluti velamine virgo
Nobilis ingenio vultum perfusa rubore,
Occultum incipiat semel ostentare decorem,
Hæc etenim prima quanquam se fronte legenti
Non adeò ostendat, paulum tamen ipsa recluso
Detecto arcanis mira & gratissima pandit.
Quam si forte legens interdum nomina divûm
Offendes quos vana olim coluisse vetustas
Dicitur, extemplò haud rennas, sacra optima quamvis
quam
Exerces, veramque fidem, cultumque tuêris.
Illa etenim tanquam priscis consueta vocari
Vatibus enixè quos tunc imitabar adivi
Supplex, & paribus curis in vota vocavi.
Materics etiam solitum conquirere Solis
Et Lunæ auxilium; nec non Vulcania velle
Arma videbatur quorum implorare favorem
Fas erat: & mihi jam per te licuisse sit id nunc
Concessum, & venia dignum peccasse fatenti.
Mox tamen hinc aliud quæsitum ad carmina numen,
Et precibus solum cunctis quandoque vocatum;
Fortè aderit, præsens fuerit si gratia cœlo
Tanta mihi: magnum multo seu carmine Mosen:
Seu quem flagranti vectum super æthera curru
Mirati videre patres, oculisque secuti
Aëra per purum cœli discindier oras,
Astrorumque globos intrò aspexere micantes:
Seu qui voce palàm porrectòque indice prodit
Venisse auxilio jam tùm mortalibus agnum
Ipse canam, vatem quamprimùm matris in alvo
Exultantem, & adhuc puerum ad deserta ferentem
Antra pedes, puri mox & Jordanis ad undam
Dignatum caput illius contingere limpha
Qui proprio antiquam nobis sic sanguine labem
Abluit, ut scelerum maculas abstersserit omnes.
Nomine cujus item tibi quondam & moribus aucto
Defuit haud unquam favor ac cælestis abundè
Gratia, qua tantum meritis conscendere culmen
Posses, & justas mundi regere unus habenas:
Magnanimos æquans propria virtute Leones,
Pontificum decus egregium jam sæpe repertos
Esse, nec Italiæ sub iniquo tempore, & usquam
Christicolis ullo prorsum in discrimine deesse.
Hæc sed erunt mihi cùm dicendi facta potestas
Jam fuerit, dabiturque loqui quæ jusseris ipse
Sancte pater, cujus nobis stant omnia nutu.
Interea certis hominum vis ulla-ne possit
Indiciis aurum facere, & mutare metalla
Percipias primum: dehinc quæ secreta laboret
Ars id perficere, & naturam æquare potenti
Ingenio inspicias: demum quis rite sequatur
Hinc modus assiduis doctisque laboribus artem
Pervideas, & quò tandem experientia ducat.
Omnia quæ gnaro passim tibi certa patebunt,
Si quo hæc inter se nexu, quóve ordine constant
Ipse acie qua cuncta soles discernere mentis
Inspectans, parvum non dedignabere munus,
Quod tibi non parva offerri super arte laboro.

LIBER PRIMVS.

HVmana experiens naturæque æmula virtus
Aurum num verè faceret qua fideret arte;
Quisve modus foret, est animus quærentibus ultrò
Dicere: quæque palàm vestigia nulla priorum
Apparent proferre pedem: vos numina gressum
Dirigite est hominum quibus experientia curæ.
Tuque adeo in primis auro cui plurima tellus
Spargitur, & vasto venas sub corpore condit
Siderei succo plenas meliore metalli;
Phœbe ades; & tecum accelerans non passibus æquis
Alma soror gravis argento cui sæpe fatiscit
Orbis iter summâque ostentat brachia terra
Candoris grato ætherei fucata colore.
Tu quoque nec cœptis Cylleni audacibus usquam
Defueris: tibi nam puro de fonte perennis
Rivulus argentum vulgo quod vivere dicunt,
Sufficit, & tentis præstat primordia rebus.
Denique tu pater ignipotens quem fervida flammis
Antra juvant, tentisque expressa follibus aura,
Fornacésque, incudésque, & liquefacta caminis
Massa æris ducti, aurique, electrique, recocti
Invictum exercent semper: tu maxime præsis

Artifici

Artifici vatique simul tua facta canenti,
Nil sine te solers ars inchoat: eia age sanctum
Conjugis ut tecum pergat descendere numen
Effice, quam penes est generandi plena potestas.
Hæc mihi ne cursu naturæ avertar, & usquam
Declinem, ostendet quot constent cuncta, quibúsque
Principiis, quave hinc ineunda est semita, quantus
Sit modus ut certam capiant humórque calórque
Temperiem, cujus suavi perfusa vigore
Omnia perpetuo fœtus in sæcla propagant.
Tu molli è gremio surgens uxoris amatæ
Arte pari prorsus genitalem imitaberis ignem.
Per te sublimi pendent in vase metalla:
Per te eadem triti specie sub pulveris imo
Fundo hærent: eadem per te calefacta liquescunt.
Tu mihi, tu lentum solus pater alme calorem
Intendes, & cùm tempus dabit ipse remittes.
Tu princeps operis tanti, tu carminis esto
Principium: fervens dulcis mihi spiritus oris
Extet, eáque virûm per te Vulcane per ora.
Nec tu non faveas tantis æquissima votis
Prisci perpetuum sæculi decus heroine,
Quam circum exultant laudata ad flumina Nymphæ
Minciades, Phœbique chorus comitatur euntem,
Aut fovet Andino recubantem in gramine Manto
Lata trium nodo neptem complexa sororum.
Sic mihi jam gradibus crescent incepta secundis:
Nec rerum series illis aut copia deerit:
Et sua scribendis accedat gratia rebus.
Immenso primum cœli quodcunque sub orbe
Seu simplex fertur corpus, seu corpore constat
Multiplici, tendit sobolem proferre, diúque,
Quáque potest augere genus, speciémque tueri.
Namque ubi materiem sparsus comprehenderit ignis.
Victor agit flammis donec convertat in ignem:
Inficit humectátque liquor, nec deficit usquam
Quin in se quicquid tetigit, ni major ibidem
Vis obstet, vertat, tenuésque effundat in undas:
Sic aër, sic terra sibi conferre laborat.
Vndique, sic longo cuncta in se tempore transfert.
At quæ composítis constant, quæcunque feruntur
Vivere, de propriis vel semina stirpibus edunt,
Vt fœcunda Ceres, ut germen fertile Bacchi:
Vel sibi consimiles natos animantia gignunt,
Vt bellator equus, bos ut bene junctus aratro,
Vtque hominum proles mira & cœlestis origo.
Hæc inter variant quæ nec primordia rerum
Extant, quaque frui vitali sorte negantur,
Vt media quæcunque sedent tellure metalla,
Quique latent miro grati fulgore lapilli:
Nullo namque genus sobolémve augere putantur
Semine, sed cunctos ævi torpere per annos.
Verùm hæc ipsa etiam secreto vivere quivis
Sentiat, & vitæ divino munere fungi:
Hæc & oriri eadem si contemplabitur, & si
Augeri ex sese penitusque increscere cernet,
Vt mox è variis patefactis nosse licebit.
Quod si non sobolem educunt, non cætera vertunt
In semet, causa est quod multa spiritus illic
Materie abstrusus vitam qui porrigit omnem
Explicat ægrè ex se vires, ni vivida promat
Has hominum virtus densa sub mole latentes.
Hoc etenim quicquid diffunditur undique cœli,
Aëráque, & terras, & lati marmoris æquor
Intus agi referunt anima, qua vivere mundi
Cuncta putant, ipsumque hac mundum ducere vitam
Ast animæ quoniam nil non est corporis expers,
Mundus at & mundi partes quoque corpore constant,
Spiritus hæc inter medius sit, quem neque corpus
Aut animam dicas, sed eum qui solus utroque
Participans in idem simul hæc extrema reducat.
Hic igitur maria, ac terras, atque aërea, & ignem
Viveréque, augerique, atque in se cuncta referre
Semper avet, semper stirpes, animantia semper.
Gignere, perpetuamque sequi per sæcula prolem.
Denique sic etiam fulvo detentus in auro
Ipse manum cupit artificis qui vincula solvat,
Et qui se propria reddat virtute potentem.
Quod si quis properans hunc artis viribus unquam
Explicet, atque diu tepido post incoquat igni:
Continùo aspiciet, visu mirabile, vitam
Auro impertiri longo cum seminis usu:
Nec deerit quin ex auro sibi procreet aurum.
Quod cùm ita constiterit, durate & credite dictis
Intenti artifices, & res sperate secundas.
Jam patet his ut non tantum sub montibus aurum
Natura efficiat, sed ut id quoque prodeat arte:
Quòque modo id fieri possit quandoque docebo.
Interea ne quid nobis quærentibus obstet
Quominus his adhibere fidem sit fortè necesse,
Quæ contra soleant dici num omnia solvam:
Mox eadem validis grata experientia signis
Impetet, & gravium sententia prisca virorum
Delebit, referens quæ jam videre parentes
Ipsi oculis, manibusque simul tetigere beati:
Atque hinc incipiens cuncta hæc ex ordine pandam.
Nil mirandum æquè quàm si quod longa peregit
Annorum series genitali semine cœptum,
Audeat illud idem momento protinus horæ
Ars facere, ac proprio naturam vincere cursu,
Quem tenuit tanto in spatio per grandia terræ
Viscera, summa eadem servans vestigia ab ima
Sede, per anfractus totos, ac cæca per antra.
Nec minus hæ mirum siquis primordia possit.
Scire quibus constet puri genus omne metalli:
Atque ea componens, aurum dum conficit arte,
Mensura exequet, necnon & pondere libret
Metitur quibus hæc natura, & ponderat unis,
Quid locus? an quisquam poterit fornace calorem
Æquare exiguis qui circumducta caminis
Nunc loca terrarum præfertur, nunc petit altam
Tellurem, mox & suprâque infráque refertur
Vnus, & inserto distendit cuncta tempore?
Quis potis est unquam tanta omniparentis apisci
Munera naturæ? quæ vis mortalibus unquam
Tanta fuit? non ipsi etiam qui numina cœlo
Dejicere in terras conati, vellere ab imis
Jam potuere suis montes radicibus altos,
Invitæ auderent sacra in penetralia terræ
Tendere, scrutaríque piæ secreta parentis.
Adde quòd in varias mutari corpora formas
Natura haud patitur: neque enim velocis equi bos
Induerit speciem piger, aut Parnasia laurus
In se Chaoniam poterit convertere quercum:
Nec magis æs puro se commutaverit auro
Quàm si quodque etiam queat à quocunque creari.
Hæc sunt quæ cœlo missam divinitus artem
Conantur frustra indiciis tenuare pusillis.
At neque scire opus est, quanquam hæc sit noscere pulchrum,
Quæ quibus extiterint gignendis ultima rebus
Principia aut quali fuerint ea lance recepta
In numerum & pondus: neque enim si farrea tractes
Semina constituant quæ far primordia quæras,
Quáve ea conveniant mensura & pondere farri:
Farra sed ipsa putri mandabis condita terræ, &
Virtutem latitantem intus, seséque moventem
Irritans tantum, naturæ cætera linques.
Nec longinqua adeo spatiosi temporis ætas
Convenit huic operi, vires quod promit ab auro,

At non principiis è primis conficit aurum.
Quid si nobilius quoddam quod præstet & ipsi
Auro contendant proprio molimine summis
Perficere artifices, aptè cui nomen elixir
Experti fecere Arabes, verique dedere
Indicium id quoniam in melius quodcunque metallum
Ducit, & infectum mira depurat ab arte?
Sic neque spectandus nobis locus ille, calorque,
Quo calet inclusum semen genitale metalli,
Quique diu fertur specubus tellure sub alta:
Aut alio prorsum ducendi tramite gressus
Natura pariter secessus inter & artis,
Qua simul ad metam prospectans utraque ducit.
Denique nec speciem verti tunc arte putaris
Ære vel argento duci si videris aurum:
Sed privum hoc privo fieri ex ære atque argento
Aurum credideris: veluti si farris in agro
Infelix lolium & steriles nascantur avenæ:
Aut si fortè boum videas per viscera toto
Stridere apes utero & ruptis effervere costis:
Aut ut plura sinu molli simul ova puellæ
Rite fovent, multus tenero sub pectore bombyx
Palpitat & lecta mutritus fronde virentis
Debinc mori, tenuis texto se velleris orbe
Implicat, ac tandem pedibus munitus & alis
Papilio de verme pedes volitansque recedit.
Quid si cuncta etiam sint uni subdita formæ
Quæ specie vulgo perhibent differre metalla,
E quibus extiterit quocunque impurius, atque
Sordibus infectum terrestribus, exuet omnem
Arte luem citius, purumque nitescet in aurum?
Atque ideo haud nescire opus est quibus abdita terris,
Et quibus è causis sunt, & quot sorte metalla
Qua variè primo fuerint distincta sub ortu.
Sed quis in arcanos terræ descendat hiatus?
Quisve referre pedem possit loca terra remensus?
Veridicove queat fari quæ viderit ore?
Vos Musæ quas nosse decens & dicere par est
Omnia, vos divæ nulli memorata priorum
Dicite: sic vobis ipse aurea vasa sacerdos
Prima feram: æternum sit aurea carmina durent.
Lynceus, ut fama est, visu prælatus acuto
Omnibus, è summo Siculi qui culmine montis
Pœnorum in portus oculo contendere posset.
Et numerare etiam versantes littore puppes:
Hic simul oppositas moles, simul edita saxa,
Inserta montes acie penetrabat ad imos,
Altaque secreta spectabat viscera terræ,
Aëra per purum veluti vitreasve per undas
Aut liquida quondam crystalla missa videmus
Spectra quibus rerum nobis respondet imago,
O quoties patrii residens sub rupe Pachyni
Trinacriamque omnem supra aspeculatus & infra
Ætnæi causas ignis motusque videbat!
Qui simul ac tanta vi se procul omnia sensit
Cernere, non ultra cunctandi certus, & altè
Providus externas animum convertit ad oras.
Ergo ratem certa plenus spe magna videndi
Conscendit, pelagique deos in vota saluiat.
Sicanio verum portu vix solverat, ecce
Cum fera tempestas cœlique mariscque legentem
Graiorum ob portus Epiri vertit ad urbes.
Hanc Arethusa illi Nymphas hortata marinas
Immisit, Nymphisque etiam admitentibus ipsis,
Et totum ex imo passim miscentibus æquor:
Namque illas motus in thalamis ne fortè videri
Æquoreis possent invaserat æquus, & omnis
Tum chorus obscura septum caligine cœlum
Texerat, ac noctem nautis obduxerat atram.

Hinc ille aërii properans it proxima Pindi
Culmina spectatum: nec longum tempus & omne
Interius Rhodopes, Hemi, Tomarique cavernas
Fontibus irrigui centum procul inde videbat,
Oraque cernebat terræ in penetralia centum
Quin Pindo exoriens aderat Achelous ab ipsis
Sedibus ante oculos, & ab imo viscere Lynceo
Altera qui longo retinet taurina recessu
Cornua, seque alibi exporgens immensa per antra
Occulit Herculeæ metuentem verbera clavæ.
Ille etiam lento præcelsa Ceraunia passu
Circuit, & visi simul interiora petivit
Omnia: mox Graiæ variis in montibus oræ
Consedit, penitusque cavis rimatus inhæsit
Obtutu specubus, mirandaque plurima primus
Vidit, & hæc eadem nobis memoranda reliquit:
Quæ dum aliis ad nos olim delata vicissim
Prodimus ante omnes hæc intro prorsus ab illis
Spectari cupimus quibus alto in pectore Pallas
Insidet, atque illic scitu pulcherrima versat.
Principio locus & sedes decreta metallis
Gignendis terræ est imum atque immobile visceus,
Marmoreæ in morem pateræ sub montibus altis
Excisum, velutique cavo sub fornice clausum:
Quò solis radii penetrant, crebrique feruntur
Siderei innumeris etiam fulgoribus ignes.
Collectumque coquunt humorem, ac jugibus inde
Saxa per & rimas loca cuncta vaporibus explent.
Ast ubi continuum passus vapor ille calorem
Consedit, nec jam secreta per antra volutus
Amplius, immensos post tandem induruit annos,
Hæret in expletis venis informe metallum.
Namque liquor partes terræ dispersus in omnes,
Et tenuis mixtus tenui, lentoque calore
Compositus, quondam fugiens & pinguis & unctus
Exiit è vasti fundo crateris, ab imo
Sulphura ubi argento fervent immixta perenni,
Argento fluere insigni, vitamque per ævum
Ducere: queis primis giguuntur multa duobus.
Hoc matris, patris illud enim vim continet: hujus
Suscipere, illius pars est præbere calorem,
Hinc fulvi species auri pulcherrima fulget,
Hinc nitet argenti candor, rubet ærea vena,
Ferrea nigrescit sub apertum, plumbea pallet,
Albicat at stanni facies, imitata colorem
Argenti, pondusque ferens, ni strideret, æquum.
In primis igitur cupidis mortalibus aurum
Quæritur ingentes inter variosque labores,
Perque laborantis manifesta pericula vitæ.
Namque ferunt Indos, regio quæ vergit in Arctos,
Tendere furatum cumulos, quos egerit auri
Formicarum ingens manus: at non segniter illas
Exire, ac contra stare, & fugientia passim
Unguibus & rostris lacerare & figere terga,
Aufugiat quamvis celeri gens illa camelo.
Nec minus aut scrobibus curæ, vastisve ruinis
Hesperii impendunt, si quando è montibus aurum
Eruerint: neque enim nunc quæramenta ferantur
Fulva Tago expediam: sed quæ majoribus illi
Sustineant subjecta laboribus atque periclis
Innumeris, & quæ vincant opera ipsa gigantum.
Nam steriles magno primum conamine montes
Excindunt, penitusque petunt qua nulla dabatur
Semita per cuneos accensis viscera lychnis.
Atque imas nulla phœbi sub luce cavernas
Noctes atque dies penetrant, omnique recessu
Explorant aditus: humerisque excisa vicissim
Exportant traduntque aliis longo ordine primi
Per tenebras: donec lucem qui percipit unus
Egerat extrema pondus cervice receptum.

Aſt illos prædura ſilex ſi fortè moretur,
Qualis jam Pœnio rupes ſeſe obtulit hoſti,
Dum ferus aërias in nos tranſcenderet Alpes,
Hæc igni excoquitur tunc, & molitur aceto:
Volvitur at picea circum caligine fumus,
Et in ſeris latitans compreſſo ſpiritus ore
Obſtruitur, vitamque operæ ſub faſce relinquunt.
Atque ideo cadunt ingenti pondere ferri,
Et vacuos ſummæ reſerunt telluris hiatus,
Qua vapor incluſus cuneis exhalet apertis.
Nec mora, nec requies quin multo fornice montem
Suſtineant totum: cum jam majore peracta
Parte operis cadant extremæ fornicis arcus,
Et rimæ ſignum præbent, quam pervigil unus
Aërio montis reſidens in culmine ſentit.
Hic ictu, aut clara revocari voce repente
Cum famulis jubet artifices, ac devolat ipſe:
Protinus ingenti ſtrepitu, longoque fragore
Mons cadit, humana nequeat qui mente referri
Conceptus, quantumque obtuſas occupet aures,
Aut incredibili quàm compleat omnia flatu.
Illi naturæ gaudent ſpectare ruinam
Victores: neque adhuc illinc educitur aurum,
Nec ſcivere etiam tum cum fodêre, vel ante
Eſſe: ſed ana illos ad tanta pericula duxit
Spes invicta omnes per caſus, perque labores.
Sed quid in his tantum morer? aut quæ mira ſuperſunt
Prætream, nihilo cùm ſint hîs fortè minora?
Eſt deinceps aliud feſſis ſtudiumque laboſque,
Quo tantam expurgent immiſto fonte ruinam.
Jamque igitur ſummo præcelſi e vertice montis:
Qui reliquos longè ſuperet, ceu teſtimus etſi
Separet hunc lapis, hunc immiſſa canalibus ampla
Flumina deducunt tanto currentia tractu
Deſertas inter valles, perque invia ſaxa,
Rupibus exciſis, trabibuſque inſerta cavatis.
Ergo omnia vario concurſu protinus unda
In mare colligitur vaſtum: quo deinde reclaſo
Erumpit tanta vi torrens omnia ſecum
Ut trahat, ac latum terræ provolvat in æquor.
Exciditur tendens variis hic denique foſſis,
Quas illi piſſinque cavant, ſternuntque gradatim.
Eſt ulex, aſperque frutex, roriſque marini
Perſimilis, retinet crebris qui ſibi pibus aurum.
Præterea in ludunt tabulis latera omnia, & ipſis
Alitè ſuſpenſis ita, per præruptа canali
In pelagus tendunt uda è tellure lacuna:
Quod ſuper eſt ramis innectitur ulicis aurum.
Nec labor ille etiam tenuis cùm flumina tentant,
Et gravibus dites cribris agitantur arenæ:
Aut operoſum æquè quicquam quis proferat ut cum
Effoſſis alitè puteis, quæcunque latenti
Eruerint penitus fundo tundantque, lavantque,
Urantque, in tenuemque molunt didacta farinam?
Hi quoque jam fuerant Italis quandoque labores
Flumina per, puteoſve etiam, montiſve ruinas,
Italia dum patuit priſcis exercita tellus:
Cui poſt quippe pia lege interdicta pepercit
Auri ſacra fames: neque enim exhaurire metalla
Italiæ parca & prudens eſt paſſa vetuſtas.
Nec foret hæc etiam regio fœcundior ulla,
Quæve magis flueret venis nunc jugiter auri,
Ipſa diu cum tot fuerit non hauſta per annos,
Si non mortales inter diſcordia, ſi non
Mars eat hos inter vexans immania corda:
Sed contra ditare orbem ſi regibus una
Cura ſit, & populis ditato fungier orbe.
Pacis opus, qua cuncta vigent inventa per artes
Ingenuis aptas animis: quas inter haberi
Non imo dignata loco fortaſſe putanda eſt
Ipſa hæc quæ gravidæ ſcrutatur viſcera terræ,
Dives ubi pateat latebris auraria cæcis.
Hæc etenim reliquis pretioſius arte metallum
Eruitur, meritoque id cunctis nomine præſtat:
Seu color inſpicitur gratus quo ſidera fulgent:
Seu lentus faciliſque tenor quo cedit in omnes
Partes: ſeu pondus rerum ſuperabile nulli
Penditur: aut usus quoniam nil deperit auro
Igne: velut ſolum conſumit nulla vetuſtas:
Ac neque rubigo aut æruginis conficit ulla.
Cuncta adeò firmis illic compagibus hærent,
Sulphur ubi ardoris poſita pinguedine cauſam
Perdidit, & fluidi quo non velut antè vaporet,
At longo interea decoctum tempore pura
Mundities & clara perfuſum luce niteſcit:
Atque ita temperiem ſummam radicitus humor.
Et calor exæquant illi, pariterque colorem
Perſpicuumque ferunt. Argento nec minus ipſi
Vivo etiam terræ partes miſcentur in omnes
Prorſus aquæ partes nullo diſcrimine junctæ.
Hinc calor argenti nec non & ſulphuris una
Perſpicua inter ſe denſat corpuſcula parvo
Multa loco, ſimul unde color ponduſque reſultat,
Et longo conſtans illorum tempore nexus.
His è principiis poteris dignoſcere certo
Ordine quo diſtent inter ſe quæque metalla.
Sulphura ſi fuerint lutulenta, argentaque viva
Principio, inficient pariter quodcunque ſub ipſis
Gignetur, magis atque magis quo non calor æquus
Coxerit, aut juſto quo jam majorve minorve
Durarit perſtans multos coctura per annos.
Hinc variæ rerum formæ quæ nomine quondam,
Quòd ſint ſæpe ſimul, Græio dixere metalla:
Singula ſeu propriam ſpeciem ſortita ſeruntur,
Et diverſa aliis adeò diſtincta perſtent:
Seu cunctis unum naturæ ſemen inhæret.
Et genere hæc uno ſeſe ſpecieque tuentur,
Nec diſtant a'io niſi quod felicius illud
Exiit, hoc miſerè ſecum ſordentia traxit
Principia, atque eadem conſtans non exuit unquam:
Utraque cùm menti ſedeat ſententia ſummis
Patronis, neque adhuc litem diſſolvere judex
Quiverit incaſſum conatus, proxima veris
Inluitus neque adhuc: tantum hic natura receſſit,
Abdidit & gravium ſeſe in penetralia rerum.

Hactenus objectis tantæ rationibus artis
Reſponſum, læto nunc experientia vultu
Prodeat erroris expers, & reſcia falli.
Hanc quoque ſervitium perhibent veniſſe Promethei
Poſt famulas quas ille polo deduxerat artes:
Atque diu illum operâ, famulantis naviter uſum:
Verum ubi conſenuit tantum prudentibus illam
Ipſe viris ferunt moriens liquiſſe volentem.
Hos itaque hæc certo docuit facilique peritio
Nonnulla inter ſe immutari ex arte metalla:
Nec tantum hæc, verum fieri quandoque per artem
Verè aurum argentumve aliis exemtile rebus.
Eſt lapis effoſſus Syria pictoribus auri
Pigmentum vero quod & ipſi nomine dicunt:
Frangitur attritus ſpecularis more lapilli,
In ſumma oſtentans auri tellure colorem.
Hunc tu purgatum doctè prius excoque multo
Igne per aufractus longos qui ducitur uſque
Quo redeat flammis in ſe volventibus idem.
Igne olim hoc Caii ſolertia principis aurum
Fecerat, obryzon ſapiens cui Græcia nomen
Præbuit è rerum inferta virtute receptum:
Seu multo quoniam purgatum redditur igni:
Seu nulla quoniam maculatum ſorde renidet:
Nec pigmentum auri fuit amplius ipſe, ſed aurum

Qui

Qui lapis ante auri tantum simulaverat aurum.
At ne fortè nimis videamur prisca referre,
Carmine perpetuo nobis propriora canamus.
Increscunt hærentque cadis simul undique crusta,
Alba quibus longo senuerunt tempore vina:
Has meus Euganeæ gentis schola tum decus imo
Accipit erasas fundo costisque vetusti
Vasis, & includit purgato fictilis ollæ
In medio: atque luto testam circumlinit omnem,
Obturatque illi rimas, atque obstruit ora:
Hanc deinde ardenti jubet in fornace diurn
Nocturnoque calore coqui, qua vitrea fervet
Massa datura olim varias liquefacta figuras.
Verùm ubi jam satis est ea visa caloribus usta
Perpetuis, illam demit frangitque repente,
Moris ut est, spectatque simul num protinus albet:
Et teritur veteris jam fex decocta Lyæi,
Interea sed enim, cunctis mirabile visu,
Scintillæ, conspersa polo velut aurea signa,
Innumera argenti miro in candore videntur.
Sed quid in alterius visis moror, inque relatis:
Atque aliena premens nunc per vestigia tendo?
Vidi ego qui tenues argenti ritè tabellas
Spargeret, & lateris contriti pulverem, & una
Huic virides æris squamas, niveasque perusti
Contundi micas satis injungique juberet,
Pulver eosque alius grumos e rebus acervans
Quas vetat & ratio necnon ars ipsa referri,
Hæc ne sordentis vulgi vilescat in usus,
Illa ut non ulli quæ sunt celanda revelet:
Mox ita compositis angusta in pyxide lamnis
Subjicere inclusas arcto sub fornice flammas,
Quales crediderim torrere ad Tartara fontes,
Aut ubi sulphureis diros premit Ætbna sub antris.
At postquam ardenti fuerant hæc cuncta camino
Tosta dies noctesque novem, tum demere massam
Ferventem, deque ignis adhuc fervore rubentem
Abluere algentis rorant, aspergine lymphæ:
Quam simul in partes lima diduxerat acri
Exiguas phialæ secreta in parte locabat
Artificis mirè ingenium: nam desuper undam
Fundebat. quæ mox argento excerneret aurum.
Tum viridem sensim in laticem liquere videri
Argenti vis illa prius compacta, sed imum
Vas auri sejuncta gravis ramenta petebant:
Tantus aquæ vigor est, tanta illo in pulvere virtus.
Nec fortè apparet alibi concordia rerum
Clarius, ut nectat quæ vix jungenda videntur
Si quis particulas commixti pulveris omnes
Computet, & varios illarum existimet usus,
Quæ tamen hoc unum concordi ex arte tulerunt.
Nec minus ut rebus proprias discordia vires
Auferat, ut molli tenuari dura liquore
Viderit, atque brevis consumi protinus horæ
Momento, & tenues effundi prorsus in undas.
Lympharum vero species haud traditur una:
Namque aliæ quæcunque hominum tellure metalla
Erutaque & durata manu si tangere crebris
Contingat guttis eadem, mirabile visu,
Aut minuunt in frusta, aut in tenuem ocyus undam.
Dispergunt, liquidoque docent assuescere fluctu.
Sed tamen unum adeò vis hæc non inficit aurum:
Nam perstat simul incolume, & simul omnibus illinc
Sordibus ablutum confestim purius exit.
Est etiam limphæ illius, si credere dignum est,
Mira quidem, & nobis non immemoranda potestas,
Quæ quocunque semel purum & sine labe metallum
Contigit argenti tremula sub imagine vivi
Cogit in alterius speciem formamque resolvi.
Quid quæ de veteri guttatim stillat Jaccho
Deinde simo incoquitur putri lentoque calore,
Donec in atherei splendoris versa colorem
Accipit è summo cœlestium corpore numen?
Hæc quoque dura ferunt certo mollescere ductu
Corpora quæ Phœbi vel quæ dignata Dianæ
Nomine mortales rebus præponere cunctis
Instituêre, quibus pretii mensura pateret.
Nec tamen hæc quamvis ita sint immune putabis
Esse aurum certo quin ex humore fatiscat:
Acris aquæ hoc etiam diræ violentia rodit,
Et terit, & liquidas tenuatum vertit in undas.
Verùm hæc exiguam lucem tibi recta sequenti
Prætulerint, veri qua cernere culmina possis.
Quo te discutiens tenebras industria ducit.
Sunt aliæ ex aliis quærendæ fontibus undæ,
Jam quibus ex sese nulla vi leniter aurum
Humescat, nullo alterius veniente liquoris
Auxilio exterius, propria solvatur in unda.
Hoc agite, hinc vobis summam perquirite laudem
Divini artifices: hæc namque potentia cœlo
Cœlestis descendit aquæ qua cuncta tuentur
Robore se proprio, nec non producere fœtus
Ipsa sibi similes, & in ævum extendere possunt
Progeniem multos fragilem durare per annos.
Nonne vides quanto secum natura tenore
Consonet? utque modum generandi comprobet unum
Semper, & unius vi nitens sominis, uni
Serviat una operi, quod & unum nacta quiescat?
Nec Bacchi si tentet opus, Cerealia miscet
Semina, nec Cereris si frumentaria quærat
Pinguia Cecropiæ tractat plantaria divæ.
Hordea cui cordi, demum serit hordea, ne tu
Nunc aliunde pares auri primordia: in auro
Semina sunt auri, quamvis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis quærenda labore.
Nec maris immensi reputes, aut nubis aquosa
Vel liquidi fontis similem quam quærere lympham
Instituis: neque enim, quod tu observare momento,
Inficit illa, liquatve aliquid cùm spargitur, aut id
Humectat propius cui venerit: arida namque
Pulveris hæc extra in speciem se prodit, at imis
Vvida contusi liquet in penetralibus auri.
His olim veteres intenti gnaviter undis
In portum rexere ratem felicibus auris.
Ignaroque viæ mediis in fluctibus inter
Obstantes scopulos frustra liquere natantes.
Hinc multa expertum, necnon & multa docentem,
Insula divino Balearis munere misit
Alma virum, cujus miro velamine tectus
Ipse liquor quo cuncta madent jam credere multas
Impulit ut Bacchi candens & limpidus humor
Principia abluerat secreta protinus artis,
At non ille quidem sentit qua dicere prima
Est facie visus: neque tunc stillantia vina
Miscebat, cùm jam præstanti lentus in urbe
Insubrum ternos residens feliciter annos
Fecit inexhaustum pondus prædivitis auri:
Ac sociis, quos ipse sibi conjunxerat, æquus
Divisit tenuem divini pulveris offam,
Cujus in immensum quota pars traduceret aurum
Jampridem quæcunque forent injecta metalla.
Hinc quoque cultus Arabs vitreo de fonte liquorem
Desertas inter valles præruptaque purum
Saxa super ducit, nemorumque occultat in umbra
Alterum, densis passim quæ vepribus horrent:
Ast alias tamen hic venas ostentat apertè,
Uber ubi emanat semper nec inutilis humor:
Et te dum variis immensa per avia rebus
Detinet intentam, felices præterit undas
Quas manibus quondam puris haurire solebat

Ipse: nec admiscens aliud longumque diuque
Compositas parvo leviter fornace coquebat:
Unde opera arcana naturæ occulta recluſit
Sæpius, & grates diis immortalibus egit.
Sic alii quos experiendo maxima rerum
Visere jam decuit summo quæsita labore,
Angustum per iter recto de tramite nunquam
Qua prius ingressi declinavere: nec antè
Desinere optatum licuit quàm tangere latis
Tandem exoptatum longo post tempore finem
Hoc opus, hanc primum tantam mortalibus artem
Interpres rerum ostendit sanctissimus Hermes:
Nec latuit tanto duxit quos munere dignos,
Edoctos sed jam docuit, penitusque remotos
Rebus ab his tanquam non dignos terruit omnes,
Ne peterent quæ non unquam contingere possent:
Jámque probos tandem accendens ut quærere vellent
Quæ sciret, veròque ipsius deprehenderat usu,
Admonuit paucis contentum pergere doctum
Artificem, tanquam naturæ ritè sequentem
Certa solo pressis stabili vestigia signis.
Quinetiam humano docuit de corpore pelli
Hæc omnes valida morbos facilique medela,
Servarique diu nitido cum flore juventam,
Et senium placidos produci grande per annos.
Nec sanctam violare fidem, nec fallere quenquam
Ille potens sacri potitur medicaminis usus,
Hoc sed qui poterit dis aspiramibus uti,
Et præstare etiam quoties defecerit, ille
Plurima contemnens, & servantissimus æqui
Hinc erit & frugi, curásque eludet inanes:
Et dites supra gradiens divissimus omnes,
Pauperiem simulabit ovans, ac sæpe benignus
Proderit, & miseris latitans succurret egenis:
Et facilem ducet momenta per omnia vitam.

LIBER SECUNDUS.

Hactenus auriferam secreta Palladis artem
Inventam humana quondam virtute coegit
Credere nunc ratio, nunc experientia suasit.
Jamque ea quid possit, quò prudens tendere pergat
Hinc canere incipiam: dextro modo numine Phœbi
Difficiles adeò factu dictuque per artes
Ingrediar, verbis addens & rebus honorem.
Tuque ades ô cultum Musis & Apolline pectus
Ante alios olim cunctos divine poëta:
Quo duce secretum per iter procedere tantum
Ipse queam, ut propius Pimplæi culmina cernens
Alta jugi ne quò interea per devia ducar.
Illuc namque animus certa spe ductus anhelat,
Et si lit gradibus crescentis scandere famæ,
Nulla ævi quam longa queat delere vetustas.
In primis niveo sparsus candore lapillus
Quæritur, aut longo contritus tempore pulvis
E niveo in liquidum versus candore ruborem.
Illius infecto tenuis pars mixta metallo
Inserit argenti subito, mirabile, pondus.
Et speciem, vel si argento sit proxima vivo
Dedocet hoc fungi liquenti immobile vita:
At ruber ipso etiam pulvis pretiosior auro
Quodcunque ex illis primum calefeceris igni,
Vertet in immensum pondus tibi protinus auri.
Atque ideò artifici majus nihil esse putato
Quam quibus è primis opus id componere possit
Noscere, quæve prius capiat, circumque laboret:
Mox ut naturæ se tum præbere ministrum
Sentiat, exemptum latebris cùm nobile semen
Proferet in lucem soler, iterumque tenebris
Reddet, & occulta servatum pyxide claudet:
Cùmque alimenta putri sensim dabit humida massæ,
Agricola ut quondam telluri semine jacto
Spargit rore levi tantum sitientia culta:
Nec minus interea tepidum cum fugeret ignem,
Et genitalem intus vim vi subeunte fovebit:
Ut calor interius solet exteriore juvari,
Ac stomacho præsenta manus præstare vigorem
Ut valet, atque ægri vires relevare caducas
Apposita exterius possint fomenta medentum.
Nec varias specie res admiscebit, & uni
Quodcunque obstiterit junctum procul inde movebit.
O tardas adeò mentes, assuetáque falli
Artificum vario rerum per inania ductu
Pectora! cum duris quid mollia vina metallis?
Apta epulis: atque apta bibi suavissima vina?
Quid levis humano missus de corpore sanguis?
Quid lapsi è rosea flavi cervice capilli?
Ova quid? & lecta summis in montibus herbæ
Conveniunt imis fosso sub montibus auro?
Hic tamen expressam prælis torquentibus uvam
Accipit, & phialæ postrema in parte reponit,
Cujus in extremo rostrum connectitur ore.
Hanc super ignitos cineres candente camino,
Aut super undosum laticem ferventis aëni
Collocat: ac tenuis fertur vapor intus, & hærens
Alta petit, leviusque liquens it fusus in undas,
Ardentémque vocant lymphan, vitæque liquorem
Vitrea quem rarus effundit fistula guttis.
Hic ergo ut multis vicibus stillaverit, una
Collectus varios tandem servatur in usus:
Præcipuè verò modico lenescat ut igne,
Sive fimo incoctus nulla non arte tepenti.
Fingitur oblongo vitreum vas ductile collo,
Bina unde, exiles velut ansæ, brachia pendent
Concava, quæ ventrem vasis flectuntur ad imum.
Hic igitur liquor inclusus cùm summa per ora
Fertur, continuò binas inclinat in aures:
Ingreditur, repetítque iterum quas liquerat imo
Fundo ferventes lymphas, iterumque refertur
Ad supera, atque levis nusquámve quietus eandem
Itque reditque viam toties, & mobilis idem
Ipse in se sua per vestigia confluit humor:
Donec paulatim niveam densetur in offam.
Tenuibus hæc tandem lamnis componitur auri
Et coquitur lento forsan longóque calore.
Verùm hoc ne an ne alio quovis ea denique pacto
Commiscent (namque hoc haud est exquirere nostrum)
Incassum cuncta exercent, frustráque laborant:
Nam specie diversa simul dum jungere curant,
Altera ut impediant primo mox altera motu,
Efficiunt ullo ne possint tempore quicquam
Edere quod per se naturâ constet & unum.
Namque ita principio statuas cuncta esse sub una
Re, quibus hic opus est, nihil ut quæsiveris extra:
Præcipuè humorem, qui sese jugis abundè
Sufficit atque intus servat, dum prodeat illud
Quod cupis, & gigni tanto conamine certas.
Quin etiam duplicem scito vim intrinsecus esse,
Et quæ semper agat, & quæ patiatur, ut una
Fœmina másque agitent: veluti cùm pullus in ovo
Crescit agente quidem hoc atque hoc patiente vicissim,
Exterius tantùm miti atque fovente calore
Adjutus: neque tu quid convenientius ullum
Exemplo hoc credas, neque quod me judice semper
Acrius inspectes, atque ad quod cuncta reducas.
Ast alius puro varias de sanguine partes
Elicit, atque adeò ductas elementa vocare
Instituit, tanquam possint ea forte videri
Simplicia aut tangi manibus, secreta vel usquam

Esse

Esse vel includi quoquam quin protinus omne
Vas penetrent duro quamvis adamante peractum
Id fuerit: simplex neque enim consistere corpus
Parte potest orbis vasti violenter in ulla,
Sed propria tantum gaudens in sede quiescit.
Sic sæpe ex aliis rebus, sic sæpe seorsum
Quatuor è tonsis ponunt elementa capillis.
At non sic natura potens hæc segregat unquam:
Sed miscet potius simul, & confundit eodem,
Frigida commutans calidis, humentia siccis:
Atque ita corrumpit solidum, nec dividit ullas
In partes, servans genitalem seminis illi
Vim qua corrupto corpus de corpore gignat:
Namque ex quo quicquam genitum est, id putruit antè.
Quid, qui conatur quæsitæ longius herbæ
Invalido aufugiens argentum sistere succo,
Idque gelat durátque simul, sed figere nulla
Atque potest ictu quo molli ducere possit?
At non quod solidum faciat vel ductile tantum
Quærendum est, sed quod videatur posse priorem
Auferre atque illi defecto inducere formam
Mox aliam, & puri speciem donare metalli.
Sulphura quid memorem longo detersa labore?
Nitráque, purgatósque sales, tostásque Lyæi
Longævi feces, vel quæ atramenta calenti
Accensa effundunt guttas è vase rubentes?
Hinc solvunt, iterántque vices, ac sæpe resolvunt:
Deinde lavant, iterumque terunt, mox figere tentant;
In calcem vertunt etiam, missóque vapore
In sublime ferunt tenuati corporis auram.
Compositos varia videas hinc lege caminos
Innumeros, totidémque luto lita vitrea vasa.
Quæque sibi vertit faber argentarius usu,
Sordidiusque aliæ quicquid fabrilibus artes
Exercent curis nostri arripuere: suisque
Insani ascivere laboribus, atque ita semper
Sulphur olent, semper faciem fuligine tincti
Horrendas atra simulant ab imagine larvas.
Nec miseram magis affirmes veraciter ullam
Artem aliam quam quæ externis Alchemia verbis
Dicitur, obscuríque tegens ambagibus errat
Avia per, miserósque trahit per iniqua sequentes,
Ac tandem ejectos in cæca barathra relinquit.
Vt videas quandóque bonum sua prædia civem
Vendentem, patriásque domos, mercésque repostas,
Fornaces inter versari, ac follibus auram
Captare, in cenuemque, nefas, convertere famum
Rem, dubias dum quærit opes insanus, avitam.
Difficilem interea conjux mœstissima vitam
Protrahit, illacrymant nati, sit sordidus ipse
E lauto, ludusque patens & fabula vulgi.
Quare agite, exemptam tenebris hanc cernite lucem
Mortales, cæcisque viis avertite gressum,
Ac prohibete nefas tantum, & depellite virus
Infectum quo vulgus iners se posse per artem
Divinam miscere manus putat, abdita rerum
Quæ valet & causas adeò spectare latentes.
Hanc non impuris manibus fraudator avarus
Attingat, decoctor item, quisquísve fabrili
Arte valet, mollísve etiam cui perdita cordi
Otia, mercatórve vigus, vel dedius urbi
Civis, & incumbens telluri arvisque colendis,
Et qui multa animo præsertim & magna minetur:
Vel si qui similes hæc vulgò quærere sueti
Fraude mala tantum, vel habendi prorsus amore.
At sapiens, superos in primis qui colat, & qui
Noscendis penitus causis modò gaudeat, huc se
Conferat, hanc totis sectetur viribus artem.
Huic comes hærebit gravis exploratio rerum
Intima naturæ passim vestigia servans:
Tum mora sollicitos cursus remorata sequetur;
Et visura olim stabilis patientia finem:
Mox labor, ingenuósque movens industria gressus
Haud aberit: vitreumque feret vas scilicet unum
Vnum opus, atque unam secum rem denique ducet.
Ille igitur tanto comitatu septus inibit
Longum iter: & lento pervadens omnia passu
Continuò miris oculos mentémque repertis
Pascet, & assiduum fallent spectata laborem,
Donec in arcana tectos tellure recludet
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
Eloquar? an vulgo prorsus non credita versu
Expediam primus? nec erat cùm talia cœpi
Jam fari mens ista mihi, sed compulit ordo
Integer ut dictis etiam majora revelem.
Ille ergo ulterius procedens ultima rerum
Secreta inveniet queis se natura peractis
Oblectas: gemmásque pari confinget ab arte.
Ac nisi dicendis superessent multa metallis,
Gemmarum forsan causas, sedésque referrem
Se positas, quibus in specubus natura beatis
Ludit, & in nulla magis hæc mirabilis usquam
Parte valet, summas variando promere vires.
Perspicuæ ut tellus lymphæ commixta minutim
Pura ferat gemmas, ut cœli motus, & ardori
Sidereusque situs certam præscripserit illis
Sedem gignendis canerem: nec gemmeus unde
Irradiet fulgor, variet color unde tacerem:
Duritiesque etiam unde illis invicta, nec igni
Cedens, nec ferro: unde nitens distinctáque miris
Interdum maculis facies jam qualis achaten
Æacidæ ornarat Musis & Apolline felix.
Vos natura parens, nulla cui motus ab arte
Provenit, ô Divæ, parva concludere gemma
Sponte novem voluit propriis insignibus omnes
Ornatas, mediumque simul considere Phœbum
Deposito mitem cornu citharáque canentem:
His ut testatum signis mortalibus esset
Quo numero, & quali semper præstatis honore.
Felicem tanto dignatum munere Pyrrhum!
Et fortunatos licuit quibus ista videre!
Indomiti hinc virtus adamantis multa referri
Debuerat: solis ut quondam Regibus esset
Cognitus: utque uno tantus quæsitus in auro:
Vtque actus ferro duríque incudibus ictum
Respuat, atque etiam ferrum dissultet utrimque;
Dissiliantque ipsis incudes ictibus actæ:
Vt prædura adeo vis hæc corrupta recenti
Sanguine calfactóque hirci rumpatur, & ictu
Crebro librantis graviter per inania ferri:
Vt lapis accessu magnes adamantis oberrans
Ferrum declinet, vel inhærens abdicet idem:
Irritáque ut tandem faciat concepta venena,
Et pellat de mente metus adamantina virtus.
Omnia quæ quondam fassa est vidisse vetustas
Credula: namque horum fortè experientia priscis
Certior arrisit, quæ non ostendere sese
Quivit adhuc nobis: seu non genus illud in auro
Congenitum pateat: seu sic, ut pleraque falso
Nunc, alia, hoc etiam non vero nomine dicano
Artifices, ideóque ipsa re prorsus aberrent:
Quo neque quæ veteres super his scripsere fatentur
Esse, sed in dubium revocari tradita posse
Ipsa hæc contendunt manifestis omnia signis.
Nec virides etiam fas his transire smaragdos
Indictos: neque enim color est jucundior ullus
Quàm quo se tellus horis genitalibus anni
Vestit, & ostentat vultu meliore virentem.
At mage nil viret his: nihil est quod compleat æquè
Contuitu his oculos, satiet minus: ipsáque multo

Obſcurata acies intentu protinus ipſo
Aſpectu viridis claret recreata ſmaragdi.
Fulgurat ut picto viola carbunculus igne
Mox etiam canerem: variuſque ut fulget jaſpis:
Concolor & fulvo radiat topatius auro:
Innumeráſque alias ſpecie vel nomine tantum
Diverſas cœpto memorarem carmine gemmas
Verum hæc jam ſatis eſt leviter tetigiſſe vagantem,
Atque aliis monſtraſſe viam qua tendere pergant.
Si quos forsè juvat naturæ occulta ſubiſſe,
Hæc eandemque palam dulci feciſſe Camœna.
Nunc age materiam tantæ quam præſtitit arti
Natura expediam: ne quis perferre labores
Incaſſum ſtudeat tantos, ſed grandia vitet
Detrimenta quibus veſani ſæpè tenentur
Artifice longe primis dum rebus aberrant
Quas capere, ac ſolas illos ſervare decebat.
Eſt lucus ſummo ſecreti in vertice montis,
Fons ubi decurrit nitidis argenteus undis,
Et ſpecus exeſum tendens aperitur in antrum:
Intus habet præſtans divino numine virgo,
Ruricolæ Glauram priſco quam nomine dicunt.
Hue denſos inter vepres anguſtus & aſper,
Accliviſque ægrè perducit callis euntem.
Veſtibulum ante ipſum ſpeluncæ lævis & æqua
Planities, non ampla tamen, horrentibus umbris
Cingitur, ac fluvii ripis, & margine tophi
Obducta viridi muſco, ſpiſſiſque corymbis.
Ingreditur vero ſiquis feliciter, omnem
Continùo labem humanam, mirabile dictu,
Exuit, ac pondus ſubitò mortale relinquit,
Et purus penituſque levis fit ſpiritus illi:
Quíque aditus luſtres cunctos agiliſque feratur
Per cuneos, quibus in mediis ſedet aurea Nympha,
Aureus & circum thalamus, ſupraque renidet:
Quin auri tabulæ pedibus calcantur euntum,
Atque ipſa ex auro ſplendet conflata ſupellex.
Tarviſiis ne qua titubes in montibus antrum
Hoc pete, qui rebus tantis primordia quæris:
Quòdque illic viſum fuerit pretioſius inde
Erue, nec ſumptu nimio, nec parce labori.
Non tamen aut vivum ſulphur, tremulumve repones
Argentum, vel quæ undanti delata vapore
Exit ab his primum putriſque infectáque vena:
Sed purum atque omni purgatum ſorde metallum
Accipies, cujus ſecreta in parte receſſit
Spiritus, & craſſa preſſus ſub mole latenter
Vicinat, ac ſolvi vinclis, & carcere cæco
Emitti expectat tenues effuſus in auras:
Quæque erat innato ſubſidens pondere moles,
Jam levis aſcenſu ſuperas contendat in oras:
Duráque moleſcat, naturam imitata per artem
Eximiam, retro quæ per conſueta reverti
Imperat, ut longo ſeſe torpore recludat
Incluſum ſemen, vegetantis more, nec intus
Ardua conſtantis metuat jam vincula maſſæ.
Quod tibi ne mirum valeat quandoque videri,
Pullulat interdum proprii virtute vigoris
Auri perpetuum germen, ferturque ſub auras,
Non ſecus ac ſumma frutices tellure cacumen
Exit, & inde ſua vi ſeſe extollit, ut Iſtri
Accola felicis ſæpe illud ſtirpibus hærens
Capreoli in moremnati circumdare truncos,
Implicitumque etiam ſaxis invenit obeſis.
Utque agiles ſerpunt hederæ latéque pererrant
Amplexæ lateres circum, pariéſque fatiſcit
Diruta, ingreſſis rimas radicibus, atque
Frondibus, ac prætergreſſis latera obvia ramis:
Sic topho inſeritur creſcentis vividus auri
Surculus, atque intus partes explorat inanes,
Egreditur que illinc, & ſe diffundit in auras;
Aut variè illius ſummas complectitur oras,
Quáſque tenet ſolidè conſperſas purus inaurat:
Hinc duo præcipuè quæ verſet cura probati
Artificis ſtatuo: quid primum ſeligat, & quo
Selectum pacto moderetur, & aptius edat
Quo poſſit modico ſolvi lenióque calore.
Virumque innumeris priſci involuêre tenebris:
Barbaráque occultis rebus conjungere verba
Haud dubii centum ſtatuerunt nomina, quorum
Quodcunque incertam ſignaret rémque modumque;
Multáque quæ lepidi quondam finxere poëtæ,
Quæque ſacrorum olim veri vox nuncia vatum
Protulit: his etiam vice ſunt interpretis uſi,
Singuláque expoſuere, atque inſeruere libellis
Ipſa ſuis patefacta, velut calantia pridem
Artis opus tantæ: cùm porrò vana Poëtæ
Figmenta illecebris vacuas captantia mentes
Commenti, multo fuerint diverſa loquuti.
Qui verò incomprehenſum & inenarrabile munus
Divinæ humanas adventu prolis ad oras
Præfati, haud quaquam parva hæc ſenſere ſubingens
Os illud tam magna ſonans myſteria vates:
Hæc tamen haud nullis noſtri ſuadentibus uſi,
Vel quòd eos ea vanæ fide tenuiſſe putandum eſt,
Vel ſua quòd variis juvit calaſſo figuris.
Quinetiam huic nui quo ſe mollire metalla
Invenere modo, cunctarum nomina rerum
Impoſuere: quod hæc cunctis vis inſita rebus
Hæreat, incipiáque omnes, & compleat una.
Cuncta adeo cunctis occultavere: neque illi
Nequiquam interdum ſeriem abrupere loquendo
Perpetem, & excurſus interpoſuere vacantes,
Ergo altè veſtiga animis, & rite repertam
Materiam rebus tantis per devia ſume.
Nam non una tibi regio dabit, aut locus unus:
Montibus at multæ ſpaciantur Oreades altis,
Antra quibus cura eſt ſervare, ingentiáque intus
Munera: jam quorum venientes ſæpe remittunt
Participes, manibus puris & pectore ſiqui
Acceſſere illuc, dites ubi pectine eburno
Aurea perpetuo depectunt vellera Nymphæ,
Quæ prima heroum pubes rate ſancta petivit,
Nec timuit tantos per fluctus quærere ſummis
Cum ducibus ditem ſub Jaſone & Hercule Colchon.
Alter inauratam noto de vertice pellem,
Principium velut oſtendit quod ſumere poſſis:
Alter onus quantum ſubeas, quantúmque laborem
Impendas craſſam circa molem, & rude pondus
Edocuit. Neque enim quam debes ſumere magnum
Inveniſſe adeo eſt, habilem ſed reddere maſſam
Hoc opus, hic labor eſt, hic exercentur inanes
Artificum curæ: variis hic denique nugis
Seſe ipſos, alióſque ſimul fruſtrantur inertes.
Et nunc utentes latices, Bacchive liquorem,
Nunc olidas miſcent lymphas, quæ menſtrua & ipſi
Appellant, veluti ſint ut quæ dulcia complent
Pignora perfectis materna menſibus alvo:
Deinde coquunt lento ſpatioſi temporis igne
Aſſiduè inſtantes fruſtra, longíque laboris
Præmia decepti tarde ventura morantur
Nam varias rebus formas adhibere ferendis
Non puduit, quæ ſic naturæ monſtra repugnant,
Hoc opere in toto præſertim quod nihil æquè
Poſtulat ac quod ſimplex, farragine nulla
Rerum alia expletum quàm quæ tellure ſub alta
Continuo puri ſuffitu ſulphuris atque
Comparis attactu vivi conflantur in aurum.
Præparat aſt aliter alius: fortaſſe nec unus
Eſt modus, una modo res ipſa & pura reduci

Jam

Jam liquido videatur, & in se sola relinqui:
Ars hic sed propius naturam imitata laboret:
Illic ipsa suum constans natura tenorem,
Artificis sed mota manu directaque servet.
Namque ubi compactum valida solvetur ab arte,
Expositumque extra venienti vi dabit ultro
Se opus, & certa fœcundum prole patebit:
Quod superest ipsum secreta in sede locabis:
Perpetuòque calore, & longo tempore fotum
Exercebis, & huic sensim sita pabula reddes.
Nec grave decreti spatium tibi temporis esto,
Quicquid id est: certo nam prodit tempore quicquid
Exoritur, donec perfectum circuat orbem
Quo se vitalis profert in luminis auras.
Ac veluti informis paulatim matris in alvo
Fœtus inaugescit, parvus dum fingitur infans:
Sic locus exceptus dextrè, cui semina mandes
Aurea continuè producens illa fovebit;
Donec optatos adolescent edita fructus.
Tùmque ministrabis parvum crescentibus ignem
Principio, humentemque, & corrumpentibus aptum;
Temperiemque illis, Mariæ quæ balnea dictant,
Inter & humorem statues interque calorem.
Quòdque simum falsò appellant, & balnea, tantum
Tu mitem ac proprium gignendis usque teporem
Sufficies æquus: neque enim qui deficit, aut qui
Excedit calor, & medium servare nequit: sed
Alternat variatque vices hic profuit unquam
Natis, aut certo nascendis tempore rebus.
Materiam quoque nec multam concludere parvâ
Pyxide curandum est: modico namque ipsa calore
Haud poterit resoluta suas expromere vires
Id quoque non opus est: nam cùm semel ipse beati
Pulveris extiteris compos, non amplius opies
Aut multum, aut ipsum rursus componere: namque
Augebis quoties ulli tibi venerit usu.
Illud nec parvi facies quod clara beatus
Signa dabit pulvis tibi, cùm manifestus haberi
Cœperit, & varios ostendet ritè colores,
Sed ruber in primis quamvis optabitur, album
Non tamen excipies, quin & magni quoque pendas
Atque atrum: namque hic operis tibi monstrat apertè
Principium magni, secretaque ostia pandit
Prima viæ, ignarum frustra qua vulgus anhelat,
Et vaga multivii collis divertit in ora.
Ille iter incœptum quondam, propiusque peractum
Jam medium ostendit, nec jam procul esse ruboris
Indicium, gaudet cùm vis humana propinquum
Affore opus, quo non majus perfecerit ulla
Ars ullis adjuta opibus: licet ipsa potenti
Nil non ingenio peragat, quæ sidera cœli
Suspicit, atque obitus signorum inspectat & ortus;
Conscenditque polum gradibus subnixa superbis,
Ac maris & terræ tractus metitur, & ipsas
Innumeras prorsus numerò comprehendit arenas.
Cœlestes etiam concentus voce referri
Edocet humanâ, fidibusque imitata canoris
Ætherei septem tentat discrimina cantus.
Arte etiam inventæ leges & civica jura:
Arte urbes constant claræ, sanctique senatus:
Arte regunt reges populos: exercitus arte
Ducitur: atque etiam præstans dux imperat arte.
Ars & corporibus fessis divina ministrat
Adjumenta quibus reparant languentia vires:
Fertilis & terræ cultus non abnuit artem,
Cùm dura ac sterilis tellus mansuescit arando,
Et secreta prius crescunt vineta sub ulmis.
Hæc igitur quæ nos interversantur ubique,
Tractat, & illa etiam contemplans audet adire
Quæ procul à nobis tanto sunt edita tractu.

Quin bene si reputes, arti penè omnia certæ
Attribuit genus humanum: nec dicere quicquam,
Aut facere illius recta sine lege requirit:
Salve hominum præsens simul & gratissima curæ
Ars gravium, seu te sanctâ de Pallade natam,
Seu famulam potius dicam sub Pallade primam:
Namque ferunt illam proprium servasse pudorem
Semper, eam quamvis adamarit Lemnius heros
Ex quo discecit patris capui ipse securi,
Prodiit unde ferox patrio dea prædita sensu.
Salve magna parens iterum, fœcunda virorum
Atque operum: tibi tot sacris è vatibus unis,
Quos æquo ad tantos gressu procedere rivos
Par erat Aonidis ausim conspergere lymphis
Tantarum causas rerum caligine terra
Obductas, atrâsque illis detergere sordes;
Et liquida ablutas aspergine ferre nitentes
Ante oculos. Ergo cùm tu deprehenderis arte
Eximia seriem tantam & manifesta colorum
Signa, procul longi speres promissa laboris
Præmia: namque tibi divino munere pulvis
Præsto erit auripotens, parva qui quodque metallum
Parte sui purum subitò convertet in aurum.
Ac veluti modicus, si fortè coagula desint,
Caseus extemplo lympha resolutus & igni
Adstringit plena liquidi multifaria lactis;
Cogit & alterius lac in se vertere formam;
Sic argenta sacer pulvis liquentia sistet,
Sideraque auri specie donabit, ut omni
Præstent & nullo prorsus superentur ab auro;
Ipse etiam augetur pulvis, ne fortè labores;
Nève iteres opus expletum semel: addere summam
Vim licet, ut minimus cum pulvis denique vivi
Immensam argenti valeat convertere molem.
Seu levis & nulla demum non parte solutus
Spiritus ingreditur longa in penetralia densi
Corporis; & toto penitus se viscere miscet:
Seu potius longo concoctus tempore pulvis,
Compressusque diu, multùmque & sæpe reductus
In se se, proprium cogit densatque vigorem.
Utque croci exiguus pura flos sparsus in unda
Immodicum grato diffundit odore colorem:
Plurima sic agitans contracto in pulvere virtus
Obvia percurrit liquidi loca cuncta metalli.
Seu nulla hic ratio est hominum deprehensa sagaci
Ingenio, quare vis parvo in semine tanta est.
Herculei neque enim lapidis si fortè requiras
Invenies causam, qua ferrea vincula nectat,
Et trahat adjuncti pondus per inania ferri:
Nec minus unde regat nautas, & vergat ad Arctoas
Spectantes parva clausum sub pyxide sidus.
Multa tegit sacro involucro natura: neque ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia: multa
Admirare modo, necnon venerare, neque illa
Inquiras quæ sunt arcanis proxima: namque
In manibus quæ sunt hæc nos vix scire putandum:
Est procul à nobis adeò præsentia veri.
Ne tamen haud speres artem perdiscere posse
Difficilem, atque aliis graviorem, percipe jam nunc
Quæ dicam, & posthac alta tibi mente reserva.
Quæ sciri poterunt ea primùm sola putabis
Cognoscenda tibi: de hinc ordine cætera disces.
In primis etenim rerum cognoscere causas
Ne dubita: nam sæpe ferunt quærentibus illæ
Se ultrò faciles, si quem via recta reducat
Continuis ad se gradibus: nec sistere detur
Ante illi quàm se thalamo concludere possit
Quò se majestas veri veneranda receptat.
Illic quæ fuerint singendis prima metallis
Semina visuntur, quæve his cultura serendis

Diversas adeò conjunxerit ultima formas :
Nec minus apparet ratio qua posse metalla
Ipsa vices præbere suas, alienaque ferre
Imperia aspicitur : necnon & gignere, siqua
Ars juvet atque manum naturæ porrigat almæ :
Qui reliqua ut sensim maduant, & mollia persint.
Magnum opus, & quo non credas operosius ullum
Esse aliud, nec quo magis ars se maxima jactet.
Præterea haud aberit longè quin cætera de te
Percipias ipso, nam vinclo juncta tenentur
Cuncta uno : hinc que modus lenti deprehenditur ignis.
Et locus, atque decens lapidis mensura futuri,
Et calor optato vario sub pulvere fusus,
Quoque modo augendus decerit si forsitan antè
Conditus, & multo duraric tempore pulvis.
Omnia quæ lato passim tibi certa patebunt,
Si rerum seriem longo servaveris usu.
Et quandoque probus non dedignabere forsan
His equidem dignas meritis persolvere grates :
Qui procul ignari linquens ludibria vulgi
Nunc iter ingrederis nobis ducentibus arctum
Usque adeò ut paucos capiat, paucosque remittat
Incolumes, crebris laceros quin vepribus omnes
Id referat, nisi quos alta sub rupe relinquit
Errantes cœcis inflexibus, unde nec ipsi
Se unquam, mortalisve manus miseratus referret.
Sed tu ne dubites sinuosa errare per antra :
Cæca reges filo vestigia quod tibi nuper
Ostendi, ut tutus ferres, tutusque referres
Ipse pedem. Quod si finem assequerere beatus
Optatum, Divis ageretur gratia primùm :
Deinde mihi merito, tibi qui præsentibus illis
Consului. Verùm si non contingere metam
Forte darent superi, cæptum sed sistere cursum
Esset opus, casu quo sæpe humana laborat
Conditio : at saltem falsi mendacia vulgi
Exagitans, alios errantes cernere possis.
Illud sæpe etiam in primis, iterumque monebo
Ne si rara tibi contingat gratia cœlo.
Namque aliunde sibi nemo speraverit, ulli
Hanc vix insinues caro fidóve sodali,
Nedum aliis referes, ea nec te noscere jactes
Quæ scieris : verum secreto in pectore servans
Tecum habita, & tecum tantum ipsa arcana revolve.
Nam suspecta probis ars ipsa invisaque multis.
Invisos etiam cultores efficit artis :
Mendaces adeo multi quacunque vagantur,
Multáque polliciti vanè, quæ multa nec ipsi
Rescivere, neque est illis ea noscere promptum,
Quæ recta quæ nos ducit via prorsus aberrant.
Multos quinetiam insignes & cætera doctos
Vidi cuncta equidem tractare & pendere magni
Quæcunque ignarum probat ac ignobile vulgus.
Quid ? qui deridenr omnes, quæ maxima turba est.
Artifices, tanquam nihil hos interfit & illos,
Atque uno pariter pendunt examine cunctos.
Sunt qui sæpe petant quanam sit causa quod usquam,
Aut unquam tantos inter qui talia curant
Apparet nemo qui re miracula tanta
Comprobet : idcirco nullam quam dicimus artem
Esse, sed ingentes nugas, & inania mentis
Insanæ commenta sibi manifesta videri
Sed quis tam fragili munitus robore pectus
Non queat hæc ulli nunquam reseranda tacere ?
Nam quem non prohibet rerum prudentia fari
Quæ sibi continuò fuerint cùm dicta nocebunt ?
Tutus ab insidiis qua se virtute tueri
Posset, qui præ se ferret se condere parvo.
Divitias loculo ingentes, quibus undique regum
Et regna assurgunt, & opes, opulentáque cedunt :
Omnia, tanquam illis sint unis, quæque minora ?
Thesauros igitur tantos componere siquis
Jam potuit, mirè sub amica silentia servat.
Quod quoque tu facies : neque te desistere cœptis
Id moveat nullos opibus quòd talibus auctos
Videris aut vulgo sese ostentare beatos.
Nec quoque te gravia hæc, atque importuna retardent
Tempora, quæ nunquam miseri speravimus ante :
Hostis ut heu nitet invaderet has quoque terras
Barbarus, & longo servatam tempore pacem
Perderet usque adeo, nedum turbaret iniquus.
Nunc licet invasas urbes, direptáque passim
Oppida : nunc turpes prædas, raptusque nefandos
Audire, & miseris injecta incendia villis,
Narnisiam unde suam tristis flet Musa Bononi :
Turpatos etiam cultus, violatáque fœdo
Milite templa deûm, sceleratéque insuper usta
Et confusa simul divina humanáque tantum
Bella nefas, scelerumque parens discordia nectit.
Pectora quinetiam diro commota pavore,
Et concussa hominum paucis sic ante diebus
Cernere erat, veluti dirarum agitata flagellis :
Ut sibi quisque novas trepidaret quærere sedes,
Collectisque opibus propriis oneratus abiret,
Atque solum linquens patrium se ferret ad urbem
Reginam magna quæ cingitur Amphitrite :
Tanquam illo sub tuta forent tunc omnia cœlo,
Quo sese quondam fugiens electa recepit.
Gens Italûm, ut parvis scopulis servaret & unda
Se medica, immensus totam cùm exureret ignis
Italiam accensis sæva pene undique ab omni
Barbarie, & multos duraret fotus in annos.
Quare age, quo magis hæc fortuna subdita cernis
Quæ bona mendaci mortales nomine jactant,
Illius adversum violentos fulminis ictus
Præsidio hoc stabili temet munire labora :
Vi si fortè metus pavidos invaderet unquam
Nos iterum horrendus, quem Rex hominumque deumque
Injustos potius convertat justus in hostes,
Ipse tibi atque tuis & amicis commodus adsis.
Namque ubi divinum secretè munus habebis,
Divitibus cunctis opulentior ipse sub ala
Aptius aut loculo quovis, nullóque labore,
Quo te cunque pedes, quocunque in tempore, tecum
Omnia secura gestabis commoda vitæ,
At si pax iterum nos exoptata revisat,
Quam prope jam, siquid veri mens augurat, esse
Credimus, & nobis missum divinitus iri,
Quo potiore queas tranquillæ munera pacis
Exercere modo quàm quo, seu seria tractes,
Seu tibi sint cordi lusus & honesta voluptas,
Utraque tum frugi possis tum justus obire ?
Nam neque avaritiæ, neque honorum insana cupido,
Nec qui perturbant reliqui mortalia corda
Affectus, variéque movent & inaniter angunt,
Illecebris poterunt ullis te vincere, tanto
Præsidio ac placidæ mentis munimine tutum.
Sed neque bellorum diri motus, neque pacis.
Alma quies tantùm moveant te quærere causas
Rerum adeò obscuras, nec opes, nec commoda quæ te
Perpetuo quocunque voles tum multa sequentur :
Verùm id præcipuè moveat quòd munere dignus
Hoc ipse evadas tanto, quo maxima possis
Intimáque ingentum penitus primordia rerum
Noscere, quæ facile haud unquam natura crearit
Niqua eam exterius jam nota adjuverit arte.
Quæ qui scire queat, felix queat haud minus idem
Esse : nec optandum quicquam fortasse relinquat
Præterea quod non inventis talibus ipse
Posthabeat, latusque velit fecisse minoris

Mens

Mens etenim arcanis solum contenta recluſis
Gaudet pars noſtri melior : nec plura requirit
Cum ſesè in veri ſeceſſus intulit altos.

LIBER TERTIVS.

PRotinus optatos opulenti pulveris ortus
Exequar : hanc etiam ſolertes ſumite partem
Artifices , animóque diu verſate volenti.
Maxima jam vobis gravium miracula rerum ,
Ingentéſque auſus , artíſque ex ordine ſummæ
Ignes , & ſpacia , & numeros , & pondera dicam.
In magnis labor eſt , nec non par gloria , ſiquem
Reſpiciunt placido præſentes lumine Divi ,
Inſequiturque ardens velut inde accenſa voluntas :
Ne vos difficilis rerum experientia turbet ,
Neu me dicendi novitas ingrata retardet.
Tu quoque , ſi quid adhuc tibi quæ præluſimus almum
Tentarunt pectus , votis perſæpe vocata
Nympha mihi, dudum ſacri cuſtodia fontis ,
Extremam tantorum operum ne deſere curam
Hanc noſtram oramus : nec , ſi quæ maximus olim
Ille tuus cecinit vates ornantia ſupra
Tellurem complexa foves , contemnere prorſus
Inducas animum quæ nos imitamur : & ipſis
Illius impreſſis quæ nunc veſtigia ſignis
Ponimus , internæ ſcrutati viſcera terræ ,
Ne velut ex alto penitus deſpecta refutes.
Quin videns ſigua pariles ea figere ſorte
Conamur , parvo vadentes grandia paſſu.
Sic eat æternum puris tibi leniter undis
Mincius , & tenera præcexat arundine ripas.
Principio ſponte ſuæ , ſemotus ab omni
Sit cura , & vitam tranquilla per otia ducat
Secretus latitánſque etiam , cui talia curæ.
Illi ſit non ampla quidem , ſed commoda multis
Tractandis domus , & vulgo quæ abjuncta recedat :
Quæque locis habeat ſecreta cubicula certis
Quo nullis aditus pateat , ni forſitan ipſe
Juſſerit huc famulos non nil inferre miniſter ,
Qui neque quid geſtent norint , nec cujus in uſum
Hic brevis æſtiva ſpatiantem porticus aura ,
Et modica exceptum brumali tempore ſervent
Atria , continéántque domi : nec parvulus abſit
Hortus , ubi vacuum toto ſe exerceat anno ,
Et velut huic tantùm ſtudiosè deditus inſtet ,
Semina nunc olerum properanti ſeligat ungue ,
Nunc eadem excultæ telluri condita mandet ,
Mox animum atque oculos paſcat florentibus herbis :
Huc etiam interdum dulces admittat amicos :
Diſſimulétque domi quid agat , graióque ſodales
Detineat luſu captos , ſuavíque lepore.
Interea non ille tamen ceſſare calorem
Occultum ſinat , aurigerum ſi fortè locarit
Semen , ubi proprios ævi jam compleat orbes :
Aut ſi id continuoque igni , multòque labore
Abſtruſum in venis auri perquirere tentet.
Atque ideo haud abs re fuerit quæſiſſe fidelem
Muneris egregii ſocium , longíque laboris ,
Interiore domus ſe qui tum parte recondat ,
Inque vicem partitus onus curanda miniſtret.
Eſt etiam non illa quidem poſtrema beati
Artificis ratio , qua ſe commendet , & ipſum
Diis opus æternis : neque enim ſinè numine divûm
Hæc veniunt , neque ad hæc ulli adſpirare licebit
Qui non ritè deos ſtuduit ſibi adeſſe precando.
Ipſe ego qui tantum hæc tenui nunc carmine tento
Pandere , ter Muſis feci pia vota , preceſque
Intentis manibus ſupplex & pectore puro :
Unde mihi inſolitum cœlo adſpirare favorem ,
Paulatimque novas in carmina ſurgere vires
Sentio perque altos colles , atque avia ferri
Per nemora incertus videor : ducor ſed aventi
Mente tamen quò fata ferunt , ut primus amœno
Ex Helicone ſacra referam mihi fronde coronam
Primus & Aoniis intexam floribus aram :
Quæ mihi cùm fuerit teneris erecta ſub annis
Et Phœbo , Phœbique choro , Genioque potenti ,
Stat maris Adriaci ſecreto in littore ducta
Ad culmen placidis qua fertur Ariminus undis ;
Aut rapitur torrens vaſtum violentus in æquor ,
Inclyta dum ſubter pontis monumenta vetuſti
Præterit , & dulces undas permiſcet amaris
Propterea incœptas artes , operumque labores
Proſequar indictos prius , & ſumantia circum
Tecta ſerar Divum , tenues qui follibus auras
Captant , & liquido diſtendunt ære caminos.
Et jam Cyclopum fremitus audire videmur
Cominus ingentes : cœlumque incudibus actum
Murmurat , & longo chalybum ſtridore liquentum ;
Inſolitisque mihi reſonat mugitibus AEthna.
Seu quis ſementem faciendi quæritat auri ,
Seu prius argenti rectè primordia poſcit ,
Noſce gradus primum varios ne ſpreverit ignis.
Sunt plures etenim per quos procedat oportet :
Sed duo præcipuè : Natura eſt æmulus alter
Tranquillæ : aſt alter violentæ convenit arti.
Nititur hic operum immenſa vi trudere ſemen
Et ſolido innexum miris compagibus auro :
Cùm prius , ut tibi mox referabo , ſolveris aurum ;
Reddideríſque humens , necnon & putre ſubactumque
Ut facilè id valido demum patiatur ab igne ,
Exhalétque tumens atque in ſublime feratur
Exemptum fovet ille , nec excedentis adurit
Tum virtute caloris opus : frigere nec antè
Permittit quàm ſe mirè componat , & ante ,
Quàm ſeſe propria perfectum ſponte reponat.
Hic mihi compoſita dedatur mente miniſter :
Magna etenim referam primùm , tùm plurima fandò
Commodus expediam , quæ priſca & barbara turbæ
Subtituit , quæve ipſam etiam celaſſe volentem
Crediderim , aut verbis neſciſſe potentius uti ,
Hæc ideò lingua nunc illuſtrare Latinorum
Auſus : quin etiam numeros his addere conor ;
Grata magis doctas veniant ut miſſa per aures.
In primis auri lamnas , ramentáve puri
Accipiens , crebris contundes ictibus , atque
Pulveris in morem triti , aut fluvialis arenæ
Diminues longumque teres : quo denique putrè
Humore ex ſeſe interius reſoluta liqueſcant.
Proderit huc etiam largos infundere rores
Seminis interdum proprii , ne fortè alienum ,
Ut docui ſuprà , quicquam miſcere labores :
Ni quod multa queat connectere forſitan addas ,
Quòdve etiam ſparſum rebus communiter inſit.
Nam ſimili gaudere ſuo ſimile omne putato :
Atque etiam exterius ſimili quodcumque juvari :
Præſertim cùm naturam natura requirat ,
Atque amplexa parem contraria cuncta recuſet.
Sic quoque non digitis aut plectro pulſa movetur
Fortè fides , tanquam fidibus tunc aſſonet ictis
Ipſa quibus fuerit concordi conſona voce :
In cunctis adeò rerum concordia pollet.
Quare id ne pigeat quodcunque eſt quærere compar ;
Aut ubicumque latet , ſeu montibus abditur imis ,
Vel maris eruitur ſcopulis , aut fontibus hæret
In mediis , alto vel ſe producit Olympo ,
Seu quacunque patet , ſeu parte abſconditur omni :
Quicquid id eſt , totòve orbis ſe corpore miſcet ,
Cujus prævalidâ vi tam compacta reſolvas ;

Ergò

Ergo ubi jam humescent, angusti vasis in alto
Fundo compones ipsa hæc non ordine nullo:
Namque per æqua tibi maneant dispansa necesse est,
Ut calor ex æquo penetrans per cuncta feratur
Unus, & ex omni compellat parte vaporem.
Nunc quibus exceptum rebus componere possis
Instituam vas illud ubi perferre calores
Immersos opus est aurum sic rite peractum.
Est genus indomitæ mirum telluris, Iberus
Quam fossor vitreas Italum transmittit ad artes:
Hæc etenim argilla sictis vitrarius ollis
Vitra liquat fervens, eadémque liquentia totas
Noctes atque dies longo depurat igne.
Hanc igitur primùm creta compone tenaci,
Qua figulus currente rota surgentia profert
Vascula, & his pergit gratas inducere formas.
Est etiam Euganeis tellus in collibus atra
Sulphurei ad fontes Aponi quâ semita ducit:
Nec minus effossis puteis quandóque subalba
Eruitur marmor referens per sæpe vetustum:
Quas ut tu cunctas una conjungere cures
Est opus, atque adeò manibus miscere subinde,
Unam quo pariter possis inducere massam.
Inde scyphi speciem oblongi simulantia finge
Pocula: quæ etiam parva circumdare zona
Os summum studeas, illis aptentur ut alte
Vitrea vasa super tenues captura vapores.
Nec minor illa quidem fuerit tibi cura camini,
Quo validum accendas ignem, multúmque, diúque
Arcanum summa foveas industrius arte.
Hunc igitur duplici munitum pariete firma,
Compositóque aptè limo duc omnia circum.
Nec mihi displiceat vinclis præcinctus & ære:
Et filice intectus dura, quæ tegmine ferri
Fortior, hoc melius tanti vim perferat ignis.
Hanc quoque continuo multóque foramine comple,
Vascula quo possis illic tam multa locare,
Quàm multa est operi satis, & quàm multa labori.
His ita compositis cùm primum accenderis ignem,
Æstuat is clausa rapidus fornace, ferúntque
Vas rectà inferius, totumque ignescere cogit.
At proprio quondam species madefacta liquore
Aurea, quis credat? tamen hæc videre periti,
Solvitur, & sponda paulatim vasis adhæret,
Mox petere hinc sensim vitri convexa videtur:
Duraque quæ quondam fuerat, & densa, gravísque,
Mollis habet, volutátque levis, & rara fuiscit.
Quin niveo candore etiam fucata renidet
Principio: mox cæruleo pallore repente
Et violæ leviter tincto perfunditur omnis,
Quæ prius astrorum cœlique imitata colorem
Fulserat, atque auri fulva perstabat in aura.
Non tamen indicium facient hæc una, sed ipsum
Illius interea licet observare saporem,
Hæserit os circum cùm vix perceptus amaror
Indicio est: etiam sonus hinc obtusus, & aure
Deprehendi haud facilis: necnon odor haud gravis, etsi
Sulphuris exemplo paulum spiraverit atri.
Quid quod & interdum liquidam se fundere in undam
Ipsa videtur item quæ sursum repserit offa?
Usque adeò non grande semel mutarier aurum
Visum est, & superas ferri grave pondus in auras.
Hic liquor est qui si certo sit tempore lectus
Bina ministeria ex sese præstabit abundè:
Alterum ut hinc aurum proprii quandoque liquore
Seminis infundas: ipsum cùm solvere primum
Cœperis, & prima simul id contriveris arte:
Alterum erit quod cùm hic doctè immiscebitur humor,
Forsitan advectus Indo de littore baccas,
Cùm senio obductæ nonnil pallere videntur,
Restituet quondam proprio candore nitentes,
Aut ex arte novas etiam, si fortè cupido
Id facere incessit unquam tibi, fingere posse
Perspicuo invenies illo puróque liquore.
Quod si quando sequens rerum pulcherrima, quoddã
Egregium meditari opus, & componere velles:
Pulchrum æquè haud quicquam, nec tam mirabile possis
Deligere, humanam quod tunc imitere per artem:
Has adeò circum ludit natura creandas.
Seu cùm se summo pandunt in marmore conchæ,
Ut genitalis eas anni stimulaverit hora,
Implenturque levi conceptu roris hiantes,
Et gravidæ certo mox edunt tempore fœtus,
Ætheriusque illis fit candens unio partus:
Sive animadvertas ut non se roscidus unam
Induat in speciem simili conceptus ab ortu.
Namque ubi ros purus cupidis influxerit illis,
Conspicitur toto diffusus corpore candor:
Turbidus at fœtum prorsus fordescere cogit:
Quem rursus videas cœlo pallere minante.
Quippe illo constant, cœlique his major inest vis
Quam maris: hinc variant, & pro furore vicissim
Nubilus est illis color, aut pro luce serenus
Dum fovet alba senis Tithoni Aurora cubile.
Hinc etenim pasci tunc illas cernimus, & cùm
Se tempestivè saturent grandescere fœtus.
Comprimitur verò si fulgurat ipsa repente
Concha pavens, rectáque minor jejuna timendo.
Verùm si intonuit, pariter compressa pavénsque
Inflatam vento speciem, & sine corpore gignit:
Atque hi concharum verè perhibentur abortus.
Nam cute multiplici sani constare feruntur,
Et penitus solido compleri corpore partus:
Atque ita quo callum reputes id corporis esse,
Quod sale permulto solcant purgare periti.
Id mirum est cœlo tantum gaudere sereno:
Sole rubere illas, candorem & perdere: & ipsum
Custodire ideo mersas pelago altius atque
Se radii valeant usquam contingere Phœbi.
Flavescunt tamen, & rugas traxere senectæ:
Nec constat vigor ille nisi durante juventa
Quem petimus, sic his etiam longa officit ætas.
Hæret & interdum duris vetus unio conchis,
Quem neque ab his valeas nisi forti avellere lima:
Quanquam omnis pariter proprio sit in æquore mollis,
Exemptus vero durescat protinus idem.
At si fortè manum capientis prævidet ipsa
Concha, statim compressa operit seséque suásque
Intus opes, se gnara peti violenter ob illas:
Atque ita præveniens acie proscindit acuta
Sæpe manum, & pœnas decepto sumit ab hoste
Denique quod solers summi prudentia vatis
Esse apibus circa regem miratur, id ipsum
Observare ferunt conchas: ut grandior ævo
Imperet, atque alias pastum præcallida ducat.
Quæ si fortè capi, nam hæc urinantibus una
Cura est contingat palantes protinus omnes
Includi reliquas facile est tum retibus: atque
Incolumi quo major erat fiducia rege,
Hoc illis capto subit inconstantia major:
Usque adeo in cunctis ductorem amittere magnum est:
Præcipua his verò dos est æquissimus orbis,
Candor item æthereus, tum limpidus undique lævor,
Et magno pariter justum sub corpore pondus.
Sed satis hæc, ne qua videar contendere summis
Ipsis viris, merito sibi qui peperere virentem
Semper, & in nullo languentem tempore laudem:
Nec mihi certandi veniat jam vana cupido.
Tu modò cum dabitur collectum ritè liquorem,
Nam non sæpe fluit, tantos servabis in usus

Namque

Namque illo sparsus pallens prius unio candet :
Quin novus efficitur, si post componere cures
Cætera quæ curâ nihilo majore parantur,
Vt referunt qui hæc egere & scripsere docentes.
Possem multa tibi quærentium inventa referre
Artificum : qui dum res hæc scrutantur, & errant
Nunc hunc nunc illuc, alienáque sæpe sequuti
Quam peterent, miranda aliàs, nec cognita pridem
Invenere, quibus fruitur nunc vitæ repertis.
Vt qui vitra adeò varias imitantia gemmas
Effecere prius : necnon qui nitra salésque
Junxere simul lymphis & alumina primi,
Sejungique aliis aurum docuere metallis :
Vel qui tot nobis etiam ostendêre colores,
Purpureum, viridémque aut quo cœlestia tecta,
Interpicta micant, & crebris ignibus ardent :
Seu quem floriferi tranquillo tempore veris
Læta maris summas spargit Galatea per undas.
Quem facere eximia si qua cupis arte colorem,
Namque illum nobis etiam natura ministrat
Inventum scabris in rupibus, hic tibi nulla
Proveniet de parte magis, quacunque vel artes
Cærula qui placidi referat Neptunia ponti,
Quàm qui pratenuis flavo detergitur auro :
Hunc adeo ex sese profert, & detegit ultro
Aurea cyaneo conspirans aura colori :
Cum floret mira in morem rubiginis aurum
Suspensum supra os ollæ candentis aceti,
Marmorcóque etiam completæ pulvere primum,
Deinde fimo in putri jugive humore repostæ.
His ergo atque aliis quos enumerare colores
Longum esset, cuncta in tabulis simulata reponunt
Pictores quacunque procul propiusve videri
Contigit : ut prisci mira expressere neque ulli
Non eadem mirè nunc & pinxere minores.
Quos meus ingenio cunctos imitatus & arte
Julius, effingit quicquid natura sub ipsis
Exposuit diversa oculis : seu surgere montes
Aërios, imásque simul subsidere valles,
Collibus atque etiam introrsum protendere hiatus
Aspicias, vacuísque ipsos se findere rimis :
Seu petere exiguo comprehensos margine cures
Prospectu latè campos, & florida rura,
Fluminaque immensas inter currentia terras,
Et maria atque lacus, viridique in gramine fontes :
Quo nymphæ, Satyríque, & monticolæ Sylvani
Conveniunt, cœlóque illic & sole fruuntur
Quisque suo, variis intenti lusibus omnes.
Multáque præterea quibus artes haud pudet uti
Ceu propriis reliquas, si qua imminiscere metallis
Pergit ritè manus : ut cùm spiritantia quondam
Æra Myrhon, vel nunc eadem cùm excudere Crispus
Certat fingendi præstans, & fundere juxta,
Multáque construere, & multa admiscere, summú nque
Sufficere his ignem doctus. Nec inaniter illum
Crediderim arcanam meditatum plura per artem
Qui genus id nuper tormenti ex ære peractum
Horrendum miseris edit mortalibus, altos
Quo murorum apices longè quatit, & grave pondus
Machina terribili jaculatur in aëra bombo :
Quo tellus tremit assultans : atque oppida circum
Icta procul diro strepitu ceu fulminis horrent.
Quales attonita stupidi percepimus aure
Littore nunc Veneto, Patavi dum magnus ad urbem
Rex sedet, & latos diverso milite campos
Occupat : at contra Venetus se exercitus intra
Continet, & variis arcet terroribus hostem:
Sed quid in hæc fando diversi venimus ? an quod
Nos & agit qui nunc vertit serus omnia Mavors ?
Pierides contrà contendite : nam neque vobis
Unquam aberunt ausint qui talia, sed neque munus
Ingratum est quodcunque paro : namque hoc mihi tanti
Jussistis, quod & ipse lubens præstare laboro,
Æquus in his quamvis labor est, & gloria dispar,
Nunc age continuus calor, & secretior ignis
Quo fovet ac reficit sese vis seminis intus,
Edetur, tempúsque sacri geniale Hymenæi,
Perpetuíque almi succensa cubilia tedis
Conjugis, & veri Veneris dicentur amores.
Ergo mvem cùm tu vitro deraseris auri,
Hanc hyali parvo rursus in vase repones :
Cujus item modicum ferventi os obstrue vitro.
Tum tibi seu lapide excisum formare caminum,
Sive luto fictum studeas : cui subdita lampas
Ardeat assiduum producens usque teporem :
Quem super impositus densè cinis aurea servet
Semina quæ fundo phialæ claudantur in imo,
Et vitreo dum vase diu concluſa coquuntur,
Ostendant prima varios in fronte colores.
Namque ipsum quoniam præcunctis quærimus atrum
Post quater undenos soles cum noctibus actos,
Unde color tota candens educitur arte,
Ex atro ad candentem alios extare necesse est,
Quo spectes medios inter contraria sensim
Apparere tibi. Namque hoc natura requirit,
Quo sibi conveniat concors, atque undique tota
Nec nisi decursis spatiis extrema tenebis.
Omni namque dabunt tibi tot se parte videndos
Quot trahit adverso solis splendore colores
Iris, ubi terris cœlo incurvata recumbit :
Aut quot sæpe levi motu variata videmus
Cella referre avium quas Juno jungere curru
Ante alias omnes volucres dignata superbis
Centum Argi voluit prætexere lumina pennis.
Ast ubi se fusco perfuderit ipsa colore
Massa, putes proprium te sufficisse teporem,
Quo femella marem suavi complexa foveret
In gremio : ast illi sensim instillaret amorem
Fotus amans, dulcíque simul langueret uterque
Connubio, & ditem proferret denique partum.
Hinc ea paulatim pullam deponère vestem
Incipit, & sese pallenti obducere palla,
Inque dies minus atque minus pallere : neque ullo
Cessare interea momento temporis unquam
Sæpius innumero conspersa colore vicissim
Quin albere iterum maturet fœdere tanti
Conjugii junctio, quo jam resoluta latenter
Putruit, & vires quo nunc recreata resumit.
Hic igitur ne qua tepidum summoveris ignem,
Et genitalem intus vim vi subeunte foveto :
Ales ut assiduè tepidis super incubat ovis,
Nascendíque adhibet pullis intenta vigorem.
Quem tu continuè morem servare memento,
Hanc ut, dum Phœbi circum se verterit orbis,
Plurimus exacto comprehendat tempore candor.
Hæc tibi tangenda est duranti denique meta,
Hic equus est solvendus, & hic jam terminat æquor;
Quo cursum tenuisse diu latere laborum
Tantorum, & longum patienter multa tulisse :
Ac jam tempus adest quo felix præmia sumas
Debita, quæ tanto demum sudore pararis.
Accipies igitur vivi de more subactum
Argenti pondus, triquetróque in vase repones
Quo calefacta solent immissa metalla liquere :
Cumque tibi in medio vas ipsum aptaveris igni,
Cœperit & misso sursum fervescere fumo,
Pulveris exiguam perfecti projice partem
Desuper, & tantis succendas follibus ignem,
Namque id continuò, quod tu mirere, liquescet
Argenti in speciem, quam fusam deinde canali

Anguſto in gracilem videas dureſcere virgam.
Non tamen hic prorſus ſiſtendum eſt: eja age longum
Ingreſſò tibi reſtat iter, quo pergere cura
Strenuus, & quondam felicem perfice curſum.
Nec mihi det vitio quiſquam ſi condita clauſtra
Naturæ reſerare nimis, vel inutile forſan.
Humano quicquam generi proferre videbor:
Cùm, veluti cunctos auro diteſcere vellem,
Ipſumqua fieri poſſit ratione docere
Tentabo. Abſtruſum quod ſic natura ſub imis
Montibus occuluit, quo gens humana per omnes
Id peteret patiens atque exantlata labores:
Quòve uno pretique modum ſummámque tenerent
Mortales, illoque foret mutatio rerum
Æquior, & varias inter commercia gentes
Apta magis. Quod ſi certa produxerit arte
In lucem id quiſquam, vulgòque ut pergat in uſum
Fecerit, aquæ ideò pretioſum ut vile putetur:
Continuo exciderint reliquæ tam ſegniter artes.
Quantum hæc extulerit caput indefeſſa: neque ipſe
Fortè pater curis acuet mortalia corda
Amplius, inde gravi paſſus torpere veterno
Omnia, vel potius ſceleratum mox genus omnem
Juſſerit humani ſpeciem mutare decoris.
Ipſum autem, ut variis agitaverit ante periclis
Autorem ſceleris tanti, aut detrudet ad orcum
Fulmine, vel celſa religatum in rupe perennes
Æternum pœnas coget dare. Namquid Olympo
Oſſa ſuperpoſitus, necnon & Pelion Oſſæ
Cœumque Iapetumque magis ſævumque Typhœa
Finxerit horrendi Iovis ira & fulmine dignos?
Aut magis ætherei ſubductus ſedibus ignis
Caucaſea meritum volucrique & rupe Promethea,
Quàm qui has imprudens aurum invulgaverit arte
Dignus erit pœna ſimul ut multetur utraque?
Caverat hæc princeps re forſan Claudius una
Flexibile ut fieret mirando examine vitrum,
Detraheret nequid pretia olim impoſita metallis.
Vidit idem inferior longo poſt tempore Cæſar
Ipſe etiam fortaſſe, artis cùm perdere tantæ
Artifices voluit, juſſitque exurere librûm
Multorum aggeſtum cumulum, dum fortè peragrat
Milite compoſito Ægypti ditiſſima regna,
Et timet imperio Romano providus arte
Ex illa, & multis opibus tunc inde paratis.
Quin fruſtra Phaunus Pico ſatus, & Iovis almus
Ipſe nepos, merita ferretur laude quòd olim
Primus ad Heſperios ſpecubus deprompſerit altis
Argenti late venas, primuſque per ipſum
Aurum aditus tantos tellure recluſerit ima,
Horum conditio ſi qua vileſceret arte.
Verùm id non agimus, non omnibus omnia namque
Scribimus: hæc tota vulgus ſed parte peroſi
Ludimus: & procul hinc certum eſt arcere profanum,
Et terrere etiam ſcripſit, ne attingere ſenſu
Speret quæ paucis canimus prudentibus, & quæ
Non tanquam artifices, ſed ut olim cætera tanquam
Scrutantes opus id naturæ dicimus, & quæ
Vix illis pateant magno percepta labore
Qui moniti nobis dignique ad tanta vocantur:
Præſertim cùm ritè volunt indicta relinqui
Nonnulla, aut dici ſcelus eſt ea quippe nefandum
Ni penitus cæcis ambagibus involvantur.
Ac nonnulla etiam, quod parce nos tamen ultro
Fecimus, interdum ſpargunturſalſa: neque illic
Omnia præcipuè credas tibi vera referri
Ars ubi ſecretos duci tentatur in uſus,
Atque ubi quo pacto ſeſe experientia promat
Promidus, addicti perplexæ legibus artis.
Quin ubi naturæ vires aperimus, & artem
Illius æſtimam decernimus, atque ubi primùm
Eſſe hanc, mox quæ ea ſit oſtendimus, omnia paſſim
Vera tibi porrò occurrent magis, & magis inde
Omnia percipies quæ ſunt ducenda ſub uſum,
Quàm illinc artis ubi nobis modus ipſe doceri
Eſt viſus, noſtróque patens fieri documento,
Nec fuit hæc fandi tantum ſententia quantum
Hic mihi neſcio quis furor incidit, unde faventi
Numine non trito ductarer calce ſub alta
Culmina Pieridum, latóſque invifere colles,
Et fontes haurire ſacros, & carpere frondes
Sperarem doctæ jam præmia frontis honeſtæ,
Atque adamata mihi, & multos quæſita per annos,
Hæc nam ſollicitas inhibent ſolatia curas:
Hic amor, hæc vacuam tenet oblectatio mentem,
Gratiáque, atque una hæc animum complexa voluptas
Explet, & hinc totum percurrunt gaudia pectus,
Gaudia Caſtalidum dono conceſſa ſororum.
Ergo hinc digrediens edico ne quis ab igne
Amoveat quod rexit opus, ne forte remittat
Conceptum durante diu virtute calorem:
Sed contra intendat potius, quo perferat ipſum
Tacta manus tamen artiſicis, ne quando moventem
Vim ſeſe excedat calor, ac tam jugis & æquus
Perduret quam læta illum natura ſequatur.
Ergo quin pergas tunc te mora nulla retardet,
Deſieris cùm jam ulterius proferre nitorem
Sperati & demum jam tum candoris adepti:
Sed tamen ut properes oboſt patientia ſemper
Fida comes qua te pariter ne longa moretur
Ipſa dies faciat. Neque enim tibi tempore parta
Tanta brevi ſperes quæ ſi conquirere poſſis,
Nulla æquè quærenda alia, aut optanda relinquas.
Hic itaque ulterius poſtquam proceſſerit ignis,
Non unus color, aut facies ſpectanda: ſed ante
Quam tibi purpureus ſe proferat ipſe videndum,
Paulatim croceo perfuſus candor amictu,
Et variè immutans totum durabit in annum,
Cùm ruber oſtendi mox cœperit, atque ſub altam
Perſpicuus florere cutim, violæque rubenti
Aſſimilis, juxtáque nitens Tyrio hyacintho.
Haud tamen hic etiam ſiſtas, ſed protinus ultrà
Perge nec à recta qua te via ducit aberres.
Tum tibi ne in mentem veniat, nec ſuadeat ullus
Ut quicquam immutes ignem, ni fortè parumper
Intendas, quem ferre tamen vel tangere poſſis,
Cum libet, illæſus: quæ ſit tibi meta, modiſque
Quo nihil hoc toto ſervandum tempore credas
Eſſe magis, namque hoc naturam imitabere tantum.
Cætera ſi pecces aliquid vel fortè relinquas,
Corrigere, aut rurſus componere nil prohibet: ſi
Rectè animadverſa hæc pridem, & quæſita fuerunt.
At ſi deſiſtas, quo vis intermoriatur
Ignea continuo quæ fotum fomite paſcit,
Nil agis, & ſubitò cùm primùm deſinet ignis
Cuncta renuent, quæ non ulla reparaveris arte
Amplius, ac fruſtra tentes fulcire ruinam.
Verùm ſi contra ſtudeas augere calorem
Impatiens, pigeáque morâ te, protinus illud
Amittes longo quod duduin tempore quæras.
Propterea aſſiſtens operi bombycina lychnis
Nunc ipſe imponas filo contorta triplici:
Nunc oleo demiſſa leves, eadémque retorto
Profer acu, aut putres contundas forcipe fungos.
Contemplator item cùm ſe mutaverit aër,
Sumpſerit & vires jam tempeſtatibus aquas:
Si media, ut par eſt, torrenti æſtate caleſcet,
Et tuus hic etiam nolens augebitur ignis:
At ſi frigeſcet gelidis Aquilonibus aër,
Et tuus hic etiam nolens ſedabitur ignis.

Tu

Tu verò si frigus erit mox addere primis
Fila tribus, sapiens accingere quæ tibi speres
Esse satis: sed si æstatis superemineat æstus,
Occurras, demasque celer quæ adjunxeris ante,
Aut latera extemplò attenua nimis ampla camini,
Et graciles illi spondas aptare labora.
Aut contrà, tenuis paries ubi forte maligna
Ex sese admittet: vel rimis frigora, limo
Tum latera hæc eadem crasso duc omnia circum,
Quaque potes jussum conserves arte teporem.
Nec pudeat cribro cineres agitare, neque ipsos
Ampullam circum tenues aptare tepentem,
Interea quando videas inolescere fœtum
Scilicet, & densum magis affectare ruborem,
Tertia quo tandem veniat feliciter æstas,
Quæ tibi præteritos demat perfecta labores.
Nam simul ac plenum color effert purpureus se
Cunctandum nihil est, quin pulvis vase beatus
Dematur, variosque tibi servetur in usus:
Cætera sive velis auro mutare metalla,
Seu libet affectis etiam mortalibus esse
Auxilio, & tristes illis depellere morbos.
Haud tamen exactè quisquam sic computet annos
Ut nil diminuat numero huic, nil insuper addat,
Nam seu materies habilis quandoque reperta
Acceleret cursus, eadem non apta retardet:
Seu calor intensus paulo minus aut magis æquam
Mensuram exuperet, variet tempusve, locusve:
Hinc tibi si spectes, ratioque & causa patebit
In longum tanti spatium quæ duxerit ortus,
Fecerit aut brevius. Neque enim quem septimus edit
Mensis erit fallax hominum partus, nec & hunc quem
Protulit undecimus non verum dicere possis:
Quamquam hæc in superos soleant & in astra referri.
Sunt qui deinde tamen non parvis ignibus illum
Noctes atque dies septem in fornace perustam
Detineant, donec magis hic densetur, ut aiunt.
Quod tamen haud omni sapiens ex parte probarit:
Nam facere haud quicquam simile huic natura videtur.
Cœperit at siquem servat mox una tenorem
Semper, & incœpto quæ sint diversa refutat.
Hæc tibi quo totum peragant quem circumagis orbem
Rectius, integri moneo ne spreveris anni
Observare tuis in rebus tempora passim.
Ac si me quicquam studeas audire, sub ipsum
Ver adeò incipies quo totus parturit orbis,
Et quo se cunctis aperit natura creandis
Cujus ad arcanum componas cuncta tenorem
Me duce, quod monui semper, ne calle relicto
Illius, à recta quôquam discedere temnes.
Vere igitur tum vitra tibi conflare jubeto:
Vere etiam formare luto, atque aptare caminos;
Cùm desævit hyems, ac dum non impedit æstas
Ut quamvis validos pertractes cominus ignes.
Forsitan hic numeros quæras, & pondera rerum
Quas tibi constituas, opus id quàm perficit ante:
Verùm si reputes tria sunt primordia tantùm,
Dehinc duo, dehinc etiam rectè si videris unum
Tantum erit, & solo triplex constabit in auro.
Quin ipsa hæc uno comprehendas pondere cuncta:
Nam nihilo distant inter se juncta suumque
Quoque sibi alterno permutat pondere pondus
Quæ tamen exactè prorsus sic omnia tractes,
Ut neque tam tenui numero subducere curent,
At neque tam modica perpendere lance minutim
Hi quibus argento mirè secernitur aurum,
Instrumenta quibus maneant quæ templa vocantur:
Nam templi faciem præstant circumdata vitro,
Et pedis unius modulo constructa decenti,
Quo nusquam tenui penetret vi spiritus, atque

Hic erecta bilanx præceps immotaque perstet.
Atque ideo argenti massa, quæ continet aurum
Infusum, drachmam capiunt, quam rursus acuto
Incidunt ferro, mediamque illius in æres
Diffundunt latices partem: mox illa virentes
Particulas auri linquit resoluta per undas.
Hæ propria nigræ ad fundum gravitate feruntur
Quas illi excipiunt; & parva lancè receptas,
Exiguo quocumque leves sint pondere pendunt:
Subductisque ipsis, dum quod sub parte repertum est
Tunc aurum artificis miro solertia ductu
Computat, in toto reperit quæ summa resultet.
At quamquam numeris opus est utare minutis
Usque adeo, vel ponderibus, satis attamen una
Tantum electa tibi fuerit tribus uncia primis
Ex illis, quam tu ut docui sic rite gubernes:
Aut si fortè duas sumis, nil amplius addas.
Nam te, quod superest, etiam nonnulla docebo;
Quæ tibi cùm fuerint alta sub mente reposta,
Noris cur modicæ contentus parte labores.
Hic ego non fictis quæ sunt tractanda figuris
Eloquar, & longis obducta ambagibus edam
Quæ quondam artifices ipsi calasse fatentur
Consulto tanquam veteris mandata Sibyllæ.
Extremo huic igitur prudens ne cede labori:
Nam brevis atque artis minima est, sed divitis usus;
Ergo vel in primis fulvo confunde metallo
Confecti paulum medicaminis: idque beati
Pulveris actutum præ se vim ferre videbis.
Vel gravidum puro semen cùm rursus ab auro
Haud facili & multa extrusum collegeris arte;
Qui modus ex illis quæ pridem exegimus extat
Expressus satis, & fari non omnia par est:
Huic tu purpurei partem mox pulveris æquam
Immisce: atque illis lentum succende calorem,
Ac geminos illas etiam simul excoque menses,
Quo seriem spatio cunctam prodire colorum
Pervideas, qualem ternos miratus in annos
Videris: atque brevi sumas quæ maxima longo
Tempore jam tota quæsisti sedulus arte.
Idque iterum, atque iterum facias: quotiesque peractum
Id fuerit, toties vires illius, & ipsum
Pulvereum exactes cumulum: namque ocyus ipse
Crescit, & hinc aliam sumit, retinetque priorem
Virtutem crescentem etiam. Nec credere vanum est
Illam adeò interdum priscis auctoribus auctam,
Ipsius ut tenui projecta parte per undas
Æquoris, argentum si vivum tum foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum
Neptunusque supra divos dimissimus omnes rum:
Tum fieri, & strato lusum Nereides auro
Ire super puro siccantes sole capillos
Cæruleæ, quo non alius color aptius auro
Hæret, & æthereo cui plenè convenit aurum.
Hæc super aurifera non invidus arte canebam;
Dum ferus Ausoniæ populos agit undique motus,
Atque rapit resides & longa pace quietos
Arma per, innumerasque imminani vulnere cædes.
Horrendum in facinus: quo mixtum ignobile vulgus
Principibus, rerum quibus est permissa potestas,
Præcipitat, stupidisque necem mortalibus atram
Ingerit; atque ipsa graviores morte labores.
Illo Augurellum me tempore tutus habebat
Adriacus baccante sinus per cuncta furore
Barbarico, magnæ vel cum primoribus urbis
Versantem, aut studiis Musarum multa vacantem:
Carmina qui fidibus jampridem aptare canoris,
Tum doctos salibus sermones spargere puris
Tentavi, & demum jam rectos ausus Iambos
Edere: nunc lusi somno velut excitus arcto,

Quæ data porta inter geminas quæ somnia servant:
Cornea nec nobis patuit, nec prorsus eburna
Emissus cecini falsis insomnia verbis.

JO. AURELLII AUGURELLI
P. Ariminensis
VELLUS AUREUM
ad Vonicum.

UT noris quæ forte mihi Vonice videnda
Contigerint, positis rebus paulisper agendis
Audi quæ poterunt forsan tibi vana videri,
Si reputes sed vera tamen nec somnia credas:
Ut sapiens qui multa vides velamine moto,
Quod circumpositu sic caligantibus obstat
Sæpe oculis ut vix paulùm discernere possint.
Discrimen rerum obscurum. Sed pergite Musæ
Vestrum opus hoc: paucis hominum nunc visa canamus.
Transieram medium sub iter, jam mille feroci
Ipse animo horrendis perpessus monstra periclis,
Cum me difficilis ceperunt tædia vitæ.
Et jam terga locis vertebam fessus iniquis,
Numina ni tanti movissent sancta labores.
Nam quis tot vastas potuisset repere rupes
Vi sine cœlesti? sylvasque, & lustra ferarum,
Fluminaque abscissis inter currentia valles
Transisset vita incolumi, tutusque malorum
Sed fesso auxilium Deus attulit: & mihi certus
Continuo illuxit puro sub lumine callis.
Cum prius efferrent sese quocunque tenebræ.
Principio avulsum magno de corpore saxum,
Et contra arrectum præruptæ molis subibam,
Quà tenis tantum venienti rima patescit,
Et quà nec radios profert nec lumina Phœbus
Errabamin cœcis tenebris & nocte profunda,
Donec sæpe gravi passu loca terra remensus
Illic unde brevis mihi se lux obtulit hæsi.
Hic vero primum subsedi fessus: & ante
Prospectans, circumque oculos per singula volvens
Extimui: retroque pedem tum forte tulissem.
Sed me ne facerem tenuis qui rupe cadebat
Exiguis humor guttis, acremque levare
Ipse sitim admonuit siccis quæ faucibus olim
Hæserat: & nusquam suasit desistere cœptis,
Sic ego jam modica requie, parvisque refectus
Haustibus inceptum qua callis pervius extat
Ire iter instituens, iterum sub luce maligna
Convallem obscuram nebulis pluviisque madentem
Ingredior, quæcunque pati graviora paratus.
Atque hic lenta sola putri vestigia figens
Undenos quater ipse dies cum noctibus egi:
Jamque viæ ad summum tandem veniisse videbar
Cum mihi se penitus oculis lux abstulit omnis.
Quid facerem? vel quâ tantis proferrer in umbris.
Aut quò me solita retrò sine luce referrem?
Nec tibi quæ interea transmissa fluenta lacusque
Evasi refero: aut mediis quam sæpe sub undis
Meme habui colloque tenus latera ipse subegi.
Quæ non vota Diis, seu quas non mittere voces
Sustinui? quæve ipse animo non justa peregi?
Tum mihi visa preces inter discindier ingens
Cum tonitru nubes, purumque per æthera ferri
Acceleran: & lux terris placidissima reddi.
Ac vallem interea jam prætergressus opacam,
Exieram alios in campos, lateque patentes.
Atque hic diversis maculis insperſa per omne
Corpus ovis, varioque micans tum fortè colore,
Quærebat tenuem lanæ candentis amictum
Sedula propter aquam, vitreis ubi rivulus amnem
Præterit immensum lymphis, & florea circum
Arva sonans scatebris leni cum murmure fertur.
Hanc ego, perfectis votis, ut proxima vidi
Gramina carpentem, nitidique ad fluminis undas
Siccantem vellus fluvio quod merserat ante:
Continuò obstupui, miro succensus amore
Sectari pecus egregium quo tendere gressus
Inde viderctur, vel qua se verteret usque,
Hæc ita perpendens stabili dum mente voluto,
Et recta jam tento gradus, aviduſque propinquo
Illa solo teneris, a ta cervice, relictis
Floribus ibat ovans contra, neque ipsa petebat:
Ac veluti novisset herum, mihi protinus ultrò
Blandiri, & gremio sese dare, & aurea sæpe
Cornua, sæpe ungues ostendere, versicolorque
Motare interdum varium latus, & mihi prorsus
Sola unitantis opibus gestire tolenti.
Ast ego, quam poteram magno veneratus honore,
Accipio hanc blandeque fovens deduco sub antrum
Excisum, quod fortè cava de rupe patebat,
Obductum viridi musco spissisque corymbis.
Deinde thoro lectis soliis & fronde recenti
Substrato, liquidos fontes, & læta ministro
Pabula: & hinc paribus studiis certare laboro.
Hic illa exuviis positis nova vellera primum
Induit, & vicibus tot eas mutata resumit
Quot trahit adverso solis splendore colores
Iris ubi terris cœlo incurvata recumbit:
Aut quot sæpe levi motu variata videmus
Colla referre avium quas Juno jungere curru
Ante alias omnes volucres dignata superbis
Centum Argi voluit prætexere lumina pennis.
Bissenos menses ita se variantibus illis
Prætерii, cùm jam niveo candore viderem
Omnia conspergi: & læto mihi pectus inibat
Pertentare favor, simul & pertundere cura.
Contemplabar enim quò dives vertere vellus
Cœperat, & mihi non parvum rabida ora timorem
Intulerant animo quæ vix arcere cubili
Nostra vigil poterat custodia, sive luporum
Ingluvies erat, aut rabies pellenda leonum,
Et quos invidia exagitat vesana timebam:
Sed metus ille tamen vanus: neque vis mihi obesse
Amplius ulla virûm poterat, non ulla ferarum.
Vescebatur ovis passim florentibus herbis.
Apricos vaga per campos, ubi nulla perennis
Urit hyems glacie segetes, aut solibus æstas:
Temperies illis tanta est, & gratia cœli.
At grato quondam victu mihi mitia poma
Præbebat ramis fœta incurvantibus arbos:
Semper & irrigui complebant pocula fontes.
Alter & interea circum se volverat annus:
Instabatque dies promissi muneris, ut jam
Sperarem redituu longo post tempore lætus
In patriam, & tanto finem prope adesse labori:
Ignarus quod erant mihi sex obeunte calore
Servandi, atque etiam totidem sub frigore menses.
Nam quæ marmorco succrescens alba colore
Jam candens ebur & nitidos superabat olores,
Nescio quem in croceum sensim conversa ruborem
Tendebat Tyrio paulatim murice pingi.
Ut vidi tunc majus opus, tunc aurea terga
Speravi: atque operi tanto præferre laborem
Haud ullum passus, pariterque intendere tempus
Omne illi instituens, iterum melioribus ipse
Auspiciis tantas accingor vincere moles:
Donec concessi perfecto temporis orbe.

Candida

Candida purpureum referebant cuncta calorem,
Et de purpureo subitus color aureus ibat.
Nec mora, continuò pecus ore & maribus auram
Aurea supirans cadit: & grave pondus inani
Corpore vellus adest pedibusque & cornibus aureis.
Hic ego cùm graviter casu perculsus acerbo,
Lætitiaque, avidusque loco discedere, primùm
Vota deis, grataque simul persolvo benignis:
Mox humeris onus imponens, ad proxima tendo
Littora: & in patriam rediens, sit alter Jason
Aurea fœlici devexi vellera Colcho.

NATHANIS ALBINEI

Doctoris Medici,

CARMEN AVREVM

Ad Ianum Cusinum.

Janè Cvsinè, tibi decrevimus omnia paucis
Naturæ atque artis mysteria, carmine amico
Scribere ludentes: & te de nocte profunda
Ereptum in mediam Solis perducere lucem.
Ergo age, & intentis animis ad singula, prudens
Abstrusos planis è sensibus erue sensus.
Principio mundi regionem implebat inanem
Torpens massa, expers motus, formæ, atque caloris:
Quam latè patet expansis toto orbe tenebris.
Unde Creatoris nutu omnipotente supremum
Limpida lux sortita locum, rutili area cœli,
Undosum pelagus, terræque gravissima moles
Exiliere: chao in mundum se vertere jusso.
Tum jugè à reliquis terra impregnata elementis,
Subque superque solo, vario discrimine rerum,
Innumeras species nostros produxit in usus.
Hinc plumbum nigricans, & stanni stridula vena,
Lunarique nitens argentum albedine: ferrum
Hinc durum: cuprumque rubens, cognata metalla,
Denique & hinc aurum duxit primordia fulgens.
Namque udâ quodcunque almæ telluris in alvo
Concipitur corpus, sancto de semine lucis
Exiit, & medio tenuis de spermate cœli,
Inconstantis aquæ fœcunda in menstrua fusis:
Imprimis specie atque gradu distincta metalla,
Quorum princeps est aurum, finisque supremus.
Deficit hoc illi, penetratis vertice claustris
Quod sese in superas vegetans non proferat auras,
Sed sterile in latebris æternùm torpeat imis:
Ni manus artificis crassa de mole solutum,
Docta ministerio suavi, vegetale metallum,
De gradibus mediis, nec dum auri nomine dignis,
Sublimet, ditesque sibi fœcundet in usus.
Nunc to scire opus est iisdem quibus ipsa creata
Naturam totum submittere legibus orbem:
Ut priùs in tenebris lateant primordia rerum,
Inque chao torpore gravi confusa quiescant,
Quam quævis extra causas inceperit esse.
Arti scito etiam nullis elementa subesse
Gignendis rebus, quam quæ natura creando
Fœtibus inservit: nec libertate potiri
Edendis aliis ea, ni corruptio primum
Compositi primi præcesserit. Inde memento
Omnia ab interitu longè meliora renasci:
Principiis à se diductis, purificatis,
Nobiliusque iterum in sese redeuntibus iisdem;
Nonnisi constantes animi, menteque sagaces,
Continuo studii fortique tenore, latentis
Queis datur arcanos veri penetrare recessus,
Huic se dent operi: quod longo tempore, vili
Principio, varios per casus perque labores,
Ducitur inceptum summa ad fastigia rerum.
Quicquid enim natura parens perducit in ortum.
Promovet id certâ & constanti lege dierum.
Ex quo materna compressum est semen in alvo,
Nonne vides menses septemve novemve requiri,
Queis unis tandem vitalis nascitur infans?
Æquus exemplum dicto, me judice, non est.
Præterea ne quis nostræ se immiscat arti,
Experientia quem non fecerit ante scientem
Queis gradibus paulatim insurgant luxque calorque
Unde pari gressu sequitur producilio in annos.
Postquam ergo ex uno tria feceris: ex tribus unum
Ut consles iterùm, naturam imitare creantem,
Perque gradus similes subjectum intende calorem:
Donec eâ seriem conspexeris arte colorum,
Qui tandem in fixis niveo rubeove quiescant.
Plus satis hæc: cur non etiam secreta revelem
Pondera? Principia tria sunt, septemque metalla
Nostro in subjecto: primus se spiritus effert
Sublimis, qui deinde animam de corpore fixo
Allicit, & levibus per inania portat in alis:
Deque tribus tantum duo sunt, unumque decemque:
Ex quibus emergunt septem longo ordine fratres.
Ergo ubi naturæ motus legesque magistræ,
Constanti studio & longo cognoveris usu:
Nullas nocte moras: submitte laboribus artis
Vim ignis inexperti mineram prædivitis auri,
In qua habitet vitæ scintilla integra latentis,
Quæque sint modico uberiùs cœlestia dona
Hauserit. Hinc sulphur vivum, claraque renidens
Munditie, auspiciis Saturni, atque arte sagaci,
Elice: mercurioque nitens immerge nitenti,
Compositumque istud crystallo conde serena.
Huic ubi continuos succenderis usque calores
Exterius, quales languens optaverit ignis
Interior: qui sese alio similique foveri
Expetit imprimis, majori fomite major
Factus eget: subito videas, mirabile dictu,
In chaos antiquum rursus, tenebrasque silentes
Omnia diffundi, & noctem succedere opacam.
Tu ne deficias animo: nam post tenebras lux
Splendida restituet disjectas undique partes,
Digestumque novâ revocabit origine mundum
Tum quoque terra brevis cœlestem intra ilia rorem
Purior excipiet mineris sine labe creandis:
Queis non argentum, aut argentea semina crescant:
Proque auro aurificum tellus feret aurea germen.
Non tamen hic operum finis, non meta laborum:
Nam vel in argentum, vel si tentaris in aurum,
Pulvere projecto, mutare infecta metalla,
Moris ut est, operam spe vana luseris omnem.
Ergo priùs fixis satages unire metallis
Mercuriis lapides mediantibus: ut tribus illis
Unum in compositum coëuntibus igne perenni,
Optatos tandem valeas contingere fructus.
O fructus dulces, summoque cacumine montis
Prostantes: ad quos raris exercita plantis,
Per labyrinthæos inflexus, semita ducit!
Mons est præruptis altissimus undique saxis:
Cujus in occulto radix descendit in atra
Tartara, vertex de superato sole triumphat;
In medio splendent argentea cornua lunæ.
Hi sunt qui tota, dominantur in arte colores;
Atque, manu velut, artificem per singula ducunt,
Quodlibet artis opus peragrantes ordine eodem.
Hæc nisi sufficiant, addive quid amplius optes:
Accipe demumque viridi cœlata smaragdo

Venturis poſuit volvenda nepotibus olim,
Arcana interpres ſophiæ, ter maximus Hermes.
Tu licet obſerves fundo grave corpus in imo
Stare, leves auræ dum ingens per inane vagantur:
Sunt tamen ex uno: naturâ eſt id tamen unum,
Quodcumque eſt, quantumque etiam in diverſa movetur.
Non ſecus ac circum quicquid patet undique cœli,
Subjacet & quicquid cœlo terræque mariſque,
Et una maſſa eſt divino numine cretum.
Hæc Sole & Lunâ res una parentibus orta eſt,
Aëreo geſtata utero, telluris alumna:
Conſtanti artificis quæ in terram verſa labore,
Perfectâ virtute vigens miracula præſtat.
Dirue compoſitum naturæ, elementâque miris
Conſociata modis, paulatim diſjice, magno
Ingenio. Levibus tranſcendit in æthera pennis,
Et cœli interea vires adipiſcitur altas:
Inde ſolum redit, & magno decedit inani,
Et terræ interea vires adipiſcitur imas.
Hinc eſt præcellens totius gloria mundi:
Cui cedunt toto migrantes corpore morbi,
Duraque paupertas, fallaxque inſcitia rerum.
Jane vale, noſtrumque hilari vultu excipe carmen.
Aurea, quo levibus latet ars obducta figuris.
Scilicet annulus eſt ſigili verè aureus ille,
Molliter inſerto turgens viridante ſmaragdo,
Quo te præteritâ donari nocte videbas,
Grata præſagi deluſus imagine ſomni.

FINIS.

NATHANIS ALBINEI

ÆNIGMA.

INfans in ſacro accepi baptiſmate nomen,
Expreſſum Græcis elementis quod tribus, ut ſit
Litera Νῦ prima, Ἄλφα ſecunda, & tertia Θῆτα,
Tres præbet totidem ſapientum arcana figuras:
Protinus in primis quæ namque deeſſe videntur
Sufficit æquipotentia, vel proportio ſupplet.
Hæc te veridici Euclidis geometrica libris
Syntaxis primo dubium ſextóque docebunt.
Quinetiam gentile quod à prænomine nomen
Majore accedit numero artem ſignat eandem:
Nam ſi præcedit viginti quatuor unus,
Succeditque alius, res fit pretioſior auro,
Tres luces ubi naturæ motuſque graduſque
Artifici oſtendunt cabalæ magiæque perit

.NAΘ En ubi ſal.

SVBSECTIO VIII.

Generoſiſſimi Domini BERNARDI *Comitis Marchiæ Trevisanæ* Librum *de* SECRETISSIMO PHILOSOPHORUM OPERE CHEMICO &c. *Item ejuſdem* RESPONSIONEM *ad* THOMAM *de* BONONIA Galliarum Regis Medicum, *complectitur.*

Incipit LIBER

De ſecretiſſimo Philoſophorum Opere Chemico, per Naturam & Artem elaborando.

QUo veros inquiſitores hujus Artis à communibus erroribus retraham in veram ſemitam, ne ſuas facultates dilapident, laborumque nominis & famæ jacturam faciant falſis librorum receptis inſiſtentes, ut ſunt Geberi, Raſis, Alberti Magni, Tramitis, Luminis, Canonis, Pandectarum, Demophontis, Summæ, ac aliorum hominum ſeducentium, narrabo primum errores meos, ac deinceps quemadmodum ad optatum finem pervenerim, quaterque hiſce propriis manibus lapidem fabricatus ſim, & abſolverim. Quo tandem & qui meum legerint proceſſum, ſpeculationibus & imitatione operum naturæ pariter efficere valeant. Fatuum eſſet cum vulgo judicare, propter Sophiſtas & impoſtores, quos in hac arte verſari videmus indies, falſam exiſtere, vel ejus veros auctores, & ſapientes ſuis ſcriptis imponere voluiſſe aliis, quia ipſi fuerint illuſi, quin potius famam de ſe poſt mortem reliquiſſe voluerint, & non infamiam, aut vituperium. At ignarum vulgus hoc habet idioticæ proprietatis, ut mox à prima lectura, quod non intellexerit, contemnat. Proinde longe plus proficiet quicunque per firmas imaginationes principia naturæ ſequutus fuerit, quam litera vana & mortua ſub ænigmatum figuris innumeris, ac ſophiſticis. Ut autem proborum ſententias vobis colligam ſincerè purè tractantium, libellum hunc conſcribere volui, partirique in quatuor partes: quarum prima narrabit inventores artis, eoſq; potiſſimum, qui hac potiti ſunt ex voto, ac per quos ego adeptus ſim. In ſecunda meam propriam hiſtoriam enarrans, dicam ad longum quicquid mihi contigerit in inquiſitione temporis, & laborum onera citra ullam invidiam ab initio in finem omnia. Tertia de radicibus & principiis diſſeret metallorum, evidentiſſimis & philoſophicis demonſtrationibus. Quarta verò practicam ipſam continebit, ſub parabola non uſque adeo obſcura, quin optime poſſit intelligi. Singula quidem ad eum ſcripta modum, ut niſi Lector per hunc meum libellum intelligas, facile non crediderim per alium te percepturum unquam. Nec eſt etiam quod prima facie mox intelligere te poſſe putes, vix decima lectura, quo ſæpius eam repetes, eo melius indies rem detegere poteris. Non tædere debet laborum, vel pœnitere quenquam, qui credat his evitari poſſe paupertatem intolerabilem, & morbos omnes animi & corporis, ut ipſemet expertus ſum in multis leproſis, caducis, hydropicis, hecticis, apoplecticis, iliacis, dæmoniacis, inſenſatis, furibundis, & aliis quamplurimis.

In

in addiscenda quapiam arte mechanica vel aliqua liberali sex vel septem anni sunt ad minimum insumendi, sed in hac omnes aliàs excellente, quantum Sol stellas omnes, non ultra mensem, quinque vel sex sustinere quis volet. Facilis est admodum, & usque adeo, ut si claris enarrarem verbis, vel ad oculum demonstrarem, vix credere posses. Tota difficultas consistit in nostris vocibus, & intentione.

Prima Pars, *Chemiæ* Domini Bernardi *Comitis Marchiæ Trevisanæ: De primis Inventoribus hujus Artis.*

ARtis Chemisticæ primus instaurator, ab ejus oblivione post diluvium, fuit HERMES TRISMEGISTUS, ut legitur, Historiarum libris memorialibus gestorum antiquorum, in Imperiali, & in expositione Tabulæ smaragdinæ per Clavetũ. Hic dictus HERMES vel MERCURIUS, quia sapientissimus omnium sui temporis, & Trismegistus, Termagnus, vel Tersapiens, quod omnem mundanam sapientiam, aut Physicam triplicem calluit atque docuit, vegetabilem, mineralem, & animalem, unum lapidem: Pater autem in hac arte vocatur, ab instauratione, ut in omnibus libris habetur Hermeticæ Turbæ, in quibus ejus mentio facta est priusquam Pythagoræ. Quotquot etiam hanc tenuerint artem filii vocabuntur Hermetis. De hoc viro legitur in Bibliis, ipsum intrasse in vallem Ebron primum, & ibidem inveniisse lapideas tabulas septem, quibus insculptæ fuerant à Sapientibus, priusquam inundatio fieret aquarum septem artes liberales cuique sua solum in principiis suis, ne transirent in oblivionem. Etenim eo tempore licet instructi satis, ut præviderent non omnino periturum mundum, sed servatum iri, nihilominus tamen perfectam non habuerunt sapientiam, ut considerarent Deum qui dederat ipsis illam eo tempore, dare potuisse aliis, & alii quoties vellet.

Vixisse fertur ante Legem, & post, quo tempore multi sapientes viri vixerunt. Narrat Aros in epistola quadam ad Regem Messohe. hanc artem revelatam à Deo nonnullis filiis Israël, ad Arcam Domini decorandam auro, & perficiendam, uti habetur apud Ezechielem & Danielem Prophetas: item apud Josephum. Nonnulli absque manifesta revelatione librisve, sed occulta per meditationes in operibus Dei visibilibus à suis creaturis, quemadmodum Phithomea, Rebecca, Salomon, & Philippus Macedo quos omnes tamen à Diluvio præcessit Hermes in hujus artis inventione, per tabulas dictas in valle Ebron ab ipso repertas, quo loco positus fuerat Adam ab exilio de Paradiso Eden. Ab Hermete ad plurimos alios derivavit, per libellum, quem inscripsit Smaragdinam tabulam, sub his verbis: Verum est, certum & verissimum: Quod est superius, naturam habet inferioris, & ascendens naturam descendentis. Conjungas unica via dispositioneque. Sol est ejus conjugii pater, & alba Luna mater, tertius succedit, ut gubernator, ignis. Crassum fac subtile, & hoc spissum reddito, ad hunc modum gloriam habebis hujus mundi. Brevi hoc libello totum opus continetur. Plurimi hanc artem consequuti sunt, quemadmodum legitur de Rege Calibus medio Bendagid Ternarii. Aristotele Chemista, Platone, & Pythagora Hermetis discipulo, Codicis auctore, quo libro continetur ipsa rei veritas hujus absque superfluitate, vel diminutione, licet obscure satis. In Arabia Rex Haly maximus Astrologus habuisse fertur ejus notitiam, qui Morienum docuit, & iste Regem alium Arabiæ. Calibus dictum antea: item Aros eam docuit Nephandin fratrem suum, & Saturnus Luncabur, atque sororem ejus Mederam. Infinitus est eorum numerus; quos recensere vanum est: & librorum de hac arte conscriptorum ingens habetur copia, sub methaphoricis verbis atque figuris, ut non facile queant intelligi ab aliis, præterquam à filiis artis, quorum lectura potius à via recta seducit in varios errores; quam ad scopum dirigat, è quorum numero sunt Scotus, Arnaldus, Raymundus, Jo. Mechungus, Hortulanus; Veridicus, &c. Proinde quo studiosos ad semitam rectam reducere valeam, opusculum hoc ipsis conscribere volui.

Secunda Pars, *in qua describuntur ingentes Labores Auctoris, & impensæ maximæ, cum singulis operationibus ab initio usque in finem, ex veritate perseverantissimi successus.*

CUm primum opus hoc aggressus sum, in manus meas incidit liber Rasis, in quo quidem experiundo quatuor annorum, & octingentorum coronatorum; item in Gebri libris plusquam duorum millium pro principio jacturam feci: ad id me sollicitantibus, ac inducentibus, multis impostoribus, ut meam exhaurirent substantiam. Postmodum inspexi libros Archelai tribus annis, in quibus operatus sum una cum quodam monacho, & in libris Rupecissæ, ac Jo. de Sacrobosco, per aquas vitæ rectificatas trigesies cum fæcibus, ut in tantam acredinem abiret, quæ nullo vitro cohiberi posset, in eo labore deperierunt alii trecenti coronati. Duodecim aut quindecim ad hunc modum consumtis annis, & innumeris aureis, absque fructu, post multorum experimenta receptorum, in dissolvendis & congelandis, communi, armoniaco, pineo, saraceno, metallico, salibus, tum plusquam centies calcinandis spatio duorum annorum, item in aluminibus rupeis glaciei, scaiolæ, plumbæ, in marcasitis, sanguine, crinibus, urina, humano fimo, semine, animalibus & vegetabilibus herbis, cuperosis, vitriolis, atramentis, ovis, per separationem elementorum in athanore, per alembicum, pellicanum, per circulationem, coctionem, reverberationem, ascensionem, descensionem, fusionem, ignitionem, elementationem, rectificationem, evaporationem, conjunctionem, elevationem, subtiliationem, per commixtionem: & alia sophisticationum infinita regimina, quibus jam duodecim annis inhæseram, ætatis factus annorum triginta octo, adhuc insistens in extractionibus Mercuriorum, ab herbis & animalibus, hactenus dilapidaram inutiliter, cum stultitia propria, tum impostorum seductionibus, circiter sex millia coronatorum; ut ferè desponderim animum. Verum enimvero semper interea meas preces ad Deum fundere non sum oblitus, ut subvenire meis conatibus dignaretur. Deinceps in quendam Præfectum nostræ patriæ patiter investigantem, incidi, qui ex sale communi lapidem construere conabatur, hoc in aëre dissolvens, & congelans ad Solem, aliaque multa narratu prolixissima. In hoc opere præterlapsus est sequiannus cum aliis, inani labore, quod in vera materia non operabamur. Frustra quæritur in eo, in quo, quod quæsitum est, non continetur, ut in Codice Turbæ veritatis legitur. Cum ergo sal commune haudquaquam habeat quod optamus, quinquies atque decies assumtum repetitionibus, nullam suæ naturalis

proprietatis alterationem demonſtrare nobis voluit unquam, quapropter ipſum reliquimus ultra non tentatum. Præterea vidimus alios in aqua fortiſſima diſſolventes argentum optimum, cuprum, & alia metalla: item argentum vivum, quodque ſeorſim in peculiari vaſe, ac eadem aqua, tandem ejuſmodi ſolutiones omnes, poſtea quam duodecim integris menſibus quieviſſent, confundentes in unicum vas: eam permixtionem aſſerebant eſſe conjugium ſpiritus & corporis. Vas ejusmodi ſuper cineres calidos continebant, utque dum aquæ tertia pars evaporaſſet, reſiduum exponebant Solis radiis, opinantes lapillos cryſtallinos inde procreatum iri albos congelatos & liquabiles, ad albam ex albo, & ex rubeo metallo rubeos, ad rubeam tincturam. Ex viginti duabus phialis ejuſmodi liquore ſemiplenis, tres nobis dederunt. Expectavimus omnes eventum generationis hujuſmodi lapillorum in fundis vaſorum, quinque annis, at fruſtra: ſiquidem, ut in Turba dicitur, nihil extranei opus eſt ad iſtum lapidem: per ſeipſum enim in materia ſua metallica perficitur: tunc temporis annum ætatis meæ quadrageſimum ſextum compleveram, cum ego una cum doctore monacho nomine Gotofredo Lepore lapidem ex ejus intentione præmeditatum aggreſſus fui: ſciebamus enim aliud opus quodcunque præter lapidem eſſe vanum, ac fruſtraneum quapropter hunc fabricare conati ſumus, ad hunc modum videlicet: Emimus gallinarum ovi numero duo millia, quæ in aqua cocta duraque ſeparavimus, cortices in ſummam albedinem calcinantes: vitellos autem & albumina quælibet per ſe ipſa in equino fimo putrefieri ſivimus, & poſtea deſtillavimus trigeſies in aquam albam, & in oleum rubeum ſeparatim, aliaque multa, quæ ob prolixitatem relinquimus: in hoc opere vano ſimiliter anni duo cum dimidio nobis deperiere præter utilitatem, imo diſpendio maximo, quo factum, ut ferme deſperabundi prorſum deſerniſſemus omnia, niſi nova ſpe fulciti: cœpimus iterum addiſcere ſpirituum ſublimationes, aquarum fortium deſtillationes, ſeparationes elementorum, fornacum & ignium ſtructuras varias, in quibus verſati fuimus annos octo. Supervenit alius quidam Theologus, ac doctus, Prothonotarius à Bergis, quocum etiam operati lapidem extruere volebamus, cujus inſtinctu ſolum ex vitriolo rem exequi putavimus, ac primo deſtillavimus acerum acerrimum octies, in quo vitriolum dictum calcinatum diſſolvimus, abſtraximus: iterum affuſum abſtraximus decies & quinquies die quodlibet, ſpatio duorum menſium, ob cujus odorem vehementiſſimum, quartana febre laboravi quatuordecim menſibus, commixtum hoc anno integro quieſcere, ſed nullo fructu permiſimus: erat enim extranea materia. Relatum nobis poſtea fuit à quodam viro docto, Confeſſorem Imperatoris, cui nomen erat Magiſter Henricus, certiſſime habere ac tenere magiſterium lapidis: ut igitur ejus notitiam haberemus, opus fuit amicorum medio maximo, & ultra diſpendio plus quam ducentorum coronatorum, antequam nobis familiarem potuimus reddere. Hic autem in hunc modum operabatur: Paſtam ex argento & Mercurio miſcebat cum ſulphure, & olivarum oleo, decoquendo ſimul igne lento in pellicano luto munitiſſimo, ſpatulaque lignea incorporando, ſed materia nunquam permiſceri potuit in unum corpus ſpatio duorum etiam menſium. Tandem in aliam phialam poſitam hanc materiam, luto ſimiliter munitam, ac ſigillatam, in cineribus continebamus calidis omnino ſepultam, igneque circum circa fovebamus exiſtimantes Mercurium ſpatio dierum quindecim, aut viginti & uno, virtute ſulphurei corporis, converſum iri in optimum argentum. Decoctione abſoluta phialæ plumbum imponebat pro arbitrio, & igne violentiſſimo liquefaciebat omnia ſimul in maſſam unam: qua fulminata per capellam cineritii, debebamus invenire argentum pro tertia parte multiplicatum. Ego pro mea parte dederam argenti marcas decem, alii vero triginta duas, ex quibus recipere putabamus centum & triginta marcas. At ſecus evenit, quoniam ex triginta duabus marcis, ab examine ſocii duodecim duntaxat habuerunt, ego autem ex meis decem quatuor marcas accepi. Quo factum, ut cum lapidis arcanum habere crederem à patre Confeſſore quadringentis rurſum coronatis pauperior factus ac dolens duobus menſibus abſtinui, ut ab opere prorſus abhorrerem, maxime quod mei parentes omnes increpare me, ac tormentare indies non deſiſterent, ut præ mœrore vix edere, vel bibere poſſem, ad tantam maciem redactus ſum, ut omnes exiſtimarent me veneno contagioſo quopiam imbutum eſſe. Nihilominus repente poſtmodum quam antea magis accenſus plus millies, maximè quia tæderet inutiliter elapſi temporis: agebam enim tunc annum quinquageſimum octavum. Omnium errorum cauſa meorum (proh dolor) unica hæc fuit, quia devius oberrans non operabar in materia congruā, ut ipſe Geber loquitur: Corpora quævis imperfecta, mixtione cum corporibus à natura ſimpliciter perfectis, nullatenus perficiuntur, quia ſimplicem formam, pro ſe tantum, in primo gradu perfectionis, à natura quæ perficiuntur, adepta ſunt, ac velut mortua, nihil de ſua perfectione non ſuperflua, tribuere poſſunt aliis, idque duabus de cauſis, priore quidem, quia per imperfectionis admixtionem redduntur imperfecta, cum non habeant plus perfectionis, quam pro ſeipſis indigent: poſteriore quia non poſſunt hac via permiſceri principia ſua mixtione per minima, ut in decimotertio digeſtorum habetur in Pandectis, & libro Calib. item apud Gebrum, & in opere naturali, apud Magiſtrum Daalin, & Arnaldum Villanovanum; in Speculo Alchemiæ, in Semita errantium à Platone conſcripta, in Epiſtola Euvarali, in Roſario magno, & in Euclidis tractatu brevi ac reliquis non ſophiſticis ad hunc modum: Corpora vulgaria, per naturam ſolam in mineris abſoluta, ſunt mortua, ut imperfecta perficere nequeant, verum ſi per artē ad ſeptenam, denam, vel duodenam ſuæ perfectionis multiplicationem adducantur, eatenus tingunt in infinitum. Tum demum enim penetrantia, ingredientia, tingentia, pluſquam perfecta, vivaque facta ſunt reſpectu vulgarium: de quibus etiam apud Raſim, Ariſtotelem chemiſtam, Aulphanem in ſuis Pandectis, & Danielem quinto capitulo ſuarum Retractationum: Aurum noſtrum completum (inquiunt) eſt pluſquam vivum. Item aurum noſtrum, & argentum noſtrum album, quæ ſunt unum & idem, non ſunt vulgaria metalla, ſunt enim viva, alia vero mortua virium expertia, ut aureo Codicis libro legitur, & plerisque aliis. Innumeros utique vidimus operantes in amalgamationibus & multiplicationibus ad album & rubeum, in omnis generis materia, quæ poſſit excogitari, maximis laboribus, tantaque perſeverantia, ac tam conſtanti, ut majori nequeat, ſed nunquam vidimus adhuc argentum tertia parte, media vel minima locupletatum.

Infinitas

Infinitas nihilominus dealbationes vidimus, rubificationes, recepta multa sophisticationum in tam variis atque diversis regionibus, uti Romæ, in Navaria, Scotia, Turcia, Græcia, Alexandria, Barbaria, Persia, Messinæ, Rhodi, in Gallia, in Hispania, in Terra sancta, & in conterminis regionibus, in Italia, in Germania, in Anglia, ac per totum fere mundum in circuitu, nullibi horum locorum adhuc vidimus, nisi laborantes in rebus sophisticis, herbalibus materiis, animalibus, vegetabilibus, plantalibus, lapidibus mineralibus, salibus, aluminibus, aquis fortibus per destillationes, elementorum separationes, sublimationes, calcinationes, argenti vivi congelationes, mediis herbarum, lapidum, aquarum, oleorum, fumorum, ignium, & vasarum admodum extraneorum, at nunquam in congruis operantes materialibus substantiis reperimus. Nonnullos aliquoties in illis regionibus invenimus, qui lapidis conficiendi modum tenebant, ac rationem: sed in ipsorum familiarem consuetudinem devenire minime potuimus. Quamobrem huc atque illuc discurrendo, investigando, & experiundo jam consumpseram decies mille & trecentos coronatos aureos, vendideram enim quandam possessionem, quæ valebat octo millia florenorum Germanicæ monetæ, ut omnibus meis parentibus venissem in maximum contemtum, quia redactus eram ad paupertatem, ut pauca mihi jam residua pecunia maneret, annos tunc sexaginta duos & ultra nato. Nihilominus ob tantas adversitates admodum fractus corpore, non animo tamen adeo, ut à concepto desisterem, quin potius misericordiæ Dei confidens, bonæ voluntatis hominibus atque diligentibus nunquam deficienti, patriam non sine maximo dedecore derelinquens, Rhodum me contuli, nemini hominum notus, ut quærerem si quomodo reperire quenquam valerem, qui consolaretur meas afflictiones desideriorum. Una dierum de quodam audiveram viro valde religioso magni nominis, rumor erat ipsum habere lapidem tantopere quæsitum, cum quo maximis tamen impensis amicitiam inii. Mutuo sumpseram à quodam, qui meos parentes optime noverat, octo millia florenorum. Formula sui laboris erat, aurum & argentum purgatissima & foliata, cum sublimati mercurii partibus quatuor mixta reponebat in fimum equinum, quæ cum stetissent ibidem undecim mensibus, destillabat inde aquam igne vehementissimo, terram in fundo vasis residuam calcinavimus igne violento per se, aquam vero sexies iterum destillavimus, quavis destillatione subsidentem terram primæ conjunximus, toties repetita destillatione donec residentiam nullam poneret amplius. Terræ tritæ & in urinali positæ sensim affusimus, at frustra multis laboribus conabamur terram aqua sua imbuere: nunquam enim permiscere potuimus, aut efficere quin semper nataret super terram, etsi contineremus in continuo calore spatio septem mensium: nulla fuit conjunctio nec alteratio, igne etiam aucto, quo factum ut frivolum opus reliquerimus propter quod rursum temporis annorum trium, & quingentorum coronatorum jacturam feci. Vir iste religiosus habebat excellentissimos libros chemicos, ut sunt Rosarius magnus, Arnaldus de Villanova, Liber verborum Mariæ prophetissæ, in quibus studere cœpi denuo, tantisper abstinens ab opere spatio quidem annorum octo: tum primum cognovi rationibus philosophicis, & evidentibus, quicquid antea fueram operatus, nil nisi stultos & inanes fuisse labores: maxime cum considerarem Codicis totius veritatis hoc dictum: Natura, inquit, non emendatur nisi in sua propria natura, natura sua natura gaudet, natura naturam vincit, & natura naturam retinet. Hoc libro tandem edoctus evasi liber ab omnibus meis sophisticationibus, erroneisque laboribus. Prius itaque studere volui, quam operari rursus magnis impensis & sine fructu. Multas noctes peragebam insomnes assiduè mecum arguens, & concludens in hanc sententiam: Quid opus (inquam) ut hanc artem ab hominibus quæram, in vanum hac via meipsum torquens? Si norint artem, nunquam patefacient, si non frustra cum ipsis versor, & magno dispendio conor ipsorum captare familiaritatem & amicitiam. Consideravi potius quibus locis libri maxime convenirent in eundem sensum, ibidem existimavi latere potissimum veritatem, quæ non potest in pluribus, sed in uno tantum existere: hac via mihi facta est obviam ipsa veritas: in quibus enim maxime convenire videbam in unum, hoc ipsum fuit, quod tam anxie quæsieram. Quamvis unus hoc nomine vocet, alter alio, nihilominus una & eadem est substantia, solus error in diversitate verborum committitur, & non in concordantiis. Proinde fili mi, hunc libellum in tui gratiam conscribere volui, ne despondeas animum, neve decipiaris, quemadmodum ego diu miserrime seductus fui: tutissima cautela siquidem alienorum exemplo periculorum est addiscere. Sane credo (ita me Deus amet) istos homines, qui talia scribunt figurative, aut paraboliçe, crines, urinam, sanguinem, spermata, herbas, vegetabilia, animalia, plantas, lapides minerales, uti salia, alumina, cuperossas, attramenta, vitriola, boraces, magnesias, quoscunque lapides & aquas, proponunt in hac aqua legentibus, (inquam) impensarum admodum parum aut nihil in ea fecisse, neque laborum quicquam sustinuisse, vel ad id mera crudelitate motos. Nam eorum omnium qui hoc labyrintho sunt intricati, vel imposterum eo prolabi possent, me miseret, quoties in mentem veniunt intolerabiles miseriarum & calamitatum pœnæ, quas perpessus sum. Quisquis igitur fidem adhibere mihi volet, non sine maximo commodo suo fecerit, solum inde laborem, alios instruendo, reportare possum. Qui vero credere nolet, suo damno tandem experietur, quanta sit fatuitas aliorum exemplis nil commoveri, nec discere velle. Fugite sophisticationes Alchemistrarum nequam, & quoscunque alios, qui fidem istis adhibent. Nam si quid boni vos lectura librorum docuit, falsis juramentis & assertionibus adimere conabuntur, ac à via recta vos abducere, nihil habentes quo suos errores tandem excusent, feci sæpius [inquiunt] at jam non habui quæ ad hanc rem erant necessaria, hæc & illa si addantur, &c. Nisi fugias potius quam pestem istos impostores & nebulones, in hac arte nihil unquam boni degustabis. Priusquam ego hoc opus perfeciſſem experimento, duobus annis artem exactè didiceram ex libris, nihilominus ad me cum venirent ejusmodi homines detestabiles, & nequissimi fures, juramentis imò perjuriis asserebant mihi manifestissimos errores pro veris experimentis, quos tamen olim delirans maximo dispendio fueram expertus. Nec prius in bonis meis opinionibus confirmari potui, quam ipsos omnino deserem, ac studium meum in ea materia totum intenderem, & vigilantissime prosequerer. Quicunque cupit artem veram addiscere, versetur cum sapientibus: id est, istorum libros legat; & non impostorum, licet obscuris verbis eam doceant. Nullibi

claris & apertis descriptos ejusmodi libros reperies, quapropter considerandæ possibilia sunt ex operibus naturæ per comparationem istorum ad illa, & è contra Sophisticationes omnes fugiendæ sunt: item sublimationes, conjunctiones, separationes, congelationes, præparationes, disjunctiones, connexiones, aliæque deceptiones omnes. Taceant quotquot aliam tincturam affirmant, quam nostram, & aliud sulphur, quam nostrum occultum in magnesia: item illi qui aliud argentum vivum extrahere præter quam ex servo rubeo, & aliam aquam à nostra quæ permanens est, & nulli rei conjungitur, nisi propriæ suæ naturæ, nihilque madefacit aliud præter id, quod est unitatis propriæ suæ naturæ. Aliud enim acetum non est quàm nostrum, non aliud regimen, neque alii colores: item non alia sublimatio, solutio, congelatio, putrefactio, &c. quam nostræ. Suadeo, ut alumina, vitriola, salia, & atramenta omnia, boraces, aquas fortes, animalia, & omne quod ex eis provenit, crines, sanguinem, spermata, carnes, ova, lapides, & mineralia quæque relinquas, pariter & metalla sola. Quanquam enim ex ipsis est introitus & materia nostra, ut asserunt omnes Philosophi, componi debet ex argento vivo, & hoc alibi non reperitur, quàm in metallis (ut apparet ex Gebro magno Rosario, Codice totius veritatis, Aristotele Chemista, Platone, Morieno, Haly, Calib, Maria, Avicenna, Constantino, Alexandro, Bendegib, Esid Serapione, Arnoldo Villanovano, Sarni Lilio, Daniele, S. Thomæ Breviloquio, Alberti tramite, Scoti Abbreviatione, Senecæ ad Aros epistola ad Regem Arabiæ, & Hemus, Euclide septuagesimo capitulo Retractationum, & Philosopho tertio Metereorum, per quos omnes affirmatur, metalla nihil aliud esse, præter argentum vivum congelatum gradumn decoctionibus his non obstantibus omnibus affirmativis rationibus, ipsa non sunt lapis noster, dum in forma sunt metallica: nam impossibile est unam & eandem materiam habere duas formas. Qua ratione possint esse lapis, qui formam dignam & mediam habet inter metallum & Mercurium, nisi primo corrumpatur, & auferatur ejusmodi forma? Hac de causa Philosophus, atque Democritus libro 3. Physicorum, capite 3. de Meteoris, inquiunt: Glorientur Alchemistæ utut volent, nunquam formas transmutabunt metallorum, nisi per ipsorum in primam materiam reductionem: hoc ipsum habent omnes libri qui de forma tractant metallica. Verum, ut intelligatur quid sibi velit in primam reductio materiam, apprimè sciendum materiam esse primam, rem ipsam in quam immediatè proximeque specifica forma introducitur, uti prima hominis materia, est utrumque viri semen & mulieris. Plerique ignari hanc intelligere putantes reductionem, interpretantur perperam ad quatuor elementa: nam (ut ipsi loquuntur) ex istis constant omnia, quæ creata sunt absque dubio: sed ista sunt materia prima primæ materiæ, id est, ex elementis quatuor constant argentum vivum & sulphur, quæ tandem sunt prima materia metallorum. Etenim elementa quatuor æquè sunt ad informationem asini, vel bovis apta, ac ad metalla: primo namque fieri debent per naturam argentum vivum & sulphur: quam esse queant metallorum materia prima. Exempli gratia, homo non componitur ex quatuor elementis, existentibus adhuc in elementari natura simplici, sed à natura transmutatis in naturam primæ hominis materiæ. Haud secus natura transmutans elementa quatuor in Mercurium & sulphur, tum primum effecit metallorum primam: nam quicquid ultra fuerit in dictam operata materiam, nihil aliud inde resultare poterit quam forma metallica. Verum antea cùm adhuc essent elementa, & non argentum vivum neque sulphur, natura potuisset ex eisdem elementis procreasse bovem, herbam, hominem, aut quidvis aliud à metallo differens. Ex præcedentibus liquet apertissime, quatuor elementa non esse metallorum primam, sed argentum vivum & sulphur. Alioqui juxta sententiam illorum, sequeretur inde homines, & metalla, herbas, plantas, animalia bruta, in summa cuncta nil nisi rem unam existere sine differentia, quo nihil absurdius unquam dici potest. Item inde sequeretur, etiam ex metallis homines generari posse, cùm illi pariter, ut illa, constent ex elementis, & ultra quidvis ex quovis fieri, nec non simile sibi simile non producere, non esse generationem, neque semina, nullam rerum differentiam, si actu omnia essent una substantia. Ut ad primam redeamus materiam, utemur exemplo hoc videlicet, semen viri per se, & semen per se mulieris, non sunt prima materia fœtus, quoniam natura potest ex eis ad hunc modum separatis, aliud quid producere monstrosum, velut substantiam verminosam: sed ex amborum in unum conjunctione, ut unius virtus alterius virtutem in se recipiat, & amplectatur, tum demum natura nihil aliud inde producere potest, præter formam infantis, quod hic sit finis illius materiæ & non alius. Natura non potest itaque aliam introducere materiæ formam, ea sola, ad quam finaliter est inclinata, dispositaque: spermatica igitur unio duntaxat, est prima materia ejus, vel eorum à quibus semina decisa, vel separata fuerunt, quæ nullam aliam formam recipere potest, quam propriæ suæ speciei, ad quam est dispositа. De dispositione ad finem rude satis hoc sit exemplum: Si quis aliquo festinet iter, priusquam eo deventum sit, multæ occurrunt viæ huc atque illuc deflectentes, ut ubi semel in rectam gradum direxerit, perseverans in ea, tandem eo perveniet, quo statuerat ire. Ad hunc modum singula propriam viam, ac materiam habent, per quam & ex qua facta sunt, & non ex omni materia quodvis, neque modo quovis perficitur. Manifestum est utique, rem omnem habere sibi similem & præcedentem, ex qua producitur naturaliter, ut inde nihil aliad fieri queat, vel in equi formationem, requiritur natura quæpiam equina in spermaticam substantiam transmutata, ex duabus contrariis materiis (sub equina specie tamen) unitis: item ad hominem ipsa natura non sumit substantiam equinam principaliter: habet enim una quæque substantia proprium ac principale semen ex quo fit, ac per seipsam in ipso multiplicatur, & per aliud neque alio modo quopiam. Patet ex verbo Dei, cum creasset hominem virum & fœminam, crescite & multiplicamini, ex vestramet substantia, videlicet vobis simili: aliis suis creaturis namque dixerat antea: Producat unum quodque fructum suum & semen in seipso, multiplicetur, &c. Si ex uno generari voluisset unumquodque Deus, non tot ac tantas fecisset creaturas, tamque diversas, nec opus fuisset cœlo neque luce, sed elementa quatuor semper unum & idem protulissent quod absurdissimum esset. Proinde ex omnibus fecit omnis generis diversa, ut unumquodque sibi simile generaret. Numquid ante diluvium Dominus Deus dixit Noë: Sume tecum in Arcam ex omnibus animalibus unita paria masculum & fœminam, ut postea quodque multiplicetur in sua specie, & non aliter fieri vidimus

mus ? Patet igitur ex præcedentibus ad uniuscujusque generationem, opus esse sui simili, ut ex mandato Dei, diversæ rerum radices ab ipso creatæ multiplicarentur in diversa sub propria quodlibet substantia. Per Philosophorum auctoritates idipsum probatur : Scotus enim apertè loquitur, ex argento vivo coagulato, & ex argento vivo sulphureo, primam materiam fieri metallorum omnium. Item in Turba quidam Moscus nomine, Rex Albaniæ, loquitur ad hunc modum: ex homine aliud nil nisi homo fit, ex volatili nisi volatile : similiter ex bruto quovis animali nil nisi bruta bestia: natura namque in alio non emendatur, at solum in sua natura. Idem à Joanne Mechungo dicitur in suo testamento : Quævis arbor suum fructum producit, ut pyrus pyra, poma pomus : pariter ex metallo generatur atque multiplicatur metallum, & nullo alio. Item Geber in Summa nonnullis locis bene in hanc sententiam scripsit, quanquam in plerisque suis libris ferè omnibus de studio scabrosus totus & sophisticus inquiens : Exactissime singula sumus experti suis, idque probatis rationibus, nihil potuimus unquam reperire permanentis in igne, præter viscosam humiditatem solam, radicem omnium metallorum, reliquæ omnes humiditates ab igne per evaporationem facile fugiunt, & per separationem unius elementi ab alio velut aqua per ignem: pars una in fumum abit, alia in aquam, in terram alia manente in fundo vasis : sic in omnibus, quoniam quæ in horum generatione haud bene sunt unita, minimo consumuntur igne ac separantur à sua naturali compositione. At humiditas viscosa, Mercurius videlicet, nunquam in eo consumitur, nec separatur à sua terra, nec alio suo elemento: nam vel omnia simul manent, vel simul abeunt, ut nihil omnino de pondere pereat. His verbis itaque Geber concludit, ad hunc pretiosum lapidem nullo alio opus esse, quam sola substantia Mercurii per artem optime mundati, penetrantis, tingentis, stantis in prælio adversus ignem, & in diversa separari se non permittentis, ac semper in sola sua mercuriositatis substantia constantissime persistentis, tum demum (inquit) conjungitur metallis in profundo radicaliter, formam ipsorum corrumpendo, ac aliam introducendo juxta virtutem & colorem elixiris, aut medicinæ tingentis. Item Aros ille Rex magnus & doctissimus ait ; Nostra medicina fit ex duobus unius essentiæ, videlicet ex unione mercuriali fixæ, & non fixæ naturæ, spiritualis & corporalis, frigidæ & humidæ, calidæ & siccæ, & ex alio fieri nequaquam potest. Etenim artis industria nihil infert novi, nec adfert ad naturam in sua radice, verum adjuta natura per artem, ut decet vincula solvendo, item ars per naturam adjuta discendo ab operationibus ejus & in suppeditatione materiæ, simul ambæ desiderium adimplent, ex voto diligenter operantis. Ad hæc Morienus ait : Miscete & projicite medicinam super corpora perfectione diminuta, vel imperfecta, & hoc aliud esse nihil dicit ; præter argentum vivum exaltatum arte super argentum vivum imperfectum : ex his docent apertè nihil aliud esse, quam argentum vivum. Adfert Arnaldus Villanovanus : Totum studium tuum intendatur, in digerendo & coquendo mercuriosam substantiam ; & pro sua dignitate corpora digna reddet, quæ nihil aliud existunt, quam substantia mercuriosa decocta. Infinitis rationibus probari posset, Mercurium duplicem esse solam materiam primam, & proximam omnium metallorum, & non elementa quatuor, quæ sunt remotissima. Dixerit quispiam errorem suum protegere cupiens, ex tuis (inquit) contra teipsum adduco, elementa quatuor postmodum in Mercurium & sulphur, quæ metallorum prima materia sunt, arte reduci, hac via subtiliora facta sunt ejusmodi separatione præcedente, quam sine hac statim in mercurialem substantiam adducta fuissent, materiamque proximam. Ut hoc refellam tanquam erroneum & falsum, ex ista vana opinione sequeretur facilè superfluam esse naturam, si spermata rerum arte fieri valeant, sic homo generaretur absque homine solum ex quatuor elementis absque alia natura media, vel alteratione, non aliter & principia fierent compositionum, quod pugnat contra omnem rationem naturalem. In hac arte siquidem natura produxit materiam, in qua postmodum juvatur arte. Sequeretur etiam ex ea falsitate medicum arte sua, vel herbis resuscitare posse mortuum, aut morientem hominem sanare contra dictum Avicennæ & Rasis. Medicina solum auxiliatur naturæ, qua quidem absente vel deficiente, nihil operari potest illa, ut si projiciatur in corpus mortuum laxativa, non purgat, quia per naturam non recipitur actio. Quod Hippocrates in Aphorismis & principiis naturalibus, divinus magis quam humanus, ac velut spiritus corpore carens, testatur, inquiens : Ars præsupponit rem aliquam à natura sola creatam, in qua præstat auxilium ipsi naturæ, & hæc arti. Proinde constat artem indigere materia, quæ sit à natura creata ; & non ab arte, à qua si esset quid opus natura foret in eis, quæ non est operata, cum de suo nihil absit ? sola ars perficere posset absque alia re extranea, & præter naturam. Patet multis irrefragabilibus testimoniis, & evidentissimis, naturam ex seipsa procreare naturas spermaticas, ac præparare : tandem ars per conjunctionem in eis operatur, ad finem tendens, in quem natura crearat. Quamvis etiam, si fieri queat, ut metalla reducantur in quatuor elementa, priùs oporteret in Mercurium & Sulphur, quam in elementa separari necessario, postmodum elementa rursus in sulphur & argentum vivum, ut fiant proxima natura metallica : quæ stultitia quæso hæc esset ? Cùm hæc omnia sunt unum idem, & eadem substantia, quæ novam non acquirit inde naturam, neque materiam, ab ejusmodi reductionibus, at solum manet quod antea fuerat. Quid istis frustraneis igitur laboribus indigemus, si tantundem substantiæ habebatur, cùm essent in forma spermatis argenti vivi & sulphuris, atque post reductionem in elementa quatuor, & nihil acquirant novi, non in virtute, non in pondere, neque quantitate, vel qualitate ? ea de causa videlicet, quia nulla materia sibi fuit adjuncta, quæ digniora reddidisset, vel cum ipsis fuisset exaltata, sed unica tantum huc atque illuc circumducta materia sola, præter additionem: quapropter in forma proprii spermatis æque valida, ac in forma elementorum. Ad nostrum lapidem si opponatur idem, nempe nihil etiam acquiri sibi, negatur : nam ipsum reducimus, ut in ea reductione fiat conjunctio novæ materiæ unius & ejusdem radicis, præter quam reductionem fieri nequit, atqui accidit etiam additio materiæ. Duarum utique materiarum una subvenit alteri, quo resultet inde longe dignior matetia, quam erant per se seorsim ante conjunctionem. Est igitur ista reductio nostra necessaria, quod per eam materiæ novam acquirunt formam & virtutem ob additionem materiæ novæ: quæ non fit in aliis reductionibus elementorum, in quibus nihil aliud apparet fieri quam circumductio materiæ nudæ sine forma,

ma, citra omnem innovationem, exaltationem, & acquiſitionem alicujus formæ, vel materiæ novæ. Unde liquet reductiones iſtorum hominum eſſe meras phantaſias, vanas, & erroneas. In hujus rei confirmationem apertiſſime loquitur quidam nomine Guilhelmus Pariſienſis, vir in hac arte doctus: In creatione hominis (inquit) primo concurrunt in unionem duo ſpermata, qualitatibus differentia, quarum qualitatibus differentia, quarum qualitatum in uno eſt una frigida & humida, & in altero altera eſt calida & ſicca, quæ in utero materno digeruntur mixtione virtutis utriuſque ſeminis, augmentatione per humidiratem ſanguinis, qui eſt ejuſdem ſubſtantiæ, cujus eſt ſperma fœmineum, actione virtutis maſculini ſpermatis interveniente, nutritur inde materia dictæ mixtionis, donec fiat ſubſtantia media participans cum utriuſque natura, citra ullam diminutionem, vel ſuperfluitatem. Proinde ſpermata creantur à natura, & non ab arte, quæ nullo modo etiam poſſet, hoc ſolum efficit, in utero materno conjungit ſimul ambo. Quamquam etiam iſta juvare poteſt in mixtione fomento caloris externi, quietis, ciborum optimorum delectu, & facile digeſtibilium, cum temperie, & moderatione ſumptorum, quibus omnibus aliud nihil operatur, quam rebus jam à natura creatis auxiliari tantum.

Subjungit idem auctor: Creare ſpermata non eſt artis, at poſtquam à natura creata ſunt, tum demum ars per ſolam virtutem naturalem exiſtentem in ſpermaticis materiis jam à natura creatis conjungendo, velut naturæ miniſter, ſuccurrit ipſi rei quidem exiſtenti, at nondum perfectæ: nihil tamen addit formæ, nec materiæ, neque virtutis. Eſt igitur generationis prima cauſa naturalis, & ſecunda ſolum artificialis, quæ poſterior abſque priore nihil efficit. Fruſtra namque terra cultivatur ad meſſem, niſi naturalis adſit materia creata per naturam, frumenti granum videlicet. Conſtat igitur utramque ab altera juvari, naturam ab arte, hanc à natura, & viciſſim ambas ad opus facere, cum naturæ, tum artis Cum igitur ab arte ſpermata creari nullo modo valeant, neque materiæ metallorum, impoſſibile fuerit hominem quovis artificio reducere quatuor elementa in ſpermaticam formam reductivam, alterativam, aut attractivam, ad finem recipiendi formam, vel actionem tendentem, ſive diſponentem. At ſi quis arguat Philoſophos dicere quatuor elementa in arte noſtra exiſtere debere: ſententia quidem eorum eſt, in duobus ſuis ſpermatibus quatuor primas elementorum qualitates haberi, caliditatem & ſiccitatem videlicet, ignem & aërem in argento vivo maturo, quod eſt ſperma maſculinum, & frigiditatem atque humiditatem in argento vivo crudo, & imperfecto quoad finem, quæ terra ſunt, & aqua in ſpermate fœmineo, non quod actualiter in iſtis ſint quatuor partes elementales à ſe mutuò ſeparatæ ut ſunt quatuor elementa, quæ videmus: etenim haud ſic eſſent materia prima metallorum amplius, nec etiam alterari poſſent aliquo ingenio, vel artificio humano, in formam duorum ſpermatum metallorum primæ materiæ, ut apertè docet Calib. Philoſophus, & Albaniæ Rex, ad hunc modum: Scitote nos ab initio noſtri operis, niſi duabus materiis duntaxat non indigere, non niſi duo videntur, neque tanguntur. nec duabus plures intrant in magiſterii principium, medium, & finem: verum iſtis duabus qualitates quatuor inſunt virtualiter: in majori namque ſpermate, velut in digniore, duo digniora continentur elementa per qualitates, ignis & aër videlicet: in altero vero ſpermate natura ſua crudo & imperfecto, reliquæ duæ qualitates habentur, & alia duo minus digna elementa, quæ terra ſunt & aqua: per Calib. apertè ſatis patet, in hac arte non eſſe niſi duas materias ſpermaticas, unius & ejuſdem radicis, ſubſtantiæ & eſſentiæ, ſcilicet mercurialis, ſolius ſubſtantiæ viſcoſæ & ſiccæ, quæ nulli rei jungitur in hoc mundo, præterquam corporibus. Id ipſum aſſerit manifeſte Morienus libro ſuo, inquiens: Durum aquaticum & molle reddito durum, ut ei conjungatur aqua, celatur, vel abſcondito potius ignem ſub, vel in aqua frigida, hoc eſt, lato, vel abſcondito potius ignem ſub, vel in aqua frigida: hoc eſt, junge ſperma maſculum, quod aliud nihil eſt, quàm Mercurius coctus & maturus, continens in ſe per digeſtionem elementum ignis, cum ſpermate fœmineo, id eſt, cum aqua viva. Item Iſudrius in eandem ſententiam loquitur in Turba Philoſophorum, Aquam igni permiſceto, hæc eſt unio ſpermatica potentialiter, proxima lapidis nobili perfectioni, ad eam recipiendum. Et in Codice totius veritatis, quidam Philoſophus nomine Artefimalef: Conjunge rubeum vivam abæ ſuæ fœminæ, in rotundo cubili circumdato corticum igne, continuo quoque calore foveatur ibidem, uſque dum fiat conjunctio hominis cum aqua philoſophica, & non vulgari, id eſt, in continente hoc omne ineſt, quod ad ſui perfectionem requiritur: dum demum iſta conjunctio dicitur prima lapidis materia, & non aliter. Nam in ſe continet fixi naturam, qua fixatur, atque ſpiritualem naturam, dignamque ſubſtantiam nobiliſſimi lapidis. In ſumma qui probe Philoſophos intelligit omnes, optime concordare videt in omnibus, qui verò non ſunt artis filii, ſed ignari, diſſentire perperam judicant. Poſtquam de prima materia metallorum abundè ſatis loquutus ſum, argumentis quoque firmiſſimis, & auctoritatibus dignis Mercurium & ſulphur eſſe probavi, latius ut progrediar in gratiam & utilitatem auditorum, in hac ſequenti parte libri mei tertia, dicam quid ſint Mercurius & ſulphur: & quemadmodum in terra metalla generentur, eorumque differentias, adductis Philoſophorum auctoritatibus, à quibus didici quæ de lapide ſcio, Deo dante gratiam & intellectum.

Pars Tertia *Libri D.* Bernardi *Comitis Marchiæ Trevisanæ, qua per ipſum tractatur de Radicibus & Principiis Metallorum, idque rationibus & auctoritatibus evidentiſſimis, atque Philoſophicis argumentis.*

INprimis non ignorandum eſt, divinum hoc Geneſis opus, quo Deus in principio creavit materiam confuſam & inordinatam: plenam tamen ex ejus voluntate multis ac infinitis materiis, ex qua traxit elementa quatuor, & ex iſtorum commixtione creavit animantia, diverſaſque creaturas, nonnullas eſſe voluit intellectivas, ſenſitivas, alias vegetativas & minerales. Intellectivæ creatæ ſunt ex quatuor elementis, at ignis & aër in iſtis dominantur magis, quàm alia duo. In ſenſitivis tamen minuitur ignis, quod aër æque dominetur ac ille velut in animalibus brutis, equis, aſinis, canibus, avibus, &c. Vegetativæ pariter ex quatuor conſtant, in his dominantur aër & aqua: ſed aër dignitate diminuitur per aquam, & iſta per ſolam ſubſtantiam quandam

quandam terrestrem & vaporosam. Minerales verò creaturæ, licet ex quatuor etiam constent, prædominantur tamen terra & aqua: sed aquæ dignitas est terrosa magis, quam aquatica. Diversarum sunt formarum, at multiplicari nunquam possunt, nisi per reductionem ad primam sui materiam, cæteris antea dictis proprium semen in seipsis habentibus, in quibus delitescit omnis ipsorum multiplicationis & finalis compositionis virtus. Materia metallica constat ex solo Mercurio frigido & humido crudo, in quo sunt etiam elementa quatuor, scilicet calidum, humidum, frigidum & siccum: quorum duo dominantur, frigidum & humidum: subjecta sunt illis calidum & siccum, Cœlestis motus calor circumcirca terram penetrans, & venas ejus: est tam remissus, ac temperatus, ut vix perceptibilis, at continuus: noctu pariter ac diu semper æqualis. Calor hic non provenit ex Sole (quod nonnulli fatui volunt) sed ex reflexione sphæræ ignis aërem circumeuntis, & etiam ex continuo motu corporum cœlestium, calorem continuum, & lentum excitantium vix imaginabilem. Quamvis etiam calor mineralium esset a Sole (ex sententia Raymundi Lullii & Aristotelis) nihilominus calor esset continuus, quia Sol dies & noctes circum terram incessanter volvitur. Verum istorum opinio falsa est, quoniam Sol non est calidus, neque frigidus, at motus ejus est naturaliter calidus. Calor itaque proveniens ex motu corporum cœlestium, assidue versatur in venis terræ: non tamen calefacit (ut putant nonnulli stulte loquentes) mineras: nam si vel minime calefaceret, hoc tantillo calore activo, minore spatio temporis quam annorum decem, decoqueretur Mercurius in perfectionem Solis, quod vix centum fieri consuevit. Terra siquidem est frigida & sicca, mineræ quoque sunt in centro terræ: priusquam igitur vel tantillum caloris percepissent à Sole actualiter, nos qui sumus proximiores adureremur prorsum: intensissimus esse deberet enim, si terram & aquam frigidissima corpora penetrans, nihilominus calorem adhuc retineret, cum ad centrum perveniisset, non extinctum penitus. Verum enim vero hæc naturalius intelligi debent ad hunc modum: Cùm ipse Mercurius componatur ex quatuor elementis, calefactis igitur istis à communibus & generalibus per suum proprium motum, naturalis calor excitatur ab ejusmodi motione: pariter ignis & aër existentes in Mercurio moventur, & sensim elevantur, cùm digniora sint elementa quam aqua & terra Mercurii, nihilominus humiditas & frigiditas dominantur. At quia calor & siccitas digniora sunt elementa vincere conantur alia duo, videlicet frigiditatem & humiditatem in Mercurio dominantes: nam cœlestes motus excitant alios motus calorum naturalium, per quos Mercurii motus. 1. Qualitates moventur. Postmodum successu longo temporis Mercurii siccitas gradum unum suæ humiditatis vincit, & fit plumbum, alium quoque deinceps gradum vincit, & fit stannum. Tandem calor Mercurii iterum paululum humiditatis ex frigiditate vincit, & fit Luna. Calore plus adhuc dominante, fit æs, vel Venus, & postea ferrum atque Sol perfectus. Hac via duæ qualitates, quæ prius succumbebant frigiditate & humiditate victæ, modo vincunt alias, ac dominantur caliditas & siccitas, quæ sunt in excitatione sua sulphur, & Mercurii frigiditas atque humiditas sunt ipsemet Mercurius. Non quod sulphur hoc sit quidpiam à Mercurio divisum, aut separatum: sed est solum caliditas & siccitas, quæ non dominantur in frigiditatem & humiditatem Mercurii. Hoc sulphur postea digestum dominium habet in duas alias qualitates dictas, frigiditatem & humiditatem Mercurii. Hoc sulphur postea digestum dominium habet in duas alias qualitates dictas, frigiditatem, humiditatem, & suas imprimit virtutes. Per ejusmodi graduum decoctionum varietates, fiunt metallorum diversitates. Plumbum ab igne continue fugit, avolatque, non alia de causa, nisi quia frigiditas & humiditas sui Mercurii, nondum alteratæ fuerunt per caliditatem & siccitatem sui sulphuris, quæ quidem in eo nullo modo dominantur, alioquin ab igne plumbum quantumvis etiam vehementi, non absumeretur, quinimo Mercurius ejus gauderet in sibi simili. Pariter & alia metalla quæque fugiunt ab igne, præter Solem, quia sunt adhuc frigida humidaque, pius unum alio, juxta majorem cum dictis qualitatibus participationem, vel minorem: fugiunt (inquam) quod sibi contrarium est, sustinereque nequeunt. Omne siquidem naturaliter fugit ab adversario, simili vero delectatur: inde sequitur, Solem aliud nil existere, quam purum ignem in Mercurio, cum ab igne, quantumcunque vehementi non recedat, aliis omnibus illum non sustinentibus, uno minus alio, plusve, ut magis accedunt, vel recedunt ab ignis complexione. Sulphur enim aliud nihil est, quam purus ignis occultus in Mercurio, qui longo successu temporis in mineris excutitur, atque movetur motibus corporum cœlestium (ut supra dixi) digeritque frigiditatem & humiditatem in Mercurio, pro varietate graduum decoctionis & alterationis in diversas formas metallicas, quarum prima plumbum minus calidum & humidum: secunda stannum: tertia argentum: quarta cuprum: quinta ferrum: sexta sol, qui quidem in perfectione suæ naturæ metallicæ, purus est ignis à sulphure digestus existente in Mercurio. Ex his manifestè rursum patet, sulphur non esse quid per se seorsim extra substantiam Mercurii, neque vulgare sulphur, alioqui materia metallorum non esset homogenea (quod pugnat contra Philosophorum omnium assertiones) qui hujusmodi qualitates dominantes vocaverunt sulphur, à similitudine, quia substantiam habent inflammabilem, velut sulphur calidam & siccam, cui insunt. Unde liquet apertissime, formas metallicas à natura solum ex pura substantia Mercuriali creatas esse, non extranea, Gebro sic attestante. In profundo (inquit) naturæ Mercurii, est sulphur, quod fit longo successu temporis in venis minerarum terræ. Manifestius hac de re loquuntur Morienus & Aros: Nostrum sulphur (inquiunt) non est vulgare, sed fixum, & non volatile, de natura Mercurii, & non ex alia re quapiam. Naturam exactissime imitamur, quæ in suis mineris aliam non habet materiam, in quam operetur, præterquam puram formam Mercurialem, ut etiam apparet optimis rationibus, auctoritatibus, & experientia. Mercurio huic inest sulphur fixum & incombustibile, quod nostrum opus perficit, absque alia substantia quam pura substantia Mercuriali. Non aliter loquuntur Calib, Bendegid, Jesid, & Maria: sed clare ad hunc modum: Natura metalla sua procreat ex calore, & siccitate Mercurii frigiditatem & humiditatem superantibus, alterando, & alia nulla perficiuntur essentia, ut omnibus Philosophorum libris affirmatur, quod omnes allegare prolixum foret. Nonnulli perperam

existimant

exiſtimant in procreatione metallorum intervenire materiam aliquam ſulphuream: ſed contra manifeſto patet, in Mercurio ſulphur incluſum eſſe, quando natura operatur: verum non dominatur in eo, niſi per motum calidum, quo ſulphur dictum alteratur & una ſimul aliæ duæ Mercurii qualitates: ad hunc itaque modum natura per hoc ſulphur in terræ venis generat metallorum formas diverſas, pro diverſitate graduum alterationum. In eo pariter imitamur naturam, cum nihil extraneum, ad materiam noſtram aſſumamus, atqui noſtro argento vivo ineſt ſulphur incombuſtibile Mercuriale, quod nihilominus adhuc non dominatur, ſed frigiditas & humiditas Mercurii volatilis, uſque dum actione continui caloris ſuper hoc noſtrum argentum vivum perſeverantis, fixum per totam ſubſtanti in volatilem mixtum dominetur, & vincat Mercurii frigiditatem & humiditatem, ac tandem fixi caliditas atque ſiccitas, quæ ſunt ejus qualitates, incipit aliarum dominari, ac pro gradibus hujus alterationis Mercurii, per ſuum ſulphur diverſi colores oriuntur, quemadmodum nec aliter, quam per naturam ipſam in mineris. Colorum ejuſmodi primus eſt nigredo ſaturnea: ſecundus albedo jovialis: tertius lunaris: quartus venereus: quintus martialis: ſextus ſolaris: ſeptimus vero uno gradu per nos altius adducitur, quam per naturam: liquidem perficimus, & pluſquam perfectum reddimus rubeo ſanguineove colore exaltiſſimo, proinde cum ſit pluſquam perfectum, eatenus alia perficit: nam ſi non perficeretur ulterius quam à ſua ſimplici natura, quid opus eſſet tantum impendere temporis, ut puta menſium novem cum dimidio, cùm à natura præter tantos labores ejuſmodi corpora habere poſſimus jam creata. Verum oportet, ut antea dixi, corpus maſculinum pluſquam perfici, idque per artem naturam imitantem, quo ſua pluſquam perfectione, abundantique radiatione perficere queat alia imperfecta, in pondere, & ſubſtantia, in radicibus & principiis mineralibus. Quis igitur adeo præſumptuoſus, ut credat illud perficere poſſe, taleque reddere, quale deſideramus alio quopiam extraneo, in quo nulla radicalis habetur commixtio? In Turba quidam Ariſteus nomine, qui mundum univerſum gubernavit annos ſedecim ſua ſapientia, poſt Hermetem excellentiſſimus, de quo legitur in Chronicis Salomonis, ipſum congregaſſe diſcipulos Pythagoræ, ac nunquam mentiri ſolitum: quapropter veridicus appellatus ab Aſtrologis, ait: Natura non emendatur niſi in ſua natura. Non poteſt igitur noſtra materia aliter, quam in ſua propria emendari. Parmenides idem loquitur, qui me primum retraxit ab erroribus, & in rectam viam direxit. Patet utique naturam metallicam non emendari, præterquam in ſua natura metallica, & non in alia quavis, adeo ut hac via per noſtram artem perficiamus aliquot menſibus, quod ipſa natura vix mille poſſit annis. Nam in mineris calor fere nullus, qui ſi vel tantulus ineſſet, opus naturæ celerrimum foret. Ut in arte noſtra duplicem calorem habemus, ſulphuris videlicet, ac ignis, ut alter alteri ſubveniat. Non eſt ignis (ut volunt Conſtantinus & Empedocles) de ſubſtantia materiæ, qui tamen opus augmentat, alioqui ſequeretur ejuſmodi calorem indies magis ac magis penetrare, quod eſt erroneum. Verum ignis duntaxat omnem artem regit, quo natura utitur, aliud nihil adferre poſſumus. Igne vehementi verò non alterantur inter ſe viciſſim, neque moventur. Fiat igitur ignis digerens continuus, non violentus, ſubtilis, concluſus, aëreus, circumdatus, alterans, & non comburens: ita me Deus amet, jam tibi narravi omnem ignis conſtruendi modum, conſidera igitur ac rumina verba mea particulatim: ſiquidem ignis omnem comprehendit artem, ut patet ex omnibus locis Codicis veritatis. Conſidera pariter quid Roſarius magnus in hanc ſententiam adfert: Cavete (inquit) ne ſolutionem veſtram acceleretis, perficere volentes illam ante requiſitum tempus: nam hæc præcipitatio ſignum eſt privationis conjunctionum: ſit igitur ignis veſter perſeverans, ac lenis, in modum gradus naturæ, corporibus mitis, digerens, & frigus excludens.

Item adfert ad hæc Maria Prophetiſſa: Vehemens ignis impedit conjunctionem, & album in rubeum tingit coloris florum papaveris ſylveſtris, quod quidem per teipſum poteris imaginari, & ex opere, quemadmodum ego, diſcere. In calore fimi fruſtra tenui, & in igne carbonum abſque medio, materia mea ſublimata eſt, non ſoluta: Verum in igne quem dixi, vaporoſo, digerente, continuo, non violento, ſubtili, circumeunte, aëreo, claro, clauſo, incomburente, alterante, penetrante, & vivo bene ſucceſſit. Jam ſi fueris qualem te decet eſſe verum inquiſitorem, facile per hæc verba intelliges qualis eſſe debeat. In Turba habetur, experientia artificialis te docebit qualis ſit ignis. In Lumine Ariſtotelis Chemiſtæ: Mercurius (inquit) in triplici vaſe coquendus eſt, ad evaporandum & convertendum activitatem ſiccitatis ignis, in humiditatem vaporoſam aëris circumeuntis materiam. Geber & Seneca hoc ipſum affirmant: Ignis (inquiunt) materiam noſtram non digerit, ſed calor ejus alterans, ſiccus per aërem exiſtimatus, quod medium eſt quo ignis movetur, & humectatur. De hoc dicere hactenus diſtuli: nam ignis omnia perficit, vel deſtruit Aros & Calib. In toto noſtro opere (inquiunt) Mercurius & ignis tibi ſufficiant, in medio, & in fine: ſed in principio non ita ſe res habet: ſiquidem non eſt Mercurius noſter: quod intellectu facillimum. Item Morienus ait, Scitote noſtrum Latonem eſſe rubeum: ſed inutile nobis exiſtit, uſque dum albus fiat. Scitote etiam aquam tepidam penetrare, ac albefacere, quemadmodum ipſa eſt, & ignem humidum & vaporoſum omnia operari.

Rurſus Bendegid, Jo. Mehungus & Haly: Vos qui dies & noctes (aiunt) quærentes, veſtras dilapidatis pecunias, facultates, & opes veſtras conſumitis, atque tempus inutiliter, torquetis ingenia veſtra circum librorum ſubtilitates, admonitos ex charitate volo (per compaſſionem) velut pater motus erga filium: ut (inquam) albificetis Latonem rubeum, per aquam albam ſuffocatam atque tepidam: cæterum frangite tot ſophiſticos libros, tot regimina, tantaſque ſubtilitates relinquite, mihi credite, ut bene ſit vobis: vana ſiquidem hæc ſunt opera cuncta, præter id, quod jam vobis dixi: & in hunc ſcopum tendunt omnia, quæ ſcripta ſunt. Quid melius clariuſve dici poſſet unquam?

Codex etiam omnis veritatis ad hæc: Dealbate (inquit) rubeum, & poſtmodum rubeum faciatis album, in eo tota conſiſtit ars, ejuſque principium & finis. Ego autem dico tibi, niſi nigrum effeceris, minime dealbare poteris, ſiquidem nigredo eſt initium albedinis, & nigredinis finis eſt ſignum putrefactionis corporis penetrati jam & mortificationis. At hæc inquit morienus ille ſapiens Philoſophus Rom. Niſi putrefiat & nigreſcat, non diſſolvetur, & niſi diſſolutum fuerit, ab aqua ſua non poterit penetrari, neq; dealbari, unde nulla conjunctio, mixtio

mixtio nulla, & per se consequens nulla prorsum unio, quæ postrema fieri non potest absque mixtione: item compositio præcedere debet alterationem. Ad hunc itaque modum per ejusmodi gradus nostra materia tractatur ad imitationem operis naturæ, in omnibus absque diminutione vel additione cujusvis alterius. De ponderibus vero, ne quis multum sit anxius, quænam sint, & qualia, quibus natura utitur, sciendum utique mineratum locis non haberi: nam ubi solum unum, quid his opus esse videtur, & alibi, quam inter duo, vel plura? Pondus autem nostrum est respectu sulphuris existentis in Mercurio. Siquidem (ut antea dixi) elementum ignis, quod in Mercurio crudo non dominatur, hoc ipsum est, quod materiam digerit. Quapropter omnis, qui vere Philosophus erit, optime sciet quanto subtilius est elementum ignis aliis elementis, & ista vincere quanta proportione valeat. Pondus igitur est in elementali prima compositione Mercurii, & non in alio quovis opere. Proinde compositio primo loco fieri debet, vel conjunctio, postmodum alteratio, postea mixtio, & postremo tandem fiet unio. Quicunque volet in his imitari naturam, hujus observet ordinem atque pondera duntaxat, ut Codex omnis veritatis habet. Si confectio fiat absque pondere, retardabitur opus, quo fiet ut animum facile despondeas. In hanc sententiam optime loquitur Albugazal præceptor Platonis: Terrena potentia super sibi resistens, pro resistentia dilata, est actio agentis in ista materia. Verba sunt mere aurea, ponderum fundamentum nobis aperientia, quæ non facile, nisi doctus, intelliges, vel à quopiam explicata fuerint, insigniter docto. Ipse tibi libenter exposuissem, nisi Deo votum, æquitati, Philosophisque præstitissē, me unquam nudis verbis expositurum, aut vulgato sermone pondus, materiam, neque colores, ac solum parabolis (ut infra mox audies) veris & perfectis, absque diminutione & superfluitate, ad imitationē sapientum. Antea dixi de hujus artis inventoribus, eisque qui habuerunt, me quoque habuisse perfecisseque lapidem à principio usque in finem fassus sum: item de impostoris, quas sustinui, & propter eas ingentes impensas & labores intolerabiles, ab anno decimo octavo ætatis meæ, usque ad annum sexagesimum quartum, priusquam artem adeptus essem. Verum si habuissem ab initio libros omnes, quos postea nactus sum, citius ad eam haud dubie pervenissem: nihil aliud quam falsissima legebam recepta, & libros erroneos: præterea non nisi cum perversissimis furibus, hominibus nequam, & impostoribus communicare contingebat. Sed postquam scivi, familiarem notitiam habui cum quindecim bonis viris, qui pariter sciebant lapidis artificium, & præcipuè cum quodam Barbarino (sciveram nihilominus artem duobus annis priusquam elaborassem, vel perfecissem) hic inter disputandum (cum ex improviso dixissem, me nondum expertum) fuisse conabatur à proposito vero divertere, quapropter deserui societatem ejus. Disputabamus potissimum de modo celandi, & contegendi hominibus indignis artem. Verum in ignis structura scribentium alii dissentiebant ab aliis, quamvis ad eundem scopum tenderent omnes, ut nempe fieret ad hunc modum, ne fugiens prius avolet quam ipsum persequens, quocunq; modo pararetur ignis. Conclusionem igitur hanc meam ut intelligas, arrige attentius aures: Opus nostrum fit ex una radice, & ex duabus substantiis Mercurialibus, crudis, assumptis, ex minera tractis, puris, & mundis, igne conjunctis amicitiæ, ut exigit ipsa materia, assiduè coctis, usquedum ex duobus unum fiat, in quo quidem uno corpus spiritus, & ille corpus, facta sunt à commixtione.

Postmodum augeatur ignis donec fixum corpus tingat non fixum suo colore naturaque: nam ubi rite mixtum est, omnia vincit, ad suam naturam & virtutem adducit, ac tandem superat & tingit millies millena, ac decies millies millena: id qui vidit, is pariter credit. Ad hunc itaque modum virtute, quantitateque multiplicatur, ut fatentur venerabilis ille Pythagoras, Isidrius, & Codex omnis veritatis. In nullo unquam librorum reperi multiplicationem, præterquam in Rosario magno, in Pandectis Mariæ, in Veridico, in Testamento Pythagoræ, in Turba, in Morieno, in Avicenna, in Bolzain, in Albugazal fratre Bendagid, in Iesid Constantinopolitano, at in aliis si habeatur, non intellexi, nec ab ipsis addiscere potui. Novi quendam ex Marchia Anconæ, qui lapidem optimè noverat, multiplicationem autem ignorabat, hic me sedecim annos integros sollicite insequutus est, ut disceret, verum ex me nunquam scivit, libros enim quos dixi, habuit ut ego. Totam speculativam igitur, & principia mineralia, cum suis rationibus detexi, quibus verum à falso discerni potest, modo vero practicam attexere visum est, obscuris verbis tamen ut egomet elaboravi, & quater composui dictum lapidem. Quicunque igitur hunc meum libellum habuerit, ac legerit, ab omni liberari merito deberet anxietate, nec non veritatem cognoscere citra defectum, dilucidius enim scribere haudquaquam potuissem, nisi rem ad oculum demonstrarem, quod quidem omnis ratio dissuadet. Ipse tu cum sciveris longe me cautius velabis, ægreque feres me tam apertè scripsisse. Voluntas Dei vetuit omnibus palam fieri, quod valde paucis notum esse bonum est, ut in Turba passim legitur.

Quarta Pars *Libri* Bernardi *Comitis Marchiæ Trevisanæ, de Practica Philosophici Lapidis.*

CUm in hac Arte maximè profeciſſe me percepissem, cœpi doctos in ea potissimum quærere ac frequentare: decet enim probatos Viros sibi similibus adjungi, & non aliis. Cum igitur per celebrem quandam civitatem Appuleam Indiæ transirem, audivi doctissimum in ea residere virum in omni scientiarum genere, qui parem in hunc mundo non haberet. Hic pretium disputationis instituerat omnibus in arte peritis, libellum foliis & coopertorio puro, puroque auro fabrefactum. Quapropter honoris avidus, animum facere mihimet ipsi non dubitavi, ac ad præscriptas disputationes disponere, addente mihi ad hanc susceptam provinciam calcaria viro doctissimo, veniente mihi in mentem etiam, audentes ad sublimia provehi, timidos dejici, ac perpetuo humi degere, viriliter in palæstram transii, fatoque palmam obtinui disputationis coram astantibus, libellusque præmii fuit mihi per facultatem Philosophiæ admodum honorificè oblatus, ut circumspectarer ab omnibus. Deinceps animi studio fatigati recreandi gratia, campos amœnos, & prata quærens, in lympidissimum incidi fonticulum, pulcherrimo lapide circumseptum, atque munitum, supra quercinum truncum, cætera muro circundatum, ne bruta ad eam intrarent, nec aves in eo balneum sibi

facerent. Super hunc fontem ſedens, contemplatus ſum ejus pulchritudinem, ac vidi ſuperius clauſum. Ea faciens iter vix ſenex, & venerandus admodum, ut Sacerdos, à me ſalutatus honorifice, & rogatus quamobrem iſte fonticulus ad eum eſſet modum ſuperius, inferius,& ad latera circumquaq; clauſus, & munitus? amico reſponſo me dignatus ait: Eſt quod ſcias, amice mi, fontem hunc eſſe valde mirabilis ac terribilis virtutis præ cæteris omnibus totius mundi fontibus,pertinet ad Regem ſolum hujus patriæ, quem fons optime novit, & ipſe fontem. Prætereuntem Regem hac ſemper ad ſe trahit, & à Rge non trahitur. In eo balneo manet ducentis octuaginta duobus diebus, quibus ad tantum juventutis robur adducitur, ut a nemine quantumvis robuſtiſſimo vinci queat. Curavit igitur ſuum concludi fonticulum albo lapide rotundo, ut vides, in quo relucet fons clarus, velut argentum, & cœleſtis coloris, ut etiam eſſet fortior, ne ab equis & aliis deſtrueretur, induxit quercum veterem fiſſam per medium, qui tuetur à ſolis radiis, umbram faciens. Deinceps, ut vides, muro circumdatur valde ſpiſſo: primo duro lapide & claro clauditur, tum demum cava quercu, maxime quia terribilis eſt naturæ, adeo ut omnia penetret ſemel inflammatus, ac irritatus, item ſi evaneſceret, actum de nobis eſſet. Rogavi poſtmodum utrum ipſe Regem in dicto fonte vidiſſet, qui reſpondit, ſe vidiſſe quidem intrantem, ſed ab eo tempore, quo per cuſtodes in eo clauditur, non apparet amplius in centeſimum & trigeſimum uſque diem: tandem emergit admodum ſplendens, ac nitens. Cuſtos portenarius, balneum aſſidue calefacit, ut perſiſtat in calore, qui in aqua fontis occultus eſt, ac dies & noctes calefacit abſque intermiſſione. Interrogavi rurſum cujus coloris Rex eſſet, qui ait veſtium eſſe panno aureo primum ab initio, deinceps holoſerica diploide, vel thorace nigro, camiſia quidem alba ſupra nivem, ejus carnem tamen, vel ſanguinem rubicundiſſimum. Rogavi deinceps utrum Rex eo veniens multam cohortem extraneorum, plebiſque minutæ ſecum adduceret? reſpondit amice, ac ſubridens: Cum Rex huc venire propoſuit, relictis omnibus ſuis aulicis & extraneis, ſolus intrat, nemine fontem præter ipſum appropinquante, & ſolam ejus cuſtodiam: cujus curam habet homo valde ſimplex, imo ſimpliciſſimus hominum ejus ſupplere vices optime poſſet, cum aliud nihil efficiat, quam calefacere fontem. Petii rurſum utrum fonti Rex eſſet amicus, & fons ipſi? qui ait, mirum in modum ſeſe viciſſim amant, fons Regem attrahit, & non Rex fontem: nam Regi velut mater eſt. Interrogavi tandem cujus generis Rex eſſet? reſpondit eſſe ex fonte, qui talem, ut eſt, effeciſſet abſque alia re quapiam. Petii utrum multos haberet aulicos, qui ait, ſex duntaxat habere, qui ſucceſſionem expectant, ſi forte Rex quandoq; mori poſſet, potitentur etiam, ut ipſe, regno: hinc fit, ut illi ſerviant, quia ſperant ab eo mulram dominationem & poſſeſſionem. Tandem interrogavi utrum ſenex eſſet, qui reſpondit ſeniorem eſſe fonte, ſuiſque maturiorem ſubditis quibuſcunque. Qui fit igitur, (petii) ut iſti non interficiant Regem, à cujus morte tantam ſucceſſionem expectant, cumque ſit adeo ſenex? Qui ait: Quanquam admodum provectæ eſt ætatis, nihilominus ſubditorum ſuorum nullus adeo patiens algoris atque ſudorum, pluviarum, ventorum, & laborum ut ipſe: item nemo illorum per ſe, nec ſimul omnes occidere poſſent, neque vis ulla. Quomodo igitur poſſidebunt regnum ſi mori nec etiam occidi poſſit ab aliquo? Reſpondit, ſex ejus ſubditi ſunt ex fonte, à quo poſſident omne quod habent, ut ille, quo fit, ut à fonte trahantur maxime. Rex occiditur ab ipſo fonte pariter ut illi, reſuſcitatur per ipſum, deinceps ex ſubſtantia regni ſui, quæ poſita eſt in minutiſſimas partes, quiſque ſubditorum ejus portionem accipit,& quantumcunque minutiſſimam particulam quilibet habeat, æquatur opulentia, viribus & potentia Regi, fiuntque inter ſe æquales. Interrogavi rurſum quanto tempore illi expectandum eſſet? qui ſubridens iterum ait: Scito Regem intrare ſolum abſque ſubditis, etſi fons amet etiam iſtos, non tamen intrant, quia nondum hanc dignitatem promeriti ſunt. Verum intrante Rege velte auri puri contexta foliis, & contecta exuitur, quam primo ſuo tradit cubiculario, Saturno dicto, hic ſervat diebus quadraginta, plus quandoque duobus ad ſummum, poſtquam ſemel habuit. Deinceps exuit Rex thoracem holoſericeam nigram, quam ſecundo ſuo cubiculario Jovi nomine tradit, qui cuſtodit viginti duobus diebus, tum demum Jupiter jubente Rege, tradit Lunæ, quæ tertia perſona eſt pulchra & reſplendens, hæc viginti diebus ſervat. Tum demum Rex in pura camiſia alba nivis inſtar, aut ſalis floris exiſtit, quam etiam exuit, eamque Matri tradit, hic ſervat quadraginta diebus, aliquando duobus advenientibus. Poſtmodum Mars, Deo jubente, tradit Soli flavo, non claro, qui ſervat quadraginta diebus. Tum demum venit Sol pulcherrimus, & ſanguineus, qui ſtatim camiſiam arripit. Interrogavi tandem, quid inde fit ex iſtis omnibus? qui ait: Fons deinceps aperitur, ac ut camiſiam dedit illis, veſtem, atque thoracem, momento jam ſuam carnem ſanguineam & rubeam tradit omnibus manducandam, jam demum habent quod optabant. Rurſus petii, utrum tanto tempore ſemper expectarent, & unum prius aliquam remunerationem ſervitiorum habere poſſent, in finem uſque niſi perſeverent? qui ait: Statim atque albam habent camiſiam: quatuor illorum aulicorum, ſi velint, gaudere potuerunt, opibus quoque frui plurimis: verum dimidia parte regni ſolummodo potirentur, quapropter malunt, vel tantillo diutius finem atque exitum expectare, ut etiam diademate regio ſui domini coronentur. Interrogavi an unquam aliquis accederet medicus, vel quidvis aliud eo tempore? qui reſpondit nullum, nec quicquam aliud præter cuſtodem unicum qui ſubtus calorem excitat continuum circumeuntem & vaporoſum, præterea nihil. Rogavi, num cuſtos hic multos labores pateretur? qui ait, plus à principio quàm ſub finem, quia fons inflammatur. Petii utrum viditſent multi? qui reſpondit, verſatur ob oculos toti mundo, nemo tamen cognovit eorum qui ſunt in mundo. Rogavi latius quid agerent? quia ait, Si volent ſex illi Regem iterum purgare potuerunt in fonte diebus tribus, circuendo locum juxta contentam continentiam, dando primo die thoracem, ſecundo camiſiam, ac tertio carnem ſuam ſanguineam. Dixi ad hæc quorſum iſta? at ipſe, hactenus tibi reſpondi? fatigatus ſum. Quod cùm percepiſſem, nolui eſſe moleſtus, ut abeuntem comitatus ſum aliquatenus, illi quoque gratias agens immortales, valedixi. Venerabilis admodum ſenex fuit atq; ſapientiſſimus, uſque adeo ut ipſi obedirent cœli, cunctaq; tremerent coram ipſo. Sopor etiam invaſit me, ut rediens ad fontem aliquantiſper quieſcere deſtinaram, ſedemque ſuper hunc abſtinere non potui, quin clauſtra omnia

ſecreto

secretò resetarem. Interea cum libellum meum disputationis præmium inspicerem, per suum splendorem & pulchritudinem, soporem antea conceptum auxit, ut oscitantia quadam à manibus in fontem delapsus sit, quod me pessimè habuit, volebam enim servare in memoriam honoris adepti. Cumque inspicerem disparuit ab oculis, existimans igitur in fundum decidisse fontis, aquam exhaurire cœpi, cum industria tamen, adeò ut non maneret in eo, nisi decima pars, ejus cum decem partibus. Cumque totum exhaurire conarer, tenices erant valdè interea dum in hoc opere fatigarer, supervenerunt aliqui, ut ultra haurire impedirent. Priusquam abirem tamen, concluſi rursùm omnia, ne quispiam perciperet me fontem exhausisse, neque vidisse, neve fortè mihi libellum etiam surriperent. Tum demum cœpit excitari calor circumcirca in balneo ad lavandum Regem. Ego autem ob perpetratum facinus adductus sum in carcerem, ibidemque detentus quadraginta diebus. Quibus absolutis sui relaxatus, & ad fontem reversus ut viderem ipsum: obscuræ nubes apparuerunt, quæ durarunt longo tempore. In summa vidi sub finem omnia, quæ desiderabat animus, absque multo labore: quare non torquebit etiam adeo, modo rectam ingressus viam, ab ea non deflexeris ad erroneas, at naturam in omnibus fueris imitatus: Concludens dico tibi, quicunque libellum hunc meum legens, lapidem per ipsum non intellexerit, nunquam intelliget, quicquid operetur. Nam in hac mea parabola totum opus continetur in practica, diebus, coloribus, regiminibus, viis, dispositionibus, & continuationibus, quantò melius fieri potuit narravi singula, pietate, charitate, & compassione motus erga desolatos operatores, in hac arte pretiosissima. Finem igitur facbiens libello meo, Deum Optimum Maximum rogo, cujus gratia fuit absolutus, ut aperiat mentes hominum bonæ voluntatis, quibus, ut ingeniosis, pauca difficultas erit, modo abstineant à somniatis phantasiis, & subtilitatibus sophistarum, in via quoque naturæ maneant: quæ per meam speculativam demonstratur. Valete in Jesu Christo omnes, & memores pauperum este, cum ad hunc thesaurum inexhaustibilem perveneritis. Deum orare, qui vos docebit ulterius.

Bernardi Trevirensis *ad Thomam de Bononia Medicum Caroli octavi Francorum Regis Responsio.*

Obsequiis mihi possibilibus tibi exhibitis, venerande Doctor, & Domine honorande. Noveris me per dominum Aldericum recepisse immensam & copiosam epistolam tuam, unà simul lapidem secretissimi operis tui: quod certè insigne argumentum fuit amicitiæ: ex quo manifesta & gravissima quidem est confidentia tibi mihi exhibita, & quammagno & acri præfulgeas ingenio. Nunc autem tuæ epistolæ lubens respondebo. Quædam enim à te doctè & ingeniosè scripta approbo, quædam verò non arroganter redarguam, sed strictius & Philosophicè perstringendo aliter honoris tui causa & observantia pertractabo. In hac enim arte sacra & occulta, ut in aliis, experientia practicæ veritatem theoricæ debet corroborare. Quare venerande Doctor, nunc talibus rescriptis & libellis nos mutuò visitemus, quando præsentia corporali uniri non valemus. Cæterùm tuæ sapientiæ est (ut optimè nosti) res per causas cognoscere & intueri; quoniam experimentum fallax est, cujus notitia non præcesserit. Philosophantibus enim inest firma discretionis meditatio, ut operis quod fieri debeat perfectio ad extremum commodè perducatur. Erroris nempe contingentia evenit ad opus accedere volentibus, omisso & neglecto mentalis practicæ judicio, quam theorica in anima operatur priusquam ad opus conficiendum operationes accedant. Nam opus requiritur naturam, & non contrà. Qui ergo vult quicquam efficere, animam disponat, ut rerum naturas & eventus intelligat: postea verò tutò manus ad operandum emittat. In his siquidem animum tuum apertè nosco sublimem, experimento tuo in epistola tua præscripto. Nam ut aqua quæ natura sua frigida & humida est, si vegetabilibus permixta fuerit, aliam suscipit qualitatem, & id decoctione rei permixtæ suscipit & induit qualitatem: sic & argentum vivum in reb. sibi familiaribus & permixtis. alteras suscipit naturas & qualitates: ut si Soli jungatur, Solis qualitates: si Lunæ, Lunæ qualitates: si Veneri, Veneris: & ita in aliis speciebus metallicis: unde hæ species decoquendæ sunt in eo, & ipse Mercurius est aqua eatum, in quo alterando convertibiliter suscipit mutationes harum. Et aqua hæc naturam ab ipsis contrahit in similitudine vegetabilium in simplici aqua decoctorum: quamvis hæc species extrinsecè sub forma fluxus non alteretur in colore, ratione densitatis materiæ & terræ immersæ unitæ proportionabiliter aquæ Mercurii: in cæteris verò humoribus diaphanis aliter reperitur. Alterata enim hæc natura alteratur, & color extrinsecè ei latet sub specie Mercurii, qui visui non apparet. Hoc autem est à te diffusiùs disputatum & ostensum, quomodo aqua simplex fluminum est prima materia & nutrimentum vegetabilium, & ideo omnium animantium, & sensibilium: Quare si quid omnium istorum in ea decoquatur, virtutem & proprietatem naturæ illorum recipit & induit: unde cùm summè frigida, ratione tamen in ea decoctorum, operatur in nobis effectum calidi in primo gradu, ut tuo utar sermone. Insuper nihil est quòd magis nutriat quàm jusculum sive decoctum bonarum carnium, & si aqua in qua carnes & olera sunt decocta, sive res ipsæ in qua decoctæ, si madidæ sumantur, aut si ipsa aqua simplex post decoctionem sumatur aut bibatur: nihil quidem nocet imò multum prodest & juvat, quamvis priùs in ejus simplicitate & natura fuisset nociva. Hoc autem fit, quia illa aqua non est talis qualis fuit antè. Similiter argentum vivum est omnium metallorum materia, & est veluti aqua propter homogeneitatem quam habet dum vegetabilibus & animalibus, & recipit virtutem eorum quæ sibi in decoctione adhærent & commiscentur: quòd cùm sit frigidissimum, potest reddi calidissimum brevi tempore: & eodem modo temperatum potest fieri cum temperatis subtilissimo artis ingenio. Nullum autem metallorum melius sibi adhæret quàm aurum (ut dicis) ideo ut quidam opinantur: Aurum non est aliud quàm argentum vivum coagulatum vi sulphuris, &c. Ideo vis concludere, ut puto & bene, quòd si aurum in argento vivo decoquatur seu dissolvatur debitè & via naturali artis, ipsum argentum vivum naturales proprietates illius auri acquiret. Veruntamen hujus decoctionis & solutionis metallorum via, pauciſſimis nota est ac patet: quoniam ejus dissolutionis causa est argenti vivi humiditas restricta densitate homogeneæ terræ, & contrà: terræ frigiditas aqua sibi homogenea, homogeneitatè qualitatum permanente: ut est simplex siccum

in ea, & duplex frigidum, & ſimplex, humidum ſub diſproportione immaturitatis ad anaticam proportionem maturi Solis digeſti. Differt ergo ſolvens à ſolvendo, proportione & digeſtione, & non materia: quia præter ullam admixtionem natura hoc formaret ex illo, quemadmodum mirabiliter natura ex argento vivo aurum mirabiliter ac ſimpliciter procreat, ut doctè tua Epiſtola diſſeruiſti. Nam in vegetabilibus humor aquæ ſimplicis pro diſſolutione intrinſeca ſumitur, ut res arte congelatæ diffundant in illam ſuos effectus: & rerum diſſolutio contingit cum aquarum congelatione, & congelatio aquæ cum rerum diſſolutione, & contra: ſic & eodem modo in aqua minerali cum ſuis ſpeciebus. Qui ergo novit artem & ſecretum diſſolutionis, pervenit quidem ad artis ſecretum, quod eſt ſpecies permiſcere, & naturas ex naturis extrahere, quæ in ipſis latent effectuosè. Quomodo ergo veritatem reperit, qui argenti vivi naturam humidam deſtruit? ut fatui, qui ipſius ſpeciem à metallica diſpoſitione, ſive diſſolutione difformant, & humidum naturale diſſolvendo corrumpunt, & diſproportionant argentum vivum à qualitate prima minerali, quæ nihil aliud requirit quàm puritatem & ſimplicem decoctionem. Exempli cauſa: Qui in ſalibus, vitriolis, & aluminoſis rebus ipſum deturpant, deſtruunt, & in aliud mutant quàm ſit natura argenti vivi. Semen enim quod natura ſagacitate & clementia conſtruxit, ipſi violando & deſtruendo conantur perficere, quod indubitanter deſtruunt ad operis effectum. Semen enim in humanis & ſenſitivis à natura formatur, & non ab arte, ſed arte conjungitur & permiſcetur: nihil tamen ei abſtrahendo, nihilque addendo, ſi eadem ſpecies novitate generis debeat procreari: ſic manente & ſtante eadem materia, ſubſequitur eadem forma, & non aliter. Quare egregie Doctor, falſa & vana eſt omnis doctrina, quæ alterat Mercurium, qui ſperma eſt, ante conjunctionem metallicarum ſpecierum cum ipſo. Si enim exiccatus fuerit, non diſſolvit. Quid igitur faciet in diſſolvendis ſpeciebus? Nam ſi calefactus fuerit præter digeſtionem naturalem, non efficiet nec generabit calorem veluti febrilem in mineralibus ſpeciebus, & impertinenter de frigido calidum, & de paſſivo faciet activum: unde error incorrigibilis erit & vanum opus. Exempli cauſa: fatui ex minoribus mineralibus faciunt & extrahunt aquas cortoſivas, in quas projiciunt ſpecies metallorum, & eas corrodunt. Putant enim propterea illas ſolutas eſſe ſolutione naturali, quæ quidem ſolutio requirit permanentiam ſimul, ſcilicet ſolventis & ſoluti, ut ex utroque nempe maſculino & fœminino ſemine nova ſpecies reſultet. Amen dico tibi, quòd nulla aqua naturali reductione ſpeciem metallicam diſſolvit, niſi illa quæ permanet eis in materia & forma, & quam metalla ipſa ſoluta poſſunt recongelare. Quod in aquis fortibus non contingit, ſed potius eſt deturpatio compoſiti, utpote, corporis diſſolvendi. Nec corporibus pertinet aqua in ſolutionibus, quæ eis in congelationibus non permanet: & tandem Mercurius eſt hujuſcemodi, & non aquæ fortes ſeu quam fatui exiſtimant, aquam Mercurialem limpidam & diaphanam. Si enim diviſerint ſeu obſtruxerint homogenitatem Mercurii, quomodo ſtabit & conſervabitur proportio prima ſeminis fœminei? Quia Mercurius non ſuſcipit congelationem cum corpore diſſoluto, nec reſurget ſpecies in adminiſtratione artis in poſterum, imò quid aliud ſordidum & inutile. Sic tamen ſolvere ſe putant, in natura errantes, ſed non ſolvunt. Quia aquis fortibus abſtractis, corpus ut priùs liquefit, nec aqua illa erit ei permanens, nec ſubſtat illi corpori pro humido radicali. Corpora quidem corroduntur, tantò magis à metallica ſpecie alienantur. Quare hujuſcemodi ſolutiones non ſunt fundamentum artis tranſmutatoriæ, ſed potius impoſturæ Alchymiſtarum ſophiſticorum, qui putant in his hanc artem ſacram latere. Dicunt quidem ſe ſolutiones facere, ſed perfectas ſpecies metallicas non efficient: quia naturaliter non manent ſub proportione vel ſpecie prima, quam Mercurius aqua in ſpeciebus metallicis permittit. Corrumpitur enim Mercurius cum eis alterativè & non diſſipativè. Quia diſſoluta corpora in eo, nunquam ab eo ſeparabuntur, ſicut ab aquis fortibus vel cæteris corroſivis, & ſpecies ſpeciem induit atque occultat habens illam latenter & perfectè: veluti Sol & Luna in eo diſſoluta occultè retinentur. Nam natura illorum abſcondita eſt in Mercurio uſque ad ſui reinſpiſſationem, cujus ipſa latentia erunt cauſa cùm lateant in ipſo; & ſicut Mercurius diſſolvit ea, & abſcondit in ventre ſuo: ſic & ipſa congelant eum: & quod fuit durum, fit molle: & quod molle, durum, ſpecie tamen permanente: quæ ſpecie ſunt metalla & argentum vivum. Qui ergo ſic diſſolvit, potius congelat, & ſpecies corruptæ conjunctæ priſtinam formam recipiunt artis decoctione. Quamvis hæc diſſolutio diverſos faciat apparere colores, propterea quòd ſpecies remanent velut mortuæ: proportione tamen intrinſeca manente & integra. Unde Dominus in Evangelio ſimilitudinarie loquitur de Vegetalibus: Niſi (inquit) granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Iſta igitur alterativa corruptio formas abſcondit, naturas abſolvit, proportiones cuſtodit, & colores alterat ab initio ad finem. Quia incipiente aqua cooperire terram, incipit abſcondi color niger ſub albo, aëre cooperiente aquam & terram, apparet color citrinus, qui tandem vertitur in rubedinem, igne videlicet regente aërem ſive reliqua tria elementa. Et iſti colores ultimi abſconsè & intrinsecè permanent & apparent ſub ſpecie ſpiritus albi in Mercurio liquido, uſque ad ſui reinſpiſſationem in pulvere qui eſt in corporibus: quia animal latet in ſpiritu, ſicut in inſpiſſatione ſpiritus & anima latent in pulvere ſeu in corpore. Eſt enim corruptio in alterandis rebus, ſed non diſſipatio partium, niſi fuerint partes ſuperfluæ abjiciendæ, inutiles generationi: unde artifex opus depurat, ut meliùs digeſtio contingat. Exemplum patet in granis. Nam duorum granorum tritici, ſi unum in terram bonam projiciatur, ibi putrefit & moritur, & exteriorem amittit formam, & nihil inde diſſipatur, imò tempore ſuo creſcit ad multitudinem fructus: & ita dicitur, & fit tantùm corruptio formæ & non diſſipatio materiæ. Si verò aliud granum in ignem projiciatur, tunc corrumpitur & in materia & in forma, totumque diſſipatur: & illa corruptio inutilis eſt generationi. Quare corpora non diſſolvit aqua, niſi illa quæ fuerit ſuæ ſpeciei, & quæ à corporibus poterit inſpiſſari: nec unquam nutriuntur corpora ad generationem, niſi conſimili ad conſervandum ſpecies perditas à corpore illo tranſmutatorio per operis artificium: quamvis vegetabilia ex diverſis ſpeciebus nutriantur, quæ tamen ante quam primùm illa nutriant, diſſolutione priùs facta ad proportionem attrahentium aſſimilantur. Notandum eſt igitur quòd diverſis modis diſſolutiones metallorum

tallorum contingunt: Vna est quam sciunt fatui: ut supra dictum est, cum rebus extraneis non permanentibus cum ipsis metallis solutis: quæ vocatur potiùs destructio corrosiva & deturpatio compositi. Secunda solutio est quæ fit ignis potentia & vi, quæ etiam non est vera solutio, sed potius liquefactio partium elementalium adinvicem ligatarum. Ignis enim ardor extrinsecè compositum ejus intrinsecè naturalem ignem sive nativum interius repetit solvendo, qui etiam ignis interior & proportionalis in aëre habitat, ideo ipsum aërem solvit. Aër autem ille solutus, in aqua residet & habitat, & aqua in terra, ipsaque aqua terram solvit, ita quod activum & passivum liquefacit, sed illa liquefactio non est vera dissolutio, imò dissipativa est: quia sunt sibi ibidem elementa homogenea de proportione fixa ex digestione mixta, & unum de potentia alterius à reliquo generaliter est eductum. Et ideo hoc contingit in corporibus mundis, in quibus fixæ sunt naturæ elementales. Quare in eis ignis flamma liquefacit, & totum idem solvit compositum ad fluxum, & non ad separationem: quia ignis fluere non potest, nisi fluxerit aër substantialis sibi: nec aër fluit nisi solvatur aqua: nec aqua fluit nisi & terra fluat, & contrà: ut terra ab aqua dissolvitur, sic vice versa, aqua aërem retinet & congelat, & eodem modo surtum ascendendo, aër retinet ignem in congelatione: quia magis fixa & figentia elementa sibi coagentia fixionem efficiunt, utpote terra & aqua; & viceversa, ignis & aër ad dissolutionem sibi coagunt. Sed ista solutio dicitur liquefactio compositi, & non propriè ejus solutio, quia partes non solvuntur ab invicem separabiles in generatione compositi, sicut in tertia & vera solutione Philosophica fit, quando compositum prædicto modo dissolvitur, partes tamen permanent inseparatæ, quamvis separabiles, ita quòd virtus digestissimorum elementorum à dissolvendis per dissolvens extrahi potest, scilicet per argentum vivum: & partes grossæ in dissolutione tali capiunt latitudinem subtilitatis: propterea quòd corpus in spiritum vertitur: & contrà, spiritus in corpus, & fixa in volatilia, volatilia in fixa convertuntur. Ista enim solutio est possibilis & naturalis, scil. per artem naturæ administrantis, & sola est & necessaria in opere Philosophorum: quæ per nullam aliam rem fieri potest, nisi per solum argentum vivum cum proportione sagaci: ut bonus artifex noscens intrinsecus naturas & proportiones, in operis initio debet proportionare. Istud enim opus, Domine mi, possunt hæc duo, & nihil aliud ingreditur seu generat & multiplicat, ut priùs dictum est. Præterea dicis, quòd purum secundùm opinionem multorum nihil est aliud, quàm argentum vivum coagulatum naturaliter vi sulphuris: ita tamen quòd in substantia auri nihil remaneat de sulphure, quod ipsum aurum congelavit: sicut in fœtu humano quando in utero concipitur, nihil remanet de semine patris, secundùm opinionem Aristotelis, sed tantùm semen viri coagulavit sanguinem menstrui mulieris: eodem modo postquam argentum vivum sic est coagulatum, dicis, quòd forma auri perficitur in eo virtute cœlestium, & maximè Solis: Verùm pace tua ac reverentia dixerim, non ita sentiendum esse. Nam cùm Philosophicè credendum sit, aurum nihil aliud esse, quàm Mercurium anatizatum: id est, æqualiter digestum in visceribus terræ minetalis, & hujusmodi Philosophi significarunt fieri ex contactu sulphuris coagulantis ipsum Mercurium, & ex causa operis ejus, hoc est, ex Mercurio, calore proportionali ipsum digerente & inspissante. Quare scire oportet, quòd aurum simul est sulphur & Mercurius: hoc est, coagulans & coagulatum: & nihil aliunde accedit ei, nisi pura digestio vel maturatio quæ multiplicat qualitates, & excitat elementum ab elemento de potentia pura eorum in actum, nulla re alia quavis adjecta. Hæc autem digestio seu maturatio prodit activè: ab altioribus elementis, utpote igne & aëre, quæ non actu, sed potentia sunt in Mercurio: calore tamen extrinseco excitata & coadiuta, & proprio ac naturali calore digerente: subtiliant elementa passiva in Mercurio actu, & non tantùm potentia existentia versus aquam ipsam: & aqua subtiliatur ad aërem, & aëa subsequitur ad ignem: & in hac proportionali actione naturæ & Mercurii digestione, masculinum & fœmininum simul manent naturis clausis: fœmininum quidèm, ut, terra & aqua: masculinum verò, ut aër & ignis: quam terram & aquam Mercurii in auro temperant Philosophi, sed aërem & ignem ipsi velut sulphur in eo dixerunt: nec est alia extranea additio in visceribus terræ. Et ideo nec in arte super terram extranea additio ad Mercurii digestionem & inspissationem ad aureitatem seu speciem metallorum reperitur. Quamobrem Philosophi dixerunt quòd sulphur & Mercurius efficiunt Solem, hoc est, corporeitatem & permanentiam. Et ideo non ex hoc concluditur, calorem extrinsecum artificialem excitantem & coadiuvantem proportionalem intrinsecum ad digerendum & maturandum reliqua duo elementa minus digesta & immatura in Mercurio, utpote aquam & terram esse de compositi substantia. Calor enim extrinsecus non est permanens intus cum quantitate seu pondere rei, nec est addens ad ipsa. Calor verò intrinsecus proportionalis & naturalis simplex est permanens cum quantitate & pondere digesti ab eo Murcurii: quia calor ille pars est intrinseca & essentialis ipsius Mercurii, scilicet duo elementa activiora in eo, ut pote aër & ignis. Quare stulti malè & absurde dictum illud Philosophicum intelligunt, quòd sulphur & Mercurius Solem generant: quia (ut notum satis est) quemadmodum nec aër in prima compositione Mercuriali, vel posthac digestione naturali metallica, recedunt & secernuntur ab aqua & terra: ita nec sulphur [quod idem est quod aër & ignis] recedit nec secernitur à Mercurio, qui idem est quod aqua & terra. Qui autem aliter sentit, aut contrarium asserit, non est Philosophus naturalis: quia auri digestio tantùm contingit ac fit ex proportione prima Mercuriali, nulla additione facta subtus terram à natura, nec super terram ab arte, ut dictum est. Nec repugnant prædictis, quod in hac arte purus Sol, & Mercurius mundus simul conjungantur: quia hoc ideò non fit, ut asseratur, aliud sulphur esse in Sole, & aliud in Mercurio: aut alium esse Mercurium in Sole, & alium in Mercurio: sed quia in Sole est maturior, & perfectior digestio quàm in Mercurio, & in Sole sulphur est maturius, digestius, & ideo activius quàm in Mercurio. Unde Philosophi dixerunt: Solem nihil aliud esse nisi maturum argentum vivum. Nam in Mercurio sunt tantùm duo elementa actu, scilicet, & terra & aqua, quæ sunt passiva: elementa autem activa ut aër & ignis sunt in eo poreſtate tantùm. Sed (ut notum est) quando illa, aër & ignis, in Mercurio mundo deducuntur de potentia ad actum, scilicet ad debitam digestionem & proportionalem decoctionem, tunc fit aurum. Quare in auro sunt quatuor elementa in æquali & anatica proportione coadu-

nata, in quo propterea actu est sulphur maturius & activius, scilicet aër & ignis, quàm in Mercurio. Ea propter aurum dissolvitur arte cùm Mercurio, ut ex maturo subveniatur immaturo, & sic arte decoquente & natura perficiente, maturatur compositio, Christi gratia. Unde causa elici potest, quare opere artis Philosophicæ citiùs & breviori tempore generatur aurum perfectius, nobilius, & in gradibus sublimius, quàm opere naturæ. Quia natura hoc tantùm agit & operatur, solùm Mercurium in visceribus terræ absque quovis adminiculo coquendo & digerendo: quod non potest ad debitam proportionem auri aut alterius metalli parvo tempore contingere. Ars autem nostra juvat opus naturæ admiscendo Mercurio aurum maturum, in quo est sulphur optimè digestum, & ideò maturans & citò digerens ipsum Mercurium ad anatieam auri proportionem, elementa illius subtiliando. Unde arte sequitur mira hujus operis naturalis abbreviatio. Quare, mi doctor, ut ad priora revertar, non est existimandum secundùm errorem illorum qui dicunt, quòd ipsum agens masculinum fœmininо in coagulando accidit, postea verò recedit: quia ut notum est in omni generatione, fœtus est activum & passivum. Oportet autem & passivum: id est, omnia quatuor elementa simul semper manere, aliter non fieret permixtio, & spes generationis fœtus excideret. Nam in quovis homine semen masculinum ad finem usque vitæ dicitur in eo agens cùm permiscetur spermati fœmininо ab initio: si autem effunditur aut consumitur, ob id tunc natura vegetat & augetur mirabiliter & nutritur, & conficit sibi in eodem homine in ejus lumbis simile semen specificè. Similiter sentiendum est de semine fœmininо in muliere: quare ambo semina semper stant & habenda sunt pro originalibus agentibus & patientibus primis. Est tamen varia & differens nativitas seu generatio mixtorum & vegetabilium. Nam simpliciter mixta dicuntur quæ præter nostrum intuitum sub terra nascuntur, aut circa ejus superficiem ex sola commixtione elementorum ad invicem compositorum: seu ex resolutione eorum prima: quia non vegetant, sed quantum materiæ in eis compacta & mixta fuerit, tantundem pristini ponderis eisdem compositis reservatur. Exempli causa: Quantum primò ponderat substantiæ Mercurialis massa in viscеribus terræ sub dispositione minerali, tantundem auri inde digesti pondus permanebit: & potius diminuitur scoria & fex à se abjecta, quam multiplicetur, propterea quòd non suscipit alimentum. Hujus autem primæ & simplicis mixtionis naturalis multiplex est gradus. Primus enim est elementorum quatuor nuda compactio seu compositio & immediata, in qua nondum est facta mutatio, seu exaltatio unius elementi ad aliud: sed simplex symbolizantis compositionis eorum unio perseverans & permanens. Cujus generis sunt lapides. Secundus autem gradus primum subsequitur, quia ex lapidibus prædictis mineralia (de quibus noster est sermo) generantur, & nobiliores subterraneæ species hinc emergunt & oriuntur: Quia in his incipit elementorum actio & transmutatio ad invicem, quamvis actio eorum non fit in tanta vivacitate & virtute, ut in vegetabilibus & sensibilibus, quia non vegetant nec sentiunt, ut priùs dictum est.

Tertius verò gradus lapides nobiles & gemmas comprehendit. Quia in ipsis actio perfecta & completa reperitur virtute elementorum compactorum, agentium ad invicem: ut fusiùs declaravi in Philosophia mea: ubi perspicuè ostendi, hunc tertium gradum simul cum secundo medium esse inter primam compositionem rerum naturalium, & secundam. Ergo altera rerum nativitas seu generatio est, quæ non simpliciter mixtorum, sed vegetabilium compositorum censetur: quæ quidem in quatuor genera seu impositiones distinguuntur & dividuntur: ut in altero meo libro ad te misso diffusiùs differui. Sunt enim vegetabilia, maximè verò sensitiva, quæ ut plurimum ex masculi & fœminæ seminibus coitu commixtis & concurrentibus, sibi similia generant quod naturæ opus ars Philosophica imitatur ad generationem auri. Spermata quidem humana artificialiter nemo perficere potest, sed hominem disponere ad sui productivam generationem, utique per artem possumus. Nam semina vitalia tantùm à natura vegetabiliter in lumbis utriusque parentis digeruntur: possumus tamen ipsa parentum semina per coitum in vasis naturalibus commiscere, qui coitus est veluti ars disponens & commiscens illa naturalia semina ad hominis generationem. Exempli causa: Semen viri tanquam maturius, perfectius & activius conjungitur artificio cum semine fœminæ immaturiori veluti passivo. Quod viri semen quia magis actu in se continet elementa agentia, ut sunt aër & ignis: quare est maturius & activius ad digerendum. Fœminæ verò semen actu magis continet elementa indigesta et passiva, ideo digerenda, ut sunt terra & aqua quibus in vasa naturalia fœminæ effusis & permixtis, nulla re extranea sibi addita [calore tamen extrinseco mulieris excitante & coadiuvante intrinsecum calorem proportionalem seminis viri,] activa elementa seminis viri digerunt, & maturant semen fœminæ, unde homo generatur perfectus in natura. Ita consimilis est huic hominis generationi, ars nostra Philosophica: quia ut in Mercurio [ex quo aurum à natura in vasis mineralibus procreatur] fit naturalis conjunctio amborum seminum masculi & fœminæ, ita artificio nostro fit artificialis & consimilis conjunctio agentium & patientium. Nam elementa activa quæ seminis masculini nomen sortiuntur cum elementis passivis, quæ sunt veluti semen fœmininum, naturaliter conjunguntur, proportione tamen naturæ debita semper observata. Dicitur autem conjunctio hæc prima Mercurialis digestio, in qua de potentia surgit actus, scilicet masculinum à fœmino: Hoc est, aër & ignis à terra & aqua, mediante pura digestione & subtiliatione ipsorum. Philosophi tamen & ingeniosi artifices naturam imitantes, præter hanc naturalem in Mercurio seminum digestionem, aliam subtilissimo ingenio conjunctionem ac digestionem fecerunt: unde ne dum aurum simpliciter, sed longè nobilius & perfectius procrearunt. Ipsi enim aurum (in quo activiora sunt elementa) tanquam semen masculinum cum Mercurio [in quo passiva existunt elementa] ut debitè dissolvatur, conjungi præceperunt, omni re extranea semota, præter calorem extrinsecum adhibitum, qui adiuvando excitat intrinsecum naturalem auri, ad digerendum activè maturandum Mercurium. Et ut generatur per naturam homo, ita & per artem aurum. Quamvis tamen arte eorum spermata seu semina generari non possint, propterea quòd illam mixtionem proportionis ad semina producenda ars nescit, ignorarque & compositionem in homine, & mixtionem sive proportionem primam, & causas subterraneorum quæ effluunt ex terra, ubi est proprius & naturalis locus generationis eorum. Sed illa semina

à natura

& natura producta artificialiter conjunguntur, ut inde ex ipsis compositivè producatur generandum, in quo ambo semina permanent simul permixta: quamvis Aristot. ut scribis, aliter sentire videatur. Non ergo post coagulationem Mercurii recedit semen masculinum sive sulphur nostrum; ut falsò quidam asserunt, hoc ita accidere, in ipso Mercurio virtute Solis maximè, & quod calore ejus præcipuè forma auri perficiatur, ut nonnulli putant, in subterraneis, imò potius vi motus globi & orbis ejus, ac universaliter totius cœli: quia radii solares tantùm superficiem terræ excalfaciunt, & non intrinsecus loca ejus profunda, in quibus specierum mineralium generatio contingit, cùm nec ad ea loca infima influentia cœli per radios deducta pertingat, quamvis motus elementorum subterraneus proveniant primùm à motu cœli, & non à radiis luminis ejus, nec ex eorum calore; vel alia influentia prætet motum: quomodo autem hoc contingat, & quænam sit causa hujusmodi motus subterraneorum, puto tuam reverentiam non latere: ideò nunc supersedeo. Sol igitur non est præcipua causa auri, aut forma ejus, licet sit in eis similitudo nominum: quia sicut Sol est calidior cæteris planetis, sic aurum calidius est cæteris metallis, & consimili proprietatum differentia. Cætera etiam metalla planetis consimilia sortita sunt nomina, unde surgit error stultorum. Credunt enim quòd quilibet septem planetarum generaliter & specialiter per suam propriam influentiam unam speciem metallicam generet cui proprietate quadam convenit & in natura assimilatur. In subterraneis autem & vegetabilibus alio modo contingit, ubi cœlum seu Sol non tantùm propter motum est causa generationis ipsorum & augmentationis, imò etiam ratione caloris radiorum ejus. Sol enim calefacit ipsa vegetabilia, & superficiem terræ, reflexis scilicet elementis intensius usque ad ipsam terræ superficiem per radios ejus, propterea quòd radii ejus illuc usque pervenire possunt. Exempli gratia: A duodecimo enim cœlo quod ultimum gradum sublimitatis continet, inferius procedendo semper densiores seu minus subtiles subsequuntur orbes usque ad concavum orbis Lunæ, ubi alterabilia localiter consistunt, seu incipiunt & terminantur elementa sub hemisphærio generabilium & corruptibilium rerum permixta. Ideo ibidem ignis subtilior reperitur atque magis simplex, quamvis non omnino purus. Quia ignis simpliciter purus nequaquam in speciebus alteralibus reperiri potest separatim, sicut nec aliquod aliorum elementorum, quamvis in quolibet composito simplex ignis mixtus cum aliis elementis simplicibus reperiatur, aliter non essent elementa plura, sed unum tantùm. Radii igitur stellarum cœli, maximè verò Solis, pertranseunt regiones prædictas irrefracti, quousque ultra deorsum descendentes, in igne ratione densitatis ejus reflectantur: deinde descendentes ultra per sphæram ignis, ipsum ignem in aërem densiorem movendo reflectunt. Et consimiliter ipsi radii perpendiculariter progrediendo ad inferiora per sphæram aëris in ipsam aquam aëre densiore à qua in aërem reflectuntur. Et sic suo modo ab aqua per eos mota in aërem reflectuntur, quod etiam multò magis in terra conspicitur cum densitate alia super elementa. Ex hac autem decoctione & reflexione moventur elementa invisibiliter, licet non imperceptibiliter. Quia sentimus ex cœli motu calorem, & semper ad superius seu subtilius elementum in suum inferius & densius reflectitur, usque ad superficiem terræ mediantibus radiis stellarum perpendiculariter à sursum in infima descendendo: sic autem reflexis motis, & per Solis radios reflexos calor accidentalis in medio producitur, licet aliquando per radios aliorum stellarum aliæ qualitates hic infarius producantur: ut siccitas, frigiditas, ut ex Astronomia patet: non tamen propterea, quòd radii sint ex se calidi, sed tantùm sunt causa caloris, ratione jam dicta. Hæc autem vera esse apertè notum est ex Astronomia & arte Perspectiva, unde agnoscuntur quomodo generationes contingant seu influentiæ in vegetabilibus & sensitivis, quare hæc sufficiant. Astrologi autem vani aliter sentiunt: & putant influentias cœli esse virtute activitatis ejus, & non virtute motus ipsius: quod falsum est: quia radii cœli in orbibus superioribus nihil producunt aut efficiunt; ex quo activè cœlum influat in inferiora. Nam tales radii in præfatos orbes reflecti non possunt; nec eis commisceri, sicut in elementis reflectuntur & cum eis commiscentur, non quidem compositivè: sed eadem elementa motivè reflectendo & commiscendo, ut jam dictum est: in supercœlestibus autem non est receptio novarum qualitatum, seu peregrinarum impressionum: quamvis ipsi radii in elementis motis reflexibiliter miras efficiant qualitates. Quare Domine mi, Sol singulariter non est causa generationis auri, nec etiam mediante suo calore est causa vegetabilium, aut super terram, aut circa superficiem ejus miscibilium quæ scilicet à radiis Solis calefieri noscuntur, ut jam diximus, quod & Astronomiæ consonum est. Horum autem notitia longiorem non requirit disputationem, ob id ad reliqua pertranseo: quoniam si animum ad ea quæ diximus referas, sic intelligendum est, & verum reperies, quòd activitate sulphuris Mercurium digerentis & coagulantis forma ejus ab auro specialiter perficiatur: non tamen ex quovis metallo alio aut stella quavis hoc sentire debes, quod in tua epistola scripseris. Quod autem dictum est, sic sentiendum est de aliis metallis suo modo, differenter tamen: quoniam in aliis metallis est duplex sulphur. Unum, quod est superfluum, & quod potest separari manente forma metalli. Aliud sulphur est pars essentialis metalli, unita tamen argento vivo inseparabiliter, & non manente forma metallica ipsa: licet ipsum metallum imperfectum & sulphur eum perfici possit per medicinam corrumpentem formam ipsius metalli & aliam introducentem. Sed quid sentiendum sit in arte Philosophica de duplicitate ipsius sulphuris quam asseris, precor mi doctor præclare, ut salvo jure amicitiæ nostræ, & tuæ auctoritatis considerare velis. Non est hæc duplicitas sulphuris sic distincta in Mercurio coagulato in diversa metalla, ita ut unum ad generationem metallicam pertineat intrinsecè & essentialiter tanquam pars realis metalli censeatur, & aliud corruptioni tribuatur. Sed est in qualibet specie metallica æquè ut in auro vel argento, simplex & unicum sulphur: quod dicitur argentum vivum de compositione prima mercuriali, sicut declaratum jam est in generatione auri. Quoniam sulphur & argentum vivum tantummodò sunt quatuor elementa in ipso Mercurio, sic aut sic proportionabiliter dispositа, ut requirit hæc vel illa species metallica. Illud autem quod existimatur sulphur secundum, & abjiciendum est quædam scoria & fæx metallorum in coagulatione Mercurii contracta, sive quædam superfluitas quæ immunda & impura in Mercurii digestione ad metalli

formam non ſuſtinuit congelationem : quia non erat de natura homogenea & proportionali Mercurii apta coagulari & digeri in metallum. Hanc autem ſcoriam quidam Philoſophi appellaverunt ſulphur combuſtibile, quia in examine metallorum non poteſt ſubſiſtere, ſed evaneſcit, aut in fæcem ſecernitur: Et hoc adducam exemplum: ſanguis in ſenſitivis, & humor in vegetabilibus in coagulatione alias & alias ſubſtinuerunt partes: quia quædam partes ſanguinis carneæ ſunt proportionis, & ideò inſpiſſari poſſunt & verti in carnem, & carnis retinent uniformitatem, & carnis nomen ſortiuntur. Quædam verò ſuperflua humoris ſunt partes in poris reſidentes, quæ in ſoliditatem carnis minimè convertuntur, & ideo per ſudores aut per medicamenta rejiciuntur extrà, & à vera carne ſeparantur. Multò autem pauciora ſunt ſuperflua in ſanguinea complexione, quàm in cæteris. Sic ſuo modo ſimilitudinariè dicendum eſt de auro, & de aliis ſpeciebus metallicis : ut Mercurius purior vel impurior in ſua prima coagulatione plures vel pauciores continuerit & contraxerit ſuperfluitates vel ſcorias naturales Quamobrem differentia fit in Mercurii coagulatione, quæ ſpecificat & efficit diverſa metalla: & quicquid eſt Mercurii in ſpeciebus metallicis ; incombuſtibile & inſeparabiliter permanens dicitur : quamvis in corporibus fixis fiat per artem volatile, per naturam tamen remanet inſeparabile in proportione elementali. Quicquid verò erat ſcoriæ contractæ in Mercurio, & in eo permixtæ à principio, utique hoc eſt in congelatione per calorem in prima compoſitione Mercurii ad ſpeciem metallicam digerentem : & ideò à mercurioſitate ſeu Mercurii natura homogenea, veluti dejecta & heterogenea per examen tollitur, & à ſpeciebus metallicis ſeparatur. Hoc autem propriè non dicitur ſulphur, ſed ſcoria & ſuperfluitas quædam, quia ſulphur non eſt aliud quàm actus purus aëris & ignis calefaciens & digerens ſeu decoquens terram & aquam ſibi proportionales & homogeneas in Mercurio. Scoria autem eſt id quod in prima compoſitione ad Mercurii naturam non pertinet, nec in primis elementis componendis & digerendis in Mercurio ad metallicam ſpeciem tenet proportionem. Ex his ergo notum eſt, quòd in aliis metallicis ſpeciebus ab auro vel argento non ſunt ſulphura diſtincta aut plura, ſed unicum ſulphur & ſimplex, quamvis in eis ſint plures ſuperfluitates, & majores quam in auro. Unde ex hoc veritas dicti veſtri nota eſt, quòd aurum inter cætera metalla magis adhæret Mercurio. Hoc autem fit ratione puritatis utriuſque, propterea quòd in illis minus eſt ſcoriæ, ſive fæcis aut ſuperfluitatis, quàm in aliis. Unumquodque enim naturaliter appetit permixtibiliter & unitivè conjungi magis ſibi in natura ſimili & proportionali in homogeneitate, quàm diſpari ſibique diſſimili, ut notum eſt, quemadmodum aqua facillimè abſque contradictione aquæ alteri identitativè & unionis mixtione citò conjungitur. In auro autem nihil eſt aliud quàm Mercurius, propterea cùm ſint in eo modicæ ſcoriæ (quæ ſunt præter naturam Mercurialem, ut oſtenſum eſt) non fit magna reſiſtentia, quin Mercurius purus faciliùs adhæreat auro & argento, quàm cæteris metallis, in quibus multæ ſuperfluitates & ſcoriæ prohibent & impediunt ipſorum metallorum, aut eorum Mercurii congelati cum alio Mercurio crudo permixtionis contactum vel adhærentiam. Superfluitates enim illæ, ut jam priùs dictum eſt, non ſunt de prima compoſitione Mercurii, nec de homogeneitate naturali ſeu proportionali ejusdem : & quamvis eſſent de commixtione, non ſunt tamen de proportione ejus : quia quicquid eſt de proportione rei, non eſt ſuperfluum. Propterea non poſſunt inſeparabiliter cum Mercurio permiſceri, non ſolùm cum Mercurio coagulando per artem, ſed nec cum Mercurio coagulato, qui à natura mineralitatis in eadem ſpecie metalli conjunctus cum eis eſt : cùm tales ſcoriæ per examen ignis ſint quid combuſtibile, & idcò ſeparabiles. Quid ergo mirum ſi impediant naturalem commixtionem & unitatem permanentem eorum metallorum quibus accidentaliter ſuperveneriunt, cum Mercurio coagulato, aut cum alio Mercurio crudo ? ob hanc enim cauſam ipſum aurum quantumvis purum longè difficilius permanere, conjungi & adhærere poteſt cum Mercurio immundo & ſcorioſo, ſive coagulato, ſive non coagulato, quàm cum puro & mundo. Quia ſimplex natura ſimplici naturæ ſibi in homogeneitate prima & proportione elementali ſimili & identica adhærendo congaudebit & perficietur : atqui ut dictum eſt, aurum non eſt aliud, quàm Mercurius digeſtione propria & elementali actione inſpiſſatus : ideo quãvis in terra inter aurum & Mercurium differentia ſit in maturitate (quia aurum Mercurio eſt maturius) nulla tamen in eorum materia diverſitas eſt. Quare quicquid aurum per maturitatis digeſtionem acquiſivit, poteſt id etiam idem Mercurius ſine quocunque extraneo ſibi acquirere. Ars autem ad opus breviandum & contrahendum jungit aurum Mercurio, ut dictum eſt, & ex duobus ſpermatibus artificio efficit & generat illud idem, quod natura ex uno ſpermate actu in mineralibus creavit, identitate tamen materiæ ſemper ubique ſervata, ſed non potentia actus. Et ideo ut in hoc opere in prima ejus compoſitione nihil extraneum ſuæ naturæ ingreditur, ſic nec ipſum aliud multiplicat quod non eſt de diſpoſitione ejus prima. Quamobrem falsò quidam putant lapidem Philoſophicum ex diverſis rebus, ſeu ex omnibus rebus componi, & ex his nutriri loco ſpermatum prædictorum, etſi eidem diverſæ nominationes ſint impoſitæ. Nec comedit ſeu in ſe convertit hoc opus Philoſophicum aliquid ſuæ naturæ extraneum, quia non vegetat. Ideò quamvis in dicto lapide Philoſophico ſit corpus & anima ſeu ſpiritus, non propterea eſt vegetabiliter animatus ut arbores & plantæ. Ille enim lapis ſicut omnia mineralia, eſt primæ impoſitionis prædictæ, & non ſecundæ, aut alicujus ſuperioris impoſitionis, ut alibi dictum eſt. Arbores autem & plantæ ſunt impoſitionis ſecundæ, ut ſenſitiva ſunt tertiæ, aut quartæ, aut quintæ, aut ultimæ impoſitionis: in iſtis enim quatuor poſtremis impoſitionibus mixta vegetant, Nam in eis elementa per plures tranſmutationes & pluries alterata, magis ſunt ſubtilia. quare ſunt activiora & perfectiora, quamvis non ſint in permixtione durabiliora & permanentia : quia elementa in eis non ſunt fixæ compoſitionis, ſed reſolubilis : propterea vegetabiliter nutrimentum ſuſcipiunt. Lapis autem noſter ut omnia mineralia, eſt impoſitionis primæ : quia non vegetat nec vegetabiliter nutritur, ſed potiùs contingit in eo nutrimentum per appoſitionem conſimilis naturæ ſibi, & non per vegetationem. Exempli gratia: nam, ut experimento patet, ex ſpermate fœminino, ſcilicet ex Mercurio unitivè, inſenſibiliter, & compoſitivè ſibi appoſito, hic lapis Philoſophicus

nutritur:

nutritur: mediante tamen caloris digestione. Simile enim sibi assumit & assimilat ad seipsum appositivè, & non vegetabiliter multiplicandum. Quare in quantitate ponderosior, & in qualitate activior & perfectior inde evadit: nec ignis sive calor hunc nostrum lapidem multiplicat, tanquam debitum sibi nutrimentum, quia non est de prima ejus compositione, sed extrinseco accidenti calefacit ipsum. Quomodo enim flamma sive ignis multiplicabit ipsum lapidem, aut magis ponderosum reddet per se, cùm non possit fixè & permanenter cum ipso commisceri, neque sit primæ compositionis nec formæ? Nihil ergo dictum lapidem nutrit & multiplicat ad generationem ejusdem formæ, nisi sperma fœminium, quod nutrit ipsum mediante colore: non quidem vegetabiliter, sed appositivè nutrit ipsum & commixtivè. Qui ergo sic multiplicat & nutrit, non errabit, quoniam hoc multiplicans & nutriens in eandem speciem convertitur. Potest autem quis ipsum lapidem, & ejus pondus per res extraneas augere: sed hoc fieret extra speciem suam naturalem, nec in ipsum conversibilem. Illud enim pondus præter naturam fieret: hoc est, non in eandem speciem, vel unius speciei unitatem, imò diversarum specierum fieret aggregatio & compositio accidentalis, quæ examine separari posset. Quando verò Philosophi dixerunt, lapidem fieri ex omni re, non sanè intellexerunt (ut quidam perversè interpretantur) quòd ex diversis rebus sibi & specie & natura dissimilibus componatur lapis ille: aut (quod magis absurdum est) ex flamma extrinsecus administrata multiplicetur: ea potissimùm causa, quia ignis & flamma ejus ferè ex omni re posset quadam productione emergere: impugnatio autem hujus opinionis patet ex ante dictis. Sed cùm Philosophi dicunt, quòd lapis fit ex omni re, intelligunt ipsum fieri ex quatuor elementis ad invicem proportionabiliter anatizatis digestione debita & naturali: ex quibus quatuor elementis fit omnis res generabilis & corruptibilis. Quare hac similitudine dicunt Philosophi: noster lapis ex omni re procreatur: id est, ex omni elemento: quia uno eorum mortificato aut destructo, tota proportio aureitatis periret, ac species ejus: & quamvis in latitudine & genere alterabilium quodlibet generetur ex quatuor elementis actu vel potentia permixtis: non tamen de quolibet sic productibili, sed tantùm de aureo lapide nostro, vel cæteris anatizatis propriè dicitur, quòd fiat ex omni re: ea potissimùm ratione, quia in his quæ non anaticè, sed proportione adæquata elementorum producuntur, non omnia elementa insunt actu, sed in sua adæquata activitate & passione existentia. Quædam enim elementa insunt potentia tantùm sive activa sive passiva, reliqua verò insunt actu. Sed in lapide Philosophico, qui est aurum, cùm sit anaticum opus naturæ, omnia elementa quatuor activa & passiva insunt actu & inæquali proportione permanentia. Aureitas enim non est aliud, quàm quatuor elementa anatizata, non tamen quòd forma & materia illa anatica dicantur, sed potentia & actus, hoc est: non sunt anatica & adæquata quantitate scilicet, sed qualitate: propterea quòd activum non excedit passivum in agendo, nec contrà passivum excedit idem activum in plus patiendo: quoniam æqua proportio mensurarum est in auro, seu medicina nostra, duplex calidum, duplex humidum, duplex frigidum, duplex siccum, & omnia insunt actu actionis & passionis, scilicet ignis, aër, aqua, & terra: ut jam priùs dictum est. Hæc autem omnia dicuntur anatica, & adæquata qualitate & non quantitate quia sunt æquè activa & passiva, & ideo durabiliter in auro permanentia. Quia in eo passivum permanenter consistit in activo: & contrà, passivum non insurgit in activum. Nec oportet ut sint anatica quantitate: id est, ut tandem sit de materia ignis, quantum de materia terræ. Quia tunc ignis præter sui qualitatem esset ubique non adæquatæ activitatis cum terra passiva, sed longè majoris. Quare in auro est multò magis de elemento graviori & passiviori, materia scilicet, & non qualitate, quàm de leviori & activiori: id est, quantitate: in eo major est terræ quantitas, quàm aquæ: & major quantitas aquæ, quàm aëris: & major aëris, quàm ignis. Propterea omnium metallorum est gravissimum. In hac tamen inæquali proportione quantitatis, est æqualis & anatica proportio qualitatum, calidi, sicci, humidi & frigidi: quæ quodlibet horum est in auro, ut jam priùs dictum est. Cujus causa ponderis est permanentia solidatis terræ & aquæ & solutio aquæ homogeneæ cum terra: quia aqua solvit terram homogeneam. Item causa ponderis, est intrinseca eorum per minimæ permixtio: quia aqua non patitur terram poros habere, tam in auro quàm in argento vivo: quod aliter est in reliquis metallis, in quorum congelatione propter scoriam à mercuriositate seu Mercurii natura rejectam & heterogeneam eisdem metallis permixtam, pori insensibiliter fiunt: unde supervenit levitas, quæ non est aliud quàm absentia materiæ: & ejusdem porositas ut gravitas non est aliud quàm solida apposititio materiæ: Quare si æquali quantitate commensurativa tantùm esset de materia ignis soliditate, quantum de materia terræ, ignis tanti esset ponderis quanti esset terra. Causa autem gravitatis Saturni, est immatura ejus congelatio, quæ adhuc non rejecit scoriam ad partes: unde fiunt pori, sed simul in eo purum cum impuro permixtim permanet, sicut in primo argento vivo crudo in quo debilis est inspissatio & coagulatio, ob id Saturnus sive plumbum retinet ejus argenti vivi pondus, non ob puritatem materiæ solidæ, ut est aurum, sed propter coagulationem sive immaturam ejus coctionem. Quare si in hoc opere non vis destruere ignem & aërem, conserves in proportione distincta & anatica compositi caliditatem. Si autem non vis destruere aërem & aquam, tunc in eodem composito foveas humidum, ita eodem modo serves aquam & terram, aut terram & ignem in dicto opere: oportet conservare debitè & artis Philosophicæ artificio, frigidum & siccum. Quia eorum quodlibet destructo, perit proportionalis & forma & species aureitatis. Ob id Philosophi dicunt ex omni re: id est, ex omni elemento lapidem nostrum componi, elemento quidem intrinsecè sibi servato, & ipsum componente actu. quare omnia elementa sunt principia intrinsecè actu vel potentia componendarum rerum omnium alterabilium: ea propter omnes res dicuntur. Insuper honorande mi Doctor, honoris vestri causa oportet vos Philosophorum dicta intelligere ad naturæ possibilitatem, & non ad sonum verborum. Illi enim hanc sacram artem & abditam, ejusque secreta sub similitudinibus, fabulis, ænigmatibus, & verbis obscuris tractaverunt, & data opera occuluerunt, ne indoctis, impiis & indignis patefieret. Demùm, ut ad alia tuæ epistolæ capita progrediar, lapidis tui artificium ex auro quidem factum intellexi, sed ex scriptis tuis animo comprehendere

non

non poſſum : quia non præſcribis primam illius compoſitionis originem. Proinde diffuſiùs de ipſo pertractare non eſt opus, donec apertius compoſitionem & operationem edocueris. Neque vero Elixir, aut lapidem Philoſophicum conſiſtere exiſtimo ex ſignis in eo apparentibus, atqùe ex proprietatibus nutritivæ vegetationis flammæ, quas ſibi attribuis, ut ex jam dictis apertè oſtenſum eſt. Quando vero opus tuum ac donum tanti ſecreti ad me miſſum accepi, tuum erga me ſtudium uno animo, tuamque in me fiduciam immeritò, cognovi. Quapropter ipſum lapidem amicitiæ tuæ gratia mihi conſervo, ut gratiſſimum donum cuſtodio; plura de illo ad te quando apertiùs declaraveris, ſcripturus. Quòd autem dicis in lapide tuo eſſe tria : corpus, ſpiritum, & animam (quod tibi tanquam experto & operanti patet) Philoſophi quando in eorum lapide artis naturalis illa tria eſſe dixerunt, ſimilitudinariè quidem & experimento intellexerunt. Terram enim vocaverunt corpus & oſſa ejus : quia ipſa eſt aſtringens compoſitum & prohibens fluida elementa à ſua fluxibilitate cruda, habens ſecum ignem ſymbolicè in ſiccitate. Aquam autem & aërem, ſpiritum dixerunt : quia ipſa ſunt humectantia elementa & terram diſſolventia. Aërem autem & ignem, Animam vocaverunt : quia ipſa ſunt maturantia & digerentia totum compoſitum. Et ſic nominaverunt in ſimilitudinem humanam. Quia in carne complexionata oportet eſſe oſſa ſuſtentantia corpus, & in carne oportet ſimiliter adeſſe vivacitatem accidentium vegetabilium, quæ dicuntur ſpiritus ejus. Contra Paganorum Philoſophorum errores, qui putarunt ſpiritus vitales eſſe quid diſtinctum à corpore poſito & componentibus ipſum : ſic in carne humana oportet eſſe animam informativam digerentem in homine actus brutales, & facere in eo opus intellectuale. At in lapide noſtro Philoſophico aliter ſentiendum eſt, in quo terra, oſſium nomen habet, aqua & aër, ſpiritus nomen ſortiuntur, nec in eo eſt anima, niſi quia aërem & ignem continet : quòd te perfectè ſcire ſatis intelligo. Sed hoc modo Philoſophi diviſerunt. Nam per ſpiritum crudum, ſpiritum digeſtum extraxerunt de corpore ſoluto, & remanſit eis cinis fixus ulterius diſſolvendus, in quo repererunt oleaginoſitatem & gummoſitatem lapideam & incombuſtibilem, quam animam dixerunt : quæ vivificat, conjungit, incerat, & naturas facit unitas, & in ſpiritu, naturas disjunxerunt, ſic in oleo reconjunxerunt. Lapis enim noſter non habet formam formabilem, ut vegetativam, ſed tantùm tùm habet formam formatam, quæ forma eſt ipſamet elementa : propterea quòd homogeneus eſt. Corpus verò humanum & aliorum ſenſitivorum, eſt heterogeneum. Quia os, caro, ſanguis, medulla, crines & ungues in ipſo differenter dignoſcuntur. Quod aliter eſt in auro, in quo quicquid ineſt, unicæ ſpeciei reperitur. Quare venerande Doctor, hoc ſimilitudinariè dicunt Philoſophi propter artis adminiſtrationem, & naturæ operationem : non propterea quòd in lapide ſit anima, niſi metaphoricè (ut ſcitè intelligis) nec ſpiritus, nec corpus, ut forma formabilis, ſicuti in homine, & cæteris ſenſitivis reperitur. Amen dico tibi, quòd oleum naturas naturaliter incerans & conjungens, ac naturaliter introducens medicinam in alia corpora tingenda, non componitur ex alio extraneo, ſed tantùm ex viſceribus corporis diſſolvendi. Quod oleum ſpiritus colorem retinet ſemper uſque ad reinſpiſſationem, & tunc primò arma regalia induit, ſcilicet citrinitatem & formam metallicam, quam omnibus facit apparere : ſi in auro, aureum; ſi in argento, argenteum. Quod oleum, ſi Sol eſt, rubicundum diſſolutum eſſe dignoſcitur intrinſecus quamvis extrinſecè album appareat ſub forma liquidi argenti vivi. Quidam autem oleum componere æquè generoſum & potens, ut oleum illud, utpote ex Mercurio exiccato, aut ex ſtanni ſubſtantia, aut ex corpore Solis cum mixtionibus rerum diverſarum ſpecierum : ſed eis ad opus noſtrum fallax experimentum contingit. Poſſunt quidem ſpecies metallorum in ſpeciem olei reducere : in ſpeciem autem metallicam, minimè, ſalva & integra commiſcendorum proportione. Illud tamen oleum ſenſitivis ad medicinam prodeſſe poſſet : quia auri ſpecies in eo ſoluta eſt : impertinenter tamen & inutiliter ad opus noſtrum Philoſophicum. Præterea honorande mi Doctor, ut reliqua tuæ epiſtolæ capita perſtringam, diligenter & ſcitè animadvertere debes, quod ignis & azoc latonem abluunt. Azoc autem non eſt argentum vivum crudum à minera ſimpliciter extractum, ſed eſt illud quod à corporibus diſſolutis per ipſum argentum vivum extrahitur : quod utique maturius eſſe comprobatur. Quapropter, ſi laton fuerit corpus immundum, à tali azoc depuratur : quòd ſcribis te quondam habuiſſe. & hoc latone per azoc abluto, medicina noſtra conficitur ad omnem ægrum curandum. Sanè hoc azoc ex Elixire fiat : quia Elixir non eſt aliud, quàm corpus in aquam, Mercurialem reſolutum poſt cujus reſolutionem azoc ex eo extrahitur : id eſt, ſpiritus animatus : Dicitur autem Elixir ab E, quod eſt ex, & lixis, quod eſt aqua : quia ex aqua iſta omnia fiunt : & eſt elixir pars ſecunda in opere Philoſophorum, ſicut Rebis pars prima dicitur in eodem opere. Tinctura verò tertia pars conſtituitur, quia ut materia hujus compoſitionis diverſos facit effectus : ſic alia & alia nomina ſortitur : Unde liquidò conſtat, quod azoc non requiritur ad Elixir : quia in hoc opere Elixir præcedit azoc, & non contrà : ſicut aqua, oleum, & ſpiritus animam : Nam ex Elixire, elicitur & extrahitur azoc, tanquam ex aqua oleum, & non contrà : unde àlibi fit mentio. Exempli cauſa, ut in arte medica, aqua pura fontana, ſimplici & prima decoctione per elixationem cum carne pulli conjungitur, & inde primo decoctionis gradu emergit jus & decoctum perfectum & bonum, diſſolutis ſcilicet humidis partibus aqueis & aëris actu pulli in aquam prædictam : quamvis & ibi ſint alia elementa actu. Verùm ut fiat medicina multò perfectior, & ad ſanitatem corpori humano ægroto reſtaurandam generoſior, carnes pulli decoctæ cum prædicta aqua jam in jus decoctum alterata, aut parte ejus contunduntur, & fortiori decoctione deſtillantur, unde fit jus & decoctum multò nobilius & generoſius totius pulli naturam participans. Quia non tantùm hac ſecunda decoctione partes pulli humidæ, ſed etiam calidę : id eſt, aëreæ & igneæ in ipſum jus ſeu decoctum liquatæ permixtivè ſolvuntur : & ideo tota virtus pulli tali decoctione in prædictum liquorem extrahitur. Similiter contingit in opere Philoſophico, quia ſpiritus mineralis crudus tanquam aqua, conjungitur cum corpore ſuo ipſum prima decoctione ſolvendo : unde Rebis nominatur quia ex re bina & duplici componitur nempe ex ſemine maſculino & fœminino : hoc eſt, ex diſſolvendo : quamvis unica ſit res & materia. Unde verſus :

Res Rebis eſt bina conjuncta, ſed tamen una,

Solvitur

Solvitur ut prima sint, aut Sol aut Spermata Luna.

Ex istis autem duabus rebus simul dissolutis, componitur Elixir: id est, aqua tincta. Unde versus:

Elixir Græcè pars dicitur artè secunda,
Lixis nam de se sunt facta corpora munda.

Ex hoc autem Elixire, honorande mi Doctor, ut ex primo simplicis decoctionis jure seu decocto, azoc extrahitur fortiori scilicet destillatione ac iterata: quod azoc refert & participat naturam, quæ est calida, corporis sui, ex quo extrahitur, illiusque virtutem in se retinet, ut pote oleosam naturam, quæ est calida & humida: quia ipsum est ignis & aër actu: quamvis in eo sint omnia elementa essentia & compositione. Possunt ergo ex dictis metallis alio & alio artificio medicinæ componi ad morbos sensitivorum curandos: illæ tamen operi Philosophorum sunt impertinentes, sicut pertinet Elixir ad Azoc: hoc est, spiritus, vitalis & anima fugitiva non sunt diaphana, nec transparentia, nec sicut oculi lachryma clara, nec quivis spiritus dissolvens: quamvis sint sibi invicem altiorum naturarum secundùm gradus suos, ut anima est altior spiritu crudo, cum sint unius formæ. Quia ut anima latet sub specie spiritus dissoluti ante reinspissationem (anima enim ut argentum vivum ex corpore extracta semper apparet) sic post inspissationem, anima & spiritus latent sub specie corporis. Hujus enim dicti reverentia tua experimentum vidit in pulvere quondam regi misso, cujus es physicus, in quo experimento argentum vivum sub specie argenti vivi repertum est, quod si in fundo remanens coagulatum fuisset, eandem certè pulveris speciem suscepisset. Pulvis autem ille nomine tantùm tinctura dicetur, & non medicina metallorum, quia nondum planè fixus, quamvis ut medicina humana optimè valeret. Sed hanc medicinam humanam, fixa medicina absque dubio omni virtute excedit & ad metallum, & ad hominem: quod in diaphano liquore claro & transparenti fieri non potest. Quoniam & si elixir azoc prædicta: id est, spiritus & anima diaphanitatem referrent ac haberent, jam in proportione terra aquam dimisisset, & ab illa separata esset, quæ inspissavit & coagulavit partes ejus, opacitatem fecit in Elixir & azoc, fecitque formam stare congelabilem metallicam. Nam in fixis speciebus metallicis restringendis, oportet ut restringens agat in restringibilem, & congelans in congelabilem: quod fieri non potest in prædicta aqua diaphana & clara. Aliter autem accidit in vegetabilibus, in quibus aqua simplex & diaphana per decoctionem in ipsa vegetabilia inspissatur, quæ tamen examine ignis tandem evanescit & evaporat: quia non est permanens, & fixa in compositione: quia terram naturaliter sibi homogeneam secum compositione non habuit sicut argentum vivum: quæ quidem terra causa est permanentis fixionis in homogeneis. Qua re aqua simplex congelatione non potest fixari cum vegetabilibus, sicut Mercurius cum metallis. Si ergo Mercurius diaphanitatem acceperit, in opere Philosophorum jure irrestringibilis substantiæ permanebit, nec congelabitur super latonem ad formam, speciem & proportionem metallicam; qui secum nec in se defert suimet ipsius congelationem, scilicet aqua terram: quæ quidem terra (ut dictum est) est Mercurialis, & causa prima inspissationis, coagulationis & fixionis. Si ergo ista aqua ita maneat extra proportionem metallicam, quomodo similes species ex hac compositione procreari poterunt? Errant quoque illi qui sic putant aquam limpidam transparentem ex Mercurio extrahere, & ex illo multa mira operari. Nam fit ità, quod talem aquam perficiant, nihil tamen prodesset opus, nec ad ejus naturam & proportionem, nec posset restaurare seu ædificare speciem perfectam metallicam. Quàm citò enim Mercurius à sua prima natura permutatur, tam citò prohibetur ingredi opus nostrum Philosophicum, quoniam perdidit naturam spermaticam, & naturam metallorum. Ex his ergo notum est, quid veritatis contineat, & in quo contraria & aliena sit opinio tua, cùm dicis, oportet (ut existimo) ad perficiendum summum Elixir habere gummam, in qua sunt omnia ei necessaria, & continentem quatuor elementa, & est aqua clarissima, sicuti oculi lachryma spiritualis facta, &c. quod facit aurum merum esse spiritum. Nam corpus non penetrat corpus, sed subtilis substantia spiritualis congelata, quæ corpus penetrat & colorat. Esto ut dicis, honorande mi Doctor quòd naturæ non conjunguntur nisi gumma, vel re oleosa & anaticè proportionata, habente naturam spiritualem: clausis tamen in ea fixè elementis: ad quam gummositatem: ultimò incerativa reducitur totus lapis Philosophicus sub fluxu levi incerativè referens omnia elementa, stans ut æs & æris natura, stans insuper ut subtilis substantia spiritualis, corpora metallica penetrans & colorans. Nam hic lapis in spiritu primo crudo sublimando non amisit speciem, scilicet ejusdem spiritus, nec etiam in gumma perfecta & magna amittit naturam suam primam. Quare oleum & gumma nihil ad hunc lapidem pertinent, nisi ut elementa anatizata simul clausa, resolubilia, unita in viscositate terræ oleosa, retenta, sepulta, inseparabiliter permixta. Hæc enim gumma seu oleum primò ex corpore extrahitur, in inceratum spiritum ducitur quousque aquæ superflua humiditas in aërem vertatur, & elementum excitetur de elemento per digestionem, & id quod fuit aqueæ formæ, fiat oleosæ naturæ: & sic totus lapis ultimò nomen gummæ suscipit & sulphuris. Hoc enim Geber docet, quando dicit, ut tua epistola scripsisti: si quis sulphur nostrum sciverit conjungere & amicari corporibus, invenit unum de secretis maximum, & unam viam perfectionis: quasi diceret: si quis corpus ad hoc perduxerit, quod efficiatur gumma permixtibilis cæteris corporibus imperfectis, invenit maximum naturæ secretum, &c. quia lapis iste perfectus est gumma & sulphur, ut ex jam dictis notum est. Oportet autem te intelligere, quòd Geber summa prudentia & miro artificio veritatem sub velamine occultat, multas obscuritates aut falsitates intermisces, quas insciі prima fronte existimant veritatem esse: ille tamen Philosophicè sub his paleis occultè loquens, veritatem apertè, Philosophicè & doctè describit: quare imperiti & sophistæ mentem ac ingenium illius, & rei veritatem non intelligentes, ad vulgarem expositionem ac sonum verborum perversè sese convertunt. Inquit enim ille: Si illud scis, tibi diximus aliquid: si verò non scis, nihil tibi diximus. Quare in legendis Philosophorum libris naturæ possibilitatem in primis considera: quanquam aliquos hujus artis Philosophicæ scriptores aliquando errasse & malè aut ambiguè tractasse contingit in naturæ veritate. Ut notatur Arnaldus de Villa nova dixisse, libro, quem Rosarium nominavit: quòd Mercurius crudus: id est, argentum vivum, quod sua natura est frigidum & humidum, per sublimationem efficitur calidum & siccum. Deinde per revivificationem fit calidum & humidum simile com-

plexioni

plexioni humanæ. Quid ergo, inquis, mirum erit si conjungatur cum Sole, utique effici Solis naturæ? Fit enim Mercurius conversibilis naturæ, sicut cœlestis Mercurius, qui talis est, qualis est ille planeta cum quo in cœlo conjungitur. Ille enim Arnaldus, licet in aliis scientiis fuerit reverendus Doctor & ingeniosus: in hac tamen arte fortè experimenta sine causarum doctrina tractavit. Quòd autem in prima purgatione, spiritum crudum à minoribus mineralibus salsuginosis sublimari dicit, & quòd ipse Mercurius, qui sua natura frigidus est & humidus, efficitur pulvis natura calidus & siccus, ut ait, nihil tamen operi nostro Philosophico prodest. Sit ita vero, quod ex Mercurio talem faciat pulverem qualem dicit, utpote per sublimationem à salsuginosis exiccatum & calidum. Illæ tamen purgationes vanæ sunt & impertinentes, imò nocivæ ad opus nostrum perficiendum. Quando etsi minora mineralia communicant cum metallis natura, non tamen specie & proportione. Sunt enim majora & minora mineralia de nativitate seu impositione subterranea, unius & ejusdem impositionis universaliter, & ideò ejusdem naturæ: differunt tamen proportione, qualitate & specie, seu forma. Quare si Mercurius cum ipsis minoribus mineralibus destillatus fuerit & exiccatus, tunc confunditur & disproportionatur ejus extrinseca natura, & prohibetur, & inutilis est ad effectum spermatis fœminini, & invalidus efficitur ad opus metallorum. Quàm citò enim vertitur in speciem pulveris præterquàm à suo corpore Solis vel Lunæ, tam citò exiccationem recipit operi Philosophico inutilem. Non tamen improbo, quin possit & debeat scoriosus & immundus Mercurius per simplex sal semel aut pluries secundùm experientiam Philosophicam debitam sublimari seu purgari, ad scoriam & immunditiam exteriorem mineralem amovendam, manente tamen illæsa semper Mercurii fluxibilitate, seu humido radicali: id est, mercuriositate stante incorrupta, quæ est ex proportione naturali ejus. Oportet enim speciem Mercurialem & formam in tali opere manere incorruptam, sicut jam priùs dictum est: nec debet in pulverem exiccatum ejus forma extrinseca deduci. Quoniam species extrinseca corrupta ostendit intrinsecam ejus naturam confusam, nisi forma generationis ipsum alteraret, ut perspicuè videtur insignis in opere apparentibus via naturæ. Sunt enim quædam Mercurii sublimationes ab ejus propriis corporibus, quæ sibi per intima amalgamando conjungunt & commiscentur, ex quibus pluries relevatus & reconjunctus superfluitates rejicit & amittit, & non confunditur in natura: postea autem operi Philosophico convenit & potens est in speciebus metallicis solvendis, non tamen intrinsecè alteratur valde ad opus Philosophicum, nisi à fixis corporibus in eo dissolutis alteretur. Possunt etenim ex pulvere exiccato mira fieri in medicinis sensitivorum, sive in oleum reducatur, sive in aquam, seu in pulvere remaneat, nihil tamen pertinebit ad experimentum Philosophorum. Et ideò universaliter notandum est, quòd quàm citò Mercurius in pulverem cujuscunque speciei vertatur, præter corpotis sui dissolvendi naturam, tam citò operi Philosophico erit inutilis. Sunt quidam sophistæ deceptores, qui adjuncta sibi venere, vel cæteris speciebus additis, opus sophisticum faciunt: hoc est, æri imperfecto dant colorem, sed non naturalem, apparentiam quidem inducunt, sed non speciem: id est, transmutationem: sicut qui imaginem depingit mortuam, vel ex ligno componit: quæ apparet tantùm, & non est, & quantum differt homo vivus ab ejus imagine aut pictura, tantum differt opus eorum ab opere Philosophico: unde ista permixtio in examine ignis non perseverat, quamvis sit mineralis: quia natura non trahit eam à digestione proportionis, nec illa ars vehementer decoxit alterando permixtas naturas: quare illud æs ad superficiem tantùm & non intrinsecè permanens appareret esse tinctum. Quorum sophistarum deceptorum experientiis non est adhærendum: quia veritas artis naturalis hoc opus sophisticum inutile confutat, & falsum ostendit. Et si instando dicatur, quòd sicut per scoriarum Mercurii purgationes dictus Arnaldus sublimando exiccavit in natura: sic etiam (ut dicis) per revivificationem ipsum rehumectavit, & reddit ipsum Mercurium calidum & humidum, & conformem suo corpori in natura. Hoc quidem non obstat, mi Doctor reverende, nec veritatem artis Philosophicæ impugnat, imò magis error in arte naturali apparet. Nam, ut clarum est, Arnaldus docet, si sonum verborum spectes, Mercurium sic exiccatum per aquam ferventem, in quam projicitur, revivificari, & dicit effici calidum & humidum, cum primùm sublimatus esset calidus & siccus. Sed quis verè Philosophus diceret, Mercurium vel aliud metallorum per aquam simplicem quantumvis calidam & ferventem intetna qualitate in natura mutari, seu humiditatem sibi naturalem acquirere, & sic revivificari? Nihil ergo in hac revivificatione acquirit Mercurius, propterea quòd aqua communis ipsum non decoquit, nec alterat: quia ipsum non intrat nec ingreditur, & quod non intrat & ingreditur, non alterat: quia omne alterandum prius est permiscendum. Potest siquidem talis aqua quasdam scorias supernatantes in Mercurio abstergere ab eodem, sed novam qualitatem illi infundere non potest. Qualem enim naturam Mercurius retinuit in pulverem redactus & mortificatus per sublimationes, talem omnino naturam servabit per aquam revivificatus. Hoc autem in reverentiam & honorem dicti Arnaldi dictum esse volo: sed naturæ veritatem & experimentum contemplor & defendo. Insuper mi honorande Doctor, ut hac mea responsione tuæ epistolæ satisfaciam & finem imponam, quæ paucis differui, bono & æquo animo feras supplex oro, quod feci non redarguendo, sed tantùm disputando. Si quid verò tibi respondi quod tibi scrupulum ingerat, prudenter æquo & bono animo accipias, aut mihi literis significes, & pro virili tibi satisfaciam largiente & docente veracissimo Doctore domino nostro Jesu Christo filio Dei benedicto in secula seculorum.

Gratiæ sint Christo.

Ingeniosissimo Viro Petro Douet Medico doctiss. Robertus Vallensis Rugl.

Mineralia *quæ fiunt ex sulph. & argen. viv.*
- Majora *mineralia, sive metalla.*
- Minora *mineralia, sive atramenta, sales & sulphura.*
- Lapides.

Raym. Lul. in praxi testamenti.

Mercurius
- *Communis, qui est communis materia omnium mineralium.*
- Vulgi, *notus vulgo.*

Alia

Alia divisio ex eodem Raym.

Mercurius
- Philosophicus, qui est: vel,
  - Azoc, *extrahitur à corporibus perfectis dissolutis per ipsum argentum vivum.*
  - Communis, *qui non est de materia, mineralis tamē, sed tantùm excitat calorem sive sulphur internū materiæ.*
- Vulgi, *notus vulgo.*

Methodus *rerum cognoscendarum.*
- Definitio, *quid est explicat, sive naturam rei.*
- Divisio, *quot species habet.*
- Resolutio, *ex quibus partibus constat.*
- Demonstratio, *causam, passionem, & omnium inexistentium rei docet.*

Philosophici partes duæ homogeneæ quæ ex eodem sublimatione extrahuntur, & earum nomina.
Mercurius 12 *Aqua* 13 *Frater uterinus.* 14 *Vultur.* 15 *Vivum.* 16 *Aqua vitæ.* 17 *Argent. vivum.* 18 *Anima sive spiritus.* 19 *Cauda.* 20 *Cœlum.* 21 *Mulier candida.* 22 *Sudor ejus.* 23 *Nebulæ nigræ.* 24 *Tinctura.* 25 *Anima subtilis & tingens.* 26 *Regina.* 27 *Pars figenda.* 28 *Pars servata non fixa.* 29 *Pars subtilis.* 30 *Spiritus mundatus.* 31 *Ejus aqua.* 32 *Aceti acerrimum.*

Singulæ *singulis respondent.*
1 Fixa. 2 *Sulphur.* 3 *Inferius.* 4. *Terra.* 5 *Mat.* 6 *Gabertus.* 7 *Sol.* 8 *Rex.* 9 *Siccum.* 10 *Poursuivant.* 11 *Mercurius.* 12 *Carbo.* 13. *Frater uterinus.* 14. *Busc.* 15 *Mortuum.* 16 *Nigrum nigrius nigro, sive corpus privatum suo spiritu.* 17. *Calidum siccum.* 18 *Corpus.* 19 *Draco.* 20 *Terra.* 21 *Rubeus maritus.* 22 *Cinis.* 23 *Corpus earum unde exierunt.* 24 *Terra.* 25 *Corpus calcinatum.* 26 *Rex.* 28. *Pars cæranda.* 28. *Pars terræ administrariæ.* 29 *Pars terrea & grossa.* 30 *Corporis limatura optimè calcinata.* 31 *Terra sive pulvis.* 32 *Aes sive sulphur.*

Resolutione enim res agnoscitur, quare Elixiris seu pulveris Philosophici compositio resolutione tibi nota erit, si ejus partes, quibus constat, probè noveris, quæ hac sequenti Tabula, ex quampluribus authoribus collecta comprehenduntur. Naturalem tamen mineralium compositionem ne contemnas.

Compositionis *pulveris*
1 Volatilis. 2 *Argen. viv.* 3 *Superius.* 4 *Aqua.* 5 *Fœmina.* 6 *Beya.* 7 *Luna.* 8 *Fons.* 9 *Humidum.* 10 *Fuyant.* 11

Quibus sæpius conjunctis; sublimatio vera & Philosophica fit. Unde Acuboces: O natura, quomodo vertis corpus in spiritum; sic ænim spiritus vertitur in corpus, & corpus in spiritum. Hoc facigne Philosophorum extrinseco excitante adhibito, & (Deo concedente) lætaberis.

SVBSECTIO IX.

PRACTICA *cum* XII. CLAVIBUS & APPENDICE *de* MAGNO LAPIDE Antiquorum Sapientum *scripta & relicta* à BASILIO VALENTINO *Germ. Benedictini Ordinis Monacho.*

EPIGRAMMA *in* Basilii Practicam *scriptum* à M M.

NOn tantas Pactolus opes, non autifer Hebrus
Volvit arenosis tanta metalla vadis:
Quanta Valentinus libro diffundit in uno,
INDICE, quæ gazis sunt potiora tuis:
Namque ex Hesperio fructus tulit arboris horto;
Queis bene Germanos ille beavit agros.
Duxit & ex Colchis aurati velleris agnum,
Quod fuit haud parvi grande laboris opus.
Hæc, ubi succubuit mortali lege, reliquit
Nobis, Basilica quo frueremur ope:
Quod mireris, habes hic, quodque imiteris, at imo
Ni fundo quæras, forsan inanis eris:
Omnia sunt unum, variis quæ dissona verbis,
Consona sed rebus noster hic author habet:
Hic tibi sufficiant, operis nec plurima quæras
Instrumenta, sat est, hoc tibi si innotuit.

PRÆFATIO Fratris BASILII VALENTINI *Benedictini Ordinis de Magno Lapide Antiquorum Sapientum.*

POSTQUAM humani quid passus sum timoris, incepi considerare ex naturæ simplicitate miserias hujus mundi, & deflevi mecum penitus delicta à primis nostris parentibus commissa, & quod pœnitentiæ locus in terris nullus esset, sed homines indies pejores fierent, quodque pœnitentiam non agentibus æternæ impenderent pœnæ absque fine imperscrutabiliter duraturæ; Ideoque acceleravi, quod potui; malo me subtrahere, mundoque valedicere, & me Deo, ut famulum, addicare:

Cumque jam aliquamdiu in ordine meo vixissim, & illud temporis spatium, quod post absolutionem pensi mihi ipsi adorandum impositi reliquum foret, nollem, frustra absumi, ne cogitationes meæ per otium novis peccatis causam præberent, constitui apud me naturam rimari, perque anatomiam ejus arcana indagare, quod post

aterna illa in temporalibus ſummum reperi, & poſtquam multos libros in monaſterio noſtro à Philoſophis longè ante me ſcriptos, qui & ipſi naturam ſtudendo & indagando aſſequuti fuerant, invenerim, animum hoc mihi lubentiorem addidit, ad diſcendum ea, quæ ipſi ſciverant; & quamvis difficile id mihi contigerit, tamen cum omne in initio grave, in fine facilius ſit, Deus, quoque, quem ſedulo oravi, ut viderem, quæ alii ante me viderant, conceſſit.

In conventu noſtro collegam habui, quem nephriticus à calculo dolor vexabat, ita ut ſæpe æger decumberet; Hic medicos multos ad ſe vocaverat, at à nullo præſentaneam opem ſentiens, Deo vitam mancipavit, ab omni humano auxilio derelictus.

Tum ego inſtitui anatomiam herbarum, diſtillavi eas, ſal extraxi & quintam eſſentiam; verum nullam ex omnibus invenire potui, quæ fratrem illum ab affectu ſuo liberaret, licet permultas tentarim: Nam non erant in ſuo gradu adeo efficaces, ut huic malo mederentur: Et ſic nullum vegetabile offendi, quod non ſex annorum ſpatio attigeram.

Hinc acriori mentis indagine cogitationes meas intendi circa hoc negotium conſiderando, mecumque inii etiam ea addiſcere ſcientiaque aſſequi fundamentali, quæ Creator in metalla & mineras terræ abdiderat; Ac quo magis quærerem, eo plus inveni: plus enim ſemper ex altero ſe ducebat rivus; Et Deus fortunam mihi conceſſit, ut multa experirer, ac oculi mei viderent etiam illa, quæ natura mineralibus & metallis infuderat, adeo diverſa ut ignaris capiu ſit diſſi illimum.

Inter ea omnia incidi in minerale, quod ex multis coloribus compoſitum & in arte maximæ efficaciæ eſt, huic ſpiritualem eſſentiam extraxi; eaque fratrem meum ægrum paucis diebus priſtinæ ſanitati reſtitui: Nam hic ſpiritus adeo fortis erat, ut ſpiritum fratris mei corroborare potuerit, qui horas ſuas quotidiè pro me oravit, donec mortuus ſit: ſupererat autem diu, poſtquam convaluerat: Ejus quoque meaque preces tantum valuerunt, ut Creator & mihi aperuerit, & propter meam diligentiam demonſtrarit etiam illud, quod prudentibus, ut ſe vocant, abſconditum manet.

Atque ita hoc Tractatu Lapidem Antiquorum ad ſanitatem & conſolationem hominum in hac miſeriarum valle cœlitus nobis, ut terrenorum ſummum theſaurum, conceſſum, indicare, & quantum mihi licitum, aperire volui, veluti iste leges, non pro mea, ſed poſterorum utilitate ſcribens; poſtquam cognitionem ex ſcriptis multorum expertiſſimorum virorum conſecutus fuerim, ita, ut & tu ex mea doctrina, Philoſophiæ addicta, quæ breviſſima verbis at prolixa ſenſu, petram, cui veritas innitatur, cum præmio temporali ac æternitatis voto aſſequi poſſis. Amen.

De Magno Lapide Antiquorum Sapientum *Fr.* Baſilii Valentini *Benedicti-ni Ordinis.*

IN præfatione mea, amice optime & artis cupide ſpem feci, me tibi aliiſque naturæ proprietates addiſcendi ſtudio flagrantibus, arteſque penitius inquirentibus, lapidem angularem & petram, quoad mihi ſuperne conceſſum fuerit, indicaturum, unde anteceſſores noſtri & antiqui, lapidem ſum, quem ab altiſſimo acceperant, ad ſanitatem & commoditatem hujus terrenæ vitæ uſurpandum, confecerint: Ut proinde promiſſis meis ſatisfaciam, nec te diu ſophiſticis erroribus in ambages ſeducam, ſed ex fundamento fontem omnium beneficiorum aperiam, teneas verba mea ſequentia & bene perpendas, ſi modo artes cognoſcendi deſiderio afficeris; ſiquidem multum loquentiæ facere nequeo; nec id meæ intentionis eſt; cum minimum inde addiſci poſſit, ſed delector brevibus verbis, quæ rei fundamentum continent.

Sciatis igitur, perpaucos ad poſſeſſionem hujus dominii pervenire, quamvis quamplurimi in lapide noſtro ædificando ſint occupati: Veram enim ſcientiam & ejus impetrationem Creator non communem, ſed ſaltem quibusdam, qui mendacia averſentur & veritatem amplectantur, artique cum gemitibus cordis addicti eam diligentiſſime inquirant, conceſſam voluit, imprimis illis, qui Deum abſque ſimulatione amant, ideoque orant.

Quocirca dico tibi in veritate, ſi magnum noſtrum & antiquum lapidem facere conaris, ut doctrinæ meæ ſis addictus, præque omnibus rebus creatorem omnis creaturæ ores, quo tibi gratiam & benedictionem ſuam ad id concedat; & ſi peccaris, confitere & fac bonum, cogitaque ex propoſito, te pravum non amplius, ac probum fore, ut cor tuum ad omne bonum illuſtretur; & recordare, cum ad honorem evecheris, ut pauperibus & egentibus ſuccurras, eos ex miſeriis liberes, manuque tua munifica reficias, quo majorem benedictionem à Domino impetres, ſedenique in cœlo per fidei confirmationem aſſequaris.

Nec deſpicias, amice mi, neve contemnas veridica ſcripta eorum, qui lapidem ante nos habuerunt: Nam poſt Dei patefactionem, ex iis habeo; Atque ea lectio multiplicetur & ſepiſſime repetatur, ne fundamentum excidat, & veritas, inſtar lucernæ extinguatur.

Poſthæc nec obliviſcaris tui diligentiſſimi laboris, ſemper inquirendo authorum ſcripta; At ne animum teneas volubilem, verum ſere eam petram præfixam, in qua omnes ſapientes unanimiter concordent: Nam variæ mentis homo ſæpius haud veram incedit viam, ſeque ipſe in errores præcipitat, nec à mutabilis animi viris diu duraturæ extruuntur ædes.

Cum quoque lapis noſter antiquiſſimus non ex combuſtibilibus rebus oriatur, quia ipſe præ omni ignis periculo tutus ſit hinc deſinas illum quærere, in iis, quibus ineſſe aut reperiri naturæ non eſt conceſſum; ut ſi diceretur, eſſe opus vegetabile, quod eſſe nequit; quamvis vegetatio quædam ipſi adſit.

Nam nota, ſi ita foret cum noſtro lapide, quemadmodum cum alia herba, facillime comburerentur, ita ut nihil remaneret niſi ſal quoddam; Et quamvis illi, qui ante me fuerunt, de lapide vegetabili plurima ſcripſerint, tamen ſcias, amice mi, id facile difficile tibi conceptu futurum; Cum enim lapis noſter vegetet, ſeque augmentet, ideo ipſum vegetabilem appellarunt.

Porro ſcias, bruta animalia augmentationem ſui nullam producere, niſi id fiat in natura ſua ſimili: Ideoque non opus habes verum lapidem quærere aut tibi conficiendum præſumere, niſi ex ſuo proprio ſemine, ex quo noſter lapis à principio factus eſt: Unde percipias & intelligas, mi amice, ne & animalis animam ad hujus inquiſitionem eligas: Nam caro & ſanguis, quemadmodum ea à Creatore animantibus data & conceſſa ſunt, ad animantia

ſpectat,

spectat, ex quibus Deus illa composuit, ita ut animal inde factum sit: Verum noster lapis ab antiquissimis ad me hæreditario translatus, venit & ortus est ex duabus & una re re; quæ tertium abditum tenent: Hæc est purissima veritas & recte dictum: Nam mas & fœmina ab antiquis pro uno corpore accepta sunt, non considerando extrinsecus quo ad visum, sed ob amoris implantati & in naturæ operatione à principio infusi gratiam, pro uno cognoscendo, & quemadmodum hi duo sua sperm ata propagare & augmentare possunt: ita & sperma materiæ, ex qua lapis noster factus est, supplantari & augeri potest.

Quod si nunc verus nostræ artis amator es, hunc sermonem magnifacies & sapienter considerabis, ne cum aliis Sophistis cœcis in foveam ab inimico paratam cadas ac delabaris.

Ut autem scias, amice mi, unde semen ejusmodi proveniat, ex te ipso quæras, ad quid lapidem nostrum deducere coneris, tum manifestum tibi fiet, quod ex nulla re, nisi ex metallica quadam radice, unde & ipsa metalla à Creatore generari ordinata sunt, profluat, quod quomodo fiat, notes.

Principio cum spiritus ferebatur super aquas, & omnia tenebris adhuc obtecta erant, tum Deus omnipotens & æternus, cujus initium absque termino, cujusque sapientia ab æterno fuit, ex imperscrutabili suo consilio, creavit cœlum & terram, omniaque iis contenta, visibilia & invisibilia; quomodocunque vocentur, ex nihilo; Omnia enim Deus fecit ex nihilo: Quomodo autem hæc creatio preciosissima contigerit, de eo jam non philosophabor; tum sacræ literæ & fides de eo judicent.

In tali creatione Creator cuilibet naturæ, ne ad interitum & detrimentum tenderet, peculiare semen indidit, ut eo augmentatio fieret, quod homines & animantia, herbæ & metalla conservarentur; nec homini licitum est, Deique ordinationi adversum, novum semen pro libitu suo producere, verum saltem propagatio & augmentatio concessa est: Semen enim creare ipse Creator sibi soli reservatum voluit; alias possibile foret homini, Creatorem agere, quod esse nequit, ac præpotentiæ altissimi proprium est.

Jam scias de hoc semine à metallis generato in hunc modum; quod cœlestis influentia per Dei nutum & ordinationem superne descendat & se commisceat cum astralibus proprietatibus. Quando jam hæc conjunctio contingit, tum hæc duo pariunt terrestrem substantiam, tanquam tertium, quod est principium nostri seminis, suæ primæ originis, qua proavos suæ generationis demonstrare possit: Ex quibus ternis oriuntur & proveniunt elementa, utpote aqua, aer & terra, quæ porro per ignem subterraneum operantur, donec quid perfectum producant, quod Hermes & omnes ante me, quia præterea nihil invenire possumus ab initio magisterii, tria prima principia appellarunt: Et inventa sunt, Anima intrinseca, Spiritus impalpabilis, & corporea visibilisque essentia:

Cum jam hæc tria simul cohabitant, progrediuntur copulatione, successu temporis, per Vulcanum in palpabilem substantiam, nempe in argentum vivum, sulphur & sal. Quæ tria si per commixtionem in suam indurationem & coagulationem deducantur, prout natura multipliciter operatur, tum fit inde perfectum corpus, sicut natura requirit, ejusque semen à Creatore electum & ordinatum est. Qui jam nostri operis fontem indagare tibi præsumis & artis bravium per certamen cupidum obtinere speras, edico tibi per æternum CREATOREM, hanc esse veritatem omnis veritatis; Quod si metallicæ anima, metallicus spiritus, & metallica forma corporis adsit, etiam metallicum argentum vivum, metallicum sulphur & metallicum sal inde sequi debeant, quæ necessario nihil aliud, quam perfectum corpus metallicum præbere possunt.

Si jam intelligere nolis, quod te intelligere deceat, Philosophiæ addictus haud eris, aut Deus à te prohibebit.

Dico itaque sic breviter, tibi non possibile fore cum utilitate meram in forma metallica consequi, nisi prædicta tria principia absque defectu in unum conjunxeris: Tum præterea intelligas, quod animalia terræ ex carne & sanguine sint composita, æque ut homo, habentque vivificum spiritum & flatum sibi inditum, quem possideant æque ut homo; verum rationali anima destituuntur, qua homo præ cæteris animantibus præditus est: Idcirco cum bruta vitam morte commutant, penitus actum est cum iis, nec quicquam spei de ipsis in æternum permanet: Homo autem, si vitam per temporalem mortem Creatori suo offerat, vivit superstes anima, cumque clarificatus fuerit, anima in corpus ejus clarificatum reversa ibidem habitabit, ita ut corpus, anima & spiritus una congregentur, cœlestem que clarificationē suam demonstrare valeant, quæ in omnem æternitatem nunquam separari poterunt, &c.

Quapropter homo ratione animæ suæ pro fixa cognoscitur creatura, siquidem (licet extrinsece considerando moriatur) in æternum victurus est: Mors enim hominis est solummodo clarificatio, ut ita per certos gradus à Deo ordinatos à peccato obnoxiis liberetur & in meliorem locum transponatur; quod brutis non contingit: Ideo pro non fixis creaturis habentur: Post interitum enim suum nulla resuscitatione frui poterunt, cum rationali careant anima, pro qua unicus & verus Mediator Dei Filius passus sanguinem suum profudit.

Spiritus quidem morari potest in quodam corpore, at non præterea sequitur, illum fore fixum, quamvis corpus cum spiritu conveniat, ac spiritus cum corpore neutiquā rixetur: Destituuntur enim utraque forti illo, quod corpus & spiritum vinciat & confirmet, atque præ omnibus periculis tueatur & defendat, nempe pretiosissima, nobili & fixa anima: Nam ubi anima penitus deficit, ibi nulla redemptionis spes superest: Res enim absque anima imperfecta est, idque unum est ex maximis arcanis, quod sapienti & inquisitioni operam danti scire conveniat: Atque conscientia mea non passa est hoc silentio præterire, sed patefacere illis, qui fundamentum omnis sapientiæ amant: Hinc diligentissime sis meo intentus sermoni, quod spiritus in metallis delitescentes inæquales sint, unus alio volatilior aut fixior: quemadmodum & eorum anima & corpora inæqualia sunt, & quodcunque metallum omnia tria fixitatis dona conjuncta in se habeat, huic robur illud obtigit, quo ignem tolerare, omnesque inimicos suos superare possit, idque in uno sole reperitur: Luna fixum habet mercurium apud se, ideo in igne non tam cito evolat, velut reliqua imperfecta metalla, sed expectat examen suum in igne & comprobat id clarissime per victoriam suam, cum voracissimus Saturnus nihil prædæ ex illa obtinere possit.

Amori deditissima Venus abundantiori colore vestita & præoccupata est, ejusq; corpus fere totum mera tinctura est, non absimilis colori, qui in optimo metallo quoque visitur, ac propter abundantiam coloris in rubedinem se extendit: Quia vero corpus ejus leprosum sit, tinctura illa firma permanens subjectum in imperfecto corpore habere

nequit, at cogitur una cum corpore interire: Quando enim corpus morte extinguitur, nec anima manere potest, sed recedere & avolare compellitur: siquidem habitatio destructa & igne absumpta sit: Unde locum non inveniat, nec ibi morari possit: In corpore autem fixo lubens habitat cum perseverantia.

Sal fixum bellicoso Marti durum, constans & crassum corpus addidit & reliquit, unde generositas animi ejus demonstratur, atque huic duci bellico vix quicquam detrahi potest: Corpus enim ejus durum adeo, quod vix vulnerari queat: Si vero strenua virtus ejus cum Lunæ fixitate ac Veneris pulchritudine mixtione & concordantia spiritualiter conjungatur, satis suavis adhuc Musica concinnari potest, per quam aliquot claves suo dignentur honore, ut egenus pane, si in superiorem gradum scalæ ascenderit, particulariter frui possit. Nam phlegmatica qualitas aut humida natura Lunæ cum ardenti Veneris sanguine exiccari & nigredo ejus magna per Sal Martis corrigi debet.

Nec vero necesse est, semen tuum in Elementis quærere: Eo usque enim retro nostrum sperma non remotum est; verum propinquior locus est, ubi nostrum semen certam suam habitationem & hospitium obtineat, adeo ut si solummodo Mercurium, sulphur & sal (intellige Philosophorum) eo usque rectifices, quo ex anima ejus, spiritu & corpore inseparabilis quædam conjunctio contingat, quæ in omne ævum se ab invicem separari non sinat, nec disligari possit, tum amoris vinculum perfectè firmatum est, atque domicilium coronationis satis superque præparatum.

Atque scias, hoc nihil aliud esse, quam liquorosam clavem, cœlesti proprietati comparandam ac aquam siccam substantiæ terrestri addictam, quæ omnia sunt una res, ex tribus, duobus & uno orta est prognata: Quod si hoc attingere valeas, magisterium jam victor obtines: Tum conjunge sponsam & sponsum inter se, ut sese carne & sanguine pascant, nutriant, suóque semine infinitè propagent.

Et quamvis tibi ex amore quid amplius aperirem, attamen Creator prohibuit; quocirca dedecebit me de hisce clarius loqui, ne donum Altissimi in abusum veniat, atque ego in ultorum delictorum perpetrandorum causa exiliam, ita ut iram divinam in me excité, cumq; aliis in æternas pœnas abjiciar.

Si verò, Amice mi, neque id clarum satis est cognitu, tum in practicam te meam deducam, quomodo ergo antiquorum lapidem illum Dei auxilio perfecerim; quam bene consideres, ac duodecim meas claves diligenti & crebra repetitione perlustres: atque ita procedas, quemadmodum hic te doceo & figurato modo fundamentaliter instruo.

Recipe partem aliquam optimi & fini auri, idq; separa per ea media, quæ natura artis animantibus hominibus concessit ab invicem, veluti Anatomicus humanum cadaver dividit, perq; id corporis humani interiora scrutatur: atque fac ex auro tuo retrorsum id, quod ante fuerat: Tum reperies semen, principium, medium atque finem: Unde nostrum aurum, ejusque uxor facta sint, nempe ex penetrante subtili spiritu atque pura, casta & immaculata anima, nec non astrali sale & balsamo: quæ post eorum conjunctionem nihil aliud sunt, quàm mercurialis liquor: Eaque ipsa aqua ad proprium suum Deum Mercurium in scholam deducebatur, qui aquam eam examinabat, eumque legitimam & absque fuco reperisset, amicitiam ejus inibat, inque matrimonium sibi ipsam conjunxit: atque sic ex utriusque oleum incombustibile factum est: Mercurius enim adeo superbus redditus, ut vix seipsum agnosceret: Pennas suas aquilinas projecit, & ipse caudam Draconis lubricam devoravit, adque prælium Martem provocavit.

Tum Mars equites suos coegit, inque mandatis dedit, ut Mercurius includeretur carceri, cui Vulcanus, ut lictor, adjudicatus est eo usque, donec à fœmineo sexu liberaretur.

Postquam hæc popularibus rumusculis passim increbrescerent, cæteri quoque Planetæ convenerunt habitoque consilio, quid factu opus esset imposterum deliberarunt, ut sapienter procederetur: Tum Saturnus primus in ordine acriori oratione in hunc modum proloqui exorsus est.

Ego Saturnus Planetarum summus in firmamento protestor hisce præ vobis Dominis omnibus, me inter vos inutilissimum & vilissimum esse, infirmi & corruptibilis corporis, nigri coloris, multarum afflictionum iniuriis in hac miseriarum valle obnoxium, attamen omnium vestrum probatorem: Non enim permanentem habeo permansionem, atque mecum mei similem rapio: Cujus meæ miseriæ nulli causa imputanda est, nisi inconstanti Mercurio, qui mihi sua incuria & negligentia hoc malum inflixit: Quapropter oro vos Dominos pariter, vindictam hujusce de eo sumere, & cùm custodiæ jam sit traditus, penitus ipsum occidere, & ad putrefactionem usque ibi detinere, donec ne gutta ejus sanguinis agnoscatur amplius.

Cùm sic Saturnus orationem suam finivisset, en fuscus Jupiter progreditur & sermoni suo cum genuum inflexione, sceptrique reverentia singulari initium facit, laudans Saturni collegæ sui postulata, mandatque se prosequuturum omnes, qui harum rerum executionem non adjuverint, atque sic finem imposuit.

Post hunc Mars accessit gladio denudato, mire coloribus interdistincto, instar speculi igniti, diversis & insolitis radiis micante, atque hic gladium Vulcano lictori obtulit, ut omnia illa à Dominis imperata prosequeretur, & cùm Mercurium interfecisset, ejus ossa penitus igne combureret: In quibus Vulcanus, ut lictor, se morigerum præstitit.

Interea dum lictor officio suo fungitur, pulchra & præ candore fulgens fœmina in longa argentei coloris veste, multis aquis intertexta, avenit, quæ cùm agnosceretur, inventa est Luna, Solis uxor: Hæc prona decidit in faciem, multisque lachrymis & gemitibus, quærebunda oravit, conjugem suum Solem ex carcere, in quem Mercurii dolo & potentia perfide intrusus esset, ubi adhuc & ex Planetarum aliorum mandato detineretur, emitti: Verum Vulcanus penitus abnegavit: Ipsi enim interdictum erat: At perseverans in suo proposito sententiæ latæ executionem gnáviter visit, donec tandem Domina Venus adesset in veste summe rubra, viridi intertexta pulcherrima facie, facundissimo jucundissimoque sermone & lepidissimo gestu, flores odoratissimos ferens in manu, qui humanos oculos sui aspectu colorum varietate mirifice reficerent & delectarent: Hæc Chaldæo idiomate intercessit apud Judicem Vulcanum pro liberatione, eique in mentem revocavit, redemptionem per fœmineum sexum futuram: At illius aures erant clausæ.

Interim, dum hi duo ita colloquuntur, cœlum se aperuit, atque exinde animal potens cum multis pullorum millibus exivit, abigens & pellens lictorem: Id fauces suas latè aperuit, ac Venerem pretiosissimam, suam adjutricem, devoravit, exclamans

suum!

simul clara voce: Ex fœminis natus sum, ac semen meum fœminæ copiosè propagarunt, atque eo terram locupletarunt: Ejus anima meæ addicta est, ideoque me ejus sanguine pascam & nutriam: Cumque hæc animal clare dixisset, in conclave quoddam se contulit, januamque post se obseravit: Pulli autem omnes sequebantur post ordinem, atque longe majore cibo egebant, quàm prius: bibebantque de priori oleo incombustibili: atque cibum ac potum facillime digerebant, & fiebant multo plures pulli, quàm prius, idque toties accidit, donec totum ipsi replevissent mundum.

Cùm hæc omnia ita contigissent, conveniebant multi ejus regionis viri, qui docti, inque literis periti omni studio contendebant inter se omnium horum actorum & sermonum expositionem acquirere, quo maxima ex parte meliori eorum intellectu fruerentur: Verum nullus ex illis id effectum dare potuit: Non enim erant ejusdem sententiæ, donec visum est prodire virum quendam magnæ senectutis, capillis & barba album, instár nivis, vestitum purpura à vertice usque ad pedes: in capite coronam gestavit, in qua pretiosissimus carbunculus radiabat: circa corporis medium præcinctus erat cingulo vitæ: nudis incedebat pedibus, & loquebatur singulari quodam spiritu, qui in eo occultus erat, ac sermo ejus penetrabat intima corporis, ita ut anima ex corde id sentiret: Hic vir ascendebat in suggestum & congregatos adhortabatur populos, ut silentium tenerent, seque diligentissime audirent: sese enim superne missum adesse, qui eis prædicta scripta aperiret, & per philosophicum sermonem patefaceret.

Cumque jam omnes quieti adstarent, incepit in hunc modum:

Expergiscere ô homo, & contemplare lumen, ne tenebræ te seducant: Dii fortunæ & Dii majorum gentium patefecerunt mihi in profundo somno: ô quam beatus homo est, qui Deos agnoscit, quàm mira magnalia operentur: Et felix ille est, cui oculi aperiantur, ut lumen videat, quod ante obscurum fuerat.

Duæ stellæ homini à Diis concessæ sunt ad ducendum eum ad magnam sapientiam, quas specta, ô homo, firmiter, & sequere splendorem earum, cum in iis sapientia inveniatur.

Phœnix avis de meridie potenti feræ de Oriente Cor ex pectore eruit: Fac feræ de Oriente alas, quemadmodum aut de meridie, ut æquales fiant: Nam animal de Oriente pelle sua leonina spoliari debet, ejusque alæ evanescere, atque tum simul ingredi magnum Oceani salum, cumque pulchritudine iterum egredi: Merge spiritus tuos instabiles in profundum fontem, cui aqua nunquam deficiat, ut pares fiant matri suæ, quæ inibi latet, & ex tribus in mundum exorta est.

Ungaria primo me genuit, cœlum & stellæ tenent me, atque terra nubit me, & quamvis mori cogar & sepeliri, tamen Vulcanus me secundo parit: Ideoque Ungaria mihi patria est, & mater mea totum includit mundum.

Cùm hæc audita forent ab hominibus tum præsentibus, sic porro elocutus est:

Quod est superius, fac inferius: & quod visibile, invisibile, palpabile, impalpabile, & fac ut iterum ut ex inferiori superius, ex invisibili visibile, ex impalpabili palpabile fiat: Hæc est tota pars penitus perfecta absque ullo defectu aut diminutione: at in qua mors & vita, interitus & resurrectio habitet, est rotunda sphæra, quæ Dea fortunæ currum suum impellit, & viris Dei donum sapientiæ impertit: proprio autem suo nomine secundum temporalem intellectum vocatur omnia in omnibus: super æterna summus ille Arbiter ac judex existit.

Quisquis jam scire desideret, quid omnia in omnibus sit, ille faciat feræ amplissimas alas, eamque valde urgeat; ut ipsa se attollat, perque aërem volans in supremam summi cœli regionem sese elevet: Tum combure alas ejus igne fortissimo, ut terra in mare rubrum præceps decidat, ibique suffocetur: ac igne & aëre exicca aquam, ut inde iterum terra fiat: Tum inquam, habes omnia in omnibus.

Quod si hoc invenire nequeas, in te ipsum inquiras & respicias circum circa in rebus omnibus, quæ reperiuntur per mundum: Tum omnia in omnibus invenies, quod est vis attrahens omnium metallicarum & mineralium rerum ex sale & sulphure ortarum, ac bis ex Mercurio progenitarum: (Plus, inquam) me non decebit de eo, quod est omnia in omnibus, dicere, cum omnia in omnibus comprehensa sint.

Hisce affatis porro dicebat, ô viri amici, si auditione sapientiam ex mea voce percepistis, ex quo & quomodo magnum Lapidem antiquorum Philosophorum reperire debeatis, qui leprosa & imperfecta metalla curat, iisque novam generationem aperit, ac homines in sanitate conservat, inque longam ætatem adducit, meque hucusque sua cœlesti vi & operatione confirmavit, ut sponte mea mori desiderem, hujus vitæ pertæsus.

Deus pro sua gratia ac sapientia; quam clementer mihi longo tempore impertivit, laudandus per omnia sæcula, *Amen*.

Atque ita præ eorum oculis evanuit:

Hoc sermone finito, singuli in suum se conferebant locum, unde venerant, dies noctesque de his cogitantes ac laborantes, prout cuilibet ingenii bonitas contigerat, &c.

Nunc sequuntur duodecim Claves *Fratris* Basilii Valentini *Benedictini Ordinis, quibus ostia ad antiquissimum Lapidem Antecessorum nostrorum aperiuntur & arcanissimus Fons omnis Sanitatis recluditur.*

PRIMA CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. III. Fig. I.

AMicus meus sciat, omnes res impuras & maculatas ad nostrum opus indignas esse: Nam earum leprositas nihil adjumenti præstare poterit nostro operi: at bonum per impurum impeditur.

Omnes merces venales ex fodinis suo valent precio, cum vero falsificatio iis accedat, inidoneæ fiunt: Sunt enim fuco depravatæ: nec ejusdem, ut prius, sunt operationis.

Ac quemadmodum medicus interiora corporis purgat & purificat per media medicamentorum suorum, omnesque sordes inde expellit: Ita & nostra corpora purificari & purgari debent ab omni sua impuritate, ut in nostra generatione perfectio operari possit: Magistri nostri purum, immaculatum requirunt corpus, quod nulla macula aut peregrini commixtione adulteratum sit: Alieni enim additio est nostrorum metallorum leprositas.

Diadema regis sit ex auro puro, & casta sponsa ipsi conjugio copuletur:

Quapropter ſi per noſtra corpora operari velis, accipe gryſeum, avidiſſimum lupum, qui ratione ſui nominis bellicoſo Marti ſubjectus, origine autem nativitatis ſenis Saturni filius eſt, qui in vallibus & montibus mundi reperitur, fame acerrima occupatus, ac projice ipſi corpus regis, ut inde ſibi alimentum habeat, & cum regem devorarit, fac magnum ignem, in quem mitte lupum ad comburendum penitus, tum Rex iterum liberabitur: Cumque hoc ter factum fuerit, tum Leo ſuperavit lupum, nec quicquam in eo amplius conſumendum inveniet: Atque ſic corpus noſtrum principio noſtri operis eſt idoneum,

Ac ſcias, hanc ſolam eſſe viam rectam ac legitimam ad corpora noſtra purganda: Nam Leo ſeſe purificat ſanguine lupi, ac ſanguinis ejus tinctura mirifice lætatur tinctura Leonis: ſiquidem amborum illorum ſanguis affinitate quadam propinquitatis invicem conjunctus eſt: Cumque Leo ſatiatus ſit, ſpiritus ejus fortior factus eſt, quam prius, oculique ejus ſplendore magno radiant, inſtar Solis: Ac interior ejus eſſentia plurimum valet ac utilis eſt ad omnia, ad quæ requiritur: Et cum ita præparatus fuerit, gratias ipſi agunt hominum filii graviſſimis morbis caducis alitque affectibus vexati. Decem illi viri leproſi proſequuntur ipſum ac deſiderant bibere de ſanguine ejus animæ, omneſque qui malo afficiuntur, gaudent penitus ejus ſpiritu.

Nam quicunque ex hoc aureo fonte bibit, ſentit renovationem quandam ſuæ naturæ, mali ablationem, conformationem ſanguinis, corroborationem cordis ac perfectam ſanitatem omnium membrorum ſive interius, ſive exterius in corpore comprehenſorum. Omnes enim nervos & poros aperit, ut malum abigi ac bonum ejus locum quiete obtinere poſſit.

Verum amicus meus diligentiſſime perſpiciat, ut fons vitæ purus & clarus inveniatur: Non n. aquæ peregrinæ cum noſtro fonte permiſceri debent, ne abortus fiat, & ex ſalubri piſce ſerpens prorepat: Et ſi quoque per media acrimonia adjuncta fuerit, per quam corpus noſtrum diſſolutum ſit, fac ut omne corroſivum abluatur: Nulla n. acrimonia utilis eſt ad prohibendos morbos internos: ſiquidem acre cum deſtructione penetret & ita pius morborum pariat: At noſter fons ſit abſque omni veneno, quamvis venenum veneno pelli debeat.

Cum arbor quædam inſalubres ac ingratos fert fructus, abſcinditur circa truncum, atque ei alia fructus ſpecies inſeritur: tum germen ſe conjungit cum trunco, ita ut ex trunco & radice cum ſuo ſurculo bona arbor proveniat, quæ ad nutum ſui inſitoris ſalubres & placitos ferat fructus.

Sex loca peragrat rex in firmamento cæleſti at in ſeptimo ſedem ſuam figit: Nam palatium regium inibi tapetibus aureis ornatum eſt: Si jam intelligis, quæ dico, tum hac clave primam ſeram aperuiſti ac peſſuli obſtaculum removiſti: Quod ſi vero necdum lumen in his perſpicis, nec vitrea perſpicilla quicquam proderunt, nec oculi naturales adjuvabunt, ut ultimum reperias, quod in initio tibi defuit: Tum nec plura de hac clave dicam, quemadmodum Lucius Papirius me docuit.

II. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. III. fig. 2.

IN aulis magnatum & potentium reperiuntur varia genera potus, quorum tamen vix ullum alteri odore, calore ac ſapore ſimile eſt: Nam præparatio illorum eſt multiplex: nihilominus omnia bibuntur, cum ſingula ad ſuum uſum ordinata & ad œconomiam neceſſaria ſint.

Cum ſol radios ſuos emittit: perque nubes ſpargit, vulgo dicitur, ſolem attrahere aquas ac pluvias inſtare, idque ſi ſæpe contingat, fœcundum reddit annum.

Ad palatium pretioſiſſimum exædificandum varii & diverſi opifices & mechanici manus ſuas adhibent & laborant, antequam ornatiſſimum ac perfectum palatium vocari poſſit: quod enim requiritur lapideum, ligneum fieri nequit.

Per quotidianos maris ſævientis curſus ac recurſus, qui ex ſympathia quadam ſuperne ex cœlorum influentia contingentes cauſantur, multæ magnæque divitiæ terris accedunt: Nam quotieſcunque refertur, hominibus aliquid boni ſecum adferunt.

Virgo nuptum elocanda, prius varietate veſtium pretioſiſſimarum ſplendide exornatur, ut ſponſo ſuo placeat, & ſui inſpectione amoris incendium in eo penitus excitet: Cum vero ſponſa ſuo conjungi carnali ritu copulanda eſt, diverſitas omnis veſtium tollitur, nec quicquam ſponſa retinet, niſi illud, quod ſibi à Creatore in nativitate conceſſum eſt,

Eodem modo cum noſter ſponſus Apollo cum ſponſa ſua Diana, nuptias celebraturus eſt, prius quoque ipſis varia veſtimenta præparantur, eorumque capita & corpora aquis optime lavantur, quas aquas tu per diverſos diſtillandi modos addiſcere debes, cum ſint valde inæquales, aliæ magnæ, aliæ exiguæ, pro ut earum neceſſitas requirit, quemadmodum de variis potus generibus dixi: Ac ſcias, cum humiditas terræ aſcendit & nebula elevatur, in ſuperiori parte congelatur, & ſua gravitate deorſum cadit, qua ratione terræ ablata humiditas reſtituitur idque terram reficit, nutrit & alit, ut folia & gramina inde enaſci poſſint: Idcirco nonnullæ præparationes tuarum aquarum diſtillando ſæpius repeti debent, ut id, quod à terra abſtractum eſt, ipſi ſæpiſſime reddas ac iterum abſtrahas, velut Maris Eurypus terram ſæpe relinquit ac rurſum obtegit, donec ad certam metam perveniat.

Cum ita hoc modo Palatium Regis variis manuum opificiis præparatum & exornatum fuerit, ac mare vitreum ſuum curſum abſolverit, palatiumque bonis repleverit, tum tuto Rex ingredi, ſuamque ſedem inibi ponere poterit.

Verum, amice mi, notes hoc inprimis, ut ſponſus cum ſua ſponſa nudus cum nuda conjungatur: ideoque omnes res præpatatæ ad veſtium ornatum & pulchritudinem faciei ſpectantes iterum removeri debent, quo nudi ſepulchrum poſſideant, pro ut nudi nati ſunt, ne eorum ſemen peregrini commixtione corrumpatur:

Pro concluſione hujus ſermonis dico tibi in omni veritate, quod precioſiſſima aqua, qua ſponſi balneum fieri debet, ex duobus pugilibus (intellige, ex duabus contrariis materiis) prudenter magna cura conficiatur, ut adverſarius unus alium propellat, adque pugnam habiles fiant, ac bravium obtineant: Non enim utile eſt Aquilæ, nidum ſuum in alpibus ponere: Nam pulli ejus præ frigore nivis in ſummitate montium morerentur:

Quod ſi vero aquilæ draconem frigidum qui ſuam habitationem in petris longo tempore habuit,

buit, & ex terræ ſpeluncis prorepit, addas, amboſque in infernalem ſellam ponas, tum Pluto ventum afflabit, & ex frigido dracone igneum ſpiritum volatilem eliciet, qui ſuo magno calore aquilæ pennas comburet, ac ſudorificum balneum excitabit, adeo ut nix in ſummis montibus colliqueſcat & aqua fiat, quo minerale balneum bene præparetur ac regi fortunam ac ſanitatem tribuat.

III. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. III. fig. 3.

PEr aquam ignis extingui & penitus tolli poteſt; Et ſi multum aquæ in exiguum fundatur ignem, tum ignis aquæ ſuccumbere cogitur, ipſique Dominium victoriæ concedere: Ita & noſtrum igneum ſulfur per aquam ad arrem præparatam ſuperari & vinci debet ſi modo poſt aquæ diſceſſum ignea vita noſtri ſulphurei vaporis triumphare debeat & victoriam iterum obtinere: Nullus autem triumphus contingere in hoc propoſito poteſt, niſi Rex aquæ ſuæ fortem vim & potentiam addiderit, eique ſui coloris proprii clavem addicarit: ut per eam deſtruatur & inviſibilis fiat, verum hac vice ejus viſibilis forma redire debet, cum diminutione tamen ſimplicis ſuæ eſſentiæ ac emendatione ſui ſtatus.

Pictor in albo flavum, & in flavo rubeum ac omnino purpureum colorem pingere poteſt: & quamvis omnes adhuc colores adſint, tamen ultimus in gradu ſuo ſummus, prævalet: Idem in noſtro magiſterio contingere debet: cumque id factum, tum lumen omnis ſapientiæ pro oculis habes, quod in tenebris ſplendet, licet non ardeat: Nam noſtrum ſulphur non urit, & nihilominus longe lateque emicat: nec quicquam colorat, niſi præparatum ſit, ſuoque colore coloratum, quo & poſt colorare valeat imbecilla & imperfecta metalla: Non autem conceſſum eſt illi ſulphuri colorare, niſi color ille cum magna perſeverantia ipſi abdicatus ſit: Nam imbecillius ſuperare nequit, ſed fortius obtinet Dominium in imbecillius, & debile cogitur robuſto cedere; Idcirco pro hoc ſermone concluſionem ſequentem & ſententiam retine, parvum alteri parvo ſubvenire nequit, nec opem præſtare in operando, & res combuſtibilis alteram rem combuſtibilem defendere non poteſt, ne & ipſa comburatur: ſi itaque defenſor adeſſe debet, qui juvamentum combuſtibili præſtet, idque defendat, tum defenſor ipſe plus potentiæ habebit, quam ille, cujus defenſionem ſibi ſumit, ac imprimis ipſe in ſua ſubſtantia incombuſtibilis neceſſario exiſtet: Ita & qui noſtrum imcombuſtibile ſulfur omnium ſapientum præparare velit, primo conſideret apud ſe, ut ſulphur noſtrum quærat in eo, in quo incombuſtibile eſt quod fieri nequit, niſi mare ſalſum corpus abſorpſerit, ac iterum ex ſe rejecerit. Tum exaltes ipſum in ſuo gradu ut omnes cœli alias ſtellas claritate ſua longe antecedat, inque ſua eſſentia: adeo ſanguine abundet, inſtar Pelicani, cum ſe in pectore vulnerarit, tum abſque defectione ſui corporis, multos pullos educare & ſanguine ſuo enutrire poſſit: Illa eſt Roſa noſtrorum magiſtrorum, colore tyrio, & rubeus ſanguis draconis, à multis deſcriptus, pallium quoque purpureum ſumme foliatum in noſtra arte, quo Regina ſalutis operitur, & quo omnia metalla elegantia calore refici poſſunt:

Hoc pallium honorificum ſerves bene, una cum aſtrali ſale, quod cæleſte hoc ſulfur conſequitur, ne adverſi quid illi accedat, & de volatilitate avis ipſi concedas, quantum ſufficiat, tum Gallus devorabit vulpem, & poſt in aqua ſuffocabit, perque ignem reſuſcitatus à vulpe iterum devorabitur, ut par pari referatur.

IV. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. III. fig. 4.

OMnis caro ex terra exorta corrumpenda & in terram iterum redigenda erit, ceu prius terra fuit, tum ſal terrenum dat novam generationem per cœleſtem reſuſcitationem: Ubi enim prius terra non fuit, ibi reſurrectio ſequi nequit in noſtro opere: Nam in terra eſt naturæ balſamum & ſal illorum, qui inquiſiverunt cognitionem omnium rerum.

In extremo judicio mundi, per ignem mundus judicabitur, ut quod prius à magiſtro ex nihilo factum, rurſus per ignem redigatur in cinerem, ex quo cinere Phœnix tandem pullos ſuos produceret: Nam in ejuſmodi cinere latet verus & genuinus tartarus, qui ſolvi debet, & poſt ſolutionem ejus, ſera fortiſſima conclavis regii aperiri poteſt.

Novum cœlum ac terra formabitur poſt combuſtionem, & novus homo longe ſplendidius lucebit, quam ante in primo mundo vixit, qui clarificatus erit:

Cum cinis & arena per ignem bene maturentur & excoquantur, tum vitrarius inde vitrum conficit, quod poſt in igne ſemper perdurat, & in colore pellucido lapidi ſimile nec cinere amplius agnoſcitur, idque ignato magnum myſterium eſt, experto autem nullo modo, quia ipſi per ſcientiam & crebram experientiam opificii rationem obtinet.

Ex lapidibus opifex quoque calcem uſtione parat, ut utilis ſit labori, antequam vero per ignem præparetur, lapis eſt, & non pro calce ad laborem adhiberi poteſt, per ignem vero lapis is maturatur, & ab igne gradum ſumme calidum acquirit, adeoque potens fit, ut igneo calcis ſpiritu, ſi ad perfectionem ſuam perductus ſit, vix quicquam comparari queat.

Quælibet res ſi in cineres comburatur, per artem de ſe præbet ſal ſuum, quod ſi in ejus anatomia ſulfur & Mercurium ſeparatim ſervare poſſis, & ſuo ſali iterum reſtituere, juxta ſufficientiam artis, tum iterum inde fieri poterit ignis beneficio, id, quod ante ejus deſtructionem ſeu anatomiam fuerat, quod prudentes hujus mundi ſtultitiam vocant, proque pugnis reputant, appellantes id novum creatum, quod peccatori à Deo non conceſſum eſt, at nec ipſi intelligunt, quod creatum illud ante fuerat, & artifex ſaltem per ſemen naturæ augmentationem ejus & magiſterium comprobet.

Quicunque artifex cinerem non habet, nec ſal ad noſtram artem conficere poteſt, nam abſque ſale noſtrum opus corporeum fieri nequit: coagulationem enim omnium rerum ſolummodo ſal operatur.

Quemadmodum ſal omnium rerum ſuſtentaculum eſt, eaſque præ putredine conſervat, ita & ſal noſtrorum magiſtrorum, metalla tutatur, ne in nihilum prorſus redigantur & corrumpantur, quo minus inde aliquid iterum fiat, niſi forte Balſamus eorum intereat, & incorporatus ſatis ſpiritus è natura recedat, tum corpus eſſet omnino mortuum, & nihil cum fructu aliquo inde confici poſſet, quia

spiritus metallici decessissent, & per naturalem sui interitum reliquissent habitationem nudam & vacuam, in quam nulla vita reducenda esset.

Nota autem hoc, artis studiose, quod sal ex cinere plurimum valeat, inque eo multæ virtutes lateant: veruntamen ipsum sal inutile est, nisi interius ejus conversum & exterius reductum sit. Nam solus est spiritus, qui dat vires & vitam: nudum corpus adhuc nihil præstat: si scieris illum reperire, habebis sal Philosophorum, & oleum incombustibile verissime: de quo ante me multa scripta sunt.

Quamvis sophorum plurimi
Me quæritarint anxii,
Pauci tamen vires meas
Considerarunt abditas,

V. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. III. Fig. 5.

VIvifica vis terræ omnia producit, quæ ex ea proveniunt, & quicumque dicit, terram esse vitæ expertem, veritati contrarium statuit. Nam mortuum vivo alteri nihil suppeditare potest, & incrementum apud mortuum deficit, quia spiritus vitæ avolavit: Idcirco spiritus est vita & anima terræ, qui in ea habitat, & à cœlesti & sydereo in terrestre operatur: Nam omnes herbæ, arbores & radices, atque omnia metalla & mineralia, vires suas, incrementum & nutrimentum ex spiritu terræ accipiunt: quia spiritus est vita, qui ab astris nutritur, & deinceps alimentum omnibus vegetabilibus concedit, & veluti mater fœtum in utero abscondit & apud se enubit. Ita & terra mineralia, in ejus gremio submersa, per spiritum suum, superne acceptum fovet:

Quapropter terra per se vires illas non dat, sed vivificus spiritus, qui in illa existit, & si terra suo destitueretur spiritu, foret mortua, nec nutrimentum præberet, amplius: siquidem ejus sulphuri aut pinguedini spiritus, qui vim vivificam conservat & omnia crescentia per nutrimentum producit, deficeret,

Duo spiritus contrarii una cohabitare possunt, ac non facile conveniunt: cum enim pulvis pyrius incenditur, duo illi spiritus, ex quibus pulvis ille compositus est, cum maximo crepitu & impetu ab invicem fugiunt, & volant in auras, ut nemo dignoscere possit aut dicere quorsum profugerint, nisi ab experientia cognitum fuisset, quales spiritus & in qua substantia extitissent:

Ex quibus scias, mi studiose artis, vitam solummodo esse verum spiritum: atque ita omne quod vulgus ignarum pro mortuo reputat, iterum in imperceptibilem, visibilem & spiritualem vitam reducendum, inque ea conservandum fore, si modo vita cum vita operari debeat, qui spiritus se pascunt & nutriunt cœlesti, & sunt à cœlesti, elementari & terrestri substantia procreati, quæ materia informis appellatur.

Et quemadmodum ferrum suum habet magnetem, qui id mirifico & invisibili amore allicit, ita & nostrum aurum quoque magnetem habet, qui magnes est prima materia magni lapidis, si hos meos sermones percipis, præ toto mundo dives & beatus es.

Adhuc unam declarationem in hoc capite tibi exponam, cum homo in speculum inspicit, reflexio ipsius imaginem causatur, quæ si manibus attingatur, nihil palpabile ibidem invenitur, nisi speculum, in quod homo respexit. Ita etiam ex hac materia spiritus visibilis educendus est, qui tamen impalpabilis est: Ille idem spiritus, inquam, est radix vitæ nostrorum corporum, & Mercurius Philosophorum, unde liquorosa aqua paratur in nostra arte, quam tu in sua compositione iterum materialem efficere, & per certa media, ab infimo ad summum gradum in perfectissimam medicinam reducere debeas: Nam nostrum initium est obseratum & palpabile corpus, medium spiritus fugitivus, & aqua aurea absque omni conversione, ex qua nostri magistri vitam suam acceperunt, finis autem est fixissima medicina humanorum & metallicorum corporum, quam potius angelis, quàm hominibus scire, concessum est, licet & ejusmodi homines talem adepti sint, qui precibus ex corde profectis eam à Deo impetrant, & erga ipsum & egenos homines grati sunt.

Pro conclusione horum, dico certissime, quod labor unus ex alio proveniat: nam nostra materia in principio operis nostri optime & summe purificata esse debet, deinde soluta & destructa, penitusque corrupta & in pulverem & cineres redacta: Cum id omne factum est, tum præpara inde spiritum volatilem, album instar nivis, & alium spiritum volatilem, rubrum instar sanguinis, qui duo spiritus tertium in se continent, & sunt tandem unicus spiritus, suntque ii tres spiritus, qui vitam conservant & augent: eos conjunge, da ipsis, quicquid de cibo & potu naturaliter necessum sit, & contine eos in thalamo caloris usque ad perfectionem nativitatis: tum videbis & experieris, quid Creator & Natura tibi concesserint. Et scias, me ore meo hucusque nullam patefactionem ejusmodi fecisse; ac Deus plus efficaciæ & mirabilitatis in natura posuit, quàm multa hominum millia credere possint. Mihi autem sigillum impressum est, ut & alii post me mirabilia scribere valeant, quæ naturalia à Creatore concessa, at pro innaturalibus ab insipientibus habentur: Nam naturale primum suum initium à supernaturali sumit, & nihilominus omne simul nil nisi naturale reperitur.

VI. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. III. Fig. 6.

MAs absque fœmina pro dimidiato habetur corpore, & fœmina absque viro similiter dimidii corporis vicem obtinet: nam singuli per se nullum fructum edere possunt: Cum vero conjugali fœdere conjuncti vivunt, corpus perfectum est, & per semen eorum augmentatio sequi potest.

Cum nimium seminis in agrum projicitur, ager superfluitate laborat, ne maturus sequi possit fructus, si vero diminutius sit semen, fructus rariose & lolium ejus loco succrescit, quo nec sit utilitas ulla consequutura,

Si quis conscientiam suam non peccato onerare velit in venundandis mercibus, proximo suo justam mensuram præstet; atque ulnas & ponderalegitima suppeditet, quo maledictionem fugiat, & apud pauperes sacrificium laudis paret.

In magnis aquis facile quis suffocari potest, & aquæ parvæ non difficulter calore solis exiccantur, ut nullius respectu sint

Idcirco ad obtinendam optatam metam, certa mensura in commixtione philosophiæ liquorosæ substantiæ, observanda erit, ne majus minorem portio-

nem

PRIMA CLAVIS.



FIG. 2. II. CLAVIS



FIG. 3.
III. CLAVIS.



FIG. 4.
IV. CLAVIS.



FIG. 5.
V. CLAVIS.



FIG. 6.
VI. CLAVIS.





nem superet & opprimat, quo generatio prohibeatur, & ne minus præ majori nimis imbecillem sit, quo & æquale Dominium exercere possit: Nam pluviæ fructibus inutiles sunt, & siccitates nimiæ nullam perfectionem veram producunt; Quocirca si Neptunus balneum suum legitime præparavit, aquam permanentem bene ponderes, sedulaque cura consideres, ne quid nimis aut minus illi facias.

Duplex igneus mas uno candido cygno pasci debet, qui invicem se interiment, ac iterum ad vitam restituent: Et aër quatuor mundi partium tres quartas ignei viri inclusi occupabit, ut cantus cygnorum exaudiri possit, ad modos valedicendi Musicos exprimendum. Tum assatus Cygnus cibus erit regi, & igneus rex jucundam vocem Reginæ valde amabit & præ magno amore amplectetur, seque ea satiabit, donec ambo evanescant, & in unum corpus coaleant.

Vulgo dicitur, quod bini tertium superare & prosternare possint, præsertim si spacii satis sit malitiam suam exercendi; Adhoc scias, ex vero fundamento, quod geminus ventus venire debeat, vulturnus dictus, ac deinde simplex, Notus appellatus, qui ab oriente & meridie impetuose spirabunt, quorum motione cessante, ita ut ex aëre facta sit aqua, audacter confides, quod ex spirituali corporale fiet, & quod numerus per quatuor anni partes, in quarto cœlo, postquam septem planetæ imperium suum exercuerint, dominabitur, ac in infima habitatione palatii cursum suum perficiet; summumque examen expectabit, tumque bini illi emissi tertium superarunt & absumpserunt.

In hoc ipso nostri magisterii scientia est perneccssaria: Nam divisio & compositio ut recte fiant necesse est, si modo ars divitias parere, ac bilanx non per inæqualia pondera falsificari debeat; Estque hæc rupes nostræ intentionis, quod tu hoc caput per cælum artificiale, per aërem & terram, cum vera aqua & perceptibili igne, in positione legitimi ponderis absque ullo defectu, finire teneatis, veluti vere tibi dixi.

VII. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. IV. Fig. 1.

NAturalis calor conservat vitam hominis: Nam si naturalis calor decesserit, vita finem sortitur: Naturalis ignis, si temperate usurpetur, defendit præ frigore, superfluitas autem ejus destructionem causatur: Non est necessarium solem corporaliter cum sua substantia attingere terram, verum sufficit, si à longinquo per radios, qui per reflexionem, cum in terram incidunt, fortiores fiunt, vim suam exerat: Nam per ista media satis habet efficaciæ officium suum peragere, & per concoctionem omnia maturare: Per aëris enim distantiam radii solares in temperiem quandam adducuntur, ut ita ignis medio aëris, velut aër ignis medio operari queat.

Terra absque aqua nil producere potest, & vicissim aqua absque terra nihil excitare: Quemadmodum jam terra & aqua una alterius ope indiget ad fructus generandos, ita nullo modo ignis aëre & aër igne carere potest: Nam ignis absque aëre vitam non habet, & aër absque igne colorem & siccitatem suam præstare nequit.

Vitis in ultima sua maturatione radiis & calore solis magis opus habet, quàm in initio veris. Etsi sol in autumno operationem suam bene exerit, vitis succum suum melius & fortius exhibere solet, quàm si defectu caloris radii solares ipsi defuerint.

In hyeme vulgus omnia mortua esse existimat, quid frigus terram constrinxit, ne quia inde excrescere queat: quam primum vero ver sese offert, ut frigus ascensione solis diminuitur, omnia in vitam revocantur, arbores & herbæ vegetant, & reptilia animalcula, quæ gelidam hyemem fugerant, ex speluncis & specubus terræ prorepunt, omnia vegetabilia novum de se spargunt odorem, eorumque præstans operatio per pulchros, amabiles & varios florum colores indicatur: atque sic æstas operando procedit, uti ex ejusmodi flosculis cujuslibet generis fructus ferat, pro quibus merito Creatori, qui tali ordinationi metam per naturam, præfixit, gratias agere debes.

Ita annus post annum operatur, donec mundus ab Architecto suo iterum destruatur, & illi, qui terram obsident, per glorificationem Dei exaltentur: tum omnis terrestris natura operari desinet, & cœlestis æterna ejus vice habitabit.

Cum Sol in bruma procul à nobis cursum suum peragit, altam nivem liquefacere nequit, si vero propius nobis in æstate accedat aër ignitior & fortior fit, ut nix colliquescens in aquam decidat, seque destruat, Debile enim fortiori cedere cogitur, & fortius debili dominatur.

Ita quoque in hoc magisterio ignis regimen observari debet, ne humidus liquor justo citius exsiccetur, ac terra sapientum nimis cito colliquefiat & solvatur; Alias ex piscibus salubribus in aquis tuis scorpiones generares: Verum si laboris tui verus director esse desideras, tum sume spiritualem aquam, cui spiritus in initio, incumbebat, & conclude ostium munitionis præ ea: Cælestis enim urbis ab eo tempore à terrestribus hostibus obsidebitur, Atque cœlum tuum per tria munimenta & mœnia fortiter custodiri debet, ne aditus ullus, præterquam unus, isque custodiis optime munitus sit? Tum, ubi omnia illa perfecta sunt, incende lumen sapientiæ, & quære eo Grossum deperditum, tantum illuminationis da, quantum sufficiat; Nam scias, quod reptilia animantia & vermes in terra frigida & humida morentur, ratione suæ qualitatis: Hominis autem habitatio est supra terram in temperata & complexa proprietate ordinata: Angelici vero spiritus cum non habeant terrestre, sed Angelicum corpus, nec carni peccatis pollutæ, ut homo, sint obnoxii, superiori ponuntur gradu, ut ignem & frigus pariter in suprema & infima regione, absque ullo impedimento tolerare possint. Et postquam homo clarificatus fuerit, cœlestibus spiritibus in hoc æquabitur: Deus autem cœlum & terram gubernat, & operatur omnia in omnibus. Quod si nostræ animæ recte prospicimus, tum & nos denique filii & hæredes Dei efficiemur, ad id peragendum, quod jam nobis impossibile, verum hoc fieri nequit, nisi omnis aqua exiccetur, & cœlum & terra cum cunctis hominibus per ignem judicentur.

VIII. CLAVIS.

Vid. Tab. II. Tab. IV. Fig. 2.

OMnis caro sive humana, sive animalium sui augmentationem aut propagationem nullam producere potest nisi id fiat principio per putrefactionem: semen quoque agri & omne, quod vegeta-

vegetabilibus ſubjectum eſt & appropriatum, augmentari nequit, niſi putrefactione: Multa inſuper animalcula & vermes vita donantur, ita ut ex mera putrefactione vivificam vim & operationem conſequantur, quod præ omnibus miraculis merito ut miraculum agnoſcendum erit; verum natura hoc ipſum conceſſit, cùm ejuſmodi vivifica augmentatio & inſpiratio vitæ ut plurimum in terra reperiatur, & per alia elementa ſpirituali ſemine ea ratione excitetur.

Hoc exemplis demonſtrandum, novit uxor ruricolæ optime: Nam gallinam nullam ad rem familiarem educare poteſt, niſi id fiat putrefactione ovi, ex quo pullus generatur.

Si panis in mel incidat, in eo naſcuntur formica, quod quoque ſingulare naturæ miraculum eſt præ aliis. Agricola animadvertit etiam, quod ex putrida carne vermiculi oriantur in hominibus, equis, aliorumque animalium corporibus, quemadmodum etiam in nucibus, pomis, pyris, & ejuſmodi araneæ, vermes, & ſi quid præterea ſit, at quis varia genera & ſpecies vermium enumerare poteſt, quæ ex ſola putrefactione procedunt.

In herbis idem videre eſt, quod diverſa herbarum genera, ut urticæ & ejuſmodi plura in iis proveniant locis, ut herba talis nunquam crevit, aut ſemen ejus decidit: ſolummodo ex putrefactione, cauſa ejus eſt, quod terra ad iſtos fructus iis locis ſit depoſita, & quaſi imprægnata, quod à proprietate ſyderea ipſi ſuperne influxit: ut ita ſemen ſpiritualiter in ea produxerit: quod ſemen in terra ſeipſum putrefecit, & per operationem & adjumentum elementorum, corporalem materiam generavit, ſecundum ſpeciem naturæ: Ita aſtra unà cum Elementis poſſunt novum aliquod ſperma excitare, quod nunquam ante fuerat: & poſtea per ſuccedentem putrefactionem augmentari poterit: Homini autem tantum non eſt conceſſum, ut novum ſperma excitet: Nam operatio elementorum & ſyderum eſſentia non eſt in ejus poteſtate ad formandum: Ita & creſcunt varia genera herbarum ſaltem ex putrefactione, quia vero agricola hæc pro conſuetis habet, nec amplius conſiderat, nec cauſam ejus ſcientiæ ſibi imaginari poteſt, apud vulgum conſuetudinis vicem obtinet: Tu autem, cui plura quam vulgari alicui, ſcire conveniat, ſermones & ſententias ampliores percipiendo, cauſas ad fundamenta addiſcas, per quod ex quo vivificatio reſuſcitationis & generationis ex ejuſmodi putrefactione proveniat: non cognoſcendo id ut conſuetudinem, ſed ut naturæ indagator: cum in ſumma omnis vita per putrefactionem oriatur & cauſetur:

Quodlibet elementum per ſe habet ſuam corruptionem & viciſſim generationem: Nam artis cupidus hujus certior factus ſit, & ex ſuperabundante fundamento cognoſcat, ut in uno quoque Elemento cætera tria delitescere: Nam aër habet ignem, aquam & terram in ſeſe, quod incredibile videri poſſet, cum tamen ſit ipſa veritas. Ita & ignis, aërem, aquam & terram in ſe continet, alias nihil generaret. Et aqua particeps eſt terræ, aëris & ignis, alias nihil ſequi poſſet in generatione, non conſiderato eo, quod quodlibet Elementum ſeorſim ſit, cum ea nihilominus permixta ſint: Hoc per deſtillationem in ſeparatione Elementorum omne reperitur.

Et ut hoc tibi per legitimam probam oſtendam ne ignarus dicas, mea prolata eſſe, mera verba & neutiquam vera, prædico tibi, cui naturæ ſeparatio indaganda convenit & Elementorum diviſio cognoſcenda; propoſita eſt, quod in diſtillatione terræ, primò aër omnium facillime tranſit, poſt quem continuatione terra, aquæ Elementum præcedit: Ignis in aëre latet, quia uterque ſunt ſpiritualis eſſentiæ, & ſe invicem mirabiliter amant, Terra in fundo remanet, in qua eſt ſal precioſiratis.

In diſtillatione aquæ, aër & ignis primo progreditur, poſt aqua & corpus terræ in fundo manet. Elementum ignis, ſi inviſibilem ſubſtantiam redigatur per extractationem ignis, aquæ & terræ quodlibet per ſe elici poteſt: ſimiliter aër in reliquis tribus Elementis habitat: Nullum enim eorum aëre carere poteſt: Terra nihil eſt, nec quicquam producere poteſt abſque aëre, ignis non ardet, nec habet vitam abſque aëre, Aqua nullum fructum generare poteſt ſine aëre: Porro nec aër quicquam conſumere nec humiditatem exſiccare poteſt, niſi fiat calore naturali: Cum itaque fervor & calor in aëre reperiatur, Elementum ignis utique in aëre erit: Nam omne quod calidum & ſiccum igneæ ſubſtantiæ addictum eſt quocirca unum Elementum altero carere nequit, ſed commixtio quatuor Elementorum ſemper in generatione omnium rerum invenitur: & qui contrarium ſtatuit, nullo modo arcana naturæ intelligit, nec eorum proprietates indagavit:

Nam ſcire te oportet, ſi quid per putrefactionem naſci debeat, ut hoc modo eveniat, neceſſe eſt: Terra per occultam & incluſam humiditatem in corruptionem aut deſtructionem quandam reducitur, quod eſt initium putrefactionis: nam abſque humiditate, utpote Elemento aquæ, nulla vera putrefactio fieri poteſt: ſi jam generatio quædam ex putrefactione conſequi debeat, per calidam proprietatem ceu Elementum ignis, neceſſum eſt ut accendatur & educetur: Nam ſine naturali calore nullus ortus fieri poteſt: quod ſi generatum vivificum ſtatum & motum aſſumere debeat, abſque aëre id accidere nequit: ſi enim aër ad hoc non una operaretur, ſuumque munus exereret, tum primum compoſitum & ſubſtantia, unde generatio procederet, in ſeſe ſuffocaretur & interiret, propter aëris defectum: Quapropter clare repetitur, & fundamentaliter demonſtratur, nullum perfecte generatum quatuor Elementorum miniſterio deſtitui poſſe, & quod ſemper unum Elementum in alio ſuam operationem & vitam oſtendat, atque ita per putrefactionem manifeſtet: Nam abſque illa hoc tempore & in poſterum nihil in lucem editur: & quod id verum ſit, nempe, quod ad quamcunque vivam & perfectam generationem & reſuſcitationem omnia quatuor Elementa neceſſaria ſint, ſcito, quod cum Adam primus homo ex terræ gleba à ſummo Creatore formatus eſſet, nondum ſeſe exerebat vitæ alicujus perceptibilis motus, donec ipſe Deus ſpiritum inſpiraret: tum terræ gleba vivifica vi donabatur; In terra erat ſal, id eſt corpus: aër inſpiratus erat Mercurius, Spiritus; per hanc inſpirationem dabat ipſi aër genuinum & temperatum calorem: qui erat ſulphur, id eſt ignis. Tum movebat ſeſe & manifeſtabat Adam tali motu, quod ipſi anima vivificata infuſa eſſet. Nam ignis ſine aëre eſſe nequit, & viciſſim nullus aër abſque igne: Aqua terræ erat incorporata; cum neceſſario ſimul, ſi modo vita ſequi debeat, in æquali mixtionis concordantia, exiſtant.

Ita Adam primo ex terra, aqua, aëre & igne, examina, ſpiritu & corpore, ac denique ex Mercurio, ſulfure & ſale, eductus, compoſitus & generatus eſt.

Eodem

Eodem modo Eva prima fœmina, omnium noſtrum mater, eorundem eſt particeps: cum ipſa ex Adamo prognata ſit: Atque ita Eva ex Adamo orta & ædificata eſt, quod bene notes: Et ut iterum ad putrefactionem redeam, inquiſitor magiſterii & deditus Philoſophiæ ſciat, quod pari ratione nullum metallicum ſemen operari poſſit, aut ſeſe augmentare, niſi hoc ſemen metallicum per ſeſe ſolummodò abſque ulla peregrini additione aut permixtione ad perfectam putrefactionem redactum ſit: quemadmodum nulla vegetabilium & animalium ſemina, ut declaratum & dictum eſt, abſque putrefactione augmentationem producere poſſunt: Ita & intellige de metallis, quæ putrefactio beneficio Elementorum perfectam ſuam operationem conſequi debet, non quod Elementa ſint ipſum ſemen, ut ante latis patefactum eſt, ſed quod metallicum ſemen, quod per cœleſtem, ſydeream & elementarem eſſentiam exortum & in corporeum quid deductum eſt, per Elementa porro in talem putrefactionem & corruptionem promovendum ſit.

Nota etiam hoc, quod vivum ſpiritum volatilem habeat apud ſe: Nam in ejus diſtillatione ſpiritus primo procedit, & phlegma poſt: quam primum vero per diuturniorem calorem in acetum reducatur, ſpiritus ejus non adeo volatilis eſt, ut prius, Nam in diſtillatione aceti primo aqua ſeu aquoſitas exit, & ſpiritus ultimò: Et quamvis eadem materia ſit præ oculis, quæ prius in vaſe fuerat, attamen longe aliam proprietatem habet, cum non amplius vinum, ſed per putrefactionem caloris continui transmutatum & acetum factum ſit: Et omne, quod cum vino, aut ejus ſpiritu extrahitur & circulatur, longe aliam habet proprietatem & operationem, quam illud, quod cum aceto elicitur: Nam ſi vitrum Antimonii cum vino aut ſpiritu vini extrahatur: multas provocat ſedes, ac vomitiones: cum ſit adhuc venenum, & ejus venoſitas nondum ſit delcta aut extincta, ſi vero vitrum Antimonii cum bono diſtillato aceto extrahatur, pulchram dat extractionem alti coloris, Tum aceto per balneum Mariæ abſtracto, & flavo pulvere, qui remanet per repetitas diſtillationes aquæ communis, bene abluto, ut omnis acetoſitas recedat, dulcis habetur pulvis, qui nullas ſedes amplius concitet, ſed pulcherrima medicina ſit ad utendum, quæ multum præſtet cum admiratione, & merito miraculum Medicinæ haberi debeat.

Hic pulvis mirabilis reſolvitur loco humido in liquorem, qui abſque omni dolore in Chirurgia multum quoque præſtet, de quo ſatis.

Atque hoc præcipuum caput eſt pro concluſione hujus ſermonis notandum: cœleſtis creatura generata, cujus vita per aſtra conſervatur, & per quatuor elementa nutritur, interire debet, atque poſt putrefieri; quod ſi fiat, aſtra per Elementorum Media, quibus id incumbit, corpora putrefacta rurſum vita donabunt, ut iterum cœleſte quid, quod in ſuprema firmamenti regione habitationem ſuam habebit, inde fiat: ſi id perfectum ſit, videbis, quod terreſtre à cœleſti cum corpore & vita aſſumptum, & terreſtre corpus in cœleſtem ſubſtantiam reductum ſit.

IX. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. IV. Fig. 3.

SUmmus planetarum cœleſtium Saturnus vocatus in magiſterio noſtro viliſſimæ autoritatis eſt: nihilominus præcipua eſt clavis totius artis, at in infimo gradu poſitus, & minimæ æſtimationis in arte noſtra habetur, quamvis etiam per celerem volatum in ſupremam ſummitatem ſupra omnia luminaria ſe elevarit, attamen pennarum ejus reſectione ad infimam omnium illuminationem reducendus & per corruptionem in emendationem promovendus erit, quo nigrum in album, & album in rubrum commutetur, ac per curſum totius mundi colorum cæteri quoque planetæ tranſeant, uſque ad ſuperabundantem Regis triumphantis proprium colorem: Atque ſic dico, etiamſi Saturnus præ toto mundo viliſſimus videatur, tamen eam vim & efficaciam in ſe habet, quod, ſi preciosa ejus eſſentia, quæ eſt extra modum inſenſibilis frigiditas, incurrens, igneum corpus metallicum reducatur, ei currens vivacitas adimi poſſit, adque tale tractabile corpus redigi, quale Saturnus ipſe eſt, verum longe majoris conſtantiæ: quæ permutatio ex Mercurio, ſulfure & ſale ſuam originem, principium & finem ſortitur. Hoc multis difficile intellectu videbitur, prout eſt, verum cum materia ſit vilis, oportet ut intellectus ſit acutus & altus, quo inæquales ſtatus in mundo maneant ad Dominos à ſervis diſcernendos.

Ex Saturno multiplices colores proveniunt: qui per præparationem & artem conficiuntur, ut niger, cineritius, albus, flavus, & rubeus, & præter hos qui mixti hinc oriuntur colores. Ita & materia omnium ſapientum varios colores pertranſibit antequam magnus ille lapis ad certam perfectionis metam exaltetur: Nam quotieſcunque Igni nova porta intromiſſionis aperiatur, toties hinc nova forma & ſpecies veſtium pro præmio conceditur, donec egenus ipſe divitias acquirat, & alterius mutuo dato non indigeat:

Cum generoſa Venus regnum ſuum poſſidet, & pro conſuetudine aulæ Regiæ officia rite diſtribuit, apparet magnifico ſplendore, ac Muſica ipſi ſpecioſum vexillum, rubei coloris, præfert, in quo picta eſt Charitas veſtibus viridibus pulcherrima, aulæque ejus Saturnus magiſter præfectus eſt, qui cum officium ſuum peragit, Aſtronomia ei nigrum vexillum præfert, in quo Fides depicta cernitur flavo & rubeo veſtitu.

Jupiter cum ſuo ſceptro munus Mareſcalli obit, eique Rhetorica vexillum cineritii coloris geſtat, cui Spes coloribus ſplendidis ornatiſſima appicta eſt.

Mars res bellicas omnes callet, & imperium gerit igneo quodam æſtu; ac Geometria ipſi prætendit velum ſanguineum, quo Fortitudo rubeo panno veſtita viſitur: Mercurius vices Cancellarii tenet, eique Arithmetica vexillum omnium colorum præfert, cui Temperantia appicta eſt coloribus mirificis.

Sol eſt vicarius regni, & Grammatica ei flavum vexillum præfert, in quo Juſtitia depicta eſt aureo veſtitu, qui vicarius, etſi in ſuo regno plus poteſtatis habeat, tamen Venus Regina ipſum ſplendore ſuo ſuperabundantiſſimo excæcavit & vicit.

Luna quoque tum apparet, & Dialectica ipſi argenteum & ſplendens velum præfert, cui prudentia cœleſtino colore appicta fuit: Ac quoniam Lunæ maritus mortuus ſit, officium ipſa ad ſe tranſtulit, ne in poſterum reginam Venerem dominari permittat: Nam rationes œconomiæ gratia cum ea contraxit, tum Cancellarius ipſi ſubveniet, novum imperium inſtituatur, atque ipſi ambo in

Reginam

R ginam dominentur, intellige, quod unus Planeta alium de ſua dominatione, officio poſſeſſione & potentia depellere & removere debeat, donec optimi illorum ſummum occupent imperium, cumque optimo firmiſſimoque colore primæ, ſuæ matri appropriato, ex nativa conſtantia, amore & conſanguinitate victoriam obtineant: nam antiquus mundus tranſiit, & novus ejus vice acquiſitus eſt, ac planeta unus alium ſpiritualiter conſumpſit, ut ſaltem fortiſſimi aliorum nutrimento remanſerint, duo ac tres per unum ſolum ſuperati.

Pro ultima concluſione ex omnibus hiſce percipias, quod producere debeas cœleſtem libram, arietem, taurum, cancrum, ſcorpium, & capricornum; ab altera parte libræ ponas geminos, ſagittarium, aquarium, piſces, & virginem, tum fac ut aureus leo virgini in gremium inſiliat, atque ſic illa pars libræ ſuperabit, atque alteri parti in pondere prævalebit: ſine tum ut duodecim ſigna cœli cum pleiadibus in oppoſitum proveniant, atque ſic poſt omnium mundi colorum abſolutionem denique conjunctio & unitio fiet, ut maximum in minimum, & minimum in maximum coincidat.

Si ſtaret totius mundi natura
Solummodo in una figura
Nec per artem aliud quid fieret,
Nil mirum tum reperiretur orbe,
Nec natura eſſet demonſtranda,
Pro quo Deus ſit ſumme laudandus.

X. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. IV. fig. 4.

IN noſtro Lapide per me, & longe ante me elaborato, continentur omnia Elementa, omnes minerales & metallicæ formæ, imo omnes qualitates & proprietates totius mundi: Nam in eo reperiri debet maximus & fortiſſimus calor: ſiquidem per ejus magnum internum ignem frigidum Saturni corpus calefcit, atque ea incenſione in optimum aurum commutatur: In ipſo quoque offendi debet maximum frigus, cum ejus conjunctione fervidior Veneris gradus temperetur, ac vivus Mercurius coaguletur, atque pari ratione ſui induratione in optimum, fixum aurum vertatur: cauſa ejus eſt, quod omnes hæ proprietates materiæ noſtræ magni lapides per naturam infuſæ ſint, quæ proprietates per gradus ignis excoquuntur & maturantur, donec ſummam perfectionem acceperint, quod prius fieri nequit, quàm Mons Ætna in Sicilia ab incendio ſuo extinctus ſit, ac nullum frigus amplius in ſummis montibus hyperboreis reperiatur, qui locus etiam Filictum dici poteſt.

Omnes arborei fructus ſi ante maturationem decerpantur, inutiles ſunt & præcoces, nec iis commode uti licet: ſic niſi figulus ſua opera per ignem ſatis urat & excoquat, uſui inidonea ſunt, quia non ſatis ab igne maturata exiſtunt.

Ita & circa noſtrum Elixir reſpiciendum & diligenter conſiderandum eſt, quo juſtum ipſi tempus tribuatur, nec ante illud ipſius bonitati quid detrahatur, ne falſitatis nomine incuſari, ac pro indigno æſtimari poſſit: Nam ſi flores decerpantur facile innoteſcit, nullum fructum hinc creſcere poſſe: Idcirco feſtinatio non convenit magiſterio: Nam qui nimis feſtinat, raro quicquam boni in hac arte præſtat, ſed feſtinando plus corrumpitur, quàm perficitur.

Quapropter veritatis inquiſitor ne deſiderio nimio ſe ſeduci patiatur, ante tempus quid eximere ac decerpere, ne pomum ipſi excidat, & nil, quàm caulis in manu relinquatur: Nam in veritate, ſi lapis noſter non ſat maturetur, nec quid maturum operari poterit.

In balneo materia ſolvitur & per putrefactionem unitur: In cinere flores producit: per arenam omnes ſuperfluæ humiditates exſiccantur: Flamma vero ignis viva profert exactam maturationem cum fixitate: non quod Balneo Mariæ, fimo equino, cinere aut arena ſucceſſive opus ſit aut utendum, ſed ut gradus & ignis regimen ea ratione perficiantur: Nam lapis fit in furno vacuo, triplicis munitionis, firmiter obſeratus, incluſus, continuo igne coctus, donec omnes nebulæ & vapores evaneſcant, ac veſtis honorum cum ſplendore maximo appareat, & in uno loco, infimi cœli, commoretur & in curſu ſiſtatur, cumque brachia Regis ſurſum elevari jam nequeunt, dominium mundi occupatum eſt: Nam Rex æternæ fixitatis factus eſt, nullum ipſi periculum in poſterum nocebit: Cum inſuperabilis evaſerit. Ad hæc dico hoc modo: Cum tua terra in propria ſua aqua ſoluta fuerit, exſicca aquam per ignem debitum omnino, atque tum aër novam vitam inſpirabit & cum hæc vita incorporata fuerit, habebis materiam, quam marito nihil aliud habere poteſt, quàm magnus lapis mundi, qui humana & metallica corpora penetrat, ut ſpiritus, eſtque univerſalis medicina abſque defectu: Nam expellit malum, & conſervat bonum, eſtque emendatio, ut malum cum bono corrigatur: Cor ejus à pellucido rubore declinat ad purpureum, à rubini ad Granati colorem, & in pondere eſt potens & graviſſimus.

Quicunque hunc lapidem adeptus fuerit, ſummo Creatori omnis creaturæ gratias agat, pro ejuſmodi cœleſti balſamo, cumque oret pro ſe ſuoque proximo, ut eo utatur ad temporalis hujus vitæ ſuſtentationem, in hac miſeriarum valle, & in altero mundo poſthac æterna beatitudine fruatur.

Deus pro inenarrabili ſuo dono ac gratia ſumme ſit celebrandus in ſecula, Amen.

XI. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. IV. fig. 5.

VNdecimam clavem de augmentatione noſtri magni lapidis tibi per parabolam proferam & patefaciam hoc modo.

Habitabat verſus orientem Eques Auratus, Orphens appellatus, qui divitiis valde abundabat & omnibus bonis excellebat, Hic propriam ſuam ac germanam ſororem, Euridicem, in uxorem elegerat & duxerat. Cum vero nullam prolem ex ea ſuſciperet, idque peccatis imputaret, quod ſororem pro conjuge haberet, aſſiduis precibus apud Deum ſummum contendit, ac votis inſtitit, ut ſibi gratiam impertiretur, orationique ſuæ locum concederet.

Cumque aliquando ſomno profundo obrutus & ſepultus eſſet, per ſomnium quidam vir alatus, Phœbus vocatus, ad ipſum accedens, pedes ejus, qui valde calebant, tetigit, & dixit: Poſtquam tu nobilis Heros multa regna & provincias, multaque oppida & regiones perluſtraris, ac in vaſto oceano multa pericula pertuleris, in bello tantum exantlaris ut in equeſtrem ordinem adſcitus fueris, præque omnibus id dignitatis meruerit, cum in duellis

& tor-

FIG. 1
VII. CLAVIS.



FIG. 2.
VIII. CLAVIS.



FIG. 3.
IX. CLAVIS.



FIG. 4.
X. CLAVIS.



FIG.
XII. CLAVIS



FIG. 5.
XI. CLAVIS.





& torneamentis multas hastas fregeris, ac sæpenumero gratiam à venerabili gynæceo obtinueris, hinc patet à cœlo mihi in mandatis dedit: ut tibi indicarem, quod preces tuæ locum apud sese invenerint: Idcirco sumere debes sanguinem ex tuo dextro latere, & sanguinem ex sinistro latere tuæ uxoris, atque sanguinem, qui patri ac matri tuæ in ipso corde occultus fuit, naturali jure saltem duplex, & nihilominus unus sanguis: hoc conjunge simul, & fac iterum, ut ingrediantur globum septem Magistrorum sapientiæ, unde conclusi tum genitus potentissimus nutritur sua carne, & reficitur suo sanguine honoris, quod si hoc ritè feceris, numerosam prolem & hæredes de tuo corpore genitos relinques: verum scias; quod ultimum semen in octava temporis mutatione, velut tuum primum semen, ex quo ab initio factus es, cursum suum absolvet: si hoc sæpius facias, ac semper de novo incipias, vicebis natos natorum, quod magnus mundus ex generatione minoris penitus repleatur, quod Creatoris cœleste regnum abundanter possideri queat.

Cùm hoc finitum erat; Phœbus iterum avolavit; & eques ille ex somno excitatus è lecto surrexit; cumque hæc omnia, ut imperata erant, prosequeretur, non solum in omni suo proposito bonum successum experiebatur, sed Deus etiam ipsi ejusque conjugi liberos multos largiebatur, qui porro per sui Patris testamentum memorabile nomen possederunt, & honos equestris dignitatis apud eam familiam cum divitiis continuè perduravit.

Quod si nunc, doctrinæ fili, circumspectus es; non indiges interpretatione alia; si vero intellectus tibi defuerit, ne mihi hoc imputes, at tuæ imperitiæ: Nam prohibitum mihi est, hanc seram aperire amplius, id observare teneor, eique morem gerere: Cui vero Omnipotens concedere velit, illi satis perspicuè & clare scriptum est, atque etiam clarius, quam sit credibile: Nam totum actum figurate & pro more Philosophico descripsi, quemadmodum & antecessores mei fecerunt, atque etiam iis clarius; Nihil enim occultavi; Quod si glaucomam ab oculis removeris; reperies illud, quod multi quæsiverunt & pauci invenerunt: Nam materia penitus suo nomine expressa & principium, ut & medium cum fine indicatum est.

XII. CLAVIS.

Vid. Tom. II. Tab. IV. Fig. 6.

PUgil, qui gladio suo nescit uti, ei nec utilis est: Nam exercitium utilitatis ejus non vere didicit: Cum alius, qui gladii magis callet usum, quàm ille, contra eum in pugnam descendit, inidoneus ab alio male mulctatur: Qui verò palæstræ magisterium propè percepit, bravio potitur.

Ita qui tincturam quandam ex Dei omnipotentis gratia consecutus est, & nescit eam in usum producere illi eodem modo accidit quemadmodum de pugili narratum est, qui gladio suo nequaquam uti novit: Cùm verò hæc duodecima & ultima earum Clavium ad libri mei absolutionem habeatur, non ego te ulteriori parabolico aut figurato sermone detinebo, sed absque omni defectu hanc clavem tincturæ absolutissimo & vero processu aperiam, ideoque meæ doctrinæ, ut sequitur, sis attentus.

Dum medicina & lapis omnium Sapientum ex vero lacte virginis factus & perfectè præparatus sit, sume ejus unam partem, optimi & purissimi auri per Antimonium fusi & purgati, partes tres, idque redige in lamellas tenuissimas, quoad possibile sit, mitte has simul in tigillum, in quo metalla liquefieri solent, primo da ignem lentum per duodecim horas, deinde in liquefactione stet tres dies ac noctes continue; tum purgatum aurum ac lapis mera medicina facta sunt, subtilissimæ, spiritualitatis & penetrantis proprietatis: Nam absque fermento auri lapis operari nequit aut vim tingendi exerere: Nimis enim subtilis est ac penetrabilis, si vero cum sui simili fermento fermentetur & conjungatur, tum Tinctura præparata ingressum accepit in alia operandi: Accipe deinde fermenti præparati partem unam, in mille partes liquefacti metalli si tingere velis, tum scias per summam veritatem ac fidem, quod solum illud in bonum & fixum aurum permutabitur: Nam corpus unum apprehendit aliud, licet non sibi simile sit, nihilominus per vim & potentiam ipsi adjunctam, cogitur eidem assimilari, cum simile à simili originem ducat.

Quicunque hoc utitur medio, illi patefiet omnis certitudo, vestibula palatii in fine exitum suum habent, atque hæc subtilitas nulli creaturæ comparanda est; Nam omnia in omnibus, prout naturali modo & origine in hoc mundo sub Sole fieri potest, possidet.

O principium primi principii respice finem;
O finis ultimi finis intuere principium.

Et medium vobis commendatum sit fideliter; tum Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus vobis dabit, quicquid spiritu, anima & corpore requisitum habeatis.

De prima Materia Lapidis Philosophici.

LApis invenitur, qui non carus est;
Ex quo extrahitur volatilis ignis,
Unde lapis ipse factus est,
Ex albo & rubeo compositus,
Est lapis, attamen haud lapis,
In ipso solum natura operatur,
Qui fons ex eo profluit;
Fixum patrem suum submergit,
Absorbens illum cum corpore vitaque
Donec reddatur illi anima,
Ei mater volatilis ipsi similis
Fiat in suo regno,
Ipse quidem virtute & potentia
Accepit majora robora,
Solem ætate superat.
Mater sua volatilis præparata,
Per Vulcanum sic est antea
Pater ex Spiritu editus.
Corpus, anima & spiritus in duobus existit;
Ex quibus tota res procedit:
Procedit ex uno & est res una,
Volatile & fixum simul colliga,
Sunt duo & tria, & saltem unum.
Si non intelligis, nihil obtines:
Adam in balneo residebat,
In quo Venus sui similem reperiebat,
Quod præparaverat senex Draco,
Cum vires suas amitteret.
Nil est, inquit Philosophus,
Quam geminus Mercurius.
Nil amplius dicam, nominatum est;
Beatus qui vere percepit,
Quæras in eo, nec defatigeris,
Exitus acta probat.

Brevis Appendix *& perspicua Repetitio aut Iteratio* Fr. Basilii Valentini, *Benedict. Ordinis in Librum suum de* Magno Lapide Antiquissimorum.

EGo Basilius Valentinus, Frater Benedictini Ordinis, libellum quendam jam ante scripsi, & velut antiqui, more Philosophico patefeci, quomodo thesaurus antiquissimus acquiri debeat, quo veri sapientes vitam suam in longius ævum protraxerunt.

Et quamvis prout conscientia mea coram Summo in cœlis attestari debet, cui omnia arcana in abdito sunt manifesta, nihil falsi scripserim, sed veritatem ipsam exposuerim, ita ut intelligentes nullo amplius lumine egerent. (Nam Theorica mea ipsis præscripta, quæ per practicam duodecim Clavium confirmata & approbata est, satis superque esset) nihilominus inquietudo insomniorum me eo adegit, per varias cogitationes, ut præscriptum meum libellum per breviorem viam demonstrandum mihi lumerem, atque hoc quasi medio incensum lumen purgarem, quo quilibet amor quæsitæ sapientiæ eo plus splendoris & claritatis ad desiderium suum complendum habeat: Et quamvis multi existimabunt, nimis clare apertum esse, atque ideo multorum peccatorum onera in me recepisse, quilibet tamen sciat, quod illis, qui duræ cervicis sunt, satis difficile erit, invenire hoc, quod quærunt: Electis verò clarum ac facile: Quapropter, mi veritatis sectator ausculta meæ orationi, tum veram viam ad artem invenies.

Nihil autem amplius scripsi, nisi quod post mortem meam ac resuscitationem carnis meæ ipse attestari velim.

Breviorem verò viam ex consequenti narratione fideliter & simpliciter percipies: Mei enim sermones in simplicitate & nullis verborum phaleris fundantur.

Mentionem feci & indicavi, quod omnes res ex tribus essentiis factæ & compositæ sint, nempe ex Mercurio, sulphure & sale, idque verum est, quod docui.

Ad hoc autem scias, quod Lapis conficiatur ex uno, duobus, tribus, quatuor & quinque: Ex quinque, hoc est, quinta essentia suæ substantiæ: Ex quatuor, quibus intelliguntur quatuor Elementa: Ex tribus, ea sunt tria principia rerum: Ex duobus, Namque est duplex Mercurialis substantia: Ex uno: id est Ens primum omnium rerum, quod ex verbo primæ creationis, fiat, profluxit.

Multi vero animo ancipites ex omnibus his sermonibus fieri possent, ad fundamentum habendum & intelligentiam perceptionis consequendæ: ideoque primo brevissime dicam de Mercurio, secundo de sulphure, tertio de sale: Nam hæ sunt essentiæ nostræ materiæ Lapidis.

In initio scias, quod nullum argentum vivum vulgi sit utile, sed nostrum argentum vivum fit ex optimo metallo per artem spagyricam, purum, subtile, clarum, splendens, instar fonticuli, pellucidum, modo Cristalli, absque ulla sorditie: Hinc fac aquam sive oleum combustibile: Nam Mercurius principio fuit aqua; velut omnes Sapientes meæ huic sententiæ & doctrinæ astipulantur.

In hoc oleo Mercurii solve proprium Mercurium, ex quo ipsa aqua facta sit, & præcipita eundem Mercurium cum proprio suo oleo, tum habetur duplex Mercurialis substantia: scias autem, quod aurum tuum prius in singulari quadam aqua, secunda mea clave expressa, post sui purificationem primæ clavis, solvi & in calcem subtilem reduci debeat, veluti in quarta clave, habetur, atque tum ejusmodi calx per spiritum talis sublimetur ac iterum præcipitetur, perque reverberationem in subtilem pulverem redigatur; tum proprium ejus sulphur in suam substantiam facilius ingredi poterit, cumque ea amicari: Nam mirabiliter se invicem diligunt: Atque sic habes duas substantias in uno, & vocatur Mercurius Sapientum, & est saltem unica substantia, id est, primum fermentum.

Nunc sequitur de Sulphure.

Mercurium tuum quæras in simili metallo: Deinde, cum metallum per purificationem & destructionem prioris & & reverberationem, absque ullo corrosivo scias è corpore suo elicere; quæ media tacitus annotavi, in tertia quoque Clave commemoravi; Illum Mercurium post hæc solves in proprio suo sanguine, ex quo ante ejus fixionem ipse factus est, secundum pondus suum in sexta clave indicatum, tum verum leonem sanguine viridis leonis nutrivisti & solvisti: Nam fixus sanguis rubei leonis factus est ex non fixo sanguine viridis leonis, ideoque sunt unius naturæ; & non fixus sanguis volatilem iterum facit fixum, ac fixusque vicissim volatilem fixat, prout ante ejus solutionem fuerat: Deinde in leni calore simul fove, donec ☿ totum solutum sit, tum habes secundum fermentum, sulfur fixum cum non fixo nutriendo, ut omnes Philosophi mecum testantur: Hoc postea spiritu vini sublimatur rubeum instar sanguinis & vocatur aurum potabile, in quo nulla reductio alicujus corporis reperitur.

Sententiam quoque meam dabo

De Sale Philosophorum.

Sal facit fixum & volatile, prout in suum statum ordinatur & præparatur. Nam spiritus ex sale tartari, si per se absque additione extrahatur, per resolutionem & putrefactionem omnia metalla volatilia efficit, eaque resolvit in verum Mercurium vivum seu currentem: ut practicæ meæ doctrinæ habent.

Sal tartari per se figit firmissime, præsertim: si fervor calcis vivæ illi incorporetur: Utraque enim hæc figendi singularem gradum obtinent.

Ita & sal vegetabile vini & figit & volatile efficit secundam diversam præparationem, prout ejus usus exigit, quod certè arcanum naturæ, & miraculum Philosophicæ Artis est.

Homo si aliquandiu vinum bibat, & ex ejus urina sal clarum efficiatur, id volatile est, & reliquas res fixas volatiles facit, secumque per alembicum elevat: non autem figit: Et quamvis nil nisi vinum homo biberit, ex cujus urina Sal illud confectum sit, nihilominus aliam proprietatem habet, quam Sal tartari seu ex fœce vini: Nam transmutatio quædam in humano corpore facta est ita ut ex vegetali, hoc est, ex spiritu vini animalis spiritus salis factus sit; quemadmodum & equi ex avena, fœno & ejusmodi, cum virium suarum corroboratione, mutationem suscipiant, corpore pinguescant, & carnem inde progignant: Item apis ex pretiosissimo florum & herbarum mel conficit.

Ita & de aliis intelligendum: clarius, & causa consistit solummodo in putrefactione, unde talis separatio & transmutatio originem suam ducat.

Communis salis spiritus, qui peculiari modo ultimæ meæ declarationis extrahitur, aurum & argentum, si ei exigua quantitas de spiritu draconis adjiciatur,

adjiciatur, facit volatile, dissolvit, & una secum in alembicum evehit, quemadmodum etiam aquila cum draconis spiritu, qui in petrosis locis degit, efficit, cùm verò quid cum sale, priusquam spiritus de corpore ejus separetur, fundatur, multo magis figit, quam volatilitatem præstat.

Hoc insuper dico, si spiritus communis salis cum spiritu vini imbiatur, & tertia vice simul destilletur, quod dulcescat, suamque aerimoniam deponat. Hic præparatus spiritus non solvit aurum corporaliter, sed si in præparatam auri calcem infundatur, extrahit summum ejus colorem & rubedinem: quæ si rectè fiat, lunam albam ac puram in talem colorem reducit, qualis ejus corporis fuerit, unde ante detractus est. Pristinum quoque corpus suo colore per amorem illecebrosæ Veneris iterum donari poterit, cùm ex ejus origine & statu, nec non sanguine exortum sit, de quo jam non est amplius disputandi locus.

Notes autem, quod spiritus salis quoque lunam destruat, & in spiritualem essentiam redigat, secundum meam institutionem: unde postea Luna potabilis præparari potest: qui spiritus Lunæ spiritui Solis appropriatur, ut mas & fœmina, per copulationem & conjunctionem spiritus Mercurii aut ejus olei.

Spiritus latet in Mercurio, colorem quæras in sulphure, & coagulationem in sale, tum habes ternas res, quæ perfectum quid iterum generare poterunt, hoc est, spiritus in auro cum suo proprio oleo fermentatur, sulphur in pretiosæ Veneris proprietate abundanter invenitur, quod incendit sanguinem fixum, ex ipso prognatum, spiritus ex sale Philosophico dat victoriam ad duritiem, quamvis spiritus tartari & spiritus urinæ unà cum vero aceto multum possint: Nam spiritus aceti frigidus est, & spiritus calcis vivæ intensè calidus, ideoque pro adversis naturis habentur veluti & inveniuntur: Jam non secundum solitam philosophicam consuetudinem locutus sum: verum non me decebit amplius cuiquam narrare, quomodo ostia interius obserata sint.

Hoc pro valedictione fideliter dico: Quære materiam tuam in metallica substantia: Fac inde Mercurium, quem fermenta cum Mercurio quoddam sulphur, quod fermentum cum proprio suo sulphure, & cum sale reduc in ordinem; distilla simul, conjunge omnia secundum sua pondera, tum unum quid eveniet, quod ex uno ante quoque ortum est: id ipsum coagula & fige per continuum calorem: deinde augmenta & fermenta adhuc tertia vice per doctrinam mearum duarum ultimarum Clavium, tum habebis & reperies finem & terminum tui desiderii: Tincturæ usum sine parabola duodecima Clavis per certum processum absolute tradit.

Deo Gratias.

Pro finali Appendice vero tibi narrare cogor, quod ex nigro Saturno & beneficio Jove spiritus quoque extrahi possit, qui post in vere dulce oleum, ceu sui nobilissimum; reducitur, quæ medicina currentem communem Mercurium vivacitate sua particulariter firmissime spoliare eumque emendare poterit, ut in Libro meo quoque docetur.

Addutio.

Cùm jam materiam hoc modo adeptus es nihil aliud postquam ignem cures, quomodo ejus regimen observes; In hoc enim summa rei sita est & finis operis: Nam noster ignis, communis est ignis, & noster furnus communis furnus est: Ac quamvis qui ante me fuerunt, scriptum reliquerint, quod noster ignis non sit communis, tamen in veritate dico tibi, quod omnia arcana pro suo more celaverint: Cum materia sit vilis, & opus exiguum, quod per regimen ignis solummodo adjuvatur & manifestum fit.

Ignis lampadis cum spiritu vini inutilis est. Ad hæc incredibilis sumptus eo impenditur: Finus equinus perditio est, ac materia perfectis gradibus ignis absolvi nequit.

Multi & varii furni non conveniunt: Nam in nostro triplici furno solummodo gradus ignis proportionabiliter observantur; Quapropter ne te loquax Sophista multis furnis seducat in errorem: siquidem vilis est noster furnus, vilis est noster ignis, & vilis est nostra materia, atque vitrum circumferentiæ terræ assimilatur: Ulteriori documento ignis ejus regiminis & furni non indiges. Nam qui materiam habet, ipse sibi furnum inveniet, qui farinam habet, quoque furnum panificii reperire potest, ne de panis coctione valde sit sollicitus.

Peculiares libros hac de re non opus est scribere, dummodo regimen caloris observes, quo inter frigidum & calidum distinguere scias, si hoc attingas, opus peregisti, ac artem ad finem produxisti, pro quo Creator omnis naturæ sit laudandus in sæcula.

AMEN.

SUBSECTIO X.

Congeries Paracelsicæ Chemiæ *de* TRANSMUTATIONIBUS METALLORUM.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

OMNIS Operatio proprium requirit ordinem, sine quo pulchri laudatique nihil perficitur, quod ullam utilitatem adferre queat hominibus. Quid in hac vita quæso confusione potest esse perniciosius? Nunquid scimus hanc perdidisse mundum ab initio, cujus adhuc vestigia magno plurimorum malo sunt ob oculos posita, ut nihil non corruptum cernere liceat ubique gentium. Cuivis igitur bono viro, & Christiano inprimis rejicienda summeque vitanda, maxime quod ex inimico Dei hominumque prodeat. An putamus Deum Optimum Maximum frustra primum, in condendo hujus mundi fabricam, ordinem servare voluisse? Hunc nobis dubio procul meditandum non modo cernendum

propoſuit. Si probe cognitum eſſet quanta hinc nobis utilitas, quanta doctrina obtingere poteſt, nullos alios libros, nullos Doctores eo priores, qui teſtimonium veri ſolus perhibet in cordibus noſtris, optaremus. Hic nos docet in pace, qui pacis eſt auctor, quærere potiſſimum ordinem, qui ſi ſervetur, pacifica ſimul atque tranquilla futura ſunt omnia. Contra cum violatur, mox eſt præ foribus nobis diſcordia per confuſionem. Hinc eſt quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus, pacem toties diſcipulis ſuis inculcans, ab eis quoque recedens pro teſtamento reliquerit, ac nobis in unione. Pacem meam (inquit) do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid aliud ſonant iſta ſacratiſſima verba, quam ſi audiamus, eſtote uniti in me, ſicut ego & pater meus unum ſumus? Alia ſane via non poſſemus uniri quàm pace, quæ conſiſtit in ordinis obſervatione divini. Tenendus eſt igitur in omnibus operibus, ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus, ordo, tanquam pacis & omnis concordiæ radix potiſſima, ut omnes hominum actiones & exercitia quævis hunc ſpectent. Proinde Paracelſus medicinæ ſummum & præcipuum arcanum tractaturus, in tranſmutatione rerum naturalium ad ultimum perfectionis gradum, quis ſit ordo tenendus inprimis indicare voluit. Ob hunc ſiquidem exacte non ſervatum plurimi ſeducuntur in tranſmutationis artificio, qui poſtmodum erroris ſui culpam in artem rejiciunt, hanc una cum ſuis ſcriptoribus falſo falſitatis inſimulant, ac ſi jucundum eſſe poſſet, multos impendere labores in deridendis hominibus. Quicunque talia vel cogitant, vel proferunt, eiſt multam ſibi ſapientiam adſcribant, idiotarum more loquuntur. Natura ſatis hoc genus hominum palam arguit in omnibus. Verum quis ejus ordinem conſiderat, vel ullatenus contemplatur, verum etiam qui profitentur Phyſicam (ut interim de cæteris taceam) quis inquam profunda ſcrutatur ejus myſteria à ſuis operibus manifeſto licet apparentibus & rerum tranſmutationem inficiabitur? Quicquid enim operatur natura, juxta ſibi præſcriptum ordinem divinitus, idipſum efficit abſque variatione, ut ſi per externum accidens nonnunquam impediatur, quo minus hunc obſervare valeat, in monſtrum abit recedens à natura quod producitur. Non eſt hic error ejus, at impedimenti. Quis impedivit, inquies? Confuſionis auctor per ſuos miniſtros id ſemper molitus eſt ab initio, nec deſiſtet in finem uſque. Quapropter non eſt ab hominibus vel ſcriptoribus addiſcendum potius quam ab illa, quam indies videmus tranſmutare compoſita ſua elementa in aliam formam decompoſitam, & non in aliam materiam. Porro communis hæc omnibus rebus & elementis, ut nonniſi forma ſpecies inter ſe differant. Hujus exemplum eſto terra vacua, ſterilis & inanis, quæ ſub dio tantum poſita, ſola rigatione per pluviam, radiiſq; ſolaribus præter omne ſemen aliud, ſuas producit herbas, animalcula, nec non mineralia. Quis quæſo non videt hanc eſſe naturalem tranſmutationem formarum, & non materiæ? Hoc etiam docemur exemplo, ſi formæ ſeparantur ab elementis naturalium, hæc ad quamcunque formam idonea fieri. Quandoquidem una & eadem elementorum materia non unam aut aliam, ſed omnes formas in triplici genere productorum ſuſcipit. Nec opus eſt perquirere utrum elementa vegetabilium ſuis ſpoliata formis, valeant formam recipere mineralem; res per ſe clara eſt: porro cadaverum elementa, in terram reverſa, fiunt elementa vegetabilium & aliorum, ſic de reliquis. Cum igitur elementum unius generis, alterius generis fiat elementum, quanto magis elementum unius ſpeciei, fieri poteſt elementum alterius ſpeciei ſub eodem genere. Formæ namque non ſunt ex elementis, at ex firmamento. Proinde nemo ſane tranſmutationes rerum negare poterit, qui formas ab elementis ſeparari videt. Experientia ſit lignum igne conſumptum & in cineres verſum, forma ſua vegetabili in auras abeunte, quæ ſi per ſpagiricum vas excipiatur ne avolet, ac iterum ad ſuos refundatur cineres, putrefcentur ſimul in muſcilaginoſam ſubſtantiam, terræque rurſum demandentur, in priſtinam redibunt formam, quod quidem cineres per ſe non effeciſſent, ut ponit Auctor Libro de Reſuſcitatione Rerum. Qui credere nolit, experiatur, ac ordinem præſcriptum ſervet, alioqui non eveniet ob confuſionem, quod ſine hac optime ſucceſſiſſet. Ut igitur propria forma ſeparari poteſt à ſuis elementis, ac rurſum in ea redire, ſi hæc alterius ſpeciei forma ſint imbuta, ſub eodem genere tamen; quid obſtabit, quin eam induant? Elementa ſiquidem nullum de ſe formam edunt, ſolum eam, quæ eſt in ſemine, quemadmodum terra non elementi cujuſpiam formam producit, ſed bene frumenti ex frumento, & arboris è nucleo. Primum igitur ac præcipuum hujus rei negotium in eo conſiſtit, ut ritè juxta ſpagiricum ordinem à natura mutuatum, fiat ſeparatio formarum à ſuis elementis. Hunc non ſomniarunt Spagiri Philoſophi more Græcorum, ſed à natura tantum edocti, vitreis utuntur organis, ut illa ſtomacho, quibus & igne ſuam coquunt materiam ut ipſa naturali calore cibum in chylum macerat coquendo, ſubtiliat, ſolvit ac putrefacit priuſquam ſeparet. Ars pariter ſuam materiam calcinando ſublimat, ſolvit, & putrefacit antequam deſtillatione ſeparet. Poſtmodum ſegregat purum ab impuro, videl. firmamentales partes ab elementis, & rurſum utraſque à ſuis impuritatibus ſuperfluis. Idipſum natura docet, quæ chylum ſuum putrefactum in duas partes dividit, unam ut puriorem hepati rurſum decoquendam exhibet, alteram autem ut impuriorem ad inteſtina relegat in ejectionem. Ab hepate fit & altera ſeparatio, quarum una inſervit nutriendis elementis corporis, altera vero vitalibus & firmamentalibus partibus alendis atque fovendis, ad ſpiritus vitæ retentionem in ſuo ſubjecto, radicali humido videlicet. In hoc paſſu controverſia cernitur Græcorum cum ſpagiris: illi volunt ſeparationem in hepate fieri quatuor humorum tantum quos tribuunt elementis, & ita firmamenti rerum nullam vel mentionem faciunt, neque diſcretionem, ac ſi vita eſſet ex elementis, confuſam de his tradunt abſque diſcrimine doctrinam: contra ſpagiri docent, elementa ſibi ſimilibus alit tantum, & vitalia vitalibus. In dubium ſiquidem nemo phyſicus revocare poteſt, vitam rerum naturalem deberi firmamento poſt Deum, & non elementis: item corporea nutriri corporibus, ſpiritibus quoque ſpiritualia corpora; vel ut melius intelligatur, materialia materialibus, quemadmodum formalia formalibus corporibus: ne dicamur ab argutis formas abſque materia ponere, vel econtra. Dicimus enim elementa propriam, & formam, & vitam à firmamento etiam eſſe ſortita, ſed hæc ipſa ſola generare minimè poſſe præter alios firmamentales influxus peculiares, non magis quàm ſine viro fœmina. Deus porro vitam in creatione per lucem dedit omnibus, ad propagationem verò quibuſque ſemen in quo forma deliteſcit, ordinavit. Sunt itaque influxus firmamenti ſemina, per quæ matrices elementorum & concipiunt, & pariunt, cum ſine his nihil efficere valeant quod ad generationem faciat, etſi ſemen propaginis in utero geſtent. Rurſus dicimus ſpiritus cœleſtes naturæ, quanquam ſpirituales ſunt, quemadmodum radii ſolis exiſtunt, nihilominus ex conjunctione cum elementis, corpora ſortiuntur ſibi congrue, & ſpiritualia pro vehiculis. Quapropter iſtorum in Phyſico maxima eſt habenda ratio potius quàm elementalium humorum, vel qualitatum. In hoc plurimum elaboravit ſpagirica ſchola, ut vehiculum vitæ ſemper à corporibus craſſioribus liberet, veluti de carcere, quo vitam foveat, inſtauret, ac diu retineat in humano corpore. Non minus opus fuit invenire materiam, quæ plus in ſui creatione hauſiſſet influxuum ejuſmodi vitalium & cœleſtium hanc eſſe comperit, quæ proximius ad centrum accederet. In iſto namque radii cœleſtium omnium, non ſecuatque jacula undique ad ſcopum unicum laxata concurrunt. Hinc fit ut compreſſa vis, & confluentia virtutum, intenſiſſimam nanciſcatur actionem atque vehemen-

hementissimam in extensione. Quanto magis igitur à centro distant influxus, tanto variores & laxiores inveniuntur, minorumque virtutum atque virtutum, quemadmodum à vegetabilibus videre licet. Quamobrem experientiâ meditationem subsequuta, docuit in metallis, & mineralibus, quæ centro sunt viciniora, præstantissimas omnium & copiosissimas inesse virtutes. Hæc igitur prætulerunt cunctis aliis, ex quibus elicerent medicinæ quandam universalem formam unitissimam atque temperatissimam, qui singula tandem ad unionem & verum temperamentum adducerentur. Vnione siquidem nihil unquam temperatius, generalius, latiusve, nihil etiam copiosius extenditur, quàm centralis essentia physica. Proindè medicina talis, per separationem ordine requisito tracta de metallis aut mineralibus, cuncta quibus applicatur, ad centralis unionis atque temperaturæ naturam, summumque perfectionis gradum transmutat. Inde factum, ut ob universalem ejusmodi potentiam atque virtutem, quod olim Ægyptiaca vetustas [ab Hebræis nimirum edocta Mosaicas traditiones ex Genesi] ad medicinam præsertim elaborarat, Græcorum avaritia, necnon ambitio perverterit in thesauros accumulandos, lolioque suæ falsitatis conspurcarit, quemadmodum reliquas artes infinitis sophisticationibus. Paucos, imò ferè nullos hujus artis libros reliquerunt integros, qui non poterant æniamatica Ægyptiorum scripta resolvere [ut ipse testatur Aristoteles] invidia moti corruperunt suis fabulis, ut jam sit impossibile per libros antiquorum e limine vix eam salutare. Verum enimvero quanquam vix è centum millibus unus hanc artem adeptus sit, præter hunc nonnulli tamen intelligentes, animo, verè philosophicos alunt, vel sola meditatione tantæ raritatis tantæque profunditatis divinæ sapientiæ, pro scintilla in hoc arcano maximo relucentis, quibus apprime jucundum est in ejusmodi magnalibus Dei versari magis quàm plerisque aliis in suis opibus atque delitiis. Alacriter igitur ad scalam transmutationis tandem veniamus, & videamus quidnam sit ex mente Paracelsi transmutatio. Tandem ad secundam hujus operis partem transibimus, quæ Genealogias narrabit mineralium.

CAP. I.

De Scala Transmutationis.

EST rerum naturalium transmutatio, formarum suarum in alias alteratio, ut metallorum & liquorum in lapides, aut in vitrum; lapidum in carbones, &c. Compertum est metalla sub terra, etiam in monetam excusa prius, à natura fuisse quandoque in lapideam substantiam versa, quæ suorum principum adhuc retinerent imagines; item quercuum radices fulmine, vel alia fideratione quavis ictas, in lapides veros transmutatas fuisse. Fontes etiam plurimis locis scaturiunt, qui naturali proprietate conjecta quæque transformant in durissimos lapides. Hæc & similia naturæ opera contemplati sapientes viri, didicerunt arte pariter similia fieri posse, modo servetur similis, quem natura docet à suis instrumentis, ordo. Idipsum videmus in pleriisque montibus fieri, ut ex lapidibus carbones Ætneo quodam igne naturaliter generentur, quorum etiam in fabrilibus officinis usus est frequentissimus. Ut ista postrema transmutatio fit per ignem in terra, reliquæ supra positæ, per aquam & aërem fieri videtur. Hæc igitur sunt instrumenta naturæ, sunt etiam ipsi pro materia, motus vero pro forma. Quid igitur, si naturale compositum terra fiat per ignem, & illa aqua per aërem, hic autem ignis per ignem, & iste rursum descendens aër fit per aërem, & hic denuo per aquam fiat aqua, postremo tandem ista per ignem in terram redeat: quam putatis inde futuram transmutationem quæso? Siquidem experti fueritis, cognoscetis. Ignarum vulgus hæc non videt, nec alia de causa, nisi quod naturæ non consideret arcana. Quicunque igitur una cum isto hæc ignorat, ac inficiatur, quæ natura cunctis ob oculos ponit, is quantumvis doctus aut literatus esse videatur, non est philosophi neque physici nomine dignus. Unde quæso Physica fundamentum primum habet, an ex apparentia tantum vel rerum naturalium manifestâ superficie: Nihil minus, at ex occultissimis operationibus naturæ, ad manifestissimos effectus comparatis. Quandoquidem ut ipsa natura, sensibus omnibus est imperceptibilis, non secus & ejus operationes omnes. Quis quæso vidit unquam arborem crescere, solem & astra moveri? nemo. Crevisse tamen illas, & ista mota fuisse per intervalla, quivis animadvertit. Mente potissimum in physicis igitur est opus, magis quàm oculis vel aliis sensibus. Quanquam isti nobis indiciorum vice sunt, ut ulterius progrediamur, alioqui inter philosophum & rusticum nulla futura differentia est. Ut autem ad institutum redeamus: Scala Transmutationis septem gradus principes habet, ut sunt: Calcinatio, Sublimatio, Solutio, Putrefactio, Destillatio, Coagulatio, & Tinctura. Sub Calcinatione continentur hæc ejus membra: Reverberatio, Cimentatio, item Incineratio. Quibus omnibus operationibus cuncta vertuntur in calcem, vel in cineres. Primo igitur transmutationis gradu, elementata corpora naturalia convertuntur in terram, medio quidem igne tanquam instrumento. Hoc loco inprimis notanda differentia inter elementa materialia, & instrumentalia, de quibus obiter dictum est. Hæc enim externa sunt, illa autem interna. Completa utique prima, sive per calcinationem, sive reverberationem, cimentationem, aut incinerationem, operatione; succedit ex ordine præparationum sublimatio, qua terra jam calcinata, vel in aquam, vel in aërem convertitur, juxta rei convertendæ naturam atque proprietatem. Etenim siccorum potissimum, est elevatio volatilium partium à fixis, quapropter istiusmodi conditionis rebus convenit sublimario. Si tamen humidorum separatio fieri debeat, ut vegetabilium, aut animantium, tum illorum sublimatio quinto gradui convenit, destillationi videlicet. Sed quia hoc loco maximè de siccis agetur, uti metallis atque mineralibus, ordo pariter his congruus erit observandus. Proinde sublima pars volatilis, non secus atque in humidis, per cohobationes, id est separatarum partium reconjunctiones, & iteratas vel repetitas separationes, eo fixationis deveniunt ut cum fixis partibus infra maneant, & non amplius ascendant, sed in olei forma consistant, aut lapidis: per aëtem enim solutione transeunt in oleum, coagulatione verò per ignem in lapidem. Exemplo fit omne metallum armoniaco sale in sublimationem actum, hoc enim successibus lapidescit. Hac operatione sublimationum corrosiva multa dulcescunt, vel mitescunt, & econtra cum additione tamen alterius substantiæ. Item acria multa dulcescunt, acescunt ex adverso dulcia, nonnulla per se, vel cum aliis ad hunc modum præparata. Ad secundum postea, tertius gradus accedit, solutio videlicet, eaque duplex, una frigoris, altera vero caloris. Salia, corrosiva, & calcinata quævis per ignem coagulantur, frigore

frigore tandem aëris reſolvuntur in liquorem, aquam, vel oleum, humido loco ut in cella, vel in aëre ſuper marmoreum lapidem, aut vitrum poſita. Pinguia tamen & ſulphurea calore ignis reſolvuntur. Summatim autem quod ignis calore ſolvitur, aëris frigore tandem coagulatur: contrà, quod frigore ſolvitur aëris, ignis calore coagulatur. Notato qua ratione frigidum aërem eſſe dicimus, quod pugnare quodammodo videtur contra nonnullorum philoſophantium opinionem: volunt enim iſti calidum & humidum eſſe. Verum ex quibus conſtat aër, non conſiderant. An non ex igne & aqua? quid enim aliud eſt aër quàm aqua per ignem reſoluta? Quandoque igitur ab una ſui parte, igne ſcilicet, calorem & ſiccitatem, ab altera vero frigiditatem, & aquæ ſuæ humiditatem mutuatur. Sunt enim duæ qualitates principes tantum, reliquæ vero duæ harum miniſtræ. Nihil enim natura calidum, quod etiam neceſſario ſiccum non ſit naturaliter, nihil item frigidum quod ea ratione humidum non ſit. Quicquid præterea his contingit, natura non, ſed per accidens fieri judicato. Non aliter de elementis, principem locum obtinent ignis & aqua, terra vero frigiditatem à ſocia videlicet aqua mutuatur, & ſiccitatem quam habet ab igne, per ſe autem nunquam calida, neque humida, imò neque frigida neque ſicca, ſed aliis ſuis duobus principibus inſervire videtur haud aliter, quàm cera cuivis ſigillo. Pariter de aëre judicandum: ſic enim à ſuo patre calorem & ſiccitatem habet ab igne ſcilicet, frigiditate & humiditatem ab aqua ſua matre. Generantur ergo tanquam à ſuis parentibus igne & aqua, maſculus aër, ſeu potius hermaphroditus, & fœmina terra. Adhuc de naturalibus inſtrumentis & materia. Quartus gradus eſt purrefactio, hic ob ſuam excellentiam meritò primum locum obtinere debere, niſi contra verum ordinem, & arcanum, hoc loco multis occultum, & pauciſſimis manifeſtum, pugnaret inverſio. Manere debet igitur quæ poſita ſeries, & non variari, non magis quam in cathenis annuli, in quibus ſi forte deniat unicus, qui detinetur eis captivus aufugerit. Putrefactionis itaque proprietas eſt, ut veterem naturam rerum conſumens, novam introducat, & nonnunquam producat fructum alterius generationis. Viva namque omnia corruptione moriuntur, mortua putreſcunt, iterumque per generationis tranſmutationem in ea vitam acquirunt. Spiritus etiam corroſivi per eam dulceſcunt atque mitеſcunt, omnes colores in alios tranſmutantur, item purum ab impuro ſubſidente deorſum ſeparatur. Putrefactionis membra ſunt digeſtio, & circulatio. Quintus denique gradus eſt deſtillatio, quæ nihil aliud eſt quàm humidi à ſicco, & rari à craſſo ſeparatio. Hujus membra ſunt aſcenſio, lotio, imbibitio, cohobatio, & fixatio. Cohobatio vero quæ ſingula concludit, eſt liquoris deſtillati ad ſuas fæces repetita ſæpius affuſio, deſtillatioque. Ut vitriolum cohobationibus per propriam ſuam aquam fixatur, atque tum vocatur alumen ſaccarinum, quod ſolutum in liquorem, & deinceps putrefactum per menſem ac deſtillatum, aquam exhibet in modum ſaccari dulciſſimam: arcanum ad medicinam præ multis excellentiſſimum, ad extinguendum ignem microcoſmicum foſſoribus metallorum advenientem, quod lib. de morbis foſſorum mineralium habetur amplius. Ad eundem modum & alia mineralia quævis & aquoſa, veluti ſal nitrum, figi poſſunt cohobationibus. Sextus gradus eſt coagulatio, quæ quidem, ut ſibi correſpondens ex adverſo ſolutio, duplex etiam eſt, frigoris & caloris, id eſt aëris & ignis. Rurſus utraque coagulatio duplex, ut frigoris duæ, totidemque caloris exiſtunt. Frigoris prior fit ex aëre communi extra ignem: poſterior autem ex ſuperiori firmamento per hyemalem lapidem, qui aquas omnes in nivem & glaciem congelat. Caloris tamen coagulatio prior, fit per induſtriam in arte gradationibus ignis obſervatis, & eſt fixa; reliquæ vero frigoris in alchemia non ſunt fixæ. Poſterior caloris coagulatio fit ab Ætnæo, & mineraliſub terra, nec non ſub montibus igne, per naturalem Archeum terræ gradato: huic non uſque adeo diſſimilis eſt ignis, qui per alchemiam ad coagulationem gradatus excitatur. Quicquid hoc Ætnæo coagulatur igne, fixum permanet, ut à metallis & mineralibus videre licet, quæ ſingula conſtant, ab initio, ex muſcilaginoſa materia quadam, per Ætnæum ignem, & Archæum terræ naturalem artificem in montibus in lapides, metalla, marcaſitas, ſalia, &c. coagulata. Septimus atque poſtremus ſcalæ tranſmutationis gradus eſt Tinctura, nobiliſſima præ cunctis omnibus ex arte Chemica conflata medicina, qua quidem corpora quævis metallica, nec non humana tinguntur in longè, quàm erant antea naturaliter, meliorem, nobiliorem, & præſtantiorem ſubſtantiam, ac ad ſummum ſanitatis, colotis, & perfectionis gradum, potiorem & excellentiorem naturam adducuntur. Ejuſmodi tincturarum variæ ſunt ſpecies, hoc loco minime recenſendæ. Corpora primum à ſua coagulatione metallica per ignem amovenda, liquandaque ſunt, alioqui tincturam non recipiunt activam, niſi reſerata ſint & aſperta. Metallorum etiam tincturæ quævis eſſe debent admodum fixæ ſubſtantiæ, facileque fuſibilis & incombuſtibilis naturæ, ut ſuper ignitam laminam poſitæ mox ut cera fluant, citiuſque metallum abſque fumo penetrent, quam oleum papyrum, aut aqua ſpongiam ſubintrare videtur, idque tingant in album rubeumque colorem in igne permanentem & examini cuivis expoſitum. Primo igitur gradu calcinationis ad ejuſmodi tincturas metalla in alcohol adducta, facilem acquirunt liquefactionem ſecundo gradu ſolutionis videlicet, ac deinceps per putrefactionem, ac deſtillationem eorum tincturæ figi debent, & incombuſtibiles fieri, coloreque non variabiles. Ad humanorum vero corporum ſanitatem inſtauratione & innovatione recuperandam aut conſervandam, ex auro unionibus, antimonio, ſulphure, vitriolo, ſimilibuſque trahi debent. Ignium etiam varia ſubjecta, varias habent operationes in alchemia, ut aliam lignorum flammæ quem vivum ignem vocant, & quo calcinantur ac reverberantur omnium corpora metallorum aut aliorum: aliam continuus candelæ, vel lychni calor, quo volatilia figuntur, aliam carbonum, quo corpora cementantur, colorantur, & purgantur à ſuis excrementis, item aurum & argentum ad altiorem gradum adducuntur, Venus dealbatur, & in ſumma cuncta metalla innovantur: aliam operationem habet ignita lamina ferri, ſuper quam fit examen tincturarum: aliam calor per ignem excitatus medio limaturarum ferri: aliam in cineribus: in arena item aliam: & in balneo Maris vel Mariæ (ut vocant) aliam, quo quidem fiunt variæ deſtillationes, ſublimationes, & coagulationes: aliam etiam habet balneum roris, quod vaporoſum vocavi alias, quo multæ rerum corporalium fiunt ſolutiones: aliam venter equinus habet, in quo præcipuæ fiunt putrefactiones atque digeſtiones: item his omnibus longe aliam habet inviſibilis ignis, id eſt, radiorum Solis, qui per ſpeculũ aut cryſtallũ palam fit à ſuis operationibus,

tionibus, & de quo veteres non meminerũt. Hocigne tria cujusque rei principia super ligneam mensam, absque metu flagrationis vel adustionis separari possunt, ac metalla quævis præter visibilem ignem liquefieri, nec non adustibilia quæque in carbones & cineres concremari, Cæterum transmutationes metallorum imperfectorum ad perfectionem, fieri non bene possunt absque lapide vel tinctura, de quibus infra suo loco tractabimus. Proinde etiam infra de transmutationibus imperfectorum in imperfecta nonnulla dicemus ad probationem transmutationum duntaxat adducta, non prius tamen quam ignis tractationem in quo totius artis cardo potissimum vertitur, compleverimus, & aliquot lapidis processus ex Paracelso docuerimus.

CAP. II.

De simplici Chemicorum Igne.

POstquam de transmutationum artificio per scalam & suos gradus quod satis est ingeniosis diximus, ut servetur (de quo supra narratum est) ordo, necessarium erit instrumenta prius, quam materiam ipsam initiandis proponere, ne rudes & inepti pedem prius quam manum admoveant. Huc igitur non accedant quibus mens oculus non est, cuique manus inservire nequeat: pes enim & carneus oculus absque mente sana & incorrupta, prorsum inepti. Potissimum itaque maximeque requisitum instrumentum est ignis, qui quidem ex propria natura vivens, à nullo alio vivificatur igne. Hinc fit etiam, ut potestatem atque vires habeat quemcunque alium in rebus occultum vivificandi. Qualis in hoc mundo Sol à Deo creatus est, ut quiescentem ignem in omnibus expergefaciat, utque Lunæ, Mercurii, Veneris, Martis, Jovis, atque Saturni, & reliquorum astrorum sphæras omnes accendat igne suo, quæ alioqui de se nullum habent, nec de se præbere possunt: etenim per se ipsa mortua sunt, accensa tamen igne solari, vivunt, suas quoque, juxta cujusque proprietatem, operationes perficiunt. Sol vero lumen & vitam quam habet ignem, ab alio nullo recipit astro, solum à Deo suo creatore regitur, ut semper & æqualiter in seipso ardeat ac luceat quamcunque aliam lucem naturalem illuminans. Haud aliter in arte spagirica judicandus est ignis athanoris, furnique secreti philosophorum, qui furnum, & sphæram vasis accendit ignemque materiæ, quemadmodum Sol in universo mundo videtur operari, sine quo nihil in eo prorsum generari potest. Pariter in arte nil efficitur absque hoc igne simplici, cum sit potissima pars & operatio hujus artificii, reliquas omnes in se complectens, & à nulla comprehenditur, per se quidem consistit aliarum non indiga, sed reliquæ omnes indigent igne hoc simplici quæcunque fiunt operationes, à quo vitam recipiunt unà cum ipsa materia. Alibi de igne simplici loquitur Paracelsus ad hunc modum, Philosophorum (inquit) celeberrima hæc est sententia: Ignis & azot tibi sufficiant, solus enim ignis totum opus est & ars integra. Porro quotquot ignem suum carbonibus simpliciter extruunt, errant, vas in eo vel super illud continentes. Igne fimi equini frustra nonnulli tentarunt. Carbonum igne sine medio materiam sublimarunt, & non dissolverunt. Alii calorem suis lampadibus excitarunt, asserentes hunc esse philosophorum ignem secretum, ad suum lapidem fabricandum. Nonnulli posuerunt in balneum, & hoc in formicarum acervis: alii in cineribus juniperinis: aliqui in calce viva hunc ignem quæsierunt, in tartaro, vitriolo, nitro, & similibus. Alii in aqua ardente, uti Thomas de Aquino falso de hoc igne loquitur inquiens, Deum & Angelos suos eo carere non posse, sed indies uti. Quæ blasphemia hæc est? an non manifestissimum mendacium, Deum carere non posse elementari igne aquæ ardentis, imo suis creaturis omnibus quoties velit? Calores omnes mediis quæ dicta sunt excitati per ignem, sunt ad nostrum opus prorsum inutiles. Vide ne seducaris etiam ab Arnaldo de Villa nova, qui de carbonum igne scripsit, ipse namque hoc ipso te decipiet. Almadir ait, solos radios invisibiles ignis nostri sufficere. In exemplum adducit alius, calorem cælestem suis reflexionibus ad Mercurii coagulationem & perfectionem maxime facere, continuato suo motu. Iterum idem: Fac (inquit) ignem vaporosum, digerentem, & coquentem, continuum: non tamen volantem, aut bullientem, sed alterantem & penetrantem: jam dixi & vere omnem ignis excitandi caloris modum, si verus es philosophus, bene intelliges: hæc ille. Salmanazar ait: Ignis noster corrosivus est ignis, qui supra nostrum vas aerem & nubem obducit, in qua nube radii hujus ignis occulti sunt: hoc rore cahos, & humiditate nubis deficientibus error commissus est. Rursum Almadir ait, nisi ignis nostrum solem humore suo calefecerit per fimum montis, ascensu temperato, non erimus participes albi neque rubei lapidis. Hæc omnia demonstrant satis aperte nobis occultum ignem sapientum. Summatim hæc est materia nostri ignis, videlicet ut accendatur per quietum spiritum sensibilis ignis, qui sursum pellit velut calefactum cahos ex opposito ac supra materiam nostram philosophicam: qui calor supra vas nostrum gliscens, ad motum perfectæ generationis, constanter intermissione sine temperate quidem urgeat. Hæc ego (inquit) Paracelsus de simplici philosophorum igne.

CAP. III.

De multiplici Igne philosophico.

POstquam de simplici diximus, congruum esse videtur, ut etiam de multiplici quid in medium adferamus, copiosius clariusque quam antea: nam de hoc posteriore nonnihil tanquam per transennam attigimus. Ignis itaque multiplex est, qui pro diversitate subjecti in quod influit, & per quod postmodum in aliis excitatur subjectis, variatur, ut ignis cinerum, arenæ, balnei, limaturarum, &c. mediatum calorem habent ab immediato profluentem in subjectam materiam instrumenti, & hinc in materiam arti subjacentem. In isto quidem igne multiplici consistit differentia suppositi, hæc est causa, propter quam nihil in rerum natura potest videri, in omnibus & per omnia simile cuipiam alteri, licet ambo sint sub eadem specie, imo sub eodem individuo membra. Ut metallum aliud producit aurum, ab eo quod argentum generat; aliud, saturnetum, venereum, martium, &c. profert; item istorum quodlibet pro loci differentia unde fuerit erutum natumque variatur. Nec duo homines, neque duo corporis unius membra, non ejusdem arboris folia duo similia reperiuntur: sic de reliquis. Dissimilitudo non est ex primo creaturarum igne, sed ex elementorum vario

regimine per planetas, & non per solem. Etenim quodlibet momento calor in elementis hac dispositione mutatur, simul & forma decompositorum à compositis, & non à simplicibus. Ubi non usque adeo magna sit elementorum mixtio, ibidem generatur Sol; ubi paulo major atque impurior, ibi Luna; item ex imperfectiore Venus: sic de reliquis, juxta mixtionum mutationes, cujusque metalli & intra non similis alteri, neque spiritus eorum inter se per omnia conveniunt. Si vero generentur ex igne simplici solo, non interveniente multiplici, proprietatum atque formarum nulla fieri discretio valeret, nedum in metallis verum etiam in aliis omnibus creaturis. Cur autem non plura veniant in usum quam septem numero, quorum sex solida, septimum fluxile naturaque, suas rationes habet in adepta philosophia, & non in alchemia; proinde suo loco reservandæ, ne ab instituto digrediamur. Hactenus de multiplici dictum sit igne philosophico, ex physicis rationibus deducto.

CAP. IV.

De visibilibus & localibus Instrumentis, & primo de Utero spagirico.

PRiusquam ad materiam deveniamus, instrumenta singula, tum actualia, tum localia declarare visum est ex ordine, quibus ad hanc artem opus est. Actuale primum, ignem esse diximus, locale vero primum est furnus, Athanor chemico nomine vocatus ab antiquis: hic uteri vicem in spagirica generatione refert. Hermes Trismegistus etsi non inventor hujus artis, non minus quam Paracelsus spagiricæ medicinæ, instaurator tamen dici meretur. Ille spagiricum hoc opus, in quo philosophia humana manum extremam ponit, ex meditativa contemplatione majoris mundi sumsit exordium asserit, innuens ad imitationem cœli & terræ spagiricum Athanor extrui debere. Sed comparationem hanc ingeniorum exercitii gratia brevibus examinare nunime pigebit, quo prodesse queam lectoribus. Nemo physicus inficiabitur Solem generare Solem sibi similem, sed non omnis farebitur hunc in centro fœtum existere, potissimum eorum discipuli philosophorum, qui nullam ignis Ætnæi cognitionem aliam quam ex oculo carneo, rusticorum instar, habuerunt. Hic Sol terrenus vel inferioris aut elementaris machinæ, per ignem superioris Solis accenditur; non secus & nostræ materiæ centrum, à centro mundi nostri vel athanoris, quod ignis est, Solis naturalis vicem hac parte gerens per similitudinem incenditur. Ecquis non videt (quæso fratres) universi creati mundi formam, habere furni similitudinem, vel ut reverentius loquar, uteri matricem continentis, elementa videlicet, in quibus semina Solis & Lunæ, per astra variis influxibus demissa corrumpuntur, coquuntur, atque digeruntur in generationem omnium? Sed vel pueris, ne dicam philosophis, hæc liquido manifesta sunt, quapropter latius non urgebimus. Ad Athanoris nostri constructionem igitur veniamus. Primo construatur furnus altitudine sex spithamarum, & interna rotundaque latitudine unius spithamæ, ut inferius tamen sit aliquantulo amplior quam superius intrinsecus, atque politus, ne carbones injecti scabredine hæreant, sed facile descendere queant, dum aduruntur infra prope craticulam. Ad hujus æquationem sint aliquot foramina, quibus laterales vel uterales furni duo, vel tres correspondeant; aut si voles unicus: ostiolorum latitudo sit quatuor digitorum idque latorum. Cuilibet fornaculæ ahenum adaptetur cum aqua cætera concludatur, ut ovum in gallina, vitrum in utero suo pro industria magisterii. Deinceps ubi fuerit operandum: & omnia diligentissime parata, carbonibus quantitate nucis juglandis vel paulo majore confractis, impleta ad summum turricula succendantur infra ad ostiola, turrisque superius obstructa sit, ne carbones in medio vel superius accensi, calorem totum opus vastantem excitent, unaq; vice conflagrent omnia simul. Quum vero calor excedere justum videbitur, admoto ad ostiolum aliquo latereulo cohiberi poterit, contra si remissior erit, ferrea rudicula carbones subtus craticulam commoveantur. Sed registris (quæ gubernacula vocant) aptius moderabitur ignis: singula docet usus in præparationibus eorum quæ necessaria sunt, antequam eo deventum sit. Igne igitur ad justam æqualitatem proportionis moderato, ut ipsa natura docet in omnibus, calor fermentum excitabit, ac deinceps hoc materiam in ovo latentem. Proinde non aliter quam sol in magno mundo lucet, illuminat, vitamque tribuit reliquis astris omnibus & elementis, ignis spagiricus illustrans athanorem sum, ac instrumenta quæque, maris quoque balneum fovens, ut gallina, suum ovum animatum excludit. Sed gigantem audio tanquam leonem rugientem contra furnum, quærens quem devoret Paracelsum. En (inquit) quemadmodum sibi ipsi contradicit, nuperrime vetuit ne struatur ignis carbonibus, idque admodum severe; modo vero docet carbonum ad hanc suam arrem potissimum usum. Tetigisti scilicet, non melius quam reliqua omnia judicasti secum pugnare scripta Paracelsi. Alterum tamen oculum est quod aperias, ne monoculus, aut cæcus prorsum de coloribus judicasse hactenus videaris. Non vidisti quid sibi velit hæc particula (simpliciter & sine medio) ad carbonum interdictionem adjecta? Videntur quinam præter spem tuam Paracelsus licet mortuus, scriptis vivis adhuc suis tibi cæterisque respondere calumniatoribus valeat, ac dicere, qui me judicas errare, tu erras per teipsum judicatus? Nunquid sæpius admonui te, tuique similes invidos homines passim in omnibus ferme scriptis meis, ne verbulum probe non masticatum pertransites, alioquin eveniret vobis gigantibus cum pygmæo meo homunculo, quod olim Goliæ cum Davidulo puero? Cavete inquam, iterum atque iterum, ne hoc nostro lapide tanquam mysterio magno corruatis, ac simul cum illo descendatis ad barathra, quo me relegare frustra conamini. Hæc intonare videtur Paracelsus in tumulo. Non ita fratres de mortuis loquendum est præter æquitatem, imo non de male meritis. Maneant in sua requie omnes, quemque sua facta manent. Facile quidem est carpere, judicium evitare hodie difficile, & in extremo non possibile. Quid es tu quod non ego, quid ego quod non tu? rursus quid utrique, quod non alteri contingere potest, errare videlicet? Homines sumus omnes, quibus hoc præsertim accidit magis quam brutis irrationalibus, quæ solo ductu moventur. Erro fateor in plurimis, erras tu, tuum est fateri, meum admonere, non judicare: tuum igitur officium esto ut meum, non per invidiam, fratrum non ritè gesta palam facere, prius quam aliqua cum modestia juxta veræ philosophiæ disciplinam

plinam admonuisse: alioqui nec tu, nec ille, nec ego, secus facientes philosophiæ nomine digni sumus. Sed hæc philosophica disciplina (proh dolor) etiam à doctissimis impugnatur: tantum invaluit gentilium philosophorum dogma hac tempestate celebratissimum in ipsis, ut non videant hoc omne qualecunque est forinsecus, & intrinsecus, nil nisi meram honorum ambitionem prætexere: hic studii sui labotumque potissimus scopus fuit. Hinc factum ut quisque famam sibi per labefactationem vel denigrationem alterius parare conetur. At non considerant miseri, nullam æque magnam injuriam fieri posse, quæ non longe majorem expectat, si tamen ex æquo fatui simus omnes, nemoque reperiatur qui sapere pro mensura velit. Multi plus satis sapiunt, aut minus plurimi, qui medium servent fere nulli. Viderimus igitur, ne quam prætendimus sapientiam, justo Dei judicio, in manifestam stultitiam etiam hoc seculum transformetur, idque proprio nostro conatu. Si quid igitur à nobis erratum est, accusante nos propria conscientia, quo scandalum præbuisse videamur aliis in seductionem tendens, scriptis pariter ut etiam patratum, Deo coram & hominibus retractemus absque verecundia. Hominum, ut antea diximus, à sapientissimis agnoscitur communis error, à stolidis & fatuis vero non, quibus omne delirium vera semita, & è contra. Sed missos faciamus amentes probisque ac intelligentibus cum agamus latius. Adhuc de furno vel athanore, modo de vase quid audiamus.

CAP. V.

De secundo Spagirorum instrumento locali, Matrice vel Ovo Philosophico.

MUlta de se temere præsumentes philosophi, perperam intellexerunt occultum atque secretum vas philosophorum, & pejus id quod Aristoteles alchemista (non ille vero academicus Græcus) loquitur inquiens, materiam in triplici vase decoquendam: item pessime quod ab alio dicitur, materiam in prima separatione, primoque gradu, vas metallicum expetere, in secundo gradu coagulationis videlicet ac dealbationis suæ terræ, vas vitreum, & in tertio gradu, qui fixationis est, vas terreum. Nihilominus per hæc omnia, solum unum vas intelligunt in omnibus operationibus, usque ad perfectionem rubei lapidis. Cum igitur materia nostra, sit radix nostra ad album simul & ad rubeum, necessario vas nostrum ad hunc modum esse debet, ut in eo materia regi valeat à cœlestibus corporibus. Influentiæ namque cælestes invisibiles, & astrorum impressiones, apprime necessariæ sunt ad opus, aliter autem impossibile fuerit Orientalem, Persicum, Chaldaicum, & Ægyptiacum lapidem insuperabilem aliis mediis adimpleti; per quem Anaxagoras totius firmamenti vires cognovit, ac præsagivit magnum Lapidem de cælo descensurum in terras, quod etiam post ejus mortem accidit. Cabalistis utique vas nostrum innotescit potissimum, id juxta vere Geometricam proportionem atque mensuram, & ex certa quadam circuli quadratura fatura fabricari debere, quo spiritus, & anima nostræ materiæ separata à suo corpore, hoc pro cæli sui altitudine secum elevare queant. Si vas prætet æquum strictius, amplius, altius, demissiusve fuerit, quam dominantes & operantes spiritus animaque desiderant, calor ignis philosophici nostri secreti (qui quidem acutissimus est) materiam violentius excitatam ad operationem urgebit nimiam, ut quandoque vas in mille frustra dissiliat, non sine periculo corporis ac vitæ operantis. Contra si capacius, quam ut calor juxta proportionem operari valeat in materiam, irritum etiam erit opus & frustraneum. Quapropter summa diligentia cum industria vas nostrum philosophicum est fabricandum. Quæ vero materia sit hujusmodi nostri vasis, intelligunt illi soli, qui in prima solutione materiæ nostræ fixæ & perfectæ, hanc in suam primam essentiam adduxerunt, de quo satis. Operator etiam diligentissime notet, quidnam in prima solutione materia deponat, à seque rejiciat. Vasis hujus describendi ratio difficilis est: talis tamen esse debet forma, qualem ipsamet natura expostulat: ex uno quidem & ex alio petenda ac investiganda est. In summa talis, ut ex altitudine cæli philosophici à terra philosophica elevati, queat in fructum sui terreni corporis operari. Hanc formam utique habeat, ut separatio & purificatio elementorum, quando ignis unum ab alio pellit, fieri possit, utque quodlibet suum locum, in quo hæret, occupare valeat, ac Sol & alii planetæ circumcirca terram elementalem suas operationes exercere, & cursus eorum in circuitu non impediatur, aut velociori motu agitetur. Juxta hæc omnia quę dicta sunt, justam proportionem habeat oportet rotunditatis & altitudinis. Quæ verò faciùt ad primam mundificationem corporum mineralium, sunt vasa fusoria, tenaculæ, folles, cupellæ, testæ, cimentoria vasa, cinericia, cucurbitæ, bociæ ad aquas fortes & regias, tum quæ ad projectionem in opere postremo sunt necessaria. Cæterum de vase ad hoc opus: alio loco loquitur Paracelsus ad hunc modum: Ad hanc artem est quod habeas rite justeque proportionatum vitrum: etenim si capacius erit, quam par est, dilatatur materia, id est, humiditas, ut nihil inde nascatur; si verò sit angustius vel compressius, germen suffocabitur, ut nullum fructum edere valeat. Exemplo patet ab eo quod sub umbra, vel tecto satum fuerit, nil inde boni frugive produci. Quapropter plurimi refert ad vitrum hoc animum advertere: nam per ipsum vel in ipso commissus error, non facilè corrigitur, imò non perducitur opus ob ejus impedimentum ad optatum finem. Proinde ad uncias duas materiæ, sumito uncias duas cum dimidia vitri vel ovi philosophici, hoc est, quod pondus hoc referat: habenda ratio tamen est justæ vitri spissitudinis. His observatis non facilè hac parte committitur error. De localibus instrumentis igitur dictum sit hactenus.

CAP. VI.

De Subjecto vel Materia philosophica in genere.

ANtea satis clarè diximus quæ sint instrumenta chemica, jam verò quam sibi materiam Spagiri ad suum opus inchoandum elegerint audite: Postquam vegetabilia mortificata sunt, concurrentia duorum mineralium, ut puta sulphuris & salis, in mineralem naturam transmutantur, ut inde tandem perfecta mineralia resultent. Etenim in terræ cavernis mineralibus vegetabilia nonnulla reperiuntur, quæ longo temporis successu, & continuato calore, sulphuris naturam vegetabilem exuerunt, induerunrque mineralem. Idque potissimum accidit ubi hujusmodi vegetabilibus proprium adimitur nutrimentum, ut coacta sint postmodum à sulphuribus & salibus terræ suum alimentum

tum sumere tantisper donec in minerale perfectum, quod antea vegetabile fuerat, abit. Ex minerali conditione hac, metallica quædam essentia perfecta nonnunquam oritur, idque progressu unius gradus in alterum. Sed redeamus ad lapidem philosophorum, cujus materia est inventu difficillima nec non intellectu. Hujus ut aliarum quarumcumque modus investigationis, & norma certissima, quid con ineant valeantque, radicis est earum, & spermatis examinatio sedula, qua pervenitur ad materiarum cognitionem. Ad hoc facit plurimum, consideratio principiorum valdè necessaria, tum qua via quoque medio natura primum ex imperfectione ad perfectionis finem devenerit. Cui considerationi conducit imprimis, habere compertissimum, creata quævis à natura fuisse compacta tribus primis principiis, Mercurio videlicet, sulphure, & sale naturalibus in unum permistis, ut in nonnullis volatilia sint, in aliis verò fixa. Quoties enim corporale sal, cum spirituali Mercurio, & animato sulphure permisceatur in corpus unum, tum demum incipit operari natura locis, quæ loco vasorum suorum habet, subterraneis, per separantem ignem, quo sulphur crassum & impurum separetur à puro, & à sale terra segregetur, nec non à Mercurio nubes, servatis prioribus partibus illis, quas natura decoquit rursum simul in constans corpus unum geoganicum. Quæ quidem operatio habetur à magis ut mixtio conjunctioque per unionem trium, utputa corporis, animæ, & spiritus. Adimpleta hac unione, resultat inde purus Mercurius, qui si per meatus subterraneos defluat ejusque venas, obviamque factus sit cahoico sulphuri, hoc ipso coagulatur pro conditione sulphuris. Est tamen adhuc volatilis, ut vix centum annis postea decoquatur in metallum. Inde sumit originem vulgatum hoc, nempe, Mercurium & sulphur materiam esse metallorum, ut etiam ex relatu fossorum mineralium constat. Non tamen vulgaris Mercurius, neque sulphur commune metallorum sunt materia, sed Mercurius & sulphur philosophorum incorporata sunt, ac innata metallis perfectis eorumque formis, ut nunquam ab igne fugiant, neque vi corruptionis elementorum depraventur. Utique per ejusmodi naturalis mixtionis dissolutionem. Mercurius noster do nitus est, inquiunt spagirici philosophi. Sub hac igitur verborum forma, noster Mercurius ex perfectis corporibus, viribusque terrenorum planetarum venit eliciendus: quod etiam Hermes his verbis asserit: Sol (inquit) & Luna sunt radices hujus artis. Filius Hamuel ait, philosophorum lapidem aquam esse coagulatam, videlicet in Sole & Luna Unde sole clarius patet, materiam nostri lapidis nihil aliud esse præter Solem & Lunam. Idipsum etiam eo confirmatur, quia simile quodque sibi simile naturaliter parit generatque. Et non aliter quam duos esse scimus lapides, album & rubeum, duæ sunt etiam lapidis materiæ, Sol & Luna simul copulata proprio matrimonio, cum naturali, tum artificiato. Et quêadmodum videmus virum & mulierem absque semine utrumque suo generare minime posse, pariformiter vir noster Sol, fœminaque sua Luna, sine semine spermateque utrumque suo concipere non possunt, neque ad generationem aliquid moliri. Collegerunt inde philosophi nostri tertium esse necessarium, videlicet animatum semen amborum hominis & fœminæ chemicorum, sine quo totum suum opus irritum esse judicarunt & inane. Hujusmodi sperma Mercurius est, qui per naturalem conjunctionem amborum corporum Solis & Lunæ, recipit istorum in se naturam in unione. Tum demum, nec prius aptum est opus ad congressum, ingredum, & generationem, per vim ac virtutem virilem & fœmineam. Hinc moti philosophi nostri dixerunt, Mercurium istum componi corpore, spiritu, & anima, eumque naturam elementorum omnium, & proprietatem assumsisse. Quapropter ingenio & intellecta validissimis adseverarunt suum lapidem esse animalem, quem etiam vocaverant suum Adamum, qui suam invisibilem Evam occultam in suo corpore gestaret ab eo momento, quo virtute summi conditoris omnium unita sunt. Ea de causa meritò dici potest, Mercurium philosophorum nihil aliud esse, quam compositum eorum abstrusissimum Mercurium & non vulgarem illum Sapienter igitur dixere sapientibus, est in Mercurio quicquid quærunt sapientes. Almadir philosophus ait: Nos extrahimus nostrum Mercurium ex uno corpore perfecto, duabusque perfectis conditionibus naturalibus simul incorporatis, hic suam perfectionem extrinsecus protrudit, qua resistere valeat igni, ac ista sua perfectione forinseca, ab extrinsecis insultibus defendatur quicquid imperfecti jam in eo circumseptum est. Per hunc philosophi locum acutissimi, lapidis materia intelligitur Adamica, limbus microcosmicus, materiaque philosophorum homogenea, & unica. Horum dicta philosophorum, de quibus antea mentionem fecimus, mere sunt aurea, plurimæque semper existimationis habenda, quod nihil contineant superflui, nihil invalidi. Summatim ergo lapidis philosophorum materia, nihil aliud est, quam igneus perfectusque Mercurius per naturam & artem extractus, id est, artificialiter præparatus, & verus hermaphroditus Adam atque microcosmus. Hoc ipsum philosopherum sapientissimus ille Mercurius Trismegistus asserens, lapidem vocavit orphanum. Noster itaque Mercurius is ipsus est, qui Solis perfectiones, vires atque virtutes in se cõtinet, quique per vicos ac domos Planetarum omnium transcurrit, & in sua regeneratione vim superiorum & inferiorum acquisivit, quorum etiam matrimonio comparandus, ut patet à candore & rubore simul in eo conglomeratis. Magi per suam sapientiam affirmarunt omnes creaturas ad unitam substantiam adducendas, quam suis mundationibus & purgationibus asserunt in tantã subtilitatem ascendere divinamque naturam & proprietatem, ut operetur admiranda. Considerarunt etiam in terram redituram, & per supremam separationem magicam, perfectam quandam substantiam emersuram, quæ tandem plurimis & industriosis, & valdè prolixis præparationibus, ex vegetabilibus substantiis in mineralem, & ex minerali in metallicam, & ex perfecta metallica substantia, attollitur in perpetuitati similem ac divinam essentiam quintam, omnium cœlestium ac terrestrium creaturarum essentiam in se concludentem. Arabes & Græci per characteres occultos sensus denotantes, & per hieroglyphicas descriptiones Persarum & Ægyptiorum, ad secreta & abstrusa mysteria pervenerunt, quibus adeptis & partim intellectis, partim verò non, admiranda quædam experiundo viderunt oculariter. Sed quia supernaturalia profundius laterent, quam captus eorum posset assequi, arcanum hoc non juxta Magorum sententiam vocarunt supercœleste, sed philosophorum arcanum appellarunt, & ex sententia Pythagoræ lapidem eorum. Hunc quicunque sunt assequuti, variis adumbrarunt figuris ænigmaticis, deceptoriisque similitudinibus, comparationibus, &

vocabulorum

vocabulorum fictionibus, ut posteris ejus materia saltem foret occulta, ejusque nulla vel minima posset haberi notitia. Veterum plurimi hanc materiam ac præparationem ejus, apertè satis detexerunt ingeniosis parabolicis tamen & ænigmaticis verbis atque figuris, ut arcerent indignos a tanto mysterio naturæ pariter & artis. Paucissimi nihilominus, etiam eorum qui ad hanc artem apti sunt, balsamum naturæ perpetuum, lapidemque perfectum quæsierunt, ob ingentem laborem cum difficultate intricatum, qui passim occurrit inter investigandum. Quo factum ut pigræ desidesque mentes ab opere destiterint. Avari tamen, quibus auri fames & argenti vilissimorum animum addit, omnium diligentissimè perstiterunt in opere, ut præ hoc etiam vitam & opes neglexerint; verum quia non istis à Deo tanta felicitas mundana destinata est, oleum perdiderunt ac operam. Proinde studio ac ingenio acutissimo ad hanc rem est opus, ut ex variis comparationum similitudinibus mens auctorum scribentium in hac arte detegatur. Ut igitur ingeniosiores aliquatenus intelligant, similitudinem aptam adferemus in medium, qua præfiguratur materia balsami perpetui, simili balsamo convenientis in humano corpore ad summam sanitatem recuperandam, conservandam, & propellendum morbum, inquit Paracelsus. Exemplo sit communis ignis & naturalis: hic nobis est invisibilis, quapropter in aëre in quo delitescit quærendus & inveniendus, per concussionem lapidis ad chalybem, in quibus tamen potissimum non consistit, sed in aëre, nec nisi ab objecto sicco tanquam fomite retinetur. Siccitas enim calorem suum sibique similem statim concipit; amboque simul operantur in subjecto tantisper donec tota humiditas absumatur, maneatque solum corpus aridum cinereumque mortis subjectum, igne vitæ pabuloque privum. Haud aliter materia philosophis est investiganda, cui pabulum & ignis vitæ maximè insunt: hæc præparationibus eliciendа sunt, ut vitæ humanæ vitam augeant propemodum deficienti. Nam uti lignum paulò minus absumtum, relictis adhuc valdè paucis carbunculis vel scintillis, addito ligno ceu fomento sibi congruo, flamma vitaque reviviscit ignis, haud secus in humano corpore balsamum perpetuum additum vel atomo residuo vitæ, hanc in flammam prioremque vigorem suscitat. Verum de materia quæstio est in qua suscitans hic ignis latet. Non æquum est, neque tutum (ait Paracelsus) clarè manifesteque de hac omnibus ex æquo dicere. Nunquid sufficit gratia Dei lucis filiis, qua lucem è tenebris umbrarum, figurarum, & ænigmatum educendi data est facultas? Tenebrarum filii hac ratione probantur, istis enim etiam ex luce nil præter meras umbras elicere contingit. Natura namque sibi similem naturam expetit, ea gaudet, ac velut ferrum trahitur à magnete, sic tenebræ tenebras generant, lux verò lucem parit. Durus est hic lapis, ecquis ex eo nucleum esse poterit? quid cote & chalybe durius nisi adamas? Hic tamen atteritur: at quonam artificio philosophorum sit lapis aperiendus, ut inde nobis, & ignis, & vita suppetat, non videmus. Aperiendi sunt mentis oculi, ac inprimis considerandum, quæ medicina sit humanæ vitæ præ cunctis omnibus, per naturam & artem magis congrua, ut ea conservetur ac præservetur usque ad prædestinatum ejus terminum in sanitate, sitque à corruptionibus tutissima. Nemo, saltem verè physicus, in dubium revocabit metallicas essentias, præsertim corporum perfectorum omnium quæ natura produxit magis durabiles, minusque corruptibiles. Proinde si vita sit ignis & calor formæ naturalis, humido suæ materiæ per lucem unitus, ut patet ex Genesi, luxque non fulgentius vivat quam in corporibus corruptioni minus obnoxiis; quid obstabit quo minus ignis calor & humor radicalis in metallis incorruptibiles, à somno in vitam excitati manifestam, organis humanæ vitæ, junctis, hanc pene consopitam suscitent? Dormiunt enim in metallicis corporibus illa solum, & quiescunt, ut homo somno correptus ac ceu mortuus jacet, nec nisi respiratione movetur, corpore verò non. Spiritus utique metallorum si liberetur à somno sui corporis, motus & actiones ut ille suas exercebit in objecto sibi corpore quovis. Non aliter de corporibus humanis judicandum, ista dum ægra sunt, spiritus vitales in eis obdormiscere, non verè nec liberè spirare posse, ob somnolentiam sui domicilii corrupti. Semotis igitur à corpore tenebrarum corruptionis, non per medicum extraneum, sed per ipsammet naturam auxilio medici corroboratam, accessuque vitæ extraneæ, metallorum videlicet incorruptibilis, liberè suos motus exercent spiritus ejusmodi vitales in hominibus. Nil mirum itaque si mirabiles curæ fiant à spagiricis medicis, alioqui per vulgarem Græcorum medicinam impossibiles; quo factum ut isti morbos incurabiles judicarint, quos ipsi nequiverunt pellere dormientibus ac veluti mortuis suis medicamentis. Hinc perbellè differentia videtur spagiricæ medicinæ à Græcanica: hæc dormit cum dormientibus, illa verò vigil ab omni sopore libera, dormientes facultates excitat vitæ. Sed ut ad inquisitionem redeamus materiæ, hæc non melius innotescere potest quam ab inquirentium erroribus in hac parte commissis.

CAP. VII.

De variis in Inquisitione materiæ Balsami perpetui, sive Lapidis Philosophorum Erroribus.

MAximam hujus artis difficultatem observans Arnaldus ait in suo rosario: Varia huic materiæ lapidis nomina præfixerunt occultissima quædam, à similitudinibus potissimum allata. Vegetabilem enim appellarunt, mineralem, & animalem, non juxta literalem sensum, ut facilè norunt sapientes divinorum arcanorum, & miraculorum ejusmodi lapidis experti fingere. Hujus exemplum præ se fert Raymundi Lullii lunaria, quæ flores mirandarum virtutum edit philosophis tamen familiarissimos. Non fuit imponentis nomen hoc opinio, ut per id intelligeretur aliqua super metalla projectio, vel præparatio similis ex eis fieret, verum abstrusa mens philosophorum longè alio spectat. Simili nomine materiam suam appellarunt Martagon, cui etiam hinc occultam operationem chemicam applicaverunt, cum tamen id protsus nihil denotet præter quandam arcanam similitudinem. Error etiam non minimus in vegetabilium liquoribus ortus est, quibus Mercurium coagulare plurimi conati sunt, & postmodum fixatoriis aquis in lunam convertere, existimantes eum qui hac via, citra metallorum auxilium coagulare posset, maximum allequi magisterium. At quamvis nonnullorum vegetabilium liquores id efficiant, non aliunde fieri quam ob resinam, pinguedinem, aut sulphur terrenum, quo plurimum abundant, judicabitur: hoc Mercurii humiditatem attrahit, ejusque substantiæ permiscetur

permiſcetur coagulando præter omnem utilitatem. Nam craſſum & externum ſulphur nullum in vegetabilibus, ad perfectam projectionem in alchemia aptum eſſe, compertum eſt: quodque non ſine maximo diſpendio experti ſunt multi. Etſi nonnulli ſucco tithymalli albo, lacteoque, propter calorem intenſum, & acutum in eo exiſtentem, coagulaſſe Mercurium exiſtimarent, cum ſolo frigore in occulto potius contrario manifeſto id factum eſſet, unde lac virginis appellarunt, falſum tamen fundamentum hoc fuit. Non ſecus de ſucco chelidoniæ exiſtimandum, licet colore ſuo hominum imponat oculis, ac ſi dotatum eſſet auro. Colligentes inde vanum quid certo ac determinato tempore, vegetabile hoc eradicarunt, ex quo animam vel quintum eſſe venati ſunt, unde coagulantem permanentem tincturam efficerent, verum & hinc nihil præter faruum errorem ortum. Alii ſuccum hunc ad ſpiſſitudinem (quam conſiſtentiam vocant) excoxerunt, ac Soli ut in duram maſſam coagularetur expoſuerunt, quæ poſtmodum in minutiſſimum pulverem tuſa, Mercurium (ut opinabantur) projectione verteret in ſolem, quod falſum eſſe compererunt. Aliqui admiſcuerunt huic pulveri ſal armoniacum, alii colcotar vitrioli, opinati ſe hac via tandem ad optatum finem pervenire poſſe. Poſtmodum ſolutionibus in flavam aquam adduxerunt, ut ſal hoc tincturæ præberet ingreſſum in Mercurii ſubſtantiam, nihil tamen inde factum fuit. Nonnulli prædictorum loco ſuccos perſicariæ, dracunculi, foliorum ſalicum, tithymalli, cataputiæ, flammulæ ac ſimilium ſimul una cum ipſo Mercurio per dies aliquot vitreo vaſe concluſos, in cineribus tenuerunt: accidit ut inde Mercurius in cinerem vel pulverem potius verteretur, ſed perperam; & nullo fructu. Decipiebantur enim iſti vanis vulgi rumoribus, quibus proſeminatum erat Mercurium abſque metallis eſſe coagulandum, ut ante meminimus. Multi ex vegetabilibus ſalia, olea, ſulphura, &c. extraxerunt, ſed fruſtra, cum per hæc nulla Mercurii vera coagulatio, neque perfecta tinctura vel projectio fieri queat. Similitudine ſola philoſophi non ſubſtantia materiam ſuam arbori cuipiam aureæ ramorum ſeptem comparant, intelligentes eam in ſuo ſpermate metalla ſeptem concludere, ac in ipſo latere, quapropter vegetabilem eſſe dixerunt: tum etiam quia non aliter quam naturales arbores ſuo tempore varios flores proferunt, materia lapidis colores pulcherrimos palam facit, in florum ſuorum productione. Item quia ex terra philoſophica materia quædam exurgit, ceu virgultum ſpongiæ terræ ſimilitudine, dixerunt arboris ſuæ fructum ad cœlum tendere. Ideò protulerunt in vegetabilibus naturæ totius artis cardinem verti, & non in vegetabilibus materiæ: tum etiam quia ſuus lapis animam, corpus, & ſpiritum in ſe continet, ut vegetabilia. Non diverſa multum ſimilitudine materiam hanc lac virginis eſſe dixerunt, & roſei coloris benedictum ſanguinem, qui tamen ſolis prophetis & filiis Dei convenit. Inde Sophiſtæ collegerunt materiam philoſophicam in animalium vel hominum ſanguine conſiſtere: occaſione ſumpta, quod ex vegetabilibus nutriantur. Alii quidam in capillis, in ſale urinæ, in rebus: alii in ovis gallinarum, in iſtorum calce, in lacte, & ſimilibus quæſierunt, quibus omnibus Mercurium figere poſſe putarunt. Extraxerunt aliqui ſal ex fœtido lotio, nec defuerunt qui lapillos in rebis inventos materiam eſſe crederent. Alii membranas ovorum aſpertimo lixivio macerarunt quibus etiam ovorum cortices admiſcuerunt, his attribuentes arcanum fixationis ad Mercurium perficiendum. Aliqui ovorum albumen argento comparantes, & auro vitellum, in ſuam materiam elegerunt, admixtis ſale communi, armoniaco, tartaroque uſto, ſimul iſta vitro concludentes balneo maris putrefecerunt, idque dum albus color in rubicundiſſimum ſanguinis inſtar abiret. Hoc ipſum in fœtidiſſimum deſtillarunt liquorem, ad opus quod quærebant, prorſum inutilem. Alii putrefecerunt albumen & vitellum ovorum, & inde baſiliſcus generatus eſt, quem in rubicundiſſimum pulverem exuſſerunt, eoque tingere putabant. Hujus rei fuit auctor Gilbertus Cardinalis in ſuo tractatu. Plerique fella boum, & aliorum animalium, ſale communi permiſto macerata deſtillarunt in liquorem, quo cimentationum pulveres imbutos exiſtimarunt metalla ſua tingere poſſe, magiſterio quodam quod partem cum parte vocant, & inde nihil actum eſt. Aliqui tutiam eligentes additionibus aliquot, uti ſanguine draconis, & aliis ejuſcemodi frivolis nugis ſeducti, cuprum aut electrum in aurum permutare conati ſunt. Alii juxta Venetorum artem (ut ajebant) viginti plus minuſve ſtelliones olla concludebant, fameque redigebant ad inſaniam, ut unam alia famelica devoraret, unica ſuperſtite, quam cupri vel electri limaturis paſcebant, exiſtimantes genus hoc animalium in ventriculo ſuo digeſtione ſola permutationem optatam efficere: poſtremũ hoc animal exuſſerunt in rubicundiſſimum pulverem, quem cum crederent aurum eſſe, miſerè decepti ſunt. Nonnulli tandem in piſcibus trutis nomine, per liquationem concrematis, aurum invenerunt, non alia de cauſa, niſi quia genus hoc piſcium in fluminibus ſquamulas aureaſque ſcintillas à torrentibus eo delatas, & nonnunquam ex montibus defluentes, colligere ac devorare ſolitum ſit, à natura doctum: rarò tamen idipſum contingit. Tales impoſtores potiſſimum inveniuntur in aulis Principum. Non eſt ſanè materia chemicorum philoſophorum in animalibus quærenda, hoc omnes admonitos ſemel velim. Eſt tamen quod ſciatur philoſophos lapidem ſuum animalem appellaſſe, quia in poſtremis ſuis operationibus, virtute hujus ignei nobiliſſimi myſterii, liquor obſcurus ac rubeus inſtar ſanguinis, ex ſua materia ſuoque vaſe guttatim exudat: inde præſagium protulerunt, poſtremis temporibus hominem puriſſimum in terras venturum, per quem liberatio mundi fieret, hunc ipſum guttas roſei rubeive coloris & ſanguineas emiſſurum, quo mundus à labe redimeretur. Pariformiter & ſanguis ſuũ lapidis, in ſuo genere, leproſa metalla nec non homines liberabat à ſuis infirmitatibus contagioſis. Quare non immeritò dixerunt ſuum lapidem animalem eſſe. De quo Mercurius ad Regem Calid loquitur ad hunc modum. Myſterium inquit hoc ſolis Dei prophetis permiſſum eſt cognoſcere, quo fit, ut lapis animalis vocetur. Nam in ſanguine lapidis hujus latet anima ſua: componitur etiam ex corpore, ſpiritu, & anima. Simili ratione vocarunt ſuum microcoſmum, quod rerum omnium totius mundi ſimilitudinem habeat, & inde rurſus animalem eſſe dicunt, veluti Plato magnum mundum animal vocat. Acceſſerunt ignari credentes lapidem eſſe triplicem, atque triplici genere ſecretum, utputa vegetabili, animali, & minerali, quo factum ut etiam in mineralibus quæſierint. Hæc verò ſententia longè diſtat à philoſophorum opinione; aſſerunt enim ſuum lapidem uniformiter vegetabilem, animalem, & mineralem. Notandum

adhæc,

adhæc; naturam minerale sperma suum in varia genera distribuisse, videlicet in sulphura, salia, boracia, nitra, armoniaca, alumina, arsenica, atramenta, vitriola, tutias, hæmatiten, auripigmenta, realgara, magnesias, cinabarim, antimonium, talcum, cachimias, marcasitas, &c. in quibus omnibus nondum adimplevit materiam nostram. Quamquam in aliquibus dictarum specierum sese miro nonnunquum patefacit aspectu, quod ad imperfectorum metallorum transmutationem attinet. Longa siquidem experientia, & ignis per exercitium multifariam transmutationem ostendunt in materia mineralium, nedum ex coloribus aliis in alios colores, verum etiam ex una essentia in aliam, & ex imperfectione in perfectionem. At licet ipsa natura quandoque his mineralibus mediis ejusmodi demonstrationes faciat multis præparationibus intervenientibus, non propterea volunt philosophi suam lapidis materiam potissimum ex ullo mediorum mineralium progredi, tametsi lapidem suum mineralem vocant. Unde Sophistæ ab hac appellatione sumentes occasionem, ipsum Mercurium variis torturis persecuti sunt, aliqui sublimationibus, coagulationibus, præcipitationibus, mercurialibus aquis fortibus, &c. quæ omnes eroneæ viæ vitandæ sunt, cum cæteris Sophistarum præparationibus mineralium, purgationibus, & fixationibus spirituum atque metallorum. Proinde lapidis plurimæ præparationes, quin imò omnes quæ de mineralibus describuntur, ad hunc modum, uti Geberi, Alberti cognomento Magni, ac similium, sunt sophisticæ purgationes tantum, cimentationes, sublimationes, destillationes, rectificationes, circulationes, putrefactiones, conjunctiones, solutiones, ascensiones, coagulationes, calcinationes, & inceratione prorsum inutiles, cùm in tripode, furno reverberatorio, athanore, liquefactorio, acidioso, fimo, cinere, arena, similibusque, tum in cucurbita, pellicano, retorto, phiala, fixatorio, & id genus aliis. Idipsum de sublimationibus Mercurii per minerales spiritus ad album, & rubeum, ut per vitriolum, sal petræ vel aliud, alumen, crocum Martis, &c. judicandum est, de quibus omnibus falsò fabulatur Jo. de Rupescissa tractatu suo de lapide philosophorum albo & rubeo, quæ simul ementita cum aliis somnia sunt omnia bonos ac simplices viros miserè seducentia. Fugienda sunt etiam illa particularia sophistica Gebri, ut sunt septenæ sublimationes, aut mortificationes, item revivificationes Mercurii cum præparationibus, per Sal urinæ, vel per sepulcrum factis, quæ singula sunt ad lapidem falsissima. Quidam alii mineralium & metallorum sulphuribus Mercurium fixare conati, summè decepti fuerunt. Vidi nihilominus hac arte Mercurium in corpus metallicum per ejusmodi fixationes adductum, similitudine quidem in omnibus & per omnia bonum argentum fingentem ac repræsentantem, verum in examine testæ vel cupellæ falsum ut extitit etiam apparuit. Sophistarum nonnulli tentarunt ex isto Mercurio septies sublimato, ac toties dissoluto fixum oleum emungere, medio quidem aquarum fortium, quo metalla imperfecta quævis ad perfectionem adducerent, at frustraneum istud opus relinquere coacti sunt. Aliqui vitriolum septies purgarunt calcinatione, solutione, coagulatione, & cum duarum partium armoniaci salis additione, sublimationeque, ut in aquam albam solveretur, cui tertiam partem addidere Mercurii vivi, ut ea coagularetur aqua, totiesque postea Mercurium à dicto vitriolo & armoniaco sale sublimarunt ut in lapidem durum abierit: hoc affirmarunt ex vitriolo conceptum, rubeum sulphur esse philosophorum, cujus quidem solutionibus & coagulationibus progressi sunt, in projectione autem factum est nihil. Alii Mercurium coagularunt per aquam aluminis, & in massam duram alumini similem, quam aquis acutissimis fixarunt inutiliter. Sophistæ plurimas rationes fixandi Mercurium sibi præsumunt, frustra tamen quod in eo perfecti constantisve nihil habeatur. In vanum igitur addunt ei mineralia per sophisticos processus, quibus omnibus ad majorem excitatur malitiam, vivus quoque magis ac magis afficitur, impurusque potius quàm perfectus. Non est igitur ab eo philosophorum petenda materia, cum sit imperfectum quid; quod si ad perfectionem etiam adduci queat, sophistarum progressibus valdè difficile fuerit, imò impossibile, cum in eo nihil habeatur quod in perfectionem excitari cogive queat. Nonnulli sumpserunt arsenicum aliquoties sublimatum, ac multoties oleo tartari dissolutum & coagulatum, idque fixare prætenderunt, quo cuprum in argentum verterent; idipsum & nihil præter sophisticam dealbationem quandam attulit. Etenim hoc minimè figi potest, nisi tingens in eo spiritus probe cognitus erit, in quo quidem omnes ferè dormitarunt philosophi frustra conantes ex arsenico boni quippiam efficere Quicunque igitur spiritum hunc ignorarint, spem ipsum figendi nullam etiam habeant, aut virtutem ullam ei tribuendi per aliud, qua transmutationis perfectionem acquirat. Quamobrem notum facio cunctis in eo suam operam impendentibus, dealbationem de qua mentio facta est, ex falso fundamento depromptam, eaque falso cuprum dealbari solum & non aliter immutari. Sophistæ Venerem etiam ad hunc modum larvatam atque fucatam duplo sui admiscuerunt lunæ, mixturam vendiderunt aurifabris atque monetariis: postremò verò sese in falsos monetarios transmutarunt, nedum ipsi qui vendiderant, verum etiam qui emerant. Aliqui ex sophistis albi loco rubeum arsenicum sumpserunt, & hoc ipsum ut prius in falsam artem abiit. Quoniam quocumque modo præparetur, nihil præter albedinem exhibet. Nonnulli progressi sunt ulterius ad sulphur commune, quod flavum ut erat, coxerunt aceto, lixivio vel urinis acerrimis per diem & noctem, usque dum album emerserit. Postmodum elevarunt à calce communi & calce ovorum, coxerunt ac sublimarunt, idque multoties, combustile semper nihilominus extitit, licet album: eo tamen crudum fixare Mercurium in aurum conati sunt frustra, cinabaris tamen inde pulcherrima & omnium optima, quam viderim unquam, resultavit: hanc fixare putantes oleo sulphuris per cimentationem & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit, verum secus atque res ipsa desiderabatur, evenit. Alii sulphur commune redegerunt in formam hepatis, olei lini, laterini, vel olivarum admixtione, coquentes in aceto, postmodum super marmoreum lapidem effundentes. Hoc ipsum destillarunt in oleum citrinum igne lento primum, sed suo damno sunt experti ejus se nihil quod optabant, lunam scilicet in aurum minimè vertisse. Ut igitur mineralium infinitus est numerus, præparationum etiam eorum est multa varietas; quarum hoc loco latiorem facere mentionem distuli, quod peculiarem tractatum requirant. Cavendum etiam à sophisticis oleis vitrioli & antimonii, item ab oleis metallorum perfectorum &

imperfectorum, etiam auri & argenti. Quoniam etsi horum operatio potentissima sit in rerum natura, tamen verus eorum processus in hunc usque diem est paucissimis cognitus. Abstinendum etiam à sophisticis præparationibus Mercurii vulgi, arsenici, sulphuris, & aliorum similium, per sublimationem, descensum, fixationem, cum aceto, sale petræ, tartaro, vitriolo, sale armoniaco: ea tamen via rationeve quam docent libri Sophistarum. Item fugite sophisticas tincturas à marcasitis & croco Martis desumptas, & ab ea tophisticatione quæ pars cum parte dicitur, Lunæ fixæ, similiumque nugarum. Nam etsi aliquam superficialem veritatis apparentiam exhibeant (quæ quidem Lunæ fixatio parvi laboris est ac industriæ) tamen ejusmodi progressus præparationis est nullus, ac invalidus.

Audiamus jam quæ sit vera materia Philosophici Lapidis. In arte fermentorum & fermentationum (inquit Paracelsus) plurimum laborarunt Philosophi, quæ potissima videtur inter alias, de qua etiam nonnulli Deo votum & Philosophis exhibuerunt, se nunquam ejus rei prodituros arcanum, aliter quam similitudinibus atque parabolis. Cùm tamen Hermes libro septimo suorum tractatuum, fermenta luculentissimè patefaciat inquiens, non nisi ex sua constare pasta: latius, fermentum dealbare confectionem, & adustionem impedire fluxumque tincturæ prorsum retardare, corpora consolari, & unionem ampliare. Dicit etiam esse clavem atque finem operis, concludens fermentum aliud nihil existere nisi pastam, ut Solis nil nisi Solem, & Lunæ aliud nisi Lunam. Alii fermentum affirmant animam esse, quæ nisi ritè probeque præparata sit ex magisterio, nihil etiam afficere potest. Hujus artis nonnulli zelotes quæsierunt fermenta sua in variis mineralibus primis & mediis, at in vanum se cucurrisse compererunt. Quoniam est eadem substantia quæ quæritur, cum ea ex qua depromi debet. Notandum igitur ejusmodi fermentationes ex voto quærentium succedere minimè, sed ex naturalibus concordantiis gradatibusque successibus tantum.

CAP. VIII.

De Præparatione Materiæ Spagiricæ in genere.

NAtura inprimis requirit ab artifice, ut Philosophicus Adam in Mercurialem substantiam adducatur, ac demum in Orientalem Solarem, ac Lunarem Lapidem enascatur. Porrò notandum communes illas præparationes Geberi, Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, Rupescissæ, Polydori, similiumque, nihil aliud esse quàm particulares quasdam solutiones, calcinationes ad nostrum universale minimè pertinentes, quod quidem secretissimo solum igne Philosophorum indiget. Ignis igitur & Azot tibi sufficiant. Philosophos aliquarum præparationum facere mentionem, uti putrefactionis, destillationis, sublimationis, cerationis, fixationis, &c idipsum intelligas oportet in eorum universali naturam ipsam quasvis operationes adimplere in dicta materia, & non operarium, in philosophico vase duntaxat, igne simili & non communi. Album namque & rubeum ex una radice prosiliunt, absque medio quovis. Solvitur per seipsum, & copulatur per se, albescit, & rubescit, croceum & nigrum efficitur per seipsum, sese desponsat, & in seipso concipit. Decoquendus igitur, assandus, & fundendus: ascendit atque descendit, quæ quidem operationes omnes unica sunè igne solo facta. Nonnulli tamen Philosophi per summè gradatam essentiam vini, corpus Solis dissolverunt, volatileque reddiderunt, ut per alembicum ascenderet, putantes veram esse materiam volatilem Philosophorum; cùm non sit: etsi non contemnendum arcanum sit, corpus metallicum perfectum in volatilem & spiritualem substantiam adducere, tamen errant in elementorum separatione: qui processus Monachorum, videlicet Lullii, Richardi Angli, Rupescissæ, & aliorum est erroneus. Opinabantur enim aurum hac via in subtilem spiritualem & elementalem potentiam separare, postea separatim utramque per circulationem, & rectificationem rursus in unum copulare, sed frustra. Siquidem etsi unum elementum ab alio quodammodo separaretur, nihilominus quodlibet ad hunc modum separatum, in aliud iterum separari potest, quæ partes postmodum pellicanica circulatione, vel destillatione rursus in unam coire minimè possunt, quin semper maneant volatilis materia quædam, & aurum potabile, ut vocant. Causa verò cur isti ad suam intentionem pervenire non potuerunt, hæc est, quia natura hac via minimè distrahi vult, nec separari humanis disjunctionibus, uti per terrena vitra, & instrumenta. Sola ipsa novit suas operationes, & elementorum pondera, quorum separationes, rectificationes, & copulationes exequitur absque adminiculo cujusvis operantis, aut manualis artificii, dummodo contineatur in igne secreto materia, & in occulto vase. Per hominem igitur impossibilis est elementorum separatio, quæ licet appareat, non est vera tamen; quicquid de Raymundo Lullio dicatur, & Angelico suo nobili aureo quod fabricasse falsò putatur. Habet enim ipsamet natura proprium in seipsa separatorem, qui quod separat, iterum conjungit absque hominis auxilio, novitque omnium optimè uniuscujusque proportionem elementi, & non homo, quicquid scribentes erronei suis frivolis falsisque receptis de volatili hoc auro suo fabulentur. Hæc est opinio Philosophorum, ut cùm suam materiam in ignem secretiorem posuerint, calore hoc Philosophico circumquaque fovetur, ut incipiens per corruptionem transire, nigrescat: hanc operationem putrefactionem esse dicunt, nigredinem, & caput corvi nominant: materiæ hujus ascensum atque descensum appellant suam destillationem, ascensionem & descensionem: exiccationem dicunt esse coagulationem, dealbationem verò calcinationem. Et quia continuato calore fluida fit ac mollis materia, cerationis mentionem faciunt. Quum autem ascendere desinit, & liquida manet in fundo, fixationem vocant. Ad hunc modum igitur operationum philosophicarum appellationes intelligendæ sunt, & non aliter. Declaratis igitur instrumentis & materia cum fermentis, ex ordine veniendum est ad pondera, sine quibus irritum est opus nostrum.

CAP. IX.

De Proportione Materiæ & Formæ Spagirici Lapidis.

FOrmalis nostri fœtus pars est Mercurius Philosophorum, & Solis spiritus sive tinctura: vivus autem pars est materialis altera. Proinde compositio hujus sacratissimi Lapidis Adamici, fit ex sapientum

sapientum Adamico Mercurio, cum eorum Evena muliere per matrimonium & unionem unius & alterius Mercurii in tertium. Est igitur unica materia Philosophorum constans ex spirituali Mercurio, corporali, & animali. Corporalis Mercurius est subjectum tincturarum: spiritus verò & animalis medium exhibent illas conjungendi, Verum in istorum conjunctione debita proportio servanda est, nam si plus unius quàm alterius accipiatur, vel semen projectum in agrum suffocabitur, ut non possit tamdiu vivere, donec à Mercurio Philosophorum unitum igne perficiatur: vel contra si minus, solvi non poterit omninò, quo fiet ut arefactum nihil fructus allaturum sit. Proinde quantum unius & alterius sit accipiendum audite, ne ob ejus proportionis ignorantiam totum destruatur opus. Sumatur itaque pars una seminis, ad duas terræ partes, vel tres ad quatuor, & non errabitur; quinimò ad optatum finem opus perducetur hac parte, modo reliqua moderentur. Alibi de hac proportione loquitur Paracelsus ad hunc modum: Duplici ratione pondus observandum est, naturale prius, alterum autem artificiale. Naturale consequitur effectum in terra per naturam & concordantiam, de qua Arnaldus. Si terræ plus aut minus additum erit, quam natura patiatur, suffocatur anima, nullusque fructus percipitur, nullaque fixatio. Idipsum de aqua censendum, si plus istius aut minus accipiatur, non inconvenientius damnum attulerit, cujus superfluitas materiam supra modum humidam reddit, ejusque defectus eam justo sicciorem efficit ac duriorem. Si plus æris adfuerit, tincturæ nimium imprimitur; si parum, pallidum corpus evadet. Itidem si vehementior ignis existat, aduritur materia; si remissior, potestatem exiccandi non habet, neque solvendi, nec alia elementa calefaciendi. In istis pondus elementale consistit. Verum artificiale est occultissimum, cum in arte magica ponderationum sit conclusum. Inter spiritum, animam, & corpus (aiunt Philosophi) pondus constat sulphure tanquam operis rectore: etenim anima sulphur apprime desiderat, necessarioque observat ratione ponderis: ad hunc modum intelligito. Materia nostra est unita rubeo sulphuri fixo, cui tertia pars regiminis commissa est, usque in ultimum gradum, ut perficiat in infinitum operationem lapidis, & cum eo persistat una cum igne suo, & pondere constet æquali cum ipsa materia, in omnibus, & per omnia, sine ulla variatione alicujus gradus transmutationis. Postquam igitur materia adaptata est, & proportionato suo pondere mixta, vase Philosophorum optimè sigillo suo concludenda, & igni secreto committenda, in quo Sol Philosophicus orietur ac surget, nec non illuminabit omnia quæ suum lumen expectarunt, speque plurima desiderarunt. Sed quia rite hæc intelligi nequeunt, nisi tincturam spiritualium in metallis perfecta habeatur notitia, de his est quod etiam disseramus.

CAP. X.

De Tincturis & Spiritibus Metallorum, & primò de Tinctura Solis.

PRincipem locum tenet Solis tinctura, quæ est ex subtili admodum igne purissimo perfectissimoque nata; quapropter spititus hic ab igne minimè refugit, sed fixus in eo manet jubilans & gaudens, ab eo non absumitur, nec uritur ut reliqui omnes, quin imo splendescit ac semper clarior efficitur, nulli corruptioni subjicitur, caliditati neque frigiditati vel aliis qualitatibus, quæ nihil ipsi detrimenti ullatenus adferunt: quo fit ut corpus quod semel induit, ab omnibus accidentariis corruptionibus & morbis tuetur atq; defendit, ut hoc etiam pariter cum eo sustineat ignem absque læsione. Virtutes ejusmodi corpus à seipso non habet, sed à suo spiritu solo hoc ipsum efficiente. Certum est solis corpus esse Mercurium, qui tamen ignem sustinere haudquaquam potest, at citissime fugit ab eo. Cùm igitur in auro existens minimeq; fugiens constanter persistat, dubium non est ejusmodi fixionem à spiritu sibi contigisse. Quod igitur in Mercurio munus & officium habet, quin idem à suo corpore liberum, inque humanum corpus assumptum operetur, quid obstabit? quin etiam istud ab omnibus corruptionibus, morbis & accidentibus quibuscunque tutum reddat, vitamq; longam & sanam æque atque nostris olim primis parentibus conferat? Haud secus aliorum metallorum proprietates ac vires cognoscendæ, sola nimirum experientia certissima ac vera, & non subtilis intellectus ratione quapiam alia, cum hæc sapientia per solam opinionem concepta, coram Deo & veritate mera stultitia sit; quapropter in hanc sperantes atque credentes fraudari contingit simul & errare. Adhuc de spiritu solis atque tinctura, modò quam Luna habeat videamus. In hac alba tinctura latet, ut in Sole rubea; nascitur etiam ex subtili spiritu, non tamen æque perfecto ac Solis, reliquas nihilominus aliorum metallorum subsequentium tincturas longe superat, puritate & constantia. Plumbum enim ignitum, cuncta metalla & seipsum absumit igne præter Solem & Lunam, cui detrimenti nihil adfert. Cùm igitur spiritus Lunæ corpus quod semel induit, Mercurium scilicet, ab injuria tueri valeat ignis, & aliorum accidentium, constansque reddere, facile hinc est colligere, si hoc in tam instabili volatilique corpore Mercurii efficiat, quanto efficacius operabitur à suo corpore liber, & in corpus humanum projectus; annon istud etiam à quibusvis corruptionibus & morbis tuebitur? Sane quodcunque operatur in Mercurio, hoc ipsum in humano corpore potest, atque vitam longam & sanam conservare, pulsis omnibus morbis qui sub ejus potestate comprehenduntur juxta gradum à natura sibi præfixum. Siquidem quo sublimior, subtilior, atque perfectior quæque medicina fuerit, eo perfectius etiam curat in suo genere. Proinde rudes admodum sunt illi medici, qui suam artem fundarunt potissimum in corruptibilibus medicamentis, uti sunt vegetabilia, quibus nihilominus permanentes & fixas curas inconstantissimis aggrediuntur mediis, quod quidem ipsis impossibile est suscipiunt. Quid autem de his dicam? aliud nihil hactenus in suis Academiis dicerunt. Proinde potius quam ab initio discere, studereque, penes antiqua larvataque sua studia manendum esse judicant. Spiritus Veneris ex permixtione crassiorum elementorum oritur quam præcedentes, quapropter istis est subjectus; perfectior tamen subsequentibus aliis spiritibus atque tincturis; quas fixatione & constantia superat. Nam igne liquatum vel candens cuprum, non tam facile comburitur aut evanescit, ut subsequentia metalla, nec aëre vel humiditate tam cito corrumpitur atque Mars: hic enim fixius in igne persistit. Quam quidem virtutem Venus à suo corpore nequaquam habet, sed à spiritu sibi naturaliter infuso. Quicquid operatur in Mercurio suo corpore conservationis, idipsum & in humano, juxta sibi

c ncesſum à natura gradum: nam vulnera pariter & ulcera munit ab accidentibus, quæ his ab aëre vel igne contingere poſſent; præterea morbos omnes propellit, qui ſub ejus gradu vel dominio comprehenduntur, & à radice penitus evellit. Ex adverſo metalla quævis quibus admiſcetur, imo corpora perfectorum dilaniat, ut malleum non admittant, nec amplius tractabilia tantiſper exiſtant, uſque dum ab eo liberentur. Haud ſecus efficit in humano corpore, præſertim ſi ad aliquem morbum aſſimatur, cui per ſuum gradum non eſt à natura deſtinatum, contracturas membrorum infert. Quamobrem probe medicus addiſcat prius, cui morbo conveniant quique metallorum imperfectorum ſpiritus & tincturæ, quam periculo patientum experiatur. Tutius tamen foret perfectorum uti ſpiritibus duntaxat, niſi aurum & argentum eſſent pretioſiora, quam ut à quovis ægro perſolvi talis medicina valeat, vel potius paratu hæc difficilior, quam uniuſcujuſque medici fert ingenium & induſtria; quo fit ut iſte cogatur facere quod poteſt quodque didicit, nempe tractare vegetabilia & animantia; quæ ſuperantur, intervalloque plurimo à tergo relinquuntur à mineralibus, quantumcunque rudi Minerva præparatis. Tinctura martia conſtat ex elementorum aduſtibili craſſaque permixtione, ſed præ cæteris imperfectis duriorem minuſque tractabilem ſubſtantiam habet, vix etiam fuſibilem, aëre corruptibilem & aqua, quibus & ab ærugine vel ferrugine conſumitur, igneque facillimè. Nihilominus duritie ſuperat alia quævis & ſiccitate metalla, quæ permixtione deſtruit, ac diſcontinuat, perfecta non minus quàm imperfecta. Non aliter membra corporis humani torquet, cùm ad alium applicatur morbum, quam deceat. Verum ad ulcera forinſecus, quibus etiam convenit, aſſumptus hic ſpiritus, curat à radice, tollens omnem contagionis cauſam gradu ſibi parem, non tamen ſuperiorem. Non caret igitur viribus, atque virtutibus à Deo naturaque ſibi conceſſis in ſua ſpeciali proprietate. Spiritus Jovis naſcitur ex alba & pallida ignis ſubſtantia, intractabili malleo natura, non æquè tamen ac Mars, permixtione cum aliis ea corrumpit, atque diſcontinuat, præſertim lunam, ut ab hac vix ſeparari queat, nec, niſi prorſum amotus magno labore ſit, ipſa tractabilis. Simile quid in aliis metallis operatur præterquam in Saturno. Quod in ſuo genere, pariter extra in aliud aſſumptus, ut in hominem operatur, membra diris paſſionibus ac doloribus cruciat, roditque maximis ardoribus, ut naturales facultates exercere nequeant. Forinſecus tamen fiſtulis, cancro, carbunculo, ac ſimilibus applicatus, quæ ſuæ naturæ gradum non excedunt, optimum eſt remedium extirpans, omne malum. Saturni ſpiritus oritur ex obſcura, tenebroſa, frigidaque permixtione elementorum, quo fit ut cæteris minus perduret in igne, celeriuſq; diſpareat cum ſuo corpore. Corpora Solis & Lunæ mundat, & in examine purgat ab omni ſuperfluo, ſed ea confracta ad diſcontinua relinquit à lavacro: non ſecus in homine membra torquet intro aſſumens, majore etiam dolore quam ſtannum & ferrum, quia tamen frigore coagulatur ejuſmodi ſpiritus aliis multo intenſiore, non ita acriter exagitat. Habet nihilominus ad perſanandum fiſtulas, cancrum, & alia hujus generis ulcera maximas vires & facultates, item ad pleraque vitia, non ſecus quam ex auro & argento quaſvis impuritates, educendum. Verum niſi peractis operationibus à corpore ſimul unà cum morbo recedat, valde plus damni quàm utilitatis adferet. Proinde hoc ſpiritu medicus uti cupiens, inprimis cognoſcat quibuſnam conveniat morbis, & quorſum ordinatus ſit naturaliter in medicinis. Poſtremo verò Mercurii ſpiritus, cùm nullam determinatam aut certam formam habeat, præcedentibus aliis omnibus, ut cera ſigillo ſubjicitur omni: etenim ſpiritum in ſe quemcunque recipit, ut quum ſolis ipſi ſpiritus imprimitur, in Solem tranſit; ſi Lunæ in Lunam; ſic de reliquis: naturam ejus induit, cujus ſpiritum amplectitur metalli. Comparatur itaque juxta corpus ad alios ſpiritus dictos, non aliter quàm ad virum ſua fœmina, non corporali mixtione, ſed quum ſpiritus eductus fuerit ex ſuo Metallo, ac in Mercurium poſt præparationem projectus, tum demum ſuam tranſmutationem exhibet. Non ſecus mortua metalli fœmina tanquam incultus ager vel terra, ſi macceretur vel aratro philoſophico vivificetur (quæ fœmina hoc opere fixa manet ac incorrupta) corporali ſpiritu dicto per ignis gradus unitur in iſtius naturam atque ſubſtantiam, & hic cum mortuo metalli corpore: quod quidem cum craſſo Mercurii ſpiritu minime fieri poteſt. Et ſi corpus Solis Mercurius vel argentum vivum exiſtat, ac fixum, nihilominus communis Mercurius non fixus adhuc, neque mortificatus etiam non reſurrexit. Nam reſurrectio metallorum, eſt immortificabilis regeneratio, mediumque per quod ejuſmodi tincturæ promoventur ad ſui generationem. Quapropter cum corporibus mortuis uniri non poteſt in fixationem, ar ſolum cum extractis ſpiritibus, uti corporalibus dictis, qui metallis ſubjiciuntur, non aliter quam communis Mercurius ſpiritibus metallicis omnibus. Spiritus enim crudus Mercurii, tincturam hanc in ſubſtantiam minime generat, non magis quàm concubina legitimos fœtus. Pariter de Mercurii craſſo ſpiritu judicandum eſt tantiſper, donec metallicus & corporalis fiat medio naturalis materiæ. Præter hoc medium impoſſibile fuerit boni perfective quid in ejuſmodi tincturis perfici. Porro ſi fuerit ignis intenſior, generari nequeunt, ſi remiſſor, idipſum eveniet.

CAP. XI.

De ſpecialibus Præparationibus Materiæ Lapidis & primò per Electrum.

NIhil in rerum natura quod ſua forma careat: omne ſiquidem eorum quæ ſunt in ſua concordantia generatur, multiplicatur, ac deſtruitur, ſuumque patefacit initium, à quo ſenſualiter percipitur id ipſum in fine futurum, quod à principio, fierique debere. Quicquid intercipitur, imperfectioni ſimile quid eſſe videtur quod natura per accidens ad generationem urget. Cùm tamen accidentia per Vulcanum amoveri queant ut nihil operentur, eatenus emendari natura poteſt, quod in iſto lapide contingit. Quoniam ſi hunc ex vera materia (quam à præcedentibus inſtructionibus facile cognoviſti) fabricare voles, oportebit ante omnia ſuperfluitates amovere, ut in ſua concordantia formetur, multiplicetur, & augmentetur. Natura ſiquidem reliquit imperfectam, cum ipſa non lapidem, ſed hujus materiam duntaxat formet, ex qua quidem fieri minime poteſt, quod poſt ejus præparationem fit per lapidem, accidentibus materiam impedientibus. Eſt igitur materia ſine præparatione, reſpectu lapidis, non niſi res ſemiperfecta, non conſiſtens in aliqua concordantia, quæ perfecta dici poſſet, aut humano corpori conveniens ad ſanitatē. In exemplum eſto

esto Microcosmus: hic per suum artificem non nisi vir fabrefactus est, non opus integrum, cum in sua concordantia non resistat, sed medium tantisper donec accedat virago femina sibi similis ex eo fabricata, tum demum integrum & completum opus efficiunt. Terra sunt ambo, duæque terræ hominem unum constituunt integrum, augeri crescereque potest, hoc efficiente formata concordantia. Proinde lapis philosophorum (qui non minus hominem, quam ipsa metalla debet instaurare) purgatus à superfluis accidentiis ac liberatus, nec non in sua concordantia positus, operatur miracula quædam in omnibus infirmitatibus: alioqui frustraneus labor, qui præter concordantiam suscipitur in opere philosophico balsami lapidisque perpetui. Ut igitur ad suam concordantiam veniat, in primam reducendus est materiam, quo masculus in feminam agere queat, ejusque manifestum occultetur, & hoc manifestum fiat, ut semen utriusque maris & feminæ videlicet in sua concordantia concluſum, & Vulcani medio plusquam perfectum, & in summo suo gradu exaltatum, qualificatas virtutes omnes una cum temperata clarificataque essentia, de se valeat in humanum corpus exerere, necnon in metalla, sordes per viam pulsus expellendo, quodque bonum est in humano sanguine, suo loco disponendo per viam tactus, & conservando, quo Microcosmus in limbo terræ consistens, & ex ea formatus hac medicina, tanquam sibi simili, radicaliter & vere ad sanitatem adducatur, ac in eadem conservetur. Tantum naturæ mysterium, & arcanum maximum latere medicum nullum debet, saltem ex astrali medicina natum. Ut filiis itaque doctrinæ clarius materiam, & præparationem magis ac magis aperiamus tam admirandæ medicinæ. Sciatur à natura datam rem unam atque productam fuisse, in qua tanquam in arca 2. 3. 4. sunt mysterialiter concluſa, nec non occulta quiescunt, cujus rei vires atque virtutes post præparationem, abundantissimam habent potestatem à Microcosmo quoscunque morbos & infectiones pellendi. Verum est juventutis à senecture, & hujus ab intempestiva morte defensivum, quod balsamum etiam vocamus. Proinde scitu necessarium imprimis, in quo subjecto natura hos numeros posuit. Virtutes ejus amplissime descriptas invenies in archidoxis meis (inquit) libro de renovatione & instauratione. Cæterum astralibus discipulis materiam aperte satis jam demonstrabo, cum totius operis præparatione. Qui aures habet igitur ad audiendum, & mentales oculos ad videndum, audiat ac videat quid Paracelsus doceat, priusquam judicet cum cæteris iniquè.

Electrum minerale immaturum ponatur in suam sphæram, ut sordes & superfluitates abluantur, summeque repurgetur per stibium juxta chemicum usum & consuetudinem, ne damnum ob ejus impuritatem patiare. Solvatur postmodum in stomacho struthionis in terra nascentis, per acritudinem aquilæ fortificato. Absorpto jam electro, cum flavos flores acquisierit, vel in modum heliotropii florum à solutione, hoc ipsum non obliviscaris quin ad spiritualem quandam ac transparentem essentiam adducas, quæ vitrioli similitudinem habeat albi. Tum demum additio medietatem ponderis, quod corporale prius electrum habuit ante præparationem, ex aquila extensa, & inde stomachum struthionis, abstrahatur sæpius, hoc fiet ut electrum spirituale magis ac magis evadat. Quum vero stomachus strutionis debilior operatione factus erit, innovandus atque denuo corroborandus venit, vice quâlibet abstrahendo. postremo cum rursus acredinem amiserit, addatur essentia quinta tartarizata, ut quatuor digitis emineat priveturque sua rubedine, quæ una simul ascendat. Toties id repetendum, usque dum per se albescat satis (quod quidem oculis apparet magis ac magis ad sublimationem se dedere) quo signo percepto sublimetur, & electrum in albedinem aquilæ sublimatæ versum erit, ac pauco levique labore adductum atque transmutatum: quod quidem ad usum nostræ medicinæ quærimus. Hoc ipso poteris ad multas ægritudines progredi, quæ communibus medicamentis minime cedunt. Poteris etiam illud in aquam, vel in oleum vertere, aut in rubeum pulverem, ad omnes morbos quibus adhibere volueris aut indigueris. In medicina majus fundamentum haudquaquam inveniri potest, quam in electro latet. Fatcor tamen & in aliis [inquit] mineralibus arcana maxima similiter occultari, sed majori prolixiorique labori subjecta sunt, quorum usus in abusum ab imperitis vertitur artistis, quorum etiam manus plus in hac medicina destruunt quam ædificant. Quapropter minime laudandum est, unumquemque chemistam suscipere medici munus & officium, cujus est ignarus, & huic ineptus. Merito foret in ejus farinæ medicos temerarios putatitios ac præsumtuosos animadvertendum, qui mox vel lectura sola, se chemicos & medicos putant, ac in has artes per fenestram & non per ostium irruunt. Culpam in me rejici nolo propter scriptionem, nec eos omnes pro discipulis agnosco, qui sese meos esse prædicant, aut scripta mea legunt, solos eos qui me & intelligunt, & veritatem sectantur: alios vero voluntarios deceptores pronuncio, & vagabundos homines, qui veris discipulis panem ex ore præripiunt, sub nomine meo nocentes omnibus, quod nullius artis quæ certa veraque sit, curam habeant. Sed ad institutum redeamus. Ut fractum electrum tandem ad optatum finem perducatur, ejus tantum accipiendum est volatilis ut antea redditi, quantum perficere volet artifex, & ovo concludendum philosophico Hermetice sigillato, ne ullatenus respirare valeat. Hoc in athanore positum contineatur, usque dum per se dissolvatur sensim in superficie, tum demum insula quædam in hujus maris medio conspiciatur, quæ paulatim decrescens in nigredinem abeat instar attramenti sutorii. Hæc est avis noctu volans absque alis, quam cæli ros primus continuata decoctione sursum atque deorsum ascensione descensioneque in caput corvi convertit, ac tandem in caudam pavonis, & postea candidissimas & olorinas plumas, ac postremo summam rubedinem acquirit, indicium igneæ suæ naturæ: per quem ignem accidentia morborum omnium extra corpus humanum pellit, ac emortua frigore membra, vel paralytica reficit. Hujusmodi præparatio fit [ex sententia philosophorum omnium] unico tantum vase, unico furno & unico igne vaporoso continuato. Quibus peractis omnibus medicina tanquam cælestis effecta est atque perfecta, quæ plusquam perfecta fieri potest per propriam carnem, & suum sanguinem, perque suum internum & occultum ignem in manifestum adductum, quo pariter metallorum sordes abluuntur, & eorum occulta fiunt manifesta. Perfecta medicina hæc omnia potest, penetrat omnia corpora, & ex eis corruptiones educit, unaque simul introducit velut momento sanitatem, ut parem in hoc mundo nunquam admittat. In ea te ipsum igitur exerceto medice, per eam

tibi laudem atque decus maximum comparabis: per hanc in medicum verum evades, coactum sane per istam ad fraternam charitatem, quod nemo mortalium divinum hoc arcanum intelligere vel assequi sine Dei voluntate valeat. Item infinita virtus ejus ac ineffabilis Dei cognitionem operatur in suis cultoribus, tum in iis qui utuntur ea frequentius assumpta singulis mensibus, aut noviluniis: impedimenta siquidem lucis intellectus amovet, ut cuncta in abditissimis occulta repurgatæ menti palam fiant.

Cæterum scitu necessarium, nullam electri solutionem fieri, nisi prius sphæratum septem circulum ter perfectissime trancurrat: nam ille numerus ei competit. Proinde præparationem tuam diligenter observato, quæ solutionis est potissima causa, glorificato, spiritualique facto (ut auditum) electro tartarilatum arcanum adhibendo, quo superfluitates per præparationem introductæ penitus abluantur, hoc fiet ut non frustra sis optaturus. Arcanum tartari similiter est amovendum, ut sola puraq; tua materia circulatiter, juxta præscriptum ordinem artis mota, in ovo philosophico vapore ignis per seipsam facile vertatur in aquam philosophicam, quam viscosam vocant; item per se coaguletur cum colorum omnium manifestatione; postremo vero summa rubedine decoretur. Plura de hoc abditissimo Philosophorum arcano scribere vetitum, quapropter Dei potestati quod convenit merito relinquendum, cujus solius est peculiare donum non omnibus contingens, nec intellectum cujusque licet acutissimi subintrans.

Æquum est etiam ut ejus usum adjungamus. Hujus medicamenti dosis vel pondus administrationis tam exiguum esse debet, ut vix atomum referat, in vino, vel alio cordiali jusculo, nam si vel tantilla major quantitas adhibita sit quam par est nimium operatur cœlestis virtus in eo delitescens, ac ceu in centrum coarctata. Hoc naturæ mysterium supra naturam, nonnullis hominibus ad sui gloriam D. O. M. innotescere voluit. Cui soli sit laus, honor, & gloria peremnis in æternum. Concludens Paracelsus ait: En habes amice Lector brevibus omne fundamentum, & originem arcanæ divinæque medicinæ, quæ præordinatis à Deo solum obtingere potest. Tuum erit imitari cum intellectu quæ tibi ad imitandum præscripsi, labores non subterfugias, non te carbonis arti terreant, non operosa diligentia cum industria hoc loco necessaria, sed animo proponas oportet, assiduis speculationibus orationibusq; media ovis intervenientibus, occultissima quæque detegi piis mentibus, nec is labor ad te præter fructum redibit copiosissimum.

Ut igitur aliquid lucis, hæc Paracelsi scripta legentibus, adferam, nonnihil addere visum est, quod electrum in duro cortice latens aperiat. Nemo non scit electrum metallicum vel minerale, duorum ejusmodi corporum vel plurium esse mixturam. Quapropter quærendum nobis inprimis est ejusmodi minerale immaturum, hoc est à natura compactum, quod plura contineat, veluti compositum arte fit ex variis, ut lato, campanarumque metallum, ac similia. Sed valde quid infra dicetur de cinabari. Verum ut ista magis eluceſcant, colligere tibi volui per ordinem, quæ sibi sunt affinia potius quam remotiora, proinde mox Spagiricum subnectamus illud matrimonium, de quo supra parumper retigimus, cùm de spiritibus & metallorum tincturis ageretur.

CAP. V.

De Matrimonio Spagirici vel Philosophici Lapidis.

MErcurius Philosophorum servatur in Mercurium corporalem, tanquam semen in suum agrum vivum, hoc est Mercurius solis in terram projiciatur philosophicam, ad generationem tincturarum, & vivus ager Mercurium sapientum solvet ejus in se vires concipiens, ac istam ille vivam occidet, spiritum scilicet vivum corporalem, indeque matrimonium constans & inviolabile per ignem & in ipso fiet. Mercurius namque philosophicus, id est solis, ad corporalem spiritum Mercurii comparatur in conjunctione, quemadmodum maritus ad suam uxorem, cum ex una & eadem sint ambo radice vel origine, quamvis corpus solis in igne fixum existat, metallica vero mulier non fixa, nihilominus huic illud, non aliter quam agro vel terræ semen comparatum est. Quodcunque seminatur colligere necessum est, ut ex hordeo hordeum, ex tritico triticum, sic de cæteris. Pariter in arte si aurum seminabitur, hoc etiam colligetur; si argentum idipsum; si cuprum, idem, &c. Quapropter ex metallis oriuntur tincturæ, quævis in suo gradu, hoc efficiente Mercurio sapientum, & non Mercurio vivo, sed Mercurius communis est augmentatio, fructum edens, ut ex semine terra. Postquam igitur materiam suo vase concluseris, ponatur in calorem naturalem, ut externus internum non superet, alioqui nulla subsequetur unio. Nam calor nimius dispergit aduritque materiam, ut nihil ex ea generetur. Consideretur aërea pars mundi inter cœlum & terram media, sine qua, calore Solis & reliquorum altrorum creaturæ quævis exultæ nihil producerent. Inter ignem igitur & materiam sit æthereum medium, ne forte destruatur opus. Contra si vivus ignis æquo sit remissior, spiritus materiæ quiescet, nihil in humidum suum agens aliud, quam ejus repentinam exiccationem & fixionem. Etenim spiritus metallici mortui sunt, & quiescunt, ut nihil agere vel operari queant, nisi per vivum ignem ad vitam excitentur. In magno mundo non absimile videtur, in terram projecta semina tanquam in ea mortua jacere, ut per se crescere minimè valeant, nisi vitam & motum à Sole recipiant. Proinde videat artifex hoc loco ut medium servet in ignis sui regimine, alioqui non poterit voti sui compos unquam fieri. Justo calore mota materia mox incipit nigrescere, ac operante postmodum siccitate in humiditatem, incipit hortus philosophicus in ovo florescere diversis ac variis coloribus in modum caudæ pavonis, quales operantem vidisse nunquam in vita sua contingit. Nonnunquam apparebit vitrum intus, obductum auro, quod quidem indicium est, mariti seminis in semen conjugis actionis, id est, sulphuris spermatis in Mercurii menstruum, & mutuæ unius in alterum alterationis, atque mixtionis. Deficiente postea sensim humiditate per exiccationem successivam, ejusmodi flores colorescque transeunt in pilulantem albedinem, usque dum ad ordinatum à natura sibi gradum perveniat. Notandum interea ne acceleretur in opere, quod plerique faciunt, cupientes fœtum hunc enasci spatio unius anni, vel mensium novem, tanquam granum, aut homo in utero matris: non ita cito nascuntur aurum & argentum, ut illa. Siquidem quo natura quid excellentius, perfectiusque fuerit, eo majore opus est tempore ut nascatur: quod

quod cito fit enim, cito perire videtur; ut herba, homo, & similia, quorum ea de causa vita brevis existit. Non ita cum auro & argento, quæ natura compactiora sunt, & ex constantioribus, quam sit caro vel sanguis, proinde vitam longam hominibus exhibent, magis quam cætera, conservant etiam illis sanitatem à corruptionibus, ut Mercurio vulgi. Albedine in summo suo gradu existente, vas aperiri potest, & eximi lapis albus, cujus hoc esto periculum perfectionis. Particula super Veneris laminam ignitam posita si fumum nullum edat, bene est, alioqui diutius digerenda, donec nativitatis punctum, addiscas atque fixionis. Idipsum in lapidem rubeum cum progressus fueris. Fermentum multiplicationis hoc est cum Mercurio vulgi, non aliter quam antea de Mercurio philosophico dictum est, sub eodem pondere, loco, & moderatione pari. Hoc fiet, ut una pars centum ulterius quam antea partes optime tingat, idque repetitum sæpius, materiæ tantam copiam exhibebit quantam voles, ut una pars mille Mercurii partes ad optimam lunam adducat. Ad majorem hujus operis declarationem, latius in hæc verba Paracelsus prorumpit inquiens. Ut melius intelligas, solvatur, inquam, Mercurius Philosophorum summe purgatus per suam conjugem, corporalem spiritum videlicet aut Mercurium vivum Mulier virum suum dissolvet, vir quoque mulierem uxorem suam coagulabit ac fixabit. Nam qui videtur mutuus inter conjuges amor, idem est inter Mercurium philosophorum & terram metallorum. Natura siquidem naturam appetit sibi similem. Juxta corpus non differunt, nec nisi viribus ac proprietatibus. Metallicus enim homo fixus est in igne, metallica vero mulier volatilis. Si vivus homo cum viva muliere misceatur, fit inde generatio, non autem ex mortuo viro cum viva muliere. Quamobrem uniatur cum vivo, tum demum femina virum solvit, & iste mulierem tingit fœcundamque reddit. Ponantur ambo tandem in vitrum strictissimo sigillo obsignatum; ne mulier aliqua spirans exhalet, alioqui vanum erit hoc opus: tandem in thorum conjugii balneúque maris, in quo cum probe moderato calore satis incaluerint, primo gradu mulier atro colore vestietur, hoc indicium est conceptionis, & prima clavis ad arcam reserandam hujus divini mysterii. Continuato calore hoc levissimo sensim consumetur ista nigredo, ab alio succedente colore, tanquam à verme vermis. Inde succedent alii tot tamque varii quot in pavonis cauda conspiciuntur, ficco in humidum hoc ipsum operante. Continuetur calor ignis, donec versicolor iste secundus vermis, à tertio vel ab aquila alba plumas olorinas habente, devoretur; materiaque lunæ prorsum candida nivis istar efficiatur, vitrumque perfectum gradum suum receperit. Nata Regina sic mundum alloquitur: Sum Regina laude præ cæteris digniſſima, viribus virtutibusque refertissima, quæ Venerem, Martem, Jovem, Saturnum, atque Mercurium, in lunam constantissimam transformo; nedum id, verum etiam languentes homines à variis infirmitatibus & morbis libero, utputa ab omnibus febribus, caduco, lepra, venereo, nec non aliis mineralibus corruptionibus. Auctoritate postmodum igne, regia mulier in regem potentissimum evadit, albedine sensim in flavum croceumve colorem terminante, ac deinceps in rubicundissimum rubini splendorem. Jam natus est rex orientalis, imperans omnibus totius mundi principibus, quos etiam alloquitur his verbis: Ego naturæ sulphur, Rex Regum, Princeps Principum, & dominus dominantium, perfectissima potestate superans omnes, vincens, ac subjiciens, à nullo superatus, neque coactus, invincibile possideo regnum, quo Lunam, Venerem, Martem, Jovem, Saturnum, atque Mercurium vulgi, in optimum aurum Hungarico melius transformans, confirmo stabilioque adversus omnium examinum tormenta: Nec solum ego morbos metallorum pello, sed etiam hominum, quos incurabiles hactenus existimarunt præsumtuosi medici, ut sunt podagra, hydropisis, lepra, caducus, atque reliquos omnes contra naturam advenientes. Præterea bonam tribuo memoriam; sanum judicium & intellectum, vitamque longam his qui meo medio utuntur præsidio cum cibis & potibus assiduo: item exalto eum qui me cibo & potu mihi congruentibus reficit, in summos honores, infinitas opes ac divitias, potentemque reddo: Per me si quidem totus mundus regitur. Quicunque me fuerit adeptus, omnia mecum possidebit; nam qui possidet aurum hoc meum, assequitur omne desiderium. Proinde si meo regno potiri voles, cibato me nedum corporali cibo, verumetiam ac præsertim verbo Dei, sic adimplebo hic in terris, quicquid optare te contigerit, daboque tibi meum fermentum & balsamum perpetuum. Hoc solve humido suo, positum in conjugali thoro, longe citius quam antea suas fermentationum operationes complebit, pastamque in suam convertet substantiam; inque preciosissimum præ cæteris mundanis omnibus thesaurum philosophorum.

CAP. XIII.

De alio ad Lapidem Processu, per Paracelsum.

VAriæ sunt viæ philosophicæ, ad unum & eundem scopum & lapidem tendentes, ut ex præcedentibus atque sequentibus patet. Quapropter variis modis ab auctore hæc ars describitur. Audiamus ergo quid alio loco de hoc Lapide doceat. Natura mineralium (inquit) genus unum in visceribus terræ produxit admirandum, idque duplex, hoc variis Europæ locis reperitur. Optimum quod mihi præ manibus oblatum fuit, & experimento comprobatum, ex figura majoris mundi, ab exordio sphæræ solis est astrum: alterum in astro meridionali consistit in prima sua florescentia, visus est terræ per suum astrum in lucem productum, & in prima sua coagulatione ornatum rubedine, in eo flores omnes mineralium & colores includuntur, de quibus multa penes philosophos. Quod ad humidam frigidamque naturam attinet, ad aquam comparatione quadam fuit adaptatum. Verum ejus notitia perfecta ad experientiam collata, plurimos, imo fere omnes philosophos, quotquot ante me sagittas suas ad metam emiserunt hactenus, adhuc latuit, frustra quoque conantes latissime declinarunt à scopo vero & completo. Opinati sunt Mercurium & sulphur matrem & patrem esse metallorum omnium, verum enimvero tertii non meminerunt. Imo quod magis est, horum nullus rete piscatorium adhuc in manus assumpsisse potuit, quod æque veræ convenit matri metallorum, quæ quidem artificio spagirico separata suos pisces palam facit, quos neque Galenica piscatio, neque Avicennæ rete lacerum apprehendere potuerunt unquam. Si modernis physicis demonstrare deberem, vel solum nomen conjunctionis, solutionis, & coagulationis, quas ipsa natura à principio mundi hoc

in ſuo creato patefecit ac demonſtravit, annus mihi deficeret, omniſque papyrus quantacumque ad eos ſtudiendum. Dico quidem hoc in mineralibus tres haberi ſubſtantias, utpote Mercurium, ſulphur, & mineralem aquam, ex quibus compoſitum eſt, & arte ſpagirica ſeparatum: ſolvitur in proprio ſuo liquore nondum maturo, & uti pyrum in ſua arbore occultum eſt. Occultator pyri eſt arbor, in quam ut aſtra naturaque ſimul conveniunt, virides ramos edit, Martioque poſtmodum atomos & frondes atque flores palam facit, uſque in fructus pyrique productionem progreſſum faciunt, quæ in autumno tandem emergunt. Non abſimili modo cenſendum eſt de mineralibus in viſceribus terræ, quæ per aſtra protruduntur in lucem: hoc ipſum alchemiſtæ potiſſimum conſiderandum venit, ad naturæ theſaurum anhelanti. Cujus artificii modum ab initio, medio & fine, jam una cum aqua, ſulphure, balſamoque ſuis aperiam. Quorum trium ſolutione, & rurſus in unum conjunctione, totum rei negotium abſolvitur ad hunc modum.

Sumatur minera cinabaris, & abluatur aqua cæleſti per tres horas, tandem coletur, & ſolvatur aqua regia facta ex vitriolo, ſale petræ, & ſale communi. Per alembicum abſtrahatur, iterum affundatur, & cohobando curetur, ut purum ſeparetur ab impuro, quod infra. Putrefiat equino fimo per menſem, & poſtmodum ſeparentur elementa, ut quum ſigna ſua patefecerint, per alembicum deſtillentur igne primi gradus, quo aqua & aër primo aſcendunt, ac tandem ignis, idque reliquis gradibus, quæ ab experto operatore diſcerni poterunt. In fundo vaſis terra manet, in qua latet hoc omne quod à multis quæſitum fuit, à pauciſſimis tamen inventum. Terram hanc reverberatorio concluſam artificialiter calcinabis, à primo in quintum gradum procedendo, gradu quolibet ſpatio quinque horarum: hoc fiet ut ſal volatile habeas admodum ſubtile velut alcool, & conſtans aſtrum ignis & terræ, quod ſeparabis per elementa aquæ & aëris quæ ſervaſti prius. Tandem ponito in digeſtionem balnei maris octo horis, & videbis quod multis alchemiſtis hactenus incognitum fuit ac minime conſideratum. Separa juxta tuam experientiam artificioſe, & ſpagirico modo, reddetur ipſa terra mirum in modum alba, ex qua tinctura fuerit extracta. Conjunge deinceps elementum igis cum ſale terræ alcoliſato, per digeſtionem & pellicanicum artificium, adhuc aliud ſedimentum ponet illa ſubſtantia, quod quidem à puro ſeparabis. Tum demum accipe pellicanatum leonem, qui ab initio inventus eſt. Quum videris tincturam ejus & elementum ignis ſuper aquam, aërem, atque terram, ſeparato per tritorium, & Solem ejusmodi cola per inclinationem, eſt enim aurum potabile. Alcoole dulci vini perfundatur & abſtrahatur, uſque dum acredo nulla percipiatur amplius aquæ regis. Separato hoc oleum Solis, & ponito in vas retortum Hermetico ſigillo clauſum, ad elevationem, id eſt, ad exaltationem, ut ſuo gradu dupletur. Vitrum hoc optime clauſum ponatur in locum frigidum, non ſolvetur ibidem, ſed coagulabitur, idque tertio repetendum eſt ſolvendo & coagulando. Hoc artificio tinctura Solis perficitur in ſuo gradu. Tandem ſumito hujus duplum de Venere ad ſummum & ſpagirico modo præparata, ad quam elementa aquæ & aëris affundas quæ ſervaras, ſolvito ac putrefacito per menſem, ut prius. Et quum ad perfectionem devenerit, videbis ſignum elementorum: ſepara unum ab altero, ſiquidem ocularitur apparet ab albo rubeum ſecretum. Hoc ab albo ſeparabis, eſt enim tinctura rubea tam potens, ut alba corpora quæq; in rubedinem tingat, vel rubea in albedinem, quod valde mirum eſt. Tincturam hanc per retortam urgeto, videbis nigredinem aſſurgere, quam iterum urgebis per retortam, idque ſæpius donec albeſcat. Proſequere hoc tuum opus, nec animum deſpondeas præ nimio labore. Toties rectificato quousque viridem leonem verum & clarum videas, ponderoſum, qui tingit in aurum perfectum. Non deſiſtas (inquam) ab opere cujus nunc memini, donec ſigna habeas & videas leonem atque theſaurum non perſolubilem. Bene ſit illi qui reperierit, & ad tincturam applicare noverit. Hoc eſt balſamum verum aſtrorum cæleſtium, quod nullum corpus in putrefactionem abire ſinit, lepramque nullam, podagram aut hydropiſim inexpulſas relinquit, adminiſtratione grani unius, ſi fermentabitur cum ſulphure ſolis. Omnia docebit ac patefaciet aquæ natura & omne quod ſcripſi. Sumito igitur liquoris mineralium quantum voles, ſalis rubeæ terræ partes duas, ſulphuris Solis partem unam. In pellicano poſita ſolvantur, & coagulentur, idque tertio. Hac via tincturam habebis alchemiſtarum, cujus pondus hoc loco minime deſcribendum, ſed ſuo loco reſervandum. Quicunque Solis aſtri unciam unam habuerit, & ſuper aliquot uncias auri projecerit, proprium ſuum corpus tinget. Aſtrum Mercurii ſi habuerit, totum corpus Mercurii vulgi ſimiliter tinget. Si Veneris aſtrum, non abſimili modo Veneris corpus integrum in optimum aurum tinget, inque ſummam & conſtantem perfectionem: ſic de reliquis metallorum aſtris judicandum, ut Saturni, Martis, &c. Ex quibus etiam eadem ratione tincturæ trahuntur, hoc loco minime deſcribendæ, quod libris de natura rerum & Archidoxorum habeantur. His paucis primum ens metallorum & mineralium terræ, ſatis abunde veris alchemiſtis, unà cum tinctura alchemiſtarum declaratum volo. Nec eſt quod quiſpiam operantium deterreatur ſpatio temporis menſium novem, ſed abſque tædio progrediatur ſpagirico ductu, quo quadraginta diebus alchemiſticis figere poterit, extrahere, exaltare, purificare, fermentare, & coagulare lapidem alchemiſtarum, ad honorem Dei, cui ſit laus, honor, & gloria.

Cabaliſtarum expoſitio habet ſub nomine Phœnicis, aquilam eſſe volatilem, cujus plumæ ſine vento volant, & ſecum phœnicis corpus in ſuum nidum attollunt, in quo nutritur ignis elemento, cujus pulli roſtro eruunt matri oculos, & fit albedo in ſua ſphæra ſeparata, in qua conſiſtit vita ſui cordis, & balſamum inteſtinorum ſuorum, juxta Cabaliſticum ſenſum, ſulphur interpretatur cinabaris, de quo ſupra narratum eſt à Paracelſo. Nuperrime cum de electro tractaretur, ad cinabarim remiſi lectorem non ſine cauſa; maximam enim habent affinitatem. Quid aliud eſt cinabaris quam compoſitio vel mixtura duorum mineralium ſulphuris & argenti vivi? Quid etiam electrum, niſi mixtura duorum vel plurium, ſive mineralium ſive metallorum? Sulphur Solis igitur, cum Mercurio lunæ philoſophico junctum artificio, cur non electrum, cur non cinabaris erit? Sive natura, ſive per chemiam fit utrunque, partes componentes non differunt. Sed in ſequentibus clarius.

CAP.

CAP. XIV.

De quarto ad Lapidem Paracelsico Processu.

PRiusquam de Tinctura physica dicamus, operæ precium erit inprimis scire quod sit ejus subjectum; hoc enim semper occultatum est hactenus. Est igitur tincturæ materia res quædam (ubi me tamen juxta spagiricum sensum intellexeris) quæ quidem ex tribus in essentiam unam arte chemica transit, aut manere potest. Verum ut eam suo nomine declarem juxta veterem usum & consuetudinem, Leo rubeus à multis vocatus est, à paucissimis vero cognitus, Hic per auxilium naturæ pariter & artis potest in aquilam albam transmutari, ut ex uno duo fiant, quæ spagiro supra splendorem aureum relucent, in uno servata magis lucent. Jam si Cabalistarum & veterum Astronomorum concentum sermonem non intellexeris, à Deo minime ad spagiricam artem vocatus es, nec per naturam electus, imo non aptus ut os vix in arte hac aperias Est itaque materia tincturæ margarita maxima pretiosissimusque thesaurus, ac nobilissimum hoc omne quod ex altissimi conditoris manifestatione, meditationibus hominum obtingere potest. Hoc est Lili Alchemiæ, & Medicinæ, quod philosophi tam accurate quæsierunt, verum ob defectum integræ cognitionis & perfectæ præparationis ejus, ad absolutissimum finem perducere nondum potuerunt. Per investigationes eorum & experientias, tincturæ tantum initium datum est nobis, attamen verum fundamentum quod meos imitari discipulos oportet, mihi relictum fuit, ut nemo suas larvas nostri inventionibus immiscere debeat. Ego (inquit Paracelsus) meritò post longas meas experientias spagiros corrigam, & falsum & erroneum à vero separabo, cum prolixis admodum investigationibus meis repererim, quo jurè similia reprehendere queam & immutare. Veterum si tamen experimenta meis excellentiora comperissem, tantos minime labores assumpsissem, quos in gratiam, utilitatem & honorem proborum alchemistarum omnium libenter subii. Cum ergo tincturæ subjectum satis declaratum sit, ut fratres inter duos vix fidelius queat ac liceat, præparationem ejus aggrediar, & ultra primi seculi experientias, addam & meas inventiones. Spagiri veteres Lili putrefecerunt uno mense philosophico postmodum spiritus humidos ab eo destillarunt, quousque sicci tandem elevati sunt. Caput mortuum spiritibus humidis imbiberunt, & ab eo per destillationem sæpius abstraxerunt, idque tamdiu donec sicci prorsum elevati sunt. Deinceps abstractos humores & siccos spiritus per pellicanum ter aut quater simul univerunt, usque dum lili totum in fundo siccum resederit. Quanquam experientia prima processum hunc ante fixationem dedit, nihilominus antecessores nostri sæpius eo votum perfectè suum assecuti sunt. Breviorem tamen viam habuissent ad rubei leonis thesaurum perveniendi, si concordantiam Astronomiæ cum Alchemia didicissent, quam in Hermetis Apocalypsi demonstravi. Cum verò dies quilibet (ut Christus loquitur in fidelium consolationem) propriam suam essentiam habeat, spagiris ante mea tempora labor fuit ingens & gravis, qui jam auxilio Spiritus S. affluentis hoc postremo seculo mea theorica sublevabitur atque practica. Cum ergò primum seculum tincturæ primam dederit experientiam, ex uno simplici duo spagirici fecerunt. Verum quod inventum hoc medio seculo periisset, eorum successores diligenti perscrutatione postmodum in ejusmodi nomina duo simplicis inciderunt hujus, idque nominarunt unico vocabulo, nempe lili, tincturæ subjectum, Tandem imitatores naturæ materiam hanc, non secus ac in terra semen, tempore suo putrefecerunt, cum ante corruptionem hanc ex eo nihil enascatur, nec aliquod arcanum erumpere potest. Postea spiritus humidos abstraxerunt à materia, donec tandem ignis violentia sicci pariter elevati sunt ac sublimati, ut hac via non aliter quam rusticus ex anni tempore, pervenirent ad maturitatem. Postremò tandem finito suo vere prodiit æstas, quo tempore fructus istos & siccos spiritus incorporarunt, & magisterium tincturæ eo perduxerunt, ut ad messem devenerit & ad extremam se maturitatem dispoſuerit. Tam prolixo labore tædiosaque reiteratione spagiri veteres non indiguissent, si ex mea schola didicissent opus, longè citius ac minoribus impensis votum fuissent assecuti. Proinde vobis dico (Paracelsus inquit) Rosei coloris tantum à leone sanguinem accipite, & ex aquila gluten, quæ postquam simul conjuxeritis, juxta veterem coagulate processum Tincturam habebitis philosophorum, quam infiniti quæsiverunt inveneruntque pauciſſimi. Quædam itaque simplicia componit Alchemista, quæ corrumpit ut est artis, indeque præparat aliud, ac tantisper donec unum fiat: hoc plus efficit quam ipsa natura per se posset. Rectè probeque me ut intelligas, leonem tuum in Oriente quæras, & aquilam ad Meridiem in assumptum hoc opus nostrum. Instrumenta meliora non reperies quam Hungaria & Histria producunt. At si cupias id ex unitate per dualitatem in trinitate, cum æquali permutatione cujusque deducere, tuum iter ad Meridiem dirigas oportet; sic in Cypro votum consequeris, de quo latius minimè loquendum. Arcana plura transmutatione exhibentia reperiuntur, etsi paucis cognita, quæ licet alicui manifestentur à Domino Deo, non propterea statim erumpit rumor cum arte, sed omnipotens cum ipsis dat pariter intellectum hæc & alia celandi usque in adventum Heliæ Artistæ, quo tempore nihil tam occultum quod non revelabitur. Videmus enim in sulphure Jovis maximam esse tincturam gemmarum, quæ quidem eas altius adducit, quam ipsa natura per seipsam valeat, sed de his hactenus, ad physicam tincturam tandem redeamus. Postremo spagiri veteres lili pellicanatum, ignis ordinata quadam augmentatione materiam suam tam diu fixarunt, quousque, post omnium colorum dispartitionem, rubeum instar sanguinis induerit, & cum eo salamandræ conditionem. Rectè quidem ab eis processum fuit, ac ad eundem unumquemque magaritam hanc ambientem, procedere modum æquum est ac decet. Hunc tibi clarius declarare posse, mihi difficilimum esset, cum tamen didiceris in Alchemistarum schola gradus ignis observare, vasa quoque mutare, tum demum videbis, mox atque lili tuum in ovo philosophico fuerit excalefactum, admirandis apparere demonstrationibus, ut corvo nigrius fieri, cygno postmodum successu temporis albius, & postremò transiens per flavedinem sanguine quovis magis rubeum. Cum igitur Ægyptiorum thesaurum præ manibus habuerimus, est quod in utilitatem nostram convertamus, idque duplici magisterio, priore quidem ad instaurationem sanitatis humani corporis, posteriores in transmutationem metallorum. In hujus usum ut veniat, ejus primò pondus unum super mille solis

fusi

fuſi pondera projiciendum eſt, Medicina tum demum præparata fuerit ad metallorum tollendam lepram. Item phyſicorum in Ægypto nonnulli per hanc tincturam annos centum & quinquaginta vixerunt. Aliorum vita prolixior fuit hoc medio, ut ex hiſtoriis patet. Eſt itaque tinctura phyſicorum univerſalis medicina quædam, quæ cunctos morbos conſumit non aliter quam ignis omne lignum. Doſis ejus eſt valdè exigua, ſed operatio potentiſſima. Per eam (inquit Paracelſus) curavi lepram, hydropſim, caducum, venereum labem, guttam, colicam, &c. item lupum, cancrum, noli me tangere, fiſtulas, & genus omne morborum internorum & externorum.

CAP. XV.

De quinto Proceſſu Lapidis breviſſimo per eundem Auctorem reperto.

EJus qui diverſimodè docetur à plurimis lapidis non ſum, nec eſſe volo doctor neque ſectator. Quapropter hunc & proceſſum ejus relinquens, eum qui per me cum uſu tum experientia repertus eſt, brevibus admodum ſcribere propoſui, qui non minus ac ille hominum corpora tingit etiam, tametſi juxta ſimilem proceſſum præparatus non ſit. Sumito igitur Mercurium, alias elementorum Mercurii, & ſepara purum ab impuro: poſtmodum reverberetur uſque in albedinem, quam ſublimato per ſal armoniacum tamdiu donec reſolvatur: id calcinetur ac ſolvatur iterum, & in pellicano digeratur uno menſe, tandem coaguletur in corpus: hoc non uritur amplius, nec ullo modo conſumitur, at in eodem ſtatu permanet: corpora quæ penetrat in cineritio ſunt permanentia, ut in nihilum reduci minimè poſſint aut alterari, ſed à ſenſibilibus & inſenſibilibus, ut ſæpius narratum eſt, qualitates omnes ſuperfluas adimit. Et quamvis brevem admodum viam poſuerim atque proceſſum, laborem tamen prolixum requirit, ac multis circumſtantiis intricatum, tædio ſimiliter non afficibilem operantem, ac ſummè diligentem & expertum.

CAP. XVI.

De particulari quodam arcana albæ Tincturæ per arſenicum.

NOnnulli volunt Arſenicum ex Mercurio & ſulphure compoſitum eſſe, alii ex terra & aqua, plerique ex natura ſulphuris. Quocunque modo id ſit, ejus natura talis eſt, ut rubeum cuprum in album transmutet. Ad eam etiam præparationis perfectionem adduci poteſt, ut verè perfecteque tingat, non ea via tamen quam docent multi Sophiſtæ, ut ſunt Geber in ſumma perfectionis. Albertus Magnus, Ariſtoteles Chemiſta libro perfecti magiſterii, Raſis, & Polydorus. Nam ſcriptores iſti quotquot ſunt, errant, vel ex invidia de ſtudio falſa quæque ſcribunt proponuntque recepta, placitaque ſua, quæ nonnunquam etiam ignorarunt. Arſenicum vero tres continet ſpiritus naturales: primum aduſtibilem, corroſivum, volatilem & omnia penetrantem. Hic ſpiritus dealbat Venerem, & poſt aliquot dies reddit ſpongioſam. Quod artificium ad eos duntaxat pertinet propriè, qui cauſticam artem exercent. Secundus ſpiritus eſt chryſtallinus ac dulcis. Tertius verò tingens eſt ſegregatus ab aliis prædictis. Has tres in arſenico proprietates naturales inquirunt veri philoſophi, ad perfectam ſapientum projectionem. Barbitonſores verò chirurgiam exercentes, dulcem & chryſtallinam expetunt naturam, à tingente ſpiritu ſeparatam, in uſum curationis vulnerum, & ad bubones, carbunculos, anthraces, & cætera ſimilium ulcerum vitia, non niſi miti quodam artificio curanda. Cæterum ſpiritus ille tingens, niſi purum ejus ab impuro ſejunctum ſit, à volatili fixum, & à combuſtibili tinctura ſecreta, projectionem ſuper Mercurium, Venerem, aut aliud quodcunque metallum imperfectum haud quaquam expediet ex voto. Philoſophi omnes arcanum hoc myſterium excellentiſſimum occultum. Spiritum igitur tingentem ab aliis duobus ſecretum ut ſupra, conjungito ſpiritui lunæ, ſimulque digeri permitte ſpatio tinginta duorumque dierum, ac uſque dum corpus novum induerint. Poſtquam ad quadrageſimum diem naturalem, calore Solis ad inflammationem accenſus fuerit, apparet ſpiritus candore nitido, perfectoque tingendi præditus arcano. Tandem ad projectionem aptus eſt, videlicet ejus pars una ſuper ſedecim imperfecti corporis, juxta præparationis acutioris excellentiam. Reſultat inde luna lucens & excellentiſſima, tanquam è terræ viſceribus eruta. Hæc auctoris noſtri ſententia maximè comprobari videtur ex Sibyllinis verſibus vetutiſſimis ad hunc modum habentibus:

Novem literas habeo, quatuor ſyllabarum ſum, intellige me.
Tres primæ duas literas habent ſingulæ;
Reliquæ reliquas, & ſunt mutæ quinque;
Totius verò numeri centuriæ ſunt duæ, octo.
Et tres ter decades, cum ſeptem. Intelligens autem quis ſim,
Non rudis vel ignarus eris ejus quæ in me eſt ſapientiæ.

Hæc omnia conveniunt in hac dictione GræcaGræcè dinumerata, ἀρσενικὸν, quod ad albam tincturam attinet. Rubea verò non ineſt arſenico, quocunque modo præparetur. Non præparatum & crudum ſola cum cupro liquatione, hoc tingit in maximam albedinem, ſed non fixam, quia tinctura cruda ſimiliter eſt volatilis, quæ ſi fixetur, dubium non eſt quin fixam etiam tincturam exhibeat. Nihil enim hoc ſpiritu facilius metalla penetrat in ſua cruditate. Potiſſimum rei negotium conſiſtit in ejus ſeparatione & fixione.

CAP. XVII.

De particulari quodam Arcano ad rubeam Tincturam, ex vitriolo.

VItriolum nobile admodum inter cætera minerale, plurimæ ſemper exiſtimationis penes philoſophos extitit, quod præ cunctis altiſſimus Dominus Deus miris dotibus ordinavit. Ejus arcanum variis figuris ænigmaticis adumbratunt, ut hoc eſt: *Viſitabitis interiora terræ rectificando, invenietis occultum lapidem veram medicinam.* Primæ omnium literæ Vitriolum efficiunt ſimul collectæ vocum. Per terram intelligunt vitriolum, & per interiora terræ dulcedinem ejus atque rubedinem. Quoniam in occulto vitrioli nobiliſſimus, ſubtiliſſimus, ac fragrantiſſimus ſuccus, & purum oleum latet, cujus extractionis modus calcinatione vel deſtillatione haudquaquam venit arripiendus. Etenim viriditate ſua privari minimè debet, qua quidem ſtatim atque ſpoliatum erit, arcano pariter

& viribus

& viribus suis carere necessum est. Notandum est utique hoc loco mineralia nedum, verum etiam ipsa vegetabilia, similiaque virorem extrinsecus demonstrantia, rubeum sanguinis instar oleum in se continere, quod arcanum eorum est. Inde patet pharmacopœorum destillationes irritas, atque vanas esse momentique nullius, quia sanguinem vegetabilium elicere non norunt. Ipsa natura sagacissima nos docens, vegetabilium aquas omnium in citrinum colorem vertit, & inde postmodum in rubicundissimum instar sanguinis; arte subministrante. Tardius id quandoque fieri, causa est potissima destillatorum ignorantum nimia præcipitatio, qua viriditas absumitur. Naturam suis propriis viribus corroborare non didicerunt, quibus nobilis ille viror per seipsum in ruborem debet rectificari. Exemplo sit vinum quod album est prius, per seipsum in citrinum colorem digestum, cujus botri virens color in rubeum sub cæruleo latentem vertitur successu temporis. Deperdita igitur vegetabilium & mineralium viriditate per ignaviam artificum, essentia pariter & spiritus olei balsamique arcanorum nobilissimi perierit. De hoc sanguine philosophico loquitur alibi Paracelsus, ubi de generatione sui pygmæi homunculi in gigantem; alio loco de sanguine & spermate nutrimenti corporis misericordiæ, &c.

Vitriolum igitur in se multas lutosas & viscosas imperfectiones continet, quapropter aqua viriditas ejus est elicienda & rectificanda sepius, donec terreas impuritates omnes exuat. Quibus transactis rectificationibus omnibus, apprime cavendum ne materia Soli sit exposita, quod hic virorem ejus in pallorem vertat, absorpto simul arcano prorsum. Calido servetur hypocausto contecta, ne pulvere sordeat. Postmodum vitro clauso digeratur mensium aliquot spatio, ac tantisper donec varii colores appareant supremaque rubedo. Nec dum isto processu rubedo satis fixa fuerit existimanda, quin ab interioribus accidentalibusque terræ sint inquinamentis repurganda latius, ad hunc nempe modum. Rectificanda venit aceto, donec terreum inquinamentum prorsus ablatum erit, fecesque semotæ. Hæc est ejus tincturæ vera & optima rectificatio, de qua benedictum oleum est eliciendum. Ab ea vitro concluſa diligentius alembico superposito mox, & bituminatis commissuris ne spiritus exhalet, ejus olei spiritus igne suavi proliciendus est. Oleum hoc pharmacopolico balsamo quovis & aromatico delectabilius est atque dulcius, acredine carens omni. Residebit in fundo cucurbitæ terra quædam albissima nivis instar, hanc serva tuereque ab omni pulvere. Ea ipsa terra tum demum à sua rubedine probe separata est. Deinceps arcanum maximum subsequitur, ut puta supernaturale conjugium animæ summè purificatæ, & per sanguinem ablutæ purum, cum splendente purificatoque suo corpore. Hoc est verum vitæ matrimonium cum suo subjecto, quo vita prolongatur in postremum suum sibique destinatum diem absque corruptione, sana. Ad hunc igitur modum anima spiritusque vitrioli (qui sanguis ejus existit) cum suo corpore unitur, ut sint inseparabilia. Quapropter excipe terram hanc nostram foliatam phiala vitrea, cui sensim oleum suum affundatur. Animam suam corpus momento recipiet amplecteturque. Nam corpus animæ desiderio plurimum afficitur, & anima corporis amplexu plurimum delectatur. Thoralem ejusmodi conjunctionem positam in arcanorum furnum, quadraginta diebus ibidem contineto. Quibus absolutis, oleum habebis absolutissimum admirandæ perfectionis, quo Mercurius & reliqua metalla quævis imperfecta vertuntur in aurum. Jam ad multiplicationem animum applicemus: Mercurium corporalem portione duarum partium, tribus ejusdem ponderis olei partibus admisceto, maneantque simul diebus ut prius quadraginta. Hac proportione ponderis & ordine multiplicatio fit in infinitum.

CAP. XVIII.

De tertio particulari ad Rubeam Tincturam ex antimonio.

VErum auri balneum est Antimonium, quem philosophi vocant examinatorem & bilancem. Poëtæ vero fabulantur in isto lavacro Vulcanum lavisse Phœbum, & ab omnibus sordibus imperfectionibusque repurgasse. Natum est ex purissimo nobilissimoque Mercurio & sulphure sub vitrioli genere, in metallicam formam atque splendorem. Nonnulli philosophi vocarunt album plumbum sapientum, vel simpliciter plumbum. Sumito igitur antimonii ejusque optimi quantum voles, hoc ipsum in aqua sua forti dissolutum in aquam frigidam conjiciatur, addito tantillo croco Martio, ut in sedimentum ad fundum vasis decidat; alioqui suas feces non exuit. Postquam ad hunc modum solutum erit, summamque pulchritudinem acquisierit, ponatur in vitrum luto compactissimo circumquaque munitum, vel in bociam lapideam, & admisceatur tutiæ calcinatæ sublimatæ ad perfectum gradum ignis, cavendum accuratius à liquatione, quoniam ultra disrumpit nimio calore. Ab una libra hujus antimonii, habetur omnis sublimatio perfecta spatio duorum dierum. Sublimatum hoc in phiala positum, ut tertia parte vix aquam attingat, lutato vase ne respiret avoletque spiritus, suspendatur supra tripodem arcanorum, & urgeatur opus igne lento primum, Solis caloris instar æstate media. Tandem decimo quoque die sensim augeatur. Etenim calore magno rumpuntur vitra, nonnunquam etiam furnus in frustra dissilit. Dum vapor ascendit, varii colores apparent, moderetur ignis tantisper donec rubea materia conspiciatur. Postmodum aceto solvatur acerrimo fecibus abjectis. Abstrahatur acetum, iterumque solvatur in aqua communi destillata, quæ rursum abstrahatur, & sedimentum igne vehementissimo destilletur, vitro diligentissimè clauso. Ascendet corpus totum antimonii in oleum rubicundissimum, rubini colorem habens, & in submissum vas guttatim effluet, odoris fragrantissimi, dulcissimique saporis. Hoc est summum arcanum philosophorum ex antimonio, quod inter oleorum arcana plurimi faciunt. Postremò tandem oleum solis fiat ad hunc modum: Sumito purissimi solis quantum voles, hoc solvi curabis in spiritu vini rectificato. Spiritus abstrahatur aliquoties, totiesque solvatur iterum: postrema solutio servetur cum spiritu vini, & circuletur per mensem. Postmodum destillentur aurum volatile & vini spiritus per alembicum ter quaterve, ut in vas submissum defluant, & in summam suam essentiam adducantur. Ad mediam unciam auri soluti, addatur uncia una olei antimonii. Hoc illud amplectitur in calore balnei, ut à se non facilè dimittat, etiam si spiritus vini abstrahatur. Hac via habebitur summum naturæ mysterium & arcanum, cui par in rerum natura haudquaquam assignari potest. Bina hæc olea

modo

modo qui dictus eſt unita, concludantur in phiala, & ſuſpendantur ſupra tripodem uno menſe philoſophico, & foveantur igne lentiſſimo. Quanquam ſi temperetur ignis debita proportione caloris, triginta & uno diebus negotium hoc abſolvitur, & in perfectionem adducitur, qua Mercurius & imperfecta quævis metalla perfectionem acquirunt auri. Projectionis tamen in hoc opere juſtum pondus aſſignari non poteſt, licet ipſa tinctura trahatur ab aliquo ſubjecto certa proportione, ac requiſitis ad artem inſtrumentis. Etenim ita medicina tingit aliquando triginta, quadraginta, nonnunquam ſexaginta, octuaginta, ac centum imperfecti metalli partes, ut ejus negotii cardo potiſſimum circa medicinæ mundationem & operantis induſtriam vertatur, item juxta majorem unius quam alterius imperfecti corporis præ manibus aſſumti munditiam & puritatem. Quâadoquidem una Venus purior altera, quo fit ut determinatum pondus haberi nequeat in projectione. Hoc loco notatu dignum, ut ſi contingat operantem tincturæ nimium aſſumſiſſe, hunc errorem additione poterit imperfecti metalli corrigere: ſi verò ſubjecti nimium, quo tincturæ vires debiliores effectæ ſint, vitium hoc cineritio facilè vel cimentationibus aut per crudum antimonium ablutionibus ſuperfluum tollitur. Nihil in hac parte quod operantem remoretur vel impediat: ſolum hoc ſibi proponat quod à Philoſophis omiſſum eſt, & ab aliquibus ſtudiosè velatum, videlicet in projectionibus, excitationem imperfectorum corporum quieſcentium eſſe neceſſariam, id eſt, animationem, ut loquuntur, de qua nonnulli dixerunt metalla ſua non eſſe vulgaria, quia vivunt animamque habent. Sumito Veneris igitur in bracteas tenues factæ quantum voles, decem, viginti vel quadraginta libras, pultibus ex arſenico & tartaro calcinato ſubactis incruſtetur, & in ſuo vaſe calcinetur ſpatio viginti quatuor horarum. Tum demum in pulverem tuſa Venus abluatur, ac mundetur optimè. Iteretur calcinatio cum ablutione ternis quaterniſque repetitionibus. Hac via mundatur & purgatur à craſſo virore, & immundo ſuo ſulphure. Cavendum utique à calcinationibus communi ſulphure factis: nam quod bonum eſt in metallo, prorſum depravat, malum quoque pejus efficit. Ad marcas decem ipſius purgatæ Veneris, addatur una puræ Lunæ, ut medicinæ per projectionem opus acceleretur, hoc medio eſt opus: etenim ab immundo ſulphure coinquinatur opus, ut ad ſuperficiem transmutati metalli nubes obducatur, aut ſulphuris loppis metallum permiſceatur, & una cum illis abjiciatur. Verum enimverò ſi projectio fieri debeat rubei lapidis ad rubeam transmutationem, ſuper aurum primo cadat oportet, poſtmodum ſuper lunam, aut aliud metallum, ut ſupra narravimus repurgatum, & inde perfectiſſimum aurum exurget, Deo dante, cui laus, honor, & gloria. Hactenus de tincturis univerſalibus & particularibus ex Paracelſi præſcriptionibus, infra de quibusdam augmentationibus per fixationes atque tincturas naturales tractabitur.

CAP. XIX.

De prima hujus Artis Origine, ſucceſſu & corruptione per Græcos.

PRimus profeſſor ac inventor artium Adam & hujus, per lumen à Deo ſibi conceſſum, à quo rerum omnium cognitionem habuit ante & poſt lapſum, præſagivit mundum per aquam eſſe renovandum vel potius caſtigandum, pauloque minus quam delendum. Hoc ipſo factum eſt, ut ejus ſucceſſores duas lapideas tabulas erigerent, quibus omnes artes naturales à principiis ſuis inſculpſerunt, idque hieroglyphicis characteribus, ut præſagium hoc poſteris etiam innoteſceret, ac obſervaretur periculorum tempore futurorum matura proviſio. Noach poſtmodum in Armenia tabularum unam invenit ſub monte Araroth tranſacto diluvio, qua quidem ſuperioris firmamenti, & inferioris globi, rationes & planetarum curſus deſignabantur. Tandem univerſales ejusmodi notiones particulatim in diverſa diſtractæ, viribus ſuis imminutæ ſunt, ut hæc ſeparatio hunc aſtronomum, illum verò magnum, alium cabaliſtam & quartum alchemiſtam effecerit, Vulcanicus ille Abraham Tubalchain aſtrologus & arithmeticus maximus, ex Ægypto in regionem Chanaam traduxit; unde rediente ad ſuos in tantum tum primum Ægytii faſtigium ſurrexerunt, ut ab iſtis etiam ad alias nationes ejusdem rei ſapientia tranſierit. Quandoquidem Patriarcham Jacob oves picturaſſe variis coloribus magiæ membro credendum eſt. Semper enim Hebræi, Chaldæi, Perſæ, & Ægyptii penes Theologiam has artes liberales, uti ſummam philoſophiam, ſuis proceribus atque ſacerdotibus propoſuerunt addiſcendas. Non ſecus evenit Moyſis temporibus, quibus cum ſacerdotes, tum ipſi medici magos inter electi ſunt: iſti quidem in illorum judicium, quod ſanitatem concernebat, præſertim in lepra cognoſcenda. Moyſes etiam cura & impenſis filiæ Pharaonis in ſcholis Ægyptiorum inſtructus eſt. Non aliter Daniel ab ineunte ætate Chaldæorum doctrinam ſuxit, ut in Cabaliſtam evaderet: teſtantur ejus divina præſagia & expoſitiones iſtorum verborum, *Mene Theſel phares*, per propheticam enim & cabaliſticam virtutem hæc verba ſunt intelligenda. Hujus artis cabaliſticæ traditio apud Moyſen & prophetas admodum familiaris fuit olim, & plurimum in uſu. Elias propheta ſuis cabaliſticis numeris multa prædixit. Itidem & antiqui ſapientes hac arte naturali & myſtica Deum probe noſſe didicerunt, & in ejus mandatis hujusmodi legibus præſtiterunt ac ambularunt firmius. Pariformiter libro Samuelis habetur veros Bereliſticos diaboli ſortem ſecutos non fuiſſe, verum divina permiſſione viſionum apparitionumque verarum fuiſſe participes: idipſum libro de ſupercœleſtibus latius urgebimus. Donum ejusmodi ſacerdotibus in divinis præceptis ambulantibus à Domino Deo conceſſum eſt. Mos Perſis fuit neminem in regem, præter ſophum, id eſt, magum re & nomine ſublimatum, admittere: quod utique patet hoc ipſo regum ſuorum nomine Sophi. Tales etiam extiterunt illi Sophi ac magi Perſæ, qui Chriſtum ab oriente quæſiverunt, & naturales ſacerdotes appellati ſunt. Ægyptii quoque à Chaldæis & Perſis hanc Magiam & Philoſophiam aſſecuti, ſuos ſacerdotes eandem ſapientiam addiſcere voluerunt, in qua tandem fructum perceperunt, ut circumvicinis omnibus regionibus venirent in admirationem. Hac de cauſa Hermes verè Triſmegiſtus nominatus eſt, quia rex, tum ſacerdos atque propheta, magus & ſophos rerum fuit naturalium, qualis etiam Zoroaſtes extitit.

Poſtmodum ubi filius Noach tertiam mundi partem occupavit à diluvio, hæc ars in Chaldæam & Perſiam vi quadam irrupit, & inde in Ægyptum. Id cum ſuperſtitioſi & idololatræ Græci ſubodoraſſent, eorum

eorum aliqui sagaciores ad Chaldæos se contulerunt, ac ad Ægyptios, ut ex istorum scholis eandem reportarent sapientiam in Græciam. Verum enimverò cum non arrideret eis theologicum biblicumve Legis Mosaicæ studium, proprio suo genio confisi, à recto fundamento naturalium ejusmodi secretorum & artis Physices excciderunt. Exemplo patet, cum tam fabulosè de Mosaïcæ legis doctrina senserint, ac titubarint.

Ægyptiis mos fuit ejusmodi traditiones tam excellentis sapientiæ, non nisi figuris ænigmaticis & abstrusis historiis vocabulisque proponere. Quæ omnia postmodum Homerus Græcus ille, fabuloso poëmatum artificio magis adumbravit. Accessit Pythagoras qui plurima ex Lege Moysis & Veteris Testamenti permiscuit. Pariter & Hippocrates, Thales Milesius, Anaxagoras, Democritus & alii sua non desierunt ingenia humana his applicare: quamvis eorum nullus Astrologiæ, Geometriæ, Arithmeticæ nec Medicinæ physicæ verarum peritus esset: Impedivit eos nimirum sua superbia, quæ discipulos aliarum nationum admittere noluit. Cumque nonnihil à Chaldæis & Ægyptiis percepissent, longè superbiores accidente, quam erant antea natura, facti, subtilioribus figmentis rem veram acuere non verentes, Philosophiam quandam describere conati sunt, quæ postmodum ab istis Græcis corruptissima derivavit ad Latinos Italos. Qui tandem hac imbuti & instructi, suis quoque dicteriis onerarunt. Ab his omnibus ad hunc modum larvata per totam Europam disseminata est, ut multas ubique gentium Academias construxerit in ejusmodi suorum dogmatum propagationem, qua juventus instrueretur, seu potius destrueretur, & in hunc usque diem penes Germanos, & alias Europæ nationes viget. Chaldæi verò, Persæ & Ægyptii habuerunt eandem arcanorum naturæ primitivæque Physices incorruptæ cognitionem, item eandem religionem, mutatis duntaxat sapientiæ nominibus. Chaldæi & Persæ suam doctrinam vocaverunt olim Sophiam atque Magiam. Ægyptii verò ob annexum sacrificium vocarunt sapientiam suam Sacerdotium. Persarum Magia & Ægyptiorum Theologia docebantur olim in scholis ambæ simul. Quamvis in Arabia, Africa, & Græcia scholæ multæ doctique viri fuerint olim, ut Albumazar, Abenzagel, Geber, Rasis, Avicenna, apud Arabes: Machaon, Podalirius, Pythagoras, Anaxagoras, Democritus, Plato, Aristoteles, & Rhodianus penes Græcos; nihilominus varii sensus ac dissensio inter se fuerunt, & quoad Ægyptiorum sententiam discordes extiterunt. Pythagoras ea de causa sophus vocari noluit, quia suo tempore sacerdotium Ægyptiorum, & sapientia perfectè ut par erat minimè docebantur, etsi multa nihilominus inde reportasset arcana mysteria, Anaxagoras quoque plurima: patet ex disputationibus, quas de Sole & ejus lapide facit, & quas à morte sua reliquit: Ægyptiis tamen in multis contrarius fuit. Quapropter istorum discipuli noluerunt appellari Sophi, nec magi, sed Pythagoram ea in re imitantes Philosophiæ nomen assumpserunt, ipsi tamen non nisi scintillas quasdam, ut umbras, ex Magia Persarum & Ægyptiorum reportarunt. Verumenim verò Moyses, Abraham, Salomon, Adam qui primus, Elias, & Magi ab Oriente ad Christum venientes veri Magi fuerunt & Sophi divini, necnon Cabalistæ: quorum artis & sapientiæ Græci parum, aut prorsus nihil degustarunt. Quapropter istorum scilicet Græcorum philosophicam sapientiam, ut sophisticatam speculationem ab aliis veris artibus & scientiis degenerem, longè lateque distantem, ac separatam relinquimus. Plurimi tentarunt secretissimam istorum sapientum Magiam cum scrutari, tum in usum reducere, idipsum tamen adhuc factum non fuit. Plerique hac nostra tempestate exaltant Trithemium, alii Baconem & Agrippam ob Magiam & Cabalam; quæ tamen per omnia concordare non videntur in omnibus. Magia namque est ars & facultas per quam, ad elementorum, corporum & fructuum suorum, proprietatum, virium, & abstrusarum operationum cognitionem pervenitur. At ipsa Cabala ex Anagogia viam ad Deum hominibus struere videtur, ac docere quinam cum ipso vivendum, & ex ipso solo prophetandum sit. Nam plena divinis est mysteriis Cabala, uti Magia naturalibus arcanis: præsagia siquidem illa futurorum; ex natura præteritorum & præsentium effari docet; hujus autem operatio consistit in creaturis omnibus, tam cœlestibus, quàm terrenis corporibus cognoscendis intrinsecus; quid in ipsis occultetur, quæ vires atque virtutes lateant, cui destinata sint ab initio, tum quibus proprietatibus dotata. Hæc & similia vinculum exhibent, quo cœlestia terrenis conjunguntur, ut ocularitèr etiam aliquando percipitur ac sensualiter à suis operationibus. Talis influentiarum cœlestium conjunctio, vel impressio, qua in inferiora corpora cœlestes virtutes operantur, Gamaheum conjugium virium & proprietatum cœlestium cum elementaribus corporibus dictum fuit olim à Magis & Sapientibus. Inde fluxerunt excellentissimæ conjunctiones & commixtiones astrorum superiorum cum inferioribus astris, id est, Solis & planetarum cum vegetabilibus, mineralibus, & animalibus. Diabolus semper tentavit adhuc miris conatibus totisque viribus ejusmodi naturæ lucem obfuscare. Nec in totum sua spe frustratus est, cum totam Græciam ea privarit, & ejus loco speculationes humanas & meras blasphemias in Deum & ejus Filium eo gentium introduxerit. Magia utique suam originem ex divino Ternario & ex Trinitate Dei duxit. Etenim creaturas omnes hoc Ternario Deus insignivit, ac digito suo hunc hieroglyphicum characterem ipsis insculpsit, ut nihil etiam in rerum natura valeat assignari, quod hoc dono divini Ternarii careat, quodve ocularitèr hoc ipsum non demonstret. Creatura quidem nobis creatorem intelligere ac videre docet, ut etiam D. Paulus ad Rom. testatur. Fœdus igitur hoc divini Ternarii per totam rerum substantiam diffusi, est indissolubile, per quod etiam habemus arcana totius naturæ ex elementis quatuor. Ternarium enim cum magico quaternario, perfectum septenarium producit multis arcanis dotatum, notisque demonstratum. Et quum Quaternarius in Ternario quiescit, oritur lux mundi in horizonte æternitatis, totumque vinculum cum Deo nobis exhibet. Adhæc etiam accedunt vires & operationes creaturarum omnium, & usus earum suis arcanis signis, characteribus & figuris insignitarum, ut in eis vix minimum punctum occultum relinquatur, quod non examinatione pateat. Quandoquidem ubi Quaternarius & Ternarius ad Denarium ascendunt, eorum fit ad unitatem regressus. In isto concluditur arcano omnis occulta rerum sapientia, quam Deus cum verbo suo, tum creaturis manuum suarum palam fecit suis hominibus bonæ voluntatis, ut veram ejus haberent notitiam; sed alio loco de his latius tractatum est. Patet ex his apertissimè Græcos fuisse primos omnium artium corruptores. Isti magiam

quæ priusquam ad ipsos perveniſſet divina sanctè pureque tractabatur ab Hebræis, Chaldæis, Perſis, & Ægyptiis) ſophiſticationum ſuarum inventionibus conſpurcarunt, quod ſoli Deo conveniebat, adſcribentes diabolo, pias preces & ſinceras orationes in ſuperſtitiones & nefarios ritus converterunt: unde factum ut loco Magiæ Necromantiam docuerint; & pro vera Phyſica ſomniatam phantaſiam inanem & vacuam, pro Aſtronomia fictum idolorum diabolorum regnum excogitarint, cui Saturnum, Martem & Venerem, ac Mercurium præeſſe volnerunt, ſumtis nominibus latronum, furum, & meretricum, quibus ſuos Deos decorarent; & ita cœlo non parcentes, hoc ipſum in infernum tranſmutare conati ſunt. Hac via totum adhuc mundum ſeduxerunt, ut nemo ſe magum profiteri, neque ſapientem ob capitalem pœnam audeat, nulla jam differentia facta inter Græcorum magiam necromanticam & priſtinam Hebræorum ſapientiam & Cabalam ſanctam. At quia mundus (ut ajunt ex vulgato proverbio) vult decipi, currat ergo cum currentibus ſuis. Maneamus in inconcuſſo lapide fixi. Sed ad inſtitutum redeamus, tinctura ſque philoſophicas jam, extra lapidis proceſſus antea dictos, elaboratas etiam audiamus à Paracelſo.

CAP. XX.

De Cimentis & Cimentationibus Metallorum.

ANtea de præſtantiſſimis & maximis philoſophorum tincturis audivimus, modo minores eſt quod in medium adferamus, quia non veniunt in uſum rei medicæ pro corporibus hominum. at ſolum ad metallorum nebulas tollendas.

1. Primum igitur cimentum eſt regale, non pro vulgato more deſcriptum è Paracelſo (verum ex ſola, quam fecit, experientia) veterum uſum non obſervante. Sumatur florum æris, antimonii, laterum, ſalis communis ana libra ſemis. Trita minutiſſimè ſimul omnia commiſceantur, vinoque poſtmodum imbibantur & exiccentur, idque vigeſies & quater. Hoc pulvere laminata luna cimentetur ignis gradu medio quatuor horis, poſtea tot horis igne mediocri, poſtremò fluxionis igne horis duodecim. Tum demum excipe regulum, eumque laminatum ex priore proceſſu, & cum eiſdem cimentabis rebus, ignis quoque gradibus obſervatis, hoc ipſum quater aut quinquies repetendo. Tandem fulminetur per cineritium, & loppa reducatur in lunam. Inſtrumenta, vaſa videlicet, optimè ſunt perlutanda, & firmiſſimè claudenda. Prolixum hoc loco ponere me proceſſum ea de cauſa putato, quia brevibus ignis progreſſibus, experientia nihil boni docere voluit. Quandoquidem ignis diuturnitas & violentia ſunt potiſſima cimenti regalis fixatio: imò longè melior eſſet, ſi quatuor diebus naturalibus in ejuſmodi cimento quæ dicta ſunt continerentur. Notandum etiam flores æris per vitriolum extrahendos à cupro primum eſſe; nam in eo natura quædam fixationis habetur multis de cauſis. Antimonium ſimiliter eſt fixandum, cum virtutum ſuarum tamen retentione quas habet, putrefaciendo & repurgando; vires enim ejus non ſatis cognoſci poſſunt. Item lateres à bono tecto ſumi debent; ineſt enim & ipſi tecto conſtrictionis & fixationis venarum vel pororum in metallis aliqua facultas. Sal fixat etiam & corrigit leproſam lunam à ſua nebula. Quatuor igitur hæc in hujus cimenti compoſitione convenire neceſſarium eſt. Cæterum obſervandus ignis, aliundeque nihil addendum, metallumve nullum; per ſeipſum enim eſt ſufficiens.

2. Secundum cimentum ſoli duntaxat convenit, in quo tria potiſſimum accidentia notanda ſunt. Nonnunquam reperitur ſol in cimento pro quarta vel media parte deficiens, quia non ſatis à natura hxus, ſed immaturus adhuc exiſtit. Quapropter cimentandus venit, quo partem volatilem ſui corporis cum fixa retinere valeat; alioqui vel in cimento, vel in cineritio, & quandoque in aqua forti ſeparatur immaturum hoc à fixo ſuo corpore. Secundū accidens in ſole plurimo, coloris pallidioris, & remiſſioris flavedinis cauſa, conſpicitur, qui color cimento quidem eſt ad hunc modum inferendus, ut in examine quovis maneat abſque diminutione corporis. Tertium verò concernit pondus, ob cujus defectum vilius aurum exiſtimatur quo levius: gravius enim plumbo, & (ut multi volunt) argento vivo debet eſſe. Hoc indicio maxime probatur ac reprobatur, quo minus aliis fallere poteſt: nam & colore, & conſtantia facilius imponitur oculis, quam tactui pondere. Hæc omnia ſunt ad hunc modum emendanda: Sumatur antimonii florum æris ana libra ſemis, Mercurii coagulati fixi drachma. Commiſceantur omnia & imbibantur oleo antimonii rubeo tamdiu donec omninò rubeſcant; his poſtmodum cimentetur aurum ſubtiliter laminatum, vel granulatum igne liquationis, horis viginti quatuor, abſque diminutione caloris, in fuſorio vaſe per quam optimè clauſo. Tranſacto hoc tempore, regulum excipe; per crudum antimonium poſtmodum actum liquefiat addita chryſocolla, & in formam oblongam effundatur. Hoc eſt optimum ſolis ad omnes prædictos gradus cimentum.

3. Tertia cimentatio hæc eſt. Antea cimentationum duas fixationes poſuimus ad ſolem & lunam multiplicandum neceſſarias, jam eſt quod imperfectorum metallorum etiam in ea parte rationem habeamus, ut ſuo pariter cimento reddantur idonea ad cimentariam tincturam in ſe recipiendum, quam recipere nequeunt niſi prius ad hunc modum præparata. Corpora tantum quatuor imperfecta ſub iſto cimento ſunt comprehendenda, Mercurius autem excludendus, ſuoque peculiari cimento reſervandus. Sumatur antimonii libra una, ſalis petræ libræ duæ, ſalis communis, ſalis tartari ana libra ſemis. Omnia ſimul permixta ponantur in vas fuſorium, ſtrato ſuper ſtratum collocato cum laminis aut limaturis metallorum. Cimententur optimè clauſa horis duodecim igne violentiſſimo, qui duabus ab initio levis fuerit. Abſoluto hoc tempore quod remanſit eximatur, loppa videlicet cum regulo ſimul. Notandum non omnes ejuſmodi cimentationes regulum exhibere, ſed loppas etiam earum aliquas, quæ poſtmodum in Saturno coquendæ ſunt juxta communem uſum, & poſtea Saturnus hic adurendus in teſta, ſuper quam invenietur metallum fixum. Hoc loco notanda differentiaquæ eſt ſeparationis per teſtam, & per cupellam cineritii: metallum in iſtam ſubintrat, ſuper illam verò manet. Quod ſuper teſtam remanſit metallum ſecundo cimentabis ac tertio, ut ſupra, quo fixius evadat, ac ſuper cineritium maneat. Quo peracto fixum eſt & idoneum ad cimentariam tincturam recipiendum. Duo, tria, vel quatuor metalla ſimul conjungi poſſunt, ac utilius. Sumantur itaque limaturæ Martis, Veneris, Jovis, & Saturni, ſtratificentur, cum prædictis, vel ſaltem cum antimonii, ſalis ana libra una,

una, ad limaturarum dictarum libram semis, fiat ut antea narravimus.

4. Quarta cimentatio minerarum est metallum in se perfectum habentium, & illud per communem liquationem amittentium. Notetur hoc loco metalla melius figi non posse, quam dum cruda sunt. Hac via metalla reperiuntur in mineris quæ nunquam alias apparent. Ejusmodi transmutatio fit in mineris & metallis ante liquationem, ut metalla valeant in propria sua figi natura, vel in aliud metallum transmutari. Quare duo cimenta sub uno hic intelligenda sunt: prius ad fixandum in minera metallum absque transmutatione: Posterius ad Veneris mineram in solem, aut alterius metalli, transmutandum. Præstantiores enim spiritus mineris insunt quam ipsis metallis, gradationes & fixationes metallorum potissimum adjuvant, cum in se contineant colores atque tincturam in sua materia nondum igne mutata. Fixionis igitur in sua minera metalli descripto talis est: Sumatur mineræ Martis libra una, huic optime tritæ addantur antimonii, salis nitri ana libræ duæ. Liquationis accendan ur igne conclusa fortiter atque lutata, & ita maneant horis viginti quatuor. Postmodum exemta & cum Saturno reducta fulminentur, & invenies metallum fixum in suo decenti colore; sit de reliquis mineris intelligendum. Spiritus enim metallorum adhuc in suis mineris existentes, crudi progrediuntur in suis coloribus & essentiis. Minerarum transmutationis descriptio hæc est; Sumantur croci ex floribus Martis, florum ex croco Veneris, vitrioli, aluminis ana libra semis, salis communis præparati libra una, mineræ libræ duæ. Liquefiant omnia humiditate priventur; & cimententur horis duodecim. Postmodum in Saturno liquentur, & fulminentur, quo peracto reperietur in cupella cineritii transmutatio. Poterit ad ejusmodi transmutationem, etiam metallorum addi mixtura, considerando tamen unius quam alterius majorem aptitudinem, qua facilius transmutatio fiat.

5. Quinta cimentatio corporum est volatilium, ut Mercurii vulgi & aliorum quatuor metallorum imperfectorum. Differentia primo loco notanda est inter Mercurium vulgarem, & metallorum, quod ad suas tincturas attinet. Iste plus tincturæ latis exhibet ex præparatis metallis, illo communi. Pariter intelligendum est utrumque Mercurium, corporalem & vulgarem esse coagulandum, quo cimentum sustinere valeat, ac recipere corporalem substantiam cum tinctura coloreque, ut optima decet metalla. Coagulatio Mercurii hæc est: Sumatur aqua fortis à solutione lunæ viribus & acredine privata prorsum, & solvendi facultate. In hanc utrumvis conjicito Mercurium, & calefacta parumper aqua perturbetur in pultes, coagulabitur in ea Mercurius, & in formam indurescet metalli fragilis. Exemtus ab aqua lavetur toties donec dulcescat, & inde cimentetur ut infra. Sumantur boracis unciæ duæ & semis, salis armoniaci uncia semis croci florum æris, florum croci martis ana uncia una, vitrioli calcinati, aluminis calcinati, lapidis hæmatitis, boli armeni ana uncia semis. Misceantur optime trita simul & imbibantur aliquoties urina, postmodum fiat in fusorio vase stratum super stratum, strictissime conclusis omnibus atque lutatis. Liquescant igne cimentario per horam lento prius, post auctо per horam aliam, & per aliam demum violentissimo. Deinceps liquescant in Saturno & fulminentur, ad hunc modum habebitur Mercurii transmutatio. Potest & alia via coagulari ac cimento transmutari; ut sequitur: Sumatur cinabaris, & boracis ana uncia semis. Liquefiant ambo simul in corpus unum, quod sublimetur ex more cinabaris, ut corpus rursum unum fiant, cui tandem adjiciantur salis communis calcinati, florum æris, croci Martis, lapidis hæmatitis, boli armeni ana drachmæ duæ, supradicti corporis uncia una. Fiat stratum super stratum in fusorio vase, postea lente sex primis horis igniantur, & aliis sex horis auctior sit ignis, postremo duodecim horis adhuc violentissimus. Quo facto rursum ut supra sublima & cimenta, quarto vel quinto cimento cinabarim fixam invenies, quam reduc per Saturnum, & fulminetur, & habebitur ejus transmutatio: sic de reliquis volatilibus corporibus metallicis agendum erit.

6. Sexta cimentatio partis est unius solis cum altera lunæ parte, hæc plus omnibus aliis tincturæ recipit, ac citius operatur, quæ gradata fuerunt prius & fixata corpora. Sumatur cinabaris, florum æris, hæmatitis, salis armoniaci, calaminaris, sulphuris, salis communis, vitrioli, aluminis ana uncia semis, croci martis uncia una. Tria simul omnia & mixta in corpus unum exiccentur igne parumper, & imbibantur postmodum urina, tandem stratificentur cum supra dictis metallis simul colliquaris & laminatis. Ponantur ad ignem & liquescant sex horis; postea cimentum innovato, ac aliis sex horis liqueant; tertio duodecim, & quarto viginti quatuor; postremo fulminentur per Saturnum, & habebitur transmutatio. Si tamen alia metalla, ut Venerem, & Martem assumpseris, plure opus est pulvere & igne. His paucis libellum nostrum de cimentis absolvimus, quo satis ample clareque cimentationes docuimus. Quanquam & aliæ multæ descriptiones aliorum habentur, quas à nostris excludimus, eas tantum posuimus quæ magis per experientiam utiles à me compertæ sunt. Jam de gradationibus etiam aliquid audiamus ex Paracelso.

CAP. XXI.

De Gradationibus Metallorum.

QUatuordecim hoc loco metallorum gradationes ponere visum est, etsi longe plures aliæ reperiantur, eas tantum congessimus quæ certa constant experientia, & scriptu dignas esse scimus. Sub triplici differentia præparatæ sunt, uti per aquas fortes, per olea, reliquæ vero per liquores.

1. Gradatio prima per primam aquam fortem fit, ad hunc modum: Sumantur vitrioli, aluminis, salis nitri ana libræ duæ: floris æris, croci martis, hæmatitis verto unus, id est, quarta pars libræ; cinabaris ℔. ß. antimonii verto unus & semis, arsenici verto semis. Omnia simul destillentur in aquam fortem, quæ purificetur & ratificetur juxta similium aquarum usum, & in ea cimentatam solvito lunam aut partem cum parte, lunam atque Venerem, & in digestione contineantur uno mense, postmodum residentiæ fulminentur, & habebitur transmutatio. Quod residuum adhuc in aqua forti fuerit, præcipitetur & fulminetur ut supra sic habetur argenti reliquum. Notandum interea singula præparari debere priusquam in usum veniant gradationum, alioqui per immunditiem plurimum impeditur omnis transmutatio.

2. Secunda gradatio per secundam aquam fortem. Hujus secundæ gradationis processus optime

notandus eſt, ut qui majori lucro ſubtilitateque hac cæteris aliis per aquas factis. Sumatur itaque ſalis petræ, cinabaris ana libra una; conterantur, & ex eis aqua deſtilletur, quam ſerva. Hoc ipſum feceris etiam, & ſub eodem pondere cum antimonio & arſenico. Confunde ſimul ambas aquas, & addatur ſalis nitri, aluminis ana libra una. Rurſum omnia ſimul deſtillentur, in modum aquæ fortis. Ad omnia metalla, quæ fuerint in hac aqua diſſoluta, & in digeſtione manſerint, magis quam ſit credibile, perfectionis operationes, vires atque virtutes adimplentur, cum in ejusmodi compoſitionem ingredientibus, veræ transmutationis metallorum in ſe corporalem materiam habentium, plenæ facultates delitescunt. Tres enim iſtæ deſtillationes, aquæ ſuæ fortitudine tam vehementer tingunt, ut major aut vehementior in aquis fortibus operatio nulla reperiri queat,

3. Tertia gradatio per tertiam aquam fortem. Sumatur cinabaris, arſenici, antimonii ana libra ſemis, ſalis petræ libræ duæ, ſulphuris libra ſemis. Trita miſceantur, ac deſtillentur in aquam fortem igne violentiſſimo. Poſtmodum ſumantur hujus aquæ partes duæ, aluminis communis, aluminis plumoſi ana pars una & ſemis, vitrioli pars una, viridis æris, croci Martis ana pars ſemis. Hæc ſimulomnia deſtillentur in aquam fortem igne vehementiſſimo. Tandem ad hanc aquam omnem ſumantur ſui capitis mortui duæ partes, antimonii, viridis æris, cinabaris, ſulphuris ana pars ſemis. Deſtillentur iterum in aquam ut prius. In hac aqua forti ſolvatur media pars in decem partibus, florum æris, croci martis; poſtmodum clarificetur aqua, & in ea ſolvatur metallum, ac digeratur. In remanentiis plus ſolis reperietur, quam bene credibile ſit per artem fieri poſſe.

4. Quarta gradatio per primum oleum. Sumatur antimonii libra una, Mercurii ſublimati libra ſemis. Deſtillentur ambo ſimul igne violento per alembicum vel retortum, aſcendet rubedo quædam inſtar ſanguinis & ſpiſſa, quæ tingit unamquamque lunam in ſolem, & hunc etiam pallidum ad ſupremum gradum coloris permanentis adducit per digeſtionem ſuo tempore continuatam.

5. Quinta gradatio per ſecundum oleum. Sumatur olei philoſophorum libra una, aluminis calcinati, talci citrini (alias colcotharis citrini) ana libra ſemis. Deſtillentur igne violento. Poſtmodum innoventur ſpecies in priori pondere, & addatur cinabaris, viridis æris, ſulphuris ana verto ſemis. Rurſum deſtillentur, & poſtea rectificentur in puritatem aquæ; huic injiciatur luna, maneat in digeſtione. Reſidentia tandem præcipitetur, & reducta per ſaturnum fulminetur.

6. Sexta gradatio per tertium oleum. Sumantur ſulphuris vini libræ duæ, olei lini libræ quatuor, Coquantur in compoſitum, & hoc in oleum deſtilletur, cui plus addatur vivi ſulphuris; & coquatur ut prius in compoſitum, ac digeratur uno menſe, vel duobus. Poſtmodum addatur ſalis petræ, vitrioli, aluminis, florum æris, croci martis, cinabaris verto ſemis. Deſtilletur inde quicquid aſcendere volet, liquoribus amotis oleum ſervetur. Huic addatur ſuum caput mortuum, & ſpecies iterum ſupradictæ, ſimulque deſtillentur ut prius. Deſtillatum rurſus affundatur fæcibus, putreficetur uno menſe, ac deſtilletur iterum. Evacuatis poſtea coloribus, rubeum oleum ſervetur & rectificetur ut oportet. Poſtremo laminæ digerantur in eo ſuo tempore, tandem reducantur & fulminentur.

7. Septima gradatio per primum liquorem. Omnes iſtæ, vel oleaginoſæ ſunt, vel aquoſæ: de priotibus priore loco dicetur. Sumatur mellis libra una, & in eo coquatur vitrioli, aluminis ana verto unus, aluminis jameni verto ſemis. Deſtilletur ex eis aqua per violentum ignem, addatur deſtillato ſui capitis mortui, & ſulphuris ana verto ſemis. Hæc ſimul in formam hepatis decocta, ac uno menſe digeſta deſtillentur, & in puritatem deſtillatum rectificetur. Poſtmodum addantur ſalis armoniaci, florum æris, croci martis, aluminis ana verto ſemis, vitrioli verto unus, antimonii fixi rubei, arſenici fixi rubei ana unciæ duæ. Trita & in deſtillatum injecta ſtent in calore diebus decem, poſtea ſeparetur liquor à fæcibus ac purificetur. Huic injiciantur laminæ metallicæ, maneantque ſimul in mediocri digeſtione uſque ad perfectionem. Poſtremo quidem reducantur & fulminentur.

8. Octava gradatio per ſecundum liquorem. Sumatur ſufficiens aqua fortis, in qua ſolvatur pro tertia parte Sol, in alia Venus, & in tertia Mars. Solutiones confuſæ deſtillentur in aquam, quæ ad ſuas fæces affuſa deſtilletur iterum, affundatur ac deſtilletur, idque toties donec inde fiat liquor admodum ſpiſſus. Huic addantur mellis deſtillati & præparati partes ſex plus quam prius, & uno menſe digerantur omnia, poſtea ſeparato phlegmate ſuperfluo ſervetur liquor in quem laminæ metallorum projectæ digerantur uno menſe, & poſtremo coagulentur in maſſam unam & corpus unum, hoc fulminetur, quartificetur, & fulminetur iterum, ad hunc modum invenietur optima transmutatio.

9. Nona gradatio per tertium liquorem. In aqua forti ſolvatur viridis æris quantum poteſt, addatur vitrioli & ſalis armoniaci ana decima pars viridis æris; uno menſe teneantur in equino fimo, ac poſtea deſtillentur in aquam, refundatur ad ſuas fæces, deſtilletur, ac refundatur toties, donec inde fiat liquor oleoſus, injiciantur limaturæ metallorum, & in digeſtione reperietur transmætatio. Quâvis hic liquor paucus ſit, plurimum nihilominus metallorum juxta ſuam quantitatem tingit.

10. Decima gradatio per quartum liquorem. In optima aqua forti ſolvetur chalybis quantum poteſt, ſolutio maneat in digeſtione uno menſe, & inde fiet compoſitum, & color unus. Deſtilletur etiam in liquorem, in quem limaturæ metallorum projectæ maneant in digeſtione, donec liquor incorporetur. Tum demum ſimul ambo fulminentur per Saturnum, & invenietur transmutatio, quæ ſeparetur & præparetur ut moris eſt.

11. Undecima gradatio per quintum liquorem aqueum primum. Sumantur ſalis petræ purgatiſſimi libræ quatuor, quod à ſuo phlegmate repurgetur, ſalis communis præparati libræ duæ. Commixta ſimul deſtillentur ſexies vel novies, ac toties donec ambo per alembicum in ſubmiſſum vas tranſeant omnino. Hujus aquæ libræ duæ, florum antimonii, florum æris, florum martis, florum ſulphuris ana unciæ duæ vitrioli, ſalis armoniaci, aluminis ana unciæ duæ & ſemis, mixta ſimul omnia maneant in digeſtione diebus quatuor & viginti, poſtmodum ſeparentur, in aquam puriſſimam, in qua luna gradetur, atque metalla per digeſtionem, fulminentur per Saturnum, quartatione ſeparentur, & fulminentur iterum.

12. Duodecima gradatio per ſecundum liquorem aquoſum. Sumantur vini ardentis correctiſſimi libræ tres, aquæ ſalis petræ, aquæ ſalis communis ana

ana libra semis, vitrioli, aluminis plumosi, aluminis rupei ana vertones tres. Misceantur simul in mixturam, quæ sexies destilletur à capite mortuo. Hac aqua metalla per gradum fixabuntur & transmutabuntur optime.

13. Decima tertia gradatio per tertium liquorem aquosum. Sumatur Ilteris sanguinis libra una. Destilletur decies ac ter à suis fecibus, & addatur florum æris, florum sulphuris ana vertonis semis. Digerantur in fimo equino uno mense, postmodum injiciatur calx lunæ, ut color & substantia consumatur, postea coagulentur, & in Saturno fulminentur. In isto liquore Mercurius vulgi & corporalis etiam coagulantur & permutantur pro conditione transmutationis.

14. Decimaquarta gradatio per quartum liquorem aquosum. Sumatur Mercurii vigesies à sale armoniaco sublimati libra una, florum Veneris, florum Martis, florum sulphuris, florum antimonii ana uncia una. Trita misceantur omnia simul & in aquam resolvi sinantur. Hæc aqua nullo prorsum indiget opere laboreve: nam in hanc projecta metalla, pauco tempore digesta & postmodum fulminata, mirum in modum ad suum transmutationis gradum adducuntur. Alia gradatio lunæ cum oleo Mercurii per appendicem. Fiat oleum ex Mercurio sublimato & aqua forti, multoties ut supra cohobando vel redestillando, quousque in oleum convertatur; in hoc impelle spiritus aquæ fortis igne violentissimo, postmodum imposita luna granulata convertetur in solem. Tandem regali cimentetur, & optimus erit.

CAP. XXII.

De Vegetationibus Alchemistarum.

ABsolutis gradationibus metallorum atque cimentis, ad vexationes Alchemistarum veniendum postremo loco duximus, quibus Alchemiam concludemus Paracelsi. Quid sit igitur Alchemia, inprimis dicendum: aliud certe nihil, quam perceptibilis, industria tamen, excogitatus sermo verus, quo genera metallorum ex uno in aliud transmutari docetur, juxta quem unusquisque viam sibi meliorem pro suæ mentis captu (qui rem perpendit acutius, ita metam attingit) eligere potest, ac ita hujus rei veritatem invenire. Syderum & lapidum hoc loco rationem habere maximam oportet, quia sydus est omnium lapidum formationis spiritus. Est etiam syderum omnium cælestium Sol & Luna non nisi lapis unus in seipso, terrenusque lapis à cælesti prodiit lapide, per eundem ignem, eosdem carbones, cineres, expulsiones, & easdem repurgationes; quibus lapis ille cælestis, clarus & purus in splendore suo separatus reductus est. Totus autem globus terræ nihil aliud est, quam adjectum quid, concretum, mixtum, corruptum, tritum, & iterum coagulatum, & partim in massam unam lapideum opus liquefactum, quod in medio tullio sphæræ firmamenti sedem & quietem habet. Notandum ulterius lapides illos pretiosos, qui propriis nominibus à cælestibus lapidibus vel syderibus vocantur, proximum perfectionis, puritatis, pulchritudinis, claritatis, virtutis, incorruptibilitatis, & in igne constantiæ locum habere, ac in aliis lapidibus terrenis delitescere. Cum syderibus cælestibusve lapidibus maximam affinitatem habent, eorumque sunt naturæ: nam ab istis derivarunt in lapides in quibus inveniuntur. Haud secus de metallis judicandum est. Ad Alchemiam igitur non est inprimis opus aliis instrumentis, quam officina fusoria, plenis aere follibus, tenaculis, malleis, crucibulis, testis, atque cupellis ex faginis cineribus constructis. Postmodum imponantur Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna, & operentur in finem usque Saturni. Si autem metalla diu admodum in terra sepulta manserint, non solum ærugine consumuntur, verumetiam perseverantia transmutantur in lapides naturales, quorum infinitus est numerus: at paucis arcanum hoc est cognitum. Reperitur nonnunquam in terra, Gentilium vetus & lapidea moneta suis imaginibus & characteribus impressa, quæ prius metallica fuit, sed per transmutationem à natura factam in lapides versa. Quid præterea de receptis Alchemiæ, materia, vasis, &c. horumque diversitate dicendum est, uti sunt fornaces, vitra, ollæ, aquæ, olea, calces, sulphura, salia, sal petræ, alumina, vitriola, chrysocolla, atramenta, sal vitri, cerussa, terræ rubea, tutia, cera, lutum sapientiæ, vitrum contusum, viride æris, fuligines, testæ ovorum, crocus martis, sapo, crystallum, creta, arsenicum, antimonium, minium, elixir, lazurium, sol laminatus, sal nitri, sal armoniacum, lapis calaminaris, magnesia, bolus armenus, & alia plura? De præparationibus, putrefactionibus, digestionibus, probationibus, solutionibus, cimentationibus, filtrationibus, reverberationibus, calcinationibus, gradationibus, rectificationibus, amalgamationibus, purgationibus, &c. quibus Alchemiæ libri sunt refertissimi; deinceps de his quæ ex herbis, radicibus, seminibus, lignis, lapidibus, animalibus, vermibus, ossium cineribus, limacum capsulis, conchis, cochleis, & pice fiunt opera? Hæc & similia quæque sunt in Alchemia remotissima quædam, imo vanissima laborum onera, quibus etiam si sol & luna fieri posset, nihilominus intentionem hanc magis quam provehant, impediunt. Non est igitur ex eis (ut vere loquar) addiscendum, quod ad artem faciant solem & lunam frabricandi; quapropter omittenda sunt omnino, quod cum quinque metallis ad solem & lunam prorsus nihil operentur. Percontari posset quispiam; quæ est igitur hæc via, breveque fundamentum absque difficultate, quibus tam cito sol & luna vere fieri potest absque fuco, cum jam neges omnia quæ passim in reliquis tuis scriptis affirmasti? Responsio tibi datur abunde & clare satis in septem canonibus infra scriptis: qui per illos intelligere nolet intentionem hanc nostrã in chemicis, frustraneus labor esset amplius tam rude & ineptum ingenium instruere velle. Non est etiam quod sibi quis insipidè persuadeat, ea tam leviter intelligere posse; verum occulto sensu melius quam aperto.

CAP. XXIII.

De Modo quærendi Metalla pariter & loco.

IN terra & lapidibus inveniendi metalla spes est incertissima, verum quia primus acquirendi modus, nulla ratione spernendus est, sed maximopere laudandus: tale desiderium hominum & apperitus, non magis quam adolescentum licitum ad conjugium amor interire debet. Ut apes enim propter mel & ceram, non sibi tamen, ad flores desideprant, haud aliter homines ut ipsæ præter omnem avaritiam, commodumque proprium, ad eruendum è terra metallum anhelare foret æquum: nam quærens quod omniũ est minimum recipere solet. Non auro solo Deus homines argẽtove, sed etiam

pauperie, sordibus & miseria donat. Aliquos etiam ad metallorum & mineralium singulares cognitiones vocavit, qui breviorem ac faciliorem solem & lunam fabricandi modum, absque fossionibus fusionibusve sunt adepti, quam ex vulgari consuetudine, pedum ex subterraneis, verum etiam ex quinque metallorum genere, per certas artes & notitias, medio tamen arte fabricatorum metallorum, ut ex Saturno, Jove, Venere, Marte, Mercurio, de quibus & quolibet separatim sol & luna fabricarunt, ex uno vero quam ex alio facilius.

Notato super his, ex Mercurio, Saturno, & Jove facile, sed ex Marte & Venere difficilè solem aut lunam fieri, possibile, tamen, sed cum additione fermenti (alias) ex magnesia & Saturno exit luna; ex Jove & cinabari purus sol oritur & luna, ex Jove, Mercurio & aquario purum aurum arietinum. Poterit etiam ingeniosus artista, qualem aliquando me vidisse memini, diligenti quidem animadversione præparare metalla, sic & ratione vera ductus, metallorum transmutationis perfectionem opere suo magis, aut regimine promoveat, quam faciant cælestium signorum duodecim, aut planetarum septem cursus; quos etiam in his observare superfluum est, aspectus, mala sive bona tempora, diem aut horam, hujus vel alterius planetæ statum prosperum, aut infelicem, quæ nec juvare possunt in Alchemiæ naturalis arte, nocereve multo minus: si verum alioqui processum, aut possibilem habeas, operare, cum libuerit; modò non ex teipso, vel tuis operationibus & intellectu aliquis defectus, planetæ syderave cælestia tibi non officiunt in hoc opere. Locus etiam rerum omnium perpetuus, temporis expers atque principii finisque, locorum ubivis operatur essentialiter; cujus nulla spes est, quod reputatur impossibile, quod etiam incredibile desperatumque videtur, mirabiliter in veritatem erumpit. Deus enim & natura nihil faciunt frustra. Notandum est apprime hoc ad Mercurium valens: Quicquid in colorem album tingit, vitæ naturam habet, lucisque potestatem atque proprietatem, quæ vitam causaliter efficit; ignis cum suo calore, vitæ hujus est origo. Quicquid è contra tingit in nigredinem, aut nigrum efficit, naturam cum morte communem habet tenebrarumque proprietatem & vires mortis efficaces. Corruptionis hujusmodi coagulatio fixatioque, terra est cum sua frigiditate. Domus enim semper est mortua, sed eam inhabitans vivit, cujus exemplum si reperire valueris, evicisti. Pingues adole verbenas, liquefactivo pulvere Mercurium unito, quod in hoc opere notandum. Sumantur salis nitri unciæ quatuor, sulphuris medietas, & aquarii uncia una. Trita simul accendantur in crucibulo cum minerali, & subsidet rex pulcherrimus.

CAP. XXIV.

De Canonibus Metallorum septem.

NOn, ut alii solent vulgares Alchemistæ, communiter de metallorum transmutatione scribere volui. Gravem admodum artem isti, processusque docent prolixissimos. Sumatur antim. hoc liquefieri permittas cum sale nitro & ariete, cujus uncia semis, & solis tantundem sumatur, Jovis drachmæ tres, quibus addatur squamarum aut batiturarum Martis drachma una, sulphuris & vitrioli ana uncia una, lunæ tantum ut istius postremi, liquefiant in crucibulo cancrose, &c. Cum itaque signorum, syderum, & planetarum cælestium characteres, una cum cæteris nominibus, receptis, materialibus & in instrumentis in hac arte peritis notissimi sint, hoc denuo recensere libello superfluum esset: quamvis hujusmodi signorum, nominum & characterum usus & explicatio suo tempore non recusentur. Alius tamen hic Alchemiam quam antea tractandi modus, ex metallorum septem naturali fundamento deductus, observatur, per canones, qui licet pomposa verborum elegantia non erumpant, nihilominus in eorum consideratione, quicquid ex Alchemia sperandum est, abunde satis, & arcanorum plurima scientia continetur: ex quibus etiam per maturam speculationem admiranda resultant opera, quæ multoties antiquorum operantium philosophorum naturalium opinionibus etsi contraria, longe quoque diversa, vera tamen probatione & experimento reperta sunt. Primo nihil in hac arte verius eo quod minime cognitum est, cuique minor fides adhibetur. Occasio causaque sola difficultatis omnis in Alchemia, propter quam ad paupertatem reducuntur plurimi, reliqui vero frustra laborant, est operantum imperitia, materiarumque nimia vel pauca nimis quantitas, aut æqualitas, ex quibus omnibus, res in operationibus vel destruuntur, vel rediguntur ad nihilum. At si verus processus fuerit semel inventus, res ipsam se mutans indies ad perfectionem magis ac magis accedit. Recta via facilis, sed à pauciissimis reperitur. Aliquando factum est, ut speculativus quispiam artifex aliquam artem in Alchemia per delirium suum, tanquam in labyrintho positus, excogitarit, sive quidpiam aut nihil inde consecutum sit. Nihil enim ipsum oportet facere, quo quidpiã introducatur in nihilum, & iterum aliquid oriatur ex nihilo: hoc est incredibile proverbium non utique falsum. Destructio bonum perficit, nam bonum apparere nullo modo potest propter suum occultatorem. Bonum enim haudquam bonum dum occultum est. Occultator igitur est amovendus, ut bonum libere cum claritate valeat apparere. Occultator est mons & lapis, arena terræ, meatus solis, & venæ in quibus metallum crevit. At unum quodque metallorum visibilium occultator est aliorum sex metallorum. Et quia per elementum ignis imperfecta quævis corrumpuntur, aduruntur, ac reducuntur in nihilum, uti sunt hæc metalla quinque, Mercurius, Jupiter, Mars, Venus, atque Saturnus: è contra perfecta simili non absumuntur igne, veluti sol & luna; quo fit ut in eo permaneant, & ex aliis imperfectis in quibus corrumpuntur, simul suum corpus assumant, & appareant ocullariter. Qui & quonam titulorum artificio id fiat, ex septem canonibus infra positis colligi poterit, etiam cujus naturæ sive proprietatis quodlibet metallum existat, quid cum aliis operetur, ac efficere valeat in ipsorum commixtione. Verum hoc apprime notandum est, septem illos canones à quovis, licet vulgariter acutissimo lectore, prima facie lecturaque leviter minimo posse intelligi: nam lenis intellectus occulta facile non admittit: quapropter quivis horum canonum disputationibus indiget non exiguis. Plurimi sunt elati superbique spiritus, qui sibi temere persuasum habent, hæc omnia quæ libellus iste continet, intelligere, meliora se habere credunt, ista quoque spernere solent, solem videlicet inter duas lunas, & solem in parenthesi. Ut autem ea probetur sententia supra posita habet: *Unumquodque metallorum visibilium, occultator est aliorum sex metallorum*? videamus quid Paracelsus doceat in calce libri transmutationum, utpote mutuam inter se metallorum imperfe-

imperfectorum transmutationem. Ferrum igitur in cuprum transmutandi hic est modus: Limaturæ Martis coquantur in aqua vitrioli diutissime, vel ejus lamellæ cum vitriolo calcinato cimententur, aut ignitæ in oleo vitrioli extinguantur. Ferrum in plumbum sic transmutabis: Limaturæ Martis cum æquali pondere pulveris reductionis optimi permixtæ, in crucibulo cimententur una hora primum absque liquefactione, deinceps igne violentissimo liquescant, frigefacto vale reperies in fundo regulum plumbi malleabilem citra ignitionem, sed non usque adeo ut aliud plumbum cito fusibile est. Cuprum in plumbum transmutatur ad hunc modum: Albificetur primo Venus cum Mercurio sublimato, & arsenico fixo instar lunæ. Postea granuletur, & addatur ei pondus æquale sui de pulvere fusionis vel reductionis, cum quo cimentetur aliquamdiu. Postremo liquefiat in regulum plumbeum. E contra plumbum in cuprum vertitur, si laminæ Saturni cum vitriolo calcinato vel croco Veneris ut supra, cimententur, & postremo liquefiant, habebitur regulus cupreus & malleabilis. Plumbum in stannum facile vertitur, lamellis ejus cum sale de armoniaco stratificatis, cimeratis, & postremo liquatis, ut supra de aliis. Ejusmodi transmutationes etsi parvo aut millo penitus lucro, sive detrimento fiant, usui tamen quandoque veniunt in plurimis. Huc attexere visum est, ut videatur sub manifestis quibusque metallis alia delitescere per occultationem manifesti. Ecquis dubitat sub luce tenebras occulte suppresseque fuisse cohibitas? quæ cum lucidi malitia tandem emergunt, in malum quod bonum fuit invertitur, quoniam hæc duo simul annexa bellum inter se gerunt ab eo tempore, quo primum lux à tenebris emergentibus occultata est: sed de his plus satis intelligentibus & nostris. Ad canones accelerandum esse video, quibus innotescant occulta metallorum cum vitia, tum virtutes, in quas illa vertenda sunt, fixissima quidem occultatione.

De Natura & proprietate Mercurii.

Canon primus.

OMnia sunt in omnibus occulta, unum ex istis omnibus est occultum hoc, vas corporeum, extrinsecus visibile mobileque, in quo liquationes omnes manifestæ sunt. Spiritus istius vasis est vivus & corporeus, quo fit ut coagulationes vel congelationes omnes in eo compressæ sunt & conclusæ, liquatione tamen circumvestitæ, ac velut amictu concluſæ. Nullum huic liquationi, vel ejus origini potest inveniri nomen, quo proprie vocetur. At quia calor nullus tam vehemens qui huic æquiparari possit, ignis infernalis calori comparari debet. Siquidem hujusmodi liquatio nihil prorsus commune habet cum aliis naturalis ignis & elementaris calore factis & naturali frigore coagulatis. Debilius enim est elementare frigus, quam in Mercurium inferre valeat congelationem, quo fit ut illud etiam contemnat una cum elementari calore quem effugit. Inde colligere licet, mortales quatuor elementorum vires corruptibiles, nihil addere vivo Mercurio, vel adimere posse, nec ipsum arripere. Cælestes & infernales vires elementis quatuor non obediunt, sive siccis, humidis, calidis, aut frigidis: nullum istorum operandi facultatem habet in quintam essentiam, sed quodque proprias & peculiares in se ipso vires habet.

De Natura & proprietate Iovis.

Canon secundus.

QUod manifestum est Jovis (intelligito corpus) metalla sex in se continet spiritualiter occulta, unum altero profundius ac tenacius. Nihil de quinta participat essentia, sed elementorum est naturæ, quapropter ejus liquatio levi penitus igne superveniente manifestatur, & accedente frigore simili coagulatur. Cum aliorum omnium metallorum liquationibus affinitatem habet. Nam quanto quid alteri natura fuerit similius, tanto facilius unitur illi per conjunctionem, facilior etiam est magisque naturalis propinquorum, quam remotorum invicem operatio. Remotum fallere solet, quod minime in eo videatur maximum. Hinc fit ut ad superos non anhelent homines, quia plurimum ab illis distant, quorum etiam gloriam non vident: pariter ut inferos non usque adeo reformident, quod remoti sint, eorumque status & pœnæ miseriam nemo viventium noverit, aut expertus sit actu, hac de causa nihil sit infernus. Haud secus res remotiores eo viliores habentur, quo rudiorem locum obtinent, quia pro sui loci proprietate quæque res melior evadit, vel immutatur, quod variis exemplis demonstrari potest. Proinde quanto Jupiter est à Marte & Venere remotior, & propinquior soli & lunæ reperitur, tanto magis ad auri & argenti naturam accedere videtur in suo corpore, grandiorque, fortior, visibilior, tangibilior, amabilior, acceptior, notior, verior & si quid ultra dici queat, quam in remoto. Rursus, quo res quævis remotior, eo vilior existimatur in prædictis omnibus, non alia de causa, quod semper absenti rei præferatur. Quanto propinquius est igitur manifestum, tanto remotius est occultum. Quapropter Alchemistis, diligentia maxima, spiritualis, occultus, & remotus considerandus est locus atque notandus, in quo sol & luna existunt, ac utrum optaverint, hoc in distantia quærant, pariter in propinquo videant, quo loco Jupiter stetit corporaliter, ibidem solem & lunam existere vere ac secundum examen oculariter, non ambigant. Transmutationum enim metallorum ex imperfectione sua in perfectionem, varia sunt operationum recepta, quæ unum alteri permiscere, tum ab altero purum separare docent. Hoc omne quicquid est, aliud nihil quam ablutionem, vel permutationem exhibet, experientia certa chemiæ factam, unius in aliud. Nam aurum multum Jupiter piscium, & non parum arhenti habet, Saturnus, Mercurius, & Luna imponuntur ei, & augmentatur Luna de reliquis.

De Natura & proprietate Martis.

Canon tertius

OCculta sex metalla septimum expulerunt Martem, à seque rejecerunt, corporaleque fecerunt, valorem ei minimum relinquentia, maximamque duritiem & laborum onus imponentia. Quodque suum coagulationis robur atque duritiem in istud excussit & manifestavit, colore, liquatione pariter & nobilitate sibi retentis. Difficillimum est ac laboriosum nimis opus, ex inepto vulgarique homine principem aut regem efficere. Sed Mars valida pugnacique manu dominium acquirit, regisque locum occupat. Est tamen quod caveat ab insidiis,

ne captivus fiat ex improviso. Considerandum igitur venit, qua ratione Mars regis locum, & Sol ac Luna cum Geminis locum obtinere queant.

De Natura & proprietate Veneris.

Canon quartus.

ALia sex metalla ex omni suo colore mediocque liquationis impermanentiæ corpus extrinsecum fabricarunt. Necessarium tamen foret ad majorem intelligentiam, aliquot exemplis demonstrare, quonam pacto res manifesta per ignem occultatur, & manifestatur occulte materialiter. Quicquid igitur est combustibile naturaliter & per ignem, transmutari potest ex una in aliam formam, videlicet calcem, fuliginem, cineres, vitrum, colores, lapides, & in terram: quæ postrema rursum in multa corpora nova reduci potest metallica. Item si metallum adustum, aut ærugine vetusta fragile factum esset, metallationem ignitionibus iterum acquirit. Nam aurum multum Jupiter, & non parum argenti habet, Saturnus & Luna imponuntur ipsi, & augmentatur Luna de reliquis.

De Natura & proprietate Saturni.

Canon quintus.

DE propria sua natura Saturnus loquitur: Pro suo me rejecerunt examinatore sex alia metalla, deque loco spirituali truserunt à se, corruptibile corpus in mansionem etiam adiecerunt, ut quod ipsa nec sunt, nec habere cupiunt, sim id ego. Sex fratres mei spirituales exiliunt, quo fit ut corpus meum, quoties ignitum est, penetrent, ac una mecum igne transeant, sole & luna optimis tantum exceptis; mea namque mundantur & superbiunt aqua. Spiritus meus est aqua solvens omnium meorum fratrum congelata corpora: corpus meum tamen ad terram est proclive, quicquid in me recipitur, etiam proprium fit ejus, & per nos in corpus efficitur. Mundo minime foret utile cognoscere vel saltem credere, quidnam in me lateat abditi, tum quid efficere possim; utilius vero si mecum id quod valeo facere, hoc sciret: Alchemistarum artes deserens omnes eo solo quod in me est, & ex me fieri potest, uteretur, Frigoris lapis est in me, hæc est aqua per quam congelari facio sex metallorum spiritus in esse corporeum septimum, id est solem cum luna promoveri.

Antimonium duplex reperitur, unum vulgare nigrum, quo repurgatur aurum in eo liquefactum; cum Saturno habet finitatem, aliàs, est sui generis. Alterum est album, quod magnesia dicitur, affinitatem cum Jove maximam habet, cum aliis multiplicat, Mercurium commiscet lunæ,

De Natura & proprietate Lunæ.

Canon sextus.

EX luna conficere velle Saturnum aut Martem, non est levius vel facilius opus, quam ex Mercurio, Jove, Marte, Venere & Saturno lunam ingenti lucro facere, Non est tamen utile perfecta in imperfecta, sed hæc in illa transmutare. Quænam sit materia lunæ, vel unde proveniat oportet igitur cognoscere. Quisquis id considerare nequiverit, nec lunam fabricare poterit unquam. Sed si rogetur quid sit luna? est quidem ex sex metallis spiritualibus occultis in ipsa, septimum manifestum, ut sæpius dictum est antea, alias, extrinsecus & materialiter; nam semper septimum alia sex in se continet occulta. Sex etiam spiritualia metalla non persistunt, absque aliquo extrinseco & materiali metallo; sic etiam nullum corporale metallum, absque illis sex spiritualibus locum aut essentiam habere potest. Corporalia metalla septem liquatione bene permiscentur, sed mixtura hæc ad solem & lunam est inutilis; nam in ea quodque vel fixum in igne manet, vel ab eo fugit. Exempli gratia misce quocunque modo potes Mercurium, Jovem, Saturnum, Martem, Venerem, solem & lunam, omnia sin ul hæc, inde quidem fiet sol & luna, quinque tamen aliis non transmutatis, ut ex illis per solem & lunam, sol & luna fiat, quamvis omnia liquefacta sint in massam unam, nihilominus manet in sua natura quodlibet hoc ipsum quod est; hæc sunt quæ de corporali mixtione judicanda veniunt. De spirituali vero permixtione communique metallica sciendum est nullam separationem aut mortificationem spiritum esse, quia spiritus ejusmodi sunt qui nunquam absque corporibus persistere possunt, etiamsi corpus una hora centies illis adimeretur & mortificaretur, nihilominus aliud sen per priori nobilius acquirerent. Et hæc est metallorum transpositio de una morte in aliam, de minori gradu in majorem & altiorem, id est in lunam, & ex meliori in optimum & perfectissimum, hoc est in solem splendidissimum regem omnium aliorum metallorum. Dicendum ulterius quod ejusmodi spiritus metallici corpus, in sua primitiva generatione per cælestem influxum acquirant, lapidem videlicet aspectu vilem, quem tutum liquefacit; corrumpit, & mortificat ignè metallarius artifex omnino, tum demum metallicus spiritus in ejusmodi mortificatione melius atque nobilius, non friabile, sed liquabile & malleabile corpus recipit, Accedit Alchemista, qui tale corpus metallicum rursus corrumpit, mortificat, artificioseque præparat, ut iterum spiritus ille metalli nobilius adhuc & perfectius corpus induat, manifesto se prodens in lucem solis aut lunæ. Tum demum spiritus & corpus metallica perfecte simul unita, sunt ab ignis elementaris corruptione tuta, nec non incorruptibilia. Est igitur verissimum, quod supra sæpissime dictum, sex metalla septimum semper generare, aut de se in esse manifestum producere, Quæstio: Si verum sit lunam & quodlibet metallum ab aliis sex originem ducere generarique, quæ est igitur lunæ proprietas & natura? Responsio: Ex Saturno, Mercurio, Jove, Marte, Venere, nihil nec aliud metallum fieri potest quam luna. Causa hujus est, quod aliorum sex metallorum quodlibet habet in se duas virtutes, quæ sunt propriè lunæ spiritus, qui (brevibus verbis) ei sic acquiritur. Nam luna consistit ex sex spiritualibus metallis & eorum virtutibus, quarum unumquodque duas habet: summatim itaque duodecim exiliunt in uno corporali hoc metallo positæ, quæ septem planetis, & duodecim signis cælestibus comparantur. Habet enim luna à planeta Mercurio, & ab aquario, & geminis, vel ab aquario & piscibus liquationem, & album suum splendorem. Habet etiam luna à Jove, Sagitrario & Tauro colorem album, & in igne magnam suam constantiam, Habet luna à Marte, cancris, & ariete duritiem, bonum que suum clangorem. Habet luna à Venere, geminis, & libra coagulationis mensuram & malleationem. Habet luna à sole, leone, & virgine sincerâ puritatem, & magnam

constantiam

constantiam contra vires igneas. Habet Luna à Saturno, virgine, & scorpione, vel capricorno corpus homogeneum, puram munditiem, & constantiam adversus ignis violentiam. Talis est naturalis cognitio exaltationis & causæ spiritus & corporis Lunæ, cum ejus composita natura brevibus perstricta.

De Naturâ & Proprietatibus Solis.

Canon Septimus.

SEptimum ex sex spiritualibus metallis corporaliter est Sol, qui in seipso nihil aliud est quam purus ignis. Quod autem extrinsecus pulchrius, flavius, apparentius, perceptibilius, ponderosius, frigidius, ac magis homogeneum corpus visu & perceptione possideat aliis; hujus rei causa est omnis, quod aliorum sex metallorum congelationes in se continet, quibus in unum corpus extrinsecum factum est compactissimum. Ejus tamen per ignem elementarem liquatio provenit ex Mercurio, piscibus, & aquario, liquationes in se spiritualiter occultas habentibus, & in Solem operantibus: hujus exemplum est manifestissimum, cum ipse Mercurius cum Sole facilius per amplexum commiscetur corporaliter. Sed Solem post liquationem recedente calore, frigoreque superveniente extrinsecus coagulari, durum & solidum fieri, reliquorum quinque metallorum est causa, quorum naturam in se complectitur, ut Jovis, Saturni, Martis, Veneris, & Lunæ. In istis quinque frigidæ mansiones cum suis regiminibus præcipuè reperiuntur: inde fit etiam quod Sol præter ignitionem liquefieri minime possit propter jam dictum frigus. Non potest etiam Mercurius calore suo naturali, aut liquatione subvenire, nec ipsum defendere contra quinque metallorum frigiditatem: non est enim satis potens ad Solem in sua liquatione retinendum, quod obedire magis quinque debeat quam unico, cujus officium solum est ex sua natura semper fluere: hinc fit etiam ut in aliorum metallorum congelationibus agere nihil valeat, ejus namque natura non est durum aut solidum efficere, sed liquidum. Fluidum reddere caloris est & vitæ natura, frigiditas autem, duritiei, consolidationis, & immobilitatis naturam habet, quæ morti comparantur. Exempli gratia sex metalla, Jupiter, Venus, Saturnus, Mars, Luna, Sol, si liquefieri debeant, ignis calore fiat necessarium est, nivis aut glaciei quæ frigida sunt, hoc ipsum non efficient, at potius coagulabunt durumve reddent. Statim atq; metallum igne liquatum, ab eo fuerit amotum, irruens in illud frigiditas congelatum, durum & immobile per se reddit. Sed Mercurium fluere semperque vivum manere, dic quæso an calore vel frigore id efficiatur; Quicunque responderit frigida humidaque natura (ut hactenus judicatum est) fieri tum quòd à frigiditate vitam habeat, opinionis assertor hujus, naturæ nullam cognitionem habet, sed cum vulgo seductus est. Ignarum enim vulgus de quibusvis nil nisi falsum ex manifesto judicat in naturalibus, hoc etiam firmiter tenet solum quod videt carneis oculis. Quapropter est quod ab eo recedat, quicunque veritatem in his cupit cognoscere. Mercurius quidem ex frigida minime, sed ex calida & ignea natura vivit: quodvis etiam vivens est ignis, ea ratione; quia calor est vitæ, frigus verò est mortis occasio. Sol item ex seipso purus est ignis, non tamen vivus, sed durus, & sulphuris tantum colorem demonstrat; velut album rubeo permixtum in eo proportionaliter. Metalla vero frigida quinque numero, Jupiter; Mars, Saturnus, Venus & Luna, suas tribuunt Soli virtutes, juxta frigiditatem corpus ipsum: secundum ignem, colorem; juxta siccitatem, duritiem; & secundum humiditatem; ipsum pondus; item ex splendore clangorem: Quod autem Sol in ignis terrestris elemento non comburitur, nec etiam corrumpitur, efficit hoc Solis cum igne concordantia; siquidem unus ignis alterum adurere non potest, nec absumere, quin potius cum ad ignem accedat ignis, augetur validiorque fit in suis operationibus. Cœlestis ignis utique, quem Sol in terram ad operandum apud nos influit; non est talis ignis qualis in cœlo, nec similis nostro super terram existenti, sed ignis ille cœlestis apud nos, est frigidus & congelatus ignis; qui corpus est Solis. Quamobrem Sol per nostrum ignem superari nullo modo potest; hoc illi solum accidit, ut liquescat, quemadmodum nix & glacies ab ipso cœlesti Sole. Ignis igitur ignem adurendi potestatem non habet; quia Sol est ignis, qui solutus in cœlo, congelatus apud nos existit. Autum pariter est in essentia sua triplex, primum cœleste solutum, secundum elementare fluidum, & tertium est metallicum & corporeum.

CAP. XXV.

De Calore & Congelatione Mercurii.

MOrtificare vel congelare Mercurium, & postmodum in Lunam convertere velle, magnoq; labore sublimare, vana sunt opera, cum illa Solis & Lunæ existentium in ipso disparitio quædam & evanescentia tantum existant. Est enim alia longe diversa propinquiorque via, qua Mercurius parvo dispendio, laboreque minori, sine congelatione, transmutatur in Lunam. Quisque libenter hanc artem addisceret in Alchemia tam levem atque facilem; per quam brevi tempore, Solis & Lunæ plurimum extrahere valeret, aliæque sibi tædio sunt scripturæ, promptitudines, & verba, quæ non ita leviter fieri declarant: quinam sibi foret agendum, hoc & ad hunc facito modum libenter audiret, operare sic, & habebis Solem & Lunam copiosissime, quibus in ditissimum virum evades. Cui sic, tantisper expecta quæso donec labore sine brevibus verbis declaretur, præmansumque tibi cadat in stomachum, ex Saturno & Mercurio brevis extruendi Solem & Lunam scientia. Non est nec esse poterit unquam hæc ars inventu factuque tam communis, atque in seipsa facilis exiitit. Solem (inquam) & Lunam fabricandi promptitudo, per Alchemiam levior est; quam sit necessarium aliquo documento, vel scriptis majorem facere mentionem ea, quæ de annali nive fieri consuevit. Quotquot utique Mercurium judicant esse humidæ frigidæque naturæ decipiuntur errore proprio ac manifesto convicti; ex sua namque natura non nisi summe calidus & humidus, qua de causa cogitur in suo fluxu vitaque liquidus esse naturaliter. Nam si natura sua humidus esset ac frigidus, aquæ congelatæ haberet similitudinem, semperque durus ac solidus existeret; igne quoque, ut ad congelata metalla pariter opus esset ad ipsum liquefaciendum, nullo tamen indiget; cum liquidationem & fluxum habeat ex proprio calore sibi naturaliter insito, qui continet illum in fluxione perpetua, vivumque reddit, ut neque mori, nec coagulari per se queat. Verum in his maxime scitu necessarium, spiritus metallorum septem, aut quotquot

corum mixta simul in ignem veniunt, inter se pugnā agere, præcipuè Mercurium adeò ut quisquis suas virtutes atque vires in alium exerat vincendi, liquefaciendi transmutandique desiderio. Unus alterius virtutem, vitam & formam deprædatur, aliam naturam & formam tribuit. Calore namque spiritus ejusmodi commoventur, ac per suos vapores excitantur ad operandum inter se mutuam transmutationem ex una in aliam virtutem, usque dum ad perfectionem & puritatem ventum sit. At quid cum Mercurio tandem agendum esset, ut humiditate & caliditate prorsum ademptis & istarum loco maxima frigiditate penitus introducta, congelaretur, consolidaretur, & omnino mortificaretur? Hoc fac ut sequitur: Sumito purum E Venerem Z. Mercurium R. T. Venerem CXPCX Mercurium R. quibus impone Mercurium optime concluſum, & suspensum loci coagulationis medio viginti quatuor horis, id est, uno die naturali. Ad hunc modum auferetur à Mercurio calor cœlestis, & per caliditatem extrinsecam, & frigiditatem intrinsecam, Saturni & Lunæ (quæ sunt ambo frigidæ naturæ) frigiditas ei tribuitur, unde Mercurius tandem congelari, consolidari & indurari cogitur. Proinde notandum, frigiditatem (qua Mercurius indiget in sui consolidationem & mortificationem) sensu minimè perceptibilem extrinseco, velut nivis aut glaciei, sed potius extrinsecus calidum quid apparet. Haud secus de calore Mercurii, quo fluit naturaliter, judicandum est, non esse caliditatem extrinsecus perceptibilem, ad nostrarum qualitatum similitudinem, imo potius ut maxima frigiditas apparet. Unde Sophistæ (gens inexperte loquax) asserunt eum esse frigidæ humidæq; naturæ: quo fit etiam ut illum non aliis quàm calidis rebus coagulare studeant, quibus tamen fluidiorem effici, quam solidum esse cupiant, suo damno tandem indies experiuntur. Cæterum Alchemia vera, quæ unica tantum arte Solem aut Lunam ex quinque metallis imperfectis fabricare docet, aliud receptum non admittit, præter illud quod ad hunc modum & verissimè loquimur. Solùm ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis, perfecta metalla fiunt: nam in aliis rebus est Luna, & in aliis Metallis est Sol.

CAP. XXVII.

De plana hujus Artis Manifestatione.

CUm Cœlum aut Sphæram Saturni cum vita currere feceris super terram, impone planetas omnes aut quos volueris, ut Lunæ tamen nimium non adsit, sed minus aliis ejus adjiciatur. Currere permittas omnia tantisper donec cœlum Saturni penitus evanescat. Hoc pacto manent omnes planetæ consistentes ut, ipsorum antiquis & corruptibilibus corporibus mortuis, novum, perfectum & incorruptibile corpus induerint: hoc ipsum est spiritus cœli, à quo planetæ dicti rursum corporales ac vivi fiunt, ut prius. Novum hoc sumito corpus à vita & ex terra, quod serva hoc est Sol & Luna. Habes ad hunc modum artem omnino manifestam ac integram. Si nondum ipsam intelligas, aut scias, bene est: nam ita manere debet non vulgariter palamque fieri cunctis indifferenter.

De Genealogia Mineralium ex Paracelso.

Præfatio ad Lectorem.

QUanquam ordo videtur expetere prius de generatione mineralium & metallorum tractare quam de transmutationibus: Attamen quia non dilucidius Theorica potest, quam à sua Practica percipi, è re studiosorum hujus artis fore putavi, si ab opere primum aggrediantur. Maxime quia Chemia non verbis, sed elaboratis rebus duntaxat adimpletur, ut reliquæ omnes quotquot in usum & necessitatem hominum veniunt artes, quarum etiam habitus usu contrahitur magis quam ullis demonstrationibus. Licet istæ plurimum faciant in confirmationem eorum qui jam provecti sunt potius quàm initiatorum: Istis tamen à principio maximè prodest, manum in pastam (ut aiunt) mittere, ac sensim ab annotatis erroribus addiscere. Siquidem absque his nemo vel facillimam unquam artem didicit. Pariter & Chemiam assequi nullus facile poterit, qui prius in ea non errarit sapius donec probe teneat. Item nunquam ingredi veram semitam continget, usque dum à devio gressu gradum ad metam revocet, erroresque suos ab imitatione operum naturæ corrigat. Ab hac statim discere non ita facile fuerit, cùm deficiant objecta chemica naturalibus comparanda. Proinde Chemiam artificialem naturali præmittere visum, quo periclitantes in hoc opere ad mineralem Genealogiam, tanquam ad anchoram, revocemus. Quam etiam in hanc rem annectere Chemicis, visum est opportunum atque necessarium.

CAP. I.

De Generatione Mineralium.

CUm Antiquorum scripta de generatione mineralium accuratissime perlegissem, deprehendi ipsos ultimam illorum non intellexisse materiam, & per consequens multo minus primam. Siquidem ut cujusque rei probe sciatur initium, finis apprimè debet innotescere. Primum omnium igitur ultimam nobis materiam proponere decrevi mineralium, unde facile primam intelligetis ex qua ducunt originem. Exemplum prius adducamus ex medicina, qua morbus ab exitu cognoscendus, & non ab initio in qua nulla scientia, quod per cœcitatem introductum sit, etiam cœcum esse oporteat; finis vero visibilis ab exitu, ad quem tendere percipitur tanquam ad scopum sibi propositum. Proinde res omnis melius cognosci non potest, quam dum optime scitur in quem finem à Deo creata sit; alioqui facilè continget, ut ejus creaturæ Dei verus usus in abusum abeat. Quicunque igitur opus aliquod ex aliquo suscipit, hoc ipsum ex quo, radicitus cognoscat oportet, ut ex præscripto Dei perficiat ordine, ne propter materiæ non perfectam cognitionem, aut quandoque nullam, secus eveniat, ac diaboli potius opus efficiatur ex abusu materiæ, & instrumentorum. In rude satis exemplum sit: quid securis vel dolabra, lignumque vel alia materia quævis, in manu his uti nescientis prodest, alioque tendere possunt, quam in istorum vastationem: is autem in manus assumere potest ac debet qui novit ex instrumentis & materia licitum & honestum opus fabricare, quod cedat in utilitatem proximi, servata in suum usum ad quem à Deo data fuit materia. Deus enim omne

quod

quod creavit, hoc ipsum etiam cum habere possidereque voluit, cui veram usus ejusdem rei notitiam dedit: huic applicare se debet omnis qui se vocatum ad id in propria conscientia percipit, hoc pariter addiscere, non alienum quid usurpare phantasticum à diabolo suggestum. Rerum autem ultimam discito materiam ac primam ab igne hic enim ut clavis arcam referat, ille quodvis occultum in quovis manifestum facit. Est igitur hoc loco rerum ultima sua materia, in quam per ignem sunt omnino resoluta, ut tandem inter tria universalia prima, de quibus variis locis differui, primum ac prædominans cognoscatur. Exemplo sit metallum igne dissolutum, primum statim initium suum patefacit esse mercurialem aquam, & non sulphur, quoniam ejus resolutio non flagrat resinarum instar: demonstratur etiam non esse sal quia resolutionis ejus primum judicium non est friatio præter liquationem & flagrationem quemadmodum terrenorum & lapidum esse videtur. Habet nihilominus omne metallum in se sulphur & sal, sed principem locum in eo tenet Mercurius: sic de cæteris mineralibus. Verum ita visum est Deo creare aquam elementum, & indies ex eo producti mineralia quævis ad usum hominum, ut mater esset illorum, in qua tanquam in sua matrice mineralis ignis, similiaque sal & Mercurius, coquerentur in metalla, lapides, ac mineralem omnem substantiam, etsi fœtus matri dissimilis existat: ad hunc modum Altissimus cuncta creavit in sua natura, ut ad aliud aves in aere, quam pisces in aquis: sic de reliquis omnibus, quæ divinæ suæ voluntati solum committenda sunt, qui facit omnia ut sunt, esseque voluit ab æterno quæ facit. Ut igitur aqua metallico suo fœtui non est similis, neque filius matri, non aliter ipsa terra lignum est, & non lignum quod ex ipsa tamen est: eadem ratione lapis & ferrum fiunt ex aqua, quæ talis sit aqua, qualis & quæ ipsamet non existit, terra similiter fit id quod ipsa in se non est: sic & hominum oportet fieri, quod ipsemet non existit. In summa, quicquid in suam ultimam materiam transire debet, aliud oporter fieri quam fuit ejus principium, quodvis in suo genere varium atque diversum, etiam ex una matre. Sic Deus in omnibus unus esse voluit, item unam esse omnium primam & ultimam materiam; talis est, ac tam admirandus rerum primus artifex, qualis nunquam fuit antea, nec unquam futurus est alius. Ut autem de matre mineralium aqua videlicet audistis adhuc, in sequentibus docebimus amplius male, perperam quoque scripsisse veteres illam esse terram, quod nondum vere demonstrasse potuerunt.

CAP. II.

De ultima & prima Materia Mineralium.

PRimum principium apud Deum fuit ultima materia, quam ipse primam effecit, ut fructum, qui alium fructum produceret: illa ipsa habet semen: hoc semen est in prima materia. In ultima similiter mineralium materia facta est materia prima, id est in semen facta, quod semen est elementum aquæ quod resolvit, ut sit aqua. Ad hoc naturæ commisit, vel ordinavit in ea, ut materiam ultimam produceret, ea quidem est in aqua. Sumit ergo natura quod est in aqua sub sua potestate ac separatione, quodque ad metallum pertinet segregat in metallum, quodlibet per se; sic de gemmis, lapidibus, magnete, idque genus aliis in sua natura quodque seorsim & in sua specie. Quemadmodum enim Deus tritico suum tempus in messem ordinavit, autumnum bellariis, ac similibus in suis elementis, haud secus elemento aquæ voluit esse proprium suæ messis tempus & autumni: quibusvis quoque rebus aliis in suo genere sua præfixit fructuum collectionis tempora. Est itaque elementum aquæ mater, & semen, & radix mineralium omnium, & Archeus in ipsa est is qui singula disponit ordine quodam, ut unum quodque deveniat in ultimam suam materiam naturalem, quam tandem homo recipit in primam suam materiam artificialem, id est: Ubi natura desinit, ibidem ars hominis incipit; nam illius ultima materia, hominis est prima: rursus corruptio naturæ per artem: hominis est ultima materia. Tam admirando creavit opificio Deus primam naturæ materiam aquam, adeo mollem substantiam atque debilem, & ex ea tamen fructum solidissimum metallum, lapides, &c. ut ex mollissimo durissimum, & ex aqua ignis proveniat supra captum intellectus humani, non tamen supra naturam. Etenim Deus admirabiles fœtus creavit ex ea matre ut apparet in hominibus si conspiciantur etiam in sua matre, quisque reperiretur peculiaris ingenio proprietateque, non juxta corpus, at pro sua conditione complexionis.

CAP. III.

De Agro, Radicibus & Arboribus Mineralium.

CReavit Altissimus elementum aquæ, ut esset velut ager in quo radices arborum mineralium ex suis seminibus ortæ figerentur, ac inde truncus & rami protruderentur in terram, ut infra latius. Separavit igitur à reliquis tribus, ut non in aëre, non in terra, neque in cælo, sed per se liberum corpus existeret in inferiori globulo positum, ut sit supra terram, & in ista centrum habeat in quo fundatum est, tam admirando creatum ordine, ut una cum terra hominem deferre debeat, ut super aquã velut, in aliqua navi gestus ambulet, eaque potiatur: item quod mirabilius, circum globulum quaquaversum lata non decidit extra suos limites, etsi pars antipodum pendere nobis videatur, & illis nostra, nihilominus utraque supina jacet, ac tota sphæræ suæ superficies, ubivis locorum considerentur, ut si fovea quæpiam imaginetur perpendiculariter in abyssum suæ profunditatis & exaltationis sui centri, fundum non inveniat, nec etiam à terra sustentatur, sed longe mirabilius quam ovum in suo córtice, quo caret omni, continetur. Generationes igitur omnium mineralium ex elemento aquæ protruduntur in terram, quemadmodum ex elemẽto terræ fructus omnes in aërem, ut in terra nihil præter ipsam radicem maneat: non secus metalla cuncta, sal gemmæ, lapides, talcum, marcasitæ, sulphura, & similia quævis, ex sua matre aqua in aliam matrem subintrant nempe terram, in qua perficitur arborum suarum operatio, radicibus terræ, perficiuntur in aëre; pariter & quæ in aquis originem ducunt, in terra prorsum adimplentur per naturam in suam ultimam, ut illa, materiam. Hac opinione seducti veteres, quod viderent in terra metalla reperiri, non ulterius animo progressi, tam enormiter de minetalibus scribentes errare non putarunt; cum tamen ex terra nihil aliud crescat præter lignum; frondes, flores, fructus & herbas: quod reliquum est, ex aqua nascitur. Non aliter fabulari contingeret ac inepte sloqui eum, quicunque assereret

producta terræ ex aëre sumsisse originem, quia in isto sunt ac perficiuntur, cum radices in terra videat. In aquis vero mineralium radices carneis quia non videt oculis, etiam negabitur istas in terra defixas. Talis est Græcorum Physica, scilicet ex manifesto solum deducta, nisi occulti videns mentaliter ab experimento. Pigmentum est otiosorum hominum de rebus naturalibus ex oculo garrire duntaxat præsumentium, & non operari ut examinentur occulta sub manifestis, quæ semper & in omnibus opposita sunt.

CAP. IV.

De Fructibus & Messe Mineralium.

HAud aliter quam terræ fructus omnes super terram, & in aëre suam messem & autumnum habent in sua generatione, juxta prædestinatum terminum; aquei fructus mineralia videlicet, suo leguntur maturitatis tempore. Germinante siquidem radice minerali primum, exurgunt in suum truncum & arborem, id est in corpus ex quo mineralia vel metalla tandem producuntur, quemadmodum nux aut cerasum non immediate nascitur ex terra, sed primo arbor, ex qua, demum fructus generatur; natura similiter in elemento aqua mineralem edit arborem, id est corpus aqueum: ista nascitur in terra, hoc est, terræ poros replet, quemadmodum aërem implet ipsa terra. Ex ea demum fructus enascuntur juxta naturam atque proprietatem suæ speciei; ad extremitates ramorum, copiosius parciusve, ut in evidentibus contingere solet superficialibus arboribus. Quærenda primum est igitur arbor aquea, tandem fructus ejus, disciplina per exemplum ab agricultura terræ non inepte sumta, ad hunc nempe modum. Nonnullæ visibilium arborum suos fructus coniectos edunt, uti castaneas nuces sub spinoso cortice, juglandes sub amaro viridi, & sub isto contegitur ligneus, sub quo rursum amara membrana, tandem sub ista nucleus. Itidem in mineralibus evenit; quorum nuclei, metalla videlicet, à suis cortitibus, ut illi, separandi sunt. Aliæ nudos fructus proferunt, ut sunt pruna, cera, pyra, poma, racemi, &c. à quibus nihil separatur; aqueæ similiter aliquot arbores aurum suum, argentum, corolla, & id genus alia metalla producunt libera nudaque, juxta conditionem atque naturam aquæ. Ut etiam à cortice cognosci potest quid in vel sub ipso latet, uti spiritus à suo corpore; non secus in mineralibus cognoscitur metalli spiritus occultus sub suo corporeo mineralive cortice. Spiritus autem aquei elementi corpus efficit, aliud tamen in minerali, in fructu item aliud. Quamvis igitur aurum in corpore minerali sit, nihilominus illud corpus est nullius momenti, quapropter venit ab auro separandum ut impurum, at auri corpus est purum. Sunt igitur in minerali duo corpora, quorum unum est fructus corpus auri purum, cui spiritus ejus incorporatus est inseparabilis. Fructus itaque primum ab elemento in arborem introducuntur uti spiritus in corpus impurum, & cum isto demum in terram, nobile purumque. Idipsum videtur in homine, cui duo corpora contigerunt, corruptum unum, alterum vero incorruptum, quod cum isto sit æternum conjunctum, imago Dei videlicet, propter quam potissimum differt ab omnibus aliis creaturis.

CAP. V.

De Morte Elementorum, & præsertim Aquæ.

MOriuntur etiam elementa propter corruptionem (quemadmodum & homines) in seipsis. Ut Aqua quæ suimetipsius mors existit, proprios fructus siquidem ipsa devorat ac absumit, non secus ac terra suos. Quicquid enim ex ista nascitur, iterum in eam rediens absorptum evanescit, instar temporis præteriti per hesternas dies & noctes abeuntis, quarum lucem vel tenebras videre nunquam licet amplius: nec propterea ponderosior hodie quam heri, vel drachmula facta, post annos mille sub eodem pondere semper, ut edit, absumit etiam æqualiter. Mors autem aquæ est in ipsius proprio elemento, in magno termino & aquæ centro mari videlicet, in quo fluvii omnium aquarum & quicquid in ipsum defluit, moritur & consumitur, velut ab igne lignum. Flumina siquidem non sunt elementum aquæ, sed fructus ejus elementi nempe maris, à quo ducunt originem, & in quo vitam & mortem accipiunt.

CAP. VI.

De Morte Arboris Mineralium.

POstquam natura mineralium radicem arboris in centro suæ matricis plantaverit, sive ad metallum producendum lapidem, gemmam, sal, alumen, vitriolum, fontem salsum, dulcem, frigidum aut calidum, corallum, sive marcasitam, & ejus truncum, in terram protruserit, hic per diversos ramos spargitur, quorum substantiæ forma, ramorum atque caudicis, liquor est non in modum aquæ, non olei, non luti, neque mucilaginis, at non aliter intelligendus, aquam de ligno ex terra nato, quod non est terra, nihilominus ortum ex ea. Extenduntur ad hunc utique modum, ut ramus ab alio distet intervallo duorum triumve climatum, totidemque regionum: à Germania nonnunquam in Hungariam & ultra: variarum sunt arborum ejusmodi rami per totam terræ sphæram implicati, tanquam in humano corpore venæ distenduntur in diversa membra à se mutuo distantia. Fructus vero per extremitates locustarum ab ultimæ naturæ materiæ protrusi, mox atque in terram deveniunt, momentanea fit ipsorum coagulatio, tum demum expulso toto fructu suo moritur, hæc arbor exiccationeque protsum absumitur in terra suo fœtu relicto, postmodum juxta naturæ conditionem adest alia recens. Mineralium itaque materia prima consistit in aqua, estque solum in ea sulphur, sal, & Mercurius mineralia, quæ spiritus & anima sunt ejusdem elementi, continentes in se omnia mineralia, metalla, gemmas, salia, cæteraque id genus alia, tanquam in sacco semina diversa, quæ in aquas effusa natura deinceps quodque semen ad suum proprium finalemque fructum dirigit, ac indefesse disponit juxta suas species atque genera. Hæc & similia prodeunt ex vera Physica, veræque philosophiæ fontibus, ex quibus, per admirandorum operum Dei meditativas contemplationes, oritur summi conditoris ejusque virtutum germana cognitio, in philosophantium animis oculisque mentalibus, non minus quam carneis manifesta lux apparet, illis occulta fit manifesta. Sed Græcus ille Satan in philosophicum agrum veræ sapientiæ, lolium falsumque suum semen insevit

Aristotelem,

Aristotelem, Albertum, Avicennam, Rasim, idque genus hominum inimicorum Dei lucis, atque naturæ; qui totam physicam sapientiam perverterunt, ab eo tempore quo Sophiæ nomen in Philosophiam transmutarunt.

CAP. VII.

De Variatione primæ Materiæ mineralium, pro diversitate specierum & individuorum ejus, deque variis Coloribus, &c.

DIximus antea materiam primam in sua matre tanquam in sacco quopiam existere, compositamque ex tribus in unum concurrentibus. Verum tot sunt Mercurii varietates, salis atque sulphuris, quot fructus & quam varii sunt in mineralibus. Aliud enim sulphur habetur in plumbo, ferro, auro; &c. in saphiro, gemmis aliisque lapidibus, marcasitis, atque salibus; item aliud sal in metallis, salibus, &c. similiter de Mercurio judicandum; alium in gemmis, alium in metallis existere, præterea pro horum compositione diversa reperiuntur individua sub eadem specie: nam aurum quandoque reperitur aliud altero gravius, coloratius: sic de reliquis. Proinde tot sulphura sunt auri, salia, & Mercurii diversitates auri ac aliorum, quot gradus majores atque minores, nihilominus omne quod particularitatem in ipsis recipit ex subjecto, sub universitate semper continetur unius & ejusdem sulphuris, salis, & Mercurii in universali natura mysterialiter comprehensorum. Ad hæc natura pictori cuipiam similitudine comparari posset, qui ex nonnullis pauciscque coloribus infinitas imagines fingit, nullam alteri similem omnino, hoc solo differunt, quod natura vivas producit, ille vero hanc imitatus, easdem repræsentat oculo, sed mortuas. Colores autem naturales omnes proveniunt ex sale naturæ, in quo consistunt, una cum balsamo rerum & coagulatione: Sulphur exhibet corporum substantiam, & ædificationem: Mercurius vero virtutes & arcana: solus Deus vitam tribuit omnibus, ut ex unoquoque fiat, quod inde fieri prædestinarat ab æterno, quod & in quo sibi complacuit voluitque sic esse omnia. Quicunque igitur corpora naturalium volet cognoscere, discat à sulphure naturali, quod inprimis optime cognitum habeat; si colores naturales, fundamentum ex sale quærat: si autem virtutes rerum scire desiderabit, arcana scrutetur ejusdem rei Mercurii, cujus vires cognoscere cupit, oportet. Hæc omnia simul in unum complectitur ipsa natura, separat, unicuique suum distribuit, aufert, coloresque delet. Considerate quæso tantillum seminis granum, nigri, vel spadicei coloris ex quo nascitur ingens arbor, producens tam admirandum in frondibus virorem, in floribus tam varios colores, & sapores in fructibus pro multitudine tam diversos, idipsum in reliquis omnibus productis à natura, hanc in suis mysteriis tam admirandam, ac opulentam reperies, ut satis habeas quod per totam vitam in hoc libro solo physices addiscas, omni relicta papyro. Si Deus igitur per naturam se nobis cernendum tam potentem, tamque sapientem præbet, quam abunde glorioſiorem se menti nostræ per sanctissimum Spiritum suum patefaciet, modo quæramus eum. Hæc est via salutis quæ ducit ab inferioribus ad sublimiora, hoc est in viis Domini ambulare, videlicet in admirandis ejus operibus versari, & voluntatem suam, quantum in nobis est, esseque debet ac potest, exequi. Hæc mihi (Paracelsus inquit) Academica fuit, non Athenæ, Parisii, nec Lutosa, Tolosaque minus, aut Dolosa quævis alia schola; postquam dolosos multos legissem doctorum libros, ad hunc solum me contuli, ex quo didici omnia quæ scribo scioque vera, ac ita se habere. Fateor tamen esse longe plura quæ ignoro, suo tempore tamen emersura, Deo dante. Nihil enim tam occultum, quod non revelabitur quum volet Omnipotens. Hoc scio tamen post me venturum unum istius scholæ discipulum; qui nondum vivit, hic multa patefaciet.

CAP. VIII.

De naturali Dispensatore Mineralium, & subministris ejus.

QUemadmodum in mineralium artificio per homines, ad ipsa cum præparandum, tum in usum adducendum, non unus tantum, sed plures successive requiruntur, eorum tamen unusquisque peculiare donum habet officii. Quid enim prodest minera è terræ visceribus eruta, præter suum separatorem, præparatorem, aut liquefactorem? quid hic rursum absque fabro? nihil item iste potest absque aliquo emtore, nec iste præter eum qui metalla novit in usum adaptare. His omnibus non indiget ipsa natura, sed suis tantum, ut sunt primo dispensator mineralium Archeus, qui ministros sub se, naturæ minister ipse hos habet, primum, qui corpoream exhibet materiam in quam cadat operatio, videlicet Sulphur minerale hujus aut alterius conditionis atque naturæ: secundum, qui proprietates ac virtutes fabricet ac operetur in præjacentem materiam, ut puta Mercurium; tertio vero, qui per compactionem & coagulationem singula simul coadunet in unum corpus, Sal nempe confirmatorem operis. Hæc omnia simul in unum congesta, & in Athanore suo concluſa decoquit Archeus non aliter quam in terra semen, necdum in ista solum, verumetiam inter se mutuo decoquuntur ad hunc modum. Sulphur aliis duobus subdit corpus suum, in quod operentur quicquid volent ac ad eum finem perducant, cui destinatum est id quod inde fieri debet. Accedit Mercurius cum suarum virtutum proprietatibus, hic decoquitur ex aliis duobus. Ejusmodi decoctionibus adimpletis omnium, tum demum incipit operari sal in alios sibi consocios & in seipsum; primo condensando, postea congelando, & postremo coagulando confirmat opus ad autumnum suum, & messem, ut nihil desit præter messorem & fabrum. Brevibus igitur totam mineralium genealogiam perstrinximus, reliquum erit ut singulorum vires atque virtutes, cum ad Alchemiam, tum ad Medicinam peculiariter ac breviter etiam audiamus, quantum, de his cognosci oportet ad supradictas facultates. Admonitos interea lectores velim, ut tantisper aliorum corrupte nimium de his & per somnia duntaxat fabulantium seorsim ponant opiniones, donec istos videant sola papyro, & non natura doctos, à sibi similibus, & eadem Minerva literate non experte doctis existimari solum, aliis vero tales quales etiam sunt apparere. Sin minus videre velint, resumere poterunt quod eos adhuc ponere volebam, ut saltem absque perturbatione tenebrarum mortis, vitæ naturæ lucem facilius ac sincerius perciperent. A primis itaque mineralium principiis incipientes (quæ salia sunt) per singula discurremus in finem usque metallum videlicet.

CAP. IX.

De Virtutibus atque proprietatibus Salium in Alchemia & Medicina.

EO necessitatis hominem adducere per naturam voluit D. O. M. ut absque sale naturali vivere naturaliter nequeat. Proinde hoc opus habet in omnibus cibis. Etenim sal naturæ balsamum est, quod corruptionem arcet calidi Sulphuris cum humido Mercurio, ex quibus homo naturalis compactus est. Cum autem oporteat ista prima conditi condentia, quodque sibi simili nutriri, necessario sequitur hominem uti debere cibis ardentibus ad sustentationem sui sulphuris interni: humidis ad Mercurium nutriendum; item salsis ad sal in condenti facultate conservandum. Virtus ejus conservationis in eo maxime conspicitur, dum carnes emortuas a putredine diutissime conservat, quanto magis vivas præservabit judicare facile fuerit. Ut ad ejus genera tandem veniamus, tria potissimum habentur ad usum vitæ hominis idonea, Primum horum est sal marinum, secundum est fontanum, tertium vero minerale. Maxime conducens sanitati fontanum est, secundo loco minerale, postremo vero marinum: hoc & primum excoquuntur arte, reliquum autem à natura sola coctum est. Hoc & marinum sub muriæ naturam non comprehenduntur at illud quod excoctum est, in eam primum vertitur priusquam separatum sit ab aqua in sal coagulatum. Duæ sunt igitur nobis proponendæ salis descriptiones, una de muria, altera vero de integrè finito sale. Primo tamen omnium consideranda venit communis quædam cuilibet sali correctionis conditio, ad hunc modum. Ubicunque sal non intervenerit cibis, in his etiam nulla correctio, quos quidem si stomachus receperit, decoquere minime potest; nam ex sale virtus est expulsiva, in secessum vel in urinam; quæ duo nisi conserventur in ordinato suo cursu motuve naturali, frustrata sunt omnia vitæ facultatum officia suis conatibus atque viribus expulsionis. Etenim sanguis natura propria salsus, insulsum non recipit nutrimentum, quod forte si recipere quandoque sit coactus maxima quadam inedia, hoc in corruptionem abit. Ut igitur evitetur hoc vitium, ordinatum fuit alimentariis cibis sal additicium, ne meatus naturales obstruantur, membraque suis debitis fraudentur nutrimentis. Præterea latet in sale resolutiva quædam facultas, oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi, ac per resolutionem in urinam expellendi. Nam urina cum sit sal cruoris tantum, id est, sal duntaxat ex sale naturali, quod naturale cum sale microcosmico associatum per conjunctionem, simul ambo maxime faciunt ad expulsionem excrementorum. Verum enimvero conjunctio naturalis hæc, haudquaquam probe fieri potest, nisi per justam quantitatem usus alimentarii salis temperetur, alioqui facile per oppilationem alicubi consistunt, hærentque. Quapropter cuivis medico scitu dignissimum, sali utique medicinæ jus suum inesse, præsertim ubi naturale sal expurgati cupit, ut salis paulo copiosiorem usum præscribat, maxime gemmei, qui præ cæteris omnibus facultates habet naturale hoc sal exire moliens, expellendi. Spirituum igitur salis in tribus jam allegatis speciebus operationes diligentissime sunt observandæ per usum qui nedum in his, aut in aliis omnibus oculos magis aperit quam litera quævis, vel descriptio.

CAP. X.

De Muria.

NUperrime duarum salis descriptionum feci mentionem, muriæ, videlicet, atque sicci salis. De Muria primum est quod sciatur, huic inesse vires maximas exiccandi quascunque superfluas humiditates, imo plus una hora quam siccum sal uno mense valeant; quamvis etiam illud reductum sit in muriam, non tamen potest unquam præstare quod naturalis, utpote humidam curare podagram, hydropisim, humidosque tibiarum quoscunque tumores aliosque, ac summatim leprosos liquores non naturales consumere, si postquam à colore suo temperata fuerit, ut æger insidere tanquam balneo queat absque læsione. Muriæ perfectionis experimentum ovo in ipsam injecto fit supernatante. Animadvertendum tamen est, ejusmodi balneum nonnisi obesis natura proficuum esse corporibus, macie tamen attenuatis a natura, minime consulendum, quod nimium exiccet. Si forte post unam aut alteram balneationem redirent humotes, in iis locis commorari, quibus muriarum & salis eiusmodi fiunt decoctiones, consultissimum erit.

CAP. XI.

De Sale sicco.

SIccorum salium sunt variæ species, uti communium cibariorum, gemmeorum, lapideorum, terrenorum, & per conos congelatorum, quorum omnium communem notato virtutem. Quodlibet istorum admixtum sulphuri ac vulneribus applicatum, cum in emplastri modum, tum in lotionem, illa tuetur à vermibus, quos etiam jam antea innatos pellit, ut non nascantur amplius. Etenim sola mundatione media, natura per se nullo alio interveniente medicamento sanat vulnera, nisi venenata complexio quæpiam sit obstaculo quo minus liberè naturale balsamum operari queat. In ejusmodi salibus etiam ulcerum cura non exigua consistit, scabierum omnium ac similium, si resolvantur in balneis; muriæ vires tamen longè sunt potentiores, quæ salibus etiam in ipsa dissolutis adaugeri possunt ad externa multa vitia curandum, alopeciam, & id genus alia, maximè si salia hæc per additionem correcta sunt, aut viribus aucta ad hunc modum videlicet. Salis sicci, & salis urinæ ana quantum voles duabus horis una calcinentur, & postmodum resolvantur muria, vel per se humido frigidoque loco muriam exhibebunt artificialem paulo minus validam naturali, in chirurgicalibus extrinsecis, curis, verum in aliis ut intrinsecis longè debiliorem. Salia quæ dicta sunt, in nullis aliis rebus invenientur unquam, etsi decoquatur ex istis alcali: hoc non est simile sal antea narratis, sed alcali rerum naturale sal corporeumve dicitur, quod à salibus nutrimentorum alitur in humano corpore, vel à præcedentibus siccis etiam, & maxime nutritivis. Ad Alchemiam verò fit aqua salis ejusmodi salibus calcinatis in spiritum prolecta, quo solvitur aurum in oleum, ac ab eo separatur, ut maneat optimum ac potabile, vel poculentum aurum. Antequam ad finalem istam executionem deveniat, nihilominus ut audivimus resolutum, aurifabris ad argentum, & ferrariis fabris ad ferrum inauranda,

inauranda, præclarum est artificium, constansque thesaurus, modo per chemicam artem illud præparare norint. Notandum etiam de puro sale per naturam solam congelato, vel in conos, vel in sal gemmæ, hoc ad argenti cimentationes communes maximè congruere, malleabile metallum reddit præter consuetas ignitiones. Idipsum efficit in cupro per cimentum in regulum adducto.

CAP. XII.

De Sale Nitro.

EST & aliud salis genus quod nitrum dicitur compositum naturaliter ex naturali corporum animalium sale, & salibus nutrimenti simul in corpore conjunctis, à quo jam unum ex duobus facto superfluitas in urinam decocta, & in terram decidens coquitur iterum suo tempore, magis ac magis uniuntur, ut inde sal unicum atque perfectum resultet, chemistica separatione per decoctionem artificialem à sua terra, in conos vel glebas apparens manifestè clarum & perspicuum: si benè separetur à superfluo sale nutrimenti nondum ab animali concoctione digesto, quum in urinam expelletetur. In Alchemia præsertim hujus usus est frequentissimus. Recensere supervacaneum foret, quantam in eo violentiam experientia prima pernicioſissimo eventu, compositione cum sulphure, demonstrarit in pulvere bombardico, è qua terrenum, fulgur meritò vocari posset. Non aliter ex sale liquoris terræ, quod naturale balsamum est universale, quo res omnes conduntur in sui compositione; tandem ex illo particulari per resolutionem rerum in terram iterum revertenti, nascitur ut supra sal unicum; quod postea per poros terræ colans in conorum glaciei formam coagulatur adhærens petris, unde nitri nomen in sal petræ commutavit. Neutrum tamen ad internam medicinam usque adeò idoneum, nisi ad conciliandam obesis corporibus maciem, nec sic quidem admodum tutum remedium, nisi cum sale cupri permisceantur duo vel tria per extractionis opus, & in unum conveniant ad suum usum.

CAP. XIII.

De Vitio Salis nutrimenti.

SAl omne cibarium quod à stomacho digestum non fuerit, & per expulsionem devenerit in intestina, nisi transitum faciat, colicam, iliacamve passionem generat curatu præ cæteris difficilimam. Corrosiva sua natura nonnunquam intestina perforavit, ut ex anatomia visum est. Si tamen in stomacho manserit inexpulsum, orexes & arsuræ, nec non aliæ plurimæ stomachi passiones exoriuntur in orificio. Evenit etiam aliquando, ut sal indigestum in venis mesaraicis constipetur & coaguletur in granula, unde gravissimæ prodeunt ægritudines incognitæ; nedum in his, verumetiam in aliis totius corporis partibus, & præsertim illis circa quas urina suum habet emunctorium. De salium speciebus, vitiis, & virtutibus dictum sit hactenus, jam ad aliud minerale magis veniendum est Sal, quod vitriolum nominatur, præ cunctis aliis omnibus cum in Alchemia, tum in Medicina præstantissimum.

CAP. XIV.

De Vitriolo.

NAtura producit è terræ visceribus genus quoddam salis quod Vitriolum nuncupatur, tantarum virium atque virtutum, ut vix unquam satis à quoquam describi valeant. In illo siquidem perfectæ curæ consistunt ictericiæ, arenæ, calculi, febrium, vermium, caduci, ac plurimorum aliorum id genus curatu valdè difficilium morborum ex oppilationibus ortorum, ut infra latius. In utraque facultate medicinæ videlicet, & Alchemiæ, mirandas operationes, ac varias pro modo suæ præparationis efficit. Ex eo namque, tamquam ex ligno uno variæ fabricantur imagines, varia pariter parantur medicamenta præstantissima, cum ad internas, tum ad chirurgicales curas, uti capitis tineam, lepram: in summa quicquid alia non possunt præstare præ debilitate virium adversus morbos, id omne tollit à fundamento vitium extirpando, virtutes ejus cumprimis cognoscendæ: nonnullas crudum existens patefacit, alias in aquam reductum, calcinatum alias, atque alias in oleum viride redactum, in forma olei rubei alias, item alias in albi habet olei forma; toties novas induit virtutes, quoties aliam formam à præparatione recipit. Supplere solum potest pro quarta parte morborum, & pharmacorum omnium adhuc excogitatorum. Non est opus igitur vero medico huc atque illuc oculos ad diversa circumflectere, sed instar pudicæ virginis in terram habere defixos: in hac enim sub pedibus longè plus virium opumque hoc in thesauro naturæ, quam India, Ægyptus, Barbaria, Græciaque ferant, inveniet.

CAP. XV.

De Speciebus Vitrioli & Examinibus ejus.

TAm variæ sunt Vitrioli species, quam fodinæ de quibus eruitur, aut fontes. Examina pariter diversa fiunt ejus majoris vel minoris præstantiæ. Primum hoc esto, si laminam ferream præter ignem in cupri colorem tingat, quo altius, hoc judicatur melius; verum istud est levissimum inter alia. Secundum, ubi crudum administratum per os intro assumptum vehementer pellat præ alias vermes intestinorum, quo vehementius, eo melius in medicina. Tertium est, quum ferrum in cuprum transmutat, quantò perfectius ac citius, tantò præstantius habendum in utraque facultate: plurimum enim affinitatis est inter hæc duo metalla. Nec admiranda res, cum per aquam boracis ex plumbo pariter fiat argentum vivum. Sunt & aliæ cachimiarum genera quæ metalla convertunt, & præstet ista fons in Hungaria vel torrens potius ex vitriolo ducens originem, imò tota ejus substantia vitriolum existit, cui ferrum quodvis injectum in ferruginem consumitur, quæ postmodum follibus & igne reducitur in optimum cuprum non retrogradum. Quartum examen est, quum ejus colcothar rubeum igne vehementissimo conflatum per se cuprum exhibet, istud in medicina debilius, at in Alchemia præstantissimum existit. Non sunt prætereundi colores Quod omninò cœruleum, non æquè validum in medicina, ac illud quod sub eodem colore rubeas flavasque maculas admixtas habet. Quod cœlestis est pallidi coloris, apprime sumēdum

eſt in olei viridis & albi præparationem. Illud verò quod in rubeum aut obſcurè flavum colorem tendit, optimum eſt ad rubeum oleum ex eo parandum. Poſtremum examen eſt, ubi cum gallis acerrimum atramentum, ac obſcuriſſimum efficit, hoc præ cæteris eligendum. Ab examinibus igitur ſpecies numerantur.

CAP. XVI.

De Virtutibus Vitrioli in medicina, crudi vel calcinati.

AD graviſſimos ſtomachi dolores, & ægritudines ex inordinati cibi potuſque ſumptione provenientes, vel ad ejus malam digeſtionem, crudum & exhibitum quantitate lex cometz vel guttarum trium, puta granorum trium, debilibus in vino vel in aqua, robuſtioribus in vino deſtillato, radicitus omne vitium expurgat ſurſum atque deorſum pellens. In arcanis vocatur vitriolum grillus, vel grilla. Non elleborus, non colloquintida, neque diagridion æquè vehementer purgant aut perfectè curant ac iſtud, nec vermes pellendi facultatem habent. Eſt etiam ad caducum, inter curandum, præ cæteris optima per vitriolum purgatio. Ejuſmodi proprietates à duplici natura ſibi contigerunt, acetoſitatis videlicet, atque ſalſedinis, quapropter aliis multò nobilior medicina. Colchotar ejus aut ut vocant caput mortuum rubeum intro non eſt aſſumendum, nec niſi ad chirurgicales curas idoneum, ad ulcera putrida pro primo gradu malignitatis, oleum verò ſumendum, ad illa quæ ſecundum atque tertium attigerunt. Ejus virtutes medicinales aliis de medicina libris continentur, ut in faſciculo floſculorum Paracelſicorum; hoc loco ſolum ea tractare propoſueramus atque in unum congerere, quæ ad Alchemiam tranſmutatoriam faciunt, etſi nos quandoque medicinalia digredi cogant à propoſito. Proinde videndum quid in chemicis præſtet vitriolum, ultra ferri tranſmutationem in cuprum, ut ſupra diximus, cujus etiam formulam ponere primò viſum eſt. Quanquam non ita arduum eſt opus atque ferrum in aurum tranſmutare. Deus minora palam vult fieri prius, majora tantiſper occulta manere, donec Helias artis adveniat: habent enim artes omnes quæque ſuum peculiarem, ut in aliis intelligendum. Sumatur itaque limaturæ ferri nullo alio permixti metallo, libra una, Mercurii libra ſemis, affundatur aceti acerrimi menſura una, vitrioli quarta libræ parte, cum unica uncia & ſemis armoniaci ſalis injectis, bulliant ſimul agitata continuè ſpatula lignea, conſumto aceto recens affundatur atque vitriolum: poſt horas duodecim ferri maxima pars tranſmutata Mercurium ingreſſa, ſeparetur cum Mercurio prorſum à reliqua ferri parte non tranſmutata, per ablutionem, & Mercurio per corium expreſſo, manebit amalgamatis paſta, quæ reducta per ignem puriſſimum cuprum exhibet. Hujus uncia ſemis, cum æquali parte argenti, ſtatim permiſcetur, ſedecim gradibus retentis, licet non fixis, in regali tamen fixibilibus, ut artifex induſtrius inde mediocre lucrum habeat ad victum & amictum. Fit etiam vitriolum ex Venere ſoluta per aquam fortem, & granulata, quod non amplius in cuprum redit; ſic etiam ex vitrioli colcothare fit Venus (ut ſupra in examinibus) quæ non reducitur in vitriolum per ſe, niſi per peculiarem aquam. Viride ſimilitet æris gradatiſſimum vitriolum exhibet ſpagiricum. In vitriolo tanta tamque potens tinctura deliteſcit, ut vix cuiquam non experto credibile ſit, benè quidem ei qui intelligit ejus arcana. Quoties utique oleum vitrioli cum oleo Mercurii miſcetur, & ſimul ambo coagulantur, in lapidem tranſmeunt mirandæ tincturæ conditioniſque ſaphiro perſimilem. Ablolutis ſalibus ad ſulphura veniendum eſt.

CAP. XVII.

De Sulphure triplici Mineralium.

REſina terræ propriè vocari debet Sulphur, in quo virtutes innumeræ deliteſcunt, in utraque facultate, crudum tamen in neutra validum. Arcanum ſolum ejus ab impuritatibus vindicatum ac liberum operatur admiranda: totum prius in albedinem excellentem eam quæ conſpicitur in nive, per Iſopicam artem. Tam diverſas virtutes, quam varias habet origines. Quodlibet enim metallum aut minerale, aliud ab alio ſulphur in ſe continet. Ut ſupra diximus ad ſimilitudinem caſtanearum & nucum, mineralia pariter ſuis involvi corticibus, in nucleo tamen præſtantiſſimam latere virtutem quæ ab externis nutritur & ſuſtentatur; hoc loco de ſulphuribus intelligendum intimum illud eſſe quod præcellit, embryonatum ſpagiricè dictum ab origine ſpecifica, ut ſulphur embryonis auri, lapidis, &c. Sulphur externum in quo latet embryonatum, nobis eſt minerale. Eſt & tertium genus, quod ex nucleis mineralium vel metallorum extrahitur, quod non melius quam animatum, & ſpagiricum ab arte vocari poteſt: quodque cuique ſibi ſimili venit applicandum in utraque facultate. Vel ut melius intelligatur; primum ſulphur univerſale, quod reſinam terræ diximus, tanquam matrem vel patrem aliorum ſulphurum, minerale vocamus: ſecundum eſt, ubi hoc ſpeciem induit metallicam aut mineralem, tum demum embryonatum; tertium quod ab iſtis repurgatur, ſpagiricè purum exiſtit abſque ſuperfluitatibus, ſulphur animatum. Embryonati ſulphuris duæ notandæ conditiones, una ex fixa volatilis fit, altera purus eſt & vivus ignis, inviſibilis & viſibilis utraque in ſimilem conſummationem tranſit ligui videlicet, ac morbi. Embryonati ſulphuris extractio fit, vel per ſublimationem, aut per deſcenſum. At aliquando non uſque adeò permixtum aliis à natura reperitur, ut propter nimiam ſubtilitatem ignem in hujuſmodi præparationibus ſuſtinere nequeat, aqua forti venit extrahendum à ſuis mineralibus corporibus & coagulandum. Hoc omne juxta veram concordantiam ſegregatum, in ſe continet auream naturam, quapropter in Alchemia præ cæteris expetendum, quod fixationem facilè recipiat, imò fixat in cimentis aurum, in aliis metallis nondum maturum aut volatile. Fruſtra tamen quæritur aurum ex eo, niſi prius inſit à naturâ: nullum continet argentum, ſed aurum ſolum, unum altero magis, ut in embryonato Veneris, talci rubei, marcaſitæ aureæ vel ferreæ, quæ raro carent auro. Quicunque tamen his manum applicare volet, plurimum meminerit ac notet, ut ſeparet ejuſmodi ſulphur ab auro maxima cum induſtria, ac tam ingeniosè, ut auro nihil depereat. Multis hoc loco ſubventum eſſe poſſet, verum eſt quod fileam. Et niſi ex diametro pugnaret contra Dei voluntatem, omnes ex æquo diteſcere, brevibus admodum verbis adhuc, multorum optatus adimplere foret facilimum. Cum tamen divitiæ pauperes à vera ſeminata prorſum abducant, humilitatem ac pietatem adimunt, quarũ loco ſuperbiam & elationem

elationem adferunt, simul & petulantiam cum incontinentia, tacendum est potius, indigentiam pro fræno hujus farinæ pauperibus & avidis opum relinquendo. Ut ad minerale sulphur veniamus Dux artis eò suos milites adduxit, ut considerarent ex muliere nihil generari posse sine viro suo: viderunt igitur artem esse patrem qui cuncta disponit. Hic spiritum transmutationis adhibuit, quo minerale sulphur oleo lini conjunctum est, & inde per decoctionem hepatis vel pulmonis forma quædam resultavit, & ex eo postmodum liquor duplex, unus lactis instar albus, densus, & oleosus; alter ut oleum valde rubeum spissum ut sanguis, ambo simul ut neutrum tamen alteri permixtum fuerit; albus liquor in fundo subsidit, altero superius, rubeo videlicet innatante. Ultra progressum est, ut ex albo fieret ad album tinctura, sed frustra tentatum fuit: hoc scio nihil ex eo factum extitisse, nec unquam fieri posse, quod manis sit ac inutilis materia quædam ad hanc artem. Verum crystallus, aut beryllus omnis in eo suo tempore positus, & in eo manens ut minimum tribus annis, in hyacintho similem lapidem transmutatur. Item rubinus à natura non usque adeò coloratus, tam clarus & perspicuus redditur successu temporis, ut noctu luceat instar naturalis carbunculi, ac ubique positus absque lumine reperiri queat; Ex hyacintho pariter fit, nec non saphiro cœruleus color augetur supra naturam, cum interserta viriditate translucente. Multarum aliarum est gemmarum tinctura præstantissima, pariter & lunæ, quæ in ipso posita nigrescit, calcemque solis ponit, licet non fixi, donec terminum completæ suæ perfectionis; de hoc satis. Quisquis in hac tinctura volet operari, primum discat ex alchemia præparationes cum industria perficere; est enim præ cæteris omnibus ferè chemicis operationibus paratu difficilima. Tantum de coloribus præstat hoc oleum: in majoribus autem virtutibus non ita credendum est facere, quod in ipso coloris tinctura sit duntaxat, & non virtutis. Nonnulli ex metallis etiam tincturas elicere conati sunt, verum fefellit eos opinio, causam hoc loco ponere minimè convenit. Hoc tamen est certissimum quicunque solis tincturam habuerit, auri corpus ultra naturalem gradum poterit adducere, hoc est, à viginti quatuor in trigesimum sextum, & ultra tam intensè ut altius ascendere nequeant, constans nihilominus, fixumque maneat in antimonio, & in omni quartatione. Sulphur etiam lunæ suum corpus in tantum gradum exaltat, ut Venus cum æquali hujus lunæ pondere judicium acquirat lapidis Lydii. Sulphur Veneris cuprum fixat ut fulminis examen sustineat, non tingit tamen; cum sulphure Saturni in optimam chalybem: cum sulphure Jovis tanquam ferrum optimum. Item stannum sulphure figitur etiam ut fulmen sustineat, & suo Saturnus confirmatur atque fixatur, ut nullam cerussam vel minium neque spiritum de se præbeat amplius. Sulphur verò Mercurii suum corpus malleabile reddit ut Veneris ignitionem patiatur, at cineritium non. Sulphur item solis tingit lunam, sed non fixat. Fiunt etiam transmutationes aliorum sulphurum in aliud quam proprium corpus injectorum, at non eo res pervenit, ut optatur. Notandum interea sulphur expertissimum operatorem, & non præsumptuosum putatitiumve requirere.

CAP. XXIII.

De Arsenico ad Alchemiam usurpato.

QUod Arsenicum de genere sulphurum potius, quam sit Mercuriorum, statim post sulphura subnectere visum est. Nonnulli chemistæ veteres, Sophistæ potius, chemistica laborantes ictericia, id est, auri cupiditate turgentes, ac flavi tamquam hydropici, videntes in arsenico tincturam albam Veneris & rubeam in calaminari lapide, credentes quoque in iltis verum arcanum contineri lapidis electrum album & rubeum existimarunt argentum & aurum, donec per examina contrarium experti sunt, vanum opus videlicet. Nec eo contenti, progressum fecerunt obstinatissimum ad fixationem ut pervenirent, ac tantisper dum nulla domus, possessio nulla reliqua sibi manserit miseris, transmutationem in se potius expertis quam in metallis. Quid mirum? absque judicio cognitioneque mineralium & metallorum opus hoc aggressi sunt, quod & hodie maxima pars operantium in hac arte adhuc facit. Ab eo tempore quo electrum, ab antiquioribus inditum nomen, venit in oblivionem, ruina mox subsequuta est eorum, qui nomen hoc in aurum & argentum ficticia mutarunt, id est, modernorum chemicorum perditio. Electrum autem ut definiamus, est metallum ex alio conflatum arte, non amplius illi simile ex quo factum est. In exemplum: Arsenicale metallum, juxta ritum præparationis metallicæ paratum, cum Venere cimentarum, pro more solito, cuprum totum in electrum album convertit cupro suo vilius: quid opus est igitur magnis sumtibus depravare metalla? Nunquid melius cuprum fuerit in esse naturali suo relinquere, servata pecunia, tempore laboreque ad utilius opus etiam applicatis? Veteres electrum proprio nomine vocarunt, recentiores argentum falsò dicunt, veteres ex eo damnum non retulerunt, quod ipsum electrum cognoverint, moderni quia nullam habent electri notitiam, jacturam faciunt suarum facultatum, laboris, atque temporis. At cum errores in Alchemia spe semper fulciantur, eo ventum est, ut arsenicum fixari tentatum sit reverberationibus arundinis aliquot septimanis, aliisque: factum inde ut arsenicum in coralli formam rubeum durum ac fragile devenerit, nullius tamen usus in Alchemia præterquam ad electrum uti supra. Deinceps per descensum præcipitationemque, nihil aliud quam suis calcinationibus effecerunt. Sic obstinatos homines in Alchemia decipi contingit, qui non omnia penitus & à fundamento suarum impositionum artis vocabula intelligunt exactissimè. Verum est arsenicum propria sua natura continere aurum, quod per industriam Artistæ nonnunquam separari potest in cimento, vel projectione, vel alias in argentum, cuprum, vel plumbum, attractione, non propterea sequitur hoc per suas operationes atque tincturas productum esse, sed quod antea inerat, per separationem duntaxat, velut ex sua minera solet, ortum est. Plerumque aureum reperitur, nec nisi rarò admodum caret auro, ut alia multa. Hactenus de arsenico quod sciam, aut scribere decet; quisque nomen ejus optimè scrutetur prius diligenterque ut intelligat, alioqui facilè sequitur maximus error in utraque facultate, qui tandem ab eventu palam fit.

CAP. XIX.

De Argento vivo.

ABſolutis ſalibus & ſulphuribus ad Argentum fixum pervenimus. Hoc non probè metallum dici poteſt, ſed aqua potius metallica, verum ea ratione metallum eſſe dicitur, quia per Alchemiam in ſolidam ſubſtantiam, & in colorem adducitur metallorum nonnunquam fixam, aliquando verò non fixam. Tantum cognoſci poteſt, eſſe primam Alchemiſtarum materiam, qui poſſunt inde fabricare aurum, argentum, cuprum, &c. ut in examine perſiſtant: item fortaſſis ſtannum, plumbum, & ferrum etiam; etenim admirandæ naturæ eſt, nec niſi maximis laboribus perſcrutabilis. In ſumma ſeſe manifeſtum facit, eſſe primam materiam Alchemiſtarum in gradibus metallicis, atque maximum arcanum in medicina. Eſt aqua non madefaciens omne quod tangit, & currens animal abſque pedibus, graviſſimum præ omnibus metallis. Conſtat ut ſingula ex ſulphure, ſale, & Mercurio. Primam & ultimam in liquationibus metallorum patefacit materiam, in eis præſertim quæ liqueſcunt præter ignitionem à colore, & in aliis à fluxu.

CAP. XX.

De Cachimiis & Corporibus imperfectis.

ALiud genus habetur mineralium corporum, quod non eſt ſalinum, neque metallum, ſed penè metallicum, ut ſunt marcaſitæ, chiſeta, rubea & alba, antimonica perfecta & imperfecta, arſenicalia, auripigmenta, talcica varia, cobleta, granata, gemmea, &c. Sunt inquam metallica, cum primam materiam metallicam habeant potiſſimum, & ex tribus primis metallicis ducant originem, ad quæ confugiunt, & eis incorporantur metalla, ut aurum, argentum, cuprum, ferrum, &c. Verum quia ſimul incorporatur cum eis inimicus, non niſi per Alchemiam ab iſtius tyrannide vindicata ſeparari poſſunt. Varii ſunt inimici tales, qui latrocinium excercent adverſus metalla, non ſecus ac ſi quis refugium apud ſocium quærens, in ejus domo deprædetur, neceturque ab eodem cujus implorabat auxilium. Nonnulla dictorum conſiſtunt potiſſimum in ſulphure, ut marcaſitæ, chiſeta, cobleta: alia quidem in corpore Mercurii, ut arſenicalia, auripigmentalia, antimoniaca, &c. alia verò in ſale, ut omnia talcica. Marcaſitarum duo colores habentur albus & flavus, juxta metallicum ſulphur imperfectum, in ipſis ordinatum, quod eo ſit opus ad multa. Metallum ex cobletis fit imperfectum, hoc liquefactionem patitur ac fluit, nigri coloris eſt magis quam plumbum & ferrum, nullius tamen ſplendoris nitoriſve metallici, malleum admittit non uſque adeò multum, ut inde quid fabricari queat, ejus ultima materia nondum eſt reperta, neque ſeparatio. Non eſt dubitandum quin ſit promiſcuum genus ex mare & fœmina, velut in ferro & chalybe, ſed ut iſta ſimul perfectè cudi nequeunt, uſque dum ſeparationis artificium inveniatur. Habetur & aliud ſimile zinchinum appellatum, non vulgariter adhuc notum, peculiare genus, in quo varia metalla comperiuntur adulterari, liquabilis naturæ, non melleabilis, colore multum ab aliis differt, cujus ultima nondum etiam eſt reperta, in ſua præparatione tam mirabilis fermè ac ipſe Mercurius, alterius permixtionem refugit, peculiare genus admirandum in mineralibus. Grana reperiuntur etiam in torrentibus metallica, granata propter formam exteriorem dicta, liquantur ac malleum ſuſtinent, in nullum tamen inſtrumentum fabricabilia; horum proprietates ſciri nequeunt, niſi quandoque per Alchemiam detegantur: multa continent adulterina metalla, ut argentum & aurum, ad illa, tanquam ad cuprum & plumbum ſolent, confluentia. Conſiſtunt ex craſſo quodam ſulphure. Alterius generis granata nonnulla ſunt perſpicua, inſtar cryſtalli, quibus ineſt aurum & argentum.

CAP. XXI.

De Metallis à natura abſolutis, perfectis & imperfectis, & primò de Saturno vel plumbo.

SAturnus omnium nigerrimum & craſſiſſimum corpus obtinuit. Mercurium ſimilem, & ſal præ cæteris maximè fuſibile. Per corruptionem facilè reducitur in ſuum ſpiritum, in ceruſſam albam, flavam, in minium, & poſtremò in vitrum ut reliqua. Stannum fit ex ſulphure albo fixo, & fixo ſale, ſed ex Mercurio non fixo. Et quia corpore fixum eſt, non in Mercurio, leviter metallicam fuſionem amittit avolante ſpiritu per ignem, quo quidem abſente, non eſt amplius metallum, ſed corpus evanidum. Ferrum & chalybs ſunt ex non liquabilibus ſulphure, ſale, & Mercurio, contrariis ſtanno & plumbo. Coagulatur in omnium duriſſimum metallum, ſeipſum deſponſat, id eſt, reperiuntur in uno duo metalla, chalybs mas, & fœmina ferrum, quæ ſeparari poſſunt in ſuum uſum, utrumque ſeorſim. Aurum generatur ex puriſſimo ſulphure ſummè per naturam ſublimata, & ab omnibus fecibus atque ſpuriis repurgato, ad tantam diaphaneitatem exaltato, ut nullum inter metalla corpore poſſit altiùs aſcendere. Sulphur hoc eſt una pars auri materiæ primæ, quod quidem ſi poſſent Alchemiſtæ habere, ut etiam in arbore ſua radiceque benè reperibile, meritò gaudere poſſent, nam eſt verum ſulphur philoſophorum ex quo fit aurum, non illud alterum ex quo ferrum fit cuprum, &c. Hic eſt ſcrupulus ſui univerſalis. Ejus Mercurius etiam eſt à natura ſummè ſeparatus ab omni terreſtri & accidentali ſuperfluitate, ſeorſim in ſuam partem Mercurialem, & in extremam perſpicuitatem tranſmutatus, qui philoſophorum Mercurius, eſt ſecunda pars auri primæ materiæ, ex qua aurum naſci deberet velut ex roſarum ſeminibus roſæ, ad ſummam claritatem cryſtallinam ſequeſtratum, ac depuratum ab omni ſalis acredine, acerbitate, acetoſitate, aluminoſitate, & vitriolitate, ut nihil penitus adhæreat ipſi jam in ſumma luciditate ac diaphaneitate liberè jubilantis His tribus in unum convenientibus decoquitur aurum in maſſam non tamen ſemper unius & ejuſdem conditionis vel gradus. Natura ſiquidem exhibet gradus auri triginta duos, qui tamen in arte viginti quatuor fiunt in ſummo gradu perfectionis. Hujus rei cauſa eſt, quia aurum in arbore ſua nutritur, velut in ſuis vacca paſcuis, vel Epicureus in ſua popina penuarioque; mox atque horum alterum extra paſcuum ſuum venit, macreſcit: non ſecus evenit auro, ſtatim atque fit materia prima hominis, octo gradibus diminuitur. Verum ejuſmodi paſcua quandoque pejora ſunt, quo fit ut

pejores

pejores etiam auri gradus vel pauciores fiant; utque naturæ supremus à viginti sex ac, decem in arte descendat. Accidentia vel potius incidentia astrorum, aut elementorum nonnunquam auri generationem impediunt, ut natura fiat rudius intractabiliusve: sed ponderum præsertim inæqualitas primorum trium, ut salis nimia portio pallidius efficit, nimio Mercurio plus justo flavescit, copiosiore verò sulphure nimis rubicundum redditur. Apud naturam æquè atque apud homines per impedimenta incidunt errores, qui tolli possunt antimonio, cimentis, & quartationibus. Cæterum in sulphure nihil aliud quærendum quam corpus, in sale confirmatio; sed in Mercurio virtus omnis, proprietas, essentia, & medicina quæ non in aliis existit ut in isto, sed velut in mortuo corpore spiritu carente, in quo nonnihil adhuc elementarium virtutum, prout in aceto reliquias ignis vini, vires adhuc servare consumentes & corrosivas, non tamen foventes, experimur ut in vino, neque confortantes. Res naturales judicantur in manifesto ex quatuor elementis componi, sed in occulto res aliter se habet: componuntur enim ex tribus dictis tantum communem inter se magnetem habentibus, qui in decoctione præparationis ad se trinitatem essentiæ trahit. Veteres physici statum esse vocarunt, quia trinitas statum unitatis acquirit, in qua quiescit naturalis motus & gradum sistit. Verum quartum esse (non elementum) meritò dici deberet illa magnetica virtus, quæ medicinam attraxit in Mercurium, in quo etiam reperitur: in ultima separatione tamen Mercurius de suo pondere plurimum amittit. Istis omnibus ad hunc modum à natura dispositis, aurum excrescit in arborem, à radice primum per truncum in suos ramos & locustas extensam, in quibus flores enascuntur (ut supra terram videtur) quibus etiam evanescentibus, non semper fructus in locustarum extremitatibus reperitur, sed quandoque aliquot centenis passibus profundius in arbore, aliquoties in media, vel aliquot gradibus versus terræ superficiem. Accidere nonnunquam solet, ut nihil enascatur præter Mercurium, ubi hic per superfluitatem alia suppresserit: si verò salia dominabuntur corrosiva sua natura, tanquam vermes, arborum flores exedunt: dominio sulphuris cuncta comburuntur, velut supra terram ardore nimio solis. Cuprum fit ex spadiceo sulphure, sale rubeo, & flavo Mercurio coctis in metallum. Hoc in se masculum suum continet, id est, scoriam, quæ si reducatur rursus in metallum suum, postquam separata est, in cuprum redit masculinum, quod amplius non corrumpetur, & fœmina de se nullas scorias præbebit: malleatione fusione que non aliter inter se differunt, quam chalybs & ferrum, & ad eundem modum etiam separari possunt, ut inde duo diversa metalla fiant. Argentum ex albo sulphure, sale, & Mercurio componitur, à natura in summum gradum puritatis ac diaphaneitatis præparatis atque fixis, proximè post aurum in cineritio, sed non in antimonio, non in cimento regali, neque in quartatione. Fixionis differentia inter aurum & argentum, cognoscenda venit ab eo, quod aurum est masculus masculeas vires habens fixissimas; argentum, ut fœmina debiliores. Unius & ejusdem sunt materiæ primæ, nec aliàs colore fixioneque differunt, quam mas & fœmina. Sunt igitur numero septem metalla tantum, exclusoetiam ipso Mercurio; ut Aurum; Argentum, Stannum, Plumbum, Ferrum; Chalybs, & Cuprum; quod postremum licet marem & fœminam in se contineat, cum simul ambo tamen cusa veniant in usum, & non separentur à natura; ut chalybs & ferrum, pro uno habentur, quod etiam eandem malleationem habeant æquè tractabilem; non separantur vulgariter; nisi chemicè ad usum artis id fiat. Notandum etiam non semper in metallis, marem solum absque sua fœmina seorsim à natura productum inveniri, ut aurum, argentum, ferrum, & chalybs, quodlibet per se; verum sæpenumerò simul ambo, uti aurum & argentum in uno metallo; pariter chalybs & ferrum simul, stannum & plumbum, ut neutrum tamen alterum impediat, imò per se non separentur. Nonnunquam etiam adulterina reperiuntur metalla, ut aurum & argentum aliis ob suam subtilitatem admixta naturaliter; præsertim cum plures diversæque materiæ primæ concurrunt in unum corpus, uti videmus super terram, varios fructus infinitos per unius truncum arboris.

CONCLVSIO.

MAximè necessaria fuit igitur generationis mineralium natur alis apposita tractatio, quæ probè cognita facilius intelligatur, quidnam priore parte regeneratio sit metallorum artificio chemistico facta. Sententia siquidem est omnium in hac arte philosophantium, inprimis artificem istius professionis imitari naturam in omnibus exactissimè debere. Proinde quid, & quemadmodum ipsa in terræ penetralibus operatur mineralem œconomiam exercens, qua materia, quibusque utatur instrumentis, dictu pariter opus fuit; & intellectu. Quisquis hac via non intellexerit, alia minimè perveniet eo, quo tendit ejus animi conatus. Non tantum igitur discipulus artis quam naturæ qui rem tam arduam & arcanam scrutatur, fiat.

SVBSECTIO XI.

NOVUM LUMEN CHEMICUM *cum Tractatu* DE SULPHURE SENDIVOGII *Poloni, qui Vulgò* COSMOPOLITA *dicitur; Item ejusdem* EPISTOLAS *hactenus ineditas novissimè à nobis repertas, cum* ORTHELII *in præmemoratum* NOVUM LUMEN CHEMICUM COMMENTARIO, *continet.*

PRÆFATIO Omnibus CHEMICÆ ARTIS Inquisitoribus, Genuinis videlicet Hermetis Filiis, Author salutem & benedictionem à Deo precatur.

CVm mecum perpenderem, Candide LECTOR, *multos adulterinos Libros, falsáque, (ut vocant) Alchemistarum Recepta, Impostorum fraude & avaritia composita, in quibus ne scintilla quidem veritatis*

elucet, inter naturalium occultariumque artium indagatores verſari; quibus & quàm plurimi decepti ſunt, & adhuc decipiuntur: nihil me mihi facturum exiſtimavi, quàm ſi Talentum à Patre luminum mihi concreditum, cum filiis & hæredibus ſcientiæ commune haberem. Ut & poſteri animadverterint, non ſolum prioribus ſeculis, verum etiam hoc noſtro, ſingularem illam Dei benedictionem Philoſophicam quibusdam hominibus non fuiſſe denegatam. Nomen meum certis de cauſis publicare non conſultum viſum eſt, dum non mihi laudem quæro, ſed Philoſophiæ amatoribus prodeſſe ſtudeo. Ideo vanam gloriæ cupiditatem relinquo illis qui malunt VIDERI *quam* ESSE. *Quæ hic veritatis Philoſophicæ indubitatæ atteſtationem ſcribo, paucis comprehenſa à Manuali experientia mihi ab Altiſſimo conceſſa, deprompta ſunt: ut ii qui in hac laudatiſſima ſcientia, prima & realia poſuerunt fundamenta, hac cohortatione, pulcherrimarum rerum exercitationem non aſperant: & ſic à ſceleratâ Fumivendulorum turba, cui dulce eſt decipere, tuti ſint. Non ſunt ſomnia, ut ignarum vulgus loquitur, nec inania otioſorum hominum commenta, ut ſtulti & inſipientes, qui artem rident. Veritas eſt ipſiſſima Philoſophica; quam, ut veritatis amator, in veritatis Chemicæ, immeritò proclamatæ, ſubſidium & confirmationem, occultare aut ſilentio involvere non debui nec potui. Quamvis hiſce malignis temporibus (ubi virtus & vitium æquiparantur) propter ſæculi indignitatem hominúmque ingratitudinem & infidelitatem (ne quid de Philoſophorum maledictionibus loquar) in publicum prodire maximoperè pertimeſcat. Poſſem adducere Chemicæ hujus veritatis teſtes, autores videlicet graviſſimos, juxta unanimem venerandæ Antiquitatis in rei diverſis Nationibus conſenſum: At quæ experimento oculari videntur probatione non indigent. Viderunt illam ſine veſte* DIANAM *hiſce elapſis annis (ſcieus loquor) multi & ſupremæ & infimæ ſortis homines. Et licet reperiantur quidam malè feriati, qui aut ex invidia, aut malitia, aut metu detectionis impoſturarum ſuarum, clamitent auro ſuam animam poſſe extrahi, & pompoſa ac vana oſtentationis deluſione, alieno reddi corpori; non ſine temporis, laborum ac ſumptuum jactura & detrimento: ſciant pro certo Hermetis Filii, ejuſmodi animarum, ut loquuntur, ſive ab Auro, ſive à Luna (quacunque via vulgari Alchemiſta) extractionem, meram eſſe perſuaſionem; quod quidem à multis non creditur, ſed tandem per experientiam, unicam & ſolam veritatis magiſtram, cum damno verificatur. Econtrà, qui (via Philoſophica) hoc ſine fraude & ſuco præſtare poſſit, ut vel minimum metallum, ſive cum lucro, ſive ſine lucro, realiter colore Solis vel Lunæ in omnibus examinibus requiſitis permanente, tingat: Illum jure affirmare poſſum habere fores Naturæ apertas, ad ulteriora & aliora arcana inveſtiganda, & cum* DEI *benedictione acquirenda. Porrò præſentes hos Tractatus, mea experientia conſcriptos, ſcientiæ filiis offero: ut dum omni cogitatione motuque animi in Naturæ occultis operationibus inquirendis verſantur, inde rerum veritatem, ipſamque Naturam perſpiciant & cognoſcant: in qua Re ſola totius ſanctiſſimæ Artis Philoſophicæ perfectio conſiſtit via Regia, quam Natura in omnibus operationibus præſcribit, progrediantur. Ideò hic Candidum lectorem admonitum velim, ut ſcripta mea, non tam ex verborum cortice quàm è Naturæ viribus intelligat; ne poſtea tempus, laborem, & ſumptum fruſtra expenſum deploret. Conſideret Sophorum hanc eſſe ſcientiam, non imperitorum: Et longè alium eſſe Philoſophorum ſenſum, quàm ut eum percipiant, vel Thraſones glorioſi, vel literati irriſores, aut contra conſcientiam vitioſi (qui dum virtutibus emergere non poſſunt, ſceleribus & honeſtorum virorum calumniis id moliuntur,) vel imperiti circumforanei, qui ſuis dealbationibus & rubefactionibus, cum indigniſſima laudiſſimæ ſcientiæ Chemicæ diffamatione, univerſum ferè mundum decepcrunt. Dei enim donum eſt; ſi quidem ad eam non niſi ſolâ Dei intellectum illuminantis gratiâ, per patientem & religioſam humilitatem perveniri poſſit (aut per ocularem experti præceptoris demonſtrationem:) Quapropter à* DEO *alienos meritò à ſecretis ſuis procul abigit. Quod reliquum eſt; filios artis unicè rogo ut meum benè de ipſis merendi ſtudium animo grato accipiant: & cum* OCCULTUM *fecerint* MANIFESTUM *atque Dei nutu, conſtanti labore in optatum portum Philoſophicum appulerint, Philoſophico more omnes indignos ab hac arte excludant: amoriſque erga proximum egenum in timore Dei (poſtpoſita vana oſtentatione,) memores: Optimo tet Maximo pro ſpeciali hoc munere, ſine abuſu, in tacito & piè gaudenti ſinu, ſempiternas gratitudinis laudes decantent.*

Simplicitas Veritatis ſigillum.

CVm à PRÆFATIONE hac ſpatii aliquid inanis ſupereſſet, eique implendo ut vacarem rogabundus inſtaret Typographus: *Arnaldi* VILLANOVANI Teſtamentum brevius, à me olim ſequentibus verſiculis exaratum, in mentem mihi venit. Hoc tibi LECTOR hic communicare non indignum viſum eſt: quippe in quo deſiderata verborum elegantia ab expreſſorum in ejus generis ſcriptis ſemper optabiliore integritate ſuppleatur.

Teſtamentum Arnaldi de Villanova.

Traditur his olim mentem ſignaſſe ſupremam
Noſtræ gentis honos Arnaldus Villanovanus.
E terra exoritur, viréſque acquirit in igne
Perfectas celebris veterum Lapis ille Sophorum.
Limpidus hunc horis bis ſenis nutriat humor,
Donec diſtentis turgentior undique membris;
Expoſituſque loco ſicco modicéque calenti,
Horarum quoque bis ſenarum tempore, ſenſim
Expurget ſeſe nimio externóque vapore,
Duratiſque etiam ſolideſcat partibus intus.
De lapide expreſſum meliori virgineum lac
Confeſtim vitreo clauſum ſervatur in ovo,
Pullifico inque dies mirè variatur ab igne:
Dum varii in fixo ceſſent candore colores.
Excipit hunc tandem creſcentis viribus ignis
Purpureus, completi operis virtutis & index.

Tractatus Primus DE NATURA, *Quidnam ea ſit, & quales ejus debeant eſſe Scrutatores.*

MVti Sapientes, Doctiſſimique Viri ante complura Sæcula, imò (Hermete teſte) ante diluvium, multa ſcripſerunt de conficiendo Lapide Philoſophorum; & tot nobis reliquerunt ſcripta, ut niſi Natura in dies operaretur credibilia nobis, vix jam aliquis verum exiſtimaret eſſe NATURAM: quia ſuperioribus ſæculis non tot inventores rerum fuerunt; Nec etiam anteceſſores noſtri aliud quicquam conſiderarunt præter Naturam ipſam, & Naturæ poſſibilitatem. Et quamvis illi in ſimplici tantùm Naturæ viâ manſerint, ea tamen invenerunt quæ nos nunc in tot rebus verſantes, vix noſtris ingeniis potuiſſemus imaginari. Hoc fit quia nobis Natura, & Generatio rerum in

orbe

orbe jam vilis simplexque videtur. Et ideo ingenia nostra, non ad res cognitas; sed ad talia quæ non vel vix fieri possunt, intendimus: quapropter ita etiam nobis succedit faciliùs excogitare res subtiles, & quas ipsi Philosophi nescirent imaginari, possumus, quàm ad verum Naturæ cursum, & Philosophorum sensum pervenire. Et sic Natura hominum comparata est, ut ea quæ scit negligat, alia semper quærat; multò magis ingenia humana quibus Natura subdita est. Exempli gratiâ; vides quemlibet artificem cum jam ad summam artificii sui perfectionem pervenerit, alia quærit; aut eo abutitur, aut planè desinit. Ita etiam generosa Natura semper agit usque in ipsum Iliadum, hoc est; Terminum ultimum, postea cessat. Nam indita est Naturæ permissio quædam ab initio, ut per cursum integrum possit ad meliora venire, & requiem habere plenariam, ad quam omni conatu tendit, & gaudet suo fine, non aliter ut Formica senio, cui in senectute Natura creat alas. Ita nimirum & nostra ingenia eousque progressa sunt, præsertim in Arte Philosophica, seu lapidis praxi, ut jam ferè in ipsum Iliadum pervenerimus. Nam Ars Chemiæ ejusmodi subtilitates nunc invenit, ut vix majores possint reperiri; & eatenus differt à veterum Philosophorum Arte, prout Faber Horologiorum à simplici Fabro Ferrario: Et licèt ambo tractent Ferrum, nihilominus neuter sciret alterius labores, quamvis ambo sint in sua arte Magistri. Si hodie reviviscceret ipse Philosophorum pater Hermes, & subtilis ingenii Geber, cum profundissimo Raimundo Lullio, non pro Philosophis, sed potiùs pro discipulis à nostris Chemistis, haberentur: Nescirent tot hodie usitatas distillationes, tot circulationes, tot calcinationes, & tot alia innumerabilia Artistarum opera; quæ ex illorum scriptis hujus sæculi homines invenerunt & excogitarunt. Unicum tantùm nobis deest, ut id sciamus quod ipsi fecerunt, Lapidem videlicet Philosophorum seu Tincturam Physicam. Nos dum illam quærimus alia invenimus: & nisi ita usitata esset procreatio humana, & natura in eo suum jus teneret, jam vix non deviaremus. Sed, ut revertar ad propositum, Promisi in hoc primo Tractatu Naturam explicare; ne nos à simplici via vera, vana delectat imaginatio. Naturam igitur dico Unam; veram, simplicem, integram in suo esse, quam Deus ante secula fecit, & spiritum ei inclusit: scito autem Naturæ Terminum esse Deum, qui & Naturæ principium est; siquidem nullum finitur initium nisi in eo in quo incipit. Dixi unicam esse tantùm, per quam Deus omnia facit: non quòd Deus sine illa operari nesciret, (si quidem ipse Naturam fecit, & omnipotens est;) sed ita sibi placuit, & fecit. Res omnes ex illa Natura unica proveniunt; nec est in orbe aliquid extra Naturam: Et quamvis aliquando abortus fiant; hoc non est naturæ, sed vel artificis vel loci vitium. Natura hæc divisa est in loca quatuor, in quibus hæc omnia operatur quæ apparent & in umbra sunt, siquidem res potiùs in umbra sunt quàm ut verè appareant. Mutatur in mare & fœmina, & Mercurio assimilatur, quia se jungit variis locis; & secundùm terræ loca bona vel mala res producit; licèt non sint loca mala in Terra; prout nobis videtur. Qualitates autem sunt tantùm quatuor, & hæ omnibus insunt rebus; neque concordant; semper una excedit aliam. Natura autem non est visibilis, licèt visibiliter agat; nam est spiritus volatilis qui in corporibus suum agit officium: locum & sedem suam habet in voluntate Divina. Nobis hoc loco ad nil aliud ipsa prodest, nisi ut ejus loca sciamus quæ sint ipsi convenientiora vel propinquiora, hoc est; ut sciamus conjungere rei rem, secundùm Naturam ne misceatur lignum homini, aut Bos vel animal metallo; sed quodlibet agat in suum simile: & tunc etiam Natura suum præstabit officium. Locus Naturæ non est alius quàm, ut suprà dictum, in velle Dei.

Scrutatores Naturæ tales esse debent qualis est ipsa Natura, veraces; simplices, patientes, constantes &c. & quod maximum, pii, Deum timentes, proximo non nocentes. Postea diligenter considerent num propositum suum cum Natura concordet; an sit possibile ab exemplis discant apparentibus, ex quibus videlicet rebus quid fiat, quomodo; & in quali vase Natura operetur. Nam si simpliciter aliquid vis facere, sicut ipsa facit Natura, sequere Naturam: sin verò præstantius quid moliris quàm Natura, id animadverte in quo, & per quid melioratur, & semper in suo id fiat simili. Exempli gratiâ, si cupis metallum (quæ est nostra intentio) ulteriùs quàm natura fecit, in virtute promovere; Naturam accipere oportet Metallitam, & hoc in mare & fœmina, aliàs nil efficies: Si enim intendis ex herbis creare Metallum, laborabis in vanum; sicuti ex cane vel bestia lignum non produces.

TRACTATUS II.

De Operatione Naturæ in nostro proposito & Spermate.

Naturam jam dixi esse veram; unicam; ubique apparentem, continuam, quæ cognoscatur ex rebus productis, lignis videlicet; herbis, &c. Dixi etiam Scrutatorem Naturæ esse oportere veracem, simplicem, patientem, constantem, unicæ saltem rei animum applicantem, &c. Nunc de Naturæ Actu incipiendum. Sicuti Natura in Dei velle est, & Deus creavit illam, vel imposuit omni imaginationi; ita Natura fecit sibi semen, hoc est, velle suum in Elementis. Illa est quidem una, & tamen res profert diversas; sed nil operatur sine spermate: quidquid sperma vult operatur Natura, nam est instar Artificis alicujus instrumentum. Sperma igitur uniuscujusque rei melius & utilius est Artifici quàm natura ipsa: Nam Natura sine spermate efficies tantum quantum sine igne, auro vel argento Aurifaber, aut sine grano & semine agricola. Habito spermate Natura præsò aderit; sive ad malum, sive ad bonum. Operatur illa in spermate ut Deus in libero hominis arbitrio: & hoc est magnum miraculum, quòd natura obedit spermati; non coacta, sed propria sponte; sicuti & Deus omnia concedit quæ Homo vult, non coactus, sed ex proprio velle: Ideò homini liberum dedit arbitrium, sive ad malum, sive ad bonum. Sperma igitur est Elixir cujusque rei, vel quinta Essentia, seu perfectissima rei decoctio & digestio, vel sulphuris Balsamum, quod idem est quod Humidum radicale in Metallis. Magnus quidem hîc de hoc spermate posset institui sermo, sed nos tantùm ad propositum in Arte Chemica rendimus. Quatuor elementa generant sperma, voluntate Dei & imaginatione Naturæ: quemadmodum enim viri sperma habet centrum, seu vas sui seminis in renibus; ita quatuor elementa motu indesinenti (quodlibet secundùm suam qualitatem) projiciunt sperma in terræ centrum;

centrum, ubi digeritur, & per motum emittitur foras. Centrum verò terræ est quidam locus vacuus ubi nil quiescere potest: in Excentrum (ut ita loquar) seu centri marginem & circumferentiam quatuor Elementa suas projiciant qualitates. Sicuti vir suum emittit semen in veterum mulieris; in quo nil manet de semine, sed postquam debitam matrix accepit portionem, cæterum ejicit foras: similiter accidit in centro terræ ut vis Magnetica partis alicujus loci rem ad se attrahat convenientem sibi ad patiendum aliquid; cæterum ejicitur foras in lapides & alia excrementa. Nam omnes res ex eo fonte habent originem, nec quicquam in toto mundo nascitur nisi per hunc fontem. Exempli gratiâ; Habeatur in aliqua mensa plana vasculum aquæ, quod locetur in mensæ medium, & circumcirca ponantur res variæ, & colores varii, item sal, &c. quodque separatim: effundatur postea aqua in medium; videbis illam aquam hinc inde diffluere, & dum rivulus unus attinget colorem rubeum rubefiet ab illo, si ad salem talis saporem mutuabitur, & sic de cæteris. Aqua enim loca non mutat, sed locorum diversitas mutat aquam. Simili modo è centro terræ semen vel sperma à quatuor elementis in centrum projectum ad varia loca transit, & secundum loci Naturam naturatur res: si pervenit ad locum terræ & aquæ purum fit res pura. Semen & sperma omnium rerum est unicum, & tamen varias res generat, uti è sequenti apparet exemplo. Viri semen est semen nobile, & saltem ad generationem hominis est creatum; nihilominus si vir abutatur eo, quod est in ejus libero arbitrio, nascitur abortus: Nam si, contra gravissimas Dei inhibitiones, vir iniret vaccam, aut aliam bestiam, facilè conciperet bestia viri semen, quia Natura non est nisi una; & tunc non nasceretur Homo, sed bestia & abortus; si quidem locum non invenit semen sibi competentem. Tali inhumana & detestanda commixtione virorum cum bestiis variæ bestiæ producerentur hominibus similes. Ita enim fit, si sperma intrat centrum nascitur quod inde nasci debebat; sed cùm jam in locum venit & concepit, non amplius mutat formam: verùm dum adhuc in centro sperma est, æquè facilè ex illo spermate produci potest arbor quàm metallum, tam citò herba quàm lapis, & unus pretiosior altero, secundùm puritatem loci. Sed quomodo Elementa sperma generent nunc nobis dicendum est, & hoc modo fit. Elementa sunt quatuor, duo sunt gravia & duo sunt levia, duo sicca, duo humida, sed unum maximè siccum & alterum maximè humidum, sunt masculina & fœmina &c. Horum quodlibet per se est promptissimum ad producendum res sibi similes in sphæra sua, & ita voluit Altissimus: Hæc quatuor non quiescunt, sed semper invicem agunt; & quodlibet per se emittit suum subtile, ac in centro conveniunt: In centro verò est Archæus, Naturæ servus, qui ea spermata miscendo ejicit foras. Quomodo autem id fiat, in Epilogo horum duodecim Tractatuum copiosiùs videre est.

TRACTATUS III.

De vera prima Metallorum Materia.

PRima Metallorum materia duplex est, sed una sine altera metallorum non creat. Prima & principalis est humidum aëtis caliditate mixtum; hanc Philosophi Mercurium nominarunt, qui radiis Solis & Lunæ gubernatur in mari philosophico: Secunda est terræ caliditas sicca, quam vocarunt sulphur. Sed quia omnes veri Philosophi hanc maximè occultaverunt, nos paulò lucidiùs illam explicabimus, pondus præsertim, quo ignorato omnia destruuntur. Inde fit ut multi ex re bonâ producant abortus: sunt enim, qui totum corpus pro materia seu semine vel spermate sumunt, alii frustum, & hi omnes à recto declinant tramite. Exempli gratiâ; si quis viri pedem & mulieris acciperet manum, & vellet ex hac commistione creare hominem, non esset possibile. Est enim in quolibet corpore centrum & locus, vel seminis seu spermatis punctum, & sen per 8200. pars, etiam in ipso grano tritici; & hoc aliter esse non potest: Nam non totum granum vel corpus vertitur in semen, sed tantùm est in corpore scintilla aliqua necessaria, quæ à suo corpore custoditur ab omni excessivo calore & frigore, &c. Si habes aures & sensus, hîc animadverte & securus eris, non tantùm ab illis qui locum spermatis ignorant, totúmque granum in semen reducere nituntur; verùm etiam ab his omnibus qui in solutione metallorum versantur vana, & metalla per totum solvere volunt, ut postea ex illorum commixtione mutua, novum crent metallum. At hi, si Naturæ processum considerarent, viderent rem se habere longè aliter: Nam nullum metallum est tam purum quod non habeat & suas impuritates, unum tamen altero pauciores vel plures. Sed tu, amice lector, primum observabis Naturæ punctum, ut suprà dictum, & satis habes: sed hanc tibi habeto cautelam, ne in metallis vulgi illud quæras punctum, in quibus non est. Nam hæc metalla præsertim aurum vulgi, mortua sunt; sed nostra sunt viva, spiritum habentia, quæ omnino sumenda sunt: scito enim metallorum vitam esse ignem, dum adhuc in suis mineris sunt, & mortem etiam ignem, fusionis videlicet. Prima verò metallorum materia est humiditas quædam mixta aëre calido; & est in forma aquæ pinguis, adhærentis unicuique rei puræ vel impuræ; in uno loco tamen abundantiùs quàm in altero, quod fit quia terra est in uno loco magis aperta & porosa, vim attractivam habens, quàm in altero. Provenit aliquando per se in lucem induta veste aliqua, præsertim in locis ubi non habet adhærere alicui; cognoscitur ita, quia res omnis ex tribus principiis est composita: In materia verò metallorum unica tantùm sine conjunctione, exceptâ veste vel ejus umbrâ; scilicet sulphure, &c.

TRACTATUS IV.

Quomodo Metalla in terræ visceribus generantur.

PRoducuntur metalla hoc modo: postquam quatuor Elementa virtutes suas projecerunt in terræ centrum, Archæus distillando sublimat calore motûs perpetui in terræ superficiem: Est enim terra porosa, & ventus stillando per poros terræ resolvitur in aquam, ex qua res nascuntur omnes. Sciant ergo doctrinæ filii sperma metallorum diversum non esse à spermate rerum omnium, scilicet vaporem humidum: ideò frustra quærunt Artistæ metallorum reductionem in materiam primam, quæ tantùm vapor est. Philosophi non talem intellexerunt materiam primam, sed tantùm materiam secundam,

secundam, sicuti Bernardus Trevisanus optimè disputat, quamvis non ita lucidè, quia de quatuor Elementis loquitur; nihilominus id dicere voluit, & solummodo cum filiis locutus est. Ego verò ut clariùs Theoricam detegerem, omnes hîc præcavere monere volui, ut tot solutiones, tot circulationes, tot calcinationes ac cinerationes sinerent; nam frustrà id quæritur, in re dura cùm per se mollis ubique sit: Non prima, sed secunda tantùm quæratur materia, talis nimirum quæ simul ac concepta est, in aliam mutari formam non potest. At si quæras quomodo metallum in talem reducatur materiam sequor in eo Philosophorum intentionem: Hoc tantùm præ cæteris volo, ut filii artis intelligant sensum Scriptorum non syllabas; & ubi Natura desinit, in metallicis videlicet coram oculis nostris perfectis corporibus, ibi arti esse incipiendum. Sed ut ad propositum revertar (siquidem hîc non est intentio nostra de solo lapide,) agamus nunc de materia metallorum. Paulò ante dixi Res omnes nasci ex aëre liquido vel vapore quem Elementa perpetuo motu in viscera terræ stillant: hunc postquam Naturæ Archæus accepit, per poros sublimat; & unicuique loco sua sagacitate tribuit (sicuti in præcedentibus retulimus,) sic locorum varietate res etiam proveniunt & nascuntur variæ. Sunt qui opinentur Saturnum habere aliud semen; aurum quoque aliud, & sic consequenter metalla reliqua: sed vana sunt ista: unicum tantùm est semen, idem in Saturno quod in auro invenitur, idem in Luna quod in Marte; Sed locus terræ diversus fuit, si me rectè intelligis; quamvis in Luna Natura citiùsquàm in Sole desierit, & sic de aliis. Quando enim ex terræ centro sublimatur vapor ille, transit per loca vel frigida vel calida: Si igitur transit vapor per loca calida & pura, ubi pinguedo sulphuris parietibus adhæreret, vapor ille, quem Philosopi Mercurium Philosophorum dixerunt, accommodat se & jungitur illi pinguedini, quam postea secum sublimat; & tunc fit unctuositas, relicto nomine vaporis accipit nomen pinguedinis; quæ postea veniens sublimando ad loca alia, quæ jam vapor antecedens purgavit, ubi est terra subtilis, pura & humida, implet poros ejus & jungitur illi; & sic fit Sol: si verò pinguedo illa venit ad loca impura, frigida, fit Saturnus: si verò talis terra pura sit & mixta sulphuri, fit Venus &c. Quò enim magis depuratus locus est, eò pulchriora reddit metalla: nam sciendum est quòd ille vapor continue egreditur ex centro ad superficiem, eundo purgat loca. Inde fit quòd hodie reperiantur mineræ in locis ubi ante mille annos nullæ fuerunt; nam progressu suo semper subtiliat crudum impurum, purum successivè secum trahens: Et hæc est reiteratio, & circulatio Naturæ; tamdiu sublimatur, res novas producendo, donec locus depuratur optimè; & quò magis depuratur, eò etiam nobiliores res producit. Hyeme verò, cùm aër frigidus terram constringit, congelatur etiam ille unctuosus vapor; qui postea, redeunte vere, unà cùm terra & aqua miscetur; & fit Magnesia trahens ad se sibi similem Mercurium aëris, qui dat vitam omnibus rebus, per radios Solis, Lunæ & Stellarum, & sic gramen, flores & similia profert: Natura enim ne momentum temporis criatur. Metalla verò sic procreantur, longa destillatione purgatur terra, postea accessu pinguedinis ea generantur; alio modo non proveniunt sicuti quorundam Philosophorum scripta sinistrè interpretantium, vana opinio est.

TRACTATUS V.

De Generatione Lapidum omnis generis.

LApidis materia est eadem quæ & aliarum rerum; & secundum locorum puritatem hoc modo nascuntur. Quando quatuor Elementa suum vaporem stillant in terræ centrum, & Archæus Naturæ eundem ejicit & sublimat; hic, dum transit per loca porosque terræ, trahit secum omnem terræ impuritatem usque in superficiem, quem postea congelat aër (nam quod aër creat purus, aër congelat crudus, quia aër in aërem habet ingressum & se jungunt invicem, nam natura Naturâ lætatur:) & sic fiunt petræ & montes lapidei, secundùm magnos & parvos poros. Et quo majores terræ pori, eò etiam meliùs purgatur locus: dum enim per tale respiraculum major caliditas, & aquæ major quantitas transit, eò citiùs depuratur terra; & sic postea in ejusmodi locis commodiùs metalla nascuntur. Sicuti & ipsa testatur experientia, ut aurum non alibi nisi in montibus quæratur & reperiatur, quod in planitie, nisi rarò, fieri nequit: nam sæpissimè talia loca humida sunt, non vapore, sed aqua Elementali quæ ad se trahit vaporem illum, & ita sese ample&untur ut non facilè separentur; postea Sol cœli digerens illam facit argillam pinguem qua figuli utuntur. In locis verò ubi est arena grossa, & vapor non habet secum pinguedinem vel sulphur, herbas & gramen in pratis creat. Sunt & alii lapides pretiosi, ut Adamas, Rubinus, Smaragdus; & reliquæ gemmæ: generantur omnes hoc modo. Quando vapor Naturæ per se sublimatur, sine accessu pinguedinis sulphuris, & venit ad locum aquæ puræ salis, fiunt Adamantes; & hoc in locis frigidissimis, ad quæ non potest pervenire pinguedo illa, quia pinguedo non permitteret ista. Sciendum enim est quòd spiritus aquæ facillimè sublimatur calore facili; sed oleum seu pinguedo nonnisi magno elevatur calore, & in loca calida: etiamsi enim ex centro progrediatur, levi congelatur frigore; & sic subsistit; vapor verò ad loca debita ascendit, & congelatur in aqua pura in lapides granulatim. Quomodo verò in gemmis colores fiant; sciendum est illud ratione sulphuris in hunc modum fieri: si sulphuris pinguedo congelatur, motu illo perpetuo postea spiritus aquæ transeundo digerit & purificat illud vi salis; donec colore digesto rubeo vel albo coloretur, qui color tendens ad meliora cum illo spiritu, quia subtiliatus est tot reiteratis distillationibus elevatur: spiritus postea habet potentiam intrandi res imperfectas, & sic introducit colorem; qui postea jungitur illi aquæ tunc partim congelatæ; & sic implet poros ejus, & fixatur cum ea fixatione inseparabili. Congelatur enim omnis aqua calore si est sine spiritu, congelatur frigore si habet spiritum; sed qui scit congelare aquam calido, & spiritum cum ea jungere, certe rem inveniet millesies pretiosiorem auro & omni re. Efficiat igitur ut separetur spiritus ab aqua, ut putrescat, & appareat granum; postea rejectis fæcibus reducat spiritum ex alto in aquam, & faciat conjungere simul: illa enim conjunctio generabit tamum dissimilem forma parentibus.

TRACTA-

TRACTATUS VI.

De secunda Materia, & Putrefactione Rerum.

DIximus de prima Materia rerum,& quomodo nascuntur res ex Natura sine semine, hoc est, quomodo Natura ab Elementis accipit materiam ex qua generat semen : Nunc verò de semine, & rebus generatis ex semine, sermonem instituemus. Omnis res habens semen multiplicatur in eo, sed absque Naturæ auxilio non fit : semen enim nihil aliud est quàm aër congelatus in aliquo corpore, seu vapor humidus ; & nisi hic resolvatur calido etiam vapore, nullius est usus. Sciant ergo investigatores artis quid semen sit, ne quærant rem quæ non est:& sciant illud esse triplex,quod ex quatuor elementis productum est. Primum est MINERALE, de quo hoc loco sermo est ; alterum VEGETABILE ; Tertium ANIMALE. MINERALE semen à Philosophis cognoscitur : Vegetabile commune ac vulgare est, ut videmus in fructibus : Animale ex imaginatione cognoscitur. Vegetabile nobis ostendit quomodo natura creat illud ex quatuor Elementis. Sciendum enim est quod hyems est putrefactionis causa, liquidem spiritus vitales in arboribus congelat : & quando hi calore Solis (in quo est vis magnetica omnis humiditatis attractiva) resolvuntur ; tunc calor naturæ, per motum excitatus,pellit ad circumferentiam vaporem aquæ subtilem, qui poros arboris aperit,& guttas stillare facit, semper purum ab impuro separando. Præcedit tamen interdum purum impurum ; purum stat & congelatur in flores, impurum abit in folia, grossum & spissum in corticem : arboris cortex manet fixus, folia cadunt frigore vel calore, quando obstruuntur pori ejus : flores congelantur in tali colore qualis est ipsi calor, & adferunt fructum & semen (veluti pomum in quo sperma est, ex quo nascitur arbor ; sed in illo sperma est semen vel granum intrinsecè, ex quo etiam absque sperma nascitur arbor ; nam multiplicatio fit non in sperma, sed in semine.) Sic ocularitèr videmus Naturam creare ex quatuor elementis semen, ne nos in hoc frustrà occuparemur ; nam quod creatum est creatore non indiget. Hoc exempli loco Lectorem admonuisse sufficiat ; sed ad propositum Minerale redeo. Semen Minerale vel Metallorum creat Natura in visceribus terræ : propterea non creditur tale semen esse in rerum Natura, quia invisibile est. At non est mirum quod ignari dubitent, liquidem id quod præ oculis est non percipiatur ab illis ; multò minùs istud quod invisibiliter absconditum est, sed verissimum est quod superius non est nisi ut istud quod est inferius, & vice versa id quod nascitur suprà, nascitur ex eodem fonte sicuti illud quod infrà in terræ visceribus. Et quam prærogativam vegetabilia præ metallis habent, ut Deus illis semen inderet, & hæc immeritò excluderet ? Nonne ejusdem dignitatis metalla apud Deum cujus & arbores ? Hoc pro certo statuatur, nihil sine semine crescere:ubi enim nullum est semen, res est mortua. Necesse est ergo ut, vel quatuor elementa creent semen metallorum, vel ea producant sine semine : si absque semine producantur, tunc perfecta fieri non possunt ; liquidem res omnis sine semine imperfecta est, ratione compositi : qui hanc indubitatæ veritati fidem non adhibet, non est dignus ut naturæ secreta scrutetur ; nil enim in orbe nascitur quod semine destituatur.Semen metallorum verè & realiter ipsis est inditum : generatio autem ejus ita fit. Quatuor elementa in prima operatione naturæ stillant, per Archæum Naturæ, in terræ centrum vaporem aquæ ponderosum, qui est metallorum semen, & dicitur Mercurius propter ejus fluxibilitatem, & uniuscujusque rei conjunctionem, non propter essentiam, assimilatur sulphuri propter internum calorem ; & post congelationem est humidum radicale. Et quamvis corpus metallorum ex Mercurio sit procreatum, quod de Mercurio Philosophorum intelligi debet, tamen hi non sunt audiendi qui putant Mercurium vulgi semen esse metallorum, & ita corpus loco seminis accipiunt: non considerantes quòd & dictus vulgi Mercurius suum in se habeat semen. Errores omnium horum è sequenti patebunt exemplo. Manifestum est quòd homines habeant semen in quo multiplicantur:Hominis corpus Mercurius est ; sed semen occultum est in corpore, & ratione corporis quantitas in pondere exigua : qui igitur hominem generare vult, non Mercurius, qui corpus est : sed semen vapor aquæ congelatus accipiatur. Sic in regeneratione metallorum sinistrè proceditur à vulgaribus Chemicis : Corpora metallica solvunt, sive Mercurium, sive aurum, sive Saturnum, sive Lunam, & corrodunt illa aquis fortibus, & aliis rebus heterogeneis ad veram artem non requisitis ; postea conjungunt : nescientes quòd ex corpore humano dissecto non generatur homo ; quia corruptio corporis, & seminis destructio hoc pacto præcessit. Unaquæque res in mare & fœmina multiplicatur,& in tractatu de duplici materia mentionem feci : Divisio sexus nil creat vel producit, sed debita illius conjunctio profert novam formam : Semina vel spermata ergo, non corpora,sunt accipienda : ♃. ergo marem vivum & fœminam vivam; hos conjunge simul ut inter se imaginentur sperma ad procreandum suæ Naturæ fructum. Primam enim materiam nemo mortalium credat se facere posse : Prima materia hominis terra est, & nemo hominum ex illa hominem creare potest, solus Deus hoc scit ; at è materia secunda quæ jam creata est, si in locum debitum posita fuerit, facilè Natura operante generabitur id cujus formæ semen est.Artifex hic nil facit nisi ut sciat subtile à spisso separare, & in vas imponere debitum. Nam hoc considerandum est, prout res incipitur ita finitur: ex uno fiunt duo, ex duobus unum, & non ulterius.Unus est Deus ; ex hoc uno Deo filius est genitus : Unus dedit duo, duo unum dederunt Spiritum Sanctum ab utroque procedentem: sic factus est mundus, & sic erit finis ejus. Considera priora quatuor puncta exactissimè : habes in illis Patrem, Patrem & Filium, ultimò S S : habes quatuor Elementa : habes quatuor luminaria, duo Cœlestia, duo Centralia : Nil amplius est, fuit, & erit, quàm in hac figura patet : si deberem omnia mysteria hinc elicienda consignare, magnum oriretur volumen : Redeo ad propositum, & tibi dico verum, fili mi, non creatur ex uno unum, quia hoc solius Dei est proprium : sufficiat te posse ex duobus creare unum tibi utile. Scias ergo sperma multiplicativum esse materiam secundam, & non primam : Prima enim materia rerum non videtur, occulta est in natura vel in Elementis ; secunda verò interdum filiis doctrinæ apparet.

TRA-

TRACTATUS VII.

De Virtute secundæ Materiæ.

SEd ut faciliùs possis comprehendere qualis sit hæc secunda Materia, virtutes ex quibus illam cognoscas describam tibi. Ac primum scias quòd Natura in tria Regna divisa est ; Duo sunt Regna quorum quodlibet per se stare potest, etsi alia duo non essent : est regnum Minerale, Vegetabile, & Animale. Minerale per se subsistere potest, etsi nullus hominum in mundo esset nec arbor, vel herba. Vegetabile itidem, etiamsi nullum metallum, nec animal esset, per se stare potest : hæc duo sunt ex uno per unum creata. Tertium verò ex dictis duobus vitam habet, sine quibus esse non posset, & est nobilius ac præstantius quàm duo prædicta, sicuti etiam postremum est inter illa, & dominatur eis : quia semper in tertio virtus finitur, & in secundo multiplicatur. Viden in vegetabili Regno ? Prima materia est Herba vel Arbor, quam tu creare nescis ; Natura hoc solummodo facit : In hoc regno secunda materia est semen quod tu vides : in hoc multiplicatur Herba vel Arbor. In Regno Animali prima materia est Bestia vel Homo, quem tu creare nescis : sed secundam materiam sperma tu nosti, in quo multiplicatur. In Regno minerali metallum tu creare nescis, & si gloriaris vanus es & mendax, Natura hoc fecit : & quamvis haberes primam materiam secundùm Philosophos, illud Sal centrale, tamen sine autò multiplicare impossibile tibi foret : semen autem metallorum vegetabile filii tantùm doctrinæ noverunt. In vegetabilibus semen apparet extra, Renes digestionis ejus est aër calidus. In animalibus semen apparet extra, Renes digestionis ejus sunt renes viri. Aqua in mineralibus semen est in centro cordis eorum & vita : Renes digestionis ejus est ignis. Vegetabilis seminis receptaculum est terra : Animalis seminis receptaculum est matrix fœminæ : Aquæ, mineralis seminis, receptaculum est aër. Et ea sunt seminum receptacula quæ congelationes corporum : ea est digestio quæ solutio : ea putrefactio quæ destructio. Virtus autem cujusque seminis est unicuique rei in suo Regno se conjungere, quia subtile est, & nihil aliud quàm aër qui pinguedine in aqua congelatur, cognoscitur ita, quia non miscet se extra suum Regnum naturaliter alicui rei : non solvitur sed congelatur, quia solutione non indiget, sed congelatione. Necesse est ergo ut pori corporum aperiantur, ut emittatur sperma in cujus centro semen jacet quod aër est : illud quando in matricem venit debitam, congelatur & congelat quod reperit purum, vel impurum puro mixtum. Quamdiu in corpore semen est vivit corpus, quando totum consumitur corpus moritur, omnia autem corpora post emissionem seminis debilitantur : Experientia etiam testatur homines veneri nimium indulgentes debiliores fieri, ut arbores nimios fructus ferentes fieri postea steriles. Semen igitur, ut jam multoties repetitum est, res est invisibilis, sed sperma est visibile, & ferè est anima vivens, non invenitur in rebus mortuis : Elicitur dupliciter, suaviter & cum violentia. Sed, quia hîc de virtute ejus saltem sermo est, dico quod nil sine semine nascatur, virtute seminis fiunt omnia : & sciant artis filii in arboribus amputatis frustrà semen quæri, quod solummodo in viridibus reperitur.

TRACTATUS VIII.

Quomodo per Artem operatur Natura in Semine.

OMne semen per se nullius momenti est, si non ponatur, vel ab arte, vel à Natura in matricem debitam. Et licèt Semen per se nobilius sit omni creatura, tamen matrix ejus est vita, quæ facit putrescere sperma vel granum, & puri puncti congelationem causatur, insuper calore corporis sui illud nutrit & crescere facit : & hoc fit in omnibus supradictis tribus naturæ regnis, & fit naturaliter, per menses, annos, & tempora. Sagax verò ars illa est quæ in regno minerali & vegetabili aliquid abbreviare potest ; sed non in animali : in minerali solummodo perficit hoc quod natura non potest, propter aërem crudum qui sua violentia implevit poros corporis cujusque, non in viscèribus, sed in superficie terræ, ut antea in præcedentibus capitulis dixi. Sed ut faciliùs intelligatur hoc, adhuc adjungere volui ; quòd Elementa certanter inter se projiciunt in centrum terræ, quasi in renes, semen suum : centrum verò per motum emittit illud in matricem : matrices verò sunt innumerabiles, quot loca tot matrices, una purior altera, & sic in infinitum ferè. Scias ergo quòd pura matrix purum dabit fœtum in suo simili : Exempli gratiâ in animalibus sunt matrices hominum, vaccarum, equorum, canum, &c. sic in minerali & vegetabili sunt metalla, lapides, salia : nam salia in hisce duobus regnis sunt consideranda, & loca eorum, secundùm magis vel minus.

TRACTATUS IX.

De Commixtione Metallorum, vel de eliciendo Semine Metallico.

DIximus de Natura, de Arte ; de Corpore, & de Spermate ac Semine : jam ad praxim descendamus ; quomodo videlicet metalla commiscèri debeant, & qualis eorum sit inter se correspondentia. Scias ergo mulierem non discrepare à viro, ex eodem semine & in una matrice ambo nascuntur, nihil defuit præter digestionem ; & ut matrix purior est in sanguine & sale : sic Luna ex eodem semine cum Sole, & eadem matrice : sed matrix magis habuit de aqua quàm de sanguine digesto, secundùm tempus Lunæ cœlestis. Ut verò eò faciliùs tibi imaginari possis quomodo metalla coëant, ut emittant & recipiant semen, intuere cœlum & planetarum sphæras : vides quòd Saturnus supremus sit, cui succedit Jupiter, huic Mars, postea Sol, quem sequitur Venus, hanc Mercurius, ultimo loco Luna statuitur. Considera jam quòd planetarum virtutes non ascendant, sed descendant : dedit hoc & ipsa experientia quòd ex Venere non fit Mars, sed ex Marte fit Venus, utpotè una sphæra inferior : sic etiam Jupiter facilè transmutatur in Mercurium, quia Jupiter secundus à Firmamento, & Mercurius secundus à terra : Saturnus primus à cœlo, Luna prima à terra : Sol miscet se omnibus, sed nunquam per inferiores melioratur. Non autem te lateat magnam esse correspondentiam inter Saturnum & Lunam, quorum in medio Sol constitutus est : sicuti inter Jovem & Mercurium, in quorum medio Sol etiam consistit : Eodem

planè modò inter Martem & Venerem, qui duo Solem etiam habent intermedium. Noverunt Chemiſtæ ferrum in cuprum ſeu Venerem ſine Sole mutare: noverunt etiam è Jove facere Mercurium: ſunt & aliqui qui è Saturno conficiunt Lunam: ſed ſi ſcirent his mutationibus Solis adminiſtrare naturam, certè rem omni theſauro invenirent pretioſiorem. Propterea dico non ignorandum eſſe quæ metalla invicem ſint conjungenda, & quorum natura naturæ correſpondeat. Propterea unum datur metallum quod habet potentiam alia conſumendi, eſt enim ferè ut aqua eorum, & ferè mater: unica tantum res, humidum radicale, Solis videlicet & Lunæ, reſiſtit ei, & melioratur per illud: ſed, ut detegam, Chalybs vocatur. Si undecies coit aurum cum eo, emittit ſuum ſemen, & debilitatur ferè ad mortem uſque: concipit Chalybs, & generat filium patre clariorem: poſtea cum ſemen jam nati imponitur in ſuam matricem, purgat illam, & facit milleſies aptiorem ad patiendum optimos fructus. Eſt & alius Chalybs qui aſſimilatur huic, per ſe à natura creatus, qui ſcit ex radiis Solis (mirabili vi & virtute) elicere illud quod tot homines quæſierunt, & operis noſtri principium eſt.

TRACTATUS X.

De Generatione ſupernaturali Filii Solis.

TRactavimus de Rebus quas Natura creat, & quas Deus creavit; ut ſcrutatores artis eò faciliùs poſſibilitatem naturæ intelligerent. Sed, ne diutiùs differam: modum ac artem conficiendi Lapidis Philoſophorum aggredior. Lapis Philoſophorum ſeu tinctura nil aliud eſt quàm Aurum in ſupremum gradum digeſtum: nam Aurum vulgi eſt ſicuti herba ſine ſemine, quando matureſcit producit ſemen; ſic aurum quando matureſcit, dat ſemen ſeu tincturam. Sed quæret aliquis quare aurum vel aliud metallum non producat ſemen? ratio redditur talis, quia non poteſt eſſe maturum, propter aëris cruditatem, non habet ſufficientem calorem: & contingit in quibuſdam locis ut reperiatur aurum purum quod natura voluit perficere, ſed impedita fuit ab aëre crudo. Exempli gratia, videmus quod Pomorum Arantiorum arbores in Polonia quidem creſcant inſtar aliarum arborum; In Italia & alibi, ubi eſt illarum ſolum nativum, dant & ferunt fructus, quia ſufficientem habent calorem; in his verò frigidioribus locis minimè, ubi enim matureſcere deberent, deſinunt, quia frigore opprimuntur; & ſic nunquam à Natura hiſce locis habentur earum fructus: ſed ſi aliquando juvetur natura ſuaviter & cum ingenio, tunc ars jam perficit quod natura non potuiſſet. Idem planè in metallis accidit: Aurum poteſt dare fructum & ſemen in quo ſe multiplicat, induſtriâ ſagacis artificis, qui ſcit naturam promovere; ſed ſi abſque natura id velit tentare; errabit. Nam non ſolùm in hac arte, ſed & in omni re, nihil poſſumus quàm Naturam juvare; & hoc non alio medio quàm igne ſeu calore. Sed cùm hoc fieri non poſſit, ſiquidem in congelato corpore metallico non appareant ſpiritus; oportet ut prius ſolvatur corpus, & pori ejus aperiantur, quò natura operari poſſit. Qualis autem illa debeat eſſe ſolutio, hic Lectorem admonitum velim, duplicem eſſe ſolutionem, licet multæ ſint aliæ ſolutiones, at inutiles; una tantum eſt vera naturalis, ſecunda eſt violenta, ſub qua aliæ comprehenduntur omnes. Naturalis ejuſmodi eſt, ut pori corporis aperiantur in aqua noſtra, quo digeſtum emittatur ſemen, & matrici ſuæ imponatur: Aqua verò noſtra, aqua eſt cœleſtis, non madefaciens manus, non vulgi ſed ferè pluvialis: Corpus eſt aurum quod ſemen dat: Luna noſtra eſt (non argentum vulgi) quæ recipit ſemen auri. Regitur poſtea igne noſtro continuo, per menſes ſeptem, & interdum decem, donec aqua noſtra conſumat tres, & relinquat unum; & hoc in duplo. Poſtea nutritur lacte terræ, vel pinguedine ejus quæ naſcitur in uberibus terræ, & regitur vel conſervatur à putrefactione ſale Naturæ. Et ſic generatur ille infans ſecundæ generationis. Nunc à Theorica ad praxin accedamus.

TRACTATUS XI.

De Praxi & Confectione Lapidis ſeu Tincturæ per Artem.

PEr tot capita ſparſa eſt oratio de rebus per exempla, ut eo faciliùs intelligatur praxis, quæ fieri debet naturam imitando in hunc modum.

♃. Terræ noſtræ per XI. gradu XI. grana, auri noſtri & non vulgaris granum I. Lunæ noſtræ non vulgaris grana II. ſed hoc admonitus ſis, ne accipias aurum & argentum vulgi, nam hæc ſunt mortua, accipe noſtra quæ ſunt viva: poſtea pone in ignem noſtrum, & fiet inde liquor ſiccus; primum reſolvetur terra in aquam quæ Mercurius Philoſophorum dicitur, & illa aqua reſolvet illa corpora Solis & Lunæ, & conſumet ea ut non remaneat niſi pars decima cum una parte, & hoc non erit humidum radicale metallicum. Poſtea ♃. aquam ſalis nitri de terra noſtra, in qua eſt rivulus & unda viva ſi ad genuam foderis foveam, accipe igitur ex illa aquam, ſed claram accipe, huic impone illud humidum radicale, & impone igni putrefactionis & generationis, non tali ut in prima operatione feciſti: rege omnia magno cum ingenio, donec colores appareant inſtar caudæ Pavonis, rege digerendo, nec te tædeat, donec ceſſent colores, & unus per totum appareat color viridis, & ſic de cæteris: & quando videbis in fundo cineres bruni coloris, & aquam ferè rubram, aperito vas, madefacito pennam, injunge ferrum aliquod, ſi tingat habeto in promptu aquam de qua poſtea erit ſermo, & infunde tantum ejus aquæ quantum aëris intravit crudi, iterum coquito priori igne donec iterum tingat. Hucuſque pervenit mea experientia, non plus poſſum, non plus inveni. Aqua verò illa debet eſſe menſtruum mundi, ex ſphæra Lunæ, toties rectificatum quod poſſit calcinare Solem: Hic tibi volui omnia detegere, & ſi ſenſum meum interdum non ſyllabam intelliges, cuncta revelavi, præſertim in opere primo & ſecundo. De igne verò adhuc dicendum reſtat. Primus ignis ſeu primæ operationis eſt ignis unius gradus, continuus; qui materiam circumdat: ſecundus eſt ignis naturalis, qui materiam digerit & figit: dico tibi veritatem quod patefeci. Ignis regimen, ſi naturam intelligis: de vaſe adhuc reſtat loquendum. Vas Naturæ eſſe debet, & ſufficiunt duo: Primi operis vas rotundum fieri debet: In ſecundo verò paulò minus vitrum inſtar phiolæ vel ovi. Sed per omnia ſcito Naturæ ignem eſſe unicum, quicquid operatur diverſum locorum diſtantia efficit, Vas item Naturæ unicum, ſed nos

propter

propter abbreviationem binis utimur: materia una, sed ex duabus substantiis. Si igitur animum intendis ad res creandas, considera primum res creatas: has utpotè obversantes oculis tuis si non potes assequi, multò minus res creandas quas producere cupis. Scito enim te nihil creare posse; quod solius Dei proprium est: sed res occultas in umbra latentes facere apparentes & umbram ab illis tollere, hoc Philosopho intelligenti à Deo per naturam concessum est. Considera obsecro simplicem nubis aquam: Ecquis unquam crederet illam in se continere omnia quæ mundus habet, lapides duros, salia, aërem, terram, ignem, cùm tamen simplex per se appareat aqua? Quid dicam de terra, quæ in se continet aquam, ignem, salia, aërem, & per se nuda terra videtur? O mirabilem naturam! quæ novit ex aqua in terra fructus producere mirabiles & ex aëre illis suppeditare vitam. Hæc omnia fiunt, & vulgarium hominum oculi ista non vident, sed oculi intellectus & imaginationis percipiunt, visu vero, verissimo: oculi enim sapientum naturam vident aliter quàm oculi communes. Exempli gratiâ, oculi vulgi vident Solem esse calidum, oculi verò Philosophorum è contra vident Solem potius esse frigidum; sed motus ejus calidos: Actus enim & effectus ejus per distantiam locorum deprehenduntur. Ignis naturæ unus & idem cum ipso est: sicuti enim Sol inter sphæras Planetarum centrum est, & ex hoc centro cœli deorsum calorem motu suo spargit, sic in centro terræ Sol terræ est, qui motu suo perpetuo calorem vel radios sursum ad terræ superficiem pellit. Is calor intrinsecus multò efficacior est hoc igne elementali, sed temperatur terrena aqua quæ de die in diem poros terræ penetrat illamque refrigerat: sic Solem cœlestem & ejus calorem temperat aër qui de die in diem circumvolat orbem: & nisi hoc esset, calore tali res omnes consumerentur, nec quicquam nasceretur. Sicuti enim ignis ille invisibilis seu calor centralis omnia consumeret si non intercederet aqua, sic Solis calor omnia destrueret sine intermediante aëre. Sed quomodo hæc Elementa inter se agant brevibus dicam. In centro terræ est Sol centralis, qui motu suo vel sui firmamenti dat calorem magnum, qui extendit se usque ad terræ superficiem. Ille calor causatur aërem hunc in modum: Aëris matrix aqua est, quæ parit filios suæ naturæ, sed dissimiles, & multò subtiliores, nam ubi aquæ introitus est denegatus aër intrat: quando itaque ille calor centralis, qui perpetuus est, agit, facit distillare aquam & calefieri, & sic illa aqua vi caloris vertitur in aërem, atque hoc pacto erumpit ad superficiem terræ, quia se includi non patitur: ubi postea refrixit resolvitur in aquam. In oppositis locis interim etiam fit ut non solùm aër, verùm etiam aqua exeat, sicut apparet dum nigræ nubes violentia in aërem attolluntur: cujus rei tibi sit hoc exemplum domesticum. Facias in olla fervere aquam, videbis igne lento lentos vapores, & ventos: Igne vehementiori apparebunt nebulæ crassiores. Eodem planè modo calor operatur centralis, subtilem aquam in aërem elevat, quod spissum est ex sale vel pinguedine distribuit terræ, unde res variæ nascuntur, residuum saxa & Petræ fiunt. Posset aliquis objicere, si ita se res haberet, tunc continuò id fieri deberet, cum tamen sæpè nullus sentiatur ventus, Respondeo, si non violenter in vas distillatorium infunditur aqua non fit ventus, nam parum aquæ parvum excitat ventum: vides non semper fieri tonitrua, etiamsi pluvia sit & ventus, sed tantùm quando vi aëris aqua turbida fertur ad sphæram ignis, nam ignis non patitur aquam, Habes ante oculos exemplum, dum in calidam fornacem effundis aquam frigidam, unde tonitrua excitantur. Sed quare non uniformiter aqua intret in illa loca & cavitates, ratio est quòd multa sunt ejusmodi vasa & loca, pellit interdum una concavitas, ventis, aquam à se ad aliquot dies & menses, donec iterum fiat aquæ repercussio: ut videmus in mari, cùjus aliquando multa milliaria agitantur antequam repercussionem, ut regrediantur, offendant, sed ad rem nostram. Dico ignem vel calorem esse causam motus aëris; & vitam omnium rerum: & terra est horum omnium nutrix, vel receptaculum. Sed si non esset aqua quæ refrigerat terram & aërem nostrum, tunc terra exsiccaretur, propter has duas rationes; nimirum ob motus centralis & solis cœlestis calorem: nihilominus contingit hoc in aliquibus locis, quando pori terræ obstruuntur, ut humidum penetrare non possit, tunc per correspondentiam solis cœlestis & centralis (quia vim habent inter se magneticam) accenditur terra à Sole: sicque etiam aliquando cadet gravis orbita mundi. Fac igitur ut operatio talis in terrâ nostrâ sit: ut calor centralis aquam possit mutare in aërem, ut in planitiem mundi egrediatur, & residuum, ut dixi, per poros terræ spargat, & tunc in opposito aër vertetur in aquam multò subtiliorem quàm fuit prima: & hoc sic fiet, si seni nostro aurum & argentum deglutire dabis, ut ipse consumat illa, & tandem ille etiam morituris comburatur, cineres ejus spargantur in aquam, coquito eam donec satis est, & habes medicinam curandi lepram. Hoc saltem animadverte, ne frigidum pro calido, vel calidum pro frigido accipias, naturas naturis misce, si aliquid est quod contrarium naturæ (siquidem una tibi est necessaria) separa illud, ut natura naturæ similis sit, hoc fac igne non manu, & scito si non sequeris naturam vana esse omnia: & hic tibi dixi per sanctum Deum quod pater filio debet: qui habet aures audiat, & qui habet sensus animum advertat.

TRACTATUS XII.

De Lapide, & ejus virtute.

IN præcedentibus sufficienter dictum fuit de productione rerum naturalium, de Elementis. & de materia prima & materia secunda, de corporibus & seminibus, de usu & virtute eorum: Conscripsi etiam praxin conficiendi lapidem Philosophorum: de ejus verò virtute tantum quantum mihi natura concessit; & experientia patefecit, nunc revelabo. Sed, ut priùs adhuc summatim & brevibus verbis comprehendam omnium horum tractatuum argumentum, ut Deum timens lector mentem meam assequatur & sensum meum, ita se res habet. De veritate artis si qui dubitat, legat copiosa Philosophorum antiquissimorum ratione & Experientia verificata scripta, quibus ut fide dignis, in sua arte fides non deroganda est: qui verò illis fidem non adhibet, tunc contra principia negantem non esse disputandum novimus: Surdi enim & muti loqui non possunt. Quam enim prærogativem in hoc mundo res omnes haberent præ metallis? Cur hæc sola per denegationem seminis immeritò à summi Creatoris universali multi-

plicationis benedictione excludemus, quam ſacræ literæ affirmant omnibus rebus creatis ſtatim à condito mundo inditam & impertitam fuiſſe? ſi verò ſemen habent, qui tam fatuus eſt qui non credat in ſuo ſemine illa poſſe multiplicari? In natura ſua ars Chemiæ vera eſt, vera etiam natura, ſed rarò verus artifex: Una natura, ars una, ſed multi artifices. Quod autem natura creat res ex elementis, generat eas per velle Dei ex materia prima, quam ſolus Deus ſcit: natura creat res illaſque multiplicat ex ſecunda materia quam Philoſophi ſciunt. Nil fit in mundo ſine velle Dei & naturæ. Elementum enim quodlibet in ſua ſphæra eſt, ſed unum abſque altero eſſe non poteſt, unum ex alio vivit, & tamen conjuncta non conveniunt; ſed aqua eſt omnium elementorum dignior, quia mater eſt omnium rerum: hanc ſupernatat ſpiritus ignis. Cauſante igne aqua fit materia prima, certatione videlicet ignis cum aqua; & ſic generantur venti vel vapores apti ut congelentur cum terra, per aërem crudum qui ab initio ſeparatus fuit ab illa. Et hoc fit ſine ceſſatione, motu perpetuo; quia ignis ſive calor non excitatur aliter niſi motu: quod facilè videre eſt apud fabrum ferrarium ferrum lima comminuentem, quod eatenus motu vehementiori incaleſcit ac ſi igne incanduiſſet. Motus ergo cauſat calorem, calor movet aquam, aquæ motus cauſat aërem omnium viventium vitam. Creſcunt igitur res hunc in modum, ut ſuprà dixi, ex aqua videlibet: nam ex illius vapore ſubtiliori, res ſubtiles, leves proveniunt; ex oleo verò ejuſdem, graves & majoris pretii; ex ſale autem res prioribus longè pulchriores. Quia autem Natura interdum impeditur ne res puras producere poſſit; ſiquidem vapor, pinguedo, ſal maculantur, & miſcent ſe terræ locis: propterea docuit nos experientia purum ab impuro ſeparare. Ideo ſi velis ut natura melioretur in actu; ſolve corpus quod vis, & illud quod naturæ acceſſit heterogeneum ſepara, purga, conjunge pura puris, cocta coctis, cruda crudis, ſecundum naturæ pondus non materiæ. Nam ſcito quod ſal nitri centrale non accipit plus de terra niſi quantum opus habet, ſive ſit pura ſive impura: Aquæ verò pinguedo aliter ſe habet, nam nunquam habetur pura; ars purgat illam per duplicem calorem, & denuo conjungit illam.

Epilogus ſeu *Concluſio horum duodecim Tractatuum.*

COnſcripſi, amice lector, præcedentes duodecim Tractatus in gratiam filiorum artis, ut antequam manum adhiberent operi, naturæ operationem haberent cognitam, quomodo videlicet illa operando res producat; ne ſine clavibus portam ingrederentur, & cribro aquam hauirent: fruſtra enim laborat ille qui ſine cognitione naturæ manus ad labores porrigit. In hac ſanctâ & veriſſimâ ſcientiâ, in nocturnis verſatur tenebris cui Sol non lucet, in denſa umbra eſt cui de nocte non apparet luna. Habet natura lumen proprium, quod noſtris oculis non eſt pervium; umbra naturæ oculis noſtris corpus eſt: ſed ſi quem lumen naturæ irradiat, illi confeſtim nebula de oculis tollitur, & ſine impedimento poteſt conſpicere punctum magnetis noſtri correſpondentis utrique centro radiorum, ſolis videlicet & terræ: eo uſque enim naturæ lumen penetrat & interna patefacit; cujus rei tale tibi ſit exemplum. Induatur veſte uniformi adoleſcens duodecim annorum & puella ejuſdem ætatis; ſi juxta ſe locentur, nemo cognoſcet quis maſculus, quæ fœmella ſit; oculi enim noſtri penetrare non poſſunt, ideò decipit nos noſter viſus, & falſa pro veris accipit: ſed cum veſtibus ſublatis denudantur, ut ita appareant quales natura eos formavit, facilè uterque in ſuo dignoſcitur ſexu. Simili planè modo noſter intellectus facit umbræ naturæ umbram; Nam corpus nudum in homine eſt feminis naturæ umbra: ſicuti igitur veſtimentis tegitur corpus humanum, etiam tegitur corpore natura humana, quam ſibi Deus reſervavit tegendam & detegendam. Poſſem hîc prolixè & Philoſophicè diſſerere de hominis dignitate, creatione ejus, & generatione: Sed cùm ejuſmodi non ſint hujus loci, ſilentio prætereunda ſunt; de vita ejus ſoluminodo paucis agam. Creatus homo de terra, ex aëre vivit: eſt enim in aëre occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam vocamus rarefactam, cujus ſpiritus inviſibilis congelatus melior eſt quam terra univerſa. O ſancta & admirabilis Natura quæ filios doctrinæ errare non permittis, ſicuti in vita humana in dies demonſtras! Porro in hiſce duodecim Tractatibus tot rationes naturales in medium attuli, ut eò faciliùs cupiens & Deum timens lector intelligere poſſit ea, omnia quæ oculis meis, Deo benedicente, vidi, manibus feci propriis ſine ulla ſophiſticationis fraude: ſine lumine enim & cognitione naturæ impoſſibile eſt hanc aſſequi artem, niſi ſingulari revelatione divina alicui contingat, vel per ſecretam amici demonſtrationem. Res eſt vilis & pretioſiſſima, quam aliquoties deſcriptam nunc denuo repeto. ℞. aëris partes X. Auri vivi vel lunæ vivæ partem 1; hæc omnia impone vaſi tuo; coque aërem hunc inprimis ut ſit aqua, & poſtea non aqua: ſi hoc ignoras, & aërem coquere neſcis, procul omni dubio errabis; ſiquidem hæc eſt veterum Philoſophorum materia. Id enim accipere debes quod eſt, ſed non videtur donec artifici placeat; eſt aqua roris noſtri, ex qua extrahitur ſal petræ Philoſophorum, quo omnes res creſcunt & nutriuntur: Matrix ejus eſt centrum ſolis vel lunæ tam cœleſtis quàm terreſtris, & ut apertiùs dicam, Magnes eſt noſter, quem in præcedentibus chalybem eſſe dixi: Aër generat magnetem, magnes verò generat vel facit apparere aërem noſtrum. Sanctè tibi veritatem hîc manifeſtavi, roga Deum ut cœpta tua ſecundet: Et ſic hoc loco habebis veriſſimam explicationem Hermetis aſſeverantis Patrem ejus eſſe ſolem, matrem verò lunam, & quòd ventus portaverit illum in ventre ſuo, nimirum ſal Alkali, quod Philoſophi Sal Armoniacum & vegetabile nominarunt, occultatum in ventre magneſiæ. Operatio ejus talis eſt, ut ſolvas congelatum aërem, in quo ſolves auri decimam partem; hoc ſigilla, & igne noſtro labora, donec aër vertatur in pulveres; & apparebunt, habito mundi ſale, colores varii. Deſcripſiſſem integrum proceſſum in hiſce Tractatibus; ſed quia ille, unà cum multiplicatione, in Lullii & aliorum verorum Philoſophorum libris ſufficienter continetur; propterea ſatis mihi fuit tantum de materia primâ & ſecundâ tractare; quod candidè factum eſt, nec arbitreris ullum mortalium me luculentiùs illud præſtitiſſe; ſiquidem id non è multis libris, ſed ex mearum manuum labore & propria experientia feci. Si igitur vel non intelligis, vel non credis veritati, noli meum librum, ſed

te

te ipsum accusare; & crede Deum tibi hoc secretum nolle revelare: hunc igitur precibus fatiga, & multoties reiteratis lectionibus hunc libellum, evolve, præsertim horum 12. Tractatuum Epilogum: considerando semper naturæ possibilitatem, & elementorum actiones, & quodnam sit in illis præcipuum, & præsertim in rarefactione aquæ vel aëris, ita enim creati sunt cæli & totus mundus: hoc tibi sicut Pater filio significare volui. Ne mireris quòd tot Tractatus scripserim, non mea causa factum est, cum libris non egeam, sed ut multos qui in vanis rebus laborant monerem ne frustrà sumptus exponerent. Potuissent quidem omnia paucissimis comprehendi lineis, imò verbis; sed per rationes & exempla volui te ad naturæ cognitionem deducere; ut ante omnia scires quid quærere deberes, an primam vel secundam materiam: Haberes etiam patefactam naturam, ejusque lumen & umbram. Noli moveri quod aliquando contradictoria in meis Tractatibus, more Philosophorum usitato, tibi occurrant; opus habes illis si intelligis, non reperitur rosa sine spinis. Perpende diligenter quod suprà dixi, quomodo videlicet quatuor elementa stillent in centrum terræ humidum radicale, & quomodo sol terrenus centralis motu suo producat & sublimet illud ad terræ superficiem. Dixi etiam solem cœlestem habere correspondentiam cum sole centrali: nam sol cælestis & luna peculiarem habent vim & virtutem stillandi per radios suos in terram: calor enim calori, sal sali facilè jungitur. Et sicuti sol centralis habet suum mare, & aquam crudam perceptibilem; sic sol cælestis habet etiam suum mare & aquam subtilem & imperceptibilem: In superficie terræ radii radiis junguntur, & producunt flores, & omnia. Propterea quando pluvia fit, accipit ex aëre illam vim vitæ, & conjungit illam cum sale nitro terræ, (quia sal nitri terræ est instar calcinati Tartari, sua siccitate aërem ad se trahens; qui aër in eo resolvitur in aquam: Talem vim attrahendi habet ille sal nitri terræ, qui etiam aër fuit, & est conjunctus pinguedini terræ) & quo radii solares copiosiùs tunc feriunt, eò major salis nitri quantitas fit, & per consequens major frumenti copia crescit, & hoc de die in diem fit. Tantùm de correspondentia rerum inter se, & efficacia solis & lunæ & stellarum innuere volui ignorantibus; nam scientes non indigent hac instructione. Versatur subjectum nostrum toti mundo ob oculos & non cognoscitur. O cælum nostrum! O aqua nostra! O Mercurius noster! O sal nitri nostrum in mari mundi versans! O vegetabile nostrum! O Sulphur nostrum fixum & volatile! O caput mortuum, seu fæces maris nostri! Aqua manus non madefaciens, sine qua nemo mortalium vivere potest, & sine qua nil nascitur & generatur in toto orbe! Et hæc sunt aviculæ Hermetis epitheta, quæ nunquam quiescit; vilissima est, nemo eâ carere potest: & sic habes rem omni mundo pretiosiorem detectam, quam planè dico nil aliud esse quàm aquam nostram ponticam, quæ in sole & luna congelatur, & extrahitur è sole & luna, chalybe nostro, artificio Philosophico, miris modis, per prudentem artis filium. Consilium meum non erat, propter rationes in præfatione commemoratas, hunc librum publicare; attamen vicit me de liberalibus & Philosophicis ingeniis promerendi cupiditas: ut iis qui me norunt animum ostenderem bonum; simul illis qui artem callent manifestarem me illis parem esse & socium, eorumque notitiam appetere. Non dubito multos bonæ conscientiæ & voluntatis homines illud donum Dei clanculùm possidere; hi meo admoniti exemplo, & meis periculis cautiores & providentiores facti, Harpocratis sibi commendatum habeant silentium: quotiescunque enim me magnatibus detegere volui, semper aut in damnum aut periculum mihi cessit. Hoc scripto me adeptis filiis Hermetis patefacio, & ignorantes ac errantes instruo, ac in viam veram reduco. Credant scientiæ hæredes se nunquam habituros meliorem viam cui insistant quam quæ ipsis hîc demonstrata est; omnia enim apertè dixi: Extractionem saltem nostri salis Armoniaci vel Mercurii Philosophici ex aquâ nostrâ pontica, ejusque tantum usum non ita apertè revelavi, quia à magistro naturæ non habui ulteriorem loquendi licentiam; & hoc solus Deus revelare debet, qui novit hominum corda & animos: quem si diligenter oraveris, per reiteratam hujus libri lectionem poterit tibi intellectum tuum aperire. Vas, ut suprà dictum, unicum est à principio usque ad finem, vel ad summum duo sufficiunt vasa: ignis etiam continuus in utroque opere; quo nomine legant errantes Tractatum 10. 11. Si in tertiâ materiâ operatus fueris nil efficies: hanc tractant hi qui extra hoc unicum sal nostrum quod Mercurius est, laborant in herbis, animalibus, lapidibus, & mineris, excepto sole & luna nostra quæ obducta est sphæra Saturni. Et qui optatum desiderat finem, sciat conversionem elementorum, & levia facere ponderosa, & Spiritus facere non Spiritus; tunc non laborabit in re extranea: ignis est regimen, quicquid fit igne fit; ut sufficienter in præcedentibus, & hîc conclusionis loco, satis dictum est. Vale lector benevole, & hisce per experientiam meam verificatis laboribus diu, ad nominis Divini gloriam, animæ tuæ salutem, proximique commodum, perfruere.

Ad Filios Veritatis *Præfatio in Ænigma Philosophicum.*

JAm vobis, filii scientiæ, è scaturigine universalis fontis detexi omnia, ut nil sit amplius residuum. Nam in præcedentibus meis Tractatibus naturam per exempla sufficienter explicui: Theoricam & praxin quantum fas fuit manifestavi. Sed ne quis de Laconismo conqueri possit, quòd aliquid omiserim, totam artem ænigmatice adhuc vobis describam; ut videatis quousque Dei ductu pervenerim. Infiniti sunt libri de hac arte tractantes: vix in ullo reperietis veritatem eatenus vobis patefactam: quod hanc ob causam præstare volui, quia cum multis Philosophorum scripta se bene intelligere putantibus sermonem contuli; sed deprehendi illos eadem scripta longè subtiliùs explicare quàm natura, quæ simplex est, requirebat: imò omnia mea dicta veridica, ipsis semper alta sapientibus, videbantur nimium vilia & incredibilia. Aliquoties accidit ut quibusdam de verbo ad verbum artem insinuarē sed nequaquam assequi potuerunt, non credentes aquam in mari nostro esse, & tamen Philosophi videri volebant. Cum ergo verba mea oretenus dicta non potuerint intelligere, non timeo (ut alii Philosophi timuerunt) ut quis tam facilè concipere possit; Donum est, Dei dico. Verum quidem est, si in studio Chemico requireretur subtilis ingenii perspicacitas, & res ejusmodi esset ut ab oculis vulgi posset

conspici; satis apta vidi illorum ingenia ad indaganda talia: sed vobis dico ut sitis simplices, & non nimium prudentes, donec arcanum inveneritis, quo habito necessariò aderit prudentia; tunc vobis non deerit libros infinitos scribendi facilitas: quod longè facilius erit illi qui in centro est, & rem videt, quàm huic qui in circumferentia ambulat, & nil præter anditum habet. Omnium rerum materiam secundam lucidissimè descriptam habetis: sed hanc vobis commendo cautelam, quòd si ad arcanum hoc pervenire volueritis, scitote quod in primis Deus orandus, postea proximus amandus sit: denique nolite vobis res adeò subtiles imaginari, de quibus natura nil scit; sed manete, manete inquam in via naturæ simplici; quia in simplicitate rem citiùs palpare, quàm eandem in subtilitate videre poteritis: nolite in lectione meorum scriptorum semper inhærere syllabis, sed legendo utique considerate naturam, & ejusdem possibilitatem. Antequam verò ad opus vos accingatis, imaginemini diligenter quid quæratur, & quis sit intentionis vestræ scopus ac finis: nam multò melius est cerebro & imaginatione priùs discere quàm manu & sumptibus. Et hoc vobis dico, quòd opus est rem quærere aliquam, quæ occulta est, ex qua fit (miro modo) talis humiditas quæ aurum sine violentia seu strepitu solvit, imò ita suaviter & naturaliter sicuti glacies aquæ calidæ beneficio liquescit: si hoc inveniatis, habetis rem ex qua aurum à natura productum est: & quamvis omnia metalla, & res omnes ex illa ortum habeant, nil tamen ita amicatur ei sicut aurum; nam aliis rebus adhæret impuritas, auro autem nulla, propterea instar matris est ipsi. Et sic finaliter concludo; si hisce meis scriptis & admonitionibus cauti esse non vultis, habetote me, bene de vobis mereri cupientem, excusatum: feci fideliter quantum licuit, sicuti bonæ conscientiæ virum decet. Si quæritis quis sim, Cosmopolita sum: si me nostis, & boni ac honesti viri esse delideratis, tacebitis: si me non nostis nolite de me inquirere, nulli mortalium enim quandiu vixero plus à me revelabitur quàm hoc publico scripto factum est. Credite mihi si non essem ejusmodi status ac conditionis homo sicut sum, nil mihi solitaria vita foret jucundius, vel cum Diogene sub dolio delitescere: video enim omnia quæ sunt vanitatem esse, fraudem & avaritiam invaluisse ubi omnia venalia sunt, & iniquitatem virtutem superasse: futuræ vitæ meliora præ oculis video, hisce gaudeo. Jam non miror, ut antea feci, cur Philosophi habita tali medicina non curarunt abbreviare dies suos; quia omni Philosopho ita est præ oculis vita sequens sicuti in speculo apparet tibi tua propria facies. Quod si tibi Deus dabit optatum finem, postea credes mihi, nec te revelabis mundo.

Parabola, *seu* Ænigma Philosophicum, *Coronidis & Superadditamenti loco adjunctum.*

EVenit aliquando cùm per tot annos vitæ meæ navigarem à Polo Arctico ad Polum Antarcticum, ut singulari Dei nutu ejicerer ad littus magni cujusdam maris: & licet maris illius mundi aditus & proprietates optimè cognitas & perspectas haberem, nihilominus inscius fui an etiam in illis oris generaretur piscículus ille Echeneis, quem tot magnæ & parvæ conditionis homines hactenus tam sollicitè quæsierunt. Dum autem in littore Melosynas hinc inde natantes cum nymphis conspicio, fessus etiam à præcedentibus laboribus, & cogitationibus variis gravatus, ab aquarum murmure somno corripior: & dum suaviter obdormisco, occurrit mihi in somnis visio mirabilis. Video è mari nostro venerandæ canitiei Senem Neptunum cum tridente egredientem, qui me post amicam salutationem in Insulam deducit amœnissimam. Hæc Insula pulcherrima versus Austrum sita erat, ac rebus omnibus ad hominis necessitatem, & ad ejusdem delitias spectantibus refertissima: Virgilii Campus Elysius vix cum illa potuisset comparari. Totum insulæ littus undique virentibus myrtis, cupressis ac Roremarino cinctum erat. Prata virentia variegatis floribus tecta, jucundissimo aspectu, suavissimè redolebant. Colles Vineis, Oleis, & Cedris miro modo decorati erant, Nemora Arantiorum & Limoniorum arboribus referta. Viæ publicæ Laurorum ac Granatorum Arboribus, singulari artificio intertextis, utrinque consitæ gratissimam peregrinantibus præbebant umbram. Ut paucis dicam, quicquid in toto mundo est ibi videbatur. Inter ambulandum monstrabantur mihi à dicto Neptuno sub aliqua rupe latentes duæ illius insulæ mineræ, Auri & Chalybis. Non longè illinc deducor ad pratum, in quo peculiaris Hortus variis & spectatu dignissimis arboribus plantatus erat. Inter complures Arbores autem ostendit mihi septem Arbores nominibus insignitas; ac inter duas præcipuas aliis eminentiores observavi, quarum una ferebat fructum instar Solis lucidissimi & fulgentissimi, & folia ejus erant instar Auri: Altera verò producebat albissimos Liliis candidiores fructus, & folia ejus erant sicut Argentum finum: Vocabantur autem hæ Arbores à Neptuno, una Solaris Arbor, & altera Lunaris. Et quamvis in hac insula omnia ad nutum essent, unicum tamen ipsi deerat: Aqua non habebatur nisi magna cum difficultate. Erant quidem multi qui partim tentabant illuc Aquam Fontis per canales deducere, partim etiam ex variis rebus eliciebant: sed frustraneus erat attentatus labor; quia illic locorum nullo poterat haberi medio; & si habebatur, inutilis tamen fuit & venenosa, nisi è radiis Solis vel Lunæ; quod pauci præstare potuerunt; & qui in hoc perficiendo fortunam habuit propitiam nunquam ultra decem partes potuit attrahere; erat enim ejusmodi Aqua mirabilis: & crede mihi quod oculis meis viderim, & palparim Aquæ illius niveum candorem: & dum illam aquam contemplarer valde miratus sum. Interim fatigatus illa consideratione evanuit coram oculis meis Neptunus, & apparet mihi vir magnus, cujus fronti nomen Saturni erat inscriptum. Hic accepto vase hauriebat Aquæ partes decem; & statim de fructu Arboris Solaris accepit & imposuit; & vidi fructum Arboris consumi & resolvi instar glaciei in Aqua calida. Quæsivi ex illo; Domine, video rem mirabilem, Aquam esse ferè ex nihilo; video fructus Arboris in illa adeò suavi calore consumi, ad quid illa? At ille mihi gratiosè respondit. Fili mi, verum est quòd res hæc est mirabilis; sed ne mireris, ita enim oportet esse. Nam hæc Aqua est Aqua vitæ, habens potentiam fructus arboris hujus ita meliorare ut postea, non plantatione aut insitione, sed solo suo odore faciat sibi cæteras sex arbores uniformes. Insuper hæc Aqua est huic fructui instar fœminæ; in re nulla possunt arboris hujus fructus putrefieri nisi in hac Aqua: Et licet fructus per se sit mirabilis, & res

pretiosa;

pretiosa; attamen si in hac Aqua putrescit, gignit ex hac putrefactione Salamandram in igne perseverantem, cujus sanguis omni Thesauro pretiosior est, habens facultatem sex arbores, quas hic vides, fertiles reddere, illarumque fructus melle dulciores proferre. At ego petii, Domine, quomodo fit istud? Dixi tibi Arboris Solaris fructus esse vivos, dulces; at ubi nunc unus saltem ex illo saturatur, quando in hac aqua coquitur possunt postea mille ex eo saturari. Quæsivi porrò, Domine, coquiturne igne forti, & quamdiu? At ille, Aqua ista habet intrinsecum ignem, & si juvatur calore continuo, comburit tres partes corporis sui cum hoc corpore fructus, & non remanebit nisi pars minutissima, quæ vix imaginari potest, sed in summa virtute; coquitur sagaci ingenio Magistri septem mensibus primò; postea decem: Sed interea apparent res variæ, & semper in die quinquagesimo plus vel minus. Adhuc interrogavi: Domine, nonne potest etiam in aliis aquis coqui hic fructus, vel additurne illi aliquid? Respondit: Non est nisi hæc una Aqua quæ utilis est in hac regione vel insula: nulla etiam alia Aqua potest penetrare poros hujus pomi nisi hæc: & scito Arborem Solarem etiam ex hac Aqua ortam, quæ ex radiis Solis vel Lunæ vi magnetis extracta est: Propterea inter se magnam habent concordiam: sed si aliquid peregrini ipsi adderetur non posset id præstare quod facit per se. Relinquenda igitur per se, nihilque ei addatur, nisi hoc pomum: Post decoctionem enim ex fructus immortalis vitam habens & sanguinem, qui sanguis omnes arbores steriles facit portare fructus ejusdem Naturæ cum pomo. Rogavi ulteriùs: Domine, Hauriturne Aqua hæc alio modo, vel habeturne ubique? Et ille, In omni loco est, & nemo sine ea vivere potest, hauritur miris modis, sed ista est optima quæ extrahitur vi Chalybis nostri qui invenitur in ventre Arietis. Dixi; Ad quid utilis? Respondit, Ante debitam coctionem est summum venenum; sed post coctionem convenientem summa est medicina, & dat viginti novem grana sanguinis; quodlibet autem granum octogintos sexaginta quatuor suppeditabit tibi fructus Arboris Solaris. Quæsivi; Nonne ulteriùs meliorari potest? Teste Scriptura Philosophica, ait, primùm ad decem, postea ad centum, deinde ad mille, & decem millia, &c. potest exaltari. Instabam; Domine mi, noverintne multi istam Aquam, & habétne nomen proprium? Ille clamabat palam, dicens: Pauci noverunt, sed omnes viderunt, & vident, & amant: habet nomina, sed multa & varia; at nomen proprium ejus est Aqua maris nostri, Aqua vitæ non madefaciens manus. Petii adhuc: Utunturne ea alii ad res alias? Utitur ea, ait, omnis creatura, sed invisibiliter. Nasciturne in ea aliquid? interrogavi: At ille: Ex ea fiunt res omnes in mundo, & in ea vivunt: sed in ea propriè nihil est, sed est res quæ se miscet omni rei. Quæsivi. Estne sine hoc Arboris fructu utilis? Ad hoc dixit: In hoc opere nequaquam; siquidem non nisi in solo hoc Arboris Solaris fructu melioratur. Incepi rogare, Domine quæso nomina mihi illam tam manifesto nomine ut nullum possim amplius habere dubium. At ille sublata voce clamavit, ut me è somno excitaret; ideò non amplius poteram quærere, nec ille ulteriùs mihi respondere voluit, nec ego tibi plura dicere possum. Contentus esto hisce, & crede quòd non est possibile lucidius loqui: Nam si hæc non percipis, nunquam aliorum Philosophorum libros assequeris. Post Saturni insperatum ac subitaneum discessum novus me sopor invasit, & denuò mihi forma visibili apparet Neptunus: Præsentem in Hortis Hesperidum congratulatur felicitatem, monstrando mihi speculum, in quo totam Naturam detectam vidi: Post varios ultrò citrò que commutatos sermones gratias ipsi pro exhibitis beneficiis ago; quòd, suo videlicet ductu non solum hunc amœnissimum Hortum ingressus fuerim, verùm etiam in optatissimum Saturni colloquium venerim. Sed quia propter improvisum Saturni discessum difficultates aliquæ quærendæ & investigandæ adhuc restarent, rogavi enixè ut hac ex optata occasione mihi scrupulum eximerer. His autem verbis illum compello, Domine, legi Libros Philosophorum affirmantium generationem omnem fieri per matrem & fœminam, & tamen solum fructum arboris Solaris vidi in somniis Saturnum Mercurio nostro imponere; credo etiam tibi ut Domino Maris hujus quòd ista bene scias; responde quæstioni meæ, quæso? At ille, Verum est, fili; omnis generatio fit in matre & fœmina; sed, propter distinctionem trium Naturæ Regnorum, alio modo nascitur Animal quadrupes, alio modo vermis: Licet enim vermes habeant oculos, visum, auditum, & reliquos sensus, tamen per putrefactionem producuntur, & eorum locus vel terra in qua putrefiunt fœmina est. Ita in opere Philosophico mater est hujus rei repetita toties illa Aqua tua, & quicquid ex ea nascitur, more vermium per putrefactionem nascitur: Ideò Philosophi Phœnicem & Salamandram crearunt. Si enim è duorum corporum conceptione fieret esset res mortis obnoxia: at quia se tantum revivificat, destructo corpore priori, emicat aliud incorruptibile. Siquidem mors, rerum nil aliud est quàm separatio unius ab altero. Et in hac Phœnice ita fit, quòd se vita à corpore corruptibili per se separat. Insuper quæsivi: Domine mi, suntne diversæ res rerum vel compositio in hoc opere? At ille: Unica res est, cui non miscetur aliquid aliud præterquam Aqua Philosophica tibi in somno aliquoties manifestata, quæ in decuplo esse debet ad unam corporis partem. Et firmiter ac indubitatè credas, fili, quæ per somnia in hac insula, pro more regionis, tibi à me & à Saturno fuerunt patefacta nullo modo esse somnia, sed purissimam veritatem, quam experientia unica rerum Magistra tibi Dei assistentia detegere poterit. Ulterius quærentem sine responso post valedictionem discedens, me à somno excitatum in desideratam Europæ regionem sistit. Et ita tibi etiam, Amice Lector, satis hactenus à me dictum sufficiat. Vale.

Soli Triuno Laus & Gloria.

Dialogus Mercurii, Alchemistæ & Naturæ.

In illo tempore convenerunt Chemistæ, & consilium fecerunt, quomodo Lapidem Philosophorum facere ac præparare deberent, & sic per vota quilibet suam opinionem ut diceret constituerunt. Et concursus ille fuit sub dio in praro quodam, die serena quadam. Et multi concordarunt Mercurium esse illius primam materiam, alii Sulphur, alii alia. Sed de Mercurio maxima illorum fuit opinio, præsertim ex dictis Philo-

ſophorum, quoniam illi pro vera materia prima habent, & etiam pro prima materia Metallorum: clamant enim Philoſophi: NOSTER MERCURIUS &c. Et cum ita inter ſe certarent laboribus variis, (quilibet enim illorum expectabat deſiderio & lætitia concluſionem) ſurrexit interim tempeſtas maxima cum procellis, nimbis, & vento inaudito, qui illam congregationem diſperſit in varias provincias, quamlibet ſeorſim ſine concluſione. Quilibet tamen illorum impreſſit ſibi qualis debeat eſſe illius diſputationis finis. Cœpit igitur quilibet labores ſuos ſicut prius, unus in hac, alter in alia re, quærentes LAPIDEM PHILOSOPHORUM & hoc ſit hucuſque ſine ceſſatione. Unus verò illorum memor diſputationis, quod neceſſario in Mercurio quærendus ſit Lapis Philoſophorum, dixit ad ſe: Etiamſi non eſt facta concluſio: tamen in Mercurio laborabo, faciámque ego concluſionem facto lapide benedicto; erat enim homo qui ſemper ſecum ſolebat loqui, ſicut ſolent Alchemiſtæ. Cœpit igitur legere Libros Philoſophorum, & incidit in Librum Alani qui de Mercurio tractat, & ſic factus eſt ille Alchemiſta Philoſophus, ſed ſine concluſione. Et accepto Mercurio cœpit laborare; poſuit illum in vitrum, & dedit igiem, Mercurius ſicut ſolet, evaporavit. Alchemiſta miſer neſciens naturam, uxorem ſuam verberavit dicens: nemo huc venire potuit præter te, Tu mihi accepiſti Mercurium ex vitro. Uxor flendo ſe excuſat: dicítque tacitè Marito: Facias tu Merdam ex his. Accepit Alchemiſta Mercurium denuo, & iterum impoſuit vaſi, & ne uxor acciperet cuſtodiebat illud. Sed Mercurius ſuo modo iterum evaporavit. Alchemiſta recordatus, quod materiam primam lapidis Philoſophorum volatilem eſſe oporteat, gaviſus eſt valdè, ſibi omnino perſuadens non ſe jam poſſe falli, habita hac materia: cœpit jam audacter Mercurium tractare, didicit poſtea illum ſublimare, calcinare miris modis, jam ſalibus, jam ſulphure, jam metallis, jam mineris, jam ſanguine, jam crinibus, jam aquis fortibus, jam herbis, urina, aceto, ſed nihil potuit invenire ad propoſitum ſuum: nihil in orbe intactum reliquit, cum quo non tractaſſet bonum Mercurium. Et cum omnino nihil proficere poſſet, incidit in hoc dictum, *quod in ſterquilinio invenitur.* Cœpit Mercurium cum ſtercoribus variis tractare, ſimul & ſeorſim: & cum ita fatigatus fuiſſet, & plenus cogitationum, obdormivit. Et in ſomnis apparuit illi viſio: venit ad illum Vir ſenex qui ſalutavit illum & dixit: Amice quid contriſtaris? Reſpondit, Libenter vellem facere Lapidem Philoſophorum. Tunc ille, Amice ex quibus vis facere Lapidem Philoſophorum? *Alchemiſta* Ex Mercurio Domine. *Senex.* Ex quali autem Mercurio? *Alch.* Non eſt niſi unus Mercurius. *Sen.* Verum eſt unum eſſe Mercurium, ſed variatum variis locis; una pars purior altera. *Alchem.* O Domine, Ego illum ſcio purgare optimè aceto & ſale, nitro & vitriolo, *Senex.* Dico tibi, hæc purgatio non eſt vera, nec Mercurius ſic verus eſt: alium enim Mercurium habent Viri ſapientes, aliamque ejus purgationem, & ſic evanuit. Excitatus è ſomno Alchemiſta, cogitabat qualis eſſet illa viſio, cogitabat qualis eſſe deberet ille Mercurius Philoſophorum: nihil potuit excogitare aliud quàm hunc ſuum Mercurium vulgi. Sed tamen deſiderabat ut cum illo ſene longius loqui potuiſſet: laboravit tamen aſſiduè, jam & in ſtercoribus animantium, & puerorum, poſtea & in ſuo proprio ſtercore laborare cæpit. Et quolibet die in locum ubi viſionem vidit ibat, ut ſenem illum iterum alloqui poſſet: interdum ſimulabat ſomnum, clauſis oculis jacebat expectando ſenem. Sed cum venire nollet putabat illum timere, neque credere quod dormiret, jurabat ergo dicens: Mi Domine Senex, noli timere, certè ego dormio: reſpice oculos ſi non credis: Et miſer ille Alchemiſta, poſt tot labores & conſumptionem bonorum ſuorum, jam & in delirium cadebat, ſemper de illo ſene cogitando. Et ex illa fortiſſima imaginatione apparuit illi phantaſma per ſomnium, in forma illius ſenis, & dixit illi: Noli deſperare amice; Mercurius tuus bonus eſt: & Materia tua, ſed ſi tibi non vult obedire, conjures illum, ne ſit volatilis; Tamen & ſerpentes ſolent conjurari, quare & non Mercurius? & ſic diſcedere voluit ſenex. At Alchemiſta ab illo petiit dicens: Domine expecta, & præ clamore excitatus eſt miſer, tamen non ſine magna conſolatione. Accepit poſtea vas plenum Mercurio, & cœpit illum miris modis conjurare, ſicut illum docuit ſomnium. Et recordatus eſt verborum ſenis, quod dixerit: *Serpentes conjurantur*, & Mercurius pingitur cum ſerpentibus, cogitavit, certè ſic debet conjurari ſicut ſerpens. Et accepto vaſe cum Mercurio cæpit dicere: VX VX, OSTAS &c. Et ubi debuit eſſe nomen ſerpentis, Mercurii poſuit dicens. Et tu Mercurii nequiſſima beſtia, &c. Ad quæ verba Mercurius cæpit ridere, & loqui ad Alchemiſtam dicens. Quid vis quod me turbas mi Domine Alchemiſta? *Alchem.* Oho, jam me vocas Dominum quando tibi vivum tango, jam tibi inveni frenum, expecta parum, mox meam cantilenam canes, & cœpit ad illum ſtrenuè loqui, quaſi cum ira, Tu ne es ille Mercurius Philoſophorum? *Merc.* (quaſi timeret reſpondit:) Ego ſum, mi Domine, Mercurius. *Alchem.* Quare ergo mihi obedire noluiſti? nec te fixare potui? *Mercur.* O magnifice Domine, rogo parce mihi miſero? neſcivi enim quod ſis tantus Philoſophus. *Alchem.* Nónne hoc ſentiebas ex meis laboribus, cùm ita Philoſophicè recum procedebam? *Merc.* Ita eſt mi Domine magnifice, attamen occultare me volui, ſed video miſer quod me occultare non poſſum coram Domino meo magnifico. *Alchem.* Jam ergo noſti Philoſophum? *Merc.* Maximè mi Domine, video dominationem veſtram magnificam Philoſophum eſſe excellentiſſimum. *Alchem.* (Lærus in corde ſuo dicit,) Certè ego jam inveni quod quæſivi. Iterum ad Mercurium dixit voce terribili: Nunc eia, ergo eſto obediens, aliàs non bene tecum erit. *Merc.* Libenter mi Domine, ſi tantum poſſim: nam jam debilis valde ſum. *Alchem.* Quid jam te excuſas? *Merc.* Non, mi Domine, ſed langueſco. *Alchem.* Quid tibi nocet? *Merc.* Alchemiſta mihi nocet. *Alch.* Quid tu adhuc me rides? *Merc.* O Domine non, de Alchemiſta loquor, tu autem Philoſophus es. *Alchem.* O bene, bene, ita eſt. Sed quid fecit Alchemiſta? *Merc.* O mi Domine multa mala fecit mihi, nam commiſcuit me miſerum rebus mihi contrariis, unde non poſſum pervenire ad vires meas, & ſum ferè mortuus: cruciatus enim ſum uſque ad mortem ferè. *Alchem.* O dignus es iſtis, quia es inobediens. *Merc.* Nunquam inobediens fui alicui Philoſopho, ſed ex natura mihi eſt ridere ſtultos. *Alchem.* Et de me quid ſentis? *Merc.* O Domine tu es Vir magnus, Philoſophus maximus, tua magnitudine excellis Hermetem. *Alch.* Certè ita eſt, ego ſum vir doctus, ſed me nolo laudare ipſe, ſed & uxor mea dixit mihi quod ego ſim valde doctus Philoſophus, illa hoc cognovit in me. *Merc.* Credo facile: nam tales oportet

eſſe

esse Philosophos qui præ nimia prudentia & labore insaniant. *Alchem.* Age dicas mihi ergo quid faciam tecum? quomodo ex te faciam Lapidem Philosophorum? *Merc.* O mi Domine Philosophe ego nescio. Tu es Philosophus, ego Servus Philosophorum, quod illi ex me facere volunt faciunt, ego illis in quantum possum obedio. *Alchem.* Tu mihi dicere debes quomodo tecum procedere debeo, & si ex te facere possum Lapidem Philosophicum *Merc.* Si scis facies, si verò nescis nihil facies: à me nihil addisces si prius nescis, mi Domine Philosophe. *Alchem.* Tu mecum ita loqueris, sicut cum aliquo simplici homine, fortassè ignoras quod ego apud magnos Princeps laboravi, & apud illos Philosophus fui. *Merc.* Facilè credo mi Domine, nam ista optimè scio, adhuc sordeo ex hujus laboris mixtura. *Alchem* Dic ergo mihi. Tu es Mercurius Philosophorum? *Merc.* Ego sum Mercurius, si autem sum Philosophorum te scire oportet. Dic mihi solummodo si tu es verus Mercurius, vel si est alius. *Merc.* Ego sum Mercurius, sed est & alius. Et sic evanuit. Alchemista clamat & loquitur, sed nemo respondet illi. Et cogitans inter se dicit: Verè ego sum vir optimus, mecum locutus est Mercurius, certè me amat: & incœpit Mercurium sublimare, distillare, calcinare, turbizare, præcipitare, solvere miris modis & aquis variis, sed ut prius frustra conatus est, inaniter consumpsit sumptus & tempus. Quapropter tandem incipit maledicere Mercurio, & Naturam blasphemare quod creaverit illum. Natura verò cùm audivit ista, vocavit Mercurium ad se, & dixit illi: Quid tu fecisti huic? quid mihi maledicit propter re, & blasphemat me? cur non præstas quod debes? Sed Mercurius modestè se excusat. At Natura jubet ut sit obediens filiis doctrinæ quærentibus se: Mercurius promisit se id præstiturum, aitque: Mater Natura, sed stultis quis satisfaciet? Natura subridens discessit: Mercurius verò iratus Alchemistæ, etiam ad suum locum vadit. Post aliquot dies incidit in mentem Alchemistæ quod in laboribus suis aliquid omiserit: iterum ad Mercurium recurrit, & illum cum stercore porcino commiscere constituit. Sed Mercurius iratus quod illum sinistrè coram Natura Matre accusaverat, ad Alchemistam ait: Quid tu stulte ex me habere vis? cur me accusasti? *Alchem.* Tunc es ille quem ego desideravi videre? *Merc.* Ego sum, sed nemo me cœcus videre potest. *Alchem.* Ego non sum cœcus. *Merc.* Maximè cœcus es, nam teipsum non vides quomodo ergo me videre debes? *Alchem.* O jam superbus es, ego tecum modestè loquor, & tu ita me contemnis: nescis fortassè quod ego apud multos Principes laboraverim, & apud illos Philosophus fuerim. *Merc.* Ad Principum aulas stulti concurrunt, illic enim honorantur, & præ cæteris bene habent; fuisti tu etiam apud aulam. *Alchem.* O tu es diabolus, & non bonus Mercurius, si tu ita vis loqui cum Philosophis: nam & prius ita me seduxisti. *Merc.* Nostine tu Philosophos? *Alchem.* Ego ipse sum Philosophus. *Merc.* Ecce nobis Philosophus (subridens dicit: & cœpit cum illo ulterius loqui, dicens) mi Philosophe, dic ergo mihi quid quæris, & quid vis habere? facere quid cupis? *Alchem.* Lapidem Philosophorum. *Merc.* Ex qua igitur materia vis illum facere? *Alchem.* Ex Mercurio nostro. *Merc.* O mi Philosophe, tunc ego discedam, quia non sum vester. *Alch.* O tu es non nisi Diabolus, & vis me seducere. *Merc.* Certè mi Philosophe, tu mihi es Diabolus non ego tibi: nam tu pessimè me tractasti more diabolico. *Alchem.* O quid audio. Certè hic est Diabolus: nam ego omnia secundum Philosophorum scripta facio, & scio optimè laborare, *Merc.* Optimè scis: nam & magis facis quàm scis & legis: Philosophi dixerunt naturam naturis miscendam, & extra naturam nihil jubent: tu verò jam me cum omnibus ferè rebus sordidissimis, & stercoribus misces. *Alchem.* Ego nihil facio extra naturam: sed semino semen in terram suam, sicut Philosophi dixerunt. *Merc.* Seminas me in stercus, & tempore messis ego evanesco, tu vero stercus metere soles. *Alch.* Tamen sic Philosophi scripserunt, quod in sterquilinio materia illorum quæri debeat. *Merc.* Verum est quod illi scripserunt, & tu ad syllabam intelligis, & non eorum sensum & mentem. *Alchem.* Nunc video quòd tu es Mercurius fortassis; sed non vis obedire mihi. Et cœpit illum iterum conjurare, dicens: V X V X. Sed Mercurius ridens respondit: Nihil proficies, mi Amice. *Alchem.* Non frustra de te dicunt quod mirabilis es, & inconstans ac volatilis. *Merc.* Tu me dicis esse inconstantem, hoc tibi sic solvo. Constans ego sum constanti artifici; fixus fixo animo: sed tu, & tui similes inconstantes sunt, vagantes ex una re in aliam, ex una materia in alteram. *Alchem.* Dic ergo mihi, si tu es ille Mercurius de quo Philosophi scripserunt, quem cum sulphure & sale omnium rerum principium dixerunt, an verò alius quærendus? *Merc.* Certè fructus ab arbore non procul cadit, sed ego meam gloriam non quæro: sum idem qui fui, sed anni mei diversi sunt. Ab initio juvenis fui tamdiu quamdiu fui solus, sed jam senior sum, sed idem qui fui ante. *Alchem.* Jam mihi places, quod jam senior sis: ego enim semper talem quæsivi qui sit maturior & fixior, ut eò facilius cum illo convenire possim. *Merc.* Fruſtrà me visitas senem, qui me non nosti in juventute. *Alchem.* Nonne ego te novi, qui te semper miris modis tractavi, ut tu ipse dixisti? & adhuc non desinam donec perficiam Lapidem Philosophorum. *Merc.* O me miserum! quid sim facturus? qui fortasse iterum cum stercoribus miscebor, jam crucior denuo. O me miserum! rogo te ô Domine Philosophe, noli me tantum porcino stercori miscere: nam aliàs jam peribo, fœtore enim hoc cogor meam mutare formam. Et quid vis ut amplius faciam? nonne satis crucior à te? nonne obedio tibi? nonne misceo me rebus quibus tu vis? nonne sum sublimis? nonne præcipitatus? nonne Turbit? nonne Amalgama? nonne massa? quid jam magis à me cupis? meum corpus jam ita flagellatum est, jam sputatum ut lapis meis possit misereri: ex me habes lac, ex me carnem, ex me butyrum, ex me oleum, ex me aquam, & quod unquam metallorum aut mineralium id præstare possit quod ego solus? & non est misericordia mecum. O me miserum! *Alchem.* O ho non nocet tibi, tu es nequam, licet te quovis modo invertas, tu non mutas te, nisi formam tibi fingis, iterum semper redis in primam speciem tuam. *Merc.* Ego facio sicut tu vis, si vis ut sim corpus, corpus sum: si vis ut sim pulvis, pulvis sum. Nescio quomodo me magis humiliare debeam quàm cùm pulvis & umbra fio. *Alchem.* Dic ergo mihi, quis tu es in centro tuo? & non te plus cruciabo. *Merc.* Jam cogor tecum ex fundamento loqui. Si vis potes me intelligere: formam meam vides, de hoc tibi non est opus. Sed quod de centro meo interrogas, centrum meum est cor omnium fixissimum, immortale, & penetrans: in illo est requies Domini mei, ego verò ipse sum via & cursor, peregrinus & domesticus,

cus, fideliſſimus ſum omnibus meis ſociis, non relinquo comitantes me; cum illis maneo, cum illis pereo. Sum corpus immortale: morior quidem cùm occidor, ſed ad judicium coram ſagace judice reſurgo *Alchem.* Ergo tu es Lapis Philoſophorum? *Merc.* Mater mea talis eſt, ex illa naſcitur artificialiter unum aliquid, frater verò meus qui in arce habitat, in velle ſuo habet quod Philoſophus vult. *Alchem.* Es ne tu ſenex? *Merc.* Mater mea genuit me, ſed ego ſenior ſum matre. *Alchem.* Quis Diabolus te poteſt intelligere, cùm mihi ad propoſitum non reſpondeas? ſemper parabolas dicis. Dic mihi ſi tu es fontina de qua Bernardus Comes Treviſanus ſcripſit? *Merc.* Fontina non ſum, ſed aqua ſum, fontina me circundedit. *Alchem.* Solvitúrne aurum in te cùm aqua ſis? *Mercur.* Quicquid mecum eſt amo, ſicut amicum; & quicquid mecum naſcitur, huic nutrimentum do; & quicquid nudum eſt, aliis meis tego. *Alchem.* Video ego, quod tecum non eſt loqui, ego alia quæro, tu alia dicis: ſi non vis bene reſpondere, certè jam tecum eo ad labores. *Mercur.* O Domine rogo te, eſto mihi miſericors; jam libenter dicam quod ſcio. *Alchem.* Dic ergo mihi, ſi tu times ignem? *Mercur.* Ego ipſe ignis ſum. *Alchem.* Et quare igitur ab igne fugis? *Mercur.* Spiritus meus cum ſpiritu ignis amant ſe, & quo poteſt comitatur unus alterum. *Alchem.* Et quorſum ſoles ire quando cum igne aſcendis? *Mercur.* Scito, omnis peregrinus ſemper in patriam ſuam tendit, & quando illud unde egreſſus eſt venit, requieſcit, & ſemper redit ſapientior quàm exit. *Alchemiſt.* Reverteriſne iterum aliquando? *Mercur.* Revertor, ſed in alia forma. *Alchem.* Non intelligo quid hoc eſt, neque de igne quidquam. *Mercur.* Si quis ignem cordis mei novit, vidit ignē (calorem debitum) cibum meum eſſe: & quo diutius ignem ſpiritus cordis mei comedit pinguior erit, cujus mors poſtea vita omnium rerum eſt quæcunque in hoc regno ſunt ubi ego ſum *Alchem.* Esne tu magnus? *Mercur.* Habes me in exemplum, ex mille guttulis unus ero, ex uno multa millia guttarum do: & ſicut corpus meum eſt in oculis tuis, ſi mecum, ludere ſcis, potes me dividere in tantum in quantum vis, iterum unus ero: quid igitur ſpiritus (cor meum) intrinſecè, qui ſemper ex minutiſſima parte multa millia profert? *Alchem.* Et quomodo igitur te cum facere oportet, ut ita ſis? *Merc.* Ignis ſum intus, ignis eſt mihi cibus, vita verò ignis aër eſt, ſine aëre ignis extinguitur; ignis prævalet aëri, propterea non quieſco, nec me crudus poteſt conſtringere aër: adde aërem aëri ut ſint ambo unum & teneant pondus, cum igne calido conjunge, temporibus da ad cuſtodiendum. *Alchem.* Quid poſtea erit? *Mercur.* Subtrahetur ſuperfluum, reſiduum combures igne, in aquam pones, coques, poſtea coctum ægrotis in medicinam dabis. *Alchem.* Nihil mihi dicis ad meas quæſtiones. Video ego, quod tu me tantum parabolis vis eludere. Uxor, affer ſtercus porcinum, ego iſtum Mercurium novis modis tractabo, donec mihi dicat quomodo Lapis Philoſophicus ſit faciendus ex illo. Mercurius auditis hiſce, incipit lamentari ſuper Alchemiſta, vaditque ad matrem Naturam: accuſat ingratum laborantem. Natura filio Mercurio credit, qui verax eſt, ira commota ad Alchemiſtam venit, & illum vocat; heus tu ubi es? *Alchem.* Quis eſt qui me vocat? *Natura,* Quid tu ſtulte cum filio meo agis? cur illi facis tantam injuriam? cur illum crucias? qui tibi omne bonum facere vult, ſi tantum intelligere velles. *Alchem.* Quis Diabolus me increpat, tantum Virum & Philoſophum? *Natura.* O ſtulte, plenum ſuperbia ſtercus Philoſophorum, novi ego Philoſophos, & omnes Sapientes, quos amo, nam & illi me amant, & omnia mihi faciunt ad placitum: & quo ego non poſſum, illi me juvant. Vos autem Alchemiſtæ, ex quorum ordine tu quoque unus es, abſque meo ſcitu, & conſenſu; imò omnia contraria mihi facitis: propterea vobis etiam contrarium evenit. Putatis quod bene filios meos tractetis, ſed nihil perficitis: & ſi rectè conſiderare velitis, non vos illos tractatis, ſed illi vos tractant: nam vos nihil ex illis facere poteſtis neque ſcitis, illi vero ex vobis, quando volunt, faciunt ſtultos. *Alchem.* Non eſt verum, ego etiam ſum Philoſophus, & ſcio laborare bene. Fui ego apud Principem non unum, & fui apud illos Philoſophus, quod & uxor mea ſcit, etiam jam nunc habeo librum manuſcriptum, qui erat aliquot centum annis in muro quodam occultus, jam certò ſciam facere Lapidem Philoſophorum, & etiam hiſce diebus revelatum eſt mihi per ſomnium. & ego ſoleo vera ſomnia habere: Uxor tu ſcis. *Natura.* Facies ſicut fecerunt alii tui collegæ, qui in principio omnia ſciunt & ſcire ſe putant, in fine verò nihil. *Alchem.* Tamen alii ex te (ſi tu es vera Natura) ſolent facere. *Natura.* Verum eſt, ſed ſolummodo hi me noverunt, qui pauci ſunt. Qui me verò novit non cruciat filios meos, neque me impedit, ſed mihi facit ad placitum, & augmentat bona mea, & filiorum meorum corpora ſanat. *Alchem.* Tamen & ego ſic facio. *Natura.* Tu mihi contraria omnia facis, & contra meam, voluntatem cum filiis meis procedis: ubi deberes revivificare, tu occidis; ubi figere, tu ſublimas: ubi calcinare, tu diſtillas; præſertim hunc mihi obedientiſſimum filium Mercurium, quem tot corroſivis aquis tot venenoſis rebus crucias. *Alchem.* Tunc ego ſic procedam cum illo ſuaviter per digeſtionem ſolummodo. *Natura.* Bene eſt ſi ſcis, ſin minus, non illi, ſed tibi nocebis ipſe, & ſumptibus tuis: nam idem eſt illi; ita cum ſtercore ſe miſcet ſicuti cum eodem gemma, ſemper bona eſt, & ſtercus illam non minuit, etiamſi in illud projiciatur, quando lavatur eadem eſt gemma quæ fuit antea. *Alchem.* Sed ego libenter ſcirem facere Lapidem Philoſophicum. *Natura.* Ergo non ſic filium meum tractato: ſcito enim quod ego multos filios & filias habeo, & adſum præſto quærentibus me, ſi ſunt digni. *Alchem.* Dic ergo mihi, quis eſt iſte Mercurius? *Natura.* Scito quod eſt mihi unus tantum talis filius, unus ex ſeptem eſt, & primus eſt; ipſe quoque omnia eſt, qui unus tantum erat; nihil eſt, & numerus ejus integer eſt; In illo ſunt quatuor Elementa, qui tamen non eſt Elementum; Spiritus eſt, qui tamen corpus habet; Vir eſt, & tamen vices fœminæ agit; puer eſt, & viri arma gerit; animal eſt, & tamen alas avis habet; Venenum eſt, & tamen lepram curat; vita eſt, & tamen omnia occidit; Rex eſt, alter tamen poſſidet ejus regnum; fugit cum igne, & tamen ex illo paratur ignis; aqua eſt, & non madefacit; terra eſt, & tamen ſeminatur; aër eſt, & vivit aqua. *Alch.* Jam video ego quod nihil ſcio, ſed non audeo dicere: nam perderem bonam exiſtimationem, & vicinus meus non impenderet amplius in me, ſi ſciret quod ego nihil ſciam: ego tamen dicam quod ſcio certè, aliâs nemo vel panem mihi daret: multi enim illorum ſperant à me multa bona. *Natura.* Et ſi in longum pertrahes, quid poſtea erit? interim & vicini quilibet repetent ſuos ſumptus à te.

Alchem.

Alchem. Alam spe omnes quousque potero. *Natura.* Et tandem quid ultimo? *Alchem.* Tentabo tacitè varios labores: si succedat solvam; sin minus ibi in aliam provinciam, & hoc idem agam. *Natura.* Et postea quid erit? *Alchem.* Ha ha ha, sunt multæ provinciæ, multi quoque avari, quibus magnam copiam promittant auri, idque brevissimo tempore, & sic dies diem sequetur, interim aut Rex, aut Asinus morietur, aut Ego. *Natura.* Laqueus meritò tales Philosophos manet: apage te, & finem tibi, & tali tuæ philosophiæ, mala cruce quàm ocyssimè impone: hoc enim unico consilio nec mihi, nec proximo, nec tibi ipsi fraudi eris.

Novi Luminis Chemici *Tractatus alter* De Sulphure.

Authoris Anagramma,

Angelus doce mihi Jus.

Præfatio.

Cum mihi non liceat, Lector benevole, apertius quàm alii veteres Philosophi scripserant scribere; fortasse scriptis meis non eris contentus: Præsertim cùm tot Philosophorum libros alios præ manibus habeas: sed crede, nec mihi etiam libros conscribere opus est, quia ex illis nec commodum, nec vanam ostentationem quæro; ideo nec quis sum evulgare cupio. Ea quæ tuæ utilitati jam publicum tradidi magis quàm satis esse mihi videbantur; reliqua ad Harmoniam, ubi de rebus naturalibus copiosè proposui, reseranda destinavi: attamen hortatu amicorum & hunc tractatum de Sulphure conscribere debui; in quo an ad priora addere aliquid opus est nescio. Imò neque hic etiam, si tibi tot Philosophorum scripta non satisfaciunt, satisfaciet: Et maximè si tibi quotidiana operatio naturæ non satis exemplo est, nulla exempla juvabunt. Nam si ista quomodo natura operatur maturo judicio considerares: non opus haberes tot Philosophorum voluminibus: quoniam meo judicio melius est ab ipso magistro Natura quàm à discipulis discere. Satis in præfatione libelli. XII. Tractatuum, tum & primo tractatu: ibidem habes quod in arte ista tot & tanti libri reperiuntur ut jam inquirentes magis impediant quàm juvent: & ita esse videtur quoniam scripta Philosophorum ex tam parva schedula Hermetis in tam magnum labyrinthum maximè erroneum excreverunt, & in dies ad Eclipsim declinant: & hoc non nisi ab invidis scientibus factum esse credo, cum ignorans nesciat quid addi vel subtrahi debeat, nisi fortè authoris manus non benè legi possit. Si in aliqua scientia multum juvat aut nocet si unum verbum deest vel superat, illud maximè in ista. Ad exemplum: scriptum est in loco uno: Postea has aquas simul misceas, *alter addidit* non; *parum quidem addidit & nihilominus totum caput contrarium fecit. Studiosus tamen diligens sciat apem etiam ex venosis herbis mel colligere; si enim ad possibilitatem naturæ lectionem dirigit, facile Sophismata superabit: & tamen legere non desinat, quia liber librum aperit. Sed ego ita intellexi, quod libri Gebri Philosophi, & quis scit si non & aliorum autorum? veneficiis maximis incantati sunt, ita ut nullo modo possint nec debeant intelligi nisi millesima lectione, & hoc ab ingenioso lectore; fatui planè ab illorum lectione excluduntur. Sunt quidem multi qui illum, sicuti & alios Autores, interpretantur; sed video explicationem esse difficiliorem textu: Meum consilium est ut in textu maneat, & quicquid legis, omnia ad possibilitatem naturæ applices; & quid sit natura in primis perquiras. Omnes quidem scribunt quod res est vilis, facilis, communis; & verum quidem est, sed adjungendum fuit, Scientibus. Sciens & inter stercora illam cognoscit, & ignorans etiam in auro illam esse non credit. Et hi omnes qui ejusmodi libros obscuros composuerunt, si artem nescirent, sed ex ejusmodi libris (qui quidem verissimi sunt) artem quærere deberent, illam difficilius invenirent, quàm moderni inquisitores inveniunt. Ego mea scripta laudare nolo, ille judicabit qui illa ad possibilitatem & cursum naturæ applicabit: & si ex meis scriptis, consiliis, & exemplis, operationem naturæ, & ministros ejus spiritus vitales aërem constringentes, tum & subjectum primæ materiæ, cognoscere non poterit, vix ex Raimundo Lullio intelliget: difficile enim est credere Spiritus habere tantam potentiam in ventre venti. Hanc sylvam & ego transire coactus sum, & illam quoque multiplicare juvi, tali tamen modo quòd meæ plantæ veris filiis artis, & hujus S. Scientiæ studiosis per sylvam hanc transire volentibus, in signa & quasi lumen ac duces esse debeant; sunt enim meæ plantæ quasi Spiritus corporales. Jam enim secula præterierunt ubi confidentia amicorum floruit, & hæc scientia oretenus dabatur; jam nonnisi à solius altissimi Dei inspiratione acquiritur: ideò non desperet diligens ac Deum timens inquisitor; Si illam quæret inveniet. Quoniam facilius à Deo quàm ab homine impetratur: ille enim est immensæ misericordiæ Deus, qui nescit fidentem deserere; apud illum non est respectus personarum; cor contritum & humiliatum non despiciet, qui & mei, ejus Creaturarum indignissimi, misertus est; cujus potentiam, bonitatem, inexplicabilem misericordiam, quam mihi ostendere dignatus est, explanare non sum sufficiens: At si non alias grates dare possum, calamo saltem non desinam temporibus porrigere ista. Sis ergo bono animo, Lector candide, & tibi quoque hanc gratiam non denegabit: si in illo Spem integram posueris, illum adorabis & invocabis, ille tibi aperiet naturæ januam; ibi videbis quomodo natura simplicissimè operatur. Scias pro certo quod natura simplicissima est, nec delectatur nisi in simplicitate, & crede mihi, quicquid in natura nobilius est eò etiam & facilius, ac simplicius, quoniam omnis veritas simplex est: Deus altissimus conditor rerum nihil difficile posuit in natura. Si igitur vis esse imitator naturæ, tibi suadeo ut in simplici via maneas naturæ, & omnia bona invenies. Quod si verò tibi nec mea scripta, nec consilium placet, ad alios Authores ito: Propterea ego non magna volumina scribo ut in illis non multum expendas, citòque perlegere possis, ut tibi sit ad alios Authores recurrendi tempus: & quærere non desinas pulsanti enim aperietur. Jam etiam illa tempora adveniunt in quibus arcana multa naturæ revelabuntur: Jam illa Monarchia quarta Borealis incipere habet: Jam tempora appropinquant; mater scientiarum veniet; majora elucidabuntur quam in his tribus præteritis Monarchiis factum est. Quoniam hanc Monarchiam (ut veteres divinarunt) plantabit Deus per unum ex Principibus omnibus virtutibus ditatum, quem fortasse nobis jam tempora produxerunt. Habemus enim in hac parte boreali Principem Sapientissimum ac bellicosissimum, quem nullus Monarcharum victoriis superat, humanitate ac pietate nullus excellit. In hac Monarchia Boreali Deus omnium*

conditor

conditor rerum majora arcana sine dubio in natura elucidabit quàm illis temporibus, ubi aut Paganorum aut Tyrannorum Principum sedes fuit. Sed has Monarchias Philosophi non secundum potentiores, sed secundum Cardines mundi numerant: Imprimis Orientalem, postea Meridionalem, jam verò Occidentalem habent, & ultimam Septentrionalem in hac parte Boreali expectant: de quibus in Harmonia dabitur. In hac Septentrionali attractiva polari Monarchia (ut Psalmista ait) Misericordia & veritas obviabunt sibi; pax & justitia osculabuntur, Veritas de terra orietur, & Justitia de cœlo prospiciet. Unum ovile, & unus pastor, (*Joh.* 10. 16.) *Scientia multæ sine invidia: quod & ego cum desiderio expecto. Tu quoque, Candide Lector, Deum invoca, time, ama, meáque scripta diligenter lege, & tibi certè divinare bona. Quod si Deo favente, naturâ operante, (cujus imitator sis) ad portum desideratum hujus Monarchiæ appuleris, tunc videbis & judicabis omnia me tibi bona & vera dixisse. Vale.*

De Sulphure, Secundo Principiorum.

Sulphur non est postremum inter Principia, quoniam illud est pars Metalli; imò pars principalis Lapidis Philosophorum: & multi Sapientes varia & verissima de Sulphure reliquerunt, Imò ipse Geber Summæ Perfectionis libr. 1. cap. 28. dicit: *Per Deum Altissimum ipsum illuminat omne corpus; quoniam est lumen à lumine, & tinctura.* Nos autem antequam de illo simus tractaturi, visum est nobis Primò originem principiorum describere; præsertim cum Sulphur pro principali Principiorum antiquitùs habitum sit. Unde autem Principia oriũtur pauci hucusque obtenderunt; & difficile est judicare de aliquo Principiorum, sicut & de quamvis alia re, cujus origo & generatio ignoratur: quid enim de colore cæcus? Quod igitur antecessores noster omiserunt, id nos in hoc Tractatu adimplere proposuimus.

Sunt autem principia rerum, præsertim Metallorum, secundùm antiquos Philosophos Duo, Sulphur & Mercurius: Secundum Neotericos verò tria, Sal, Sulphur, & Mercurius. Origo autem horum Principiorum sunt quatuor Elementa: de quorum etiam origine nobis imprimis incipiendum est. Sciant ergo studiosi hujus S. Scientiæ quatuor Elementa esse, & quodlibet horum quatuor habere in suo centro aliud Elementum à quo elementatur: & hæc sunt quatuor Statuæ Mundi, ex Chao in Creatione Mundi à Divina Sapientia separatæ, quæ hanc machinam Mundi per suum actum contrarium in æqualitate & proportione tenent, ac virtutum cœlestium inclinatione omnes res infra & super terram producunt; de quibus suo loco: hic ad propositum, primò de propinquiori Elemento Terræ.

De Elemento Terræ.

Terra est Elementum satis dignum in sua qualitate & dignitate: In hoc Elemento alia tria, & præcipuè Ignis, requiescunt. Est Elementum præstantissimum ad celandum & manifestandum ea quæ sibi concredita sunt: grossum est & porosum, grave respectu suæ parvitatis, sed leve respectu suæ naturæ: est etiam centrum Mundi, tum & aliorum Elementorum: Per ejus Centrum transit Axis Mundi utriusque Poli. Est porosum, ut diximus, sicut spongia quæ nihil ex se profert; Sed quicquid alia tria in illud stillant, & projiciunt, omnia recipit, servanda servat, manifestanda manifestat. Nihil, ut diximus, ex se profert, sed est receptaculum aliorum, & est in quo omne productum manet, ac per calorem motivum in illo putrefit, ac per eundem, separato puro ab impuro, multiplicatur: quod grave est in illo occultatur, & leve pellit calor in ejus superficiem. Est omnis seminis & commistionis nutrix & matrix: nihil quidem aliud præstare potest quàm tueri semen & compositum ad maturitatem usque. Est frigidum siccum, temperatur aqua; extra visibile, fixum; intus verò invisibile & volatile. Virgo est ex Creatione distillationis Mundi relictum caput mortuum, quod aliquando voluntate divina calcinandum erit, post extractionem sui humidi, ut ex illo nova Crystallina creari possit Terra. Divisum est etiam hoc Elementum in partem puram & impuram: Pura utitur aqua ad res producendas, impura verò in suo globo manet. Est hoc Elementum occultatio & domicilium omnis thesauri. In Centro ejus est Ignis Gehennalis, continens hanc machinam Mundi in suo esse; & hoc per expressionem aquæ in aëra. Ignis ille per primum Mobile atque per influentias stellarum causatur & accenditur: huic obviat calor solaris aëre temperatus, ad maturandum & adtrahendum ea quæ jam concepta sunt in suo Centro. Propterea Terra participat cum igne, & est ejus intrinsecum, nec purificatur nisi Igne: & sic quodlibet Elementum suo intrinseco purificatur. Intrinsecum autem Terræ, seu Centrum, est summa puritas mixta Igne ubi nihil quiescere potest: est enim quasi locus vacuus, in quem alia Elementa suos actus projiciunt, ut in Libello XII. Tractatuum dictum est. Et hæc de Elemento Terræ, quam Spongiam esse diximus & aliorum receptaculum, quòd ad nostrum propositum sufficit.

De Elemento Aquæ.

Aqua est Elementum gravissimum; plenum unctuosi phlegmatis; & est Elementum dignius in sua qualitate, extrà volatile, intus verò fixum, frigidum & humidum est? temperatur aëre: est sperma Mundi in quo semen omnium rerum conservatur: est custos seminis cujuslibet rei. Sciendum tamen est quòd aliud est semen & aliud sperma: Spermatis receptaculum Terra est, seminis verò receptaculum Aqua. Quicquid in aquam stillat aër, causante igne, hoc aqua porrigit terræ. Caret interdum Sperma sufficienti semine, ex defectu caloris digerentis illud; Sperma enim semper est in copia expectans semen quod ex imaginatione ignis per aëris motum portat in matricem: & interdum deficiente semine intrat sperma; sed exit iterum absque fructu: de quibus aliquando in tertio Principiorum Salis Tractatu latius. Accidit sæpissimè in Natura quod Sperma cum sufficienti semine matricem intrat; sed matrix indisposita, repleta peccantibus sulphuribus aut phlegmatibus, non concipit, nec fit hoc quod debuit. In hoc Elemento etiam nihil propriè est, nisi ut in Spermate esse solet: delectatur maximè motu proprio qui fit per aërem, & est miscibile rebus propter superficiale corpus volatile. Est, ut diximus, receptaculum universalis seminis: facilè in illo terra purificatur & resolvitur? & aër in illo congelatur, ac conjungitur illi in profundo. Menstruum Mundi est, quod aërem penetrando, virtute caloris, trahit secum

vaporem

vaporem calidum, qui causat generationem naturalem earum rerum quibus terra imprægnata est sicut matrix; & quando matrix debitam portionem seminis accepit, sit quid sit jam progreditur, naturaque operatur sine intermissione usque ad finem; residuum verò humidum, seu Sperma, cadit ad latus, & agente calore in terram putrefit (illud ad latus rejectum) & ex illo postea generantur res aliæ, interdum variæ bestiolæ ac vermiculi. Posset quidem sagacis ingenii artifex in hoc Elemento, sicut ex spermate, varia videre Naturæ miracula; sed opus esset illud Sperma accipere in quo est jam imaginatum semen astrale certi ponderis. Quia Natura facit & producit ex prima putrefactione res puras, sed ex secunda putrefactione multò puriores, ac multò digniores, & nobiliores, ut habes exemplum in ligno vegetabili, ut in prima compositione Natura facit lignum; quando autem illud post maturitatem corrumpitur, putrefit & generantur ex illo vermes & aliæ bestiolæ vitam & visum habentes: Manifestum autem est quod sensibile semper dignius est vegetabili; nam ad sensibilium organa multò subtilior ac purior materia requiritur: Sed ad propositum.

Hoc Elementum esse menstruum Mundi, & trifariam divisum dicimus; Nempe purum, purius, ac purissimum. Ex ejus purissima substantia cœli creati sunt, purus etiam in aëra resolutum est, purum autem simplex & grossum in sua sphæra remansit, & ordinatione Divina, Natura operante, custodit omnem rem subtilem. Unum globum cum Terra efficit: habet etiam suum centrum in corde maris: unam axim polarem cum Terra habet, per quam omnes cursus & fontes aquarum exeunt, quæ postea in magna flumina excrescunt. Per ejusmodi egressiones aquarum Terra conservatur à combustione, & cum hac humectatione deportatur semen universale per poros universæ terræ, quod motus & calor faciunt. Manifestum autem est quòd omnes cursus aquarum in cor maris revertuntur; sed quò postea perveniunt non omnibus constat: sunt enim aliqui qui credunt omnia flumina, aquas, & scaturigines quæ cursum suum in mare habent ex astris generari, qui cùm aliam rationem cur illis mare non excrescit nesciunt, dicunt in corde maris has aquas consumi. Sed hoc in Natura locum non habet, sicut de pluviis ostendimus. Astra quidem causant sed non generant; cùm nihil generetur nisi in suo simili ejusdem speciei: astra verò sunt ex igne & aëre quomodo igitur generabunt aquas? Et si hoc ita esset quòd quædam stellæ aquas generarent, tunc necessariò & aliæ terram generarent, tum & aliæ alia Elementa: quoniam hæc machina Mundi quatuor Elementis ita detinetur ut unum aliud minima etiam particula non excedat, sed in æquilibrio virtutibus certent: aliàs si unum aliud excederet, ruina sequeretur. Attamen maneat qui vult in sua opinione, nobis ita in lumine Naturæ datum est quòd istis quatuor Elementis, eorum æqualitate à summo Creatore proportionata, hæc machina Mundi conservatur, & unum aliud in sua operatione non excedit. Sed aquæ super fundamentis terræ, tanquam in dolio aliquo ab aëris motu continentur, & versus Polum Arcticum ab eo constringuntur, quia non datur vacuum in mundo: hac de causa est in centro terræ ignis gehennalis caliditatis, quem Archeus naturæ gubernat.

Nam in principio Creationis mundi Deus Opt. Max. ex illo confuso Chao imprimis quintam essentiam Elementorum exaltavit & facta est plus ultra: postea ignis purissimam substantiam ad locandam SS. Majestatem suam super omnia elevavit, ac in suis terminis posuit & firmavit. In centro Chai (voluntate immensæ sapientiæ divinæ) accensus est ignis ille; qui postea illas aquas purissimas distillavit: Sed quia jam ignis ille purissimus firmamentum cum throno Dei altissimi obtinuit; aquæ sub illo igne condensatæ sunt: & ut fortius firmarentur ignis jam grossior priore distillavit; (causante semper illo igne centrali) qui in Sphæram ignis sub aquis remansit: & sic aquæ inter duos ignes in cœlos congelatæ & compressæ sunt. Sed ignis ille Centralis non cessavit, sed destillando ulterius aquas etiam alias minus puriores in aërem resolvit, qui etiam sub Sphæra ignis in Sphæram propriam remansit, & ab ignis Elemento tanquam à fortissimo fundamento circumdatur; & sicut aquæ cœlorum non possunt transgredi ignem illum supercœlestem, ita ignis elementum non potest transgredi aquas cœlorum, nec etiam aër potest transgredi & exaltari super ignis elementum. Aqua verò cum terra in unum globum remansit, quoniam non habet locum in aëre, excepta illa parte quam ignis in aërem resolvit propter fortificationem quotidianam hujus machinæ mundi. Si enim fuisset vacuum in aëre, tunc aquæ omnes distillassent & in aërem resolutæ fuissent: sed jam aëris Sphæra plena est, quæ semper ex aquis per continuum calorem centralem distillando adimpletur, ita ut cætera aquæ ab aëris compressione circa terram volvantur, & cum terra mundi centrum teneant. Et hæc operatio fit de die in diem; & sic etiam hic mundus de die in diem fortificatur, & incorruptus mansurus est naturaliter, excepta Altissimi conditoris absoluta voluntate. Quia ille ignis centralis non cessabit motu universali & influentia cœlestium virtutum accendi, ac aquas calefacere; nec aquæ cessabunt resolvi in aërem; nec aër cessabit comprimere residuum aquarum cum terra, ac ita in centro continere ut non possint moveri ex suo centro: & sic naturaliter hic mundus à summa sapientia divina factus est & continetur; & sic ad exemplum hujus omnia in mundo naturaliter fieri necesse est. Hanc creationem hujus machinæ mundi voluimus tibi elucidare propterea ut scias quod quatuor elementa habent sympathiam naturalem cum superioribus, quia ex uno chao eadem sunt: sed à superioribus gubernantur sicut à dignioribus; inde & in hunc locum sublunarem hæc obedientia devenit. Sed scias ista omnia à Philosopho naturaliter inventa esse, ut suo loco declarabitur.

Nunc ad propositum de aquarum cursibus, fluxuque & refluxu maris, quomodo per axem polarem ab uno polo ad alium feruntur. Duo sunt Poli, unus Arcticus in parte superiori Septentrionali, alter verò antarcticus sub terra in parte meridionali. Polus arcticus habet vim magneticam attrahendi; Polus verò Antarcticus habet vim magneticam expellendi, quod nobis natura in magnete exemplum ostendit. Trahit igitur polus Arcticus aquas, per axem, quem cum intraverunt iterum per Poli Antarctici axem erumpunt: & quia aër non permittit inæqualitatem, coguntur iterum ad Polum Arcticum, centrum suum, reverti & ita continuè cursum suum observare. In quo cursu à Polo Arctico ad Polum Antarcticum per medium seu axem mundi, per poros terræ diffunduntur, & sic secundum majus & minus scaturigines oriuntur; &

poſtea in flumina excreſcunt congredientes, ac iterum illuc unde egreſſæ ſunt, reverturtur; & hoc motu univerſali inceſſabiliter fit. Has aquas aliqui, ut diximus, ignorantes motum univerſalem & polorum operationes, in corde maris conſumi & ab aſtris generari dicunt, quæ nihil materiale producunt nec generant, niſi quod virtutes imprimunt & ſpirituales influentias, quæ tamen non dant pondus. Aquæ igitur non generantur, ſed ex Centro maris per poros terræ in univerſum mundum eas egredi ſcito. Ex iſtis fundamentis naturalibus Philoſophi invenerunt varia inſtrumenta, ad ductus aquarum, & fontanas, cum ſciatur naturaliter aquas non altius aſcendi poſſe niſi ut egrediuntur; & niſi ita eſſet in natura ars nequaquam potuiſſet, quia ars imitatur naturam; & quod in natura non eſt per artem non ſuccedit; aqua enim ut diximus non altius aſcendit niſi ut aſſumitur: Exemplum habes illud inſtrumentum quo vinum ex dolio evocatur. Concluſivè igitur ſcias non ex aſtris ſcaturigines generari, & omnes exitus aquarum, ſed ex centro maris quo iterum recurrunt, ac ſic motum continuum obſervant. Si enim hoc non eſſet, nihil omninò neque in terra neque ſuper terram generaretur, imò ruina mundi ſequeretur. Verum ne objiciatur quod in mari ommes aquæ ſalſæ ſunt & aquæ ſcaturiginum dulces: rationem eſſe ſcito, quod aqua illa per poros terræ diſtillatur, & multa milliaria per anguſta loca ac per arenas tranſiens, amiſſa ſalſedine, dulcoratur: ad cujus exemplum Ciſternæ inventæ ſunt. Sunt enim in aliquibus locis pori & meatus majores & largiores per quos ſalſa aqua erumpit, unde poſtea ſalis fodinæ & fontanæ habentur, ut Hallæ in Germania: In aliquibus etiam locis calido conſtringuntur & ſal in arenis relinquitur, aqua verò in alios poros ſudat, ut in Polonia VVieliciæ & Bochniæ. Sic etiam cum aquæ per loca calida ſulphurea continuo ardentia tranſeunt incaleſcunt, unde Thermæ oriuntur: ſunt enim in viſceribus terræ loca in quibus natura mineram ſulphuream diſtillat ſeparátque, ubi ab igne centrali illa accenditur: Per hæc loca ardentia aqua currens ſecundum propinquitatem & remotionem magis minúſve incaleſcit, & ſic in ſuperficiem terræ erumpit, ac ſulphuris ſaporem retinet, ſicut omne juſculum à ſua decoctione carnium. Eodem modo fit cum aqua per loca mineralia, ſive cuprea, ſive aluminoſa, tranſiens eorum ſaporem acquirit. Talis igitur eſt diſtillator conditor omnium rerum, in cujus manu hoc diſtillatorium eſt, ad cujus exemplum diſtillationes omnes à Philoſophis inventæ ſunt, quod ipſemet altiſſimus Deus ac miſericors, abſque dubio, hominibus inſpiravit: qui poterit, quando erit ſancta ejus voluntas, aut ignem centralem extinguere, aut vas frangere, & erit omnium finis. Sed cum ejus bonitas in melius tendat, exaltabit aliquando SS. Majeſtatem ſuam, & ignem illum omnium puriſſimum qui aquis cœlorum in firmamentum eſt, altius extollet, dabitque gradum fortiorem igni Centrali, ut omnes aquæ in aëra eleventur, & calcinabitur terra: & ita ignis, conſumpto omni impuro, reddet ſubtiles, circulatas in aëre aquas purificatæ terræ, atque ſic multo nobiliorem mundum (ſi alias licet philoſophari) efficiet.

Sciant ergo omnes hujus artis inquiſitores quod terra & aqua unum globum habent, & omnia ſimul faciunt, quia ſunt Elementa tangibilia, in quibus alia duo occulta operantur. Ignis conſervat terram ne ſubmergatur, vel diſſolvatur: aër conſervat ignem ne extinguatur: aqua conſervat terram ne comburatur. Hæc ad propoſitum noſtrum viſum eſt nobis utile deſcribere, ut ſtudioſi ſciant in quibus fundamenta Elementorum conſiſtant, & quomodo Philoſophi eorum actus contrarios obſervarunt, ignem cum terra, aërem cum aqua copulantes: licet quando aliquid nobile voluerunt, ignem in aqua decoxerunt, animadvertentes quod ſanguis unus altero purior, ſicut & lacryma purior eſt urina. Sufficiat igitur tibi quod diximus. Elementum aquæ ſperma ac menſtruum mundi eſſe, tum & receptaculum ſeminis.

De Elemento Aëris.

AER eſt elementum integrum, digniſſimum in ſua qualitate, extrà leve & inviſibile, intus verò grave, viſibile & fixum. Eſt calidum & humidum, temperatur igne, eſt dignius terra & aqua. Volatile quidem eſt, ſed fixatur, & quando fixum eſt penetrabile reddit omne corpus. Ex ejus puriſſima ſubſtantia creati ſunt Spiritus vitales animalium, minus purum in aëris propriam Sphæram elevatum eſt, reſiduum verò, pars ejus groſſior, remanſit in aqua, quæ cum aqua circulatur, ſicut ignis cum terra, quia amici ſunt. Digniſſimum eſt, ut diximus, & illud eſt verus locus ſeminis omnium rerum: In illo ita ſemen imaginatur ſicut in viro, quod poſtea motu circulativo projicitur in ſperma ſuum. Habet hoc Elementum formam integritatis ad diſtribuendum ſemen in matrices per ſperma & menſtruum mundi: in illo etiam eſt Spiritus vitalis omnis creaturæ, per omnia vivens, penetrans, & conſtringens ſemen aliis Elementis ſicuti vir uxoribus: ille nutrit ea, ille imprægnat, ille conſervat ea, & docet hoc in dies experientia quod hoc Elemento non ſolum Mineralia, animalia, vel vegetabilia, verùm etiam alia Elementa vivunt. Videmus enim omnes aquas putrefieri, ac ſordeſcere ſi non habent recentem aërem: Ignis quoque extinguitur ſi illi adimitur aër: (Inde ſciunt Alchemiſtæ ignem per aërem diſtribuere in gradus, & ſecundum, menſuram aëris regiſtra ſua ordinant:) Terræ quoque pori conſervantur aëre: In ſumma tota ſtructura mundi aëre conſervatur. Etiam in animalibus, homo necatur cui adimitur aër, &c. in orbe nihil creſceret ſi non eſſet vis aëris penetrantis, & alterantis, attrahentisque ſecum nutrimentum multiplicativum. In hoc Elemento eſt imaginatum ſemen, virtute ignis, quod conſtringit menſtruum mundi, illa vi occulta, ut in arboribus & herbis, cum per poros terræ, actu ſpiritualis caloris, exit ſperma cum ſemine & virtus aëris in proportione conſtringit illud & congelat gurtatim; & ſic de die in diem, de gutta in guttam crescendo, arbores magnæ eriguntur, ſicut in libro XII. Tractatuum tractatũ eſt. In hoc Elemento ſunt omnes res integræ per imaginationem ignis; & eſt plenum virtutis divinæ: In illo namque incluſus eſt Spiritus Altiſſimi qui ante creationem ferebatur ſupra aquas, teſte ſacra Scriptura, *& volavit ſuper pennas ventorum.* Si igitur ita eſt ſicuti eſt, quod Spiritus Domini in illo ferebatur, quid dubitas quod de virtute ſua divina in illo reliquit? Nam hic Monarcha ſolet ornare habitacula ſua; ornavit autem hoc Elementum Spiritu vitali omnis creaturæ. In illo namque eſt ſemen omnium rerum diſperſarum, cui à creatione ſtatim vis illa magnetica (ut ſuprà diximus) à ſummo opifice

incluſa

inclusa est, quam si non haberet non posset attrahere quicquam de nutrimento, sed sic semen in sua parva quantitate relinqueretur, nec crescceret, nec multiplicaretur, sed sicut lapis magnetis trahit ad se ferrum durum (ad exemplum poli Arctici trahentis ad se aquas; ut in Elemento Aquæ scripsimus) sic aër per magnetem vegetabilem, qui in semine est, trahit ad se nutrimentum menstrui mundi, id est aquæ. Ista omnia fiunt aëre, nam ille est dux aquarum, ejúsque vis inclusa est occulta in omni semine ad attrahendum humidum radicale, & hæc virtus est, ut suprà diximus; in omni semine semper pars 280. ut in tract. 3. XII. Tractatuum tibi ostendimus. Si igitur aliquis vellet esse bonus plantator arborum, animadvertendum est illi ut cuspidem attractivam versus partem Septentrionalem vertat, sic nunquam frustrabitur labore: quoniam sicut Polus Arcticus aquas; ita punctum verticale semen trahit ad se; & quælibet cuspis attractiva correspondet illis. Habes exemplum in omni ligno cujus cuspis attractiva naturaliter ad punctum verticale tendit; & trahitur ab illo. Nam fiat lignum quodcunque æqualiter elaboratum; si vis scire quæ cuspis est superior, pone illud in aquam ac submergatur; (extra tamen suam longitudinem) videbis semper cuspidem illam prius ex aquis emergere quam ejus oppositam partem, nescit enim natura errare in suo officio; de quibus latius in Harmonia ubi de vi magnetica (quamvis de magnete facilè is potetit cui natura metallorum cognita est) tractabitur. Hic nos dixisse sufficiat Elementum hoc esse dignissimum, in quo est semen & spiritus vitalis seu domicilium animæ omnis creaturæ.

De Elemento Ignis.

Ignis est elementum purissimum & omnium dignissimum, plenum adhærentis unctuosæ corrosivitatis, penetrans, digerens, corrodens, maximè adhærens, extra visibile, intus verò invisibile; fixissimum; est calidum & siccum, & temperatur terra. Ejus omnium purissima substantia & essentia cum Throno Divinæ Majestatis in creatione primum elevata est, quando aquæ cœlorum firmatæ sunt, ut in Elemento aquæ diximus: ex minus purissima ejus substantia Angeli creati sunt: ex minus puriori cum purissimo aëre mixta luminaria & stellæ creatæ sunt: minus purum adhuc in Sphæram ad concludendum & sublevandum cœlos erectum est: impura verò & unctuosa in centro terræ, ad continuandum motus operationem, à summo Creatore sapientissimo relicta & inclusa est, quam nos gehennam vocamus. Omnes hi ignes divisi quidem sunt; sed habent ad invicem sympathiam naturalem.

Hoc elementum est omnium quietissimum ac simile currui; cum trahitur currit, cum non trahitur stat quietè. Inest etiam omnibus rebus imperceptibiliter. In illo sunt rationes vitales & intellectus, quæ distribuuntur in prima infusione vitæ humanæ; & hæ dicuntur anima rationalis, qua sola homo à cæteris animalibus differt, & Deo assimilatur. Hæc anima est ex illo purissimo igne elementali, in spiritum vitalem divinitus infusa, propter quam homo post creationem omnium rerum in particularem mundum seu microcosmum creatus est. In hoc subjecto omnium rerum Creator Deus sedem & Majestatem suam posuit, sicut in purissimo & quietissimo subjecto, quod à sola voluntate ac immensa sapientia divina gubernatur. Propterea abhorret Deus omnem impuritatem, nihil sordidum, compositum, maculatum, appropinquare potest Deo; ideò nullus mortalium Deum videre nec accedere naturaliter potest: nam ignis ille qui est in circumferentia divinitatis, in quo deportatur sedes & Majestas Altissimi, est ita intensus ut nullus oculus illum penetrare possit: quoniam ignis non patitur accedere compositum: ignis enim omnis compositi mors est, & separatio. Quietissimum subjectum illud esse diximus (quoniam est) alias sequeretur (quod & cogitare absurdum est) Deum quiescere non posse; est enim quietissimi silentii, plus quam mens humana imaginari potest. Habes exemplum in silice, in quo ignis est, & tamen non sentitur, nec apparet donec motu excitatur & accenditur in illo ut appareat: ita ignis ille, in quo locata est SS. Majestas Creatoris nostri, non movetur nisi propria voluntate Altissimi excitetur, & sic deportatur quo est S. Voluntas ejus. Fit enim voluntate supremi conditoris motus vehementissimus & terribilis. Habes exemplum, quando aliquis Monarcha hujus mundi in sua pompa sedet, qualis circa illum quies? quale silentium? & etiamsi ex suis aulicis aliquis movetur motus tantum unius & alterius particularis est, qui non consideratur. Sed quando Dominus ipse movetur fit rumor & motus universalis, tum omnis assistentia movetur cum illo. Quid igitur quando supremus ille Monarcha, Rex Regum, ac Conditor omnium rerum (ad cujus exemplum principes mundi constituuntur in terris) movet authoritatem; qualis motus! qualis tremor quando circa illum movetur tota assistentia cœlestis exercitus? Sed quæret aliquis quomodo ista scimus, cum cœlestia ab humano intellectu abscondita sint. Quibus respondemus, omnibus Philosophis ista manifesta esse, imò ipsa incomprehensibilis sapientia illis inspiravit omnia ad exemplum naturæ creata esse, & ex illis arcanis naturam retractum habere ac operari, nihilque fieri in terris nisi ad exemplum cœlestis monarchiæ, quod ex Angelorum variis officiis habetur. Sic etiam non nascitur nec generatur quicquam, nisi naturaliter. Omnes humanæ inventiones, imò & artificia, quæ aut sunt aut erunt non nisi ex fundamentis naturæ proveniunt. Voluit Altissimus Creator omnia naturalia homini manifestare, propterea & ipsa Cælestia naturaliter facta nobis ostendit, ex quibus eo melius ejus absoluta ac incomprehensibilis potentia & sapientia cognoscerentur; quæ omnia Philosophi in lumine naturæ sicut in speculo videre habent: propterea hanc scientiam, non auri vel argenti cupiditate, sed cognitione, non solum omnium rerum Naturalium sed & ipsius Creatoris potentiæ, magni æstimarunt, & de his quam parcissimè & non nisi figurativè loqui voluerunt, ne mysteria divina, per quæ natura elucidatur, indignis patefiant. Quod tu, si teipsum scire noveris, & non es duræ cervicis, facilè comprehendere possis; qui ad similitudinem majoris mundi, imò ad ipsius Dei imaginem creatus es. Habes in tuo corpore Anatomiam totius mundi; habes in firmamento quintam essentiam quatuor Elementorum, ex Chao spermatum in matricem extractam, & in cutem plus ultrà constrictam; habes purissimum sanguinem loco ignis, in quo sedes animæ (vice Regis) spiritu vitali locata est; habes cor loco terræ, ubi ignis

centralis continuò operatur, & hanc machinam Microcosmi in suo esse continet; Habes polum Arcticum os; habes alvum Antarcticum, & omnia membra cœlestibus correspondent: de quibus in Harmonia nostra aliquando latius relinquemus in Capitulo de Astronomia, ubi scripsimus quomodo Astronomia ars facilis, naturalis, quomodo aspectus planetarum & stellarum causant, & quare ex aspectibus de pluviis & aliis eventibus prognosticatur, quod hic longum esset recensere, & omnia ista sunt sibi concatenata, & naturaliter fiunt: Deitatem tantum aliqua adimplere. Quod veteres omiserunt diligenti studioso hujus arcani indicare voluimus, ut illi tanto clarius incomprehensibilis potentia Altissimi Dei ad Cor perveniat, & ille illum eo ardentius amet & adoret. Sciat ergo inquisitor hujus S. Scientiæ quod anima in homine mundo minori, Microcosmo, Dei Creatoris sui locum tenens, seu vice-Rex est, quæ in spiritu vitali in sanguine purissimo locata est. Illa gubernat mentem, mens verò corpus: quando anima aliquid concipit, mens omnia scit, & mentem omnia membra intelligunt, & parent menti, ac expectant cum desiderio adimplere voluntatem ejus. Corpus enim nihil scit, quicquid in corpore fortitudinis sive motus est, mens facit ista; corpus tantum est menti sicut instrumenta alicujus artificis. Anima autem, qua homo à cæteris animalibus differt, illa operatur in corpore, sed majorem operationem habet extra corpus; quoniam absolute extra corpus dominatur, & his differt ab animalibus quæ tantum mentem & non animam deitatis habent. Sic quoque Deus & conditor rerum, dominus & Deus noster, operatur in hunc mundum ea quæ ad mundi necessaria pertinent, & in his includitur mundo, unde Deum ubique esse credendum. Excluditur autem illa sua immensa sapientia extra corpus mundi, qua operatur extra illum & alia multò altiora imaginatur quam corpus mundi concipere potest, & ista sunt extra naturam, solius Dei secreta. Sicut est exemplum in anima, quæ extra corpus multa profundissima imaginatur, & hisce assimilatur Deo qui extra suum mundum operatur extra naturam, licet & ista sint adhuc sicut candela accensa erga meridianam lucem, quoniam anima imaginatur sed non exequitur nisi in mente, Deus verò omnia eodem momento quo imaginatur efficit, sicut anima imaginatur esse Romæ vel alibi quidquid fit, in ictu oculi, sed mente tantum, Deus verò talia essentialiter facit, qui omnipotens est. Non est ergo Deus inclusus mundo nisi ut anima corpori; separatam habet suam absolutam potestatem, sic etiam anima cujuscunque corporis est, absolutam habet & separatam potentiam alia facere quam corpus concipere potest; maximam ergo habet potestatem in corpus si vult, aliàs frustra esset nostra Philosophia. Ex his igitur disce cognoscere Deum, & scies quibus differt Creator à creatis. Tu ipse majora concipere poteris cùm jam à nobis portam apertam habes. Sed ne nobis hic tractatus excrescat, ad propositum accedamus.

Diximus suprà, Ignis Elementum quietissimum esse, & quod motu excitatur, quam excitationem noverunt viri sapientes. Omnem generationem & ejusdem corruptionem Philosopho necesse est scire; cui non solum Creatio cœli manifesta est, sed etiam omnium rerum compositio & commixtio: sed licet omnia sciunt, non tamen omnia possunt. Scimus quidem compositionem hominis in omnibus qualitatibus, animam tamen infundere non possumus; quoniam hoc mysterium est solius Dei; & ejusmodi infinitis mysteriis superat omnia. Cum ista sunt extra naturam non sunt adhuc in dispositione naturæ: natura non prius operatur nisi quando illi materia porrigitur: Prima materia à Creatore, secunda à Philosopho. In operatione verò Philosophorum natura habet excitare ignem qui à Creatore occultè in centrum cujuslibet rei inclusus est: talis ignis excitatio fit per velle naturæ, aliquando per velle sagacis artificis naturam disponentis. Naturaliter enim omnes impuritates & pollutiones rerum purgantur igne: Omne compositum solvitur igne: sicut aqua lavat & purgat omnes res imperfectas quæ non sunt fixæ; sic ignis purgat omnes res fixas, & per ignem perficiuntur: Sicut aqua omne solutum conjungit; ita ignis omne conjunctum separat, & quod tuæ naturæ & proprietatis est optimè purgat & augmentat, non quidem in quantitate sed in virtute. Agit hoc Elementum mitis modis occultè in alia Elementa ac in omnes res: sic enim anima est ex illo purissimo, ita vegetabilis est ex Elementali quod à natura gubernatur. Agit hoc Elementum in Centrum cujuslibet rei hoc modo: natura dat motum, motus excitat aërem, aër ignem, ignis verò separat, purgat, digerit, colorat, & maturescere facit omne semen, maturumque expellit per sperma in loca & matrices, loca pura vel impura, calida, magis aut minus, sicca vel humida; & secundum dispositionem matricis, seu loci, variæ res producuntur in terra, sicut etiam in libello XII. Tractatum de matricibus mentio facta est quot loca tot matrices esse. Ita conditor omnium rerum, Altissimus Deus, omnes res constituit & ordinavit quod una contrariatur alteri, & tamen ut mors unius sit vita alterius: quod unum producit alterum consumit, & aliud ex hoc & quiddam nobilius naturaliter producitur: ac hisce conservatur æqualitas Elementorum, & sic compositi. Omnium rerum præsertim viventium separatio mors naturalis est: propterea naturaliter hominem mori oportet; quia cum homo ex quatuor Elementis sit compositus subest separationi, cum omne compositum separetur naturaliter. Sed hæc separatio humanæ Compositionis in die Judicii tantum fieri debuit: nam in paradiso homo immortalis erat. Quod omnes Theologi, & ipsa Sacra Scriptura testantur; rationem tamen sufficientem immortalitatis nullus Philosophus hucusque ostendit; quam hujus scientiæ S. inquisitori scire convenit, ut videre possit quomodo ista omnia naturaliter fiunt, & facillimè intelligi possunt. Verum & verissimum est omne compositum hujus mundi corruptioni subesse ac separari posse; quæ separatio in regno animali mors appellatur: homo autem cum etiam ex quatuor Elementis compositus & creatus sit, quomodo immortalis esse poterat? hoc naturaliter fieri credere difficile est, imò supra naturale aliquid hucusque habetur, Deus tamen Philosophis viris bonis ante complura secula hoc naturaliter esse inspiravit, quod tu à nobis sic accipe. Paradisus erat & est locus talis à summo Conditore rerum ex veris Elementis, non Elementatis sed purissimis, temperatis, in summa perfectione anatisatis, creatus; & omnia quæcunque in Paradiso sunt ex iisdem Elementis creata & incorrupta; ibi etiam homo creatus est, ex iisdem incorruptis Elementis justa æqualitate anatisatis constitutus, ut nullo modo corrumpi potuerit, ideò immortalitati consecratus

cratus fuit: quoniam paradisum hunc pro hominibus dumtaxat Deus sine dubio creavit, de quo nos & ubi sit in Harmonia copiosè. Sed cum postea peccato inobedientiæ mandatum Altissimi Conditoris transgrederetur, in hunc mundum corruptibilem Elementatum, quem tantùm pro bestiis creaverat Deus, homo ad bestias expulsus est: cui, cum sine nutrimento vivere non posset, ex Elementis Elementatis corruptis nutrimentum sumere necesse fuit. Quo nutrimento inficiebantur illa Elementa pura creationis suæ, & ita lentè in corruptionem declinavit, donec una qualitas alteram superavit, & ruina totius compositi, infirmitas, ac ultimò separatio & mors advenit. Postea adhuc magis corruptioni & morti proximiores fuerunt illi qui jam in elementis corruptis ex semine corrupto & non in paradiso procreati sunt, quoniam semen ex corruptis nutrimentis productum durabile esse non potest; & quo diutius ab expulsione paradisi eo corruptioni propinquius homines accedunt: inde & vita brevior, & deveniet hucusque quòd & procreatio propter abbreviationem vitæ cessabit. Sunt tamen aliqua loco ubi aërem benigniorem & sydera propitiora habent; ibi non ita cito naturæ corrumpuntur, quia & homines naturalius vivunt. Nostrates verò temerè gula & inordinata vita, ad corruptionem festinant: Docet hoc experientia, quod ex infirmorum parentum semine nati non durant. Sed si homo in paradiso mansisset, in loco illius naturæ convenienti, ubi Elementa incorrupta omnia virgo sunt, in æternum immortallis esset: certum enim est, quando elementa pura in æqualitate virtutibus conjuncta sunt, subjectum hoc incorruptum esse, & talis debet esse lapis Philosophorum: tali creationi humanæ à veteribus Philosophi assimilatus est, sed moderni Philosophi omnia ad literam intelligentes, ad hujus seculi generationem corruptam intendunt.

Hæc immortalitas principalis fuit causa quod Philosophi hunc lapidem quærere ingeniàti sunt; sciverunt enim hominem ex talibus Elementis integris creatum esse. Meditati sunt igitur de Creatione ista, quam cum naturalem esse cognoverunt, cœperunt scrutari an talia elementa incorrupta possent haberi, aut si illa in aliquo subjecto conjungi & infundi possent; quibus ipse Altissimus Conditor rerum inspiravit compositionem talium elementorum in auro esse: quoniam in animalibus fieri est impossibile, cum ex elementis corruptis vitam sustentare debeant; in vegetabilibus etiam non est, quia inæqualitas Elementorum in illis inventa est. Et cum omnia creata ad multiplicationem inclinata sint, proposuerunt Philosophi in hoc regno minerali hanc naturæ possibilitatem experiri; qua inventa, alia innumerabilia arcana naturæ inesse viderunt, de quibus ut de secretis divinis parcissimè reliquerunt. Sic igitur habes quomodo elementa corrupta in subjecto cadunt, & separantur; quando unum aliud superat: & quia tunc fit per primam separationem putrefactio, & per putrefactionem puri ab impuro separatio, si tunc fit conjunctio nova virtute ignis acquirit formam multò nobiliorem prima. Nam in suo primo statu corruptio fuit ex grosso admixto quod non nisi per putrefactionem purgatur, & melioratur; & hoc fieri non potest nisi conjunctis viribus quatuor elementorum quæ sunt in omni composito: cum enim compositum cadere debet per elementum aquæ cadit; & dum ita confusè jacent ignis qui est potentialiter in quolibet aliorum utpote in terra, in aëre, conveniunt simul, & conjuncta manu, vincunt postea aquam, quam digerunt & coquunt, & ultimo congelant; ac tali modo natura naturæ auxiliatur. Si enim ignis centralis occultus, qui vita captus erat, vincit, agit in id quod sibi propinquius ac purius est, sicut & ipsum purissimum est, & conjungitur cum illo: ita vincit contrarium, separatque purum ab impuro, & generatur nova forma, & si adhuc adjuvatur priore multo præstantior: interdum sagacis artificis ingenio fiunt res immortales, maximè in regno minerali. Sic omnia solo igne, & ignis regimine fiunt, & perducuntur in esse, si me intellexisti.

Hic igitur habes Elementorum originem, & naturas eorum ac operationes quàm brevissimè descriptas, quod ad nostrum propositum hoc loco sufficit. Nam alias si quodlibet Elementum describeretur ut est, magnum volumen oriretur, nostro proposito non necessarium. Ista omnia, ut diximus, ad Harmoniam remittimus, ubi, Deo favente, si nobis vita superstes erit, de naturalibus copiosius relinquemus.

De Tribus Principiis Omnium Rerum.

DEscriptis hisce quatuor Elementis ad tria principia rerum descendamus: quomodo autem illa producuntur ex quatuor Elementis sic accipe. Postquam natura ab Altissimo Creatore omnium rerum privilegium feudi super hanc Monarchiam mundi acceperit, cœpit loca & provincias unicuique secundum dignitatem distribuere; & in primis quatuor Elementa principes mundi esse constituit; & ut adimpleretur voluntas Altissimi (in cujus velle natura posita est) ut unum in aliud incessabiliter ageret ordinavit. Cœpit itaque agere ignis in aërem & produxit sulphur: Aër quoque cœpit agere in aquam & produxit mercurium. Aqua etiam cœpit agere in terram & produxit sal. Terra autem, cum non habuerit in quod agere, non produxit quicquam, sed productum remansit in illa: propterea tria tantum principia evenerunt, & terra facta est nutrix & matrix aliorum. Tria ut diximus Principia producta sunt; quod veteres Philosophi non ita strictè considerarunt, qui duos tantum actus Elementorum descripserunt (vel si etiam volentes obticuerunt quis illos judicabit, cum illi scripta sua filiis suis tantum dedicarint?) & sulphur cum Mercurio, quod & nobis sufficiat, materiam metallorum, imò & lapidis Philosophorum esse nominarunt.

Quicunque igitur vult esse verus indagator hujus sacræ Scientiæ necesse est ut sciat accidentia, & ipsum accidens noscat, ut discat ad quod subjectum seu Elementum accedere proponit, ut per media sese ad id accommodet, si alias quaternarium numerum adimplere desiderat. Sicut enim hæc tria Principia ex quatuor producta sunt, sic oportet per diminutionem ut etiam hæc producant duo, masculum & fœminam; duo verò producant unum incorruptibile, in quo erunt illa quatuor æqualiter syncera, ad summum depurata, digesta; & sic respondebit quadrangulus quadrangulo. Et hæc est illa quinta essentia omni artifici multum necessaria, à multis contrariis separata. Et sic habes in his tribus principiis in quacunque compositione naturali corpus, spiritum & animam occultam; quæ tria si separata & benè purgata, ut diximus, conjunxeris, sine dubio imitando naturam

puriſſimum fructum dabunt. Quoniam etiamſi anima ex nobiliſſimo loco aſſumpta eſt, illuc tamen quò tendit non poteſt pervenire niſi per ſpiritum, qui locus & domicilium animæ; quamſi vis reducere in locum debitum, opus eſt ut ſit lavata ab omni peccato; locus quoque ſit purificatus, ut in illo anima poſſit glorificari, & non amplius ſeparari. Jam ergo habes trium Principiorum originem ex quibus tuum eſt imitando naturam Mercurium Philoſophorum & eorum primam materiam producere, & illa principia rerum, maximè metallorum, ad tuum propoſitum deducere: cum ſine iſtis principiis impoſſibile ſit tibi aliquid perficere per artem, cum & natura ipſa ſine ipſis nihil faciat, nec producat. Hæc tria ſunt in omnibus rebus, & ſine illis in orbe nihil eſt, nec naturaliter erit. Sed quoniam ſuprà ſcripſimus quod veteres Philoſophi duo tantum principia nominarunt, ne inquiſitor aberret, ſciendum eſt quod licet illi ſulphur & Mercurium deſcripſerunt, ſine ſale tamen nequaquam ad hoc opus accedere potuerunt, cum illud ſit clavis & principium hujus ſacræ ſcientiæ: illud eſt quod aperit portas juſtitiæ, illud eſt quod claves habet ad carceres infernales, ubi ſulphur ligatum jacet, ſicut aliquando latius dabuntur iſta in tractatu tertio principiorum, de Sale. Nunc ad propoſitum, quod hæc tria Principia omnino ſunt neceſſaria, quia illa ſunt materia propinqua. Duplex enim eſt materia metallorum: Proxima, Remota. Proxima eſt Sulphur & Mercurius, Remota ſunt quatuor Elementa ex quibus ſolius Dei eſt res creare: relinque ergo Elementa quoniam ex illis nihil facies, nec poteris niſi hæc tria Principia producere, cum & natura ex illis nihil aliud producat. Si igitur ex Elementis nihil aliud quam iſta tria principia producere potes, ad quid tibi iſte vanus labor id quærere vel facere velle quod jam à natura generatum eſt? Nonne melius eſt ire tria milliaria quam quatuor? Sufficiat ergo tibi tria principia habere, ex quibus natura in terra & ſuper terram omnia producit; quæ tria in omni re integrè inveniens. Ex horum debita ſeparatione & conjunctione natura producit tam metalla quàm lapides in regno minerali; in regno verò vegetabili arbores, herbas & omnia; in regno etiam animali corpus, ſpiritum & animam; quod maximè operi Philoſophorum adæquatur. Corpus eſt terra, Spiritus eſt aqua, Anima eſt ignis ſeu ſulphur auri: Quantitatem corporis auget Spiritus, virtutem verò auget ignis. Sed quia magis eſt de Spiritu in pondere quàm de igne, exaltatur Spiritus & opprimit ignem, trahitque ad ſe: & ſic quilibet eorum creſcunt in virtute, & terra quæ eſt intermedium illorum creſcit in pondere. Omnis igitur indagator artis concludat in ſuo animo quod quærit ex his tribus, & huic in auxilium ſuccurrat ut poſſit vincere ſuum contrarium; poſteà addat ad pondus naturæ ſuum pondus, ut adimpleatur defectus naturæ per artem, & ita vincet ſuum contrarium. Diximus in Elemento terræ terram nihil aliud eſſe quàm receptaculum aliorum, id eſt ſubjectum in quo iſta duo ignis & aqua certant, mediante aëre; ſi prædominatur aqua producit res temporales & corruptibiles; ſi autem ignis vincit producit res perpetuas & incorruptibiles: conſidera igitur quod tibi ſit neceſſarium. Scias præterea quod ignis & aqua ſunt in omni re; ſed neque ignis neque aqua faciunt aliquid, quoniam illa inter ſe tantum certant & pugnant de velocitate & de virtute, & hoc non per ſe ſed per excitationem caloris extrinſeci qui motu cœleſtium virtutum in centro terræ accenditur; ſine quo iſta duo nihil facerent unquam, ſtarent uterque illorum quodlibet in ſuo termino & pondere: ſed natura poſtquam conjunxit iſta duo in proportione, tunc calore extrinſeco excitat illa, & ſic incipiunt inter ſe pugnare, & quodlibet illorum vocat ſuum ſimile in adjutorium, ſicque aſcendunt & creſcunt, quouſque terra cum illis amplius aſcendere non poteſt; interim illa duo in ejuſmodi retentione terræ ſubtiliantur; (nam in illo ſubjecto terræ ignis & aqua aſcendunt inceſſabiliter, & per poros reſervatos quos aër præparat agunt) & ex illa eorum ſubtiliatione flores & fructus ſequuntur, in quibus amici fiunt, ut in arboribus videre eſt; quo enim melius ſubtiliantur & purificantur aſcendendo eo præſtantiores producunt fructus, præſertim ſi æqualiter virtutibus conjunctis finiunt.

Purgatis ergo rebus, fac ut ignis & aqua amici fiant, quod in terra ſua quæ cum illis aſcenderat facilè facient; & tunc id brevius perficies quam natura, ſi benè ſecundum pondus naturæ conjunxeris, non ſicut prius fuit ſed ſicut natura requirit & tibi opus eſt. Quoniam natura in omni compoſitione magis adponit de aliis quàm de igne: Minima pars ignis ſemper eſt, ſed natura ſecundum placitum addit ignem extrinſecum, ad excitandum illum internum ſecundum majus vel minus per multum aut parum temporis, & ſecundum hoc ſi ignis ſuperat aut ſuperatur perfectæ aut imperfectæ res fiunt, ſic in mineralibus ut in vegetabilibus. Non intrat quidem ignis extrinſecus in profundum compoſitionis eſſentialiter, ſed tantum virtute; quoniam ignis intrinſecus materialis ſufficit ſibi ſi tantum nutrimentum habet, & ignis extrinſecus eſt illi nutrimentum, & quaſi ligna reſpectu ignis Elementalis, & ſecundum tale nutrimentum creſcit & multiplicatur. Cavendum tamen eſt ne ille nimius ignis extrinſecus adveniat, quoniam ſi quis multum & extra poſſe comedit ſuffocatur: parvum ignem magna flamma devorat: ignis extrinſecus debet eſſe multiplicativus, nutriens non devorans, ita enim res perficiuntur, Decoctio ergo in omnibus rebus eſt perfectio: ita natura addit virtutem ad pondus & perficit. Verùm quia difficilè eſt ad compoſitum addere, cum hoc longiſſimum laborem requirat, conſulimus ut de ſuperfluo amoveas tantum quantum opus eſt, vel natura requirit: Remotis ſuperfluitatibus miſce, oſtendet poſtea natura quod quæſiviſti. Tu quoque cognoſces ſi natura benè aut malè conjunxit elementa cum in conjunctione elementa omnia conſiſtant. Sed multi laborantes ſtramen pro tritico ſeminant; aliqui utrumque: multi verò id projiciunt quod Philoſophi amant: aliqui incipiunt & deſinunt, quod ex illorum inconſtantia evenit; artem difficilem, laborem facilem quærunt, optima rejicientes, peſſima ſeminant: ſed ſicut hæc ſcientia in præfatione occultatur, ſic & materia in principio projicitur. Nos autem dicimus artem hanc nihil aliud eſſe quam virtutes Elementorum æqualiter commixtas: eſt calidi, ſicci, frigidi, humidi, æqualitas naturalis; conjunctio maſculi & fœminæ, quem eadem fœmina genuit, id eſt, conjunctio ignis & humidi radicalis metallorum. Conſiderando quod Mercurius Philoſophorum haber in ſe ſulphur ſuum proprium bonum ſecundum minus & majus, depuratum & decoctum à natura, ex Mercurio omnia perficere poteris: ſed ſi ſcies addere ad pondus naturæ tuum pondus, duplicare Mercurium, & triplica-

re

re sulphur, citius terminabitur in bonum, posteà in melius, usque in optimum: quamvis unum tantum appareus est sulphur, & duo Mercurii, sed unius radicis; non crudi nec nimis cocti, purgati tamen & soluti, si me intellexisti.

Materiam quidem Mercurii Philosophorum & materiam sulphuris eorundem describere non est opus: nemo mortalium potuit, nec in posterum poterit apertius & clarius illam describere quam ab antiquis Philosophis descripta & nominata est, nisi alias anathema artis esse velit. Est enim ita communiter nominata ut etiam non æstimetur; ideò inquisitores ad alias subtilitates potius se convertunt, quam in naturæ simplicitate manerent. Non dicimus tamen Mercurium Philosophorum commune quid esse & apertè nominari, sed de materia ex qua Philosophi sulphur suum & Mercurium creant: quoniam Mercurius Philosophorum non habetur per se super terram, sed ex sulphure & Mercurio conjunctis educitur arte; non prodit in lucem, nudus enim est, sed à natura miris modis involutus est. Conclusivè dicimus repetendo sulphur & Mercurium esse mineram nostri argenti vivi, (conjuncta tamen) quod argentum vivum habet posse metalla solvere, occidere, & vivificare quam potestatem accepit à sulphure acetoso suæ propriæ naturæ. Sed ut adhuc melius concipere possis, audi quæ differentia est inter nostrum argentum vivum & Mercurium vulgi. Mercurius vulgi non solvit aurum nec argentum ut ab illis non separetur: argentum verò vivum nostrum solvit aurum & argentum & non separatur ab illis in æternum, sicut aqua mixta aquæ. Mercurius vulgi habet sulphur combustibile malum quod denigrantur: nostrum argentum vivum habet in se sulphur incombustibile, fixum, bonum, albissimum & rubeum. Mercurius vulgi est frigidus, humidus: Mercurius noster est calidus, humidus: Mercurius vulgi corpora denigrat & inficit: Argentum vivum nostrum corpora dealbat usque ad crystallinam serenitatem. Mercurius vulgi vertitur per præcipitationem in pulverem citrinum, sulphur malum: Argentum vivum nostrum mediante calore vertitur in sulphur candidissimum, bonum, fixum & fluxibile. Mercurius vulgi quo magis decoquitur eo magis fluxibilis: argentum vivum nostrum quo magis decoquitur eo magis inspissatur. Ex his igitur circumstantiis considerare poteris quomodo differunt inter se Mercurius vulgi ab argento vivo Philosophorum. Si adhuc non intelligis noli expectare, nullus mortalium dabit clariora sicut hic diximus: sed de virtutibus. Talis virtutis est argentum vivum nostrum quod & per se sufficit & tibi & sibi, absque omni additione rei extraneæ, sola decoctione naturali solvitur, & congelatur: sed Philosophi propter abbreviationem addunt illi sulphur suum benè digestum & maturum, & sic operantur.

Potuissemus quidem citare scripta Philosophorum sermonem nostrum confirmantia; sed quoniam clariora eorum scriptis scripsimus non indigent comprobatione, is intelliget qui in aliorum scriptis versatus est. Si igitur nostrum consilium vis sequi, consulimus ut antequam ad hanc artem accedas inprimis discas compescere linguam & naturam minerarum & metallorum inquiras, tum & vegetabilium; quoniam in omni subjecto Mercurium nostrum invenies, & ab omnibus rebus Mercurius Philosophorum extrahi potest, licet in uno subjecto propinquius quàm in alio. Scito etiam pro certo quod hæc scientia non in fortuna neque casuali inventione, sed in reali scientia locata est, & non est nisi hæc unica materia in mundo per quam & ex qua præparatur lapis Philosophorum. Est quidem in omnibus rebus, sed in extractione ejus vita desisteret: sine cognitione tamen rerum naturalium, præsertim in regno minerali, similis eris cæco qui usu ambulat. Talis quidem artem non nisi casualiter quærit: & etiamsi, sicut multoties accidit, casu ab aliquo materia tractatur argenti vivi nostri, tunc ubi incipere debet opus suum finit; & sic sicut casu invenitur casu amittitur, quia nescit super quid suam intentionem fundare debet. Ideò hæc scientia est donum Dei Altissimi: & nisi Deus per ingenium bonum, vel per amicum, alicui revelaverit, difficilè cognoscitur: nam non omnes Gebri, non omnes Lullii esse possumus. Et licet Lullius vir subtilis ingenii fuit, tamen si in ab Arnaldo artem non accepisset certè similis fuisset aliis qui illam cum difficultate inquirunt; siquidem & Arnoldus ab amico accepisse confitetur. Facilè enim scribere cui ipsa natura dictat: Est Proverbium; *facilè est addere inventis.* Omnis ars & scientia magistro facilis, sed incipienti discipulo non sic: & ad hanc scientiam inquirendam tempus requiritur longum, copia vasorum, & expensa magna, & quotidianus labor, cum immensa meditatione, quamvis scienti omnia levius. Conclusivè dicimus hanc artem solius Altissimi Dei donum esse, qua cognita orandus est ut etiam ad artem hanc benedictionem suam dare dignetur; quoniam sine benedictione divina omninò inutilis est. Quod nos ipsi experti sumus, cum propter scientiam aliquot gravissima pericula passi, plus infortunii ac incommodi quam utilitatis inde habuerimus: sed credimus in mundum tempus advenisse cùm ferò sapiunt Phryges: Judicia Domini abyssus multa. Attamen divinam providentiam in ejusmodi nostris infortuniis admiratus sum: Semper enim Altissimi conditoris nostri protectionem præsto habuimus, ut nullus inimicus potuerit nos opprimere; custos fuit semper Angelus Domini Arcæ hujus, in quam Altissimus conditor rerum tantum thesaurum inclusit, quem & usque tuetur. Audivimus namque inimicos nostros in laqueum quem nobis paraverunt incidisse: qui in nostram vitam irruerunt vita privati sunt: qui verò bona nostra invaserunt bona sua, nonnulli & regna amiserunt: Præterea illorum qui nostro honori detraxerunt multos infames periisse scimus: tantam custodiam ab omnium rerum Creatore semper habuimus, qui nos statim ex vero matris nostræ sub umbra alarum suarum suscepit, spiritumque intelligentiæ rerum naturalium infudit, cui sit laus & gloria per infinita sæcula sæculorum. Tanta beneficia ab Altissimo Deo Creatore nostro accepimus, ut non solum calamo verùm & mente comprehendere sit impossibile: Vix unquam mortalium alicui majora imò saltem talia, contulit Deus. Utinam tantum animi, tantum Spiritus, & eloquentiæ, intelligentiæque haberemus ut debitas gratias illi agere possemus, scimus enim talia non meruisse: hoc unicum credimus esse, quod in illo solo semper speravimus, speramus, & sperabimus. Scimus enim non esse inter mortales qui nos adjuvare possit, nisi hic solus Deus & Creator noster; quia vanum est confidere in Principibus, quoniam homines sunt, (ut ait Psal.) Omnes hi à Deo Spiritum vitæ habent, quo ablato, pulverem omnia esse; sed sperare

in Domino Deo, à quo sicut à fonte bonitatis omnia bona abundantissime fluunt, tutum & securum est. Tu igitur quicunque cupis ad hanc S. Scientiam accedere, pone in primis spem integram in Deo Creatore tuo, illumque precibus fatiga, & crede firmiter te ab illo non derelinquendum: quoniam si Deus cor tuum candidum, & spem integram in se positam cognoverit, facilè dabit medium, per hanc sive per aliam viam adjuvabit te ut voto potiaris. Initium sapientiæ timor Domini. Ora, sed nihilominus & labora: Deus quidem dat intellectum, sed tu illo scias uti: nam sicut sunt dona Dei intellectus bonus & occasio bona, ita est pœna peccati quando omittitur occasio bona. Sed ut ad propositum redeamus, dicimus argentum vivum materiam primam istius operis esse, & verè nihil aliud; quidquid additur illi oritur ex illo. Diximus aliquoties quod ex tribus Principiis fiunt & generantur omnes res mundi; sed nos aliqua ab accidentibus purgamus, purgata iterum conjungimus; additis addendis, deficientia adimplemus, imitando naturam ad finem summæ perfectionis decoquimus, quod natura propter accidens perficere non potuit, & jam finivit ubi ars incipere debet. Propterea si cupis naturam imitari, in his illam imitare in quibus illa operatur. Nec te moveat quod scripta nostra contraria sibi videantur in aliquibus locis; ita enim opus est ne ars proderetur: Tu autem elige ea quæ cum natura conveniunt; accipe rosas, relinque spinas. Si intendis metallum facere metallum sit tuum fundamentum, quia non generatur ex cane nisi canis, ex metallo nisi metallum: nam scito pro certo, si non accipies ex metallo humidum radicale optimè separatum nihil facies unquam; Sine grano tritici frustra colis terram: unica res, unica ars, unica operatio. Si igitur metallum vis producere metallo fermentabis: si verò arborem arboris semen sit tibi fermentum. Unica ut diximus est operatio, extra quam non est alia quæ vera sit. Errant itaque omnes qui dicunt aliquod particulare extra hanc unicam viam & naturalem materiam verum esse; etenim non datur ramus nisi ex trunco arboris: Impossibile est & fatuum ramum priùs quàm arborem producere velle; facilius est ipsum lapidem conficere quàm particulare aliquod etiam simplicissimum quod sit utile, & in examinatione cum naturali persisteret. Sunt tamen multi qui gloriantur se posse facere Lunam fixam, sed melius facerent ut plumbum vel stannum fixarent, cum meo judicio idem labor sit; quia ista non resistunt examini ignis donec in sua natura sunt; Luna autem in sua natura satis fixa est, nec opus habet fixatione Sophistica. At cum quot capita tot sensus, nos relinquimus cuilibet suam opinionem: qui non vult sequi nostrum consilium, & naturam imitari, maneat in suo errore. Bene quidem particularia fieri possunt habita arbore, cujus surculi variis arboribus inseri possunt: sicut habita una aqua variæ sortis carnes decoqui possunt in ea, & secundum carnium diversitatem jusculum saporem habebit, sed hoc ex eodem fundamento. Concludimus itaque non esse nisi unicam naturam, tam in metallis quàm in aliis rebus, sed diversam ejus operationem, unam etiam universalem materiam secundum Hermetem. *Sic ab hac una re omnes res natæ fiunt.* Multi tamen sunt artifices quorum quilibet sequitur suum cerebrum: quærunt novam naturam, novam materiam, propterea etiam inveniunt novum recensque nihil, quia non ad possibilitatem naturæ, sed ad syllabam scripta Philosophorum interpretantur. Sed hi omnes sunt ex illis comitiis de quibus in Dialogo Mercurii cum Alchemista scriptum est, qui sine conclusione domum redeunt, non solùm absque medio, verum & sine principio finem quærunt, & hoc inde fit, quod non ex fundamentis vel lectione Librorum Philosophorum, sed ex auditu & receptis circumforaneis artem assequi conantur: (licet jam Libri Philosophorum ab invidis fortasse desolati sunt, in multis locis addunt vel supprimunt) postea cum illis non succedit ad Sophisticationes convertuntur, & tentant mira opera vana, dealbando, rubificando, Lunam fixando, animam auri extrahendo, quod in Præfatione libelli XII. Tractatuum fieri posse satis negatum est. Non quidem negamus, imò omninò esse necessarium dicimus, animam metallicam extrahi debere, sed non ad Sophisticam operationem, sed ad opus Philosophorum: quæ extracta & purgata iterum corpori suo reddi debet, ut fiat resurrectio vera corporis glorificati. Nunquam hoc nostrum propositum fuit, sine grano tritici triticum multiplicare posse: sed ut illa anima extracta aliquod aliud metallum Sophistico modo tingere possit falsissimum esse scias, omnesque qui de hoc gloriantur falsarios esse: sed ista in tertio principio de Sale copiosius, cum hîc non sit locus extendere calamum.

De Sulphure.

INter tria Principia Sulphur meritò Philosophi primo loco posuerunt, sicut dignissimum Principium, in cujus præparatione tota scientia latet. Triplex enim Sulphur est, & inter alia eligendum Sulphur tingens seu colorans: Sulphur congelans Mercurium: Tertium est essentiale maturans. De quo quidem seriò tractare debuimus, sed quia per Dialogum unum principiorum edidimus, ita & alia finire cogimur, ne alicui illorum injuriam inferre videamur. Sulphur maturius est cæteris Principiis, & Mercurius non coagulatur nisi Sulphure: ergo totalis nostra operatio in hac arte non est nisi ut sciamus ex metallis Sulphur elicere, quo in visceribus terræ argentem vivum nostrum in aurum & argentum congelatur: quod quidem Sulphur in hoc Opere loco masculi, ideò dignius habetur, Mercurius verò loco fœminæ. Ex horum duorum composito & actu generantur Mercurii Philosophorum.

Descripsimus in Dialogo Mercurii cum Alchemista congregationem illam Alchemistarum ubi consultabant ex qua materia & quomodo faciendus sit Lapis Philosophicus. Scriptum est etiam quomodo tempestatis infortunio sine Conclusione ferè in universum Orbem dispersi sunt. Surrexit enim tempestas valida ventusque maximus qui illos huc illuc dispersit, & aliquorum capita ita perflavit, ut ad hoc usque tempus sese nondum recolligere possint, unde in illorum cerebris variæ sortis muscæ generantur. Errant autem inter illos variarum nationum ac conditionum homines, inter quos fuit etiam hic Alchemista, de quo in hoc Tractatu sermonem instituimus: erat aliàs vir bonus, sed sine Conclusione, ex numero horum qui casualiter Lapidem Philosophorum invenire proponunt: & erat socius illius Philosophi qui cum Mercurio certabat. Hic verò dicebat, si mihi ita accidisset cum Mercurio loqui paucis verbis illum expiscatus fuissem: stultus iste alter, inquit, nescivit cum illo procedere. Mihi quidem nunquam Mercurius

curius placuit, nec credo in illo aliquid boni esse; at Sulphur mihi probatur, quia in illis Comitiis optimè de illo disputavimus: si non illa tempestas nos disturbasset, primam materiam id esse concluſissemus: quoniam in meo capite non solent esse res leves, caput meum plenum est profundarum imaginationum. Sicque confirmatus instituit in sulphure laborare. Incepit itaque illud distillare, sublimare, calcinare, fixare, oleum per campanam ex illo facere, tum per se, tum cum crystallis, corticibus ovorum, & alios multos labores in illo expertus est: cumque multum temporis & sumptuum consumpsit, & nihil ad propositum invenire potuit, tristis fuit; miser multas noctes duxit insomnes, exibat etiam sæpenumerò extra urbem ad speculandum, ut eò commodius aliquid certi in suo labore excogitare posset. Accidit autem quadam vice, cùm ita ferè in extasi speculando deambularet, pervenit ad quoddam nemus viridissimum, omniumque rerum refertissimum, in quo erat omnium minerarum & metallorum fodinæ, omniumque animalium & avium genera, omnium arborum, herbarum & fructuum copia: ibi etiam erant varii aquæ ductus: quoniam illis in locis aqua non habebatur, nisi quæ per varia instrumenta & canales trahebatur; & hoc per varios artifices ex variis locis: præcipua fuit illa, clariorque cæteris, quæ à radiis Lunæ trahebatur; & hæc non nisi pro Nympha nemoris illius procurabatur. Ibi etiam parcebantur tauri & arietes, & pastores erant duo juvenes, quos Alchemista interrogans: Cujus, inquit, est hæc sylva? cui responderunt: Est nemus & hortus nostræ nymphæ Veneris. Alchemista huc illuc inambulabat: Placuit illi quidem locus, sed ille tamen semper de suo sulphure cogitabat; atque ita ambulando fessus, miser consedit ad latus canalis, sub quadam arbore, & cæpit miserrimè lamentari, deplorando tempus & sumptus in suo labore frustra impensos (non erat aliàs deceptoriæ facultatis, sed sibi ipsi nocivus) aitque. Quid est hoc? omnes dicunt rem esse communem, vilem, facilem, & ego sum vir doctus, & hunc miserum lapidem non possum excogitare. Sicque lamentando cæpit maledicere Sulphuri, quod in illo tot sumptus, tot labores frustra consumpserit: & Sulphur fuit etiam in illo nemore, sed insciо Alchemista. Interim dum ita lamentaretur, audivit vocem quasi alicujus senis: Amice cur maledicis sulphuri? Alchemista circumspexit ubique, neminemque videns perterrefactus est. Vox autem illa iterum ait: Amice cur ita contristaris? Alchemista resumpto animo, Domine, inquit, esuriens semper de pane, ita ego semper de Lapide Philosophorum cogito. *Vox.* Et quare maledicis sulphuri? *Alchem.* Domine credidi illud esse primam materiam Lapidis Philosophorum ideò in illo laborando per aliquot annos multa consumpsi, & non potui istum Lapidem invenire. *Vox*: Amice ego quidem sulphur novi verum & principale subjectum Lapidis Philosophorum, sed te non nosco, neque de tuo labore & proposito quicquam scio: Injustè maledicis sulphuri; quia ille est in durissimis carceribus, non potest unicuique adesse; quandoquidem hic ligatis pedibus in tenebrosissimo carcere positus est, nec egreditur nisi quò illum deportant custodes ejus. *Alchem.* Et quare est incarceratus? *Vox.* Quia omnibus Alchemistis obediens esse voluit, & facere quicquid ipsi volebant, contra voluntatem matris suæ, quæ illi interdixerat ut solummodò iis qui illam noverunt obediret, propterea tradidit illum in carceres, & jussit ligare pedes ejus, custodesque constituit *illi*, ut sine illorum scitu & voluntate nusquam ire possit. *Alchem.* O miser! propterea & mihi non potuit succurrere: certè mater ejus facit illi magnam injuriam: & quando dimittetur ex istis carceribus? *Vox*: O Amice, Sulphur Philosophorum non potest hinc exire nisi longissimo tempore, & cum gravissimo labore. *Alchem.* Domine, & qui sunt custodes ejus, qui illum custodiunt? *Vox*: Amice, custodes ejus sunt ejusdem generis, sed tyranni. *Alchem.* Domine, & tu quis es, & quomodo vocaris? *Vox*: Ego sum Judex & Præfectus carcerum, & nomen mihi Saturnus. *Alchem.* Ergo in tuis carceribus Sulphur detinetur. *Vox*: In meis quidem carceribus Sulphur detinetur, sed habet alios custodes. *Alchem.* Et quid facit in carceribus? *Vox*: Laborat quicquid ejus custodes volunt. *Alchem.* Et quid scit laborare? *Vox.* Ille est mille rerum artifex, & est cor omnium rerum: scit emendare metalla, mineras corrigit, animalia intellectum docet; scit facere omnia genera florum in herbis & arboribus, atque illis omnibus præest, corrumpit aërem, quem iterum emendat: est omnium odorum in Mundo artifex, omniumque colorum pictor. *Alchem.* Ex qua materia facit flores? *Vox*: Custodes dant materiam & vasa, Sulphur verò digerit, & secundùm digestionis varietatem & pondus varios flores & odores facit. *Alchem.* Domine, est ne senex? *Vox*: Amice, scito quòd Sulphur est virtus omnium rerum, & est secundus natu, sed senior omnibus; fortior, & dignior; sed puer obediens. *Alchem.* Domine, quomodo cognoscitur? *Vox*: Mitis modis, sed optimè per rationem vitalem in animalibus, per colorem in metallis, per odorem in vegetabilibus: sine illo mater ejus nihil operatur. *Alchem.* Est ne solus hæres, vel si habet fratres? *Vox*: Amice unicum tantum ejusmodi filium mater ejus habet, fratres ejus alii sunt mali associati, sororem habet quam amat, & ab illa amatur vicissim, nam illi est sicut mater. *Alchem.* Domine, uniformis ne est ubique? *Vox*: Quò ad naturam ejus uniformis, sed in carceribus mutatur: cor ejus tamen semper purum est, sed vestimenta ejus maculata sunt. *Alchem.* Domine, fuit ne etiam aliquando liber? *Vox*: Maximè fuit præsertim illis temporibus quando fuerunt illi viri sapientes quibus cùm matre ejus magna amicitia intercedebat. *Alchem.* Et qui fuerunt isti? *Vox*: Innumerabiles fuerunt: Fuit Hermes qui cum matre ejus unum erat: post ipsum fuerunt multi Reges, ac Principes, nec non multi alii sapientes, utpote hisce seculis Aristoteles, Avicenna, &c. qui illum liberarunt: hi enim ejus ligaturas dissolvere resciverunt. *Alchem.* Domine, quid eis dedit pro liberatione? *Vox*: Dedit illis tria Regna: nam quando illum aliquis dissolvit, & liberat, tunc ille custodes suos, qui modo in suo Regno gubernant, vincit, & ligatos huic qui illum liberat in subditos tradit, ac eorum Regna in possessionem dat: sed quod majus est, in Regno ejus est speculum in quo totus Mundus videtur. Quicunque in hoc speculum inspicit, tres partes sapientiæ totius Mundi in illo videre & addiscere potest, atque ita sapientissimus in hisce tribus Regnis evadet; quales Aristoteles & Avicenna fuerunt & alii multi qui, sicut & cæteri antecessores, in hoc speculo viderunt quomodo & Mundus creatus est: ex illo didicerunt cœlestium virtutum influentias in inferiora, & quomodo Natura per pondus ignis res componit; tum etiam motum Solis & Lunæ, præsertim verò motum illum universalem quo mater ejus gubernatur: ex

illo

illo gradus caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, virtutesque herbarum ac omnium rerum cognoverunt; unde optimi Medici facti sunt. Et certè nisi Medicus talis sit ut sciat cur hæc herba talis vel talis, cur in hoc gradu calida, cur siccа. cur humida sit, non ex libris Galeni, aut Avicennæ, sed ex fonte Naturæ, unde & illi ista habuerunt, fundamentalis Medicus esse non potest. Ista omnia diligenter illi considerarunt, & scripta sua successoribus reliquerunt, ut homines ad altiora studia allicerent, & discerent Sulphur liberare, atque ejus vincula dissolvere: sed homines hujus sæculi scripta illorum jam pro finali fundamento habent, & ulterius non quærunt; sufficitque illis quod sciant dicere sic Aristoteles, sic Galenus scripserunt. *Alchem.* Et quid dicis, mi Domine, potestne herba absque Herbario cognosci? *Vox*: Veteres illi Philosophi ex ipsomet Naturæ fonte ista recepta conscripserunt. *Alchem.* Quomodo, mi Domine? *Vox*; Scito quod omnes res in terra, & super terram ex tribus Principiis generantur & producuntur, aliquando duobus quibus tamen tertium adhæret: qui igitur novit tria Principia, & pondus illorum ut illa Natura conjungit, facilè ex decoctione gradum ignis in subjecto, an bene, aut male, vel mediocriter coctum, idque secundùm majus vel minus, intelligere poterit: nam cuncta vegetabilia ab his qui tria Principia noverunt cognoscuntur. *Alchem.* Et hoc quomodo? *Vox*: Ex visu, ex gustu, & odore; in his tribus sensibus concluduntur etiam tria Principia rerum, & gradus eorum decoctionis. *Alchem.* Domine, dicunt quod Sulphur est Medicina. *Vox*: Imò ipse Medicus est, & qui illum ex carceribus liberant, illis pro gratitudine & sanguinem suum in medicinam dat. *Alchem.* Domine, habita universali Medicina quamdiu homo potest se conservare à morte? *Vox*: Usque ad terminum mortis: cautè tamen hæc Medicina sumenda est; multi enim viri sapientes hac Medicina ante terminum interierunt. *Alch.* Et quid dicis, mi Domine, estne venenum? *Vox*: Nonne audivisti quòd magna flamma ignis consumit parvam? multi erant Philosophi qui ex aliorum doctrina artem habuerunt qui non ita profundè virtutem Medicinæ scrutarunt; imò quò Medicina erat potentior, subtilior, eò sanior illis videbatur; & unum granum ejus multa millia metalli transmeat, multò magis corpus humanum. *Alchem.* Domine, quomodo ergo uti debuerunt? *Vox*: Medicina uti debuerunt quæ calorem naturalem confortando nutriret, non superaret. *Alchem.* Domine, ego scio facere istam Medicinam *Vox*: Beatus es si scis, Sanguis enim Sulphuris est illa intrinseca virtus & siccitas convertens & congelans argentum vivum in aurum, tum etiam omnia metalla & corpora humana ad sanitatem. *Alchem.* Domine, ego scio facere oleum Sulphuris quod cum calcinatis crystallis præparatur, scio & aliud per campanam sublimare. *Vox*: Certè tu etiam es Philosophus ex illis Comitiis; nam optimè mea dicta interpretaris, sic ni fallor, & omnium Philosophorum. *Alchem.* Domine, nonne est hoc oleum sanguis Sulphuris? *Vox*: O Amice, sanguis Sulphuris non datur nisi his qui illud sciunt ex carceribus liberare. *Alchem.* Domine, scitne etiam Sulphur aliquid in Metallis? *Vox*: Dixi tibi, quòd omnia scit, & in metallis multo melius quàm alibi; sed custodes ejus sciunt quod ibi facilè liberari possit, propterea ibi in durissimis carceribus detentum custodiunt, ita ut & respirare non possit, timent enim ne ad palatium Regis perveniat. *Alch.* Domine, in omnibusne metallis ita incarceratus est? *Vox*: In omnibus, seu non uniformiter, in aliquibus non ita stricte *Alchem.* Domine, & quare in metallis ita tyrannico more? *Vox*: Quia tunc non amplius timeret illos quando ad palatium suum Regale pervenerit: jam enim potest videri, jam liberè ex fenestris prospicit; quoniam illic est in proprio Regno, licet nondum ita ut desiderat. *Alchem.* Domine, & quid comedit? *Vox*: Cibus ejus ventus est, cùm liber est coctus; sed in carceribus cogitur comedere crudum. *Alchem.* Domine, possent ne istæ inimicitiæ inter illum & custodes ejus reconciliari? *Vox*: Imò, si quis esset tam prudens. *Alchem.* Quare cum illis de pace non tractat? *Vox*: Illud non potest per seipsum; quia statim ira & furore excandescit. *Alch.* Facia hoc per aliquem commissarium. *Vox*: Felicissimus hominum certè esset, & æterna memoria dignus, qui inter illos sciret pacem facere; sed hoc non nisi vir sapientissimus qui cum matre ejus conveniret, & cointelligentiam haberet: nam si amici essent unus alterum non impediret, sed conjunctis viribus facerent res immortales. Certe qui illos reconciliaret esset vir æternitati consecrandus? *Alch.* Domine, Ego componam istas lites inter illos, & liberabo illum: sum aliàs vir adeò doctus & sapiens; adhæc etiam sum bonus practicus præsertim ubi ad tractandum venitur. *Vox*: Amice: video quidem quòd satis magnus, & cum magno capite sis, sed nescio num tu ista facere possis. *Alch.* Domine, fortassis tu ignoras quid sciunt Alchemistæ, quoad tractatus semper illi sunt victores, & certè ego non sum postremus, modò inimici ejus mecum tractare velint: si tractabunt, esto securus quòd causa cadent. Domine; crede mihi, Alchemistæ sciunt tractare. Si tantùm mecum tractare velint, Sulphur confestim liberabitur. *Vox*: Placet mihi ingenium, audio quòd probatus sis. *Alch.* Domine, dic adhuc mihi si hoc est verum Sulphur Philosophorum: *Vox*: Hoc quidem est Sulphur, sed si Philosophorum est tuum est scire. Satis ego tibi de Sulphure dixi, *Alch.* Domine si etiam ejus carceres inveniam, an eum liberare potero? *Vox*: Si scies optimè poteris; facilius est enim illum liberare quàm invenire. *Alch.* Domine rogo dic adhuc mihi si illum invenero faciam ne ex illo lapidem Philosophorum. *Vox*: O amice non est meum divinare, tu ipse videto: attamen si matrem ejus noveris, illam secutus fueris, sulphure soluto lapis in promptu erit. *Alch.* Domine in quo subjecto est hoc sulphur? *Vox*: Scito pro certo quod hoc sulphur est magnæ virtutis; minera ejus sunt omnes res mundi, est enim in metallis, herbis, arboribus, animalibus, lapidibus, mineris. *Alch.* Et quis diabolus inter tot res & subjecta illum latentem invenire potest? Dic tu mihi materiam ex qua illum Philosophi accipiunt. *Vox*: Amice nimis propè accedis, attamen ut tibi satisfaciam, scito sulphur ubique esse, sed habet quædam palatia ubi solet Philosophis audientiam dare; sed Philosophi illud in mari suo natans & cum Vulcano ludens adorant, quando illud vilissimo vestitu incognitum Philosophi accedunt. *Alch.* Domine in mari illud quare non est meum, cum hic propinquius sit absconditum. *Vox*: Dixi tibi quod custodes ejus illud in carceribus tenebrosissimis posuerunt ne illud videre possis, est enim in uno solo subjecto; sed si illud domi non inveniisti vix in sylvis invenies. Ne autem desperes in inquirendo illo, tibi sacrosanctè dico illud in auro & argento esse perfectissimum, sed in argento vivo facillimum.

Alchem

Alchemista. Domine, libenti animo facerem Lapidem Philosophorum. *Vox:* Rem bonam desideras, Sulphur quoque libenter dissolveretur. Et sic Saturnus discessit. Alchemistam verò fessum gravis sopor invasit, & apparuit illi visio talis. Vidit in illo nemore fontem aquæ plenum, circa quem deambulabant Sal cum Sulphure inter se altercando, donec ultimò cœperunt pugnare; & intulit Sal Sulphuri vulnus incurabile, ex quo vulnere loco sanguinis aqua quasi lac candidissimum effluxit, ac in magnum flumen crevit. Tunc ex illo nemore egressa est Diana virgo pulcherrima, quæ cœpit lavari in flumine illo: quam dum transiens Princeps quidam vir fortissimus (& major suis servitoribus) videret, cœpit admirari ejus pulchritudinem, quodque esset naturæ sibi similis & ejus amore captus est: quod cum illa videret vicissim ejus amore exarsit; quamobrem quasi in animi deliquium cadens cœpit mergi: quod videns Princeps ille mandavit suis servitoribus ut illam adjuvarent: sed omnes timuerunt accedere ad flumen; ad quos Princeps ille: Quare (inquit) non adjuvatis Dianam virginem? Cui responderunt, Domine flumen est quidem parvum quasi exsiccatum, sed periculosissimum: Quadam vice absque tuo scitu voluimus hoc tranare, & vix à periculo æternæ mortis evasimus; scimus etiam quod & alii nostri antecessores hic perierunt. Tunc Princeps ille, depositò suo pallio grosso, ita ut erat armatus in flumen prosiliit, ut opem ferret Dianæ pulcherrimæ, porrexitque illi manum; quæ volens se salvare ipsum etiam Principem ad se traxit, atque ambo submersi sunt. Paulò post animæ illorum ex flumine illo exiverunt volitantes supra flumen, aiuntque, Optimè nobiscum actum est, aliter enim ab hisce corporibus liberari non potuissemus quæ polluta & maculata erant. *Alchem.* interrogans ait: Revertimini aliquando in illa corpora? *Animæ.* Non in tam polluta; sed quando purgabuntur, & hoc flumen exsiccabitur per calorem Solis, & provincia hæc sæpius per aërem examinata fuerit. *Alchem.* Interim quid facietis? *Animæ.* Hic supra flumen volitabimus donec istæ nebulæ & tempestates cessent. Interim Alchemista in magis optatum somnium de suo sulphure incidit; & ecce apparent illi, & venerunt in illum locum multi Alchemistæ quæsitum etiam Sulphur: & cum apud illum fontem à sale occisum cadavet invenerunt; illud inter se diviserunt: quod Alchemista videns etiam partem accepit; & sic quilibet illorum domum reversi sunt, cœperuntque in illo sulphure laborare, & hucusque non cessant. Huic verò Alchemistæ Saturnus occurrit & ait: Amice quomodo se res habent? *Alchem.* O Domine multa mirabilia vidi, vix uxor mea credet ista; jam etiam inveni Sulphur, rogo te mi Domine, adjuva me faciamus istum lapidem. *Saturnus* Libenter mi amice. Præpara ergo argentum vivum & sulphur, & vitrum huc da. *Alchem.* Domine noli habere negotium cum Mercurio, quia est nequam, delusit socium meum & alios multos. *Saturnus.* Absque argento vivo in cujus regno sulphur jam Rex est Philosophi nihil fecerunt, nec ego aliter scio, *Alchem.* Domine faciamus ex solo sulphure. *Saturnus.* Bene mi amice, sed ita succedet sicut jubes. Acceperunt itaque sulphur illud quod Alchemista invenit, & fecerunt sicut voluit Alchemista, cœperuntque laborare miris modis, illud sulphur tractare in fornaculis mirabilibus, quas plures Alchemista habuit: sed semper in fine ex quolibet labore evenerunt illis candelulæ quas vetulæ ad accendendum ignem vulgò vendunt. De novo incepe-runt, & sulphur sublimarunt, calcinarunt, sicut Alchemistæ placuit; sed utcunque fecerunt illis semper in fine ut priùs evenit: nam quicquid ex illo sulphure Alchemista voluit semper candelula fuit: & ait ad Saturnum. Verè Domine, video quod juxta meam phantasiam non vult succedere, rogo te fac tu solus sicut scis. Tunc Saturnus ait, Vide ergo & disce. Accepit itaque duo argenta viva diversæ substantiæ, sed unius radicis; quæ Saturnus lavit urina sua, & vocavit illa sulphura de sulphuribus, & commiscuit fixum cum volatili, facta compositione in vas debitum posuit; & ne sulphur aufugeret custodem suppposuit, & sic postea in balneum ignis lentissimi, ut materia requirebat, posuit, & omnia optimè fecit. Fecerunt itaque Lapidem Philosophicum, quia ex debita materia non, nisi debitum opus evenit. Alchemista gavisus valdè accepit Lapidem cum vitro, colorem ejus qui erat tanquam sanguis combustus considerans admirabatur, & præ nimia lætitia cœpit saltare, in quo saltu elapsum est illi è manibus vitrum in tertam & fractum est; sicque Saturnus evanuit. Alchemista quoque è somnio expergefactus nihil præter illas candelulas quas fecerat ex sulphure in manibus invenit: Lapis verò avolavit, & hucusque volat, unde volatilis dicitur: & sic miser ille Alchemista nihil aliud didicit ex illa visione quàm candelulas sulphureas facere: qui postea relicto lapide cœpit esse Medicus; inquirendo lapidem Philosophicum lapidem renum acquisivit. Ultimò duxit vitam ut solent ejusmodi Alchemistæ, plerumque fiunt Medici aut Smegmatistæ, quod omnibus eveniet qui sine fundamento ex auditu aut receptis casualiter per dialecticam ad artem accedunt.

Aliqui postea cùm illis non succedit dicunt: Viri sapientes sumus, gramen crescere audimus, si ars vera esset nos præ cæteris habuissemus: & sic pudore vestiti ne habeantur pro indignis (sicuti sunt, imò & duræ cervicis) contra artem cuculant. Tales hæc scientia odit ac illis semper in fine principium ostendit. Nos autem indignis hanc artem nihil esse concedimus, virtutis amatoribus verò, & veris indagatoribus, filiisque doctrinæ, summoperè illam commendamus, veramque esse, & omnino verissimam affirmamus. Quam aliquoties coram viris eo spectaculo dignis, magnæ & infimæ conditionis hominibus, re ipsa comprobavimus: (Non tamen nostris manibus hæc medicina fuit facta, sed ab amico talia accepimus, verissima tamen) ad quam indagandam satis inquisitores informavimus; quibus si scripta nostra non placent, aliorum Authorum leviora legant, hac tamen cum cautela ut quicquid legerint semper ad possibilitatem naturæ conferant, nec tentent aliquid contra naturam. Non credant etiamsi esset scriptum in Libris Philosophorum quod ignis non urit, quia hoc est contrà naturam: sed si scribitur ignem exsiccandi & calefaciendi vim habere, hoc cum naturaliter fiat credendum est; natura enim semper cum sano intellectu convenit, & in natura nihil difficile, omnisque veritas simplex est. Tum etiam discant cognoscere quæ res in natura sunt sibi propinquiores, quod per scripta nostra facilius quàm per alia existimamus, cum satis scripsisse putemus donec aliquis alius veniat qui totam receptam sicut ex lacte conficere caseum conscribat, quod nobis non licet.

Sed

Sed ne omnia in inſipientes vertamus, vobis quoque qui jam has tranſiſtis ærumnas aliquid dicemus. Vidiſtiſne regionem illam ubi vir ſuam ſibi perduxit uxorem, quorum nuptiæ in domo naturæ celebratæ ſunt? Intellexiſtis quomodo hoc Sulphur vobiſcum vulgus vidit? Si igitur vultis ut veſtram Philoſophiam vetulæ exerceant, monſtrate horum ſulphurum dealbationem; Vulgo dicite: venite & videte, jam enim diviſa eſt aqua & ſulphur exivit; redibit candidum, & congelabit aquas. Comburite ergo ſulphur à ſulphure incombuſtibili, & lavate, dealbate, rubificate, donec ſulphur fiat mercurius, ac mercurius fiat ſulphur, quod poſtea anima auri ornabitis. Nam ſi non ſublimabitis ſulphur à ſulphure, & mercurium à mercurio nondum aquam inveniſtis quæ ex ſulphure & mercurio quinta eſſentia creatur & diſtillatur; non aſcendet qui non deſcendit. Quidquid in hac arte eſt notabile in præparatione amittitur à multis, ſulphure enim acuitur mercurius noſter, aliàs non prodeſſet. Princeps ſine populo miſer: hic Alchemiſta ſine ſulphure & mercurio. Si me intelleXiſtis dixi.

Alchemiſta poſtea domum reverſus Lapidem amiſſum deplorabat, & maximè condolebat quod Saturnum non interrogaverit quale Sal hoc fuerit, cùm tot varia genera ſalium reperiantur; cætera uxori dixit.

CONCLUSIO.

OMnis Inquiſitor hujus Artis debet in primis maturo judicio quatuor elementorum creationem, operationem, & virtutes, cum ſuis actibus examinare: ſi enim horum originem & naturam ignorat, ad cognitionem principiorum non perveniet, nec materiam veram lapidis cognoſcet, multò minus finem bonum aſſequetur; quoniam omnis finis ſupra ſuum principium terminatur: Quid bene ſcit quid incipit bene ſciet quid finiet. Origo enim elementorum eſt chaos, ex quo Deus conditor rerum creavit & ſeparavit elementa, quod ſolius Dei eſt: Ex elementis verò natura producit principia rerum, & hoc per velle Dei ſolius naturæ eſt: Ex principiis poſtea natura mineras producit & omnia: ex quibus etiam artifex imitando naturam, multa mirabilia poteſt. Quoniam natura ex his principiis quæ ſunt Sal, Sulphur & Mercurius, mineras ac metalla & omnia genera rerum producit; & non producit ſimpliciter ex elementis metallum, ſed per principia quæ ſunt medium inter elementa & metalla: Ergo ſi natura iſta non facit, multò minùs ars poterit. Et non ſolum in hoc exemplo, verum in omni proceſſu naturali diſpoſitio media obſervanda eſt: propterea hic in hoc Tractatu & elementa ipſa, & illorum actus & operationem, tum & principiorum originem ſatis copiosè deſcripſimus, (quòd hucuſque nullus Philoſophorum clariora dedit) ut inquiſitor bonus faciliùs conſiderare poſſit in quo gradu lapis à metallis, & metalla ab elementis diſtant. Differentia enim eſt inter aurum & aquam, ſed minor inter aquam & Mercurium, minima inter aurum & Mercurium: nam domus auri Mercurius eſt; & domus Mercurii eſt aqua: ſulphur autem eſt coagulum Mercurii; quod quidem ſulphur difficillimè præparatur, ſed difficiliùs inveſtigatur. Quoniam in ſulphure Philoſophorum totum hoc arcanum latet, quod etiam in penetralibus Mercurii continetur: de cujus præparatione, ſine qua inutile eſt, dabimus aliquando in tertio principiorum de Sale; cum hic virtutem & originem, non praxim, ſulphuris tractemus.

Non propterea tamen Tractatum hunc conſcripſimus, ut antiquos Philoſophos redarguere velimus, ſed potius eorum ſcripta confirmaremus, & aliqua quæ omiſerunt adimpleremus: cum & Philoſophi homines ſint, non omnia ita ad amuſſim poſſunt, nec unus de omnibus ſufficienter poteſt. Aliquos etiam miracula à via lineari naturæ ſeduxerit, ut in Alberto Magno, viro & Philoſopho ſagaciſſimo accidiſſe leginus; qui ſcripſit temporibus ſuis grana aurea inter dentes demortui in ſepulchro inventa eſſe. Hujus miraculi rationem certam non potuit invenire, ſed hoc vi minerali in homine adjudicavit, & ſuper hanc opinionem cecidit illi confirmatio dicti Morienis, *& hæc materia, Rex, à te extrahitur:* Sed hoc erroneum eſt, nam & Morienes Philoſophicè iſta intelligere voluit. Virtus enim mineralis in ſuo regno locata eſt, ſicut & animalis in ſuo regno, ut in libello XII. Tractatuum iſta regna diſtinximus & in tria regna diviſimus; quia quodlibet horum abſque ingreſſu extraneo in ſemet ipſo ſtat & multiplicatur. Verum quidem eſt in regno animali eſſe & Mercurium ſicut materiam, & ſulphur ſicut virtutem, ſed animalem non mineralem. Vis ſulphuris animalis ſi non fuiſſet in homine, non congelaret ſanguinem Mercurium in carnem & oſſa: ſic etiam ſi non eſſet vis ſulphuris vegetabilis in regno vegetabili, non congelaret aquam ſeu Mercurium vegetabilem in herbas & arbores. Sic quoque in regno minerali intelligendum eſt. Non differunt quidem hi tres Mercurii in virtute, nec illa tria ſulphura, quia quodlibet ſulphur habet vim naturalem Mercurium ſuum coagulare; & quilibet Mercurius habet vim à proprio ſulphure coagulari; ſed non ab extraneo. Cur autem aurum inter dentes demortui inventum vel generatum eſt hæc ratio, quod in vita demortui per aliquem Medicum Mercurius in corpus illud infirmum introductus eſt, vel per unctionem, vel per turbith, vel per alium modum, ut moris & uſus eſt, & natura Mercurii eſt ad os patientis aſcendere, & per vulnerà oris cum phlegmate evacuari. Si igitur in ejuſmodi cura infirmus obiit, is Mercurius non habens egreſſum, in ore intra dentes remanſit, & factum eſt cadaver illud in vas naturale Mercurii, ſic per longum tempus occluſus ſulphure proprio in aurum congelatus eſt calore naturali putrefactionis à phlegmate corroſivo Corporis humani purificatus. Sed ſi ibi Mercurius mineralis introductus non eſſet, nunquam aurum productum fuiſſet. Et hoc eſt exemplum veriſſimum quod natura in viſceribus terræ ex ſolo Mercurio producit aurum & argentum, ac alia metalla ſecundum diſpoſitionem loci vel matricis. Quoniam Mercurius habet in ſe ſuum proprium ſulphur quo coagulatur in aurum, niſi impediatur ab accidente, vel non habeat calorem requiſitum, vel cocum occluſum. Non ergo vis ſulphuris animalis congelat Mercurium in aurum, ſed in carnem: ſi enim talis virtus in homine eſſet, in omnibus hoc eveniret corporibus, quod non eſt. Talia multa miracula & accidentia eveniunt quæ non benè conſiderata à Scriptoribus errores lectoribus inferunt: Inquiſitor tamen bonus omnia ad poſſibilitatem naturæ applicare debet; Si cum natura non conveniunt omittenda ſunt.

Sufficit diligenti Studioſo originem Principiorum hic accepiſſe, cum incognito principio finis

ſemper

semper dubius, de quibus nos in hoc Tractatu non ænigmaticè, sed clariori sermone quo potuimus & nobis licet, inquisitorem allocuti sumus: per quem si alicui Deus mentem illuminabit, sciet quid successor suis antecessoribus debeat, cùm hæc scientia semper per ejusmodi ingenia acquiratur: quam nos post ejusmodi claram ostensionem in sinum Dei Altissimi Creatoris ac Domini nostri reponimus, & nos ipsos unà cum bonis Lectoribus in gratiam & immensam ejus misericordiam commendamus. Cui sit laus & gloria per infinita sæcula sæculorum.

FINIS.

Apographum Epistolarum *hactenus ineditarum* M. SENDIVOGII, *seu* I. I. D. I. Cosmopolitæ *vulgò dicti.*

Clarissimo ac novo Cabalæ Philosophorum *incognitorum dignissimo* Sodali *T. S. P.* M. S.

EPISTOLA I.

PErgratæ mihi fuerunt Epistolæ tuæ Patronique tui ac Sodalis nostri Briquii Litteræ, nec quanta me affecerint jucunditate dicere possum, dum tuam mihi certam fecerunt nostræ Sodalitati adscriptionem, deque ipsa in Galliis instituenda & amplificanda consilium, hujus enim rei dudum apud me ardet vehemens cupiditas, nec ipsius potest faustus non esse exitus quandoquidem tantis es animi donis & bonis moribus præditus ut mihi testatur prædictus Briquius & ipse video tuis in scriptis perelegantibus, hunc ergo ob finem ad te mitto hilari animo, quæ à me petis dictæ societatis nostræ latino idiomate expressa statuta quorum observationem religiosam habeas futurisque sodalibus commendatissimam facias quæso. Cæterum optatas ulteriores præter revelatas tibi à Patrono notiones in re Alchymica seu Lapidis Philosophorum Theoria ac praxi libenter concedo ac polliceor: sed ipse proprio marte labores indesinenter legendo, speculando & operando necesse est ut ipsemet revelatis, si fieri potest, addas quod supereat cognoscendum, nec arduum erit hoc tibi negotium, facilè est enim aperire fores cui clavis est in manibus, hoc tamen ut citiùs assequaris occurrentes scopulos explanare, devioque conceptus dirigere non morabor, si consultum quibusque occasionibus inter legendum velis habere, ut nullum arcanum dissimulatum iri profiteor, nisi quæ sola ocularis apprehensio aut manualis disciplina docere potest, sunt enim rationes & modi omnibus in artibus, maximè verò in nostra quæ verbis ita præcisè describi non possunt ut non desideretur Practica Demonstratio vel Experimentalis Disquisitio quæ ut plurimum tarde plus nimis respondet votis philosophantium. Hæc monita habeas grata quàm maximè rogat atque obtestatur tuus ad omnia paratissimus M. S. *Bruxellæ 9. Februarii 1646.*

EPISTOLA II.

NOn sine magna ratione D. S. In tam immensa Librorum, tam antiquorum quàm recentium Sylva, delectum quæris, Pauci enim sunt fideles aut si qui sint vel obscuri vel pugnantes invicem sibiquemet ipsis ut plurimùm contradicentes videntur, quamvis revera unum sentiant ac doceant sed hieroglyphico stylo ex more Cabalæ, quippe nostra Ars merè est Cabalistica quam temerè committere Sophistarum iniquitati vel imprudentum facilitati, nefas est. Poteris igitur me Authore in tanta librorum multitudine sequentes suscipere, alioque omnes ut tibi inutiles prætermittere, quia cùm possideas piscículum *Echeneim* qui in tam vasto mari vagatur, rarus, ne dicam unicus, piscari ampliùs non est tibi opus: sed piscículi ipsius præparationem, condimentum & coctionem curare debes.

Principes Authores sunt,

Primò Hermes cujus opera magni sunt, imò maximè momenti ad rei nostræ intelligentiam: sed duo libelli ipsius, quorum alter inscribitur posthumo quidem nomine ab ipsius Commentatoribus. Transitus maris rubri, Alter verò Appulsus terræ promissæ, præ cæteris colendi sunt, sed rarissimi & nullibi fortè in Europa obtineri possunt, nisi Constantinopoli apud Marranos quosdam ubi illos volutavi & integros exscripsi memoriæ juvandæ gratiâ.

Secundò Paracelsus cujus scripta divina sunt lumina, sed si ejus codicillum quendam Psalterium Chymicum seu Manuale Paracelsi, nuncupatum reperire possis, omnia secretissimæ Cabalæ & demonstrativæ Physices arcana totamque Alchymicæ scientiæ doctrinam aperto velo conspicies. Hic non est adeò rarus ac præcedentes: Nam in Vaticana Romæ Bibliotheca & alibi multis in locis apud Cabalæ & veræ Alchymiæ studiosos inter nostrates, mihi incidit in manus: non tamen communis est, quamobrem ejus Apographum lucubravi in meum usum sicut & priorum quod tibi communicarem libenter, nisi quod doctrina quam deinceps insinuabimus eadem est quæ his traditur imò clariori methodo & breviori stylo elucidato erit in nostris Epistolis, Cæterùm ejusdem Paracelsi Tractatus de Tincturis non est negligendus.

Tertiò Lullius: Sed inter ejus omnes Codices Vade mecum & Dialogismum; Lignum vitæ inscriptum, simulque Testamentum & Codicillum ejusdem tibi commendo, quanquam hi ultimi Codices nempe Testamentum & Codicillus & infinita ejusdem Authoris Volumina non secus ac Geberi & Arnaldi de Villa Nova, Labyrinthum figmentorum & receptarum inutilium inexplicabilem faciunt, unde ipse vix veritatem eximere & vindicare possem.

Sunt & alia tandem collecta veterum Philosophorum & simul congesta scripta, non indocta quidem, sed Sophisticis mixta quæ à probatæ fidei Authoribus non facilè dijudicari possunt.

Inter Scriptores mediæ ætatis Bonus, Zacherus, Bernardus Comes Trevisanus, Rogerius Bacon & Anonymus Collector sententiarum seu Rosarium Philosophorum, mihi videntur probati animi & doctrinæ felicis.

Inter postremos nullos censeo præter Gallicum Fabrum in suis libris ultimò editis, priores enim Erronei sunt & mendaces, nonnulla tamen habet orthodoxa.

Et Authorem Physicæ restitutæ multis sententiis fallacibus intertextum: sed si plenam statim in aditu, non facatæ scientiæ notitiam apprehendere cupis, sufficiat tibi nostrum novum Lumen Chymicum cum Tractatu de Sulphure & Dialogismo Mercurii, hunc enim nihil deest & attentis admodum animis non semel, sed centies est volutandum, quia Philosophorum antiquorum more ibi multa præposterè scribuntur & nonnulla etiam contradictoria variis in locis ex animo insinuantur, quorum alia loca solutionem & conciliationem præbent expressis verbis: sed intercisis sententiis. His utere. VALE. *Bruxellæ 25. Februarii 1646.*

EPISTOLA III.

QUem ad me misisti quaternionem Pagesianum ut vocas D. S. de totius artis partibus agentem, dubitationesque tuas circa ipsum & ex occasione ipsius circa nostrum Novum Lumen Chymicum, attentè legi & perlegi, ille enim quaternio quamvis in potioribus præceptis suis sit erroneus, mihi tamen magnum Authoris genium demonstrat, tuæ verò dubitationes & quæstiones ingenii tui acumen & sagacitatem non communem ostendunt. Quid autem de ipsius doctrina sentiendum sit, nostras responsiones stylo dogmatico cum potiorum objectionum solutionibus & propositionum nostrarum confirmationibus, ubi necesse erit, sequentibus dabimus. VALE. *Bruxellæ 10. Martii 1646.*

EPISTOLA IV.

POstrema D. S. pollicebat de Pagesiana disciplina, judicium, præsente igitur & sequentibus quantum poterimus attingemus. Quid in hac verum est & è converso quid falsum & erroneum subinde expediemus, quid ejus veræ doctrinæ explicatius est addendum, quidque falsis ejus canonibus subrogandum.

Pagesius ergo tuus rectè quidem juxta ritum ac methodum Philosophorum totam quam aggreditur tractationem in duo Capita distribuit.

Primum de naturali productione rerum omnium: sed maximè mineralium.

Alterum de Arte & Lapidis Philosophorum confectione cujus ope & beneficio aurum & argentum producitur.

Quod in priori Capite docet non longè à vero recedit, sed angusto nimis stylo perstringitur quam ut possit sufficientem de principiis naturalibus cognitionem & fidem non ancipitem legentibus insinuare.

Secundum verò caput unum habet optimæ disciplinæ congruum nempe de principiis Lapidis generalibus judicium, quo Mercurium aliquem à Mercurio vulgi seu actu minerali differentem usquedum neutra in familia mixtorum infimorum, id est mineralium vegetabilium & animalium specificatum & determinatum. Contra verò Sulphur quoddam à communi combustibili & fœdo alienum; sed sub aliqua forma specifica determinatum, sub aliquo genere prædictorum mixtorum quam possit imprimere & communicare Mercurio dicto per viam fermentationis, constituit pro materia dicti Lapidis, cætera ferè omnia falsa sunt & rejicienda, ut in posterum videbimus. VALE. *Bruxellæ 15. Martii 1646.*

EPISTOLA V.

ORdo postulat D. S. ut primum articulum secundi Capitis Pagesiani libelli qui versatur circa investigationem fontis Mercurialis disseramus.

Certum est apud omnes Philosophos indubitatum scilicet Mercurium verum rerum mineralium maximéque metallorum materiale principium, proximum esse humorem seu vaporem humidum calidum ut post expeditionem Pagesianam docebimus. Non amplius ergo quærendus ille Mercurius in fonte humido frigido aquæ puræ Elementaris ut concludit Pagesius: sed petendus ex corpore & substantia calida humida propter aëris congelati dominationem qualis est materia nostra quam tu nunc non ignoras. Unde facile est indicium erroris Pagesiani hac in parte; sed ne sua laude careat Author, fatendum est neminem vidisse qui propius ad scopum accesserit, quia substantia quam indicat cum verâ & genuina substantia quæ verum Mercurium continet in generibus plerisque conditionibus convenit & penè habet omnes signaturas & characteres Philosophis passim descriptos quibus ipse Mercurius dignoscitur ut & ejus origo. Hæc circa primum articulum tibi sint satis. *Vale.*

EPISTOLA VI.

SEcundus Articulus Pagesiani operis extrahendi & subinde præparandi Mercurii modum mysteriosum magis quam par fuit ex Authoritate Lulliana malè intellecta aliorumque Philosophorum præceptis malè applicatis, repetere conatur, dum per distillationem decimam partem suæ magnesiæ primò ascendentem quasi solam utilem & merè mercurialem substantiam, novem verò reliquas partes per continuationem distillationis prodeuntes ut inutiles rejici jubet. At hoc ut tandem dicta, decima pars asservatæ tertiæ residenti post completam distillationem (quam terram Sal, Sulphurque Mercurii ineptè autumat) restituatur & per repetitas cohobationes, inhumationes, digestiones & sublimationes ab ipso descriptas uniantur: sed graviter hallucinatur, nam quod tradunt Authores de parte denaria spiritum continente deque inhumationibus in propria terra, aliò refertur quàm extractioni & præparationi Mercurii ut alibi aliquando demonstrabitur, nec ulla adhibenda est regula dictæ extractioni & præparationi Mercurii præter simplicem distillationem Magnesiæ quâ spiritus & oleum simul elevantur ad siccitatem usque fœcum & separationem spiritus ab oleo ejusdemque spiritus rectificationem multoties repetitam: sed hæc in modo agendi suo loco amplissimè dabimus. *Vale.*

EPISTOLA VII.

SUccedunt Articuli tertius & quartus, scripti Pelagiani D. S. quorum unus Sulphuris ad opus Philosophorum mineram assignat idque probat, nulla enim est minera ejus sulphuris præter illam quam indicat, nempe aurum vel argentum.

Alter verò extractionem dicti Sulphuris è visceribus auri & argenti describit: sed malè omninò, quia dissolvens heterogeneum auro vel argento proindeque violentum præscribit, scilicet oleum quoddam

quoddam ex sublimato pluries mercurio communi cum sale armoniaco per deliquium confectum, quod contra naturæ intentionem est, quæ vult ipsum aurum & argentum solvi ad effectum lapidis conficiendi in aqua benigna ipsis homogenea homogeneitate principii (ut vocat Cabala) non verò principiati, ut falsò autumant aliqui non minus erronei quàm ipse Pagesius; idest ejusdem naturæ cum materia seu substantia ex qua proximè & immediatè aurum & argentum facta sunt; ipsa materia considerata in statu minoris cõpositionis quem habebat ante quam in aurum vel argentum coalesceret. Plures enim sunt gradus compositionis mixtorum subordinati ut postea videbitur, non verò ejusdem naturæ cum auro ipso, argentove archeali, atqui nulla alia substantia in rerum natura talem habere potest homogeneitatem principii cum auro vel argento præter nostrum mercurium ex magnesia quem scis modo elicitum, quia vapor est humidus calidus nondùm determinatus in ulla familia mixtorum infimorum, idest mineralium, vegetabilium & animalium, proindeque simplicioris gradus compositionis quàm aurum vel argentum aliudve quodlibet mixtum infimum, cætera verò omnia atque ideo mercurius vulgi quo utitur Pagesius, sunt in dictis familiis determinata propterea quamvis pleraque multa habere videntur cum auro & argento symbolas conditiones, sunt tamen ipsis heterogenea, quia habent specificam differentiam ab auro & argento, sed naturam etiam sub diversa specie ejusdem gradus compositionis opposita in quo consistit heterogeneitas, Ergo mercurius noster, non vulgaris, pro dissolvente auri & argenti sulphuris eorum extractivo usurpandus, Hic est error Pagesii. Vale. 30. *Martii* 1646.

EPISTOLA VIII.

Quintus articulus D. S. Ovi philosophici confectionem seu compositionem suadet fieri ex uncia unâ vel circiter sulphuris auri vel argenti & pauciſſima quantitate mercurii sui, cujus spiritus per repetitas plurimas distillationes & cohobationes ingerere & incutere in dictum sulphur intendit, omnemque postmodum humiditatem reservare, quod contra ipsum naturæ lumen disputat & monstrum facit, dum vitellum ovi seu fermentum, id est sulphur aureum vel argenteum, multoties vult superare albumen ovi seu rem fermentabilem id est mercurium & ejus humiditatem naturalem & necessariam ad effectum generationis eximit & tamen vult pullum physicum inde prodire aut coagulum cabaliticum formari, sed quam fatua sit Pagesii imaginatio hoc in articulo, exaggerare non est opus, cùm stolidus quisque non possit non eam deprehendere. Vale. *Bruxellæ.* 5. *Aprilis* 1646.

EPISTOLA IX.

Sextus articulus dicti quaternionis, D. S. est de coctione ovi & regimine ignis, cujus quatuor assignat & mordicus sustinet differentias ac semper excrescentes gradus; quod sanè inexpertum redolet philosophum si de igne actuali hoc intelligat ut videtur, unde locum invenio mutandæ sententiæ & opinionis in quam inciderant, nempe Authorem exquisitos errores in prioribus articulis dissimulandi causâ tantùm & consulto artificio facilitati tuæ imposuisse, namque video ex magna & non dissimulata animi contentione quo talem propugnat doctrinam & Authorum sententias interpretatur, ejus ignorantiam apertam: nam peritus & experimento eruditus quisque novit quatuor ignis gradus ab Authoribus commendatos, referri ad ignem virtualem seu centralem ipsius fermenti, qui ut alias superiores habet proportione geometricâ successu temporis vincendas elementales qualitates in mercurio, quatuor gradibus procedit acquirendo totidem gradus virium qui quatuor principalibus coloribus præcipuis designantur: Sed ignis naturalis externus ut alterius tantùm est excitativus, prius tantùm continui semperque æqualis gradus lentissimi esse debet. Hæc sunt Errata Pagesii. Vale. *Bruxellæ* 11. *Aprilis* 1646.

EPISTOLA X.

Expleto Pagesiani Operis Examine D. S. sequitur ut veram disciplinam Hermeticam exponamus, totam igitur hujusce materiæ tractationem ut Pagesius ipse ad duo capita reducimus.

Primum de Natura, Alterum de Arte, idque secundum principia Cabalæ quæ vera est, à Deo primis parentibus infusa, nobisque ab ipsis non scriptis sed auditu tradita Scientia naturalis. Nulla melior adhiberi potest methodus, quia cum artis officium sit naturam perficere id verò non possit nisi naturam imitando. Prius est naturæ operationes imitandas quàm modum imitandi elucidare.

Primum caput duo habet, unum de Prima Genesi ideſt de Creatione omnium rerum.

Alterum de secunda Genesi ideſt de quotidiana rerum omnium productione naturali, quod utrumque scitu necessarium est Philosopho qui veritatis principia & regulas certas addiscere exoptat, quia sicut ars imitatur naturam, ita natura creationem, hoc solo discrimine ut nihil creatio supponat nisi ideas divinas velle Dei, natura verò supponat principia principiantia, nempe elementa; Ars autem principia principiata de quibus suo loco, propterea cognitio Artis pendet à cognitione tam secundæ quam primæ genesis.

Hæc brevis Prologi loco sint, in posterum materiam aggrediemur. Vale. *Bruxellæ* 15. *Aprilis* 1646.

EPISTOLA XI.

Certum est quidem D. S. & ab omnibus Philosophis non modo Paganis, maximè verò Christianis receptum, summum rerum Opificem mundum universum materialem, (de hoc enim est sermo non de Archetypo intellectuali) ex nihilo creavisse in tempore, non immediatè tamen omnes ejus partes creatas ita fuisse tenent, sed solam materiam primò ex nihilo solo conceptam credunt, ex qua deinde corpora simplicia per modum separationis educta fuisse & ex ipsis mixta tandem omnia facta fuisse per modum compositionis sentient. Miranda & adoranda Dei providentia quæ statim à principio hoc natura & arti exemplar proposuit ut in omnibus rebus producendis vel productis meliorandis operatio inciperet à solutione & desineret à coagulatione, itaque nemini non liquet in rerum omnium creatione diversos fuisse mediationis gradus subalternos juxta quos prima & simpliciora entia postremorum & magis compositorum principia materialia constituta fuerunt, non ita tamen ut magis composita entia formas habeant diversas realiter distinctas, ita ut aliis exui possint, allis remanentibus, sed formæ ultimæ

mixtorum eminenter primas continent ab ipſis indiviſibiles: ſed quanti ſint illi gradus, non ſatis conſtat apud Philoſophos. Communis ſchola tres tantùm admittit nempe materiæ creationem, elementorum diſtinctionem, & mixtorum omnium ex elementis conformationem. Cabala autem quæ veritatis indubitatum lumen divinitus accepit & genuinam ſacræ Geneſeos mentem & interpretationem penes ſe habet, quamvis tres actus creationis diverſos tribus prædictis à ſchola communi receptis reſpondentes, primò nempe materiæ productionem ex nihilo, ſecundò ejuſdem materiæ diviſionem ſeu ſolutionem in corpora ſimplicia, ac tandem mixtorum fabricationem & compoſitionem ex diverſis corporibus ſimplicibus admittat. In genere tamen multò plures mediationis gradus docet & jubet teneri ordine proxime dicendo. VALE. *Bruxellæ.* 21. *Aprilis* 1646.

EPISTOLA XII.

PRimò igitur D. S. Deus ex nihilo creavit materiam ſecundam non planè informem (ut fingunt ineptè pſeudophiloſophi) ſed ſub forma aquæ primordialis ſeu elementi ac primi principii proprie dicti (unde plerique Philoſophi) non ſine ratione unicum elementum aſſerunt, cui primordiales tribuunt proprietates, potentiam ſcilicet activam & paſſivam, quibus tres actus primordiales adjiciunt, Hylem ſeu corpus, Archæum, ſive animam, & azoht medium inter utrumque, unius & alterius quaſi miniſtrum nempe ſpiritum univerſalem, ac tandem inſtrumenta quatuor etiam primordialia omnis actionis & paſſionis, nempe primas qualitates aſſignavit.

Hic eſt primus & fundamentalis gradus primæ geneſis.

EPISTOLA XIII.

SEcundò myſtica quaſi diſtillatione, Deus aquam hanc primordialem in quatuor partes ac regiones ſeparavit & diſtinxit quæ vocantur elementa, quamvis non tam propriè ſint elemẽta quam elemẽti prædicti partes, ſed tamẽ quia affectionem à priori paulo differentem habent ſecundum quam donantur, ſua quæque ex qualitalibus prædictis eaque intenſiſſima alteri tantùm qualitati ſymbolæ, remiſſionis gradus adjuncta, elementorum titulum ſortiuntur & vocantur elementa elementata quorum neutrum alterius admixtum quidquam patitur ſecundùm originem ſuam & radicem, ideſt ſecundum ſtatum & conditionem in qua primùm creata ſunt ex quo ſemel poſt peccatum homo cœpit lugêre, habitus & ſtatus omnium rerum ejus uſui ſubjectatum corrumpi cœpit, & in dies magis corrumpitur ut in tractatu noſtro de ſulphure diximus. Archæus verò in centro cujuſque exiſtens vocatur elementum elementans.

Eorum elementorũ proprietates à Deo conſtitutæ præcipuè ſunt ut propter qualitatum diſſymbolarum & contrariarum incompatibilitatem in perpetuo conflictu ad invicem & ſemper ſui aliquid emittant, unde beneficio qualitatum ſymbolarum ſimul convenientium efficiuntur quædam mediæ ſubſtantiæ in ſecunda geneſi quotidie, partim naturam elementi, partim verò ſortem mixti vindicantes, ut alibi declarabitur; quâ de causâ dicta elementa vocantur Principia principiantia omnium corporum.

In ea autem nullum corpus mixtum reſolvi niſi ſola poteſtate divina poteſt, quia ut dictum eſt formæ ultimæ ad primas ſimplices retrotrahi non poſſunt, nec è converſo illa ſin ul, ſaltem omnia poſſunt in unum compoſitum ſeu mixtum immediate coaleſcere, propter repugnantiam qualitatum contrariarum prædictarum quæ ſine medio conciliari & ſimul conſiſtere nequeunt, diximus omnia, quia eorum aliqua, ea ſcilicet quorum denominantes qualitates non repugnant, poſſunt uniri phyſicè in uno compoſito naturali videlicet in principiis principiatis, de quibus ſtatim, VALE.

EPISTOLA XIV.

TErtiò Deus dictorum elementorum exaltavit quintas eſſentias, ut vocant, id eſt myſtica quaſi rectificatione ſeparavit puriores partes ex quibus cœlos & Aſtra confecit, non per modum compoſitionis aut coagulationis propriè dictæ quæ ut plurimùm unionem ſonat, in his enim non commiſcens alia cum aliis, ſed per modum concretionis aut condenſationis, cœli enim ſunt ex puriſſima parte aquæ, Aſtra verò alia ex puriſſima parte aëris, alia ex pellucida parte ignis, alia tandem ex ſubtiliſſima & levigata parte terræ. Hæc doctrina ſolo lumine naturali demonſtratur, quia nemo vel ruſticus vel rudis non vide Lunam opacam per ſe propterea non lucidam, ſed à ſole lumen mutuantem terreſtrem eſſe, nec poſſe eſſe aliam, ſola enim terra opaca eſt, Solem contra per ſe lucidum igneum eſſe, ſolus enim lucidus per ſe & aliis corporibus lucis eſt communicativus ſicut & caloris. Lux enim eſt proprietas ab eſſentia ejus fluens & eam ſemper neceſſario concomitans, quamvis non ſemper appareat propter interpoſitionem opacorum, unde ſæpè ignis ſub lucis nomine, Lux verò è converſo ſub voce ignis ſignificatur, ut in textu ſacræ Geneſeos ubi exprimitur creatio ignis ſub nomine lucis, ac tandem non abſimili ratione complures ſtellas pallidas corporum tranſparentium more, lumenque à Sole admodum Vitri aut potius ad normam aëris accipientes aëreas eſſe, adde quod ſi hoc non ita ſe haberet, aſtra non poſſent influentias modo calidas ex planetarum calidorum prædominatione, modò frigidas ex frigidorum ſyderum acceſſione imprimere nec mutationes tam diverſas operari in ſubjectis corporibus, quia illæ qualitates Elementorum propriè ab Elementis procedunt & communicantur ubicunque occurrant, cujus veritatis probationem ampliſſimam videre potes in Harmonia noſtra quam Briquius habet Typis mandandam.

Affectiones cœleſtium orbium & ſyderum ſunt præ cæteris conſiderandæ, ſcilicet ut indeſinenter ad finem uſque ſæculi ſuo quaque librentur & agitentur motu ſemper æquali, reſpectu ad ſe, ſemper inæquali reſpectu aliorum ſyderum ſaltem plurimorum, ad hoc ut ſecundùm varias configurationes, varias etiam irradiationes & influentias emittant in inferiora corpora, & concurrant tanquam cauſæ univerſales & ſuperiores ad omnes actiones & motus naturales generationeſque & corruptiones tam univerſales ſeu primordiales, de quibus mox agemus, ac tandem ſingulas mutationes aut alterationes temporum, tempeſtatum variationes, durationum commenſurationes atque alios complures effectus præbeant.

Expoſita eſt ſolutio & ſeparatio materiæ primæ, jam ſequitur Compoſitio ſeu Coagulatio propriè dicta

dicta quæ plurium partium diversarum unionem supponit, ut dictum est. Et hæc erit materia nostra proxima. Vale.

EPISTOLA XV.

QUartò igitur D. S. Deus constlavit principiata seu mixta superiora quæ media sunt corpora inter Elementa & mixta inferiora.

Hæc autem primo sunt Sulphur, nempe substantia quædam ex igne & aëre simul conjunctis mediante calore utrique communi coalescens.

Secundò Sal quod est mixtum ex aëre & aqua operâ humiditatis uni & alteri symbolum.

Tertiò Mercurius ex aqua & terra agente frigore ambobus propriè constructus, quorum principiorum Proprietates potiores distinguuntur in communes & singulares.

Communes sunt ut principia principiata suprema sint & media conjunctiva extremitatum in mixtis, ideſt ut mediantibus illis dissymbolæ qualitates elementorum alioquin incompatibilium conveniant in mixtis cujusque familiæ: nam licet symbolæ qualitates in quolibet statim mixto contrarias & repugnantes qualitates conciliare potuisse videntur, tamen incommodum erat secundùm legem quam Deus Naturæ posuit, ut contraria simul consisterent & confestim sine aliquibus præviis fœderibus in mediis corporibus initis conjungerentur. Adde quod tam diversa temperamenta & tam variæ complexiones alioqui effici non potuissent, saltem in rebus firmæ constitutionis & longæ durationis.

Singulares proprietates sequenti Epistolâ explicabimus.

EPISTOLA XVI.

SIngulares prædictorum principiorum D. S. sunt diversæ & maximè considerandæ.

Sulphuris hæ sunt præcipuæ ut caloris nativi sit sedes, nutrimentum & fomentum in omnibus, ut recipiat immediatè impressiones & influentias calidas & igneas corporum cœlestium, reliquisque corporis partibus in quo residet, communicet, ut odores & tincturas rerum omnium contineat & odoris & tincturæ omnium mixtorum actiones recipiat.

Salis ut in corporibus omnibus sit radix coagulationis & coagulabilitatis, alia enim principia condit & coagulat seu consolidat, ut & aliorum corporum fores aperiat cum justa quantitate mercurii applicatum, eorum salia movendo in quibus compago & nexus partium homogenearum consistit. Vt è converso alienorum salium potentiorum actionem recipiens partes proprii corporis dissolvi sinat. Vt saporem sapidorum contineat & eum communicet ipsiusque etiam communicationem recipiat, & verò animalis cujusque partes saliat quæ suo sale carent, gustum & tactum produnt, illud est enim quod pungit & pungitur in omnibus motibus appetitus sensitivi. Vt influentias & actiones humidas calidas recipiat.

Mercurii demum ut humidi radicalis sedes existat, ipsumque foveat & nutriat in omnibus. Ut ubique omnes impressiones humidas frigidas recipiat & vicissim actiones agentium paris qualitatis scilicet frigidæ humidæ patiatur, cæterisque corporis partibus in quo latet distribuat. Ut sal solvat & ei ad omnium solidorum solutionem opituletur.

Hæ sunt singulares principiorum principiatorum supremi ordinis proprietates: In posterum ad alia pergemus. Vale.

EPISTOLA XVII.

QUintò D. S. Ex tribus prædictis duo alia principia principiata formavit Deus seu mixta secunda scilicet sperma naturæ & menstruum mundi, quæ ut proprietates prædictorum retinent etiam adhuc eorum nomen pristinum sulphuris & mercurii retinent. Sperma enim vocatur sulphur, Menstruum verò mercurius nuncupatur: sed præter prædictas proprietates novas adepta sunt ex novo temperamento, Sulphur enim quod antea calefactivum erat propter calorem naturalem quem continebat, jam ex salis admixtione coagulativum & fixativum devenit, proindeque vocatur à philosophis Sulphur vivum.

Mercurius verò qui priùs frigidus erat propter accessionem aëris coagulati quem à sale accepit, jam calidus humidus factus est & melius digestivus, unde Mercurius etiam vivus vocatur.

Proprietates quæ formam substantialem horum duorum sequuntur, vel sunt Communes vel singulares.

Communes sunt ut sint mixta subalterna seu secundi & medii ordinis.

Singulares sunt primò Sulphuris ut in se semina tam primordialia quam secundaria (de quibus postea) contineat, non quidem omnia simul ubique confusè, sed distinctè & determinatè secundùm naturam & conditionem locorum in quibus tanquam in naturæ renibus & spermatis vasibus digestionem suam & ultimam dispositionem specificam nanciscuntur & multiplicantur, propterea vocatur sperma naturæ ut dictum Sulphur vivum in matrice debita semina introducat & ibi disponat, ad hoc ut officium suum expleant ad generationem unde radix masculinæ facultatis illi tribuitur. Ut mercurialem spiritum sibi alliciat ex menstruo, unde magnes, chalybs & cætera id genus nomina sortitur.

Secundò Mercurii ut contineat eminenter prædictum mercurium magis digestum & proximè dispositum ad hoc ut seminum actionem & fermentationem recipiat, ideſt convertatur & coaguletur secundùm eorum intentionem ac tandem cum alimentis in substantiam omnium nutribilium transmutetur, unde nomen & titulum Menstrui mundi habet. Vale.

EPISTOLA XVIII.

SExtò ex his duobus fecit unum principium quod etiam nomen Mercurii retinet, licet alia prædicta pariter ut Mercurium in se contenta habeat & physicè unita nec amplius distincta realiter: sed quoniam sic naturæ mercuriales magis in eo abundant & apparent sensibus nempe humiditas aquea & terræ subtilitas intimè cum aqua conjuncta, proinde vocatur potius Mercurius quam Sal vel Sulphur, sed tamen secundùm diversos digestionis naturalis gradus quos adipiscitur, mutat nomina, signa & naturam, nàm dum ad salis coctionem accedit Sal vocatur & salis naturam proprietatesque nanciscitur, dum verò ad sulphuris vivi digestionem accedit, Sulphuris etiam nomen, naturam, essentiam & facultates sibi vindicat, quamdiu autem manet in statu & temperie mercuriali, Mercurius tantùm dicitur, propterea Protheus & Hermaphrodita naturæ masculinæ & fœmininæ particeps, aliosque

varios titulos à Philosophis accipit.

Proprietates istius sunt primo, ut sit Principium principiatum ultimum, id est materia proxima ex qua tam in prima quàm in secunda genesi fiunt & multiplicantur omnia mixta actione seminum tam primordialium quam particularium per viam fermentationis in diversitate naturæ, secundùm diversam ejus dispositionem simul ac intentionem seminum, modis mox dicendis.

Secundò ut rebus conceptis & productis nutrimentum & incrementum ex propria substantia præbeat, ideò matrix & Mater omnium rerum nuncupatur à Philosophis & diversa alia recipit nomina secundùm diversas functiones tam activas quàm passivas quas obit, sed præcipuè vocatur Spiritus universalis, quia licet corpus & animam habeat efficacissimam, tamen quia corpus ejus subtilissimum est & ferè totum spirituale, potiùs nomen habet spiritus quàm corporis, quia etiam anima ejus seu Archæus non apparet sensibus, potius vocatur spiritus quàm anima.

Hæc omnium supradicta principia principiata, licet magis composita sint quàm principia principiantia seu Elementa, tamen inter simplicia corpora ponuntur: & verò talis est eorum conditio sicut & elementorum ut in ea nullum prorsus corpus resolvi possit, ita ut ad suam pristinam simplicitatem quâ pollebant antequam specificam formam mixti in aliqua familia nacta essent restituantur ac formam substantialem dicti mixti prorsus exuant, quidquid contra objiciant pseudochymici, cujus doctrinæ confirmationem ipsi.met experiuntur sibi ipsis contradicentes, dum suorum principiorum resolutiones (sulphuris, duntaxat salis & mercurii) facultates medicas easdem specie existere testantur, quæ erant in corporibus, unde sunt sine illo discrimine nisi quòd ut putant sunt intensioris gradus in illis quam in his, quæ identitas facultatum impossibilis est nisi formam substantialem corporum retineant, quia illæ facultates sunt accidentia: inseparibilia semper remanentia in dictis corporibus, remanentiam formæ substantialis arguentia, & verò si dicta principia ad pristinam simplicitatem retrotrahi possent, forma substantialis quàm ultimò nacta sunt ad nihilum reduceretur tali retro simplificatione aut suspensa maneret sine subjecto quod naturaliter impossibile est, nec obstat quod generatio non possit fieri sine destructione formæ, cùm generatio unius sit corruptio alterius in mixtis, quia eodem instanti quo vetus forma corrumpitur, nova introducitur ejusdem compositionis gradus mixti aut vegetioris, nunquam verò simplicioris & minoris gradus compositionis, ita ut subjectum, formæ illius pristinæ jacturam patiatur: nec potest dici ullo momento caruisse suo gradu mixti & ad formam substantialem completam simpliciorem retrotractum fuisse, quæ conditio est necessaria annihilationi formæ cui contradicimus. Diximus formam completam aliquæ formæ substantiales incompletæ verbi gratia anima rationalis, quæ separatæ à suo subjecto & materia gradum aliquem sui status & compositionem amittunt.

Licet tamen absoluta separatio dictorum non detur, non negandum est tamen, aliqualem & impropriam dari, experimentum enim quotidianum hoc docet in distillationibus in quibus substantiæ dictis principiis respondentes aliquo modo, eodem numero, sed ordine retrogrado deprehenduntur, imò necesse est ut hoc ita eveniat, alioqui frustra quæreretur sulphur aureum vel argenteum & fermentum necessarium ad confectionem lapidis Vale.

EPISTOLA XIX.

SEptimò & ultimò D. S, ex postero prædicto principio, Deus proximè & immediatè fecit omnia quotquot sunt mixta infinita trium familiarum, animalis, vegetabilis & mineralis & infinitarum specierum unicuique familiæ subjectarum, hoc modo, nempe ex dicti spiritus universalis ad sulphuream temperiem digestl, portione innumera, fecit cujusque familiæ generum & specierum illis subjectarum secundùm inexhaustum idearum suarum thesaurum, semina seu fermenta tam in aere quam in aqua & terra, ex quibus (non quidem omnibus, vacua enim dimisit plurima) & ex dicto spiritu universali mercurialiter tantùm digesto individua formavit indifferentia sexus fœminini & masculini quorum alteri semina secundaria & particularia suæ speciei multiplicativa. Alteri verò menstruum & Hylem proprium suæ speciei principium materiale generationis commisit, & ipsis tandem individuis inter infinitas propemodum proprietates hanc præcipuam impertitus est, ut multiplicare possent speciem suam in dicto mare & fœmina, quod ut clarius demonstretur, sciendum est multiplicationem speciei duplicem esse à Deo constitutam Primariam scilicet & secundariam de quibus in sequenti. Vale.

EPISTOLA XX.

PRimaria seu primitiva multiplicatio D. S. illa est quæ fit vi & actione seminum primordialium prædictorum.

Secundaria est quæ fit vi & actione seminum particularium ut videre est in fine libri, id est non æqualiter quia primaria multiplicatio propria est mineralium juxta quam multiplicantur quotidie in viscеribus terræ, Vegetabilibus etiam convenit, quia hac tatione plurima etiam quotidie producuntur, sed non tam multa nec tam frequenter & facilè ac mineralia, maximè si de perfectis vegetabilibus & non excrementiis sermo sit, animalibus tandem minus competit quia rarò & ferè nulla, unquam hoc genere productionis oriuntur, saltem perfecta. Secundaria verò multiplicatio pertinet propriissime ad animalia, vegetabilibus tamen frequens est; sed non tantoperè ac animalibus, rarò denique imò nunquam sine artis ministerio & industria mineralibus contingit.

Non æqualibus modis etiam & circunstantiis ambæ multiplicationis rationes conveniunt tribus familiis, quia multa sunt discrimina ob diversas facultates cujusque familiæ, quæ sequens indicabit. Vale.

EPISTOLA XXI.

PRimum discrimen est D. S. in sexuum, ideſt maris & fœminæ, differentia quæ diversa est indictis familiis, nam in familia animali, cum Deus dederit omnibus animalibus, saltem perfectis, facultatem motricem per quam possunt convenire & officia sua exequi, voluit ipse Deus dare cuilibet speciei marem & fœminam singularem ejusdem speciei, in vegetabili verò & minerali familia, cum species subjectæ dicta facultate motrice careant, nec convenire & conjungi possint per se, ipsis omnibus fœminam dedit communem, ubique occurrentem.

rentem, utrique familiæ æqualiter convenientem, proindeque nemini consimilem specie: sed genere tantùm eò scilicet quod utrique familiæ proximè superius est videlicet mixti subalterno genere, fœmina enim illa est noster spiritus universalis: itaque quotquot sunt semina primordialia in unaquaque regione Elementorum & individua existentia in dictis duabus familiis tot sunt mares, unica verò familia ipsis communis.

Secundum discrimen versatur in diversitate officiorum uniusque sexus, quæ magna est in dictis familiis, maximè citra commune officium seu copulationem: nam animalia sponte suâ solo Archæi impulsu nullaque artis industria copulantur dum appetitus naturalis ad hoc ipsis inditus urget & movet, quapropter Deus dedit illis instrumenta copulationis & generationis specialia tam mari quàm fœminæ. Vegetabilia verò licet id præstare aliquo modo videantur cùm fructus maturi labentes semina permittunt in matricem dictæ fœminæ occurrentis & avidè semper ea appetentis, tamen artis auxilium ad bene & certo agendum requirunt.

Mineralia etiam licet quantum ad primariam multiplicationem sine artis ministerio copulantur, tamen in secundaria (quæ ad nos maximè pertinet) necessariò manus Artistæ & operatio intervenire debet. Propterea dicta mineralia nec pariter vegetabilia habent instrumenta conjunctionis nec generationis, fœmina tamen matricem habet aquam, alvum verò terram.

In particularibus etiam officiis aliquid est discriminis: sed quia ad rem nostram nihil confert ejus cognitio brevitatis causâ illud prætermittemus ut cætera persequamur. Vale.

EPISTOLA XXII.

TErtium discrimen refertur ad spiritus universalis dispositionem & præparationem quæ præcedere debet multiplicationem.

Quantùm ad primariam multiplicationem & terminos ipsius non est difficultas, nulla enim spiritus universalis præparatio in illa ad effectum trium terminorum exigitur, præter gradus digestionis illius supradictos, quia hoc commune est tribus familiis in hac multiplicationis ratione, ut si spiritus universalis sulphuream acquisiverit digestionem dum copulatur cum seminibus primordialibus, assimilatur cum illis & vertitur in semen, si verò manet in gradu Mercuriali jam ex ipso multiplicatur species ideſt fermentatur & convertitur in individuum specificum secundum radicem & characterem primordialium seminum.

Sed ad effectum multiplicationis secundariæ & terminos ipsius præparatio dicti spiritus universalis, magnopere discrepat in dictis familiis: nam in animalibus etiam requirit digestionem præter præcedentes ad effectum trium terminorum, nempe animalem digestionem quæ fit in præcordiis animalium, quapropter Deus imposuit illis necessitatem respirationis cujus beneficio dictus spiritus universalis ex regione aëris ubi copiosus est, fertur in præcordia dicti animalis ubi digeritur & odorem formæ substantialis suscipit, tum deinde portio una ipsius ad effectum primi termini multiplicationis miscetur cum semine & in semen transmutatur. Ad effectum verò secundi termini miscetur in viscera fœminæ cum menstruo humore & in ipsum transmutatur. Ad effectum tandem tertii termini miscetur cum alimentis & ipsa solvit tum ab ipsis transmutatur, ac tandem omnia simul convertunt in chylum, dein in sanguinem, demum in substantiam animalis.

In vegetabilibus requirit etiam digestionem Vegetabilem ad effectum utrius termini quæ fit in corde vegetabilis, quamobrem Deus Magnesiam creavit in omnibus plantis quam vulgus medullam vocat, quæ dictum spiritum universalem allicit è terrâ ubi est abundanter dictus spiritus universalis, quippe qui quotidianis agitationibus ventorum incutitur fusissimè in poros ejus.

In mineralibus verò nullam requirit præparationem specificam præter artificialem purgationem & separationem à sua Magnesia ad effectum primi termini: sed ad effectum secundi & tertii requirit metallicam digestionem præcedentem. Vale.

EPISTOLA XXIII.

QUartum discrimen est in effectu tertii termini, qui varius est in dictis familiis: nam in animalibus & vegetabilibus, si refertur ad primum actum, quantitatem auget per extrapositionem, quia semen ut neque sanguis & alia ejusmodi quæ sunt instrumenta potiùs vitalium actionum quàm partis viventis aut saltem sunt partes disparatæ, incrementum non sumunt ut partes viventes. Si verò ad secundum referatur, quantitas augetur per intus susceptionem & qualitas seu virtus intrinseca intenditur.

In mineralibus si refertur ad primum terminum quantitatem & molem auget etiam per extrapositionem & tamen virtutem intrinsecam intendit. Si verò ad secundum refertur non auget quantitatem imò minuit: sed qualitatem & virtutem intrinsecam extollit.

Quintum discrimen est circa formationis finem qui longè dissentaneus est in dictis familiis: nam in animalibus & vegetabilibus ad effectum utriusque multiplicationis primus terminus & ultimus tantum perficiuntur simplici assimilatione, qui fermentum acquirit omnes conditiones & partes formæ fermentantis nempe seminis aut menstrui. Secundus verò terminus non definit in simplici assimilatione, quia in eo fermentatum conditionem acquirit aliquam præter formam fermentantis, nempe seminis, non potest enim dici quod semen hominis, sit homo.

In mineralibus verò uterque terminus perficitur in simplici assimilatione, quia fermentum nempe semen habet actu omnes conditiones formales quas imprimit in fermentatum, quoniam substantiarum homogenearum (qualia sunt mineralia) penè omnia, maximè verò metalla, partes omnes naturam retinent & rationem sui totius, sed illam formam diversimodè affectam per accidens in duobus primis suæ multiplicationis terminis producunt, propter diversam mercurii quem sibi assimilant dispositionem, quæ varia est in dictis terminis.

Hactenus de prima genesi, ubi vidisti in uno triadem physicam & in triade unitatem, in duobus fœcunditatem, in triangulo quadrangulum, centrum in circumferentia & circumferentiam in centro quadratam, quadraturam circuli & circulum quadratum, septenarium à triangulo & quadrangulo, decadem à septenario & triangulo & alia id genus emblemata Cabalæ, quæ latiùs explicare & applicare non est opus. Jam ad secundam genesim deinceps. Vale.

EPISTOLA XXIV.

REbus ita creatis omnibus D. S. ac suis quibusque instructis proprietatibus suoque ordine ac regione collocatis, legem Deus imposuit generaliter, quam proprio nomine Naturam vocamus naturantem, ne ulla unquam iners & otiosa maneret, sed perpetuò omnes secundum suæ substantialis formæ intentionem & inclinationem agerent & agerentur, motu & vicissitudine actionum & passionum, causationum & effectionum, suprema scilicet corpora in media, media rursus in inferiora, idest in mixta ultima trium familiarum, hæc verò & species cuique familiæ subjectas, individuaque omnium specierum in se invicem, modo sibi proprio, ut inde in mixtum, genere perpetuo ac semper indesinens ad finem usque sæculi, oriretur rerum nova productio, productarum multiplicatio & extinctarum reparatio, tale est decretum æternæ authoritatis ne mundi integritas rerum æqualiter corruptibilium successivo occasu ante præstitutum tempus labefactaretur & corrueret: Et præter hunc generalem ordinem, alium constituit cuilibet speciei ad sui conservationem & multiplicationem quam Naturam naturatam vocamus, cujus ope non solùm actionibus superiorum & subalternarum causarum correspondent, sed propriis viribus secundùm facultates suæ conditionis cum illis contribuit, cujus naturæ naturatæ rector est Archæus.

Sic aspirantibus causis omnium universalissimis nempe cœlo & syderibus elementa producunt & multiplicant quotidie sulphur, sal & mercurium, Hæc menstruum & sperma mundi, ista rursus spiritum universalem, spiritus universalis tum semina & menstrua, tum etiam individua cujusque familiæ quæ tandem suam speciem multiplicant præter mineralia quæ sine artis beneficio hoc efficere non possunt. Hæc est brevis expositio secundæ geneseos. VALE.

EPISTOLA XXV.

ANtequam de Artis regulis & præceptis agamus D. S. præmittendum est aliquid de ejus intentione & potestate secundùm prædicta principia.

Ars igitur generaliter intendit naturam, idest naturales productiones perficere, Artis enim hoc est officium, id verò duobus præstat modis.

Primò juvando Naturam vel ut obtineat ordinarium perfectionis specificæ finem in rebus quas producit, quocunque modo producendi quem necessario ex hypothesi, idest lege certa & indeficiente obtinere deberet per se sine alieno adjumento, nisi accidentariò impediretur & interturbaretur, quomodo verbi gratiâ pullus ex ovo gallinaceo calore artificiali foto, gallina fotrice deficiente aut absente, non rarò prodire cernitur, simul & diversa alia id genus quæ natura perficere non poterat ab arte perfici, vel tandem ut acceleret suas productiones ante terminos tempotis solitos & ordinarios quo etiam artificio ortus & partus diversarum rerum sæpè acceleratur: Sed hæc quamtumlibet ingeniosa artis intentio ad metallica quædam opera non attinet, quia minerali minus convenit familiæ mixtorum inferiorum quam cæteris duabus.

Secundò exaltando naturale opus jam perfectum secundùm ordinarium perfectionis suæ specificæ gradum ad ulteriores perfectionis gradus, idque duplici modo.

Primò sine mutatione speciei, sed tantùm exaltatione virtutis intrinsecæ & specificæ: nam Deus præter ordinarium perfectionis specificæ gradum cujusque entis, extraordinarios penè infinitos dedit, maximè in familia vegetabili & minerali, quos tamen natura sine artis ministerio assequi non potest, ut primo capite sæpius dictum, ut cùm verbi gratiâ panis fermentatione elevatur & perficitur à Pistore, seu cùm vitis transplantatur à sterili solo in optimam & felice sole conspectam terram, tunc enim per internum incrementum vitis & racemi augetur proprietas & gradus virtutis.

Hic autem modus familiæ minerali præ cæteris convenit & primus est terminus multiplicationis mineralis prædictus, fit enim multiplicatione seminis, nec potest effici alia ratione, sed cavendum ne pro virtutis specificæ Exaltatione intelligatur dispersæ virtutis unio & contractio, quâ Exempli gratiâ spiritus vini ingenti tartari & phlegmatis mole in qua diffunditur semel arte distillatoria vindicatus, potentior effici videtur & virtute intrinseca provectior, cùm tamen nihil addatur gradibus pristinis suæ virtutis: sed ipsius dispersæ partes magis uniuntur & comprimuntur separatione heterogeneorum Excrementorum, quæ non substantialiter quidem sed localiter confundebantur cum corpore vini, unde faciliùs sanè actionis suæ & operationis terminum ordinarium obtinet dictus vini spiritus, dum agit in objecta passiva, non tamen superiorem gradum virtutis specificæ assequitur, quo supra suas & gradus suæ virtutis naturalis vires ordinarias aliquid efficere possit & suam speciem multiplicare, cujus rei ignorantia omnes ferè decipit Philosophantes, cum infinitis operationibus metalla aliaque mineralia, quorum eadem est hac in parte ac prædicti spiritus vini ratio, fatigant; in callum præsumentes ipsorum exaltare virtutem ad producendos effectus extraordinarios & vim multiplicandæ speciei, nec etiam prædicto virtutis incremento accipienda est qualitatum sensibilium accidentaria alteratio quia scilicet adjectione rerum heterogenearum diversi generis mutatur tantùm facies non natura seu formæ substantialis activitas & status in quo gravis est sophistarum error vel potiùs deceptio.

Secundò cum mutatione speciei infimæ in superiorem idque duplici etiam ratione. Primo beneficio & operâ agentis universalis, nempe mineralis alicujus multiplicati secundùm dictum primum terminum multiplicationis in sua virtute, ut valeat multas species imò subalternas omnes transmutare & assimilare proportione majoris inæqualitatis in infinitum, ita ut pars minutissima agentis immensam speciei cujuslibet subjectæ proportionem velociter & in instanti ferè temporis convertat, qui effectus est solius Lapidis Philosophorum & ultimus terminus multiplicationis.

Secundò virtute agentis particularis, cujus activitas in unam vel paucas species sibi subjectas cadat & ipsas convertat modo superius dicto, & ampliùs postea dicendo, qui effectus est simplicis transmutationis.

Ex dictis sumitur Chrysopœæ seu artis aurificæ divisio in universalem & particularem.

Universalis versatur in præparatione agentis universalis prædicti seu seminis aurei vel argentei multiplicatione ejusque applicatione & usu.

Particularis tendit ad præparationem agentium particularium eorumque etiam usum & applicationem,

hem, secundùm quam divisionem duo membra hoc caput sicut prius habebit. *Vale*.

EPISTOLA XXVI.

OBjectum universalis Chrysopœæ D.S. est illud agens universale de quo supra, præparandum & conficiendum, cujus essentiam cognoscere prævium est, quàm ejus suscipere confectionem. Talis igitur est ejus definitio.

Agens quo utitur Philosophus ad transmutationem metallorum universalium est aurum vel argentum, seu Lapis Philosophorum est aurum vel argentum multiplicatum, non secundùm quantitatem, sed secundùm semen & virtute intrinseca seu activitate suæ formæ substantialis maximè intensum, agente naturâ, ministrante arte, cujus una pars minutissima propter exuberantem tincturam seu semen quâ pollet ingenti cujuslibet metalli modis, formam auri vel argenti substantialiter communicare & ipsam sibi assimilare potest velocissimâ actione.

Hæc definitio regularis est: nam proximum genus nempe naturam auream & argenteam & proximas differentias habet scilicet multiplicationem seminis & virtutis (non quantitatis) quâ distinguitur tum ab auro vel argento simplici, id est in statu suæ ordinariæ constitutionis mineralis, tum ab iisdem omnibus aliis rebus tam animalibus & vegetabilibus quàm mineralibus secundùm quantitatem multiplicatis aut multiplicabilibus, ac denique virtutem transmutativam maximæ quantitatis cujuslibet metalli suprà suam quâ discernitur ab agentibus particularis transmutationis unicum metallum aut pauca transmutantis, idque in pauca supra suam quantitatem aut æquali majorive ut plurimùm.

Quod aurum vel argentum sit genus lapidis, seu agentis universalis prædicti, manifestum est ex eo quod debet transmutare imperfecta metalla in aurum vel argentum ad hunc enim effectum necessariò exigitur in eo naturalis & vera forma auri vel argenti, nihil enim dare potest & communicare quod non habet.

Nec dicas ex doctrina primi capitis colligi lapidem esse semen auri vel argenti ac proinde non auri vel argenti substantiam, quia jam ibi per anticipationem responsum est, corporum homogeneoneorum partes omnes rationem & naturam habere sui totius, ideò semen auri, aurum esse formaliter sicut & vitriolum ex aliis omnibus metallis elicitum quod semen est seu sperma eorum, non differt ab ipsis metallis nisi accidentariò, id est ex diminutione aliquarum non essentialium qualitatum, puta fusibilitatis & ductibilitatis, nec non essentialium qualitatum intentione, maximè verò suæ activitatis.

Dicitur autem disjunctivè Lapidem esse aurum vel argentum, quia duplex est Lapis, unus ad Aurum, alter ad Argentum faciendum (licet ex agente ad aurificationem præparato possit & argentum confici ut alibi dicemus) si ad primum tendat Artista, subjectum suæ operationis constituere debet aurum, ut lapis quam facit, possit imprimere formam auream, si ad secundum, debet eligere argentum ut lapis ejus formam argenteam communicet, juxta dictum axioma nihil dare potest quod non habet.

Nec obstat dari causas aliquas quæ effectus producunt sibi dissimiles, & proinde aurum non esse necessarium ad faciendum aurum inferatur, & ita de argento, quia hoc tantùm locum habet in causis universalibus & æquivocis quæ ad diversos destinantur effectus, quomodo cœlum & altra causantur: sed in causis particularibus & univocis quæ effectus necessariò producunt sibi naturæ similes & agunt vi seminis specificativi ut in nostro opere res aliter se habent.

Quod verò dictus Lapis debeat esse aurum, vel argentum non simplex, sed multiplicatum secundùm semen & virtutem intrinsecam suæ formæ substantialis, infertur ex eo quod non possit æqualiter assimilare sibi, id est æquè facilè transmutare omnia diversæ speciei & gradus perfectionis metalla, & cujuslibet eorum excedentem multò quantitatem supra suam, nisi intensissimo gradu virtutis omnium metallorum vitia superaret, nam assimilatio seu transmutatio fit in proportione majoris inæqualitatis Authore Aristotele, & magis ipsa veritate: atqui auri vel argenti simplicis qualitas & virtus non pollet illa proportione respectu aliorum imperfectorum metallorum, quia resistentia illorum saltem plerorumque multis gradibus superat activitatem auri vel argenti simplicis.

Quod si objicias aurum & argentum maximè verò aurum saltem aliqua posse transmutare metalla inferiora, quia activitas ejus superat resistentiam aliquorum, quod negari non potest. Respondeo distinguendo, si de transmutatione agitur particulari quæ non est propriè multiplicatio seu generatio, Concedo, non enim incongruum hanc admittere transmutationem. Et verò nihil aliud est conversio alimenti in substantiam aliti in familiis vegetabili & animali, nec dispar est conditio & privilegium mineralis quàm vera transmutatio; sed particularis est, & non per modum generationis, propriè efficitur vi seminis, nec versatur circa maximam quantitatem rei transmutabilis: sed si de transmutatione universali sermo sit, nego absolutè, ratio est, quia dicta transmutatio generalis tria exigit in agente suo, ut ex ejus definitione colligitur.

Primò ut omnia eodem jure (licet non omnium æquale pondus) possit transmutare metalla.

Secundò ut agentis minutissima quantitas immensam cujuslibet metalli molem convertat.

Tertiò ut suam conversionem & actionem efficiat paucis horis vel etiam momentis idque per simplicem applicationem & projectionem majoris suæ qualitatis quæ in auro simplici existere potest respectu cujuscumque metalli inferioris extollit, disproportio enim quantitatis hunc habet effectum (licet per se activa non sit quantitas) ut qualitatis tam agentium quàm passivorum activitatem aut resistentiam augeat vel minuat tot gradibus quot-quot sunt gradus excessus aut defectus illius, ultra vel etiam citra justum modum, idque non intrinsecè quidem per intensionem aut remissionem qualitatum, sed extrinsecè per multiplicationem aut detractionem partium quamvis rebus aliunde ponderè, numero & mensurâ paribus, alterius activitas aut resistentia, alterius resistentiam aut activitatem superare valeat, nec enim quisquam unquam dixerit, unciam unam ferri calidi, verbi gratiâ, ad octo gradus, tam citò & efficaciter calefacere posse centum uncias aquæ, licet ad sex tantùm gradus frigidæ, quàm decem uncias dictæ aquæ: & vice versa decem uncias ejusdem aquæ tam fortiter resistere posse centum unciis dicti ferri calidi quàm centum aut mille unciæ aquæ resisterent. *Vale*.

EPISTOLA XXVII.

EXplicata Lapidis eſſentia D. S. conſequens eſt ut ipſius Cau as breviter expediamus, quia licet ex prædicta definitione termini facilè dijudicari poſſe videantur, ſupereſt tamen aliquid obſcurum circa ipſas quod elucidatione indiget.

Et quia omne opus opificem ſupponit, Primò agemus de Efficiente cauſa quæ eſt principalis aut miniſtrans.

Principalis eſt ipſa Natura ſine qua nihil producitur quod naturales habeat conditiones & facultates, machinæ artificiales propriè non ſunt productiones de ordine naturali.

Miniſtrans eſt Ars quæ non tam producit quàm naturæ opitulatur ad producendum ultra ſuæ poteſtatis ordinariæ terminos ut dictum eſt ſupra.

Quomodo autem id efficies diſces ex ſequentibus. VALE.

EPISTOLA XXVIII.

FInalis cauſa eſt in ordine ſecunda, quia omne agens, agit propter finem, cùm vero propter finem agere non poſſit, niſi eum cognoſcat; de ipſa ante alias nobis eſt agendum.

Finis igitur duplex eſt, Proximus & remotus ſeu ultimus, Proximus eſt primus terminus multiplicationis mineralis prædictus, nempe præparatio agentis tranſmutativi univerſalis ſeu multiplicatio ſeminis auri vel argenti.

Remotus eſt ipſa tranſmutatio in qua verſatur ultimus terminus dictæ multiplicationis.

Exemplaris cauſa proximè accedit cùm ars proprios non habeat operandi modos quantùm ad productiones naturales pro novendas ſed alienos, prius ipſos cognoſcere quàm operari conducit, naturæ modus operandi in ſuis productionibus eſt exemplar imitandum in proſequenda prædicta multiplicatione.

Conſiderandum eſt igitur & repetendum breviter ex dictis primo capite quomodo agat Natura, nempe ſolvendo & coagulando, ſolvit autem non ignis actione præſertim actualis & violenti, quia non tam ſolvit quàm deſtruit & ſterilizatem inducit, ſed aquæ mercurialis & ſalis naturæ impreſſione, id eſt operâ noſtri mercurii vivi, qui mediante ſale ſibi admixto, ſalia corporum penetrat & compagem ſeu nexum partium phyſicarum diſſipando partes ſeparat.

Coagulat verò dicta natura eundem mercurium cum dicto ſemine & ſulphure corporis ſoluti, ignis actione, non etiam elementalis & corroſivi ſed centralis in imo ſulphuris centro exiſtentis, quem externis caloribus ſolis & aſtrorum ſive ignis elementalis excitat ad agendum. Hæc de cauſa exemplari, VALE.

EPISTOLA XXIX.

CAuſa Materialis occurrit poſt Exemplarem D. S. quia ut primùm artiſta contemplatus eſt idæam & exemplar ſui operis, materiam apprehendit ex qua opus ſuum faciat ad inſtar Exemplaris.

Jam ſatis probatum eſt, Aurum vel argentum eſſe materiam lapidis; dum ipſa pro genere lapidis & ſubjecto quod forma illius recipere debet, aſſignata fuerunt: ſed an dictum aurum vel argentum ſint materia totalis & adæquata an partialis tantùm, non ſatis explicatum eſt.

Quare hic aſſerimus ea non eſſe materiam totam & adæquatam, ſed tantùm partialem, quia ut dictum eſt ſuperius confectio lapidis eſt terminus primus multiplicationis mineralis, qui verſatur & terminatur in aſſimilatione alicujus rei cum ſemine auri vel argenti: Ergo eſt aliquid admittendum, pro materia partiali lapidis præter aurum & argentum, Illa autem, alia eſſe non poteſt præter noſtrum ſpiritum univerſalem è magneſiâ noſtrâ eductum, quia materia ex qua ſemen auri multiplicatur ut generet aurum, debet neceſſariò eſſe homogenea auro & argento, nam ex heterogeneis non poteſt generari homogeneum quale oportet eſſe aurum multiplicativum, nec enim ex homine & cane fit canis vel homo, aut ex planta & lapide fit vel planta vel lapis, & ſic de cæteris.

Quod ſi objiciatur, receptum à nobis eſſe alibi, aliquam tranſmutationem particularem heterogeneam, putà alimenti cujuslibet vegetabilis vel animalis in ſubſtantiam alterius diverſi animalis aut vegetabilis converti, quod idem fieri poteſt de mineralibus.

Reſpondeo talem tranſmutationem non eſſe generationem aut multiplicationem propriè dictam, quia non fit virtute & actione ſeminis, ſed eſſe tertium terminum ſeu complementum multiplicationis rei generatæ ſuperiùs explicatum, quia fit vi odoris formæ ſubſtantialis tam in mineralibus & vegetabilibus quàm in animalibus.

Nec dicas rurſus inſiſtendo, Ex diverſis animalibus, fœtus aliquos produci, putâ ex equo & aſino unde mulus, & ſic de diverſis aliis, quia fœtus tales degenerant nec ſunt ejuſdem ſpeciei cum generante & proinde non multiplicatur ſpecies.

Inſtabis fortè & dices, dato & conceſſo quod materia illa ſecunda debeat eſſe homogenea cum auro vel argento, non inde ſequi noſtrum mercurium ſolum eſſe aſſumendum pro dicta ſecundâ materiâ quia dantur alia ipſis æquè imò magis Homogenea quàm dictus mercurius: Et verò nihil magis homogeneum eſt auro vel argento quam aurum ipſum vel argentum & partes ſeu principia ipſorum: Sed reſponſio & ſolutio facilis eſt & prompta ex dictis in diſcuſſione operis Pageſiani, nempe duas eſſe homogeneitatis rationes, unam ſcilicet principii quo aliquid convenit & identitatem naturæ habet cum materia ex qua proximè aliquid aliud factum eſt, & radicalem habet aptitudinem ad eandem etiam formam aliquando accipiendam, quomodo, verbi gratiâ, ſemen canis homogeneum eſt cum cane, quia eandem habet naturam cum ſemine ex quo canis factus eſt & radicalem habet aptitudinem ad formam canis aliquando acquirendam, & hæc eſt ratio homogeneitatis quæ debet eſſe in ſecunda noſtrâ materiâ cum prima, nempe auro vel argento, nec alibi reperies præter noſtrum mercurium.

Alteram tandem principiati quâ ſcilicet aliquid cum aliquo convenit ſecundùm formam & naturæ conditiones, quomodo aurum homogeneum eſt, & hæc ratio homogeneitatis non requiritur in ſecundâ materia lapidis imò repugnat ad intentionem ejus, quia fermentum & fermentabile haberent eundem gradum formalem nec diſtinguerentur formaliter, quod tamen neceſſe eſt, fermentabile enim aliquam formam acquirere oportet quam non habet.

At urgebis & dices, hoc verum eſt de auro & argento totaliter in ſuæ ſubſtantiæ integritate ſumpto,

sumpto, non verò de principiis eorum separatis; sed eadem est ratio partis ac totius, idest principiati utcumque destructi, quia dicta principia ita separari non possunt ut pristinam simplicitatem recipiant & formam principiati, prorsus exuant, proptereaque semper reincidit idem incommodum, quamvis possent rursus simplificari, nihil inde contra nos, quia identitate nanscisceretur rationem homogeneitatis principii quam exigimus. Præterea hæc qualicumque modo separata principia; deberent rursus in pristinum corpus restitui idem individualiter vel saltem specificè, quod impossibile est secundùm naturam, daretur enim regressus à privatione ad habitum, nec quisquam unquam dixerit partes physicas alicujus substantiæ semel separatas iterum in eandem numero & specie substantiam restitui ac reuniri posse excepto homine cujus forma non est de genere materiali formarum. VALE.

EPISTOLA XXX.

POsterior causa est instrumentalis D.S. nam formalis satis expressa fuit in definitione & ejus explicatione.

Causa instrumentalis duplicis est rationis ut causa efficiens, sunt enim Instrumenta Naturæ & Artis.

Instrumenta Naturæ sunt duo: Primum est aqua solutioni interveniens, quæ aqua non elementaris est, sed idem Mercurius specificè qui pro materia Lapidis partiali assignatus est, hoc cum discrimine, ut cum pro dissolvente proponitur omni unctuositate & terrestreitate (quæ retundunt vim salis volatilis in quo solutiva facultas residet) spoliari debet diversis rectificationibus ita ut lubens auri porositates permeando sali seu vitriolo ejusdem auri vel argenti se immisceat, & mediante sibi adjuncta humiditate ipsius homogenea, eorum partes homogeneas separet & solvat, sicut aqua solvit glaciem. Dum verò assumitur pro particulari materiâ lapidis, non tam multis indiget rectificationibus.

Secundum est Ignis duplicis Generis.

Primi generis est ignis centralis aut calor primigenius vim fermentorum movens & Mercurium ubique digerens & coagulans, qui centralis ignis quatuor per se suscipit caloris gradus prout ejus activa qualitas alias materiæ qualitates superat, hique quatuor gradus totidem coloribus indicantur nigro nempe, viridi, albo & rubro qui præcipui sunt.

Secundi generis est ignis actualis qui centralem excitat diversosque gradus in operationibus præparatoriis postulat. Unicum autem in regimine coagulationis, quia quod dicitur ab aliquibus Authoribus de quatuor gradibus ignis in regimine necessariis intelligitur de igne centrali.

Vocantur hæc naturalia instrumenta quia ipsis Ars non utitur propriè: sed ipsa disponit ut natura iisdem utatur.

Jam de instrumentis artificialibus agemus. *Vale.*

EPISTOLA XXXI.

INstrumenta Artis D. S. sunt vasa & fornacula, aliaque id genus quæ duplicis sunt ordinis.

Primi ordinis sunt quæ operibus præparatoriis inserviunt, suntque rursus duplicis classis.

Primæ classis sunt quæ præparationi dissolventis utilia sunt, eaque triplicis rationis.

Primæ rationis sunt vasa nempe Boscia quâ distillari debet Magnesia nostra ut ex illa eliciatur Mercurius vivus, Recipiens Boscia applicandum quæ etiam rectificationibus inserviunt,

Secundæ rationis est Fornaculum distillatorium calore cinerum vel subtilis arenæ.

Tertiæ rationis sunt materiæ distillationem juvantes nempe gossypium vel Pumex Magnesiæ fluctuosæ elevationem cohibens.

Secundæ classis sunt quæ ad auri vel argenti contritionem & præparationem necessaria sunt, triplicis etiam rationis.

Primæ rationis sunt vasa nempe crucibula, longi colli phialæ, scutellæ mundatoriæ.

Secundæ rationis est fornax calcinatoria seu aperti caloris.

Tertiæ rationis sunt materiæ contritionem vel calcinationem auri vel argenti cum igne actuali efficientes nempe aquæ corrosivæ vel Mercurius communis, vel stibium, nihil enim refert quo utatur Artista modò contritionem faciat perfectam ut calces ab omnibus impressionibus corrosivorum repurget, diversis lotionibus & reverberationibus, quæ calcinatio & purgatio omninò necessariæ sunt: nam alioqui Mercurius noster vivus non posset carceres Solis seu vitrioli & seminis auri, argentive aperire. *Vale.*

EPISTOLA XXXII.

SEcundi principalis ordinis instrumenta, sunt quæ coctioni seu congelationi Lapidis proficiunt, triplicis etiam naturæ.

Primæ est vas vitreum quoddam figuram ovi referens in quo materia Lapidis utraque debet componi nempe Mercurius vivus & vitriolum auri vel argenti in proportione debita quæ postea describetur, ubi observandum est ne ovi vacuum ultra tertiam sui partem impleatur, ac tandem orificium ovi Hermetico sigillo obturetur.

Secundæ naturæ est vas cineritium in quo sepeliri debet ovum philosophicum & circundari cineribus subtilissimis ad latitudinem saltem unius digiti cum suo tripode pendulo.

Tertiæ naturæ est fornax Lapidis vel Athanor cum suis omnibus suppellectilibus, nihil enim refert qualis sit illa fornax modò calorem lentissimum, continuum & semper æqualem undequaque æqualiter ovum ambientem præbeat. *Vale.*

EPISTOLA XXXIII.

EXplicatis causis D. S. sequitur earum applicatio & modus agendi, cujus duæ sunt partes.

Prima est operationum numeratio & explicatio. Secunda earum praxis.

Omnes igitur operationes licet ex ordine possint colligi ex postremis nostris duabus epistolis; quia tamen circa circumstantias earum aliquid desiderari potest, illas minutim discutiemus.

Duæ sunt principales ut dictum est articulo de causa exemplari nempe solutio & coagulatio, illæ autem plures admittunt medias seu præparatorias quæ ipsis subordinantur tanquam media ad finem & duplicis sunt categoriæ.

Primæ quæ solutionis faciendæ præscribuntur & quidem triplicis conditionis.

Primæ conditionis est dissolventis præparatio

seu

seu Magnesiæ nostræ distillatio, ejusdemque rectificatio.

Dicimus distillationem & rectificationem quia inutilis est illa pernitiosa quam volunt admittere aliqui Pseudo Chymistæ scilicet separatio principiorum principiatorum, sulphuris, salis & Mercurii ab invicem, & eorundem postmodum reunio, quia ad effectum solutionis auri vel argenti, solum sal volatile quod partem mercurialem continet, est necessarium, sal verò fixum & sulphur ejusdem magnesiæ ipsi solutioni obstant propter unctuositatem hujus & propter illius fixitatem, tantùm abest ut utilia sint.

Secundæ conditionis est auri vel argenti purgatio & calcinatio quarum superiùs instrumenta vidisti, quæ necessariò adhiberi debent, ut nempe corpus auri vel argenti contritum & subtiliatum faciliùs solutioni physicæ pareat & vitriolum suum sperma & semen continens dimittat.

Tertiæ conditionis est applicatio dissolventis auro vel argento dispositio & eorumdem simul coitus decies repetitus, ut per undecim gradus, undecim grana seminis auri vel argenti habeantur.

Secundæ categoriæ sunt quæ coctionem & coagulationem disponunt & sunt duplicis conditionis.

Primæ sunt quæ manum artificis requirunt nempe Ovi philosophici compositio in proportione decuplâ Mercurialis liquoris albuminis locum tenentis cum unica aurei si ad aurum tendis, vel quatuor mercurii cum unica argentei seminis vitelli vicem gerentis, quæ proportio necessariò tenenda est, & in ea pondus, numerus & mensura naturæ consistit. Ac tandem ejusdem ovi impositio fornaci coctionis, ac ignis actualis præparatio.

Secundæ conditionis sunt quæ per se naturaliter fiunt in ovo ut supra dispositio sine impositione manus artificis, nempe corruptio physica, mixtio, confusio, sublimatio, inceratio, imbibitio & aliæ complures ab authoribus descriptæ, quæ pravè intelliguntur à tyronibus ipsas artificiali industriæ & operationi tribuentibus, quarum ultima est fixatio quæ lapidem perficit decem mensibus vel circiter; jam de multiplicatione agamus. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

COnfecto lapide, supereſt ejusdem multiplicatio in infinitum quæ fit eodem planè modo & per eadem operationes ut lapis ipse præterquam quod loco auri vel argenti soluti, tantùm imponitur lapidis perfecti, quantùm dicti auri vel argenti impartitum erat ad conficiendum lapidem: Mercurius verò non alius à prædicto ponendus est, sed ejus quantitas in multiplicatione lapidis, dupliciter usurpatur & proportionatur: nam primò ipsius decem partes tantùm debent assumi, cum unâ parte lapidis perfecti & tunc perficitur opus decies breviori tempore quàm in primâ lapidis confectione scilicet triginta aut quadraginta diebus, sique multiplicatum jam opus iterum multiplicari intendatur eadem proportione materiarum, decies rursus breviori tempore fiet scilicet quatuor aut tribus diebus & sic intelligitur opus trium dierum.

Secundò augetur ejusdem mercurii quantitas in proportione decupla, ita ut in lapidis confectione vel prædictâ multiplicatione decem tantùm partes positæ sunt, in secunda hac multiplicationis ratione primò centum partes ponantur & si repetatur, mille partes & sic deinceps, tuncque operis perfectio tantùm exigit tempus, quantùm lapidis prima confectio.

Quocumque autem modo multiplicatio perficiatur lapidis, efficitur non tantùm augmentum molis, sed virtutis ratione & proportione decupla, ita ut post primam multiplicationem quælibet pars lapidis quæ decies tantùm superabat quamlibet partem seminis auri vel argenti primi, tam decies superat quamlibet partem lapidis simplicis & centies quamlibet partem dicti seminis auri vel argenti. Post secundam vero multiplicationem, has milles superat, illas verò centies millies, & sic deinceps, ratio hujus rei est quia dum natura agit in eodem subjecto ad substantialem effectionem, decem gradus perfectionis addit singulis quibusque effectionibus præter gradum præcedentis effectionis, sive producat novam speciem diversam, sive eamdem meliorandam suscipiat, quod multis exemplis naturalibus possemus probare: sed ipse in speculando potes ipsa assequi. Supereſt ut de usu dicamus. Vale.

EPISTOLA XXXV.

VSus lapidis talis est D. S. ut debeat degradari id est virtute deprimi multis imbibitionibus mercurii prædicti vel communis, donec justam attigerit contemperiem ac virtute proportionem sive ad medicinam animalem sive ad metallicam usurpetur, maximè si lapis fuerit multiplicatus, alioqui enim cùm intensissimo calore & siccitate polleant, eveniret ut calorem naturalem animalium opprimeret, humiditatemque naturalem desiccaret, dum ipsis ægris animalibus succurrere debet, & metalla inferret in pulverem sibi similem & in formam metallicam non resolubilem converteret, dum ipsa in aurum vel argentum omnibus suis conditionibus mineralibus absolutum transmutare debet. Vale.

EPISTOLA XXXVI.

PRaxis sequitur D. S. Recipe ergò Magnesiæ nostræ electissimæ, coloris subalbidi, saporisque subaciduli quantumvis, ipsam injice in Boſciam vitream satis vastæ capacitatis ita ut Boſciæ tantùm tertia pars occupetur, tum super materiam stratum gossipii appone & dispone virgula ita ut totam materiæ superficiem obtegat, vel si mavis & meliùs, fac Magnesiæ magdaleos gossypio involutos & ipsos in Boſciam injice, jamque addito recipiente amplissimo ut mos est optimè lutato; igne distilla benigno cinerum vel subtilis arenæ; spiritus limpidissimus ascendet primò, secundò oleum subnigrum, dum verò nihil amplius stillabit siste distillationem & sine refrigerari.

Secundo accipe stillatos liquores & in novis vasibus rectifica ter aut quater ut oleum separetur subnigrum & si cum spiritibus rectificatis ascendat oleum flavi vel rubei coloris filtra spiritus ut oleum remaneat in filtro.

Tertiò rectificatum liquorem divide in partes duas æquales, quarum unam servabis ad compositionem & confectionem, alteram verò rursus rectificabis donec nullas omninò fæces faciat & acerrima facta sit ad modum ardentissimi spiritus vini vel olei vitrioli communis. Hæc est Mercurii præparatio.

Quartò Recipe auri vel argenti jam depurati unciam unam illudque amalgama cum Mercurii communis loti & purificati unciis octo & tuum amalgama misce cum sulphuris communis unciis quatuor aut pluribus in mortario, tum mixtionem

hanc

hanc combure in crucibulo aperto igne prunarum ardentium, calx remanebit pura quam lavare multoties aquâ communi distillata & reverberare per duodecim horas convenit. Hæc est auri præparatio aut si lubet alia subrogari potest melior si quæ suppetat, quia hac in parte non versantur artis mysteria; argenti verò præparatio nulla præter calcinationes & calcis purgationes ab authoribus passim traditas describi opus est.

Quintò mitte calcem tuam in phialam longi colli & superinjice mercurii acidi seu ardentis quantùm satis saltem ad Eminentiam quatuor aut quinque digitorum & phialam ut decet clausam igni primi gradus continui circulandum per vingiti quatuor horas super cineres committe, quo tempore elapso, distilla tui liquoris partes duas ac confestim eas cohoba id est repone super terram residuam & repete hanc operationem undecies, subque finem separa per inclinationem dissolutiones à calcibus quæ non poterant dissolvi, ac proinde dissolventem liquorem per distillationem à soluto metallo etiam separa donec metallum maneat in consistentia mellis subduri rubeique si aurum est, vel subcærulæi si argentum est.

Hoc est aurum vel argentum vivum philosophorum, semen auri & argenti.

Signa autem bene procedentis operationis sunt; si prima circulatio auream flavedinem tribuat liquori & pedetentim sequentibus circulationibus rubedo succedat, tum cauda Pavonis seu iris vel arcus fœderis appareat in superficie liquoris, argumentum verò radicalis solutionis est si in corpus metallicum amplius non redeat. Hoc enim est proprium Vitrioli ex metallis extracti quale est nostrum aurum vel argentum solutum.

Sextò accipe dicti auri vel argenti partem unam; Mercurii vivi quem reservasti partes decem si ad aurum tendis, quatuor vero si ad argentum, Pone utrumque in vase vitreo ovi figuram habente cujus duæ partes spatii concavi vacuæ sint & orificium Hermeticè sigilla. Hæc est ovi philosophici confectio.

Septimò denique Ovum in vasculo cinetibus pleno sepelire oportet, ita ut cineres materiam superent ad digiti unius latitudinem, vasculumque illud tripode congruo suspendere in medio fornaculo cujusvis figuræ commodæ Athanoris & calorem ut dictum est lentissimum, æqualem & materiam undequaque æqualiter ambientem præbere usque ad finem, ideſt usque ad fixationem perfectam quæ terminetur in rubedine obscurâ post tres alios principales colores & intermedios eorum discolores mutationes si lapis est ad aurum, vel in albedine nivea si lapis est ad argentum.

Qualis esse debeat ille gradus caloris sola docebit experientia quia describi minimè potest & expertus semel, potest adhuc errare: sed signa justi modi sunt quatuor dictorum colorum adventus singulis quibusque quadrimestribus seu anni quadrantibus & intermediorum colorum singulis quadrageſimariis aut circiter usque ad rubedinem subobscuram quæ est terminus fixationis perfectæ.

De multiplicationis praxi nihil addendum, satis enim colligitur ex dictis, nec rationem habet diversam à Praxi lapidis: sed de praxis usu, aliquid in sequenti adjiciemus. Vale.

EPISTOLA XXXVII.

PRaxis usus talis est D. S. Primò ad medicinam animalium, dilue granum unum lapidis simplicis in centum granis ejusdem Mercurii ex quo lapis factus est, vel liquoris aut vehiculi convenientis secundùm naturam morbi & temperamentum Personæ, & exhibe justam portionem talis liquoris laboranti. Si verò Lapis fuerit semel multiplicatus debet in mille granis liquoris dilui; si bis multiplicatus in decem millibus granis debet infundi & sic deinceps.

Secundò ad transmutationem metallicam Recipe partem unam simplicis lapidis & dicti mercurii non vulgaris decem partes vel lapidis semel multiplicati partem unam, ejusdemque mercurii centum partes vel tandem lapidis bis multiplicati granum unum, dictique mercurii grana mille; simul desicca igne, primò benigno deinde fortiori ut lapidis consistentiam recipiat & toties repete imbibitionem & exsiccationem hanc donec una pars, decem mercurii communis, viginti plumbi, triginta stanni, quinquaginta cupri, centum tandem argenti convertat in aurum perfectum si Lapis est aurum, dimidiam verò partem omnium prædictorum vel circiter si sit lapis ad argentum.

Quod si non suppetat sufficiens prædicti mercurii quantitas poterit lapis degradari cum Mercurio communi hoc modo; projice unam partem tui lapidis simplicis vel multiplicati in decem mercurii communis calidi, fit pulvis ejusdem naturæ ac Lapidis, remissioris tamen virtutis, totum illum pulverem projice in centum partes mercurii communis; ejusdem fiet iterum pulvis quem projice in mille ejusdem mercurii communis, sique tunc madefiat pulvis desicca igni, adhuc manebit pulvis quem projicere potes in metalla prædicta eadem servata proportione.

Hæc est universalis & exactissima lapidis Theoria & praxis. Superest ut ad Chrysopœam particularem accedamus. Vale.

EPISTOLA XXXVIII.

PArticularis chrysopœa D. S. tendit ut superiùs dictum ad conversionem particularem cujusvis metalli imperfecti in perfectum ut in aurum vel argentum vel secundùm se totum vel secundùm aliquas sui partes, secundùm quam distributionem hoc membrum dividitur in duas sectiones, Prima erit de transmutatione metalli imperfecti secundùm se totum. Secunda de transmutatione metalli secundùm aliquam sui partem.

Transmutatio metalli secundùm se totum; duplex est. Prima quæ fit proportione multò majoris inæqualitatis agentis transmutativi particularis, ita ut una pars agentis multas metalli imperfecti partes convertat in aurum vel argentum secundùm naturam fermenti ideſt in aurum si pro fermento aurum exhibeatur, in argentum si pro coagulo argentum subjiciatur, est enim in hoc opere fermentum specificum ut est in lapidis confectione necessariò applicandum similis planè rationis & modi, ideſt aurum vel argentum nostro mercurio solutum sed res fermentabilis diversa est: nam in lapidis confectione, noster mercurius assumitur pro re fermentabili, quia immediatè metallum facere non intendit sed semen metalli. Hic verò materia fermentanda est aliquod metallum quia intenditur confectio metalli immediatè.

Quale autem assumendum metallum pro re fermentabili nihil refert, modò sint symbola in præcipuis qualitatibus cum fermento: sed omnium pondus non erit æquale, quia eorum coctio &

perfectio non est æqualis nec etiam fermentorum æqualis est virtus, quapropter secundùm naturam fermenti & fermentabilis diversimodè doses sunt præscribendæ, cujus rei regulam non observavi, nam altiora possidens tales neglexi minutias.

Ratio verò præparandi metalli fermentabilis est reductio in vitriolum ut ipsummet fermentū idque simili agente, nempe nostro mercurio ad hoc ut sicut solutum agens efficaciùs & citiùs agit, sic & patiens solutum meliùs & faciliùs recipiat actionem agentis.

Ignis Regimen non est unius continui gradus: sed diversi pro mutatione colorum, quia hic non est timoris locus, sicut in lapidis confectione, de conflagratione & præcipuè de siccatione rei fermentabilis.

Secunda est quæ fit proportione simpliciter majoris inæqualitatis agentis transmutativi cum metallo imperfecto, ita ut unum pondus agentis, æquale sibi pondus metalli imperfecti tantùm convertat, quæ transmutatio in mercurium vel metallicum aliquem liquorem cadit potiùs quàm in solida metalla, nec indiget operationibus solutionis rei fermentabilis ut præcedens: sed semper necessaria est solutio & præparatio fermenti, ut scilicet activitas formæ substantialis impedita suis tandem liberata vinculis & obstaculis efficaciùs agat, hoc nisi præstiteris, nunquam aut rarò fiet debita transmutatio.

Transmutatio quæ fit secundùm partes aliquas metalli tantùm non propriè est transmutatio, quia propriè nihil substantialiter convertit, estque duplex, prima quæ fit per extractionem perfecti metalli ex viscerib. imperfectorum nempe auri ex argento, ferro, cupro. Argenti verò ex stanno & plumbo: in prioribus enim tribus magna pars veri auri inest à natura verè præparati & suis omnibus conditionibus absoluti, in posterioribus verò duobus multùm argenti includitur: nam in mineris cujusq; metalli multa sunt fermenta aliorum matallorum, putà in mineris argenteis, cupreis & ferreis, multa semina auri & sic de aliis, quæ cùm mercurium offendant ipsum denominant in aurum vel argentum secundùm eorum naturam: sed quia major iisdem in locis est quantitas fermentorum imperfecti metalli confusorum cum fermentis perfecti quæ natura superare non potest nisi ars interveniat, proinde evenit ut perfectum metallum in substantia imperfecti confusum maneat.

Ratio autem & modus ipsius operandæ extractionis non mihi jam supperit, licet ego multoties expertus fuerim, unum sufficiat docêre hac in parte, nempe hoc fieri mediantibus repercussivis agentibus ut sunt tartarum, calx viva, bolus armenus & simul cum mordacibus salibus, quia dum salia volatilem corrodunt partem, repercussiva fixam partem deprimunt, ita ut separatoriis aquis vel cineritiis partes fixæ unitæ jam ampliùs non cadant quæ prius dispersæ in majore quantitate volatili cadere cogebantur cum volatilibus partibus, Ideò est realitas perfectissima sed parùm compendiosa si sumptus cum parva auri & argenti quantitate inde prodeuntis compensetur.

Notandum est quod metallum perfectum eo modo extractum sua naturali tinturâ per se instructum prodit auri scilicet si aurum est, argenti verò si argentum, quia tinctura fixa conditio est vel potiùs proprietas inseparabilis essentiæ metalli fixi.

Secunda fit condensatione seu fixatione ut vocant metallorum quæ propriè est mutatio sophistica, quanquam multas probationes & examina sustineant nonnulla sic præparata metalla, Hujus verò generaliter sunt duo modi.

Primus est obstructio quæ fit cum aliquibus metallicis excrementis & salibus mineralibus per cæmentationem, nec obstat quod objicitur vulgò, nempe spiritus metallorum volatilium non posse fixare nec formam dare quam non habent, quia tales metallicæ materiæ spiritus suos primùm emittunt in poros metalli fixandi, beneficio salium, primis gradibus ignis cæmentationis, ubi demum mediantibus iisdem salibus quorum proprium est vitrificari & ad vitrificationem disponere metalla calcinata qualia sunt dicta excrementa metallica, ignis actione sub finem cæmentationum vitrificantur, unde friabilia sunt metalla, signum necessarium vitrificationis aut commixtionis vitri, quo in statu non mirum est si corrosivas sustineant aquas.

Secundus est exsiccatio quæ rursus duplex est. Prima per amalgamationem antimonii vel mercurii cum metallo condensando seu exsiccando & amalgamati combustionem, Humiditas enim & cruditas metalli cujuscunque commiscetur cum humiditate antimonii & mercurii, & cum eodem mercurio vel antimonio evolat, statim atque ignem ardentem experitur.

Secunda est corrosio per salia corrosiva & metalla sicca ut ferrum & arida quælibet alia minera-lia, sed metalla his condensata modis ut plurimùm carent tinctura convenienti propter rationem superiùs allatam, quia cùm tinctura metallica fixa sit, conditio essentialis metalli fixi in metallo non vero & naturaliter fixo reperiri non potest.

Arte tamen potest aliquarenus fixa tinctura maximè ad rubrum, si aurum verò addatur dictis condensatis metallis & ipsis simul mixtis magna quantitas rubeorum metallorum rursus adjiciatur & subinde corrodatur, quia in his aliquid reale est, ut suprà dictum, quod cum vero auro conjungitur & proinde tinctura auget, additione scilicet partium tinctarum, sed semper dicta tinctura debilis est, ad album verò nulla fixa dari potest tinctura. *Vale*.

EPISTOLA XXXIX.

POstrema nostra D. S. omnia quæ ad particularem Chrysopœam pertinent explicarè æquè ac brevirer perstrinxit, sed solùm desideratur aliquid quod totam metallicæ artis tractationem concludere debet, ut & probare metallica opera, nempe ratio & ordo Examinum.

Ratio & natura examinum præcedere debet, sciendum igitur duo tantùm esse metalla, nempe aurum & argentum, quorum fixatio diversa est & diversum perfectionis gradum obtinet.

Perfectionis autem utriusque tres sunt conditiones soliditas, pondus & tinctura, quarum conditionum signa & examina sunt duplicis generis, communia scilicet & privata.

Communia sunt oculus, ignitio, candefactio, extensio, scalprum, fusio, cineritium.

Oculus titulum tincturæ experto Artistæ demonstrat in Lapide Lydio.

Ignitio si maculam nigram in metallo probando efficiat, totam superficiem obtegentem, signum est mixtionis pravæ.

Extensio si fieri non potest, aut si dum extenditur metallum, hiatus faciat, heterogeneorum additionem

tionem in metallo puta salium aut mineralium friabilium aut stanni significat.

Acus seu scalprum si durum nimis & ferro non libenter cedens metallum reperiat, indicat etiam alterationem & aliorum mineralium conjunctionem.

Fusio si facilior sit notat admixti imperfecti metalli enormem quantitatem quia sic ferrumen efficitur. Difficilior quàm par est Fusio indicat aggeriem vitrificatorum mineralium in metallo, si tincturam & substantiam minuat argumentum est Sophistici operis.

Cineritium si tincturam & substantiam lædat, idem signum est alterationis & conjunctionis diversorum metallorum.

Privata signa auri vel argenti sunt. Primò auri cæmentatio regalis, separatio per aquas corrosivas, probatio antimonialis, solutio per aquas regales. Reductio in corpus post solutionem.

Per separationem defectus dignoscitur si cum argento solvatur pars quæ fixa esse debet, vel etiam si non solvatur, aliquid tamen separetur ab auro, aliquid etiam grisei coloris supereminеat parti aureæ, vel tandem tota pars non soluta griseum & non nigrum colorem habeat, nec per ignitionem flavedinem propriam auri recipiet, etti redactæ calces in corpus in Lapide Lydio aquas corrosivas sustinerent.

Per purgationem antimonialem, si post evolatum omninò antimonium substantiæ & tincturæ fiat jactura.

Per solutionem si difficilis sit solutio, quia hoc est mirandum ut aqua fortis quæ argentum solvit non verò aurum, quando regalis facta est, jam solvit aurum, non verò amplius argentum, unde si difficilis sit solutio in aqua regali argumentum est mixtionis enormis argenti non mutati, vel sanè vitrificatorum corporum. Denique si aquæ calcibus solutis onustæ sint flavæ, malum omen.

Per reductionem calcium in corpus si calces non possint reduci aut magna pars earum vitrificatur, signum est salium & mineralium heterogeneorum conservationis, aut tandem si fiat tincturæ diminutio.

Argenti privata & univoca examina sunt post Cineritium, solutio calcium ab aquis solutivis, separatio per laminas æreas, earumdem calcium reductio in corpus.

Per solutionem cognoscitur vitium si aquæ calcibus onustæ cœruleum colorem non habeant, aut facilè utra modum fiat solutio.

Per separationem calcium ab aquis solutivis mediantibus laminis æreis, hoc enim est proprium argenti veri ut adhæreat illis, quod aliis metallis non competit. Hæc autem examina, solutio calcium, separatio & reductio tam auri quàm argenti præ cæteris secura sunt & tamen prætermittuntur ignoranter ab examinatoribus, nec usum habent apud eos.

Sequitur nunc ordo Examinum qui triplex est, Rectus, retrogradus & obliquus.

Rectus sequitur seriem successivam quæ superius descripta est examinum tam communium & æquivocorum quàm privatorum & univocorum, quæ omnia si metallum sustineat, legitimè realitatem habet physicam, suis conditionibus omnibus naturalibus absolutam. Si verò aliqua examina non sustineat seu hæreat in aliquo, hoc evenit vel in primis, vel in mediis, vel in ultimis examinibus.

Si in primis & mediis quæ sunt communia & æquivoca, signum est operæ planè sophisticæ

Si verò in ultimis tantùm, signum est aliqualis fixationis saltem sufficientis ad operas fabriles, non tamen certum est illud argumentum usque adeò nisi reperita ter aut quater omnia examina & eodem ordine successivo legitimè sustineat, quia ut jam diximus vitrificata corpora metallis admixta ipsa defendere possunt à primis examinibus, quæ si repetantur tandem evanescunt & distrahuntur illa corpora vitrificata & substantiam metallicam ad naturalem statum redire sinunt, aut si non redeant, sufficit illa fixatio & perfectio, neque ad opera medica aliaque naturalia & propria essentialiter auri vel argenti officia utilis esse potest.

Retrogradus ordo qui brevior est, incipit ab ultimis examinibus univocis, nempe à solutione calcium, collectione & earundem reductione in corpus, quæ si legitimè secundant, non opus est ulterius progredi, illa enim examina quamvis sola tentata signa sunt legitimæ realitatis, quia indicant essentiales proprietates, si verò non succedant, pergenda est retrogradatio examinum, quorum si aliquod non succedat, malum omen est, si verò omnes respondent votis, argumentum est sufficientis fixationis ad fabriles eventus, ut dictum est, si maximè post talem retrogradationem, rectus exhibeatur & feliciter succedat ordo examinum.

Obliquus ordo incipit à mediis examinibus & procedit vel rectò ad ultima examina vel retrogrado ordine ad prima usque. Si recto & fœlix est exitus omnium post repetitionem, bene est, si retrogrado utcumque res succedat, incerta est probatio, multa enim sophistica, omnes contrario & præpostero ordine probationes sustinent, quæ rectum & serie naturali præstitutum non patiuntur. *Vale.*

EPISTOLA XL.

PRædictis probationibus & examinibus metallorum aliquid addendum censuimus ne fortè aliquando decipiaris, bonumque aurum condemnes si quando in examinibus antimonialibus diminutio auteæ substantiæ contigerit; in dictis enim examinibus, optimum quodque aurum & purissimum aliquantulum patitur detrimentum, non quod cum Mercurio antimonii evolet & evanescat, sed quia cum faucibus ejus miscetur ac remanet non minima ejus portio, ni accurata examinatoris industria id præveniat, quod fit magno labore & quod assequi non potes nisi tota antimonii substantia longissimâ follium agitatione extrahetur & aurum purgandum, diversa in crucibula hac in operatione traducatur.

Sed si cùm primum antimonium teritur ad intentionem dicti examinis, octava pars sui ponderis addatur tartari crudi etiam triti & cum dicto antimonio misceatur nullum erit vel saltem minimum dispendium, magnaque erit operationis facilitas: Tartarum enim auri totam substantiam deprimit in imum crucibuli nec pars ulla vel minima cum facibus antimonii manet.

Quoad autem communem examinum methodum quæ in libris præcipi solet, si aliquid deest, Aurifabros adire consultum est, quia hæc magis versantur in exercitatione quàm in præcepto, adde quod parva ejusmodi artificia, philosophiæ gravitas spernit nec Epistolarum brevitas admittit.

Jam sunt completa totius Hermeticæ scientiæ accurata & vera quæ tibi polliciti sumus compen-

dio, quorum ope poteris quando libuerit manum tutò adhibere.

Quod ſi fortè inter laborandum ſecundùm regulas Praxeos præcedentibus Epiſtolis conſcriptas, non ſtatim omnia ad votum ſuccedunt, ne propterea deſiſtas & accuſes noſtram doctrinam: ſed confeſtim ad theoricas Epiſtolas utramque geneſim explicantes recurras, per quæ & quæ in ipſis explicata ſunt & ordine deſcripta eaque in praxi implicata ſint explicare contendas, hujus propoſitionis memor quam inibi pro indubitato axiomate protulimus, nempe artem imitari naturam, licet eam perficiat, naturam verò ſequi creationis typum, totque proinde eſſe actus: ſi rurſus diſtinguere nequeas illos ipſos actus, ipſum Moſaicæ expoſitionis de inferioris mundi & corporeæ machinæ fabricatione, legas & perlegas ſingulis hebdomadæ primordialis & diebus, & operationibus attentus: nam in eorum numero, ordo & modis, operationum omnium naturæ praxeos, mirabiliter dictante ſcilicet Spiritu ſancto conſcripta proque exemplari veris Philoſophis tradita ſunt, nullis omiſſis, præpoſteratis aut confuſis. Hoc conſilium tibi coronidis loco dare voluimus, omnibus præexcellens quæ hac in materia dari poſſunt. *Vale*.

EPISTOLA XLI.

INtendamus ut poſt tradita, quâ potuimus facili methodo principia tam Theoriæ quàm Practicæ Alchymiæ, in noſtris Epiſtolis, tam inde lectioni Authorum invigiliantes & ipſorum ſcripta, juxta eadem noſtra principia, quæ à ſuis nequaquam differunt, niſi fortè in expreſſionis modo & hypotheſeum artificio; explicare & applicare contenderes, ſed quia tantis es negotiis tam publicis quàm privatis, impeditus (ut nobis teſtaris) hoc verò ſtudium animum poſtulat omnibus curis vacuum, non pigebit, quas petis regulas breves & perſpicuas diſciplinæ noſtrarum Epiſtolarum conferendæ & referendæ tam ad Authorum optimè noſtram doctrinam & ſententiam explicantium, quàm ad noſtri novi luminis chymici mentem, ſequentibus exarare, ſed aliquid cenſuimus præmonendum ſine notitia cujus nulla poteſt videri naturalis & genuina interpretatio, licet vera ſit & ſapienti intento conformis.

Primò igitur advertendum quotquot ſunt fideles Authores quamvis diverſis longè ſæculis vixerint & ſcripſerint, uno tamen conſilio & artificio ſimul conſpirare & dum poſteritati monumenta veritatis Alchymiæ quam experti fuerant mandare vellent, hæc ita præſtare ut qui à Deo deſtinati fuerant ad ſacram hanc notitiam, teſtimoniis patrum excitati & innixi, ipſam peterent ab ipſo Deo zelatis precibus, (nam ſine ſpeciali gratia acquiri non poteſt, nec fauſte exerceri ab hominibus quamtumlibet argutis atque acutis ſpeculationibus & operationibus eamdem inquirerent,) qui verò arte tam pretioſa indigni forent aut ad alia deſtinati, ænigmatum involucris aut laborum difficultatibus perterriti averterentur.

Quamobrem Priſci multa ex animo omiſerunt ac poſteris diſcenda reliquerunt, Poſteri verò quod ſuperioribus deficiebat adjecerunt & ab ipſis tradita repetere noluerunt, utrique præterea fabulas confixerunt, emblemata imaginati ſunt & ſcopulos objecerunt, ut omnium fuit idem finis in occultandis myſteriis, eadem etiam fuere media generalia quæ ad tria reducuntur quæ ſequentibus declarabuntur. *Vale*.

EPISTOLA XLII.

PRimum eſt ut majoris obſcuritatis gratiâ in variis locis ſuorum ſcriptorum rem unicam, plerumque membratim non ſolùm diſtribuant, ſed etiam exquiſitas ne dicam contradictiones formales conjiciant, ita ut quod unus locus aſſerit, alter neget, diſtinctionis tamen & conciliationis rationem utique non ſupprimunt: ſed vaſto nimis & profundo confuſionis mari deprimunt.

Secundum eſt ut in eodem ſæpè loco, ideſt in eodem contextu, duas vel plures quidem res planè diverſas exprimant, aut ſanè ſi diverſis locis & contextionibus diſtinguant iisdem ferè verbis eandem rem apparenter ſignificantibus confundant, præſertim dum mercurii præparationem ſeu magiſterium & ejuſdem fermentationem ſeu ſpecificam determinationem ad metallicam naturam attingunt, eas enim licet toto cœlo diſcrepantes, ita ſimiles efficiunt ut conjunctæ propoſitiones quæ ſenſum conjunctum habere videntur, ſeparatas longè intentiones, ſolâ materiarum affinitate, analogiſmo aut homonymia cohærentes habeant.

Tertium eſt ut præpoſtero ordine ſtudeant, maximè in ſubjectorum tractatione & operationum diſpoſitione, quia quæ recto ordine tractantur, quantumvis obſcuro ſtylo, ab acutis ingeniis enucleari poſſunt & ſolis ſtolidis non innoteſcere, unde congruum rati ſunt, modò à fine incipere, modò in principio & medio deſinere ac denique omnia intervertere.

Hæc tria à nobis ut & ab aliis Authoribus religioſiſſimè & enixâ induſtriâ ſervata ſunt in novo noſtro Lumine cum tractatibus ab eo pendentibus & dialogis ſulphuris & mercurii, ſed non ita in noſtris Epiſtolis, ubi licet circa praxim præparationis mercurii, aliquas operationes ſub genericis terminorum acceptionibus interceptionis metu contraximus, quas diffusè ſtatis delineaveramus in Theoricis Epiſtolis, nihil tamen omiſimus aut præpoſteravimus. Quapropter ſi velis tam noſtram quam aliorum authorum mentem plenis animis apprehendere, ſecundùm doctrinam noſtrarum Epiſtolarum & ſine errore obſcuros locos & ſcopulos explanare, pugnantes conciliare, confuſoſque tandem diſtinguere, præſtat altis infigere animis prædictam doctrinam per neceſſariam diſtinctionem hactenus non expreſſam aperto ſtylo & fortè ſequentibus non ita perſpicuè exprimendam.

Lapis autem Philoſophorum univerſalis, in duos lapides particulares conſiſtit, Exaltationem ſcilicet Mercurii Philoſophorum ſeu Magiſterii & ejuſdem Fermentationem mineralem ſeu ſpecificationem. Clavis enim hæc eſt diſtinctio templi ſapientiæ Alchymiæ & myſteriorum artis. Tum deinde meminiſſe oportet, locos locis, ſubjecta ſubjectis, ſententias ſententiis referri, confere, infere. *Vale*.

EPISTOLA XLIII.

POſt generalem, circa Authorum lectionem & intelligentiam, admonitionem, D. S. conducit ad particularem non omnium quidem locorum & oppoſitionum ſingularium, circa Chryſopœæ poſtremam partem, de qua præcipuè nos interrogas: ſed Potiores ad quos cæteri omnes loci & contradictiones tam in noſtris ſcriptis quàm in aliis paſſim Authoribus occurrentes referuntur explicationem & conciliationem accedere.

Omnes igitur omnium Authorum ſimul & noſtrorum

trorum scriptorum apparentes contradictiones versantur vel circa res per terminos significatas, vel circa terminos res significantes.

Quæ circa res versantur ad duo generaliter capita reducuntur, nempe ad materiam & ad modum agendi.

Primum dividitur in duos articulos, secundum duo potiora dubia quibus scilicet ambigitur quotuplex sit materia lapidis & qualis sit.

Primus articulus quo dubitatur quotuplex sit materia Lapidis, Aliqui mordicus sustinent & religiosis etiam sacramentis constanter asseverant, unicam esse rem, vel si plures sint illas esse & se habere ut partes suppositi seu mixti infimi idest in ratione mixti considerati, quæ sunt tantum tres, nempe sal, sulphur & mercurius, unum totum physicum tantùm constituentes, unum per se in quolibet mixto, non plura, cui sententiæ fundamentum præbere videtur & declarare id quod alicubi in nostris epistolis aut potiùs libellis ubi unâ cum diversis aliis Authoribus diximus rem unam sufficere ad conficiendum lapidem, duas tamen unius radicis posse brevitatis causâ adhiberi, càm brevitatis rationem novum aliquod inventum autumant ultra veterum experientiam ad confectionem lapidis non necessariam.

Alii contra diversas res & materias particulares saltem binas admittunt quas physici Philosophi sub nomine & descriptione sulphuris vivi & mercurii vivi diversisque aliis bimembribus nomenclaturis designant ut solis vivi, lunæ vivæ, maris & fœminæ, Gabritii & Bejæ ac similibus quæ diversitatem aliqualem naturæ & differentiam simul & distinctionem suppositionum proindeque pluralitatem rerum sonant in binario sistentem, cui numero aliquid addunt moderni, nempe sal.

Alii demum non solùm duas res sed septem metalla volunt, eò quod lapis est universale quoddam agens, natura autem universalis talis est ut ex omnibus sibi subjectis speciebus constituatur, adde quod aliquid simile exprimere visi sumus in nostro novo Lumine Chymico de septem planetarum pariterque metallorum harmonia differentes, cui opinionioni ea vicina est quæ tres postulat substantias seu tres res diversæ formæ substantialis & familiæ mixtorum, idque eadem de causa & ratione quæ pro septem metallis introducta est, adde quod lapis tribus æqualiter familiis mixtorum infimorum speciebus & individuis earum convenit & prodest ad productionem, conservationem & reparationem ipsarum, quod fieri non posse videtur nisi ex aliquibus triplicis finis naturæ confletur lapis.

Hæc sunto posita circa primum articulum quibus sequens epistola lucem dabit. *Vale.*

EPISTOLA XLIV.

UTraque sententia præcedentis epistolæ vera est D. S. suo scilicet modo suaque distinctione.

Prima quidem si ad productionem attendamus idest ad fermentationem mercurii nostri vivi, & conversionem ejusdem in semen primordialis naturæ, actione scilicet primordialis seminis, modis alibi fusè expositis quæ quidem productio non solùm fieri potest in visceribus terræ: sed etiam in vase artificiali, nec ad illum requiritur necessariò aliquid præter spiritum universalem prædictum seu mercurium vivum, quia fieri non potest quin mercurius ille tam multis ascensibus & descensibus quibus ab Archæo est agitatus, & motus ab infimis ad suprema & à supremis ad infima toridem quasi distillationibus, rectificationibus & sublimationibus præparatus ab infimis latibulis primordialium seminum, semina; auri vel argenti plurimâ magneti à suâ virtute attraxerit quibus possit assimilari & proinde mineralis metallicus effici, quia nihil aliud est lapis ille nisi allicus quàm semen auri vel argenti multiplicatum aut mercurius in semen auri vel argenti specificatus & assimilatus, sed hoc fit longissimo temporis intervallo tam propter debilitatem archæi quàm propter imbecillitatem facultatis fermentativæ primordialium seminum.

Si verò ad productionem quæ pertinet ad artem, fitque vi seminum particularium longè efficaciorem vel exteriorem præcedenti, respectum habeamus; falsa est omninò hæc prima opinio, quia semina particularia auri vel argenti necessariò ab auro vel argento petenda sunt & dicto mercurio admovenda ut satis superque probatum est alibi, proindeque duæ res admittendæ nempe sperma seu vitriolum auri, semina particularia continens & spiritus noster universalis assimilandus & convertendus in se non particulare auri vel argenti ad confectionem lapidis metallici seu metallicæ specificationis, juxta finem & terminum primum multiplicationis alibi explicatum.

Hæ autem duæ res unius sunt radicis, quia se habent non tanquam substantiæ incompletæ secundùm habitum partium physicarum ad suum totum physicum unum per se (ut ineptè volunt qui constituunt pluralitatis totam rerum admittendæ rationem in separatione mercurii, salis, & sulphuris ab uno corpore & completâ substantiâ putâ auro vel argento) hic enim habitus identitatem, totius divisi seu corporis truncati significat, non verò identitatem radicis diversarum rerum, sed se habet tanquam substantiæ completæ, distinctæ & independentes ad invicem, convenientes tamen secundùm homogeneitatem principii superius explicatam quæ homogeneitas unitatem identitatemque originis & radicis importat, non verò unitatem aut identitatem stipitis aut trunci; & hæc est distinctio valdè notanda, differunt enim toto cœlo unitas seu identitas radicis quæ ut arbor & fructus arboris quæ suum habent esse completum, distinctum & planè diversum, dicunturque esse ejusdem radicis & originis idest principii tam activi quàm passivi seminalis, constitutivi suæ speciei, & identitas totius vel trunci seu stipitis, quia scilicet cortex & medulla arboris cujuslibet suum esse quidem distinctum habentes sed incompletum, dicuntur unius & ejusdem corporis per se partes; quæ omnia ne videantur obscura planiùs explicare placet.

Prima igitur sententia intelligi potest vel de primo lapide seu magisterio, vel de secundo seu specificatione; si de magisterio intelligitur, non est vera hæc sententia, quia in eo nihil requiritur præter nostrum spiritum universalem, nam magisterium nihil aliud est quàm debita coctio solius substantiæ dicti spiritus universalis secundum tres diversos gradus temperationis, mercurialem scilicet, sulphuream & salsam in quo salso terminatur mercurii universalis exaltatio & magisterii perfectio, ad imitationem naturalis coctionis ejusdem mercurii antequam in visceribus terræ specificetur seminibus primordialibus.

Si verò dicta sententia intelligatur de specificatione magisterii specificâ denominatione ad naturam Solis vel Lunæ, dupliciter distinguendum est:

nam vel de ea mens eſt, quæ fieri poteſt (quanquam rarò & longiſſimo tempore ſine ulla acceſſione extrinſeca vi ſeminum primordialium, id eſt, eorum pauciſſimam quantitatem, utpotè quæ pauciſſima ſunt) habet in ſe ſpiritus univerſalis dictus, quæ ſemina conſtituunt hermaphroditicam ejus naturam, & ipſa ſemina vicem gerunt ſeminis maſculini, ſubſtantia verò ſpiritus ſeminis fœminini rationem habet. Vel de ea intendimus quæ fit extrinſeca acceſſione & copulatione ſeminum ſive primordialium in viſceribus terræ, ſive particularium in vaſe artificiali, quo ſenſu falſa eſt dicta ſententia: nam ſemen ſpecificativum & materia ſpecificabilis, ſunt duæ res diſtinctæ realiter, imò duæ ſubſtantiæ completæ, homogeneæ tamen homogeneitate principii principiantis, proindeque unius radicis, quod idem eſt apud veros Philoſophos.

At fortè apud te argues omnia mixta quantumlibet diversâ ſpecie & naturâ ſunt homogenea homogeneitate principii, quia materia quæ ſubjacet eorum formæ homogenea eſt cum dicto ſpiritu univerſali ſecundùm præcedentem doctrinam. Ergo ſunt unius & ejuſdem radicis, ac quælibet pro quorumlibet multiplicatione aſſumi poteſt pro materiâ. Quod ſi obtinet in mixtis diverſis ſpecie & numero magis in partibus naturalibus mixti cujuſque quatenus mixti, Mercurio ſcilicet, Sale & Sulphure obtinebit, quia idem numero & ſpecie principium materiale habent cum ſuo toto. Et hæc ſanè multum urget objectio, vixque ullibi ejus ſolutionem reperire eſt diſertè expreſſam, Hic eam accipias volumus.

Ut ergo deciſivè reſpondeatur huic objectioni obſervandum eſt, tres requiri conditiones, ut ſecundùm mentem Philoſophorum una res dicatur homogenea homogeneitate principii.

Prima conditio eſt ut utraque ſit ſubſtantia completa tanquam pars ad ſuum totum.

Secunda ut ex illis ſubſtantiis completis, alia ſit in ratione mixti ſimpliciter, alia ſit uno gradu ſaltem promotior in ſcala mixtorum quam Theoricis Epiſtolis tradidimus.

Tertia conditio eſt ut unica quæ ſimplicior eſt, indifferens ſit ad omnes formas, ſitque capax & apta naturaliter ad alterius rei magis compoſitæ formam ſuſcipiendam de novo ultra ſuam.

Præterea obſervandum eſt nomen radicis eſſe æquivocum quod accipitur trifariè.

Primò propriè pro principio materiali omnium rerum (non pro chimerica illâ materiâ informi quam imaginatur cacodoxa Schola) ſed pro ſpiritu noſtro univerſali nondum contracto ad certam ſpeciem mixtorum infimorum rationem habente ſubſtantiæ completæ, vel ſi mavis pro principiis principiatis adhuc ſimplicioribus gradatim uſque ad Elementorum ſimpliciſſimorum vel etiam aquam catholicam primordialem.

Secundò impropriè ſumitur per analogiam ad præcedentem acceptionem pro parte principe cujuſlibet viventis, quæ nutrimentum primò ſuſcipit, quod deinde cum partibus diſtribuit collectivè vel diſtributivè.

Tertiò magis impropriè uſurpatur pro trunco quovis reſpectu partium ab ipſa parte truncatarum aut ſeparatarum, id eſt, pro totali quolibet ſuppoſito ſeu ſubſtantiâ completâ reſpectu ad ſuas partes ſubſtantiales incompletas.

His poſitis facilis eſt reſponſio & ſolutio objectionis, nam mixta omnium trium familiarum cujuſque ſpeciei comparata inter ſe habent quidem primam conditionem nempe ut ſint ſubſtantiæ completæ & aliæ omnes deficiant, ſunt enim ejuſdem gradus in ſcala mixtorum ultimi generis, id eſt ſub qualibet ſpecie individua unius aut alterius trium familiarum, ac proinde licet tranſmutari poſſint invicem, ut alibi diximus, alia in alia odore formæ ſubſtantialis, attamen non poſſunt non ſuam formam acquirere gradu ſuperiorem, ſal verò ſulphur & mercurius cujuſlibet mixti ſi poſſent ſeparari (quod negatur) non eſſent ſubſtantiæ completæ quia ſe habent ſemper tanquam partes ad totum.

Non ſunt igitur ſupra dicta mixta diverſæ ſpeciei ejuſdem inter ſe radicis, quia non ſunt homogenea homogeneitate principii, deficientibus conditionibus ad id neceſſariis, neque etiam ſal, ſulphur & mercurius cujuſlibet mixti propter eandem rationem, ſunt tamen ejuſdem trunci: ſed hoc non venit ad mentem Philoſophorum.

Secunda ſententia qualiter vera ſit & quomodo diſtinguenda plus ſatis conſtat ex elucidatione præcedentis.

Tertia denique ſententia ſi ad paſſivam dicti noſtri ſpiritus univerſalis ad omnes formas & proximam quam habet ad ipſas, & quamlibet ipſarum ſuſcipiendas, diſpoſitionem, ipſam ſententiam referamus veriſſima eſt, ſi verò ad effectum, falſa eſt.

Argumentum autem quo innititur dicta ſententia materiale, omninò traducitur à Metaphyſicis & mentalibus compoſitionibus ad phyſicas productiones nec demum loquimur de ſeptem metallis, ſeptem planetis reſpondentibus, & ab ipſis nomen Cabaliſticum habentibus, vel vice verſâ de Planetis intendimus ipſa ſeptem metalla ſubſtantialiter ingredi in confectione Lapidis & materiam ipſius componere: ſed modo exprimere volumus in ſpiritu univerſali conſentientes & exaltatas omnium Planetarum virtutes & influentias, modò verò ſignificamus diverſos gradus contemperationis ſucceſſivos intercidentes in coctione ovi Philoſophici qualitatibus & temperamento ſeptem Planetarum ſive metallorum ex origine conſonantes. *Vale.*

EPISTOLA XLV.

SEcundus articulus D. S. verſatur circa qualitatem materiæ & dividitur in duas Sectiones, juxta diviſionem præcedentis articuli materiam totalem Lapidis diſtribuentem in duas partiales materias.

Primâ Sectione agitur de dubiis quæ referuntur ad materiam primam, id eſt activam ſeu aſſimilatricem.

Secundâ agetur de oppoſitionibus quæ referuntur ad materiam ſecundam, id eſt paſſivam ſeu aſſimilandam.

Utrumque rurſus ſubdividitur in particulas, quarum prima eſſentiam & naturam materiæ conſiderabit, ſecunda verò proprietates.

Circa primam materiam igitur, & ejus naturam & eſſentiam, alii dicunt eſſe aurum vel argentum commune & vulgare ſeu ſimplex quale è mineris educitur, non verò aliam ſubſtantiam, & verò multi loci apud Philoſophos hanc propoſitionem probare videntur.

Alii contendunt aliud quidpiam eſſe præter aurum vel argentum, illorum tamen naturam ſed virtualiter tantùm redolens aut ſaltem aliquid analogum cum ipſis, ideſt cujus naturâ ſit partim eadem cum auro vel argento, partim diverſa, quale eſt

antimonium,

antimonium, vitriolum, sulphur vulgare seu alicujus metalli inferioris quod inducitur ex plerisque expressis scriptorum Authoritatibus.

Alii denique mediæ sententiæ inclinantes, asserunt aurum quidem vel argentum non analogum & virtuale sed minerale veram & genuinam esse materiam lapidis sub aliqua tamen artificiali forma & præparatione physica & non vulgari, cujus gratiâ dicitur aurum vivum, vel argentum vivum non commune, non vulgare putâ sub formâ mercurii vel salis, vel Sulphuris ab auro vel argento aliove quolibet subjecto eliciti, vel utriusque simul, nec desunt hujus propositionis urgentia plurima argumenta & sapientum decreta quæ sequens Epistola declarabit. Vale.

EPISTOLA XLVI.

PRima & ultima sententia D.S. veræ sunt, nam latè probavimus alibi fermentum seu materiam lapidis non posse esse aliud quàm vitriolum seu sperma solis & lunæ, semen particulare solis vel lunæ continens; Vitriolum autem solis vel lunæ verè & physicè sol est vel luna: sed aliqua sub formâ & præparatione artificiali non vulgari naturæ tamen amice consideratum in qua sol vel luna solvitur cum naturali dissolvente, sicut glacies solvitur in aqua sibi naturaliter consimili, quo sensu dicitur sol vel luna ad suum principium reduci, idest in aqua & in aquam resolvi, unde factum est aurum vel argentum; nam revera factum est ex aqua cujus ope dissolvitur & ejus vitriolum elicitur, quod rursus, nisi post confectionem lapidis in corpus metallicum reverti queat.

Ergo verum est quod utraque sententia proponit, nec ulla indigent distinctione aut expositione Authorum decreta hac in parte, in ea enim nudam veritatem & sine velo ostentant omnes.

Secunda verò sententia est absolutè falsa si de primâ materiâ intelligatur nempe de fermento, nec obstant authoritates quæ vulgò allegantur ad hujusce sententia probationem, illæ enim intelligi debent de secundâ, nempe de spiritu universali nostro seu mercurio vivo qui propter homogeneitatem principii quam habet cum auro vel argento, dicitur non ineptè aurum vel argentum virtualiter cum illis analogum.

Quod si præcise Philosophi non exprimant mentem quam habent de secundâ materiâ his in locis agendi, non proinde argui potest nostra solutio quia ut antea notatum est, tale consilium & artificium omnium Philosophorum ut veritatem dividant in partes easque distinctas & variis in locis dispersas propositiones & verò tales de analoga materia sermones, nemo ferè profert qui alibi de auro minerali prima materia expressas aut parum obscuras propositiones aut descriptiones congerat. Vale.

EPISTOLA XLVII.

CIrca proprietates primæ materiæ D. S. nullæ sunt aut leves authorum dissentiones, quæ qualescunque sint doctrina præcedentium Epistolarum facilè conciliari possunt, quare statim materiam secundam aggrediamur.

Circa materiam secundam non minores quàm præcedentes intercedunt oppositiones, Quidam enim volunt esse communem seu vulgarem mercurium, cui opinioni tota Philosophorum caterva hujus sæculi similibus innixa argumentis & sapientum veterum apophtegmatibus, assentitur.

Alii minus scrupulosi omnium rerum tam mineralium quam vegetabilium & animalium partem mercurialem æquali jure prodesse affirmant & usurpari posse, vel collective vel distributive pro materia secunda, eò quod mercurius Philosophorum dicatur esse in omnibus & locis & rebus.

Alii demum quia vilem omnibus notam, ubique occurrentem, omnibus hominibus communnem & obversantem præ oculis omnium, describunt, sordibus & excrementis plerisque, non bene olens suffragium concedunt.

Illæ opiniones ut bene concilientur, revelandum est hoc in loco arcanum præ cæteris omnibus velatum à Philosophis, nempe circa materiam secundam tria considerari ab omnibus Authoribus legitimis.

Primò ipsammet secundam materiam ideſt substantiam quæ verè est secunda materia lapidis, scilicet spiritus noster sive mercurius vivus.

Secundò subjectum in quo inest corpus unde elicitur dicta secunda materia scilicet terra quædam vera & naturalis, essentialiter non differens ab elementari terra: sed tantùm accidentaliter propter subtiliationem & naturaliter ab archæo factam purificationem quâ posset & hæc terra vocatur communiter Magnesia.

Tertiò denique ratio & modus quo materia in ipsa terra existit non tanquam pars totius substantialis aut partis corporis physici unius per se in quo inest: sed tanquam contentum in continente extraneo seu tanquam pars accidentalis totius per accidens id est ex partibus completis in suo esse simul aggregatis compositi, localiter tantum in eo confusis, quomodo aqua in spongia madefacta non est pars essentialis spongiæ sed substantia alia aggregata & localiter confusa undequaque in spongia, quæ natura subjecti dictæ materiæ secundæ & modus quo in eo existit necessariò infertur, ex eo quod post separationem (ut notare potes) caput mortuum colorem nigerrimum, terræ naturalem siccitatem & insipiditatem habeat consummatam, nec salia ulla restent, quod signum est, non esse mixtum quid ex tribus familiis, quia nullum datur mixtum quin post separationem distillatoriam relinquat sal in capite mortuo.

Hujus arcani ignorantia miras operatur chimæras & phantasmata in philosophantium animis hæc tria confundentibus & pro unâ & eadem re descriptiones ad tres illas pertinentes concipientibus intrudit: & contra ejusdem arcani notitiâ, consideratione & applicatione, omnes oppositiones vel stolidior aperit ac veritatem plenaria luce demonstat. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

POsito præcedentis Epistolæ arcano D. S. Oppositiones circa secundam materiam facilè dissolvuntur.

Prima igitur sententia duplici ratione distinguitur primò distinctione termini seu vocabulis illius Communis, quia si de ipsa substantia secundæ materiæ agitur, nempe de spiritu nostro universali & vocabulum hoc impropriè sumatur pro vulgari ideſt quatenus vulgare & non rarum quid significat, falsissima est hæc sententia. Si verò idem vocabulum propriè & naturali sensu accipiatur pro ut significat habitum ad diversas res & ad ipsammet materiæ secundę substantiam referatur, verissima est ipsa

sententia; Mercurius enim noster seu spiritus universalis commune est principium omnium rerum nec dari potest ullum cui talis habitus ad omnia alia tanquam eorum principium competat.

Si autem de subjecto in quo illa secunda materia ineſt & de modo existendi in eo, falsa est illa propositio; nam mercurius vulgaris non habet materiam & essentiam terræ præcisam quam habere debet dictum subjectum, nec quidquam habet in se quod non sit pars substantialis ipsius, Mercurius enim, sal & sulphur ejus, si quæ sunt in eo, suum esse completum & totalitatem suam per se in eo amiserunt quam habebant antea, nec ad eam restitui possunt amplius, ut satis probatum est alibi, dum egimus de rerum simplificatione ad totalitatem pristinam & complementum sui esse,

Secundò distinguitur eadem dicta sententia distinctione Potentiæ passivæ & Actus, quæ superiùs in præcedentibus articulis alia in materia habita est; nam si de ipsa substantiâ materiæ secundæ est sermo, & intelligatur pro mercurio vulgari potestativè ideſt pro materia quæ dispositiones habet non remotas ad formas & actum mercurii vulgaris suscipiendam, vera est sententia, nec inusitatus hic expressionis modus; nam hoc sensu herba triticaria vocatur pabulum hominis, cùm tamen homo immediatè illa non vescatur: sed ex pane qui ex semine hujus herbæ conficitur & sic de cæteris: sed si accipiatur pro mercurio vulgari falsa est omninò.

Quod si ad subjectum ejusdem materiæ secundæ seu corpus unde elicitur & ad modum incessendi in eo attendamus, non potest haberi pro verâ dicta sententia propter easdem rationes superius allegatas. *Vale*.

EPISTOLA XLIX.

SEcunda opinio si de ipsa materia secunda sive de subjecto illius & modo existendi in eo intelligatur, falsa est planè, Authoritates verò quibus fulcitur de prima materia, nempe de vitriolo auri vel argenti, quod vitriolum & mercurius metallicus in statu metallicæ coctionis sunt materia, insolitus est loquendi modus, quia non possunt revocari sub forma pristinæ suæ simplicitatis, panis enim triticeus sæpe vocatur triticum & verè triticum est sub forma nova & coctione à qua revocari non potest, ut ad eosdem effectus & usus prodesse possit quibus antea proficuum erat, nam panis qualitercumque præparatus non potest rursus ad triticeam qualitatem aut farinam unde factus est restitui ut ea panis ejusdem planè naturæ reficiatur, potest tamen triticum non planè panificatum sed impastatum & fermentatum aliud triticum impastatum, sed nondùm fermentatum, fermentare; quod idem planè obtinet in metallis eadem omninò ratione & causâ, licet modo aliquatenus diverso quantum ad actum fermentationis.

Tertia opinio quæ cujuscunque mixti partem mercurialem esse nostram secundam materiam autumat, sive de ipsa substantia secundæ materiæ, sive de subjecto illius, sive de modo existendi in eo intendat, evidentissimè falsa est: ratio verò ejusce opinionis distinguenda est, nam quoad locum, certum quidem est, mercurium seu spiritum universale ubique existere, quia cum elementis omnibus conjunctus est, maximè verò cum aëre qui tota orbis spatia replet, non solùm & ubique vacuo resistit sed etiam intime alia elementa simul & alia corpora penetrat aliquomodo, saltem per poros & hoc tantùm abest ut nobis contradicat, nostram doctrinam argumento inexpugnabili potiùs confirmet: Hæc enim conditio est quasi immensitas nulli rei in mundo materiali competere potest præter nostro mercurio & spiritui universali.

Sed quoad existentiam in omnibus & singulis mixtis propriam & substantialem ideſt ad modum partis substantialis iterum distinguitur: Nam si tensus est quod in singulis rebus est actualis & ad novum gradum compositionis seu formæ substantialis contractus ultra eum quem habebat prius, id verum quidem est: sed in hoc statu prodesse non potest ad lapidem conficiendum nec subjici pro materia ejus secundâ ut satis antea probavimus nisi retrò simplificetur quod impossibile & contra naturam esse demonstravimus. Quod verò sit in dictis rebus singulis ejusdem simplicitatis gradus potentialitatis necessariæ ad hoc ut possit esse secunda materia lapidis absolutè falsum est & implicat contradictionem, pars enim esset major suo toto.

Quod si Authores hoc ita videantur expressis & disertis verbis insinuere, eorum sensus non ad litteram attendendus est secundùm prædictam sententiam, neutiquam enim docere voluerunt secundam materiam lapidis in omnibus rebus ita esse ut ab illis petenda sit: sed eandem rem quæ est in omnibus rebus actuata & ex qua coagulatæ sunt & formatæ quærendam esse in eo statu quem habebat antequam actuaretur in mixtis singulis & quæ de novo quotidie in nova mixta actuatur & coagulatur, actione seminum tam primordialium quàm particularium.

EPISTOLA L.

CIrca proprietates materiæ secundæ D. S. & qualitates essentiam consequentes, non paucæ sunt opiniones: Alii enim consistentiam planè liquidam volunt, alii contra solidam, alii nec planè liquidam fluidamque nec planè solidam, sed mediæ consistentiæ malunt, Alii diaphaneitatem exigunt, Alii opacitatem, Alii cœlestem colorem, alii album, Alii saporem ejus & odorem acutum, alii dulcem & suavem, Alii humiditatem tribuunt, Aliique siccitatem, Alii tincturam auream imò & rubeam internam concedunt, Alii negant, Alii vetustam eligunt, Alii recentem. Quæ omnia facilè conciliantur juxta prædicta, nam si de ipsa substantia materiæ secundæ agitur, liquida est ac fluida, dum primò condensari incipit, diaphana est & coloris cœlestis non cærulei sed pellucidi & infinitis coloribus variegati interius ad modum iridis, humida in summo gradu, quia aëre congelato abundat & undique in sphæra aëris diffunditur, unde non madefacit quamdiu in sua raritate manet, tincturam habet internam exuberantem, quæ paucis diebus post separationem à suo subjecto auri dissoluti citrinum colorem ostentat, sed tincturâ illa exaltatur & rubicundissima evadit per medios alios colores. Vetustissima eligi debet ideſt mercurialis substantia seu spiritus universalis qui post naturales plurimas distillationes & cohobationes qualitatem frigidam humidam mutavit in humidam calidam quo in statu nullibi reperire potest præter quam in subjecto nostro à quo semel separatus amarissimus est signum indubitatum suæ calidæ qualitatis. Si vero de subjecto dictæ secundæ materiæ, sermo sit, jam conveniunt qualitates & proprietates prædictis contrariæ, nam dictum subjectum

jectum est spissum, opacum, subdurum, album, dulce, & suavis odoris ac summè siccum quia terra est, realiter & essentialiter.

Recens verò est eligendum, quia hæc materia tractu temporis facilè dimittit spiritum universalem. Supersunt præterea aliquæ pugnantes qualitates ab authoribus attributæ materiæ nostræ secundæ, sed magis commodum habebunt locum in tractatione terminorum ubi explicantur descriptiones. *Vale*.

EPISTOLA LI.

SEcundum Caput de modo agendi sequitur, circa quem sunt multæ etiam oppositiones quæ referuntur omnes ad partes utiles & inutiles materiæ secundæ ad directoria operis ad finem usque optatum, de quibus licèt abundè satis distinxerimus in nostris Epistolis, tamen repetendum est aliquid de illis diversis paulò verbis & ordine, explicatiùs.

Circa partes igitur utiles & inutiles, alii contendunt Mercurium tantùm seu mercurialem partem, materiæ nostræ esse utilem, alii Sulphur tantùm, alii Sal tantum, Alii simul separatum à suo corpore aut substantia totali, tum deinde rursus in idem corpus & substantiam totalem restitutum ac unitum, solis phlegmate & capite mortuo demptis, quæ ut concilientur contradictiones, duo distinguenda sunt genera partium substantiæ corporeæ complexæ, seu totius Physici qualis debet esse nostra materia scilicet naturalium & excrementitiarum.

Excrementitiæ partes sunt triplicis generis.

Primò phlegma seu portio aquositatis mercurialis quæ in productione excedit pondus naturæ, seu proportionem viribus seminum primordialium vel particularium excedentem, quæ portio excedens ob debilitatem naturæ, id est facultatis expultricis seminum aut archæi semina moventis, confusa manet localiter tamen, non ut pars substantialis mixti sed ut aggregatum & congestum accidentariò corpus alienum, donec ab archæo possit expelli.

Secundò caput mortuum, id est portio superflua terrestris corporeitatis quam natura similiter vel non potest expellere, vel jam ad mixti conservationem tanquam corticem retinet.

Tertium genus est pinguedo quædam ex utroque nempe phlegmate & capite mortuo coalescens quæ olei fœtidi & venenosi speciem habet aut sulphuris maligni.

Hæ autem partes excrementitiæ non in omnibus universaliter mixtis existunt, iis enim carent mixta primæ classis alibi descripta, nempe principia principiata, maximè verò noster spiritus universalis secundùm se consideratus, Ratio hujus rei est, quia principia eorum materialia simplicissima sunt, quæ sponte suâ archæo fabricatori & motori obsequuntur, ita ut nulla unquam excedant aut deficiant in mixtis primis, quia archæus facilè accersit sibi, quod deficit, & quod accedere posset materias arcet & expellit, quod aliter se habet in mixtis secundæ classis, id est trium familiarum, quorum principia materialia materiata jam magis composita & gravia efficaciùs resistunt actioni & motibus ejusdem archæi, unde venit intemperies mixtorum vel in excessu vel in defectu unius aut alterius qualitatis. Itaque quidquid est aquositatis in dictis principiis, totum est mercuriale & utile imò necessarium ad omnem productionem, quia in hac aquositate, residet radix fermentabilitatis & facultatis corporificabilis.

Mixta verò infima tales admittunt partes excrementitias: sed non omnes, nec æqualiter omnia, nec semper; nam in aliis phlegma est sine fœcibus, in aliis fœces sine phlegmate, ut in auro summè perfecto & in adamantibus, unde fit ut aliquando nostrum dissolvens, non dissolvat totam substantiam auri, hoc autem rarum est: sed nihil est hoc momenti, id est, non est opus tam purum aurum quærere, quia quidquid est purum dissolvitur, nihil verò præterea: Hæc enim solutio fit non vi salium corrosivorum: sed unione homogeneorum, homogeneitate principii, proindeque heterogenea dissolvi non possunt.

Naturales partes sunt duplicis generis, necessariæ scilicet & contingentes.

Necessariæ sunt quæ totum necessarium seu physicum essentialiter constituunt, quarum separatio destruit omninò mixtum & semel ab invicem separatæ iterum simul conjungi & in idem corpus numericè nec specificè etiam possunt reduci, ut alibi per exempla probatum est.

Illæ autem partes sunt materia & forma cum suis præordinatis aut subordinatis connaturalibus & eminenter comprehensis cum partibus quales sunt quoad formam gradus omnes quos scholastici, essentiales vocant, formam substantialem conditionantes, ut verbi gratiâ in animali quolibet animalitas, corporeitas, substantialitas usque ad summum gradum transcendentalem entitatis.

Quantùm verò ad materiam principia principiata jam ad certam speciem mixti contracta & denominata nempe Sal, Sulphur & Mercurius, quæ propriè sunt partes mixti, sicuti alibi insinuavimus.

Contingentes partes sunt, quarum separatio substantiam minuit mixti, non verò destruit mixtum, & sunt duplicis generis, Homogeneæ & Heterogeneæ.

Homogeneæ simpliciter quantitativæ, sunt illæ quarum essentia eadem est cum toto, & quarum divisio minuit tantùm quantitatem substantiæ, ut si ex libra verbi gratiâ Solis vel Lunæ unciæ aliquot detrahantur.

Heterogeneæ seu integrantes substantiæ sunt quæ rationem habent diversam à se invicem & à suo toto quarumque totalis separatio totam substantiam destruit, nullo modo unquam separandam. Aliquarum verò destructio mutilat, sed non destruit.

Hæc omnia partium genera mixtis omnibus tam infimis trium familiarum, quàm supremis & mediis scilicet principiis principiatis nondum contractis ad certas species competunt: sed non æqualiter, in aliis enim major quantitas sulphuris existit quæ proinde nomine sulphuris vocantur à Philosophis lata significatione, quia ex majori parte fit denominatio, quomodo ut plurimum aurum vocatur sulphur, & sub appellatione sulphuris significatur. In aliis Mercurius superat & illa habent Mercurii nomenclaturam. In aliis Sal excedit quæ salia nuncupantur. In solidis tamen & maximè coctis corporibus, Sal & Sulphur, unum & idem sunt, aut saltem ita simul cohærent, ut vix separari possint, unde Antiqui rarò vel nunquam de Sale loquuntur: sed dum in vitriolum reducta sunt, maximè convenit illis, salis facultas & nomenclatura ex diversis tamen effectibus, modò salia, modò sulphura vocitantur. *Vale*.

EPI-

EPISTOLA LII.

IN dictis oppoſitionibus D. S. ſenſus eſt vel de ſubſtantia materiæ utriuſque partialis nempe de vitriolo Solis & de ſpiritu noſtro univerſali ſpecificato, vel de ſubjecto in quo eſt utraque materia, & unde educitur, nempe ex Sole minerali ſimplici vel magneſiâ noſtrâ.

Se de ipsâ ſubſtantiâ, vel ad partes excrementitias attendimus vel ad naturales. Si ad excrementitias, nullæ ſunt eruendæ, quia nullæ ſunt excrementitiæ ob perfectam contemperationem alterius nempe vitrioli Solis, & ſimplicitatem alterius, nempe ſpiritus noſtri univerſalis.

Si vero ad partes naturales attendimus, non eſt etiam earum tentanda ſeparatio, quia impoſſibilis eſt ſine deſtructione mixti, & licet poſſibilis eſſet, inutilis & ſuperflua foret, quia ut dictum & probatum contra naturam eſt ut ſimul rurſus aut numero aut ſpecie in corpus revertantur.

Quod ſi de ſubjecto utriuſque ſenſus ſit & ad partes excrementitias attendamus cavendũ quidem eſt aliquid nempe terreſtreitas ſeu terra ſuperflua quæ in productione ſalis cùm ſubſtantia ipſi confuſa eſt & in magneſiæ noſtræ conformatione ſpiritui univerſali tanquam vas receptivum & conſervativum ejus, in uſum Philoſophi occurrit, quia non eſt neceſſè pars naturalis dicti ſpiritus ejus quodammodo excrementum dici.

Sed ſi de partibus naturalibus intendamus loqui, fruſtra ut in præcedentibus dictum eſt, tentabitur earum ſeparatio.

Poſt diſquiſitionem & Electionem partium utilium ſequitur directio & Regimen artis & operis ad finem uſque optatum ultimum cum ſignis mutationum ſeu coloribus diverſis apparentibus, quâ in re [illegible] pugnant graviter Authores: Alii enim regimen unicum ſuſtinent, alii tria, alii quatuor ſolutionem ſcilicet, ablutionem, reductionem & fixationem; Alii uno igne eoque continuo, alii pluribus ignis gradibus & caloris modis utuntur, Alii unicum, alii plura, alii diversas diſtillationes & rectificationes, calcinationes, ſublimationes, imbibitiones & alii unicam coctionem volunt, Alii colores duos principales album & rubeum, alii nigrum addunt, Alii volunt rubeum primum colorem, alii nigrum, quæ omnia juxta præcedentia poſſemus diverſis reſpectibus verificare; ſed quia prolixiores eſſemus quam par eſt, adde quod non raro pleriſque in libris pertinentes ſunt hac in parte expoſitiones, ſufficit tibi Praxim totam ex primo Capite geneſeos ſacræ, Epiſtolâ noſtrâ decimâ quartâ pro directorio allegato delineare.

Contemplare igitur, ut Textus dicti primi capitis Geneoſos proemialibus aliquot lineis, mundi corporei partes generales breviter attingens, cœlum nempe & terram, doceat etiam magiſterii principii partes ſeu operationes in eo verſari, nempe ut ex chao (non quidem primordialiter primo; ad creationem etenim & creatorem pertinet) ſed materiali ſecundario, primò aquâ noſtrâ ſeu ſpiritu noſtro univerſali tenebris & caliginoſa confuſione Magneſiæ circumvoluto, cui ſpiritus azothius, typus & imago creata & corporea ſpiritus increati, incubat, cœlum fiat ſimul & terra Philoſophorum inanis & vacua coaleſcens tanquam limus in fonte, & ſal in mari ſeminibus tandem fœcundanda actione ſpiritus azothici externo igne artificialiter moti: Deinde ut prædictus ſpiritus à generalibus ad ſpecialia deſcendens, numerum, ordinem & modum omnium & cujuſlibet artis operationum, in numero, ordine & quantitate operum, hebdomade creationis patratorum, mirabiliter ut dictum eſt præcipit.

In primis ut fiat lux dividaturque à tenebris quæ ſunt ſupra faciem abyſſi philoſophici, dieſque ſeparetur à nocte ad hoc ut deinde ſuccedant ſibi ad invicem per cæteras omnes Operationes, nam in toto opere alternas exercere vices lux & tenebræ neceſſariò debent.

Secundò ut fiat firmamentum in medio aquarum, dividanturque ab aquis aquæ, illæ ſcilicet quæ ſub firmamento, ab iis quæ ſunt ſupra firmamentum, ideſt ſpiſſæ à ſubtilibus, congregenturque illæ in loco uno, ut appareat arida.

Tertiò ut germinet dicta terra herbam virentem facientem ſemen, ſecundum genus ſuum ideſt ſeminibus, non trium familiarum quidem; hoc enim non eſt hujus loci: ſed propriis iiſque fœmininis ſui generis conſeratur & ſequentibus toris homogenei irrigationibus fœcundatur.

Quartò fiant duo luminaria magna, luminare minus ad album, & Luminare majus ſeu elixir ad rubeum, & luceant in firmamento Philoſophici cœli & illuminent terram ſeu metallicam, ſeu vegetabilem, ſeu animalem, ſintque in ſigna & tempora, dies & annos, ideſt indicent talem temperaturæ perfectionem ut ejus exteriores notas & ſigna pro diverſitate tempeſtatum & ætatum prodant, ac denique incorruptibilitatem ſecundùm capacitatem corporeæ molis efficiant.

Quintò ut dicta Elixyria, ex eadem aquâ unde coaluerunt: multiplicentur in virtute & mole, operationibus totidem, ordine & regimine eodem quo facta prius fuerunt, tum fermententur & ſpecificentur ſeminibus ſpecificis cujuſvis familiæ mixtorum infimorum ſecundùm naturam cujuſque.

Sextò convertantur dicta Elixyria multiplicata & ſpecificata in animalibus per artificioſas exhibitiones quaſlibet, ad propagationem vegetabilium per conjunctionem ſalium, ac tandem ad transmutationem Metallorum & mineralium per projectiones & Sulphuream conjunctionem.

Hæc de materia & modo agendi, ſequentibus in poſterum de terminis agemus. Vale.

EPISTOLA LIII.

QUæ ad terminos pertinent D. S. reducuntur ad duo capita. Primum de terminis compoſitis, Alterum de terminis ſimplicibus.

Compoſiti termini ſunt deſcriptiones quibus utuntur Philoſophi ad indicandam materiam & modum agendi: ſed maximè ad demonſtrandam materiam & reducantur ad duos articulos quorum Primus reſpicit materiam primam, Alter materiam ſecundam.

Deſcriptiones quæ ad materiam primam pertinent dividuntur in Univocas & Analogas.

Analogæ ſunt quibus ſol in ſtatu & conditione in qua à Philoſophis ſubjicitur pro materia prima lapidis depingitur, ſed diverſorum capitum nominibus quæ partim habent naturam ſimilem, partim diverſam cum ſole, quomodo ſulphur vivum vocatur vitriolum & quo ſenſu intelligi debent pronuntiatum illud.

Vitriolum & ſolutum aurum noſtrum ſeu terra ſolaris, vitriolum eſt metallicum, analogiâ quâdam & proportione conveniens cum omnibus

vitriolis

vitriolis, cujus generis descriptiones, innumeræ modò per similitudinem causarum, modò per identitatem aliquarum proprietatum, modò per conformitatem effectuum & actionum, modò per æqualitatem accidentium passim occurrunt ubique in Authoribus, ut cùm vocatur Sol coagulum, fermentum, vitellus ovi philosophici, masculus.

Univocæ descriptiones sunt quæ Solem nominatim per qualitates & attributa illi maximè propria & totam ejus essentiam eamque solam præcisè explicantia designant, quæ non raræ sunt in nostris scriptis & aliorum Philosophorum libris, quæ facilè dijudicari possunt nec hic referri debent. Vale.

EPISTOLA LIV.

SEcundus articulus D.S. secundæ materiæ descriptiones complectens subdividitur in tres particulas.

Prima ipsius secundæ materiæ descriptiones respicit.

Secunda descriptiones subjecti in quo est & unde peti debet considerat.

Tertia descriptiones habet quæ ad utrumque pertinent in communi, nempe ad ipsam substantiam secundæ materiæ & ejus subjectum.

Primæ sunt Univocæ vel Analogæ.

Analogæ sunt plurimæ quæ per se satis dignoscuntur considerando an ipsius nostræ materiæ naturam latius aut contractius describant quàm par est ad quod referuntur tales descriptiones in terminorum simplicium tractatione quæ hic brevitatis gratiâ omittuntur.

Univocæ diversæ sunt etiam qualis est illa res quâ affirmatur nostram materiam ubique locorum esse, omnibus in rebus corporeis existere, palam & ob oculos cujusque versari, ipsam tamen non cerni, vilem esse atque etiam in sterquiliniis occurrentem, occultum tamen vitæ cibum censeri, quæ omnia quomodo intelligantur & quomodo soli spiritui universali competant satis præcedentibus Epistolis insinuatum est.

Secundæ particulæ descriptiones sunt pariter Analogæ vel univocæ.

Analogæ sunt quibus subjectum materiæ secundæ vocatur Talcum, terra foliata, mel, ros, mercurius Philosophorum, minera, foveaque & aliæ complures.

Univocæ raræ sunt & inter sexcenta volumina tres tantùm aut quatuor reperimus, quæ quidem adeò claræ sunt & perspicuæ ut clariores dari non possint, licet non primò statim intuitu pateant.

Primâ est quâ asseritur nomen nostri subjecti omnibus in Plagis notis, & linguis tam vigentibus quàm obsoletis eundem sonum aut paulò mutatum edere, quia saltem prima syllaba pari ubique sono & effectu litterarum est.

Secunda est quâ dicitur nomen subjecti nostri tribus litteris & quinque characteribus absolvi, quia revera Latino idiomate, Græco, Hebræoque, tribus tantùm diversæ speciei litteris scribitur & duabus ejusdem speciei cum duabus ex præcedentibus.

Tertiâ quâ dicitur subjectum dictum unico charactere mystico figurari, ad quem quinque litteræ nomen ejus exprimentes referri possunt, sive distribuatur & dividatur totalitas in partes dictis characteribus consimiles, sive componatur ex partialibus characteribus prædictis quinque similibus.

Tu poteris pro libitu prædictas descriptiones verificare, quandoquidem nomen notum tibi est; sed magis considerare debes qualitates illius subjecti & liquoris qui ab eo elicitur, ut quam tibi tradidimus hac de re opinionem apud te confirmes atque altis animis infigas.

Tertia particula de mixtis descriptionibus utrumque complectentibus nempe substantiam materiæ & subjectum ejus; multas posses notare si niles illis quibus testantur Philosophi rem suam nec vegetabilem, nec mineralem, nec animalem esse, nec ab ipsis elicitam aut provenientem: sed noster excederet sermo terminos Epistolarum, adde quod non est nostrum consilium & intentum hic omnes cujusque naturæ suo loco proprio congerere descriptiones: sed ad ipsas distinguendas lucem præbere.

De Descriptionibus modi agendi nihil agimus, licet nostra divisio id exigeret. De his satis superque postrema parte capitis de modo agendi, actum est. *Vale.*

EPISTOLA LV. ET ULTIMA.

JAm de Terminis simplicibus agendum est. D. S. Tota igitur de terminis simplicibus seu terminorum simplicium ambiguitas versatur in homonymiis diversarum rerum & operationum, idest in diversa applicatione ejusdem nominis rebus, vel Polyonymia ejusdem rei diversimodè consideratæ vel effectæ.

Secundum homonymiam noster spiritus universalis antequam in magnesia nostra, quam subjectum ipsius vocamus, receptus sit; vocatur Mercurius Philosophorum, & non simpliciter per proportionem & analogiam quam habet ad Mercurium Planetam, qui cum omnibus aliis & singulis junctus eorum suscipit qualitates & naturam, quomodo & ipse noster mercurius facit cum planetis inferioribus, metallis scilicet aut metallorum aliorumque mixtorum seminibus, quod non præstat mercurius vulgi qui quamvis amalgamatione jungitur cum substantia metallorum attamen eorum qualitates, suscipere non potest ullo unquam artificio, saltem quantùm ad multiplicationem seminum.

Eodem nomine vocatur dum in magnesia dicta residet vel statim atque ab ea elicitus est, vel cùm in ovo philosophico post corruptionem revivíscens intime cum auro confusus & identificatus est.

Quæ autem res: sed qualiter affecta, intelligenda sit dum passim occurrit dictus, judicare potes considerando quam partem vel Theoriæ, vel Praxeos habes præ oculis.

Idem de auro quod vocatur fermentum in ovo Philosophico & eodem nomine in statu perfecti lapidis & actione projectionis vocatur.

Secundùm Polyonymiam Mercurius prædictus vocatur secundùm diversos status & operationes; modò antimonium quando in solutione prædicta purgat aurum & subtilissimum efficit ad morem antimonii vulgaris: sed &; multò nobiliùs & potentiùs; Modò Saturnus in ovo Philosophico secundùm gradum metallicæ formæ aut potiùs temperamenti cum Saturno symboli, modò fœmina dum semen auri recipit; modò Magnes, quia magnetica virtute quâdam semen specificum auri allicit, modò chalybs; quia quemadmodum magnes allicit chalybem, ita semen auri dictum Mercurium attrahit, Item sulphuris, salis, fermenti, nomen sortitur

titur sive in magisterii confectione vel in ejus multiplicatione & diversis aliis temporibus & operationibus, videlicet sulphur vocatur, quando in ejus centro temperiem frigidam mutat ignis centralis calorque dominium suscipit, Sal verò nuncupatur quando siccitas ignis & terræ cum humiditate in æquilibrio altera alterius victrix subjacet, & ad eum consistentiæ modum pervenit substantia, ut in igne & aqua ex æquo solvi sine ullo detrimento possit, in aëre verò sereno & terra indurescere ad instar solis. Fermentum tandem vocatur dictus Mercurius in statu quo ipse coagulatus & concretus alium sibi similem tam in magisterio conficiendo, quàm in magisterii multiplicatione coagulat.

Idem de auro per proportionem, quod post solutionem, vocatur vitriolum, in corruptione vocatur Caput Corvi.

Hæc tibi sint satis, nihil ultra possum, nisi fortè quod aliquando, si Deus dederit, & tibi liceat per tempus & vacationes manuducere ad opus conficiendum, possum & cupio. VALE.

FINIS.

ORTHELIUS Commentator *in* NOVUM LUMEN CHYMICUM Michaëlis SENDIVOGII Poloni, XII. Figuris *in Germania repertis illustratum.*

Et Anno 1624. *in gratiam genuinorum Hermetis filiorum publici Iuris factum. Nunc verò ex Germanica Lingua in Latinam translatum.*

PRÆFATIO ORTHELII.

UT de veris Dei & Artis amantibus Doctrinæ filiis benè mereri possem, quo de miraculo Hermetico fundamentalem instructionem haberent, nec tam studii & lectionis quam practicæ & laboris tempus inutiliter collocarent, textum germanicum, qui post figuras sequentes in obscura & lectu difficili scriptura appensus erat, ordine conveniente in certa capita, licet per fragmenta, attamen plenariè distinctum, figuris hîc præmittere consultum duxi, quem additio & explicatio mea, cum testimoniis ex Sendivogii Lumine Chymico, è naturæ viribus, & vero Authoris sensu, non syllabis aut torto verborum cortice desumptis bene intellectis & explicatis, necessariò sequi debent. Vt igitur rem aggrediamur, Discursum generalem, de hoc negotio priùs instituere, utile fore existimavi, ut quæ in specie sequuntur intellectu faciliora & clariora fiant.

Incipit generalis Discursus de Materia prima Metallorum. Item de Partibus essentialibus Lapidis Philosophorum.

Textus prædictus, qualis post Figuras appositus erat (paucis quibusdam, quæ vel legi non poterant, vel omissa erant, correctis & insertis) verbis sequentibus sic incipit.

VEteres Philosophi communem miseriam ex Adami lapsu & subsequentem maledictionem profundè perpendentes; omnes divinas creaturas investigarunt, an quidquam invenire possent cujus beneficio, (quia morti temporali totaliter nemo resistere potest) gravissima corporis & animi accidentia averterent, vel sublevarent, & brevis vitæ suæ curriculum, cum corporis sanitate & animi tranquillitate, in charissima & delectabilissima Dei ejusque ex natura creata surgentium mirabilium cognitione traducerent, ne honestis bonis instructi proximo suo oneri, quinimò potius ad vitæ sustentationem adjumento esse possent.

Ad hunc finem nullum auro nobilius subjectum, nec Hermeticâ pyrotechniâ digniorem artem invenire potuerunt, quia inter omnes sub Lunæ circulo existentes creaturas, nulla auro perfectior & constantior reperitur, quod ratione suæ perfectionis à nullo Elemento destrui potest. Unde, (cùm omnia ad hominis utilitatem sint creata) aurum, non tantùm contra corporalis sanitatis destructionem, verùm etiam contra proprii sui generis metallici imperfectionem, efficacissimè inservire posse concluserunt. Quoniam verò ejus vincula adeò firmiter compacta sunt ut naturæ soli ea dissolvere impossibile sit. (Nam quamvis natura iterum frangat & destruat, quod generat, ut in descensu metallorum in visceribus terræ apparet, attamen talis auri destructio qualis in locis mineralibus fit, ad medicinam nihil confert) cùm inquam aurum compactum in simplici sua perfectione, neque uni neque alteri Philosophorum supradictæ intentioni inserviat. Philosophi omnem diligentiam & conatum impenderunt, ut artificio suo, ope naturæ & nullâ aliâ quam pyrotechnia arte alchymica ingeniosa (quæ cæterarum artium omnium ferè mater est,) aurum dissolverent, & mediante regeneratione exaltarent, plusquam perfectum efficerent, & tandem multis laboribus & periculis exantlatis, & opprobriis aliisque incommodis perpessis, quibus hæc ars est obnoxia. (Difficilia enim quæ pulchra) per gratiam divinam voti & intentionis suæ compotes fierent.

Et postquam, quod facile est conjicere, animadverterunt nullam apertionem absque sua conveniente clave fieri, nec aurum quoque, in & cum nulla re alia, magis naturaliter resolvi & meliorari posse, quàm cum sua propria & prima matre, in qua & ex

& ex qua primordialiter fuit generatum; quam primam materiam vero nomine suo appellarunt; Ideoque auri & omnium metallorum generationem gnaviter scrutantes; materiam illorum partim cœlestem, partim terrestrem, esse invenerunt, & illam superius; hanc verò inferius vocaverunt; simul etiam perpenderunt utramque hanc rem similitudinem & inclinationem, desiderium & amorem reciprocum habere oportere undè inferius quod fœminam, erga superius Firmamentum scilicet, quod virum vocarunt, in affectione naturali constitutum esse debere, nec unum absque altero operari posse dixerunt. Hinc est quod primùm radii cœlestes, qui per stellarum conjunctionem ex superiori firmamento super terram, & consequenter per poros terræ, ad centrum terræ usque pertingunt, pro Agente sunt habendi, qui postmodum ab Archæo terrestri, illos amplectente celeri motu, iterum sursum in altum acti, deindè cum terrestris substantiæ liquore, qui Patiens dicitur, se commiscent & pro ratione diversæ qualitatis locorum terræ, cum astri influentia concordantium, diversæ speciei metalla & mineralia generant & producunt.

Sendivogius in Ænigmate.

OPus est rem quærere aliquam, quæ occulta est, ex qua fit (miro modo) talis humiditas, quæ aurum sine violentia seu strepitu solvit, imò ita suaviter & naturaliter, sicuti glacies, aquæ calidæ beneficio, liquescit. Si hanc inveniſtis, habetis rem, ex qua aurum à natura est productum. Et quamvis omnia metalla & res omnes ex illa ortum habeant, nil tamen ita amicatur ei, sicut aurum. Nam aliis rebus impuritas adhæret: auro autem nulla, propterea instar matris est ipsi.

Tractatu. III. Prima metallorum materia duplex est, sed una sine altera, metallum non creat. Prima & principalis est Humidum aëris caliditate mixtum. Hanc Philosophi Mercurium nominarunt, qui radiis Solis & Lunæ in mari Philosophico gubernatur. Secunda est terræ qualitas sicca, quam Sulphur vocaverunt.

Tractatu. IV. Postquam elementa virtutem & vires suas in terræ centrum projecerunt Archæus destillando eas calore motus perpetui, instar vaporis, in terræ superficiem sublimat. Est enim terra porosa, & ventus ille seu vapor stillando per poros terræ in aquam resolvitur, ex qua res nascuntur omnes: Item quando transit vapor loca, in quibus pinguedo Sulphuris adhæret, vapor ille quem Philosophi Mercurium dixerunt, accommodat se & pinguedini jungitur, ex qua commixtione fit quædam unctuositas relicto nomine vaporis.

Tractatu. VI. Quatuor elementa perpetuo motu in viscera vaporem aquæ ponderosum stillant, qui est metallorum semen, & dicitur Mercurius propter ejus flexibilitatem, & uniuscujusque rei conjunctionem, non propter essentiam. Assimilatur Sulphuri propter internum calorem. Quando jungitur pinguedini terræ, tunc fit humidum radicale unctuosum.

Tractatu. VIII. Elementa certatim in centrum terræ, quasi in renes semen suum projiciunt. Centrum vero per motum mittit illud in matricem: Matrices verò sunt innumerabiles, quot loca tot matrices, una purior alterâ & sic in infinitum ferè. Scias ergò, quod pura matrix purum in suo simili dabit fœtum.

Tractatu IV. Si transit vapor per loca calida & pura, quibus jungitur, fit Sol. Si per loca frigida & impura, fit Saturnus &c.

ADDITIO.

DE prima materia & generatione metallorum ferè tot sunt opiniones, quot Philosophi, qui de illa scripserunt, ex quibus Theophrastus Paracelsus, meo judicio, proximè ad scopum collimavit, dum mineralia fructus elementi aquæ, & vegetabilia fructus elementi terræ vocavit. Ex quibus illa radicem suam in aqua maris habent, chaos verò suum in terra sumunt; & in illa crescunt, hæc verò radicem suam in terra habent, sed chaos suum in aëre quærunt; in quo surgunt & se extendunt. Idem Theophrastus porrò indicat, Mineralia semen suum virile; formam scilicet; ab influentia cœlesti, sed materiam & corpus ex aqua maris accipere, & in ventre terræ, non aliter quàm in matrice ad maturitatem foveri & excludi, per operationem ignis interni terreni, seu Æthnici caloris, qui ex centro terræ in altum actus, secundùm diversos suos gradus fortior vel debilior existit. Item prædicta loca & matrices terræ per diversas cœli influentias, quæ cum suis radiis ad medium terræ punctum usque pertingere possunt, diversas adipisci qualitates, ex quibus pro ratione incorporatarum & impressarum formarum, cum additione substantiæ Mercurialis aquosæ aut terrenæ, diversi generis & naturæ generantur. Quod autem hæc ita se habeant & quod Elementum aquæ (aqua maris salsa videlicet quæ singulis diebus & noctibus à Sole & Luna impræguatur & non solùm exteriùs lateraliter terræ globum ambit & circundat, verùm etiam & multo magis interiùs abyssos & aquæ ductus occultos peragrat & transit) dictam terram vacuam & inanem, cum sua natura salina fœcundam reddat, & in hoc conceptionis actu impressio quædam aut ab influentia cœlesti virtus impressa subsit, ulteriùs & prolixiùs explicare supersedeo. Argumento nobis enim sunt multiplicis generis aquæ dulces, quæ primum ex abyssо maris in terræ viscera influxerunt, quæ postquam salem suum, plus vel minùs aut totaliter in terram quæ illum attrahit deposuerunt, absque omni vel saltem exiguo salis gustu iterum scaturiunt. Idem patet ex sale nostro culinari communi, tanquam elementi aquæ centro (cortex enim suus & superficies est aqua infida simplex) cum quo Sale omnia mineralia quoad puriores ipsorum partes, tàm absque quàm cum additione sua cōveniente multiplici modo & via, (modò non sophisticè sed artificiosè res agatur) radicaliter solvi, & ulteriùs (maximè verò aurum) tanquam in matre sua regenerari, & in naturali sua virtute abundè multiplicati & transmutari possunt.

Experientia quoque testatur quàm avidè terra inanis & vacua Salis naturam attrahat: Nam quanto sæpiùs aqua salsa in saccum luto teplerum infunditur & percolatur (lutum tamen alio luto aptius esse scias) tanto dulcior aqua fiet, quia acredinem suam in luto relinquit.

Nemo hîc mirari debet, quod omisso Mercurio Salis tanquam generationis metallicæ principium tanta habetur ratio. Nam cum quælibet res spermatica salinus liquor sit, indè sequitur, Mercurium, qui communiter pro principio & sperma te metallorum proximo habetur, ex sale ortum esse, & per artem quoque ex quolibet Sale Mercurium parari posse. Quod si arti possibile est, cur non etiam naturæ, qua ratione & modo hoc fiat, cum oculorum nostrorum acies in abyssum penetrare nequeat, Archæi artifi-

artificioſiſſimi naturæ ſervi & laboratoris induſtriæ hæc res eſt committenda.

Quemadmodum itaque interiora & profundiora loca terræ per internos aquæ ductus ex profunditate maris ſalſi irrigantur & fœcundantur: Sic etiam Sol & Luna per pluviam & rorem & aliarum ſtellarum influentias, ſuperficiei terræ ſemen conferunt, ex quo herbæ, arbores, folia & gramen prodeunt & creſcunt. Et quemadmodum craſſus & gravis vapor ex profunditatæ terræ in altum actus, ſemen fœmininum ſubminiſtrat, ex quo cum additione & impreſſione ſuperioris influentiæ firmamentalis, tanquam ſeminis maſculini, metalla & mineralia in viſceribus terræ profundioribus creſcunt: Ita quoque ſubtilior levior & volatilior vapor, qui uſque ad ſuperficiem terræ elevatur, eſt ille liquor terræ & mulieris ſemen ex quo cum additione impreſſionis aſtralis, tanquam ſeminis virilis, in ſuperficie terræ arbores & herbæ creſcunt, de quo nunc ſufficit.

De Lapidis Philoſophici Compoſitione.

Nunc de Metallorum materia & generatione ptima ad Lapidis Philoſophici Compoſitionem me converto, qui cum loco formæ & ſulphuris ex ſemine metallico, & loco materiæ & Mercurii ex primordiali quadam humiditate ſit oriundus, nunc quomodo utrumque hoc ſit intelligendum, in ſequentibus apparebit.

Errant quicunque putant materiam Lapidis Philoſophici eandem eſſe quæ & metallorum prima, Quippe alia Naturæ alia artificis intentio eſt. Artificis propoſitum non eſt metalla generare, quare nec materiâ nec proceſſu, quibus natura utitur indiget, præſtantius enim aliquid molitur, quod Natura per ſe uſquam locorum efficit. Quare & alia methodo & alia materia opus habet. Non obſtante hoc, quod aliqualiter is in illa ſcilicet methodo Naturam imitetur; quoad hanc ſcilicet materiam, eam ex iiſdem fontibus & principiis, ex quibus Natura ſuam petiit, hauriat & mutuet: Itaque aliqualiter artis materia poterit eſſe ſimilis materiæ naturæ, ſed non prorſus eadem & una. Dux autem & author artifici Natura opus eſt, tam in adminiſtratione materiæ, quam ſuppeditat, quàm in Lapidis aurifici formatione, quam per artem adjuta promovet & multiplicat. Hoc ſic cape. Non eſt quòd artifex in capienda materia occupetur. Nam quod creatum eſt creatore non indiget: Semper autem ultima materia in qua finiit ac deſiit Natura prima eſt artis, à quâ ars incipit. Sed ita res ſe habet in auro. Ergo ab illo incipiendum. Verùm ſicuti in natura nihil creſcit ſine ſemine; ſic omnis res ſemen habens, in eodem per artem poteſt multiplicari auxiliante natura, incrementum ejus vel accretionis materiam ſuppeditante. Auro autem ineſſe ſemen nemo ſanæ mentis negabit. Quare in ſemine ſuo per artem multiplicari poteſt. Et ſic conſequenter aurum erit materia vel ſubjectum, ex quo forma ſeminalis Lapidis, tanquam primarium hujus principium eſt elicienda.

Siquidem Natura parens omnes res generat, & multiplicat in duobus. Mare ſcilicet & fœmina, vel agente & patiente, Ideò neceſſe erit, ut hac in re ars imitetur naturam. Artis itaque hujus agens ſeu forma, erit prædictum auri ſemen quod ad multiplicationem ſui materiam ſibi aſſimilat. Patientis verò ac materiæ, quæ tincturam multiplicat & exaltat fermenti vicem feret Mercurius ille, quem ſuum dixerunt Philoſophi. Nec obſtat quod horum nomina quandoque Philoſophi indifferenter ſumant.

Quandoque enim fit ut quod in principio agit, id in fine patiatur, & è contra. Utrumque autem licet diverſi ſexus ſit, tamen ejuſdem originis eſſe oportere Communis Natura docet, qua unum quodque Ens videmus ſuâ propriâ Naturâ gaudere & delectari, conſervari ac multiplicari. Natura enim Naturam vincit, recipit ac retinet. Quare ſicut ſemen auri in prima generatione ſui ex influentia cœleſti ortum ſuum traxit: Ita & ad regenerationem multiplicationemque ejus, Mercurium Philoſophicum ex radiis Solis & Lunæ, aliarumque ſtellarum mutuari petique oportere, naturalis ratio dictat. Hic itaque aër ſolvens, illud ſolvendum. Hic eſt volatilis: alterũ fixum. Ex quorũ conjunctione naſcitur nobis nobiliſſimus & Regius ille infans, Solis filius.

Porrò quia influentiæ aſtrales, tanquam alterum ſeu materiale Lapidis principium, omnes ſunt Univerſales & ſpirituales, quæ abſque corpore appropriato, ſub ſenſus vel tactum noſtrum non cadunt: Quare & eorum receptaculum corporeum, adhuc in univerſali natura vel ſtatu exiſtere, nec non excellentiæ ſimplicitatis elementorum quam proximum eſſe oportebit. Cum autem elementum terræ ejuſmodi ſeſe habeat, nec non generale receptaculum ſit omnium influxuum cœleſtium item nutrix & matrix omnium creſcentium, (non ſecus atque aquam matrem, cœlum verò patrem & genitorem omnium rerum naturalium dicimus) Concludimus itaque terram eſſe ordinis ratione primum, in quo laborat Ars Hermetica, Subjectum & Magnetem Philoſophicum, quo prædicti influxus cœleſtes attrahuntur & incorporantur. Quæ omnia cum indubitanter ita ſe habeant, concludimus itidem Materiam Lapidis, non minùs quàm materiam metallorum primam de cœlo & terra ſimul participare, atque ad conſtitutionem ſui, tàm ex hac quàm ex illo ortus ſui partem ſibi vendicare, aliqualiter tamen ut diximus ab illa diverſam propter diverſum reſpectum & finem.

Finem autem ut huic generali diſcurſui imponam, operæ pretium facturus videor, ſi brevem aliquam Synopſin totius hujus libelli in ſuccincta aliquæ διχοτομίαι vel ſchemi hac tabella oculis legentiũ præfixero.

Lapidis Philoſophici.	Partes Eſſentiales duæ:	Materia, quæ dicitur Mercurius duplex vel duplicatus. vide cap. 7.	Terra, quæ præbet materiam Lapidis inferiorem. De hac vide c. 1. 2. 3. & 4.	
		Participans de Forma, quæ eſt Sulphur Philoſophorum vel Semen auri ficum ex auro vivo extractum. vide c. 8. 9. 10.	Cœlo, quod ſuppeditat Lapidis materiam ſuperiorem de hoc vide cap. 5. & 6.	
	Præparandi viæ ſeu modi duo nempe per aqua vel	Siccam, quæ manus non madefacit, vide c. 11. 12.		
		Humidam, humectantem digitos. vide additiones ad c. 7. 10. 11. & 12.		

Sequitur.

Sequitur generalium quæ præcesserunt, Elucidatio specialis in certis ac peculiaribus capitulis comprehensa.

CAP. V.

De Subjecto Terræ, tanquam materiæ Lapidis Philosophici parte inferiori.

TExtus. Si itaque terra, pro generatione metallorum, mater est, prout cœlum est pater, sequitur nos oportere partem materiæ à terra mutuare. Cum autem varia terræ genera hinc indè reperiantur, necesse est, ut pro partis terrestris, ad materiam spectantis constitutione delectus instituatur, & una terra præ alia, pro hoc negotio eligatur, ex quibus lutum naturaliter rubrum præ cæteri, nigro, albo & flavo, pro meliore semper fuit habitum, & à quibusdam terra Adamica & terra Hispanica, ratione coloris vocatum. Et quamvis prædictum lutum ubivis locorum reperiatur: tamen in alio atque alio loco nobilius & pulchrius, melius aut pejus, particulare magis aut universale deprehenditur. Undè Philosophi illud, quod versus Orientem aut Solis ortum effoditur, & quod juxta metalli fodinas litum est, nobilius & optimum existimaverunt, quod triplicem salem in se reconditum gerit, quorum unum volatile & Sali armoniaco simile est, alterum verò mediæ naturæ & nitrosum. Tertium planè fixum Sali Alcali comparatum. Hæc tria salia Philosophi inquam, post ipsorum commixtionem, suum corpus, & partem sui Mercurii. Item terrenam liquorosam aquam vocarunt.

Sequitur Figura prima, de qua Vid. Tab. V. Fig. I.

Quamvis laudatissimus Sendivogius illis tantùm librum suum scripserit, qui nempè in hac laudatissima scientia prima & realia fundamenta posuerunt, prout in Epilogo suo ipsemet fatetur, cum inquit: Omnia apertè dixi. Extractionem saltem Salis nostri armoniaci, vel Mercurii nostri Philosophici ex aqua nostra pontica non ita apertè revelavi, quia à Magistro naturæ non habui ulteriorem loquendi licentiam & hoc solus Deus revelare debet &c. Adeò ut Mercurii Philosophici veri principii & partis principalis præparatio, in suo Novo lumine prorsus sit omissa, unde quis meritò secundum proverbium illud Germanorum, de illo judicare posset. Lava pellicium (seu vestem) sed cave ne humectes: Nihilo minùs visum mihi fuit, quia perpauca in suo libello de hac re insperserit, hoc in loco aliquid addere. Quod videlicet Author noster in suo ænigmate locum in quo subjectum nostrum situm est, & ex quo exaltari debet, insulæ frugiferæ & amænæ comparavit, & sphæram terræ aquæ elemento lateraliter circundatam, sub illa intellexit, in & ex qua omnia crescunt, & quæ homini ad sui sustentationem necessaria sunt suppeditantur. de quo in tract. II. ait Fode foveam usque ad genua & accipe terram nostram in qua est rivulus & unda viva.

Elucidatio major, & clarior.

EX præcedente textu & ei subnexa figura, Subjectum terræ, ex quo una pars seu ingrediens pro Mercurii Philosophici duplicati aut materiæ Lapidis compositione desumitur, claris verbis indicatur, & sufficiens instructio discriminis quod in electione observari debet præbetur. De hac re, ut clarior fiat intellectus aliquid amplius dicam. Et in hunc finem pro confirmatione textus hujus primi capitis, Comparationem, quam in vetusto manuscripto de simili subjecto legi non inutiliter subnectam, quæ sic se habet. Sicut homo de terra creatus, non generat hominem de terra, sed ex semet ipso. Nutritur autem homo ex terra, indeque sui incrementum capit, ut generare possit. Similiter aurum & argentum generant aurum & argentum. Oportet autem ut priùs nutriantur primordiali substantia, eadem que pura. Nutrix enim ejus juxta Hermetem terra est, quæ est ut genuino suo nomine dicam Sulob Sunemra Suebur, (per inversionem literarum legitur Bolus Armenus Rubeus) sub quo nomine omnes similes Ochræ & terræ Lemniæ ex quibus terræ sigillatæ confici solent, & quæ ignem nondum sunt expertæ, comprehenduntur.

Deindè etiam sciendum est, subjectum terræ in duplici sensu & consideratione à Philosophis accipi, videlicet pro terra cruda & præparata.

De cruda rudi ac simplici terra rubra hic mentionem facit textus & Sendivogius, per quam quælibet terra rubra qualis per se est & effoditur, intelligitur. In metalli fodinis quibusdam sine ullo nostro labore ex montium ductibus talis rubra terra instar limi per aquas internas fodinarum prolnitur. Quod videre est juxta sylvam Germanam in Principatu Anhaltino ad Civitatem Hertzgerodam apud Sancti Davidis arrugiam, seu ductum, ubi Sulphuris proventus est, & apud S. Catharinæ arrugiam non multo spacio ab altera distantem. Bolus tamen ille seu limus, qui adhuc in arrugiis latet & diei lucem non vidit, pro meliore habetur. Præter hunc bolum alius insuper circa minerarum venas non aspernandus extat, in quorum acquisitione videndum ne generalitate sua aliquo modo exuti, aliam specialiorem naturam mineralem induerint. Similes tamen boli, quamvis particularem naturam susceppissent (quod ex sapore vitriolico tibi constabit) mediante sequente præparatione, vel potius reductione mox in pristinam suam simplicitatem restitui possunt. Eodem modo etiam terra vitrioli, cum scilicet vitriolum per artem in terram iterum redactum, quæ in nulla aqua amplius dissolvi potest, (quod per cohibitionem cum aqua simplici vel pluviali fieri solet) & præter vitriolum etiam terra flava in decoctione vitrioli ahenis plumbeis adhærens, ex qua coloris rubri substantia per ignem præparatur, utraque enim hæc materia pro una habetur, facilimo negotio, ad priorem simplicitatis statum deposita omni forma particulari reduci possunt, quæ postmodum ferè omnes alias terras sive crudæ vel præparatæ sint, excellentia & dignitate sua superant, quod notandum.

Nunc de terra præparata, quæ crudam & rudem multis parasangis superat aliquid dicendum. Hæc etiam stercorata ratione fimi dicitur, cum quo in sulphurea sua proprietate augetur & corroboratur, quod tamen non citiùs fit, nisi priùs ejusmodi stercora cum terra illa, (cum qua fuerunt stratificata) in ventre terræ per putrefactionem fuerint resoluta & totaliter in terram conversa. Quamvis autem hæc res exigua, vilis & turpis, delicatulis & nasutulis videatur, nihilominus tamen in vera Philosophia solido fundamento & firmo pede nititur, & usu communi in corruptione & generatione rerum naturalium, rusticis melius quàm cavillatoribus noto, confirmatur. Nam hac ratione, terra nascentium natura specialis, non solùm à naturali particulari specialique forma sua in ventre hominum & animalium, beneficio caloris naturalis, in separatione nutrimenti

à ſuo excremento liberatur & reſolvitur, verùm etiam id quod in excrementis reliquum manſit, in ventre terræ planè deſtruitur, & natura hac ratione prorſus denudatur & ad extremam ſimplicitatem redigitur. De hoc negotio Paracelſus in tractatu de modo pharmacandi agit. Mirum ſanè etiam ſimpliciſſimis videri debet, tot & tantæ authoritatis Doctores & Magiſtros à temporibus Æſculapii & Hippocratis uſque huc, ſtercus ex aſſe nondum cognoviſſe. Qui ergò ultimæ materiæ notitiam nullam habet, quomodo primam materiam intelliget, & qui primam non intelligit, is ne ultimæ quidem materiæ cognitionem habet. His profecto cœlum & terra ignota ſunt, & quibus hæc abſcondita ſunt, in iis nulla fiducia haberi debet.

Ecce Chariſſime lector viam & præparationem ad novam & nobiliorem generationem, quæ pro tinctura loco primæ & veteris haberi debet. Quare, ſicet R. bis humanum κατ' ἐξοχὴν cætera ſtercora ſuperet, tamen experientia compertum habemus ſtercus ovillum (in cujus mentione ſub verbis iſtis, *In ventre arietis*, Sendivogius hanc quæſtionem ſatis ſicco pede tranſit) ad hoc negotium commodiſſimum & utiliſſimum eſſe, quia nitroſæ naturæ proximus eſt cæteris, & quia nitrum quod non nimis fixum nec nimis volatile eſt, huic operationi convenientiſſimum indicatur.

Quemad odum viciſſim Rebis columbinum ſalem armoniacum imitatur, Fimus equinus verò Salis alkali naturam tenet.

Modus verò hujus fermentationis aut præparationis hic eſt. Ut quamvis ad tempus certum non aſtringamur, in menſe ſeptembri tamen, quod ut plurimum fieri ſolet, fovea in terram communem ad viri ſtaturam profunda, fodiatur, & terra cruda excrementis quibuſvis permixta in illam deponatur quam aſſer multa habens foramina operiat, ſuper quem terra communis ad ſuperficiem uſque implendo injiciatur, & uſque ad menſem Martium intacta relinquatur. Et tunc poſtquam omnis nix in aquam abiverit, ad uſum qui in ſecundo & quarto hujus libri capite ſequitur, eximatur. Non me latet qua ratione etiam Rebis humanum ſine alicujus terræ admixtione per integri anni ſpatium in ventre terræ putrefactioni & reſolutioni deſtinatur, & depoſita omni imperfectione & impuritate in chaos ſuum & primam materiam reducitur, (quod opus, quomodo cum calcis vitæ additione non ſolum citiſſimè promoveatur, verùm etiam in virtute ſua corroboretur Philoſophi judicio committam) Sed quia hæc practica ſublimiorem viam reſpuit, & in hoc capite non de microcoſmicis rebus, ſed de terra foſſili, qualis in macrocoſmo eſt agitur, illam ſuo loco tanquam myſterium ſingulare reſervabo. Sic itaque hactenus tempus, quo terra ſimilis ſeu ſimplex ſeu præparata acquiri & effodi debet, videlicet in principio veris, quando ſol in ſignum arietis intraverit indicatum fuit.

Alia inſuper via Simplicitatis hic adhuc ſupereſt, qua terra Adamica (quæ verſus orientem effoditur, & mediante cœli rore à ſabulo ſuo abluitur) cum prædicta aqua maris catholica putrefactioni traditur, ſeparatur, & denuò conjungitur; Sed quia illa via ſingulari methodo procedit, quæ cum practica hujus libri non convenit, illâ hoc in loco relictâ filios Hermetis ad rhytmos illos germanicos qui hac de re artificioſe compoſiti & typis dati ſunt, remitto quorum ſumma hæc eſt: Fideliter te monitum volo, ne rem Philoſophicam in herbis, arboribus, animalibus, adipe, metallis, Sale, vitriolo vel alumine, rebus huic intentioni inutilibus quæras. Aurum etiam & argentum hac in parte, abſque primo Ente quod materia prima vulgò vocatur, nihil poſſunt. Is ſapit qui illud novit.

De hac re teſtamentum Arnoldi de Villa nova, tibi legendum commendo. Cujus initium eſt, Lapis de terra ſcaturiens, limpidiſſimâ aquâ ſuperfuſus 12. horis intumeſcit, &c.

CAP. II.

De Terræ rubræ ſeu Adamicæ deſtillatione in liquorem.

TExtus porrò ſic habet. Philoſophi lutum illud acceperunt & ex illo globulos tantæ magnitudinis, ut in retortam recondi poſſent paraverunt, quam fornaci impoſuerunt, & appoſito vaſto recipiente, primò ignem lenem, deinde fortiorem ad retortæ ignitionem uſque ſubminiſtraverunt, quo facto varii colores apparuerunt, ſicque octo vel decem menſuras aquæ deſtillaverunt, tùm etiam Sal in collo retortæ ſuſpenſum liquori addiderunt.

Sequitur: Figura ſecunda de qua Vid. Tab. V. Fig. 2.

Subjectum terræ in ænigmate Sendivogii, Minera chalybis noſtri vocatur. Ex hac minera aquam deſtillari debere, Author in prædicto ænigmate ſuo, per Neptuni qui Deus eſt aquarum, apparitionem, vult indicare.

ADDITIO.

Hîc obſervandum eſt, quoſdam Philoſophos, nullos globulos vel placentulas formaſſe, ſed ut extenſam virtutem in anguſtiam cogerent & per unicam deſtillationem, plus quàm aliâs in quatuor aut quinque diſtillationibus fit, proficerent, lixivium ex prædicta terra paraſſe, quod filtratione & evaporatione præmiſſa, tunc demum poſtquam ſufficientem quantitatem liquoris collegerant, decente ignis gradu deſtillaverunt, & efferum, indomitum & tanquam fluctus maris fluctuantem ſpiritum qui tandem ſuper ſua aqua quievit, ſunt adepti.

CAP. III.

De duplici Rectificatione liquoris deſtillati, qua nimirum media ſpiritualis ſubſtantia, à duobus ſuis extremis, aqua phlegmatica & ſorditie terreſtri, ſeparatur.

SEquitur in Textu: De hoc liquore phlegma in Balneo abſtraxerunt, & ſeparatim ſervarunt, Spiritus autem remanentes ex arena ſæpè deſtillarunt, & etiam ſeparatim ſervarunt.

Sequitur Figura tertia, de qua Vid. Tab. V. Fig. 3.

Cùm textus iſte ipſa meridiana luce clarior ſit, ulteriori explanatione vel qualicunque additione mea, eum indigere non video.

CAP. IV.

De Extractione Salis fixi ex capite mortuo, ejuſdemque reſolutione in ſuis ſpiritibus rectificatis.

TExtus pergit. Poſtea exuſtos primæ deſtillationis lapillos in mortario cõtuſos, cum phlegmate ſervato,

figura prima.



figura secunda.



figura tertia.



figura quarta.



figura quinta.



figura Septima.



figura Sexta.



servato, vel alia aquâ communi inundarunt, & filtratione præmissa sal fixum extraxerunt, & cum aqua spirituali conjunxerunt, quo peracto, corpus, terreitris pars ipsorum Mercurii, perfectum fuit.

Sequitur Figura quarta, de qua vid Tab. V. Fig. 4.

ADDITIO.

Liquorosa hæc aqua ex Minera chalybis præparata, magnes noster vocatur, quia postea cœlestem Solis & Lunæ influentiam attrahit, ut in sequentibus capitibus docetur; & hoc modo in aquam siccam crystallinam ingrossatur, quod Sendivogius in ænigmate suo per Senem Saturnum terræ Deum voluit præfigurare.

In fine Textus primi Capitis, trium Salium fit mentio, quæ sicuti in prædicta minera chalybis nostri vel subjecto terræ quiescunt, & absconditа sunt: ita in qualibet re speciali quoque reperiuntur, quorum quodlibet separatim, sicque omnia tria subsequenter extrahi possunt, cum quibus tam separatim quàm conjunctim Philosophi processus operationum instituerunt & res magnas effecerunt. De quibus hic pauca subjungam.

Multi quidem Salem armoniacum quem non ineptè Sulphur & Sal naturæ, item Mercurium Philosophorum vocarunt, tanquam digniorem & verè regium salem multis conatibus anxiè quæsiverunt, & ex terra recenti vel quolibet subjecto, mediante destillatione & subsequente pütrefactione in suo proprio, vel alio conveniente cognato & appropriato liquore, & hujus liquoris in suam terram imbibitione & fixatione, & tandem sublimatione exaltatum obtinuerunt, quem postea inceraverunt & cum oleo Solis in Lapidem fixerunt. Quidam cum ejus propria aqua spirituali resolverunt, aut ita volatile pro dissoluitone utriusque luminaris distillârunt.

Sed Sal nitrum rectè & artificiosè & bene depuratum, sale armoniaco nullo modo inferius aut posterius est, non solùm propter facillimam sui præparationem, quæ nulla eget subtilitate, sed simplici ac muliebri opera perfici potest, verùm etiam propter suam virtutem & efficaciam, qua illud postquam secundum legem artis ad finem perductum fuit, longè superat. Id quod sine destillatione lixivii administrationem nitrariis consuetam acquiritur. Si itaque veræ terræ, siquidem una est eligibilior alterâ, cognitionem habes bene est. Si verò nitrum cum lixivio suo adornatum rectè depurare potes; melius est. Sed si in ipso clarificationis actu hoc nitrum in suis qualitatibus corroborare potes sive per cœlestem sive terrestrem virtutem fiat, vel quasi, optimum erit. Et habes de quo Deo gratias agas pro tam levi & exiguo labore, quia à multis difficilibus & periculosis laboribus excusaberis, & nullam cæterorum salium sive fixa sive volatilia sint, neque astralis alicujus imprægnationis aut impressionis curam habebis, quia hoc Sal omnia quæ opus sunt, excepto fermento aureo, quo animati & plenariè coqui debet, in se continet & comprehendit.

Quantum ad Sal fixum quod alcali nomen habet, attinet, & quod ex quacunque terra calcinata, (quandoque etiam ex despectabilibus terræ fructibus, calcinatis, tritici stramine scilicet) extrahitur, habito consilio cum Prisciano in superlativo gradu collocari potest, quia sive adhuc crudum, sive artificialiter per manifestationem occulti ad rubedinem perductum, & mediante suo congruo vehiculo ad volatilitatem destillatum in forma aquæ claræ aut sanguinei coloris olei dulcis, vim habet aurum per alembicum destillandi, ut inde oleum fiat, & utrumque salis & auri oleum conjunctum & in lapidem coagulatum magnam faciat projectionem, quod etiam de sale fixo nostræ mineræ de qua textus hujus capitis agit, intelligi debet. Qui verò tragula aurea ad piscandum ut aiunt, non est instructus, is loco auri Mercurium vulgi per se & in se solo præcipitatum & fixum assumat; sicque hujus Capitis finis esto.

CAP. V.

De Attractione Aquæ aëreæ, tanquam legitimi medii quo liquor ille corporalis & terrenus astralibus radiis animatur atque imprægnatur.

TExtus breviter sermonem abrumpit: Aëris quoque quinque aut sex mensuræ capiuntur.

Figura quinta; de qua vid. Tab. V. Fig. 5.

Sendivogius in ænigmate. Hæc aqua est in omni loco, & nemo sine ea vivere potest. Hauritur miris modis, sed ista est optima, quæ extrahitur vi chalybis nostri, qui invenitur in ventre arietis. Pauci noverunt (nucleum vel occultum vitæ cibum in aëre) sed tamen omnes viderunt, vident, & amant, id est putamina seu umbram rei.

Idem in Epilogo. Habet natura lumen proprium, quod oculis nostris non est pervium. Umbra autem naturæ oculis nostris corpus est. Sed si quem lumen naturæ irradiat illi confestim nebula de oculis tollitur & sine impedimento potest conspicere punctum Magnetis nostri correspondentis utrique centro radiorum, cœli scilicet & terræ. Eò usque enim naturæ lumen penetrat & internâ patefacit.

Idem. Omnis creatura utitur eâ sed invisibiliter. Et ex ea fiunt res omnes in mundo & in ea vivunt. Sed nil speciale ei inest, at se miscet omni rei speciali.

ADDITIO.

Præter aquam ex aëre captam, aqua nivis destillata, & aër in mense Decembri in arboribus congelatus in hunc usum successit. In æstate verò aqua grandinis propter firmamentalem sui impressionem & fulguris corruscationem cæteris omnibus præfertur. Neque hic aquæ toris sua laus deerit.

Alii insuper modi aërem in aquæ substantia capiendi extant, quorum unus publicis typis datus hic est: Instrumentum cupreum unum, vel plura ad imitationem moduli (*vid. Tab. V. Fig. 6.*) hic appositi, ex duabus vel tribus partibus constantia optimè ferruminata parantur. In quorum partem inferiorem magna spongia balneatoria imponitur, quæ duabus libris Marmoris per quinque dies & noctes in fornace vitraria calcinati & cum una libra marmoris rubri nucis avellanæ magnitudine confracti & cum calcinato marmore mixti, gravatur, sicque per tubulum inferiorem & angustum in suppositum vas attrahitur. Quanto calidius fuerit hypocaustum in quo hoc instrumentum collocatur, tanto intensius frigus extra feneſtram erit, per quam superior instrumenti

pars, ab infima ſui parte paulatim in anguſtiſſimum & ſtrictiſſimum orificium quod acus cuſpidem recipere queat, protenditur, tantò citiùs etiam & plus aquæ in hoc inſtrumentum attractorium colligetur & tandem per ſpongiam à marmore gravante preſſam, in vas ſuppoſitum defluet, ut pro neceſſitate, uni equo & viro potus indè ſufficere queat. Ego tales globos aureos & argenteos & de cupro atque aurichalco confectos vidi, cum quibus quàm citò frigida aqua attrahebatur & excernebatur, quæ frigidiſſima erat, & cum qua mirabiles effectus præſtiti, quæ etiam intentioni hujus operis ſine dubio utilis erit. Sed hoc ſuo loco & tempori reſervatur.

CAP. V.

De materiæ Lapidis Philoſophici parte ſuperiori h. e, Influentia Solis, Lunæ & ſtellarum, quibus prædictus liquor corporalis aſtrificatur per commixtionem aquæ aëreæ, & apertam expoſitionem ſub dio, quod fit ratione Sympathiæ & correſpondentiæ utriuſque ſphæræ, ſcilicet ſuperioris & inferioris.

SEquens textus de hoc ſic ait. Et aqua ſpiritualis prædicta affunditur, & utraque aqua in uno vaſe conjuncta ſub cœlo ſereno & ſtellis conſpicuo exponitur, & radii cœleſtes in illam ſe conferunt. Si verò pluvia cadit, operiatur.

Sequitur Figura ſexta, de qua Vid. Tab. V. *Fig.* 7.

Sendivogius in Epilogo. Perpende diligenter, quomodo quatuor Elementa ſtillent in centrum terræ, humidum radicale, & quomodo Sol terrenus centralis, motu ſuo producat & ſublimet illud ad terræ ſuperficiem. Conſidera etiam Solis cœleſtis correſpondentiam cum Sole Centrali. Nam Sol cœleſtis & Luna peculiarem habent vim & virtutem ſtillandi per radios ſuos in terram. Calor enim calori, ſal ſali facilè jungitur. Et ſicut Sol centralis habet ſuum mare & aquam groſſam, crudam, perceptibilem: Sic Sol cœleſtis habet etiam ſuum mare & aquam ſubtilem & imperceptibilem. In ſuperficie terræ radii radiis junguntur, producunt flores & omnia. Propterea quando pluvia fit, accipit ex aëre illam vim vitæ, & conjungit cum ſale nitro terræ (quia ſal nitri terræ eſt inſtar calcinati tartari, ſua ſiccitate aërem ad ſe trahens, qui aër in eo reſolvitur in aquam. Talem vim attrahendi habet ille Sal nitri terræ, qui etiam aër fuit & eſt conjunctus pinguedini terræ.) Et quo radii ſolares copioſiùs tunc feriunt, eò major ſalis nitri quantitas fit & per conſequens major frumenti copia creſcit, & hoc de die in diem fit. Vide plura in capite ſeq.

ADDITIO.

1. Liquoroſæ aquæ ſalſæ & aquæ aëris captæ æquum debet eſſe pondus.
2. Vitrum eſto largum & humile.
3. Vitrum habeat notam qua deprehendere poſſis, quantum de aqua aëris per Solis calorem fuerit exiccatum ut affuſione novæ aquæ aëris defectus reſarciri queat.
4. Si Solis calor nimis eſt intenſus, vitrum cum ramuſculo operiatur.
5. In plenilunio quoque exponi debet.
6. Quanto diutiùs exponitur ſub Dio, tanto meliùs erit.
7. Elapſis tribus diebus evidenter apparet, aquam inſpiſſari & ad congelationem tendere.

CAP. VII.

De unione ſuperioris ac inferioris h. e. de generatione Salis Centralis ſeu criſtallorum in aqua mixta, eorumque exceptione, qui dicuntur Mercurius Duplicatus & Aqua non madefaciens manus, Aqua congelata.

TExtus ſequentia addit. Criſtalli formabuntur, quos colligere oportet. Hic eſt Mercurius duplicatus Philoſophorum, qui eſt omnium metallorum mater & materia prima.

Sequitur Figura ſeptima, de qua Vid. Tab. VI. *Fig.* 1.

Sendivogius tract. 10. Aqua noſtra cœleſtis non madefaciens manus, non vulgi ſed ferè pluvialis. Dicitur etiam Luna noſtra & matrix quæ recipit Semen auri (ut in ſeqq. patebit.)

Ex quibus principiis hæc aqua præparetur, brevibus verbis adumbrare voluit Sendivogius tract. 11. Conſidera quæſo ſimplicem nubis aquam! Ecquis unquam crederet, illam in ſe continere omni aquæ mundus contiuer, lapides duros, ſalia, aërem, terram, ignem, cum tamen ſimplex per ſe appareat aqua. Quid, dicam de terra, quæ in ſe habet aquam, ignem, ſalia, aërem, & per ſe nuda videtur. O mirabilem naturam, quæ novit ex aqua in terra fructus producere mirabiles, & ex aëre illis ſuppeditare vitam.

In epilogo. Aër eſt veterum Philoſophorum materia. Hic eſt aqua roris noſtri, ex qua trahitur ſal petræ Philoſophorum quo omnes res creſcunt & nutriuntur. Eſtque magnes noſter quem in præcedentibus chalybem eſſe dixi. Aër generat magnetem, magnes verò generat & apparere facit aërem noſtrum. Sanctè tibi veritatem hic manifeſtavi, roga Deum ut tua cœpta ſecundet. Item in aëre eſt occultus vitæ cibus quem nos rorem de nocte, de die aquam vocamus rarefactam, cujus ſpiritus inviſibilis congelatus melior eſt quàm terra univerſa. Item aqua noſtra pontica coagulatur in Sole & Luna, chalybe noſtro, artificio Philoſophico miris modis per prudentem artis filium.

In ænigmate. Hæc aqua eſt aqua vitæ, habens potentiam fructum arboris ſolaris ita meliorandi, ut poſtea non plantatione aut inſitione, ſed ſolo ſuo odore faciat ſibi cæteras ſex arbores (metalla) uniformes. Nulla alia aqua neque fontis, neque fortis, neque ex variis rebus elicita, adhoc opus utilis eſt, ſed omnes venenoſæ, niſi hauriatur è radiis Solis vel Lunæ vi magneris aut chalybis noſtri, Nomen ejus proprium eſt, Aqua maris noſtri & aqua vitæ non madefaciens manus.

Additio Prima.

Textus vult. Criſtallos debere durante tempeſtate per ſe creſcere, ideoque etiam requiritur ut operi ſuum permittamus otium, ne feſtinatione noſtra illud impediamus: Alii aquam permixtam (poſtquam aliquandiu aëri expoſita fuit, & cum radiis Solaribus ac Lunaribus ſatis imprægnata eſſe putatur) ſuper arena ad medietatem evaporare ſinunt, & tùm demùm in loco frigido ſeu cella frigida exponunt, ut criſtali fiant, quos cum forcipe lignea extrahunt, & reſtanti aquæ de nova aqua aëris aliquid

quid affundunt, & denuò sub dio collocant, ut antea, hocque tam diu reiterant, quàm diu cristalli fiunt.

Hîc præterire nolo, quin dicam, Philosophos quosdam cristallos cum materia prima cruda miscuisse, & globulos ex illa parasse & pro more in capite secundo descripto destillasse. Quo facto terrestres spiritus obscuros, cœlestes verò instar sanguinis rubros in vas recipiens descendisse, quam aquam etiam Mercurium Philosophorum duplicem, sed in humida & liquida forma, item lac virginis & acetum acerrimum nominarunt. Cum hoc menstruo omnia metalla super mensa solvere; & sulphur atque animas ipsorum extrahere potuerunt, (nam corpora ad fundum cadere finit) cum quo tamen nulla auri solutio fieri potest, nisi sal fixum illius destillationis in eodem liquore prius fuerit solutum. Tunc tres partes aquæ, super unam auri limati partem fusæ, extractionem in semi hora perficiunt. Pro usu medico etiam Mercurius vulgi ut pulchrum turbith fiat, multis coloribus apparentibus præcipitari potest. Philosophi minora metalla non curaverunt, sed ad aurum & argentum tam pro usu medico quam pro suæ intentionis aurificio respexerunt, quam intentionem in diversa praxi mediante hoc subjecto obtinuerunt, ut postea ex sequentibus patebit.

Additio Secunda.

Necessarium duxi hoc in loco aquæ siccę cristallinæ mentionem facere, quæ in & ex oleo salis communis crescit, quam artistæ cristallos salis dulces vocaverunt, nam nomen Mercurii Philosophici merentur, & tanquam lapidis Philosophici pars magni æstimati fuerunt, quia sal commune tanquam centrum elementi aquæ pro radice & principio generationis metallicæ habitum & statutum fuit, de quo supra in præfatione abundè dictum. Qua ratione autem falsa ista aqua sicca acquiratur, Andreas de Plavven in literis ad Matthiolum datis ingenuè & syncere indicavit & descripsit. Quos tamen cristallos, hi longè antecellunt, qui ex sale communi, priùs cum anima Saturni aliquoties humectato & iterum exsiccato, lege artis fuerint destillati, hac enim ratione, summi metalli frigiditas operi imprimitur, & cristallisatio nitralis corroboratur. Si itaque hoc agis ut cristallisatio ex propria natura sub Dio fiat, ut mediante aëre capto, cum influentia astrali secundum capitis quinti, sexti, & septimi processum impręgnetur, tunc labores secundi, tertii & quarti capitis (qui simpliciter ex terra bolati absque omni additione peraguntur) non curabis, quia hâc via nobilissimam ignis magnesiam adipiscēris, quæ in & cum igne nutrita & aucta, verum ignis filium generat & producit. Si verò Sali animato additio de subjecto terræ fit & utriusque conjuncti distillatio, secundum illam methodum & ignis regimen ab Andrea de Plavven indicatum, melius erit. Quantum ad modum ulterius persequendum attinet, quo cristalli dulces de oleo salis secundùm processum communem simpliciter præparantur, practica ejus à summo quodam Philosopho Johanne Augurello in prolixo carmine postmodum in compendium redacta, luculenter est descripta, ad quam lectorem benevolum remitto. De cujus operis projectione summa author hyperbolicè sic lusit. Quod si totum foret æquor argentum vivum, transmutaretur in aurum. Idem porrò dicit, hoc opus non nisi trium annorum spatio absolvi posse, undè ut hoc opus ab aliis operibus philosophicis discerni queat, Trium annorum opus dictum fuit. Nam quia practica varia est, (multæ enim sunt viæ ad unum intentum) & quædam opera brevem, quædam verò longam sequuntur viam, summa necessitas postulat, ad verum tot & tàm diversorum Philosophicorum scriptorum sensum assequendum, opera Philosophica ràm diversa convenienter discernere, non omnes qualescunque res ad unicum tantum lapidem, Medicinam unam, vas unum, ignem unum &c. tàm strictè referre & torquere. Quamvis enim omnia ex una radice procedant & in fundamento considerata unum sint, & in præparatione ex duobus ingredientibus materia scilicet & forma, agente & patiente componi oporteat, tamen practica ejusmodi compositionis dissimilis est, unde tam diversa opera sunt orta. Hinc est quod præter opus trium annorum, opus trium Mensium, trium septimanarum, trium dierum, & quod hæc omnia superat opus trium horarum invenitur, quo Maria prophetissa instructa fuit, & quod ex interlocutione ejus cum Philosopho Aros habita, acutioris ingenii Philosophus & benè exercitatus artifex indagare potest. Præterea alia sunt opera, quæ opus unius diei naturalis, unius mensis, unius anni, & novem mensium vocantur. Qui harum & similium rerum discrimen ignorat, is sibi ipsi hanc sententiam, Manum de tabula, ferre debet. Et licet omnia ista opera prædicta, solummodò de tempore operationis primam insequentis intelligenda sint, fieri tamen potest, alia quædam opera illis esse mixta, quorum utraque, antecedens scilicet & consequens operatio, in prædicto temporis spatio est comprehensa. Sed cum de his rebus obiter tantùm te monere animus fuerit, non opus est illis diutiùs immorari:

CAP. VIII.

De subjecto formæ Lapidis, hoc est de Auro minerali adhuc vivo, & præparatione ejus in limaturam.

DE hoc Textus sic inquit. Aurum & argentum vulgi mortua sunt, sed solida qualiter ex aurifodinis vel ex aquarum fluminibus & loturis capiuntur, & quæ ignem non experta sunt, viva sunt, hæc subtiliter limari debent.

Sequitur Figura octava, de qua vid. Tab. VI. *fig* 2.

ADDITIO.

Varia de Auro vivo sunt judicia & opiniones Philosophorum & artistarum. Qui aurum ignem nondùm expertum vel laboratum habere potest, quale in compacta forma, scintillulis & granulis micans. Item in fluminibus aut montium mineris reperitur, is quidem secundùm sensum literalem rectè incedit, sed tamen in casu necessitatis auri naturalis compacti vicem quandoque subire potest auri sulphur in mineris & marcassitis auri, & sabulo aureo ex loturis capto, latens, modò mineræ illæ astro solis verè sint imbutæ, nec aliud metallum quàm aurum solum (cujus vel minima etiam pars in examine nobis fidem facere queat) in se habeat, quia in similibus rebus aureitas propinqua est, & in ipso actu apparet, in aliis subjectis metallicis autem (quibus quidam Philosophi propter

imperfectionem eorum reſpectu ſummæ perfectionis Solaris, nomen auri viridis ac vivi tribuerunt) prædicta natura aurea, in potentia quadam remota & remotiſſima reperitur, quæ partim per progreſſionis, partim per regreſſionis modum & viam ad altum, hoc eſt ad perfectum ſtatum & gradum aureum non ſine labore ſingulari, adduci poteſt. Quocirca Paracelſus talem aureitatis potentiam remotam non immeritò rejicit, & ad ſubſtantias aureas creſcentes earumque naturam & genus reſpicit, cum in tractatu primo de mineralibus inquit. Si Alchymiſtæ hoc ſulphur invenire poſſent (quia in arbore Solis & in ſua radice verè inveniri poteſt) haberent de quo gaudere poſſent, hoc enim eſt ſulphur Solis, quod ex auro non verò illud quod ex ferro & Cupro elicitur. Hic ſcrupulus eſt in opere ipſorum univerſali.

Quamvis hac authoritate Textus noſter egregiè confirmetur, pro confirmatione tamen majore, ſimilitudinem à Paracelſo de hoc negotio adductam, hoc in loco allegare placuit, qui in tractatu ſecundo de modo pharmacandi ſic ait. Obſervate diſcrimen inter lapides qui in aqua & eos qui extra aquam ſunt. Is qui in aqua eſt, in vividis ſuis liquoribus eſt conſtitutus, qui verò extra aquam eſt, in perditione eorum eſt. Hic inquit Paracelſus jacet error Alchymiſtarum & illorum qui quintam Eſſentiam quærunt & qui magna Elixiria, magna magiſteria & arcana præparare volunt & in fundamento errant dum vivum à mortuo diſcernere nequeunt (quod de fuſis aut ignitis & de crudis nondum fuſis metallis eſt intelligendum) Cum hoc concordat Sendivogius cum in tract. 7. inquit. In arboribus amputatis fruſtra ſemen quæritur, quod ſolummodo in viridibus reperitur.

Ibidem. Semen non reperitur in rebus mortuis. Quamdiu in corpore ſemen eſt vivit corpus. Quando totum conſumitur corpus moritur. Sicut omnia corpora poſt emiſſionem ſeminis videmus debilitari, exemplo hominum veneri nimis indulgentium Tract 3. Ne quæras in metallis vulgi punctum in quibus non eſt. Nam hæc metalla præſertim aurum vulgi, mortua ſunt, ſed noſtra viva ſpiritum habentia quæ omnino ſumenda ſunt. Scito enim metallorum vitam eſſe ignem, dum adhuc in ſuis mineris ſunt: Et mortem etiam, ignem fuſionis videlicet. Idem in ænigmate. Mors rerum nil aliud eſt quam ſeparatio unius ab altero. Paracelſus ait. Minera potiore virtute conſtat quam ſuum metallum, nam in fuſione diſcedunt ab eo ſui liquores vitæ, ſpiritus videlicet ſalis, ſulphuris, mercurii & arſenici & metallum mortuum relinquunt.

Quicquid hujus rei ſit, ſi rem aliquantò profundius & in fundamento perpendimus, Philoſophus ad res ſupradictas comparatu difficiles, nec ubivis locorum inveniendas nullo modo adſtringitur, quia quælibet res mortua, in ſua matre & per illam facili negotio ad generationem & vitam novam pervenire poteſt: ſic quoque aurum & argentum vulgi fuſum, quæ pro mortuis & infrugiferis habenda ſunt, mediante calcinatione & ſolutione radicali reſuſcitari & revivificari poſſunt, ut tam ad medicinam quam ad res alias magnam virtutem & efficaciam præſtent. Nam ſi corpus auri mortuum verſus Orientem in terra defoſſum (ſecundum Paracelſi traditionem) ad creſcendi vim & ſubſtantiæ ac ponderis ſui accretionem reducitur, ſi fimus columbinus & urina puerorum ipſi addatur (quæ creſcendi vis certè vivi vigoris & efficaciæ ſignum eſt) quid igitur obſtaret ſi ex duobus ſupra dictis aut ex ſimilibus & convenientibus rebus ſpiritus vivificus & generativus deſtillando extraheretur & cum illo auri vulgaris tinctura (quæ verum eſt ſemen aurificum) eliceretur, nunquid hoc modo quod mortuum eſt, quaſi reſuſcitaretur & reviviſceret? De Aquis vitæ Mercurialibus tàm in via ſicca quam humida inſervientibus, jam nihil dicam, quibus corpus mortuum auri vulgaris variè reſuſcitatur ut in vivas operationes ſe exſerat. Imò aurum mortuum ſimilibus vitæ virtutibus dotari poteſt, ſi ſaltem cum plumbo communi, quod à pyrotechnicis & mineratum cultoribus & metallurgis mater metallorum vocatur, artificiosè calcinatur, & conſequenter à ſuo humido radicali tanquam ſuo liquore vitali primigenio ſuſtentatur, augetur & tranſmutatur, de quo Sendivogius in fine epilogi ſic ſcribit. Fruſtra operantur qui laborant in herbis, animalibus, lapidibus & mineris, excepto Sole & Luna noſtra quæ ſphæra Saturni ſunt obducta. Item tract. 9. Datur unum metallum quod habet potentiam alia conſumendi. Eſt enim ferè ut aqua eorum, & verè mater &c. Si undecies coit aurum cum ipſo, emittit ſemen ſuum & debilitatur ferè ad mortem uſque. Quomodo autem illa calcinatio fieri debeat, idem Sendivogius paucis indicat, tract 11. Si ſeni noſtro aurum & argentum deglutire dabis, ut ipſe conſumat illa & tandem ille etiam moriturus comburatur, cineres ejus ſpargantur in aquam (aliquam extrahentem) coquito ea, donec ſatis ſit, & habebis medicinam curandi lepram.

Jam benevole lector tu ipſe cogita de hoc opere, & experientiam conſule, quæ hoc confirmat, quòd aurum vulgi quanto ſæpius cum plumbo ſuper cineritio funditur, tanto magis interius & exterius pallet, imò interius & exterius albeſcit ut argentum. Quorſum igitur ſulphur ſeu ſplendor Solis devenit, an ne igne conſumitur & in fumum abit? Minimè, nam Saturnus illum in cineritium vehit, ex quo cum magna ſui melioratione & virium incremento (melioratur enim per illum & plus ab illo acquirit vigoris & liquoris genitalis) extrahi debet & poteſt. Hoc extractum eſt verum aurum vivum, ſemen aurificum & lapidis Philoſophici forma, de quo in hoc & in tribus ſequentibus capitibus agitur. Qui hoc extractum in promptu habet, à labore & practica in octavo, nono, & decimo capite hujus libri immunis erit.

Aurum inſuper cum plumbo philoſophorum, (quod Regulus Antimonii ſtellatus eſt) in fuſione conjungitur, pulveriſatur & in capſula occluſum calcinatur, & tandem in vitrum pellucidum rubini coloris redigitur (quod ſi verò una vice non vitrificaretur, reiterato labore & additione illud eo deducere opus erit) ex quo poſtea tinctura cum notabili ignis ſtatu & ignearum qualitatum auctione facili labore extrahi poteſt, quia autem quotidiana experientia tales & ſimiles cheiragogias artiſtis ſcrutantibus & in pyrotechnia exercitatis, ſubminiſtrat, ulteriore mea inſtructione hîc nihil opus erit. Hoc tamen pro colophone addere lubet. Quanto propius menſtrua ſolventia & extrahentia, aut ad principia radicalia metallorum, aut ad excellentiam ſimplicitatis elementorum accedunt, & cognationem cum illis habent, tanto excellentiores & digniores, imò efficaciores & utiliores exiſtimandas eſſe ſolutiones. De quo prolixiùs & in ſpecie plura dicere ſuperſedebo.

CAP.

Figura prima.



Figura secunda.



Figura tertia.



Figura quarta.



Figura quinta.



Figura Sexta.















CAP. IX.

De Solutione vel Apertione pororum corporis seu Auri vivi in Mercurio Philosophico duplicato ad spermatis sui emissionem.

SEquitur in Textu. De Mercurio Philosophico duplicato accipiantur partes decem, & prædicti auri vel argenti pars una. Pone in phialam, cujus duæ partes maneant vacuæ, & hermeticè sigilla.

Sequitur Figura nona, de qua Vid. Tab. VI. fig. 3.

Sendivogius Tract. 7. Necesse est ut pori corporum aperiantur, ut emittat sperma, in cujus centro jacet semen, quod aër est. Illud quando in matricem venit debitam, congelatur, & congelat quod reperit purum, vel impurum puro mixtum.

ADDITIO.

Sendivogius Tract. 7. inquit. Semen aurificum dupliciter extrahitur suaviter & cum violentia. Quare si mediante Saturno semen auri non vis separare à corpore auri per violentiam, sicut in præcedentibus dictum fuit, hujus capitis textum sequere & suaviter & lentè cum aqua sicca, quæ à natura ipsa cum exiguo artis auxilio crevit, processum institue. Quam aquam cristallinam siccam Sendivogius suum alterum chalybem vocat, de quo in tract. 9. sic ait. Est & alius chalybs qui assimilatur huic (scilicet metallico vel Saturno in virtute attractiva magnetica) per se à natura creatus, qui scit ex radiis solis (terreni) mirabili vi & virtute elicere illud, quod tot homines quæsiverunt & operis nostri principium est (id est alterum principium seu ingrediens. Formæ enim vicem refert.)

Apparet quidem quasi discrimen quoddam esset, inter animam solis ut vulgariter appellatur, & inter semen auri, quia Sindivogius animæ extractionem in præfatione sua meram persuasionem vocat. Sed sciat benevolus lector, quòd, si Sendivogius duas istas res prædictas in substantia sua, non pro una reputavit, tamen anima similem effectum, ut auri semen, in artificiosa operis administratione præstat. Qua in re tamen ad hunc scopum unicè est collimandum, ne quis à recto animæ extractionis modo qui dupliciter consideratur, aberret. Quorum modorum unus Alchymicus Sophisticus est Impostorum, cum scil. ejusmodi extractum Sulphur aut anima Solis inconstantem tincturam præstat, quam Paracelsus coloris non verò virtutis tinctu ram appellat, & in capite vel tractatu de Sulphure metallico similem mentionem facit. Hunc modum Sendivogius vocat pomposam ac vanam ostentationis delusionem, quæ non fit sine temporis, laborum ac sumptuum jactura & detrimento. Alter modus viâ Philosophicâ nititur, qua metallum aliquod, secundum omnia examinis requisita realiter & constanter in Solem tingitur, sive hoc fiat cum fructu vel cum damno. Quamvis enim in principio non tàm citò utilitas sequatur, administratio tamen talis institui potest, ut Artistæ pro suis laboribus sufficientissima compensatio fiat. De quo Sendivogius sic ait: Ille habet fores naturæ apertas ad ulteriora & altiora arcana investiganda & cum Dei benedictione acquirenda, quæ obiter tibi indicanda putavi.

CAP. X.

De Extractione Seminis aurifici, tanquam formæ Lapidis, quæ est ejus altera pars, in ejus compositione.

TExtus ulterius ait. Relinque per tres menses in igne vaporoso, & aurum non tantum sufficienter aperietur, sed etiam rubedinem rubini instar præbebit, cujus curam habere necesse est, quia hæc est aurum Philosophicum, & verum auri semen, & altera pars nostri Lapidis, reliqua pars defundatur, nullius enim pretii est.

Sequitur Figura decima, de qua Vid. Tab. VI. fig. 4.

Sendivog. Tract. 2. Quia natura nihil operatur sine spermate rerum: ideo ad praxin Lapidis artifici inquirendum sperma auri, sine quo tantum efficiet, quantum aurifaber sine argento vel auro. Est autem sperma vel semen auri, ejus quinta essentia, Elixir, perfectissima decoctio, & digestio, vel sulphuris balsamus.

Tract. 11. Postea pone in ignem nostrum, & fiat indè liquor siccus. Primum resolvetur terra (id est aqua sicca) in aquam quæ Mercurius Philosophorum dicitur, & hæc aqua resolvit illa corpora Solis & Lunæ & consumit ea, ut non remaneat nisi pars decima cum una parte & hoc erit semen vel humidum radicale metallicum.

ADDITIO.

Quis processus in extractione seminis aurifici cum aqua sicca sit observandus, textus & figura clarè indicant: quem verò Philosophi ad idem intentum cum aqua humida menstruali (cujus præparatio in prima additione capitis 7. indicata fuit) observarint hic sequitur. Recipe menstrui partes X. Auri vivi (non vulgaris) partem 1. solve super calore leni, defunde per inclinationem, sine leniter evaporare ad medietatem unius digiti, deindè colloca in loco frigido & cristalli pellucidi summa flavedine tincti apparebunt, quos cum forcipe lignea extrahe, impone in phialam, Hermeticè sigilla, colloca in Athanore in primo gradu per 42 dies & nigredo apparebit. In secundo gradu fiet cinis & videbitur cauda pavonis. In tertio gradu dealbabitur. Albedinem istam usque ad rubedinem urge. Et in fine cum flamma in 4. gradu vas feriet, pulchram pellucidam rubedinem separatim in vitro apparentem videbis. Hujus curam habe, vitrum cum ferro ignito prudenter confringe, & rubedinem exemptam serva, hæc enim est verum aurum philosophicum, & semen auri metallicum. Cujus granum unum tibi pro toto vitæ tuæ tempore sufficiet.

CAP. XI.

De Seminatione Seminis aurifici in suam terram, seu Merurium Philosophicum, hoc est Conjunctione materiæ & formæ Lapidis Salis Solisque centralis ad generationem supernaturalem filii Solis.

TExtus. Deinde accipe Seminis partem unam, & Mercurii Philosophici ut dictũ partes decem.

Sequitur Figura undecima, de qua Vid. Tab. VI. fig. 5.

Sendivogius in fine tractatus quinti. Qui scit congelare

congelare aquam calido & ſpiritum (ſpirituale ſemen auri) cum ea jungere, certè rem inveniet millies pretioſiorem auro & omni re. Efficiat igitur ut ſeparetur ſpiritus [auri prolificus] ab aqua [in conſortium illi auro admixta, ut putreſcat & appareat granum vel ſemen: poſtea rejectis fecibus reducat, ſpiritum ex alto [ſemen auri, quod ſeparatim in phiala ſe extulit & ſublimavit] in aquam & faciat conjungi ſimul. Illa enim conjunctio generabit ramum diſſimilem formâ parentibus.

Tract. 8 Omne ſemen per ſe nullius eſt momenti, ſi non ponatur vel ab arte vel à natura in matricem debitam. Et licet ſemen hoc per ſe nobilius ſit omni creatura: tamen matrix ejus ita eſt, quæ facit putreſcere granum & puri puncti congelationem cauſat. Inſuper calore corporis ſui illud nutrit & ereſcere facit.

Tract. 9. Cum ſemen imponitur in ſuam matricem, purgat illam & facit milleſies aptiorem ad pariendum, optimos fructus.

ADDITIO.

Similem proportionem Philoſophi in via humida quoque obſervarunt, hoc modo. Recipe hujus ſeminis granum 1. adde ei 10. grana aquæ menſtrualis ſupradictæ, & ſtatim conjungentur, ſigilla Hermeticè & procede per gradus Athanoris per quinque menſes uſque ad operis perfectionem.

CAP. XII.

DE maturatione operis usque ad ejus perfectionem & complementum. Finaliter rextus hiſce verbis concludit. Impone hoc in Athanorem ſeu fornacem philoſophicam, & ſine ibi in calore levi per 7. menſes, tunc per Dei gratiam invenies id, quod hactenus quæſiviſti.

Sequitur Figura 12, de qua vid. Tab. VI. fig. 6.

Sendivogius Tract. 11. Regitur poſtea igne continuo per menſes 7. & interdum decem donec aqua noſtra conſumat tres & relinquat unum, & hoc in duplo. Poſtea nutritur lacte terræ vel pinguedine ejus quæ naſcitur in uberibus terræ & conſervatur à putrefactione Sale naturæ, & ſic generatur ille infans ſecundæ generationis.

In epilogo. Recipe aëris [ſc. condenſati in forma Salis nitri qua de cauſa etiam eum in tract. 11. terram noſtram vocat] grana X. auri vivi vel Lunæ vivæ gr. 1. Hæc omnia impone vaſi tuo, & coque aërem hunc imprimis, ut ſit aqua & poſtea non aqua. Et paulo poſt. Solve congelatum aërem, in quo ſolvas auri decimam partem, hoc ſigilla, & igne noſtro labora donec aër vertatur in pulverem, & apparebunt habito mundi Sale colores varii.

Tract. 11. Recipe aquam Salis nitri de terra noſtra, huic impone illud humidum radicale metallicum, & impone igni putrefactionis & generationis non tali, ut in prima operatione [extractione ſeminis auri] feciſti. Rege omnia magno cum ingenio, donec colores appareant inſtar caudæ pavonis. Rege digerendo nec te tædeat, donec ceſſent colores & unus per totum appareat color viridis. Et ſic de cæteris. Et quando videbis in fundo cineres bruni coloris & aquam ferè rubram, aperito vas, madefacito pennam, inunge ferrum aliquod, ſi tingit, habeto in promptu aquam, de qua poſtea erit ſermo, & infunde tantum ejus aquæ, quantum aëris intravit crudi, iterum coquito priori igne, donec iterum tingat. Hucuſque pervenit experientia mea. Aqua vero illa debet eſſe menſtruum mundi ex ſphæra Lunæ, toties rectificatum, ut poſſit calcinare ſolem. De igne adhuc dicendum reſtat. Ignis duplex. Primus ignis continuus eſt, qui materiam circundat, Eſtque externus adjuvans internum. Secundus eſt ignis naturalis, qui digerit & figit. Hic naturæ ignis tàm in prima quam in ſecunda operatione unicus eſt, quicquid operatur diverſum, locorum diſtantia efficit. Vas etiam ſufficeret unicum ſed propter abbreviationem binis utimur, primique operis vas rotundum eſſe debet: In ſecundo verò paulò minus inſtar phialæ vel ovi. Materia etiam unica eſt, ſed ex duabus unita ſubſtantiis, itaque vilis & pretioſiſſima. Jam cuncta revelavi tàm in primo quàm in ſecundo opere.

In ænigmate. Aqua noſtra habet intrinſecũ ignem & ſi juvatur calore continuo comburit tres ſui partes & non remanebit niſi pars minutiſſima, quam vix quis imaginari poteſt, ſed in ſumma virtute. Coquitur ſagaci ingenio magiſtri, ſeptem menſibus primò, poſtea decem, ſed interea apparent res variæ & ſemper in die quinquageſimo plus vel minus.

Ibidem. Ulterius meliorari poteſt, teſte ſcriptura philoſophica, primùm ad decem, poſtea ad centum, deinde ad mille & decem millia &c. poteſt exaltari.

ADDITIO.

Sequitur, quomodo Philoſopi ſuum opus multiplicarunt in via humida [fortè etiam eodem modo in via ſicca] Multiplicatio itaque fit tàm in quantitate quàm in qualitate, ſemper cum decem partibus ſuæ aquæ aut Mercurii Philoſophici duplicati, & ſic itur in infinitum. Prima vice non tingit. Si verò altera vice in ignem ponitur, tunc ſpacio duorum menſium perficitur & una pars tingit tantum decem partes. Tertia vice ſi imponis in ignem tunc in tribus ſeptimanis finitur & una pars tingit centum partes. Quarta vice ſi imponis in ignem in tribus diebus perficitur & tingit una pars mille partes. Poſtea opus multiplicationis ſingulis ternis diebus abſolvitur. Et hoc eſt opus trium dierum. Qua proportione lapis in multiplicatione eſt exaltatus, eandem tingendi proportionem habet in quantitate. Cujus pars una, ſi fermentandi causâ ſuper decem partes puriſſimi auri in fluxu projicitur vitri frangibilis inſtar fit medicina, nec non tinctura ſuper imperfecta corpora, inprimis ſuper Mercurium, qui eſt metallum apertum. Doſis autem Lapidis anteqſam cum auro conjungitur, eſt granum unum in quocumque liquore exhibitum pro uſu corporis humani.

Laus Deo Immortali.

Epilogus & Recapitulatio Orthelii in Novum Lumen Chymicum Sendivogii.

QUamvis in præcedentibus capitulis elucidationem textus, tabulis typicis appoſiti, pro modulo intellectus à Deo, per ſedulam lectionẽ & tàm converſando quàm laborando paratam inveſtigationem, mihi conceſſi, filiis Hermeticis bona & ſyncera fide Commentarii vice communicaverim; Operæ pretium tamen duxi, compendioſam Appendicem illis addere, in qua non ſolùm

præcedentia

præcedentia quantum ad principale opus attinet, tanquam in una summa repeterentur, & si quid in illis omissum foret, singulari diligentia restitueretur : Verum etiam ut aliarum rerum sensus quarum accidentaliter & obiter mentio facta fuit, licet opus principale non attineant, majoris tamen delectantis scientiæ causâ, magis eluceſceret. Nihil enim ut Scaliger inquit, est beatius quàm scire, nihil veræ felicitati propius, quam discere: Omnisque non solum cessatio ingenuo viro ignavia est, sed etiam quærendi defatigatio existimari debet turpissima, ubi id quod quæritur est pulcherrimum.

Quantum igitur primò ad opus principale hujus libri attinet, in præfatione indicatur, qua ratione Philosophi qui in vetustis & recentioribus sæculis viventes, & veræ Alchymiæ sedulam operam dantes, omnes suam intentionem & laborem eò direxerint, ut vitam suam in sanitate conservarent, & absque molestia proximo suo creata honorificè viverent, & tam ex abundantia suarum opum, quàm cum divino medicinæ dono fratri in Christo, egeno & ægro suppetitias ferre possent. Ad quem scopum, perlustrata naturâ universa, melius medium invenire non potuerunt, quam illud, quod propter formam suam adamantinam & diaphanam ac rubini instar comparatum colorem, nobilem & benedictum Lapidem Philosophorum, vocarunt, & quod Hermes in tabula sua Smaragdina propter effectum ejus honorem & gloriam totius mundi appellavit. Posteri verò Hermetis, summum bonum temporale & caducum, nec non Pandoram & salutiferam Panacæam divinitùs datam & quidam ex illis per similitudinem Salvatorem terrenum nominaverunt. Nam quemadmodum (neque tamen hic magna componuntur parvis sed parva magnis) in quibusdam modis comparantur, supernaturale & æternum bonum, Mediator & Salvator noster Christus Jesus, qui nos ab æterna morte, Diabolo & omni malo liberat, duarum naturarum divinæ scilicet & humanæ particeps est : Ita quoque terrenus iste salvator ex duabus partibus constat, scilicet cœlesti & terrestri, quibus nobis sanitatem restituit, & à morbis cœlestibus & terrenis, spiritualibus & corporalibus visibilibus & invisibilibus nos liberat. Hoc in loco non est mihi sermo de morbis animæ, qui cum sint supernaturales, medico & salvatore supernaturali quoque egent, neque etiam de illis naturalibus, quibus divini aliquid incurrit, aut qui per negligentiam & incuriam prorsus immedicabiles facti sunt de quibus alibi. Principium suum terrenum hic terrenus Salvator accipit (ut Theorica hujus libri docet, & Practica per figuras demonstrat) partim ex rubro, partim ex metallo auri, nobilissimo Subjecto ; tam ad medicinam hominis quàm ad transmutationem metallorum apto. Cœlestes verò partes seu principia sua capit mediante aqua aëris ex radiis cœlestibus Solis & Lunæ, qui quamvis spirituales sint à Philosophis tamen pro corpore mediæ naturæ & habitaculo magni spiritus mundi habentur. Practica Lapidis Sapientum est quidem multiplex : Sed qualescunque illæ sint, tamen de utroque globo cœli & terræ ut participent necesse est, quod Hermetis superius & inferius est, sive id fiat in occulto, vel in manifesto, vel in actu, vel in potentia, Cujus rei ratio in sequentibus scriptis prolixiùs patebit.

Porrò quemadmodum Christus à Deo positus est in signum cui contradicetur, ferè ab omnibus, (unde Lapis offensionis dictus,) & Lapis angularis ab ædificatoribus rejectus in Sacra Scriptura vocatur, Ita quoque Lapidi Sophorum idem accidit; prout enim multi hæretici & Sectarii & Pseudo-Christi surrexerunt sic multi plurimi reperiuntur, qui huic Lapidi totaliter contradicunt, convitiantur, illudunt, spernunt, & rejiciunt, aut pseudo materias excogitant, & proponunt, ex quibus summum hunc thesaurum contrario naturæ modo elicere putant & profitentur. Sed sicuti fides non est habenda iis qui dicunt, Ecce hic est Christus, ibi est Christus, ita Philosophastris talibus non est credendum cum dicunt, hoc vel illud est Lapidis & catholici Physici materia. Et licet quidam Philosophi pietate ducti satis perspicuè de illa scripserint, atque ita exquisitè & acutè illustraverint, ut eum qui ex scriptis illorum non sapit insipientem perpetuò mansurum esse, sit statuendum ; Tamen uterque lapis ita est comparatus, ut mysterium ipsorum non nisi Dei timentibus sit manifestum. Qui verò lucem non amant, sed instar noctuarum tenebras sectantur, iis luce meridiana clariora scripta, obscura ænigmata sunt. Aquila enim spuria radios Solares non aspicit, multique prorsus dati sunt in reprobum sensum, ut videntes non videant, & audientes non audiant. Vulgaris siquidem oculus hic caligat, insipiens vir hæc non cognoscit, & stultus non intelligit, quem etiamsi contuderis in mortario quasi ptisanas feriente desuper pilo, non tamen auferetur ab eo stultitia ejus. Quare qui sine errore utrumque thesaurum aut lapidem sive æternum sive summum temporale bonum cognoscere & obtinere cupit, is Deum timeat ; & ab ipso vero datore secundum Apostoli dictum utrumque petat. Omne donum perfectum à patre luminum descendit. Item si cui sapientia defit, eam roget à Deo.

Utriusque thesauri mysteria magna, nobis in Sacra Scriptura Dei nostri omnipotentis proponuntur & explicantur, illud in verbo scripto, hoc in verbo facto. In illo supremo Salvator, Verbum incarnatum, tanquam in cunis suis involutus, nobis & omnibus veris Theosophis Magis, quærendus & cognoscendus proponitur ; In hoc verbo dicto & facto, (cui verbum scriptum non exiguam doctrinam & testimonium præbet) verbum Domini incorporatum in creaturis Dei, digito quasi monstratur, ex quo hic thesaurus nobis est hauriendus : quod verbum nihil aliud est quam ignis, vita & spiritus, quem ab initio creationis Sancta Trinitas expandit, quique primordialibus aquis incubavit, & per verbum Domini prolatum omnibus & singulis rebus creatis inspiratus & incorporatus fuit, & qui illas, ab extrà, in sua essentiali vita usque ad terminum ordinatum conservat, de quo Incorporato illud dictum est. Quam dulcis est ô Deus, Spiritus tuus in omnibus rebus. Item Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Item, Auser ab ipsis Domine Spiritum tuum, & annihilabuntur, (redeundo in nihilum quæ antea fuere nihil.)

Quidam falsò persuasi sunt, hunc spiritum mundi, tertiam divinitatis personam fuisse, sed verbum E L O H I M insufficienter perpenderunt, quod tamen non uni vel duabus personis sed toti Sacro-Sanctæ Trinitati est tribuendum. Unde consequenter arguitur hunc Spiritum Elohim, non solùm à Patre & Filio, sed ab omnibus tribus personis simul, ad fovendum & conservandum hunc mundum cum suis creaturis, exivisse & creatum fuisse.

Hic spiritus incorporatus seu corporeus factus, præcipuum est subjectum Salvatoris seu Philosophici Lapidis, & verum medium quo corpus & anima nostra unita conservantur, durante nostra vita

usque

uſque ad terminum prædeſtinatum, quod medium omnes veri Philoſophi ab initio mundi uſque huc ſummo ſtudio, obtinere conati fuerunt, à cujus dextra diuturna ſanitas & vita, à ſiniſtra verò honor & divitiæ collocatæ ſunt, & à Deo ſummo & optimo bono, omnibus filiis & incontaminatæ ſapientiæ hæredibus iis qui ipſi placent ex gratia confertur.

Quamvis autem hic ſpiritus, ut dictum eſt, per verbum & benedictionem Domini omnibus creaturis fuerit incorporatus, tamen in una non tantum volatilior aut fixior eſt atque in alia & vel profundius vel altiùs latet, verùm etiam pro ſui corporis ſeu domicilii ratione nobilior aut vilior eſt, & vel facilius vel difficilius ex uno, quàm ex alio corpore eruitur & ſeparatur.

Qua ratione autem corporalis vita noſtra, per hunc ſpiritum incorporatum aut vitam incorporatam, in ſuo vigore confortetur & ſuſtentetur, non melius indicari vel præfigurari poteſt, quàm per Lapidis ſupercœleſtis cum humana noſtra natura inſtitutam comparationem. Nam quemadmodum homines corpore & anima vitæ æternæ beatæ participes fieri nequeunt, niſi per divinam carnem & ſanguinem Chriſti, virtute Spiritus Sancti & fidei noſtræ priùs in hac vita fermententur. Ita quoque noſtra microcoſmica vita prolongari & conſervari nequit, niſi mediante natura aliqua media, quæ ſit aliquis ſpiritus corporeus aut corpus quoddam ſpirituale, compoſitum ex unione ſpiritus vivifici cœleſtis majoris mundi, cum puro aliquo & ſubtili corpore terrenæ & tangibilis ſubſtantiæ.

Non ſit inquam incomprehenſibilis ille Spiritus mundi per ſe & abſolutè conſideratus, ſed talis ſpiritus qui corpore quodam eſt indutus, id eſt qui creaturis Dei incorporatus fuit.

Ita enim Deo placuit, ut incomprehenſibilis lux, ſpiritus & vita hujus mundi temporalis, corpus comprehenſibile fieret, id eſt corpus, in & ex rebus corporalibus conſtans aſſumeret, aut ut rectiùs loquar, ſe in res corporales infunderet & ſe cum illis uniret, ut hoc medio noſtra corporalis perſeveranter conſervaretur. Quanto nobilius igitur eſt Subjectum incorporationis, tanto præſtantior & efficacior fit ſpiritus illius incorporati, per artificem, (non tamen à corporis veſtimento immunis) extractio. Qui tunc potentiam & virtutem nactus eſt, temporalem vitam noſtram ad votum & neceſſitatem noſtram uſque ad tempus mortis à Deo prædeſtinatum, conſervandi & prolongandi.

Quicunque igitur Phyſicus, principia ſuæ Medicinæ huic fundamento (quod ex vera Theologia ortum ſuum habet & cum illa convenit) ſuperſtruit, is à vero ſcopo ſervandæ & ſalvandæ noſtræ caducæ vitæ non facilè aberrabit. Hic ſitus eſt ille Lapis ad quem Æſculapii Ethnici & ipſorum æmuli offenderunt, quia theologicum Emanuel aut Verbum incarnatum non intellexerunt, vel non ſatis benè conſideraverunt, quomodo ergo de negotio ſalutis noſtræ temporalis aut terreno ſalvatore aliquid certi in fundamento intellexiſſent.

Sicuti autem nemo Domini noſtri Jeſu Chriſti, (tanquam ſupernaturalis divini & igneæ Tincturæ Lapidis) neque in hac, neque in altera vita particeps fieri poteſt, niſi priùs cum Spiritu Chriſti, in ſpirituali regeneratione per lavacrum Baptiſmi in verbo, ſit unctus, & in Dei filium fermentatus, Quæ initialis fermentatio nihil aliud eſt quàm ſemen incorruptibile in carnem noſtram implantatum, quod poſtea in & cum tempore creſcere debet uſque ad ætatem Chriſti perfectam, qua accretione durante, incrementum ſuum capit ex corporali & ſpirituali fruitione totius Chriſti, mediante ſpirituali & magnetica attractione intenſæ fidei noſtræ & oralis acceptionis ſignorum corporalium, aut elementorum panis & vini, ad totam corporis & animæ noſtræ ſanctificationem ad vitam æternam.

Eodem modo quilibet homo à Deo in hanc vitam collocatus, ſcintillam de luminoſo ſpiritu & vita mundi, in ſe habet, quæ ſcintilla nil aliud eſt, quàm ignis cœleſtis incorporatus & vitæ ſemen in nobis implantatum, quod creſcere debet uſque ad terminum mortis præfixum, qua accretione durante ſuſtentationem & nutritionem corporis & vitæ recipit, & ad ſe attrahit de ſpiritu illo mundi incorporato rerum creſcentium & animantium, idque partim per aëris liberi reſpirationem, partim per corporis humani viſcera coquentia, ex ſubſtantia alimentorum & medicamentorum.

Talis quoque eſt metallorum conditio, illis enim aliquid ineſſe neceſſum eſt, quod concordantiam & communionem habeat cum Lapide Philoſophorum, quæ mutuum & amabilem illorum amplexum cauſet, ſine quo nulla unio aut melioratio exiſtere poſſet. Vitam autem noſtram quod attinet, terminus ejus multis modis tùm per externa tùm interna accidentia per violentam & naturalem mortem abrumpi poteſt, niſi in vita noſtra nos prudenter & ſalubriter tam erga alios quàm noſmetipſos geramus. Quare quantum accidentia naturalia (de violentis nunc nil dicam) attinet, quæ partim ex impreſſione aſtrali per epidemiales aut alios morbos, partim ex vita noſtra diſſoluta nobis ſuperveniunt, quibus naturalis noſter & nobis incorporatus ſpiritus vitæ debilitatur aut ita impeditur, quo minùs functiones ſuas in conſervatione viva membrorum corporis noſtri obire queat, Sciendum eſt ejuſmodi accidentia duplici modo per ſpiritum incorporatum ab ægris auferri. Nam ſicuti puriſſimus Leonis de tribu Juda & agni immaculati ſanguis, maculatas animas noſtras ab omni inquinamento duplici modo mundat & lavat, uno videlicet, per corporis noſtri mortalis depoſitionem, quæ mors dicitur, cum poſt veteris corporis putrefactionem, novum corpus in die noviſſimo abſque omni macula, & veſte innocentiæ Jeſu Chriſti indutum reſurget; Altero, per celerrimam alterationem & corporis noſtri terreni clarificationem, mediante igne divino ſupercœleſti, & omnes impuritates conſumente, ſicuti Henoch & Eliæ in hac vita contigit & omnibus tunc viventibus Chriſtianis in extremo die continget: Sicuti inquam metalla duplici modo ſummam ſuam perfectionem à Lapide ſapientum adipiſcuntur, ſcilicet aut per terreſtris ſuæ impuritatis, & ſulphuris combuſtibilis ſui ſeparationem, cum remanentibus in tigillo excrementis, illud quod Mercuriale eſt ſolum conſervatur & conſtanter tingit; aut per ſimplicem & abſolutam tranſmutationem, cum fine ullius ſubſtantiæ ſeparatione, totum corpus metalli ſine diſcrimine boni vel mali in puriſſimum Solem & Lunam tingitur & tranſmutatur. Similis planè medicinæ univerſalis ad corpus humanum relatæ, eſt ratio, cum materia peccans aut per meatus & emunctoria conſueta educitur, cætera membra refocillantur & ad priſtinum bonæ valetudinis ſtatum reducuntur, aut tota maſſa

corporea

corporea mortua cum omnibus putridis humoribus in substantiam sanam convertitur.

Ut autem huic comparationi finem imponam & in descriptione Spiritus mundi vivifici tanquam præcipui agentis & Lapidis benedicti Philosophici ingredientis descriptione pergam, priùs de eo melioris intellectus causa, in genere aliquanto prolixius agam, quàm in specie indicem in quibus subjectis spiritus iste prædictus fortior nobilior & melior, & universali naturæ proximior incorporatus reperiatur. Quia quatenus in semetipso consideratur, & à Deo universaliter est diffusus, quatenus inquam omnia complectitur, permeat & implet, nobis finitis & corporalibus impossibile est, illum tanquam purum & merum spiritum comprehendere, capere & tenere.

Quare sciendum est, quod in principio creationis cœli & Terræ Triunus summè benedictus Deus Jehovah, qui est ignis consumens, ex ore suo Spiritum, seu vaporem aut fumum sub creationis virtute emisit, qui tanquam simulachrum & typus divinus Ruach Elohim, Anhelatio omnipotentis, & clarè lucens splendor flammæ divinæ vocatur.

Hic spiritus divinus & igneus, est quintum esse supra elementa, & supercœleste Numen aut potestas divina quæ non tantùm tanquam genitor universalis mediantibus suis quatuor matricibus, hoc est quatuor elementis in tempore, id est post creationem primam, omnes res procreat & format (unde à Philosophis natura naturans & ignis naturalis externus vocatur) & post Deum omnia sua generata (aut Creaturas Dei in hoc mundo Elementali,) non tamen sine auxilio prædictarum quatuor matrum aut elementorum, ab initio incrementi seu ascensus, usque ad summum gradum completionis, & ab hoc iterum usque ad infimum gradum descensus seu mortis ipsarum, in vita vegetando conservat & fovet.

Quare cùm hic spiritus in principio primordialibus aquis incubaret, nulla alia summi Dei Creatoris intentio erat, quàm ut tales aquæ ab ipso genitore non solum impræg narentur, verùm etiam ut Spiritus iste fœtum in ipsis existentem instar Gallinæ ovis incubantis, ad perfectam digestionem perduceret, unde in sequente separatione, quodlibet elementum per virtutem verbi Dei propria sua generata diversa produxit, quorum omnia & singula naturalem suum ingenium & indolem à genitore suo insitam repræsentarunt, quam Philosophi, Naturam naturatam, item ignem naturalem insitum, & internum, calorem nativum & virtutem cujuslibet rei crescentem vocaverunt.

Hæc abscondita implantata natura & proprietas cujuslibet rei ab universali spiritu mundi fovente, (qui supradictis quatuor matricibus seu Elementis per quotidianam influentiam & impræ gnationem incorporatus est) non solùm in suo vigore conservatur, verùm etiam virtute benedictionis divinæ, Crescite & multiplicamini, de generatione in generationem augetur & propagatur, unde quantitas & moles corporea ab elementis corporeis (semper enim alterum altero magis corporale est) Qualitas autem & vigor igneus ab inhabitante spiritu Elementorum & mundi vivifico, ortum suum ducit. Hic nunc situm est magnum Artis Hermeticæ mysterium, cujus ministerio fixa natura naturata, debito modo ex aliquo corpore extracta & separata, per volatilem naturam naturantem resoluta augetur & transmutatur. Quæ natura naturans in generantibus, scilicet quatuor Elementis, adhuc est universalis, in generatis verò particularis reperitur. Hinc est quod pro ratione discriminis rerum, diversæ practicæ & opera vel particularia vel universalia instituì & fieri possunt, quod exemplis quibusdam sequentibus demonstrabitur.

Consequens nunc est, ut dicamus qua ratione magnus ille mundi Spiritus, qui per quotidianas influentias Elementa impræ gnat, & se illis incorporat, in ventre terræ figatur & corporalis fiat. Notum igitur esto, quod quamvis in creatione mundi, terra & aqua, à Spiritu Elohim, spiritu generativo dotatæ & fœcundæ factæ fuerint, jussu tamen divino terra, sua sponte sine aliorum Elementorum concursu fructus suos quoad herbas & frutices primariò produxerit, antequam Sol, Luna & Stellæ cœli crearentur, quod idem de aqua & ejus fructibus inanimatis in abysso maris & terræ locis profundioribus intelligendum, etiamsi nulla expressa hujus rei mentio extet in 1. cap. Geneseos. Nihilominus tamen ex Sacra Scriptura & physica rationi consentanea patet, quod nunc secundariò seu post Adæ Lapsum generatio rerum naturalium præsertim inanimatarum de quibus hic sermo est, per quatuor elementorum conspirationem fiat & in effectum deducatur. Ex qua conveniente mixtione & contemperatione omnes res crescentes suam originem habent, & quam diu Deo visum fuerit, indesinente continuatione, sequente modo hauriant. Quatuor Elementa ex semetipsis naturæ instinctu sperma generant, quod in centrum terræ projectum ibique elaboratum, pro adaptatione diversa, diversimodè transformat, ut ex illo tam extra quàm intra terram diversæ res crescant in quibus omnia alimenta, sanitas, divitiæ & dependenter omnia mundi bona reperiuntur. De quo spermate in Additionibus Præfationis hujus libri copiosè actum fuit.

Qua ratione & modo autem Elementa virtutem suam in terram deferant, ex quorum omnium concursu & mixtura prædictum sperma oritur, sciendum est, in centro terræ inclusum esse corporalem ignem & aërem, & utrumque hoc elementum foris in superficie subtiliter & spiritualiter circumvagari, & tam externum quàm internum unius ejusdemque esse naturæ & se mutuo affectu prosequi, adeò ut quantum centralis & terrenus ignis, superficialem & cœlestem ignem appetit, & magneticè ad se attrahit, tantum ignis cœlestis in illum terrenum ignem influere & se illi infundere cupiat. Ex horum unione & cooperatione corporalium elementorum terræ & aquæ oritur illud Sperma universale & omnium rerum crescentium materia prima. Præterea bene notandum est & sciendum ex unico Spermate duo genera rerum crescentium prodire, quod magni Academici nunquam intellexerunt neque consideraverunt, quod plurimi ferè ad vitæ dispendium usque sunt admirati. Nam cùm Archæus terræ præfatum sperma per motum internum in altum propellit, tunc duplex substantia seu duæ exhalationes deprehenduntur. Quædam fixioris & gravioris sunt naturæ quæ omnis generis mineralia generant. Quæ verò leviores, subtiliores & volatiliores sunt & à centro usque ad terræ superficiem sursum pelluntur, illæ plantas seu vegetabilia generant.

Cùm igitur Mineralium & vegetabilium Symbolum & affinitatem hinc satis manifesta fiat, sequitur, sicuti omne illud quod adhuc volatile in regno minerali reperitur, & perfectam fixationem

nondum complevit, bono jure (ſed tamen comparativè) volatile & adhuc creſcens vocari poteſt : eodem modo illud quod in vegetabilibus fixiſſimum eſt, fixioni minerali attribui debere, & tam hoc quàm ex illo lapidem tingentem (non tamè ſine reciprocatione) præparari poſſe. Experientia enim teſtatur quod ex ſalibus vegetabilium Mercurius currens & ex Media ſubſtantia illorum oleaginoſa videlicet pinguedine ſulphur urens confici poteſt. Similiter hinc ſequitur, menſtrua vegetabilia ſolventia, non pro peregrinis & heterogeneis, ſed pro talibus quæ cum mineralibus rebus cognationem habent, cum ipſis conſpirant, unita ſunt, & cum illis in unam naturam & ſaluberrimæ qualitatis eſſentiam reduci poſſunt, cenſeri debere. Hinc Annuli Platonici & Homeri aurea catena elucet, qua ratione ſcilicet unum ex altero procedit, & omnia à ſe invicem dependent, de quo Raſis in libro Divinitatis ſic ait : Scias res naturæ ſubtili artificio ſimul colligatas eſſe, quod in qualibet re eſt res quælibet potentia, quamvis actu non videatur. Quæ cognatio ex arbore Philoſophiæ ſic deprehendi poteſt.

Natura aut Spiritus univerſalis mundi, tanquam primum creatum poſt Deum, primùm per influentiam Elementis vitam & virtutem ſuppeditat, deinde ex commixtione Elementorum ſemen omnium rerum creſcentium exoritur, tunc ex ſemine Mineralia centro terræ proxima creſcunt. Ex vaporibus ſubtilibus & mineralium exhalationibus ſurgunt vegetabilia. Vegetabilia autem nutriunt animalia. Animalia verò unà cum optimo vegetabilium nucleo cibant & veſtiunt hominem & ipſi medicinam præbent. Adeò ut tota Natura in homine tanquam in centro concurrat & unum de altero participet, & Lapidis Philoſophici materiam ubique reperiri non injuria fuerit concluſum.

Ex his omnibus de quibus hactenus nobis ſermo fuit, hæ quatuor concluſiones ſequentes notatu dignæ ſunt. Scilicet, Quia Spiritus mundi, (vel Natura univerſalis) de quo hîc agitur, à Philoſophis in longinquo conſideratur, ſed in proximo capitur & acquiritur : Remotiſſimè verò idem, & nobis incomprehenſibiliter ſupra omnia elementa & cœli ſphæras exaltatus, à nobis diſſitus eſt. Quia inquam proximè partim in elementis quieſcit & habitat, quatenus adhuc univerſalis, ſimplex, & magis minuſve ſpiritualis eſt, partim verò in elementatis, particulariter & ſpecificè, ſenſibiliter & corporaliter habitat. Ideoque propinquè & particulariter modo fixiſſimo & virtuoſiſſimo iis in rebus creſcentibus invenitur, quæ in centro elementorum ſunt creatæ, quæ ſola Mineralia ſunt.

Quæ hîc ſequuntur à Doctiſſimo quodam Gallo GUILIELMO TROGNIANO *Laconicè ſcripta, melioris intellectus cauſa hîc inſerenda putavi.*

OMnia quæcunque ſunt, à cœlo proveniunt, & cœli naturam participant. Nihil enim tam naturale eſt, quàm quod genitum genitoris ſui participat naturam & ſubſtantiam. Cum autem univerſalis genitor omnium inferiorum cœlum ſit, neceſſarium eſt, quod inferiora omni cœli naturam & ſubſtantiam participent. Et ſic cœlum eſt in omnibus rebus occultàtum inferiùs, quod extra omnes res manifeſtatum eſt exteriùs. Et ſicut corpore ſuo patens eſt in ſuperficie mundi latiſſimè : Sic ſpiritu ſuo contractum in centro mundi arctiſſimè. Summum igitur omnium rerum corpore ſuo cœlum eſt in alto propoſitum & rurſum profundiſſimum omnium rerum eſt cœlum in imo ſpirituoſo abſconditum. Et ſicut corpore ſuo claudit & tegit omnia : ſic ſpiritu ſuo tranſit & implet omnia. Ubique enim cœlum eſt viſibiliter in forma ſua ; & rurſum cœlum eſt in omnibus rebus virtute ſua. Et ut cœlo per omnia nihil eſt manifeſtius ; ſic rurſum in omnibus cœlo nihil eſt occultius.

Tu autem qui cœlum extra omnia ſemper vides ; cœlum in omnibus abſconditum intelligas. Et hoc abſconditum cœlum fac ut pateat ; tunc nulla virtus manifeſti cœli te unquam latebit. Hoc cœlum ſeu Lapis Philoſophorum in omnibus rebus eſt & per omnes res totius mundi tranſit, Et eſt ſpiritus quidam vivificus, ſubſtantivus ; eſſentialis, omnibus creatis mundi hujus vitam, ſubſtantiam, eſſentiam largiens, quoniam ex ipſo in ipſo & per ipſum ſunt, vivunt, vegetantur, creſcunt, ac moventur omnia. Et virtute ejus plena ſunt omnia, & nihil vacuum eſſentia & virtute ejus (niſi quod mortuum & in creaturarum viventium numero amplius non eſt.) Hic ſpiritus in cœlo liberrimè diffuſus eſt motu & virtute ſua : In terra autem & maximè in centro ejus arctiſſimè contractus. Ideò in creaturis in centro terræ provenientibus condenſatur jam quaſi, & incorporatur in ſubſtantiis ipſarum. In metallis perfectis totus clauditur & figitur. In imperfectis verò, nec non in mineralibus cæteris eſt gradu proximo, ſed nondum fixus.

Philoſophi ergo ſummis viribus hunc ſpiritum quærentes comprehendere ; in latè diffuſo mundi ambitu infinitum exiſtentem hunc & ſpiritualem totum ; nullatenus ipſi finiti & corporales toti, valuerunt comprehendere. Ergo in centro mundi cognoſcentes ipſum arctiſſimè colligari, & jam incorporari terminarique. Ideo creaturas in centro mundi productas pro ſubjectis ſuis ſumentes ex iis ſpiritum iſtum extrahere, & poſtea debito Subjecto ſuſcipere totum laborarunt : Quoniam in metallis nimis ſigillatus erat, proxima metallis ſumpſerunt mineralia, in quorum corporibus non tam arctè clauſus adhuc eſſet, & ex his extraxerunt ſpiritum, & cum hoc extracto volatiliori alterum fixiorem vivificarunt in metallis clauſum. Sic per proximam naturam proximæ naturæ ſuccurrentes & ab inferiore gradu ad ſuperiorem aſcendentes, per minora mineralia ad majorum mineralium virtutes pervenerunt. Sic enim ordo naturæ poſtulat, ut per infima ad ſuperiora aſcendamus, & per minora conſequamur, ne per majora minima deſpiciantur, minora autem per majora perficiantur.

Quoniam verò Mineralia quoad fixitatem inter ſe differunt, quorum quædam vel magis vel ſecundum minus fixa inveniuntur, neutra tamen naturæ hominis adeo grata & cognata ſunt quàm vegetabilia & animalia, & inſuper ventriculi noſtri Archæus, nihil minerale niſi quod ſalis naturam habeat, digerere poteſt, & quod non digerit in nutrimentum non abit, ſicque conſequenter neque maſſæ corporeæ in qua vis reſidet naturalis ; neque ſpiritibus vitalibus in quibus calidum innatum, neque ſpiritibus animalibus in quibus humidum radicale, ſubvenit.

Ideoque neceſſitas requirit, ut fixa ſulphura mineralia quæ ſpiritus incorporati domicilium & corpus ſunt, ſi in aqua vel vino inſtar Salis vel croci non diſſolvuntur, in ſimilem naturam convertantur, ſi pro

si pro sanitatis & fragilis vitæ nostræ constanti conservatione operationem efficacem præstare debent.

Hæc administratio non solùm per media universalia, naturam videlicet naturantem simplicium elementorum, sed etiam per Spiritus particulares naturam scilicet naturatã tam ipsorummet mineralium, quàm vegetabilium & animalium, mediante solutione & coagulatione feliciter fieri potest. Ubi tamen observandùm. Si hoc per naturam mineralem solam fiat, nunquam sanitati hominis tantam conferre utilitatem, quam si vel per solam naturam vegetabilem & animalem, vel cum auxilio aut additione alterutrius factum fuisset. Unde Lullius Lapidem purè & absolutè mineralem pro veneno reputat, de quo scribit: Meliùs esse homini edere ova basilisci quàm aurum factum per ignem contra naturam. Per quem ignem intelligit omnes corrosivos spiritus mineralium. Hinc Paracelsi elixir auri ad longam vitam, quod per potentissima corrosiva fieri docet, multis suspectum & periculosum videtur.

Si verò ignis Naturæ qui sunt omnes vegetabiles spiritus aquarum ardentium, & virtutes rerum essentiales, igni contra naturam in consortium, vel quod multo melius & tutius est Soli adhiberentur, alia res foret. De uno enim extremo ad aliud non datur transitus, nisi per medium habile & conveniens. Tale medium inter mineralia & nostram humanam naturam sunt, res vegetabiles & animales, naturæ nostræ magis cognatæ & acceptæ, quæ hac de causa, prædicta mineralia (si secundùm artis leges cum ipsis uniantur & colligentur) multo jucundiora & gratiora efficere possunt. Aliàs natura ejusmodi saltus non facilè patietur & perferet. Si verò hoc per universalia media elementotum fit, quæ proxima natura mineralium sunt in regressu, utrumque enim elementum ignis & aquæ magnas alterationes efficiunt: tunc res quoque rectà putatur viâ, dummodò vera methodus & processus conveniens observetur.

Pro secundo. Incorporatus iste mundi spiritus (cum per verbum Domini omnibus creaturis incorporatus sit) ex rebus vegetabilibus & animalibus naturæ humanæ ut dictum vicinioribus & gratioribus, facilius extrahi potest. Cùm verò istæ res volatilitati & combustibilitati adeò obnoxiæ & onustæ sint, ut minima ipsarum pars, fixam & in igne constantem substantiam habeat, nobis autem id quod fixum est curæ tantummodò sit, circa quod totius negotii cardo vertitur; summa necessitas requirit, ut vel earum partes volatiles figantur ne in igne avolent (quod opus esset longissimi temporis & tædiosissimi laboris) vel solummodò fixa ipsarum substantia licet pauciſſima eligatur & exuta omni forma specifica ad extremam simplicitatem & puritatem id in fixum & igneum Salem reducatur.

Quemadmodum autem Natura mineralis fixa, nobis inutilis est, nisi vegetetur & animetur: Ita quoque prædictæ substantiæ vegetabiles & animales earumque tam volatiliores quàm fixiores partes sunt nimis infimæ & insufficientes, ad mineralem fixitatem consequendam, nisi per ignem quendam mineralem vel ipso actu vel potentia quadam propinquiore fixum, fermententur & colligentur: Quod licet per auri naturam perfectissimè & excellentissimè perficiatur (aurum enim est terminus absolutæ & consummatæ metallicæ perfectionis) hoc tamen etiam per alia mineralia, in quibus aurum adhuc imperfectum & in potentia latet, in effectum deduci potest. De qua re suprà in Additionibus meis cap. 4. & 8. simile quiddam fuit indicatum, quod ex sequenti Elegia clariùs patebit:

Vita hominis brevis est fragili similima abullæ
Quæ medica nobis arte tuenda venit.
Sed quæris quonam medio suffulta valebit?
Herbæ etiam quæ sunt, unde petamus opem.
A combustibili diverte oculosque animumque,
Quodque magis fixum est, hoc cape, præfer, ama;
Nam certũ est nequeant quod curtã extendere vitã
Imbelli nimium gramina fulta gradu.
Certius ex gremio fodiens mineralia terræ
Auxiliatricem deproperabis opem?
Hic ubi cœlestes radicitus intima vires
Balsama concentrant inque metalla fluunt.
Si tamen herbarum te cepit gratia, vel si
Delectant dotes, quas Microcosmus habet.
Ex hoc, aut illis tantùm cape fixa, relictis
His, quæ non ignem, ceu fugitiva, ferunt.
Nam non radici sunt sufficientia vitæ
Et citò dispereunt, quæ tribuere citò.
Quæ verò fuerint longè durantia, vitam
Prolongant, fixos ignis adepta gradus.
Omnia Vulcano sunt subjicienda magistro,
Qui depurando limpidiora facit.
Separat, & reparat, gelidæ qui mortis ad umbram
Præcipitat vitæ restituitque novæ.
Ætheris ut captant naturam imitamine quintam
Et coeant fixo pura elementa pede.
Quid, si cuncta etiam sint unt subdita lymphæ
Quæ vitam cunctis influit omnigenam?
Hinc nova lux oritur, virtusque renata coruscat;
Hinc vitæ poteris consuluisse brevi.

Hic spiritus fixus ex nobis hominibus, ex me, ex te, & ex unoquoque sive pauper sive dives, sive juvenis, sive senex sit plenissimè comparatur. Et non solùm ratione nobilissimi hujus subjecti nobilior & excellentior existimatur, quàm in cæteris omnibus supradictis rebus, in quibus specialis est: Verùm etiam quia in unoquoque homine omnes virtutes totius in latum diffusæ naturæ in rebus animalibus, vegetabilibus & mineralibus consideratæ concurrunt. Ideò hic totius mundi spiritus corporalis, ex Microcosmi vel partibus vel totali centro extractus non incongruè Universalis vocari potest.

Hujus Spiritus extractio, non tantùm præcisè homogeneam hominis substantiam spectat, quatenus illa partibus suis essentialibus fabricam corporis humani constituentibus constat, (In qua fabrica partim sanguis, qui tanquam vitæ thesaurus universaliter totum corpus perfluit, & omnia membra per nutritionem & vitæ corroborationem conservat, partim illud, quod in centro, renibus & vasis spermaticis scilicet è longinquo & ex circumferentia totius corporis in angustiam compellitur, pro universali habendum, reliqua membra verò omnia & singula pro particulari censenda.) Verum etiam id quod ex alimentis post separationem nutrimenti reliquum est, & tanquam heterogeneum vi expulsiva excernitur, & non nisi respectivè Microcosmici nomine donatur. Hujus inquam non minor ratio est habenda, quantumvis obscœnum aut sordidum ab Idiotis & cavillatoribus vel delicatulis habeatur, & rejiciatur.

Hujus investigationis ratio hæc est. Quicquid homini cibi loco inservit, sive animale, sive vegetabile sit, hoc in occulto minerale quiddam secum vehit, quod cum fixæ sit conditionis, plus vel minus, manifestum ejus pro volatili censeri

poteſt. Quanto fixior autem res quædam mineralis in ſuo genere eſt, nec tamen ſibi formam habet, tanto indigeſtibilior eſt ventriculo, & quanto volatilior tanto digeſtibilior. Rurſus quanto fixior, tanto convenientior ſanitati, & quanto volatilior tanto venenoſior. Cujus rei experientia in venenis mineralibus pater, quæ tanquam res volatiles in digeſtionem abeunt & mortem accelerant.

Cum itaque res ita ſe habeat, ut Ventriculi noſtri Archæus ab alimentis, volatilia tantum aſtra pro nutrimento ſeparet, fixa verò aut prorſus non tangat, aut quoad ejus fieri poteſt minùs participet (quia adhuc multis tùm combuſtibilibus tùm evaporalibus ſuperfluitatibus ſcatent) & ob hanc cauſam talia fixa aſtra cum ſuis corticibus & prædictis ſuperfluitatibus tanquam inutilia & excrementitia rejiciat & expellat: Ideò hinc ſequitur in talibus aſtris fixiſſimum rerum naturalium quiddam, de quo in hoc diſcurſu agitur abſconſum eſſe: & hoc quidem κατ' ἐξοχήν, quia optimas & excellentiſſimas res pro cibo & potu noſtro eligimus.

Altera prædictæ inveſtigationis ratio eſt. Quia per hominis digeſtionem res creatæ & creſcentes, ſuam formam ſpecificam in nutrimentum cedentem deponunt, & hac ratione remanens corpus ad revertendum in ſuam ſimplicitatem diſponitur. Quantò enim magis res hoc modo exuitur & à ſua naturali forma denudatur, tantò ſimplicior illa fit & ad ſuam originem primam, id eſt naturam univerſalem tendit: Poſito autem caſu formam ſpecificam totaliter non deponi, nihilominus tamen tanta & tam cita ejus fit alteratio & corruptio in viſceribus corporis humani, quantam totus mundus efficere nequit. Si quid verò tenacius adhuc hæſerit, illud facilè per calcinationem adimi & aliter meliorari poteſt, ut inde novum corpus in dignitate & gloria ſurgat. In hujus rei gratiam ſal commune conſidera, (quod tamen in ſuo genere ex numero mineralium locum obtinet, quorum omnium mater Philoſophica Luna eſt) qua ratione videlicet illud in paucis horis per calorem hominis naturalem frangitur, mutatur, & quaſi de novo generatur, cujus effectus longè præſtantiores ſe exhibent, quàm antea erant. Unde etiam grano frumenti optimè comparatur quod in ventrem terræ hujus Macrocoſmi conjectum in illo putreſcit, & cum decuplo fructu rurſus in conſpectum venit.

Ex utraque cauſa iſta allegata patet, fixum Aſtrum ex comeſtibilibus poſt putrefactionem illorum in inteſtinis microcoſmi, arte extractum, impropriè microcoſmo tribui. Ille enim adhoc de ſua ſubſtantia nihil materiale confert, niſi quod Archæus ſuus purum ab impuro in alimentis ſeparat, illud pro ſuo labore & opera ad ſuam neceſſitatem & nutritionem ſui uſurpando & retinendo, hoc verò, quod ipſi nimis impurum, & ſeparatu nimis difficile eſt, alii relinquendo, qui illud meliùs tractare novit Homo itaque hac in parte nil aliud eſt, quam ignis, vas & fornax putrefactionis per quam optima & nobiliſſima ſubſtantia animalium & creſcentium rerum citiſſimè reſolvitur & corrumpitur, qua occaſione artifex à multo labore & ſumptu excuſatur. De qua Haymo in epiſtola ſua, quam in commodum filiorum doctrinæ huic libro inſerui, plus ſatis indicii fecit. Quicquid autem in ſubſtantialibus Microcoſmi aut rebus excrementitiis ejus moliaris neutrum tamen ad veram & perfectam fixitatem, ſine auri, aut alterius cujuſdam ignis mineralis additione perduci, nec magis quàm lapis vegetabilis perfici poteſt. Exemplum de ſubſtantia hominis ex ſanguine vel ſimili, benevolus lector ex Ripłæi Angli Medulla Philoſophiæ, ferè in fine tractatus de Lapide Animali petere poteſt. Quod verò ad res excrementitias, videlicet aquam orientalem & terram occidentalem attinet, Ripleus in fine Libri Portarum de iis ſequentia verba ingenioſa nobis reliquit, Memento hominem eſſe nobiliſſimam creaturam in compoſitione terrena, quam Deus unquam creavit. In quo eſt quatuor elementorum proportionatorum per naturam neutralis Mercurialitas, quæ omninò nihil conſtat. Producitur arte ex ſua minera. Nam noſtra metalla nihil aliud ſunt, quam noſtræ duæ mineræ Solis & Lunæ.

Splendor Solis & Lunæ lucidæ in has duas mineras certè ſecreto modo deſcendit, quamvis ſplendor iſte ſit abſconſus tuo viſui arte tamen efficere potes, ut appareat manifeſtè. Hunc lapidem abſconſum, hanc unam rem purifica, lava in ſuo liquore donec albeſcat. Tunc fermenta ſapienter & ſic habes ſummam totius operis.

Jam quarta Concluſio noſtri diſcurſus generalis ſequitur: in his verbis. Quàm propè ſpiritus mundi incorporatus, modo particulari in mineralibus terræ invenitur; Tam propè in elementis adhuc Univerſalis reperitur. Et quamvis tribus ſuperioribus elementis inſpiratus ſit, & ſecundùm cujuslibet naturam & proprietatem particularem, operationes ſingulares præſtet & qualitates inducat, ut in & cum igne, poteſtatem igneam exſerat, in aëre virtutem aëream, & in aqua proprietatem aquoſam exerceat, nihilominus tamen tria hæc elementa, per ſuam influentiam & irrigationem in quarto elemento videlicet in ventre terræ tanquam in centro conveniunt; adeò ut terra non ſolum ſuis propriis terrenis naturalibus virtutibus ſit dotata, verùm etiam igneis, aëreis & aquoſis influentiis & qualitatibus ſit repleta & imprægnata, unde etiam matrix & receptaculum omnium elementorum vocatur in qua rerum abditarum vires omnes actu occultantur, quæ potentiâ in formas ſpecificas erumpere poſſunt.

Cum ergo terra cæterorum elementorum fundamentum, quin imò ſubjectum, ciſta conſervatoria & receptaculum influentiarum ipſorum ſit, per quas fœcundatur, & ad concipiendum ſemen & virtutem operantem omnium mineralium vegetabilium & animalium ſit apta, undè etiam omnium eorum mater parturiens eſt, ideò ſequitur, in illa, profundiſſima & præcipua hujus artis ſecreta abſcondita eſſe, eaque per aquam, aërem & ignem ex illa præſtari & produci poſſe. Cum etiam terra à Philoſophis modo conſideretur, vel in centro vel in ſuperficie, quarum hæc omnium oculis eſt expoſita, illa verò ſolis Philoſophis nota, & ex terræ ſuperficialis viſceribus interioribus & profundioribus extrahitur, conſultum duxi de utraque terra hoc in loco aliquid proferre.

DE TERRA CENTRALI.

De Terra centrali tot extant diverſa judicia & opiniones quot de auro vivo reperiuntur. Sed omiſſa maxima illarum parte, quidam Philoſophi per hanc, Sal Centrale intelligunt, quod in modum lixivii ex ſuperficiali iſta terra extrahitur. Item quando elementata terrea, iterum in terram fuerunt reducta, & tunc in modum lixivii etiam extracta (poſt factam reductionem

ſive

sive per violentam ignis calcinationem, sive per lentam resolutionem & putrefactionem in ventre terræ) de qua re in additionibus primorum quatuor capitum satis clarè dictum. Verum quidem est, eum qui hoc sal centrale, volatile facere potest, puram quidem terram centralem spiritualem habere, quæ si aurum in illam seminatur millecuplum fructum affert: Hæc tamen non est vera Philosophorum sententia. Siquidem terra virginea, ex terra, & non ex aqua desumi debet: Sal autem qualecunque illud sit, quamvis ex fructibus terræ, & quidem ex ipsa terra educeretur, est fructus elementi aquæ, non terræ, Mercuriale est, non sulphureum, Lunare est, non Solare, (quamvis talis Luna Philosophica auri naturam potenter augere possit propter intrinsecum suum, quod intrinsecum vel occultum, nihil aliud est quàm merus & purus Sol.) Veruntamen Philosophi terram tantùm & naturam ejus respexerunt & ex illa, mediante menstruo Universali, sulphur extraxerunt, quod fixum Leonis sanguinem vocarunt; Hæc est vera intima abscondita elementi terræ, imò elementum ipsum secundum versiculum meum.

Non hæc terra, tibi quæ cernitur, est Elementum
Sed terra in centro condita terra jacet.
Hanc tu virgineam terram sume immaculatam,
Tanquam unam Physici materiam Lapidis.

De hac re non solùm Christophorus Hornius Misnicus elegantissimè scripsit cùm inquit.

En Rorem *cœli pingui cum Sulphure terræ*
Ecce Aquilam Jovis & Solis validum ecce Leonem.

Item. Aspice aureolum hunc laticem vitæ (non vitis) planè cœlestem, qui cum Tartaro suo Solari (haud vulgari) facillimè unitur. Aspice hanc lympham Mercurialem crystallinam, quæ cum isto suo Sulphure Solari facili negotio copulatur, & successu temporis tandem in carbunculum rubicundissimum transformatur. Ecce aquam pluviam planè aëream, ætheream, purissimam, quæ facilè cum terra sua tenuissima unitur & denique in ignem omnium subtilissimum & perfectissimum transit.

Verùm etiam Arnoldus de Villa Nova, totum opus in forma brevis Testamenti sub Gallico Idiomate in Latinum translatum descriptum reliquit, quantum quidem res permisit. Hoc modo.

Lapis generatus ortusque de terra per elevationem perficitur. Aquæ potione satiatus infra duodecim horas, ad minimum inflatur, & circumquaque visibiliter intumescit. Postmodum in balneo positus, vel in aëroso hypocausto, moderatè calido & sicco, ac purificatus ab extraneo vapore, soliditatem suarum partium acquirit, extenuatusque superflua humiditate fit idoneus ad contritionem, quo ex purioribus illis partibus exprimitur lac virgineum, quod mox inde positum in ovum Philosophicum, proprio & continuato calore foveatur, ut pro pullorum exclusione. Varietate colorum suorum nudatus gaudet cum suo compare, colore tinctus instar riivis. Inde pòst absque periculo resistit ignis violentiæ, tantisper donec pavonis coloribus ornatus de monumento egrediatur cum regali summaque potentia.

De hoc negotio rhytmi Germanici duplicis sortis, sed unius sensus, quoque agunt, quos quia alternatim se explicant, ego conjunctim sub finem inserui.

Quidam Philosophi à partibus illorum steterunt qui præcedentes opiniones secuti sunt, & ad productionem Solis centralis virginei, utramque rem, videlicet sal & terram, conjunxerunt, nec solum terram illam elementarem & superficialem una cum suo sale abscondito adhibuerunt, sed etiam cum rebus particularibus rerum elementatarum practicam instituerunt, de quo Hornius sic scribit: Salibus multum occultæ formæ solaris inest; Omnium autem maximè in terra. Tu rem sic accipe

Haud vim vivificam rerum in se continet illam,
Sal solum, ast proprio cum Sale Terra *suo.*

Terram inquam calcinatam elementarem sumserunt, item cineres rerum elementatarum (in quibus Sal & Terra adhuc conjuncta sunt) & per ignem mineralem simplicem reverberarunt, leviora & spongiosiora reddiderunt, donec planè rubificarentur, quo facto fixum ignis & terræ astrum in forma salis rubri, extraxerunt, quod sal sulphureum vel sulphureum vel sulphur salsum vocarunt.

Hic notandum. Illud quod per hanc reverberationem rubificatur, summam ignis impressionem acquirere, & hac de causa non solùm ignem ingenitum (quod idem duo præcedentes & ultimi duo sequentes modi præstare possunt) verum etiam id, quod per artificiosam reverberationem introduxit, impressit, conjunxit & incorporavit, extrahi. Maximum artificium in eo situm est, ut Mineralis flammæ ignis veram habeas notitiam, & reverberandi modum instituere & cum conveniente menstruo extrahere possis, cui operationi Luna Philosophica primi modi centralis, optimas manus auxiliares tendit.

Tandem quidam Philosophi etiam per Terram virgineam, sulphur in salibus intellexerunt, adeò ut salia (maximè verò metallica aut mineralia omni suo Sulphure & Mercurio exuta) tam diu in digestione ignis tenuerint, donec intrinsecum ipsorum foras versum & sal in solutione vel extractione instar ignis ruber factus fuit. Huic sali encomium illud tribuerunt. Salia metallorum conficiunt Lapidem Philosophorum. Item visita interiora terræ &c. quæ verba vitriolo tribuenda censebant, quia post summam suam purificationem (per cohobationem cum aqua roris majalis factam) deposita viriditate sua, primùm in albedinem Adamantinam, deinde in rubini colorem transit in omne ævum immutabilem, nec in viriditatem suam unquam reducibilem: Hæc enim matura facta, in summam rubedinem se convertit, ex qua oleum instar mellis dulce & instar sanguinis rubrum paratur, secundum processus descriptionem sæpiùs publicatam. De quo hæc dixisse sufficiat.

Postquam centralis terra hactenus satis explicata fuit, ordo nunc postulat, ut etiam de superficiali aliquid dicamus. Quæ vulgaris terra est, omnium hominum oculis exposita, à Philosophis in limosam & lapideam distincta. In illa nitrum, in hac verò sal petræ crescit.

Sub limo terræ primùm in genere intelligitur bona terra fertilis cum aqua pluviali ab arena & radicibus optimè depurata & denuò benè siccata, cujuscunque coloris illa sit (rubri tamen coloris terra versus orientem effossa & prædicto modo depurata optima censetur.) Hæc terra si ad tempus quoddam sub cœlo relinquas, à cœlestibus virtutibus gravida fiet, & res crescentes producet, vermiculos animalcula, & metallos igniculos splendentes. In specie autem & in singulari quodam sensu omnis generis ochræ & boli, omnes argillæ & luta, omnes terræ & colores minerales in fodinis & extra illas, hîc comprehenduntur. Verùm quidem est quod terræ montanæ, cœnum, lutum, à simplici suâ naturâ aliquantum discesserunt, sed tamen

mox non solum in integrum restitui, verum etiam si cum terra occidentali microcosmi misceantur & in ventre Macrocosmi illæ terræ ad certum tempus defodiantur & detineantur, meliorari & nobilitari possunt.

Prima hujus Libri Tabula typica nobis argillæ rubræ tantùm indicium facit, quæ passim quidem est obvia, optima tamen invenitur circa metallorum, & præsertim aurifodinas. A quibusdam rubedinis ratione, terra Adamica & materia prima dicitur, utpote cui divinitùs in prima creatione spiritus aliquis generativus est inditus. Hanc primam esse materiam creationis nostræ dicunt, & veram restitutionis nostræ medicinam. Sed experientia compertum habemus, flavi coloris lutum, item aliam terram vulgarem mundatam non minùs spiritum & sal volatile in destillatione, & tandem sal fixum suppeditasse, sive cruda terra, sive in orbiculos formata, aut in lixivii forma fuerit destillata, de quo supra in Capitis secundi additione mentio facta fuit. Nonnulli terram ex ovili sumunt, & lixivium inde parant, quod ad oleitatem coquunt, de qua oleaginosa substantia phlegmata & spiritus rubros destillant.

Quæ operatio quamvis convenientiam quandam habeat cum illo ventre arietis quem Sendivogius indigitat, quia tamen spiritus illi rubri sunt, ut in destillatione nitri vulgaris fieri solet, spiritus autem terræ simplicis obscuro-grisei destillent, & idcircò naturæ universali proximiores sint, judicium de hac re ferre supersedebo & quem modum artifex eligere debeat arbitrio suo relinquam.

In tabula quarta hoc observandum est, quosdam ante salis fixi extractionem, caput mortuum terræ destillatæ per quinque dies & noctes aut diutiùs in flamma ignis ad multam salsedinem calcinasse, & tum cum phlegmate proprio, aut cum aqua pluviali destillata sal extraxisse, filtrasse & evaporasse.

Utroque sale, volatile scilicet armoniaco, cum fixo alcali, in spiritibus mediæ substantiæ (qui salis nitri loco sunt) dissoluto, & composito perfecto parato, principia terrena pro intento hujus operis de quo in hisce tabulis agitur, rectè & benè præparata & colligata prælo quidem sunt, sed postea mediante aqua aëris, per cœlestes & igneas influentias animanda.

Sed tamen hic sciendum est, Philosophis de duplici Mercurio sermonem esse, quorum uterque per se, singulare & proprium opus Philosophicum efficere potest, quorum unus simplex, alter verò duplicatus dicitur. De duplici, cujus principia terrena & cœlestia sunt, hæ tabulæ & Polonicus author Sendivogius tractant, & meæ Additiones ad cap. 7. Quo in loco de simplici Mercurio in via sicca, nempe crystallis dulcibus salis communis, Elementari simplicitati aut naturæ universali proximè cognatis tractavi. Ideoque de Mercurio simplici in via humida qui ex principiis terrenis tantùm constat, pauca dicam, [cœlestem enim irradiationem nunc attingere animus non est.]

Practica ejus hæc est. Ut accipiatur decuplum pondus aquæ spirituosæ utcunque rectificatæ, pro una parte amborum benè mundatorum & clarificatorum salium fixi & volatilis, & collocentur omnia in vitro, cujus capacitas quintuplo aut sextuplo major sit quàm spatium à contento occupatum. Purificentur tam diu donec materia in vitro tota denigretur. Tunc destilla cum diligentia & transibit oleum in vas recipiens ante aquam, quod bene custodi, quia est valde volatile. Continua distillationem & distillabitur phlegma, quod remove, & picem atram quæ retrò manet, fortiter destilla, & oleum quoque supradicto oleo simile prodibit. Hoc posterius oleum rectifica, tunc utrumque oleum superius & inferius viri & mulieris semen conjunge. Et sic simplicem Mercurium Philosophorum, ex inferiori sphæra vel globo mundi sumptum, præparasti, quem aut solum per se athanori committes & coagulabis, aut cum duodecima parte auri ad perfectionem adduces, & sic auri substantia in illo mortificatur & de novo regenerabitur.

Mercurius Philosophorum simplex quoque ex natura cœlesti tantum acquiritur (de terrenis substantiis quarum corpus hic in occulto possidet, nunc missis, quia illarum pro hac præparatione nunc nulla est necessitas) Colligatur igitur Ros majalis cœlo sereno ante solis ortum, & per filtrum aliquoties destilletur. De quo imple phialam ad duos transversos digitos usque, & sigillatam in libero aëre ad Solis calorem per mensem suspende. Et lucente Sole cum speculo ad id præparato phialam irradia, ut Ros iste cum essentiali virtute solari ita imprægnetur, ut aureum induat colorem. Tunc enim ad distillandum aptus & maturus est. Destillatio in B. M. fiat. Auferatur tertia pars, reliquum separatim capiatur, & abstrahatur super liquore per septenam cohobationem seu reaffusionem. Tandem terra ponderatur, & lento calori imponitur, & cum hac aqua irroratur & exsiccatur. Hoc toties reiteratur donec terra triplum sui ponderis imbiberit, vel triplo ponderosior facta fuerit, quam antea erat. Quo facto terra cum igne fortì per retortam destillatur, tunc simplex cœlestis Mercurius in vas transit, qui est purum putumq; aurum vivum, quod omnis generis morbos fugat & hominis vires renovat. Coagulatio ejus fit in sale Saturni quod cum auro fuit fermentatum, & post plenariam fixationem primum super aurum, & deinde super alia metalla projicitur. Præter hoc, etiam ex aqua tenuituali, à fulgure cœlesti per cœlestis ignis scintillas imprægnata, summum quoddam opus Philosophicum procedere Author quidam anonymus in tabula Paradisi docet, ubi præter putrefactionem nihil omissum, quam tamen summo studio retinuit, quæ tabula à me compendiosè & diligenter concinnata in fine sequetur.

Non est dubium, plures similes practicas in via sicca & humida pro Mercurii Philosophici simplicis præparatione reperiri, tam ex solis cœlestibus quàm ex solis terrenis, tam universaliter quàm particulariter instituendas; (*Nam nihil terrenum invenitur, quod non cœleste aliquid in occulto secum vehat: Et è contra nihil cœleste quoque reperitur, quod non aliquid terrenum in se reconditum habeat. Eadem ratione nihil est actu ipso universale, quod non omnia particularia in potentia secum vehat. Et rursus nullum est particulare quod in occulto Naturam universalem non testetur.*) Verum & brevitatis & minoris confusionis ergo, similes supradictis præparationes datâ operâ transeo, & in alium librum quem de Thelesmo Hermetis scribere cœpi differo, in quem ferè omnes similes res mihi notas absque defectu singulari recondam & piis doctrinæ filiis liberaliter communicabo.

Nunc de terra limosa ad Lapideam progredior ut de illa discriminatim aliquid in medium proferam. Hanc terram vulgariter lapidis nomine insignimus. Quamvis autem nobis videatur, ac si magnum discrimen

discrimen inter terram & lapides habendum esset, attamen lapides in sua origine considerati nihil aliud sunt quàm aqua terrena, aut cœnosa terra, quæ cum tempore, superveniente virtute alicujus frigidi aut calidi spiritus salini sulphurei, in formam compactam induratur, & in suo descensu iterum consumitur, & per spiritus sui salini balsami videlicet sui privationem in pristinam cœnosam materiam abit. Ex qua denuò per incorporationem novi seu recentis spiritus Salini, novus lapis [sive id natura vel arte fiat] producitur; & sic ex fine principium resultat.

Fateor quidem lapides illos qui perspicuitatem præ se ferunt aliud nihil esse quàm aquam congelatam; si quis verò animo perpendit, nullam aquam esse in manifesto, quæ non in occulto terram sibi conjunctam habeat, & vice versa, tunc manifestum fiet, materiam ex qua lapides crescunt, idem illud terreum esse, quod ab aqua se separat, & in ventre terræ, cum alia terra conveniente & qualicunque sibi obviam facta se conjungit, in quam se incorporare possit. Eodem planè modo, quo extra terram in aquis fluvialibus Mucilago seu terrestreitas quædam lapidibus adhærescit, aut ut rei fundamentum meliùs declarem, sicuti Sabulum & lapides in aqua & terra in tellure vi magnetica illud quod in aqua terrenum est, ad se attrahunt, & ex appositione illa crescunt & augentur. Cum ergò natura terrena hic uti dictum fuit, secundùm majus minusque semper prædominetur, æquum est ut à terra denominetur, & terræ lapideæ nomen sortiatur.

Porrò adhuc aliud discrimen hîc observandum: Nam quicunque lapides pellucidi sunt, illi aqueæ naturæ sunt, & sicuti dictum, ex subtili terreo aquæ progenerati. Qui verò opacitatem præ se ferunt, illi terrenæ naturæ sunt, & materialiter & immediatè à terra oriuntur, non tamen absque subtili humido, quod in occulto possident, cujus nimirùm interventu parum quid ipso actu terreum dissolvitur, & cum alio impuriore per admixtionem incorporatur & induratur.

Illi qui ex elemento aquæ sunt, per spiritum salinum frigidi sulphuris: Hi verò terreni, per calidum siccum sulphuris spiritum operatione interni Æthnici ignis mineralis sunt coagulati: Eodem modo quo per ignem nostrum culinarem ex terra limosa vel argilla later aut urceus lapideus coquitur. Terreni insuper fixioris sunt substantiæ quàm cæteri, difficilioris liquefactionis sunt cæteris, cujus rei lapides calci præparandæ utiles, creta rubra & lapis hæmatires fidem faciunt, qui omnes durioris: silices verò facilioris sunt fusionis.

Una adhuc terra nobis superest, quæ ratione generalis principii sui pro ubiquitistica habenda, sed respectu formæ suæ specificæ ad locos particulares determinata est, & in uno loco melior & nobilior invenitur quam in alio. Ex quibus illa præstantior omnibusque aliis præferenda est, quæ metallicam indolem habet, & ipso actu terra mineralis est; undè minera magnesiæ, id est minera bismuthi à quibusdam pro optima habetur; sed penes experientiam erit judicium. De hac terra capiantur novem libræ priusquam experta fuerit ignem. Inde in retortam, & applica magnum recipientem, distilla per 12. horas secundum gradus ignis & habebis aquam albam & dulcem, quam rectifica tribus vicibus & fiet dulcior & clarior. De qua accipe libram unam, impone in vitrum cujus tertia pars maneat vacua, quod cum cera & vesica benè obturatum colloca in loco securo, & aquam in plenilunio augeri, ut vitrum ad summum usque impleatur, inde crescente verò luna, decrescere videbis. In novilunio ultra illam partem qua aucta erat, una parte insuper diminuetur & ponderosa fiet, primum tamen suum pondus retinebit. Hæc aqua auro animam suam extrahit spatio duorum dierum, si ter aquam abstrahis & rursus affundis, anima instar olei in fundo residebit & argentum in aurum transmutabit, sed non plus argenti transmutabit, quam auri quantitas erat, ex qua anima fuit extracta. Ex omnibus metallis animam extrahit potissimum ex Sole & Marte.

Item si accipis herbam siccatam vel plantam integram ita arefactam ut manu conteri possit, & ejus radicem solam in hanc aquam trium aut quatuor horarum spatio immergis, tunc planta illa virescit, ac si modò ex terra evulsa esset, flores quoque suos si quos habuit antè, rursus recuperabit.

Item. Hanc aquam inde in vitrum, cui adjunge aquam alicujus herbæ destillatam & tres drachmas proprii sui salis, imple vitrum usque ad summum, & in tutum locum colloca; & intra duos vel tres dies plantam crescere videbis similem illi herbæ ex qua sal & aqua desumpta erat. Quamprimum vitrum commovetur, forma plantæ perit, sin verò in quieto loco collocatur, ad pristinam formam redit.

Recipe materiam quæ in retorta remansit, & cum aqua extrahe ejus salem, coagula & conjunge cum sua propria aqua, & per retortam destilla, & habebis aquam aurum radicaliter dissolventem, in qua aurum liquescit, sicuti glacies in aqua calida; nec tingitur amplius aqua de auro, sed albedinem suam semper retinet, & aurum secum per alembicum in distillatione vehit. Et verum aurum potabile fit ad Epilepsiam, Hydropem, Apoplexiam, Paralysin.

Crudæ materiæ priusquam destillatur, attractio animarum in metallis, vitriolo, Antimonio & succino attribuitur, quamvis tres spitamas super aliqua mensa à tali materia distet, propterea quòd ob fortem suam naturam attractivam Magnesia dicantur, quodque ad venas minerarum indagandas faciat, quæ omnia hîc tanquam parerga in medio relinquo. De lutis quoque intra auri vel Martis mineras sive suspensas sive planas repertis, mihi relatum fuit, quod si destillentur & in aqua illa destillata Ducatus in igne candefactus extinguatur, illum extùs & intùs albescere, servatâ monetâ suâ, animam solis autem per aquam instar olei supernatantem ab illo separari. Plura hujus generis exempla recensentur quale est illud de gleba terræ rore cœli imbuta. Si aqua indè destillata ter super gleba illa cohobando destillatur. Sed studio hæc prætereo & me rursus ad lapides compactos converto. Ex quibus omnibus tàm pretiosis quam vilibus relictis, brevitatis causa tantùm de Silice sermonem instituam. Is enim naturæ Universali proximus est, cujus rei causa Philosophi illum sibi commendatum habuerunt, licet multi chymici frustrancos in illo susceperint labores, quia veram methodum quam sequi debeant, ignorabant, Philosophi autem tàm in universalibus quàm in particularibus operibus illum adhibuerunt & in duplici sensu usurparunt, videlicet primæ & secundæ generationis.

Per primam generationem intelligitur, quatenus Silex per se à natura ex montibus vel aquis, solidus, pulcher & transparens artifici in manus traditur, undè selecti calculi lucidi ex aquis fluvialibus

pro optimis habentur (in arena enim quantumvis pulchra ſit, ignis internus non eſt tanti vigoris & virtutis, quàm in prædictis calculis.

Et quamvis mucilago illa in aquis fluvialibus, lapidibus adhærens, prima lapidum materia & incrementum ipſorum ſit (ex ſilice enim crudo per violentiam ignis nihil obtineri poteſt) & cum ſpiritu ſalis communis vel ſimili vehiculo in aquam redacta, verum & naturale diſſolvens ſit omnium lapidum & metallorum. (De qua re Beguinus ſic ſcribit: Ex omnibus metallis ſpiritus fragrans elici poteſt, mediante aqua viſcoſa minerali, quæ ſolius vulcani beneficio abſque ullius rei extrancæ additione breviſſimo temporis ſpatio educitur, quæ recipit omnes qualitates metalli, cui per induſtriam ſagacis artificis immiſcetur, eique odorem, colorem & ſaporem confert cum conſervatione facultatis vegetantis, cum quo metallo ſoluto ſpiritus iſte fumoſus aquoſus & igneus in nobiliſſimum corpus mutatur, & non ampliùs ab igne fugit, ſed ut oleum fixum currit & prout mutatur mutat &c.) Nihilominus tamen veteribus Philoſophis reductio & reſolutio adulti & compacti ſilicis in materiam primam aut ſalis eſſentiam, magis curæ fuit, quàm quod talem materiam adhibuerint ex qua lapis oriundus eſſet, ideoque in igne ardente illum calcinarunt, & unà cum ſocio ſuo [qui ſal tartari eſt] in vitrum aut Chryſtallum liquefecerunt. Hoc Chryſtallum in oleum ſeu liquorem redactum, omnium morborum Tartareorum eſt medicina & verus ludus ſeu ſaxifragus Paracelſi. Hoc Chryſtallum ſub nomine Cambolech abſconderunt, item rem fuſam, & lapidem album vocarunt, quem neſcio quis Grajus digito monſtravit.

Hunc Lapidem tàm univerſaliter quàm particulariter mira præſtare ſcripſerunt, dicentes, ſi aqua vermitionis [quæ eſt quædam aqua fortis in quam ſulphur commune aut cinnabrium artificiale ingreditur] ter aut quater ab illo abſtrahatur, & qualibet vice cum re fuſa acuatur, tunc illum vim habere corpora perfecta diſſolvendi, & mediante hac ſolutione, Mercurium in infinitum coagulandi & figendi. Hæc aqua acuta, ſimpliciter fixatum Cinnabrium aut Mercurium in ſe ſolo præcipitatum adeò fixum reddit per quartam aut quintam abſtractionem, ut ſi aliqua ſui pars in aqua ſua abſtracta diſſolvatur, & ad duas Lunæ finæ partes quæ etiam prius in aqua Cambolech ſoluta fuerit affundatur, tunc illud argentum in veram Lunam fixam imò fixiſſimam convertit. Item Chryſtallum illud Silicis, per quinque horas cum metallo Veneris in continuo fluxu conjunctum, ſulphur ejus extrahit & rubedinem induit, metallum verò albogriſeum fit. Cui autem uſui ſint ſquamæ iſtæ rubræ, rhytmis Germanicis, Anno Domini 1532. ſecundâ poſt Martini feſtum in Comitatus Mansfeldenſis Arce ſumma Heldrungenſi ſcriptis, quoque patet. Ubi ſub allegoria à Paride, Venere & Junone deſumpta idem quod modo ſupra dictum fuit dicitur, cum hac appendice.

Sic mox falco noſter conſtringitur
Qui in columbæ calce reperitur,
Nam ibi infinitus invenitur
Nec pecunia pro illo perſolvitur.

Item.

Accipe Sulphur ex Veneris ſquama
Et tua replebitur crumena.

Rhythmi autem illi Germanici in Idiomate ſuo ſic ſonant.

Zu Heldrungen auff dem hohen Hauß
Find man im ſchwartzen Winterhauß
Unſern Stein / gar heimlich in Paris geſtalt
Das uns weiſt Venus manigfalt
Auch Juno ſieht nackent thut erzeigen
Deßhalben Pallas ſich findet zu wegen.
Spricht ein Meiſter heimlich von hoher art
Wann Paris verwandelt mit ſein gſellen zart
So wird uns Venus ihren Schwefel ſtewren
Daß ſie mit Juno alleſampt im ferner bleiben
So wird gemuſiert bald unſer falck
Den man findet im tauben falck
Dann da ſind man ſein ohne zahl
Kein Geld darff man drum geben überall.
Merck drauff Edler Herr gar eben /
So bringt euch die Kunſt ein ſeligs leben.

Item Rhytmus antiquus.

Nim den Sulphur auß der Venus ſchlack
Damit fülleſtu dein beuthel und ſack

Cum & ex hoc Chryſtallo ſilicis Philoſophi aquam menſtrualem præparaverunt ſequenti modo. Recipe Lapidis acetoſi mineralis calcinati (id eſt vitrioli) partes duas vel tres, & partem unam de lapide albo ſeu re fuſa. Deſtilla aquam cum ſpiritibus optimè, poſtea rectifica in balneo à phlegmate, & remanebit aqua crocei coloris, quam adhuc ter delilla de re illa fuſa, & erit aqua ſolvens omnia corpora ſine corroſione. Operare cum ea juxta intelligentiam, & corpora prius transmutantur in humidum unctuoſum, poſtea in Mercurium, ultimò in aquam, de hoc Philoſophi in occulto fecerunt mentionem.

Alio modo. Coque lapidem tuum candidum in uno caldari per 4. vel 5. dies cum aqua roris in Martio accepti, vel ſimili, ſemper affundendo novam, quouſque humidum radicale lapidis ſeparetur à ſuo compoſito, cujus ſignum eſt ſi in fine ſentias ipſum in guſtu ſicut ſal. Reitera donec ita fiat. Poſt extrahe ipſum cum aquis acutis quantum potes & coagula; Coagulatum ſolve cum aceto deſtillato, vel cum aqua ſimplici, poſtea deſtilla per Balneum, & quod manet pone in locum frigidum & fient inde Chryſtalli, quos ſubitò potes ſolvere vel per ſe, vel admixta octava ſui parte de Mercurio crudo in fimo in aquam clariſſimam, ſolventem aurum & argentum. Quæ diſſoluta iterum pone ad lapillandum & produc Chryſtallos, quas iterum ſolve, donec fiat inde oleum incombuſtibile tingens.

Hîc nunc quantum ad lapidem ſilicis primæ generationis attinet ſubſiſto, & quamvis plura de hac doctrina dicere poſſem ea tamen in Teleſmum Hermetis differo, ſi Deus ſanitatem vitam & ſumptus contulerit.

Quantum ad ſilicem regeneratum attinet, nihil aliud per illum intelligitur, quàm cortices & putamina ovorum, quæ Philoſophi corpus album & clarum de duobus monticulis celandi causâ vocaverunt. Nam quia gallinæ, niſi etiam arena & lapillis veſcantur, ova teſtis carentia ponunt, hinc ſine omni dubio ſequitur, cortices ovorum ex iſtis lapillis in ventriculo concoctis ortum habere. Quamvis autem ex iſtis ovorum corticibus per ſe nullum inſigne opus Philoſophicum materialiter perveniat, nihilominùs tamen operibus Philoſophicis pro illorum præparatione & effectu magno adjumento & utilitati ſunt. Ex illis enim igneæ qualitatis calx paratur cum qua ſi aqua albuminis ovorum bene acuitur, tunc aqua iſta, virtutem nanciſcitur Mercurium per aquam gradationis præcipitatum & rubificatum

catum, tàm ad usum medicum quàm chymicum dulcificandi.

Hæc aqua acuta (quibusdam corrosivum dulce vocata) virtutem habet Chrystallum filicis postquam quatriduò coctus fuit, solvendi & extrahendi, ut Chrystalli inde crescant, ut ex proximè præcedente praxi videre licet. Hæc aqua omnes spiritus mediorum mineralium figit, pro particularium tincturarum præparatione. Quod si vero igneum istum vel etiam calcis communis calorem, in aëre consumi, & vicissim frigidi aëris qualitatem ingredi & incorporari sinas, tunc collapsa ista calx vim habet Mercurios corporum, inprimis autem Saturni Mercurium congelandi & constringendi.

Modus hic est. Cum hac calce imple capsulam cementariam ad mediam partem, convenienter calcem deprimendo & inspissando in cujus medio fac foveam, in quam Metallicum tuum Mercurium vel Mercurios reconde, postea cooperi illos cum eadem calce ad capsulæ summum usque, quam benè lutaram, in igne incubante per 12. dies conserva, & Mercurium induratum invenies. Hoc coagulum in calore fluidum est, picis liquidæ instar, & in frigore Bismuti, vel Zineti duram consistentiam habet. Nam vi magnetica frigus ex aëre, quod in calcem se insinuavit attraxit. Unde calidus Mercurius currens, congelatus & rigidus, imò ad conceptionem & retentionem spirituum igneorum aliquantum aptior factus est. Ubi notatu dignum venit, aëris frigus mediam naturam esse, quæ essentialem cœlestem ignem solis, cum corporali & terrestri sole resoluto, unit. Quod practicæ Mariæ prophetissæ quam in opere trium dierum (de quo postea) observat, non absimile est.

Quid calx de putaminibus ovorum in præparatione Magnetis possit, ut igneus factus verum incombustibile oleum præbeat: Item qua ratione aqua cochlearum, à conchiliis vel testis suis calcinatis acuta facta in aquæ ovorum communis locum succedat; & tandem quomodo testæ marinæ etiam pro generato lapide sint habendæ, cum quibus (prout etiam cum testitudinibus nostratibus montium & aquarum in dominibus suis cum sigillo Hermetis occlusis) non absque rationibus Philosophicis acutissimis, maxima hujus artis mysteria patrentur, nunc differendo, in hoc loco nihil proponam.

Priusquam autem hanc hujus libelli recapitulationem concludam Filium doctrinæ benevolum monitum volo, Athanorem tabulæ 12. posse & debere (sed tamen absque Lampadis igne) ad pigrum Henricum applicari, & cum aqua sicuti Balneum institui. Postquam ergò semen aurificum facta sufficienti putrefactione à corpore fuerit separatum, & manuum labor finitus fuerit, & naturæ labor (post seminis in terram philosophicam excretionem) incipit, tunc idem Athanor de novo pro maturatione denuo inservire potest, hac tamen conditione, ut loco aquæ; cineribus aut arena instruatur, & ignis lampadis secundum gradus alatur & regatur, Hìc enim res ita non est comparata, ut in ovorum exclusione, in qua ab initio, in medio & fine calor sibi semper similis est, sed crescente colore, crescere quoque debet calor, eodem modo ut Sol in Macrocosmo suos fructus cum caloris incremento maturat & coquit.

In hunc igitur libellum introduxi, partim ea, quæ in fundamentalibus Philosophorum scriptis ipse legi, partim quæ ex gravissimorum virorum conversatione didici & auribus percepi, partim quæ propriis manibus tentavi, & experientia comprobavi, non solùm in memoriæ meæ subsidium & exercitationem, verum etiam in artis Hermeticæ filiorum dignificatorum usum, quorum pium propositum ut benignus Deus, laboribus manuum nostrarum benedicendo, in sui nominis sancti gloriam & quovis modo miserorum opem & salutem dirigere dignetur, suppliciter oro.

Hæc benevolus lector boni consulat, & quæ hìc syncerè ac fideliter revelavi, ea sibi soli, non verò subsannatoribus & indignis dicta putet. Quantum ad tractatulos sequentes, eos ideo hic insertos sciat, quia in meis additionibus eorum mentio facta est, & ne cum sumptu alibi illos inquirendi ansa daretur. Quorum verò nulla facta est mentio, illos pro sua instructione ut bonas observationes accipiat. Nam in scibilibus non solum varietas delectat, verùm etiam diversa ingenia diversos habent captus & inclinationes. Si scripta sequentia inquam non omnibus & singulis, aliquibus tamen qui ea grato animo accipient, usui erunt. Quod restat hosce meos labores iis quibus usui esse possunt, ex syncero animi affectu dono.

SVBSECTIO XII.

HYDROLITHUS SOPHICUS, *seu* AQUARIUM SAPIENTUM, *Hoc est*, Opusculum Chymicum, *in quo Via monstratur, Materia nominatur, & Processus describitur, quomodo videlicet ad Universalem Tincturam perveniendum, hactenus nondum visum.*

Publici emolumenti & utilitatis universalis causa typis publicis subjectum.

IAm ab initio Mundi omnibus temporibus multi & singulares à Deo summe illuminati, & experientissimi Philosophi, & sapientes Gentiles extiterunt & repetti sunt, qui naturam & vires inferiorum creaturarum diligentissime considerarunt, & exacte discere conati sunt. Ex quibus omnibus magno desiderio & labore indagârunt, num aliquid in rerum natura foret reperibile quod terrenum hominis corpus, à destructione & mortalitate tueri, & in perpetuo vigore atque statu integro conservare posset. Ex singulari, enim divina influentia, & naturæ lumine, viderunt atque cognoverunt, quod singulare arcanum, & mirandum quiddam hocce in mundo esse oportet, quod Deus omnipotens in humani generis

emolumentum

emolumentum constituisset, nimirum ut omne illud, quod in universo terrarum orbe imperfectum, mancum, corruptumque esset, iterum per singularem arcanamque istam rem renovaretur, in statum integrum perfecte restitueretur.

Diligentissima autem exactissimaque ista sua indagatione tamdem hoc explorarunt atque didicerunt, quomodo videlicet nihil omnino in hoc mundo reperiendum esset, quod terrenum corruptibileque corpus à morte liberare posset (utpote Protoplastis, Adamo & Evæ, in pœnam constituta impositaque esset, atque ab ipsorum posteris nunquam sese separari pateretur) nisi rem hanc unicam, quæ in seipsa à natura incorruptibilis, & à Deo, hominis in emolumentum, ordinata est, ut corruptionem auferret, omnia imperfecta corpora iterum sanare posset, senectutem purgaret, & vitam brevem, quemadmodum in Patriarchis primævis, prolongaret.

Admirandum & secretum hoc subjectum probi peritique Philosophi summa diligentia & studio tam diu investigarunt, donec illud, illiusque nobilem usum invenerunt, quo, per omne vitæ suæ tempus sese recrearunt & conservarunt: idem hoc mysterium magnum & subjectum omnis mirabilitatis ante ipsos, omnes quoque S. Patriarchæ vere sciverunt & habuerunt, atque, ubique omni dubio, Adamo parenti trismegisto à Deo ipso ab initio revelatum monstratumque fuit, idque postmodum omnes Patriarchæ ab ipso (Adamo) hæreditario jure acceperunt, & ex illius viribus, corporis sui valetudinem, longævamque vitam, ac simul ingentes divitias impetrarunt atque consequuti sunt. Divinam, imo admirandam istam rem antedicti Gentiles postquam illam adepti fuissent, pro singulari Dei dono, summaque arcanissimaque arte habuerunt, atque nihilominus simul juxta viderunt, quod illa, per divinam providentiam, pauciori hominum parti revelata, & majori hujus mundi parti occultata fiet & maneat: eapropter etiam eamdem omni tempore pro virili, summo studio celarunt.

Ne tamen post ipsorum obitum oblivioni denuo traderetur, sed & ad posteros porro propagaretur atque conservaretur: idcirco illam libris suis inseruerunt, atque hac ratione fidelissimis suis discipulis multas præclarissimas instructiones & doctrinas de ejusmodi scriptis communicarunt, atque post se reliquerunt: id omne tamen verbis allegoricis ita occultarunt atque implicarunt, ut etiamnum pauci reperiantur, qui sufficiens certumque fundamentum exinde haurire possint. Illud autem certis de caussis nec temere ab ipsis factum est, ut ij, qui sapientiam hanc quærunt, Deum [in cujus manu omnia sita sunt] eo citius ardentiusque, ad impetrandam illam, invocent, &, postquam ea ipsis revelata fuerit, ipsi soli gloriam honoremque attribuant, gratesque debitas persolvant: ne præterea quoque margaritæ nobilissimæ porcis projiciantur. Si enim illud impio mundo manifestaretur, tunc, ob nimiam suam avaritiam, nihil aliud, nisi hoc unicum, desideraret, & tamdem, neglecto omni labore atque diligentia, dissoluta ferinaque vita subsequeretur.

Etiamsi vero toties dicti philosophi de præstantissima ista arte diversimode multumque disputarint, illamque etiam, modo dictam istam ob causam, multis peculiaribus singularibusque nominibus, parabolis mirabilibus, peregrinis sophisticisque verbis indigitaverint: nihilominus commutatis istis locutionibus, unanimi omnium consensu ad unicum scopum unicamque materiam in arte necessariam ducere & monstrare voluerunt. Quamplurimi tamen artis indagatores à secreta istâ materia sæpissimè aberrarunt & limites eo ipso transgressi sunt. Omnibus enim temporibus in hodiernum usque diem, non duntaxat plebeij, verum etiam alii multi eximii & philosophiæ peritissimi Viri reperti sunt, qui sapientiam illam anhelarunt: Eamque non solummodo summo studio, sed etiam magno labore & sumtu quæsiverunt, & impetrare desiderarunt: numquam tamen ad illam pervenire, multo minus illius participes fieri potuerunt. Immo ut plurimi, aureo hamo piscaturi, sæpenumero in irreparabilia damna se ipsos præcipitarunt, & tandem summo cum ludibrio ab illius indagatione abstinere coacti sunt. Ne tamen de arcanæ hujus artis fundamentali certitudine aliquis dubitare queat, illamque ex impii hujus mundi more atque consuetudine, pro mero figmento forsitan habeat: eapropter, exceptis nunc iis, quorum in ipsa SS. Scriptura fit mentio, saltim authenticos Philosophos, una cum aliis ipsorum Successoribus, qui artem istam vere norunt, habuerunt, illiusque participes facti sunt, heic ordine & nominetenus in medium adferam, quales sunt: Hermes Trismegistus, Pythagoras, Benedictus Jesu. Alexander magnus, Plato, Theophrastus, Avicenna, Galenus Hippocrates, Lucianus, Longanus, Rasis, Archelaus, Rupescissa, Auctor Rosarii majoris, Maria Prophetissa, Dionysius Zachar. Haly, Morienes, Calid. Constantius, Serapion, Albertus Magnus, Estrod, Arnoldus de Villanova, Geber, Reinmundus Lullius, Rogerius Baco, Alanus, Thomas Aquinas, Marcellus Palingenius: & illi qui neoterici, & hodiernis nostris temporibus vixerunt, utpote: Bernardus Trevisanus Comes, Fr. Basilius Valentinus, Philippus Theophrastus, & plureis adhuc alii. Quemadmodum nullum omnino est dubium, quod adhuc hodierna luce aliqui, qui, per Dei gratiam, illius sunt participes, illaque arcano sub silentio, etiam cottidie fruuntur, inveniri possent. Cum itaque ordine nunc commemorati Philosophi de summo isto Magisterio vere, & absque omni fuco, scripserint, atque insuper demonstrationem suam ex vero fundamento, & recta scaturigine Naturæ, didicerint: reperiuntur, vice versa, multi pseudo philosophi & impostores, qui de artis illius scientia falso gloriantur, & simili modo de eadem docere conantur, supradictorum Philosophorum scriptis, pro doli sui operculo, turpiter nefarieque abutuntur hominum oculis glaucoma objiciunt, salivam movent, iisdemque, pro lubitu suo imponunt. Quocirca tam ipsi impostores: quam falso decepti sequentem admonitionem probe perpendere necessum habent.

Alpha; Chymista nota; Græcorum quod tibi Beta
Literulam Π *monstrat, fertur & hæc alibi.*
Hanc memora, recti, prætextu fallito nullum,
Et fac, ne claudas voce gemente diem.

Item.

Non fidas Chymico qui destillaverit ara
Ex cista, si tu cautus es, ergo cave.
Si non vis damnum fanna sentire nefandum,
Aufuge tunc tantos improbitate viros.
Simplicis ingenii sequere & pietate modestos,
Non tumidos: laus est posse, bonoque frui.

Tales dic modo ubi invenies?

Quære tamen caros, belle haud cecidere per annum hunc.
Præcellunt reliquis pondere, reque opere.

Cum itaque adhuc fideles diligentesque laboratores

ratores & discipuli arcanæ hujus Artis philosophicæ, qui libenter recta certaque via, absque multis aliis ambagibus, ad illam proficisci conarentur, multis in locis reperiantur, qui tamen per dictos ante homines improbos sophisticosque impostores, eorundemque nullius pretii latratus atque prætensiones pattim ita perturbantur, errorique implicantur, ut multi pene nesciant, an in eadam (arte) ulterius progredi, vel retrocedere debeant. Idcirco de arte ista pauca equidem, vera tamen, & fundamento suo fulta, in lucem proferre atque explicare constitui. Etiamsi vero me indignum judicem, qui de tanto mysterio tractare, vel scribere debeam: nihilominus tamen cum per Dei Ter Opt. Max. gratiam, (ut sine gloriæ cupiditate heic loquar) eo usque grogressus sim, quò pauci, imo tot mille minimè pertingunt; nec etiam præterea talentum; indigno, ab omnipotente Domino feudatario clementissime concessum apud me sepultum latitet: ea propter omnibus philochemicis ex fideli corde (quantum decebit) Epitomen & Declarationem totius istius artis, ac simul etiam, qua ratione videlicet ad ipsam pervenire possint rectam ac infallibilem immo certissimam viam præmonstrabo si fortè per divinam gratiam quorundam oculi aperiri, à præconcepta sua falsa opinione ad rectam semitam deduci atque porro magnalia Dei eò magis manifestari contingat: Pro memoria autem ac faciliori intellectu tractatum istum in quatuor partes distribuam.

In Prima indicabo Principium & introitum artis hujus, & quomodo quis ad istam sese præparare debeat.

In Secunda, per philosophicam descriptionem & instructionem materiæ qualitas, conditio ac cognitio, totus ibidem præparationis modus ac regimen indicabitur.

In Tertia de uberrima artis utilitate, ineffabili efficacia & virtute, ipsi concessa, dicetur.

In Quarta spiritualis Allegoria sequetur, cum toto hocce Magisterio, quod vera idea veri; cælestis sempiterni benedictique lapidis angularis Altissimi est, per omnia conformis, ubi simul vera & necessaria manualis operandi praxis breviter ac simpliciter [speciosis siquidem ambagibus haud delector] describetur.

PRIMA PARS.

Psal. XXV. *Quis est qui Dominum timet? In via optima ipsum informabit.*

PRimò, omnis pius Deumque timens Chymicus, artisque istius Philosophus ante omnia hoc consideret, quod nimirum istiusmodi arcanum, non duntaxat pro summa atque maxima, verum etiam pro sancta arte [quum summum cœlesteque bonum, & Sanctissimum omnipotentis in ea imprimatur atquè depingatur] & habenda, & censenda siet. Idcirco si quis ad summum & ineffabile illud mysterium pervenire cogitat, is sciat, quod talis ars non in hominis potestate, sed in clementissima Dei voluntate consistat, quoque non Velle, vel desiderium, sed Miserere omnipotentis ad illam promoveat. Quapropter ante omnia te pium esse, cor tuum ad eum solum elevare, verò, ardentissima, minus dubiæ precatione, ab eo solo donum illud rogare oportet. Ab eo solo siquidem datur atque impetratur.

Si itaque Deus omnipotens [qui omnium cordium Scrutator est certissimus] in te rectum, fidelem, minusque dolosum animum cernit atque deprehendit, quod nimirum illud ad nullum finem alium quam ad solam ipsius laudem atque gloriam, rimari & discere coneris, tunc, procul omni dubio, juxta illius promissionem, te quoque exaudiet, teque, per spiritum suum Sanctum, ita ducet, ut per media ad aliquod initium commode pervenire possis, de quo sane ne unquam tibi cogitandum fuisset, adeo in corde tuo ipse senties, quomodo nimirum Deus clementissimus orationem tuam clementissime etiam exaudiverit, & ad felicem ingressum, tibi quasi jam jam revelationem exhibuerit & monstraverit.

Posthæc prostratus in genua tua, humili contritoque corde ipsi, pro precum tuarum axauditione, grates debitas, laudem, gloriam, honoremque persolvas, simulque iterum etiam atque etiam roges, ut inchoatam istam gratiam, quam jam modo in corde tuo percepisti, porro per Spiritum suum sanctum propagare, teque ita regere dignetur, ut profundo hoc mysterio, postquam plenariè ac perfectè tibi revelatum fuerit, recte uti, illudque ita tractare queas, ut id ad solam sanctissimi ipsius nominis gloriam & honorem indigentisque proximi commodum & utilitatem dirigatur.

Memento præterea, ne sub jactura æternæ tuæ salutis atque beatitudinis, forsiran mysterium illud indigno vel impio alicui reveles, multo minus communices, aut, illius participem ipsum facias, in summa neutiquam isto abutaris, sed, uti modo diximus, ad solam Dei gloriam, non vero ad propriam tuam laudem convertas, memineris etiam, nisi id feceris sed cum periculo transgressus fueris, te pœnam Dei haud evasurum, & sic longè melius fuisset ut nunquam de eo aliquid sciviſſes, aut cognovisses.

Si jam hisce bene perpensis, te Deo [qui rideri sese non patitur] quasi devovisti, & tibi ipsi, hac ratione, metam scopumque præfixisti: tunc tamdem primum discere incipe, quomodo Deus, Triunus, ab initio universalem naturam ordinaverit, quid illa siet, quid possit, quomodo illa, rebus in omnibus, invisibili quodam modo cottidie operetur, & sola in Dei voluntate consistat, habitationemque suam inibi habeat. Sine namque naturæ vera agnitione opus illud, absque temeritate & periculo, ægre inchoare poteris. Naturæ qualitas & proprietas autem est, ut videlicet unica, vera, simplex, in essentia sua perfecta, & occultus insuper spiritus in ea conclusus sit. Si itaque illam velis cognoscere, tunc, æque ac natura ipsa te verum, simplicem, patientem, constantem, imo pium, & proximo innoxium, & in summa, regeneratum novumque hominem esse oportet.

Si te ita constitutum esse agnoveris, tunc natura ad naturam sese mox adaptabit, atque conformabit, & juxta simul ineffabilis tam corporis, quam animæ, utilitas in te siet conspicua.

Indagatio & speculatio enim istius artis tam sume utilis conducibilisque tibi erit, ut, si principia in ea recte cognoveris, te quasi violenter ad miraculorum divinorum cognitionem ductura sint, adeo ut eo ipso omne illud, quod temporale, & coram mundo in summo habetur pretio nullius pretii æstimaveris. Vice versa vero qui per divitias ad artem istam anhelare nititur, illamque ad mundi hujus superbiam vanitatemque convertere conatur, is quod ad exoptatum finem perventurus siet, numquā bi persuadeat. Quocirca animus, atque, adeo omneis tuæ cogitationes ab omnibus rebus terrenis alienæ, de novo quasi creatæ, & Soli Deo deditæ, sunto

ſumto. Probe enim illud notandum eſt, quod hæc tria: corpus nimirum, anima, & ſpiritus, conformia eſſe, atque una ſimul operari neceſſum habeant. Niſi enim hominis cor & animus eodem modo quo totum opus elaboratum eſt, regatur, omnino ab arte errabis.

Itaque juxta illud actiones tuas omneis conformari poteris. Artifex enim heic nihil agit amplius, niſi quod ſerat, plantet, & irriget, Deus autem ſolus incrementum dat. Quocirca cui Deus adverſatur, illi quoque & univerſa natura inimica eſt: Qui vero, Dei amicus, illi quoque cœlum & terra, atque adeo omnia elementa auxilio ſubvenire coguntur. Si igitur illud exacte conſideraveris, & veræ primæ materiæ cognitionem præ manibus habueris (qua de poſtmodum dicturi ſumus) tunc ad Praxin accedere & laboris initium facere poteris. Ubi te iterum Omnipotentis gratiam & directionem in omni tuo propoſito, implorare oportet, & opus tuum non tantum facile ſuccedet, verum etiam felicem, fortunatum, exoptatumque exitum ſortietur.

ECCLESIAST. XI.

Quique timore Dei manet & verbo ſuo adhæret,
Offi ium expectans, nigra nec alba movet.
Argentum ex cupro hic & ſtanno audet & aurum,
Atque juvante Deo plura parabit ope.
Præſertim cum ſova favet ſibi, fauſtiter aurum
Ex cœnoque luto tunc bene confi iet.

SECUNDA PARS.

Eſai. cap. XXVIII. *Ideo ait Dominus: Ecce pono in Sion fundamentalem lapidem, probatum lapidem, pretioſum lapidem angularem, qui bene fundatus eſt. Qui illum habet, non confundetur.*

TOtics nunc dictam ſummam nobiliſſimamque Artem Philoſophi in ſcriptis ſuis, ante, & poſt perfectionem, non ſatis laudare, eamdemque ſummis præſtantiſſimiſque titulis non condigne ſatis extollere potuerunt. Idcirco illam ita indigitarunt, atque in genere Lapidem Philoſophorum, vel vetuſtiſſimum, occultum, ignotum, naturalem, & incomprehenſibilem, immo cœleſtem, benedictum, beatificatum, & triunum univerſalem lapidem Sapientum appellarunt. Cauſſa vero, cur videlicet hanc rem, lapidem nominarint, vel lapidi æquiparaverint, ex aliis præcipue hæc eſt, quod illius materia ab initio, tamquam minera ex terra, vere lapis ſit, & deinde, quoniam dura atque ſicca eſt, quæ ceu lapis contundi ac teri, &, poſtquam in tria principia (quæ natura ipſa conjunxit) reſoluta fuerit, ex iiſdem de novo in fixum adinſtar ceræ fuſibilem lapidem artificioſè ſecundum legem naturæ coagulari ac digeri neceſſum habeat.

Quantum verò interſit artis indagatoribus cognoſcere primam, alias ſecundam materiam lapidis philoſophici commemorati iſti philoſophi non ſatis inculcare, atque adhortari potuerunt, quæ materia tamen ſaltim unica res, ex qua hic lapis unice & ſolus, abſque ullo peregrino additamento (etiamſi mille nominibus nuncupetur,) præparari neceſſum habet: cujus qualitatem, ſpeciem, atque proprietatem etiam mirabiliter deſcripſerunt, & ſequentem fere in modum indigitarunt. Quod videlicet illa ab initio ex tribus conjuncta, & tamen dumtaxat unum fiet. Item, ex uno, duobus, tribus, quatuor, & quinque procreata & facta, etiam in uno, & duobus, ubique reperiatur. Magneſiam quoque Catholicam, vel ſperma mundi nominant, ex quo omneis res naturales originem ſuam ſortiuntur. Item, quod ſit mirabilis & ſingularis naturæ & formæ habens imperveſtigabilem ac minus notam qualitatem, quæ nec calida aut ſicca ſicut ignis, nec frigida aut humida, ſicut Aqua, nec etiam frigida & ſicca ſicut Terra, ſed omnium elementorum perfecta aliqua comparatio ſit, eſſe quoque incorruptibilis corporis, quod à nullo elemento deſtrui poſſit, ſed cum omnibus ſuis proprietatibus, veluti cœlum & Quinta Eſſentia quatuor elementa & quatuor qualitates, longè ſuperet. Item eſſe quoad externum corporalem adſpectum, figuram, formam, atque ſpeciem, lapidem, & non Lapidem, ac candido gummi aut aquæ albæ magis ſimilem eſſe, nominant quoque aquam Oceani, aquam vitæ, immo puriſſimam benedictiſſimamque aquam, nec tamen eſſe aquam nubium, vel vulgaris alicujus ſcaturiginis, ſed craſſam, permanentem, & ſabnoſam, atque, pro diverſa conſideratione, ſiccam, quæ manus non humectet, pituitoſam aquam, quæ è ſalinoſa terræ pinguedine exoriatur. Item, duplicem Mercurium & Azoth, qui ſuperioris ac inferioris Cœleſtis atque Terreſtris Globi vapore ceu ſudore putritus & ſuſtentatus nullo igne conſumitur. Ipſe enim univerſalis ac ſcintillans Luminis naturæ Ignis eſt, qui Cœleſtem Spiritum in ſe habet, quo ab initio à Deo animatus fuit, qui Omnia penetrans ab Avicenna Anima mundi appellatur, Quemadmodum anima in omnibus humani corporis membris invenitur, & ſeſe movet: ita invenitur & movet ſeſe etiam ſpirirus iſte in omnibus Elementaribus creaturis, qui præterea indiſſolubilis Copula eſt corporis & animæ, atque adeo puriſſima & Nobiliſſima Eſſentia, in qua etiam omnia myſteria latitant mirabilis efficaciæ & virtutis pleniſſima. Illi porro infinitam potentiam divinamque virtutem adtribuunt, dùm inquiunt? Eſſe illum ſpiritum Domini, qui terrarum Vrbem impleat, & ab initio aquis ſupernatarit. Spiritum veritatis quoque illum appellant, qui mundo abſconditus, abſque inſpiratione Spiritus Sancti, vel informatione eorum, qui illum norunt, comprehendi nequeat. Qui quidem in quovis loco ex re quavis potentialiter, in unico vero hoc ſubjecto perfectè ac plenarie tantum reperiatur. In ſumma Eſſe ſpiritualem ſubſtantiam, quæ neque cœleſtis, neque infernalis ſit, ſed aëreum, purum, præſtanſque corpus, medium inter ſummum & infimum, electiſſimum item & pretioſiſſimum ſub toto cœlo. Vice verſa quoque ab iis, qui rem non intelligant, vel primum diſcere incipiant, pro re viliſſima, & quaſi abjectiſſima, æſtumari: quum tamen à multis prudentibus quæratur quidem, à paucis tamen inveniatur, è longinquo conſideretur, in propinquo accipiatur, & adhæc ab omnibus videatur, à paucioribus tamen cognoſcatur, quemadmodum illud ex ſubſequente adnexo carmine videre eſt.

In tria grande bonum diviſum, eſt attamen unum,
Quod curat mundus nilque parumque refert.
Fert præ oculis; manibus gerit, aſt ignorat id Orbis,
Tranſcurrit ſubito neſcius arte pede.
Hæc ſunt divitiæ ſummæ: qui noverit artem
Verbum & habens medium, haud ditior ullus erit.

Ænigma Philoſophicum.

IN quo primateriale ſubjectum Artis quod Phœnix Philoſophorum dicitur, diviſum Ter Trinum invenitur.

Ænigma

Ænigma Philosophicum.

SI cujusque rei tres particulas tibi dico,
Non est, quod quæreris: nam tibi vera fero,
Gramine eges, precibus, trifolino, invise Jehovam;
Quære unum in tribus & de tribus unum oderit.
Mille forent: Anima & corpus quoque Spiritus extant,
Splendent Sol, Sulphur, Mercuriusque gravis.
Tu confide mihi, trifolium intellige gramen,
Scis vocem & cantum, tunc Sophus arte clues.

Aliud multo explicatius.

RES una hoc mundo est, passim reperitur: & hoc fit
Casu fortuito, sedulitate carens.
Cæsius & viridis; dictu mirabile numen!
Huicce rei rubidus par color albus inest.
Sicut aqua hic subito fluit & ceu flumina vadit,
Non madidat, magno pondere fitque levi.
Nomina mille darem, ast hæc ignorant quoque mille.
Vulgare est visu, cum tamen arte grave.
Qui medio solvet, sapiens qui tertio & inde
Claudet, subjectum hic nobile rectus habet.

Ænigma aliud.

LApidis hujus genus undique est: conceptio ejus fit in inferno, partus in terra, vitam invenit in cœlo, moritur in tempore, & demum beatitudinem æternam impetrat.

Si igitur indigitata ista virtute prædita materia (quæ partim cœlestis, partim terrena, & ab initio mera confusio seu confusum chaos est, nullius certi nominis aut coloris) Præsto est, ipsaque bene cognoscitur (quam cognitionem etiam Philosophi, omnibus temporibus pro principali operis hujus membro habuerunt) tunc illi omnia requisita. & quæ porro illius præparario postulare videtur, summo studio præstanda sunt. Priusquam tamen unicus manuum labor cum illa suscipiatur, necessario quilibet pius artifex ante datam doctrinam sibi sedulo in memoriam denuo revocet, atque simul fideliter fiet admonitus, ne prius cum arcano isto opere, & imperscrutabili, qui sub isto occultatus latitat spiritu, sese fortassis implicet, nisi illum in profundis suis qualitatibus atque proprietatibus, atque pro exigente naturæ conformitate, prius exploraverit. Quemadmodum Philosophorum aliquis ea de re monet, & inquit: Cum hoc spiritu nihil tibi intercedat commercii, nisi prius cognitionem & scientiam illius exacte noveris. Mirabilis enim Deus est in operibus suis, & sapientia illius caret numero, quique, uti supra dictum, sese rideri non patitur. Cujus rei sane aliquot exempla heic in medium proferri possent, quomodo videlicet multi, satis leviter operi isti sese implicaverint, jacta autem alea res ipsis adeo male cesserit, ut quidam partim in laboratorio enecati vel alio infortunato casu graviter læsi fuerint. Non enim levis momenti opus est, ut nonnulli sibi fingunt, & ex eo, quod philosophi illud lusui puerili & labori mulierum comparant, tam parvi æstimant. Alia philosophorum fuit opinio, qui secundum operis hujus laborem per se sat facilem, & nullius ferè momenti intellexerunt, illumque duntaxat iis, quos Deus dignatus est & cognitione ejus ditavit, adeo simpliciter leviterque indigitarunt. Cave igitur, cave, inquam, & prospice tibi ne heic nimis tempestive te ipse periculo involvas, sed potius omne tuum propositum fusis ad Deum precibus, divinoque auxilio, ut ab initio fideliter monuimus, inchoës, & tum nihil omnino timebis, nec ulli forsitan periculo subjacebis.

Si itaque nunc te in oratorio tuo summo cum studio exercuisti, & cognitam materiam ad manus habes, tunc in laboratorio diligentiam studiumque tuum commode applicare convenientem laborem ad manus sumere, & ita initium facere poteris.

Primo autem sæpius nunc dictam primam materiam, vel primum Ens, quod Philosophi etiam summum Naturæ Bonum appellarunt, ante omnia dissolvere necessum habes: Dein ab aquositate & terrestrietate (primo enim terrestre grave, crassum, pituitosum, ac instar alicujus nebulæ, aquosum corpus intuentibus adparet) purificanda, illiusque caliginosa, crasse nebulosa umbra, qua obumbrata, tibi adimenda est, ut hac ratione, per ulteriorem sublimationem, ipsi cor & interior anima, quæ in ea occulrata latitant, exinde etiam dividatur, & in suavem essentiam reducatur.

Omnia hæc perfici possunt aquâ nostra Pontica ac catholica, quæ per cursum suum reciprocum universum terrarum orbem irrigat & fœcundat, quæque dulcis, pulchra, clara, limpida & spendida est, omnem auri ac argenti, carbunculi ac adamantis splendorem mire superans. Benedictam hanc aquam etiam materia nostra ante dicta sibi inclusam servat & continet.

Extractum illud Cor, Animam & Spiritum, postea cum proprio suo Sale (quod prædictæ materiæ in specie insertum in interiori suo coloris sanguineo rubei est, post præparationem verò album, candidum, clarum ac diaphanum evadit, à Philosophi Sal sapientiæ nuncupatum) iterum destillari ac congelari oportet, ut rursus in rem unicam redigatur. Atque adeo, per tuum hactenus usurpatum processum, (qui labor anterior nuncupatur) primo saltim purum ab impuro, separasti, & visibile invisibile, & dein invisibile iterum visibile, sive palpabile feciisti, quod jam non amplius tam grave grossum ac incultum est, ut erat ab initio, sed lucidissimum odoris etiam suavissimi, Saporis verò penetrantis, naturæ insuper subtilissimæ ac aëreæ ita, ut si aëri permitteretur, de seipso (quamvis in seipso fixum inibi sit) evolaret ac evanesceret: qua de causa Sapientes Aquam Mercurialem, vel Mercurius Solis, & suum quoque Mercurium nominarunt subjectum vero hoc, quamdiu in prædicta forma manserit, absque ulteriori præparatione si in medicina uti volueris, parum utile, sed venenum potius tibi erit. Quocirca si locupletissimo illius dono, & multifario usu frui velis, ulterius procedere, & per alia singularia media & labores, plura tentare te oportet.

Interea tamen necessario & diligenter sies præmonitus, ut Naturæ Operationes, quas successu temporis exercet probè observes, easque in omni labore tuo æmuleris. Illud si nosti, tunc supradictæ præparatæ aquosæ materiei duas partes sumito, & iterum tres diversas partes; Duas istas priores partes serva. Tribus verò partibus aliam materiam adde, Nobilissimum scilicet à Creatore summè dotatum Auri Corpus, quod primæ materiæ; affinitate propinquissimum eique amicum est. Hujus partem unam in pondere ad duodecimam pro prima Fermentatione addito; Utrumque enim, spiritualis nempe, ac cœlestis præparata aquea Materia, & terrenum hoc Solis corpus conjungi, atque in unum corpus coagulari debent.

Notandum tamen heic est, quod vulgare aurum rei huic non inserviat, sed pro minus idoneo &

mortuo quaſi habendum ſiet. Licet enim illud ab Omnipotente Deo omnium metallorum pulchertrimum & pretioſiſſimum declaratum fuerit, nihilominus tamen, dum adhuc in ærifodinis latitavit, in perfectione crescendi impeditum fuit. Per quotidianum præterea uſum, interiores ejus vires, hoc eſt, Sulphur ſeu Anima, nimirum debilitantur; & ſemper adhuc in dies rebus aliis illicitis, quæ ipſi minime conveniunt, miſcetur, unitur, atque inquinatur. Et ſic magis magiſque ad rem hanc minus idoneum redditur. Summo igitur ſtudio tibi de puro, vivum ſpiritum habente auro proſpicito, quod in ſuphure ſuo, veluti ante diximus, nondum debilitatum, nec ſophiſticatum ſit, ſed omnino [ſi per Antimonium vel per cœlum & Sphæram Saturni tranſiit, & inibi ſeſe à ſuis ſordibus purificavit] purum deprehendatur, alias Materia altera cum ſpiritu, & virtute ſua in hoc ingredi non poteſt. Hoc enim opus per omnia purum corpus requirit, nec penes, apud, & circum ſe impuri quiddam unquam tolerare poteſt.

Si igitur nunc tam aquæ, quam auri, partes inæquales (quæ duo nondum taxat, Qualitate, ſed etiam Quantitate multum differunt: primum ſiquidem, poſt præparationem facile, tenue, ſubtile, atque molle, altera autem grave admodum, firmum atque durum eſt) in patera ſolutoria conjunctæ, & in ſiccum quaſi liquorem, vel amalgama redactæ ſunt, tunc primum ſex, vel ſeptem diebus in leni calore, qui ſaltim tepidus ſit, relinquas: tunc iterum de prioribus tribus aquæ partibus unam partem detrahe, illamque rotundo vitreo vaſculo, phiolæ vel ovo ſimili, infunde, temperatum liquorem in medium illius pone, & tunc iterum ſex, vel ſeptem diebus ita relinquito, & Corpus Solis per aquam ſenſim diſſolvetur: quo facto amborum horum conjunctio ſuum ſumit initium, & unum in altero tam ſuaviter & eleganter, veluti glacies in aqua calida, miſcetur. Idque Philoſophi diverſimode indigitarunt, atque Sponſo, & Sponſæ [quemadmodum etiam Salomon in Cantico Canticorum ſuo ait] compararunt. Hoc ſi factum, tunc primam aſſervatam tertiam partem quoque aliis ſuperaddito, attamen non in uno, vel ad unum diem, ſed diverſis ſeptem vicibus, intropoſitum enim corpus alias nimis humidum fieret, & tandem immerſum omnino corrumperetur.

Quemadmodum enim ſemen, dum terræ injectum ab initio nimiam aquam, pluviam, vel humiditatem habet, nullos fructus profert, ſed ſuffocatur & perit agricolæ ſeges; Ita etiam cum opere hoc noſtro comparatum eſt. Hoc itidem peracto, vitrum, diligentiſſimè obſignato, vel conglutinato, ne compoſitum odore ſuo deſtituatur, vel avolet: Pone dein in furnum tuum, eique levem, continuum, aëreum, vaporoſum & unius gradus, ignem ſubminiſtra, qui calori gallinæ ovis incubantis aſſimiletur.

NOTA.

PHiloſophi multa ſcripſerunt de vaporoſo igne, quem ignem Sapientiæ appellarunt, illumque non elementarem & materialem, ſed eſſentialem, ignem eſſe dixerunt, qui etiam divinus ignis, nominatur, hoc eſt, aqua Mercurii, quæ vulgari cum igne, auxilio & arte, incitatur: Ab initio leniter digerito & coquito, cave, ne de eo aliquid ſublimet, vel veluti Philoſophi parabolice loquuntur, uxor viro imperet, aut maritus imperio ſuo erga coſtam ſuam abutatur, &c. idque tum proceſſum ſuum ordine continuo, abſque ullo alio labore, (ſolius ignis cura & adminiſtratione exceptis) à ſe ipſo perficit: Ut pote primo terrenum adjunctum Corpus Solis totaliter ſolvitur, conteritur, deſtruitur, & putreſcit, atque adeo omnibus viribus ſpoliatur (ubi ſane ab initio caliginoſum, poſtmodum vero omnino atrum nigrumque colorem parit, idque Philoſophi caput corvi nuncuparunt, & plerunque quadraginta dierum ſpatio fieri ſolet) ita ut tandem Anima eidem quoque exuatur, in altum ducatur, & prorſus ſeparetur, hinc aliquandiu, abſque ullis viribus, mortui inſtar, in fundo vitri, veluti cinis, hærebit. Poſtea vero, ſi aucto igne, indeſinenter dirigitur, ſenſim ac guttatim iterum deſcendit, imbibit, humectat, potat atque conſervat Corpus ſuum, ne omnino contabeſcat & comburatur. Denuo deinde aſcendit ac deſcendit, idque ſeptem ferè vicibus. Ubi ignis iterum uno gradu intendi debet, non tamen dum in finem, quaſi tibi cum eo properandum ſiet: Medium & regimen ignis ſiquidem, in quo plurimum ſitum eſt, ſumma cura & diligentia adminiſtrandum eſt. Interim vero, in vitro, velvaſculo, varia ſigna & colores, [qui obſervandi, & bene notandi ſunt] apparebunt. His igitur ordine conſpectis, bonum eſt indicium, quod feliciſſimus eventus ſubſequuturus ſiet.

Primò ſeſe oſtentant grana inſtar piſcium oculorum, dein circulus circa illam materiam, quæ jam ſubrubora, jam albida, tandem viridis & flava fit inſtar caudæ pavonis, poſtea candidiſſima ac tandem rubicundiſſima, donec, adhibito ultimo ignis gradu, anima & ſpiritus, cum ſuo corpore, quod in fundo jacet, in indiſſolubilem ac fixiſſimam Eſſentiam uniuntur, quæ unio & conjunctio, propter ineffabilem admirationem, non ſine horrore atque formidine, videri atque conſiderari poteſt: Sicque reſuſcitatum, vivum, perfectum, atque glorificatum corpus videtur & invenitur, quod elegantiſſimam purpurei coloris rubedinem, inſtar alicujus Coccini, in ſe habet, cujus tinctura dein omnia imperfecta corpora immutat, tangit, ſanatque, quo de poſtmodum plura dicturi ſumus.

Opere itaque, Dei Ter Opt. Max. ope & auxilio, feliciter nunc ad finem perducto, & Sapientum Phœnice reperta, iterum flexis genibus & corde devoto, Omnipotenti Deo, qui præcipuus, totius hujus operis Rector fuit, pro eximiis ſuis exhibitis beneficiis & gratia, gratias ages, & tamdem illud, ad illius laudem atque gloriam, in emolumentum membrorum indigentium. & bene collocabis, nec male uſurpabis. Habes itaque hic veram totius Proceſſus informationem, quo cum Nobilis hæc ars, & ſummum opus, ovum nempe Philoſophicum, & Philoſophorum Lapis, reſerari, præparari, & abſolvi poterit.

Epilogi loco, & hoc quoque ſicco pede minime prætereundum eſt, quod, ſi fortuitus aliquis error, vel minus conveniens operatio [quod facile fieri poteſt, & perfectionem vehementer impedit] committatur, tempeſtive remedium quærendum, & malo medendum ſiet. Si itaque primò videris, quod ante diſſolutionem, & nigredinem aliquid ſeſe ſublimet, & aſcendat, vel quaſi rubrum oleum (quod malum eſt indicium) materiam ſupernatet.

II. Si vel ante, vel poſt albedinem juſto citius rubeſcere incipiat,

III. Si in fine ſeſe non accommodare vel coagulari velit.

IV. Si materia per æſtum ita mutata & inverſa ſiet, ut

ut etiam, dum eximitur, in candente ferro non illico, instar ceræ, liquescat, ferrumque tingat ac coloret, nec postmodum etiam in igne fixum permaneat. Omnia hæc, certissima siniſtræ Dispositionis, Regiminis aut Negligentiæ signa sunt.

Quibus defectibus, ac erroribus, nisi invaluerint, & mature iisdem prospectum fuerit, facile occurri, illæque adhuc corrigi poterunt. Summa autem industria, singularia itidem stratagemata & artificiosæ manuum operationes hic requiruntur, quas quilibet peritus artifex omnino nosse debet.

Verum enimvero, in Tyronum, ac discipulorum gratiam media ista quam brevissime hic recensebo: Si igitur dictorum errorum unus, vel etiam plureis deprehenderentur, tunc totum compositum ex vitro iterum sumere, illud denuo solvere, & cum antedicta aqua Mercurii (quam Philosophi etiam lac virginis, vel primæ materiæ, Lac, Sanguinem, & sudorem: Item, indestructibilem fontem, vel aquam vitæ, quæ tamen etiam maximum venenum in se continet, nominarunt) imbibere, humectare & efficacem reddere, & tum iterum tam diu coquere poteris, donec nihil amplius sublimet, vel sursum ascendat, aut congelatio & fixatio in ipso opere perfectè, quemadmodum antea indigitatum est, & recte sese repræsentet: De subsequente sua fermentatione atque multiplicatione in terra parte, de illius utilitate plura dicentur.

De tempore, præterea, quod ad id requiritur, quando, & quamdiu videlicet ad quemlibet Actum ista expeditio fiat, heic aliquando fusius aliquid dicendum esset, id quod tamen hoc in loco nullo certo termino describi poterit. Dicti enim isti Philosophi diversæ sunt opinionis, cum quemadmodum eo ipsorum Scriptis videre est, semper unus præ altero, effectum tardius consecutus fuit. Verum antehac admonuimus, & diximus, quod in iis omnibus natura (qua ratione illa rebus in omnibus sese repræsentat) bene observanda siet. Quod si quis facit, illud sedulo observat, & in omni re simul rectum medium tenet, tunc citius tali cum opere ad perfectionem pervenire poterit.

Sed adhortor simul & informo te hac in re, ne sub ingressu anterioris, vel posterioris laboris cum calculo tuo, hunc characterem X, medium, vel punctum transcendere, sed juste dividere, & porro cum dimidia hujus X. characteris parte (hoc est, V.) in operis compositione retrocedere debeas. Quo facto, tum postea, si illud iterum conjunctim recolligas & XX. ipsius partem recte numeres, in isto numero (nisi aliud intercidat obstaculum) vel tempore, cum opere tuo etiam ad finem pervenire poteris. Tali tempore contentus esto. Si enim terminum aliquanto propius quærere velis, illud temerarium est, & mox heic erratur. Unica siquidem etiam hora te totum mensem retardat, aut, si scopum adtingas, tantundem promovet. Probe tamen notandum tibi est, ne calculum nimis tenaciter contrahas, vel, uti dictum, illum omnino transcendas. Illud siquidem si fieret, abortum produceres. Multi siquidem, per putatitiam suam festinationem, vel imperitiam, ex sperato suo Elixir Nihilixit quoddam adepti sunt.

Et hoc (cum Magica hæc scientia non adeò levis sit momenti) filiis sapientiæ, ut de eo altius cogitent atque judicent, paucis duntaxat, significare volui.

ÆNIGMA.

Septem sunt Urbes, septem pro more metalla,
Suntque dies septem, septimus est numerus:
Septem literulæ, septem sunt ordine verba,
Tempora sunt septem; sunt totidemque loca:
Herbæ septem, artes septem, septemque lapilli.
Septem cunque tribus divide, cautus eris,
Dimidium nemo tunc præcipitare peteſcet:
Summa: hoc in numero cuncta quiete valent.

Processus totius Operis breviter hic indicatur.

PRIMUS sive LABOR PRIOR.

Materiem dissolve tuam, putrefacque perinde,
Post distilletur, res facque congula fiat.

Labor Secundus vel posterior.

Res conjunge duas, putrefac, nigrato subinde;
Digere, dealbescat donec ab arte tua.
Tandem ad supremum rubifacque, coagula prosit
Res arti, hoc facto, fige, vir amplus eris:
Et si tu posthac hoc fermentaveris, orbi.
Totum absolviſti fauſtiter artis opus.
Tunc tantam partem tangas solenniter, & quæ
Mille tibi subito multiplicabit opes.

Vel sic, quod brevius.

Quære tria inque uno, rursum quære in tribus unum;
Solve & conclude & certior artis eris.

Ænigma, in quo etiam Processus indicatur.

Spiritus ipse datur pro tempore Corpori, at ille
Exhilarans Animam Spiritus arte cluet.
Spiritus ille animam subito si contrahit ad se,
Nullum se abjungit segregat atque suo.
Tunc tria consistunt & in una sede morantur,
Donec solvatur, nobile corpus, opus.
Putrescat nec non moriatur, separat istis:
Tempore at elapso Spiritus atque Anima
Æstu conveniunt extremo sive calore,
Quisque suam sedem cum gravitate tenet.
Integritas præsto est, nulla & perfectio desit;
Amplis lætitiis glorificatur opus.

Proverb. XXIII. Cap.

Da mihi, mi fili, cor tuum, & placeant oculis tuis viæ meæ.

TERTIA PARS.

Syrach. XLIII. Quis illum tam alte prædicare poteſt, quam altus ille est, Operum suorum minimum videmus. Multo majora namque nobis sunt abscondita. Omne enim quod est, id fecit Dominus, & scitum dat Deum timentibus.

DE summa hacce, toties nunc dicta Arte, vel ingenioso Philosophorum lapide, ad optatum finem perducto, & de illius laude, virtute & efficacia, ineffabili etiam utilitate non sufficienter scribere, vel condigne satis prædicare potuerunt Philosophi. Primò enim pro summa & maxuma felicitate in hac ter æstimarunt atque celebrarunt, sine quo nemo hoc in mundo ad perfectionem pervenire potest. Morienes enim ait: Qui hunc habet lapidem, is habet omne, & nullo alieno auxilio indiget. In eo enim est omnis temporalis felicitas, corporalis valetudo, & omnis fortuna.

Eumdem illum lapidem & porrò ita commendarunt, quod spiritus & efficacia ejus, quæ in illo latet, siet spiritus quintæ Essentiæ, qui sub circulo splendoris Lunaris est, immo esse illum cœli fultorem matisque motorem. Esse, præterea, illum,

præ cæteris cœleſtibus ſpiritibus omnibus, electum ſpiritum, ſubtiliſſimum, Nobiliſſimum, puriſſimum ſpiritum, cui cæteri omneis, tamquam Regi obediant, qui etiam hominibus omnem ſalutem proſperitatemque conferat, omneis morbos ſanet, piis temporalem honorem longævamque vitam largiatur, malos vero, qui ipſo abutuntur, æternæ pœnæ ſubjiciat: Et in iis omnibus probatum, perfectum, infallibilemque illum inventum eſſe. Quocirca illum Hermes & Ariſtoteles verum, ſine mendaciis, certum, omnis certiſſimi, arcanum arcanorum omnium, divinam, ſtultis occultatam, Virtutem nominant. In Summa, ultimum & ſummum, quod ſub cœlo videri poſſit, & mirabilem concluſionem ſive epilogum omnium Philoſophicorum operum eumdem nuncuparunt. Quocirca etiam aliquot pii Philoſophi omnino ſtatuerunt, quod Adamo primo homini, è ſupernis illud revelatum, & dein ab omnibus SS. Patriarchis ſingulari deſiderio expetitum fuerit.

Noahus enim, arcæ exſtructor, & Moyſes, qui tabernaculum, & aurea in eo vaſa, quemadmodum etiam Salomon in honorem Dei templum, & multa alia præclara opera, & omnis generis ornamenta, & ingentia alia facta perfecit, longam ſuam vitam ingenteſque divitias, eo ipſo impetraſſe dicitur.

Quemadmodum etiam Philoſophi fatentur; quod per illud ſeptem artes liberales invenerint, & ſuſtentationem ſuam exinde ſi quæſierint, & conſequuti etiam fuerint. Et hoc Deus in ipſorum emolumentum illis largitus eſt, ne in ſuis ſtudiis, & indagatione ſapientiæ, paupertatis cauſſa, forſitan impedirentur, nec à divitibus & impiis hujus mundi, ad adulandum, vel pecuniæ gratia, artem & arcana iſta ipſis revelandum, ipſi, una cum ſua ſapientia, ob mendicitatem ſuam, contemnerentur & ludibrio haberentur.

Magna inſuper & occulta miraculorum divinorum myſteria, atque ingentes Gloriæ divinæ divitias exinde cognoverunt & didicerunt. Et eo ipſo quædam corda à Deo excitata ac inflammata ſunt, ut ulterius ad ipſius cognitionem deducti fuerint. Per illum namque theſaurum non magnas divitias mundanam, vel temporalem voluptatem & ſuperbiam quæſierunt, vel conſequi concupiverunt, ſed multo potius omnem ſuam voluptatem atque lætitiam ex contemplatione miraculorum in creaturis abſconditorum conceperunt: quæ præclara opera & creaturas Omnipotentis ſanè illi longe aliter conſiderarunt, atque inſpexerunt, quam, proh dolor! à moderni ſeculi hominibus fieri ſolet, qui eaſdem haud multo aliter, quam vaccæ & vituli, intueri ſolent, & ſimul Nobiliſſimam hancce artem, propter avaritiam, luxuriam, ſuperbiam, honorem temporalem, & voluptatem quærunt, in quo longè hallucinantur. Deus enim iſtiuſmodi dona non impiis, & verbi ſui contemptoribus, ſed duntaxat piis, qui, in malo & immundo hocce mundo honeſtam quietamque vitam tranſigunt, honeſte ſeſe ſuſtentant, indigenti proximo manus auxiliatrices porrigunt, communicat juxta Poëtæ verſiculos:

Ingenuiſque probis hanc ſaltem dat Deus artem.
Auro quam mundus ſolvere forte nequit.
De qua, non opus eſt, aliquid ſciat ordine vulgus.
Impiis eſt, fruſtra hic quæritat hic lapidem.
Qui tenet hunc tacite, reſidet, quocunque loco optat.
Non caſum aut furem, nec timet ille malum.
Hac vice ſunt pauci, quibus hæc ſacra munera dentur,
Fert Deus in manibus, qui placet, huicce dabit.

Etiamſi vero de artis hujus operatione, virtute, & utilitate varia ſcripta, & per alios luce publica donata fuerint: quomodo videlicet hic lapis, præparatus tamen & plus quam perfectus factus, ſumma medicina inter omneis medicinas ſiet, quo non ſolummodo omneis morbi, utpote Podagra, & lepra, curentur, ſed etiam, à decrepitis uſurpatus, eoſdem juveneſcere iterum faciat, iiſdemque amiſſas ſuas vires, priſtinumque robur reſtituat, & ſemimortuos recreet ac vivificet: nihilominus hoc in loco & meo in Tractatu, quum nullus ſim Medicus, ſicco pede tranſibo, ne tali elogio ipſis ipſorumque facultati aliquid hic præſcribere videar: Sed qui illum per Dei gratiam, habet, & commode uſurpare novit, illi, judicium & elogium ejus relinquo. De aliis tamen illius qualitatibus & utili uſu, ex cottidiana oculari experientia (cujus ipſe, divina favente clementia, partim particeps factus ſum) pauca hic ſubjiciam.

Primo, ad agnitionem Dei, quemadmodum etiam ipſa naturæ miracula, quæ artis iſtius beneficio manifeſtata fuerunt, quod attinet, pro ſummæ ſuæ dignitate, non ſufficienter deſcribere, vel eloqui poſſum: in hoc enim homo imaginem SS. Trinitatis, in una divina indiſſolubili eſſentia, & quomodo illa differat, & tamen unicus ſaltim Deus ſiet, ac ſimul in ſecunda perſona divinitatis, de humanæ carnis aſſumptione, nativitate, paſſione, morte & reſurrectione: exaltatione ſua itidem, & nobis hominibus, creaturis ſuis, morte ſua merita æterna beatitudine: Porro etiam de purificatione peccati originalis, mediis impetrandis, ſine quibus omnium hominum conſilia & actiones, omniaque ejuſdem opera fruſtra & nihil ſunt: In ſumma omneis Chriſtianæ fidei articulos, totumque proceſſum, quem homo, per varias tribulationes & anguſtias, perficere neceſſum habet, donec tandem iterum ad novam vitam reſurgat, elegantiſſime, tamquam in ſpeculo depictum, videre poterit, quo de poſtea in Quarta parte plura dicturi ſumus.

Secundo, Corporalem naturalemque utilitatem concernens, quæ inde exoritur quomodo nimirum, per Tincturam ſuam, omnia imperfecta metalla, perfecta, & in clarum purumque aurum immutentur, illud, promiſſis meis fidem ut faciam, etiam hic breviter indicaturus ſum.

Toties itaque nunc dictus lapis vel Elixir, ſi ad effectum eo uſque perductus ſiet, & modo dicta uſui inſervire & tingere debet: tunc ulterius ut fermentetur augmenteturque, neceſſum eſt: alias enim cum Tinctura ſua, ob ſubtilitatem ſuam, nullam commodam projectionem in aliis imperfectis metallis & corporibus ægre habere poterit.

Quocirca primum una pars toties dictæ medicinæ ſumatur, cui adde tres partes Auri optimi per Antimonium fuſi & purificati, ac in tenuiſſimas laminas deducti. Fluãt ſimul in crucibulo, ut moris eſt.

Quo facto totum compoſitum etiam in puram efficacemque Tincturam tranſmutabitur, adeo ut cum unica Tincturæ illius parte, dein etiam mille ſimplicium metallorum partes tingere, & ad purum aurum redigere tunc potis ſit.

Nota: Quò puriora & materiæ propinquiora metalla ſunt, eo facilius Tinctura ipſa recipit, & Multiplicatio quoque eo altior & commodior ſeſe repræſentat. Omne enim impurum minuſque idoneum, quicquid hic reperitur, ſeparatur, &, tamquã ſcoriæ omnino abjicitur. Simili quoque modo & cũ imperfectis metallis & vitioſis lapillis pretioſis

gradatio

gradatio & transmutatio fieri, & Chrystallum ita tingi potest, ut etiam cum Nobilissimis, pretiosissimisque lapillis æquiparetur, & multæ insuper res adhuc aliæ, quæ impio mundo neutiquam revelandæ, eo ipso perfici poterunt. Tales, & id genus alias res præstantissimas sæpius à nobis commemorati Philosophi, quemadmodum etiam adhuc hodie omneis veri Christiani, qui arte & clinodio isto à Deo Ter Optimo Maximo donati dotatique sunt, pro vilissimo & minimo in hocce Magisterio habuerunt: siquidem respectu prioris præclarissimæ rerum cœlestium cognitionis pro nihilo habendæ sunt.

Et in ipsa rei veritate scias, quod ille, cui altissimus donum illud clementissime concessit, omnem pecuniam atque divitias hac in terra, cœlestium bonorum respectu, non secum ac cænum in plateis æstumet. Cor, omneque illius desiderium enim eò saltim tendit, ut in æterna vita illud, quod heic terreno figuratoque dumtaxat modo conspexit, etiam cœlesti modo & ipsa in rei veritate intueri, eoque frui queat: quemadmodum etiam illud Sapientissimorum Regum Sapientissimus Rex Salomon, lib. Sap. cap. 7. testatur, dum inquit: Majori pretio & carius habebam Sapientiam, quam regna & principatus, clarior mihi erat quam divitiæ, nec comparavi illi lapides pretiosos, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimavi argentum respectu illius. Illi itaque, qui artem istam ad honorem temporalem, voluptatem & divitias consequendas, expetunt, pro stulto stultioribus censendi, atque æstumandi sunt, quibus nunquam hoc, quod magno sumptu, labore & molestia tamdiu quærunt, & corda, animum, omnesque cogitationes suas ita excruciant, obvenire. potest. Qua de caussa Philosophi temporales divitias, (non quod per se malæ sient, Genes. cap. 2. enim à Moyse, aliisque locis SS. Scripturæ pluribus, tamquam res pretiosa, & præclarum Dei donum, summopere commendatur) sed turpissimi abusus, caussa, ita contemptim habuerunt, ut rem, quæ ad rectum verumque bonum perveniendi, hominibus magnam remoram injiciat, atque omne reliquum, quod alias in hoc mundo rectum, in perversam confusionem convertat: quemadmodum etiam celeberrimus ille Marcellus Palingenius Stellatus in suo Poemate, (quod Zodiacum vitæ appellavit) sub signo Sagittarii, illud eleganter descripsit, & detestandam avaritiam graphice depinxit, ad quem etiam Lectorem benevolum nunc ablegatum volumus.

Ex quibus videre & colligere est quomodo nimirum vir ille Clarissimus, qui vere hancce artem, veluti ex Naturæ Zodiaco suo deprehenditur, habuit aurum & argentum, tamquam bona temporalia, virtutis respectu, tam nauci æstimaverit atque contempserit.

Quocirca etiam omneis, veluti antea monuimus, Sapientiam, rerumque cœlestium cognitionem, terrenis caducisque rebus longe prætulerunt, & in tota sua vita, omnibusque adeo, suis actionibus solum eventum finemque respexerunt, ut hac ratione immortale nomen, laudemque perpetuam exinde reportare possint: id quod Sapientissimus ille Salomon, in Proverbiis suis cap. XVI. etiam docet inquiens: Accepta sapientiam, melior enim est illa quam aurum, & intellectus pretiosior argento. Et porro cap. 22. idem ille: Bona fama nomenque, ait, pretiosior est ingentibus divitiis, & ars auro argentoque melior. Syracides, vir ille sapiens, itidem cap. XXIV. ita exhortatur, inquiens: Vide ut bonum nomen retineas, certior enim ille manet, quam mille auri thesauri.

Ob has & alias virtutes, quæ ex ista Lapidis Philosophia promanant, eumdem istum Lapidem, uti dictum sæpius, Philosophi non sufficienter laudare atque celebrare potuerunt: quocirca etiam in scriptis suis omne studium operamque eo contulerunt, ut ars ista ulterius propagari, sapientia acceptari, & vita denique juxta illam conformari instituique queat. Insipientibus tamen omne obscurum, caliginosum, & intellectu difficile, est veluti Salomon, in Proverbiis suis, ab initio usque ad cap. VI. summopere id conqueritur, summoque studio, ad illam (sapientiam) sectandam, homines adhortatur, & Ecclesiast. c. 3. ita inquit: Mi fili, humili statu contentus esto, melius id siquidem, quam omne, quod mundus concupiscit. Quo major es, eo magis te humilies, & Dominus tibi tum favebit: Dominus namque altissimus, & magna facit per humiles.

QUARTA PARS.

Psal. LXXVIII. & Matth. XIII. Aperiam os meum in parabolis, & eloquar arcana à mundi initio.

QUando Deus omnipotens per divinam suam vocem humano generi arduum & singulare quiddam, de admirandis, altis, cœlestibusque suis mysteriis, revelare voluit, tunc plerumque id fecit parabolice, quæ parabolæ nobis in terrena haccè vita notæ, cottidie oculis nostris observantur, nobisque propositæ atque depictæ sunt. Exempli gratia, cum Deus Genes. cap. III. Adamo in Paradyso, post lapsum, pœnam suam mortalitatem corporalemque mortem videlicet, indicare vellet, illud sequentem in modum ipsi innuere & significare voluit, quod, cum terra per se ipsam nullam omnino vitam habeat, ille verò de terra sumptus formatusque siet, eapropter etiam terræ rursus similis fieri deberet. Item Gen. XV. & XXIII. cap. Dum Deus Abrahamo seminis familiæque sui augmentationem indigitare voluit, illum stellas in cœlo, arenam in mari, & pulverem terræ ad typum intueri jussit, Istiusmodi diversas, peramœnas, suavesque Præfigurationes typicas etiam Deus in Prophetis populo suo Israëlitico, si singulare quiddam ipsi denunciare voluit, proponi & monstrari jussit. Idque postmodum Christus ipse, os & fundamentum veritatis, in suo Testamento fecit, atque adeo res omneis per parabolas, quo melius ejus doctrina intelligeretur, proposuit: utpote dum nobis summam beatitudinem, verbum suum divinum & Evangelium innuit, tum protypo utitur bono maloque semine, sive zizania, quam hostis in agrum sererat: Item occultato thesauro & margarita, granulo triticeo, grano synapis, fermento, &c.

(*Vide de hisce Luc. 8. Matth. 13. & 23. Luc. 19. & Matth. 20. cc.*)

Dum præterea Regnum cœlorum præfigurat, nobis parabolam, de magna Cœna & nuptiis Regis, proponit: quemadmodum etiam universalem Ecclesiam Christianam, ejusdemque statum, cum vinea, & Rege à Ministro rationem exigente comparat. Item ea quoque similitudine utitur de Nobili Domino, qui famulis suis bona sua concedit, de prædicta bove & ove, filio perdito, & id genus parabolis aliis.

Vide Matth. 18. Luc. 16. Matth. 25. Luc. 18. Marc. 12. Luc. 18. Luc. 10.

Quum itaque nobis istiusmodi exempla & similitudines

tudines unice & ſolummodo ideo datæ fuerint, ut illud, quod cœleſte, & humanæ imbecillitatis ergo, difficile comprehenditur, eo facilius intelligere, nobiſque imaginari poſſimus: quanto potius igitur æternus Deus ſummum bonum, Filium ſuum, Dominum & Servatorem noſtrum Jeſum Chriſtum videlicet, qui totum humanum genus, obedientia & merito ſuo, de morte æterna liberavit, regnumque cœlorum reparavit, nobis in corporali aliqua figura proponere debuiſſet? Illud ſiquidem ſummum myſterium Dei omnipotentis difficillime ab hominibus comprehenditur.

[*Epheſ.* 3. *Col.* 1. *Eſa.* 45. *Cœli rorem demittant, & nubes pluant juſtis: Terra ſeſe aperiat, vireſcat, & proferat Salvatorem.*]

Et licet illud nobis in Veteri Teſtamento, & alias etiam in aliis typis ſignificatum fuerit, in Iſaaci Sacrificio videlicet, & Jacobi Scala, Joſephi venditione mirabilique Statu, Serpente æneo, Samſone, Davide & Jona: nihilominus tamen Deus omnipotens tam altum & cœleſte bonum, ex abundantia, alia quadam, mirabili & arcana re tamen, nobis hominibus ad magnum Naturæ librum præmonſtravit & in lucem protulit, ut hac ratione, juxta alia, etiam corporalem aliquam, viſibilem, apprehenſibilemque ideam cœleſtium iſtorum bonorum & donorum habere poſſimus. Quam terrenam corporalemque rem ille ipſe in verbo ſuo nobis ita propoſuit, dum apud Prophetam Jeſaiam cap. XXVIII. ſic ait: Ecce pono in Sion angularem lapidem probatum beneque fundatum lapidem: Qui credit, non fugit. Similiter & Regius Propheta David per Dei Spiritum, in CXVIII. Pſal. ita inquit: Lapis, quem architecti rejecerunt angularis lapis factus. Id à Domino factum & mirabile eſt oculis noſtris.

Quemadmodum etiam iſtam præfigurationem modo dictus angularis Lapis Chriſtus ipſe Matth. 21. ad ſe derivat, inquiens: An numquam in Scriptura legiſtis? Lapis, quem rejecerunt architecti, lapis angularis factus, à Domino id factum & mirabile eſt oculis noſtris: qui in illum inciderit conquaſſabitur, in quem autem ille ceciderit, is conteretur. Id quod S. Petrus Act. c. 4. & in ſua epiſt. quemadmodum etiam Paulus ad Rom. IX. cap. verbis ferme iiſdem repetunt atque deſcribunt.

Illum probatum, benedictum, & cœleſtem lapidem Jeſum Chriſtum (*Luc* 10 *v.* 23. 24.) jam ab initia mundi omneis Archipatres, & SS. Patriarchæ, quemadmodum etiam, poſt illos, omneis à Deo illuminati homines, magno deſiderio expectarunt, & ſummis precibus contenderunt, ut ipſis, juxta promiſſiones Chriſtum etiam in corporali viſibilique ſpecie intueri liceat. *Rom.* 10. *v.* 12. 13.) Quocirca ſi illum in Spiritu recte agnoverunt, & conſequuti ſunt, tunc illo ipſo in nota ipſorum vita delectati ſunt, atque adeo in omni periculo, uſque ad finem vitæ ſuæ, inviſibili iſto fulcro nixi ſunt.

Quamvis vero cœleſtis & benedictus iſte Lapis à Deo toti humano generi, tam divitibus quam pauperibus abſque omni merito & gratis omnino in genere datus fuerit: [*Matth.* 11. *v.* 6.] nihilominus tamen ab initio in hodiernum uſque diem pauci homines hoc in mundo reperire, & comprehendere potuerunt, immo majori hominum parti omnibus temporibus occultatus, & grave offendiculum ſcandalumque ſemper extitit, quemadmodum Eſa. 8. cap. de eo etiam ante vaticinatus eſt, dum inquit: Erit lapis offenſionis, & rupes ſcandali. Item lapſus & laqueus, ubi multi impingent, cadent, conſtringantur, illaqueentur, atque capientur. Quem Senex ille Simeon Luc. 2. cap. etiam in ſpiritu vidit, dum ad Mariam, cœleſtis angularis lapidis matrem, ita dicit: Ecce, Ecce hic, locabitur in lapſum & reſurrectionem multorum in Iſrael & in ſignum, cui contradicitur. Simili quoque modo & S. Paulus ad Rom. 9. idem teſtatur, inquiens: Impegerunt ad lapidem incurſionis, & rupem ſcandali: Qui enim illum credit, non confundetur. Item S. Paulus in 1. ſua epiſt. 2. Hic lapis credentibus pretioſus, incredulis vero lapis offenſionis & incurſionis, & rupes ſcandali, qui in verbo impingunt, & in eum non credunt, in quo locati ſunt [*Eccleſ.* 43.] Qua ratione modo commemoratus ille pretioſus, benedictus, & cœleſtis lapis, cum toties antedicto terreno, corporali Philoſophicoque lapide tam artificioſe conveniat, id hic ex ipſo fundamento, & utriuſque deſcriptione demonſtrabitur, & alter cum altero comparabitur. Ex quo cognoſcetur & videbitur, quomodo videlicet terrenus philoſophicus lapis vera quædam harmonia & typus ſiet veri, ſpiritualis, & cœleſtis lapidis Jeſu Chriſti, in quo nobis à Deo etiam corporali modo proponitur, & ſpecie inviſibili præmonſtratur.

Primum igitur, quemadmodum in vera agnitione primæ materiæ (1. *Cor.* 2. *Loquimur de arcana &c.*) antedicti terreni Philoſophici lapidis (id quod pro principali membro, & ſummo myſterio habendum [illis, qui illum præparant (*Rom.* 11. *O quam profunda &c.*) & eo ipſo, in hac temporali vita, omnem felicitatem (quæ à Deo nobis in æternitatem parata eſt) conſequi conantur, & ſimul in agnitione cœleſtis æterni lapidis (hoc eſt recti, veri, & vivi Dei, creatoris cœli ac terræ, in diſſolubilis in triunicæ eſſentiæ) occupati ſunt adhuc multo magis intereſt, & plura inſuper ſcire neceſſum habent: idcirco etiam ſupra, in prima parte, univerſalem Naturam, unà cum proprietatibus ſuis, ſine qua opus illud fruſtra inſtituitur, ante omnia bene diſcendam atque cognoſcendam eſſe monuimus. Si enim homo ad ſummum bonum pervenire cupit, tunc, præ cæteris, rebus omnibus primo Deum, dein ſeipſum recte agnoſcere illum oportet (*Act.* 17. *Nam in ipſo vivimus &c.*) Deum ſiquidem, & ſeipſum agnoſcere ſi quis diſcit (hoc eſt, ſcire qui nos homines ſimus, unde ſortiamur originem, ad quid creati, & quam proxime Deo adfines ſimus) pro ſumma ſapientia, ſine qua difficillime ad ſupradictam felicitatem pervenitur, haud immerito & haberi & celebrari debet.

Quomodo & ubi vero talis agnitio ſummi & cœleſtis illius boni reperienda, agnoſcenda, aut diſcenda ſiet: (*Eccleſ.* 24. *Ego ſum ubique &c.*) ſciendum eſt, quod illam, quemadmodum & terrenus lapis Philoſophicus, qui juxta deſcriptionem ſuam in uno & duobus, quæ ubique reperta ſunt, ſaltim in uno, & tamen duobus, eſt, quæri comparari ve debeat & oporteat: id quod nihil aliud, quam æternum Dei verbum, & SS. divina Scriptura, Vetus Novumque Teſtamentum (*Eſa.* 8. *Immo juxta legem*) eſt in quibus rectus cœleſtis, fundamentalis angulariſque lapis unice & ſolummodo quærendus atque inquirendus eſt: quemadmodum etiam Deus Pater ſub ipſa, in monte Taborenſi facta, glorificatione, adhoc ſuum verbum digito quaſi monſtrat, dum Marci 9. Luc. 9. ita ait: Hic eſt filius meus, dilectus, hunc audiatis &c. Similiter & Chriſtus, eſſentiale & æternum Dei verbum ipſum, illud ad ſe derivat, (*Pſal.* 119.) Joan. 14. ſic inquiens: Ego ſum via, veritas, & vita: Nemo venit ad patrem, niſi per

me,

me, ad SS. divinam Scripturam, vel infallibile divini verbi testimonium (*Esa.* 34.) Esa. 8. ait: Ad Legem, atque testimonium. Et Christus, dictus ille angularis ipse Joh. 5. illud etiam partim requirit, & postulat, dum inquit: Scrutamini scripturas, putatis namque vos habere vitam in ea, & illa est, quæ de me testatur. Unde David quoque in Psal. 119. illud ipsum longe ante confessus est, inquiens: Delector, Domine, in testimoniis tuis, mei enim sunt, consiliarii; Lucerna pedibus meis, Domine, verbum tuum magis gaudeo de via testimoniorum tuorum, quam de omnibus divitiis. Item, considero vias tuas, & ambulo in tuis testimoniis.

(*Vide Gen.* 13. *Psal.* 45. *Esa.* 9. 49. *Jer.* 32. *Joh.* 10. 14. *Rom.* 9. 1. *Cor.* 5.)

Porro, ubi, & quo in loco SS. Scripturæ (*Eccles.* 24. *à mundi initio*) cœlestis hujus Lapidis prima materia, vel essentia, fundata siet; multis in locis, hinc inde expresse demonstratus & ob oculos positus est, præsertim vero Mich. cap. 5. legitur: Cujus egressus ab initio & æternitate fuit. Ipse lapis angularis quoque illud ipsum testatur Joh. 8. cum Judæi illum, quis esset, interrogarent, respondit: Primum ille, qui vobiscum loquitur. Et porro ita Judæos compellat: Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham esset, ego eram. Ex quibus testimoniis sequitur, quod nullum initium, sed ab omni æternitate primum suum Ens habuerit, & absque omni fine in omnem æternitatem etiam mansurus est.

Et quamvis illa agnitio nullibi, nisi in Dei verbo, veteri, atque Novo Testamento, consistit, & ex illa ipsa impetrari potest: nihilominus tamen illi, qui eam inquirit, (*Tim.* 3. *Et cum tuâ pueritia*) indicabo quod summâ hic diligentia impendenda siet. Si enim aliquis ab initio ista in agnitione erraret, vel saltim rem tangeret, is tum omnem suum subsequentem laborem frustra impensurus esset. Omneis idcirco sese recte probare, rectamque auream apprehensionem, in verbi separatione heic recte addiscere, oculos (intellige animi & animæ) bene ac recte aperire, idque interno lumine, 1. Johan. 5. (quod Deus ab initio in natura & corde nostro accendit) acute intueri & agnoscere debent; Qui enim externis corporalibus dumtaxat: [literali modo] absque interno oculo & divino lumine illam impetrare nititur, is equidem tam cito *Saulum* pro *Paulo* intueri, & loco recti, sibi viam erroneam, aut sinistrum intellectum exinde eligere, & haurire poterit: quemadmodum enim hoc in terreno lapide ipsius descriptionem juxta, multis hominum millibus obtigit: ita etiam in hujus cœlestis notitia cottidie, proh dolor, in majore potioreque parte sese repræsentat: id quod tamen non verbo, aut literæ, (illud enim utrimque bene fundatum) sed multo potius oculo, qui in homine falsus est, unice & solummodo imputandum: quemadmodum etiam Christus ipse, Luc. 11. & 1. Cor. 3. ait: Oculus lumen corporis, si autem oculus tuus nequam est, vel erit: tunc & corpus tuum obscurum caliginosumque est, vel lumen in tenebras efficit. Item cap. 17. Ecce Regnum Dei, ait, intrinsecus est in vobis: Ex quo clarissime apparet, quod luminis in homine agnitio, primum ex intrinseco, & non ab extrinseco, introferri oporteat, quemadmodum id SS. Scriptura multis in locis hinc inde testatur.

Quod externum objectum, uti loqui solent, vel litera imbecillitatis nostræ caussa scripta, interno à Deo implantato & concesso gratiæ Lumini, saltim pro testimonio Matth. 24. quemadmodum etiam orale perceptum verbum, pro incitatione, & auxilio mediato, vel promotione ad illud & habendum & æstumandum est. Exempli gratia: Si tibi alba & nigra tabula proponeretur, & interrogareris, utra illarum pro nigra, aut alba, habenda esset. Sin vero agnitio duorum istorum diversorum colorum non antea in te esset, tunc propositam tibi quæstionem, ex nudis mutisque tabularum objectis tarde mihi dissolvere posses: [*Joh.* 2. *Illud autem vobis scripsi de iis, qui vos seducunt*] Agnitio siquidem non ex istis tabulis, quæ mutæ sunt & mortuæ; & ipsæ non agnoscere possunt, sed ex tuis tibi innatis, & cottidie exercitatis scientiis, suam trahit originem. Objecta quidem, veluti etiam antea dictum movent sensus, & ad agnitionem ansam præbent, ipsam vero agnitionem neutiquam illa largiuntur, sed ab extrinseco, ex agnoscente, & istiusmodi colorum scientiarum judicante proferri oportet. Simili quoque modo si quis à te materialem externumque ignem, vel lumen ex pyrite, in quo ignis, vel lumen, occultatum est, à te expeteret, tunc occultatum & arcanum illud lumen non in lapidem introferre, sed multo potius, per adperientem Chalybem, qui necessario adesse, & occultatum ignem in lapide movere & excitare oportet, ex lapide elicere & manifestare necessum habes: qui tamen ignis etiam ante omnia, in bono eam ad rem bene præparato fomite, nisi ignis iste cito iterum extingui & evanescere debeat, excipiendus & adflandus est. Quo facto recte splendentem ignem habere, &, quam diu eundem foveris atque conservaveris, prolubitu tuo, quicquid volueris, cum eo efficere poteris. Quemadmodum etiam simili modo in homine cœleste & divinum illud lumen occultatum, & veluti antea dictum, non ab extrinseco in hominem intro, sed ab intrinseco provenire necessum habet. Quod si ab initio à Deo per veram fidem, & tum porro per media, auxilia, lectum, auditum, concionatum, & postmodum quoque per spiritum S. quem nobis Christus reparavit, & dare promisit, (*Joh.* 14. *Nemo venit ad patrem, nisi per me*) in obscuro, caliginosoque, attamen candente corde, tamquam in aliquo fomite, iterum recte inspirari, accendi & splendens fieri potest, in quo nostro corde tum Deus postmodum & laborare & operari habet. In credentium siquidem cordibus, & in luce inaccessa habitationem suam habere expetit. Etiamsi enim nullus homo corporalibus externisque suis oculis Deum unquam vidit, neque etiam videre potest, nihilominus tamen cordis oculis internis videri, judicari, & agnosci potest. Licet quoque & dictum illud clarum lumen in totum mundum splendorem suum immiserit, omneisque homines, absque ulla aliqua differentia adhuc cottidie eluminet: nihilominus tamen mundus, juxta corruptam depravatamque naturam suam illud neque recte videre, multo minus vult agnoscere: quocirca etiam tot tantæque viæ erroneæ, & pernitiosæ opiniones de eo audiuntur. Id quod hac in re bene considerandum, notandum, atque observandum est: quod videlicet Deus homini in summa corporis sui parte non frustra & fortuito duos oculos, auresque totidem communicaverit. Eo ipso enim innuere voluit quod videlicet homo duplicem visum & auditum, internum atque externum nempe, discere atque observare necessum habeat: adeo ut interno res spirituales judicare, externum vero & suæ quoque parti 1. C. 2. dare atque adtribuere debeat: Quæ distinctio

etiam in verbo Spiritus, & porro quoque Literæ, ſumma diligentia obſervanda eſt: cujus gratia & ego quoque ſimplicioribus, quo facilius ad meliorem commodioremque triunius lapidis, in quo ſumma rei ſita eſt, agnitionem informentur atque perveniant, illud paucis ſaltim innuere & quaſi admonitionis loco heic obiter indicare volui.

Quemadmodum autem materia terreni Philoſophici lapidis coram mundo nauci, nulliuſque pretii æſtimatur, imò quaſi omnino rejicitur: ita, & ſimili quoque modo Chriſtus, æternum Patris verbum, clenodium Nobiliſſimum, & cœleſtis probatuſque triunus Lapis à potiore hominum parte in hoc mundo vilipenditur, ex oculis noſtris dimittitur, & ita jam, ut in ipſa rei veritate ita loquamur, fere nihil indignius, viliuſ, atque abjectius, quam ipſum Dei verbum ſalvificum. Unde etiam 1. Cor. 2. præſertim à mundi hujus ſapientibus Stultitia appellatur: imò non dumtaxat nauci æſtimatur, atque floccipenditur, verum etiam adhuc, tanquam aliqua hæreſis damnatur, bannoque proſcribitur: id quod pio homini, ad tantam blaſphemiam audiendam, ſummum eſt cordolium. Verum enimvero utut ſit recte credentes eo probari, & ante allegata teſtimonia ſubſequenter adhuc rectè impleri oportet: Id quod etiam Joannes cap. 1. teſtatur dum inquit: Erat (intellige verbum) in mundo, & mundus illud non agnoſcebat. Item: Veniebat in proprietatem ſuam, & tamen à ſuis non recipiebatur.

Quemadmodum etiam corporale terrenumque Sapientum Aquarium, cujus virtus atque efficacia imperſcrutabilis una cum materia ſua multifaria nomina à Philoſophis ſortitus eſt, ita etiam NUMEN & LUMEN illud unicum, cujus virtus atque omnipotentia ſimili modo indagari nequit in S.S. Scriptura multos varioſque titulos atque nomina habet, quorum præcipua utrimque heic nos ordine recenſebimus. Appellatur Lapis Philoſophorum vetuſtiſſimus, occultus vel ignotus, naturalis, incomprehenſibilis, cœleſtis, benedictus, conſecratuſque Lapis Sapientum: nominatur verus ſine mendaciis, certus certiſſimorum, arcanus omnium arcanorum, divina, ſtultis occultata, virtus atque efficacia, ſummum & ultimum, quod ſub cœlo vivendum, mirabilis epilogus, vel concluſio omnium Philoſophorum operum: Nuncupatur itidem idonea & perfecta omnium elementorum comparatio, corpus incorruptibile quod à nullo elemento tangi queat: Vocatur, præterea, quinta eſſentia, duplex & vivificans Mercurius, qui cœleſtem ſpiritum in ſe habet, omnium ægrorum imperfectorumque metallorum ſanatio, æternum lumen, omnium morborum ſumma Medicina, Phœnix nobilis, ſummus, nobiliſſimuſque theſaurus, vel ſummum Naturæ bonum, univerſalis triunus Lapis, qui à natura ex tribus conjunctus, & nihilominus tamen unicus eſt, imò ex uno, duobus, tribus, quatuor & quinque generatur & efficitur. Item Magneſia Catholica, vel ſperma mundi, cujus generis & plura alia nomina & titulos apud Philoſophos reperire licet, qui univerſim omneis haud incommodè in ſummo perfectiſſimoque numero (millenario) enunciari atque comprehendi poterunt.

Quemadmodum inquam, terrenus Philoſophicuſque hicce lapis una cum ſua materia, multa diverſimodaque imo mille pene, uti dictum eſt, nomina habet, inde quoque mirabilis appellatur: ita etiam hi, & id genus alii ſuprà commemorati tituli atque nomina multo potius, imò in ſummo gradu à Deo omnipotente & Summo Bono prædicari poterunt. Deus ſiquidem, imò Dei Verbum, æternus illius filius, rectus, æternus, pretioſus, & probatus angularis fundamentaliſque lapis eſt, quem architecti rejecerunt, atque proſcripſerunt. (*Eſa.* 28. *Pſ.* 118. *Matt.* 21. *Act.* 4. *Rom.* 9. 1. *Pet.* 2.) Verus, vetus, imò vetuſtiſſimus eſt, qui ante poſita mundi fundamenta, & ab æterno fuit. Eſa. 45. Dan. 7. Eſa. 43. Pſal. 90. Rectus, occultus, ignotuſque Deus eſt, ſupernaturalis, incomprehenſibilis, cœleſtis, benedictus, & ſumme laudatus Marc. 16. Solus ſalvificus, atque adeo omnium Deorum Deus, Deut. 10. Certus, & verax eſt, qui mentiri nequit, Num. 23. Rom. 3. Omnium certiſſimus, qui, pro lubitu ſuo, facit quod vult, vel ſolus potens Gen. 17. Epheſ. 3. Arcaniſſimus & æternus, in quo omnia myſteria & theſauri ſapientiæ occultati latitant, Rom. 16. Coloſ. 2. Sola divina virtus & omnipotentia, quæ ſtultis, vel ſapientibus hujus mundi occultata & ignota ſunt. Recta unica, & perfecta omnium elementorum eſt comparatio, à quo, per quem, & in quo omnia ſunt & proveniunt, Rom. 11. & Jac. 1. incorruptibilis eſſentiæ, quæ à nullo elemento diſſolvi vel ſeparari potuit Pſal. 16. Act. 2. 13. Quinta itidem eſt eſſentia, imò omnium eſſentiarum eſſentia, & propriè tamen nulla eſſentia. Verus rectuſque duplex Mercurius, vel Gigas geminæ ſubſtantiæ Matth. 26. quemadmodum Hymnus de eo canit, Deus à natura homo heros &c. qui cœleſtem ſpiritum in ſe habet, qui omnia vivificat imò vita ipſa Sap. 7. Eſ. 42. Joan. 14. Unicus perfectuſq; Salvator omnium imperfectorum corporum & hominum eſt, verus cœleſtiſque animæ medicus, æternum lumen quod omnes homines illuminat Eſa. 60. Johan. 1. omnium morborum ſumma Medicina recta ſpiritualis Panacæa Sap. 16. Nobilis Phœnix qui ſuos, per veterem ſerpentem, Diabolum, vulneratos necatoſque pullos, ſanguine ſuo iterum recreat & vivificat, imò ſummus theſaurus, vel ſummum bonum in cœlo & in terra Pſalm. 83. Sap. 7. Triuna univerſalis eſſentia, quæ Jehova appellatur Deut. 6. & ex uno, divina eſſentia, dein ex duobus, Deo & homine, ex tribus perſonis videlicet, ex quatuor, utpote tribus, perſonis, & una divina eſſentia, quemadmodum etiam ex quinque, tribus perſonis, & duabus eſſentiis nimirum, divinus & ſimul humanus eſt. Eſt, præterea Deus recta Magneſia Catholica, vel ſperma mundi Catholicum Joan. 1. à quo, per quem, & in quo omnes cœleſtes atque terrenæ creaturæ eſſentiam, motum & originem ſuam ſortiuntur Geneſ. 1. Joann. 1. Act. 17. Roman. 11. Hebr. 1. & in ſumma α & ω, initium & finis, inquit Dominus, qui eſt, qui erat, & qui venit, omnipotens Apoc. 1.

Verum enimvero quemadmodum in ſupra commemorato opere Philoſophico non ſufficit, ſi quis tantum materiæ cognitionem habeat eandemque pro triuna eſſentia agnoſcat, atque qualitatem proprietatemque illius didicerit: Sed inſuper ſcitu neceſſarium eſt, quomodo videlicet illa adquiri, illiuſque utilitatis particeps ille fieri queat: id quod nullo alio modo fieri poteſt, quam ut, veluti ſuprà diximus, tres iſtæ res prius ſolvantur, atque putrefiant, quo ipſi caliginoſa ſua umbra, & hirſuta eſſentia, qua primum obumbrata, & exinde in deformi in humanaque ſpecie ſpectatæ fuit, iterum detrahitur: dein, per ulteriorem ſublimationem, cor & anima illius interior, quæ in ea occultata, per catholicam dulcem & ignis inſtar lucentem aquam marinam ex illa deducta, & incorporalem

aliquam

aliquam essentiam redacta fuit: ita & multo minus nos triunam illam divinam essentiam, quæ Jehova dicitur, agnoscere possumus, nisi prius illa (respectu nostri) etiam quasi dissoluta, purificata, velamentumque Moysis atque iracunda species, quæ nobis à natura impedimento terriculamentoque est, ipsi abstrahatur, & per ulteriorem divinam illuminationem cor & interna anima, quæ in illa latet, hoc est, filius ejus, qui est Christus, ope & auxilio Spiritus Sancti, qui similiter, instar alicujus puræ aquæ corda nostra purificat Eseck. 36. Esa. 44. imò tanquam divinus ignis illuminat Jerem. 23. Matth. 3. & suavi dulcique solatio implet atque recreat Joan. 16. Eph. 4. ex ea producatur, discatur. Adeoque Deus iratus, postea placatus tibi appareat.

Quemadmodum autem in opere Philosophico materia, in tres suas partes vel principia dissoluta proprio suo sale porro congelari & in unicam essentiam reduci oportet, id quod postmodum Sal sapientiæ appellatur: ita quoque Deus, & cor ejus, hoc est, filius parenti, per sal ipsorum proprium, quod Deo itidem essentialiter implantatum, uniri pro uno Deo agnosci, & non pro duobus aut tribus Diis & essentiis haberi & credi debet. Si itaque hac ratione Deum per ejus Filium agnovisti, & quasi separasti, & tamen divinæ sapientiæ spiritu, & charitatis vinculo iterum copulasti atque conjunxisti: Ecce tunc tibi invisibilis ignotusque Deus Esa. 45. jam visibilis, agnoscibilis, & intelligibilis, factus est, qui tibi etiam non amplius, quemadmodum antea, ita iracundus & inhumanus, sed humanissimus adparet, seque à te palpari, & videri patitur, cùm tamen Deus, antequam Christus, Filius ejus, in nobis formatus imaginatusque fuit, Gal. 4. nobis potius terribilis Deus, Deuter. 7. 18. imò ignis consumens est & appellatur. Ista tamen triunius divinæ essentiæ agnitio tibi nondum sufficit, nisi in ulteriore illius agnitione (præsertim cordis illius) progrediaris, & adcrescas. Quemadmodum enim supra dictum & hactenus præparatum subjectum in opere Philosophico, absque ulteriore præparatione, ad medicinam corporalem tibi plus obest, quam prodest: ita etiam Christus, 1. Joh. 4. nisi illum melius perfectiusque agnoscas, ad spiritualem animæ tuæ medicinam, tibi adhuc parum conducibilis, sed multo potius ad damnationem tibi vergeret. Quocirca etiam tu, si ipsius, cœlestiumque illius donorum thesaurorumque particeps fieri, iisdemque beate uti fruique velis, in personali illius agnitione & porro progredi, illumque non, tanquam purum merumque Deum, tibi proponere & imaginari, sed impletionem temporis, à Deo ad id destinatum, Gal. 4. in quo additamentum suum accepit, hoc est, simul Deus & homo, hominis filius factus est, probe observare necessum habebis.

Nam, quemadmodum in opere Philosophico iterum dictum est, quòd primæ materiæ (si ad effectum suum deduci, & tinctura, ad cætera simplicia metalla perficienda, fieri debeat,) aliud quoddam corpus metallicum nobilissimum, & primæ materiæ adfine, gratissimum acceptissimumque porro adponi, cum illa uniri, & in unum corpus redigi oporteat. Ita quoque & heic, in opere Theologico divinæ naturæ Filii Dei (si illa uti frui, illiusque participes fieri volumus) aliud quasi metallicum corpus, hoc est, caro & sanguis, humanitas, vel humana natura (quæ omnium Creaturarum dignissima & divinæ naturæ propinquissima atque ad illius imaginem creata est) adjungi, uniri & in indissolubile corpus simul redigi necessum fuit.

Quemadmodum autem in præfigurato opere Philosophico cumprimis, diximus, notandum observandumque fuit, quod, vulgare auri corpus ad opus illud minime conveniens, sed propter imperfectionem suam, aliosque multifarios defectus, (quibus est obnoxium) inutile, & quasi mortuum censendum æstumandumque sit, atque, ea ipsa de causa Corpus purum clarumque (quod absque omni impuritate ac defectu, & nullo dolo adulteratum aut interno suo sulphure debilitatum fiet) accipi debeat. Ita etiam multo minus heic divinæ Filii Dei essentiæ non vulgaris humana natura, utpote quæ in peccatis concepta peccato originali inquinata, & adhuc quotidie peccatis actualibus & præternaturalibus infirmitatibus (quibus omnes in genere homines subjacent) contaminata fuisset adjungi & incorporari debuit, sed mera pura, peccati expers, & perfecta humanitas.

(Si enim terrenus Adam, ante lapsum) qui tamen saltem creatura absque omni peccato, imo sanctius & perfectus homo fuit, quanto magis cœlestis ille Adam, quem unigenitus Dei Filius in se habet, talis esse debuit.

Quocirca cœlestis æternus fundamentalis, angularisque lapis Jesus Christus (veluti Philosophicus eodem modo descriptus est) secundùm utramque naturam admirandæ generationis & originis adeoque imperscrutabilis naturæ & proprietatis est ac manet. Secundum divinam enim naturam ab æterno, ex sola divina essentia cœlestis æternique sui Patris, verus Deus, imò Dei Filius est, cujus egressus (veluti Scriptura ea de re loquimur) ab initio & æterno fuit: (*Mich. 5. Psalm. 2. Matth. 16. Coloss. 1.*) Secundum humanitatem suam vero in temporis impletione absque peccato & defectu (Esa. 53. Joan. 8. Scriptura teste,) verus perfectusque homo cum corpore simul & anima, (Matt. 26. natus fuit, adeo ut nunc indissolubilis, personalis & Theandricæ essentiæ, hoc est, verus Deus, verusque homo, in una unica, atque in omnem æternitatem indissolubili persona fiet, atque hoc modo ut Deus omnipotens agnoscendus & colendus maneat.

Exoptandum hic esset, majori parti putatitiorum doctorum oculi melius aperirentur, & caliginosa ipsorum perspecilla, vel larvæ sophisticæ detraherentur, atque oculati fierent. Luc. 10. Cumprimis vero omneis Aristotelici, & in divinis operibus cæcutientes sophistæ, apud quos tot diversimodæ disputationes, hodierno adhuc die, in rebus divinis, more minus Christiano, agitantur, & multifariarum distinctionum, divisionum, & permixtionum nullus omnino finis est de Arduo in Sacra Scriptura, 2. Tim. 3. bene fundato summè venerabili articulo de Unione Naturarum & communicatione Idiomatum in Christo. Sin jam Deo ejusdemve divino verbo, credere nollent, tunc attamen ex sæpius nunc dicti Chymici operis (veluti supra commemoravimus) facta conjunctione, & unitione duarum aquarum, Mercurii & Solis videlicet rem agnoscere, ipsumque digitis quasi palpare possent: Sed ipsorum summa Ars Scholastica Philosophiæ Ethnicæ, & in Sacra Scriptura, vel Christiana Theologia minus fundata nulliusque valoris & pretii fundamenta & præcepta Aristotelica, de substantia & accidentibus, aliaque plura omnem aditum præcludunt, dum parum considerarunt illud Tertulliani: *Philosophos Patriarchas esse hæreticorum.*

reticorum. Verum ut ea de re copiosius hic differamus, operæ pretium minime censemus.

Et quemadmodum, præterea, in opere Philosophico, dictum illud Compositum, conjunctis nunc duabus essentiis, porro in ignem collocatur, putrescere, conteri, beneque coqui oportet, qua in putrefactione & coctione interim (donec plusquam perfectum fiat) multifarii actus cum eo intercidunt, &, (veluti in descriptione terreni operis plura reperire licet) diversimodi colores sese repræsentant: ita hæc Deo humana, & humano divina persona Christi Jesus, hoc in mundo, à Deo cœlesti suo patre, ita ordinatus, in igneam tribulationis fornacem conjectus, in ea bene coctus, hoc est, in varia molestia, ignominia, cruce, atque tribulatione circumactus, & in diversimodam speciem mutatus est, utpote: inediam passus est, Mat 4. dum, mox ab accepto baptismo, & postquam S. prædicandi verbi divini ministerio sese devovisset, impulsu Spiritus S. in desertum veniens à Satana tentatus fuit, atque inibi cum eo triplex certamen subire necessum habuit, in testimonium omnium Christianorum Baptizatorum qui, Christianismum ingressi, & Christum confessi, etiam à Diabolo tentabuntur, &, per varias tentationes, ad defectionem sollicitabuntur. Item, dum lassus factus Joan. 4. dum lacrymatus est Luc. 19. contremuit Luc. 14. cum morte conflixit, sanguineum sudorem sudavit, captus etiam atque vinctus est Matth. 26. à Summi Sacerdotis famulo in faciem percussus, ludibrio habitus, irrisus, conspurcatus, flagellatus, coronatus, ad mortem condemnatus & tandem cruci, quam ipse gestavit, Joann. 19 inter duos latrones adfixus, felle & aceto potatus, Psalm. 69. clara voce exclamavit, spiritum suum in Dei patris sui manus commendavit, exspiravit, atque in cruce tandem mortuus est: & quas id genus alias angustias tribulationesque, ille, in vita ac morte sua, quibus de ulterius SS. Evangelistæ legendi sunt, sustinere oportuit.

Et quemadmodum Philosophi scribunt, quod ista coctio & putrefactio, in supra commemorato terreno opere, plerumque intra quadraginta dies fiat atque perficiatur: ita simili modo per eundem istum numerum in Sacra Scriptura multa, diversimodaque miracula & facta nobis à Deo descripta & consignata sunt, utpote dum populus Israëliticus, Psalm. 59. per quadraginta annos integros in deserto permansit, atque durum exilium experiri necessum habuit Deuter. 8. Item dum Moyses in monte Sinai, Exodi 34. Elias in fuga præ Achabo, 1. Reg. 19. Christus in deserto quadraginta diebus totidemque noctibus jejunavit, quemadmodum etiam per quadraginta menses in terra concionatus est, & miracula edidit: per quadraginta horas in sepulcro jacuit: quadraginta dies, inter resurrectionem à mortuis, & ascensionem suam ad cœlos, cum discipulis conversatus vivum sese ipsis repræsentavit Act. 1. Item dum urbs Hierosolymirana quadragesimo ab ascensione Domini, anno, à Romanis destructa soloque æquata fuit.

Cumprimis vero hic quoque notandum est quod Philosophi putrefactionem istam, ob nigrum (Cant. 1. *Niger ego sum*) suum colorem, corvi caput appellaverint. Ita siquidem Christus ipse (Esa. 53. *Nullam omnino habeat speciem, neque &c.* deformis omnino speciei, omnium vilissimus, plenus dolorum ægritudinumque, atque adeo spretus fuit, ut etiam vultus præ ipso absconderetur, & nauci omnino æstumaretur. Imo, quemadmodum ipse Psalm. 22. ea de re conqueritur, vermis, & nullus homo, ludibrium hominum; & contemptus populi fuit: Etiam illud haud inconcinne cum Christo comparatur, ubi putrefactum illud Solis corpus aliquandiu, cineris instar, in vitri fundo, absque ulla efficacia mortuum jacet, donec ab igne fortiori, ipsius anima guttatim sensimque sese iterum demittit, & tabidum morruumque quasi corpus rursus imbibit, humectat, potat, & à totali destructione conservat, idem & ipsi Christo accidit, dum in monte olivarum, & cruce, per divinæ iræ ignem aestuatus, Matth. 26. 27. se à Patre suo cœlesti omnino desertum conquestus est, & nihilominus semper (veluti terreno corpori assidua cura atque recreatione etiam fieri solet) refectus corroboratusque Matth 4. Luc. 22. atque divino Nectare quasi imbutus, humectatus, atque potatus fuit: imò dum ipsi denique in sanctissima sua passione, & morte media, vires, una cum ipso spiritu, omnino subtractæ sunt, & planè ad inferiora, profundissimaque terræ loca pervenit Act. 1. Ephes. 1. 1. Petr. 3. & tamen adhuc conservatus, recreatus, & virtute & potentia æternæ Deitatis, rursum erectus, vivificatus, & glorificatus est Rom. 14. ubi demum spiritus, cum suo, in sepulchro demortuo, corpore, perfectam, indissolubilemque unionem adeptus per lætissimam resurrectionem, & victoriosam ad cœlos ascensionem in Dominum & Christum Matth. 28. & ad dexteram Patris sui Marc. 16 exaltatus fuit: cum quo nunc per efficaciam virtutemque Spiritus Sancti tanquam verus Deus & homo pari potentia & gloria, super omnia regnat atque dominatur Psalm. 8. efficacissimo suo verbo omnia conservat gestatque Heb. 1. imò res omnes vivificat Actor. 17. Quæ mirabilis Unio, ut & divina Exaltatio, ab Angelis & hominibus, in cœlo & in terra, imò sub terra Phil. 2. 1. Pet. 1. absque horrore & tremore vix capi multo minus considerari potest: Cujus Virtus potentia, & rosei coloris Tinctura imperfectos nos homines atque peccatores nunc etiam in corpore & anima immutare, tingere, & plusquam perfectè curare atque sanare potest, de quo paulo post plura dicturi sumus.

Cùm igitur unicum, cœlestem fundamentalem angularemque Lapidem Jesum nunc breviter & simpliciter consideraverimus, Qua ratione videlicet cum terreno Philosophico Sapientum Lapide comparetur atque uniatur: cujus Materia & Præparatio: uti audivimus, eximius typus & viva Incarnationis Christi imago est. Itaque porro necessarium fore æstumamus, ut illius Efficaciam, Virtutem, & Tincturam, ut & Fermentationem & Multiplicationem in nobis vitiosis & miseris hominibus, tanquam metallis imperfectis, intueamur atque addiscamus.

Etiamsi enim Deus hominem ab initio præ reliquis omnibus, ad Nobilissimam perfectissimamque creaturam, & ad suam ipsius imaginem creaverit, ipsique vivum spiritum, immortalemque animam, inspiraverit: nihilominus post lapsum, in deformem, contrariam, pernitiosamque effigiem transmutatus fuit.

Ut autem tam nobilissima creatura pristino suo nitori & perfectioni restitueretur, Deus omnipotens ex mera misericordia tale medium constituit, per quod illud sequentem in modum, ita fieri oportet; nimirum, veluti plusquamperfectus Lapis, vel Tinctura, post istam suam perfectionem, adhuc ulterius fermentari, augmentari, vel multiplicari debet multiplicem utilitatem

sort iri

sortiri velit ipsiusque efficacia & operatio conducibilis esse debeat : ita quoque Christus, cœlestis Benedictusque ille Lapis, post Deo-humanam suam perfectionem ; nobiscum, tanquam membris suis, ulterius fermentari atque multiplicari debet ; hoc est, nos, cum ipso, per rosei coloris salvificamque suam Tincturam, purificari, uniri, & ad purum cœlesteque corpus conformari præpararique oportet : Ille siquidem, Paulo ad Romanos 8. teste, primogenitus est inter multos fratres, imò primogenitus ante omnes Creaturas Coloss. 1. per quem omnia in cœlo & in terra creata & cum Deo reconciliata sunt. Si enim nos, qui à natura impuri, mortales, & imperfecti sumus, iterum puri, regenerati, immortales, & perfecti fieri volumus : tunc equidem illud per nullum aliud medium, (Hebr. 13.) quam per unicum illum cœlestem, fundamentalem, angularemque lapidem Jesum Christum, tanquam solum sanctum, imò sanctissimum Daniel. 9. recens natum resuscitatum, glorificatumque cœlestem Regem, qui Deus & homo una in persona est, & in æternum manet, fieri poterit.

Quemadmodum enim Philosophorum Lapis & Chimicus Rex, tinctura sua hanc utilitatem confert, etiam hanc efficaciam, & virtutem, per perfectum suum processum, in se complectitur, ut alia imperfecta, & vilia metalla, tingere & in purum aurum transmutare potens sit : Ita quoque, & adhuc multo potius Cœlestis ille Rex, fundamentalis, angularisque Lapis Jesus Christus benedicta sua tinctura, hoc est, rosei coloris suo sanguine nos peccatores imperfectosque homines ab innatis nostris Adamicis sordibus & fœcibus solus & unus purificat, imò plusquam perfectè curat sanatque 1. Joann. 1. extra quem, Scriptura teste, nulla alia salus, neque medium in cœlo, aut in terra est, quo æternam beatitudinem perfectionemque consequi possimus, nisi in solo nomine Jesu Act. 4.

Licet enim cœcus insanusque mundus, per impostoram & illusionem Satanæ, multifaria diversaque media, vias, modosque æternam beatitudinem perfectionemque consequendi, quæsivit, & vehementer in eo laboravit : nihilominus tamen saltem unicus Salvator & Mediator, Jesus Christus, est & manet, in quo, & per quem, coram Deo justi & beati sumus, atque à spirituali peccati lepra iterum purificamur : quemadmodum etiam unicus dumtaxat terrenus Salvator & Chymicus Rex, per quem omnia imperfecta metalla perfectionem suam impetrant atque consequuntur, & insuper omnes morbi, cumprimis vero incurabilis corporalisque lepra sanantur, reperitur. Sunt igitur omnia reliqua media, & ab ipsis hominibus excogitatæ artes, quæ à Judæis, Turcis, Ethnicis, aliisque hæreticis, in medium adlatæ, & adhuc tanquam necessaria media, defenduntur, multo potius (propriè ut de re loquamur) Spiritu vacua, falsa, & Sophistica Alchymia. (*Col. 2. Videte ne quis vos &c.*) per quam nos homines non purificamur, sed impedimur : non vivificamur, sed debilitamur : imò tandem omnino mortificamur : quemadmodum etiam pseudo Alchymia quæ melius malchymia dicenda, multas diversimodasque tincturas & colores invenit, quibus homines non dumtaxat decepti, verum etiam, quotidianâ experientiâ teste, in bonorum, imò vitæ corporisque discrimen fœpissime conjecti sunt.

Si vero nos homines ab impuris nostris sordibus & fœcibus (Adamico scilicet peccato originali, quo ab initio universa natura humana, tanquam vitioso veneno Protoplastis nostris à Cacodæmone inspirato corrupta, nosque omnes in eo concepti atque nati sumus, Psalm. 51. Job. 15.) iterum purificari, (*Joann. 3.*) rursusque perfecti, & beati fieri velimus : tunc illud per novam regenerationem Spiritus S. imo aquam & Spiritum (veluti Rex Chymicus etiam per aquam & Spiritum regeneratur, perfectionemque suam consequitur) fieri oportet : in qua nova, & spirituali regeneratione (*Pet. 3.*) quæ è supernis in S. baptismo per aquam & spiritum peragitur, nos, Christi eum sanguine ablui & purificari, atque adeo unum, cum illo, corpus fieri, illumque, vestis instar (veluti Paulus ad Coloss. 3. & Ephes. 5. ait) induere oportet. Nam quemadmodum Lapis Philosophicus per suam tincturam postea cæteris cum metallis sese unire solet, & una cum ipsis, in perfectum indissolubileque corpus redigitur : ita quoque Christus, tanquam nostrorum omnium caput, 1. Cor. 4. nobiscum, membris suis, per rosei coloris tincturam suam, sese etiam unit, & in perfectum corpus ædificiumque Rom. 12. 1. Cor. 12. Ephes. 5 quod secundum Deum creatum [*Joh. 3.*] in recta veraque Justitia & Sanctitate Ephes. 4. redigit atque perficit. Ista siquidem hominis regeneratio, quæ in S. Baptismo per Spiritum S. peragitur, propriè nihil est aliud, quàm interna spiritualis aliqua renovatio lapsi hominis [1. *Cor.* 12.] cum Deo & Christo, ita quidem, ut nos, dum antea per carnalem generationem ex parentibus, inimici Dei, & iræ filii à natura [*Rom.* 2.] Ephes. 2. essemus : nunc per spiritualem regenerationem, in S. Baptismo amici, & filii [*Heb.* 3.] imò hæredes Dei, & cohæredes Christi simus. Ideo enim Christus mortuus est, resurrexit, & revivixit Rom. 14. ut per huncce suum processum, hoc est, per passionem, mortem, resurrectionem, & ascensionem, in Sanctum, quod manibus non factum, ingrederetur, nobisque viam ad æternam Patriam præpararet. Quocirca etiam & nos, tanquam illius fratres & sorores Matt. 12. Ephes. 5. & Psal. 22. ipsum in passione sequi, Matth. 8. in chata humilitate Luc. 12. aliisque virtutibus crescere & adcrescere, imò ipsius corpori omnino conformes nos fieri oportet, ut tandem etiam & nos, qui hic ipsum in regeneratione sequuti & in eo mortui sumus, cum ipso vivere, ejusque gloriam ingredi queamus.

Quæ tamen spiritualis exhortatio, & Christiana imitatio in vita & actione cœlestis nostri Regis, non ex nostra dignitate, merito, vel propria voluntate [naturalis siquidem homo, omnibus suis cum viribus, in rebus spiritualibus, cœcus, surdus, atque mortuus est] sed unice, & solummodo [1. *Johan.* 5.] ex efficacia & operatione Spiritus S. fluit, qui in nobis, per beatum regenerationis & baptismi lavacrum, efficax atque potens est : quemadmodum etiam mineræ & metalla, quæ in seipsis quasi mortua [*Heb.* 10.] rubiginosa, seipsa neutiquam purificare neque corrigere possunt, efficacia & auxilio spagirici spiritus quoque purificantur, renovantur, solvuntur, atque perficiuntur. Si itaque nunc, veluti audivimus, per aquam & spiritum [2. *Cor.* 5.] iterum regenerati, hoc est, per beatum baptismum, & rubrum, à Christo tinctum, fluentum, Christo Domino, [1 *Cor.* 3.] cœlesti nostro Regi incorporati, cum sanguine suo à peccatis nostris hæreditariis abluti, purificati, & primitiorum Spiritus Sancti ita capaces participesq; facti fuerimus : tunc nos ab initio sensim, juxta D. Petri dictum, puro salutarique

lacte,

lacte, tamquam recens nati, immo tamquam infantes in Chriſto, cibari potarique oportet, donec tamdem, tamquam vivi (*Apoc.* 1.) adultique lapides, ad ſpiritualem domum, ſummumque Sacerdotium, ædificati & idonei fiamus ad ſacrificanda ſpiritualia ſacrificia, quæ Deo grata acceptaque ſunt per Jeſum Chriſtum: Chriſtianus ſiquidem, per aquam & ſpiritum regeneratus homo, non omnia ſimul comprehendit, vel apprehendere etiam poteſt, ſed ſenſim, de die in diem in agnitione Dei & Chriſti, creſcere & adcreſcere neceſſum habet.

Nam, quemadmodum iterum in opere Philoſophico videre eſt, quamprimum conjunctio duarum Eſſentiarum, (*Cant.* 3. *Cum paullo ipſos eſſem antegreſſus, &c.*) terreni auri videlicet, & cœleſti modo præparatæ aquoſæ materiæ, poſtquam ab initio in patera aliqua ſolutoria, in ſiccum quaſi liquorem & amalgama redactæ fuerint, facta, compoſito non omne, & una vice ſimul, ſed una pars poſt alteram, & pedetentim quidem, ac certis diverſiſque temporibus, additur, & adponitur: ita, & adhuc multo magis, illud in opere Theologico fieri oportet. Quamprimum namque conjunctio, & ſpiritualis Unio hominis cum Chriſto in ſancto baptiſmo facta, noſque ita cum ipſo, quemadmodum antea quoque diximus, unum in corpus redacti ſumus: tam cito etiam homo talis ſenſim fidem Chriſtianam addiſcere, & unum, poſt alterum, articulum comprehendere neceſſum habet, donec tamdem omnino in iiſdem confirmetur, atque ad perfectam agnitionem perveniat.

Cum igitur & Chriſtiana quoque fides, (*Phil.* 3.) inſtar præparatæ terrenæ aquoſæ materiæ, (veluti ſuo loco ordine recenſuimus) in duodecim particulas, vel parvos articulos, juxta duodecim Apoſtolorum numerum, dein autem rurſus in tres articulos principales, utpote I. de noſtra creatione, II. redemptione, III. ſanctificatione diſtincta & diſtributa fiet: ex quibus, ut diximus, homo unum poſt alterum, ad diſcendum ſibi proponere & adponere quaſi oportet: Senſim tamen & diverſis id fiat temporibus, ne nimium, & plus juſto, oneretur, atque diſcendo omnino quaſi obruatur, ex quo ipſe facilime tædium & nauſea moveri, atque à fide plane abalienari poſſet. Cujus rei gratia etiam & tertius, de Sanctificatione, articulus in ſeptem diverſa membra, vel particulas (in communicatione infallibilis epilogi Amen) diſtribui, & hominibus diverſis ſeptem vicibus [juxta informationem in terreno opere datam] inculcari poterit. Quo facto, & fide ab homine, à parte ad partem plenarie comprehenſa, tunc ſumme eidem neceſſarium, ut ſemel, per divinam gratiam, comprehenſam illam fidei agnitionem ſecum diligentiſſime cuſtodiat, & ab illius corruptione, vel amiſſione, ſibi ſedulo præcaveat. Et quemadmodum in ſæpius nunc dicto opere philoſophico, jam ante indicavimus, quod nimirum, ad iſtam fermentationem & multiplicationem unici terreni Regis, vel meræ puræque Tincturæ, tres ſingulares partes, vel particulæ, optimi, puri, perpurificatiſſimique auri, per Antimonium faſi, non quidem ex lapidis defectu, vel imperfectione tincturæ ſuæ, ſed ex impotentia & imbecillitate ipſorum metallorum, acceptari projicique oporteat. Et ut ſententiam meam melius & expreſſius ſignificem, licet Tinctura aut lapis in ſeipſo perfecte præparatus fuerit: nihilominus tamen craſſa imperfectaque metalla, ob naturalem ſuam infirmitatem atque imbecillitatem, iſtam lapidis, vel Tincturæ [ut ita loquar] angelicam perfectionem & ſubtilitatem ad ſe pertrahere atque apprehendere nequeunt, niſi commoda requiſitio etiam ad manus ſumatur, & illa eo facilius tranſmutentur.

Quemadmodum igitur illud nunc in opere Chimico, inquam, fit, & fieri oportet: ita viciſſim & heic in Theologico noſtro opere [*Phil.* 2.] ſpiritualis renovationis, & cœleſtis regenerationis hominis ſedulam curam habere quis oportet. Etiamſi enim & noſter quoque Rex cœleſtis Jeſus Chriſtus nos, per plenariam ſuam obedientiam, quam cœleſti ſuo patri, noſtri loco, præſtitit, ab omni impuritate perfecte liberaverit, & filios hæredeſque Dei fecerit: nihilominus tamen iſtam ipſius ſalvificam, & divinam plane Tincturam (quemadmodum & reliquos ſuos theſauros, atque bona, (2. *Cor.* 4.) ob innatam nobis infirmitatem imbecillitatemque, non per omnia comprehendere & acceptare, aut eamdem nobis firmiter applicare poſſumus, niſi per tria hæc media à Deo ipſo ordinata, qualia ſunt: I. Sanctum ejus Verbum, quod purum puriuſque, quam aurum argentumque in terreno lebete ſepties probatum Pſal. 12. 18. immo ſupra aliquot maſſarum aurearum millia diligendum Pſal. 119. II. Salvifica fides quæ ſingulare Dei donum eſt Joh. 6. 2. Theſſ. 3. & per verbum Dei oritur Rom. 10. corda hominum etiam unit Act. 5. & in igne tribulationis (*Gal.* 3.) probatur. Et III. minime fucata dilectio erga Deum atque proximum, quæ itidem Dei donum, & Legis impletio Rom. 13. immo Deus ipſe eſt, & appellatur 1. Joh. 4. per quas ſingulares partes, verbum, fidem, & charitatem videlicet [*Epheſ.* 5.] ſi ordinario more modoque exerceantur atque uſurpentur, Chriſtus Dominus tum divina ſua cum tinctura, cœleſtique unctione, primum recte operari, ſuam in nobis, ſimplicibus & imperfectis metallis, vel hominibus, projectionem, & ſalvificum ingreſſum exercere & perficere poteſt, quo ſine illum difficillime apprehendere, vel ipſius tincturæ participes fieri poſſumus. Illic enim illico terribilis Sathan & Pſeudo-Chymicus ſeſe repræſentat, qui novis regeneratiſque hominibus, filiiſque Dei [præſertim ſi pacto cum Chriſto in baptiſmo fœderi ſatisfaciant, &, quemadmodum S. Paulus ipſis imperat, bonum certamen exerceant, fidem bonamque conſcientiam retineant,] cottidie & clanculum inſidiatur, &, per fideles ſuos Coadjutores, [1. *Pet.* 5.] quales ſunt, peccatis obnoxia caro noſtra [*Jacob.* 3.] & impius ſeductor mundus, in pernicioſam ſuam naſſam pertrahere, & præcipitio dare conatur: atque etiam, proh dolor! ſæpiſſime, Deo permittente, [nam vel Juſtus in die ſepties cadit Prov. 24.] multos in lapſum præcipitat. Quemadmodum enim Chriſto Domino, capiti & duce noſtro, inſidias ſtruere, ipſumque, mox à ſuo baptiſmo, ſub ingreſſu S. ipſius miniſterii, vehementer tentare molitus eſt: ita, & ſimili quoque modo, clandeſtinas ſuas technas, verſutias, & fallacias etiamnum hodie, omnibuſque adeo temporibus, in Chriſtiana Eccleſia exponit: Chriſtum primò per penuriam, tribulationes, variaſque anguſtias eo commovere & impellere ſtudebat, ut videlicet de verbo Dei, & clementiſſima ejuſdem promiſſione, dubitaret, dum prætendit, Deum ipſius amicum haud eſſe, quod illum tamdiu in deſerto famem pati pateretur. Sin autem iſta tentatio apud Chriſtianos nihil operatur: tunc ex altero latere hoſtis homines alia tentatione adoritur, maletque ut Deo magis [*Deut.* 10.] quam ipſis in verbo ſuo eſt pollicitus, confiderent: quemadmodum etiam

etiam Christo persuadere conabatur, ut nimirum sese de summo templi fastigio (*Matth.* 4.) præcipitem daret, Deum siquidem illum bene protecturum esse. Sin & hoc ipsi non procedit, & tertia itidem vice aliquid tentare minime erubescit: idque divitiarum promissione, quod videlicet, pecuniæ, temporaliumque bonorum gratia, à Deo, divinoque ipsius verbo recedere, idololatra fieri, ipsumque (Sathanam) invocare, &, tamquam Deum, colere debeat: veluti idem ab ipso Christo libere extorquere, eumdemque ad lapsum impellere minime est veritus. Id quod equidem fidelis Deus & Pater in Cœlo (*Job.* 2.) ex singulari consilio, certasque ob causas, quandoque permittit, ut hac ratione in fide, spe, patientia, recta veraque Dei invocatione crescant, adcrescant, & per istiusmodi Tyrocinia, sive crucis exercitia, ad ultimum mortis certamen, quod vetus homo subire necessum habet, sibi viam bene præparare, atque hoc modo æternam contra hostem illum, victoriam obtinere possint, id quod fiet, si omneis ipsius technas, versutissimasque insidias prius bene norint, & qua ratione ipsi, per divinam gratiam obviandum siet, didicerint.

Cum enim non cum carne & sanguine, sed, veluti S. Paulus inquit, cum Principibus & potentibus, cum hujus mundi primoribus videlicet, qui in mundi hujus tenebris dominantur, malisque sub cœlo spiritibus, pugnare atque certare necessum habeamus: eapropter ipsis, eorumdemve spiritualibus tentationibus, propriis ex viribus minime resistere possumus, sed hic, juxta Antesignani nostri Jesu Christi exemplum, spiritualia arma apprehendenda &, cum iisdem, & verbo Dei, tamquam spiritus gladio Ephes. 6. in fide spirituales isti nostri hostes percutiendi & vincendi sunt. Ubi necesse erit, ut nos ad mandatum Pauli Ephes. 6. ex armamentario Spiritus Sancti thoracem Dei ferreum arripiamus atque induamus: adeo ut lumbi nostri adcincti sient veritate, & induti simus pectorali justitiæ, in pedibus ocreati, tamquam in procinctu agitemus pacis Evangelium, spirituque gladium, qui est, ut antea dictum, verbum Dei: ante omnia vero fidei scutum apprehendamus, quo omnia ignita Diaboli tela delere & extinguere poterimus: Fides siquidem in Jesum Christum clypeus est firmissimus, quem idem ille Cacodæmon neutiquam perforare, neque cor vulnerare potis est.

Cum igitur & ignis regimen quoque in opere Philosophico summa diligentia observari, illudque (in materiæ coctione) absque ullo tædio administrari & debeat, & oporteat, quemadmodum etiam de Philosophico igne, [quo præcipue totum negotium perficiendum est,] diximus, quid proprie siet & appelletur, essentialis videlicet, præternaturalis & divinus ignis, qui in composito latitet, cui cum terreno igne materiali [1. *Tim.* 1.] auxilium & incitatio præstari oporteat: ita quoque & cumprimis purum Dei verbum, vel, quod idem est, Dei Spiritus, qui etiam cum igne Jerem. 23. comparatur, atque ita appellatur, in nobis hominibus occultatum est, utpote quod quidem nobis à natura implantatum, per ejusdem corruptionem vero iterum deietum & caliginosum factum est [*Phil.* 3.] Inibi siquidem & pari modo per alium quendam externum ignem, hoc est, per cottidianam assiduamque pietatis, Christianarum virtutum exercitationem, in prosperis & adversis, ut & per sedulam considerationem puri divini verbi, [si alias internum nobis concessum lumen gratiæ, Deique spiritus, in nobis operari & non plane extingui debeat,] [*Eccles.* 10.] auxilium subsidiumque præstandum est, eoque ipso, sine ullo tædio, atque indesinenter excitari atque inflari oportet. Quemadmodum enim & in terrenis etiam rebus fieri solet, ut si opifex ferrum, quod in se ipso frigidum est, sæpius lima expoliat, illud per continuum istum motum calefiat, lumen & lampas itidem; [*Coloss.* 3.] nisi continuo oleo foveatur, tamdem deficit & omnino extinguitur: ita etiam & homo nisi in suo interno igne, absque tædio & molestia, exerceatur, sensim decrescit, donec tamdem eo plane privetur. Quocirca (quemadmodum nunc sæpissime monuimus, idem que etiam summa efflagitare necessitas videtur) verbum Dei diligenter audiendum, bene considerandum, indesinenterque exercendum est.

Quod autem antea de visu, qui non tantum externis corporalibus, sed internis animi oculis [1. *Tim.* 1.] fieri debet, diximus, illud quoque pari modo & de auditu hic intelligendum est. Loquor vero [quo melius mea intelligatur sententia] de recto puroque Dei verbo, non autem glossis, humanis, vel veterum, aut Neotericorum Scribarum fermento [*Rom.* 16.] Pharisaico, quod hodierno, proh dolor, tempore, verbo divino præfertur, vel ad minimum, instar murini excrementi, quod pipeperi immiscetur, pro divini verbi concione audiri & haberi volunt. Minime gentium. De illiusmodi nugis verba hîc non facio: sed, de vero clarificatoque Dei verbo loquor Psal. 19. 119. quod per os Dei transit Deut 8 Matth. 4. & adhuc per Spiritum S. [1. *Cor.* 1.] prædicatur: quod non dumtaxat inanis vacuusque sonus, quemadmodum ignominiose quidam de eo loquuntur, sed spiritus & vita, & salvifica Dei est potentia, Joh. 6. omnibus videlicet iis, qui in illud credunt. Quo de auditu etiam regius Propheta David [*Psal.* 64.] ita loquitur: Audiam quid Dominus in me loquuturus siet. Ex quo interno & divino Dei verbi auditu, tamquam ex aliqua scaturigine, recta vivifica fides, quæ per charitatem efficax Galat. 5. suam sumit originem. Nam, uti Paulus Rom. 10. ait: *Fides ex auditu est, auditus vero per verbum Dei* [2. *Pet.* 2.]

Si itaque verbum Dei purum & clarum, tunc quoque & auditus [*Luc.* 21.] purus claruque esse potest: ita etiam & ipsa fides, quæ ex isto auditu quasi promanat, pura & incorrupta, & per charitatem efficax est, erga Deum quidem in humili obsequio sancti illius præcepti atque voluntatis. Item in orando, laudando, & gratias agendo. Erga proximum vero in benefica exhibitione diversimodorum bonorum operum: adeo, ut Dilectio non minima, sed, veluti Paulus ait, summa omnium reliquarum virtus siet. Quemadmodum etiam ad illam charitatis exercitationem nos Christus, in longa sua concione valedictoria Johan. 13. summo studio exhortatur, & tum temporis valedictionis quasi loco post se reliquit, inquiens: *Hoc est præceptum meum, ut vos invicem diligatis, quemadmodum & ego dilexi vos, ita enim, vos meos esse discipulos, singuli cognoscent. Item* 1. Joh. 2. *Qui dicit, se nosse Deum, & tamen præcepta ejus non servat; is mendax est, & nulla in eo veritas: Qui autem verbum illius servat, in eo certo charitas Dei perfecta est.* Et porro 1. Joh. 4. *Deus est charitas, & qui in illa manet, ille in Deo, & Deus in illo manet* [*Coloss.* 1.] Ex quibus omnibus videre est, quod charitas perfectionis verum sit vinculum, quo Christo incorporamur: adeo ut ille in nobis, nos in illo sumus [2. *Joh.* 3.] ille in patre suo, & pater in illo: id quod Christus commemorato isto in loco & porro testatur, dum inquit: *Si quis sermonem meum servabit, is est, qui me diligit, & ego illum diligam, atque ad eum veniemus, & habitationem*

habitationem apud eum faciemus. Joh. 5. ait: *Si præcepta mea ſervaveritis, in charitatem ea manetis.* Qua de charitate, quæ porro & ipſum noſtrum proximum concernit, 1. Joh. 4. etiam eleganter ſcribitur: *Si quis dicit, ſe amare Deum: Et tamen fratrem ſuum odio habet, mendax eſt. Qui enim fratrem ſuum, quem coram videt, non diligit, quomodo Deum, quem non videt, is diliget?* Et hoc præceptum ab eo habemus, ut qui, Deum diligit, etiam fratrem ſuum diligat. Quæ autem dilectionis illius ſiet proprietas, id S. Paulus 1. Cor. 13 ſequentibus verbis exprimit: *Dilectio,* inquit, *longanima & humana, non Zelo agitatur, nullam petulantiam exercet, non inflatur, nec, in operando, erga proximum, bono, laſſatur.* Facillime igitur exinde videre atque colligere eſt, quod nulla vera rectaque dilectio eſſe poſſit, quæ per dilectionem bonis cum operibus proximo non interviat: de (*Coloſſ.* 3.) qua tamen multi ex Chriſtianis temere gloriantur. Ex eodem vero quoque eſſe adparet, quod bona opera, quæ Deo placent, non fidem antecedant, ſed, tanquam fructus, ſtirpem & arborem ſequantur, quæ, ſi bona ſiet, etiam bonos fructus profert: atque hac de cauſa non opera fidem, (*Ierem.* 5) ſed fides opera bona, grata, & accepta facit: adeo ut hac ratione, quod heic eſt præcipuum, per ſolam fidem juſtificemur, æternamque vitam conſequamur.

Si itaque nunc homo regeneratus, ſupra commemorato modo, ſeſe in vita, omnibuſque adeo actionibus ſuis, tam Chriſtiane & pie ſeſe exhibeat, tunc & ſuo fructu minime carebit. Iſtiuſmodi ſiquidem homo, à Deo in fornacem tribulationis collocatur, & ad inſtar Compoſiti Hermetici tam diu omnis generis angultiis, diverſimodiſque calamitatibus & anxietatibus premitur, donec veteri Adamo & carni (*Epheſ.* 4.) ſiet mortuus, & tanquam vere novus homo: qui ſecundum Deum creatus eſt, in recta veraque juſtitia atque Sanctitate iterum reſurgat, quemadmodum S. Paulus ad Rom. 6. teſtatur, dum inquit: *Nos, una cum Chriſto, per baptiſmum in morte ſepulti ſumus. Ut quemadmodum enim Chriſtus à mortuis reſuſcitatus eſt, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Id ſi factum, & homo cottidie peccare deſinat ut hac ratione peccatum ei amplius non imperet, tunc apud eum ſicut in terreno opere adjuncti auri ſolutio ſuam ſumit originem, &, veluti ſupra dictum, putrefactio, ut ſpirituali more omnino ſolvatur; conteratur, deſtruatur, & putreſcat: quæ tamen ſolutio, & putrefactio apud unum citius, quam apud alterum, fieri ſolet, attamen in temporali hacce vita adhuc fieri oportet: Hoc eſt: Talis homo igne tribulationis (1. *Pet.* 4.) tam bene digeritur, coquitur, atque mollificatur, ut etiam de omnibus ſuis viribus deſperet, atque in gratia & miſericordia Dei (2. *Cor.* 4) unicum ſuum quærat ſolatium: qua in crucis fornace, & duran. te igne, homo, inſtar terreni auri, rectum nigrum corvi caput ſortitur, hoc eſt, omnino deformis fit, atque coram mundo, Sap. 5. (*Iob.* 30.) irridetur: idque non dumtaxat per quadraginta dies ac noctes, vel annos, ſed ſæpenumero etiam per omne vitæ ſuæ tempus, adeo ut plus cordolii, quam ſolatii & lætitiæ, plus mœroris, quam gaudii in vita ſua experiri neceſſum habeat: ubi denique ipſi, per ſpiritualem iſtam ſuam mortem, anima ſua omnino eximitur, & in altum quaſi deducitur, hoc eſt, corpore ſuo quidem adhuc in terra eſt, cum ſpiritu & corde ſuo tamen (qui nunc non amplius mundo, ſed Deo vivit, nec in terrenis, 2. *Cor.* 4.) ſed ſpiritualibus ſummum capit ſolatium) ſurſum ad æternam vitam & Patriam vergit, atque omneis ſuas actiones inſtituit, ut illæ non terrenæ, ſed quantum quidem hocce tempore fieri poteſt, cœleſtes ſient: quodque jam non amplius ſecundum carnem, ſed juxta ſpiritum, non in operibus infrugiferis tenebrarum, ſed tanquam in die lucis, in operibus, quæ probationem patiuntur, vivat. Quæ corporis animæque ſeparatio peragitur ſpiritualiter moriendo Quemadmodum enim ſolutio corporis & animæ in regenerato Auro ſeſe gerit, ubi corpus & anima quidem à ſe invicem quaſi ſeparantur, nihilominus tamen in vitro arctiſſime cohærent, & conjunctim manent, anima inſuper corpus cottidie recreat, & à finali deſtructione conſervat, uſque ad determinatum [2. *Cor.* 5.] tempus: ita quoque tabe confectũ, & quaſi mortuum hominis corpus in [1. *Pet.* 3.] iſta ſua crucis Schola, ab anima etiam non omnino deſeritur, ſed aſſidue, ſi tribulationis æſtus modum excedat, per ſpiritum è ſupernis cœleſti rore, & divino Nectare, irrigatur, potatur, atque conſervatur: quod cœleſte refrigerium & recreatio demortui terreni corporis in hominibus. [Temporalis enim noſtra mors, quæ peccati ſtipendium, Rom. 6. non recta mors, ſed naturalis ſolutio corporis & animæ & multo potius lenis quidamque ſomnus eſt] indiſſolubilis conjunctio [in piis intellige] Spiritus Dei, & animæ, vere eſt & manet. Quæ præterea, cum mirabili aſcenſione in terreno opere [quæ ſepties fieri ſolet] etiam convenit. Illic namque etiam ſex annorum millia tribulationum, & moleſtiarum temporalium [quam diu videlicet mundus duraturus eſt] reperiuntur. In quo, per Dei ſpiritum, ſolatii expertes homines omnibus temporibus in cruce, calamitatibus & anxietatibus diverſimodis, ubertim iterum erecti, conſolati, atque confirmati fuerunt: idque [Deo laus & gloria] fit adhuc cottidie, atque etiam tam diu fiet, donec magnum univerſale Sabbatum, & dies quietis anni milleſimi ſeptimi ſuum ſumpturus eſt initium: ubi ſpiritualis iſta recreatio, ſive refrigerium, unica etiam vice ceſſabit, diu exoptatum finem ſuum conſequetur, &, illius loco [cum Deus, [2. *Tim.* 4.] omne erit in omnibus] æternum duratura lætitia incho. bitur.

Durante vero etiamnum digeſtione & coctione ſpiritualis mortui corporis in homine ſeſe etiam pari modo (veluti in terreno opere videre eſt) multi diverſimodique colores & ſigna, hoc eſt, omnis generis miſeriæ, anxietates, atque tribulationes (quarum præcipua eſt ante commemorata iſta tentatio, quæ à Diabolo, mundo, & carne noſtra fit, atque cauſſatur) repræſentabunt: quæ tamen omnia bonum prænunciant indicium: quod videlicet tam bene vexatus homo tandem aliquando beatum exoptatumque exitum conſecuturus ſiet: quemadmodum etiam & ipſa SS. ſcriptura teſtis eſt, in qua (2. *Tim.* 3.) (*Act.* 4.) legitur, quod videlicet omneis, qui beate in Chriſto Jeſu vivere velint, perſequutionem pati cogantur, quodque nos, per multas tribulationes & angultias, regnum cœlorum ingredi neceſſum habeamus. Quem in finem etiam D. Auguſtinus ita inquit: *Ne mireris, frater, ſi te (cum Chriſtianus factus fueris) undique mille etiam tribulationes vexent. Noſtra ſiquidem fidei caput Chriſtus eſt, nos ipſius membra ſumus: Quocirca non ſolummodo illum, ſed & vitam illius ſequi & imitari debemus. Vita Chriſti autem omnis generis tribulatione, extrema egeſtate circumdata, & ſcribis & Phariſæis irriſa, & denique pro miſeris nobis peccatoribus contumelioſiſſimæ morti tradita eſt: Unde facillime colligendum, quod, ſi te Deus tali vita dignatur, & pari te perſequutione caſtigat, in Electorum ſuorum numerum te*

referre

referre cogitet. Sine istiusmodi perquisitionibus & tribulationibus namque ad Deum pervenire minime possumus. Nam qui Paradisum ingredi conantur, per ignem & aquam illi ambulare necessum habent; sive Ille siet Petrus, cui traditæ sunt claves cœlorum: vel Paulus, electum vas & armatura Dei: aut Joannes, cui omnia arcana Dei revelata sunt: Omneis namque pati necessum habent: Per varias tribulationes regnum cœlorum nos ingredi oportet. Hucusque D. Augustinus.

Præterea & illud quoque probe notandum est, quod nimirum Philosophi Chimici Antimonium, (per quod) veluti antea in præparatione Chimica dictum est (Auri fermentatio fieri oportet antequam Elixir, aut Chimico Regi adponatur, vel cum vetere cano Saturno balneum Sudatorium subire velit, eodem hocce charactere ♂ signaverint. Id quod pro miraculo, & mysterio quasi habendum, atque intuendum est: quemadmodum etiam forma sive species ista apud nos Christianos quoque reperienda, & ferme in pari occultatione usurpatur atque proponitur, dum summo capiti & imperatori totius Christianitatis Imperii Pomum, cum super eminente crucicula, in manus traditur, eoque innuitur, quod ille, antequam ad pacificam quietamque possessionem perveniat, prius hujus mundi crucem, ærumnas, aliasque calamitates probe experiri, iisdem agitari, & per easdem probari necessum habeat: cujus præfigurationem significationemque typicam dicti isti Philosophi, qui priscis istis temporibus vicitarunt, fortassis istiusmodi signo non temere & fortuito, & quidem in ipso labore chimico (qui talem processum etiam requirit significare voluerunt, Quæ omnia haud inconcinne ad commemoratam Scholam crucis, Christianorumque tribulationes atque persequutiones) quod videlicet antequam sempiternam lætitiam & quietem ingrediantur, per onerosum difficilemque mundi cursum ambulare, vel cum hostili cano Saturno, hoc est, vetere Adamo, & Sathana, Scholam certaminis balneumque sudatorium subire cogantur (*Iob.* 26.) referri poterunt.

Juxta commemoratas istas tribulationes & calamitates etiam multa diversimodaque signa atque miracula, ingentes quoque mutationes hinc inde in mundo probe observandæ, diligenterque considerandæ atque perpendendæ sunt. Si audiuntur scilicet bella, rumores bellici, variæ sectæ, pestis & annonæ charitas, quæ omnia proxime instantis nostræ redemptionis veri præcursores sunt & nuncii. In summa quando universalis mortuorum resurrectio fieri debet, tunc primum homines per agni sanguinem victuri (prior enim nova, in S. baptismo facta, regeneratio, hujus secundæ, rectæ, & nunc primum omnino perfectæ novæ regenerationis in æterna vita saltim est initium) ad novam, numquam transituram, vitam, anima & spiritu cum corpore iterum sic unitis, & in indissolubilem æternum durantem copulationem rursum redactis, resurrecturi sunt: ita quidem, ut, virtute atque efficacia omnipotentis cœlestis Regis Christi (quo cum per fidem realiter, vere, & efficaciter, contra omnium hominum rationem copulabimur) pura, spirituali, mirabilique virtute, robore, & agilitate, gloria & præstantia glorificati: immo pellucidi, præstantes, & plusquam perfecte beati (*Es.* 26.) fieri debeamus. Quæ admiranda, corporis, animæ & spiritus copulatio, sive unio, divina itidem glorificatio, & exaltatio electorum, veluti in terreno opere, absque stupore, atque trepidatione in hac à nobis non considerari, multo minus videri potest: quemadmodum etiam, ejus rei causa, & ipsi angeli in admirationem rapiuntur, illaque omnia videre gestiunt: Ubi tum cum Christo, æterno nostro cœli principe, una cum omnibus angelis, & spiritibus ministrantibus, in æterna lætitia, atque gloria Majestatica super omnia dominaturi, & regnaturi sumus in sempiterna secula (*Gal.* 6.)

Et quemadmodum, ut tandem concludamus, in Chimico-Philosophico opere, brevis, necessaria tamen correctio neglecti corruptique compositi (quomodo videlicet eidem in tempore commode subveniri possit; ubi etiam totus processus, una cum ordinariis, ad illum pertinentibus, mediis inveniendus est) mox ab initio fuit addita, ita quoque & heic in opere Theologico miseri alicujus peccatoris spiritualis correctio & restitutio bene diligenterque consideranda est, ubi fotassis unus, vel alter, defectus in aliquo homine sese repræsentaret; &, Deo permittente, horribilis Sathanæ, impii mundi, & carnis suæ impulsu, in peccata incideret, & vel per superbiam & arrogantiam, (quæ nobis omnibus innata cum pernitiosa sublimatione; vel præmatura rubedine, tamquam primo & secundo defectu, in terreno regno comparantur) laberetur, vel ob perpetrata enormia, grandia; & carnalia peccata, tamdem de Dei misericordia desperaret, aut, ob nimium tribulationum æstum, contra Deum creatorem suum, insurgeret, crucemque impatienter ferret: (qui duo defectus cum tertio & quarto erroribus conveniunt) tunc miser contagiosusque istiusmodi homo adinstar Compositi philosophici denuo solvi, hoc est, post agnitionem excessus sui, per clavem solutoriam sanctæ Absolutionis, quoties illa indigebit, à peccatis, & cottidianis suis delictis tamdem, iterum absolvi & purificari: dein in SS. Cœna dominica puro cœlesti lacte 1. Cor. 3. veroque cœlestis agni sudore (1. *Ioh.* 5.) tamquam sanguine & aqua, immo aqua & fronte vitæ: quemadmodum etiam cum pingui convivio ex puro vino & medulla Esa. 25. (*Apoc.* 19.) & publico gratiæ Fonte, Zach. 13. qui, instar Mercurialis aquæ in opere Chimico, indignis & impiis summum venenum est, cibari, potari, recreari, & confortari necessum habet, donec etiam, veluti terrenum corpus, ad finalem congelationem plenariamque fixationem, h. e. ad perfectam constantemque æternæ beatitudinis perfectionem perveniat. Quæ duo saluberrima media curationis & sanationis miseri peccatoris (SS. absolutionem & cœnam videlicet) fidelis omnipotensque Deus hominis in emolumentum instituit, illaque dilectissimæ suæ Ecclesiæ, tempore necessitatis administrandæ communicandaque, tradidit, & concredidit. Illic siquidem, per dictam jam modo absolutionem, vel clavium Ministerium prævia verâ pœnitentia, liberi & immunes pronunciamur, vel, si impœnitentes permanemus, & in peccatis petulanter perseveramus, per Christianam banni & excommunicationis clavem, quæ etiam ad officium illud pertinet, in peccatis nostris ligamur, & Sathanæ, ad carnis interitum, 1. Cor. 5. tradimur, ut Spiritus in die Domini salvificetur.

EPILOGUS.

HAbes itaque nunc, amice & benevole Lector, brevem simplicemque demonstrationem atque declarationem, infallibilem quoque Typum comparationemque allegoricam terreno-chimici, & veri cœlestis lapidis Jesu Christi, per quem ad certam beatitudinem & perfectionem, non dumtaxat, heic, in hac terrena, sed & in æterna etiam vita,

pervenire poteris. Licet autem illud utrimque, in præmiſſo opere Theologico, aliquanto rectius & copioſius tractari potuiſſet, ſciendum tamen tibi eſt, me non eſſe Scripturæ Profeſſorem, vel hodierni mundi more, Ariſtotelico-Theologum, ſed civem & perſonam privatam eſſe. Illam namque à Deo mihi conceſſam ſcientiam nulla in celebri Academia ſtudiis adſequutus ſum, ſed in univerſaſali Schola Naturæ, (*Iob.* 12.) & ex magno miraculorum libro in quo omneis Docti multa ante ſecula ſeſe exercuerunt didici. Quocirca etiam iſtam meam deſcriptionem non ad decoram ſeſquipedalemque literam, ſed, uti dictum, ad ſimplicitatem direxi: quemadmodum etiam haud eſt mei muneris, ut videlicet de rebus Theologicis uberiorem copioſioremque tractationem heic inſtituam: ſed quicquid feci, illud, mea quidem ex parte, illis, qui fortaſſis tantos nondum fecere progreſſus, brevem aliquam delineationem præſcribere volui, ut videlicet Rem altius indagare valeant: Unicuique ſiquidem amanti veritatis convenire videtur, ut miracula Dei ſicco pede neutiquam prætereat, nec perpetuo involvat ſilentio, ſed ut illa celebret, amplificet, atque glorificet. Juxta illud etiam ſimul confeſſionem meam, & quid de Chriſtianæ religionis articulis ſentiam credamque, publice teſtatam facere volui: Cum proh dolor, ita nunc comparatum ſiet, ut multi pii Chriſtiani (*Pſal.* 116.) per mendaciſſimorum calumniatorum intempeſtiva judicia (ni cantilenam ipſorum quis cantare velit) à tergo hæretici proclamentur, & ſuſpecti habeantur. Quæ impiæ mundi blaſphemiæ temerariaque judicia verum Chriſtianum, qui iſtiuſmodi calumniis proſcinditur, minime offendant: Diabolus ſiquidem, ejuſdemque ſquamoſi filii, illud in more ſemper habuerunt, & idem Chriſto, omnibuſque ſuis imitatoribus, exhibuerunt, [*Pſal.* 94. *Ier.* 11.] atque etiamnum faciunt. De quo tamen nunc nulla amplius verba facio, ſed illud ſupremo omnium judicium judici, qui verus omnium cordium lapis Lydius eſt, commendatum volo (1. *Chron.* 19. *Deus omnia corda perſcrutatur.*)

Ad præcedentem, præterea, toties nunc à nobis commemorati terreni lapidis Tractationem quod attinet, hocce in Epilogo, Artis Chimicæ amatorem, pro ſuperfluo, ad priorem à me datam informationem ablegatum, eamdemque illi fideliter denuo inculcatam volo. Quemadmodum enim in eximia cantione bona aliqua clauſula plus una dumtaxat vice, repetitur: ita quoque in hocce puncto idem à nobis fieri ſolet: quod nimirum ille propoſitum & cogitationes ſuas ad terrenum lapidem Philoſophicum non prius dirigere, vel iſtiuſmodi laboris initium facere debeat, niſi cœleſtem (cujus gratia terrenus à Deo datus eſt) recte cognoverit, præparaverit, vel, ad minimum, ambos, ſpiritualem corporalemque videlicet [*Eccleſ.* 1.] ſummo ſtudio ſimul conjunctim ipſo facto præparare inceperit. Ego enim, cumprimis hac in parte, quomodo nimirum, abſque naturæ agnitione, tam altum opus temere inchoëtur & laboretur, cum omnibus veris Philoſophis conſentio, immo etiam quod abſque vera agnitione cœleſtis lapidis angularis Chriſti, utpote in quo tota natura perfecte conſiſtit, non dumtaxat difficile, verum etiam, impoſſibile ſit Lapidem philoſophicum præparare, mea pro perſona diligenter heic adnoto & fateor: Quocirca etiam hoc punctum probe conſiderandum, nec, ut à multis fieri ſolet, tam avide, & inconſiderate ad ſummam iſtam artem [cum tamen ſæpenumero aliquis ad illam artem minimè aptus & idoneus, nec in ſæpius dicta agnitione aliquantulum exercitatus ſiet] anhelandum, niſi ignominioſum illius rei exitum quis experiri deſideret: Quale ſiquidem initium, talem etiam plerumque finem ſortitur, veluti, proh dolor, apud multos res ipſa loquitur. Id quod tamen unice immaturæ intentioni & ignorantiæ imputandum eſt.

Verum enimvero adhuc magis mirandum eſt, quod aliqui homines reperiantur, qui ſummam iſtam artem (*Eccleſ.* non dumtaxat inquirunt, ſed etiam illam tractare & exercere conantur, & nihilominus tamen (an naturalis, vel recte magica, an vero præternaturalis & nigromantica ars ſiet, quæ ſaltim per ſpiritus illegitimaque prohibita media adquiratur) dubitant. Neutiquam, mi bone vir, Diabolus omneiſque adeo impii abſque divina permiſſione, poteſtatem illam non habent, ut & minimum quidem hac in arte contrectent, multo minus ſuis juris faciant, illamque pro lubitu ſuo exerceant. Minime gentium, inquam, ſola illa in Dei manu & poteſtate conſiſtit, qui illam, cui vult, & impertit, & ſimul iterum adimit. Ad iſtam namque artem, quæ à, & ex Deo ſuam ſumit originem, nulli omnino voluptuarii, multo minus diri infernaleſque Spiritus, ſed talis, verſa vice, ſpiritus, qui ſimplex, rectus, verus, conſtans, & puræ pieque eſſentiæ ſiet, admittuntur. Quem tamen ſpiritum hodiernus mundus ſecurus impius non agnoſcit, ideoque etiam ejuſdem eſſentiam, ſummumque myſterium in multis ignorat. Quamprimum enim aliquid de illo auribus percipit, nec cito tamen illud comprehendere potis eſt, tunc mundani iſti ſocii [*Sapien.* 1.] ſtultitiam illud appellant: ideoque etiam, ob cœcitatem ſuam, ſpiritus ille ipſis perpetuo occultabitur, & tamdem omnino ab iiſdem adimetur.

Ne autem commemoratione iſta à meo propoſito forſitan plus juſto longius progrediar, ſed illud iterum adtingam, & denique ad finem perducam: ea propter piis artificibus & hoc, amicæ exhortationis loco, probe inculcatum volo: Quatenus videlicet, erga Deum (*Eccleſ.* 18. & 29.) cor, animumque, immo vitam, & actiones ſuas quis inſtituet: eatenus in lapidis, ac laboris ſui progreſſu cottidie omnibuſque etiam horis inſignem utilitatem percepturus erit: id quod & ipſe omnibus diebus ſumma diligentia, & magna devotione obſervavi, & ita ipſo facto expertus ſum. Quamobrem omneis mox ab initio actiones ſuas eo dirigere, ſeque ita præparare debet, ut poſtmodum in utroque opere eo feliciorem finem conſequi valeat.

Heic forſitan quis poſſet objicere, quod nimirum aliqui reperiantur, qui lapidem iſtum Philoſophicum, vel Tincturam, qua ſimplicia metalla in aurũ argentumq; immutaverint, vere habuerint, & nihilominus parum idonei fuerint, nec cœleſtem ſimul tam bene agnoverint: (*Eccleſ.* 19.) immo adhuc in vitæ vanitate atque levitate ambulaverint. [*Sap.* 1.] Quibus reſpondeo, quod eoſdem quidem ſuo in ſtatu relinquam, &, ubi, & quomodo, iſtam ſuam Tincturam nacti fuerint, nullam heic diſputationem inſtituam. An vero veram rectamque Tinctarum, qua de in toto hocce meo Tractatu egi, ipſi confecerint atque præparaverint, id vere nemo mihi perſuadebit, multo minus, ut credam, induci potero: quemadmodum etiam leviſſimorum iſtiuſmodi hominum tragicus exitus, in quem, ſua cum tinctura, ſe ipſos præcipitarunt, illud ſæpenumero teſtatur atque etiamnum hodie, proh dolor, ejus rei exempla minime deſunt: Ut nunc taceam, quod ars Chimica, una cum requiſitis ſuis, non unica,

ſed

sed diversa fiet. Quemadmodum enim aliis in facultatibus diversi & versiculores Sectarii inveniuntur: [*Exod.* 30. *Iacob autem sumebat bacillos, sive scipiones &c.*] ita quoque & hac in arte idem fit: Illi siquidem omneis in genere Chimici appellantur, non tamen ad unicam intentionem informati atque directi sunt.

Loquor hic saltim de vera, naturæ convenienté, & artificiosa Alchimia, quæ cumprimis inter alia, malum & impurum à bono & puro discernendum cognoscendumque, docet, per quam (*Prov.* 2.) postquam naturæ imbecillitati atque corruptioni subveniri, & recta promotio exhiberi potest: quæ tum in augmentatione metallorum simili modo procedit, ac si alicui fructui, qui accidentali quodam casu impeditus ad maturitatem justam pervenire haud potuerit, auxilium præstare, vel ex uno granulo, vel semine, multifariam augmentationem consequi coneris, quod exiguo sumptu laborari atque perfici potest. Alteram Sophisticam pseudochimicam artem minime intelligo, nec etiam illam discere cupio: (*Eccles.* 3. *Qui ad periculum &c.*) quia ipsius magistri vias nimis incurvatas, & meros aureos mõtes, [qui forsassis nimis procul dissiti sunt,] frustra pollicentur: adhæc falsa ista ars nihil omnino constans largitur, & dumtaxat ingentes sumptus, temerarios labores, & denique etiam sæpenumero ipsum corpus viramque insumere solet. Quocirca si tibi istiusmodi Chimicorum unus vel plures occurrerent, (qui de vera & naturali Arte Chimica gloriarentur, illamque, pecuniæ caussa, te, vel etiam alterum aliquem, docere conarentur: vel, quòd sumptus, & quæ requiruntur impensas, erogare haud possent, prætenderent:) tunc fideliter esto admonitus, ne nimium ipsis fidas. Anguis enim apud ipsos plerumque in herba latitat. (*Mich.* 2. *si spiritus erroneus esem &c.*)

Præterea vere etiam affirmare possum, quod sumptus, qui toti Universalique operi impendendus est, (cottidiano victu, & sustentatione ignis exceptis) per omnia trium florenorum pretium non excedat. Materia namque, veluti etiam supra audivimus, partim vilis est & undique, pro exigente necessitate, satis superque, & absque magna molestia, invenitur: labor itidem facilis & simplex. In summa, tota ista ars à piis, & à Deo ad id electis (*Psal.* 112) simplicissime & facillime: ab impiis & malis vero difficillime & impossibile quasi comprehenditur. (*Prov.* 3.) Ut autem tamdem epilogum meum absolvam, idcirco, valedictionis loco, pro additamento & hoc tibi communicare volui: quod nimirum, si Deus omnipotens tibi gratiam suam (in piæ & sanctæ illius artis revelatione) largitus fuerit, illa tum recte uti, silentium tibi commendatum habere, &, ejus rei gratia, firmam seram ori admovere, [*Eccles.* 23. *O utinam possem seram &c.*] illudque observare debeas, ne forsitan arrogantia & superbia, tam apud Deum, quam homines in periculum & damnum, temporalemque æternamque pernitiem præcipitare possit: Quocirca etiam caute tibi prospiciendum est.

Divitias quærit sacram hanc quicunque per artem,
Sit pius & simplex, sit tacitusque probus.
Hoc qui non agitat, potius contraria flectit,
Pauper, inops, nudus, cogitur esse miser.

Hæc omnia, amice Lector, tam admonitionis, quam valedictionis loco, te latere nolui, indubia spe fretus, te in omnibus [nisi Deus tibi oculos auresque occluserit] me sufficienter intellexisse: Illud siquidem fidelius & expressius (quantum quidem bona conscientia fieri potuit) non præmonstrare, neque etiam manifestius describere potuissem. Sin itaque ex eo non intelligere vel discere potueris, tunc equidem metuo, te, per Alterius institutionem, difficillime rem comprehensurum esse.

APPENDIX.

SIn quoque; ob illud à Deo tibi concessum donum, fortassis superbire, vel avaritiam; sub prætextu Oeconomicæ alicujus prudentiæ & parsimoniæ; tecum fovere, &, eò ipso, te sensim à Deo avertere coneris: tunc, vere loquor, ars ista sub manibus evanescet, adeo ut ipse, quomodo tibi factum fuerit, scire haud possis. Id quod sane pluribus, præter omnem spem & expectationem, contigit.

In Summa Summarum:

Sique meam hanc sequeris doctrinam & si pius extas,
Materiem sumens, quam retuli ante tibi:
Si pariter talem soluto pro more parabis:
Omnes divitias totius Orbis habes.

Ad quam illam tuam intentionem [si alias res tibi curæ fiet] Deus omnipotens tibi suam gratiam & divinam benedictionem clementissime largiatur. Id quod ex intimis cordis mei penetralibus tibi apprecatum volo.

ORATIO.

OMnipotens, æterne Deus, pater cœlestis lumenis, à quo etiam omnia bona & perfecta dona proveniunt: rogamus infinitam tuam misericordiam ut nos æternam tuam sapientiam, quæ continua circa tuum thronum est, & per quam omnia creata factaque sunt, atque etiamnum reguntur, & conservantur, recte agnoscere patiaris, mitte illam nobis de sancto tuo cœlo, & ex throno tuæ gloriæ, ut una nobiscum sit, & simul laboret, quoniam magistra est omnium cœlestium occultarumque artium, etiam, omnia scit & intelligit. Fac moderate nos comitetur in omnibus nostris operibus, ut per illius spiritum verum intellectum, infallibilemque processum Nobilissimæ hujus Artis, hoc est, sapientum miraculosum lapidem, quem mundo occultasti, & saltim electis tuis revelare soles, certo; & sine ullo errore, discamus, & ita summum opus, quod heic nobis peragendum est, primum recte, & bene inchoëmus, in eo, ejusdemque labore constanter progrediamur, & tamdem etiam beate absolvamus, illoque æternum cum gaudio fruamur, per cœlestem illum & ab æterno fundatum angularem miraculosumque lapidem Jesum Christum, qui tecum, ô Deus pater, una cum spiritu sancto, verus Deus, in una indissolubili divina essentia, imperat & regnat, triunicus Deus, summe laudatus in sempiterna secula Amen.

Josuæ 21. *v.* 44. 45.

Et ita dabat Dominus Israël omnem terram; quam ipsorum patribus dari promiserat, nec in omni bono aliquid deerat, quod ad domum Israël Dominus loquutus erat, omnia in promptu erant.

Deut. 32. v. 3. Date nostro Deo Soli Gloriam: Amen.

EPIGRAMMA.

AVrum; res vilis, fornace parare metallis.
Interdum eſt aliquis pollet & arte creat.
Quare hic non dives? cauſa eſt, res deficit una,
Quæ arte latet, multos anxia cura premit.
Scilicet hoc aurum quod non fix, quando probatur,
Sed ſubito celerans aufugit atque perit.
Qui vero hoc novit, fixque omni tempore conſtans
Quo maneat, toto diſpereatque nihil:
Artis hic eſt veræ Poſſeſſor, dicitur ille
Philoſophus, Chymicus, Practicus atque bonus.

ALIVD.

Theioſophia viret ſic conveniente Chymia,
Non ſecus ut corpus nobile dextera eget.
Id graphice præſens docet & demonſtrat imago,
Nempe quid oſtendat, ſignificando notet.
In primis galeam, galeamque duabus & alis
Inſpicias, per quas poſcitur artis amor.
Ad Sophiamque notant, greſſu properante, favorem,
Quæ fulget, ſicut Phœbus in arce poli.
Corpore quod nuda eſt, ſignat, quia ſedulo amatur,
Cauſa animi, ante omnes totius orbis opes.
Qui ſemel hanc cernit præſertim corpore nudo,
Difficile eſt, ut ſe quiſque Dea abſtineat.
Etſi talis amor quaſi partim abſconditur, iſte
Attamen eſt conſtans, id quoque larva docet.
Pectoris omnino ſinceri eſt, verba modeſta &
Recta gradum ſiſtunt, fraude doloque carent.
Indicat ille ſtatus validus quod mentis apertæ
Sit, licet adſpicitur, jam quaſi tota cadat.
Id ſignat, mundus quodque hanc ignobilis odit,
Deſicere in terram mens truculenta petit.
Attamen aſſidue & ſubito bene ſurgit in altum,
Eſt conſtans, nullo credit honore gradu.
Grata Deo atque homini eſt: illuſio penditur illi,
In veſte ut ſignant cymbala cum crotalis:
Nil tamen id curat, magis hæc ſapientia adhæret,
Ad quam fert oculos, dirigit atque gradum.
Præ cunctis operibus ſcit veram hanc eſſe ſalutem,
Hic cum qua vitæ tranſigit acta ſuæ.
Non cupida eſt laudis mundanæ, haud curat iniquum
Aut animum averſum, ferique parumque nihil.
Crux, varia anxietas ſceleroſo huic Orbe paratur,
Pectore fert forti, judicat omne leve.
Hoc facit, illa tenet theſaurum, porrigit omne
Quod petit, admittit non locum avaritia.
Qua gaudet mundus, calcat: fortuna rotunda
Cumque ſit & ſubito conficiatque dolum.
Propterea intendit corpus ſæpe immergere ſpinis.
Donec diſcedens orbe quieſcat humo.
Tunc animus recta ſuſtollet ad æthera vultus,
Pro dote & dabitur juſta corona poli,
Poſt obitum in mundo ſacra laus & fama niteſcet
Ejus, ceu Solis lumina clara nitent.
Non evaneſcet, magis & magis creſcet ad annos
Innumeros, perſtans non titubante pede.

Noſtro Deo Soli Gloria.

FINIS.

SVBSECTIO XIII.

IOAN. FR. MIRANDULÆ DOM. CONCORDIÆQUE COMITIS, OPUS AUREUM *De Auro, tum Æſtimado, tum Conficiendo, tum utendo,* ad Conjugem.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Aurum non ſemper à primorum ſeculorum ipſiuſque Inventionis initio ſic æſtimatum conſenſu Nationum, ut res cæteras metiretur.

AUrum, quod olim tanti factum, tantique nunc paſſim fieri cernimus, quamnam ob cauſam tam eximiam æſtimationem ſui mentibus humanis inſeruerit, inſertamque tenacius infixerit, mihi ſæpe conjunx, venit in mentem, ut exactius diſputando cognoſcerem, hinc enim id videbam tanta cura, & tam ſupervacanea quæri ſolere, ut merito priſcis ab auctoribus latinæ linguæ nomen traxiſſe diceretur ab avertendis mentib. hominum, tantoque ſtudio quæſitum cuſtodiri, ut jure dederit anſam Græcis plane ſuſpicandi deductum nomen ἀπὸ τῦ ὠρέειν quod ſcilicet præ cæteris cuſtodiretur, indeque theſauri vocabulum efficeretur. Parte alia cum utile fortaſſis aurum videri poſſet, nullo vero modo neceſſarium ſuapte natura, ſed ſola mortalium conſpiratione progrediebatur animus ultra percupidus, videlicet habendæ veritatis. Atque imprimis recordabatur ſemper non fuiſſe præfectum aurum cæteris, non metallis modo, ſed aliis externis omnibus conſenſu nationum: nam vel expreſſa, vel tacita ſeculorum omnium conſpiratio, ut aliis rebus, quæ dicuntur externa proponendum ipſum arbitrarer, mihi omnino non perſuadebatur, nulla enim inter primordia conditi hominis auri mentio, quin & literarum monumentis antiquiſſimis relatum eſt, ſine auro permulta ſecula vitam homines agitaſſe: nec defuere, qui ſcripſerint paulo ante Trojana tempora inventum, aurum ab Eaco: & argentum ab Indo Scythiæ Rege, & qui retulerint acceptum Thoanti Eaclique, & Erichthonio, & qui Soli, & qui Vulcano, & qui etiam Chryſo, cujus opinionis fuit Hippocrates ratus ab inventore τὸν χρυσὸν, hoc eſt aurum cognominatum. Sciebam quoque proditum memoriæ, aurum in uſum non habitum in Europa, multoque minus conflaturam ejus ante Phœnicis Cadmi tempora. Quid? quod auctis etiam Græcorum florentibuſque rebus tantum auri non potuiſſe tota Græcia corradi (retulit Atheneus) ut inaurari caput poſſet Apollinis Amyclei: Tantamque raritatem ejus

simul & caritatem apud Philippum regem fuisse, ut bene sibi actum duceret aurea phyala, & ea quidem parvula potiri, quam & sub cervicali recondere, si vera monumentis literarum mandavit Duris Samius, quem Philippi morem summæ licentiæ miror adscriptum à Plinio, cum in aureum Philippi poculum inveheretur! Abfuerat tantum Græcis, ut id metalli colerent, quod etiam legibus uti vetuerint. Illud ex historiis planè cognitum est, sine aureis argenteisque nummis & stetisse, & crevisse, Lacedæmona; procubuisse, & corruisse, cum sub Lysandro manubias captis Athenis aureas admisisset. Accedebat Plato, qui suis in legibus prohibuit aurum ab ullo privato possideri: atque idem etiam de argento promulgaverat. Occurrebat illius animo fortassis rarissimum quondam in Græcia fuisse argenti atque auri usum, solisque in templis id videri solitum. Nec nisi in tripodibus & imagunculis, quas primum Lydiæ Reges Gyges, & Crœsus, deinde Siculi Tyranni posuissent Mox Phocensibus Delphos populantibus id metalli per Græciam quoque modo vulgari cœpisse. Nec non ad auri minuendam æstimationem illud mihi succurrebat, quod apud Hebræos in ejus copia metalli sit inventum æs, auro præstantius; modo retulerit vera Josephus in septimo & in undecimo antiquitatum. Veniebat etiam ad memoriam mandatum esse historiis ipsa in Italia castris suis interdixisse Spartacum, ne quis aurum haberet, aut argentum. Et post innumera tot seculorum curricula perseverasse apud nonnullas Asiæ & Africæ gentes, ut aliæ parvo duxerint aurum, aliæ pro nihilo etiam habuerint ac in India, quæ putatur auri feracissima, si de ea parte, quam vicit Alexander Macedo, faciamus mentionem, non fuisse aurum, ex ejus rerum gestarum Græcis scriptoribus accepimus, tametsi direpta Bersidæ tantum auri nactum regem ipsum, ut ad illud convehendum vix fuerint satis mulorum triginta millia. Colligamus igitur convenisse quidem mortales, ut aurum nimio plus æstimarent, cur autem convenerint non constare, nec ratum semper statumque fuisse, ut omnibus in universum nationibus placuerit aurum mensuram esse rerum cæterarum.

CAP. II.

Quod non tanti ut sit ducendum sit Aurum ex utilitate de rei natura petita.

MInimi verò ducebam argumentum, quo persuadere vulgi hominibus quidam sunt adnixi: Plurimum esse usui mortalibus aurum. Nam contra ipse ferrum objiciebam, sine quo nec Agricultura consistit, ars non minus necessaria, quam communis; Atque ut ait Xenophon omnium artium mater, & nutrix, sed nec Ædificatoria satis extruitur, nec Nautica plane custoditur, ut mittam Militarem, quæ tametsi nocet quibusdam, non tamen omnibus: suffragabatur statim nobis hemistichion illud ferroque nocentius aurum, atque dictum aliud non absimile: auro ferrum inter bella gratius.

Proximumque huic accedebat id elogii, prosciissum esse convitiis aurum ab optimis quibusque, & ad pernitiem vitæ repertum. Subinde quoque recordabar & miratam olim vetustatem, & indignatam simul: quod prius tenuerit aurum, cum id eludere niteretur sub Midæ fabula; cui nihil omnino solidæ opis ad vitam congesta moles auri præstitisset. Porro usus in rebus commutandis pollens causa non fuerit auri tantopere æstimandi, cum antiquissimi Reges, non aurum & argentum, sed æs planè signarent, cujus rei ferunt inventorem Saturnum, à quo sit etiam nuncupatum ærarium, quod Cæcilio Cypriano placuit, quamquam scribunt alii signandæ monetæ principem fuisse Janum Saturni æqualem, & hospitem, qui navim, qua vectus ille fuerat, nummis impresserit: Apud Romanos quoque primum æri fuit insusta nota, deinde argento, & aliquot post annos auro; quandoquidem primus Romanorum septem Regum Servius insusit æri notam; primus consulum Fabius argento; mox & aurum quoque signatum.

CAP. III.

Quod æstimatio præcellens auri non pendeat ex Medicina.

QUæ vero de Medicina facultate sumebantur à me, contra me ipsum Epicheremata quæpiam communia, & ex lætitia, & ex ope temperamenti corporei de longinquo ducta, pro me quoque ex eadem facultate desumebantur contraria, quandoquidem ex aggestis aureis nummis illa lætitia est tantisper, dum subit animum divitis, posse alia quæ sibi placeant nummorum erogatione comparari, sed imaginationis & cogitationis, & animi hoc proprium est, non temperaturæ corporeæ, quo de crassa fæculentaque materia dissultat: huc accedit, quod multa sint quæ humanæ corporum temperationi prodesse dicunt magis, atque etiam à medicis antiquioribus laudata magis ad vitam refocillandam, & vires commodè sufficiendas, quorum facilius multo, minorique impendio compotes efficitur; *Neque enim ulla metalla nutriunt, ut est apud Peripateticos antiquiores receptum. Nequeunt enim concoqui sic, ut in carnem vertantur & sanguinem.* Quod & comprobatum est experimentis eorum, qui bellorum turbinibus, & regionum vastitate perculsi, subterraneis in specubus occulentes sese, nummos aureos complicatos instar Catapotii demiserunt in ventrem, mox eos suo pondere, suoque colore compererunt.

Et si quid forte deperiit absumptumque fuit innato calore, id quidem parum, alioqui optimum extitisset vitæ remedium Judæis, dum Hierosolyma obsideretur, ad Titum Cæsarem confugientibus, si aurum concoqueretur, sic ut nutriret deglutientes, namque non fuissent ab avarissimis Assyriis, & Arabibus dissecti, ut aurum quod ante demiserant in ventrem eorum de visceribus extraherent, quorum tam ingens numerus, ut una nocte duobus hominum millibus sint intestina concisa, cujus rei auctor est Josephus, confirmator Egesippus.

Miseris igitur illis in ventriculo condebantur aurei nummi, tanquam in arca, non sumebantur ad famem tolerandam, quoniam diffusi jam per totum corpus, & modificati fuissent cæterorum instar eduliorum. Quid? quod nec odore quoque mulcet aurum, nec sapore fovet eos vapores, qui de humanis tolluntur corporibus, à medicis spiritus nuncupati, quin etiam ingrato sunt sapore metalla omnia, & odore sulphureo, atque ideo non possunt quoquo modo non obesse iis, qui ægre decumbunt, tantum abest, ut abeuntem animam suo delinimento retineant. Extat Magni Alberti sententia generatim lata, sapores & odores omnium metallorum esse quoquo modo fœtidos, tametsi ut minimum odoris, ita minimum insit fœtoris in auro, propter

coalitam ſulphuris in temperatione ipſius eximiam ſubtilitatem: ſunt autem, quæ & olfactu non ſolùm, ſed gultu magis opitulentur ſanis æque, & ægrotis, ac minori quam aurum pretio veneant. Cùm verò ſeſe ingereret memoriæ, Plinium ſcripſiſſe quondam vulneratis aurum applicari, & infantibus contra veneficia, ut minus nocerent, aliis quoque nonnullis opem ferre; Non excidebat etiam memoria plures ab eodem Plinio (ſi magno ille præjudicio nobis eſſe quiret,) vituperationes auri quam laudationes eſſe perſcriptas; Nec non illum mandaſſe chartis auro virus quoddam ineſſe, eamque inprimis ab eo proditam recordabar clauſulam, cui enim fodiendi cauſa medicina? qua ſi non excludit aurum poſtea aliorum certè, ut ei mos perpetuus, id factum eſt auctoritate.

Citat enim Varronem, cujus tamen ætatis vir,& in media materia præcipuus. Dioſcorides nullius ex auro medicinæ protulit experimenta. Dixi ætate Varronis Diſcoridem vixiſſe, communem ſecutus opinionem, & Suidæ monumenta, etſi ſcio eſſe, qui malunt ætate Plinii fuiſſe Dioſcoridem,propter Lienii Baſſi mentionem,ſed vellem eos animadvertiſſe, vixiſſe quoque Dioſcoridem Arrii tempore, cui dicat volumen de ſimplici medicina, Arrii dico non ejus, quem de aſpiratione Catullus irridet: nec ejus, qui noſtræ religionis hoſtis acerrimus, blaſphemas in Chriſtum Dominum pervicaciſſime jecit, ſed ejus qui Alexandrinus pariter fuit, & Auguſto Cæſari poſt partam victoriam de Antonio & Cleopatra magno eſt habitus honore, ſed ſive antiquior Plinio Dioſcorides, ſive æqualis, parum videtur referre. Varro certe triumvirali proſcriptione conſumptus eſt, & ſub Antonio triumviro floruit ipſe Dioſcorides, à quo deinceps Græcia, Latium, Barbaria, medicam materiam accepit,atque id quidem priori damus opinioni: poſteriori vero, quod apud Plinium Dioſcoridis eſt mentio, ſive antiquioris, ſive proximi, ſive mavis æqualis.

Hic ſanè Dioſcorides cujuſvis ſæculi vir fuerit, multa tradidit propriis capitibus argenti vivi, æris, ferri, plumbi medicamenta, non auri: Atque ejus etiam vix meminit in hydrargyro,ea de cauſa,quod ſi hauſtum fuerit,nocueritque, ei malo auri ramenta ſuccurrant, atque hoc inter tractandum medicam materiam; Dum verò differit de venenis aconito dicit repugnare merum in quo candens aurum ſit extinctum, at hoc non illi proprium dicit, ſed communem eſſe medelam argento, ferro, ferrique ſcoriæ, quæ tantundem polleant, idque Paulus Ægineta recipit differens de venenis. Galenus longè junior Dioſcoride, neque de poteſtate ſimplicium medicamentorum differens,neque de compoſitura ipſorum, auri meminit, quantum ipſe meminerim: Nec ignoro Nicandrum Colophonium cecinisſe in Alexipharmacis aurum vel argentum prodeſſe, nam ſive quod Poëta fuerit, ſive quod à Dioſcoride, & Galeno, tanti factus non ſit, ut ejus teſtimonium hac in cauſa pro legitimo citaretur, ſive quod argentum æque ac aurum, ἐνοιήματι θολερῷ ſcribit valere, parum videtur habere momenti; Nam ſignat turbidum effici liquorem metallo,eundemque potari: ſed ego tamen non abnuerim aurum medicam vim obtinere; ſed quantula quæſo portio reperietur ſi conferamus id innumerabilibus rebus, quibus ineſt poteſtas medendi, abigendique venena? par ſit de argento judicium. Quod ſi nec medicæ fert opem facultati, nec voluptari confert: Unde quæſo illa communis tot vaſorum ſive aureorum, ſive argenteorum conquiſita per tot labores aggeſtio? Videtur enim menſa argenteis ſaltem vaſis inſtructa deſignari nobilitas: At Vitruvius in octavo libro, de aquis differens, ad calcem cum meminiſſet, offenditſetque plumbo ineſſe vitium, propterea aque fiſtulis ejus aquas inſici,plane ſubjunxit ſaporem argenteum ſolere vitari: Cum ii qui extructas haberent argenteorum vaſorum menſas, tamen propter ſaporis integritatem fictilibus uti conſueſſent; Quibus certè conſentiunt multi noſtræ tempeſtatis principes, qui poſthabitis ad menſarum uſum argenteis, & crateribus & patinis,præoptant ſibi ad ſerculorum munditiem fictilia vaſa ex India, Æthiopia, Ægypto con portata, quæ ſi defuerint, pruſiaca malint ex Bythinia convecta, tametſi non ſint figulis nati genitoribus, ut ille de Agathocle cecinit, qui propterea Samia vaſa prætulerit argenteis. Jam triumvir Antonius, qui auctore Meſſala in omnibus obſcenis deſideriis non utebatur niſi auro, ſaporem auri non concupiiſſe proditur, rejeciſſe autem videtur Propeja Neronis, quæ ſoleas ex auro ſuis quadrupedibus nobilioribus induit. Non ignoro Medicos Arabes mandaſſe literis, aurum quamquam non nutrit, mulcere tamen oculos. Addo ego & imaginariam vim ratione explicata: tanti ne igitur faciendum, ut metiatur omnia? cordis tremori opem ferre quoquo modo credam naturali uſus ratione? neque enim conſequitur, ut antea dicebamus,ut fruſtra videantur illa verba Nicandri.

CAP. IV.

Ex potabili Auro non pendere præcipuam ipſius Metalli nobilitatem.

HÆc ego non decernendo, ſed diſputando perſtrinxerim, quando & potabili auro dicuntur uti quidam ad omnes tollendas ægritudines & ſanitatem tuendam,atque ad vitam, quantum per vires naturæ licet, prorogandam. Ego vero ut id non abnuerim, ſic aſſeruerim, poſſe id ipſum ab iis, qui contradicendi peritia pollent, in controverſiam duci; forte dicent conſtare ſatis apud eos, qui propinant aurum,id quidem propriè non potari, ſed ejus portionem ſubtiliorem purioremque conjunctæ eſſentiæ nuncupatione ſignatam.

Verum ſuper ipſa quinta eſſentia corporum ſuperiorum, cùm multa ſint bella pugnata inter maximos Philoſophiæ duces quorum milites adhuc confligant, à quonam ſteterit victoria, certe non aſſentiuntur Platonici, & Peripateticæ ſcholæ, cujus principem optaſſe potius illam quintam naturam quam probaſſe contendunt, nec ſine admiſſis quinque ſuppoſitionibus quicquam habere virium, & ſi cœlo inquient ea non conceditur, concedetur ne iis, quæ ſub cœlo ſunt de elementis coalita. Nam ſive ex melle, ſive ex ſulphure, & hydrargyro, ſive ex aqua ſtillati meri, ſive ex terra quadam ſecreta, ſeu mavis ex nobiliſſimo quodam genere chalcanthi, per multos traduces attenuati, potabile collegerint aurum, ſubtiliorem inde vim detrahi fatebuntur; Quintam eſſentiam detrahi non aſſentientur, quam ſi corrogare illi voluerint ex effectibus elementaris, quas in ea non reperiri prædicabunt, præſto erit reſponſum, ut contendant illos apparitionem pro re ſuggerere, concurſibus quoque cauſarum diverſis, & in unum conflatis, atque refractis tribuent effectus, quos & aliæ res promere queant: Deinde ſi gratis id condonent Peripateticis, quomodo alteri eorum dogmati non obnun-

ɔnunciaverint, id est ex metallis animalia non vivere? Verum ut rixantibus inter se medicis finiendam litem relinquant, sic asserent quascumque rationes ad hanc diem perpenderint potabilis auri faciendi; eas quidem ad aurum per se bibendum non pertingere: Liquet enim ab eis solere deduci aurum in cinerem, seu calcem dicere maluerint: quod multis fit modis, adeò ut reducere in pristinam formam, si forte libuerit, aut nullo id modo possis, aut ægre, siquidem abscessit humor, quem si funditus dempseris, aurum sustulisti. Est Aristotelis, Theophrastique decretum, metallis omnibus sic inesse liquorem, ut eo constituatur ipsorum natura, & à natura lapidum apertè dirimatur.

Igitur adjicient ipsi, non bibetur aurum, sed ejus rei, quæ fuit aurum, portio liquore dissoluta extraneo, cui potestas insit inter molliendam, attenuandamque auri calcem, quidpiam excerpere, quod bibi possit, sicut etiam in gemmis pollicentur, quas bibi propriè non posse, nemo est qui nesciat, quod si dixerint defensores, aliis etiam modis aurum liquefacere, non inficias quod iverint oppugnatores, sed asseruerint id fieri vel aquis consumptricibus, accedente sale varii generis, vel succis mordacibus, ita ut vis inferatur auro, tollaturque de sua sede, quam ei fuerat largita natura, proinde contendere quicquam non acquirere illum, propterea ut constituatur humanæ fovendæ naturæ sincerius. Nam si de auri natura in sese mentionem habeas, ea non erit apta nutritioni, quemadmodum ante deductum est ex Peripatetico, si de admixta loquaris natura, ea etiam ipsi dicent se judice non erit aurum: constat enim propinari liquorem, qui guttatim ex vitreis vasis fluxerit, dum ignis calore vapores in sublime delati vertuntur in aquam, & alia misceri, quæ de reliqua petuntur medicinæ facultate: id vero si vel aurum sit, vel gemmas bibere, cur non ii dicentur excrementa bibere, qui bibunt vinum eductum solo excrementorum varia congerie ad id muneris pinguefacto? Egi causam eorum, qui aurum potabile vellent dispendere, quod ego quidem colligere maluerim, & optarim egregiè posse ad nostri corporis, aliorumque salubritatem, præcipuè cum satis constet Antonium Chirurgum nostrum, superioribus annis matronam ex foto Cornelii pthisi morientem paucis diebus ab ipsa tabe liberam sanitati pristinæ restituisse, solo potabili auro, quod ex ipsius patrui Nicolai, cujus mentio fiet libro tertio, confecerat disciplina, qua de re mihi sermo futurus amplior in eis voluminibus, quæ inscripsi de Venenorum remediis, & adhuc sub incude premuntur. Sed sit collectum aurum, sit etiam potui datum ad salubritatem, fortassis inde manaverit tanta nobilitas auri, tanta conquirendi ejus fames & rabies? Cum libra una ejus metalli soluta in humorem, vel uni non Regi modo, sed regioni mederi queat, & inter mille mortalium Miriadas vix invenias quindecim viros, qui aurum potabile quærant, & inter illos vix duo sunt qui potionis aureæ conficiendæ scii, gnarique sint.

CAP. V.

Quod & Auri Puritas & diuturnitas propriè non sit causa ut fiat ab hominibus tanti.

JAm si puritas auro præcipuam auctoritatem conciliasse credatur, cogitemus hac in re subesse fallaciam, siquidem & sordet, & tingit minus forte quàm cætera metalla, sed tingit tamen & contrectantes inquinat propter sulphur, quod non ei solum qualitate miscetur, sed ipsa substantia, uti prodidit Albertus literis, & convincitur experientia, proindeque fortassis Ægyptiis Hermes nomine sulphuris aurum expressit. Num quæso vitri quam auri major est puritas? ut hinc Princeps ille Romanus formidaverit ne si flecti posset, ut cœperat, & malleum sustinere perseveraret, primas eriperet auro partes, & omnibus metallis viam præcluderet in mercimoniis.

At diuturnitas ejus celebratur, sed succurrat menti diuturniores esse lapides, & majore habitos pretio, qui nec sentiunt limam nec ignem, nec ulla omnino contrahunt recrementa, nec sordibus maculant contrectatores, quæ nequeunt evitari, si triveris diutius: At funditur aurum, non funduntur lapides, num hoc omnibus metallis commune? quæ cum propterea in usum numismatum fuerint recepta, ut sunt in commutandis rebus tanquam vadimonia, postpositum que aurum hac in re fuerit olim æri, & argento, videtur id ipsius detrahere gratiæ, & detrahere utilitati. Novimus enim quod ante subindicamus relatum esse monumentis literarum, æs Romæ primum à Servio Rege signatum fuisse, & Pop. Rom. ne argento quidem signato usum, ante Pyrrhi bellum, post annos circiter sexcentos ab urbe condita. Quandoquidem sub Fabio Consule indita est ei metallo nota, mox & auro, & lapsis annis plus sexaginta, populus idem victæ Carthagini, cæterisque nationibus imperavit, ut penderant argentea tributa, non aurea, ut non solum diuturnitas metalli, sed ejus usus in causa esse nequeat; cùm & æs signatum, & signatum argentum diuturniora etiam sint habita penes externas nationes, sic transalpini Galli communi argenti nomine pecuniam signatam expressérunt, à principe Philosophorum Platone minus æstimatam, quippe qui legem tulit ei, quam instituebat, civitati, ne pretiosis uteretur nummis, sed talibus ut contemneretur à cæteris gentibus, ne in congregandis aureis, & argenteis insaniret. Atque hinc fortassis à Lyrico canratum est aurum, & inutile, & summi materia mali.

CAP. VI.

Fulgorem non esse in causa ut Aurum pretio rebus aliis antecellat, sive quia allectet oculos, sive quia non deteratur & dilatetur.

SEd oblectat inquient oculos auri color suavis. Plinius negavit hoc, & illi argentum antetulit fulgore, qui sit dici similior & militaribus signis, quoniam longius emicet familiarior. Neque aurum similitudine syderum, cæteris prælatum metallis arbitratur, cum & in gemmis, aliisque rebus color ille non sit præcipuus; tantum abfuit, ut auroræ colorem, unde quibusdam placuit aurum nuncupari cœpisse, præferret omnibus, cur autem id credidisset in causa fuisse nomenclaturam, cum rescire facile potuisset non displicuisse bonis auctoribus, à Sabinorum lingua, qui dicebant, ausum, una permutata litera translatum vocabulum fuisse. Utcumque fuerit, oculos Plinii plus auro delectabat argentum; qua in re si quod scripsit, sentiebat, improbari non potest, sed censuram planè perpessus est, cum prodidit aurum pondere superari à plumbo: reclamant enim posteritatis experimenta: dum verò minimum auri deperire usu censuit, meminisse

poterit digitorum attritu, & aureum consumi nummum, & annulum, & quod minimum est, non esse nihil. Fuere & qui aurum ab igne nullum pati detrimentum rati sint, Aristotelis in tertio meteororum auctoritate nixi, quæ quidem auctoritas, aut non solida est, aut non ritè percepta, convincitur enim experimentis, suum minui auro pondus igne vehementi maximeque diuturno. Proditum quoque literis, & ætate nostra comprobatum est, aurum evanescere in igne positum quodam permixto pulvere *quo non urbani modo, sed rustici, atque coram mulierculæ possunt abundare*: compertum item parva re in hominum usu præcipuè versata detrahi fulvum colorem auro, nec unquam reddi posse, ubi semel detractum est, manente colore aureo apud eum pulverem, cujus injectu rutilus ab illo fulgor abscessit. Quod vero late dilatetur, & texatur in telas aurum hoc illi est cum argento commune. Denique ne longius evager, quicquam non reperi, quod sic solida basi niteretur, ut inde trahere possent gentes desiderii sui validas rationes in auro tantopere æstimando, idque tam avida siti perquirendo, ut quidam propterea semet in excavatos montes inferi ent: nonnulli sese in profundissimos specus, quos appellant puteos, demitterent, alii ex fluminibus ramenta ejus colligere satagerent, alii ad extremas Indiæ plagas, vel per exustam solibus Æthiopici litoris oram, vel per Zephyrum in auroram ad antipodas navigarent, nec id quidem ut vel aurum obrizum, Græco nunc utor vocabulo, pararent sibi, vel colophonē quondam elaboratum, veluti nunc solet Lutetiæ Parisiorum, sed rude corpus auri crassamque materiam, proinde non temerè invenies quid homini avido cujusque rei naturæ cognoscendæ satisfaciat: unde tanta sit ejus habendi cupido, cùm non tanti sit ejus usus, quanti est pretium, quo jam hominum maxima pars humana omnia dimetit, & utinam non divina sub eadem mensura clausisset.

CAP. VII.

Quod Auri præcipua nobilitas non pendeat ex sacris Literis.

JAm nec æstimationis pretium de sacris literis pendebit, nec diuturnitas: nam etsi divinitus in eis mandatum legimus, multa ex auro puro fieri debere ad Judaici Templi cultum, solemnesque cæremonias; item quod sic cantatum à Propheta novimus: dabitur ei de auro Arabiæ; meminisse tamen debemus eorum, quæ supra Josephi testimonio signavimus, hoc est aliquod æs auro melius esse, ex quo inter Davidis manubias invento scripsit Salomonem in templo fecisse vas, quod mare magnum appellaretur. Esdram Xerxis tempestate custodibus pecuniarum ex genere Sacerdotum restituisse vasa ærea, quæ penderent duodecim talenta, & æstimarentur auro meliora. Debemus etiam novisse mysticis velaminibus auro sapientiam sacris literis significari, argento eloquentiam, intelligentiæque lumen comparatum auro eo esse splendidius, quo minus terream fœculentiam admiserit, instar auri, quod in Arabia solere nasci mandatum est literis, suapte natura purum, nullo ignis usu, propterea que vocatum apyron, ut est à Diodoro proditum memoriæ. Hæc sint ad præsens delibata, ut omittam quod ea est Deus bonitate quod sese, testante Chrysostomo, demiserit ad humanam infirmitatem multis in rebus, quæ ad communes gentium usus pertinebant? Quid? quod eisdem ex literis auri sæpe rejectam & improbatam deprehendas æstimationem, sic apud Oseam Prophetam aurum suum fecerunt sibi idola, sic Petrus Apostolus aurum atque argentum nuncupavit corruptibilia, sic Jacobus aurum scripsit æruginem contraxisse, ut propterea jure id non mediocrem debeat admirationem parere in animis eorum, qui æqui sint, rerum æstimatores, undenam tanta sit cupiditas, cum suapte natura aut nulla sit ejus utilitas, aut parva; aut certè non magna, quando & aliis rebus ea, quæ auri sunt, inveniantur communia, & à multis, quas aurum metitur, rebus egregiè superetur.

CAP. VIII.

Quod Auri nobilitas non pendeat ex concilianda gestanti gratia.

ENimvero quis tam hebes, ut credat auri conquisitores quæsivisse gestatione illius sibi gratiam conciliari: relatum enim est monumentis, sed inanibus, ex auro quod non esset ignem expertum, confici solere unguentum, cujus usus gratiam magorum suasu comparet iis, qui heliochryso herba coronarentur; largitione, ut mihi quidem videtur auri, non gestatione conciliari gratia solet, invidia verò conflari ob aggestos nummorum aureorum cumulos, tantùm abest ut amor & benevolentia propagetur. Præter hæc, quisnam mortalium magicis vanitatibus adstipulatur sic, ut sciat unguentum illud aureum conficere, ut sciens ejus artificii sit; quotuscunque vel ex antiquitate, vel ex nostra ætate, propter eam causam quærit aurum, tum si quærat, quemnam reperies heliochryso coronatum herba, & unguentatum apyro metallo gratiam per populos, & per aulas regias emendicare? Undenam igitur tanta increvit cupiditas auri; ut nulla evidenti causa compulsi homines, præterquam quod ita inter eos tacita quadam & minus necessaria, & utinam non pernicioſa conspiratione convenerit, aurum ipsum rebus omnibus cæteris anteponant, nec contenti vel speciebus Dalmaticis vel Callaicis antris fluentiumque gurgitum aureis arenis, nec eis etiam navigationibus quibus ab usque Salomonis tempestate petebatur aurum, curarit ipsum per artem fieri: domique tot labores pro auro factitio sæpe non paueiores aut leviores, quam pro nativo navigationes & bella plerique susceperit: videmus enim plerosque non manibus modo navare operam, ut per res metallicas igne adscito parent aurum, verum & compositiones innumeras conquirere, vel singularia scrutari placita Philosophorum, ut auriferos pulveres, lapidesve conficiant, sive ii, ut vulgus loquitur, sint minerales, dici latinè metallici deberent, sive vegetabiles, hoc est ex herbis & stirpibus, sive animales, hoc est ex animantibus educti, sive mixti ex duobus vel tribus, sive conflati ex re communi vel aërea, vel terrea: unde & metalla, & stirpes, & animalia duxerunt originem. Audivi enim inter vivos adhuc versari hominem, qui se jactaverit ejus artis legisse octinginta volumina: præterea schedas innumeras excusisse, ut ad triginta septem millia compositionum numerus protenderetur, certè non ut conciliaret sibi gratiam ejus gestatione, sed ut corrogatis, quæ sibi placerent, compos ..... votorum fieret, tanti est habendi auri apud mortales industria, tam vel nulla causa, vel debilis præter miserorum mortalium nudum tacitumque consensum.

JOAN.

JOAN. FRANCISCI PICI MIRANDULÆ D. CONCORDIÆQUE COMITIS De Auro *ad Vxorem.*

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Quid Aurum, & quid Argentum; itemque de Artis qua fit Aurum nomine.

HACTENUS disputatum sit de Auro æstimando, nunc de Arte, qua confici possit differendum est, solet enim versari inter doctos indoctosque *fieri possit an non possit* quæstio, eaque multis fœda disceptationibus, ad quas pro viribus tollendas, vel utcumque sedandas generatim, tum & in universum, non per partes atque minutias utilitas me non mediocris invitavit: interest enim hominum R. P. ne in ambiguo sit eis in rebus pertractandis, quæ & sint communes, & ante omnium ora versentur. *Primum verò nomen, subinde originem, demum potestatem Artis indicabimus*, per varias facultatis literariæ scholas, longe lateque versatam. Ars igitur auri faciendi *Chrysopœia* Græcis dicta, Latinis eodem est etiam nuncupata vocabulo, mutando vero metalla in universum, *Chemia* est appellata Græcis, quos plurimum sequuti Arabes *Alchemiam* vocaverunt. Definierunt autem Græci Chemiam, ut sit ea præparatio faciendi auri, atque argenti. Nam quanquam & alia metalla per eam fiunt, à nobilioribus tamen atque præcipuis nomen obtinuit, ita ut etiam Argyropœia, & Chrysopœia postea diceretur. Putarunt quidam à succis Chemiam nominandam, quibus Hermolaus Barbarus videtur assentiri, sed verus à fundendo, id est à postremo ipsius artis officio, & quidem H. litera græca, quæ in E. longam apud Latinos verti solet pro re fusoria dare litem videtur jureconsultis: metallicam autem dici posse, satis constat, eo quod metallarii & dicuntur, & utiles R. P. judicantur apud leges civiles, ii, qui auro, argentoq; parando solent operam dare, qua de re latius opere procedente. Communi nomine metalli, quo plura comprehendantur, juris interpretes uti maluerunt, quibus etiam placuit æris vocabulo nummos aureos indicare, quemadmodum scripsit Ulpianus. Sileo quod ab Alchimo nonnulli, sed nulla ut arbitror ratione, deducendam putant nuncupationem, ut hinc Erasmum virum in literis late versatum demirer dialogum edidisse, cui titulus Alchimistica; Demirer inquam illum sequi vulgus maluisse, nec agnovisse articulum al, apud Arabes passim habitum, detraxisseque aspirationem quæ debuisset includi, si vel à fundendo, vel à succorum conficiendorum potestate vocabulum derivaretur. Nec minus miror, imo longè magis, ut nullo pacto condonandum Erasmo, qui scripserit ea de re, nomenque refugerit, & insolitum quoddam vocabulum excogitarit.

CAP. II.

De Artis ipsius Origine atque progressu.

PRincipium Artis, Vincentius Bellovacensis repetit à primo generis humani parente, perque varios traduces ad alios nonnullos apostolicumque Dominicum pervenit: à quo ipse multa se fatetur didicisse. Alii Trismegiston Hermetem maluere Chemicæ principem facultatis lapideis in tabulis quibusdam scriptæ, & ad Hebron civitatem repertis. Nec defuere qui scriberent in deserto Sinæ revelatam divinitus Hebræo cuidam viro, sed tantummodo generatim ad opus tabernaculi fœderis constituendum. Ego vero quantum à Græcis Latinisque auctoribus colligere potui, comperio artem antiquissimam quidem, sed paulo ante Trojanum bellum, utpote vetustissimis illis Græcorum temporibus ejus mentionem sub involucris fabularum & ænigmatum nebulis indicatam, sic Eurysthei mala cupientis aurea jussum Michael Psellus interpretatur, sic Jasonis in Colchos navigatio declaratur apud Suidam, ut non auream Phryxi pellem, sed membranam arietinam, qua faciendi auri facultas describeretur, quæsitum ierint Argonautæ, quanquam non me fugit Varronem id tribuisse velleribus pecudum, Strabonem hirsutis pelliculis ovium, quibus auri colligerentur ramenta de fluviis. Verumenimvero maluerunt membranam fuisse non vellus, non hirsuta terga pecudum vetustiores Græci, inter quos & Charax, & Apollonius, & postea Colchicæ navigationis interpretes & Eustathius; qua de re latius inter narrandum experimenta, sat sit ad præsens indicasse multis auctoribus existimatum sub fabulosi velleris aurei tegumento descriptionem significatam auri per artem faciendi: sic & Atrei agnum, ita enim loquuntur Græci tragœdiarum scriptores, & Latini, quorum Cicero meminit; arietem verò, non agnum Seneca nuncupat; sic inquam nonnulli interpretantur Atrei nuncupandum agnum, arietemve, ut descriptam potestatem auri faciendi lectoribus insinuent. Nam Atrei & Pelopis opes ex metallis fuisse scriptum reliquit Callisthenes Olynthius, Aristotelis & discipulus, & consanguineus, quas opes alii ex viva pecude Varronis exemplo derivatas volunt: Alii ex argentea phyala in qua consertum esset emblema; sic ut ἀρνὸν hoc est agnum in se contineret. Cæterùm ars faciendi auri Græcis auctoribus ferendáne acpta sit, an à Persis, Ægyptiis, cæterisque nationibus, quæ Orienti Soli propinquiores habeantur, manaverit, non satis habeo compertum: Quanquam & in Persis Hostanem & in Ægypto Tamorum quam Hermetem Chemica scripsisse proditum sit memoriæ, perseveraleque τῆς χρυσοποίας in Ægypto studium, ex quo ingentes opes paratæ sint usque ad tempora Diocletiani, Græcis monumentis constat, quibus & Diocletiani, & Maximiani res gestæ continentur: idque etiam spectari datur bifariam in Suidæ collectaneis, pariterque comperi Democritum apud Græcos principem Chemicæ Facultatis in Oriente versatum ab Ægyptiis, à Persis, ab Indis, multa didicisse: cùm inquam Democritum, quem Hippocrates est admiratus, quem laudavit etiam Thimo, quem Plato non est ausus incessere, quem virum jure magni nominis Celsus appellavit. Ab hoc fluxit Democrititia secta, quæ & Abderitica nuncupata est. Cujus inter Aristotelis interpretes Michaël Psellus non solum meminit, sed à se revelata scribit ejus arcana. Hic enim post Rhetorica, Historica, Physica, Mathematica, scripsit & Chemica, nec non & medica, quæ Constantino Imperatori dedicavit. Olympiodorus quoque Alexandreus & Platonicus, & Aristotelis Interpres Chemica scripsit: scripsit etiam Heliodorus ad Theodosium Imperatorem, scripsit & Ste-

& Stephanus ad Eraclium Cæſarem, ut Africanum Cynegium Theophilum alioſque præteream, & ipſum etiam Zoſimum, Alexandrinum Philoſophum, qui de arte compoſuerit duo de triginta volumina; Quorum omnium præcepta ſolent in Democritum plane referri, qui fuit naturæ ſolertiſſimus indagator, & beneficio longiſſimæ ætatis, [Nam ſupra centum vixit annos,] multa deprehendit, quæ literatorum vulgus latuere: ſcribebat autem ſubobſcure præcepta, non quidem ea ratione ut videri nollet Chemicæ ſciens; Verum ut ea præcepta conſectaneis eſſent amiciſque tantummodo nota, & ignota vulgo, propterea que novabat nomina, ut ab ipſis duntaxat, qui rem alioqui tenuiſſent, deprehenderentur, atque hinc non poſſum non mirari contra Hermolaum Barbarum, virum alioqui de literis bene meritum hoc ſcribendi genus in Democritica ſchola ſolum damnaſſe, & vel malignitati vel arrogantiæ retuliſſe acceptum. Meminiſſe poterat antiquitus uſque ab Homero diverſa rebus unis indita nomina, & aliis ſuperos, aliis imos dictionibus uti conſueviſſe, & gentium antiſtites non eiſdem quo vulgus uti ſolere vocabulis, nec non facile fuerat uti recordaretur, quod certe legiſſe illum minime dubito, laudatiſſimum & præcipuum fuiſſe in omni ſecta, quæ inter alias apud philoſophos præcellentior haberetur, ut occulerent ſua dogmata, apud Pythagoricos maxime & Heraclitios, nam illi ſilentio & ſymbolis utebantur, hi ut Plato ſcribit ænigmatibus, & eis qui declarationem quærerent ænigmatum, ænigmatibus aliis reſpondebant. Plato quoque velamentis plurimis ſua dogmata connexuit, imitatus & ipſe Syras Palæſtinos, quorum mos auctore Hieronymo erat parabolis uti, ut innumera ſileam, quibus etiam refelli Barbarus poſſet, ni ſumatur inde anſa defenſionis, quod non ediderit ille corollarium emendaturus ſi quid inconſultius adnotaviſſet, *tanti autem faciebant ſuæ philoſophiæ arcana priſci illi ſapientiæ cultores, ut prophanis, ut multitudini ne utique fieri nota vellent*: Depopulata vero Græcia, & poſt inclinationem Romani Imperii, deſolata Italia Barbararum gentium crebris vaſtitatibus, cum receptæ colique cœptæ literæ fuiſſent à Mauris & Arabum populis, in eam quoque linguam multa artis chemicæ volumina translata ſunt, ex quibus & ipſi quoque Mauri, ii præcipue, qui Bethicam incoluere, compilaverunt libros, & operam quoque & impenſam non recuſarunt. Hinc & Avicenna, & Rhaſis, & Geber, & Arabum denique philoſophorum numeroſa Turba de rebus chemicis edidere volumina, quos aliquo poſt tempore & Vincentius & Magnus Albertus & alii plurimi ſecuti ſunt. Sed enim deſierat jam pene facultatis hujuſce quantum attinet ad ſcripta celebritas, cum Arnoldus à Nova villa citerioris Hiſpaniæ, & poſtea Raymundus Balcaricus tum multis voluminibus, tum novis inventis, tum publicis experimentis rem jam pene dilabentem erexere, & illuſtriorem quam aliquot ante ſeculis fuiſſet, reddidere, quo factum uti quilibet vel paulo eruditior, & in rebus meteorologicis apud Peripateticos inter diſputandum verſatus, vel paulo curioſior in exploranda natura rerum, vel faciendi auri paulo appetentior, occaſionem ſibi non deeſſe ratus, dederit operam tranſmutationi metallorum, vel diſcendæ, vel docendæ: quanquam ex neotericis Ariſtotelis ſectatoribus, qui de arte diſputaverit præter Timonem paucos invenias: At quæ artem confectis experimentis firmare tentaverit numeroſam, & communes fere numeros ſuperantem multitudinem plane comperias. Tantum enim concurſus *ut ad imperitiſſimos quoſque res devenerit*. Unde & inanes irritique conceptus paſſim oſtentabantur: propterea que cœptum dubitari, verane ars an impoſtura cenſenda eſſet, auri per artem conficiendi pollicitatio, cum ex vanis promiſſis patrimoniorum detrimenta conſpicerentur, ex detrimentis non difficilimus eſſet lapſus in crimen furtivæ monetæ: quam ob cauſam Venetiis aliquando interdictum, Hermolaus eſt auctor, ne quis experiretur aurum facere, eiſdem etiam cauſis inter eos, qui de moribus ferunt ſententiam Chriſtiano ritu, ſummalque de licitis illicitiſque conficiunt, diſputationes multæ, vetandane facultas eſſet, an admittenda? Ut ſæpe fieri ſolet, cum pravi vel doctrinæ cujuſpiam profeſſores vel nocenter aliquod negotium alioqui licitum exercentes numero ſolent excreſcere. Sic olim Rhetores à Lacedæmone profugi, ſic expulſi Roma non ſolum rethores, ſed & philoſophi, & medici. Dubitatum autem non ſolum inter concetta comparari deberet ſtudium, & opus ut Græci dicunt χρυσοποιΐας: ſed fierine poſſet, ut ars naturæ ferret integram opem in auro conficiendo, illud cenſorum ſacerdotum proprium, hoc naturalium philoſophorum, utilene id factitium aurum eſſet, ſi modo fieret & humanæ accommodum naturæ, ſubinde medici perquiſierunt: creditane res tantummodo foret, an probata experimentis, quorum non auriti haberentur teſtes ſolum, ſed oculati tam principes quam rude pariter & eruditum vulgus ſciſcitabatur, quibus de rebus & aliis ad hæc pertinentibus articulatim ſumus diſputaturi.

CAP. III.

De Arte ipſa, legitimane ſit, an ſecus? Quid Principes conditoreſque legum & canonum, quid Interpretes, quid Theologi, & quid vulgo Summiſtæ vocandi decreverant.

PRincipes conditoreſque, & interpretes legum civilium & canonum Eccleſiæ, & ii quoque quibus placuit ex factitiis juribus theologorumque doctrinis ſummulas conficere conſcientiæ quæſtionibus accomodas, iterum alii diverſarum rerum ſcriptores diverſa comperiuntur de auro conficiendo, & ſenſiſſe, & chartis retuliſſe, de principibus conditoribuſque poſtea, nunc de interpretibus. Apud Gulielmum Minatenſem epiſcopum & ejus appendices operis nomine ſpeculi juris celebrari *& legitimam & veram artem faciendi auri R. P. utilem decernitur*, hanc ſententiam Jo. firmavit, & Oldradus, & Nicolaus Panormitanus, & alii. Sic jureconſultis & interpretibus canonum perſuadere leges illæ Valentiniani Cæſaris priores, in codice Juſtiniani poſitæ, ubi agitur de metallariis, quas leges nec ab interpretibus ordinariis rite perceptas, nec à poſterioribus plane caſtigatas, tum oſtendemus hoc ipſo volumine, cum fiat mentio de experimentis, perſuaſit fortaſſis & Accurſius Florentinus, qui gloſſemata civilibus appoſuit legibus, ſi qui tamen perlegerunt, quæ mihi perſpectæ ſunt ejus ipſius commentationes ſuper artis magiſterio: neque enim contentus artem probaſſe diligenter, etiam ejus expoſuit præcepta ſubſcripto ſemper nomine, non ſecus ac ſi pandectas interpretaretur; Angelus Clavaſinus in ſumma ſua deteſtatur artem, quam etſi leviter tueri, tamen potius quam impugnare viſus ejuſdem vir ordinis ſummæ auctor ejus, quæ Roſella nuncupatur, & qui mox enarravit Angeli ſummulam extreme,

extreme, sic non impugnatam ab eo artem interpretatur, ut inter improbos sit habendus, qui ea utitur. Contra vero multis rationibus & Johannes Ligur, & Sylvester ex prædicatorum ordine, suis in libris summarum, titulo A nuncupatis, Clavasinum impugnantes, argumentis ejus apertissime restiterunt. Thomas Cajetanus tam sua in summula, quam in theologicis commentariis pro artis veritate sententiam tulit, eo modo quem sumus paulo post dicturi. Sed Theologi celebres Albertus & Thomas suis monumentis arti faverunt, quanquam in Thomæ sententia declaranda inter ejus interpretes aliqua dissensio ad cocordiam per nos quoad fieri poterit, suo loco revocanda. Magnus autem Albertus quanquam multa scripsit de vertendis metallis, artemque recepit, tria tamen præcipua inter plures rationes asseruit. Primum *eos falli, qui rentur metallorum species mutari non posse*, dedisseque illos Aristoteli, quod Avicennæ dandum erat: deinde ab eodem subindicatum mutationem referendam esse in primam materiam metallorum, quæ artis adjumento reduceretur in diversam speciem. Demum colligit Albertus longo satis progressu, metallicæ peritos artis medicorum instar progredi, quorum probabilior illa semita, cujus ductu purgat sulphur & argentum vivum, riteque illorum permixtio paratur, quorum virtutibus, ut ejus utar propriis verbis, omnis metalli species inducitur, deducique demum scribit vivum argentum ad duritiem, & deinde diversas formas metallorum. Sanctus Thomas in summæ theologicæ secunda parte, secundi voluminis, affirmat Chemicæ veritatem, quam non asseruerat in secundo in sententias theologicas commentario: propterea varius hac in re multis visus est, ut suo loco manifestius apparebit, cum apertè sententiam ipsius interpretabimur. Quantum ad præsens attinet, sectator Thomæ, Silvester ejusdem est sententiæ, *ut fieri aurum per artem queat*, in qua sententia Johannes non permansit; At Cajetanus Thomas sua in summula censet, *artem ipsam dumnodo sine fraude fiat ex sese illicitam non habendam, nec in peccatis numerandam venditionem rei per artem effectæ si pro eadem, quæ est, proprie fiat venditio*: in commentariis vero super Sancti Thomæ summa theologica, scribit artem quidem possibilem, sed aut non humanam, aut principum esse, postquam sapientes consuluerunt, de artis potestate nil differit, ut aliis in quæstionibus acute solet. Qua in re illud nonnulli demirantur, qui ubi artis veritatem & auctoritate & ratione divi Thomæ confirmavit, illico, homini decreverit possibilem: Id & ea ipsa Thomæ ratio convincit, quod si admittit, cur non humana? si principes & ab eis consulti sapientes eam queunt exercere, cur super hominem? quasi non sint & principes, & sapientes inter homines recensendi. Quos tamen Plato modis omnibus expetivit ad Rerumpubl. felicitatem, hoc, est ut aut principes operam darent Philosophiæ, aut Philosophi Resp. administrarent. Verum ea posset ratione Cajetanus à calumnia defendi, quod & rari sunt principes, qui percalleant res naturæ, & opibus principum indiget magna pars eorum, qui vacant chemicæ: propterea nequeunt, nisi principum virorum opes affuerint, experimentis uti, quæ magnas requirunt impensas. Hanc autem calumniam effugerat ante Jo. Pici patrui mei responsum, dum enim eum consuleret Antonius frater, fierine posset aurum ex arte, respondit consulenti, fieri quidem posse, sed difficilime. Nulli autem dubium sanctum Thomam in sua theologica, quam morte præventus non potuit absolvere, artem faciendi auri tanto magis admittendam decrevisse, quanto majora per artem fieri queant quam aurum, ut dicturi sumus, procedente opere, eundemque decrevisse in commentariis super Severini libro de trinitate editis, legitimam esse artem, & naturali, Philosophiæ, uti juniores loquuntur, subalternatam. Legi præter id librum S. Thomæ de arte ipsa metallica, si non mentitur auctorem titulus, qui legitimus videtur eo comprobari, quia Alberti fit in eo mentio, ut præceptoris; quod Reginnaldo mittitur, ad quem alia etiam misisse Thomam ipsum plane constat: legi quoque in opiniones Thomæ de auro argentoque faciendo commentaria: multi vero chemicæ nominis non satis gnari, ut mihi quidem videtur, alienum quiddam expiscati sunt, aut potius ex penu sua satisne instructa nescio deprompserunt, quo nomen alchemiæ defugerunt vili plebeculæ solitum attribui, ne de ea re scripturis ingereretur contumelia, quod ante subindicavimus. Quod vero scripsit Erasmus esse capitale, si quis (ejus ipsius verba repono) alchumisticam exerceat absque Principis permissu; plurimi non ferunt ei arti nimio plus addicti, multoque minus qui facti sunt compotes diuturnis experimentis: exigunt enim primum ab homine docto, quis ille sit: Nam multi Principes sub supremo, multi sub regibus, quorum plerique subesse ipsi Romano Principi minime volunt, deinde quærunt voluerit ne princeps ille quisquis fuerit priorum Cæsarum leges jam tot seculis publicatas cum de metallariis decernitur edicto suo privato demoliri? Demum subdidere, edictum per omnes provincias promulgari oportuisse, & promulgatum recipi consuetudine aque confirmari, alioqui computaretur inter antiquata & irrita: exigunt quoque, factam secretionem ejus chemicæ: quæ verum mentitur aurum argentumque, cujus meminit Joan. Pontifex ejus nominis secundus sup. xx. Meminit etiam Alligerius Ætruscas: illius item qua quæritur ab ineruditis illiteratisque mutatio metallorum: atque ejus demum, quæ vel eximia doctrina, vel certis experimentis, argentum aurumque vel ex eorum principiis, vel ex metallis imperfectioribus plane conficit, quam juste vetari non posse tam doctores theologiæ, quam interpretes canonum, ex justæ legis definitione contenderunt, cum ea haberi debeat injusta lex, qua id quod alienum est, abripitur, qua id, quod plurimis prodest, prohibetur, vetatur, abjicitur: quid enim prætendi poterit aut justitia fretum, aut honestate, ut manus in propria simul atque aliena commoda paratas instructasque cohibeas, ut prosit, ut juvet, ut afferat commoda hominibus, in homines potestas data est divina conformata potestati, cui si non consonat eo illam penitus abuti nomine; atque omni vi plane destitui, sacrarum peritis literarum extra omnem controversiam definitur, ut mittam mentionem non esse factam eorum, qui jus habent ipsas in leges civiles, nec nisi præscriptis conditionibus voluerunt esse subjecti. Hæc ab Erasmo desiderabantur, exigebanturque, nisi existimatum fuisset illum joco id verius quam serio protulisse, finxisseque ut nomina complura ita & fabubam, qua rideret avidos auri conficiendi, nimisque credulos impostoribus, quorum magna turba est, eoque major, quod in ipsos & silere, & dormire leges existimantur, expectari quoque potuisset ab eo tractatam quoquomodo quæstionem uti dissolveret aliena saltem auctoritate, quandoquidem, libro eo, cui glossulas Accursius apposuit, scriptum reperitur publicæ

dandum commoditati, principes ut resciant, confectores auri quinam sint, privatæ vero remittentibus etiam ipsis ut peragant, quod novere, modo caute negotium prosequantur; Edictum vero Joannis xxii ejus generis est, quod quia inter legitima septem volumina tanquam membrum juridici corporis non est receptum, sed foris manst, extravagari dicitur, sed nec ipsum reluctatur arti: nam qui eo temere uti pro argumento volunt, ut respiscant, moneri poterunt in ipso limine, hoc est in edicti rubrica: præscribitur enim de crimine falsi, at nos *de vera loquimur arte*, quæ falsitatis nomine taxari non potest, ne dum ad tribunalia trahi, ut apud Accursium, apud Gulielmum & alios, qui eos rite sequuti, decernitur, eo maxime loco ubi agitur de crimine falsi: nisi enim vel in materia vel in forma deprehendatur falsitas, pœnæ nomine nihil infligi potest, uti Baldus adnotavit in usibus feudorum, dum habetur de regalibus mentio: manifestius vero ipso in progressu deprehenditur adversus mendaces impostores falsosque artifices dirigi pontificium sermonem, dum scribitur, pauperes Alchemistas spondere, quas non exhibent, divitias, eosdem item dissimulare falsitatem, ut tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum & argentum sophistica transmutatione confingant. Proindeque tantum veri auri vel argenti publicos in usus pauperum cogantur reponere, quantum falsi, fictive, aut vendiderint, aut dederint in solutum, qui vero monetam adulterinam ex auro ipso, non vero, sed Sophistico, quod dicitur, procuraverint, & ipsorum etiam deferri bona, & carceri subinde mancipari jubentur. Hæc illius edicti summa de falsis, non veris artificiis promulgati, quam ipsismet etiam præscriptis verbis ferme reposuimus.

CAP. IV.

Quid de Auro per Artem conficiendo sentiendum sit, ex Philosophia naturali dependere.

PEndet autem non ab edictis Principum, non ab interpretibus legum & canonum, non ab iis, qui de aliorum dictis suas exaraverunt paginas, & de moribus humanis decreverunt, sed à naturalis philosophiæ principiis in universum verene aliquid arte fiat, quod alioqui promittit natura, hoc est, nunc eandem formam, substantiam, essentiam, diversis ex primordiis oriri, fierique contingat? Manavit item quæstio mutandæ formæ ab ipsis plurimum philosophis ambigentibus, vertine species, & promiscue possent mutari. Nata vero particulatim conficiendi auri disceptatio de meteorologicis voluminibus Aristotelis, quæ quidem varie pertractata sunt, nec adeo sese præbent ad liquidum perspicacibus ingeniis æstimanda, ut certa inde & inconcussa dogmata pertrahi queant: proinde fuere qui artem impugnaverint, quibus Avicenna restitit apertissime, restitit Geberus aliique permulti, quanquam speciem ex integro mutari negat Avicenna, sed in communem materiam constitetur formas induci: verum quod attinet ad Aristotelem, præterquam quod hujus rei non fecit exactam mentionem eis videlicet in voluminibus, quæ legitima illius esse putantur: nam eximunt quidam nonnulla, quæ arti favent, ab ordine Aristotelico, præter hoc inquam certum illud est, quod de metallis non nisi generatim differuit in meteoris, asserens ea sic ex humidis plurimum oriri vaporibus, ut ex plurimum siccis lapides & sulphur, & saudaraca generantur, habita quodammodo proportione ad ea, quæ non in terræ cavernis; sed aëris fiunt regione sublimi, propterea que ab illa Græca voce nuncupata meteora, ibi enim voluit ex humido halitu concrescere nubes & pluvias, ex sicco igneoque ventos, fulgetra, fulmina, & id genus cætera coalescere, quanquam nonnihil inter ea posuit discriminis, præter hæc nullum sane dedit evidens indicium eis in libris, exactam ullam disciplinam expromendi, quandoquidem inter exordia dicit quæpiam se dubitaturum, & Alexander ejus interpres docet difficilia esse cognitu, quæ Aristoteles eo in opere pertractat; Olimpiodorus etiam longe obscurissima, ut hinc facile queas utrocumque volueris modo de Aristoteleo dogmate persentire, & difficultatem pariter deprehendere chemicæ facultatis: cum Aristoteles magnus vir in literis dubitare se esse dixerit, & quadam quasi superficie tractare, quæ illi percipiendæ suapte natura videbantur adstipulari. Sed à Theophrasto pertrahi potest, quod finiendæ liti quadrare queat. Nam quamquam scribit in libro de lapidibus, se de metallis quidem disseruisse, idque totum quodcunque fuerit temporis edacitate periit, ex aqua tamen dixit illa constare, sicut lapides ex terra, unde illa ipsius verba, ὕδατος μὲν τὰ μεταλλευόμενα, καθάπερ ἀργυρον ἢ χρῦσος. subindeque satis indicavit solere per artifices peritos aurum fieri. *Prodit enim memoriæ factam cinabarim ab Atheniensi Callia, dum aurum facere se putavisset:* Nam nisi speraisset ex arena illa coccinea duci aurum posse, non est cur insudasset operi. Notum enim est arena, quæ dicitur Chrysamos sic aurum fieri solitum, ut solitum est illud ex fodinis erui, quod & apud leges civiles si rite percipiant plane conspicuum. Qua de re sumus in operis progressu minus peritos instructuri, quod si non aurum assequutus, sed cinabarim Callias, initium tamen auri procul dubio est adeptus; Quandoquidem apud peritos artifices constat in cinabari, & argenti, & auri latere principia, conjicere quoque nonnihil possumus ex condiscipulo Callisthene, & ipsum, & Theophrastum, & Aristotelem præceptorem in ea fuisse sententia, uti metalla possent inter se verti, cum unam tantum formam illis assignaverit ipse Callisthenes, quam facile Galenus admisit, ex accidenti tantum differre illa, nonnullis rationibus argumentatus, si legitimus ille Galeni, non suppositius liber habendus est: Ego vero ut assentiri hac in re duce ratione Callisthenis possem, effecit etiam multiplex experientia, qua seorsum aurum, seorsum argentum diversis granulis effici uno eodemque pharmaco: itemque simul & argentum eodem tempore, eodemque pharmaco sæpenumero sum intuitus, & si quando quod jacebat ab auro discussum liquore eo acuto, quem vulgus partientem aquam appellat, compereram, multum auri contineri facto id periculo plane constabat, sed de experimentis suo loco diligentius agetur. Vincentius Burgundus ille qui maxima confecit omnis pene rei literariæ volumina, dum agit de natura, veram artem non tantum à se cognitam asserit, qua aurum segregari, verum etiam eam qua fieri censet, motus & ipse fortassis rei experientia, utpote qui deprehenderit id cæteris in metallis latitare: Alii & plurimi quidem non solum segregari, quod negari non potest, sed gigni etiam fierique contendunt, rationibus ex philosophiæ suppellectili plane depromptis. Equidem scio inter Græcos Aristotelis interpretes fuisse Michaëlem Psellum, qui multis rationibus adductis asseruerit posse aurum per artem ex non auro fieri, ejusque

rei

rei fenas, si recte, memini, vias ostendit. Juniores fieri aurum posse quidem senserunt, sed alia ratione, uti paulo post fumus ostensuri. Cæterum multi peripateticorum in eam tendere opinionem sunt visi, ut aurum arte fieri queat, tametsi & difficultatem, & pericula causentur, quorum in numero est Timon in ultima in tertium meteororum Aristotelis librum quæstione; Dubitationem auxit nonnullis speciei & formæ nomen, quod vario significatu sumi solet à Philosophis, & quantum ad hanc rem attinet de specie & arte mutanda trifariam loqui consueverunt: sunt enim qui dicant non mutari speciem, sed in singulare, quod privum quiddam sit, individuum alii nuncupant, sub specie contentum, cum soleant res quædam & ab ipsis speciei principiis, & aliunde quoque proficisci, non secus ac animantia quæpiam, quorum ortus non tantum est à mare fœminaque, sed aliunde, quem tamen ortum nec visu, nec ullo sensu discreveris: idcirco quæ generantur ex coitu, & rebus etiam corruptis oriuntur, speciene differant an minime, consuevit apud philosophos dubitari; quorum nonnulli ut remota non admittunt principia priora, sic proxima negare nequeunt, qualia memini legisse me apud Galenum, sive ille Pergamenus fuerit enarrator Hippocrati, sive alius ejusdem nominis, ut cum ex ovo pullus educitur non solum gallinæ incubatu, sed & mammarum muliebrum calore, & equi clibani tepore: sunt qui intelligi quæstionem velint & sola artis operatione, & mixta etiam operatione naturæ, atque ea distinctione conciliant litem, speciem quoque ipsi subinde secernunt, ut quicquam mutari queat, quod pertinet ad formam duntaxat stante materia, quod sane sit artis minus adjumento quidem naturæ, sed per se quicquam non exercentis, cui & ars dicatur famulari: id autem minime rentur absurdum, si dicatur & defendatur, sunt qui accipiant ut eis verbis intelligatur, materiam cum forma mutari, sic, ut alia penitus & ex integro sit, quod certe non admittitur à sapientibus fieri posse vel ab arte, vel à natura: quoniam id sit solius divinæ potestatis proprium, proinde cum ex argento vel alio quopiam metallo fit aurum, aut individuum fieri dicunt, aut si speciem fieri malint, materiam manere volunt, formam mutari, quandoquidem materies ea, quæ fuerat prius sub argenti forma, postea sub auri forma reperitur: pars itaque speciei tantummodo permutari dicitur, si speciem ex materia formaque constare cum schola Peripateticorum recipimus, & maxime cum sancto Thoma, & iis qui nobiliores inter neotericos habiti sunt, quanquam non defuerunt ex Philosophis, qui speciem cum dicunt, formam solam velint intelligi: Dici quoque potest non absolute mutari quicquam, quoniam pars abit, pars conjungitur, inter vertendum, tum cum occupata ejus ipsius materia forma discedit, id autem frequentissime sentimus, cum absumptis eduliis disperit eorum forma, & materia vertitur per concoctionem. Cæterum apud Jureconsultos aliquando legi speciem desumi aliter, cum scribitur non mutari speciem, si ex stanno & plumbo verbi causa fiat aurum: genus enim videtur pro specie capere, ni forte ibi una tantummodo species sit habita metallorum, ut æs, plumbum, stannum, argentum, sub una auri collocetur specie perfecta, ad cujus præcipuum gradum cætera metalla queant ascendere? Quod qui defendere vellet, nec per Græcam metalli etymologiam, nec per validam rationem reprehendi posset, tantum abest, ut à scholis philosophorum eliminare-

tur: fertur enim opinio isthæc accepta Callisthene, de quo supra differebamus, quam si recipimus, rejiciamus illos oportet, qui variis ascribunt planetis varias metallorum formas, inter quos Joannes Versor & ii quos est secutus in exponendo Aristotelem, quo in loco vanitatem illam expromsit, quam mille oculi sunt aversati, bis mille manus exploserunt, hoc est ferrum non liquefieri, sed enim ipsa rejectos jam experientia fuisse planetarios constat, cum uno eodem tempore, uno eodemque pharmaco, ut ante narrabamus simul aurum, simul argentum, quandoque uno grano, quandoque diversis oriri, fierique contigerit, ut nil somniare queant Astrologi, quod huic rei patrocinetur per Solis Jovisque conjunctionem: fit enim quotidie diversissimis eorum planetarum schematisinis. Sed quoniam Astrologorum vanitas & à Joanne Pico patruo meo semel & à me sæpe confutata est, in eam amplius invehi nolo. Qui vero Callisthenis opinionem tueri vellet, non difficulter posset Alberto respondere, contrariam opinionem præponenti, multoque magis, cum apud Josephum traditum sit memoriæ *veri vitrum in metalla*, vitreamque id genus arenam plurimam in Ptolemaide fuisse dicat. Nec Galenus abnuat in opere de simplicium medicamentorum potestate vitream arenam, & auream, simul inveniri, quæ autem eodem in loco vel proximo generantur metallica, vel ejusdem esse naturæ, vel facillime in aliam verti, plane compertum est. Verum cum isthæc quæstio tota pendeat à specie, formaque, dignoscenda, proinde de discerniculis formarum, specierumque prius disquirendum, decernendumque esset. Quod esse opus arduum, & altissimæ proprium philosophiæ, nemo plusquam mediocriter doctus ignorat. Meminique me longioris operæ subsellii, hanc ipsam pertractasse materiam, ut omnium longe difficillimam, idque cum in examine vanitatis doctrinæ gentium & veritatis Christianæ Disciplinæ, tum in theorematibus quæ scripsi de humana perfectione, quæ si huc vellem congerere, prorsus egrederer semitam: & quasi labyrinthum ingrederer naturæ; Neque enim decantatus poëtis Meander tot flexus habet, quot millia litium subinde nascerentur, nunquam sub humanis judicibus finem habituræ. Proinde seponenda hæc sunt, & ad communem sensum redigenda, sat sit ostendisse fierine queat aurum per artem, an minime, qui scire cupiat eum habere oportere in concilio scholas Philosophorum, ego vero cum mihi supetierint ingenii facultates, primum ad plana reducere conabor ea, quæ multi confragosa putant & aspera: deinde experimenta quibus edoctus ad hæc scribenda me converti quantum licebit sua per lineamenta, & umbras, non per colores, & lucem subsignabo, & propositionibus quoad potero brevissimis negocium conficiam. Hactenus enim sic narratum, qui de artis potestate, & de speciei mutatione, aliisque nonnullis, varii varia decreverint.

CAP. V.

Quod fieri per Artem queat Aurum.

NUlli hominum rerum naturam rite contemplanti dubium esse debet, cum ab homine mutentur elementa, quæ sub lunari globo in syncera coeunt: noventur etiam stirpes & quandoque animantia varia illorum mixtione peracta: non posse ab eodem homine multo facilius metalla mutari. Videmus passim ex aëre, & ignem, & aquam fieri, & ex iis etiam

terram, artis beneficio. *Videmus plantas artificio gigni non antea viſas, miſcerique ipſarum naturas, & variari.* Videmus & ſola loci mutatione hoc eſt ambientis aquæ, & ambientis aëris *mollem herbam lapidem fieri*, cui *corallo nomen.* Viderunt multi literiſque prodiderunt ex aſpergine, lacuſtris aquæ pelles animantium & carnes in lapidem mutari. *Vidi ego & filices &* ulmi frondes converſas in tophum. Leginus apes fieri & crabrones ſi bovinæ & equinæ carni hominis acceſſerit induſtria. Legimus etiam in ſacris litteris pelles gignendarum ovium, diverſis coloribus inſignes, eiſdemque literis plane cognitum, poſt annorum multa curricula fuiſſe à Magis Ægyptiis *confecta animantia*:

Præterea, quæſo, quid prohibet eandem rei formam, quam ſubſtantialem communi vocabulo Philoſophi nuncupant, diverſis ex principiis, etiam genere differentibus, indi *poſſe in materiam.* Num fidem hujus rei ampliſſimam quotidie facit ignis forma? Calorem non dico, ut improbata exploſaque Alexandri Aphrodiſienſis opinio non pariat ambiguitatem, ſed veram formam, quæ de ſubſtantia, deque ſpecie ipſa eam ſortita eſt: hanc certe formam ignis alius, & alius, item ignis ejuſdem ſpeciei promit in materiam. Et ſol etiam non ſpecie ſolum, ſed genere diverſas pariter promit, quandoquidem repercuſſu radiorum ſolarium, qui non elementarii ſed cœleſtes & ſunt, & habentur; ſublunaria, multa vero igne flammeſcunt, ardent, convertuntur. Sic hoc fit in terræ ſuperficie, cur fieri non potuerit utrobique? hoc eſt in ſubterraneis ſpecubus, & in ære puriore? Dices fortaſſis perfectiorem eſſe formam auri, forma ignis, repugnabo ſi mihi placuerit, nec ſine ratione; propterea quod ſimplex non eſt elementum ignis ejuſmodi, ut ob id poſſis anteponere illi aurum, quod mixtum eſt ex elementis.

Nullum chimicum elementum poteſt tangi, ut in ſcholis Ariſtotelis receptum eſt: ignis autem ſi perſeveret, ex ſeſe autem perſeveraret, ni ſibi deeſſent alimenta, cur non auro perfectior? Num uſui mortalium, ſupra quem diſputare in adverſum quiſque poſſit, accommodatior? Quis enim paulo peritior neſciat, omnes gentes indigere igne: qui quidem quanquam naturalis res eſt, & neceſſaria, multis tamen fit modis, puta per naturam ex fulgure in aëre & radiorum quoque ſolarium repercuſſu, per artem ex attritu ſolidorum corporum, fomentiſque variis, cujus ignis inter omnes ſublunares formas habentur & miræ & plurimæ proprietates, uti narrat in libro de igne Theophraſtus, quem librum intra meæ juventutis metas à Græco in Latinum converti, ſed non edidi, quoniam mancum erat exemplar, & ſemilacerum. Cæterum ipſo igne certum eſt omnes nationes egere.

Multas vero & fuiſſe gentes ut ante diximus, & eſſe ad præſens aperte conſtat, quæ non utantur auro, ſicut nec ulla moneta vel aurea vel argentea. Quemadmodum Spartani quondam, neque enim iis ullo id modo licebat per leges Lycurgi, qui muris etiam cives interdixit, objiciens, ut ille cecinit nudam Lacedæmona bellis, quæ tamen aliquando & fuit, & habita eſt Græciæ princeps. Quod ſi contendas præferre aurum igni, tum auro formas afferam perfectiores erutas per artem è gremio naturæ, quales ſacris in literis legimus inditas in materia myſterio magorum, quibus videlicet ſit famulata natura, ſenſilis enim anima eſt omni præſtantior auro. Proinde recipit Auguſtinus formas quæ omni præſtant corpori poſſe rerum naturalium inſtrumentis promi, cujus auctoritate aſſenſus Thomas, & eadem pariter uſus ratione ſecundo volumine ſecundæ partis Theologicæ Summæ, non negavit *verum aurum fieri per artem poſſe*, & ſi verum ſit, vendi licere.

CAP. XI.

Sententia Thomæ Aquinatis de conficiendo Auro declaratur.

SEd occurrit obiter ut opinionem Sancti Thomæ, quam ipſius interpretes diſtraxerunt declaramus, is enim ſecundo in Patrum ſententias Commentario, viſus eſt artem abnuere, probare vero in Theologica ſumma. Idcirco contrarius ſibi ipſi quibus æſtimatur, conciliare ſenſa diverſa quidam ſunt adnixi, ſed pleriſque non fecerunt ſatis. Utrum ipſe ſatisfecero, lectores judicent; Ergo certe non aſſentior in primis Joanni Lyguri qui auri formam excluſerit ab arte nobilitatis gratia: propterea que conficiendi auri artem eiuſerit. Nam perfectiorem uti diximus formam Thomas admittit, hoc eſt animam ſenſilem. Quorum ſeſe Magi effectores rerum naturalium ſuis inſtrumentis præſtiterunt.

Nec eo item moveor, quod neſciant invenire artifices, quæ propriè agant, quæ proprie patiantur. Quoniam nec ignorant calore opus eſſe, & humore, multiſque vaporibus, quibus ad metalla transmutanda uti ſoleat natura; Adde quod *quæ juvenis negare viſus eſt Thomas, conſtanter affirmavit longo poſt tempore, hoc eſt dum ſummam conficere theologicam, tanquam ultimum ſuarum opinionum teſtamentum.* Nec illo etiam movebor, quo motus eſt Lygur Sylveſter opinatus cum Petro Gomate, S. Thomam in commentario ſecundo de imperfectis artificibus, in ſumma theologica de perfectis loquutum, iis conceſſiſſe, illis abnuiſſe poteſtatem. Nam de arte conficiendi, non de artificibus erat mentio, quæ quidem ars quoniam naturæ miniſterio & inſtrumentis utitur, ab omnibus poteſt ad perfectionem duci, à quibus poteſt exerceri, ſive incorporei ſpiritus, ſive homines illi fuerint, aut naturaliter, aut ſupra naturam edocti.

Varietas enim miniſtrorum, artem non tollit, aut minuit per ſeſe naturæ viribus nitentem quidem, ſed quandoque & juvantem illam & ſuperantem: nam etſi naturæ peccatum accuſarunt ſæpe philoſophi ob materiæ fluxilis contumaciam, quam tamen naturam regi ab intelligente, ſeparataque mente voluerint, multo tamen crebrius artis errata confeſſi fuere, cum non modo materiæ repugnantis occaſio ſeſe ingeſſerit, ſed poſthabitæ fuerunt regulæ rerum efficiendarum à recta ratione præſcriptæ, qua ratione ſi uſus homo fuerit, non abuſus, tantum abeſt ut erret, ut ipſius etiam naturæ, ſi quæ interciderint errata, corrigat. Ergo cum & artifices ipſas natura ſubminiſtret, ipſaque ars incumbat naturæ, ſeque illæ juvent, ſibique quodam modo ſubſerviant invicem, poteſt aliquando per artis peritiam adjuvante natura fieri, quod fit per ipſammet naturam, & etiam aliquando conſtantius in vertenda ſublunari materia, exemplo utamur ejuſmet auri, de quo diſputamus. Quid prohibet homines illius formam aliis in metallis indere, & ſolis, & ignis beneficio? quam formam ſole tantummodo uſa natura latebroſis in terræ ſedibus, commolita eſt: nam ſive ex ſulphure & vivo argento

fiat

fiat aurum, ut placuit & Democrito & plurimis, ut etiam mihi ostensum est, experientia multiplici, sive id aliis etiam ex vaporibus effici queat, qui puriores & sint, & habeantur, sublatis nihilominus eis ex rebus, & in unam conflatis naturam, sive ex quadam aqua non cognita, quam Theophrastus citavit, sed non expressit, sive mavis ex aqua illa, quæ fertur accepta Democrito, lixivia nuncupata, cui sit mixta calx, non eam dico calcem, quam impugnavit Albertus: diversa est enim quæ citata est à Democrito, siquidem & Lixa solebat antiquitus pro aqua desumi, unde lixa apud exercitum & elixa caro etiam apud vulgus. Aut enim ea voce vivum argentum per ænigma significavit Democritus: aut metallum in aquam resolutum quæ prima materia metallorum dici potest, assentientibus etiam Peripateticis, quorum princeps illa etiam prodidit ὕδατος γὰρ ἐστι· sive inquam eisdem ex rebus sive aliis ex rerum generibus, quæ penitissimis in recessibus terræ occuluerit natura, fiat aurum, non eisdem rebus usi homines, idem efficient? an imitari calorem solis poterunt quoad natura permiserit? quanquam hoc minime necessarium existimaverim.

Neque enim audiendi tanquam philosophi, qui rentur, qui dictitant aurum à solis calore tantummodo gigni, quasi non sit calor solis universalis causa rerum quæ in sublunari machina generantur, & corrumpuntur, qui quidem calor tam in speluncis, subterraneisque specubus, quam in terræ planitie dotes suas effundit, quasi latebrosis in terræ meatibus non sit ignis, quo sulphuris vapor excitetur, habitus parens & alumnus auri, quem ignem non solum Siciliæ Æthna, vicinæque insulæ patefaciunt, sed plerisque in montibus Europæ atque in Apennino est ipse conspicuus. Cæterum qui artem ingenue tenent, in communi materia metallorum proprias indunt formas, explosis prioribus formis, idque conficiunt non vi tantummodo consumptricium aquarum, vel potestate diversorum salis generum, vel olei diversarum conditionum facultate, sed auro ipso quandoque ad propagationem sui generis per subtilitatem artis instituto, cui mixta etiam sunt interdum ipsius auri nota primordia, atque in hunc modum mutare satagunt metalla, & lapides, pulveresque conflare conantur, quibus multum conficiant auri, parva ex re, cui nomen Elixir à philosophis Arabum factum est, Latini vocaverunt medicinam, Græcos sequuti, quibus ..... dici constat, quo nomine sæpius utitur Psellus.

CAP. VII.

Quod Aurum factum arte nativo auro possit esse perfectius.

Iis itaque modis experiuntur formam eruere de sinu ipsius naturæ, quam certe formam perquirere scisciteriarique poterunt ex asturibus Callaicis, cæterisque fossoribus auri, & argenti, quoad illis obiter, & aliud agentibus, quasique de longinquo facere conjecturam licuit de metallorum generatione, dum illa colligerent, ut præteream eos, qui dicti sunt Hermi, Tagi, Pactoli, aliorumque alveos fluviorum scrutari, & metiri maris Athlantici littora, ut inter lapillos versicolores auri grana colligerent, non solum vero data opera, sed aliud etiam agentes, atque insperato, ac ut plerique dicerent, casu.

Uti vero sapientiores assererent divina providentia sæpe quidem occulta, sed semper justa facere *metallorum transmutationem* plurimos mortalium. Accepi enim factum argentum dum equi medicina quæreretur, in qua vivum argentum rebus aliis plerisque miscebatur. *Vidi ego tum argentum fieri* & aurum, dum *neutrum sperarem*. Legi etiam spirituum supernorum revelatione traditam antiquitus artem auri faciundi, & mea ætate idem usu evenisse non legi, sed audivi. quod cum agetur de experimentis apertius indicabo: malorum item dæmonum commerciis quandoque fieri potuisse, ut suspicer, moveor quod literis proditum est, olim remedia medica per somnum revelasse dæmones diversis in templis, quemadmodum latius me disseruisse memini, dum superstitiosas prætensiones confutarem, præcipueque in libris quos inscripsi de rerum prænotione, & in meis quoque meorum Hymnorum commentariis, sed & multa quibus nunc utuntur medici præcepta simili superstitione suscepit antiquitas, dummodo vera literarum monumentis ea mandaverit posteritati.

Siquidem cremato Æsculapii templo retulisse chartis Hippocratem præceptiones medicinæ per quietem haustas memoriæ traditum est: possunt enim & vera dæmones prodere, quanquam enim ut fiat minime licet curare: effectu vero, postquam eum veritate niti compertum, possunt homines uti, non eatenus ut sit revelatio dæmonica suscipienda, sed quatenus effectus ipse sit utilis res, & vera ex sese suapte natura, atque in Deum ut in primarium omnis veri, omnisque boni auctorem plane referenda, siquidem ex malignis hominum dæmonumque facinoribus elicere novit Deus bona, tanta ipse est tamque ineffabili benignitate, cui tandem, quod sumus, quod movemur, quod vivimus acceptum fieri debere, & Pauli Apostoli auctoritate & ratione didicisse operæ precium est.

Verum enim vero ut parte alia non putem revelatam quandoque per malignos dæmones auri faciendi potestatem, ea mihi satis ratio persuadet, quod non nisi malignis eam revelaret hominibus, aut iis quos imbui malignitate persuasum haberet: eos autem homines divina justitia non permittit ut animi virus cum potestate conjunctum effundant in perniciem generis humani. Quæ quidem ratio videtur verisimilibus experimentis communiri, quando nec paucos etiam aureos suis sectatoribus impertit in obscœnis ludis; de quibus egimus in dialogo triplici, cui nomen Strix. Bonis itaque spiritibus feramus acceptum, si quid est revelatum de artis veritate singulari, aliquo privilegio, sed doctrinæ & experientiæ id facilius tribuendum.

Diversa enim cum diversis variis colligerent experimentis, potuerunt artis periti multa cognoscere: neque enim aut uno in loco, aut uno modo tantum promit aurum natura. Vidit Albertus de se scribens purum inter arenas fluviatiles aurum, impurum audivit commixtis lapidibus ortum, instar venarum, subditque non multo post aurum natum inter arenas melius esse, cujus rei duas affert causas. Alteram sulphuris puritatem majorem inter calidas & siccas arenas versati, frequentiusque loti & ejus quoque terrei, quod inest vivo argento, quod quidem & lavit & subtilius reddidit ac purius fluminis lotura frequens. Alteram causam voluit esse meatuum obturationem cum occlusus calor in fundo ripisque convolvitur in semet, & concoquitur ad auri substantiam nobiliorem de-

promendam, atque iſthæc ille, dum haberet mentionem locorum, in quibus metalla generentur.

Ego vero ex fluminis decurſu collectum aurum dici apud me ſervari nitidiſſimum quidem & modicis admodum ramentis diſſèparatum. Quod cum propterea puriſſimum aurum putaviſſem facto periculo multum habere admixtum argenti compertum eſt. Albertus idem mox cum de auri natura diſſerit, & granum ait inventum, quod multarum librarum pondus excederet. Centum marcharum vocabulo uſus eſt ille, id autem Barbarum nomen octo deſignat uncias, ut octies centum unciis fuiſſe granum, qui perpenderunt, deprehenderint. In Germania quoque montanum aurum ſua tempeſtate narrat inventum, quod dum excoquebatur minus cæteris conſumebatur, vilioris tamen fuiſſe pretii propter novitatem prodit: quam certe cauſam, utpote ſubtiliorem Plinius omiſerat, qui plures nihilominus auri collectiones plane citaverat ex fluminum ramentis, ut in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ, nec ullum eſſe abſolutius aurum prodiderat, ut curſu ipſo tritum atque politum.

Non tacuit etiam, puteorum ſcrobes, montiumque ruinas: Nec omiſit Canalitium, Canalienſeve, & quod glareæ marmoris inhæret aurum, & tanquam per venas divagatur. Itaque & ab his qui montium in cavernis, fluviorum in ripis, & in pelagi littoribus quæritant aurum ab iis, item quibus ſeſe illud obtulit aliud agentibus, erudiri potuerunt artifices, ipſiuſque indagare naturam, mox genitalem calorem imitari, nunc igne fomitopitio, nunc lento, nunc acri, atque eo modo vires experiri artis cum natura conjunctæ, & multis tandem experimentis veluti ex genitali involucro, veri auri fœtum educere, & tanquam obſtetricari, idque ſæpe factitando artem nanciſci, quæ non ſolum naturam dicitur imitari, ſed plane perficere, ut non abſonum hinc videri queat quod multis aſſeritur jam factum, & me vidiſſe non abnuo, id eſt fieri per artem poſſe naturæ adjumento aurum, auro nativo perfectius, certe coloratius, & Alberti perſuaſit auctoritas, & oſtendit experientia apud multos etiam à Philoſopho Pſello prodita literis, qui docuit arte fieri perfectius aurum micis, ramentis, fruſtiliſve Pactoli, atque ut ejus verbis utar, χρυσοειδέστερον τῶν τῦ παχλώλε ψηγμάτων: cæterum ſi inter id aurum quod ab imis terræ latebris eruitur diſcrimen invenitur, ut aliud alio precioſius exiſtimetur, quod niſi & Plinius naraviſſet, & Albertus & Diodorus etiam ut inter initia dicebamus: ſacræ tamen literæ prius aſſeruerunt, quarum teſtimonio novimus Indicum aurum præſtabilius cæteris haberi, ſi diſcrimen inquam invenitur in opere naturæ, cur id erit abnuendum in operibus artis? quæ non ſolum ſuperat imperfectiorem artem, verum etiam & ope miniſterioque natura, naturam quandoque ipſam æmulando ſuperat, ut ante diximus, & habemus compertum in coloribus, ſaporibus, aliiſque permultis. Sane ſcriptum eſt in ſacra Geneſi in terra Chavilah; ſed apud LXX. & vulgatam editionem jacet Evilat, quam eſſe in India veteres produnt, naſci aurum & terræ illius aurum eſſe optimum, ſi latina ſtamus tranſlatione καλὸν LXX. interpretes verterunt ex Hebræo contextu, quod & ſi bonum mavis interpretari vel pulchrum, certe comparationem non effugies, niſi malueris confiteri non eſſe bonum pulchrumve aurum, quod aliis in provinciis gigneretur. Quid enim eſt cauſæ ut aurum per excellentiam ibi eſſe diceretur, & bonum aurum? niſi alicubi non eſſet bonum aurum, aut ea non eſſet præditum bonitate, qua poſſeret aurum Evilat? comparatione vero dici optimum dubitari nequit, & bonum pariter comparatione dici non abnues, dum in ſui generis ſubſtantia referatur ad id, quod eadem non ſit præditum bonitate; *ergo diſcrimen auri colligere nos in natura opus eſt*, diſcrimen inquam vel ſpecie, vel gradu, quod ſane diſcrimen nec in arte ipſa, ſi ars arti conferatur, nec in arte, quæ cum natura contendit, eſt abnegandum. Adeſt & Plinii teſtimonium vocantis aurum excellens, id quod ex auripigmento Cajus Cæſar confeciſſet, de qua re ſuo loco, latius eodem auctore mandatum eſt memoriæ, omni auro ineſſe argentum vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octava parte, alibi quinta, quæ portio conſtituit electrum repugnans veneno? Quibus ex rebus multa produntur auri diſcrimina.

Adde quod aliis metallis aurum ineſt alibi purius, impurius alibi. Quid? quod & rebus non metallicis ineſt aurum ſic, ut magni Alberti teſtimonio *in ſuturis humani Cranii capilliſque circumjacentibus ſit inventum. Inventum quoque aurum eſt in perdicum ventriculis* tempeſtate mea, ſive id illæ dum in terræ ſuperficiem conſpiceretur inſtar granorum deglutierunt, ſive generatum ſit ex eduliorum occultra poteſtate, quibus è terra ſint auri exordia communicata, præcipue in Maſorum montibus herbarum poteſtate nobilitatis, quandoquidem non longe à Fucino lacu parte quadam Albani campi perdices illas diverſari, dum eis in locis adhuc pene puer militarem non ſine demiratione percepi: cauſam tunc ignorabam; nec ſatis perquirebam ad hanc diem fortaſſis indeprehenſam, quamquam eam de principiis auri pendere conjicio, tum quod nihil prohibet id, quod in terræ cavernis occulitur, etiam in ſuperficie reperiri quandoque poſſe, tum quod herbis ipſis atque radicibus vim ineſſe poſſe, ut ſic loquar, aurificam negari, niſi poterve, non poteſt, tum quod ſimilia ſunt viſa etiam in quadrupedibus animantibus: referunt enim digni fide viri ſe Cretæis in montibus ibices vidiſſe, quorum dentes aurigineo colore ſuffuſi eſſent, præcipue qua parte prodeunt è gingivis, atque herbas tangunt, quarum eſt in Ida Cretæ decantata celebritas.

Mitto ejus naturam auri, quod obrizon vocavit Græcia, tametſi placuit iſidoro & ſectatoribus Latinum eſſe vocabulum, quod obradiet ſplendore. Nec abeſt à veri ſimilitudine de Plinio tractum id eſſe, qui ſcripſit aurum, quod ignis ſimili colore rubet, atque ipſum obrizum vocant, ſed qui Græcas percalluere literas, inter quos Hermolaus vir noſtræ ætatis, malunt Græce vocabulum effictum quaſi ἁβρὸν, hoc eſt tenerum, molle delicatumve, ſive ut mihi venit in mentem fortaſſis ἔυριζον, quod ex optimo prodeat germine, quaſique legitima radice ſuboleſcat, ſive id malueris eſſe natura comparatum, ſive arte ſuperante naturam.

Hebræi habent pro obrizo, quod Septuaginta repoſuerunt Interpretes, aliquando loci nomen, aliquando verbum, quod puriſſimum queas in Latinum convertere, & quandoque etiam ab eo nomine quod proprie puriſſimo reſpondeat non abhorruerunt, atque fortaſſis id ipſum eſt, quod apyron appellavit antiquitas, auctore Diodoro, efoſſum è cuniculis Arabiæ, nullo igne liquefactum, colore ita lucido, ut ipſi incluſos auro precioſos lapides reddat ſplendidiores, ut obiter inde ſubnotem monſtratum antea locum Pſalmi, & dabitur ei de auro Arabiæ.

Nam

Nam præter alias significationes ad metalli ejus præcellentiam pertinere potest ut ex ea conscenditur animo ad supremum apicem sapientiæ, quam sub auri vocabulo mystico nomine constat indicatam. Itaque promit natura variis modis aurum, ars item interdum naturæ ministra, interdum æmula, ejusque ipsius auxilio victrix, varie quoque promere solet, falluntur enim plurimi æstimantes artis potestatem non sicuti par est, quippe qui rentur ita subesse illam naturali facultati, ut non censeant naturæ dignam nomine, quo tamen in primis pollet, est enim natura quadam cognitione prædita, cum sit habitus animi ratione vigentis, & intelligentis, quo munere naturam mutam & ratione intranea destitutam regit, atque disponit, & inter regendum & moderandum, cum imitatur eam tum æmulatur, tum superat.

Adde quod inter naturæ laudes illa etiam quandoque numerata sit, quod artem simulet: sic figuris suapte natura delinearis in marmore: Sic in gemma Polycratis, aliisque permultis plane compertum est, sic etiam ingeniosus Poëta retulit, naturam duxisse nativum arcum artis imitatione, per illud carmen, cujus in extremo est: Antrumne mortale recessu arte laboratum, nulla simulaverat artem ingenio natura sua. Nam punice vivo, & levibus tophis nativum duxerat arcum. Sed de artis potestate paulo post: tantum id hoc loco deductum sit, ut compescantur tanto magis qui pergunt inficiari artem ad faciendum aurum aspirare nisi frustra, quanto magis nulla id ratione contendunt, & contra fiat, tantumque absit ut id nequeat, quod etiam valeat naturæ adjumento & accessione diligentiæ mutam superare naturam.

CAP. VIII.

Quinque modis generatim Aurum posse fieri per artem, qua hac etiam in re ut in aliis plurimis naturam artis industria destitutam superet.

SUperat ars in Chrysopœia paranda, superat adjumento naturæ naturam ipsam, artis beneficio destitutam. Non in splendore solum uti diximus, sed & in celeritate conficiendi, quod fiet inter narrandum experimenta manifestum. Superat etiam sic ut methodis pluribus id consequatur: nam quinque modis generatim aurum per artem fieri potest.

Primum dum metallum extrahitur à metallo, ut cum ex ære argentum excernitur, quod me vidisse memini. Delitescunt enim in alterutris metalla sæpenumero, præcipueque argentum in auro. Contraque fit, ut & aurum in argento reperiatur, occultum, obnubitur etiam plumbo & æri nonnihil metalli perfectioris.

Deinde compositione rerum metallicarum paratur aurum, quibus rebus mineralia nomen factum est à vulgo, Barbaram appellationem secuto: sunt enim eis in rebus metallicis auri principia, præcipueque vivo in argento & in sulphure, quod non sensit ignem, quod etiam me vidisse non abnuo.

Tertio fit aurum ex auri semine, semen appello vim prolificam: est enim indita cuicunque rei naturali virtus quædam, ut se propaget.

Quarto ex re, quæ perfectior auro sit, aurum paratur, non tamen sine auri semine conflatur ea res, nec sine principiis aliis, quæ sint apta generationi. Summum fuit hac in re philosophorum ingenium, præcellens industria, demirandum artificium, quando quidem partes rei quas deligunt ad conficiendum aurum, argentumve, dilleparant multas in naturas, quæ proportione quadam respondent & elementis, & cœlo, sive illud velut quintam essentiam constituant more Peripatetico, sive tanquam plurimum ignem ritu Platonicorum: junguntque & auri & hydragyrii semina, ut quemadmodum sublunaria juncta cœlo, & elementis tanquam universalibus causis, & particularibus etiam rerum seminibus propagantur, sic ipsi utuntur suis illis naturis, metallorumque & rerum metallicarum seminibus, ad auri atque argenti numerosissimam fœcunditatem. *Hic autem modus & generalis est, & magnarum rerum effector, tres, quos ante narravimus particulares appellantur.*

Quintus vocatur is, qui priore ignobilioreque metalli forma disjecta, posteriorem & potiorem formam in materiam metallicam inducit; *Primus modus lucri est, minimi secundus, mediocris tertius, & quintus magni, & quartus maximi.*

Nec admirandum quod ante diximus, artem naturæ beneficio superare naturam, cum in aliis etiam rebus quæ auro faciendo conducunt, præstare naturæ artem usum naturæ beneficio videamus: siquidem in aqua, in oleo, in sale confectis per artem ipsam mirabiles inesse à Deo potestates, notum est, ut eis ipsis, & aquæ & salis, & olei quæ peperit natura vires æquare non detur: proinde *longissime falluntur, qui putant eo non posse aspirare artem quo pergit natura*, ut propterea quod nativum est, & suopte ingenio fretum, semper sublimius habendum sit atque perfectius, si conferatur ei quod ars molitur.

Neque enim collatas volumus per se atque seorsum vires naturæ viribus artis, sed artem naturæ fretam muneribus componi posse dicimus naturæ (ut ita dixerim) nudæ & inerti, atque ita componi, ut ars interdum præstantior esse, & videatur & sit.

Quid autem mirum; cum etiam naturæ privilegio non fraudetur ars, quæ quidem uti diximus, & ipsa naturæ est appellatione censenda: naturæ inquam non surdæ, sed intelligentis, digerentis, atque proficientis. Hoc in domibus, in vestimentis, in omni vitæ munere perspicimus, quod rude prorsus & impolitum esset ni ars humanæ mentis, hoc est naturæ melioris: tanquam nobilissimum animatumque instrumentum accessisset, cujus industria factum, ut qui in cavernis cryptisque montium delituissent homines, exesis videlicet excavatisque in fornices domunculis multorum decursu seculorum, paucis hebdomadibus non in casis modo sed in palatiis degant, qui frondibus arborum, qui pellibus animantium inconditis operirentur laneis, laneisque pannis non nisi arte confectis vestiantur, qui crudis oleribus, ferino lacte, sanguilonenta carne vescerentur, paratis ad salubritatem & non indecoram voluptatem cibis ejus artis beneficio nutriantur.

Denique si percenseas universa, reperies, artem perfectam hoc est sapientem naturam hominis, mutæ naturæ quæ illi substernitur antecellere. Quibus rebus colligitur non esse dignum stupore, ut quod hæc centum molitur annis, illa paucis diebus & paucis etiam horis ejus ipsius ministerio compleat: sic medicina, pictura, militaris aucta atque firmata est: sic philosophia vires adepta est, & theologiæ plurimum famulata, cum naturæ contemplatio hominis ingenio freta & experimento firmata vires potestatesque sublunarium

rerum, herbarum, fruticum, lapidum, animalium in lagaverit, quarum notitia in admirationem exciverit genus humanum & perduxerit ad providentiæ divinæ considerandæ secreta: multa quoque procedentibus seculis experiuntur arte, quæ quoniam antiquitus non visebantur ab his, qui rem oculis non percepere, vix credi queant. Mirabatur olim vetustas inesse fontibus nonnullis vim saxificam, cum spectarent decurrentes rivulos aquarum longo post tempore, herbis & cespitibus lapideam continua irrigatione communicasse naturam. Mirabar & ego dum id non solum sæpe legissem, sed etiam semel vidissem in Italiæ finibus, cum per Telinam vallem à ripa Lary lacus ad Alpes Rhetias iter facerem: sed desiit admiratio postquam spectavi non jam maniplos filicum, aut ulmi frondes annua madefactione versas in tophum, sed ictu pene oculi ferrum, argentum, aurum versos in humorem. Adde miras ipsarum, quæ paucis ante sæculis compositæ sunt, peculiaresque dotes aquarum, cum alia ferrum, æs alia voret, aurum alia, argentum alia: Mittam vulgarem illam, & notissimam, qua secernitur argentum ab auro, uti de iis quas natura profudit, quasque in quinto decimo Libro Poëta, & in XXI. volumine naturalis historiæ collector ducit in medium, nulla jam subire mentem possit demiratio proderem, nisi non paradoxon id modo, sed adynaton lector existimaret; me *vidisse aquam, quæ bibi sine ullo*, ut arbitror, *nocumento posset*, cui super hydrargyro solo, quod in sublime sit elatum, vis insit, quæ non inest acerrimis, & consumptricibus aquis: super sale vero quem fluviatilis & putealis aqua dissolvit, nulla omnino potestas sit, & hæc quidem artis munera Chemistarum ingenio vestigata, cujus etiam artis ad insigne quod & inspexit, & tetigit theologicum illud, quod muta natura, vel de longinquo, cum & per transennam hallucinata dicitur, id est admirabilem palingenesiam parvo tempore posse fieri naturalium rerum sine miraculo novo supremæ potestatis, quæ cum accesserit, dubium esse non queat, etiam pervicacibus ingeniis efficiendam, quam inde tenemus æternam, in ictu oculi palingenesiam vidit, & aliud id est, corpora crassiora per subtiliora, atque hæc per spiritus regi subtiliores, sicut major omnino vis subtilissimo insit tenuissimoque spiritui quam valtæ molis corpori, exemploque potest hoc omnibus in promptu esse. Ponat quis si adsit commoditas & aluminis & ejus salis, quod è laterculis exsudat coctilibus, decem millia pondo super una argenti lamina parvi ponderis, ut solvatur in aquam, nunquam solvetur etiam si decem annis pressa tantis ponderibus fuerit. Ponat unciolam vaporum subtiliorum, *qui de illis eisdem rebus effluxerint ac tantum argentum*, quod erat forma solida fluidi naturam humoris induet, hoc non naturæ sed artis opus naturam pertractantis, nec id quidem vario desultorioque ingenio, sed stato, firmoque tenore sic, ut nequeat & ab imperitis varietas effectus in medium duci, quemadmodum peritis olim doctisque scriptoribus, Plinio, Senecæ, Vitruvio contigit, cum de Styge aqua dissererent, opere si non artis, sed naturæ, quam aquam alius perrodere dixit, alius congelascere, alius dissilire: contraria plane sunt hæc, nec cohærentia munia, subde *oleum*, quo intime penetrantur ipsa metalla, quo fatiscunt, quo tabefiunt, quo liquantur, quo & intus & in cute colorantur.

Nec fileam multiplicem salis confectionem, quo superatur ita marinus, montanus, arenarius sal apud vetustatem cogniti, ut ipso sale per artem confecto saliri eorum (ut sic dixerim) quodcunque posset: id autem fit ex rebus, quæ nullo modo videntur ardere, ex rebus etiam tam calidis & obnoxiis igni, quam quod maxime, ut me de sulphure vidisse non abnuo tractum saltem contemptorem flammæ, & eximio splendore sic fulgidum, & candidum, ut ei conferri nequeat ille, quem produnt Græci Scriptores rerum gestarum Alexandri Macedonis, in Ægyptum dono mittere solitos antistites Hammonis oraculi: fuit & ante paucos dies (ut nosti) jussu meo confectus sal tam visu pulcher, quam suavis gustu ex herba, cujus mea pascua Ditionis Ferrariæ, & Mantuanæ ditioni contermina, præcipuè referta sunt.

Nam cùm penderent mihi pastores externi vectigal ex ea, utpote cujus esu pecudibus ægris afferretur auxilium, cogitavi salem, quem gustatu referebat herba in cauta esse sanitati, atque ita dum Padus consuetis ripis coercetur, ne vicinos campos inundet, non spernenda copia sese nobis exhibet, montano & maritimo sale ut pulchrior, suaviorque, ita rebus quoque metallicis, ni conjectura me fallit, accommodatior, omissum faciam penetrantem, exiccantem, & adurentem potestatem, parvo temporis momento arte compertam, cujus impetu prioris disjicitur metalli forma, qua disjecta, facile potest imbitti generarique alia ejusdem Artis ministerio, & ope naturæ. Quam etsi regi quanquam mutam ab intelligentia non errante dixerit quispiam, ex adverso tamen non poterit afferri plus adjumenti rei constituendæ, cum mens etiam in hominis arte instructa, & usu confirmata, suppetias tulerit, multo certè majora visuntur, nedum scripta leguntur, quam quod metalla promiscuè fiant, humano artificio paucis diebus, quamvis ea natura non generet, nisi post annorum multa curricula.

Proinde Michael Psellus paucis schedulis artem scribens quam sub trutina Philosophiæ prius examinandam susceperat, recipi miratur præditam à Strabone naturalem vim quandam fontis transmutantem, non recipi metallorum versas in alterutrum artis beneficio formas, quarum multas ille commemorat. Negotium alioqui ut idem censet---- nisi honesta quadam vi, qui præceperat coëgisset.

CAP. IX.

Necessarium non esse, ut Auri per Artem conficiendi peritus subtiliora Philosophiæ profundam & abstrusam cognitionem sit sequutus.

NEc audiendi, qui dicunt esse necessarium uti elementorum primarumque ab eis dissultantium qualitatum proportionem ad aurum faciendum pernoscamus: inventi enim sunt, qui sic sint fabulati, nihil enim eorum quod natura promit, cognitum nobis esset, si primordia ipsorum necesse esset antea pernovisse: illuc enim nec sensus pertingit, nec ratio penetrat, nisi conjecturis quibusdam incertis, plurimum, & in utramque partem vacillantibus.

Sed nec abstrusis etiam causis indagandis vacavisse necesse est peritum artificem auri conficiendi, satis est, si suopte ingenio naturæ ministrum se præbeat semper gignentis, & promentis quicquam pro ut ei superne mandatum est. Sic obstetrix fœtus naturam quam prorsus ignorat, non perquirit, sed egerenti fœtum mulieri dat operam: sic agricultor tritici,

tritici, & hordei qualitatibus pernoscendis nuntium remittens, ubi earum segetum semina terræ commiserit, ubi occaverit & foverit, non frustra sui laboris præmium expectat, scilicet numerosæ, & omnem fœtum exuberantis sobolis; idem cùm incumbit insitioni, non qualis sit utriusque arboris, quam ipse committit; natura, non qualis habeatur forma glutinis, non quo modo liber mollescat libro curiose scisitatur, ac cuneis adactis, at insertis oculis soboleſcentem prolem inspectat qua flores fructusque promuntur.

Quid? quod homo, quem cum sole hominem gignere scripsit Aristoteles, prolem educit semine, non semper tamen, nam ex centum, ex mille etiam congressibus vix unus quandoque non irritus, sed ut sit ratus, ut etiam sit numerosus, nihilo tamen minus sui seminis ignorat ipse naturam, quæ nec planè Philosophis cognita, *nec medicis rixantibus* jam dudum inter sese an sit quod *superfluit alimento*, an è cerebro, an è toto corpore; an aliunde fluat. Projiciaturne à solo mare? num & fœminæ quicquam seminis profundatur? Quæ cum incerta, cum prorsus etiam ignorata illi sit, non frustratur propterea sobole, sed si prolificum semen ejus fuerit, idque propriis locis receperit non sterilis mulier, concurrantque reliqua munia, tam agentis viri, quam patientis fœminæ ad eundem effectum necessaria, concipitur infans ipso naturæ ordine, & suo tempore prodit in lucem.

Non secus *in arte conficiendi auri, omnium quæ instrumentis operantur longè præstantissima*, considerandum est evenire, neque enim fuerit necesse uti pernoscant artifices omnia genera speciesque rerum metallicarum, quibus mineralia fecit nomen vulgus: ea enim vix pernovit parens ipsa, quæ in terræ cavernis occulitur nativa rerum, tot scilicet sunt tanta diversitate, tam amplo & penitus inscrutabili numero: sed satis est percalluisse cognatiores naturas experimento cognitas, sat pernovisse mutationis instituta: non tamen pernegamus sapientiores habendos artifices eos, qui naturam causarum efficientium haberent exploratam, ut percallerent in communi elementorum materia propriam indere formam auri aut etiam postquam ipsa materia communis occupata esset à forma ignobilioris metalli, favere illi, & tanquam mederi didicisset, sic ut pellere possent priorem & ab arrepta deturbare sede, atque interpellendum viam percallerent, qua subinde nobiliorem ipsa in sede quirent collocare, quales pauci illi priores, *qui noverunt quædam esse abstrusa in metallis ad se multiplicandum semina*, quod & scripsisse Aristotelem in secundo de animalium generatione libro manifestum est, dum causam indicat prolifici seminis rerum naturalium eamque fert acceptam, non igni, aut tali potestati, sed ei calido qui continetur in semine, & te spumosa, quem spiritus vocabulo exprimit, in quo sit natura elementorum stellarum proportioni respondens. Placuit Aristotelis verba Græca subscribere, quæ variè in Latinum translata, *πάντων μὲν οὖν ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γονιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον θερμὸν. Τοῦτο δ' ἐστὶ πῦρ, οὐ τοιαύτη δύναμιν ἐστὶ ἀλλὰ τὸ ἐκπεφιλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν ἀφρώδει πνεύμα, ᾧ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογον ἐστὶ τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ.*

Propterea sapientes Artifices omni studio diligentiáque curarunt hanc naturam ex metallis tractam possidere. Cùm multi ex Peripateticis etiam *quintæ fecere nomen essentiæ*, ut generalem causam tenerent. Quemadmodum cœlum generalis est causa. Perducere quoque moliti sunt terrosam materiam in pulverem calcis instar excoctæ, diversaque subinde salis & olei paravere genera validæ potestatis, & fluxiorem materiam cogere in aquam sunt adnixi: subtiliorem verò tenuissimos in vapores, & aëris, & ignis æmulantes potestatem. At hoc, ut diximus, artificibus omnibus non esse necesse rium; ut pernoverint, proinde carmine sumus inter initia nostrorum ænigmatum, quæ si ulli tibi certe erunt sine ænigmate, id sic exequuti:

Principio causas abstrusaque germina rerum
Qui tenet, ille quidem supremus & optimus esto
Artifices inter, sed nec noviſſe neceſſe eſt
Tot, nec tanta tibi, ut primum per culmina cæli,
Perque altos volites tractus prægnandibus alis
Mox inde ad matris deſcendens viſcera magna
Reptes, ſpectatum thalamos prolem atque nepotes
Sulphuris, & vivi argenti in caligine cæca.
Te mihi crede ſat eſt vires tenuiſſe propinquas,
Efficias unum gemino, quod pendet ab ortu.

Et quæ sequuntur illic visenda. Sed quantum ad propositum præsentis disputationis pertinet, sat sit artificibus non ignorare quæ narravimus, sat probe tenere secreta quæpiam & vulgo ignota ponderarerum, & vasorum varietates, quibus paratur, & quorum magister est experientia ope naturæ perdocta, de quibus quandoque disseruit Albertus, cùm verba faceret de locis ubi metalla generantur; quanquam juniores longè plurima invenerunt atque paraverunt vase eadem quoque natura duce, & industria, oppidò perquam nixa experimentis, tepores etiam noverunt & acres flammas, & idoneum tempus ignis adhibendi & removendi: Nec non *receptacula vel vitrea vel terrea* parando operi congrua, quibus admodum suffragatur nova materies in terræ cavernis inventa, quæ latuit vetustatem.

CAP. X.

Facilius aurum noſtro ſæculo quam ſæculi prioribus poſſe fieri, ubi multa & contra vituperatores Artis, & contra nonnullos etiam egregios Scriptores perperam de Cinnabari, Hydrargyro, & pleriſque rebus aliis diſſentientes.

His autem rebus potest nostra tempestate facilius aurum fieri quam apud antiquos: illi enim simplicius rem peragebant & quibus utebantur rebus, ipsis nunc utuntur pauci, sed aliis & longè quidem plurimis, tametsi erat apud eos usus quarundam rerum metallicarum, quarum nec satis habetur apud nostros artifices nominis sincera cognitio, est enim ὄκρος verbi causa, nam quanquam nonnulli illam sese tenere putant, longe falluntur.

Ego vero tres ni fallor ad minus res inveniri non dubito, quibus id nomen competere possit. Pyritem quis novit, nisi ea sit (ut quidam existimant) quæ vulgò dicitur Marcasita: sandaracam puto non cognosci, nisi eam quæ mihi Venetiis allata rubri sulphuris nomine vocabatur. Cinnabarim, cum dicis, quis non retur te Bucasis Arabis compositionem dicere ex vivo argento sulphureque coagmentatam, à vera Cinnabari tam distantem quàm à Leone simia: est in colore aliqua, nulla in re similitudo, ut suo loco manifestum fiet. Quis monstrabit Chrysocollam veteribus artificibus & auri faciendi magistris decantatam: eam inquam, nativam Chrysocollam, non illam quam Plinius

docuit,

docuit, ne dixerim an ſubinnuit, nec eam quam Galenus indicavit.

Nam cujuſvis eſt ipſam conficere: ſed nihilominus plura nos habemus non ſolum advecta regionibus longinquis, ſed in ipſa Italia comperta. Nam multa de terræ cavernis eruuntur metallica, quibus veteres compotes non fuerunt: exiſtimo fieri ſingulis pene diebus, idque teſtimoniis non abjiciendis aſſertum eſt, diverſas rerum metallicarum mixtiones, quarum ut varii colores habentur & ſapores, ita promuntur ab eis effectus varii, indicantibus prope ſubſtantiam accidentibus, ea vero cum majori copia nunc patent, minorique pretio veneunt, neque hoc ſolum aſſeruerim propterea quod antiquitus fodinis Italicis Romanorum decreto parceretur.

Nam quanquam aliunde multa importantur, paſſimque ſuppeditantur, quæ ad rem maximo opere faciant: plerique tamen naſcuntur, & componuntur etiam ut dixi plurima, quæ non novit antiquitas, Calcanthum verbi gratia, cùm dicebant illi paucis conficiebant negotium: neque alibi nulla mentio cujus attritu Cyaneus apparet color, eſt & videre cinereo pallore Chalcanthum: eſt & viridi facie, & ſaphirina, & varia, quibus ut color, ita poteſtas longè diverſa, ſulphur, cum dicebat ἄπυρον hoc eſt non expertum ignem, num ultra ſortaſſis antiqui progrediebantur.

Videas nunc Apyron ipſum *colore ſubfulgido velut electrum*, videas & album, *& cinereum, & viride*, & flavum, & nigrum, & ruffum, ſic ut flammeo colore videatur cum rubrica contendere. Alia prætereo, quæ quoniam nec Græca tenent, nec Latina vocabula, minime hoc loco percenſuerim. Apud Ariſtotelem non temere neque ſerio invenies, nominatim citari aliud, quàm σανδαράκην, ἐξ ὧν γίγνεται, ᾗ μίλτον, ἐξ ἧς ὑός, & paulò poſt κιννάβαρις ducitur in medium veluti lapis, non illa cinnabaris cujus componendæ ex vivo argento, & ſulphure Bucaſis Arabs inventor eſt habitus, nec illa quidem quam perhibent ex pugna draconum & elephantum in India gigni, ſed quæ de terræ cavernis eruebatur, & importabatur ex Africa, mea ætate bis quod ſciam in Italia viſa eſt, ratam etiam eam tempore Auguſti fuiſſe ſcriptum reliquerunt, & Dioſcorides & Vitruvius, quorum alter pro medica facultate, alter pro ædium pictura de rebus metallicis diſſeruit. Sunt autem & dicuntur ea metallica quæ in fodinis metallorum inveniuntur, ex illis enim eruuntur, Auctore Theophraſto, & Chyſocolla, & Cyanus, & Ochra, & minium, & ſandaraca, tametſi Chryſocolla, & Cyanus arenoſa ſint, Ochra & minium terrea, ſandaraca verò & arrenicon (ille hoc nomine citat, quod alii dicunt arſenicum) pulverea, nihilque diſtare illa inter ſe, memoriæ prodidit. Hoc ex loco non eſt prætereundum colligi poſſe, fidem abrogandam eſſe ſcriptoribus quibuſdam, nominis alioqui ſatis celebris, & in Ochra deſcribenda & in aliis pleriſque.

Primum docet Theophraſtus, Ochram nil ab arſenico differre: Plinio vero longo aliter, qui & in aliis etiam apertiſſimè labitur, nam cum Chryſocollam, ſulphur, Cinnabarim citaſſet Plinius, minium quoque voluit ipſum eſſe, Græcis Milton, & & Cinnabarim nuncupari: alibi verò hoc ipſum deteſtatur, certè aliud Milton, aliud Cinnabarim eſſe invenies, & apud Ariſtotelem, & apud Theophraſtum, etiam apud Galenum, qui aliam citat etiam Milton Lemniam, hoc eſt terram illam repugnantem venenis, cujus viginti millia glebulas dicit accepiſſe ſignatas à Sacerdote, dum inſulæ appuliſſet Lemno, ſed præter hæc, certe diverſam à Cinnabari Milton invenies apud alios egregios rerum naturæ ſcriptores, quorum aliqui non κιννάβαρι ſed κιννάβαρ nuncupant: ejus duas ſpecies indicat Theophraſtus.

Alteram ſuapte natura in Hiberia, & Colchis natam, alteram arte confectam, non jam ex vivo argento & ſulphure, ſed ex arena coccinea, quam Athenienſis Callias ante annos nonaginta primus excogitaſſet, dum ex ea ſperaſſet aurum elicere. Qua in re, non ſimplicem modo, ſed multiplicem Plinii deprehendas errorem. Nam & minium pro Cinnabari docet à Callia confectum auctoritate Theophraſti, qui tamen apertiſſimè ſecernit alterum ab altero, ſeorſumque de minio, ſeorſum de Cinnabari verba facit.

Præterea ſcribit ipſe arenoſam eſſe Cinnabarim, Theophraſtus verò lapideam, atque ut ſua loquitur lingua λιθώδες quod Ariſtoteles ante prodiderat per hæc verba τὸ δ' λίθῳ ἐκ παιάντης μεγαὼς συμβάσεως εἶναι κιννάβαρι.

Præterea minium, quod ἀμήνιον vocavit Dioſcorides, naſci docet in Epheſo Plinius, cujus rei nullum verbum in Theophraſti monimentis: ſcribit enim Theophraſtus, in Epheſo fieri Cinnabarim arte, atque ut ipſe loquitur κατ' ἐργασίαν. Quemadmodum in Colchis & Hyberia naſci Cinnabarim ſponte naturæ, ejuſdem repono verbum αὐτοφυὲς. Cinnabaris igitur factitiæ locum deſignavit in Epheſo, naturalis apud Hyberos, & Colchos: Minio verò non ei quod nunc fit ex plumbo, & minii naturalis colorem æmulatur, ſed cujus eſt è terræ profundiſſimæ latebris conquiſitio, loca diverſa tribuit: tametſi duo minii fecit genera, ut alterum per ſe naſceretur, alterum conficeretur. Unde illa ejus verba, ἔστι δὲ ὅτερον μίλτῳ μὲν αὐτόματῳ, ἡ δὲ τεχνική. Ad hæc Theophraſtus Cinnabarim memoriæ prodidit duram eſſe valde atque lapideam, quod ipſe quoque teſtari poſſum, & oculis adverſantium planè ſubjicere.

Milton verò hoc eſt minium & Ochram terræ naturæ ſpeciem præferre docet, quo loco etiam miraremur Hermolaum ſi Dioſcoridis Corollarium edidiſſet, non emendantem errores Plinii, quos voluit in ſua quam ediderat Pliniana caſtigatione defendere. Cæterum duos Cinnabaris modos tantummodo citat iſte Theophraſtus, nullam habens mentionem draconum & elephantum ſanguinis, quem Cinnabaris nomine citat Plinius, & quem ante Dioſcorides exploſerat à vera Cinnabari differentem, quam (ut opinor) voluit Bucaſis vel quivis alius antiquior imitari, & minime potuit, colorem quadam ex parte non ex integro conſecutus: nam factitia Cinnabaris in fronte ſuum ruborem, naturalis in receſſu geſtat ſplendidiorem multo, & quod ſanguinem repræſentet magis, unde ortum habuerit opinio eliſi ſanguinis ex pugna draconum & elephantum, ſive Hiſtoria fuerit ejus rei origo, ſive fabula.

Adde quod Cinnabaris naturalis cum aduritur flamma ejus illuſtrior eſt atque ſincerior, nebuloſior factitiæ, ex cujus rogo nihil reſtat. Reſtat ea, quam natura peperit, in qua videas vivi argenti ſcintillare micas, in factitia quaſdam quaſi lineas crebriores hydrargyri: neque enim ſeparaverim vitium argentum ab hydrargyro Plinii more, factitium hunc, illud nativum arbitrantis contra Dioſcoridem eodem citat nomine, tam quod factitium eſt ex minio, quam quod natura bifariam parit, dum

dum ex argentariis pendet ſpeluncarum fornicibus, ubi concrevit in guttas, & dum è fodinis etiam per ſe colligitur.

Proinde magnus (ut mihi videtur) hinc deprehenditur Plinii error, ab aliis etiam aliquando taxatus, quippe qui ſecernit in duo genera, quod unum eſt dumtaxat è lapide illud fluere arbitratus: ejus enim ut inquit vomica, liquoris æterni, quod rerum omnium venenum ſit, hunc autem aliunde proficiſci ratus, ergo apud Dioſcoridem, & alios boni nominis ſcriptores hydrargyros eſt idem quod vivum argentum, apud Plinium non idem, Græci ſiquidem illud aquam argenteam nuncupaverunt, ab aquæ & colore, & fluido liquore, Latini de ipſo motu vivum appellaverunt.

Sibi quoque ipſi non ſatis hac in re conſtare videtur idem Plinius cum hydrargyrii nomine uſus, ſolo inaurari dicat argentum, ſatis enim prodidit non differre illum à vivo argento, quo utuntur ſolo fabri, cum aurata vaſa reddunt ex meris argenteis. Eodemmet etiam utebantur (quis neget) ii quorum meminit Vitruvius in ſeptimo: ſcribit autem fieri vivum argentum ex marmoreis fragmentis cum id colligunt artifices, poſtquam refedit fumus ignis, vapore ſuſcitatus, & eodem pariter uti eos quis dubitat? qui non modo ex minio & marmore, ſed ex metallis omnibus eruunt. Qua in re ſuperatur etiam à poſteritate vetuſtas, nunc enim ex omni metallo, nec difficilime quidem extrahitur ſive argentum vivum, ſive hydrargyron malueris appellare, nec ex metallis modo, ſed ex metallicis rebus complurimis, ut ex eis præſtetur occaſio demirationis, quod Galenus vir tantus in literis, tantus in literis, tantus in experimentis verſatus æſtimarit hydrargyron non naſci, ſed fieri: ejus enim cum de poteſtate ſimplicium medicamentorum verba faceret, iſthæc verba ſunt ἰὸν ἔστι τῶν αὐτοφυῶν φαρμάκων, ἀλλὰ τῶν σκευαζομένων. Non eſt ex iis pharmacis, quæ ſua ſponte naſcuntur, ſed ex iis, quæ conficiuntur.

Cæterum nec apud Vincentium, nec apud Albertum, qui primi poſt Græcos & Arabes inter doctos viros hujuſcemodi rerum fecere mentionem, datur legere tam numeroſa quam nunc eſt rerum congeries, cujus uſus eſt apud auri confectores, & argenti.

Octo enim ſi recte numeravi genera poſt metallorum naturam literis retulit Albertus, Sal, Atramentum, Alumen, Arſenicum, in quo concluſit auripigmentum, quod maxime debeat eo vocari nomine: ſcribit enim ſic Vitruvius auripigmentum, quod arſenicon Græce dicitur, foditur Ponto, Dioſcorides ejus vir ſeculi, non ejus id eſſe bonitatis voluit ſed pallidius, aurei vero coloris, & primæ bonitatis, quod in Helleſponti Myſia naſceretur, uno tamen & auripigmenti, & arſenici vocabulo eſt uſus, quo etiam poſt Vitruvium uſi ſunt & Celſus, & Plinius tertium genus quod album ſit & Arabes latinique medici, & Albertus retulerunt, nec defuerunt, qui non album ſed medii coloris dixerint.

Qui ſi de ipſo voluerunt intelligi, quod prodidit Albertus ſenſu repelluntur, nedum auctoritate. Ad hæc Marcaſitam citat Nitrum tuchiam, quanquam ea non eſt apud illum opus naturæ, ſed artis.

Marcaſitam vero cognitam priſcis adhuc (ut dictum eſt, non inveniri, niſi ea ſit quam Dioſcorides & Galenes Pyritem vocaverunt, ferturque acceptum Democrito inveniri eam & aureo, & argento colore, & æreo, addo & ſtanneo, & plumbeo, tametſi pyritem illi æream in medicaminibus deſignare videantur. Tuchiam vero pro Cadmia ſunt qui reponendam voluere. Ultimo loco electrum citavit Albertus, quod tamen ſi natura id peperit inter metalla reponendum, ſi ars eduxerit, non eſt inter ea, quæ de ſpelæis profundiſſimis eruuntur, numerandum.

At eo ſunt numero nunc ea quę foſſores in lucem proferunt ad parandum aurum, ut vix queas parvo temporis ſpatio recenſere: nam præter album illud arſenicum, cui à Chryſtallo fecere nomen, & turiam, quæ tametſi quibuſdam etiam Græcis hoc citetur nomine, Cadmia dicebatur antiquitus, multa ſunt genera marchaſitæ, quorum forte non meminere, multa quoque Chalcanthi genera ut antea narratum, ignota priſcis, multa etiam ſulphuris. Adde etiam multa Talchi genera, multa quoque Antimonii apud antiquos nuſquam citati, etſi quidam ſunt auſi ſub ſtibio reponere, nulla (ut puto) ſive auctoritate præclara, ſive valida ratione. Ad hæc multa aluminum genera, quæ nec voce, nec effectu prodit antiquitas faciendo tum auro mirum patrocinantia. Prodam nunc literis, quod ante paucos dies experientia didici, oſtentatam mihi fuiſſe ferrugineam Cinnabarim, cujus apud antiquos cum nulla fit mentio, ne uſum quidem fuiſſe crediderim, eam non inventam quidem à me, nec quæſitam affirmo: quis enim inveniet quod non quæritur? quis autem quærat quod in natura rerum eſſe nunquam audiverit? illam certe reperi multis conjecturis ſub Cinnabari, ſi nulla eſt, ſub re metallica reponendam, pondus ei grave, ſubniger, cinereuſque prima fronte color, qui ſi teratur, permanet: ſi aduratur, ruborem oſtentat. Porro ſulphuris, quod eſt in ea, pars cærulea cum flamma diſcedit, primum, deinde quod eſt vivi argenti prorſus evaneſcit, reliqua ſulphuris pars pertinax eſt, & flammæ contemtrix: ſi vero mergatur liquidis conſumtricium aquarum vaporibus, contra fit. Nam portio ſulphurea magno impetu ſolvitur in aquam, tantum abeſt ut igneo reſiſtat liquori: reſiſtit autem vivi argenti portio, quæ minime abſumta in fundo vaſis candida reſidet, rem miram narravi, quam, ut conjector, non novit vetuſtas, quæ etſi aurum ipſa moliebatur, ut antea dictum, paucioribus rebus tamen eſt uſa. Præterea calcinatione (ut Alberti utar verbis) ſublimatione, deſtillatione, cæteriſque actionibus, quarum vel nulla prorſus, vel non explicata priſcis auri confectoribus diſciplina, multa noſtræ tempeſtatis artifices moliuntur: eis enim datur eodem auctore elixir quo (nomen idem ab Arabicis ſcriptoribus mutuo perceptum medicinam Latini exprimunt,) quo ita penetrari conſtat priores metallorum ſpecies, ut eas corrumpere queat ſic, ut relicta ſolum communi materia, non propria, reſultet artis molimine metalli diverſa ſpecies.

Idem vaſa pertractans artificium, tingi poſſe docet quodcumque vis metallum in auri colorem, atque (ut ejuſmet propria referam verba) forte pulcriorem, ſi fuerit nobile elixir, in quo nihilum erraverit artifex: hoc autem ex loco facilius artem tueri poſſent, qui eſſent unam tantum in metallis formam defenſuri, nec omnino ſine tutela maneret, qui plures tueri vellet formas, non contentus eis, quas Albertus admiſit: ejus enim rationibus in adverſum cogitatis reſponderet, non ſeſe quidem eas perfectas, ſed quodammodo inchoatas aſſerere, quas ille admiſit in prima rerum generabilium, corruptibiliumque materia.

Verum iſthæc ſubtiliora & ſunt & habentur, quam

quam ut videantur hoc loco pertractanda, tantum hæc sunt allata, ut non solum varias tuendæ artis vias non deesse cognoscant vulgi sententiis obligati, sed plures etiam adesse, quam quibus sint usi veteres artifices, multoq; facilius compesci queant qui artem auriferam sine ratione valida deturbare moliuntur sua sede, quam pridem & legitimo titulo, & longa temporum præscriptione, possedit: pollunt enim ex iis, quæ diximus, didicisse, non uno tantùm, sed multis modis, aurum fieri posse, multoq; commodius, quam sit seculis anterioribus factitatum: nam eorum, quæ ante nota erant, fieri compotes queunt, & artis longo usu crevit industria, subindeq; versantibus eandem rem præclaris ingeniis prodiit solertia: quapropter desinere jure debent à calumniis importunioribus vituperatores Chemicæ Facultatis, qui tametsi in eodem numero non sint, qui subtiliores naturæ causas teneant, nec earum capaces rationum quas Philosophi peracutè vestigarunt, nihilominus nequeunt inficias ire, unicuique rei vestigium, pro suo modulo, non deesse bonitatis divinæ, quæ suas effundit dotes, easque arte posse roborari, ut similia progignant.

Nequeunt item experimenta negare non absimilia, veluti odoris parvi longissimas afflantis intercapedines, fermenti modici massam farinæ ingentem in sublime tollentis, Magnetis absens ferrum sibi conjungentis, echeneidos animantis validissimis navigiis afferentis moram, parvi vaporis infecti, quo multa hominum millia pestilentia tabescunt: cur enim si quæ narravimus contactu ipso & (ut sic dixerim) quodam quasi aspectu virtutis & potestatis mutant res, ducunt, atque reducunt, quæ ni sensu ipso deprehensa fuissent, mortalium quispiam non putavisset antea: cur negaverint mutari nequire metalla, cum sensus adstipuletur, nec ratio reclamet? cogitent quæso, num quispiam unquam hominum suo studio, suo quoque labore particulatim potuerit perdidicisse, cur magna catinæ moles à parvo piscículo detineatur immobilis? cur ingens farinæ congeries modico sustollatur fermento? cur minimo rei odoratæ suffitu tota domus abundè flagret, vestesque renideantur? cur ferrum nulla machina protrahatur, & in aëre pendeat præsente magnete? Cur tenuis invisibilisque vapor potestatem habeat regiones cum habitatoribus insiciendi, afferendique perniciem? Nam quanquam plurima sunt disputata de qualitatibus primis, de intermediis, de propriis, de supremis, de imis, de ignotis, ut ad occultarum rerum hujusmodi cognitionem Philosophi pervenirent: sic, *ut quot capita fuerint, tot pene dissentientium sententias legamus.* Nihil tamen aliud, quo uteumque quiescere queat animus, inventum est ad hanc diem, quam quod res cui id tribuitur ea sit, quæ dicitur rerum mutua amicitia, inimicitiave, atque ut Græcis dicebatur sympathia, quæ demum sit abstrusa quædam natura rerum & indeprehensa, non secus dicendum, cum *modico vel unius vel plurium herbarum succo mobile fluidumque argentum sistitur, & obdurescit: eum item hydrargyros alioqui solam ad ignis potentiam prorsus evanidum vel argentum vel in aurum vertitur:* aut cum salis & aluminum tenuissimis grumis, aut diversis olei aquarumve generibus, aut rebus aliis vulgò non cognitis id fiat, siquidem ut ars omnibus ejusmodi tam est ejus lata & circumquaque protenta consideratio, nihil elementarium, nihil eorum quæ conflata sunt ex elementis prætermittit, componit item, disjungit, copulat, evellit, susque deque vertit, quod suscipit pertractandum, ne variet, novet, ut perficiat, quod subterraneis inspeciebus, vel in terræ superficie comperit ad rem, quam sibi proposuit absolvendam. Fuit apud Theologos Disputatores quæstio, Creandi-ne? hoc est ex nihilo quicquam faciendi, potestatem soli Deo propriam & assignatam omnipotentiæ divinæ communicare creatæ rei posset ipse creator? & sunt pro alterutra opinione olim dictæ sententiæ, sed utcumque de creatione statuatur, nulli dubium communicatam non esse aut naturæ, aut arti potestatem ea majorem, qua quicquam priorem amittit formam, & posteriorem admittit: nam *quod natura centum annis fieri dicitur, arte fit unius horæ dimidio, & sæpe in horæ parte centesima.*

Vidi ego monstrante amico non semel, minus decima parte horæ disjici metallum, sic, ut sulphur alta petierit, hydrargyros ima: vidi prioris metalli forma prorsus abolita, subito novam id est auream solertia artis imponi, non sic natura sola, hoc est, artis beneficio destituta facit, non ita vetustas fecit, ut ex antiquis libris est planè perspectum, sed opus erat longiore subsellio, imitati sunt & planè sunt æmulati naturam posteriores, cùm fiat singulis diebus perspicuum celerrime in sanguinem, carnem cibumque converti, sive per coctionem, sive quovis modo alias: nam variæ sunt ab antiquitate, de nutricatione dictæ sententiæ: unum tantum hoc loco tetigimus modum præcellentem quidem metalla mutandi: alios superioribus Disputationibus indicavimus, quos quoniam suprà tractavimus, repetiisse longius minime convenit.

Joan. Francisci Pici Mirandulæ D. Concordiæque Comitis De Auro,

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

De antiquis Experimentis in Auro per Artem Chemicam faciendo.

Egimus primo Libro de Auri æstimatione, monstrantes nullam causam inveniri, quæ sit efficax ad persuadendum, tantum fieri debere aurum, ut res universas metiatur; secundo variis allatis opinionibus diversæ Facultatis Auctorum subinde probavimus ex principiis Philosophiæ, Theologis etiam adstipulantibus, *Arte posse fieri.* Tertio quod habemus in manibus & antiqua & recentiora experimenta pertractantes, & factum fuisse, & fieri etiam identidem aurum convincemus: subnectemus quoque de usu monita saluberrima, ne in abusum & dedecus proclivis lapsus fiat. Certissimum porro constantissimumque est, & consensu publico firmatum, fuisse aliquando effectum aurum, & arte, & industria hominum, atque ut ab antiquissimis repetam, primum hominem Vincentius Bellovacensis magistrum Artis posuit, ut inter initia diximus, & per illi proximos perque Mosen ad Apostolicum Dominicum & sua tempora pervenit. Græcis proditur, quod etiam

etiam indicavimus, non alia de causa navigasse in Colchida regionem Argonautas, nec ut poetice fertur Jasonem ex Æetæ regis domo vexisse in Græciam Phryxi pellem auream, sed librum ex arietis pelle confectum, quo noscebatur quibus modis per artem chemicam fieri aurum posset. Proindeque non injuria priscis illis phryxæum vellus vocatum esse pellem auream propter auri faciendi potestatem.

Videri hoc & in vulgatis & in reconditis libris facile datur; nam apud Suidæ monumenta late commendatum i. posteritati in elemento, paucis autem & subobscure apud Apollonium in secundo argonautico, ubi canit phryxæum vellus à Mercurio positum esse aureum. Quo in loco Græcus enarrator scribit Mercurii contactu pellem arietis aurum effectam, quo quid expressius Chemicæ favere arti potest: ejus enim ea verba τὸ ἐφαφῇ ἔ ἔμμεν τὸ δέμας ἔ χρὶς γέρεος χρυσόν. Clarissime vero Charax non tam historia quam philosophia nobilis prodidit memoriæ, pellem ad quam navigarunt Argonautæ non arietis animantis habendam, sed methodum fuisse confectionis auri μεμβράνη ut ille ait, περιειλημένην hoc est membrana comprehensam, idipsum citat Eustathius in Dionysii Lybici geographiam. Quid? quod & *in proverbium cesserat Græcis vellus aureum, cum quispiam de rebus vilibus pretiosas conficeret.* Sub involucris etiam fabularum non solum occuluerunt scriptores antiqui scriptum dogma confectionis auri comprehensum esse arietis membrana, quæ in domo Regis Æetæ custodiretur, sed modum etiam indicatum voluerunt, & Methodum subsignatam, Draconis & Mercurii nomine, siquidem notissimum apud artis Chemicæ professores *vivum argentum, & Mercurium nomine & Draconis etiam significari vocabulo.* Proinde confectum dici aurum Mercurii contactu, & Draconem pervigilem positum ad aureæ pellis custodiam volunt. Scriptum etiam legimus in Orphicis versibus de raptu velleris aurei, fuisse sub arbore, quæ phryxæam pellem sustineret, pratum, in quo multa quæ sistendo vivo argento conducere creduntur, aperte cernebantur. Nec solum frutices & olera sed calchantum, id est atramentum non calachanton, sive etiam psalachantan, ut à re metallica dispesceretur herbarum vocabulum: itaque non uno tantum loco fabulosam pellem, sed librum, quo ars aurifera doceretur, velleris aurei nomine signavit antiquitas. Nec abest à similitude veri penes vetustatem Chrysopœiæ, id est faciendi auri, scriptas compositiones, pellis aureæ, & agni vel arietis aurei nuncupatione notas. Unde illud Ovidii Poëtæ, arboris aureæ nomen par est effluxisse, quoniam ex arbore fructus expromuntur, ut ex compositione descripta parantur effectus, qui sunt in votis, & illud quoque spectare huc videtur furtivæ devehat aurum pelliculæ.

Nec defuere qui Tantali quoque divitias tulerint acceptas chemicæ compositioni descriptæ in pellibus agni: unde sit & Pelopis filii & Pelopidarum regnum longe lateque propagatum, ut hinc absonum visum non sit quæsisse Thyestem natu minorem Pelopis agnum, hoc est in agni pelle faciendi auri compositionem exaratam, quam in arcanis habuerit natu major Atreus, extorseritque Thyestes ab uxore fratris cognitæ stupro, ex quo & odia & cruentissimæ canæ tragœdiæ. Meminerunt hujus, rei, quanquam obscuro velamento & antiquissimi Poëtæ, & Cicero, Seneca, & Papirius. Supra quoque nobis proditum est, Calisthenis auctoritate, non ex velleribus ovium aut vectigalibus, verum ex metallis extitisse divitias Pelopidarum; sed remotissimis etiam sua vetustate rancidis.

Non immoremur, à Phrygibus & Græcis ad alias nationes propagata est ars, quam maxime coluerunt Ægyptii studio sapientiæ deditissimi, apud quos *Diocletiani tempestate, tam publica fuit auri faciendi facultas quam agri colendi*, quam sic ad Constantini tempora sua cum auctoritate productam fuisse proditum est, ut eo tempore philosophus Michael Psellus Græca lingua libellum de faciendo auro elegantem composuerit.

Dicet fortasse quispiam, cur non extat ars ipsa quæ publice quondam dicitur extitisse? Dicam ego (ut omittam plurima quæ responderi possent) cur non extat ars purpureæ tingendæ vestis non in Tyro solum & Sidone quondam celebris, sed in toto terrarum orbe decantata? nusquam hodie est, sed nec ostreum illud cujus ex sanguine color parabatur apud artifices agnoscitur: faciendi auri materia in promptu est, & facultas adest pluribus in locis, etiamsi in Ægypto funditus periisset: cæterum nec Lario defuerat ante via conficiendi auri, extat enim Plinii testimonium trigesimo tertio naturalis historiæ libro, qui docuit unam esse faciendi auri rationem, ex auripigmento, quod in Syria fodiebatur pictoribus in summa tellure auri colore.

Jussit, inquit, Cajus excoqui magnum pondus, & plane fecit aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret, notam rem Plinius prodit ex solo auripigmento, factumque dicit aurum per artem, cujus rei fortasse potuit esse testis oculatus: Vixerat enim superiorum Cæsarum ætate, & non solum usque ad Caii pervenit imperium. Nec ad Claudium tantummodo, qui post Cajum regnavit, sed ad Vespasianum. Militavit enim cum Germanico Cæsare, res ab eo gestas memoriæ mandavit, Claudium quoque filium ejus, qui Cajo ex Germanico fratre nepoti suffectus est in principatu, Messalinamque ei assidentem dicit se vidisse, dum publica ederet spectacula, sub Nerone quoque scripsisse illum Plinius Junior affirmavit, naturalemque historiam Vespasiano inscripsisse, titulus ejus indicavit.

At sensit Cajus detrimentum, fortasse in causa fuit minor copia quam oportuisset, & major impensa navigandi convehendique Romam auripigmentum, sensisset is forsan emolumentum, si tanta ei moles astitisset, quantam in Carmania reperiri scripsit Onesicritus, sensisset, si Ægyptiorum scita percalluisset, quibus Diocletiano cujus supra meminimus fuere formidini. Scriptum est in Græcorum monumentis, Diocletianum Cæsarem cum Ægyptios inhumane crudeliterque afflixisset, veritus ne arte faciendi auri, qua pollebant, reparatis divitiis ausus sumerent rebellandi, jussisse libros omnes Chemicæ facultatis conquiri atque comburi. Potest id videri apud Suidam in decima elementi collectanea. Post Diocletianum tanta fuit non ex auripigmento, sed ex arena aurea faciendi auri vis, ut publice id fieret ab iis qui artem tenebant, dummodo scrupulos quosdam aureos Cæsari penderent, qua de causa duæ illæ priores in Codice Justiniani titulo de metallariis positæ sunt leges. Hæc arena Chrysamos Græcis nuncupata, dicta est & Hispanis & Latinis Balux, id apud leges civiles & apud Plinium satis apparet, ut ne loquar de ridiculis vocum harum balaca & Chrysamos glossematibus Accursii.

Quidam nostri temporis vir alioqui diligens & eruditus

eruditus non Chryſamo, ſed Chryſamon legendum putat, idque vas interpretatur quo funditur aurum. Sed Chryſale illi nomen eſt vaſi, etiam apud Plautum, & tribus nunc inverſis literis vulgo profertur: Chryſamon vero omni proculdubio legi debet, hoc eſt aurea arena, quæ quidem non fodiebatur, ſed colligebatur ex maris littore, & ex ea mixtionibus quibuſdam parabatur aurum.

De hac duæ illæ priores leges decernunt, reliquæ de fodinis intelligendæ, quod ex verborum ſerie, & ex diverſitate vectigalis, ſive ut Lex ait, Canonis, deprehendi facile poteſt. Nam Chemici ſcrupulos paucos, foſſores vero decimam partem Cæſaris ærario debebant. Id genus faciendi auri per Chemicam, primus ex ſeptem prodidit Pſellus, docens arenam eſſe quandam maritimam littoralemve, quæ aurea diceretur à colore, & à quibuſdam arena aurea vocaretur, cujus hæc verba, ἄμμος τίς ἐϛι παραλία χρυσῖτις καλουμένη ἀπὸ ϗ χρώματος, οἱδὲ τοῦτο ἀυτὸ χρυσαμμον ὀνομάζουσιν. Galenus quoque dum de poteſtate differit ſimplicium medicamentorum de terra ſermonem exorſus Chryſitidos, & Argyritidos mentionem facit, mox de arena aurea loquitur, quomodo aſpectu lucrum conjectarentur ex quantitate meminit, ut hinc etiam quoddam re ipſa inter balucem, & Chryſamon deprehendas diſcrimen, quoniam minima Plinio ramenta ſunt ejus auri, quæ baluca dicebatur.

Chryſamos vero etſi minutiſſimis conſtet granulis, ea tamen aurea non ſunt, ſed aureo colore, & aurum inde multa coctura variiſque mixtionibus parabitur. Alioqui non ita paucis conſtitiſſet metallariis Cæſaris adnumerari, ex hac ipſe aurum extrahere docuit Pſellus, & quinque vel ſex alias confectiones literis prodit. Multa tamen obteſtatione profeſſus, id ſe facere quaſi coactum honeſta quadam vi, unde illa ejus verba ὁ δέσποτα ὁ ἐμὸς δυνάϛης, ϗτῆς ἐμῆς ψυχῆς τυραννίς.

Ad hæc Alberti teſtimonium extat experimentis, quæ legerat, nixum fieri per artem aurum poſſe, utpote qui vulgato illi atque legitimo profato (ſic enim par erat) aſſenſus fuit, unicuique in arte ſua perito credendum eſſe. Quid? quod non aliorum tantummodo, ſed propria etiam duxit in medium experimenta. Nam de vivo differens argento, ubi ſubſtantiam id eſſe dixiſſet materialem omnium metallorum, in quo virtute ſulphuris digerentis, & inurentis conciperetur & argenti & auri partus inſtar humoris menſtrui mulierum, ſubdidit id cum ad ſpeciem incipit accedere, glandulis hæreſcere primum, deinde paulatim conſtare atque converti.

Vidit hoc Albertus non in terræ ſpeluncis abditiſque naturæ receſſibus, neque enim eo ſeſe unquam penetraſſe cum foſſorum caterva refert, ſed vel domi vel ſub dio alioqui nec otium illi fuiſſe impendentibus montium ruinis id conſpicari. Neq; enim tam excors, tam oblitus ſui, ut in imo barathro merſus tam diu morari voluiſſet, nulla luce fretus, parva ſpe reditus, ut eſſet teſtis Hydrargyrii, ſulphuriſque nuptiarum, quæ forte centeſimo quoque anno celebrantur, ut pernoſceret quo modo terris in cubilibus fierent: extat enim Arnaldi philoſophi & medici nobilis teſtimonium, atque experimentum literis proditum, apud legalia monumenta, & additamenta Gulielmi, qui ſibi ſpeculatoris obtinuit cognomentum, ſcribit enim Arnaldum ipſum, qui miris ibi laudibus extollitur, virgulas auri quas confeciſſet Romæ omni probationi ſubmiſiſſe, idque, in titulo refertur de crimine falſi, nos eſt veriſimile omiſſam aquam, qua excernitur aurum ab argento, certiſſimum probandi auri, & numeris omnibus efficax argumentum, ſi tamen ejus uſus ea tempeſtate fuit: ſed certe ignis non defuit probatio, in quo ſi exuratur ſepties, fictitium aurum evaneſcit, ut proditum eſt ab Alberto, qui tamen fuit Arnaldo ſatis antiquior: ſed uti Balearicum Raymundum ſileam multis operibus nobilem, priuſquam ad noſtræ tempeſtatis viros deveniam referam teſtimonium Colonienſis Albeti ex ordine minorum de ſe ipſo.

Is enim cum ſcripſiſſet volumen de quinta eſſentia ſpecierum ſublunarium, & quot modis à ſingulis ferme rebus extrahi poſſet, adnexuit ſe potuiſſe, modo voluiſſet oſtendere, quibus tandem ex doctrinaliis pervenire daretur lectori, ut in ictu oculi metalla imperfecta mutarentur in argentum, & aurum, ejuſque rei ſententiam revelatam ſibi aſſerit modo intellectili, cum retineretur in carcere veteri, aut ſe ne penderet eam ex ſui oris decretis conteſtatus, ut ille ait, communibus Evangelicis viris, quo nomine ordinis viros ſancti Francilci ſubjectos inſtitutis appellavit, ne maligno dæmone inſtigante prolabantur in Alchemicas operationes, quoniam Philoſophorum nemo ſuis in libris veritatem aperuit, ſed obtexuerit in parabolis incomprehenſibilibus, proinde non dari, ut ad ſublimia illa Chemicæ facultatis arcana perveniat quiſpiam, niſi per altiſſimam contemplationem vitamque ſanctiſſimam, qua mens ejus Deo conjuncta fuerit, quod pauciſſimis aſſeruerat eſſe conceſſum.

CAP. II.

De experimentis noſtræ tempeſtatis in auro conficiendo ubi multa de præcellentia Chemicæ facultatis

CErtiſſimum eſt non auribus modo, ſed oculis, & multorum viventium, & meis etiam comprobatum, ætate mea factum eſſe per artem metallicæ converſionis, & argentum & aurum ſæpiſſime, nec una tantum compoſitione, ſed plurimis; nec moveor ad id comprobandum voluminibus paulo ante lectis à me, & dicatis Leoni Pontifici Maximo, quæ veram artem indicare videntur: tantumque eſt ut abnuant experimenta, ut auctorum alter qui ſcripſit carmine librum ſic exorſus ſit.

Auriferam parvis animi pro viribus artem,
Quæſitam nobis & longo tempore partam,

Atque ita etiam aliam Chryſopœjam clauſerat de ſe canens.

——Sic alter Jaſon,
Aurea fœlici devexit vellera Colcho.

Nam poëtis facile veriſimile ſcribitur pro vero, tantoque magis, quod ille Poëtarum more ſcribere ſe ſatis prodidit in calce prioris voluminis, cum de portis cornea & eburnea fecit mentionem: hiſtoricorum etiam multi non ſunt hac in cauſa inter oculatos teſtes habendi, qualis ille mihi videtur, qui ſcriptum reliquit in ſuo quodam magnæ molis volumine tres vel quatuor compoſitiones ſiſtendi mobilis argenti & auri conficiendi, iſthæc enim miſſa faciamus.

Referam vero primum, quæ mihi ſunt auribus, deinde quæ oculis compertiſſima. Obiit ante paucos annos Nicolaus Mirandulanus ſacerdos ex minorum ordine ſenex nobis motus atque integer vitæ, ſceleriſque purus, ac præterea multæ abſtinentiæ, multæ ſolitudinis, & qui vivus mortuuſque apud ſuos ſodales magnæ ſanctitatis eſt habitus, & divinarum particeps revelationum, quarum nonnullas

nonnullas ad me in Germaniam per te conjunx missas recordari facile potes, & prædictum bellum, quod sub Julio Pontifice Venetis illatum est. Is & Bononiæ argentum & Carpi aurum ex arte fecit multorum testimonio, fecit & Hierosolymis, ubi multos annos religionis gratia moram traxit præses sui ordinis viris, ibique sese aurum fecisse, mihique id ore suo retulisse, vivit adhuc, qui contestatur. Narravit etiam mihi nuper Antonius chirurgus Mirandulanus ejus ex fratre nepos, patruum sibi libere ingenueque confessum auri faciendi artem percallere, librumque manu ipsius scriptum diversis de rebus ostendit, in quibus & ratione, & socii testimonio, & duobus etiam experimentis comperi auri faciendi artem, ibi quidem sibi notatam, aliis vero multarum interpositione rerum sub obliquis eam sermonibus plane dissimulatam.

Præterea fuit inter mortales ætate nostra Apollinaris ex ordine prædicatorum sacerdos boni nominis, qui non dubitavit amicis affirmare sese modos plus viginti constanter tenere, quibus verum aurum conficeret. Nec aliud ipsi, peractis quæ ad religionem pertineant, ubi sese libentius animi causa versarent, habuerunt, quam in novis inventis conversionum metallicarum, rati non sine ratione ea communi usui prodesse magis, quam singulis diebus in literariis versari præliis philosophicis altercando, videbantur enim fortassis philosophiæ id esse proprium & medicinæ, cujus antea professores fuerant. Legerant apud Aristotelem unius rei generationem alterius esse corruptionem, id vero non in universum sed particulatim fieri: legerant etiam elementa misceri, & quæ de ipsis coalescunt elementis permutari.

Notabant Deum & naturam nihil feciisse frustra, compertum habebant hominem naturæ inferioris principem constitutum, *cujus ingenio fieri per naturam posset, quod nunquam fieret sponte naturæ*, si ea esset hominis ingenio destituta, hoc in insitionibus arborum, in pictura, in medicina, in omni fere vitæ munere, si conspicuum erat, cur esse deberet obscurum in metallis, adeo magna vinctis societate, ut aliud sæpenumero delitescat in alio: spectare huc solertium naturam ingeniorum debere norant, ut contenta non sit generatim solum, & in communi res naturæ cognovisse, sed aspirare suapte sponte ad notitiam, quæ per partes insinuetur, sensuique subjiciatur: disputationes Cyclicas in incerto vagari, & qui eis nimio plus sese dedunt suas imaginationes pro veritate colere solere, at sensui patere, & hominum publica consensione firmari, ex arte Chemices provenire posse apud humanam societatem *magnum & præcellens emolumentum, quo mortalium multifariam succurratur egestati*: quandoquidem inventa esse plurima remedia vulnerum & morborum ex olei diversis generibus confectis arte, ut loquitur vulgus Alchemistarum, ad quos Mesues medici sententia remittuntur ii, quibus salubris olei plurimum expetitur: nec non alexipharmaca plurima quæ de multis rebus inter sese mixtis multaque coctura dependeant, ab eis parari tam rudes quam eruditi cognoverunt: aurum postremo conficitur, cujus copia quandoque misera pauperum egestas levata est. Sed ut ad experimenta unde videor digressus, redeam, scriptum erat Romæ, publico in templo, nescio an clade recenti dimotum fuerit, epitaphium auri ex plumbo collectori, fuit ante paucos annos Venetiis, qui publico multorum nobilissimorum virorum testimonio, *ex re parvula, quæ nec piperis grani quantitatem excederet*, magnum satis auri pondus ex vivo argento confecerit: fuit in ditione mea, qui tribus testimoniis ex re triticeum granum æquante vivi argenti unciam verterit in probatissimum argentum, atque unum ex his qui viderunt cum alloquerer, ab eo audivi se quidem diligenter conversionem inspexisse rei, colorisque cinerei fuisse medicinam, qua confecta est transmutatio.

Venio ad ea, quæ nostris oculis citra velamen patuere, vivit ad hanc diem vir mihi notus & amicus, qui plus sexagies suis manibus ex rebus metallicis aurum & argentum confecit me præsente, nec una tantum via, sed multis id est assequutus, vidi etiam in confectione aquæ metallicæ, in qua nec argentum, nec aurum, nec etiam sulphur, aut hydrargyron auri principia ponerentur, ex insperato argentum, simul & aurum generatum fuisse, sed non ea quantitate ut frequentari posset, minus enim lucrum quam impensa: vidi quoque, ut inter operis initia prodidi, sæpenumero & argentum & aurum progigni, seorsumque illorum effusa grana, & in argento non parum auri delituisse: vidi aquarum vi ex ære argentum minimum tamen extrahi. Atque una hæc est, ut ante diximus, auri, argentique faciendi ratio, sed non multum existimanda, cum ex imperfectioribus metallis id, quod inest perfectorum eruit, cum vero non ex metallis, sed metallicis rebus fit aurum, major aliquando paratur utilitas: sed rem hanc ut veram ita variam sæpenumero contingit experiri. Est alius ut existimo inter vivos adhuc, neque enim constat illum inter eos versari desiisse, cui quoties libuerit suis ex furnulis promitur aurum, parva impensa, pauciisque diebus, quod pro auro purissimo vendit publicis in officinis, artis & naturæ beneficio magis invitatus quam egestate, quippe cui satis amplæ sint opes, ampliissimæ vero artis industria. Vivit ad hunc temporis articulum, nisi parvo antea diem obierit intervallo, vir cui non desunt opes ad tolerandam personæ seminobilis conditionem, cujus manibus æs vidi conversum in argentum & aurum quodam succo, sive herbæ, sive fruticis, & igne præpotenti vim suam in id metallum adigente.

Non desinam referre, quod mihi narravit inops quidam sese per quietem assequutum, atque opere mox idem comprobavit. Is dum anxius esset animi, ne satis intelligeret quo se verteret pro toleranda fame, premebatur enim annonæ caritate maxima, premebatur ære alieno, premebatur ingenti numero filiorum, sese tradidit sopori conspexitque cœlitem quendam catalogo sanctorum adscriptum, qui faciendi auri artem per ænigmata docuit, deinde aquam subindicavit, quæ uteretur ad aurum conficiendum, ea ille usus aurum fecit, primum ex sese, non tamen magni ponderis, sed talis tum ut inde paraverit victum familiæ, ex ferro quoque bis aurum fecit, ex auripigmento ter vel quater, & experimento mihi fecit manifestum, *auriferam artem non vanam esse, sed veram*, ea de causa ænigmata ipse paulo post animi gratia, hexametris versibus exaravi, quorum nonnulla citavi supra proœmiumque & epilogum adposui ubi de eo, qui sit vere dives ipsis carminibus etiam differui.

Vidi alium qui duobus modis in verum argentum, cui mixtum erat aurum, verteret vivum argentum, vidi ex cinnabari quibusdam adjectis rebus excluso & argento, & auro simul aurum fieri, simul argentum, vidi ex mera cinnabari olei cujusdam simplicis admixtione aurum & argentum sed parvi momenti, vidi sæpe hydrargyron, & qui erat ex plumbo

& ære detractus, & in argentum, & in aurum transformari. Demum superioribus diebus & oculis hausi, & contrectavi manibus, aurum quod me inspectante factum fuit ex argento trium circiter horarum spacio, nulla prius argenti facta vel in vivum argentum, vel in aquam conversione, hoc est in primam metallorum materiam, ut hinc ipsa revincantur experientia, qui cum artem transmutandi metalli deeudant, eos tamen calumnientur, qui contendunt d posse fieri, nisi prius ad materiam metallis communem, rediğatur id metalli, quod transmutatur.

CAP. III.

Commonitio eorum qui imprudenter vituperant peritos faciendi auri, quibus præ aliis naturæ scrutatoribus Philosophi competat appellatio.

SAt isthæc exempla ratione & auctoritate multiplici communita putavi fore, uti me ipsum ut alios exercerem tibique satis in parte facerem, & quæ scio esse certissima ad multorum caliginem amovendam patefacerem: neque enim me continere potui, ut quæpiam non scriberem & tui causa & admonitionis illorum, qui fecerunt imprudenter sententiam eorum quæ non cognoverunt. Proinde precium operæ mihi videbor feciſſe, si commoniti hic fuerint à me uti discant non contendere; deinceps & asserere, quæ ignorant ipsi, sciri ab aliis non posse, & quod est deterius, detestabiliusque, vel criminis reos agere, vel tanquam suspectos amentiæ prorsus exsibilare viros, qui artem auri faciendi vel rite teneant, vel exerceant perite, *& quod est non minus commiseratione quam risu dignum adscribere maligno dæmoni quod Deo omnis veritatis auctori, quod bonis spiritibus, quod naturæ, quod arti, quod industriæ sit adscribendum.*

Quid enim est, quod vertatur in dubium, si potestas & astus dæmonis ducatur in medium, an experimentis Chemicæ facultatis quispiam non imperitus sublimiorum, etiam non inscius literarum ejusmodi vituperatores ita compescet, ut & partus eorum matris, quo ipsimet nati sunt, sub ambiguo reponatur. Cum dæmon pravus potuerit in formam versus, non Amphitryonis, sed mariti, aut cujusvis alterius compressisse matrem vitam arbitratam esse, qui liberis daret operam.

Nota est historia de conceptu & Macedonis Alexandri, & Seleuci regis, & longo post tempore Merlini, multifariaque apud nostros Theologos, & antiquiores, & neotericos, prodita literis succuborum & incuborum dæmonum, iisdem in rebus improbitas, atque fallacia, an & sanitas de arte medica ducta calumniam patietur, cum sese immiscere queat dæmon, & afferre vel morbis vel vulneribus invisibilia remedia, & alia facere permulta, quorum & alii meminere, & nos etiam eis in dialogis, quibus titulus est Strix sive de ludificatione dæmonum, ut omittam Hippocratis principis medicorum decreta, quorum Apollo falsus gentium Deus auctor est habitus à vetustate multifariam oraculis elusa Dæmonis, quæ decreta sumsisse Hippocratem de templo Æsculapii concremato, supra jam diximus memoriæ proditum esse, eorum tamen decretorum apud nostros est usus quatenus habentur vera.

Quoniam omnis veri Deus maximus optimus primarius auctor est, proinde vituperatores discant reprehendi ab Aristotele, qui paucis inspectis ferunt sententiam: Discant apud jureconsultos improbari ut inciviles, qui judicant tota lege non perspecta: Discant vehementer damnari ab Annæo, & irrideri Claudium Cæsarem qui lites dirimeret una parte tantum audita, & sæpe neutra: subinde condiscant fieri quidem aurum posse per experientiam sine subtiliorum cognitione literarum: sed esse non posse consummatum numeris omnibus artis Chemicæ professorem, qui naturalem Philosophiam probe non percalluerit, & ad sensus experimenta deduxerit ea, quorum vaga consideratione torquentur plurimi, ea inquam tractata sæpe firmata nunquam, beneficio tamen experimentorum sæpenumero comperta.

Cur Philosophi nomen adscribam ei, qui Philosophicæ auscultationis quosdam libros viderit, sed herbarum, fruticum, metallorum, lapidum, illorumque potestatis & commistionis, & conversionis fuerit prorsus ignarus. Istius ei competet appellatio philosophi, qui res primum naturæ generatim noverit, deinde per partes sublunarium, subterreno-rumque germinum vires percalluerit? ut hinc rerum inferiorum concordiam & litem, subindeque generationem, interitumque mente percipiat: conscendatque in admirationem divinæ majestatis, quæ homini non solum donarit, ut res abditas, & in visceribus terræ conclusas agnoscat, sed eas etiam domi constituere queat ejus ipsius munere & adjumento naturæ: promdeque multis nominibus juvare mortales, & in corporis bonis & in externis facile possit.

Num qui hæc tenuerit tanto garrulis attestabit disputatoribus, quantum corpus umbræ corporis? quantum veritas mutabundis, & desultoriis operationibus: nam si verbis antecellunt facta, si præstat facere grandia quam loqui, competet verius ejusmodi viro philosophi nomen, atque præstantius: an prætulerit æquus rerum æstimator eum, qui rem demonstrat, ponitque sub oculos, illi, qui tantummodo suis imaginationibus fretus, vel per communes dialecticæ facultatis locos, vel per metaphysicas conceptiones sibi quidquam sapere videatur, nunquam certus, semper anceps, semper in argumentis translatitiis occupatus? Huic certe sophistæ nomen, illi sapientis antiquitas tribuisset, non reclamantibus Peripateticis, quorum dogmata reciduntad sensum, ex quo suas promere satagunt probationes: quo sensu Chemicæ facultatis periti spernentes eundem pronunt in repugnantem adversarium, sibique parant ex illo victoriam: proinde neque temere, neque sine ratione propensioneque reperias dictum, à Græcis ejusmodi viros sapientes esse eorumque decreta nuncupata.

Apud Arabes vero ipsorum instrumenta, etiam lutum, quo solent uti Chemicæ professores, donata sunt titulo sapientiæ, tam rudes vero quam periti noverunt artifices, ab ipsis quos nominavimus edocti, omnibus eis qui organicas sive instrumentarias exercent artes; attestare: cum notum sit, [quis est enim is qui nescial] inter homines, quibuscum vivimus multis jam seculis conveniſſe ut aurum metiretur externa omnia, quæ Peripatetici bona, Stoici commoda nuncupaverunt, & quod est mirandum magis proprium corpus non parva pars mortalium discrimini mortis exponit auri consequendi causa, ut impios illos suique prorsus oblitos præteream, qui animam etiam postponunt auro, quo certe & abutuntur improbi, & probi ac bene morati utuntur recte, quibus si cælitus

demissum

demissum est hoc rarissimum munus, ut maximas eos gratias Deo & habere, & quod fieri potest referre convenit, sic nullum omnino mortalium quantumcunque diviti, quantumlibet præpotenti debent invidisse.

CAP. IV.

Si vere competit ab externis cuipiam divitis appellatio, eam peritis Auri faciendi per Artem Chemicam jure competere.

CErte fuit apud antiquos, quis esset dives, & quomodo nuncupandus non parva quæstio philosophis, oratoribus, poëtis non intacta, cum ille de Crasso, an tu solus dives? Unde alius, qui sola divitem philosophia metitus est, sed & divitem agri, & positis in fœnore nummis divitem, pictæ quoque vestis, & auri divitem, qui opinarentur non defuere? Qui vero diceret *illum proprie divitem, qui religione inprimis imbutus Christi, deinde syncera sanitate polleret mentis & corporis, demum argenti atque auri faciendi potestate præditus esset*, neutiquam videretur improbandus.

Nam qui bonis animi præcipuis caret omnino est pauperrimus, tantum abest uti sit dives, nec id ipsum nominis ei merito commune fiet, qui miseria corporis laborat, identidem semper egens optatæ sanitatis & qui securus belli non erit, pendebit semper à nutu principum, & qui peregrinæ vacat mercaturæ, aut latrones semper horrebit, aut iratum mare, & qui ruris opibus incumbit sæpenumero metuet noxiam fructibus intemperiem, qui vero lucris inhonestis vacant, & fœneratitiis mendis incumbunt, præterquam quod male audiunt bene institutis hominibus, proprio etiam sceleratæ conscientiæ morsu torquentur, si quo pacto inter diva jure poterunt numerari, quando etiam paratæ ab atavis usque divitiæ possunt cripi facilime, regna & principatus sæpe mutari nescit nemo, qui novit etiam mendicatum victa Carthagine panem, at eam artem, quæ in animo sani hominis est, quis abstulerit, quoad vixerit? quis prohibebit ubi terrarum fuerit, modo ignis adfuerit, & certi non defuerint aut liquores aut pulveres, quo minus aurum sibi non conficiat.

Certe quod multis hominum millibus Germani, Pannoniique principes, multis mensibus eruunt è montium speluncis profundissimis, quodque etiam vix triennio magna classe sibi parant Hispaniarum reges cum è Bæticis & Lusitanis portubus oram solventes Atlanticos & Indicos fluctus metiuntur, ut ignotas invisant regiones auri feraces, id artis aureæ compos, & minori impendio parat, & majori cum lucro, pauciscque diebus vel domi vel in hospitio considens parvo, etiam sæpius ministrorum famulitio, quam rem oculis in eis quæ ante citavimus aureis argentisque ænigmatibus, carmine placuit significari.

Dives agri, dives pictai vestis, & aulæ
Præcelsæ, & regni nunquam est me judice dives,
Nunquam enim dives puppi si fretus Hybera
Per mare Atlantiacum Boreæ contemptor & austri
Vsque coloratis gazas convectet ab Indis,
Ille autem dives, celso cui mittit Olympo
Æternus genitor, votis optare secundis.
Quicquid mortales possunt, cum lumine rectæ est
Imbutus fidei, sanamque in corpore sano
Mentem habet, externis etiam quæ commodæ visa,
Non bona Chrysippo, rebus vallatur opimis.
Sed quando humani generis pars maxima sese
Heu misera argento semper metitur & auro,
Ditior ille quidem nunc passim creditur, arca
Qui plena fruitur, & abundat utroque metallo,
Acceptosque domi nummos aliena remittit
In regna, ut numero numerum referata tabella
Multiplicet, lucrisque novis, nova fœnora jungat.
Quæ princeps, populusque rapax prædentur & undæ
Mergantur pelagi, & bellis rapiantur iniquis.
Hic mihi semper erit dives, magis ille caminis
Qui trahit è propriis argenti pondus & auri
Annua centenæ superet quod fœnora mensæ,
Absque dolo pravo, sine vi, sine fraude maligna,
Impensa fretus pauca pauciscque diebus:
Quod lucrum nequeunt reges, populique nec hostes
Irati auferre, aut vasti inclementia ponti,
Purgamenta soli, nam flavum vertit in aurum
Quomodocunque libet, soli sibi conscius ipsi.

Ut satis appareat, quod attinet ad externa, illum facile omnia tenere, qui tenuerit artem auri faciendi, ut in cassum pandoram illam suam jactaverit antiquitas fabulosa, & ostentaverit frustra suum illud κέρας ἀμαλθέας.

CAP. V.

Quod Aurum modo fictitium non sit (quod nec liceat vendi probabilius videtur) sed factitium & syncerum deterioris non sit inter medendum conditionis quam nativum & fossile, sed sæpe melioris.

AFferret etiam is multum mortalibus inter medendum opis, modo ferat aurum aut ægrotis aut sanis emolumentum, siquidem omnibus qui præstantiores literas novere notum est aurum arte confectum, si verum sit, ejus esse prorsus essentiæ, sive speciei quantum species communi usu dignoscitur cum eo auro, quod arte elicitur ex terræ cavernis, aut de fluminum colligitur arenis, & easdem illud habere ad communem usum proprietates, quibus pollet aurum de fodinis erutum metallicis: eorum enim explosa sententia est, qui conciliare diversas opiniones eo moliebantur, quod concedebant alterum arte fieri posse, negabant alterum.

Neque enim unquam sine suis qualitatibus sive proprietatibus seu mavis dotibus invenitur naturæ corporea, nec in cognitionem alicujus essentiæ, si naturam sequimur, pervenire unquam possumus eis abolitis dotibus. Proinde censuit Aristoteles easdem ipsas conditiones, quas quamquam multas & varias uno vocabulo Συμβεβηκότα, hoc est accidentia nuncupavit, ad cognoscendum id quod est, videlicet rei naturam, nos juvare: si vero aurum arte confectum eandem teneat essentiam, tenebit quod est consequens easdem qualitates cum eo, quod natura peperit, auro, atque ita ejusdem prorsus erit pretii, & tanti æstimari vendique licebit. Omnia diximus accidentia, quæ quidem ab auri tractandi peritis queant internosci, non eorum quædam, aut etiam plurima, quoniam si vel unum deesset ad integritatem, id falsitatis nomine suspectum haberi posset: & quanquam ii de moribus disputant, volunt fictitium aurum vel argentum pro fictitio quod sophisticum dici solet, vendi licere, ut scilicet tanti veneat, quanti jure faciendum est, si rite æstimetur: nihilominus, quoniam aliud præ se fert primo in aspectu, aliud gestat clausum in penetralibus, res est plena periculi: propterea nunquam in eorum ego sententiam pedibus manibusque concesserim, quandoquidem possunt minus

prudentes, quorum magna pars verſatur inter mortales : aperte deludi.

Accedit huc quod ſubſterni videtur fraudulentis hominibus ſemita quæpiam falſæ furtivæquæ monetæ per confectionem auri; argentique fictitii, quod ſophiſticum nuncupatur. Nam quamquam diverſa ſunt munera faciendi cudendique metalli, diverſæque artes & habeantur & ſint quæ alterutrum parant : quoniam altera præcedit, ſubſequitur altera : nihilominus impoſtores faciliorem videntur doli mali viam nacti, qui metallum jam habent falſum, quam qui legitimum conantur pervertere mixtione deterioris : nunquam vero malis hominibus augenda eſt faciendi maleficii commoditas. Hac de cauſa fortaſſis Magnus Albertus dum artem qua mutantur metalla tanquam veram reliquiſſet, eam ut falſam ſuſtulit, qua colores tantummodo vel auri vel argenti mentiuntur artifices plurimi, qui ubi fulvum auri pallorem & alborem argenteum putant ſe minoribus indidiſſe metallis, exultant veluti compotes artis facti, & emptores plane iudificantur.

Conſtare quoque poteſt viris prudentibus, ſi verum eſt aurum, quamquam factitium, non nativum, dummodo fictitius falſum ſophiſticumve non ſit, exhiberi poſſe, mixtum cibis alexipharmacis, aquarum decoctis, non ſecus ac id, quod erutum dicitur è latebroſis terræ cubilibus, multoque etiam utilius, quam quod nota principum, aut, R. P. ſignatur, hoc ipſum quoniam multos latet, id negotii latius explicare tentabo : novi enim qui tametſi aurum conficere norant, docere tamen ejus conficiendi artem amicos & affines recuſabant, ne abuterentur ea ſcil. veriti, hoc eſt ne fictitium aurum aut vivi argenti, aut alicujus rei, quæ noxia putetur ſi ea veſcamur, naturam ſuperet. Audierant enim fortaſſis illud, *Miſcuit argenti lethalia pondera vivi, cogeret ut celerem vis geminata necem*; & facile quorundam legerant libros, affirmantium proprietates nativi auri, præcipueque lætitiam afferentis & repugnantis lepræ, non reperiri in auro fictitio, quibus tam rite repugnavit Timon inter diſputandum de rebus meteorologicis, quam perperam admiſit aſtrologicas imagines ad auri confectionem accerſendas.

Libenter ego eos qui hac ſuſpicione laborant ab omni metu : nam ſi verum eſt aurum, quod fit per artem, veram auri tenet eſſentiam, & quod eſt ſequens accidentia omnia, quæ ſecundum naturam fluunt ab ea, ut ante monſtravimus : ergo & lætitiam afferet, modo eæ ſint partes auri, & adverſabitur lepræ, ſi ad aurum id pertinet.

At dixeris fortaſſe, in aurum quod ars molitur & vivum argentum & alias quoque res venenatas ingredi. Affirmaverim & ego ex rebus eiſdem imis in terræ ſedibus aurum procreari. Deinde ſubdiderim poſſe per artem fieri aurum multifariam, non uno tantum modo. Adjecero & illud ſi quæ forte adhibentur ad artem complendam venenata fomenta, non ad eſſentiam rei quæ fit ea pertingere, ſed haberi inter inſtrumenta tranſmutationis : Huc & illud etiam attulero, vivum argentum, cum vel in argentum ſolidum, vel in aurum eſt redactum, ut vivum argentum eſſe deſiit, ita lethalem amiſiſſe proprietatem, ſive ea fluxerit de occulta qualitate, ſive ut placuit Alberto de manifeſto acumine, quod ex frigore & humore coaluerit. Nam & ſi gradum frigoris, humoriſque ſecundum ſuperare noluit, nervis tamen ob id nocere decrevit, quanquam ſunt qui malunt non frigida vivum argentum, ſed calida eſſe natura, idque de ipſius aſſenſu facile nonnulliſque aliis qualitatibus tueri contendunt.

Neque autem omiſerim permultas converſiones, *ea omnia quæ venenata dicuntur purgari beneficio ignis, & aliam formam, aliamque naturam induere*, quod ſane contingit etiam in ſubterraneis ſpecubus, ubi ſulphur, æs, vivum argentum conveniunt ad promendam ſubſtantiam auri. Quod quanquam apud eos qui contra ſentiunt ſaluberrimum habetur, tamen ea quibus conficiebatur, antequam maturaretur & diverſam naturam eſſet nactum, etiam apud eoſdem inter noxia computabantur.

Si dixeris habere in ſe rerum naturam parata quæpiam alexipharmaca quibus careat ars : Dicam ego, quiſnam eſt, qui conſuluerit ipſam naturam, cum pareret aurum ? quis percontari poterit obſtretrices naturæ, ut ad præcriptum noſcere queat, quænam averſentur, quænam repellantur, quænam ſint ab omni ſuſpicione libera, quænam ſint quæ priuſquam conveniant in id operis, amittant virus, quænam ſint quæ inter id parandum, aut poſtquam illud effecerint, exuantur eo. Confirmari poſſent hæc exemplis animalium, quæ iis veſcuntur ſalubriter, quorum eſu necarentur alia, in cauſa eſt coquendi & tranſmutandi varia vis, è diverſa manans animantis natura.

Atque iterum exemplis venenatarum rerum uti poſſemus, quæ miſtionibus concoctionibuſque quibuſdam evadunt ſalubria, ut in theriacis antidotiſque plurimis plane compertum eſt : contra quoque fit, ut ex ſalubribus fiant pernicioſa, nulla adjecta forinſecus noxia qualitate. Sit in exemplo gallinaceum ovum, quod crudum ſi ſuit pleriſque omnibus excitat nauſeam, ſi leniter coctum, ut ſorbitioni ſit aptum mirum perquam eſſe ſalubre, ſi penitus induruerit igne nimio inter edulia noxia præcipue numeratur. Diſſultat enim non tantum ex varia rerum mixtione varia natura, variæque proprietates effluunt, ſed ex coctura vel nimia vel minima. Ad hæc cum factitium aurum non diſtinguatur à naturali per humanam cognitionem, alioqui nec eſſe, nec dici poſſet ejuſdem ſpeciei ſi diverſis accidentibus, quæ ducunt ad rei ſubſtantiam cognoſcendam ſecerneretur, cum inquam non diſtinguatur, jam nullum eſt periculum, jam nulla cauſa periculi : Quoniam aurum, quod coquendum in cacabo ponis, quod radis, quod percutis, quod in ſubtiliſſima ramenta diſſecas, quod in aqua mergis ferventiſſima bulliendum, neſcis tu prorſus è viſceribus terræ ſit erutum, an hominis arte confectum ? Adde cum antiquitus effectum aurum aliquando ſit, alioqui non ſtetiſſet ars apud pleroſque, ſed ab omnibus locis gentium omnium conſenſione fuiſſet exploſa & exſibilata, ne dum vivus homo reperiretur, qui jactaret ſe artis ejuſdem octingenta juſta volumina, & præterea ſeptem ſupra triginta millia præcepta legiſſe, cum antiquitus inquam ſit effectum, quod & experimentis jam probavimus;

Quid habes tu aut cauſæ aut argumenti uti factitium à nativo diſpeſcas. Non ſignum aut inuſta nota, quoniam ita vetuſtas, ut ætas noſtra, ſignabat aurum nota virorum principum; & ad officinas publicas convehebat ſecernendum. Non color, Index enim lapis tanquam honorarius arbiter inter pares colores pro neutro dat litem. Non pondus, quandoquidem bilanx non divergit ab examine. Non teneritas, mollitudove, cum utrumque flectenti tranctantique non reluctatur. Non effectus, namque aut comeſto aut epoto auro, id jure non potes adſcribere, quod alius diverſæ aſſcribet rei;

ratione

ratione nullo pacto leviore : cum enim plura simul non seorsum assumuntur ad quidpiam efficiendum, si diversi promuntur effectus, cui naturæ rei diversitatem eam debeas adscribere, certo non noveris, nisi diversas rerum illarum naturas, quæ simul convenere, seorsum percallueris : nunquam enim deerit occasio quod alteri adscribitur, adscribendi alteri, tantoque sese illa præbebit amplior, quanto fuerit major mixtio, aut magis numerosa congeries.

Itaque si nescis distinguere verum aurum quod partu naturæ nactus es ab eo, quod tibi peperit artis industria, nunquam rite propinabis aurum. Nam aut omne habendum noxium, si quodpiam dicatur insalubre, cum non habeatur, uti vidimus legitimum discerniculum, aut omne salubre, si aurum, quatenus aurum naturæ hominum convenire dicatur, aut omne dubium, si alterum ab altero non secernis vel Lapide Lydio, vel examine, vel aqua demum, cui nomen est inditum à partitione, quoniam aurum ab argento dispescit, atque ita ab alterutro pernitiem non excludis.

Quid? quod si ullum est salubre, id tamen quod nota principum, & rerumpublicatum in usu est ementium & vendentium putandum est insalubre. Miscetur enim æs ut lapis Heraclius de eo fecerat coloratus indicium. Miscentur & alia nonnulla, factitium quoque sal acerrimum, quod ammoniacon hoc est arenarium falso nomine citatur, Nitrum etiam quandoque & id vivi argenti noxium, cui nomen factum est ex eo, quod in sublime tollatur, quorum omnium concoctione contrahitur virus: *æris enim rubigo recrementumve, quam stomacho noceat*, qui ignorat? & præter eam alia quæ diximus pernicioſa, quorum usus est in ascisendo aureis nummis fulgore apud argentarios & fabros auri: colorant enim aurum suapte natura pallidius uti magis emicet, atque coruscet. Et de salubritate satis multa : nunc artis modum subsignemus & vulgi falsam opinionem refellamus.

CAP. VI.

Commonitio multiplex eorum, qui Auro per Chemiam faciendo navant operam, simulque vulgatæ illius quæstionis, Cur plurimi sint inopes, qui auriferæ arti vacant, dissolutio.

EOs autem qui per artem quærunt aurum monitos velim, *ne supra facultates sese dedant experimentis, neve ob id certiora amittant studia, neu magnas sibi polliceantur divitias, non principatus affectent & regna vana spe lusi.* Ut enim Deus non permittit, omnes homines tenuioris (ut vulgo dicitur) fortunæ, qui aut gloriæ student, aut mercaturam exercent, eos, aut regno principatuve potiri, aut ingentibus affluere divitiis, ut etiam noluit eos omnes, qui literarum studiis incumbunt, antiquorum vel æquare gloriam, vel superare; non secus putandum hac in re, ut magna sic perdifficili & rara, quandoquidem *sua dona Deus pro arbitrio distribuit suo, non nostro.*

Nam si vana noxiaque cogitaverint, qui parant aurum & quærunt mutare metalla, si plus nimio sibi promiserint, & in aëre (ut dici proverbio solet) castella ædificaverint, facile sese decipiendos, & eludendos agnoscant : cum à seipsis, tum ab improborum & spirituum & hominum fraudulenta nequitia. Memini edoctum olim quendam ab amico, cui factum dicebatur supernum oraculum, sese quam quæreret auri faciendi facultatem non indeptum, si ad superbiam, si ad nocendum abuteretur, concedendam si ejus compos evaderet in bonum animæ & corporis. Novi alium, qui mihi asserit semel se ex mobili argento quod vivum dicitur, stabile verumque argentum confeciſſe succis, & foliis herbarum, idque vendidiſſe peritis explorandæ metallicæ veritatis, eisdem mox usum se foliis frustra, & quod semel perfecerat, nunquam alias, quamquam id sæpe tentaverit, perficere potuisse.

Alium novi, qui adhuc apud vivos moratur, cui cum argentum & aurum circiter quindecies per artem effectum esset, amisit artem eam, accepitque oraculo socii per quietem habito, id ingratæ mentis vitio contigisse, ut hinc etiam veritatem apostolici dicti condiscamus, neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed incrementum dat Deus. Retulit quidam mihi sese aurum ex argento feciſſe semel magna copia, secuidoque eisdem se usum rebus feciſſe quidem, sed minima semper quantitate, sic ut detrimentum lucro majus esse supputaverit. Venisse in mentem, uti detrimentum effugere posset, si non ex argento sed ex ære melioris conditionem metalli sese consequi experiretur, idque se conjecturis firmis nixum tentaviſſe, cumque in eo fuisset ut rem sese speraret indepturum, miris modis evenisse, ut nihil omnino consequeretur. Aliquando evanida, aliquando casibus variis intercurrentibus, ejus tamen conditionis, ut aperte cognosceret impedimenta aliunde quam ex humana potestate proficisci.

Idem affirmavit ab amico, qui expertus hoc ipsum fuerat, accepisse, qui cum ex cinnabari feciſſet argentum optimum, sæpenumero sese postea insistentem operi majore cum diligentia semper eventu rei fuisse frustratum, ut autem rationibus eventa confirmata : Nam in iis, quæ de terræ cavernis eruuntur, tibi maxime necessaria etiam monstra, quandoque & abortivos partus videbis : Prodit in naturalibus quæstionibus Annæus Seneca, sicut in nostris corporibus, sic in illis humores sæpe vitia concipere, cum vel ictus, vel loci quassatio, vel senium, aut frigus, aut æstus corrupere naturam, ut mittam & ignis, vel exuberantiam vel defectum, & artificis vel imperitiam, vel indiligentiam, sileamque maligni dæmonis multiplicia commenta. *sed etsi omnia, quæ optas, ex voto etiam affluxerint, non autem tibi Dei adsit munus, operam perdes : & cum tempore jacturam facies impensarum*, quæ quidem in nostris ænigmatibus, sed absque perplexitate ænigmatum cecinisse, meminimus.

Dummodo perpetuum servet natura tenorem,
Dum manus artificis, dum mens non fluxerit usquam,
Illa etenim suevit progignere plurima monstra,
Ignibus interdum minus oppressa calore,
Interdum nimiis defecta, ut frigida multo
Mater Anus gestare solet sua viscera partu,
Et solet artificis diversa per avia ferri
Mens lassata nimis duroque intenta labori,
Atque hinc fessa manus deflectit tramite recto,
Attamen in vanum cuncta hæc quæsiveris ante
Ni velit omnipotens, sine quo sunt irrita semper
Naturæ atque artis molimina cuncta, nec ullis
Aut vita, aut vires possunt consistere rebus.
Interdumque malus Dæmon sese ingerit atque
Omnia perturbat, ni compescatur Olympo:
Nam memini, memini in fulvum mutarier atra,
Ordine naturæ transverso, jamque metallum
Effugere ex oculis, res est non falsa renidens,
Et calcem flammæ victricem tendere in auras
Ignibus exiguis, parvoque afflata vapore

Diſperiit ſubito, in tenues evanida ventos.
Mirabar, cauſamque ſimul ſcrutabar Olympo,
Cùm lux affulſit menti caligine pulſa.
Namque crucis ſignum populit ludibria nigri
Ditis, & in priſcum res eſt renovata vigorem,
Tantus honor noſtro eſt, & tanta potentia regi,
Qui genus humanum ligno ſervavit ab alto,
Qui ſi orſis adſiet placidus, ſi cœpta ſecundet,
Plus tibi tu adjicies ſolers, utriuſque metalli
Illyricæ, quam quod dederant tibi Romæ cavernæ,
Quam quod Callaicis effoderat Aſtur in antris,
Nec poſthac Regis Phrygii miraberis aurum.

Proinde non inutiliter, quod ante dixi, repetam, neque enim doceri ſatis poſſunt ignari, nec pervicaces ſuperfluo commoneri. Non inutiliter inquam repetam, non poſſe hinc artis vituperatores ſarcire calumniam. Nam quemadmodum nec Agricolationi, nec Medicinæ prudens obnunciaveris ob amiſſum proventum agri, & ob id quod ægri moriantur, cum non ab arte ſolum, ſed à natura & à divino decreto præcipuis cauſis id planè dependerit, ſic nec ab auro & argento faciendo abhorrueris ob effectus interdum irritos, aut minus uberes. Artis enim præcepta non æterna ſunt, nec omnibus firmata muneris. Cur igitur neceſſariam primævamque artem agri colendi, cum inanis eſt quandoque reditus, non calumniaris? nec rejicis utilem non minus quàm veterem medendi corporibus humanis facultatem, cùm non prodeſt? Nempe quod notis fruſtrari diverſis ex cauſis promiſſos ab illis effectus frequenter poſſe, doctum id fortaſſis ab ipſarum artium ſcriptore Cornelio.

Ut enim ait alimenta ſanis corporibus agricultura, ſic ſanitatem ægris medicina promittit. Non præſtari inquit alimenta, nec ſanitatem, ſed promitti: prudentiſſimè id quidem ob effectus interdum irritos: non ſecus pollicetur Chemicæ Profeſſor Artis aurum & argentum. An confidentior ipſe in auro faciendo fuerit quam Hippocrates in reducenda proſpera valetudine, cujus eſt ſententia, experimentum plenum eſſe periculi. Quandoquidem nec malagmata proſunt ſemper, quæ profutura ſcripſit antiquitas, neque ſimplicia medicamenta præſtant ſemper, quæ pollicentur: neque medicorum etiam collegia, ne non moriatur æger, cui adſiſtunt ſemper, efficiunt, tametſi ſanitatem ſæpe ſpoponderint.

Adde paucorum eſſe ſublimem illum apicem faciendi auri magna pondera parvâ cum impenſâ. Nam peculiari Dei dono rariſſimis id eſt conceſſum, ut propterea plurimum interſit, multum conficias auri, multo cum lucro. Nam parum feciſſe quid refert. Ad ſolam ſpeculationem id tantum pertinet, ut agnoſcatur id eſſe verum, quod inter ſe metalla vertuntur. Ad divitias nihil & magnarum rerum effectus, etiamſi ſexcentis queas modis aurum parare: ſunt enim qui vix poſſunt impenſas tolerare, ſunt qui ſenſerint detrimenta, ſunt qui ſtatum non habeant & fixum ordinem, ſed varium, ut diſſolvere facile poſſis quæſtionem vulgi ſciſcitantis identidem: Cur egeant ſæpenumero, qui aurum ſeſe facere poſſe non diffitentur in promptu ſolutio.

Aut enim parum conficiunt auri, aut ſi multum, plurimis cum impenſis, aut variant experimenta, ſic ut quod ſæpe contingit id perpetuo tenore non reſpondeat. At metus immaniorum Principum & avariſſimorum perturbat, aut locus aptus deeſt, aut ſocietas & famulitium non adeſt. Ut omittam levem multorum & ineptam credulitatem cum imperitia conjunctam, & fraudulentorum artificum nequitiam verſipellem, quibus rebus etiam jure nequeas in artem calumnias irrorare: Sed quid mirum? ex fornulis quandoque non lucrum provenire, ſed ſæpe detrimenta, quando etiam in fodinis id ſæpe noſtra tempeſtate contigerit, item vetuſtati. Unde illæ Demetrii Phalærei in quæſitores auri per terræ cavernas falſa reprehenſio, quòd manifeſta pro incertis prodigunt, nec eorum quæ ſcrutantur facti compotes, quæ poſſidebant perdidere. Verùm utut adſint omnia quæ paraveris magno ſtudio, magna impenſa, quæ votis etiam omnibus concupieris, *niſi adſit Divinum decretum, fruſtrà laboraveris.*

Videre licet in operibus naturæ hoc ipſum, quandoquidem in conceptibus origineque mortalium, propter conditiones varias fœmineæ ſterilitatis, inutiliſque maſculini ſeminis, plurimæ quoque eſſe poſſunt cauſæ quibus fiat abortus, & præter illas eſt neceſſarium divinæ propoſitum voluntatis ut in lucem prodeat infans qui deliteſcebat in utero. Quantò magis illud idem conſpirari dabitur in artis effectibus. Ad ſummam, nulla eſt ars nixa conjecturis quæ ſemper ſtata ſit & immobilis; nec ulla eſt tam certa, tam inconcuſſa, quæ magna ex parte mutationi materiæ non ſit obnoxia, omnino verò ſubjecta divinæ voluntati. Quæ ſi tibi in auro conficiendo faverit, ab omni mentis elatione cupidi neque caveto, nunquam non formidans, *ad beneficium tibi id ſit conceſſum, non ad pœnam?* & ſæpè cogitans illud Auguſtini non minus verum quàm elegans elogium: *Quòd multa Deus negat propitius, quæ concedit iratus.* Quare primùm Deo gratias immortales habeto, & quod fieri poteſt referto: deinde omni modeſtia illud accipito cœleſte munus eoque & ſanctè, & piè utere, ad Sanctiſſimæ Trinitatis quæ unus eſt Deus, honorem & gloriam, atque ad propriam & aliorum hominum utilitatem.

FINIS.

LIBRI

LIBRI III. SECTIO III.

Quâ Autores *qui ab ipso* IOANNE GRASSEO CORTALASSEO *ad hæc noviſſima uſque tempora ſcripſerunt concluduntur.*

SUBSECTIO PRIMA.

ARCA ARCANI ARTIFICIOSISSIMI *De Summis Naturæ Myſteriis*, JOANNIS GRASSEI *aliàs* CHORTALASSEI, *Iurium Doctoris & Vrbis Stralesundenſis Syndici & Philoſophi inſignis, noſtri Sæculi*

Conſtructa

Ex Ruſtico ejus Majore & Minore, & Phyſica naturali rotunda per Viſionem Caballiſticam Chemicam deſcriptam.

In gratiam Filiorum Artis, & mirabilium Divinorum Operum Veritatis teſtimonium.

Benedictio eſt ab eo qui eſt Principium & Finis.

SANCTUS Apoſtolus Jacobus inquit cap. 1. Omnia bona dona & omnia perfecta dona deſuper veniunt à Patre Luminis, apud quem non eſt mutatio luminis & tenebrarum. Paulus quoque inquit 1. Cor. 3. Ego plantavi. Apollo irrigavit, ſed Deus dedit incrementum.

Alanus Phil. Fili pone cor tuum potiùs ad Deum, quàm ad Artem, hæc enim eſt donum Dei, qui illam dat cui vult, ideoque animi tranquillitatem, & gaudium in Deo habe, & artem habes.

Alphidius. Fili, ſcias te ad Artem hanc pervenire non poſſe, niſi cor & animum tuum erga Deum purgaveris, & ipſi placatus fueris. Si tunc Deus videbit te apertum & bonæ voluntatis animum habere, ex gratia permittet, ut ſuper artem iſtam domineris.

Dionyſ. Zachar. fol. 69. Hoc te decebit, ut primùm cum patientia & conſtantia impertæſus Philoſophos legas, prius quàm manum ad laborem extendis, & à Deo grariam & intelligentiam obnixè roges, nemo enim per fortunam aut fortuitò hanc artem aſſequitur, ſed potiùs per preces quàm per alia media. Media tamen etiam ſunt uſurpanda.

Rex magnus & Philoſophus Hermes in Libro de Unitate Entis. Dirige animum tuum totaliter ad illud quod eſt ſupra te, attolle alas intellectus tui ad ſuperioris ſubſtantiæ fulgorem, & intueberis intùs & extùs innumeras & ſummas ejus pulchritudines atque aliud lumen, omnia alia lumina ſuperans valdè miraberis, & actiones mundi non curabis, mortem præmaturam ante præfixum tempus in corde tuo tibi optabis, & corpus tuum mortificabis: Animam tuam renegabis & odio habebis. Tunc Regem omnium Regum, & Deum gloriæ pulchris hymnis celebrabis & verbum patris, quod nos tam impensè dilexit, & patris cor eſt, ex toto corde & ex tota anima adorabis & diliges & tantum theſaurum admirando glorificabis & laudabis quod tandem communionis divinæ particeps factus & abundanti gratia fuiſti ſuperfuſus. Cui ſit laus & honor in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

Hæc teſtimonia, hunc in finem hic inſerui, ne quis proprio conatu ſolo (quocunque medio fiat) ſe hoc opus confecturum præſumat. Nam ante omnia ad Deum preces fundendæ ſunt, quia ſumma res eſt; quam Deus poſt hominis animam creavit, quæ ſpeculum eſt omnium ſuperiorum & inferiorum, in quo eſſentia Divina cernitur. Hæc res eſt Mercurius vitæ ſine quo nullus homo, nec herba vivere poteſt. Vide Clangor: Bucc. fol. 475. princ fol. 468. in fine fol. 247. Ideoque mi Amice, & Frater in Jeſu Chriſto quicunque fueris, apud quem hoc ſecretum ex Charitatis Chriſtianæ impulſu depono, Deum timendo ſemper præſentem reverere, Philoſophos, non verò Sophiſtarum ſcripta lege, cum patientia labora, & mira videbis. Et cùm adeptus fueris, noli abuti, ne tacitis pedibus ultio divina te inſequatur. Inſuper fideliter ſilentium cole, niſi felici rerum tuarum ſucceſſu carere velis. Hoc negotium tibi ergo commendatum habe, cujus rationem in noviſſimo die redditurus eris.

Potentiſſimus & ſapientiſſimus Rex Geber cap. 12. part. 1. Summæ perfectionis ita ſcribit. Quicunque principia ſeu cauſas, metallicæ productionis non intelligit, is ab arte noſtra eſt ſegregatus, quia fundamentum radicale, cui propoſiti ſui certitudinem ſuperſtruat, non habet. Quod à præſtantiſſimo Philoſopho Arnoldo de Villa Nova ſequentibus verbis confirmatur: Qui ſimplicem & à natura compoſitam radicem mineralium non intelligit & neſcit, is quoque principia naturalia metallicæ productionis ignorat, unde ſequitur quod etiam ipſam artem neſciat. Qui ut præſtantiſſimus Philoſophus & magnus Ariſtoteles ait neceſſariò etiam operis finem non aſſequetur.

Horum ſapientiſſimorum virorum fundamentalia & admonitoria dicta ad propoſitum noſtrum

faciunt

faciunt. In illo loco enim de benedicti Lapidis nostri materia loquitur ut Rosar. major. fol. 29. explicat, omnem videlicet errorem inde oriri, quia scaturigo & fundamentum veri lapidis coram ipsis est absconditum, illumque qui verum principium nescit, nunquam ad optatum finem perventurum. Qui enim quid quærat non scit, quid inventurus sit quoque ignorat. Ideoque illi qui absque vero fundamento quærunt, semper in dubio hærent, donec Deus alia media quod rarò fieri solet ipsis monstret.

Quia igitur omnes Philosophi quemlibet qui hujus divinæ artis mysterium præparare conatur, fideliter monent ut ante omnia ad seriem, causam seu cursum naturæ attendat, quomodo & ex quibus rebus natura radicem metallicam generet & propaget, quam artifex Simiæ instar imitari debet: Ars enim partes ejus essentiales veras, in fundamentali principio facere nequit quia natura jam illas à se factas in parato habet: neque etiam ut artifex illas faciat opus est, ut dicemus, quia naturæ non magister sed minister est, cui inservire & opitulari debet: Natura enim in terra tam citò purum ab impuro separare non potest, sicut artifex facit extra terram, apprimè enim necessarium est ut sulphur fœtidum à nucleo suo separetur, sicuti ex sequentibus apparebit. Quare hoc tibi curæ esse debet, ut admonitionibus Philosophorum locum des, cum de modo loquuntur quo natura metalla generat in terra, quam quemlibet artificem imitari oportet: Omnes enim Philosophi clamant, naturam sequere, nam quælibet res, suum simile producit, contrarium verò suum odio habet. Hinc Rex & Philosophus Hermes inquit. Nulla res extranea, quæ non ex materia metallorum est orta aut composita, potestatem habet metalla faciendi aut transmutandi.

Idem Comes Bernhardus testatur fol. 20. Quælibet substantia habet suum proprium semen, ex quo nascitur, & per suum semen solum multiplicatur, & non per aliud quiddam & fol. 21. subjungit, metalla ex proprio suo semine nasci & multiplicari.

De Arcano Artificiosissimo in genere.

Hic consultum censeo ut totam seriem generaliter tractem, priùs quàm de hac re & suis requisitis aliquid dicam, deinde verò in specie secundùm promissi mei exigentiam sermonem instituam. Ex generalibus enim specialia facilius cognoscuntur.

In hujus autem secreti divini, & summæ artis descriptione, quæ Philosophiæ naturalis mysterium „ est, præcipua res benè est consideranda, subje- „ ctum scilicet seu materia Philosophis Chaos im- „ purum dicta, quam natura ad formam metallicam „ quidem adduxit, sed impuram reliquit, quæ arti- „ fici absque calore excessivo est purificanda. Quamprimum enim externus calor internum superat, metallicus calor internus avolat, nec in corporibus mortuis acquiri potest, quod in omnibus metallis videre est, illa enim omnia mortua sunt, quia vita sua in igne privata fuerunt, unde debilia, & viribus suis exuta sunt.

Tota prima operatio seu actio usque ad compositionem nihil aliud est, quàm materiæ sublimatio seu subtiliatio ut dicemus, de qua Hermes dicit, spissum fac subtile. Hac occasione Philosophi propter imperitos, ex ista actione diversa capita constituerunt, ut sunt purificatio, sublimatio, solutio mundificatio, subtiliatio, quæ omnia nihil aliud in fundamento sunt, quàm sulphurei fœroris purificatio, & corporis in sal metallorum seu in aquam Philosophicam reducendi, solutio, quod post extremam suam mundationem, pulchritudine, puritate, virtute & excellentia sua (habet enim adhuc in se spiritum suum quo aurum & argentum destituuntur) longè aurum & argentum vulgare superat.

Quando Mercurius iste purificatus seu Sal metallorum cum suo simili compositus fuerit, tunc aqua seu Mercurius, ut terram solvat est occupatus, ut terra in aquæ subtilitatem ingrediatur, quod etiam in effectum ducitur, cùm natura & proprietas aquæ, terram absorpsit & vicit: Posthæc terra, ascendendo & descendendo in aquam vicissim agere incipit, & in crassitiem redigere atque figere conatur, ut in omnis generis igne permanenter subsistere possit, quod tunc fit, quamprimùm aquæ proprietas est superata. Nam valdè magna pars magisterii nostri consistit in solutione corporis in aqua (quæ omnia post factam compositionem fiunt.)

Hoc Philosophi putrefactionem seu corruptionem vocarunt, sine qua circularis transmutatio metallorum fieri non potest (teste Zacharia fol. 78. §. Quamobr.) Corruptio enim unius est generatio alterius, inprimis verò si talis putrefactio aut corruptio, & generatio ortum suum ex uno eodemque principio & origine traxerunt. Omnia enim metalla ut prolixè demonstrabimus ex una radice oriuntur.

Lapis sapientum ex vili re oritur, nihilominus tamen ex illo fit præstantissimus thesaurus, ex sperma te scil. nostri auri, quod per conjunctionem seu compositionem in Mercurii matricem projicitur. Tunc ista est materia proxima ex qua tam pretiosus thesaurus fluit.

Proxima materia (cùm videlicet natura primùm partes requisitas in terram attollit) est humiditas naturalis activa, quæ ab utraque parte, aut ab utroque parente in compositione seu conjunctione ipsorum conjugali, in altum attollitur: Sola enim ista humiditas radicalis, aut vapor corporis & spiritus sunt lapidis partes essentiales: adde quod ex duabus naturis, tertium nasci nequit, nisi operatio agentis & patientis sit conjuncta.

Hinc sine omni dubio sequitur, subjectum aut materiam Elixiris seu summæ Medicinæ, quæ imperfecta metalla transmutare & perfecta facere potest, ex rebus simplicibus (quæ ex fontibus & scaturiginibus primorum mineralium originem ducunt) extrahi & enucleari oportere. Neque enim ex ulla re totius mundi, quàm ex sola materia minerali ex qua omnia metalla oriuntur hoc subjectum elici potest. Ex qua re autem metalla suum principium habeant, in speciali metallorum genera- „ tionis commemoratione patebit. Omnium enim „ Philosophorum consensus & voluntas hæc est, ut „ solummodo interna vera pura & simplicia ele- „ menta accipiamus, & cum leni calore humido „ coquamus, si alio modo fiat, nullius momenti „ opus fore hisce verbis dicunt. Accipite purissimas, recentissimas, clarissimas, proximas & optimas res ex nostro metallico ære & extollite illas usque ad montium cacumina vel usque ad astra cœli & reducite illas rursus usque ad radices suas, & omnia peracta erunt, & sic unius rei rectificationem inveniſtis, quomodo autem hoc fiat in speciali explicatione sublimationis dicetur.

Quicunque ergo tincturam sapientum cum fructu vult parare, is radicem mineralium priùs cognoscat. Ex hac enim summum opus perfici debet,

quia

quia cognitio Originis corporum & naturarum, est scientia ejus rei, quæ hanc rem facilem reddit. „ Hæc tinctura aut medicina quoque ex rebus cor- „ poralibus, quas natura in formam metallicam „ deduxit, & quæ cum illa natura convenerunt, „ & conformitatem contraxerunt, commodè & in primis desumi potest, de quo in Philosophorum dictis sequentibus sufficiens & clarior demonstratio fiet.

Tinctura ista inquam æquè in corporibus quàm in talibus naturæ spiritibus inveniri potest, quia ambo unius naturæ & proprietatis esse comperta res est, excepto eo, quod prædicta tinctura ex corporibus paratu difficilior, ex spiritibus verò facilior & proximior, non tamen pro corporum imperfectorum transmutatione perfectior est. Quia utraque via alba & rubra (pro ratione fermenti seu agentis quod Mercurio nostro adjungitur) ex una radice & fundamento sunt. Teste Morieno, qui dicit, opus album æquè atque opus rubrum ex una re perficitur, est enim tantum unus lapis & una operatio: Nam per ignis coctionem in uno vase materia in lapidem album vel rubrum, fixum & incombustibilem lentè & tardè digeritur & perficitur. Interim hoc maximè hic observandum ut forma magni Elixiris de potestate & virtute proximæ suæ materiæ, in qua virtus illa à natura est plantata, sumatur.

Insuper notatu digna res est; Ne in secunda operatione aquæ aliquæ peregrinæ aut pulveres in lapidis conjunctionem ingrediantur. Zacch. fol. 103. Nulla enim res cum alia re meliùs convenit, quàm quæ illi propinqua est de sua natura atque proprietate. Et si quid peregrinum ei additur, tunc in fine operis, illud quod intendebas non fit, sed aliam formam & operationem sortietur. Nam nullius rei vera generatio fieri potest, nisi ex illa re, quæ suæ est naturæ & proprietatis: Natura enim mutationem non recipit nisi in sua propria natura. Natura in sua propria natura lætatur, & appetitum habet ad suam propriam naturam.

Natura naturam amplectitur, & se cum illa conjungit, regit, confortat, generat, promover, vincit, secum retinet, renovat, auget, dealbat, rubificat, tingit & exaltat suam propriam naturam & substantiam, quod Bernhardus Comes Trevisanus & alii Philosophi testantur.

Porrò necesse est, ut crassæ, impuræ & terrestres partes elementorum per quas comburuntur & corrumpuntur, per præparationem aut separationem tollantur, & à pura substantia metallica totaliter separentur, aliàs enim corpus metallicum non facilè à sua impuritate, quæ ipsi ex vitio naturali accessit, liberari & solvi potest. Oportet enim, ut forma metallica tollatur, quod per lenem coctionem, digestionem, solutionem & coagulationem fit, ut in puram quintam essentiam, aquam Mercurialem, aut salem cristallinum metallorum convertere queas. Quod nihil aliud est, quàm purum & incombustibile sulphur; quod non urit, quia tantum est purus & naturalis calor, cui humiditas naturalis est infusa. Ignis enim lenis paratus, talem habet proprietatem, ut partes conjungendas arctiùs per minima, hoc est, ut aquas cum aquis intimè & inseparabiliter permisceat & coarctet, contrarias verò dissipet, & prorsus consumat, & in cinerem inutilem convertat. Hæc est causa, quod Philosophi urgent, ut exterius in interius, & interius in exterius vertatur, ut sic habeamus artem, Hoc est, ut partes crassæ terrestres combustibiles, sulphureæ, quæ exteriori parti materiæ inhærent & apparent, per singularem artificis industriam rollantur: Et ut interior clara & purissima, à principio in prima radice, naturæ insita, per partium plurium corrumpentium separationem extra veratur. Hoc est, quod interiùs absconditum est, in lucem edendum, & quod exteriùs apparet, tanquam inutile est rejiciendum. Hoc industrio artifici facu facile est & possibile, quia cujuslibet rei intrinsecum, semper extrinseco suo contrariatur. Talium rerum contrariarum unus idemque est processus, quæ cùm sibi invicem opponuntur, tantò melius & citius cognoscuntur & elucescunt. Ars Philosophica non opus habet singulari quâdam viâ, (prout multi arbitrantur, ad hanc artem novum aurum vel argentum quoddam esse conficiendum) quia natura ipsa aurum in venis terræ generare solet. Artifici nihil aliud agendum, quàm ut per instrumenta sua, solam formam Solis & Lunæ Philosophicæ, pro ratione operis sui, per Mercurium nostrum destruat, & naturam in solutione compositi moveat, ut per ignem artificialem resuscitari, & ex morte in vitam redire queat.

In artificiali coctione corporis imperfecti appri- „ mè opus est, ut externus calor mobilis in tali „ proportione conservetur, ne interni caloris acti- „ vi potentia & virtus, quæ perfectionis causa est, „ aliquem excessum vel defectum pariatur, de quo „ alibi fusius dicemus. Nam si nimium calorem sentit, spiritus vitæ avolat, & corpus suum mortuum post se relinquit, si minorem justo calorem habet, ad vegetationem seu vitam non commovetur. Intrinsecum enim suum est ignis purus sulphureus & incombustibilis, qui cum fixitatem obtinuit, Lumen naturæ vocari potest. Illud enim est splendor & forma omnium metallorum, quod omnia corpora illuminat & perficit, quod si artifex non deprehendit, multipliciter errare potest, priusquam artis scopum attingat.

Nam hoc lumen in conspectum non venit, nisi occultum manifestetur & elementa convertantur Unde Hermes sic inquit: Spiritus noster, qui omnia metalla vivificat, & qui ignis naturalis est, videri nequit, nisi per Spiritum Dei, aut hominem vivum alicui manifestetur & indicetur. Error autem iste inde proficiscitur, quia ad artem istam unica tantùm via est. Nam quicquid bonum est, inquit Rosarius, & bonum fieri debet, per unam viam tantum præparatur, & fit (quamvis una via plures circumstantias & media ante compositionem habeat, quàm altera, & opus, post conjunctionem, naturæ rursus sit committendum, quæ illud ad optatum & à Deo ordinatum finem deducat.) Quantò simplicius etiam Artifex in hoc opere procedit, tantò meliùs & securiùs agit: Natura enim simpliciter & rectè operatur, quam artifex imitari debet, quod verò malum est, multiplici viâ & non sine errore paratur: Quamprimum enim una saltem res incongrua in hoc opus ingeritur, multi errores & incommoda ex tali re unica propter extraneam & contrariam rem istam oriuntur, quia contra naturam operatio instituitur, à qua quilibet sibi cavere debet, quia vanitate laborat.

Perfectum Elixir seu Elixirium tincturæ albæ ad metalla perfecta se habet, ut potentissima forma & operatio unius rei, quæ quando materiæ imperfectorum metallorum, sibi cognatæ & proximæ in fusione conjungitur & commiscetur, illa figit, perficit & tingit in maximo & potentissimo igne constanter & permanenter. Hæc tinctura est vera, tam

hominum

hominum quàm metallorum medicina & perfectio, qua metalla tranſmutantur, homines verò exhilarantur & renovantur, Nec eſt poſt Deum aliqua medicina alia, quæ paupertatem & omnis generis infirmitates corporis humani fugare, & hominem in ſanitate perfecta conſervare poſſit, in cujus notitiam pauciſſimi hujus ſeculi Medici venerunt, quamvis multi de vera, quam ſequuntur via ſint perſuaſi.

Non eſt commodum in materia noſtra operari, quæ, ut antea dictum fuit, non eſt præparata: Præparatio enim noſtræ artis ſecretum eſt. Et præparatio ad rem activam pertinet, per quam res ad ſuum motus perfectionis & finis terminum adducitur, quod ſolummodò per prædictam operationem, motum, lumen & calorem contingit; Quamprimùm enim calor defiſit, tunc quoque motus & activitas in illa re ceſſat, quod in ovis frigefactis ab avibus derelictis videre eſt. Et quia quælibet naturalis aut artificialis operatio, ſuam temporis durationem habet, & habere debet, per quam vel brevi vel longi temporis ſpatio ad ordinatum ſuum terminum addicitur, & etiam nulla res poſt ſuam formam adeptam amplius aliquid operatur; ideoque quamprimum forma præſtò eſt, tunc motus aut res activa eſt completa; ſicque res activa ſeu operans, tanquam res in poſterum ſupercanea à materia ſeparatur.

Præter hoc quoque curæ nobis eſſe debet, ut corpora à ſua craſſitie & impuritate ſubtilientur, donec ſpiritualia, levia & pura, ſpiritus autem corporales & ſpiſſi fiant, donec cum corporibus fixi & permanentes ſint. Hinc enim veteres dicunt. Si non ſciveris corpora facere ſpiritualia, & ſpiritus corporales, nullam viam aut proceſſum habebis ad honorificam iſtam artem. Quod nihil aliud eſt, quàm ut quod ſpiſſum eſt, fiat tenue & leve, & quod leve eſt, ſpiſſum & ponderoſum faciatis. De quo Rex magnus Hermes ſic inquit: Craſſum fac ſubtile, & hoc ſpiſſum reddito. Unde facilè apparet, illud quod tenue & leve eſt dignius judicari, quàm quod eſt craſſum: quia res ponderoſæ in altum aſcendedere nequeunt, niſi prius cum rebus levibus ſint conjunctæ; & vice verſa res leves figi, aut in fundo teneri non poſſunt, niſi per ponderoſarum & craſſarum partium virtutem: Corpus enim non in ſpiritum, ſed ſpiritus ſolus in corpus agit. Ut igitur "corpus & ſpiritus in ſe invicem agere & pati poſ- "ſint, oportet ut corpora aut terra, cum ſpiritu, "id eſt, fixum & volatile in juſto pondere ſapien- "tum componantur, hac tamen conditione, ut ſpi- "ritus priùs per ſublimationem ſeu ſubtiliationem "ad ſummum uſque gradum mundentur, quo facto "ſeu qua ſolutione utriuſque ita patrata, utriuſque talis ſit commixtio, qualis eſt aquæ cum alia aqua, cujus vi tanta ſit unio, ut nulla ignis violentia aut "poteſtate poſſint ſeparari. Graduum ignis autem "bonam notitiam artifex habere debet, quomodo videlicet ignis regimen ab initio uſque ad finem operis ſit inſtituendum, niſi in vanum laborare velit, de quo infra agemus.

Projectionem quod attinet, omnes Magi & Philoſophi unanimiter nobis conſulunt, ut nullam projectionem ſuper aliquod metallum imperfectum, niſi prius ſit purgatum, inſtituamus, ne damnum incurramus, quia tinctura non ſolùm à ſcoriis ſulphureis & fætentibus accidentibus impeditur, verùm etiam quoad potiorem ſui partem infructuosè metallo ſupernatat: Tota enim artis intentio eò directa eſt, ut perfectio imperfectis metallis communicetur. Quælibet enim tinctura cujuslibet metalli tingendi à ſuo ſimili procedit (à radice enim metallica omnes procedunt) non verò à rebus extraneis, quæ ex pura ſulphuris & Mercurii ſubſtantia originem traxerunt. Hoc enim in omnibus metallis reperiri & demonſtrari poteſt, quod ipſorum materia prima una eademque ſit in virtute, & unum in alterum tranſmutandi via facilis ſit: Diſcrimen tamen aliquod in ipſorum purgatione & digeſtione conſiſtit, dum aliud alio magis vel minus a natura fuit purificatum, digeſtum & coctum. Hinc eſt, quod impura metalla per artem magis purgare, & ſi non ſatis ſint digeſta, magis digerere oportet. Hoc modo omnes partes accidentales, quæ metalla impura reddunt, per præparationis gradus ab ipſis ſeparantur, ut pura ipſorum ſubſtantia tantùm remaneat, quæ ſola, & præter illam nulla alia in perfecti metalli formam tranſmutare eſt poſſibile: Sic enim operationes rerum agentium, in præparatis rebus patientibus perficiuntur.

Porrò obſervandum eſt, tria eſſe requiſita, quæ ad Lapidis perfectionem ſunt neceſſaria, in quibus, ſi rectè & convenienter præparantur, totum artis magiſterium eſt poſitum, quorum primum eſt Lapis Solis, qui in ſemet ipſo comprehendit Leonem rubrum, ſulphur incombuſtibile rubrum. Alterum eſt Lapis Lunæ, in quo purum & incombuſtibile ſulphur dominatur. Quod in Clangore Buccinæ in turba fol. 484. ſic declaratur. In Lunari ſubjecto eſt ſulphur album, & lapis, in quo eſt noſter Mercurius, in ſe continens utramque naturam, albi ſcilicet & rubri: Et hoc eſt fundamentum totius magiſterii, in quo Mercurius noſter eſt terra, quicquid in illam ſeminatur, producit. Tertium requiſitum eſt Lapis, qui eſt medium inter duo priora requiſita, quorum amborum naturam in ſe incluſam tenet. Nam Lapis Mercurii, amplectitur utramque naturam, ut dictum fuit. Has tres ſpecies metallicas coram ignorantibus & indignis abſcondere debetis, ut ſtulti ſemper in viis ſuis erroneis perſiſtant, quia ad hoc myſterium non ſunt prædeſtinati, quod coram ipſis etiam occluſum manebit, donec Solem & Lunam in unum corpus redigere queant, quod citra voluntatem ejus, qui vivit ab æterno in æternum, fieri nequit: hæc enim ſumma ars, ſolius Dei omnipotentis ſummum temporale donum eſt, & in ejus manu ſervatur, nec cuiquam datur, niſi cui vult, quæ tamen interdum per ſummum ingenii acumen, devotas preces, diligenti & continuâ librorum lectione, & aſſiduâ meditatione, aut fidelis magiſtri manifeſtatione impetratur. Quâ in parte ego quoque per Dei gratiam ſine omni dubio dignis bonum officium præſtabo, verus enim Philoſophus Dei timens eſt, & recto tramite incedit, aut ab hoc munere planè liber manet. Hanc enim manifeſtationem non in mei, ſed in alterius gratiam, ut dicetur facere conſtitui. Deo ſummas pro abundantiſſima ſuorum mirabilium continuatione gratias ago. Et quicunque veterum codices legerit, & rectè intelligit. me in hac methodica Theoria veritatem dixiſſe, & ſacræ hujus artis principia & myſteria, ut in ſequentibus apparebit, manifeſtaſſe, inficias non ibit. Faxit æternus Deus, ut hoc donum illis tantùm detur, qui in Nominis Divini gloriam, in proximi ſalutem. & Eccleſiæ Chriſtianæ utilitatem illo uti firmiter ſibi propoſuerunt, Amen.

De Speciali Fundamento Arcani.

Jam sequuntur summa capita, in quibus verum fundamentum manifestatur, quod in usum cedere potest. Facile est, & non difficile (licet alii aliter loquantur). Summum hoc arcanum hactenus pro rei necessitate generali modo fuit tractatum: nunc sequitur specialis & fundamentalis ejus probatio & instructio. Primùm igitur generationem mineralium & metallorum declarare necesse est, ex qua consequenter demonstratio veræ materiæ aut subjecti Lapidis Philosophici cum suis circumstantiis & requisitis, & rebus inde dependentibus, declarabitur & describetur. Quæ res præcipuè ex cursu naturæ procedunt, ex quo etiam metalla & res aliæ suam originem habent, quem quoque quilibet verus Philosophus & artifex sequi tenetur. Omnes enim Philosophi, ut naturam sequamur, clamant.

Priusquam autem hoc declarare incipiam, triplicia mineralia à Philosophis statui sciendum est. Ex quibus mineralia majora sunt metalla, cùm adhuc in suo Chaote, corticibus suis, aut secundùm Theophrastum, in officina naturæ latent, hoc est, priusquam per violentiam ignis sunt fusa, & in metallum redacta.

Media mineralia sunt Marcassitæ, & omnia alia, in quibus splendor aliquis metallicus videri potest, uti est antimonium, bismutum &c. ex quibus non generatur metallum, quamvis longissimo tempore in terra laterent, non enim sunt perfectus flos aut nodus, sed tantum duo principia habent, sulphur & Mercurium, tertio verò, sale videlicet destituuntur.

Tertii generis sunt minora mineralia, salia videlicet, uti sunt alumen, nitrum, & omnis generis aliæ terræ, in quibus nulla metallica forma aut splendor aliquis observari potest. Hoc necessariò indicandum fuit, ne occasione nominis mineralis dubium oriri possit.

Jam sequitur necessaria explicatio generationis metallorum, cujus imitator esse debet artifex, quælibet enim res suum simile producit, quod in omnibus rebus animatis apparet. Ideoque sciendum est, omnia metalla ex una radice, materia & fundamento originem suam ducere, aliàs enim homogenea vel consanguinea non essent. Hoc experientia & omnes Philosophi testantur. Nullum enim stannum est, quod ante non fuerit plumbum; omne argentum priùs fuit plumbum; omne aurum priùs fuit argentum, testante Comite Trevisano, qui fol. 31. 22. egregiè generationem metallorum describit, dicendo, quod primo fiat plumbum, deinde stannum, tum argentum, post cuprum, tandem ferrum & aurum, & quod cuprum & ferrum naturæ tantum negotium facessant, causam impuritati ipsorum tribuendam esse, quam in generatione sua susceperunt; cui rei fidem lectio paragraphi allegati faciet. De hac re Dionysius Zacharias fol. 92. mentionem facit, (unde etiam mihi satis benè constat) quod in nimis maturè aperta metallifodina, argentum immaturum in forma mineræ plumbi inventum fuerit, fossores verò effossam terram seu mineram, rursus in fodinam injecisse, & per quadraginta vel quinquaginta annos digestioni commisisse, & tandem bonum argentum ex eodem loco effodisse. Quamvis autem hæc res mirabilis videatur, quia plumbum impurum, argentum verò purum est metallum, non idcircò aliter est sentiendum, nec fides deroganda, nam natura cum tempore plumbi impuritatem, experientiâ teste, exuit. Internus etiam Mercurius, sal & sulphur Saturni, quoad pulchritudinem, puritatem & bonitatem suam, Lunæ & Soli, ut infra demonstrabitur, non cedit.

Quod autem omnia metalla ex una radice ortum ducant, veri Philosophi, qui lapidis possessores fuerunt, abundè testantur, si enim artifici in sua, de qua loquitur, & quam didicit, arte credendum, multò magis tantis Magis & Philosophis est habenda fides, de quo Rex Geber, & Clangor Bucc. in turba fol. 473. ita loquuntur: Secundum veritatem sulphuris & ipsius multiplicationem diversa procreantur metalla in terris; materia enim ipsorum prima est una eademque, metalla enim non differunt, nisi propter accidentalem materiæ operationem, hoc est ratione majoris vel minoris, temperati vel intemperati caloris & sulphuris, quibus in ventre terræ dotata fuerunt Ideoque, inquit idem author, turba Philosophorum consentit. Quomodo vero hoc contingat, in capite de metallis, quomodo scilicet à natura componantur, dicetur. Turba autem Ph. fol. 576. sic ait. Philosophi tàm sublimes habuerunt cogitationes, ut inferiora corpora Planetarum, cum iis quæ suprà in firmamento sunt conjungere tentaverint, in externo scilicet splendore, lumine & puritate, quod etiam factu ipsis possibile fuit. Hoc est: quia in veritatis fundamento videbant corpora metallica tantum propter magnam aut lenem coctionem inter se differre, sed ipsorum ortum & principium Mercurium esse. Hæc causa est quod turba Philosophorum fol. 610. sic inquit, nolter Mercurius est omnia metalla. Hinc etiam Philosophi pluralitate utuntur, cum dicunt. Metalla, metallorum, metallis, cum tamen dicere deberent, ex uno metallo, aut hoc metallum. Verum quia semper sic loquuntur: Hæc metalla, ex metallis, de metallis, hoc innuere volunt; quod arcta cognatione sint cunjuncta; hinc Comes Bernhardus in sua parabola inquit, cætera sex metalla etiam sunt ex hoc fonte, id est Mercurio, sed excellentiam tantam nondum meruerunt sicut ipse. Nimis longum foret omnes authoritates & probationes allegare, ideoque lector illas ex allegatis inquirere poterit Trevis. fol. 44. Flamel. fol. 119. in fin. Arnol in Rosar. fol. 399. fol. 411. Magister Degenhardus, in suo tract. de lapide fol. 116. Holand. in lib. vegetab. in puncto Saturni fol. 112. Bern. Agn. fol. 29. Turba fol. 277. Clangor. Bucc. fol. 437. B. Agn. fol. 109. Turba 117. Secundùm hæc testimonia, res in veritate & re ipsa ita certè se habet.

Jam igitur dicendum ex qua re & quo medio natura generet metalla in ventre terræ. Sciendum igitur est, naturam in terra suos ductus & venas habere, quæ aquas salsas claras & turbulentas stillant. In metalli fodinis enim semper aquas acres & falsas destillare visu deprehenditur. Dum itaque illæ aquæ desuper destillant, (omnia gravia enim deorsum feruntur) tunc vapores sulphurei ex centro terræ ascendentes ipsis in occursum veniunt. Quod si igitur aquæ salsæ puræ & claræ, & vapores sulphurei puri fuerint, & se in occursu amplectantur, metallum indè generatur purum, in defectu autem puritatis, impurum, in quo elaborando natura mille annos circiter impendit, priusquàm illud ad perfectionem adducat, quod fit vel propter salsarum aquarum Mercurialem, vel impuri sulphurei vaporis impuritatem. Cum hæc duo in saxosis locis inclusa se invicem comprehendunt, tunc ex

illis humidus ſpiſſus & pinguis vapor per operationem caloris naturalis exurgit, qui ſedem ſuam in loco aëri inacceſſo (aliàs enim aufugeret) capit, ex quo vapore tunc mucilaginoſa & unctuoſa fit materia inſtar butyri alba, quam Matheſius GUR vocat, quæ butyri inſtar illiniri poteſt, quod ego quoque ſuper terra, vel extra terram in manu demonſtrare poſſum. Hanc materiam GUR vocatam fodinarum foſſores ſæpe reperiunt, ſed ex illa nihil parari poteſt, quia quæ naturæ ibi loci intentio fuerit, ignoratur, æquè enim marcaſſita fieri potuiſſet atque metallum.

Materia ſupradicta poſtea per longam, lenem & vaporoſam naturæ coctionem in formam metallicam ſeu maſſam convertitur, eſtque prima metalli forma plumbea, materia in qua ſemper granum fixi vel Lunæ vel Solis latet, quod ſeminis inſtar creſcit ſeu incrementum capit & ad Lunæ perfectionem properat, unde Lunaria vel ſoliſequium nominatur. Hinc Flamellus fol. 118. ſic inquit. Ut in Saturni fodinis videre eſt, in quibus nulla plumbi minera invenitur, ex qua non poſſit granum auri vel argenti extrahi. Comes Treviſanus hoc idem ſufficienter teſtatur fol. 31. 32. ubi metallorum generationes ordine collocat, & plumbo primum, ſtanno verò ſecundum locum tribuit, de qua re libri Philoſophorum ſunt referti.

Cum autem intentio mea de generatione metallorum probanda mihi ſit, quod ita fiat ſicuti antea dictum fuit, ad Clangorem Bucc. fol. 457. te remitto. Nam quodlibet horum metallorum ex Mercurio & ſulphure componitur & in terreſtrem ſubſtantiam convertitur; Ex hiſce duobus ſubtilis levis & purus vapor ſurgit, & pura indè generantur metalla beneficio caloris, qui in foraminibus terræ eſt, per hunc calorem digeruntur & coquuntur, donec materia illa in terreſtrem ſubſtantiam & naturam abeat & tandem fixitatem adipiſcitur (pro ratione commorationis ſuæ in officina naturæ) & ibidem in naturam metallicam mutatur. De hac re rectè Flamellus præſtantiſſimus Philoſophus fol. 152. ita ſcribit. Certum eſt nullam rem extraneam & contrariam imperfecta metalla perficere aut tranſmutare: Undè illi pro inſipientibus meritò habentur qui ex animalibus aut vegetabilibus in hac arte aliquid efficere conantur, quia mineralia metallis cognatione conjuncta habere poſſumus; Nam ex hiſce duobus ſolis ſulphure & Mercurio omnia metalla generantur.

Nemo autem hoc in loco dubius fieri debet quod de duobus ſulphure & Mercurio fit ſermo, ſale omiſſo, nam in aqua Mercuriali ſal eſt abſconditum, & facili negotio aqua in ſal metallorum converti poteſt, & viciſſim ſal in aquam. Præterea facta etiam eſt mentio, metalla ex aqua ſalſa vitriolica & vapore ſulphureo generari, vide ergò de hac re Semitam Semitæ in Turba fol. 475. ita dicentem. Attende & intellige. Mercurius, filius omnium metallorum imperfectus in ventre terræ coquitur, & per ſulphureum calorem aut vaporem digeritur, & pro ratione ſulphureitatis iſtius, id eſt quatenus ſulphur purum vel impurum eſt etiam diverſa metalla generantur, quorum materia prima tamen una eademque eſt, & hæc de cauſa tantum diſcernuntur, quia unum altero plus vel minùs eſt coctum vel per ſulphureum vaporem aduſtum, qua ratione diverſam habent generationem, in quo omnes Philoſophi conſentiunt. Nimis longum foret, omnium Philoſophorum teſtimonia verbotenus allegare, quia omnes in hoc conſentiunt, de quo vide Bernhardum in allegaris locis. Item Turbam fol. 495. 356. 476. Famel. fol. 183. Clangor. Bucc. fol. 473. Turbam fol. 411. verb. Ideoque fol. 569. in fine fol. 31. 32. 40. 44. Magiſt. Degenhard. fol. 122. Rich. Angl. fol. 127. 310. 579. Roſinum fol. 278. Arn. in flor. flor. fol. 475. in fine. Turbam 158. 159. 160. Famel. fol. 152. In ſale metallorum omnia latent, corpus, ſpiritus, anima, ſulphur & Mercurius. In hujus rei teſtimonium Hermes dicit ſal metallorum eſt lapis Philoſophorum. Et qui habet ſal metallorum ille habet ſecretum ſapientum antiquorum. Horum & cæterorum omnium ſententia eò collimat, omnia metalla ſcilicet ex Sulphure & Mercurio in quibus latet ſal, generari, quod eſt certum & verum.

Poſtquam igitur modum locum & proprietatem ſufficienter declaravi & probavi, ex quare metalla generentur, & quia quilibet artiſta illa ſequi neceſſe habet, conſequens eſt ut illi recta & vera materia etiam indicetur & deſcribatur, ut naturam imitari queat? In hoc enim omnis cardo vertitur, fruſtranea enim res eſt ædificare & materiâ, ex qua ædificium ſtruere cupio, carere. Hic autem aliquis objicere & dicere poſſet. Materiam quidem, mihi indicare & monſtrare potes, ſed quis ſcit an vera ſit materia nec ne: Et an poſſibile ſit ut metalla quoque creſcant & multiplicari poſſint. Cum itaque in hac quæſtione multum ſitum ſit, (nominatione & explicatione materiæ relicta) ſolidis argumentis & fundamentis illam priùs volumus declarare & demonſtrare.

Sapientiſſimus Arnoldus de villa nova in libro Flor. flor. primum irrefragabile argumentum & probationem hiſce verbis ponit. Quicquid creſcit etiam augetur, quod in arboribus frumento & aliis rebus videre eſt: Jam autem metalla creſcunt; Ideoque etiam ut aliæ res multiplicari poſſunt. Quod autem metalla creſcant experientia ut ſupra dictum fuit, teſtatur. Quod videlicet fovea mineralis, ſuâ terrâ rurſus impleatur & naturæ ad creſcendum committatur. Huic ſacra pagina ſuffragatur. Cum Deus omnipotens ipſe in opere creationis omnibus rebus multiplicationem per verbum ſuum inſinuat, dicendo Gen. 1. Quælibet res producat ſuum ſimile, & multiplicet ſe in illo', de quo nullum eſt dubium. Inſignis quidam Philoſophus veri lapidis poſſeſſor Dionyſius fol. 78. ita ſcribit. Quicquid ad perfectionem eſt prædeſtinatum, & ex coctionis defectu imperfectum manſit, hoc per ſubſequentem coctionem ad perfectionem adduci poteſt. Imperfecta metalla ad perfectionem ſunt prædeſtinata. Ergò etiam per ſubſequentem continuam coctionem aut digeſtionem ad perfectionem adduci poſſunt. Hoc argumentum principaliter ad noſtram materiam pertinet, illa enim quoque à natura imperfecta relicta fuit, huic defectui ut artifex cum purgationibus & coctionibus ſuis ſuccurrat neceſſe eſt.

Tertium argumentum certitudinem tranſmutationis, quoad tincturam ſcilicet, concernit. De qua Ariſt. lib. 4. meteor, & Zach. fol. 79. Item Comes Bernh. Alb. Magnus & Avicenna, ſic ajunt. Alchymiſtæ nullum metallum in ſe invicem tranſmutare poſſunt, niſi prius in primam materiam reducant. Reductio autem in primam materiam poſſibilis & facilis eſt, undè ſequitur tranſmutationem quoque poſſibilem & facilem eſſe. Commodum foret de reductione in materiam primam hic plura addere, ſed cum Ruſticus meus, id eſt Tractatus meus de hac re ſcriptus, ſufficiens ſit, & de hac re

aliorum

aliorum Philosophorum libri referti sint, ad illos vos relego, inprimis verò ad Comitem Bernhardum fol. 17. 18. 19.

Hæc doctrina notatu certè dignissima est. Multi enim insignes viri in hac re errant, putantes, se materiam primam habere, cum Mercurium Philosophorum aut Sal metallorum nacti sunt. Nam tum demum sit materia prima, cum Conjunctio viri & mulieris est facta, teste Comite Bernhardo fol. 21. in fin. fol. 22. in princ. ubi dicit. Tum demum ista Conjunctio dicitur materia prima & non priùs, Lapidis videlicet & omnium metallorum, de quo vide Turbam fol. 415. 394. Nam priusquàm hoc fiat, ex naturæ fundamento & bonis rationibus, Animalia & Vegetabilia tanquam res extraneas & operi nostro contrarias & inutiles meritò rejicimus & lapidem nostrum rectè inter mineralia ponimus quia omnia metalla in minera vel ex illa per fusionem vel per alia media extrahuntur & purgantur, nisi fortè solida inveniantur, tunc enim pullorum instar ex ovi testa exiissent)

Cum vero triplicia mineralia esse supra dixerimus majora, media & minora, quæstio oritur, ex quibus materia nostra depromi debeat, aut ut propiùs ad rem accedam, quænam sit nostra materia aut minera metallica: Quod verò metallica sit & metallicam esse oporteat, postea probabimus, quælibet enim res suum producit simile, & in suo simili lætatur & contrarium suum odit. Philosophi in materiæ veræ nominatione & descriptione variè loquuntur. Ex quibus Flamel. fol. 152. in fin. sic ait. Hoc præcipuè absconditum est, ex qua materia minerali lapis noster fieri debeat, sed partim adeò sunt occlusæ, partim quoad materiam exiguæ, & ut plurimum adeò impuræ, ut multi in hoc puncto desperent. Clangor Bucc. fol. 428. ait, se duas tantum drachmas ex una libra pro opere facientes obtinuisse. vide etiam Arnold. de Villa Nova in Rosar. 404. Item Zach. fol. 433. fol. 92. fol. 150. Sunt enim inter hæc mineralia quædam, quæ à natura melius sunt dépurata, cocta & digesta, & illa operi nostro sunt viciniora commodiora & meliora, quod chare amice noveris: Nam quod natura fecit, ego facere non teneor, quia lucro mihi cedit.

Præter hæc etiam hoc te scire volo, quod ex omnibus metallis fieri possit lapis Philosophorum, inprimis cum adhuc in minera sua latent, quamprimùm autem igni committuntur, tunc spiritus tingens abit & corpus suum post se mortuum relinquit. Hinc Rosarius fol. 209. inquit. Lapis noster res est aut materia, quæ in ignem nunquam est ingressa. Ego cum spiritu corporali, qui ex metallis avolat, venerem in uno oculi ictu in solem apparenter tingere possum, sed nulla in ista tinctura est fixitas, quia tantùm volatilis spiritus est: Nihilominus tamen possibilitas in illo spiritu videtur. Si enim hoc in cruditatis suæ statu præstat, quid quæso faciet, cum opus per artem erit exaltatum. Sed defectus tamen hîc subest, quia quædam metalla vinculis nimis strictè ligata, quædam nimis impura & soluru difficilia sunt. Quamobrem Philosophi proximiorem & faciliorem viam elegerunt & illas materias quæ facilioris sunt solutionis acceperunt, in quibus primum Ens & vis generativa & multiplicativa abundè adhuc inest, ut tanto citius finirent. Nam cum materia in omnibus metallis una eademque sit, cur quæso in resolutione unum atque alterum annum laborando consumerem, cum in simili materia ad summum quatuor quinque aut sex septimanarum spatio scopum meum attingére possim, quia eandem materiam in brevi æquè atque in longo tempore obtineo. Rem ita se habere celeberrimus Philosophus Avicenna fol. 433. his verbis testatur, Sciendum est, unum metallum præ alio facilius ad faciendum Elixir adhiberi posse. Item Turba fol. 404. in fin. Dico omnia metalla in suo intrinseco aurum & argentum esse, quod cuilibet qui hanc artem novit, non est incognitum. Flamel. 120. multo clariùs loquitur. Quod ex omnibus metallis modo in igne non fuerint, Lapis confici possit, in luna, inquit, etiam invenies si in illa quærere voles, certiùs autem in plumbo, stanno & cupro: ego verò ait idem author inveni in auro (non in auro vulgari subintellige) quæ omnia eo sensu accipienda sunt, si ignem non viderint.

Differentia quam Comes Trevisanus inter metalla facit fol. 16. in fine, in his verbis consistit. Relinque seu mitte omnia mineralia (media & minora mineralia intellige) & etiam metalla sola. Hanc voculam Sola maxima artistarum pars non intelligit, quâ tamen omnis comprehenditur differentia. Quando enim metalla per ignem transeunt, & per fusionem in formam seu massam metallicam rediguntur, tunc sola sunt, quia spiritum suum tingentem amiserunt & mortua sunt; Præterea etiam unum corpus ab altero separatur, rarissimè enim aliquod metallum solum reperitur, quia Venus & Luna libenter sociantur: Item Luna & Saturnus: Similiter Luna & aurum &c. Hæc corpora composita deindè ab Artistis ulteriùs vexantur dum unum corpus ab altero, Venerem à Luna, Saturnum à Luna & Lunam à Sole segregant, adeò ut tandem metalla impotentia, enervata & mortua ficque Sola corpora maneant, & nihil possint, inprimis verò Sol non plus subministrare queat quam habet, unde meritò sola esse dicuntur, quia corpus, anima, & spiritus non ampliùs unà sunt, spiritus enim corpus suum reliquit, anima quoque enervata est & debilis facta, ut impossibile sit aliquid ex ipsis efficere. Propiùs ad scopum accedamus. Supra de mineralibus triplicibus dictum fuit, majoribus, minoribus & mediis scilicet: Minora id esse non possunt de quo est sermo; sunt enim tantùm salia: Neque media mineralia, quia tantùm sunt marcassitæ, & solummodò duo habent principia, ut suprà dictum. Imò omnia mineralia quæ metalla non ferunt, quin & ipsa metalla, quæ à vita sunt separata, à Comite Trevisano rejiciuntur.

Sed hîc dicat aliquis. Tot & tanta sunt mineralia, quæ metalla proferunt, quis verò mihi dicat, quænam sint proximiora & optima ex quibus facile materiam nostram aut Mercurium Philosophorum obtinere possim. Hanc quæstionem Philosophi ipsi declarant, cum dicunt, nos talem mineram aut materiam accipere debere, in qua natura inceperit metallum procreare, & quam natura in metallicam formam & splendorem adduxerit, sed imperfectam reliquerit. Talis materia accipienda est. Supra de generatione metallorum dictum fuit: Naturam primò minerale plumbum creare, ut Comes scribit. Primum est Saturnus, & deindè Jupiter, Quia verò de his aliquis dubitare posset, ideoque intentionem meam solidè probabo, & materiam veram proximiorem declarabo, ne quisquam illam in dubium vocare possit, intellectum itaque vestrum pandite, & oculos mentis vestræ aperite, orate, & benè comprehendetis, nam quid mihi ratione materiæ acciderit, hoc in tractatu de Rustico videre potestis, nec quilibet illud tàm citò capere potest: Sed hîc liquidæ veritati quàm clarè fieri

poteſt ſtudebo. Deus vos tranquillos faciat ne alii cuiquam, aut indigno hoc patefaciatis *Amen.*

Supra promiſi me monſtraturum, quod lapis noſter benedictus tantùm ex radice metallica oriatur, & corpus metallicum eſſe oportere, ſi ſimile ſuum producere, impura metalla rectificare, ſanare & tingere debeat; quæ doctrina ad illum finem facit, ut hanc rem non in animalibus & vegetabilibus quæratis. Quamvis noſter lapis etiam animalis & vegetabilis ſit: Nam cum in aquam eſt ſolutus tunc aquam vegetabilem vocant, proprium enim corpus vegetat ſeu creſcere facit. Animalis autem eſt, quia animam habet, uti Zacharias & alii explicant. Hæc eſt vita ſua quæ à metallis vulgaribus ex igne avolat, & tunc mortua ſunt, quia ſpiritualis ſubſtantia ipſorum aut tinctura, quæ tingere debet perdita eſt: Corpus enim aliud corpus tranſire & tingere nequit, ſpiritus vector ſeu auriga eſt cui hoc munus incumbit.

Quod verò radix iſta metallica eſſe debeat, ex Roſar. magno fol. 231. probatur cum dicit. Mercurius Philoſophorum eſt is, in quo natura parum laboravit, aut in metallicam formam ſeu ſpeciem adduxit ſed imperfectam reliquit. Idem Roſar. fol. 252. Noſter Mercurius non quilibet eſt, ſed is in quo natura ſuam primam operationem, ad finem perduxit, & in naturam metallicam collocavit, ſed imperfectam reliquit Idem fol. 394. Hic ſolus quia metallicus eſt, in ſe continet quicquid ad opus eſt neceſſarium. Clangor. Bucc. fol. 476. Epimidius philoſophus in Turba: Per calorem temperatum ex materia metallica viſcoſa quædam & glutinoſa, ſed ſubtilis tamen materia extrahitur, hæc eſt ſublimatio Philoſophorum, ſicut Hermes dicit. Craſſum fac ſubtile & hoc ſpiſſum reddito. Terreſtreitatem benè mixtam & bene purgatam Elixir vocant, (id eſt medicinam generalem pro hominibus, brutis, arboribus, metallis & herbis) per quam metalla tranſmutantur. Authoritates & teſtimonia omnia hic inſerere nimis longum foret, ex quorum numero quædam tantùm allegabo, quæ inveſtigare & legere poteſtis. Arnold. in Roſar. 405. Flamel. fol. 137. Clang. fol. 475. Recipiamus. Flamel. fol. 141. §. Lapis Turba fol. 155. fol. 433. Sed ſciendum. Treviſ. Comes fol. 21. f. 35. Hæc ſufficiunt ad tollendum omne dubium & ad confirmandum quod materia lapidis habeat metallicam formam ſeu ſpeciem, quæ per ſolutionem ei adimitur, ut dicemus. Nam quia metallicum corpus eſt, tingere nequit, ideoque per ſublimationem phyſicam in ſpiritualitatem adduci opus habet, ut corpora tranſire & tingere poſſit.

De Conſenſu Philoſophorum.

Jam ſequuntur Concordantiæ quibus probabo, illam quam nominaturus ſum proximam eſſe lapidis noſtri materiam. Et quaſdam nominabo quarum una proximior eſt alterâ.

1. Priùs tamen textum recitabo per quem oculi intellectus per miſericordiam divinam mihi fuerunt aperti, qui in Flamello extat fol. 118. Quando Mercurius metallorum in principio parùm tantùm congelatur, ſtatim adeſt ipſi permanens auri granum, quod ex duobus ſeminibus (ſulphure pingui & ſale) veriſſimum ramum noſtri Mercurii producit & generat, quod in plumbi fodinis videre eſt, in quibus nullum invenitur plumbum ex quo permanens auri vel argenti granum elici nequeat.

2. Prima enim Mercurii congelatio eſt Saturni minera, in quâ natura illum collocavit, quod etiam Comes Bernhardus teſtatur fol. 31. Hoc ſine omni dubio & errore, in ſua perfectione verificari poteſt, hâc tamen conditione ut hoc fixi granum adhuc in Mercurio ſuo lateat, & nullatenus à minera ſua ſeparetur. Si enim per ignis violentiam extrahitur & in argentum convertitur, nullius amplius pretii erit. Cùm enim metallum aliquod in minera ſeu officina ſua adhuc latet, Mercurius eſt, à quo ſi fuum granum fixi ſeparatur, idem eſt ac ſi quis pomum immaturum ex arbore decerpit, quod perditur & nulli uſui eſt: Nam fixi granum pomo, Mercurius verò arbori aſſimilatur, fructus autem ab arbore non eſt ſeparandus, non enim aliundè quàm à Mercurio ſuo nutritionem habere poteſt. Hic textus adeò perſpicuus eſt, ut illum ſimpliciſſimus quiſque intelligat. Hic textus inquam prima per Dei gratiam mihi inſtitutio fuit, ex quo veriſſimum fundamentum deſumi poteſt, omnes enim Philoſophi, talem materiam accipi debere ſcribunt, in qua natura initium fecit, & in formam ſeu ſpeciem metallicam deduxit, ſed imperfectam reliquit. Hoc idem hoc in loco dicitur: Nam prima forma metallorum eſt plumbago, quod etiam Comes Treviſanus teſtatur inquiens. Primum eſt plumbum non tamen plumbum vulgare putat, hoc enim, ignem eſt expertum & ſpiritum ſuum hoc eſt vitæ virturem perdidit, qui etiam in momento cuprum in ſpeciem auri tincturam, ſed non permanentem tingere poteſt: Cujus ratio hæc eſt quod natura totum corpus primùm in metallicam naturam deducere incepit & imperfectum reliquit; Poſſibilitas tamen naturæ ex hac tinctura obſervatur, ſi enim ſpiritus crudus hoc præſtare poteſt, quid efficiet cum per artem exaltatus fuerit. Hic ſpiritus autem etiam corpore opus habet, quod eſt Luna ſeu Lunaria, in quo latet abſconditus, ſed tamen in ſale metallorum monſtrari poteſt:

3. Unde Hermes inquit: Pater ejus eſt Sol rubeus, mater verò luna alba: Lunam albam vocat ad differentiam Lunæ vulgaris: Hæc enim Luna noſtra pellucida eſt & nihilominus Luna ei ineſt, quod demonſtrari poteſt: Ab hac luna forma metallica ut ſeparetur neceſſe eſt, alioquin per minima, ut aqua cum aqua permiſceri non poſſunt, de quo plura habeo quæ dicerem, niſi brevitati mihi ſtudendum eſſet. De quo tamen in reſolutione corporis ſeu materiæ ubi ſal præparatur, fuſiùs agam.

4. Nunc alii textus ſequuntur de materia proxima lapidis. Idem Flamel. fol. 1120. In terra creſcit plumbea materia, Mercurius coagulatus. Is in carcerem conjici, deindè liberari debet, tunc pondus invenietur, aliâs difficulter. Hæc materia plumbea in vas includi & ibidem purificari debet, tunc demùm enim de ſuo pondere judicari poteſt, dum enim adhuc eſt impurus impoſſibile eſt aliquid de illo pronunciare. Ibidem. In Abbreviatione operis noſtri, in toto mundo non niſi unicum metallum invenitur, in quo Mercurius noſter in copia haberi poteſt. Saturnus, id eſt plumbum, ponderoſum & molle eſt, undè auro aſſimilatur, & aurum leproſum vocatur. Certè plumbum, quod ignem non eſt ingreſſum, inquit, eſt aurum leproſum. Hæc lepra in ſolutione ei adimitur, & adeò clarificatur, quam auri ſubſtantia clara eſſe poteſt.

5. Undè Clangor Bucc. fol. 502. ſic inquit. Minera noſtra corpus habet leproſum & hydropicum ſicut Syrus Naëman, à Reg. 4. unde ſepties in Jordano

ſe

se lavare cupit, ut à nativa sua impuritate mundari queat.

6. Flamel. fol. 119. Montem igitur conscende, ut vegetabilem, Saturninam, plumbeam & regiam, similiter etiam mineralem radicem aut herbam videas, succum inde tantum sume & siliquas abjice. In hoc textu massam hanc, regiam vocat materiam, quia in illa & ex illa aurum generatur ut dictum fuit.

7. Sed audiamus etiam quid sentiat Paracelsus & quænam sua fuerit materia. In Libro Vexationum fol. 38. ubi Saturnus de propria sua materia sic ait. Omnia sex metalla me pro suo examinatore ex societate sua excluserunt, & de spirituali loco detruserunt, & domicilium in corpore, quod vastari potest attribuerunt. Nam quod ipsi esse & habere nolunt, hoc me esse oportet. Sex fratres mei sunt spirituales ideoque quoties per corpus meum transeunt (id est cineritio probantur) unà mecum consumuntur, exceptis duobus auro & argento, quæ se cum aqua mea purgant, & superbiunt. Spiritus meus illa est aqua, quæ omnia corpora rigida & congelata meorum fratrum remollit, sed corpus meum de terræ natura est, adeò ut quicquid in me comprehendo & includo, terræ assimiletur & à nobis in corpus convertatur. Non utile esset, si mundus sciret & crederet id quod in me est absconditum, & possum. Melius esset si cum mea opera facere possent, quod mihi est possibile, omnem certè aliam Alchymiæ artem relinquerent, & illo solo quod in me est, & cum opera mea effici potest, uterentur. Lapis frigiditatis in me est, id est aqua mea cum qua spiritus sex metallorum facio congelare in septimi substantiam corporalem: Hoc est Solem cum Luna promovere. Hic textus alia explicatione non eget, quàm quod de plumbo vulgari quia in igne fuit non est intelligendus.

8. Hunc sequentem textum ex Theophrasti manuscripto excerpsi, ubi inquit: Ideo tibi dico, ut ex numero septem, ægrorum ægerrimum (id est, Saturnum) accipias. Huic opus est, ut illum in suæ purificationis balneum deducas, & illum ab eo quod contra suam voluntatem natura ei implantavit, purges. Sicque mysterium habebis.

9. Arnoldus de Villa nova in lib. nov. lum. fol. 457. sic inquit: Testor vobis, talem possibilitatem in materia latere, ex qua ego manibus meis, cujus rei oculi mei testes sunt, beneficio tamen amici cujusdam doctrinæ Elixir confeci, quod plumbum in aurum convertit. Hoc nominavi vobis, & est Philosophorum magnesia, ex qua Philosophi aurum in corpore ejus latens extraxerunt. Hæc omnia cum præcedentibus dictis concordant.

10. Magister Degenhardus Augustini Ordinis Monachus, verus Lapidis possessor, in suo Libro de Via Universali ait: Est res, quædam, quæ intùs omnibus rebus assimilatur, & in ipsa quoque omnes res terrenæ sublunares nempe sunt absconditæ. Tinctura ejus est supra omnes Tincturas. Virtus ejus est contra omnes morbos. Est Spiritus Sancti donum. In ipso latet mysterium perveniendi ad thesaurum sapientum. Et hoc est, plumbum Philosophorum, quod plumbum æris appellant, in quo splendida columba alba inest, quæ sal metallorum vocatur, in quo magisterium operis consistit. Hæc est casta sapiens & dives illa regina ex Saba velo albo induta, quæ nulli nisi Regi Salomoni se subjicere volebat. Nullius hominis cor hæc omnia satis scrutari potest. Hic Author in fine sui Tractatus inquit: Certè is vir sapiens est, qui plumbi naturam cognoscere potest. Verum certè dicit, cùm columbam albam in plumbo, id est, in metallis ignem, non expertis jacere ait. Omnes Philosophi consentiunt, quod in Saturno sit, quia solutu & apertu facilior est, ut supradictum fuit. Nucleus igitur eximendus, & folliculus abjiciendus.

11. Dialogus Philosophiæ hoc egregiè explicat folio 14. 16. Non accipiendum est illud, ex quo metalla prodierunt, verùm id quod ex metallis est extractum, quod est idem cum illo, quod in metallis est occultatum. Hoc etiam Turba rectè explicata cùm exemplum de arbore proponit. Cùm enim arbor plantari debet, non terra, vel aqua accipienda est, sed illud, quod ex arbore natum est, nucleus scilicet seu ramus, qui naturæ rursus committitur &c. Ripleus in Axiomatibus fol. 179. composita massa est plumbago, merito itaque plumbum appellamus. Proprietas splendoris ejus à Sole & Luna proficiscitur.

12. Hermes Rex magnus & Philosophorum Pater, in libro de Chaote generali cap. 10. fol. 268. num. 14. inquit: Principalis Mercurii nostri purificatio est, ut vini auxilio tollatur ab eo plumbaginea sua obscuritas & forma, ut clarus & pellucidus fiat, instar cristallini transparentis salis. Certum enim est formam metallicam tollendam esse, ut substantia spiritualis fiat, de quo in solutione loquemur.

13. Dionysius Zacharias fol. 92. dicit: Nos eandem materiam accipere oportere & debere, ex qua natura metalla componit in terra, quod Comes Bernhardus declarat, cùm ait: Natura primùm plumbeam materiam facit, in qua primam suam dispositionem & proprietatem posuit, hâc viâ proximè ad rem acceditur. Cætera enim corpora nimis dura sunt ad reserandum.

14. Hoc Flamel. fol. 153. 154. testatur, inquiens: Cur non corpora pura Solis & Lunæ ad opus nostrum accipimus? Respondeo: Ideò, quia natura illa nimis compacta reddidit, ut igne vinci nequeant. Sed nos accipimus corpus, in quo Sulphur & Mercurius æquè purus inest, atque in auro & argento, in quo natura parùm laboravit, sed imperfectum reliquit. Idem dicit, nos tale corpus sumere debere, quod non est completum, Sol & Luna autem completa sunt, ideoque sunt in suo gradu. Plura ibi videri possunt, in quibus egregiè modum explicat materiarum.

Hoc in loco benè notandum, quod Philosophi semper in plurali numero loquuntur. Exempli gratia: Corpora, metalla, merallis, metallorum, non verò corpus, metallum &c. Hoc enim ideò fit, ut insipientes decipiant, quia omnia metalla ex una radice proveniunt, ut supra demonstratum sit; ex quibus metallis antequam ignem ingrediantur, & adhuc in suis folliculis hærent, universale inprimis parari potest.

15. Unde Rogerius Baco & Flamel. folio 251. aiunt: Metallis nihil adhæret, nec invicem componi possunt, nec transmutari, nisi cum eo, quod ex illis provenit, ut dictum fuit. Omnes textus explicare nimis longum foret, ideoque testimonia tantum simpliciter recensemus, materia enim in nullo dubio est ponenda, sicuti in praxi res ipsa apparebit.

16. Rasis inquit: Omne secretum est in plumbo, sed non in vulgari, addit enim: Non simpliciter plumbum vulgare tibi est intelligendum, ne in errorem cadas, sed de nostro friabili & nigro

Lythargyrio intelliges : In noſtro plumbo eſt aurum & argentum , potentiâ , non viſibiliter. Hoc dictum clarè patet , quod verè Luna intus ſit , in praxi manifeſtum fiet , quamvis oculis videri nequeat, cum unà ſunt. Quando autem ſpiritus ſuus à corpore ſeparatur , tunc corpus Lunare poſt ſe relinquit tanquam pulcherrimum argentum in omni proba. Omne aurum argentum fuiſſe , nemo negabit , ex argento quoque facilè aurum fieri poteſt, eodem modo Luna ſive Lunaria hîc demonſtranda venit , ideoque per ſummam operationem hoc facili negotio ad pluſquamperfectionem evehi poteſt.

17. Maria Prophetiſſa ſoror Moyſis in Turba fol. 322. ait : Fixum ſeu permanens corpus eſt de corde plumbi, id eſt , intrinſeco , quod in plumbo noſtro latet , ſicuti ſuprà dictum fuit , quod in Saturno ignem nondum experto ſemper grana aliquot Solis aut Lunæ, inſtar ſeminis propagandi occultantur.

Unde Roſar. fol. 265.. ait : Noſter Sol vel Luna, aut corpus fixum abſconditum eſt , ſicut anima in hominis corpore, aut ſicut ignis in ligno vel lapide.

19. Aurora conſurgens , in turba fol. 220. Ecce conditionem noſtri plumbi albi (id eſt , poſtquam per ſolutionem in ſal album devenit) tibi monſtravi. Hoc ſi ſciveris , tunc reliquum opus mulierum & ludus puerorum erit.

20. Quibus verbis indicare vult, opus poſt compoſitionem facillimum eſſe , quod Comes Bernhardus teſtatur fol. 3. Noſtrum opus adeò exiguum, ſimplex & facile eſt , quod ſi verbis tibi aperire aut re ipſa monſtrare deberem , non eſſes creditu-rus.

21. Zacharias quoque ait : Si Philoſophi in recitando rectum ordinem obſervaſſent , ars iſta unius diei, vel horæ ſpatio addiſci poſſet , tam nobilis & facilis illa eſt. Ideoque vir ſapiens conſiderare debet , cùm Deus tam excellens opus in ſubjecto ſeu materiâ tam vili collocaverit eum multò plus in rebus altioribus poſſe. Deus enim in humilitate beneplacitum ſuum habet, ne divites de hac re cogitarent , qui nonniſi aurum ſomniant , hoc verò aurum vile non vident nec noverunt.

22. Turba part. 1. fol. 221. In plumbo viva mors eſt ; hocque inter ſecreta ſecretorum cenſendum eſt ; quod Philoſophus dicit ? Nihil auro adeò proximum eſt quàm plumbum. Quid clarius dici poteſt : Aurum abſconditum in plumbo mortuum jacet , cùm verò mors ſua, hoc eſt , impuritas ei per ſolutionem adimitur , tunc vivificatur , & in ſuo ſimili lætatur , ſi cum illo conjungitur ; nam ceræ inſtar eſt, in quam omnia ſigilla imprimi poſſunt. Si autem ei adjungitur, aurum obtinetur, ſin verò cuprum, tunc cuprum quoque profert.

23. Hoc teſtatur Roſ. fol. 319. Turba fol. 406. in Roſ. 41. Turba fol. 56. Cum Sole fit Sol, cum Luna fit Luna, cum Venere Venus.

24. Quod verò omnis generis formas induat , ex Flamel. patet, qui fol. 168. inquit : Mercurius induit omnes formas , ſicut cera omnia ſigilla.

25. Turba fol. 39. In terra noſtra ſunt tres oculi, Oriens & Occidens , & ex illis natus eſt noſter Saturnus albus, qui eſt ſal metallorum.

26. Item turba 1. part. Camelus noſter albus eſt ſeptimus in numero. Apud ſummos Philoſophos verò Sol & Luna etiam Jupiter , noſter Mars & Venus in noſtro Mercurio. Sed Saturnus ſeptimus eſt, in quo omnes latent & congregantur. Hic eſt gladius, culter & acies generationum mirabilium, cum quibus hoſtibus reſiſti poteſt. Inſuper etiam dolium bono vino plenum. Quod clarius & apertius dici poteſt, ſiquidem ſolutionis medium etiam addit. Nam in dolio vini latet. Hoc eſt primò vinum, hoc eſt, ſpiritus vini. Acetum vini, hoc eſt, ſal Tartari , & aliæ res plures , quamvis etiam alia media uſurpentur , quæ tamen cum materia non manere, ſed poſt ſolutionem turſus ab illa ſegregari debent.

27. Arnoldus in flor. flor. fol. 471. in fine : Metalla non generantur , niſi ex ſpermate proprio, de quo ſupra ſatis dictum fuit.

28. Sed videamus, quidnam ſit primum metallum. De hoc legite Treviſanum fol 31. 32. Turbam folio 389. in 1. parte : Senex noſter , qui videtur mortuus , eſt exemplum noſtræ ſcientiæ , in ipſo enim ſunt compoſitiones naturarum perfectæ, videlicet terra, aqua, ignis , aër , hæc omnia ſunt in Saturno. Per ipſum referantur portæ ſapientiæ , per ipſum aperiuntur portæ ſeptem Planetarum, ut Hermes & anteceſſores ſui aiunt , & quid clariùs dici poteſt ?

29. Roſ. fol. 394. Benedictus ſit Deus Creator omnium rerum , qui ex vili pretioſum & ſummum creavit , quod quia metallicum eſt , in ſe continet quæ ad totum opus pertinent. Hoc in loco dicit, quod de minimo ſumi debeat , qui eſt Saturnus, in eo enim natura primam formam metallicam plantavit, ut pluribus antea fuit demonſtratum.

30. Arnoldus in libro de Chaote univerſali adſtipulatur , in autora conſurgente in Turba fol. 203. Semen ſcientiæ noſtræ ex corpore metallico extrahitur , quod omnium metallorum virtutem potentiſſimè in ſe habet , quæ autem illa ſit materia, in qua omnia metalla ſunt abſcondita , ſupra audiviſtis.

31. Sequens hic textus ut lux meridiana clarus eſt. Magiſt. Dehenhardus, Lullius & Matheſius in Sarepta ſcribunt : Materiam , priuſquam in metallicam formam congelatur eſſe inſtar lactis coaguli butyri , quæ ut butyrum diducitur , quam Gur vocat , quam ego quoque in fodinis , in quibus Natura plumbum paravit, inveni. Si talis materia ſuper terra etiam præparari poteſt , tunc hoc certum ſignum eſſe aiunt , quod non ſolùm vera materia habeatur , ſed veram quoque viam obſervari. Hanc ego per Dei gratiam in manu parare poſſum , quæ etiam unius horæ ſpatio in calore in putrefactionem abit , & primùm nigra , deinde rubicunda , & tandem fuſco rubra fit. Hanc Philoſophi lac virginis vocant, ſi aliquantulum Salis metallici in aquam noſtram inditur , lactis inſtar fiet , ſi verò multum imponitur , crallèſcit ut butyrum , & ſicut pinguedo illiniri poteſt. Hujus rei mentionem facere volui, ut de materia nullum dubium habeatis, quam etiam auxiliante Deo vobis demonſtrabo.

32. Johannes Chryſippus inſignis Philoſophus, quem adhuc in vivis eſſe comperi , qui hoc nomine utitur , ne innoteſcat , ſic ait : Medici manus ad ægrum , & non ad benè ſe habentem requiritur ; ſimiliter Philoſophi manus ad exigua & imperfecta , non verò ad pretioſa & perfecta mêtalla poſtulatur. Materia noſtra plerunque Magneſia vocatur , quæ vox in Chaldaico idiomate plumbum integrum ſignificat, quod adhuc in illo ſtatu eſt , in quo à natura fuit præparatum , & quod per manus hominum nondum tranſivit , multò minus ignis violentiam eſt expertum.

33. Hermes ait : In metallis tota ſcientia conſiſtit, ſed non in perfectis, verùm in imperfectis.

34. Ripleus in axiomatibus fol. 8. Noli fidem habere

habere deceptoribus. Nam Sulphur & Mercurius noſtri inveniuntur tantùm in imperfectis metallis.

35. Clangor Buc. folio 475. Si quæris medicinam, quæ metalla generare debet, illam in metallis quærere non intermitte.

36. Roſ. fol. 379. Saturnus eſt, qui membra mea diſpertit. Ego (id eſt Sol) ſum is, qui ſplendorem in cæteros omnes immittit, quod fit poſt compoſitionem, valde leniter ſeu tardè, quem proceſſum ſeu ingreſſum à patre meo Saturno habeo. Unde clarè patet, quod aurum in & ex Saturno procedit. Item Roſ. Mag. fol. 382. Eſt quædam herba appellata Saturnus de canalibus aut tubulis, ex hac fit noſtra medicina.

Hoc in loco tam de materia, quàm de ſolutione ſermo eſt, poſtquam enim Saturnus ab omni ſuo inquinamento purgatus eſt, & in ultima ſolutione in aqua hæret, parvæ cannæ in aquam injici poſſunt, quibus ſal metallorum inſtar criſtallorum longorum nitri adhærebit, quamvis etiam per ſe in ſal, vel in egregium pulverem ſplendidum redigi poſſit, uterque enim modus probatur, de quo in ſolutione tractabitur.

37. Maſar Saracenus inquit: Immunditia eſt in primo metallo, Primum noſtrum metallum (Saturnus primus eſt, quem natura facit) multa immunditiem habet, hinc eſt, quod homines illum contemnunt, & putant ſe hanc ab illo nec tollere, nec aliquid cum ipſo efficere poſſe.

38. Turba fol. 254. 155. Lapis Sapientum eſt materia metallica & omnia metalla impura æquè atq; pura, ſunt in ſuo intrinſeco Sol, Luna & Mercurius.

39. Iſaacus Hollandus in Libro minerali, ubi agit de Saturno noſtro, inquit: Summè hoc conſiderandum, quod metallicum Saturninum corpus præſtò eſt, quod facilè ſolvi & putrefieri poteſt, qui ejus veram præparationem novit, habet, de quo gaudeat. Mercurius ait: Hoc vos ſcire volo, quod noſtrum corpus impurum eſt plumbum.

40. Turba fol. 268. De minera plumbi ita loquor, quod omnia in ipſo & per ipſum fieri oportet.

41. Roſar. 230. Dico tibi, quod aqua noſtra ſulphurea & viva, ex minera plumbi extrahitur, quæ omnia præſtat. Item: Scitote, ſpiritum argenti & omnem albedinem ex minera plumbi componi oportere, quæ Luna lapis albus (id eſt, ſal metallorum) eſt, abſque omni macula & impuritate. Hoc eſt egregium dictum, in quo dicit, Lunam vel lunariam in minerâ plumbi eſſe, & album ſal lunare inde extrahi debere: Quod verum eſt, nam albedo ex corpore lunari extracta & nata eſt, nec Luna in illa conſpicitur, ſed ſi lamina Veneris vel Martis injicitur, inſtar ceræ liqueſcit, ſpiritus vitæ avolat, & Lunam poſt ſe relinquit pulchram, quod mirum eſt.

42. Nam alba Luna, de qua Hermes loquitur, non habet Lunæ vulgaris ſpeciem, fol. 273. Noſtra aqua, aut ſal noſtrum ex noſtra plumbi minera extrahitur.

43. Turba Phil. fol. 85. Filii ſapientiæ ſcitote, quod abſque plumbo nulla fit Tinctura, quia in illo virtus & efficacia totius operis ineſt. Erroris cauſa eſt, quod homines vulgares omnia ſecundum literam intelligunt, & credunt eſſe vulgare plumbum. Sed errant, quia omnia metalla quamprimum in ignem ingrediuntur, mortua ſunt.

44. Hinc Hermes ait: Lapis noſter talis res eſt, quæ nullum adhuc ignem ſenſit, ex qua Mercurius noſter eſt oriundus. De quo poſt hæc plura.

45. Theophraſtus in manuali ſuo vocat Electrum minerale immaturum. Electrum artificiale eſt maſſa per artem ex omnibus metallis compoſita, de quo integrum librum ſcripſit. Sed hoc Electrum talis res eſt, in qua natura omnium ſeptem metallorum naturam plantavit, ſed imperfectam reliquit. Hinc electrum immaturum vocat. Quod autem ex hoc plumbo omnia metalla oriantur, jam ante ſatis eſt oſtenſum. De quo Comes Bernhardus fol. 31. 32. eſt legendus. Centenos textus Philoſophorum allegare hîc poſſem, ſi neceſſe eſſet, ex quibus clariores elegi. Qui ergo has probationes & authoritates eſt lecturus, negare non poterit, hoc plumbum veram Lapidis Philoſophici materiam eſſe, nam ex ipſa omnia metalla procedunt & creſcunt.

Jam propiùs ad rem accedemus, & de materia proxima dicemus. Fuerunt enim quidam Philoſophi, qui vix duas drachmas, operi inſervientes, ex una libra integra nacti ſunt.

46. Ut Clangor Buccin. fol. 378. teſtatur qua in parte magnum jacet præſidium. Natura enim in uno plus Mercurii aut ſalis nitri poſuit, & unam materiam diutius coxit, quam alteram, unde facilè concludi poteſt, in illis plus latere, in quibus natura vires ſuas potiores exeruit, nec tamen terminum exceſſit, alioquin nimia in recludendo difficultas exiſteret.

47. De quo Flamel. fol. 152. Hoc maximè abſconditum eſt, ex qua re intrinſeca proximè ſumi debeat & poſſit. Quod Arnoldus de Villa Nova in ſuo Roſar. f. 404. ſic explicat: Sunt quædam mediocres materiæ, ex quibus aliæ aliis meliùs à natura ſunt mundatæ, & etiam meliùs & diutiùs coctæ & digeſtæ, quæ meliores ſunt, & operi proximiores.

Ego aliquot materias hîc ponam, quarum notitiam habeo, quas quoq; probavi. Tranſmittam etiam aliquot, & loca nominabo, ubi acquiri poſſunt, & ſic me tibi plus nimio ſatisfeciſſe putabo. Adhortor igitur te, chariſſime Frater in Chriſto, qui hanc inſtructionem naturus es, ut judicium Divinum timeas, coram quo de abuſu ratio reddenda erit, & ſummum hoc myſterium in ſilentio habeas: Arcana enim ſunt: Arca ciſtam ſignificat, in qua ſervanda ſunt, & coram hominibus falſis abſcondenda. Hoc ſi feceris, Divinam benedictionem experieris Nullum dubium eſt, ſi boum propoſitum habueris, te voti compotem futurum. Cætera puncta etiam clarè deſcribentur. De ſilentio tuo non dubito. Aliàs Deus propoſitum tuum non ſecundaret, ſi verâ fide, & fidelitate res careret. Satis ſuperque ex Philoſophorum ſcriptis intellexiſti, quod materiam plumbum, plumbaginem, Lithargyrium & plumbum æris nominant, quæ omnia in uno conſentiunt. Quamvis alius alio proximiorem materiam habuerit, attamen opus ex remotiore æquè præparari poteſt, ſed cùm majori labore. Una materia plus habet Mercurii aut ſalis metallici, quàm alia, ſed ut dixi, ad unum ſcopum collimant. Minimi valoris materia in Valle Sancti Joachimi reperitur, quam ibi loci ſplendorem vocant. Centum librarum pondus ultra tres vel quatuor uncias argenti non continet, ſed dimidiam partem plumbi. Hoc tibi ſciendum eſt, quod quantò ditior eſt argento, tantò proximiorem eſſe operi, quia in ea multum laboravit natura & granum fixi in ea confertim poſuit; nota ejus hæc eſt



Alterum genus materiæ quod priori præſtat; in Elkuſch in Polonia reperitur, & in alio infu-

per loco tredecim milliaribus à Cracovia diſtante, ubi Regis argentifodina eſt, quæ melior eſt, & plus fixitatis argenti habet, quam prior. Ideoque operi proximior. Cujus nota hæc eſt



Et minera plumbi & etiam argẽti Splẽdor vocatur.

Tertia materia Friburgi in miſnia invenitur. Hæc ſi pura eſt, multis Lunæ granis dives eſt. Luna enim vegetationis granum eſt. Unde Lunaria dicta eſt: hæc priore præſtantior eſt, ſi pura eſt, ſed rarò invenitur, & hoc ſigno notatur



Quarta prædictam bonitate & putitate ſuperat, quæ in confinio Hungariæ juxta vicum Klobuck per cives clanculum effoditur. Magiſtratus enim illi inhiat, unde civis Klumenſis mihi dixit. Klobuck domos meas mihi conſtruxit. Argenti plumbum vocant, cujus ſignum hoc eſt



Quinta eſt plumbum ſolidum, ſed in igne non fuit, in Civitate Villach reperitur, quod facilis eſt ſolutionis, & optimum pro re Lunariâ dives eſt, & hoc ſigno notatur



Ego quoque illo uſus ſum. Et facilè ſolvitur.

Sexta & optima, quantum mihi conſtat in Miſnia invenitur, ſed rarò hoc tempore, ſi quis tamen de illa ſollicitus ſit, haberi poteſt, & æs vitri vocant, ſculpturam ſeu inciſionem inſtar plumbi ſuſtinet. Pondus centum librarum, duodecim vel tredecim uncias argenti continet. Ex hujus materiæ libra una undecim uncias Mercurii obtinui, quamvis Clangor ſcribat, ſe tantùm drachmas duas ex una libra comparaſſe, ſed minimi valoris plumbi mineram habuiſſe præſumitur. Annebergæ Vitrum æris (minera Lunæ dicta) quoque haberi poteſt, quod argento dives quoque eſt, ſculpturam & inciſionem tamen non recipit (præter hoc tamen aliud ibi loci reperitur, quod ſculpturam & impreſſionem admittit, quod ab alio plumbo diſcerni nequit) ſignum illius hoc eſt



æquè facilis ſolutionis eſt atque illud quod ab alio plumbo diſcerni nequit.

Sic igitur Amice, habes inſtructionem non tantum de Concordantia, verumetiam de materia Philoſophorum. Faxit Deus æternus ut in ſui ſancti Nominis gloriam & proximi utilitatem utaris.

Quomodo autem nunc ulterius procedendum ſit, in ſecunda parte ſequetur. Hic theſaurus nullo auro perſolvi poteſt, teſte Salomone in libro Sapientiæ cap. 7. Argentum eſt in comparatione cum illo ſicut vilis arena.

Præterea aliæ quoque res de materia Gur vocata, & de prima materia monſtrabuntur. Nec ullum dubium hîc eſt ponendum. Ego enim tantam hujus rei habeo experientiam, ut (ſi fieri poſſet) illam ipſo facto demonſtrarem. Sed fieri nequit. Sic igitur amice habes tractatum perfectum de materia, in qua omnes Philoſophi unanimiter conſentiunt. Mi fili libros Philoſophorum inveſtiga & rem ita te habere invenies. Ego enim totam operationem reipſa demonſtrare poſſum. In hoc negotio optimum eſt, ut quis Philoſophos concordantes conferat. Nam veritas tantum in radice metallica latet, teſte Comite Treviſano fol. 14. & 16. Rotar. fol. 36. Flamel. fol. 147. Reuchl. d. verb. mirif. fol. 100. inquit. Ocularis probatio veritatis eſt Concordantia Philoſophorum: Mendacii verò fundamentum eſt diſcordia, in quo eſt acquieſcendum: Cui verò hæc teſtimonia non ſufficiunt apud illum oleum & opera perditur.

Quando cætera puncta ſeu capita ſequentur, tunc demum res mires, mirè eluceſcet. Sed obteſtor te ne hic tractatus in aliorum manus deveniat. Ea quæ non intelligis deinceps quantum fieri poterit explicabo. Noli alium de hac re conſulere, ſed ora diligenter. Laus, honor & gloria ſit illi, qui vivit ab æterno in æternum. *Amen*. Time Deum, ora, ſtude & labora, & te Deus ſicut me juvabit.

Soli Deo Gloria.

PARS SECUNDA.

Lilium inter Spinas.

REx Salomon Sapientiarum cap. 7. Optanti mihi & oranti prudentia data eſt, & Sapientiæ Spiritus obvenit, quem ego ſceptris & ſoliis antepono & divitias ſi cum ea conferantur nihili facio, neque pretioſas gemmas ipſi comparandas duco. Item omne aurum cum ea collatum fermè eſt arena & præ ea argentum pro luto ducendum. Hanc ipſam ſupra valetudinem & formam amo, eam habere malo quàm lucem, quippe cujus ſplendor eſt inextinctus. Cum ea autem mihi cuncta ſimul bona, & ejus operâ immenſæ divitiæ evenerunt. Nam inexhauſtus hominibus theſaurus eſt, quo qui utuntur, ii cum Deo ineunt amicitiam ob doctrinæ dotes commendati. Eſt enim vapor quidam divinæ potentiæ & ſincera omnipotentis effluentia.

Vetus proverbium eſt. Poſt nubila Phœbus, hoc eſt, poſt mœſtitiam ſequitur gaudium. Sic & è contrà. Idem mihi accidit ante paucos annos, & ſimiliter iis qui ſine vero fundamento opus ſunt aggreſſi, uti fuſiùs recitabo: nam cum totum mundum manu mea me complexum eſſe perſuaſus eſſem, prorſus nihil habebam; Vitrum enim in quo omnem felicitatis ſpem poſueram, magno fragore diſſiliit, mutos meos Philoſophos ſeu libros magno cum damno conſpurcavit, de quo nunc plura non dicam excepto eo, quod torus territus & attonitus eram, ut quò præ mœſtitia me verterem aut ubi loci eſſem, quid præ manu haberem, & quid porrò agerem, neſciverim: Nam omnis lætitia voluptas & gaudium meum in venenum & fellis amaritudinem minimè verò in aurum & argentum ut ſperaveram converſa erant; Poſtquam animum parùm reſumpſiſſem, ingens damnum meum perpendebam, multis lachrymis deploratum. Pòſt flexis genibus gemitus meos coram illo qui vivit ab æterno in æternum effudi (Deus enim dat & aufert cui vult ſecundum beneplacitum ſuum) obnixè rogans ut mei miſereretur, & ſi fieri poſſet me ad veram ſpeculi majeſtatis ſuæ viam, per ſpiritum veritatis deducere & monſtrare dignarentur. Interim Zachariæ dictum, plurimos Philoſophos

quoque

quoque in principio erraviſſe, tandem tamen ad felicem operis finem perveniſſe, conſolationi mihi fuit.

Tandem etiam animum multis cogitationibus affligtum dubia quæſtio ſubiit : An Deus omnipotens nobis miſeris peccatoribus, qui in calamitoſis hiſce temporibus vivimus, ſummum hoc ſecretum conceſſurus eſſet : Multis tamen cogitationibus dubiis jactatus tandem hanc concluſionem feci : Illos qui ante nos hoc ſecretum habuerunt, etiam peccatores fuiſſe, & hoc donum non ex ſuo merito, ſed ex gratia Divina obtinuiſſe ; Ideoque etiam nunc aliquem, qui pius & Dei timens eſſet æquè atque illos per Dei gratiam hujus doni compotem fieri poſſe. Sic recepto animo, Philoſophos Magos & mutos meos Reges inprimis verò Comitem Treviſanum cordatè aggreſſus ſum, ex quo quamvis illum antehac ſtudioſè legeram, fundamentum tamen ſolidum capere non poteram : Cum verò jam revelationis hora adeſſet, & locum, ubi materia deſcribitur legerem, ſcintilla & radius igneus, ex illo loco ubi virtus operis jacebat, mihi obſervari videbatur. Perculſus primùm erat animus, ſed locum illum rectè perpendenti oculi mentis aperiebantur, & jam id in quo antea cæcus fueram, & quod tantopere deſideraveram, clarè videre & intelligere poteram. Gaudio perfuſus Deo devotas gratias egi rogans ut quo modo operis finem attingere poſſem me illuminaret. Itaque mareriæ acquirendæ gratiâ iter ſuſcepi (quamvis ubivis locorum haberi poſſit) ut proximiorem non verò remotiorem adipiſci poſſem, una etenim aliâ ditior eſt, quamvis ad unum colliment ſcopum, ſicut Georg. Ripl. in ſuis axiomatibus duodecim portarum & Flamel. fol. 120. 150. in fine his verbis docent. Hoc verò inprimis occultiſſimum eſt, ex qua re minerali fieri debeat propinquius.

In via itineris mei Ruſticus quidam ſenex intra duos montes obviam mihi factus fuit, pallio longo griſeo indutus, ſuperpileo velum nigrum geſtans, circa collum velo albo redimitus, circa corpus loro flavo cinctus, & ocreis rubris indutus.

Poſtquam ipſum ſalutaſſem & ad ipſum appropinquaſſem duos flores ſiderales cum ſeptem radiis, manu ipſum geſtare & attentè conſiderare cernebam, quorum unus albi, alter rubri coloris erat. Venuſti ſanè erant, & colore ſplendidi, odore amabiles & guſtu dulces. Unus de muliebri alter de virili ſexu erat, & tamen ex una radice & planetarum influentia oriundi.

Quæſtio 1. *Ruſtico propoſita.*

Quærebam itaque ex illo quid ſibi iſti flores vellent, quidve cum illis agere cogitaret. Noveram quidem benè ambos, ſed quod diverſi ſexus eſſent, & duas diſtinctas naturas haberent, ignorabam. Ruſticus me intuens interrogabat quis hominem me ad hunc devium duxiſſet locum. Hunc enim aiebat non niſi Potentes hujus mundi inveſtigant, ſed coram illis præcluſus eſt & obſignatus. Cum ipſi mirabilem vitæ meæ curſum recenſerem, mihi blandè arridens dicebat. Hoc te ſcire volo, neminem ad horum florum notitiam pervenire, niſi ad hanc ſit prædeſtinatus, & piis precibus atque firma fide illam obtineat : Quæ tamen abſque labore, curis, & tribulationibus, quod tu ipſe fateri cogeris, alicui non datur, ut illi qui opus poſſident hujus rei memores ſint & hoc myſterium majoris facere & in ſilentio habere diſcant. Quoniam ergo tu tantum in hac re profeciſti, ideo ex divini numinis permiſſione, hoc tibi aperio, quod poſt Conjunctionem horum duorum florum, materia prima omnium metallorum demum fit & non citius. De quo lege Com. Bernh. fol. 45. ferè in fine ſecundæ partis ſui libri, ubi hos duos flores rubrum virum & albam mulierem appellat. Philoſophi gravibus de cauſis ſemper de materia prima ſcripſerunt, ut coram ignorantibus radicem ejus abſconderent, materiam autem ſecundam prorſus reticuerunt, quæ cruda & ipſum lapidis eſt ſubjectum, quamque in manus prius ſumere & virum atque mulierem inde extrahere te oportet, quo facto tum demùm fit materia prima, quod tibi nunc fideliter revelatum volo.

Quæſtio 2. *Ruſtico propoſita.*

Hos ſermones ego mirabar, ſimul etiam in pluribus ipſum mecum conſentire gaudebam, & porrò dixi. Mi Amice profectò talem ſapientiam apud te qui homo ſimplex eſſe videris, latere non putaviſſem, qui ſubridens reſpondit : Hinc eſt quod totus mundus à me aberrat, nam externa mea forma illos fallit plerunque. Si autem prudenter vetus & griſeum meum pallium mihi ut ſcis detrahere poſſent, ſub eo ſplendentem cataphractam, & rubini inſtar rubram ſubuculam invenirent, quod tamen Altiſſimus ab ipſis adeò abſcondidit, ut perpendere non poſſint, unde metalla ſuam originem ducant.

Quæſtio 3.

An duo iſti Flores ſint medicinales ?

Ad quæ ego reſpondi & anne iſti flores etiam in hoc ſtatu medicinales eſſent interrogavi. Ad quæ ipſe, medicinales quidem eſſe ſed virtutem ipſorum magnam in ipſis adhuc latere annuit, dicens. Cum iſti flores adhuc in radice ſua hærent, valde ſunt Venenoſi, ideoque neceſſe eſt radicem ipſorum ſublimari, (quam ſublimationem niſi tibi cognitam eſſe ſcirem, jam indicaſſem) abſque rebus ſcilicet extraneis & acribus, quæ ipſorum vigorem & naturam devaſtant, quæ aliàs nullius momenti erit : Tunc inquam excellentiſſimi iſti duo flores abſque aliarum rerum additione ex hoc venenoſo monte creſcunt. Niſi mihi benè conſtitiſſet, ſub quo Planetarum Sydere Ruſtici ſint conſtellati, ad hunc locum mirabilem (crede mihi) non perveniſſem, nec talia myſteria cognoviſſem.

Quæſtio 4. *Ruſtico propoſita.*

An iſti Flores ſimul creſcant ?

Huic reſponſo ego ſubjeci, chariſſime Amice, mira quidem narras, ſed dic ſodes, an iſti duo flores ſimul creſcant, aut quænam hujus rei ſit ratio, arbitror enim in hoc puncto potiſſimam conſtare artem (quamvis ſolutio etiam magni ſit momenti) quia Philoſophi de hac re pauca verba faciunt. Ad hæc quodammodo renuens, & ſubſiſtens tandem reſpondit : Magno cum deſiderio te has res (nec immeritò) percunctari video, ſed multiplex inſtructio à me tibi datà, nunc ſufficiat, hic enim lapis angularis eſt ad quem plurimi impingunt. Multi quidem ſunt, qui veram materiam noverunt, ſed tamen hanc operis actionem ignorant. Nihilominus craſtina die ad hunc locum eâdem hac hora redi, tunc de his quantum licebit tibi revelabo. Ad hoc benevolum reſponſum ſummas egi gratias, & cum gaudio diſcedens ſequentem diem cum magno deſiderio expectavi, & nullâ interpoſitâ morâ me

rurſus ad prædictum locum contuli, ubi ruſticum me expectantem & flores illos duos manibus ſuis geſtantem ſalutando, heſterni promiſſi commonefeci, & officia mea viciſſim obtuli. Ipſe verò ſe promiſſi memorem eſſe & in effectu præſtare velle, me verò ſibi nihil gratum facere poſſe dicebit, ſed Deum propitium habere mihi annitendum eſſe, tunc ſe meum amicum, ſin minùs, hoſtem meum futurum, nam ſibi hoc incumbere, ut Dei mandatum exequeretur: Et ſic fando perrexit. Audi mi fili, jam à principio ſermonem meum repetam & te totum proceſſum cum omnibus requiſitis & circumſtantiis perfectè docebo, ſed ut ad ſeriem meum attendas, & domi tuæ peractis precibus ſæpe perpendas neceſſe eſt, alioquin inſtructio mea à ſenſu tuo ſe abſcondet & te in ſemitas erroneas deducet, nam hoc eſt crede mihi, donum Dei Altiſſimi. Sed in loco viridi ſedeamus, ætate enim ſum confectus, à natura frigidus, & pede læſus, ut diu erectus ſtare non poſſim, præterquam quod in viridi loco quieſcere juvat.

Sine dubio apud Philoſophos, Magos & Reges noſtros, clamorem iſtum legiſti. Naturam ſequere. Ex quo hoc eſt obſervandum. Illum qui in hac arte proſperare vult, omnium metallorum principium, generationem, differentiam, amicitiam & inimicitiam nolle debere. Omnia autem metalla tibi dico, naſcuntur ex una radice, & ſolùm in eo differunt, quod unum purius & magis coctum & digeſtum eſt alio. Hoc omnes Philoſophorum libri teſtantur, in quibus crede mihi ſolum veritas eſt, & non in vagantium receptis & proceſſibus falſis, qui ergo cauſæ hujus fundamentum habere cupit, illum libros ipſorum legere non tædeat. Nam qui vult ſentire commodum, oportet ut etiam ſentiat onus, quorum omnium mentionem facere nimis longum foret, me quoque poſtquam plenè te inſtruxero iterum non videbis, donec opus tuum conſummaveris. Tunc familiarius tecum loquar, tunc etiam melius me cognoſces, majori quàm nunc honore, & amore proſequêris, nec inter nos unquam divortium fiet.

Porrò te ſcire volo, quod is qui metallorum originem intelligit, etiam ſciet, lapidis noſtri materiam, metallicam eſſe oportere. Non eſt autem metallum, nec minera, ſed metalla & mineræ, & mineræ & metalla: Omnium enim illorum natura eſt in una re, quæ vocatur Electrum immaturum, Magneſia aut Lunaria. Et hæc eſt cauſa quod Philoſophi in plurali numero loquuntur, metalla, metallorum, metallis: Nec opus eſt ut clariùs loquar, materia enim jam tibi nota eſt, aliàs enim nonnulli hoc poſſent audire, qui circa hunc montem aures arrigunt, nonnulli proximè accedunt, quidam montem aſcendunt, ſed me non facilè in ipſorum conſpectum do cum floribus meis. Radix iſta mineralis à ſuis ſordibus quibus per venenoſos vapores eſt inquinata paulatim ſeparari, deinde ſuccus Liliorum Mercurialis albus ex illis exprimi debet, qui cum tenerrimus & valde facilis ſit in ſuperiori parte eſt quærendus: nomen ejus eſt Azoth & gluten aquilæ. Rubrum ſulphureum & incombuſtibilem Liliorum ſuccum in parte inferiori quære: Qui Laton & Leo rubeus appellatur.

Ecce nunc ex voto tuo meam explicationem habes, plura ex me noli quærere, nam ulteriorem explicationem tradere mihi eſt prohibitum. Precare tamen Deum diligenter & hanc etiam accipies. Summè interim mirandum eſt, quod iſti flores non areſcunt, & quod unus illorum in omnes formas mutatur & omnes Planetas diligit, cum quibus unitur nec in æternum ex Planetæ ſui domo expelli poteſt. Horum florum virtutes naturam & proprietates fundamentaliter deſcribere, nunquam in hominis alicujus cor & ſenſum ut Philoſophi teſtantur intravit. Flores iſti à ſeptemplici ſtirpe dependent ut vides, & diverſi coloris ſunt, & à ſe invicem latè ſejuncti, cujus rei cauſa eſt naturæ ipſorum diverſitas: Ideoque modus quo coaleſcant & ex his duobus floribus, immarceſcibilis & ſempiternus fructus creſcat, (quod citra Dei voluntatem tamen fieri nequit) eſt inveniendus.

Præter hæc etiam notum tibi facio, quod albi Lilii ſeminis numerus, cum rubri numero valde inæqualis eſt, quod in ſecretis habuerunt ſapientes, & pondus ejus abſque quo puncto, duo iſta Lilia per minima non miſcentur, Veteres Arabes de hoc negotio ſic ſcribunt. Pondus maſculi ſingulare & fœminæ plurale ſemper eſto. Hoc Comes explicat dicens: Terrena potentia ſuper ſibi reſiſtens, & pro reſiſtentia dilata eſt actio agentis in altera materia. Intelligis ne hoc? Res aliquantulum obſcura eſt, reſpondi. At ille, ne de hac re multum ſollicitus eſto dicebat. Cùm enim hæc duo Lilia excreviſſe deprehendes, tunc quid agendum tibi ſit ex ipſorum proprietate & natura, ipſe videbis: Interim mediocri & lento calore utere, aliàs ſemen Lilii albi tanquam vapor exhalabit, & omnis opera perdita erit.

Quæſtio 5. *Ruſtico propoſita.*

De Terminis Philoſophorum.

Ad hæc ego ſubjeci: Tu duorum Liliorum ſemper mentionem feciſti cum tamen Philoſophi de una re tantùm loquantur cum aiunt. In Mercurio & Azotho omnia ſunt quæ quærunt ſapientes. Iidem Philoſophi etiam de tribus loquuntur, videlicet Sale, Sulphure & Mercurio. Ut plurimum autem dicunt, quod ſit corpus, anima & ſpiritus, quorum tu non meminiſti. Riſum moves mihi reſpondit ille, quod terminos Philoſophicos nondum intelligis, aut fortè me tentandi animo hæc dicis. Sed tamen etiam hac in re quod res eſt dicam. Cùm de una tantùm re loquuntur, tunc eſt Sal metallorum Lapis Philoſophorum, ego verò de duabus loquor, quæ ſunt corpus & anima. Tertium eſt copula amborum, ſpiritus videlicet, quem quidem videre non potes, qui tamen eſt in ambobus, & tunc aquæ innatat, ut apud Moyſen legitur, Gen. 1. Hæc tibi ſufficiant, ego verò in duobus iſtis acquieſco.

Accipe igitur duo iſta Lilia bene mundata, & in criſtallum include firmiter abſque igne, pone in balneum lene ſudoriferum, & Lilium album ſe mox dilatabit, & rubrum ad ſe attrahet & in ſe includet; quia verò rubrum Lilium igneæ eſt naturæ, & à calore externo adjuvatur fervidum balſamicum ſuum odorem quoque in frigiditatem Lilii albi emittit, unde diſcordia oritur, neutra enim alteri ob contrarias ſuas qualitates cedere vult ut ſcis, & ad cœlum uſque creſcendo ſe extendunt, ſed à venti turbine aliquoties deorſum pelluntur donec aſcendendo & deſcendendo defatigati ſuper terra in fundo quieſcere cogantur, & niſi balneum ita regatur, ut non una ſolùm, ſed utraque ipſorum natura ſimul in altum aſcendat, odoris ipſorum nunquam particeps fies, diligentia ergo in hac prima operatione opus eſt. Iſti duo hoſtes cum vident, alterum ab altero ſubjugari non poſſe, cum tanto amore & amicitia pacem incunt ut in æternum in

unione

unione perſiſtant. In unionis iſtius ſanctione totum firmamentum commovetur, ut Sol & Luna tenebris, quam diu Altiſſimo placuerit obfuſcentur.

Poſt hæc Deus in aëre arcum ſuum verſicolorem ex amore creat, in ſignum indubitatum, Deum tibi propitium eſſe, & permittere nolle, ut iſti duo flores uniti, in diluvio ſuffocentur, undè ſummoperè lætari debes. Parvo tempore exacto Luna rurſus ſe in conſpectum dabit, & atro colore depoſito, rurſus lucebit, & in colore albiſſimo clarè ſpendebit, Sol verò poſt Lunam adhuc aliquamdiu occultatus erit, qui propter oppoſitionem terræ non poterit videri. Niſi itaque oculorum mentis acies te deficiat, in Luna quatuor Planetas obſervabis quos beneficio ſplendoris Lunæ in conſtantem Lunæ naturam tranſmutare poteris, quando autem Sirius cum Sole conjungitur, & calor fit intenſior, tunc Luna per Solis ſplendorem obtcuratur, donec ſe quoque poſt Solem occultet, qui cæterorum Planetarum impuritate offenſus ex iracundia flavo primùm & ſubſequenter ſanguinis inſtar rubro colore tingitur? Quoniam verò coram Sole tanquam ſuo Domino ex voluntate & ordinatione Divina, ſe humiliant, in gratiam illos ſuſcipit, & illos ſibi ſimiles reddit, ut ſecum in regno ſuo ſemper maneant & regnent, de quo etiam lætantur, ipſi gratias agunt, & Deum ſumma cum devotione laudant, quod ipſius permiſſu tanto decore fuerint ornati, & hunc decorem in laude nominis Divini uſurpare & celebrare meditantur.

Ecce nunc à dubitatione tua te liberavi & te rem totam plenè intellecturum, Deo tuo & meo creatori gratias acturum, & domi tuæ hoc ſummum ſecretum in ſilentio incepturum & conſummaturum ſpero & confido, preceſque ad Deum devotas crebrò inſtituendas, tantique doni uſum pium ex animo tibi commendo, alias me nunquam amplius invenies nec videbis. Præ gaudio quid ruſtico reſponderem neſciebam, gratias tamen egi maximas, & nunquid præter hæc, aliud quiddam in hoc opere agere deberem, an verò ars ſic finita eſſe interrogavi, ad quæ interrogata humaniſſimè reſpondit, dicens. Scito virtutem horum duorum liliorum ſingulis ternis diebus renovari & multiplicari poſſe, ut millenis partibus in virtute augeantur & ſemen concipiant, quod fit, cum ſemen in priorem terram projectum fuerit, tunc enim primo die tenebræ fient, altero verò clara Luna, tertio demum die Sol ſerotinus ruber rurſus apparebunt, cujus operis progreſſus tàm diu continuabitur, quàm diu ſummo Deo placuerit,

Natura horum duorum florum etiam margaritas & gemmas fert, præcipua autem res, quæ vos homines (ad ulteriorem Dei cognitionem & vitam longævam) concernit, hæc eſt, quod ſi quis uno folio tantum fruatur, citò ab omnis generis morbo curatur. De Magicis autem ipſorum virtutibus & aliis ſecretis nunc nihil dicam, ſed cum poſt operis tui complementum ad te rediero, tunc multo altiorum proprietatum & circumſtantiarum virtutis & efficaciæ ipſorum te participem reddam; nunc hæc tibi ſufficiant, nam ſi ſermones meos benè perpenderis, deſiderii tui permiſſu divino compos fies: Jam igitur vale tibi dicendum, interim tamen mei memor eſto & reditum meum ad te aliquot menſibus elapſis expecta. Hoc ſermone finito ego fando quoque pergens dixi. Chariſſime frater & optime amice, de ſummis iſtis ſecretis tam doctos atque ingenioſos ſermones ediſ, ut meritò ſuſpicari mihi liceat, te ſimplicem ruſticum non eſſe, uti tuus habitus præ ſe fert, Latinam enim linguam præter ruſticorum mortem optimè calles.

Quæſtio 6. Ruſtico propoſita.

De Ruſtici doctrina Philoſophica.

Dic quæſo in qua univerſitate illam es aſſecutus, ad ſummum enim gradum perveniſti, nec tui ſimilem unquam vidi. Ruſticus ſubridens reſpondit. Quid te ad hoc interrogandum movit? Cui ego, quia ſcire cupio in qua univerſitate tantos feceris profectus, in illis enim veram haberi Philoſophiam omnes ſunt perſuaſi. Miror inquit ille tua ſomnia vana, anne Philoſophiam apud ſui contemptores quærendam & inveniendam eſſe arbitraris Meam Philoſophiam ab illo ſolo habeo, ad cujus mandatum, cœlum, firmamentum & terra tremiſcunt, & omnes res vivunt. Inſuper tibi ſupra dixi, me intùs auro, adamante, ſmaragdis & rubinis decoratum eſſe, griſeum autem pallium hanc ob cauſam geſtare, ut coram magnatibus, qui me capere & cogere ſatagunt, occultus maneam.

Quæſt. 7. Ruſtico Propoſita.

De Philoſophia Academica.

Quid cauſæ eſt reſpondi ego quod magnates hanc Philoſophiam non apud ſuos Philoſophos quibus ſtipendia largiuntur inveſtigant. At ille: multa haberem quæ hac occaſione dicere poſſem, ſed illi non merentur, ut in ſui gratiam tot verba faciam, quia ſe inſtrui non patiuntur, ideoque etiam cum ſuis futilibus & inutilibus argumentis nihil efficient. Iratum certè habent Deum, quod juventutem cum ſuis ſophiſticationibus inquinant, de lana enim caprina ſemper diſputando ſe exercent, & finita diſputatione neuter alterum profectu ſuperat, nec quicquam aliud quam vaporem inanem lucrantur. Cave ergò tibi ab ipſorum inutilibus & venenum redolentibus plantaſiis & propoſitionibus. De nuce multum garriunt, & quod nucleus intùs eſt ignorant. Hoc optimum eſt quod agunt, quod juventutem artem dicendi docent aut Grammaticam inculcant, cætera omnia Vanitati ſunt obnoxia. Si Doctores aut magiſtri non eſſent, fortè in Philoſophia vera ſe exercerent, ſed nunc poſtquam gradum adepti ſunt, aliquid addiſcere dedecori ſibi ducunt. Hinc eſt quod vera Philoſophia ſub ſpecie falſæ innocenter condemnatur, perſecutione & convitiis afficitur. Sed ſic fieri oportet ut ſapientia Dei à mundo ſtultitia appelletur & è contra: Nam Deus non ſine gravi judicio ſapientiam ſub nomine ſtultitiæ voluit eſſe revelatam, ut myſterium virtutis ſuæ eſſet arcanum: ſed tandem bona cauſa noſtra triumphabit. Nos illos minoris facimus, quàm ſibi imaginari poſſunt, nec ipſorum ope indigemus, illi verò noſtrâ nequeunt carere. His dictis ego ad interrogandum accinctus perrexi. Heus amiciſſime ruſtice, hujus opinionis ut verum fateor, ego quoque ſum, & pro certo affirmo, me extra univerſitatem plus didiciſſe, quàm apud pſeudophiloſophos, qui ſe mihi valdè oppoſuerunt. Sed de hac re dixiſſe ſufficit, dicebat ruſticus, & ad locum meum ut me recipiam tempus eſt. Cui ego. Non ſic chariſſimè frater ex abrupto te à me diſceſſurum, ſed ad unam adhuc quæſtionem reſpondendo, te petitioni meæ locum daturum ſpero, tunc ero contentus & gratias quantas poſſum maximas pro omni tua fideliſſima inſtructione ſum acturus. Ad hæc ille. Hic certè

animus

animus hæret, nam fieri poteſt ut vel talis ſit quæſtio in cujus enodatione me promptum haberes, vel talis, ad quam reſpondere, mihi interdictum eſſet. Sed loquere tamen.

Quæſtio 8.

De Ignis Regimine & Materia propinquiore.

Hic ego. Sapientes Philoſophi omnes affirmant, Artem potiſſimè in ignis directione conſiſtere, illa enim inæqualis eſſe debet, præterea etiam ſcire cuperem, quænam ſit materia propinquior lapidis, ex qua forma ſpecifica ſeu uterque flos mihi erit extrahendus. Nam licet materia in genere mihi ſit cognita, tamen ratione puncti prioris in dubio ſum. Clangor enim ſcribit vix duas drachmas ex una libra extrahi poſſe, quæ opus perficere poſſunt, quod certè parum foret. Ego autem ex una libra plures lotones præparari poſſe exiſtimo. Ad hæc ille. Sat video quid moliaris, multa ſcire & non ipſe inveſtigare & laborare tibi animus eſt. Hoc opus Lilium inter ſpinas vocatur. Hæc lilia ſi primo auſu facilè decerpere voles manus lædes: Ideoque cum ſumma diligentia & labore ſpinæ paulatim auferendæ, tum lilia iſta excellentiſſima manſuetè ſunt tractanda, ut illis tandem frui poſſis. Cæterùm quamvis loco unius quæſtionis duas propoſueris, ad alteram tamen etiam hoc reſponſum habe. Adverte animum ad quatuor anni partes illaſq; bene conſidera & ſecundum illas opus tuum diſtribue, de quo Sapientum libri ſunt repleti. Res evidens eſt, quod in diebus canicularibus calor Solis fortior eſt quàm in vere, frigus item hyemis tempore multo intenſius quàm in æſtate. Sed hæc etiam pueros ſcire dicas. Eia verò Amice; Tibi quid hyems & æſtas Philoſophorum ſibi velint nondum ſatis benè conſtat. Ne te nimis præcipites. Sat citò ſi ſat bene. Plura de his fari nunc non licet. Si verò prima vice operationis tuæ fortè errare tibi contingeret, quod vix tamen fiet, medium quo damnum tuum opulenter reſtituere & ſuſtentationi tuæ ſufficienter proſpicere poteris, te docebo.

De Particulari Summo Ruſtici ſeu Saturni.

Ecce ſub hoc meo pallio griſeo viridem geſto ſubuculam quæ, ſi illam cum lapidibus ignis, rubigine ferri & rubra aquila fixa poliveris, tunc multo ſplendidior & illuſtrior erit, quam in purum Lunæ candorem dimittere debes, quo facto Luna à Sole ſex lotones mutabitur, & illos in ſuſtentationis tuæ ſubſidium tibi donabit, quo dono ſingulis octo diebus frui poteris. Hoc donum Magnati cuidam (modò in hoc opere ſtrennè laboret, & parvos ſumptus faciat) pro ſua ſuſtentatione opulenter ſufficere poterit. Cujus rei eſto memor & Deo gratias age... vale. His dictis ruſticus in montem inſiliens evanuit, duo flores autem in eodem illo montis loco, ubi ruſticus inſilierat manſerunt, quos cum carpere vellem manum meam fugiebant, cum verò ſubitò illos prehendere cogitabam, ecce libras aliquot crudæ & veræ lapidis materiæ, ante pedes jacentes conſpicio, & vocem ex monte hæc verba ſonantem audio. Deus ſua dona laboribus vendit, qua voce audita nihil amplius video. Itaque in genua mea procidens Deo humillimas gratias ago, & laudem ejus, qui vivit ab æterno in æternum, & qui ipſa ſapientia eſt celebro, ſubmiſsè rogans, ut mentem meam ſapientiæ ſpiritu illuminet, ut theſauri hujus pretioſiſſimi particeps fieri poſſim, & me illo in ſancti ſui nominis gloriam, Eccleſiæ Chriſtianæ commodum, maximè verò in proximi mei & pauperum utilitatem uſurum promitto. Sic itaque amici chariſſimi fundamentum ſummi & pretioſiſſimi theſauri cum omnibus circumſtantiis vobis tradidi. Mei ergo imitatores eſtote, bonum & ſanctum propoſitum habete, ſophiſtas vitate, & Deum timete, & non tam ſæpe in vanum laborabitis, ſed mirabilia Dei videbitis, cujus nomen ſit laudatum & benedictum ab æterno in æternum. *Amen.*

Petite & dabitur vobis.

Feliciter abſolutum in arce Solis Axhaffz. Anno æræ ſalutis 1598. ſtylo veteri.

Praxis Authoris Joannis Grassei *I. V. D. Siraleſuntorum Syndici, qui ſe* Chortalassæum *vocavit.*

POſtquam igitur æterno & omnipotenti Deo, omnium rerum creatori pro gratioſa ſua revelatione gratias egeram & ex toto corde nomen ſuum ſanctum laudaveram & celebraveram, materiam meam ſecundam (prima enim ponè ſequetur,) aſſumpſi, eamque quod tandem mihi obtigiſſet præ gaudio deoſculatus ſum, quam videlicet tantopere deſideraveram, & cujus cauſa per plures annos in dubio, mœrore, mœſtitia & tribulatione ſteteram. Hanc materiam contemplando tanto profundius conſiderabam, quod nulla externa ſpecioſa forma prædita eſſet, & nihilominus hoc ſummum & tam ſupernaturale opus perficere deberet. Hic memor fui eorum quæ ruſticus mihi dixerat. Quod videlicet Deus huic materiæ gravibus de cauſis talem formam externam tribuiſſet, ut pauperes æquè atque divites adipiſci poſſent: Et ut non haberent de quo apud Deum conquererentur, ac ſi divitibus hac in parte prærogativam quandam dediſſet, cum tamen divites illam non curent, & multo minus, quod tantæ virtutis ſit credunt, ut in Roſario Magno folio 248. extat. Si materiam noſtram nomine nuncuparemus inſipientes & divites illam eſſe non crederent. Hâc materiâ pauperes citiùs etiam potiuntur quàm divites, quâ in involucro benè cuſtoditâ domum rèpetii cum gaudio, cantando in via Canticum illud quod eſt cap. 7. Sap. Salomonis. Ubinam eſt Deus ſicut Deus noſter qui ex tribulatione eripere poteſt. Triſtis eram nunc præ gaudio geſtio, Domum reverſus de ſufficienti ſumptu pro particulari à ruſtico mihi communicato acquirendo, mecum deliberavi, ut adminiſtrationis operis Univerſalis tanto meliorem curam continuò habere poſſem. De carbonibus igitur (quos hoc particulare requirit plurimos) mihi bene proſpexi & furnis exſtructis intra paucas ſeptimanas, carbonum copiam ſufficientem acquiſivi. Hoc Chriſtiani nominis hoſtis perferre non potuit, ſed hinc inde querulas & rixas excitavit. Vicini de ædium ſuarum incendio ex vicinitate furnorum meorum metuendo querebantur, cognati & alii amici ut à cœptis deſiſterem monebant, ne pro falſo monetario, de quibus tunc rumor erat, haberer. Et ut facultati juridicæ (quia Doctor Juris eram) vacarem hortabantur, dicentes, inde ſufficientem vitæ ſuſtentationem mihi ſuppetere poſſe. Sed an cum bona conſcientia ex illa

ex illa juris practica sustentationem meam habere possem valde dubitabam. Fabri ferrarii & aurifices insuper me vexabant, & quod charitatis annonæ carbonariæ author essem, quia emptione chariore, carbones ipsis præriperem, apud magistratum querebantur. Dicentes se opificia sua exercere non posse, neque etiam consuetam contributionem magistratui persolvere. Qua de causa factum fuit, ut ab ulteriore tanta carbonum tractatione, mihi interdixerit Magistratus. In summa res eò devenit ut furnos meos diruere, patriæ valedicere, & amicum qui sumptus ad absolvendum opus Universale suppeditaret, quærere me oportuerit, interim tamen nemini animi mei intentionem aperiebam. Hæc tribulatio, quoad itinerationem & alia incommoda in tertium usque annum durabant, quantus in corde mœror mihi fuerit, quod totius mysterii cognitionem haberem, nec tamen opus aggredi possem, Deo sat cognitum est. Has tandem cogitationes quod hactenus Dei voluntas non fuerit animo verlabam. Nam quo nos fata trahunt, retrahuntque, eò nos sequi oportet. Ut Comes Trevisanus quoque dicit se totam operis Universalis Artem duobus annis ante perfectè scivisse, quàm variorum impedimentorum causa opus hoc in effectum deducere posset; ideoque rem Dei voluntati committebam,

In itinere meo cum viris doctis conversatio mihi fuit, operas mutuas tradendo, & scripta mutuò ut fieri solet communicando. Minerarum species quoque varias collegi, sed præter tres qui Philosophico tramite incederent non reperi. Cæteris omnibus cum Mercurio vulgi, auro, antimonio, Cinnabari & aliis rebus vilioribus negotium erat, in quo omnes errabant, quia naturam non sequebantur. Si verò naturam secuti fuissent & res convenientes composuissent, tam miserè non errassent. Verùm cuilibet tantum donum non esse datum, quilibet persuasum habere, & semetipsum examinare debet, ne facti ipsum pœniteat. Redux in patriam cum factus essem, amici mei me invisérunt, ubi locorum fuissem, quid effecissem quid in posterum agere vellem scire desiderabant, quibus pauca respondendo sic fari cœpi. Nonne mundi ambitus satis est spatiosus. An civitatem vestram totum mundum esse, & alibi locorum vitæ sustentationem non inveniri posse putatis. Si peregrinas oras vidissetis, multo aliter de hac re judicaretis. Præter vos multi alii sunt, qui quod vos spernitis & ridetis obviis ulnis animo grato amplectuntur. Neque etiam in posterum cum carbonum tractatione vobis molestus ero, quia illis opus non habeo. His auditis mirabantur, & sermones clanculos inter se habebant, sed quo in loco res meæ essent nesciebant. Ego verò ipsos prorsus missos feci, domum & famulum conduxi, & habitis ad æternum Deum precibus & gratiarum actione, præ manu opus sumpsi, nec id quod factu opus est intermisi, illud enim ferè præcipuum & difficillimum est in arte. Siquidem hîc multa tarditas jacet, ut omnes Philosophi scribunt, & est clavis Artis & in ignis administratione error facilè committi potest ut materia destruatur, & flores seu virtus vegetabilis comburatur. Quare prudentia curæ mihi fuit, & cautio, ne ab ejus impuritatibus caperem damnum, ut Theophrastus in suo manuali ait. In summa omnia ex Divina voluntate tandem bene successerunt. Postquam igitur venenosi vapores lapidem reliquissent, duo nostri flores, de quibus rustico sermo fuit, paulatim & subsequenter apparuerunt. Albus flos prior apparuit ruber enim suum crescendi gradum nondum attigerat. De albo unum folium gustans tam excellentem & suavem & dulcem percepi saporem, quantum in aliis rebus nullum unquam deprehendi, unde gaudio perfusus eram. Reliqua folii pars laminæ ardenti à me imposita illicò in fluxum & fumum abiit, unde quod fœmina esset ex volatilitate sua cognoscebam. Simili prudentia mihi opus fuit, ut rubri lilii etiam compos fierem, quæ omnem ignem spernit, & perseveranter ei dominatur. Priusquam autem hæc duo lilia obtinerem multas adversitates de quibus hîc nihil dicam expertus eram. Sed tædium, illarum post nactos flores facilè disparuit, rustici memor etiam, & magnum suum ingenium admirans, in sua instructione perrexi, & duo lilia ista amicabiliter conjunxi, & in illorum conjunctione mirabile quiddam observavi. Post vasi crystallino inclusi, & calori leni commisi. Cum Sol splendere inciperet lilium album adeò se expandit quasi totum aqua esset, sicuti ros matutino tempore super gramine hæret, instar lachrymæ vel clari splendoris Lunæ, attamen cum subcærulei coloris reverberatione. Et cum defixis oculis hanc materiam aspicerem, lilium rubrum ab albo comprehensum & ita occultatum observavi ut ne folium quidem de illo ampliùs appareret. Occultatio autem ista non diu locum habere potuit: Nam rubrum lilium calidioris & siccioris, album verò frigidioris & humidioris est complexionis. Cum splendor Solis rubro lilio suppetias ferret, ex latibulo suo prodire conabatur, sed propter albi lilii robur cujus natura dominium adhuc habebat, non poterat, nihilominus tamen inter se pugnabant, & simul ad æthera usque crescebant, sed à venti turbine deorsum pellebantur, tam diu donec ambo (vegetans enim radix receserat) inferiùs unita manerent, ubi tunc demum primæ materiæ lapidis & metallorum, appellationem merentur. Posthæc tenebræ successerunt, Sol enim & Luna magis ac magis ad tempus quoddam obscurabantur, de quo Comes Trevisanus legi potest. Cum temporis successu diversi coloris Iris, quæ gratiæ signum est, mihi quoque apparuit, de quo Rusticus dixerat, quod lætitiæ & felicis finis prodromus esset.

Cùm autem Luna paululum, nec tamen sat clarè, lucere inciperet, Sol paulò forriores radios mittebat, donec Luna plena & adeò clara esset, quasi margaritæ pellucidæ & frustulatim contusi adamantes cernerentur. De quo quatuor Planetæ habent, quod gaudeant. Nam hac via ab omni impuritate sua in Lunæ splendorem & naturam, transmutari possunt. Hoc comes in parabola sua Regis indusium vocat. Cùm verò tertium ignis gradum adhiberem, omnis generis fructus utpote mala cotonea, citria, chrysomela aspectu jucunda ex hiacynthino solo crescebant, qui brevi temporis spatio in poma paradysi ex rubinea terra surgentia mutabantur & tandem in clarè semper lucentem carbunculum coagulabantur, qui omnes tenebrosos & obscuri coloris Planetas cum proprio suo splendore, in brevissimo tempore illuminat. Postquam igitur projectionem super aliquot metalla priùs purgata instituissem & multo gaudio delibutus essem, & tam exiguam lapidis nostri quantitatem omnis generis metalla dicto citius transire & transmutare posse mirarer, adeò ut una pars mille partes metalli transmutaret, & gratiis Deo peractis adhuc unam projectionem facere vellem, ut pro-

jectionis fundamentum melius aſſequi poſſem, & jam tigillum igni imponerem, ecce me januis clauſis ſalutatum venit chariſſimus ſenex meus ruſticus quo viſo propter ſubitaneum ſuum adventum primùm tremiſcebam, nam quod verſicoloribus veſtibus jam indutus eſſet, tam citò ipſum cognoſcere non poteram, unde artuum tremori lipothymia ſucceſſit. Ipſe verò perquàm humaniter me erigens ſic inſit. Noli timere chariſſime frater, nam Deum habes propitium & quæ animus tuus exoprat in hoc mundo. Ecce nunc, ut promiſi ad te redeo, ut te amplius in his & aliis altioribus rebus & ſecretis mirabilibus (hactenus enim principium tantum fuit) inſtruam. Quare mentem meam percipe. Exigua & facilis res eſt, ut nunc fateri iple cogeris, Lapidem præparare, quod Deus æternus gravibus de cauſis ita ordinavit, ſed lapidem rectè intelligere, & ad ſummum perfectionis apicem adducere. Hîc opus, hîc labor eſt; Hîc Adamus, Salomon, Hermes, Theophraſtus & Sapientiſſimi quique infirmitatem & impoſſibilitatem ſuam magna cum reverentia ſe incurvando agnoſcere & fateri coguntur: Quod Zacharias, qui Lapidem ſæpiùs præparavit, hiſce verbis teſtatur: Noſtræ medicinæ ſcientia enim tam divina, tamque ſupernaturalis eſt, (in ſecunda quidem operatione) ut ſemper fuerit ac ſit adhuc impoſſibile hanc innoteſcere hominibus, quocunque ſtudio vel induſtriâ, quamvis omnium etiam ſapientiſſimi ſint, atque doctiſſimi Philoſophi, niſi primùm à Deo ſint inſpirati. Deficiunt enim hac in parte omnis naturalis ratio & experientia. Ut igitur promiſſis meis ſatisfaciam, & tu ulteriorem doctrinam hauries, quantum quidem nunc licitum & mihi permiſſum eſt, fundamentaliter te inſtruam, tuum deinde erit, occaſione præmonſtrationis meæ ſummum Deum precibus crebris ſollicitare, ut opus tuum benedictione ſuâ ſecundet, nam ab illo ſolo omnis ſapientiæ theſaurus eſt. Tunc enim, ut Salomo cap. 7. & 8. in libro Sapientiæ ait, tua mens majori ſapientiâ illuminabitur. Æternus Deus enim precibus aſſiduis vult compellari: Et quemadmodum aliis dedit, ita quoque illis dat libenter, qui hoc donum ex toto animo deſiderant, & qui illo in Dei honorem, propriam ſalutem & in proximi atque pauperum utilitatem uti, piè & ſanctè apud ſe decreverunt.

Quantum autem ad tuam projectionem attinet, te illam imprudenter inſtituiſſe, ſatis mihi conſtat. Ideò ſeriò te horror, ut metalla ante projectionem ab adjunctis & adhærentibus accidentibus ſepares, niſi damno affici malis. Quomodo autem projectio fieri debeat, in Philoſophorum libris extat. Sic fatus, fruſtum cupri accepit, tigillo impoſuit, pulverem purgatorium ſuperinjecit, & cum filo ferreo incurvato fœtidum ejus & combuſtibile ſulphur rubrum copioſè detraxit, eò uſque, donec Venus pura fieret, & ſcoriæ aliquantulum albeſcerent. Quo facto, tinctura mea ſuperinjecta, in momento totum corpus Veneris penetravit, & in excellentiſſimum & melius aurum quam eſt naturale Ungaricum tranſmutavit. De quo admiratio & gaudium me inceſſit, eique maximas gratias egi. Poſt hæc aliorum quoque metallorum purgationes, quas tentare volupe erat, me docuit.

Et hanc quoque ſequentem inſtructionem aliam, ſic inquiens addidit. Heus te porrò ſcire volo, quod cum albo fixo lapide omnis generis gemmas pretioſas, albo ſplendore præditas, ſcilicet Adamantes, Saphyros albos, Smaragdos, Margaritas & ſimiles alias facere poteris: Cum flavo verò, priuſquam rubeſcat, flavas gemmas, utpote Hyacinthos, flavos Adamantes, Topaſios: Cum rubro verò lapide, carbunculos, rubinos, granatos; qui nobilitate, virtute & excellentiâ orientales longè ſuperant. Hæc omnia manu propriâ poſtea, quia facilè error committi poteſt, tibi oſtendam: Nunc autem mirabile myſterium tibi pandam. Feneſtras igitur occlude, nec timorem, ſed gaudium, quod Deus huic ſubjecto tantam virtutem & naturam indidit, concipe; cui ego ſic reſpondi: Chariſſime Amice & Frater lubens parebo, & mirabilia iſta diſcam & videbo, & pro illis gratias Deo meo agam, hoc enim faciet ad meam utilitatem & fidei meæ confirmationem. Ille verò, ad terram ſedere me juſſit, deinde ſeptem menſas ſecundum Planetarum numerum præparavit, & ſuper qualibet menſa præparati Planetæ characterem ſeu ſignum formavit, poſtea ſeptem iſtos Planetas, ex ordine particularis ipſorum conſtellationis, & ſecundum eorum requiſita in tigillum compoſuit, donec in unam maſſam confluxiſſent, tum ſeptem guttulas olei noſtri inſtillavit. Quo facto protinùs ſplendens vapor igneus ex tigillo ſurrexit, & hypocauſtum, cum hoc ſplendore obduxit, ut timor magnus me invaſerit. Hæc ſecreta & arcana vidi, ſin ul etiam firmamenti & omnium Planetarum in circulis euntium apparitionem, ſecundum illum, quem ſuperiùs obſervant curſum, quæ omnia effutire me non decet nec licet. Nunquam certè credidiſſem, tanta in noſtro lapide mirabilia fore, niſi oculis meis vidiſſem. Hinc facilè concedo, hominem angelicum intellectum ex illo adipiſci, quia res tam excellentes in rebus mortuis excitari poſſunt.

Præter hæc ruſticus meus magna multarum rerum myſteria mihi narravit. Item quod numerum verorum Philoſophorum lapidem poſſidentium ſcire poſſim, qui etiam mei notitiam haberent, & quod quamprimùm familiaritatem meam quoque ambituri eſſent. Item ſi novem diebus continuis novem guttas ſingulis diebus aſſumerem, me angelico intellectu præditum fore, ut in paradiſo me eſſe, ſim putaturus. Horum mirabilium plura ab ipſo fui doctus, quibus nullam ſanè fidem adhibuiſſem, niſi ipſe oculis meis vidiſſem. Experientia enim mille teſtium locum habet. Sed aliud quiddam mirabile & ſupernaturale inſuper ſe mihi monſtraturum & deinde plurimos effectus & virtutes noſtri lapidis benedicti indicaturum promiſit. Sic enim fiet, dicebat, ut omnes Philoſophorum dubios æquivocos ſermones & ænigmata, quibus tot homines in ambiguo tenentur, reſolvere & declarare poſſis. Tandem etiam proceſſus aliquot, in quibus fundamentum ſitum eſt, addam, ut videas, te ſi Philoſophos primâ vice rectè intellexiſſes, multò citiùs ad finem pervenire potuiſſe. Hic defectus autem circa materiam, ſolutionem primam, & veram compoſitionem, ut audies, verſatur: Quidam Philoſophi enim in 378. vel etiam 30. diebus Lapidem præparaverunt, & felici ſucceſſu ad finem perduxerunt.

Poſt hos ſermones aquâ multâ pluviali magnum dolium implevimus, & putrefactioni commiſimus: deinde claram & ſubcœruleam aquam per cohobationem à fæcibus ſuis ſeparavimus, & in vas ligneum ſeu labrum impoſitam ſoli expoſuimus, & ſtatim olei noſtri benedicti & incombuſtibilis, guttulam unam injecimus; & tenebræ ſicuti in prima creationis die factum, ſucceſſivè ortæ ſunt: & deinde duabus adhuc guttulis injectis tenebræ

evaneſcentes

evanescentes à luce separatæ fuerunt. Tandem tribus, quatuor, quinque, & sex guttulis impositis, omnia quæ in prima mundi creatione in sex diebus creata fuere, aspectu amabilia & mirabilia, cum omnibus circumstantiis & ineffabili excellentiâ apparuerunt, adeò ut si hæc omnia pro dignitate describere vellem, sensus & ratio mihi deficerent, nec plura etiam de illis revelare licet. Hinc est, quod sapientissimus Rex Hermes in tabula sua Smaragdina inbuit: Ita mundus creatus est. His visis, bone Deus, ingemiscendo ego dixi, quanta hæc sunt mysteria, & illum, qui vivit ab æterno, pleno corde & ore laudavi. At ille, charissime frater, hisce te nunc contentum esse jubeo, majora enim arcana tibi nunc revelare, in mandatis non habeo. Ora Deum ex toto corde, si tunc plura tibi revelandi mandatum accepero, multò altiora tibi indicabo. Hæc igitur nunc sufficiant.

Jam quoque ut promissis meis stem, de effectis & virtutibus inexhauribilis nostri fontis, dicendi tempus est, ut etiam in medicinalibus rectè proceedas, & proximo tuo, pauperibus & ægris succurras. Sede igitur & calamo, quæ sum dicturus, quia in his multum situm est, nota. Prius tamen de fundamento trium principiorum aliquid dicam, & deinde ad rem accedam. Attentè ergo ausculta: Nam quemadmodum non est, nisi unus æternus omnipotens Deus, per quem omnia sunt, & adhuc subsistunt, & nihilominus tamen tres distinctæ personæ sunt: Ita quoque sciendum est: Deum Lapidem ad suam similitudinem ordinâsse, & omnia in unitate consistere oportere; quamvis in hoc uno duo sunt visibilia, quorum unum est volatile, alterum fixum & permanens. Unum animale seu animâ præditum, alterum corporale, vel unum album, alterum rubrum, tertium verò absconditum & virtualiter positum & ordinatum.

Hinc sequitur, omnes res, quæ subsistentiam habere & aliquid boni esse & manere debent, ad similitudinem ex una re oriri, in tria dividi, & hæc tria in unum rursus componi oportere; aliàs contra Altissimi intentionem esset, & nihil boni inde existeret. Hæc tria autem propriè sunt corpus, anima & spiritus. Aut cœleste, terrenum, & aquosum. Sal, Sulphur & Mercurius, quæ tria tamen unum sunt & simul unà in uno subjecto, sicuti in homine corpus, anima & spiritus, & sicut in Deo, Pater, Filius & Spiritus Sanctus, ita quoque in omnibus creaturis, pater, mater, filii. Hinc est, quod justus & benignus Deus ad demonstrandum qualiter omnes res constitutæ esse deberêt, primum suum filium Adamum ad similitudinem suam creavit. Sic igitur unus iste homo fuit filius & imago Dei respectivè, videlicet Adamus, non verò Eva. In illo erat totum genus humanum, non in Eva. Sic, inquam, ex unico Adamo Dei filio, tria facta sunt, pater, mater & proles. Hoc de omnibus creaturis est intelligendum. Terra enim fuit mater omnium quadrupedum, herbarum, arborum, foliorum & graminis, cùm tamen ab initio non fuerit nisi unum, videlicet terra, & in terra semen. Sic itaque Deus unum in tria separavit, cùm dixit: Terra germinet in foliis, herbis, & gramine, & arboribus frugiferis, quæ semen suum habeant secum, & fructum ferant, secundum speciem suam, ad seminificam suam multiplicationem. Sic ergo, inquam, ex unica terra tria facta fuerunt, videlicet terra, semen & fructus, quæ rursus semen ferunt, unde rursus fiunt. In ista separatione factæ sunt tres res distinctæ, & rursus ad unum illud redeunt, ex quo sunt ortæ hoc modo: Omnes fructus in terram revertuntur, & ad unum redeunt, ita quoque homo, quia secundum corpus ex terra desumptus est. Dixit enim Deus: Terra es, & in terram reverteris. Vides igitur, quomodo quælibet res seu creatura redeat ad id, ex quo desumpta fuit, videlicet ad primam matrem suam, & tandem suo sensu ad Deum redit, à quo per verbum primò exivit, videlicet ad mysterium magnum, ut omnia maneant in unitate, & in unitate consistant, & conserventur, videlicet in ipso Deo. Quicquid igitur se ab illo separat, & extra limites hujus ordinationis divinæ abit, illud diabolicum est. Qua in parte reus factus est primum ipse Lucifer per superbiam suam, deinde etiam homo per præcepti Divini transgressionem, tertiò creatura per maledictionem, quæ propter hominis lapsum ipsi supervenit.

Sed homo in gratiam rediit, cùm Deo unum factus est, quia per pretiosi Sanguinis Christi effusionem tinctura & projectio intercessit. De Natura Divina homo participavit, quia Deus Adamo & nobis de essentia ejus oriundi animam per afflatum suum Divinum indidit, quæ, ut dixi, per Satanam seducta, sed tamen per Christum Deum & hominem redintegrata fuit: Quæ gratia Diabolo, quia ex proposito contra Divinam majestatem peccavit, & insuper hominem seduxit, contingere non potuit; Hæc omnia Dei permissu ita evenerunt, ut omnipotentiam & ineffabilem suam misericordiam ostenderet, dum vult, ut omnia secundum ordinationem suam in æternitate consistant.

Hinc est, quod omnes illi gravissimè errant, qui contrà cursum & Altissimi ordinationem in sacra nostra arte laborant, cujus ope natura quidem mutari potest, ut ex argento, cupro, ferro & aliis metallis aurum fiat, sed segregationem & abjectionem ejus, quod ingredi non debet, fieri prius oportet. Impedimentum seu impurum prius est abluendum, ut bonum, quod intus est, in sua claritate liberè apparere queat. Nam natura, cùm illam Deus propter hominis lapsum maledictioni subjecit, valde corrupta fuit. Quicunque igitur hunc defectum tollere, & Naturæ per convenientem suam medicinam, quæ artifici plusquam perfectionem in fœcibus latentem subministrat, succurrere potest, is verus artifex & Philosophus est. Quælibet res mortem & vitam in sinu suo gestat, sanitatem scilicet & ægritudinem, quælibet enim res de illo, quod suæ naturæ & proprietatis est, sanitatem vel ægritudinem hautit, Exemplo tibi sit homo. Hic enim secundum externam suam substantiam, est terra seu limbus terræ subtilioris, & extractum omnium terrestrium creaturarum, unde etiam meritò Microcosmus dicitur, qui fructus terræ matris suæ, comedens, sanitatem aut morbum capit. Nam quantò nobiliores sunt fructus seu herbæ, aut creaturæ, quibus pro nutrimento suo vescitur homo, tantò sanior est & manet. Et vice versa idem de contrario sentiendum.

Certò certius autem nobis constat, nihil esse in tota rerum natura homini propter harmoniam proximius, & magis cognatum, quàm metalla, inprimis verò puriora, utpote aurum & argentum, quod illorum splendor & fixitas testatur. Hæc enim contra ignem pugnant, quod cætera metalla non faciunt: Ferrum ferrugine obducitur, cuprum in vitriolum abit, plumbum fit argentum vivum, in summa omnia in fumum abeunt in igne, sed hæc duo prædicta tantùm in igne permanent; unde facilè

concludi poteſt, ſpiritum ſeu tincturam in illis latentem, hanc permanentiam & virtutem in ſe continere, & in aliis illam operari. Unde duo iſta metalla nobiliſſima, quæ corpori humano ſimilia ſunt, à natura ſua tantam ſanitatem (modò quis illa rectè præparare queat) infundere poſſunt, ut nihil ſuprà. Hæc enim ſola ſunt punctum illud trinum viæ univerſalis, cum quibus herbæ, radices & flores, quæ facilè & citò putreſcunt, ne in milleſimo quidem gradu comparari poſſunt. Hæc omnia autem non ſecundum literam, ſed philoſophicè intelligenda eſſe memento, ſicuti in principio doctus fuiſti: Unde ſequitur, aurum & argentum per veram naturalem & convenientem præparationem, ad interiorem ſuam puritatem reducta aſtris ſeu Soli & Lunæ rectè aſſimilari, quæ claritate ſuâ diem & noctem, firmamentum ſuperiùs & inferiùs illuminant. Sine horum luminarium claritate ſeu operatione omnes creaturæ ſuum lumen & ſplendorem amitterent, & prorſus interirent ac moterentur, nec à cæteris quinque planetis, videlicet, Marte, Venere, Mercurio, Saturno & Jove, aut aliis ſtellis fixis & erraticis, quantumvis potentibus conſervari poſſent. Unde facilè concludere potes, nulla imperfecta metalla, utpote ferrum, cuprum, argentum vivum, plumbum & ſtannum, cum omnibus ſuis auxiliatoribus (excepto uno, quod omnium rerum proprietates in ſe continet) neque alias quaſcunque res, in genere loquendo, quocunq; nomine appellari aut pro medicina vel tranſmutatione à minori ad majorem gradum vel ab imperfectione ad perfectionem & puritatem excogitari poſſunt, quicquam præſtare vel operari poſſe. Nam ſummè neceſſarium eſt, ut medicina contra morbum uſurpanda, nobilior & multò melior ſit, quàm mali cauſa, ex qua morbus ortus eſt. Ideoque oportet, ut cura ſeu tranſmutatio metallorum tantùm in Sole Rubeo, & in Luna alba, & nullo modo in aliis quæratur & inveniatur. Quod præſtantiſſimus Hermes in exemplo ſequenti nobis proponit. Primus homo Adam factus eſt à Deo homo vivens, abſque peccato & morbo, & ſine corporis & animæ mortalitate, ſi in ordinatione & mandato Dei perſtitiſſet, quamprimùm autem mandatum tranſgreſſus fuit, peccatum & morbus corporis & animæ ſubſecutus eſt, ut nunc miſeri homines, mortales, morti & creaturis quibus dominabamur, ſubjecti ſimus. Nam à propria matre, terrâ videlicet, à filiis ſuis, qui fratres noſtri, & unius naturæ & ſubſtantiæ nobiſcum ſunt, interficimur, conſumimur, & tandem devoramur. Verum quidem eſt, quod generatione & natura & proprietate adhuc homines ſumus, ut priùs, & homines manemus, ſed tamen fragilitati & morti obnoxii, quia de prima perfectione multas millenas partes perdidimus. Vix homini amplius ſimiles ſumus, ſi ſtatum, in quo primus homo ante lapſum conſtitutus erat, conſideramus. Hinc eſt, quod primi parentes noſtri ſummam hanc medicinam ſeu tincturam Philoſophorum pro conſervatione vitæ longæ & præſervatione contra morbos orando ab Altiſſimo impetratunt, cum qua tinctura, illa ſecreta præſtari poſſunt, quæ partim tibi revelavi, partim adhuc abſcondita ſervare cogor, donec Altiſſimo placuerit, tibi illa revelare. Sed objiciat & quærat quis indoctus, quænam ſit cauſa hujus ſympathiæ amoris & amicitiæ, quam metalla cum hominibus, animalibus & herbis habent, cùm tamen caro & oſſa à metallis toto cœlo à ſe invicem diſtent & diſcrepent. Facilis autem erit reſponſio, ſi quis hominum & metallorum generationem originalem benè conſideratam inter ſe comparabit. Non enim homo ex impura terra, ut indocti arbitrantur, à Deo omnipotente fuit creatus, ſed ex puriſſimo totius terræ centri extracto. Hoc certò mihi credas velim, Deum ad tale opus, quod ad ſui imaginem facere, & cui divinæ ſuæ eſſentiæ ſcintillam aut radium inſufflare volebat, non terram communem, ſed totius terræ extractum adhibere voluiſſe, quod hominis in ſua tria principia reſolutio facta, verum eſſe ſatis teſtatur, quam in fine compoſitionis terra rubra ſubſequetur. Reliqua deſunt.

FINIS.

FIGURA CABALISTICA.



PHYSICA Naturalis Rotunda Viſionis Chemicæ Cabaliſticæ.

PRimò Sol & Luna cum toto firmamento apparebant, gradum ſiſtebant, colorem quidem habebant, ſed nullum ſplendorem dabant. Sub illis globus quoque apparebat terræ colorem habens. In cujus centro parvus erat globus, albiſſimi & micantis coloris, ſicut nix. Dum hæc omnia aſpicerem, horribile tonitru cum magno fragore & igneo fulgore fiebat, qui magno terrore me affecit. Aderat quoque ingens nebula, qua pereunte, ſtella ſupra Solem, Lunam & firmamentum conſpiciebatur, cujus ſplendor tantæ claritatis erat, ut illam defixis oculis intueri non potuerim, rubore ſuo Solis rubore ſuperabat. Quamprimùm hæc ſtella apparebat, totum firmamentum cum Sole & Luna curſum agere & ſaltare incipiebant. Interim prædicta ſtella per exterius firmamentum igneos radios deſuper jaculabatur, quorum modò plures, modò pauciores, quidam etiam dimidia ſui parte tantùm ſuper globum ferebantur, minimam autem partem horum radiorum parvus globus excipiebat. Illi radii, qui dimidia ſui parte in globum intrabant, aquas movebant, ut curſum facerent,

facerent, & pisces intùs conspicerentur. Cæteri radii efficiebant, ut magnus globus vivere inciperet, & omnis generis arbores & fructus proferret, cui etiam animalium & homines inambulabant. Illa autem radiorum pars, quæ in parvum globum ingrediebatur, adeò illum commovebat, ut instar aquæ in olla bullire inciperet, & album, clarum & purum vaporem, in forma stellæ usque in arborum & herbarum radicem, de se spargeret. Deinde ex globo seu alba stella micante, incipiebant crescere, sat tardè tamen, omnis generis arbores & herbæ, & ad circumferentiam magni globi tendebant, & cùm jam illam ferè attingerent, ecce duo lapidei montes albi ex utroque globi fine surgebant & aperiebantur. Interim herbas & arbores continuè crescendo pergere videbam, ut tandem mons omnis generis & coloris flosculos ferret, qui iterum claudebantur, & in nodos mutabantur rubros flavos, virides & albos. Dextri montis nodi transparentes erant & parvi, sinistri verò majores, sed non transparentes. Interim superior & major stella continuè plures radios mittebat, quorum beneficio semper plures herbæ & arbores crescebant. Tandem vox audiebatur, sic clarè & sonorè clamans: Benedictus Deus, qui hanc stellam creavit, hæc semper stella sapientiæ & æternum lumen vocabitur.

EXPLICATIO VISIONIS.

MAgnus globus est terra; ex qua omnis generis fructus crescunt, per quam aquæ ad humectandum illam, transeunt. In medio est illud, quod respectu aquæ communis corporale voco, de quo non ita pridem tibi dixi, quod sit ager ille, ex quo omnia mineralia ortum suum habent, & semen ex cœlo seu firmamento capiunt, ut vides, supra terram enim cœlum est extensum, quod cum luminaribus suis, terram cursu suo ambit, & tempora anni atque dierum suppeditat. Quod verò stellam, de qua nobis sermo est, Deum esse putas; in eo graviter erras: Est enim creatura divina, tantâ virtute dotata, ut omnia, quæ tam in cœlo quàm in terra existunt, ab ipsa originem ducant.

Stella ista, quam vides, & cujus virtute cœlum & terra moventur, non est propriè stella, sed ob humanæ naturæ tuæ imbecillitatem talis tibi adumbrata, quam nulla corporalis creatura corporeis oculis videre, nec comprehendere potest; nihil enim aliud est, quàm invisibilis & æternus ignis Deo proximus, & super omnes cœlos constitutus. Est, inquam, vis, potentia, forma, vita, virtus & conservatio omnium rerum in cœlo, super & in terra, motus perpetuus, non natura, sed Dominus naturæ, qui naturæ & omnibus virtutibus ejus imperat, & in summa, omnia est in omnibus. Quod verò stella sapientiæ & lumen æternum vocatur, hæc est causa, quia lumen in seipso est, nec ab aliis quicquam mutuatur, sed potius illis virtutem communicat, & sapientiæ fundamentum in ipso est absconditum. Verba mihi desunt, quibus virtutem & potentiam in ipso latentem exprimam, quod licet præstare possem, impossibilitas tamen obstaculo est, quo minùs hoc assequi queas. Quemadmodum enim arcanorum Dei & omnipotentiæ fundo animo penetrare impossibile est, ita tibi vel aliis hominibus hanc virtutem percunctari possibili non est. Hoc tamen non est ita intelligendum, quasi hæc luminis hujus virtus Deo æqualis esset, is enim ei dominatur, qui ab illo ortum ducit, & in illo Deus suam omnipotentiam demonstravit, ut operum suorum notitiam haberemus.

QUÆSTIO I.

QUænam igitur est illa virtus hujus Stellæ. Et quid sibi vult quod astra per ipsam circumaguntur, quod aquis motum præstat, quod per ejus radios terra fructus producit?

RESPONSIO.

DEus omnipotens in omnibus operibus suis est imago seu præfiguratio rerum, quæ in futurum apparere debent. Hinc est, quod postquam cœlum, terram, & omnes creaturas, folia, gramina, herbas, bruta, & homines creasset, dixit: Crescite & multiplicamini. Per hoc verbum invisibilis iste ignis initium sumpsit, & impressionem (sicuti etiam cœlum & terra astralem proprietatem) accepit, ut naturam ad complendum sibi insita opera impelleret, & hac ratione Soli & hujus beneficio, Lunæ, atque omnibus astris non solùm constantem splendorem, verum etiam mobilem virtutem & semen dedit, ex quo omnes res terrenæ originem trahunt, & à terra tanquam matrice quâdam concipiuntur, quæ virtutem instar magnetis ferrum attrahentis habet attractivam. Quemadmodum firmamentum priùs formam, æternum videlicet Lumen, ad se attraxit, sic terra formam de firmamento, quod notandum, ad se attrahit, quæ forma tamen antea materia Stellæ erat.

Si verò summus Deus hæc verba non protulisset, omnia interiissent: Herbæ enim brevi temporis spatio periissent, animalia mortua fuissent, cœlum in nihilum abiisset, sicque hoc summum opus, ex quo omnipotentia & sapientia Dei elucescit, brevi tempore pessum ivisset. Quamvis etiam hic ignis primæ creationis effectus fuerit, & respectu mundi æternus, vivificans & constans, tamen ipsum Creatori suo obedientiam præstare, gradum sistere, ab omni in naturam & cæteras creaturas exercenda operatione abstinere oportuisset. Quamprimum autem summa hæc verba prolata fuerunt, incombustibilis iste & vivificans ignis in naturæ viscera transiit, & suam impressionem exserendo naturam excitavit. Tunc demum motus vires sumpsit, & attractiva proprietas cœlo seu firmamento sidereo insita fuit. Tunc demum viva vis propagationis in omnibus creaturis fortiori gradu perrexit. Hæc causa est, quod Sol, Luna, Stellæ & omnia mortua tibi ostensa fuerunt, nec immeritò mortua, quia citò rursus ad interitum declinassent, quia quæ dicto citiùs creata fuerant, in ruinam quoque subitò descendissent, nisi hæc verba divina fulcimenti loco fuissent. His enim à Deo prolatis, Sol se purgandi & quasi juvenescendi, Luna quoque & Stellæ atque terra singulis diebus defectum suum resarciendi & resuscitandi semen acceperunt. Horum verborum efficaciæ acceptum fertur, quod indesinenter & subinde per omnes dies ac noctes radii à stellis in firmamentum mittuntur, qui firmamento instar vitæ & animæ, contra corruptibilitatem præservationis loco inserviunt. Hi radii à Sole, Luna & Stellis semen, id est, summam ipsorum essentiam sumunt, quâ ratione vivus ignis in naturam seminum assumptorum se miscet & transmutat, semen verò vitam mobilem seu vegetativam & se multiplicandi, hoc est, innumerabiles numeros simili generi suo conferendi

virtutem nanciſcitur. Hac commixtione in cœlo ſeu firmamento facta, ſemen hoc igne vivo animatum ſeu forma ſe ab aſtris ſeparat, & cum tanta ſtrenua virtute in terram tanquam matricem decidit, ut terram inviſibiliter dividat, & tam diu deſuper cadit, uſque dum ad terræ centrum perveniat. Inter cadendum autem multum de hoc ſemine partim ſuper terra manet, partim aliquantò profundius in terræ ſinum deſcendit: Nam multum recrementi de hoc ſemine decutitur, ex quo omnis generis herbæ, arbores & fructus prodeunt, pro ratione naturæ, quam corpus ſpirituale volatile & materiale ex ſtella ſua aſſumpſit. Hæc eſt illa forma, de qua antea dixi, quæ quamprimum in terram pervenit, materiam ſibi convenientem quærit, & ſe in illa multiplicando corporale corpus tale conſtituit, qualis prius à cœlo delapſa ſpiritualitas ſua erat, in qua ignis tanquam vita mediante ſtella magna formatus eſt, ut hinc omnis generis magni & parvi fructus evidentes fiant: Nam nulla res eſt ſuper terra, quæ non antè à ſtella præſigurata, & in formam fuerit præparata.

Quod autem quidam fructus in uno quodam loco, & non in alio quoque reperiuntur, ratio hæc eſt: Cœlum duobus conſtat polis, & ad illos quaſi eſt affixum, circa quos ita volvitur, ut unus ad alterum pervenire nequeat; Stellæ quoque ab illis dependentes ſibi non ſunt ſimiles, quot enim ſtellæ, tot loca. Cum igitur una cœli pars ad alteram cœli partem tranſire nequeat, rotunditas cœli & medium terræ punctum impoſſibilitatem inducunt, quominùs unius loci ſtellæ ſemen ad alterius loci ſtellam cadere, & ſe eò conferre queat, ſed quòd poteſt perpendiculariter deorſum cadere opus habet.

Hinc concludere potes, ſemen, in India ſuæ ſtellæ ſobolem, in Suecia propter ſtellæ diſtantiam cadere non poſſe. Hoc quidem verum eſt, quod homines herbam vel ſemen ex loco ſuo in alium, ad quem ſua ſtella pertingere nequit, transferunt & tranſplantant, & quod etiam creſcit, cujus rei cauſa eſt ineffabilis, in igne ſpirituali latens multiplicatio, & ſeminis ſuccedanea bona digeſtio: Sed & hoc quoque econtra verum eſt, quod herba aliqua in quodam loco feliciter creſcit, in alio vero nullo modo prodit, cujus defectus ratio hæc eſt, tum quia materia ſibi conveniente deſtruitur, tum quia digeſtionem aut nimis debilem, aut juſto fortiorem experitur. Herba enim in Arabia naſcens, in Germania creſcere nequit, quia fortiori digeſtione uti, ſuæ naturæ proprium eſt. Et vice verſa, herba in Germania creſcens, in Arabia non naſcetur, verùm ibi loci comburetur, & in nihilum redigetur. Sic itaque fit manifeſtum, quomodo vegetabilia, aſtrorum beneficio naſcantur, influentias ſuas habeant, æquè atque homines moriantur, in nihilum redigantur, & venena ſua adipiſcantur. Nunc ulteriùs pergemus, & qualiter homo ſecundum aſtra regatur & naſcatur, percipiemus.

De Generatione Hominis & Animalium.

QUantum ad homines & omnis generis animalium ſenſitivorum generationem attinet, alia ejus eſt ratio. Nam quamprimùm maris & fœminæ facta eſt commixtio, aſtra in animali aut homine excitantur, quæ adeo valida ſunt, ut ſtellas, ſtellæ vero lumen æternum ad ſe trahant, (cujuſlibet enim materia formam ſuam attrahit.) Tunc, inquam, injectio aſtri ſimul cum ſeminis injectione in matricem contingit, unde vegetationis motus ſuccedit, ut virile ſperma tanquam agens cum ſpermate fœmineo miſceatur, in illud agat, & hominem ſeu animal ſecundum illam formam generet, qua in illo tempore ſtella aut firmamentum pollebat; Hoc corpore ita præparato, altera injectio, videlicet aſtrale, materiale, ſpirituale & firmamentale corpus unà cum vita ſequitur.

Qualis itaque tunc temporis aſtrorum diſpoſitio erat, talem quoque homo & animal ſenſu & cogitatione ſe exhibet, ut qui ratione formæ externæ homo eſt, tamen canis, lupi aut urſi animum habeat, animal brutum verò, uti canis vel lupus, crudelius ſit, quàm aliud ſui generis brutum. Hinc eſt, quod ſæpe probus pater improbum filium, & vice verſa, improbus pater probum filium habeat.

Hinc demonſtratio illorum, qui ex phyſiognomia ſeu facie & forma membrorum hominis naturam judicare volunt, evertitur. Fit enim, ut qui ratione formæ externæ ſibi invicem diſſimiles ſunt, eundem tamen habent animum & cogitationes. Plerunque etiam, & ut plurimùm accidit, ut altera aſtrorum in animalia injectio, quæ animam ſeu vitam concernit, cum prima injectione non concordet, & ejus proprietatem non habeat, talis enim mœſtum, iracundum & torvum vultum præ ſe fert, qui tamen humanus & humilis eſt in ſuo corde, quod in animalibus brutis quoque deprehendi poteſt.

Quamvis oculi (ſubtile corporis membrum) & lingua animum hominis nonnunquam indicent, hinc tamen homo non ſatis cognoſci poteſt, quod temerè quidam affirmare audent: Nam diverſitas locorum & temporum facit, ut homo in aliquo loco alius ſit, quàm in alio, & in aliquo tempore iracundior & humanior, quàm in alio, quod ab aſtrorum & terrarum climatis diverſitate provenit, quæ ſi cum homine concordant, tunc animus ejus & à cœlo collata impreſſio tantò fit fortior, ſi verò contraria ſunt, tunc voluntas ejus impeditur, & corpus, quandoque etiam incommoda ſentit. Sic igitur apparet, qua ratione aſtra hominem regunt, & ejus intentionem vel promovent, vel impediunt. Hactenus de homine animali, qui facit, quod aſtra volunt.

Jam autem veri hominis eſt animo ſuo perpendere, ſe omni creatura eſſe nobiliorem, & præter hoc corporale & aſtrale corpus à Deo omnipotente ſpiritum ſeu tertium ac ſummum quiddam, corpus videlicet animâ præditum accepiſſe, & hâc de cauſa, in ſua natura ſemper duraturam æternitatem ineſſe, ſeque hac ratione non ſolùm terræ, verùm etiam cœli ſeu firmamenti poſſeſſorem factum eſſe, & illis dominari poſſe. Ex hoc fundamento omnes impreſſiones, complexiones & nativitates rejiciuntur. Hîc enim hominis regimen non aſtris, ſed corpori animâ prædito, hoc eſt, Spiritui Divino, ut facta nomini reſpondeant, tribuendum eſt. Hoc eſt, homo ſecundùm voluntatem Dei Creatoris ſui, qui ipſi mâlum vetat, & bonum ſequi jubet, ſe gerere debet. Cujus mandati virtute, totum cœlum ſeu firmamentum collabitur, hoc mandatum enim, nullum hominis reſpectum, cujuſcunque ſit complexionis, ſeu quocunque homo inclinet, admittit, & omnes excuſationes fugat. Niſi enim Deo bene conſtitiſſet hominem aſtris reſiſtere poſſe, & ſi hominem ſecundum aſtrorum inclinationem ſe gerere debere putaſſet, mandatum non dediſſet, nec hominem omnium rerum Dominum conſtituiſſet, cœlum ſeu firmamentum

mentum etiam pluris fieret, quàm homo, nec in novissimo die ullus hominum judicari posset, sed culpa in fortunam, astra, & in Deum ipsum, quod abhit, rejicienda foret. Ideoque homines iniquè agunt, cùm se Veneris, vel Solis, vel Martis filios esse dicunt, non enim hic sermo rationalis, sed pecuinus est. Hoc est ex astris, quæ ad nativitatem tuam aliquid contribuerunt, idola facere. Talis verò debet esse sermo vester: Ego ex filiorum Dei Altissimi numero sum, qui Filium suum unicum pro me tradidit, ut me cum sanguine, passione & morte suâ ex maligni spiritus potestate redimeret. Sic loqui, & illi, qui de vobis benè meritus est, honorem dare deberetis. Ethnici in Astronomia fiduciam habuerunt, Astris se subjecerunt, & tanquam Deos coluerunt, vos verò hominum Christianorum, non Ethnicorum, more, ita brutaliter loqui debetis, quod tu ibi, & quilibet sibi dictum putet, ne graviter in vos Deus animadvertat.

QUÆSTIO II.

De Astronomiâ.

ESt ne igitur Astronomia propterea prorsus rejicienda? *Resp.* Astronomia per se est Ars excellens, & laude digna, si verus ejus usus observatur, sed valdè corrupta fuit, dum Deos ex illa exstruere voluerunt. Præterea vera calculatio perdita fuit, adeò ut hodierni Astronomi illam quam Ptolomæus scriptis reliquit, sequantur. Quod reprehensione & falsitate tamen non vacat, siquidem nunc alia est cœli constitutio, segnior factus est ejus cursus & virtutes ejus sunt diminutæ. Quicunque autem veram methodum Astronomiæ scit, is ut Christianus, non verò ut Ethnicus illâ utatur, videlicet ad dierum, annorum & tempestatum inquisitionem, non verò ut quidam volunt, ad bellorum, seditionum, & aliorum malorum certam & infallibilem prædictionem: Hæc enim à voluntate divinâ & hominum meritò dependent. Quamvis Urbs vel Provincia quædam optimum haberet Ascendentem, & incolæ nihilominus deviam, & mandato Divino contrariam agerent vitam, castigatio, & ultio Divina tamen non emaneret. Exemplo est Sodoma & Gomorrha, quibus neque bonus neque malus Planeta profecit, sed peccata ipsorum à Deo punita, infelicis astri loco ipsis fuerunt, cujus rei exempla plura in sacris literis extant; ideoque homo ad Deum, Dominum suum animum attentum habere & respicere debet. Nam is, qui Danielem & Josephum custodivit, eadem potentia adhuc pollet. Quicunque autem Astris nititur, & se illis subjicit is naturæ humanæ limites transgreditur, & semetipsum animal brutum, sibique Deos alienos facit, qua occasione si adversam quandam fortunam experitur, sibi ipsi adscribat & habeat necesse erit. Hoc autem justo Dei permissu fit, ut hominis istius stultitia & ingratitudo nota fiat.

Alii respectu herbarum & aliarum rerum, quas secundum astrorum influentiam colligendas & effodiendas censent, errorem quoque fovent, quid enim negotii Astronomiæ seu astrorum cursui cum herba? Age igitur, projice alicujus herbæ semen in terram bonam recenter cultam, soli expositam, & de eodem semine in terram aridam malè cultam & umbrosam, & illud semen, quod in bonam terram fuit seminatum, citiùs surgere & germinare videbis, quam alterum, quod in malam terram erat injectum, quamvis uterque locus sit vicinus. Jam si ex Astronomiæ præcepto certo die & tempore collectio instituetur, unum ex duobus seminibus altero meliùs excreviſſe, unum incrementum alterum decrementum accepisse, videbis, unde igitur tibi de certo tempore constabit? falsam igitur & erroneam, opinionem istam esse puta.

Veteres verum quidem Astronomiæ intellectum habuerunt, sed successu temporis corrupta & falsificata fuit. Et quodlibet simplex secundum Astronomiam suam effodi aut decerpi debere verum est, quod sano tamen sensu est accipiendum. Nam quælibet res habet suam Astronomiam seu astrum suum in se ipsa, ad quod tu debes esse attentus, quando scilicet bonus ascendens præsto sit, & summus suus Planeta (à cujus semine illud descendit, sit exaltatus: tunc enim herba aliqua (aut quicquid aliud erit) in sua virtute est efficacissima, tunc colligi, & ad usum servari debet, nulla habita ratione cœli, æstatis, aut hyemis, sed potius herbæ illius proprii cœli, proprii sui autumni & stationis, in qua per proprium suum corpus herba illa facta est optima, & summum gradum est adepta. Ecce hæc optima est Astronomia. Ex superiori inferiorem addiscere; ex temporis statione, id quod præ manu est, & quando aliquis Planeta sit exaltatus, cognoscere potes. Similiter, si tibi constiterit, cuinam Planetæ herba aliqua sit subjecta, per signaturam, exaltationem ejus observare licebit.

Præter hæc dicta altius & majus quiddam ex Astronomia elicitur. Nam cum conjunctione & exaltatione quorundam Planetarum observata, genera ipsorum (uti sunt metalla, mineralia, Herbæ, Gemmæ & Lapides) sub cœlo cum ipsis uniuntur, tunc stellarum radii in hæc corpora intrant, qui illorum virtutes adeò augent & exaltant, ut per illa non solùm in hominum morbis spiritualiter curandis (cùm per tactum sigillorum de collo pendentium invisibiliter morbi tolluntur) verùm etiam in Magia naturali res admirandæ & factu quasi impossibiles effici possunt.

Ratio autem, ob quam hæc operatio in puncto conjunctionis Planetarum & Stellarum fieri debeat, hæc est observatu digna: Quælibet materia novam formam appetit, hinc est, quod quan primùm Planetarum fit conjunctio, hæc cœlestis spiritualis & materialis materia omnem formam vivam subire desiderat, & ob attractivam suam naturam seu proprietatem ignem istum cœlestem, de quo nobis sermo est, tanquam vitam in momento ad se attrahit, & secum conjungit, adeò ut hoc modo spiritus & anima invicem misceantur & uniantur. Terra, quæ respectu cœli patris, tanquam mater consideratur, similiter corpora ista in momento ad se trahit, adeò ut istæ duæ conjunctiones in puncto temporis fiant, unde omnia Vegetabilia, Animalia & Mineralia originem ducunt. Si iraque tales radii supra aquam aut ligna cadunt, quæ ipsorum naturæ respondent, tunc virtutes tales seu corpora spiritualiter se in illa insinuant, & tantarum virtutum magicarum causa existunt. Si verò hujus conjunctionis, mediante Astronomia gnarus ante fueris & metalla atque vegetabilia, quæ stellarum illarum influentium naturam & complexionem habent, contactu tuo conveniente affeceris, tunc non in terram, sed in talia corpora [quia simile simili gaudet] ingredientur, qua occasione res tam miræ patratæ fuêre per hoc naturæ miraculum. Quilibet Philosophus seu Chymicus hîc aliud quid subintelligere debet. Sapienti sat.

De Generatione Mineralium & Vegetabilium.

CUm etiam ſupra dictum fuerit ſeminis ſeu radiorum de ſtellis ſeu firmamento ejaculatorum in centrum terræ decidere, & parvum globum tanquam cor terræ petere, ſciendum eſt, ejuſmodi radios, tam profundè deſcendentes, multò ſubtiliores & ſpiritualiores eſſe quàm illi, qui uſque eò pertingere non potuerunt. Hi radii decidendo, per terram (ſicuti aqua per arenam) purgantur, cujus purgationis ratio hæc eſt: Omnes res creatæ ob primi hominis tranſgreſſionem Divini mandati, maledictioni obnoxiæ factæ ſunt, unde factum eſt, ut ſtellæ quoque ſuâ, ſicut tu & omnes homines, impuritate ſcateant, hinc fit, ut cùm radii in terram mittuntur, ſpiritus craſſiores de hoc fundamenti ſemine in terræ ſuperficie maneant, qui omnis generis herbas producunt, quorum pars aliqua animalia afficit, ut varii inde morbi pullulent: Subtilior verò & purgatus ſpiritus terram, inſtar ſpiritus murum tranſeuntis, ad medium terræ punctum uſque tranſit, & terram conſervat, & in viribus ſuis roborat, centrum enim majus & melius quiddam eſt, quàm circumferentia, ſiquidem circumferentia eſt ex ipſo centro, in quo omnes circumferentiæ virtutes ſunt collectæ, quæ in circumferentia ſunt diſperſæ. Exemplo tibi ſit homo, in cujus medio requieſcit anima, & ſpiritus, virtus & motus. Similiter in herba latet ignis cœleſtis & multiplicationis numerus, reliqua pars domicilium ſeu operculum virtutis ſuæ tantùm eſt. Eadem hîc quoque ratio eſt. Nam corporalis aqua aut mineralis terra, in terra ut vitellus in ovo jacet, puriſſimis, &, ut dixi, ſummis & ſubtiliſſimis viribus terræ dotata. Terra de hoc ſubjecto aquam capit, ipſum verò de terra nihil, ſed ſemetipſum in ſemetipſo multiplicat, & phœnicis inſtar juveneſcit. Multiplicationis virtus ipſi, æquè atque igni unico à Deo eſt conceſſa, unde firmamentum ſuum & proprium motum in ſemetipſo habet. Ex tritici exemplo res patebit, hujus accipe partem unam, & duas partes terræ vel quantum placuerit, in hanc terram ſeminando conjice triticum, & poſtquam excreverit pondera, quo facto, terræ nihil deceſſiſſe, ſed priſtinum pondus habere experieris, unde triticum, firmamento, accretione & motu proprio dotatum eſſe patet, cujus beneficio incaleſcit, tingit, juveneſcit, & in multiplicatione ſua robut acquirit.

Hoc ſubjectum etiam nullam ſui diminutionem patitur, quamvis enim metalla ex illo creſcant, nihilominus tamen iterum moriuntur. Eodem modo homines naſci, ſed denuò mori & interire vides. Sicuti ex uno mari multæ fluunt aquæ, & in illud refluunt, ita quoque mineralia decedunt, & in illorum locum alia ſuccedunt, ex quibus illa, quæ intereunt, corpora ſua in illo loco, unde exorta fuêre, relinquunt, anima verò ſeu virtus illorum ſecedit, & ab illo, unde nata fuit, attrahitur, & ſimili ſuo gaudet. Nullum igitur huic aquæ defectum ineſſe apparet; quantum autem ad fæces attinet, quas deponit, illæ in terram incidunt, & forma terræ fiunt, quæ ſummæ durationis ejus cauſa ſunt. Ad hanc rem nec tu, nec hominum ullus unquam, animum advertiſti, nec in ejus cognitionem penetrare poſſes, ſi abſque mea & meorum ſociorum à Deo ad hoc ordinatorum ope & auxilio eſſet. Habes igitur, de quo præ aliis tibi gaudere poſſis.

QUÆSTIO III.

De Aqua corporali.

QUia in explicatione globi verſaris, peramanter te rogatum volo, ut quamobrem parvum globum, aquæ corporalis nomine notaveris, me docere digneris.

RESPONSIO.

Cauſa hujus nominis eſt, ut rem cum proprio ſuo nomine, menti tuæ tantò fortius inculcarem & adumbrarem. Ex hac figura enim vides, quod eſt res alba & matris perlarum inſtar ſplendens.

Hac de cauſa aqua eſt reſpectu terræ communis, corpus verò terræ eſt, ratione ſuæ craſſitiei, quam aquæ reſpectu habet, quæ nomina ei non fruſtra à me data fuerunt, quod tu cum tempore melius conſiderabis.

Quando itaque hoc purgatum ſemen ſeu forma mineralis in punctum terræ incidit, tunc mineralium & metallorum vita exiſtit, & motus unionis præſtò eſt, quem cœleſtis & immortalis iſte ſpiritus cum mortali terreno corpore inſtituere cupit, & materiam, quæ illum quoque ex cupiditate ſingulari appetit, tam diu inſequitur, donec ſibi ſimilem nanciſcatur, cum qua ſe in momento commiſcet, & unit, ex qua poſt ſufficientem digeſtionem tenellula arbuſcula cum ramis, foliis & floribus & ſemine creſcit, in quo tota virtus iſtius arboris latet. Hoc ſemen finis arboris eſt, ex quo ſemen ad præſtandam multiplicationem paratum eſſe arguitur, quod in herbis quoque videre eſt. Nam ſicuti variæ herbæ ex variis ſeminibus creſcunt, varia ſemina producunt, & quodlibet ſemen ſeu forma, ſecundum naturæ ſuæ proprietatem, corpus ſeu materiam ſibi convenientem ex terra (quæ omnium rerum materiam in ſe habet) attrahit: Eodem modo ex conjunctionibus ſtellarum per naturam ipſarum & ignis vivifici potentiam omnis generis ſemina cœleſtia, indefinenter in terram cadunt, unde omnis generis fructus producuntur, nulla enim ſtella tam exigua & imbecillis eſt, quæ non ſua animalia vegetabilia & mineralia præbeat, unde cum ſtella exigua & debilioris eſt virtutis, hominum & brutorum agreſtium, herbarum & mineralium vilium ortus fit, & è contra. Sicuti etiam variæ herbæ in uno loco creſcunt, & carpuntur, ita quoque varia mineralia in uno loco inveniuntur, quæ per foſſores dignoſcuntur, eruuntur, & per fuſores ſeparantur.

Porrò ſciendum eſt, quod ſi hoc ſpirituale cœleſte corpus, clarum, purum, & ex optimis ſtellis diaphanum exiſtit, tunc quoque in centro terræ materiam ſibi ſimilem claram, puram & diaphanam quærit, ex qua arbuſcula ſubtilis, clara & diaphana, ſubtiles tenellos & ſucci inſtar molles ramulos habens, creſcit, cujus arbuſculæ flos primùm eſt dilatatus ſeu latè ſparſus deinde contrahitur, & in ſecundam ſuam naturam in clarum diaphanum & purum ſemen abit. Hoc modo gemmæ naſcuntur, & pro ratione formæ conceptæ tinguntur, & proprietatem nanciſcuntur, quod in monte ad ſiniſtram poſito tibi videndum depingitur.

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

De Gemmis.

SI res ita se habet, inde concludendum erit, gemmas in omni loco reperiri debere, quia astra totam terram cursu suo ambiunt, cùm tamen experientia doceat, hîc terrarum nullas, alibi verò multas inveniri.

RESPONSIO.

Hæc semina in regionibus calidioribus ut plurimùm cadunt. Ubi igitur Sol in summo caloris gradu est, ibi hoc semen (quod à Solis Planetis & paucis aliis stellis virtuosis procedit) seminatur, & mediante summo Solis calore adeò purgatur, ut priusquam materiam suam in terræ centro attingit, purissimum existat. Et quamvis Sol in uno atque in altero loco æquè fortem splendorem emittat, tamen frigus inter Solem & terram propter poli vicinitatem tantum intercedit, ut hoc semen non sufficienter clarificari possit, & quamvis clarificaretur, digestio tamen insufficiens foret, quia talis calor Solis intensus in tali loco non diu subsistere solet. Cùm regionibus calidis autem digestio seminis benè convenit. Hoc est: Postquam semen à Sole vel astris mittitur, in sphæra aëris primùm, deinde etiam in terra, quæ in illo loco calida & attractiva est, purgatur, quod deposita omni suâ impuritate, & quæsitâ atque inventâ suâ materiâ purâ, studiosè crescit & prodit: Sol enim per intensum & continuum suum calorem, terram adeò calefacit, ut ex illâ pretiosi & optimi lapides, qui in universo mundo reperiri possent, crescant. Et quamvis in Germaniâ & aliis locis etiam lapides pretiosi inveniantur, illi tamen his similes non sunt: Versus Orientalem enim & Meridionalem mundi plagam, omnia nobiliora sunt, quàm versus Septentrionalem & Occidentalem. Non te latet Ungaricum aurum ab Arabico, Rhenanum verò ab Ungarico superari. Similiter omnes fructus Orientales Occidentalibus præstant. Nullo modo etiam fieri potest, ut naturaliter aurum Ungaricum Arabico simile fieri possit, propter digestionis defectum, semen ejus enim nec satis purgari, nec satis tandem matutescere potest.

His dictis ulteriorem addo demonstrationem; Quando Sol est exaltatus in propria sua domo, & est clarus in tempestate clara, tunc semen in puncto exaltationis ab illo mittitur, quod hoc modo se purgat, ut pars ejus in aëre, pars super & in terra maneat, pars in terræ centrum cadat. Hæc in alias partes distribuitur, nam alia videlicet pulcherrima, clarissima & summè mundata pars cum materia sua se conjungit & miscet, unde Carbunculi fiunt. Alia quoad valorē minor pars etiam cum sua materia se miscet, unde rubini crescunt, alia tandem adhuc vilior pars ad pretiosissimi auri Arabici generationem omni suâ in gemmas depositâ diaphanite, facit. Alia insuper pars sulphuris rubri naturam præbet, unde sulphur Arabicum & post ipsum sulphur Ungaricum pro optimo censetur, præter hæc, alii plura alia insuper sulphura addunt & laudant, sed sicuti rem intelligunt, ita quoque de illa loquuntur. Ex illis, Sole exaltato deciduis partibus seminis, quæ super terra manserunt, optimæ & pretiosissimæ herbæ nascuntur, ex quibus illa, quæ Alladruca seu Allakanea vocatur, nobilissima est, quæ magnos profectò effectus præstat. Hæc herba crescendo in altum surgit, rubri & aurei coloris coloris flores producit, & instar olei pinguis est, & populis Armenis sat nota. Ex quibusdam autem aliis prædicti seminis partibus, quæ etiam super terra manserunt, Gamahæi fiunt in lapidibus, lignis, herbis & omnibus iis rebus, quæ à radice sua priùs separatæ fuerunt. Et illa seminis parte, quæ in aëre mansit, fit materia succum quendam referens, quæ in terram decidit, dulcis est, & Rumani vocatur, tibi ignota, sicuti alia multa cognitu non necessaria.

Hactenus virtutem radiorum unius astri observavi. Cùm verò Planeta quidam, conjunctionem seu aspectum trigonum cum aliis Planetis facit, signa mutat, & in aliud signum intrat, tunc semper radii aliter cadunt, quàm ante, hinc enim est, quod tam varii fructus producuntur. Nam Sole in exaltatione sua conjunctionem cùm Marte habente, carbunculi majore, sed obscuriore rubedine lucente tincti, item impuri & fuscæ rubedinis rubini nascuntur, quæ ratio in cæteris Planetis etiam habet locum. In frigidis regionibus lapides, metalla & herbæ crescunt, quæ in calidis non reperiuntur: Exemplo nobis est crystallus, qui frigido loco opus habet, ibi enim clarior existit, cujus ortus non est ex nive, ut quidam putant, sed ex aqua minerali, in qua per Saturnum generatur mediante frigido suo ascendente. Si sereno & claro cœlo in Saturni exaltatione conjunctio ejus fit cum Luna, pulchros, claros, albos & puros habebis crystallos, si verò nebuloso cœlo conjunctio Saturni fit Marte, crystallos alios habebis. Eadem ratio est aliorum colorum, qui à conjunctione Planetarum dependent, quæ mihi ineffabilis quasi est, & tibi perceptu impossibilis. Apud nos quoque saphyri, granati, uniones, corollaria, & lapides, quos Calcedonios vocant, ex supra allegatis causis, secundum Planetarum dominium & conjunctionem habentur, qui tamen Orientalibus haud similes sunt. Et sic hactenus de gemmarum generatione tibi sum locutus, quibus plura propter artis traductores & deceptores addere supersedeo, & illi, qui perfectus Medicus fieri cupit, cætera, quæ hinc colligenda sunt, divinandum relinquo. Ubi notandum, quod cùm semen est purum corporale & spirituale, tantò minor est ejus quantitas, quæ causa est, quod tam paucæ gemmæ inveniuntur, cœcum enim hac in parte non semper favet. De puriore autem hîc sene loquor, non de illa, quod se à puro separavit, ut est crystalli jam dicti semen.

In hisce gemmis autem summa virtus inest. Ignis enim cœlestis cum anima Solis mixtus in carbunculis & rubinis levi præcedente præparatione potior invenitur, quàm in cæteris omnibus creaturis. Cùm semen de Luna cadens saphyrum, & de Venere Smaragdum facere vult, similem sibi materiam in terra quærit, quæ sibi unita, crescendo instar arboris se in conspectum præbet, ramos suos, id est, ductus & venas & flores in terra protrudit, quales in Vitriolo, Antimonio, Sulphure, Marcassita & taleo inveniuntur. In quibus flos purus, tenellus, subtilis instar succi aut pulveris dispersus, multò præstantioris est substantiæ, quàm ipsum metallum aut semen ex illo flore oriundum. Nam sicut rosæ, lavendula & spica nardi & aliæ herbæ odoriferæ gratiorem habent odorem, dum adhuc florent, & recenter distillantur, quàm si semen illarum olfactui offeratur, aut destilletur: Ita flos noster multò gratior, præstantior & in virtute sua potentior est, quàm suum metallum.

QUÆSTIO V.

De Flore Metallorum & primo Ente.

VOcatur ne hic flos primum Ens, de quo Theophrastus tam mira scripsit?

RESPONSIO.

Imò, sed non rectè ita appellatur in vero sensu. Marcassitæ enim non sunt prima entia, nec sunt illud, quod Theophrastus per sublimationem & destillationem ex illis extrahere docet, sed tantum seminis principium seu ultimum Ens spirituale metallorum vel mineralium appellari possunt, in quo primum Ens seu ignis æthereus cœlestis absconditus latet, cum subjecto suo conjunctus. Hic separatione opus est, non tantùm illa, quæ fit per sublimationem, qua flores metallorum & mineralium obtines, & à suis caudicibus, id est, locis mineralibus impuris abrumpis, sed ex illis primum Ens te extrahere oportet, quia in illis latet, & faciliùs obtineri potest, quàm ex suis metallis: Illud enim adhuc molle, tenellum, purum & volatile dispersum est in suo subjecto, in metallo verò coarctatum, durum & fixum. Quemadmodum per destillationem tanquam viam faciliorem, suam lavendulæ & rosarum odorem, ut supra dixi, extrahere potes, sicuti odoratu tuo percipis, quod ex semine, quia compactum & ultima rosarum materia est, difficulter elicere potes, ita quoque hic se res habet. Hinc vides, quod in hoc spirituali & ultimo ente metallorum, (quod in procinctu est, ut semen ex illo fiat) magna latet virtus: quod Ens semini suo metallo facilè simile fieri potest, ex metallo verò difficulter & non nisi cum diligenti præparatione quod notatu dignum est. Postquam flos temporis sui terminum est assecutus, ex dispersione sua arctè contrahitur in corpus, & fit metallum secundum seminis à cœlo seu astris delapsi naturam; sicque natura officio suo satisfecit, quia hoc semen ad altiorem gradum evehere nequit: Ecce hæc est generatio mineralium & metallorum, hic est alter ille mons ad sinistram collocatus.

QUÆSTIO VI.

De Semine Astrali seu Cælesti.

NOn immeritò quæritur, an in metallis semen cœleste sit æquale, id est, An in uno hoc semen æquale sit atque in altero: hac enim ratione Ignis ex vilioribus metallis æquè posset extrahi, atque ex summis, aut (quod facilius est) ex ipsorum primo ente ad vitandum sumptus?

RESPONSIO.

Rectius intelligere debebas, quæ supra tibi de hac re indicavi: dixi enim, quod cœli seu cœleste firmamentum astrorum, nova in illo existente Planetarum conjunctione, tanquam materia attractiva (quæ terræ respectu ignis reputatur) ab astris superioribus & vivo igne vitam & hujus ignis excitationem ad se trahat, & se in naturam & locum ejus, seu, quod idem est, in naturam formæ à firmamento prædicto attractæ transmutet, ut in prima Quæstione fusiùs dictum fuit, quod ulteriùs sic declaratur. Si spirituale corpus conjunctionis Planetarum frigidum est, tunc anima hæc aut ignis iste frigidæ quoque erit naturæ. Hic ignis enim nulli certæ complexioni subjectus est, & ad quamcunque rem se applicat, ejus naturam quoque induit, hinc est, quod in cæteris Conjunctionibus suæ quoque fiunt complexiones. Hinc itaque vitæ possibilitatem & naturam intelligis. Quantò nobilior igitur est quædam creatura, tanto nobilior in ipsa est vita & cœlestis ignis.

Si verò corpus spirituale crassum fuerit, & à crassa stella ortum, tunc sui similem etiam materiam sibi associat. Ex hac associatione omnis generis lapides, silices, arenæ, & marmora nascuntur. Arena autem seu glarea nihil aliud est quàm comminutus lapis. Hi lapides, inter lapides minerales herbarum loco censentur, quæ bonas herbas semper comitant, & illis adsunt, & ipsarum incremento sæpe impedimento sunt. Hæc est causa, quod optimæ fodinæ minerales, apud altissimos montes reperiuntur, hoc est, juxta optimas herbas summum zizanium crescit. Et quemadmodum fagus, quercus seu herba, cùm in altum excrescit, ramos suos in aëre spargit, & aërem dividit, quæ divisio tamen hominum oculos propter visus debilitatem & aëris subtilitatem fugit, licet mente bene percipi possit: Ita minerales herbæ quoque agunt, hæ enim terram dividunt, in altum elevant, ad latera extendunt, montes & valles hoc modo efficiunt. Tales enim arbores excelsæ & robustæ sunt, ad quarum extensionem & dilationem requiritur, ut talis herba summam crassitiem & potentiam se extendi habeat, si à centro terræ ad terræ summitatem ascendere debet. Hactenus montium & vallium ortum quoque es assecutus.

Mineralium autem ortum quod attinet, sciendum est, quod Gemmæ, Mineralia & Astra illorum tardissimè crescant, adeò ut multi in hac opinione fuerint, illa nullo modo crescere, sed originem suam ex transcursu Mercurii in venas sulphureas habere, & in venis illis in metallum coagulari, quod tamen falsum est, tum quia Verbo Divino de Multiplicatione repugnat, tum quia Mercurius metallorum materia nunquam fuit, multò minùs sulphur. Mercurius enim à Planeta Mercurio ortum ducit, & per se ipsum fructus mineralis est, & secundum naturam conjunctionis istius Planetæ cum alio Planeta argentum vivum nascitur. Nam inter cæteros Planetas Mercurius mobilissimus est, & se in cujuslibet Planetæ naturam transmutat, cum quo conjunctionem instituit, secundum Zodiaci domum, in qua dominator existit: Metalla enim nascuntur secundum alicujus Planetæ dominationem, & nihilominus tamen aliquam qualitatem de natura illius Planetæ, cum quo conjunctio interceßit, obtinent. Hinc varii coloris argentum vivum extat, album, subcæruleum, griseum, nigricans, aliud pigrum, aliud velox, in semetipso tamen metallum apertum & facile transmutatu corpus habens. Nam sicuti Mercurius Planeta facilè in naturam cæterorum Planetarum mutatur, ita quoque argentum vivum currens in aliud metallum facilè converti potest, inprimis verò illud, quod ex conjunctione alicujus Planetæ prodiit, in cujus metallum converti debet. Exempli gratiâ, Mercurius facit conjunctionem cum Sole, unde quia ipse Dominus conjunctionis est, arbor Mercurialis nascitur, cujus semen spirituale solare in argento vivo continetur, unde tale argentum vivum facili negotio in aurum transmutari potest, quod de cæteris omnibus etiam est intelligendum.

In hac argenti vivi varietate experientia requiritur alicujus magistri, ut sciat, cui hoc vel illud sit, sit, si justam transmutationem instituere velit. velit. Si argentum vivum præ manu sumit, quod

argenti

argenti vel alterius cujusdam metalli naturam habet, hâc naturâ illud priùs exuat necesse est, & postmodum in aurum convertat, quod non exigui laboris est : Spiritum enim non cum corpore, sed cum spiritu, qui fortior est illo qui superari debet, vincere oportet. Forte fortuna in primo tuo tentamine Mercurium nactus eras, ex conjunctione Mercurii, Solis & Martis ortum, Mercurio super Solem & Martem dominatore existente. Ex hoc creverat Mercurius, quem præcipitasti, & in melius metallum convertisti. Labor tuus facilis fuit, quia Mercurius Sole, Sol verò Marte superior erat, unde operis tui facilitas extitit. Alter Mercurius, quem transmutare volebas, Lunaris & Jovialis naturæ erat, cum quo nullum felicem effectum assequi potuisti, quia cum spiritu Solis ipsum prius superare debebas, unde error & inscitia tua te decepit.

Sulphur, quod ad metallorum generationem, ut suprà dixi, etiam aliquid conferre debet, non est illud, quod est venale, sed illud, quod de cœlo descendit, à veteribus sulphur vocatum propter ignem cœlestem astralem, qui in ipso dominatur, unde incombustibile meritò dicitur. Ex altero sulphure nullum metallum (absque arte) fieri potest, quia per se fructus est metallicâ virtute donatus, quam artifex extrahere potest. Optimum autem sulphur est Arabicum & Ungaricum, quia excrementa Rubini, Carbunculi & Granatorum, de quibus supradictum, continet. Hoc sanguinis instar rubrum & pellucidum est, ejus præparatio non parvi momenti, inque substantia sua potius forma quàm materia metallorum. Cætera sulphura ex stellis oriuntur, & nihil aliud sunt, quàm stellarum excrementa, & varii generis, utpote, nigrum, viride, flavum, album & fuscum, secundum stellarum proprietatem & naturam, hinc veteres in generatione metallorum errasse vides, quam nullus illorum Hermete meliùs intellexit. Cùm ergo metalla crescant & principium habeant, sequitur quoque illa etiam multiplicari.

Jam alter error sequitur illorum, qui aurum æternum seu incorruptibile esse affirmant, quæ opinio falsa est, quia, cùm quælibet res in se habeat vitam & mortem, & aurum quoque vitam acceperit, mortem quoque simul accepisse sequetur. Si hoc non esset, aurum nec per naturam, nec per artem destrui posset. Cùm tamen experientia, quæ hac in parte te veritatem docuit, contrarium testetur. Aurum ergo moritur, finem videt, & perit, uti omnes res in mundo. Quoniam autem Mineralia longo temporis decursu crescunt, ideoque etiam longo tempore decrescunt. Quod enim citò crescit, citò etiam decrescit, cujus rei testimonium dant herbæ, Mars, Jupiter, Saturnus, Venus, quæ à ferrugine & ærugine suâ tanquam morte sibi insita devorantur & consumuntur. Homines propter vitæ suæ brevitatem, auri mortificationem observare non possunt, ideoque pro immortali & incorruptibili habitum fuit.

Jam sequitur refutatio tertii erroris Veterum circa aurum, de quo multi scribunt, quod mille annorum spatium requiratur donec aurum matureſcat, sed nullo modo tamen probari potest. Sicuti in Hispania, Gallia & Italia fructus citiùs crescunt, quàm in Polonia, Suetia, Dania & Germania, imò in Arabia & India multò citiùs : Ita quoque Mineralia in uno loco citiùs quàm in alio, attamen omnia in una æstate, id est, in propria sua æstate crescunt. Nam quodlibet, ut antea dixi, suam habet æstatem & suum firmamentum : Ita quoque quodlibet metallum in suo vere seminatur, & in sua æstate crescit, in suo autumno fert fructum, & in sua hyeme rursus decidit & perit, unde his rebus nullus certus temporis terminus præfigi potest, qui tamen ratione auri ad ætates aliquot excurrit.

Porro adhuc unus error nobis refutandus est; quidam enim qui sibi docti videntur, unum metallum in alterum in terra mutari scribunt, sed hoc falsum est. Sicuti enim ex pyro pomus fieri nequit, ita in terra ex argento aurum fieri non potest. Quamvis quarundam herbarum fiat transplantatio, tamen singulare genus quoddam inde fit, quale natura non producit. Similiter cùm argentum transplantatur, lapis lasureus inde fit, qui propterea non est aurum, aut aliud quiddam metalli cujusdam proprietatem habens, ideoque talibus erroribus valedicendum est, quodlibet enim per se crescit, unum alteri nihil communicat, eodem planè modo, quo una herba nullam cum altera communicationem habet, quamvis ex una materia, terra videlicet, & mineralia ex corporali aquâ orta sint, tamen materia æquè, atque forma ipsorum sibi invicem dissimilis est, quod observari debet.

QUÆSTIO VII.

De Maturatione Metallorum & Auro volatili.

NOtorium & manifestum est, quod per Artem ex mineralibus vilibus quæ sæpè nihil metalli, aut exigua tantùm metalla in se habent, aurum & argentum eruitur, unde concluditur, talia vilia metalla in aurum & argentum converti. Deinde si metalla in se invicem in terra transmutarentur, impossibile quoque esse, ut ars in plumbo, stanno & cupro hoc præstare possit, ut ex illis aurum vel argentum fiat, quia ars naturæ imitatrix est, & nihil aliud agit, nec agere potest, quàm quod natura arti præfiguravit, sine quo Alchymia falsa & improba foret.

RESPONSIO.

Verum quidem & possibile est, ut ex aliquibus mineralibus, quæ nec aurum nec argentum in se habent, in quibus etiam adhibito examine nullum invenitur, aurum & argentum eliciatur, sed hoc tamen eo sensu, quo tu putas, non est accipiendum. Nam, ut suprà dixi, cum bonis, aurum & argentum ferentibus herbis, etiam viles crescunt, & secum illis miscent, uti sunt cuprum, ferrum, stannum, plumbum, vitriolum & Antimonium. Istæ herbæ citiùs ad maturitatem perveniunt, quàm herbæ aurum & argentum vocatæ, unde etiam citiùs corrumpi possunt. Sed cùm Venus & Mars, Jovis item & Saturni mineralia carpuntur, tunc simul non solùm Solis & Lunæ flores, verùm etiam semina comprehenduntur. Hæc quando via ordinaria examini subjiciuntur, aurum sæpè mox suppeditant, quia semen in illis inest : Si verò flos tantùm adest, nihil auri exhibent, flos enim virtute, quæ ignis violentiæ resistat sicut semen, prorsus est destitutus.

Quando autem hæc mineralia cum calidis corporalibus & fixis speciebus ex Solis conjunctione natis, utpote Antimonio, Vitriolo & Sole digeruntur & maturantur, tunc non exiguum lucrum inde resultat. Istæ enim species non solùm immaturum aurum maturant, verùm etiam metalla immatura, videlicet plumbum, stannum, stuprum & ferrum transmutant, & quia adhuc in flore

ſubſiſtunt, in aurum & argentum convertunt, & tunc in verum furnum ſuum ingrediuntur, ubi flos brevi temporis ſpatio maturatur, & ad conſtantiam redigitur, ſine quo medio Natura ob infirmam & debilem ſuam digeſtionem ad hunc effectum præſtandum longo tempore occupata fuiſſet. Hac ratione mineralia iſta ſpirituale & immaturum aurum ſuum præbent fixum, & quandoque in majori quantitate, quam Natura in ipſis perfeciſſet, ideóque magnâ hîc diligentiâ opus eſt, ut bonæ ſpecies ad maturationem adhibeantur, & tales quidem, quæ ratione generationis ſuæ cum Sole & Luna habeant cognationem, aut, quod melius eſt, quæ ſulphure, hoc eſt, flore Solis præditæ ſint, nam in talibus ſulphureis ſpeciebus mineralia illa ſummè tinguntur.

In hac operatione autem ad rectam digeſtionem & temperatum calorem, qui naturalis & perficiens eſſe debet, eſt attendendum. Nam cùm multa mineralia ſimul & unâ vice perficere cupimus, ſingulari diligentiâ & intelligentiâ opus eſt. Multi enim in parvæ quantitatis ſpecimine ſeu operatione magnum fructum, in magnæ verò quantitatis operatione planè nullum invenerunt. Cujus rei cauſa fuit, quod non ſolùm ſtratum mineralium minùs rectè, & nimis denſum & craſſum fecerunt, mineralia nimis comminuendo & diſſipando florem proſtituerunt, verùm etiam putaverunt, quod propter materiæ quantitatem digeſtio tantò major eſſe deberet, unde ignem tantò fortiorem fecerunt, hinc factum, ut mineralia in uno loco combuſta fuerint, & in alio planè nullum ignem ſenſerint. Hinc materia illa minera vulgaris manſit, & interdum plus damni quàm utilitatis attulit, prudenter igitur eſt procedendum. Quod autem multi ſunt perſuaſi, ſe ex minera volatili plus extracturos, quàm ex fixa, recte quidem dicitur, ſed non rectè intelligitur. Nam quantumcunque volatile ſit aliquod minerale, quod Solis vel Lunæ flore carer, aut per additionem illam non aſſequitur, in illo tamen nec Solem neque Lunam invenies, ſed tantummodò metallum illi minerali conjunctum, cujus florem in ſe habet, licet multâ digeſtione ſeu toſtione & aſſatione illud vexes. Sic maturationem mineralium intellectu faciliorem tibi reddidi, & quod ars mineralia, ſicuti natura etiam maturet, item quod homo per aſtutiam & rationem ſuam mineralia ſupra & contra naturam tranſmutet, demonſtravi. Hoc enim natura præſtare non poteſt, quia manus & pedes non habet, & res longè diſſitas ut homo adunare nequit.

Jam ad alteram ſeptimæ hujus quæſtionis partem pergo, quæ hæc erat; Arti impoſſibilem eſſe metallorum tranſmutationem, quia nulla metalla in ventre terræ in ſe invicem tranſmutentur. Sed te toto cœlo errare ex ſequentibus tibi perſpicuum fiet. Metallum adhuc in terra latens, ſua ſtirpe & caudice nititur, & propriâ ſuâ radice & nutritione ſuſtentatur, ideoque ab alio metallo nihil ſumere, aut ejus naturam ſibi attrahere poteſt, quamdiu ſuæ ſtirpi inhæret, quando verò detruncatum eſt, tunc demum nutritionem expectat, quam ex Solis vel Lunæ vel aliorum metallorum flore, ſi ejus compos fieri poteſt, avidè ſibi attrahit. Tunc hoc ſemen tanquam ſpiritus illius corporis, metalli detruncati naturam ſubit, & nonnunquam ad ſtatum perfectiorem, nonnunquam etiam ad pejorem, ut ſupra dictum fuit, adducit.

Gnaviter hoc obſerva; quam primum minerale quoddam à ſua ſtirpe avellitur, tunc Naturæ ſubducitur, non amplius creſcere, nec ſine hominis auxilio ad maturationem pervenire poteſt. Deinde omnia metalla uno eodemque ortu gaudent, unam eandemque habent matrem, quæ tamen, quoad puritatem ſuam, in metallis diverſa eſt. Nam quantò nobilior eſt forma, tantò nobilior quoque eſt materia, & cùm variæ ſint formæ, varias quoque materias eſſe neceſſe eſt. Quemadmodum forma, quæ pura eſt, excrementa ab impura materia removet, & prius purgat, quàm ſe cum illa commiſceat, ut inde fructus formæ ſimilis exiſtat: Ita ars quoque ſe gerit: Nam ſi puram formam præparas, & de illa ſuper impura metalla projectionem fecis, tunc forma tua pura impuritatem materiæ, ſeu metalli tui impuri, ſeparat. Sicque vera conjunctio fit, & metallum purum. Si verò forma talem præparationis gradum attigerit, qualem te docui, & per ſe & in ſe ipſa multiplicata fuerit, tunc tam virtuoſa & potens erit, ut nec formam nec materiam metalli imperfecti, à ſuis excrementis mineralibus exuat, ſed totam ſubſtantiam ſimul removet, & in optimum metallum tranſmutet. Viceverſa ſi ex viliſſimo metallo utpote Jove vel Saturno talem formam in ſe multiplicatam feceris, tunc imperfectio & fæculentia ejus in tantum multiplicabitur, & tantæ potentiæ erit, ut iſta forma ſuper corpus ſeu metallum imperfectum projiciatur, ei ſuam impuritatem adeò abundanter communicet, ut etiam ipſa corpora perfecta, aurum videlicet & argentum vincat, & in ſtannum ſeu plumbum convertat, unde regenerationis luculentum teſtimonium habere potes.

Porrò, quia Gemmarum, Metallorum & Mineralium una eademque eſt origo, quoad matrem, ex metallis bene & legitimè præparatis, clarificatis & purificatis omnis generis gemmas, naturalibus ex omni parte ſimiles, imò virtute præſtantiores, ſi præparatio ſubtilis fuerit, conficere poteris. Viciſſim, ſi quod natura ipſis abſtulit, illis rurſum addas, metalla permanentia inde fieri poſſunt. Item, ex quolibet Vitriolo, Antimonio, Sulphure, Sale pro naturæ ſuæ conditione metalla, & ulteriùs deinde gemmas conficere, & ex quolibet metallo Vitriolum, Antimonium, Sulphur & Sal præparare poteris, quæ tamen inter ſe valdè differunt, utpote ſunt Vitriolum Veneris, Solis, Martis & Saturni. Item Antimonium Solis, idem de Sulphure & Sale verum eſt. In ſumma tot mineralium, quot argenti vivi, ut ſuprà dixi, genera ſunt.

Inſuper ſciendum eſt, ex qualibet gemma, metallo & minerali ſal præparare poſſibile eſſe, & ex ſale herbam, aut arborem, pro ratione naturæ ſuæ, & porrò ex hac herba ſeu arbore animal. Viciſſim ex quolibet animali vegetabile facies, & ex vegetabili ſal, ſulphur, vitriolum &c. metallum, & tandem omnis generis lapides pretioſos. Nunquid hoc magnum & mirabile quiddam eſt, quod pauci tamen homines adhuc animadverterunt.

Unum ſpecimen harum rerum vidiſti, quod ex Vino, quod ex vegetabilium numero eſt, ſal factus fuit, qui inter mineralia ponitur, & ex Sale hoc Saturnus. Si hoc negotium penitus ſcrutatus fuiſſes & continuaſſes, ex Saturno hoc ulterius progredi, & Solem, Lunam, Martem, Jovem, Mercurium, Venerem, Saturnum & tandem lapides pretioſos conficere potuiſſes. Si voluiſſes, tartarum etiam producere potuiſſes, & ex Sale Vinum, ex vino uvam, & ex uva vitem, & ſic procedere uſque

ad

ad principii sui finem. Si voluisses, inquam, ex Saturno per transitum suum, aliam cujuscunque generis herbam vel qualecunque animal, homunculum scilicet, animâ tamen æternâ destitutum facere potuisses. Sic animo percipis, quid ars præstare possit.

Undè ulterius procedo, ut artis potestatem amplius tibi patefaciam. Nam ex Vitriolo Veneris, vel Martis, brevi tempore Vitriolum Solis vel Lunæ: & ex Antimonio Saturni, Antimonium Solis, & unum in alterum pro lubitu tuo mutare potes. Arti, quâ homo à Deo est dotatus, omnia possibilia sunt, nam longè naturam superat. Ars naturam non sequitur instar ministri, sed naturæ dominatur, & res naturæ factu impossibiles præstat. Ab homine exemplum tibi cape: Is in se mundum totum continet, Indiam, Hispaniam & Italiam. Cœlum quoque totum in se habet, ideoque in Septentrionalibus locis illud efficere potest, quod natura in Meridionalibus: Rursus quod natura in Oriente, hoc homo in Occidente facit, & è contra: adeò ut homo herbam, quæ in India crescit, in Norvvegia præparare & paoducere possit, quod naturæ ratione firmamenti est impossibile, homo verò firmamentum seu cælum imitari potest Quoad materiam, ex qua homo utpote ligno vel lapide, rem præstantissimam præparat, ars naturam ita superat, ut natura propter illius rei virtutem, formam & præstantiam, se arti, cum rebus suis in conspectum dare non ausit,

Hinc est, quod homo in Germania, Suetia, Polonia aurum Arabicum, & viceversa in Arabia aurum Rhenanum conficere potest, quod est Naturæ impossibile. Hujus rei causa in duobus consistit, quorum primum est, quod Deus omnia ex uno creavit, & ex illo partitionem desumsit, hinc communio illorum est, & homini possibile hæc in unum rursus reducere, & ex illo aliam creaturam facere, sicuti figulus ex uno luto pro lubitu facit, quod vult. Alterum est, quod Deus hominem super omnia Dominum constituit. Hinc scientia ei data fuit, ut omnium rerum virtutes sciret, quod in primo homine apparet, qui omnibus rebus secundum virtutes ipsarum nomina imposuit. Spiritus quoque à Deo ordinati sunt, qui ab ipso hanc sapientiam in illum finem acceperunt, ut eam maximè idoneis & ad hanc electis revelarent. Ex quorum numero præcipuus est Rex Salomon, qui sapientiâ Divinâ dotatus fuit, quæ ei per spiritum tanquam per medium communicata fuit, quâ tamen tandem malè usus fuit. Salomoni Adolphus Magnus amicus meus successit, qui notus & ignotus est. Hunc secutus est Hermes & plures alii, penes quos tamen tyrocinia tantùm erant.

QVÆSTIO VIII.

Quis fuerit Adolphus Magnus?

RESPONSIO.

VIt fuit cui non reperitur similis, de cujus actionibus sub finem aliquid recensebo, nam nunc in magis necessariis rebus mihi est pergendum. Supra tibi indicavi, & sufficienter probavi, aurum & cætera metalla nullâ immortalitate esse prædita, sed postquam ad perfectionem venerunt, hoc est, semen adepta sunt, interire & mori.

Hoc semen cùm ad perfectam maturitatem pervenit, rursus cum herba sua interit, aut quod ut plurimum fieri solet decidit vel decerpitur. Si interit unà cum sua herba, tunc stirps terræ suæ redditur, & illam stercorat, semen in terram decidit, ibique moritur & multiplicatur, sicque nova fit generatio, sicuti cum cæteris herbis accidit. Hoc autem inter centena millia seminum ne uni quidem evenit, ut cum sua herbâ in primam materiam & ad suam terram redeat, quia cæteræ herbæ illud deturbant. Si autem decerpitur, hominum usui cedit, si decidit & deturbatur, perire cogitur, quia propter obstantem teræ crassitiem ad matricem suam, undè ortum fuit, aquam scilicet corporalem reditus ei denegatur. Si terra adeò subtilis esset ut aër, semen inter cadendum illam penetrare ad suam originem redire posset. Hæc res ita se habet, sicuti herba, cujus semen ab aëre non impeditur, quo minus in terram cadere possit: Si verò super petram cadit, perit, quia ex saxo non prodiit, ita quoque hoc semen, quamvis in terram incidat facilè impediri potest, quo minus ulterius progrediatur, sed hæreat, & temporis longinquitate pereat. Si terra (uti phantastici quidam, inprimis verò Aristoteles arbitrantur) metallorum mater esset, res plana foret: Sic enim semen decidens, mox ad originem suam rediret, aut Mercuriales venas attingeret, in quas semetipsum seminaret, & de novo resurgeret, verùm phantastica hæc opinio, phantasticum semper sortita est exitum. Nam sicuti herba absque terra ex solo aëre crescere nequit, ita quoque metallum ex terra sola aut argento vivo vulgari, quamvis plaustra ejus plena in terram seminarentur, crescere non potest, quod quotidiana experientia abundè testatur.

Fieri autem solet, ut quandoque radii stellarum decidui, (modò unius ejusdemque naturæ sint) & cum metallis, lapidibus & mineralibus, quæ à summo suo statu deciderunt, mixti in illa penitus ingrediantur, & se cum ipsis uniant, unde Gammahei oriuntur, qui cum ista influentia se insinuant, & signaturam à natura assequuntur. Hinc est, quod super lapidibus, lignis, metallis & Gemmis variæ figuræ inveniuntur quæ nihili æstimantur, cùm tamen nulla talis sit figura, quæ non singularem habeat demonstrationem & virtutem, quod est notandum. Sciendum quoque est, nullos nasci Gammaheos, nisi subjectum ipsorum sit terminatum & mortuum, hoc est, consummatum, & à stirpe sua avulsum, sed tamen nondum dissipatum: Quamdiu enim illud stirpi suæ inhæret, viride est, & ex radice sua propriam nutritionem & humiditatem habet, undè omnia astra, quæ se ipsi insinuare volunt, repellit; cùm verò est avulsum, tunc aridum totum est, & virtutes recipiendi desiderio tenetur, quæ quamprimum in illud immittuntur, ab ipso retinentur, & signaturam accipiunt, viridi autem subjecto nulla alia quàm sua propria signatura succedere potest, quia repulsam fert à suo crescendi incremento.

Hactenus sermo mihi fuit de Mineralium morte, & quod multiplicationem assequi nequeant, quia semen ipsorum collabitur & comminuitur, per aquas subterraneas expellitur, & intra montes conteritur. Hinc auri fabulosi & aquarum lavacris extrahendi, ortus est, quod aliud nihil est, quam collapsum semen. Hujus generis sunt argentum fabulosum, ferrum & cuprum solidum, quæ omnia semina collapsa sunt. Si mineralium multiplicatio hoc modo non impediretur sed uti vegetabilium multiplicatio progressum suum haberet, tot metalla gemmæ & omnis generis mineralia haberentur, quos crescunt herbæ, quoniam verò nulla illorum multiplicatio sequitur, ideoque etiam multitudo talium fructuum est denegata.

Hæc sufficiens & generalis est instructio, quomodo Animalia, Vegetabilia & Mineralia crescant & multiplicentur. Suo tempore cum te cautiorem factum, & harum rerum silentio munitum videro, specialem declarationem & explicationem, ut omnium harum rerum scientiam singularem possideas à me obtinebis. Ad hæc ego respondi. Gratias pro hac instructione benevolentissimâ tibi ago summas, & posthac in hisce

rebus peragendis cautior ero. Summopere tamen unicum adhuc ut prioribus addas, à te peto, & me eruditas, quid ſibi velit ille vapor, qui ex mixtione & conjunctione ſpirituali, corporali & minerali, in terræ centro elevatur. Ad hanc interrogationem, paululum meditabundus terram ſpectans ſic fari cœpit. Totius Phyſicæ fundamentum habes, tempus opportunum expecta, & cætera quoque percipies, quæ verò ad ampliorem intellectum requiruntur, ex mea inſtructione ſufficienter percepiſti. Cum autem inſtanter & obnixè illum rogare non deſiſterem, tandem ſic reſpondit: Stipulationi tuæ, te indignis hæc non eſſe communicaturum confido, aliàs duplici pœnâ afficieris. Hoc enim, quod à me rogaſti, præcipuum eſt in hac figura, hac via à naturalibus ad ſupernaturalia, ſequente inſtructione præmiſſa pergemus.

Ex comparatione, quam inter Animalia, Vegetabilia & Mineralia inſtitui, cum de Tranſmutatione verba facerem, cognitionem Summi & Infini addiſcis. Et quàm debilis ſit Natura reſpectu Artis, quod videlicet ei ſemen habere ſit impoſſibile, & quod multò minus id præſtare poſſit, quod homo poteſt. Item quod „ per ſubtilem cheiragogiam & ſummam hominis in„ telligentiam vera metallorum materia prima acquiri „ & ex centro terræ cor attrahi poſſit, quod tamen „ ignaris & ſtultis impoſſibile & fabuloſum videtur, „ ſicuti etiam æterni ignis acquiſitio.

Hac opinione falſa etiam ſemper imbutus fuiſti, quod metallorum deſtructio per Vini ſpiritum fieri poſſit, cum tamen ſpiritus vini ad hoc præſtandum nimis debilis ſit, abſurdum enim eſſet incombuſtibile per combuſtibile ſuperari. Quando autem ſpiritus vini alteratur, tunc non amplius ſpiritus vini eſt, ſed ſublimius quiddam; tunc inquam, effectum iſtum præſtare poteſt. Si quæris, unde iſtàm alterationem habeat, ſciendum tibi eſt, omnia vegetabilia & animalia ſingularem impreſſionem inferiorem, & à centro terræ conceſſam influentiam accepiſſe, & in ſe abſconſam continere, quæ impreſſio adeò ſubtilis eſt, ut viſus in oculo, qui quamvis totum effugiat, tamen ignis eſt, quâ influentiâ ut potiaris, ſummâ opus eſt induſtriâ. Summâ igitur hic attentione & intellectus acumine opus eſt, ut ea, quæ ſupra docui, animo bene recollas & intelligas. Poſtquam inviſibilis ignis & vita ſeu omnium rerum motus per attractivam firmamenti proprietatem, ſe cum ſideralibus aſtris conjunxit, & hac ratione ex ethereo igne & aſtrali aëre, ſpirituale corpus tale factum eſt, quale ſpiritualis iſta prima conjunctio ad mutationem ſuppeditat, ad corporalem mineralem ſcilicet aquam conſtituendam, ex qua omnes gemmæ, Mineralia & Metalla ſuum ortum ducunt; Tunc virtute & viſtius ſpiritus fit magna commotio & ingens trepidans quaſſatio (ut in iſta figura vides) & aquam incaleſcere facit, vaporem excitat & ſubtiliorem ejus partem ſpiritualem reddit, ex qua gemmæ oriri ſolent. Eodem planè modo, quo cum aqua vulgaris incaleſcit, melior pars in vaporem abit, craſſior verò pars in aquam rurſus ſe reſolvit, & decidendo ad ortum ſuum redit. Hoc idem hic accidit, una pars de forma aliquid participat, & ſpirituale corpus in optimas gemmas ſe tranſmutat, feces verò in metalla, altera verò pars, quæ formam vincere non potuit, in ſubtiles altitudinis terræ rimas ſe recondit, ſic aqua per ſabulum ſe purgat, & omnem ſuam impuritatem in terra relinquit, quæ propter pondus ſuum iterum ad fundum cadunt, & ortum ſuum repetunt, ſubtilis verò vapor in via gradum non ſiſtit, per motum enim ſuum magis ac magis urgetur: & mediante terrâ & calore naturali eò uſque propellitur, donec in vegetabilium radicibus, (quæ attractivâ proprietate pollent, & indefinenter de terra ſugunt,) attrahitur. Sic igitur ſpiritualis iſte vapor, inviſibiliter in radices intrat, in omnes herbæ partes ſe inſinuat, & ſe cum in ſubtiliſſimo herbæ ſpiritu conjungit, apud ipſum manet, & ſe ab igneo ſpiritus corpore patitur detineri.

Herbarum quædam majori vi attractiva præditæ ſunt aliis, inter quas præcipuam judico vitem: hæc enim non ſolum potenter, ſed etiam puriſſimè & ſubtiliſſimè attrahit, hinc eſt, quod vaporis hujus ſummam eſſentiam, ejuſque reſpectu aliarum herbarum magnam quantitatem exſugit, & reliquam partem aliis vegetabilibus relinquit. Pars hujus vaporis, quæ herbarum radices non ſubiit, terram tranſit, & in homines & animalia, quæ vivam vim attractivam habent, incidit, & in illis inviſibiliter quieſcit.

Jam mentis aures arrige. Cum ſermones prædicti de vegetabilibus & animalibus accipiendi ſint, neque hæc neque, neque illa rejicienda erunt, non enim aliter inter ſe differunt, quam quod in his vel in illis vapor iſte purior eſt, & majori quantitate ineſt, impurio„ rem verò puro vapori ſimilem facere potes. Nam per„ ſubtilem cheiragogiam eò redigendi ſunt, ut in aquo„ ſo corpore iſti duo Animalis & & Vegetabilis ſcili„ cet una cum Minerali ſpiritu ſeu vapore capiantur, & „ poſtmodum ſpiritus Mineralis cum magna diſcretio„ ne à reliquis ſeparetur. Qui licet in parva quantitate „ ſe exhibeat, ſummæ tamen eſt virtutis, & luce meri„ dianâ clarior. In hoc ſtatu ſpiritus iſte, Animalem „ & vegetabilem ſpiritum ſi volveris, eò adducet, ut ſibi ſimilis ſit futurus. Hoc ſcilicet totius artis fundamentum eſt: ut ſpiritus Vegetabilis vel Animalis combuſtibilitatem ſuam derelinquat, & incorruptibilis atque immortalis fiat. Hæc clavis eſt ad reſerandum omnes portas, hîc habes veram primam materiam gemmarum & metallorum. Hanc tamen rem, ſi rectâ viâ reputo, hæc non eſt materia prima, ſed triplex extractio ex materia prima Gemmarum. Ideoque Deum in æternum laudare, eique gratias agere debes, quod te hac re dignum fecerit, & tantum intellectum tribuerit, ut id, quod eſt in terra profundiſſimum, in tuum uſum adipiſci poſſis.

Ulterius pergo in hac materia prima. Hanc ſi liquidam feceris, & per incombuſtibilem ſpiritum vegetabilem (non vulgarem) recluſeris, aurum, argentum, „ omnia mineralia & gemmas in illa ſolvere & inſtar „ glaciei in aqua calida liquefacere, deſtruere, mortificare, & iterum renovare poteris. Hac ratione, inquam Aſtralem ſpiritum (quaſi lucernam, in qua ignis æternus & virtus altiſſimæ ſtellæ æternæ ſapientiæ habitat) viſibiliter nanciſci, videre, tangere & ſentire: ignem dico inconſumptibilem, noctesque dieſque lucentem, Solem, Lunam, ſtellas, carbuculos & omnis generis ignis ſplendorem ſuperantem, oculis tuis conſpicies, & totius firmamenti perfectionem in ipſo obſervabis. O homo, mi creatura, quantum donum divinum, quod id, quod ſupra omnes cœlos eſt, ſummè elatum, & in terra profundiſſimè exiſtit, brevi horarum ſpatio adipiſci potes, cum tamen longiſſimo tempore in eo ſit occupata, & te propter ſubtilitatem longè eſt inferior.

Si hunc ſuper cœleſtem, ſummum & incombuſtibilem ignem cum ſummè purgato corpore conjunxeris, & his duabus (rubra & alba,) ſplendentibus ſtellis, unam feceris, (mediante videlicet ſpiritu Hermaphrodito, qui ex duabus naturis, cœlo & terrâ factus eſt, unde albi & cærulæi coloris, & verus duos extremos polos conjungens Diameter eſt,) ſi inquam, ex hac conjunctione novum qui in æternum durabit circujum (de quo multa proferre poſſem)

feceris,

feceris, virtutem superiorum & inferiorum habebis causarum.

Attentus esto ad mea verba, hæ res enim pauciſſimis revelatæ fuerunt. Primum animam ex corde terræ obtines. Sicuti enim cor in homine nobiliſſimum est membrum, & nihilominus tantum est animæ domicilium & sedes? Ita quoque corporalis hæc aqua est „ cor terræ, & omnem terræ virtutem in se continet: „ Eodem modo, quo nucleus impomo, totum pomum „ seu virtutem ejus in se continet: nam ex nucleo „ iterum arbor & pomum fieri potest, sed nullo mo„ do ex pomo nucleo destituto, Eodem modo hæc „ aqua omni virtute plena est & totius terræ vita. Hanc aquam autem tu non capis, sed altius quiddam Animam & Spiritum suum, non animam illam, ex qua metalla nascuntur, sed corporalem animam quæ ex corpore carbunculi orta est.

Ecce hic habes in vegetabilibus, puram carbunculi animam, minime verò suum corpus, hoc enim tam altè ascendere nequit, sed animam suam habes, dico. Ex hac anima, alteram, imò tertiam animam desumis quod fit per subtilem tuam præparationem & purgationem, quam ex parte quidem scis, sed ad finem tamen nondum perduxisti. Hæc anima est pura Christallina, cui nihil est simile super terra, quæ tua quoque est Materia. Jam quid de Forma sentiendum audi quoque. Summus Planeta cœli, est Sol, qui omnes creaturas conservat. Sol iste nihil esset, imò mortuus esset, si ab igne æterno non accensus & lucerna ejus esset, cujus beneficio cæteræ stellæ accenduntur, & splendorem suum nanciscuntur. Jam Natura ex Sole semen accipit, ex quo semine carbunculi, rubini & aurum crescunt. Quoniam verò Carbunculi, haberi non possunt, aurum præ manu sumis, & ex illo vitam & semen extrahis, & illud ita præparas, ut carbunculo simile fiat Hactenus unam animam à suo secundo corpore separasti, Jam insistis, & alteram, tum etiam tertiam separationem instituis. Hic nullus amplius carbunculus adest, (is enim respectu istius animæ, ut plumbum, si cum auro conferatur, æstimandus erit, sed ignis parvus, cælestis, purus, clarus successit & præsto est. Vbi igitur nunc sunt illi, qui statuunt, quod Ars Naturam sequatur? Non sic sanè res se habet. Ars Dominatrix est, non Natura, quæ limites suos non excedit, & ab arte multis parasangis superatur nunquam enim materiam & formam istam adeo exaltare potest, sicuti Ars; nunquam ignem ita purificat, & multòminus centrum terræ. Hic igitur Hermes rectè scripsit: cum dicit; Hæc est gloria totius mundi, fortitudo omnis fortitudinis fortis, & omnium rerum subtilium victoria.

Cum hac Medicina poteris primum vegetabilia curare, steriles arbores scilicet fertiles facere, hyemem in æstatem, & æstatem in hyemem convertere, ut in hyeme omnes herbas, quas æstas supederat, habere queas, ut herba aut arbor in unius anni curriculo quinquies vel sexies fructus suos producat: Item ex mala herba bonam, ex vetusta & putri arbore, juvenem seu recentem, ex amaris pomis dulcia, ex pyris cerasa, & vice versa ex cerasis pyra facere, sicque omnes herbas & arbores in se invicem poteris transmutare.

Deinde omnia imperfecta metalla in perfecta, & in carbunculos & rubinos, smaragdos & gemmas convertere, ex auro & argento per Multiplicationem ineffabiles summas producere licebit adeò ut ex una parte non centenbrum, sed millenorum millium tinctura sit subsecutura.

Tertiò hominem ab omni morbo liberare, ex sene juvenem, ex ægro sanum facere. Hominis mentem & cogitationes, ut ex malitioso probus & pius fiat, mutare, inregrum tibi erit. Quid de his effectis tibi videtur? Nunquid hæc summa sunt? quæ tamen respectu eorum, quæ sequuntur, pro exiguis censenda sunt, Hermetis enim verba nondum satis explicata fuerunt.

Hactenus de naturalibus, nunc de supernaturalibus quoque aliquid proferam. Hæc clavis est ad reserandum cœlum & terram, hoc est, ut penetrare possis summum cœli firmamentum ad terræ centrum & maris profunditatem. Omnes montes, valles, folia, gramina, bruta, & homines, & omnia transpicere potes quasi trans vitrum videres. Omnium rerum proprietates experieris, & sic res abscondiræ tibi erunt manifestæ. Omnia coram te humiliantur, omnia potes, cœlum & terram cogis, omnes spiritus tibi obediunt, tibi inservire & ad nutum tuum stare coguntur. Omnia præsentia & futura, quantum Deus permittet experiri potes. Hoc est mundum creare, & ejus potestatem accipere.

Quis verò horum omnium sit modus & ratio in suo relinquitur loco: Hæc enim supernaturalia & magica sunt, ut antè dixi, Si fortuna tibi favet, ut quæ naturalia sunt, ad optatum finem perducas; hæc supernaturalia scire quoque tibi dabitur, Ex his omnibus de præstantia illorum, quæ te docui, & de errore, quem commisisti, facilè judicare potest, à quo ut posthac tibi caveas, & cautius in hac re agas, sedulò te adhortor.

Cum hæc omnia animo revolverem, & increpationem sat longam auscultavissem, super acutis spinis aut lapidibus stare mihi videbar, & dum visionem istam in valle profunda contemplarer, à tergo aliquem strepitum, qualem veste serica amictus, vestis attritu excitare solet observabam, cum igitur circa me circumspirem, ecce canus quidam barbam ad cingulum suum usque longam alens, ablongâ veste attâ vestitus in una manu circulum, in altera verò gnomonem seu normam gestans comparebat, qui taciturnus præteribat, & ad globum properabat, cujus proceritas magis ac magis adeò crescebat, ut globum alto ædificio altiorem, mediâ corporis sui staturâ longè superaret, & capite suo ad solem usque pertingeret. Hic senex circino super centrum posito, globum circinabat, ut æqualiter rotundus fieret, deinde circino suo gnomini imposito dicebat: Ter facta est multiplicatio in ipso. Postea circinum iterum super globi altitudinem collocabat, & mensuram ejus usque ad firmamentum, & de firmamento usque ad supremam stellam capiebat, & magnâ vociferatione metuenda exclamando in hæc verba erumpebat. Hoc est unum ex quatuor per tria abscissum. Posthæc duas lineas à suprema stella ad globum usque ducebat, quas transversim ducta linea in triangulum ligabat. Deinde cum circino suo duas triangulates cuspides ex centro evehebat hatum cuspidum angulus unus centro nitebatur, alteri verò columba insidebat, quam dejunctionis & vivificationis spiritum vocabat. Anguli duo modò dicti cum angulis duobus trianguli prædicti uniebantur, & flamma ignea in lineam triangulum constituentem ferebatur, & ibi quiescebat. Ex parte inferiore, stella alba splendens sursum prodibat, quæ duo quadranguli medio sibi invicem obviando se contingebant, unde hæc stella instar sanguinis rubra fiebat, & tantam claritatem emittebat, & oculorum meorum aciem adeo perstringebat, ut illam vix potuerim intueri: Triplicem enim clariratis circulum de se spargebat, quorum primus & proximus aureo flavus, alter ruber, tertius verò sanguineo ruber erat. Summus hujus stellæ splendor tantus quoque erat,

ut ſtellæ ſuperiores Sol & Luna firmamenti ſplendorem ſuum amitterent, & ſanguineum colorem induerent, & terra quoque virorem ſuum perdebat, & omnia rubro colore tincta erant. Dum hæc fiebant, ignis ex ſtella iſta proſiliebat, & globum iſtum cum toto firmamento concremabat, ut de Sole, Luna, cœlo & & terra ne quicquam remaneret. Poſthæc ſtella illa, rotundi ſpeculi aut diſci inſtar dilatabatur, in quo novus globus albus transparens, & ſmaragdi viriditatem referens, cum Sole tranſparente, & ſolito clariore, atque toto firmamento apparebat nulla tamen circumgyratione hic obſervata. Hic ſenex exclamando dixit: Laudatus ſit Deus, quod tandem malitia eſt oppreſſa, & veritas manifeſta. Gaudete filii lucis, quod tenebratum factus eſt finis; Sol non amplius occidet, ſed in æternum vobis lucebit, nec obſcurabitur vobis unquam, qui ſic fatus diſparuit. Huic revelationi Colophonem Principalis meus addens dixit: Hæc figura ſummæ curæ tibi eſſe debet, quia in illa totius operis tui ſignificatio continetur. In hac inquam figura latet ſecretum omnium ſecretorum, tam quoad res naturales, quam ſupernaturales, quæ omnem hominis captum ſuperant. Si tamen probus & pius fueris, & in Deo fiduciam tuam poſueris, omnia iſta adipiſceris.

Hactenus quam longè Ars naturam ſuperet percepiſti, nunc quoque quid ſummum illud arcanum, ſeu Lapis Philoſophorum ſit, videamus. Hinc quantum vulgares Philoſophi à ſcopo abertaverint, & quàm temerè quidam de hac re libros ſcripſerint, & in linguam Germanicam tranſtulerint, quorum ſenſum ipſimet non aſſequebantur, tibi patebit. Quilibet ergo hic animum advertat; Hic tu verum hujus rei fundamentum, ut cætera Philoſophorum ſcripta rectè intelligas, addiſces.

Lapidis Philoſophorum clara Explicatio.

INterroganti igitur quidnam Lapis Philoſophorum eſſet, ſic reſpondit: Lapis Philoſophorum eſt Microcoſmus per regenerationem factus: in quo ſuperioris & inferioris ſtellæ eſſentia ſe in medium collocavit, & ibi ſedem fixit: Deſumitur enim partim ex ſummo vivifico cœli centro, quod ſuum ſupercœleſte lumen & incomprehenſibilis ignis eſt, qui cœlis, ſtellis, Planetis & omnibus elementis, vitam, lumen, motum, virtutem & ſubſiſtentiam confert: Partim ex infimo puriſſimo, pellucidiſſimo terræ centro, quod aqua corporalis eſt, quæ terræ vitam, virtutem & operationem tribuit.

Ex iſtis longè à ſe invicem diſtantibus centris, (ex quibus omnes virtutes mundi fluunt) cum arte intercedente per Hermaphroditum ſpiritualem, ſeu Diametrum cœleſtem copulantur & connectuntur, tandem lapis ſapientum anima, corpus & ſpiritus) componitur, in quo ſuperiores & inferiores virtutes cœli & terræ ſunt incluſæ, undè tanquam verus regeneratus Microcoſmus & eſſentia pluſquam perfecta toti mundo dominatur, & meritò dominus Macrocoſmi pro ratione ſuæ naturæ appellari poteſt. Eſt enim tam excellens mundi myſterium, ut ejus corpus anima & ſpiritus, ſint animæ puræ regeneratæ, & pluſquam quintæ eſſentiæ, ex centro corporis ſuperioris & inferioris mundi deſumptæ. Veriſſimè enim corpus, eſt anima & quinta eſſentia, ut etiam anima & ſpiritus ratione ſui generis, quæ tertia vice à ſuis ſordibus ſummè fuerunt purgatæ. Quocirca corpus ejus centrum eſt ſeu anima ex corde terræ, vel corporalis aquæ: Anima verò ejus eſt centrum animæ ex lumine æterno & ſummo: Spiritus denique eſt centrum animæ ex Spiritu Aſtrali ſeu ſirmamentali. Quicunque igitur ſummas haſce virtutes vult impetrare, ultimam lapidis materiam in primam reſolvat, & per regenerationem ad ſuam perfectionem adducat oportet. Nam materia, quæ ſolum per vulgarem ſolutionem & coagulationem præparatur, ad hoc opus non pertinet quia nulla eſt regeneratio, ſed tantum purgatio, qua corpus inſtar panni aliquo levatur, & ſordibus ſuis exuitur, de cætero verò adhuc in veteri ſuo ſtatu adhuc manet, corruptioni ſubjectum eſt: Hic alia ſolutio, nempè aqua cœleſtis & incorruptibilis elementa cogens & illis dominans, requiritur, ex qua tanquam ex materia prima vegetabilia & mineralia oriuntur, quæ horum centrum aggreditur, vitam quærit, & illam cum ſua virtute à cæteris membris mortuis ſeparat, purificat, de potentia ad actum promovet, ſicque corpus mortuum rurſus vegetat & vivificat, cum ſua anima & ſpiritu unit, unde ipſorum vita & vires altius aſcendunt, & tandem primam & veram ſuam perfectionem aſſequuntur. Nam ſi corpus primum per Spiritum animâ ſuâ privatur, & hæc duo purificantur, & deindè iterum conjunguntur, tunc corpus antea mortuum, fit corpus regeneratum novum vivificans, quod in omni claritate reſurgit, & eſt nive candidius, clarum nulli corruptioni amplius obnoxium, ſed immortale, animarum cœleſte, clarificatum, magnis virtutibus multiplicem fructum ferens. Hic de cauſa regeneratio nihil aliud eſt, quam corruptionis ſeparatio, incorruptionis reſtitutio, mortis ablatio, vitæ redintegratio, virtutum elementalium remotio, & cœleſtium inſtauratio: & tandem malignitatis extirpatio, & bonitatis excitatio, elementorum ſterilium regnantium mors & mortificatio, & virtutis immortalis atque cœleſtis vita. Nam quemadmodum antea in veteri corpore naturali corruptio, mors & corpus impurum, dominationem ſuam exercuere, animam cum ſpiritu oppreſſerunt, & virtutem ipſis abſtulerunt: Ita in novo renato & per virtutem clarificato corpore imperium animæ & ſpiritui, in quibus vita ineſt, rurſus traditur: Quæ duo illuminant & nobilitant corpus, & in gloria, dignitate, potentiâ & virtute illud ſibi aſſimulant, ut in poſterum hæc tria ſimul regnent, & magnalia ſua facta exſerant & oſtendant.

Regeneratio inquam eſt novus ſpiritualis & temperatus ſtatus eſſentialis, conſtans, ſpiritualis, amata & ſupercœleſtis potentia, virtus immortalis, quæ veterem ſtatum longè ſuperat, nec naturæ ſubjecta eſt, ſed ſuper illam exaltata, adeo ut per regenerationem novæ virtutes, & nova efficaciſſima vita æterna introducatur: Nam corpus, quod antea ſegne, craſſum, impurum, tenebroſum, corruptibile, infirmum & & impotens erat, animæ & ſpiritui per regenerationem ſimile fit, vivum ſcilicet, volatile, leve, penetrans, purum, ſubtile, clarum, potentiâ & virtute plenum, immortale, incorruptibile, in effectu poteſtatem habens imperfectum ad perfectionem adducendi & in illa conſervandi.

Hinc regeneratio in tribus conſiſtit. Et primum quidem in corporis mortificatione, cum illud in materiam primam reſolvitur & ipſi ſimile fit, hoc eſt, cum vegetatur, & in ipſo dormientes vires excitantur, & in actum producuntur. Et cum per regenerationem ei anima & ſpiritus adimuntur. Deinde in corporis & ſpiritus purificatione, cum videlicet ipſis exteta impura & corruptibilia elementa ſubtrahuntur, & in locum eorum inviſibilia abſcondita, & incorruptibilia propria cœleſtia elementa ſubſtituuntur. Tertiò, In conjunctione cum puro corpori ſua pura anima & ſpiritus rurſus ad illum vivificandum infunduntur,

infunduntur, & hæc tria simul uniuntur, clarificantur, permanentia & æqualem virtutem habentia fiunt: unde Hermes in hoc dicto: Aufer ei animam, & redde ei animam, item in hisce verbis: solve & coagula, totam Philosophi operis methodum comprehendit.

Causa autem regenerationis est, quia propter horribilem Adami lapsum, terræ, id est, elementari, corporali & inferiori parti mundi maledixit & corruptioni subjecit, ideoque nec vegetabilia nec mineralia, neque etiam animalia ad pristinum suum statum aut virtuosam naturam redire, & perditam suam perfectionem absque regeneratione recuperare possunt.

Cum igitur regeneratio Philosophica nihil aliud sit, quam purgatio & separatio boni à malo, anima quoque summum illud sit, cui vita inest, quam sequitur spiritus, & tandem corpus, quod respectu istorum duorum mortuum est; utrique necessarium est, ut anima, spiritus & corpus à sua corrupta natura separentur, ut hæc tria in opere Philosophico nil nisi animæ & quintæ essentiæ fiant: Nam si animæ regeneratæ corpus quoddam qualecunque illud fuerit, adjungas (ita etiam ut hoc corpus symbolum seu convenientiam cum anima habeat, alias ex quolibet fieret quodlibet) tunc corpus hoc animæ obsequium præstat, non verò anima corpori, ratio hæc est, quia in anima est vita, & in anima regenerata potior & æterna vita, vetus autem corpus per se econtra mortuum est; ideò animam ut corpus sequatur, vivificetur, & anima quoque fiat necesse est, adeo ut non hoc quod oculis conspicitur, sed quod ex illo obtinemus, & quod per spiritum in sublimationem ducitur, & ita loquendo respectu corporis, spiritus corporalis factum est, corpus vocemus. Idem de spiritu judicium est. Hic enim postquam regeneratus fuit, non amplius vulgaris spiritus est, sed spiritus animalis incorruptibilis factus est. In summa, totum opus Philosophicum nihil aliud est, quàm novum cœlum & novam terram facere: cœlum deorsum trahere, & terram sursum in cœlorum locum elevare & collocare & procedendi modum, quem Deus in creatione mundi observavit sequi. Nam in principio cum Deus cœlum & terram creavit, nil nisi aqua videbatur, quæ prima materia erat, in qua cœlum & terra cum toto suo exercitu & terræ tenebris circumvolutæ, abyssо comprehendebantur, terra in profundo aquarum vacua & sine virtute & vita existente. Unde fortè Democritus atomos suos, tanquam aquosum vaporem, fumum aut aquam resolutam pro principiis rerum statuere ansam sumsit. Super aquis, id est, purissimâ & supremâ parte aquæ spiritus Domini incumbebat, illam fovendo conservabat. Abyssum verò terræ & tenebras tanquam pejorem & inutilem atque mortuam partem deseruit, & virtutem luminis & vitæ in aquam attraxit, adeo ut statim ab initio per Spiritum Domini separatio in hac solutione & putrefactione facta fuerit: Ideoque Spiritus Domini solummodo aquam, superiorem videlicet & meliorem & efficaciorem partem fovit, & omnipotente virtute sua est complexus, inefficaci & mortuâ aquæ parte in abyssо tenebrarum relictâ. Quia ergo in hac solutione omnium creaturarum unicus status & vita comprehendebatur, ideoque Spiritus Domini, omnipotentis suæ fructificationis alis meritò illam fovit, texit, corroboravit, & ad perfecti luminis vitæ suæ augmentationem maturavit. Postquam omnia in hac solutione & putrefactione ad maturitatem suam per Spiritum Domini pervenerant, & ad perfectionis vitæ statum properaverant, vera substantialis separatio subsequuta est. Dum Deus per mandatum omnipotentis verbi sui primum ab ista solutione, clarissimam, subtilissimam, virtuosissimam, purificatissimam, omnemque cristallinam claritatem & splendorem superantem aquam separavit, & illam propter incomprehensibilem ejus splendorem & ineffabilem diaphanitatem Lucem vocavit: Quæ meritò prima aqua etiam vocatur, quia in omnibus creaturis, omnis substantiæ viva est scaturigo, de cujus effluvio omnia inferiora conservantur, & recreantur, unde etiam omnium cæterarum aquarum inferiorum forma & actio est. Et primum summumque locum propè Deum nacta est; per cujus influentiam cœli, stellæ, planetæ omnia elementa & inferiora corpora cum suis virtutibus & moribus conservantur. Ex hac Luce aliæ separationes in diversis gradibus subsecutæ sunt, ad creationem Angelorum, animarum & inferioris mundi conservationem à Deo ordinatæ. Hæc Lux etiam cælum empyreum, aut vivificum, item mundus superior, vel invisibilis appellatur: quo sine dubio Plato cum suis Idæis collimavit, quia in hac Luce invisibili totus mundus visibilis est comprehensus, & ab illa tanquàm summa Creatura DEI regitur & conservatur.

Hanc separationem altera nunc sequitur, videlicet triplex divisio seu triplex differentia aquæ superioris, mediæ & inferioris, quæ aquæ animam, spiritum & corpus significant, & omnes tres spirituali incomprehensibili modo in Luce aut prima aqua sunt comprehensæ, Nam ex Divini Verbi mandato Lucem aut primam aquam sua proximè cognata clarior & subtilior aqua, ex ordine secundum superioritatis ordinem proximum secuta est, donec tandem infima debilior & crassior aqua in infima regione, corpus scilicet mansit, quarum aquarum quælibet rursus suam separationem obtinuit. Superior aqua est cœlum chrystallinum, quod respectu Lucis pro materia habendum, in qua influentiæ Lucis immortalis & vivificæ facilè instar picturæ adumbrant, & se tanquam in formam imprimunt, adeò ut superior aqua ista typus & quasi exemplar impressum, Lucis seu aquæ primæ igneæ sit, in quo typo omnium creaturarum animæ, (tanquam Lucis, post Angelos, altera generatio) illarumque vita & virtutes se ostendunt, adeò ut multiplices animarum impressiones similiter in illo existentes subsequantur, & hinc bono jure cœlum animarum vocari possit, quoniam hæc superior aqua viva omnium animarum scaturigo est, quæ cum suis donis & gradibus diversimodè distributæ sunt, ut tanquam spiritualis viva & invisibilis aqua in inferiora corpora elementalia influant. Hinc est, quod cœli in lingua Hebraica ignea aquæ ab Isch & Maijm vel Schamaijm vocantur.

Media aqua per separationem in cœlos visibiles, videlicet in orbes Planetarum, in Firmamentum seu primum mobile divisa fuit, ex quorum singulo postea demum ipsorum essentia, id est, septem Planetæ cum aliis innumeris syderibus iterum extracti & separati, & rursus orbes inserti fuerunt, prout quosdam cum propriis suis motibus, orbibus suis obstrictos & unitos esse constat Hæc media aqua, aut syderum orbes, cum suis stellis mediocris sunt naturæ, proprietatem animæ & spiritus habentes, secundum spiritus in ipsis latentis naturam. Hinc est, quod superiores & inferiores aquæ se separant Genes. 1. tanquam per medium à Deo interpositum, ut per illud Lux & superior aqua cum inferiori aqua corporali se unire possit, quia absque hoc medio anima sine spiritu nunquam cum corpore convenire potest. Hinc inquam est, quod Lucis & superioris aquæ impressiones prius in medias aquas se insinuant, quæ corporalis & spiritualis naturæ sunt, in quibus corpus spirituale

quaſi ſuffocatur, quod tandem pro ratione ſuæ naturæ & proprietatis, in inferiorem aquam influit, & ſibi corpus adæquatum & ſimile appropriat, unde ſpiritus, aqua inviſibilis ſunt, in aqua viſibili abſconditi ſimiliter anima quoque eſt incomprehenſibilis aqua ignea in ſpiritu, in aqua ſcilicet inviſibili comprehenſa.

Inferior aqua eſt corporalis, in quatuor elementa, & rurſus quælibet harum aquarum in vegetabilia & animalia ſua diſtributa. Ignis reſpectu Lucis tantum eſt aqua; terra pura in ſolutione quoque ſtetit, & aqua fuit, nunc verò eſt aqua coagulata; unde ante lapſum Adami clara, diaphana, lucida, immaculata, virtute vita & animabus plena fuit, & adhuc poſt corruptionem ſuam, in ſe corporalem puram virtuoſam continet aquam abſconſam, quamvis exterius nihil aliud quam impura & tenebroſa aqua coagulata eſſe videatur. Nam poſt lapſum aquæ inferiores in quas virtutes ſuperiores immortales ſe immerſerunt, & in illis quaſi ſuffocatæ & captivæ ſunt, maledictioni & corruptioni obnoxiæ factæ fuerunt, & morti in vindicationem cecidérunt. Quicunque igitur hoc, id eſt. immortale, à mortali & corruptibili legitimè ſeparare, & incorruptibile in antiquum ſuum ſtatum reducere poteſt, is Deum in creatione mundi imitatur, & ad optatum ſtatum venit.

1. Ex his prædictis primo exſurgunt triplices formæ & materiæ, triplices actiones & paſſiones, triplices animæ & ſpiritus & corpora triplicia, item triplicia media Superioris, Medii & inferioris, & per conſequens triplices ſeparationes & Influentiæ.

2. Deinde quoque ſequitur, Talem unionem per ſeparationem puri ab impuro fieri oportere, poſtquam materiæ & formæ ſuperfluæ & impura elementa ab interioti ſua eſſentia ſoluta & ablata fuerunt.

3. Tertiò, Quod quia terra etiam in ſolutione ſtetit, illa terra ſola quæri, abyſſus verò tenebrarum, id eſt, terra damnata relinqui, viva autem terra ſola cum ſpirituali ſua aqua debeat purgari.

4. Quod ſuprema & puriſſima abſque mediorum interventu cum infimis & impuriſſimis ſe unire nequeant.

5. Quod, quia optima & maxima pars aquarum ſpiritualis eſt, & ſe in altum evexit, noſtræ aquæ artificiales, etiam volatiles & ſpirituales fieri debeant, quod facilè fieri poteſt, quia æternus Deus principium & primam mundi materiam in aqua collocavit, & poſtea demum omnes puriores creaturas ſecundum ordinem ipſarum præ manu ſumſit. Nam in principio nulla creatura impura erat, quia apud Deum omnes bonæ erant, hoc eſt, pulchræ, amabiles, claræ puræ, utiles, viribus, virtute & fertilitate plenæ, quæ omnes cognationem mutuam, influentiam & effluvium habebant & adhuc habent, undè etiam facilè in ſe invicem tranſmutari queunt.

Hac de cauſa Spiritus Sanctus omnes creaturas, aquam vocat, quæ etiam in fundamento tantum aqua ſunt, unde etiam omnia corpora mixta tantò facilius tractati, reſolvi, purificari, uniri & in ſuum ſtatum primum reduci poſſunt, alias enim ſine aqua nihil purificari, & in primum ſuum ſtatum perfectionis promoveri poteſt.

Quia verò hic de multiplici aqua ſermo eſt, conſequens eſt, quod in noſtro opere vera eſt aqua intelligi, & uſus ejus nobis cognitus eſſe debeat. Hanc Spiritus Sancti regulam & ordinem, Philoſophus in opere ſuo philoſophico imitari, & quodlibet corpus in ſuam veram ſolutionem redigere, hoc eſt, in ſuam aquam, ex qua ortum habuit, convertere debet. Hic tamen cautione opus, quod ſcilicet illam aquam non oportet eſſe aquam aliquam elementalem aut corruptibilem, ſed mediam, fertilem, incorruptibilem, & talem, quam Spiritus regat, qui in ſubſtantia, vita & virtute ſua communionem habeat cum ſuperiori & inferiori mundo, id eſt, qui æquè de luce & ſuperiori aquâ atque de inferioribus elementaribus aquis participet, & utriuſque naturâ & proprietate inſtar ſequeſtris ſit donatus, qui utrique patti faveat, & cui pro cujusliber natura, cum utroque bene conveniat, & utriuſque ſtatum in ſe recipere poſſit.

Secundò, quemadmodum iſta Macrocoſmica ſolutio aliquandiu duravit, & à Spiritu Domini incubante ad maturitatem perducta fuit ut conveniens ſeparatio ſubſequeretur: Ita quoque Philoſophicam ſolutionem in tranſactionem poni, & per ſuum calidum & humidum ſpiritum regi & corrumpi oportet, ut corpus per ſuum intus & extus incubantem ſpiritum ſpirituale fiat, ſicque corpus anima & ſpiritus ſe rectè ab invicem ſeparare queant.

Tertiò. Sicuti omnipotens Deus poſt maturationem aquarum, ſeparationem inivit, & aquas in quatuor partes diviſit, in Lucem, ſuperiorem, mediam & inferiorem aquam, in quibus totus ſuperior & inferior mundus, in quatuor partibus eſt comprehenſus, & fundatus, ex quibus omne, quod vita fruitur, tanquam ex ſcaturigine oritur: Ita Philoſophum quoque totum opus ſuum in quatuor partes, tanquam artificialis ædificii ſui quatuor columnas dividere oportet, in Lucem, ſuperiorem, mediam & inferiorem aquam.

Lux eſt forma, ſtatus vivus & efficax virtus & animæ igneus ſplendor, aut ſuper cœleſtis incompenſabilis ignis. Superior aqua autem eſt corpus aëreum animæ, ejuſque ſedes & domicilium, aut inſenſibilis aër, per quorum conjunctionem & unionem & influentiam, lucida, clara, chriſtallina & ſupercœleſtis eſſentia hoc eſt anima fit & exiſtit.

Media aqua eſt forma reſpectu inferioris, ſed materia reſpectu ſuperioris, quæ ſpiritus eſt, & corpus animæ: ſed viva virtus forma & eſſentia inferioris aquæ corporalis, per quam formam corporalis aqua inferior vincitur, & in ſpiritualem redigitur, qua ratione ſpiritus, viva aqua, & vera aqua vitæ eſt, in quam ſuprema Lux cum ſua aqua chriſtallina ſe inſinuat, qua mediante conſequenter corpus, hoc eſt, inferior aqua illuminatur & clarificatur, & vita ſua antea oppreſſa, & quaſi mortua, jam demum potenter ſuſcitatur, & plenariâ virtute & gloriâ coronatur & clarificatur.

Inferior aqua eſt corpus & vera materia, in quam omnes virtutes ſuperiores pro ratione ſuæ menſuræ ſe conferunt. Unde centrum eſt, ad quod forma reſpicit, quodque forma deſiderat, in quod effluvia inviſibilia omnium ſuperiorum aquarum, ſicut in ſtagnum quodam aquarum, ſe infundunt, in quo etiam permanentia & fixa fiunt & manent.

Quoniam autem inferiores aquæ Elementales propter primum peccatum ab Adamo commiſſum, priorem ſtatum ſuum derelinquere coactæ fuerunt, & ex ſumma puritate in extremam impuritatem inciderunt, ideoque etiam ſimul omnia inferiora mixta cum ſuis animabus & ſpiritibus cooperta, & medullatenus ex impuritatis maledictione maculata manſerunt. Jam ſi hoc tibi curæ eſt, quæ ratione hæ tres partes, anima, ſpiritus & corpus à ſua impuritate liberari & in priſtinum ſuum ſtatum purum & virtuoſum redintegrari queant, ſummè neceſſarium erit, ut à ſe invicem dividantur, & aliquoties ſeparentur, & à ſua impuritate liberentur, deinde quælibet illarum pars in ſuam integritatem perducatur & tandem uniantur & primo ſuo ſtatui aſſimilentur, imo in meliorem ſta-

tum

tum, quàm erant prius, constituantur, quod sanctus Moses paradysum colere & custodire vocat.

Hisce circumstantiis administratis, ejusmodi corpus centenos imò millenos fructus adfert, quia cœleste, spirituale & animabus plenum est, & nihil aliud extractum virtutum Lucis, & omnium suarum diversarum aquarum, imò omnium virtutum abyssus. Est inquam corpus, quod innumeram pulcherrimam & præstantissimam sobolem parit, semper fœtu gravidum manet, & omni momento ad pariendum est proclive, quia superius & inferius semen pro innumera multiplicatione præstanda accepit, ideoque non ad accipiendum, sed ad dandum inclinat, & in ipso cœlum & terra una res facta sunt.

Hac ratione Lapis Philosophorum summa & compendium est omnium eorum, quæ in cœlo & in terra sunt. Diameter non est, qui cœlum & terram separet, sed perfectum mundi compendium & stagnum sine fundo, in quod superior & inferior vita per suos canales & influentias infudit. Est Microcosmus regeneratus & medium centrum, quod inter superius & inferius consedit, & utriusque virtutes, tanquam Philosophicus Magnes ad se attraxit, & illorum essentiarum perfectionem, ad aliorum corporum illuminationem & clarificationem in se recepit. Finaliter quoque est conjugii inter maritum cœlestem & uxorem terrenam vinculum conjugale, qui conjuges hoc indissolubili vinculo uniti innumera prole sunt ditati. Amen.

SOLI DEO GLORIA.

SVBSECTIO II.

MYSTERIUM OCCULTÆ NATURÆ Anonymi Discipuli Iohannis Grassei Chortolassei *dicti, nostro Seculo insignis Philosophi, I. V. Doctoris, & Syndici Siralsuntini*, De duobus FLORIBUS ASTRALIBUS Agricolæ minoris *in ejus* Arca Arcani artificiosissimi *contentis.*

PRÆFATIO AD PIUM LECTOREM Filii SENDIVOGII I. F. H. S. LUCERNÆ Salis Philosophici Authoris, & MYSTERII Hermetici Possessoris.

SI palpabile corpus aquæ terrenæ, suamque naturalem conditionem, substantiam & motum animo perpendimus, virtutes invisibilis & spiritualis aquæ, atque in illis æternæ unitatis spiritum fluctuantem in illa reperimus, ex qua renasci nos oportet, si vitæ æternæ participes fieri volumus, à qua omnes secundùm carnem viventes prorsus excluduntur: Nulla enim creatura, post hominis lapsum, à maledictione, nisi per sanctam aquæ & spiritus Divini regenerationem, liberari potest. Hoc fundamento sacrum regenerationis Philosophorum opus, cum unica occultationis ejus causa nititur, in quam cum Deus illud collocarit, nullis Philosophis qui à millenis annis de hac pretiosissima re notitiam habuerunt (in qua sapientiæ veræ cognitionis Divinæ & thesaurus omnium thesaurorum consistit) aliter quam occultè agere licitum fuit, adeò ut sine singulari illuminatione Divina ex ipsorum libris, in quibus nihilominus veritas circumstantialiter est comprehensa, hujus Philosophicæ regenerationis fundamentum assequi prorsus impossibile sit, quia Philosophi non solùm summa in scribendo obscuritatis studuerunt, verùm etiam quia providentia Spiritus sapientiæ Divinæ indignorum oculos mentis ita perstrinxit, ut prorsus nihil de hoc Divino mysterio intelligerent, cùm tamen in se ipso planum sit & simplex. Mirum sanè est acuti ingenii homines hac in re ita cæcos esse, qui tamen de annis in annos multo subtiliores artes & res longè difficiliores invenerunt: cujus rei nulla alia causa est, quàm quod Divinæ providentiæ regimen hoc mysterium indignis abscondit, verè piis autem semet ipsum cum omni sua amabili bonitate patefecit & communicavit. De quo Psalmista sic ait psalmo 84. Piis non deerit omne bonum, Domine Zebaoth felix homo qui in te confidit.

Cum itaque hujus Tractatuli Author, amicus meus intimus, ante triginta annos Divina favente gratia, supradictæ scaturiginis aquarum (ex qua Natura aurum in terra, ars verò Lapidem Hermetis super terra coagulat) possessor factus fuerit, & ipse hanc sapientum aquam albam manus non madefacientem propriis manibus suis præparavit, & tanto tempore ut dixi reticuerit, nunc verò Hermetis filiis & Adeptis, se illorum quoad Philosophicæ artis circumstantias socium esse notum faciat, amico meo charissimo hac in parte deesse nolui, quin in honorem ipsius huic tractaculo testimonium perhiberem, & in rei veritate omnes hoc scriptum lecturos certos facerem, omnia quæ in illo continentur esse verissima. Stylo quidem rudiore res suas declarat, si verò æquè benè scires quàm ego, quænam inæstimabilia secreta penes eum sint, dubitares fortè an in toto mundo similia reperiri queant. Nam ubi gentium invenitur aliquis qui præparationis lapidis universalis viam per octodecim ferè menses durantem, ad triginta dierum spacium compendiosè & plenè sicut Hermes redigere possit, quod tamen Agricolæ minori res exigua erat, cujus manuscripta præstò sunt, sed in lucem non prodibunt, quorum tamen is quem Divina providentia amico meo junget certis inter Philosophos conditionibus usitatis, si Domino omnis bonitatis administratori placuerit, hæres fieri poterit, qui si solam mercurialem aquam tantùm ab amico meo obtineret, tale donum haberet, quod nullo ære persolvi potest: Nam præterquam quod in illa Philosophorum Lapis, non quidem actu, sed potentiæ absconditus est, omnis generis Particularia quoque, imò simul per eam quæcunque in Natura sunt, haberi possunt. Hujus rei veritatem non solùm omnes Philosophorum libri testantur, verum etiam is qui hujus scaturiginis per Dei gratiam compos erit, remita se habere experietur, thesarosque infinitos possidebit. Quocirca omnes alii labores chymici qualescunque fuerint, respectu hujus, & quantum ad utilitatem attinet pro puerorum ludo sunt habendi, undè hæc scaturigo omnibus aliis rebus in rerum natura existentibus, post Deum & hominis animam, longè est anteferenda. Quare hunc tractatulum filiis artis, cujus author idem ille est, cujus in meo tertio principio mineralium mentionem

feci, cum acuta meditatione legendum commendo, in illo enim nucleus veritatis, quamvis nullis phaleratis verbis expreſſus, ſufficienter invenitur, contenta enim ejus non ex relatione aliorum, ſed propriâ experientiâ, & manufacturæ certitudine, hodierno die in mundo non uſitata, quantumcunque etiam de ea ſcribatur, demonſtrantur. Dubium hoc, an huic authori ſimiles, qui hoc præſtiterint nunc temporis inveniantur, animo eximere non poſſum. Ideoque benevolum lectorem monitum volo, ut animum ad ea quæ ſupra dicta ſunt advertat, quem omnipotentis luminis & miſericordiæ patri, ad gratioſam ſpiritus ſancti illuminationem, plenam cognitionis Divinæ juſtitiam, ejuſque potentiæ ſcientiam, qui eſt vitæ æternæ radix ſap. 15. impetrandam commendo.

O quàm profunda eſt ſapientia Dei, & abſcondita à filiis mundi; Internè quærendum, quod oculis non conſpicitur externis.

Aros in Turba.

Excelſum eſt hoc apud Philoſophos magnos Lapidem non eſſe Lapidem: apud Idiotas vile & incredibile, quis enim credit lapidem aquam lapidem fieri, cum nihil ſit diverſius? attamen revera ita eſt.

Honoris amoris & candoris gratiâ erga amicum meum ſincerisſimum præfati hæc volui

J. F. H. S. Sendivogii filius.

Inviſibilia DEI à Creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellectu conſpiciuntur.

QUotieſcunque (illuminati & Dei amantes viri) ſeveram comminationem quam Deus omnibus legis ſuæ tranſgreſſoribus denunciat, animo reputo, quod frequenter facio, toties animus meus expaveſcit; verba autem legis hæc ſunt Deut. 28. v. 50. *Dominus mirabiliter te tractabit, cum plagis ſuper te & ſemen tuum, cum magnis & diuturnis plagis, cum malis & diuturnis morbis &c.*

In hiſce verbis magnus ille Propheta docet, iram Divinam propter peccata tantam fore, ut etiam optimæ medicinæ (quæ poſt æternæ ſalutis opus ſumma dona Dei ſunt) invalidæ ſint futuræ. Quanta igitur hæc maledictio ſit, iis facilè patet, qui omnia remedia propter peccata, maledictioni obnoxia eſſe in proprio ſuo corpore re ipſa experiuntur. Hinc factum eſt, ut Medic. tales homines attingere noluerint, ſed in illis morbis in quibus Divinum quiddam animadverterebant, & à quibus tàm complicationis quàm magnitudinis ratione ſe vinci videbant, manum detraxerint, & modò hanc modò illam Medicorum methodum & viam vel laudarint vel vituperarint, neque illi qui omnia ſervari volebant ſibi ſatisfacere potuerunt. Felicia quidem illa tempora ſana fuerunt, quibus Romani teſte Plinio lib. 20. c. 9. ſexcentis annis abſque omni medicina vitam tranſegerunt, illiſque braſſica quando nonnunquam infirmabantur, medicinæ loco fuit, verum creſcente hominum malitia pœnæ quoque creverunt.

Philoſophi igitur, habita rerum exacta conſideratione, videntes innumeram medicamentorum multitudinem ad tàm multiplices morbos requiri, rem altiùs perpenderunt, quomodo medicina univerſalis & omnium morborum antidotum comparari poſſet, qui conatus non fruſtraneus fuit, ſed ipſis ex voto ceſſit. Ex horum numero fuit Baſilius Valentinus, & noſtro ſeculo Theophraſtus Paracelſus. Joh. Chortalaſſeus & alii plures, qui omnes morborum radicem ſubſtulerunt, virtutem balſami naturalis confortarunt, & in ſuis curis res mirandas præſtiterunt. Horum doctiſſimorum virorum veſtigiis inſiſtere cupiens, ego quoque in varia mea itineratione, Europæ regna diverſa perluſtrando, univerſalem aquam Mercurialem vel metallorum ſcaturiginem, inprimis verò mirabile Subjectum à ſuis duris vinculis, in quibus Natura illud concluſit, liberandi & in efficacem medicinam adducendi ſcientiam ſum adeptus, quæ medicina ſatis ſuperque idonea & apta eſt, ad corpus humanum renovandum, quia multiplicium morborum radicem citò & jucundè tollit, calorem naturalem ſuſcitat & vivificat, dummodò rectè & Philoſophico more & modo ſit præparata; hoc eſt priùs fixa, ſeu in igne conſtans facta fuerit.

Arduum eſt quod quærimus, ſed tamen poſſibile eſt, nobiliſſimum & precioſiſſimum mirabilem Philoſophorum lapidem conſequi, qui eſt omnis fortitudinis naturalis fortiſſima fortitudo, qui omnia in ſe habet, & eſt res vincens penetrans & conſervans.

Hac in parte, Summa cœleſtis ſapientia (cui in æternum ſit gratiarum actio) me indignum dono ſuo inſtruere dignata eſt, ut quantum ad veterum Philoſophorum ſcientiam, ego quoque modò dictum naturæ myſterium fundamentaliter intelligam, & de illo iis qui revelatione hac digni ſunt, ſufficientem & veram inſtructionem ſuppeditare poſsim: Non enim aliorum ſcriptis egeo, aut mea ſcripta ad ulterius nutum & amuſsim inſtituere opus habeo propria mea experientia & manufactura, apud me pluris eſt, quàm mille teſtimonia ex Philoſophorum libris petita, de quo mediante orali conferentia plura aperire poſſum.

Jam quomodo SOLUTIO mirabilis iſtius Subjecti mihi ceſſerit, paucis dicam. Cum ſubjectum noſtrum in ſe ipſo & per ſe ipſum, abſque additione ullius rei totius mundi, in aquam reſolvi viderem, mirum hoc opus perpendi, & Philoſophica myſteria atque artem veram eſſe confidenter & ſecurè credidi: Nam internus Subjecti noſtri ignis, qui tamen cœleſtis & ſuper naturalis eſt, in principio à cœlo ortus in ſubjecto noſtro occultatur, & per ſingularem prudentis & experti chymici dexteritatem movetur, ut per putrefactionem ſe reſolvat, quo modo regeneratio cauſatur, & ſpiritus Mercurii inſtar ſcaturiginis aquarum clarus ſe exhibet, in qua vis generativa & multiplicativa exiſtit, quæ inſtrumentum creationis DEI eſt, per quod Deus omnipotens mediatè operatur, in cujus ſolius etiam eſt poteſtate. In hoc Mercurii ſpiritu, ſeu ſcaturigine metallorum, etiam tria principia (videlicet Mercurius, Sulphur, & Sal) perfectè adunata ſunt, quibus multa mirabilia perpetrari poſſunt.

Sciant quoque regiæ iſtius artis fautores nunc temporis multos tàm magnæ quam parvæ conditionis Chymicos reperiri, qui legentes in Treviſano de Fontina ſeu fonte ejus, in illa opinione ſunt ferè omnes, quod Fontina illa ſit aqua Mercurialis aut Scaturigo metallorum, de qua experientiſſimus Comes Treviſanus ſcribit: Sed res ita ſe non habet, hæc enim non eſt intentio Treviſani, ut fontinam aut fontem putet, nam de interno Fontinæ ſeu fontis naturali humido radicali (i. e. aqua Mercuriali) agit, quæ aqua cum Fontina ſeu duris & rigidis impuritatibus accidentaliter à Natura circundata & concluſa eſt. Quamvis

Comes

Comes Bernhardus toti illi subjecto, aut Chao Philosophico, in sua natura corporali, aut in tota sua substantia, quatenus ita impurum invenitur, nomen Fontinæ aut fontis tribuat, ut scribit, tamen sub hoc nomine aquam Mercurialem, aut naturalem humiditatem, in fontina occultatam intelligit, in quam Bernhardi libellus aureus ex puro auro constans cecidit. Nam ut Rosarius ait: Per se nihil valet, nec ullam utilitatem præbet, aut meliorat, sed potius omnia corrumpit. Illud quod per artis subtilitatem ex eo elicitur, est purissima substantia media & interna, spiritualis & cœlestis essentiæ, ab omnibus accidentalibus & corrumpentibus impuritatibus segregata, cujus proprietas est non comburi, sed ab adustione præservare, & ab igne non fugere, sed fixum & constans efficere. Hæc media substantia de qua omnes Philosophi veteres scribunt, est aqua sicca Philosophorum, & ille spiritus qui aurum in suam volatilitatem adducit, & animam à corporibus perfectis extrahit. Fontina igitur est res in qua metallicus imò cœlestis spiritus absconditus est, qui omnibus creaturis vitam confert, estque media natura.

Quoniam autem, ut Rex Geber testatur, dicta divisio & separatio mediæ substantiæ difficilis est, propter suam mixtionem & unionem naturalem, & ex subtilissimo artificio dependet, quod veteres tanquam summum secretum potissimum absconderunt: Nihilominùs tamen ea quæ in Dialogo Naturæ Mercurii & Alchymistæ apud Sendivogium leguntur, sententiam meam de fontina declarant, ubi Alchymista quærit: Dic mihi si tu es fontina de qua Bernhardus Trevisanus scripsit, Mercurius verò respondet. Fontina non sum, sed aqua sum: Fontina me circundedit. &c. Quod Geber mediam naturam, & lucidissimam atque fulgidissimam Mercurii substantiam vocat, id Bernhardus vocat fontinam, aut purum & clarum cœlestis coloris fontem.

De hac mirabili solutione agitur in Bello equestri, & apud Arnoldum de Villa nova, Basilium Valentinum, & Lullium. Hermes Rex Ægyptiorum, & pater omnium Philosophorum, ejus etiam in hisce parabolicis verbis meminit: In superiori sphæra est in medio fontis vena, quæ est Philosophorum regula prima. Chortalasseus, Philosophus summè illuminatus, de hac solutione quoque in literis suis ad Electorem Colonienſem Ernestum agit, in quibus Regis Geberi compendiosam solutionis viam declarat, ubi sic ait.

Cæterùm nullus dubito quin Celsitudo vestra duplicem viam scilicet siccam & humidam, ex Philosophorum libris animadverterit, & edidicerit, cum in via sicca multo onere assiduoque labore difficultet solvendo & coagulando, in prima operatione, preciosissimus Mercurius vitæ acquiratur. Modò verò Deo favente propiùs scopum attigi, de quo Rex Geber in sua summa testatur. Unica est perfecta via qua relevamur à tantis laboribus & oneribus solutionum & coagulationum. In via humida à tàm molestis laboribus & in prima operatione temporis prolongatione excusamur, nam tanto labore nunc non opus est, & his molestiis carere possumus. NB. sed ne quid nimis.

Cum ergò nostra scaturigo seu aqua Mercurialis ab impura fontina circundata, & naturaliter sit concluſa, ut Rex Geber expressè docet, operæ pretium est ut aqua ista Mercurialis, aut Spiritus Mercurii, per regenerationem à duris & rigidis vinculis Fontinæ liberetur & resolvatur, prout mysterium & naturalis ars hoc requirit. Hic nunc maxima difficultas oritur, pauci enim sunt, qui, cum nemo ipsis modum aperire velit, rectè sciant, qua via corpus mixtum à duris suis vinculis sit reserandum, occultum manifestandum, & purum astrum aut Sal centrale in apricum sit producendum. Hinc est quod omnes Philosophi, tàm veteres quam recentiores, præparationem in prima operatione, cum tanto studio, quanto materiam ipsam, imò multo majori occultaverunt. Nam hac in re omnis cardo vertitur, hoc totius ædificii est fundamentum, unde etiam secretum artis vocaverunt, cum dicunt, Omnia tibi revelavimus, excepto secreto artis, quod nemini licet revelare, sed attribuimus illud Deo glorioso, qui cui vult inspirat, & cui vult aufert.

Hæc Senior sic explicat. Nihil occultaverunt præter præparationem, quia est difficilima rerum: undè si invenerunt rem, non habuerunt præparationem: at ars non perficitur nisi cum præparatione, quia hæc ars est speciale donum Dei.

Ut autem Separatio seu solutio Hermetis rectius intelligatur notandum est eam duplicem esse, quarum præter jam dictam solutionem prima in prima operatione perficitur, cum impurum à puro, grossa terrena impuritas ab interno nucleo, substantia pura, & sal cristallinum clarum, aut ut cum Agricola loquar, succus lilii albi cum suo sulphure occulto rubro (quæ Hermeticorum aurum & argentum sunt) ex impuro Chao producitur: quod est principale & difficillimum in arte, quod Agricola innuit cum dicit. Hic jacet multa tarditas & est clavis artis.

Sine auxilio & additione hujus aquæ ponticæ, nihil prorsus effici potest, quod utilitatem aliquam producat. Multi plurimi diversæ conditionis homines nihil intentatum reliquerunt, ut bona particularia chymica obtinerent, quæ omnia, imò excellentissima quæque respectu hujus spiritus aut Scaturiginis, ne teruncii quidem valore sunt æstimanda. Qui verò hanc clavem seu scaturiginem habet, is, non tantum operis universalis, sed etiam omnium particularium Dominus est, qui enim arborem habet, ejus quoque sunt arboris illius rami.

Magnum certè mysterium est, à veteribus silentio involutum, quod clavis ista aurum in perfectam volatilitatem deducit; & similes secretas virtutes multas in se continet, ex quibus Aurum potabile non infimum locum tenet, quod medio istius Scaturiginis aut Mercurii vitæ præparari potest, cum aurum per artem subtilem in summam spiritualitatem & amabilitatem elevatur, quo podagra & omnes alii incurabiles morbi funditus curari & tolli possunt, ideò Paracelsus in libro de Natura rerum dicit; Nihil superat Aurum potabile quam Lapis Sapientum. Quod ad alia mirabilia attinet quæ cum hac scaturigine præstari possunt, non est hujus loci nunc illa recensere, quæ viris piis à Deo ad artem prædestinatis, & qui cum hoc dono Dei nihil mali facere præsumunt, suo tempore profiteri possunt. Nam Deo omnipotenti cordium scrutatori constat, quisnam hoc mysterio sit dignus, & cui hominum illud liceat revelare. Nam ne talentum à Deo mihi concessum apud me quasi in terra infossum maneat, charitate Christiana ductus proximo meo prodesse & ei animum meum benevolum cupio testificare, præterquàm quod inprimis per hunc tractatulum, veris Philosophis, (quibus re ipsa per propriam manipulationem aditus in naturæ sacrarium fuit patefactus, non iis qui absque ullo mysterii tentamine semet ipsos pro Philosophis habent) innotescere illisque declarare volo, quod Divina prædestinatio me indignum quidem, sed in sacri Philosophorum secreti scientia circumstantiali conscium, me non solùm ipsis patefecerit & societati ipsorum adjunxerit, verùm etiam Philosophicæ benedictionis in tantum participem fecerit, ut nunc in Divinæ gloriæ laudem de rebus realiter

veris

vetis teſtari queam, me videlicet candidiſſimam Dianam iis qui ad hoc digni erant, ob oculos poſuiſſe nudam, & me eandem adhuc poſſidere. Obtinui enim Divina operante gratia Mercurium Philoſophorum univerſaliſſimum, ſed nondum ad optatum finem deductum, quia adhuc eſt in ſtatu & gradu primæ operationis. Hac occaſione verorum Philoſophorum notitiam & in ſimili ſcientia converſationem ambio, quia de talibus magnalibus cum ſui ſimilibus converſari ſumma voluptas & animi recreatio eſt, quam Trevisanum expertum eſſe conſtat, cum quindecim Philoſophi omnes Lapidis univerſalis poſſeſſores ipſum inviſerunt.

Sed ut in diſcurſu de Solutione pergam, nullum librum luci expoſitum memini, qui mirabilis hujus ſubjecti Philoſophici ejuſque ſecretiſſimæ ſolutionis cum manipulationibus convenientibus, & circumſtantialibus requiſitis, mentionem faciat, excepto eo quod in Bello equeſtri, & apud Authorem Agricolæ minoris, cui ego hoc Dei donum acceptum fero, legitur: Quod videlicet hoc ſubjectum ſemet ipſum & in ſe & per ſemetipſum ſolum ſine omni aliarum rerum totius mundi additione ſolvit, ſicuti glacies in vaſe vacuo per calorem in aquam reſolvitur.

Hac occaſione notatu dignum venit, quod Claugor ſcribit vix duas drachmas ex una libra materiæ preciosi Liliorum ſucci ſeu Mercurii Philoſophi extrahi poſſe, quod opus abſolvere poſſit, quod parùm certè foret. Sendivogius in ſuo ænigmate Philoſophico de hac re mentionem facit, dicens: Quod pauci præſtare potuerunt, & qui in hoc perficiendo fortunam habuit propitiam, nunquam ultra decem partes potuit attrahere, erat enim ejuſmodi aqua mirabilis, & crede mihi quod oculis meis viderim & palpaverim aquæ illius niveum candorem, & dum illam aquam contemplaret valdè miratus ſum. Hactenus Sendivogius, ad me verò quod attinet, Ego auxiliante Divina benedictione, ex una ponticæ aquæ libra 16. vel 29. lotos aut partes extrahere poſſum, cujus rei cauſa eſt, quod materiæ diverſæ inveniuntur, quæ non omnes æquales fontis univerſalis partes in ſe habent.

De hac metallorum aqua pontica affirmare poſſum, & credat mihi quilibet citra omne dubium, me nunc temporis, nivis inſtar candidum iſtius aquæ colorem habere, ejuſque bonam quantitatem apud me inveniri. Facile credam multos eſſe qui materiam generalem ſciunt, qui tamen prioris puncti incerti ſunt. Propinquiorem enim materiam ignorant, ex qua formam ſpecificam aut Ponticam aquam confertim haurire & aſſequi poſſent. Hoc ſecretum coram oculis ipſorum eſt abſconſum, & obſerata janua ad myſterium noſtrum.

Eſt autem Pontica iſta aqua, omnium rerum creſcentium ſperma, omnes res enim ex illa ſcaturigine originem ſuam ducunt, & nihil in hoc mundo naſcitur aut generatur quàm ex ſcaturigine iſta. Hæc aqua matrix eſt & concipiens & parturiens. Siquidem omnes Philoſophi Deo optimo maximo in ſecunda operatione meritò palmam offerunt. Nam illa Divina eſt & hyperphyſica. Uti etiam jam dictus Sendivogius creationem totius mundi Gen. cap. 1. hujus excellentiſſimæ artis typum teſtatur. De hujus aquæ Ponticæ ſupernaturali, imperſcrutabili, cæleſti virtute, & incredilibi operatione legi poſſunt Philoſophi, maximè verò B. Valentinus ubi de rebus naturalibus & ſupernaturalibus & de prima radice tincturæ metallorum cap. 1. p. 27 Et de ſpiritu Mercurii cap. 3. loquitur. Univerſalis mea ſcaturigo metallorum, eſt idem ille unicus ſpiritus Mercurii univerſalis, quod omnes Philoſophi experti teſtabantur, nec aliter concludere poterunt. De quo Joh. Chartalaſſei beati præceptoris me (magni & parvi Agricolæ authoris) ſcripta legi poſſunt, cujus manuſcripta originalia quorum per Deo providentiam hæres factus ſum in cuſtodia mea aſſervantur. In quibus ſub titulo Agricolæ minoris ait, ſe cum ſcaturigine univerſali ſeu ſpiritu (i.e. cum ſucco liliorum alborum quem primò obſervavit) multos homines ægrotantes per Dei gratiam à morte liberaſſe.

Agricola minor de Lapidis noſtri ſubjecto ſeu materia verba faciens, inquit illum qui metallorum originem intelligit, etiam benè ſcire, quod oporteat materiam aut ſubjectum Lapidis noſtri etiam eſſe metallicum. Sed non eſt metallum nec minera, verùm metalla & mineræ, & mineræ & metalla, quia omnium illorum natura eſt in una re, quæ vocatur Electrum minerale immaturum, magneſia ſeu Lunaria. Ideoque Philoſophi ſemper in plurali loquuntur. E. g. metalla, metallorum, metallis, de quo clarius verba non ſunt facienda.

In hujus rei fidem, ego per Dei gratiam omni hora ex noſtro Subjecto corpus metallicum præparare & & ocularitèr demonſtrare poſſum. Hæc radix mineralis ſeu aſtrifluens ſeptem radiis conſtans flos, à ſuis inquinamentis quibus per venenatos vapores infectus fuit paulatim ſeparari, & ex illo ſuccus albus Mercurialis liliorum, aut ſcaturigo univerſalis metallorum exprimi debet, qui valdè tener & volatilis eſt. Quem ego omnibus diebus illis conſpiciendum præbere poſſum, quos gratioſus Deus ad hoc dignatus eſt & prædeſtinavit, quemque nunc in ſenectute mea viſibilem & palpabilem conſervo.

Author Agricolæ minoris ulterius ad Solutionem progrediens ſic inquit: Peractis precibus meis gratiarum actione ad æternum Deum, cum magna aviditate ſolutionem meam præ manu ſumſi, nec deſtiti donec illam conſummavi, quod ferè præcipuum & difficilimum eſt in toto opere. Nam hic jacet multa tarditas ut omnes Philoſophi ſcribunt, & eſt clavis artis, & facilè error committi poteſt, ut flores & creſcens ſeu vegetativa virtus aduratur. Cum itaque venenoſi vapores lapidem reliquiſſent, ecce flos liliorum albus ſeu ſcaturigo metallorum paulatim apparebat, quem primo obſervavi. Ruber liliorum flos poſtea per ſingulare myſterium per prudentem & bene expertum artis chymicæ artiſtam ſeparatim acquiritur, qui tunc etiam eluſceret qui (ſicut Agricola minor pro more ſuo loquitur) in parte inferiori apparebit & conſpicietur. De quo in hoc tractaculo non ago, quamvis hujus rei cauſa ab amicis multùm fuerim rogatus, quod tamen alio tempore Deo volente, prout mihi videbitur expedire, fieri poterit, quando mirabilia quæ in hora Conjunctionis & Nativitatis apparere ſolent, quæque in nullis Philoſophorum libris leguntur, ſum narraturus.

Quamvis ſcientiæ hujus amatoribus in hoc tractatulo chymicum Chaos noſtrum, quod durum corpus metallicum eſt, ſemetipſum, aut per ſe ſolo ſine totius mundi rei alius additione inſtar glaciei in calore ſolutæ in mercurialem humiditatem, ſeu aquam per naturam à Deo ei inſitam, ſe reſolvere indicaverim, quod apud veros Philoſophos tanquam inſolitum quiddam varias cogitationes movebit; Nihilominus tamen plane ſum perſuaſus, modernos Philoſophos non tàm facilè hac in parte ad metam deſideratam perventuros, & quale hoc à natura concluſum metallicum corpus ſit, perſcruturos, quia non ſolùm adeò durum & compactum Subjectum & imperſcrutabile opus eſt, verùm etiam quia hanc occultam & mirabilem

Solu-

Solutionem imperscrutabiles encheireses seu manipulationes ad ejus commotionem & præparationem requiruntur, per quas ad putrefactionem & deinceps ad regenerationem promovetur, ut tandem in spermaticam metallicam humiditatem seu mercurium Philosophorum desinat, ideoque talis Philosophica solutio, captu non tam facilis erit, quamvis planis & simplicibus verbis illam ego declaraverim.

Altiùs igitur occultum hoc regium opus est reputandum, nec tam simplici via ut vulgaris quorundam est opinio res incedit, quamvis Sendivogius laudatissimus Philosophus etiam hac in re scopum feliciter sit assecutus, de quo in Ænigmatis sui præfatione sic inquit. Hoc vobis dico, quod opus est rem quærere aliquam, quæ occulta est, ex qua sit miro modo talis humiditas, quæ aurum sine violentia seu strepitu solvit, imò ita suaviter & naturaliter sicuti glacies aquæ calidæ beneficio liquescit: si hoc invenitis, habetis rem ex qua aurum à natura productum est: & quamvis omnia metalla & res omnes ex illa ortum habeant, nihil tamen ita amicatur ei, sicut aurum: nam aliis rebus adhæret impuri.as, auro autem nulla, propterea instar matris est ipsi, hactenus Sendivogius. Qua via autem manufactura procedat, pio & Dei-timentis filio, quem Divina gratia ad hanc rem summè admirandam elegit revelari & demonstrari potest.

Sed ut narrationem meam ulteriùs persequar, præmissis præmittendis, folium de lilio albo sumsi & ad beati præceptoris mei imitationem, ut in tractatulo ejus, Agricola minore scilicet, extat, gustavi, quo facto supra modum excellentem, dulcem & delectabilem saporem ejus deprehendi, & reliquâ istius folii parte laminæ ignitæ impositâ confestim fluere & in fumum statim evanescere vidi, quod argumento mihi fuit, Fæmellam esse quia tàm volatilis erat.

Hujus excellentissimæ & summè laudatæ medicinæ dosis una, in unius anni spatio si morbus sit pertinax, semel atque iterum assumpta, hominem absque omni dubio ab omni accidentali morbo liberat, totum corpus renovat & ab omnibus gravibus morbis præservat: quia spiritualis ista medicina medullas & ossa penetrando usque ad morbi radicem penetrat, & per suam innatam purificantem virtutem, omnis infirmitatis causam jucundè tollit, naturam infirmam corroborat, somnum & quietem conciliat & appetitum excitat. Si ergò medicina aliqua radicem morbi evacuat, somnum atque appetitum suscitat nescio quid amplius ab illa expectari posset.

Quamvis autem hîc à vulgaribus chymistis, unum ephippium omnibus equis non esse aptum, plerumque objiciatur, ut incredibilem universalis medicinæ virtutem eludant, & in dubium vocent, prudentes tamen & rectè sentientes, quanta inter ephippium & medicinam spiritualem sit differentia, facilè judicabunt. Tales iniqui hujus rei æstimatores nihilominus inficias ire non possunt, unum ephippium millenis equis, unumque calceum millenis pedibus adaptari posse: Quod si de hac medicina mihi concedant, sat habeo: Non enim omnibus hominibus opem ab hac medicina indifferenter expectandam esse dico, sed millenis tantum.

Si quis ulteriùs unam rem multis convenire & quadrare non posse obiiciat, experientia doctus an non unicus Sol, Aër, & Aqua, multis, imo omnibus expediat & conveniat, quæro. At medicina nostra est, Sol, Ignis, Aër & Spiritus (seu Aqua): Quod licet nasutulus quidam non capiat, imperitiæ suæ non verò arti tribuendum esse existimo. Quibus addo quod quia nec Sol ipse, nec Aër, nec Ignis cuilibet ex æquo satisfacere potest, multo minùs talis medicina. Vera Panacæa per totum mundum decantata, omnia præstare nequit; multi enim mali & pertinaces morbi sunt, qui secundum tenorem verbi legis Deut. 28. 27. 58 sanationem respuunt. Quare pii homines non indignabuntur, si medicina non semper desideratum exitum sortitur. Undè Ovidius lib. de Ponto rectè ait.

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte,
Aut si sit, longâ est attenuata mora.

Multi sunt, qui hæc omnia vera esse agnoscunt & notitiam hujus rei habere cupiunt, qualiter non pauci lautæ & minoris conditionis homines obnixè à me petierunt, ut ipsis hoc mysterium revelarem & manu meâ præpararem. Hæc indiscreta, inconsiderata & inexpectata solicitatio, non exiguam molestiam, ut prudentes viri facilè judicare possunt, mihi creavit.

Cum igitur talibus petitoribus mirabilem vitæ meæ cursum, multas adversitates, labores evantlatos, curas, tribulationes, impensas, & negociorum meorum intermissionem recenserem, & ipsis de sumptu aliquo seu exigua numerorum summa huic negocio impendenda, quo regium hoc opus maximè utilitati ceterorum tantum commodius perfici posset, verba facerem, (quemadmodum Præceptorem meum beatum, minoris Agricolæ authorem idem fecisse in Arca Arcani artificiosissimi legitur, ubi amicum quendam sibi in principio quærendum fuisse dicit, qui ipsi sumptus ad ritè & quietè perficiendum opus necessarios subministraret) cum inquam huic similem intentionem meam ipsis proponerem, conticebant omnes, ideoque etiam meritò repulsam tulerunt. Sic inquam tantum desiderium tantum mysterium discendi in fumum abiit, nihilominus tamen avidè illud scire cupiunt, si modo quemadmodum puls infantibus, in os sine ullo sumptu ipsis illineretur. Scire volunt sed non quærere & laborare. Hæc res Lilium inter spinas est, quod si quis tam facilè carpere tentat manum lædit, ut Agricola minorait, qui hanc vocem ex monte erupisse, Deus sua bona laboribus vendit, etiam refert ut possessores ejus suorum bonorum memores sint, & hoc mysterium majoris æstiment, & tantò occultius conservare discant.

Nunc autem, quod citra jactantiam dixerim, ego per gratiam Dei, cui summa sit gratiarum actio, nullius hominis sumptu mihi subministrando ut antehac opus habeo. Quoniam verò ex instinctu Divino aliæ cogitationes, proximi mei charitatem suscitandi, eique in infirmitatibus suis assistendi & opem ferendi me incesserunt, pietate erga Deum, ejusque permissa motus, hæc dona à Patre luminis mihi concessa apud me recta esse nolui, quin illa fidelibus civibus Christianis, si cuncta regenti Deo visum fuerit fideliter communicare & revelare constitutum habeam, ut Lux seu stellula mea à summo Lumine acceptata in sui gloriam & cultum inter morbis afflictos homines lucere queat, queat, quod mihi cura est, quia Deus ad hoc me vocavit.

Interim omnes hujus tractatuli pios lectores monitos volo, ne simplici & rudi hoc scribendi stylo offendantur, quia non ex Doctorum virorum numero aut celebris cujusdam status vir sum, qui pomposis verbis & dictis animi sensa explicare possit. Tenuis enim Minervæ cum sim, doctæ & decoræ orationis stylo uti non possum, ideoque simplici & humili modo loquendi mentem meam detexi: Neque etiam plures singulares benè sonantes sententias & rationes invenire & allegare possum, quàm quæ antè me ab aliis magnis & doctis Philosophis in suis libris productæ fuerunt, ex quorum scriptis & fundamentalibus laudatissimis nihilominùs ego exiguæ conditionis vir ut dixi; rationes & terminos citra omnem ambitionem & jactantiam

tam in hoc tractatulo ausus sum allegare & usurpare.

Si quis hujus tractatuli lector dicat, aut apud se cogitet, qua de causa ego magnum hoc mysterium & regium opus summum, tam benevolè in mundo manifestare me offeram, & non potiùs in alto silentio apud me reconditum sinam: cum tamen ante triginta annos plenariam hujus mysterii scientiam sine omni defectu habuerim, & Mercurii Spiritum seu scaturiginem universalem aliquoties propriis meis manibus præparaverim; Huic lubenti animo sufficientes rationes, data oralis interlocutionis occasione, sum daturus.

Interim si ex hoc magno mysterio, unico isto Dei dono, universali videlicet scaturigine metallorum solummodo frui daretur, contentus tamen illo sum, & in eo me oblecto & recreo, quia nulli totius mundi thesauro æquiparari potest.

Nemo enim satis mirari potest, quod Deus omnipotens omnium rerum Creator, hanc aquam cœlestem & scaturiginem metallorum, in tàm vile à natura præparatum Subjectum collocavit, quod inter centena hominum millia vix unus credit.

Quamvis hoc in loco varios casus & fortunæ meæ mutationem enarrare commoditas non ferat, conjectu tamen facile est, quàm molestum mihi fuerit tot annos in silentio consumere; Nunc enim ætatis meæ annum sexagesimum octavum ago, Deoque summas gratias ago, quod amicorum quorundam suasu hoc mysterium non ulterius occultare, sed proximo meo quem patet Luminis ad has res arduas prædestinaverit revelare firmiter statui, ut sanctissimum nomen Divinum, in omnibus suis donis à nobis laudetur, & celebretur: & ego scientiæ meæ scopum, opem egenis Christianis ferendi, in quorum gratiam Altissimus nobis hunc thesaurum confert, assequi queam.

Sicque chare lector bene vale & proverbium considera

Sæpè dat una dies tota quod denegat ætas.

Omnipotens Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi faxit, ut hoc inprimis tendat ad sanctissimi sui honoris exaltationem & gloriam, & ad hominum utilitatem, felicem statum, & ad nostram salutem æternam Amen.

SOLI DEO GLORIA.

Inscius, quæ non capit, illa carpit:
Doctus hæc mysteria magna ridet.
Ambo sic pergant: fatuus sed unus
stultus & alter.

Sequitur appendicis loco epistola longe excellentissima Præceptoris mei, beatæ memoriæ, dignissimi Dn. Doctoris Chortalassei, exarata ad Serenissimum Principem Ernestum Electorem Colonienſem, magnum illum & toti Europæ decantatissimum Musarum Chemicarum Antistitem, qua ipsi suum arcanorum pandit gazophylacium, quorum & ego gratioso Dei munere hæres existo, & eandem epistolam nunc in benevolentiam sectatorum secretioris Philosophiæ ab authentico, cum aliis summi & incomparabilis hujus Philosophi manuscriptis apud me reservato descriptam publici juris facio.

MOs fuit, Illustrissime ac Celsimine Elector, Domine clementissime, apud priscos Philosophos, summos Reges & Magos naturales, ut collatis opinionibus in Regio illo Divinoque studio Alchymiæ (uti Regina Austriæ Salomonem, Morienes Regem Calid, figuratis & æquivocis rhytmis nodisque Gorgiis tentantes fecerunt) detecto fuco, veritatem latentem in apricum deducentes certarent. Hanc unicam viam omnis investigans punctum majoris & minoris mundi, centrumque omnium arcanorum, sequi oportet necessum est. Quod etiam Sophus ille Trevisanus, qui eruditum de Lapide Philosophorum seu chymico miraculo libellum scripsit, his verbis clarè testatur: Consideravi inquit quibus in locis libri philosophorum maximè convenirent in eundem sensum, ibidem existimavi latere potissimum veritatem, quæ non potest in pluribus sed in uno tantum existere, hac via mihi obviam facta est veritas. Proindè Illustrissime Elector intentio Philosophorum superiùs proposita animum hac vice movit meum, ut etiam Celsitudini vestræ, quam in puncto hoc, studio illi universali (convenit enim & decet meritò hominem Regium Regiis studiis incumbere, quia simile gaudet simili & odit dissimile) in meo hoc itinere incumbentem & versantem audivi, hujus studii non solùm ansam majorem præberem, sed etiam calcar adderem, quod Celsitudo vestra animadvertere possit me etiam gratia Dei Philosophos vitos verè Regios, intelligere non solum, sed tentasse artem maxima ex parte, ne dicam absolvisse. Propterea more Philosophorum prisco, (non Sophistarum quorum osor sum maximus) præsertim Pythagoricorum qui numeris rem denotarunt (nam quicquid est in rerum natura constat numero, pondere & mensura) Celsitudini vestræ negotium hoc uti decet proponere scriptis hac vice non dubitavi. Arduum quidem est quod quærimus, sed possibile & non summum, attamen quartum in gradu subtilitatis.

Primum enim & summum est λόγος (seu verbum & Cor Patris) secundum Hermetem Regem Ægyptiorum, per quem omnia facta sunt, qui lapis est cœlestis verus, animas nostras ad salutem seu vitam æternam tingens.

Secundum est Spiritus hominis, qui est radius Divinæ essentiæ, Adamo & posteris sufs à Deo inspiratus, idcircò mori non potest, quia æternum quid est.

Tertium est mandatum, scil. species artis Divinæ Cabalisticæ, cujus exemplum in Bibliis habemus, cum Josua proprio mandato diceret: Sol siste gradum, & Luna motum, & ita factum est.

Quartum est Lapis ille famosus & mirabilis, omnium rerum imago, omnis fortitudinis fortitudo fortis, omnia in se habens (excludo cœlestia) vincens penetrans & conservans, cujus vires & virtutes seu effectus homini pro dignitate tractare impossibile est.

Accipe ergò illustrissime Elector arcani maximi methodum numeris uti dixi explicatam haud vulgarem: Omnis Natura consistens limitibus operatio tria ordinorum, ab Unitate, per Binarium in Ternarium descendit, non prius tamen, quàm à Quaternario per ordinem graduum in simplicitatem consurgat, & Ternarius reducendus est ad Unitatem, si mens hujus Universalis velit intellectum consequi perfectum. Unarius non est numerus, & tamen ex ipso omnis numerus consurgit: Rejiciatur Binarius, & Ternarius ad unitatem convertibilis erit. Undè Hermes pater Philosophorum inquit: sine mendacio certum, & Unitatis cognitione verissimum, quod superius est, id habet naturam descendentis, & inferius habet naturam superioris, quia solis unitatibus constat omnis numerus, ad perpetranda miracula rei unius multa. Nonne res omnes ab Una re fluunt bonitate Unius, & quicquid Unitati conjungitur, non potest esse diversum, sed fructificat simplicitate & adaptatione Unius? Quid ex Unitate nascitur? nonne Ternarius? animadverte illustrissime Elector, Unarius est simplex, Binarius compositum, Ternarius ad Unitatis reducitur simpliciratem: Quaternarius autem Pythagoricus est, Ternario suffultus, si ordinem gradumque observat, purificatus, purus in Uno ad Binarium in Ternario, miranda & occulta Naturæ operari potest. Quod etiam

Germanus

Germanus noster Philosophus Theophrastus his verbis testatur: Ab Unitate per Dualitatem in Trinitatem

Primùm enim ex 4. Elementis à Naturâ composita massâ per sublimationem physicam in unum corpus in prima operatione deducitur. Tum separato agente, levi sed mirabili modo, fit Binarius in Compositione, medio Terrâ scilicet spiritus, qui amborum copulator manèt perpetuus.

Prædictus autem quaternarius Pythagoricus est ille, in cujus mensura Ternarius Binario conjunctus in Uno cuncta, quæ mirabiliter facit; Ternarius enim numerus ad Unitatem reductus per aspectum omnia in se continet, & quæ vult potest, sed hoc in Magia Naturali locum habet. Hoc unico medio gremium Naturæ sublevatur, & Alchymistis veris Thesaurus Thesaurorum aperitur, sine quo nec intellectus artis acquiritur, nec operationis effectus invenitur. In summa qui habet Universale, ille habet etiam omnia particularia, nam qui arborem ipsam possidet, ramos omnes proculdubio in dominio habere dicitur.

Jam tractabimus, quæ, qualia, & quanta arcana Celsitudini vestræ revelare velimus vel possimus, sed in his omnibus altum silentium requiro, aliàs Deus non dabit incrementum, nam Hermes inquit: Deus non sine gravi judicio sapientiam sub nomine stultitiæ voluit esse revelatam ut nimirum mysterium virtutis suæ esset arcanum, & omnes Philosophi de silentio singulariter, & satis acriter agant, aliâs immineret maximum periculum. Veni hûc non absque singulari quadam dispositione fatali, ut mihi videtur, idcircò nutui Divino locum meritò dabo competentem & si de grata animi vestri significatione convenire possimus, hæc sequentia Celsitudini vestræ Magnalia (quæ precio non possunt persolvi commodè) pandam, revelabo & docebo.

Primùm punctum erit expressa veræ materiæ Lapidis, quæ alias Electrum, Magnesia, Lunaria, plumbum Philosophorum, & aliis infinitis nominibus nominatur, demonstratio, illam veram esse probabo tribus modis 1. Rationibus Philosophicis & argumentis, Naturam rerum & generationem metallorum rèdolentibus. 2. Authoritate & concordantiâ Philosophorum. 3. Experientia vel praxi.

II. Nominabo etiam loca, ubi competenter in magna copia nostra materia haberi potest, erit tamen acquisitio illius materiæ cum judicio instituenda, ne plebs importanda intelligat vel percipiat, idcircò unâ cum nostra materia Antimonium, vitriolum pingue, Cinabrium æris, Alumen, Sulphur poscenda veniunt.

III. Prædicti subjecti (fons Comitis Trevirensis vocati) genuina & Naturalis in aquam Mercurialem solutio, necessario cautè atque intelligenter fieri debet, priusquam, ex ipso Medicina efficacissima & saluberrima confici potest. Etenim quum fons aquam accidentaliter circumdederit, nec non concluserit, omninò opus est, ut Medicus eam ipsam aquam à fonte hoc, omnique obscuritate liberet ac separet, quæ separatio autem non fit nisi per generationem.

Interim tamen Celsitudini vestræ hoc indicare volui quod in hisce literis in viam siccam, [cujus Basilius in clave quinta mentionem facit] sed humidam potiùs intellectam velim, quam similiter dictus Basilius ibidem tractat, visibilem (inquiens) ex materia nostra spiritum, qui tamen incomprehensibilis, eliciendum esse, atque hunc spiritum esse radicem vitæ corporum nostrorum, & aquam liquidam in arte nostra: & in præfat. 12. clav. pag. 15. 45. 46, Scias inquit, quod ea res nihil aliud sit quam clavis liquorea (i.e. aqua Mercurialis) cœlesti Naturæ assimilanda, quæ aqua post conjunctionem certis mediis iterum corporalis est reddenda, atque ab infimo gradu usque ad summum in Medicinam plusquam perfectam convertenda, quæ tamen in omnibus res saltem unica est.

IV. Regis rubri vel auri Philosophici tanquam maximæ partis Lapidis Philosophici mirabilis præparatio, & in effectum genuinum deductio: nam secundum Trevis. Comit est Rex rubeus ipse Lapis Philosophorũ.

V. Tinctura Tincturarum mirabilissimum secretum, rubeum cum rubeo.

Quanquam intermittere haud possum Celsitudini Vestræ etiam id exponere, humidam viam in operatione conjunctionis cum sicca propemodum consentire, quia in ambabus conjungenda cum auro Philosophico conjunguntur, quamvis in principio sicca cum humida differat, hic enim in via humida non præparatur sal metallorum sed chaos Philosophicum sive materia nostra statim absque ulla alia re adjuncta per se in aquam Mercurialem convertitur, idque per contrarias operationes Hæc aqua illibata Divina est & hyperphysica, tria principia in se continens est Mercurius vitæ, aqua illa cœlestis vera, auri & omnium metallorum ac mineralium mater & origo, resplendens ponderosa & dulcissima (est illa aqua de qua Rex Hermes exclamat: O aquina forma permanens, Regalium creatrix Elementorum, quæ cum lumine venis, & cum lumine genita es, mirabilis es, simul & laudabilis) siquidem omnes Philosophi Deo ter Optimo Maximo in secunda operatione meritò palmam offerunt. Clavem hanc jucundam qui habet, omnia metalla suaviter ac radicaliter dissolvere, eadem que in pristinum singul[illegible] materiam reducere potest, ex qua particularia [illegible] Solem & Lunam si rectè proceditur veraciter producuntur, una pars ad centum transit per putrefactionem & calores, multiplicari etiam potest.

Magisterium hoc magnum silentii pessulis hac vice observare nolui nec potui, quin Celsitudini Vestræ benevoli mei animi affectum demonstrarem, idque insuper significarem, me Divina operante gratia Mercurium Philosophorum obtinuisse, sed nondum ad optatum finem deductum, quia est adhuc in statu & gradu primæ operationis.

VI. Verum autum potabile absque corrosivis mediante Mercurio vitæ in spiritualitatem & suavitatem arte subtili deductum, quo medio podagra & omnes alii morbi incurabiles radicitùs, tolluntur de quo Theophrastus in libro de Natura rerũ Nihil est inquit supra aurũ potabile excepto lapide Philosophorũ.

VII. Sequuntur essentia auri quinta & alia arcana, at longum foret arcanorum gradus omnes recensere, idcircò hæc mittam, & ad prædicta pollicita remis dextris propositum nostrum intendere conabor, dante Deo gratiam & intellectum.

Cæterum nullus dubito quin Celsitudo Vestra ex Philosophorum libris animadvertit & edidicerit, cum in via sicca multo onere & assiduo labore difficulter solvendo & coagulando precioßissimus lapis acquiratur, modò verò Deo favente propriùs scopum attigi, de quo Rex Geber in sua summa testatur. Unica est perfecta via, qua relevamur à tantis laboribus & oneribus solutionum, de quibus etiam oretenus mentio fieri potest. Credo quoque facilè multos pro effusis ac scripta, authoritatis ac theoricæ speculationis conceptæ opinionis ac lectionis librorum Philosophorum plena, ancipiti ac lubrico fundamento innitentia, ad manus Celsitudinis Vestræ perveniße: Sunt autem instar conspicuæ nucis absque nucleo, interea scripta vera ac fundamentis solidis stabilita aspernari recuso cum prorsum diversa ratio, experientia & manuali labore fundamentaliter quàm concepta opinione & imaginatione scripta nullius ponderis manifestare. In summa

una experientia manu elaborata plus valet, quàm mille testes lectionis librorum Philosophorum.

Quoniam verò singulari Divina providentiâ Fortuna ac occasio nos conjunxit, & homo ad utilitatem hominis & sui proximi ab illo qui vivit ab æterno in æternum, creatus sit, idcirco bonis conditionibus propter necessitudinem humanam, dilectionem & utilitatem proximi, ac laudem Dei nostri Celsitudini Vestræ revelabo, ut deindè cum Rege & Propheta Davide possimus exultantes dicere: magna & mirabilia sunt opera Domini, qui attendit, voluptatem consequitur indè maximam.

Ad supra posita ab illustrissima Celsitudine Vestra resolutionem expecto, deindè & ego instituam de meis resolutionem favorabilem.

Valeat Elector Illustrissimus & ex animi sententia rem gerat. Deus ter optimus Maximus Celsitudinem Vestram', cum Serenissima Uxore in majus semper & melius augere dignetur. Anno 1603. mense Octobr.

FINIS.

SVBSECTIO III.

Duplicem Tractatum complectitur ENCHIRIDION *scilicet* PHYSICÆ RESTITUTÆ, *in quo* Verus Naturæ Concentus *exponitur plurimique antiquæ Philosophiæ errores per canones & certas demonstrationes dilucidè aperiuntur. Item* Tractatum alterum *inscriptum* ARCANUM HERMETICÆ PHILOSOPHIÆ, Opus *in quo occulta Naturæ & Artis circa Lapidis Philosophorum materiam & operandi modum canonicè & ordinatè fiunt manifesta.*

Utrumque Opus ejusdem Auctoris Anonymi.

SPES MEA EST IN AGNO.

LVCIS PHYSICÆ STVDIOSIS S.

ROSTQVAM *nuper à publicis curis & procellosis Curiæ fyrtibus sponte revocatum in pacatum domesticæ tranquillitatis vadum me recepi (arcanorum Naturæ studiosis) ita ut dictum illud poëtæ animo præsentiri frequenter occurreret.*

Scilicet assérui jam me fugique catenas:

antiquam de rebus Naturæ cogitationem, quæ mecum olim ab ineunte ætate adoleverat, redeuntem sensi, eique opportunè accedenti lubens me obtuli, quo abdicatum ultrò Fortunæ splendorem præsenti quodam luminis sui beneficio Natura reponderet, tum etiam ut à publico reatu me vindicarem; parata enim jam in me videbatur, velut in transfugam, patriarum legum & publicorum munerum accusatio, quem ne suis suffragiis [illegible] titulo proscriptum damnarent, ad sacram arcanarum legum Universi, cui communis patriæ nomen debetur tutelam confugi quæ me innocentem à calumniâ servaret. Neque enim politicas leges pudor ferret gravem sententiam in virum decernere, qui posthabita civilium curarum sollicitudine, mundanæ Reipublicæ studio cultuique se addixerit. Versantem itaque animum circa Naturæ Imperium, leges, ordinem, præfecturam, concentum, effectus, causas, immensas denique opes, admiratio primum invasit, quæ liberalibus ingeniis non minùs addiscendæ scientiæ calcar, quàm ignorantiæ argumentum est, illa enim mentem in sublime rapit, quo motu desiderio accenditur adipiscendæ cognitionis rei, quam ignorare pudet. Tali animus exercitio incalescens plura antiquæ Principisque Philosophiæ decreta sub incudem revocando illis assentiri recusabat, quippe aliud creperum ancepsque per nubila lumen Naturæ eminus, quasi in remoto veritatis confinio, primâ fronte porrigere videbatur, donec invalescente fulgore nubium stupor edomitus certiorem lucem aperuit, qua mens perfusa lucidior, & in arcanis naturæ eruendis considentior facta est. Primi antiquorum errores, qui & pessimi & cæterorum radices, circa Naturæ principia se mihi obviam dedêre: De materia primâ & forma universali, à quibus cætera fluxerunt, de numero Elementorum, de eorum qualitatibus, repugnantiâ, situ, reciprocatione altiùs cogitanti, alia mihi à receptâ sententiâ visa est; Neque me graviorum philosophorum pondus, nec minùs ancipites quàm ingeniosæ eorum rationes à Naturæ lumine mentem amoliri potuerunt, quæ se totâ illa mancipaverat. Admiratio itaque animum in amorem scientiæ traxit; Amor qui igneis radiis pro telis utitur, mentem accensam in sanctiores Naturæ aditus rapuit; hausta inde arcana, an vobis (philosophiæ alumni) communicare debuerim diu hæsi, vobis enim forsan ingratum, mihi verò periculosæ plenum opus aleæ fore suspicabar; ab annis siquidem, qui optimi consultores sunt, monitum me sentiebam, ut alieno malo mihi saperem, quippe quanti famæ naufragium fecissent scriptores, satis mihi perspectum erat; quàm parca in probandis, quàm prona sint alienis lucubrationibus damnandis ingenia, quàm audaces in larvis effingendis, fovendisque, quàm pervicaces in submovendâ veritate animi; quàm denique arduum, necnon plerumque damnosum sit inveteratas receptarum opinionum radices convellere, novas inserere. Virit tandem veri vestrique amor (candidi Physicæ lucis assertores) ut qui perquirendæ veritatis author fuerat, idem esset publicanda. Hoc unum à vobis liceat obtinere, quò æquiores sedeatis judices, excutite Platonis, Aristotelis, & grandia Antistitum Philosophorum nomina, exuite summorum virorum authoritatem, vestram, quam sibi devinxere fidem, apud vos integram servate; in evolvendis ipsorum monumentis addite Præfiscini, ne populare præclari nominis fascinum mentibus obrepat. Absit ut de illorum fama, ingeniique magnitudine

tantillum

tantillum detrahi jubeam, qui instar numinum collendi mihi semper fuere; omnem laudis ac gloriæ cumulum tantorum philosophorum gloriæ imparem censeo; ipsi vanientem è cunis Philosophiam susciepere, ac supra ætatem ejus robur tantum auxêre, ut nitendi ultra vix spem posteris sublimes illæ animæ reliquerint; verùm omnes Naturæ sinus & mæandros explicuisse, occultissimáque ejus arcana exquisitè & citra errorem penitus aperuisse prima nascentis, nec dum pubescentis Philosophiæ ætas, vel ipsis judicibus non patiebatur; facunda successorum ingenia inventa promovêre, latentia prodidêre, aspera coluêre, perplexa fulciere; sic per sæcula in perfectam ætatem provectæ sunt scientiæ; sic longa illis annorum series culmen addidit, quantum humani ingenii viribus hactenus licuit, plura forsan quærenda, sunt adhuc quàm possessa: senio detrita non sit, ut vestis, sed validior philosophia; qui erroribus anni fidem quærunt, iidem etiam adimunt. Nolite præcipiti judicio & causâ non satis excussâ insontem damnare: Si sacros Philosophiæ terminos amovisse crimen videatur, nolite excandescere, & statim me sacrilegum pronunciare; at expendite annon magis promoti, quàm amoti vobis exhibeantur; annon magis restituta illius jura, quàm corrupta; annon magis aucta illius Majestas, quàm imminuta; unde forsan & ipsa beneficii gratiam repensura, nec patrocinium suum adversus Sophistarum præstigias, nec præsidium adversus livoris & ignorantiæ ferocitatem inficiabitur; instar belluarum latratus, prior alieno bono tabescens, altera cæcitate suâ insaniens, ambæ in cultiora scientiarum viridaria in ameniora Philosophiæ fata petulanter irrumpunt, & laudandos feliciorum ingeniorum labores vastant: Incassum illæ mihi sua terriculamenta objicient; despecti mihi erunt illarum conatus, quandiu conspectum veritatis numen, cujus tutelâ tutus incedam. Hæc ocii nostri libamina, quo vobis offeruntur, excipite animo, quæ si parùm arrideant, aut alia potiora vobis habeantur, munusculum hoc nostrum levi morsu quasi blandientes perstringite, eo ipso non ingratum, quod vos ad meliora provocaverit.

Enchiridion Physicæ Restitutæ.

CANON I.

DEUS est Ens æternum, unitas infinita, radicale rerum omnium principium; cujus Essentia est lux immensa: Potestas omnipotentia: Voluntas bonum perfectum: Nutus opus absolutum. Plura desideranti occurrunt stupor, silentium, & abyssus gloriæ profundissima.

II.

Mundum ab æterno in Archetypo suo descriptum fuisse sapientum plurimi duxerunt: Archetypus autem ipse qui totius lumen est, ante universi creationem in se complicatus, ceu liber, sibi soli illuxit; in Mundi verò productione, quasi parturiens, se aperuit & explicuit, opusque suum in mente, velut in matrice, prius occultùm, quâdam sui extensione manifestum fecit, ac mundum Idæalem quasi duplicatâ divinitatis imagine, actualem & materialem eduxit: Hoc annuit Trismegistus, dum Deum formam suam mutasse, ac universa subirò revelata & in lucem conversa fuisse refert: Nihil aliud quippe est Mundus, quàm parens occultæ divinitatis imago. Hunc Universi ortum intellexisse videntur antiqui per Palladem suam è Jovis cerebro, Vulcani, nempe sive luminis Divini ope extractam.

III.

Æternus rerum parens, non minùs in ordinando sapiens, quàm in creando potens; organicam Mundi molem in tam præclarum ordinem digessit, ut summa imis, & ima summis, citra confusionem inter mixta, & analogiâ quâdam similia sint; unde extrema totius opificii, secreto quodam nexu, per media insensibilia strictissimè inter se conhærent, ac sponte omnia in supremi moderatoris obsequium, & inferioris naturæ commodum consentiunt, solo nutu ejus, qui colligavit, solvi se passura: Rectè itaque Hermes id quod inferius est simile esse ei quod est superius, affirmavit.

IV.

Qui summum jus Universi in Naturam transfert aliam à divinâ Naturâ, Deum negat; neque enim aliud increatum Naturæ Numen, aut in producendis, aut in conservandis expensæ hujus machinæ individuis, agnosci fas est, præter spiritum illum divini opificis, qui primis aquis incubuit, & confusa in chao rerum semina de potentiâ in actum eduxit, educta per constantem alterationis rotam versans componendo & resolvendo hæc inferiora Geometricè tractat.

V.

Quicunque spiritum illum Mundi creatorem & rectorem, Naturæ operibus continuo quasi afflatu infusum, & per omnia largè diffusum, & secreto & perenni quodam actu universa, & singula secundum genus suum, moventem, Animam Mundi esse nescit, Universi leges ignorat; is enim qui creavit, creata regendi sibi jus vindicat; eundemque spiritum creationi, generationi & conservationi præesse fatendum est.

VI.

Naturam tamen causam secundam universalem, primæ ancillantem, & tanquam instrumentum ab eâ motum immediatè singula in Mundo materiali ex ordine movens, qui agnoverit, à Philosophorum & Theologorum mente non recederet, qui illam naturantem, hanc naturatam dixerunt.

VII.

Naturam illam secundam, primæ ministram, Spiritum esse Universi, sive luminis in principio creati, & in corpus solare contracti virtutem vivificam & secreta fœcunditate dotatam, arcanorum Naturæ peritus non inficiabitur. Spiritum illum igneum, ignem invisibilem, & animam Mundi dixere Zoroaster & Heraclitus.

VIII.

Ordo Naturæ nihil aliud est, quàm series explicata legum æternarum, quæ à summo Principe sancitæ, ac innumeris suis variæ naturæ populis, in multiplici paginâ exaratæ & conscripræ fuerunt; quarum auspiciis moles Universi motus suos peragit, extremas novissimi voluminis oras vita & mors per vices occupant, cætera motus ad alterutrum.

IX.

Mundus est quasi opus fabrile in orbem giratum: partes ejus quasi cathenæ annuli se mutuis amplexibus stringentes: Natura tanquam vicaria in medio sita, rerum vices exercens: Opifex ubique præsens quasi faber attritûs continuò reparans.

X.

Mundi universitas ut triplici natura constat, sic triplici regione distinguitur, supercœlesti nempe, cœlesti, & subcœlesti: Supercœlestis, quæ intelligibilis dicta, omnium suprema, omninò spiritualis & immortalis est, divinæ Majestati proxima. Cœlestis me-

dio loco ſita, quæ perfectiſſimorum corporum ſortem nacta, ſpiritibus abundans virtutes innumeras vitaléſque auras per rivulos ſpirituales effundit, corruptionis impatiens, mutationis tamen, abſolutâ quandoque periodo, non expers. Denique ſubbœleſtis, quæ vulgò Elementaris nuncupata, infimam mundi plagam obtinet. Hæc tota corporea ex ſe cùm ſit, ſpiritualia dona & beneficia, quorum ſupremum in vitâ poſitum eſt, precariò tantum cœloque repenſura poſſidet. In ſinu ejus generatio nulla ſine corruptione, ortus nullus ſine interitu.

XI.

Lege creationis cautum eſt, ut inferiora mediis, media ſuperioribus, ſuperiora autem ſupremo rectori ſuo ad nutum immediatè obſequantur: Hic eſt totius univerſi ordo & ſymmetria.

XII.

Soli rerum creatori, ut ex nihilo licuit, quæcumque placuit, creare; ſic eidem ſoli creata in nihilum vertendi jus competit: quicquid enim entis aut ſubſtantiæ charactere ſignatum eſt, ab eo deficere, & ad non ens reflecti Naturæ lege prohibitum eſt. Nihil itaque in Mundo mori ſed omnia tranſire & immutari rectè ſtatuit Triſmegiſtus: Ex Elementis ſiquidem componuntur mixta, quæ iterum per naturæ rotam in ſua Elementa reſolvuntur.

Huic accedit uti quicque in ſua corpora rurſum
Diſſolvat natura; neque ad nihilum interimat res.

XIII.

Materiam quandam primam, Elementis antiquiorem crediderunt Philoſophi, ſed illam quia parum cognoverunt, parum etiam & tanquam in nube explicarunt; ut ſit qualitatum & accidentium expers, primum tamen eorum ſubjectum: quantitate vacua, per quam tamen omnia quanta ſunt: ſimplex, contrariorum tamen ſedes: ſenſibus incognita, ſenſibilium tamen baſis ubique extenſa, nullibi tamen percepta: formarum ſemper cupida nullius tenax.: Corporum omnium radix, quæ tamen ſola mentis operatione concipi, nec ſentiri poteſt: denique actu nihil, poteſtate omnia. Ita fictitium & umbratile naturæ fundamentum poſuerunt.

XIV.

Cautiùs Ariſtoles, qui licèt mundum æternum crediderit, materiam quandam primam & univerſalem indicavit, cujus anfractus fugiens ſobriè & ambiguè de ea diſſeruit; ut melius eſſe dicat facere unam eandemque rerum omnium materiam inſeparabilem, quæ tamen ratione differat; ex qua prima corpora & cætera, quæ cenſu percipiuntur, conſtent, primumque eſſe eorum principium eamque ab illis inſeparabilem, ſed ſemper cum repugnantiâ copulatam; quæ contrariis ſubjiciatur; ex qua Elementa oriantur.

XV.

Meliùs Philoſophus ſi materiam illam primam à contrariorum pugnâ vindicaſſet, eamque à repugnantiâ liberam agnoviſſet, cum ne quidem ipſis Elementis ulla inhæreat contrarietas, quæ à qualitatum intenſione reſultat, ut ignis & aquæ communi experientiâ docemur quibus quicquid ineſt oppoſiti ab intenſione qualitatum procedit: At in veris rerum Elementis, quæ in mixtorum generatione coeunt, nequaquam illæ qualitates, quæ illis remiſsè inſunt, ſibi invicem adverſantur; temperata enim contrarietatem non admittunt.

XVI.

Thales, Heraclitus, & Heſiodus Aquam, primam rerum materiam eſſe exiſtimaverunt; quorum opinioni ſacræ Geneſeos ſcriptor aſſentiri videtur, illam abyſſum & aquam vocitans; per quam non aquam noſtram, ſed quaſi fumum, aut vaporem humidum & tenebroſum, huc illuc errantem, & ſine ulla lege incerto motu actum, intellexiſſe ſuſpicio eſt.

XVII.

De antiquo illo rerum principio quid certi diſcernere in promptu non eſt; cùm illud in tenebris creatum nondum in lucem ingenii humani emerſerit: quamobrem quæcunque de illo Theologorum, tum etiam Philoſophorum turba cenſuit, talia ſint, necne, ſolus Naturæ author novit; quod veriſimilius eſt, de obſcuris dicenti venia debetur.

XVIII.

Antiquiſſimum aliquod, ſed oſcurum & ineffabile principium materiale improprio nomine Hylam dictum, materiam primam præceſſiſſe nonnulli Rabinorum opinioni aſſentientes credidérunt, quod non tam corpus, quàm umbram immenſam; non tam rem, quàm rei imaginem opaciſſimam, aut Entis larvam quandam fuliginoſam, noctem tenebroſiſſimam latibulum dici convenit; quod actu nihil, poteſtate omnia mens humana niſi ſomnians ſibi valet fingere. Anceps illud principium, Oceum illum tenebroſum imaginatio non aliter nobis exhibere poteſt, quàm à Naturâ cæco Solis lumen aures indicant.

XIX.

Ex remotiſſimo illo principio Abyſſum quandam caliginoſam, informem ac indigeſtam, proximam Elementorum & Mundi materiam Deum eduxiſſe ac creaſſe iiſdem viſum eſt: Molem autem hanc modò terram inanem & vacuam, modò aquam ſacra pagina nuncupat, licèt actu neutra eſſet, ſed utraque poteſtate ac deſtinatione, illam fumo aut vapori tenebroſo haud diſſimilem fuiſſe licet conjicere, cui ſtupens quidam ſpiritus frigoris & tenebrarum inerat.

XX.

Diviſio aquarum ſuperiorum ab inferioribus in ſacrâ Geneſi expreſſa, facta videtur ſeparando ſubtile à ſpiſſo, & tenuem quaſi ſpiritum à fuliginoſo corpore: id opus fuit ſpiritus luminoſi à divino verbo prodeuntis; lux enim, quæ ſpiritus eſt igneus, ſegregando heterogenea, denſiores tenebras à viciniori ac eminentiori plagâ deorſum verſus profligavit, materiamque homogeneam, tenuiorem & ſpiritui proximiorem colligendo, in lumen immortale, quaſi oleum incombuſtibile ante divinæ Majeſtatis thronum accendit: Cœlum illud Empyreum eſt, medium inter mundum intelligibilem & materialem, quaſi utriuſque Horizon & finitor; à ſuperiori ſpirituales dotes ſuſpiciens, & inferiori proximo cœlo medio nempe communicans.

XXI.

Abyſſum tenebroſam, ſeu materiam mundi proximam, aqueam, ſive humidam eſſe ratio exigebat, quò attenuari commodius, & per attenuationem univerſa cœlorum & totius fabricæ moles fluxu materiæ deduci, & in corpus continuum extendi poſſet; fluere enim humoris proprium eſt, omniſque corporis continuitas ſolius humoris beneficio debetur; humor enim Elementorum & corporum gluten eſt ac ferrumen: Ignis verò in humorem agens calefaciendo illum rarefacit; calor ſiquidem eſt ignis inſtrumentum, cujus ope duo oppoſita uno eodemque labore operatur, humidam quippe naturam dum à terreſtri ſeparat, illam rarefaciendo hanc condenſat: ſic per heterogeneorum ſeparationem fit homogeneorum congregatio: Hac arte protochemicâ ſpiritus increatus Mundi fabet confuſas rerum naturas diſtinxit.

XXII.

Spiritus Mundi Architectonicus à duobus principiis univerſalibus Creationis opus inchoavit, unum formale

formale fuit, alterum materiale; quid enim aliud verba illa Prophetæ sonant (In principio creavit Deus cœlum & terram &c.) quàm quod Deus in principio informationis materiæ, eam in duo summa distinxit principia, nempe in principium formale & materiale, cœlum videlicet & terram: terræ autem nomine ipsam tenebrosam & nondum formâ indutam aquarum, & abyssi massam intelligi verba sequentia indicant (Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi &c.) quam creator cœlo supremo, Empyreo nempe, inclusit ac terminavit; quod in natura primum principium formale est, licèt remotum.

XXIII.

Spiritu enim Dei, qui divinitatis splendor est, in ipso creationis momento super aquas. id est, super humidam & opacam Abyssi faciem effuso, lux statim aperuit, quæ partem eminentiorem & subtiliorem materiæ in ictu oculi invasit, lucidáque circumferentiâ quasi limbo, eam sepsit, veluti coruscatio, quæ ab Oriente in Occidentem lumen igneum jaculatur; aut flamma, quæ celerrimè fumum proximum accendit: Sic prima dies orta est, pars autem tenebrarum inferior luce vacua, nox remansit; ita in diem & noctem divisæ sunt tenebræ.

XXIV.

De Cœlo illo primo, formali principio, non enunciatur fuisse inane, vacuum, & tenebris obsitum, quod satis indicat, Cœlum illud imprimis expansum illicò luce distinctum fuisse à massa tenebrosâ subjacenti, propter vicinitatem gloriæ & Majestatis Divinæ, & præsentiam spiritus luminosi ab ipsâ fluentis.

XXV.

Duo itaque rerum principia ab initio creata fuerunt, unum luminosum & spirituali naturæ proximum, alterum omninò corporeum & tenebrosum; illud ut esset principium motus, luminis & caloris; istud verò principium stuporis, opacitatis & frigoris; illud activum & masculeum, istud passivum & fœmineum: ex parte prioris, motus ad generationem in Mundo elementari, unde vita: ex parte posterioris, motus ad corruptionem, unde mors initium trahit: Hic est uterque mundi inferioris limbus.

XXVI.

Quoniam autem Amor totus extra se porrigitur, divina natura solitudinis impatiens, & pulchritudinem suam in lumine jam creato, tanquam in speculo miranda in ejus extensionem & simulacri sui multiplicationem exardescens lumen illud protendi & propagari jussit. Tunc lumen, spiritu igneo à mente divinâ progresso, ac se in gyrum volvente, cœpit in proximiores tenebras agere, illisque debellatis ac deorsum, centrum depressis, illuxit secunda dies, & subsistit secunda luminis mansio, sive cœlum secundum, totam legionem ætheream complectens, in cujus plagâ superiori tot faces postea sparsæ & affixæ sunt; inferiori autem septem errantia sydera ex ordine sita fuere, quæ lumine, motu & influxu suo naturæ subjacenti, tanquam rectores & præfecti, legem dicerent.

XXVII.

Et ne quid operi tanto in mente divinâ jampridem exarato deficeret, idem Spiritus igneo & micante gladio tenebras condensatas, umbramque ex adverso subterlabentem profligavit, & in centrum abyssi detrusit sic postremum cœlorum spatium lumini pervium factum est, quod aërem, sive cœlum inferius rectè dicimus; tertia tunc dies effulsit: Tenebræ autem, quæ totam abyssi faciem in principio obumbrabant, à lumine superveniente in regionem infimam per triduum depressæ ita condensatæ sunt, propter spatii angustiam & frigoris constrictionem, ut in aquæ naturam & molem ingentem migraverint, librato in medio aquarum firmatóque ex fæce & crassiori abyssi materia, in solidum & opacum terræ corpus, totius opificii nucleo & centro, quasi tenebrarum valle ac tumulo. Postmodum, Spiritu impellente, aquæ à terræ facie ad ejus latera circumvolutæ recesserunt, & apparuit Arida, ut infinita penè plantarum genera in lucem ederet, totque animalium species hominem, potissimum cæteris prædominantem hospitio exciperet, illisque victum, homini verò amplam rerum suppellectilem exhiberet. Terra itaque & Aqua in unum globum desierunt, cujus propter densitatem opacitas sive umbra, Abyssi tenebrosæ imago totam Aëris viciniam Soli oppositam continuò obsidet ac involvit; persequentem enim lucem pari spacio adversa refugit, &

Labenti similis semper fugitiva recedit.

XXVIII.

Lucem autem illam, profligatis, & demersis tenebris, omnia abyssi spatia sparsim occupaverat, in lucentem & nobilissimum egregiæ magnitudinis & formæ Solis globum contrahere summo Opifici visum est, ut quò contractius lumen, eo etiam efficacius esset, & radios potentiùs jacularetur; tum etiam ut lux creata, proxima divinæ gloriæ natura, ab unitate increata procedens, per unitatem in creaturas effunderetur.

XXIX.

Ab illâ face Mundi luminosi lucem mutuantur cætera omnia corpora: quam enim in Lunæ globo opacitatem sensu deprehendimus, propter Terræ vicinitatem, & ejus umbræ extensionem, similem in cæteris globosis corporibus credere verisimilitudo suader, licet percipere distantia prohibeat: Prima siquidem & omnium sensibilium præstantissima Natura lucis fons Vnitati debebatur, à quâ spiraculum vitæ hæc inferiora susciperent; Unde optimè philosophus, Sol & homo generant hominem.

XXX.

Non citra probabilitatem philosophorum nonnulli, animam Mundi in Sole, Solem autem in medio Vniversi constituerunt: æquitatis enim & Naturæ ratio postulare videtur, ut æquali spatio Solare corpus distet à fronte & origine lucis creatæ, Cœlo Empyreo nempe, & à centro tenebroso Terrâ, quæ totius opificii sunt extrema, quo fax Mundi, tanquam natura media, & utriusque extremorum conciliatrix, in medio sedem habeat, unde commodiùs à summo cardine immensas virtutem opes suscipiat, & in pari distantia ad imum transmittat.

XXXI.

Ante lucis creatæ in Solare corpus contractionem, Terra in solitudine penè otiabatur masculum expectans, ut ex ejus copulâ prægnans facta omne genus animalium pareret; hactenus enim effœtos & quodammodò imperfectos fœtus, vegetabilia nempe, enixa erat; debilis quippe & impotens sparsæ lucis calor humidæ frigentique materiæ prædominati, neque ulterius vires suas extendere potuerat.

XXXII.

A luce igitur materia prima, tum etiam Elementa informationem suam receperunt; & ita per communem luminis naturam, quasi jure sanguinis, strictissimum inter se amorem, non odium & pugnam, ex vulgari sententiâ, contraxerunt, séque mutuo necessitudinis vinculo amplexa sunt, in varia mixtorum corpora, secundùm species suas coalescant. Lux autem Solaris priori longè potentior est forma formarum, sive forma universalis, quæ omnes formas naturales in opere generationis, in materiam dispositam & rerum semina infundit: quodlibet enim individuum naturæ lucis scintil-

scintillam in se recondit, cujus radii virtutem activam & motricem semini occultè suggerunt.

XXXIII.

Totam materiæ primæ portionem, quæ huic plagæ inferiori addita fuit, tum etiam Elementa, quæ ex ipsâ fluxerunt, tenui primæ lucis tincturâ ab initio imbui necesse fuit, quò majori potentiorique luci suscipiendæ in mixtorum informatione apta fierent: Sic ignis igni; aqua aquæ, & lux luci, quia homogeneæ naturæ sunt, perfectè uniuntur ac coeunt.

XXXIV.

Ex situ & efficaci Solis virtute licet inferre, eum cordis vice in Universo fungi, ab eo enim vita in omnes partes defluit; lux quippe vitæ vehiculum est, imò fons & causa proxima; & viventium animæ sunt radii lucis cœlestis, qui vitam rebus inspirant; solâ hominis animâ exceptâ, quæ lucis supercœlestis & increatæ radius est.

XXXV.

Deus triplicem divinitatis suæ imaginem in Sole expressit, primam in Unitate; neque enim Solem multiplem Natura, sicut nec Deorum pluralitatem Divinitas patitur, ut sic ab uno fluant omnia. Secundam in Trinitate, seu triplici munere, Sol enim tanquam Dei vicarius omnia naturæ beneficia distribuit per lucem, motum & calorem, inde vita, quæ supremus & perfectissimus est in Mundo nostro Naturæ actus, ultra quem progressus non fit, sed regressus: A luce autem & motu calor procedit, sicut tertia à prima & secunda Trinitatis persona. Postremò Deus qui est lux æterna, infinita & incomprehensibilis, per solam lucem seipsum exprimere & Munde exhibere potuit. Nemo itaque miretur, cur Sol æternus præstantissimam suiipsius imaginem cujus ipse sculptor fuit, Solem cœlestem tantis dotibus decoraverit; in eo enim tabernaculum suum posuit:

XXXVI.

Sol lucidum est divinæ gloriæ speculum; illa enim cùm supra materialium creaturarum sensus viresque attolatur, speculum sibi condidit, cujus splendore æternæ suæ lucis radii in omnia sua opera reflecterentur, & per reflectionem innotescerent: divinum quippe lumen immediatè intueri mortali naturæ prohibitum est. Regius hic divinitatis oculus est, qui præsentiâ suâ libertatem ac vitam supplicibus indulget.

XXXVII.

Postremus opificis labor, tanquam operis umbilicus aut corollarium, homo tandem prodiit, mundanæ fabricæ compendium, & divinæ naturæ imaguncula. In partem sextæ lucis & totius operis novissimam ejus ortum distulit creator, ut dives universæ naturæ supellex, omniaque superiorum & inferiorum munera in humanam naturam, tanquam in alteram Pandoram, confluerent. Sic rebus Universi jam ordinatis, operis complemento qui solus deficiebat, additus est homo; quò Natura multiplici luce robustior facta mundiora elementa in temperamentum perfectum contribueret; & limus purior ad vas fictile tam exquisitum effingendum haberetur. Talem globus inferior ejusque incolæ rectorem postulabant, ut obsequii jugum non detrectarent.

XXXVIII.

Sexto à creatione, tertio ab ortu Solis die è terrâ surrexit homo; quo productionis tempore & dierum numero summum mysterium adumbratum est: quemadmodum enim quarto die creationis in unum Solis corpus universum cœli lumen coactum fuit; à tertio autem die nati Solis, qui sextus fuit creationis, terræ limus vitæ spiraculum suscepit, & in hominem viventem, Dei imaginem, surrexit: Sic die quarto millenario videlicet, ab origine mundi Sol increatus, divina scilicet natura infinita & nullis terminis antè comprehensa, humani corporis claustro comprehendi, & quodammodo terminari voluit: Tertio autem die sive millenario, mille anni siquidem coram Deo, sicut dies unus, computantur; post primum Solis illius ortum sive adventum, & circa finem sexti diei, nempe millenarii à creationis tempore, fiet gloriosa humanæ naturæ resurrectio in secundo supremi judicis adventu; quod etiam per beatam illius tertiâ die resurrectionem nobis indicatum fuit. Sic arcanum Mundi ætatem & fata sub ejus genesi occultavit Propheta.

XXXIX.

Licet Omnipotens, ut ei placuit, Mundum creaverit, imò in momento & solo nutu illum, si libuerit, è tenebris in lucem eduxerit; dixit enim & facta sunt omnia; ordo tamen creationis principiorum & Naturę successivæ secundùm prius & posterius, antequam natura creata esset, in mente divina descriptus erat, quem ordinem potiùs quàm ipsum creationis opus in suâ genesi exposuisse videtur sacer philosophus.

XL.

Informationis materiæ primæ ratio generalis triplex in principio fuisse videtur, in quâ portione enim materiæ lucida forma irrationalis fuit & citra ullam proportionem longè superior, ut in cœlo Empyreo, ubi primum lux materiam delibavit, tunc forma virtute penè infinitâ præpollens materiam suam absorpsit, ac in naturam ferè spiritualem, & ab omni accidente liberam transtulit.

XLI.

Ubi verò ad justam lancem & æqualitatem formæ & materiæ vires concurrerunt, qua ratione cœlum æthereum & cœlestia corpora informata sunt, tunc lucis actio, cujus vis in agendo potentissima, eò progressa est, ut materiam suam mirum in modum illuminando & attenuando ab omni labe originali, necnon à vitulentâ corruptionis tabe redemerit; eáque verè perfecta informatio habenda est.

XLII.

Informata in tertiâ ratione materia dicenda est, in quâ impotentior forma remansit: qualiter licèt diversimodè, in regione hac nostra Elementari contigit; in quâ appetitus, materiæ, qui defectus & imperfectionis argumentum est, in basi & radice suâ luxuriantis ac recalcitrantis, propter remotionem & distantiam à formali principio sufficienter expleri non potuit, nec ejus infirmitas sanari: unde materia non potuit, nec ejus infirmitas sanari: unde materia non plenè ad votum informata novæ formæ desiderio languet, quâ tandem potitâ ei tanquam marito in dotem amplam corruptionis & vitiorum supellectilem confert: Hæc motosa, pervicax, rebellis, inconstans semper novos concubitus exardet omnium formarum avida, nullâ contenta, quas absentes desiderat, præsentes odit.

XLIII.

Ex quibus constat alterationis & corruptionis fermentum, ac tandem fatale mortis venenum non à qualitatum repugnantiâ, sed ex infectâ matrice & venenato materiæ tenebrosæ menstruo, tum Elementis, tum etiam hujus infimæ regionis mixtis contingere, quod à labe & imperfectione suâ debilis & insufficiens forma, nec ad justitiam librata in primâ & radicali utriusque unione purgare non potuit; cujus rei sacra pagina fidem auget, in quâ licet observare primum parentem nostrum non immortalem secundùm materiam creatum fuisse; verùm ut à corruptione & labe originali materiæ securus fieret, arborum fructu vitæ abundantem Deum in Paradiso statuisse, quo tanquam vindice & assertore contra materiæ labilitatem, & caducitatis mortisque

mortisque servitutem uteretur à cujus usu & præsentia post lapsum & lætam mortis sententiam remotus fuit.

XLIV.

Duo itaque tantùm ab initio simplicia Naturæ principia, quibus cætera omnia posteriora nulla anteriora fuere, materia prima scilicet, & sua forma universalis, ex quorum copula orta sunt Elementa, tanquam secunda principia, quæ nihil aliud sunt, quàm materia prima diversimodè informata, ex quorum mixtione materia secunda conflatur, quę proximè accidentibus subest, generationis & corruptionis vices patitur: Hi sunt gradus, hic ordo principiorum Naturæ.

XLV.

Qui materiæ & formæ tertium addunt rerum principium, privationem videlicet, Naturam calumniantur, à cujus mente alienum est aliquod principium fini suo contrarium admittere; finis autem ejus in generando cùm sit ademptio formæ, cui privatio adversatur, hæc de intentione Naturæ esse non potest. Veriùs illi, si Amorem Naturæ principium agnovissent; materia enim priori orbata forma novæ formæ assequendæ desiderio flagrat: At privatio nihil aliud est, quàm mera formæ absentia, cui propterea augustum principii Naturæ nomen non debetur; sed multò magis Amori, qui mediator est inter apparentem & appetibile, inter pulchrum & deforme, materiam & formam.

XLVI.

Corruptio principio generationis longè proximior est, quàm Privatio; cùm illa sit motus materiam per successivos alterationis gradus ad generationem disponens. Privatio autem nihil agit, nihil exequitur in opere generationis: at corruptio materiam promovet ac præparat, ut capax fiat suscipiendæ formæ; & quasi mediatrix lenocinium exercet, quò facilius materiam naturæ libidinem adimpleat, atque ejus ope formæ copulam assequatur: Est itaque corruptio causa instrumentalis & necessaria generationis: At privatio nihil aliud est, quàm mera principii activi ac formalis carentia; & tenebræ super faciem Abyssi, materiæ scilicet informalis ac tenebrosæ.

XLVII.

Universi harmonia in diversa & graduali materiæ informatione consistit; à ponderata enim materiæ primæ & formæ suæ mixtione fluxit Elementorum, tum etiam Mundi plagarum differentia; quod paucis, sed verissimis verbis indicavit Hermes, dum id, quod est superius, simile ei quod est inferius, dixit; superiora enim & inferiora ex eadem materia & forma condita sunt, sed ratione mixtionis, situs & perfectionis differunt, circa quæ partium Mundi distinctio, & universæ Naturæ latitudo versatur.

XLVIII.

Materiam primam post susceptam à luce informationem, & rerum distinctionem, totam extra se migrasse, ac in Elementa & ex illis conflata transmissam, totamque in opere Universi perficiendo exhaustam fuisse credendum est: ita ut jam manifestatis, & in lucem editis, quæ priùs in illa occultabantur, cœperit tota in ipsis occultari, nec ab ipsis separatam dari posse fatendum est.

XLIX.

Antiquæ illius massæ confusæ, seu materiæ primæ specimen aliquod nobis natura reliquit in aqua sicca non madefaciente; quæ ex terræ vomicis, aut etiam lacubus scaturiens, multiplici rerum semine prægnans effluit, tota calore etiam levissimo volatilis; ex qua cum suo masculo copulata qui intrinseca Elementa eruere & ingeniosè separare, ac iterum conjungere noverit, pretiosissimum Naturæ & artis arcanum, imò cœlestis Essentiæ compendium adeptum se jactet.

L.

Simplicia corporum Elementa, ab omni mixtione separata qui quærit, vano torquetur labore, ingenio quippe humano incognita sunt: quæ enim Elementa vulgò habentur, nequaquam simplicia, imò inter se inseparabiliter mixta sunt. Terra, Aqua, Aër partes integrantes universi sunt veriùs quàm Elementa, sed rectè eorum matrices dici convenit.

LI.

Terræ, Aquæ & Aëris corpora, quæ sphæris suis sensibiliter distinguuntur, alia sunt ab Elementis, quibus in opere generationis utitur Natura, quæque mixtorum corpora constituunt; hæc enim in mixtione præ tenuitate imperceptibilia & sensibus occulta sunt, donec in materiam densam & corpus coierent:

Ex insensibilibus namque omnia consiteare Principiis constare.

Illa autem, quæ globum inferiorem Universi constituunt, tanquam nimis densa, cruda, impura & indigesta à perfectæ, generationis lege arcentur; magis enim Elementorum idola & simulachra sunt, quàm vera Elementa.

LII.

Elementa, quibus in mixtionibus suis & fingendis corporibus plastes utitur Natura, licèt ante mixtionem deprehendi nequeant, in opere tamen absoluto & mixto perfecto, quia partes ejus partibus Mundi proportione quadam respondent, & quodammodo sunt analogæ, iisdem nominibus illas nuncupare liceat: solidiores enim partes terram humidiores Aquam; spirituales aërem; calorem innatum ignem Naturæ; occultas verò & essentiales virtutes non malè cœlestes & Astrales naturas, sive quintam essentiam quis dixerit; & ita quodlibet mixtum analogicè Microcosmi nomine gloriabitur.

LIII.

Qui prima rebus generandis Elementa constituit, idem solus ex iis rerum individua componere, & composita in ea noluit resolvere.

LIV.

Lumen igitur non refugiant, qui circa Naturæ Elementa operantes; in aliquo corpore ex iis producendo, vel naturaliter productum in ea resolvendo crucem sibi ponunt; Elementa quippe illa ex pleno Naturæ dominio sunt, eique soli ab ortu suo mancipata, arti & industriæ penitus ignota.

LV.

Elementum naturæ dici potest simplicissima materiæ primæ portio, per propriam differentiam & qualitates distincta, partem essentialem in materiali mixtorum compositione constituens.

LVI.

Per Elementa Naturæ, principia materialia intelliguntur, quorum alia aliis puriora & perfectiora sunt, pro majori & potentiori virtute formæ perficientis. Distinguuntur autem plurimùm raritate & densitate, quæ rariora & spirituali naturæ proximiora, ea puriora & leviora, motui & actioni aptiora sunt.

LVII.

Universum Orbis imperium inter tres fratres Saturni filios cohæredes propterea divisum fuisse veneranda finxit antiquitas, quia tres tantùm Elementorum naturas aut veriùs universi partes agnovit: Per Jovem enim omnipotentem cœli dominium sortitum, trisulco fulmine armatum cæteris fratribus superiorem, ætheream cœlestium corporum regionem in hæc inferiora jus imperii sibi vindicantem intellexerunt illi arcanorum mystæ: infimæ autem cœli plagæ, sive aëri nostro, Junonem Jovis conjugem præfecerunt, quia hæc regio vaporibus inquinata, humida & frigida, ac quo-

dimmodo impura eſt, ſœmineóque temperamento proxima; tum etiam, quia ſuperiorum decretis ſubjicitur, eorum affectiones ſuſcipit, eaſque nobis communicat, craſſioribus naturis ſe commiſcens, ac eas ad cœleſtium vota inflectens: quia autem mas & fœmina ſexu tantùm, non ſpecie differunt, propterea aërem ſive cœlum inferius aliud omninò Elementum à cœlo ſuperiori eſſentia & ſpecie diſtinctum noluerunt, ſed loco & accidentibus tantùm diverſum. Neptuno maris Numini jus in aquas tribuerunt. Per Plutonem inferorum tyrannum, opibus affluentem, terræ globum ſignificarunt, divitiis refertum: quarum tum etiam honorum deſiderio & omni cupiditatum æſtu feruentes hominum mentes acerbè torquentur. Tres itaque tantùm Univerſi partes, ſeu tria, ſi placet, Elementa ſapientes illi admiſerunt, quia ignis Elementum ſub ætherea natura comprehendi voluerunt; Jovem fulmine armatum propterea pinxerunt.

LVIII.

Omnia mixtorum corpora in ſiccum & humidum per analyſim reſolvi: omnia animalium excrementa iiſdem differentiis terminari experientia docemur: Unde liquidò conſtat mixtorum corpora ex duobus tantùm Elementis ſenſibilibus terræ & aquæ reſpondentibus conflata eſſe; quibus tamen cætera virtute ac poteſtate inſunt: Aër autem, ſive cœli inferioris Elementum ſenſus fugit, quia de genere ſpiritualium quodammodo eſt, ratione noſtri. Ignis etiam Naturæ, quia principium eſt formale, nulla analytica deſtructione, nullo artis ingenio deprehendi & ſeparari poteſt; formarum enim natura ſenſuum cenſuræ non ſubmittitur, quia ſpiritualis eſt.

LIX.

Terra eſt corporum Univerſi denſiſſimum, ideò graviſſimum & centrum habitum; ejus naturam per ſe frigidam, & per accidens ſiccam eſſe contra vulgarem opinionem ſtatuendum eſt; quia plus retinet de natura opaca & tenebroſa primæ materiæ; umbra autem & tenebræ frigoris latibulum exiſtunt, unde lucem fugiunt, & ex diametro ei opponuntur; at terra propter ſummam ejus denſitatem umbræ & tenebrarum mater eſt, luci & calori difficilè pervia, ideò ſummo frigore rigeſcit. Atrabilis humor omnium frigidiſſimus ea de cauſa cenſeri debet, quia terræ dominio ſubjicitur, Terra autem Saturno, qui frigidi melancholici temperamenti author habetur. Præterea, quæ in terræ viſceribus ex terrea ſubſtantia generantur, veluti marmor & lapides, frigidæ ſunt naturæ quamvis de metallis aliter ſentiendum, quia aëreæ naturæ magis ſunt, habéntque in ſe ignis plurimùm, propter infuſas cœlitùs ignis Naturæ ſcintillas, & ſpiritum ſulphureum ipſorum materiam humidam & frigidam congelantem: Mercurius tamen humiditate & frigiditate cæteris præpollens, terræ frigidum & aquæ humidum ſuum acceptum refert. Aliter ſe res habet in iis, quæ in mari producuntur, ut per Ambarum & Corallum, aliáque plurima à mari & fluminibus genus ducentia, quæ calido temperamento gaudent, ſatis conſtat: Ratione itaque & experientiâ docemur frigiditatem maximam terræ, non aquæ deberi.

LX.

Siccitas autem per accidens & remiſsè terræ competit, in medio enim aquarum creata fuit & rerum ordo poſtulabat, ut præ gravitate ſua aquis immerſa ab humido nunquam recederet; verùm creator ſummo jure uſus, aquis remotis, liberam ejus faciem exhibuit, ut mixtorum creationi, tum habitationi locus daretur: Terra itaque non ſecundùm naturæ legem, ſed per gratiam à naturali ſervitutis jugo & humoris tyrannide liberata eſt, ut ſiccâ fronte in auras emergeret, gratùmque Mundi lumen perciperet.

LXI.

Omne frigidum & ſiccum à facultate generativâ alienum eſt, niſi externo juvetur auxilio, propterea rectè ſapientiſſimus Naturæ author frigidum Terræ uterum Igne cœleſti incaleſcere voluit; & ſicco Terræ globo humidam Aquæ Naturam adjunxit, ut admixtis duabus generativis calidi & humidi cauſis, terræ ſterilitati ſuccurreretur, ac mediante omnium Elementorum concurſu & mixtione, Terra phyſicum ubertimæ generationis vas fieret. Terræ itaque omnes qualitates & omnia Elementa inſunt.

LXII.

Spongioſum Terræ corpus ſapienter à Mundi conditore creatum fuit, ut aëri, imbribus ac cœleſtibus influentiis aditus pateret: ut etiam vi caloris interni vapores humidi à centro ad ſuperficiem per terræ meatus expulſi rerum ſemina modicâ putrefactione corrumpant, & ad generationem præparent: quæ ita diſpoſita calorem cœleſtem vivificum excipiunt: Natura ſiquidem amorem Magneticum in rerum profundo demerſit, cujus vi ſuperiorum virtutes evocant & ſugunt, quæ informationis robur augent, & vitalis auræ dulcedinem accelerant.

LXIII.

Calor è terræ ſinu emergens humidus & impurus propter terræ & aquæ admixtæ labem corrumpit, purißimus autem cœleſtis generat excitando dilatando, & ad vitam urgendo caloris inſitum, in rerum ſeminibus abſtruſum, & tanquam naturæ arcanum in eorum centro occultatum: Quia ver homogenei ſunt ambo calores illi, blandè in opere generationis coeunt, & inſeparabiliter uniuntur, donec in vitam & amplam vegetationem exeant.

LXIV.

Aqua eſt natura media inter denſum & tenue, inter Terram & Aërem; menſtruum Naturæ, corpus volatile, fugax, ignis impatiens, calore etiam mediocri in vaporem exhalans, multiplicem induens figuram, Proteo denique inſtabilius.

LXV.

Humidum Elementum Mercurius eſt, qui modò corporis, modò ſpiritus naturam induens ſuperiorum & inferiorum virtutes ſuis revolutionibus in ſe trahit, & quaſi eorum mandata ſuſcipiens inter remotas univerſi naturas velut earum actor & ſponſor negotiatur ac commercium exercet; nec à nundinationibus ſuis temperabit, donec omnia naturæ corruptibilis Elementa ab igne purgata & fixata ſint, fiatque ſabbatum univerſale.

LXVI.

Aqua, quia materiæ primæ proxima natura eſt, facilè ejus ſimulachrum induit: Chaos enim antiquus rerum parens vapor quidam ſubtilis & tenebroſus fuit, ſeu humida quædam tenebrarum, fumo tenui ſimilis, ſubſtantia, ex cujus ſubtiliſſimâ portione cœli ex ordine educti & expanſi ſunt, quorum triplex differentia tres etiam ejus provincias conſtituit, nempe ſupremam, quæ nobiliſſima eſt: mediam, quæ ſecundum præſtantiæ & dignitatis locum occupat: poſtrema autem ſitu & nobilitate cæteris eſt inferior. Denſior materiæ ſubſtantia in aqueam molem, quæ media quædam natura eſt, ceſſit. Denſiſſima pars quaſi fæx totius maſſæ, in fundo ſubſtitit, & in compactum Terræ globum firmata eſt. Extrema totius opificii, Cœlum videlicet & terra magis à primo materiæ ſuæ ſtatu & antiqua figurâ receſſerunt; cœlum propter ſummam raritatem & levitatem; Terra propter ſummam denſitatem & gravitatem; Aqua verò, quæ medium inter utrumque ſortita eſt, informi abyſſo proximior natura remáſit: unde fit, ut facilè

facilè per rarefactionem in fumum, seu vaporem quæ Hylæ antiquæ imago est, se convertat.

LXVII.

Humiditas magis propria est aquæ, quam frigiditas, quia magis rara & luminosa est Aqua, quàm Terra; at quæ majorem cum lumine participationem habent, magis à frigido recedunt: rariora verò corpora lumini viciniora sunt. Aqua humiditatis symbolum à materiâ primâ & Abysso retinuit; sicuti terra frigiditatem. Densiores enim partes in duas illas affines naturas Spiritus mundi Architectonicus divisit.

LXVIII.

Frigiditas siccitatem amat, eamque induit, ubi strenuè dominatur humida constringendo ac desiccando, ut ex nive, glacie & grandine docemur; Aquam enim, quâ nihil humidius, frigore tanquam proprio instrumento constringere ac desiccare Naturæ opus est; imò præcipuum & commune caloris & frigoris subjectum est humor, qui ab utroque fortiter oppugnatur, donec expugnetur; unde fit, ut tot autumni frigore primo sicca cadent folia; debilium plantarum caules, turgente hyeme, ad summam siccitatem humore destituantur & arescant; sic penetrabile frigus adurit, vitalesque rerum humores hostiliter invadit, inde flaccida & marcescens senectus, mors tandem acerrimo frigore, quasi falce chalybea, omnia desiccata metens, & in horrea sua conferens. Quomodo igitur frigus humido Elemento indulgere, & tanquam maximè proprium inesse quis profiteatur? cùm Natura elementa in se ipsa agere non patiatur, ne vires suas destruant aut opprimant, at frigiditas intensior remissam imbellemque humiditatem statim proculdubiò debellaret, ac fortiter per constrictionem desiccando totam exhauriret, aut invalidam prosterneret; sic uno ex Elementis tuinam passo, reliquorum opera imperfecta, & rerum generationem omninò deficere necessariò sequeretur. Aquæ igitur summam frigiditatem tribuere Naturæ legi repugnant.

LXIX.

Ex duabus illis densioribus natutis Terrâ & Aquâ nempe: Elementa sua haurit Natura: quibus vasa sua & organa corporea fingit; ex utriusque enim mixtione fit limus; limus autem est proxima materia generatorum: ille enim est veluti chaos, cui omnia confusè & virtute insunt Elementa. Ex limo creatus fuit primus humani generis parens; omnis deinceps generatio ex limo prodiit. In generatione animalium ex spermate & menstruo fit limus, inde animal. In vegetabilium productione semina per putrefactionem in limum subtilem primò transeunt, deinde in corpus vegetabile firmantur. In generatione metallorum ex sulfure & mercurio perfectè mixtis. & in aquâ pinguem resolutis exit limus; ex quo corpora metallica per longam decoctionem indurantur. In philosophicâ metallorum solutione, & arcani Philosophorum creatione primò educitur limus, expurgato & mixto utriusque parentis semine.

LXX.

Aqua est basis & radix omnis humidi, imò humor ipse; à quo omne humidum denominatur: Rectè itaque Elementi humidi, vel humoris fons & principium Aqua definiri potest, cujus proprium est liquore suo madefacere. Humida autem dicuntur quæ humorem sive liquorem aqueum, secundùm plus vel minus in se continent. Humor omnium qualitatum susceptibilis est: sic sanguis & flavabilis humores sunt calido suo imbuti, licèt in Elemento aquæ basim suam habeant: Aqua fortis & similes causticâ & igneâ virtute pollent; Aqua ardens & plurimæ rerum essentiæ quæ sub olei aut aquæ corpore extrahuntur, calido abundant, licèt Aqua earum radix sit frigida: quia Natura in Elemento humido varias virtutum suarum signaturas primùm imprimit: illique principes qualitates radicitùs infundit. Humor est primum Naturæ subjectum, in quo prima ejus cura, primus labor impenditur, cujus liquore multiplices suos colores & tincturas indelebiles diluit ac miscet: illi spiritualia dona primò se communicant, in illo primùm hospitantur & agere incipiunt.

LXXI.

Aquæ inferiores bifariam divisæ distinctas regiones occupant, pars enim earum Terræ contigua ei tanquam basi propriæ insidet, & cum eâ unicum globum constituit; altera pars sursum evolans per aëris vicini plagam vago motu peregrinatur, ibique larvaras corporum imagines, multiplicesque phantasmatum figuras sibi fingens pendula huc illuc errat.

LXXII.

Omni tempore magna pars aquarum desuper habitat, & varios aëris tractus huc illuc ventorum flatu impulsa percurrit: quod ita divinæ Sapientiæ decreto à die creationis constitutum est, ut patens ac libera Terræ facies rebus generandis exurgeret: Neque enim maris & fluminum alvei aquæ universæ suscipiendæ sufficerent, quin si tota laxatis cœli repagulis rueret superatâ Terræ planitie altissimos forsan montes adæquaret. Tale profluvium cataclysmo causam olim dedisse licet conjicere.

LXXIII.

Non solo calore Aqua in vaporem sublimatur, nec solo frigore in nubem concrescit, ad utrumque Solis & syderum virtutes plurimùm conferunt, non solùm vires Elementorum multiplicando, sed etiam vi quadam Magneticâ humorem plus aut minùs attrahendo ac retinendo pro diversa eorum positione cœlique figurâ, unde dissimilis spectatur annorum ac temporum constitutio: moles siquidem Aquarum illa non solo frigore aut aëris soliditate, sed potenti superiorum corporum imperio librata cohibetur.

LXXIV.

Divinæ justitiæ ne sua supplicia in vindictam deessent, Oceanum, qui capiti nostro immineret, volatilem fecit, & ignita fulminis tela superinduxit; ut quæ amore flecti non posset hominum audacia terrore sisteretur.

LXXV.

Aeri qui summam humiditatem tribuunt, eò quòd difficilè suo termino continetur, facilè autem alieno, plurimùm errant, hoc enim tenuium & liquidorum corporum, non humidorum proprium est, atque ita igni & cœlo, quorum naturæ rariores sunt magis convenit quàm aquæ aut aëri: nam corpora rara, quia undique sponte fluant, proprio termino consistere non possunt, propterea alieno egent: Sola corpora densa & firma suo ambitu & sua superficie cohibentur, quod subtilia non possunt, quia præ tenuitate liquescunt & se effundunt; & quæ rariora sunt, magis effluunt, ac minùs consistunt: Inde sequitur aërem esse corpus rarius, sed non humidius.

LXXVI.

Aer nullam intensam ex se qualitatem habet, aliunde quandoque mutuatur. Ejus natura media est inter superiora & inferiora corpora, ideò viciniorum qualitates & affectiones facilè induit; unde fit, ut regio ejus inferior pro temporum varietate diversimodè temperata sentiatur; cujus inconstantia à propinquiorum & crassiorum corporum, aquæ scilicet & terræ, mutatione procuratur, quorum statum calor & frigus facilè immutant.

LXXVII.

LXXVII.

Aer univerſus Cœlum eſt, area Univerſi, Naturæ cribrum, per quod virtutes & influentiæ aliorum corporum tranſmittuntur : media natura ſparſas omnes Univerſi naturas conjungens: fumus ſubtiliſſimus ab igne cœleſti in lumen, quaſi flammam immortalem, accenſus : lucis & umbræ, dici noctiſque ſubjectum; vacui impatiens; diaphanorum primum, qualitatum ferè omnium & affectionum facillimus ſuſceptor, nullius tenaciſſimus cuſtos, ſpirituali naturæ vicinus, propterea in arcanis philoſophorum tractandis ſpiritus nomine deſignatur.

LXXVIII.

Regio aëris inferior collo & ſuperiori parti alembici ſimilis eſt per eam enim vapores ſcandentes ad cacumen delati à frigore condenſantur, mox in aquam reſoluti pondere ſuo relabuntur. Sic natura per ſedulas diſtillationes aquam ſublimando : & cohobando eam rectificat, & exuberat. In hujuſmodi Naturæ operationibus terra eſt cucurbita, & vas recipiens. Vicinior itaque nobis hæc aëris plaga, nubium regione, tanquam concamerato ſuo tecto terminata dennor & impurior eſt cæteris ſublimioribus.

LXXIX.

Media aëris regio ea non eſt, in qua coguntur nubes, fiunt coruſcationes, & tonitrua, quæ inferioris pars ſuperior eſt, & terminus, ſed quæ ſupra nubes eſt, ad quam aquea natura pondere attolli prohibetur, ea media dicenda eſt, quam tamen ſulfureæ exhalationes vaporum gravitate liberatæ ſcandunt, & pererrant, & illic motu ſive proprio, ſive etiam alieno incaleſcentes igneſcunt. Talia ſunt ignita diverſi generis meteora, quæ media in regione conſpiciuntur, unde calido & humido, non aqueo, ſed pingui, quale eſt ignis pabulum, illam abundare, conjicere licet. In illa temperies & tranquillitas multa, quia tumultuoſis non urgetur flatibus, & leviora tantùm inferioris naturæ excrementa in eam evehuntur.

LXXX.

Superior regio, Lunæ vicina tota aërea eſt, non ignea, ut falsò in ſcholis dudum invaluit: Hic tranquillum puriſſimi aëris domicilium, & ut æthereæ plagæ ſitu, ita natura propinquum, nulla enim inferioris Abyſſi fuligine inquinatur. Temperies illic ſumma; puritas à cœli vicini puritate parùm remota. Eò loci ſphæram ignis comminiſci philoſophum pudeat, qui violatis Naturæ legibus univerſi fabricam vaſtaſſet.

LXXXI.

Ignem tanquam quartum Naturæ Elementum in ſuprema aëris regione, velut in ſphæra propria principes antiquæ philoſophiæ ſtatuerunt, quod ita illis ordinis cauſa & ſuſpicione, magis quàm veritatis lumine viſum eſt; quem enim Naturæ alium à luce cœleſti nemo ſibi fingat : propterea ſacer philoſophus in ſua geneſi ignis mentionem non facit, quia lucem, quæ verus naturæ ignis eſt, primo die creatam dixerat, neque ignem Naturæ principium omiſiſſet, cùm Terræ, Aquæ, & Cœli volatilium meminerit.

LXXXII.

Ignis ardentis regionem Lunari contiguam nemo ſibi, niſi per ſomnium, fingat; tantæ enim ignis intenſiſſimi copiæ ſuſtinendæ totus aër non ſufficeret quin univerſam Orbis molem dudum deprædatus fuiſſet, quicquid enim attingit prædo ille, ſtatim depaſcitur, Mundi & Naturæ exitio deſtinatus.

LXXXIII.

Talem Naturæ vaſtorem pro Naturæ elemento neque ſublimis aër, neque ima tellus hoſpitio recipit; Verùm tyrannidem exercet ille plerumque in regno Naturæ, ſive in aëris ſubimitate, ſive in terræ profundo, ſive etiam in ejus ſuperficie accendatur. Jure itaque illum inter gignantes & Mundi tyrannos excelſi ingenii Lullius numerat. Contra Naturam etiam dicitur, quia quicquid Naturam deſtruit, Naturæ adverſatur.

LXXXIV.

Ignis noſter communis partim naturalis eſt, partim etiam artificialis: Illum à cœleſti ad vitæ commodum & neceſſitatem forſan mutuatus eſt homo, ejus radios uniendo; ac vires multiplicando; vel etiam per attritionem, aut duorum corporum colliſionem; Spiritu divino ingenium ad id ſuggerente.

LXXXV.

Summus rerum creator igneum benigni caloris ſpiritum in globo Solis poſuit, ut lumen & calorem viviſicum cæteris Univerſi corporibus inſpiret, unde cor totius fabricæ mundanæ illum plures crediderunt, ab eo ſiquidem omnis generationis & vitæ principium defluit : Qui aliud ignis elementum in rerum natura quærit, cæcutit quia Solem ignorat.

LXXXVI.

Ignis itaque Naturæ ſcaturigo in Sole reſidet, cujus calor ſemper æqualis & temperatiſſimus in ſe eſt, licèt nobis intenſior aut remiſſior pro acceſſu & receſſu, ejuſque radiorum directione aut obliquitate, vel etiam locorum ſitu & natura ſentiatur. Illum tanquam animam Mundi naturæ motum generandiſque facultatem inſpirantem plerique philoſophorum admirati ſunt

LXXXVII.

Sol non eſt univerſi oculus; ut veterum nonnullis placuit, ſed creatoris Univerſi eſt oculus, quo ſenſibiles ſuas creaturas ſenſibiliter intuetur; quo blandientes amori ſui radios in eas effundi; quo ſe conſpicuum illis exhibet: Vix enim inſenſibilem authorem Natura ſenſibilis agnoviſſet: propterea corpus tam nobile gloria ſua indutum ſibi nobiſque fingere voluit cujus radii divinitati proximi ſunt ſpiritus & vita.

LXXXVIII.

Ab illo univerſali Naturæ principio calor omnis inſitus tam in Elementa, quàm mixta defluit, qui Ignis nomen meruit; ubicunque enim calor ſpontaneus, motus naturalis, aut vita hoſpitatur, ibi ſuum Ignem tanquam eorum principium, & primum Elementorum motorem occultavit Natura; à quo elementa etiam ſenſibilia, ſeu Mundi noſtri provinciæ elementantur & velut animantur, arctiùs tamen terræ utero conſtrictus propter ejus denſitatem & frigiditatem antiperiſtaſim excitantem inhæret.

LXXXIX.

Ignis ille Naturæ mixtis inſitus humidum radicale, tanquam ſedem propriam elegit, hujus autem domicilium precipuum eſt in corde (licèt per omnes corporis partes diffundatur) tanquam primo vitæ organo & centro Microcoſmi nondè Princeps ille Naturæ, velut ab arce ſua imperans, omnes facultates cæteraque organa harmonicè movet; mixti humoribus, ſpiritibus, toti denique maſſæ Elementari motum, calorem vitam inſpirat: & quia Solis filius & vicarius eſt, omnia agit in quolibet Mundo minori, quæ Sol in majori.

XC.

Quemadmodum Sol medius inter reliquos Planetas lumine ſuo illos irradiat, virtute implet; ſpiritu vivifico in vitæ concentum conciliat: Ita ſpiritus Solaris in medio Naturæ Elementaris illi lumen influit, ac in opere, generationis Elementa congregat, unit, ac vivificat.

XCI.

Primum Agens in mundo eſt Ignis Naturæ; in globo Solari ſedem habens calorem vivificum per ejus radios in univerſum Naturæ imperium diffundit, ſecum actus potentiam ſeminibus inſinuans, principiumque motus & actionis in illis ſtatuens, quo remoto ceſſat

ceſſat omnis motus, actionis & vitæ facultas.

XCII.

Calor Naturæ & lumen Naturæ reipſa idem ſunt, ab eodem enim fonte, Sole videlicet, jugiter ac uniformiter fluunt, ſed officio diſtinguuntur; caloris quippe munus eſt ad interiora naturæ penetrare, luminis verò exteriora patefacere: caloris eſt occultas rerum naturas movere; luminis, accidentia ſenſibilia tantùm oculis ſubjicere; utrumque Solis radii operantur: Sol itaque eſt primum naturæ organum, cujus acceſſu, & receſſu omnes naturæ operationes per lumen & calorem variè reguntur, intenduntur ac remittuntur.

XCIII.

Secundum Agens univerſale eſt illud ipſum lumen, non tamen immediatè à fonte ſuo fluens, ſed à corporibus denſis ab ipſo illuminatis, qualia ſunt cœlestia, imò & ipſa Terra reflexum; lumen enim Solare corpora illa percutiendo eorum diſpoſitiones & facultates movet, contactuque illorum alteratur, ac diſſimiles eorum virtutes per reflectionem radiorum in univerſam Cœli aëriſque noſtri aciem diffundit, radiis enim illis tanquam vehiculis variæ tam multiplicium corporum affectiones in univerſæ Naturæ ſalutem & concordiam undequaque ſparguntur, quæ à nobis influentiæ dictæ ſunt. Hæc vera ſunt primaque Naturæ Elementa; quæ ſpiritualia cùm ſint: ſe nobis ſub Aëreâ Naturâ, vel etiam aquea communicant, quorum beneficio omnis fœtus ac vitæ munus tanquam Elementorum radicibus debetur.

XCIV.

Amor Deorum antiquiſſimus à Platone dictus, à divino Spiritu naſcenti Naturæ inſpiratus fuit ejuſque ingenio, tanquam Genius præpoſitus In primâ Univerſi diviſione inter fratres primævos familiæ erciſcundæ judicium tulit; deinceps in rerum generatione Præfecturam exercuit.

XCV.

Primum Amoris in rebus Naturæ vinculum poſuit Naturæ Author inter materiam primam & formam univerſalem, cœlum & terram, lucem & tenebras, Porum, & Peniam, copiam nempe & inopiam; pulchrum ac deforme. Secundus amoris gradus ex prima illa copula, quaſi parentum amplexu, in Elementa fluxit, quæ fraterno inter ſe animo devincta univerſum Naturæ jus optima ratione diviſerunt. Tertius & poſtremus gradus in mixtis abſolvitur, quæ inſitis & à Natura ingenitis amoris igniculis in ſui ſimilium propagationem & multiplicationem feruntur. Triplicem hunc amoris nexum, tanquam nodum magicum, in rebus creatis divinus Amor conſtituit, ut ſe, quaſi per traduces, in univerſas & ſingulas opificii ſui partes extenderet: Amor ſiquidem baſis eſt Univerſi, Naturæ cubus, & firmiſſimum ſuperiorum & inferiorum vinculum.

XCVI.

Latebras quærant qui concordes Naturæ motus diſcordiæ mancipant; tota enim in agendo pacifica & benevola Natura operatur, imò ingenerando eſt pruriens; Ipſa rerum Elementa, dum coëunt, tota in libidinem ſolvuntur, ut mutuis amplexibus coaleſcant, & ex pluribus unum fiant.

XCVII.

Reſurgat Academia, ut nobis inſinuet, quomodo prima materia primum contrariorum ſubjectum eſſe poſſit, & quî inter adverſariorum lites & pugnas quieſcat amor? ſeu vehemens ille appetitus, quem in corde ejuſdem materiæ ſitum agnovit Academiæ Princeps, ut non minùs illa formam, quàm fœmina virum concupiſcat? Annon hoſtes illi rerum ſemina & mixtorum corpora conſtituentes æternùm pugnando amorem & concordiam expugnabunt?

XCVIII.

Qui cupidinem inter materiam & formam; odium verò & repugnantiam in ipsâ materiâ & elementis conſtituunt, in hâc contrariorum poſitione ſibi ipſis ſummè contrarii ſunt; quippè in omnibus generatis, homine ſolo excepto, forma è potentiâ ſeu ſecretâ materiæ vi, ex ejuſdem Academiæ dogmate, educitur; at quomodo id niſi per amorem? Si materia contrariorum diſſidia radicitùs patiatur, annon etiam forma, quæ ex alta ipſius radice emerſit, eandem vim ſentiet? imò in ipſis cunabulis opprimetur? Quis itaque ſanus in ipſo puncto mixturæ Elementorum; & informationis materiæ, Amoris & Naturæ matrimonio gladiatores iſtos præficiet? Quis prolem uniformem, annon potius monſtroſam ex hujuſmodi heterogeneo reluctantium parentum ſemine expectet?

XCIX.

Deſinat philoſophus alterationis Elementorum, corruptionis & caducitatis mixtorum cauſam in repugnantiâ Elementorum quærere, ſed culpam in materiæ primæ penuriam & imbecillitatem rejiciat; neque enim in antiquo Chao

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,

ut vulgò creditur, cùm duæ tantùm quatuor illarum qualitatum minimè adverſæ, frigiditas nempe & humiditas fœminæ & materiæ convenientes, illi ineſſent; duæ verò reliquæ, caliditas & ſiccitas, quæ maſculeæ ſunt & formales, ex parte lucis informantis proceſſerint: Nec niſi poſt aquarum receſſum lucis adventum terra Arida dicta eſt, quæ prius humida & aquis mancipata erat.

C.

Quatuor itaque illas qualitates, quas repugnantes vulgus credit, in materiâ primâ, niſi poſt ejus informationem non extitiſſe recta ratio docet: Nec contrarietatem patiebatur illa in ſolitudine ſuâ; alii fuerunt ejus morbi, nempe opacitas, confuſio, deformitas, frigiditas, humiditas indigeſta, & impotentia; quæ omnia morboſi & languentis corporis indicia fuêre: Corruptionis itaque labe à creatione ſuâ infecta fuit, quam illa ad natos & nepotes traduxit in hæc infimâ & infirmâ Elementorum plaga hoſpitantes: Proptereà de Abyſſo illâ tenebroſâ non enuntiatur in Geneſi, quòd eſſet valdè bona, ſed luci, cæteriſque poſtea creatis, elogium illud meritò reſervatum fuit.

CI.

Rixam & litigium à formâ in materiam effluxiſſe poſt unionem quatuor illarum qualitatum in materiâ informatâ quis ſanus ſuſpicabitur? cùm ſit ex eſſentia & intentione formæ materiam perficere, eamque in harmoniam, concentum & temperamentum pro viribus perfectum componere,

CII.

Prima per inimicas qualitates contraria fuerunt lux & tenebræ; lucibinæ qualitates, caliditas & ſiccitas, tenebris totidem, frigiditas & humiditas, penitus inter ſe oppoſitæ, quia intenſæ, inerant: At poſtquam duo antiquiſſima illa Naturæ principia cojerunt, tenebroſumque, materiale ac fœmineum à lucido, formali & maſculeo principio informatum ac lumine imprægnatum fuit, tota Univerſi materia, omneſque ejus plagæ gratiam luminis, ſuis tamen gradibus & differentiis diſtinctam, ſuſceperunt, ignea enim illa Spiritus luminoſi tinctura nihil impenetratum reliquit: qualitates etiam quatuor priùs intenſæ, in materiâ informatâ per mixtionem remiſſæ, & ſic optimè coaleſcentes amicitiam contraxerunt, ac in temperamentum conſenſerunt; concordes itaque jam factæ in homo-

geneam

geneam Elementorum familiam transierunt, ut deinceps in mixtorum generatione nihil inimicum aut reluctans subesset, quo tranquillus Naturæ motus perturbaretur.

CIII.

Nec in Naturâ contrariæ sunt inter se quatuor illæ principes qualitates, sed tantùm dissimiles ac diversæ, neque mutuò se expugnant, sed uniuntur & stricto fœdere coëunt: sic in remisso gradu calor & frigus amicè conveniunt & commiscentur in subjecto, ut mediam & temperatam qualitatem, temperiem nempe, producant: Quod si in gradu intenso non sine luctâ & pugnâ concurrunt, hoc ab intensionis excessu & tyrannide procedit, quæ duas qualitates pariter intensas & adversas ejusdem dominii consortes & participes ferre sine tumultu non potest, qualitates autem intensas tanquam spurias & extrancas respuit Natura.

CIV.

Nemo itaque sibi fingat Naturam ignem intensum in Elementorum suorum familiam admittere, talis enim destruens esset, non generans, non secundùm, sed contra Naturam, quæ violenta refugit, & temperatis gaudet, à quibus abest omnis pugna, omnis contrarietas: Non caloris urentis, aut frigoris vastantis rabiem, non humidi aut sicci intemperiem Naturæ imperium patitur, in temperie benignè quiescit. Intensas igitur qualitates in rerum Elementis nemo quærat, remissas secundum plus aut minus inveniet.

CV

Calidum itaque & frigidum, humidum & siccum contraria simpliciter qui dixerit, errat; Terra enim, quæ maximè sicca ab Aristotele statuitur, Aëri, qui maximè humidus ab eodem habetur, repugnaret: Aqua pariter intensè frigida Igni intensè calido, ex ejusdem sententia, adversaretur; hæc repugnantia quodlibet Elementorum vulgarium, seu quamlibet Mundi regionem intra sphæræ suæ fines cohiberet, & à contrarii hospitio & ditione arceret propter antipathiam; aliter tamen rem se habere ratio & experientia nos docent, nam scrobes & concava subterranea, imò ipsa Terræ viscera & pori aëre replentur, & intrinsecus Terræ humor quo omnia vegetabilia, tanquam proprio matris suæ lacte nutriuntur; nihil aliud est quàm aër calidus & humidus Terræ strictissimè adhærens, ei vim altricem & nutritivam propinans; terræ pori sunt ipsius ubera, & humor aëreus ipsorum lac, quo ipsa rerum parens & alumna fœtus suos alit, eisque dat incrementum.

CVI.

Qui quatuor Elementa in totidem humoribus constituunt, naturam humidam quatuor qualitatum Elementarium susceptibilem, imò subjectum esse agnoscunt; quomodo ergo contrarias illas quas in eodem subjecto collocant, profitentur? quamvis enim quatuor illi humores suis differentiis distinguuntur, unicam tamen basim omnibus communem, eandemque radicem habent, humorem videlicet, neque enim flava bilis ignem referens minùs humor est quàm flegma, quod Aquæ adscribunt: idemque de atra bile & sanguine sit judicium, licèt comparativè non absolutè quatuor Elementa in humido confundant.

CVII.

Si ulla esset in Naturæ qualitatibus & Elementis repugnantia, inter calidum & frigidum maxima intercederet, deinde inter Aquam & Ignem; at ignis & aquæ naturas sibi non adversari multiplex, quæ sub aquis fit generatio, satis convincit; ubicunque enim sunt generatio & vita, ibi ignem esse necesse est, tanquam causam proximam, intrinsecam, efficientem, moventem & alterantem materiam ad generationem,

Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum.
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus;
Igneus est illis vigor & cælestis origo
Seminibus.

CVIII.

Quatuor illas primævas qualitates rebus ipsis, & rerum Elementis innatas, & essentiales, ad Naturæ nutum permiscibiles, & ideò non adversas qui posuerit, non hallucinabitur; sunt enim velut quatuor organa, seu instrumenta, quibus Natura in alterationibus & generationibus suis peragendis utitur.

CIX.

Natura figulinam artem exercet, tota enim in materia sua circulariter fingenda occupatur: quatuor illæ qualitates sunt quasi rotulæ, quarum ope illa circulari & lento motu opero sua gradatim, & sapiente informat.

CX.

Ex illis quatuor rotis duæ, humidi scilicet & sicci, materiæ magis conveniunt, quia inter hos duos terminos Natura materiam versat, & vices suas peragit: binæ illæ qualitates materiæ proximiores sunt, quia passioni, & mutationi magis subjacent; cæteræ autem duæ, calidi & frigidi scilicet, magis sunt activæ, quia per vices suas priores illas alterant, & immutant; patiuntur illæ, istæ magis agunt; & sunt velut activa Naturæ instrumenta passibilem materiam tractantis.

CXI.

Explodamus igitur illam contrariorum doctrinam, tanquam concordia naturæ contrariam, eamque à corruptophilosophæ albo, cum bona Academiæ venia, stilo ferreo expungere; & in ipsius locum symbolum Concordiæ ascribere nobis liceat, quam natura consortem, & sibi coævam agnoscit, cujus ope activorum cum passivis blanda copulatio in omni generatione procuratur.

CXII.

Qui quatuor rerum Elementa sibi mutuò adversantia ex recepta sententia statuunt, quintum admittant necesse est, tanquam nodum & concordiæ vinculum, caduceatorem & pacis conciliatorem, secus perfectæ mixtionis, nec ullius temperamenti in opere generationis susceptibilia forent, sed errabunda sine clavo & rectore per vastum Naturæ pelagus neque portum neque partum inventura vagarentur; & ita proletarium Naturæ genium fine suo fraudarent.

CXIII.

Quatuor enim illa cùm propter repugnantes qualitates æterna inter se odia exercere credantur, in mixtorum generatione adunari, nec placari possent, quin potius mutuo conflictu irruentia Naturæ abortum, magis quàm partum procurarent, nisi adversa ipsorum studia cujusdam naturæ quintæ cœlestis & temperantis beneficio in pacem & amorem flecterentur, quæ calidi & frigidi, sicci & humidi expers temperamentum inducat.

CXIV.

Quintum illud quod vocant Elementum, est spiritus ætherеus, ir corruptibilis, à lumine, motu & virtute cœlestium corporum in hæc inferiora defluens. Elementa ad mixtionem & vitam præparans, individua Naturæ, quantum patitur ipsorum constantia, à ruina prohibens, unde sal Naturæ, nexus Elementorum, & Spiritus Universi ab occultæ philosophiæ mystis nuncupari meruit.

CXV.

Siquæ inter rerum principia contrarietas fuit, ea certè inter lucem & tenebras extitit, propter qualitates hinc inde oppositas; verùm qualitates illæ utriusque principii coitu temperamentum receperunt, & ab extremis mediæ & temperatæ prodierunt, talesque à primis in secunda principia nempe Elementa transierunt.

CXVI.

CXVI.

Extrema tantùm inter se contraria sunt propter qualitatum oppositarum intensionem ; quæ autem ab extremorum mixtione orta sunt, nequaquam inter se adversantur, quia media sunt: propterea elementa Naturæ minimè contraria habenda, quia sunt media, & à duorum extremorum, lucis nempe & tenebrarum unione & temperamento effluxa.

CXVII.

Ex contrariorum, lucis & tenebrarum scilicet mixtione, non contraria, sed temperata produci Regis prophetæ carmen satis annuit, de æterno lumine in hæc verba erumpens : *Inclinavit cœlos & descendit, & caligo erat sub pedibus ejus &c. Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, &c.* Ipse lucis increatæ fons, ut gloriæ suæ infinitæ splendorem hominum oculis exhiberet, illum nebulâ & tenebrosâ caligine, quasi indumento, velavit, & luci tenebras admonit, ut ex utroque extremo temperatam lucem produceret, ac immensi luminis supra vires humanas coruscationem temperaret. Itidem etiam à Deo datam in signum & tesseram fœderis cum hominibus initi, ac gratiæ divinæ, ex tenebrarum & lucis mixtione productam affirmant philosophi ; ut scilicet ipsum temperatæ vindictæ divinæ symbolum à contrariis resultans ex variis maximè cohærentibus & amicis coloribus temperatum esset.

CXVIII.

Qui Terram, aquam, aërem, ignem sphæris suis distincta Mundi Elementa esse, eáque mutua inter se reciprocatione converti tradiderunt, male Naturæ arcana perscrutari sunt, partes siquidem Mundi integrantes, aut elementorum officinas dicere tutiùs erit : neque enim Mundi Elementa per proprias regiones separata sensibus se exhibent, sed in matricibus suis occulta latent, donec in mixtorum generatione coëant, & corpus constituant. Converti autem inter se partes illæ Mundi non possunt, quia nimiùm differunt; nec communis una qualitas quâ illæ naturæ inter se devinciuntur, tantam mutationem operari potest, ut ex hetherogeneis substantiis homogeneæ, imo eædem penitus fiant.

CXIX.

Si quatuor illa quæ creduntur elementa, proprias naturas & domicilia per vices, quasi per nundinationes commutent, tota hujus Mundi moles casui motuique fortuito mancipata perpetua fluctuatione versabitur, quæ tamen certa constantique lege & sede, partibúsque distinctis à Deo firmata est; Terra enim mox aqua fiet ; ex aqua aër ; ex aëre ignis ; & è converso; hoc pacto centrum in circumferentiam, & circumferentia in centrum migrabit ; extremæ & mediæ Mundi partes locis suis ultrò se submovebunt, ita ut post longam sæculorum seriem ordo Naturæ penitus invertatur, dum summa imis & ima summis perpetua confusione permiscebuntur. Qui sic ordinatam Mundi fabricam sibi fingit, opus tam egregium non Mundum, sed chaos & abyssum dici jubet, quod ordinis amica abhorret Natura.

CXX.

Extrema illa Mundi inferioris corpora terram & ignem (positâ & non concessâ ignis sphærâ) qui vices inter se obire tradunt, sibi veritatique illudunt, nimium enim dissitæ repugnantésque eorum naturæ ab hujusmodi vicissitudine dissentiunt; summa quippe terræ frigiditas, crassities & gravitas, summæ Ignis caliditati, subtilitati, & levitati ita adversantur, ut mutuam inter se conversionem non patiantur. Præterea Terra, quæ fixa est, igni non cedit, ejúsque vires despicit, si chemicorum placitis & vulgari experientiæ fides habeatur, nec aliud ex eâ evolat, præterquam humor pinguis aut aqueus, uterque terræ extraneus. Si quid autem in ignem Elementarem converti posset, id leve & volatile fieri necesse esset, ut in ejus sphæram & naturam transferretur. Terra itaque cùm sit omnium gravissima, & ideò centrum: cùm sit omnium fixissima, & ideò minimè volatilis, quomodo in ignem converti, & ad ignis sphæram evehi ; aut Ignis omnium supremus & levissimus, quomodo in terram, contra Naturæ leges, detrudi, eíque essentialiter uniri potest? Aquæ & Ignis facilior esset commutatio, quia uno gradu proximiores sunt, quàm Terra & Ignis.

CXXI.

Qui exhalationes ex terrestri plagâ in aërem sublimatas, quia illic ignescunt, ideo terreas & in elementum Ignis conversas credidere, longè in utroque falluntur; neque enim terræ naturæ illæ sunt, sed potiùs aëreæ ; Aër enim noster propter aquæ contagionem humidus in sicco terræ sinu diu torpens pinguedinem contrahit, & Terræ consortio humidum siccum temperat; ubi autem per Terræ poros & rimulas, calore urgente, exhalat; aut etiam materiæ copiâ vires multiplicante, non sine strepitu & fragore, concusso & effracto carcere erumpit, unde Terræ motus & hiatus plurimi sæpe cum strage sentiuntur ; Exhalatio illa libertatem consequuta in corporum levium regionem evolat, & illic vago motu ac calore in sulfuream materiam pleniùs digesta accenditur. Materia itaque illa verè terrea non est, quia à pondere & frigiditate abhorret; sed quia ex calidi, sicci & humidi concursu pinguis facta est & combustibilis, Ignis accidentalis fomes, citiùs quàm Ignis Naturæ & elementaris censeri debet: Spuria quædam illa generatio est, quæ inter Elementa referri, nec eo nomine indigitari meruit: propterea rectè ab Aristotele hujusmodi ignitiones imperfectè mixta dicuntur. Idem de fumo combustorum judicandum ; fumus enim, quia pinguis est, facilè flammam concipit, quæ nihil aliud est, quàm fumus accensus.

CXXII.

Ignis pingui vescitur, ejus pabulum est pinguedo: pingue autem humidum aëreum est sicco contemperatum ; unde licet materiam sulphuream extrinsecus siccam frequentiùs intueri & sicco terminatam, qualia sunt sulfur vulgare, pulvis tormentarius, & similia, quæ licèt exteriùs sicca videantur, interiùs tamen pingue humidum occultant, & in illud igne admoto resolvuntur.

CXXIII.

Supino etiam errore labuntur, qui lapides & corpora quædam gravia nunnunquam in Aëre generata, ac inde per fulgurationes, fulmina & nubium eruptiones dejecta conspicati Ignem lapidescere, & in terram converti, aut terram eò deferri sibi persuaserunt ; quod longè aliter se habet ; materia enim illa indurata nunquam Ignis aut terra fuit, nec à sphærâ igneâ, si quæ talis est, aut terræ corpore egressa ; Verum pinguis & viscosus humor, quasi luteus, in nube, tanquam in fornace inclusus, velut opus fictile, per ardorem ignescentium exhalationum ita perstringitur ac decoquitur, ut lapidescat ; inde vibrata fulminis jacula conspecta sunt : Hujusmodi meteora sunt tumores, gravedines, morbi denique Naturæ, non elementa. Simili modo, sed lentiore, calculus ex flegmate in renibus aut vesicâ, quandoque in stomacho generatur : sua enim meteora etiam microcosmus habet.

CXXIV.

Ignis Naturæ ab igne nostro artificiali aut accidentali longè alius est, plurimúmque inter se dissentiunt. Ignis naturæ duplex est, universalis, & particularis sive individuus;

indiduus: Univerſalis per omnes univerſi partes undique diffunditur; corporum cœleſtium propenſiones ac virtutes ſuaviter excitat & movet ; globum hunc noſtrum rerum generationi deſtinatum pullifico ſemine impręgnat ac fovet, ſeminibus vires infundit , implicatas Naturæ vires explicat , Elementa miſcet,materiam informat , arcanum denique Naturæ aperit; fons autem ejus eſt in Sole , qui tanquam cor Univerſi calorem vivificum,quaſi amorem ſuum,in omnes plagas effundit. Particularis autem ignis Naturæ eſt cuilibet mixto ac individuo inſitus & innatus , qui ab illo univerſali tanquam rivulus emanat , omniáque in ſuo Microcoſmo analogicè , quæ Sol pater ejus in Microcoſmo operatur.Ignem autem noſtrum communem omni generationi adverſantem , non niſi ex præda viventem , ex aliena ruina ſubſiſtentem, vitæ deſtructorem, cineri omnia deſtinantem , quis non potiùs Naturæ hoſtem,quàm hoſpitem,excidium,quàm vitæ columen dixerit? Qui autem in aërea plaga generantur ignes,caſui magis,quàm conſilio Naturæ debentur.

CXXV.

Neque proxima ſitu terræ & aquæ corpora inter ſe converſuntur , ſed propter vicinitatem commiſcentur tantùm,ita ut aqua terram diluat, & terra aquam inſpiſſet,inde fit limus , neutrum corpus, ſed medium inter utrumque, cujus ſi vi caloris fiat reſolutio, fiet & integra utriuſque naturæ ſeparatio:Aqua evolante , Terra ſubſidet, neque mutua fiet earum converſio , ſola enim utrique communis qualitas frigiditatis id non operabitur, cùm ſiccitatis, & humiditatis averſio non minùs valeat ad reſiſtendum, quàm mutuus frigiditatis,utrinque conſenſus ad coëundum : Tum etiam quia terræ ſiccitas & fixatio humiditati;& volatilitati aquæ adverſantur ; ſic unica tantùm qualitas alterationi conſentiens datur,plures autem diſſentientes,quæ in reſiſtendo prævalebunt. Occurret etiam Natura , quæ ad ſui conſervationem ſemper parata,ad ruinam , & immutationem nunquam niſi coacta,aut victa inclinat.

CXXVI.

Univerſum terræ globum non minùs conſtantis naturæ eſſe,quàm cœlum, lunam ac ſtellas licet ſuſpicari; ſi enim centrum Mundi ſit, ut creditur,non minùs neceſſaria eſt ejus conſtantia , quàm cæterorum corporum Univerſi : Quia etiam terra eadem nunc eſt, abſque ulla eſſentiali immutatione,quæ ab initio fuit,quæ ad finem uſque ſæculorum futura eſt. Quod ſi detrimentum quoddam univerſale cataclyſmo paſſa ſit; aut particulare per accidens,veluti chaſmate,aut maris fluminúmve impetu;id ſupremo rectore totius imperii ſui aut provinciarum leges ad nutum immutante, aut Mundi concentus diſcordiâ , Naturæque laborantis morbo,magis quàm terræ propenſione aut vitio contigit : Labores enim & morbos ſuos omnia Univerſi corpora patiuntur , licèt diverſimodè pro Naturæ diſcrepantiâ & perfectionis differentiâ, eorum tamen naturam & conſtantiam , ratione totius, accidentia non immutant.Soli Deo æterno abſoluta conſtantia & impaſſibilitas convenit; at cœlum , aqua, terra , & cætera univerſi corpora ſecundùm eſſentiam ſitam perſtabunt uſque ad conſtitutam ætatis ſuæ periodum.

CXXVII.

Siquæ quatuor illarum naturarum ad mutuam converſionem propenſio , mediarum longè validior eſt; Aqua enim & aër majori inter ſe affinitate, quàm cum cæteris,aut etiam quàm cæterę inter ſe conjunguntur, ſiquidem non tam qualitatibus , quam qualitatum intenſione & remiſſione,neque tam ſecundùm naturam, quàm ſecundùm accidentia diſcrepare videntur ; nam cùm aqua frigiditatem & humiditatem jure Naturæ ſibi vindicet , utramque inferiori Aëris plagæ ratione commercii communicat ; (Aër autem nullam penè propriam qualitatem,præter ſummam tenuitatem, obtinet , cæteris tamen imbui capax , propterea naturæ cœleſtis eſt,quæ ex ſe temperatiſſima, & nulli propriæ qualitati addicta cùm ſit, alienas , nempe corporum cœleſtium diſpoſitiones,influxus & virtutes facilè ſuſcipit & communicat) Denſitas & raritas,quæ remiſſæ confines ſunt, præcipuam inter Aquam & Aërem noſtrum differentiam ſtatuere videntur;eâ de causâ in ſacrâ Geneſi Deum aquas ab aquis ſeparaſſe legitur,quaſi unius naturæ ratione ſitus diviſio veriùs quàm ratione eſſentiæ mutatio facta fuerit.

CXXVIII.

Vicinæ tamen duæ illæ naturæ veram & eſſentialem reciprocationem non patiuntur ; verùm ſecundùm quid,nec omninò, ſed quodammodo convertuntur , eáque in inferiori ſolummodò aëris regione commutatio exercetur ; quæ nubium convexitate terminatur,nec mediam, multò minùs ſuperiorem offendit.Aqua,quia ope rarefactionis fit vapor,evolat, & in aërem magis attollitur, quàm convertitur , vapor autem ille condenſatus & in aquam reſolutus relabitur. Hanc unius tantùm naturæ circulationem & in ſe reverſionem, duarum converſionem antiquitas profeſſa eſt, ſenſus fallacia , magis quàm mentis lumine ducta lynceis enim oculis univerſæ Naturæ arcana perquirenti res aliter ſe habere invenitur. Vaporem etiam tenuiſſimum qui ſimpliciter Aërem dixerit,fallitur, cùm vapor ſit corpus quoddam medium & imperfectum inter duplices aquas ſuperiores & inferiores , aquam noſtram & aërem , neutrum tamen quod quamvis rarefiat, nunquam ad ſublimem aëreæ nobilitatis gradum exaltabitur ; ſpurius aër fiet,ſed non naturalis & legitimus:neque limpida aëris natura tantùm deprimetur , & à puritate ſuâ recedet, ut in vaporem, nubem aut aquam craſſeſcat: primævam ſiquidem illam aquarum ſeparationem , quam re verâ actúque fecit Spiritus Architectonicus , ſtatutóſque partium Mundi terminos , quos indelebili ſuo ſigillo ſignavit Dominus, novâ confuſione delendi aut amovendi jus Natura non obtinuit.

CXXIX.

Altiori rem indagine penetrantes terram tanquam Mundi hujus uterum, vas generationis , multiplicis & penè innumeræ prolis matrem agnoſcent,quæ in principio creationis à ſupernatantium aquarum dominio liberata,ſuique juris facta arida & ſicca remanſit , ejúſque corpus denſius factum in operis centrum & tanquam fundamentum ceſſit, ac parentem vegetabilibus animantibúſque aream exhibuit ; quò tamen frequentiſſimæ generationi apta fieret, humore indigebat; ejus indigentiæ à divinâ ſapientiâ proviſum eſt; eam ob rem aqua ab initio volatilis facta eſt,ut in vapores eveheretur , qui frigore in nubem concreti tepore iterum in aquam ſolverentur. Hoc divinæ mentis artificio terræ ubertati conſultum fuit;ſiccitas , quæ ſterilitatem minabatur , largo humore temperata eſt , matris uteras fœcundatus. Sola itaque aqua ad irrigandum Terræ gremium circulatur,aut veriùs in inferiori aëris regione, tanquam in alembios diſtillatur, ut per cohobationes & reiteratas diſtillationes exuberata ſuperiorum & inferiorum vires conſequatur , cœleſtíque imbuta Nectare Terræ ſinum efficaciùs emolliat , ac prolifica virtute impręgnet.Summus rerum opifex, qui Naturâ pro arte utitur , opificio ſuo nihil ſuperfluum addidit, nihil deſiderandum reliquit.

CXXX.

Quoniam autem Aqua eſt Mundi menſtruum,

rerum

ferum semina & Elementa in se continet ac fovet; dum itaque illa circulatur, vera etiam Naturæ Elementa, quæ Terræ tanquam matrici & vasi generationis, Aquæ verò tanquam menstruo insunt, etiam rotantur: vapori itaque terræ aquæ & aëris elementa insunt, cum ipso sublimantur & exuberantur: Non quidem Terræ, Aquæ & Aëris corpora, quæ sphæras suas habent, & Mundi plagas constituunt, sed ipsa Naturæ Elementa spiritualia, quæ in illis habitant & delitescunt, ex quibus lapides & alia corpora in aëre, igne excoquente, generari possunt, ubi enim omnia Elementa optimè mixta, qualia sunt in vapore, concurrunt, corpora generari possunt; verùm quando extra matricem convenientem fit hujusmodi generatio, velut in Aëre, mixta producuntur imperfecta, non tam ex defectu mixtionis, quàm matricis.

CXXXI.

Aqua mediam inter Terram & Aërem naturam & sedem obtinens utrumque suâ mobilitate & inconstantiâ perturbat: Aërem atrâ fuligine infestisque vaporibus inquinans: Terram profluvio plerumque immergens: aëri turbines, terræ ruinas, in utroque corruptionem procurat: superioris hospitium levitate, inferioris domicilium gravitate hostiliter invadit: sui copiâ aut inopiâ anni tempora Naturæque ordinem invertit: Omnem utrinque viciniam fragore & tumultu imperiosa movet & concutit. Tota ejus natura cùm sit fœminea, illam quasi fœminam ac malum necessarium Mundo dedisse videtur summus Creator: sic illa omnia pro imperio sibi arrogat, & quæ in Naturæ commodum sunt ei concessæ vires, in perniciem plerumque vertit. Denique divinæ justitiæ flagellum est, vitrix Nemesis, quæ sceleribus generis humani vindicandis destinata in pœnam irruit: spem opesque superbiæ radices variis induta figuris cœli ludibrium facit.

CXXXII.

Universales Naturæ quò crassiores, eò etiam impuriores; quò tenuiores, eò mundiores: Terra quia densior est Aquâ, eò ignobilior, sic aqua aër cœlo, Regionum autem cœli sublimior, quia subtilior, ideo nobilior sanè habenda est. Indubitatæ enim veritatis est naturas spirituales corporeis longè præstantiores, & spiritualibus viciniores perfectioni proximiores esse.

CXXXIII.

Generationis & corruptionis fundamentum est in humido, in utroque enim Naturæ labore, humor ex elementis primum est patiens, primum formæ sigillum suscipiens: Illi facilè spiritus naturales uniuntur, quia ex eo manant; facilè in illud redeunt, quia ipsorum radix est: in illo & per illud cætera elementa miscentur. Nec minùs in mixtis & individuis, quàm in Mundo humidum Elementum tam in opere generationis, quàm nutritionis circulatur; opus enim utrumque iisdem rarefactionis & condensationis instrumentis, iisdem mediis, spiritibus nempe, fieri Naturæ placuit.

CXXXIV.

Terra est vas generationis, Aqua est menstruum Naturæ virtutes seminales etiam formales in se complectens, quas à Sole tanquam masculo, & formali universalique principio mutuatur; ab eo enim ignis Naturæ formalésque spiritus rerum seminibus influunt, quibus omnia generationi necessaria insunt, calido innato in humido latente. Optimè Hippocrates hæc duo elementa ignem & aquam omnia posse, omnia illis inesse affirmavit: à primo siquidem binæ qualitates masculinæ calidi & sicci: ab altero totidem fœmininæ frigidi & humidi effluentes in mixtorum generatione concurrunt & commiscentur: duobus illis tanquam præcipuis Elementis duo majora luminaria præsunt, Sol ignis Naturæ author, & Luna humorum domina.

CXXXV.

Circulationem voluntilis Elementi triplici actione & veluti instrumento adimplet Natura, nempe Sublimatione, Demissione, sive Refusione & Decoctione; quæ diverso indigens temperamento. Sic benè ordinata Naturæ intentio per varios errans motus operta sua interrupta ad finem propositum dirigit, & per vias oppositas ad eundem scopum tendit.

CXXXVI.

Sublimatio est humidæ gravisque naturæ in levem conversio, sive in vaporem exhalatio: cujus finis & utilitas triplex est: primò ut per attenuationem corpus crassum & impurum mundetur, & fecibus suis sensim exuatur: Deinde ut per sublimationem superiorum virtutes, quæ continuò defluunt, largiùs affluantur. Denique ut per hujusmodi evacuationem Terra superfluo & prægravanti humore exoneretur, qui ejus meatus occupans caloris actionem & spirituum naturalium transitum impedit, imò violenter ipsos suffocat: Hæc humidi supervacui substractio obstructionem causam amovet, & fastidium Terræ stomachum sublevat, eúmque digestioni aptiorem reddit.

CXXXVII.

Caloris autem impulsu humor sublimatur: Igne suo quippe tanquam proprio instrumento utitur Natura, ut corpora humida rarefaciat: Ideò vapores: ex quibus nubes & pluviæ generantur, brumali & verno tempore frequentiores attolluntur, quia Terræ uterus tunc calido & humido magis abundat, humor autem est causa materialis, calor efficiens vaporum & exhalationem. Calorem quodammodo intensum in sublimando exhibet Natura, inter fines & latitudinem temperamenti dum cohibeatur.

CXXXVIII.

Demissio secunda Naturæ rota in opere circulari est spirituosi vaporis in corpus densum & aqueum reductio: sive rarefacti & sublimati humoris iterúmque condensati refusio: ac in terram descensio ut eam exuberato liquore diluat, & quasi nectareo cœlestíque potu imbibat.

CXXXIX.

Tria intendit Natura irrigando: primò ut non effundat, sed sensim humorem suum exuberatum distillet, ne gurges fiat, & aquæ copia spiritui vivifico in Terræ visceribus permeanti aditus præcludat, ac intrinsecum Terræ calorem extinguat: omnia enim sua beneficia prudens ac justa illa gubernatrix in pondere, numero & mensurâ largitur. Secundò ut per diversa stillicidia & varia sub specie humorem distribuat, pluviam scilicet modò densiorem, modò rariorem; modò rorem, modò pruinam; modò largius, modo parcius effundens, ut Terræ plus minúsve sitienti pro appetitu vel necessitate parum exhibeat. Tertiò, ut non continuò, sed per vices, & intermixtis aliis operationibus irrigationes fiant; Soles enim imbribus, & imbres Solibus, dies noctibus, & noctes diebus alternatim succedunt.

CXL.

Frigus tenuissimum sive potiùs calor deficiens & expirans elatos in mediam regionem, ibique concretos vapores laxat & caducos facit: calor siquidem immoderatus dissipat eorúmque condensationem impedit: frigus etiam intensum eos ita perstringit & congelat, ut humorem deciduum exhibere non possint.

CXLI.

Postrema circuli Naturæ rota sive actio est Decoctio, quæ nihil aliud est, quàm humoris crudi in terræ gremium instillati digestio, maturatio, & in alimentum conversio. Hæc aliarùm scopus & finis videtur, quia est laboris remissio, & cibi per antecedentes labo-

res quæſiti perceptio : ſuſceptum enim humorem crudum vi calotis interni conterit, coquit, ac digerit ferè immota & ſomno correpta, Ignem ſecretum, veluti proprium Naturæ inſtrumentum in ſummo ſilentio, & quiete movens, ut crudum illum liquorem cum ſicco temperatum in pabulum convertat. Integer hic eſt Naturæ circulus, quem per diverſos laboris & caloris gradus illa revolvit.

CXLII.

Connexæ & ita correlatæ inter ſe ſunt tres iſtæ Naturæ operationes, ut finis unius ſit alterius initium, & ex ordine neceſſario per vices ſuccedant ſecundùm Naturæ intentionem. Sic intertextæ & concatenatæ ſunt viciſſitudinis leges, ut in Univerſi commodum conſpirantes mutuas ſibi præſtent operas.

CXLIII.

Extra ſuos cancellos tamen invita plerumque trahitur Natura, nec certis inſiſtit veſtigiis, maximè in directione elementi humidi, cujus leges interruptæ fallunt, & facilè vim faciunt & patiuntur, tum propter volatilis naturæ inconſtantiam : cùm etiam propter variam ſuperiorum corporum diſpoſitionem, quæ hæc inferiora, humorem præſertim inclinant, & à ſuis legibus deflectunt ad nutum æterni moderatoris, qui illis tanquam inſtrumentis & organis utitur ad movendam Univerſi machinam : inde fallax & inconſtans manſionis hujus noſtræ temperies, & immutata anni tempora deprehenduntur : Sic terræ uterus variè affectus copioſius, aut parcius generoſos aut effœtos fœtus nobis parit : Sic aër vicinus purior aut impurior ſanitatem aut morbos inducit : humidâ naturâ omnia apud nos revolvente.

CXLIV.

Quoniam inferiora à ſuperioribus legem accipiunt, quorum natura & affectiones homini maximè incognitæ ſunt, ideò fallax & incerta nobis eſt Cœli noſtri regula ; Naturæ tamen intentionem, magis quàm actionem ; ordinem magis quàm ordinis turbationem ob oculos ſibi proponat philoſophus.

CXLV.

Humidæ Naturæ volubilitatem non ſolùm in generali Mundi, verum etiam in particulari, mixtorum harmoniâ licet obſervare : Per revolutionem enim humidi illa generantur, nutriuntur & augentur : deſiccando, humectando, & digerendo, quapropter tres illæ Naturæ operationes cibo, potui & ſomno comparantur, quia cibus ſicco reſpondet, potus humido, ſomnus verò decoctioni.

CXLVI.

Homo ne ſomnia ſibi fingat, dum variis gloriatur titulis, dum ſibi ſoli quaſi proprium Microcoſmi nomen vendicat, quod in materiali ejus opificio naturales Macrocoſmi motus analogicè percipiantur : quodlibet enim animal, etiam vermiculus : quælibet planta, etiam Alga, Mundus eſt exiguus majoris imaginem referens : Extra ſe ergo Mundum quærat homo & ubique inveniet : creaturarum ſiquidem omnium idem Archetypus eſt, à quo infiniti Mundi ex eadem materiâ, formâ tamen diſſimiles procreati ſunt : Homini itaque dejectio & humilitas, ſoli Deo gloria tribuatur.

CXLVII.

Inferiores naturæ à ſuperioribus fermentantur : aqua autem moræ impatiens cœleſtium muneribus occurrit : aër quippe vapori advolanti pervius eum hoſpitio in nubium regione, quaſi in aula excipit : quò priuſquam perveniat, corpore quodammodo in ſpiritum verſo, humida natura pondere ſuo exuitur, ut additâ celeritate votum citiùs expleat, & ambiguæ naturæ privilegio fruatur.

CXLVIII.

Sol interim cœleſtis chori Princeps & ſuperiores naturæ inferiorum latagentes jugi afflatu ſpiritus vivificos, tanquam rivulos à puriſſimis ſuis fontibus ſcaturientes inſtillant : vapores autem aut rari nantes in aëre, aut in nubem, quaſi in ſpongiam naturæ concreti nectar illud ſpirituale aviditſimè ſugunt, & vi quâdam magneticâ ad ſe trahunt, quo ſuſcepto intumeſcunt, & prolifico illo ſemine imprægnati, quaſi reddito pondere, in rorem, pruinam, pluviam, aut aliam naturam humidam ſoluti in terræ gremium relabuntur ; illa autem elementorum mater reducem humorem utero excipit, & cœleſti ſemine gravida innumeros ſuo tempore emittit fœtus, plus minúſve generoſos, pro ſeminis virtute, tum etiam matricis diſpoſitione. Aquæ etiam inferiores hujus cœleſtium beneficentiæ participes fiunt ; quoniam unum cum Terrâ globum conſtituunt, communia fiunt ipſis ſuperiorum beneficia : Per aquæ autem Naturam cætera elementa fermentantur.

CXLIX.

Fermentum autem illud eſt ſpiritus vivificus à ſuperioribus naturis in has inferiores defluens, ſine quo terra iterum inanis & vacua fieret ; eſt enim vitæ ſemen, ſine quo neque homo, neque ullum animal, neque vegetabile aliquod generationis aut vitæ beneficio potiretur : neque enim ſolo pane vivit homo, ſed maximè cibo illo cœleſti, aëre ſcilicet ſpiritu hujuſmodi afflato & fermentato.

CL.

Tria elementa materialia quia in rerum compoſitione remota ſunt, ſoli Deo & Naturæ obediunt, nec artis aut ingenii humani leges patiuntur. Tria autem alia ex priorum illorum copulâ naſcuntur ; quæ per viam reſolutionis extracta in mixtorum compoſitione proxima eſſe ſatis arguunt, Sal nempe, ſulfur & Mercurius. Et ita trinitatem Elementorum & univerſæ Naturæ ſigillum eſſe fit manifeſtum.

CLI.

Horum trium poſteriorum Elementorum ſpecies ex triplici trium priorum matrimonio generantur ; Mercurius ſiquidem ex Terræ & Aquæ mixtione : Sulfur ex Terræ & Aëris amplexu : Sal verò ex aëtis & aquæ condenſatione producitur ; nec plures dari poſſunt eorum combinationes. Ignis Naturæ omnibus, tanquam formale principium ineſt, cœleſtium virtute influente & cooperante.

CLII.

Neque ex quolibet priorum corpotum concurſu poſteriora generantur ; ex terrâ enim pingui & aquâ limpidâ optimè dilutis & mixtis exit Mercurius : Ex terræ autem ſubtiliſſimæ & ſiccisſimæ, & aëris humidi conſortio ſulfur generatur : Sal denique ex aquâ craſsâ ponticâ & ſalsâ & aëre crudo intercepto concreſcit.

CLIII.

Democriti ſententiam, omnia corpora ex Atomis fieri, à Naturâ alienam non eſſe licet affirmare ; eum enim ratio & experientia à calumniâ vindicant : elementorum quippe mixtionem obſcuro ſermone velare, nec reticere omninò voluit ingenioſus Philoſophus, quæ ut Naturæ intentioni congruat, per minima & actu indiviſibilia corpuſcula fieri neceſſe eſt, ſecus in corpus continuum & naturale non coaleſcerent elementa. Docet nos experientia in artificiali mixtorum reſolutione & compoſitione, quæ per diſtillationes exercentur, perfectam duorum aut plurium corporum mixtionem non fieri, niſi in ſubtili vapore : At longè ſubtiliores mixtiones ſuas & quodammodo ſpirituales facit Natura, quas Democritum intellexiſſe ſaniùs credendum eſt, corporum enim craſſities mixtioni obſtat,

propterea

propterea quantò magis res attenuantur, tantò mixtioni aptiores fiunt.

CLIV.

Triplex in mixtis existentiæ gradus tria summa mixtorum genera exhibet, nempe Mineralium, Vegetabilium & Animalium. Mineralibus in Terra generari: Vegetabilibus in terrâ & aquâ radices agere: Animalibus in terrâ, aquâ & aëre nasci & vesci Naturæ lege concessum est; omnibus tamen Aër præcipuus est vitæ fomes & pabulum.

CLV.

Mineralia simpliciter existere, nec vivere creduntur; licèt Metalla ex mineralibus præcipua vitâ quodammodo prædita dici possint, tum quia in ipsorum generatione fit quasi coitus, & duplicis seminis, masculei & fœminei, sulfuris scilicet & mercurii commixtio, quæ duo per longam & multiplicem circulationem rotata, purgata, sale Naturæ condita & fermentata, ac in vapore subtilissimo perfectè mixta in limum & mollem massam, spiritu sulfuris mercurium paulatim congelante, formantur; moles autem illa tandem concrescit, & in corpus metallicum roboratur.

CLVI.

Tum etiam quia metalla perfecta potissimùm, vitæ principium in se recondunt; Ignem videlicet insitum cœlitùs infusum, qui sub duro metalli cortice hebes factus, motus expers, & velut thesaurus incantatus latet, donec solutione philosophicâ & subtili artificis ingenio libertatem consequutus spiritum subtilem & cœlestem animam per vegetationis motum potenter explicet, tandémque in summam artis & Naturæ perfectionem exaltetur.

CLVII.

Vegetabilia autèm animâ etiam seu spiritu vegetante potiuntur; motu vegetationis crescunt, & multiplicantur; sensu verò & motu animali carent. Eorum semina hermaphroditæ sunt naturæ, quodlibet enim granum singulare continet semen prolificum absque copulâ aut duplicis seminis mixtione: licèt in omni ferè Vegetabilium specie utrumque sexum reperiri experientia doceat.

CLVIII.

Etiam in vegetabilium seminibus spiritum secretum Deus occultavit, generationis autorem specifico caractere insignitum, qui penitus cœlestis est, ac ætherei luminis radius, corruptionis expers, in quo specifica forma conservatur sub corpore cujuslibet individui, quo per corruptionem emollito & resoluto spiritus ille immortalis à vivifico & homogeneo Solis calore evocatus in stirpem novam consurgit, ac in eam antiquæ formam traducit.

CLIX.

Animalia præter existentiam & vegetandi facultatem animâ sensitivâ præcellunt, quæ in iis est principium motus & vitæ. Animal itaque in summo rerum inferiorum gradu situm opus Naturæ in regno Elementari complet, propriè vivit, propriè gignit, in eo sexum utrumque verè distinxit Natura, ut ex duobus tertium producatur, proles videlicet: Sic in perfectioribus perfectius elucescit Trinitatis symbolum.

CLX.

Homo animalium & inferioris Mundi Princeps, universæ Naturæ compendium habetur, anima quippe ipsius divini luminis radius est immortalis: corpus est elegans Elementorum congeries: Interiores & imperceptibiles sensuum facultates, quibus quæcunque obvia deprehendit homo, penitus sunt cœlestes, & velut astra rerum cognitiones influentia. Motus & animi perturbationes sunt veluti venti, turbines, fulgurationes, tonitrua, & meteora; quæ in aërea spirituum regione ebulliunt, cor & sanguinem commovent: Meritò itaque Microcosmus homo dictus est, & absoluta Universi imagunctula.

CLXI.

Non solùm homo, verùm etiam quodlibet animal, quælibet planta Microcosmus est: Sic unumquodque granum aut semen est Chaos, cui totius Mundi semina compendiosè insunt, ex quo exiguus suo tempore Mundus proditurus est.

CLXII.

Quæcunque perfectè Naturæ mixta vitâ prædita corpore, spiritu & animâ constant: corpus ex limo fit cui omnia materialia ad generationem necessaria insunt; ex duobus enim maximè corporeis elementis, Terrâ scilicet & Aquâ corpora fieri rationi congruit.

CLXIII.

Spiritus est purissimi aëris vel etiam ætheris portiuncula, inter animam & corpus media natura, utriusque nodus & vinculum, Animæ capsula & vehiculum subtilioribus & spiritualibus corporis partibus adhærens.

CLXIV.

Anima sive forma mixti est Ignis naturæ scintilla, lucisve cœlestis radius imperceptibilis è potentiâ seminis seu materiæ per motum generationis in actum productus, corpori elementati mediante spiritu alligatus, mixto dans esse suum speciale, proximum vitæ principium & causa efficiens: Agit autem secundùm materiæ dispositionem & organorum vires.

CLXV.

Animæ sive formæ natura, quia tota lucida est, in animalibus præsertim, tantùm ab opaca & terrestri corporum materiâ distat, ut ei penitus sit irrationalis, & citra omnem proportionem eâ nobilior, ac ideo strictissimo nexu, quali in operibus suis utitur Natura, corpori alligari nequaquam posset propter disconvenientiam ac distantiam, nisi proprii & potentis cujusdam medii virtute & lenocinio conjunctio & quasi ferruminatio fieret, propterea subtile medium inter utrumque statuit providus rerum creator, spiritum scilicet æthereum, qui nascentis formæ susceptor ac retinaculum est, ejusque naturam participans. Hæc de cœlesti rerum naturalium, non de supercœlesti ac divina hominis anima dicta censeantur, quam tamen etiam per media naturalia cum corpore humano consortium inire conditori ejus placuit.

CLXVI.

Formæ specificæ Idealis Archetypi caractere à die antiquæ creationis in primis individuis signatæ sunt, divinumque illud & indelebile signaculum ad posteros ope generationis traduci jussit creator, ut per successivam individuorum surrogationem immortalitatis beneficium speciebus largiretur.

CLXVII.

Formas in materia alias sibi similes generare non est existimandum; generare enim corporum proprium est, sed organa sua harmonicè movendo per ipsa materiam seminalem ad generationem disponere; eique lucis radium, sive arcanam vitæ scintillam, quasi thesaurum includere formæ jus & officium est, caracterémque suum specificum spiritui illi vivifico in semine occultato imprimere, qui in opere generationis calore pullificò & stato tempore in animam se explicat, sive vegetabilem sive animalem, ita ut, qui spiritus secretus & formalis fuerat in semine, forma fiat in mixto. Sic occultum in Naturæ sinu fit manifestum, & de potentia in actum educitur.

CLXVIII.

Forma à ſola ſeminis aut materiæ potentia & virtute non exit, quia rerum geneſi cœleſtes virtutes influunt, quæ materiæ vires augent, multiplicant, & Naturæ quaſi parturienti opem ferunt : Spiritui quoque formali & ſeminali materiæ inſito, cujus etiam cœleſtis eſt origo, ſe inſinuant, admiſcent, & vires auxiliares conferunt.

CLXIX.

Non ſolùm corporea elementa, verùm etiam omnes univerſæ Naturæ virtutes & poteſtates in cujuslibet mixti generatione concurrunt, & de ſuo nonnihil largiuntur. Ita partes Univerſi devinciuntur, ut in vitam unanimes conſpirent, & mutuo coëant amore.

CLXX.

Naturales rerum formæ licèt potentiâ ſeminibus inſint, de inferiorum elementorum ſubſtantiâ neque ſunt, neque ab illis generatæ ; à nobiliori enim fonte derivant; origo ipſarum cœleſtis eſt, pater quippe earum eſt Sol, natura ætherea eſt vinculum quo illæ materiæ alligantur.

CLXXI.

Specificæ mixtorum formæ obſcuram quandam originis ſuæ notitiam in ſe recondunt, propriáque vi & occulto motu ad ſuæ ſcaturiginis altitudinem, aquarum inore, evehuntur; Sic anima humana quia à divino luminis increati fonte derivata eſt, in eundem mentis acumine & contemplatione reflectitur. Cæterorum animalium formæ, quia ex arcanis Cœli Soliſque theſauris egreſſæ ſunt, eò uſque naturæ inſtinctu & veluti reminiſcentiâ quadam imperfecta regrediuntur; Unde frequentia animantium circa Solis motum & cœli mutationes vaticinia obſervare licet. Vegetabilium autem formæ quia aëreæ plurimùm ſunt, & ab infimâ aëris noſtri regione inſpiratæ, ideò ultra eam vires facultatéſque ſuas eliminare & extendere eis non licet ; caput ſurſum & in aërem, quaſi in patriam reverſuræ pro viribus attollunt ; ſed anguſtos corporum ſuorum fines præterire prohibentur, ſenſu motúque animali carentes, quia virtutis Solaris tantillùm illis ineſt, ut ſupra vegetationis motum non ſufficiat; ordine enim creationis vegetabilia Solem præceſſerunt, propterea ei ſua natalia & antiqua vitæ primordia ex æquo ac animalia non debent, ſed aëri luminoſo tanquam proximiori agenti accepta referunt: illorum quippe materiæ diſpoſitio ſublimiori formæ ſuſtinendæ impar Naturæ decreto judicata fuit.

CLXXII.

Saxa verò & lapides, quia non tam ex verâ elementorum mixtione generantur, quàm ex Terræ & Aquæ concurſu per exteriorem caloris & frigoris vim, quaſi opus terreum & fictile, decoquuntur, propterea omninò ſtupeſcunt, à tenebroſâ frigentíque terræ & aquæ naturâ formam invalidam mutuati.

CLXXIII.

De pretioſis lapillis & gemmis aliter ſentiendum eſt ; formas enim ſuas à limpidiſſimis Cœli & Solis fontibus hauriunt; ipſorumque corpora ſunt puriſſimæ roris exuberati guttulæ cœleſtibus influentiis imprægnatæ, ac veluti concretæ Cœli lacrymæ ; unde plurimas ſublimeſque in ſe virtutes poſſident.

CLXXIV.

At metallorum materia, quia aquea & terreſtris eſt, omniumque maximè compacta, propter optimam & ſubtiliſſimam gravium elementorum mixtionem, ideò ſtupida & ſummæ ponderoſa, nulliúſque motus ex ſe capax: verùm quoniam in terreis aut ſaxeis matricibus, quaſi alembicis miro Naturæ artificio ſublimatur & mundatur, ejúſque mixtio in vapore tenuiſſimo per reiteratas diſtillationes ita completur, ut illi, propter immenſam ſubtilitatem & exuberationem, Solis corporumque cœleſtium opes ſe inſinuent & admiſceant, maximè in perfectorum metallorum generatione ; eâ de causâ metalla licèt ſua corpora ex aquâ & terra traxerint, Natura tamen figuli vice fungendo corpora metallorum præſertim perfectorum tam ingeniosè elaborat, ut præſtantiſſimâ formâ digna, ea cœleſtibus Numinibus informanda exhibeat. Longiſſimi laboris opus eſt, ſed abſolutum, & ad ſupremas Naturæ vires exultum, in quo cœlum & terra magis coire, quàm conſentire videntur. At formales metallorum ſpiritus, quia prædurо libro quaſi carcere conſtringuntur, immoti hærent, donec igne philoſophorum vinculis ſoluti cœleſti ſuo ſemine in materia ſua haud degenerem Solis filium, ac tandem quintam mirabilis virtutis eſſentiam, cœlo apud nos peregrinante, producant.

CLXXV.

Supremi conditoris decreto cautum eſt, ne nobilior natura in ignobiliorem, aut præſtantior in deteriorem degeneret, & quaſi abjuratо natalium gentiliúmque jure, in ſervilem mancipii ſortem tranſeat Copulantur quidem ſuperiora cum inferioribus, & potentiora imbecillioribus ſe communicant, ut ea informent ac perficiant per ſpiritus ſuos emiſſarios, qui generi ſuo & natalibus nihil propterea derogant ; nec dum rerum ſeminibus aut etiam mixtis ſe inſinuant, jugo ſervili ſubmittuntur, ſed novam dignitatem ac imperii jus aſſequuntur; quodlibet enim mixtum cujuſcunque generis ſit, Imperium eſt, imò Mundus inreger; cui ſpiritualis ſua forma præficitur, cujus munus eſt Naturæ organis & facultatibus, toti denique Mundo ſuo dominari: Sic quę in vaſto Naturę univerſæ pelago indiſtincta & inanis antè fluctuabat, ad Imperium nunc vocata mixtitur.

CLXXVI.

Actus formalis materiæ primæ, tum etiam elementorum nihil aliud præter ipſa Naturæ principia informat: Forma itaque ſpecifica mixtum perfectum conſtituit, neque plures formæ in eo exiſtimandæ ſunt cùm ipſa elementa ſua mixtione corporis effingendi tantùm, non informandi provinciam ſuſcipiant.

CLXXVII.

Virtutem multiplicativam quæ rerum ſeminibus ineſt, non à materia elementari ſed à forma cœleſti, tanquam cauſa efficiente fluere veriſimile eſt: multiplicatio enim eſt lucis actio maximè propria; ab uno quippe lucis radio pene infiniti effunduntur, ac in infinitum multiplicantur; unde fit, ut Sol, qui fons immortalis luminis eſt, idem etiam ſit in natura prima cauſa efficiens generationis & multiplicationis. Quamlibet itaque formam naturalem multiplicandi vim à luce cœleſti, cujus radius eſt, accepram habere validiſſimum argumentum eſt, quòd ipſa gentiliti s dotibus inſtructa, luminoſa ſit, ergo multiplicans: Luminoſa, quia ſenſitivam & imaginativam facultatem in animalibus ſplendore ſuo irradiat, ita ut ex duplici illa facultate duplex fiat rerum apprehenſio, & cognitio exterior per ſenſus, & interior per Imaginativam, omnis autem cognitio lumen eſt, ſicut ignorantia tenebræ, illuminatio enim quædam & luciditas ſuboritur, cùm rerum imagines apprehenduntur, & quæ ignota in tenebris latebant, per notitiæ lumen revelantur; ſolo etenim luminis beneficio res obſcuræ patefiunt. Homini tertium lumen Deus addidit, Intellectum videlicet, cujus ope rerum cognitionem, per cauſas longè perfectiùs adipiſcitur. Hæc omnia operatione luminis & perſpicuitatis ab animâ lucidâ effluentis producuntur. Poſtrema hæc luminis actio ſoli homini convenit, duæ anteriores illi cum brutis communes ſunt, quorum animæ lucis etiam cœleſtis ſunt participes. Vim ergo multiplicativam in animantium, imò & vegetabilium individuis ab

Animâ

Animâ lumen multiplicante procedere ratio convincit, & quosdam ejus radios cum spiritu æthereo semini includi, ac in eo occultari; donec tandem oriente vitæ Sole manifestentur. CLXXVIII.

Lux & tenebræ vitæ & mortis sunt principia; mixtorum enim formæ lucis radii sunt, corpora autem tenebrarum abyssus: Per lucem omnia vivunt, imo omnis vita lux est: quæ autem vivere desinunt, lumine privantur, in orcum & tenebras antiquas rapiuntur, in quibus latebant & occultabantur, antequam à fatali divinæ prædestinationis rotâ in lucem traherentur.

CLXXIX.

Specificæ animalium, tum etiam vegetabilium formæ rationales sunt, non quidem humano more, sed sibi proprio, & secundùm naturæ suæ vires & caracterem: Habent enim illæ sua dona viralia, suas cognitiones & scientias & suas prædestinationes. Dotes vegetabilium vitales sunt, studium sibi simile generandi, virtutes multiplicativæ, nutritivæ, augmentativæ, motivæ, sensitivæ, & cæteræ similes. Notiones autem earum scientiæ deprehenduntur in solerti temporum prænotione; strictâ mutationum tanquam Naturæ legum observatione, in consentaneâ mutui Solis Cœlique varietate, in radicibus figendis, caule erigendo, ramis expandendis, foliis & floribus explicandis, fructibus efformandis, pingendis ac maturandis, in Elementis in alimentum transmutandis, in vivificâ intute seminibus inspirandâ; denique in multiplici naturæ suæ partiumque discrimine secundùm Cœli solique vota statuendo.

CLXXX.

Brutorum autem formas scientiâ præditas satis manifestant eorum statis temporibus copulationes & generationes; justæ in partibus individuorum formandis & nutriendis distributiones; distincta partium illarum citra confusionem officia; varii animorum motus, sagaces sensuum facultates; spiritus secreti membra, velut organa, harmonicè moventes ad disciplinam aptitudo; erga dominos obsequium & reverentia; instinctus futura præsagiens; in plerisque religiosus cultus; ars in victu procurando; in lustris eligendis: tutelâ parandâ, periculisque vitandis prudentia; cætera denique scientiæ & rationi accommodata, quæ illis Natura largitur: Natura autem in quolibet individuo nihil aliud est, quàm ipsa forma, quæ principium est motus, quietis, actionis & vitæ ejus in quo est, cui cura, directio & conservatio corporis sui, non secus ac nautæ commissæ puppis, demandata est.

CLXXXI.

Prædestinata autem rebus nascituris tempora quis inficiabitur, nisi qui naturam Universi confusam & inordinatam sibi finget? illa quippe omnia è sinu suo ex ordine certo & præstituto pandit; ordinis enim lex & productionum tempora ab authore suo ei præscripta fuere; imprægnatio, partus, vita & mors sua tempora habent, & rata temporum spatia complent: quæ hoc vel altero anno in lucem orta, aut è luce sublata sunt, ita fore præordinatum erat, quæ Natura Dei vicaria in regno universi, spiritu divino monente; præscivit, ut ministerio suo ita fieri curaret; nec illa casu contingunt, sed causam quandam necessariam, licèt nobis occultam, habent: summo tamen rerum moderatore necessitatis legem non patiente, sed statuente, omniâque ad nutum immutante; qui de rebus omnibus etiam minimis decernit; cujus decretum inordinatum aut incertum nullum est: Ordo itaque, qui per rerum & temporum seriem & successionem labitur, ex divinis decretis necessitatis legem habet.

CLXXXII.

Quemadmodum chao singulæ universi partes secundùm materiam potentiâ inerant, quæ actu postea separatæ & productæ sunt: Ita singula rerum individua universo Mundo materiali potentiâ insunt; antequam in lucem exeant, indè tempore & ordine suo fluxura & aliquando actu emersura: Ubi autem deficiunt, in universam molem, à quâ prodierant, tanquam flumina in mare relabuntur, quâlibet nempe naturâ regionem suam repetente, iterum atque iterum in Naturæ officinam regredienda, & sub ejus incudem ad opus novum re-itendâ. Forsan ea fuit dudum explosa, quia non intellecta, Pythagoreorum metempsychosis.

CLXXXIII.

Soluto mixto; & vitio corruptibilium Elementorum in ruinam lapso, in patriam recedit Natura ætherea, fitque in cadavere perturbatio & confusio Elementorum suo rectore amisso: tunc dominatur corruptio, mors & tenebræ in materia desolata, donec ipsa per corruptionem ad novam generationem apta fuit. & secundùm ejus dispositionem virtus cœlestis denuò influat, ac errantia colligens & miscens elementa novæ formæ lumen debile accendat, quod tandem roboratis sensim Elementorum viribus elucescit, & recens mixtum absolvit.

CLXXXIV.

In corruptione autem generativâ, quæ mediocris est, fitque cum conservatione formæ specificæ semini seu materiæ potentialitet inhærentis, non recedit sublimis ille spiritus innatus; qui cùm debilis sit ac adhuc impotens calore externo excitatus moveri, simúlque materiam movere incipit, donec tandem vires potentiùs exerat, & perfectè mixtum informet.

CLXXXV.

Naturæ elementa, tum etiam alimenta generationem & nutritionem, quarum eadem ferè ratio est, à putrefactione inchoant; utraque enim putrefieri, & per putrefactionem in humidam quasi in primam materiam resolvi necesse est: tunc fit chaos, cui omnia generationi aut nutritioni necessaria insunt. Sic cujusvis Microcosmi generatio & reparatio Macrocosmi creationi & conservationi analogicè respondent.

CLXXXVI.

Sensibilia rerum semina; & quæ ex illis nascuntur mixta triplici naturâ constant, cœlesti, elementari & mixtâ. A Cœlo illis radius lucis solaris inest omni æthereâ virtute indutus, actionis, motus, generationis & vitæ principium, potestate forma; cujus beneficio semina constantiam astrorum redivivâ sua virtute imitantur, & veluti immortales cœlestium plantarum surculi naturæ corruptibili, quasi trunco extraneo insiti æternâ quâdam successione illam à morte vindicant. Portio elementaris corporea & sensibilis, quæ in animalibus sperma dicitur, est seminis custos & capsula, quæ putrescit, & corrumpitur; semen autem invisibile generat. Humor radicalis, sive fermentum Naturæ, cui spiritus inhæret, est media substantia cœlestem & elementarem copulans; ex parte materiali elementis; ex parte spirituali formæ respondens; Auroræ similis, quæ tenebricosâ luce perfusa extrema lucis & umbræ connectit, neutra utrinsque mixturam exhibens.

CLXXXVII.

Vita est actus harmonicus ex copulâ materiæ & formæ procedens, esse perfectum individui constituens. Mors autem est terminus sive finis illius actus, materiæ & formæ separatio, & mixti resolutio.

CLXXXVIII.

Mixta generationis & vitæ suæ radices in cœlo habent, unde effluxerunt eorum causæ & principia, unde etiam tanquam arbores inversæ succum & alimentum fiunt. Neque meruit intellectus sensuum autoritati mancipari, qui nihil nisi sensibilia judicant: Mens autem extra sensuum promœria longè porrigitur, & altiùs naturæ fines perscrutatur. Corpora sunt veluti cortices,

craſſiores elementorum partes, & rerum accidentia, ſub quibus meræ & efficaces eſſentiæ quæ ſenſuum cenſuram non agnoſcunt, occultantur, quáſque densâ quâdam nube indui neceſſe fuit, ut à cœleſti in terreſtrem hanc corporeorum provinciam migrarent. Illud ſpiritualium cum corporeis matrimonium ſummus Naturæ Creator ſanxit, quò ſpiritus ejus increatus ſpiritualibus & ſimplicioribus naturis primò ſe communicans per illas, tanquam per media in corporeas deſcenderet, & ſic gradatim ac ex ordine per omnes Mundi plagas, per univerſa & ſingula ſe effundens integrum opus divinitatis præſentiâ ſuſtineret: tum etiam ut à ſenſibili creaturâ per corporeas & ſenſibiles imagines inſenſibilis creator deprehenderetur.

CLXXXIX.

Quæcunque vivunt, ſive vegetabilia, ſive animalia, cibo ſuo indigent, ut naturales, qui continuò per poros effluunt, ſpiritus reſtaurentur, & Naturæ diſpendium reparetur: Ex ſucculentiori enim cibi ſubſtantia fit ſuccus nutriens, quo totius corporis partes humoréſque reſarciuntur: ex puriori autem parte humorem, ſanguinis præſertim; æthereo influxu illi ſe per reſpirationem admiſcente, humidum radicale renovatur & reficitur.

CXC.

Duplici alimento viventia nutriuntur; corporeo nempe, ac ſpirituali, ſine hoc autem parum illum ad vitam confert: Vegetabilia enim manifeſte accrementi ſui & nutritionis beneficium non minùs aëri & cœlo, quàm terræ acceptum debent; imò & ipſa terra niſi æthereo lacte potaretur, ejus ubera flacceſſerent, quod ſacer arcanorum naturæ Myſtes Joſepho benedicens ſatis expreſſit; De benedictione Domini terra ejus; de pomis cœli & rore atque abyſſo ſubjacente; de pomis fructuum Solis & Lunæ; de vertice antiquorum montium; de pomis collium æternorum &c. quo ſermone myſtico terræ ubertatem à Solis, Lunæ & largo cœleſtium influxu pollicetur Prophera.

CXCI.

Pabulum illud ſpirituale quantùm ad animalium vitam conducat, frequens reſpiratio, ſive aëris externi attractio quemlibet etiam plebeium fateri compellit. Neque folles ſuos in cordis viciniâ ad ejus refrigerium tantùm affabrè Natura conſtruxit, ut vulgo medicorum placet, verùm etiam ut frequenti ſuâ ventilatione autam ætheream inſpirent, æthereóſque ſpiritus illi propinent, quorum afflatu & receptione vitales ſpiritus reparantur & multiplicantur.

CXCII.

Spirituales naturas vocant philoſophi non ſolùm eas quæ citra materiam creatæ ſolo intellectu comprehenduntur, quales creduntur Intelligentiæ, Angeli, Dæmones, verùm etiam quæ licèt ex materia originem trahant tamen præ ſumma tenuitate & nobilitate ſenſuum examen fugiunt, & merè ſpiritualibus proximæ, magis ratione, quàm ſenſu percipiuntur; hujuſmodi naturæ ſunt aër purus ſive æther, influentiæ corporum cœleſtium, ignis inſitus & ſpiritus ſeminales, ſpiritus vegetabiles, animales & vitales, & cætera ſimilia, in quibus ipſa rerum natura veriùs quàm in craſſis corporibus conſiſtit: hujuſmodi naturæ à Cœlo ſtirpem trahunt, & ratione ſenſibilium, nomen & jus ſpirituum ſibi vendicant.

CXCIII.

Ignem Naturæ inter ſpiritualia referre convenit, nullo ſiquidem ſenſuum ex ſe percipi poteſt, ſed per calorem, alióſque affectus & accidentia in corporibus ſe prodit, ut patet in animalibus, quibus Ignis Naturæ imperceptibilis calorem ſenſibilem infundit; at igne illo furtim vitáque ſimul recedentibus, corpus Elementare ſive cadaver integrum & illæſum mixto tamen ſoluto, remanet. In vegetabilibus autem quia Ignis ille debilior eſt, ſenſum eludit, nec ſentiri per calorem ſe patitur.

CXCIV.

Ignem communem de genere ſpiritualium etiam eſſe, magis quàm corporeorum ratio convincit: Si enim corporeus eſſet, proprium inſeparabiléque à ſe corpus haberet, non minùs, quàm terra, aqua, aër cæteræ naturæ ſenſibiles, quæ propriis ſuis corporibus conſiſtunt & terminantur, in illis & per illa exiſtunt, vires ſuas exercent, & ſenſui ſe exhibent: Ignis verò proprio corpore ſenſili caret, alieno tantùm inſidet; carbo ſiquidem ignis non eſt, ſed lignum ignitum, neque flamma ignis eſt, ſed fumus accenſus: denique aliena ſemper prædo ille depaſcitur; ex præda vivit, quâ deficiente extinguitur, unde alatur ex ſe non habens. Præterea corpus corpori additum quantitatem auget, at ignis ligno vel fumo additus id non operatur, neque enim lignum aut fumus per ignis acceſſionem ſecundùm quantitatem augetur; unde palam fit, ſpiritum magis quàm corpus igneum lignum aut fumum invadere. Gladius intactâ vaginâ colliqueſceus, oſſa confracta carne illæsâ igneo vibrati fulminis telo, ſpiritualem ignis etiam fulminei naturam eſſe ſatis arguunt; Ignem tamen non omninò immaterialem eſſe fatendum eſt, materiâ enim tenuiſſima conſtat, per quam circunſtanti aëri adhæret, unde à craſſioti poteſt detineri ſpiritus itaque nomen magis quàm corporis meruit, quia ſenſibilis quantitatis expers eſt, neque deprehendi poteſt, niſi corpus alienum induat.

CXCV.

Lucem inter verè ſpiritualia recenſendam eſſe ejus origo convincit: Ante materiæ primæ informationem & mundi ortum extra Deum nulla lux erat; naſcente autem Naturâ ab igneo Divinitatis Spiritu lux ſpiritualis in materiam fluere, eique quaſi ellychnio inhærere cœpit; eaque extitit lucis creatio & origo; ille fuit primus divinitatis actus in materiâ; primum matrimonium creatoris cum creaturâ, ſpiritus cum corpore. Lux itaque primatia & informans merus ſpiritus fuit, qui igneâ ſuâ virtute, quaſi calore proximam materiam intenſiſſimè rarefactam lumine ſuo ſpirituali accendit, & ita tenebras in lucem convertit. Cœlum primo lumine diſtinctum, licèt materiale ſit & igneum, nihilominus omninò eſt inviſibile, quia ex parte materiæ ſummum tenuitatis gradum attigit; ex parte formæ ſpirituale eſt; In cœlo autem medio lux quæ ſparſa fuerat, compendio terminata in globum ſolarem migravit, quem quodammodo denſum, veluti fumum accenſibilem, ſed incombuſtibilem fieri neceſſe fuit, quo luce immortali accenſus eam ſiſteret, ac univerſæ Naturæ quaſi facem ſeu molem flammeam ſe exhiberet. Lux itaque ſolaris nihil aliud eſt, quàm ſpiritus luminoſus à ſpiritu luminis æterni originem trahens, corpori ſuo tanquam forma agglutinatus & inſeparabiliter inhærens, propter denſitatem corporis ſui factus ſenſibilis; lumen ac plurimam ſuam virtutem omnibus Univerſi naturis communicans, jugi ſuo fluxu ſpiritum Univerſi conſtituens, in commodum & ſalutem corporeæ Naturæ corpori addictus.

CXCVI.

Radii tamen ſolares oculis noſtris obvii puri ſpiritus non ſunt, nam jugiter à Sole exeuntes circunſtanti æthere illis conſentaneo induti progrediuntur: nihil itaque aliud ſunt, quàm fluxus continuus ſpirituum luminis, qui à fonte ſuo perenni quaſi rivuli jugiter effluentes, ac æthereæ naturæ, non aliter quàm flamma tenuiſſimo fumo ſe inſinuantes, undequaque per univerſam Orbis latitudinem lumen ſpargunt.

CXCVII.

Lucis natura eſt, ut à fonte ſuo indeſinenter fluat; ſpiritus illos emiſſarios æthereæ naturæ ſe admiſcentes, radios nuncupamus, ſuntque primi lucis actus & luminis

& luminis vehiculum : corporis enim lucidi proprium est, ut per radios agat, calorem & splendorem emittat : ut longè latéque per radiorum ejaculationem & multiplicationem in orbem lucem effundat. Per lucem simpliciter primarium corporis luminosi actum ; per lumen autem secundarium, qui à primo manat liceat exprimere.

CXCVIII.

Cereo absumpto, aut vento urgente, extincto ; spiritus igneus & luminosus ellychnium & fumum accendens non perit aut extinguitur, ut vulgo videtur ; sed pabulo suo destitutus, aut ab eo avulsus in aërem spargitur & evanescit, qui abyssus est, & receptaculum universale luminum & spiritualium naturarum Mundi materialis ; unde docemur spiritualem luminis naturam esse, & à fonte spirituali manare ; non secus ac naturales formas à matrice suâ, quæ est spiritus Universi à Sole tanquam à fonte suo immortali jugiter fluens : Quemadmodum enim nascentia mixtorum corpora à materiâ primâ & elementis fluunt, deficientia in eadem principia sensim relabuntur : sic formæ naturales individuorum accedentes, à forma universali, quæ tanquam forma formarum seminibus virtutem formalem inspirat, effluunt, recedentes in eam refluunt forma autem illa spiritus est luminis Universi, ad quem tanquam ad principium suum & naturam homogeneam omnes solitariæ & à corporeo nexu emancipatæ formæ & lucis scintillæ etiam regrediuntur. Sic omnia mixta in principia sua resolvuntur, ipsa autem principia ad perennem naturæ suæ fontem, quasi proprium centrum, aut patriam referuntur.

CXCIX.

Spiritus autem ille Universi solaris quidem est ; non tamen lux ipsa Solis nobis per corporis sui præsentiam conspicua, sed spiritus ille invisibilis, qui à radiis solaribus per universam ætheris plagam continuò spargitur, & per communicationem in cœlum nostrum, imò usque ad terræ centrum etiam absente à nobis Sole, & nocte quâvis opacissimâ, se jugiter extendit omnes ad generationem & vitam dotes necessarias conferens ; ac per omnia universi corpora se effundens.

CC.

Divinus Amor seipso contineri non potuit ; quin totus extra se in creatione, quasi seipsum multiplicans migraverit ; totum se etiam in conservatione creaturarum suarum se effundat. Lux quæ proximum divinitatis exemplar est, divinum etiam amorem imitatur ; corpore enim suo luminoso cohiberi non valet, sed per immensam radiorum multiplicationem in commodum alienum longè latéque diffunditur, ac non tam sibi quàm aliis nata, velut divinæ charitatis symbolum, quibus potest se communicans in loca etiam remotissima se protendit, nisi à denso corpore intercipiatur.

CCI.

Lux infinitam Dei naturam nobis etiam exhibet ; neque enim lampadis aut candelæ flammula indefesso radiorum fluxu, neque flammæ suæ in infinitum communicatione exhauriri aut minui, stante pabulo, poterit : quot radii, tot rivuli ab ipsâ manant ; quantumvis largiatur, quantumvis ei detrahatur ; neque exinanitur, neque dispendium patitur ; quod soli spirituali naturæ convenit, & à naturâ corporeâ alienum est. Sic dona intellectualia, quales sunt scientiæ & rerum cognitiones ; quæ lumina spiritualia meritò habentur, ejus generis sunt, ut frequentissimè communicata semper apud suum possessorem integra maneant. Aliquid divini lumini inesse fatendum est.

CCII.

Radii corporis lucidi licèt spiritualis naturæ sint, nihilominus à corpore denso sistuntur, quia aëre pro vehiculo utuntur ; sine quo à nobis percipi non possunt, cujus copulâ ipsi etiam corporei quodammodo fiunt, propterea nisi porosa copora non penetrant. Sic spiritualia apud nos per medium aliquod sensibile agunt, ut agere deprehendantur. Absente autem corpore luminoso radii etiam recedunt, nec ejus præsentiam deserunt, quia ab ipso immediatè fluunt.

CCIII.

Non tantùm per corporis lucidi & radiorum præsentiam, sed etiam absente corpore & radiis subtractis, à spiritu luminoso ab illis exeunte, aër eminus lumine inficitur ; ut patet in maximâ Solis eclipsi, aut cœlo densissimis nubibus, vel etiam noctis tenebris obducto ; necnon Sole sub horizonte immerso : neque enim actus ille luminis præsentis, corpore lucido radiisque absentibus, aliunde proficiscitur, quàm à spiritualis luminis accessu & præsentiâ.

CCIV.

Corpus diaphanum, quale vitrum est radiis, solaribus pe cussum ipsos cogit, ac imaginem Solis in se suscipit, fitque lucidum, & quasi Solis compendium, quod radios etiam suos in partem ulteriorem Soli oppositam emittit ; unde fit ut radii solares vitri concursu refracti ipsum vitrum trajicere & penetrare videantur ; quod tamen re verâ non fit ; nam radii propter aërem eis adhærentem circa vitrum sistuntur, solo spiritu lucis transmisso ; radii autem qui in alterum partem effunduntur, radii sunt Solis vitrei, sive vitri à radiis solaribus in corpus luminosum accensi.

CCV.

Omne corpus diaphanum, maximè vitrum, est medium luminis, quia suscipit in se lumen, & susceptum aëri ulteriori communicat : non per aëris luminosi hinc inde transmissionem, quod Naturæ repugnat, sed aliâ duplici viâ ; primò quia diaphanum spiritui luminis pervium est, ipsúmque in se conceptum transmittit ; qui transmissus aëri se insinuat, inde lumen uberrimum : Tum etiam quia ipsum medium diaphanum beneficio luminis accepti fit non modò illuminatum, sed etiam luminosum, & à spiritu lucis diaphanis amico, quasi ellychnium lumine accensum : at omne corpus luminosum luminis effundendi jus & facultatem habet, quod densis & opacis corporibus non licet, nisi per reflexionem.

CCVI.

Meræ etiam mixtorum naturæ spirituales sunt, corpora sunt earum cortices & tanquam testacea vasa, quibus illæ custodiuntur, neque aliter mare istud inferum transfretare, & in hoc abyssi centro hospitari potuissent sublimes illæ naturæ, nisi corporeis elementis alligatæ eorum pondere sisterentur : Illæ per corpora sentiuntur ; corpora per illas moventur, & agunt ; sic mutuas sibi præstant operas. Homericæ Junonis arcanum illud est, quam incudis pondere pedibus adjecto Juppiter demisit.

CCVII.

Cum universi machina unicum sit corpus, unica Natura universalis pluribus naturis ac corporibus, tanquam partibus, per sua media & vincula cohærentibus constans, mirum videri non debet, quod hujusmodi membra forti, licèt arcano, nexu inter se devinciantur, & mutua sibi conferant auxilia ; neque enim relationem tantùm, verum etiam communicationem habent ; & commercium quoddam multiplices illæ naturæ exercent ; extremæ nempe per medias ; mediæ verò per proximas : Per spiritus autem emissarios fit illa communicatio : omnes enim Mundi plagæ, omnes naturæ, etiam individuæ spiritibus abundant, quorum plurimi jugiter effluentes adfluentibus cedunt, & ita per continuos spirituum accessus

& recessus

& receſſus ſit quædam partium Mundi & naturarum renovatio. Hæc eſt Naturæ univerſi ſcala Jacobo patriarchę in viſione revelata : illæ ſunt Mercurii pennæ, quarum ope ipſe Deorum nuncius antiquis myſticè dictus ſuperûm inferorúmque limina frequenter adire credebatur.

CCVIII.

Cujuſcunque generis ſive vegetabilium ſive animalium principia activa ſpiritualia ſunt ; corpora ſunt ſpirituum organa paſſiva, quibus illi ſenſuum facultates exercent, & vires ſuas multifariam agendo tanquam actionum autores explicant ; ita ut vita in genere rectè dicatur concentus actionum, ſive actus continuus actionum multiplicitate varius, à fonte ſpirituali emanans, organis ſuis corporeis explicatus.

CCIX.

Spiritualis naturæ proprium eſt agere, corporeæ vero pati : ubi ergo utriuſque fit concurſus, ut in mixtis, illa tanquam nobilior agit ac dominatur, hæc patiendo obtemperat ; agendi enim vis eſt inſigne dominii, patiendi verò onus ſervitutis nota : ſic ignis inſitus in ſemine eſt principium generationis & vitæ, Naturæ Archæus & Oeconomus, in materiâ præparandâ & effingendâ in elementorum mixtione & diſtributione : Sic forma in mixto vires ſuas pro imperio exercet, tanquam fons omnium ejus actionum : ſic cœleſtium virtutes elementa inferiora ; corporeámque materiam diſponunt ac ſigillant.

CCX.

Corpora naturalia, quæ activam vim, occultámque agendi cauſam obtinent, non per ſolas qualitates, ut vulgo placet, ſed ſpiritus ſecretos agunt ; neque enim ignis per ſimplicem caliditatis qualitatem calefacit aut comburit, ſed per continuum ſpirituum & radiorum fluxum : Neque terra aut aqua per ſolas qualitates frigiditatis & humiditatis refrigerant aut humectant, ſed per tenues vapores & ſpiritus innatos & emiſſos etiam eminus ſenſum feriunt : Neque venena per ſolas qualitates calidas aut frigidas, ſed per ſpiritus maleficos tàbem ac mortem ſerius ocius inducunt. De plantis & herbis idem judicium ferre licet, quia ipſarum virtutes activæ non in qualitatibus, ſed in earum eſſentiâ latent, quam ſpiritibus locupletem fecit Natura, cujus baſis & vires præcipuæ ſunt circa ſpiritualia ; corpora enim ſunt tanquam umbræ aut rerum indumenta, ſub quibus inviſibilis Natura occultatur ; qualitates autem cùm ſint rerum accidentia, earum eſſentiam conſtituere non valent, neque mirabiles earum virtutes agendo explicare, ſed ſunt tantùm inſtrumenta actionum & paſſionum materiæ inſita, quibus etiam utuntur ſpiritus mechanici ſive actionum artifices in agendo ; verùm illas eſſe actionum principia & cauſas efficientes Natura non patitur.

CCXI.

Naturales rerum tincturæ, odores & ſapores ſpecialia & ſpiritualia ſunt Naturæ dona, quibus res ſuas convenienter ditavit, quæque non tantum ad ornatum conferunt, aut tanquam extrinſeca accidentia illis inhærent ; verùm cauſam inſitam & radicalem habent, nec tam accidentia, quàm demonſtrativa virtutum interiorum ſigna dicenda ſunt, quibus occultæ & formales rerum ſignaturæ ſe produnt.

CCXII.

Rarefactio & condenſatio duo ſunt naturæ inſtrumenta, quibus corpora in ſpiritus, & ſpiritus rurſum in corpora vertuntur ; vel etiam quibus elementa corporea in ſpiritualia, & ſpiritualia iterum in corporea commutentur ; has enim vices in mixtis patiuntur elementa. Sic Terra è ſinu ſuo pabulum ſpirituale vegetabilium radicibus miniſtrat, quod depaſtum in caulem, corticem, ramos, frondes, flores, ſubſtantiam denique corpoream migrat. Idem Natura in animalibus exercet ; nàm cibus & potus, quibus illa veſcuntur, melior ſaltem eorum pars in humores, ac tandem in ſpiritus terminatur, qui per poros ſe inſinuantes carni, nervis, oſſibus, & cæteris partibus corporeis agglutinati eas nutriunt & augent, ac per indefeſſum ſurrogationis opus labentem naturam reparant. Sic ſpiritualis & purioris ſubſtantiæ portio in ſpumeum ſeminis corpus concreſcit & coagulatur. Ars naturæ æmula in ſuis reſolutionibus & compoſitionibus ſimile experitur.

CCXIII.

Individuorum vita conſiſtit in rationali & ſtrictâ materiæ & formæ unione ; utriuſque autem naturæ nodus, copula & baſis in forti caloris ſive ignis innati & humidi radicalis amplexu latet ; ignis enim ille formalis eſt cœleſtis radius, qui humido radicali unitur ; iſtud autem eſt materiæ portio puriſſima & maximè digeſta, ac veluti oleum per organa Naturæ, quaſi per alembicos maximè defecatum, exuberatum, & in naturam ſpiritualem quodammodo converſum.

CCXIV.

Rerum ſeminibus plurimùm humidi radicalis ineſt, in quo ſcintilla quædam ignis cœleſtis, tanquam in pabulo ſuo detinetur, quæ in matrice convenienti omnia ad generationem neceſſaria peragit. Ubi autem conſtans caloris principium eſt, ibi ignis ſubeſſe creditur, quia genuinum caloris principium eſt ejus in quo eſt.

CCXV.

Aliquid immortale in humido radicali licet obſervare, quod neque morte evaneſcit, neque ullis ignis violentiſſimi viribus conſumitur, verùm in cadaveribus & combuſtorum cineribus invictum remanet.

CCXVI.

Duplex humor in quolibet mixto latet, Elementaris & Radicalis : Elementaris, qui partim aqueæ, partim aëreæ eſt naturæ, igni cedit, & in fumum ſeu vaporem evolat, quo exhauſto in cineres corpus reſolvitur illo enim tanquam glutino elementa in mixtione devinciuntur. Radicalis autem humor ignis communis tyrannidem ſpernit ; neque enim aut martyrio deficit, aut volatu recedit, ſed mixto ſuperſtes ejus cineribus pertinaciter inhæret ; quod perfectæ puritatis argumentum eſt.

CCXVII.

Experientia humidi radicalis in cineribus occulti arcanum vitrarios rerum Naturæ imperitos docuit ; ex cineribus enim pungentis flammæ ſuæ fuſoriæ acumine vitrum eliciendo occultum faciunt manifeſtum, ultra quod neque artis, neque ignis vires materiam protendere aut eliminare poſſunt : cineres autem fluere neceſſe eſt, ut fiat quantitas continua & corpus ſolidum, quale eſt vitrum ; fluxio autem ſine humore nequaquam fieri poteſt. Humidum itaque illud à materiâ ſuâ inſeparabile tandem in nobile illud corpus diaphanum quaſi ætherеum terminatur.

CCVIII.

Salium è cineribus extractio, in quibus ſumma mixtorum eſt virtus, tum etiam agrorum ubertas ſtipularum incendio & incineratione aucta humorem illum ab igne illibatum radicale generationis principium & Naturæ baſim eſſe certiſſimo ſunt indicio, licèt virtus illa ſolitaria & inefficax in ipſis cineribus lateat, donec à Terrâ communi principiorum Naturæ matrice ſuſcepta occultam, generationi & multiplicationi conſentaneam facultatem explicet ; ut etiam in rerum ſeminibus moris eſt.

CCXIX.

Balſamum illud radicale eſt Naturæ fermentum totam corporis maſſam inficiens : tinctura eſt indelebilis & multiplicans, ſiquidem penetrat & tangit etiam fœdiora

diora excrementa, quæ frequens ex ipsis fit generatio, licèt imperfecta, argumento est; tum etiam agrorum stercoratio imperitis agricolis satis nota, ut torpentes agri ad creditum cum fœnore domino exolvendum urgeantur.

CCXX.

Radicem illam Naturæ,mixto suo in ruinam verso, superstitem, materiæ primæ informatæ ac divino lucis caractere signatæ quoddam vestigium ac portionem pu.illimam & immortalem exittere suspicio est: Indissolubile quippe est antiquissimum illud materiæ primæ & formæ suæ matrimonium , à quo cætera corporea elementa originem traxerunt. Quin etiam incorruptibilem corruptibilium basim & radicem quandam cubicam , semper stantem & immortalem in profundo corporum occultari necesse fuit,ut sit constans & perpetuum materiale principium vitæ potentiam & aptitudinem habens,circà quod , tanquam circa axem immotam fiat elementorum & rerum vicissitudo: Et si liceat in obscuris aliquid vero propius conjicere , substantia illa immortalis Mundi materialis fundamentum est,& immortalitatis ejus fermentum,quod in die conflagrationis universæ , purgatis per ignis examen elementis,superfore æternus rerum ponderator præordinavit , ut ex pura & constanti materiâ opus suum à peccato originali & corruptionis labe vindicatum in gloriam æternam renovet ac restauret.

CCXXI.

Basim illam radicalem de genere formarum specialium non esse manifestum est , quia quodlibet individuum singularem & individuam suam formam habet, quæ soluto mixto à corpore recedit , stante nec extincto radicali illo principio, licèt propter absentiam formæ admodum debilitato & parùm efficaci ; illi tamen igniculi quidam vitales restant vilioribus & imperfectis fœtibus producendis apti,quæ productio non tam Naturæ , quàm materiæ partus est , nitentis , sed sine compari generare non valentis , propter virtutis formalis & specificæ absentiam : Sic cadaver hominis aut equi defectu seminis non hominem aut equum,sed fœtitudos vermes &insecta quædam generandi capax est; unde licet suspicari imbecille illud vitæ principium ex inopia materiæ primæ proficisci , & magis ex familiâ elementorum inferiorum ; quàm superiorum & cœlestium esse,illi tamen nonnihil tincturæ lucis inesse.

CCXXII.

Exigua siquidem illa prioris lucis scintilla,quæ tenebrosam inferioris abyssi materiam ab initio informavit insectorum generationi sufficere potest ; confuso enim & inordinato motu materiam agitat,ut eam de potentiâ in actum debilem perducat;verùm illa hoc igniculo tepescens ac languenti similis masculi magis imagine quàm copulâ corrupta in libidinem prorut , ac legitimo Naturæ fœtui concipiendo impar immunda phantasmata & simulachra quædam animalium, quales sunt vermes,fuci, scarabæi,& similia in excrementis & putridis sibi fingit : Humor itaque ille radicalis est proximum & indeficiens generationis & vitæ subjectum,in quo primùm accenditur Ignis Naturæ & actus formalis in materiâ bene dispositâ & ordinatâ:In materiâ autem confusâ & inordinatâ, ubi humor ille masculi vicem agit, spurios & illegitimos Naturæ fœtus procurat;nam quæ sine semine specifico fit generatio, magis casu aut errore,quàm consilio Naturæ facta videtur licet etiam in illâ quædam obscura & indiscreta activorum cum passivis copulatio intercedat,quæ ad cujusvis mixti etiam imperfecti productionem necessaria est.

CCXXIII.

Fermentum illud radicale , in mixtorum profundo constanter permanens videtur contracti matrimonii inter lucem & tenebras , materiam primam & formam universalem,inter contraria denique vinculum,sedes & retinaculum formarum in mixtis; secus materia & forma propter adversas ferè earum naturas non coalescerent, verùm tenebrosa illa materiæ primæ ferocitas & à lumine aversio edomita fuit, & ejus odium in amorem conversum beneficio primæ illius tincturæ lucidæ,quæ adversa conciliat.

CCXXIV.

Calidum innatum & humidum radicale diversi generis sunt;illud enim totum solare & spirituale est;istud verò media natura inter spiritualem & corpoream, utramque Ætheream nempe & Elementarem participans : Illud ex ordine superiorum, istud magis inferiorum,in quo primum cœli & terræ conjugium celebratum est, per quod cœlum etiam in centro terræ habitat.Falluntur itaque qui calorem innatum & humidum radicale confundunt, non minùs enim inter se discrepant quam fumus & flamma;lux Solis & aër,Sulfur & Mercurius:in mixtis siquidem humor radicalis est sedes & pabulum ignis innati & cœlestis,vinculum ejus cum elementari corpore:at vis illa ignea est forma & anima mixtorum. In seminibus humor ille est immediatè custos & capsula spiritus illius ignei in semine incarcerati,donec calore adventitio in matrice aptâ ad generationem promoveatur. Substantia denique illa radicalis in quolibet mixto est officina Vulcani ; focus in quo custoditur Ignis ille immortalis, qui primus motor est omnium individui facultatum.

CCXXV.

Humidum illud radicale est balsamum catholicum, Elixir Naturæ pretiosissimum,Mercurius vitæ à Naturâ perfectè sublimatus, cujus dosim cuilibet supellectilis suæ individuo ad justam lancem trutinatam dives propinavit Natura. Qui tantum thesaurum in corde ac fœtuum Naturæ recessu abstrusum eruere, elementorúmque involucris obumbratum aptè explicare meruerit,summum vitæ humanæ subsidium ac pretiosissimam panacæam se adeptum esse glorietur.

CCXXVI.

Prima rerum exemplaria in cœlestibus Naturis primò celata , porrò ad inferiores transmissa fuisse rationis & creationis ordo postulat; illîc autem longè perfectiora existunt , tum propter majorem materiæ tenuitatem & præstantiam , cùm etiam propter viciniores æternitati sedes : Apud nos autem multò ignobiliora , quia in crassiori & viliori materiâ sculpta , & ab æterno suo principio remotiora sunt. Nihil itaque in hoc extremo Mundi margine transcriptum est, quod priùs in cœlesti latitudine descriptum non fuerit; neque ulla inferiorum naturarum species est , quæ consentaneæ cujusdam superioris dominium non agnoscat , occultúmque ejus sigillum & signaturam insitam non habeat: sic inferiora à superioribus dependent.

CCXXVII.

Mundus ambiguæ naturæ quasi animal est, utroque sexu enim pollet; pars superior, cœlestis nempe, activa & masculina ; hæc inferior elementaris passiva & fœminina est : Terræ globus uterus est , quò prolificum Cœli semen excipitur & foverur : à parte masculi vita & robur effluunt , à parte fœminæ corruptio & mors in generata prorumpunt.

CCXXVIII.

Cum superiora & inferiora corpora ex iisdem principiis tanquam parentibus originem traxerint , nec tamen æqualem sortem nacta sint, æquum est illa, quæ in nobiliores substantias & digniora munera exaltata gloriantur, fratribus inferioris sortis, egenis & penuriâ laborantibus opum suarum aliquid largiri , ac ipsorum

rum vitæ & conſervationi conſulere : Mundum enim quum ex inæqualibus naturis conflari neceſſe fuerit, imbecillioribus potentiores opem ſponte ferre, viciſque languentibus ſuggerere à divinâ providentiâ cautum eſt. Sic Amor partium Univerſi vinculum eſt indiſſolubile.

CCXXIX.

In hâc regione ſublunari ex defectu proportionis aut temperamenti Elementorum, ſive ratione quantitatis, ſive qualitatum, ex nimia ſcilicet intenſione aut remiſſione, morbida laborat Natura, & fit cacophonia in muſicâ naturali, & diſcraſia in corporibus : Sublatâ itaque illâ Elementorum conſonantiâ, quæ ex proportione reſultat, & temperamentum conſtituit, materia & forma totius mixti malè cohærent : perturbatur Natura & confuſione perplexa titubat, unde morbi & tandem mors inordinatam & labantem Naturam invadunt.

CCXXX.

Diſcordia illa principiorum aut intrinſecam & radicalem cauſam habet, veluti à ſemine vitioſo, pravâ generatione aut ſenio: vel extrinſecam & accidentalem, ut à nimiâ repletione vel inanitione; unde manat exceſſus vel defectus in humoribus & ſpiritibus : aut etiam à putrefactione, lethali veneno, tabe, mœrore, læſione, vel impedimento aliquo vitæ organis illato, cum ſimilibus, quæ Naturæ vim inferunt.

CCXXXI.

Quatuor radicales Elementorum qualitates ſunt veluti harmonici Naturæ toni, non ſibi invicem contrarii, ſed diverſi, & certis intervallis inter ſe diſtantes, ex quorum rationali differentiâ, intenſione & remiſſione fit perfectus Naturæ concentus intellectu perceptibilis, vocali Muſicæ, quæ ſenſu deprehenditur, analogus. Tonus gravis & acutus, licèt extremi ſint in Muſicâ, contrarii non ſunt, ſed & termini mediorum, qui interjacent, & diversâ ratione à duobus illis extremis componuntur & temperantur : Sic caliditas & frigiditas, ſiccitas & humiditas extremæ qualitates ſunt in Naturâ, non propterea contrariæ, ſed mediarum & interjacentium qualitatum termini, ex quorum mixtione & temperamento mediæ procedunt.

CCXXXII.

Naturæ motus continuus ac indefeſſus eſt; non minùs in partibus quàm in toto ; agit enim illa ſemper, ocii impatiens, adeo ut ſi momento quieſceret, ruéret fabrica univerſi, quæ legi motus perpetui mancipata eſt, neque etenim terra ſtans, mare pacatum, aër tranquillus, quia moveri non percipiuntur, propterea omninò quieſcunt; non ſecus ac homo dormiens, quies illa actionis remiſſio eſt, non amiſſio, vel ceſſatio: Natura introrſum agit, quocunque tempore organa ſua movet, nec ab actione unquam deſiſtit : ipſa etiam cadavera motum corruptionis patiuntur ; viventia autem, licet non locali, organico tamen motu aguntur.

CCXXXIII.

Natura uniformiter & ordinatè machinam univerſi movet, ita tamen ut inæqualia & diſſimilia inæquali & diſſimili motu verſet : hanc inæqualitatis legem æquitas Geometrica poſtulat: Ita omnium corporum cœleſtium motus æquales dici poſſunt ratione Geometrica, habita nempe ratione differentiæ magnitudinis, diſtantiæ & naturæ eorum.

CCXXXIV.

Natura in operibus ſuis informandis & regendis non minùs ingenioſa quàm potens per vias verſatiles & operationes erraticas certum ſuum finem conſequitur, quod in terræ fœtibus producendis maximè patet; inæquali enim temperie elementa tractans fœcundo ſemine Terræ ut eum, hiemali potiſſimùm tempore replet, Vere partum facilem procurat, Æſtate fructus maturat, Autumno verò caducos facit facit.

CCXXXV.

Diverſitas autem illa præſertim ex ſolis acceſſu & receſſu ab Univerſi Creatore ad eum finem inſtituto procedit ; Solem enim elementorum moderatorem idem conſtituit, ut ex varia & inæquali ejus diſtantiâ, inflexione & reflexione diverſum & inæquale temperamentum experirentur ; & ita per diverſa tempora Naturæ diſſimilia agenti ſuccurreretur, ac per temporum vices ipſa viciſſitudines ſuas adimpleret. Hæc naturæ varietas ſagaci philoſophi ſerium opus tractantis conſideratione digna eſt.

CCXXXVI.

Cœleſtia corpora licèt alterationis labem non patiantur: diſſimilis tamen eorum propenſio, & varii errantium motus, qui eorum ſitum & diſtantiam inter ſe & cœli figuram mutant multiplices in hanc elementarem plagam mutationes inducunt; & affectiones inſpirant ; ita ut cereas elementorum naturas variè fingant & inclinent, ac continuo ſuo influxu fermentare non deſinant.

CCXXXVIII.

Univerſa cœlorum ſubſtantia partes continuas habet, non contiguas. Nemo itaque ſibi fingat Mundum opus artis eſſe, quod Naturæ eſt, quæ in ſphæras & circulos ſectionem non patitur: qui primi enim in orbium & circulorum pluralitatem ætheream regionem diviſerunt, magis docendi facilitatem, quam doctrinæ veritatem ſibi propoſuerunt; unitatis ſiquidem ſtudioſa divina Natura, quæ unitas eſt multiplicitatem refugit, nec plures cœlos materiâ ſeparatos & ſuperficie diſtinctos illam condidiſſe exiſtimandum eſt, cùm unicum materiæ continuitate & virtute diverſum, ei ſufficere potuerit. Neque obſtant leges motuum ſiderum, quas quia ignoramus, larvatam Aſtrologiam nobis fingimus divinámque potentiam mentis noſtræ imbecillitati audacter ſubmittimus ; quamvis cœli continuitas aſtrorum motui non adverſetur, legéſque ſuas humanæ rationi congruas ſuppeditare poſſit.

CCXXXVIII.

Primum aliquod mobile ſupra cœlos eſſe cujus motu rapidiſſimo cœli inferiores quotidie rotentur, non tam divinæ ſapientiæ inventum, quam humanæ ignorantiæ ſubſidium eſt: ſi enim primo illi motori principium motus aſſignamus, cur idem globo cœleſti denegamus ? quare cœlo externam motus cauſam fruſtra fingimus, quæ intrinſeca eſſe poteſt?

CCXXXIX.

Quemadmodum infima hæc univerſi provincia mediæ imperio ſubjecta eſt, ſic media, ætherea nempe, à ſuprema & ſupercœleſti jura & vicarium munus accepit: Cœlum quippe Empyreum & chorus intelligibilium cœleſti ordini ſuſceptas ſucceſſivè ab Archetypo virtutes inſpirant, naturaſque illas ſibi proxime ſubjacentes, tanquam prima Mundi materialis organa non ſine concentu movent; quo motu inferiora etiam commota vices ſuas, quaſi choreas ad numerum exercent, & quicquid optimi habent, à ſuperioribus mutuantur.

CCXL.

Intelligentiæ autem à divinâ mente, tanquam à fonte luminis æterni proximè ſecundùm ordines ſuos illuminantur, quo lumine, velut pabulo immortali veſcuntur, ac in eo, quaſi in ſpeculo divinæ Majeſtatis nutus & mandata legunt, ſuſcipiunt, ac in obſequii gloriam accenduntur. Hæc eſt triplicis naturæ Univerſi ratio ac unio, cujus vinculum & nodus Herculeus eſt amor divinus. Sic ternario abſolvitur univerſa hæc Reſpublica mundana, cujus creator nequaquam pars eſt; non ſecus ac unitas neque numerus eſt, neque pars numeri, licèt

omnem

omnem numerum constituat, sed numeri principium est ac mensura; neque Musicus aut citharœdus concentus pars est, sed author.

CCXLI.

Qui innumeram penè cœlestium corporum multitudinem ad globi terrestris, ejusque civium utilitatem, tanquàm ad finem suum creatam fuisse existimant, hallucinantur; longè enim nobiliores augustioresque naturas vilioribus, & deterioribus mancipari naturalis ratio prohibet. Annon verisimilius est quemlibet globum Mundum singularem constituere, totque mundos, velut divini æternique imperii feudos in vasto Ætheris spatio diffusos, eoque medio tanquam communi vinculo inter se colligatos suspendi, multiplicibusque illis naturis totius universi amplitudinem constare? quæ licet inter se plurimùm naturâ & loco dissitæ sint mutuo tamen amore ita consentiunt, ut perfectam in universo harmoniam efficiant: cœlum autem communis est omnium area, circa perfectiora tamen corpora longè purius, ideoque spirabile tenuissimum, & corpus utcunque spirituale interjacet, ac interjecta spatia implet, ut varias tot naturarum affectiones, arcanáque virtutes ab illis jugiter emanantes facile suscipiat, susceptasque aliis, licèt remotissimis, celerrimè communicet; est enim cœlum vehiculum Naturæ, quo mediante omnes universi civitates inter se commercium exercent, participéque facultatum suarum invicem fiunt: ita potentissimo amoris necessitudinisque vinculo, quasi virtute quadam magneticâ, inter se devinciuntur.

CCXLII.

Terræ globum non minùs inter astra, quàm Lunam, numerari quid prohibet? utrumque enim corpus naturâ suâ opacum est; utrumque lumen à sole mutuatur: utrumque est corpus solidum & radios solares reflectit; utrumque spiritus & virtutes emittit; utrumque in cœlo sive aëre suo pendulum est: de motu dubitatur; verum ad quid motus Terræ necessarius? quidni etiam ipsa inter tot fixa corpora stabit? Et suos forsan habet incolas Luna, supra fidem enim est tam immensas Orbium moles ociosas & steriles degere, quas nullæ creaturæ incolant, quarum motus actiones & labores in solius globi hujus infimi vilissimique commodum vergant; cùm Deus ipse solitudinis impatiens per creationem extra se migrans totum se in creaturas effuderit eisque multiplicationis legem dixerit. Annon divinæ bonitati & gloriæ proximius est, unicam totius universi fabricam, velut imperium variis plurium Mundorum naturis, quasi provinciis aut civitatibus decoratum profiteri? mundos autem ipsos tot innumerorum diversi generis civium domicilia esse; eaque omnia ad summam æterni sui conditoris gloriam creata?

CCXLIII.

Solem autem quasi lampadem immortalem in medio aulæ summi Principis suspensam, omnes ejus angulos & recessus irradiantem; aut tanquam divinæ Majestatis vicarium omnibus universi creaturis lucem, spiritum ac vitam infundentem quis non venerabitur? Æquum enim erat Deum à materiâ remotissimum materialia sua opera per organum quasi medium aliquod materiale præstantissimum, ac spiritu vivifico refertissimum tractare & regere, sensibilibúsque creaturis & populis sensibilem etiam Monarcham præficere.

CCXLIV.

Neque hæc plurium orbium sive Mundorum doctrina sacræ paginæ repugnat, quæ nobis Mundi hujus nostri tantùm genesim exhibet, omnia ferè de illâ mystico magis quam aperto sermone referens, cæteras universi naturas solummodo delibans, ut imbecillibus hominum animis curiositatis vitio & scientiæ cupidine dudum lapsis plus admirari, quàm cognoscere liceret. Illa veritatis obnubilatio, illæ mentis humanæ tenebræ pars pœnæ peccati fuerunt, cujus causâ paradisi voluptate, scientiarum deliciis, Naturæ cœlestiúmque cognitione excidit homo; ut qui ad parvum prohibitæ scientiæ desiderium se extulerat, per justam etiam concessæ privationem deprimeretur; sicque inductâ scientiarum multiplicitate ac confusione, veræ scientiæ, quæ una omnium rerum erat, amissione plecteretur: Cherubin ille est Paradisi custodiæ perfectus, igneo gladio imminens, luminis sui fulgore conscias hominum mentes obcœcans, & ab arcanis Naturæ Universique veritate arcens.

CCXLV.

Divinitas cùm sit unitas perfectissima, duobus tamen quodammodo constare & absolvi videtur, nempe intellectu & voluntate: Per intellectum omnia ab æterno cognoscit: Per voluntatem omnia operatur, utrumque absolutissimè. Scientia & sapientia ad intellectum pertinent; bonitas autem, justitia, clementia, & cæteræ virtutes, quæ morum apud nos habentur, ad voluntatem spectant; imò & ipsa Dei omnipotentia, quæ nihil aliud est, quàm voluntas omnipotens. Intelligibiles naturæ, nempe angelica & anima humana; quæ Divinitatis sunt imagunculæ, duabus etiam illis facultatibus ad pondus suum & mensuram præditæ, sunt; intellectus enim in illis est organum scientiæ, Voluntas operationis, nec aliquid ultra possunt.

FINIS.

In Physicam Restitutam Epigramma.

En Physicæ jubar exoriens, quam sorte sinistrâ
Barbaries Stygiis merserat atra vadis.
Sic formæ & dotis Physice sibi damna rependi
Aspicit, ut plures speret habere procos.
O stupor! ô miro quem non percellit amore!
Non Venus è patrio gratior orta mari,
Nec se restitui putat his hæc aurea scriptis,
Sed nasci è cerebro parturiente Jovis.

ARCANUM HERMETICÆ PHILOSOPHIÆ, Opus *in quo occulta Naturæ & Artis circa Lapidis Philosophorum materiam & operandi modum canonicè & ordinatè fiunt manifesta.*

Tractatus alter Authoris Anonymi.

PENES NOS UNDA TAGI.

HERMETICÆ PHILOSOPHIÆ STVDIOSIS S.

INter arcanæ Philosophiæ apices Hermetici lapidis opus summum esse, & miraculo propinquum fides dudum invaluit, tum propter multiplicium operationum ambages à quibus mens humana nisi à superioris luminis radiis

ra iis acceſſa expedire ſe non poteſt: cùm etiam propter nobiliſſimum ejus finem, qui conſtantem ſanitatis & fortunarum copiam, duo præcipua vitæ felicioris columina, pollicetur: propterea ſcientiæ hujus Antiſtites eam tropis ſuis & ænigmaticis ſermonibus à vulgi notitiâ remotiſſimam fecerunt, & in arduo, quaſi arcem rupibus & ſitu tutiſſimam ſtatuerunt, ad quam acceſſus non pateret, niſi viam monſtrante Deo. Studium artis occultandæ in artem, ejúſque profeſſores calumniam movit: nam imperitiâ ſuâ infauſti velleris aurei prædones ubi ſe à vano ſuo conatu deturbatos, & tantis viris longè impares ſenſerunt, in eorum nomen & ſcientiæ gloriam furiosà raptí deſperatione, quaſi bacchantes, exarſere, ſupra ſuam perſpicacitatem & ingenii vires præter inane quicquam eſſe inficiantes: & quia non innoxio labori incubuerunt, arcanæ philoſophiæ primicerios falſitatis, Naturam impotentiæ, Artem præſtigiarum inſimulare non deſierunt, haud aliâ prorſus ratione, quàm quòd incognita temerè damnant; nec ſufficit damnatio ad vindictam, niſi etiam addita rabies inſani morſu inſontes diſcerpat. Doleo hercle eorum ſortem, qui dum alios arguunt, convictionis ſuæ anſam præbent, quamvis ſuam ipſi Eryunem jure patiantur. Obſcura occultiſſimæ ſcientiæ principia argumentis acervatim cumulatis oppugnare, latentia machinis admotis ejus fundamenta convellere inſudant, quæ ſolis tam ſublimis Philoſophiæ peritis & familiaribus innoteſcunt, peregrinis occultantur: Nec advertunt oculati Cenſores, quòd dum alienam famam malignè vellicant, ſuam ſponte producunt. Excutiant illi ſecum, an quæ carpunt, intelligant? quis optimæ notæ autor arcana ſcientiæ Elementa, operationum gyros, proceſſum denique integrum evulgaverit? quis Oedipus ſchemata, implicata ſcriptorum ænigmata bonâ fide ipſis explicuerit? quo ipſi augurio, qua duce Sybillâ in ſacræ ſcientiæ Sanctuarium inducti ſint; quomodo tandem omnia de ea ità patefacta fuerint, ut nihil occultum remanſerit? Quæſtioni non aliter ſatisfacturos conjicio, quàm ſi ſubtiliſſimo ingenii ſui acumine omnia penetraſſe, aut à tranſeunte quodam circulatore edoctos, vel potiùs ſeductos fuiſſe confiteantur, qui larvatâ Philoſophi fronte eorum fidem occupaverit. Proh ſcelus! Sapientum famam, laborem, gloriam erodere quis tacitus erucas iſtas ferat? quis cæcos audaciter de Sole, tanquam ex Tripode pronunciantes patienter audiet? Verùm innocua garrulitatis tela ſpernere, quàm refellere gloriæ convenientius eſt; tantum Naturæ & Artis Theſaurum odiſſe liceat, quibus potiri non licet: Nec mihi propoſui ancipitem inauſpicatæ ſcientiæ cauſam agere, obnoxiæ tuicam ſuſcipere; inſons Philoſophia noſtra vacat crimine, inconcuſſa celeberrimorum autorum fide, multiplici plurium ſæculorum experientiâ vallata à blateronum nugis & livoris latratu ſatis tuta eſt, verùm ſtimulos addidit Charitas, animum perculit errantium turba, ut eorum miſertus noctis diſcrimen appoſita face levarem, quâ duce firmæ ætati fortuniſque ſuis periclitantibus non ſolùm ſupereſſent, ſed etiam amplitudinem adderent. Hoc opuſculum in rem veſtram (Hermeticæ Philoſophiæ ſtudioſi) exaratum vobis offero, ut quibus conſcriptum fuit, iiſdem dicatum eſſet. Si quam fortè querimoniam de me intendere, aut mihi tanquam violati ſilentii reo diem dicere placuerit, propter arcana prurienti utcumque ſtilo in vulgus emiſſa; nimiæ erga vos benevolentiæ reum habetis confitentem, eum damnate, ſi fuerit animus, modò crimen meum apud vos beneficii vicem expleat, dolictum non ingratum, pœnam ſuavem mihi fore vobis polliceor, ſi hoc uno errâſſe me ſentiam quo vos poſthac errandi finem faciatis.

Arcanum HERMETICÆ *Philoſophiæ Opus.*

Canon I.

DIvinæ hujus ſcientiæ principium eſt timor Domini: finis autem charitas & amor proximi. Templis & Xenodochiis conſtituendis ac dotandis meſſis hæc aurea debetur: ut quod à Deo conceſſum, Deo etiam acceptum referatur: tum etiam patriæ periclitanti ut auxilium, carcere aut captivitate detentis ut libertas, & inopia laborantibus ut ſolamen quæratur.

II.

Scientiæ hujus lumen donum Dei eſt, quod, quibus placet, per gratiam largitur: nemo itaque ad ejus ſtudium animum convertat, niſi mundano prius & defecato corde rerum mundanarum amore ac deſiderio vacuum ſe Deo totum voverit.

III.

Lapidis Philoſophorum conficiendi ſcientia eſt perfecta univerſæ Naturæ artiſque circa regnum metallorum cognitio, cujus praxis in metallorum principiis per analyſim inveſtigandis, iiſque longè perfectioribus factis, quàm antea fuerant iterum copulandis verſatur, ut inde reſultet medicina catholica imperfectis metallis perficiendis, ægriſque corporibus, cujuſcunque generis ſint, reſtaurandis potentiſſima.

IV.

Qui publicis honoribus & muneribus funguntur, aut etiam privatis & neceſſariis occupationibus jugiter incumbunt, ad ſummum hujus philoſophiæ culmen ne contendant: totum enim hominem illa deſiderat, inventum poſſidet, poſſeſſum ab omni ſerio & longo negotio vendicat, cætera omnia aliena reputans & flocci faciens.

V.

Hujus doctrinæ ſtudioſis omnibus pravis moribus animum exuat, ſuperbiâ potiſſimùm, quæ Cœli abominatio eſt, & inferni janua: precibus frequenter vacet: Charitatis opera exerceat: rebus Mundi parùm inhæreat: hominum conventus fugiat: conſtanti tranquilitate potiatur: ut Mens in ſolitudine liberiùs ratiocinari, & ſublimiùs attolli poſſit niſi enim divini luminis radio accenſa veritatis arcana non penetrabit.

VI.

Alchemiſtæ, qui ſuis penè innumeris ſublimationibus, diſtillationibus, ſolutionibus, congelationibus, multiplici ſpirituum & tincturarum extractione, aliiſque operationibus ſubtilibus magis quàm utilibus animos aſſueverunt, & per varios errores, quaſi tortores, diſtraxerunt, ad ſimplicem Naturæ viam & veritatis lucem nuſquam proprio genio reflectentur, à quâ laborioſa nimis ſubtilitas eos deflexit, & per giros quaſi Syrtes, implicata ipſorum ingenia demerſit; unica reſtat eis ſpes ſalutis in duce & fido præceptore inveniendo, qui vindicatis à tenebris ipſorum oculis purum Solem conſpicuum eis reddat.

VII.

Studioſus tyro ingenio perſpicax, animo conſtans, philoſophiæ ſtudio flagrans, Phyſicæ admodum peritus, corde purus, moribus integer, Deo plurimùm addictus, licèt Chemicæ praxeos ignarus, regiam Naturæ viam confidenter ingrediatur, candidiorum philoſophorum libros revolvat, congerronem ingenioſum & ſtudioſum ſibi quærat, & voto potiri non deſperet.

VIII.

VIII.

Caveat accuratè arcani ſtudioſus à pſeudophiloſophorum lectione & conſortio, nihil enim quamlibet ſcientiam addiſcenti periculoſius eſt, quàm imperiti aut doloſi ingenii commercium, à quo falſa pro veris principia inculcantur, quibus bona fide malà doctrinà imbuitur candidus animus.

IX.

Veritatis amator paucos autores, ſed optimæ notæ & exploratæ fidei manibus terat; facilia intellectu ſuſpecta habeat, maximè in myſticis nominibus & arcanis operationibus, in obſcuris enim veritas deliteſcit, nec unquam doloſiùs quàm quum obſcurè ſcribunt philoſophi.

X.

Inter primæ notæ autores, qui de arcanis phyſicis & abſtrusâ philoſophiâ acutè & verè diſſeruerunt, ex antiquis Hermes & Morienus Romanus primas me judice obtinent: ex neotericis comes Treviſanus & Remundus Lullius mihi præ omnibus venerandus; quod enim doctor iſte acutiſſimus omiſit, nemo ferè dixit: conſulat itaque, imò lectione pluries iteratâ revolvat ſtudioſus antiquius ejus teſtamentum, nec non Codicillum quaſi quoddam inſignis pretii legatum inde recepturus: duobus illis voluminibus addat utramque ejuſdem practicam, ex quibus operibus deſiderata omnia excerpi poſſunt, materiæ præſertim veritas, ignis gradus, & totius operis regimen, quibus totum opus abſolvitur, quæque occultandi ſtudio anxiè nimis laboraverunt antiqui. Abditæ rerum cauſæ, & ſecreti Naturæ motus nullibi clariùs aut fideliùs demonſtrantur. De prima & myſtica philoſophorum aqua pauca ille, ſed maximè ſignificantia interſeruit.

XI.

De aqua verò illa limpida à multis quæſita, à paucis inventa, omnibus tamen obvia & inſerviente quæ operis philoſophici baſis eſt, nobilis Polonus non minori doctrina, quàm ingenio pollens, Anonymus, cujus nomen nihilominus duplex anagramma prodidit, in novo ſuo lumine chemico, Parabola & Ænigmate, tum etiam in tractatu ſuo de ſulfure, fusè ſatis & ingeniosè dixit, imò omnia circa illam ita dilucidè aperuit, ut plura deſideranti nihil ſatis eſſe poſſit.

XII.

Typis & figuris ænigmaticis, muto quaſi ſermone liberiùs & ſignificantiùs exprimunt ſe philoſophi, quàm verbis; exemplo ſint tabula Senioris, Rozarii picturæ allegoricæ, Abrahæ Judæi apud Flamellum; tum etiam ipſius Flamelli ſchemata: ex recentioribus inſignia doctiſſimi Michaëlis Majeri emblemata, quibus veterum myſteria tam abundè recluduntur, ut quaſi nova perſpicilla antiquam & ab annis remotam veritatem, oculis vicinam & nobis optimè perſpectam ſubjiciant.

XIII.

Quicunque arcanum philoſophorum lapidem ſupra Naturæ & artis vires eſſe affirmat, penitus cæcutit, Solem enim & Lunam ignorat.

XIV.

De occulti ſui lapidis materia idem diverſo ſermone ſcripſerunt philoſophi, ita ut plurimi verbis diſſentientes, reipsâ tamen optimè conſentiant; neque diſſona eorum loquutio ſcientiam ambiguitatis aut falſitatis arguit, cùm res eadem pluribus linguis, variis enunciationibus, & multifario caractere exprimi, tum etiam una aut multiplex diversâ ratione dici valeat.

XV.

A multiplici verborum ſignificatione ſtudioſus lector caveat, doloſis enim anfractibus & ancipiti oratione, imo plerumque contrariâ, ut videtur, philoſophi myſteria ſua explicant, implicandæ & occultandæ, non adulterandæ aut deſtruendæ veritatis ſtudio; ideò ipſorum ſcripta vocibus ambiguis & homonymis abundant: In nullo autem tam acriter contendunt, quàm in celando ramo ipſorum aureo,

quem tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ:

nec ullis cedit viribus, ſed facilis volénſque ſequetur eum, qui

Maternas agnoſcit aves
& geminæ cui fortè columbæ
Ipſa ſub ora viri Cœlo venere volantes.

XVI.

Quicunque extra metallorum naturam imperfecta metalla perficiendi & multiplicandi artem quærit, in via erroris eſt, à metallis enim metallica, ſicut ab homine humana; & à bove bovina ſpecies petenda eſt.

XVII.

Metalla ſolius Naturæ inſtinctu & labore multiplicari non poſſe fatendum eſt, virtutem tamen multiplicandi in profundo eorum occultari, eámque artis ope manifeſtari licet affirmare: In hoc opere natura artis indiget auxilio, utraque totum abſolvit.

XVIII.

Corpora perfecta ſemine perfectiori prædita ſunt; ſub dura itaque perfectorum metallorum cortice latet perfectum ſemen, quod qui novit reſolutione philoſophicâ eruere, regiam viam ingreſſus eſt, nam

in auro
Semina ſunt auri, quamvis abſtruſa recedant
Longius.

XIX.

Ex Sole & Lunâ omninò componi regium opus ſuum pleriſque philoſophorum aſſeruere: Aliis Soli Mercurium addi placuit: quidam ſulfur & mercurium elegerunt: nonnulli ſali naturæ duobus illis admixto non exiguam partem opere in tanto tribuerunt. Iidem ipſi ex unâ re tantùm, modò ex duabus, modò ex tribus, modò ex quatuor, tum etiam ex quinque lapidem ſuum creari profeſſi ſunt: ſic tam vario de re eadem ſermone ſcribentes, intentione tamen conſentiunt.

XX.

Nos ut ſublatis inſidiis candidè & bonâ fide agamus, duobus ſolis corporibus, Sole nempe & Luna, ritè præparatis integrum opus perfici contendimus: Hæc enim mera generatio eſt, quæ per Naturam fit arte miniſtrante, in qua maris & fœminæ copula intercedit, unde proles parentibus longè nobilior educitur.

XXI.

Corpora autem illa virginitate intemeratâ & incorruptâ; viva & animata non extincta, qualia ſunt quæ à vulgo tractantur, ſumi neceſſe eſt; quis enim à mortuis vitam expectet; Corrupta autem dicuntur, quæ copulam paſſa ſunt: mortua verò quæ urgente ſummo mundi tyranno, martyrio animam cum ſanguine effuderunt, fuge fratricidam, à quo in toto opere ſummum imminet periculum.

XXII.

Sol maſculus eſt, activum quippe & informans ſemen emittit; luna eſt fœmina, quæ matrix & vas Naturæ dicitur, quia utero ſuo maſculi ſemen excipit, ac menſtruo ſuo fovet: Hæc tamen activâ virtute non omninò caret; prior enim amore furens maſculum ſcandit, donec ab eo extremas veneris delicias & fœcundum ſemen extorſerit; nec ab amplexu deſiſtit, quouſque prægnans facta lentam fugam experiatur.

XXIII.

Lunæ nomine Lunam vulgarem philoſophi non intelligunt quæ etiam in opere ſuo maſculus eſt, & in copulatione maſculi partes agit; duorum itaque maſculorum nefariam & contra Naturam conjunctionem tentare nemo præſumat, neque ex tali copulâ ullam prolis ſpem concipiat, ſed Gabritium Beiæ, fratrem ſorori,

Conjugio junget ſtabili, propriamque dicabit;

ut generoſum inde Solis filium ſuſcipiat.

XXIV.

Qui Sulfur & Mercurium Lapidis materiam ſtatuunt, Sulfuris nomine Solem & Lunam communem; Mercurii verò Lunam philoſophorum intelligunt: ſic remoto fuco pius Lullius amico conſulit, ne quærat operari niſi cum Mercurio & Lunâ pro argento, & Mercurio & Sole pro auro.

XXV.

Nemo itaque decipiatur duobus tertium addendo; tertium enim Amor non admittit, & binario numero terminatur conjugium; Amor ultra quæſitus adulterium eſt, non matrimonium.

XXVI.

Spiritualis tamen amor virginem non polluit; potuit itaque Beja citra crimen, ante fidem datam Gabritio, amorem contraxiſſe ſpiritualem, quò alacrior, candidior & rebus conjugii aptior fieret.

XXVII.

Liberorum procreatio legitimi conjugii finis eſt, ut autem robuſtior & generoſior infans naſcatur, omni ſcabie & maculâ mundetur uterque conjugum, antequam torum nuptialem ambo conſcendant, & nihil extranei aut ſuperflui illis inhæreat, quia ex puro ſemine munda procedit generatio, & ita caſtum conſummabitur Solis & Lunæ conjugium, quum thalamum Amoris intraverint, & conjuncti fuerint, illáque à conjuge animam adulando recipiet: ex hac copulâ naſcetur Rex potentiſſimus, cujus pater erit Sol, mater verò luna.

XXVIII.

Qui tinƈturam phyſicam extra ſolem & lunam quærit, oleum & operam perdit; ſol enim uberrimam rubedinis tinƈturam, Luna verò albedinis ſuppeditat; hæc enim duo tantùm perfecta dicuntur, quia puriſſimi Sulfuris ſubſtantiâ ingenio Naturæ perfectè mundata referta ſunt: Tinge igitur tuum Mercurium cum alterutro horum luminarium; tingi enim neceſſe eſt antequam tingat.

XXIX.

Duo in ſe continent perfecta metalla, quæ imperfectis communicare poſſunt, tinƈturam & fixationem: illa enim quia puro Sulfure, albo ſcilicet & rubeo tinƈta ſunt & fixa, ideò perfectè tinguntur, & figunt, ſi cum proprio ſuo ſulfure & arſenico aptè præparata fuerint, ſecus ſuam tinƈturam multiplicandi vim non habent.

XXX.

Mercurius ex imperfectis metallis ſolus tinƈturæ ſolis & lunæ ſuſcipiendæ in opere lapidis philoſophici aptus eſt, ut ipſe tinƈturâ plenè imbutus cætera uberrimè tingat: Sulfure tamen inviſibili priùs imprægnari debet, ut viſibili perfectorum corporum tinƈturâ largiùs inficiatur, eamque multo cum fœnore rependat.

XXXI.

Circa artem extrahendæ ab auro tinƈturæ tota philoſophantium plebs inſudat & graviter torquetur; credunt enim illi tinƈturam à Sole ſeparari, & ſeparatam virtute augeri poſſe; verùm.

Spes tandem agricolas vanis eludit ariſtis.

Neque enim fieri poteſt, Ut tinƈtura Solaris à corpore ſuo naturali omninò ſeparetur; nullum quippe à naturâ conflatum corpus elementare auro perfectius dari poteſt, cujus perfectio à forti & inſeparabili ſulfuris puri & tingentis unione cum mercurio procedit, utroque ad id per Naturam optimè præparato, quorum veram ſeparationem arti Natura denegat: quod ſi quid liquoris permanentis per violentiam ignis aut aquarum à Sole extrahatur, liquefacti aut per vim ſoluti corporis portio, non tinƈturæ ſeparatio habenda eſt. Tinƈtura enim corpus ſuum ſequitur, & ab eo neutiquam ſeparatur. Ea eſt artis illuſio ipſis artificibus incognita.

XXXII.

Verum tinƈturam à corpore ſuo ſeparabilem eſſe concedatur, non tamen citra corporis & tinƈturæ corruptionem ſeparari poſſe fatendum eſt, cùm per ignem fuſionis Naturæ deſtructorem, aut per aquas fortes rodentes magis quàm ſolventes vim artiſtæ illi inferant; corpus itaque tinƈturâ & aureo ſuo vellere ſpoliatum penitus vileſcere, & tanquam pondus inutile in damnum artifici ſuo verti, corruptámque tinƈturam minùs operari neceſſe eſt.

XXXIII.

Tinƈturam tandem illi ſuam in Mercurium, aut in quodvis aliud corpus imperfectum injiciant, & arƈtiſſimè pro artis viribus utrumque devinciant, ſpe tamen ſuâ dupliciter cadent, primò quod ſupra Naturæ vires & pondus Tinƈtura nec penetrabit, nec tinget, quapropter nihil lucri inde cedet, quo reſarciantur impenſæ & corporis ſpoliati abjectique jaƈtura, ſic

Cùm labor in damno eſt creſcit mortalis egeſtas.

Denique extorris illa Tinƈtura corpori extraneo applicata perfectam fixationem & permanentiam non dabit, ita ut examen forte patiatur, & Saturno exploratori reſiſtat.

XXXIV.

Pedem igitur illicò referant, tempori & ſumptibus parcant artis chemicæ ſtudioſi hujuſmodi circulatorum & impoſtorum hactenus fidem ſequuti, & ad opus verè philoſophicum animum convertant, ne ſerò ſapiant Phryges, & tandem cum Prophetâ exclamare cogantur, comederunt alieni robur meum.

XXXV.

In opere philoſophico plus laboris & temporis quàm ſumptuum impenditur, nam convenientem materiam habenti parvæ ſuperſunt expenſæ ſuſtinendæ; propterea qui magnam nummorum copiam præaucupantur, & arduam operis metam in ſumptibus ponunt, plus alienis opibus; quàm arti ſuæ confidunt. Caveat itaque à prædonibus illis nimiùm credulus tyro, nam dum aureos montes pollicentur, Auro inſidiantur: anteambulonem Solem poſtulant; quia in tenebris ambulant.

XXXVI.

XXXVI.

Ut inter Scyllam & Charybdin navigantes hinc inde periclitantur: non minori utrinque subjiciuntur periculo, qui velleris aureis prædè inhiantes inter ancipites Sulfuris & Mercurii philosophorum scopulos feruntur. Perspicaciores assiduâ graviorum & bonæ fidei autorum lectione, ac Sole irradiante Sulfuris notitiam adepti sunt, verùm in Mercurii philosophorum limine hærent, tot enim gyris ac mæandris illum deflexerunt scriptores tot æquivocis nominibus involverunt, ut perquirenti mentis impetu citiùs occurrat, quàm ratione aut sudore inveniatur.

XXXVII.

Ut Mercurium suum philosophi tenebris altiùs immergerent, multiplicem eum fecerunt, & in qualibet operis parte ac regimine suum Mercurium, diversum tamen, statuerunt; neque perfectam ejus notitiam consequetur, qui aliquam operis partem ignorabit.

XXXVIII.

Triplicem Mercurium suum præsertim agnoverunt philosophi, nempe post absolutam primi gradus præparationem & sublimationem philosophicam; tunc enim Mercurium suum & Mercurium sublimatum vocant.

XXXIX.

Deinde in præparatione secundâ; quæ ab autoribus prima nuncupatur, quia primam omittunt; Sole jam reincrudato, & in primam suam materiam resoluto, hujusmodi Mercurius corporum, sive philosophorum propriè dicitur; tunc materia vocatur Rebis, Chaos, totus Mundus, cui omnia operi necessaria insunt, quia illa unica lapidi perficiendo sufficit.

XL.

Denique Elixir perfectum & medicinam tingentem Mercurium suum quandoque philosophi, licèt impropriè: Mercurii enim nomen non nisi rei volatili propriè convenit, propterea quod sublimatur in quolibet operis regimine, Mercurium dicunt: At Elixir quia fixissimum est, simplex Mercurii nomen refugit, idcirco suum Mercurium dixere, ad differentiam volatilis. Recta tot Mercurios philosophorum investigandi & discernendi via illis tantùm sternitur,

quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

XLI.

Elixir dicitur Mercurius Philosophorum propter similitudinem; & magnam, quam cum Mercurio cœlesti habet, conformitatem; hic enim elementarium qualitatum expers ad illas influendas maximè pronus creditur, aliorumque Planetarum naturam ac genium versatilis ille Proteus induit & auget, ratione oppositionis, conjunctionis, & aspectus. Simile operatur anceps Elixir, nulli siquidem propriæ qualitati addictum, rei, cui commiscetur, qualitatem & ingenium amplectitur, ejúsque virtutes & qualitates mirum in modum multiplicat.

XLII.

In philosophicâ Mercurii sublimatione sive præparatione primâ Herculeus labor operanti incombit; nam sine Alcide expeditionem Colchicam frustra tentasset Jason;

Alter in auratam noto de vertice pellem
Principium velut ostendit, quod sumere possis;
Alter onus quantum subeas.

XLIII.

limen enim à cornupetis belluis custoditur, quæ temerè accedentes non sine dispendio arcent; earum ferocitatem sola Dianæ insignia & Veneris columbæ mulcebunt, si te fata vocant.

XLIII.

Naturalem terræ philosophicæ qualitatem, ejusque cultum attigisse videtur poëta hoc carmine

Pingue solum primis extemplò à mensibus anni
Fortes invertant tauri:
tunc Zephyro putris se gleba resolvit.

XLIV.

Lunam philosophorum sive eorum Mercurium qui Mercurium vulgarem dixerit: aut sciens fallit, aut ipse fallitur; Mercurium enim philosophorum Argentum vivum esse, non tamen vulgare, sed ab eo extractum ingenio philosophico Geberi scripta nos docent.

XLV.

Mercurium illum philosophorum non esse argentum vivum in naturâ suâ nec in tota suâ substantiâ, sed mediam & puram ejus essentiam quæ ab illo originem sumpsit, & ab illo creata est, graviorum philosophorum sententiæ astipulatur experientia.

XLVI.

Variis nominibus Mercurius ille philosophorum enunciatur; modò terra, modò aqua diversâ ratione dicitur; tum etiam quia ex utrâque naturaliter conflatur; Ea est Terra subtilis, alba, sulfurea, in quâ elementa figuntur, & aurum philosophicum seminatur; Illa est aqua vitæ, sive ardens, aqua permanens, Aqua limpidissima; aqua auri & argenti nuncupata. Hic verò Mercurius quia suum in se habet sulfur, quod artificio multiplicatur, sulfur Argenti vivi vocari meruit. Denique substantia illa pretiosissima est Venus priscorum Hermaphrodita utroque sexu pollens.

XLVII.

Argentum vivum partim naturale est, partim innaturale: Intrinsecum & occultum in Naturâ radicem habet, quod nisi per præcedentem mundationem & ingeniosam sublimationem evocari non potest. Extrinsecum extra Naturam & accidentale est: Separa ergo purum ab impuro, substantiam ab accidentibus, & fac occultum manifestum per viam Naturæ, secus siste gradum, hoc enim est totius artis & operis fundamentum.

XLVIII.

Liquor ille siccus & pretiosissimus humidum radicale metallorum constituit; virtum propterea ab antiquorum nonnullis dictum est; vitrum enim ex humido radicali cineribus pertinaciter inhærente elicitur, quod non nisi extremæ flammæ cedit: Mercurius tamen noster centralis benignissimo licèt longiori igne Naturæ se prodit.

XLIX.

Alii per calcinationem; alii per sublimationem; nonnulli inter vasa vitreantia; quidam inter vitriolum & sal, tanquam inter vasa naturalia latentem Terram suam philosophicam quæsiverunt: Alii à calce & vitro sublimare præceperunt. Nos autem à Prophetâ didicimus, quod in principio creavit Deus cœlum & terram, Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem Abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas, & dixit Deus, fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quòd esset bona, & divisit lucem à tenebris, &c. Benedictio Josepho ab eodem propheta enunciata sat erit sapienti: De benedictione Domini terra ejus; de pomis cœli & rore atque

abysso subjacente: De pomis fructuum Solis & Lunæ; de vertice antiquorum montium; de pomis collium æternorum &c. Deum ex intimo corde roga, fili, ut benedictæ hujus terræ portionem tibi largiatur.

L.

Argentum vivum à peccato originali ità inquinatum est, ut duplici labe scateat, primam à terrâ immundâ contraxit, quæ in ejus generatione ei se immiscuit, & per congelationem adhæsit. Altera hydropisi contermina aquæ intercutis vitium est, ab aquâ crassâ & impurâ limpidæ admixtâ procedens, quam per constrictionem exprimere & separare Natura non potuit, & quia extranea est tenui calore fugit. Lepra illa Mercurii corpus infestans de radice & substantiâ ejus non est, sed accidentalis, propterea ab eo separabilis; Terrea per balneum humidum & lavacrum Naturæ detergitur; aquea per balneum siccum benigno generationis igne in fugam vertitur: Sic per trinam ablutionem & purgationem Draco scammis antiquis & squalidâ pelle exutus renovatur.

LI.

Duobus perficitur philosophicâ Mercurii sublimatio, superflua ab eo removendo, & deficientia introducendo: superflua sunt externa accidentia, quæ fuscâ Saturni sphærâ rutilantem Jovem obnubilant: Emergentem ergo Saturni livorem separa, donec purpureum Jovis sydus tibi arrideat. Adde Sulfur Naturæ, cujus granum & fermentum Mercurius quidem in se habet quantum sibi sufficit, sed fac ut etiam aliis sufficiat. Multiplica itaque Sulfur illud philosophorum invisibile, quousque exprimatur lac virginis; tunc prima tibi patet janua.

LII.

Horti philosophorum ingressum Hesperius custodit Draco; quo patefacto fons aquæ limpidissimæ ex septemplici scaturigine emergens in limine sese undiqne effundit; in quo ter septeno magico numero Draconem pota, bibatque, donec ebrius squalidam vestem exuat: Luciferæ Veneris & corniculatæ Dianæ tibi propitia Numina sunto.

LIII.

Tria pulcherrimorum florum in horto sapientum genera perquirenda, imò invenienda sunt; puniceæ violæ, candens Lilium, & purpureus immortalisque Amaranthus. Non longè à fonte illo liminari vernantes violæ tibi primùm occurrent, quæ à largo flumine aureo per rivulos irrigatæ nitidissimum Saphiri subobscuri colorem induent: Sol tibi signa dabit. Tam pretiosos flores à radice suâ non separabis quousque Lapidem componas; recentes enim excerptæ plus succi & tincturæ habent: tunc sedulus carpe manu subtili & ingeniosâ; nam, ni fata obstent, faciles sequentur, & flore uno avulso, non deficiet alter aureus. Longiori curâ & labore Lilium & Amaranthus succedent.

LIV.

Mare suum etiam habent philosophi, in quo pingues scammisque argenteis micantes generantur pisciculi, quos qui subtili rete involvere & extrahere noverit, piscator peritissimus habendus erit.

LV.

Lapis Philosophorum in montibus antiquissimis reperitur, & à rivulis perennibus defluit; montes illi sunt argentei, & rivuli aurei; inde aurum & argentum, omnésque Regum thesauri producuntur.

LVI.

Quicunque lapidem Philosophorum consequi voluerit, longinquam peregrinationem instituat, utramque enim Indiam invisere ei necesse est, ut inde gemmas candidissimas, & aurum putissimum referat.

LVII.

Lapidem suum ex septem lapidibus extrahunt Philosophi, quorum duo præcipui diversæ naturæ sunt & virtutis: unus sulphur invisibile, alter Mercurium spirituale infundit: ille calorem & siccitatem, hic verò frigiditatem & humiditatem inducit; sic eorum ope elementorum vires in lapide multiplicantur: Prior in orientali plagâ: posterior in occidentali reperitur: uterque tingendi & multiplicandi vim habet; & nisi ab illis primam tincturam Lapis hauserit, neque tinget, neque multiplicabit.

LVIII.

♃. Virginem alatam optimè lotam & mundatam, semine spirituali primi masculi impræguatam, intemeratæ virginitatis gloriâ remanente gravidam, tinctæ puniceo colore genæ prodent: Illam secundo masculo, absque adulterii suspicione, copula, ex cujus corporeo semine iterum concipiet, ac venerandam utriusque sexus prolem tandem pariet, unde immortalis potentissimorum Regum prosapia exurget.

LIX.

Aquilam & Leonem, utrumque optimè purgatum in claustro suo pellucido reconde & copula, vestibulo strictissimè clauso & custodito ne ipsorum halitus exeat, aut aër extraneus se insinuet. Aquila in congressu discerpet & vorabit Leonem, longo deinde somno correpta, & stomacho turgente hydrops facta in corvum nigerrimum mirabili quâdam metamorphosi transibit, qui pennis sensim explicatis volare incipiet, & volatu è nubibus aquam decutiet, donec pluries madefactus sponte pennas exuat, deorsumque relapsus in Cignum migrer candidissimum. Attoniti mirentur, qui rerum causas ignorant, considerantes Mundum nihil aliud esse, quàm continuam metamorphosim: mirentur perfectè digesta rerum semina in summum desinere candorem. Philosophus in opere suo Naturam imitetur.

LX.

Natura in operibus suis informandis & peragendis ita progreditur, ut ab inchoatâ generatione per diversa media, quasi gradus rem ad ultimum perfectionis terminum perducat: sensim itaque & gradatim, non per saltum intentionis suæ finem assequitur, opus suum inter duo extrema pluribus mediis, quasi intervallis, distincta & separata definiens & includens. Praxis philosophica, quæ Naturæ simia est, in opere suo tractando & benedicti sui lapidis investigatione dirigendâ à naturæ via & exemplo deflectere non debet: quicquid enim extra naturæ cancellos fit, aut error est, aut errori proximum.

LXI.

Lapidis extrema sunt Argentum vivum naturale & Elixir perfectum; media autem, quæ interjacent, quorum ope fit progressus operis, triplicis sunt generis; vel enim ad materiam, vel ad operationes, vel etiam ad signa demonstrativa spectant: extremis & mediis illis totum opus absolvitur.

LXII.

Media Lapidis materialia diversi sunt gradus; alia enim ex aliis successivè eliciuntur: Prima sunt

Mercurius

Mercurius philosophicè sublimatus & perfecta metalla, quæ licèt extrema sint in opere naturæ, in opere tamen philosophico mediorum loco habentur. Ex prioribus illis secunda educuntur, nempe quatuor elementa, quæ vicissim circulantur & figuntur: ex secundis tertia producuntur, sulfur utrumque videlicet, cujus multiplicatio primum opus terminat: Quarta & postrema media sunt fermenta sive unguenta ex ponderatâ supradictorum mixtione in opere Elixiris successivè producta: Ex recto præfatorum omnium regimine creatur tandem elixir perfectum, quod supremus est totius operis terminus, in quo quiescit, tanquam in Centro suo, Lapis philosophorum, cujus multiplicatio nihil aliud est, quàm brevis præmissarum operationum repetitio.

LXIII.

Media operativa sive regimina (quæ etiam claves operis dicuntur) sunt quatuor, Primum est Solutio sive liquefactio: Secundum Ablutio: Tertium Reductio: Quartum Fixatio. Per liquefactionem corpora in antiquam suam materiam refluunt, cocta reincrudantur, fitque coitus maris & fœminæ ex quo generatur Corvus: Denique separatur lapis in quatuor elementa confusa, quod contingit per retrogradationem Luminarium. Ablutio docet corvum dealbare & ex Saturno Jovem creare, quod fit per corporis in spiritum conversionem. Reductionis munus est lapidi exanimato animam restituere, & rorido ac spirituali lacte eum nutrire, quousque perfectum robur attigerit: In ambabus his posterioribus operationibus sævit in seipsum Draco, & caudam suam devorando totum se exhaurit, ac tandem in lapidem convertitur. Postremò Fixationis operatio figit utrumque sulfur super corpus suum fixum mediante spiritu tincturarum mediatore; fermenta per gradus suos decoquit, cruda maturat, amara dulcorat; elixir denique fluens, penetrans & tingens generat, perficit, & ad summum sublimitatis apicem extollit.

LXIV.

Media sive signa demonstrativa sunt colores successivè & ex ordine materiam afficientes, ejusque affectiones & passiones demonstrantes, quorum tres præcipui, velut critici, notandi sunt, nonnulli quartum adducunt: Primus est niger, qui caput corvi à summâ nigredine emergente dicitur, cujus crepusculum initium actionis ignis Naturæ & solutionis, nox autem nigerrima perfectionem liquefactionis & confusionis elementorum indit. Tunc granum putrescit & corrumpitur, quo generationi fiat aptius. Nigro colori succedit albus, in quo datur primi gradus & sulfuris albi perfectio. Hic lapis vocatur benedictus: hæc terra est alba foliata in quâ philosophi aurum suum seminant. Tertius color est citrinus, qui producitur in transitu albi ad rubeum, quasi medius & ex utroque mixtus, estque veluti croceis Aurora capillis Solis prænuncia. Quartus color rubeus sive sanguineus ab albo solo igne extrahitur: Albedo autem quia facilè à quovis alio colore alteratur; antelucano oriente statim à candore suo deficit; Rubedo autem fusca Solaris sulfuris opus complet, quod sperma masculinum, Ignis lapidis, Corona Regia, & filius Solis nuncupatur, in quo quiescit primus operantis labor.

LXV.

Præter signa illa illa decretoria, quæ materiæ radicitus inhærent & mutationes essentiales indicant, infiniti penè alii colores illudunt, & in vaporibus, velut iris in nubibus, se exhibent, qui brevi effluunt, & per succedentes delentur, aërem magis quàm terram afficientes. Eorum levis operanti cura esse debet, quia permanentes non sunt, neque ab intrinsecâ materiæ dispositione proficiscuntur, sed ab igne quilibet ad nutum vel etiam casu in tenui humido per colorem pingente ac fingente.

LXVI.

Ex peregrinis tamen coloribus quidam extra tempus acciri operi malè ominantur, ut nigredo repetita; corvorum enim pullos nido relicto nusquam ad eum regredi patiendum est. Præcox rubedo; hæc etenim semel & in fine tantùm certam messis spem ostendit; si priùs materia rubeat, maximæ ariditatis argumentum est, non sine summo periculo, quod solo cœlo imbrem illicò largiente avertî potest.

LXVII.

Lapis per successivas digestiones, quasi per gradus, exaltatur, & tandem perfectionem assequitur. Quatuor autem digestiones quatuor supradictis operationibus seu regiminibus assentientes totum opus complent; quarum autor Ignis est, earúmque differentiam constituit.

LXVIII.

Prima digestio solutionem corporis operatur, per quam fit prima maris & fœminæ conjunctio, utriusque seminis commixtio, putrefactio, elementorum in aquam homogeneam resolutio, Eclipsis Solis & Lunæ in capite Draconis; totus denique Mundus in chaos antiquum & abyssum tenebrosam remeat, Hæc prima digestio fit velut in stomacho, calore pepantico & debili, corruptioni magis quàm generationi idoneo.

LXIX.

In secundâ digestione Spiritus Domini ambulat super aquas; Lux fieri incipit, & separatio aquarum ab aquis, Sol & Luna renovantur; elementæ à Chao extrahuntur, ut in spiritu perfectè mixta novum mundum constituant; novum cœlum & nova terra formantur: omnia denique corpora spiritualia fiunt: Corvorum pulli in columbas mutatis pennis migrare incipiunt; Aquila & Leo æterno nexu se amplectuntur. Hęc autem mundi regeneratio fit à spiritu igneo in aquæ formâ descendente, & originale peccatum detergente: Aqua enim philosophorum ignis est, quæ calore balnei excitante movetur. Sed vide ut separatio aquarum fiat in pondere & mensurâ, ne quæ sub cœlo manent, terram immergant, aut quæ super cœlum rapiuntur aridam nimis destituant.

Hic sterilem exiguus ne deserat humor arenam.

LXX.

Tertia digestio Terræ recens natæ lac roridum, ac omnes spirituales quintæ essentiæ virtutes propinat, animámque vivificam spiritu mediante corpori alligat: Tunc terra magnum in se thesaurum recondit, fitque coruscanti lunæ primò, deinde Soli rubicundo similis: prior dicitur terra Lunæ, posterior terra Solis, utriusque enim conjugio utraque nata est: neutra pœnas ignis amplius timet, quia ambæ omni labe carent, per Ignem enim à peccato suo pluries mundatæ fuerunt, & grave martyrium passæ, donec omnia elementa versa sint deorsum.

LXXI.

Quarta digestio omnia Mundi mysteria consummat, & per eam terra in præstantissimum fermentum conversa omnia in perfecta corpora fermentat, quia in cœlestem quintæ essentiæ naturam prius transiit, illius virtus ab Universi spiritu effluxa omnibus omnium creaturarum morbis est præsens Panacæa & catholica medicina. Hoc Naturæ & artis miraculum furnus secretus philosophorum reperiris primi operis digestionibus tibi pandet. Rectus sis in operibus tuis, ut Deum propitium habeas, secus vana Terræ tuæ fiet trituratio, neque enim

Illa seges demum votis respondet avari
Agricolæ.

LXXII.

Totus operis philosophici processus nihil aliud est, quàm solutio & congelatio; Solutio corporis & congelatio spiritus, utriusque tamen una est operatio: Fixum autem & volatile in spiritu perfectè miscentur & uniuntur, quod fieri non potest, nisi prius corpus fixum solutum fuerit & volatile factum. Per Reductionem corpus volatile figitur in corpus permanens, & natura volatilis demum migrat in fixam, quemadmodum fixa prius in volatilem transierat: Quamdiu autem errant confusæ in spiritu naturæ, spiritus ille mixtus mediam sustinet naturam inter corpus & spiritum, fixum & volatile.

LXXIII.

Lapidis generatio fit ad exemplum creationis Mundi; suum enim Chaos & materiam suam primam habeat necesse est, in quâ confusa fluctuant elementa donec spiritu igneo separentur, separata autem levia sursum, & ponderosa deorsum feruntur: luce exortâ tenebræ recedunt: Congregantur aquæ in unum, & apparet Arida. Tandem duo luminaria magna successivè emergunt, producunturque in terrâ philosophica virtutes minerales, vegetabiles & animales.

LXXIV.

Creavit Deus Adamum ex terræ limo, cui insitæ erant omnium elementorum virtutes, Terræ præsertim & aquæ, quæ sensibilem & corpoream molem magis constituunt: Huic mallæ inspiravit Deus spiraculum vitæ, & Sole Spiritus sancti eam vivificavit: Masculo Evam dedit in conjugem, benedicensque illis multiplicandi præceptum & facultatem dedit. Creationi Adæ non absimilis est lapidis philosophorum generatio, ex corpore enim terrestri & ponderoso per aquam dissoluto primò fit limus, qui Terræ Adamicæ nomen insigne meruit, cui omnes elementorum qualitates & virtutes insunt. Cœlestis tandem anima per spiritum quintæ essentiæ & Solarem influxum ei infunditur, & per benedictionem ac rorem Cœli datur ei virtus multiplicandi in infinitum mediante copulâ utriusque sexus.

LXXV.

Summum hujus operis arcanum consistit in modo operandi, qui totus circa rotationem elementorum versatur, materia enim lapidis de natura in naturam transit, elementa successivè extrahuntur, ac per vices dominium obtinent, unumquodque autem per circulos humidi & sicci agitatur, donec omnia vertantur deorsum & ibi quiescant.

LXXVI.

In opere lapidis cetera elementa in figura aquæ circulantur, terra enim in aquam resolvitur, cui reliqua insunt elementa, aqua in vaporem sublimatur, vapor in aquam recidit, & ita per circulum indefessum aqua movetur donec fixa sistantur deorsum; illa autem fixata omnia elementa fixa sunt: Sic in illam resolvuntur, per illam extrahuntur, cum illa vivunt & in illa moriuntur: terra autem illorum omnium tumulus est ac supremus terminus.

LXXVII.

Naturæ ordo postulat, ut omnis generatio ab humido & in humido incipiat: in opere philosophico Natura in ordinem redigenda est, ita ut materia lapidis, quæ terrestris, compacta & sicca est, ante omnia in proximum sibi aquæ elementum solvatur & fiuat, tunc ex Sole generabitur Saturnus.

LXXVIII.

Aquæ per septem gyros seu revolutiones circumactæ succedit aër qui totidem circulis & reductionibus rotatur, donec figatur deorsum, & Saturno expulso Jupiter insignia & regni moderamen suscipiat, cujus adventu infans philosophicus formatur, in utero nutritur, ac tandem in lucem prodit, candida & serena facie lunæ splendorem referens.

LXXIX.

Ignis naturæ demum elementorum vices absolvens, externo igne urgente, ex occulto fit manifestus: Lilium tunc tingit crocus: candentis puerî jam vilidioris facti genas rubor occupat: Regi futuro corona paratur. Hæc est primi operis consummatio, elementorúmque rotatio perfecta, cujus signum est, cùm omnia terminantur in siccum, & corpus spiritu vacuum, pulsu motúmque carens jacet: Sic tandem in terrâ omnia elementa quiescunt.

LXXX.

Ignis Lapidi insitus archæus est Naturæ, Solis filius & vicarius, materiam movens ac digerens, omniáque in eâ perficiens, si libertatem consequutus fuerit; sub duro enim cortice invalidus latet, liberationem itaque ei procura, ut tibi liber inserviat; sed cave ne supra modum ipsum urgeas, tyrannidis enim impatiens fugitivus fieret, nullâ tibi reditus spe relictâ; blandè igitur adulando ipsum evoca, & prudens custodi.

LXXXI.

Primus Naturæ motor est ignis externus, Ignis interni & totius operis moderator; philosophus itaque ipsius regimen optimè calleat, gradus & puncta observet; ab ipso enim salus aut ruina operi imminet. Sic ars Naturæ opitulatur, utriusque autem minister est Philosophus.

LXXXII.

Duobus illis instrumentis artis & naturæ lapis suaviter cum magno ingenio à solo in Cœlum se attollit, ac è cœlo in terram relabitur, quia terra nutrix ejus est, & in venti utero delatus vim superiorum & inferiorum suscipit.

LXXXIII.

Circulatio elementorum per duplicem rotam exercetur, per majorem sive extensam, & minorem sive contractam: Rota extensa omnia elementa figit in terrâ, ejúsque circulus non nisi cum opere sulfuris absoluto finitur. Rotæ minoris revolutio extractione & præparatione cujuslibet elementi terminatur; huic autem rotæ tres circuli insunt, qui motu quodam erratico & intricato materiam jugiter & variè agitant, ac pluries, septies ad minus unumquodque Elementum circumagunt sibi invicem & ordinatè succedentes, & ita consentanei, ut si unus defecerit cæterorum labor irritus fiat. Hæc naturæ sunt instrumenta, quibus elementa præparantur. Consideret itaque

Philosophus

philosophus naturæ processum in tractatu physico ad hunc finem pleniùs descriptum.

LXXXIV.

Quilibet circulus proprium habet motum; omnes autem circulorum motus circa subjectum humidi & sicci versantur, & adeo concatenati sunt ut unicam producant operationem, unumque naturæ concentum: eorum duo tum ratione terminorum, tum etiam causarum & effectuum sunt oppositi; movet enim unus sursum per calorem desiccando; alter deorsum per frigus humectando, tertius verò quietis somnique imaginem referens digerendo in summa temperie utriusque cessationem inducit.

LXXXV.

Trium circulorum primus est evacuatio, cujus labor est in subtrahendo humido superfluo, tum etiam in separando puro, mundo & subtili à fæcibus crassis & terrestribus. Summum autem periculum in hujus circuli motu versatur, quia spiritualia tractat & Naturam exuberat.

LXXXVI.

Duo in hoc circulo movendo sunt maximè cavenda, primum ne nimis intensè, alterum ne diutiùs æquo moveatur: Motus acceleratus confusionem in materia suscitat, ita ut crassa, impura & indigesta pars una cum pura & subtili, ac corpus insolutum cum soluto spiritui admixtum evolet; Hujusmodi motu præcipiti cœlestis & terrestris natura confunduntur, & spiritus quintæ essentiæ terræ mixtione corruptus hebes fit & invalidus Per prolixiorem motum terra spiritu suo nimis evacuatur, & adeò languens, arida ac spiritu destituta redditur, ut restaurari & ad suum temperamentum revocari facile non possit. Uterque error tincturas comburit, vel etiam in fugam vertit.

LXXXVII.

Secundus circulus est Restauratio, cujus officium est anhelanti & debilitato corpori potu vires restituere: Prior circulus sudoris & laboris fuit organum; hic verò refrigerii & consolationis. Hujus actio in trituranda & emollienda terra, figulorum more versatur, quò melius misceatur, fingatur, & tandem decoquatur.

LXXXVIII.

Hujus circuli motum prioris motu leviorem esse oportet, maximè in principio ejus revolutionis, ne corvorum pulli in nido suo largo flumine submergantur, & mundus nascens diluvio deleatur. Hic est aquæ ponderator & mensurarum explorator; aquam enim ex Geometricarum rationum præceptis distribuit. Nullum fere majus arcanum in tota operis praxi habetur, quàm ratus & ad justitiam libratus hujus circuli motus; Infantem enim philosophicum informat, eique animam & vitam inspirat.

LXXXIX.

Leges motus hujus circuli sunt, ut lentè & paulatim decurrat, ac parcè effundat, ne festinando à mensurâ cadat, & aquis obrutus Ignis insitus, operis architectus hebescat, aut etiam extinguatur. Ut alternis vicibus & potus administrentur, quo melior fiat digestio, ac optimum sicci & humidi temperamentum; indissolubilis enim utriusque colligatio finis ac scopus est operis; propterea vide, ut tantùm irrigando adjicias, quantum assando defecerit; quò Restauratio corroborando deperditarum virium tantum restituat, quantum evocatio debilitando abstulerit.

XC.

Digestio postremus circulus tacito & insensibili motu agit; ideo in furno secreto fieri à philosophis dicitur; nutrimentum susceptum decoquit, ac in partes homogeneas corporis convertit; putrefactio propterea dicitur; quia ut cibus in stomacho corrumpitur antequam in sanguinem & partes similares transeat: ita hæc operatio alimentum calore pepantico & stomachali conterit, ac quodammodo putrefacit, ut meliùs figatur, & ex mercuriali in sulfuream naturam commutetur: Quin etiam inhumatio vocatur, quia per eam spiritus inhumatur, & quasi mortuus humo sepelitur. Quoniam autem lentissimè progreditur, idcirco longiori tempore indiget. Duo priores circuli in solvendo præsertim laborant, hîc in congelando licèt omnes utrumque operentur.

XCI.

Hujus circuli leges sunt, ut febrili & lentissimo fimi calore moveatur, ne volatilia effugiant, & turbetur spiritus tempore strictissimæ ejus conjunctionis cum corpore; tunc enim in summâ tranquillitate & ocio negotiû peragitur; ideò ne ullis ventis aut imbribus commoveatur terra maximè cavendum est: Demum ut tertius hic circulus secundo statim & suo ordine semper succedat, veluti secundus primo: Sic per opera interrupta & per vices tres illi circuli erratici unam circulationem integram complent, quæ pluries repetita omnia tandem in terram vertit & pacem inter inimicos statuit.

XCII.

Igne utitur Natura, tum etiam Ars ad ejus exemplum, tanquam instrumento & malleo in crudendis suis operibus: In utriusque igitur operationibus ignis est magister & præfectus. Quapropter philosopho ignium cognitio maximè necessaria est, sine quâ velut alter Ixion vano labori alligatus incassum Naturæ rotam tractabit.

XCIII.

Ignis nomen apud philosophos homonymum est, quandoque enim pro calore metonymicè usurpatur, & sic quot calores, tot ignes. In metallorum & vegetabilium generatione triplicem ignem agnoscit Natura, cœlestem nempe, terrestrem, & insitum: primus à Sole tanquam à fonte suo in terræ sinum defluit; fumos seu vapores mercuriales & sulfureos ex quibus creantur metalla, movet, illisque se immiscet; ignem vegetabilium seminibus insitum torpentem excitat, & igniculos ei, quasi calcaria, ad vegetationem addit. Secundus in terræ visceribus latet, cujus impulsu & actione vapores subterranei sursum versum per poros & turbulos impelluntur, & à centro versus terræ superficiem extruduntur, tum ad metallorum compositionem, ubi terra protuberat, cùm etiam ad vegetabilium productionem eorum semina putrefaciendo, emolliendo, & ad generationem præparando. Tertius à primo, solari nempe, genitus vapido metallorum fumo, tum etiam menstruo infusus unà cum materiâ humidâ concrescit, & intra ipsius robur quasi incarceratus retinetur; aut veriùs, tanquam forma mixto suo alligatur: Vegetabilium autem seminibus insitus hæret, donec à paternorum radiorum acumine sollicitatus evocetur, tunc motus materiam intrinsecè movet ac informat, fitque plastes & dispensator totius mixti. In generatione autem animalium ignis cœlestis cum animali insensibiliter cooperatur, est enim primum agens in Naturâ:

Fernelius

Femellæ autem calor terreſtri calori reſpondet, dum ſemen putrefacit, fovet ac præparat: ignis vero ſemini inſitus, Solis filius materiam diſponit, diſpoſitam informat.

XCIV.

In operis ſui materiâ triplicem ignem obſervavêre philoſophi, Naturalem, innaturalem, & contra naturam: Naturalem vocant ſpiritum illum ignem cœleſtem, inſitum, in profundo materiæ cuſtoditum, eíque ſtrictiſſimè devinctum, qui propter metalli robur hebes ſtupeſcit, donec philoſophico ingenio, & calore externo excitatus ac liber factus corpus ſuum ſolutum movendi facultatem adeptus fuerit; tunc explicando, penetrando, dilatando; & congelando tandem humidam ſuam materiam informat. In quolibet autem mixto ignis Naturæ eſt principium caloris & motus. Innaturalem ignem dicunt eum qui accitus & extrinſecus adveniens miro artificio in materiam introductus eſt, ut naturalis vires augeat & multiplicet. Ignem autem contra naturam nuncupant eum, qui compoſitum putrefacit, & Naturæ temperamentum corrumpit; Imperfectus eſt, quia invalidus ad generationem ultra corruptionis terminos non provehitur; talis eſt ignis ſeu calor menſtrui: impropriè tamen ignis contra naturam nomen ei inditum eſt, quia quodammodo eſt ſecundùm Naturam, ſaluâ ſiquidem formâ ſpecificâ materiam ita corrumpit, ut eam ad generationem diſponat.

XCV.

Ignem tamen corrumpentem, contra Naturam dictum, non alium ab inſito, ſed primum ejus gradum eſſe credibilius eſt: Naturæ enim ordo poſtulat, ut corruptio præcedat generationem, ignis itaque inſitus Naturæ legi conſentiens utrumque exequitur, duplicem motum in materiâ ſucceſſivè excitando, primum corruptionis lentiorem à debili calore ſuſcitatum, ad emolliendum & præparandum corpus: Alterum generationis vegetiorem à calore urgentiori impulſum: ad corpus elementare jam per priorem diſpoſitum animandum & plenè informandum. Duplex itaque motus, à duplici caloris gradu ejuſdem ignis producitur, nec ignis duplex habendus eſt, At longe potiori jure igni violento & deſtruenti ignis contra Naturam nomen debetur.

XCVI.

Ignis innaturalis per ſucceſſivos digeſtionis gradus in ignem naturalem ſive inſitum convertitur, eúmque auget ac multiplicat, totum autem arcanum in multiplicatione ignis naturalis conſiſtit, qui ſimplex ultra vires proprias nec agere nec corporibus imperfectis perfectam tincturam communicare valet, ſibi enim tantùm ſufficit, nec ultra habet, quod eroget; ſed per innaturalem multiplicatus, qui virtute multiplicandi maximè abundat, longè potentiùs agit, ac extra Naturæ terminos ſe porrigit, aliena & imperfecta corpora tingens & perficiens propter exuberatam tincturam & abſtruſum ignis multiplicati theſaurum.

XCVII.

Quam etiam ſuam ignem vocant philoſophi, quia ſumè calida & igneo ſpiritu imbuta eſt, propterea ab illis aqua ignis dicitur, quia corpora perfectorum metallorum cremat & comburit plus quàm ignis communis, illa enim perfectè diſſolvit, cùm tamen igni noſtri reſiſtant, nec ab eo ſolvi ſe patiantur, eâ de cauſa aqua ardens etiam nuncupatur: ignis autem illi tincturæ in ventre aquæ occultatur, & per duplicem, ſolutionis corporis nempe, & multiplicationis effectum ſe manifeſtat.

XCVIII.

Duplici igne utitur natura in opere generationis, intrinſeco & externo: Prior rerum ſeminibus & mixtis inſitus in centro eorum occultatur corpúſque ſuum tanquam motus & vitæ principium, movet & vivificat. Poſterior verò, nempe adventitius, ſive à cœlo, ſive á terra effundatur, priorem quaſi ſopitum à ſomno excitat, & ad agendum compellit: igniculi ſiquidem vitales ſeminibus innati externo motore indigent, ut ipſi moveantur & agant.

XCIX.

Simili modo ſe res habet in opere philoſophico, nam materia lapidis ignem ſuum interiorem poſſidet, qui partim innatus, partim etiam more philoſophico additus eſt, uniuntur quippe illi duo & introrſum coeunt, quia homogenei ſunt: Internus ille externo eget, quem philoſophus ſecundum artis & Naturæ præcepta miniſtrat; hic priorem ad motum impellit. Ignes illi, quaſi binæ ſunt rotæ, quarum occulta à ſenſibili ſerius ocius percuſſa movetur: ſic ars naturæ auxiliatur.

C.

Ignis internus medius eſt inter motorem ſuum & materiam, unde fit ut qualiter ab illo movetur, ſimiliter hanc moveat; ſi intensè aut remiſsè impulſus fuerit, eodem modo in materiâ ſuâ operabitur. Informatio denique totius operis ab Ignis externi menſurâ pendet.

CI.

Ignis externi gradus & puncta qui ignoraverit, opus philoſophicum ne aggrediatur; è tenebris enim lucem nunquam eruet niſi per ſua media calores tranſeant; ſicut Elementa, quorum extrema, niſi per media non convertuntur.

CII.

Quia totum opus in ſeparatione, & perfecta quatuor elementorum lapidis præparatione conſiſtit propterea totidem Ignis gradus ad eam neceſſarii ſunt, quodlibet enim Elementum ſibi proprio ignis gradu extrahitur.

CIII.

Quatuor ignis gradus dicuntur ignis balnei, cinerum, carbonum & flammæ, qui etiam opteticus vocatur: Quilibet autem gradus ſua habet puncta, duo ſaltem, quandoque tria; Ignis enim ſenſim & per puncta movendus eſt, ſive augeatur, ſive minuatur, ut ad exemplum naturæ materia paulatim & ſponte ad informationem & complementum progrediatur; nihil ſiquidem à Natura tam alienum eſt, quàm violentum; lentum itaque Solis acceſſum & receſſum conſiderandum ſibi proponat Philoſophus, cujus fax & lampas rebus Mundi pro ratione temporum & legum Vniverſi calorem ſuum indulget, ac temperamentum impertitur.

CIV.

Caloris balnei primum punctum calor febrilis ſeu ſimi dicitur, ſecundum balnei ſimpliciter. Secundi gradus primum punctum eſt calor ſimplex cinerum, ecundum verò calor arenæ. Ignis autem carbonum & flammæ puncta proprio nomine carent, ſed ſecundùm intenſionem & remiſſionem per operationem Intellectus diſtinguuntur.

CV.

Tres quandoque tantùm ignis gradus apud philoſophos leguntur, nempe balnei, cinerum & ardentis, qui ignem carbonum & flammæ compre, hendit.

hendit. Ignis fimi nonnunquam ab igne balnei gradu distinguitur. Ita plerumque autores varia loquutione ignis philosophorum lumen tenebris involvunt; ejus enim scientia inter præcipua ipsorum arcana habetur.

CVI.

In opere albo quia tria tantùm elementa extrahuntur, tres etiam ignis gradus sufficiunt, postremus, nempe opteticus quarto elemento reservatur, quod opus rubeum absolvit. Per primum gradum fit eclipsis solis & lunæ, per secundum lunæ lumen incipit restaurari; per tertium luna splendoris sui plenitudinem assequitur; per quartum autem Sol in summum gloriæ apicem exaltatur: in quâlibet verò parte ignis secundùm geometriæ normam administratur, ita ut agens patientis dispositioni respondeat, eorumque vires inter se ad justam lancem librentur.

CVII.

Ignem suum occultandi studio plurimum incubuere philosophi, ita ut ipsum attingere vix ausi fuerint, sed per qualitatum & proprietatum descriptionem magis quàm per nomen indicent; ut sit ignis aëreus, vaporosus, humidus & siccus, clarus, astralis, qui ad nutum artificis intendi aut remitti gradatim facilè possit. Plura de ignis notitiâ desideranti Lullii opera satisfacient, qui practicæ arcana candidis animis candidè aperuit.

CVIII.

De conflictu Aquilæ & Leonis variè scriptum est, quia leo omnium robustissimum est animal, idcirco plures aquilæ ad ipsum debellandum concurrant necesse est, tres ad minus, aut etiam plures, usque ad decem: Quò pauciores, eò gravior lucta, & victoria tardior; quò autem plures aquilæ eò brevior pugna, & promptior Leonis direptio sequeretur: Fœlicior septem Aquilarum numerus ex Lullio, aut novem ex Seniore desumatur.

CIX.

Vas, quo opus suum decoquunt philosophi, duplicis generis est, unum Naturæ, alterum artis: vas Naturæ, qui etiam vas philosophiæ dicitur, est terra lapidis, sive femella, sive etiam matrix, in quâ semen masculi recipitur, putrefit, & ad generationem præparatur: vas autem artis triplex est; in triplici enim vase coquitur arcanum.

CX.

Vas primum artis ex lapide pellucido, sive ex vitro lapideo confectum est, ejus formam nonnulli philosophorum ænigmaticâ quâdam descriptione occultaverunt, modò ex duobus frustis, nempe alembico & cucurbitâ, modo ex tribus tertio duobus supradictis addito, nempe coopertorio compositum affirmantes.

CXI.

Vasorum hujusmodi multiplicitatem operi philosophico necessariam plerique finxerunt diversis nominibus ea nuncupantes, pro diversitate operationum, arcani occultandi animo, solutorium enim ad solutionem, putrefactorium ad putrefactionem, distillatorium ad distillationem, sublimatorium ad sublimationem, calcinatorium ad calcinationem, & alia similia dixerunt.

CXII.

Sed ut remoto omni dolo candidè agamus, unicum vas tantùm ad utriusque sulfuris opus terminandum sufficit, ad opus elixiris aliud, digestionum enim diversitas vasorum mutationem non exigit, imò ne mutetur aut aperiatur vas usque ad primi operis finem, maximè cavendum est.

CXIII.

Vasis vitrei formam in fundo ceu cucurbita rotundam, vel etiam ovalem, collum unius salterii palmi aut ultra prominens, satis amplum, ore stricto, ad modum ampullæ factum, sine sectione & continuum eliges, undique spissum, quò igni longo, quandoque acuto resistat: cucurbita cæca vel vas cæcum dicitur, quia oculus ei occæcatur sigillo Hermetico, ne quid extranei subintret, aut spiritus se subducat.

CXIV.

Secundum vas artis sit ligneum, ex trunco quercino in duo hemisphæria concava secto, in quo ovum philosophorum, donec pullificet, foveatur; de quo vide fontem Trevisani.

CXV.

Tertium vas furnum suum dixere practici, qui cætera vasa cum materiâ & totum opus custodit. Illum etiam inter arcana sua occultare studuerunt philosophi.

Furnus arcanorum custos Athanor ab igne immortali, quem jugiter custodit, dictus est; continuum enim licèt inæqualem quandoque ignem operi exhibet, quem secundum materiæ quantitatem & furni capacitatem, majorem aut minorem administrari ratio postulat.

CXVII.

Furni materia sit ex cocto latere, aut etiam ex terrâ pingui, vel argillâ optimè tritâ, & cum fimo equino, pilis admixtis, præparatâ, ut pertinaciùs adhæreat, nec longo calore rimosa fiat: Spissi fiant parietes trium aut quatuor digitorum, quo calorem sistere, eíque resistere validiùs possint.

CXVIII.

Forma furni sit rotunda; altitudo interior duorum pedum aut circiter, in cujus medio statuatur lamina ferrea aut ænea, rotunda, dorsi cultelli crassitudinem habens furni latitudinem interiorem penè occupans, sed eâ paulò angustior, ne parietes tangat, quæ tribus aut quatuor fulcris ferreis parietibus affixis innitatur, sitque crebris foraminibus pervia, ut calor per ea & inter latera furni & oras laminæ faciliùs sursum feratur. Inter laminam ostiolum, & aliud supra in furni parietibus relinquatur, ut ignis per inferius supponatur, per superius autem caloris temperamentum sensu deprehendatur, ad cujus oppositam partem fiat fenestella figuræ romboides vitro munita, ut lux adversa oculo admoto colores indicet. Laminæ supradictæ umbilico tripes arcanorum cum duplici vase imponatur: Demum testitudine sive tecto suo cohærente & continuo furnus optimè operiatur, ostiolis etiam strictè clausis, ne calor exhalet.

CXIX.

Primo operi omnia necessaria habes, cujus finis est duplicis sulfuris generatio; utriusque compositio & perfectio sic adimpleantur.

♈. Draconem ruffum, animosum, bellicosum, cui natalis roboris nihil desit: deinde septem aut novem aquilas generosas, virgines, quarum acies oculorum ad solis radios non hebescat, elige: Aves cum belluâ in carcerem clarum ac fortiter clausum conjice, cui balneum supponatur, ut tepido vapore ad pugnam accendantur: brevi congredientur longum ac durum certamen, donec tandem circa quadragesimum quintum aut quinquagesimum diem Aquilæ deprædari & feram dilaniare incipiant: illa moriens tabo & nigro veneno totum carcerem inficiet, quo vulneratæ Aquilæ etiam expirare cogentur:

cogentur: Ex cadaverum putrefactione genetabitur corvus, qui paulatim emergente capite, balneoque aliquantulum aucto mox alas extendere ac volare incipiet; verùm à ventis & nubibus rimas quærens diu circumagetur; tu, ne ullas invenias, cave. Tandem lentâ & longâ pluviâ ac rore cœlesti dealbatus in candidiſſimum olorem migrabit. At naſcens corvus emortui Draconis tibi ſit indicium. In corvo dealbando extrahe elementa, & ex ordine præſcripto diſtilla, donec in terrâ ſuâ figantur, & in niveos ac ſubtiliſſimos pulveres deſinant, quo peracto primo ad album voto potieris.

CXX.

Si ultra ad Rubeum procedere intendas, adde ignis elementum, quod operi albo deeſt: immoto igitur vaſe, ac igne ſenſim per ſua puncta roborato, materiam urge, donec occultum incipiat fieri manifeſtum, cujus index tibi fiet color citrinus emergens: ignem quarti gradus per ſua puncta rege, quouſque Vulcani ope ex lilio purpureæ naſcantur roſæ, tandémque amaranthus fuſco ſanguinis rubore tinctus: ſed ne deſinas ignem igne evocare, antequam in cineres rubicundiſſimos & tactui inſenſibiles materiam terminari conſpexeris, Lapis hic rubeus ad majora tibi animum erigat ſanctæ Trinitatis auſpiciis.

CXXI.

Qui Naturæ & artis ignorantiâ perfecto ſulfure opus ad metam perduxiſſe, & arcani præcepta expleviſſe autumant, graviter decipiuntur, ac incaſſum projectionem tentabunt; praxis enim lapidis duplici opere abſolvitur, primum eſt, in creando ſulfure, alterum in elixire conficiendo.

CXXII.

Sulfur illud philoſophicum eſt terra ſubtiliſſima, maximè calida & ſicca, in cujus ventre, Ignis naturæ abundè multiplicatus occultatur propterea ignis lapidis nomen meruit, habet enim in ſe virtutem aperiendi & penetrandi metallorum corpora, eáque in ſuum temperamentum convertendi, ac ſibi ſimile producendi; unde pater, & ſemen maſculinum vocatur.

CXXIII.

Ne quid intactum relinquamus, ſciant philoſophiæ ſtudioſi ex primo illo ſulfure aliud ſecundum gigni & multiplicari in infinitum poſſe: ſapiens æternam ignis illius cœleſtis mineram nactus accuratè cuſtodiat. Ex quâ autem materiâ gignitur ſulfur, ex eâdem multiplicatur, additâ primi portiunculâ, omnia tamen ad lancem: cætera ex Lullio petant tyrones, indicaſſe ſufficiat.

CXXIV.

Ex triplici materiâ componitur Elixir, aquâ nempe metallicâ ſive Mercurio ut priùs ſublimato; fermento albo, vel rubeo pro intentione operantis, & ſecundo illo ſulfure, omnia ad pondus.

CXXV.

Elixiri perfecto quinque inſunt propriæ & neceſſariæ qualitates, ut ſit fuſile, permanens, penetrans, tingens, & multiplicans: tincturam & fixationem à fermento; penetrationem à ſulfure; fuſionem ab Argento vivo, quod medium & conjungendi tincturas, fermenti nempe & ſulfuris; multiplicativam autem virtutem à ſpiritu quintæ eſſentiæ infuſam mutuatur.

CXXVI.

Duo perfecta metalla tincturam exhibent perfectam, quia puro naturæ ſulfure tincta ſunt, nullum itaque metallorum fermentum extra hæc duo corpora quæratur: Tinge igitur cum Sole & lunâ tuum Elixir album & rubeum, Mercurius eorum tincturam primus ſuſcipit, ſuſceptam aliis communicat.

CXXVII.

In Elixire componendo cave ne fermenta immutes aut commiſceas, utrumque enim elixir ſuo proprio fermento gaudet, & ſua propria elementa deſiderat: Naturâ enim comparatum eſt, ut duo luminaria ſua ſulfura diverſa, & tincturas diſtinctas habeant.

CXXVIII.

Secundum opus in eodem aut ſimili vaſe, eodem furno, ac iiſdem ignis gradibus, ac primum, coquitur, ſed breviori tempore perficitur.

CXXIX.

Tres ſunt in Lapide humores, qui ſucceſſive extrahendi ſunt, aqueus nempe, aëreus, & radicalis. Omnis itaque operantis labor & cura circa humorem verſatur, nec aliud elementum in opere lapidis, præter humidum, circulatur: Terram enim in humorem ante omnia reſolvi & liquefieri neceſſe eſt: Omnium autem radicalis humor, ignis habitus, eſt tenaciſſimus, quia naturæ centro alligatus eſt, à quo non facilè ſeparatur. Tres ergo humores illos ſenſim & ſucceſſivè extrahe per rotas ſuas ſolvendo & congelando; multiplici enim & alternâ Solutionis & Congelationis reiteratione rota extenſa, totumque opus abſolvitur.

CXXX.

Perfectio Elixiris in ſtrictâ ſicci & humidi unione & indiſſolubili matrimonio conſiſtit, ita ut nuſquam ſeparentur, ſed ſiccum modico calore fluat in humidum ad omnem ignis preſſuram permanens. Signum perfectionis eſt, ſi tantillum illius ſupra laminam ferream aut æneam candentem injectum ſine fumo illicò fluat.

CXXXI.

R. Terræ rubeæ ſive fermenti rubei tria pondera, aquæ & aëris unâ pondus duplum, ſimul optimè trita miſceantur, fiat amalgama inſtar butyri aut paſtæ metallinæ, ita ut terra emollita tactui ſit inſenſibilis: Adde ignis unum pondus cum dimidio: Hæc in vaſe ſuo ſtrictiſſimè ſigillato igne primi gradus, quantùm ſufficiat, digerantur, deinde ſuis ignis gradibus extrahantur elementa ex ordine, quæ lento motu deorſum verſa in terrâ ſuâ figantur, ita ut nulla inde volatilia excitari poſſint. Materia tandem in rupem illuminatam rubeam & diaphanam terminabitur, cujus partem ad votum accipe, & in crucibulum projectam igne levi guttatim oleo ſuo rubeo pota & incera, quouſque omninò fundatur & fluat ſine fumo. Nec fugam timeas, potus enim ſuavitate terra emollita eum intra ſua viſcera ſuſceptum ſiſtet: Tunc elixir completum penes te habeto & ſtudiosè cuſtodi. In Deo gaude & tace.

CXXXII.

Elixiris albi componendi ac perficiendi idem eſt ordo, eadem methodus, modò albis tantùm elementis in ejus compoſitione utaris: corpus autem ipſius ad decoctionis metam perductum in laminam candidam, ſplendentem, & quaſi cryſtallinam deſinet, quæ oleo ſuo albo incerata fuſionis gratiam adipiſcetur. De alterutro elixire pondus unum projice ſuper decem pondera argenti vivi abluti, & ejus effectum attonitus miraberis.

CXXXIII.

Quoniam in elixire ignis naturæ vires per inſpiratum quintæ eſſentiæ ſpiritū uberrimè multiplicatæ ſunt,

sunt & prava corporum accidentia, quæ puritatē corū, & verum Naturæ lumen tenebris obtidebant, per longas & multiplices sublimationes ac digestiones deleta sunt; idcircò Natura ignea compedibus suis liberata, ac virium cœlestium auxilio roborata, in quinto hoc nostro Elemento incluso potentissimè agit: Mirum itaque non sit, si non solùm imperfecta perficiendi, verùm etiam vires suas multiplicandi vim obtineat. Multiplicationis autem fons est in Principe Luminarium, qui infinita radiorum suorum multiplicatione omnia in hoc orbe nostro generat, generata multiplicat, virtutem multiplicativam rerum seminibus infundendo.

CXXXIV.

Elixiris multiplicandi via triplex est per primam ℞ Elixiris rubei pondus unum, quod aquæ suæ rubeæ ponderibus novem admisce, ac in vase solutorio in aquam dissolve, materiam optimè dissolutam ac unitam lento igne decoquendo coagula, donec in Rubinum finè laminam rubeam roboretur, quam posteà oleo suo rubeo incera, modo præscripto, donec fluat. Sic medicinam decuplo prima potentiorem habebis: Facilè & brevi negotium peragitur.

CXXXV.

Per secundum modum. ℞ Elixiris rui portionem ad libitum cum aqua suo mixtam, servatis ponderibus; in vase Reductionis optimè sigilla, per inhumationem in balneo dissolve, dissolutam distilla elementa successivè separando propriis suis Ignibus, ac deorsum figendo, ut in primo & secundo opere factum est, donec lapidescat: demum incera, & projice. Hæc via longior est, sed locupletior. ad centuplum enim augetur Elixiris virtus, nam quò subtiliot fit per reiteratas operationes, eò plus virium superiorum & inferiorum retinet, ac potentiùs operatur.

CXXXVI.

Postremo ℞ Unciam dicti elixiris in virtute multiplicati, & projice supra centum Mercurii abluti, & modico tempore Mercurius interspruas calefactus in purum elixir converteretur, cujus unciam quamlibet si supra alias centum similis Mercurii projeceris Sol purissimus oculis tuis illucesceret. Elixiris albi multiplicatio eadem ratione fiat. Virtutes medicinæ hujus in omni morborum genere curando & valetudine conservanda ejusque usum ex Arnaldi de Villanova, Lullii, tum etiam aliorum Philosophorum scriptis pete.

CXXXVII.

Tempora Lapidis quærentem philosophorum signifer docebit; primum enim opus ad Album in domo Lunæ; secundum in secunda Mercurii domo terminari debet. Primum autem opus ad rubeum in secundo Veneris domicilio; postremum verò in altero regali Jovis solio desinet, à quo Rex noster potentissimus coronam pretiosissimis Rubinis contextam suscipiet,

Sic in se sua per vestigia volvitur annus:

CXXXVIII.

Vellus hoc aureum triceps custodit Draco; primum caput ab aquis; secundum à terra; tertium ab aëre procedit: tria hæc capita in unum potentissimum draconem desinant necesse est, qui cæteros omnes Dracones vorabit: tunc ad vellus aureum via tibi patefacta est. Vale, studiose lector, hæc legendo spiritum æterni luminis invoca; pauca loquere; plurimum ratiocinare & rectè judica.

SVBSECTIO IV.

INTROITVS APERTVS, *ad* OCCLVSVM REGIS PALATIVM *Authore* Anonimo Philaletha Philosopho, *Cum ejusdem, ut quidem credunt, aliis* Tractatibus *tribus, Scilicet* Metallorum Metamorphosi, Brevi Manuductione ad Rubinum Cælestem, & Fonte Chimicæ Veritatis, *Item* Ioh. Ferninandi Hertodt Epistolâ *contra* Philalethæ Processus, *&* Anonymi *ad illam* Responsione.

PRÆFATIO AVTORIS.

Adepto me, Anonymo Philaletha, Philosopho, arcana medicina chimica, physica, Anno mundi Redempti millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto, ætatis autem meæ vigesimo tertio, quo Filiis Artis debitum persolvam, involutisque Erroris Labyrintho manum porrigerem; Tractatulum hunc conscribere decrevi, ut adeptis appareat, me illis parem & fratrem, seducti verò Sophistarum nugis, lucem, per quam tutò revertantur, videant & amplectantur. Ominor porrò non paucos hisce meis laboribus illuminatos fore. Non sunt Fabulæ, sed realia Experimenta quæ vidi, feci, novi, quod ex hisce lineis facilè colliget Adeptus. Quare ut ad bonum proximi hæc scribo, sat sit me professum esse, neminem in hac arte scribentem unquam tam lucidè scripsisse, neque inter scribendum pluries calamum reposuisse, quod potius vellem sub invidiæ larva veritatem celasse; at cogebat Deus, cui non potui resistere, qui solus corda novit, cui Sol gloria in seculum. Hinc indubiè colligo, multos futuros hac ultima ætate mundi hoc arcano beatos. Quia fideliter scripsi, nec studioso Tyroni ullum reliqui dubium, non perfecte satisfactum. Etiam scio, multos, qui unà mecum hoc Arcano potiuntur, multoque plures esse sum persuasus, quorum Familiaritatem quotidie de novo, ut ita dicam, sum brevi consecuturus. Faxit sancta Dei voluntas quod sibi placuerit, indignum me fateor, per quem talia efficiantur: Tamen hisce in rebus sanctam Dei voluntatem adoro, cui subesse tenentur creata universa, ob quem solum illa condidit, conditaque tuetur.

CAP. I.

De Mercurii Sophici Necessitate ad Opus Elixir.

QUisquis aureo hoc Vellere potiri cupit, sciat aurificum nostrum pulverem, quem Lapidem nostrum nominatus, esse aurum solummodò digestum in supremum gradum puritatis & subtilis fixitatis, ad quem per naturam sagaxque artificium potest deduci; quod aurum sic Essentificatum, aurum nostrum, (non amplius vulgi) nominatum, est Naturæ artisque perfectionis periodus. Possem omnes citare hac de re Philosophos;

Philoſophos; at teſtibus non egeo, quia ipſemet adeptus, & lucidius ſcribo, quàm antehac ullus. Credat qui volet, improbet qui poterit, carpat cui libet hanc certè mercedem repottabit, altam ignorantiam. Subtilia, fateor, ingenia Chimæras ſomniant; at in via Naturæ ſimplici veritatem ſedulus reperiet. Autum igitur purificandi verum, unum ſolum, principium eſto. Eſt autem aurum noſtrum duplex quod ad opus noſtrum experimus, maturum puta, fixum Latonem flavum, cujus cor ſive centrum eſt ignis purus, quare corpus ſuum in Igne defendit, in quo deputationem recipit, ut nihil ejus tyrannidi cedat, aut ab eo patiatur; Hoc in Opere noſtro vices matris gerit, quare auro noſtro albo crudiori, ſpermati fœmineo conjungitur, in quo ſperma ſuum emittit, tandemque vinculo indiſſolubili utrumque coit, ſic fit noſter Hermaphroditus utroque ſexu pollens. Mortuum eſt itaque aurum corporale, priuſquam cum ſua ſponſa conjungatur, cum qua Sulphur coagulans, quod in auro eſt extra verſum invertitur. Sic abſconditur Altitudo & manifeſtatur profunditas. Sic fixum ad tempus fit volatile, ut nobiliorem poſtea ſtatum hæreditario poſſideat, in quo fixitatem præpollentem obtinet. Patet itaque quod totum Secretum in Mercurio conſiſtat, de quo Philoſophus: In Mercurio eſt, inquit, quicquid quærunt Sapientes. De hoc Gebet: Laudetur, inquit, Altiſſimus, qui Mercurium noſtrum creavit, eique dedit naturam cuncta ſuperantem. Certè enim, niſi hic eſſet, glorientur Alchymiſtæ, utut volunt, at vanum eſſet opus Alchymicum. Liquet proinde, quod non vulgaris ſit hic Mercurius, at Sophicus, quia omnis Mercurius vulgi eſt mas, id eſt, corporalis, ſpecificatus & mortuus; at noſter eſt ſpiritualis, fœmina viva & vivifica. Attende ergo quæ ſim de Mercurio dicturus, quia, ut ait Philoſophus, Mercurius noſter eſt Sal Sophorum, ſine quo quicunque operatur, eſt ſicut ſagittarius, qui ſine chorda ſagittat, & tamen nuſpiam eſt ſuper terram reperibilis. Filius autem eſt à nobis formatus, non creando, at ex iis rebus, in quibus eſt, extrahendo, cooperante natura; modo mito per artem ſagacem.

CAP. II.

De Componentibus Principiis Mercurii Sophici.

INtentio quorumdam in hac arte operantium eſt hæc, ut Mercurium diverſimodè purgant: nam per ſalia adjuncta ſublimant, nonnulli à variis fecibus, alii per ſe tantùm vivificant, ſic repetitis operationibus Mercurium Philoſophorum factum autumant, & errant, quia non in natura operantur, quæ ſola in ſua Natura emendatur. Sciant itaque, aquam noſtram componi ex multis, eſſe tamen rem unam ex diverſis Subſtantiis unius Eſſentiæ concretis factam. Eſt nempe in Aqua noſtra requiſitus primò Ignis, ſecundò liquor Saturniæ vegetabilis, tertiò Mercurii vinculum. Ignis eſt mineralis Sulphuris, & tamen non propriè mineralis eſt, nedum metallicus; at medius inter mineram & metallum, neutet utriuſque particeps, Chaos ſive Spiritus, quia Draco noſter igneus, qui omnia vincit, tamen per odorem Saturniæ vegetabilis penetratur, cujus Sanguis cum ſucco Saturniæ concreſcit, in corpus unum mirabile, & tamen corpus non eſt, quia totum volatile, nec ſpiritus, quia in igne metallum liquatum refert. Eſt itaque revera Chaos, quod ad omnia metalla ſe habet, ut mater. Ex eo namque omnia extrahere novi, etiam Solem Lunamque abſque Elixire Tranſmutatore, quod qui patiter vidit, poteſt atteſtari. Vocatur hoc Chaos Arſenicum noſtrum, æs noſter, Luna noſtra, Magnes noſter Chalybs noſter, diverſo tamen reſpectu, quia varios ſtatus ſubit materia noſtra, priuſquam ex meretricis noſtræ menſtruo excernatur Diadema Regale. Diſce igitur, qui ſint ſocii Cadmi, quique ſit Serpens, qui illos voravit, quæ ſit cava quercus, ad quam Cadmus Serpentem transfixit. Diſce, quæ ſint Dianæ Columbæ, quæ Leonem mulcendo vincunt, Leonem, inquam, viridem, qui revera eſt Draco Babylonienſis, veneno ſuo cuncta interimens. Tandem diſce Mercurii caduceum, quo cum operatur mira, quæque ſint nymphæ illæ, quas incantando inficit, ſi voto tuo cupis potiri.

CAP. III.

De Chalybe Sophorum.

SApientes Magi multa de Chalybe ſuo poſteris tradiderunt, nec leve momentum ei attribuerunt, quare inter Alchymiſtarum vulgus non leve eſt certamen, quidnam Chalybis nomine ſit intelligendum. Hujus variam interpretationem varii dederunt. Candidè de hoc Author Novi Luminis, at obſcurè ſcripſit. Ego ut nil ab Artis Inquiſitoribus ex invidia celarem, ſincerè deſcribam. Chalybs noſter eſt Operis noſtri vera Clavis, ſine quo ignis lampadis nulla arte poteſt accendi: Eſt auri minera, ſpiritus præ cunctis valde purus, eſt ignis infernalis, ſecretus, in ſuo genere ſumme volatilis, mundi miraculum, virtutum ſuperiorum in inferioribus ſyſtema, quare ſigno illum notabili notavit Omnipotens, cujus nativitas per Orientem in Horizonte Hemiſphærii ſui philoſophicum annunciatur. Viderunt Sapientes in ævo Magi, & obſtupuerunt, ſtatimque agnoverunt Regem Sereniſſimum in mundo natum. Tu, cum ejus Aſtra conſpexeris, ſequere ad uſque cunabula, ibi videbis infantem pulchrum, ſordes ſemovendo, regium puellum honora, gazam aperi, auri donum offeras, ſic tandem poſt mortem tibi carnem ſanguinemque dabit, ſummam in tribus Terræ Monarchiis medicinam.

CAP. IV.

De Magnete Sophorum.

QUemadmodum Chalybs ad Magnetem trahitur, Magneſque ſponte ſe ad Chalybem convertit, ſic & Magnes Sophorum trahit illorum Chalybem. Quare ſicut Chalybem docui eſſe auri Mineram, pariter & Magnes noſter eſt Chalybis noſtri vera Minera. Notifico porrò Magnetem noſtrum habere centrum occultum Sale abundans, qui Sal eſt menſtruum in Sphæra Lunæ, qui novit calcinare aurum. Centrum hoc ſe convertit appetitu archetico ad Polum, in quo virtus Chalybis eſt in gradus exaltata. In Polo eſt Cor Mercurii, qui verus eſt Ignis, in quo requies eſt Domini ſui, navigans per mare hoc magnum, ad utramque pertingat Indiam, curſum dirigat per aſpectum Aſtri Septentrionalis, quod faciet tibi apparere Magnes noſter. Sapiens gaudebit, ſtultus tamen hæc parvi pendet, nec ſapientiam diſcet, etiam licet Polum centralem extra verſum conſpexerit notatum ſigno Omnipotentis notabili. Tam duræ ſunt cervicis, quòd etſi ſigna viderint & miracula, non tamen Sophiſmata ſua deponant, nec ſemitam rectam ingrediantur.

CAPUT

CAP. V.

Chaos Philosophorum.

Filius Philosophorum audiat Sophos unanimiter concludentes Opus hoc esse Creationis Universi assimilandum. In initio igitur creavit Deus Cœlum & Terram, & erat Terra inanis & vacua, & ferebatur Dei Spiritus super aquarum faciem, & dixit Deus: Esto Lux, & Lux erat. Verba hæc Artis filio sat erunt. Etenim Cœlum cum Terra oportet conjungi super thorum amicitiæ. Sic in honore per universam vitam regnabit. Terra est corpus grave, mineralium Matrix, quòd in se illa occultè servet, licet arbores & animalia in lucem profetat. Cœlum est in quo Luminaria magna cum Astris circumvolvuntur, suasque vires trans aëra ad inferiora dimittit, at id principio confusa simul omnia fecêre Chaos. Ecce sanctè veritatem propalavi: Chaos etenim Nostrum est quasi Mineralis Terra, coagulationis suæ respectu, & tamen aër volatilis; intra quod est Cœlum Philosophorum in Centro suo, quod Centrum est reverà Astrale, irradians Terram adusque superficiem suo jubare. Et quis Magus tam prudens, qui ex hisce colligat novum Regem natum cunctis præpollentem, fratrum suorum à labe Originali Redemptorem, quem oportet mori, & in altum tolli ut carnem suam & sanguineum in mundi vitam det? Bone Deus, quàm mirifica sunt hæc tuo Opera? A te hoc factum est miraculum apparet in oculis nostris. Gratias ago tibi, Pater Domini cœli & terræ, quòd abscondens his à sapientibus & prudentibus, & revelaris ea parvulis.

CAP. VI.

Aër Sophorum.

Expansum sive Firmamentum Aër in Sacris vocatur. Aër item Chaos nostrum nominatur, idque non citrà Secretum insigne, quoniam sicut Aër Firmamentalis est Aquarum Separator, pariter & Aër noster. Est ergò Opus nostrum reverà systema majoris Mundi. Quoniam ut Aquæ subtus Firmamentum videntur & apparent nobis qui supra Terram vivimus. At superiores Aquæ visum nostrum fugiunt, quia tam latè à nobis distant; Pariter & in microcosmo nostro aquæ sunt minerales extracentrales, quæ apparent; at quæ intus clauduntur, visum nostrum fugiunt, & tamen reverà extant. Hæ sunt, de quibus Author Novi Luminis; quæ sunt, at non apparent, donec Artifici placeat. Quemadmodum ergo Aër distinguit inter Aquas, sic & aër noster omnem aquarum extracentralium ad aquas, quæ in centro sunt, ingressum prohibet. Etenim si ingrederentur & miscerentur, itum statim Unione in dissolubili coalescerent. Dicam itaque Sulphur extraneum vaporosum comburens adhærere pertinaciter Chao nostro, cujus tyrannidi non valens resistere, avolat purum ab igne sub specie pulveris sicci. Tu si aridam hanc Terram, aqua sui generis rigare sciveris, poros Terræ laxabis, & externus hic fur cum Operatoribus nequitiæ foràs projicietur, purgabitur aqua per additamentum Sulphuris veri à sorde leprosâ, & ab humore hydropico superfluo, habebisque in posse Comitis à Trevis Fontinam, cujus Aquæ sunt propriè Dianæ Virgini dicatæ. Hic fur est nequam arsenicalis malignitate armatus, quem juvenis alatus horret & fugit. Et licèt Aqua centralis sit hujus Sponsa, tamen Amorem suum erga illam ardentissimum non audet exerere, ob latronis insidias, cujus technæ sunt verè inevitabiles. Esto hîc tibi Diana propitia, quæ feras domare novit, cujus binæ columbæ pennis suis æris malignitatem temperabunt, quod per poros facilè ingreditur adolescens, concutit statim per oledos, nubemque tetricam suscitat, tu undas superinduces ad Lunæ usque candorem, atque ita Tenebræ, quæ supra abyssi faciem erant, per spiritum se in aquis moventem discutientur. Sic jubente Deo Lux apparebit. Lucem è Tenebris separa septima vice, eritque creatio hæc Sophica Mercurii completa, eritque septimus tibi Dies Sabbathum quietis, à quo tempore ad anni usque revolutionem possis expectare generationem supernaturalis Solis filii, qui circà finem seculorum in mundum veniet, ut à labe cuncta suos fratres liberet.

CAP. VII.

De Operatione Primæ Mercurii Sophici præparationis per aquilas volantes.

Scias Frater, quod exacta aquilarum Philosophorum præparatio, primus perfectionis gradus censetur, in quo cognoscendo ingenium requiritur habile. Noli namque credere, quòd alicui nostrûm casu vel imaginatione fortuita provenerit hæc Scientia, prout stupide ignarum Vulgus credit, verùm multum diuque sudavimus, multas noctes insomnes duximus, multùm laboris ac sudoris sumus perpessi, ut veritatem consequeremur. Eapropter, Tyro studiose, certò scias, quòd absque sudore & labore nil efficias, putà in Opere primo, licet in secundo natura sola opus exequitur absque ulla manuum impositione, solo igne moderato externe adhibito. Intellige ergo, frater, Sophorum dicta, cùm scribunt, aquilas suas ad Leonem vorandum esse ducendas, quarum quò parcior numerus, eò gravior lucta, tardior item victoria, præstantissime autem opus perfici septenario numero aut noveno. Est, puta, Mercurius Sophicus Avis Hermetis, qui nunc Anser vocatur, nunc Fasianus, nunc Hic, nunc Ille. Ubi verò loquuntur Magi de aquilis suis, plurali numero loquuntur, numerumque assignant à Tribus usque ad Decem. Non tamen sic volunt intelligi, ac si totidem aquæ pondere ad unum terræ vellent, verùm de intrinseco pondere dicta sua interpretari opportunum est, nimirum capiendam esse Aquam toties acuatam, quot illi numerant aquilas; quæ acuatio fit per sublimationem. Est ergo singula sublimatio Mercurii Philosophorum, Aquila una, septimaque Sublimatio Mercurium tuum sic exaltabit, ut Balneum Regis tui fiat convenientissimum. Quare ut probè nodum hunc explicatum habeas, arrige aures attentissimè: Sumantur Draconis nostri ignei, qui in ventre suo Chalybem occultat magicum, partes quatuor, Magnetis nostri partes novem, misce simul per Vulcanum fortidum, in forma mineralis Aquæ, cui supernatabit spuma rejicienda. Tellam repudia, nucleumque selige, puga tertia vice, per ignem ac Solem, quod facile fiet, si Saturnus in speculo Martis suam formam aspexerit. Fiet inde Chamæleon sive Chaos nostrum, in quo latent omnia arcana virtute non actu. Hic est infans Hermaphroditus, qui à primis suis incunabilis per Canem Corascenum rabidum morsu infectus est, unde perpetua hydrophobia stulteseit, insanitque, imò licet aqua sit sibi quavis re naturali propinquior tamen illam horret ac

ac fugæ, ô fata! Sunt tamen in ſylva Dianæ binæ Columbæ, quæ rabiem ſuam inſanam mulcent. Tum ne hydrophobiæ recidivam patiatur, aquis ſubmerſas, in iiſque pereat, quarum impatiens nigricans canis rabidus ad aquarum ſuperficiem fere ſuffocatus aſcender, tu imbre ac verberibus illum fuga, ac procul arce, ſic tenebræ diſparebunt. Fulgente Luna in ſuo plenilenio pennas ſuppedita, & avolabit Aquila relictis pone ſe mortuis Dianæ Columbis, quæ ſi primâ acceptione fuerint mortuæ, prodeſſe nequeunt. Itera hoc ſepries, tum tandem requiem adeptus es, niſi quod decoctio tibi nuda incumbat, quæ eſt quies placidiſſima, Ludus Puerorum, Opus Mulierum.

CAP. VIII.

De Præparationis primæ labore & tædio.

SOmniant quidam Chemicolæ ignari, totum opus à principio ad finem metam eſſe recreationem jucunditate plenam, laborem verò extra hujus artificii cancellos ſtatuunt: atqui ſuâ tutò ſententia fruantur. In Opere, quod tam facile ſibi affinxerunt, meſſem ſanè inanem ab otioſa ſua operatione merent. Scimus, puta, quod poſt Benedictionem divinam, ac radicem bonam, primas obtineat labor, induſtria & ſedulitas; Nec ſane labor familiæ (qui ludus potius, ſeu animi recreamentum cenſendus eſt) id quod tantopere expetimus, ad vota dabit, imò, uti ait Hermes, non animæ ac labori parcendum eſt. Aliter, quod in parabolis prædixit ſapiens verificabitur, nempe quod inertis deſiderium occidet ipſum; Nec mirum, ſi tot homines Alchemiam tractantes ad pauperiem redigantur, Laborem puta, effugiunt, nec ſumptus patiuntur. Nos autem, qui hæc novimus & elaborati ſumus, pro certo comperiimus, nullum laborem præparatione noſtra prima tædioſiorem. Idcirco Morienus ſerio Regem hac de re hortatur, dicens: Plurimos Sapientum de operis hujus tædio fuiſſe conqueſtos. Nec figuratè vellem hæc intelligi, ſiquidem non res jam conſidero, qualiter apparent in operis ſupernaturalis Initio, verùm qualiter illas primo invenimus. Habilem reddere maſſam, inquit Poëta, hoc opus, hic labor eſt. Iterumque

Alter inauratam noto de vertice pellem, &c.
Alter onus quantumſubeas, quantumque laborem
Impendas craſſam circa molem & rude pondus, &c.

Eapropter Herculeum hunc primum laborem Nobilis ille Arcani Hermetici Author nomina. Sunt enim in principiis noſtris multæ heterogeneæ ſuperfluitates, quæ in puritatem nunquam (ad opus noſtrum) reduci poſſunt, eapropter penitus expurgare illas expedit, quod factu impoſſibile erit abſque arcanorum noſtrorum theoria, qua medium docemus, quo cum ex meretricis menſtruo excernatur Diadema Regale. Quo medio cognito, adhuc labor magnus requiritur, tantus, quod, ut ait Philoſophus, plurimi artem dimiſerunt manicam propter terribilia mala. Non tamen eo inficias, quin mulier artis laborem facile ſubire poſſit, ita tamen, ut inter labores, non luſus ſibi adnumeret; Verùm parato ſemel Mercurio, quies tandem adepta eſt, quæ quovis labore longè eſt optabilior, ut ait Philoſophus.

CAP. IX.

De Virtute noſtri Mercurii ſuper omnia Metalla.

MErcurius noſter eſt Serpens ille, qui Cadmi voravit ſocis, nec mirum, quia Cadmum ipſum cæteris robuſtiorem prius voraverat, tandem tamen hunc Serpentem Cadmus transfiget, cum virtute ſui Sulphuris illum coagulaverit. Sciasitaque Mercurium hunc noſtrum omnibus corporibus metallicis prædominari, illaque ſolvere in materiam ſuam proximam Mercurialem Sulphura eorum ſeparando; Sciaſque, quòd Mercurius Aquilæ unius, aut duorum, aut trium Saturno, Jovi, Venerique imperet; Lunæ imperat à tribus aquilis ad ſeptem, tandem Soli imperat ad aquilas uſque decem. Notifico proinde Mercurium hunc eſſe primo Enti metallorum viciniorem quovis alio mercurio, quare tadiciùs corpora metallica intrat, eorumque profunditates abſconſas manifeſtat.

CAP. X.

De Sulphure, quod eſt in Mercurio Sophico.

PRæ cunctis mirum hoc eſt, quòd in Mercurio noſtro non modò actuale, verùm etiam activum inſit Sulphur; Et tamen omnes Mercurii proportiones & formam retinet. Quare formam illi per noſtram præparationem introducere neceſſe eſt, quæ forma eſt Sulphur metallicum, quod Sulphur eſt ignis, qui compoſitum Solem putrefacit Hic ſulphureus Ignis eſt ſpirituale ſemen, quod virgo noſtra (nihilominus intemerata remanens) contraxit, quia amorem ſpiritualem admittere poteſt Virginitas incorrupta, juxta Arcani Hermetici Authorem, ipſamque Experientiam Ratione hujus Sulphuris eſt Hermaphroditus, quia tam activum quàm paſſivum principium eodem tempore idem Mercurius, per eundem digeſtionis gradum conſpicuum includit: Siquidem cum Sole junctus, hunc mollit, liquefacit, & ſolvit, calore ad compoſiti exigentiam temperato. Eodem Igne ſeipſam coagulat, darque in ſua Coagulatione Solem, eumque juxta Operationis placitum. Incredibile hoc forſan tibi videbitur, at verum, nempe quòd Mercurius homogeneus, purus & mundus, interno Sulphure per artificium noſtrum gravidus, ſolo calore convenienti adhibito ſemetipſum coagulet, per modum floris, lactis, ſupra natante quaſi terra ſubtili ſuper aquas. Cùm Sole verò junctus, non ſolùm non coagulatur, verùm mollius quotidie conſpicietur compoſitum, uſque dùm pene ſolutis corporibus inceperint coagulari ſpiritus, in colore nigerrimo, in odore fœtidiſſimo. Patet proinde, quod Sulphur hoc ſpirituale metallicum ſit reverà movens primum, quod rotam vertit axemque vertit in gyrum. Sulphur hoc eſt revèrà Aurum volatile, nondum ſatis eſt digeſtum, at ſatis purum, quare nuda digeſtione in Solem tranſit. Verùm, ſi jungatur Soli jam perfecto, non tam coagulatur, at diſſolvit corporale aurum, cum eoque diſſoluto remanet, ſub unâ forma, licet ante unionem perfectam mors neceſſariò debeat procedere, ut poſt mortem uniantur, non in unaria ſimpliciter perfecta, at in millenaria pluſquam perfecta perfectione.

CAPUT

CAP. XI.

De Inventione perfecti Magisterii.

SApientes olim, quotquot hanc Artem citrâ librorum opem sunt adepti, hoc modo ad illam assequendam sunt adducti nutu Dei. Non enim mihi persuadere possum, quod immediatâ revelatione ad ullos pervenerit, nisi forte Salomon habuerit, quòd sub Judice relinquere, quàm determinate malim. Et tamen etiamsi habuerit, ad illam tamen indagine pervenisse quid impedit, cùm Sapientiam solam postulaverit, quam Deus sic illi dederat, ut cum illa etiam opes, pacemque possideret? Quia erga plantarum arborumque naturam à Cedro in Libano ad hyssopum usque parietariam rimatus est, intellexisse eum pariter minerarum naturas, quarum non jucunda minus cognitio, quis sanus mente negabit? Sed ad rem. Dicimus, quòd verosimiliter credendum sit hoc Magisterio potitos primos adeptos, inter quos Hermes, quibus librorum deerat copia, quæsivisse primò non plusquam perfectionem, at simplicem tantùm imperfectorum ad regalem statum exaltationem, cumque cernerent, omnia metallica Mercurialis esse Originis, Mercuriumque pondere ac Homogeneitate esse metallorum perfectissimo auro simillimum, hunc ideo ad Auri maturitatem digerere sunt conati, verùm nullo Igne id potuerunt efficere. Quare secum perpenderunt, requiri saltem præter extrinsecum calorem internum ignem ad vota complendum. Hunc ita in plurimis rebus quæsiverunt. Primò Aquas summè calidas ex minoribus mineralibus extillarunt, cum eodemque Mercurium corroderunt, at nulla arte hac via efficere potuerunt, ut Mercurius intrinsecas suas proprietates mutaret, utpote; quia aquæ omnes corrosivæ externa solum agentia essent per modum ignis, licet differenter: Et non permanebant hæc menstrua, uti vocabant, cum corpore dissoluto: Eadem ratione confirmati salia cuncta repudiarunt, *Uno Sale* excepto, qui est Salium Ens primum, qui quodvis metallum dissolvit, eadem opera Mercurium coagulat; at hoc non nisi via violenta. Quare Agens istiusmodi integro pondere & viribus à rebus iterum separatur. Quare agnoverunt tandem Viri sapientes in Mercurio obstare cruditates aqueas, & fœces terreas, ne digestus fiat, quæ radicitus infixæ, non nisi per totius compositi inversionem possint exterminari. Noverunt, inquam, Mercurium, si posset ista exuere; statim fixum futurum. In se quippe fermentale Sulphur habet, cujus vel minimum granum esset totum corpus Mercuriale coagulando, dummodo fœces & cruditates possint removeri. Hoc ergo tentarunt purgationibus variis, at frustrà; utpote cum mortificationem patiter & regenerationem postulet prædictum, ad quod Agente Opus. Tandemque noverunt, Mercurium in Terræ viscetibus ad metallum fuisse destinatum, ad quem scopum quotidianum retinebat motum, quamdiu loci aptitudo, cæteraque externa bene disposita manserunt; verùm casu his vitiatis, sponte ruebat hæc immatura proles. Sic quod privatum quodam motu, vitaque conspicitur, à privatione verò ad habitum regressus immediatus est impossibilis. Passivum, puta, est in Mercurio, quod debuerat esse Activum; ita, quòd opus sit vitam aliam, ejusdem naturæ huic introducere, in qua introducenda vitam Mercurii latentem suscitat. Sic vita vitam recipit; Tum tandem funditus immutatur, & à centro sponte rejiciuntur fœces seu sordes, prout in præcedentibus capitulis abundè satis scripsimus. Vita hæc est in solo Sulphure metallico: Quæsiverunt Magi in Venere similibusque substantiis, at frustrà. Tandem Saturni sobolem in manus acceperunt, illamque probbaverunt auri Stylangen. Quod ergo ab Auro maturo fœces secernendi vim haberet, idem in Mercurio facturum argumento à majori ad minus ducto confidebant. At & hanc suas sordes retinere experimento comprobarunt, meminerunt que triti proverbii: Mundus esto, qui alterum cupis mundificare. Quare hanc purgare conantes, penitus comperetunt impossibile, quoniam in se Sulphur nullum haberet metallicum, licèt Sale naturæ abundaret purgatissimo. Quod ergo in Mercurio exiguum, eumque passivum solùm Sulphur notarunt, in hac Saturni Prole nullum actuale, at solùm potentiale inveniunt. Quare cum Sulphure Arsenicali comburente fœdus iniit; & sine hoc stulteścens subsistere nequit in forma coagulata, & tamen ita stupida est, quod cum hoc hoste, à quo arctissim incarceratur, habitare malit, scortationemque committere, quàm renunciare huic, & sub forma mercuriali apparere: Quare activum Sulphur ulterius quærentes, penitissimè tandem abolitum in Domo Arietis quæsiverunt & invenerunt Magi. Hoc autem à Saturni Prole avidissimè est exceptum, quæ, puta materia metallica est rutilissima, tenerrima, primoque Enti metallico propinquissima, omni privata Sulphure actuali, in potentia tamen ad Sulphur recipiendum. Quare instat Magnetis ad se hoc trahit, & in suo ventre absorbet ac abscondit; Omnipotensque, quo Opus hoc summè exornaret, Regium suum Sigillum huic imprimit. Tunc statim gravisi sunt Magi, cùm Sulphur non solùm repertum, at etiam paratum conspexerint. Tandem Mercurium purgare per hoc sunt aggressi; at non respondit eventus, quia adhuc malignitas arsenicalis huic Sulphuri in sobole Saturni absorpto commisceretur, quæ etsi exigua jam esset, respectu ejus, quàm in sua minerali natura haberet, copiæ, tamen omnem prohiberet ingressum. Quare per Columbas Dianæ hanc æeris malignitatem contemperare probarunt, & eventus votis respondebat. Tum vitam vitæ commiscuerunt, & per liquidam siccam humectarunt, nec non per activam passivam acuerunt, & per vivam mortuam vivificarunt. Sic obnubilatum est cœlum ad tempus, quod post largos imbres iterum serenum factum est. Hic Mercurius emersit Hermaphroditicus. Hunc ergò in ignem posuerunt, & illum tempore haud admodum longo coagularunt, inque sua coagulatione Solem Lunamque reperierunt purissima. Tandem ad se reversi cogitarunt, quòd Mercurius hic depuratus nondum coagulatus nondum erat metallum, at volatilis factus, quoque nullam relinqueret in destillatione sua in fundo remanentiam. Quare Solem immaturum, Lunamque suam vivam illum nominarunt. Consideratunt item, quod ex quo verum esset Auri Ens primum adhuc volatile existens, quidni esset ager, in quo satus Sol virtute augeretur. Eaptopter Solem in eodem posuerunt, & quod admirationem facilè pattaret, fixum in eodem factum est volatile, durum molle, coagulatum dissolutum, stupente ipsa natura. Quare hæc duo invicem desponsarunt, vitro incluserunt, ad ignem posuerunt, opusque rexerunt ad naturæ exigentiam, tempore longo Sic vivificatum est mortuum, mortuumque est vivum putruit corpus, & gloriosus resurrexit spiritus, animaque tandem exaltata est in Essentiam Quintam animalibus, metallis ac vegetabilibus summam Medicinam.

CAP. XII.

De Modo faciendi perfectum Magisterium in Genere.

IMmortales Deo gratias agere debemus, quod hæc arcana Naturæ nobis monstraverit, quæ ab oculis plurimorum abscondidit. Quæ ergo nobis gratis data sunt à Datore illo magno, gratis ac fideliter aliis studiosis patefaciemus. Scias itaque Operationis nostræ Secretum maximum aliud nihil existere, quàm Cohobationem Naturarum, unius super aliam, quousque Virtus digestissima ex digesto per crudum extrahatur. Ad hoc autem requiritur primò exacta rerum opus ingredientium comparatio, ac præparatio, adaptatioque. Secundò extractarum bona dispositio; Tertiò rebus sic paratis bonum requiritur regimen, Quarta præcognitio desideratur in Opere apparentium, ne cæcè procedatur; Quintò patientia, ne opus festinetur, aut præcipitanter regatur. De his omnibus, quantum frater fratri dicemus ordine.

CAP. XIII.

De Sulphuris Usu in Opere Elixiris.

DE Mercurii necessitate diximus, multaque de Mercurio Arcana tradidimus, quæ ante me latebant in mundo jejuna, quia aut enigmatibus obscuris, aut Sophisticis Operationibus, aut tandem verborum scabiosorum congerie, libri fere omnes Chemici scatent. Ego verò non sic egi, hac in re voluntatem veram divino beneplacito reluctans, qui hac ultimâ mundi periodo thesauros hosce reseraturus mihi videor, quare non amplius timeo, ne vilescat ars, absit! hoc fieri nequit. Nam vera Sapientia se ipsam in æterno tuetur honore. Utinam tandem instar omnium vilesceret aurum argentumque, magnum à toto mundo hactenus adoratum idolum! tum nos, qui hæc callemus, non ita latere studeremus, qui jam ipsam Caini maledictionem recepisse nos, (lugentes atque suspirantes!) judicamus; nempe ut à facie quasi Domini quasi arceremur, & à jucunda societate, quam quondam cum amicis sine pavore habuimus. Jam verò agitamur quasi à furiis obsessi, nec ullo in loco tuto nosmet diu credere possumus, sæpe quoque lamentationem Cain ad Deum queruli facimus: Ecce quicunque me inveniet, occidet. Familiæ enim non audi suscipere, vagabundi per varias gentes erramus nec certam ullam habitationem obtinemus. Et licet omnia possideamus, paucis tamen uti licet; in quo ergo felices sumus? sola excepta speculatione, in qua magna est animi satisfactio. Credunt multi, qui ab arte sunt alieni, se si illa potirentur, hæc & talia facturos, sic quoque & nos olim credidimus, verùm cautiores factì periculis, secretiorem methodum elegimus. Qui enim imminens vitæ periculum semel auffugerit, de cætero, crede mihi, sapientior, dum vixerit, redditur. Uxores, ut in proverbio est, cælibum, puerique virginum bene vestiuntur ac educantur. Inveni mundum in malignissimo statu positum, sic quod nullus fere reperiatur, utut honesti faciem gesserit, reique publicas ostenderit, qui non privatum scopum aliquem sordidum ac indignum sibi proponat. Nec quisquam mortalium solus quicquam efficere valet, ut quidem in misericordiæ Operibus, nisi capitis discrimen incurrere voluerit: Quod nuper sum expertus in locis quibusdam peregrinis, ubi medicinam moribundis quibusdam desertis atque afflictis corporis miseriis exhibui, & ad miraculum sanitatem recuperarunt, mutmur statim factum est de Elixiri Sophorum, ita, quod non semel summis cum molestiis, mutatis vestibus, raso capite, crinibusque aliis indutus, alterato nomine noctu fugam facerem, aliter in manus nequissimorum hominum mihi insidiantium (ob solam suspicionem unà cum Auri sitis acerrima conjunctam (incidissem, multa hujusmodi narrare possim, quæ nonnullis ridicula videbuntur. Dicent enim, si ego hæc vel illa scirem, aliter facerem, sciant tamen ingeniosis tædium futurum cum tardis conversari, ingeniosi autem sunt vafri, subtiles, perspicaces, & quidam ut Argi sunt oculati, quidam curiosi sunt, quidam Machiavelliani, qui inquirent in vitam, mores atque hominum actiones penitissimè, à quibus salrem, si familiaris adsit notitia, latere est perdifficile. Si talem, qui hæc de se credit (nempe se sic aut sic facturum, si lapide potiretur) alloquens dicerem: Tu es adepti cujusdam familiaris, statim mente revolvens, responderet: hoc esse impossibile, forsan semel vivere possem, at familiariter cum eo versari, non fieri potest, quin olfaceret. Tu qui hæc credis de te ipso, annon alios æquali tecum perspicacitate pollere credis, qui te discernant, cum quibusdam enim conversari oportet, aliter Cynicus, aliter Diogenes videbere. Si verò cum plebeis conversabere, hoc indignum. Si verò inter prudentes familiaritatem contraxeris, summe cautum esse te oportet, ne alii te discernant eadem felicitate, qua te alium Adeptum (sibi ignorami secretum notum) expiscari posse, credis, & modo familiari ejus consortio potiri valeas. Adhuc non facile suspicionem conceptam dignosces, citra grave incommodum: levis item conjectura satisfaciet ad insidias tibi parandas. Tanta est in hominibus nequitia, quòd non rarò laqueo strangulatos quosdam novimus, qui tamen ab Arte erant alieni. Sufficiebat, quòd desperati quidam murmur audierant de arte cujus peritiæ nomen habuerunt. Tædio foret omnia recensere, quæ Nosmet experti sumus, vidimus atque audivimus hac de re, insuper hac ætate mundi plus, quàm ulla priori. Quis non Alchimiam prætendit, ita ut ne pedem vix movere ausus fueris, nisi prodi cupias, si modò secreto aliquid transegeris. Hæc tua cautio zelum quibusdam incutiet, ut penitius te timentur, de nummorum Sophisticatione ogganient & quid non? Si paulò apertior fueris, effecta sunt insolita, sive fuerint in Medicina, sive in Alchimia, si Auri Argentique pondus ingens habueris idque venundare velis, mirabitur facile ullus Auri obryzi argentivè purissimi, unde magna quantitas adveheretur, cùm à nullis ferè locis nisi fortè Barbaria aut Guinea aurum obryzum adducatur, idque sub specie arenæ minutissimæ: Tuum verò illo grada nobilius, & tamen sub massæ forma, non carebit murmure maximo. Non tam stupidi sunt omentes, licèt instar puerorum ludentes dixerint oculi sunt clausi, veni, non videmus, si adveneris tamen, ex uno saltem oculi angulo tantum videbunt, quantum tibi sat sit ad miseriam maximam creandam. Argentum verò finum adeò, ac arte nostra productum est, à nullo loco affertur. Ex Hispania quod adducitur optimum, parum bonitate excellet Sterling Anglicanum, idque sub forma monetæ rudioris quæ furto transportatur, Legibus regionum prohibentibus. Si ergo copiam puri argenti vendideris, jam te prodidisti, sin autem adulteraveris, [non metallurgus] capitis supplicio teneris, juxtà Leges Angliæ atque Hollandiæ ac omnium ferè gentium, quæ provident, quòd omnis deterioratio Auri & Argenti,

Argenti licet ad stateram, si modò non per metallarium professum ac licentiatum sub capitis crimine censeretur. Novimus nos quod dum quondam vendere argenti puritissimi tantum, quantum 600. libræ, tentaremus, extra patriam nostram, mercatori similes induti, (nam adulterare non ausi fuimus, quia quævis ferè regio suam habet argenti bonitatis stateram ac auri, quam facile norunt Metallici intantum, quod si prætenderemus allatum hinc aut inde, per probam statim agnoscerent apprehenderentque vendentem) statim dixerint nobis, quibus obtulimus, arte factum argentum, causam cur id affirmarent rogantibus nobis, nil aliud respondebant, quam argentum, quod ex Anglia, Hispania, &c. affertur, non jam discernere discituri sumus: at hoc est ex nullo illorum genere. Quod nos audientes, clàm subduximus nos, & reliquimus tam argentum quàm pretium nunquam repetendum. Insuper si finges aliunde allatum magnum Auri pondus præcipue Argenti, hoc sine tumore fieri nequit. Dicet Nauclerus, talis Argenti quantitas à me non est allata, nec potest navem ingredi, cunctis nescientibus. Cumque audierint alii, qui illuc mercari assolent, ridebunt, dicentque, quid? an verisimile, quòd malim argenti aurive hic possit comparare, navi imponere, tam strictis prohibentibus Legibus, tamque stricto scrutinio præcaveri solito. Sic statim non in una sabrim regione, at in circumjacentibus publicabitur. Hæc nos periculis edocti latere decrevimus, tibique, qui talem somnias Artem, communicabimus, ut videamus, quidnam in bonum publicum, cùm adeptus fueris, machinaberis. Dicimus ergò, quòd sicut anteà Mercurium in opere necessarium docui, taliaque de Mercurio protuli, quæ nulla ante me fecit veritas; ita jam Sulphur ex altera parte experi notifico, sine quo Mercurius nunquam proficuam in opere supernaturali congelationem accipiet. Sulphur in Opere nostro maris vices gerit, & sine hoc quicunque artem aggreditur transmutatoriam, incassum omnia tentat, omnibus Sophis affirmantibus, nullam fieri posse Tincturam sine ære suo, quod æs est aurum sine ulla ambiguitate sic dictum. Hinc nobilis Sendivogius: Sciens inquit, & inter stercora lapidem nostrum cognoscit, & ignorans etiam in auro illum esse non credit; In auro puta, quod Aurum Sophorum est, aureitatis tinctura latet, hoc cùm sit corpus digestissimum, tamen in uno solo Mercurio nostro incrudatur, & à Mercurio seminis sui multiplicationem recipit, non tam pondere quàm virtute. Et quamvis Sophisticum plurimi Sophorum hoc negare videantur, ita tamen est reverà, uti dixi. Ajunt, puta, mortuum esse Aurum vulgare, suum autem vivum esse; sic pariter granum tritici mortuum est, id est, activitas in eo germinans suppressa succumbit, atque sic æternum maneret, si modo in aëre siccoambiente servetur: verùm in terram projiciatur, & visam fermentalem mox suscipit, tumet, mollescit, germinatque. Ita porrò res sese habet cum Auro nostro, mortuum est, id est, sigillatur ejus vis vivifica sub cortice corporeo ad grani similitudinem licet differenter, in quantum discrimen intercedit magnum inter granum vegetabile, aurumque metallicum. Verùm quemadmodum granum in aëre sicco in perpetuum impermutatum manet, in igne destruitur, in aqua sola nostra est reducibile, & tunc vivum est granum nostrum, prout Triticum in agro seminatum, mutato nomine est sementum agricolæ, quod quamdiu in horreo maneret, frumentum erat, tam ad panificium aliaque, quàm ad seminationem accommodatum: pariter & Aurum, quamdiu in annuli vasisve forma, nummive conspicitur, vulgare est, priori modo mortuum dicitur, quia immutatum ad mundi usque finem maneret; posteriori modo vivum dicitur, quia sic est in potentia, quæ potentia intra paucos dies in actum deduci valet, aurum tum non amplius erit aurum, sed Sophorum Chaos. Meritò ergo dicunt Philosophi: Aurum Philosophicum ab Auro vulgari distare, quæ differentia in compositione consistit. Prout en in homo mortuus dicitur, qui jam mortis sententiam recepit; Sic Aurum vivum dicitur, cum tali compositione miscetur, talique igne supponitur, in quo necessario vitam germinativam brevi sit recepturum, imo intra paucos dies vitæ inchoantis actiones sit demonstraturum. Quare iidem Sophi, qui dicunt Aurum suum vivum esse, jubent te Artis investigatorem mortuum revivificare, hoc si noveris, atque agens paravetis, ac ritè miscueris aurum tuum, non tardè vivum fiet: In qua vivificatione vivum tuum menstruum morietur. Ideò jubent Magi mortuum vivificare, vivumque mortificare, & tamen Aquam suum primo limine vivam vocant, dicuntque, quod mors unius principii cum vita alterius unam eandemque habet periodum. Unde patet Aurum suum mortuum sumi, Aquam verò vivam, accomponendo hæc simul brevi decoctione vivefit Aurum mortuum, occiditurque vivus Mercurius, id est, coagulatur spiritus soluto corpore, atque ita in forma limi putrescunt utrumque simul, utque dum omnia membra compositi in atomos divellantur Hic ergo est naturalitas nostri Magisterii. Mysterium quod tantopere occultamus, est parare Mercurium, verè sic dictum, qui non potest reperiri super Terram, ad manus nostras paratus, idque ob singulares rationes noras Adeptis. In Mercurio hoc Aurum purum, purgatur ad summum puritatis limatum aut lancellatum amalgamamus optimè, & in vitro inclusum assiduè coquimus: Aurum virtute Aquæ nostræ dissolvitur, redi que ad proximam suam materiam, in qua vita Auri inclusa fit libera, & suscipit vitam dissolventis Mercurii, qui est respectu Auri idem, quod Terra bona, respectu grani tritici. In hoc ergo Mercurio Aurum solutum putrefit, & ita necessariò oportet esse, necessitate Naturæ Quare post putrediuem mortis resurgit novum Corpus, ejusdem cum priori essentiæ; nobilioriſque substantiæ, quæ gradus suscipit virtutis proportionaliter ad differentiam, inter Elementorum quatuor qualitates. Hæc est Operis nostri ratio, hæc est tota nostra Philosophia. Diximus itaque, quod nil sit in Opere nostro secretum, excepto solo Mercurio, cujus Magisterium est, ritè illum præparare, & cum Auro justa proportione maritare igneque regere ad Mercurii exigentiam. Quia Aurum per se non timet ignem, ergo regimen caloris ad Mercurii tolerantiam accommodare, hic labor, hoc opus. Qui verò Mercurium suum non ritè paravit, etsi cum eo Aurum junxerit, ejus aurum adhuc est aurum vulgi, utpote quod cum tali agente fatuo jungitur, in quo aquæ impermutatum manet, ac si in arcana maneret, nulloque ignis regimine corpoream naturam deponet. Noster verò Mercurius non est talis, ideoque aurum nostrum est spermaticum, sicut Triticum satum est sementum, cùm idem triticum in horreo annona, sive frumentum maneat, mortuumque etiam licet in pyxide subtus terram inhumetur, [prout Indi Occidentales frugem suam in Terræ fossis à vapore aqueo munitis abscondere assolent] tamen nisi vapore terræ humido occurrat, mortuum est, id est, sine fructu manet, & à vegetatione remotum sane. Scio multos

eſſe, qui doctrinam hanc carpent, dicentque: Aurum vulgi ſubjectum Lapidis materiale affirmat, Mercuriumque currentem: nos verò contrarium novimus. Agite Philoſophi, cruminas veſtras examinate, quia talia noviſtis, num Lapidem habetis? Ego ſanè non ex dono, (niſi Dei mei) non furto illum poſſideo, habeo; feci, & quotidie mea ſub ditione ſervo: Eja tractate aquas veſtras pluviales, Majales, Salia veſtra, garrite de ſpermate veſtro, Dæmone ipſo potentiore, laceſſite me opprobriis, creditis me hoc veſtro turpiloquio triſtitia affici? Dico, quòd ſolum Aurum & Mercurius ſint noſtra materialia, & ſcio quæ ſcribo, & novit cordium ſcrutator Deus, quòd ſcribam vera. Nec eſt, quòd invidiæ me accuſes, quoniam intertrito calamo, inaudito ſtylo, in honorem Dei, ulumfructum proximi, mundique & divitiarum contemptum ſcribo. Quia natus eſt jam Elias Artiſta, & gloriosa jam prædicantur de Civitate Dei. Plures autem aſſeverare me poſſidere divitias, quàm totus valet cognitus Orbis: at uti non licet ob nebulonum inſidias. Dedignor meritò atque deteſtor hanc Auri Argentique idolomaniam, qua cum pretium, pompam ac vanitates mundus celebrat. Ah turpe ſcelus! ah inane Nihil! creditis me hæc celare, ſcilicet ex invidia, nequaquam: profiteor namque me ex imo pectore dolere, quòd nos vagabundi per totam terram quaſi à Domini facie arcemur. At verbis non opus eſt, quæ vidimus, tetigimus, ac elaborati ſumus, quæ habemus, poſſidemus atque novimus, hæc declaramus. Sola compaſſione erga ſtudioſos motus ex indignatione Auri & Argenti, lapidumque pretioſorum, non quatenus Dei creaturæ, abſit, eatenus quippe honoramus, & honoranda cenſemus; at populus adorat Iſraëliticus pariter ac mundanus. Quare ſerpentis inſtar ahenei in pulverem conteratur. Spero & expecto, quod poſt paucos annos pecus erit pecunia, fulcrumque hoc belluæ Antichriſtianæ ruet in rudera, delirat populus, inſaniunt gentes, inutile pondus vice Dei habent. Hæccine noſtram tamdiu expectatam brevique emerſuram redemptionem concomi abuntur? Quum Hieruſalem nova Auro in plateis ſcatebit, portæque ex integris lapidibus pretioſiſſimiſque conficientur, arborque vitæ in Paradiſi medio folia dabit ad gentium ſanitatem? Novi, novi, quòd hæc mea ſcripta erunt plurimis inſtar Auri Obryzi & Aurum Argentumque per hæc mea ſcripta vileſcent inſtar fimi, credite Juvenes Tyrones, credite Patres quia tempus adeſt ad fores, non ex vano conceptu hæc ſcribo, at in ſpiritu video, cum nos Adepti à quatuor angulis Terræ redibimus, & Domino Deo noſtro gratulabimur. Cor meum inaudita murmurat, ſpiritus meus in bonum totius Iſraëlis Dei in pectore pulſat. Hæc præmitto in mundum præconis inſtar, ut non inutilis mundo ſepeliar. Eſto Liber meus præcurſor Eliæ, qui paret viam Domini regiam, & utinam quilibet in toto terrarum Orbe ingenioſus Artem hanc calleret, tum copioſiſſimè abundante Auro, Argento, Gemmiſque, nullus hæc magnificaret, niſi quatenus ſcientiam continerent. Tunc tandem virtus nuda ob ſui ipſius naturam amabilem in honore haberetur. Novi plurimos Artem poſſidentes, veramque ejus notitiam, qui omnes ſilentium ſecretiſſimum habent in votis. Ego verò ob ſpem, quam in Deo meo habeo, aliter judico, quare librum hunc conſcripſi de quo nullus fratrum meorum Adeptorum (quibuſcum quotidie verſor) novit. In fide enim firmiſſima Deus requiem cordi meo dedit, credoque ſi ac dubio, quod Domino Creditori, mundoque proximo, Iſraëli præcipuè ſim hac via ſerviturus hoc talenti mei uſu, & ſcio nullum poſſe talentum ſuum tantum in fœnus proferre: Prævideo namque centenos aliquot fortè hiſce meis ſcriptis fore illuminatos. Eapropter cum carne & ſanguine non contuli, conſenſum fratrum in hoc ſcribendo non ſum aucuparus. Faxit Deus pro nominis ſui gloria, ut quem expecto finem conſequar, tum ſaltem gaudebunt, quotquot me norunt Adepti, quòd hæc publicarim.

CAP. XIV.

De requiſitis in genere ad hoc Opus Circumſtantiis accidentibus.

ARtem Chemiſticam ab omnibus erroribus vulgaribus ſequeſtravimus, & debellatis Sophiſmatibus & putatorum curioſis ſomniis artem ex auro & Mercurio fieri debere docuimus. Solem Aurum ſine ulla metaphora oſtendimus; Mercurium Argentum vivum, citrà omnem ambiguitatem declaravimus. Prius à natura perfectum & venale demonſtravimus; Poſterius per artem fabricandum ostendimus. Rationes addidimus tam claras ac perſpicuas, quod niſi cæcutire velles ad Solem, non poſſis quin percipere. Profeſſi ſumus, iterumque profitemur, nos non ex fide, quam aliorum ſcriptis damus, hæc protuliſſe, Vidimus ac novimus, quæ fideliter declaramus, fecimus, vidimus ac tenemus Lapidem magnum Elixirem. Nec ſane tibi invidemus illius notitiam, at optamus, ut ex his ſcriptis ediſcas. Notificavimus inſuper, quòd difficilis ſit Mercurii veri Philoſophici præparatio, tamque difficilis, ut opus ſit peculiari Dei gratia, ſi quis ad exactam ejus notitiam pervenire cupierit. Ego quod nullus alius ante me fecit talia de illius fabrica protuli, quod plura nequeam, niſi Acceptum darem, quod & feci, ſolummodo res propriis ſuis nominibus non nominavi. Reſtat porrò, ut uſum praxinque deſcribamus, per quam facile bonitatem aut defectum Mercurii dignoſcas, & eo cognito alterare atque emendare pro voto poſſis. Habito itaque Mercurio animato, auroque, accidentalis reſtat purgatio, tam Mercurii quàm Auri, poſtea deſponſatio, tertio rectio.

CAP. XV.

De accidentali Purgatione Mercurii & Auri.

AUrum perfectum in Terræ viſceribus reperitur, unde aliquando in fruſticulis arenaque reperitur. Si hoc ſincerum habere poſſis, purum eſt ſatis; ſin minus, purga vel cum Antimonio, vel per cineritium vel bulliendo cum aquâ forti, auro prius granulato. Poſteà funde igne fuſionis, ac limato, & paratum eſt. Mercurius verò indiget interna atque eſſentiali purgatione, quæ eſt additio Sulphuris veri gradatim, juxta numerum aquilarum, tum radicitus purgatur. At inſuper accidentalem poſcit mundationem ad externas ſordes à centro ejectas abluendas. Non abſolutè neceſſarius eſt hic labor, tamen opus accelerat, ideoque conveniens eſt. Quare cape Mercurii tui, quem paraſti per aquilarum numerum convenientem, & ſublima ter à ſale communi ac Martis ſcoriis, terendo ſimul cum aceto & modico ſalis ammoniaci, uſque dum Mercurius diſpereat, exſicca tum & deſtilla per Retortam vitream igne gradatim aucto, uſque dum totus Mercurius aſcenderit. Hoc quater reitera, poſtea Mercurium bulli in aceti ſpiritu per horam in cucurbita, aut vitro lati fundi ac ſtricti colii, agitando interdum ſtrenuè. Decanta tum acetum, & aceto-

& acetositatem elue aqua fontana, repetim affusâ. Tum exsicca Mercurium & fulgorem ejus mirabere. Possis lavare urinâ aut aut aceto & sale ac sublimationi parcere, tum saltem quater destillare, postquam omnes aquilas perfecisti citra additionem, lavando Retortam chalybeatam quavis vice cinera ac aqua, tandem bulli in aceto illato per dimidium diei, agitando interdum strenuè & nigricans acetum effunde novum, tandem elue aqua calida possisque aceti spirituum redistillando à nigredine liberare & ejusdem virtutis habere. Hoc totum est ad amovendam externam immunditiem, quæ non adhæret in centro, & tamen est in superficie paulò obstinatior, quàm sic percipies, Mercurium amalgama cum Auro purgatissimo. fiat amalgama in charta mundissima, & videbis, quod amalgama chartam nigredine fusca inquinarit; Huic fœci tu occurres per destillationem præfatam & ebullitionem ac agitationem, quæ præparatio opus valde promovet accelerando.

calefac mortarium, & tere ut suprà, fortiter ac sedulitèr, tum cum aqua alida, elue omnem nigredinem. Impone iterum in priorem liquorem, & in vitro eodem ebulli iterum strenuè ac lava. Hoc reitera, usque dum nullo labore ullum possis colorem ex amalgamate abstergere, clarescet tum amalgama instar purissimi argenti, politissimique, stupendo candore. Adhuc observa temperaturam & cave, quod sit exquisita juxta datas sin minus, efficè justam, & procede ut suprà. Hoc opus est laboriosum, tamen laborem, compensatum videbis signis in opere apparentibus. Tandem bulli in aqua pura, decantando & reputendo, quousque salsedo & acrimonia tota evanuerit; tum aquâ effusâ exsicca amalgama, quod citò fiet Ut autem securus valde sis; (quia nimia aqua opus perdet, vapore suo vas, utut magnum rumpendo) agita suprà chartam mundam cum apice cutelli, à loco ad locum, usque dum exsiccetur optimè, tum procede, ut docebo.

CAP. XVI.

De Amalgamate Mercurii & Auri, & de pondere Utriusque debito.

HIsce ritè peractis, capies auri purgati & lancellati, aut subtiliter limati, partem unam, Mercurii partes binas, impone mortario marmoreo, calefacto, nempe in aqua bulliente, (ex qua statim exemptum exsiccatur & calorem diu retinet) tere cum pistillo eburneo, aut vitreo, aut lapideo, aut ferreo (quod, non tam bonum est) aut buxeo, vitreum tamen aut lapideum præstat. Ego corallino albo uti soleo. Tere, inquam strenuè, quousque fiat impalpabilis, tanta cum diligentia tere, ac pictores colores suos solent comminuere, tum vide temperaturam, si plicabilis, sit instar butyri non nimis calidi, nedum frigidi, ita tamen, ut declinatum amalgama non permittat decurrere Mercurium, instar aquæ hydropicæ intercutalis, bona est consistentia; sin minus, adde aquæ quantum sufficit ad hujusmodi consistentiam faciendam. Lex misturæ hæc est, quod promptissimè plicabilis sit ac mollissima, & tamen instar glebularum rotundarum formari queat, instar butyri, quod licet digiti tactu levissimo cedat, tamen in globos formari à muliere lavante potest. Exemplum allatum observa, ut exactissimum, quia ut butyrum, etsi declinetur, tamen non effundit de se liquidius aliquid, quàm tota est massa; pariter & mistura nostra Pro intrinseca natura Mercurii hoc signum dabitur, vel in dupla vel tripla proportione Mercurii ad corpus, vel etiam in triplo corporis ad quadruplum spiritus, aut duplo ad triplum; Eritque pro Mercurii differentia mollius aut asperius amalgama; semper tamen memento; quod in glebulas coalescat, illæque glebulæ sepositæ sic concrescant, quod non appareat vivacior Mercurius in fundo quàm in summo. Nota enim, quod si quiescere permittatur amalgama, sponte indurescit. Judicanda ergo est temperatura inter agitandum, & si tum plicabilis sit instar butyri, glebulasque fieri permittat, suæque glebulæ in charta munda positæ sine molestia sic in quiete concrescant, quod fundus summitate non sit liquidior, bona est proportio. Hoc facto, cape spiritum aceti, & solve in eo tertiam partem Salis ammoniaci, & impone Mercurium & Solem anteà amalgamatum, in hunc liquorem, impone vitro colli longi, & bullire permitte quadrantem horæ, forti ebullitione, tum exime misturam ex vitro, semove liquorem,

CAP. XVII.

De Vasis proportione, forma, materia & clausura.

HAbebis Vitrum ovale aut rotundum tam magnum, ut aquæ destillatæ unciam unam capiat in sua sphæra ad ultimum, nec sanè minus, si possis; sed circa illam mensuram quàm caute possis compara. Habeat vitrum collum palmæ unius altitudine, esto vitrum bene clarum, spissum, quò spissius eò melius, dummodo distinguere possis in vitri concavo actiones. Ne sit spissius in uno quàm in alio loco. Esto materia huic vitro adaptata uncia semis Auri cum uncia una Mercurii, & si triplum Mercurii addideris, adhuc intra binas uncias erit totum compositum. Estque hæc proportio exquisita. Porrò nisi vitrum sit spissum, insigne perseverare non valebit, quia venti, qui in vase ab Embryone nostro formantur vas dirumpent. Esto vitrum sigillatum in summitate, caute â, quod nec fissura sit, nedum foramen, aliter periret opus. Sic videbis, quod opus in principiis suis materialibus non excedat pretium aureorum trium. Imò in aquæ fabrica sumptus unius libræ vix excedit coronatos duos. Instrumenta fateor sunt nonnulla, illa tamen neutiquam cara, & si meum instrumentum destillatorium habueris, à vitris fragilibus facile excusabere. Sunt tamen aliqui, qui somniant imperialis forsan unius pretium toti operi inserviturum, quibus respondere licet, hoc, illos nunquam opus experimento fecisse probare. Alia enim sunt in opere necessaria, quæ sumptibus indigent. At instabunt hi ex Philosophis, omne quod magno pretio emitur, in opere nostro mendax reperitur Quibus responderem, & quid est Opus nostrum? nempe facere Lapidem? illud quidem finale est: Verùm, opus est humiditatem reperire, in qua aurum liquescit sicut glacies in aqua tepida; hoc reperire est Opus nostrum; in hoc multi insudant, ut Mercurium Solis, alii ut Mercurium Lunæ lucrarentur; at frustrà. Nam in hoc opere mendax est omne, quod caro venditur pretio. Amen dico, quod hujus Aquæ principii materialis tantum emi possit pretio unius floreni quantum ad duas integras libras Mercurii animandum sat sit, ut fiat verus Sapientum Mercurius. Interim vasa vitrea, carbones, vasa terrea, furnus, vasa atque instrumenta ferrea non possunt nihilo comparari. Taceant ergo turpes Sophistarum garrulitates impudenter mentientium, ac

garru-

gàrrulitate ſua plurimos ſeducentium. Abſque perfect› corpore, ære noſtro, nempe Auro nunquam ulla Tinctura haberi poteſt, eſtque lapis noſter ex uno latere rilis, immaturus, volatilis, ex altero perfectus, pretioſus & fixus. Quæ duæ ſpecies ſunt corpus, Aurum ſpiritus, nempe argentum vivum.

CAP. XVIII.

De Furno ſive Athanore Sophico.

DE Mercurio dictum eſt, ejuſque præparatione, proportione ac virtute; De Sulphure item, ejuſque neceſsitate ac uſu in opere noſtro, quæ quomodo paranda ſint, monui, quomodo miſcenda, docui; de vaſe item, in quo ſigillanda, plurima detexi: Quæ omnia cum grano ſalis ista ligenda moneo, ne fortè literatim procedendo ſæpius erraſe contingat. Sic enim cum inſolito candore philoſophicas ſubtilitates texuimus, quod niſi plurimas in præcedentibus Capitulis metaphoras olfeceris, vix aliquid meſsis præter diſpendium colliges. Exemgli ergo, ubi ſine ulla ambiguitate unum principiorum Mercurium, alterum Solem diximus; Unum venale, alterum arte fabricandum: Scias Mercurium noſtrum de ſe aurum dare, quod ſi non noris, quod ſit ſecretorum noſtrum ſubjectum, oportet ut pro Sole vulgari vendas; Eſtque in omni examine Sol verus, ac proinde venalis eſt, id eſt, vendi poteſt cuivis ſine ſcrupulo. Sol proinde noſter eſt vulgo venalis, at non vulgo emendus, quia ut noſter ſit, noſtrâ opus eſt arte. Poſsis in Sole Lunaque vulgaribus Solem noſtrum reperire. Ego ipſe in his quæſivi ac reperi. At haud opus eſt facile. Leviori negotio lapis ipſe faciendus eſt, quàm lapidis proximam materiam in auro vulgariter emendo invenies. Quare aurum noſtrum eſt lapidis noſtri materia proxima, aurum vulgi propinqua, cætera metalla remota, eaque quæ non ſunt metallica remotiſsima, ſive potius aliena. Quia Aurum noſtrum eſt Chaos, cujus animâ per ignem non fugata eſt. Aurum vulgi eſt, cujus anima, ut ab ignea Vulcani tyrannide ſit tuta, in arcem clauſam ſe recepit. Sed ſi Aurum noſtrum quævis in re media, inter perfectum & imperfectum, quære & invenies; ſin minus, repagula auri vulgaris ſolve, quæ dicitur præparatio prima, qua incarnamentum corporis ejus ſolvitur, ſine quo opus matiti nequit perficere. Si priorem viam ingreſſus fueris, igne benigniſsimo procedere teneris; ſin poſteriorem, torridi tum Vulcani operam implorare debes. Talem, puta, ignem adhibere oportet, qualem in multiplicatione ſubminiſtramus, dum corporalis Solis Lunæque vulgi Elixiri perficiendo pro fermento adhibetur. Hic ſanè Labyrinthus erit, niſi te, quomodo extrices, noris. In quolibet tamen progreſſu indiges calore æquali ac continuo, ſive in Sole vulgari, ſive noſtro operatus fueris. Utrumque ſcias, quod Sol noſter dabit tibi Opus binis aut ternis menſibus citius perfectum, quàm Aurum vulgi, critque Elixir in prima ſua perfectione virtutis millenatis, quod in altero opere vix centenariæ erit. Inſuper ſi Opus Sole noſtro perfeceris, oportet te illum cibare, imbibere, fermentare &c. quibus vis ejus creſcet in immenſum; in alio verò opere oportet te illum illuminare ac incerare, ut abundè in Roſario magno docetur. Præterea ſi in Sole noſtro operatus fueris, poſſis calcinare, putrefacere ac albificare, igne benigne intrinſeco adjuvante cum tepore tertio, extrà adminiſtrato. Cum Sole vulgi ſi operatus fueris, ſublimando ac bulliendo aprandi ſunt materialia, ut poſteà illa cum Virginis Lacte unire valeas. Utcunque tamen progreſſum feceris, nil tamen citra ignem ullatenus potentia efficere. Quare non gratis Hermes verè cus ignem Sol Lunæque proximum operis gubernatorem ſtatuit. Hunc tamen de furno noſtro vere ſecreto intelligi vellem, quē oculus vulgaris vidit nunquam. Eſt tamen & alius furnus, quem communem appellamus, qui aut lateritius, aut ex luto figuli erit conflatus, aut ex lamellis ferreis æneiſque luto bene loricaris. Hunc furnum Athanor appellamus, cujus forma mihi magis arridens Turris cum nido. Quare eſto Turris trium circiter pedum altitudinis, lata novem digitos, ſeu ſpithamam communem, poſt ſoleam ſtratumve fundamentale eſto oſtiolum pro expurgandis cineribus, trium quatuorve digitorum, undiquaque cum lapide adaptato, ſupra quod ſtatim craticula ſtatuatur, paulò à crate ſupernè foramina ſunto bina, duorum circiter digitorum, per quæ calor in appoſitum athanor emittatur. Cæterum eſto Turris exactè à trimis clauſa, ſupernè verò immittendi ſunt carbones, qui accenſi primò, dein alii injiciantur, tum demum Os exactè obturetur. Tali furno opus pro animi voto poſsis complere. Cæterum ſi curioſus fueris, aliam atque aliam viam reperire poſsis, ignem debitum adminiſtraudi. Fiat ergo Athanor in hunc modum, ut in eo poſt impoſitam materiam ſine vitri amotione quemvis caloris gradum adhibere poſsis, pro voto, à calore febrili ad ignem uſque reverberii minoris, inque intenſiſsimo ſuo gradu per ſe duret per horas ad minus decem aut duodecim. Tum patet tibi Operis Janua. Verùm cùm Lapide peritus es, poſsis utilius, furnum portatilem conſingere, quia minori tempore ac benigniore Naturæ igne lapis ſemel factus multiplicatur.

CAP. XIX.

De Operis progreſſu per primos dies quadraginta.

DArato Mercurio noſtro, ac Sole noſtro include ea vaſi noſtro, ac rege igne noſtro, ac intra dies quadraginta videbis totam materiam in umbram converſam, id eſt, in atomos, ſine ullo motore aut motu viſibili, aut ullo calore deprehendibili, niſi quod caleſcat. Verum ſi Solis Noſtri Mercuriique Noſtri Myſterium te hactenus lateat, tolle manum ab Opere, nam nil niſi diſpendium te manet; Sin autem myſterium Solis noſtri nondum in latitudine ſua noveris, at Mercurii noſtri ſcientiam es adeptus, tum cape Solis vulgi partem unam bene purificatam, & Mercurii noſtri ſummè lucidi partes tres, junge ut ſuperius dictum eſt, & impone igni, dando calorem, in quo bulliat, ſuderque, ſudorque ejus circuletur, & hoc de die ac nocte per dies noctesque nonaginta, & videbis Mercurium hunc omnia Elementa Solis vulgi diſgregaſſe, iterumque conjunxiſſe, bulli poſtea per dies alios quinquaginta, & videbis Solem vulgi per Mercurium noſtrum converſum in Solem noſtrum, qui eſt Medicina primi ordinis. Eſt ergo Sulphur hoc jam noſtrum, at nondum tinget. Et crede mihi, hac via operati ſunt plurimi Philoſophi, & verum aſſecuti ſunt, eſtque via tædioſa valde, eſtque pro Magnatibus terræ, quia nacto hoc Sulphure ne credas te habere Lapidem & ejus veram materiam, quam poſſis in re imperfecta intra ſeptimanam quærere & reperire. Hæc eſt via noſtra, facilis & rara, & reſervavit hanc Deus pro pauperibus & contemptis, abjectiſque ſuis Sanctis. Hac de re multa jam verba facere decrevi, licèt in libri hujus initio decreveram alto ſepelire ſilentio. Hoc eſt unum magnum Sophiſma omnium Adeptorum, loquuntur quidam de Auro Argentoque vulgi, &

verum

verum dicunt, negantque Alii idem & verum dicunt. Ego charitate commotus, manum jam porrigam, jamque omnes appello Adeptos, eosque omnes invidiæ insimulo. Ego quoque decreveram eandem invidiæ semiram calcare, nisi quod Deus nos præter nostrum consilium distorsit, cui sit æterna sanctificatio! Dico ergo, quod utraque via est vera, quia via est tantum una in Fine, at non in Principio. Quia totum est in Mercurio nostro & Sole nostro. Mercurius noster est via nostra, & sine eo nihil fiet. Sol quoque noster non est Aurum vulgi & tamen in eo est. Et si operatus fueris in Mercurio nostro cum Auro vulgi, regimine debito, ex iis centum & quinquaginta diebus habebis Aurum nostrum, quia Sol noster est ex Mercurio nostro. Quare si Aurum vulgi fuerit per Mercurium nostrum in Elementa sua disgregatum, iterumque conjunctum, tota mixtura ignis beneficio erit Aurum nostrum, quod Aurum si deinde per Mercurium itera to decoquatur, dabit pro certo omnia signa descripta à Philosophis tali igne quali ipsi scripserunt. Jam verò si decoctioni Solis vulgi utur purissimi, cum Mercurio nostro regimen lapidis adhibueris in erroris via es pro certo: Et hic magnus est ille Labyrinthus, in quo Tyrones ferè omnes hærent, quia Philosophi in libris suis de utraque via scribunt, quæ reverà non sunt nisi via una nisi quòd una sit directa magis, quàm altera. Qui ergo scribunt de Sole vulgi prout nos in hoc tractatulo, uti quoque Artephius, Flamellus, Riplæus, cæterique multi, non aliter sumus intelligendi, quàm ut Sol philosophicus ex Sole vulgi & Mercurio nostro fiat, qui dein per reiteratam liquefactionem dabit Sulphur & argentum vivum fixum incombustibile, & in examine omni tingens. Pariter & per hunc intelligendi modum lapis noster est in omni metallo ac minerali, quia, puta, Sol vulgi ex ipsis extrahi possit, ex quo Sol noster propinquus peti possit. In omnibus, puta, metallis vulgi Sol noster; at in Auro Argentoque propinquius continetur. Ergo, inquit Flamellus, quidam in Jove, alii in Saturno laboraruut, ego verò, inquit, in Sole laboravi & reperi. Est tamen unum in Regno metallico, Originis miræ, in quo Sol noster propinquus est, quàm in Sole & Luna vulgi, si in hora suæ nativitatis cum quæras, qui in Mercurio nostro liquescit, sic, ut glacies in aqua tepida & tamen Auro quodammodo assimilatur. Tu hoc in Sole vulgi immediatè non invenies, at ex illo per Mercurium nostrum, digerendo per dies centum & quinquaginta invenies veram hanc, eandemque materiam, quæ est Aurum nostrum, via longiori quæsitum, nec adhuc tam pollens ac illud, quod natura ad manus reliquit, & tamen tertio rotando rotam, idem in utroque invenies, hac tamen cum differentia, in priori mensibus septem, in posteriori anni spatio cum dimidio. Ego utramque viam calleo, laudo tamen faciliorem viam, at difficiliorem descripsi, ne omnium Sophorum anathema in caput meum traherem. Scias proinde, quòd hæc sola sit difficultas in libris candidiorum hominum legendis, quod omnes ad unum variant regimen. Et cum de uno Opere loquuntur, alterius regimen docent, qua re ticula irretitus diu hæsi, antequam è laqueo pedes liberare poteram. Notifico proinde, quòd calor in Opere nostro sit naturæ benignissimus, si modo opus nostrum rectè intelligas. At si in Sole vulgi opereris, illud opus proprie non est opus nostrum, & tamen ad opus nostrum rectè ducet, determinato suo tempore. in illo verò forti indiges decoctione, igneque proportionato, postea verò benignissimo igne progrediere, Athanore nutriali nostro, qui mihi summe laudandus est. Quare si cum Sole vulgi fueris operatus, cave ut Veneris connubia sollicite compares, deinde thoro suo impone, igneque debito videbis Emblema Operis magni, nempe nigrum, caudam pavonis, album, citrinum, rubeumque. Tum reitera Opus hoc cum Mercurio, qui lac Virginis dicitur, adhibendo ignem Balnei roris, atque ad summum arenæ temperatæ cum cineribus: Videbisque tum non nigrum solùm, at nigrum nigrius nigro, omnemque nigredinem, sic & album & rubeum completum, & hoc nutu Dei in aura levi, qui voce tacitâ Eliam compellavit. Eapropter si artem noris, extrahe Solem nostrum ex Mercurio nostro, cum ex una re Opus perficies, quod, crede mihi, omni perfectione mundana est perfectius, juxta Philosophum: Si ex Mercurio solo, inquit, opus poteris perficere, pretiosissimi utique operis indagator eris. In hoc Opere nullæ sunt superfluitates; at totum, per Deum viventem in puritatem conversum est, quia actio fit in uno solo. At si in Opere Solis vulgi processum inceperis, actio tum, passioque fit in re bina, quarum utriusque media substantia sola capitur, rejectis fæcibus. Si hæc, quæ brevibus absolvi, altè mediteris, clavem omnes contradictiones apparentes inter Philosophos referandi habes. Quare Riplæus docet rotam tertiò rotare in capite Calcinationis, ubi de Sole vulgi expressè loquitur, atque ita intelligendus est. In doctrina proportionum suarum obscurus est valde, quia tres illæ proportiones tribus operibus inserviunt. Unum opus est secretissimum, purumque naturale, & fit in Mercurio nostro cum sole nostro, cui operi adscribenda sunt omnia signa à Sophis descripta. Hoc opus nec fit igne, nec manibus, at solo interno calore, estque calor externus, solùm frigus expellens, ejusque symptomata vincens. Alterum Opus est in Sole purgato cum Mercurio nostro, quod fit igne candenti per tempus longum, in quo utrumque decoquitur, mediante Venere, usque dum purior utriusque substantia exprimatur, qui est Lunariæ succus. Hic abjectis fæcibus est capiendus, est enim nondum Lapis, at Sulphur nostrum verum, qui demum cum Mercurio nostro, sanguine suo appropriato, decoquendus est in lapidem ignis, summè penetrantem ac tingentem. Tertiò tandem est opus mixtum, cum Aurum vulgo cum Mercurio nostro miscetur pondere debito, additurque Sulphuris nostri fermentum quantum sat sit. Tum complentur omnia mundi miracula, fitque Elixir potens tam ad opes quàm ad sanitatem. Sulphur ergo nostrum omnibus cum viribus quære, quod crede mihi, in Mercurio nostro colliges, si te fata vocant. Sin minus in Sole vulgi, debito calore atque tempore idem parabis; at est via mille spinis obsita, & nos vovimus Deo & æquitati; quod nudis verbis nunquam declarabimus regimen utrumque distinctum. Nam sub fide bona juro, quòd verum detexerim. In Mercurio, quem descripsi, ac Sole purissimo vulgi si laboraveris debito, igne, Solem nostrum invenies intra menses septem aut novem ad summum, Lunamque nostram intra menses quinque. Et hi sunt veri Termini ad complenda Sulphura hæc, quæ si tum credideris Lapides nostros adhuc erras. At ex his, reiterato labore, cum igne saltem sensibili verum Elixirem habebis, & hoc totum intra annum cum dimidio, Deo Dante, cui Gloria in seculum.

CAPUT

CAP. XX.

De Adventu Nigredinis in Opere Solis & Lunæ.

SI Sole Lunaque operatus fueris, ut in his Sulphur noſtrum quærens conſidera, ſi materiam tuam inſtar paſtæ turgidam, inſtar aquæ bullientem, ſeu potius picis liquidæ conſpexeris; Quia Sol noſter, Mercuriuſque noſter emblematicum typum habet in Opere Solis vulgi cum Mercurio noſtro. Accenſo furno expecta in calore bulliente per dies viginti, quo tempore varios colores obſervabis, at circa finem ſeptimanæ quartæ, ſi modò calor fuerit continuus, veredinem amabilem videbis, quæ per dies decem aut circiter non diſparebit. Gaude tum, quia pro certo totum brevi inſtar carbonis nigrum cernes, eruntque omnia membra compoſiti tui in atomos redacta. Eſt enim hæc operatio nil aliud quam reſolutio fixi in non fixo, ut utrumque poſtea conjunctim unam materiam efficiat partim ſpiritualem, partimque corporalem. Quare ait Philoſophus: Accipe Canem Coraſcenum, ac Caniculam Armeniæ, junge ſimul tibique gignent filium colotis cœli. Quia hæ naturæ brevi decoctione vertentur in brodium inſtar ſpumæ maris, aut nebulæ craſſioris, quæ livido colore tingetur. Et juro tibi ſub fide bona, quod nil occultârim præter regimen; Hoc autem ſi prudens fueris ex verbis meis facillimè colliges. Cognito autem regimine, arripe lapidem ſuperius demonſtratum, ac rege uti ſcis, & ſequuntur hæc notabilia: Primò quàm citò lapis ſenſerit ignem ſuum, fluet Sulphur ac Mercurius ſimul ſuper igne inſtar ceræ, & comburetur Sulphur, coloreſque de die in diem mutabit, ac Mercurius incombuſtilis erit, niſi quòd coloribus Sulphuris tingetur ad tempus; at non inficietur, ideòque Latonem penitus lavabit à cunctis ſuis ſordibus. Reitera cœlum ſuprà terram toties, uſque dum terra conceperit naturam cœleſtem. O ſancta natura! quæ ſola facis, quod omni penitus homini eſt impoſſibile. Eapropter cum in vitro tuo conſpexeris naturas inſimul miſceri ad inſtar ſanguinis coagulati & combuſti, ratum eſto, fœminam maris amplexum paſſam eſſe. Quare à prima materiæ tuæ exſiccatione intra dies ſeptendecim exacta, quod duæ naturæ in brodium ſaginatum convertentur, quæ ſimul circumvolventur inſtar nebulæ craſſioris, aut ſpumæ maris, uti dictum eſt, cujus color erit obſcurus valde. Tunc conceptam prolem regiam firmiter tene, quia exinde vapores virentes, flavos, atros ac cæruleos in igne & ad vaſis latera adſpicies. Hi ſunt venti, qui in formando Embryone noſtro ſunt frequentes, qui retinendi ſunt cautè, ne fugiant & annihiletur Opus. Odori quoque cave, ne forte per rimam ullam exhalet, quia vis Lapidis inde notabile detrimentum pateretur. Quare Philoſophus vas cum ligatura ſua ſervandum caute jubet, & monitus ſis, ne ab opere ceſſes, aut vas moveas, aut aperias, aut decoctionem ullo tempore intermittas, at pergas decoquendo, uſque dum deficere humorem conſpexeris, quod fiet intra dies triginta, tum gaude, ac rectam te viam ineeſſiſſe certus eſto. Invigila tum operi, quia intra ſeptimanas forte binas ab eo tempore totam terram ſiccam videbis, atque inſignirer nigram. Tum Mors compoſiti adeſt, venti ceſſarunt, cunctaque ſe quieti dederunt. Hæc eſt magna illa Eclipſis Solis & Lunæ ſi nul, in qua luminare nullum ſuper terras lucebit, & mare diſparebit. Chaos tum noſtrum conficitur, ex quo jubente Deo cuncta mundi miracula ordine ſuo emergent.

CAP. XXI.

De Florum combuſtione ejuſque Cautione.

FRror non levis eſt, & tamen facile commiſſus eſt, florum combuſtio, antequàm naturæ teneræ à ſua profunditate bene extrahantur. Error hic poſt ſeptimanam tertiam præcipue eſt cavendus. Principio namque tanta eſt humoris copia, quòd ſi opus validiori, quàm par eſt, igne rexeris, vas fragile ventorum copiam non feret, quin ſtatim diſſiliat: ni forte magnum nimis ſit vas tuum. Et tum quidem in tantum ſpargetur humor, quod in corpus ſuum non amplius redibit, ſaltem non quantum ipſi refocillando ſat ſit. Verùm cùm Terra aquæ ſuæ partem retinere cœperit, tum ſane deficientibus vaporibus ignis ſupra modum ſine ullo vaſis incommodo intendi valet, at opus ideo corrumpetur, dabitque colorem papaveris ſylveſtris, fierque totum tandem compoſitum pulvis ſiccus, inutiliter rubificatus. Judicabis hoc ſigno juſto validiorem fuiſſe ignem, tantum nempe, qui conjunctioni veræ inimicus fuit. Scias namque Opus noſtrum veram naturarum mutationem requirere, quæ non poſſit fieri, niſi unio fiat ultima utriuſque naturæ; at non uniri poſſunt, niſi in forma aquæ; Nam corporum non eſt unio, at ſaltim contuſio, nedum corporis cum ſpiritu eſſe poteſt unio per minima, at ſpiritus inter ſe bene poterunt uniri. Quare aqua homogenea metallica requiritur, cui via per prævium calcinationem paratur. Hæc ergo exſiccatio non vere eſt exſiccatio, at aquæ cum terra per cribrum naturæ redactio in atomos ſubtiliores, quàm fert aquæ exigentia, quo terra aquæ fermentum tranſmutativum accipiat. Vehementiori verò, quàm par eſt calore ſpiritualis hæc natura malleo quaſi mortis percuſſa, de activo fit paſſivum, de ſpirituali fit corporale, nempe præcipitatum rubrum inutile, quia indebito ſuo calore color fit corvinæ nigredinis, qui licet ater, at ſummè optandus color eſt. Rubedo tamen in Operis veri initio eſt conſpicua, eaque inſignis, hæc tamen cum humoris debita copia concurrit, monſtratque cœlum cum terra concubuiſſe, ignemque naturæ concepiſſe, ideoque totum vitri concavum aureo ſuccumbitur colore; at color hic non durabit at viridem brevi gignet, tum nigrum intra tempus exiguum expecta; & patiens ſi fueris, votum videbis. Sed lenta lente, & tamen ignem ſat validum continua, interque Scyllam & Charybdin, ut nauclerus peritus, navem tuam dirige, ſi Indiæ utriuſque opes lucrari cupias. Interdum inſulas quaſi exiguas, ſpicas ac umbellas diſcoloratas emittentes in undis & ad latera conſpicies; quæ brevi diſſolventur aliæque aſſurgent. Terra enim germinandi avida aliquid ſemper fabricat, interdum aves aut beſtias reptiliaque te in vitro conſpicere imaginabere, coloreſque viſu ſunt ac momenti levis. Totum eſt, ut ignem debitum jugiter continues, omniaque hæc in colore nigerrimo, pulvere diſcontinuo, ante dies quinquaginta finientur. Si minus, aut Mercurium tuum, aut regimen, aut materiæ diſpoſitionem culpabis, ni forte vitrum moveris aut agitaveris, quod opus facile protrahet, aut etiam finaliter perdet.

CAP. XXII.

Regimen Saturni quid & unde dicatur?

QUotquot de hoc labore Sophici ſcripſitarunt Magi, de opere & regimine Saturni locuti fuêre, quos perperam

perperam nonnulli intelligentes ad varios errores diversi sunt, & propria sese opinione fefellerunt. Quidam hinc abducti, in plumbo, spe maxima at fructu minimo, sunt operati. At scias plumbum nostrum esse auro quovis dignius. Est limus, in quo Auri anima cum Mercurio jungitur, ut postea Adamum ejusque Evam uxorem producant. Quare cùm summum se hic humiliaverit, ut fiat infimum, expectandum omnium suorum fratrum in sanguine suo redemptionem. Tumulus ergo in quo Rex noster sepelitur, Saturnus in opere nostro dicitur, estque clavis nummorum Artis. Felicem illum qui hunc planetam tardambulonem salutare possit. Deum roga frater, ut hac te benedictione dignetur quia non est ex currente, nedum ex volente, at à Patre luminum solo hæc benedictio dependet.

CAP. XXIII.

De diversis Operis hujus Regiminibus.

PRo certo confidas studiosè tyro, nil in toto lapidis opere celatum esse præter regimen, de quo verum est illud Philosophi: Quicunque illud scientificè cognorit, Principes & Magnates Terræ illum honorabunt. Et juro tibi sub bona fide, quod si hoc solum proponeretur, palam, stulti ipsi artem riderent. Eo namque cognito, totum nil aliud est, quàm opus mulierum, ludusque puerorum, hoc est, decoquere. Ideo summâ arte Sophi hoc secretum occultarunt, & firmiter credas, nos fundamentaliter idem fecisse, tamen ex quo candorem proposui in hoc tractaculo ac promisi, aliquod saltem faciendum incumbit, ne lectorum ingeniosorum spem atque labores fallam. Quare scias Regimen nostrum esse in toto opere unum lineare, hoc est decoquere & dirigere, & tamen unum hoc regimen multa alia in se complectitur, quæ invidi sub nominum diversitate celarunt, & quasi varias operationes descripserunt. Nos pollitici candoris ergo manifestationem longè perspicuorum faciemus, id quod insolitum nostrum hac in re candorem fatebere.

CAP. XXIV.

De primo Operis Regimine, quod est Mercurii.

AC primò sanè de Mercurii regimine verba faciemus, quod est secretum à cunctis Sephis nunquam expressum. Illi, puta, à secundo opere, seu Saturni Regimine inceperunt, nullamque lucem Tyroni ante capitale nigredinis signum patefecerunt. In hoc subticuit bonus ille Vir Comes Bernhardus à Trevis, qui in parabola sua docet, quòd Rex cùm ad Fontem venit, relictis omnibus extraneis, balneum solus intrat, indutus veste aureâ, quam exuit & Saturno tradit, à quo holosericam nigram accipit. At non docet, quo spatio vestis illa aurea exuitur, ideoque unum totum subticet regimen dierum fortè quadraginta, aut etiam aliquando quinquaginta, quo tempore sine duce miseri tyrones incertis incumbunt experimentis; A nigredinis adventu ad operis finem fat recreant artificem quotidie nova apparentia signa, at hîc sine duce signove aut valde per dies quinquaginta vagari tædiosum fateor. Dico itaque à prima ignitione adusque nigredinem totum intervallum temporis, Mercurii regimen est; Mercurii inquam Sophici, quia solus per totum illud tempus operatur comparari suo ad conveniens temporis spatium mortuo manente, & hoc ante me detexit nullus. Quare conjunctis materialibus, quæ sunt Sol arq; Mercurius noster, noli cum Alchymistarum vulgo credere Solis occasum brevi accidere. Non sanè. Multum diúque expectavimus antequam facta est patientia inter aquam & ignem, & hoc invidi sub breviloquio comprehenderunt, dum materiam suam in primo Opere Rebis nominaverunt, id est, rem ex re bina confectam, juxta Poetam:

Res Rebis *est bina conjuncta, sed tamen una,*
Solvitur ut prima sint aut Sol, aut Sperma ta Luna.

Pro certo itaque scias, quòd licet Mercurius noster Solem devoret, non tamen eo modo, quo putant Chemici Philosophastri. Quia etsi Solem cum Mercurio nostro conjunxeris, eundem post anni expectationem sospitem ac pristinæ virtutis compotem inde recuperabis, nisi convenienti ignis gradu eum decoxeris, qui contrarium asseverat, non est Philosophus. Putant, qui in erroris via sunt, tam levis esse negotii corpora solvere, quod immersum aurum Mercurio Sophico ictu oculi devorandum autumant, male intelligentes locum illum Comitis Bernhardi à Trevis, de libro suo aureo in fontinam irrecuperabiliter immerso. Verùm quàm grave sit opus corpora solvere, attestari possunt ii, qui Dissolutioni insudârunt. Ipse ego, qui hæc sæpius oculari sum edoctus testimonio, attestor, quòd ingeniosum sit valde ignem regere post materiam paratam, qui debitè sine combustione tincturarum corpora solveret. Attende proinde Doctrinæ meæ, sume corpus quod demonstravi, atque imponito in Aquam nostri maris, ac jugiter igne debito decoque, ut ascendant ros & nebulæ, recedantque guttæ de die ac nocte citrà intermissionem. Et Scias, quòd in hac circulatione ascendit in pristina sua natura, relinquitur corpus inferius in pristina sua natura, donec longo tempore corpus aliquid aquæ retinere cœperit, atque sic uttumque utriusque gradibus participat. Quia verò tota aqua non ascendit per sublimationem, at pars ejus deorsum cum corpore manet in vasis fundo, idcirco vigilanti cum assiduitate corpus in aqua subsidente ebullitur atque cribratur, ejusque medio recidentes guttæ residuam massam perforant ac circulatione assidua subtilior facta aqua tandem Solis animam blandè ac suaviter extrahit: Sic mediante anima spiritus cum corpore reconciliatur, fitque utriusque Unio in colore nigro, & ad summum diebus quinquaginta, dicturque hæc operatio *Mercurii Regimen*, quia Mercurius circulatur sursum, & in eo ebullitur corpus Solis deorsum, estque corpus in hoc opere passivum, adusque apparitionem colorum; qui parce circa diem vigesimum apparent in bona ac continua ebullitione, qui colores deinceps augentur ac multiplicantur, ac variantur adusque complementum in nigredine nigerrima, quam dies tibi dabit quinquagesimus si te fata vocant.

CAP. XXV.

De secundo Operis Regimine, quod est Saturni.

PEracto Regimine Mercurii, cujus opus est Regem vestibus suis aureis spoliare, Leonem conflictibus variis agitare atque lacessere ad extremam usque lassitudinem, proximum apparet Saturni Regimen. Vult enim Deus, quod inceptum opus ad debitum finem perducatur, estque scenæ hujus hæc lex, quod exitus unius sit introitus alterius, finis unius Origo alterius, nec citius Mercurii Regimen obsolescit, quin successor sibi ingrediatur Saturnus, qui Imperium successionis jure obtinuit. Moriente Leone nascitur corvus. Estque lineare admodum hoc Regimen respectu coloris, quia unicus tantùm est

color, iſque aterrimus, at fumi nulli, nec venti nec vitæ ſymbolum, ſaltem aliquando ſiccatum, nonnunquam inſtar picis liquidæ ebulliens compoſitum conſpicitur. O triſte ſpectaculum & mortis æternæ imago! at artifici dulce nuncium! Nigredo enim non quævis at reſplendens præ intenſiſſima nigredine conſpicitur. Cumque inſtar paſtæ turgentem materiam deorſum aſpexeris, gaude: Nam ſpiritum intus clauſum vivificum ſcias, qui ſtatuto tempore ab Omnipotente vitam hiſce cadaveribus reddet. Cave tu ſaltem igni, quem ſano cum judicio hic regere teneris, & juro tibi ſub fide bona, quod ſi urgendo ignem in hoc regimine quicquam ſublimare feceris, opus totum irrecuperabiliter perdes. Contentus proinde eſto cum Treviſano bono in carcere per dies noctesq; quadraginta detineri, ac teneram materiam in fundo, qui nidus eſt conceptionis, manere permitte, pro certo confiſus, quòd peracta periodo ab Omnipotente huic Operationi ſtaturâ ſpiritus reſurget glorioſus, corpuſque ſuum glorificabit, aſcendet, inquam, ac circulabitur ſuaviter & ſine violentia, & à centro ad cœlos aſcendet, iterumque à cœlis ad centrum deſcendet, vimque arripiet ſuperiorum & inferiorum.

CAP. XXVI.

De Regimine Iovis.

SAturno nigro ſuccedit Jupiter, qui diverſo colore eſt. Nam poſt debitam putredinem & conceptionem factam in vaſis fundo, jubente Deo, colores mutabiles ac ſublimationem circulantem iterum videbis. Durabile non eſt hoc Regimen, nec ultra tres ſeptimanas durat. Hoc tempore omnes colores imaginabiles apparebunt, de quibus certa nulla ratio reddi poteſt. Imbres hiſce diebus indies multiplicabuntur, ac tandam omnia hæc viſu pulcherrima Albedo inſtar ſtriarum aut capillorum ad vaſis latera oſtendit ſeſe. Tum gaude, quia Jovis regimen feliciter peregiſti. Cautio in hoc regimine maxima eſto, ne corvorum pulli, poſtquam nidum ſuum reliquerint, eundem repetant. Item, ne ſic immodicè aquam exhaurias, ne eadem terra ſubſideus careat, & arida inutiliſque id fundo relinquatur. Tertiò, ne intemperanter adeò terram tuam irriges, ut eandem penitus ſuffoces. Quibus erroribus cunctis bonum caloris externi regimen ſuccurret.

CAP. XXVII.

De Regimine Lunæ.

POſt abſolutum Jovis regimen ſub finem menſis quarti ſignum creſcentis Lunæ tibi apparebit, & ſcias, quod totum Jovis regimen abluendo Latoni fuit dicatum. Spiritus abluens candidus eſt valde in ſua natura, at corpus abluendum nigrum nigerrimum. In cujus tranſitu ad abledinem omnes intermedii apparuere colores, quibus abſolutis candidum totum fit, at non perfectè candeſcens primò die, verùm gradatim ab albo ad albiſſimum, aſſurget. Et ſcias, quod in hoc regimine totum fiat inſtar liquidi argenti vivi ad viſum, & hoc dicitur matris ſigillatio in ventre infantis ſui, quem peperit, eruntque in hoc regimine varii colores momentanei pulchri & citò diſparentes, at albedini magis quàm nigredini propinqui, ſicut & colores in regimine Jovis plus nigredinis quàm albedinis participatunt, & ſcias, quòd intrà tres ſeptimanas regimen Lunæ erit completum. Antè verò quàm impleatur, formas mille induet compoſitum. Nam creſcentibus fluviis ante omnimodam coagulationem, centies in die liqueſcet & coagulabitur, aliquando inſtar oculorum piſcium apparebit, nonnunquam arboris putè argenteæ ac politiſſimæ, cum ramuſculis ac frondibus figuram æmulabitur. Verbo, hoc tempore quavis hora viſa te ſtupore ac admiratione obrnent. Et tandem grana habebis albiſſima inſtar atomorum Solis præ tenuitate, pulchriora quibus oculus humanus vidit nunquam. Immortales Deo noſtro agamus gratias, qui huc opus produxit. Eſt enim vera Tinctura perfecta ad album, licet primi tantùm ordinis, ac proinde virtutis exiguæ reſpectu admirandæ, quam reiteratâ præparatione acquiret virtutis.

CAP. XXVIII.

De Regimine Veneris.

PRæ omnibus mirum eſt hoc, quod lapis noſter omnimodè jam perfectus, perfectaque tinctura communicare poteus, ſponte ſeſe iterum humiliat, novamque volatilitatem citra ullam manuum impoſitionem meditabitur. Si tamen ex vaſe ſuo acceperis, idem lapis alii dennò vaſi incluſus in caſſum poſt ſui refrigerium ulterius deduci tentabitur. Cujus rationem demonſtrativam, nec nos nec ulli Philoſophi antiqui reddere valemus, niſi quod factum ſit nutu Dei. Saltem hic igni tuo cave, quia perfecti lapidis hæc eſt lex, ut ſit fuſibilis: ideoque ſi juſto majorem ignem dederis, vitrificabitur materia, & colliquata lateribus vaſis adhæreſcet, nec ulterius promovere valebis. Et hæc eſt materiæ vivificatio illa toties à Philoſophis præcauta, quæ ante & poſt perfectum opus album accidere ſolet incautis, nempè poſt medium regiminis Lunæ ad ſeptimum aut decimum uſque diem regiminis Veneris. Quare parum ſaltem augeatur ignis, ita ut compoſitum non vitrificetur, hoc eſt liqueſcat paſſivè inſtar vitri; At benigno calore ſponte ſua liqueſcet, turgeſcetque, & jubente DEO ſpiritu dorabitur, qui ſurſum volabit, lapidemque ſecum apportabit, dabitque colores novos, viridem imprimis venereum, qui longo durabit tempore, nec intra dies viginti totaliter diſparebit, cærulæum quoque expectes, lividumque, & ſub finem regiminis Veneris pallidum & obſcurè purpureum. Caveto hoc in Opere ne ſpiritum irrites nimium, quia corporalior eſt quàm antea, & ſi ad vaſis ſummum ejus volatum feceris, ſponte ſua tibi vix revertetur. Quæ eadem cautio eſt obſervanda in Lunæ regimine, cum ſpiritus inſpiſſari cœperit, quia tum ſuaviter & non cum violentia erit tractandus, ne fugando ad ſummitatem vaſis totum illud, quod in fundo eſt, comburatur, aut ſaltem vitrificetur ad operis deſtructionem. Cum itaque viredinem conſpexeris, ſcias in ea virtutem germinativam contineri. Quare cave hîc, ne vitor iſte in nigrum turpe vertatur calore immodico, verùm ignem prudenter regas; ita poſt dies quadraginta abſolutum regimen hoc habebis.

CAP. XXIX.

De Regimine Martis.

PEracto Veneris Regimine, cujus color erat præcipue viteſcens parumque rubeus purpureo obſcurè colore, interdum livido, in quo tempore arbor philoſophica ramis ſuis floruit diſcoloratis, cum foliiſque ramiſque; Succedit regimen Martis, qui aliqualem flavedinem, lutea quaſi brunitie dilutam potiſſimum demonſtrat, coloreſque tranſitorios Iridis ac Pavonis glorioſiſſimè exhibet. Hic ſiccior compoſiti ſtatus,

in

in quo materia varias formarum larvas imitari videtur. Hyacinthinus color cum leviſſimo aurantii frequens hiſce diebus apparebit. Hic ſigillata matet in infantis ſui ventre ſurgit & depuratur, ut ob tantam, in qua ſiſtitur compoſitum, puritatem putredo hinc exulet. At verò obſcuri colores hoc toto regimine pro baſi ludunt, fiuntque intermedii colores ſpectatu placidiſſimi. Jam ſcias Virginem noſtram terram, ultimam ſubite cultrivationem, ut in ea fructus Solis ſeminetur ac maturetur, ideoque bonum continua calorem, & videbis pro certo circa diem hujus regiminis trigeſimum, colorem citrinum apparere, qui intra ſeptimanas binas à prima ſua apparitione, totum ferè citrino colorem imbuet.

CAP. XXX.

De Regimine Solis.

IAm operis tui fini appropinquas, tuumque ferè perfeciſti negocium, jam omnia inſtar Auri Obryzi videntur, & lac Virginis, quo cum materiam hanc imbibis, citrineſcit valde. Immortales jam DEO omnium bonorum Largitori redde gratias, qui hucuſque opus perduxit, quem ſupplex ora, ut tuum conſilium ſic deinceps regat, ne forte opus jam perfectum præcipitare ſtudens penitus perdas. Conſidera jam, quod per menſes ferè ſeptem expectaſti, neque ſanum erit unica horula totum annihilare. Quare cautus eſto valde, eoque plus, quò perfectioni vicinior es. Cautè verò ſi progreſſus fueris, occurrent tibi hæc notabilia: Imprimis ſudorem quendam citrinum in corpore obſervabis, tandemque vapores citrinos, ſubſidente corpore, viola tinctos, interdum & obſcurâ purpura. Poſt duodecim aut quatuordecim dierum expectationem in hoc Solis regimine materiam pro majori parte humidam obſervabis, & ponderoſam licet, attamen in venti ventre totam aſportatam. Tandem circa diem vigeſimum ſexum regiminis hujus exſiccari incipiet, & tum liqueſcet ac congelabitur, reliqueſcetque centies in die, uſque quo granulari incipiet, videbiturque ac ſi rorum granis diſcontinuum: iterumque coaleſcet, infinitaſque de die in diem formarum larvas induet, & hoc durabit per ſeptimanas binas aut circiter. Ultimò verò, jubente DEO, materiæ tuæ irradiabitur Lux, quam imaginari vix poſſis, tum citò expecta finem, quem poſt dies tres videbis, quia granulabitur materia inſtar aromorum Solis, eritque color tam intensè rubet, quod præ eminenti rubore nigreſcet inſtar ſanguinis ſaniſſimi coagulati, licet non credas aliquid tale huic Elixiri ex arte comparari poſſe. Quia eſt mira creatura, parem ſibi non habens in tota univerſa naturâ, nedum exactè ſibi ſimilem.

CAP. XXXI.

Fermentatio Lapidis.

MEmineris jam te Sulphur nactum eſſe incombuſtibile rubeum, quod nullo prorſus igne ulterius promoveri poſſet per ſe, cautuſque eſto maximè quod in præcedente capitulo oblitus eram, ne in regimine Salis citrini ante adventum ſupernaturalis filii, induti colore verè Tyrio, ne, inquam, tuam materiam ignitione indebitâ vitrifices, quia ſic eſſet deinceps inſolubilis, ac per conſequens in pulcherrimos atomos rubicundiſſimos non congelaretur. Eſto proinde cautus, ne tanto theſauro temet prives. Et tamen ne te hîc laborum tuorum finem reperiſſe ſic credas, quin ulterius pergas, ut ex hoc Sulphure iterata re-

tæ circulatione Elixir habeas. Quare capias Soli purgatiſſimi partes tres ac Sulphuris hujus ignei partem unam (poſſis Solis partes quatuor capere, & Sulphuris quintam partem, ſed prædicta proportio melior eſt) funde Solem in crucibulo mundo, & fuſo injice Sulphur tuum, at caute, ne à fumo carbonum perdatur. Fac ut ſimul fluant, deinde effunde in Excipulum & habebis maſſam pulveriſabilem coloris pulcherrimi rubicundiſſimi, ac vix tranſparentis. Cape hujus maſſæ minute tritæ partem, Mercurii tui Sophici partes binas, miſce oprime ac vitro include, ac rege ut prius, & binis menſibus omnia prædicta regimina, ordine ſuo prærerire videbis, hæc eſt vera fermentatio, quam reiterare, ſi libet, licet.

CAP. XXXII.

Imbibitio Lapidis.

SCio, quod multi Authores fermentationem in hoc opere pro interno Agente inviſibili capiunt, quod fermentum dicant, cujus virtute fugitivi tenueſque ſpiritus abſque manuum impoſitione ſponte inſpiſſantur, noſtramque prædictam fermentationis viam cibationem vocent cum pane & lacte; ſic Riplæus. Ego verò non ſolitus alios citare, nec illorum in verba jurare, in re æquè mihi ac illis cognitâ, propriam obſervavi licentiam. Eſt ergo alia operatio, qua lapis augetur in pondere pluſquam virtute; id eſt, cape Sulphur tuum perfectum, ſive album ſive rubeum, & adde tribus ſulphuris partibus quartam Aquæ partem, & poſt tantillum nigredinis ſex ſeptemve dierum decoctione aqua tua recens addita inſpiſſabitur inſtar Sulphuris tui, adde tum quartam non reſpectu totius Compoſiti, quod jam quartam unam partem coagulavit; at reſpectu Sulphuris ante imbibitionem primam quâ exſiccatâ, adde reſpectu trium partium Sulphuris primò ante imbibitionem primam liberatarum, & hac proportione ter imbibas & congeles. Tandem quinque partes aquæ ſeptima imbibitione ponas, nempe reſpectu Sulphuris primò accepti, qua impoſita ſigilla vas tuum, & igne priori ſimili fac ut totum compoſitum omnia regimina tranſeat, quod fiet ad ſummum menſe uno, tum habes verum lapidem tertii ordinis, cujus pars una cadit ſuper decem millia, & perfectè tinget.

CAP. XXXIII.

Lapidis Multiplicatio.

AD hoc nullus alius requiritur labor, niſi ut ſumatur Lapis perfectus, ejuſque una pars conjungatur cum partibus aut ad ſummum quatuor Mercurii primi operis, ac regatur igne debito per dies ſeptem, vaſe admodum ſtrictè clauſo, & omnia regimina ſumma jucunditate præteribunt, & habebis totum virtute millecupla ditatum, pro lapide ante ejus multiplicationem. Et ſi hoc iterum tentabis tribus diebus omnia regimina percurres, & erit medicina adhuc millecupla tingendi vi exaltata. Et ſi adhuc repetere cupis, opus intra naturalem diem per omnia regimina & colores traduces, idemque hora fiet unica, iteratò tentes, nec virtutem tui Lapidis unquam tandem invenire poteris; Tanta erit, quæ ingenii capacitatem ſuperet, ſi modo in hoc opere perſeveraveris. Immortales jam memor eſto grates DEO agere, quia totum theſaurum naturæ jam in poſſe habes.

CAP. XXXIV.

De modo Projiciendi.

CApe Lapidis tui perfecti, ut dictum est, albi aut rubri, ac pro medicinæ qualitate cape utriusve luminaris partes quatuor, funde in Crucibulo mundo, tum immitte lapidis tui juxta speciem Luminaris fusi, albi aut rubei, ac immissa effunde in conum, eritque massa pulverisabilis, hujus cape misturæ partem unam, & Mercurii bene loti partes decem, calefac Mercurium, donec strepere incipiat tum injice misturam tuam, quæ ictu oculi penetrabit, cum funde tum igne aucto, & tota erit medicina ordinis inferioris. Hujus tum cape partem unam, & projice super quodvis metallum, fusum & purgatum, quantum nempe lapis tuus vult tingere; & habebis aurum argentumve adeò purum, quod purius natura non dabit. Præstat tamen gradatim projicere, usque dum Tinctura cesset, sic enim latius extenderur, quia cum tantillum super tantum projicitur, nisi projectio fiat in Mercurio, notabilis fit medicinæ jactura ob scorias, quæ immundis metallis adhærent. Quare quò melius in igne negotium succedit.

CAP. XXXV.

De multiplici Vsu hujus Artis.

QUi semel hanc artem juxta Dei benedictionem perfectè elaboravit, nescio quid in toto hoc mundo exoptare possit, nisi ut tutus ab omni malâ fraude & dolo, Deo suo jugiter servire possit. Vanum autem, imò omnium vanissimum erit, pompa vulgarem auram anhelare, imò nec talia cordi sunt hujusmodi qui hanc artem callent, quin potius sperunt & contemnunt. Qui ergo hoc talento à Deo beatus est, huic talis voluptatis campus patet:

In primis si viveret annos mille, & quotidie hominum millium mille aleret, non egeret, quia pro voto suo Lapidem multiplicare valet tam pondere quàm virtute. Ita ut omnia imperfecta, quæ sunt in mundo, metalla comparabilia, posset, si hoc in votis haberet, omnia in verum aurum argentumve tingere.

Secundò Lapides pretiosos ac gemmas poterit hac arte conficere, quales nullæ in rerum natura sine hac arte comparari poterunt.

Tertiò ac tandem univetsalem omnium morborum medicinam habet, sic ut unus saltem verè Adeptus omnes in universo orbe ægrotos curare valeat.

Regi proinde sempiterno, immortali ac soli omnipotenti laudes ob hæc dona sua in æternum agamus.

Quisquis proinde talento hoc fruitur, in Honorem Dei & proximi utilitatem utatur moneo, ne ingratus erga Creditorem Deum, qui tanto eum talento beavit, reperiatur, ac reus ultimo die condemnetur.

SOLI DEO GLORIA!

Finis.

PHILALETHÆ Tractatus De METALLORUM Metamorphosi.

CAP. I.

De Iure Artis, ejus Cultoribus, veroque Arcanum perquirendi modo.

QUandoquidem omnes cujusque generis & fortunæ homines, aliquam sibi proponunt, suarum, in rebus indagandis, horarum impensarum metam, ut nimirum ejus, in qua versantur, artis peritiam assequantur, omnesque suos intendunt nervos, ut ad ejus summum collimeut.

Attamen paucos admodum hæc fortuna beat, nam licet multi Architecturam anhelant, at perpauci reperiuntur Archimedes. Plurimi, utut se Medicinæ addicant, non plures tamen Paracelsi, pauci Helmontii ingenio prædili, imo si vel in arte sua mediocritatem possint attingere, haud oleum, aut operam perdidisse opinabuntur. Hinc factum, quod incassum se studuisse nullus existimet, quamvis non omnis Geometra Archimedi, aut Poëta Homero, aut Rhetor Ciceroni æquiparetur. Possunt quippe & inferioris sortis Rethores Reipublicæ (pro largito sibi Talento) prodesse. Possunt, inquàm, quilibet homines, licet ejus, in qua versati sunt, artis imperitiores, utiles censeri in illa (ubi vivunt) Republica.

Quotquot autem Metallorum Metamorphosi sese addicunt, rem maxime utilem non inutiliter saltem, & etiam insipienter anhelate videntur. Apex puta hujus artis est ipsum Artificium, quod qui assecutus est, fastigium acquisivit, qui vero huc non appulerit, nihil proficui reportabit. Nihil enim præter dispendium, & nummorum, & temporis à semidocta Alchemiæ scientia. Insuper & irrisui Mysochemicis exponet sese & opprobrio. Artis tamen objectum nobile adeo existit, quod infinitas possessori polliceatur opes, sanitatem insuper perfectissimam. Hinc factum, quod nullus fere idiota sit, qui postquam, vel minimum de arte audiverit, ad ejus disquisitionem se protinus non applicet, & Chemistæ actutum omen induat. Mox, quamprimum ex receptorum aliquorum lectione, spem aliquam conceperit, protinus Philosophi Titulum vindicat. Ne verò Stolidam Philosophiam colere videatur, unusquisque pro ingenii sui felicitate subtilitates excogitat, & pro nummorum copia furnos constituit, vitra sibi comparat, opusque mirâ cum solemnitate aggreditur. Ita decoquit, quousque sera tandem parsimonia sit in Fundo, & parca admodum, si ulla, suppellex sit residua, Ni autem insanæ temeritatis interea arguatur, de Materia prima Metallica, Elementorum rotatione, matrimonio Gabritii cum Bega novit differere, idque sub idiomate vulgò ignoto, Philosophos citabit, & ad placitum exponet, seque spe sortis futuræ non parum solabitur. Interea verò labores sustinet, vel usque ad consumptionem, in hac Philosophia, tam virium, quam nummoum, usque quo illam quam in Metallis quærebat Metamorphosin, in seipsum miserè fuerit expertus.

Quod cum, observarent Mysochemici captiosi, eundemque plurimos eventum monere conspexerint, artem protinus ut fabulosam rident, & in ludibrio habent. Isti verò, qui sese suâ temeritate decepetunt, alios in eandem dispendii semitam illicere satagunt, commentisque suis, fictisque receptis chartam commaculant, ut peritiam saltem aliquam cum pecuniæ jacturâ lucrati videantur. Quibus Sophisticationibus impletus adeò Mundus conspicitur, quod nullus ferè Tyro artis Studiosus, qui non his seducatur, nullus scientiæ contemptor, qui non amplam hinc ogganiendi occasionem captitare possit. Ita tam ars ipsa, quam Cultores ejus ingenui, indigne patiuntur ob Nebulorum quorundam pravitatem, qui licet in Arte sint ligno stupidiores, ita tamen scribunt, ac si verè essent adepti, suasque liberè imposturas promulgant, in tantum quod primus inextricabilis Tyroni Chemico Labyrinthus sit inter libros discernere veros & falsos; ex quo deceptores Sophistæ, non speciosum

cloſum minus ædificium, quam veri Artiſtæ conſtruant, imò ut plurimum majora pollicentur. De his Bernandus Trevicenſis [vir hujus, in hoc genere non expertus impoſturæ] ſic ſcribit. *Niſi* [inquit] *ut peſtem, hoſce evitaveris, nihil unquam boni degustabis in hac arte.* Hunc proinde tractatum deſcripſi, ut cœcos in hac ſcientia plenius inſtituerem ne per devia errantes miſerè vagentur. Et primò quidem à calumniis artem vindicare decrevi. Qualificationes deinde eorum, qui huic incumbunt, ſubnectere viſum eſt; verum ultimo inquirendi modum deſcribam. Quibus proœmii loco præmiſſis ad artem ipſam dilucidandam me poſtea accingam.

Non etenim, quia plurimi reperiuntur Alchemiam tractantes deceptores Sophiſtæ, hæc proinde aut falſitatis aut ineptiæ arguetur. Perpendenda ſiquidem eſt rerum poſſibilitas, per quam, ſi poſſit improbari artis veritas, cedat ſin minus, illam obtrectare non fatuum ſolummodo, at etiam Philoſopho indignum judicandum eſt. Hominum puta improbitas, qui temerè artem tractant, nihil ad hanc deſtruendam facit. Eſt pura Lux naturæ clarior, quam ut ab hiſce Tenebrionibus obſcuretur. Filios proin Doctrinæ inſtituam, ne ab erroribus ſeducantur: hiſque Sole evidentius apparebit, quod realis, poſſibilis, & vera ſit Metallorum tranſmutatio, ab imperfectionis ſtatu ad perfectum, idque per Naturæ Artiſque cooperationem. Nulla ſiquidem materialis, ſive eſſentialis conſpicitur inter Metalla perfecta & imperfecta differentia, ſed accidentalis ſolummodo, quæ in maturitatis diſproportione conſiſtit. Hæc [ſola] major minorve Metalla per ſuas ſpecies diverſificat, niſi quod ſuperfluitates quædam ſuperadventitiæ, inter metalla diſtinctæ appareant, quæ quidem feces, nullam cum Materia habent correſpondentiam, ſed huic prorſus irreptitio more, ſurrogata, ob digeſtionis defectum non expurgatæ, cum indigeſto puro commiſtæ manſerunt. Hinc formarum metallicarum diſcretio. Verum ſi quando per digeſtionis completam perfectionem, ſuperflua hæc rejecta fuerint, jam non amplius imperfectum at perfectum potius Metallum cernitur: hinc ex Plumbi minerâ, per conveniens temporis ſpatium, abſque moleſtiâ dimiſſâ, argentum repertum eſt copioſum, foſſores teſtantur. Pariformiter, & ſi extra terræ venas hoc idem per Triumphantem artem poſſit præſtari, nihil eſt in natura impedimenti, quo minus idem conſequatur effectum. Hujus autem certitudo hinc patet, [nimirum quod ex eadem materia cuncta oriantur Metalla] ex quo ☿ qui in terræ venis generatur, univerſalis ſit procreatrix materialis omnium iſtorum quæ metallica ſpecie induuntur, quod per hoc probari non erit difficile, quoniam ☿ hiſce omnibus accommodatur & per artem conjungi poſſit, iſtud autem præſtare penitus foret impoſſibile, niſi unius omnia materiæ participarent, Mercurius ſiquidem eſt aqua, talis tamen, quæ nulli prorſus rei, quæ non eſt identitatis ſuæ naturæ, commiſcetur. Cum igitur omnia metalla humectando combibat, ſequetur, omnia illa cum hoc retinere materiæ correſpondentiam. Addo, quod per Artem Naturæ adminiſtrantem, Mercurius ita poſſit cum Metallis, omnibus ſucceſſivè concoqui, ut omnium iſtorum veram craſin veraſque proprietates, unus idemque, ſub eodem colore, fluxuſque formâ ſubalternatim referat, exercarque. Quod in Arte foret impoſſibile niſi poſſibilitatem hujus, per Materiæ correſpondentiam, Natura ſuppeditaret.

Alia porrò non deſunt Argumenta, ad hoc idem probandum.

Et primo ſanè non leve hoc eſt, quod in ☿ current tem cuncta Metalla poſſint reduci, prout & Mineralia quæ ex principiis conſtant Metallicis. Inſuper & Mercurii hi Metallici ſic poſſint tranſmutari, quod Saturninus fiat Martialis [ſuis interea viribus neglectis] per eſſentiæ tantummodo Martialis in eodem per Artificium ſagax, decoctionem: Martialis porrò idem fiet Veneretus per Veneris fermentum; idem quoque Lunaris, Iovialis; aut etiam Solaris, per horum fermentum, nullâ interea nec in fluxu, nec in colore alteritate factâ, excepto quod unus ☿ ſit altero purior & defecatior. Ex Antimonio quoque ☿ excernitur admirabilis, qui item Mercuriorum Metallicorum Naturam ſuperinduet, per ſubtilem Naturæ Artiſque adminiſtrationem. Neque hoc ſolum, at etiam præterea ſupra dicti iſtiuſmodi Mercurii corporum tam Metallicorum, quam Mineralium, ſic per ſuam commiſtionem Mercurium permutabunt vulgatem, quod iſte cum his digeſtus, eaſdem cum illis Naturales ſibi adſciſcit qualitates, ut unum, eundemque cum his faciat Mercurium, juxta ſpeciem corporalis Mercurii [ſpeciali vinculo] cum eo conjuncti. Unuſque & idem individuus ſucceſſivis operationibus, omnium poteſt formas induere, unamque eligere novam, priori neglectâ, uſque dum per omnium Planetarum Regna percurrerit. Ecquod hoc arguit, quam quod unam cuncta ſibi vindicent Materiam, à qua & ad quam omnia: quodque ad hanc Mercurialem ſuam Materiam cuncta reducta, pro digeſtionis varietate ab unius ad alterius ſpeciei virtutem poſſint migrare, unumque per omnia ſucceſſive peragrare. Quod argumentum, ut in ſe veriſſimum, ſic etiam firmiſſimum huic arti fundamentum, & inviolabile manebit. Contra hæc evidentiſſima, neſcio quid objiciatur, niſi forte nonnulli, quorum ingenii hebetudo ad hæc capeſcenda non attingit, ſeſe pluries hæc attentaſſe conquerantur, [idque juxta Autorum clariſſimorum præſcriptum] neutiquam tamen eventum ſpei ſuæ reſpondiſſe. Quibus reſpondere licet, quod illorum ignorantia ad artem adeò nobilem improbandum patum faciat. Ne etenim hoc arti detur vitio, ſi quid [in Natura per Artem poſſibile] eorum intellectum fugiat, neque enim minus affectaræ arrogantiæ quam craſſæ ignorantiæ indicio foret hujuſcemodi objectio, quaſi ea ſola per Naturæ adminiſtrationem cooperante arte forent præſtabilia, quæ ſolerti abſque indagine ſub ingenii ſui capacitatem cadunt. Cæteris ipſo facto ab illa excluſis, quaſi etiam Intellectus ſui, & Naturæ poſſibilitatis, eadem foret menſura. Quinimò & per experimentalem ſcientiam affirmativam, negativæ iſtorum experientiæ obvenirem. Ipſe ego hæc qui ſcribo, fidus Naturæ teſtis eſſe poſſum, quod ſupradicta iſta omnia de Metallis, Mercuriiſque ſint abſque ulla falſitate vera, & ſine fuco certa, meque illa omnia in metallis, & circa metalla, vidiſſe, cognoviſſe, expertum eſſe, & per experientiam vera comprobaſſe. Eapropter nudis negationibus [quarum baſis ignorantia eſt] contra oculares teſtes nullatenus contendendum: quorum unum memet profiteor, cui quoque adſtipulantur concorditer omnes verò uno ore Philoſophi, quales ſunt Albertus, Raymundus, Riplæus, Famellus, Morienus, complureſque alii, quorum nomina tædio eſſet recenſere. Fateor ſaltem quod non leve ſit opus, hoc quod dixi præſtare, econtra verò à Philoſophis ſumme occultatum, & in Natura occultatiſſimum affirmamatem. Proinde clavem artis à Philoſophis nobis perhiberi notum facio, quam qui habuerit, claſtra omnia reſerandi poteſtas ei committitur, dummodo unumquodque ſuo ordine, veráque methodo tractare dicerit. Non enim perinde eſt, quodnam primo

metallum aut minerale aggrediatur, quave via, quibuſve operationibus pergat: in hiſce vero cognoſcendis ſagacitas ingenioſa requiritur, & præter Theoriam practica ſcientia, aut aliter volens nolens errabit. Poſſim hic mutationes diverſas Metallorum recenſere, ut nempe Martis in Venerem per Acidum Vitrioli ſtalagma, ♀ in Saturnum, ♄ in Iovem, ☽ in Lunam, quas quidem operationes plurimi [ab Artis apice alieni] norunt præſtare Chemici vulgares. Addo, quod paucis [iiſque nonniſi veris Philoſophis] innoteſcit, ſubſtantiam dari mediam inter Minerani & Metallum occultam, nobilem cujus una extremitas eſt minera, altera metallum, quarum commiſtæ virtutes cœleſtes, unum aliquod efficiunt anonymum metallum, quum tamen metallum non ſit, at Chaos, id eſt Spiritus, quia totum volatile, unde [licet in ſe totum ſit fugax] omnia Metalla, abſque tranſmutatore Elixire poſſunt educi, etiam vel ipſum aurum & argentum, item ☿ cujus ego virtutes non facile deſcribam: hujus in omnia metalla tranſmutationem vidi, feci, novi, & hoc verum eſſe mecum teſtabuntur adepti. Dicam [ſi concipies] Chalibs à novi luminis Autore vocatur, eſtque operis verum principium, vera clavis [prout tractari poſſit] abditiſſima Philoſophorum ſecreta reſerandi Quid interea, ſi Philoſophi hæc omnia abſconderint, & Parabolicè ſub falſi larvâ, verum filiis Artis depinxerunt? An proinde hæc tam Divina ſcientia vilipendetur? Abſit. Patet utique quod in imperfecti Naturâ nil ſit impedimenti, quo minus in perfectum tranſmutetur, ex quo ſuapte Phyſi propenſitatem retinent perfectionem induendi, ſi modo per Agens Homogeneum digeſtiva vi pollens attenretur. Iam ergo hujus virtutem placet inquirere. Ac primò quidem illud per quod hoc fieri debeat ſtatuemus. Rationes ſubinde Philoſophicas ſubnectemus. Prius quod attinet, nil aliud eſſe profitemur, erimuſque profeſſi, quam Aurum in ſupremum gradum [ad quem per Naturam Artemque deduci poſſit] digeſtum, quod tum non ſimpliciter Aurum, verum quovis Auro vulgari millies perfectius conſpicietur. Quod ſic exaltatum, metalla radicitus penetrat, tingit ac figit. Neque mirum hoc cuique videatur, ſiquidem in ſua corporali exiſtentia dum remanet, ultra quam quod cuiquam qui non viderit credibile eſt, tincturam ſuam late poteſt diffundere. In tantum quod una puri Auri unciâ, ſex ferè argenti libras, in ſuam tincturam, quaſi per minima videatur colorare. Exempli gratia. Deauretur Argenti maſſa (utut permagna) illa poſtmodum diſtrahatur in Filum (licet crinis magnitudinis æmulum) totum illud quaſi Auri puriſſimi Filum apparebit, deeritque citius filum attenuandi ingenium Artifici, quam auro colorandi vis. Proinde ſi corporale hoc metallum, terreum, mortuumque hoc tam ineffabile valeat præſtare, unde quæſo tincturæ inconſtantia, niſi quia corpus alterativè corpus nequeat ingredi, non deeſt proin tinctura quo minus tranſmutet, at obſtat tranſmutationi tingentis corporalitas. Verum ſi hoc corporale terreum, fieret Spirituale igneum, immutato ſuo genere, tum ſane radicitus ingrederetur, & quod ad viſum fecerat exterius, idem alterativè præſtaret interius, etiam & multo plus, in quantum ignis ſit multò ſubtilioris quam terra, proprietatis ac eſſentiæ. Poſito itaque hoc ſuppoſito, nimirum terreum vulgi Aurum poſſe ita circulari, quouſque in igneæ eſſentiæ Cathedrâ ſtatuatur, facile inde colligetur, hanc eſſentiam quintam priori ejus ſubſtantia eſſe millies perfectiorem, idque ex lege diſproportionis in ſubtilitate inter Elementa quatuor; ideoque latius ſuam valet diffundere tincturam: habet & hoc inſuper, quod Spiritus dum ſit, proinde per minima intrinſecè valeat commiſceri; quod corpus auri, licet latè procul diſtenderetur, non tamen attingere poterat ob ſui corporalitatem. Et ſi ſic intrarit, dubio procul tranſmutabit: omnis ſiquidem Phyſica ingreſſio per minima eſt tranſmutatio paſſivæ naturæ, niſi identitas, naturæ ſit inter rem ingredientem ac ingreſſam, prout aqua aquæ commiſta. Hoc nos ſuppoſitum procœmii loco verum aſſeveramus, ſuoque loco ejus modum deſcribemus. Hic ſaltem argumenta aliquot poſſibilitatem confirmantia inducemus. Inter quæ non levis momenti hoc eſt, quod ſemen ſit cujuſque rei ſemen habentis perfectio, & quod ſemen non habet, eſt de toto imperfectum. Quare prout Poëta cecinit. *In Auro ſemina ſunt auri, licet abſtruſa recedant longius:* Eſt ſiquidem hoc non modo perfectum, at in ſuâ ſpecie metallicâ perfectiſſimum. Si ergo ſit in auro ſemen auri, hoc in aquâ (quæ ſpiritus eſt habitaculum) reſidere ſequetur, nam ſemen eſt ſpirituale quoddam ſpecici conſervationis medium. Hinc auri diſſolutionis poſſibilitas, licet agens hoc præſtare potens adinvenire, opus ſit ſummè ſagacis Philoſophi, non mediocri Talento à Deo beati. Porrò ſi diſſolvatur Aurum, ad ſemen ſuum educendum, non niſi in aquam ſui generis homogeneam hoc faciendum Ratio ſuadet? Quâ ſemel diſſolutione factâ, corpus ſuam formam depoſuit, nempe terream auri, & aqueam auream aliam ſuperinduit. Omnis inſuper motus eſt ab aliquo ad aliquid, & perfectus unuſquiſque motus terminus generativi eſt in eadem ſpecie, unde motus eſt progreſſus, quod fiet per varias mutationes homogeneas, rei motæ: quare cum aureitas ſit terminus à quo, eadem erit terminus ad quem, fientque intermedii progreſſus in homogeneitate metallicâ, per legis Naturæ neceſſitatem; quibus obſervatis ad ſuum finem finis neceſſitate impellitur effectum, ſi modo per contrarium operationes non fuerint intermiſſæ. Quare ab Auro diſſoluto, ejuſdem diſſoluti ad Aureitatem regreſſum extra controverſiam ponimus, & probatum concludimus. Hæc autem aurea forma quam reaſſumet, nullatenus erit eadem quam depoſuit, ſiquidem à privatione ad habitum impoſſibilis eſt regreſſus. Alia igitur neceſſariò manet huic forma aurea, quæ priori tantò erit nobilior, tantò ſpiritualior, in quantum ignis eſt terrâ ſubtilior, purioque. Ad Doctrinæ filios dirigendum ſat ſuperque ſcripſi, oblatrent jam turò Myſochemici Antiſtites, quæ non norunt, eorum quæ dixi vim nullatenus obtundent, aut veritatem improbabunt, hancque certo certius calumniatum ſuarum reportabunt mercedem, aliam ignorantiam. Artis puta oſoribus nihil ſcribo, cæteris quæ dixi ſat abunde ſufficiant. Stabilitâ porrò hâc ſcientia, & vindicata, jam de Cultoribus ejus aliquid dicendum. Siquidem, ut ſuperius dictum eſt, ex homuncionum nonnullorum nequitiâ evenit, quod Divina hæc Ars perinde ac ejus Amici, non parum ab obtrectatoribus ſint paſſi. Quum puta ſtupidi quidam Mechanici, præſumptione cæcâ ſeducti, harum tractationem aggrediuntur, nummoſque ſuos amittunt, indignabundi ſtatim Chemicam Philoſophiam execrantur, ejus Cultoribus maledicunt, Autores de illâ ſcribentes dilacerant conviciis. Alii licet parum edocti, præpoſteri homines, Auri ſiti excæcati, Arti inhiant, & rem abſque matura deliberatione aggrediuntur, & errant nihilominus, tamen Artis poſſibilitatem concipiunt, ac credunt, benè de illa loquuntur, & pudibundi ſuam in illa fateri ignorantiam, peritiam rudioribus obtendunt, de Arte fortaſſe ſcribere pergunt, & tacitâ ſpe illecti omnia tandem quæ amiſere recuperandi, etiamnum adhuc tentabunt, quouſque

damna

damna multiplicarint, amicos suos futuri boni spe solabuntur, at pauperes dum maneant, & quotidie pauperiores reddantur, obridendi ansam pertinacibus Chemiæ irrisoribus subministrant. Equidem tanta est illorum nequitia, quum ipsi sint seducti, alios falsis suis receptis, mendaciis scriptisque Sophisticis, in idem erroris prædicamentum allicere satagunt. Tandem quidam Artis ut ut periti, tamen invidiâ ad hoc incitati, scabiosè atque deceptoriè valdè rem tractant, & sub veræ doctrinæ promissis, misertimis imposturis Tyrones seducunt: sic Geber, Arnoldus, Lullius, cæterique ferè omnes, inter quos haud unus reperitur candidus scriptor, & si ullus obscurè, tamen valdè rem tradens reperietur. Hinc inevitabilis Chemiam incepturo Labyrinthus, quod vel immediato Dei digito opus videatur, si quis rectam ingredi semitam expetierit. Hinc item tam odiosum Artis nomen, quod non facilè absque maxima irrisione illi intendatur. Apprime ergo cognitu necessarium existimo, quidnam sit futuro scientiæ filio primo loco curandum, ut auream hanc Artem obtineret, vellere hoc potiatur, siquidem non pauca aderunt obstacula, quæ retro pellant, nisi adsit firma animi resolutio. Plurima quæ spem atque expectationem deludant, nisi sagax ingenium habuerit.

Primo quidem ut tutus reddatur, ab iis qui incœptum sannis obridebunt, iter secretum esse oportet, ut nulli suus labor innotescat. Quare Antiqui Philosophi Sapientes, non aliter ac verbum in ore hanc scientiam occultare præceperunt. Neque sane inutile videri posset sic adhortati, quandoquidem non parvi faciant ad despondentiam in Tyronis animo injiciendam, opprobria ac jurgia hominum, qui ab arte ipsi abhorrentes, ejus cultores etiam summo in contemptu habent. Insuper, eventum si quis spectet, secretâ artis occultatione opus esse apparebit. Si etenim spe suâ quis fuerit frustratus, ecquid obesse poterit taciturnitas, quam aliter exemplo, qui sic frustatur, proponetur. Stolidæ [ut vulgò reputatur] nummorum ac temporis jacturæ. Sin contra hoc Thesauro fuerit potius, non utile modo, verum & summè necessarium tacuisse reperietur. Tyrannis puta improbisque præda proponitur, si quis palam tanto thesauro fruatur, ac usus fuerit, etiam & nonnulli parum in hac re improvidiores, vitæ salutem periclitati, sçram tandem pœnitentiam miseri egerunt. Constans insuper animi decet esse, si quis hanc palæstram descenderet sedulus, diligens, doctus, librorum helluo, mentis tranquillæ, non ignavus, aut deses, non hoc modo, illud postea vellens, privatus, solus, nisi quod fidelem aliquem habeat socium, unum nec plures, non egenus; licet enim parva quantitas sufficiat, quum Ars semel tenetur, attamen pluries erraſſe continget, quos reparasse errores opus habet nummis, insuper & ad impensa supplenda victui & amictui necessaria, huic dum Arti incumbat, ne forte aliud agere cogatur, cum liber animi potius esse teneatur. Quodque maximum est, honestus sit, Deumque timens, & à peccatis abhorrens, precibusque Numina sollicitet, ut cœpta secundent. Taliter qualificatus iter ingrediatur, at sine claro Naturæ lumine errabit. Proinde libros sibi comparet, hominum doctorum & non Sophistarum, his seculò incumbat, legat, relegat, perlegat, resque secum alte perpendat, caveatque ne cum rem semel concluserit, practice statim attentet, verum conclusionem suam sæpius tumineat, perpendat, cumque Auctorum probatissimorum sententia conferat, tamdiu alterque, quousque unam aliquam elegerit, quæ omnes probationes sustinens perdurabit. Tum tandem praxin incipiat, implorato Numinis auxilio, experimenta consideret, eorumque successum, quæ prout ratio suaserit, alteret renovetque toties, quousque signa à Philosophis descripta conspexerit. Erroneisque operationibus prætermissis, uni soli vero complemento insistat, nec tamen animum despondeat, licet pluries erret, & tamen à sumptibus permagnis caveat, sic, benedicente Deo, voto tandem potietur. Ego porrò ut talem instruam, sequentem tractatum, verum, planum, perfectum, absque fraude conscripsi. Et tamen omnes Avaros, fraudulentos, reteroſque ejus classis admonitos velim, ut Artem pariter, hunc que tractatum missum faciant. Nam

Certum est procul hinc arcere profanum.

CAP. II.

De Origine Artis ejusque Scriptoribus, ejus Fundamento, in quo de Principiis agitur Metallicis, & graduali Metallorum & Mineralium productione.

HErmes cognomine Trismegistus, Artis hujus Pater in Philosophorum scenam introductus est: de quo, quisnam fuerit, variæ perhibentur Autorum opiniones. Non desunt, qui Mosen fuisse illum affirment, saltem in hoc conveniunt, quod natione fuerit Ægyptius, Philosophus item perspicacissimus. Pater hujus Philosophiæ vocatur, puta qui primus [quorum libri extant] qui hanc tractat Philosophiam. Quidam tamen volunt ab Enoch scientiam hanc derivatam: qui diluvium prævidens, septem liberales scientias [inter quas Chemia] tabellis inscripsit, posterisque reliquit. Hermes verò vallem Hebron ingressus illas adinvenerit, quæ Smaragdinæ hodie appellantur, atque inde suam sapientiam dedicisse. Alii acriter contendunt, Noam hanc artem renuisse, illamque *in arcam* suam portasse. Non pauci ex locis Scripturæ nonnullis Artem stabilire satagunt, illamque Salomonem habuisse scripturiunt. Nonnulli ab Adamo ipso ad Abelem; & sic deinceps ad Sethum deducunt. Mihi verò simplicitatem naturæ scripturo, hujusmodi non placent subtilitates, Artem puta non illustrant imò potius obumbrant, ut Fanatica videantur, quique ita scribunt, nonnisi obridendi ansam osoribus Misochemicisque subministrant. Si etenim Ars hæc reale in Natura habeat fundamentum, cui ego sollicitus essem, utrum hic vel ille nec ne intellexerit, ut qui cognoverimus ejus cultores atque peritos summo sese studio occultasse, prout etiam suis in libris aliis id præceptum. Nec nisi post obitum innotuere omnes vel saltem plurimi in vivis autem summâ cum diligentiâ latuere. Hoc saltem liquet, quod tantum absit, ut novum sit hoc commentum, ut per multas Seculorum series ejus extiterint periti, qui linguâ ac ratione diversi, plurimi verò ætate coævi; tam concorditer de arte scripsere, quod ne unam operationem (rectè intelligentibus) aut corrumpere, aut aliter tractare comprobentur. Fateor saltem, quod rei imperito permagna appareat difficultas in libris eorum legendis, obscurè adeò tropicè, allegorice, & figurate scribunt, quidam etiam plurima falsa intermiscent ad indignos incautosque illaqueandum, ut hoc modo Philosophos à stultis valeant distinguere; in summa tamen omnes unam metam ferunt, & ad idem hospitium deducunt. Quæ autem obscurius tradunt, hoc in nullum alium finem faciunt, nisi ut indignos excludant, prout pluries in suis libris testatur Bernardus Treviriensis [mihi summè colen-

das] hac in arte candidiſſimus reperitur ; Riplæus item Anglus, Flamellus Gallus, Sendivogius Novi Luminis Autor, Arcani item Hermetici autor Anonymus, cujus tamen Nomen duplex Anagramma prodidit, ut, nempè [*ſpes mea eſt in agno*] libro, cui titulus Enchiridion Phyſicæ reſtitutæ præfixum, & [*penes nos unda Tagi*] Arcano ſuo Hermetico ; Non præteritem hic Philoſophorum ſcalam, Roſarium magnum, Arnoldi opera, Ludum puerorum, Dionyſiii Zacharii opuſculum, Ægidium de Vadis, Morieni opera, Auguſtelli poemata Chryſopœiæ ; Quinque item tractatus Roſarii abbreviati, Petri Boni Ferrarienſis opera, omnes verbo libros incluſos vellem, qui prædictis hiſce ſunt conſoni, & qui contra excluſos. Quibus ut par eſt, priuſquam opus inchoetur, compatatis, primo loco Metallorum pariter ac Mineralium, vitas, regna, mores, habitumque diſcat ſtudioſus artis diſcipulus, nec notione ſola ſeſe oblectet, at ſcientificè, id eſt practice cognoſcat. Ad hoc autem profundâ opus eſt contemplatione meditativâ, ut rerum Phyſicarum in genere corporumque Mineralium in ſpecie, ortum diſcat ac intelligat. Me quod attinet, Metallorum doctrinæ obiter tantum intentus, in quantum nempe Arti traſmutatoriæ explicandæ faciat, rerum Naturalium ortum in genere lubens prætermitto, contentus illa dixiſſe, quæ præfato propoſito ſatisfaciant. Breviter tamen cætera ordine attingam.

Tradidere Philoſophi omnes vulgares, quatuor dari Elementa, res omnes originaliter componentia, ex quibus omnia, ad quæ reſolvuntur, ex quorum coalitu diverſo diverſæ res prodeunt. Infauſtæ huic opinioni, Chemici fere omnes Philoſophi ſubſcripſere. Cauſam cujus aliam non poſſim conjicere, quam, quod abſque maturâ deliberatione [ad rem propriam accincti] acceleranter hæc prima rerum fundamenta deſcripſerunt. Quam ego illorum ſententiam non auſus improbare, aliter honoris ſui ac obſervantiæ ergò juxta rei veritatem Philoſophice pertractabo. Elementa puta, quæ quatuor ipſi contendunt, tria ſola agnoſco, omnia quæ ſuapte Phyſi frigere experientia docet, Aerem puta, aquam & terram. Solus quippe caloris defectus, per Solis calefactivi diſtantiam remotam cauſatus, frigus his omnibus inducit, & illud remiſſius aut intenſius, in quantum majori aut minori diſtantiâ removeatur. Ignem verò Elementarem prorſus rejicio, nego item ullum eſſe præter vulgarem noſtrum communemque Vulcanum, qui ardet in culinis : Cujus calor ſemper deſtructivus in ſe. Neque nego tamen calorem rebus ineſſe, profluum nimirum aut à lumine, aut à motu, aut vitâ, aut Blas alterativo, alium nullum. Prædo Vulcanus res concretas depaſcendo comburit diva-ſtatque, eſtque corruptivus motus violentiſſimus, ab activorum duorum contrariorum exortâ repugnantiâ cauſatus. Elementum tamen non eſt, prout nec ſubſtantia, nedum accidens, ad actualem quantum flagrationem ſpectat, at duorum in ſe mutuò agentium activitatis expreſſio in ſubjecto capaci ; Non jam oſtenderem, quænam ad Vulcanum actualiter ardentem ordine requirantur præter accidens caloris & ſubſtantiam, in qua ſit hic actus, hoc hic ſaltem aſſeveramus, licet ejus calor ſit accidens, illum tamen ipſum nec ſubſtantiam eſſe nec accidens, at duorum activorum, & in ſe mutuo agentium activitatis expreſſam operationem, quam activitatem in omni re combuſtibili comburente facile poſſem demonſtrare, niſi quod ab hoc loci foret alienum. Et ut ignem prorſus Elementalem rejicio, ternario interea Elementorum numero contentus, horumque nativam qualitatem primam frigus aſſero, nec niſi accidentalem illis calorem attributo, prout dictum eſt ; ſic nec tria hæc commiſtione ſuâ rerum naturalium ingredi compoſitionem admitto. Diſproportio ſiquidem miſcendorum mixturam generationi idoneam tollit, ejuſve poſſibilitatem. Nam Phyſica generatio fit per generationem ingredientium unionem. Unio porro eſt per minima rerum uniendarum ingreſſio, ſin autem minimum unius ſit minimo alterius decuplo vel centuplo ſubtilius, non poſſunt hæc minima adæquata coire, ſiquidem per minima convenire oportet, quæ per minima unire quærimus. Hinc commiſta aqua terræ non cum illa unitur, prout nec aqua vino, aut Phlegma Spiritui : imo ſeparari poſſunt ob ſuam inter minima diſproportionem. Si quis dixerit : ad mixturam hanc faciendam unum ſubit alterius ſubtilitatem, atque ita deinceps uniuntur ; Inſto, quod ſi æque ſubtile fiat [ſpiſſum prius quod fuit] ut liquidum poſſit [uniendo ſeſe] ingredi, oportet ut ad eandem naturam prorſus deducatur, & quid tum quæſo terra quam aqua, [aqua ſiquidem in terram non migrabit, ut unionem cum terra habeat, corpus puta non corpus ſic unitive ingredietur] & ſic, quam fatuum hoc imaginari, terram in Aquam eſſe convertendam, ut cum aqua concreti generationem promoveat, & hoc ſi concedatur, ex aqua tamen res producta dicetur, ſi modo antequam produci ſit poſſibile terra in realem aquam migrarit, hoc autem neceſſarium eſt, aut aliter minimum hujus cum minimo alterius non poterit convenire. Et adhuc deeſt aer, minimum cujus eſt multò ſubtilius aquæ minimo, niſi in aerem cuncta evaneſcere tendantur, ut & hunc prædicta aqua ſibi in generando ſocium habeat. Quod ſi daretur, ex aere omnia ſolo conſtare ſequeretur, quia aer licet in ſua natura ſit à ſeſe originaliter, ſeu ex terra & aqua in ſe tranſmutatis ſit conflatus, idem tamen erit, nec ob originis ſuæ diſcrepantiam diverſificatus : niſi enim idem fuerit aduniri nequit, ſiquidem ut aqua eandem habeat cum aere ſubtilitatem, eadem cum illa qualitates primas habere tenetur, idem & de terra judicandum eſt, ut adæquetur raritati aquæ. Et ſi ſic tum aqua ſic ſubtiliata erit realis aer, & terra ſic ſubtiliata erit realis aqua, & jam ubi compoſitio generatorum ex Elementis, cum juxta hanc doctrinam ex aere omnia neceſſe habeant procedere, & quo ſubtilius ex igne, admiſſa cum hac Miſtionis Doctrinâ Elementorum quaternitate. Si quis autem dixerit, verum eſſe Elementa ſic converti, rogarem à quo agente mutarentur ? Inſuper ſi terra in aquam migret, aqua in aerem, ut ſic fiat unio componentium Elementorum, ad Elementatum conflandum, peterem rurſus quid opus ſit terræ in realem aquam reductæ aliam novam adunire, ſic & aquæ ad aeris raritatem ſubtiliatæ novum aerem commiſcere, quaſi unum & idem Elementum in alia ſic convertibile de ſe effectum converſum non poſſet procreare, abſque alterius admixtione. Si dicatur, terram, ut dictum eſt, ſubtiliatam aquæ raritate adæquari, & tamen aquam non eſſe ; uti nec aquam eſſe aerem, rogatem tum, utrum, nec ne primas qualitates unum alterius induat ; ſi non, ergò nec in minimis habebunt correſpondentiam : nam hoc impoſſibile : ſi ſic, ſcire cupio, utrum, ſi unum primum alterius primi primas induat, non fiat realiter illud primum, cujus ſic induit primas. Contrarium aſſeverare non eſt Philoſophicum. Concluditur ergo, ex uno omnia Elementa materialiter originem ſumere, quæ non poteſt eſſe, nec terra, nec aer ; quod niſi brevitati conſulerem, facilè poſſem commonſtrare. Unica ergò reſtat aqua, quæ unum verum eſt materiale principium omnium [quæ in hoc

orbe

orbe conſpiciuntur] corporum concretorum. Terra eſt ſolea ſive ſtratum, in qua omnia corpora creſcunt, & conſervantur. Aër in quem creſcunt, eſtque medium, virtutumque cœleſtium delator, quibus repletur, & per quem omnibus hiſce inferioribus communicantur. Aquæ rerum omnium ſemen eſt à Creatore primâ creatione inditum, quod quædam in aerem producunt, ut vegetabilia; quædam intra ſuos renes ſervant, ut animalia, in quibuſdam maximè abſtruſum reconditur, puta metallis. Eſtque ad finem uſque mundi ſemen ſufficiens cunctis rebus ex ſemine producendis, cujus [ut dictum eſt] aqua habitaculum reperitur. Hoc ſemen [alias otioſum] à formâ ſuâ excitatum, [quæ forma eſt lucis quædam ineffabilis particula, virtus cœleſtis, quæ præſto adeſt inferiora apte diſpoſita [ratione loci atque agentis convenientis] vi ſuâ imbuere & ad motum excitare] ita inquam ſemen activâ virtute excitatum, odore ſuo fermentativo materialem aquam eſt coagulando, quam ita immutat per varias fermentationes tranſmutationum cunctarum aurores, quouſque illud produxerit, ad quod producendum ſemen fuerat propenſum. Si itaque Metallicum fuerit ſemen, naſcitur inde primò humor ſiccus, labilis, manus non madefaciens, nimirum ☿ omnium metallorum mater. Poſſem hic lapidum uniuſcujuſque generis procreationem docere, item circa ☿ii primam nativitatem plurima notatu digniſſima annotare. Illa autem ut ad propoſitum parum facientia conſultò pertranſeo. ☿ puta vera metallorum materia dici meruit, quia antequam ☿ fieret utut ad Metallum deſtinaretur, defectu tamen aliquo poſſet contingere, ut aliquod à Metallo diverſum inde reſultet, cum verò ſemel ſit ☿, tum quidem non amplius aliquid inde naſci poſſit, niſi minerale aut metallicum: Ex hoc diverſa quæ conſpiciuntur mineralium genera, ut puta ♃ ♄ ☽ ♀ ♂ ☉ quæ omnia unam eandemque matrem habent ☿. Media quoque Mineralia quædam hinc oriuntur, quædam etiam fiunt ex ipſis Metallis, ſale acido minerali erôſis, ſic Vitriolum ex Cupri venâ per ſtalagma tale acidum, erosâ: cujus hic generationem docere abs re foret, quare conſulto prætermitto. Non autem [quod perperam nonnulli credunt] pinguedo aliqua interveniens Sulphurea, ☿ conjungitur, quam calore ſuo decoquens coagulet, cujus poſtea expurgatio eſt metalli perfectio Novimus puta quod Sulphur, quod dicitur, ♃, impurius eſt multò Sulphure, ♄ licet ☿ ♄ crudior ſit & immundior, ☿ ♃ & tamen ♃ perfectius eſſe ♄ metallum, vel gregarii teſtabuntur. Non eſt itaque cum iſtis opinandum de digeſtione Metallicâ per coloſtrum iſtiuſmodi pingue, cum in ☿ ſit agens proprium internum indigerens, nempe calor qui per cœleſtem cauſatus influxum, viram atque motum infundit huic noſtræ materiæ, quæ vita paritet ac motus dependent à matricis convenientis adaptatione, ſive loci ad generationem idonei. Licet enim, hâc ſuperiorum virtute ubertimâ omnia ſint plena, hæcque præſto adſit cunctis ad informationem illorum; non tamen actualiter agit informando, id eſt ad motum ſtimulando, niſi quatenus juvetur ab extrinſecis tite accommodatis, atque ita, tum virtus hæc cœleſtis inceſſanter agit, quæ licet in toto orbe uniformis & unica, pro ſeminis tamen ratione variatur: Secundum quod diverſificantur rerum fermenta, ad diverſas tranſmutationes producendas. Quare ſi ☿ hic natus locum ſibi ad generationem idoneum invenerit, licet in ſe extra talem locum appareat frigidas, utpote qui mortuus, intra tamen ſuæ nativitatis centrum (actionibus generativis nondum intermiſſis) virtus hæc ſive cœleſtis virtus, tam à luce quam à ſuperiorum rotatione cauſata, atque per aetis medium ad omnia uberrimè, & per omnia diffuſa, virtus inquam hæc (quatenus lucem refert) cauſabit calorem aliquem, & [quatenus rotatione ſuperiorum] cauſabit motum in ſubjecto hoc inferiori, calor hic moruſque cœleſtis ſine vita ejus in quo ſunt, eſſe nequeunt [vitam volo animalem, nedum vegetabilem, at formalem] ab his fermenta per Blas alterantem producuntur; quæ quotidiè immutant materiam tranſmutantque quouſque virtus cœleſtis prædominarit, fixitatem majorem minoremve inducens, pro loci accommodatione digeſtionem adjuvantis, aut retardantis, juxta quam diſproportionem digeſtionis, ex una eademque Matre, diſcrepantes prædictæ proles proveniunt, inæqualitate ſolum maturitatis diverſificatæ. Cujus inæqualitatis ratione crudæ aliquot ſuperfluitates quæ non ſunt Metallicæ impoſitionis, verum in ☿ ſunt à ☿ ſeparabiles, has inquam non expurga, at cum puro coagulationem ſuſcipientia, inter Metalla ſpecificare videntur, ſuntque iſtæ fœculentæ cruditates aliæ atque aliæ pro Matricis ☿ generantis variatione, ac diverſimode coagulatur, pro loci Embryone hoc occupat differentiâ. Materia proinde una eſt omnium Metallorum, nempè ☿ qui proprie tendit ad ☉ procreandum. Cve ob differentem reſpectum in gradu perfectionis, ſi quæ in generatione ſua ☿ commixtæ fuerint feces, hæ ſunt per accidens nec ☿lem ſubſtantiam ingrediuntur, quarum partim diverſitas, partimque loci diſcrepantia, in qua fit digeſtio, ex diverſa coagulatione, diverſarum ſecum, cum hoc uno puro, idem unum varias larvas induit, & ſic per ſpecies ſuas metalla imperfecta producit. Particularem ego omnium Metallorum Genealogiæ deſcriptionem evitatem, quia Solis tantum & Lunæ renovationi atque multiplicationi propero. Ad penſum proinde me accingo.

CAP. III.

De Auro & Argento, quomodo ex Materia Mercuriali proveniant, & de poſſibilitate, imperfecta Metalla ad horum perfectionem tranſmutanda.

EX prædicto fonte, ut dictum eſt, natus eſt Sol, ac ſoror ejus Luna: cum nimirum per digeſtionem materia hæc ad perfectionem eſt adducta. Perfectio porro duplex eſt, vel inchoata, vel completa, id eſt, ex parte & de toto. Completa perfectio ſumma eſt meta, ad quam Natura ſponte ſua collimat, nempè ut decoctâ omni cruditate & expurgatâ omni fece, pura natura Metallica, abſque omni ſorde coagulata triumphet. Hic Sol noſter ſuum ortum habet, ſuoque jubare & ſplendore terram illuminat. Inchoata verò perfectio [ut ita dicam] perfectio proprie dicta non eſt, & tamen reſpectu formaliter imperfecti, haud impropriè perfectio dici meruit. Eſt enim formalis imperfectio judicanda, cum non ſic decoquitur, quæ puro in generatione [per accidens] cohærebat cruditas, nedum expurgatur heterogenea ſuperfluitas, quin puro in coagulatione tantâ in quantitate commiſta relinquitur, ut illi prædominetur, tandemque vincat: ſic accidit omnibus metallis [Sole & Luna exceptis], quæ ab omnibus facile Elementis corrumpentibus, corrumpuntur, ab igne item conſumuntur. Verum cum ſic devincitur cruditas, adeoque expurgatur ante coagulationem feculenta ſuperfluitas, ut purum ſic prædominationem ſupra impurum habeat, ut ab hujus corruptivâ tyrannide liberetur, hic primus perfectionis gradus exiſtimandus. Totalis verò expurgatio ſecum, impuriqne rejectio eſt

metalli-

metallicarum operationum colophon ſive ſumma perfectio. Et tamen hæ cruditates atque feces originaliter non fuerant ejuſdem cum metallico ☿ impoſitionis aut naturæ, imò fuere ſeparabiles, quarum ſeparatio ante coagulationem eſt metalli perfectio. Verum ſi non fuerint expurgatæ ante ſuam congelationem, hæc tamen illas puro neutiquam adunivit, imò ſeparabiles adhuc ſunt, quamvis non per naturam abſque alterius adminiculo, at per Artem naturæ adminiſtrantem. Hinc artis Tranſmutatoriæ baſis atque Origo, & hoc verum Alchemiæ fundamentum. Nempè, quod impurius Metallum in ſe poſſideat idem purum ex quo Aurum, quo cum, licet impurum aliquod ſit concoagulatum, hoc tamen impurum neutiquam eſt Metallicæ impoſitionis, licet Metallum imperfectum unum ab altero (item & à perfecto) diſcriminet, ergo heterogeneum quum ſit ſeparari valet per Agens triumphans, quod ſi reperiri poſſit ſupra terram impurum certiſſimè atque imperfectum metallum in purum & perfectum Aurum migrabit Argentumve, cum digeſtivæ ſeparationis reſpectu. Omne ſiquidem agens ſeparans, eadem ratione erit Agens digerens, hæc ſiquidem ſeparatio factu eſt impoſſibilis, abſque digeſtivâ virtute efficaci. Tale agens eſt arcanum noſtrum divinum, eſt puta Spiritus cœleſtis atque igneæ virtutis, quare penetrandi vi pollet, & tamen nativas auri proprietates refert: eſt namque Aurum in ſupremum gradum digeſtum, quare in homogeneitate ejuſdem generis & Naturæ, vulgare Aurum, gradibus plurimis tranſceudit ſuperatque. Licet proindè ſpirituale ſit corpus, eſt tamen corpus quodvis aliud in mundo fixitate ſuâ ſuperans, quare homogeneum purum poteſt retinere, quum imperfecta ſuper Metalla projicitur, ne ob ſuam cruditatem ab igne avolent, dum ejus violentiæ heterogeneæ feces comburendæ exponantur, in quo ipſo ſolo tota conſiſtit digeſtio tranſmutariva. Ignis quippe eſt Auri examen, noſter inquam Vulcanus, qui à puro cunctam impuritatem combuſtibilem, adurendo tollet, ſi modo (quod purum eſt) ignis examen ob teneram ſuam cruditatem non aufugerit. At imperfecta quævis Metalla (licet purum in ſe contineant) hoc tamen purum eſt adeo crudum, hoc eſt cum impuro commiſtum, quod illud ignem hon ſuſtinens, & tamen ſuper hoc prædominans, ab illo avolans, ſecum rapit, quod aliter igne velut ſuo ſimili gauderet. Arcanum proin noſtrum (quia Spiritualis Subſtantia homogenea) iſtiuſmodi metalla imperfecta per minima intrat, & quod ſimile invenerit, apprehendit, & præpollenti ſua vi ignis flagrantis violentia defendit, & fixitate ſuâ pluſquam perfecta retinet, interea Vulcanus ardens combuſtibile quoque flamma ſua depaſcitur, quo per ignem conſumpto, purum remanet Aurum, Argentumve (pro Medicinæ, qualitate) omnem ignis violentiam ſuſtinens atque omni probationi propoſitum in illa perdurans, minerali neutiquam cedens, at potius excellens. Quare non (quod indigni quidam obtrectatores objiciunt) aurum argentumve creare profitemur, at Agens reperire atque efficere, quod ſupra imperfecta metalla projectum per minima poſſit intrare propter ſuam Homogeneitatem ac Spiritualitatem. Præterea ut præpollenti ſua vi & virtute ab ignis combuſtione defendat purum, quod ſibi ſimile adinveniens retinet uſque dum vaſtentur (Vulcani conflagranti Tyrannide) feces ſuperfluæ, quæ operatio eſt Chryſopoëtica tranſmutatio. Totum hoc efficit arcanus hic noſter Elixir, inſuper & hoc habet quod tam colorem quam fixitatem actualiter imperfecto communicet in quantum ipſe ſit ſummè exuberantis tam coloris, quam fixitatis.

CAP. IV.

De Semine Auri: Item utrum alia Metalla Semen habeant, quæſtio determinata.

COnſervandæ, propagandæ, nec non & producendæ unicuique ſpecici, ſemen à Magno Creatore rebus inſtitutum eſt: Eſtque ſemen uniuſcujuſque rei perfectio, &, cujus nullum eſt ſemen, imperfectum de jure judicandum eſt. Metallicum ergo ſemen dari non eſt dubitandum. Hæc enim aut omnia primis ſex diebus fuere creata, quæ in orbe jam ſunt ac fuere, aut ſaltem in dies auctæ concrevere. Prius tam ratio quam experientia negat; ergo ſi poſterius, tum ſanè ſemen metallicum dari nemo poterit negare. Quod ſi detur, hoc certe Metallum in coagulatione amittit. Coagulatio quippe eſt perfectionis effectum (ſeu potius maturationis, quæ ad perfectionem recta ducit, ſi exteriora fuerint legitime diſpoſita.) Perfectionis porro ſignum eſt ſemen ejus, quod ſic maturatur, non probabile proinde ſemen per coagulationem amitti, verum potius nobilius reddi. Metallicum per hoc ſemen Metallis ineſſe patet. Rogari ergo poteſt, utrum omnia metalla in ſe ſemen habeant, & reſponderem ponendo. Habent omnia ſemen unum idemque, at in quibuſdam propinquius, in aliis remotius reſidet. Semen autem hoc eſt Semen Auri. Neutiquam verò exiſtimate licet, Jovem Jovis habere ſemen, Saturnum Saturni, & ſic de cæteris, forma, puto Ioviali, Saturnina, Martialis, & eſt putè accidentalis; at materia (pura) eſt aurea, cui nihil deeſt, præter nudam digeſtionem ſecum ſeparativam, cruditatum conſumptivam, & fixitatis inductivam. Forma verò Auri eſt ſubſtantialis, hoc eſt ſuper ipſam ſubſtantiam materiæ, ſic depuratæ, fundata. In cunctis ergo Metallis imperfectis eſt ſemen Aureum ad perfectionem reddens, at in itinere ſuo per accidens impeditum: in Auro digeſto eſt idem ſemen proximè incluſum, in perfectione triumphans. Quare ſi quæratur ſemen ex imperfectis metallis educere, remotum longè cum ſit (licet verè exiſtens) labor futurus erit fruſtraneus, ad Solem pura cuncta exaltari neceſſum eſt, aliter ſemen ex illis, (quod eſt rei perfectio) non excernitur. Semen volo, non Mercurium, qui eſt in omnibus, & ex illis educendus eſt, ad vim illam, in quâ & per quam multiplicantur. ♄ autem non in ♄ at in Auro ſolo eſt multiplicabilis, cum nimirum ad Aurum pervenerit, ut de ſe poſtea ſemen ſuum, ideſt, virtutem digeſtiſſimam emittat, ut ex hac multiplicatio ortum ſuum habeat. De Luna hic non inutile futurum eſt aliquid addere, cui ſemen ſuum (quia eſt perfecta eſt) ineſſe, quiſpiam facile crederet. Opinioni huic adſtipulari videatur, quod Elixir albæ projectioni inſerviens datur. Concedo ſane dari ſemen multiplicativum album pariter ac rubeum, hoc tamen album in renibus tantum Solis continetur: & quamvis fiat multiplicatio Lunæ, in Luna tamen ſemen Lunæ non experietur proximè, at ex Sole neceſſe habet prodire: ergo, ut diximus, albedo hæc Lunaris eſt primus perfectionis gradus, cujus flavedo Solaris eſt complementum. Mater enim Lapidis noſtri (quæ Luna dicitur non vulgaris, at Philoſophica) alba eſt, quare Solem noſtrum (qui lapidis eſt Pater) albedine ſua dealbat, unde proles, quæ ex duobus hiſce Parentibus conſurgit, albeſcit, primo ad imitationem formæ Maternæ, & tum perfectum eſt ſemen multiplicativum album, poſtea rubeſcit rubedine ſanguineâ regali, Chriſopoëtica inductus poteſtate,

CAP.

CAP. V.

De Seminis Aurei virtute, & in quo proxime includitur.

UT autem arcanum hoc consequi valeamus, quocum Imperfecta ad Perfectionem projectione super illa produceremus, in primis, notandum est illud, quod de Arcano hoc nostro diximus, nempè quod sit Aurum in supremum gradum perfectionis exaltatum, ad quam per naturam artemque posset deduci. Observandum item erit, quod in Auro Natura operationum suarum metam acquisivit, nec ulterius illud sponte sua promovebit. Et tamen semen suum est ulterius maturandum cum ingenio sagaci. Hoc autem longius abstrusum latet, nec visui facilè apparet, prout aliter vegetantium, animaliumque semen oculis exhiberi valet. Nihilominus tamen per artificium sagax extrahi possit, & in tantum exaltari suam (in qua natura quievit) virtutem, ut millies illam superet. De semine hoc plurima referre possem, quæ potius reticenda: apprimè verò notanda est differentia inter hoc metallicum & vegetabile semen aut animale. Hoc liquidem ob partium dissimilaritatem semen ferentium, à toto corpore excisum discernitur. Illud verò Metallicum non ita se habet, verum ex quo minimum Auri sit reale Aurum, ergò per minima ejus semen latet, nec à corpore suo discerni valet, corpore interea hospite manente; verum cum plenaria Metalli destructione fit seminis manifestatio, atque ita Metallum reductum totum in sperma transit, ideoque fit multiplicatio hujus seminis, virtute potius & dignitate, quam quantitate & numero, id est, nobilitatur magis quam augetur (Materia autea in semen reducta) ob partium puta similaritatem. Quia respectu Lapidis Aurum totum est materia, cum manifestatur occulta profunditas, totum est sperma, quod circulando recipit vim superiorum ac inferiorum, & tum fit tota forma, seu cœlestis virtus, aliis hanc virtutem communicandi capax, iis nimirum, quæ sunt sibi materiæ homogeneitate affinia. Locus in quo semen residet, proxime est aqua, nam proprie & exacte loquendo minima pars metalli est semen, eaque invisibilis: at quia invisibilis hæc per totam aquam sui generis universaliter diffunditur, illamque inhabitat, & in illa vires suas exerit, nec aliud quid oculis manifestatur quam aqua, licet agens internum (quod proprie semen est) inesse ratio suadeat: ergo totam promiscue aquam semen vocamus, perinde ac totum granum semen appellamus, quum tamen vita germinans sit nonnisi particula quædam grani minima. Non autem Vita sive virtus seminalis tali modo in Metallis distinguitur, sed per minimum corporis continentis inseparabiliter commiscetur. Addidi hæc de semine, quoniam superius dictum est, metallum, cujus profunditas sic fuerit manifestata sub Mercuriali forma, totum in semen abire: nam aquam illam auream totam semen Auri nominamus: quoniam hoc per illam exquisitissime est diffusum, in tantum quod nonnisi ratione sola separati valeat. Hoc ab antiquis Philosophis Sapientibus fermentum occultum vocatum est, venenum, ignis item invisibilis, secretò agens. Neque etiam ipse solus totam promiscue aquam semen quodammodo nominavi, at hi etiam non raro aquam suam ignem vocarunt, aliquoties in aqua sua ignem residere docuerunt. Quare hanc distinguunt in animam spiritumque, quorum prior est medium, posterior virtus activa per illud medium. Metonymice ergo aquam semen nominamus, cum tamen proprie loquendo seminalis virtus universaliter per totam aquam inhabitat & diffunditur, quæ revera semen est, ut ab aquæ suæ habitaculo nunquam est separabilis. Mirum si cuiquam videatur, aquam me assignare Spiritus seminalis sedem, hoc ne mirum videatur, si quidem in primâ Creatione Spiritus Dei ferebatur super aquas, id est, per aquas Spiritus Cœlestis infusas, illas is vi atque virtute prolifica doravit. In hac enim sola omnia rerum (quæ in universo sunt) semina; prima ab origine fundata sunt, nec illam unquam egrediuntur; at tamen in vegetantibus in crudum aërem producuntur, in animalibus intra renes conservantur, in Mineralibus in profunditate sua firmiter occluduntur. Originalem namque suam sedem semen egredi est impossibile. Itaque si ab aqua omnia (prout diximus) in aqua etiamnum adhuc semen residere ratio docebit. Non aliunde puta conservantur res, nisi unde oriuntur, nam sublata originis causâ, tollitur effectum: hinc factum quod omnium multiplicatio semper fiat in humido & per humidum, prout & nutritio. Vegetabilia per Leffas terræ aqueum; Animantia per Chylum liquidum, Metalla per Mercurialem liquorem. Hinc aucta atque producta, vegetabilia sponte diversum à toto suo corpore semen excernunt in aëra crudum, quod fiet coagulatum corpus, ut autem cognoscatur ab aqua prodisse suumque in aqua Spiritum seminalem retinere, terræ ad speciem augendam committitur, in qua matrice Leffas terræ aqueo resolvitur in proximam suam materiam aqueam, & tunc incipit Vegetatio. Aqueum porro seminale, Leffas hoc aqueum (per quod dissolutione manifestatum est) suscipit, substatque illud germini pro humore radicali nutritivo, per quod augmentum recipit in plantam Arboremvè juxta seminis fermentum specificum. Animalia intum ex imaginatione Semen intra renes servant, quod per regenerationis actum in matricem debitam diffusum, fœtum formet tenerum crudoque multo humido abundantem, qui liquido postea menstruo muliebri augetur, ac crescit ad infantem usque perfectum, suaque nativitatis horâ in orbem prodiens, à lacte nutritur, usque quo fortiora alimenta poterit perferre, quæ tum (nisi in liquidum transmutentur chylum, prout ossa in stomacho canino) non nutriunt. Patiformitet his omnibus metalla semen suum perfecte elaboratum, (densis sub convallibus,) coagulata claudunt, in aqua tamen situm, hoc postea per sagax artificium extractum, in matrice debita crescit ac fovetur, quousque [per præviam corruptionem] sui glorificationem recipiat. Opus autem hoc est summè difficile, ob reconditas metallorum compages, in quibus semen hoc clauditur, nulla vi cedentes, nisi adsit, ingenium subtile. Proinde Matricem dari notum facio, in qua positum autum) unde solum semen est quærendum) suum sponte ac suaviter emittet sperma, quousque ipsum debilitetur ac moriatur, & per mortem suam renovabitur in Regem glorioſissimum, cunctos postea suos fratres à mortis metu liberandi potestatem nactus.

CAP. VI.

De Seminis hujus extrahendi modo ac medio.

DIfficillima semper quæ pulchérrima, omnium seculorum experientia locuples testis esse potest.

Non

Non mirandum proindè, ſi tanta reperiatur difficultas in ſubjecto adeo præ aliis nobili. Neque enim facile novi opus aliquod in rerum Naturâ pluribus (quam hoc eſt) obſeſſum difficultatibus. Quare ſi quis iter hoc fuerit ingreſſus, & tamen animæ ſuæ à ſtudio ac labore parcet, revertatur oportet, in hoc namque limine erravit. Terribilia ſiquidem quæ in opere apparebunt mala, maxima deſpondentiæ cauſa erunt futura. Clavem autem artis ſi cui Pater Luminum conceſſerit, nihil jam amplius huic reſtat, quam opus mulierum, ludusque puerorum, ut puta oculos ſuos oblectet pulcherrimis inter laborandum apparentibus ſignis, quouſque meſſem demeſſurus, Theſaurum totius mundi pretioſiſſimum poſſideat, ſine hac vero errot & diſpendium, cura & ſollicitudo, fructus erunt fruſtraneæ hujus Philoſophiæ. Quare ſapiens unuſquiſque priuſquam iter ingrediatur, de illo (cum ſignis ſuis) cognoſcendo primo etiam ac ſummè ſollicitus, ut ſi fortè aliquæ apparere poſſint in illa difficultates contra illas armatus, non poſt inceptum iter cogatur cum mœrore ac dolore reverti. Sciant itaque omnes Artis filii, quod ad arcanum noſtrum conſequendum opus ſit Auri ſemen occultiſſimum manifeſtare, quod non ſit niſi per plenariam ac omnimodam fixi volatiliſationem, ac proinde formæ ſtius corruptionem. Aurum porro ſic deſtruere, eſt opus totius mundi maximè ſecretiſſimum. Non etenim in corroſiva metalli deturpatione completur hæc divina ſcientia, imò corroſiones omnes iſtiuſmodi ſunt falſæ & erroneæ, ex quo requiratur ad opus noſtrum, non diſſolutio quævis, at Philoſophica, id eſt, in aquam Mercurialem; per præviam calcinationem per ☿ Agentem facta, quæ per ſubtilem Elementorum rotationem ac converſionem producitur, quæ calcinatio eſt humidi homogenei cum ſicco ſuæ naturæ mortifizatio, ut poſtea per idem humidum ſiccum vivificetur in tantum, quod digeſtiſſima virtus ex diſſolvendo per diſſolvens extracta, hujus calcinationis atque diſſolutionis cauſa ſit. Ecquid hic cum corroſiva corporum contritione (per aquas minerales) commune? Imo potius contrariantur (oppoſitione Diametricâ) prædictæ operationes. Hæc ſi quis rectè animadverterit, operis tædium facillimè percipiet. Aurum puta omnium corporum ſolidiſſimum, fixiſſimum, & fortiſſimæ compoſitionis, ignis patientiſſimum, & corruptioni minimè obnoxium, non ita facile in naturam huic ſuæ adeò contrariam tranſit. Quare ſi quis vi hoc attentaverit, nihil proficiet. Præpollentis itaque virtutis Agens requiritur, ut hoc fiat, quod agens homogeneum, amicabile, atque ſpirituale eſſe oportet, ut nempe affine ſit corpori, & tamen illud vincere poſſit, ac radicitus penetrare, per intima, cujus penetralia ex quo tam late diſtendantur, tamque minimum Auri, verum Aurum permaneat, vulgare itaque agens non ſit oportet. Quandoquidem etiam non tam facile ſuam Aurum deponet formam, imò pugnabit, uſque quo devictum prorſus ſuccumbat ac moriatur, vivificandi item virtute Agens noſtrum pollere debuiſſe ſequitur, ut ex mortuis cadaveribus novum purum corpus ſuſcitare valeat.

CAP. VII.

De Agente primo Philoſophico, ſive Matrice, in quam ſemen noſtrum emittendum eſt, & in qua maturandum.

QUærendum porro reſtat nobis tale Agens, quo cum prædictæ cuncta perficiamus. In quo requiritur primò, ut ſit aqua homogenea, idque lege neceſſitatis. Etenim in aqua ſola latere, viteſque ſuas obtinere ſemen Aureum ſuperius docui. At claditur in corpore Auri, ſub involucris denſiſſimis, quorum manifeſtum eſt occulto illi, quod quærimus, plane contrarium. Educenda itaque reſtat hæc aqua per artificium ſubtile, at ſponte non ingreditur; Ergò per aliud hoc efficiendum, quod quidem aliud ejuſdem eſſe naturæ oportet cum illo, quod educere quærimus. Omne namque ſimile ſibi ſimile generat, id eſt, omne agens in aliquid actionem generativam exercens, illud, in quod agit, in ſuam (quam proximè licet) tranſmutat naturam. Deinde affinem oportet eſſe hanc aquam corpori diſſolvendo, ac proinde puram, mundam, & ab omni ſorde exquiſitiſſimè mundatam ac purgatam. At ne hoc ſatis, verum Aurum contrariari renetur in cunctis ſuis qualitatibus, quibus ab aqua (in qua ſemen latet) quam quærimus, differt. Prius ſummè fixum, hæc ſummè volatilis, prius corpus ſolidiſſimum, hæc ſpiritus penetrantiſſimus. Craſſum illud, ſubtilis hæc, mortuum illud, viva hæc, & vivifica, ceteræque omnes conditiones verbo in hac requiruntur, quas in illo poſt diſſolutionem quærimus, at in coagulato corpore mortuo deſunt. Concluditur ergò, ☿ ſolum eſſe veram artis Alchemicæ clavem, qui reverâ aqua illa ſicca à Philoſophis toties deſcriptâ, fluens, labilis, & tamen manus tangentis non madefaciens, nec aliud quicquam, quod de unitate ſuæ materiæ non ſit, nec hoc ſolum, verum inſuper virtutibus ſupra deſcriptis dotetur. Hic eſt cuſtos noſter portenarius, balſamum noſtrum, oleum, mel, urina noſtra, ros maji, femella, mater, ovum, furnus ſecretus, Clibanus, Cribrum, Marmor, ignis verus, Draco venenoſus, Theriaca noſtra, Vinum ardens, Leo viridis, Avis Hermetis, Anſer Hermogenis, anceps hic gladius in manu Cherub, qui viam arboris vitæ tuetur, infinitis aliiſque nominibus inſignitur; eſtque vas noſtrum, verum, occultum, hortus item Philoſophicus, in quo Sol noſter orietur & ſurgit. Regalis eſt mineralis triumphanſque Saturnia vegetabilis, Mercurii item caduceus, quorum mira operatur, ſeque pro libitu ſuo transformat, ut varias larvas induat. De hac Aqua Philoſophus. *Gloriantur*, inquit, *Alchemiſtæ; ut ut volunt, ac ſine hac impoſſibilis eſt Metallorum tranſmutatio.* Quid dicam? quid differam? ut laudes ejus prædicem. Non eſt ita in ſua natura, qualiter illam reddimus per Artificium noſtrum, res proinde vilis eſt, & tamen Theſaurus totius mundi pretioſiſſimus. O Naturæ perfectio! & operum Metallicorum colophon! Proindè Doctrinæ Fili, artiſque ſtudioſe attende, ut votum conſequaris. Accipe, quod de ſe eſt immundiſſimum, hoc eſt mulier noſtra merettix, expurga penitus omnes ſordes, & extrahe inde quod eſt puriſſimum, hoc eſt menſtruum noſtrum, Diadema regale. Ecce paucis abſolvi quod Philoſophum nobilitat, ab erroribus liberat, & ad pulcherrimum deliciarum campum rectà ducit. Caput proinde hoc ut concludam, breviter omnia, quæ prius dicta ſunt, ſuccinctè repetam. Nobilis datur quædam ſcientia vera & certa, Alchemia dicta, qua imperfecta quævis metalla, in Aurum ſive Argentum perficiuntur, projectione Arcani ſuper illa triumphantis, penetrantis & tingentis. Quod arcanum non eſt niſi Aurum in gradum ſuæ perfectionis ſupremum exaltatum, & hoc per Artem Sagacem Naturæ adminiſtrantem. Metalla ſiquidem imperfecta cuncta ejuſdem ſunt cum Auro impoſitionis materialis, nec niſi accidentibus ſolis nudis differunt, uti & decoctionis incompletæ modis & gradibus. Quodque imperfectum cum illis commiſcetur, eſt plane heterogeneum & puro licet

extrema

externe adhæreat, non tamen adunitur intime, ac proinde rejici valet per Agens prævalens, quale est Elixir nostrum completus. Ad quod Arcanum obtinendum, educendum est (quod in Auri corpore delitescit) sperma, quod sub densissimis convallibus claditur, nullisque cedit viribus, sed solummodo arte sagaci manifestatur. Quod cum apparet (prius occultum) sub Mercuriali forma egreditur; unde exaltatur in essentiam quintam, albam primo, dein rubeam, per ignem decoquentem continuum. Et hoc totum fit per Agens homogeneum Mercuriale Ponticum, purum, mundum, Cristallinum, sine Diaphanitate, liquidum sine humectatione, quæ aqua est vere Divina, nec super terram reperitur, filiùs puta est Philosophi per hunc fabricatus. Natura cooperante, quam nos novimus, vidimus, fecimus, habemus atque possidemus, ingeniosisque propalare studemus, ita tamen, ut indignos penitus ab arte arcentes excludamus, quibus rejectis studiosos in hortum hunc amœnissimum concomitabimur.

CAPUT VIII.

De Mercurii Philosophi Genealogia, orta, nativitate signisque Diagnosticis illum præcedentibus & concomitantibus.

Jactabundi quidam arrogantesque Sophistæ, postquam ex librorum lectura didicerint, vulgarem Mercurium ab hoc arte esse alienissimum, legentes item, quod Philosophi variis hunc nominibus appellent, cæca statim opinione ducti, arti sese securos confidunt, seque hujus scientiæ Magistros affirmare non erubescunt: cum interea ipso ligno sint stupidiores. Quidam Diaphanum hoc menstruum volunt limpidumque, alii Gummi quoddam Metallicum, cum Metallis permiscibille fore niant; & frustra. Alii, qui verum Mercurium quærunt, non Aquam, nec Gummi, nec pulverem (uti quidam) pinguem sive unctuosum tamen, vel ex Mercurio vulgari per infinitas purgationes prævias facere satagunt, vel ex Metallis per Sales resuscitativos (uti vocant) extrahere contendunt. Qui verò ex Herbis, & istiusmodi rebus ☿ educere tantant, sunt minervæ crassissimæ, atque ingenii nequissimi. Accidit autem hæc illis opinio, ob altam rerum Metallicarum ignorantiam: Quærunt puta, quid autem ignorant? Operationes Mercurii Philosophi in causis suis non apprehendunt, incerti ea propter aliquid vice vulgaris Mercurii expetunt. Non autem norunt, in quo deficit Mercurius vulgi, ne sapientem sit verus, & tamen rejiciunt, quia Philosophi illum non eligunt, vel demum lavando ac sublimando, & decoqueado illum alterare à suâ naturâ quærunt, non dubitantes, quin, si semel formam suam exuerit, veram suam Philosophicam superinduat. Hujusmodi labores tædio foret recensere, quare ex quo verum sit sui index & falsi, rectum quoque sui & obliqui, ad ipsam rem pertranseo. Omnia Metalla superius docui ejusdem esse principii Materialis, nempe ☿. Sequitur itaque, quod ☿ sit revera res metallica, ac proinde [licet vulgaris] originaliter tamen homogeneam obtinere cum cunctis metallis Materiam. Si itaque Mercurius Philosophicus futurus sit Aqua homogenea metallica, sequitur, quod materialiter & fundamentaliter ab alio Mercurio non discriminetur, nisi quatenus unius sit purior altero, calidiorque, & tamen uterque aqua sicca mineralis. Norint itaque Doctrinæ filii, materiam Mercurii Philosophici materiam ingredi debere ac posse, quamlibet non totam quæ in isto conspicitur substantiam. Pro certo namque cognoscant Chemicolæ ingenioſi, nullum alium dari Mercurium, ex quo omnia Metalla, quam vulgarem [respectu nimirum suæ originis] qui generatus intra venas terræ, quamdiu à crudo aere tutus manſit in loco ad generationem apto & accommodato, ad metallum procreandum penitus destinatus est, suumque in se motum atque excitationem retinebat, ut ad generationem perfectam excitaretur. Casu autem aliquo violata sive vitiatâ loci aptitudine, materia hæc statim quasi Mortis Malleo percussa motum omnem penitus amittit, nec amplius promoveri valet ulterius, prout ovum [supra quod Gallina aliquamdiu cubuit] refrigeratum, inceptum deinceps redditur ad fœtum producendum, vita puta sive internus calor alterans deficiente externo evanuit, & sic quod prius quotidie ad perfectionem tenderet, jam casu impeditum, fit abortus, futuri motus spontanei spe nulla relicta. Hæc causa est, quod cum tentarint nonnulli calore artificioſe excogitato ☿ supra terram digerere, ludicrum retulere operis sui pretium. Tollitur ergò seu potius impeditur forma in accessu suo, quæ [ut supra dictum] est lucis ineffabilis particula, quæ præsto adest, hospitium suum illuminans, dummodo ab extra cuncta aptè fuerint disposita, atque ita sui in rebus impressionem relinquit, quæ à rebus susceptæ fermentum producit, quod omnis transmutationis verus auctor est, per sui odoris fermentaceum, res ipsas, in quibus est, alterans, ad corruptivum pariter atque generativum motum excitans. Deficientibus autem ab extra requisitis ad hæc accidentibus, sponte hæc cuncta ruunt, nec facilè hæc ruina ulla arte reparatur. Relinquitur igitur nobis materia cruda, metallica, indigesta, frigida, nec per decoctionem purgata, quæ [respectu mineralium] fontanæ aquæ [respectu vegetabilium atque animalium] naturam æmulatur. Hæc est Materia vera, cui forma Mercurii Philosophici deest, pro qua suam commutare tenetur, ut fiat inde quod quærimus. Ab hac autem formâ duplici respectu distat, primò ejus quod secum retinet superflui, secundò ejus [quod in isto deficit] virtutis spiritualis. Superfluitas duplex est, terrena lepra & aquea hydrops. Defectus autem est caloris Sulphurei veri, cujus additamentum omne superfluum penitus expurgabit. Aqua siquidem Philosophica uterus est, at non datur uterus generationi aptus absque calore. Adde itaque ac supple Mercurio, quod deest, nempe vim igneam ad urendum, & à Mercurio sponte decident omnes feces, quas tu exquisitè separabis. Hoc si præstiteris, opus perfecisti summe perspicacis ac peritissimi Philosophi. Jupiter tum adeptus est Imperium, & discussis teterrimis Saturni nubeculis, fontem tibi pellucidum coruscantemque emergere fecit. Hujus aquæ nitorem non vulgarem mirabere. Cujus virtutes non vulgares, quas non à materia, sed à forma recipit, in nulla alia re totius mundi reperiendæ sunt. Aurum puta naturaliter dissolvit, solutione vera Philosophica, non prout solvunt operantes Sophistæ, per aquas corrosivas deturpantes; & à materia Metallica in quantum possunt alienare conantes. Hic Mercurius Aurum atque Argentum de se naturaliter producit Arcanum, item Auri potabilis, quod sciens scribo, hoc pariter norunt & testantur, adepti.

Concludam itaque hunc Tractatulum, quia quæcunque dicenda restant, peculiari à me scripto tractatu candide tradentur. Tu interim vale, his fruere, à Deo benedictionem exspectes.

Nam à Patre Luminum solo hoc impetrabis.

Sic feci, Sic dixi.

LAUS DEO.

PHILALETHÆ Brevis Manuductio ad Rubinum Cœleſtem.

De Lapide Philoſophico, ejuſque Secreto.

LApis Philoſophorum eſt Subſtantia quædam Cœleſtis, Spiritualis, penetrativa, fixa, perficiens omnia Metalla in verum Aurum & Argentum [pro Medicinæ qualitate] omni probationi expoſita, idque ex imitatione Naturæ, ejuſque operationum, quanto proximius fieri poſſit.

Circa hanc ſubſtantiam Ars Chemia verſatur, quæ illius perficiendi modum atque viam tractat, atque docet: non autem per diverſa, ſed per unicam ſolummodo rem fit, cui nihil addendum, nihil minuendum, ſed ſuperflua tantum removenda.

Quod autem ad artis hujus jus attinet, experientia hac in re optime ad homines convincendos valeret: ſi cum verum hac arte Aurum fieri probetur, tum quidem de Artis tam jure quam utilitate haudquaquam erit dubitandum. Tranſmutabilia autem hoc modo eſſe Metalla imperfecta, patet, quia omnia ad unum ad perfectionem fuere deſtinata, manſere autem nonnulla imperfecta, ob digeſtionis defectum. Ergò, ſi debite coqui poſſent, perficientur & illa, quandoquidem nihil ſit in materia impedimenti quo minus hoc fiat, ex imo ſiquidem fonte omnia Metalla provenere, ☿ nimirum crudo, frigido, humidoque, in quo nulla fuit inter Solem & Saturnum differentia, veruntamen quid poſtea in hac materia operata eſt Natura, magis nimirum, vel minus illam decoquendo, hoc ſolummodo diverſitatem fecit. Poſſunt itaque cuncta alia Metalla in Solem perfici, opere nimirum divini noſtri & perfectiſſimi Magiſterii, quod ſuper imperfecta Metalla projectum, in tantum illa decoquendo perficere valet, in quantum ipſum eſt plus quam debitæ [quæ in Auro requiritur] perfectionis. Hic itaque advertere licet, quantæ ſit virtutis, & quam Naturæ Spiritualis Lapis hic noſter Divinus, qui nuda projectione id ſupra terram una hora perficere queat, quod Natura ſubterraneis operationibus nullatenus perfeciſſet. Quantum itaque poſſit Natura ab Arte adjuta, huic liquidum erit perſpicere. Lapis ſiquidem noſter ut à Natura perfectus erat abſque artis adminiculo, unariæ duntaxat erat virtutis: quæ autem per artem acquiſita eſt virtus, cooperante & adminiſtrante Natura, ſingulo regimine eſt denaria, id eſt, infinita quodammodo; ſiquidem computari nequit: primo ſiquidem illum diſſolvendo, rurſumque coagulando & decoquendo, cadit una pars Medicinæ ſuper 1000. imperfecti Metalli, penetrans & perfectè tinguens: verum ſi diſſolutione iterata & coagulatione, medicinam hanc ulterius promovere tentabis, jam ecce in infinitum tenditur: cujus enim tibi defuerit ad computandum ingenium, quam Elixiri ad penetrandum, & tingendum virtus: non quod immediate tactu ſuo corporali totum illud tingat tantillum ita multiplicati Elixiris, verum virtute ſua & influxu totum permeat: minima ſiquidem particula corporis imperfecti tangitur atque tingitur immediate à medicina. Veruntamen ita ſe res habet, pars unaquæque tincta eſt contiguæ parti ad inſtar fermenti, tingit itaque Elixir id quod proxime tangit, tinctura partum debiliori quam ipſe fuit præditus & imbutus, hoc rurſus quod ſibi proximum eſt tincturam communicando fermentat, idque tamdiu, uſque dum tota demum maſſa ad perfectionem veri Auri perducitur. Hoc autem fit brevi temporis ſpatio, ob agentis noſtri ſpiritualitatem; qui cum verus ſit ignis Metallicus, non ſecus ac Elementaris ille, duriſſima quævis corpora imperceptibiliter penetrat & calefacit, etiam vel illas partes, quæ à carbonibus non fuerant tactæ, ſic & hic Metalla per ignem reſoluta & fuſa momento ſua virtute penetrat, intrat & tingit: ſic à fermento paſtam fermentari ſæpius obſervatum eſt, etiam vel exterior illa pars, ad quam Corporalis fermenti pars nunquam attingendo pervenit, non aliter & in hoc opere factum eſt. Obſervate itaque, quam naturalis ſit hic noſter in hoc opere proceſſus: nos enim non [quod falſi nonnulli criminatores objiciunt] Aurum ſive Argentum creare profitemur, verum ex iis ſolummodo, in quibus hæc inſunt à Naturâ, arte noſtra dicimus, ex metallis nimirum, quæ ſunt ejuſdem cum Auro & Argento materiæ, inæqualis vero digeſtionis, & propter hoc imperfecta manent; quæ projectione arcani noſtri ſuper illa digerimus & hoc modo perficimus, cum ad perficienda nihil aliud præter ſimplicem hanc cruditatis eorum decoctionem requiratur, quod abundè præſtare poteſt medicina noſtra.

Heu vobis itaque doctrinæ filiis! attendite mihi, qui certiſſime vobis notum faciam totum illius Lapidis arcanum, qui non eſt Lapis, & eſt in quolibet homine, & quolibet tempore illum ſuo loco reperietis. Hunc ſi habueritis, rem totius mundi pretioſiſſimam habetis. Divinus vero exiſtit, ideoque non omnibus communicandus. Vobis vero Doctrinæ filiis rem totam manifeſtabo, nec quicquam ad hoc Magiſterium neceſſarium reticebo. Vos vero attentis adeſte animis, & verba mea percipite, altoque pectore recondite.

Tranſmutationis antea poſſibilitatem audiviſtis, nimirum quod res in perfectionem deſtinata, ob defectum vero decoctionis imperfecta relicta, poſſit per applicationem agentis ejuſdem cum perfecto, ad quod hoc imperfectum fuerat deſtinatum, eſſentiæ & Naturæ, majoris autem perfectionis, in tantum perfici, ac maturari, quantum agens eſt exuberanti maturitate & virtute pluſquam perfectum. Tale autem ſe habet Lapis noſter ad alia metalla quævis imperfecta; unde per illum hæc eſſe in Aurum & Argentum tranſmutalia, extra controverſiam ponimus.

Animadvertite itaque Sapientiæ amatores, quid & quale debeat illud eſſe, quod hoc præſtare valeat, quod à Philoſophis dictum eſt Lapis: ſed eſt in quolibet homine, & in qualibet re, quovis quoque anni tempore, ſuo loco reperiendum.

Notare verba, ſignate myſteria: quia certiſſime conſtabit ex Elementis; quibus nihil univerſalius: niſque non nudis, verum compoſitis & anatizatis, hoc eſt unumquodque Elementum qualitate ſuâ dignoſcendum præ ſe ferens; ergo in omni re, id eſt Elemento, eſt noſter Lapis: quolibet enim eorum deſtructo perit aureitas. Ne ſitis itaque ſolliciti de ullis rebus ab igne combuſtibilibus: certe enim, quod ex omni re fit, quod Elementi uniuscujuſque vires ſeu qualitates anatizatas continet, ignis ſine periculo violentiæ reſiſtit.

Heus vobis itaque Doctrinæ filiis Maximum vobis ecce notum facio ſecretum: Deus autem vos juvet ad arcanum hoc indignis omnibus celandum; Lapis noſter non aliunde prorſus quam ex metallis originem ſuam ducit, iisque perfectiſſimis: vos autem permittetis vulgus in hac arte operantum in omnibus rebus extraneis quærere: quotquod autem veſtrum veritatis amatores eſtis, non alibi quam in Metallis inveſtigare aggrediamini: unum etenim, imò unicum eſt noſtrum verum principium. Quid autem ſit illud, veſtrum erit attendere, neque quicquam heterogeneum in opus hoc inducere; illud autem aliis relinquere,

qui

qui talibus in rebus Lapidem noſtrum quærunt, ſemper autem fruſtra laborabunt; quamdiu quid ſit unicum illud noſtrum verum principium, ignorarint.

Ego vero vobis illud notifico; Mementote itaque, quod ex Leone Leo, ex homine homo generatur; ab aliis autem hæc generati expectare; abſurdum eſſet & ludibrium; non ſecus ex combuſtibilibus combuſtibilia, ex æternis æterna producuntur. Creditis ex tribulis uvas, aut ex ſpinis roſas colligere? Tam abſurdum erit, ſi quis ex Animalibus, Herbis, aut iſtiuſmodi, Lapidem noſtrum fabricare conetur, quaſi alibi, quam in Auro quærendum eſſet autificandi principium: ex talibus itaque non eſt quærendus Lapis noſter; qui naturales veri Auri proprietates referre debet, quæ non ſunt in rebus iſtiuſmodi, nec ab ipſis petendæ; niſi ſpermata creare velimus, quod nullius eſt hominis; ſed Dei ſolius proprium, & ſi quis ſe hoc facturum promitteret falſus eſſet & mendax. Sufficiat itaque nobis ſpermata, quæ parata nobis ſunt ad manus, diſponere & adminiſtrare, nova verò ex rebus heterogeneis creanda, non cum re, quod & factu eſt impoſſibile; & ſi fieri poſſet, nihilo tamen magis pollerent hæc ſpermata artificioſa, quam Naturalia illa, quæ habemus à Naturâ operi noſtro parata. Nullatenus itaque credendum eſt ei, qui ſpermata Metallorum ex Herbis & iſtiuſmodi ſe producturum profiteretur. Quamvis enim mirificè rudioribus Philoſophi, ac artificis periti titulo imponat, attamen dum creatis uti neſcit; eum multo minus creare poſſe Spermata eſt probabile.

Quicunque itaque artis futurus erit filius, diſcat & agnoſcat Lapidem noſtrum Metallorum transformatorem in ſpeciem perfectam, eſſe in Metallis perfectiſſimis proximè incluſam & contentam: ex his itaque illius productionem diſcere admoneatur, & non ex aliis.

Nunc itaque ſatis, ni fallor, aperte audiviſtis, unde hujus tam arcani lapidis materia ſit quærenda. Et ſi bene animum adhibuiſtis, hac in re vos errare non continget. Nunc de ejus nomine aliquid dicamus, quomodo enim ſit in omni loco & homine; explicatum eſt. Nunc quomodo & quare dicatur lapis, & non lapis, docebo, ultimò quomodo reperiendus ſit, adumbrabo. Dicit enim Philoſophus, quod ſit lapis, & non lapis: quod perperam intelligunt nonnulli, idque ſemper fere vulgus; interpretatur enim ad literam, eſſe aliquid, quod autem ignorat; lapidis formam referens, quodlibet etiam vel ipſo tactu in Aurum probatum ingens; ſive ligneum fuerit, ſive lapideum, quod pro falſiſſimo idque meritò) reputat: omni itaque arti (exceptâ Diabolicâ) impoſſibile judicat: quare audito vel Chemiſtæ nomine, abhorreſcit ſtatim, & abominatur; nec aliter eum, quam impium, ſtolidumque ſuorum bonorum profuſorem exiſtimat, falsâ hac & confuſa lapidis noſtri ſecretiſſimi acceptione ad hoc incitatus: ideò rudiores homines Jure Civili puniendos eſſe tales homines ſuperſtitioſè credunt: ſub nomine verò hominum rudiorum non illos tantum vellem, qui plebeji ſeu illiterati ſunt & indocti, verum etiam nonnullos imò plurimos viros aliter doctiſſimos, forſan etiam & pios, intelligo; quos rudes ideo nomino, tum quia hujus artis rudes ſunt & ignari, nec non etiam, quod rudibus adeo ſunt moribus præditi, ut canino more quidquid ignotum ſit, oblatrent, & de iis maledicant, quæ nunquam mente ſuâ aut conceperunt, aut concipere poterant. Hos peſſimè habet hæc mea reprehenſio, quia quod tam pietati, quam doctrinæ contrarium eſt, illi & docti & pii faciunt, talia nimirum judicant, quæ nec diſcernunt, nec diſcernere valent: cùm enim moneat doctrina, ſuadeat pietas, ut ea quæ quis judicat perpendat, & examinet, hi contra illud indubitanter condemnant; quod tamen poſtquam damnarunt, adhuc quid ſit neſciunt, & ignorant, quod omni Philoſopho eſt indigniſſimum.

Alii adhuc Chemicæ artis ſtudioſi, quamvis naturalius paulo rem intelligant, tamen in hoc errant, quod lapideam aliquam congelationem facere velint, ut nimirum aliquid lapidis formam referens conficiant, ad hoc Philoſophorum verba allegantes, qui lapidem eſſe affirmant.

Vos autem intelligere velim, non ideo dictum lapidem, quod lapidi aſſimiletur, ſed hac ſolum de cauſa, quod ignem non fugiat; verum fixus in eo maneat: non ſecus ac ſi eſſet lapis, & propter hoc ſecreti occultandi gratia lapis dictus, alia autem in re nulla lapidem referre, atque ideo non eſt Lapis, verum ſpecie Aurum purius puriſſimo fixitate, ſeu incombuſtibilitate lapis, figurâ pulvis ſubtiliſſimus, ad viſum corpus grave, ad tactum impalpabile, ad guſtum dulce, ad odoratum bene olens, virtute ſpiritus penetrantiſſimus, ſiccus exiſtimatus, & tamen unctuoſus, ſuper lunellam metalli facile fluens, & tingens: quapropter Pater omnium mirabilium merito vocatur, ſingula cum in ſe Elementa habeat omnia, tamen ſunt adeo amalgamata in eo ut nullum prædominetur; verum omnia quatuor quintam unam eſſentiam ſeu naturam conſtituant, quæ nulla eſt ex quatuor; verum omnium participat; eſtque complexionis temperatiſſimæ; quamvis purus ſit ignis Metallicus, & hic eſt lapidis noſter, qui non eſt lapis, nec aliquod ſibi proprium nomen habet; & tamen nihil ineſt toti mundo, cujus aliqua ſub conſideratione nomen ſortiri non poſſit. Naturæ ſiquidem eſt quam admirandæ, quam ſi dixerimus eſſe Spiritualem, verum eſt; ſin corporalem, propriè loquimur: eſt Aurum etenim, idque non vulgi, ſed ſpirituale, hoc eſt ſubtile, penetrativum, ac nobile factum: quapropter eſt ſpiritus ſive eſſentia quinta, omnium Creaturarum poſt animam rationalem nobiliſſima, cunctos morbos, cunctaſque imperfectiones tam in Animalibus quam Metallis [pro medicinæ qualitate] ad temperiem exactiſſimam perfectamque reducens: & eſt vere hic noſter Microcoſmus, quem tanti æſtimamus. Habito hoc lapide, ſeu pulvere, ſeu quinta eſſentia, non deerunt nec divitiæ, ned ſalus, Deo dante, cui gloria in ſeculum.

Verùm ad ultimam in me ſuſceptæ provinciæ partem accedam, ut nempè, quibus hic noſter lapis mediis obtineri poſſit, oſtendam; non enim à Naturæ fabricatus, eſt quærendus; verum arte & ingenio opificis componendus, natura tamen adjuvante, operamque præbente: uti enim ſat abundè declaratum eſt, materiam hujus lapidis non aliundè quam à Metallis eſſe petendam; nihilominus tamen hæc Metalla non ſunt lapis noſter, quod intellectu eſt facillimum: alia enim formam à lapide noſtro diverſam habent. Verumtamen, quod ex iis elicienda ſit noſtra medicina, non nego, ut autem eliciatur, neceſſario tollenda erit priori metalli forma, idque ſub conſervatione ſpeciei, quamvis ſub iſtius particularis & individui Metalli deſtructione. Metallica autem ſpecies in ſpiritu habitat & conſervatur, qui ſpiritus non in alia ulla re, quam aqua ſui generis homogenea, reſidet: eſt enim aqua ſpiritus habitaculum, qui in conſervatione ſpeciei eſt in primis retinendus. Aurum ergo eſt à ſua forma mutandum, idque in aquam ſui generis homogeneam, in qua aqua ſpiritus Auri con-

ſervatur, qui poſtea Aquam ſuam reinſpiſſat, inducitque, poſt putrefactionem, novam formam, millies forma Auri [quam reincrudando amiſit] perfectiorem.

Reducenda ſunt itaque corpora Metallica in aquam homogeneam, manus non madefacientem; ut ex hac aqua nova ſpecies Metallica reſultet, quovis Metallo longe nobilior. Hæc eſt medicina noſtra pretioſiſſima & Rubinus Cœleſtis.

Totum autem hoc opus Naturali illi ſubterraneæ operationi optime reſpondet, unde opus merito naturale vocatur. Natura enim ex ☿ ſolo frigido humidoque aſſiduè dirigendo & coquendo in venis terræ metalla ſecundum ſpecies producit. Ars autem ad opus contrahendum, ſubtiliorem longe operationem invenit, ſimilem huic tamen: Mercurio enim crudo frigido humidoque, Aurum maturum diſſolvendum conjungit, & ex utrique hiſce unum ☿, quem aquam vitæ nominant, efficit commixtione, ſecretaque conjunctione: quem ☿ tandem decoquunt in Aurum non vulgi, ſed longe nobilius, quod cadit ſuper imperfecta Metalla quævis, eaque in probatum Aurum, omni probationi expoſitum, tingit.

Intelligitis itaque, ut credo, quod quamvis ex Auro ſolo ſit lapis noſter, tamen Aurum vulgi non eſt ille. Ut ergo ex Auro vulgi eliciatur Aurum noſtrum, diſſolvendum eſt in aquam non Elementarem, ſed manus non madefacientem, hoc eſt mineralem; quæ aqua eſt Mercurius, qui ex ſervo rubeo tractus habet in ſe quod citra ullam manuum impoſitionem totum opus perficiat. Eſtque hoc tandem unicum illud principium verum & Naturale, cui nihil addendum, nil removendum aut minuendum, niſi ſuperflua quædam, quæ abſque ullo humano adminiculo ipſemet ſua vi atque inſtinctu Naturali perficiat. Tu itáque hoc ☿ habito aliud nihil cures. Non immerito Philoſophus ergo dixit: *Tum tuum intendatur ſtudium in decoquendo* ☿; Ego vero tibi dico; Totum tuum intendatur ſtudium in hoc Mercurio comparando, id eſt in Latone noſtro rubeo dealbando, quo facto, tu quod tuum eſt feciſti; quod autem reliquum eſt, non niſi opus eſt mulierum, luduſque puerorum: præſto enim aderit Natura, quæ cetera expediat, interea vero quies tibi datur optatiſſima, ut dixit Philoſophus, quæ quidem quovis labore eſt optabilior.

Scitote enim, quod non ſit leve opus hoc noſtræ albificationis [radicalis nimirum] hoc enim certe erit alterati & reducti corporis indicium, nec unquam ad priſtinam ſuam formam Aurum ita albificatum redibit: ex corpore enim ſpiritus, & ex fixo hac operatione factum eſt volatile. In dealbando itaque Latone totas tuas intendas vires. Facilius enim eſt Aurum facere, quam ſic deſtruere: qui enim ſic diſſolvit, congelat potius, concidunt quippe corporis ſolutio, ſpirituſque congelatio.

Conſiderate vero, ſapientiæ filioli, & ſignate hæc myſteria: quidquid diſſolvit, eſt ſpiritus, quidquid vero coagulat, eſt corpus. Vultis itaque veſtra corpora diſſolvi, ſpirituali vobis inprimis opus eſt ſubſtantia, quia corpus non diſſolutive ingreditur corpus, ſpiritus autem illud intrat, attenuat & rarificat, & quoniam aquam quæritis, aqua itaque vobis ad hanc manifeſtandam opus eſt: omne namque agens, aliquem actum exercens in aliquid, ſibi illud, in quod agit (in quantum fieri poſſit) aſſimilat, & ad efficientis naturam omne naturale conformatur effectum, ad aquam itaque ex terra educendam, aqua opus erit.

Non (quod perperam nonnulli exiſtimant) hic per aquam intelligo aquas fortes, aquas regis, aliaſque corroſivas, quas artificioſe ſibi componunt Alchemiſtarum vulgus, in eaſque ſpecies Metallicas diſſolvendas ponunt, quas tamen non diſſolvunt, ſed corrodunt, deturpant, corrumpuntque, quis enim crederet, illas aquas poſſe Metalli veterem formam deſtruere ſub Metallicæ ſpeciei conſervatione, quæ tamen ipſæ ſunt à natura Metallica alieniſſimæ? Quippe non ſunt ſat efficaces, ut ſpecies penitus deſtruerent, aliter in ſuam Naturam converterent; in quantum autem poſſunt, illas in ſordidum aliquid transformant: quanto enim magis corpora corroduntur, tanto magis à Metallica ſpecie alienantur. Noſtra verò aqua eſt aqua Mercurii, diſſolvitque corpora in ☿, cumque eis diſſolutis inſeparabiliter conjungitur, cohabitat, & concoquitur, ut ex eis fiat unum illud ſpirituale totum quod quæritur. Omne enim quod aliquid naturaliter diſſolvit, ut hoc modo ſpecies rei diſſolutæ conſervetur, permanet cum re diſſoluta materialiter & formaliter, cumque illa coaleſcit & inſpiſſatur ab eo, & illum nutrit, ut videre eſt in grano tritici; quod cum à terreno vapore humido diſſolvatur, ſuſtat ſic vapor huic grano poſt diſſolutionem pro humido radicali, & cum eo in plantam coaleſcit. Obſervandum erit & aliud quoque in omni naturali diſſolutione, quod, cum ejuſmodi diſſolutio ſit mortui vivificatio, hoc per nihil aliud fieri poſſit, quam per illud vivum, quod fuit de eſſentia hujus mortui, priuſquam mortuum eſt, veluti in grano eſt mortua (ut ita dicam) vita, quam vivificatam velimus: hoc itaque per nihil aliud fieri poteſt, quam per vaporem terræ, humidum cœli calidumque, quippe vel ipſum granum ex terra fuit extractum, & quondam nihil aliud erat quam ejuſmodi vapor, qui poſtea decoctione mortuus eſt factus, ergo per hunc ſolum ſub conſervatione ſpecici naturaliter vivificandus.

Hoc ideo ſcribo, quod tot tamque docti viri, vulgari illo ☿ tantopere ſint decepti: quamvis enim aqua mineralis ſit, non tamen ſimilis cum Auro Naturæ ſeu eſſentiæ. Quis enim non fatebitur, quod ſi granum tritici in palude aquoſa (ubi tamen Junci vegetare ſolent) projiciatur, non germinabit nec creſcet: unde hoc quæſo, niſi quod humor ille aqueus non fuit eſſentialis, nec ſimilis cum tritico naturæ; quapropter non diſſolvit naturaliter, verum deſtruit; non diſſimiliter Aurum, ſi argento vivo vulgari decoquendum commiſceatur, aut alii cuivis ☿ niſi ſoli ſuæ humiditati, non ſuſcipit in iis diſſolutionem, utpotè quia aquæ hæ crudæ nimis, frigidæque & immundæ, longè ſunt diſſimilis ab auro Naturæ, quapropter in iis non emendatur nec illas retinet, nec cum iis maturatur in longe nobiliorem (quam iſta natura) perfectionem; Tandem itaque ☿ noſter non eſt ☿ vulgi, eſt enim aqua pura, munda, clara, nitida, & reſplendens, plurimaque admiratione digna: cruda eſt frigida & immatura, ſi ad Solem comparetur: matura vero calida digeſtaque reſpectu ☿ vulgaris, qui nullas habet huic ſimiles qualitates, excepto ſolo albedinis colore, fluxuſque ſui forma, in quibus tamen ipſis permagna differentia.

Ut ergo probè tandem intelligas, quæ ſit aqua noſtra, per circumſtantias, dico tibi (idque charitate commotus) quod ſit viva, currens, clara, nitida, albiſſima inſtar nivis, calida: humidaque, aerea, vaporoſa, & digerens, in qua Aurum liquefit, ut glacies in aqua tepida, in hac continetur totum ignis regimen, & Sulphur, qui in hac exiſtit & non dominatur. Illud eſt revera cuſtos ille portenarius, balneum Regis, ſuæque Reginæ, aſſidue calefaciens, idque inceſſanter, & tamen aliunde ſumitur, quam à materia, & à ſubſtantia aquæ albificantę

albicante est distincta, conjuncta tamen & sub eadem forma fluxus eodemq; colore apparens. Hic est calor ille lampadis, qui si temperatus sit, quotidie circumaget usquedum exiccata per Calcinationem humiditate ignis secundus cinerum producitur, in quibus vas sive aqua hermeticè clauditur & sigillatur, secundum Philosophi dictum. Accipe vas, percute gladio animam ejus accipe, hæc est clausura. Est itaque aqua hæc nostra Vas nostrum, in eaque occulte habitat furnus noster, cujus ignitio oportet ut sit moderata, ne totum opus destruatur, satis tamen validume ob caloris defectum despondeat animus. In hac itaque aqua totum vasis nostri secretum consistit, furni quoque arcani structura in hujus aquæ compositione fundata est. In hujus cognitione omnes nostri ignes, omnia pondera, cuncta regimina latent. Hæc aqua est fons ille clarus pellucidus, in quo lavandus est Rex noster, ut omnes suos inimicos vincere valeat. De hac aqua & ejus præparatione esto sollicitus, quia certe absque ullo alio adminiculo, nisi per corporis perfecti purgati & limitati appositionem Natura ex hac lapidem nostrum secretissimum efficit.

Et dico tibi in veritate, quod hæc aqua est minerâlis, pura & munda, nec aliunde extrahi potest nisi ex iis solummodo rebus, in quibus à natura inest. Estque res illa ex qua proxime extrahitur, præ omnibus occultissima, modus quoque illam extrahendi est mirissimus, vis quoque ejus stupenda. Solem enim nullo cum negotio solvit eique amicatur, illumque ab omnibus suis sordibus lavat: alba est, repida, limpidaque. Laudetur itaque Altissimus, qui Mercurium hunc creavit, eique dedit naturam cunctas alias superantem. Certè enim absque hac aqua vanum esset & inutile opus Alchymicum. Tu verò quæ sit hæc aqua attende, & opere, sicut & ipse feci disce. Habito enim hoc Mercurio, clavem totius artis habes, qua cum secretissima Philosophorum reserares. Est itaque aqua nostra simillimæ cum Auro naturæ, dissimilis substantiæ, in quo faciendo maximus est fœtor. Considera itaque altreque perpendas Naturæ possibilitatem, neque quicquam heterogeneum inducas: Natura enim sua solum Natura emendatur, & in alia nulla. Sed si adhuc non intelligitis, nolite me culpare; sincere siquidem (in quantum licitum est homini loqui) vobis rem totam exposui: ut ergo conclusionem hujus rei intelligatis, sitis quam attentissimi. Lapis noster fit ex una re, & ex quatuor substantiis Mercurialibus (ex quibus una est matura, cæteræ crudę, puræ, quarum duæ sunt per tertiam ex minera tractæ, modo tamen mitro) junctis igne temperato non violento, atque ita quotidie coctis, usque dum ex omnibus fiat unum naturali conjunctione, secretissima, non manuali.

Postea mutata ignis qualitate, digeratur igne indies crescente, primo limine debiliori, atque ita quotidie aucto, usque dum figantur hæc volatilia. Per Sulphur sui generis fixum & incombustibile, usque dum totum compositum eandem Naturam, fixitatem, & colorem sortiatur: tum enim securè igni resistit, estque hæc fortitudinis fortitudo fortis, omnem rem subtilem vincens, solidamque penetrans, cujus in terram versę vis integra apparet.

Sunt autem, ut specialibus rem describam, multiplices hujus nostri processus gradus numero 12. quos omnes breviter percutram, primus quorum Calcinatio dicitur.

De Calcinatione.

Estque Calcinatio prima Lapidis purgatio, humiditatis exsiccatio, per vim caloris naturalis, aquæ calore externo excitati, unde compositum in calcem seu pulvere coloris nigri vertitur, unctuosum tamen, & radicalem humiditatem retinentem.

Causa finalis hujus Calcinationis est ut solutio Lapidi melius inducatur, quæ sine hac haberi non possit: est enim Aurum corpus valde fixum, nec immediatè ab aqua nostra solvi potest, nisi ex parte solum, hoc est, molle fit, incudatur & albificatur, in qua albificatione duæ apparent Naturæ, volatilis & fixa: quæ Draconibus seu Serpentibus assimilamus. Quapropter ut plena fiat dissolutio, contritione opus est, Corpus calcinando, ut spongiosum fiat, & viscosum, quia tum demum solutioni idoneum est.

Causa secunda finalis hæc est, ut contrarias qualitates conciliaremus: dum enim pugnant, nobis inutiles existunt: in prima enim conjunctione aqua nostra distinguit inter Sulphur & ☿ volatilem & fixum; sunt-que hæc sibi mutuo inimici, resque diversæ: nostrorum vero est ad unitatem revocare; non autem conciliantur qualitates contrariæ nisi per medium, sunt itaque in prima nostrâ operatione quatuor qualitates contrariæ. calor, frigus, siccitas, & humiditas, quarum duæ calidum & siccum Sulphuri, frigidum & humidum Mercurio attribuuntur; opponuntur itaque contrarietate diametrica, calor Sulphuris, & frigus Mercurii; humiditas quoque ☿ & siccitas Sulphuris: hæc contraria ut ad amicitiam reducamus, hoc nequit fieri absque medio, medium ergo erit utriusque particeps, utrique quoque accommodatum. Vellemus itaque calorem & frigus conciliare, medium per quod hoc fiet, erit siccitas, quod utrique tam calori, quam frigori poterit conjungi. Vertendo itaque compositum in terram, jam concordant in hoc tertio frigus & calor, ut cohabitare possint, gradu nempe remisso, postea vero in aquam dissolvendo, conciliantur & alii duo inimici, siccitas & humiditas per aquæ frigiditatem, adeo ut jam ex duobus unum factum sit conjunctione, post naturalem separationem, facti.

Efficiens vero hujus Calcinationis est caloris operatio in humidum; omne quod sibi resistit, in pulverem subtilissimum convertens; movens autem instrumentum est ignis, contra naturam aquæ nostræ dissolventi inclusus; excitans calorem in corpore, digerensque humiditatem in viscosum seu unctuosum pulverem.

Quod autem hæc operatio sit dissolutione prior, has habere causas, Prior, quia antea facta est quædam, ut ita dicam, solutio per aquam nostram divinam facta. Necessariò itaque erit spirituum congelatio proximo loco expectanda, quia congelantur spiritus semper post corporis dissolutionem: eandem siquidem operationem habent. Qualis ergo solutio, talis post illam congelatio est expectanda.

Deinde ordo Naturæ hoc postulat, primum enim mulier Dominium suum exercet, quam à viro suo vinci necesse est: mulier vero totam suam in aqua dominationem retinet; hoc ergo primum erit opus vires suas exerentis viri, illud, in quo utramque suam qualitatem mulier possidet, primo superare, quo facto, facile illud in quo unam tantum qualitatem habet, sibi subjiciet.

Ultimò calor non necessario alicui qualitati consecutive jungitur, sed siccitas caloris erit semper finis; Ex quo itaque vir primo debet vires exercere, ergo calcinatio principium operis rectè statuitur.

Est ergo calcinatio caput operis; sine hac etenim nulla erit nec commixtio, nec unio; hæc itaque primis

mis lapidis tui diebus facienda eſt, in prima enim dealbatione corpus in ſua duo reducitur principia, Sulphur & Argentum vivum: quorum primum fixum, alterum volatile: duobus ergo Serpentibus comparantur, ſeu Draconibus, uni alato, volatilem ejus Naturam deſignans, alteri ſine alis fixitatem denotans; utrumque hoc ex uno fonte procedens, ad unum tendit, ideo Serpenti caudam ore prehendenti aſſimilatur, ut oſtendatur, Sulphur nihil eſſe extra ſubſtantiam Mercurii, nec Mercurium extra ſubſtantiam Sulphuris, ſed quod Mercuriale hoc Sulphur Sulphureuſque ☿ totam artem perficiunt. Unum ergo compoſitum de jure dicitur, quod etiamſi primo operis limine duplex appareat, unde Rebis dicitur, Conjunctione tamen unum idemque fieri poſſunt, diciturque hoc unum Elixir, quod nunquam poſſibile eſſet, niſi ejuſdem penitus eſſent Naturæ. Diligenter itaque obſervanda eſt Natura Sulphuris & ☿, & ab erroribus cavendum: non enim diverſa ſunt hæc duo, ſed unum & idem Sulphur ☿ maturus & digeſtus, ☿ Sulphur crudum & immaturum.

Obſervandum ergo erit divinum illud geneſis opus, quomodo in metallicis corporibus procreandis ſub terra in mineris operata eſt Natura, quia noſtro in opere ad illius imitationem, quam proxime fieri poſſit, omnia facimus, quapropter eandem, quâ uſa eſt, materiam eligimus, licet ad operis abbreviationem, & pluſquam perfectam lapidis exaltationem, ſubtiliorem longe viam diſpoſitionis ars ſibi adinvenit. In venis enim Metallicis una res ſola invenitur, Mercurius videlicet, quæ admodum eſt cruda & frigida, & in quo Sulphurea qualitas prorſus ſuccumbit, calor quoque nullus fere digeſtivus ibi reperitur, verum motu imperceptibili poſt longum tempus paulatim mutatur hoc principium Metallicum, uſquedum tandem convertatur in Sulphur fixum, ita quod dum frigidum humidumque manebat, Mercurius dicebatur, in hac ſua elevatione ſeu excitatione Sulphur nominatur.

Aliter vero ſe res habet in hoc noſtro opere: præter enim Mercurium crudum, frigidumque aliud habemus, Aurum videlicet maturum, in quo actu exiſtunt activæ magis qualitates. Hoc itaque Mercurio noſtro, in quo paſſivæ qualitates reperiuntur, conjungimus, ut alterum alteri ſubveniat, quodque Natura in mineris nullo calore adjuta digeſſit, nos duplicem ignem habentes digerimus, unde fit, quod non ſimpliciter Aurum, verum aliud quid Auro nobilius multo & præſtantius efficimus.

Videtis itaque quid ſit Sulphur, quid Mercurius, quomodo quoque duplicem Mercurium, duplexque Sulphur in arte noſtra habeamus: quæ tamen eſſentia non ſunt diſtincta, ſed maturitate & perfectione: qua itidem ratione operentur, ut credo intelligitis. Incrudatur ſiquidem corpus Auri perfectum per aquam noſtram divinam manus non madefacientem, & ad prima ſua principia reducitur. Mercurium nimirum qui non eſt ſine Sulphure luminarium Naturas participante. In hac itaque operatione aſcendit mulier ſuper virum & prædominatur in eum ad tempus, quod quidem eſt innaturale, uſque dum vires ſuas exercere vir cœperit, & tum primum per calorem ſuum ſiccitatem inducentem exſiccat mulieris humiditatem, omnia convertendo in pulverem ſubtiliſſimum & viſcoſum, per Calcinationem, ex quo pulvere diſſolvitur poſtea aqua per ſolutionem, in qua aqua ſpiritus diſſolventis & diſſoluti, Vir & Fœmina commiſcentur. Sed ne hic quidem excitatus calor modum invenit, ſed adhuc operatur quotidie ſeparatione, diſtinguendo inter ſubtile & ſpiſſum, ut ſupernatet prius, ſubſideat poſterius tamdiu donec omnia ejuſdem ſunt qualitatis, & tum demum horâ ſuæ naturalitatis inſeparabiliter conjunguntur, aſcenditque vir ſuper mulierem, illamque imprægnat: parit tandem nebulam quam concepit, in qua putrefit & corrumpitur, & poſtea glorioſus aſcendit ſeu reſurgit uterque, non jam diviſus, ſed unum idemque factus conjunctione, & ita coagulatur, ſublimatur, cibatur, atque exaltatur in Naturam perfectiſſimam, quę tum fermentari poſſit, & multiplicari pondere & qualitatis bonitate pro libitu, cujus uſus inſignis tam in projectione, quam in medicinâ probabitur.

Cineres itaque hi nigri fœtidique non ſunt vilipendendi: in iis ſiquidem Regis noſtri Diadema continetur, & dico vobis in omni veritate, quod albedo nunquam habebitur, niſi nigrum effeceris: niſi enim putreſcat, corpus ſine fructu manebit: ſin vero corrumpatur, tum quidem videbis quid ab eodem loco, ubi viſum eſt corpora quod habuerant perdidiſſe illinc reſurgentes, quod nunquam antea fuerunt, apparebunt. Honorate itaque vel Regis noſtri ſepulcrum, niſi enim hoc feceritis, nunquam illum ab oriente venientem admirabimini,

Cavendum itaque erit, ne in hoc primo limine erretis: actum ſiquidem eſt de opere, niſi hic cauti ſitis. Errores vero in hac operatione communes multi ſunt ac varii, eorum primò, Qui, quid ſit calcinandum, ignorant, verum aurificandi principium in rebus extraneis quærunt. Quidam illa quæ non ſunt ejuſdem cum metallis impoſitionis, pro materiali ſuo principio inducunt, qualia ſunt Boraces, Alumina, Atramentum, Vitriolum, Arſenicum, Semina, Plantæ, Vinum, Acetum, Urina, Crines, Sanguis, Gummata, ac Reſinæ terræ, Salis uniuscujuſque generis nonnulli (tantus eſt eorum ſtupor) ex flamma generare conantur; hos, ut nihil prorſus hoc in arte intelligentes, prætereo. Alii, quamvis in metallis operentur, tamen velaquis corroſivis, ſalis ſulphuriſque ſpiritu, vel igne calcinationem cupiunt perficere; & corpora quidem corrodunt, non calcinent; non enim fit hæc calcinatio per nativam corporis caliditatem amico calore adjutam, ſed per corroſivam tantum vim aquarum, ſine ulla metalli ad ad hanc propenſitate: deturpantur itaque metalla, & diſſipantur atque ita à Natura metallica alienantur, non autem naturaliter calcinantur. Omnis ergò calcinatio, quæ fit alibi, quam in perfecto corpore Auri, vana eſt, & ad opus noſtrum inutilis.

Omnis quoque Auri calcinatio, quam non ſequitur ſine ulla manuum impoſitione in Mercurium diſſolutio fallax eſt & inanis.

Per Mercurium itaque neceſſario facienda eſt hæc noſtra vera calcinatio, qui Auro (debito obſervato quantitatis, & qualitatis pondere & proportione) junctus, mollit, & ſoliditatem tollit, incrudatque, & per ſuum calorem internum externo Vulcani adjunctum, nativumque illum Auri excitat, qui excitatus agit in humiditatem, exſiccatque in pulverem ſubtilem, viſcoſum & nigrum: eſtque hæc vera clavis operis, conjunctione immaturi maturum incrudare, incrudatum calcinare, calcinatum diſſolvere, Philoſophicè, non vulgariter.

Signa hujus noſtræ calcinationis hæc ſunt, primo quod poſt aqua ſatiatum corpus fuerit, paulo poſt quamprimum cuſtos portenarius balnei calorem excitaverit, obſcurari incipit aqua ſive compoſitum antea ſplendidum, deinde viſibiliter turgeſcit & intumeſcit, aſcendens deſcendenſque continuo, uſquedum totum tandem fiat pulvis viſcoſus & pinguis: in quo apparet humiditatem conſervari in hac operatione: aliter fruſtraneus eſſet labor, inde ergo facillime in aquam mineralem reſolvitur, quod ultimum eſt certiſſimumque indicium, veram fuiſſe, & Philoſophicam

noſtram

nostram calcinationem. Quamprimum enim calor operari cœperit, impatiens ejus frigidum humidumque, superiora petit, inde liquefit descenditque atque ita reducit quantum possit ad sui similitudinem; hoc assidue faciens usquedum totum tandem in aquam pinguem quasi & glutinosam resolvatur; Ita enim concatenatæ sunt operationes nostræ, quod una sit causa principiumque alterius, nec sine una altera vel haberi vel intelligi possit. Nos vero ut filios artis plenius instituamus, indignosque ab hac arte quam remote arceamus, diversas quasi operationes tractamus, cum non sit nisi unum recipe, una res, unum regimen & dispositio successiva ad nigrum, album & rubrum, nec aliter sumus intelligendi Quapropter omnis qui vere Philosophus erit, sensum, non literam in hac arte scribentum respiciet.

Ut autem ad veram nostram calcinationem perveniatur, hæc quæ sequuntur sunt animadvertenda.

Primò, ut nostrum Mercurium compares, sine quo nihil in hac arte fit: vide ergo ne vulgari illo Mercurio decipiaris, qui ad opus nostrum est penitus inutilis, si enim ad extremum usque diem cum illo operaris, nihil in eo reperies.

Secundò cavendum est, ne ignis furni nimium intendatur, sed clibanica sit ejus mensura: quod ut plene intelligas, cognoscas, Sulphur quod in Mercurio seu aqua non dominatur, illud materiam digerit, quod & Azoth tibi abundè sufficiunt. Ne ergo interna illius qualitas externam confundat formam, tum de ignis construendi modo ne sis sollicitus: tantum cave, ne lentus sit nimium, tum enim ob caloris defectum animum facile despondebis: neque adhuc nimium sit violentus, sed in modum gradus naturæ corporibus mitis, & frigus excludens: hæc tene de igne interno contranaturali, internum voco, quod opus in fine augmentet.

Tertiò de quantitate cures, ne tantum Latoni bibendum imponas, ut postea edere non valeat. Si etenim nimium imposueris, Pelagus fiet conturbationis: si minus justo, comburetur in favillam, ne sis igitur avarus aut prodigus, sed inter extrema, mediocritatem serva. Quapropter in conjungendo viro cum suâ fœmella recordare, quod oporteat Sulphuris activitatem exsiccare Mercurii superfluam humiditatem: quapropter ne nimio crudo spermare activam submergas, mulier quoque primo dominari cupiet, ergo ne terra nimia humiditatem tui lapidis suffoces, verum cum ingenio temperes suaviter & secundum Naturæ exigentiam, ne vires lapidis imminuantur. Amalgama igitur, non, ut faciunt Aurifabri, cum aquæ quintuplo aut quadruplo, sed ut faciunt Philosophi, cum duplo aut triplo ad ultimum, præstat vero ut tres aut quatuor accipias partes, quam unam ad duas, melior siquidem erit solutio, quia naturaliori Calcinatio. Attestatur mihi Riplæus, quo plus, inquit, terræ minusque aquæ accipias, eo meliorem solutionem videas. Inprimis ergo cave, ne sit terra tua undis obruta, quia in terra ignis occultatur, qui non operabitur, si nimium adfuerit humidi superflui, unde error erit incorrigibilis & vanum opus

Quartò attendas vasis clausuræ, ne spiritus evolent, & destruatur opus. Custodi igitur vas & ligaturam ejus, nec levis hoc esse momenti existimes. Consideres ergo hominem, qui ut per naturam generatur, ita & Aurum nostrum per artem Naturæ administrantis maturatur: perpendas igitur quanta cum cura uterum mulieris prægnantis clausit Natura, ne quidquam aut ingredi valeat, alioqui periret fœtus. Non minori cum industria tu quoque hac in re cautus sis in perficiendo hoc opere Philosophico, ne irritus sit labor; Audi igitur Philosophum dicentem: Accipe vas & ignes percute gladio, animam recipe, hæc est clausura; Hermes quoque dicit: Vas Philosophorum est aqua eorum, & pro certo cognoscas, quod vas naturæ sit solum nobis hac in arte utile, quod diligenter est occludendum. In formando quippe Embrione maximi existunt venti, qui si evanescerent, actum est de nobis. Error quippe est irreparabilis, unde damnum certissimum.

Opus quinto est patientia, ne animum despondeas, aut solutionem præproperare studeas, verum firmiter crede, festinantiam nimiam conjunctioni valde esse inimicam, illamque impedire: impertinenter enim corpus dissolvendum rubificat, excitans in illo febrem, hoc est contranaturalem ignem, unde malleo quasi mortis perculsum impertinenter ex activo fit passivum, & pro nigro citrinum instar papaveris sylvestris appareret. Nostra vero calcinatio vera humidum radicale conservat in corpore dissolvendo, & nullo alio colore nisi nigro absolvitur, & fix calx discontinuus, unctuosus, pinguis, & ad fusionem idoneus. Patientes ergo sitis, & longanimes, ut votum consequi possitis, quia plurima vobis erit despondentiæ causa. Quum igitur de operationibus nostris loquimur, nolite credere, nos illas uno vel duobus diebus perficere, neque colores aut signa prima horula videre; non sane, verum multum diuque expectavimus, usque dum facta fuit patientia inter qualitates contrarias, quare in praxi suæ docet ille Trevisanus, vir in hac arte doctus & bonus, se in carcere, hoc est in dubio, animique suspensione quadraginta dies mansisse, post vero rediisse & vidisse nubes & nebulas. Quin &, si vel granum in terram bonam projicias, non quavis hora terram semovendo inspicies, ut videas utrum & quantum crescere inceperit, hoc si faceres, ne vegetationem quidem suavem multo minus fructum inde expectares. Tam stulti sunt & insipidi, qui quamprimum dissolvens cum dissolvendo conjunxerunt, statim aliqua operationum signa quærunt, nec possunt sibimet satisfacere, quin aut moveant aut aperiant, aut aliquid addant, detrahantque, aut saltem ignem augent, ut opus accelerent. & sic hoc modo opus naturæ impediunt, ac proinde fines optatos non attingunt. Quare attendas doctrinæ meæ, quamprimum materiam, hoc est, Sulphur maturum, flavum, cum Sulphure suo crudo albicante præparasti, ac debite desponsasti, vasi include & sine molestiâ stare permitte; si recte procedas, intra horas viginti quatuor ad ultimum videbis compositum tuum turgescens, bullasque fortasse nonnullas emittens, ratione caloris aquæ tuæ ponticæ inclusæ materiæ calorem excitare nitentes; colorum vero variationem tardè [ut tibi saltem videbitur] primo limine conspicies, quia tum custos portenatius multos necessariò labores sustinet, quia quidquid factum est, ille solus tum facit, quia balneum non adhuc paratum est, hoc est Naturalis regis calor nondum excitatus. Verum quum balneum calefactum est, non nisi paucos œconomus noster labores patietur, & operationes erunt facillimè distinguendæ. Quapropter pro certo sciant hujus artis filii, quod primus color qui apparebit post argenteum colorem Amalgamati corporis, non erit perfecta nigredo, nam non momentaneo ingressu venit hic color, sed quotidie quo magis minuitur albedo, eo magis superveniet nigredo, usquedum tandem compleatur. Est enim nigredo dissoluti corporis signum, quod non fit hora una, sed paulatim, verum incessanter: tinctura enim ex tenibus Solis & Lunæ egredieus nigram se oculis ostendit, sed sensum extrahitur, & imperceptibiliter. Adventus ergo nigredinis & egressus tinctura ex viscеribus corporis dissolvendi idem est modus & temporis tempus, quia quam cito totaliter egressa est tinctura, tam cito perfecta

erit & absoluta nigredo. Hac de re audite, quid dicat Ludus puerorum, *primo quanto magis decoquis, tanto magis subtilias grossum & denigras compositum.* Et Bernardus Trevirensis ait, incipiente terrâ cæterorum, dominari, Elementorum, apparet nigredo verum non nisi paulativè suum dominium obtinet. Verbo ut absolvam, quatuor sunt tantum principales colores; primus quorum est nigredo, isque tardissimus in adventû, & in durationc longissimus, qui si momentaneo ingressu perfectus fieret, opus utique esset expeditissimum, non enim tardius periret quam accessit, & in nigredinis summitate ne per horam maneret; nullum enim est interstitium in hisce operationibus, verum crescit ad summum unius gradus, ad quod non citius pervenit, quin iterum decrescat: tarde igitur ascenditur ad nigredinem, tarde quoque ab ea descenditur, ne momentum vero est, in quo nec ascendat nec descendat, nam nihil nisi in suo fine quiescit, verum nigredo non est lapidis nostri finis, ergo nec in ea quiescit.

Quomodo igitur apparebit nigredo? Sic nimirum, quemadmodum nox advenit: primo crepusculum, nox tandem atra, idque gradus per insensibiles singulo momento minus lucis in aere existente quam alio, donec tandem nulla prorsus illum illuminet, tum mox alta conspicitur Hoc autem totum fieri solet intra horam, tamen insensibilis est motus; nostrum vero opus spatium longius quod requirat, necessariò hic motus magis erit imperceptibilis. Tu igitur qui hoc quæris, exemplum tibi allatum consideres, & responsum habebis.

Obj: At post primam excitationem materiæ tinctura omni hora & momento egreditur, color vero egredientis tincturæ est nigredo nigerrima, ergo post primam materiæ excitationem intra horam apparebit nigredo nigerrima.

Sed Respondetur, quod tincturæ egressæ est nigredo nigerrima non vero egredientis, vel si sic, attamen insensibiliter erit verum insensibilis nigredo, licet nigerrima egressa in multum albi, non nigerrimam manifestabit in toto composito nigredinem, sed colorem subalbum, si modo subjectum albedinis non sit subtile & bene depuratum, quemadmodum hoc album nunc est, verum & tinctura in suo primo egressu, non est complete nigra, sed hoc per putrefactionem obtinet, quæ non est nudus tincturæ egressus, sed ab illa repugnantia & resistentia, quæ est inter tincturam egressam, & aquam extrahentem, exorta est, hoc est inter Sulphur & Mercurium; Hac de re audi Morienum dicentem: *Operatio nostra est nihil aliud quam extractio aquæ, à suâ terrâ, nec id solum, verum aquæ super terram remissio, donec terra putrescat.* Tinctura igitur non omnino est per se nigra, verum albissima, verum egreditur cum nigredinis signo, quia quanto magis egreditur tinctura, quæ est anima, tanto magis exanimatur terra, quæ est corpus, & sic putrescit & nigrescit.

Quanto igitur tempore expectandum erit, antequam perfecte nigrescat? Hac in re attende quid dicat Flamellus, *color quem primo videre debes, est nigredo*, & ea non quævis, sed atterrima, idque inter spatium dierum quadraginta; Riplæus idem dicit: *Commixtas naturas & coæquatas, permitte concumbere simul sex hebdomadas, ad concipiendum, quod tempus lento cum igne expecta*; Colores quando moriuntur, demonstrabunt, eo enim tempore picis instar liquidæ bullient, & putrefient. Et Bernardus in sua parabola dicit: *Exuens Rex vestes splendidas, Saturno tradit holoserica, nigrâ indutus, quam dies quadraginta retinet*, hoc autem totum intellige de nigredine in summo: quod ex supra repetitis verbis Flamelli patet, verum nigredo remissior citius apparebit: sic scala Philosophorum in gradu putrefactionis: *intra sedecim dies* inquit *durante levi igni, continuò materia cooperietur nigredine*: & hoc vel serius vel citius secundum ingenium operantis in materiarum adaptatione.

Verum an apparent colores intermedii, in progressu ab albo ad nigrum, quemadmodum in progressu à nigro ad album? Videtur enim quod sic, quia ab extremo ad extremum non datur transitus, nisi per media; Et respondemus, quod sic apparent, licet quidem confusè, & quidam in aliquo opere apparebunt in progressum ad summum nigredinis, qui in alio fortasse non apparebunt, utpote quia non sunt nisi colores accidentales: verum non prorsus iidem inter albedinem primam & nigredinem, qui inter hanc & albedinem ultimam; quia non est eadem ratio materiæ, in priore erat crassa terrestrior, comburenda & purificanda, in hoc vero opere spiritualior est materia & purior, ergo in subjecto puro sive depurato, in progressu ab extremo nigredinis ad extremum albedinis, colores intermedii erunt lucidiores multo & admirabiliores, quam ii qui in subjecto terrestri apparuere. Verum in utroque progressu apparebunt, in priori transitu inter extrema obscuriores, & pauciores, & turpiores, in posteriori plures, nitidiores, & splendidiores, teste Philosopho, post summum nigredinis ante albedinem in hora conjunctionis maxima apparebunt mirabilia: quotquot enim colores in toto mundo poterunt excogitari, tum erunt conspicui: & Riplæus ait: in opere nostro apparebunt colores quibus numquam pulchriores apparuerunt, item ante perfectam nigredinem colores intermedii ostendent sese, teste Philosopho, qui colores Draconum depingens, nigros esse flavos & azureos dicit, & hi colores, inquit, intermedii denotant, confectiones tuas non perfecte adhuc esse putrefactas, verbo, inter moriendum varii videbuntur colores obscuriores, verum rari & pauci, & hoc antequam nox atra totum obnubilet Horizontem. Inter resurgendum vero plurimi & splendidissimi orientur, quia corpus jam glorificari incipit, & lux tenebris incipit prædominari, & hoc in subjecto depurato & spirituali.

Verum quo ordine hi prædicti colores apparebunt? Hoc sane determinati nequit, quia variantur multifariam, sed quo melior erit succus aquæ vitæ, eò melius signa apparebunt. Ordo quatuor colorum principalium ab omnibus describitur; Accidentalium vero nemo poterit determinare, sufficiat tibi si intra dies quadraginta completam habeas nigredinem, cætera non multum cures, sed bonum est attendere, est enim nigredo color primo maximè experibilis, & alii licet appareant, nisi & hunc videris, dubio procul errasti; Sed ut dictum est, alii colores non sunt despiciendi, venereo colore excepto, vel imperfecto rubro, qui si ante nigredinem appareat, suspiciendus est, præcipuè verò cum siccitas compositi & partium discontinuitas cum concomitetur, hæc inquam præcipitatio fatale sit operanti temporis perditi indicium.

Hoc idem testatur Philosophus, inquiens, *vehemens ignis impedit conjunctionem & album cingit colore papaveris sylvestris.* Et Flamellus in suis Hieroglyphicis figuris ait, *nisi nigrum de nigro nigerrimum conspexeris, quemcumque alium videris colorem, in via erroris es: præcipue vero suspiciendus est calor rubescens, si enim illum conspexeris combussisti, vel etiamnum comburis virtutem lapidis vivificam.*

Hisce vero non ulterius moraudum est, aqua siquidem una totum hoc facit, dummodo cum calore externo continuo internum coadjuvante regatur compositum, nec aliquid in toto opere hac aqua nostra est mirabilius, quam superius plenè descripsi, ad quem locum te relego.

DE

De solutione.

Estque Dissolutio Lapidis nostri in primam suam materiam reductio, humidi manifestatio & Naturarum à suâ profunditate extractio, quæ in mineralem aquam perducendo absolvitur.

Hæc operatio non est levis operis aut momenti, quam enim sit difficilis, qui illi insudarunt attestari possunt.

Philalethæ Fons Chemicæ Philosophiæ.

TOtum Artis in hasce partes dividam; Prima continebit res opus substantialiter & essentialiter constituentes; secunda harum dispositionem: Res lapidem constituentes essentialiter sunt corpus seu sulphur maturum, sive æs rubrum, aqua seu ☿ immaturus, sive æs album quibus adjungatur vas, furnus, ignis triplex. Harum dispositio considerat pondus & regimen. Pondus duplex, regimen duplex: quæ perficiunt has operationes, Calcinationem, Dissolutionem, Separationem, Conjunctionem, Putrefactionem, Distillationem, Coagulationem, Sublimationem, Fixationem, & Exaltationem: quarum duæ primæ operationes fiunt præcipuè ignis primi temperata, incomburenti, & alteranti ignitione, balneum Regis calefaciente, illumque mutante primo in terram subtilem viscosam discontinuam, nigram, fœtentem deinde in aquam mineralem diversicolorem, & vocatur ignis hic contra Naturam. Tres quæ sequuntur operationes fiunt ex conjuratione ignis primi & tertii, naturalis nimirum, & contra naturam: qui ita conjuncti efficiunt ignem innaturalem, quotidie circulando materiam, & subtilius à spisso separando, usque dum totum fiat ejusdem temperamenti, & tum separata conjungendo, imprægnando, atque ita putrefaciendo.

Quinque ultimæ operationes fiunt ab igne Naturæ, indies crescente & prædominante, qui primo materiam putrefactam quotidie circumagit, & à fecibus purgat, ascensione crebra & descensione, quæ ideo vocatur Destillatio, Volatizatio, Ablutio, Mundificatio, Cohobatio, Imbibitio, Cibatio, terræ Humectatio, & hoc tamdiu fit à calore, usquedum tandem siccitas coagulare cœperit, quæ dicitur inspissatio, quæ diutioti concoctione sive sublimatione fixitatem inducit, cujus terminus est exaltatatio; hæc non est localis loci inferioris pro superioti mutatio, sed ex re vili nobilissimum quiddam facere.

Hæ sunt omnes nostræ operationes, & successivæ dispositiones, quæ à nonnullis totidem regimina appellantur: quod nomen siquis imponere malit, licet ei hoc facere, utcunque scito, quod non est nisi duplex ignis, Naturalis & contra naturam: quorum posterior prius agit, quia non nisi per hunc ille in lucem educitur, & oportet putrefactionem præcedere regenerationi, & hæc duo cum mutuo inter se pugnant, efficiunt ignem innaturalem, & ex hac contentione oritur putrefactio: post quam autem gloriosa fit regeneratio, in qua Sulphur & aqua unum fiunt, & simul congelationem accipiunt à nullo igne nisi naturali.

Corpus igitur nostrum, quod terra Lemnia vulgò dicitur, totum opus perficit, nequaquam vero nisi cum aqua sua rigetur: quæ aqua est vere pluvialis, non illa, quam vulgus parare novit, sed nostra, quæ nullum unquam nisi vere Philosophantem vidit, crede mihi, nam verum dico, fatui norunt aquas multas extrahere, scilicet manus madefacientes, nostra vero aqua est vita rerum omnium, circa quam insudare te oportet, tum nec Sol, nec Luna deerunt ad divitias comparandas. Dicam autem, idque fido ex animo, qualis sit hæc aqua, est aqua Salis petræ, quæ in manifesto est quasi Mercurius, at in corde purus ignis infernus: cave vero, ne Argento vivo decipiaris, sed illum intellige Mercurium, quem Sol rediens mense Martio diffundit per omnia locorum, hunc tu mense Octobri colliges, quia tum certe maturus reperitur, & Thesaurus totius mundi pretiosissimus.

Ut autem ☿ nostrum, aquam nostram pluvialem ita tibi describam, ut illum possis reperire, scitote præ oculis esse toti mundo, qui tamen ignorat, aut salem pro illo vulgarem illum accipit, variisque torturis deturpat, verum autem nostrum ☿ tempore suo negligit, quapropter nunquam nostrum perficit magisterium. Lurido enim vultu Alchemistarum vulgus aspicit, unde factum, quod illum vilipendant Doctrinæ vero filius splendore suo stupefacit, & ab iis in pretio summo habetur, quapropter res vilis est & tamen pretiosissima, quam nullus unquam sine magno Dei judicio contempsit.

Tu vero illum cum videris noli contemnere, quia sordidissimus apparebit, & si propterea spreveris, magisterio privaberis; sin vero contemptibile hoc magni æstimaveris, tum quidem mutata facie gloriosum videbitur; est enim aqua nostra virgo mundissima, & à multis amatur, omnibus vero suis procis vestibus sordidissimis induta fit obviam, ut hoc modo Philosophos à stultis possit distinguere: quisquis etenim oculatus tantum nil nisi exterius adspexerit, illum veluti tanto secreto indignum virgo nostra ☿ dedignabitur, scorta siquidem splendidis vestibus induta procis suis se ostentant, hæc vero casta pretiosissimaque virgo intus pulcherrima extra fœdissima videtur, quod quidem stultos plurimos ludificat. Quisquis vero mentalis homo sub corpore patenti spiritum latentem possit videre, non parvi æstimabit, hunc quoque virgo nostra, ut amicum aspiciet, & exuta suas sordes decoratissima splendescet, quam tum nemo nisi stultus non possit non admirari & amare; illi enim infinitas largietur divitias & sanitatem perfectissimam. Hanc itaque fœmellam regis nostri sororem & conjugem honorate, cui si in fecibus suis exuendo fueris adjumento, sibi splendidissimas vestes comparabit, tibique divitias infinitas largietur. Munda igitur supra modum est hæc nostra Regina, quam si conspexeris, cœleste quoddam corpus te intueri opinabere: est enim revera cœlum, seu quinta essentia Philosophorum, cujus nitorem non possis imaginari, nisi illum videris: crede mihi, nam niveum ejus splenderem oculis meis vidi, manibus tetigi, quo pulchrius haud quicquam possit excogitari. Est igitur aqua nostra verè pontica, serena, cristallina, pura & munda, quæ non ita est in sua natura, qualiter illam reddimus per artificium nostrum, estque mare nostrum, fons noster occultus, ex quo Aurum naturaliter crearum est: cum tamen se præferat Auro & vincat illud, & in hora suæ nativitatis aurum cum illo jungitur, & in eo lavatur, & crescit utrumque simul in heroëm fortem, quem nec Cæsar, nec Papa pretio possint emere. Omnibus igitur cum viribus tuis hanc aquam exquire, cujus unica plus mille minis valet, quia per hanc solam absque alio labore [nisi corporis perfecti, mundi limati additione] lapidem nostrum honoratissimum perficies, cui nullus in mundo Thesaurus adæquari possit.

Profunda vero meditatione opus est, antequam mare nostrum concipere valeas, fluxum nempè & refluxum ejus: veruntamen sedulus si fueris, juvante Deo, votum consequêre Ego pro mea parte postquam cognovissem agrum in genere, unde scaturiret hic fons

nostæ

noſter ſecretus, tamen non niſi per annum cum dimidio aſſidue ſtudens & profundis vacans contemplationibus, hanc elicere didici, quia igneus ſapientum furnus me diu latuit: poſtquam vero hunc ſcivi, & quomodo vaſi ſuo proprio apandus eſſet, paucos poſt dies admirandum aquæ noſtræ nitorem ſum contemplatus, quo viſo non potui non obſtupefieri, nam ut in praxi, hic & in Theorica, & vice verſa: qui enim hujus aquæ magiſterium exacte tenet, illum nulla Philoſophorum verba, aut ſecreta, dicta, ſcripta, vel ænigmata latebunt: ſic quicunque hanc noſtram aquam ſemel elaboravit, nihil amplius reſtat ei agendum, niſi ut corpus mundum juſta quantitate immittat, vaſque occludat, & ſic ſtare permittat, uſque ad operis complementum. Et hæc aqua eſt ignis, qui mori pariter & vivere, facit, de quo ſcripſit doctus ille vir Joannes Pontanus, quem qui ſemel adeptus eſt, ad Autumnum ſui laboris pervenit, cætera enim cuncta à natura perficientur, diſſolvet enim & coagulabit, calcinabit, & putrefaciet, & omnia perficiet regimina ſucceſſive unum poſt aliud, uſque ad complementum perfectum. Duplicem vero alium habemus ignem, quem tu facile cognoſces, quam citò hunc primum didiciſti, ſed ut ad aquam revertamur, in qua [crede mihi] totum ſecretum conſiſtit, quæ aqua licet ſit una, non tamen eſt ſimplex, ſed compoſita, nempe ex vaſe & igne Philoſophorum, quibus tertium additur, nempe vinculum. Quum igitur de vaſe noſtro loquimur, intellige aquam noſtram, quum de igne, itidem aquam intellige, & quum de furno diſputamus, nihil ab aqua diverſum aut diviſum volumus. Eſt ergo vas unum, furnus unus, ignis unus, & hæc omnia ſunt unum, videlicet aqua. Ignis igitur digerit, vas albefacit & penetrat, & fumus ſeu vinculum omnia circumdat & includit, & ignis eſt ☿, vas quoque ☿, furnus denique idem ☿, & nota bene, quod nullus eſt ignis in toto opere niſi Mercurius, cum tamen multiplex ſit ignis, & multiplex aqua: ſunt ergo tam ignis quam aqua virtute in opere diverſificata, uti & numero, genere vero in uno eodemque conveniunt, nempe Mercurio. Eſt itaque ignis noſter vivus, aqua viva, vas vivum, furnus vivus, & hæc omnia ſunt unum.

Scias quoque chariſſime, quod unicum eſt in toto orbe, in quo Mercurius hic noſter reperiendus eſt. Similis eſt cum Auro eſſentiæ, diſſimilis ſubſtantiæ, cujus Elementa convertendo quod quæris invenies. Cœlum cum terra conjunge ſuper ignem amicitiæ, & in firmamenti medio avem Hermetis videbis, Naturas ne confundas, ſed dividas, & reconjungas, & in honore per vitam totam regnabis; Audi igitur ſecretum hoc maximum.

A plaga Meridionali verſus Occidentem reperitur mons altiſſimus, Soli quam proximus, qui unus eſt ex ſeptem, & ab altiſſimo altitudine ſecundus; Mons hic, de quo nunc fit ſermo, eſt temperaturæ admodum calidæ, quia non longe diſtat à Sole, & in hoc monte vapor claudi ut, ſive ſpiritus, qui ad opus noſtrum eſt apprime neceſſarius, non autem aſcendit, niſi vivificetur, nec vivificatur, niſi in montis ſummitate terra ad genua fodiatur, verum ſi hoc fiat, aſcendit ſpiritus, ſive tenuiſſima exhalatio, quæ congelata ab aere ſtillando per guttas decurrit in aquam limpidiſſimam inſtar balnei calefactam, quæ ſtatim colligitur: eſt enim verus Mercurii Caduceus, quo cum mira operatur: hæc eſt aqua noſtra, vas noſtrum, ignis noſter, & furnus noſter, eſtque noſter Mercurius, & non vulgi, ſed liquor Salis puriſſimi calidus & humidus, quem Mercurium nominamus. quia comparatione ad Solem facti, eſt immaturus & frigidus. Amen dico tibi, quod niſi creaſſet Omnipotens hunc Mercurium, impoſſibilis eſſet metallorum tranſmutatio, quia Sol non tingit niſi prius tingatur, non autem tingitur, niſi aqua hac noſtra divina. O beatificam hanc humiditatem, quæ cœlum eſt Philoſophicum, unde delicias ſuas inæſtimabiles hauſerunt Sophi! O aquam permanentem, Solem diſſolvens, & emendans, nitrum noſtrum, & Sal petræ mirabilis! cujus pretium eſt inæſtimabile, cum tamen parvi æſtimetur. Res igitur eſt vilis, & tamen admodum pretioſa, quam & unicam Sol noſter amat ut ſponſam, cujus virtutem vulgus ſi cognoviſſet, mille argenti unciis drachmam non venderet; Eſt enim aurum pretioſiſſimum, vivum & penetrans. ideo corpus auri convertit in merum ſpiritum, & connubii vinculo cum eo conjungitur ut fœmella marito, cujus pulchritudinem Sol admiratur, & in illa gaudet, & præ amore ſuam uxorem interficit, & illa pietate commota virum vivificat, & ab illo imprægnatur, concipit & graveſcit, filium quoque parit regem ſereniſſimum. O fœlices illos, quos hunc noſtræ aquæ fontem adire licet! ex illo enim ſi biberint, & fruſtulum poſtea de carne pingui comederint, ut Principes per totam vitam in terra regnabunt. Totum igitur artis ſecretum conſiſtit in hoc mari noſtro cognoſcendo, quod quicunque ignoraverit, nummos ſuos, ſi quos circa hoc opus impendat, perditioni jam dudum deſtinavit; Oceanus enim noſter ab uno monte illoque altiſſimo trahit originem, de quo monte ſuperius dixi. Quod ſi ad ſummitatem aſcendens, ad genua uſque foderis, exhalatio quædam ſive fumus albus aſcendet, qui totum magiſterium perficiet. Aliud autem reſtat ſecretum, quod minime ignorare teneris, ut votum conſequaris, quomodo nimirum tibi ſit in monte fodiendum, quando-quidem terra montis in ſuperficie nullo ictu ſi ſecabilis: tanta enim eſt ejus ſiccitas, quod in ſubſtantiam ſilice durioremi mediante calore concrevit. Attendas igitur huic ſecreto. In locis Saturninis reperitur herbula quædam Saturnia dicta, cujus ramuli apparent ſicci, verum in radice ſuccus abundat, hanc tu colligens herbam unà cum radice una tecum portabis, donec ad montis pedem veneris; ſubter quem Vulcani miniſterio fodiens herbam tuam ſepelies, quæ ſtatim potos montis permaneat terram ejus laxando. Tum demum ad ſummitatem ſcandens facillime perfotabis uſque ad genua, & infundes aquæ pinguis & ſiccæ tantum, ut ad imum montis deſcendens impoſitam herbam madefaciat, quæ ſtatim madefacta unà cum aqua inſtar fumi aſcendit, & rapit ſecum ſpiritum montis ſurſum ferens ſecum, qui ſpiritus eſt ignea vis miſcens ſe aquæ, & in illa habitans, eſtque aqua cui immiſi ſi vinculum tuum, ſive vas, aut furnus, ſpiritus Saturniæ & fumus albificans, & vapor montis eſt ignis, & hæc omnia ſunt Mercurius, ſic habes Saturniam Vegetabilem, Regalem & Mineralem herbam, ex qua cum carne pingui fit tale brodium, cui nullæ in mundo dapes comparari poſſunt. Jam habes totum aquæ noſtræ ſecretum ſub ænigmatico ſermone deſcriptum, non tamen adeo obſcurè, quin facile, ſedulus ſi fueris & doctus, poſſis contemplando, & experimentis opus complere. Hæc enim ſunt omnia lapidis noſtri vera principia materialia, præter quæ nihil opus noſtrum poſſit aut debet ingredi; rex nimirum & aqua quæ regis eſt balneum, & ſcito quod aqua noſtra eſt vas, quatenus in illa rex noſter continetur, & furnus quatenus in illa vis ignea includitur, & ignis quatenus in illa virtus ſeu ſpiritus montis inhabitat, & fœmina quatenus vaporem vegetabilis Saturniæ complectitur, quæ Soli eſt amiciſſima, & illum penetrat, albefacit, & mollit, emittere facit ſperma: tum vis ignea, quæ aquæ includitur, incipit ſuper corpus noſtrum: ſic reductum operari terendo & mortificando, adurendo, & putrefaciendo, ſeu potius ad hæc

facienda

facienda stimulando, usquedum innatus tandem Solis calor de potentia in actum deducitur, qui dealbat, coagulat, figit, & tingit: ideoque Lapis noster mundus dicitur, quia agens & patiens in se unita continet. Ipse est simul movens, & motum activum & passivum, fixum & volatile, maturum & crudum, quorum unum succurrit alteri & alterum in altero emendatur, quia utrumque sibi est homogeneum. Idem enim est Sulphur & Mercurius in aqua & in corpore identitate generis, nec sunt nisi decoctione sola diversificata. Tene hoc secretum. Quare non ideo jubemus Sulphuri maturo & fixo Mercurium crudum & volatilem commiscери, ut asseramus aliud esse Sulphur in uno quam in altero, & alium Mercurium: ubi enim tum esset Metallorum homogeneitas, quam in lapide nostro asseveramus: sed ideo nos duas has species commiscemus, ut breviori longe spatio, quam natura simplex Aurum in mineris formavit, nos artificio nostro aurum mille gradibus plusquam perfectum perficeremus. Natura quippe ex solo Mercurio crudo & humido & frigido, absque ulla additione subter terras aurum longa decoctione generavit. Verum tamen ars ad opus contrahendum Mercurio per artem mundatissimo Sulphur maturum & fixum immittit, atque ita virtutem Sulphuris digestissimam per Mercurium extrahit: quæ vis Sulphurea Mercurium fortiter immurat & perficit in Elixir completum. Observa igitur opus & ejus processum, unde intelliges causam miræ operis abbreviationis. Aurum est corpus calidum & siccum, Luna frigida & humida, Mercurius medium deferendi tincturas: Corpus Solis est digestissimum, Lunæ imperfectum & immaturum, Mercurius vinculum, quocum duo hæc contraria uniuntur. Junge Lunam Mercurio cum ignitione debita & conveniente, & ita misce, ut Luna cum Mercurio fiat unus Mercurius ignem in se retinens, & decident à Mercurio omnes feces & superfluitates, & fiet clarus tanquam oculi Lachryma, licet non diaphanus: tum demum cum Auro commisce hunc Mercurium, in quo est Luna & ignis, & tum calidum & siccum amabit frigidum & humidum, & in lecto suo, hoc est, igne amicitiæ concumbent, & vir dissolvetur super mulierem, & mulier coagulabitur super virum, tum spiritus & corpus unum fiunt commixtione. Ferge postea quo pede cœpisti, totiesque cœlum super terram tuam reitera, donec spiritus corpus induat, & utrumque simul figatur. Tunc enim lapis noster perfectus est, & regali præditus virtute, quem nullum pretium possit emere. Est etenim Mercurius omnium Metallorum aqua; & hæc in illo decoquuntur. Et quemadmodum aqua simplex, quæ in sua Natura frigida est & humida, nihilominus tamen si fuerit cum quocumque vegetabili in decoctione permixta, alias susceipit ac induit qualitates rei, nempe permixtæ: cujus vis & spiritus seu vita, quæ in aqua residet; per decoctionem in aquam egreditur, & aqua convertibiliter recepit ejus naturam; crassa tamen & corporalis terrea pars substantiæ decoctæ, non est spiritus ille aqueas qualitates immutans, sed ab humore post decoctionem est separabilis. Pari modo de Argento vivo cum suis speciebus intelligendum est, differenter tamen, quodcunque enim aut Metallum aut Minerale sic fuerit Mercurio familiare, ut cum illo per minima permisceri, & decoqui possit, Mercurius ille secundum metalli sic conjuncti species alias induit qualitates, suasque feces rejiciet. Sunt ergo species metallicæ & minerales subordinatè, & subalternatim in illo decoquendæ, & ipse est illarum aqua, in quam spiritus minerales per decoctionem emittuntur; illamque alterant, non aliter quam Vegetabilia in aqua sua simplici decocta. Duplex tamen notanda est differentia inter prædictas decoctiones, prima quod aqua cum vegetabilibus in coagulatione non figitur, quemadmodum Mercurius cum metallis, quare fortiores hæc sunt compositionis quàm illa. Secunda, quod in Vegetabilium aut Animalium decoctione aqua, quum sit humor diaphanus, non solum virtutem & qualitates novas, verum tamen alium ab illo quem habuit calorem recipit. Non autem sic se habet in Mercurio. Alteratur enim ejus Natura, sed non color nec fluxus forma: verum metalli dissoluti color latet sub forma liquidi argenti vivi, & vi sua non apparet. Prius igitur Mercurius in Metallum dissolvendo, postea agit Metallum in Mercurium coagulando, & ut in dissolutione forma & color Metalli, sub forma & colore Mercurii latebat, sic & in coagulatione forma & color Mercurii, sub Metalli colore & forma absconditur, sic nec Metalli qualitates in dissolutione prohibent Mercurii fluxum, nec Mercurii qualitates in coagulatione impediunt metalli fixitatem. An non hic observas miram quandam inter Mercurium & Metalla concordantiam: amant enim ut mater & filius, soror & frater, mas & fœmina; quare corpora per aquam meliorantur, & capiunt in illa & per illam latitudinem subtilitatis, hoc est naturam spiritualem & volatilem, & aqua per corpora vicissim emendatur, & retinetur, & induit naturam corpoream, & sic totum simul maturatur compositum, cum agentia facta fuerint patientia, & vice versa. Ratio vero, quod color Mercurii à corpore dissoluto non muteur in decoctione, hæc est, quod terra & aqua sunt in Mercurio homogenea, & ita temperata, ut neutra possit ab altera separari, suntque adeo fortiter commista, quod una cum mira materiæ tenuitate tanta est substantiæ densitas, quæ colores abscondat: unde si ulla Mercurii proportio corrumpatur vel destructione cum rebus deturpantibus, vel generative cum corpore sibi appropriato substantiæ statim immissam manifestabit colorem. Sunt autem proportiones Mercurii respectu terræ & aquæ; respectu secundæ fluit & est liquidus, respectu primæ, nihil quod tangit madefacit, præter illud solum, quod est de unitate suæ naturæ. Ex his ipsis, quæ dicta sunt, omnes errores operantum in Mercario deteguntur. Quidam enim obstruunt aut dividunt ejus homogeneitatem, desiccando variis sublimationibus: alii terram corrumpentes, disproportionantes diaphanitatem inducendo. Hi quorquot sunt: nihil unquam nisi opus Sophisticum faciunt. Est etenim Mercurius Metallorum sperma, quod plurima cum sagacitate Natura in venis terræ formavit ad metallum, nec quidquam ei deest præter puram digestionem, non autem digeritur nisi à puro Sulphure metallico incomburente, quod quidem in suo centro habet, per quod Natura in longo tempore Aurum ex illo formare: hoc autem quomodo arte sua faceret, homini est ignotum: Aurum nempe ex Mercurio solo absque ulla additione, etsi fieri possit, non tamen nisi longo tempore perficeretur, & plurimis cum impensis, quæ subire fatuum esset in simplici Auro formando. Est ergo unicum in mundo Sulphur, quod natura perfecit, quod est Mercurius familiarissimum. Hoc igitur cum illo radicaliter permiscetur, & per hoc Mercurius decoquitur, & Mercurius propter qualitatum repugnantiam illud putrefacit, atque ita per regenerationem resurgit, non Aurum, quale in mineris habetur, sed spirituale; penetrativum, & tingens, in tantum ut Metalla quævis imperfecta facile ingrediatur, dum super illa projicitur, quæ tempore brevissimo ad anaticam Auri proportionem digerit, & rejectis fecibus, perfectæ sanitati restituit. Vides igitur quod Mercurius nullo modo est à natura sua quam habet, disproportionandus, sed maturandus,

idque

idque non per se sine quavis additione, & tamen absque ulla extranea additione, sed per radicalem corporis mundi cum illo unionem per minima, quæ fit secreta nostra conjunctione. Vide tamen ne deciparis, non enim est hæc conjunctio manuali facta operatione, sed solummodo naturali, homine non solum non adjuvante, verum & ejus causam non bene intelligente, quare hoc opus Divinum vocatur. Fatui norunt corpus Auri cum Mercurio confundere, & tum vocant illud Aurum animatum, verum nihil in illo inveniunt. Quamvis enim hæc duo simul mille annis manerent, postea nihilominus unum ab altero in sua propria natura recederet. Quare non fuit alterativa conjunctio, sed tantum duorum inter se confusio. At in nostra operatione spiritus Solis infundit se spiritui Mercurii, adeo ut nunquam postea recedat unum ab altero, quemadmodum nec aqua mixta aquæ. In hac igitur operatione maximum, imo totum artis latet secretum. Attendas igitur fili Doctrinæ, & caute videas, ne hic aberres. Corpus igitur Solis nunquam conjungetur cum Mercurio per intima, nisi mediante Luna, seu corpore imperfecto & igne. Et hæc Luna est succus aquæ vitæ, quæ latet in Mercurio, qui cum igne est acuatus, & est spiritus intrans corpus, & illud alterans & cogens illud suam retinere animam. Jam igitur vides, quali de Mercurio hactenus sumus loquuti, non vulgari sed pluviali, qui proprie dictus non est Mercurius, sed aqua Mercurialis: Mercurius enim vulgi est aqua, sed deest ei spiritus & vis ignea ad urendum: supple si potes quod deest summo cum artificio, tum non amplius erit Mercurius vulgi, sed similis nostro. Sed si hoc facere non possis, dimitte istum Mercurium, quia nihil ab ipso præter damnum expectare possis. Ecce jam Deus est testis, rem totam narravi, quam si prudens fueris ignorare non possis: Mercurius enim, vulgi plures seduxit, quam quidvis aliud in opere, in hoc enim laborantes nihil invenerunt, propterea, quod Mercurium nostrum non agnoverunt. Sed ut ad conjunctionem redeamus, quæ, crede mihi, est totum artis arcanum: terra enim cum aqua non inseparabiliter unitur, sed aqua aquæ fortiter adhæret: hinc sequitur, quod laudabilis hæc conjunctio non nisi post dissolutionem celebratur: attendas igitur tu solutioni, & natura conjunget, & hæc dissolutio fit in Mercurio per opem Lunæ inclusæ & ignis. Luna enim penetrat, & albefacit, & ignis mortificat, & terit, aqua vero utramque hanc virtutem includit juxta dictum Philosophi; *Ignis quem tibi ostendam est aqua*: & alius. *Nisi corpora per ignem & aquam subtiliata fuerint, nihil fit in magisterio.* O beatum nostrum Mercurium, qui nos liberat à tot laboribus, quos Sophistæ patiuntur! Illi enim multas suis manibus operationes faciunt, & nihil proficiunt, quia verum naturæ cursum ignorant. Nos vero nihil facimus, sed omnia Mercurio facienda committimus, qui meliori methodo juxta naturalem suum instinctum progreditur, quam quivishominum possit excogitare: tenetur enim finis sui necessitate, quare viam rectam nunquam transgreditur, si non impediatur.

Sunt autem quidam Sophistici operantes, qui acceptum Aurum ☌ committunt, hæc in phiola concludunt, ignique superponunt, aliquid inde eximium expectantes; verum ex quo pingue semen & bonum in terram sterilem injiciunt, decipi illos contingit, messem enim quam exspectant, nullam inveniunt, quia ut superius dictum est, & inferius latius dicetur; Aurum non est materia nostri lapidis in tota sua essentia, nedum Mercurius: quare nuda horum commixtio non potest lapidem nostrum generare, Aurum autem sic se habet in opere, ut masculus ad opus generationis, cujus in renibus abditissimis semen latet: quod si semel emiserit, & hoc in matrice debita accipiatur, & cum passivo spermate fœmineo conjungatur, calore debito foveatur, alimento proprio ciberur, tum sane ex Auro habebitur, quod opus nostrum præstabit abundè. Sic nec homo qua homo est, Pater, nec materia embryonis appellari potest: habet autem in se talem materiam, ex qua per conjunctionem dissimilis materiæ spermaticæ in eodem genere per aptam dispositionem formatur infans; pari modo de Auro intelligendum esse censeo. Aurum utique est omnium Metallorum perfectissimum, & lapidis nostri pater, non tamen ejus est materia: sperma vero quod est in Auro quod emittit, si modo per artificium tractetur, hoc utique erit ipsa lapidis nostri materia masculina, estque nihil aliud quam virtus Auri digestissima, quæ ex illo extrahitur per sagax artificium, & tum vocatur Aurum nostrum vivum, & non vulgare, quod est mortuum: sic quoque & in procreatione hominis vir mortuus dici potest [respectu habito ad actum generationis] usquedum debitam materiam, quam in se habet, in locum aptum effuderit; non dissimiliter in arte nostra accidit. Non est ergo Aurum nostrum Aurum vulgi: differunt enim quemadmodum pater differt à suo [quod habet] sperma te: primum ad opus nostrum est utile & vivum; alterum vero mortuum & inutile, donec vivificetur, hoc est, spermatizum [quod est activa virtus nostri lapidis] emittat. Sic igitur vos pergite summa cum cautela, sumite corpus hoc, quod demonstravi, & semen ab ipso suaviter extrahite, tum quidem [nec ante] hoc Aurum [quod mortuum antea fuit, otiosum & inutile] hac arte vivum activum & operi nostro idoneum factum, primam tibi sulphuris lapidis nostri materiam, masculinam scilicet, & sic non amplius hoc à nobis vocatur Aurum, sed æs, magnesia, plumbum, fimus, nec proprie quidem Aurum dici potest; Aurum quippe est corpus, hoc vero chaos, id est spiritus, nec ulla arte ad pristinam Auri speciem revertetur, quia corpus in spiritum est conversum. Hinc Menabdes: *Iubeo posteros corpora facere incorporea.* Hermes quoque ait: *Fili extrahe à radio umbram suam*, hoc est, *extrahe ab Auro quod radius appellatur, semen suum quod umbra vocatur*, tum quia abditissime & quasi in umbra residet, tum etiam quia sub umbra obscura nigredinis egreditur. Aristoteles itidem ait, *primum quod facere debes est, ut Mercurium sublimes, deinde ut in Mercurium mundum corpora munda mittas*; qualis autem hic intelligatur Mercurii sublimatio, lectorem admonitum velim, infinitas esse sublimationes falsas, erroneas, & Sophisticas, unam veram & naturalem, quæ tamen fit per artificium. Ego hic missis omnibus vulgatibus operationibus, sequor Philosophorum intentionem, illamque sublimationem velim, quam illi primam materiæ tenuis præparationem appellant, per quam Eclipsis terrenæ interpositionis de Luna tollitur, ut possit illuminationem à Sole accipere, quod fit quum fusca sphæra Saturni, quæ totum obnubilabat Horizontem, deletur tum Jove imperium obtinente ascendit in aerem nebula splendidissima, unde super terram stillat ros sincerus amœnus & peramabilis, quæ mollit eam, & in ejus ventre sive sinu ventos magnos excitat, qui sursum lapidem nostrum portant, unde virtute cœlesti imbuitur, qui rursum in terram, quæ nutrix ejus est, delapsus terrenam induit naturam corporeamque; sic recipit vim superiorum & inferiorum. Concludimus ergo, nullo modo nec Aurum nec Mercurium posse nobis primam nostri lapidis materiam præbere usquedum tinctura ex Auro dissolvendo per Mercurium dissolventem extrahatur, quæ tinctura est virtus activa viva non mortua, quemadmodum Aurum ante suam dissolutionem mortuum fuit. Hæc est veterum Philosophorum materia, quam accipere debemus, *quæ* ut dicit

Auctor

Auctor novi luminis, *est, sed non apparet donec artifici placet, in qua cognoscendâ tota latet perfectio.* Quapropter jubeo vos quicunque hujus arcani investigatores esse velitis, ut capiatis illud quod vile est & toti mundo manifestissimum, ex quo extrahetis modo mirissimo quod est in illo occultissimum, hoc est menstruum nostrum, & Mercurius occidens est ager nostet Philosophicus, in quo vester Sol orietur & surget; hoc jungite cum sponso suo delectabili & in lecto amicitiæ concumbere permittite præter amotionem, usque dum ex occulta hac natura (quæ est Mercurius per Philosophum regeneratus) egrediatur virtus vivifica, quæ mortuum resuscitet; tum adest regia proles, cujus pater est Sol, Luna mater, & sic verissimam habetis explicationem novi luminis, capiendum est, inquit Autor, quod est sed non videtur, donec artifici placeat; & hoc pro vera veterum Philosophorum materia usurpandum, & sic plenè atque planè dictum est de corpore nostro, & de aqua nostra sive de Sulphure nostro rubeo & ære albo. His adjungi debere diximus furnum, vas, & ignem triplicem: notato benè, quod & quibus de rebus hic loquor; est enim furnus luteus vel latericius, vas vitreum, igniſque elementaris, de quibus inferius dicemus in ultimo membro hujus Tractatuli de dispositione nostra: hic verò de rebus essentialiter & substantialiter operi competentibus loquimur. Etenim furnus ille latericius non solet à nobis appellari furnus noster, nec ignis elementaris ignis noster, nec vas vitreum vas nostrum: hæc enim vulgo & Sophistis nobiscum sunt communia, & horum externorum curiositate nos sæpe vel etiam semper excellent; Illa vero nostra vocamus, quæ illi nec habent nec habere possunt. Amen dico, quod ignis noster, furnus noster, vas nostrum secreta sunt, & non nisi Philosophis obvia, quippe vel ipsam nostri operis essentiam intrant. Hinc Philosophus quidam de igne hoc scribens inquit; Ecce ignis quem tibi ostendam est aqua; Item alius de vase sic testatur: Vas Philosophorum est aqua eorum. Alius item, intentio scribit omnium Philosophorum hæc est, quod fierent omnes operationes igne suo humido, in furno secreto & occulto vase, quæ testimonia clarè satis demonstrant alium ignem, vas, furnumque, quam quæ vulgo sunt nota. Proinde frater mi, ne sit causa tibi scrupuli, quod furnum ignem vasque nostrum inter res essentialiter lapidem constituentes superius numerarem: In hoc siquidem sequor omnium in hac arte scribentium Philosophorum intentionem. Hoc de vase Sendivogius scribens, vas Naturæ nominat, ignem item Naturæ. Flamellæ item Artephius, Lullius, cunctique cæteri eandem tenuere sententiam. Patet proinde voluisse illos aliquid ab oculis plebis occultum. Ego vero sub fide bona dico, quod hæc tria non sunt nisi unum: nam natura non est nisi unica; hoc norunt & testabuntur filii artis adepti. Ignis enim est quatenus excruciat corpora magis quam ignis, proinde vinum ardens dicitur & ignis fortissimus. Hinc Philosophus, *comburite æs nostrum igne nostro fortissimo*, quod dum audiunt Sophistæ decepti sunt, ignem carbonum aut flammæ purantes esse, qui nostro igni est contrarius. De hoc Johannes Mechungus loquitur; *Nullus*, inquit, *artificialis ignis tantum valet infundere calorem, quantus è Cœlo venit.*

FINIS.

JOHANNIS FERDINANDI HERTODT à TODTENFELDT PH. & MED. D. *Inclyt. Stat. Moraviæ Physici Provinc. & Academiæ Nat. Curios.* ORPHEI *ad* COLLEGAS *Ephemeridum Collectores* EPISTOLA.

OSculor Benevolentiam Vestram, Collegæ Honoratissimi, per humanissimas vestras ad me datas literas declaratam. Quibus ut morem geram; & modica Ephemeridibus communicanda addam, significo me elapso tempore, quo literarium commercium distuli; multum insudasse in laboribus chymicis, quibus ad optatum finem Operis Magni Philosophici pervenire possem, sequutus inter cæteros Authores classicos *Philalethem Anonymum*, qui moderno tempore ab omnibus doctrinæ hujus pro vero *Adepto*, & qui candidissimè scripsit, proclamatus est. Invenio autem eundem summum Sophistam, qui multos decepit, de facto decipit, & plurimos adhuc decipiet. Cujus discursus erroneos à se obscurè scriptos ut clarissimis verbis aperiam, en totum suam methodum! Primò facit *Regulum ♂nii ♂tialem*, quem miscet ☿rio vulgi, illum in lapide marmoreo terit, affundit aquam simplicem, lapius lavat, donec *Amalgama* albissimum instar Lunæ evadat, à quo igne aperto ☿rium destillat, eundemque *Aquilam* vocat: laborem hunc septies, vel novies repetit; tunc resultat inde substantia ☿rii lis homogenea, volatilis, quæ in omnia metalla sine ullo impedimento agere, fixa volatilisare, & consequenter Aurum in summum activitatis gradum, id est; in Tincturam evehere potest.

Quia vero nec Regulus ♂nii simplex, nec ♂tialis miscet se ☿ vulgi, nisi additis *Dianæ Columbis*, anxius certè diu hæsi, quid per Dianæ Columbas intelligat Author. Tandem ad manus venit *Alexander à Suchten*, qui in suo *Tractatû Ildo de ☿rio vulgari. p. m.* 299. apertè docet, si quis *ex Regulo ♂nii ♂tiali mediante ☿rio vulgi velit facere Amalgama, in nulla entitate inveniet, præterquàm in ☿ Lunæ, ideoque argentum* addendum. Hoc dum fecissem, illico ad votum successit operatio; & magis gavisus fui, ubi *in Becheri supplemento* Ildo *in Physicam subterraneam* paucis lineolis allusionem ad illud ipsum Argentum intellexissem, ait enim *p.* 54. *esse quoddam aliud minerale fortioris Salis & purioris quàm marchasita, cujus ope, additoque loco Plumbi Argento, ☿rium taliter acui posse, ut ipsum Aurum sic resolvat, & attenuet, ut cum ☿rio sicut Plumbum transeat.*

Cur autem *Philaletha* habere velit Regulum ♂nii ♂tialem, has proponit rationes: *Prima*, ut ☿rius vulgi, utpote frigidus & humidus per ♃r Auri volatile, quod in ♂te est, calidus efficiatur, exsiccetur, ipsissimoque ♃re aurifico imprægnetur. Secunda, ut propter ♃ris hujus volatilis imprægnationem fiat mas, & ex naturâ suâ maneat fœmina, adeoque sit Hermaphroditus. Quia autem ex ♂te haberi nequit ♃r Auri volatile, nisi per ☿rium, quod tanquam Magnes Chalybem suum, id est, ♂tis ♃r aureum volatile, absorbet, propterea cum ☿rio & ♂te parat Regulum, illumque *chaos* appellat, tanquam in illo essent potentiâ omnia metalla.

Hinc totum ☿rii *Philalethici compositionem* breviter sequenti Schemate præscribo:

℞. *Argenti purissimi part. ij.*

Igniantur in ☩bulo, Argento ignito addatur *Reguli* ♁*nii* ♂*tialis Pars* i. fluant simul; dum in fixu sunt & modicè stare incipiunt, ignita tamen sunt active, injiciantur ☿*rii vulgi part.* 2. successive, tegendo benè crucibulum. Dum refrixerint, massa eximatur, quæ in marmore teratur, & affusâ aquâ repidâ toties lavetur, donec nulla ampliùs nigredo advertatur, sed totum *Amalgama* instar *Lunæ* evadat, quod per retortam loricatam igne aperto destillatur, sic transit in recipiens ☿*rius currens*, qui dicitur *Aquila*. Hic labor septies, novies, vel decies cum eodem ☿ repetatur, recipiendo tamen semper novum Regulum ♁nii ♂tialem & Argentum, tunc habetur *verus* ☿*rius Philalethicus*.

Regulum ♁nii stellatum sic conficit.

℞. ♂*tis part.* jv. igniantur, add. ♁*nii part. ix.* Fluant simul, injecto ☉tro more ordinario, & fundantur *in Regulum*, qui ternis vicibus cum ⊖tro depuretur, & evadet *Regulus* valdè purus & *Stellaris*.

Breviter hic notetur, post quartam Aquilam in supradicta lotione, me Amalgama vidisse aurei coloris, in cujus rei testimonium voco *Adm. Rev. Eximium Patrem* VENCESLAVM ECKER, *è societate Jesu*, in similibus etiam curiosissimum.

Nihilominus dum hunc ☿rium cum Auro ad ignem collocassem, mansit ☿rius Mercurius, & Aurum Aurum, & consequenter totum opus fuit frustraneum.

Quare ulterius speculanti mihi occurrit quidam Artifex, & prout sibi persuadebat, *Adeptus Philalethum* tanquam verum Philosophum ad Cœlos evehens, qui cupido sciendi quid tandem per Dianæ columbas intellexerit Author, (cum tota difficultas in *illis* consistere videatur, neque cum Argento, prout Suchten scripsit, succedat operatio), cùm suas Columbas diu occultasset, tandem intensè solliciranti eas revelavit, & sunt *hæc*, quas germano Corde communico.

℞. ⊖ ☿*ri depuratissimi q. v.*

Affundatur *spir.* ☿ in ea quantitate, quam ⊖recipere potest, spiritus hic à ⊖le abstrahatur, restitans à destillatione ⊖ modicè calcinetur, affundatur iterum ille ipse spiritus ☿ri abstractus, abstrahatur denuò, & hic labor toties repetatur, donec ⊖ ☿ri totum spiritum ☿ri absorpserit.

Huic *sali spiritu* ☿*ri impregnato*, affundatur *spiritus Vini depuratissimus* in ea etiam quantitate, quam recipere valet, à ⊖le isto spiritus abstrahatur, iterum affundatur, abstrahatur, & hoc toties etiam repetatur, donec & totum affusum *spiritum Vini Sal intra se* receperit, tunc spiritus bini hi in ⊖le ☿ri concentrati, sunt *Dianæ Columbæ Philalethicæ*, quæ ♃r arsenicale in Regulo ♁nii extravertunt, quod in ♃r arsenicale ☿rii vulgi postea agit, illud abripit, atque ita ☿rius vulgi à ♃re arsenicali deputatur.

Dianæ Columbis ritè præparatis, addatur ☿rius vulgi, qui ♃re Auri immaturo priùs impræg̃natus sit, (scilicet per ☉lum & ☾lem communem sublimatus, licet per ♂ antehac nonnihil jam impræg̃natus sit) jungatur hisce modicum de Auro corporali, ad digestionem ponantur, inde ☿rius sublimetur seu vivificetur, vivificatus aquâ pluviâ optimè abluatur, & exsiccetur, & exsiccatus ☿rius denuò per ☉lum & ☾lem communem sublimetur, noviscque Columbis Dianæ permisceatur, digeratur, sublimetur, hocque septies vel novies cum eodem ☿rio repetatur, tunc resultat inde genuina ☿rii depuratio, quæ meritò homogenea nominari potest.

Ubi autem & *hunc* ☿*rium* ad finem perduxissem, & cum vel sine Auro secundam *Philalethum* ad furnum posuissem, nulla inde solutio facta, quam tamen unicè desiderant Philosophi, sed mansit Mercurius ☿rius, & Aurum ☉.

Tandem cum audivissem in præcipua quadam Urbe à Primariis Dominis etiam laborari *opus Philalethicum*, rescivi, ipsissimos pro Dianæ Columbis recepisse ⊖ ✳ cum ☽, & dum in fine operis Filium Solis aspicere voluissent, inventum est Aurum Aurum, & ☿rius Mercurius minimè alteratus.

Si quis diceret Philalethicum laborem totum esse in ordine ad ☿rium ♁nij acquirendum, adeoque fiat quocumque modo ☿rius ♁nii ex Regulo ♁nii ♂triali, imponatur hic solus, vel Auro mixtus, ad △nem, & emerget inde Tinctura Physica. Sciat autem is, & hunc à me & ab aliis fuisse factum, ipsi Auro mixtum, & totum laborem fuisse vanum.

Neque ☿rius ♁nii mixtus ☿rio vulgi quidpiam operatur, prout quidam ineptè blaterunt, dicentes, Draconem unum alterum mortificare, corrumpere, ex quâ corruptione nobilissima substantia ☿rialis resultat, quæ per se, vel Auro unita transit in Sulphur Philosophicum, seu Tincturam primi ordinis. Hujus ☿*rii* Author etiam fuit *Joannes à Sole*, qui inde lapidem Philosophicum se laborasse scribit: dum autem & eundem laborem ad manus recepissem, inveni totum sophisticum.

Cogitent ergò jam *Virtuosi*, cui credendum sit & quâm variis mundus decipiatur opinionibus! & ut evidentius pateat *Philalethico* Sophisticatio, propono ejusdem vitam & actiones, quas à famoso *Medico Anglo* scripto accepi, qui eidem fuit notissimus, sic autem scribit ille:

Vocatus fuit *Philaletha Anonymus* nomine Georgius Starkey, natione Anglus, familiaris factus cuidam verò Adepto, Doctori *Childe* vocato, in America, seu Indiis Occidentalibus (nova Anglia dicta) ab eodem accepit ℥i. Elixiris ad album, cujus una pars transmutabat millies mille partes plumbi, stanni, vel ☿rii vulgi in optimum Argentum. Et sine dubio, si *Georgius Starkey* hypocrisim suam non tam citò manifestasset, obtinuisset integram cognitionem Magisterii. Quare cum sua Tinctura rediit in Angliam, & secum attulit duodecim Chymiæ Tractatulorum à Doctissimo *Childe* compositorum nomina seu titulos, quorum nomina non benè recordor, sed invenientur in præfatione *Medullæ Alchymiæ*, Anglicè scriptæ, & sequentium memini, qui sunt *Introitus apertus ad Occlusam Regis Palatium*, *Brevis manuductio ad Rubinum cælestem*, *Fons Chymicæ Philosophiæ*, *Brevis via ad vitam longam*, *Elenchus errorum in arte chymica deviantium*, *Brevis manuductio ad campum Sophiæ*. Hi sex Tractatus fuerunt primò Anglicè scripti, (quorum omnium habui copiam meâ manû ex Autographo *Starkey* descriptam, antequam Latinè venerunt in lucem; itaque fuit *Starkey* ille istorum omnium duodecim Tractatuum verus Author,) & tantummodò secum attulit illos duodecim titulos, quos promiserat Doctor *Childe* in posterum se missurum: sed quando vidit *Starkey*, quod Doctor *Childe* nil amplius sibi scribat, tunc composuit duodecim Tractatus subistis Doctoris *Childe* Titulis,

& sic

& sic fuit multorum malorum causa per suas deceptiones, qui anno 1665. in carceribus Londinensibus pro debitis suis detentus; pestè mortuus est. Illo tempore, quo à Doctore Childe accepit Tincturam, habuit Annos 23. ætatis suæ: & sequenti anno obtinui ejus cognitionem; sed nondum familiaritatem, nisi postquàm consumpsisset omne quod habuit, tunc sumptibus meis; & quorundam aliorum meorum Amicorum invenimus vanitatem dictorum suorum. Sufficiat nunc de illo mortuo hoc dicere: requiescat in pace.

Hisce omnibus ut mentem meam candidè aperiam; & subjectum Lapidis Philosophici nominem, rejiciendo omnes ☿rios currentes corporum, prô veritate sequens ænigma Gallicum antiquum propono.

Il est une partie dans l'homme,
Dont le nom six lettres consomme
Si tu y vas un P. adjoutant,
Puis l'S. en M. permutant,
Tu trouveras sans nul ambages
Le vray nom du subjet des Sages.
(*Olmutio*, *Uratislaviam*)

Anonymi *ad* Præcedentem Epistolam Responsio.

Clarissimi, experientissimique Domini, Fautores, & Amici Honorandi.

Concedite, ut suppresso Vos nomine compellem, nec tam quærite sultis, qui sim, quàm attendite, quid vos velim.

Ab Amico quodam, Vestræ Societati benè admodùm cupienti, hisce diebus monstrata mihi fuit Epistola; ad opus Philosophicum, *Philalethæ Processum* Sophisticationis censura stringens. Quod, cum ego vix concoquere possim; meam de ista controversia sententiam paucis aperire, operæ pretium visum est; quandoquidem. Hermeticæ Philosophiæ studiosis non nihil certè utilitatis eam allaturam; ideoque illos ipsâ minimè defraudandos existimem, imò verò à Vestra candore contendam, ne hanc meam, at placidam.

Philalethæ, ἢ τῆς Ἀληθείας, *Defensionem. Epistolæ Hertodianæ* Ephemeridibus vestris Curiosis insertæ, annectere gravemini.

Dum pro *Philalethâ*, imò pro ipsamet Ἀληθείᾳ, paucula hæc exarare me cogit amor Veritatis, ignoscet huic audaciæ meæ, quisquis ipse non vanum Philalethæ nomen ambit, & prehensat. Id unicum studium me pepulit, ut paucis his, patrocinium Veritatis susciperem. Rem proin accedo, & in pauca confero.

Admodum, judice me; fallitur *Clarissimus* hujus *Epistolæ Author*; in Mercurii Sophici, adeoque genuini Philalethici descriptione ac censura. Et verò monuerat ipse *Philalethâ*; sui illius opusculi (*Introitus aperto*) capite XVIII., ad Mercurii sui præparationem rectè intelligendam; non tam oculos, quàm nasum afferendum esse: quin & palatum sophicum, grano salis haud leviter tinctum; sic enim ipse pro se, suoque Mercurio, loquitur.

Quæ omnia (*de Mercurio*, *Sulphure*, *Vase &c.*) cum grano Salis intelligenda moneo, ne fortè liberiùs procedendo sæpius errare contingat: sic enim cum in solito candore, philosophicas subtilitates texuimus, quòd, nisi plurimas in præcedentibus Capitulis Metaphoras olfeceris, vix aliquid messis, præter dispendium colliges;

Colliget autem ex his unusquisque oculatus, vel si malis, nasutus & æquus judex, *Philalethem* egisse candidè, quod ipsemet ultrò monuerit, se in Arcanorum Hermeticorum descriptione, duplici idiomate usum fuisse: altero Philosophico, pro sapientibus & ingeniosis; altero vulgari pro fatuis, ac Sophistis, qui alium Mercurium vix agnoscunt qui non Argentum vivum vulgare aurifabris notissimum, specie suâ referat.

Si quis ergò ità dhimum induxit suum, priora illa omnia Philalethæ capita nulli alteri esse usui, nisi ut pagellas aliquot expleant, ad libri molem, vel eruditionis ostentationem; quæ verò planiori tramite decurrunt; genuinos operationum processus adferre, is enimverò plurimùm aberrat ab eo scopo, quem *Tractatûs illius scriptor* (quicunque demum is fuerit) sibi propositum habuit: erroris proin causam non in Philalethem referat, sed nimiæ suæ adscribat credulitati.

Quare si quis existimat, sibi nasum esse Philosophicum, qui sagacitate nulli concedat; is virum se probet, & Mercurium Sophicum, in præfati *Opusculi cap.* 1. & 2. vestiget, quorum prius *Author* his verbis concludit: *Liquet proinde, quòd non* vulgaris *hic sit Mercurius, at Sophicus: quia omnis Mercurius vulgi* (notetur vox omnis) *est mas, id est, corporalis, specificatus, & mortuus: at noster est spiritualis, fœmina viva, & vivifica: attende ergò quæ sim de Mercurio dicturus, &c.*

Attentione hâc sibi conciliatâ, *cap.* 2. agit *de componentibus Principiis Mercurii* Sophici; quæ sic delineat: *sciant itaque Aquam nostram compositi ex multis; esse tamen rem unam ex diversis substantiis unius essentiæ concretis factam: est nempe in Aqua nostra requisitus, primò ignis; secundò liquor Saturnia Vegetabilis, tertiò Mercurii vinculum &c.* Hæc nisi quis sagaci nare studiosè vestigaverit, inveneritque non eum se existimet, qui pro tribunali sedere queat, in *Philalethem* capitalem sententiam latorus.

Cæterùm nemini litem moveo; sitnè *Starkey* vel *Childe* verus Author eorum, quæ *Philalethæ* nomine circumferuntur, ut sunt primò *Introitus apertus*, 2. *Metallorum Metamorphosis*. 3. *Manuductio ad Rubinum* 4. *Fons Chimicæ Veritatis*; plura enim nec dum videre licuit: illud solùm contendo, horum opusculorum Authorem esse non potuisse, qui non habuerit penitissimam præcipuorum Chemiæ arcanorum notitiam, in ea videlicet via & materia, quam veterum Authorum codices tot ænigmatibus describunt.

Et Candorem quidem ejus *Authoris* ac sinceritatem quod attinet, paucos in ea æquales illi numerare licet: fuissent utinam & illi, qui illos duos postremos Tractatus fœdum in modum invidiosè detruncarunt! vera sentire ac prædicare me agnoscent illi.

Queis meliore luto finxit præcordia Titan.

Et si qui, ut canit *Augurellus lib.* 2. *Chrysop.*

Accessere illuc, dites ubi pectine eburneo
Aurea perpetuo depectunt Vellera Nymphæ.

Ad extremum illud minimè silentio præteribo; Ænigma illud ab Authore Epistolæ Gallicis Rithmis recitatum, quod originem duxit è latino illo vulgari Tristicho.

Artus inest homini, qui constat sex Elementis;
Cui P. si jungas & in M. S. vertere noscas,

Hoc est Æs nostrum, Lapis est & Philosophorum.

Minime intelligendum esse de *Plumbo*, tam vulgari, quàm æquivoco illo è minoris desumpto: quamvis & hoc peritâ manû tractatum,

Agricolas vanis sæpè non ludat aristis!

At de *Plumbo Philosophico*, ad quod eruendum malleis opus non est, sed ut acquiratur, nosse sat est. Concludam igitur ego pariter & in eadem *Saturni*, non Saturnini; *minera*, non minerali, attamen Philosophicâ, & quidem Catholica, Calamum meum defigam.

Artus, Homo, Plumbum, scio constant sex Elementis,
Æs totidem numerat, quod dicitur esse Sophorum.
Ergo si quisquis numerare hæc bis tria nosti,
Hermes Hermetis, magnus dicere Logistes.

VALETE.

Ad Collectores Ephemeridum, Vratislaviam.)

SVBSECTIO V.

Anonymi PRAXEOS ALCHYMIÆ *Liber cum* Andreæ Libavii Additionibus.

In Nomine Sacrosanctæ Trinitatis. Ars Hermetica. *Proœmium.*

PHILOSOPHICO more ars ista characteribus, ænigmatis, signis cælestibus, imaginibus & figuris obscuris, vel aliâ ratione imperceptibilibus, per parabolas tradi posset: sed cui destinatur, illi etiam clare simpliciterque exponitur, ut posthac patebit. Is igitur qui à Deo hac ipsa donatur, toto pectore gratias agat, ab eodem precetur sapientiam & intelligentiam, Deumque timeat, si adeptus fuerit, proximo inserviat & egentibus, maxime vero humilitatem sincere colat, sigillum ori apprimat.

Additio D. And. Libavii.

Hic libellus de arte Hermetica, h.e. de lapide philosophorum, per quem imperfecta metalla ad perfectionem reducuntur, ut illam Hermes Trismegistus Ægyptius appellasse, invenisse & declarasse dicitur, ab amico, non sine labore, pactisque ad me pervenit. Et quia tam perspicue artem tradit docetque, ex quo percipi potest, quo pacto celebratissima illa universalis medicina paranda sit, ideo superiori annectere volui, non ea animi intentione, ut plures ditarem homines, vel ut in illis extinctam cupiditatem transmutationis metallorum renovarem, aureosque montes promitterem, sed solius contemplationis & meditationis ulterioris gratia, si forte vel aliquis sese tandem offerret, à Deo illuminatus, qui depulsis morbis hominum saluti succurreret. Omnes natura scire desideramus, inquit philosophus in metaphysicis. Et licet forte nemini optandum foret, quo beneficio hujus artis, tot annos vitam produceret quot Nestor, aut ditescere ut Crœsus, optabilis tamen & pulchra esset scientia, Dei ipsius honori inserviens, qui tam ingentia miracula naturæ ingeneravit, posterisque hominum, licet turpiter ab illo deficientibus, mera tamen bonitate tam præclaram artem concessit, qua sui ipsius laudem & gloriam exornare, proximi vero saluti prospicere liceret. Atque hac ipsa indagatione tandem eo usque perveniri posset, ne tam generaliter cœcoque modo, de hoc ipso opere nugæ venderentur, ut multis, usitatum quam quod stulta suppeditat phantasia effutiunt, sed ut longe propinquiori origine naturæ singularis potentiæ & effecta considerentur & dijudicentur, an nimirum tot veteres & recentiores philosophi totum mundum deceperint nec ne, & an naturæ etiam conveniat quod docuerint vel alia cabalistica interpretatione indigeat. Hoc si obtinere possem, crederem neque tempus, neque labores frustra susceptos, etsi neque ego neque tu famosum illum lapidem possideremus, & multas aureorũ myriades conficeremus.

Autor libelli ignotus est, Belga fuisse creditur. In præfatione autem docet duplicem esse rationem tradendarum artium, alteram figuratam & mysticam, alteram vero dilucidam & claram, verbisque perspicuam. Secundum primam rationem infinita fere extant volumina, imo sibi persuadent artifices, qui expresse hanc artem doceat & eandem exponat, morte subitanea periturum eo quod indignus sit mundus mysterio tanto. Sed his liceat frui suo sensu. Nihilominus Deus, mysterium æternis seculis tacitum, neque lapides neque aurum respiciendo, sed infinitam gloriam perpetuamque beatitudinem mundo licet misere perdito, tamen manifestavit eumque, tantum dilexit, ut etiam filium unigenitum pro illo morte destinaret. Non igitur in momentaneis illis tam invidus credendus est, qui neque Europæis regnis præclarissimum lapidem suæ sapientiæ, fodinas nimirum auri, argenti, gemmarum & aliarum divitiarum in novo orbe repertarum invidit, sed incredibiles thesauros inde suppeditavit, quos non facile Chymista aliquis suo lapide acquirere poterit. Verumtamen inficias non eundum, quod & Hogelandeus monet, tales artes plerunque suis inventoribus exitium creare posse, non quidem ex sese, sed ex accidente, hominum malitia, quæ eo usque invaluit, ut nullus esset, qui non artem à magistro vel aurum peteret. Multa de his mediratus sum, atque scripsi, Deo sunt agendæ gratiæ, quod nemo fidem adhibuerit, alias grave nimis fuisset, speculationes meas pro cujusque cupiditate in actum deducere, quas propterea non publicavi, sed solum de potentia naturæ disputavi, an scilicet aliquis ad veritatem pervenire posset atque hoc ipso palam protestatum volo, ne me aurificem credas: meam saltem tibi exponam sententiam, ex naturæ potentia, & medicæ illius scientiæ desiderio profectam: tibi alias liberum est ulterius tendere, tuasque cogitationes ad rem ipsam applicare vel secus. Sed hoc pro viribus, juxta alteram normam, ut autor promittit exequi conabor. Quod si ne sic quidem tibi satisfactum fuerit cogita artem hanc tibi datam non esse, ideo dimitte, sciasque etiamsi per infundibulum tibi ingeratur, quod capax tamen minime futurus sis. Subtilis est philosophia, quam nequaquam ingenium rude assequi potest: instructa quin est phrasi sua & technologicis terminis, quos ut intelligas, disciplinæ te submittere necesse est, ut fias filius Doctrinæ. Sed qui expeditus non est physicus, consultius huic est foris esse neque Platonis auditorium ingredi.

Restat præterea adhuc clavis aliqua, principium maxime præcipuum adipiscendi hanc artem, quam hic autor Dei singularem gratiam & favorem appellat, hanc impetrare licet pietate & orationibus. Principium sapientiæ timor Domini, & cui deest sapientia, petat eam à patre luminum. Præterea firmum sit propositum,

propositum, artis scientia velle uti ad honorem nominis divini, & ad commoda ægrorum & egentium. Atq; hæ admonitiones sunt perclarę, unde apparet, autorem hunc nihil temere aut inconsiderate editũ fuisse. Quod autem de sigillo refert, ori apprimendo, id mundi malitiam denotat, etenim si multa de hac jactanter proferres & spargeres, tibi ipsi periculum facile excitares: alias de sapientia loqui inter sapientes, quid prohibet?

CAP. I.

Præparatoria ad Artem.

SEptem sunt metalla cardinalia, ex quibus unum spirituale est, juxta planetas, ob vires illorum denominata. ♄.♃.♂.☉.♀.☿.☽. Ex his perfecta sunt quæ sulphur habent fixum ☉. & ☽. Quædã sunt mascula ♄.♃.♂.☉. quædam feminea ☽.♀. Spiritus est Mercurius omnium illorum natura & ortus. Hic itaq; liber tradet quo pacto metalla imperfecta, etiam perfecta, spiritumq; fixum, hoc est, ex quinque illis optimum, probum verumq; ☉. & ☾. Dei benignitate conficere debeas.

Additio D. Libavii.

De Metalli vocabulo & definitione, in singularibus meis scripsi, ut & in supplemento Alchymiæ, ubi plura quæres. Autor iste scribit illi, quam quid metalla sint in specie, intelligit quibus nihilominus annumerat unum, quam per se actu metallum non est, sed fieri potest, cum prima illorum sit materia. Intellige metallum proprie dici, substantiam mineralem, in terra ex Mercurio ortam inque formam quæ igne tractari & malleo cudi possit, reductam. Metallis aliqui accensent Bismuthum & Antimonium &c. cum etiam habeant principium mercuriale: Sed quia hoc nothum potius est metallũ & abortivum alii id inter Marchasitas reponunt, perinde ut Zinckum, Gelsum & alia &c. Ad compositionem quod spectat, illa simplicia respicit ex quibus oritur, neq; hujus loci est. Dividuntur autem 7. ista metalla, in 6. corpora, & unum spiritum: in perfecta corpora & imperfecta mascula & fœminea: Spiritus est Hermaphroditicus & cum possit esse transmutationis subjectum, magis ad imperfecta spectat. Quando considero naturam Hydrargyri, censeo metallis illum posse annumerari, sed potentia aliquando remotiore, quod valde sit degener & sine coagulatione, cui defuit vis sulphuris figentis: duo quidem habet sulphura, internum & externum, sed neutrum maturum est, & ad formam activum præterea nimis fluxa præditus est humiditate: si coagulandus est & figendus, arte & natura illi humiditas ista auferenda. Unde aio vivum hoc argentum, ut in natura sua est atq; reperitur, non esse primam materiam metallorum, sed illius saltem effigiem & quasi abortum, de quo amplius cogitare licet. Metalla vero perfecta definiuntur, quod sulphur habeant fixum & permanens: Imperfecta vero quæ fluxum, volatile & cõbustibile possident, sed ne sulphur cõmune tibi imagineris, quamvis & illud abortus quidam & simulacrum metallifici dici queat. Sulphur aiunt philosophi, alterum esse principium metallorum, plus formale quam materiale, quod in se habeat vires occultas, caloremque quibus metalla in debita materia gignantur: Unde patris nomen quoq; habet. Verum operatur pro sua dispositione & conditione materiæ: quod si fuerit purum fixumq; similemq; consequatur materiam, inde evadit præstantissimũ: quod si aliter disponatur, ut & materia, pariter, impariter, pro varietate rerum, varium fit metallum: fieriq; potest ut in materia aut corpore materiæ, varię dispositiones sint, unde metalla in uno subjecto, sæpe minutis portionibus coincidunt. Interdum alterutrum, vel etiam utrumque tam alienum est, ut degeneret, nothaque metalla, & colores lapidesque constituant. Creditur illa interdum in succos resolvi lapideæ naturæ, unde gemmæ oriantur, pro minerarum diversitate & specie: multæ etiam gemmæ in fodinis juxta metalla reperiuntur, quemadmodum & nothæ gemmæ, fluores dicti, quæ nil aliud sunt quam gemmarum abortus, vel simulacra, quæ ob loci inconvenientiam, succi cruditatem, defectum virium gignentium & informantium ad perfectionem deduci non potuerunt. Sic Alchymistæ philosophantur de metallis suis, non nudis opinionibus inducti, sed naturæ fundamentis, quæ in ipsa analysi & transmutatione, una cum aliis passionibus manifestantur. Jam cum nihilominus metalla imperfecta, formam metallicam possideant cum materia, orta tamẽ propter erratum aut indispositionem aut aversionẽ motus &c. animadvertaturq; habere ad se invicem aliquem inclinationem, familiaritatemq; ferant elaborationes, unum in aliud transmutetur & quem hujus argumenti plura esse possunt: Ideo tandem ad artem ventum est, qua ex imperfectis fierent perfecta. Hoc ipsum, divina gratia interveniente, promittit autor hocce libello. Notabis putari mysterium, si septem illa metalla non suis propriis nominibus proferantur aut scribantur, sed solum characteribus designẽtur, & planetarum nominibus enuncientur. Autor vult à planetis denominari, propter vires: hoc aliqui falso detorquent in eum sensum, quasi à planetis metalla perficerentur, indeq; vim suam susciperent, verum autor analogiam tantum respicit. Aurũ enim virtute sua sese habet ad reliqua metalla, quemadmodum Sol ad planetas reliquos, argentum ut Luna, argentum vivum ut Mercurius: hæc virtus in transmutatione respicitur. Quod ad medicinam attinet, aliter sese res habet. Mercurium appellat omnium reliquorum metallorum naturam & ortum, volens simul materiam insinuare, nihilominus tamen cum illo sulphur occultatum subintelliges, quæ qualiter affecta fuerint, incidentibus simul externis, tale evadit metallum, idq; ars ipsa quoq; deprehendit. Nam Geber ait aliquos artifices voluisse aurum conficere, qui tamen errarint, cum alius plumbum, alius stannum, tertius ferrum, quartus cuprum effecerit: ratio erat ista, quæ sua principia non recte ad aurum præpararint. Verum sub Mercurii nomine, necesse est intelligas naturam planeticam, cœlestem non terrenam, quæ scilicet naturæ & artis beneficio, quasi in astralem Mercurium transierit, alias te principia hujus artis à vero scopo seducerent, si tibi persuaderes sermonem hic esse de vulgi Mercurio. Si hujus Mercurii exemplum nosse desideras, aliquid ex communi percipere potes, at propinquius id tibi est in Mercurio ex metallis extracto, vel adhuc propinquius in fodinis ipsis, in quibus metalla liquida adhuc fodiuntur, sub forma viscosæ humiditatis, quæ adhærere solet & insidere lapidibus, lignis &c. unde & metallicæ bracteæ, alluviones, rores & q. pruinosæ accretiones, quod ipsum commune argentum vivum non facile præstare cernitur, cum non sit aqua viscosa &c. Si vero noris rectam hydrargyri præparationem, forma etiam vera te non fugiet.

CAP. II.

Cautela.

JAm vero considerandũ hoc loco est, igné atq; calorem, quæ metalla ipsa intra terram percoquunt

atque maturant non eſſe ſolis, vel ignis mundani calorem, ſed ignem illum occultum, à Deo ingeneratum, ignem ſpiritualem, inviſibilem, incomprehenſibilem, ignem ſapientiæ.

Additio D. Libavii.

Quicquid vi ingenita naturæ (quæ intrinſecum eſt principium, à Deo in quamlibet ſpeciem implantatum & ingeneratum, non ex confortio & miſtura elementorum exortum, etiamſi in illis eſſentiæ lateant) procreatur, & ab interno provenit principio inſtar plantæ ex ſuo ſemine, in ſua matrice terra, id ab externo aliquo calore vegetari & in motum deduci neceſſe habet: nihil enim potentia exiſtens, ſeipſum producit in actum, ſed ab aliquo actu, ad motum impellitur: Itemque neceſſe eſt externum illud adminiculum aſſiſtat, donec motus ad finem perveniat. Verum unde ſuam adipiſcitur ſpeciem naturamque, id internum eſt, utriuſque dicitur ſeminalis, vis plaſtica, natura caloris cum ſpiritu in corpore genituræ contenta, proportionem habens cum cœleſtibus viribus ſtellarum, & de hac loquitur hic autor, hoc quę agens bene conſiderandum eſſe cupit. Nemo mortalium naturam creare poteſt, ſed eandem procreatam ex natura deſumet. Veruntamen per aptam gubernationem motum illius promovere poteſt.

Ubi igitur externa adminicula artificialiter adhibiturus es, motiones internas reſpicere oportet, & proinde motum tuum gubernare perinde ac ſi in fornace ova excluſurus eſſes. Jam ſi præcipuũ poſſides, facilius erit exterius artis potentiæ ſubjectum admovere. Non enim cœco more labores tuos ſubire debes, quaſi labi non poſſes: ſed omnes naturæ motionis articuli diligenter perpendendi. Et propterea philoſophi proponũt exemplum pueri in utero matris latitantis, quod te accurata cogitatione luſtrare percipiunt. Solaris calor elementariſque ignis, nullum conſtituunt metallum, nullumq; perficiunt. Ideo autor te huc non deducit: Sunt tamen adminicula externa, ſpiritualis, imperceptibilis, impalpabilis ignis, ὁmne id eſt, quæ ſenſibus non capitur, ſed rationem pondere & mente colligendũ eſt, unde ignis rationis aut ſapientis artis nominatur, cum etiam ſapienter regi poſtulet, ignis ſapientiæ, & intellectus dicitur.

CAP. III.

Quales in opere ſint lapides.

Cõſtituitur lapis ex corpore anima & ſpiritu, hæc autem tria unum ſunt, ex una natura vel materia, & hæc tria ab artificibus, tres cognominantur lapides. Primus lapis aurum eſt purum, qui mas eſt & anima fixa, ex Mercurio. Alter lapis purum argentum eſt, fixus & percoctus mercurius, qui corpus ſibi aſſumpſit conſtans, eſtq; fœmina. Tertius lapis horum auborum eſt ſpiritus, à quo illi generati ſunt, Mercurius, hoc eſt ſubjectũ & materia lapidis. Quid Theophraſtus in tinctura ſua velit, dum loquitur de ſanguine Leonis & aquæ glutine, id ſine jactantia dictum, me quoque non fugit.

Additio D. Libavii.

De triplici lapide vegetabili, animali, minerali, paſſim apud multos reperire eſt, oſtendit autor non eſſe plures ſpecies (ars in multitudine non conſiſtit) ſed unam rem in qua vires triplices, habitudines ſeu potentiæ latent, tria iſta diſtinctis cognominantur nominibus ut corpus, anima, ſpiritus, mas, fœmina, materia, aurum, argentum, mercurius. Aurum maſculum eſt formale, activum, igneum, ſolare, calidum, ſiccumque natura comparatur etiam ſulphuri. In hoc unico, nihil aliud eſt, quam internus ſpiritualis ignis, quam naturam niſi acquiras nihil efficies, ſi non ſeminas aurum, non metes. Argentum fœmineum, frigidum & humidum, juxta virtutes & potentiam paſſivam. In his duobus reperies abſcondita elementa 4. quæ ipſa in progreſſu operis prodire oportet, ſuiſque ſignis comparere, incipiendo à frigiditate & humiditate, deſinendo in calore & ſiccitate, ut & mundus ipſe conſtructus. Antequam vero perfectio ultima appareat, hæc in circulo revolvuntur iterumque ex calido & ſicco evadit frigidum & humidum, &c. manetque nihilominus res eadem, mutatis ſaltem in ea diſpoſitionibus. Mercurius dicitur ſubjectum in quo alterationes ſe invicem conſequuntur, & in quo ſubſiſtunt. Aurum animæ comparatur & virtuti formativæ: Argentum corpori in quo anima eſt, tanquam in propria materia, ſecundum ſubſtantiam integrantem. Mercurius ſpiritus nominatur, ex quo duo reliqua ſubſiſtunt, hoc eſt, operis principium, nihil aliud eſt quam aqua ſpiritualis, in quâ juxta proportionem ſunt recondita corpus & anima, quæ & ipſa in progreſſu motus educuntur, ideoque inter operationem animadvertes, Mercurium philoſophorum cum frigidus & humidus fuerit, quod mortificatus ſit, & ab eo diſceſſerit anima: hæc ei rurſum infunditur, cum calor ſolaris & ſiccitas redit: prius erat corpus inanime, jam vero eſt animatum.

Hoc ipſo myſterio etiam quæritur ſulphur, ſal & Mercurius, ſulphur cum ſuerit eſſentiæ ſolaris, auro animæque aſſociatur. Mercurius ſpiritus eſt, ſal in humido frigidoque deliteſcat oportet, attamen quidam ſalem & ſulphur pro principio formativo habent, ita ut tria ſub duobus nominibus comprehendantur, ſulphur & Mercurius, totum Mercurius eſt, philoſophorum vocatus. Quid Paracelſus intelligat per leonis ſanguinem, & gluten aquilæ albæ exaltatæ, autor non explicat. Animadvertendum tamen eſt quod ſulphur, ſol, leo anima, ignis internus vegetabilis, mas, virtus & ſemen maſculum, &c. unum ſint idemque, rurſum Mercurius, aquila exaltata alba, fœmina, aqua frigida, humida, &c. quoque unum ſunt. Ita ut Paracelſi mens fuerit, Mercurii glutinoſam eſſentiam componendam cum ſanguine Solis aut ſulphuris. Quod ſi interpretaturus es ſecundum diſpoſitiones unius rei idem erit ac ſi dicas ex frigido humido fac calidum ſiccum, ex mercuriali volatili, leoninum fixum, quod magica dicitur compoſitio, ut & Hermeti placet, volatile reddendum fixum, iterumque ut per circulum ex duobus unum reddatur, ex uno duo, rurſumque unum, in quo ſubſiſtat, & hoc eſt quadrare circulum, producere ex uno quatuor, illaque quatuor reducere iterum in unum.

CAP. IV.

Ulterius conſiderandum quemadmodum in natura hominis, ſine ſexus maſculi & fœminei commixtione nihil augetur, ita mas & fœmina, Sol & Luna, copulanda ſunt, & in natura ſua in Mercurio unienda, quo & commiſceantur & ſemen producant.

Additio D. Libavii.

Maris & fœminæ exemplum, denotat lapides initio deberẽ eſſe ſubſtantias diſtinctas, quemlibet in ſua natura, deinde ut quælibet ſuum ſemen in aliquo tertio tanquam matrice conferat: non permiſcentur integra, ſed abſtracta ſemina maſculini & fœminei ſexus, quæ non ars excogitavit, ſed natura produxit, & licet integra commiſcerentur, & in aliquo coirent, rurſus tamen ſeparanda forent, & in natura ſemen deponendum, quod deinde ex ſe ipſo pullulat. Nullũ corpus manere in genitura oportet: Ideoque ſigna tibi ſufficientia ſunt Mercurii philoſophorum:

sophorum: Aspectus est naturæ mercurialis, ita affectæ, ut in illa naturali appetitu & familiaritate conspirent duæ seminariæ virtutes, agens & patiens, ambæ ad generandum tertium proclives, sub aspectum unicum, solum cadit, nihilominus tamen in illo sunt duo, tria, 4. concluſa, quemadmodum in signo ☿. agnoscis. Quatuor sunt elementa, aut qualitates, tria sunt, ☉. ☾. ☿. anima corpus, spiritus: duo sunt mas & fœmina; utuntur alii philosophi analogia grani triticei, quod propinquius est quodammodo, in hoc vires masculæ & fœmineæ comprehenduntur & uniuntur, ex quo novum quid producitur in terra, agente calore, ita ut vetus corrumpatur, sitque corruptio unius generatio alterius, atque hinc ulterius colligendum tibi est & videndum, num intellectus philosophicus magis quadret ad conjuges diremptos, quam copulatos in uno.

CAP. V.

Præparatio Solis.

ACcipe ☉ purisſ. septies per Antimonium fusum, ab omni aliena sorde defecatum, quod apud bractearios in tenuissimas laminas diduci cures: hocque semen est virile, habens aërem & ignem in se anima est fixa, sulphur mercurii incombustibilis.

Additio D. Libavii.

Autor proponit aurum naturale, quod per Antimonium fundi & depurari potest, nihilominus appellat semen virile, quod prius vir ipse erat: mox nominat sulphur incombustibile mercurii, animamque fixam, deberet autem esse unum solum quiddã, ex unica natura cum duobus reliquis. Verum quidem est aurum. mercurium coagulatum masculum dici: argentum vivum vero Mercurium crudum: Argentum, mercurium coagulatum fœmineum, atque sic tria ista ratione materiæ, pro uno haberi, attamen sic omnia metalla copulanda essent, quod nequaquam Mercurius philosophorum dici posset, corpora enim cum spiritu intrinsecus non uniuntur, sed solum extrinsecus & propterea separabilia adhuc sunt, quod in Mercurio sapientum nequaquam fieri debet, nisi solum magice aut allegorice (potes & parabolice, respective, virtualiter, &c. appellare) sed nolim te cogi in meam sententiam, cum nec deceat quoque. Mea est hæc cogitatio, autorem voluisse tibi ostendere, quod ex auri operatione observare possis, quomodo semen masculinum, in mercurio subsistens affectum esse debeat, nempe quod virium constantia & puritate, ut & ignea aëreaque natura, & aliis virtutibus, cum optimo auro commode conferri queat cujus perfectio, potissimum in probatione antimonii & extensione notatur, quas duas notas si habet, in reliquis non deficit, quamvis Alexander Suchtenius his contentus esse noluerit. Sed quia & auro corporali tibi opus fuerit, simul etiam illius purificatio ob oculos posita fuit. Et hoc pacto quidam tale aurum in Mercurium redigunt, ut Lullius tradit, quem cum Mercurio crudo uniunt. Hoc ad fermentum opus est. Sciendum autem artifices hac in parte non una insistere via, si ex mero Mercurio, qui tamen auri proprietates in se habeat efficere possis, inquit Geber, pervenisti ad summum mysterium: sin minus, animusque sit opus abbreviandi utere semine ex auro ab initio statim extracto. Sed stude ut præparationem mercurii recte apprehendas, de qua multa scribere non placet, ipse periculum facias necesse est.

CAP. VI.

Præparatio Lunæ.

ARgentum purum purum septies quoque depuratum & elaboratum, in bracteolas deductum tenuis semen est muliebre & Mercurius totus concoctus, nisi quod adhuc anima sit prædictis immatura & fluxa.

Additio D. Libavii.

Luna seu argentum prius erat corpus fœmineum, jam semen est, quæ concilia ut de auro dictum est. Præparatio vulgaris illius fit in copella per plumbum, deinde in catino cum aliqua portione fellis vitri ad purum putum follibus perficiendo. Sed hoc ipsum septies revocare nimium videri posset, nimis enim reddetur inde squalidum & durum purificabis quam optime poteris, collatum ad aurum, etiam imperfectum est, deest enim sulphur fixum, neque etiam mercurius adeo purus est, unde & evenit ut argentum quantumvis purum, lineam faciat nigram in membrana, in igne quoque decrescit, pondere imminuto voracibus mineralibus, quod notissimum est fusoribus metallorum & excoctoribus, aurifabris & probatoribus, interim auro tam est propinquum præsertim quod optimum est (est autem ut in auro, ita in argento, alterum præstantius altero) ut aurum album dici mereatur, quod etiam in aurum beneficio tincturæ auri vertatur, artificio satis explorato. In genere deest illi color, fixatio, pondus, dilationis amplitudo, quod si tingeretur & fixum redderetur, neque in aliis quicquam deesset.

CAP. VII.

Præparatio Mercurii.

ARgentum vivum seu Mercurius, ab omni aliena & noxia materia expurgatur, natura est nobilis & præstans omnia metallorum, ex qua fiunt, clavis est omnium metallorum, depuratur duobus modis: Primus qui ad medicinam facit, per alembicum septies destillandus & purificandus est, atque per modum roborandus & vigorandus. Alter, cujus magna requiritur quantitas sale & aceto solo diligentissime eluitur. Itaque accipe ℔. 3. (modo haberi possit) naturalis, vulgo virginalis, Ungarici vel alias purissimi Mercurii, septies sublimetur in recipiens vas quicquid impuritatis supererit, id removeatur, rectificetur per duas partes calcis vivæ & unam tartari crudi, unde acquiret colorem cæruleum & acrimoniam vehementem.

Additio D. Libavii.

Ea est sententia autoris de Mercurio, ut supra indicatum, Mercurium communem spurium esse & non veram illam materiam metallorum, propterea tradit mercurium illum, qui purus sit ab omni sorde & qualitatibus maleficis, esse naturam illam, ex qua metalla generentur, sed tamen differenter, prout in gradu suo dispositus fuerit. Et sic duo sunt Mercurii, unius tamen naturæ. Depuratus dicitur excoctus & maturus, qui propiorem potentiam ad coagulationem & corpus habet, in internis existens calidus & siccus. Alter vero est mercurius crudus. An hic sit Mercurius duplus Bernhardi an secus, inquirere potes, via sternitur ab autore. Geber scribit de argento vivo posse quidem figi, non esse autem medicinam philosophorum in sua natura, posse tamen juvare quandoque similiter in casu. Quod si debet præparari, necesse est illi aliquid deesse, aut alienum adhærere. Id autor noster dicit esse materiam peregrinam maleficam. Geberus ait terrenam illius grossitiem ad summũ depurandam esse, aquositatemque illi adimendam, propterea ipsum destillat à talco, à calce ovorum, marmore albo, pulvere vitri & salib. præparatis variis. Calx ipsi præ reliquis placet, si toties sublimetur ut bonum fluxum faciat, coloremq; candidissimũ & lucidissimũ acquirat,

ſufficienter præparatus creditur. Alio quodam loco Geberus eadem habet quæ autor noſter, adimendam illi eſſe omnem ſuperfluitatem, continet n. in ſe fundamentum corruptionis nempe terrenam & combuſtibilem ſed citra flammam & aqueam ſubſtantiam. Terra nigra & impuritas facile ab illo ſecedit, lotione nimirum: ſed quia in illo duplicem perfectionem agnoſcimus, ſcilicet ut ex eo medicinam paremus & perficiamus, etiam duplici gradu eſt præparandus. Ideoque etiam neceſſarium eſt ut duplici modo depuretur. Vnus ſit per ſublimationem ad medicinam, quæ hic intelligitur, alter per ablutionem ad coagulationem, quod faciendum eſt per acetum, in olla ad ignem, aſſidua agitatione, donec conteratur totus, atque acetum conſumatur, tum ſordes abluuntur. Sublimationem leges apud ipſum in libro de Inventione veritatis, ubi alumen, vitriolum, nitrum & ſal commune admiſcet. An vero hanc ſublimationem velit, vel illam à calce facile exponi non poteſt.

Eſt & ſublimatio occulta de qua Arnoldus quæ ſit non per diſtantiam ſed per virtutem, id ſulphur expediat oportet: An igitur hæc nudis illis verbis adumbrata ſit vel minus, cogitandum, alias tam nude philoſophi nil aſſerunt.

Si autoris noſtri verba pondus habent, non eget ſublimatione, ſed per alembicũ in receptaculũ tranſcendere debet, cum quo cõſentit Epiſtola Thomæ de Bononia, quæſtatuit illi humiditates naturales non detrahendas eſſe ut Arnoldus facit, qui ſublimat eundẽ. Eſt quidem & Lullius in libro Mercuriorum & Joannes de Rupe ſciſſa cum Arnoldo unanimis, ejus tamen non meminit Lullius in clavicula, fieri poteſt ut utroq; modo recte paretur, habita ſaltem cura, ut recte purificetur & ſubtilis ſatis evadat.

Quando exteriores nigras ſordes detraxeris, humiditates ſuperfluas (non naturales) tolle, terrã illius acrẽ & ſubtilem effice, ut penetret, atq; ad calorẽ & ſiccitatem proclivitatem acquirat, ſic recte præparaſti, ſive ſublimẽ ſive deorſum agas deſtillatione: Internam tamen indiſpoſitionem, nihil illi aufert, vero ſulphure excepto: ſublimatio & deſtillatio vulgaris, externũ quid tantum præſtant. Myſtica ablutio non fit aqua vel humore elementari, quia mercurius, in-
„ quit Geberus propter nullas cauſas exterminatio-
„nis permittit ſe dividi in partes compoſitionis ſuæ,
„ quia aut tota ſubſtantia ex igne recedit, aut tota in
„ illa permanens ſtat, notatur in eo perfectionis cau-
„ſa. Laudetur ergo Altiſſimus, qui dedit illi ſubſtan-
„ tiam & proprietates quas non habet res ulla natu-
„ ralis, nec in ulla reperitur hæc perfectio. Ipſe eſt
„ qui ignẽ ſuperat, nec ſuperatur ab eo, ſed requieſ-
„ cit in eo, amice eo gaudens: hæc ibi. Corſi lera &
„ hæc: Puriſſima argenti vivi ſubſtantia, qua perfici-
„tur medicina, elicitur ex corporibus & argento vi-
„ vo, ſecundum naturam, cum ſint reperta unius na-
„ turę. In corporibus difficilius reperiuntur, in argẽ-
„to vivo propinquius, non autem perfectius cujuſcunque igitur ſit, ſive corporum ſive Mercurii, medicina fiet lapidis precioſi. Arbitratur parũ intereſſe, ex quocunq; Mercurium puriſſimũ extrahas. Poſſes autẽ eundem ex duabus naturalibus rebus trahere, ex corporibus perfectis, vel ex Mercurio h. e. Mercurium de Mercurio, quod eſt ſpiritus Mercurii, qui per prædictam præparationem conficitur, eſt enim alias Mercurius per ſe, talis ſpiritus per totum ſeu tota ſua natura (ut Geberus refert) ut ita nequaquã ex non ſpirito, ſpiritus noſter efficiatur, ſed ſpiritus purus ex impuro aſtrum ex corpore &c.] educatur. In Roſario habetur, Mercuriũ conficiendum per Mercurium vel per aquã mercurialem, illud ad particulare, hoc ad univerſale. Alias etiam traditur ilum non per mercurium eſſe faciendum (ſcilicet vulgariter amalgamando) ſed per viam philoſophicam. Et hæc illa eſt via quam tibi Geberus monſtrat, ex Mercurio, per myſticam vel philoſophicam ſublimationem Viam ex corporibus habes apud Lullium in clavicula, licet particulatim & abbreviate. Solidius declarare tibi non queo. Si tamen ulteriore hac in re diſquiſitione delectaris, atq; de clares te filium Doctrinæ eſſe, apud peritos nulla tibi deerit inſtitutio.

Verba & phraſim autoris quod refert, is te jubet argentũ vivum eligere, quod natura ſuppeditat, quin & loca tibi monſtrat, utpote Ungariam &c. In Paracelſo legitur de Iſtria. Sed tibi perpẽdendum relinquo, cũ ſcias de generationis metallorũ ab optimis, cauſã, inter alias etiã hanc unã eſſe, quãdo locus natalis ſeu matrix, in qua oriuntur, non optime ſunt diſpoſita: an nõ Mercurius tibi ex aurifodinis Vngariæ ſit petẽdus.

Procul omni dubio veteres Saraceni & Arabes, ex fodinis elegerunt auri: Geberus Hiſpanicum ſumpſit. An vero apud tales argentum vivum reperiatur tibi neq; Eraſtea phantaſia, neque profunda ſpeculatione opus eſt, notiſſimum eſt effodi mercurium. Ungaricũ, Croaticum, Hiſpanicum, Arabicũ ut & Indicum teſte Monarde, cumq; circa aurifodinas, ex quib. ſæpiſſime per aquarũ deflu via expellitur, aurumq; ſecum vehit. Atq; iſta eſt materia, quicquid alii ſtatuant, cui in tota mineralium natura ſimile nil reperies, nihilq; quod proprietatem ad opus habeat. Verba ſunt & cabaliſtici ſermones dum philoſophi aiunt, Mercurium ſuum non eſſe argentum vivum, verum quidem eſt, attamen ab illo prodit, neq; in ſubſtantia quicquã aliud eſt, hoc ſolo excepto, quod arte ex argento vivo nativo, mercurius fiat, cui tradat quo deſtitutus eſt, auferat quo abundat. Sed quì ſit iſtud? percepiſti ex autore noſtro, & ex Gebro, oportere ipſum per ignem elaborari & ſpiritualẽ fieri, ut naturam ſuam leproſam amittat, inq; cœleſtem vertatur eſſentiam. Ignis in illo conſumit quod combuſtibile eſt: calx & tartarum ad mundum eluunt, utraq; exſiccant, eumq; calidum & acrẽ atq; auri cui quam proxime is familiaritate conjunctus eſt, ſi purus ſit, avidiſſimum reddunt. Duo vero ſunt ignes, myſticus alter, alter elementaris, hic nihil aliud præſtat quam externam munditiẽ, ille vero internam procurat: externa mundities pauco eſt adjumento, neq; etiam elementatis ignis illi adhærere poteſt, ipſe enim elabitur mercurius, quapropter antequam quicquam incipias præmeditate agas. Animadverte tamen id quoq;, quod ipſum ad puritatem minora mineralia multum promovere poſſint: & qui acres ſales recte novit adhibere, ita ut illi exterior humiditas, nequaquam vero interna naturalis deſtruatur, is optimo inſtructus eſt remedio Philoſophis uſitatum eſt, dicere, lapidem ſuum eſſe ſalem fuſilem, aquam ſuam acetum acerrimum, & quæ alia ſunt ejus generis appellationes plures, quod ne tam pueriliter accipias quemadmodum in altera præparatione per oxalmen, altius quiddam meditare, & ſalem fuſilem deprehendes.

CAP. VIII.

De Compoſitione.

ACcipe unciam auri puri & bracteati: præterea ℥.1. argenti tenuiſſime quoque laminati, ut ſint unciæ 2. ad triplum Mercurii primum ſublimati, ut ſint in univerſum unciæ 8. vel lotones 16. iſta omnia in patera bene conterantur ut fiat amalgama. Hic multa ſunt notanda.

Additio

Additio D. Libavii.

Puerile videtur quod numerat bis duo, deinde ter tantundem donec 16. fiant, præterea admirandum videtur, quod præter aliorum philosophorum verba, de auro argentoque malleatis dicat. Hoc „ Hermes cavebat dicens, Pater ejus est Sol, mater „ Luna, portavit illud ventus in ventre suo, nutrix „ ejus est terra. Sed mysticum quid tibi indicat, „ dum ait, hic multa sunt notanda. Debet fieri com- „ positio: hæc duplex est, compositio virtutum & „ corporum. Compositio spiritualis & elementaris: „ magica, sensibilis &c. qualis intelligenda, longe non inquirendum, sed ex proximo ab autore pete.

Multos ego tractatus chymicos scriptos & expressos legi publicos & privatos, idque reperi quemvis uti sua peculiari ratione, neque alius per alium facile explicatur, omnes fere sunt parabolici. Si igitur Lullium velles intelligere per Arnoldum, idem foret ac mysterium aliquod, per aliud explicare conareris, cum utrumque esset obscurum. Itaque autorem retine, quem maxime putes naturalissime scribere (præsuppone te exactum esse physicum, quantum fieri potest) quem declara ex seipso.

Grave etiam est artifici licet experto, alterius cogitata exponere, cum non intelligatur quo respiciat autor, an opus inchoet à fine, an à medio vel principio. Est etiam diversitas experimentorum & artificii, unde sæpe alter alterum reprehendere videtur, non quod artem ignoret, sed quod non satis artificiose tractet. Igitur quis exponet in talibus mysteriis, quo quisque autor respexerit in suis allegoriis, cum parabolæ sint ambiguæ explicationis? Supra ab autore prolatum est, lapidem esse tres lapides, in uno, & esse omnes tres mercuriales, ita ut lapis sulphur, anima, aurum, mas, & quæ alia, nomen habet, sit unius rei materia seu natura, intus fervidus ignis, aër, aut vis mascula & potentia effectiva vel procreativa similis, quo interna motio oriatur: At lapis argentum, corpus fœmina &c. sit in eadem illa re, & mercuriali natura, proclivitat ad corpus, vel appetitus ad fixionem vel ad fixum corpus: & hæc est potentia materialis de passiva, quæ ab agente impræguatur, atque intra seipsam gignit naturam constantem: quæ initio fuerat frigida & humida, sed ab interno Sole igneo excalefacta est, & tandem ad siccum calorem pervenit, pro natura agentis Solis. Hi duo lapides gignuntur à tertio qui Mercurius dicitur, qui tamen nihilo secius cum istis unius est naturæ, in cujus virtute illi quasi sopiti jacent, sed per motum excitantur, & mox ab illo generantur, hoc physici dicunt ex potentia in actum produci, per actum conformem. Hæc magica est compositio, quæ si hoc capite innuitur intelligas oportet, Mercurium philosophorum talem esse debere, in quo inveniri possit potentia mascula cum fœminea (aut solaris cum lunari sulphurea cum mercuriali &c.) justa proportione quæ Anatica dicitur. Sed spiritus utramque triplo debet superare. Ipsa enim in ventre suo gestat, h. e. in seipso occultatum & absconditum aurum philosophicum tanquam patrem, argentum vero philosophicum tanquam matrem. Occultans vero majus est occultato, neque tamen excessus ullus adesse debet, ne operatio impediatur. Atq; sic omnia à Deo in sua proportione, pondere atq; mensura creata sunt, ut quodlibet pro sua voluntate, neque aliter producatur. Et sic habes id quod autor annotandum putavit, sed hoc præceptum applica tuæ præparationi, nam præparando fit compositio sapientum. Argentum vivum naturale, arte in mercurium sapientum transmutare debes. Id hoc modo perfice, additione & subtractione, ut illam acquirat proprietatem, unamq; partem duplam habeat, in Sole & Luna, alteram partem triplam: & hoc Rebis fit, ex duabus rebus, sulphure & mercurio, nec tamen minus mercurius suum habet invisibile sulphur secum, hoc si percipis, bene est, sin minus plura dicere nescio, sed apud doctos inquiras alios.

Alias compositiones quod attinet, testatur Geber & Bernhardus &c. cum nostro autore, duplicem esse Mercurium, idq; tibi ex Lullii clavicula proposui, in qua & Mercurius corporum & crudus, attamen purgatus committuntur. Alius quidem scribit philosophus, nisi aurum viderem non crederem veram esse artem, sed illius splendor illi aufertur. Multa quoque invenis de compositione elementorum, quæ non juxta vulgarem physicam, sed magice aut mystice sunt intelligenda. Aurum & argentum naturale sunt in universali fermentum, aurum ad rubrum, argentum ad album, atq; hic etiam fit compositio. In particulari est etiam alia, ex auro vel argento (non enim sunt commiscenda, neq; etiam necessarium est) sed non in sua corpulentia, præterea quædam est compositio in imbibitione, de qua inferius agendum: Itemque in multiplicatione & in projectione atque aliis.

Amalgama quid sit, aurifabris etiam notum est, sed qualis ars, tale etiam amalgama. Quidam Michaëlius hoc ipso me irrisit, sed invenitur in hac ipsa arte etiam apud Thomam & alios: si recte intelligas, suo modo verum est. Quin etiam de auro & argento scribens aliquibus offendiculo fui, vult & hic sibi scientiam lapidis arrogare, Tubingensis quidam Baccalaureus dixisse fertur: Bene non refert quid ego velim. Hactenus diligentius huic arti navavi operam, quo mysteria cruerem quam tu Baccalarie tuo Donato operam dedisti, quod non adeptus sim, Dei voluntati id est tribuendum: interim tamen perspicio illam non carere fundamento, evidenterque naturæ potentia agnoscitur.

Talia experimenta etiam ante nostram ætatem potentissimis Imperatoribus fuere ostensa, ut fatendum omnino, sit argentum in aurum, ferrum in cuprum &c. posse converti. Quod coram Senatu Veneto factum est, ut argentum vivum in aurum mutaretur, ne hostes artis quidem negare possunt. Quod autem de his commenter, id mihi exercitii loco est, aliisque qui forte minus cogitando assecuti sunt, adjumento: Ego cotis vicem subeo Horatianæ, quæ etsi secandi acumine destituatur, ferrum tamen exacuit: vel ut illum Medicum me affectum puto, qui licet medicinam ægris non faceret ipse, scribendo tamen & docendo alios instruxit Medicos. Hanc facultatem ne mihi Bacalarie ne detrahas obtrectationibus tuis.

CAP. IX.

De Vasis & collatione.

VAs vitreum inferne globosum habeat ventrem, collumque satis procerum & amplum, in cujus fere medio zonam seu limbum esse oportet, ut similia vasa insterni, commissuræque diligenter communiri queant. Tale vas cum amalgamate, impone cineri cocto, in pyxide querna, in medio divisa, atque probe custodita, ne humiditas ulla aut calor solaris eo pertingat.

Additio D. Libavii.

Instrumenta ad opus necessaria sunt 1. vas duplex, certæ formæ, 2. cinis purus coctus 3. pyxis è ligno quercino 4.

quercino 4. lutum & hæc hoc loco nominantur. Quæ ſi omnia conjungantur ut Mercurium concludant, aſſimulantur ovo, pyxis lignea teſta eſt exterior: vas vitreum cutis interior, albumen eſt Mercurius, vitellum mas & fœmina, Sol & Luna, magis tamen Sol vel ſolaris virtus & ſulphurea: Cinis ambit vitrum intra pyxidem: alii goſſipium eligunt.

Cauſa eſt quod requiratur fomentum aliquod, calorem retineus exiguum, aut fimus vel balneum, qui initio vix percipitur: præſtant deinde etiam munimenta vitro: idque intelliges apud Bernhardum per Quercum ſiſam, & lapidem pulchrum quercu circumdatum. Conſtruuntur etiam muri in circuitu, qui ſpeciem præbent fornacum ad putrefactiones. Quamvis initio etiam alia ratione communire poſſis, ne beſtia aliqua bruta irruat & deſtruat aut aves præcipites, quæ omnia indagare, & inſtigare conantur: hocque eſt fontina. Vitreum vas poſſet eſſe phiola, alia quadam phiola contecta.

Quidam ad id eligunt vaſcula ſeparatoria, alii alia malunt. Quodcunq; autem ſit, neque laxum neque ſtrictum nimis eſſe oportet vas: & quandoquidem Mercurius ſemper adjectione augetur, ideo illud tibi præſciendum eſt, quod in medio colli, limbum habeat vas cui inſtratum alterum innitatur, id accomodatiſſimum eſt ad apertionem & clauſionem ne quid lutamenti forſan incidat, itemque ne te ſpiritus exhalans lædat, & ne iidem ſpiritus, dum circulandi ſunt evaneſcant. Sunt qui nihili faciant apertionem & clauſionem, ſed totam quantitatem abdunt in phiolam rotundam, collum Hermetice contorquent, vel agglutinant igne, ut cuiq; commodum fuerit, hoc judicio non caret, tempuſque habet ſutum. Cum autore conſentit Greverus, qui vult interdum reſpirationi locum dandum, ne ſuffocetur, utitur exemplo vegetabilium & licet objici poſſet fœtus in utero materno concluſus, tamen hoc non obſtat, natura enim illa inſtructa eſt variis viis, quibus expirare poteſt, quod ipſum etiam teſtatur ploratus in utero, ſæpe exauditus, licet ſine reſpiratione fieri non poſſit, ſed hujus litis me non faciam participem. Cauſæ ſunt cur alius hoc, alius alio modo procedat, etſi uterque bene operetur, dum primus conſiderat præcedens, alter ſubſequens tempus. Forma vitri talis eſſe poſſit: Quam formam habeant phiolæ, ſcaphæ, ovum philoſophicum, pateræ, matrices, &c.



reperies in meis commentariis & apud ſcriptores alios, lignea illa pyxis, pro modo vitri eſt conformanda rotunda eſt, ſi contortæ & conglutinatæ phiolæ adhibentur. Cinis ideo excoquitur ne ſal illius actis calorem adaugeat plus juſto, neque creſcere debet, quod fit dum ſal ſine calore aſſiduo una relinquitur. Et licet hoc negotium à catillis differat, quibus metalla immediate imponuntur, excepto ſubtili levore ſeu pulviſculo (qui tamen contra ſalis fluxum inter excoquendum parum facit) longe tamen arti magis competit, omnia habere terſa & munda, ſive tibi riſum ea res ſive nauſeam exciter, pyxidem cur in medio deceat eſſe apertam, ipſe intelligis. Inquit autem in medio, non in ſummo faſtigio, ſi conſilium hoc placet, vitrum non in lebetem vel catinum collocabis, medio indiviſum, niſi forte non tale vitrum, ſed longam phiolam, cujus collum promineat uſurpes, quod tuæ experientiæ committendum.

Locus præterea eligendus quo pyxidem colloces, qui neque humidus ſit, neque calidus eo gradu qualem Solis radii facerent, ideo neque in cellam neque in balneum aut fimum humidum inferes, ut neq; fornaci cui ignis ſit ſubſtratus, ſed in locum temperatum: ubi elementorum nullus ſit exceſſus, frigus enim deſtructivum eſt non generativum, maxime ſi excedit, & putrefactio debita requirit competentem calorem, &c. humor non debet foris eſſe ſed intus, &c. poſſes extruere domunculam loco fornacis, in qua, concluſum vitrum collocetur.

CAP. X.

De Putrefactione.

Sic repoſita citra ignem ſeptem dies relinque: die octava renova fimum & ignem h. e. adde ℥. j. primum purgati Mercurii, atque ſic ſubinde pergendo, quodlibet die quinto, ℥ j. donec adhuc novem partes Mercurii, id eſt ℥. 18. vel lotones 36. ad amalgama accedant. Ita ſummatim habes Mercurii ℥. 24. ſolis ℥. j. Lunæ ℥j. omnium ſummatim ℥. 26. ſeu lotones 52. His corpora putrefiunt, quod fit ab initio primæ imbibitionis diebus 90. ex quo emergit Mercurius philoſophorum, vera prima materia, de quæ omnes philoſophi ſcribunt.

Additio D. Libavii.

Citra ignem ullum relinquere, eſt elementarem ignem non admovere: detinetur in epicauſto ſolum aut vaporario, ubi quis commode ſine caloris aut frigoris moleſtia degere poteſt: ineſt tamen ignis externus dicitur & aqua appoſita ignis, ex quo intelligis in hoc opere triplicem haberi ignem. Primus eſt elementaris cujus hoc loco nullus uſus: alter eſt potentialis ſeu virtualis, tertius eſt ſpiritualis. De virtuali ſupra expoſitum eſt, quod nimirum ſit vis animæ ſulphuris aut auri, quæ hic nondum comparet, adhuc in profundo ſubmerſa latens. Spiritualis ignis eſt mercurius præparatus, qui ſimo hic comparatur, eo quod in ſe habeat cauſam unde corpora illi commiſta putreſcunt & ſe reſolvunt. Ex Ariſtotele diſcis quo pacto id quod putreſcere debet, oporteat paulatim terminum ſuum internum, quem à ſiccitate & calore habet, amittere & loco illius, humiditate & frigiditate augeſcere, id fit etiam hic in auro & argento chymico, in quo humiditas appropriata & aſſociata paulatim ſe inſinuat, terminumque, ſeu naturæ obſerationes diſſolvit. Quod autem in natura contingit ab elementis & aliis circumſtantibus, id hic expedit artifex, qui ipſi aquam humidam tepidamq;, ceu imbibitione quadam adauget, unde & autor imbibitionem appellat, quamvis ad illam nondum deventum ſit. Quidam ſtatim tantum adjiciunt mercurii, quantum neceſſarium, ſicq; in occluſo operationi ſuæ committunt. Notum nihilominus eſt phyſicis, paucum citius computreſcere multo, ubi vero putredinis initium in pauca licet materia factum fuerit, tum in ſequentibus facilius ſuccedit, hæc tecum ipſe diſputa ad ſatietatem. Quantitas additamenti ſeſe extendit ad partes 9. juxta proportionem quantitatis corporum, aderant præterea partes tres, qui eſt numerus duodenarius, de quo Alanus ſcribit, cape unam partem auri vel argenti pictorum, aut tenuiter laminati (quo ſubtiliores n. fuerint laminæ, eo citius in mercurium abeunt) ingere in fornacem Hermetis, adde partes 12. Mercurii optime purgati, fiat amalgama, colloceturq; bene obſtructum cum cinere ſicco excoctoq; atq; tum igne extrue moderatum, &c. Item ſi aſſumas ad cor-

pus

pus partes tres mercurii, & unam partem corporis mercurii, habebis minus debito, ita ut vix menses tres putrefactionem producere possis, sed aqua mercurii consumitur citius in animam Solis vel Lunæ, quam debebat: Ideoque præstat ut initio sumantur partes 12. mercurii & una pars corporis, occlusumque cineri immergatur & coquatur per menses tres, &c.

Hæc verba videntur ac si juxta literam accipienda forent, neque etiam pugnabo, sed tamen materias tuas sapienter præparatas, te habere oportet, ut supra expositum est, alias parum profeceris. Ego juxta verba periculum feci, naturæque potentiam observavi, multam videlicet hisce oculis nigredinem, eamque separavi, etsi partes omnes ad summum essent purgatæ, neque erat, ut quidam arbitrabantur, solius Mercurii impuritas, hanc ipse contemplatus sum alias, sat scio sordium illarum conditionem, illa autem nigredo indies augebatur, etsi singulis septimanis eam segregarem, & hoc ipsum leges apud Vlstadium, qui appellat sulphur auri: Item Alexander à Suchten idem de suo Mercurio Antimonii scribit. Et cum animus non esset operis absolvendi, non enim coagulatio fieri aut commixtio poterat, innatante semper nigredine, ideo corpus residuum rursum detraxi, aqua regia attenuavi, iterumque ingessi, tum multo plus emergebat nigredinis subtilissimæ & impalpabilis, quasi fuliginem Thuris attingeres. Hæc ideo tibi revelo, non ut eodem pacto procedas, ego solum experimentum sectatus sum, an etiam juxta literam res sese haberet, ut autor scribit, idque sic apparebat, eratque sulphur Solis, sed ad coagulationem hoc pacto nihil proficere potui neque forte desunt sua artificia, aliis plus quam mihi nota, verum enim vero & alii idem periculum fecerunt, quod illis nequaquam successit uti scribunt.

Mea isthæc opinio est, ut & initio dictum, veram artem esse longe subtiliorem, quæ solum ruditer per corporalia ista repræsentetur, licet & illa suis non careat rationibus, sed non est cujusvis rectè illa præparare opus ad finem perducere. Atque huc etiam te deducit autor, qui plus una re non habet, in qua jacent aurum argentum & Mercurius, corpus, anima & spiritus quæ ipsa sunt seminales vires maris & fœminæ non aspectabiles, sed occultæ, in actum tamen deducuntur per putredinem parabolicam. Vnde vero hæc tibi virtus sit petenda atque in unum congerenda, id ex Gebro didicisti supra, qui tibi pro uno Mercurium monstravit, pro altero vero corpora perfecta, in illo procul sunt recondita, in his vero prope sunt tamen unius naturæ: Ideo quando semina è metallis extracta sunt, & cum Mercurio præparato unita, ars quidem est subtilis, subtilior tamen adhuc est, cum unico Mercurio, qui in se vim Solis & Lunæ suscepit, operari: In metallis integris, ut hic litera sonat, eandem veritatem invenis, sunt enim partes mercuriales, quæ in se continent id quod alias quæris: sed validissimæ sunt seraturæ, multaque impedimenta, propter aliena, quæ conjunguntur, hancque arbitror fuisse causam, cur mea coagulatio non processerit, quod Mercurius meus nimis esset humidus, quem licet sæpius per ignem agitaverim, perfectus tamen non erat. Hinc concludas quod tibi agendum sit, ex meo defectu facile agnosces quid tuum opus requirat. Cogita etiam de tali medio, si mercurius putrefactionem absolvit, nigredinemque exhibuit, an non necesse habeas humiditatem superfluam quam in putrefactione contraxit, novis præparationibus auferre & ad coagulationem disponere, ut & terram nigram sitientem. Considera quæ Lullius in sua clavicula scribit & cum hisce confer,

CAP. XI.

De Capite Corvi.

Elapsis diebus 40. in tali putrefactione, materia desuper nigrescet si intra id tempus nigredinem non contrahit, erratum est, hæc nigredo initium est tincturæ veræ, verumque semen. Isthæc nigredo, quam conjuges hoc matrimonio generarunt, caputque corvi, & aliis nominibus pluribus appellatur, à Mercurio separanda est, ea subtilitate & dexteritate, qua fieri unquam potest, atque singula seorsim asservanda, vel per linteolum segreganda.

Additio D. Libavii.

Dies hi 40. mensis sunt philosophicus, & sic experimento cognovi meo. Sed non una comparet vice, verum lento gradu & successive, multaque fit admodum, si non apparuerit (nigredo) inquit autor, erratum commissum est h. e. corpora ad solutiones rectè fuerunt præparata, mercurio adhuc existente nimium inerti, humido crassoque, qui debebat esse actis, subtilis, penetrans, corpora quoque ipsa astralia, sicque Sol & Luna in mercurio conjuncta, veram passa fuissent Eclipsin. Quod si ne sic quidem promoveatur opus, iterum segreganda (loquor autem jam secundum literam: & secundum modum tertium, percepisti me triplicem rationem insinuasse) & in cucurbitam inferenda omnia, ex qua mercurius aliquoties abstrahendus totus, sordesque singulis vicibus proveniunt abiiciendæ, ultimo mercurium iterum per tartarum mundificato & per calcem, corpora repurgentur & spiritualiora fiant per aquam regiam: excandescant probe, macerentur in liquore tartari, candefiant iterum & conjungantur de novo. Hæc pro meo arbitrio trado, non n. placuerat ulterius in arte per experientiam periculum facere, cum naturæ potentiam agnoverim. Si compendiosior tibi rectificationis innotescit ratio, nemo quin eandem usurpes prohibebit. Qui in solo mercurio peratur, is horum omnium non est indigus, loquor de Mercurio solo, duplici, duobus modis, de quibus in superioribus. Quo pacto aquam à capite corvi separaturus sis, autor tibi liberum facit, monet tamen fieri posse per panniculum, idque imitatus sum, & deprehendi semper mercurium transcolari, nigredinem vero in panno relinqui, semperque aliquid inhæret, ut integrum separari non possit. Idem perfeci per calamum scriptorium, in aqua vero pulchre succedit: liberatur enim nigredo à mercurio & in aquam secedit, seseque postquam mercurius ablatus est, in fundum demergit, aqua potest transfundi nigredo vero exsiccari. Melius autē est ne aqua admittatur, quod & supra autor prohibuit, fortassis & hæc causa fuit quod caput corvi etsi sufficienter iterū exsiccarim, suam propriam aquam amplius aggredi & consumere noluerit. An vero talis nigredo auri semen esset, vel tincturam haberet, juvabat experiri. Itaque aquam regiam affudi, mutabatur in pulverem rubrum, sed ad tincturam non adhibui, neque etiam poteram tingere cum fixa non esset, posset tamen in morbis vires præclaras ostendere, quamvis nondum in sua exaltatione. Scire etiam cupiebam esset ne pulvis iste fugax an minus debebat n. extractus esse ex corpore fixo & factus volatilis, sed gravis erat & fundum petiit. Igni immissam, acquisivit alas mercurii & avolabat. Hinc patet avem esse illam, quæ noctu vagatur, ut philosophi mystici parabolice loquuntur.

Et hîc iterum potentiam cernis naturæ, quæ cum sermone philosophorum consentit. Ista tibi observationis

tionis ergo non ex ſpeculatione, ſed ex rei uſu declaro.

CAP. XII.

De Fornace.

FOrnacem decet eſſe inſtructam ſuo interſtitio & commoditate, quo calorem exhibeat æqualem & continuum, inſtar radiorum Solis, & tantum etiam caloris gradum qualis expeti vel ex uſu eſſe poteſt.

Additio D. Libavii.

Curaveram apud figulum ex argilla bene ſubacta fornacem extrui cum ſuis tabulatis, ut à Rupe ſciſſa deſcribitur.

Alias licet & furno acediæ uti, de quibus conſule commentaria, quid de Athanore annotarim.

CAP. XIII.

Principium Coagulationis.

HIs peractis collaca opus tuum in fornacem, atque per continuum octiduum calorem ſubminiſtra, primum debilem, tunc ſiccitas humiditatem evincet, octiduo elapſo ager iſte, ſeu ſemen valde ſitiet appetetque ſuam aquam ſeu pluviam.

Additio D. Libavii.

Nigredo quæ hactenus caput corvi eſt cognominata, jam terra opaca & nigra nominatur, filius natus, &c. Mercurius ſeparatus dicitur pluvia, ros, lac virginis &c. atque jam etiam vides elementorum viciſſitudinem & ſeparationem, primum n. frigus adeſt & humiditas, ibi aqua & terra una eſt maſſa: mox paulatim mutatur in aërem denſum donec tandem igneam naturam aquirat. Ita primum erat, nigrum, tenebricoſum & turbidum, ex quo paulatim evadit album, purum, lucidum. Hactenus fuerat ſolutio & volatilitas, ſuccedit jam coagulatio & fixatio. Et hoc Hermes his verbis voluiſſe creditur, dum ait: Nutrix ejus terra eſt: ideſt conſervatur & conſtans eſt in fixatione, aſcendit à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, h.e. ex fixo factum eſt volatile, & volatile redit in fixum ex coaguluto ſolvitur, & ex ſoluto denuo coagulatur, & ſic habet naturam corporis & ſpiritus inferiorum & ſuperiorum. In deſtillatione elementorum fit putrefactio, 2. aqua attrahitur remanente terra, 3. terræ redditur aqua & extrahitur cum ea aër qui ab aqua ſeparatur, 4. terra reſtans denuo aqua profunditur, ut cum ea ignis eliciatur.

Vt autem debeat reponi, facile capis. Coagulatio fit in cineribus, ad quam paratur catillus è luto, hic collocatur, ſupra tripodem arcanorum, recta ſupra id foramen quod in media regione fornacis tabulatæ factum eſt, lamina ferrea cinctum, in catino cinis eſt, qui continet vitrum ſuperne paululum prominens, ut colores obſervari poſſint: huc ſpectat operculum, ut occluſum in ſtufa ficca manere poſſit, ſub catino in craticula, collocata eſt lampas vel lumen, aut ignis prunarum, qui directo catinum feriat: exactam habeat graduum diſtinctionem neceſſe eſt, quemadmodum in ſequentibus dicendum in principio gradus in cineribus (hoc in opere pro ſecundo habetur ſed nequaquam primum alias ſuperare debet) materia evadet ſicca. Sed ita ſtatuendum eſt, quaſi de lacte virginis aliquid adjecitles: terra enim nigra adhuc aliquid ſecum retinet, & primo nutritur à ſuo ſucco, quem ex ſolutione extraxit, hoc conſumpto aut coagulato, dicitur terra ſitiens, quæ imbuenda eſt imbre vel rore Madian, quod ſit octiduo.

CAP. XIV.

Imbibitio.

HInc jam ſummo ſtudio obſerva, quantum nigredinis in vitro fuerit, qui pro arbitrio humiditatis, aut Mercurii ſeparati tantum adjunge, ut ſiccitas humiditatem vincere poſſit: hac adhibita omnino cautela, ut ſiccitatis plus ſit quam mercurii, de quo nullum certum pondus præſcribi poteſt, ipſa te ratio & conjectura ducat hæc duo per biduum in cinere frigido, citra ignis commercium benè uniantur: dein turſum octiduo integro fornaci tuæ impone, iterumque coagulentur. Hoc fac eo ordine, menſura & ratione, quo ad totus ille mercurius, quem initio reſervaſti, ſimul ſit coagulatus & calcinatus. Notandum autem cum nigredo poſt ſingulas inhibitiones augeatur tu etiam magis magiſque imbibitione, igniſque auctione, quantum quidem ferre & poteſt & debet, ſequaris, ſed ita ne Mercurius avolare cogatur, nulla enim hic feſtinatione opus eſt: Requiruntur dies fere 90.

Additio D. Libavii.

De pondere ait Bernardus ex veteribus philoſophis, in hoc opere maximè attendendum eſſe pondus ſulphuris, quæ eſt in mercurio, ſiquidem elementum ignis, quî in vero mercurio dominatur, materiam digerit. Sciendum autem prius eſt, quantum unum reliquorum elementorum, ignis evincere poſſit. Ex codice veritatis: „Vbi veſtram conjunctionem ſine pondere facitis cave, „ ne unius ad alterum nimium ſit. Ex Albugaſale. „ Terrena vis exerit ſuam reſiſtentiam pro reſiſtentia: „ differentiam ponderum cauſatur vis agentis &c. Ex phyſicis notum eſſe debet, ventriculo debiliori parum cibi concoquendum præbendum eſſe validiori plus, & ſic cuique quantum ſubigere poteſt, ſic & hoc loco. Principio hoc ſulphur admodum eſt debile, parum concoquere valet, ut verò æſtimato quantum perferre queat non ſemper idem pondus eſt nigredinis, neque eadem vis. Si abundet & valeat, illi pro rato tribue. De imbibitione vel nutritione etiam in aliis artibus ſi rationem intelligas, v.g. in Chirurgia dum Sarcocolla nutrita paratur, vel dum Chymici ſales aut ſulphura, cum ſuis aquis & liquoribus imbibunt, eo facilius aſſequeris quæ hic docentur. Color internus qui jam in dies magis magiſque roboratur & ex aquea humiditate emergit, aëris naturam adipiſcens, is ab externo excitatur, ſed illa adhibita moderatione, ne ab infante ſuo, lac virginis hauſtum, iterum cogatur evomere aut eructare, noſtri Mercurii fugacitatem, vix calorem perſentiſcit, tum ſumma petit. id quod tuæ intentioni adverſatur, non enim cupis ſegregare, ſed coagulare. Itaque patiens neceſſe eſt cum agente eſſe, contactum corporali & mixtione per minima, alias nulla fieret converſio. Iam ſi ordine imbibitio ſit peragenda requiruntur dies circiter 90. ut & in ſolutione. Et hi dies naturali modo ſupputantur. Quidam tamen artifices in ſuis præparationibus, tam ſunt induſtrii ut iſta non reſpiciant, minimeque pro edicto prætorio habeant, ſimpliciter appellantes ſuum menſem ſive paucos ſive plures dies habeat, illos tamen informat motus materiæ, quam ſtrenue pergendum ſit. Si lac ab infante cito abſumatur, moxque ſitiat, celeri cibatione opus eſt: Cibus iſte in ſubſtantiam nutriti convertitur, ulteriorem ſibi nutritionem expoſcens: & ut puer pluri indiget alimento quam infans, ſemperque alter voracior eſt altero, ita & hic ſeſe res

habet,

habet, itaque observabis ipse, quot diebus procedat negotium & coagulatio absolvatur.

CAP. XV.

Operatio secunda ad Medicinam secundi ordinis.

FActa jam coagulatione totius aquæ cum corpore, calòr illi possit dari validus, tolerabilis tamen, sic corpus compareret albidius, & quædam partes in Lunam tingerentur, sed hoc in operis & operantis damnum cederet, ideoque talis rursum processus renovaretur. Sume corporis albi & calcinati quantum fuerit, huic tres alias partes primo purgati mercurii addas, quæ in patella solutoria bene invicem conterantur, transfer in vas vitreum primum vel simile, tum mercurius humidus coagulatum solvet; iterum corpus nigrum deponet, quod pingue & oleosum, oleum sulphuris nuncupatur. Quando Mercurius & corpus diebus 10. sine igni elementari steterint, neque à coagulato solvuntur, & ad nigredinem disponuntur: tum humiditatis est defectus, & sulphuris excessus, animadvertendum tamen est, ne nimium accedat humiditatis, nimisque diu coagulatio differatur. Jam ubi in debita administratione superne iterum cinis niger deprehendatur, tum illa nigritiem detrahere & mercurium inde separare oportet: cinerem rursus decet imbibere, & quantum necesse fuerit coagulate omnibus momentis & articulis ut prius debita mensura & proportione, quo siccitas humiditatem vindicat & in sui potestatem convertere valeat. Oportet autem post singulas imbibitiones materiam biduo, in cinere frigido reponi, antequam ad calorem elementarem adhibeatur & inibi bene contemperati. Et quia corpus est augmentatum, ideo & ignis augeri potest, coagulatioque intra dies 35. aut 40. absolvi. Tandem uratur probe, ut pulch e albescat, & sic opus ad fermentationem usque perductum est.

Additio D. Libavii.

Repetitio hæc est praxeos, mutatis mutandis: hic enim nulla sunt corpora ut prius, sed albus sulphur philosophorum solvitur ut prius. Sed quia sulphur in majori est quantitate ideo & aquæ major requiritur quantitas, servatur tamen proportio tripla. Quidam hoc loco non utuntur Mercurio ex sublimato confecto aut destillato, qui prior est, sed altero loco, cum sulphur tam sit potens, ut cruditatem suam commode superare queat. Sed non facile à præcepto artificis est recedendum, si artis non sit certa cognitio, intellectu alias facilia sunt quæ dicuntur. Prioris operis finis erat coagulatum album, quod aliqui terram philosophorum aut calcem, alii cinerem de cineribus &c. appellant: Alteram calcem appellant etiam stannum, prior enim coagulando est Saturnus, ex quo fit stannum ob assiduam coctionem & nutritionem. Dicitur etiam absolutio Latonis: Ignis & Azoth abluunt Latonem. Ignis vis est in terra operrativa, quæ humiditatem evincit, & à calore vaporoso elementari excitatur. Azoth idem quod lac virginis, quod ipsum Mercurius, qui corpora solvit, ab iisdemque temperamentum quoddam consecutus est, dum enim in solutione corporeum occupatus est (omne enim agens à patiente repatitur & alteratur (is à corporibus istis calefit & maturatur, acquirit etiam principium fixionis, dum solvit, coagulatur &c. sicque ad coagulationem & nutritionem aptior redditur, cum prius abesset gradu uno. Cur autem ablutio dicatur, causa est, quod al-

besceat, quod prius nigrum fuerat; quod etiam aliàs ultatum est lotoribus omnibus. Quod igitur primi operis finem constituit, id secundi sit principium. Ait autor si Latonem vel sulphur embryonatum (ita enim quandoque dicitur) bene exutas, posse illo tingi & argentum confici. Alii censent unâm partem posse septem partes vel decem transmutare, de quo certo mihi nil constat. Certe fixum nondum est, atque tum demùm plumbum creditur, sicque plumbum solum futurum esset præterea si una pars posset, decem transmutare opinari quis posset, in sequenti opere nullam futuram solutionem, sed transmutationem, cum tres tantùm partes ☿. ad totum assumantur, nisi fieri possit, ut ignis defectus ad impendire potuerit, sed hæc suo loco relinquam: Si Deus tibi gratiam ad hanc rem largitus fuerit, veritatem facile invenies. Jam facta denuo conjunctione iterum facienda est sublimatio, & extractio terræ nigræ, & hæc est extractio & sublimatio philosophorum. Sublimatio elevat sulphur in superficiem, innatat pulvis levis in summo aquæ opacæ seu aceto. Generalius accipienda etiam est extractio, sed sine ignis externi commercio, hic enim nihil operatur præter ignem in menstruo vel Mercurio occultatum Nigrum pulverem, aliqui etiam appellant, Draconem natum in nigredine sua. Post dies 10 augetur aqua proportionaliter, donec illius partes 9. accedant, ex quo intelligas vas seu vitrum hujus operis, capacius requiri quam prioris. Monet autor ut aceti nimium non fumatur ne coagulatio nimis diu protrahatur, & ideo pondus aquæ sequentis exprimere nolunt, sed tuo judicio & arbitrio id committunt. Solutione peracta opacum à lucido segrega, sed prudenter. Imbibitio ut ab initio fiat, coagulatioque ope caloris externi, qui jam in secundo gradu collocatur, materiæ enim plus est, & corpus aliqua ex parte fixius redditum est, atque in terram durabiliorem soluta. Mercurius quoque qui in solutione fuerat ad coagulationem factus est opportunior. Quidam in arenam collocant, sed sufficit si ignis uno gradu augeatur, & à principio gradus paulatim ad finem progrediaris. Tandem duplo oritur vehementius quam initio, jamque est calx fixa, Arsenicum fixum Elyxir, quod stanno comparatur & nondum perfectum est, Aqua aliquantulum dealbatur inquit Rosarium & istud est Elixir. Nota: hoc ipsum etiam est ex elemento aquæ & terræ facere aërem: Terra & aqua erat initio, aqua à terra est separata per destillationem, remanente terra in prima operatione aliquantulum alba & cinerea. Jam aër ut secundum elementum, à terra quoque separandus esset, id quod fieri non potuerat sine aqua propria, ideo aqua rursum terræ reverberatæ fuit reddita, purificata & iterum destillata. In fine destillationis aër cum aqua adunita prodiit, quæ tamen duo unum sunt coagulatum & per imbibitionem invicem incorporata, cum lapis hic aëreus, vel aëri in calore & humiditate temperata comparari possit, ideo parabolici philosophi, aërem appellant, & hæc est extractio elementorum: Ignis in terra adhuc infixus est, tandem etiam separatur inferius.

CAP. XVI.

Fermentatio ad album.

COrporis supra nominati bene calcinati, sumatur dimidium, vel quantum videtur aut potes: adde argenti tantundem purissimi & ad summum usque expurgati, pro fermento ad tincturam albam, argento fluente puro addatur iterum tantundem elyxiris vel paulo plus: omnia bene commisceantur, tunc

ſulphur album, argentum ſub ſuam poteſtatem rediget & vincet, quæ omnia probe calcinentur.

Additio D. Libavii.

Elyxir materia eſt communis ad album & rubrum, ideo etiam fit ex utroque principio ſolari & lunari, quamvis dicant philoſophi alii aurum eſſe hermaphroditicum, & per mercurium cohiberi ut etiam commune elixir fiat. Sed de iſtis non diſputabo: utrumque ſume vel alterutrum. Acutiores cenſent aurum ſumendum ſolum, cum in miſturis inæqualibus etiam inæqualis ſolutio ſit & coagulatio. Elixir communis, ſumitur dimidium ad albam, dimidium ad rubram tincturam, quamvis ad placitum & pro facultatibus, cum alter plurimum, alter parum impendere poſſit. Quod ſi expectare poſſes donec tinctura alba in rubeam verteretur (eſt enim argentum potentia aurum, deeſt ſola coctio, unde album & rubrum ſi quid non fixum remanſit) tum rubea non indigeres: de Elyxire autem ſumeres pro libitu illudque fermentares, reliquum reſervares ad neceſſitatem. Quomodo autem fermentum & Elyxir, item qua proportione componi debeant, expreſſum eſt. Argentum & purum excoctum eſſe oportet, quod catillo injicitur fornacis anemiæ, eliquato interitur Elixir, forma pulveris, & utrumque ſimul uritur valide, ferunt enim utraque ignem, pro natura argenti.

CAP. XVII.

Eclipſis Lunæ & Tinctura alba.

CAlcinatum corpus impone patellæ, affunde primo purgati mercurii partes tres, vel tantum ut humiditas ſuperet, bene commiſce, tum habebis corpus, animam & ſpiritum iterum convenienter unita, hinc rursus exurgit quædam nigredo & cinis, quem prudenter collige, calcina, imbibe, humecta & coagula tamdiu, donec humiditas omnis à ſicco conſumatur, perficitur omne illud dictum 40. ſpacio: Interea apparent colores varii & mirabiles, attamen ultimo bene calcinandum ut, egregie candorem nivis acquirat, & ita tinctura alba perfecta eſt.

Additio D. Libavii.

Facilis intellectus eſt hujus capitis ex præcedenti, idem eſt enim opus quod fuerat initio, niſi quod auri loco, elyxir ponas, & ſi iterum tria in unum redigas: Elyxir eſt anima quæ hic reſtituitur corpori, diciturque corpus animatum. Corpus eſt fermentum, ſpiritus eſt Mercurius, qui & ipſe animatus dicitur, conteruntur omnia in amalgama, primum ſumendo aliquam portionem Mercurii, deinde majorem, repoſito in vaſe vitreo reliquum affundendo, tantum non ſumitur quantum initio, ne coagulatio differatur. Exiſtente materia in puttrefactione extra ignem, vera Eclipſis oritur Lunæ, h. e. illa nigredo, quam ſeorſim colliges, donec totam habeas, atque tum conjunctionem & coagulationem inſtitue, cum debita imbibitione & regimine ignis, ut ſupra explicatum.

Author docet terram calcinandam eſſe, h. e. diebus 4. vel pro rei exigentia pluribus, aut paucioribus, ad ignem detinendum ſolum in vaſe, quo ſiccefcat atque tum potionatur toté ſuo cœleſti & coagulatur ordine ut initio: Hic nigredo inter coagulandum paulatim abit in albedinem igniſque augetur, atque antequam vera albedo appareat, cum ignis intenditur, ſeſe oſtendit cauda pavonis, h. e. ſcintillulæ apparent in vitro mirabilium colorum, mox ſequitur color albus argenteus fixusqui eſt tinctura alba & medicina alba nec tamen adhuc verum univerſale, uſus tamen eſſe poteſt in morbis.

CAP. XVIII.

Multiplicatio tincturæ albæ.

ARgenti vivi pute eloti partes centum ingerantur in catillum, ad ignem, ferveant, dum effumare incipit aliquid hujus tincturæ injiciatur modo præparatæ, & bacillo bene commiſceantur, fiet pulvis ſubtilis, hunc multiplica altera vice, tum, 100. partes ſingulæ rurſum centum reddent hoc eſt 10000. repete ut ante: Mercurium impone cum tigillo in fornacem anemiam accenſam, incaleſcente & fumante illo, partis modo multiplicatæ, unam, injice & commiſce, fiet denuo pulvis ſubtilis. Tertio centum partes mercurii calefac, quib. de altero multiplicato partem injice unam & commiſce, fiet argentum inde probum. Si in opere forte commiſſus eſſet error, tincturæ eo plus ſumendum ſin minus & ad unguem ſit perfectum, exaltatumque, eo etiam minus requiritur. Argentum ſi nimis eſſet ſpiſſum durumque, mercurii plus ſumendum. Et hæc eſt tinctura alba.

Additio D. Libavii.

Hæc ſi ſeſe eo modo ut autor ſcribit, habuerint, theſaurus eſſet immenſus, quod ipſe facile exiſtimabis, ex 52. lotonibus initio ſumptis & ſecundo ac tertio repetitis, atque repetitione auctis.

Et quamvis minimum quis perficeret, poſito tamen quod aliquis tincturam ad multiplicationem uſque produxerit, cujus haberet tantum lotonem unum vel ℥.ß. unica hæc ſemunica, præberet lotones 100. in prima multiplicatione: rurſum ℥.ß. ſola vel loto unus, alios centum, jam in argento foret lotonum. 1000000. Verum non arbitror rem tam facilem eſſe. Veteres meminerunt etiam alterius cujuſdam artificii in projectione, de quo illos adire & conſulere potes.

Optimè autem admonet autor, ut bene attendas, quantum tinctura tua poſſit. Credibile eſt facili negotio erratum aliquod poſſe committi, neque etiam artifices æque omnes petiti ſunt experti, unde ut ſupra meminimus Geber ait, cum alicui vellent argentum conficere, ortum illis fuiſſe plumbum aut ſtannum, ubi aurum peterent, natum æs vel cuprum vel ferrum, & hoc etiam hic contingere poſſet, maxime cum inveniatur in natura etiam argentum purum differens bonitate, cur igitur illud eſſent non contingeret in arte. An autem ſufficiat ut argento ſpiſſo ac duro mercurii plus addatur ad nimis molle plus tincturæ, experientia docebit. Exiſtimo fieri poſſe ut etiam prorſus non ſuccedat, ſi elyxir ſuam debitam perfectionem & qualitates non acquiſiviſſet. Signa vero perfectionis etiam apud alios reperiuntur. Artifices primum experimentum capiunt ex probatione parvæ quantitatis, antequam ſuſcipiant majorem quantitatem, perinde fuſores argenti & excoctores ſolent qui cuprum perficiunt.

CAP. XIX.

De Tinctura rubra.

SUlphuris albi reſervati vel elyxitis tantum, quantum tibi videtur congruum, fluat cum pari portione auri puri, vel fermenti rubri. Elyxir his affunde atque bene commiſce, tum in unum redigetur elyxir, fac ut aliquot diebus bene uratur, tunc adjunge illi tres partes

Mercurii,

Mercurii, bene commisce, atque etiam in unum redigantur omnia, sed hoc faciendum absque igne elementari, quo aliquot diebus invicem humectentur & denigrentur: Tandem ad ignem transferantur, subinde augendo calorem, ut niger ille color evanescat, tum varii occurrent colores, & corpus egregie dealbabitur. Ignem elementarem porro urge, luteum acquiret colorem & in igni magno rubrum tandem instar pulchri Rubini. Hunc terminum si divina & peculiari gratia patientique diligentia adeptus fueris, summum in hac miseriarum valle thesaurum possides. Quo cum procede ut cum Elixire albo, unam semper partem adjiciendo 100. partibus Mercurii, una pars tingere debebit 1209984. partes. DEO gloria.

Additio D. Libavii.

Hoc capite describitur fermentatio ad rubeum, multiplicatio & transmutatio, sed omnia breviter, quia ex præcedentibus percipiuntur: Iam quartum accedit elementum, sua ignea rubedine fermentum est aurum purum, quod funditur fornace anemia, vel ante follem, adjicitur tantum elyxiris, miscetur, uritur probe, jam, enim non amplius ex igne evolare potest, deinde conteritur cum tribus partibus Mercurii purgati, putrefit in cinere sine igne elementari quod brevi fit, hinc oritur eclipsis solis. Solutione transacta separatur, nigra terra in ignem collocatur, qui esse potest aliquanto validior quam initio, qua exsiccata, offertur hauriendo aqua propria quæ ab illa abstracta fuerat, sicque Draco volans, qui in fundo vitri dorso incumbit. suam ipsius devorat causam quod ipsum etiam ordine fit, ut supra, juxta successionem elementorum in destillatione, per gradus ignis. Aqua omni absumpta & coagulata, incipit albescere, ubi rursus apparent colores elegantissimi, atque demum alba redditur, auro albo comparanda, altiori gradu quam argentum commune.

Deberet etiam tingere argentum, sed igni detinetur, tertiusque gradus inuritur, donec flavescat, & tandem quartus h. e. igne aperto vase valido, usque dum summam intensamque rubedinem acquirat. Et hoc verum creditur universale in omnibus morbis, qui fataliter curabiles fuerint & eo usque etiam sese extendit consideratio medica.

Aurum verò confecturus id multiplicat, projicit unam partem in 100. partes Mercurii ferventis, ex quo fiunt partes 100. medicinæ: harum rursus pars una ad centum, fiunt ex toto partes 10000. Iam si hujus pars una Mercurii transmutaret 1209989. partes in aurum, illæque saltem existerent drachmæ, orirentur quinteræ, 120998440000. auri puri, quod experientiæ relinquo, posset & occultus inesse sensus, simulque comprehendi augmentatio. Vere esset immensus thesaurus hujus vitæ si nimirum beatitudo in divitiis, & sanitate consisteret, sequerentque verum, ut hujus beneficio ad ætatem Patriarcharum quis accedere posset ut Paracelsitæ somniant. Metuo tamen, ut quis etiam ad has divitias & sanitatem perveniens quiete degat, posset autem alicui res suspecta fieri ex dictis Bernhardi qui dicit, se lapidem in sua ætate, quater confecisse certe multum illum insumpsisse opportuit in morbis & liberalitate, vel parum una vice confecit, vel augmentationem ignoravit. Opinor illud solum de fermentatione esse intelligendum non de principio usque ad finem. Quidam philosophi etiam hic mentionem faciunt, signorum perfectionis, & ut errata sint emendanda, item quale remedium ad projectionem requiratur. Aiunt enim non tingere nisi prius tinctum sit qui multiplicationem non per Mercurium, sed per calcem argenti faciunt, in tinctura alba, per calcem verò auri, in tincturu rubra: mentionem etiam faciunt mille partium additionis, ita ut si quis 3j. haberet pulveris rubri, ad transmutationem non posset adhibere, nisi haberet drachmas auri puri 1000. Debent autem transmutari (ut & autor statuit) metalla imperfecta & mercurius, illa à Gebro peculiariter præparantur. Quidam solum deputant; & amalgama faciunt cum hydrargyro, supra quæ faciunt projectionem. Sunt qui præteudant Mercurium solum, non posse facile transmutari, sed illi adjungendum esse ferrum; fieret enim nimis mollis & inhabilis. Alii signum credunt medicinæ imperfectæ alias pharmacopola Tarvisinus & Paracelsus, etiam Mercurium per se in optimum aurum transmutasse perhibentur. Sed de his hoc loco ulterius disputare meum non est.

CAP. XX.

Augmentatio utriusque Tincturæ perpetuæ.

CApe pulveris postremi, bis cum 100. partibus Mercurii multiplicati, de albo vel de rubro quantum lubet, superinfunde Mercurium, ut humiditas exsuperet, & sine omni igne solvat, & nigredinem exhibeat, hanc nigredinem collige ut supra, & proprium ebibendum propina liquorem, coagula igne elementari & calcina: tum adde illi fermentum, argentum aut aurum, ut prius, bene urantur.

Huic Mercurium tertia ponderis parte associa, paululumque citra ignem maneant, commisce probe omnia, sic erunt omnia unius naturæ, hocque iterum valde probe calcinetur, ut prius dictum factumque, sicque unum erit elyxir. Hoc multiplica rursum cum 100. partibus Mercurii, idque ter repete ut prius, sic rursum habebis aurum & argentum. Hancque repetitionem singulis quibusque diebus 50. absolves, ut sic sit opus perpetuum Deo gloria.

Additio D. Libavii.

Hic nihil aliud habetur nisi repetitio, incipiendo à secunda operatione, & progrediendo ad tincturam usq; seu transmutationem, nisi quod hoc loco elyxir multiplicatum, pro calce alba sumatur. Quod autem facilius procedat opus, credibile est, magna enim est vis tincturæ, & ignis internus potens. Mirum tamen est creditu, quod tam cito solvatur, nihilominus ea vi prædictum, ut 100. partes Mercurii, in aurum vel argentum mutare queat, ut taceam tres partes, tantum cum quibus solvitur. Invenio autem hujus rei hanc rationem, quod nimirum Mercurio magna familiaritate est conjunctum, ab eoq; facillime solvi possit, neque eam habet fixitatem, quam aurum. Deinde non traditur in actum ab igne externo, ideo plus patiendum illi est quam agendum, dum vero igne excalefit, transmutat & coagulat Mercurium suum statim, pro ut illi ab artifice gradus imprimitur. Nota ex augmentatione, posse hic Mercurium crudum per acetum & salem lotum, habere locum, quod initio fieri non potuit, corpora enim nimis erant concluſa, hic vero omnia sunt spiritualia. Et ex hoc ipso conclude Mercurium philosophorum, ex vulgari extrahendum esse, alias foret res peregrina, si ultimo assumendum esset hydrargyrum, & initio aliquid diversum fuisset assumptum: Nihil heterogenii & peregrini debet accedere. Libenter etiam hinc concluderem in errore versari illos, qui credunt ab initio operis neq; aurum naturale requiri neq; auri tincturam, sulphur aut mercurium: subtilis est inventio quæ auri vim, secundum naturam, in Mercurium infundere

poſſit. Tu ut commodius videatur, ad finem properare poteris DEUM precor ut ad ipſius nominis gloriam & utilitatem Chriſtianorum faciat.

CAP. XXI.

Vſus ad Medicinam.

DVo elyxiria album & rubrum, antequam cum Mercurio à centum ad centum uſque multiplicentur, propellunt vel ſanant omnes morbos [vide Arnold. de Villa nova) ſi incurabilis morbus per annum integrum afflixiſſet tum granulum unum, quantitate ſeminis ſinapi, quotidie aſſumptum, 12. dierum ſpacio percutat, ſi vero ulcus eſſet inveteratum, menſtruo ſpacio, ſingulis ſeptem diebus, aſſumpto uno grano, magnitudine unius grani ſynapi curaretur. In ſumma omnes membrorum ſanat contractiones, & paralyſes, lepram, hydropem, podagram, colicam, epilepſiam, &c. Hermes inquit ſi noſtri elixiris aſſumpſeris quantitatem ſeminis ſinapi, ſeptem continuis diebus, tunc cani tui decident & nigri in ſuccreſcent in locum illorum, ut robuſtus, & juvenilis evadas, atque DEI & artis hujus auxilio vitam produces. Ingenii vis ita confirmabitur ut dici non poſſit. Geber & Hermes teſtantur, ſi puerperæ exiguum quid hujus pulveris ad nares admoveatur, tum quam primum parituram ſine difficultate. Omnia etiam venena conſumit, omnes corporis effectus tollit, eſtque medicamentum ſuper omnia ſummum myſterium à natura occultatum. Hactenus autor.

Additio D. Libavii.

Finis hujus tractatiunculæ tutiſſima & præſtantiſſima pars eſt, cujus gratia etiam ars adipiſci poſſet, ſicque ſtatuo, eo uſque DEI benignitate progredi nos poſſe ut ex tribus præcipuis mineralibus, in ſuam primam materiam & aſtra redactis, tam præſtantem medicinam, paremus quam non ex ulla re alia metallica, utcunq; ſefe tranſmutatio habeat. Quod autem neceſſario maximis viribus præditam eſſe oporteat, id ex natura & experientia trium facile concludes, maximè cum per ignem internum & externum tam ſint exaltata, ut tuto etiam in uſum venire poſſint, prudentia & peritia accedente id ex eodem fundamento exploratum eſt. Quid Mercurius præſter, & adminiſtretur, ſatis notum eſt: ipſe in ſuæ ſubſtantiæ puritate venenum non eſt, ſed ſi cum aliis mineralib. minoribus componatur. Et licet ob ſuam cruditatem, aquoſitatem & frigiditatem nocere poſſit, iſta tamen omnia illi per præparationem & exaltationem auferuntur. Expertum denique eſt argento vivo vulgari leproſo & noxio per aurum & ſulphur auri, maxime poſſe reſiſti. De auro & auro argento verba facere non eſt neceſſe. Si igitur componentia per ſe ſola ad Medicinam commodiſſime faciant illa non potuerunt excludi conjuncta purificata & exaltata, ſi modo perite tractentur. Deinde in ſpecie de his dicendo, quæritur ad quos morbos talis medicina ſit utilis. Iſti artifices profitentur ad omnes, quod durum eſt, maximè ſi addant vocem incurabilium. Quomodo Paracelſici diſcipuli de hac re declamitrent, notum tibi fuerit, Veriores philoſophi, imitantur Galenica dogmata, paſſioneſque dividun in eſſentiales & ſympto maticas [aliter etiam ſic dividunt, in affectiones ſeu affectus, in eſſentiam morbi cauſas & ſymptomata] hæc vero medicina cum ſpecificum ſit potiſſimum morbum ſpecificum, hoc eſt, eſſentiam morbi reſpiciet: qui morbus cum ſit ſuorum ſymptomatum cauſa (nullo alio interveniente) ſimul etiam ſecum auferet ſymptomata eſſentiam morbi comitantia vel ſequentia, quatenus adhuc ab eo dependent. Quantum autem ad cauſas morbificas; & ad humores, aliaque in corpore ſuperflua: ea quatenus ſpiritualia fuerint, eatenus à tali quoque medicina poſſunt ſuperari, ſi tamen rectè adminiſtretur: ſic ut aliquando fiat curatio per ſe, aliquando per accidens, ut Galenicis etiam notum eſt, quod hoc pacto unica Medicina poſſit etiam contrariis ſatisfacere. Alvi feces, aliæque impuritates craſſæ, vel per roboratam naturam expelluntur, vel ad id extant purgantia. Ita quod Chirurgiæ commiſſum eſt in vulnerum curatione, in ablatione putridorum &c. illi etiam relinquendum. Et hæc brevis eſt opinio non Paracelſitarum, ſed veterum, quæ Hippocraticæ medicinæ nil derogat. Quod vero de univerſali dicitur id hoc modo accipiendum, non quod etiam morbos fataliter in mortem tendentes curare poſſit, hoc enim decreto divino antiquiori adverſaretur, ſed illos tantum qui a Deo ad curationem ſunt prædeſtinati. Item eſt hyperbola & argumentum à majori ad minus conjunctum atque, etiam ſic intelligendum, ut veteres Hippocratici Galenici ac Arabes medici Paracas & generalia medicamēta habēt.

Vox etiam univerſalis, non in eum ſenſum detorquenda eſt, ut mercator Panaceatius. de ſuo pulvere & terra ſigillata ſcribi, quaſi iſta tinctura, una & ſola, omnia præſtare poſſit, quæ in morborum depulſionibus requiruntur

Verum aliis etiam relinquendum, quod illorum eſt: neque præparantia & adjuvantia, bona diæta, chirurgica auxilia, ut ſcarificationes, & venæ ſectiones &c ſi neceſſaria fuerint, negligenda. Quomodo vero incurabiles curabit affectus? hoc non Paracelſico more interpretandum, ſed quod aliis remediis cedunt non eſt, curabile tamen eſt, ſi æger & externa conſentiant, potiſſimum verò ſi Deo ita videatur, ut æger evadat (ſunt enim quidam morbi pœnæ Divinæ, quibus nullum remedium humanum ſaluti eſt, ut Medicus quidam ad Antiochum dixiſſe fertur, ipſe etiam vult Hipp. in morbis concurrere aliquid Divini, cujus gratia nulla alia auxilia quam placationes numinis Divini requiruntur, (qua in re ſtatim initio morbi æger occupatus eſſe debet) tum perſanat ulcera, & affectus, qui vegetabilibus & animalibus remediis nequaquam vincerentur, ut podagram, quartanam, hydropem. Elephantiaſin, hemiplegiam epilepſiam &c Obſervandum & hoc quoque eſt talem Medicinam quandoque eſſentiam morborum extirpaſſe, remanentibus tamen ſymptomatis immedicabilibus, quæ poſtmodum morbi per ſe fiunt, ut ſi Epilepſia cum convulſionibus, vel ſpalmo aliquid abrupiſſet, vel diſtorſiſſet, quod poſtmodum reſtitui amplius non poſſet perinde ac ſi aliqui dens fuiſſet excuſſus, vel gangrena pars aliqua ablata eſſet: ibi quidem curabile eſſet quod Epilepſiam &c. attinet, deperditum verò nequaquam ſemper reſtitueretur. Deinde maxima opus eſt providentia ad talia medicamenta ſpiritualia, non enim tam ſunt rationalia ut Paracelſici credunt, ſed agunt merè naturaliter, per ſe, ubi enim multum fuerit materiæ peccantis, ibi multum quoque reſolvitur, atque una ſpirituale redditur ut Mercurius, hujus vi facile evenire poteſt, nimium negligentia & imperitia, ut aliquod apoſtema transferatur in locum, ubi ſuffocationem inferat: exhibita medicina Epileptico pleno, Epilepſiam augere poteſt, ut Paracelſo accidit. Nobiles & igneæ medicinæ requirunt unum prudentem. Sophiſticum eſt in fatalibus terminum accelerare, vel in aliis cito ſuccurrere ſive plenus ſive vacuus venter ægri fuerit. Fieri quidem poteſt, ut Deus prædeſtinarit & determinarit, aliquem medi-

camentis vehementioribus & pernicioſis ad mortem urgeri, ſed id non excuſat illum, qui medicamentum tale exhibuit, vel etiam qui temere aſſumpſit, iſta enim non ſine judicio fuiſſent ſuſcipienda. Ferunt etiam illum qui hac medicina epota moriatur, colorem naturalem non amittere, neque cito poſſe computreſcere, ut in quibuſdam cernitur, balſamo conditis cadaveribus: his non adverſor. Si enim balſamus eſt tam præſtans, qui naturæ ſuccurrat, qui ſpiritus, humidum radicale & calorem roboret, nullamque putredinem admittat; ipſis credendum eſt, ſed ita, ſi æger aliquid adhuc ſubſtantiarum talium ſecum habuerit, & forte repente ſuffocatus interierit, ut in peſte, ſtrangulatione uteri, catarrho ſuffocativo, Apoplexia &c. cum medicamentum nullam humiditatem naturalem aut calorem nativum efficere poſſit. Alicubi quidam Paracelſiſta eſſe dicitur, qui in commendatione ſuorum arcanorum Chymicorum perhibeat, Paracelſum non eſſe mortuum, ſed Salisburgi in ſepulchro vivum ſedere tanquam in ſomno, quaſi conniveret, idque vi arcanorvm, quæ de lapide & aliis ſæpe aſſumpſit. Citius ego crediderim ſenem illum Ahasuerum Judæum, adhuc in terris ambulare inde à Chriſti nativitate, quam hoc ipſum, quamvis Judæo nullum ſit teſtimonium probabile, ipſa etiam ſcriptura hac de re ſibi adverſante. (Iudæus perhibetur non amplius potuiſſe Hieroſolymam pervenire, nihilominus poſt aliquoties centum annos ipſum Hieroſolymam reperiſſe devaſtatam, ut non amplius agnoverit.

Item omnem ipſum potuiſſe factorum in Oriente hiſtoriam referre, qui tamen poſt aliquot centenos annos in regionem redierit, quam non agnovit. Potuiſſe etiam ipſum recenſere ubi Apoſtoli ſinguli vixerint, quomodo martyrio affecti &c. alius ipſum appellat Buttadæum, alius aliter) Talium apertiſſimorum mendaciorum, quoſdam Paracelſicos non pudet, qui nihilominus in magna ſunt apud Magnates autoritate. Verum veteribus non plus eſt tribuendum, quam illi voluerint.

Arnoldus de Villa nova, etſi tincturam magni fecerit, tantum tamen non attribuit quantum Paracelſitæ, ille ipſe Galenicus fuit Medicus, cujus volumina Medica exſtant. Teſtimonium illi prohibetur quod aurum tale confecerit, quod omnes probationes ſuſtinuerit. Quæ vero in morbis miracula ediderit non elucet: quæ dixit & ſcripſit, non omnia ſuæ experientiæ addixit, ſed veteribus etiam aliquid reliquit. Jam multis annis, multorum medicorum curationibus, in multis & variis morbis, quamplurima eveniunt.

Quod ſi ſolum de Rhabarbaro diligens haberetur inquiſitio, mira recenſerentur in variis morbis. Sæpe medicamentum aliquod hunc curat, quod non curat illum, in eodem licet morbo, qui tamen morbus curatur, ſed diverſis mediis. Ego non patiar mihi facile perſuaderi, tincturam omnes hydropes, in omni individuo, etiam curabiles auferre. Sed hoc experimentis cognoſcendum. Poſteri ſæpe proavorum inventis multa addunt, ſimileſque ſunt mercatoribus, qui dum egregiam, gemmulam aliquam vel herbulam in Indiâ reperiunt, quæ noſtris terris denegata eſt, eam (ut peculiare quid præ aliis habere credantur) extollunt: ubi ſæpe opinio ſeu imaginatio quædam atque fiducia tam firmiter ſeſe aſſociat, ut initio prorſus miraculoſe operari putetur, antequam innoteſcat: ubi vero jam innotuerit, perinde ut Panacea Ambaldina peſſum it, ſic nemo ut vellet clauda conducere muſca.

Addit etiam autor noſter, quamvis non de ſuis experimentis, ſed ex aliis, morbum annuum, tincturæ beneficio curari intra dies 12. ita ut dies quilibet menſem coæquet. An hoc ab experientia ſit deſumptum, an à proportione confectionis lapidis, & virtutis illius exaltatæ, non facile quis aſſeveraverit.

Ego ſupputationem factam à tempore Elyxiris ſuſpicor quæ novem menſes fere requirit, ut in utero fœtus (quamvis aliqui tam velint videri ſapientes, ut credant citius poſſe etiam fieri & tardius: pro ingenio artificis) ſed exaltatio per multiplicationem & augmentationem, recedit ad 6. ſeptimanas, 4. ſeptimanas, tres vel 4. dies &c. pro ut ſæpius exaltatur, & ita anni in menſes, menſes in dies mutantur.

Tantum de Arte Hermetica. Largiatur Deus ut illam adipiſcamur, & ea recte utamur.

DEO GLORIA.

FINIS.

SUBSECTIO VI.

Nicolai Barnaudi, à Criſta Arnaudi Delphinatis, Philoſophi, & Medici, *In Ænigmaticum quoddam Epitaphium Bononiæ Studiorum, ante multa Secula marmoreo Lapidi inſculptum, cujus verba proxime* Commentariolum, *ſequuntur.*

D. M.

AELIA LÆLIA CRISPIS, NEC VIR, NEC MULIER, NEC ANDROGYNA, NEC PUELLA, NEC JUVENIS, NEC ANUS, NEC MERETRIX, NEC PUDICA.

SED OMNIA.

SUBLATA NEQUE FAME, NEC FERRO, NEQUE VENENO:

SED OMNIBUS.

NEC COELO, NEC AQUIS, NEC TERRIS.

SED UBIQUE JACET.

LUCIUS, AGATHO, PRISCIUS, NEC MARITUS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIUS, NEQUE MOERENS NEQUE GAUDENS, NEQUE FLENS, HANC NEQUE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPULCRUM.

SED OMNIA
SCIT, ET NESCIT QUID CUI POSUERIT.
HOC EST SEPULCRUM, INTUS CADAVER NON HABENS;
HOC EST CADAVER, SEPULCRUM EXTRA NON HABENS;
SED CADAVER IDEM EST ET SEPULCRUM SIBI.

Commentariolum.

A Quo tempore in hoc Epitaphium, cum permultis aliis excuſum, incidi, cum ultro rogaſſem, num vir aliquis, œdipeo ſpiritu imbutus, hoc ſibi ſumpſiſſet elucidandum myſterium, intellexi, non ſine magna animi mei lætitia, præclara quædam noſtræ tempeſtatis ingenia, ſedulam non dubitaſſe navare operam in enodando eo, quod ſub fictis iſtius epitaphii verbis latet, arcano: Nec defuiſſe qui quod ſub ipſis, in genere (ut ita loquar) tegitur, aſſecuti fuerint, at cum unumquodque verbum ſumpſiſſent ſibi interpretandum, præcipua intacta relinquentes, reliqua adeo perfunctorie examinarunt, ut, aut eos aliud animo habuiſſe, quam quod præ ſe ferebant præſtarent: aut eos ignoraſſe quod ſe facturos receperant, dicere neminem qui eorum ſcripta legerit, pudeat: Nec defuerunt alii, qui, ut audio. Animam hominis, alii nubium aquam, alii, ut intellexi à viro de literis bene merito, Eunuchum quendam, alii alia varia hoc epitaphio tractari phantaſmata, ſuis ſcriptis contenderunt. Hæc ego cum intellexiſſem, eorum miſertus, qui abditioris philoſophiæ in caſtris militant, operæ pretium facturum me exiſtimavi, ſi triſmegiſticum hoc epitaphium eis aperire conarer. Itaque lubens hanc in me ſuſcepi provinciam, veſtrum eſt utramque mihi nunc præbere aurem, Chemiologi benevoli: paucis enim, quæ multis manuſcriptis libris, quæque multa & indefeſſa triginta, & plus annorum nactus ſum experientia, docere vos propero, ſi tamen prius monuero, (eos alloquor, qui de rerum omnium, ſub orbe lunari exiſtentium, præcipue verò de metallorum metamorphoſi minime ambigunt) me, ſi Bononiæ eſſem, auctorem futurum Magiſtratui, ab Epiſcopo Romano Bononiæ præfecto, ut totum illud marmoreum ſepulchrum, ejuſque baſin, & ambitum ita luſtraret, ut ne ejus quidem pars minima intacta, ut ita dicam, remaneret, ne, ſi forte quid reconditum in ſinu ſuo olim fuit, quod omnia redoleat, ſepultum diutius jaceat: etenim cum hic OMNIA lego, in mentem venit vere antiqui Romani, & longe pii, Morieni philoſophi hiſtoria, hic cum Regi Kalidio ſophorum medicinam, pro ſua bonitate, paraſſet, clanculum à rege illo diſcedens, vas in quo medicinam illam reliquerat hoc depinxit elogio: QUI OMNIA SECUM habet, nulla re indiget: hoc Rex ille, paulò poſt Morieni diſceſſum, cum animadvertiſſet, quod maxime quæritabat nactus eſt, OMNIA videlicet, quæ à viro philoſopho quæruntur, LAPIDEM nempe quem philoſophorum nominant: itaque non abs re eſſet, ſi totus ille ſepulchri locus, ab auri ſacra fame pereuntibus miniſtris luſtraretur. Solent enim tales theſauri quandoque confodi, & clanculum aſſervari, quod vix reperiatur, qui eis dignus ſit: unde fit, ut theſauro confoſſo, negotium DEO donatori committant, ut accidiſſe memini paulò antequam Cracovia Pragam reditem, ubi à Clariſſimo, ſimul & Doctiſſimo Viro, Nobili Thaddeo Hagecio, Medicinæ Doctore, mathematico celebertimo, hoſpitio per ſeſquiannum exceptus ab Illuſtriſſimo, æterna memoria digno, Domino GUILIELMO URSINO à Roſis, Regni Bohemiæ tum temporis protege ad ſuam valetudinem tuendam in medicum aſcitus, bono fato, in vitum Belgam Medicinæ Doctorem, cui nomen eſt Anſelmus à Boodt, incidi, cum quo non parva interceſſit mihi familiaritas, cujus & amicitia etiam lætor, & utor; hic bonus, cum parentis ſui demortui librorum ſuppellectilem non exiguam, è Belgio Pragam advehi curaſſet, incidit in libellum, à me tandem viſum, in pelle arietina conſcriptum, cui titulus erat Cymbalum aureum, hunc cum membrana obtegere cogitaret (erant enim quibus obtegebatur aſſeres contracti) exempta à Doctore aſſeris particula fracta, apparuit incogitanti vacuus quidam & concavus in medio locus, pergameno obductus, in quo & chartula quædam obvoluta, in qua lapidis philoſophorum proceſſus ænigmatice (neque enim vel unum reperias, qui aperto ſermone rem deſcribat) conſcriptus erat, ſimul & rubentis pulviſculi particula grani pondere, recondita. Ad hæc D. Anſelmus, metallicæ philoſophiæ oſor tum temporis acerrimus, hoc ſpectaculo permotus, cum periculum, ut ſcripto illo jubebatur ſupra Mercurium feciſſet, pulviſculi partem mediam ad ignem in ipſum conjiciens, vidiſſetque Mercurium in ſolem nativo non diſſimilem, evaſiſſe, exarſit primum, obſtupuit tandem, & ſi mavis, vox ejus faucibus hæſit, (audita ore ejus refero) inſuper aurifabrum quendam, hujus artis ſciolum, ſibi notum convenit, urque eum deſtillandi artem doceat, rogat, viciſſimque pollicetur, id facere ſi velit aurifer, ſeſe ei oſtenſurum tranſmutationis Mercurii in ſolem verum ſpecimen, (aſſervarat enim Doctor Anſelmus rubei illius pulveris grani ſemiſſem) cumque inter eos conveniſſet, ſemiſſem illum reſiduum medium diviſit, ipſiuſque partem aurifabro tradidit, qui cum periculum feciſſet, eum ſcilicet in Mercurium ad ignem, lege artis, projiciens, videretque Mercurium in ſolem verſum, ratus ſe à Doctore, quem aurum in tigillum clam impoſuiſſe falſo credebat, deluſum fuiſſe, apud doctorem ipſum coram conqueritur: hic, inquam, bonus, ne quid apud aurifabrum hæreret ſcrupuli, reliquum pulveris, imprudens, aurifabro tradidit, ſeque in alium recepit locum, interea dum in novum Mercurium projectionem denuo faceret aurifaber: qui cum vidiſſet, projectione hac facta, & hunc Mercurium in ſolem purum verſum, procidit in faciem, Deo gratias agens, & à Doctore veniam exorans: quem etiam tandem ſpagiricam quam callebat docuit autem: Doctor vero, tentato poſtea ad litteram (quæ occidit) proceſſu, & aliis permultis, cum Paulo Grimmillero, Cæſareæ Majeſtatis mineratum in Bohemia ſupremo examinatore, fruſtra expertis, abjecto clypeo, & omni chemica ſpe, animum alio addixit ſuum, mihique tandem illum ipſum proceſſum à Fernelii proceſſu, in ſuo de abditis rerum cauſis libro, paucis exceptis, non diſſimilem tradidit; quem ego, Deo bene favente, ſubnectam in philoſophorum gratiam, inque lucem emittam, una cum aliquot aliis, huc illuc comparatis, mihique chariſſimis chemicis proceſſibus: ut ſciant filii artis, me, procul omni invidia, quod perpaucis evenit, artem hanc abſtruſiſſimam tractare, variiſque tanquam tabellis ob oculos ponere velle: quo, ſi quando evenerit, ut quis horum meditatione, addita noſtra epitaphii interpretatione, & aſſidua contemplatione, & operatione, voti compos tandem fiat. DEO Opt. Max patri luminum, à quo omne bonum, cui etiam totum id quod ſperamus, acceptum ferendum eſt, Deo inquam Regi ſeculorum immortali, inviſibili gratias agat, eique toto vitæ curriculo ſerviat, pauperum non immemor: ſed ad rem.

Epitaphium hoc noſtrum à LUCIO PRISCIO Ælix, Lælix poſitum, etſi longe diverſum à Chemicorum

micorum mente censeri posset, præcipuè si quis literam observet, nihil tamen aliud meo judicio, præ se fert, quam arcanum illud Smaragdinum Hermetis Trismegisti, chemicorum omnium principis, quod à variis philosophis ubique sparsis, unum tamen consentientibus varie, at semper verè, filiis sapientiæ traditum, & commendatum fuit; at quia par est de personis primum, postea vero de rebus inquirere & loqui, videamus quæso, quisnam hujus monumenti auctor fuerit, quæri enim, non abs re, posset à viro chemiæ cupido, quis hic LUCIUS AGATHO PRISCIVS fuerit, cùm quod inter historicos, quod sciam, nulla hujus extet memoria, tum quod cæteri chemici inter eorum auctores, quorum alioqui nomina diligenter asservant, hujus mentionem vel minimam nusquam faciant. Ad me quod attinet, etsi maxime omnes lustremus historias, non tamen quis, aut qualis fuerit, posse nos scire cogito, ita enim mihi persuadeo conficta omnino hæc nomina, & à viro probo, cum inter priscos, prisca illa & perennis artis nostræ veritas illuxerat, usurpata fuisse; hic autem cum nollet proprio aut familiæ nomine innotescere [periculosa enim sui similib. semper fuere tempora; & ut vulgo fertur, deprædari cupit, qui thesaurum publice gestat] his, at non perperam factis nominibus, sibi ipsis impositis, posteros docere voluit eum qui sacra hæc arcana tractare velit, LVCIVM, id est subtilissimi, lucidissimi, & perspicacissimi ingenii virum esse oportere in rimandis omnium mineralium, semi mineralium & metallorum naturis eorumq; familiis expiscandis, præterea non solum LVCIVM, sed & humanum prisca illa bonitate præditum, & uno verbo dicam pium, & verè probum, ut verbum AGATHO innuit, Deique timentem virum esse debere, qui nec

„ *peccare, nec lætatur irrisoribus*
„ *se pessimis adjungere:*
„ *Sed mente pura diligit leges Dei*
„ *illasque semper cogitat,*
„ *seu nox sopore amabili, seu lumine*
„ *sol candido terram irrigat.*

Neque enim in malevolam animam intrabit sapientia, ni forte, ut quandoque solet accidere, iratus Deus, ingratis, & immorigeris concedat, quod rogatus, piis alioquin viris denegavit, Illos autem, si quando contingat tale Dei donum assequi, gladium denudatum manibus furiosi gestatum, in ipsorum præcipuè pernitiem comparatum, dixeris; neque tamen [ut cum Thoma Aquinate loquar] negaverim solere scientiam hanc virum qui eam possidet, sanctum reddere & ex profligatissimo, prudentissimum, quique cum alio dicat valedicto mundo.

„ *Inveni portum, spes, & fortuna valete;*
„ *Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.*

Fuit ergo hic noster auctor, qui monumentum hoc posuit, AGATHO, id est, probus fuit & LVCIVS, id est, luce naturæ, & divina ornatus, & PRISCIVS, id est, seculo illo aureo, non hoc nostro corruptissimo natus, hic ergo secutus Platonem in epistola ad Dionysium, scribendum hac de re per ambages, & ænigmata censuit, ne si forte jactari scriptum contigerit, qui legit, non intelligat. Itaque philosophorum dicta intelligere qui voluerit, Deo se totum tradat oportet, & ad naturæ possibilitatem, non ad sonum verborum intueatur, illi enim hanc sacram, & abditam attem, sub similitudinibus, fabulis, & verbis obscuris tractaverunt, & data opera occultarunt, ne impiis & indignis patefieret. Nunc videamus quænam fuerit, hæc nostra heroina, cui positum est monumentum, quod enim in ipso frontispicio D.M. hoc est, Diis Manibus, priscorum more; ejus posita fuit memoria à LVCIO nostro factitatum est, ut, & aliquando viventem, & emortuam heroinam hanc fuisse doceret, quam tamen postea meliore vita, & immortalitate donatam, ut videbimus, affirmat, quo lucem, & vitam consanguineis suis, Mercurio nempe, & impuris metallis nobilique homuncionibus, in valetudinis nostræ negocio, auxilium impertiri posset. Ad præcipua nunc, & succi plena verba interpretanda nos accingamus, fuit ergo, & est hæc nostra D.va.

ÆLIA.

Solaris, dubio procul, ut nomen indicat, sive solis filia, imo substantia, Essentia, radius, virtus, & illa quidem invisibilis solis nostri, ne quis eam à sole vulgi natam perpetuam cogiret; neque tamen desunt, qui eam ex Urani, & Vestæ filio, Saturno, & Ope ejus Sorore, à qua cum plures Saturnus suscepisset liberos, eosque voravisset, & vestigio evomuisset, Jupiter servatus ejusque loco lapis Saturno præsentatus fuit, acsi eum peperisset Opis, ab ipsis inquam, eam natam esse cogitent; at, quicquid sit, ÆLIA, seu solaris est, neque tamen, [tanta est ejus amplitudo] astro illo, mundi oculo amicta incedit; sed & altero, minore luminari, Luna, quæ sub pedibus ejus est comitata, ideo etiam dicitur.

LÆLIA.

Quasi solis amica, & ut ego interpretor lunatis vis & essentia, non autem luna, sive argentum vulgare, neque enim antiquiores philosophi, sole, & luna vulgi, hoc in magisterio usi sunt; itaque virum philosophum non magnis egere sumptibus prædicarunt, & à paupere, æque ac divite suscipi, & perfici posse, [adsit modo Deus] hoc opus affirmarunt; quod procul à veritate abesset, si absque sole, & luna vulgi minime fieri posset, cum pretiosa sint, & pauperibus non ita pervia; licet non inficias eam posse hæc duo Astra ita subtiliari, & tincturis commisceri, ut etiam in minora redigi possint Elixiria, idque cum lucello non minimo, ut mihi auctor est Georgius Ripleus Anglus, in clavi portæ aureæ, & Helvetius ille Theophrastus in suo manuscripto testamento; quod ut liberius credam, facit magni cujusdam viri Angli, etiamnum superstitis auctoritas, quem ferunt solem vulgi, liquore ad id parato, in Mercurium vertisse & ex eo tandem, & terra solis, Tincturam paraſſe; cujus ego fructus aureos, cum apud Dn. Doct. Taddeum Hagetium, Pragæ agerem, centies vidi, & manibus gestavi, placentulam nempe, sive massulam ex auro puto puro, sex unciarum pondere, ab ipsomet D. Hagetio, è Mercurio vulgi, projectione grani unius pulveris, rubri monumento factam, ut ipse mihi sancte affirmavit, & cum ipso D. Simeon Hagetius ejus filius, Cæsaris aulicus, qui solus cum parente, projectioni interfuit: At linearis illa, & regia philosophorum via: in istis mea sententia haud sita est, eorum enim sol & luna in nostro composito existentia, viva sunt, & virentia, suntque duæ istæ præcipuè tincturæ, rubea & alba, ÆLIA, si mavis & LÆLIA, in uno & eodem subjecto sepultæ neque à natura, ad complementum, ut loquuntur, deductæ, per magisterium tamen nostrum eo deducendæ, separatione eorum facta à terrestri lutositate, & scoria substantiæ illius, in qua latent, quæ deinde, secundum propriam ipsorum naturam, puris tertiis rubræ & albæ ita cõmixtibiles fiunt, ut fermenti loco merito habeantur, nec alieno indigere dicantur, cum universum hoc, unum sit, eadem ortum imagine, partes in se suas coessentiales continens quod absurdum esset, si ad ejus compositionem aurum & argentum commune requireretur. Neque tamen nego philosophos optime aurum & argentum minerale,

cum rebus ſui generis radicalibus, & à natura minimè adhuc complementis, diſſolvere, ſicque ad hujus artis pervenire poſſe faſtigium, ſi credere Ripleo Anglo licet. Sed ſanè non uniuſcujuſque ingenii eſt hæc operatio, & inſuper, Principibus auro & argento abundantibus convenit, hæc autem quam tractamus via philoſophis magis placet, & quadrat, eſtque facilior multò: Ac dicet aliquis, ſi hæc via ita facilis eſt, ut dicis, cur à LUCIO vocatur tandem.

CHISPIS.

Id eſt obvoluta, intricata, criſpato capillitio ornata, hic ego ingenue fateri cogor me, per multos annos, circa materiæ noſtræ inveſtigationem, & ea forſitan cognita, circa ejus præparationem, verſatum fruſtra fuiſſe. Neque tamen non credo vel à mulieribus & pueris facillime, ut ita loquar, præſtari poſſe integrum noſtrum magiſterium, ſi ſemel ab ipſis intelligeretur, ſi inquam eſſet, qui eos doceret, quod unica horula, ut aiunt doceri poteſt; At quod nunc CRISPIS, involutaque dicatur materia noſtra, ſit, tum quod diris, & compedibus à ſua ſcoria detenta ſit, à qua liberari cupit à perito artifice: tum quod qui in arte ſunt nodi, hi ab ipſis philoſophis, qui ſe ipſos invidos vocant, artem celare ſtupentes profecti mihi videntur, ut, quod

NEC VIR, NEC MVLIER

eſt, hæc inquam, & ſimilia, iis qui literæ adhærent potius quam ſpiritui, implicitam, cognituque arduam, & perdifficilem reddunt materiam, cum enim videant, ſubjectum hoc noſtrum, ab aliis Adamum, id eſt rufum hominem, qui uxorem ſuam Evam, quam candidam faciunt, in ſinu ſuo geſtat vocari, unde hi etiam prodiere verſus:

Candida ſi rubro mulier ſit nupta marito,
Mox complectuntur &c.

& ſimilia multa, cum audiant, quæ brevitatis cauſa à me prætermittuntur, hic verò legant, nec Virum nec Mulierem eum eſſe, fidant, miſeri neſciunt; at quibus philoſophorum mens perſpecta eſt, non patiuntur ſe adduci, ut credant, animale quid noſtrum ingredi magiſterium, niſi fortè metaphorice, & ea quæ cuncta creata, ſimilitudine ſibi agnata, quodammodo inter ſeſe convenire dicuntur. Itaque cum virum, & mulierem ſubjectum noſtrum nominare audiunt, ab aliis ſervum rubeum, qui candidam amplectitur feminam, nihil aliud cogitant, quam Solem, & Lunam, ſive ut loquar, eorum ſpermata & influxus, in ſubjecto noſtro, ſimul cum mercurio exiſtentes. Cum verò, ut hic, nec Vir, nec Mulier dicitur eſſe, facile etſi ſciant corpus, Animam, & Spiritum huic ineſſe, adſtipulantur, prout &, cum

NEC ANDROGYNA,

eſſe dicitur, dubitari enim potuiſſet à ſciolo aliquo, Divam hanc ÆLIAM, etſi nec Vir, nec mulier fuerit; utrumque tamen, nempe utriuſque ſexus participem fuiſſe; At Probus monet, ut huic occurrat, nihil hujuſmodi fuiſſe, licet maris & feminæ ſemen in ſe habeat, imo

NEC PUELLA, NEC JUVENIS,

Sive formam, ſive ætatem ipſius ſpectes:

NEC ANVS.

Si temporis uſuram, ſive canitiem reſpicias.

NEC MERETRIX.

Si ejus vitæ rationem ad calculos revoces, quod nec-dum coierit, nec coire cogitaverit, etſi

NEC PVDICA

Sit, quod virum appetat, ſecumque ſulphur ſuum, (quod ei loco maſculi eſt) geſtet, licet incommixtum, quo nomine Rebis dicitur; ſequitur;

SED OMNIA.

Id eſt, ut ego interpretor, hæc noſtra ÆLIA, LÆLIA, CRISPIS, Vir, Mulier, Androgyna, Puella, Juvenis, Anus, Meretrix, & Pudica, eſt, fuit, & futura eſt diverſis tamen, ut dicitur de cauſis, idque vel teſtante omnium philoſophorum ſchola; cujus Loca, & Sententias adducere ſi vellem, annus vix ſufficeret. Itaque hanc Omnia eſſe, Omnia in ſe habere, quibus indiget, ad ſui perfectionem, Omnia de ipſa prædicari poſſe, & ipſam viciſſim de omnibus apud vos ipſos ſtatuatis velim, Chemiologi benevoli, unum enim eſt totum, ut ait maximus Chimes, ob quod ſunt omnia, & ſi totum, non haberet totum, nihil totum eſſet: Nunc reſtat videre, quo fato perierit hæc minerabilis heroina, etenim, ipſa eſt

SVBLATA, NEQVE FAME, NEC FERRO, NEQVE VENENO; SED OMNIBVS.

Idque, ut credere fas eſt, cernentibus auctoris oculis, decet enim virum, qui hæc myſteria tractat, perpetuo operi adeſſe, ne quid admittat. Itaque cum mors, janua vitæ dicatur, mori hanc Heroinam etiam oportuit, ad perpetranda miracula illa ſtupenda unius rei. Hic autem AGATHO monet eam neque Fame, neque Ferro, neque veneno, Sed Omnibus iis concurrentibus, ſcilicet, ſublatam, neciquè traditam fuiſſe, id eſt exiccatam, & in pulverem fixum, mortuo ſimilem redactam, bonoque veneno ſuo extinctam: Neque tamen fame, ut auctor ait periit, quod habuerit, quò ſeipſam aleret, potenſque fuerit nativum cibum, & potum ex ſui ipſius ſubſtantia, ab artifice adjuta, ſibi præbere. Et nihilominus fame & ſiti tandem preſſam, quod omnem ſuum variis comportationibus exhauſiſſet humorem, perire eam oportuit, ferroque interimi, ſi ferrum interpreteris (ut ego interpretandum cenſeo) pulverem illum ruberrimum croco ferri ſimilem, in quem tandem igne continuo converſa, mortuæ nomen adepta eſt; Tum veneno, id eſt, ſuo ipſius ſulphure puriſſimo, ſolari nempe quod in ipſa congenitum latebat, cujus vi fixata, ut loquuntur, & morti tradita fuit, id eſt, in terram verſa, ut ait Hermes, vites ſuas integras habens; itaque non ita extincta eſt, ut quis arbitrari poſſet, imo potius.

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS, SED VBIQVE IACET.

Mira dubio procul, eſt vis, & poteſtas hujus noſtræ Heroinæ, quæ, etſi ſublata ſit, ubique tamen eam jacere, ideſt ſedem ſuam habere auctor ipſe affirmat; fuit ne forſan hic noſter Probus, unus quidam ex ubiquitariis? vix crediderim tantum errorem ſua tempeſtate natum fuiſſe: at hic animadvertas velim, ſtudioſe lector, materiam noſtram, poſt ejus præparationem, & conjunctionem, (quarum vix verbum reperias ullum, in cunctis philoſophorum libris) leni, & continua decoctione in pulverem verſam, itaque ad oculum mortuam eſſe, non ſolum in Cœlo, id eſt, in anima, aut in terris quæ variæ ſunt nempè in ſuo corpore terreſtri, aut in aquis, quæ etiam in multiplices ſunt nempe in ſpiritu qui ſolet animam deportare, ſed ubique, id eſt, ſimul eſſe in cælo, terris, & aquis, tanquam totam in toto & totam in qualibet parte: adeo ut partes illæ, alioquin ſeparabiles, nuſquam ab invicem ſeparari poſſint, poſtquam unum factæ ſunt: hinc tota Lex & Prophetica chemica pendere videntur: Nunc poſtea audivimus quæ, qualis, & quanta hæc noſtra Diva fuerit, quidque ei evenerit; audiamus, quæſo, quid auctor de ſeipſo dicat.

LVCIVS;

LUCIUS, AGATHO, PRISCIUS, NEC MARITUS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIUS.

Diximus initio hujus noſtri commentarioli, qualis hic auctor fuerit, nempe vir lucidiſſimo ingenio donatus, inter priſcos illos probos philoſophos annumeratus, nunc quid eum adegerit huic heroinæ ſepulcrum extruere cogitemus, & perpendamus: Cum etenim ipſum, nec Maritum, nec Amaſium, nec neceſſarium hujus noſtræ demortuæ heroinæ audiamus fuiſſe, (quod ei facile concedimus, tanquam viro probo, qui non ſolet rei alicui ita ſe addicere, & maritare, aut ita perdite amare, ut neceſſario re optata frui, ſibi ſtatuat) cumque hæ ſint præcipuæ cauſæ, nempe Thorus, Amor, & Sanguinis nexus, quæ aliquem virum movent, in templo memoriæ, (ut ita loquar) columnam alicui dicare demortuo, & neutra iſtarum hic militet, vellem ſapientiæ fili, ne abs re AGATHO dici poſſit hoc elegans tentaſſe facinus (neque enim ſolent viri probi Deum & naturam imitantes, fruſtra aliquid moliri) vellem, inquam, te hic mihi adeſſe, in rimanda LUCII hujus noſtri inſtituti ratione; Nam ad me quod attinet, arbitror; (ſi aliud ſentis, indica) LUCIUM Philoſophum noſtrum, prævidiſſe, celebertimam quandam Academiam Bononiæ olim futuram, (ſunt enim ut plurimum, Prophetæ Viri Philoſophi) cumque hic tantum, tamque ſtupendum Dei Donum aſſequutum ſe fuiſſe ſentiret (Omnia enim ſe ſcire profitetur, ut paulo poſt audies) ne talenti defoſſi ratio à Deo Opt. Maximo, ab ipſo exigeretur, palam, & ob oculos omnium, bonarum literarum Mercaturam exercentium, Omnia; id eſt, artem Omnia docentem; omnium inquam pretioſiſſimam, in Theatrum prodire juſſit, hoc veſtiram ænigmate: huic autem arti, & veræ ſcientiæ (poſt ſacratiſſimam illam Dei & Chriſti agnitionem, in qua ſalus omnium noſtrum ſita eſt) ut omnium digniori hic noſter Lucius, ut Studioſos pelliceret ad ipſam indagandam.

NEQUE MOERENS, NEQUE GAUDENS, NEQUE FLENS.

Ut conſtantem virum decet, teretem, rotundum, & intrepidum philoſophum, hic inquam, erexit.

HANC, NEQUE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPULCRUM.

Fabri enim Muratii & induſtrii alicujus architecti manibus contexta, & ædificata fuere hæc; neque molis, pyramidis, aut Sepulcri marmori conſideratio, cuiquam proficua eſſe potuiſſet unquam.

SED OMNIA.

Scilicet, poſuit, nempè verba hæc, quæ inſculpta legis, ſmaragdinæ tabulæ Hermetis verbis haud abſimilia, præterea medicinam illam ſummam, & catholicam, omnia humana corpora perſonantem, tum & impura metalla ad ſphæram ſolis evehentem, & pretioſos lapides, ſi quis ad ſummum eam deduxit) fingentem ſequitur.

SCIT, ET NESCIT QUID CUI POSUERIT.

Scit nempè artem totam, primi, ſecundi, & tertii ordinis medicinam, ut cum Gebro loquar; ſcit præterea ſe ſic poſuiſſe illum philoſophorum lapidem; at quid, id eſt, quantum poſuerit Neſcit, neque enim, & veriſimile eſt, ponderavit; neque etiam novit, cui poſuerit; itaque non abs re mihi videretur, ut initio monui, ſi prout nunc fert tempeſtas, magno illi Principi Romano poſita eſſent hæc omnia; cum in manibus ipſius ſit, totum illum ſepulcri locum cutare luſtrari; & omnis moveri lapis, ut quantum, quidve poſuerit deinceps ſciatur.

HOC EST SEPULCRUM, INTUS CADAVER NON HABENS; HOC EST CADAVER, SEPULCRUM EXTRA NON HABENS. SED CADAVER IDEM EST ET SEPULCRUM SIBI.

Nam, etſi multiplex horum verborum dari poſſet interpretatio, ego tamen cæteris relictis omnibus, arbitror, LUCIUM, his primis verbis, hoc eſt Sepulcrum, intus Cadaver non habens, verum ad literam dixiſſe, & quod res habet indicaſſe, nempe Cadaver ullum in hoc ſepulcro ſepultum eſſe, ni fortè lapis integer, ab aliquo alio philoſopho multiplicandus, in ſuo vaſe relictus, & ſepultus fuerit à LUCIO noſtro, quod eo magis urgere mecum videtur, loci illius anatomen faciendam. Sequentibus autem, & poſterioribus verbis id ipſum digitò monſtrare videtur LUCIUS, dum dicit.

Hoc eſt cadaver, Sepulcrum extra non habens.
Sed cadaver idem eſt, & ſepulcrum ſibi

Etenim, ſuipſius, res noſtra, ſepulcrum eſſe dicitur, unde, ut paucis abſolvam, (nam in hoc jacet lepus) Sepelite, ajunt, unumquodque in ſepulcro alterius. Cum enim Sulphur, Sal, & Aqua; ſive Sol, Luna & Mercurius, ſint in materia noſtra, ea jubemur extrahere, conjungere, ſepelire & mortificare, id eſt, in cinerem vertere; ita fit, ut nidum in ſe recipiant, & cum eo exhaleſcant, fit inquam, ut anima, ſpiritus, & corpus: mas, & femina: agens, & patiens, in uno & eodem, ſubjecto, in vaſe poſita, igne ſuo fota, & externo adjuta, artis magiſterio, evadant, ſuo tempore. Dei Opt. Maximi puro dono, in Medicinam tingentem Mercurium, & omnia imperfecta corpora, in Solem, ut ajunt philoſophi, minerali puro, puroque non diſſimilem, inque Medicinam ſummam, humana corpora perſanantem: at, pſalmum quadrageſimum nonum.

„ *Audite, qui potentia,*
„ *opumq; magnitudine?*
„ *auroq; gloriamini.*
„ *æternitatem vitæ homo*
„ *ut nullus hic pecuniæ*
„ *magnæ ſibi, aut ſperet ſuis*
„ *ſe comparaturum: viros*
„ *cum cernat, & bonos mori,*
„ *ſapientiaq; deditos,*
„ *fatum eſt inevitabile*
„ *omnino cunctis pallidæ*
„ *calcanda mortis eſt via*
„ *linquendæ & aliis ſunt opes,*
„ *omnes licet ſtulti putent,*
„ *tanto labore quas ſtruunt,*
„ *ſibi fore æternas domos*
„ *cum gloria atq; illuſtrium*
„ *fama ſuorum nominum.*
„ *Demens homo quàm fallitur?*

Aliam prorſus hujus Epithaphii rationem reddit Carol. Cæſ. Malvaſia, dum ſuo tractatu in hoc argumento conſcripto, nihilominus quàm chymicum quid contineri, ſed potius Epitaphium intelligendum cenſet de filia Lælio naſcitura, eademque ſponſa Agathoni deſignata, ſed neque filia, neque ſponſa; quia concepta, non edita; non orta item, ſed aborta. Vnde & Agatho delectus pridem in conjugem, ſed à ſorte eluſus & ænigmatica hac inſcriptione non abs re ludere potuerit. Scilicet D. M. *Diis Manibus* quæ frequentiſſima mortuorum conditorum eſt nota. *Aelia Lælia Criſpis*, ſunt nomina expectato & expetito huic partui, ſi fæmineus apparuiſſet (id quod Agathoni tanquam ſponſo deſignato in votis erat) imponenda

Cùmque

Cùmq; embtyo tum fuerit, *nec vir, nec mulier, nec androgyna, nec puella, nec juvenis, nec caſta, nec meretrix, nec pudica* fuit: quæ tamen omnia repræſentare olim potuerat ſi naſci eidē ac vivere contigiſſet. *Sed omnia*, potentia ſcil. non actu. *Sublata neq; ferro, neq; fame neq; veneno. ſed omnibus*; quia nimirum quovis genere fati occumbere aliquando potuiſſet. Et quia nullibi reperta, hinc Agathoni *nec cælo, nec aquis, nec terris, ſed ubique jacet*, potentia nempe non actu, quia ipſa verè non fuerit. Agatho autem non natæ, *nec maritus, nec amator, nec neceſſarius fuit*, atque bene, *neque mœrens, neque gaudens, neque flens, hanc nec molem, nec pyramidem, nec ſepulcrum*, ſed ſimplicem inſcriptionem, tum moli, tum pyramidi, tum ſepulchro apponendam, ſicque *omnia*; *ſcit & neſcit cui ponerit*, quia nomen quidem ſcit quod partui imponendum erat; neſcit tamen, quia nondum impoſitum:

Alii aliter explicant, verum hactenus ſatis in curioſorum gratiam.

Finis.

SUBSECTIO VII.

Tres Anonymi Tractatus *ſub* PANTALEONIS *nomine ſcriptos, item* ejuſdem Autoris, *ut ex ſtylo apparet, complectitur.* 1°. BIFOLIUM METALLICUM, *ſeu* Medicina duplex, pro metallis & hominibus infirmis, à Proceribus Artis Hermeticæ, *Sub Titulo* Lapidis Philoſophici, *inventa, elaborata & poſteritati tranſmiſſa, jam verò denuò recognita, cum omnibus circumſtantiis requiſitis & manipulationibus, ſine dolo, methodicè tradita, & hujus divinæ Scientiæ amatoribus propoſita à* Pantaleone, Hermeticæ Sophiæ perito.

AD MOMVM.

Laudatur ab his, culpatur ab illis, cognoſcitur à paucis; quare penes te maneat libido reprehendendi cum inſcitiâ. Nolo placere illis quibus diſplicuiſſe laus eſt.

DEO TRI-UNI SACRUM.

Omnipotens, æternum ac ineffabile Lumen, Fons & Origo omnis Sapientiæ ac Veritatis.

Placuit divinæ Tuæ Majeſtati, per viam Creationis incomprehenſibilis, abyſſum inexhauſtam Tuæ Sapientiæ detegere, ac Temet ipſum, per tot innumerabiles rerum ordines, patefacere, ſolâ verbi FIAT exhalatione & corporificatione. Origo rerum omnium à Te, ſicut in Te omnia iterùm deſinent, abſorpto ſeculo; quod imprimis ego, Creaturarum Tuarum ingratiſſima, fateri cogor; quantumvis enim, ab Adoleſcente, Sapientiam naturalem, legendo, laborando, peregrinando, omnique poſſibili ſolertiâ indefagitatus continuò perquiſiverim, nec ullum vitæ ac ſanitatis diſcrimen formidaverim, nihilo tamen minus, retroſpiciendo ad perpeſſas anxietates & ſapientiæ ſcholaſticæ nuditates, exclamare me oportet, cum Poetâ:

--- ô quantum eſt in rebus inane! & contrà cum Apoſtolo confiteri: quod omne bonum & omne Lumen Sapientiæ vera ſit deſuper à Patre luminum; aliquandò mediatè, aliquandò immediatè. Utrumque ex ſolâ Tuâ gratiâ ac clementiâ immerenter ſum expertus. Complacuit enim Tuæ glorioſiſſimæ Majeſtati, ſolâ mentis illuſtratione, comite laboreimprobo, abſque ullius hominis favore, mihi quaſi inſcio, ipſum apicem auguſtiſſimum venerabilis Sapientiæ Naturalis largiri, retentâ tantùm poteſtate utendi ad aliquot annos; in quem autem finem tàm variam fortunam interea expertus fuerim, Tibi ſoli liquet. A poſteriori autem adverto, quòd ex merâ Tuâ bonitate, & ad majorem gratiam in me miſerum collocandum, à praxi abſtractus fuerim. Si enim dives ſtatim factus fuiſſem, forſan ingluviei, deſidiæ & aliis infirmitatibus humanis deditus, ulteriorem ſcientiam non appetiviſſem, ſed partâ contentus vixiſſem.

Collibuit autem Tuæ Majeſtati, ex causâ imperſcrutabili, me depauperare, Tibique occaſionem relinquere, illud, quod reliquum erat, ſcientiæ Divinioris, ſuper me indignum, mediatè tamen, effundere, & alteram quoque viam, quam humidam nominant Adepti, gratioſè communicare; ita ut jam nil penitus reſtet, quàm Tibi, miſericors ac benigniſſime Pater cœleſtis, immortales & æternas Gratias, pro hoc inæſtimabili theſauro perſolvere, cùm annexâ devotiſſimâ petitione, vitam eo uſque prolongare, donec bonitatem Tuam abyſſalem ſatis depradicare queam.

Nec autem hoc pretioſum Talentum mecum plane moriatur, & tamen veritas hujus Myſterii, quæ apud multos literaliter doctos, Rerollaceos barbaricè propriè inanes Philoſophos, agonizare videtur, ſuo fonti, ad diſpenſandum, reſtituatur; propterea hanc pingue hoc Bifolium, Tibi, ſanctiſſime Deus, adolere & cum egoitatis meæ abnegatione immolare volui. Dignetur Divina Tua Majeſtas clementiſſimè à manu ſervi ſui viliſſimi accipere, quod pro cuſtodiâ impuri mundi minimè quadrat.

Reſignavi

Resignavi quidem voluntatem meam plenissimè in Tuam Divinam, sed interim credo protectionem hujus Opusculi & directionem ab avo consuetam, quam & ego, pro meâ parte, avidissimè opto, rogo, expeto.

PRÆFATIO.

EDideram nuper sub primitiis scribendi lacessitis, binos fœtus, ejusdem conceptûs, Tumulum nempe Hermetis apertum & Examen Alchymisticum, cum proposito nil amplius literarum in hoc genere commendare, ne Halophantæ potius, quàm Adepti, nomen merere aliis videar, Præsens enim ætas, pejor avis, dedit jam primogeniem ita vitiosam, ut è mille hominibus vix unus veritatem sectetur: sed unusquisque, legendo mea scripta, argumentatur à se ipso ad me ita: Ego & omnes fermè in hâc civitate veritatem nunquam vel rarò colimus, non quòd nesciamus, sed quòd, sicut moneta antiqua abrogata, nil amplius valet, propterea hic Pantaleon non erit solus veritatis Promus-condus: Sunt nugæ, subtiles technæ, sophisticationes & impostura. Forsan inveniet desipientem, qui ipsi credet, nos non. Monstret nobis aurum & argentum, quod suâ arte confecit, & tunc credemus, &c.

Ita non tantum plebs, sed etiam Magnates suo modulo ac Pede, veritatis amatores metiuntur. Quid mirum jam est, si tot Impostores in hac scientia ubique ingruunt? Si enim unusquisque præconceptâ opinione de aliis judicare vult, argumento à se ducto, necessum sanè est, mendacia excogitare, ne veritati fiat injuria; ad minimum opus est se conformare opinioni istius, quem ambire statutum est.

Verùm enim verò, si ultimum hoc temporis sedimentum, jure Periodici circuli, cum suo primo puncto, dignitate pari gaudere atque sic posteà æternisari debet, prout hariolati sunt aliqui ex Mystagogis antiquis, ipsaque ratio non obscurè suadet, quòd omnia miracula naturæ ante ejus resolutionem innotescent, suumque Creatorem laudabunt, parùm proficerem, si quorundam ignorantium dentem lividum formidarem, & talentum meum desuper collatum tacendo defoderem: eveniret enim procul dubio, quod Lapis angularis cœlestis, Salvator noster, de veritate promulgavit, dicens: Si hi tacebunt, lapides loquentur; aliusque palmam mihi in hoc stadio currenti, præriperet, ac notam invidiæ erga genus proprium inureret. Propterea mutatâ sententiâ, repositum calamum iterùm arripere & prioribus duobus tertium hunc Tractatulum adjungere, eóque me apud Philosophos veros insinuare volui. Primus enim erat pro Tyronibus & gregè errantium; secundus pro Magnatibus, ad coercendam bilis effusionem contra hanc artem. Tertius hic est ultimus pro Adeptis, ut sciant, me illis similem & confratrem esse. Si priores pro fabula & inani curiositate, ab imperitis interpretantur, sicut non diffido, saltem hic Posterior ab Adeptis pro genuino agnoscetur, utpote quibus solis, descripta hæc duplex operatio, ex partium enumeratione ac modo procedendi facilè patebit. Interim tamen etiam non dubito, quod per hanc meam Bigam Philosophi multi deviantes ad fontem veritatis Physicæ deducentur, ibique siticulosam suam constitutionem explebunt. Artis osoribus, & qui peccatis ac sanguine aliorum vivere malunt, quàm manus carbonibus commaculare, ero nugivendulus & impostor: qui verò librorum lectionem cum stylange universali indefessè copulârunt ac multoties mineralium venenosis halitibus suffumigati sunt, nil tamen, nisi ipsum nihil, cum destructione sanitatis & bonorum, mercati sunt, illi me benè, licet intra dentes loquentem, intelligent & retrorsum vela dabunt: Capient nimirum hi soli, quare tam sæpè laterem lavârint, & quòd planè impossibilia moliti fuerint inepris suis agentibus. Faxit Deus, ut unusquisque ex his voto suo potiatur. Quantum ad me, Deum testor, cordium scrutatorem, quòd in hoc opusculo candidè, non mutilatè, omnia illa, stylo tamen Philosophico, tradiderim, quæ ad patrandum hæc duo maxima Arcana requiruntur tam essentialiter, quàm accidentaliter. Qui potest capere, capiat & bene vivat, Amen.

CAP. I.

De Basi seu Fundamento hujus Bifolii.

IN Schola reali Naturæ universalis, reciprocatio Entium circularis non peccat, eò quòd ipsum primum movens, Natura naturans, Deus benedictus in sæcula, ab uno in trinum & ab hoc iterum in unum sine fine terminatur & redit. Hinc sapientissimus Rex Salomon edixit: Nil esse sub Sole novi, sed perpetuam rerum circulationem, per destructionem & ædificationem. Liquet hoc inter cætera etiam ex Reginâ omnium Disciplinarum, Alchymiâ vulgò dictâ, quæ multoties latuit, rursusq; emersit, ac iterum, quasi cum muscis post tabulata, quandoq; intra muri repagula inclusa, delituit; nunquam tamen prorsus enecata fuit. Nimirum non defuerunt unquam ingenia, providente Deo, quæ hanc artem summo studio laudabiliter inquirerent, sicut etiam semper copiosa ubertas extitit hominum desipientium & supinam negligentiam adorantium. Proinde hæc Divorum proles, aliquando in cunabulis adhuc jacens, sepulta, iterumque effossa, aliquando etiam, sed rarò, ad virilem ætatem educata fuit.

In Monarchia Romanâ, antè centum aliquot annos, quantum scitur, floruit Lullius & Arnoldus, successit dein, post interstitium quoddam temporis, Augurellus, de quo fertur, quòd Leo X. Pontifex Romanus ipsi, pro dedicato suo pulcherrimo & pretiosissimo Poemate Alchymistico, obtulerit peram cum hoc annexo scommate: Si scirer aurum ipsemet conficere, non indigerem nisi receptaculo. Quæ responsio quadrat sicut pugnus ad oculum. Magna enim differentia est inter Theoriam & Praxin, inter principium & finem, inter actum & potentiam. Non cuilibet contingit adire Corinthum eo momento, quo viam didicit, propter defectum commeatûs necessarii: ut neque sequitur; Scio magisterium Tincturæ metallicæ, ergò valeo practicare; quia deesse possunt sumptus, occasio, locus, vires ac sanitas. Insulsa ergò argutia est obiicienti, si scis, ergò fac &c.

Post Augurellum nostra Alchymia oblivione longâ pressâ, tandem in Monasteriis iterum emicuit, modò apud Germanos, modò apud Hispanos, sicut ex historiis leviter apparet; Donec sæculo decimo quinto ex Germanis assurgeret Theophrastus Paracelsus, qui in hâc arte initiatus fuit à Trithemio Abbate Spanheimiensi, edoctus verò, sicut ajunt, in Oriente à Persâ vel Græco.

Extincto hoc sydere, ecclipses iterum totales in Philosophia demonstratoria subortæ sunt, accenso infausto Cometâ crinito, Thomâ Erasto, Lotharingico Medico.

Hic vir, ceu in Philos. Aristoteliçâ fermocinali apprimè doctus, umbram fermè in sole faciens, nostram veritatem Physicam realem omni honore, imo vitâ ipsâ, Logismis suis privare conatus est; Quia verò

verba

verba & telæ sunt arma inæqualia, proinde in columis remansit nostra veritas, se interea subtrahens ad sua securitatis latibula, & hoc animal disputax toti posteritati doctæ altum cachinnum excitavit. Qui enim transmutationem metallorum inferiorum in aurum & argentum negat, eandem cerebri infirmitatem patitur cum illis, qui ante Columbi tempora Antipodes negârunt, ambo enim, si non sunt stulti, saltem erunt Hypochondriaci.

Ab istis temporibus cœpit in Germania hæc ars disputari. Literati enim, Eratti vestigiis insistentes, vim concludendi verbalem & Syllogisticam, quod species rerum non possint transmutari, ob crimen læsæ Majestatis Naturæ & ipsius Creatoris, omni demonstrationi præferebant, sicut ante paucos annos etiamnum sustinere voluit Conringius, vir literaliter doctissimus. Hûc accedebat, quòd Paracelsus, in vernaculâ, de suâ arte scripserat, & propterea tanquam idiota indoctus à scholis magis contemnebatur; quasi veritas non posset scribi, nisi Latinè. Hinc unusquisque Magistellus vel Bacalaureus Philosophiæ Aristotelicæ, sua obtusa spicula pro specimine eruditionis, in Paracelsum ejusque sectatores dirigebat, omnesque aliter sentientes ex cœtu doctorum excludebantur. Quo etiam tantum effecerunt, ut vix non in hunc usque diem viri benè docti & prudentes hanc artem, coactè potius, quàm voluntariè aversentur, ne scil. à Scholis pro indoctis & fatuis habeantur. Putant enim hæ, quod Doctrina Aristotelica & Ars Chymica invicem sint incompatibilia; unde etiam Principibus persuaserunt, Medicis illis, qui Chymiam colere præsumunt non esse committendam vitam Regum, propter remedia Chymica violenta; quod quidem de vulgaribus Chymicis verum est, non de veris Philosophis seu Adeptis, quos laudabiliter ore & re contra Scholas tutatus est, ante 40. annos, Helmontius Belga, vir Parnasso & Vesuvio charus, id est literis & igne perdoctus; Si ipsi sufficienter responderint, dico earum Professoribus, quòd sunt Dii, sed Credo, quòd remanebunt homines. Sic se gesserunt Docti. Indocti verò aliquot, cereroquin prudentes, ausi sunt Paracelsum ejusque reconditam Doctrinam defendere, ex habitâ semel atque iterum Praxi transmutatoriâ. Plurimi verò ex his infeliciter pugnârunt ob defectum veri fundamenti, quod Paracelsus omiserat & ex aliis linguis petendum erat.

Utrobique erratum fuit; si enim literati superbiam cum ignaviâ abjecissent & indocti literis illuminati fuissent, jam forsan nostra Alchymia debitum honoris gradum sentiret & utroque cruce ambularet ad medendum, nempe infirmis hominis & metallis. Verùm Priores sunt duræ frontis & posteriores duræ cervicis: illi ex Platone Axioma sibi proposuerunt, quod sonat: Absit, Philosophari esse artes tractare, altius nimirum sedet Philosophia, nec manus edocet aut pedes, sed animos: Hi confidunt in suis manipulationibus & furnis artificosè exstructis, creduntque si omnia examinent, quòd veritas se tandem in conspectum data tura sit. Sed ambo miserè decipiuntur; non enim sufficit studium literarium, nec solum ignis examen nec utrumque conjunctim, nisi ad fundamentum cognoscendum, quô quidem cognito, multum actum est. Sed requirantur deinde præparatoria, quæ nullibi scripta & solis Adeptis nota sunt. Propterea, ex re neglectâ & malè intellectâ, mirabilis errorum & impostturarum varietas usque hûc exorta fuit. Multi ex desperatione artem totam pro Non-ente habent. Multi extollunt salia, alii metalla, multi in aëre & elementis punctum nostrum perquirunt & tandem fessi omnes in nihilo conveniunt, sicut in meo Examine Alchymistico pluribus indicavi. Ne autem prolixior sim in prolegomenis, quàm curiosus Lector & ratio hujus Bifolii concedunt, breviter exponam, qualis sit ejus caulis seu basis, consideratione mutuatâ à similari essentiâ herbæ vegetabilis, hoc nomine vocatæ, quæ cùm ad normam omnium herbarum à radice ad summitatem uniformis reperiatur, nilque d ssimilare de se fundat; jure analogiæ, caulis nostri Bifolii metallici diversus non erit à suis foliis, quæ metallica sunt & similes quoque fructus proferunt. Nil enim solidi objiciunt, qui dicunt, non quæri metallum, sed plusquàm metallum; propterea necessarium non esse, ut è solis metallis materia petatur. Sed respondeo, non quæritur in corpore Tincturæ metallum simplex & externum, sed multipliciter augmentatum, exaltatum & internâ perfectione ornatum. Nisi enim compositum illud esset prosapiâ metallicum, non misceretur cum illis, & nisi esset plus quàm perfectum, imperfecta non perficeret; Cum verò noster caulis de se egerminet aurum, quod homogeneum maximè est, propterea etiam ille ipse, tanquam causa, cum suo effectû, sub parili identitate comprehenditur, sic ut Basis nostri Bifolii metallici sit radix metallica mercurialis purissima & uniformis.

CAP. II.

De Magisterio Tincturæ universalis in viâ humidâ.

ET omnia erant valdè bona; de Creationis complemento gloriatur ipse Spiritus Dei, apud Moysen Gen. 1. Hodierno verò seculo omnia sunt valdè mala, imperfecta, luctuosa & depauperata. Hæc provincia premitur ferro martiali, illa fame & siti, tertia morbis incurabilibus, & quarta exactionibus pecuniosis, &c. & hoc unicè propter solam inopiam. Omnes enim homines conqueruntur de paupertate, nullibi sufficit pecunia, sed ubique deest, & quo plus monetæ cuditur, eò magis deficere videtur; quod certè contrarium est constitutioni valdè bonæ Regnorum & Provinciarum, de quarum & totius Terræ provisione opulentâ Creator ter gloriosus effatur quod nil desit, quo incola Homo ad luxum usque indigeat. Verùm enim verò, quæ culpâ nostrâ accidunt, nil facessunt superos; perditio tua ex te Israël, &c. meliora scimus, ex conditione mentis æternæ, deteriora sequimur, ex instinctu animæ caducæ, per lapsum prærogativam natæ. Quod enim nos, qui Christo nomen dedimus, propter tractum terræ palmarem acquirendum, tot annis belligeramus, & omnia cæde ac sanguine replemus, Creatorem non tangit, qui habitabilem fecit totum Terrarum orbem, magnaque ex parte reliquit vacuum. Quod fames ac paupertas plurimos affligunt, multò adhuc minùs eidem potest imputari, qui vastuosissima terræ viscera, ad superficiem, auro & argento infarta, nobis donavit; quòd verò Catalogus morborum incurabilium cotidiè ampliatur, nostro quoque vitio fieri, credendum est, quia expressè dicit codex sacer, quòd sanabiles fecerit Deus omnes nationes Terræ, nullumque sit exterminii remedium in terris. Hæc probo ad oculum sic.

Numquid extremæ bonitatis indicium est quod Creator ter optimus, non tantum totam terram auro imprægnavit, sed insuper etiam subjectum certum creavit, modumq; ac rationem priori statim mundo inspiravit, quo supra terram, ipsum Creatorem, certo modo, æmulari, aurum ex non auro constituere, ac morbos lateraliter naturam humanam ingressos tollere valeret; imò, ne invidia humana, si una tantum methodus, unumque subjectum eò inserviret, hanc divinam scientiam absconderet, plura subjecta, plureſque vias, di-

verso

verso forsan tempore, benignissimè concessit, sicut ex totâ antiquitate Sophorum evidentissimè patet. Quamvis enim multi ex Prædecessoribus affirmerit, unicam rem, unumque modum, ad hoc mysterium ducere, quod etiam suo ac certo modo verum est, constanter tamen teneo & demonstro, plures vias ad unum scopum patescere, annuente hoc Gebero, Cap 28

Duplex autem imprimis hucusque in cursû naturæ & artis observata, & ab artis Chymicæ Professoribus commendata fuit, Humida, nimirum & Sicca. Utramque singulatim, sine multis verborum ambagibus, possibili brevitate, cum omnibus tamen circumstantiis, more Philosophico, ob oculos ponemus, incipiendo ab humidâ ceu antiquissimâ nobilissimâ & facillimâ, sed occultissimâ. Arrige ergò aures, Pamphile, ac Recipe Saturni nostri Philosophici q. pl reduc ipsum, sine omni additione extraneâ, in primum chaos, jube, ut fiat lux, hanc coge in corpus partim solare, partim lunare, reliqua astra ex his lucebunt, tenebras defer in montem salsum veneris, & subtile separa à spisso, suaviter, sed magno ingenio. Præstito hoc, incipient astra operari, mediante igne, aëre & aquâ super tuam terram, eamque penetrare, & catenam auream Homeri efformare dictumque Hermetis verificare, dicentis: Inferius est sicut superius. Posteà statim impregnata Terra germinabit flores jucundissimos, oculos & animum exhilarantes: mare pisciculum Echineis ante omnia ostendet, & Aer Aviculam Hermetis; Ignis verò Salamandræ semina concipiet; Bestias dein conspicies in ipsâ terrâ ambulantes Jam scande in montem altiorem hujus mundi, invenies ibi florem duplicem, album & rubrum, conjunge hos & constituent tibi calendulam, hanc Mercurio tuo sacrifica, quam avidè vorabit, & deinde alatus manibus ac pedibus thronum suum conscendet. Quia verò mala bonis adhuc mista sunt, & pessimum venenum omnis generis vitiorum, præcipuè homicidii, in nostrâ terra adhuc latet necessarium erit, hunc ignem voracem suo contrario extinguere, & diluvium instituere. Arca ipsius Noachi sit benè clausa & alimentis instructa, ne fame pereat, quod undâ conservatum est. Post 14. dies aperi cistam & egredietur concionator ille Deorum lætus ac hilaris, eritque solus & unicus Cœli ac Terræ Dominus incorruptibilis & æternus Hucusque præparatio & exornatio Mercurii Philosophici, quæ cum creatione mundi pulcherrimè convenit; sicut apud Chortalassæum invenire licet.

Jam etiam cogita, quomodo Regium hunc infantem utriusque Indiæ, pro dignitate, tractare & perpessam ejus in carcere miseriam ac inopiam Regiâ affluentiâ recompensare queas; cave autem, ne nimium prodigus sis, in coëmendis cibis delicatis ac euchymis, nec ultrà unum ferculum, unâ vice, ipsi affer; accideret enim, quod diuturnâ fame exhaustis soler, si nimiò cibò se replent, tuumque Regium germen in ipsa herbâ suffocaretur. Quare diætam observes & certam tantùm partem ambrosiæ vel nectaris prandenti vel cœnanti appone; cubiculum & imprimis lectus sit ita calefactus, ne sudet vel algeat, utrumque enim impedit notabiliter infantum vegetationem; donec post unum vel alterum tempus, ventriculus ejus & omnia viscera robustiora facta, injurias errorum melius perferre possunt.

Quò sæpius verò ipsum absolutâ tamen concoctione, cibaveris, eò procerior, pulchrior ac fortior evadet, nec ullus Hector vel Crotoniates Milo viribus ac virtute eum superabunt. Explicit Parabola; & sequitur declaratio Praxeos, quam lucidiorem; imò manifestam, libentissimè darem, quò tandem ineffabilis auri æstimatio apud homines minueretur & sola virtus pulsa suo Regno ac dignitati restitueretur, nisi ponderosissimæ rationes contrariæ excurrentem calamum reprimerent & in Fano Appollinis suspenderent

Ut autem Promissioni meæ ex parte satisfaciam; sincerè dico; quod ad hoc Mysterium tantummodò requiratur Res unica, quæ tamen etiàm multiplex est; habitâ illâ & cognitâ procedendi methodo, nil additur extranei, sed superfluum saltem demitur, & reliquum igni committitur. Non est autem illa materia, quàm singularem & occultam rationem prædiximus, simplex, similaris aut homogenea, licet punctum homogeneum nostrum in se contineat, sed composita, variisque heterogeneis constans; quare etiam à Philosophis Electrum minerale vocitatum est. Sicut enim Electrum metallicum compositum est ex pluribus ingredientibus, ità etiam hoc nostrum Electrum plura involvit dissimilaria à metallica perfectione dissita. Deinde etiam, in analysi artificiosâ, perfectissimè de se fundit tria illa Principia Chymica, Sal, Sulphur & Mercurium, quæ similiter in se concludunt omnia Elementa, ipso actû separabilia. Præterea vocatur etiam apposititiissimè & nervosè Saturnus Philos. & Pater omnium metallorum, quamvis perfectum nullum metallum in examine vulgari præbeat, quia Natura tantùm levitet incepit agere super hanc materiam, eamque imperfectam reliquit. Omnium autem facillimè cognoscitur hæc minera per nomen Leonis occidentalis; qui clariori nomine impromiscuè hominibus indigitat, anathema esto. Si quis enim metallorum generationem callet, ille statim, mediâ nocte, hanc terram Chaoticam salsam conspiciet, nulloque alio tubo optico indigebit. Qui verò cœcus adhuc est, aggrediatur Henrici Conradi Lipsiensis Scripta Chymica, in quibus videbit, qualem terram ad genua effossam Philosophi velint; teliquum satis apertè docuit Agricola. Etymologiam clariorem dare, prohibet sana ratio; quare ad præparationem hylegialis nostri subjecti me accingo.

Quoniam verò hîc Tyronibus non scribo, sed consummatis Philosophis, propterea acquiesco in clarissimâ descriptione Chortalassæi, quæ his verbis comprehenditur: Ubi verò vapores venenosi lapidem meum dereliquissent, in conspectum prodibat primò flos meus albus; rubrum oportebat me posteà quærere in infimâ parte, qui tandem etiam proveniebat. Et alibi: Ruricula meus monstrabat mihi duos flores stellares, album & rubrum, crescentes super uno caule, qui septem radios de se spargebant, &c. quod explico sic: Postquam per calcinationem separatio halituum venenosorum facta est, solutio, quæ in dolio vini latet, & ulterior, puri ab impuro, separatio ac reconjunctio instituenda est, quæ omnia perspicuè docentur in Bello Equestri his verbis: Deus creavit nobis hanc mineram metallicam, quàm unicè accipimus, corpus durum corrumpimus, superflua abjicimus, nucleum seligimus, & ex veneno Alexipharmacum paramus, plura vide ibidem & in Lucerna Salis Philos.

Superato hoc labore multiplici, Possessor eris aquæ viscosæ, metallicæ, diaphanæ, homogeneæ, humidæ, quæ ab antiquis Mercurius, propriò tamen nomine, Mater Solis ac Lunæ in abstruso Saturni Philos. regno latens appellata est.

Hoc magisterium, præ aliis, 5. prærogativas possidet, quarum Prima est facilis multiplicatio solventis: habita enim semel unâ vel alterâ unâ hujus lactis virginei, multiplicationem patrare poteris in infinitum, absque repetitione laboris ordinarii; quæ scientia inæstimabilis & divina penitus omne auri & gemmarum pretium multis parasangis antecedit. Secundò magnam nobilitatem addit ipsi Mechanicæ secutus conficiendi modus: qualiscumque enim sit artifex, magnus vel

parvus, rex aut opilio, & qualescunque habeat Ephoros, doctos, expertos, circumspectos vel industriosos, poterit tamen sine curâ aç merû practicam suam multiplicatoriam instituere, omnibus istis inspicientibus, sed nil capientibus & quidem levissimâ opera. Tertia prærogativa hujus Myrii consistit in totius compositi decoctione simplici ac lineari, incipiendo à primo caloris gradû in ultimum.

Via enim sicca in principio statim tupturam vitrorum minatur ob intensum ignis gradum & materiæ inclusæ volatilitatem, quod in humida hac non est, in quarum augescente calore fixitas quoque materiæ augetur, & sic nullum periculum subest vel annihilationis, per ignem justò validiorem ruptis vitris, vel destructionis ipsius materiæ inclusæ, floribus combustis. Unde verificatur proverbium Philos. quod sit opus mulierum & ludus puerorum, limitate intelligendo, si magisterium callent, aliter enim viri etiam nil efficient. Quartò Tinctura ex hoc Magisterio prognata, præ omnibus aliis, Naturæ humanæ, tanquam novus Deus existit, ejusque morbosas tenebras, solis radiantis instar, illuminat & dispergit; ex hac ratione, quia antè fermentationem tàm altam fixitatem metallicam conclusam non habet sicut Tinctura ex viâ siccâ, sed adhuc aliquid participat de naturâ salium solubili, & propterea solventibus igneis faciliùs obedit, & cum animali Archæo desponsatur.

Quinta præeminentia hujus viæ humidæ est, quòd per eam, ex uno eodemque subjecto operatione paulò diversâ, producatur liquor ille famosissimus, à Paracelso Alchaest nominatus, quo solventi immortali, cuncta remeant in primum Ens, præbentque dotes nativas; absterguntur enim labes originales corporum, feritaréque inhumanâ desertâ, magnas & inexplicabiles potestates nanciscí est oportunum; sicut passim affirmant Helmontius, Paracelsus & Ludovicus de Comitibus quô Lectorem sciendi cupidum remito, quia multa verba facere, & rem per se veram ac incomparabilem commendare, me jam diu cœpit tædium, qui magis paratus sum valiter demonstrare quàm fari. Per Parenthesin tamen hic notatam velim ineffabilem Creatoris Sapientiam ac Providentiam, circà hoc artificium. Constituerat enim Deus benedictus in secula, generi humano, mysterium illud summum, morbis omnibus medendi, sanitatem conservandi, pauperiemque consolandi, ex merâ bonitate ac clementia elargiri; quia verò pariter præscivit, quod lapsurus homo, virâ incolumi fruenda, se indignum redditurus sit; proinde subjectum, morbos ac metalla curans, unum idemque fecit, modumque operandi vix non colligavit, ne artifex opus habeat, ex cupiditate auri, pœnam peccati, morbos diuturnos ac vulgô incurabiliter, mitigandi, iræque Divinæ resistendi. Qui enim contra Creatorem suum peccat, testante Codice sacro, incidit in manus Medici & sic scopæ scopis castigantur ac everruntur. Verissimum enim est, quod Medici ordinarii sint ministri Naturæ humanæ, stantis scilicet, non jacentis; loquente id catervâ morborum incurabilium ad ravim. Si enim nullus motus Enormonticus, nulla obfuscatio Archæi, nullaque vitium imminutio essentialis cum viscerum labe corporeâ conjuncta adsunt; atque hic occasionali & accidentali causâ infirmus tenetur, remotâ illa per purgationem vel sudorem, etiam sponte suâ, æger quandoque convalescit: Secus licet quis totum Pharmacopolium voraret, nil tamen ageret; quia officinarum remedia ex vegetabilibus & animalibus petita à fermentis viscerum subiguntur, superantur & speciali suâ medicinali proprietate exuuntur, remanente tantùm umbrâ quâdam imbecilli, quam dein morbi radicati, ceu imparem, contemnunt. Quid de remediis mineralium vulgaribus tenendum sit, sub Corollario docuimus.

Contrà; remedia per liquorem Alcahest præparata, sunt omnia fixa, illuminativa, restaurativa per se, suâ indomabili præsentiâ, & innoxiè, absque acrimoniâ, Corrosivâ, penetrantia; quibus æquâ falce demetuntur omnes morbi, immanesque defectus annihilantur, stupente ipsamet naturâ; sicut Helmon ius de sulphuribus correctis atque perfectis verissimè gloriatur, eoque nomine Medicum verum à putaritio & visitatore ordinario distinguit.

Quod verò nonnulli, sicut Poleman in suo Lumine, volunt hunc liquorem laudatissimum ex salibus propriè dictis depromere, erroneum planè est. Qualecunque enim sal ad hoc officium eligatur, inveniet tamen semper suum contrarium, quod huic liquori non accidit, 2. si vel maximè salia saturata in spiritum, magno labore & torturâ ignis, exprimantur, activum tamen solvens exinde non emerget; segnes enim tales spiritus multoties ingenti labore, elapsis annis, ipsemet paravi, nullo vero desiderato effectu. Liquor verò Alcahest, in unicâ destillatione, plerumque suo munere fungitur, & immutatus iterum separatur. Præterea, talia salia enixa homogenea non sunt, quia ex contrario per artem constant, nec etiam rem siccam in fluidam, absque connexione sui, resolvunt, quod tamen prædictus van Helmont, de liquore isto constructivo, laude peculiari nunciat, 3. si ex salibus liquor ille homogeneus componeretur, non commendaret Helmontius salem tartari volatilem iis, qui istud mysterium nesciunt, sicut fecit lib. de febr. cap. 15.

Hæc per transennam. Jam redeamus, quò digressi sumus, ad nostrum Magisterium, in viâ humida. Docuimus Principaliorem ejus partem, clavem nimirùm claudentem & aperientem, Mercurium Sophorum liquidum. Nil restat amplius quàm modus, illum in Tincturam excoquendi, quod mediante igne remisso, gradatim invalescente & pauco auro corporali, unius anni spatio perficitur. Pleniorem hujus operationis informationem suggerere, limites angusti nostræ intentionis non permittunt, ut neque à Philosophis, quibus scribo, postulatur, & insuper apud multos Authores invenire est in promptu, quod forsan hîc desideratur.

Quoad tingendi efficaciam Tincturæ hujus universalissimæ, ingens ea valdè est, quia fermè ex mero Mercurio constat: sicut edixit profundissimus Rex Geber cap. 28. Si ex solo Mercurio rem perfeceris, indagator eris pretiosissimi Magisterii. Alios effectus miraculosos, apud hujus viæ Mysteriarchas, Chartalassæum P. Fabr. Monsp Bas. Val. Richard. Angl. Isaac. Holl. &c. annotatos reperiet Lector, quô enim ablegamus

Ne tamen in ipso rei cardine deficiam, & coràm Judice extremo, pari pœnâ, cum cæteris invidis ac infidis scriptoribus affligar, intentionem primam, frigidam, penes focum boni Christiani calefaciam, totique mundo, omnibus cordatis, & ingenuis viris ostendam, quod Nomini & vocationi meæ abundè satisfecerim, meique similem ante nostra tempora non extitisse.

Notandum ergò, quòd Subjectum nostrum, ad hanc viam pertinens, duplex menstruum præbet; unum componens, alterum destruens. Si primum, cum auro, secundùm artis præcepta, conjungitur, tinctura metallica inde resultat; si alterum, per errorem inevitabilem, præfertur, aurum adjunctum interficitur, necatur, & tandem in Salem volatilem medicinalem abit, quod ultimò cum aliis adjunctis in aquam elementalem insipidam terminatur. Quia verò per ingenium humanum, non illuminatum, hanc Scyllam præternavigare, est simpliciter impossibile, proinde hunc scopulum omnibus & singulis Artistis detegere volui, ne,

post fata,

post fata, cinetibus meis maledicant, si tempus, sumptus, & sanitatem, sinistro fine, insperatè obtento, amittant. Qui habet aures ad audiendum, audiat, & suas vires antèà exploret, quàm opus aggrediatur.

Ulterius notandum est. 1. Sapientia & Providentia Creatoris altissimi, qui istos duos liquores ita connexit & univit, ut fermè sine ejus expressa voluntate & informatione separari nequeant, in istum finem, ut mundus maneat immundus miseriarum vallis, & homines eò crebriùs ac fervidiùs ad alteram vitam anhelent. Similem nodum etiam ad viam siccam posuit, in destructione & separatione Mercurii, sicut suo loco monebimus. Propterèà metuendum non est, ut aurum & hæc scientia amissa vilescant, quia doctus & indoctus, expertus & inexpertus, omnes sub uno prædicamento (in hoc puncto) comprehenduntur; excepto illo solo, quem altissimus manuducit.

Licet enim aliquis subjectum nostrum pernoscat & possideat, (quamvis difficulter acquiratur & etiam facilè, diversô respectu) aurum tamen non construeret, sed destrueret; quia ista manipulatio, quæ ad verum liquorem solventem, sivè Mercurium Sophorum humidum requiritur, ingenium humanum superat. Ridemus proinde nasutos, philautos & sibimetipsis sapientes opinatores; miseret verò pari gradû nos gregis copiosi industriosorum, quòd tam planè frustrà laborant. Commendamus autem orationes frequenter devotas, in spiritu & veritate factas. His enim quærentibus & pulsantibus lumen ex alto procul dubio orietur, ut videant, quàm sincerè veritatem tradiderimus. 2. Advertendum etiam est, circà hoc nostrum subjectum & ejus præparationem occultam, totum fundamentum omnium generationum & corruptionum, prout Agricola & Sendivogius etiam indicant, dicentes, quod in Regno Saturni Philos. speculum sit, in quo omnes naturales actiones in toto Systemate mundi apparent: Licet enim aliquis sit indoctissimus & vix non stupidus, si ipsi hoc nostrum Magisterium in hâc viâ commonstratur, cô momento ô, statim capit generationem metallorum, mineralium & omnium rerum sub Sole; sicut multis edisserit Agricola & alii.

CAP. III.

De Tincturâ universali metallica, in via siccâ.

PRæcedens incomparabile Mysterium, sicut in hunc usque diem, à primæ veritatis hoste, spiritû maligno tenebrarum, vario modo infestatur, obscuratur & corrumpitur; ita etiam hoc subsequens, tanquam prioris germanus frater, ab eodem mirè pervertitur, falsisque aliis opinionibus adulteratur, in hunc tantummodò finem, ne homo calamitatibus carnis & paupertate careat, ipseque Creator horum arcanorum melius cognoscatur, propius adoretur, & plenius laudetur. Circa Magisterium prius mediante suâ Ethnicâ sophisticatione, hominibus etiam doctissimis, syllogistice persuasit, non esse liquorum istum nisi falsum, & quidem ex summâ necessitate, aliàs Solem adjunctum invadere, disgregare ac solvere nequiret; absque solutione verò res non succederet. 2. Licet Philosophi dicant, quòd auri corruptio, generatio ac plus quàm perfectio, in suo simili celebretur, absque sale tamen addito sal sapientiæ non impertiri. Propterèà multi cum vitriolo Cyprico, tanquam primis auri radicibus referto, plures cum Nitro, sicut Solinus Salisthall / neoterici cum nugator; alii cum sale communi, alii cum sale ex terrâ pingui extracto negotium inceperunt, istaque salia modò dulcificarunt, quia solvens universale ponticitate corrosivâ carere audiverant; modò ex combinatione diversa, salacre, ammoniaci naturam redolens, per destillationem parârunt & ammoniacum Philos. vocârunt. Multi urinæ spiritum fugacissimum ac subtilissimum adhibuerunt, eò quòd Morientes dicat, Lapidis materiam primam esse in te & me, &c. Alii alias inanes subtilitates, magnâ industriâ, adinvenerunt & universalem quendam Spiritum, certo tempore, provocârunt, quia ex Philos. sententiâ, solvens universale sit ubique & omnibus creatis vitam tribuat: quod quidem verum est, sed ab illis malè explicatur. Non sequitur: Philosophorum materia prima, ad opus universale pertinens, est ubique & sustentat omnia. Ergò in ista qualitate generalissima manens ad opus nostrum adhibetur; potest enim eadem ab ipsâ naturâ haberi specificata & generalitatem exuta: Materiam enim universalem, generalem & specialem facere, est opus solius naturæ, non artis, alias sequeretur hoc absurdum: quòd homo, extra se, ex unâ eademque materiâ universali, sine discrimine, artificialiter constituere valeret modò hominem, modò canem, modò herbam, modò metallum; quod nullus unquam maniacus deliravit; sed necessarium est, ut natura humana istam materiam subigat, sibique appropriet, virtute fermenti inhabitantis, quod etiam de cane, herbâ & metallo, in minerâ adhuc existente, verum est. Objiciunt quidem: Homo per se & suum artificium proximum materiam istam universalem non specificat vel appropriat, sed aurum adjectum, per internum suum opificem, Archeum, hoc præstat. Resp. Distinguendum est inter corpora perfecta, & imperfecta, clausa & aperta viventia & mortua. Totum regnum animale & vegetabile, in respectu ad aurum, est imperfectum, ac propterèà cotidianâ refectione indiget; hæc verò absque individuorum vitâ, & recipiendi aptitudine apertâ, vel ingressû alimenti, obtingere nequit; quapropter absurdum non est, statuere, & hominem & herbam unâ eâdemque quadâ vivere; si distinctio iterùm fiat inter alimentum totale & particulare, proximum & remotum. In aëre quidem est absconditus cibus vitæ universalis, an verò animalia solo hoc vivant, bubulci doceant. Aurum ê contra, corporum omnium perfectissimum, maximè conclusum & planè mortuum est; ideoque nec vult nec potest ullam appositam materiam universalem assimere, quia hoc sine apertione radicali & vigore vitali, quam non possidet, fieri nequit: Vitam verò rebus clausis & mortuis in regno minerali infundere tantummodò queunt res genere ac specie convenientes, eò quòd vita rerum omnium speciei donum est, à Creatore concessum. Ergò universalissima illa materia sive spiritus ad solutionem & regenerationem auri emortui nil facit, sed requiritur proximior genere & specie ipsâque vitâ specifica ornatus. Quod est contra universalitatis rationem; prout etiam Philosophi ubique inculcant dicentes: Nostra aqua non est aqua nubis, sed viva ac de natura solis: Natura vero solis specifica est nullî rei communis, extrà genus & speciem, ergò nullibî quærenda nisi ibidem. Hæc de præcedenti via & mysterio. Circà hanc sequentem alteram, scil. siccam, multas iterum nebulas & fucos concivit tenebrarum Princeps, in naturâ humanâ, per prævaricationem obnubilata, quæ omnia secundùm ordinem recensere, & mihi & lectori tædiosum foret. Unam saltem objectionem communiorem enodabo; quod nimirùm Mercurius currens, in currenti suâ naturâ, Philosophici munus obire nequeat, quia sit metallum &c. Sed respondetur distinguendo inter metallum perfectum & imperfectum, inter incipiens & primum metallitatis gradum tenens, & inter consummatum. Deindè transeat, Mercurium currentem esse metallum, nil tamen

tamen obeſt, ſed potius podeſt noſtræ Practicæ, ad cujus illuſtrationem dicimus, quod coagulatio metallica ſit duplex, una à ſulphure interno bono, altera à Sulphure externo arſenicali: illa eſt primaria & ex intentione Naturæ proficiſcitur; Hæc accidentalis & indirecta, ac propterea ſeparabilis; ſicut præſenti Magiſterio, docebimus. Si ergò coagulator metallicus externus à Mercurio currente removetur, manet utique materia magis currens, quàm anteà, ſed quæ metalli veri etymon portare nequit; quia omne metallum verum conſtat ex duplici, coagulante & coagulato, quorum uno ablato alterum ſtatim mutatur: taceo, quòd Mercurius vulgaris metallum non ſit, ſed potius metallorum materia, quia ex defectu coagulationis durioris, ſub malleo non extenditur. Si enim eſſet metallum formale, pro principio & causâ metallorum à Gebero malè haberetur, quod ſtatuiſſe adſit. Proinde Philoſophorum Mercurius currens metallum amplius non eſt, ſed potius aqua metallica ſpiritualis, omnis coagulationis metallicæ expers, habilis tamen, eam à ſuo ſimili recipiendi, deducendo potentiam in actum, prout paſſim videre eſt apud Bernhardum Arnoldum & totum chorum Sophorum antiquorum.

Sed hic aliquid ſingulare, quod Philaletha non ſine prægnanti ratione omiſit, ex charitate Chriſtiana admonere debeo, ne ego aliis & illi ſibi fruſtrà laborent. Cavendum nempe eſt omni ſolertiâ, ne in iſtâ ſeparatione puti ab impuro, totus Mercurius, in ſcorias terreſtres, nigras abeat, ſicut etiam fit cum Regulo Martiali, per crebram ſalium admixtionem & fuſionem, vel etiam nimiæ copiæ ferri candentis adjectionem, utroque enim modo Regulus puriſſimus in impuriſſimas ſcorias arſenicales totaliter convertitur; quod præmonere volui, ne uniformis, ſimilaris & totaliter impurus habeatur Mercurius, quod imperiti ex iſto errore facilè conjecturari poſſent; hîc enim jacet multa tarditas & duriſſimus nodus Gordius, quem inſcii vix ſolvent, eſt enim reconditus & implicatiſſimus; quod meo damno conteſtari ſatis poſſum, qui Mercurium hoc modo deſtructum, aliquoties ſub larvâ ſcoriæ inutilis ad ſterquilinium projeci, &, poſt unum vel alterum diem, currentem iterum collegi. Qui hanc Charybdim evitare neſcit, licet quoad cætera optimè inſtructus ſit, naufragium tamen certum evitare non poteſt; Sapienti pauca. Si cui verò hæc noſtra ſincera deductio jejuna & incompta apparet, is aliunde ſe informet, ignem dein adeat & ſuum profundum judicium in fine admirabitur.

Duplicis quidem talis Mercurii currentis Sophici, in meo Tumulo Hermetico, mentionem feci, prout etiam è Gebero & Bernhardo colligitur: Verùm ſi ſublimatio illa Geberi, ab iis corporibus, cum quibus non convenit Mercurius metallicus, de differentiâ rerum metallicarum perfectè & imperfectè ſeu inchoativè talium, id eſt, de naturâ metallicâ volatili parùm & originaliter ac per ſe fixa, immalleabili, interpretatur; tunc iſtæ duæ ſublimationes vix differunt: Proinde tutiorem, breviorem, magiſque notam Bernhardi cum omnibus manipulationibus trademus, quæ tamen etiam ex parte ab Anonymo Philalethâ eſt deſcripta, licet ſuæ ipſius fabricæ fundamentalem rationem vel neſciverit, vel ſubticuerit, ſicut in meo Tumulo Herm. argumentis & demonſtrationibus infallibilibus evictum eſt. De re ipsâ & bonitate iſtius Mercurii nil dico vel reprehendo, ſed tantùm de fundamento Magiſterii, quod longè melius & clarius toti mundo literato, ſequenti ſchemate proponimus. Requiritur autem ad hanc Practicam 1. vinculum Mercurii, cujus indiſcreta quantitas nil nocet; ſed, quantum placet, ſufficit. 2. Ignis mineralis, naturalis. 3. Ignis contrà naturam. 4. Draco Babylonius alatus, & 5. Draco terreſtris. Hæc omnia, ope Vulcani claudicantis, Neptuno, Deo noſtro matis, tranſmittantur; ille deinde Draconi alato hoc noſtrum Chaos objiciet, ut ſuo veneno beſtias omnes maris interficiat, eaſque ad vorandum vulturibus & aquilis relinquat, ſolùm verò unicornu marinum ipſi remittat. Hoc præmito, Saturnus, Deus Terræ, luſtrabit ripam maris, beſtiaſque interfectas advertens; eas ex ſuo territorio proſcribet & ad infima Tartara detrudet, ſolumque Serpentem viventem adhuc & ſemi exanimem refocillandum Neptuno reſtituet. Intereà Draco terreſtris unicornu marinum, languidum conſpiciens, amore ejus capitur, & nuptias contrahit; quia verò animalia venenata & non venenata, abſque ingenti noxâ vix coire poſſunt, propterea poſt unam vel alteram cohabitationem, unicornu marinum moritur, putredinem concipit & terribilem fœtorem emittit, quo ipſe etiam Draco terreſtris interficitur, ac brevi poſt emoritur; hinc ſtatim tempeſtas oritur in aere à tetricis halitibus ſulphureis aſcendentibus, igniſque naturæ in aciem prodit cum igne contrà naturam, venti ſæviunt cum horrore, ipſeque Sol & Luna obſcurantur, donec poſt largum imbrem Luna in pleniluniò apparet, pacemque per Mercurium publicatam valvis Cœli affigit. Sequitur explicatio.

Dictum eſt ſuprà ex Bernhardo, quòd hoc negotium peragatur, per ſublimationem ab iis corporibus cum quibus convenit. Sed hîc non intelligitur ſublimatio vulgaris Chymiſtarum, per alembicum, phialam aut ſimilia vitra, ſed Philoſophica. Horum enim ſublimatio, calcinatio, ſolutio, trituratio, filtratio, præcipitatio à vulgaribus Chymiſtarum operationibus longiſſimè differunt, quamvis nonnunquam coincidant, ſicut per ſublimationem vulgarem Mercurii à metallis ſufficienter patet. Pauca enim nigredo, quæ tunc ſeparatur, nihil eſt in comparatione ad copioſam illam, quæ noſtro magiſterio ſequeſtratur, licet enim quis per integrum annum ejuſmodi ſublimationes continuaret, ſcopum tamen præfixum non tangeret, ex defectu mediatoris ſubtiliſſimi, aperientis & ſeparantis (columbarum Philalethæ) Imò ſi cum auro ipſo hæc deſtillatio perageretur ſicut per certam manipulationem eſt poſſibile, æquè tamen fruſtranea in fine reperiretur, ob rationes ſolis Adeptis notas. Propterea aliam quærere ſublimationem, eaque addere oportet, quæ igne ſuo puriſſimo, minerali & metallico, corpus mercuriale heterogenium illuminare, eâdemque operâ terram illam arſenicalem ſulphuream, ex ſuo centro amovere queunt; quamprimùm enim Mercurius ſcoriosus ignem conceptum ſentit, ædificatur de novo à calce uſque ad caput, alaſque aſſumit, relictis ſuis exuviis & calceamentis combuſtis; ſicut veriſſimè docuit Philaletha, Adeptus activus, quem in hoc negotio omnibus commendo; Eſt enim ipſius Practica cum noſtrâ una eademque, in hoc ſaltem differens, quòd tædioſa magis, fœtida & inſalubris eſt, quamvis etiam noſtra ſuo fœtore venenato non careat, & cautum operatorem requirat. Mercurius ex utrâque reſultans non variat nec qualitate nec quantitate, ſed utrobique obtinetur aqua mercurialis, homogenea, puriſſima & albiſſima, à quâ, nullo artificiorum genere, quicquam heterogenei ſeparari poteſt, ſed vel tota in igne avolat, vel per ſeminis tranſmutationem manet uniformis & fixa.

Sed hîc noſtris Particulariſtis aliquid in aurem! Putant enim hi, habitô hoc Mercurio ſophico, quòd, quia purus & Soli in homogeneitate par, imò ſuperior ſit, ille ſtatim in uno vel altero menſe, per præcipitationem & fixationem, in aurum tranſmutari queat; Verum enim verò, & librorum crebram lectionem

coquinæ

coquinæ suæ præmisissent; si per frequentes rerum naturalium resolutiones, generationem metallorum didicisset; si denique stulti non essent, sed scirent, quid quærerent, cum similibus crepundiis domi manerent, & suam ignorantiam non patefacerent. Quia verò 1. studium literarium ex præsumptione negligunt, 2. judicio profundo carent, 3. mundanas voluptates intempestivè sectantur, 4. artem maximam levi labore & casualiter inveniendam volunt, & 5. his non obstantibus magnis defectibus, docere alios, sine theoriâ & praxi, impostoriè præsumunt; Propterea, ne catholicam nostram religionem naturalem, Quakeriano aliquo veneno infectam, discipulis obtrudant, artemque ipsam, alias nigro calculo signatam, plus diffament, breve Examen ipsis propono & quæro: Numquid audivistis ex Gebero, quòd Principia metallorum sint tria; Argentum vivum, Sulphur & ejus compar Arsenicus? Item, quod causa omnis coagulationis sit à Sulphure & Arsenico?

Si hoc sciris; tunc vobis dicò, quod Mercurius Philosophicus omni penitùs Sulphure & Arsenico sit liberatus, per nostrum occultum artificium & propterea causam coagulationis amiserit: quomodo ergò præcipitaretur? iterum quæro: Si dicitis, auro adjuncto; loquimini sicut idiotæ ignorantes; quia scire deberetis ex Philalethâ, quod Mercurius sophicus, cum auro copulatus, parvo igne immutatus, ultimum mundi judicium expectet; magno verò non præcipitetur in aurum, sed vel antè putredinem in pulverem rubrum scoriosum, vel, post eam, in plumbeam nigerrimam ac volatilem substantiam. Si absque auro aurum ex hoc Mercurio vultis, stolidè & ignoranter iterùm procedetis, quia debuissetis discere vel ex Helmontio, quod Mercurius factus virgo, & à labe suâ originali mundatus, nullo igne in formam terræ præcipitetur, ob simplicitatem suam maximam, quâ aquæ elemento comparatur; vel ex eodem Philalethâ, quòd tandem præcipitatum illud, magno igne ac tempore non adeò brevi factum, aurum commune ac vendibile non præbeat sed Philosophicum. Plura non addo ex indignatione, quòd tàm arroganter ac superciliosè ipsos Adeptos actuales, sicut Philaletha est, in disputationem rapere præsumitis, qui tamen de puncto transmutandi plus non scitis, quàm cæcus de colore.

Possem vobiscum altius philosophari ac monstrare mechanicè, quomodò, in & extrà terram, aurum à natura & arte construeretur; sed quia vestra capita, Lunâ & Mercurio fixo (anilibus illis fabellis) sunt repleta, hanc auri generationem non capient, donec helleboro benè sint purificata; quod quia non expecto, nec propterea scribo, ut Asinus Bileam loquatur, sed ne veritas scientiarum Posteris recommendetur: Proinde contenti sitis meo Examine Alchym. si verò neque hunc creditis, libertum esto vobis delirare: sicut enim, secundùm Poetam,

- - - - - *est quadam flere voluptas,*

Ita etiam quandoque insanire juvat. Hæc per digressionem.

Jam redeundum ad nostrum Magisterium, cujus ingredientia, stylo Philosophico, descripsimus, modumque operandi sub ænigmate docuimus; qui Philosophus est per ignem, clariori manifestatione non indigebit. Et, licet perfectum Recipe scripsissem, omniaque suis nominibus propriis consignassem, majorem tamen gratiam non reportassem, quàm Rusticus ille apud Æsopum, qui anguem in sinu educavit, si non planè pro Impostore haberet; quod Philosophi salutariter monent, ne fiat, dicentes: Nemo crederet, si simplicem & nudam veritatem scripsissemus. Ad minimum hoc scio, quod nonnulli me pro mero Theorico & compilatore Harmonico Authorum in arte celebrium proclament. Putant enim, quòd tot sublimes scientiæ & artes Divinæ in unum subjectum cadere nequeant; sed hoc me consolatur, quòd putent, & non sciant. Non sum tam tumida bulla, ut nequam distinguere inter virtutem naturalem, propriam, & ex gratiâ concessam, sicut nec nomen meum proprium, his opusculis præfixi, ne ambitionis vanæ notam apud invidos incurrerem.

Quoad Processum integrum ad Tincturam, hâc vice elaborandam, invenire eum licet sincerè descriptum apud Philalethem: quæ verò etiam ibi sunt omissa, ignis ipsemet docebit. Non meretur vitiosissimum hoc seculum clariorem informationem, nisi concessum sit vera falsis miscere; atque sic Tyronem impetitum seducere, quod nos, tanquam inexcusabile peccatum, meritò aversamur, & proinde nil nisi nudam veritatem, quamvis palliatum, posteris reliquimus. Melius est, nullum docere, quàm centum vitâ ac bonis privare.

Quæstio Corollaris.

Quid sint Remedia Chymica?

CIrciter duo secula retrò, Respublica Medica; in Germaniâ, inquietari cœpit à Paracelso, sub introductione remediorum mineralium, pistillo ignis confectorum, dum anteà in Officinis Pharmaceuticis regnaret Flora cum suis herbis ac radicibus. Multi ex doctis hanc seditionem amplexi, plures exsecrati sunt. Plebs verò indocta, sicut semper novitatis cupida, ita in hoc turbulento Medicinæ statû, non defuit, suum judicium ferre de re incognitâ, paucamque molem istorum remediorum mineralium, poculis nauseabundis decoctorum vegetabilium antepouere: multi tamen etiam ex plebeis, cum notarent, Mercurium vitæ sæpius fieri Mercurium mortis intempestivæ, maluerunt cum senâ & rhabarbara clamare, quàm cum antimonio & Mercurio tacere ac sepeliri. Contrà observarunt aliqui bonum successum istorum remediorum, in habitu athletico & morbis radicatis per accidens emergentem, & priori factæ cum tripudio se adjunxerunt: Pauci verò utriusque nuditatem & vera remedia Chymica scierunt; relictâ discordiâ inter Medentes, de remediorum horum præcellentiâ, ab Experientiâ desumendâ, utraque enim pars Disceptantium sua specimina allegabat, nemo autem ex illis certò sciebat, cui causæ affectus secutus sit adscribendus; ex mundi totius inveterato & populari malo, quod est, videre tantùm, quid fiat, & non scrutari, quomodo factum sit. Dubitarunt pauci prudentiores, mediam viam eligentes, censebant, non incongruum fore, nec humanæ naturæ exercitium, si vegetabilia Chymico more tractarentur, & in Essentias vel tincturas, concentrarentur; hoc enim modo, palato ac ventriculo magis arriderent; quo quidem stratagemate licet parùm effecerint in prælio contrà morbos, in gradum surrectos; toleratum tamen est nomen & modus Chymicus operandi in officinis eâ ratione hucusque: Mineralia verò remedia & arcana polycresta, (si credere fas est) ceu corruptæ rationis & obliquæ experientiæ partus, cum aliis quisquiliis, ex usû medico rejecta sunt; & quidem non iniquè: Licet enim illa remedia Chymica, quibus immortalem sibi famam conciliavit Paracelsus & Helmontius, omni honore digna sint, succedanea tamen illa vulgaria, à putatitiis Naturæ interpretibus, Crollio, Poterio, &c. inventa, cimiteria potius saginant, quàm ut generi humano pollicitam opem medendo præstent. Distinguendum igitur est inter

eſt inter Remedia Chymica Paracelſica, Helmontiana & aliorum Adeptorum, quæ vel etiam ſimul ipſa metalla tangunt, vel in virtute parùm ſunt inferiora, & animalia ſola reſpiciunt; & inter Remedia Chymiſtarum vulgarium, quæ prioribus ex diametro ſunt oppoſita. Illa enim plerumque in igne indomita perſiſtunt & illuminativè agunt, malignitate minerali vel introverſâ vel tranſmutatâ; hæc verò cruda, venenata, groſſa vel etiam obtuſa exiſtunt venenoſitate minerali, per ſolventia contraria magis exaſperatâ aut planè enecatâ, ſicut apparet in Antimonio ejuſque vitro ac floribus, de quo veriſſimè Helmontius edicit: Antimonium & Mercurius, quamdiu vomitus ac ſedes movent, non ſunt boni viri remedia, quamvis etiam contrarium non ſtatim ſequatur, ſi tantùm ſudorem cient & vulgari modo præparata ſunt, teſtante Antimonio diaphoretico officinarum, quod efficaciâ à Cornu Cervi uſto non differt; utrumque enim igne violento eſt deſtructum & nil niſi calx mortua, quæ cum acido ventriculi fermentatur atque ſic per accidens ſudorem propellit. Ut enim metalla & mineralia aſtralem ſuam Naturam in nobis deponant, tenebroſam Archoi infirmitatem illuſtrent, vel intrò ad penitiora tranſmittantur, ac nobiſcum quaſi confabulentur, opus eſt vel Liquore Alchaeſt, vel Sale circulato majore aut minore. Hæc enim tria ſolventia Naturæ, tantùm & unicè, poſſunt metallica & mineralia corpora demulcere, aperire & claudere, ubi hæc deficiunt, quomodocunque torqueantur mineralia ſubjecta per Chymiam vulgarem, nil tamen efficiunt electo Medico dignum; quia vel deſtruuntur per igneas qualitates vehementes, vel in malignitate ſuâ exaltantur per ſalinoſas additiones, &c. In verâ autem Philoſophicâ præparatione nulla eſt deſtructio, ſed reductio, nulla mortificatio veneni, ſed incluſio & tranſmutatio; id quod ſolventia ſalina vulgaria præſtare nequeant, quia tantùm cortice tenus ſubjecta ſolvunt, ſuperficialiter corrodunt, & uno verbo nil niſi diſgregant. Quòd ſi verò ſulphuream partem à mercuriali extrahunt, etiam contrà intentionem Naturæ agunt, quæ unionem horum radicalem unicè intendit. Unde etiam ejuſmodi Sulphura deinde voto non ſatisfaciunt, niſi vehiculis ſuis certis committantur, quibus mediantibus iterum radicaliter ſolvantur & intrò adigantur.

Concludo ergò cum Helmontio, quod omnia Remedia mineralia & metallica, abſque Alcaheſt, ſale circulato majore aut minore facta, ſint nullius momenti; quod Scholæ Medicæ, hoc tempore, à poſteriori, ſubolfactæ, remediis illis Chymicis vulgaribus, Galenica & ſimplicia vegetabilia meritò anteponunt, licet enim miracula non ſemper præſtent, conſcientiæ tamen ſuæ melius conſulunt, quàm iſti mineralium coqui & braxatores ſpurii cum ſuis putatitiis Chymicis arcanis. Cui ſanitas & vita cordi eſt, ſequatur meum conſilium & fugiat iſtas Syrenas. Non eſt minerale vel metallum in totâ Naturâ, quod ego non in & extrà ignem, cum ſolventibus variis, aliquando per integrum annum & ultrà continuatum, ope vulgaris Chymiæ, examinaverim; ſed, ſi dicerem, quòd eventus meæ expectationi & deſcriptioni taumaturgicorum iſtorum arcanorum ſatisfecerit, mentirer ſicut nequam. Nil quidem novi, dum hæc aſſecuro, Medicis doctis & ſolertibus, in Germaniâ, aperio, qui paupertatem ſuam, hac in parte, & igne & experientia imperteſâ, jamdudum ſunt edocti; ſed monere tantùm volo illos, qui Medicinam non profitentur, & tamen curioſuli ſunt, ne inopinatum quid ipſis accidat; licet enim cordati Medici, in Germaniâ, Chymiæ vulgari vix amplius patrocinentur: quia verò Germani ab omnibus fermè Nationibus, pro gente ſtupidâ, indoctâ ac brutali habentur, eò quòd ſcientes non æſtiment, ſed alios proinde multi extranei, diverſarum Profeſſionum, noſtratibus imponunt, cramben duodecies coctam ac rejectam, ſub arcano ſolis Exteris noto, apponunt, magno pretio vendunt, & domum divites reverſi, riſu penè crepunt.

Quòd ſi ergò Principes ac Magiſtratus Paſtores eſſent ſuæ gregis, & ſabbiam iſtam Carbonariam ſuperbam, cum cremato vitriolato, univerſalibus Panacéis, Tincturis & Arcanis arcaniſandis, ad ultimam Thulen relegarent, opus præclarum peragerent, & omni memoria dignum. Nam efficerent 1. ut Medicina antiqua ſalutaris ac tuta ſuo nitori priſtino reſtitueretur, & tam iniquè ac indignè ab iſtis ciniflonibus non tractaretur. Quamprimum enim à malecontentis & impatientibus infirmis talis Taumaturgus opinatorius, Chymiſta, in auxilium vocatur, tunc ſtatim prima querela & vociferatio eſt ſuper Medicos ordinatios Civitatis. *Vah, quam planè nil ſciunt hi homines! longè deviant à veritate, non intellexerunt morbum, nec tria Principia Chymicorum. Cauſa hujus morbi eſt Cagaſtricum reſolutum, non aqua intercus, &c. modò ante ſeptimanam vocatus eſſem; & in 24. horis ſanitatem reſtituiſſem: quid eſt cum iſtis Doctoribus Galeniſtis? Nil ſciunt, niſi ſuas herbas, &c. Deus cuſtodiat hominem unumquemque ab illis. Sed quia factum infectum fieri nequit, propterea ſollicitus ero de reſarciendo hoc eri ore, cum hac tamen præcautione, quòd infirmo nil poſſum promittere, quia nimis tardè vocatus ſum, diſtructâ naturâ, ab iſtis Doctoribus, non tamen deſperare etiam jubeo, ſed faciam, quod meum eſt: Habeo hic egregium crematum, quod baſio Veneris & Martis eſt impregnatum, hujus tantùm unicum cochlear cotidiè ſumptum mirabiles effectus edit, licet inſenſibiliter operetur: deinde eſt mihi quoque Panacea Solaris, quæ omnem dolorem aufert & inſuper morbum ejuſque cauſam per ſudorem expellit. Vera enim Medicina Chymica non niſi per cutaneos poros & diaphoreſin operatur.*

His & ſimilibus convitiis Medici docti & expertes ab iſtis luſciioſis ſciolis lacerantur, licet illos ipſos aliquando, per propria remedia mineralia deſtructi, ſalutares, ſatis doctos & potius θεῶν χείρας experti, ſint me inſpiciente & annotante in diverſis locis. O quàm bonum imò præſtantiſſimum fuit tunc ipſorum ſtomacho irritato ac vomenti, electuarium ex aſtringentibus, Cordialibus & ſtomachicis, cum emplaſtris & unguentis ſimilibus adhibitis, tinctura etiam roſarum ſua laude non caruit, quàm tamen ſæpius ſannis ac ludibrio exceperunt: Ipſorum verò eſſentiæ & tincturæ ex auro, gemmis, &c. tunc temporis pauſabant, quia nihil cauere valebant. Sic tandem ſerò ſapiunt Phryges, tertio interim ſeducto & patiente. Quando enim talis Doctorellus Chymicus Medicis ordinariis tàm nequiter & calumniosè inſultat, Sapientum antiquorum dicta & fundamenta, detruncato ſenſû, ſicut Diabolus ſcripturam, allegat, & alienis Medicorum plumis, corniculatum inſtar, ſe exornat, tunc ſæpè non tantùm plebs, ſed etiam magnates, aures credulas ei præbent, quô emolumentô, dicant ipſi. Ego tantùm hoc vidi, quod plures ad æternam quàm temporalem vitam per iſta maligna remedia fuerint ſuſcitati, taceo ſæpè morbos communes ac leves eorum vehementiâ exaltatos & anonymos factos, naturâ intempeſtivè ſtimulatâ. Si igitur tales Agyrtæ & violenti naturæ pediſſequi ex civitatibus abrogarentur, conſervarent pro 2. Reſpublicæ ſuos ſubditos & proſpicerent ſibi de Medicis, modo vero & ordinario, per Doctrinam Galeni & Hippocratis, graduatis. Veri enim Chymici, ſicut ſunt rariſſimi, ita aliorum ope non indigent, nec morbos ſanant, niſi ex gratiâ, abſque ullâ exactione pecuniæ,

pecuniæ, quàm non rarò, ipsimet copiosè construunt. Quare in Regulam pono. Quicunque Titulum veri Chymici prætendit, ostendat prius in loco publico, vice Disputationis vel Examinis, Scholis usitati, vel Liquorem Alcaheſt, vel sal circulatum majus aut minus, vel ipsam Tincturam metallicam, & tunc gloriętur de præeminentia super Medicos Dogmaticos Scholarum, citius non.

Ex his præmissis constat qualia sint vera remedia Chymica, & ubi quærenda, scilicet apud Adeptos actuales ac veros Philosophos, non illos Destillatores mineralium, licet centum artificiosis furnis sint instructi. Imò multitudo & architectura furnorum curiosa tanquam digito monstrant, ipsorum Herum adhuc in Tyrocinio versari, ac nil minus esse quàm Galenum, omnium autem minimè. Naturæ humanæ ac metallicæ Imperatorem. Vera enim scientia Chymica non indiget Chrysulcâ spiritu Nitri, Salis Sulphuris &c. nec utitur vitris circulatoriis, pelicanis rostratis, receptaculis amphoratis & monstrosis aliis præparatoriis, ex ære, ferro & terrâ effictis, sed unicâ quandoque destillatione simplici totum negotium absolvit; quia naturam sequitur, ejusque instrumentis competentibus occultis operatur, quamvis etiam in Arcanis majoribus, per caudam vulpinam, autum non producit, sed singularia ingredientia & instrumenta exposcit. Remedia verò hac arte præparata sunt plerumque fixa & tanquam specula lucentia, quæ nostrum vitale lumen illustrant, mortisque nuncios, tenebras, in spiritum vitalem irruentes, expellunt, atque sic per se & positivè morbos tollunt. Nonnulla tamen falsa sunt, ex saturatorum genere, quæ proinde, indeperditis viribus, coctiones omnes tranſeunt & obstructiones viscerum aperiunt; quædam etiam utrumque præstant. Purgans verò nullum hoc Pharmacopolium Philosophicum dispensat, præter unicum Mercurium Corallatum genuinum Paracelli. Cætera omnia per transpirationem, urinam vel sudorem opitulantur; quod unusquisque, Galenicæ Medicinæ pertæsus, apud suum Medicum Chymia insignitum, prius expiscari potest, antequam se suosque periculosè prostituat & Medicos ordinarios Dogmaticos contemnat.

Epilogus.

Magna parvis includere, delitiosum magis quàm tædiosum. In Præcedentibus paucis pagellis, stylo currenti signatis, delineata & exstructa vidisti, judicioſe Lector, duo pulcherrima totius mundi Palatia: Unum Hyemale; alterum Æstivale, utrumque muro triplici circumdatum & Ponte sublicio firmatum, ne pecudes campi casualiter hanc hominibus solis consecratam habitationem intrent ac defœdent; quia verò Dominus sive Patronus eorum, sapientiores tantùm ex hominibus, pro inquilinis elegit; proinde cuique Arci suum Portenarium præfixit, qui advenas hospites, unde veniant & quid sciant, rigorosè examinet. Hoc officium janitorium est valdè molestum, ob multitudinem & importunitatem intrare volentium; quamvis enim ex mille vix unus examen sustineat & intromittatur, cæteri tamen rejecti die nocteque tumultuantur, omnemque somnum impediunt. Multi enim precariò, multi clanculùm, plures armatâ manû Portam frangere & intrare cupiunt; sed quia hi custodes multiplici armorum genere sunt muniti, omnes tandem nil nisi plagas & insanabilia vulnera, ex ista insulsâ & illegitimâ luctâ lucrantur. Proinde tutius longè est, cum amico amicabiliter præcedere & rem togâ acquirendam sago non expetere. Quia verò amica informatio istud solenne Examen valdè facilitare potest; propterea omnibus & singulis peregrinantibus hujus Examinis summa capita prodam, ut se in itinere præmunire, & quid respondendum sit, queant præconcipere. Consistit autem prædictum Examen in tribus quæstionibus. 1. est, quales sint hospites? 2. quid sentiant de illis Palatiis? & 3 quibus artibus ibi vivere intendant? Quoad primam quæstionem, quisque semetipsum commendet; quoad secundam, quæ omnium intricatissima, spinosa & ambigua est, propiorem doctrinam suppeditabimus. Involvit autem ista quæstio aliam, nimirùm, ex qua materiâ remotâ & proximâ hæc duo fortalitia sint ædificata: Ubi sciendum est quòd Hyemale non constet, ex silice, calce vivâ, lateribus, terrâ pinguì virgineâ (quam stulti unum vel alterum pedem subtus Horizontem effodiunt) neque ex pyrite, lapide calaminari, aramento, lazureo, amiantho, antimonio, arsenico, argento vivo, borace, cerussâ, cinnabari nativo, magnesiâ, marcasitâ, minio, ammoniaco sulphure, talco, vitriolo, hæmatite, cobalto, cretâ, smiride, vel etiam pinguì illâ venenata materiâ, quæ se in cuniculis subterraneis agglutinat & à metallurgis Gur vocatur, neque ullo alio metallo, exceptô Solis coagulo, sed ex merâ aqua hylegiali crystallinâ & terrâ virgineâ salsâ, tanquam subjecto remoto & proximo. Verùm quia Janitores hi sunt astuti & nil credunt, nisi quod videant, propterea opus est, ut hujus salis partem aliquam in medium producas, per salia enim est introitus, propriè & impropriè sic dicta. Æstivale verò constat, quoad materiam remotam, ex 5. lapidibus, quoad proximam, ex purissimâ, nivcâ, aquâ igneâ, inde expressâ. Possibile quidem esset, similem arcem ex aliis etiam lapidibus & terris construere, sed quia nimis duri, ligoni & torno non obediunt, multumque temporis exigunt; melius est in illis acquiescere. Quod enim potest fieri per pauca, non debet tentari per plura. Rejiciuntur ergò cum prioribus enumeratis subjectis omnia metalla, exceptis duobus, igneo & aqueo. Sed quia Portitori, etiam hæc generalis responsio non sufficit, ostendas ipsi illa tria requisita extrà-Essentialia, quę tanquam medium requiruntur, & statim quæstio hæc erit soluta, ac Tu non pro hospite, sed Amico intimo susceptus. Ratione tertiæ quæstionis, multa de novo inculcare supersedeo, quia adeò difficilis non est & præterea Portenatius ipse, ex amicitiâ contractâ, suppetias debitas tibi non denegabit. Intrabis ergò, paulo post, per varios porticus ac pavimenta, auro gemmisque relucentia, & in superiori contignatione, super portâ interiori, sub pinnaculo, in splendidâ turriculâ conspicies Democritum flentem ac ridentem. Cubicula verò cætera magna sunt & Persico luxû repleta. Mane vel in æstivali vel hyemali, vel in utroque suo anni tempore; perinde est, non deerit tibi quicquam temporale; vide autem, ut æternam quoque beatitudinem cum hac conjugas. Interea fruere desideratâ felicitate, maximâ & ingenuè confiteare, annon, favore & informatione nostrâ, ex infinitis miseriis relaxatus, gratias immortales nobis debeas.

Vale.

TUMULUS HERMETIS APERTUS, *in quo ad Solem Meridianum sunt videndæ, antiquissimorum Sophorum absconditæ veritates Physicæ & Recentiorum quorundam erroneæ opiniones de laudatissimo illo liquore* MERCURIO PHILOSOPHORUM, *ità, ut jam cuilibet, etiam mediocriter ingenioso, Regia via pateat ad hoc Mysterium perquirendum, inveniendum & præparandum, in gratiam errantium*, illuminatus ab ANONYMO PANTALEONE, Sophiæ Hermeticæ Adepto.

Epitaphium Tumuli.

BENEVOLE LECTOR!
QUICUNQUE SIS, ATTENDE,
HEIC LICET CONSPICERE
MONUMENTUM VERITATIS
NATURALIS,
NATÆ QUIDEM
BENIGNO COELI FAVORE, OBSTETRICANTE INDUSTRIA HUMANA,
DENATÆ VERO
SUMINE LETHALI INVIDIÆ, JUBENTE ID
FATORUM INCLEMENTIA,
DUM VIXIT,
GEMMIS AUROVE NITIDIOR, ADMIRATIONUM MATER FUIT
JAM,
FABULA VULGI FACTA,
REQUIESCIT PROPE ACHERONTA, LOCO
HORRIDO ET INACCESSO.
BUSTUM CUSTODIUNT IN CALIGINE
TANGIBILI
NOCTUÆ LUGUBRES CUM TREMENDIS
INFERNI POTESTATIBUS.
OSSA SI FORS PETIS LUSTRARE, SCIAS,
HUC NON CLUERE VIAM, NISI
COELITUM CONDUCTU, SUB
POENA CLADIS ULTIMÆ,
INGREDERE,
SED NON,
NISI ILLUMINATA MENTE,
ET
FIDO COMITATUS AMICO.

AD MOMVM.

Indulge genio, Mome, & quæ non capis, carpe, eveniet tamen paulò post, ut defleas, quæ jam rides, experieris enim serò nimis, quod verum sit adagium Græcorum ῥᾷον μωμᾶσθαι ἢ μιμᾶσθαι, facilius est reprehendere quàm imitari.

PRÆFATIO.

CAndide Lector! Ecce iterum novum Athletam; nuper in hanc arenam descendere persuasus sum, fateor, nunquam enim fui intentionatus, sub vexillo calami famam capessere, eò quod à longo tempore Scriptores Chymici malè audiant, & pro impostoribus Synonymûs recipiantur; An jure vel injuriâ hoc fiat, judicent prudentes. Causa verò hujus Encomii videtur esse sequens; plurimi enim ita procedunt: Ubi per aliquot annos, crumenâ & sanitate exhausti, omnes anfractus cerebri evacuârunt meraſque inanitates ubique jam relictas tenent, ne famam longo labore partam protinus etiam amittant, arripiunt calamum & conjiciunt in charlam Speciosos suos Processus, unicuique obicem ponentes, nec vilipendatur, sed pondus acquirat sua obscuritate; & licet lucrum aliquando parum exinde emergat, malunt tamen sueri suâm reputationem, & tales hâberi, quales non sunt; cum ingenti lâsione conscientiæ, quàm ingenuè errores confiteri vel tacere; concludunt forsan sic: Si nil aliud reporto à meis furnis, manebit tamen mihi titulus viri docti & eloquentis; quis scit, quo modo mihi poterit prodesse, licet non in hâc Provinciâ; juxtà Poëtam: Semper sibi pendeat hamus, quo minimè credis gurgite, piscis erit. Ego verò à juventute usque pauciloquus, in progressû siniſtrum omen dicacitatis Scholasticæ notans, deprehendi eam, ut plurimùm demonstratione reali orbatam, pauperioremque Codrô, ideoque rejectâ illâ, statui rem ipsam potius venari quàm verba, nec, secundante DEO, defuit successus, non enim darem meam Scientiam realem pro toto gazophylacio rhetorico & logico; utrumque laudo, sed non comparo. Quiâ verò hac literariâ tempestate plurimos video navigare sine remis, solo opinionis vento promotos, paucosque scire, quorsum tendant, sed tanquam Pyratas sub incertâ elevatione oberrare, sibique, per Praxin istam fatuam, aliquam nauticæ Scientiæ famam, conciliare. Proinde ne juventuti credulæ plus justo nebularum vendant, & multitudine mendaciorum sucrum veritatem nostram Physicam ex memoriâ mortalium, plavè eripiant, induxi tandem animum, venalis esse, non ut mihi gloriolam ex hoc mustacco quærum, sed ut errantem inter tot myriades Scriptorum in viam rectam deducam, & à scopulis naufragosis custodiam. Dubitavi quidem diù an inter tot nugatores prostare velim, & judicium vulgare tolerare; sed vicit amor proximi quærentis, quòd enim mihi placuisset, & aliis non displicebit. Dolendum certè est, quod sartores, sutores & cerdones longè sint honestiores, quàm plurimi vestrorum scribentium; servant enim, quæ promittunt, & propterea honorem merentur: sed hi putant suo muneri satisfeciſſe, si diserte, tersè ac callidè multa volumina typis evulgent; an verum sit vel falsum, quod scripserint, nil spectare ad ipsos, sed plebejis convenire, se verbis alligare & promissis stare: quasi verò generosa nobilitas ex camarina mendaciorum ortum suum duxisset. Jurant quidem nonnulli per totam Oeconomiam cœlestem, & secùs judicantes devovent ad infima Tartara: Verùm enim verò quàm turpiter ego & alii per nequissimas hominiformes bestias decepti sumus, non est hujus loci; fieret enim volumen, non tractatulus. Stultissima res est, & insuper inexcusabile piaculum, scribere verba sine re, & scienter posteris imponere. Amore DEI! quid cogitatis? Christiani, si judex supremus ab omni verbo otioso rationem postulat, quid vobis fiet, qui integra volumina, sine re, posteritati venditis, & dulcissima pignora amoris, ætate, sanitate, pecuniâ, honore & vitâ privatis! quis nostrum est, qui non doleat, qui de hoc vel illo Authore, quòd seductus ab eo sit per multos annos? quoties ego exclamo? O mihi præteritos referat si Jupiter annos! non quòd ipsos Venere & Baccho inutiliter triverim, sed quod per multos fruſtaneos labores, ex istis maledictis libris haustos, tempus & sanitatem destruxerim. Sed quid vos, librorum sputatores, angit, quòd tacere non potestis, si nil nisi verba, quæ pectus non exsaturant, depromere vultis? Sola certè ambitio vos strangulat & boare facit, alias nil, de vobis verum est Germanicum proverbium, viel Geſchrey/und wenig Wolle. Expectate modò, crudeles posteritatis hostes! Dies suprema vobis dabit mercedem, & Tabulam primam Decalogi ita explicabit, ut secundâ non indigeatis; nunquid satiùs

tius fuisset, tacendo Philosophus manere, quàm scribendo impostor fieri: qui arcana non vult evulgare, si quidem maximum arcanum est, arcana arcanis tegere, ille etiam sua mendacia domi servet, iisque pinguescat. Longè melius consuluit suæ famæ ac conscientiæ lumen illud Belgicum, Helmontius, licet non unusquisque ipsum assequatur, vera tamen scripsit; non enim est necesse, ut quilibet è tribù Levi, similibus arcanis, pavonis in modum, gestiat, sed sufficit, veritatem ex propriâ experientiâ posteris reliquisse, ne scientiæ & partes pereant. Qui judiciosus & ad hoc electus est, statuto tempore inveniet, quod quæsivit, vel altum tacentibus Processuum scriptoribus. De me hoc sanctè affirmare audeo, si librorum lectioni speculationes prætulissem, easque cum praxi copulâssem, tot innumeros labores & miserias non sensissem. Quare mactate animis, sodales charissimi, præmansum quidem nil vobis præbeo, sed sequimini meum consilium: relinquite vestros Processus, considerate intellectualiter subjectum, quod vobis præ manu est, orate & laborate, facem vobis præferam; locum & materiam nomine signabo, modum etiam procedendi, quantum conscientia permittit, tradam. Nil scribo, nisi vera, & mea, à nemine; nisi solo DEO, per improbos labores Herculeos, à multis annis insequenter exantlatos, communicata. Fundamentum & τὸ ὅτι dederunt libri, de cæterò nihil. Ego verò in his paginis talia scripsi, qualia typis nunquam fuerunt consignata. Estote ergò hilares, seduli ac constantes, nec desperate, quamvis non statim succedat, sed cogitate, quòd secundum Græcorum proverbium, χαλεπὰ τὰ καλὰ pulchra sint difficilia.

CAPUT I.

Probatur Titulus.

IN aprico est, nec facilè negabitur, nisi ab eo, qui rerum Naturalium planè est ignarus, unicam veritatem Naturalem è puteo Hippocratis eruere, plus ingenii, vitium, laboris ac temporis requirere, quàm ipsum fontem Hippocrenen cum totâ Philosophiâ sermocinali ebibisse, eò quod hæc ex institutione, lege & observatione hominum prognata est, & pingui otio addiscitur; illa verò suos natales debet ipsi Naturæ, Spiritui invisibili, Deique omnipotentis Vicario, ac prætereâ caliginosa nocte Orphei in tantum premitur, ut, si nonnunquam in lucem prodire oportet, non uno Hercule, sed ipso domitore mundi, elemento ignis, ejusque terribili tortunâ, indigeat; imò neque sic facilè comparet, nisi interveniat jussus ejus, coràm quo montes dehiscunt & abyssus surgit. Exemplis si vel lemus agere, maxima eorum copia ex omni seculo suppeteret, qui nudam sine veste Dianam omni possibili modo & solertiâ per saxa per ignes quæsiverunt, sed vel non invenerunt, vel inventam accepto Cervino intellectô non agnoverunt, & propriis industriæ Canibus præda facti sunt. Deplorant etiamnum hodiè in multis locis viduæ cum pupillis, maritorum ac parentum prodigiosam prodigalitatem, in rebus Alchymisticis sine lucro locatam, excepto, quod loco lapidis calculum, & loco tinctura artus tremulos ac paralyticos reportârunt. Propterea tamen non sequitur, casta nux est, somnium & civitas Platonica, quod Alchymistæ quærunt: Tumulata siquidem est Veritas naturalis, & insuper casta Virgo, non prostibulum mercenarium, cuique obvium. Habeant sibi sutores, quòd in pice hæreat, maledicant sibi Sepulturæ, quod relicta medicinâ hominum, metallis longè firmioribus clysterem meditati sint, & malè applicaverint: Quid rei nostræ Reginæ cum Balneatoribus & Ambubajarum collegiis? Non propterea auri faber metallorum principia callet, quòd metalla ipsumque aurum affabrè effigiare didicit: Quid tusticis intercedit familiaritatis cum hâc nostrâ Principissâ, quæ munita loca & arcem inhabitat triplici muro circumdatam?

Denique Amice Lector, nunquid putas hanc cœlestem prolem carere paternâ curâ & amore, ita ut quilibet lascivus hircus posthabito Pareutis consensû, eam in suum thalamum rapere ac violare possit? Minimè gentium. Imò ne hoc fiat, mortalium oculis erepta, & Teriæ, Jovis filiæ, commissa, in ejusque gremio sepulta est. Non jacet super pulvinaria molliscula, nec splendet vestimentis purpureis auroque distinctis, nec exspatiatur per læta salicta & amœnos campos spectatum, neque spectetur ut ipsa, multò minus choreas ducit & procos quærit pro more puellarum, sed Regiâ quâdam generositate vult potius delitescere intra brachia saxea & cimmerias tenebras, quàm ab Indignis sub molli pluma osculari. Talis hucusque fuit nostra Titonia, eritque, donec seculum combaretur in favillam.

CAPUT II.

Suggerit causas.

COmmune dicterium perhibet, Naturæ Symmystas plerunque esse Atheos: quod absque distinctione planè falsum & sesquipedale mendacium est; Sequens verò antiquorum Magorum proverbium est verum atque longè verissimum, ubi dicunt: Nostræ ars vel invenit bonum, vel facit bonum. Admirerim quidem lubens, & cotidiana Experientia loquitur, quàmplurimos artis Chrysopœiticæ amasios Bacchanalia per totum annum vivere, parcosque Dei cultores existere; Sed hoc etiam adjecerim, quod meo & omnium rectè sentientium judicio illi ipsi Pseudosophi tàm longè absint ab aureo vellere, quàm cœlum à terrâ oriens ab occidente, & album à nigro; imò ausim asserere, nunquam vixisse talem adeptum, & planè esse Sydroxylon, sapiens impius. Hoc ad minimum verum est, quòd impietas, præprimis pecuina lascivia, sit signum inseparabile impostoris & ignorantis? Sapientissimus enim cordium scrutator nemini unquam claves concessit ad fontem vitæ, nisi quem vitâ dignum præscivit: videant ergò illi, qui ejusmodi Satyros, & bestias rationales, ob puratitiam suam scientiam, magnificiunt, ne frustrà à dumeto uvas & à tribulo ficus exspectent. Principalis enim causa sepultæ nostræ veritatis Hermeticæ est, Deus optimus maximus, secretorum omnium Parens; hic, cùm oculo carnali sit incomprehensibilis, suos quoque thesauros eidem abscondit. Amici quidem aliquid præstare possunt, sed id non absque directione Protosophi altissimi, per media agentis. Et, si vel maximè per technas Politicas aliquando contingit, quòd ejusmodi porcus ad delubrum venerandum Naturæ deducitur, nil tamen vel efficit, vario modo occœcatus & impeditus ex justo Dei judicio. Secunda causa hujus sepulturæ sunt Adepti. Homo enim, quà talis, vix caret invidiâ, præprimis in rebus magnis, sicut videre est in nostræ artis Antistite, Hermete, quid enim Tabulâ ejus Smaragdinâ est obscurius? citius te triformi Pegasus expediet Chymerâ, quàm labyrinthæo hoc ænigmate Oedypus. Ejus vestigiis fideliter insecuti sunt Geber, Raymundus Lullius, Arnoldus Villanovanus & alii. Arabs, sicut ingenio magis illuminatus & judicio ponderosus, ita etiam magis distinctè & dogmaticè sua proposuit, reticendo tamen ferè ubique vel amputando punctum, de quo lis est.

Lullius,

Lullius, Vir ingenii subtilis ac subdoli, palpum perfectè obtrusit mundo, advertit nimirum, quòd Scholæ Latinæ, à Græcis seductæ, pro summo apice Sapientiæ teneant, si quis promtè, argutè & eleganter sermocinari queat; proinde, omnes angulos Logicæ ac Rhetoricæ excutiens, suam veritatem vestivit, obliteravit & planè sepelivit, sicut ipsius testantur; placuit tamen tunc temporis orbi literato tenertinè. Similem laudem affectatus est Arnoldus Villanovanus, magis tamen adamavit obscuritatem Laconicam, quàm fraudulentam dicacitatem, scripsitque suum Rosarium Spinosum, in quo explicando ipse Apollo lassabitur: & dato, quòd emolumentum aliquod senserit Protechnia ex ipsorum scriptis, prædecessis seculis, illud tamen omne iterum eversum est per novum dogma Comitis Bernhardi Trevisani, diversum planè à veterum methodo procedentis. Priores enim Sophi simplicem homogeneitatem Mercurii posteris recommandabant; hic verò, repudiatâ illâ suum Mercurium duplicatum in scenam deduxit, cum tàm constanti & sonorô applausu, ut ne unicus quidem Magistrorum, quòd sciam, hucusque de ejus præstantiori prævalentiâ dubitaverit, sed omnes uno ore hunc vitum pro Oraculo D. Iphico adorantes, & sibi invicem subscribentes putarunt, Naturam procedere secundum leges Arithmeticæ, & duplum simplo esse præferendum; quod, num rectè factum sit, in subsequentibus elucescet: Notando saltem hîc, quod singularis Spiritus confusionis, ex alto mortalibus transmissus, hanc diversitatem introduxerit, ne semper uni rei intentus Intellectus humanus tandem penetraret, clavam Herculi eriperet, & summa imis misceret. Actum enim esset de lusu Comico hujus Amphitheatri, si homines promiscuè divitiis & sanitate pollerent, fieretque merè Tragicus; nemo enim, nisi vi superatus, alteri inserviret; taceo nefanda scelera, quæ Diabolus in suis membris in despectum Creatoris excogitaret. Totus enim mundus, in maligno positus, nil quicquam boni promittit amplius, vitia surrexerunt in locum virtutis; adulatores, moriones, garruli, thrasones & impostores callidi equis vehuntur, prudentes verò, & quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, pedes eunt. Ideòque non adeò culpandi sunt nostri antecessores, quòd fideles Naturæ Secretarii fuerint, cùm absque hoc ars transmutatoria indies invalescat ethicè, non physicè; ubique ferè vertitur aurum in plumbum, id est, aurea tranquillitas, charitas, æquitas & veritas per ignem Invidiæ frigidum destruuntur & transmutantur in plumbeas scorias iniquitatum infernalium; quid quæso, accideret, si etiam illa altera physica Metamorphosis juris publici fieret, annon mutuâ internecione orbis vastaretur? Ecce, hæ sunt rationes impulsivæ tumulatæ nostræ Veritatis physicæ, prægnantes certè, & quæ omnem amorem Adeptorum ergà genus humanum potis sunt extinguere.

Ne tamen & me eodem nigro calculo cum cæteris authoribus signatum posteritas irrideat, promissa servabo, marmoreas postes nostri tumuli effringam, ostiumque serrarum pandam, ita tamen, ne quodlibet Fortunæ decernem sine ingenio & labore venustam hanc Deam protrahere & sibi subjicere valeat: Satis est, si doctoribus, & quos vigilatæ ex ordine noctes ac sudores macerârunt, tanquam fidus Proxeneta, Sponsam desideratam adduco. Tironibus verò sanitatem & loculos tectosque servo, ac viam ad sepulchrum hoc reclusum monstro, tædamque præfero.

CAPUT III.

Explanat viam.

QUô autem facilius præfixam metam attingamus, necessarium omninò erit, vepres ac sentes ponè semitam excrescentes detruncare ac seligere, ne viator subsequens eorum aculeis acuminatis pedem lædat vel penitus subsistere cogatur; remanebunt tamen adhuc scopuli prærupti & præcipitia vertiginosa, quæ veterano etiam militi horrorem incutient: quotquot enim unquam de mysteriis naturæ scripserunt, admiscuerunt omnes varia nugamenta ad arcendos profanos de corde sensus & vero intellectû. Inter hos novercantis naturæ filios principem locum obtinere videtur Theophrastus Paracelsus, vir exiguæ literaturæ, sed magni talenti in Philosophiâ secretiori; sæpè enim sibi contradicit, &, quod uno in loco commendat, in altero vituperat, ex. gr. Cap. 7. de Transmut. Metall. vocat materiam Lapidis Philosoph. animalem, vegetabilem & mineralem, paulo post verò rejicit omnia mineralia, dicens, licet Philosophi lapidem suum mineralem vocaverunt, noluisse tamen, ut materia ejus ex ullo mineralium petatur. Cap. 11. verò ejusdem tractatûs, parùm sibi præsens commendat Electrum minerale immaturum pro indubitatâ verâ materiâ. Modò rejicit Mercurium vulgi, modò iterùm proponit, ut videre est in hoc tractatu & lib. 10. Archid. Alibi Saturnum suum ad cœlum attollit, alibi vituperat, tacendo labores in sulphure & vitriolo vulgaribus petendos. Quod certè nil aliud est, quàm mundum demeurare & Zizaniam serere inter triticum. Si materia Lapidis Philosophi triplex non est in sensu literali, sed mystico, sequitur ergò, quod sit mineralis vel metallica in proprio significatu, & distinctio tantùm sit inter materiam remotam & proximam; in minerali enim optimè latere potest metallum. Jam qui scit distinguere inter viam humidam & siccam, inter materiam in quâ & ex quâ, is sine periculo ejus Scripta potest percurrere; ex utraque Mercurius homogeneus elicitur, sive in formam humidam vel siccam sit redactus, perinde est; lis tantùm est de homogeneitate & materiâ in quâ, quæ omninò est diversa. Si Paracelsi vestigia sequeris, & viam humidam eligis, prospicias tibi primo de Electro minerali immaturo, quod difficulter habetur, & dein procede Philosophicè, ut gluten aquilæ purum nitidumque accipias, sicut docet cap 14. de Transm. locumque innuit dicens: meliora instrumenta non reperies quàm in Ungariâ & Hystria. Breviter. Paracelsus possedit 4. arcana menstrua, mediantibus illis fecit, quicquid de illo circumfertur. Nempe Sal circulatum majus & minus, liquorem Alcahest & ☿ium Philos. in formâ liquidâ. Sal circulatum majus fit ex Sale communi; minus ex Sale tartari; Liquor Alcahest fit ex Mercurio, Mercurius Philos. in formâ liquidâ ex Electro minerali sive ♄no Philos. Differentia posteriorum duorum tantùm consistit in hoc, quod Alcahest simplicior sit ☿ Sophico, qui non immeritò duplicatus appellari potest. Si Medicinam metalla curantem quæris, relinque tria priora, & perquire istam mineram in hâc, brevi tempore & non adeò ingenti labore invenies, quo cum iste Helveta superbit. Processum ulteriorem ad Tincturam majori ex parte depinxit Fr. Bas. Valentinus: Hîc habes nucleum scriptorum Paracelsi, hunc verte in succum & sanguinem, reliquam molem chartaceam committe tineis. Sed objicis, doce modum, quem Paracelsus omisit; respondeo, duo priora satis fusè in lib. 10. Archidox. docuit ipse Author, quoad posteriora, dico: redde ☿ vulgi homogeneum per ablationem

tionem terrestreitatis & aqueitatis superfluæ, ac dein verte ipsum in aquam per solutionem cum suâ matre vel stomacho Struthionis, & tunc videbis, cur Helmontius dixerit in suo Tract. Arbor vitæ, requiri ad conficiendum liquorem Alcahest Adeptum duplatum, mihique gratias ages. Quod Raymundum Lullium attinet, suadeo Tyroni ut illum planè relinquat, prolixus nimium est, spinosus ac mendax. Veritatem, quam sub verborum lenociniis & vitioso circulari sermone absondidit, multò clariùs & citiùs ex Gebero obtinebis, eandem enim sententiam cum illo defendit, & pro objecto suo agnoscit ☿ Homogeneum simplicem. Processus verò Geberi particulares, extra Homogeneitatem ☿ii, sunt mera putamina sine nucleo, & muscipulæ pro indignis. Arnoldus de Villa nova eandem fermè cantilenam canit cum Lullio, relinque ipsius suæ præparationes ☿ vulgaris per sublimationem cum corporibus salsis, ejusdemque revivificationes per calcem vivam & talia resuscitariva, nunquam enim hoc modo Æthyopem dealbabis. Breviter perstringo hos Authores, partim, quòd ipsorum fraudes modernis operatoribus per alios sunt manifestatæ, partim etiam, quòd per se adeò subtiles non sunt, nisi quis velit esse ultrà modum παχυπειθὴς, & posthabitis fidelibus monitionibus propriâ experientiâ & cum Phrygibus sapere.

Inter Authores Canonicos moderniores, post Bernhardum, famosissimi sunt Sendivogius & nuperrimus Philaletha Anonymus, qui licet Adepti actû omnes fuerint, à veterum tamen doctrinâ mirum quantum discrepant, sic ut de ipsis, quoad cognitionem rerum Naturalium fundamentalem, verè dici possit, quod putaverint murem farinâ conspersum dominum esse pistrini. Inter hos tamen Bernhardus solidioris doctrinæ & experientiæ vir extitit; licet enim primus mentionem fecerit de ☿ suo duplicato ante conjunctionem cum corporibus perfectis, tamen non rejecit totaliter Homogeneitatem simplicem; (in respectu ad suam Hypothesin) sed commendat in suâ Epistola, Obsequiis, &c. utramque sublimationem ☿, ab iis corporibus, cum quibus non convenit, & cum quibus affinitatem habet, posteriorem tamen præfert, quo jure, in subsequentibus dicetur, Polonicus ille Scriptor Sendivogius, & recentissimus Philaletha, uterque Adeptus per communicationem, totum Antiquiorum Sapientum ædificium evertere conati, constanter & expressis verbis (præprimis posterior) negant, ☿ Sophorum Homogeneum ullo alio modo posse fabricari, quàm per amalgamationem cum Regulo Martiali stellato; quàm miserè verò decipiantur & alios seducant, probabo breviter mechanicè, cum in rebus naturalibus demonstratio realis fortior sit quovis Syllogismo. Quòd verò Sendivogius in eadem opinione hæreat cum Philalethâ, & hic posterior priorem tantùm explicet, patet ex variis locis obscurissimi sui tractatus; postquam enim pro majori confusione lectoris in suis 12. tractatibus eorumque epilogo substantias salsas non metallicas ubertimè deprædicavit, labitur deinde in subsequenti ænigmate ad illum Regulum Martialem, quod postmodum reiterat in Dialogo cap. Phisici; clarissimis autem in tractatu de sulphure sub finem, ubidicit: Circumibant sal & sulphur puteum invicem rixantes, donec tandem venirent ad manus & pugnarent, in quo conflictu sal sulphuri horrendam inflixit plagam, ex qua loco sanguinis fluxit lac, &c. quis non hîc videt pictas columbas Dianæ Philalethæ ejusque totùm processum, ita est. Veniamus ad ipsum Philalethum; hic, ne unguem latum à reliquorum Adeptorum modo scribendi discedens, dicit, hoc & multo alio modo conficitur ☿ sophorum: quasi verò omnia Naturæ penetralia recenter visitasset, parùm sui memor, quod Postlector factus sit sui Magisterii, non per analysin & cognitionem Practicam rerum Naturalium, sed vel furto, sicut nonnulli volunt, vel per communicationem alterius, & quidem 23. ætatis suæ anno. Quæro enim omnes Philosophos per ignem, quid talis juvenculus cum venerandâ nostra Matronâ, Naturâ, familiaritatis & amoris poterit contrahere? Certè parùm. Cum vero tractatus ipsius in omnium ferè manibus sit, notum etiam erit, quòd fundamentum sui ☿ii Sophici sit Ignis Martialis per colliquationem Reguli Antimonialis communicatus, qui deinde cum ☿rio vulgari debet conjungi radicialiter, ita ut ☿ius ♂ii, animatus cum ☿rio vulgari copuletur, & uterque scorias suas rejiciat. Practica succedit absque dubio; habito medio seu columbis Dianæ; quòd autem ipsius purgationis ☿rii vulgaris causa sit Ignis Martialis, in sinu ☿ii ♂iatis deliteseens, & quòd nullus alius modus sit; hoc est, quod nego, atque pernego, sequentibus inductus argumentis & mechanicis demonstrationibus. Primò falsum est, Mercurium ♂tis, cum ☿io ♂tiali in Regulo misceri, quod tamen intrepidè asserit in aliquot locis & clarè admodum in cap. 2. Introitus aperti, his verbis: Siquidem noster Draco, qui omnia vincit, per odorem tamen Saturniæ vegetabilis penetratur; cujus sanguis unà cum succo Saturniæ coalescit in corpus mirabile, quod tamen adhuc volatile est, &c. Hîc sanè absque contradictione statuit, partem optimam metalli, nempe Mercurium ferri in fusione, conjungi cum ♂nio; quod sequenti mechanicâ falsum deprehenditur, ℳ. lib. 1. ♂ii funde in crucibulo, fuso intrude frustum chalybis extremè ignitum & scintillans, videbis ebullitionem massæ & liquationem ferri, quâ cessante confestim aliud frustum optimè ignitum, simili modo admove, donec chalybs non amplius attingatur ab ♂io, quo viso, statim maximo igne materiam toram denuo funde, & cum benè fluit, in Scyphum fusorium calidum sævoque inunctum effunde, quatiendo Orichalcum, ut Regulus eò melius descendat. A refrigeratâ materiâ Regulum separa, eumque tertiâ vice cum nitro & tartaro purga ac pondera, habebis circiter lothones octo. Jam fac etiam Regulum cum æqualibus partibus Antimonii Nitri & Tartari, more communi per accensionem in mortario magno, relictam materiam funde, manû celeri & forti igne concute industriosè Scyphum, ut benè è scoriis præcipitetur Regulus, & obtinebis idem pondus, si benè operatus fueris. Scorias ♂ pulverisa, & lento igne carbonum super testâ probatoriâ ☿ fuga, remanebit pulvis ferreus, ponderis ferè pristini, retentis omnibus proprietatibus ferri calcinati per sulphur commune; solvitur liquoribus acetosis, præbetque vitriolum pulchrum, quod non fieret, si ☿ suo chalybs orbatus esset, prout omnes saniores Philosophi fatebuntur. Si jam ☿ ♂ cum sua animâ auri jungeretur ☿ ♂ii in Regulo, sequeretur. 1. Quòd cum ♂te plus reguli conficeretur quàm cum salibus, quod falsum est. 2. Quòd ferrum in scoriis remansum ad minimùm quartâ parte diminueretur, quod æquè claudicat. 3. Quòd cum Regulo simplici ☿ vulgaris non posset purgari, quod iterum est erroneum, quia nulla est amborum differentia, neque etiam quoad stellam; vidi enim aliquoties Regulum simplicem pulcherrimum stellatum, ipseque antè 10. annos ejusmodi Regulum stellatum, aliquando flavis, nunc albis, pro ratione temporis, paucioribus vel pluribus stellis ornatum, magnâ salium copiâ, confeci, ac cotidiè etiamnum demonstrare audeo hujus asserti veritatem; nec ullus facilè in hoc errabit, modò sufficientem quantitatem salium addat, & debito tempore fundat, aliàs etiam Re-

gulus

gulus ♂tis ſuo ornatu carebit, licet centies fundatur; tempus enim ad ſtellam contrahendam, non quodlibet, ſed certum requiritur, ubique enim Naturæ motus ſunt ὠελσμῶοι καὶ πτακμῶοι, certamque cœli faciem deperiunt. Deinde, ſi ignis ♂ in ☿ ferti delitescens cauſa eſt purgationis ☿rii vulgaris, ſicut Philaletha vult, ſuumque ☿ Sophicum hinc emergentem, interno ſpirituali ſulphure planè gravidum, proclamat; cur ☿ ☽ij ex Regulo ♂ extractus non idem præſtat, ſicut ipſum hâc virtute carere vidi? Verum quidem eſt, quòd corpora perfecta, eorumque interna bona ſulphura, ſive animæ, ☿um vulgi purificent per illuminationem centri ☿lis, ſimiliter puri & homogenei, ita ut dein ſulphura externa arſenicalia tanquam hoſtilia ſpernantur & ejiciantur; Sed illa ipſa purgatio ſulphuribus arſenicalibus metallicis denegata etiam non eſt, jure ſimilitudinis & philautiæ, quamvis animam auream inflare nequeant, ſed tantùm illud arripiant, quod ſui generis eſt. Cauſa ergo vera purgationis ☿ii, per amalgamationes Reguli, non eſt ignis ille ſolaris, in ejus ☿io duplicato minimè reſidens, ſed copia ſulphuris arſenicalis ipſius Reguli, quæ per artificium illud columbarum compedibus ſolvitur, & neceſſitate quadam naturali ſuum ſimile in ☿io vulgi apprehendit, tertio interim relicto; quod enim fit cum ♂te & ☽io, id quoque fit cum Regulo & ☽io, intercedente ſingulari artificio: Quando ♂ ſulphureus ☽ium pariter ſulphureum apprehendit, tunc ☿ius ☽ii, qui ita ligatus non eſt, ſicut ♂rialis, cadit ad fundum, quia verò hoc modo à ſuis cuſtodibus totaliter liberari nequit, ſed circiter 10. partem ſulphuris arſenicalis retinet, quod deinh, priùs diſpoſitum & præparatum, ſuum ſimile in ☿io vulgi iterum arripit, ſicque tandem ☿ium ſuum, tanquam aliquid diſſimile, derelinquit. Hoc videre etiam eſt in depuratione aliarum mineratum metallicarum, ubi metallarii ex. gr. mineræ plumbi, ſi arſenicalis eſt, vel alio copioſo ſulphure ſcatet, mineram ferream addunt & plus metalli eliciunt, &c. Sed dato, quod inſit aliqua virtus aurea in ☿io regulino, quæ ☿um vulgi animaret, cur id non facit ſuo chariſſimo ☿io ☽ali? cur requiritur ☿ius vulgi ad hanc energiam exercendam? objicis, quod hoc unâ vice non poſſit fieri, ob multitudinem ſulphurum diverſorum ☽ii: reſpondeo: tranſeat, quod primâ vice non impleatur ejus purgatio, addatur ſecunda, Regulo jam facto, & ſic tandem ſufficiet. Verùm neque hoc modo procedit, non quòd ☿ius ☽ii in Regulo ſatis ſit purgatus, ſed quòd ei jam deſit ſulphur, commune, combuſtibile, ferrum ſolvens, hoc probo per aliam mechanicam. Extrahe Sulphur ☽ii combuſtibile ex ☽io crudo; ita ut ſulphur extractum vulgari ſit tàm ſimile quàm ovum ovo, & ☿ formam ſuam externâ priſtinam non amittat, exceptô, quòd non ita ſcintilleat, ſicut anteâ, funde hoc ☽ium, ferrumque ſcintillans immerge, quaſi intenderes componere Regulum martialem, & videbis, quòd negotium non ſuccedat, ferrumque intactum maneat, ratio eſt, quia ☽ ſulphure ſuo combuſtibili eſt deſtitutum, mediante quo ♂ ſolvitur. Ulterius inſtas, illam vim auream in ♂te eſſe merè ſpiritualem vaporem, ſicut idem Philaletha in ſuo Birrhio & alibi fabulatur: ſed rogo; quæ eſt ratio, quare ille ignis vagabundus, cum ſit ſpiritualis & ☿io ♂tiali non alligatus, igne fuſionis & per reiteratam ignitionem in officinis non expellatur, ſed ☽ium ſolum expectet, quo appropinquante ſuum antiquum hoſpitem, ☿ium ferri, qui tamen ☽iali longè eſt nobilior, relinquat, novumque ingratus quærat ac perficiat? item; cur in ſolo ferro, domo arietis, iſte ſpiritus auri abſque corpore aureo lateret, & non etiam in cupro, quia cum ♀re pari ratione & modo pulcherrimus Regulus paratur; tamen ubique reſonat vulgaris clamor Chymiſtarum, ♀rem ſcatere multo aureo ſulphure, ipſique tecta cuprea tandem excoqui à Sole in Solem. Reſpondes: Philalethàm hoc negare expreſsè cap. 11. quòd Philoſophi fruſtrà in ♂te quæſiverint; regero, quòd Philaletha in hoc fuerit deceptus, ſicut ex præmiſſis liquet, ut neque ſequitur, ſcio aliquod ſecretum ſummum per communicationem, ergò totam Naturam; quia Naturæ totius cognitio ex meris ſpeciebus & individuis petenda eſt, nec bonus hic vir ſibi ubique præſens eſt; poſtquam enim ☿io vulgari & ☽iali ſimplici activum ſulphur abnegavit pluribus verbis, cap. 11. dicit demum, quod Mercurius vulgi in ſe habeat ſulphur fermentale (hoc eſt activum) cujus etiam minimum granum totùm ſuum corpus ſit coagulando, modò eidem poſſent adimi ſuæ impuritates heterogeneæ, quodquidem verum eſt, ſed contrà Philal. hypotheſin. Ex his ſatis ſuperque conſtare puto, quòd Theoria hujus Adepti ſit verminoſa, quamvis practica ejus recto talo incedat, non enim eſt abſurdum, ſcire rei eſſentiam & neſcire modum; imò hoc eſt ordinarium ferè magnis & parvis, doctis & indoctis, amplecti rem ipſam, & quomodo exiſtat, non inquirere: ex hoc fonte negligentiæ fluunt quàmplurima mala, quæ mundum faciunt erroris plenum ac miſeriarum vallem.

CAPUT IV.

Docet, quid ſit Mercurius Sophorum in genere.

HÆſitabam diu, an actum agere, & crambem eandem, ad nauſeam toties recoctam, dapibus his Philoſophicis inſerere deberem, cum vix ullus antiquorum & recentiorum Authorum de hoc argumento taceat, imò illi ipſi, qui ne quidem à limine hanc Sophiam rectè ſalutârunt, ſed, corniculatum in modum, alienis plumis ſe ornârunt, immenſum quantum de hâc materiâ garriunt & ſtrepunt, diducto penitus rictu, ſicut anſeres inter olores; neſciunt enim propius ad hunc ignem accedere, proinde fulgorem ejus incomparabilem à longè admittantur, & per compita ac trivia tantâ vociferatione deprædicant, quaſi valles & montes ipſorum eſſent auditores. Proverbium erat apud Majores de re communi dicere, lippis ac tonſoribus nota eſt. Sed Emphaſis hujus dicterii arcta nimis eſt ad noſtram applicationem; cùm hoc ævo plures ruſtici analphabeti & mulierculæ indoctæ penes ſtivam & focum fundamentaliter & in genere de hoc ☿rio Sophorum ſciant diſputare. Verùm enim verò, ſicut rectè Helmontius animalia bruta διχῶτομῶς diſpeſcuit in Solaria, quæ beneficio Solis de die, & Lunaria, quæ mediante Lunâ de nocte & ſubtus terram cernunt; ita, non obſtante hac clariſſimâ & evulgatiſſimâ ſcientiâ de ☿io Sophorum in genere, inveniuntur tamen luſcioſi, qui, inſtar veſpertilionum, hanc lucem veritatis vel oderunt vel non capiunt, aliosque ſecum ad ſua tenebricoſa barathra præcipitant. Donandum eſſet ſutoribus, ſi ultrâ crepidam iniquè judicarent; ſed quod tales ſophiſtæ è cenſu ritè promotorum Doctorum ſe ſcribant, ipſoſque actuales Adeptos, qualis Philaletha eſt, ſub hoc ſpecioſo titulo allatrent, falſitatis arguant, mundumque ſeducant; hoc connivendum non eſt; ſed potiùs eò allaborandum, ut viri cordati & ingenui à tali peſte muniantur, &, ſi poſſibile eſt, ipſe quadratus intellectus ejuſmodi inſulſi Doctoris circumcidatur, & ad formam aptiorem pro ☿rio Sophorum concipiendo reducatur: Negari enim non poteſt, quod Helmontius, inter ſaniores Philoſophos facile ſummus, ſtatuit, ad verum

intel-

intelligendi actum requiri, ut intellectus cum re intellecta quadantenus unum quid fiat, & quasi in eam transmutetur. Quò autem clariùs hæc ipsorum mentis imbecillitas, si non stultitia, omnibus nostræ Reginæ ministris appareat, ponamus duo fulcra totius ædificii Naturalis, Rationem atque Experientiã; eamq; structuram, quæ neutro horum nititur, tanquam inarchitectonicã repudiemus: Lustremus breviter tria Naturæ regna, præsupponendo ex antiquissimo & orthodoxo rerum Physicarum scriptore, Moyse, quod omne corpus vivens, vim se multiplicandi, ex dono creationis, à summo rerum Opifice acceperit. In animali regno animantia perfecta multiplicant se per seminum cõ nixtionem, unumquodq; in suo genere ac specie. Vermes verò, quæ ex putredine, per aliquid semini analogum, proveniunt, dispositam tamen materiam ad anomalam suam generationem requirunt, sic nempe vermes, qui sub ligno fracido nascuntur, dissimiles sunt illis, qui carnibus oriuntur corruptis, non enim fit quodlibet ex quodlibet; sed semper requiritur generica præexistentia materiæ in animalibus perfectis strictissimè; in imperfectis latissimè, in his posterioribus fermentorum potentia supplet locum materiæ specificæ, quod in prioribus non est. Proinde etiam imperfectorum vita brevis est ob principiorum inadæquationem. Longius distat horum generatio à metallorum cunabulis quàm carbunculus à silice, proinde linquamus eam properando ad vegetabilium prosapiam. Horum omnium materia generica proxima cùm sit succus ligneſcens, omnes omninò plantæ in hoc per suum semen multiplicantur, tanquam in fœminino principio: probationem sicco pede quoque, brevitatis ergo, præterimus. In regno minerali metallico materia generica proxima est substantia mercuriformis, ponderosa, & homogenea. Differentia horum trium Regnorum consistit in hoc, quòd inter animalia perfecta, ob organorum nobilium diversam multitudinem, maris ac fœminæ tributum requiratur. In vegetabili & minerali sufficit odor fermentalis Sulphureus, Archei seminalis vices supplens, principio materiali seu fœminino interim rite dispositio. De principio fœminino duorum priorum nemo dubitat, ultimum verò in dubium vocari posset ab indoctis, quare necessum est, Authoritates veterum Adeptorum implorare, cùm in terræ abditis cavernis hujus Regni desponsationes ut plurimùm celebrentur. Ratio tamen suadet incorrupta, quod unumquodque ex illo materialiter constet, in quod resolvitur, retrogradatione competente; resolvuntur autem omnia metalla in ☿rium: E. ex eo constat. Id quod omnes Philosophi antiquiores confirmant. Primus esto Arnoldus, qui cap. 2. Ros. dicit. Certum est, omnem rem esse de eo, & ex eo, in quod resolvitur; nam cum gelu mutatur in aquam, calore mediante, clarum est, ipsum prius aquam fuisse, item cap. 2. 1. Ros. ab argento vivo omnia metalla sunt, & in ipsum resolvuntur. Item cap. 1. Rerum natura omnia metalla format, naturaliter operata, ex argento vivo & sui sulphuri substantia, eò, quod proprium est argenti vivi, à calore seu vapore sulphuris coagulari. Non est contrarius Princeps Alchymistarum, Geber cap. 3. 8. 9. suæ Summæ, ibi enim pluribus innuit, quod principia metallorum, super quibus natura fundat actionem suam, sint argentum vivum, sulphur & ejus compar Arsenicus. Quòd autem Philosophi per hunc ☿rium intelligant illud fluxile metallicum, cum & absque præparatione Philosophica, patet 1. ex Arnoldo cap. 4. 1. Ros. cum quo consentit Geber. cap. 8. lib. 2, ubi dicit: Laudetur omnipotens opifex, Deus gloriosus! qui ex vili creavit pretiosum, & dedit illi substantiam & substantiæ proprietatem, quam nullam ex aliis rebus in naturâ contingit, possidere, quia solum est, quod ignem superat, & ab eo non superatur; idipsum namque solum cum sit metallum, tantùm continet in se totum id, quo indigemus ad nostrum magisterium; quia omnia alia, cùm sint combustibilia, igni cedunt & in flammâ deficiunt. Id cap. 2. 1. Ros. Argentum vivum in se continet sulphur suum bonum, mediante quo coagulatur in ☉ & ☽ num. Consentit Bernhardus in suâ epist. Obsequiis, &c. expressè dicens: Solvens non differt à solvendo, nisi digestione & maturitate. E: est metallicum. & ulterius dicit in eadem: Nulla aqua naturaliter reductivè metallum dissolvit nisi Argentum vivum. Item, solutio naturalis metallorum per nullam aliam rem fieri potest, nec expedit, nisi per solum Argentum vivum: Conjungitur ergo ☿rius crudus, tanquam aqua, cum corpore per spiritum, primâ decoctione solvendum; & ulterius dicit: quòd falsa sit omnis doctrina, alterans ipsum ☿rium ante conjunctionem corporis cum ipso. E. manere debet in suâ metallicâ fluxibilitate, quod postea etiam expressè ibi docet, dicens: Non est improbandum, quin benè aliter possit & debeat scoriosus ☿rius per sal commune sublimari ad illam scoriam mineralem extrinsecus amovendam, manente tamen semper ☿rii fluxu seu humido radicali, hoc est, mercuriositate stante incorruptâ, quæ est ex proportione ejus naturali, oportet enim speciem ☿rialem & formam in nostro opere incorrupta manere. Quid quæsò clarius; Propterea etiam commendat suam sublimationem per amalgamationem Reguli antimonialis dicens: Sunt quædam ☿rii sublimationes ab ejus propriis corporibus, quæ sibi intimè amalgamando coguntur & permiscentur, ex quibus pluries relevatus & reconjunctus superfluitates rejecit, & non confunditur in sua natura: ideoque post hoc artifici vero valet in speciebus metallicis fundendis vel solvendis, nec intrinsecè alteratur valdè ad nostrum opus, nisi à fixis corporibus in eo dissolutis. Objicis 1. confundi hîc materiam metallorum cum ☿rio Philosophico: Resp. quòd unum idemque sit. 2. Philosophos intelligere suum ☿rium non vulgarem; Resp. rectè infers; sed malè concludis. Non sequitur, Philosophi rejiciunt ☿rium vulgi, ergò commendant Nitrum, Terram virgineam, Salia cujuscunque generis, & alias quisquilias extrà genus metallicum. Quid tum? Sit ☿rius vulgi materia ex quâ, prout etiam ingenuè fatetur Philaletha, nondum tamen erit materia in quâ. Putasne, si Hermes, vel alius qualiscunque Adeptus, qui apud te in honore est, reviviscceret, tibique, Dei loco, revelaret, ☿rium vulgi esse veram materiam, ex quâ Sophicus conficiendus, quòd tu statim tam doctus & qualificatus esses, hoc mysterium illotis manibus perficere? minimè. Quia ista operatio tam abscondita & imperscrutabilis est, ut si vel maximè aliquis te illam perfectè doceret, & in manus tuas omnia requisita deponeret, non tamen propterea triumphum ageres, sed assecuro, sicut Philosophi dicunt, quod rem relinqueres, ubi deberes incipere. Non est ars Chymiæ vulgaris, & quæ lascivo otio addiscitur, nisi Philosophi scivissent difficultatem hujus Practicæ, tàm clarè non scripsissent: Audi enim, quid dicat Geber cap. 45. Summæ. Quod benè sit purgandus ☿rius, ut fiat albissimus, qualis enim erit purgatio, talem perfectionem consequetur in projectione; igitur si per subtiliationem

mundaveris & perfeceris, erit albedinis tinctura, cui non eſt par. Quid autem ſit expurgandum, docet idem Geber. cap. 9. lib. 2. dicens: duplex eſt ſulphureitas & humiditas argenti vivi, una, quæ in centro ejus incluſa eſt in principio ſuæ mixtionis; altera ſuperveniens, naturæ ſuæ extranea & corruptibilis. Prima tolli nullo artificiorum ingenio poteſt, quia eſt de corporis perfectione, & iſtud ſulphur tuetur argentum vivum ab aduſtione: altera verò cum labore non facilè tollitur. Idem cap. 57. lib. 2. inquit: quod ſumma intentio totius operationis ſit, ut ſumatur lapis in præcedentibus capitulis notus, & cum inſtantiâ aſſiduetur opus ſubtiliationis primi gradus, & per hoc mundetur à corrumpente impuritate. His non obſtantibus clariſſimis doctrinalibus, tamen veriſſimè dicit Geber! cap. 32. in fine, quod hoc artificium non perveniat ad artificem duræ cervicis: quod etiam affirmat Arnold. cap. 2. Roſ. Proinde, chariſſime Philochymice, licet invidus ſis, nihilominus tamen bono animo eſto, nec time hujus myſterii evulgationem; juro tibi per Deum immortalem, quod ex mille vix unus aſſequatur ſuam intentionem, licet ſubjecta optimè noverit: quod ſi verò magna ſpiras & vulgaria faſtidis, ſis quoque lætus, habebis per hanc praxin, optimam occaſionem, nobilitatem tui ingenii oſtendere; nil enim hîc levidenſe, nil triviale occurret: Si earum, quod multo labore partum eſt, ecce hîc Augiæ ſtabulum, ſi Hercules es; certiſſimum namque experieris illum verſiculum:

Non venit ex molli veneranda ſcientia lecto:

Si abſcondita tibi placent, ne deſperes, ſed quære ſedulus, per multos annos & ſub finem conquereris, quòd nil inveneris, niſi vel amica vel divina manus te duxerit, Si ſimplicitatem rerum adamas; En tibi manum; mane, quæſo, in ſimplici viâ naturæ, in hac enim citius palpabis, quod in ſubtilitatibus nunquam videbis, teſtante Sendivogio.

Fit ergò generatio & multiplicatio omnium triũ Regnorum in ſuo genere ac ſpecie; Et licet ob organorum defectum, in metallicâ propagatione, maris ac fœminæ concurſus tàm manifeſtè non fiat, ſicut in animali; negari tamen non poteſt analogica maſculini & fœminini ſeminis commixtio, quia elemẽta activa quaſi ſemen maſculinum cum paſſivis ceu fœminino naturaliter cõjunguntur, ſpeciali proportione Naturæ debitâ ſervatâ; hæc nempe prima cõmixtio dicitur materialis digeſtio, in quâ de potentiâ ſurgit actus ſcil. de terrâ & aquâ, aër & ignis, mediante purâ digeſtione & ſubtiliatione ipſorum, nec eſt alia additio in ventre terræ prætet ipſius ☿rii digeſtionem & inſpiſſationem, prout Geber philoſophatur, & Bernhardus in Commentario ſuper Arnoldum. Ex hoc fundamento antiqui Magi ☿riũ ſuum adinvenerunt, naturam ſcil. inſequendo, ipſiq; puro & homogeneo purum pariter aurum addiderunt, ac per gradus caloris maturârunt, non quòd aliud ſulphur ſit in Sole quàm ☿rio, quòd non ſit etiam ☿rius; Sed quia in Sole eſt perfectior & maturior digeſtio, quàm in ☿rio; quare etiam Artiſta citius producit opus quàm Natura; aurũ enim nil aliud eſt, quàm ☿rius digeſtus & inſpiſſatus homogeneus; ſic ars per compendium jungit Aurum ☿rio, ex quibus duobus ſpermatibus actu generatur myſterialiter illud idem, quod ex uno ſpermate actu, Natura in mineralibus produxit. Via verò hujus decoctionis & diſſolutionis non niſi rariſſimis patet, & qui eam novit, pervenit ad ſecretum, quod eſt ſpecies permiſcere & naturas à naturis extrahere, ſicut loq. Arn. cap. 1. 2. Roſ. Manet ergo definitio ☿rii Sophici firma atque inconcuſſa ratione & experientiâ, excludendo omnia ſalia, præter unum, quod ipſi eſt tanquam mater, & propterea abſque ſapore; qui hoc novit, in centro naturæ ſedet, mihique contrarius non erit: cùm, qui matri eſt amicus, filio ejuſque aſſeclis non erit infenſus. Meritò ergò rides, Philaletha, & plures alii, illos occœcatos operatores, qui extrà metalleitatem ☿rioſam in Salibus, rore majali, pluviâ & ejuſmodi nugis operam & oleum inutiliter locant. Verum enim manebit in æternum hoc antiquorum axioma: In Mercurio eſt, quicquid quærunt ſapientes; hîc procul dubio intelligunt ☿rium metallicum, prout in ſequentibus ad raucedinem uſque inculcant clamantes.

Sicut Riplæus: Junge genus cum genere & ſpeciem cum ſpecie.

Natura augetur in ſuâ propriâ ſpecie & natura, & non in aliâ.

Et Bernhardus: Noſtra medicina fit ex duabus rebus unius eſſentiæ, id eſt, ex unione ☿li fixâ & non fixâ, ſpirituali & corporali.

Item. Nil emolumenti in rebus non metallicis eſt.

Item. In, cum, ex, & per metalla, fiunt metallica, &c. Et, niſi ex regno metallico petendus eſſet hic decantatus Mercurius Sophorum, impertinenter ſcripſiſſet Geber cap. 2. lib. 2. ſummæ: Non eſt poſſibile cognoſcere tranſmutationes corporum vel ipſius Argenti vivi, niſi ſuper mentem artificis deveniat vera cognitio illorum naturæ ſecundùm ſuas cauſas & radices. Idem ibid. oportet artificem primas radices principales, quæ ſunt de eſſe operis, non ignorare: quia qui principium ignorant, finem non invenient.

Proinde, niſi quis planè ſit vertiginoſus & ipſius Midæ nepos, abſque multâ ac profundâ meditatione facilè advertet 1. quòd arti conceſſum non ſit, ex non metallo facere metallum, prout etiam hoc apparet in ipsâ lapidis projectione, quæ, licet potentiſſimis fermentis metallicis nitatur, nil tamen operatur, niſi ſuper metalla. 2. Quòd omnis actio perfectiva inter ſimilia conſiſtat, quæ cùm κατ' ἐξοχὴν noſtro Solis & Lunæ conjugio rectè attribuetur, etiam non parùm eidem erit proficua, imò neceſſaria generica affinitas. Qui contrarium abſque ratione & experientiâ ſtatuit, non eſt Philoſophus, ſed opinator ac impoſtor, planeque niger, quem Tu, Romane! caveto, donec ex ſaporoſis ſuis ſalinis ad ἄποιον noſtrum Sal Naturæ revertatur, illudque odoret. De hoc ſolo enim verum eſt, quod Philoſ. dicunt: In Sole & Sale naturæ ſunt omnia. Dicitur autem Sal, non quod ex ullâ ſalinosâ materiâ fiat, ſed quod Sali nitro externè ſimile ſit: concludo igitur cum Rege noſtro Gebero. Qui abſque Argento vivo tingere nititur, cœcus procedit ad practicam, ſicut aſinus ad cœnam.

CAP. V.

Specialius docet, quid ſit Mercurius Sophorum, ejuſque differentiam recenſet.

DIſcuſſis jam nebulis radiorum Veritatis energiâ, reliquum eſt, ſpecialius exponere, quid ſit ☿ius Philoſophorum, & num latitudinem quandam admittat inſigniter differentem? quibus præmiſſis ſubnectemus practicam, quantùm inſtituti noſtri ratio permittit. Eſt, ſicut ſupra dictum, Mercurius Sophorum Subſtantia metallica vel liquida vel currens puriſſima & homogenea, continens in ſe ſulphur ſpirituale, mediante quo coagulatur. Non paucis erroneum videbitur ſtatuiſſe hunc liquorem

liquorem duplicem, madefacientem & non madefacientem, cum tamen multi sophorum apertè indigitaverint, quòd manus non inficiat ac humectet. Verùm sicut non omnis tellus omnia fert, ita nec omnis ætas; Dona Dei non unâ vice omnia mortalibus affulserunt. Plures autem vias à multo tempore fuisse ad unum scopum ducentes, Principes Chymicorum, Geber acutissimè prævidit, si nescivit, cap. 28. lib. 1. Suæ summæ. Cutrentum ☿ium Sophorum docuit Geber, Arnoldus, Bernhardus & ex neotericis Philaletha. Liquidum madefacientem possedit Paracelsus; Basilius Valentinus, & nostro tempore Agricola major & minor.

Uterque hic ☿ius Sophicus est legitimus & sulphure suo metallico ornatus, mediante quo coagulari potest.

Differunt autem in hoc 1. quod liquorosus sit generalior, currens specialior in ordine ad metalla. 2. Prior longè alio igne in tinctûram excoquitur quàm posterior. Ultima differentia est in virtute tingendi, absolutâ secundâ vel tertiâ rotatione. Ambo mihi sunt notissimi.

Quâ jam dexteritate, quibusve enchiragogiis negotium sit tractandum, breviter declarabo. Cum verò ars ex eadem re super terrâ, solificium suum desumat, ex quâ natura subtus terram, Solem & Lunam procreat, authore Gebero. Ideoque debemus ante omnia principia Naturæ scire, ex his enim deinde fiunt principia Artis; affirmante hoc Bernhardo in Comm. super Arnold. his verbis: Ad intentum pervenire volens considerare habet principia & causas metallorum, & quomodo composita sunt & adunata, tunc consequenter, his scitis, facile erit opus solutionis & digestionis; prædictum est enim, quomodo ligentur, quicquid autem ligatur, solubile est. Habitis his principiis, dicit Geber, vili pretio ad complementum operis pervenies. Placet ergò modum generationis metallorum breviter ex Bachone adducere, qui dicit: Contingit in terrâ Sulphur & Mercurium creari, quorum duorum principiorum natura est, ut per calorem evaporentur & sublimentur. Accenso igitur calore in terra sulphureâ, cum evaporaverunt multis annis, utrumque per terram ascendendo continuè, coagulantur in viâ, & ab aëris ambiente frigore repercutiuntur; & hinc in locis montanis plerumque metalla generantur, utpote frigidioribus. Hanc generationem multo clarius proponit Bernhardus, sicut præcedente capite notatum, & hîc repetendum est. Natura ex uno spermate in ventre terræ operatur metallum, coquendo & digerendo, ex solo scil. Mercurio, quare non potest ad determinationem metalli in parvo tempore pertingere; In Mercurio enim solùm sunt duò elementa, actu scil. aqua & terra, quæ sunt passiva; ignis verò & aër sunt tantùm in ipso potentialiter, sed quando deducuntur in actum, secundùm determinatam digestionem & inspissationem proportionalem, tunc fit metallum, nec est alia additio in ventre terræ, præter ipsius Mercurii digestionem & inspissationem; differentia tantùm pendet ex accidentibus. Sic natura ex Mercurio simplici procreat Solem, removendo ejus superfluitates, quæ cum sint difficillimæ separationis, propterea etiam parùm auri generatur. Consistit ergò totum artificium Mercurii sophici in remotione superfluitatum terrestrium & phlegmaticarum, astipulante Gebero cap. 19. Argentum vivum non permiscetur in profundo usque ad profundum corporis alterabilis sinè præparatione intervenientе, nam ut idem Geber cap. 42. dicit, non potest benè reperiri, quod uniatur corporibus, nisi spiritus solus: & paulò post; quia in nullis aliis quàm spiritibus videmus hærere adhærentiam ad corpora cum alteratione, necessum fuit, illos præparare cum mundificatione ipsorum, quæ est per subtiliationem: & ibidem ulterius; quia spiritus projecti super corpora, sine ipsorum mundatione, non dant colorem perfectum, sed ex toto videmus corrumpere, adurere & denigrare. Practicam hujus præparationis clarissimè docet in aliquot locis, & fit per subtiliationem, quæ est rei siccæ per ignem elevatio, cum adhærentiâ sui vasis, & separatione puræ substantiæ. Continet enim ☿rius in se, ut idem Geber dicit cap. 42. causam corruptionis, scil. substantiam terream, adustivam sine inflammatione, & substantiam aqueitatis; hæc ejus superflua oportet separare & ipsum præparare; quod fit, docente eodem Geber. cap. 43. & 45. per ignem, & commixtionem fæcum; prout secundum longum & latum ibidem invenitur explicatum, ad quæ lectorem remitto: Est enim impossibile clarius loqui, nisi quis velit margaritas porcis objicere. Qui sedulus, doctus & constans fuerit, Deumque ritè invocaverit, veritatem in hoc Authore inveniet, non est comparandus cum ullo ex antiquis & neotericis in candore & veritate. Per hunc conspicies in mediis tenebris & unda stygia nostram Proserpinam, divitiarum Deam splendidissimam; sed cave tetricum odorem sepulchri. Si prudens es, facilè imaginaberis tam diutinam & arctam sepulturam, absque ingenti fœtore, aperiri non posse: adorna verò semicupium, & lava hanc regiam prolem, donec fulgeat sicut Luna in plenilunio, & miraberis, quòd inter tot sordes & nigerrimas scorias, hæc tenella Princeps non penitus suffocata & æternæ morti tradita fuerit. Jam etiam advertes, cur Geber. cap. 26. lib. 1. suæ summæ, Principium metallorum spiritum fœtidum appellet; jam scies, cur majores nostri Caduceum ☿rii serpentibus circumdederunt; quando enim hic spiritus è suo absurdo corpore noviter est extractus, optimèque lotus, tunc eùndem odorem de se spargit, qualem serpentes præbent, si in vitro vel ampullâ aliquâ detinentur, retinetque hunc odorem, donec, tractû temporis, è vitro aperto exhalet. Jam etiam intelliges philosophicum axioma: Noster ☿rius est ☿rius, de ☿rio & Sulphur de Sulphure, quod absque hâc practicâ capere est prohibitum. Nemo certè nisi Autopta potest credere, quòd in nostro fonte lurido aqua viva sit, proinde supersedeo multa verba facere; qui adeptus est hoc arcanum, me altum silente novit, qui non, difficulter persuadebitur etiam Themistocleâ eloquentiâ. Consuetum enim est mortalibus in concavo Lunæ quærere, quod ante pedes est. Objicis, theorica sunt, quæ profers: Respondeo; illud est theoricum, quod in speculatione absque demonstratione actuali fundatur; ego verò hæc toties practicare queo, quoties expostulas. Quod si autem fidem adhibere differes, donec centenarium plumbi in aurum, te inspiciente, verto, recumbe interea super plumatili, ne, stando ad Calendas Græcas, nimiùm incommoderis. Per me licet, credas sive non, propterea Cœlum non corruet. Sapientissimus rerum Parens à mundo condito, hæc sua charissima, sub humili Myrice abscondidit, ne fastigiosa Cedri cacumina, si iis potirentur, nubes penitus transcendant, & turrim Babylonicam æmulentur. Scripsi, quæ scio, vera, non in gratiam Potentum, sed miserorum.

CAP. VI.

Particularia ventilat.

NIl communius ulceroſo huic ſeculo, quàm fallere, in tàm prodigiosâ ubertate hominum perverſiſſimorum, Qui enim vix promtè didicit ignem ſtruere, ſtatim molitur aliis perſuadere, ſe poſſeſſorem hujus vel illius particularis ad aliquot millia; ſicut ipſe multoties expertus ſum, nunquam autem meâ vitâ, quam certe penes focum maternum & ſuper pulvinari non tranſegi, inter tot Particulariſtas, ne unicum vidi, qui canem aut felem cum iſto ſuo auro factitio ſuſtentare potuiſſet; Impoſſibile namque eſt dati ullum particulare in eo ſignificatu, in quo noſtri Proceſſuum mercatores hoc vocabulum accipiunt, ita ut vel ſulphur ☿rii ejuſque tinctura ê vitro extracta, vel aliæ ſubſtantiæ ſulphureæ, è ☿re, ♂te & aliis mineralibus petitæ, per certos fluores fixativos & ſingulares ingreſſus, in Lunam intrudantur, eamque tingant. Ratio eſt, quòd ſimiles ſulphureæ ſubſtantiæ Mercurio corporali, nullo pacto, aduniri queunt intimè & radicaliter, ita ut eas deinde in igne fuſionis defendat: quia iſte ☿rius Lunæ, abſque hoc, per ſuum ſulphur & coctionis gradum coagulatus eſt, ita ut alio & quidem tali inepto coagulante non indigeat, & licet volatilis factus eſſet, tamen ſulphura cum ☿rii, abſque prævia putrefactione radicaliter unire, eſt opus ſolius Naturæ. In & per putrefactionem artificialem quidem concedo, ſed tunc etiam requiritur, ut iſtæ ſulphureæ ſubſtantiæ ſimul ſint mercuriales, aliàs in æternum cum mercurialibus non unientur nec putredinem inibunt: faceſſit multum negotii ipſi Naturæ hoc conjugium, multò magis Arti, cùm huic tantùm datum ſit, creata ad gradum altiorem evehere, non verò ex primis cauſis conſtituere. Et licet per certas miſerabiles lanienas, auriforme quoddam corpus componatur, nunquam tamen omnia auri genuini examina ſuſtinebit, ſed vel in uno vel altero peribit. Ego certè ſemper riſi noſtrorum Laborantum vaniſſima vota, quando dicunt: modò haberem particulare aliquod, quo me poſſem ſuſtentare, libentiſſimè dimitterem iſtum famoſum lapidem Philoſophorum, nil quæro, quàm certum aliquod particulare, &c. Sed audi, chariſſime Simpliciane; unum granum auri, ex non auro conſtituendum & faciendum, requirit eundem proceſſum eoſdemque labores, quales ſibi vult centenarius integer: qui ſcit partem non ignorabit totum, quod ex partibus conſtituitur. Quod extractiones vel ſolutiones aureas ex mineris nonnunquam auratis attinet, de iis non diſputo, cum hîc nulla contingat metamorphoſis, ſed pauperrima auri extractio. Laudabilior eſt fixatio minerarum volatilium per ſalia ignea, licet multum temporis requirat: idem ſentiendum eſt de reductionibus metallorum eorumque maturationibus; quia in his pars mercurialis non ſeparatur à ſulphureâ, ſed ſulphur in ſuo Mercurio ulterius excoquitur.

Particulare autem verum, in ſenſu ſano, nil aliud eſt, quàm Tinctura imperfecta, prout omnes tincturæ, poſt primam rotam, leviter tingunt & partem puriorem metalli tantùm aggrediuntur. Conſulo itaque omnibus hujus artis inveſtigatoribus, ne inhient iſtis particularibus falſis, ſed alieno periculo & damno diſcant, imò cane pejus & angue fugiant hatum ineptiarum araneos, ſunt enim plerumque vel activi vel paſſivi impoſtores, quod etiam ex hoc liquet: Si in aliquot ſeptimanis vel paucis menſibus levi opera aurum & argentum, peculiosâ quantitate, conſtruere ſciunt; cur petunt ſubſidia à Principibus, & cur non tacent ſicut Adepti, ob metum certiſſimi periculi? hoc nimirum eſt, quod dixi: Vel non ſuſtinet torturam ignis & lupi voracitatem ipſorum aurum, vel ſine lucro componitur ob ſophiſtica principia. Verum namque ſemper manebit, quod ex Ariſt. 4. met. allegat Arnold. cap. 3. ſui Roſarii. Species metallorum transmutari non poſſunt, niſi in ſuam primam materiam vertantur, quæ eſt ſulphur & argentum vivum, non ſeparatim ſed conjunctim ſumtum.

EPILOGVS.

HIc habes, Candide Lector! quod in fronte hujus tractatus promiſi; dictum nimirum ſatis eſt, quid evitare debeas in itinere ad hoc Sepulchrum. Perge intrepide, aperta eſt janua, nil tibi reſtat, niſi quòd manum admoveas. Si numen propitium tibi favet, oculis videbis inter ſordidiſſima ſudaria tuam chariſſimam; voca ipſam nomine proprio tibi manifeſtato & properanter te amplectetur, ſicque obtinebis Mercurium tantoperè dilectum à Philoſophis. Eſt quidem adhuc alius pariter mihi notus, qui duplicatus appellatur, ſed ſi illo potiris, hoc non indigebis, vix enim valdè inter ſe differunt, cum ex unâ radice & ſubjecto oriantur, moduſque eliciendi tantùm ſit diverſus. Ne verò in hoc unico deficiam, dico tibi in veritate, quòd prior fiat per ſublimationem ab iis corporibus, cum quibus in naturâ non convenit, poſterior contrà, prout verbosè docet Bernhardus Comes Treviſanus in Epiſtola, Obſequiis &c. quem tibi commendo & interea manco tui.

Studioſiſſimus.

EXAMEN ALCHYMISTICUM, *quo, ceu Lydio lapide, Adeptus à Sophiſtâ & verus Philoſophus ab Impoſtore dignoſcuntur, inſtitutum in gratiam Magnatum & eorum, qui, ex defectû multæ lectionis & Vulcanicæ experientiæ, punctum Chymicum plenariè non intelligunt; ne tam turpiter à perditiſſimis iſtis fumivendulis ac impoſtoribus Thraſonicis, in opprobrium artis merè divinæ, decipiantur. Neceſſarium ac ſummè proficuum Opuſculum, quale, à mundo condito, typis non fuit exaratum.* AUTHORE PANTALEONE. Hermeticæ Sophiæ Adepto.

Ad Myſochymicum.

Ridere abſque causâ & vituperare incognita, ſtultitiæ ac ſuperbiæ ſignum eſt juxtà tritum: Per riſum multum debes cognoſcere ſtultum. Item: Ars non habet oſorem, niſi ignorantem, Ergò, qui artem aliquam vel amare vel rejicere intendit, diſcat eam prius & dein judicet. Quòd culices & papiliones propè candelam accenſam pereunt, horum animaculorum ineptitudo eſt, quæ uſum luminis commodiſſimum non tollit.

Celſiſſimo Principi ac Domino, CAROLO *de Liechtenſtein / &c. Principi ac Domino meo Clementiſſimo.*

Dicat Dedicat AUTOR.

Celſiſſime Princeps,

Clementiſſime Domine! &c.

DIcavi nuper prima initia & fundamentum artis Hermeticæ Veſtræ Celſitudini, tanquam hujus

hujus scientiæ divinæ Fautori, non sine meâ notabili temeritate, ex solâ naturali propensione ergà Vestram Celsitudinem prognatâ. Nimirùm convincit me charitas Christiana, concessio desuper lumine uti & currentem parili studio pro virili adjuvare. Vestra Celsit; hucusque tenetur amore Sapientiæ divinæ cum æterno applausu: Quia verò DEus, sapientiæ omnis origo, nil immediatè agit, Diabolus verò, juratus ejus hostis, nihil intentatum relinquit, quo animam sapientiæ cupidam defatigare, confundere & planè abstrahere queat; proinde ego talentum meum acceptum fœnori locare & vices instrumenti gerere decreveram, in eumque finem Tumulum meum Hermeticum adornaveram. Cùm verò iter illuc susceptum absque Achate fido feliciter finiri nequeat, propterea præsenti tractatulo oculis & menti perpendendum objicio, quis & qualis, inter tot competentes, eligendus sit vel non? Si actum ago, confirmo; si ignotum doceo, mereor; si neutrum, rogo, dignetur Vestra Celsitudo eâdem gratiâ hoc schediasma irradiare, qualem materiæ dignitas expostulat. Verbis non dimico, sed rebus, aliàs depromerem Scholastica verborum lenocinia iisque meam veritatem oblinirem. Sed cùm animi excelsi substantiam ab umbrâ facile distinguant, propensus magis maneo realiter quàm verbaliter demonstrare, quòd sim

Vestræ Celsitudinis
Humillimè obsequiosus
Pantaleon

Præloquium.

QVòd totum hoc systema mundi ex contrariis in unum quid coaluerit & certo modo perpetuò militet; schola Peripathetica jam olim edocuit & ad nostra tempora transmisit: Utrum autem ista pugna ex proæresi Creatoris teroptimi originaliter dependeat, liberum esto cuique, suo sensu abundare; Nos putamus, sub censurâ tamen Ecclesiæ, hallucinari illos, qui hoc negant; loquente ipso cœlorum motu contrario, qui nec quicquam à primâ minuta creationis immutatus est. Testes sunt lux & tenebræ, primo die mundi introductæ, motus & quies corporum, unum & multiplex, verum & falsum, bonum & malum, quæ omnia tàm necessaria sunt ad decorem hujus universi, quòd ab eo sine insigni mutilatione auferri nequeunt. Mens humana quidem, quamdiù superioratum gessit in homine, nescivit dualitatem, non quòd ipsi realiter non infuerit, sed quòd operari nequiret, ob sensitivæ subjectionem: Post prævaricationem verò, obscuratâ mente æternâ, & expergefactâ caducâ sensitivâ, inevitabili quadam necessitate, veraxrerum unitas proscripta & fallax multiplicitas introducta est. Quòd verò etiam hæc ad pulchritudinem microcosmi in præsenti statu requiratur, facilè cognoscet is, qui novit, quod diversitas actuum diversos quoque actores sibi deposcat. Saltum in alienam messem non committamus, sed in Palæstrâ rerum naturalium monendo exponemus, quàm diversi & contrario modo constituti athletæ ibi reperiantur: Hic pugnat ligneo acinace, ille pumbeis telis, alius machærâ rubigine obductâ, multi mortonum in modum farcimina straminea gestant, iisque arcem naturæ munitissimam ridiculè expugnare satagunt; non pauci solo clamore & comminatione deditionem postulant: rarò imò rarissimè invenitur Instructus romphæâ bisacuta. Omnes verò illi malè armati, postquam se sine proposito frustratos vident, domum revertuntur locique situm inaccessibilem incusant, ne verò desperare videantur, tormentorum novum genus excogitant & præparatoria terribilia meditantur. Fiat iterum, quid potest, stipem tamen cotidiè accipiunt, unusquisque pro honoris gradu. In fine verò canunt versiculum.

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Sic solvitur obsidio ipsis militibus ad hyemales mansiones divertentibus ibique gaudentibus. Appropinquante vere campum cum horribili fremitu ripetunt & obsidionem peregrinis armis induti reassumunt, donec tandem vel ipsi heroicè occumbant vel à Principali exhausto seu pigente dimittantur. Finitâ militiâ malè morati & stupidi, non agnoscentes propriam ineptitudinem, sed culpam in hoc vel illud conjicientes, novum Ducem quærunt & quod igne non potuerunt efficere, fumo tentant. Conscientiosiores verò, rem melius reputantes, hoc bellè genus aliis, ineptè licet, dissuadent & pacem potius præferunt.

Ambo autem non advertunt, quòd asinus, auro onustus, expugnabile faciat quodvis fortalitium, præprimis illud, quod ex auro est exstructum materialiter & proindè suo simili non adeò ægrè obsecundat, Volo dicere: studium Hermeticum proponit sibi arcem expugnandam, ipsum aurum naturaliter æternum & incorruptibile, sed milites valdè discrepantes in obsidionem adducit, operatores nimirùm doctos & indoctos, judiciosos & imprudentes, expertos & rudes, veraces & fallaces; sicut apud Magnates ubertim est videre, Principes enim antiquo & decenti admodùm amore feruntur ergà regium hoc studium, quamvis, ob vitæ teneritudinem, ad librorum inspectionem dorsum rarò incurvent, multò minus adhuc, propriis manibus, rerum naturalium analysin perägant: ex quo sequitur, quod hunc defectum alienâ industriâ & sagacitate cogantur resarcire. Quàm scelestuosè autem & nequiter plerumque decipiantur, in dies, proh dolor! eluescit, cum totius artis intolerabili calumniâ; Vix enim est aula Principium in totâ Europâ, ubi Alchymia benè audiat. Quare, ne hæc divina scientia tàm injuriosè ulterius tractetur, ipsique Magnates, cujus Patroni summè honorandi, tàm turpiter in posterum circumveniantur, composui hunc tractatulum ex lumine naturæ & autopsiæ, ut ipsis inserviat loco lapidis probatorii. Hoc enim firmiter teneant; Quicunque vel non intelligit vel odit tenorem hujus Examinis, se tamen Artistam vocat. Tyro imperitus vel Impostor esto. Et, Cujuscunque Processus vel particularis vel universalis cum fundamento nostro non concordat, vanus est & deceptorius, quicquid etiam magni præ se ferre videatur. Nil enim est nec erit unquam in igne permanens, nisi sola humiditas mercurialis metallica, homogenea, per artem vel naturam; prout abunde testantur Geber, Arnoldus, Bernhardus & omnes benè sensati & docti Philosophi.

Quod si verò cuiquam hæc nostra simplex ac denudata veritas invenusta appareat, ille apprehendat pedissequam ejus, versicolorem falsitatem & benè valeat. Nil mirum, quòd stuprum plus æstimetur quàm matrona honesta. Veritas enim à primo temporis puncto exposa fuit, partim, quia, ceu filia Altissimi, in suâ nobilitate confidens, colores omnes & alienas recommendationes spernit: partim etiam, quia homines ex naturâ suâ perversitate impostluras splendidas & callida mendacia plus amant quàm inculcatam ac nudam veritatem. E contrà Sathanas suam sobolem, mendacium diversimodè pictum ac larvatum ubique promovet, ita ut non perperàm in axioma receptum sit: Vnicam veritatem plures sibi Patronos & recommendationes exposcere, ut audiatur, quàm centum impostluras ac crassissima mendacia.

His tamen non obstantibus spinis, veritatem Physicam per epitomen Magnatibus hic proposui, quò tandem

ſui voti compotes fiant & artem cœleſtem convitiis non amplius proſcindant. Capiat, qui poteſt, omnibus ſcriptum non eſt, ſed iis, quos arduus vexit ad æthera virtus. Credat, qui vult, ventura ætas palàm faciet, qualia ſint & qualis fuerit Πάντα λόων.

CAP. I.

QUi Alchymiam à græco vocabulo ἅλς ſal & χέω fundo derivant, impropriè arti Hermeticæ attribuunt, eò quòd hæc finem ultimatum & principalem ſibi non proponit cum ſalibus agere, ſed potius cum metallis. Nullum autem metallum admittit in ſuam compaginem naturalem ullum ex ſalibus, ſicut nec per analyſin genuinam quicquam, ſalis, propriè dicti, naturam redolens, de ſe promit, ut neque conſtat niſi ex Mercurio, Arſenico & ſulphure; prout Geb. & omnes ſaniores Philoſophi fatentur; Quod verò per liquorem Alcah eſt, verum & unicum ſolvens metallorum, ſaliforme quid ex metallis obtinetur, ſciendum eſt, quod ſimile non ſit idem; Omnia enim ſalia ſaporem præbent vel acidum vel ſalſum, vel ex utroq; mixtum. Sed nil tale ex metallis per ſe habetur, quamvis formam ſalis exhibeat; ſicut etiam ipſe liquor deſtructivus, ignis Gehennæ ab Helmontio appellatus, nitri formam monſtrat, inſipidus tamen eſt & abſq; ſale, Quòd ſi verò aliquis, per additionem, metalla in ſalia cogat exindeq; ſtudium ſpagyricum, Alchymiam, vocitare malit, penes ipſum maneat iſta Alchymia, nobis eſt nimis pretioſa: In hac ſignificatione non abſurdè definivit quidam cavillator Alchymiam, quod ſit ars ſine arte, cujus principium mentiri, medium laborare & finis mendicare. Qui verò non ſtrictè ſed latè hoc vocabulum accipiunt & à minus principali fine denominationem petunt, nobiſcum ſentiunt ex ſalibus enim eſt principium & introitus, abſque ſale non aperiuntur portæ cœli Hermetici, ſicut Philoſ. paſſim affirmant. Definimus ergò artem Spagyricam, quæ uno verbo Alchymia appellatur, quod ſit Ars metalla inferiora meliorandi & ad Solis vel Lunæ ſtatum evehendi.

Subjectum hujus artis eſt omne metallum. Objectum eſt tinctura. Finis aurum. Jam, quia terminus à quo & ad quem, tanquam correlata, ſub uno genere comprehenduntur, neceſſitate rationali ſequitur, quod ſubjectum artis tranſmutatoriæ, cum ejus fine, ſub uno genere ſtare debeat, ſicut etiam innuit regula antiquorum Sophorum: Ex fine cujuſq; intentionis reſultat ejus principium. Item; à quo pendet alicujus rei principium, in eodem erit ſuum incrementum. Propterea docet Sendivogius: Si vis metalla facere, principium tuum ſit metallum, per metalla enim fiunt metalla. Et Riplæus in 12. portis: aurum & argentum extrà ſpeciem non eſt quærendum. id. in lib. de Mercurio. & lap. Philoſ. Conjunge ergo ſpeciem cum ſpecie & genus cum genere & ne unum ſine altero, nec quicquam contrarium, quod ſit extra ſpeciem & genus proprium. Loquitur autem hîc de ſpecie, non quod metalla ſpecie inter ſe differant eſſentialiter, ſed tantùm coctione & per accidens. Præcipit autem jungere aurum, tanquam ſpeciem, cum Mercurio, tanquam ex genere, ſpecificato & ad Solis naturam redacto, id eſt, homogeneo facto. Tunc enim non amplius eſt metallum vulgare ſed Philoſophicum; affirmante hoc Bernhardo: Metalla vulgaria tamdiù ſunt vulgaria, quamdiù manent in formâ vulgari, ideoque mutanda eſt illa & in primam materiam convertenda.

Eſtò ſubjectum Alchymiæ, circà quod hæc ars verſatur, eſt metallicum formaliter & materialiter, quia finis ejus, ſcil. aurum, pari modo eſt metallum. Ulterius autem quæritur; cum diverſa ſint metalla & metallica corpora, ex quonam illud ſubjectum ſit deſumendum? Reſpondet Bernhardus, Comes Treviſanus, quòd ex omnibus haberi poſſit, ſed ex uno citius quàm ex altero, dari tamen duo metalla, ex quibus proximè deſumatur; quod Sendivogius affirmat dicens: In omnibus latet noſtrum punctum, in quibusdam autem valdè eſt occluſum, in aliis verò citius vitâ deficeres, quam extraheres. Habet tamen præcipuè noſter Mercurius duo palatia, in quibus Sophis præbet audientiam. Et Arnoldus in ſpeculo Alchim. Magiſterium perficitur ex unâ ſolâ re; invenitur hæc materia in monte altiore hujus mundi, haberi poteſt à pauperibus & divitibus, projicitur in vias & res, quæ magno pretio emitur, hic nil valet. Geber verò dicit in ſuâ ſumma: Eſt medicina, quæ ex materiâ argenti vivi ſumſit originem, non eſt autem iſta materia argenti vivi in ſuâ natura neque in totâ ſubſtantiâ ſuâ, ſed ſuit pars illius. Et Riplæus in lib. de Mercurio & lap. Philoſ. Materia noſtra eſt ſupremum omnium, quæ in terrâ ſunt & minimæ æſtimationis. Eſt terra fœda, in hâc invenies aquam noſtram claram & tum terra illa nil valet amplius. Et Morienes: Omnis res, quæ magno emitur pretio, in hoc artificio eſt inutilis. Et Haly: Invenitur materia lapidis apud pauperem & divitem, euntem & ſedentem.

Rogerius Bacho autem rejicit omnia metalla, aperte dicens; quod ex Sole & Lunâ, ob illorum fixionem, nil haberi poſſit, reliqui verò planetæ ſint impuri & imperfecti: Nemo enim dat, quod non habet. Commendat autem corpus anonymum, ex Mercurio & ſulphure mundo conſtans, ſuper quo natura parùm vel minimùm ſit operata, & quod ab eâ in maſſam ſolidam ſit redactum. Conſentit Paracelſus in libro de tranſmutat. & indigitat ſuum electrum minerale immaturum, non metallicum perfectè. Idem facit Agricola major & minor & plures alii. Contrarium tenet Richardus Anglus, expreſsè dicens: Ars deſtruit Mercurium metallicum & ædificat eum à pedibus uſq; ad caput, in forma ſubtiliori ſubſtantiæ, quàm anteà fuit. Verùm enim verò quis mythologus conciliabit horum Adeptorum diverſas ſententias, ſalvâ cujuſque exiſtimatione? nemo, niſi qui ipſemet omnium & ſingulorum ſubjecta ſuper quibus ſententiam ſuam fundarunt, penitus cognoſcit. Propterea ſtylo ferreo notandum, quod Geber dicit cap. 28. ſunt plures viæ ad unum intentum: Nimirùm via ſicca & humida. Conſequenter etiam ſubjectum iis deſtinatum erit duplex, ſicut ex his adductis authoritatibus in facili eſt colligere.

Diſtinguendum verò iterum inter ſubjectum remotum & proximum ſeu adæquatum: Illud pro reſpectû viarum omninò eſt diverſiſſimum, hoc verò non.

Ad viam enim humidam, in quâ Paracelſus Rogerius Bacho, Baſ. Valent. Agricola major & minor inceſſerunt, ipſamet natura ſubjectum remotum, certum minerale, procreavit, ſed imperfectum reliquit, ex defectû applicationis agentis ad patiens: in quo ſubjectum noſtrum proximum, radix metallica mercurialis, inſtar embryonis ſub aquoſitate lactiformi continetur, quæ etiam propterea lacvirginis nervosè appellatur. Hic liquor lacteus, ponderoſus & ſemimetallicus, prima ſtamina, ſive formam metallicam, intrà ſua penetralia complectitur, nec differt à Mercurio currente eſſentialiter, ſed accidentaliter,

accidentaliter, sola coctione, inspissatione & homogeneitate. Mercurius enim currens cum sit metallum, coagulatorem suum secum gerit, nempe sulphur arsenicale copiosum, ita ut non perperam Arsenicum fluens appelletur. Liquor vero ille madefaciens, absolutam constrictionem corporis sui aquæformis nondum perpessus, parva quantitate sulphuris arsenicalis inquinatus reperitur, ab eoque facilè liberatur & homogenus redditur. Subjectum remotum ad viam siccam, quam calcavit Geber, Arnoldus, Bernhardus, Sendivogius, Philaletha modernus & multi alii, pertinens, sicut ex allegatis & probatis patet, est omne metallum. Quomodo verò hoc subjectum qualificandum & tractandum sit, ut Mercurius Sophorum inde extrahatur, breviter videbimus. Dictum est, quòd subjectum artis transmutatoriæ, corpus scil. mercuriale metallicum, cum suo fine, nempe auro, genere convenire debeat; metalla verò inferiora specificam, externam & accidentalem differentiam, ex admixtione heterogeneorum & defectu coctionis, in relatione ad aurum habent; quare eò præprimis est incumbendum, ut illa differentia tollatur, purumque genus relinquatur. Aurum enim est substantia purissima & nil nisi Mercurius per coctionem diuturnam à suo arsenicali sulphure sequestratus ac proprio sulphure mundissimo inspissatus, adjuvante calore externo moderato. Propterea, si subjectum artis transmutatoriæ cum fine, nempè auro, genere & essentia idem ac simile esse debet, prout demonstratum est, sequitur necessario, qualiscunque etiam Mercurius ad hoc magisterium eligatur, ut purissimus & planè homogeneus sit & Solis naturam habeat, excepto, quod aurum est fixum, hic Mercurius verò volatilis, astipulante tota schola Sophorum. Sic enim inter cæteros loquitur Bernhardus. Omnis res requirit rem sibi similem, ut generetur & augmentetur: natura enim augetur in sua propria specie & natura, & non in alia; ita enim metallum multiplicat metallum. Unusquisque Mercurius, præsertim vulgaris est heterogeneus continetque in se incredibilem partem terræ arsenicalis fixissimæ cum pauca quantitate aquæ sulphureæ fœtidissimæ. Quomodo verò binarius iste à monade metallica separetur, hoc opus, hic labor est. Duplex quidem via ab antiquis Magis excogitata est; sed quia in hoc mysterio totus cardo ædificii Hermetici versatur, proinde utraque in hoc usque ævum mãsit occultissima & solis Adeptis nota, licet ex parte à Gebero & Bernhardo descripta ac commendata fuerit; mens enim humana à lapsu occecata est in tantum, ut nec se ipsam cognoscat, multò minus metalla. Plurimi enim, quantumvis docti, cum audiunt, Mercurium vulgi, cum cæteris inferioribus metallis, esse subjectum artis Chrysopoeticæ, ex quo Sophicus tantoperè quæsitus Mercurius depromendus consternuntur quasi fulmine tacti, ipsaq; vox faucibus hæret, ob subjecti hujus & finis propositi magnam differentiam, artemque totam pro fabula & somnio hominum otiosorum tenent, non absq; directione Mysteriarchæ sapientissimi. Putant autem sic: Si Mercurius vulgi & corporum inferiorum potest fieri Sophicus, quare tot operatores fine suo frustrantur? tamen notissimæ sunt omnibus Mercurii sublimationes, & purgationes per salem, acetũ, calcem vivam & salia cujuscunq; generis; sed huc usq; cum ejusmodi operationibus nihil effecerunt; Ergò oportet, ut Philosophi alium Mercurium intelligant, non vulgarẽ: Proinde doctiores ex his, nauseam super Mercurio metallico contractam palliare nescientes, se toti posteritati prostituerunt & literis evulgarunt, quòd Mercurius vulgi, quocunq; artificio tractetur, non possit fieri Philosophicus, quod ridiculum & planè fallum est; quia tantùm est unicus Mercurius in tota metallica & minerali naturâ: differt autem infiniter à se ipso, per accidens, ratione puritatis. Ex quocunq; igitur metallo vel minerali eliciatur, excepto Sole, heterogeneus est & præparatione Philosophica indiget; sicut Sendivogius in Dialogo fatetur quando Mercurius ipse prosopopoëticos de se effatur: Cor meum semper est purissimum, vestes autem sordidissimæ. Quod si vero tales incredulí Thomistæ semel tantùm viderent, quomodo nostrum subjectum, per præparationem Philosophicam, transiret, utiq; conjicerent, quod similes tædiosissimi labores, à nostris Majoribus, frustrà non fuerint exantlati, & quod terra illa arsenicalis, à Mercurii nucleo separata, sola & unica causa sit, quod cum Sole se radicaliter unire & putrefactionem transire nequeat, sed majori igne in pulverem rubrum præcipitetur. Modum hunc duplicem præparandi Mercurios, ex Gebero & Bernhardo in meo Tumulo Hermetico allegavi; qui Philosophus est per ignem, clariorem in formationem non exposcet. Hic scribo Magnatibus, qui manus rarò admovent, sed studio alieno iter Colchicum intendunt: Sufficit scire 1. quod subjectum Alchymiæ, sive Mercurius sophicus, sit genere metallicus, an verò ex uno vel pluribus metallis petatur, perinde est, quia in præparatione Philosophicâ, præter unitatem simplicem & puram, nil remanet specificum. 2. quòd sit homogeneus, ab omni labe sulphureâ & arsenicali vindicatus. 3. quòd sit duplex, madefaciens & non madefaciens, sive liquidus & currens. 4. quòd præbeat amalgama durum, extrà ignem, quòd in igne statim iterum mollescit, donec in merum Mercurium abeat compositum. Et 5. quòd terra arsenicalis sulphurea in magnâ copiâ separari debeat, nulloq; artificiorum genere reduci ad formam Mercurialem.

Ex his satis superque constare puto, quid sit Alchymia & quale ejus subjectum. Qui nondum apprehendit rei veritatem, sed etiamnum dubitat, nodum in scirpo quærit, sibique soli relinquendus est.

CAP. II.

ABsoluto jam subjecto artis transmutatoriæ, tanquam principali ejus parte, sequitur objectum, quod est ipsa tinctura, quam breviter definio sic: Tinctura metallica nil aliud est, quàm sulphur auri, per decentem coctionem, in suo Mercurio exaltatum.

Circà hanc definitionem occurrit quæstio magni ponderis; an aurum sit corpus simpliciter homogeneum vel certo respectu? Ad elucidationem hujus quæstionis requiritur fundamentalis cognitio Mercurii, quia aurum nil aliud est quàm Mercurius coctus & inspissatus calore sulphuris sui interni, juvante externo moderato. Quare sciendum est 1. quòd Mercurius vulgi, & qualiscunque materialiter, ex solâ aquâ elementali constet, & totum hoc compositũ nil sit nisi aqua & ignis unitus; ratio est, quia in hæc iterum resolvitur, vel magno igne, per destructionem seminis astralis ignei, vel per sumum simile, ipsum elementum aquæ; uti videre est apud Ludovicum de Comitibus & Helmontium, viros omni exceptione majores, quorum posterior multoties conqueritur de amissione & destructione sui liquoris Alcahest, per suum compar: Prior verò expressis verbis fatetur, quod ille ipse liquor, qui tamen nil est nisi Mercurius homogeneus, in aquam extrà versus, per additionem vulgaris aquæ elemen-

talis in momento destruatur in aquam pariter elementalem, supernatante pinguedine quadam acri sulphureâ, cum tamen per se sit æternus & â nullâ alia re quicquam patiatur. 2. notandum, quod forma Mercurii essentialis interna sit analoga elemento astrorum, quæ igneæ naturæ sunt. Corpora enim cœlestia radios suos igneos continuò in centrum terræ conjiciunt, ex quo repercussi, per terram sine intermissione, iterum ascendunt & transeundo in corpore aquæ elementalis, coagulantur, ex quâ concretione exsurgit illud mirabile primum metallum, quod nos Mercurium appellamus, qui deinde à calore interno ulterius dispergitur & coquitur. Hinc profundo mineræ fœcundiores sunt quàm superficie, quia calor ibi est potentior & per consequens major excrementorum separatio; per hanc enim solam, à concomitante calore, generatur ex Mercurio aurum; quod verò multum heterogeneæ impuritatis in hac coagulatione admiscetur, illud est per accidens præter intentionem agentis, licet coagulationem constituti non parùm adjuvet & propterea etiam libenter intrò admittatur. Pondus verò Mercurii vel est ab ipsius seminis mercurialis idiosyncrasiâ, vel ex inspissatione & contractione aquæ, quod probabilius est, pondus enim ex aliquo corpore, tantundem ponderante, sit, necessum est: quia ex nihilo desumi nequit. Aqua ergò elementalis coagulatur, à sulphure peculiari astrali, in corpus opacum & ponderosum, argentum vivum nominatum; hoc verò dein, per ulteriorem coctionem & remotionem superfluitatum, in aurum, ceu ultimum naturæ metallicæ terminum, transfertur, sequenti modo: In Mercurio metallico latet ignis extrà, circâ eum, in terrâ, consimiliter est calor actualis, qui nil aliud est, quàm atomi ignei, & sulphurei, in mineris abundantes: jam quia ignis cœlestis & terrestris unius est generis, & simile in simile habet ingressum, propterea hic calor externus se sensim & sensim isti sulphuri Mercuriali associat in eoque corpus assumit; & dum hoc fit, reliqua sulphura crassa terrea, quæ ex eadem ratione amicitiam ibi quærebant, sequestrantur; quibus tandem, longô tempore, totaliter separatis, nucleus Mercurii albissimus, ab incorporato puro igne, calidior factus, in corpus ignei caloris coagulatur. Ex quo sequitur, quòd aurum, in relatione ad cætera metalla imperfecta, homogeneum sit, in respectû verò ad Mercurium homogeneum, non; eò quòd in se plus de igne corporali cõercet, quàm argentum vivum homogeneum, per artem vel naturam factum. Quia verò iste calor actualis, in sulphure Mercuriali concentratus & corporalis factus, superveniens est & tàm intimè cum materia aquea corporis Mercurialis non unitus, sicut sulphur Mercurii essentiale, propterea etiam per artem illud sulphur auri separari potest, aliquando cum, aliquando sine destructione corporis Solaris, quod Paradoxon multis videbitur, licet sit verissimum; quòd verò ignis in certâ materiâ corporeus fiat & pondus augeat, apparet ex incineratione reguli antimonialis cum speculo ardente. Prolixus esse nolo, cæteroquin adducerem totam antiquitatem, mecum sentientem. Redeamus ergò ad nostrum objectum, tinctura, quæ procul omni dubio ex auro & Mercurio homogeneo currente, vel liquido, conficitur, nulla re aliâ adjectâ, aliàs homogeneitas amborum tàm necessaria non esset, quod tamen Arnoldus in fine sui Ros. strenuè inculcat, dicens: Nolite in lapidem introducere, nec aquam, nec pulverem, nec ullam rem; nam non intrat in eum, quod non est ortum eo: ex imò si aliquid extraneum apponitur, statim destruitur & non fit ex eo, quod quæritur. Ad tuendam verò latam definitionem tincturæ, ulterius deducendum est, quomodo sulphur illud auri, à naturâ in Mercurium frigidum corporis aurei impactum, exaltetur & multiplicetur, quod sequenti modo contingit.

Quando corpus auri purum, cum volatili auro homogeneo, per artem facto, debitâ proportione, conjungitur, tunc volatile incipit fixum penetrare & sibi æquare, duobus mediis, tenuitate & quantitate majore; quia verò hoc sine calore non efficitur, propterea hic antiquam fabulam ludit & se paulatim suo simili, scil. sulphuri, anteà inexistenti, adjungit, illudque in quali potius quàm quantò adauget, nil obstante vitrorum densitate & dimensionum penetratione propter ejus summam subtilitatem. Hinc etiam Philosophi suum lapidem, sive tincturam, filium ignis & lapidem ignis denominârunt, quia efficienter & effectivè ab eodem procedit.

Et his præmissis fundametis fluit, quòd in totâ naturâ metallicâ tantùm sit duplex transmutatio: Una naturæ, & fit removendo superflua, per coctionem: Altera artis, & fit per illuminationem totius partis mercurialis in metallis.

Differentia consistit in hoc, quod natura homogeneum tantùm punctum in Mercurio alteret; ars verò totum corpus mercuriale, absque separatione superflui, ineffabili luce tincturæ veræ, illuminat & in statum digniorem transponit. Ratio diversitatis, est, quia alteratio naturæ ob agentis debilitatem, successivè in longo tempore perficitur; transmutatio vero artis contingit in momento, per modum illuminationis, quod enim facit lumen dispersum, illud etiam præstat concentratum & fixum, in debitâ materiâ; apprehendit aurem ista illuminatio purum & impurum, in corpore mercuriali ob sui excellentiam & incredibilem subtilitatem, ipsumque impurum, quod se ad purum nucleum Mercurii aqueum habet tanquam terra, licet utrumque ex aqua materialiter constet, instar fulguris, pervadit, illuminat & ad parem statum puritatis promovet; adjuvante non nihil radicali commixtione utriusq; Sic ut in posterum, tale aurum factitium, eundem Mercurium homogeneum, per retrogradationem artificialem de se fundat, quam ipsum aurum nativum. Hunc mysterioſum actum illustrare placet per inductionem, exemplo contrario sic: Si possibile est, quòd sulphura cruda arsenicalia, absq; commixtione, partem illam impuram terream Mercurii, quæ tamẽ originaliter & centraliter cum nucleo reliquo aquæ formi, in Mercurio, est unita & ex uno eodemq; elemento prognata, in momento ferè, ex composito suo extrahere, deturbare & in terram fixissimam, irreducibilem, mutare queunt; sequitur etiam, quia contrariorum eadem est ratio, licet diversa, quòd sulphura munda, astralia, illuminativa & subtilissima, cum commixtione sui corporis sulphureo-mercurialis, illam impuram substantiam reducere, suoq; elemento aqueo restituere & postea ulterius immutare valent, restitutio enim & conservatio rei similis longè est facilior, quàm transmutatio similis in dissimile.

Atqui verum est prius, ergò & posterius. Primum coridie, mechanicè, demonstrare valeo; alterum verò satis notum est ubique, per frequentes transmutationes Mercurii vulgaris, in aurum obryzum, absque immutatione Mercurii, quo ad pondus.

CAP. III.

POst objectum artis Hermeticæ considerandus restat ejus finis ultimatus, nempe aurum; quia verò

verò suprà satis explicatum est, plura non addimus, nisi quòd obiter monemus, si folia auri ad amalgamandum eliguntur, communia non esse sumenda, quia vel cupro vel argento sunt mixta, quod toti operi non parùm noceret. Est quidem adhuc aliud aurum, quod philosophorum appellatur ab iisque mire laudatur; differt autem à nativo valdè, non quidem essentia, sed fixitate. Est enim nil aliud quàm Mercurius Sophicus coagulatus; aptissimum verò censetur hoc aurum, à Philosophis, pro opere ipsorum brevi & occulto, innuente Gebero ac dicente: Quod si ex solo Mercurio perfeceris, indagator eris pretiosissimi Magisterii, quia verò prædictum aurum analogicum, finis ultimatus nostræ Alchymiæ non est, ideoque, plura addere cessamus.

Hîc habet æquissimus lector totam illam scientiam, quæ verum Philosophum nobilitat, eumque à colluvie pestilenti Alchymistarum vulgarium segregat, qui hanc callet, non tantùm theoricè, sed etiam practicè, Adeptus nominatur, id est consummatus Philosophus & medicus naturæ humanæ ac metallicæ. De hoc solo verum est Hippocratis effatum: Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἀλλῶν. Vir medicus est incomparabilis. Jam, cùm contraria juxtà se posita magis eluceſcant, delineandum quoque est, quid Pseudosophi, Alchymistæ, vulgares promittant & quomodo transmutationem suam instituant. Quia verò plerumque sunt indocti ac indociles, ex omni genere hominum malitiosorum, beneque de iis vulgare distichon explicatur.

Fingunt se Chymicos omnes, idiota, sacerdos,
Monachus & miles, histrio, rasor, anus.

Proinde nullam methodum observantes, sicut ebrii, in fovinas minerales ruunt, quid pro quo arripiunt, secumq; cogitant, recipio, nescio quale, & facio, nescio quid. Omnes quidem finem, seu scopum bonum sibi præfigunt, eoque se exhilarant, sed quia principium ignorant, finem non inveniunt.

CAP. IV.

QUô autem cum istis Sycophantis honorificè agamus, comparationem placet instituere, centonis Pseudosophorum multiplicis, cum unico & simplici subjecto Adeptorum, quod, in veritate verissimâ, est substantia Mercurialis, metallica & homogenea.

Subjectum verò proximum Alchymistarum, antè annos aliquot, fuit vitriolum in totâ suâ substantia, hoc purgârunt, dulcificârunt, imò, quod Deus benè vertat, per colores omnes ad transparentis rubini formam adegerunt; objectum verò obtinuerunt, tincturam quidem pro pannis, sed non pro metallis & finem, loco auri, cuprum. Ne verò absque ratione & authoritate veterum laborâsse viderentur, dictum illud; Visitando interiora terræ, reperies ibi occultum lapidem, veram medicinam, per initiales literas, vitriolum producentes, de vitriolo vulgari interpretati sunt. Quod autem effectus nullus subsecutus sit, culpam unicam posuerunt in vitriolum, primo ente auri, sufficienter, non impræg natum; proinde aliud Patrono esse inquirendum, ipsis verò effugium.

Huic, succeſsit antimonium, ab ipsis derivatum, à Græco ἄνθος ἡμῶν, flos nostrûm omnium scil: metallorum. Jam putârunt, se leporem tenere & unà cum nomine ipsam rem, juxtà versum:

Conveniunt rebus nomina sæpè suis.

Propterea quæsiverunt, ante omnia, partem ejus auream, scil: sulphur auratum, modo ex lixiviis, per præcipitationem, modò ex vitris, per extractionem stalagmatum diversorum, ejusque calorem, ad insaniam usque, admirati sunt. Fixârunt hoc per se & cum adjuncto, pro ingressu conciliando, Lunamque vel præcipitatum Mercurium, vestire tentârunt: & quidem ex fundamento, quod Basil: Valent: & alii dicant: Solem purgari, ab antimonio, quia sit de ejus sanguine; proinde non absre esse, si sanguinem illum extraherent, Lunæque infunderent. Alii hoc sulphur volatilisârunt, ut spiritûs naturam assumeret, audiverant nempe, quòd Philosophi suum Mercurium, spiritum subtilem & penetrantem nominent, aliàs enim aurum fixum pervadere ac subtilisare nequiret; Alii aliter & diversimodè hoc subjectum macerârunt, unusquisque pro suo liripipio; donec tandem omnes invenirent finem, scoriam inutilem, Lunamque intactam. Pauci tàm felices fuerunt, quòd cogitaverint, si quid boni & metallici lateret in antimonio, quod hoc in ejus Mercurio sit quærendum, tanquam parte puriori; sed si vel maximè scivissent, illum tamen separare in hunc usque diem, pauciſsimi didicerunt.

Deinde prolapsi sunt ad arsenicum vulgare, ex eoque modò rubinum, modò Mercurium perlatum, & similes larvas, præparârunt & finem, aliquando ipsam extinctionem auræ vitalis, invenerunt. Ne autem posteritati talis thesaurus subtraheretur, unus ex istis Sophistis, Polonus natione, Parisiis tractatum edidit, de hoc subjecto egregio, subtit. Lapidis Philosophici.

Marcasita & cinnabaris nativa impunis etiam non remansit; mirabilem enim aquam mercurialem & aureum penè Mercurium, exinde sciunt elicere, qui cochlear argenteum, flavo calore tingit; eumque deinde, ceu solarem, cum Sole coquunt & tandem, aurum non mutatum, post integrum annum iterum vendunt. Ante viginti annos circiter, author quidam anonymus, Agricola major & minor cognominatus, de Saturno Philosoph. pulcherrimum sed occultissimum scriptum publicavit, ibiq; mineram Saturni vulgaris, cum Philosophicâ, studiosè miscuit, laudabili effectû. Qualis enim clamor tunc temporis fuerit, de minerâ Saturni, in omnibus fermè laboratoriis dici vix potest. Hic scivit animam albissimam, ille rubicundissimam, extrahere, cum aceto & aliis liquoribus, uno verbo, ipsum universale magisterium, ex hâc minerâ, præparabatur, super chartâ, quia ignem non tolerabat: quàm miserè enim omnes fuerint decepti, notũ est.

Quid de Marte dicam? hic certè strenuus bellator est, sub quo plurimi Alchymistæ occubuerunt, Vulneratur quidem facilè sanguinemque fundit; sed, cùm ipsius vita in sanguinemq; fundit, sed cùm ipsius vita in sanguine non lateat, sed in succo similari Mercuriali, quem multo arctius custodit, quàm pici suum aurum; Propterea tantùm abfuit quod Lunæ vitam infunderent, quin potius eam infirmarent, & melancholicam redderent, cum isto copioso sanguine Martiali, verumque experirentur Galeni dictum; τὸ ἁπλοῦν καὶ ἰλιοτέρων διὰ τὸ αἷμα, stultum ac simplex est à nimio sanguine. Concedo quidem, raro ferrum inveniri absque auro, sicut plumbum, & proinde, quantum inest, iterum extrahi, sed quod lucrum eô sit expectandum, hoc nego. Quod ergo suum sulphur arsenicale rubrum, cum Luna unire tentant, est labor Alchymisticus, sicut antecedentes. Taceo lubens lapidem calaminarem, hæmatitem, cobaltum, lap. armenum, cerussam, smiridem, talcum, sulphur commune, &c. quæ omnia sunt subjecta Sophistarum & signa certissima ignorantis.

Non

Non autem nego, quòd impoſſibile ſit, ex metallicis ſubjectis Mercurialibus, noſtrum punctum elicere, ſed tantummodò dico, quòd Philoſophi ſua propria ſubjecta habeant, alioque & diverſiſſimo labore agant. Econtrà Sophiſtæ palpant in tenebris, ſicut cœci, nunc hoc, nunc aliud ſubjectum arripientes, donec tandem ſtultitia ſuum periodum abſolvat & pœnitentia locum teneat. Tunc ſequitur excuſatio illa uſitata ſtultorum: Non putaſſem. Quare, ne penitus à conſortio humano excluderentur noſtri Alchymiſtæ, coacti demum aliquid reale, apud ipſam veritatem naturalem emendicare, intenderunt, ſcil. fixationem impropriè dictam minerarum volatilium; ſed cum hæc eadem ipſis ſatis pinguis & ad palatum non videretur, propterea maturo auro, in illis mineris contento, bonam partem immaturi & volatilis adſcribere non ſuerunt obliti, aſſeverantes, quòd ſciant non tantùm fixum à fuga præſervare ſed & volatile, paucis diebus, fixare. Hæc mechanica cum apparente ratione non careat, plauſibilis hucuſque fuit, circa cujus deciſionem notandum. 1. quod maturatio & conſervatio ſint diverſa. Omnibus metallurgis notum eſt, quòd ſulphura arſenicalia, antimonialia &c. ſint famelica & niſi infuſione minerarum aliquid addatur, quod eorum voracitatem exſatiat, uti ſunt lapides fuſibiles, ſalia vitriolica, ferrum, calx viva &c. invadunt ipſamet perfecta metalla eaque ſecum rapiunt. Maturatio verò, quia fit ab ipſa natura, agente ſcil. ſulphureo aſtrali in Mercurio, adjuvante externo moderato calore, propterea in tam parvo tempore abſolvi nequit. Opitulatur quidem naturæ ars, per additamenta ſalinoſa, quæ ſulphuribus ſunt contraria; interim tamen non ſufficit remotio ſulphurum & impuritatum terreſtrium, à parte mercuriali, ſed requiritur ante omnia & primariè coctio naturalis lenta, per longum tempus continuata. Ideoque maturatio illa ſive fixatio, ſi legitimum tempus accedit, rejicienda non eſt, ſed naturæ affinis, ſecus non. Proinde callidiores ex noſtris Alchymiſtis, poſtquam notarent, quòd per iſtas maturationes parùm proficerent, ſacra verò auri fames ipſos tanquam umbra comitaretur, inceperunt iterum ad faſtigium tincturæ univerſalis aſpirare, omnemque lapididem movere, legendô, ſtudendò & laborando, pro impetranda hac ingenti felicitate. Volutis verò & revolutis omnibus authoribus authenticis, ſemper eandem cantilenam omnes canere obſervârunt ſuumque Mercurium deprædicare. Propterea nolentes volentes Mercurium vulgi tandem in ſuam carnificinam deduxerunt, quòd baſin & genus præberet omnibus metallis, cum auro, tanquam ſimili, unicè amicaretur & centenis aliis locis Philoſophorum armati. Non eſt dicendum, quid perpeſſus fuerit hic bonus Mercurius, niſi eſſet creatura ſine pari, impoſſibile fuiſſet ipſi, ſub tot lanienis emergere: Plures enim torturas ipſi applicârunt, quàm Domitianus, Decius, Nero Diocletianus ſuis Martyribus; quomodocunque vero procederent, adderent aut demerent, ſuam fidem tamen abnegare noluit, quæ erat & eſt; Sophiſtis imponere & Philoſophis obedire. Erat autem intentio illorum, Mercurium per ſublimationes à corporibus ſalſis purgare, cum iis reſolvere, ſublimare, revivificare &c: donec fieret albiſſimus dulcis, atque ſic abſque acrimoniâ & ſtrepitû Solem ſolveret. Plures, audientes, quòd principium metallorum ſit aqua viſcoſa, cum additione ſpir. vini & aliarum rerum, ſimilem mucilaginem parârunt. Non pauci elevârunt ipſum multoties à metallis, ſicque à nigredine purgârunt, tandemque cum Sole conjunxerunt. Naſutiores peculiarem Mercurium ex aëre, ſalibus, vegetabilibus certis, alii ex ipsâ Utopiâ optârunt. Alii extractiones Mercuriales laudârunt, ex præcipitatis cum auro factis. Alii redegerunt ipſum in aquam, oleum, ſalem &c: alii extulerunt fixationes. Omnes verò in fine obtinuerunt præcipitatum inutile, ipſumque Mercurium, egregium vexatorem Alchymiſtarum. Hæc Tragœdia jam in Europâ, ad noſtra uſque tempora, fuit acta, viventibus adhuc multis actoribus emeritis, rudeque donatis.

Hinc, poſt tot illuſiones à Mercurio acceptas, convenerunt noſtri Sophiſtæ, proximè elapſis annis, comitia publicârunt & Mercurium, tanquam turbatorem pacis Alchymiſticæ ab proditorem patriæ, omni ſuo honore orbatum, exilio affecerunt, ſub pœnâ, ſi quis ullô modô Mercurium in ſuum laboratorium admitteret, quòd ille pro perjuro & rebelli ſit habendus; hâc annexâ pulcherrimâ ratione irrationali; quia metallum eſſet: Abſurdum enim fore, quòd metallum generet metallum & præterea omnes Philoſophi expreſsè dicant ac rationibus evidentiſſimis convincant, quòd ipſorum Mercurius non ſit vulgaris. Ne autem omni Mercurio penitus carerent & panem abſq; farina meditarentur, unanimiter concluſerunt, alium, in locum relegati, ſufficere; habitaque matura deliberatione & applicatione ſcriptorum authenticorum, præprimis Sendivogii, ſolenniſſimè elegerunt ad hoc regium officium, ſalem nitri. Doctiores inter illos æternitati ſtatim, per literas, inſinuarunt, quàm nobile ſubjectum ſit ipſorum nuper electus Mercurii ſuffraganeus, eò quòd non tantùm cum illô repudiatô, in qualitatibus contrariis, conveniret, ſed quòd inſuper etiam citius & leviori operâ figi poſſet. Nil enim hi auriflones magis exoptant quàm Lunam fixam, Mercurium fixum &c. idq; citò. De ſecretioribus ejus proprietatibus & anima rubicundiſſima, avicula Hermetis vocata, multa quidem libenter ſcriberent, niſi mundi indignitas id prohiberet. Cæteri omnes domum repetierunt, ac proceſſum excogitarunt, unuſquiſq; pro captû. Plures patria abiverunt & Germaniam, tanquam exterorum domum exaltationis & indigenarum detrimentum, viſitarunt; Ubi, in hunc uſq; diem, Solem cum nitrô qualitercunque præparatô, corrodunt & varios colores, præcipuè purpureum, cum magna conſolatione obſervant. Quod igitur nitrum ſit ſubjectum, è quô Mercurius Sophorum præparandus, hoc benè ſciunt, ſed, an iſtud conjugium Solis & nitri, ſub nomine Univerſalis vel Particularis, Principibus debeant vendere, adhuc controverſantur. Aliqui putant, quòd ſit via illa univerſaliſſima in ſuperlativô gradû 1. quia nitrum in omnibus tribus regnis invenitur, & Paracelſus materiam lapidis triplicem nominat. 2. quia Philoſophi & imprimis Hermes ſcribit, quòd ſit ubique & à vento portetur; quæ omnia nitro ſolo conveniant; non pauci computum faciunt cum crumena, concludentes, quòd tantùm particularis titulum mereatur, quoniam tantùm partem illam tinctam relinquat, quæ fuit addita. Sed rogo veſtras Dominationes, quomodo fit ex ſale metallum, per artem, in vitris liquatis? Reſpondetis: per metallum adjectum: Concedo, ſed diſtinguo inter metallum genuinè recluſum & ſophiſticè corroſum. Si aurum in ſuo nitroſo liquore radicaliter aperiretur, tunc abſurdum non eſſet, hoc ſtatuere: jam verò etiam tyronibus conſtat, quod aurum in ſuô ſimili ad primam materiam reducatur. Salia autem non ſunt metallis ſimilia, quia ab ipſis toto genere præſcindunt: Ergò.

Deinde

Deinde ponamus, fieri metallum ex nitro; tunc iterum quæro, quale sit metallum, aurumne, an Mercurius? Si dicitis aurum; tunc aurum auro non solvitur, nec aurum plus habet in suo naturali statu & antè regenerationem, quàm indiget ad suum esse. Si Mercurium vultis: apertè mentimini; quia non potestis ipsum aurum eo adigere, ut corporetenus in Mercurium abeat, multò minus efficietis, ut salia in eundem cogat; Præterea absurdum est, ut corpus fixum, mediante igne, producat volatile.

Quòd verò Sendivogius in suis 12. Tract: de nitro loquitur, hoc fecit in gratiam indignorum; qui prudens est & expertus, ad istos scopulos non impinget. Si Majores nostri nudam & solitariam veritatem voluissent scribere, forsàn ad nostra tempora non perveniisset; qui in unicâ pagella omnia naturæ mysteria consignari possunt. Non fuit sollicitus hic bonus Author, de nitro naturæ vegetabilis, sed de nitro naturæ metallicæ: quia verò magnam affinitatem inter se habent & porcis margaritæ non sunt projiciendæ, propterea illud descripsit & hoc intellexit, An non legistis eundem Sendivogium dicentem, si vis metallum facere, sit metallum tuum principium, à cane non nascitur nisi canis. Item: Non operare secundùm literam, sed considera semper, quid naturæ conveniat & quid non &c.

Quoad Hermetem, tota ipsius Tabula Smaragdina, sub velo allegorico & methaphorico, scripta est; intelligitur ibi ventus, non ille majoris mundi, sed minoris, in vitro inclusi. Videte ergò, ne palinodiam canatis offenso Mercurio metallico, cum maximâ vestra confusione, nobilis enim est & regia stirpe oriundus; Magnatibus autem manet altâ mente repostum, si injuriam patiuntur.

Sed Sophistæ & ignorantes plerumque sunt superbi, ac tempestivè cavent, ne ipsis aliquid minus honorificum accidat, Proinde casû, quô nitrum expectationi ipsorum non satisfaceret, dantur jam alia subjecta in rerum naturâ, in quibus parem vel majorem etiam spem ponunt; ut Tartarus: Præbet enim sal fusibile fixum seu terram foliatam, in quam aurum seminare jubent Philosophi, & insuper de vino oritur, docente Lullio.

Verùm fama aurita retulit, quòd neque in hâc venatione prædam aliquam, præter operam perditam, ceperint. Multi proinde in alumine quæsiverunt, salem dulcem extraxerunt, & in fine alumen retinuerunt.

Alii, cæterùm non indocti, cum ingenti fastû & præsumtione, in ipsis elementatis invenire tentârunt, quod in elementatis nequiverunt. Propterea ex aqua, pluvia, tempestate tonitruosa cadente, & sub dio putrefacta, acetum subtile separarunt, hoc dein cum sale fixo communi & Ol. vitrioli copularunt, crystallos collectos solverunt & tandem cum pyrite in tinctûram coagularunt cùm omnium, maximè autem propria admiratione; Sicut mihi talis processus ab homine Gallo, viro optimè docto aliàs, sub magno Sacramento (scil.) fuit recommendatus, à me verò explosus.

Alii rorem Majalem, alii nivem, alii terram virgineam, ad genua scil: effossam, alii urinam, capillos humanos & multas alias doctas stoliditates implorarunt & nihil obtinuerunt. Quocircà apertè dico, quod hæc subjecta omnia, exceptis metallis, quæ tamen Philosophicè anatomizàri debent, sint deceptoria, quia non stant nec stare faciunt in tortura ignis.

Quicunque igitur aliquid aliud pro subjecto adæquato transmutationis eligit, quàm solam humiditatem metallicam permanentem, Pseudosophus & Impostor sit, donec probet contrarium.

CAP. V.

VIsis præcipuis subjectis Sophistarum progrediendum ab eorum objectum, quod iterum præscindit ab objecto Sophorum, qui unicam tincturam universalem sibi proponunt. Illi verò hac non contenti, particularia infinita, præter omnem rationem & experientiam introduxerunt.

Hic enim promittit partem cum parte; ille duos lothones auri ex Lunæ marca. Alius vendit den Zinsbauer hintern Ofen singulis mensibus. Quartus Lunam fixam & ejus gradationem. Quintus fixationem sulphuris vulgaris, sed ingressum desiderat. Sextus coagulationem Mercurii in solem, &c: Septimus album Veneris Luniforme. Octavus tincturam sulphuris antimonii in 2. mensibus. Nonus fixationem Mercurii in Lunam; Decimus tincturam Solis cum ol. urinæ. Undecimus conversionem Joyis in Lunam. Duodecimus ein Einbringen in die Lunam ex Marte &c: Imo tot colores non possidet Polypus, quot hi Alchymistæ particularia.

Causam ad has nequitias texendas partim dederunt ipsi Magnates, Patroni: partim Physicastri, Impostores. Illi enim sunt curiosi & moræ impatientes; hi verò effrontes, propterea, quia tempus protinctura, ultrà annum extenditur & subjectum proximum incognitum, concludunt sic: Si nil efficitur, parum etiam nocebit, videbimus brevi &c: Præcipuum enim philtrum amoris ergà particularia, est labor imaginatus brevis, & lucrum non adeò invidiosum. Fateor quidè, intentio non est mala, sed finis.

Ut autem innoteſcat, quàm miserè decipiantur particularistæ, disquiro & dico sic: Istæ particulares metallorum transmutationes vel fiunt in Mercurio heterogeneo, vel homogeneo: Et post, vel per modum maturationis vel illuminationis tinctauralis. Si particularistæ dicunt; in Mercurio heterogeneo per modum maturationis: mentiuntur impudentissimè sicut Alchymistæ, quia maturari & heterogeneum manere, sunt incompatibilia in regno metallico; maturatio enim fit per coctionem, coctio verò adunit similia & separat dissimilia. Si excipiunt; hoc esse verum de simplici maturatione naturæ, non artis. Resp. Quomodocunque ars procedat, tamen nunquam producit aurum verum, quod naturali in homogeneitate est dissimile, datô vero hoc, non est verum aurum; nec examina sustinet. Si jam aurum illud artis transmutatoriæ sit nativo simile, homogeneum quoq; erit, &, per consequens, vel fiet per maturationem, separatis heterogeneis, vel per illuminationem tinctauralem retentis, sed mutatis iis, à potentia fermenti. Coguntur itaque fateri, quòd vel per maturationem artificialem vel illuminationem tinctauralem fiat: Si prius, necessarium est, 1. ut illa inferiora metalla à suis coagulatoribus liberentur 2. in Mercurialem naturam reducantur & 3. per coctionem & aliarum rerum additionem purgentur & maturentur; aliàs ignis externus, centri Mercurialis ignem cœlestem, de potentia in actum deducere nequit, & sic maturatio nulla contingit, ob arctam nimis principiorum observationem; Ignis enim debilis, qualis maturans est, agit tantùm in corpora aperta non occlusa. An verô hoc præstare queant Sophistæ, valdè dubito; hoc autem benè scio, quod nec Mercurium vulgi queant reddere homogeneum, imò plurimi nunquam somniarunt, eum esse heterogeneum. Mercurios corporum quidem omnes volunt producere, sed impediuntur

semper

ſemper ab aliis negotiis. Ex his ſequitur, quòd nullum detur particulare in ſenſu communi; exceptâ maturatione tædioſa & longinquâ aliquarum minerarum. Verum autem particulare, eſt tinctura imperfecta, poſt primam rotationem, quæ partem tantùm puriorem metalli impuri convertit.

Et tantùm de objecto Sophiſtarum; Jam reſtat finis, qui Philoſophis veris & Sophiſtis eſt communis nempe aurum: Differt autem in hoc, quod illi eo, cum honore & ſanitate, abundant, hi verò, in deſperatione & infamiâ morboſâ, carent.

Epilogus.

EX adductis hiſce fundamentis & probationibus ſolidis, conſtare Magnatibus puto, quid in arte Chymicâ quærendum & qualiter comparatus ſit verus Philoſophus, item quid Sophiſtarum humeri valeant & quid ferre recuſent. Si hunc tractatulum perlegunt & diligenter perpendunt, promitto ipſis ſecurè, quod à nullo impoſtore, quantumvis callido, decipientur. Si vero aliis opinionibus falſis præoccupati ſunt & veritatem admittere nolunt, doleant etiam intus & in ſinû neque totam artem divinam pro ludibrio habeant, eò quod per Impoſtores, ſanitate & bonis privati ſint. Quicunque aliquid tractat, quod non intelligit, nec intelligere vult, ſi decipitur circà iſtud negotium, & fine fruſtratur, non aliis; ſed ſibi ipſi imputet. Quid mercatori improbo intereſt, ſi emtor merces ſitû obductas carè emit: jura vigilantibus, non dormientibus ſcripta. Accedit, quòd non omnes Impoſtores ſint activi intentionaliter. Prætereà non ſequitur: tot annos & ſumtus trivi in hoc ſtudio, tot Sophiſtas alui, ſed nil inveni: Ergò tota ſcientia eſt falſa. A noſtrâ inſcientiâ ad rei veritatem vel falſitatem argumentari, non valet conſequentia.

Qui itaque in hoc ſtudio Spagyrico, vel Hermetico, vellere aureo potiri vult, diſcat prius ejus ſubjectum & objectum benè noſcere, & tunc non emanebit deſideratus.

FINIS.

DISCEPTATIO de LAPIDE PHYSICO, in qua TUMBAM SEMIRAMIDIS Ab Anonymo Phantaſticè, non Hermeticè Sigillatam: ab Anonymo Recluſam, Si Sapiens Inſpexerit Ipſam, Promiſſis Regum Theſauris Vacuam Inveniet.

Virtus & Veritas premitur, ſed non opprimitur.

PRÆFATIO.

CReſcit malitia mundi. Alchimiſta vulgaris, auro inhians, omnis cujuſcunque generis Recipe, & ſcripta in acervum accumulat, & quia omnino indoctus, artem aurum facientem, caſu invenire ſibi perſuadet: unde ſuas chartas tanquam Thefaurũ cuſtodiens, legit, relegit, modo hoc, modo illud probat: ſecum argumentans dummodo unum recipe verificum invenirem, omnes ſumptus ſolvet; nec non me divitem faciet: quis ſcit, ſi jam probata fefellêre, hoc non aliquid boni contineat; donec tamen labore feſſus, crumenâ exhauſtus: non animo, ſed bonis exutus, ſolo deſiderio habendi dives, reliquorum egenus, miſerè vivat.

Doctores & aliqualiter ſtudio initiati, talia Recipe non taliter rejicientes, adjungunt lecturam librorum, & quia levis ſunt doctrinæ, ad leviora & faciliora animũ applicant. Hic mercurii fixationem, ille mineram cum mercurio multiplicandam: audaciores, non Truncum, id eſt Lapidem Phyſicum, ſed Brancum (quaſi ramus arbore prior ſurgeret) alii alia quærunt: & hi ſunt illi, qui, quia parvâ literaturâ ornati, rem magnificè proponere ſciunt, aliis ditioribus, & ſimplicioribus imponendo, prima ponunt fundamenta Prætorii, ubi de nobili hac & vera ſcientia malè litigatur, pejus dijudicatur.

Succedunt tertii, homines in ſuo genere etiam quandoque docti, & propterea altioris ſupercilii antecedentia deſpiciunt, ſed tanquam Philoſophi, quales ad minus ſe credunt eſſe, ipſi lapidi inhiant, & libros talia tractantes evolvunt, quos, ſtatim quia ſe ipſos doctos judicant, à prima lectura aliqualiter iteratâ totaliter intellecturos præſumunt. Multi ipſo ſtudio adjungunt labores, eóſque dirigunt ſecundum conceptam à ſtudio doctrinam. Quidã parum, quidam multum laborant, hic pro ſe, de bonis propriis, ille pro aliis aliorum expenſis, hic humilis & tacitus nihil ſe ſcire profitetur, ille quaſi tumida bulla, omnia ad ſuum cerebrum explicando trahens, jam ſe Sophis parem æſtimat; nec non ab aliis pro tali haberi geſtiens; ubíque de hac arte magniloquè diſputat: nec quandoque talibus contentus, quia vox ſolùm adſtantium aures ferit, meditatur & in diſtans ſuam famam divulgare, telle Proverbio, littera ſcripta manet, & tanquam vox muta, millenos ſe intuentes alloquitur: illicò in hoc ſibi applaudens, confuſam ſui cerebri congeriem, pro meliori poſſe ordinando, nec non multis & confuſis authoritatibus, tam ſapientum, quàm putatitiorum ſibi parium indifferenter adornando, ſcriptum componit; quod quandoque ſolius gloriæ, quandoque & lucri ſtimulo imprimendum exponit, quibus Bibliopolæ propter non exiguum in illos exinde redundans emolumentum, avidè inhiantes, emunt, atq; ad alia conficienda, ſpe lucri, exhortantur, imò multa ſimilia à ſemidoctis, paratis nummis emendicant. Quia libris, dummodo de arte aurifera tractent, non deſunt emptores. Et hæc eſt cauſa, quod laudabilis hæc Philoſophia, in ſe ipſa intellectu ſat difficilis, omni die difficilius reddit Tyronibus illius ſtudium: Dum non ſolum involvuntur verorum obſcuris & ænigmaticis dictis; ſed etiam putatitiorum Philoſophorum nugis & erroribus à vero tramite ſeducuntur. Utì præſens Tumbæ Semiramidis Compilator, & ſua figmenta mundo obtrudit: & ſocietati ſibi notorum Virorum, arcana naturæ indefeſſè quærentium, dedicavit Anonymus, licèt illorum multis nomine notus ſit, ùt in ſua Epiſtola Dedicatoria fatetur: ut illis, aliiſque doctus videatur, & tanquam Anonymus, Anonymam ſuam doctrinam credibiliorem reddat: non abſque notabili Reipublicæ Hermeticæ detrimento, Tyronum confuſione, atque Sapientum ſcandalo, quod ut mundo pateat, nobis placuit, in gratiam Filiorum artis Tumbam hanc putatitiè ſigillatam, Hermeticè recludere, ipſámque & Theſauris & Scientiâ vacuam publico exponere, ne inſcii in illa reſeranda pro ſomniatis acquirendis, proprios Theſauros tempus, laborem & nummos inutiliter effundant: & utinam, iterúmq; utinam, omnes huic ſcribenti ſimiles, ſimile quoq; examen inveniſſent, atque impoſterum invenirent, forſan meliùs foret huic Scientiæ Studioſis, quibus ut ſatis faciamus abundè, dum alterius errores commonſtramus: veram & rectam viam, nec non linearem Methodum, tam de proprio, quàm principaliorum Authorum differentes, confuſas, obſcuras vias combiñando, reordinando, declarando, docebimus; quam qui ſimel ingreſſus fuerit, optatam metam, orando, ſpeculando, & laborando, infallibiliter attinget: quod Deus omni pio Hermeticæ Philoſophiæ Sectatori concedat. Amen.

Admonitio

Admonitio ad Lectorem.

Sicuti Author Tumbæ Semiramidis suum Libellum in decem Capita divisit, & nos Caput per Caput examinando totidem ponimus: Quibus Corollaria subnectentes, hujus artis Doctrinam ordinatim tradimus

CAP. I.

De Subjecto Physico Lapidis Philosophorum.

IN hoc primo Capite, Subjectum lapidis declaras, & generaliter loquendo, optimè didicisti ex authoribus, cætera negligendo, ex solo regno minerali illud petendum esse, atque iterum bene asseris, id non ex mediis mineralibus substantia argenti vivi carentibus; sed ex metallicis desumendum, & omnia metalla fusa, præcipuè non fusa, etsi imperfecta (per intimam labis suæ originalis deputationem) subjectum lapidis esse posse.

Quam propositionem si verè cum suis circumstantiis intelligeres, aut practicè expertus esses, quatenus, quomodo, aut quando, metalla, tam perfecta, quàm imperfecta, subjectum lapidis sint, & esse possint; adeptis te adnumerari non incongruè prætenderes, Sed timeo te plus studiosè perlecta, quàm intellecta & practicata conscripsisse, eò quod Authores, tam tibi consentientes, quàm contradicentes, & à tua doctrina aliena docentes, indifferenter tuis scriptis infers, uti accidere solet iis, qui verè non intelligentes, tamen se illos intelligere credunt: quod patet ex ante citato textu Philalethæ: Cap: XII X. *Est tamen unum in regno metallico originis miræ, in quo Sol noster propinquius est quam in Sole & qui in ☿rio nostro liquescit sicut glacies in aqua tepida.* Quem Textum adducis in probam, quod postquam aurum pro subjecto lapidis statuisti, etiam imperfectiora non excludendo idem esse posse. Quod autem Philaletha per illud *unum* non intelligat pro subjecto lapidis metalla perfecta, multò minus imperfecta, uti tu male intelligens hariolaris, ex sequenti clariore hujus textus explicatione apparebit, *est tamen unum in regno metallico originis miræ.*

Id est nucleus mercurii metallicus albissimus, & purissimus, qui propter raritatem artis, tam eum speculativè inveniendi, quàm practicè educendi mirabilem methodum, à Philaletha, *originis miræ* appellatur.

In quo Sol noster propinquius est, quàm in Sole & Luna vulgi.

In quo, scilicet nucleo, at non plus ultra defœcatissimo, sol noster, id est aurum vivum Philosophorum, seu Sulfur artis, *propinquius est, quàm in Sole & Luna vulgi*: id est facilius per decoctionem ex illo extrahitur, quam ex auro vulgi, tam propter puritatem, quia auro & argento purior hic nucleus, illud homogeneitate antecellit: Nam licet aurum quoad perfectionem metallicum sit sat purum, & perfectè homogeneum, tamen quoad perfectionem medicinalem non ita est; Secundum omnium Sophorum authoritates, quas hic annectere supersedeo. Propter brevitatem, citius enim per se, quàm auro adhuc clauso junctum, in Solem nostrum, id est Philosophorum decoquitur.

Si eum in hora sua nativitatis quæras

Si eum, id est ante dictum Solem nostrum, in hora suæ nativitatis: quando scilicet ex illo uno in regno metallico originis miræ, id est ☿io homogeneo, per competentem ignis decoctionem natus educitur: *quæras*, id est accipies, *qui in Mercurio nostro liquescit.*

Qui scilicet *Sol noster* ex ☿io natus, in ☿io nostro nempè unde natus, iterum impositus, *liquescit*, id est resolvitur, *sicut glacies in aqua tepida.*

Quemadmodum glacies nil nisi mera aqua concreta est, ideò etiam in pura aqua tepida, absque rejectione ullius superfluitatis inseparabiliter resolvitur; Pari modo & ille Sol, sicut glacies, ☿io Sophico tanquam aqua sui generis, solo igne concretus, & in hora suæ nativitatis, id est coagulationis, acceptus, eodem ☿io reimpositus, suaviter resolvitur, tanquam in aqua tepida, id est, leni calore adhibito.

Ergo illud unum in regno metallico originis miræ, ex quo Aurum vivum, sivè Sulfur artis propinquius, quam ex aliis metallis educitur, & in quo idem Sol noster iterum resolvitur, est nucleus ille mercurialis omni superfluo spoliatus, & non Metalla perfecta, multo minùs imperfecta; cum priora nimis arctè clausa, posteriora nimis impura, ut possint aurum vivum, seu Solem nostrum, tam propinque, id est sola decoctione dare: & si darent quomodo iterum resolverent, quæ ipsamet coagulata sunt: Illudque ex aliquot lineis Philalethæ, supra citatum Textum immediatè antecedentibus sat colligere licet: Dum dicit *Pariter & per hunc intelligendi modum lapis noster est in omni metallo, ac minerali, quia pura Sol vulgi ex ipsis extrahi possit, ex quo Sol noster propinquius peti possit.* Quibus dictis superaddit, quod sit adhuc aliud unum in regno metallico originis miræ, in quo Sol Philosophorum adhuc propinquius inveniri, potest, quam in Sole & Luna vulgi. Unde in antecedenti Capite XVIII. clariùs insinuavit: *Quare aurum nostrum est materia lapidis proxima, aurum vulgi propinqua, cætera metalla remota: Sed si aurum nostrum quæris in re media, inter perfectum & imperfectum, quære & invenies.* & illud medium inter perfectum & imperfectum (quod superius unum in regno &c. dixit) est ☿ius homogeneus suus animatus qui perfectus quatenus ipsum aurum puritate & homogeneitate superat, imperfectus, quatenus adhuc volatilis & non fixus decoctione indiget ad sui perfectionem.

Quæ explicatio sicuti sat clara est, ita etiam sat clarè docet, te Philalethæ Doctrinam nullo modo scire, nec intelligere, &, ideò ante dictum Textum ad tuam Hypothesin comprobandum ignoranter detorsisse: quia aliud est rem per transennam inspicere, & conjecturari, aliud centrum veritatis cognoscere, & fundamentaliter argumentari, prius in supposititios, posteriùs in veros Philosophos cadit.

Postmodum præscindendo ab imperfectioribus, etiam perfecta metalla aurum & argentum pro subjecto lapidis declaras variisque Authoribus legitimè probas: iterumque in conclusione hujus Capitis imperfecta metalla proponis his verbis: *Nos non negamus, etiam dari aliud subjectum minoris pretii, ubi imperfecta metalla non excluſimus*, quemadmodum ex Anonymo Philaletha hisce verbis meminimus, *est adhuc unum in regno metallico mirabilis originis &c.* quanquam vile hoc pretium multi Philosophorum de menstruo solvente intelligant.

Quæ verba quam sint inordinata, cæteraque omnia quàm confusè dicta atque ex Authoribus malè coadunata: pejus intellecta, adhuc clariùs docebitur.

Si aurum quatenus rem, omnia ad lapidem necessaria, in se habentem; id est tam humiditatem mercurialem, quàm sulfur specificum, seminale, aureum, fixum, & tingens; verum & totale subjectum lapidis statuis cum Authoribus à te productis optimè concludis: Idem autem imperfectis attribuere, malè quadrat, quia omnia ad opus completum necessaria, sicut illud in se non habent: quamvis humiditatis Mercurialis subjectum, æquè ut aurum realiter existant,

unde aurum vivum: id eſt ſulfur artis fixum educi poteſt, quod tamen ex imperfectis, etiam ab omni labe originali depuratis, & fixis eductum, adhuc non eſt, nec erit aurũ, multo minùs lapis tingens imperfecta in aurum, nemo enim dat quod non habet, ſpecifica enim aurea ſeminalis fixitas nunquam in illis fuit, idcóque illam nunquam dabunt, neque totaliter, & indiſtinctè, ſubjectum lapidis nominari poſſunt, quod ſic probo: Lapis Philoſophicus debet verè & realiter imperfecta in aurum tingere, ſed metalla imperfecta quomodocúnque præparata, nunquam alia imperfecta in aurum tingent realiter; ergo illa, illud unum quid, vilis pretii, lapidis ſubjectum ſtatuere, erroneum eſt.

Ad hujus rei majorem elucidationem hanc ſimilitudinem ponam, granum frumenti in terram poſitum, per Leffas penetratur, reſolvitur, & plurima grana producendo multiplicatur. Qui ergo hujus multiplicationis ſubjectum ipſum granum eſſe propter vim ſeminalem granificam in illo exiſtentem, aſſereret, optimè argumentabitur, qui autem aquam, qua in terra fermento farcedinis in Leffas abit, aut etiam ipſum leffas pro ſubjecto hujus granificationis poneret, quàm remotè, ne dicam ſtolidè argumentaretur, quivis ſemidoctus agnoſcet: quia Leffas ex ſe ſolo nunquam granificationem neq; ejus multiplicationem conſtituet, licèt ipſum granum ex illo, Leffas, interveniente virtute ſeminali ſpecificâ granificationis fiat.

Pari modo imperfecta metalla ſubjectum hujus metallici Leffas, id eſt humiditatis mercurialis ſolum ſunt, in quo aurum mediante induſtrioſi artificis operatione, materiam deſumet, ad virtutem ſuam ſeminalem ſpecificam aurificam multiplicandam, quæ ante dicta omnia ita eſſe, & in hac ſcientia taliter intelligi debere, iiſde authoritatibus, à te in hoc Capite citatis, legitimè explicatis comprobabo.

Primus textus eſt deſumptus ex libro Clangor Buccinæ intitulatus, quem adducis his verbis: *Prudenter & diſcretè te operari oportet, quoniam ſinè fermento non poterit Sol neque Luna eſſe, & aliud ſemen ſinè fermento non eſt appropriatum & utile niſi aurum ad rubrum & argentum ad album*, quibus Verbis antecedentes tres lineas ejuſdem Authoris quæ hunc Textum immediatè antecedunt, adjungendo, res meliùs declarabitur. Argentum vivum à corporibus diſſolutione ſubtiliatione & ſublimatione extractum coagulatum in ſulphur album vel rubeum ſuſtinens ignem & fixum, nullam vim habet ad rubedinem: Prudenter ergo te operari oportet, &c. Qui Textus ſignificat quod dixi ſuperius, quòd etiamſi per oblationem lapis originalis imperfecta ſubtiliaveris, & mundaveris, atque Sulfur fixum ignem ſuſtinens reduxeris, nullam vim tingendi habere, nec ad album, nec ad rubrum, niſi cum perfectis Auro & Argento vim tingentem ſeminalem aurificam indideris, & ideò prudenter & diſcretè operari oportet in Auro & Argento, quia ſinè fermento Auri, id eſt ſpecifica vi aurificante ſeminali nunquam exibit Sol aut Luna, ſed, ſecundùm Philoſophum, aliud quid, quod non eſt de ſpecie Septem Planetarum, id eſt, ſeptem Metallorum.

Altera Authoritas à te citata, eſt Raim: Lulli. Cod: p. m. 28. *propter quod depurata magis aliis reperiuntur duo, ſcilicet Aurum & Argentum, ſine quibus ars iſta non poterit integrari, cùm in illis ſit puriſſima ſubſtantia Sulfuris ingenio naturæ perfectè depurata, & ex illis duobus corporibus, cum ſuo Sulphure & Arſenico præparatis, noſtra Medicina elici poterit, & ſinè illis haberi nequit.* Quæ ultima verba cum cæteris apertè concludunt, Lapidem tingentem in Aurum & Argento fieri non poſſe, ergo malè imperfecta unicè, ſicut Aurum pro ſubjecto Lapidis ponuntur; niſi prius, ùt alter Philoſophus dicit, in Aurum convertantur, quòd ſola projectio Lapidis efficiet. Tandem Caput primum optimè concludis, quòd Aurum Philoſophorum non ſit Aurum & Argentum vulgi, nec in colore, nec in ſubſtantia, ſed illud, quod extrahitur ex eis, eſt alba Tinctura & rubea; Sed malè te diſtinxiſti in antecedentibus dum ſubjectum hujus Tincturæ proponis, quidlibet pro quolibet, in terminis & authoritatibus confundens, quod clariùs in ſequentibus apparebit.

Corollarium CAPITIS I.

SEd ut ex hac Diſceptatione Lectoris omnis Confuſio cum aliquo fructu auferatur. Dicimus cum omnibus Sophis ex regno minerali Subjectum ſeu Materiam pro Lapide Phyſico deſumendam; Sed hoc cum grano Salis: id eſt, debitis Diſtinctionibus, non confusè intelligendum, nimirùm imperfectiora metallica pro ſubjecto Lapidis dupliciter ſtatui poſſe, primò, ſi debitè repurgata per projectionem imperfecta trãſmutetur, tum totale Lapidis ſubjectum per ſe erunt, ut reliqua perfecta; quòd quia largo modo deſumptum eſt, ad ſecundum tranſibimus, nimirùm metallica imperfectiora, pro ſubjecto Lapidis indicati, quatenus omnia actu in ſe habent humiditatem mercurialem puriſſimam, ab ipſis ſeparabilem, & ſeparandam, in quo nucleo Mercurii puriſſimo deliteſcet intrinſecum incluſum potentiale Sulfur puriſſimum metallicum, quod quidem in ſui depuratione nec non fixatione, Sulfur metallicum fixum purum, in alia Metalla ingrediens bene fiet, ſed nunquam Aurum aut tingens imperfecta in Aurum dabit; Ideòque intuitivè iſtius humiditatis mercurialis, ſulfuriſque metallici originalis ſibi incluſi, pro ſubjecto Lapidis habentur, eò quòd abſque illo menſtruo tanquam metallico Leffas, metallicum granum ſcilicet Aurum reſolvi intumeſcere & multiplicari nequit: Sed ambo origine convenientes, hoc actualem, fixam, ſpecificam, auream, illud, potentialiter fixam ſubſtantiam metallicam præbens, in tertium, quòd neque Metallum nec Mercurius; Sed Medicinam multipliciter tingentem auream abeunt, propter præpollentem, tam hujus quàm illius antecedentem mundationem & præparationem: Itáque uti perfectiora, propter defectum perfectionis aurificæ ſupradictæ, ſolum & totale ſubjectum Lapidis impropriè dicuntur; è contra Aurum, quia utrumque plenè poſſidet; ſcilicet humiditatem mercurialem cum Sulfure aureo ſpecifico, pro totali lapidis ſubjecto veridicè ſtatui poteſt Quamvis unum ſine altero lapidem completum non dabunt, eò quòd ſecundùm Philoſophos, non invenitur ignis qui Aurum deſtruat, cum conſervatione ſpecifica aureitatis multiplicabilis, niſi mercurialis humiditas depuratiſſima, ex imperfectioribus deprompta: quamprimum iſta ſemel ad invicem in ſubſtantia humida indiviſibiliter unita videbuntur, tum erit, & illi ſoli quadrat & aliter non, veriſſimum illud Sapientum Proverbium.

Eſt in Mercurio quidquid quærunt Sapientes.

CAP. II.

Quid ſit Aurum Phyſicum, ſeu Philoſophorum.

IN hoc Capite iterum ut in ſuperiori generaliter loquendo quodlibet corpus metallicum reſolutum in ultimam materiam, ſcilicet mercurium eſſe Aurum Argentum Philoſophorum aſſeris, idque confirmas per vulgatam Philoſophorum Sententiam: *Eſt in mercurio quod quærunt ſapientes*: poſſibilitatem, illa reducendi

cendi, in mercurium ibidem probas per dictum Sophorum, omnis res ex eo est in quod resolvitur; Sed omnia metalla reducuntur in argenteitatem vivam, ergo fuerunt argentum vivum.

Imprimis hic confundis mercurium Philosophorum cum sulfure eorum; Sed ne in tot dubiis & nosmet confundamus, in alium locum, ipsorum differentiam adinvicem, demonstrandam rejicimus; Hic autem quærimus, qualem mercurium cum sapientibus intelligis? Verum quidem est dictum Philosophi ante allegatum, quod omne metallum redeat in argentum vivum, sed hoc non infert, quodlibet metallum in argentum vivum resolutum, uti nec ipsum mercurium vulgò venalem, esse aurum vivum Sophorum, & si etiam secundùm tuam opinionem Capitis primi, intima labis suæ originalis depuratio ipsis supervenerit: adhuc non erunt aurum Physicum; sed solùm mercurius eorum, & hic mercurius verum proximum & genuinum subjectum auri Physici, quod ex illo depromitur coctura per ignem, quod junctim cum auro proximum & immediatum subjectum erit ad lapidem aurificum inde depromendum. Ex quo clarè patet, aurum quidem in humiditatem spermaticam mercurialem resolutum, dici posse unicum & totum subjectum lapidis, nec non mercurius, in quo omnia insunt quibus indigent Sapientes, nempè humiditas mercurialis, & sulphur aurificum seminale tingens, ex quibus unicè constat lapis chrysopæus; à qua finali prærogativa, omnia alia mercurialia, imperfectiora excluduntur, & quamvis Geber sentire videtur in doctis quod sic, eò quòd dicit, *si per solum argentum vivum perficere poteris, pretiosissimæ perfectionis indagator eris.* Sed quod hoc intelligit de mercurio imperfectorum solo, etiamsi depuratissimo, satis clarè innuit in Capitulo de medicinis tertii ordinis, his verbis: *Alio enim gradu eget solaris Medicina, in pigmentorum præparatione, alio verò lunaris hæc (scilicet solaris) sulfuris administratione tingentis eam*, quale autem Sulphur intelligit, declarat in Libro Investigationis in fine in recapitulatione totius Operis, postquam imperfectorum præparationem & subtiliationem sufficienter determinavit, dicendo: *Lapidem nostrum dicimus nihil aliud esse, quam Spiritum fœtentem & Aquam vivam, quam & siccam nominamus, & per naturalem proportionem mundatam quibus addi debet & tertium ad opus abbreviandum, hoc est corpus perfectum attenuatum.* Quod clariùs confirmat authoritate Guidonis de Monte Manuale Hermeticum de filo Ariadneo in Corollario Capitis octavi. Et ut huic Corollario coronidem imponam, ut dicit Guido de Monte, licèt Lapis Philosophorum perfici possit, usque ad albedinem seu rubedinem, tamen non potest fieri elixir, sine Auro & Argento vulgi, alteratis prius & præparatis. Item brevis manuductio ad rubinum Cœlestem Philalethæ adscriptus, licèt à Birrio editus Pagina 62. dicit: Intelligis ut credo, quòd quamvis ex Auro solo sit Lapis noster, tamen Aurum vulgi non est ille, ut ergo ex Auro vulgi eliciatur Aurum nostrum, dissolvendum est in Aquam non elementarem, sed manus non madefacientem hoc est mineralem, quæ Aqua est Mercurius qui ex servo rubeo tractus habet in se, quod citra ullam manuum impositionem totum opus perficit.

Corollarium Cap. II.

Quæ omnia clarissimè docent non omnem promiscuè Mercurium imperfectorum esse Mercurium Sophorum, multò minùs Aurum vivum eorum, & adhuc minus Lapidem: Sed omnia imperfectiora esse subjectum Mercurii Sophorum hu nc Auri vivi, seu Sulfuris artis, illud junctim cum Auro Lapidis subjectum: Aurum autem vulgi solùm per excellentiam totale Lapidis subjectum dici posse; nisi terminos, subjecta, aliaque omnia confundere velimus, contra sapientissimum Proverbium, qui bene distinguit, bene docet: qui hoc nescit, aut præterit, in hac Palæstra sinè obtrectationibus non commorabitur, nam qui per invidiam conscius, aut per ignorantiam præsumptuosus. Tyrones in confusum Labyrinthum magis intrudit, semper contemnendus, & rejiciendus est.

CAP. III.

De Præparatione Corporum pro Mercurio Philosophorum.

Usque huc generalioribus inhærendo, eminus tela incertiora, quia theorica missa sunt, nunc propius accedens dum de Practica agis, certioribus ictibus & rationibus cominus pugnabimus. Incipis cum Avicenna dicere, quòd in solutione, vel argenteitatem vivam reductionem corporum perfectorum, laborare oportet, quod uti dictum Philosophi veridici illibatum relinquimus; sed examinemus parumper, quod de proprio depromis talento subjungens.

Verùm cùm hæc Corpora utpotè perfectiora, arctiùs constricta sint, ut ipsa in Mercurium reduci queant, primò præparatione, & physicâ calcinatione opus habent; quæ quidem non tam necessaria est in Argento, nam propter munditiem, & mollitiem facilè in id agit Aqua nostra, quod non fit in Auro & Argento, & reliquis Metallis, quæ omnia requirunt calcinationem, in quæ Aqua nostra faciliùs agit.

Quæ verba tanquam clara & ænigmatibus carentia, etiam planâ explicatione & examine indigent.

Imprimis quod ignis perfectiora arctiùs constricta, & duriorem coagulationem nacta, etiam difficiliorem in Argentum vivum reductionem præbere, tanquam rem à Sophis nullo ænigmate absconditam, & per consequens ipsis Tyronibus notam præteribimus; sed quatenus secundùm tuam Philosophiam prius Aurum & reliqua Metalla præparatione, & physicâ calcinatione indigeant, ut Aqua tua (Deus scit qualis) faciliùs in illa agat: item quatenus Argentum propter suam mollitiem & munditiem illa calcinatione physica non indigeat: aliquando accuratiùs indagabimus

Primò proponis calcinationes & præparationes physicas: téque irridendum exhibes, dum crassas & mechanicas Metallorum præparationes, Lippis & Tonsoribus notas pro physicis decantas, quas ut altiorem Cachinnum moveant, omni velamine denudabimus.

In primis extensè doces Metalla, in Lacte Virginis solvenda, priùs per calcinationem purganda, & à Luna incipiendo, ipsam Aqua forti solvendam, Aqua salsâ præcipitandam, Aqua pluviali calente omni salsedine & acrimoniâ privandam & exsiccandam, talémque Calcem in superlativo gradu mundissimam deprædicas.

Miror iterúmque demiror, quod Lactis virginis Professor [à te Capite VI. propalati sub nomine & dotibus Alkâhesti] tam stolidas priùs Argenti præparationes impuras ridiculè proponis: nam si Alkahest scires & haberes, etiam cùm tibi à te Cap: VI. citato Doctissimo Helmontio (qui ad hunc usque diem, in suo genere scribendi parem non habet) novisses, quod Alkahest Argentum saltem simpliciter limatum aut attenuatum,

abſque tua putatitia phyſica Calcinatione prævia, in primam reſolveret Materiam, vel in Subſtantiam liquidam reduceret, pondere Metalli impoſiti æquiponderantem, cum conſervatione Poteſtatis Seminalis, non quoad Seminationem, aut ſui Multiplicationem (hanc enim deſtruit) ſed quoad Dotem ſpecificam medicinalem ipſi in ſuo ſemine ab Omnipotenti inditam, abſque ulla ſui Unione cum ſoluto, imò totali ſeparatione, menſtrui, non imminuti, nec quantitate, nec qualitate. Dixi abſque tua putatitia Calcinatione, quam Calcem jubes Aquâ calente edulcorari & omni ſalſedine privari, ſuppoſito iterum falſo, experientia enim docet, quòd quomodocunque lavetur, ſemper ſuo pondere augmentata invenietur, propter partem plus terreſtrem ſalium, ſecum præcipitatam, & nullâ Aqua calente ſeparabilem, & quòd hac Calcinatione Argentum purgari dicis, nec non hanc Calcem ipſo Metallo impuriorem factam, mundiſſimam nominas, non minùs falſum, quam ſtupidum eſt pro tanto Philoſopho: Saltem ex Chymiſtis vulgaribus talia addiſcere debuiſſes, de quibus Glauberus, aliique ſimiles ſat ſuperfluas chartas commaculârunt.

Nec minùs video quâ doctrinâ aſſerere audeas Argentum, propter ſuam munditiem & mollitiem, Aquæ tuæ actionem, Auro aliiſque Metallis citiùs pati, & ſic prævia Calcinatione, ut illa non indigere: non enim comperio ullum ſapientum, præter te, in Argento hanc puritatem Auro præpollentem, aut mollitiem aliorum, ſcilicet Auri Martis, Veneris ſuperantem arguiſſe: niſi forſan Argentum vivum intelligere velles, cui tamen apertè ſenſus tui ſcripti refragatur, & tamen ille adhuc in talibus deficit; niſi ſit Argentum vivum Philoſophorum, quod ſolùm Auro cæteriſque Metallis purius & mollius eſt, & veridice dici poteſt; meliùs feciſſes cum Paracelſo manere, à quo aliquam portionem tuæ doctrinæ ſufflaratus es, qui in Archidoxorum Libro tertio, ubi tractat de ſimili Metallorum in Oleum reductione, pro Elementorum ſeparatione: non ſolum Argentum, ſed & Aurum ſe dare nulla prævia Calcinatione, his verbis docet, Capite de ſeparatione Elementorum ex Metallis *Quanquam non omnia metalla ſic in Oleum reducuntur, niſi prius præparata fuerint, ut Mercurius ſublimandus, Venus florificanda, Mars crocificandus. Jupiter reverberandus, Saturnus calcinandus, Sol & Luna facilè ſe dedunt.*

Jam deſcendamus ad examinationem phyſicæ Calcinationis Auri, quam facis per Mercurii amalgamationem cum Auro glorioſo, titulo ridiculo, quia cum Antimonio repurgato, per pellis compreſſionem, in Aqua fortis ſolutionem & atomorum ſubnigrorum ſubſidentium comperenti igne reverberationem, ad acquirendum pulcherrimum crocum. Si antecedens Argenti in Calcem reductio, ad quodlibetcunque opus phyſicum, non ſolùm non proficua, imò apertè nociva fuit; hæc pluſquam vulgaris omni Chymiaſtro nota, ſi non nociva, ſaltem parum proficua, quod talem laborem recompenſet. Quod cum Philaletha Authore à te citatiſſimo probo, ad quem, uti in multis eſſentialibus probandis & docendis Lectorem remittis, quomodo ſuam doctrinam rejicies, in qua ſtylo aperto hypotheſes tuas excludit, ſcilicet Aurum per tot lanienas inutiles deducere, Cap. XV. explicitis his verbis: *Aurum perfectum in Terræ viſceribus aliquando in fruſtulis arenaque reperitur, ſi hoc ſincerum habere poſſis, purum ſatis eſt, ſin minus purga per Antimonium, vel per Cineritium, vel bulliendo in Aqua forti Auro prius granulato, poſtea funde igne fuſionis ac limato & paratum eſt.* Qui Textus Aurum purum fuſum (addit autem explicitè igne fuſionis, ne chymærici ad aliam fuſionem, ſeu liquefactionem, hæc verba detorquerent) limari jubet & paratum eſſe dicit: ad ipſum uniendum cum ſolvente: tu purgatum in Calcem reducis, hic in Calcem reductam fuſione ignis ad priſtinam Metalli formam revocat: mala concordantia; ſed quia hæc lis parvi momenti eſt, tranſibimus ad tertiam Calcinationem, quæ omnia Metalla indifferenter includit, quam ex Paracelſo ad tuam rapſodiam accumulâſti. Nimirum Metallum cum Mercurio amalgamandum per digeſtionem, Mercurium ſublimatione abſtrahendum, iterum digeſtione amalgamandum, ſublimatione abſtrahendum, tot vicibus, quo ad Metallum cum Mercurio admotâ candelâ, inſtar ceræ liqueſcat, hoc calore Balnei vel Fimi equini, per menſis digeſtionem, in Mercurium vivum, ſeu philoſophorum, ſeu metallorum, & materiam primam abibit: quem multi quæſiverunt, ſed pauci invenerunt.

Quod ultimum veriſſimum eſt, quia res ſecundùm præſcriptam Methodum non ſuccedit: nec unquam creditus ero, te hac clave Tumbam Semiramidis clauſiſſe; imo citatum textum nullo modo intellexiſſe; multò minus operando compleviſſe: quod ſequenti explicatione clarum fiet.

Imprimis metallorum calcinationem, & in Mercurium reductionem confundis: verum quidem eſt, Metalla cum Mercurio vulgi variè præparari & calcinari poſſe, ut præſens Methodus docet; ſed nunquam verum erit; quòd Metallorum maximè imperfectorum, non prius optimè & philoſophicè purgatorum, in eadem operatione cum Mercurio ſuccedat ipſorum Calcinatio & in Mercurium reductio, nec Mercurius adhuc impurus cum Metallis plus impuris, tale quid præſtabit, ſed omnia in pulverem, per ſupra dictam Operationem abibunt, ſi autem Mercurium, per ſublimationem fortiorem ſeparaveris, non reaſſumet Metallum ad ſui Amalgamationem: multò minùs in Calcem levi igne fluentem, & adhuc minùs in Mercurium abibit vivum; quod ſi neſcis, experientiâ proba, ſin aliter eveniet, mendacii me arguas.

Non tamen inficias ibo, ſecundum aliud dictum Paracelſi, *in, per, cum*, & ex Metallis perfecta Metalla fiunt: Metalla in Mercurium per Mercurium reduci poſſe, ſecundum vulgatum dictum Sophorum: *fac Mercurium per Mercurium*, ſed cum debitis Diſtinctionibus id intelligendum eſt, nec non multis Manipulationibus, in hoc Proceſſu mutatis, aliiſque additis; quas Paracelſus non diſtinxit, multò minùs inſinuavit, utpotè relinquendas filiis artis labore, & ſpeculatione eruendas: quas tamen nunquam nec tu, nec illi invenient, qui in Præliminaribus hujus Philoſophiæ hærentes, erratis, niſi de circumferentiali & putatitia Philoſophia, ad Centrum, id eſt Nucleum ſcientiæ Hermeticæ inſpexerint: & tamen adhuc talis Proceſſus, qualem poſuiſti, quid cum tua practica commune habet? certè nihil, ut paulò poſt videbitur.

Jam ad quartam deſcendamus, quam ab alio Philoſopho putatitio tibi non abſimili (quia ſimilia cum ſimilibus facilè conveniunt) *Joachimo Polemanno* adducis: nempè beneficio Corroſivi duplicati, & ſatiati Metallum in minutiſſimos Atomos dilacerandum, ad tingentem animam ſuam menſtruo igneo ſolventi tradendam, quæ Operatio uti phantaſticè ſpeculata, ità practicè nunquam ſuccedit, & ſi ſuccederet, quid anima tradenda igneo menſtruo, cum ſupra allatis commune habet, ſed quia intentum meum non eſt nugis inhærendo tempus & calamum terere, Polemannus, authoritate Pantaleonis, inter Neotericos facilè principis, in ſuo Bifolio Metallico pag. 26. tanquam erroneus condemnabitur, dicentis. *Quod nonnulli ſicut Polemann in ſuo lumine volunt hunc Liquorem laudatiſſimum ex ſalibus propriè dictis depromere, erroneũ planè eſt. & quod-*

Operatio

Operatio non succedit, post binas lineas addit: Et si vel maximè salia saturata in spiritum magno labore & tortura ignis exprimantur, activum tamen solvens inde non emerget, segnes enim tales spiritus, multoties ingenti labore elapsis annis ipsemet paravi, nullo vero desiderato effectu. Huc usque Pantaleonis verba, quæ uti clarissima, ita verissima sunt: Dubitanti ad tam apertum lumen, utrùm Pantaleoni, an tibi plus credendum, experientia rerum magistra pro primo stabit. Hinc concluditur, qui aliorum errores, & putatitiam Philosophiam, ad suam comprobandam adducit, illum talibus similem in ignorantia passivum, aut malitiosè activum deceptorem esse; nam nunquam creditur, verè adeptus gloriam suæ scientiæ, erroribus & ignorantiâ denigrare velle, quam alii, ænigmatibus, occultoque stylo obscurare anxiè quæsiverunt.

Tandem postquam alienis, tam practicâ quàm doctrina à se invicem diversis & à te non intellectis, ideòque confusè, chartam sat implevisti: ad propriam tuam Methodum descendis, statimque secundùm consuetudinem ignorantium qui quod nesciunt, docere volunt te ipsum confundis, tuamque Calcinationem etiam primam solutionem, ad tuum libitum nominas, eamque sic conficis.

Calcibus Solis & Lunæ affundis Vinum Vitæ, seu tuum Menstruum, à te Capite VI. Alkaest appellatum, ad eminentiam unius digiti, & Capitello seu Alembico impositio, in cinere, vel arena digeris, & coagulas, coagulato novum Menstruum affundis, & ut priùs coagulas, idque tertia vel quartâ vice repetis, vel donec Calx metallica, ad lumen instar ceræ vel glaciei liquescat, quod est signum sufficientis Calcinationis philosophicæ cum conservatione Metalli in sua virtute prima, & hoc dicis Conjugium Gabritii cum Sorore Beja.

Quod Conjugium tu nunquam vidisti, multò minùs tua verbalis Methodus, in nullo sibi invicem cohærens, tale quid erit.

Jam diximus, sarque probavimus, quòd Alkaest, cum sibi à se solutis subjectis, non unitur neque coagulatur, sed se ipsum finitâ solutione segregat, vel in eodem vitro, subtus aut supra consistendo, pro varietate subjecti soluti, vel in abstractione separatim, & non junctim cum soluto ascendit, quod Helmontius, Pantaleon, aliique moderniores apertè docent, taleque unum solvens non esse declarat Vnio & Coagulatio, quam tuo Menstruo adscribis: quod quale sit, Capite sexto videbitur. Examinando hic paulum accuratiùs Operationes, Actiones, & Passiones, utrùm congruæ, possibiles propriæ, & impropriæ, &c

Menstruum ad eminentiam digiti Metallo in Phiola superfundis, Capitello seu Alembico appositio, igne cineris, vel arenæ digeris & coagulas: Jam quærimus, utrùm intelligis hanc coagulationem, cum totali remanentia Menstrui cum Metallo: id est, in Vitro per optimè cum Alembico unito, omni evaporatione prohibitâ humiditas menstrualis Metallo coaguletur, si respondes quòd sic, dicimus erroneum esse, quia in Vitris absque ulla evaporatione clausis, coagulatio liquidi cum sicco fieri non potest, nisi per mutuas actiones, & circulationes unum in alterius naturam declinando, in tertio, sivè mediâ utriusque natura coeant, & hoc non succedit similiter, absque roratione & purificatione Elementorum, scilicet humidi, & sicci, qualis Operatio, si secundum tuum dictum cum Gabritio & sorore Beja, id est, Mercuriò Sophorum & Auro, iterabitur pluries, quid aliud erit, quam ipsum Lapidem Physicum, finitum & multiplicatum producere, non autem simplicem Cilcinationem, seu ut magis tibi arridet, primam simplicem solutionem facere taliter nugati non est veri Philosophi.

Si autem opponis, te intelligere abstractionem Menstrui per Alembicum, usque ad coagulationem, talem, qualem, iterumque novi oppositionem, ad terminum præscriptum. Nec illa Anchora sufficiens erit, quin in hoc vasto ignorantiæ mari firmæ veritatis Hermeticæ rupi allisus naufragaturus sis.

Ecce respondeo ad quæsita, estnè liquor Alhaest; Lac Virginis, vel Mercurius Sophorum; omnino homogeneus [id est ut gutta prima in dittillando, ultimæ in virtute & qualitate respondeat] vel non, scio, ne prorsus idiota judiceris, respondeo quod ita, & hoc Authores, & inter alios pag: 68. Helmontium docêre hunc Liquorem in balneo non ascendere, eò quòd sibi in sua humiditate coæqualis & homogeneus nil evaporabile in Balneo habeat, uti nec Mercurius Sophorum. Quo posito indubitatum manet prima vice tantum Menstrui tui, cum Metallo remanere, quantum sufficit ad coagulationem, mediam inter liquidum & durum, & quod ascendit per abstractionem, ejusdem virtutis cum illo esse quod remansit, ad quid ergo novi Menstrui additio & abstractio secunda, tertia, quarta, & pluribus vicibus, cum jam Metallum non plus ex eodem Menstruo retinebit, tam in quantitate, quàm in qualitate, sicut retinuit in prima abstractione, certè superfluum & inutile.

Si autem dicis in tali abstractione Metallum partem sibi plus amicabilem & convenientem retinere, & propterea repetendum, usque dum tantum de Menstrui potiori parte tantùm remaneat, quoad liquescat ad Candelam instar ceræ: Respondeo tunc tua Beja non est Lac Virginis, seu Mercurius Sophorum, sed suppositicia ex Lupanari Sophistarum producta: non verò illa est casta Gabritii Sponsa, quæ in amore Sophorum inalterabilis, & cum Gabritio in igne indivisibilis, generat filium ignis, tantopere à Sophis amatum: sicque concludendo dicimus. quomodocunque Scripta Sophistica larventur indoctis, sapientibus verò imponere nullus vestrum sibi persuadeat.

Corollarium Capitis III.

Sicut in antecedentibus dictum est, Aurum omnia ad completam Lapidis perfectionem in se solo habere, ita etiam certum est, Sophos infinitis sudoribus edoctos, Aurum tam arctè clausum, támque perfectè coadunatum invenisse, ut omnium laborum optatum finem, ad sui resolutionem cum conservatione virtutis seminalis multiplicabilis, spernat, quâ impossibilitate quasi perterriti opus desetuissent; ni, secundùm vulgatum Proverbium: *Vexatio dat Intellectum*, denuò speculando, & laborando indagâssent, sicut in regno vegetabili in terræ visceribus est humidum quoddam Leffas, quod omni vegetabili confaciens & connaturale illa omnia generat, vel per resolutionem in suam naturam seminis specifici terræ commissi, vel ex se ipso cum fermento seminali specifico in locis reperto, sibique unito: Ita etiam in regno minerali Leffas quoddam metallicum: id est humiditatem mercurialem quæsivêre, & invenêre in locis, ubi natura mineralia producit, quod dum propter imparitatem puritatis, cum Auro ad optatum finem operati nolle agnoscerent, per ultimam illius depurationem, hoc obstaculum removerunt, & in illo humido primordiali metallico, Aurum perfectum, tanquam granum seminale metallicum resolventes, arte & igne juvante, naturam promoventes, ad finale intentum multiplicationis aurificæ pervenerunt, quod infallaci experientiâ comperti infallaci postmodum doctrinâ licèt obscurâ,

poſteris reliquerunt antiquiores, quæ obſcuritas per aliqualem moderniorum Philoſophorum illuminationem ita diminuta eſt, quod omnes (niſi ad ipſam lucem cæcutire velint) uno Ore conclament, ex regno minerali illud Menſtruum deſumendum eſſe; ſed quid, quomodo, & quando, cauſam præbet quotidianæ Litis, tantorumque ſcriptorum, quærens quilibet, etiam indoctus, ſuam opinionem tanquam probabiliorem mundo exhibere. Unde quidam ingenuè, licèt in toto, aut in parte erroneè, conceptam ſuam opinionem, & ex inditiis ſuarum, aut aliarum operationum conjecturatam, mundo obtulerunt, gratiàſque merentur pro ſyncéritate & bona voluntate. Quidam aviditate gloriæ, aut lucri ducti, experientiâ paucâ, multa ex Authoribus malè compilata, pejúſque intellecta, coadunant, & libros formant, eóſque effictâ fronte typis committunt, & quamvis hic ex venditione ſui ſcripti Typographo facta, lucrum: ille a Tyronibus & indoctis optatum applauſum aſſequantur: à verè ſapientibus autem Philoſophis, alto cachinno excepti, & velamine ignorantiæ ſublato, publico ludibrio exponuntur. Quidam licèt rem optimè tam theoricè quàm practicè callentes; tamen cæca ſeducti invidiâ; ſub ſermone proditorio, & quaſi apertè falſo, hanc ſcientiam ita verſutè tradunt, ut vix adepti, illis pares, illam enucleare queant, quaſi gloriam apud ſapientes quærerent, quod tam ingenioſè ſciverint ſub duplicitatis (ne dicam falſitatis) larva ipſammet veritatem propalare. Quidam verò verè adepti, eand dè, quantum majeſtas hujus Artis omnium ſcientiarum facilè principis, permittit, ipſius dogmata ad extremum claritatis terminum ſtylo philoſophico tradiderunt abſque fuco & ſophiſticatione; & hi Authores verè ſunt laudandi, & legendi, cæteris ſuprà enarratis omnibus rejectis. Et utinàm aliquis adeptus hoc opus pium, Tyronibus omnium utiliſſimum præſtaret, ſtaterámque depromeret, qua breviter vulgatiores Authores, ſuccinctis rationibus librati ſtarent, ut quilibet Tyro, in illorum æſtimatione, quantum in hac Arte valeant, non erraret, neque in Labirinthum tam verè, quàm falsè docentium inderet. Certè, quicúnque tale opus aget, plùs utilitatis in hac Palæſtra deſudantibus præſtabit, quàm qui novellos ederet libros, cum jam tot ac tanta de Lapide dicta ſint, ut maximus adeptorum ſit labor modum ſcribendi invenire, ne, jam ſemel dicta, redicant.

CAP. IV.

De Solutione corporis ſecunda & vera, atque reductione in Mercurium.

FActâ jam in præcedenti Capite, tuî Calcinatione, ſeu ut mavis ſolutione primâ ſuavi ac naturali ſine ſtridore, cum humiditatis radicalis conſervatione (quaſi ſolvere & calcinare tuo ſuprà dicto modo, in eodem tempore præter decoctionem phyſicam in Vitro ſigillato, ità phantaſticè, ſecundùm tuum cerebrum contingere poſſit) in hoc Capite Calcem illam ad lumen candelæ inſtar glaciei liqueſcentem Phiolæ H. S. committere jubes & leni Igne B. M. vel roris, per menſem philoſophicum putrefacere, & ſecundùm tuum dictum, facta erit ſecunda & vera ſolutio Metalli in Aquam viſcoſam, ſeu oleitatem quandam, & in ea eſſe verum Sulphur metallicum ſimúlque verum nobiliſſimum Mercurium, & quod ſolvens manere cupit cum ſoluto, eò quòd natura natura gaudet, natura naturam vincit, & immutat, atque per hoc eſſentialis ſeu formalis, à corroſiva ſolutione diſtinguitur. Argentum dicis abire in Liquorem ſeu Tincturam viridem, verum Elixir lunæ, Aurum verò in ſummæ rubedinis Liquorem, verum Solis Elixir: de quo Geber dicit; (ſed non dicis ubi, ego enim licèt centies Gebrum perluſtraverim, talem Textum nuſquam inveni) *nos facimus Aurum ſanguinolentum, melius à natura productum, quod natura nequaquam facit.* Alioſque Textus conſimiles, quos ut veneranda Sophorum dicta prætermittimus; ſed illa ad Philoſophiam quadrare, multa in contrarium habentur.

Circa omnia iſta tua dicta notandum, quòd uti in præcedenti Capite Metallum calcinaſti vel ſolviſti, ut tibi videtur, hic autem Metallum cum Menſtruo calcinatum Phiolæ Herm: Sigill; committis ad ſecundam ſolutionem & veram faciendam, in Oleum ſeu Aquam viſcoſam: Quæ operatio utrum ad ſtateram Hermeticam ſtare, & quid inde eventurum ſit, Cap: VIII. ubi filium practicæ per alia intermedia Capita interruptum, denuò reaſſumis, examinabitur.

Interim lubenter faremur, multa ſubjecta ſola, aut varia coadunata, humiditatis reſolubilis in ſuo genere participantia, per decoctionem in Vitro Hermeticè ſigillato, ſolvi, coagulari, purgari, ſeparari, &c. ſecundùm variam artis diſpoſitionem, ſubjectorumque qualitatem; ſed hoc Axioma generale, non legitimat titubantem tuum particularem proceſſum ad lapidem inſtitutum, cujus quia nullam Deſcriptionem exhibes, non aliter, quam ex circumſtantiis ejus ineptitudo deprehendi poterit. Videamus ergo: in antecedenti Capite, ut jam ſæpiùs dictum eſt, Menſtruum ad eminentiam digiti ſuperfundis, coagulas, idque pluribus repetitis vicibus: tanta quantitas, & toties replicata affuſio Menſtrui ad Metallum, ipſum indicat multæ veritatis, quod vero ſolventi ſivè Mercurio Sophorum conſimile non eſt, hic enim à modernibus qui clariùs aliquantulum quam veteres rem indicârunt, tam in via ſicca, quàm in via humida ponderoſus indigitatur, hujus teſtimonium perhibet Pantaleon examine Alchimiſtico, Pag. 15. ubi deſcribens illum, Lac Virginis appellat, & Liquorem lacteum ponderoſum, ſemimetallicú à Mercurio currenti accidentaliter, non eſſentialiter differentem declarat; in via ſicca, currentem & ponderoſum demonſtrat cum ipſa experientia, *Geber lib. 3. cap. VI. de Martis eſſentia.*

Denſam autem ſubſtantiam illud habere manifeſtè monſtratur per illius aſpectum & ponderationem immenſi ponderis, Auro enim præponderat, dum eſt in natura ſua, quod non convenit cum jam dicto [ſtante enim & probatâ ponderoſitate Mercurii] primâ vice ad eminentiam digiti ſuperfundendo pondus decuplum excedes, quantò magis ſi ſecunda, tertia, quarta & pluribus vicibus hoc repetitis non ſufficiet nec ter, nec quàter decuplum ponderis Mercurii ad unum Metall. Fruſtraque detorques Authores etiam legitimos ad has tuas nugas probandas; interim ſub ſilentio præteris Philaletham, aliàs tibi familiariſſimum, eo quod in hoc puncto ponderis, abſque ullo ſermone ænigmatico Capite XV. de amalgama Mercurii & Auri, & pondere utriuſq; debito ponit triplum Mercurii ad unum corporis, vel duplo ad corpus, vel etiam triplum Mercurii ad duplum corporis. Si Philaletham ubique citas eò quòd conſentit tuæ Doctrinæ, quomodo non conſentit tecum in pondere, aut tuus, aut illius error eſt, quod ultimum abſit dicere de vero adepto.

Ad ultimum quod dicis: Hac via facimus Mercurium, ſine Mercurio vulgi: iterúmq; caput concludendo repetis, hac via facimus ex Auro Mercurium, ſeu vaporem unctuoſum, non autem Mercurium vulgi, ut falſo nonnulli imaginantur quæ dicta quantas confuſiones contineant, multa dicenda forent, ſed nos ad confuſionem in ipſa Confuſione evitandam inferiùs plura dicemus: hoc tibi interim reſpondentes, quod

quòd si ex Auro non facies Mercurium vulgi (meliùs dixisses currentem, nimis enim grossa ignorantia est, Mercurium ex Auro eductum, vulgarem nominare) nec te etiam hac tuâ imaginaria operatione ex Auro Mercurium Philosophorum unquam facturum, quem, quantum ex tuis scriptis patet, nullo modo nosti: in cognitione enim Mercurii sophorum, ejusque tam in se ipso, quam cum aliis, tam vulgi, quam aliorum metallicorum mercuriis differentia, totale hujus artis fundamentum consistit: tu autem tuum in capite VI. describens eum infinitis nominibus ex authoribus compilatis decoras, de proprio autem unde quomodo & quid sit nil producis, nisi quod propriâ licentiâ, ad libitum tuo fœtui imponis nomen hactenus inauditum (*Oleum salis mercuriale putrefactum & alembicatum*) seriam autem descriptionem, stylo saltem philosophico, quid, unde, & quomodo paretur (credens fortan taliter doctorum censuram evitare) tacendo præteris; sed ampliando sermonem in permultis sophorum encomiis, eorum mercurio attributis (quasi tuus & illorum, idem quid essent) in universalibus manens hos lectorem consulere jubes, & scies quid sit menstruum nostrum: nescies quod quilibet quam primum sapientum mercurium ex illis didicerit, tuum imaginarium *Oleum sal s mercuriale putrefactum & alembicatum* flocci pendet, & cachinno excipiet, tuasque nugatorias tot calcinationes solutiones & coagulationes tanquam fabulas explodet: quia omnes in hac arte periti unanimiter declarant quod quando menstruum seu mercurius eorum debito pondere auro additus, vitro Hermeticè sigillato commissus est, unicâ etiam lineali decoctione, elementorum rotatio, circulatio, separatio, solutio, coagulatio, fixatio, calcinatio, ad albedinem, & rubedinem completur, vitro non solum nunquam reperto; sed & immoto, propter imminens lapidis detrimentum: talia docentes si citare vellem, omnes adducere necessarium foret, quia omnes in hoc conveniunt.

Videat jam omnis prudens lector, quid tuis nugis mundo imponere præsumis dum in capite tertio conjugium cum Gabritio & sorore Beia tuo modo celebras multis vicibus affundendo menstruum & coagulando, in hoc capite IV. alio vitro Hermeticè sigillato ad putrefaciendum per mensem committis in Capite VIII. iterum alio vitro sigillato, idem includis: quid inde venturum ibi examinabimus.

Corollarium Capitis IV.

Ad meliorem intelligentiam subjungimus, industriosè legitimos authores, solutiones uti & reliquas operationes confundere tam quæ extra vitrum sigillatum in præparatione rerum prima, quàm quæ in vitro sigillato, debita decoctione succedunt, iterumque quoad intelligentiam variant, secundum viam quam tenent, siccam, vel humidam. Quorum omnium ut disputatio nostra, studiosis utilior sit, aliqualem elucidationem indicabimus.

Prima solutio intelligitur, dum imperfectiora, tanquam subjectum à natura arti subministratum, grossum subtiliando, solidum inliquidando, purum ab impuro separando, pro illorum solvente sophico, præparant, atque ex variis subjectis specie, non genere differentibus, à natura, secundum plus & minus ad coagulationem deductis, aquam homogenam ab omni superfluo mundam educunt, illam operationem, tanquam à principalioni, solutionis nomine insinuarunt quamvis interveniant aliæ, & diversæ manipulationes: scilicet sublimatio, di illatio calcinario, &c.

Interdum intelligunt Philosophi primam solutionem (quæ respectu jam antedictæ ut plurimum secunda appellatur) quando Aurum an edicto menstruo, in vitro sigillato conjunctum, ab illo prius penetratur & solvitur, antequam in nigredine ambo coalescant: secundum tritum Proverbium: *Soluto corporis, est Spiritus coagulatio:* Aurum enim suo solventi mercurio sophico committitur, ut fœcibus internis (quia externis caret) liberatum, post intimam ipsius putificationem & mortem, glorioſum, non Metallum, quod ante erat; sed Lapis Aureus in sua putitate & virtute, infinite multiplicatus resurgat: quod absque solutione corporis, eaque duplici evenire non potest: licet in uno vitro, in unaque decoctione succedat; in prima enim unione amborum, Spiritus incipit Corpus penetrare, invertere & solvere; sed quia in illa actione, terreum Auri, ad Corpus licet Metallicum sat perfectum & necessarium, ad Medicinam vero superfluum; adhuc non separatum; sed solum extra vertitur, succedit & eodem tempore Spiritus Coagulatio, donec corpore totaliter recluso & inverso, ambo in qualitate media, inter liquidum, & durum, in nigredine, inseparabili unione, coalescant: ad quod dum, exacto ignis regimine, perventum est, dum demum incipit, vera illa à Sophis tantopere decantata Solutio [ad quam prior Solutio Corpus disposuit: & hæc est Mens Philosophi, dum dicit per primum Spiritum corpora calcinantur, ut per secundum melius solvantur] illa secunda (sic dicta respectu antecedentis) dum Aurum jam solutum & reclusum ejus Sulfur & Spiritus essentialis igneus liber factus, incipit subtile à Spisso separare, nec non terreum superfluum pedetentim ad fundum vasis detrudere, ex qua terrestreitatis rejectione sequitur secunda totalis Solutio, non amplius in medium quid inter liquidum & durum, nec non in nigram fuscam, sed claram, albam, lucentem, totaliter liquidam substantiam, id est verum purum Mercurium volatilem Sulfur luminarium participantem; omnia ad opus necessaria in se habentem, verum unicum & totale lapidis subjectum: qui absque ulla manuum impositione, totum opus perficit: quod sic fit, Spiritus enim igneus huic Mercurio inclusus, post omnimodam superflui separationem iterum impulsu naturali, & nutu Dei, ad suæ naturæ fixitatem, nec non colorem tingentem redire copit; sed quia actio ignis innaturalis, solo naturæ motu tardè procedit (prout in mineris videtur, quæ multa sæcula requirunt ad sui perfectionem) industriosus, artificiali, per suos gradus limitato igne, hanc rem per suum Artificium ad ultimum puritatis terminum deductum ulteriori, nulloque modo interruptâ decoctione fovet, ità ut ignis internus, huic Mercurio inclusus, ab externo adjuvatus, & excitatus, incipiat in humidum agere, nec non illud per minima puncta, ad punctum coagulationis & fixionis totalis perducere, quæ coagulatio, non ut prior ex sicco & liquido in medium, inter durum & molle in nigredine; sed quia ex solo & antecedenti nigrâ massâ resolutâ, & putificatâ, emergente Mercurio succedit: etiam necessario in albam, omnemque albedinem superantem terminatur. Quâ terminatâ, incipit & hujus Sulfuris color, per cautam ignis violentiam paulatim emergere, donec non solùm in fixitate, sed & in colore suum exuberantem terminum assecutus sit:

Et hic est magnus ille Labyrinthus, in quo intricati vagantur Tyrones, dum nesciunt distinguere diversas operationes, diversâ intentione nec non diverso tempore confusas: omnes enim illæ, quæ in prima præparatione Metallorum imperfectorum manuali fiunt: eædem quasi omnes, Mercurio & Auro in vitro Hermeticè incluso absque ulla manuum impositione,

iterum succedunt; & hoc more confusionis [semper magis à Sophisticis & deceptoribus auctum] non tranſitur absque ingenti studio, & multo labore.

CAP. V.

Quid sit propriè quinta Essentia.

HOc capitulum, tanquam alienum à nostra discertatione, quæ de Lapide physico instituta est præteribimus, sed ad doctissimum nostri sæculi lumen Helmontium, lectorem remittimus, qui in tractatu *tria prima Chymicorum principia*, neque eorundem essentiam de morborum exercitu esse, *Num.* 44. *dicit.* Sequitur inde etiam nullam proprio nomine dici Essentiam Quintam, si quintum dicat relationem ad quatuor, est ergo inventum Quintæ Essentiæ Chymicum. *Item. num.* 75. *dicit.* De Essentia Quinta est sobriè scriptum hactenus, quasi gloriosum sit per ignaviam subscripsisse aliorum commentis &c. Ubi sat doctè disputat de Quinta Essentia.

CAP. VI.

De Igne Philosophico seu Menstruo Solvente aut, Liquore nostro, Alkahest.

TItulus hujus capitis nil verius continet, quam dum tuum Alkahest asseris; necessariò enim tuum est inventum, dum cum nullo aliorum Alkahest convenit; quod etiam in medio hujus capitis propria licentiâ (non scientiâ) ad tui placitum nominas Oleum salis Mercuriale putrefactum & alembicatum: illudque ab omnibus Sophis summo studio occultatum clamas: & præcipuè à Bernh. Trev. explicitis verbis dicente: Sese nudis verbis nulli hominum expositurum, Deo votum, Philosophis & æquitati præstitisse; sed quod Bern. Trev. in fine tertii sui libri ubi ille textus habetur, non de Menstruo Sophorum, multò minùs de tuo somniato Alkahest aut Oleo salis Mercurialis, loquatur, ipse textus probabit, dummodò integer, & non mutilatus (uti tu illum scripsisti) adducatur: nam postquam de pondere tam artificiali, quàm naturali multa disseruit, dicit. Ego ipse tibi explicarem, nisi, Deo, Æquitati & Philosophis votum feciſſem, me nunquam nudis & claris verbis pondus, Materiam, & colores descripturum nisi sub Parabola, quam brevi habebis. Quid quæso hic textus de menstruo occultando scribit; sedite Bern. Trev. mentem, ejusque doctrinam nullatenus percæpisse tam ex hoc, quàm ex sequentibus clarè patet: etenim si illum intellexisses, atque tu unus ex Philosophis realiter esses, sat utique ex ipsius scriptis cognovisses, illum tuæ doctrinæ Hypothesin, tuumque Oleum salis Mercuriale omnimodò excludere, dum docet Menstruum Solvens expressè manere debere, sub forma Mercurii currentis, prohibetque ipsum à forma Mercuriali currente alienare, eò quòd reddatur inutilis ad solutionem & opus physicum, ejusque verba talia habentur in Epistola obsequii &c. *pag.* 96. *Errant quoque illi, qui sic putant Aquam Mercurialem transparentem ex Mercurio extrahere, & ex illo multa mira operari, nil tamen prodest ad opus; nec potest restaurare, seu ædificare speciem perfectam Metallicam: quàm cito enim Mercurius à sua prima Natura mutatur, tam citò prohibetur ingredi Opus nostrum Philosophicum &* pag. 100. *addit. Oportet enim speciem Mercurialem & formam manere incorruptam, manente semper illæsâ suâ fluxibilitate.* Respondè quæso, quomodo vis tuum Oleum salis Mercuriale putrefactum & alembicatum, cum jam enarratâ doctrina Bern. Trev. combinare, qui solum viæ siccæ inhærens, talia excludendo, nullum alium Mercurium quam Metallicum currentem, pro Menstruo Solvente agnoscit, tu tamen eum ad tuæ doctrinæ comprobationem adducis, quid hoc aliud indicat, quam te, vel indocte, rem non intelligens vel frivole quod tibi arridet ex tibi contradicente Authore adducere, aut melius detorquere, ad tua dogmata comprobanda: quod verè philosophantium mos non est. Quod magis attestabitur ex Augurelli authoritate à te post Bern. Trev. adductâ.

Tu quoque ne captis Cylleni audacibus unquam
Defueris; Argentum vulgo quod vivere dicunt
Sufficit, & tantis præstat primordia rebus.

Iterum quæro, quomodo & hos versus Argentum vivum vulgi indigitantes, accommodabis cum tuo supposito cap. IV. Ubi de Menstruo tuo & solutione solis loquens, dicis: Hac viâ facimus Mercurium vulgi sinè Mercurio vulgi, Augurellus autem clarè asserit quod Argentum vivum vulgi præstet primordia tantis rebus nec omittis Riplei textum, superaddisque Gebri verba (sed denuò non dicis ubi, ego enim, in omnibus Gebri scriptis impressis nusquam illum invenire scivi, nisi in libro primo suæ Summæ cap. XIII. ubi de sulfure disputans, dicit simile quid: Per Deum altissimum id illuminat omne corpus est lumen & tincturæ) quæ tu taliter ponis, per Deum altissimum hæc est Aqua illa quæ lucernas accendit, domos illuminat & abundantiam divitiarum præbet &c. Qui omnes textus uti & à te adducta multa nomina particularia à Philosophis eorum Menstrua attributa, nunquam probabunt, illos tuum Oleum Salis Mercuriale, indicare, multominùs, illud tuum Oleum esse nobilissimum illum liquorem omnia subjecta sublunaria in Aquam reducentem, absque ulla sui cum solutis unione &c. à Doctissimo Helmontio, & aliis, Alkahesti nomine dotatum. Quod quantum distat à tuo somniato (nescio quali) Oleo Salis Mercurialis, per effectuum differentiam, & aliorum doctrinam ad nauseam huc usque dictum ulterius commonstratur, dum tuum Oleum cum soluto permaneuter coagulas, Alkahest omnia resolvit, absque sui unione & coagulatione, cujus tibi testimonium explicitum exhibebit tuus tibi æstimatissimus Philalethæ, dum dicit cap. XI. de inventione perfecti magisterii. *Eâdem ratione confirmati salia cuncta repudiarunt, uno Sale excepto qui est salium Ens primum, qui quod vis Metallum dissolvit, eademque opera Mercurium coagulat, & hoc non nisi viâ violentâ, quare agens istud integro pondere & viribus à rebus iterum separatur.* Quod melius ante binos annos docuit, inter Hermeticos non postremus, Anonymus sub nomine Pantaleonis, in suo Bifolio Metallico *pag.* 27. *Liquor Alkahest in unica distillatione plerumque munere suo fungitur, & immutatus iterum separatur:* & sequenti pagina docet, quod idem liquor Aurum adjunctum interficit, & tandem in salem volatilem medicinalem reducit, quod ultimo cum aliis adjunctis in Aquam Elementalem insipidam abit: Ubi nam jam remanet, auri, suavis sine stridore, cum conservatione humidi radicalis metallici, per tuum Alkahest solutio? aut ejusdem cum Metallis solutis constans coagulatio & inseparabilis unio? Ne ergo tibi bilem movear, te incongrua, ne dicam falsa, publicè scribenti, publica accidit reprehensio. Quam forsan credidisti effugere, dummodo multis sapientum authoritatibus (tanquam rana alienis pennis) ornatus, lectori non descriptionem rei legitimam, sed solum nudum, & phantasticum, Olei Salis Mercurialis putrefacti & alembicati nomen obtruderes, & post multa verbalia Encomia, ab authoribus excerpta, legentem ad illud ex illis, non à te qui inveniſti, ad discendum delegares his verbis. *Hos consule & scies quid sit Menstruum nostrum.* Nescius, quod

omnis

omnis qui præfatos authores debitè intellexerit de tuo chymerico Oleo Salis parum sollicitus, clarè videbit, te potiùs compilatorem, quàm authorem lectu dignum esse, solumque nomen Hermeticis inusitatum, modumque verbalem operandi insuetum apponere, absque quod apertiori Philosophico stylo, secundum Philosophantium morem, doceas, quid, unde, quomodo & quando, illud præparetur: unde & merito, per examen in antecedentibus factum, sufficienterque probatum scriptum hoc tuum rejicimus, salvâ interim veneratione sententiarum sapientum, quas intimè colimus, sed te ex numero eorum excludimus, nisi tua scripta aliter explanando, aut corrigendo, meliùs defendas.

Corollarium Cap. VI.

Diximus in antecedentibus Aurum à sophis unicum & totale initium statui, ad aurificandi finem consequendum; itemque seriò monuimus, quod quasi impossibilitate pertentiti, Aurum tanquam impenetrabile deseruissent: secundùm vulgatum Proverbium. *Facilius est Aurum construere, quam destruere.* Nisi, ad imitationem vegetabilium *Leffas* inveniissent, in quo granum Aureum tanquam à natura ultimatum semen Metallicum resolvissent, & ad sui multiplicationem promoviissent: quodque illud Leffas, secundùm correspondentiam naturarum, necessariò metallicum, & ex regno minerali desumendum, vix fatuorum opinio hodiedum contradicit: quoniam autem Regnum Minerale, multa & varia, secundum varias variorum opiniones, inauditæ iterum novum surgit dissidium, quid accipiendum, quomodo & qualiter præparandum, quid rejiciendum, quid denique conservandum, ut obtineatur illud quod tanta Sophorum Encomia meretur? quia Aurum tanquam masculinum semen, à natura sufficienter paratum, & à Sophis absque ullo ænigmate indicatum, ubique ad abundantiam venale habetur Leffas autem minerale nullibi vendibile intenso studio inveniendum, nec non multiplici sudore ac industriâ elaborandum esse, unâ voce concludunt.

Ad quod opus perpetrandum, quidam apparente & superficiali Philosophiâ (omnia ex Sale constare, omniaque finaliter in Sal reduci) seducti, in Matris, Gemmæ, Armoniaci, Aluminis, Nitri, Boracis, Vitrioli, & id generis similium, tanquam ex substantia salina, ex cujus initio omnia minetalia producuntur, hoc solvens educi sibi, aliisque persuaserunt: inscii quod nunquam ita genera Salium, quomodocunque præparata, cum Auro in Aurum, multominus in Aueam Medicinam inseparabiliter coibunt.

Alii astutiores tam remotum & incertum iter nauseantes vicinius rem aggressi, nec Metallicam silvam ingressi, rem in Marchasitis Pyritibus, Antimoniis, variisque mineralibus, nec non ipsis Metallis imperfectioribus tam fusis, quam non fusis, rem aggressi doctrina sat propria (per imperfectiora ad perfectiora transeundo) quæsiverunt, laboribus autem impropriis extra homogeneitatem mercurialem tendentibus non invenerunt. Tandem ultimi, docente trito proverbio [considerandum est diu quod statuendum est semel] & quod omne simile appetit suum simile, aurumque nil nisi purum Mercurium, cum panca terra seu sulfure puro coagulatum, etiam cum suo simili purâ & homogenêâ humiditate metallicâ elaborandum, infallibiliter statuerunt: sicque ex speculativa sat certa, certiorem instituentes laborem, finem optatum assecuti, non solùm id variis libris docuerunt; sed & diversis hinc inde experientiis per projectionem multoties factam unanimiter mundo comprobarunt: relictâ interim inter illos viæ humidæ, & siccæ insistendi differentiâ, quæ quamvis pro utraque parte non erronea: satarda tamen, & confusa est, ad hujus artis sequaces labyrintho vix extricabili implicandos: quibus accedentes libri erronei sophistici deceptorii quamvis in apparentia docti, hanc scientiam taliter offuscant, ut vix ex millibus unus, rem verè intelligat, aut rite conficiat: nisi Manu Dei immediatè, vel manu Amici mediatè ducatur.

Differentia autem est talis: qui viam siccam coluêrunt homogeneitatem mercurialem supponentes, ipsam quoque sub forma mercuriali, currentem, manus non madefacientem, & à proportione & forma metallicâ, intus & extra in alteratam, inevitabiliter statuêrunt: ideò omne id, quod ante in, vel post præparationem aquæ permanentis, forma Metallica aut Mercuriali, tactu & aspectu careret, ab officio & dignitate debiti solventis, excluserunt, contra alios sophos non minùs veridicos: qui ex subjecto Minerali Mercuriali & Sulfureo, ab ipsis sub nomine, *Electri mineralis immaturi*, indigitato, humiditatem mercurialem Metallicam, prævia superfluitatum separatione exactissima, homogeneam, lacteam, liquidam, manus madefacientem, ab exteriori forma metallica & mercuriali alienam, cum & sine auro, in toto sui esse coagulabilem, & permanenter in igne fixabilem producentes, omnium antecedentium hypothesin condemnarunt, & tamen ambo, suo modo, verum dicunt: eò quòd solvens illud, quamvis sub differenti forma appareat, nec non per differentes enchiresis producatur, tamen unum & idem est in suo originali esse scilicet ex humido radicali metallico purissimo constituto; ita etiam in fine in idem scilicet lapidem physicum terminando utrosque totali experientia in sua opinione comprobando, fefellit; ut quilibet eorum aliam, præter suam, non agnoscens viam, cæteris contradixerit

Labyrinthus autem ille forsan per plura adhuc duraset sæcula, nisi Divina bonitas in hoc lustro sua subjecta illuminasset, ad Bartonem in hoc bivio statuendum, ut quod antiquiores nescivere, aut noluere, moderniores apertè declarasent, binas has vias, ex una via originali exortas, uti ambo veras, ita in unam iter. um viam, id est Magnum Sophorum Elixir terminare: quòd sequenti modo succedit.

In via sicca mercurius vulgi vel quivis in metallicis contentus, tanquam, principium metallicum à *Gebro*, à *Paracelso metallum apertum*, ab indocto vulgo *Argentum vivum* non impropriè appellatum præ manus sumitur, & per sublimationem, id est separationem perfectam puri ab impuro ad homogeneitatem mercurialem deducitur: quod iterum, secundùm diversorum doctrinam, diversa sit methodo, vel in mercurio simplici, cum ejus sublimatione à rebus sibi in natura non convenientibus, ut sunt Talcum Marmor, Calx, Vitrum, & quodcunque genus salis præparati: prout doctè & apertè docet *Geber*, omnibus in claritate & sinceritate scribendi non posthabendus: nam à sapiente, remque bene intelligente, in egium lapidis processum verborenus, ex illius verbis nullo modo mutatis, sed hinc inde sparsis collectis & solum per particulas conjunctivas connexis, exscribi posse, lubens attestor, & in cap VIII. corollario candidè præstabo, ut omnis etiam mediocriter doctus rem capere & facere poris sit, idque taliter esse ipsemet *Geber*, in fine libri quarti suæ summæ, in recapitulatione attestatur hisce verbis: *Sed nos ne mordeamur ab invidis, narramus, quoniam non tradidimus scientiam nostram sermonis continuatione; sed eam sparsimus in diversis capitulis, & hoc ideò, quoniam tam quidem probus quàm improbus ad eam perveniret: neque sub ænigmate; sed sub plana sermonis serie eum allocuti sumus.* Idem reconfirmat libro investigationis, in fine in recapitulatione. *Certi sumus & experientiâ manifestâ comprobavimus,*

vimus, omnia verba vera esse, quæ jam per nos solos in nostris voluminibus scripta sunt. Sapiens ergo artifex in nostris studeat voluminibus colligendo nostram dispersam intentionem, & collectam probet, donec ad cognitionem studendo & experimentando perveniat. Prout diximus Geber docet capite de sublimatione mercurii: quamvis tamen & ipse mercurii elaborationem cum rebus sibi à natura convenientibus non ignoraverit, quod facilè colligitur ex illius verbis libri quarti, suæ summæ cap. de medicinis argenti vivi & ingressu earum. *Sed ex quibus maximè hæc argenti vivi substantia elici possit solet quæri, & nos respondentes narramus, quod in quibus est ex illis elicitur, est autem tam quidem in ipsis corporibus, quàm in ipso argento vivo secundum naturam, cum unius sint repertæ natura; sed in corporibus difficilius, in argento vivo autem propinquius, non autem perfectius.*

Et hoc perfectius, est Mercurius ille currens, à modernioribus (*Bern. Trev. Sendivogio Enchiridion Philaletha &c.*) tantopere decantatus, qui ex mercurio simplici communi & currente, cum corporibus metallicis, tanquam à rebus sibi in natura convenientibus, sublimatus, purificatus, ex amborum media & puissima substantia, tam mercuriali sulfurea coagulata, quàm non coagulata, tanquam per alteram & à superiori differentem methodum, eductus; verum illud humidum radicale metallicum, & Aquam permanentem sulfureo mercurialem & mercurio sulfuream, seu illam (secundum Enchiridion in arcano Hermetico §. LVIII. *virgine Malatam mundam semine spirituali primi masculi impragnatam, intemeratæ virginitatis gloria remanente gravidam: id est mercurium duplicatum* cum omnium modernorum applausu constituit. Priorem modum totaliter docuit Geber, posteriorem jam dicti authores, utrumque modernus *Pantaleon*, uti & viam humidam sat doctè, licèt succinctim explanavit, ad quos lectorem remitto ut ex meis, nec non illorum, scriptis rem melius capiant, secundum sapientum Proverbium, *Sermonem explicat, liber librum aperit*; quod à nobis usque huc ordinatim indigitatum sufficiat

In via humida omnia formaliter metallica spernentes, unicum illud, sub *Electri Mineralis immaturi* nomine, Anonymum accipientes, omnibus superfluitatibus industriosâ operatione ademptis, non Mercurium vivum currentem sed liquorem lacteum ponderosum, ab omni superfluo aqueo & terreo liberatum, & homogeneum eduxerunt, & cum illo Mercurio humido & fluido, sicut antecedentes cum metallico currente; & non madefaciente (uterque in sui intimo esse nullomodo differente, licet externâ formâ & aspectu vario) scilicet lapidem tingentem in Aurum, Auro vulgari adjuncto confecerunt: quod ut in expertis possibile faciliusque credibile reddarut; quatenus possibile sit, tam Mercurium currentem, quam liquidum, tam per se solum, quam adjuncto Auro coagulari (secundum dictum Morieni dum Rex vidit Aquam coagulare seipsam, tum Artem credidit veram) nec non in siccum abire: duobus experimentis ad similitudinem comprobabo.

Primum de Mercurio vulgi currente, illum enim videmus adhuc vulgarem, id est nullo modo separatum, per simplicem & vulgarem, ignis decoctionem, facillimè in pulverem tactu & aspectu siccum abire, ita ut nulla in ipso amplius conspiciatur liquiditas Et licet ille pulvis cum continuata in suo igne decoctionis perseverantia totaliter fixatus, fusione careat, non tamen obstat, quin non probet humiditatem Mercurialem & currentem ex sicco in liquidum (docente Gebro suæ summæ libro secundo cap XVI. de coagulatione Mercurii & rerum solutarum. Alii verò necessariò ex principiis naturalibus supponentes, humidum quodliber ab ignis calore in siccitatem converti) abire posse, nec non etiam quin mercurius debite separatus & homogeneus factus (secundùm eundem Gebrum cap de martis essentia docentem) per successivam illius iteratâ vice sublimationem figitur, & non in terram vertitur: sed fusionem dat metallicum.

Alterum quod Mercurius liquidus madefaciens, absque ullius sui humidi evaporatione totaliter coagulari possit, experimento ovi comprobatur: quod quia vi coagulantè intrinsecâ præditum est, in igne æqualiter & totaliter indurarur, & ex liquido & fluido in coagulatum & siccum mutatur Pari modo liquor ille lacteus Mercurialis, quia vim coagulantem metallicam sulfuream in se habet, vi ignis interni juvante externo, non minus ut alter currens non madefaciens in substantiam siccam & coagulatam abibit: quæ similitudinaria probatio multos in suis operibus titubantes non parum confirmabit; simulque explicabit quare Ovum Philosophorum dicatur, vas igni superpositum, non quod Ovi figuram (uti multi etiam docti in hac arte superficialiter judicarunt) sed quod vitrum illud corticis instar, substantiam in se, & ex se, in toto sui esse (sicut Ovum cum suo vitello) cum rubedine sulfuris sibi incluso, coagulabilem contineat, ut sic similitudinariè talem operationem indicarent.

CAP. VII.

An menstruum solvens sit corrosivum.

IN hoc capite disputas, utrum Menstruum solvens seu Mercurius Sophorum sit corrosivus, & dicis videri Gebrum hujus esse opinionis: dum in Summa Perfectionis inquit; *Omne quod solvitur necesse est Salis Aluminum & eorum naturam habere:* item Paracelsum ad idem inclinare, variis ex ipso adductis textibus demonstras. Tandem tuam opinionem proponens concludis his verbis: *Sciendum tamen Menstruum nostrum Auro affusum, propriè corrosivum dici non debere; sed potius igneum, cujus arcani vis, atque virtus vincit omnia venena, cum omne realgar (id est mercurius vivus sublimatus & præcipitatus) in salis Elixirio mori debeant, deveniantque ad singularem & summam tincturam: dum etiam per menstruum nostrum non fit violenta solutio, qualis per aquas fortes regias &c. Sed ut supra cap. quarto dictum est blande suaviter sine ullo stridore cum conservatione humidi radicalis, cum cujus spiritibus ut habet Lullius in vade mecum infunditur virtus vivifica in materiis.* Quamvis prædicta quæstio solum philosophastros, & putatitios Hermeticos torqueat, legitimique authores (præter unicum *Paracelsum* cui uti ipse fatetur, placuit in nominibus ludere & suo modo intelligendus est) de illa vix sermonem moveant: & ideò quasi omittenda foret, sed tamen ut & in hoc, & tibi, & lectori satisfaciamus breviter proferimus.

In primis quod dicis de Gebro, illius textum ad hoc detorquendo respondeo; illum, nullibi in suis scriptis, an mercurius seu menstruum sophorum sit dulce, vel corrosivum, disputare, neque vel unicum qui de similibus in suis libris inveniri multo minus posterius, uti tu vis indicare, textusque adductus, te aut ignorantiæ, aut malitiæ apertè accusat: nam in sua summa libro tertio cap. VII de Veneris Essentia, ubi præsens textus habetur dicit *Martem & Venerem facile in ponticis solubiles*, ergo oportet illos multum aluminosatis Sulfuris habere & causam allegat his verbis (quæ tu in alio sensu & verbis posuisti) Non enim ponticum

& facile

& facile solubile reperitur aliud quàm alumen & quod suæ naturæ est. Dixi *ignorantia*, si non cæpisti quod Geber, de corpore quod facile solvitur, non de Menstruo quod solvere debet ibidem loquitur: aut *Malitiæ* dum verba transponendo ad alium sensum trahis.

Dicta Paracelsi suo loco relinquens; potius ex te quæro, quomodo antedicta verba intelligis: *quod tuum Menstruum non sit corrosivum, sed potius Igneum, cujus Arcani vis omnia Venena vincit cum omne realgar: &c.* inprimis nil invenio apud Hermeticos Authores, quod eorum Mercurius seu Menstruum, cum venenis, Realgare, Mercurio, Sublimato, Præcipitato, quidquam negotii habeat, multo minus illos docere, quomodo ista in illo debeant mori, deveniantque ad summam tincturam; similesque nugas. Item quæro ad qualem tincturam, Metallicam Realem, aut Sophisticam (nisi forsan ad tincturam Medicinalem intelligi velis, neque & hoc hic quadrat) & quomodo hoc succedere possit. Apage quæso cum similibus fabulis, quæ aliud non probant, quàm te multa garrire, absque quod ipse scias quid dicas & quod pejus, cum sapientibus tibi contradicentibus, illa probare præsumis quos tu ipse non intelligis, & quid dicant nescis. Interim concludo ex tuis usque huc scriptis, te Salino aliquo Enthusiasmo ebrium, aliis te sobrium & sapientem venditare cupis, eo quod tuum solvens non ut Aquæ fortes Regis &c. Cum strepitu solvat, sed quietius tem peragens, tibi imaginaris multa, quæ, tempus & expetientia longè aliter esse, te docebunt.

Corollarium Capitis VII.

OMnes isti putatitii Hermetici multum se torquent, circa punctum illud corrosionis, eo quod ab omnibus Sophis talia rejiciuntur: unde illi, verè Philosophantium doctrinæ, incapaces, similibus rebus Salinis & Ponticis inhærent, quilibet illas ad suum modum, & ad suos labores explicando, multum cogitat multumque operatur, dummodo talia taliter præparare sciret, ut Aurum absque strepitu, ebullitione, fumo, suaviter, sine stridore, solveret: & dum tale quid invenerunt, vel sibi imaginati sunt propriâ jam scientiâ turgidi, quasi punctum principale invenissent, plurimas authoritates ad suum imaginarium conceptum trahentes, sibi ipsis applaudentes aliorum applausum publicum appetentes, cum scriptis stolidis, & intelligenti ridiculis, multis tamen probatorum authorum sententiis impropriè & insipidè adornatis, in publicum prodeunt, & uti maximè illorum mentem angariavit punctum illud corrosionis, ita etiam ut plurimum, de illa corrosivitate Menstrui multa disputant [cujus veri Sophi vix transeundo mentionem faciunt] nescientes interim duo puncta; primum quod qui verum sapientum Mercurium invenit, etiam scit, ipsum nil nisi quod suæ naturæ est combibere, non autem corrodere, & per consequens de isto puncto parum sollicitus est.

Secundum, quod quamvis & tale quid invenerint secundùm eorum imaginationem, tamen adhuc nihil Philosopho dignum haberet, Quod præsens Mechanica demonstrabit.

℞. Auri foliati q. v. & subtilissimè cum Salis Armoniaci & Nitri quantitate abundanti super Marmor, vel Vitrum tere, omnia optimè & subtilissimè trita & mixta, in cella pone, & Salia suaviter, & guttatim in Aquam defluent, & cum illis Aurum, absque stridore, ebullitione, imò & absque calore solvetur. Quod idem probat Gebri Mechanica libri Investigationis, cap. de perfectorum majori perfectione & subtiliatione: ubi Aurum post exactam ipsius calcinationem, lavationem in calcem reductum, & exsiccatum, cum Sale Armoniaco unire & terere jubet, & in cella solvetur in Aquam clarissimam, quæ & ipsa, ut prior absque stridore succedit, ergo est solutio Physica? neutiquam: quamvis indocti & putatitii, multa talia iisque similia sibi imaginantur nec non & alios docent.

CAP. VIII.

De Practica Lapidis.

IN hoc capite practicam Lapidis doces his verbis *Postquam tingentem planetæ Animam, seu veram illius Quintam Essentiam, prævia putrefactione nactus es, in qua verus Mercurius verumque Sulfur Philosophorum latent, tunc tua Materia apta est & ex enata fieri Lapidem nostrum benedictum; accipe ergò hujus Materiæ purissimæ quantum sufficit & inde ovo Philosophico H. S. colloca in Atanore & convenienti Ignis regimine digere à prima conjunctione ad perfectam usque ablutionem*: quibus dictis; ad ulteriorem, decoctionis atque signorum nec non & colorum in illa evenientium, notitiam habendam, ad *Philaletham* Authorem tibi colendissimum Lectorem remittis (quasi illius & tua doctrina eadem, in omnibus conveniret, quod quàm erroneum est, jam ante dictum est, & in sequentibus ulterius dicetur, qualiter ille *Bonus Vir*, & *Adeptus legitimus*, in omnibus & per omnia, tam docendi, quàm operandi Methodo, in principio, medio, & fine à te diversus sit) tandem perfecti operis signum indicas si Lapis super candentem Veneris laminam injectus, instar ceræ fluat, & non fumigans penetrando tingat &c.

Prima verba à te scripta (postquam planetæ Animam seu veram illius Quintam Essentiam nactus es) subindicant, te aliquam abstractionem pretiosioris à vilioti intelligere: quia, *Quintam Essentiam Metalli* (uti & aliarum rerum) parvum aliquid quantitate, licet virtute magnum, Animam autem Metalli, aliquid adhuc minus esse in quantitate, ab omnibus talia scribentibus docetur: quem suspectum non parum confirmat, operatio *Polemanni*, à te in capite tertio citata, cum corrosivo duplicato Metallum in atomos disjicere, ad Animam tingentem Menstruo igneo solventi tradendam, quod fatuum est: nam Sophi, cum Anima absque corpore, id est Substantia Mercuriali, nunquam operantur: eò quod experientia antehac, nunc, & in futurum, infallibiliter docebit: quòd taliter operantes quomodocunque procedant, pro Metallicis nihil efficient; quamvis ad vim medicam non omnì modo, infructuosus erit labor: sed quia de his disputare terminum nostræ intentionalis brevitatis excedit, talia transeundo connivebimus: hoc unicum interim in tota tua doctrina approbantes, quod decoctionem ultimam linearem sinè interruptione institus cum *Philaletha*, hâc solum additâ à nobis differentiâ, quod hujus processus Realis, cum tuo putatitio, in idem non terminabunt: quòd finalis projectionis proba à te adducta dijudicabit; *Philaletham* & sui similes verè te autem imaginatiè argumentatū, necnon operatū fuisse.

Corollarium Capitis VIII.

ECce tandem per tot viarum ambages, ad Realem Lapidis Practicam conducti sumus, quæ succinctim in his consistit *ante omnia, ut verum Mercurium Philosophorum tibi pares, post ut illum debito igne vitroque sigillato, vel per se solum, vel Auro pondere debito junctum, in pulverem prærubedine fuscum decoquas quem pulverem si absque Auro addito confecisti, ipsum cum Auro fermentabis. Auro fuso subtriplum ponderis, superinjiciendo, additâ Mercurii Sophici parte conveniente, in vitro sigillato ad eundem terminum priorem mediante igne deducito, quem Lapidem toties, quoties placebit, augmentabis quantitate & qualitate, ipsum*

vel

vel novo Auro ut ſupra confermentatum, vel abſque ulterius addito Auro, ita cum ſuo Mercurio per ſua regimina deducendo: quid poſtmodum cum illo faciendum tam ad Metalli quam Corporis humani ſanitatem, ſuperfluum eſt dicere, cùm ſat ab omnibus abſque omni dubio clare dictum ſit.

Quam Practicam, ſicut docte ſomnians ſuper Com: Treviſanum Nazarius Breſcianus, ſomnio tertio etiam docte dicit.

Multi per diverſa huc venere itinera.

Quam dico, Practicam varii variè inſtituerunt, non reſpectivè Auri, quod in ſermone ſimplici abſque ænigmate, in prima ſui acceptione eſſe Aurum vulgi, ut inde Philoſophicum fiat, omnes unanimiter docent: ſed reſpectivè *medii*, ſcilicet *Mercurii Sophici*, cujus ſolius ope ex *Auro vulgi*, *Aurum Sophorum tingens* haberi poteſt: quod medium ſeu ſolvens, *Baſilius Valentinus*, *Paracelſus*, *Ægidius de Vadis* aliique complures, ex primordiali quodam Metallorum principio, ſub *Electro Minerali immaturo* indigitato, per illius à groſſioribus partibus manualem abſtractionem, nec non multiplicem purificationem, tandemque circulari digeſtione, & Philoſophicâ ſublimatione ab omni ſuperfluo interno, & externo perfectiſſimam ſeparationem, in forma Aquæ, aſpectu lacteæ, ſenſu ponderoſæ, tactu madidæ, Eſſentiâ homogeneæ, ſubſtantiâ Mercurialis & Sulfureæ eduxerunt: cujus aliqualem partem modico Auro adjuncto, à minori ignis gradu paulatim aſcendendo majori igne aſſueverunt & fixarunt & per eandem rotæ revolutionem multiplicârunt.

Geber, *Bernardus Trev. Enchiridion*, *Sendivogius*. *Philaletha*, aliique cum Mercurio realiter tam coagulato quam coagulabili, ſub conſervatione formalis Mercurioſitatis tactu & aſpectu, opus inſtituerunt: Doctrinâ uni, practicâ diverſi.

Primus Geber cum Mercurio ſimplici tam coagulatorum quàm non coagulatorum proceſſum inſtituit ſuum, quia tam in uno, quam in altero ineſt, quod quæritur, & hoc docet libro quarto cap. X. de Medicinis Argenti vivi & ingreſſu earum, *ſed ex quibus maxime elici poſſit hæc Argenti vivi Subſtantia ſolet quæri, & nos reſpondentes narramus, quod in quibus eſt ex illis elicitur, eſt autem tam in ipſis corporibus, quam in ipſo Argento vivo ſecundum naturam, quia unius ſunt repertæ naturæ.*

Antedictorum naturalia principia, ſecundùm compoſitionem naturæ docet ſuæ Summæ libro primo cap. XII. de naturalibus principiis Mercurii, Sulfuris & Arſenici.

Innuimus ergò, quod principia naturalia in opere naturæ, ſunt Spiritus fœtens, & Aqua viva, quam & Aquam ſiccam nominamus. Quid in Subſtantia Mercuriali ſit ſuperfluum, docet libro tertio cap. II. de Mercurii, Eſſentia.

In Argento vivo ſimiliter neceſſe eſt ſuperflua demere, habet enim corruptionis cauſam ſcilicet terream & aduſtibilem abſq; inflammatione aqueitatis Subſtantiam.

Hunc autem duplicem ſuperfluitatis defectum, ſcilicet terreitatis & aqueitatis; duplici etiam modo operandi removet, primam ſcilicet terream, per unionem cum rebus ſibi in natura non convenientibus, & ipſius ab ipſis per iteratam ſublimationis elevationem & hujus modum ponit in libro ſecundo cap. VII. de ſublimatione Mercurii.

Dicimus igitur quoniam ingenium ſeparationis ſuperfluæ terræ ipſius eſt commixtio cum rebus, cum quibus affinitatem non habet, & ſublimationem eius reiterare ab eis multoties. Quænam ſint illæ res quæ ſibi in natura non conveniunt, & cum quibus affinitatem non habent, ſubjungit immediatè in dicto cap. VII. *Et horum genus ſunt tale Calx corticum ovorum Marmor vitrum, & Salis omne genus præparatum.*

Utquequo autem illam ſublimationis operationem oportet reiterare, donec perfectè à terreitate corrumpente mundatus ſit, & ex quo cognoſcitur completam eſſe, docet eodem cap VII. ſequente paginâ.

Et cum videris illud præexcellens nivem in albedine ſua & quaſi mortuum aludel ſpondilibus adhærere.

Alter ſuperfluitatis defectus, nimirum aqueitatis ſuperfluæ remotio fit per ſecum ſublimandorum commixtionem cum imbibitione contritione & levi aſſatione & deſiccatione, in qua, & ſua aqueitas pro majori parte recedit, reſiduum per ſublimationis reiterationem tollitur: modum præciſum operandi fusè innuit *in cap. de ſublimatione Mercurii.*

Modus verò remotionis aqueitatis ſuæ ſuperfluæ eſt, ut quando commiſceatur calcibus cum quibus ſublimari debet, teratur & commiſceatur illis cum imbibitionibus quouſque de illo nihil appareat, & poſt ſuper ignem lentum aqueitas imbibitionis removeatur, quâ recedente & ſecum aqueitas Argenti vivi recedet: cujus reſiduum per ſublimationis reiterationem tollitur.

Huc uſque docuit Mercuriale Corpus præparare, & mundare perfectè, pro acquirenda media illa ſubſtantia Mercurii, tantopere pro Medicina ex ipſa facienda neceſſaria, quâ acquiſita, quid ulterius cum illa agendum, & qualiter pars illius ſit fixanda, pars autem conſervanda, & pro imbibitione volatilizatione, & ceratione, relinquenda, docet libro quarto cap. XI. de Medicinis tertii ordinis.

Et eſt ut accipias Lapidem illius notum & per ſeparationis modum, illius puriſſimam partem dividas & ſeorſum ponas. Deinde verò ejus quæ puriſſima eſt, partis aliquid figas & aliquid ex illa relinquas.

Poſtquam indicavit aliquam partem ex illo figi oportere, ad majorem claritatem docet etiam dupliciter illum fixari poſſe, vel eum in pulverem terreum cum deperditione ſuæ humiditatis neceſſariæ ad fuſionem, vel cum conſervatione humiditatis neceſſariæ ad fuſionem deducendo: dum dicit libro ſecundo cap. XVI. de coagulatione mercurii & rerum ſolutarum.

Eſt autem ipſius Argenti vivi duplex coagulatio, una quidem per ablationem totius humidi innati in illo, alia verò per inſpiſſationem ipſius humidi quouſq; induretur.

Modum autem præciſum ad utramque perveniendi & quomodo perficiatur inſinuat libro tertio *cap.* VI. *de Martis Eſſentiâ. Quoniam figi poteſt abſque hoc quod in terram vertatur, & figi ſimiliter cum converſione ipſius in terram: nam per feſtinationem ad ejus fixionem, quæ per præcipitationem perficitur figitur & in terram mutatur. Per ſucceſſivam verò illius iteratâ vice ſublimationem ſimiliter figitur & non in terram vertitur imò fuſionem dat Metallicam.*

Ut autem in nihilo deficere videatur, etiam circa vas artis filium alloquitur ipſum advertendo quale eſſe debeat ad illius fixionem, nimirum vitreum neceſſariò, cauſaſque ſufficientes allegat, quare aliud quàm vitrum eſſe non poſſit, unde dicit libro ſecundo cap. VI. de forma Aludel. *Solum enim vitrum & ſibi ſimile cum poris careat potens eſt Spiritus retinere, alia autem non, quia poros habent; nec etiam Metalla in hoc valent; quia Spiritum per illorum cum illis convenientiam, tranſeuntes evaneſcunt. Ergò per aliud non excuſamur à viri ſuſceptione, in formatione aludel.*

Et ſic ex Gebro didiciſti quod ſola Subſtantia Mercurialis aſſumi debet. & quod ille ſolus eſt Lapis in capitulis notus, & quod per remotionem ſuperflui, media & puriſſima Subſtantia Mercurii ſumi, item quod debet figi, nec non quod dupliciter figitur: differentiam & modum figendi quoque docuit: nec non vas in

quo

quo figi debet. Ex sequentibus apparebit, quomodo ulterius procedit ad operis complementum.

Hunc ergo Mercurium fixatum calcinat, calcinatum solvit, solutum coagulat, fixat, calcinat, iterum repetit, ad aliquot vices, & hoc docet libro quarto cap. XI. de Medicinis tertii ordinis.

Deinde ejus quæ purissima est partis aliquid figas, & aliquid ex illa relinquas, & cum fixa fuerit solve, quod ex illa solubile fuerit, quod vero non est solubile ad calcinandum mittas & abhinc super illud solutionem reitera; donec iterum quod ex ea est solubile solvatur omnimode, sic ergò ordo iste calcinationis & solutionis, vel totum si possibile est coagulando reiterando servetur quousq; major illius solvatur quantitas, post hoc verò omnes solutiones coagula, dehinc verò leviter assando in Ignis temperamento conserva quousq; illi major ad illius exigentiam Ignis, administrari possit. Post hoc verò prædictum solutionis & coagulationis modum & ordinem iterato serva &c.

Ne autem operatio ista in infinitum protrahatur, quoties sit reperenda, numero præciso docet libro quarto cap. XI. de Medicinis tertii ordinis.

Omnes igitur hos ordines præparationis, calcinationis, solutionis, coagulationis, & in temperamento Ignis conservationis leviter assando super illam quater reitera, & ultimo calcina per modum suum & sic pretiosissimam Lapidis terram sufficienter administrando rexisti.

Dicit sufficienter rexisti, scilicet ad hunc gradum; sed quomodo ulterius cum hac terra procedendum fusiùs docet: nempe illam cum portione Spiritus non fixi antea reservati per modum Sublimationis volatilem reddendam, additâ novâ Spiritus portione ad illud quod in Sublimatione non ascendit, volatile fixandum, fixum volatile faciendum, & quo pluries hoc reiteratur, eò perfectius erit Opus, & hoc docet libro quarto cap. XII. de administratione Solaris & Lunaris Medicinæ.

Et est hujus additamenti modus per reiterationem per partis non fixi Lapidis Sublimationis cum ingenio conjungendi per minima quousq; elevetur cum ea, & iterato cum illa figatur ut stet. Et quanto hujus complementi ordo reiteratur pluries, tanto hujus exuberantia Medicinæ multiplicatur magis, & illius magis augetur bonitas & multiplicatur ipsius augmentum perfectionis maximæ.

Quomodo autem fixum volatile reddendum, & volatile fixum, fusis verbis docet libro quarto cap. XI. de Medicinis tertii ordinis. *Deinde verò servatæ partis non fixæ cum hac terræ parte administratæ quantitatem, per ingeniorum subtilem conjunge modum per minima. Et sit ingenium hujus intentionis scilicet levationis ejus per modum Sublimationis dictum, quousq; fixum cum non fixo levetur totaliter, quod si non eveniat, addatur illi iterato vicissim non fixæ partis quantitas, quousq; ad elevationem ejus sufficiat. Cùm igitur elevata fuerit, reiteretur ejus Sublimatio quousque per hanc administrationis reiterationem figatur totum. Cùm igitur fixum fuerit, iterato cum non fixæ partis quantitate post quantitatem combibe per ingenium tibi notum, quousq; totum iterato levetur, igitur iterato figatur, quousque fusionem præstet facilem cum ignitione sua.*

His ita præparatis, & terrâ ad talem terminum reductâ (quæ ab aliis Philosophis terra foliata nominatur, in qua Aurum seminandum) Geber idem docet; nempè ad complementum totale hujus Elixir addi oportere tertium, scilicet Corpus perfectum, idque docet libro investigationis in fine in recapitulatione totius Operis.

Concludimus Lapidem nostrum nil aliud esse quam Spiritum fatentem & Aquam siccam, per naturalem proportionem mundatam, & unitam unione tali: quibus addi debet & tertium, hoc est Corpus perfectum attenuatum.

Ne autem Artifex implicatus hæreat, postquam tertium, ideſt Corpus perfectum accidit, seu Aurum, in terram cum tanto labore præparatam seminavit, quid ulterius peragendum, nempè quomodo illa conjuncta cum Spiritu reservato, per reiterationem solutionis, coagulationis, volatilitatis, fixationis, pluries reiterare oporteat, donec in complemento quiescat, & infinitum tingat in Solificum, & Lunificum, secundum operantis intentum. Distinctis verbis id docet libro quarto cap. XII. de administratione Solaris & Lunaris Medicinæ.

Et est illius intentio ut per Sublimationis modum mundetur perfectissimè Lapis, & illius additamentum & abhinc quidem cum ingeniorum modo volativum ex eis figatur; & iterato volatile fixum, & toties fac fixum volatile & volatile fixum quousque præstet facilem fusionem cum ignitione, & in hoc ordine completur Arcanum pretiosissimum.

Et nos complevimus (quod cap. VI. promisimus) practicam Gebri inordinatim sparsam, succinctim recolligere, & candidè docere, ita ut clarius nec possibile nec licitum sit scribere, eò quod omni etiam mediocri Philosopho sufficit, ad reliquum studio & labore inveniendum.

Bernardus Trev. & Enchiridion seu Arcanum Hermeticum, quasi ambo consentientes, non, ut antiquiores contenti fuerunt, Mercurium simpliciter homogeneum, reddere, cum auferentiâ superfluitatis ejus, sed & simul deficientis additionem necessariam judicarunt: unde quidem ut veteres Mercurium à superfluis purgare non omiserunt; sed & eadem operatione deficiens adimplere intenderunt: unde suam Mercurii sublimationem cum corporibus Metallicis instituerunt: ut non solum illum purum, sed & simul Sulphure Spirituali Metallico animatum, & uti duplici fulcro Metallico innitentem, *Mercurium duplicatum* acquirerent, quem, tanquam unicam & solam [Mercurio simplici non solum non admisso sed totaliter rejecto] *Clavem* necessariam ad aperiendum Regis Palatium, non solum ipsi firmiter crediderunt, sed & aliis non minus rigorosè quàm doctè persuaserunt. Primus apertè se declarat in Epistola Obsequiis &c. in penultimo folio his verbis.

Sunt enim quædam Mercurii Sublimationes ab ejus propriis Corporibus quæ sibi per intima amalgamando conjunguntur, & commiscentur, ex quibus pluries relevatus & reconjunctus, superfluitates amittit, & non confunditur in natura, postea Operi Philosophico convenit & potens est in speciebus Metallicis solvendis.

Modum autem præcisum operandi in eadem Epistola in aliquot paginis antecedentibus docet.

Spiritus mineralis crudus tanquam Aqua conjungitur cum Corpore suo ipsum prima decoctione solvendo; unde REBIS *nominatur, quia ex bina re componitur, nempè ex semine Masculino & Femininо, hoc est ex dissolvente, quamvis unica sit res & Materia.* unde versus *Res rebis est bina conjuncta sed tamen una. Solvitur ut primo sint aut Sol, aut spermata Lunæ. Ex istis duabus autem rebus simul dissolutis componitur Elixir, id est Aqua tincta:* unde versus. *Elixir. Græcè pars dicitur Arte secunda fixis nam de se sunt facta Corpora Munda. Ex hoc autem Elixire honorande mi Doctor ut ex primo simplicis decoctionis Iure suo decocto Azot extrahitur, fortiori scilicet distillatione ac iterata & istud Azot est Mercurius ille Duplicatus.* Alter suam opinionem absque fuco exponit in Arcano Hermetico §. XXX.

Mercurius ex imperfectis Metallis ſolus tinctura Solis & Lunæ ſuſcipiendæ in Opere Lapidis Philoſophici aptus eſt, ut ipſe tinctura plene imbutus cætera uberrimè tingat, eámque multo cum fœnore reddat. Modum operandi proponit duobus locis. Primo in §. XLVII. *Argentum vivum partim eſt naturale, partim eſt innaturale, intrinſecum & occultum in natura radicem habet, quod niſi per præcedentem mundationem & ingenioſam Sublimationem evocari poteſt. Separa ergo purum ab impuro, Subſtantiam ab accidentibus, & fac occultum manifeſtum per viam naturæ, ſecus ſiſte gradum, hoc enim eſt totius Artis & Operis fundamentum.* Iterato docet §. II. *Duobus perficitur Philoſophica Mercurii Sublimatio, ſuperflua ab eo removendo & deficientia introducendo; emergentem ergo Saturni livorem ſepara, donec purpureum Iovis ſidus tibi arrideat, adde Sulfur naturæ ut etiam aliis ſufficiat: multiplica igitur Sulfur illud Philoſophorum inviſibile, quouſque exprimatur Lac Virginis: tunc prima tibi patebit Ianua.*

Id eſt habebis eorum tantopere decantatum *Mercurium duplicatum* cum quo & Auro Lapidem conficies.

Sendivogius & Philaletha, quamvis in multis conſentire videantur, in multis tamen id non quadrat, ſed omiſſis iſtis differentiarum diſceptationibus, *Philalethæ* uti clariotis & moderniotis Compendium pro amborum explicatione ſtabit: qui cum prioribus in *Mercurio Duplicato*, ſeu ut ipſe vult *Animato*, quidem conſentit; ſed ſuo genio & experientiâ ſibi traditâ ſolummodo inhærens, hunc ex *Mercurio & Regulo Stellato*, imperfectioribus aliis omnibus rejectis (debitè, an indebitè: quod quia à *Pantaleone in* ſuo *Tumulo Hermetico Capite tertio* ad ſufficientiam practicè & theoricè diſputatum habetur; hic prolixius exponere ſupersedeo: ſed brevitati ſtudens, quod ab aliis ſat ordinatim dictum eſt, redicere nolens, illuc lectorem remitto, ibi enim talia ſuper hoc inveniet, quod me brevitatis nimiæ non accuſabit) ſolummodo extrahendum eſſe, ut ipſe ſtrictim credidit, ita alios candidè & ſeriò docuit, ut Mercurius Regulo ſtellato unitus (ſibi invicem coadjutores ſint ad aliena rejicienda, nec difficultatem ſpecificam hujus operationis celare volens, eam candidè indicavit cap. XI. *Malignitas Arſenicalis huic Sulfuri in ſobole Saturni abſorpta, omnem prohibere ingreſſum:* id eſt impuritas Reguli impedire unionem utriuſque, ſuperaddens unicum ad id invenibile remedium; nimirum *Columbas Dianæ*, quæ hujus Sulfuris malignitatem contemperabunt ad ingreſſum & unionem amborum celebrandam, quâ celebratâ, *lux à tenebris, Aquila Philoſophica tanquam Regina omnium Avium, à cæteris ſeparabitur*, id eſt habebitur purus *Mercurius homogeneus Animatus* hoc eſt *Spirituali Sulfure gravidus*, intuitive cujus eſt Hermaphroditus hic Mercurius, verba præciſa dicit cap. VI.

Etenim ſi ingrederentur & miſcerentur tum ſtatim unione indiſſolubili coaleſcerent: dicam itaque Sulfur externum comburens adhærere pertinaciter Chao noſtro: quod Iuvenis alatus horret ac fugit, eſto hic tibi Diana propitia, quæ feras domare novit, cujus binæ Columbæ ueris malignitatem contemperabunt, quod per poros facilè ingreditur Adoleſcens, concutit ſtatim peroleſos, nubem tetricam ſuſcitat, lucem à tenebris ſepara ſeptimâ vice, eritque hæc creatio Mercurii Sophica completa. Modum operandi totalem docet cap. VII.

Hic eſt Infans Hermaphroditus à primis ſuis incunabulis per Canem rabidum morſu infectus eſt, unde hydrophobus Aquam horret: ſunt tamen in Sylva Dianæ binæ Columbæ, quæ rabiem ſuam inſanam mulcent, illum ne hydrophobiæ recidivam patiatur, Aquis ſubmergas, in iiſque pereat: quarum impatiens Nigricans Canis rabidus ad Aquarum ſuperficiem ferè ſuffocatus aſcendit, tu imbre ac verberibus illum fuga, ac procul arce, ſic tenebræ diſparebunt: fulgente Luna in ſuo plenilunio, pennis ſuppedita, & avolabit Aquila, itera hoc ſepties dum tandem requiem adeptus es, niſi quod decoctio nuda tibi incumbat.

Juvenis alatus eſt *Mercurius*, Chaos ſeu infans hermaphroditus eſt *Regulus ſtellatus*, Canis coraſcenus rabidus, eſt *Sulfur Arſenicale*, Columbæ Dianæ, *ſunt Salia*, Aquila evolans eſt *Mercurius purissimus, homogeneitate unus, Subſtantia Eſſentiali duplicatus, propter Sulfur ſecum aſcendens Animatus*; cum quo, uti cum antedictorum Mercurio addito Auro, & decocto, nec non totam pluries revolvendo, fit famoſiſſimus ille Philoſophorum Lapis, ad Divitias & Sanitatem uſque ad naturalem vitæ terminum ſufficiens: quia autem, Amalgamationem, in vitrum impoſitionem, nec non ignis regimen & colores, ejuſque uſum, ad abundantiam abſque ullo ſermone ænigmatico Philaletha, inter alios laudatiſſimè deſcripſit, nos omnem ſemper ſuperfluam ſcribendi occaſionem evitantes, illuc lectorem remittimus. Hoc ſolum ſeriò ſubnectentes, certum & certiſſimum eſſe, quicumque Artis filius ex hiſce tam noſtris dictis, ſimplici & ordinato ſtylo ſcriptis, quàm ex additis tot authorum, theoricæ, ſparſæ & ab ipſis ſtudio confuſæ, reordinatis & claris expoſitionibus, rem nec capere nec facere poteſt, non Authores, non Me, ſed ſuam incapacitatem incuſet, aut DEI voluntatem meditetur, ad quem ferventi oratione piè videndo, recurrat, ut hoc donum ſibi elargiri velit, mentem ad intelligentiam illuminando; aut per Amicum revelando.

CAP. IX.

De Augmentatione Benedicti Lapidis.

IN hoc capite doces: quod ubi jam Sulfuris præfati incombuſtibilis purpureo rubicundi Poſſeſſor factus es, te per repetitam Rotæ in verſionem illud multiplicare eâdem Methodo quâ conficitur, lacte ſuo irrorando, ſolvendo, coagulando, ut in primo Opere factum eſt, & ita ad placitum multiplicas in quantitate & qualitate, pro projectione ſuper imperfecta Metalla facienda: quæ omnia tanquam veriſſima concedimus, & ne gry quidem opponimus, quod opus legitimè confectum, per eandem viam, qua factum eſt, eadem multiplicatur; ſed nunquam concedimus quod erroneum Principium, & medium (ſicut tuum eſt) poſſit verum finem dare: unde ſuperfluum eſt de tuo Opere Phantaſtico, lectorem ad veros Sophos remittere, quaſi, verum & erroneum, unum quod ſit; quod ſi ante hac nunquam fuit, nec impoſterum unquam erit; quidquid oblatrent Sophiſtæ.

CAP. X.

De Uſu Lapidis Medico, Interno & Externo.

IN hoc Ultimo Capite de Lapidis Phyſici virtute diſſerens, ſecundùm omnium Sophorum Mentem infinitâ vi Medicandi pollere probat, & præcipuè cum *Helmontio* doces, illum agere Archæum irradiando, citra ſui diſſolutionem, aut interitum &c. Doſin autem illius adminiſtrandi conſtituis, à grano uno ad duo, juxta ætatem & vires ægri.

Quibus reſpondemus, quouſque cum Sophis Lapidem Phyſicum vi medica incomparabili præditum

asseris, nec non cum *Helmontio* doces, quod Archæum irradiando citra sui dissolutionem, aut interitum dotes suas depromat: libenter assentientes tibi omnia concedimus; sed dum de tuo Talento, aut melius dicam judicio, Dosim administrandam, à Grano uno ad duo juxta ægri ætatem & vires depromis, non licitum est nobis talia connivere: sed sicut principio & medio monstravimus te errare, ita etiam in fine probemus, te tanquam putatitii Lapidis possessorem etiam ejus verum usum ignorare.

Primò id probatur ex tuâ propria doctrinâ; quâ, non tuo Marte, sed *Helmontii* doctriuâ doces Lapidem Physicum agere, Archæum irradiando, quo posito, sufficit minima particula, prout in tractatu *Lapis Butler*: diffuse docet.

Secundò si agit irradiando, quid quæso ista actio irradiatoria præjudicare potest ægro respectivè ætatis vel vitium.

Tertiò nullus Philosophorum [præter te, quia Philosophus non es] hanc necessitatem seu respectum augmentandi & diminuendi dosin posuit.

Quartò omnes Sophi veri & adepti concordant in minima quantitate administranda hujus Lapidis benedicti: *Dionysius Zacharius* omnium liberalior non excedit granum: *Ludus puerorum* & alii; pondus duorum florenorum aureorum, quod drachmâ adhuc minus est, libræ uni confectionis commiscere jubent, de qua confectione drachmam pro qualibet vice sumendam, & sic dosis erit circiter medii grani pondus; *Rosarius* reliquis parcior pondus; ad Granum sinapis præscribit: uno verbo nullus vix medietatem tuæ dosis præscripsit, & quamvis in quantitate minimâ differire videantur: in hoc tamen omnes Veri Adepti consentiunt, quod nullus dosin augendam & minuendam respectu ætatis aut vitium ægri præscripserit præter te: sic ab omnibus in omnibus differens tu solus Sapiens eris, quod abst dicere.

A. M. D. G.

TYPOGRAPHUS *Lectori.*

ATque ita SEMIRAMIS, ante quatuor propè Annorum Millia sepulta nuper denuo Rediviva, denuo in Sua TVMBA Sepulta jacet! Felix profectò SEMIRAMIS, quia bis Viva: sed magis infelix, quia bis mortua! Quod me attinet, egò quod meum erat feci: *Funebrali* LAPIDI Typos inscripsi Typographus. In quo labore, si ubi fortasse lapsus sum, ignosce: *Babylonem non vidi*, & Arcanioris *Philosophiæ Characteres* non dedici. Sin minus, apage! non laboro tuâ causâ: puerorum est Grammaticalibus apicibus insudare tempus perdere: *Sapientum* est sensum scrutari.

Si quæras, quis iterum Infecilis SEMIRAMIDIS. Vespilonem egit? Nescio. Nunc enim quo quis magis *sapit*, hoc magis *tacet*. Putabam nuper ipsemet, fore brevi, ut omnes fiamus *Hermetici*, & profectò simus omnes silentio *Pythagorici*, & prorsus *Harpocratici*.

Dicam nihilominus quod scio. SEMIRAMIDIS, olim sepultæ, TVMBAM, INEXHAVSTIS REGUM THESAURIS plenam eruit aliquis in ipsa, (ubi enim alibi) *Babylonia*. Eandem THESAURIS VACUAM, sepelit rursum alius, in (uti puto) Paphlagonia, ego inscriptionem *funebrem*, (quam tu *Philo-Hermeticæ Lector* legis) facio in Utopia. Alius calamum acuit, hunc censuram tulit, aliis prælo subjecit, alius meum alius Epilogum dictavit. Comparent diversi: Hic ATER, ille CANDIDUS, alius RUBER, ignoti omnes, omnes *Prothei*, & PER OMNES COLORES larvati *Philosophi*; planè ut illorum LAPIS, Hem fraudes! sed doctas. Hem bella! sed docta. Pro Corpore SEMIRAMIDIS pugnatur hodie usque ad invidiam Patrocli, pro cujus Corpore tot *Sapientum, Heroumque Mater* Græcia, tàm atrociter olim ad Trojam dimicavit.

O Curas hominum! ô quantum est in rebus &c.

Sed non te tenebo. Si Minerva rudis tibi domi est, nec servit ad aliud, quam ad quærendum nodum, aut censurandam *crepidam*; apage inepte *Mome!* non te volo *procul* ab *Hermetico-Regio Augustali profani!* Quod si ingenuus es, age sis, expende hæc, quæ Honori Viri docti arbitrio tuo, labore & prælo meo, torqueo. Atque in hunc finem, commodo tuo hîc ipsam præterea SEMIRAMIDEM tibi sisto; & TUMBAM, priusquam funeretur, reseio, (in casu quo primæ ejusdem reseratioui, aut etiam secundæ, quæ in Quarto & Quinto Anno *Ephemeridum* Medico-Physicarum *Germanicarum* describitur, adesse non potueris) ut oculatè inspicias, & quam sanissimè dispicias, utrum SEMIRAMIS, pretiosa aliquâ *Mumia*, an verò vaniloquâ *Anus* fuerit. Quod si denique illis jam adjectus es, *quos æquus amavit Jupiter*, & ardens altius provexit virtus: age, hæc nostra æqui bonique habe; &, (ita me tibi precari jusserunt, quorum privatis studiis, & honori, mea sudant prælà,) sive *Rex* tibi tuus *Hermeticus* intra Cimerias *plus Corvivas tenebras* adhuc Infans delitescit, sive *Candidiori* jam amictu Puer incedit, sive in *Purpureo Solio sua Regia Majestas residet*, *Amice*, *tibi fruere, tuis fave*, *vulgo tace*, & *Vale*.

TUMBA SEMIRAMIDIS *Hermeticè Sigillata, quam si* Sapiens *aperuerit, non* CYRUS *Ambitiosus Avarus, Regum ille Thesauros, divitiarum inexhaustos, quod sufficiat, inveniet.*

Da amantem, & sentiet quæ loquor, sin autem autem frigido loquor, non sentiet quæ loquor, D. Aug. de Amor. Div.

Nobilissimi, Præcellentissimi VIRI, S. R. I. *Naturæ Curiosi* Domini, *& Fautores Honoratissimi.*

NOn tantum priscis temporibus, sed & hâc nudi senectâ hîl altius. Sepultum, nec quod magis ab omnibus maximè Technophilis desideratum hactenus est, quam magni illius Mysterii Sapientum Scientia, quæ notâ voculâ *Lapis Philosophorum* appellatur. Eapropter Scientiam hanc sub Schemate *Tumbæ Semiramidis*, sapientissimè quondam Babylonis Reginæ tumulatam & adumbratam servatâ ejusdem monumenti inscriptione, è tumulo extrahimus, orbique literatio visendam & aperiendam sistimus; *Quam si Sapiens, non Cyrus, ambitiosus avarus aperuerit, Regum thesauros divitiarum inexhaustos, quod sufficiat, inveniet.* Addo constantem Sanitatem, quæ duo præcipuas fælicioris vitæ columnas dixeris? Sed erunt fortè altum sapientes, quibus Tumbam hanc reserare opus mulierum & ludus puerorum videbitur; sciant autem velim, Scientiam hanc esse *Amnem altissimum, in quo Agnus ambulat*, id est simplex proficit, & *Elephus natat*, id est doctissimi quique opinionibus, erroribus & dubiis suis fluctuant, imò submerguntur, dum hic de vero Subjecto Magni Operis adhuc dubius, imò toto genere alienus est; ille de Mercurio Sophico acquirendo arduè sollicitus, nec quis ille sit vel cujus formæ, inanibus laboribus sese fatigat; alius quid Ignis Philosophicus? quid

Elementa Magica, Clavis, vel Menstruum solvens? unde illud depromendum? an dulce vel corrosivum? frigidum? vel igneum sit? vano mœrore sese lacerat. Ingemui sæpe super ea quæ talium Manus fecerant, & in quibus frustra insudaverant, ubi ultimò non invenirent, nisi vanitatem & afflictionem animi. Stimulo itaque charitatis eorum misertus, communicatam mihi misericorditer Lucem, eandem, ut Clavem ad Sacræ illius scientiæ sanctuarium inveniant, lubens impertior, quamvis à multis violati silentii reus accusabor.

Vestra vero VIRI PRÆCELLENTISSIMI in curiosis Polydædalæ Naturæ Arcanis & Operibus curiosa industria, & indefessa curiositas, quæ totum Orbem literarium ad secretiora communicanda suavissimo suo illicio invitavit, me quoque impulit, hujus, quod apud me est, totius naturæ curiosissimi Operis, Vos genuinos omnigenæ Scientiæ Filios, Hæredes facere.

Quis vero sim ne quærite; Homo sum qui aliis prodesse studeo: Amicus vester, & virtutum Vestrarum mirator, notus multis, saltem nomine.

Valete ergo Curiosi Naturæ & Artis Mystæ, Excelsa Germaniæ Sidera, DEUS sit Vobiscum; Vestraque Opera & Cogitationes toti Reipublicæ literatiæ summè proficuas virtute sua corroboret ad publicæ salutis Incrementum, vestrique Nominis Gloriam Immortalem.

Ex musæo, Calendis Ianuarii
Anno à nato Salvatore 1674.

Tumbæ Semiramidis *Hermeticè Sigillatæ*

CAP. I.

De Subjecto Physico Lapidis Philosophorum.

OPeris nostri Principium sit *Timor Domini*, finis autem *Charitas & Amor* proximi. Aggressuri itaque cum bono DEO tam divinum Opus, primo inquirendum, quodnam sit subjectum illius? Ut enim Agricola incassum ad messem Agrum præparat, nisi de Semine certus sit, ita & ille gratis Agrum Chymicum instruit, si quid in illum seminet, ignorat. Et in hodiernum plures sese angunt, inque differentes opiniones rapiuntur.

Sed omnia hæc velle discutere, hujus loci non est: dum illi in Regno Animali, Sanguine, Spermate, Sudore, Vrina, Capillis, Stercoribus, Ovis, Serpentibus, Bufonibus, Araneis &c. quærunt; isti in Regno Vegetabili, præprimis Vino, inani pro Magisterio magno conatu occupantur. Etsi enim nobis constet in utroque Regno, & quidem in homine (maximè illius corde) dum etiam Vino supremam quoque unam valetudinis nostræ Medicinam obtineri posse, ut enim Aurum omnium mineralium, sic hæc duo omnium Animalium & vegetabilium potestates in unum quasi Collectas, complectuntur: Porrò ut ex illis fiat Opus magnum Sapientum, nullus Adeptorum somniavit. Superest igitur ex Regno Minerali petendum esse; Sed & hic magna dissentientium Corona, ut Hercle Oedypo opus habeamus: sunt enim qui ex mediis, ut vocant, Mineralibus, ut pote Sale, Nitro, Alumine, & id genus aliis eruere volunt, sed frustra; cum hæc argenti vivi nihil in se habeant, in quod resolvi queant: quo in Luto & nos in prima nostra Inscitia immersi fuimus.

Manet ergo ratum, Metalla subjectum Physicum esse Lapidis nostri benedicti. Verum & hic res in bivio: Metalla enim alia imperfecta sunt, perfecta alia.

Breviter ut nos expediamus, diximus omnia Metalla fusa præcipuè vero non fusa etsi imperfecte per intimam Labis suæ Originalis depurationem (quod tamen perquam difficile, & apparenter vix non impossibile) subjectum Lapidis esse posse, de quo *Flamellus aliqui in Iove, aliqui in Saturno laboraverunt, ego autem*, inquit, *in Sole laboravi & inveni.* Et in exercitat. Ad Turbam legitur: *Omnia Metalla Munda & Immunda sunt intus Sol & Luna, & Mercurius, sed unus est verus Sol qui abstrahitur ab eis.* Et Author Arcani Operis Hermeticæ Philosophiæ Canon. XVI. inquit: *Quicunque extra Metallorum naturam imperfecta Metalla perficiendi & multiplicandi Artem quærit in via erroris est, à Metallis enim Metalla, sicut ab Homine humana, & à Bove Bovina Species petenda est*, Et Canon XVIII. amplius agit: *Corpora perfecta Semine perfectiori prædita sunt; Sub duro itaque perfectorum Metallorum cortice latet perfectum Semen quod qui novit resolutione Philosophicâ eruere, Regiam viam ingressus est.* Sic & *Anonymus* ille *Philaletha* in introitu ad Sacrum Regis Palatium cap. XIX. de progressu Operis in primis 40. diebus: *Est nimirum in omnibus Metallis etiam communibus Aurum, sed* proximius *in Auro & Argento.* Quamquam (ut benè idem Adeptus loquitur) *est adhuc unum in Regno Metallico mirabilis Originis in quo Aurum nostrum proximus est quàm in communi Auro & Argento, sed illud in Hora suæ Nativitatis quæras, quod in nostro Mercurio loquatur ut Glacies in Aqua tepida &c.*

Sed præscindendo hac vice ab his imperfectioribus, in præsenti magna illa duo Luminaria perfectiora, *Solem & Lunam*, Aurum quippe & Argentum pro subjecto Physico Lapidis declaramus, quam Viam magna pars Philosophorum secuta est, & voti sui compotes facti sunt. Et declarat illud *Augurellus* l. 2. Chrysop. dum ait:

Purum atque omni purgatum sorde Metallum accipies, cujus Secreta in parte recessit
Spiritus & crassâ pressus sub mole latenter
Vitalitat, ac solvi vinculis & Carcere Cœlo
Emitti expectat, tenues effusus in oras.
Idem in Chrysop. l. 1. - - - - *nec tu*
Nunc aliunde Auri quæras primordia, in Auro
Semina sunt Auri quamvis abstrusa recedant
Longius, longo nobis quærenda labore.

Et de utriusque luminaris dignitate illud Spagyricæ Philosophiæ Sydus *Lullius* Codicill. p. m. 28. *Propter quod depurata magis aliis reperiuntur duo scilicet, Aurum & Argentum, sine quibus Ars ista non poterit integrari, cum in illis sit purissima Sulphuris Substantia ingenio naturæ perfectè depurata, & ex illis duobus Corporibus cum suo Sulphure vel Arsenico præparatis, nostra elici Medicina poterit, & sine illis haberi dequit.* Et clangor *Buccinæ: prudenter & discretè oportet te operari, quoniam sine fermento non poterit Sol, neque Luna esse: & aliud Semen sive fermentum non est appropriatum & utile, nisi Aurum ad Rubrum, & Argentum ad Album, quæ Corpora subtiliata prius sub pondere, deinde seminanda veniunt, ut putrescant & corrumpantur, ubi destructa una forma, alia nobilior induatur: & hoc fit Aqua nostra sola mediante.* Hinc optimè concludit *Anonymus* quidam in sua responsione: *Sicuti Ignis ignificandi principium est, ita Aurum Auri est principium, qualis causa, talis effectus. Qualis Pater, talis Filius: quale Semen, talis Fructus. Homo Hominem, Leo Leonem generat.*

Sed

Sed dices: asserunt Philosophi, quod talis debeat esse Materia, quam æquè Dives, & Pauper habere potest, unde illud: *hunc thesaurum omnibus hominibus inquirendum concessit, nec Mortalium ulli, nisi quis pravis cordis sui affectibus indignum se ipsum reddat, tanta bona invidet. Et* Geber *non oportet tua bona consumere; quia vili pretio si Artis principia non ignoraveris, quæ tibi tradimus, ad completum pervenies Magisterium. Si enim Aurum, vel quid simile sumptuosum illud* [tantum] *esset, si Pauperes cogerentur hoc gloriosum opus postponere, & cum contingat Artificem pluries errare, Pauper non posset post admissum errorem opus repetere quod omnino fieri oportet, si nullum aliud remedium supersesset.* Et Lilium: *Hic autem Lapis palam minimo emitur pretio: qui si novissent venditores, ipsum manibus tenerent, & nullo modo venderent.* Et alius Anonymus; *Expensæ nostræ non excedunt pretium duorum florenorum.* Quod confirmat *Arnoldus. Firmiter teneas, quod Expensæ nostræ nobilissimæ Artis non excedant pretium duorum Aureorum in emptione, id est, operatione.* Et Geber: *Si in operando æs tuum amiseris, nos non inique corrodas, sed tuæ imputes imprudentiæ: Scientia enim nostra magnas non requirit expensas.*

Ad quæ respondemus: Nos nunquam negasse præter Aurum & Argentum non etiam dari aliud Subjectum minoris pretii: ubi imperfecta Metalla non excluſimus, quemadmodum supra ex *Anonymo Philaletha* hisce verbis meminimus: *Est adhuc unum in Regno Metallico mirabilis Originis &c.* Quanquam vile hoc pretium multi Philosophorum de Menstruo nostro solvente intelligi velint. Dices amplius ex *Sendivogio* Tract. XI. *In laboribus tuis aurum & argentum vulgi non accipias: nam hæc sunt mortua.* Respondemus, concedendo ex Auro & Argento vulgi, qua talibus & quamdiu mortua fuerint non confici Lapidem; Vbi verò resuscitata, & in primam seminalem Naturam redacta, & Auro Philosophorum similia facta fuerint, dum non tantum de se Semen edunt, & loco fermenti inserviunt; Quod confirmat Philosophus his verbis: *Præsentes & præteriti non fecerunt aliquid nisi ex Auro Aurum, & ex Argento Argentum, non tamen Aurum illud vel Argentum fuit vulgi.*

Ex quo patet, quod Aurum Philosophorum non sit Aurum vulgi, nec in Colore, nec in Substantia, sed illud quod extrahitur ex eis, est Alba & Rubea tinctura.

CAP. II.

Quid sit Aurum Physicum seu Philosophorum?

AVrum vel Argentum Philosophorum est Corpus Metallicum resolutum in ultimam Materiam, quæ prima Lapidis est, (scilicet in Mercurium) & probatur: Omnis res est ex eo in quod resolvitur, sed omnia Metalla reducuntur in Argenteitatem vivam, ergo fuerunt Argentum vivum.

Est (*enim* juxta vulgatam Philosophorum Sententiam) *in Mercurio, quod quærunt sapientes.* Item: *Mercurius est radix in Alchymia, quoniam ex eo, per eum, & in eo sunt omnia Metalla.* Et Spagyricæ Philosophiæ abstrusissimum Mare. *Theophrastus* de prima Metallorum Materia ita loquitur: *Extrahere Corporibus Metallicis Mercurium nil aliud est, quam ipsa resolvere, seu in primam ipsorum reducere Materiam, hoc est, Mercurium currentem, qualis scilicet erat in Centro terræ ante Metallorum generationem. Vapor scilicet humidus & viscosus* (*qui est Aurum vel argentum Philosophorum*) *continens in se invisibiliter Mercurium & Sulphur naturæ principia omnium Metallorum. Talis Mercurius ineffabilium est virtutem virumque & & Secreta divina continet.*

CAP. III.

De Præparatione Corporum pro Mercurio Philosophorum.

INquit Avicenna: *Si laborare volueris necessum habes, ut in Solutione vel Sublimatione duorum Luminarium Laboris tui facias initium, primus siquidem Operis gradus est, ut argentum vivum ex eo fiat.* Verum cum hæc Corpora, ut potè perfectiora arctius constricta, & duriorem coagulationem nacta sint ut ipsa in Mercurium reduci queant, primo præparatione, & Physicâ calcinatione opus habent, quæ quidem non tam necessaria est in Argento (nam propter Mundiciem & Mollitiem facile in id agit Aqua nostra) quod non sit in Auro & reliquis Metallis, quæ omnia tequirunt Calcinationem, in quæ aqua nostra facilius tunc agit, maximè si quæ impura depurata sint, propter Substantiæ similitudinem.

De calcinatione corporum ex opere secreto de Lapide Philosophorum D. Doctoris & Episcopi Tridentini: *Metalla solvenda in lacte Virginis prius debent calcinari seu purgari, & Luna quidem finissima & subtiliter limata dissolvatur in Aqua fortis, & aquâ pluviali stillatitiâ, in qua ammoniacum, vel Sal commune dissolutum sit, præcipitetur in calcem albam, decantatâ Aquâ lavetur, & edulcoretur calx aliâ Aquâ pluviali calente, ut omnis salsedo & acrimonia tollatur siccetur postea, & erit Calx mundissima.*

Aurum verò calcinetur in hunc modum: Fac Amalgama cum Auro; (quod prius per Aquilæ Nigræ Corpus depuretur, ut supra modum pulchrum & glorioſum fiat) & Mercurio nempè purgato per Salem & Acetum perque Cotium expresso, pone in Aqua fortis purificata, ut Mercurius omnis solvatur; Aquam fortem a Calce Solis decanta, Calcem ut suprà Aquâ calidâ lava, & leni Calore exsicca. Calx ista si artificioſè & leviter reverberetur, ita tamen ne fluat, in pulcherrimum Crocum abibit.

Aliter sic Calcinatur Aurum, ut in primam Materiam seu Mercurium Philosophorum reduci queat, de quo *Paracelsus* lib. 7. Metamorph. de resuscitatione nimirum: calcinetur Metallum cum Mercurio revivificato, ponendo Mercurium cum Metallo in Sublimatorium, digerendo simul donec fiat Amalgama. Sublima inde Mercurium modesto Igne, & denuò cum Calce Metallica tere, & ut ante digestionem & Sublimationem repete, idque toties, donec Calx admota Candelæ ardenti fluat instar Glaciei, vel Ceræ. Hoc Metallum ita præparatum pone ad digestionem in Ventrem Equinum, vel B. M. decenter calidum, digerendo per Mensem, & convertetur Metallum in Mercurium viventem (id est) in primam Materiam, quæ Mercurius Philosophorum, & Mercurius Metallorum nuncupatur, quem multi quæsiverunt, sed pauci invenerunt.

Ioachimus Polemannus de Mysterio Sulphuris Philosophorum, Beneficio Corrosivi sui duplicati & satiati Metallum in minutissimos atomos dividit, & dilacerat ad tingentem Animam Menstruo Igneo solventi tradendum.

Aliâ & meliori Viâ à nobis calcinatur quam Calcinationem primam Solutionem nominare libet; & fit si Calcibus Solis vel Lunæ præfatis in Phiola positis affundatur Vinum Vitæ, quod est Menstruum nostrum, de quo infra cap. 6. ad eminentiam unius Digiti trans-

verſi, & appoſito Capitello ſeu Alembico digerantur in Cinere vel etiam Arena, & coagulentur; coagulato novum Menſtruum ut ſuprà affundendo, & coagulando, idque tertio & quarto, vel donec Calx Metallica ad Lumen inſtar Ceræ vel Glacici liqueſcat, quod eſt Signum ſufficientis Calcinationis Philoſophicæ, ſirque hoc cum conſervatione Metalli in ſua Virtute prima. Et hoc eſt quod dicit *Ariſtoteles* in Roſario: *Conjunge Filium tuum Gabritium dilectiorem tibi omnibus filiis tuis cum ſua ſorore Beia, quæ eſt puella fulgida, ſuavis, & tenera.*

CAP. IV.

De Solutione Corporum Philoſophica ſecunda & vera, atque reductione in Mercurium.

FActâ Calcinatione, ſeu primâ Solutione de qua Capite præcedente dictum eſt, & quæ (ut Philoſophus *Anonymus* tractatu Aureo de Lapide Philoſophorum in ſua Reſponſione habet) ſuavis eſſe debuit, & planè naturalis (id eſt) quæ ſubjectum ſine ſtridore cum humiditatis ſuæ radicalis conſervatione ſolveret, tunc Corpora ita Calcinata Philolæ H.S. committenda ſunt, & leni Igne B. M. vel rotis per Menſem Philoſophicum digerenda vel putrefacienda; *melior enim eſt Solutio voluntaria, quàm violenta, temperata, quàm feſtina*, ut habet Philoſophus. Et ſic fit Solutio ſecunda & vera Metalli in Aquam viſcoſam, ſeu Oleitatem quandam cum conſervatione humidi radicalis, in qua eſt verum Sulphur Metallicum, ſimulque verus & Nobiliſſimus Mercurius; unum enim alterius ſemper magnes exiſtit, manetque ſolvens cum Soluto, & inſeparabiliter manere cupit, idque propter Subſtantiæ ſimilitudinem; hinc veteres dixere: *Natura Naturâ gaudet, Natura Naturam vincit, immutat.* Et per hoc eſſentialis ſeu formalis Solutio à corroſiva Solutione diſtinguitur. Sciendum autem ex Luna liquorem ſeu tincturam viridem gigni, quæ eſt verum Elyxir Lunæ ſummumque Arcanum confortandi Cerebrum: ex Sole verò per æqualem putrefactionem ſummæ rubedinis liquorem produci, qui eſt verum Elixir Solis, & Quinta Eſſentia Metalli de qua *Geber* ait: *Nos facimus Aurum ſanguinolentum, melius quam à natura productum, quod natura nequaquam facit.* De hac viſcoſitate amplius loquitur *Geber* in ſumma *Exactiſſimè ſingula ſumus experti, ſuis idque probatis rationibus, ſed nihil potuimus unquam reperire permanens in Igne, præter viſcoſam humiditatem ſolam radicem omnium Metallorum, cum cæteræ humiditates omnes, quia in homogeneitate non bene ſunt unita, ab Igne facile fugiant, ac Elementa ab invicem facile ſeparentur, at humiditas viſcoſa, Mercurius videlicet, nunquam in Igne conſumitur, nec Aqua à terra ſeparatur, ſed aut omnia ſimul manent, aut ſimul abeunt.*

Sed quæres, ſub quo pondere Menſtruum Metallo deſponſandum ſit? *Roſarius* Philoſophorum inquit: *Sicuti in operatione panis modicum fermenti levat, & fermentat magnam copiam paſtæ, ita & illud modicum terræ ſufficit ad nutritionem totius Lapidis. Ariſtoteles* nominat pondus dicens: *Sic igitur facite & coquite, donec terra* [id eſt Aurum] *exhauſerit decuplum de Aqua.*

Author novi luminis in fine libri in hæc verba prorumpit: *Aqua in decuplo eſſe debet ad unam partem Corporis, & hâc viâ facimus Mercurium ſinè Mercurio vulgi, accipiendo de Aqua* Mercuriali noſtra (id eſt, Oleo Salis Mercuriali putrefacto & alembicato) *quæ eſt Vapor unctuoſus in decuplo ad Corporis Auri partem unam, & clauſis in vaſe per decoctionem continuam, Aurum fit Mercurius, ideſt vapor unctuoſus & non Mercurius vulgi, ut falſo nonnulli imaginantur.*

CAP. V.

Quid propriè ſit Quinta Eſſentia.

PAracelſus Lib. 3. de vita longa cap. 2. ſic diſcurrit: *Quinta Eſſentia nihil aliud eſt, quam bonitas naturæ, ita ut tota natura in Spagyricam mixturam, & eemperamentum abeat, in qua nihil corruptibile, nihilque contrarium ſit invenibile.*

Idem lib. 4. Archidox. de Quinta eſſentia ait: *Quinta Eſſentia eſt una Materia, quæ corporaliter extrahitur ex omnibus creſcitivis, & ex omnibus quod vitam habet, ſeparata ab omni impuritate, & mortalitate, ſubtiliata mundiſſimè, diviſa ab omnibus Elementis.* Et paulò poſt ibidem: *Scire debes de Quinta Eſſentia, quod ſit parva & modica, hoſpitata in aliquo ligno, aliqua Herba, vel Lapide aut ſimili, reliquum purum Corpus eſt, ex quo diſcimus ſeparationes Elementorum &c.*

Rupeſciſſa de Quinta eſſentia cap. 5. circa finem; *Ideò eſt ingeniatum divino ſpiraculo, quod per continuas aſcenſiones, & deſcenſiones ſeparatur Quinta eſſentia, quam quærimus, à corruptibili Corpore quatuor Elementorum, & hoc fit quia iſtud quod ſecundo & ſæpè ſublimatur eſt magis ſubtile, & glorificatum, & à corruptione quatuor Elementorum ſeparatum, quam quandò ſolum unâ vice aſcendit, & ſic uſque ad Mille vices, & per continuum aſcenſum & deſcenſum quod ſublimatur, ad tantam virtutem glorificationis venit, ut ſit compoſitum incorruptibile ferè ſicut Cælum, & de Materia Cæli, & ideo Quinta eſſentia appellata, quia ita ſe habet ratione Corporis noſtri, ſicut Cœlum ratione totius mundi, ferè eo modo, quo artificium poteſt imitari naturam, quaſi per quoddam ſimile valde propinquum & connaturale.*

CAP. VI.

De Igne Philoſophico, ſeu Menſtruo ſolvente, aut Liquore noſtro Alkaeſt.

HUjus Aquæ ſeu Succi Nobiliſſimi [qui eſt verum Regis Balneum] præparationem Philoſophi ſemper occultam tenuerunt, ita ut *Bernardus Comes in Treſne & Neigen* lib. 2. dixerit ſeſe nudis verbis nulli hominum expoſiturum DEO votum, Philoſophis & æquitati præſtitiſſe, cum ſit Secretiſſimum totius Operis Arcanum; & re vera, ſi enim liquor hic qui vis pateret, tunc pueri derideient Sapientiam noſtram, & inſipientes æquarentur ingenioſis, & totus in univerſum Orbis cæco impetu huc rueret, ac ſe ipſum nullâ, nec æquitate, nec pietatis habitâ ratione in imum Acherontem præcipitem daret.

Augurellus Menſtruum hoc Mercurium indigitat, dum ſic canit:

> *Tu quoquè nec captis Cyllenti audacibus unquam*
> *Defueris, Argentum vulgò quod vivere dicunt,*
> *Sufficit, & tantis præſtanti primordia rebus.*

Idem ſentit *Georgius Riplæus* in proœmio duodecim portarum: *Ego profectò te docebo Mercurios eſſe hos, qui ſunt Claves ſcientiæ; quos Raymundus ſua Menſtrua vocat, ſinè quibus nihil fit. Geber* aliter nominat: *Per Deum altiſſimum hæc eſt illa Aqua, quæ Lucernas accendit, domos illuminat, & abundantiam divitiarum præbet. O Aqua Maris noſtri! ô Sal Nitri noſtrum in Mari Mundi verſans! ô vegetabile noſtrum! ô*

Sulphur,

Sulphur nostrum fixum & volatilem! ô Caput mortuum, seu feces Matris nostri?

Tridensinus in Opere Secreto de Lapide Philosophorum inquit: *Philosophi Aquam suam quâ usi sunt pro complendo Opere vocaverunt Lac Virginis, coagulum, rorem matutinum, quintum esse, Aquam vitæ, Filiam Philosophorum &c. Paracelsus* variè etiam: *Azoth., Spiritum Vini, temperatum, circulatum, Aquam Mercurialem; Sendivogius Chalibem: Rupescissa Acetum Nobilissimè distillatum.* Profundissimus ille per Ignem Philosophus von *Helmont Liquorem Alkaest* dixit, & sic descripsit: *Liquor Alkaest resolvit omne Corpus visibile & tangibile in primam sui Materiam servata seminum potestate, de quo ajunt Chymici: vulgus cremat per Ignem, nos per Aquam.*

Nobis *Oleum Salis Mercuriale putrefactum & alembicatum* nominare libet: licentiâ Philosophicâ, ceu qui fœtibus suis pro arbitrio nomina dispensare possunt. Oleum enim est ad altiorem gradum Igneæ qualitatis exaltatum, sicut totius solutionis Metallicæ fundamentum (quod bene notandum) Oleum est, sine quo nihil utile in Arte proficiet potest; & ipsum vices fœminæ agit in opere nostro atq; merito Sponsa Solis, & Matrix vocatur, estq; ipsa Clavis absconsa ad reserandas portas Metallorum clausas; solvit siquidem Metalla calcinata, calcinat, putrefacit, facit volatile, Spirituale, tingit in omnes Colores; estque Principium, medium, & finis tincturatum; & est unius naturæ cum Auro, ut *Villanovanus* asserit, nisi quod natura Auri completa est, digesta & fixa; Aquæ verò natura incompleta est, indigesta, & volatilis; Uno verbo: Est Ignis Philosophorum, cum quo Hermetis Arbor in Cineres comburitur. De hoc Igne *Pontanus* in sua Epistola: *Ignis Philosophorum non est Ignis balnei nec fimi, neque alius ejus generis, quos Philosophi in suis libris posuerunt: Mineralis est, æqualis est, continuus est, non evaporat, nisi nimium excitetur, de Sulphure participat, aliunde sumitur, quam à Materia, omnia dirimit, solvit, calcinat, atque congelat, & ille Ignis est cum mediocri ignitione, est Compendium sine sumptu aliquo saltem parvo, quia cum eo totum Opus perficitur. Studeas igitur ibi, nam si hunc primò invenissem non errassem ducenties, antequam ad praxim pervenissem. Quapropter errant, erraverunt, errabunt, eò quòd proprium agens in suis Libris non posuerunt Philosophi, excepto uno, qui Artephius nominatur, sed pro se loquitur, & nisi Artephium legissem, & loqui sensissem, nunquam ad complementum Operis pervenissem, &c.* Hunc & tu consule, & scies quid sit Menstruum nostrum: satis dixi.

CAP. VII.

An Menstruum solvens sit corrosivum?

Videtur hujus Opinionis esse *Geber* Summ. perfect. c. 52. dum inquit: *Omne quod solvitur necesse est salsè, aluminum, & eorum consimilium naturam habere* Et *Paracelsus* Lib. 4. Archidox. de quinta Essentia mox in principio §. sic ait: *Difficile est, & vix credibile, quintam Essentiam extrahere sine corrosivo ex Metallis, præcipuè verò ex Auro, quod superari nequit, nisi per corrosivum, per quod quinta Essentia & corpus ab invicem separatur, quod corrosivum iterum ab eo tolli potest.* Et cap. 3. de Vita longa Tom. 6. Lib. 3. sic effatur: *Resolve Aurum unâ cum omni Substantia Auri, corrosivo, & & id tantisper donec idem fiat cum corrosivo; nec obstupescas ob hunc laborem, quia Auro si Aurum est, corrosivum commodo est, & sine corrosivo mortuum est.*

Sciendum tamen Menstruum nostrum Auro affusum propriè corrosivum dici non debere, sed potiùs Igneum, cujus Arcani vis atque Virtus vincit omnia Venena; cùm omne Realgar (id est Mercurius vivus, & Sublimatus, item præcipitatus) in solis Elixirio mori debeant, deveniantque ad singularem, & summam tincturam. Dum etiam per Menstruum nostrum non fit violenta Solutio, qualis per Aquas fortes, regias, resuscitativas, & hujus formæ alias; sed ut supra cap. 4. dictum blandè fit, suaviter, sine ullo stridore, & cum humidi sui radicalis conservatione, cum cujus Spiritibus (ut habet *Lullius* in Vade mecum) infunditur Virtus vivificata in Materiis.

CAP. VIII.

De Practica Lapidis.

Postquam tingentem Planetæ Animam, seu veram illius Quintam Essentiam prævia putrefactione nactus es, in qua verus Mercurius, verúmque Sulphur Philosophorum latent, tunc Materia tua Apta nata est, ex ea fieri Lapidem nostrum benedictum. Accipe ergo in nomine *Illius*, qui dixit, *& facta sunt*, hujus Materiæ purissimæ q. s. inde vasi fixatorio, vel Phiolæ, aut Ovo Philosophico S. H. colloca in Athanore, ut scis, & conveniente, digerente scilicet, continuo, (enim eo deficiente Mortem sequi, aut fieri abortum necesse est) suavi, subtili, alterante, & non combutente (ut cum Comite loquar) à prima conjunctione ad perfectam usque ablutionem, Ignis regimine (de quo amplius *Anonymus Philaletha* consuli poterit, qui per cujusque Planetæ regimen diversitates Colorum lucidè describit) coagulando & figendo in Lapidem Album vel Rubeum, progredere; qui enim, ut *Raymundus Lullius* monet, *potentiam & patientiam non habet in opere, ille propter festinantiam corrumpit opus.*

Perfecti Operis signum hoc erit: si Lapis super candentem Veneris laminam injectus instar Ceræ fluat, non fumiget, sed penetret, & tingat. Et tunc natus est Rex Orientalis, in Regno suo sedens & potens super omnes Principes Mundi. Hinc exclamat Philosophus: *Egredere ex inferno, resurge ex sepulcro, expergiscere ex tenebris, indutus enim es spiritualitate & claritate, quoniam audita est vox resurrectionis, & anima vitæ ingressa ad te.* Laudetur Altissimus, cujus dona cedant in Nominis sui sanctissimi Gloriam & proximi emolumentum.

CAP. IX.

De Augmentatione Lapidis Benedicti.

Ubi jam Sulphuris præfati incombustibilis purè purco-rubicundi, auxilio Divinitatis, possessor factus es, superest, ut per repetitam Rotæ inversionem (ut loquuntur Philosophi) illud augmentare scias sub quo non leve Artis Mysterium volvitur. Eâdem autem Methodo, quâ illud confecimus, idem augmentare possumus. Sciendum enim, quo sæpiùs Sulphur nostrum, qui est Lapis noster, Lacte suo proprio irroratur, vel cibatur, in Balneo totido solvitur, iterumq; ut in primo Opere coagulatur, & figitur, majòr semper illius vis tingendi futura est: adeò quidem, ubi post absolutum primum Opus pars una centum partes Mercurii purgati, aut alterius Metalli imperfecti tinxit, in secunda Solutione per Lac Virginis, ejusque coagulatione & fixatione, pars una Mille tinget, & sic per repetitas vices Medicina nostra augmentatur & multiplicatur in quantitate & qualitate, in virtute & pondere.

Accipe itaq; Lapidis nostri partem unam, & affunde

Lactis Virginei, ſeu Olei Salis Mercurialis putrefacti, & alembicati partes duas, ſolve, coagula, ut in primo Opere factum eſt, & Aqua noſtra, quæ antea erat tantum Minerale in Potentia, fit actu Metallum preciosius Auro; & ſic mortificatur Lapis per Sublimationes, & revivificatur per imbibitiones, quæ eſt ſumma Via Univerſalis. Perductis his ad optatum finem, projectio ad lubitum ſuper hoc vel illud Metallum præparatum, & decenter Mundificatum fuſum, prout ad Album vel Rubeum, tincturam nactus es, inſtitui poterit: cujus verum Uſum Ars, & omnes Philoſophorum libri (maximè *Philaletha* noſter) abundè docebunt.

CAP. X.

De Vſu Lapidis Medico, interno & externo.

SCiendum eſt de hoc Lapide Benedicto, quòd ille ſit Medicina Catholica, continens in ſe omnium Morborum tam calidorum, quàm frigidorum perfectam curam, quatenus nimirum per Naturam curabiles agnoſcuntur, & à Deo ſanari permittuntur. Si quæras, qualiter hæc Medicina perfectiſſima & Cæleſtis tinctura, aliæque ſimiles panaceæ agunt, & contraria curando in Corpore humano, operentur? Reſpondemus hoc totum præſtare calefaciendo, illuminando, atque irradiando Archæum, ſicut habet Philoſophus noſter von *Helmont* in Lib. & Tract: cujus inſcriptio: in herbis, verbis, & lapidibus eſt magna virtus. Quòd nimirùm agant *citra ſui diſſolutionem aut interitum, citra ſui penetrationem, introadmiſſionem, commiſturam, & commutationem libere, etiam eminus in ſopitum vel accenſum Archæum, ſolo quaſi ſuo aſpectu, irradiatione, vel ejaculatione ſuarum virtutum in medio productarum, retentis adhuc priſtinis, & non mutatis ponderе, & proprietatibus.* Quo modo, ut præclarè *Ioachimus Polemannus*; *Spiritus tenebrarum morbos ſcilicet (qui omnes nihil aliud ſunt, quàm proprietates cubilis mortis, vel percurſores tenebroſæ mortis) in bonos ſpiritus tranſmutant, quales antea erant, cùm homo ſanus eſſet.* Et hâc renovatione defectarum virium robur ſimul univerſo denuò reſtituitur.

Doſis illius eſt Granum 1. ad 2. juxta ætatem, & Vires ægri in hauſtulo Vini calidi, vel Cochleare ut Quinræ Eſſentiæ ejuſdem diſſoluta, & tertio quoque die exhibita, In Morbis externis, Vulneribus Ulceribus cacoeticis, phagadænicis, fiſtulis, gangræna, Cancro &c. Quotidie, vel alternis diebus Granum unum exhibetur in Vino. Pars verò externè affecta Vino, in qua portio noſtri Lapidis ſoluta ſit, lavatur, vel ſi neceſſitas exigat, per ſyphonem injicitur, ſuperpoſitâ plumbi laminâ, & ligaturâ conveniente.

Et hic magni hujus Myſterii conſummati Uſus internus, & externus eſt; pro cujus adeptione Lumen de Lumine invoca, tuíque intellectûs illuminationem puro Corde pete, & accipies. Tum operare ſufficienter, Pauperibus ſubſidia feras, donis DEI non abutaris, & crede Evangelio, ſis pius,

AMEN.

SUBSECTIO VIII.

Duos LUDOVICI DE COMITIBUS Tractatus *complectitur*; *Primum quidem De* LIQUORE ALCHAEST, LAPIDE PHILOSOPHORUM &c. *Secundum de* METALLORUM *ac* METALLICORUM CORPORUM ELUCIDATIONE.

Clara Fideliſque Admonitoria DISCEPTATIO PRACTICÆ MANUALIS *experimento veraciter comprobata.* De duobus Artis, & Naturæ Miraculis: *Hoc eſt* De Liquore Alchaeſt; *nec non* Lapide Philoſophico, *atque amborum Materia, Operandi ratione, Difficultate, Viribus, ac inter ſe Convenientia, & De* Sale *quoque* Tartari Volatili, *&c. In gratiam Hermeticæ Artis Studioſorum conſcripta. Auctore* LUDOVICO DE COMITIBUS *Macer. Phil. Med. D. Ope Viri peritiſſimi Ord. trium Magorum Equitis in Viridi Cruce Symbolica.*

Auctor ad Sophochymicos.

Abdita naturæ quiſquis pertingere curat,
Perlegat, & vivum præparet artis avem.
Tunc ne prætereat fugientis ſigna volucris
Præniuti, & Viridis ſervet ubique modum.
Excutiat repetens ter vite quaterque laborem;
Donec ab impuro candidus hoſte volet.
Hora tranſacta earum igni adjungat amicum
Ignis, ut hinc fiat calica fontis aqua.
Sic ſuperans auget ſolares Cinthia vires:
Inde repurgatus ſolque reſurgit aquis.
Creſcit in immenſum miranda potentia Fœtus
Rurſus, ut ante, brevi ſi peragatur opus.
Semine ſolari ſuperadditur aurea tandem
Virtus, atque hic eſt totus in Arte labor.

Sereniſſimo, ac Reverendiſſimo D.D. LEOPOLDO GUILIELMO, *Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ, Generali Militiæ Hieroſolimitanæ. Ordinis Beatæ Mariæ Virginis Teutonicorum in Pruſſia Adminiſtratori; ac ejuſdem per Germaniam, & Italiam, parteſque tranſmarinas Magno Magiſtro. EPISCOPO Argentinenſi, Halberſtadienſi, Paſſavienſi, Olomucenſi, & Vratiſlaviensi. Abbatiarum principalium Herfeldenſis; Marbacenſis, & Lubecenſis Adminiſtratori. Comiti Tyrolis, & Goritiæ. Langravio Alſatiæ, & Gubernatori Generali Burgundicarum Provinciarum &c. Domino ſuo Clementiſſimo.*

PRINCIPIBUS Viris ſuos dicandi ſtudiorum labores, jam multis abhinc ſeculis non improbanda

banda scribentium extat consuetudo, ut sic illis suæ venerationis, ac observantiæ specimen exhibeant, & operibus decus, atque splendorem ex Principum nobilitatis luce concilient, sibique defensionem, si qua opus fuerit, contra imperitorum ac invidorum improbitatem parent. Eóque mos hic laudabilior, ac imitatione dignior censeri meretur, quò major habita ratio fuerit Viri, cui exhiberetur, virtutis ac majestatis, & muneris oblati præstantiæ: ut hinc gratius amplectatur, vultuque hilatiori excipiatur oblatio: illinc scripto tutela paretur potentior, lumenque fulgentius accedat. Quæ omnia mihi benè consulta fuisse, nemo non fateri cogetur, cum meum hunc libellum mole quidem exiguum, at rerum, quas promit æstimationem prægrandem Ampliſſimæ Sapientiæ tuæ committere, tuo nomine insignire, excelsa nobilitate exornate decreverim, tuoque patrocinio fultum per doctorum Virorum manus divagari permiserim. Quis namque poterat occurrere, cui non dicam magis, sed æquè ac Tibi sint hæc simul omnia collata felicius? Neque hic Austriaci generis tui splendorem, ac radiantem nobilitatem scripto perstringere ausim. Sat mihi fore arbitror si Te Glorioſiſſimorum sanctæ record. Imperatorum Ferdinandi Secundi Filium, nec non Ferdinandi Tertii Fratrem dixerim, cui Nepos Cæsar est LEOPOLDUS præsentis Ævi jubar fulgidiſſimum nobis divinitus concessum, qui Majorum suorum inclytis virtutibus non minus, quam dignitatibus coronatus felicissimum diuturnioris Imperii argumentum exhibet: atque sicut Orbis Christiani votis solamen, ac firmamentum ardenter expetitum, & expectatum: ita Christiani Nominis hostibus fidus invisum, ac formidolosum terriculamentum. Eximia vero incomparabilis Animi Tui ornamenta Sereniſſime Princeps, neminem nisi temerè scripto comprehendere aurum putaverim, cum ex calami levitate non sat graviter, ex paginarum fragilitate firmiter, ex atramenti obscuritate dilucidè tractari, nec pro rei veritate, ac merito vel disertiſſimo cuivis verbis enarrari valerent. Quid enim de tua incomparabili in Deum pietate, in cunctis propagendis prudentia, fortitudine, temperantia, ac in primis regali justitia, quid de magnanimitate, quid de liberalitate, morumque suavitate tua veriſſimè etiam scribenti crederetur? Scientias tum speculativas, tum practicas, quibus ingenio etiam præclarioribus antecellis, non vulgares, admirandamque Sapientiam non humanam; at divinam quotquot te noscunt, fatentur omnes: universa cuncta sapis, ac intelligis. Cum vero inter cætera studiorum genera (si per graviorum curarum otia liceat) Chymicorum miraculorum indagine præsertim oblecteris, non abstre mihi peractum esse duxi, si quæ in arte tam excelsa experimento cognoverim Tuæ Sapientiæ probanda obtulissem, ut sic Tanti Viri testimonio firmata alacrius in Hominum Peritorum animos irreperent, ac plausibilius exciperentur, quamvis vereri de te hac haud rationabile videatur, quis enim nisi stolidus, vel inscius non amplectatur, quod sibi proficuum ac jucundum futurum speret? quod duorum profectò nomine cognoscet, quorum amore penè mortales cuncti teneri solent, fortunatum copia, & corporis incolumitate, In quibus mundana felicitas consistere judicatur.

Permitte igitur Sereniſſime Princeps Imperiali Tuo Stemmate signari, secundis Tuis auspiciis præmunitum prodire hunc Sophiæ occultioris fœtum, quem si Tibi non injucundum advenisse scivero, nil ultra, quod meis votis petere possim habebo. Vale

Sereniſſimæ, & Imperialis Celsitudinis Tuæ

Addictiſſimus Ludovicus de Comitibus,

Præfatio ad Lectores Candidos.

PRODIERE dudum in lucem, studioſi Lectores, scripta Nobilis Belgæ Ioannis Baptiſtæ Van Helmont Viri moribus, ingenio, eloquentia, omnique doctrinarum genere præstantis, summèque laudandi, qui in Physicis potiſſimum, Medicis atque Chymicis disciplinis novam, inauditam, mirandamque doctrinam professus, antiqua scholarum fundamenta quassare, ac veterum Magistrorum recepta dogmata everiere nixus est: quinimmò easdem scholas Magistrosque stupiditatis, insciæ, ostentationis, aliorumque criminum reos facere non est veritus. Quamobrem multorum indignationem incurrit; eorumque potiſſimè, qui supra cæteros antecellere videri ambiunt. Cum tamen in iisdem, quas exercent, facultatibus, penitiores veritates scrutari non curent: eorum vero, qui avaritia, ignavia, imperitia, vel alio nefario affectu præpediti, eas arcana assequi desperarunt, non indignationem solum, sed calumnioſa maledicta, & immeritas vituperationes perpessus est: Ad hæc ipsum crimine ostentationis, jactantiæ, maledictionis, falsitatis plectere non erubescunt, ejusdemque medicamina, ac mirabilem illum liquorem Alchaest, quo solo arcana Paracelsi, aliaque quam plurima mirandæ patrari sapiſſimè jactitat, mera figmenta esse, inanesque confictas fabulas, nec se talia præstitisse unquam, sed quod per imaginationem existimasset pro ipsissimis veris experimentis conscripsisse; impossibile existimantes in Rerum Natura tale quid reperiri, quod ipsorum cognitio attingere non potuerit: sese pluries, facto experimento vidisse, liquoris illius impossibilitatem. Tanti Viri sortem sapius mecum ipse dolui, quamvis hoc vitio laborasse jam ab initio Mundum sciverim, beneficia majora, turpiori ingratitudine pensari: eòque magis dolor invaluerat, quod post illum neminem usque adhuc repertum sciverim, qui Magisterium liquoris illius consecutus, ejusdem veritatem, Scriptorisque famam ab iniquis contumeliis vindicasset. Tacendum mihi tamen satius duxi, quoad experimento cognoscere possem: Num ea, quæ ab eo scripta sunt arcana, vera nec ne forent; licet de hoc dubitare propter multas rationes videretur non inhumanum solum, sed impium. Ad quid enim Orbi Christiano imponere in re tanti momenti: unde nec utilitatis, aut honoris aliquid reportare posset, cum animæ suæ irreparabili forsan detrimento? Quamobrem cum occultiſſimum illud Hermeticæ Philosophiæ opus omnium sanè difficillimum, quod Lapidem Sapientum appellant, diù in abstruſiſſimis Auctorum tractatibus scrutari suetus, tantum Divina cooperante gratia, non proprio tamen Marte, sed amicæ opis munificentia Viri Præstantiſſimi; cum omnibus suis requisitis circumstantiis viderim, ac tetigerim, etiam hujusce liquoris operationem non mihi difficulter investigandam duxi. Paracelso itaque, aliisque Auctoribus, atque ipsimet Helmontio diù lucubrationibus non interruptis insistens, veritatem etiam hanc, non mea, sed Amici opera, cognitam habui, factoque periculo arcana prædicta sum assecutus, licet ad opus illud laborioſiſſimum, longum tempus expetitum fuerit, ipso pariter Helmontio arcanum satis innuente, Paracelso vero, ni (more suo) nonnihil ad illud necessarium reticuisset, manifeſtiſſimè describente, ex quo Auctore, aliisque hoc idem insinuantibus, ipsum itidem Helmontium liquorem hunc non absque ratione didicisse crediderim: cujus liquoris occasione non solum de Sale Tartari, similibusque Alchalibus in volatilitatem ductis, quibus plurima soluta ad medicinam parantur, & Alchaest vicem æmulantur, narrationem instituì: sed de sublimi illo Hermetico Magisterio plurima revelare coactus sum; ne hic erraretur, uti quibusdam accidisse mihi relatum

est,

est, existimantibus, liquorem illum ad Magisterii ejusmodi confectionem exigi, cum toto cœlo ab illo discrepet, licet in pluribus, at locutionis tantum phrasi, convenire invicem videatur. Horum tamen arcanorum processus clarè in Vulgus descriptos efferre, palamque cunctis prostituere, omnis ratio dissuadet, quinnimo Vobis veritatis amatoribus, medentibus præsertim, ingenuis, peritioribus, charitatis zelo erga proximum affectis, id maximè displiciturum fore sat scio; si vulgò promiscuè, cunctis etiam ignaris prostitueretur. Ad quid enim ingenia vestra, studia, atque labores inservirent amplius, Si quivis ex plebecula hæc mysteria nullo negotio assequi potuisset? Ad quid Ars vestra foret ultrà necessaria; si quisque suæ, suorumque sanitati consulere sentans, nulla methodo perperam illis abuteretur? Honor Vobis jure debitus, nullus in posterum foret. Non immeritò igitur omnium Scriptorum consensu hæc occultanda esse decretum est: non ita tamen, ut indaganzes desperent; immo & alia, etiam majora liquoris hujus occasione insinuare, quantum quidem justa ratio dictabit, non recusabo, magni præsertim operis illius occultissimi, circa quod hominum mentes plurimum hallucinari quotidie cernimus. Cum enim Scriptorum locutiones facillimè torqueri possint, & ad Alchaest confectionem ob maximam similitudinem transferri, cum tamen re ipsa longissimè ab illo distet, plerique fere omnes alterum pro altero falsò interpretantur. Sicut & ipsi etiam Helmontio contigisse suspicor, existimanti, quæ de lapide scripta sunt, de prædicto illo liquore suo intelligenda esse, atque hinc principium, originem, & basim esse lapidis philosophici: quod quidem liquido colligere est ex pluribus locis suorum tractatuum, sed specialiter, quod opus illud Sophiæ laborem *appellet, & ipsum possidentes* Adeptos, *asserique Lullium Hidrargyron coagulasse, virtute liquoris ejusmodi, ut ipse quidem credit, cum tamen Lullium nihil hujusce liquoris resciviisse crediderim. Quapropter valdè proficuum futurum spero, si quid quantumque duo illa conveniant ac discrepent recenseam, ne in posterum quis imperitus, minusque practica hujc, studioque suetus, in errorem labi facile queat. De hoc igitur Hermetis miraculo, quamplurima subscripturus sum, nec tam fideliter paginis ab ullo quod sciam hucusque commissa; quamquam tractationem illam hic non profitear; cum alia plurima illius ante hæc nunquam revelata, immò desperationis fere titulo possessoribus tradita in aliis tractarim voluminibus, quarum catalogum in calce hujus operis appositum intueri quisque poterit. His ergo in præsentia fruimini studiosi Lectores ingenui: dum interim Deum enixè precor, ut mentem Vobis aperiat, manusque dirigat in rectam semitam, & ab erroneis ac sophisticis, Idolatriæ multiplicitatis operibus, quam citius retrahere dignetur. Valete.*

DISCEPTATIO I.

De Nomine Alchaest: & ejus Præstantia.

NULLIBI reperi hoc nomen Alchaest, eoque nemo (quod sciam) ex auctoribus usus est ante Paracelsum, qui semel tantum lib. de viribus membrorum cap. 6. de Viribus Hepatis, de illo meminit his verbis: *Sed & liquor Alchaest magnum Hepatis confortandi, & conservandi, adeoque ab hydropisi, & ejus omnibus generibus, ab hepatis vitiis ortis, præservandi vim, & efficaciam habet. Ejus processus est, ut à coagulatione resolvas*, hæc ille, nec alibi ejusmodi vocem protulit: tametsi eundem liquorem diversis sæpe vocibus indigitavit, inter quas Hilech magnum, ac frequentius Sal circulatus minor, An vero nomine Alchaest, hunc eundem idem, ipse intelligere voluerit, quamvis Helmontio certissimum habeatur, penes me plurimum dubietatis habet; cùm ex prædictis; & subsequentibus Paracelsi verbis comprehendi nequeat. Ipsius verba hæc sunt. *Et iterum coagulatur in formam transmutatam, sicut processus de coagulando, & resolvendo docet. Tunc enim si solum simile superavit, medicina sit hepatis medicinis omnibus superior. Et si quidem hepar ipsum ruptum, & dissolutum esset; loco tamen totius hepatis est; non secus, ac si nunquam raptum, & dissolutum fuisset. Quicumque ergo medicinæ operam datis, summo studio id adniti debetis, ut Alchaest præparare discatis, propter aversionem multorum morborum, qui ab hepate oriuntur &c.* Nam cum ipse liquoris facultates, ac modum præparationis ejusdem enarret, illam, quam principalius appouere debuisset; omisit, quod videlicet omnia, ut ait Helmontius, corpora in primam reducat materiam, servata seminum potestate, sed asserit medicinam fieri pro hepate; ac ipsius ægritudinibus, quam virtutem liquori suo non ascribit, sed bene pharmaco, quod ex illo paratur, quod tamen necessarium fuisset addere; eoque magis quod locus idem ab ipsomet citatus sit: Præterea processus aliis etiam arcanis communis esse cognoscitur, ac præsertim philosophorum Hermeticorum praxi, quæ tota in solvendo atque coagulando procedit; licet nonnulli; ad salis Tartari volatilis confectionem, at perperam, verba illa detorquere nitantur. Quare nescio, qua ratione dici possit, vocem hanc Alchaest de sale circulato prædicto speciali solvente debere intelligi: nisi ob eam solam, quod dictio illa Alchaest ex germanicis vocibus confletur. Allegeist. quæ, totum spiritum, sonant. Cùm autem noverit liquorem hunc totum spiritualem id est tenuissimum, & volatilem, ideo credidit, Paracelsum ejusmodi vocabulo prædictum liquorem innuere voluisse, qui præ se fert aquam crassiorem visu, at re ipsa substantiæ tam tenuis, ut ad mistorum intima pertingere queat, illaque in varias discerpere substantias priori simpliciores, at non in elementorum profundam, & mistionem, non absimili modo ac in destillationibus ab igne fieri consuevit, quamvis hic elementorum quoque mistionem sæpissimè ingrediatur, illam tamen in pluribus saltem, ita perturbat, dissipat, atque invertit, ut multum inde virtutis eorum intermoriatur, quod prædicto liquori non accidit. Hic enim ita cuncta penè resolvit, ut eorum virtutem non enecet, aut confundat, quoniam subtilitate, qua pollet, & istorum corpora, sic intimè pervadit, suaviterque dissolvit, ut in varias tenuissimas substantias dissecet, absque quod in fumum, seu halitum effugiant ideoque medicam potestatem, & alias retinere valent, at non seminalem vim ac energiam, quam post misti resolutionem vegetam persistere impossibile est: ac propterea qua veritate dici possit omne corpus sensibile, seu tangibile in primam materiam redigere, servata seminum potestate, me præterit; an vero ipsemet liquor ad hepatis vitia conducat, uti Paracelsus insinuasse videtur, experimento mihi non constat, nec hujus rei periculum faciam; cum pharmaca inde parata tutius ac utilius, sine pretiosi solventis amissione exhiberi satius videatur, nec ipsum etiam Helmontium id attentasse crediderim, cum nullibi se, intro illum exhibuisse commemoret; plurimas interim illi virtutes tribuit, ac id non ipsi per se liquori, sed pharmacis tantum, & arcanis inde paratis evenire intellexit: nec alium quemquam audivi, qui talia experimenta noverit, cum neminem hactenus mihi fama retulerit præter supradictos, liquoris confectionem assequutum esse: quamvis ab Helmontio plurimos talis liquoris possessores reperiri existimatum sit, quod ex eo retrahi probabiliter potest, quod apertè protestetur se, confectionem illius non revelaturum, propter rationes, *quas*

[inquit]

[inquit] *fciunt Adepti*, sibi falsò persuadens, ut ex variis suorum librorum locis conijcere licet, nec non ex relatione Viri omni fide digni liquorem suum; philosophorum esse decantatum illum, & occultum Mercurium, aut saltem necessario exigi ad magnum Hermetis Magisterium adipiscendum; quamvis in hoc à veritate longè aberret. Cum enim ipse sciverit Arcanum illud à quamplurimis licet occultò possessum, ac re ipsa jam possideri, ut oculata fide intueri potuit, & de facto pluries innuitum esse testatur; & semel pulverem illum amico unius vesperi exhibente; hinc inferre facilè potuit, non paucos hujusce decantati liquoris artifices, & possessores exittere. At ego putaverim è contra; vix quempiam in præsentia vivere; qui opus illud abstrusissimum calleat, quantum quidem ex studiosorum relatione comprehendi potest, cum præterea processus ejusmodi difficillimus sit intellectu, facturaboriosissimus, nec ab ullo Scriptore palam descriptus habeatur; haud videtur existimandum, velle se quempiam; tam leviter huic operi, tam arduo ac laborioso implicare, cum præsertim longum requiratur tempus ac operator nullis occupationibus obstrictus quibus omnibus impedimentis non rejectis illum adipisci impossibile.

DISCEPTATIO II.

De Materia Liquoris Alchaest.

HUjusce admirandi solventis indagatores extitere quamplurimi, qui diu anxii quæsiverunt, ex qua materia: seu subjecto illud conficere possent, sicut de materia quoque philosophici lapidis accidisse notissimum est, quamvis in hoc pariter ut in illo à veritate longissimè deflexerint, cum tamen Helmontius illam patentissimè indigitaverit, tantum praxim reticendo. At opinor paucissimos ejus verum sensum penetrasse, multoque minus ejus operationem, & effectus realiter attigisse. Gerardus Dorneus Vir doctissimus, maximeque in Paracelsi voluminibus versatus, in vocabulario quod de vocibus obscurioribus Paracelsi composuit, in dictione Alchaest hæc ait; *Alchaest Mercurius dicitur præparatus; nonnulli volunt esse Tartarum, mens tamen auctoris facile deprehenditur à præparationis ejus descriptione*: in quibus verbis id primo adnotari velim, quod supra etiam innuisse memini, Processum videlicet, quem de Alchaest Paracelsus tradidit, communem pariter; & applicabilem aliis esse processibus. Secundo plures esse Scrutatorum sententias, quidnam vox illa Alchaest significet: Tertio quod auctoris intentio ex illius præparatione facile deprehendatur, quod quam certum sit non leviter mihi dubitatur, cum ejus operatio, uti superius retulimus, aliis pluribus chimicis magisteriis, etiam his potissimum duobus applicari commode possit. Quartò, quod duplices potiores sint de materia illius sententiæ, Mercurium scilicet; atque Tartarum: sed cum ipse dicat; nonnullos Tartarum velle; inferri liquidò patet; primam opinionem probabiliorem sibi existimari, inquiens. *Alchaest Mercurius dicitur præparatus* ac præterea innuit (ni fallor) Mercurium esse philosophorum; & consequenter materiam proximam; ac immediatam lapidis philosophici; dum subdit; *Auctoris mentem facilè deprehendi ex præparationis modo*, quod inde verius innotescit; quia postmodum verba illa addidit Paracelsus; *cum suum simile superavit*. Quod quamvis de liquore Alchaest intelligi possit, à quo suum simile ita vincitur, ut inde fiat metamorphosis valde admiranda; tamen magis proprie de Hermetico opere interpretandum videtur; quod idem à Gebero cap. undecimo. lib. 2. suæ summæ innuitur, cum enim ibidem duplicem esse medicinam tertii ordinis dixerit unicam tamen in essentia, & in exigendi modo postmodum subdit, *Est tamen additamentum citrinantis coloris, qui à sulphuris fixi mundissima perficitur substantia*. En suum simile quod superandum est, post suam priorem præparationem; quamobrem ex Dornei sententia concludimus, prædicta Paracelsi verba de lapide Philosophico intelligi debere, non autem de Alchaest Helmontii. At postquam ipse sic accipere placuit nomen hoc Alchaest; & nos pariter pro liquore hoc solvente, seu sale circulato accipiemus, non pro Mercurio præparato seu sublimato, qui verè ac realiter spiritus est totus, atque etiam spiritualior quam Alchaest; qui quamvis universalis ab auctoribus appelletur, id tamen non absolutè, & simpliciter accipiendum, sic enim Alchaest universalior est, cum omnia penetret plus minusve pro varia eorum mistionis clausura. At Philosophorum præparatus Mercurius aurum, quod à nulla re, quantumvis subtili, penetrari valet, nec etiam à liquore prædicto; nisi solum corpore tenus non mistione, ita resolvitur, sicut glacies in aqua calida, ad aliud nihilominus non inservit in hac sua priori forma volatili, nisi ulterius ad pluspquam perfectionem deducatur. Ex quibus omnibus colligitur, subjectum primum unde solvens prædictum præparatur, idem esse cum subjecto lapidis, hoc est substantiam corpoream mercurialem, non tamen vulgi Mercurium in suo naturale esse corporeo, ut clarius infrà nobis demonstrabitur.

DISCEPTATIO III.

De utriusque Magisterii Materia simplicitate ac virtute.

HVjusce inquisitionis discussionem utpote ad chymicas cognitiones pertinentem, quantum scilicet ad philosophici lapidis naturam indigitandam attinet, in Orthochimicorum tractatu fusius examinavimus: nihilominus & hic aliquid de illa repetere minimè inutile videbitur: cum plerique stolidè nimis hoc errore detineri cognoverimus, existimantes philosophici operis subjectum non unicum esse debere; sed plura, etiam si opus illud merè naturale (sicuti est) fateantur, cum tamen in nullo alio simili hoc evenire videatur. Nulla etenim species sive animalis, sive vegetabilis suos specificos actus in pluribus materiebus exercet, sed solum in una unica sola, quod etiam ratione innotescit: nam cum in similibus naturæ actionibus causa efficiens, & artifex non externus, sed internus spiritualis existat materiæ subjectæ ab initio suæ generationis implantatus, impossibile est; quin hic dominator sit nisi unicus; alioquin unicus non esset finis nec ad unam generationem ducere posset materiam, sed vel ad mostruosam; vel notham, & spuriam. Virtus etenim seminalis, quæ sola rectrix totius generationis est, à pluralitate impediretur, ne suo marte materiam dirigere, ac gubernare valeret, dum alia hùc, alia illùc subjectum trahere pro sua cujusque prædestinatione niteretur. Quamobrem in nullius sapientis animum hanc insulsam opinionem sibi serpere permitat, nec à quovis persuaderi philosophici operis arcanum ex pluribus petendum esse subjectis, sed ex uno solo, & unico. Unicum autem dicimus, quod in unica specie reperitur; & quamvis graviorum auctorum nonnulli contrarium affirmasse videantur, sciant autem omnes id non absque ratione factum fuisse. Cum enim subjectum illud non absimili ratione ac ovum multiplici substantia sit prædictum, activa nempè atque passiva, vel triplici principio secundario sale, sulphure, ac mercurio, quæ spiritum, animam, & corpus

corpus appellare ſoliti ſunt, vel elementis quatuor, vel quinta, quam vocant, eſſentia, ex elementis extracta, vel alia miſtica ratione, non mirum videri debet, ſi ſubjectum illud ſæpè ſimplex, ſæpè multiplex, ab iiſdem vocari ſentiant, ad inſinuandas ſcilicet materiæ prædictæ proprietates, interiorem latentem eſſentiam, ac in opere mutationes de natura in naturam, ſine qua quidquam boni præſtare in hac arte penitus eſt impoſſibile. Hinc quoque Morienus materiam, ait ex una primum radice oriri, quæ poſtmodum in plures res expanditur: & iterum ad unum revertitur.

Non me latet, quoſdam, ut contrarium pertinaciter ſubſtineant, duplicem afferre ſolere reſponſionem. Prima eſt. Metalla ſpecie, atque eſſentia non diſtingui, ſed ſolum accidentaliter pro eorum majori, vel minori decoctione, & puritate, quod quam abſurdum ſit, quamvis id nonnulli non obſcurioris nominis auctores voluiſſe videantur, in tractatu noſtro de metallis, argumentis (ni fallimur) inſolubilibus, demonſtratum eſt, ut illud hic repetere ſupervacuum haberi poſſit.

Secunda eſt. Quod licet materia, ſeu ſubjectum, ex quo virtutem ſeminalem petendam eſſe, volunt unicum ſolum eſſe fateantur, & hanc nullam aliam eſſe poſſe, niſi aurum, cum hoc virtutem ſuam exercere niſi apertum nec velit: nec debeat, hinc requiri aliam ſophiſticè, & inſipienter præparatam materiam, qua talem auri ſolutionem ac penitiorem elementorum ingreſſum inaniter tamen laborando patent; quaſi virtus aurum ſolvens aliena ſit, artificialis; & ſophiſtica, obliti forſan eorum, quæ à Comite Bernardo Trevirenſi in Epiſt. candide adnotata fuere, nihil ſcilicet aurum ſolvere poſſe vera, & naturali ſolutione, quod ab eorum auro recongelari nequeat, ita ut unum, & idem cum ipſo fiat ſubſtantia, materia, & eſſentia.

Cum ergo hoc omnium Scriptorum uniſona ſententia, & auctoritate nec non ratione, quinimmò & experimento verum eſſe cognoſcatur, in philoſophico nimirum opere unicam ſolum neceſſariam eſſe materiam; quæ alia re extranea non indigeat, nec ſapientioribus illud novum habeantur, de materia tamen prædicti ſolutivi liquoris non ita pariter cogitum omnibus eſſe crediderim, nec immerito ſane cum opus illud, utpote artificiale ex pluribus compactum ſubjectis jure quiſpiam ſuſpicari poſſet, ut de pharmaciis, & confectionibus quamplurimis videre eſt, in quorum compoſitionem plura ſimplicia ingredi perſpicuum. Quare & de hoc etiam dubitari poſſet, num ex pluribus parari debeat ſimplicibus, ut ad aquarum, quas vocant ſeparationis normam, & modum componeretur. At hoc falſum eſſe ſciant. Vnicum enim ſolum ſubjectum eſt, ex quo liquor ille mirabilis, ac ſolvens incomparabile extrahitur, quod ſatis apertè ſuperiori capite revelatum eſt, quamvis, ſicut & in lapide aliquod extrinſecus adjuvans adhibeatur, quod tamen ad interiorem eſſentiam pertingere nequit; quinimmo ab extraneis utrumque deſtrui poſſet, uti dictum eſt, ac dicetur.

DISCEPTATIO IV.

De Operatione, qua Liquor Alchaeſt perficitur.

CUm ergo præcedentibus Diſceptationibus ſatis apertè oſtenſa ſit materia liquoris Alchaeſt, & num eam unicam eſſe oporteat an plures: jam de operatione pariter diſceptandum eſt, quæ ſit, & qualis, num eam unicam eſſe oporteat, an plures, & num per unicam, aut plures operationes efficiatur, cum ejuſmodi cognitio ad hanc inquiſitionem ſummopere conducat.

Diverſimode autem conſiderata, unicam illam decere, atque non unicam decet, ratione tamen conſonum eſt illam unicam appellare. Etenim Morienus philoſophici magiſterii opus, quamquam duplex, unicum potius dicendum eſſe monuit quam duplex, ex eo, quod primum ſit, ſicut & alterum, & ubi primum deſinit, incipit ſecundum, multò rationabilibus huiuſce liquoris opus unicum erit nuncupandum, eo quod non ſimilitudine ac miſticè, ſed realiter unicum licet interruptum, cum eodem ordine, forma, & methodo totum procedat à principio ad finem. Attamen juxta Paracelſum duplex operatio requiritur, præparatio ſcilicet atque perfectio: cum vero ſatis præparata venalis inveniatur, ad quid tempus, labores, & expenſas impendere? cum experimento cognoſcatur, non minori virtute pollere eam, quam ex natura præparandam, ac vulgari arte præparatam accipimus, verum unicam ne dixeris, an duplicem parum id referre arbitramur, dummodo ſciatur finis, ad quem tendit, & quomodo, & quare ſic tractari debeat. Etenim finis non eſt materiæ perfectio, ad quam vi ſeminis indita vergebat, immò ſeminis ejuſdem deſtructio, ſeu potius ſubjecti artificialis diſſolutio non ad elementa, ſed ad principia ſecundaria; nam uti manifeſtò probatum eſt in Orthophyſicis, mixtorum diſſolutio, eorum præſertim, quæ ſtricto ligamine per naturam condita ſunt, etiam ſi violentet illa procedat, non illicò in elementa abibit mixtum, ſed in principia ſecundaria; cum natura miſtionem ſalvare nitatur quantum poſſibile fuerit, quamvis quamdam etiam materiæ portionem in elementa abire non ſit inconveniens, quod experimento etiam in qualibet diſſolutione cognoſcitur, partes vero ſic diſſoluræ ſi conſerventur, vel ſulphur erit, vel Mercurius, vel ſal juxta proprietates illis partibus inditas: cum ergo liquor iſte nec comburatur, nec fixus igni reſiſtat, jure optimo mercurius nuncupabitur, & erit Mercurius de Mercurio, ſicuti de philoſophico quoque idem perhibetur, hunc enim Mercurium de Mercurio appellant; at diverſimodè, uti alias explicabitur: interim cum principia prædicta elementis propinquiora ſint, licet ex homogeneis miſtis proveniantia, ſimpliciora, ac ſimul debiliora cognoſcuntur: hinc eſt, ut prædictus liquor, utpote Mercurialis homogeneus & tenuiſſimus miſta cætera penetrando intimius, quam aliud quolibet ſolvens pervadat, & illa in ſubſtantias ſic ſeparet, ut tenuiores non ſit poſſibile, ac proinde virtutibus pollentes, metallorum tamen tranſmutationibus ineptas.

Quamobrem confectio ejuſmodi ſolventis non eſt ejuſdem perfectio quoad priorem inditam à ſemine proprietatem, ſed dici poteſt perfectio extrinſeca quoad effectum, quatenus miſtorum partes actu indiviſas, potentia vero nulli alteri dividendas diſgregat: quinimmò quantum ad intrinſecam naturam potius corruptio eſt quam perfectio, quod Geber de metallis imperfectioribus aſſerit, exiſtimans quas continere ſulphureitates, quarum alteram accidentalem ipſe nuncupat: eo quod metallo jam in ſua puritate originali genito ſuperveniat; atque id ratione loci mineralis contigerit, quaſi locus diverſis excrementis ſulphureis infeſtus metallicam materiam in primordiis generationis putram inficiat, ac pro varietate impuritatis, & fuliginoſi ſulphuris à quo commune mercuriale ſubjectum fœdatur, & ex univerſalitate in particularitatem redigitur, & pro varietate juxta quorundam auctorum ſententiam hujuſce ſulphurei excrementi variæ quoque metallorum ſpecies oriuntur. Id autem opinatus eſt Geber, & cum ipſo plures etiam Chemiæ profeſſores: quia experimento cognoverint, præfata recrementa ſegregari vel lapide philoſophico, vel phyſicochemico, regenerationis magiſterio: dum enim intuiti ſunt ab imperfectio-

tibus

ſibus metallis plus minuſve hanc, vel illam fœcum ſpeciem per lapidis projectionem ſuper illa removeri, imò, & per ſolam caloris digeſtionem à nonnullis; jure ſibi perſuaſerunt ſuperfluum illud accidentaliter illis poſt primam elementorum miſtionem loci defectu immiſſum fuiſſe.

Id autem non ita ſeſe habere probatum eſt nobis multories in Orthochimicorum opere præſertim, in tractatu de metallis, & alibi fuſius, nec ipſos auctores id voluiſſe, ſed arcanum artis præcipuum ſub tali ſententia occluſum indigitaſſe. Vis enim ſpiritus ſeminalis in qualibet re interius latentis, niſi alicujus neceſſariò requiſitæ circumſtantiæ defectu prohibeatur ab opere cui deſtinatur, corpus ſibi, ſuiſque operationibus opportunum conflare nititur quoad poteſt, ſuiſque neceſſitatibus providere; quare in lapidis projectione ſuper imperfectiora metalla ſuperfluitates non actu illic exiſtentes purgantur; Sed de novo genitæ dividuntur. Vis enim lapidis, quæ nil aliud eſt niſi ſpirituale ſemen per ignis multiplicationem maximè auctus in corpore lapidis debitam ſibi, ac neceſſariam corporeitatem non inveniens in alieno parat, & eouſque ſeſe dilatando diffunditur, quouſque tota ipſius vis exhauriatur, & ad finalem terminum ſibi naturaliter debitum deveniat, atque ſic auri, vel argenti ſpeciem indit. Cum vero totum imperfectionis metalli corpus huic operi non ſit opportunum, non mirum eſt, ſi aliquid inde excrementitium ſegregetur, quod tamen neutiquam ſuper extitiſſe dicetur. Hoc idem efficeretur, ſi ſuper aurum vis alia ſeminalis aucta inferioris alicujus metalli effunderetur, neceſſario ſiquidem tunc ex auro quoque aliquid fœculenti ſepararetur; illud videlicet, quod tincturæ ſuper illud projectæ ſuſcipiendæ ineptum foret. Naturæ ſiquidem reſpectu non magis dici debet perfectum aurum, quam aliud ex inferioribus, quæ ſuum ſemen, ac perfectionem æque ac aurum ab illa obtinuerunt. Quare ſuperfluitatis ratio reſpectiva eſt, non abſoluta. Sicut pariter Homini accideret, ſi carnibus veſceretur animalis cujuſdam, utpote hædi, vel leporis, humani vis ſeminis id ſibi pro nutrimento aſſimeret, quod aptum ad ſuas proprietates illi communicandas inveniret reliquum vero ut fœculentum reiiceret, at ſi ex iiſdem carnibus canis alimentum acciperet, nec eandem portionem pro ſe retineret, nec idem excrementum repelleret; cum ſemen, quod eſt nutritionis efficiens cauſa, diverſum ſit in homine, ac in cane. Atque pari ratione ſi canis, vel aliud animal humanam ederet carnem, quamvis cæteratum perfectiſſima, ac temperatiſſima, judicetur, aliud fœcis genus ejiceret, & aliam inde alimenti portionem pararet. Sicut enim diverſum ſemen diverſum corpus efficit: Ita alimenti diverſitate indiget ad idem corpus ſuſtinendum: quare hinc apertè liquet, ſimilia recrementa variari pro varietate ſeminis efficientis, ac proinde in diverſis eſſe diverſa ac talia dici reſpectivè virtutis illius generantis, nec ullo modo ante in carnibus prædictis extitiſſe diviſa actu, ſed ſolum potentialiter dividenda.

At in opere phyſico chemico quamquam additio non fiat alieni ſeminis, cui poſſit nova regeneratio accepta referri, ſed ex eademmet virtute priori, per quam ſubjectum illud genitum eſt, & in tali termino relictum ulterius ducitur in novam formam, ad quam ſola natura non poterat, ſed artis auxilio miniſtrantis, & ignem, ut oportet, dirigentis in ſpeciem non abſolute, & ſimpliciter diverſam, ſed ad eamdem, ad quam ſemen vergebat, & natura ipſa ſi potuiſſet æquè adduxiſſet: ſicut patet etiam in animantium ovis, in quibus jam ſemen pullorum præexiſtens fœtum ſuæ ſpeciei proprium gigneret, non alienum: ſiſtitur tamen vis illa in ovi termino, quia calore deſtituitur, quo adveniente ſpecies jam præconcepta erumpit, nec alia poterit umquam inde elici quæ ibidem antea non extiterit. Hoc idem in plantarum ſeminibus obſervatur, in quibus vis ſeminalis antea clauſa, & quieſcens terminum quemdam ſui motus habere dignoſcitur, quouſque in terram injecta nutrimento, atque calore in novas protuberant ſtirpes eaſdem penitus cum iis, à quibus ſemina profluxerant.

In materia igitur philoſophica paucum illud nigrum, ac leve ſuperfluum, quod obſtetricia manu artificis removetur, ſemper idem apparet, cum ſemper eodem efficiente, iiſdemque inſtrumentis procedat. Sed in projectione lapidis philoſophici Argyropei ſuper metallum omninò idem, diverſum extrahitur excrementum, ac in projectione Chryſopœii, quod clarum ſignum eſt, excrementa ejuſmodi varia gigni pro diverſa efficientis virtutis ſpecie. Totum obiter dictum ſit, ut oſtenderem ſuperfluitates illas non accidentaliter poſt primi ſubjecti generationem inchoatam ſuperveniſſe, ſed partes eſſe ſubjectorum eſſentiales, ac de intrinſeca eorundem ratione, & neceſſario requiſitas ad exigentiam naturæ, ubi individualiter exiſtunt.

Geber itaque de ſulphureitate loquitur, quæ vi proprii ſeminis ex ſubjecto artis extrahitur ſola digeſtione, abſque alterius ſeminis potentia extrinſecus ſuperinjecti, quam ideo accidentaliter præextitiſſe ſcribit, & cum difficultate tolli

Alteram vero nulla ratione à metallis removeri poſſibile eſſe, quia ſit de illorum eſſentiali proportione, ideoque non poſſe inde ſine ſubjecti deſtructione removeri: nec forſan cognovit hanc pariter poſſe aliquo modo ſeparari, quamvis multò difficilius quam alteram, nec tamen ſubjectum penitus deſtruitur ob rationes, quas clariſſimas demonſtravimus in noſtris Orthophyſicorum libris: atque in operatione Alchaeſt, per quam ſubjectum deſtruitur quidem à priori ſuo eſſe, & naturali, ad quam vergebat propenſione, non tamen in elementa redit, ſed in ſecundaria principia, uti dictum eſt, quæ ſubſtantiæ ſunt à priori ſubjecto longè diverſæ. Ex his non difficile erit colligere alia duo, quæ ſuperius propoſita ſunt, & quomodo ſolvens hoc ita præclarum præparari poſſit.

Operationem vero ſpecialius, ac lucidius expoſuiſſem; ſed propter rationes, quas in præfatione conſcripſi, indecens atque injuſtum videretur. Non dubito tamen Prudentioribus, ac induſtriis Artificibus ſufficienter eſſe inſinuatam, nec tam apertè ab aliis, qui eam poſſederunt fuiſſe præmonſtratam.

Si enim ipſe inter tot Scriptorum ambages etuere potui, multò facilius ex his, quæ ſuperius præmonuimus, poterit quiſque ſagax indagator eamdem intelligere.

Hoc præterea ſuperaddere non recuſabo, quod cum ſubjectum præmonſtratum ſit per naturam perfectiſſimè, ac ſtrictiſſimè miſtum, ideo non facile in principia ſecundaria reſolubile, ſed patientiam non vulgatem exigi, laborem, ac temporis diuturnitatem, ut ad finale complementum, in quo ſuis polleat virtutibus mox enarrandis, reducatur.

DISCEPTATIO V.

De Operationibus Lapidis Philoſophorum.

QUamplurimi, præclariique Scriptores innumera edidere volumina de operatione, quam phyſico-chemicam, eo quod naturæ, & artis juvamine conjunctim fiat, appellant, ut ſupervacaneum, ac inutile planè videatur, de illa quidpiam aliud ſuperaddere; vel enim actum agi fruſtra, vel errores pluſquam nimis auctos ex multiplicatione verborum multiplicari judicabitur:

atque ſicuti nullibi non extant, qui de opere illo arcano clariorem, aut minus ſaltem implicatam declarationem promittant : ita nuſquam poſſidentes realiter, & ex voto in propatulo ſeſe manifeſtant : vel quod nemo talis reperiatur : vel quod ſi quis : apparent rari nantes in gurgite vaſto : nec id quidem mirum ob rationes partim infra, partim alibi noſtris voluminibus enarrandas. Nihilominus profiteri non vereor, me hic plura revelaſſe, ac revelaturum ad illius operationis intelligentiam ſummopere conducentia, quæ apud alium quempiam profeſſorem non facilè erit invenire. Candidis igitur, ac æquis artis abſtruſiſſimæ Indagatoribus, nec parum proficuum, nec minus gratum, quod ingenuo, fidelique animo, calamo comprehendere volui, futurum eſſe ſperaverim. Quare ſingulos, ac univerſos moneo, ut attentius, intimiuſque ſcrutentur, quæ hîc ſubnectam : nec exiſtiment me quidquam ex opinione prolaturum, ſed ex iſſima rei experientia manuali opere veraciter comprobata. Ex hoc enim omne dependet, operatione ſcilicet, per quam materia ad ultimam perfectionem ſuſcipiendam diſponitur. Si enim præparatio rectè fuerit inſtituta, quod reliquum eſt, opus eſt facile, nullius laboris, ac nullius penè periculi, niſi data opera deſtrueretur, quod Amico ſemel contigit.

Cum enim opus perfectiſſimè diſpoſitum, atque vas, quo erat incluſum, Hermetico ſigillo præmunire tentaſſet, cum vas paulo nimis collo, ac breviori igni admorum vitrum eliquare tentaſſet, ex vehementi calore materia cominus calefacta, ſubitoque rarefacta in vaporem craſſum, totum vaſis corpus replentem commutata eſt, cum tamen antea vix quintam, vel minorem etiam partem capacitatis occuparet.

Vapor hic craſſus, opacus, gravis, nec enim extra effugiebat, frigida infuſa cohibitus in priorem denſitatem, & formam licet fœdatam rediit; at nulla vi potuit amplius ad ſui priorem rectitudinem impelli, mixtionis enim interna proportio ſpiritualis ſemiuis ſuo muneri obeundo penitus inepta fuit reddita. Vix autem credidetim ſimile quid ulli artis Profeſſori umquare occurriſſe : cæterum non ita facilè continget occaſio, caſuſve deſtructionis. Duo ergo puncta ſunt, ſeu fundamenta, quibus tota Sophorum Ars innititur, materia, ſcilicet Inventio, circa quam inſudet indagator, & operatio, qua in illam ſuos labores exerceat. Illam noſcere non ita difficile, arduumque credatur : habilem ſed reddere maſſam, juxta omnium unanimem Magiſtrorum ſententiam eſt penè impoſſibile, ob plurimas, quæ requiruntur, circumſtantias, ſingulas ita neceſſarias, ut una neglecta, etiamſi cæteræ omnes concurrerent, irritus labor omnis ſubſequeretur. Harum præcipua in igne conſiſtit, in cujus gradus, & punctorum menſura totum opus conſiſtere aſſerimus; non quia ignis dumtaxat conſideratio ſit ſatis; ſed quia principalior eſt, ad quam etiam alia reducuntur : & quia ipſum adhibere oportet, nonnulla ex ipſo provenientia obſervanda. Hinc Morienus fideliter monuit Artificem unumquemque rem ipſam inſpiciendam dum ait.

Reſpice nigrum completum, nigrum à ſua nigredine diminutum, omnemque nigredinem : id eſt acuta mente perpende mutationem, & cauſam, ex quibus pariter opus rectè dirigi poterit, ac ex iiſdem error, nec non ſuperabundantia præcognoſcetur, & evitabitur, At ad amuſſim hæc ſcire, quæ dicuntur ſufficere, atque opere practico invenire, labor eſt labotioſiſſimus, ad quem tamen non corporis robur, ſed animi virtus, oculorum & manuum perdiligens induſtria requiritur. Hinc idem Morienus circa ſui libelli calcem, admonitionem aliam ſummoperè notandam reliquit, dum inquit, operationem illam non ſufficere, diſcipulum à Magiſtro recipere, hoc eſt aptum indagatorem à ſciente Doctore; ſed inſuper neceſſarium eſſe, ut eamdem diſcipulus à Magiſtro operante ſimulque docente re ipſa intueatur non ſemel, aut bis, ſed frequenter : quæ verba non leviter ſunt tranſigenda; cum hinc apertè cognoſcatur, quam ardua difficiliſque ſit operatio prædicta, quam nonnulli etiam ex plebecula vulgaribus, inanibuſque practicis inſiſtentes ſuffurari ſperant, caſu potius & opinione fidentes, quam reali ſolidaque doctrina, experimentis interruptis indiviſibiliter connexa.

Sicut autem materiam unicam penitus eſſe aſſerimus, ita quoque operatio unica, ſimplex eſt & linearis : atque hic animadvertendum quamplurimos errare, exiſtimantes ſolam, unicamque vocari vel ratione finis, in quo ſit una, vel ratione artificis plures in unum componentis. At ſcire quemlibet oportet materiam non ſic unicam prædicari, quoniam hac ratione pharmaca quoque artificialia unius unitatis nomine nuncupari poſſent, licet ex pluribus compoſita, quod tamen non accidit in rebus naturalibus, in quibus non obſervatur niſi unica, & ſingularis materia, ſive ſubjectum, ut apparet in ſeminibus, & animalium ovis, quæ potiſſima ſunt exemplaria, ad quæ reſpicere jubetur Artifex ab auctoribus primæ claſſis. Sic Triſmegiſtusibi. *In Gallinæ ovo maximum ſubſidium eſt, & in natura propinquitas.* Sic Moſchus in Turba. *A noſtro pulvere albo, ſubtato, ſplendido apta ſunt inſtrumenta pro ovo :* & Augurellus.

Quin etiam duplicem ſcito vim intrinſecus eſſe
Et quæ ſemper agat, & quæ patiatur ut una
Fœmina, & Maſque agitent, veluti cum pullus in ovo
Creſcit agente quidem hoc, atque hoc patiente viciſſim,
Exterius tantum miti, atque fovente calore
Adjutus, neque tu quid convenientius ullum
Exemplo hoc credas, neque quod me judice ſemper
Aerius inſpectes, atque ad quod cuncta reducas.

Sunt quidam tamen naturæ operum ignari exiſtimantes plures, duas ſaltem requiri, quarum altera fœminæ, altera Maris vicem gerat, quod in plantis non accidit, multoque minus metallis, quæ inſtrumentis ita deſtituuntur. In animalibus vero propter ſenſuum organa, & nutritionis inſtrumenta, Maris, & Fœminæ neceſſitas fuit, ut in illis materia ad illorum exigentiam elaboraretur multipliciter, variiſque virtutibus prædita redderetur, quod in metallis, quæ unico actu non interrupto ad finale complementum deducuntur per naturam, neceſſarium non erat, unum enim, & idem ſimul, ac ſemel maris, & fœminæ partes explet : & hinc hermaphrodita dicuntur ab Alexandro; ſicut & plantarum ſemina, quamobrem in opere philoſophorum arcano materia unica ſola, & ſingularis eſſe debet ab ipſa natura artifici exhibita, quam ipſe ſumens nihil illi addere, nec aliquid demere debet; ſi quidem ipſa ſibi ſola ſufficiens eſt. Hoc autem ideo dictum volo, quod nonnulli exiſtiment diverſa metalla ſimul counîri oportere, aurum nempe vel argentum cum mercurio complicantes, vel cætera imperfectiora metalla, ſive metallica ſubjecta, ſperantes illa per artem unà taliter commiſceri, ut in unum tandem miſtum verum atque perfectum redigi queant. Sed ipſos iterum, iterumque monitos velim, miſtiones ejuſmodi meras eſſe nugas, ſophiſticaſque opiniones ex auctorum ambagibus perperam detortis exortas, quæ nec rationi congrua cognoſcuntur, nec experimento reſpondere obſervantur. Non tamen negaverim, ſemel aurum, vel argentum ſuperaddendum : at cum hoc exigitur, jam arcanum opus integrè peractum erit, atque hac ſolum ratione ſolvuntur Magiſtrorum ænigmata, cum de unitate ſubjecti aliquoties, alias verò de pluralitate pronunciaſſe videntur. Diverſis enim temporibus id verum eſt; in ipſo tamen exordio, cum operator artificialis inchoare opus

opus præsumit, tunc unicum, solum & singulare subjectum recipit, & in illud operatur, quod Morienus pluribus exemplis demonstrare adnititur, quod si sæpe materia vocatur multiplex, id non ratione suæ corporeæ individuitatis intelligitur, sed ratione virtutis interius existentis, atque sic duplex dicitur nomine Maris, & Fœminæ, Agentis, & Patientis. Solis, & Lunæ, aliisque dualitatis infinitis propemodum formis methaphoricis, ac mysticis, vel ratione partium, signorum, & naturæ per naturam diversitatis, & sic triplex: vel ratione elementorum componentium per naturam in primordiis illius connexorum: & sic quadruplex: vel ratione totius cursus & materiæ ex hoc ultimò emergentis, & sic quintuplex solita est appellari, quod alibi nobis apertius declaratur.

Sicut ergo unica singularis materia est, & requiritur, ita unica sola erit operatio, per quam illa ad sui perfectionem naturaliter tendens impellitur, non ita tamen una, quin possit etiam multiplex vario respectu, ac mysticis sensibus nuncupari. Hinc est, quod penes aliquos dicatur solutio, & congelatio, atque aliis nominibus insignita reperiatur, ad hoc solum inditis, ut operationis effectum juxta naturæ intrinsecus operantis exigentiam, manifestum redderent. Si vero totus operis progressus intelligatur, quatenus videlicet, & dispositionem, & perfectionem ultimam comprehendit, tunc benè duæ poterunt operationes pronunciari, quarum prior difficillima, lubrica, & occulta alteram facilem, tutam, clarè descriptam antecedit: mystica vero similitudine ita invicem conveniunt, ut vix nisi cui oculis perspecta fuerit, credibilis. Quod & tentatur Morienus asserens, unam esse, sicut & alteram, & cum prior desinit, incipit posterior. At plurimum discriminis in rei veritate subesse intelligas, tum ratione temporis, tum ratione aliorum, ut ignis, vasis, naturarum, signorum, clausuræ, juvaminis, adjunctorum, finis & materiæ præsertim, quæ in priori per solam naturam composita & perfecta sumitur. In posteriori per naturam & artem simul conflata ulterius in majorem perfectionem trahitur.

Natura ergo sola primò materiam exhibet, quam accipiens Artifex ut minister cum natura principaliter operante præparat, quam postea iterum naturæ solum operanti substernit, atque sic repetendo in admirabile, ac pænè incredibile perfectionis augmentum promovet.

Qui hæc non acutè observarit, in plurimas difficultates delabetur, nec mihi (si sciet) parum gratiæ se habiturum cognoscet hæc hactenus sic intacta revelanti.

Præterea addere non pigebit operationem illam diversimodè indigitati nominibus maximè notandis, non enim frustra talibus exornatam credas. Dicta est autem præparatio, compositio, conjunctio, renovatio, animatio, regeneratio, multiplicatio, fermentatio, sublimatio, aliisque innumeris, inter quæ præcipuum est sublimatio, quo illam dixerunt Geber, Bernardus Comes, Lullius, Arnaldus, Auctor Aurotæ, ac plerique alii, non quidem quod sublimatio sit, ut vulgo solet intelligi, ut perperam scripto prodidit Alexius Pedemontanus, ubi pluribus de sublimato vulgari differit, in cujus finis calce processum inculcat falsissimum, penitusque impossibilem; quod monuisse volui, ne quisquam illum tentare ausit, ne serò pœniteat, quandoquidem tempus, impensas, laboresque inaniter amittet, è contra diligenti examine scrutabitur, quæ Comes Bernardus fideliter, quamvis occultissimè, in Epist. ad Thomam Medicum. *Sunt quadam Mercurii sublimationes ab ejus propriis corporibus &c.* quæ verba, cum intellectu sint ardua, nec ita intelligenda sicut prima fronte videntur, quibus etiam se deceptum testatur Theobaldus ab Holande lib. de diff. Alch. ideoque illa sicut & alia quamplurima antehac nunquam alicui litteris evulgata, veraciter, nec obscurè interpretati sumus in Œdippo Chæmista.

DISCEPTATIO VI.

De Salis Tartari, ac similium Alchalium Volatilitate, & ad id necessaria operatione.

DEterminatum est in physicis, dum mixta per ignem solvuntur, non in elementa prima abire, sed in tria secundaria principia jure meritò appellata, in sulphur, quod ardet, in Mercurium, qui solus sine combustione ab igne fugit, & in sal quod pertinax igni resistit absque fuga, & combustione, quæ singillatim quoque colligi poterunt, & ab ignis actione servari si vasis clausis, & ab igne convenienti dissolutio instituatur. Cum vero sal plurimum prioris mixtionis virtutis, & efficaciæ retinere fuerit existimatum pro curandis humani corporis ægritudinibus, utpote mixti partem strictius ligatam, ideoque proprietatum à propria specie provenientium conservatricem fideliorem, ac periculo facto votis haud respondere observatum est sæpius. Si enim ignis externi potentiæ restitit, quanto magis internorum viscerum tepido calori resistet? Quamobrem vel invictum, & consequenter inefficax transibit in officinas nutritioni dicatas, vel si quid evictum digestumque ingrediatur instar alimentorum, inesi ax ad morbos reperietur, & ciborum norma subiicietur: quare nonnulli secretioris naturæ mysteria scrutantes idem sal fixum in volatilem naturam redigere laborarunt, ut sic subtilius, actuationi, quam vocant, aptius, & consequenter potentius redderetur: nec id per se solum, sed aliorum simplicium connexione adjutum. Cum enim illa intimius sua tenuitate pervadit nonnihil illorum dissolvendo sibi adjungit, & ad penitiora viscera virtutes illorum defert. Hoc autem licet omnibus æquè alchalibus commune sit; specialibus tamen efficaciæ quamplurimum Tartari sali tributum est ab Helmontio, qui tamen operationem reticuit, cum nihilominus medentibus ejusdem salis potentiam sæpius inculcaverit, cupiditatis, & curiositatis appetitum excitante, non explente. Occasione igitur liquoris Alchaest, cujus vires, & vices supplere ac proximè æmulari prodidit, non incongruum videri debet, si de illius quoque operatione nonnulla disceptare hoc loco sumpserimus: de illius quoque virtutibus postea locuturi.

Ut autem salem hunc in volatilem naturæ vertatur, duplici solum methodo procedi poterit. Cum enim Terra principium sit fixionis: Aqua vero volatilitatis, non solum prædicta salia, sed quodlibet aliud quod fixum sit tunc volatile redditur, cum vel terram diminui, vel aquam prædominari fecerimus: sicut è contra tunc ex volatilitate in fixionem cuncta ducuntur, cum aquæ superabundantia deficit, vel terræ defectus juvatur. Id autem non in superficie, & corpore tenus intelligi debet, sed intrinsecè, & in intima elementorum connexione, alioquin per ignem, quod superadditum est facile disgregabitur, nec voti compotes reddemur. Idem quoque continget, si quid addiderimus, vel subtraxerimus alterius misti, in quo prædicta elementa dominentur, ut si non aquam, sed aqueum adjunxerimus, vel terreum, non terram, dummodo quod additur in radice alterius misti cuniti valeat. Sal ergo fixum tunc volatile redditur, si aqua intimè illi adjungatur: vel quid aqueum, quod tamen in prædicto artificio videbitur impossibile, nihil enim addi potest elementi vel elementati alicui misto, nisi mistionis compages

ſolvatur, miſtumque aperiatur, alioquin quod ſuper-additur, ut pote accidentaliter ſuperveniens, levi etiam negotio disjungitur. Non enim arti conceſſum eſt, miſtum aliquod vel principium ſecundarium ex elementis componere, ſed ſoli naturæ myſterium hoc reſervatur. In Magiſterio tamen philoſophico id neceſſario fieri oportet, dum auro Mercurium adjungit, non tamen vulgarem, ſed philoſophicum, quia ab auro nihil penitus differt, niſi digeſtione ſeminali ſpiritu, & elementorum prædominio, quæ intimam conjunctionem non impediunt, ſicut in alimento animalium nutritioni deſtinato videre eſt: hoc enim ſeminali virtute ſubiicitur alti, quod in ultimam ſuæ miſtionis proportionem alimentum redigit ſeparando, quod ſibi adverſari poſſit; quemadmodum aurum ſua ſeminali virtute Mercurium tamquam alimentum beneficio externi calotis digerit, hoc eſt calorem internum auget, elementalia corpora attenuando intimius conjungit, & ſuperfluam humiditatem abiicit, quamvis id aurum efficere nequeat, niſi prius mercurius illud in profundo penetraverit, diſſolverit, & ad actionem ſuper ipſummet Mercurium efficax reddiderit; ideoque prius Mercurius aurum volatizat, quouſque vis ſeminalis auri, quæ ſpiritualis eſt diſſoluta, ſibi proprias ac naturales vires rurſus nacta Mercurium evincit, ſibi ſtabiliter adjungit, & figit, idque pluries reiteratur, ſemperque viribus valentior obſervatur.

Hoc tamen in prædicto Sale evenire nequit: cum enim illud principium ſit ſecundarium ex reſolutione alterius miſti exortum, non poterit ſic aperiri, ut ipſius interiori virtute aliud ſuperadditur evincatur: cum enim debilius ſit quam miſtum, unde fuit eductum, facile in elementa reſolvitur: & plurimi quidem hoc per aquam ardentem obtinere tentarunt, ſed fruſtra, quamvis enim repetendo aquæ vitæ infuſionem in illud, multum videatur illi adnecti, nihil tamen inde volatilitatis aſſumit. Spiritus enim prædictus inſtar aquæ pluvialis magna ex parte egreditur, & quod illius non mutatum prius aſcendit ex ſale nihil virtutis efficaciotis aſſumit.

Nonnulli per proprium ſpiritum ex Tartato elicitum hoc idem inaniter tamen experti fuerunt. Alii aliis mediis, ſed fruſtraneo conatu omnia, & hoc quidem rationabile videtur. Sicut enim arti horum principiorum conflatio denegatur: Ita pariter denegabitur principis hiſce extraneum intrinſecè ac perenniter immiſcere. Perinde enim videretur ac ſi vellemus, quod in principium eſt deductum, in novam miſtionem reformando adigere. Facilius enim miſta deſtruere, quam conſtruere.

Quamobrem altera via incedere neceſſe erit, ſuperfluam, ſcilicet, terram ab ipſo ſale deturbandi, ſuperfluam autem dicimus non ſuæ naturæ reſpectu; ſed ratione intentionis volatilitatis, ita ut tantum demere conveniat, quantum ſat videatur ad illud volatile reddendum. At hic plurima ſunt, quæ nobis negotium faceſſere poſſunt: cum enim ſal prædictum impuritatis complementum redactum fuerit, facilè etiam ad ignem liquatur: atque ideo partes illius ita ſibi invicem connectuntur, ut divelli nequeant, nec à terra ſuperabundanti dividi, quin imò vaſa vitrea ſua corroſiva vi, & acutiori penetrat ac frangit quod ſi quid addatur ad ejus fluxum, & liquefactionem prohibenda ſicut in deſtillatione ſpiritus ſalis communis conſuevit; per quod particulæ rei diſſolvendæ ſeparatæ maneant, aditum igni potentiori præbeant, & ſpiritus egreſſioni via non intercludatur, tunc quod additum eſt in virtum levi negotio abit, & tenacius totum redditur, & indiſſolubilius. Qui igitur ingenio polkebit, facilè hinc ſcire poterit, qua ratione, quo medio, quo igne, & quibus in univerſum circumſtantiis, operationem hanc inſtituere oporteat, ſic enim ſpiritus ex ſale extrahi poterit, nec tamen ob debilitatem ſalis ligaturæ elementa diſſolventur, nec miſtum exterminabitur. Sufficiat igitur hæc candidis Artificibus revelaſſe: cætera experiendo ſtudio atque laboribus aſſequentur.

DISCEPTATIO VII.

In quo conſiſtat difficultas Inventionis liquoris Alchaeſt.

DIfficultas Inventionis Alchaeſt recolligi quadantenus poterit ex iis, quæ prædicta ſunt, ubi de ejus operatione diſceptavimus: at hîc ſpecialius nonnulla recenſere volumus, ut facilior aditus indagantibus præbeatur, ac unicuique pateat, quam ipſe à livoris crimine abhorream, & quam mihi cordi ſit eorundem inquirentium arcana profectus.

Cum ergo præmonſtratum ſit ſubjectum, ex quo ſolvens illud paratur, ſtrictiſſimæ eſſe mixtionis, atque arctiſſimo elementorum vinculo à primordiis generationis conſtrictum; hinc fit ut non facilè diſſolvi queat, quam difficultatem ſi Paracelſus innuiſſet, quamplurimi illo potiti fuiſſent. Deſtructionem vero dicimus non in elementa, ſed in principia ſecunda, in quæ prius materiam reſolvendam tranſire neceſſe eſt, quam in priora, quæ ipſa elementa ſunt; ideoque debiliora ſunt ſecunda, cum ſint à priori ligatura dimota, & hinc facile etiam per aquam amittitur liquor, utpote à qua tamquam à ſuo compari in ſimpliciorem naturam ducitur; quæ cum nulla eſſe poſſit quam elementa, propterea in illa abit in ſui finali reſolutione. Difficultates itaque in univerſum plurimæ ſunt.

Prima eſt, quam retulimus corporis ſtrictiſſima connexio in ſuis elementis, quæ longo labore ac tædioſo indigent, ut aperiantur, ſine qua apertione illum obtinere liquorem impoſſibile eſſet. Secunda eſt propter adjuncta: cum enim ſolum deſtrui nequeat, neceſſe eſt, ut quod per ſe non poſſumus, per adjutorium procuremus, quare illi aliquid adjungere convenit, quod ipſius diſſolutionem promoveat; ut ſic per liquefactionem ad diſſolutionem quam intendimus diſponatur. Tertia ab igne pendet: hic enim ſicut in qualibet artis chæmicæ operatione multiplex requiritur, qui licet vehemens requiratur, non tamen uniformiter ac æqualiter, ſed judicio atque experientia opus eſt, ne ignis defectu opus deſtruatur: hinc eſt, ut indigeat & loco oportuno, & furnis, & vaſis convenientibus, ſine quibus impoſſibile eſt opus completum obtinere, & ab his plures etiam emanere ſolent difficultates, quas ſingillatim enumerare non expedit: prudenti enim & experto benè notæ eſſe poſſunt: ultima tandem eſt, quam retulimus; facilis videlicet liquoris amiſſio, quæ pluribus accidere poteſt occaſionibus: quod & ipſi Helmontio contigiſſe crediderim, cum de lagenæ ſibi ablatæ amiſſione conqueritur.

Præter hæc vero quamplurima etiam accidentaliter ſupervenire queunt, ex quibus liquor ſeu factus, ſeu in ipſo operationis progreſſu amitti facilè poterit, quæ omnia ex parte ſolum praxis intelligenda erunt; ut liquet, hoc eſt ex ipſo manuali opere cum rectè prius fuerit intellectum mentali cognitione, quam nunc theoricam dicimus ſeu practicam mentalem juxta Lullii doctrinam in Theorica ſui teſtamenti. Theorica enim propriè non eſt niſi cognitio cauſarum, & rationum practicæ operationis, quæ duplex eſt, alia manualis, quæ actuali opere exercetur, alia mentalis, hoc eſt cognitio ejuſdemmet operis, cum mente præconcepta poſſidetur ante practicam manualem, quæ ex illa neceſſariò ſequitur, & hæc ad illam præcedit, quomodo enim aliquid

quid actuali opere obtinere sperabimus, nisi prius illud animo præconceptum integrè præsciamus: hoc autem duplici difficultate contegitur, quarum prior in materiæ opportunæ inventione consistit, posterior in rectè operandi modo cum omnibus ad illum requisitis circumstantiis, & materia quidem innotescere satis posse apparet ex iis, quæ supra scripta sunt, ubi de illa disceptavimus: nec minus etiam ex proprietatibus, quas illi tribuit Helmontius: ex quibus & ipse illam non difficulter percepisse profiteor: & quamvis plurimos audiverim, qui hîc hallucinentur, id non ex alia ratione provenire crediderim, quam ex nimis crassa scrutationis ignavia, mentis, & ingenii rusticitate; clarius enim indigitari nequit, nisi illam prostituere perperam velint; quod tamen omnis ratio, & justitia vetat, neque solum hujusce liquoris ratione, sed & philosophici lapidis cujus materiam eamdem esse sæpius retulimus: materiam autem hîc intelligimus, quam ipsa natura nobis ultrò præbet, rudem indigestamque molem; antequam scilicet quicquam in illam ars operetur. Siquidem ars ab ipso statim exordio per suam operationem diversitatem in illam efficit; sicut & in alio quocunque subjecto naturæ contingit, veluti cum ovum gallinæ incubandum substernimus ad pullum inde procreandum, vel igni coquendum apponimus ad alimentum inde parandum; sicut quoque lignum non absimili methodo dupliciter tractari potest. Primo cùm illud terræ mandamus ad sobolem multiplicandam ex vi illi naturaliter indita. Vel cum eodem utimur ad usus diversos humanis necessitatibus necessarios.

Major itaque difficultas est in cognitione practicæ manualis, quam penitus artificialem esse præmonuimus. Major enim hîc est quam in opere chemistarum. Cum enim illud merè sit naturale, & juxta naturæ exigentiam progredi debeat, liquet non nisi unico opere id exerci debere, quidquid enim juxta naturæ ordinem, & modum actionem suam exequitur, nonnisi unica & singulari operatione fieri necesse est, ut in omnibus, & singulis naturæ mistis & eorum actionibus innotescit. At in opere Alchaest, utpotè merè artificiali, non ita facile est illam indagare: hæc enim multiplex concipi potest; cum tamen non nisi unica dumtaxat artificibus, qui illam assequuti fuerunt, hactenus cognita perhibeatur, quam in principia secundaria resolutionem dicimus, non autem in elementa, in quibus utilitatis aliquid nobis haud afferre posset; nec in omnia principia, sed in liquorem, quem Mercurium jure nuncupare debemus. Cum verò subjectum illud arte ligatum sit à natura, uti dictum, ideo longa nec non tædiosa nimis operatione indiget, prinsquam in principium hoc artificiali retrogradatione ducatur; qui vero violenta nimis ac brevi illum obtinere tentarunt, maximè deceptos esse comperimus. Non negaverim tamen, posse & alium etiam inveniri modum, quo illud idem efficeretur, illud tamen adhuc nobis incognitum esse fatemur, sed unicum tantum satis vulgarem, quo solo usi sunt, qui illum descripserunt.

Difficultates vero has curiosius recensuisse haud inutile seu parum proficuum existimari velim, qui enim fieri aliter poterit, erroresque qui possunt occurrere, nisi præcognitos evitari, quod ipsemet ipsa cognitum habui: cum enim incautè tractata viderim opera, laboris temporisque jactura secuta est, quam quivis si monenti amico paruerit, effugere levi negotio valebit.

DISCEPTATIO VIII.

De Difficultate Operationis Physicochemicæ.

HErmetici operis difficultates singulas, & universas curiosius inquirere instituti nostri non est in præsentia, quas si quis tamen optarit descriptas cognoscere, adeat libellum doctissimi Viri Theobaldi ab Hogelande in quo de difficultatibus Alchemiæ. Auctor enim ille licet arcanum physicochemicum ex voto non sit adeptus, nec artem integram possederit, suis tamen illis descriptis difficultatibus non minimum juvare posse artis scrutatorem asserere ausim, si tamen judicio acutè adhibito scriptum illud examinetur; quamobrem solum difficultates recensere volumus impræsentia, quæ praxim chemici magisterii potissimum remorati queunt, ut hinc quid hoc ab opere Alchaest conveniat, aut differat, quæ principalis nostra fuit intentio ab initio, intelligeretur. Has verò nonnulli pauciores, alii plures dixere, ut videre est apud ipsos Scriptores passim. Sunt enim qui ad duodecim capita, quidam ad pauciora, utpote octo, septem, quatuor, vel tria redigunt. Nos duobus hisce versiculis omnia sufficienter comprehendimus. Quæ Chymici obscuro condunt velamine in arte. Sunt Color, Ignis, Pondus, Mas, Fœmina, Tempus.

Etenim si paciores difficultates enumeremus nimium generice, & consequenter obscurius ars ipsa tractabitur, si plures superfluæ, nec necessario emendicatæ videbuntur. Nec prætetit unico dumtaxat puncto totum negotium occludi, hoc est rectam facere solutionem: materiam enim, in quam solutionis opus explere oportet Artificem, cognitu haud difficilem existimamus, juxta illud etiam Augurelli

Quam invenire non usque adeo difficile est.
Habilem sed reddere massam hic labor hoc opus.

Nec habilem unquam reddere illam poterimus, nisi omnia fuerint apprimè præcognita, quæ superioribus versibus continentur. De quibus omnibus singillatim hîc disceptabimus in gratiam eorum, qui virtutis amore ac naturalis philosophiæ studio tanguntur, quos tamen præmonitos volumus per alia nostra volumina satis superq; juvandos, ac defectus, quib. hæc nostra forsan jure notari posse videbuntur, alibi supplendos promittimus.

Colore igitur non id solum, quod vulgò communiter intelligi solet; accipias velim; sed quicquid in operatione illa arcana rectitudinem felicemque successum præsignare queat, juxta id, quòd Geber tradidit admonens, ut cum in operatione fuerit Artifex debeat omnia signa, quæ in qualibet decoctione: quæ unica, & multiplex est, diverso respectu apparent in mente sua recolligere, & eorum causas investigare, sicut est in primis materiæ nitor, seu mundities, quæ si quid vel minimum etiam commaculata videatur, perditæ atque corruptæ operationis indicium est certissimum. Atque hinc Morienus. Considera si potes rem puram, atque mundissimam dirigere rectè: alioquin operatio tua inefficax reperietur, hanc in Codicillo Lullius corruptionem limositatem appellat; quæ si operi supermineat; extrinsecus demonstrat interiorem rei substantiam, & proportionem esse depravatam, ac proinde nihil inde prosperi successus sperari: Sic quoque fulgor seu splendor, quem in qualibet operationis parte illucescere oportet Nigredo itaque, quam intensissimam esse viriditatem alibi ostendimus, non omnis requiritur, sed maximè luminosa; ideoque piscium oculis assimilatur. Sic & albedinem non quamlibet, sed candidissimam; hoc est cum fulgore conjunctam. Rubedinem pariter rutilantem, post ejectam scilicet corrumpentem superfluitatem per trinam ablutionem delendam, tunc Mentignea vocatur ab Henrico Currat Lipsiensi ob auctì copiam ignis, & materiæ instar mentis tenuissimæ spiritualitatem.

Tres autem principales adnotantur colores; quamvis plures etiam successivè conspiciantur, imò & tres hi prædicti plus minusve intensi sunt gradualiter à re-

miſſione ad intenſionem ultimam procedentes, quod Morienus docuit ibi.

Reſpice nigrum completum, nigrum à ſua nigredine diminutum, omnemque nigredinem, hoc eſt principium in diminutionem uſque ad finem complementi, atque omnem curſum intermedium: & ſic de aliis; quamvis ibi reticeat albedinem, cujus loco citrinitatem ſubſtituit, obſcurioris doctrinæ gratia. Totum autem ex igne provenire dicimus: Cum enim hic paulatim ac ſenſim augeatur intrinſecus, cave ne de extrinſeco intelligas, dum inter elementa miſcetur, unitur, atque ligatur, neceſſario colorum varietatem parit, illoſque ſenſim intendendo auget: ordinatè igitur procedat neceſſe eſt, ut poſt ultimum nigredinis punctum primo obſcura quædam albedo ſeſe dat in conſpectum, poſtquam flavedo cum viridate alternatim ſimulque reſplendens, quas tandem candor ultimò adveniens extinguit: poſt hunc tertiò flavedo quaſi aurora ſolis prænuntia ſplendentem rubedinem præit, quæ ſi prius manifeſtetur, caloris exceſſum præſignat operiſque irreparabilem deſtructionem.

De igne quamplurima dicenda forent: ex hoc enim potiſſimum operis emendatio, vel deſtructio pendet, quinimò nonnulli ſunt, qui exiſtiment totum lapidis regimen in ignis moderamine conſiſtere, qui non ſolum per gradus, ſed per puncta dirigendus eſt, quinimò ſi cætera omnia integrè cognoſcantur, ignis verò modus ignoretur, optatum finem aſſequi erit impoſſibile.

Hunc autem ſummopere occultatum voluere Philoſophi, ne arcanum, quod illo cognito facillimum foret omnibus, indiſtinctè proſtitueretur, nec ſatis eſt illum debilem eſſe, ſed artificio quodam ita moderari, ne materia, quæ maximè labilis eſt, & imbecillis detrimenti quid pateretur. Quare totis viribus enitendum in ignis temperie: nihil autem refert an de extrinſeco, vel intrinſeco diſtinctio hîc afferatur. Cum enim intrinſecus, qui eſt pars eſſentialis miſti, ex extrinſeco augmentum ſumat, non ſolum virtualiter, ſed ſubſtantialiter ab extrinſeco procedit intrinſecus, qui cum debeat elementis cæteris couniri, cum hæc nondum fixa ſint ac ligata, vehementem ignem ſeu impetuoſum ac repentinum pati minimè poſſent. In quo videtur erraſſe Comes Bernardus Trevirenſis, qui quamvis practicè artem ad amuſſim calleret, theoricales rationes tamen non videtur æquali acumine penetraſſe. Non eſt, ait ipſe, ignis ſubſtantia materiæ, ut volunt Atos, & Empedocles, qui tamen opus augmentat; alioquin ſequeretur materiam de die in diem magis ponderare, quod eſt erroneum, hæc ille. In quibus alios reprehendens pro veritate errorem ſubſtituit, uti latius alibi à nobis demonſtratum eſt. Animalia ſiquidem, & Vegetabilia ab initio generationis augmentum ſumunt ex alimento uſque ad terminum perfectionis præter ova, & vegetantiæ quædam, quæ ſufficientem materiam uſque ad aliquem gradum augmenti habent in ſeipſis. At metallis poſt primam compoſitionem nulla fit additio materiæ, ſed vis ſeminis à primordiis in ſuſcepta primitus materia totum ſuum complet opus uſque in finem, ignem nihilominus jugiter, & paulatim immittit, quouſque elementa per ipſum ita attenuentur atque plaſmentur, ut ad miſtionem perfectam, ad quam vis ſeminis naturaliter tendit, perfectè uniantur. Cum vero ignis ſpiritualis ſit ſubſtantiæ, nequit ſecum molem vel pondus adducere: ipſe igitur Comes cum quibuſdam aliis opinatus eſt, ignem in ſubjecto à primordiis ineſſe, at otiati, nec cæteris elementis dominari, niſi ab extrinſeco excitetur, quod eſt inintelligibile: quomodo enim ignis inter elementa nondum ligata reperietur, ſuoſque effectus non edet? vel quomodo ignis extrinſecus, ſi compoſitionem haud ingrediatur, perfectionem inducet; Jam autem liquidò probatum eſt, in orthophyſicis calorem, & ignem ſubſtantialiter non differre, ſed gradu ſolum, & quantitate. Ignis igitur ita dirigendus, ut humiditas non minuatur, nec ſeminalis virtus pertùrbetur; quod Geber monuit, cum inquit. Nihil materiæ addendum, nec etiam minuendum, quouſque naturæ attiſerit, quod ſuperfluum fuerit eiicere.

Cum autem ignis facilè chemicum ſubjectum niſi artificialiter directus exterminare queat, ipſius vis per aquam non minori artificio ponderatam obtunditur, quare pondus eſt in toto operis curſu ſummopere notandum, ne ſuperfluus humor, vel nimia ſiccitas ſubjectum corrumpendo deſtruat, ut ait Moſcus in Turba. Si enim humiditas ſuperabundet, fiet pelagus conturbationis, ut ipſe ait; Si vero ignis prævaleat, comburetur in favillam, atque id eſt, quod operationem illam difficillimam reddit. Pondus enim illud non ut Rudiores exiſtimant, penes corporeitatem materiæ intelligendum eſt, ſed menſuræ dumtaxat ratione. cuncta ſiquidem pondere, numero, ac menſura naturaliter perfici eſt in confeſſo, ſine quibus nihil recti poterit inſtitui: Ars enim æmula naturæ ac pediſſequa, ne minimum quid ab illa unquam deflectere debet, alioquin in caſſum laborabitur: atque hinc totum fere pendet arcanum, quod ſi recte examinetur, aliud non eſſe cognoſcetur, niſi ignem per Aquam commenſurando moderari ad finale complementum. Ad ignem quoque pertinent vas, fornax, materia ex qua ignis, quæ non difficilè cuivis patere poſſunt.

Mas, & Fœmina multipliciter intelligi poteſt, materiam vocat Bernardus Comes, & alii, quæ cum ſuo vaſi naturaliter ſit indita, hinc vaſis nomine nonnullis indigitatur, juxta verſiculum.

Vas, Fornax, Ignis, pondus, cum tempore latent.

Per fornacem vero colores, utpotè qui per ignem in convenienti fornace accenſum excitantur. Vaſis autem nomine Marem, Fœminamque ſignificavit. At Mas multipliciter dicitur. Virtus enim activa Maris nomen meretur; ſicut paſſiva fœminæ. Ad id hic non eſt principaliter intelligendum, utilius, occultiuſque myſterium latitat, quod clarè deſcripſit Adrianus à Miniſcht in Teſtamento, cum de materia prædicta canit ita

Hanc ergo ignotam mundo, merſamque tenebris
Hactenus incultam, ſterilem, & ſine honore jacentem,
Aſpirante Deo, noſtri illuſtrabit abundè
Lux Teſtamenti, fructuſque oſtendet amœnos.
Cujus ut indigitem proprium Tibi denique nomen,
Scito quod antiqui facie ſit filia Vatis
Calchantis, MILVI ſimul orta rapacis in ORTV
Ortu, cujus ego chimica quoque natus in arte,
Tempore quo mœchum capit cum conjuge Martem
Mulciber ignipotens; Diis exhibuitque videndos.
Tu ſi hujus noſtræ roſeumque, gravemque cruorem
Virginis, humoremque potes ſi demere ſiccum
Alitis & niveum. Tibi Regis parta corona eſt.
Candida nam crocos circumfluit unda Vitellos.

In quibus dum aſſerit materiam oriri in ORTU MILVI. quæ duo verba anagrammaticè vitriolum ſonant, nolim exiſtimes vulgi vitriolum auctorem intellexiſſe, non enim verbo tenus interpretanda ſunt, ſed penes ſimilitudinem, & analogiam. Quemadmodum in carminibus Sybillinis à Cardano ex Græco interpretatis; in quibus ut ait Senior ſera eſt intra ſeram. Non enim Arſenicon, ut carmina voluiſſe videntur, inſinuare voluit Sybilla, ſed materiam philoſophicam; quæ ratione albedinis, volatilitatis, extractionis ex ſuperfluis, aliarumque ſimilium proprietatum ac virtutem Arſenicon myſticè poterat appellari: ita quoque de Vitriolo; quod alii viridem Leonem dicunt, ſeu aliis nominibus

à viriditate

à viriditate mutuatis exprimunt. Nisi enim viriditas sese manifestet in operatione, manifestum erroris est indicium. Sicut è contra si hæc ex Saturni circumacta sphæra se prodat, Luciferæ Veneris lumen tibi propitium adesse, atque hinc corniculatæ quoque Dianæ candorem ad futurum prænuntiavit. Per Martem ergo licet tum spiritualis Vir, tum corporeus solaris recte possit intelligi, non tamen ex ejusmodi, quamvis recta intelligentia declaratur arcanum prædictum unde regia corona paratur; sed si Martem ac Venerem seu roseum cruorem, & gravem, vel humorem siccum, niveumque in Deorum, hoc est sapientum, conspectum tradideris. Candida tunc enim fœmella per undam prænorata legitimo suo Viro, vitelli nomine insigniro, stabiliter copulabitur, soboleſque procreabitur admirabilis parentibus longè potentior.

Tempus denique ultimum est, ex quo philosophicæ operationis difficultas exurgit. non enim in loco convenire videntur Scriptores: cum tamen in rei veritate omnimodè consentiant, cum non unico respectu diversum prohibeatur. Quamobrem per horam perdurare asserunt laborem, vel per duas, vel per diem, & tres dies, per septem dies, seu hebdomadam; & per tres hebdomadas, per tres menses; per septem, & novem, per annum, & tres menses, aliisque modis etiam tempus explicari poterit. quod Comes Bernardus per verba illa insinuavit. *Terrena potentia super sibi resistens, pro resistentia dilata est actio agentis in ista materia.* hoc est actio seminis prolongatur eò usque, quousque terrea fœculentia suam amittat potestatem supra fœmineam roseam humiditatem prædictam, sine qua, qui opus perficere tentat, operam certissimè ludet.

Quod si prædicta intimius scrutentur, apparebit omnia prædicta ita invicem esse colligata, ut non nisi res unica jure optimo dici queant. Hinc est quod Comes prædictus asserat, verba à me clarissimè enucleata ponderum fundamenta continere: cùm tamen nil nisi tempus præsignet; quia tempus pondere ignorato, atque pondus ignorato tempore necessario ignorabitur. Nec pondus, & tempus sine caloribus, & ignis: nec ista sine ignis completè noſci poterunt. Sine quibus omnibus veram etiam physicochemicam materiam omnibus philosophantibus unicè concupitam adipisci erit protsus impossibile.

DISCEPTATIO IX.

In quo sit posita difficultas volatilitatis Salis Alchali præsertim ex Tartaro.

ALchalia nuncupant communiter Chemici salia ex cineribus extracta, quæ cum sint per ignem quasi criterio probata ab ipso amplius fugere levi negotio, & consequenter volatilia fieri nequeunt: quod si in Salis natura corporea permaneant ob crassitiem à terrestreitate pendentem, corpora solvere non valebunt, quæ nonnisi spirituali subtilitate sese penetrari sinunt, quod si in tenuitatem hanc non traherentur, corporea medicamina solvenda ac ipsum quoque sal interiora viscerum adire minimè possent: & hinc arcanorum proprietatem nec possidebunt, nec ægritudinum latibula petent, nec occasionales causas crassas obstructionum fontes, & origines dissolvere, extenuare, ac abstergere sanitatemque inducere possent. Quare necesse est salia in spiritualem naturam adducere, quæ tum ob convenientiam, ac similitudinem cum corporibus salis naturam redolentibus; tum etiam ob majorem consistentiam, quam habent duo reliqua principia, Mercuriales scilicet, ac sulphureum, patet ad prædictum munus obeundum longe aptiora, potentiora, ac velociora quam illa, quod quamvis omnibus commune sit Alchalibus, ex Tartari tamen cineribus sali extracto, & à terra fœculentia sæpius purificato, & in crystallinam serenitatem deducto, vim efficaciorem inhærere experimento compertum est. quare hunc potissimum Chimico-Medici professores pluribus ac indefessis laboribus nocturna diurnaque meditatione scrutati sunt, nec tamen arcanum illud assequi potuere: difficultatibus enim plenissimum repertum est negotium.

Per ignem enim levem non movetur. Per vehementem liquescit. Per vehementissimum totaliter exterminatur in vase potissimum aperto: in clauso siquidem ipsum penetrando frangit, ac disrumpit. Quod si quid addatur, illud in vitrum liquefacit. Si verò quod additur in vitrum abire nequeat, tunc fit, ut in sale per additum illud aperto, & discontinuato cum igni pateat aditus facilior in exterminium dissolvatur, & si quid inde deducitur; aqua est elementalis insipida, nullius virtutis ad id, quod intenditur. Cum ergo de difficultatibus liquoris Alchaest atque lapidis physicochemici, quæ duo præsertim intentionis nostræ scopum præfiximus ab initio, fusius forsan quam per sit disceptaverimus; non incongruum nobis visum est, si de hujus quoque salis, ac similium Alchalium volatilitate obtinenda aliquid in medium adduceremus; ex his enim sic propositis ac studiosis ante oculos objectis, facilius esset ab inquirentibus cognosci, ac inveniri: In qualibet enim re peragenda non minimum utilitatis omnibus accessurum credimus, si uti alias monuimus, difficultates singulæ fuerint antequam manus adhibeantur, præcognitæ, atque diligentissimo examine ventilatæ; & hic præsertim, ubi non ex parte materiæ, nec ex multiplici capita sicut alioquin evenire prædiximus, in duobus prædictis operibus: Si enim ignem opportunum judicioso Artifici non difficulter ex præmonitis indagandum cognoveris, cætera non admodum difficilia erunt, vasis furni, ac temporis quoque non ratio negligenda est; hoc quoque in operantium gratiam addere non pigebit; quod videlicet facilior operatio sequetur, si quid addatur prædictas difficultates prohibens, quod multiplex est Vulcani potentiam eludens, breviori siquidem tempore & res quæsita obtinebitur.

In hac vero salis conversione in volatilem substantiam fit quædam transmuratio non interioris seminalis spiritualisve agentis, sed corporeæ molis per ignis violentiam interiori spiritu invito, commutantem ac in aliam mercurialem formam convertentem, quod quidem altero ex his duobus modis evenire necesse est. Vel quia salinoso corpori aqua superadditur, non extrinsecè, & superficialiter, sed intrinsecè in primordialem mistionem, seu in misti primæva constitutiva, & hoc videtur impossibile: non enim arti conceditur, ut per ignem possit aliquid ad primordialia constitutiva superaddi ut cum illis unum quid permanenter efficiatur; alioquin & de novo possent mistiones, & species ab arte per ignem produci, quod tamen experimento cognoscitur, & ratione impossibile esse, ideoque Artifex nullus potis est aut erit, speciem aliquam ex ipsis elementis gignere, nec consequenter speciem unam in aliam transmutat, cum arti non concedatur dominium super substantias spirituales, unde seminales virtutes pendent & rerum diversæ species emergunt. Cum vero in projectione lapidis philosophici super imperfecta metalla fit illorum transmutatio, hoc inde accidit, quod in ipso lapide sit virtus spiritualis auri valdè intensa, per ignem intrinsecum auctum efficacior ac potentior reddita tot gradibus, quod possunt inde partes quantitati lapidis respondentes commutari, lapis ergo tunc gerit vicem seminis, corpus inferiorum metallorum

ſibi diſponens, & in illud auri proprietates omnes pariens. Ignis vero externus loco inſtrumenti eſt non ſolum lapidem ipſum, ſed corpus metallicum liquefaciens, aperiens, & ad lapidis penetrationem ſubjectum diſponens.

Salinoſum ergo corpus per aquæ additionem in volatilem formam redigi minimè poterit, altera itaque ratione incedere oportebit, ut videlicet ab ipſo terræ nonnihil dematur, ut reſiduum humidius ſed aquoſius redditum Mercurialis proprietatis naturam adipiſcatur, quod quidem arti permittitur: ipſa enim naturæ ſubjecta ſaltem plurima deſtruere, non conſtruere poteſt. Hæc igitur tranſmutatio, deſtructio quædam eſt ab arte patrata per ignis violentiam, ut inſtrumentum; ideoque data opportunitate alterius apti corporis ſeminalis ſpiritus interior, qui ex corpore ſalinoſo in mercuriale miſtum violenter deductus eſt, facilè amiſſam corporeitatem reaſſumit ex alieno, quo ex proprio prius perdiderat, quare ſimplicia plurima ſolvendo ipſe recoagulatur.

DISCEPTATIO X.

De Virtutibus, & Proprietatibus Alchaeſt.

IAm ſæpius prænominati liquoris Alchaeſt vires ſunt inquirendę, quarum principalis, & potiſſima eſt quod ſit univerſale quodam ſolvens, quo mixta cuncta liqueſcunt: vel in diverſas ſubſtantias diſſecantur: vel in aliam à priore proprietatem commutentur: nec video qua ratione dicatur, cuncta in primam materiam reſolvere ſervata ſeminum poteſtate. Dupliciter enim hic erratum videtur, tum quia non in primam materiam redigere aliquid, nedum omnia, experimento cognoſcitur: tum quia ſeminum poteſtas nullo modo ſuperſtes eſſe poterit in eo, quod per illud ſolvens fuerit exagitatum.

Et primum quidem demonſtrare non eſt difficile: ſive enim per materiam primam aquam ipſam intelligas elementalem: ſive quod Chemiſtæ doctiores intelligere, neutrum hic liquor efficit, licet enim quædam reſolvat ſecundum partem in aquam prædictam, nunquam tamen totum miſtum ita diſſecare poteſt. In liquidis enim ut vino, ſuccis ac ſimilibus cum pars maxima aquæ non ita uniformiter ligata interius cum aliis elementis videatur, non mirum erit, ſi per hunc tenuiſſimum ſolvens dividatur à Reliquis. Hoc enim fieri etiam videmus per ſimplicem, & vulgarem deſtillationem per quam in aquam prorſus inſipidam, & inutilem ſimplicia convertuntur deſtillanda: non propterea dicendum erit illa, in primam materiam eſſe converſa: quod enim reſiduum eſt, nunquam totum in talem aquam convertere, nec naturaliter, nec artificialiter poſſibile erit: Si enim miſtum ex tribus conſtat primis, aëre, aqua, & terra, ignem enim, quem merè ſpiritum alibi monſtravimus, hîc non ponimus neceſſe eſt & in illa non in aquam ſolam quicquid ſolvitur abire; niſi dicatur, cuncta miſta nil eſſe aliud niſi merè aquam, quam ſententiam explodimus abundè in noſtris Orthophyſicis, quod ſi per primam materiam intelligamus, ut philoſophantium turba communiter intelligit, materia ſcilicet, unde natura primitus operationis miſti ſpecificas inchoat, ut ſunt ſpermata in Animantibus, germina in plantis, & philoſophicus ille Mercurius à particularibus accidentibus, & ſuperfluitatibus in univerſalem quandam quaſi naturam, unde metalla cuncta originem naturaliter ſumpſiſſe credidere: vel artificialiter, ut in opere phyſicochemico ad ſolarem influentiam poſterius ſuſcipiendam, liquidò patet experientia, nihil per talem liquorem in hanc primam materiam progredi: poſt ejus ſiquidem actionem ſupermiſta virtus ſeminalis germinativa extinguitur; quia mixtionis proportio in tali partium ſubſtantiali diviſione necatur.

Et hinc patet ſimiliter ſecundum, quod diximus, nequaquam ſcilicet ſuperſtitem, & incorruptam remanere poſſe facultatem ſeminalem poſt ejuſmodi ſolventis actionem. Per hanc enim miſta ſingula in diverſas ſubſtantias, ſi ſubjectorum natura id perferat, diſſecantur, quod in cunctis evenire miſtis conſtat, & in animalibus quidem, & plantis notiſſimum, ut cum eorum ſeminalis poteſtas organis, & inſtrumentis ſit addita poſt prædicti ſolventis actionem, per quam illa in diſſimiles homogeneas ſubſtantias vertuntur, qua ratione incorrupta ſupereſſe valebit? In Metallis verò, atque ſimilibus ex mineris d promptis corporibus, quamvis inſtrumenta ad ſeminalem vim edendam haud exigantur, miſtio nihilominus congrua, aptaque requiritur, quam per talem liquorem ſuſque deque inverti non eſt dubitandum, quinimò Metallorum nonnulla, uti Mercurius, ita poſt ſolventis prædicti ab ipſo extractionem; ſic à naturali ſtatu elongatur, ut proprietates à prioribus longè diſſimiles nanciſcatur. Figitur enim ita, ut in plumbi examine non exterminetur. Aurum vero in ſubtilem vaporem, ut Paracelſus loquitur, ex prædicto Alchaeſt redigitur. Venus itidem in vitriolum verſa in duas dividitur ſubſtantias, quarum altera oleoſa, ſive ſulphurea, quæ Veneris tinctura eſt, altera Veneris corpus in albedinem verſum, quod nunquam vireſcet amplius, quomodo ergo poterit in prædictis Metallis, ſeu ipſorum partibus ſeminalis virtus incorrupta permanere; cum ſic à priori ſua natura immutata reperiantur?

Quamobrem rectius aſſeremus, liquorem illum corpus omne in tenuiorem ſubſtantiam, vel ſubſtantias reducere cum medica facultate à ſeminali ſive ſpecifica proprietate defluente; medica ſiquidem vis, quæ prius interius latitabat, corpore craſſiori cohibita ne vires medicas exereret; poſtquam per tenuiſſimum illum liquorem fuerit attenuata, tunc ſe ſe dat in conſpectum, ſeu in actum venit poteſtas, quæ potentialiter ſolum antea illis inhærebat. Hujuſmodi vero medica facultas non ex vi ſeminis tali ſpeciei congruente, ſed potius ex tenuitate, & ſimilitudine cauſæ morbificæ diſſolvendæ, quæ ſola cauſa eſt morborum ferè omnium, ac proinde per prædictum ſolvens plurima parantur arcana eandem virtutem obtinentia, quamquam ex diverſis ſimplicibus deſumpta ſpecie differentibus, quamvis nonnulla huic magis quam alteri craſſo corpori convenientiam in morbis deprehendantur. Si enim materia illa ſulphurea extiterit, nulli dubium eſt, ſulphureum arcanum illi intimius adoptari, penetrari, & per illud diſſolvi, natura expulſionem ſatagente, & ſi Mercurialis, vel ſalinoſa, pari ratione à ſimilibus illud idem effici; quod ſi arcanum naturam univerſalem poſſederit, univerſalem quamdam vim habebit ad omnes cujuſcumque generis ægritudinum cauſas ſolvendas, incidendas, & ad expulſionem diſponendam, ita eſt præcipitatus diaphoriticus Paracelſi. Hic enim Mercurius eſt ſulphureus, ac ſalineus. Simili quoque ratione philoſophicus lapis ad ægritudines univerſas mirum in modum conducit: nec exiſtimandum eſt, ſimilia medicamenta noſtram miſtionem ingredi, primiſque noſtris conſtitutivis aggregari, & cowniri; hoc enim fieri nequit abſque elementorum diſſolutione, quæ ſi ſemel contingeret, jam ſpiritus Architectonicus ſeminalis per diſſolutionem evanidus nequiret iterum ſibi corpora diſſoluta reparare, cum præſertim inſtrumenta, & organa perierint. In diſſolutione quoque ſanguinis, & partium morboſa

poterunt

poterunt etiam naturæ auxiliari per suam simplicissimam puritatem, atque stabilem fixionem, heterogeneas impuritates sibi dissimiles relinquendo, purioribus, ac simplicioribus sese uniendo, atque suppetias quadantenus ferendo, cum simile simili gaudeat, eique amicabilius adhæreat, juxta Democriti ab Hostene Magistro receptam sententiam; de his tamen fusius, & apertius in nostris orthomedicorum disputationibus. Per prædictum ergo solvens cuncta in rerum natura mista ita disponuntur, attenuantur, & ad actionem in humanum corpus exercendam promoventur. Hinc non solum prædictus Præcipitatus. Arcanum corallinum. Mercurius vitæ verus. Elixir proprietatis. Salia, liquores & olea. Aliaque ferè innumera pharmaca longe, quam sint vulga in efficaciora præparantur; sed & Arcanum ad lapidem vesicæ dissolvendum, ex lapide paucis intellecto, licet ab Helmontio sat clarè insinuato, & ab ipso quemadmodum à Paracelso, ludi nomine nuncupato.

Quinimò unusquisque per se ipsum poterit, & alia inde ad libitum parare: Nec videri etiam impossibile debet, nonnulla posse sic præparari, præsertim quæ ex vegetantium familia depromuntur, ut in alimenti similitudinem primis constitutivis, si non intimè, proximè tamen adjungantur.

Pariterque plurima ex Metallicis, & Metallis desumpta, si per viscera ad alimentorum normam redigi queant, viscerumque obedientiæ subjici: Sicut etiam & virulenta quædam inde parari posse non dubito, quod causa fortan etiam extitit, quare prædicti Auctores præfati liquoris claram descriptionem retinere voluerint: ne scilicet ansa facilior sceleftis hominibus delinquendi præbeatur.

Cæteræ prædicti liquoris proprietates consultò nobis omittendæ visæ sunt; tum quia plurimæ per auctorem sæpius nominatum satis apertè describuntur; tum quia per se ipsum quisque poterit; Si ejus possessionem assequutus fuerit, experimento indagare. Id tamen enixè præcavere nitatur, ne casuali errore tanti thesauri longo tempore ac labore quæsiti amissionem incurrat, quod facilè evenire poterit, licet ex seipso incorruptibilis quodammodo appareat. Id tamen prætereundum haud videtur, quod huic liquori peculiari ratione convenit: quod omnia ferè mista disponat; illis vero non conveniatur, sed post solutionem ab illis integrè separetur, quamvis auro nonnihil illius videatur adnecti, cum illud in vaporem solvendo redigit, ea penitus ratione, qua solet argento in calcem per separationis aquam redacto, & cum triplo salis armoniaci optimè commisto, oleum Tartari adjungo, quinquies vel pluries repetitis imbibitionibus, ad ignem levem exiccationibus argentum sublimatur, & redditur ita volatile, ac fluidum, ut rudioribus non solum, sed peritioribus etiam argentum vivum verùm existimatum fuerit, cum plurimas ipsius proprietates ex hac operatione obtinuisse reperiatur; tametsi valdè hic hallucinentur: argentum quidem vivum apparet, at minimè nisi spurium ac sophisticum erit, facile siquidem in argentum, ut prius redit, si argento alteri ad ignem liquefacto superinjiciatur, menstruum, per quod in liquiditate tenebatur, alias non facilè separabile sic evolat, & priorem amissam formam recuperat, quod argento vivo communi nulla prorsus ratione accidit: nunquam enim in argentum nisi adulterinum commutari possibile erit absque lapidis argentifici administratione, quod & auro contingit: cum per adjuncta in formam olei punicei volatilis redigitur, quod Helmontius docet tract. meteor. progysnam. §. 5.

Quamobrem hic liquor nulli misto associari valet, quamvis ob suam incredibilem tenuitatem cuncta intimè pervadat ea ratione, qua ignis; & hinc ignis aqueus, seu aqua ignea dici solet, ut hinc nonnulli, tametsi falsò, crediderint, lapidem physicochemicum inde confici posse, cum similes appellationes lapidi huic potissimum à Philosophis tributas viderint, ignis tamen dum cuncta ferè mista dissolvit, illorum quamplurimum aperiendo dissipat: quicquid enim sulphureum est, urit; quod Mercuriale vero est, in vaporem dispergit, nihilque residuum supereft præter sal, seu salis naturam habens. At liquor Alchaest quicquid solvit, conservat, & pro varietate subjectorum in diversos liquores localiter etiam separat, ut quod sulphureum adest, & oleosum superiorem partem: quod Mercuriale inferiorem: quod gravius vero fuerit, infimam partem occupet, solvente ipso supra vel infra residente.

DISCEPTATIO XI.

De Virtutibus Lapidis.

PHilosophici lapidis vires, ac usus universos, & singulos recensere instituti nostri propositum in hac præsenti tractatione non est, sed solummodo eorum nonnihil tangere, quantum scilicet ad ipsius Alchaest, & lapidis physici convenientias ac differentias cognoscendas sat visum fuerit, hunc enim ab initio menti scopum præfiximus, atque interim simul ingenuis probisque laborantibus Viris lucem clariorem ex nostris experimentis depromptam præbere; qui tamen lapidis ejusdem facultates accuratius enumeratas callere exoptarit, ex Lullio, ex Autoræ consurgentis Auctore, quam Divo Thomæ nonnulli adscribunt, ex Henrici Khunrath Lipsiensis amphitheatro, aliisque Sophorum scriptis petere poterit. Nos quoque alibi nostris elucubrationibus eadem pro ingenii nostri tenuitate abundè dedimus.

Omnium primam efficaciam plerique, nec immeritò, sapientiam prædicant: sed quinam fiat, ut ex lapide, lapidisve præparatione sapientiam haurire valeamus, nonnullis nec infimæ classis Doctoribus visum est incongruum, minimèque credendum, existimantibus jactantiæ potius quam veritatis pruritu similes nugas sophos effutiisse. Nemo tamen in animum sibi falsam hanc opinionem serpere sinat, cum nihil inde proficui talia jactantibus professoribus oritur.

Quod si artis arcana evulgare fas esset, quisque luce clarius hoc idem fateri cogeretur, speculum enim est, quo nedum creata cuncta, sed & Dei quoque invisibilia (quantum quidem mortalibus permissum est) conspiciuntur: hinc Petrus Joan. Faber nostri Ævi, chemicæque artis lumen præclarissimum in suo Alchemista Christiano, quem ex auctore Aquarii Sapientum Musæi Herinetici est imitatus, Christianæ religionis mysteria per veræ chemiæ magisterium non difficilè demonstrari posse edisserit. Nec id quidem immeritò, cum enim cuncta, humana, divinaque ex uno fonte profluxerint, mutuo quodam nexu invicem quasi catena constricta videntur, ut ex uno cognito reliqua cognoscantur, quod quamvis omnibus æquè conveniat, lapidis tamen artificio in primis jure tribuendum est; cum enim omnia, quæ nobis conspicienda prostant, vel elementa sint, vel ex his composita, illa sanè nec producta, nec producenda cognosci queunt: cum vero cognitio rerum non ante vel post, sed in ipso productionis modo, & actu consistat: patet inde sapientiam nobis oriri minimè posse: hæc vero animalia sunt vegetantia; & Metallica. Animalium, atque Vegetantium generationes, ac generationis modos in ipsis instrumentorum claustris occultos, reconditos,

minimeque vestigabiles quis non fatebitur? Quisve penitiores terræ sinus percurrere, ac Metallorum mistiones oculis subjectas hobisque postea enucleandas observare potuit unquam? At in chemicio artificio naturæ opus ita sese nobis pervium, oculisque intuendum præbet, ut Metallorum principia, generationem, ac generationis progressum, modum, terminum cum omnibus circumstantiis ad amussim observare Sophus queat. Cumque cætera omnia mutuam proportionem, ac similitudinem habeant invicem, facilè inde conjectari cuncta decet: quinimmò scientiæ peritiæque pene omnes inde apertissimè patefiunt, ut videre est in præfatione Monadis Gereglificæ doctissimi Viri Joannis Dee Londinensis. In illo artis progressu siderum cursus, virtutes, influentiæ, elementorum mistiones, ignis actiones, ac universa alioquin occulta naturæ vis quasi scenico theatro repræsentari videntur. De hoc intelligi debet, quod de Archimedici non Archimedis sphærula vitrea cecinit Claudianus in carmine.

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro &c.

In Sophorum enim vitro ea veraciter cognoscuntur, quæ alia probabili ratione contigisse nequit intelligi.

De Metallorum transmutationibus non est, quod multa dicantur: tum quia jam notius est quam ut verbis ea res indigere videatur: tum quia singulare hoc est huic subjecto, ut Metalla vario modo transmutando non quidem falsò atque sophisticè, sed verè ac realiter commutet, quod liquori Alchaest non conceditur: per hunc enim inverti aliquatenus Metalla videntur: at verè invicem transmutari nullatenus; cum adhoc non sit satis Metalla dissolvere, vel in diversas substantias discerpere, sed insuper specificas naturas, & proprietates superaddere oportet, quod sine seminali potentia, cui tantum illud efficere permittitur, superaddere omnino est impossibile.

Quid tandem in medicina præstare valeat philosophorum arcanum, apud omnes artis peritos est in confesso. Si etenim Metalla cuncta penetrare valet, quidni humani corporis excrementa valde minori crassitie duritieque prædita penetrare poterit? atque hinc viscerum, cutisque totius obstructos meatus reserare, ac emundare valebit? Et id quidem dosi perminima, tum ob sui incredibilem tenuitatem, tum etiam ob naturæ insitum ignem multiplicatum, substantiæque indissipabilem fixitatem, quæ tamen ob humiditatis radicalis copiam facilè in actionem duci possit levis cujuscumque caloris ministerio, nec id per se solum exequi potis est, sed & reliqua mistorum genera ad hoc idem præstandum longè reddit efficaciora, quam fuerint in propria natura. Id autem efficit citissimè, mirabilem enim actionem possidet, nec immerito subjectum plenum admirabilitatis perhibetur, miraculorum naturalium, non divinorum effector potentissimus.

DISCEPTATIO XII.

De Salis Tartari Virtutibus.

QUid Sal Tartari, sive aliud consimile præstare valeat in Metalla minimè venit examinandum; cum illud momenti quid esse nequeat: quamquam nonnulli, sed perperam, aliquid magni illo efficere se posse sperarunt quantum ad transmutationem, cum nihil actionem aliquam habere possit in id, ad cujus interiores mistionis substantias pertingere nequit, quare extrinsecus tantùm percurrens illorum maculas abstergere, colores accidentales immutare, corpus aliquatenus à priori statu leviter alterare, & id genus consimile parere quidem potest, atqui seminalem virtutem sic transmutari nullatenus est possibile; quinimmò nec in suo fixitatis ordine aliquid ad medicinæ opera nisi valde debiliter conducere experientia cognitum est: si enim valido igni resistere sat potenter videtur, qua ratione ab humani corporis imbecillo superari, & ad actum, ut Medici loquuntur, deduci valebit? Alimenti quidem vicem subire, ciborumque normam gerere posse concedimus: at medicamenti vim potentiorem ac velociorem evertere non poterit, hoc enim vincere, illud vinci oportet, hoc via modoque consueto, illud insueto procedit: quod ni fiat, impossibile quoque erit ægritudines depellere: quod si in spiritum, & volatilitatem ducatur, non tantum per se, sed etiam per plurima sibi solutione connexa varios morbos curare, ac morborum causas eliminare poterit, non quod sic exoticam qualitatem ab illis sit adeptum, sed quod substantiam quoque per ejusmodi spiritum dissolutam ac sibi connitam in penitiores viscerum ductus trahere valeat, quod si Metallicum id fuerit, dummodo non sit aurum, quod ob sui fortissimam mistionem à nulla re, præter unicam jam dictam illi similimam dissolvitur, impossibile non est aliquid corporeæ substantiæ abradi, atque ita disponi, ut interior ignis cum viscerum insita virtute illud evincere facilè possit: nec requiritur mistionis profunda penetratio, nec ultima dissolutio ad morbos occultiores abigendos, imò nec ad nutritionem, cum sæpè videantur proprietates alimenti in aliti substantia sensibiliter immutatas permanere; quod qua ratione contingat in orthophysicorum tractatu demonstratum est sufficienter.

In hoc autem à liquore Alchaest spiritus hic salis distare compertus est, quod ille solutis non comminiscatur licet penitiores rerum sinus ac recessus permeet. At sal hoc volatile, Alchalium, nec tam profunde pertingat, nec à solutis facilè separabile: non æquè tamen omnia dissolvit, sed pro majori, vel minori mistorum cum illo similitudine, ac pro fortiori, vel debiliori mistione diversa ratione operatur.

Cum Acidis igitur ad glandularum sub intestinis in mesenterio existentium, venarum lactearum, ac Pancreatis infartus. Cum Amaris ad Hepatis. Cum salsis ad Renum crassiora excrementa dissolvenda proficuus hic spiritus invenitur. Ad Lienem vero, similiumque viscerum longe magis distantium, quam prædicta sospitibus viribus non pertinget immediatè, cum in tam longo itinere, vel sanguini commixtus hebescat, vel excrementis inhærens priusquam illuc perveniat, extra corpus cum illis expellatur. Hinc fit ut pluribus expellendis ægritudinibus efficax reperiatur, febribus præsertim, quæ ex sanguinis dissolutione ob nimiam ipsius rarefactionem ex cordis motu, cruorisque circulatione impedita ut plurimum proficiscuntur, quod tripliciter evenire poterit. Vel ex partibus corporis ductus comprimentibus, ut in apostematibus: Vel excrementis sibimet ipsis copia vel crassitie, seu lentore vias ad consuetum exitum intercludentibus: Vel ipso sanguine crassefacto, vel nimis quam par sit quomodolibet rarefacto. Ex his enim omnibus sanguinis elementa dissolvuntur, & ignis, qui prius ligamine, ne sentiri posset, cohibebatur, liber redditus, viribus reparatis furens exardescit. Quod si obice delcto cruori via reddatur aperta, cuncta mitescunt, sanguis in ordinem redigitur, ac febrilis calor extinguitur. Hoc autem efficit sal volatile, dum sua tenuitate velociter viscera permeat, objecta impedimenta dissipat, atque dispergit. De quibus omnibus latius in orthomedicorum tractatu.

Pluribus consimiliter ægritudinibus depellendis aptissi-

aptissimum sal illud experiemur, dum viscera ad nutrimenti defecationem destinata pervia redduntur, & ab excrementorum infactu repurgantur, ut fæces, quæ jugiter per illa generantur; & ad consueta loca quasi cloacas expellentur, liberum, & expeditum transitum inveniant. Sic enim sanitatem amissam reparari posse constat.

DISCEPTATIO XIII.

De Similitudine, & Convenientia liquoris Alchaest cum Mercurio Philosophorum, & quid sit in primam materiam duci.

DUbitandum non est quin subjectum, & materia prædictorum solventium ab initio, antequam quidquam ars super illa operetur, eadem omninò sit: at multum discriminis inter utrumque reperitur, si eorumdem processus attendimus, ut superioribus Disceptationibus sufficienter exposuimus. Jam de similitudine, & convenientia amborum nobis hoc loco differendum est. Hic enim fuit præsentis nostri suscepti laboris ab initio finis principalis, ut scilicet plura, in quibus illa duo verè conveniant, aut discrepent, apprimè cognoscantur; ut in posterum hìc errari, sicut hactenus plerisque contigisse sensimus, difficilimè possit, quæ non solum in materia, in qua non similitudo tantum, & convenientia, sed identitas, uti dictum est, existit; sed in operatione similitudinem non identitatem inesse præmonemus, cum invicem è directo exponantur: quoniam hæc artificialis est: illa naturalis. At in operandi modo talis inest similitudo; ut facillimè decipi quisque etiam non mediocritet intelligens possit: descriptio enim unius ita alteri adæquatè competit, ut vix discrimen internoscatur: siquidem utrumque opus circa idem, ut dictum est, subjectum exercetur: utrumque similibus loquendi formulis, ac nominibus indigitatur, uti sunt illa: Spiritus, Ignis aqueus. Aqua ignea. Universale solvens, & id genus alia: utrumque per ignem, utrumque solvendo, atque coagulando: utrumque pariter longum, ac rædiosum, investigatione difficile: in utroque materia subjecta ad naturam valdè à priori diversam redigitur, in primo namque suo naturali statu, antequam quidquam ars in illam operetur, unicam solum habet naturalem propensionem, ad quam ab ipsamet natura, obstetricia solum artificis manu pervenire valet, sicut hoc idem in quibusvis naturæ subjectis observare licet: quodlibet enim pro varia specie ac virtute interna seminali ad suæ speciei conservationem, ac propagationem tendit, non alienæ: ac per artem multipliter, sed violenter, & extra naturæ suæ prædestinationem protrahi potest, ut in grano tritici apparet: quod ex natura sua ad triticam speciem multiplicandam inclinat; per artem tamen in varios, ac diversos usus violentia quadam perducitur. Cum ergo res ita se habeat, artifices tamen dum Hermetici lapidis magisterium occultare conantur ita versatili loquutione utuntur, ut valde facili negotio in varios sensus eorum intentio detorqueri valeat; in nullo tamen ejusmodi loquendi stylus aptius, & convenientius applicari potest, quam in confectione liquoris Alchaest, etiamsi longissimè distent.

Præterea concordant ambo in virium suarum admirabilitate, utroque siquidem præparata subjecto, effectus demonstrantur maximè admirandi. Cum enim hoc, sicut & aliud, tenuissima præditum sit substantia, mistorum corpora intimè pervadit, illa in diversas substantias priori simpliciores, ac tenuiores discerpens, ad utiliores, perfectioresque usus, pro humanæ necessitatis indigentiis; pluresque alias obtinent convenientias hic non enumerandas; inter quas tamen illa reticenda minimè videtur, quæ ad occultam ipsorum indagationem non parum conducit. Etenim in utroque magisterio quædam fit ad primam, ut aiunt, materiam reductio, in qua re id summopere adnotari velim, non solum per enarratum liquorem corpora in primam redigi materiam, uti monuimus, idest in varias, ac simpliciores substantias pro mistorum naturæ diversitate, quæ divisio, reductio putatur in materiam primam, sed quia substantiæ ipsæ redactæ fluentes conspiciuntur; tametsi Mercurius vulgi ab illo figitur, hoc est in igne permanens redditur; in qua re perspicuum fit, substantias quasdam æquè ac Mercurium homogeneas in varias partes haud esse secabiles, uti aurum, aqua, arenæ quædam species, & quædam alia naturæ ejusdem, quæ partium divisionem non admittunt, quemadmodum illa sunt quæ tam fortem miltionem seu simpliciratem non possident. Non tantum itaque corpora hæc liquore illo sic resolvuntur; sed ipsa pariter materia liquoris, dum præparatur, in primam retrahi materiam creditur, dum per magisterium artificiale solutionis, & coagulationis in aquam crassam diaphanam redigitur vulgari aquæ non absimilem, ex qua prædictus liquor corrumpitur, ac superatur, dum illum in aquam elementalem inutilem transmutat; tunc vero quædam ab ipso separatur pinguedinosa crassities, in qua igneam suam ac solventem virtutem extitisse crediderim: nec mihi constat adhuc, quare transmutationem hanc reticuerit Helmontius qui id tantum prorulit, quod quamvis dictus liquor incorruptibilis penè videatur, à suo tamen compari in servitutem reducatur, ac transmutatur, nec compar hoc revelat, quod elementalis est aqua ex qua mihi experimento innotuit liquorum corrumpi.

Id autem majori indagine, & adnotatione dignum admoneo, quod jam omnibus auriferæ artis indagatoribus sum revelaturus, quod in Hermetici secreti præparatione, omnium scriptorum consensu, necessaria est similis in primam materiam reductio, sine qua finem obtinere petitum, est penitus impossibile, quæ non est in aquam diaphanam, qua cuncta mista tanquam ex fundamentali ac originali elemento constare falsò putavit Helmontius, sed in substantiam purissimam maximè homogeneam, volatilem, digestam, & opacam atque etiam innati caloris plurimum habere dicimus, superfluitatibus, quibus in suo naturali statu scatebat, emundatam; non quia sui loci defectu ex accidenti fuerit infecta pueri leprosi similitudine, quod plures vel gravissimi Auctores voluisse videntur; sed ex vi seminis, ut alibi apertius disputabitur, atque id reductio in primam materiam dicitur; cum existimaverint illam esse materiam Metallorum generationi propinquiorem, in qua re mysticæ occultationis exemplum occulere, alioquin, ut verba sonant, falsa judicanda sunt; cum prædictum subjectum, ex quo prima extrahitur materia semen suum speciale, per naturam obtinuerit, quemadmodum in vegetantibus etiam idem innotescit: hæc enim in primam resolvuntur materiam, cum ad novam generationem per naturam ut efficientem, & per artem, ut ministrantem in eorum cultura germina sua proferunt; per hanc tamen generationem non in alienam tendunt sobolem, sed in propriam ac genuinam: ita pariter & in Metallis (non enim ferrum, v.g. ideo tale, quia vis spiritualis ab excremento suæ stationis prohibita fuerit à fine, quo destinebatur, sed quia illa talem sibi assumpsit elementalem massam ex qua, & per quam suas posset naturales operationes exercere; alioquin sequeretur non unicam esse ferri speciem, cum accidentia, quibus spiritus ille architectonicus prohiberi posset, etiam sententia illorum, qui contrarium sustinere videntur,

videntur, plura ſint, ac multiplici ratione in ſubjectam materiam intrudi queant: quare etiam ſi ex hoc Metallo philoſophorum dictus Mercurius extrahere.ur,& ad ſuam naturalem multiplicationem,& finem iterum duceretur, licet id ſit impoſſibile, nihilominus ex illo nihil aliud produci poſſibile foret, niſi ſpecies ferrea, dummodo ab alia ſpirituali vi potentiori evicta non fuerit. Non tamen negaverim poſſe contingere, quin ſeminalis ſpiritus poſſit à ſuo itinere accidentaliter exorbitare a cujus neceſſariæ circumſtantiæ defectu: ſed tunc negabimus productum eſſe ſpeciem ordinariam, & naturæ conſuetam, ſed monſtruoſam, & nothamquod tamen de ferro dici nequit: monſtra etenim rariſſima ſunt,ac vix duo æqualiter diverſis locis, & temporibus experimento deprehenduntur, quod & in vegetantibus, & animalibus pariter obſervari licet, hinc eſt,quod & philoſophicam præparatam materiam ulterius deducere per naturam, & artem eſt impoſſibile ſine additione ſolaris fermenti, cum ſine hoc ſuæ prædeſtinationis ultimum attigerit. Dicitur autem univerſalis multipliciter,at præcipuè, quia credita ſit per additionem alterius Metallici ſeminis ad quamcumque Metallorum ſpeciem redigi poſſe, cum in ultima ſuæ pluſquam perfectionis fixione altera fermentatione opus habea ,quam Lullius ſecundam appellat,ſine qua nec aurum,nec argentum exibit: alioquin niſi fermentandum prævaluerit, ad ſpeciem hanc, vel illam Metalli redigi minimè valeret. Et hoc arcanum ſicut dignuſſimum eſt,ita ab auctoribus non ita clarè detectum eſſe per eorum ſcripta apparet.

Præterea Metallicum germen ſeu corpus originale ac primum Metallorum in ſubterraneis locis,ubi naturaliter illa generantur, duplici nomine univerſa e dicitur; tum ratione efficientis intrinſeci; tum ratione materiæ corporalis, in qua illud operatur, & ratione quidem efficientis, quia Metallum non generatur naturaliter ex Metallo,ſicut ſtirpes,& animantia ex ſuis individuis mediante ſemine,ſed ex ſpiritu ſtellarum immediatè in minerarum cavernas effuſo,à quo individuum Metallicum immediatè profluit,& in illo quieſcit non ulterius progrediens, niſi per artem in Philoſophica generatione;ita per ignem diſponatur, ut vis ſeminalis per eumdem ignem aucta prolifica reddatur, quod tamen per ſolam naturam eſt impoſſibile. Cum igitur germen illud prædictum ex ſpiritu univerſali nondum in aliquo corpore ligato in generationem ſibi debitam urgeatur,immediatè univerſale jure dicetur,non tamen quia ſingula Metalla ex unico ſingulari ſpiritu univerſali producantur, ſed quodlibet ex ſuo ſpeciali, ſicut quodlibet plantarum, & animantium individuum; quamvis nomine tenus dicantur ex Mercurio cuncta progigni;at Mercurii in ſingulis Metallis eſſentialiter ac ſpecificè differunt: non diſſimili ratione ac plantæ, quæ licet omnes ex ligneo corpore, ut & animalia ex carneo conflentur,lignum tamen à ligno, ſicut caro à carne eſſentialiter diſtinguuntur,quod idem ſit in Metallis,quæ quamvis videantur ex Mercurio prodiiſſe, nemo tamen ſibi perſuadeat ex Mercurio vulgi, nec ex Mercurio quodam univerſali prodiiſſe, ſed ſingula ex ſingulari,& proprio ſuo ſemine,quod Mercuriale apparet ex ſimilitudine ad ſenſus, ſicut & in lignis prædictis, & carnibus, quæ in quibuſdam accidentibus conveniunt, ſed in natura eſſentiali intrinſeca ſpecificè diſtant.

Ratione tamen materiæ ſubjecti dici quoque poſſunt Metalla ex univerſali corpore conflari, quoniam non ex corporeo ſemine parentum,ſicut in plantis, & animalibus fieri apparet: at immediatè ſolum ex alimentis per ignem præparatis ac diſpoſitis, & in vaporoſam ſubſtantiam in unionem redactis: & hoc ideo, quia in his non ſunt inſtrumenta; quibus ſeminale corpus in ipſis intrinſecus ad novam prolem edendam conficeretur.

Cum igitur in prædictis,& in aliis pariter ambo illa magiſteria maximè convenire videantur,non mirum videri debet,ſi quis in errorem facilè incurrere queat, ſicuti de facto prædicto Autori, & aliis etiam contigit, alterum pro altero accipientibus, quod ne in poſterum contingat,eorum quoque differentias ſubnectere oportebit.

DISCEPTATIO XIV. ET ULTIMA.

De Liquoris Alchaeſt, & Mercurii Philoſophici diſcrimine.

SImilitudines,atque convenientias inter duo prædicta magiſteria quamplurimas eſſe oſtendimus, & multò plures etiam addi poſſent,non quidem in ſubjecto, in quo non tantum ſimilitudinem, ſed omnimodam identitatem ineſſe monuimus,ſed in operandi methodo:at ſi qui penitius eadem ſcrutati fuerint,ſuperficialiter, & extrinſecè invicem convenire apparebunt, cum in rei veritate plurimum, & longiſſimè diſtent, tum ratione effectuum ab ipſis procedentium.

Quamobrem cunctis arcana hæc inquirentibus ſummopere proficuum eſſe duximus, ſi differentias quoque inter utrumque opus patefaceremus,nimis vero tædioſum foret ac indecens etiam, & ſingulas differentias ſingillatim recenſere, ſed eas dumtaxat, quæ utiliores ac principaliores videbuntur.

Differunt ergo primum, quod liquor ille prædictus ſolvens eſt merum artis opus Philoſophicus Mercurius, ſicut & lapis perfectus ſolius eſt naturæ modico artis juvamine. Deinde quia in hoc ſubjectum ulterius perficiendo ducitur.In illo è contra deſtruendo à priori naturæ ſtatu removetur. Liquor ille præterea in fine ſuæ præparationis volatilis,& ab igne fugiens eſt.Mercurius vero dictus in ſuæ pluſquam perfectionis complemento finali fixiſſimus eſt; quamvis in penultimo termino regenerationis ſit etiam fugitivus, & facilè etiam alterabilis, niſi per ſibi gratum ferculum juvetur, quo ad ſtabilem fixitatem, & permanentiam ducitur.

Illæ ſub aquæ forma finaliter conſpiciendum ſe præbet.Hic vero ſub forma craſſa,viſcida,& fluida.Quamvis enim hic quoque in ſuæ operationis curſu ſemel videatur ſub ſpecie aquæ elementalis diaphanæ,hoc ſolum evenit in naturali ſublimationis circulatione, cum ad ultimum perfectionis non pervenerit, at aqua illa extra vas ab Artifice tractari nequit ſub eadem forma, quoniam aqua eſt rei ipſa non elementalis,ſed Metallica ex vapore philoſophici ſubjecti exiſtentis inferius orta,hic enim jugiter in ſublime ſcandens ibidem condenſatus, nunc roris, nunc guttarum majorum,aut minorum effigiem præ ſe fert, quæ guttæ ſubinde auctæ diverſos rivulos pariunt ad ima fluentes, rurſuſque reſurgunt longo tempore ſic aſcendentes,& hoc vaſe arctiſſimè ſigillato,cui ſi quid vel minimum rimulæ contigerit, illicò deſinit vaporis aſcenſio ad fundum, unde proceſſerat,recidentis,quod Amico experienti bis caſu quodam accidentali ſucceſſit,cujus cauſam diù inveſtigans hanc fuiſſe crediderim.

Cum enim ſuſpicarer opus penitus deſtructum, vel ſaltem debilitatum exiſtimans aliquid per rimulam evanuiſſe ob ſibilum, qui clarè percipitur, inveni nihil detrimenti ſenſiſſe materiam, quæ novo vaſe, ut prius optimè obturato, recondita non minori potentia prædita circularem ſublimationem, ut prius, exercebat: quæ

quare intellexi, sibilum non ex vaporis metallici exitu proveniſſe, ſed aeris, hic enim dum in inferiori parte ex fontinæ calore rareſcit, & ex vapore ab ipſa ſurgente extruditur, in ſuperiori condenſatur, ut ſcilicet aeri ratefacto, & in vaporem redacto per ignem ſubjectum, locum cedendo præbeat. Hoc verò ſenſu deprehenditur non ſolum in vapore pulcherrimum itidem patiente, ſed in ſubjecto limpidiſſimo, cœlique colore fulgente fonticulo viſibiliter tumefacto; quare neceſſario ſupernus aer modicè refrigeratus, & novo ſuccedente continuè vapore compreſſus denſatur, & craſſeſcit, ut hinc reddatur aptus ad gravem vaporem metallicum ſuſtinendum, ſi nullus pateat ingreſſus, alioquin exiens aer dum ad naturalem ſtatum, à quo violenter denuò redit, qui reliquus eſt rareſcens ineptus eſt ulterius, ut vaporem graviſſimum firmiter ſuſtinere valeat, ideoque ad radicem recurrens evaneſcit, interim opus nullatenus infirmatum deprehenditur; nam vaſe recenti occluſa materia iterum eodem modo circulariter ſe movet, donec tandem in fine quieſcat, & planè figatur.

In Alchaeſt vero non ita ſe res habet. Hic enim poſt ſuum ultimum perfectionis terminum ſub aquæ forma remanet ſemper nullatenus coagulabilis neque per ſe, neque per aliud additamentum: ſicut enim cuncta quæque miſta diſſolvit non in elementa; ſed in partes ſubſtantiales ſimpliciores: ita per nullum repatitur ullatenus, ſed ab omnibus omninò ſeparatur.

Ad hæc opus Alchaeſt igne vehementi paratur. At opus phyſico-chemicum igne non ſolum imbecillo indiget, ſed maximè remiſſo, uſque adeò, ut ſi quid limites excedat, actum ſit de felici ſucceſſu: nec majus arcanum profundiſſimè ab Artificibus occultatum in tota praxi reperitur, quam in igne per ſuos gradus, & puncta temperando.

Illud quoque difficile eſt intellectu, arduum, atque in ſuo Magiſterio laborioſiſſimum. At hoc obſcuriſſimum, & implicatum ita, ut vix deprehendit queat, ſed poſtquam integrè cognitum fuerit in ſui operatione, facillimè peragitur, ut nemo, niſi qui viderit, credat.

Liquor Alchaeſt metalla imperfecta in majorem imperfectionem deducit, quantum ad naturalem ſtatum, dum ea in diverſas ſubſtantias dipeſcit, licet quantum ad medicas virtutes ſpectat, illa potentiora, ac efficaciora ægritudinis arcendis reddat.

At philoſophicum elixir imperfecta metalla perficit, veréque & realiter tranſmutat, nec vi medica debiliori pollet, immo longe majori, ut nulla hactenus inventa medicina fuerit illa tutior atque ſublimior; hoc autem non leviter eſt adnotandum, nequis ſibi falsò perſuadeat, ſicut & Helmontius in hac re deceptus quoque fuiſſe videtur, per prædictum artificialem liquorem poſſe philoſophicam medicinam ad metalla verè, & non ſophiſticè tranſmutanda ullatenus præparari, quinimmò per opus Alchaeſt ſubjectum phyſicochemico magiſterio neceſſarium per naturam magna ſollicitudine compoſitum, mirabilique, proprietate dotatum à ſuis proprietatibus, & virtutibus illis per naturam inditis longiſſimè removetur, adeò, ut amplius ad priorem conditionem redigi nulla ratione valeat; quamobrem impoſſibile penitus erit, ut per liquorem illum, aut illius praxim, opus phyſicochemicum compleatur: hoc enim in eo potiſſimum conſiſtit, ut ſubjectum ita ſuaviter, ac ingeniosè tracterur, ut ne minimum quid detrimenti ſentiat. Alteratur quidem perfectivè, ſed ita leviter, ac parcè, ut interior vis ſpiritualis ſeminis, atque corporea elementorum compago nihil omninò labefieri per ſua ſigna clariſſima innoteſcat, quod quidem facilè evenire poteſt, & quantumcumque minima læſione labile ſubjectum tangatur, ſtatim inquinatur, infirmatur, & necatur, & operationi prorſus inhabile redditur, quod ſatis apertè revelatum eſt à Bernardo Comite Trevirenſi in epiſt. & à nobis in orthechymicorum tractatu. Ultimum tandem diſcrimen eſt inter utrumque, quod phyſicum ad morbos quoſvis curandos efficaciſſimum fuerit ſemper habitum, & deprehenſum, præter alias, quas poſſidet vires ſummopere admirandas. Sed alterum artificiale per ſe ipſum neſcio ad quid interius aſſumptum valeat, cum nec Paracelſus, nec Helmontius de illo periculum aliquod ſeſe feciſſe recenſeat: nec ipſe patiter ſum experturus, cum arcana, quæ innumera ex ipſo parantur, ſatis eſſe poſſint, alioquin liquor uſu tali deficeret paulatim. In arcanis verò parandis potentiam, & virtutem ſemper eamdem conſervat, nec imminuitur.

Aliud præterea diſcrimen addi potuiſſet, quod nempe phyſicum opus multiplicativa vi à ſeminali potentia procedente polleat. Artificiale verò, utpote in quo ſeminalis poteſtas periit nec in ſe, nec in iis, quæ ſolvendo tetigerit, multiplicandi virtutem ullam poſſideat, quod tamen data opera omiſimus, cum dubitari poſſit, num virtus ea multiplicandi in Mercurio philoſophico verè repertiatur, necne? cum ei non ſit ab auctoribus tributa, ſed ſolum Elixir perfecto, & ad finale complementum deducto, de qua re alibi proprio loco diſputabitur.

Atque hæc ſunt, quæ Artificibus penſitanda offerre voluimus, ne deiuceps tam turpiter hallucinentur, aut ab aliis vel impoſtoribus, vel ignaris decipi queant. Et ut etiam in utroque magiſterio aliquid aliud ex me didiciſſe ſentiant, quod à Paracelſo difficulter, ac difficilius ab Helmontio retraxiſſent, cum uterque palàm profeſſus fuerit, ſe nihil de his magiſteriis revelaturos. Verum de phyſicochemico magiſterio copioſius propriis tractationibus me plurima hactenus in obſcuro deliteſcentia revelaturum promitto. Si vitam Nobis paulò diuturniorem incolumemque conceſſerit Deus Optimus Maximus, cui ſoli laus, gloria, & ſanctificatio in æternum.

METALLORUM *ac* METALLICORUM NATURÆ OPERUM ex Orthophyſicis Fundamentis recens ELUCIDATIO, *Qua eorum omnium Principia, Cauſæ, Proprietates, Generationes, Generationumque modi apertè ac fideliter enucleantur. Indeque* ARTIS CHEMICÆ, THEORICÆ, *ac* PRACTICÆ VERITAS & ORDO *revelatur. Methodo breviori, clariori, diligentiori ac firmiori, quam ab alio quocunque, ſeu ex veteribus ſeu ex Recentioribus hucuſque ſcriptore præſtitum fuerit. Opus ſane cunctis veritatis Sectatoribus non minus utile quam gratum,* Authore LUDOVICO DE COMITIBUS *Maceratenſi, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctore,* Sereniſſimo FERDINANDO II. *Medices Magno Etruriæ Duci.*

METallorum, provinciam nimio quidem inviam & aſperam Magne Dux Sereniſſime diutiùs profundiore mentis acie perſcrutantem, in ſuas me tandem perduxit ædes veritatis claritas, ut copioſam cognitionis meſſem illinc referre valuerim. Sic metallicus in duriorum montium profundo conſimili fodinarum ſcrutatione ad locupletes pretioſaſque venas ducitur ut inexhauſtum inde theſaurum exantlati

laboris pretium ſit adepturus. Hanc ſæpiùs mecum ipſe jugi meditatione revolvens, non aliter quam metallici rudem ſubinde mollem inventam à ſordibus igne repurgant, ut indagatæ veritatis puritas ceu metallica maſſa jam defæcata ſuo ſplendore præniteat. Niſi enim pluribus errorum ac falſitatum fœcibus, ac impuritatibus, quibus adhuc fœdata manſit, expurgatur; ſicut foſſile corpus informe recrementis, quibus ſcatere ſolet, non emundatum ad humanos uſus prorſus inutile haberetur; poſtquam verò ſic fuerit utraque mentalis nimirum, corporeaque reperta materies, in finalem ſinceritatem redacta, tunc demum ad mortalium neceſſitates, & ornatus idonea reddirur: at vero metallorum pars major ope artis elaborata ad ærataria & aulas Dominantium ditandas, deornandaſque devolvitur: ita pariter eorundem clariori ſpeculatione refulgentem doctrinam æquum eſt ad Principum manus deferri, ad eos potiùs, quos non gregaria naturæ cognitio delectat. Ubinam poſſet aliam ſibi gratiorem, tutioremque ſtationem offendere? Quod ſi cui talium poſſeſſio jure convenire videatur, Celſitudini ſuæ ſpecialiter ob excelſa præclaraque, quibus præfulget, Majeſtatis lumina, offerenda erit, ut unde metallis ſui vultûs imagine radioſa pulchritudo augetur, iſthæc eorundem inde tractatio magna ſapientiæ tuæ amplitudine, ac eximio dignitatis fulgore ſplendidior redderetur. Vetùm cum libelli tenuitatem, meique ipſius ruditatem agnoſcerem, terrebar, nec ad ſublime ſolium tuum contendere auſus eſſem, niſi ſapientiſſimi Autiſtitis Rinaccini (cujus incomparabiles virtutes omnibus, ſibique imprimis conſpicuas hic recenſere ſupervacaneum foret) auctoritas, ac prudentia mihi ſummè veneranda labentem animum erexiſſet. Is ipſe monuit immenſæ humanitatis tuæ auram, quâ ſtudioſorum ſudores hæreditario more Avorum benigne recreare ſoles, mihi ſimiliter inſpirandam, favorabilemque gratiam ſperandam conceſſum iri. Non enim alto carere myſterio crediderim, quod Majoribus tuis Planetarum ceu Metallorum Symbolum regio ſtemmate geſtari libuerit, ut ſcilicet quam placido foveantur influxu ſcriptores de Planetis atque metallis arcana tractantes patenter oſtenderetur. Quidnam aliud præſefert ille rubentium quaſi luce flagrantium ſphæratum congreſſus, ubi tria lilia in ſuperiori globo Dianam triformem Phœbeo ſideri connexam ſignant? quinque reliquis minorum errantium characteres demonſtrantibus? Quamobrem hac fiducia fretus hoc metallicum Celſitudini ſuæ opus vel impar offerre conſtitui. Quod tametſi mole quidem levi, ſubjecti nihilominus ratione, gravitate non omninò exuta, immo non ſecus ac cætera cuncta miſtorum genera metallorum ponderibus, ita eorum, utpote primiorum homogeneorum imaginem non unico nomine graviſſimam: alias omnes naturales Philoſophiæ partes hoc ſuo pondere longe antecellere ſum arbitratus, cùm baſis ac fundamentum ſit, quo naturæ principia tendunt, & unde ſtirpium & animalium intellectûs, ſi ritè comprehenſus fuerit, pendet, ut ſuper eminenti judicio tuo bene (ut ſcio) cognitum eſt. Ne igitur dedigneris inſtar Oceani, qui lætabundâ fronte recipit exiguas non minus tortuoſi rivuli, quam ingentium fluminum undas, ex quo ſoles favore proſequi hunc meum plurium vigiliarum partum, quem ſi tibi arriſiſſe ſcivero, nil ultra, quod ardentiùs expetere poſſim, erit. Interim ex intimo cordis receſſu ad Triadem ſanctam humiliter enixè preces fundere non deſinam, ut Neſtorea longævitate te fœlicitare dignetur. Vale

Præfatio Altera *De ordinis ratione in noſtris Tractatibus obſervandi.*

Antequam ſeriò manus operi applicemus, neceſſarium eſt ordinem & methodum aſſignare, qua omnes noſtri tractatus digeſti fuerint, imò & diſpoſitionis eorundem rationem reddere, ne quicquam caſu vel temere factum eſſe videatur; ſed cuncta jure optimo præmeditato ac neceſſariò fuiſſe tradita; ſic enim clarior valde doctrina redderur, & memoriæ ſtudioſorum magis accommodata videbitur. Cum ergo una cognitionis via, per quam ad divinam penetremus, ut hinc ad veram quoque fœlicitatem pertingere valeamus ſit rerum naturalium vera, realis, recta, & non ſophiſtica penetratio, quam ſine illorum principiorum ac elementorum examinatione atque diſcuſſione obtineri neutiquam eſt poſſibile. De eo primus Orthophyſicorum liber de principiis primis, & elementis miſtorum diſcuſſionem dabit ex ipſo rerum fundamento, & veritate non ex aliorum placitis, niſi quatenus experimento ac rationi conſona fuerint.

At quia non ſatis eſt prima principia & Elementa cognoſcere niſi ſciatur, & modus, quo illa ſimul coeant & uniantur, & per quæ media procedant, quibus circumſtantiis, ordinibus & cauſis miſta cuncta componantur, generentur, diſſolvantur, corrumpantur, & in eadem prima principia & elementa redeant, vel in alias ſubſtantias aut vitrum finaliter, & ultimate redigantur, idcirco in ſecundo Orthophyſicorum libro de his omnibus ſufficienter traditum eſt.

Niſi vero hæc omnia ſacris literis conformia eſſent, & Prothoſopho, Archiphyſicoque Moyſi, ejuſque traditæ de prima mundi fabrica, origine & creatione congruerent, ac conſentirent, falſitatis aut erroris ſuſpicionem & anſam inferre Lectorum animis potuiſſent: propterea neceſſarium fuit primi ac ſecundi Geneſeos capitis, quibus prima phyſicæ Moſaicæ initio miro ordine recenſentur, explicationem afferre quantum ſcilicet ad inſtituti rationem ſpectare viſum fuerit, quod in 3. libro breviter expletum eſt.

Neceſſarium præterea fore judicamus non tantum miſtiones, & miſtionum modos inveſtigare; ſed & inſuper miſta ipſa pari methodo ac ordine ſcrutari, & primo ea, quæ primis principiis & elementis propinquiora ſunt rudiora ac imperfectiora, quæ meteora vulgo dicuntur. Hæc enim prima veluti rudimenta, viæ, diſpoſitiones, ac media ſunt, quibus natura ad cætera perfectiora miſta peragenda procedit, ut ipſis utpote clarioribus ritè cognitis facilioris negotio cætera ſubſequentia abſtruſiora cognoſcantur quod in 4. libro factum eſt ea ratione, quâ mira brevitate cuncta percipi poſſent, non tantam quæ ab aliis de conſimilibus miſtis hactenus conſcripta fuere, ſed quæ quomodocunque univerſaliter contingere poſſint in poſterum.

Ex Meteoricis verò miſtionibus ad perfectiora miſta procedendum erat ſponteneâ quadam ipſius naturæ neceſſitate, eo quod illa ſint homogenea, non ex parentum ſeminibus ovis ac ſpermatibus genita; ſed ex ipſo cœlo & elementis immediate per meteoricas quadammodo miſtiones orta, ex quibus etiam alimenta & ſubſtantiæ ad cætera miſta, ſtirpes ſcilicet, & animalia corpora excipiuntur, propterea de his fusè peractum eſt in 4. noſtrorum orthophyſicorum libro.

Naturam vero metallicam apprimè cognoſcere non valemus niſi quod ipſa poſſit non tantum per ſe ſolam ſimpliciter, & in primo ſuæ operationis actu, ſed etiam ope artis obſtetrices manus præbentis, cognoſcatur, quo ſcilicet ipſiuſmet naturæ poteſtas unà cum arte tendat ulterius, & quid

& quid ejus seminalis cursus in reiteratione suorum actuum in finali complemento manifestet, sicut id quoque observatur in genere animalium ac stirpium, in quibus mirabiles patrantur effectus, & opera penè incredibilia fiunt, si natura manus artificum auxiliatrices inveniat, quæ per priorem solius naturæ virtutem, nunquam efficerentur, idcirco necesse erat Orthochymicorum tractatum elaborare, quo metallicæ seminalis vis, cursus, ac finalis terminus theoricè demonstraretur.

At quoniam non sat erat id totum theorice declarare, nisi hoc idem etiam per praxim, quantum res ipsa patitur & justa ratio dictat, & cunctorum veterum ac recentiorum magistrorum admonitiones & exempla permittunt ostenderetur, quod in Tractatu de Ovo Trismegisto factum est sufficienter.

Attamen quia Chymica veritas quibusdam hujusce mundi sapientibus incredibilis; aliis vero incerta & occultæ nimis, aut scibilis nequaquam scita existimatur, propterea Oedipo nostro fuit opus, qui præcipuas ac nobiliores scriptorum sententias abstrusiores enodaret, ut sic multorum testium comprobatione Veritas firmior ac dilucidior appareret.

Denique quæ universaliter ostensa sunt in pluribus, specialiter etiam in uno solo summatim & ordinate comprehensa declararentur, ad majorem quoque veritatis præscripta evidentiam addimus ultimo scholia, & clavem Alphidii, qui propter antiquitatem, peritiam, atque fidelitatem apud ceteros subsequentes authores magnæ semper habitus est authoritatis ac existimationis, atque sic universalem de metallis discussionem complevisse credimus.

Ceterum de plantis & Animalibus disceptatio instituenda foret, & potissimum de homine, qui longiorem disputationem exquireret propter suæ naturæ supereminentiam. Verum tum quia compendii, quod profitemur limites ejusmodi tractatus egrederentur, tum quia plura ad id spectantia ex præhabitis comprehendi possunt, unum tantum superaddere visum est expediens ac necessarium Orthomedicorum scilicet doctrinam ex præjactis orthophysicorum fundamentis depromptam explanare methodo non vulgariter consueto, ne ad nauseam usque redegisse videamur, sed clariori, breviori, fortassis quoque firmiori à nemine hucusque traditam. Et hic erit Tractatuum omnium ad plenariam propositarum rerum cognitionem pertinentium finis.

METALLORUM *ac* METALLICORUM NATURÆ OPERUM *ex Orthophysicis Fundamentis, &c.*

PROOEMIUM.

QUicquid in hoc amplissimo rerum creatarum Theatro humanæ cognitioni sese contemplandum offert, vel principium est, & causa, vel ex his productum. Principium duplex dumtaxat esse cognoscitur, extrinsecum ad ea, quæ ex principio suæ essentiæ compositionem sumunt; quod propriè causam vocant. Vel intrinsecum, quod rei compositionem tanquam sui partem essentialem, & portionem ingredi, & cum ipsa permanere oportet, & hoc propriè principium appellari decet. Extrinsecum adhuc triplex; vel infinitæ potentiæ, & hoc Deus est, vel terminatæ, certis videlicet limitibus circumscriptæ, & hoc naturaliter operans, quod naturam appellare consueverunt, non tantum eam, quæ cuicumque rei individualiter ex intrinseco in quocunque subjecto sit, suam actionem exercet universaliter. Aliam liberam quam Artem hic appellare non erit inconveniens.

Principium intrinsecum tria elementa corporea Terra, Aqua, & Aer, Ignis triplici perfectione dotatus mediam naturam obtinens, & spiritus, qui duplex adhuc existit, vel rationalis, ut Anima rationalis Hominis, & Intelligentia, vel ratiocinationis expers, ut Spiritus Astralis, seu influxus, à quo rerum omnium seminales rationes originem, & fundamentum capiunt. Quæ autem ex his principiis producuntur tria tantummodo demonstrari queunt. Vel sententia, ut Animalia. Vel Vegetantia, ut Plantæ, Vel Subterranea, vegetatione carentia, ut hacteuus, quamvis immerito, existimata fuere, quæ Mineralia Recentiores nuncupare sunt soliti. Inter quæ media quædam sunt, extremorum naturam participantia, ad quæ principia, quæ secundaria dicta sunt, reduci commodè queunt.

De Principiis igitur, quantum quidem tenuitati nostræ concessum est, & rei necessitas postulare visa est, sufficienter pro instituti nostri scopo determinatum est in nostris Orthophysicorum libris, methodo (ni fallor) adhuc intacta, brevitate claritate, ac infirmitate non injucunda, nec aspernenda; ubi etiam plurima, quæ ad animalium, & præsertim Hominis, naturam genericè cognoscendam spectare videbantur, accurata indagine perquisivimus. De Metallicis, ac secundariis principiis quamplurima innuentes tetigimus, unde stirpium quoque natura generalis quadantenus conjici potuit.

At cùm Metalla, utpotè quæ propinquiora principiis apparent: clariorem, si exactius cognita fuerint, doctrinam physicam scrutantibus insinuare possint, exactiorem, ac specialiorem discussionem experete nobis visa sunt: quinimò si horum traditio relinqueretur, Orthophysicorum tractatio manca, & imperfecta juremerito esset existimanda.

Neque hanc solum utilitatem hujusmodi disquisitioaem allaturam credimus, sed quamplurima, præterea ad medicam peritiam, & ad Artem, quam Chemiam appellant summopere conducentia, imò penitus necessaria, recolligi apparebunt.

Et hinc, quod est omnium maximè utillimum, summa Dei Omnipotentis Sapientia non tantum intelligi, sed penè conspici humanæ creaturæ conceditur; ut inde in eum amor consequenter ardentior excitaretur, ac in nominis ejusdem sanctificationem mens humana promptior ex gratitudine redderetur.

In hac tamen Metallorum inquisitione eorum Historias, inventiones, fossiones, purificationes, cæteraque praxes prosequi non intendimus. In hoc enim argumento satis lueulenter versati sunt Viri quamplures eruditissimi Plinius, Georgius Agricola, Auctor Pyrotechniæ, Cardanus, Matthiolus, aliique non pauci, penes quos qui id curiosius intelligere optaverit, quicquid ad hanc tractationem spectat; facilè exquirens inveniet.

His igitur suppositis, atque relictis, sicut etiam iis, quæ in Physicis universaliter de principiis, elementis, etiam specialiter de igne, & spiritu determinata sunt, ad ulteriorem inquisitionem sermonem directuri sumus, ut hinc specialius percipi possit quantum ad Metallorum principia, causas, generationem, proprietates circumstantias, ac modos ad generationem necessarios conducere videbitur, ut eorum natura perfectiori modo, quam fuerit possibile studiosorum, ac philosophantium præsertim cognitionem patenter innotescat.

Transmutationis verò Theoria in Orthochemicorum opere, praxis in alia de ovi Trismegisti tractatione uberius revelatur, cum hic summus tantum labiis, ut dicitur, degustandam obtulerimus. Ab hoc sanè labore libenter supersedere voluissemus, si quos innumeros quoque hoc idem tractantes pari liberalitatis candore persecutos fuisse conspexissemus: at cum plerosque invidos, obscuros, avaros, ac data opera implicatos, nimisque universaliter doctrinam tradentes cuilibet inquirendi passim inveniri pernotissimum sit: operæ pretium non leve facturos speramus, si quæ nobis ex diuturnis in practicis operibus experimentis, atque in Theoricis speculationibus nova, clariora, ac certiora, nec purgatioribus auribus indigna visa fuerint, scripto comprehensa ad inquirentium utilitatem in medium proponerentur. Neque enim hic scriptorum sententiæ quomodolibet receptæ sive à veteribus, sive à recentioribus subscribere intendimus, nisi eadem rationibus apertis, ac firmissimis, non dubiis, neque incertis, sed necessariis, ac nostris probatis principiis convenientia inniterentur, sicut enim plurima ex Chymicis operationibus huc transferre scriptoribus placuit, quod optimum inquisitionis genus fore, & jure quidem putavit Albertus; Ita multum inde obscuritatis metallicæ naturæ cognitionem impedientis derivare constat, ne artis illius arcana religiosissimè tecta in vulgus prodita vilescerent.

Hinc acutissimus Geber protulit, eum ab arte illa longè removeri, qui principia naturæ scilicet metallicæ causas, generationem, & generationis modos in se ipso generavit, cum veram radicem non habeat, ubi suæ intentionis firmet fundamentum. Quamobrem licet aliud utilitatis ex nostris hisce sudoribus provenire sibi nemo speraret, hoc tamen unum spondere non erubescimus, quod liberaliori saltem, ac sinceriori animo omnia sint exarata. Inter cæteros verò, qui de hoc subjecto aliquid memoria dignum posteris tradiderit, quod nimirum spectaret ad Theoricam Metallorum cognitionem, neminem acutiori, sinceriorique lance librantem invenire contigit, præter Albertum cognomento Magnum qui utpotè in abstrusioribus Chemiæ operationibus versatissimus Metallorum naturam apprimè cognitam sensibusque ipsis inspectam habere potuit, quem immerito sæpius Georgius Agricola carpere ausus est, ex hoc potissimum, quod Chemicæ Arti addictum à veritate aberrasse crediderit: cum potius contra inde illius de metallicis rebus judicium certius habere debuisset, quod scientiæ illius peritissimus exstiterit: cujus peritiæ ignarus Agricola Metallicam, de de qua scripsit, materiam imperfectam, vel erroneam pluries in suis tractantibus attulit.

Dividimus totam hanc inquisitionem in quatuor libros. In quorum primo de Metallorum natura in genere. In Secundo de proprietatibus eorundem. In Tertio de Differentiis, & speciebus singularibus. In Quarto de Mediis Mineralibus dictis.

LIBER PRIMUS.

De Metallorum Natura in genere.

CAP. I.

De modo universali, quo Metalla, & Metallica per naturam in suis locis generantur.

UT autem omnis posterius explananda de natura Metallorum doctrina clarior comprehendatur, modum universalem cum omnibus circumstantiis expedit assignare, certum tamen & necessarium, quo in Terræ visceribus Metalla, imo, & subterranea cuncta naturaliter generantur. Ut ita veluti basis, & fundamentum, cui tota posterior construenda fabrica inniratur, quod totum innotescet tum ex principiis lumine naturæ, atque sensibus manifestis, sive ex iis, quæ per prædicta principia probata fuerint: tum ex experimentis, quæ jugiter per expertos Artifices reperta, & scita extiterint.

Cum ergo Metalla, sicut & cætera mixta quæcunque, tam illa, quæ per naturam, quam per Artem conflantur, duplicem suæ entitatis causam habuisse pateat, materiam scilicet ex qua, ac efficientem artificem, à quo originem suam sortita fuerint. Metallorum materia, sive corporeitas, tum Artifex naturalis qui illa cudere sciverit nobis erit inquirendus. In his etenim major videtur difficultas, quàm in plantis, & Animantibus, quæ certum est ex patentibus mediantibus seminibus ovis, & spermatibus profluxisse. At non sic Metalla, quæ non ex progenitoribus metallis in suas species prodiere. Et licet universa, & singula, quæ in hoc Terrarum orbe reperiuntur ex elementis primis originem sumpsisse dicantur: nihilominus non pari ratione, nec modo eodem omnia, hoc enim de metallis specialiter asserendum erit: Siquidem hæc ex nulla alia dici possunt emanasse materia, quam ex elementis; hæc namque nullibi non existunt; sed qua ratione in Metallorum compositionem; fabricamque concurrant, quibus mediis, & instrumentis, quo progressu, & ordine, qua virtute, ac operante Architecto suas diversas species obtinuerint, non sat huc usque manifestum, nec à Scriptoribus evulgatum videtur, ne forsan mysterium quod inde liquidò percipi poterat, vulgo prostitueretur.

Demonstratum est autem in Orthophysicis calorem ab igne nihil omnino differre, nisi secundum plus, & minus, ut calor sit ignis inchoatus, & immutatus. Ignis verò calor completus, perfectus, & ad subjecti naturam, & exigentiam auctus: & Ignem cum luce idem substantialiter esse, nomine tenus solummodo diversum pro diversitate officii, ac muneris: ut quatenus calefacit Ignis; quatenus illuminat lux: Sicut movens motoris nomine substantiæ eodem insignitur: hanc tamen substantiam non trine dimensam esse, neque corpoream nisi per accidens prout à subjecto, cui necessario inhæret hac, vel illa dimensione circumscribitur. Primum autem subjectum sibi propinquum conveniens, & affinitate connexum aërem esse, & per hunc tanquam per medium ad aquam, & terram transferri, ut sit primum, principale, & universale Naturæ instrumentum, per quod elementa corporea perficiuntur, moventur, & ad mistorum productionem disponuntur, & per hoc tanquam per proprium, sibique connaturale vehiculum substantias speciales Astrorum huc deferri ad mistorum productionem.

Deinde probatum est etiam non solum Ignem substantiam esse mere Spiritualem, hoc est dimensione carentem, sed Astrorum etiam virtutes, quas influentias dixere nonnulli, nescientes tamen, quid essent, & quomodo agerent, & has in fine sæculi commovendas præmonet Servator Dominus Noster JESUS CHRISTUS, atque ibidem ostendimus vim omnem seminalem speciem quamcunque distinguentem, ac propagantem ab hac substantia cœlica spirituali per Ignem, seu lucem tanquam vehiculum ad inferiora transfusam dependere, & potissimum à Planetis, in quibus singulis singulæ virtutes tanquam in frontibus, unde rivuli derivantur, residere: sicut in Sole ut in propria

sede

sede ignem consistere, ut per ipsum principalem lucis, & Ignis auctorem cæterorum lux debilior, & virtus unicuique propria validius exploderetur.

Probatum est tandem substantias has universas tam corporeas, quam Spirituales in gratiam Hominis esse conditas, ut illo tanquam in Epilogo omnes creatæ substantiæ, imò & Divinitas ipsa quodammodo complicarentur.

Sicut ergo corporea Hominis moles pluribus opus habuit elementis diversis proprietatibus ornatis, ut ex illis carnea compago, quæ ad functiones sibi injussas exercendas requirebantur construeretur. Ita Spiritualis Vis non unica sufficiens erat ad tot instrumenta, organa, universamque (ut aiunt) organizationem conflandam: ideoque sicut corpus non ex elementis immediatè, sed ex materia in diversis instrumentis, & partibus elaborata compaginari debuit. Ita pariter & specialis substantia, à qua corporea massa dirigitur coarctari oportuit suis numeris, ac legibus, ne huc, illuc errans vagaretur, & propterea semen à Creatore injunctum est, velut principium primum, & scaturigo propagandæ prolis, ut per varios, & multiplices gradus à parentibus inchoatum in progenici complementum, ac perfectionem ascenderet. Hoc eodem modo licet inferiori perfectione plus minusve Animalium brutorum generationem procedere manifestum est; necessaria tamen in his fuit sexus utriusque distinctio propter rationes alibi enarratas. Plantas verò, utpote non tot organis, & instrumentis indigas, non in diversitate sexus, sed in unico dumtaxat parente seminis, seu potius ovi fabricam molitas esse ad suæ sobolis generationem, ac propagationem liquidò apparet, attamen quibusdam indiguisse, cum in illis partium differentia manifesta conspiciatur. Memoria verò hic repetendum est, semen non in rigore accipi, sed pro ipsis etiam spermatibus, & ovis. Semen enim propriè non est, nisi virtus spiritualis Astrorum in ipso semine, licet multiplex in unitatem redacta.

Ex his aperte dignosci potest Metalla, utpote homogenea, nullique organorum; aut instrumentorum necessitati addicta parentum semine variis instrumentis, & partibus elaborato non indiguisse, sed ex ipsis elementis, atque virtute spirituali Cœlorum immediate fluere potuisse. Substantia enim Stellarum incorporea jam prædicta, cum omnia pervadat, ac durissima quæque sine resistentia penetret cavernas interiores terræ pervadens, si materiam aptam, sibique necessariam non inveniat, vel nulla fit generatio, vel abortiva & spuria: At si convenientem, idoneamque offendat cum necessariis circumstantiis loci præsertim solidi, clausique cum igne sufficienti, statim suæ prædestinationis munus obire incipit. Spiritus namque ille unicus vel multiplex corpus sibi paulatim architectatur postquam ignis præparator sui muneris officium adimpleverit Et primò quidem aquam, quæ sola Ignis operationi subjicitur calore attenuando ratefacit, atque in altum sublimat, in qua sublimatione aër illi necessariò connectetur, quem sibi in superioti loco refrigeratur, inferius decidens connectit: aqua verò ipsa subtilior ex aëre, igne in tali destillatione redditur, terræ portionem solvit, rursus per calorem attenuata, ac elevata secum defert, iterum refrigerata reincrassatur, ponderosa fit, & ad inferiora recidit, atque sic jugiter destillando, commiscendo, plasmando, atque massam agitando tantum cujuscunque elementi sibi coadunat, quantum ad suas proprietates obtinendas, corporique suas dotes, & virtutes impertiendas sufficiat. Interim spiritualis substantia semsim per media quasi vincula constringitur corporeaque redditur, & ab opere eousque otiatur, quousque ad sui finale complementum ignis præparatio terminetur, tunc enim seminalis spiritus suæ naturæ proprietates exprimens residuum generationis complet, & pro varietate Spiritus à diverso Planeta profluens, diversum etiam metallum gignitur.

Credidere tamen nonnulli videntes in suis Physico-chemicis operationibus metallicas materias diversimode pro diversitate digestionum moveri, colorari, varioque id genus effectus edere, priusquam ad ultimum perfectionis gradum perveniant, consimiliter in subterraneis cavitatibus evenire, cum præsertim perfectiora metalla cuduntur, ut scilicet aurum generari nequeat, nisi ex argento & hoc ex aliis successivè pro perfectionis varietate, quod tamen mysticè, ac per similitudinem Auctores scripsisse sciendum est.

Spiritus enim Astralis à quo propria cujusque metalli species provenit idem est in principio, medio; ac fine generationis cursus: ab eadem siquidem virtute, à qua generatio cujusque specie incepit, ab eadem terminari necesse est: qua enim ratione, si Saturnia vis operationem inchoat, deinde ab illa cessabit locumque Jovi successori recedens concedet? aut quomodo solare semen, & Spiritus in generationis exordio suam potentiam cohibet, ut eandem in fine resumat? Nihilominus gradus nonnullos exigi in toto hoc generationis cursu intelligere oportet, non enim seminalis virtus materiam corpoream illicò aggreditur? Siquidem omne agens certas, ac necessarias sibi dispositiones præsupponit: universalis autem præparator nullus in Natura cognoscitur præter Ignem, qui per suos quoque gradus materiam per suas virtutes dirigendo communiter cuicunque spirituali potentiæ seminis disponit ex primis rudioribus initiis, quæ Meteora nuncupantur; quousque perfectioti ligamine elementa cuncta ad secundaria dicta principia perduxerit. Ignis namque subjectæ materiei dominatur tanquam Rector, & dominus, quousque seminalis virtus terminum dispositionum sibi opportunum inveniat, ut ipsa sive prius, sive posterius pro sua indigentia dotes naturaliter sibi debitas in materia indere incipiat: tunc enim Ignis non amplius, ut dominator, sed ut servus semini famulitium præstat: ut sic ambo junctim ad prædestinatum finem perfectionis opus adducant, ex prædictis itaque manifestum esse potest, metallicam materiam non unico Naturæ actu, ac simplici operatione à primo mistionis puncto ad extremam perfectionis metam percurrere; sed per plures gradus, & medias dispositiones sæpe etiam oppositas elementa huc illuc ferri, agitari, & circumvolvi, nunc frigore, atque calore, crassitie, & tenuitate, pondere & levitate, nunc volatilitate ac fixione (ut vocant) quousque tandem ad illum mistionis completæ finem perveniant, ad quem Spiritus interni efficientis vis, ac potestas juxta suæ naturæ proprietates ab initio vergebat. Atque hinc cujusque Metalli immo cæterorum omnium proprietates emerguntur. Hunc verò Spiritum in rebus similibus homogeneis unicum tantum saltem prædominantem existimare oportet. Si enim ab effectu, & fine noto ac manifesto latentium causarum existentiam inferre licet, cum unicus in unoquoque metallo finis, & effectus specie semper consimilis, & idem inspiciatur, unica solum erit assignanda effectrix causa. Sicut è diverso in Plantis, & multò magis in animalibus, in quibus tam diversa instrumenta: & organa observantur, ab unico ageute immediatè pendere nequeunt: ut fusius osten-

ſum eſt in Phyſicis. Atque inde organizatio, ſen Inſtrumentorum diverſitas primam ſuam originem deſumit ex diverſitate ſcilicet interioris Spiritus in diſſimilibus partibus ſpecie diverſi ab uno primo, & principali rectore velut inſtrumenti diverſi ad diverſos effectus edendos adhibiti. Hinc ſæpè contingit, ut in eodem loco diverſa metalla, & miſta inveniantur, quia ſcilicet virtutes ſpirituales non ab uno ſpiritu, tanquam à principali dominante rectore, & ut illius inſtrumento dirigantur: ideoque ſæpe in ſubterraneis obſervantur miſta quædam homogenea quidem, ſed varia configuratione prædita, ut in ſalibus, diverſis admodum formis angularibus coagulatis, & clarius in lapidibus nonnullis partium diverſitate donatis, in quibus prima quædam organizationis, ejus nempe quæ in plantis, & clarius in Animantibus explicata erat obſervanda, quaſi delineata initia, ac rudimenta ſeſe dant in conſpectum.

In miſtis tamen ejuſmodi homogeneis id quoque notatione dignum videtur, quod non toto ſuarum generationum tempore æquali ratione per ignem ferantur, quoniam modo facilius, modo difficilius, itemque altius, & humilius, nunc latiori, nunc ſtrictiori ligamine connectantur.

Et cum Ignis quamvis aeri primo jungatur, neque ipſum tamen, ſicut neque Terram immediatè localiter movere queat, ſed ſolam Aquam, quæ tantùm Ignis motioni obedit, patet primum elevatum vaporem ab aqua calefacta in Aerem aſcendentem ob aerem tunc in vapore dominantem per majorem ſui portionem ſulphuris nomine inſigniri: & dein ex multiplicato aquæ vapore, ipſaque dominante Mercurii: ac tandem Terræ quantitate in diem ſuperaddita ſalis: quæ jam principia ſecundaria ex prædominante elemento cum Igne vocari demonſtratum eſt alibi.

Prædictus verò naturæ ordo, quamvis rationis conſonus videatur, poterit facillimè inverti pro diverſitate agentis diverſimode variati, non quidem ſui reſpectu, qui ſemper unicus, & idem eſt, ſed reſpectu potentię, ac deferentis vehiculi, inſtrumenti, materiæ & loci. De quibus infra: unde non ſolum ordo, ſed effectus ſæpiſſimè diverſus contingere poterit.

Hæc tamen principia licet ſenſibiliter in miſtis omnibus per eorum ſive per artem, ſive per naturam reſolutionem, appareant; in metallicis tamen miſtionibus ab ipſo ſtatim exordio neceſſariò requiruntur. Cum enim hæc non ex ſeminibus, ovis, & ſpermatibus ſuæ generationis primordia ſuſcipiant, ſed ex elementis immediatè; patet hæc non poſſe ad metallorum extremum deduci, niſi per dicta principia ſecundaria tanquam per media neceſſaria tranſeant; ideoque principiorum nomine indigitari æquum eſſe oſtendimus præter alias, quas in orthophyſicis rationes attulimus. Neque hoc intelligimus vulgare completum miſtum, utpote per ſulphur id, quod vulgo ſic appellatur, neque per Mercurium Argentum vivum, neque per ſal illud commune marinum, quo (veſcuntur, quamvis aptiſſima proportione, & analogia non incongrue ſic appellari deceat. Quicquid enim in miſtis omnibus homogeneum eſt, non elementum, neque ad extremam terminatæ miſtionis ligaturam perductum, & miſtum tamen incompletè, & diſſolubile in componentia, ſi aereum ſit, erit conſequenter ab igne permeabile, ardebit ut ſulphur. Si aqueum ſine combuſtione ab igne fugiet, ut Mercurius. Si ſtabiliter in igne perſiſtat, Sal. & hæc cum ſint communia ſingulis miſtorum generibus, patet non aliqua ſpirituali virtute ſpecifica gubernari, ſed per ſolum ignem domicilium ſeminalibus ſubſtantiis quaſi famulum diſponentem, ac præparantem invicem ruditer commiſceri, & uniri, ut illæ deinceps ſuas perſequantur functiones, cæteroſque ſpecificos exercere valeant actus, ad quos ex vi propriæ naturæ collimabant.

Quæ omnia ideo hic à nobis ſic univerſaliter præponi opere pretium duximus, ut inferius, cum ſpecialius, ac ſtrictius de omnibus diſſerendum ſit, eadem repetere non cogamur. Ex his ergo, quomodo Metalla univerſaliter generantur per naturam facile percipi poteſt, quinimo proportionaliter etiam cætera omnia homogenea, quæ ſub terra coadununtur, & non abſimili modo, & ordine procedentia, diverſitate tamen prædictorum quatuor agentis; inſtrumenti materiæ, & loci diverſimode variata, ut cum de his ſigillatim ſuo loco diſputabitur, apertius patebit.

CAP. II.

De Cauſa efficiente Metallorum.

EX iis, quæ ſuperius de modo generationis metallorum univerſali præmiſſa ſunt, non difficile erit inquirere, quæ in hac diſcuſſione conſequenter cognoſcendo ſuperſunt. Et primò quidem de metallorum cauſa effectrice; nempe de naturali Artifice, & operatione, qui metalla conſtruat: in qua diſcuſſione inſtrumenta etiam neceſſaria veniunt inveſtiganda: hæc enim etiam ad cauſas effectrices reduci ſolent, quare ut ſermo hic de cauſis ſuis numeris abſolutus habeatur, quatuor neceſſariò perquirenda videntur, Primum, quæ ſit cauſa ſpecifica, quæ ſcilicet hoc metallum in tali ſpecie conſtituat; & an ſit intrinſeca, vel extrinſeca. Secundum, an unica ſit, vel multiplex. Tertium, quibus inſtrumentis opus habeat. Quartum, quomodo cauſa eadem à ſe ipſo quodammodo diverſa reddatur.

Circa primum, non hic naturam univerſalem, nec cœlum, ut communiter intelligitur, metallorum cauſam aſſignare poſſumus, cum hæc nimis communia æquè comperant Animantibus, atque Plantis, imò ſingulis Animalium, & Plantarum ſpeciebus. Sed quærimus, quæ ſit cauſa, quæ metalla in ſuas ſpeciales differentias ducat, & contineat. Neque dici poteſt, ſicuti Homo à Sole, & homine, & Planta à Sole, & Planta generari. Sic, & metalla: cum hæc, uti dictum eſt non ex Metallis producantur. Neque minus aſſignandus eſt ignis, ſeu qualitas aliqua (quam vocant) elementorum, quia hæc in orthophyſicis pluribus rationibus eſt exploſa. Ille verò cum ad omnia miſta indifferenter exigatur, non videtur, quomodo Metalla magis quam cætera per ipſum in eſſe metallico reponi debeant. Præterea neque dici poteſt virtus aliqua mineralis metallorum, lapidum formativa cauſa propria, & ſpecialis, à qua hæc generentur: cum ſic videatur aſſignari aliquid nimis obſcurum, ac univerſale ignaro etiam cuicunque pariter cognoſcibile. Sicut Lullius in principio ſui Codicilli reprehendit eos Chemiſtas, qui male ſubjectum artis tractantes illud infirmatum cognoſcunt, at corrigendi modum ignorant, Ruſticorum ſimilitudine, qui videntes hominem ægrotantem aiunt, illum morbo conflictari neſcientes cauſam, & modum determinatum; cum ſcientem oporteat ſpecialius cauſas, & modos, quibus quæque res fiat, & in ſuo eſſe conſerverur, aſſignare, Adhuc enim peti poteſt rationabiliter, quæ ſit ea virtus mineralis: quotuplex ſit; an ſimplex, vel multiplex: an intrinſeca, vel extrinſeca, & à quo priori factore procedat. Ex tali ſi quidem cauſæ aſſignatione adhuc latet inquiſitorem, an ex Cœlo immediante, vel ex mineralibus locis, & quomodo operetur.

operetur. Aliquid verò metallo generante insitum, & intrinsecum pro efficiente existimare valde minus rationabile judicabitur, cum efficiens nequeat esse pars compositi : propter quod elementa à ratione efficientis excluduntur : quia cum sint mistorum materia, patet hoc modo efficientem causam illorum haud esse posse, quia tunc idem se ipsum efficeret, quod est inconveniens. Secundo, quia elementa si efficientis dignitatem habere dicantur, cum innumeros in quantitate proportionis gradus subire possint, infinitos effectus ederent. Tertio, quia mistionis modus non solum ratione quantitatis elementorum, sed connexionis etiam formæ multiplex concipi potest. At mista, & potissimum Metalla, quæ numero sunt septem, mistionis ejusmodi mutiplicitatem non habent quattò, esset accidentalis, si esset in proportione, & adhuc ignotum esset, num ea virtus insita aliunde : & à quo in materiam deduxerit Ut his ergo singulis respondeamus id quod in Animalibus, & vegetabilibus contingit, proportionaliter quoque fieri in metallis nisi quod hæc ab alio priori parente suæ generationis exordium non habeant. Quare cum in Animantibus, & Plantis postquam fœtus sive in forma seminis, seu ovi, seu alterius perfectioris partus excissus fuerit, non ab alia virtute suæ perfectionis progressum, & finem assequitur, nisi ex ea, quæ intrinsecus ipsis innata, & connaturalis implantatur. Cum verò nihil in genito recognosci possit substantiale præter elementa tria corporea, quibus agendi virtus ex naturæ fundamentis denegatur, & ignem, qui propter suam universalitatem tali munere non dignatur; necesse erit aliquid aliud spirituale, à quo tota directio pendeat, supponere; ideoque pars compositi jure dici minimè poterit, nisi quia sit de ratione essentiali ipsius : tunc vero non erit inconveniens affirmare, hanc virtutem partem esse rei essentiæ, sicut Anima pars est Animalis, licet plures in ejus corpus actiones exerceat,

In Metallis pariter similis concedenda virtus erit spiritualis, cum hoc tamen discrimine, quod virtus hæc ex parentibus aliis consimilibus non fluat, neque ex Minerarum locis. Necesse igitur erit spiritualiter ab Astris dimitti, & potissimum Planetis ad hoc potentiori virtute præditis, ut metallicas mistiones singuli singulas formarent, tanquam prima elementorum ligamenta, ut hinc cæterorum mistiones ordine sequerentur, quod quamvis plurimi cognovissent; non tamen, qua ratione id contingeret, explicare, aut difficultates emergentes diluere curarunt.

Modus itaque quo virtus Planetarum spiritualis in subterranea loca descendit, non est nisi per lucem, quam sicut rerum imagines suscipere sensibus ipsis cognoscimus, ita eadem ex Planetis suscepta per aëtem in aquam, & terram interius, effundi oportet, quibus ut spiritualibus nihil resistere potest, quominus corpora cuncta pervadant, ibique si elementa, atque circumstantias necessario requisitas offenderint, suas imagines, ac proprietates, suæque naturalis potestatis munera in elementis obire incipiunt. Et quia particularibus instrumentis non indigent, sicut Plantæ, atque Animantia, ideo nec individuationem aliquam, sicut hæc recipiunt. Animalia etenim, & Vegetantia, quia virtutes has spirituales ex parentibus individuis suscipiunt; & ipsa individua necessariò ex individualibus circumstantiis cum ipsis concurrentibus oriuntur. At non ita in Metallis, in quibus talis individuatio non observatur, quia scilicet tota ipsorum species, tanquam unum individuum ex universaliori parente, nempe Astro proprio similibus necessitatibus circumstantiarum non obstricto sui ortus originem, & specificationem suscipit. Et ex hoc etiam apparet, quid ad secundum propositum responderi deceat, an videlicet ea metalis virtus unica sit, vel multiplex, ideſt, an spiritualis hæc Planetarum substantia in unico metallo sit unica, vel multiplex. Vegetantibus enim, quæ quandam instrumentorum necessitatem habere visuntur : talem virtutem necessario multiplicem concedere cogimur, & multo magis Animantibus, quæ præter instrumenta, sensuum organis indiguere. at in Metallis, quæ in suis partibus universis consimilem cum toto naturam, ac uniformem substantiam obtinent, ejusmodi multiplicitatem frustra confingeremus, cum ab unica satis, ac sufficienter dirigi possint, ideoque nec etiam semine opus habuere, ad hoc enim semina Animalibus, ac stirpibus concessa fuere, ut in illis plures in unum spirituales substantiæ constringerentur.

Atque hinc etiam constat, quare virtus hæc spiritualis Astrorum non ubique conjungatur, nec ubique dominetur, licet enim omnia in omnibus aliqua ratione reperiantur, quod in substantiis corporeis verùm esse sensibus ipsius cognoscitur; nullibi enim ex naturæ propensione aliquod ex elementis est, ubi non sint, & reliqua. Multo magis in substantiis spiritualibus hoc idem necesse erit accidere ad mutuam opem sibi præstandam in mistorum generatione, non tamen in omnibus suos effectus edere valent, pluribus enim circumstantiis, ac necessitatibus prædicta cœlica virtus quasi ligamine constringitur, quod in nostris orthophysicis, ubi de mistione disputatum est, pluribus explicavimus. Et ex hoc etiam Tertium in principio propositum explicari poterit. Cum enim unica sit operatrix virtus, & ad unicum semper finem conspitet, unicum quoque instrumentum patet, esse sufficiens nempe ignem, quo quasi malleo spiritus ille Architectonicus elementa concutit, efformat, ac rotationibus multiplicibus quasi ictibus circumvolvit. Et sicut elementi cujuslibet tantum suscipit, quantum sibi necessarium ex sua naturali vi sentit. Sic pariter, & ignis tantum sibi interius unit, quantum ad suas motiones, colores, sapores cæteraſque id genus proprietates metallico fœtui edendo exigitur

Quia verò instrumentum hoc maxime universale cognoscitur, magis tamen quam quodlibet aliud ex corporis elementis : ideo nonnulli tanquam efficientem credidere. licet enim, ut aliud quodvis instrumentum efficientis ratione aliquomodo insigniatur, & ad ipsam reducatur : ignis tamen potiori jure nomen efficientis meretur, cum per se ipsum ex propria potestate maximè sit activus : elementa namque tria corporea Terra, Aqua, Aër, etiamsi æquè universaliter ad omnia non minus quam ignis requirantur, tamen nullam penitus actionem ex propria vi naturali exercere valent. At licet ignis sic activus (uti dictum est) sensibus etiam liquidò innotescat : non tamen primarii, ac specifici efficientis dignitate poritur : Et quamvis etiam ipse spiritualium substantiarum numero adscribi alibi clarissimè sit demonstratum, ratione tamen suæ nimis late patentis universalitatis specificorum homogeneorum, & Mistorum cæterorum omnium actuum propria univoca, ac specialis causa haberi nequit. Ut autem de igne cognitio distinctior habeatur ex dictis quoque prænotanda, sub triplici monemus consideratione ignem cadere posse.

Primò in quantum vehiculum est spiritualis substantiæ stellarum : nam sicut Aër primum est corpus, quo ignis spiritus ad inferiora descendit. Sic ignis seminalem virtutem ab unoquoque Planeta fluentem in se receptam, ac impressam quovis locorum defert, & medium est, per quod virtus prædicta delata stabiliter inter misti elementa ligatur sine quo leviter alias evolaret.

Secundò intelligitur, ut movens elementa, sive ut principalis causa : sive ut instrumentum à seminali virtute directum, cum nondum mistionem fuerit ingressum, sed solum extrinsecè miscenda præparans, atque disponens.

Tertiò quatenus cum cæteris corporeis elementis ad misti generandi substantiam intrinsecè concurrit, ibique ad misti resolutionem usque permanet, & fit pars substantialis illius, qui tunc calidi innati, sive caloris naturalis nomine indigitatur : quæ ideo adnotatione digna censentur : quia ex varia quantitate ipsius per excessum, vel defectum, & diversa agendi ratione sæpe diversus, & ipse, & effectus existimatur : cum tamen perpetuò unicus sit, & simplex accidentaliter solum pro diversitate officii multiplex.

Ex prænarratis etiam comprehendi potest, quare Metalla tot ; septem scilicet nec plura, nec pauciora, ut infra cum de speciebus ipsorum clarius disputabitur, constabit : nisi quis nimis tamen ruditer contra omnium fere professorum receptas historias, atque Artificum observationes, in metaliorum numerum aliquid aliud ex mediis (ut vocant) minerallibus ascisscere præsumpserit : quia videlicet tot sint Planetæ, unde substantiæ prædictæ spirituales effectus emanare solent. A quibus singulis singulæ Metallorum species non regantur solum, sed constituantur.

Quartum denique, quod explicandum superest, erat examinare rationem, qua causa prænarrata tametsi unica, & unico Astro multipliciter tamen operari possit, ita ut diversa judicetur. Cum enim vehiculo lucis deferente indigeat, poterit ratione ipsius nunc directis, nunc obliquis radiis modo potentioribus, modo debilioribus simplici virtute propria ; vel aliena in butis defixi, quinimo, & sui ipsius cum cæteris configuratione ac situ, nunc efficacior, nunc infirmior, aliove modo inveniri, ut causa spiritualis unius Astri eadem diversos admodum effectus pariat. In quibus tamen semper aliqua suæ specificæ naturæ, & proprietatum inditia elucescunt.

CAP. III.

De Materia Metallorum.

Sicut ex prædictis in primo capite quid de causa effectrice statui deberet retrahi difficile non erat. Ita ex eodem, quid de materiali causa Metallorum inferri conveniat percipi facilè posset, nisi Auctorum non ignobilium in varias sententias abeuntium in hoc subjecto conscriptæ opiniones in hanc disputationem fusius protrahendam impelleret.

Quidam enim è longinquo nimis Metallicam materiam ab Aqua desumunt, eo quod ad ignem liquescant, quasi ea quoque ab Aqua non oriantur, quæ ad ignem non liquescunt, ut in Animalibus caro, sanguis, & excrementa. In Plantis succi, liquores, poma, folia & id genus similia, quæ majori etiam quam metalla, aquæ portione scatent, argumentantes quin etiam aquæ prædominantis existentiam ex una metallica proprietate, quæ est liquabilitas. Nec tamen idem inferunt de cæteris elementis ex aliis proprietatibus, ut ex coloribus, saporibus, & odoribus ignem : ex consistentia terram, quam etiam ex pondere (licet perperam) conjectantur alii sicut ex levitate majorem aëris quantitatem : ideoque sicut igne liquescunt, ita frigido congelantur : cum tamen Argentum vivum quod Mercurium vocant, nullo frigido, vel intensissimo congulari queat : quamquam facile coaguletur in soliditatem ; si Plumbo igne liquefacto in linteo suspensum superponatur nulla suorum elementorum intuitu secus commutatione, quamobrem addidere humidum illud debere in metallis unctuosum esse, & subtile. Sed qua ratione subtile hoc, & unctuosum paretur, & quibus substantiis, non explicant. Si enim ad prima recurrerent, non nisi ab iisdem elementis illos eosdem effectus desumere fateri cogerentur.

Neque id, quod distinguentes addunt, difficultates diluet : quod duplex nempe humiditas talis unctuosa reperiatur, alia igne combustibilis, alia igne exterminabilis : sed unde hoc accidat, ex tali positione similiter ignoratur. Non negant hi elementa universa ad metallorum generationem concurrere, sed humidum materiam dicunt, quod hoc cæteris prædominetur. Cum tamen in Physicis nostris aperte ostenderimus Terram in subterraneis ferre omnibus sua virtute, ac proprietate cætera elementa continere, licet ipsorum substantia tota fere sit Aërea, quam ponderis solam causam probavimus.

Fuere præterea, qui lixivium ex calce, & cineribus per aquam dissolutis Metallorum materiam esse scripserint : ut recitat Albertus, & reprobat : licet hæc sententia Democrito Auctori accepta referatur : quæ tamen non ita simpliciter, ut prima fronte, se præbet, existimanda videtur : cum Democritus, & cum ipso quidam in Chymicis operibus profundiores Artifices non ita intellexerint, sed mysticè, & per allegoriam locuti fuerint, & materiam non simpliciter humidam, sed cum metallico sale in modum lixivii, licet strictius colligatam insinuaverint, quas tamen opiniones, dum physica sinceritate naturæ opera examinamus, recipere non decet.

Pro hac eadem materia, quamplurimi Aristotelis potissimum Sectatores, vaporem quemdam, seu exhalationem ex elementis, vel mistis ortam recognoscunt, quam nonnihil veritatis habere fateremur, si modum & formam, qua id succedat, specialius, ac distinctius attulissent. At id quoque sententiam eandem sic universa liter prolatam rejicere cogit, quod sic dicentes videantur nescire quodlibet aliud mistum vaporabiliter generari. Siquidem animantium corpus nonnisi vapor est condensatus. Consimiliter etiam, & Plantarum, ut alibi probasse meminimus. Sunt denique Alchimistarum peritissimi ferè omnes, potissimum recentiores, qui pro metallica materia nullam aliam mordicus tueri nituntur, quam sulphur, & Argentum vivum, seu Mercurium, salem explodentes, quod non fecit cum quibusdam aliis Paracelsus, qui non solum Metalla, sed & reliqua mista universa, imò, quod absurdius videtur, elementa vulgaria ex his principiis secundariis dictis exoriri jactitat. In qua re meritò à doctoribus Philosophantibus exploditur; quinimò nec sal necessarium existimatum est ad Metallorum productionem juxta prædictorum Auctorum opinionem. Cum enim hæc ab initio mistionis ad ultimum usque coagulationis, & perfectionis terminum semper in volatilitate, hoc est in vapido, seu humido vapore torentur, non videtur qua ratione sal principium fixum (ut appellant) hoc est igni ratefacienti, ac sublevanti resistens ad vaporum, seu exhalationum compositionem concurrere debeat. Quare sale, licet unum sit ex tribus principiis, excluso, sulphur tantum, atque Mercurium pro Metallorum materia assignarunt.

At cum videant in Auro nullum sulphuris inditium haberi, tum quia nihil illius deperit igne quantumvis maximo, non olet, non inficit tractantem, nunquam denigratur, dixere sulphur duplex existere, quod comburitur alterum & alterum quod incombustibile Auri dumraxat compositionem ingreditur. In quibus omnibus difficultates innumeræ inveniuntur, quas ex tali positione emergere unicuique manifestum

festum est à nemine hactenus elucidatas. Non incongruum; nec inquirentibus inutile judicabitur, si de his omnibus longiorem sermonem instituamus, ut clarior, ac certior doctrina, sicut Physicum scientem non opinantem decet juxta nostri propositi institutum ex nostris laboribus colligatur.

Quamplurima etenim ex arte, quam Chemiam vocant, in hanc scientiam intermiscere voluerunt Auctores, ut Ars tam excellens non omnibus promiscuè comprehendi posset.

Quamobrem nonnulla de Principiis secundariis, quæ præludia veluti sunt, ac media, per quæ transire debent elementa, ut Metallicæ mistiones compleantur, ex Physicis huc repetere non gravabimus.

CAP. IV.

De Principiis secundariis Sale, Mercurio, & Sulphure.

PRincipiorum secundariorum necessitatem clarè cognitam quisque potest in mistis pluribus observasse, non quidem in eorum principiis, sed in eorumdem per artem, aut naturam patrata resolutione. Natura siquidem suis operibus quantum potest satagens eadem ab interitu conservare, & à totali ruina tueri procurans, non in elementa prima resoluta dispergit, sed in quasdam substantias corporeas homogeneas adhuc commistas, & priorum etiam mistorum virtutem redolentes: quod quamvis in cunctis ferè mistis observare liceat, nonnullis exceptis, quæ ob illorum fortissimam ligaturam ejusmodi resolutionibus non sunt obnoxia. In Animalibus tamen, ac Vegetantibus id clarissimum est, si quidem horum corpora si dissolvantur, ac partes dissolutæ conserventur, homogeneæ nonnullæ sub antiæ emergent, quæ nonnullis suis specificis proprietatibus dotatæ reperiantur: atque hæ res tantummodo nec plures, neque pauciores. Prima quidem igne flagrans. Secunda ab Igne sine combustione fugiens & alta petens: & tertia, quæ nec per ignem uritur, nec ab ipso evolans in igne stabiliter permanet. Primam Sulphuris. Secundam Mercurii. Tertiam Salis nomine jure merito indigitarunt.

Neque quis existimet velim ea intelligi composita, quæ sic vulgò appellari consueverunt. Vulgare siquidem sulphur non totum igne crematur, sulphur tamen jure dicitur, eo quod sulphuris proprietatibus abundet. Sulphur enim principium totum est cremabile. Ita nec vulgi Mercurius pro principio Mercuriali recognosci debet, cum jam completum, ac terminatum sit metallum, quod licèt totum ab igne fugiat tale deinceps invenitur, quale antequam elevaretur, erat. Quare metallum est Mercurialibus proprietatibus dotatum. At non Mercurius principium Secundarium. Sal quoque commune secundum plurimum sui per ignem destillatur, & in acidum Mercurialem liquorum vertitur.

Principia ergo dicenda erunt, quòd nec elementa sint, nec mista in ultimum suæ perfectionis terminum deducta, ad quem scilicet seminales internæ virtutes illa traxerunt. Sed media quædam sunt necessariò ponenda inter duo proposita extrema: In Metallorum tamen generatione, ut pote quæ ex elementis immediate procedunt, non solum hæc principia per resolutionem innotescunt; Sed in ipsorum exordiis necessario sunt admittenda; cum non detur transitus ob elementorum simplicitate ad Metallorum complementum sine medio

Quamobrem principia secundaria tunc dicenda erunt, cum nondum spiritualis internus Artifex proportionatam elementorum quantitatem sibi pro naturæ necessitate congruam attigerit: quod cum hoc fuerit assecutus, hanc reliquam mistionis partem, quæ est in materiæ prius commistæ massatione, proprietatum, & virtutum omnium counione, ac totali, & integra terminatione prosequitur. Sicut enim in cæteris mistis omnibus totalis generationis cursus ab initio ad finem quibusdam terminis, & limitibus distinctus manifestè cognoscitur eamdem proportionaliter distinctionem in subterraneorum generatione quæ videri nequit, necesse est admittere quod etiam in Artificiali Alchimistarum peritorum operatione liquet. In qua quia natura ipsa, ut principalis operatrix, & Artifex ut Naturæ Ministrator opus dirigit, consimiles quosdam terminos intueri licèt. Ita pariter in Plantarum & Animalium productione non solum eosdem terminos in progressionis non interruptæ cursu cognoscimus; Sed in iisdem sæpè diutius etiam immorari: ut in stirpium seminibus, & Animantium ovis, quasi fatigata ad validiores vires pro eo, qui superest labore resumendas, quiescit.

Tria verò esse nec plura, nec pauciora ex eo probatur, quod cum tria tantummodo nobis elementa corporea concedantur: à corporeitatis ratione, ignem excludentibus, virtutem in misto producendo unum ex his præ cæteris habere oportet. quod si illud Aër sit, Sulphur producet. Si Aqua Mercurium, & si Terra Sal. De quibus singillatim opere pretium est sermonem instituere, ut nihil, quod ad hanc cognitionem pertinere judicetur, desit. Concludentes ergo dicimus Principium secundarium esse corpus homogeneum ex primis elementis exterioris, ac interioris ignis virtute commistum, medium ad simpliciores perfectiorum Mistorum compositiones necessarium, & omnium aliorum resolutione conspicuum.

CAP. V.

De Sulphure.

NAturæ Metallicæ scriptorum nemiuem inveniri est, qui rem profundius attigerit quam qui veræ Chemiæ peritiam simul adeptus fuerit: nisi tractationem illam pluribus metaphoricis vocibus adeò fœdatam reliquisset, ut vix quid sibi ejusmodi verbis significare voluerit Physicæ studiosis percipi possit. In sulphuris tamen vocabulo certius innotescit, ut præsertim apud Auctorem tractatus de sulphure, qui in calce lib. peritos Artis allocutus, totumque arcanum referans, sulphuris hujusce nomine sæpius uritur, nunquam fere tamen eadem significatione primo pro subjecto vulgo cognito: ubi, ait: Intellexistis quomodo hoc sulphure vobiscum vulgus vidit? Deinde pro triplici diverso termino, quo per Physico chemicam operationem trahendo quiescit. ibi: Monstrate horum sulphurum dealbationem. Et paulo post pro inutili parte, quæ per naturam rejicitur: ibi sulphur exivit. Postea pro re completa, quam sulphure incombustibile nuncupat: ibi. Comburit ergo sulphur à sulphure incombustibili. Postremò tandem pro interno igne, cum subdit. Sulphure acuitur Mercurius noster. Quæ omnia fusius in Oedippo nostro Consolatorio enodantur. Lullius vulgaria Metalla sæpe appellitare solet sulphura, aliique cum ipso aliter vocem illam, ut artem occultent mystice usurpant. Ut videre est apud Theobaldum ab Hoglande lib. d. difficul. Alchemiæ.

Nos igitur, cum jam physica tractemus, metaphoricis hisce loquutionibus omissis communes rationes

tiones, quibus nomen hoc sulphuris accipi solet, nunc solum examinabimus.

Et primo quidem communissimum illud naturæ mistum hoc nomine indigitatur, quod Ignis pabulum maximè dilectum, eumdem facilimè concipit, & subterraneorum incendiorum causa perhibetur, cum per naturam accensum foras Flammas eructat, ut in Ætna, Monte Vesuvio, aliisque pluribus. Hujus similitudine quidquid Igne uritur, & flammam edit sulphureum non immeritò nuncupatur. Nos in nostris Orthophysicis non sine ratione excrementum illud sanguinis quod Antiquiores medici Bilem flavam dixere nomine sulphuris indigitavimus, licet propter humiditatis exuperantiam flammam concipere nequeat, in ipsa tamen, plusquam in cæteris excrementis sanguine, carne, & partibus aliis adipe excepto ignis plurimum, & aëris inde cognoscitur, ideo analogicè sulphurea fax dicitur. Principium ergo secundarium illud scilicet ex tribus, in quo ignis cum aëre supra cætera elementa dominium obtinet, apto sulphuris nomine prænotabitur, quod qua ratione generetur specialius est explicandum: ut hinc proportionaliter etiam quid de aliis omnibus sulphuribus, & potissimum vulgari, de quo specialius infra dicendum sit, habeatur, ac ipsius generatio, & natura intimius unicuique cognita pateat.

Nullum itaque elementorum, Demonstrabimus alibi, affinius, atque amicabilius igni aëre ipso, qui ob suam tenuissimam, ac pene spiritualem substantiam diaphanam, & perviam, cujusmodi non est aqua, multoque minus terra, ignem subito intra sinum admittit, totumque quamvis immensum sine resistentia sese illico penetrari, ac illuminari sinit, quod etiam sensu clarè innotescit. Cùm verò simplex aër in partes dividi nequeat substantiales diversas, nec à sua simplici natura dimoveri, nullam in eo per ignis spiritualis præsentiam alterationem observare possumus præter motionem, illuminationem, atque calorem, quos ignis effectus propriissimos ostendimus. Cum ergo aër in mistionem venit cum cæteris, hanc suam ex natura propensionem amittere nescit, quamvis illam aliquatenus moderetur ex commistione terræ, & aquæ, sicut & hæc pariter suas nativas dotes necesse est in commisto retundere, non tamen penitus deserere. Prout igitur plus minusve unum ex his dominabitur magis etiam, minusve naturales suas proprietates in producto eluceścere oportet. At cum mistum illud nondum sub spiritualis interni Rectoris dominio concludatur neque coagulatum terminetur, hoc est, cum adhuc est mistum productum in tali forma, ut inter commista elementa major adhuc Ignis recipi possit, si aër ibi sit in prædominio statim ignem sibi amicum intra sinum admittit, non quidem intra corpus tantum, sed intra mistionem, in qua quia terra resistere sua soliditate nequit, aqua rarescit eousque, ut à terra evolans separetur, ac in vaporem, seu potius exhalationem, seu fumum accensum exterminetur mistum, atque tunc flamma, quæ non est nisi aër ignitus crassus per aquæ, & portionis terræ illi connexæ commistionem, sese dat in conspectum. Quod si aqua aëri dominetur, ut in Mercurio, tunc fit, evaporatio, sed sine luce, atque splendore; si verò terra cæteris præpolleat, hoc est virtutibus, non corporis mole, tunc mistum ita claudit, atque elementa sic fortiter quasi catena constricta defendit, ut aditus igni, non corpore, sed mistionis interioribus penetralibus intercludatur. Sicut in Auro, & plus minusve in cæteris est observare: si verò terra licet quantitate, non virtute superabundaret, tota inferius post Ignis actionem resideret, duobus reliquis, vel sub forma flammæ, vel sub forma vaporis abeuntibus, & si prædicta super Aërem dominetur, licet a qua superabundet, tunc ab Igne apprehendi nequit, ita ut mistum exterminetur, sed in fumum tantum vertitur mistionis vinculis nullatenus offensis: sicut in Argento vivo vulgari apertissimè liquet. Hic tria summa notatione digna haud transeunda videntur. Primum est: quod sicut sulphur dicitur, quod facilè ignem concipere potest ita ex similitudine, & analogia quicquid in sui mistione plurimum Ignis intrinseci, ac essentialis recondit, sulphuris nomine prænotatur. Sunt enim mista quædam, quæ igneæ substantiæ multum habuere, vel habere possunt intra sinum essentialiter, ac stabiliter, conniræ, vel conniendæ, quæ scriptoribus optimo jure sulphura nuncupantur, at incombustibilia. Sicut enim sulphura quævis vulgò cognita sic nominantur, quia ab igne soluto vulgari facillimè comprehendi solent. Ita ea, quæ ignis ligari, & inter elementa concluси plurimum continere putantur, sulphura incombustibilia Physico chemicis appellantur. Alioquin ea verba aliqualem implicationem includere viderentur, cum sulphur solum dici debeat, quod comburi aptum sit, & combustibilitas pariter propriissimè sulphuris proprietas perhibeatur. Hinc fit, ut sordes etiam quædam metallorum, immò & Animantium, non quia flammam facilè concipiant, sed quia naturalis ignis in ipsorum mistione sit multiplicatus, sulphura vocari solent. In quibus etiam aëris plus, quam aquæ & terræ superabundare oportet: quia sine hoc, utpote propria, & convenientiori sede Ignis deficiens augeri nequiret. Sicut verò in sulphuris nomine non minimum æquivocationis inesse monstravimus. Ita similiter & in voce hac combustibilitatis non minorem æquivocationem subesse innuimus. Sæpe namque id combustibile dicitur, quod per ignem vulgarem exterminari, ac dissolvi facilè queat. Hinc autum vulgi, atque Arabum Elixir dictum sulphur incombustibile: metallorum verò recrementum nigrum sulphur combustibile dicitur similitudine carbonum sive naturalium, sive artificialium, qui licet flammam vel nullam vel parvam, edant, quia per ignem absumuntur, inter sulphurea combustibilia locantur.

Secundum ex prædictis colligendum, duplicem videlicet fixionis, seu in igne constantiæ causam haberi. Primam, Terræ constrictæ superabundantiam: ut in Cinere, Calce, Talcho, & similibus, quæ cum Terræ plurimum, Aquæ parum, Aëris minimum contineant, radicali sede ignis, quæ Aër est interius destituta, ipsum intro non admittunt, sed solum corporaliter ignientur ab externo agente, quo ab actione cessante in pristinum statum immutata redeunt. Secundum strictam Misti coagulationem ex multiplici, ac pluries repetitâ elementorum circulatione in qua elementa maxime attenuantur, admiscentur, & conniuntur; non solum quia plurimum unius sit cum plurimo, & in plurimo, & minimum in minimo, & cum minimo alterius (ut aiunt) sed quia Ignis beneficio elementa sese penetraverint: ut manifestè probatum est in Orthophysicis: ex hac enim coagulatione provenit, ut interior mistionis compago ab externo igne comprehendi nequeat: quamvis in eo non ita, ut in prædictis per sui quantitatem prævaleat: Sicut in Auro videre est, Argento vivo vulgi, & Elixiri prædicto, quæ licet plurimum aëris, & aquæ, imò & ignis essentialis plus, minusve includant, indissolubilia penitus cognoscuntur. Has duas tamen causas ad unicam, qui intimius rem scrutatus fuerit non incongruè redigere poterit, eatenus enim prædicta indissolubilia sunt, quia in iis terræ virtus si non magis, æquè saltem ac cætera prævalet: ideoque ex æquo elementa cuncta dominantur.

nantur. Hinc si terrea existimentur recte quidem, si aquea non malè, si aërea, & ignea non immerito vocabuntur. Quodlibet enim elementorum factum est quodammodo alterum, mutuaque commutatione natura, & proprietates unius non magis in mistione illi competunt quam reliquis. Tertium non minori contemplatione dignum est, quod nonnulli plura sulphura Mercurios, & salia distinguunt juxta volatilitatem, ac fixionem, quæ tamen differentia incongrua videtur, cum proprietas unius principii propriissima alteri tribuenda non sit: quinimò ex proprietate interiorem rerum essentiam conjicere licet. Quare si sal volatile sit, non amplius salis naturam retinere putabitur. Et si Mercurius sit fixus non jam erit amplius Mercurius sed sal, vel salis naturam redolebit. Pari modo de sulphure dicendum erit. Hujusmodi veræ dicendi formulæ apud scriptores passim occurrunt, quia cum horum principiorum circularis ad invicem sit transmutatio, & conversio, quod Aristoteles de primis elementis, nulla tamen probabili ratione tradidit, fit ut sæpe unum in alterum facile commutetur. At quia priorem sæpe naturam transmutatum redolet, nec omnes penitus proprietates exuit, vel sine transmutatione duorum principiorum commistas qualitates participat, utriusque nomine jure insigniri poterit: nihilominus ratio suadet, ut à potiori denominatio sumatur. De his tamen omnibus late dictum est in nostris Orthophysicis: ubi sub ipsum etiam intuitum per typos, & figuras hoc totum ostenditur. Potiori jure hæc eadem principia sæpe coagulata dicuntur. Cum enim coagulatio, seu fluxitas non sit essentialis rerum proprietas, sed ex accidenti adveniens, prout scilicet alicujus elementi, vel alterius misti portio intra corporeitatem non intra mistionem interponitur. Sic interdum sulphur ex Aqua, vel alio liquore fluidum: Ex terra, vel simili siccum: ex aëre vel similibus leve offenditur: quod & in aliis pari ratione intelligendum erit Mercurio videlicet, ac sale, quod quia ad eorum differentias, & naturam accuratius examinandam pertinere videbatur, non erat hic sicco pede prætereundum.

Ex his omnibus concludendum est Sulphuris principium, esse corpus mistum homogeneum virtute intrinseca seminali nondum ad perfectionis terminum deductum, in quo Ignis cum aëre supra cætera elementa dominetur, flammam, vel ignitionem facilè concipiens.

CAP. VI.

De Mercurio.

QUæ de Sulphuris nomine pluribus æquivocationibus, scribentium technis, atque versutiis contecto: de Mercurio non absimili ratione contigisse poterit observari: quinimo solicitudine, atque cura majori, cum ab eorum nonnullis pro Metallorum materia solummodo accipiatur: sulphur verò pro efficiente, quod à materia excludendum proferunt, ut in fieri solum requiratur. Cum verò Metallum completum ad perfectionis extremum devenerit omni sulphur excluso, solus superesse Mercurius existimatur, & hunc quoque purissimum Mercurium, quem Philosophorum appellant prænominati Elixiris fundamentum, & solum ejusdem materiam, quampluribus frustra quærentibus exoptatam pronunciant. Quamobrem omni conatu secretioribus ejusmodi Methaphoricis vocibus illum recondere nituntur: quinimo & sulphuris etiam vocabulo Mercurium prædictum intelligunt: ut clarè videre est apud Auctorem Tractatus de sulphure loco superius citato ibi: Donec sulphur fiat Mercurius. Ut non mirum sit, si occultioris Philosophiæ studiosis similes locutionis phrases, tanquam omni absurditate refertæ sæpius damnentur, ac explodantur, & ab hujusmodi præclaro studio abhorreant.

Nos hic cum sinceriorem Physicam Metallorum profiteamur, obscuras, ac tenebrosas similes locutiones alio tempore diluendas reservamus. Nunc quæ nostri instituti ratio suadet, quod ad Mercurii secundarii principii notitiam conducit, tantum percurrere intendimus.

Non enim Mercurii nomine Physico-chemicum: vel Vulgi: de quo infra, accipiatur: sed solum mistum illud, in quod necessariò mista universa resolvuntur, & quod in Metallorum generationem medium est, per quod elementa, antequam ad metallicæ mistionis complementum perveniant, transire oportet: dum scilicet adhuc incompleta; ad dissolubilia, laxiori modo elementa per ignem complicata præparantur, ac disponuntur, & in via sunt ad ulteriorem gradum ducenda.

Tametsi cætera quoque cuncta, quæ Mercurii pluribus, vel principalibus saltem proprietaribus donantur non immeritò, quod etiam de sulphure superius declararum est, Mercurii, vel Mercurialia, nec improbanda proportione appellabuntur. Proprietas etenim illius propriissima est ab Aqua in eo prædominante mutuata, ab Igne fugere, seu mavis per Ignem elevari, quæ conditio cum ab aliis quoque plus, minusve participari queat, si Mercurii qualitatibus exornantur, ejusdem etiam nomine indigitati conveniet (analogice tamen,) uti de sulphure dictum est.

Mercurius ergo principium in resolutione Mistorum omnium se prodit cum per Naturam, seu per Artem mistorum compago relaxatur; tunc enim ignis externus interiora misti penetrans interiori adjungitur Igni, & Aëri, qui aquam juxta naturæ suæ consuetudinem rarefacit, quæ si Terræ soliditate, ac siccitate fortiter non fuerit coagulata statim sub vaporis forma scandit; quod si externum aërem apertum invenerit, per ipsum dispergitur, vel in totalem mistionis ruinam, vel sub spe recoagulationis recasuræ. Si verò locus conclusus opponatur, igne decrescente incrassatur, ac deciduus ad ima remeat, vel magis, vel minus levis, fluidus, aut siccatus pro diversa sibi adjuncta materia: uti de Sulphure fuit adnotatum.

At in Metallorum generatione, licet sensibus observari negetur, non solum ex his, quæ per Artem naturæ æmulam intueri conceditur, sed per rationem omnino certam, & infallibilem Mercurialis principii necessitas erit admittenda, alioquin metallorum mistio compleri minime posset; quinimò ex hoc principaliter principio provenit, ut metalla misceantur, ac fortissima (uti conspicuum est) ligaturâ donentur. Non enim Sulphur, neque Sal sine Mercurio circulari ascensioni, & descensioni idonea forent, ac proinde sine ipsius beneficio debili ligamine constrictum mistum quodcunque reperiretur. Ideoque Geber, qui metallorum naturam intimius scrutatus est libro summæ Perfect. cap. de Ferro, Mercurium Metallorum perfectionis solam causam protulit, sicut ejus deficientia imperfectionis eorundem causa existimatur: quod quamvis de Mercuriali principio in primæ naturæ metallicæ generatione intelligatur; tamen proportionaliter, & ad hoc ea verba trasferri possunt, & debent.

Hinc etiam est, quod in Animalibus, & Vegetantibus, quia similes Mercuriales rationes per ascensum, & descensum pluries repetitas non habuerunt, corpora illorum debili admodum mistione prædita cognoscuntur: quoniam elementa in ejusmodi

per Ignem in Mercuriali substantia parata circulatione (quam diversis nominibus appellitant) attenuare in eorum sinu minime potuerunt, ideò facilime resolubilia remanserunt.

Hinc etiam est, ut quæ plurimum Terræ continere judicantur, utpote quæ circulationum repetitionibus sint inepta, debiliorem etiam mistionem nacta fuerint: veluti in ferro videre est, & Auro: hoc enim fortissima: illud imbecilli ligatura dotatum experimento cognoscitur: alterum enim nullo artificio vulgariter cognito: alterum verò facilimè dissolvi potest: quod etiam proportionaliter observatur in mistis cæteris subterraneis, in quibus, quæ sæpius Mercurii juvamine rotata fuerint (ut probabilis conjectura assequi potest) strictiori etiam nexu commista reperiuntur. Nec tamen quis credat in Metallorum generatione materiam quandam exigi communem, quæ sit Mercurius universalis, ex quo singula portionem pro materiali corpore sibi accipiant, sed unumquodque ab initialibus principiis desumptam materiam sibi propriam reddere, quæ nunc sulphuris, nunc Mercurii, vel salis proprietatibus, sed potissimum Mercurialibus prædita videatur: uti fusius infra, cùm de argento vivo examinatio instituetur & de materiâ metallorum. Concludimus igitur Mercurium pro principio secundario acceptum esse corpus homogeneum mistum, medium inter elementa simplicia, & completas metallorum mistiones necessario concedendum, in quo aqua per ignem summopere attenuata cæteris prævaleat ab igne sive inflammatione fugiens.

CAP. VII.

De Sale.

DE Sale consequenter hoc loco disquirere oportet, sicuti de duobus aliis secundariis principiis factum est: in hoc vero ejusque nomine magis quam in aliis lusisse videntur Auctores quamplurima intelligentes, quæ à salis natura longissime distant, licet mystica ratione cum illo aliqualem habeat semper analogiam, ac similitudinem, in qua nominis ejusdem ratio fundamentum habuisse cognoscitur. Et hinc Dominus etiam noster JESUS CHRISTUS in Evangelio Apostolos salis titulo exornari voluit cum dixit: *Vos estis sal terræ.* Sapientia quoque salis vocabulo designatur. Quare vero ea sic apelletur, non est hujus loci longiori sermone prosequi: apud Chemicæ tamen scriptores, ut secretiores quasdam substantias sali proportione aliquâ respondentes occultent, sæpissime eodem nomine usi fuerunt allegoricè, mystice, aut alia simili arcanâ proportione moti, nec solum ex principali illius proprietate, quam in igne constantiam, seu fixitatem esse diximus; sed ex pluribus aliis qualitatibus sali communi tributis, utpote quod ex terra elementali aquæ beneficio extrahatur, vel quod ad ignem sine fumo liquescat, vel quod elementa condiat, plurima præservet à putrefactione, similique facili dissolutione quod sit acuti saporis & id genus aliis dotibus præditum, quibus reconditas eorum intentiones suis discipulis explicent quas omnes in præsentiâ recensere non est nostrum, studiosis indicare sit satis.

Jam de Sale ut principium est secundarium, sicut de aliis naturam, generationem, & proprietates persequentes disserere libet, ex quibus quid etiam de sale communi, ac similibus salinosis corporibus sentiendum sit quisque statuere possit. Cum ergo ignis movens sit & disponens elementa ad mistionem, duplici ratione illa movere potest, velut instrumentum à virtute seminali, id est sidereo spiritu, à quo ignis dirigitur, & hoc modo mistio ad finale complementum specificum, nisi quid obstiterit, tendit, nec terminat, nisi omnis proprietas seminis in prædictum mistum fuerit introducta, vel ut principale agens universale communissimum: tunc autem eo dirigit elementa, quo ipsa dirigi possunt, ut si aër in mistione superabundet, ad sulphuream naturam mistionem adducit; si vero aqua superaverit ad Mercurialem; si denique Terra, ad salinosam speciem mistum redigit & licet mistum quolibet homogeneum præsertim metallicum per hos gradus transire debeat, non tamen sistitur in tribus prædictis differentiis: In auro enim tria prædicta principia ad auream tendunt speciem, quæ est aureitas, in argento ad argenteam, quæ est argenteitas, & sic de aliis. At cum ignis principalis et mistionis rector, ad prædicta tria mistionem trahit ibique remanet; & hac ratione sal principium gignitur. Hoc enim nihil aliud esse apparet, quam terra in misto superabundans, ab igne tamen primario directa, eique connexa: quoniam si dominaretur in illo spiritualis aliqua vis astralis, vel ad integram specialem naturam mistum redegisset, vel aliqua saltem indicia specialium proprietatum relucerent virtutis seminalis dirigentis. Uti contingere solet in salibus artificialiter ex quolibet Naturæ misto dissoluto pacatis, in quibus aliqua seminis proprietas manifestatur, quæ cum nulla adsit, liquet nullam ibi talem virtutem dominantem existere: & hanc solam causam esse putaverim, ut in tota terrarum orbe tanta salis copia reperiatur, ut sæpe montes etiam non parvi sale toti constantes assurgant.

Nec minoris quidem copia sulphuris ac Mercurii mundum scatere quis credat, at cum ea in ultima sui finali profectione stabilia, ut sal non sint, sed in aëre sub specie fumi, vaporum, ac exhalationum intuitum sæpe lateant, fit, ut non ita conspicue sensibus comprehendantur. Et sicuti facillima sulphuris generatio ita consimiliter facilitas est in destructione difficilior est Mercurii generatio, sicut & destructio. Et adhuc difficilior valde destructio salis, sicut & generatio, ut dictum compensatio generationis cum destructione, quoad alibi declaravimus.

In mistis perfectionibus, ut in metallis necesse est etiam admittere terminum quendam, in quo spiritualis interna seminis virtus mistorum suas functiones exerceat; cum enim à principio ignis elementa præparet ac disponat, per suas speciales proprietates movendi, illuminandi & calefaciendi, non poterit spiritus prædictus suo munere fungi cum præsupponat subjecti aliqualem dispositionem, quâ demum completâ, tunc ille suos actus obire incipit, & tunc ignis non amplius ut principalis mistionis rector; sed ad nutum seminis reliquam mistionis partem complet; tunc ergo desinent principia secundaria in mistione, cum ignis desinit esse mistionis gubernator. Atque hinc liquet metallicas species singulas non æque in hoc ultimo termino præparationis singulis tribus principiis opus habere: sed eo potius, quod ad producendam exigitur, ut si semen verget ad æris speciem, sulphureo, si ad argenteum vivum, mercuriali, si ad ferri speciem salinoso principio magis indigere constat. Quod inde cognoscitur, quia simul cum specie ultimò producta, dictorum etiam principiorum proprietates unius magis, quam alterius eluceſcent. In auro tamen, quia nulla videtur super aliam extolli, conjiciendum est, omnes illo ex æquo dominari.

Pariter hoc loco ex Physicis repetendum est, ut natura salis percipiatur, terum mistionem quadruplicem

plicem esse; quicquid enim commiscetur vel 1. in modum terræ counitur, ut pulvis cum pulvere, vel 2. in modum aquæ, ut cum liquor liquori adjungitur, vel 3. in modum aeris, ut cum fumus fumo, & has omnes corporeas mistiones appellare convenit, quæ nec etiam veræ, ac propriæ mistionis nomen merentur: quamvis una perfectior sit altera; vera enim atque perfecta mistio per modum ignis paratur, cujus cum proprium sit condensatio, per sui ipsius in se ipsum penetrationem fit, ut etiam elementa illi intime counita sese penetrent, & veram realemque mistionem perficiant. Et licet quodlibet ex elementis corporeis non solum counitum, sed factum sit ignis; certum est in misto semper elementi prædominantis virtutem magis conspicuam emergere. Atque hinc est, ut in sale, in quo terram prævalere ostendimus; etiam proprietates cognoscantur.

Præterea sciendum est quatuor prædictas mistiones sæpe omnes vel plures invicem commisceri, ut hinc plura consurgant mista, quæ à plerisque non ita subtiliter examinata fuerunt in causa non solum errorum plurium: sed etiam ut ulterior aditus rerum naturam speculantibus occluderetur, sæpius etenim fumosæ exhalationes principia secundaria sulphurea, & mercurialia, nec non etiam elementa ipsa aer & aqua oculorum intuitum, vel tractantis manus latent, & scrutatorum pariter mentem lateant necesse est; ideoque quam plurimi terræ solum atque salis meminerunt, quia ob corpulentiam & soliditatem, qua naturaliter sunt prædita non ita facile sensus effugere queunt.

Ex dictis liquet etiam, quare sal simplici aqua facili negotio solvatur, facileque pariter aqua in vaporem adacta, sospes resurgat sal incorruptum, aquæ siquidem proprium est terram liquare; at quia corporea, mistionis recessus non penetrat alioquin mistio & mistionis compages exolveretur; unde corporis tantummodo exterius, permaneat, ipsumque corpore tenus liquefacit, tamensi sensus corpoream hanc in minimas particulas divisionem animadvertere nequeat.

Cum autem salis generatio quatenus principium est ex iis, quæ in superioribus capitibus declarata, sunt, facile possit innotescere, reliquum erit ut concluſive sal describamus; quatenus principium est secundarium & erit corpus homogeneum mistum, inter elementa & metalla medium: in quo terra ignea reliquis dominatur in igne sine fuga & combustione permanens.

CAP. VIII.

De Materia Metallorum juxta veram sententiam.

His itaque hoc modo determinatis reliquum est de materia metallorum inquirere atque statuere juxta veritatem; & ordinem naturæ convenientem; quamvis alioquin frustranea videatur ejusmodi discussio, quoniam diverso respectu ac tempore diversimode responderi possit. Nam si de prima & principali origine intelligatur, certum est sicut alia quæcunque mista ex elementis tribus corporeis per ignem dispositis, & per eum seminalem completis constare, cum hoc tamen discrimine, quod cæterorum mistorum principium non ex elementis simplicibus, sed ex alio ejusdem speciei parente individuali, mediante sperma, semine aut ovo. At metalla ex elementis primario ac principaliter, & ex primo originali fonte defluant; principiis secundariis mediantibus.

Si vero de propinquiori materia loquamur; ut ex prædictis recolligi potest, non vaporem aut exalationem statuere oportet; sed principia prædicta, quorum duo cum cum volatilia sint, ut Chemistæ loquuntur, non immeritò sæpè dictum est, ex vaporoso seu fumoso subjecto metallorum corpus compaginari. Patet autem loquutionem illam nimis esse dubiam, atque obscuram, clariorem que doctrinam reddi; si principia prædita ordine quoque naturæ congruo ac respondente declarentur, qui observari potuit in opere artis naturam æmulantis peritorum Chemicorum quod cum sit arcanum, non intelligitur nisi ab iis, qui rem oculis conspexerint, manibusque tractarint, ab initio primo usque ad ultimum plusquam perfectionis finem completum. Cum enim semen ibi ut principale agens operetur, poterit inde clarè similiter percipi; quomodo pari cursu in fodinarum locis simili gradu procedat; Qui ergo expertus fuerit jam cognitum, habebit perfectam physicochemicæ artis materiam totam primitus præferre sulphuream & inflammabilem, quod omnes Bernardus Trevisensis verbis obscurissimis innuere voluit in allegoriâ, dum interroganti num multum laboris in opere substineretur respondit senex: plus à principio quam sub finem; quia fons inflammatur: deinde in operis progressu, sulphureitate recedente, materia tota mercurialis redditur atque volatilis, quæ diu in sese circumvolvitur & rotatur, donec mercuriali virtute cessante salinosa sine ullo vapore in fundo vasis itineris residuum peragat; ad plusquam perfectionis ultimum, cum seminalis virtus quasi throno regio dominatrix immutabiliter quiescens residet.

Pari quoque ratione consentaneum est in subterraneis locis naturæ cursum progredi; cum enim ubique naturalis virtus interna materiæ ab exordio nativitatis infixa operationem peragat; cum solo materiæ perfectionis discrimine, necesse erit ubique consimiliter operari; siquidem major vel minor materiæ perfectio operandi modum & ordinem variare nequit, tempus solummodo corripit, & rem perfectiorem in fine patefacit. Verum quidem est præfatum ordinem variari aliquatenus pro varietate metalli producendi; in unaquaque tamen re; quam examinare intendimus; satis est id in medium afferre, quod in eo genere dignius; perfectius ac nobilius judicetur, ex quo proportionaliter, quid de aliis etiam inferioribus statuendum sit, facile percipi poterit. In metallis enim quamvis omnia æqualiter per naturam intendantur; & penes ipsam non unum dignius, quam aliud habeatur, attamen nulli dubium est, quin longioti; laboriosiori curâ in uno satagat; quam in alio; sic in auri mistione diutius, ac laboriosius insudat natura, quam in ferro vel plumbo; ideoque illi his citius, quam in auro finem assequitur. Consimiliter & in argento vivo vulgari, quia finis ipsius est, ut in mercuriositatis (sic dicere liceat) termino quiescat, non opus erit illud per salinosas mutationes incedere.

Ex his pariter constat, quid veritatis contineat, quod à plerisque Auctoribus statutum est, metalla scilicet ex sulphure & Mercurio conflari tanquam ex materia proximiori. Hoc enim ideo dixerunt, quod viderent in eorum transmutationibus tum per elixir, tum in arcana per ignem operatione patratis, divisionem quandam fieri sulphuris cujusdam recrementi à parte mercuriali perfectiori, arbitrati sunt inde metalla quævis ex sulphure atque Mercurio componi; quod quidem absurdum foret imaginari; siquidem metallorum materia tunc homogenea non esset; nec perfectissima mistione coagulata, quod tamen nonnulli primæ classis auctores scriptum reliquere, inter quos Geber est, qui forsan prætactum arcanum reticere invidus voluit, alioquin si materia metallica sic per particulas juxta positas commisceretur, quomodo

unica dici poſſet, & ab uno rectore dirigi? eſſent enim materiæ tuæ non una. Altera igitur vel excrementum erit interpoſitum non de eſſentiali proportione miſti; ſed accidentaliter ſuperadditum, vel de novo genitum vel in projectione medicinæ, vel in dijectione prius imperfecta, jam ad complementum redacta.

Quamobrem ſaltem poſt excrementi ſeparationem metallum ex mercurio & ſulphure conſtare minime poterit, non omne igitur metallum ex ſulphure & mercurio componetur. Quod vero dicunt ſulphur incombuſtibile cum mercurio puro, auri miſturam efficere, hoc obſcuriſſimum eſt, vel enim intelligunt interiorem ignem, & aquam, aërem ac terræ relinquentes propter plures rationes, quod voluiſſe videtur Comes Bernardus prædictus in Epiſt. ad Thomam de Bononia, vel metallicum corpus mercurium, & Elixir per quod in auream ſpeciem tranſmutatur, ſulphur intelligunt, quod tamen Phyſico non erit admittendum; licet enim hæc videantur duo, unicum tamen revera corpore tenus eſt, virtute ſolum ſpirituali ignis & ſeminis diſcrepant, quod in noſtris Orthochemicis, ubi natura & proprietate præfatæ medicinæ plura revelabuntur.

Sunt præterea qui credunt, metalla ex ſolo argento vivo componi, in qua opinione ſophiſma quoque non leve involvitur, ſi enim dicatur quodlibet metallum generari ex argento vivo vulgi, tanquam ex immediata ſui materia, hoc quidem inde eſſe falſum convincitur, quod nulla ſpecies, ſeu ſpeciei individuum ex individuo alterius ſpeciei confletur; cum ergo argentum vivum metallum ſit completum per naturam ſpecie prorſus diverſam ab aliis, non poterit inde aliorum peti materia; nec ſimiliter metalla ex materia quadam univerſali, omnibus æque communi, ita ut quodlibet ſingulare metallum ex hac univerſali prius exiſtente materia ſuam accipiat corporeitatem, quod quidam voluiſſe videntur: plura enim inde conſequenter abſurda, inter, quæ illud minimè admittendum eſſet, quod metallica ſpecies unica ſolum foret; differentiam verò illorum tantummodo accidentalem, non eſſentialem, & ex extrinſeco procedentem aſſerendum eſſe, quod infra falſum eſſe demonſtrabitur.

Aliud etiam abſurdum patet, quia in nullo genere miſtorum id obſervatur. Animalium etenim, & ſtirpium ſpecies nulla ex communi materia generatur, quin imo nec individuum aliquod ex alio ſuum accipit corpus, tanquam ex ſubjecta materia, licet originale initium ex eo deſumere queat: quanquam enim abuſivè dici ſæpè ſolet, animalia cuncta ex carne, & plantas ex ligno conſtare; hoc tamen ideo dicitur, quod prius neceſſarium ſit; carnem quandam univerſalem præexiſtere, ſeu lignum, ex quibus ſpecies ſingulæ ſuam materiæ portionem ſumant; ſed ſolummodo, quia in quibuſdam communicare ſingulæ obſervantur, ſicut enim caro cum carne in pluribus convenit, ita lignum cum ligno, licet non minus differat eſſentialiter, & ex natura rei intrinſeca lignum à ligno, quàm caro à carne.

Conſimiliter, & in metallis rem ſe habere dicemus, quod quamvis omnia videantur, in quibuſdam communicare, ita ut argentum vivum aliqualiter exiſtimari poſſit, nihilominus non minus unius eſſentia, ab eſſentia diſtat alterius, quam præfata miſtorum genera.

Ne quis igitur in poſterum decipiatur; in metallicæ naturæ diſquiſitione, ſtatuere oportet, metallicam materiam ſuam ex elementis accipere corporeitatem primario, & principaliter: immediatè verò ex principiis prædictis ſecundariis ordine ac modo aliquatenus variato ut ſupra ſatis eſt explicatum.

CAP. IX.

De Fine ad quem Metalla creata ſunt & generata.

UT integram & abſolutam metallicæ naturæ cognitionem aſſequamur, omnes neceſſario cauſæ ſunt examinandæ.

Cum ergo de materiali & affectrice peractum ſit ſufficienter, reliquum eſſet de formali & finali inquirere.

Cum autem formalem in phyſicis rejecerimus quodammodo & ut vulgo phyſici tradidere, ſubſtituentes ejus loco affectricem intrinſecam, à qua ſola ſpecifica rerum miſtarum eſſentia dependet, reliquum eſt, ut de finali loco peragatur. Metallorum ergo finis erit inquirendus, ad quid ea videlicet ab Altiſſimo creata ſint, & per naturam jugiter generentur.

Nulli verò dubium eſt, quin omnia per creationem directa ſint ad hominem tanquam ad ultimum finem ſicut ipſe ad Deum: in hoc tamen protinus difficultas occurrit, cum ad hominem parum aut nihil metalla conferre judicentur; conſtat enim longum ſatis ævum egiſſe parentes primos ſine metallorum uſu, quin imo & populos nonnullos ſine metallorum adminiculo vitam tametſi laborioſam ducere. Hâc eadem ætate perhibent hiſtoriæ, & de auro diſertiſſimè quidem oſtendit Franciſcus Picus Mirandulanus, in ſuo quem edidit libello de Auro nullius penitus utilitatis ad humanas ſublevandas indigentias, miraturque quare tanti factum fuerit tacito omnium pene nationum conſenſu, ut cuncta per ipſum metirentur: Deus verò & Natura nihil fruſtra condidiſſe jure optimo credatur, ſi nulla de auro neceſſitas aſſignetur, inanem prorſus auri creationem ac generationem inferre oporteret, poſſet quidem non male reſponderi ad Univerſi profectionem, & complementum illud conditum, ut inde infallibilis Omnipotentis Dei Sapientia & Bonitas manifeſtaretur; at hæc ex cæteratum rerum creatione, imo & ex ipſiuſmet hominis ſatis ſuperque illuceſcebant, ut non eſſet opus ejuſmodi creatura, quinimo infinita pene alia creare potuiſſet Altiſſimus ad ſuam homini Bonitatem, Sapientiam, atque Potentiam oſtendendam. Quare nec inde auri neceſſitas ulla inferri apparet. Quod ſi naturæ opus in metallis examinetur, nulla quoque illorum neceſſitas innoteſcit. Morales neceſſitates non dubito plurimas afferri poſſe, propter has tamen rationabile non eſt metallicas creaturas ab initio in creatione productas, ac jugiter per generationem naturaliter propagandas.

Quamobrem aliunde metallorum finem nobis expedit recognoſcere: Cùm ergo videatur natura in omnibus omne poſſibile medium attingere voluiſſe, non poterat ab Elementorum ſimplicitate, & principiorum aliorum ad Plantas percurrere ſine metallis, ut hæc eſſent veluti diſpoſitiones inter miſta perfectiora ad plantas, & hæ ad animalia, alioquin non omnis poſſibilis actio ſpiritualis aſtrorum virtutis compleretur: ſicut enim per ignem tria prædicta ſecundaria principia præparantur; ita per virtutes planetarum ſeptem homogenea corpora complentur. Nec ſolum in metallis, ſed in quibuſdam rudibus miſtis, ut terris, lapidibus ignobilioribus, mediis mineralibus, ut vocant, lapidibus pretioſis, & demum in ſeptem metallis; quinimò & proportione quadam & analogia in vegetantibus & animalibus, in ipſo præſertim homine, in quo propter hanc rationem Paracelſo non ita clare illuceſcentem exiſtimatum eſt, omnia metalla verè ac realiter ineſſe, quod quidem non à veritate

prorſus

prorsus alienum existimari debet, licet aliter nonnullis visum sit. Virtus enim astrorum in hominis visceribus & instrumentis manifestatur : In humanâ etenim carne id peragunt sidera septem prædicta, faciunt in cæteris, cum discrimine tamen, in metallicis metallicum sibi corpus fabrefacit, in stirpibus ligneum, in animantibus & homine carneum : quia virtus eadem pro diversitate materiæ diversis circumstantiis dispositæ ac præparatæ diversimodè necessariò operatur.

Quod ne frustra dictum videatur, aliquid specialius subnectere non pigebit ex nostris orthophysicis disquisitionibus depromptum. Quod licet aliis etiam videatur aliqualiter cognitum, non tamen pari ratione à nobis visum est explicandum ; ex principiis namque valde diversis à communibus in diversas sententias operæ pretium fuit devenire.

A Lunâ ergo cerebrum pendere putamus cum nervis omnibus, spina dorsi, ac sensuum organis, & quidquid ad sensationem conducit.

A Mercurio Pancreas, & Lien, quæ ad acidi recrementi expurgationem inserviunt.

A Venere Testes cum vasis spermaticis & partibus ut ossa; & in mulieribus uterus ; & quidquid ad prolis propagationem destinatur.

A Sole Cor in medio residens cum arteriis, venis, sanguine, pulmone, trachea, & quicquid ad vitam influendam & nutritionem complendam attinet, ut caro musculorum.

A Marte Hepar cum vesica fellea, utpote quod directum sit ad bilem sulphuream, ex sanguine in ipso digesto separandam.

A Jove Ventriculus cum suis annexis, œsophago, intestinis ac venis, lac, & quidquid ad primam alimenti præparationem spectat, sicut idem Jupiter Deorum & hominum principium creditus est antiquitus.

A Saturno Renes cum vasis, uretereibus, vesica & quidquid ad salis ab alimento repurgationem concurrit.

Ne quis verò miretur Astronomicorum ordinem fuisse hic observatum, cum de astris sermo haberetur; Physicus autem ordo clarior forsan medicis potissimum videri poterit, ut à Jove principium, 2. à Marte, 3. à Mercurio, 4. à Saturno, 6. à Luna 7. à Venere juxtà seriem & functiones per naturam ordinatas. Primò namque alimentum à ventriculo digestum in venas lacteas illabitur, & hinc in lumbare nuper à Pecheto inventum receptaculum, ut ibidem à tribus, quibus scatere potest superfluitatibus per tria institura glandulosa instrumenta repurgaretur : Per Hepar ab amaro Sulphureo : per Pancreas & Lienem ab acido Mercuriali : per renes à Salineo & aqueo, ut hinc sufficienter pro vita præpatatum ad venas subclavias, indeque ad venam cavam & mox per dextrum cordis ventriculum & pulmones in sinistrum ingeratur, ut per arteriam arctam in universum corpus deferatur, per hæc sufficienter prædicta : tunc demùm ad sensationes in cerebro complendas, ac sobolis generationem & continuationem in vasis huic operi inservientibus idoneum est, de quibus omnibus in orthophysicis copiosius disseritur.

Quod verò ab iisdem planetis, à quibus metalla hæc viscera constituant, ex analogia, similitudine ac proportione non levi scrutari sunt nobiscum plerique alii non ignobiles scriptores etsi methodo aliquatenus dissimili, hanc eandem analogiam in plantarum partibus, quæ proportione animalium instrumentis respondent, qui rem intimius introspexerit, observare poterit. Radices ergo ventriculo animalium correspondentes, utpote Nutritionis principium à Jove regnantur. Truncus seu radicum congregatio, unde cortex & rami assurgunt, in medio residens, quo succus nutritivus tendit, ut hinc in reliquum arboris distribuatur Cordi respondens à Sole. Cortex tum exterior tum interior omnis siccior atque terrestrior cæteris, ac proinde sale turgidior à Saturno, folia cum sua viriditate à Mercurio. floresque sulphurei à Marte, fructus sicut in animalibus sensus à naturâ principaliter intenti cerebro respondentes à Lunâ. Semina tandem, quæ spermatibus, seminibus, & oris animantium æquiparantur à Venere, sic pariter in mistis omnibus, potissimùm homogeneis, in quibus pro materiæ diversitate interior spiritualis astrorum potestas perspicua signa promit, per quæ quisque possit evidenter inferre hunc vel alium planetarum rectorem interius latere, qui quantum sibi permittitur suis proprietatibus & characteribus corpus intus & foris exornat.

Quare Planetæ septem ad superiora sidera sunt veluti ministri famulitium exercentes, ut homogenea forment corpora, quæ per ignem prius in tribus jam explicatis principiis secundariis inchoata fuere, ut sic elementâ sensim, atque paulatim ad hominis mistionem ascenderent.

Patet igitur metalla necessaria in naturâ fuisse, ut omnis mistionis ordo possibilis expleretur, atque spiritualis substantia ex planetis in toto terrarum sinu tanta exhauriretur, quantam ad universam mistorum seriem attingendam natura exigebat. Hinc omnium Creator Sapientissimus ab initio metalla condidit, & naturam voluit incessanter gigni. Tametsi & aliæ subesse potest eorundem necessitas, quàm cùm homines omnibus præpediti, indeque in mentis caliginem & impetitiam immersi, eandem minimè advertere potuerunt. Hinc tot morborum genera, tot mortalium myriades nullâ opis spe demetunt, quæ ab interitu facilè servari potuissent : si scriptoribus præclarissimis fidem adhibeamus, testantibus se curasse ægritudines vulgò medicorum incurabiles existimatas, quod & sacræ testantur literæ : Deus ajunt non fecit mortem, nec lætatur in perditione vivorum, sanabiles fecit Nationes, &c. & alibi Altissimus creavit medicinam, ubi medicinæ non medicinatum meminit, quam de Terra Altissimum creasse monet Ecclesiasticus.

In metallis igitur medicinam illam servari clamitant Philosophorum ac Medicorum plurimi viri non vulgares, de qua & nos suo loco latius.

Præterea ex metallicis exhalationibus vegetantia non modica suum capiunt nutrimentum, ut sine illis necessariò defecissent, & consequenter animantium species, quibus nutriendis illæ destinantur. Mistum enim quodlibet cuilibet inservit, ut igitur cunctis ex divinâ providentiâ provisum esset, & omnia in suâ perfectione conservarentur, vel in ipsorum ortu præparatis initiis, vel post nativitatem, si nutriantur, idoneis alimentis ac cibariis indiguere,

Ut verò nihil intactum leviter saltem relinquamus, ut specialis auri necessitas aliquatenus reluceat, dicemus illud necessarium in naturâ fuisse, ut omnis naturæ possibilis in metallicis mistionibus vis atque potestas compleretur, ut in actum prorumperet, id est quantum metallicum semen, si non per naturam, saltem per eandem artis adjutorio usque ad extremum complementum & possibilitatem duceretur, quod sine auro, vel auri semine adimpleri minimè potuisset. Ipsum enim est, cujus beneficio metallica virtus tam longe lateque aucta extenditur, ut iis tantum qui viderint credibilis, cæteris impossibilis plane videatur ; Ideo Comes Trevirensis de hac immensâ auri seminis vi loquens ait : *is qui vidit,*

is pariter credit. Hoc idem plerique alii ab illo recenſuere & Avicennas inquit: *niſi aurum & argentum viderem, dicerem artem veram non eſſe; ſed, &c.* De qua re etiam infra, & alibi copioſius.

CAP. X.

De Loco Generationis Metallorum.

INter circumſtantias rerum generationibus neceſſarias Locus primas forſan tenet, nihil ſiquidem generari poterit ſine convenienti loco, neque hic locum dicimus, ubi metalla genita reperiantur, ſed ubi per naturam conflantur; neque minus locum ſumimus nunc mathematice ultimam ſuperficiem corporis continentis, quàm conſiderationem nihil ad Phyſicum conferre putamus, ſed locum appellamus vas ſeu cavitatem totam cum corpore circumambientem cum ſuis virtutibus annexis, aliiſque circumſtantiis, ubi miſti alicujus generatio exercetur ab initio ad finem, de quo multa dici & quæri poſſunt: at hic ea potiſſimum examinanda opinamur, quæ ad metallorum generationem & naturam cognoſcendam attingere judicantur.

Sicut verò locum cùm ſuis circumſtantiis ſeu exigentiis ad rerum generationem neceſſarium eſſe omnis ratio ſuadet, ipſumque poſſe quodam modo generandum immutare alterative, & accidentaliter invertere; ita nullatenus admitti debet, quod creditum eſt nonnullis ſic virtute ipſius naturam impediri, ut ex ſemine unius rei ſpeciem novam exurgere contingat, deceptis forſan ex eo, quod viderint in animantium uteris & plantarum ſeminibus, alium ab injecto ſemine proficiſci fœtum, quod quidam inde factum eſt, quia in locum eundem duo ſemina conjuncta confluxerint, ſicut cum mulus ex equa & aſino exoritur; quod quidem in metallicis vaſis pariter contingere poſſe denegari nequit, cùm ſæpe metalla plura & alia pleraque cum metallis commiſta reperiantur, ſed id prorſus explodendum apparet, quod ea virtute loci, quatenus locus eſt contingere valeant, alioquin vas efficientis rationem haberet, contra quæ jam de effectrice cauſa determinata ſunt.

Quod verò locus aliqualiter producendum fœtum commutare valeat, id inde poterit evenire, quod plura ſint, quæ requiruntur ad locum, ut ſit futuræ generationi aptus & opportunus, quorum uno deficiente, vel pluribus neceſſe eſt naturam à recto tramite exorbitare, ut vel nihil gignat, vel abortum, vel monſtrum.

Abortum dicimus, cùm metallum nondum ad maturitatem ſuæ naturæ debitam accedit. Cùm verò metallum in duplici termino, dum in generationis curſu progreditur, conſiderari queat, primò cum in ſtatu volatilitatis, ſeu in fumo exhalante reperitur; tunc enim ſi locus ipſe aperiatur, tunc metallum quod brevi forſan ad alium ſecundum gradum deveniſſet in aëra evolans diſpergitur. Hinc eſt, ut dum foſſoribus interiores montium cavitates reſecantur, non pauca metalli pondera deperduntur, quæ mox in metallum abiiſſent, quod ex fumoſitatibus inde ſenſibiliter & copioſe erumpentibus liquido innoteſcit, tunc enim metalli abortus non incongruè nuncupabitur. Secundò cùm metallum ad gradum fixionis, ut vocant, pervenerit quando ſcilicet in corpore non fumido & vaporabili; ſed in ſe ipſo conſiſtens, ſtabileque jacet; tunc enim ſi effoſſum per ignem examinetur facili negotio abortivum in perfectionem deducitur.

Monſtra verò dupliciter quoque contingere poſſe videntur, vel quia plura ſimul genita ita commiſta ſint, ut unum quid incertum & obſcurum judicetur, hinc variæ inventæ ſunt artes, quibus facilius difficiliuſve commiſta omnia diſgregantur, ac in propria homogeneitate, ac paritate explicantur, & juxta cujuſque naturam repræſentantur, hoc autem evenit, quod componentia prædicta tunc counita fuere, cùm in termino fixionis erant, tunc enim à commiſto non commutari potuerunt. At ſi metallum adhuc in termino corporis nondum ligati atque conſtricti manſerit, tunc aliqua ex neceſſariis circumſtantiis deficiente in quid corruptum, & imperfectum vertitur, ſicut de auro creditur, cujus embrioni cum ſufficiens humiditas ſeu aqua deficit, in lapidem, quem vocant tranſit.

Atque hinc plura exoriri creduntur miſta, quæ media mineralia vulgò nuncupantur, quinimò & ipſi lapides pretioſi metallorum abortus non abſque valida ratione perhibentur. Hoc autem ſatis inde apertè conjicitur, quod ex eiſdem metallis igne corruptis & calcinatis, vel vitro factitio commiſtis gemmæ naturalibus non abſimiles parantur. Hinc etiam eſt ut carbunculus vulgaribus artificibus difficillimè conſtruatur, quia ex auri deſtructione, ſeu calcinatione, quæ penè eſt impoſſibilis pendeat. Ex his ergo patet locum primò debere eſſe concluſum ac ſolidum, ut nihil inde expirare poſſit, & hoc quidem duplici ratione; prima ut elementorum rotatio, quæ vaporabiliter in forma & ſpecie fumi exercetur, ſub initio generationis metallicæ miſtionis, quæ nullatenus compleretur, ſi locus apertus exhalanti materiæ exitum permitteret. Secunda quia cum exhalatio prædicta metallica ſit, & conſequenter maximè ponderoſa, ab aëre tenui neutiquam ſuſtineri poſſet, ſed cum indies ſub miſtionis progreſſus gravior reddatur, neceſſe eſt, ut aer denſetur, quod facile contingere poteſt, quantum enim elementa miſcenda inferius rarius rareſcunt, tantum aerem ſuperiorem denſari oportet; quod experimento cognitum eſt apertiſſime, uti declaratum nobis fuit in libello, cum de liquore Alchaeſt, de Lapide Philoſophico, ubi oſtendimus minimam etiam rimulam materiæ alioquin perfectè diſpoſitæ circulationes neceſſarias prohibere ſolum aeris ponderoſum vaporem ſuſtinere impotentis ratione.

Hinc clare dignoſci poteſt, quàm graviter decipiantur qui dicunt metalla ſub arenis aut aquis, aut ſimilibus locis ſurgenti fumo metallico exitum haud vetantibus, nec ejuſdem fumi circulationi commodam capacitatem præbentibus genita, jam metalla aquarum illuvionem illuc deportata fuiſſe; rationabile quidem eſt, at illic ab initio ad perfectionem ultimam fuiſſe producta, eſt prorſus impoſſibile.

Præterea in ſuperficie terræ, in duriſſimis lapidibus, imò in ipſis ſegetum ſurculis, ſi verum eſt, quod aliqui fide non indigni ſcriptores in Hungaricis agris aurum ſæpe repertum eſſe memoriæ prodiderunt, id enim inde provenit, quod cum generatio multiplicetur, ex affluxu elementorum, aquæ potiſſimum ad interiora mineræ loca in ejuſdem poroſitatibus quaſi filamenta geniti metalli intruduntur, quæ paulatim ab aliis quaſi ſuccenturiati ſucceſſive impelluntur, uſque quo exterius ſeſe prodant fulcris, ut poſſunt, adhæreſcentia; Quemadmodum vitibus & hederis ſuis pedaminibus annexis accidere videmus: non abſimili ratione emergunt arbores, ſicut & ſub aqua corallia prioribus partibus à ſuccedentibus inferioribus propulſis.

Abſurdum quippe conſtat, ibi metalla genita, ubi

ſæpe

sæpe inveniuntur, cum illis dispositiones requisitas omnes adesse non sit possibile, atque una deficiente, necesse est & generationem impediri. Nec solum aër exposcitur, ut pars loci, in quo generatio patratur; sed insuper elementorum sufficiens portio requiritur pro metalli producendi corporeitate, quorum si unum desit, generatio compleri nequibit; nec solum aër deficere potest, sed & aqua, imò & terra, quæ licet semper præsto adesse videatur; cum in suis cavitatibus metallorum nuptiæ celebrentur, nihilominus cum terra ferè semper variis mistionibus occupata, si talis non adsit; qualis spiritui seminali efficienti expetitur; nulla succedet generatio, nisi forsan mistum, quod occurrit tale sit, ut prædispositionem obtineat ad producendum metallum, sicut & animalia, & vegetantia, non ex simplicibus tantùm elementis nutritionis auxilium capiunt; sed ex mistis quibusdam antecedentibus, non tamen omnibus; sed eorum naturæ convenientibus. Hinc est ut metalla non solum invicem commista sæpe fodiantur, sed plurimis complicata lapidibus, terris, mediis mineralibus, atque id genus similibus.

Loci quin etiam capacitas idoneà requiritur, non enim quæcunque opportuna est, quoniam si angustior, quam par sit, fuerit, clarè patet metallicas circulationes haud fieri posse, neque minus si justo amplior fuerit, tunc enim velut in aëre libero & aperto vapores dispergantur, nec per ignem, seu calorem iteratis ratefactionibus, ut decet dirigi, ac gubernari poterunt.

Ignis tandem potioris considerationis est in rerum omnium generatione & conservatione, sicut enim in artificialibus ignis administratio primum locum obtinet, ita in naturalibus primas partes obtinere certissimum erit, si enim hic vehementior sit quam rei generandæ natura postulaverit, nulla penitus subsequetur generatio, ita quoque si debilior sit, quam opus futurum aliquin exigat.

Nec hic mihi quidem audiendus videtur Bernardus Comes Trevirensis, qui calorem ferè nullum in mineris esse scribit, qui si tantillus esset, opus naturæ celebertimum sequuturum asserit, quod tamen non sine ratione protulit, cum ipse vidisset in opere suo arcano calorem maximè debilem, & magis quidem quam credi possit actus omnes explere, indèque inferre voluit; idem in naturalibus locis evenire: aliud enim est materiam jam à natura completam accipere, & in ipsam residuum quod deest perficere, aliud est ex integro ab elementis generationis cursum inchoare; hoc autem artis Chemicæ veris professoribus satis cognitum est, & hi soli me intelligent, & non alii; hi siquidem experiuntur majorem calorem adhiberi in posteriori operis parte, cum videlicet ad plusquam perfectionem tendit opus, solum quia tunc elementa magis operta in circuitum agi vase strictissime obserato absque auctiori igne minimè possent. Quare multo major exigetur cum eadem omninò dissoluta erunt, ut in generationis initio.

Quod inde quoque probari potest, quòd aqua vulgaris imbecillo nimis calore non assurgit, etiamsi vasis clausis detineatur, ac proinde cum in naturalibus locis hæc eadem elevatio vaporis sit necessaria, quomodo à calore ferè nullo hoc explicari possit non video, ut prædictus Auctor voluit; at hoc illi condonari potest, cum ejus intentio tunc non fuerit primas naturæ operationes in naturalibus locis scrutari; sed duntaxat occultissimæ artis mysteria similibus exemplis licet non ita veris quærentibus artem insinuare.

Ignis autem consideratio in opere naturæ duplex apparet, prima de igne externo est, quatenus scilicet elementa promovet, disponit, ac præparat, qui sensim inter elementa miscenda ligatur, & ex extrinseco fit intrinsecus, & tunc pars essentialis mixti producendi evadit & sic secundo aliam habet considerationem, sicut hoc idem de aëre contingit: hic enim duplex pariter esse cognoscitur, alter qui pars est misti propria & essentialis, alter extrinsecus ambiens, in quo metalli productio perficitur. Sicut ergo de hoc, ita de reliquis tantum natura sumit, quantum sibi opus esse scit; sic quoque de igne dicendum est, cujus tantam portionem sibi aggregat metallica massa, quantum pro suæ naturæ exigentia opus habet quousque ea deveniat ignis augmentatio, ut mistum completam quantitatem sit assecutum, in quo gradu nondum prorsus finis erit mistionis perfectus; ideoque ignis extrinsecus liber requiritur, ut quod per ignem interiorem ligatum compleri nequit per exteriorem interioris vires adjuvantem completur.

Quærere hinc solent nonnulli cur uno loco magis, quam altero metalla exoriantur, cum ubique virtus effectrix astralis, elementa materiam præbentia, & ignis instrumentò præsto sint. Neque solum universaliter; sed specialius, cur videlicet hîc promptius aurum; illic ferrum producatur? Hoc autem ex materiæ ineptitudine contingere nequit: cum enim spiritualis stellarum potestas aptum ex elementis corpus reperire ubique valeat, & illa sit, quæ sibi corporeitatem juxta suæ naturæ exigentiam plasmat, quare metalla omnibus locis non innascuntur? Quod si plantæ non ubique eædem proveniant, id minùm videri non debet, cum illæ ex parentum semine propagentur, & succum alimentalem exposcant pluribus circumstantiis, quam metalla, præparatum, hæc enim ex elementis immediatè materialiter componi ostensum est. Et licet ab initio creationis ante solis apparitionem per dispersam lucem universæ terræ vegetativa virtus desportaretur, non ubicunque permanentes radices figere potuit prædictarum cognitionum defectu. Quod etiam animantibus evenit, quæ non ubilibet degere, vitamque protrahere valent, quamvis motu progressivo quavis progredi permittatur: quare metallorum generationis diversitas hujusmodi causæ tribuenda non erit. Ex his vero quæ in solari luce & radiis observantur, quid de Planetarum quoque virtutibus non ita sensibilibus statuendum sit, innotescet. Ambo siquidem spiritualem naturam habent, solares ergo radii non quovis locorum æqualiter feruntur, nec ubique nec semper ultimam suæ potestatis energiam pariunt: quod manifestum est in speculo urenti, ignem enim in puncto solùm, quo radii reflexi confluentes coeunt, edit. Non absimili ratione Planetarum substantia spiritualis luce ut vehiculo deportata non ubique terminum suæ potestatis ultimæ attingit, sed tunc duntaxat, cum viribus simul counitis ad extremum potentiæ ad finem aucta fuerit, si locus suis circumstantiis munitus adsit, illico materiæ infigitur, & juxta naturæ suæ prædestinationem opus generationis inchoat, & si nil obstiterit, perficit, quod prius imbecillitate virtutis exequi prohibebatur.

CAP. XI.

De Metallorum Vitâ.

OMnibus pœne ac universis naturæ opera speculantibus receptum hactenus est tanquam axioma certum & indubitatum, metalla intrinseco vitali principio, ac seminaria virtute carere: ideoque propagationis vi destitui; hoc autem inde probare conati sunt quod nec nutriantur, nec augeantur; ideoque nec vivere, nec mori posse putarunt. Et de augmentatione quidem non dubitandum est cum sensibus pateat,

pateat, nihilque ſine alimento, nutritione & organis huic rei deſtinatis augeri cognoſcatur. Metalla ſiquidem ſicut homogenea cuncta, & ipſa quoque elementa ſi ſui corporis augmentum capiant, id ex alterius ejuſdem naturæ corporis additione contingit, quemadmodum & alia prædicta, quæ ſimiliter augentur.

Quod ſi opponatur quod in arboribus longo tempore diſciſſis, & animantium ovis evenit, in quibus virtus prolifica adhuc ſuperſtes & vegeta manifeſtatur, tametſi abſque detrimento diutius emortua ferè ſteterint, quin imo in ovis animantium vitales etiam functiones abſque nutrimento non brevi ſpatio exercentur, quod evidens indicium eſt vitæ beneficio frui, licet illas ſemper non patefecerint, quare ſimiliter & metalla vitali poteſtate gaudere poterunt intrinſecè abſque eo quod illam exterius prodant. Huic inquam facilè reſpondebunt nullo indicio id in metallis oſtendi, cum nunquam obſervatum ſit ea vitales actus, & opera prædictis ſimilia edere, quicquid etiam contra de Chriſopœio & Argycopœio ſemine jactitent chemicæ artis profeſſores, qui opere tamen ipſo palàm nunquam præſtiterint, nec ſemen illud cæteris conſpiciendum obtruſerint.

Nos hic contrariam ſententiam tueri conabimur, metalla ſcilicet vivere prorſus, quinimo & totam univerſi machinam vitali poteſtate, atque prolifica turgere, nihilque penitus in toto mundi ambitu eſſe, quod vita imò ſenſu, quod magis eſt, non polleat: quod & nobiſcum apertè ſenſit Divus Auguſtinus, qui lib. 3. de Trinitate. Omnium quippe rerum, quæ corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis hujus elementis latent. & lib. de Civit. Dei. Inſunt in rebus corporeis per omnia Elementa quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis, prorumpunt in ſpecies ſuis modis & finibus: quod & in Orthophyſicis noſtris pariter demonſtratum eſt, & hic quantum quidē ad metallotū vitam ſpectat, nonnulla addere nō pigebit.

Diſtinguendum autem prius hic eſt vitæ nomen anceps, ne fortan ex vocis æquivocatione erroris quid in doctrinam irrepat; ſiquidem duplicem vitam genericè dicimus, prima eſt, de qua videtur locutus eſſe D. Auguſtinus ſeminaria ſcilicet, ratio quæcumque ea ſit, non ad hanc magis, quam ad illam ſpeciem directa, & ſic ubique vitæ ſpecimen ſe prodit, ſi circumſtantias requiſitas offenderit, nec id quidem abſque ratione, cum enim vis ſeminalis non ſit niſi ſpiritualis ſiderum ſubſtantia, ut alibi probatum eſt ſufficienter, cum ſubſtantia hæc lumine, id eſt luce & aëre quoquoverſum feratur, ſolida quæque penetrans, nihilque ſibi deſit præter corpus, ad ſuæ potentialis virtutis energiam oſtendendam ſi illud obtinere poſſit, ſtatim illic implantatur, ſuoſque characteres imprimit & promit, nec id deficere poteſt, cum elementa ubique locorum reperiantur, corpuſque perficiendum advenienti ſpiritui offerat. Hinc eſt, ut ex miſtis putrefactis rerum ſenſu omninò carentium, vermes, papiliones, aliaque infecta ſenſu prædita enaſcantur, utpote quæ corpus non exigant tot diſpoſitionibus præparatum, quot perfectiora. De hac ergo vita hic non loquimur, quæ caſualis quodammodo atque indeterminata videtur, non quidem ex parte ſpiritus aſtralis vitam exhibentis, hic enim utpote ubique idem eoſdem quoque parere debet effectus, at reſpectu circumſtantiarum, temporis, loci, caloris, & id genus ſimilium, quæ ſpiritui architectonico licet eidem diverſitatem violenter aliquatenus inferre poſſunt.

Alia igitur vita eſt ſpecialior, quæ eſt in ſpeciebus determinatis, & univocis, ut cum hoc animal ab animali, planta à planta gignitur, aliæque ſimiles vitales functiones certæ atque ſtabiles exercentur; & ſicut iſta ſpecialis ex generatione ac nutritione operatur, ita vita univerſalis prædicta ex putrefactione in actionem perducitur. Vita ergo ſic accepta non eſt niſi vis interior ſeminalis, generationem & nutritionem juxta ordinem & modum ſuæ naturæ debitum edere potens. Hæc enim ſi ſemel deſtruatur, ut ſæpe contingere ſolet, ſtatim vita & vitæ poteſtas perit, ac tunc ſuccedit alia univerſalior jam explicata: nunquam enim omnis vita deficit ſi ſecunda defectu corporearum diſpoſitionum intermoriatur, ſtatim ſuccedit prima, ne omni viralitate res aliqua privetur, nihilque tam mortuum jacet, quin ibidem vitæ alicujus ſcintillæ non eluceſcant. De metallis ergo jam nulli dubium eſt, quin univerſali vita, ſicut & partes cæteræ cunctæ Univerſi fruantur, neque de hoc quis forſan ambigere poſſet, ſed difficultas eſt, an vitam poſſideant ſpecificam, an ſcilicet aurum argentum, & alia vim habeant intrinſecam ſpecificis proprietatibus gravidam, ſicut animantia & plantæ. Et omiſſis quidem experimentis, ut plurimæ digniſſimorum fide ſcriptorum hiſtoriæ tradiderunt, quæ tamen levis momenti eſſe non deberent, ſi verum ſit, quod peritis in arte ſit aſſentiendum, cum Phyſicus etiam argumenta ex rerum natura deprompta exigat, nonnulla hic ſumus allaturi, quæ nobis potiora videbuntur. Et primo quia nulla ſpecies certo ac determinato ordine ac modo procedens vitali munere caret; igitur nec metalla hoc eodem carebunt; inductione verò patet in omnibus in hoc veritatem habere, nullaque poteſt afferri ratio, cur metallis denegetur, neque impedir, quod ipſa non nutriantur, nec augeantur, cum enim homogenea ſint, & inſtrumentis careant, nullaque neceſſitas appareat eorum nutritionis, non videtur quare in ipſis illa poſtuletur.

Quare vero his ſicut aliis nutritio non ſit tradita, eſt, quia à ſemine parentum non procedunt, ſed immediate, à ſidereo ſpiritu, qui loco cum ſuis circumſtantiis apto poſitus, ſibi ſufficiens eſt ad viralitatis munia integre obeunda. Secundo probatur ex eo, quod ea quæ veram generationem habent, & viram habere neceſſe eſt: quod vero metalla ſint ejuſmodi, liquido patet ex iis, quæ de metallorum generatione ſuperius attulimus; materiam enim aptam ſpiritus aſtralis exigit, hoc eſt igne & loco congruo diſpoſitam pluribus motibus illam circumagit, movet, & perficit quouſque ad finem prædeſtinatum veniat, ibique ceſſat: ſimiles autem functiones ſine vita eſſe nequeant.

Quinimo proportione reſpondet metallorum generatio ſtirpium productioni, at in metallis tota materia initio radix eſt, cum præparatur, & rotationibus ſuis revolvitur, arbor eſt luxurians, folia & fructus profert cum varios colores in digeſtione neceſſario exerit, quod ſibi eſt ineptum, tanquam excrementorum rejicit fructus deinde in ipſo complemento, & perfectione conquieſcit, ab opere manifeſtat, in interiori receſſu vim ſeminalem prolificam claudit, quæ ſi pari ratione, ut in ſemine vegetantium convenienti ſucco, eodem nempe, quo prius ipſamet fabrefacta fuere, exolvatur, quidni & ipſa vegetantium more ſuam ſpeciem multiplicare valebit.

Quare metallica materia ſub miſtionis elementorum initio cum ſpecie principiorum ſecundariorum induta manet, quod fit dum in prioris miſtionis parte tota radix eſt, & alimentum. Cum vero ſpecies aſtralis in poſteriori miſtionis parte ſpecificos actus edit, & ad extremam perfectionis completæ metam percurrit, tota germen eſt arbor & planta. Cum poſtremo integrum perfectionis curſum compleverit, finemque ſuæ naturæ permiſſum adepta quieſcens ab opere ceſſaverit, tota fructus eſt, tunc enim ulterius naturaliter

liter tendere nequit: quod si per artem naturæ adjutricem eodem prorsus quo ab initio composita fuit humore, soluta in ulteriorem generationem promoveatur, tota semen erit, & vim prolificatam absque dubitatione possidebit, quod enim in vegetantibus discrimen accidit instrumentorum & partium diversarum ratione, illud idem in homogeneis metallis ratione diversitatis graduum & temporum succedit.

Ergo si vitalis potestas ignobilibus lapidibus inclusa observatur; multo magis eadem concedi debet metalis, utpote perfectioribus, nec solum universaliter vitæ semen, sed & specialis. In saxis enim & lapidibus extrinsecus integris & inviis pisces & animalcula innascuntur, & corallia ex lapideo succo germinationem habent, & sicut supra terram quædam sunt germina; quæ nullam aliam partium diversitatem possidere videntur, quam habeant corallia sub aqua, ita hanc eandem metalla sub terra habuisse videntur, arboribus enim prædictis simillima in mineratum latibulis conspiciuntur.

Vitam ergo suam & metallis concedamus, non universalem duntaxat, sed metallicam specialem, quantum quidem illis ut homogeneis, & instrumentis carentibus permissum est; & hinc perpetua stabilisque procedit illorum propagatio iisdem semper proprietatibus, causis & modis circumscripta. Si vero præposita adversarii ratio roboris quid haberet, qua probatur metalla vita deficere speciali, quia nunquam visa sint suas species propagasse, nec semen aliquod protulisse, unde sese multiplicare per veram generationem possent. Hæc eadem ratio ad omnem illis vitam denegandam, non tantum videlicet specialem, sed & universalem, inservitet; nullam etenim in illis præsertim nobilioribus observare possumus, quare si vita speciali frui negemus, & quod vitales actus non ediderint unquam consimiliter & omnem prorsus vitam quem toti Universo concedimus eripere debebimus, quod absurdissimum esse ex prædictis constat, si plurima enim longe ignobiliora vitali potestate turgere visuntur, illa eadem metalla, quæ mista nobilissima sunt carere minime poterunt, tametsi actus ullos naturaliter promere prohibeantur.

Hoc enim ideo contigit, quia cum durissima sint, solida, compacta, clausa, sicca & terminata, interior vis seminis, unde vitalia opera proficiscuntur tali corpore quasi compedibus & carcere deligata cohibetur, quamobrem si ad ulteriorem generationem impellere speremus, opus erit, ut carcere fracto, humefacto vis interior exolvatur; tunc enim in tenellum corpusculum igne convenienti auxiliares manus adepta vitalia munia exercere incipiet, & si nil obstiterit integram vitalitatis suæ periodum complebit.

Non absimili ratione accidit in vegetantium seminibus, quibusdam, quæ durissimo cortice obducuntur; hæc enim nisi terræ iterum demandentur, atque succo eodem seu liquore, quo ipsorum corpora ab initio composita fuerant, humectentur, dissolvantur, ac operiantur, in novam generationem promoveri nequeunt, sed ita ut sunt, infæcunda manerent, non ex defectu inhabitantis spiritus seminalis interioris, verum defectu necessariæ circumstantiæ: ita propemodum sese res habet in metallis, quæ duriori etiam corpore, arctiorique ligatura stringuntur, ut propterea suæ vitalitatis munia obire nequeant, nisi [ut dictum est] vinculis dexterè relaxatis interior vis sese in propatulum promat.

In Metallis tamen discrimen est hoc à vegetantibus & animalibus, quod in horum genetatione quantitas seu numerus multiplicatur, non virtus neque potestas aliis extra se communicabilis; at in metallis simul cum quantitate & vis prolifica seminalis mirum in modum excrescit duplici ratione.

Prima est ratione spiritus interioris agentis, qui non ut antea vagus necessariis dispositionibus destitutus quasi peregrinus corpori sua debili vi fabricato implantatur: at nunc quasi proprio domicilio inhabitans, omnibus requisitis circumstantiis præmunitus fortiori robore operari valeat 2. ratione materiæ seu alimenti, quod perfectius requisitis omnibus conditionibus exornatum atque jam fere completum interiori naturæ offertur ab arte, cujusmodi non erat illud, in quod primitus per solam naturam componebatur, hoc enim ut dictum est, ex elementis primam sumpsit originem, quod paulatim & longo tempore, multoque naturæ labore in perfectionem deductum est.

Cum ergo virtus operativa potentior, corpusque longe perfectius superaddatur, necessario & productam multis perasangis erit activius ac potentius, & proindè superabundantem suam virtutem cæteris imperfectioribus communicare poterit.

Quæ omnia in Orthophysicorum opere loco convenientiori fusius examinantur, unum hic addendum superesset, quomodo scilicet metalla non dissimili ratione nutriantur, ac cætera duo mistorum genera. Imò omnimodam habeant cum illis similitudinem proportionem, & pro suæ naturæ homogeneæ conditione modum fere eundem. Id tamen hic retinendum satius diximus, ne frustra idem repetatur. De hac enim rè abunde satis disputabitur infra libro 3. cap. 2.

CAP. XII.

De possibilitate Transmutationis Metallorum per Artem.

EX his superiori capite determinata sunt tanquam necessaria illatio sequi videtur artificialis metallorum multiplicationis possibilitas, cum enim constet illa sicut & cætera mista vitam habere, consequenter vitalibus officiis, interquæ principalis prolificatio est, fungi poterunt, quod si prolifica metalla cognoscantur, & suam quoque vice versa habere vitam metallicam generationem & nutritionem apparebit.

Quare sicut hoc caput ex præcedenti consequitur, ita illud ex hoc firmius roboratur, tametsi quæstio hæc non hujus loci proprie videatur, sed artis, quam Chemicam non multis ab hinc seculis vocarunt, cum vetustioribus aliis speciosioribus titulis indigitaretur: at cum omnibus, qui res metallicas tractarunt scriptoribus hæc eadem examinata videatur, inconveniens erat silentio illam præterire.

Cum ergo certissimum sit pluribus etiam argumentis non debilibus metalla transmutari non posse, & ex alia parte non minus innotescat metalla sæpius opere ipso realiter, & absque falso transmutata esse, examinare utrumque plurimum expediet, primum scilicet, quomodo metalla invicem realiter, & verè essentialiter commutentur. Secundò quomodo eorum transmutatio sit penitus impossibilis. Hanc in 3. libro, cum metalla specie ac essentia invicem differre monstrabimus examinandam linquimus, illam, hic examinare libet.

Duo ergo hic discutienda sunt, primum est an metalla gignere, & suam propagare speciem per artem queant, secundum ex qua materia, seu subjecto corpoream substantiam vis prolifica desumat, vel ad suam speciem augendam, Tertium quomodo scilicet virtus prædicta transmutans opere manuali paretur, relinquimus Theoricæ, & practicæ aliis tractatibus explicandum ulterius.

Circa primum præter omnem rationem videretur metalla regulariter, stabiliter, ac determinate, suis proprietatibus per naturam genera rim terræ viscceribus &

in vase naturali prorsus consimili supra terram per eandem naturam artis adminiculo in novam generationem impelli haud posse, quod enim seminali vi pollet, generare quoque per eandem potest, hujusmodi autem sunt & metalla quoniam si talia non essent, nec in terræ visceribus producerentur.

Hinc nonnulli devicti generationem quamcunque etiam naturalem metallis abnegarunt; quod tamen sensu & experimentis falsum esse constat, cum pluribus locis visa sint metalla semel effossa iterum reproducta, ut in Ilva Insula, propterea inexhausta nuncupata, quod vigiuti quinque circiter annorum spatio fodinæ jam inanitæ nova ferri reproductione impleantur. Sicut enim animalia, & quæ vegetant, non aliâ ratione prolificata sunt, nisi quia seminali vi turgent, qua nunquam privantur; talia vera sunt & metalla.

Probatum autem est in Orthophysicis, in animalibus duplex inesse semen, novum alterum in vasis spermaticis, & alterum antiquum in toto corpore parentis dispersо, hoc autem prolificum ideo non est, quia novam materiam idoneam & circumstantias sibi debitas habere nequeat, & propterea pes, caput quæ partes valdè dissimilares existunt, quamvis seminalem virtutem per totum corpus dispersam contineant, generare nequeunt; at plantæ quæ tot dispositionibus subjectæ non sunt, non solum semine multiplicantur, sed surculis virtute seminis antiquioris, qua scatent, in perpetuam generationem percurrere observantur. Sic igitur & metalla, quæ valde minus; imò nullo prorsus instrumentorum jure obstringuntur, vim prolificam exercere poterunt. Non tantum ergo seminali virtute prima libera in suis minetis, sed virtute seminali secunda in toto metallico corpore diffusa atque cohibita, in novam generationem protrahi arte valebunt; nulla etenim assignari poterit disparitas. Ex præhabitis enim liquet hæc solum ad metallorum generationem exigi vim seminalem effectricem, materiam aptam, locumque suis circumstantiis munitum quæ omnia cum æque ars ac natura suppeditare possit nil obstabit, quin eadem imò & meliora opera perficiat. Præterea probatur transmutationis veritas ex eo quod non entis nulla cognitio haberi potest. Res etenim sicuti sunt, ita cognoscuntur; at ejusmodi transmutatio scitur, secundum omne requisitum, describuntur enim causæ, instrumenta, modi, circumstantiæ omnes tam ad Theoriam; quam ad praxim spectantes, adeoque uniformiter, ut nil prorsus invicem discordare in illis tradendis scriptores videantur quod ex præcedentibus manifestum satis putamus. Quare vera erit & possibilis transmutatio dicta.

Præpositæ rationi non absimile est argumentum, quod Lullius attulit in quæstionibus, quæstione quâ quærit: An ars Chemica sit ens verum & reale: sic enim subtiliter argumentatur: Finis artis Chemicæ est aurificare, argentificare, & vegetare seu transmutare: ergo hinc demonstratur subjectum artis esse compositum ex auro, argento, & Mercurio vegetabili, quia hoc vult definitio principii, quia sicut ignis est principium ante omnia ignificandi, Leo Leonem gignendi, & triticum seipsum propagandi, sic aurum se habet ante omnia in ratione aurificandi, & vegetativa in ratione vegetandi, Cum igitur finis artis sit aurificare &c. oportet in ipsa esse aurum, & vegetativam, ideſt quod in arte sit subjectum, aliud aurificaret, & vegetaret, absque auro & argento & vegetativa definitio principii esset falsa; quia nullum principium esset primum, quod est impossibile; quod si in subjecto prædicto sit aurum & argentum, & vegetativa actualiter, & eis propriè non competeret aurificare, argentificare, & vegetare, quod est contra cursum naturæ, quia finis patere-

tur vacuitatem, quam natura ferre nequit. Ergo concluditur quod ars necessario est de auro, argento & vegetativa, quæ sunt entia realia, & vera. Igitur & ars est realis & vera hucusque Lullius.

Rationes ab historiis certis, ab auctoritate in arte peritorum, atque consimilibus, hic nobis physicam tractantibus non magni faciendæ visæ fuerunt, sed ex tantummodo, quæ ex ipsa rei natura per ea quæ analoga, & proportione in duobus cæteris mistorum generibus conspiciuntur, visæ sunt afferendæ.

Circa secundum, ex quâ scilicet materiæ multiplicatio prædicta efficiatur, jam certum est, non ex quolibet proximè & immediatè proficisci quodlibet, sed ex determinato, hoc est circumstantiis requisitis circumscripto, quod inductione patet in omnibus; ita metalla ex carne, ligno, lapidibus terreis, gemmis vitro ac similibus, utpote subjectis, à metallica natura distantissimis, materiam idoneam desumere impossibile est, quare solummodo ex ipsismet metallis materia, in quâ vis prolifica operetur, desumenda erit; quinimò cum metalla singula non minimum inter se differant, nulli erit dubium quin vis seminalis specifica aptiorem inveniat in uno, quam in alio, ut si vis seminalis aurea fuerit, in argento vivo, & argento auro propinquioribus; si vis seminalis ferrea in plumbo materiam sibi convenientiorem inveniat necesse est. Et quamvis Geber artifex in Chemicis solertissimus protulerit, & aperte testatus sit se invenisse, inquirit ne longa nec non laboriosa maximè medicinam unam, qua quidem durum molliscit, corpus, & molle induratur, & fugitivum figitur, & fœdum illustratur splendore inenarrabili &c. hoc inquam non obstat, cum certum sit experimento non singula metalla vitalis medicinæ pari facilitate, ac utilitate commutari juxta siquidem convenientiam majorem facilior transmutatio sequetur.

Ex his liquido patent duo, primum est, quodquamvis metalla invicem circulariter converti possint, ut Albertus M. & alii cum ipso affirmant, hoc non fieri virtute aliquâ metallo transmutano inexistenti, vel aliunde, quicquid illud sit, desumpta, nisi ex illâmet corporeâ substantiâ, in quâ vis seminalis per naturam indita fuit ab initio: quamobrem vim transmutantem auream v.g. ex nullâ alia re desumere possibile est, quam ex auro, argenteam ex argento, & sic de singulis. Secundum est virtutem transmutativam, cum proveniat ex vi seminis per naturam cuilibet metallo inditam, non potentiorem in uno, quam in alio reperiri, ne faciliori labore ab uno accipi posse quam ab alio; hoc nonnulli sibi persuaserunt existimantes faciliori negotio unum in aliud, quia magis invicem conveniant, transmutari: fallò enim crediderunt hujusce transmutationis originem & fundamentum ex mutuâ metallorum corporeitatis convenientia derivari, non ex virtute seminali, ex uno solo metallo, aliunde nullatenus possibili deprompta. Quare si vis hæc ex auro habeatur reliqua omnia metalla licet non æqualiter in aurum convertet; si ex argento, omnia in argentum, si ex ferro, in ferrum. Principium ergo transmutationis & seminis est non ex materiarum quantumcunque convenientium similitudine.

Id hoc loco non vulgari animadversione dignum censeo, quod in philosophantium peritiorum gratiam sum revelaturus, duplicem nempe metallorum transmutationem scriptores tradidisse, in qua plurimum errare contingit, nisi una distinguatur ab altera licet ab eodem fonte procedant ambo, prima pars quæ in unica singulari metalla materia succedit, sicut in semine quoque plantarum fieri diximus, cum scilicet granum tritici terræ amandatur, ibique humectatum; dissolutum & calefactum in novam generationem

ducitur,

ducitur, in qua corpus antiquum destruitur, quod tamen nova progeniei reparatione magno fœnore compensatur, dum ex priori corrupto multiplicati fœtus exoriuntur, qui tamen majori virtute non pollent, quam fuerint parentes & avi; ita pariter & metallum, uti dictum est apertum ex propriâ seminali virtute in sobolis multiplicationem pollitur, augetur etenim plurimum, dum ex veteri corrupto additione convenientis materiæ novum genitum reproducitur, cum hoc tamen discrimine à stirpium seminibus, quod in hac transmutatione, quod in secundo exoritur, majori valde potestate præditum cognoscatur, sed hæc transmutatio adhuc duplex est, in qua metallum perfectionibus dotibus exornatur quas tamen in alienum transfundere nequit, sed in suum proprium corpus tantummodò operatur, cujus exemplum est in ovo, cum sine alterius materiæ additione in pullum transit, qui quanquam perfectior est, quam ovum, perfectionem majorem non possidet, quam possedisset pullus, unde ovum exoriebatur; at hæc propriè transmutatio dici non debet, sed maturatio potius, non enim internus artifex seminalis inhabitator, sed habitaculum, & corporeum domicilium, in inchoatæ maturitatis perfectionem ducitur, quod in vera transmutatione non fit. In hac enim habitatorem una cum habitaculo alieno juri submitti oportet.

At in secunda, quod iterum enascitur non tantum dignioribus ac potentioribus viribus decoratur; sed has cæteris etiam metallis per projectionem (ut vocant) super ipsa igne liquata injecta impertire valet.

Et ex hoc secunda transmutatio metallorum intelligitur in qua videlicet metallum transmutandum tanquam alimentum est alienæ virtutis transmutantis, quæ sua potestate alimenti potentiæ dominatur, quæ tamen quantum potest resistendo se vinci non finit penitus & integraliter, quare ex ambabus, quamvis debilior in magna corporis mole potentior in minori resideat: fit medium quoddam, in quo terminus est naturæ communiter intentus, si tota vis subjecti transmutantis exhausta fuerit, alioquin additione debilioris metalli iterata semel aut pluries prædicta vis elanguescit, ut terminum sibi à natura præscriptum egredi nequeat, & hinc metallum naturali prorsus consimile, imò identicum exurgit.

Quamobrem transmutationem hanc cum animalium nutritione analogiam & similitudinem habere constat, in hac etenim sicut in aliis vis seminalis transmutans requiritur, quamvis altera calore & instrumentis, altera verò solo calore propter instrumentorum carentiam perficiatur: in utraque alimentum aptum & idoneum exposcitur, quod pro majori vel minori affinitate atque convenientia facilius uberius & utilius, in aliam substantiam transmutatur; quinimò sicut animalium nutritio non ex omnibus indifferenter alimoniis, sed ex idoneis, & proportionatis efficitur; ligna etenim duriora, lapides, & id genus similia, utpote quæ pluribus dispositionibus ab animalium carne longe diversis prædita sunt; à seminali virtute superari, in proprium & affinem succum præparari nequeunt: ita metallica hæc nutritio non ex omni subjecto; sed ex eo duntaxat, quod cum semine mutante sufficienter conveniat, compleri potest. Hinc est quod aureum elixir vi seminali, seu mavis igneâ maximè aucta nil transmutat, quod ab auro corpore nimis distet In hac nutritione consimiliter, ut in illa recrementa & fœces semini incongruæ ac inutiles ex alimento segregantur, uti dictum est.

In ambabus enim superius enarratis transmutationibus necessum est aliquid absimile secerni, non aliter atque in animalium alimentis, quæ nunquam adeò alendo idonea & convenientia reperiuntur, quin aliquid impuræ lapis, ineptæ transmutationis contineant plus minusve tamen prout similibus vel similibus vel dissimilibus alimentum fuerit.

Transmutationem seu mavis transmutationes prædictas possibiles quidam concedunt, sed vel reipsa impossibiles, aut saltem difficillimas; quibusdam è contra faciles prædicantibus. De qua re verbum quoque addere non displicet; & facilem quidem ex altera parte dicimus, & ex altera difficillimam. Difficultatem verò ex circumstantiis pluribus necessariò requisitis pendere protestamur, quas in disceptatione nostra de Liquore Alchaest enumeravimus, quod verò facilis pariter sit, inde probatur, quod nullum naturæ opus, ut videre est inductione in singulis difficultatem habet: has autem transmutationes explicatas omnes merè naturales esse fatemur, nec ars aliquid ultra ministrat, nisi quod plantarum seminibus & surculorum diversorum insitionibus, vel paulò plus, prout subjectum plus aut minus delicatum est ac destructioni obnoxium, de quibus omnibus in Chemicis nostris Deo concedente fusius.

CAP. XIII.

Quod levis ab auro color, & tinctura nullo artificio sit separabilis.

EOrum qui contra veræ transmutationis metallorum artem sentiunt, duo sunt genera, alterum penitus impossibilem dictitans; alterum verò non tantum veram putat, sed ita ut in pluribus ac diversis materiis ipsam consistere mentiatur, cum non nisi ex unica penitus & singulari proficiscatur: unum autem dico, sicut ovum, ex quo solo ut principio pullus progignitur, excepto calore sufficiente, licet postquam exortus fuerit alimento idoneo egeat.

Præter hæc dico aliud est genus tertium inter utrumque medium, eorum scilicet, qui rationibus, historiis, ac experimentis non tantum virorum omni fide dignorum, sed etiam sibimet ipsis inspectis convenienter, artem quidem affirmant, illamque in auro tanquam in primo ac principali subjecto residere, & illinc emanare, sed etroneo prorsus opere existimantes ex illo per sophisticos, ac extraneos liquores colorem suum segregari, quem postea auri tinctura, seu spiritum, sive animam, aut quintam essentiam vocitant, quo postea tantundem auri super alia metalla liquefacta projecto relúmant, quantum id fuerit, unde prius desumptum fuerat, decepti forsan Paracelsi verbis, quæ non sic ut primâ fronte videtur interpretanda sunt, sed mysticè, ut mos ipsius est familiaris: nec vulgares duntaxat, ignarique homines credidere: verùm doctiores scripturæ pariter monumentis tantùm errorem tradentes, quo plurimi à vero tramite deviantes non minimùm se detrimenti perferre senserunt, ut non tenue operæ pretium me facturum sperare possim, si sophisticam hanc opinionem ex artificum mente rationibus clarissimis eliminare valeam. Hoc enim si verum foret, è directo adversaretur iis quæ hactenus hic demonstrata fuere, cum præsertim eorum nonnulli scribant auri tinctura detracta corpus residuum verum esse argentum. Ita Ioseph Quercetanus vir alioquin de Chemicis disciplinis optimè meritus, & cum eo plures alii: quod tamen tam absurdum est; ut nihil magis, tunc enim ex auro argentum generaretur absque argenti semine per solas res solum extraneas, per quas etiam aurum in substantias varias devideretur, valdè dissimilares, quod totum est contra artificum experientias: Aurum siquidem

ſiquidem eſt omninò incotruptibile, & quam maximè homogeneum, tam arctam poſſidens miſtionem, ut nulli rei, præterquam uni ſoli, quæ in toto naturæ ambitu inveniri nequit, ſpeciali Dei privilegio obtinendæ, ſit diſſolubile: quomodo ergo poterit intrinſecus penetrari per ejuſmodi liquores, quantumcunque tenues & acres, quod ſi nemo illuc pertingere queat, ubi principia ſeminalia, quæ ſpiritualia ſunt, reſident, quonam modo virtus ejuſdem in alia metalla transfundi poterit? aut quanam ratione liquores ejuſdem ab auri proptia ſede vim ſeminalem detrahent, ut in ſeipſos recipiant, & aliis diſſimilibus impertiant.

His adde vel prolifica vis ex ſemine ſpirituali promanat, vel ex corpore? ſi primum, quomodo vis ſpiritualis in ſubjectum ſibi extraneum & diſſimile recipi aut recepta ſtabiliter perdurare poterit? ſi verò ex corpore, vel hoc erit integrum, vel in ſubſtantias diviſum non integrum, quia dicta tinctura non eſt integrum corpus; ſi diviſum, quomodo ex corpore diſſecto ſuperſtes vis prolifica obtinebitur? putant autem in ſolo colore auri eſſentiam ſuſtineri, quod eſt erroneum: in cæteris enim ſeminibus vel ovis tam animalium quam ſtirpium non color attenditur, ſed vis interior, ex qua color & omne aliud accipens conſequitur. Nec propterea rerum tincturæ, vel colores quantum ad generationem ſui ſimilis ſpectat, ſupra reliquas partes miſti corporei quicquam poſſident efficaciæ majoris quanquam in quibuſdam proprietatibus illis prævaleant. In aliis verò vice verſa ſuperantur. Eſt enim tinctura in animalibus, & vegetantibus pars ſulphurea magis, ideoque ſeparabilior, quam ſit mercurialis & ſalinoſa, quæ pertinacius ſubjecto inhærent, ac diſſolutioni reſiſtunt, ideoque in ſale vis potentior. Rationabile ſiquidem eſt ibi ſpecificas proprietates ſtrictius coerceri, ubi diſſolutio minus poteſt, cujuſmodi eſt ſal miſtorum. Ex adverſo autem ſulphur debilius eſt; quia promptius miſto ſegregatur, & aereum eſt. Si ergo vis auri præparativa daretur, potius in reſiduo corpore deberet eſſe vegetior, quam in ſulphurea: ſi enim hæc tam prompte à ſuo corpore diſjungi potuit, quomodo alteri extraneo ſtabiliter adjungetur?

Hoc autem clare liquet non ſolum in animalium & vegetantium tincturis, ex quibus ſubjectum antiquum non reparatur, nec ex Croci calore, vel Rhabarbari miſta, ex quibus extracta fuerunt, reproducuntur. Sed nec etiam homogeneis, ut in Croco vel ſulphure ſtibii & ſimilibus, in his autem vires quædam obſervantur majores, eo quod in ſubjecto ſint debiliori, & idcirco cenſibus ſeſe obviam præbent facilius ſulphuris ipſius interiores virtutes, quæ id Mercutio & ſale profundius latent.

Præterea ſicuti miſtio duplex eſt, ſpiritualis & corporalis, quæ triplex eſt, ita diſſolutio vel penes illam conſideratur, vel hanc: Corpus enim in pulveres quantumvis tenues diſſolutum, vel in liquorem; aut etiam in halitum vel tenuiſſimum, non propterea diſſolutum verè dicetur, ut in mercurio vulgari liquidò cernitur: ſed tunc duntaxat verè diſſolutum erit, cum elementorum compages ſic relaxata fuerit, ut in elementa miſtum redire queat. Sicut ergo in corporeis diſſolutionibus vis germinativa non deperit; ita nec extraneis rebus communicari poterit. Nam hoc in exolutione ſpirituali tantum accidit. Cum ergo nullum miſtum ſit tenacioti ligaturâ præditum quam aurum, nullo medio poterit us ad ſpiritualem ejus interiorem diſſolutionem pertingere, & per conſequens nec virtus germinativa poſſideri poterit.

Verum concedatur etiam auri ſpiritualis interior diſſolutio, duplex hinc apparebit impoſſibilitas, ut ſeminalis vis productiva vobis reſpondeat. Prima eſt ratione ſeminis: cum enim hoc ſpirituale quid ab aſtris in elementorum conjunctione miſtioni alligatum ſemel diſſolutum evaneſcet nec ullatenus cohiberi poterit. Secundâ ratione liquorum diſſolventium, qui nullo artificio præparari poſſunt, ut ſint tam apti virtutem auream accipiendi, ut ex ſubjecto, cui naturaliter fuit indita ſeparetur, & in ipſa liquores ſuſcipiatur, ac poſtmodum ab iiſdem pariter ſegregetur, atque ſic perduret, quòuſque corpus aliud reperiat in quod ſuas proprietates, & naturam infundat, quæ omnia abſurdiſſima cognoſcuntur.

Aurum ergo heterogeneitatem admittere nequit, nec actu nec potentia, cum enim deſtrui nequeat in partes diſſimiles diſgregari non valebit: quod ſi etiam corrumpi dicatur niſi corruptio fiat vi naturæ, ſeminis poteſtas minimè ſoſpes erit: at ſi fiat vi naturæ totum corpus diſſolvi neceſſe eſt, non in partes ſubſtantiales diſjici, quod in nulla generatione contingit: quod ſi id etiam foret, multo facilius hoc eveniret in argento, & aliis; at ex his nemo tincturam extraxit, nec extrahere poterit, quæ ſit reparativa corporis antiquioris: cætera enim debiliorem ligaturam obtinuiſſe experimento patet. Si per liquores igitur extraneos, hoc eſt à natura & proportione miſtionis auri diſtantes fiat ejus diſſolutio ſimul cum corpore diſſolvetur, & ſeminalis interior ſpiritus, quo pereunte aurum inde reparare erit impoſſibile: quod ſi ejuſmodi tinctura ab auro ſegregata per ſimiles extraneos liquores obtineretur, non pars erit à reliquo corpore aureo diverſa ſed corporis totius liquefacti portio: à vegetabilibus verò & animalibus tincturæ ſeparantur quidem, eo quod vel actu diſſimilaria ſint, vel non difficulter per corruptionem in tria principia heterogenea redigi poſſunt, non tantum quia illorum corpus organis & inſtrumentis diſſimilibus fabrefactum ſit, ſed quia alimento quotidiano indigeant, ut eorum corpus ab initio minimum ad ultimam perfectionis magnitudinem perangeatur, & auctum conſervetur: alimentum autem non ubique, nec omni tempore idem, unde fit; ut facile in heterogeneas partes ſegregari poſſit. In mediis verò metallicis difficilius, & adhuc difficilius in metallis: cùm alimento minimè opus habeant: totum enim quo indigent, ab initio ſibi aggregant: ideoque homogenea redduntur. Aurum verò eſt omnino indiſſolubile, ac maximè homogeneum & propterea inſecabile.

At dicet quis, auri tincturam ejuſmodi à corpore ſuo albo ſeparatam viſam eſſe non ſemel: eo tamen conceſſo, non propterea germinandi poteſtatem ullam in eâdem reſidere poſſe dicimus, cum ea pars aurei corporis diſſoluti non ſemen, ſpiritus, aut quinta eſſentia, ut jactitant, dici poſſit; nulla enim ratio id perſuadebit unquam; quod ſi foret id poſſibile, rationi conſonum magis erit ex inferioribus metallis hanc eandem tincturam poſſe facilius extrahi, cum debiliorem nacta ſint miſtionis ligaturam, quam aurum: Nemo tamen auſus eſt id affirmare, nec ex argento ejuſmodi tinctura prolifica haberi poteſt, ſicut alioqui deberet rationabilius. Sic pariter ex ferro & aliis, imò ex aere viridus extractus liquor, quamvis medicâ poteſtate polleat, metallum prius corruptum reparare minime poteſt, quod tamen experimentum non cuivis obvium erit, ſed quibuſdam ſolertioribus, quibus liquor diſſolutivus miſtorum innotuit.

Quod ſi Auctores etiam celebriores dictæ auri tincturæ meminerint aliquando, non propterea eâ methodo præparatum eſſe dicendum erit, ut ſit auri pars virtute generativa pollens, ſed ſubtiliori artificio ad ejus poſſeſſionem opus eſſe, aliumque liquorem à

vulgaribus

vulgaribus longè diversum. In auro siquidem semina sunt auri, sed abstrusa recedunt longè, nec possibile est illa separata possideri, cum sint per totum corpus dispersa: secus in animantibus atque plantis, à quarum corporibus semen antiquum separari neutiquam conceditur, licet in iis semen recens, seu potius ovum producatur ad sobolis propagationem, quod metallis naturaliter non competit, quinimò ab ipso sæpius dicto elixite substantia seminalis à suomet corpore separabilis non erit unquam, quamvis augeri bene possit non subjecti divisione in partes, sed substantiæ totius apertione, ac elementorum relaxatione per liquorem ejusmodi prorsus naturæ cum eo, quo fuit ab initio in terræ visceribus genitum, qui sit eidem auro tam affinis, ut eidem sit stabiliter unibilis, ut in perpetuum cum eodem maneat iisdem virtutibus ac proprietatibus omnibus exornatus. Quod Comes Bernardus Trevirensis in Epist. Doctr. ac fidel. indigitavit apertè his verbis: Amen dico tibi quod nulla aqua naturali reductione speciem metallicam, id est, aurum &c. dissolvit, nisi illa, quæ permanet cum eis in materia & forma. & quam metalla ipsa soluta possunt congelare. Et paulò post idem repetens inquit: Quare corpora non dissolvit aqua nisi illa, quæ fuerit suæ speciei, & quæ à corporibus poterit inspissari; nec unquam nutriuntur corpora ad generationem, nisi consimili ad conservandum specie prædita à corpore illo transmutatorio per operis artificium quamvis vegetabilia ex diversis speciebus nutriantur; quæ tamen antequam illa nutriant, dissolutione prius factâ ad proportionem attrahentium assimilantur; &c. & Lullius consimiliter 26. cap. suæ Theoricæ exemplo grani tritici fideliter explanavit, licet in hoc tritici multiplicatio discrepet à metallis, quod in illis non fiat augmentum graduum perfectionis propter rationes supertius adductas. At in his simul cum multiplicatione corporea fit incredibilis perfectionis graduum exaltatio: Nam ubi ritè mistum est, simul etiam virtute acerbum invenient; omniaque superans ad suam virtutem & naturam adducit: ut Comes Bernardus ait fœnore tam magno, ut comprehensibile ei tantum sit qui viderit.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER II.

De Accidentibus Metallorum.

CAP. I.

De Puritate & Impuritate Metallorum.

POst examen eorum, quæ ad metallicam essentiam cognoscendam conducere videbantur, jam de extrinsecis, hoc est, de accidentibus ejusdem hoc secundo Libro consequenter peragendum est. Cùm verò accidentium præcipuum sit puritas, propterea hoc præsenti capite ab his sermonem inchoare voluimus, cùm præsertim plurimos ex præclarioribus observarim auctores puritatis nomine abutentes, dum quid purum & impurum, unde impuritas proficiscatur, quid ea sit, & quotuplex non explicant. Quare nos ut distinctè procedamus, primo duximus explicandum quid puritatis aut impuritatis voce significetur, quid impuritas sit, & quomodo rebus adveniat, ut illarum puritas fœderetur, & quotuplex sit impuritas, & omnia hæc in metallis. Unde quid in cæteris quoque rebus de hac re constituendum sit, facilè percipi poterit.

Nihil autem purum dicere vel intelligere possibile est, nisi elementum vel mistum, & hoc vel homogenum, ut metallum; vel heterogeneum in suis partibus dissimile ut animal. An ergo Lullius recte senserit, non video dum inquit: Res à Creatore puras esse creatas, at ex Adami inobedientiæ crimine conspurcatas, & impuras redditas, quasi quod fœditatem rebus induxerit, aliquid aliud fuerit ab elementis aut mistis.

Nihil autem tale constat ab Altissimo creatum, neque enim rebus apparet aliquid impuritatis, quod elementum non sit, aut ab elementis compositum, Impuræ res ergo erunt, cum plura simul commiscentur, quod tamen in auro veritatem habere nequit, cùm ipsum in plenâ sui perfectione puritissimum sit, mistum vero esse negabit nemo, quare nec ex mistione orietur impuritas.

Impuritas ego, fœditas, excrementum, dissimile, fex vel quid aliud his simile id tantummodo dicetur, quod de unitate essentiali rerum, vel de rectâ earundem mistione harmonica non erit, Si elemento ergo simplici aliud quid contigerit extrinsecus adveniens, seu illud elementum sit, seu mistum, Elementum impurum fiet, At si eidem vel corpori eum, vel spirituale ad mistionem tendens adhæserit, illud impuritatem non inferet, quia quamvis quod additur de natura & proportione illius, cui additur, non sit, non est tamen alienum, & dissimile fini, ad quem vergit commistio; quia vero totum quod advenit mistioni aptum non est, ideo portionem respuit, quæ si casu vel impedimento non excludatur tunc rerum puritas fœdatur.

In metallorum ergo generatione, si quid intercidat alienum metallum impurum redderur; cùm autem in diversis gradibus considerari possit, diversimodè etiam eorum impuritas dicetur.

Primò igitur cum metallum in ultimo perfectionis gradu consistit fœdabitur per naturam, si aliquo penetranti fumo vel vapore corpus solidum perforetur, & per artem cum metallo liquefacto unum, vel pluta metalla, vel aliquid aliud illi superinjicitur, quod quia perfecto, & terminato corpori advenit, non difficulter etiam ab illo sejungitur, licet nonnulla intimius, ac profundius aliis conjungantur, impuritatem tamen semper inferent. Si enim quæ conjunguntur proximam affinitatem habeant, ita per minima miscentur, ut ex his commistum impurum vulgo nuncupari dedeceat, sicuti cum lapis calaminaris dictus æri liquefacto superfunditur, inde auricalcum, seu falo purus emergit, ac abusive sic appellabitur. Vere siquidem æs alieno corpore fœditatum. Et hæc omnia quia rebus in perfectione consistentibus occurrunt inde levi negotio separantur: quod maximè notandum est iis, qui per similes impostutas metalla commutare præsumunt.

Quomodo enim stabili conjugio connecti poterunt, quæ in sui naturali perfectione ligata continent elementa? & si tentent peregrinis liquoribus corpoream ligaturam sic aperire, ut ulterior vis compedibus liberata solvatur, quomodo sperare possunt eandem spiritualem vim sic apertam incolumem servare? & si servabunt quâ ratione in corpore non ex naturæ indigentia dissoluto suo fungi munere poterit. At de his satis.

Secundo excrementis metalla fœdantur, cùm in viâ sunt perfectionis, seu maturitatis, hoc est, cùm nondum in ultimo perfectionis puncto consistens metallum transmutatum est, sed adhuc apertum corpus habet, plus minusve tamen, & prout fœditas propinquius in uno termino aut alteri existenti advenit, levius graviusve fœdatur, ac pari labore fœditas removetur.

Ergo si metallis sub alicujus principii secundariæ specie existenti fœditas acciderit, ita tenellum metallicum-

rallicum embrionem conspurcare poterit, ut in alienam etiam abortivam notham spuriam, vel monstruosam formam genitum reducatur, ut superiùs declaratum esse meminimus. Quod si tam intime excrementicium accidens non intrudatur, impuritatem non monstruositatem inferet.

Quarto demum consideratur metallum sub elementali forma priori: at quia tunc non magis ad metallum, quàm ad aliam subterraneorum speciem spectare poterit, nullam metallo fœditatem inde provenire posse cognoscitur.

Hoc totum ideo tam exactè discutiendum duximus, ut inde non solùm metallica natura perfectius intelligatur, sed quam verum sit id, quod plerique ut Geber in primis tradidere, excrementum scilicet, quod ex metallis post eorum ultimam artificialem depurationem per arcanam operationem extrahitur, sive igne solo digerente, sive medicinæ Physicochemicæ juvamine accidentaliter superveniisse. Cùm autem accidentium remotio non sit impossibilis, hinc vel credidit, vel sic aliis credendum obtulit, quod ea spurcities metallicæ materiæ accidentaliter contigerit, cùm tamen id fœcis metallo priùs nullatenus adhæserit, alioquin metallum homogeneum non extitisset, & quod extrahitur non vi naturæ operantis talis operatio compleretur, sed levi artis adjutorio id sui depuratione segregaretur; at in prædictâ depuratione vis seminis interioris metallo inexistentis solummodo perficiendo fœcem ejicit, sine quâ virtute illam complete prorsus esset impossibile: quod signum est, fœcem illam de novo genitam non extrinsecus advenisse, quod quidem non leviter transigendum monemus iis, qui ejusmodi peritiâ oblectantur.

Ex quibus innotescit duplicem esse in rebus omnibus fœditatem, alteram quæ rebus vel ante vel postea in perfectione existentibus occurrit, de quâ jam sufficienter disputatum est, alteram quæ nullatenus aliis inest, sed per solam naturæ actionem, dum mistum vel in maturitatem perducit, vel in alienam speciem transmutat, de novo gignitur, hanc potentialem appellare, illam actualem possumus: sicut in nutritione animalium liquido constat, in hâc enim alimentum, quod nullo excremento infectum ingeritur per digestionem non totum in sanguinem vertitur: sed magna pars illius in fœcem abit; nemo tamen dicet illam cibo prius adfuisse quinimò & succum inde productum tria paria excrementa continere, mercurialem, sulphureum, & salinosum, melancholiam, bilem, & urinam medentibus appellata, monstratum est alibi.

Quapropter fœdum id existimari non debet, quod instrumentis & calore, sive per naturam, sive per artem naturæ auxiliantem superfluitates ejicit, alioquin nihil omnino purum foret, cùm nihil sit in rerum natura tali puritate ac perfectione præditum, quin possit inde aliquid extranei secerni, quod albo lapillo notandum suadeo.

Ex his constat impuritatis nomen maximè anceps esse, & excrementum respectivè, non absolutè sic nuncupari, pro diversitate siquidem operantis virtutis, & subjecti non unum idemque segregari ex eodem subjecto, utpote si pane vescatur homo, canis & equus, sicut valde diversis inde gignitur sanguis; ita diverse admodum superfluitates emergentes segregabuntur. Quod in metallis quoque contingit. Ex plumbo etenim aliud extranei genus per elixir aureum, aliud per argenteum sejungitur. Ita etiam ex ferro, quo si struthiocamelus alererur; dubitandum non erit; quin diversissimæ admodum substantiæ à prædictis paratentur. Imò animalibus, quod uni tanquam fex inutilis expellitur, alteri alimentum est. Quare nihil absolutè dicetur impurum nisi quod actualiter partes heterogeneas, dissimilesque diverso seminali rectore gubernatas continet. Et hoc in mistis specie distinctis. In Elementis verò, quæ nulli speciali semini sunt addicta, cum alio misto vel elemento fluctualiter non ad mistionem tendente, fœdantur, impura dicenda erunt.

Mistis verò tripliciter consideratis impuritas adhærere creditur, vel in generatione, vel in nutritione, vel in putrefactione. In generatione quidem, ut cum semen loci seu vasis fœditate aliquâ inficitur, atque sic nonnulli metalla fœdari putant, imò nonnulli semen ita hac ratione mutari scripserunt, ut in alienam speciem sæpè vertatur, quod mihi penitus impossibile judicatur. Vis enim seminis vel in suo robore manebit, vel deficiet. Si deficiat, extinguatur, & aliud quid inordinatum emerget: si vero suo robore potiatur, quicquid impedimenti occurrerit, propellere, & repuere valebit, imò de proprio suo corpore, si quid generationi fore inutile abjiciet, & id solum aggregabit, quod sibi opportunum erit. Quanto magis alieno advenienti hospiti suæ indigentiæ inepto adversabitur? & hoc quidem in ovis manifestum apparet, ex quibus quid in metallorum generatione invisa fiat conjicere possumus: in his enim tantum sibi vis seminalis ab initio adjungit, quantum sufficiat ad aliquem perfectionis terminum; quod si aptum invenire corpus nequeat, virtutem effectricem necari oportet.

In animalium ergo generatione, sive per ova, sive per vivum animal ea fiat, sicut in plantarum seminibus, quid impuritatis inseri possit, non intelligo.

In Nutritione similis consideratio erit; si enim semen cum debilioris adhuc potentia fuit, peregrinum quod non admittit, multò magis cum validius virtute auctum quidquid sibi contrarium occurrerit, propulsabit. Hinc fit ut plantarum semina cum solo succo nutritioni non congruo injiciuntur, ut emoriantur necesse est, vel debiles fœtus exoriuntur alimenti deficientiâ, quod & Christus Dominus protulit de semine supra petram cadente. In metallis verò, quo ovorum conditioni simillima sunt, alimento aliquo superaddito ad priorem suam perfectionem non opus habent, sed totum quo indigent ab initio sibi coniunt, nihil ultra superaddendo. Quomodo igitur illis excrementis quicquam adjungi poterit, quare nec in opere nutritionis impuritatis corpori alendo minimè adjungi potest, & si fœcale quid in eo observatur, id à virtute spirituali operante de novo gigni dicemus, ut supra satis discussum est.

In putrefactione similiter determinandum constat, quicquid in hac ratione dissolvitur, ut in novum corpus transmigret peregrina efficienti virtute patratur; quare à priori subjecto nonnihil potius tollitur, quam alius alterius fiat additio. In metallis autem, in quibus putrefactionem sapientiores etiam Philosophantes admittunt, putrefactio proprie non est, licet nonnulli interpretentur putrefactionem, quasi putris factionem. Certum enim est ex iis quæ hactenus nobis declarata sunt, ejusmodi putridum nullatenus metallo terminato ac perfecto inesse, sed quicquid impuritatis exoritur, de novo exurgere fatemur.

Ex præhabitis igitur concludentes dicimus impuritatem esse quicquid impertinens rebus admiscetur, quod earum naturæ nullatenus sit necessarium, sed utraque possint in suâ perfectione separata manere. Cùm verò quatuor ostenderimus generice rerum mistiones nec plures nec pauciores, tres corporales, quæ veræ mistiones non sunt; sed confusiones potius: quarta sola spiritualis vera & optima est, in quâ non solum elementa uniuntur, sed penetrantur quod fieri non potest, quid si impuritatis intermiscenda non

confun-

confundentur. Siquidem illico penetratio impediretur ex alieni interpositione, & quamvis non æque strictè miscibilia conjungantur secundum omnes particulas: cùm tamen eæ de ratione quidditativa suæ naturæ sint. impuritatis nomine haud merentur, ideoque metalla impura non dicentur, licet nonnihil intercidat inter mistionem ipsorum, unde causatur opacitas, quia id totum de ratione essentiali est Sicuti pari modo in plantis & animalibus contingit, dum etenim alimentum ejusmodi licet non pari unione corpori adhæreat ac illud, quod prius jam fuerat aggregatum, est tamen illis necessarium & conveniens. Hinc Avicennas non inconvenienter quatuor addidit secundarias humiditates, licet non ita sensibiles, in quas sanguis converti debet, priusquam partibus nutriendis ultimatè counitur: rationi namque consonum est sanguinem non immediatè in illas commutari, sed paulatim juxta consuetum in omnibus naturæ ordinem per plures gradus & dispositiones usque ad finalem conjunctionem. Quare si caro tali succo plus minusve dispositio imbibatur, non propterea impura dicetur; sic pari modo proportionaliter sese res habet in metallis, in quibus sicut in aliis magna est latitudo prædictarum mistionum spiritualium, quamvis in corporalibus, quia sensibus magis immotescunt clariores se prodant.

Tres autem sunt mistiones ejusmodi corporales. Prima pulverea nuncupari potest, quod in modum terræ crassioris, vel tenuiori factæ contingat, & hæc omnibus sensibilior est, & manifesta cognoscitur in metallis, quæ plurimis ac diversis conjunguntur miscellaneis. & hæc magnam, sicut & aliæ latitudinem obtinent Hinc metalla sæpè puriora, sæpè impurissima sunt.

Secunda Liquorosa, quia more aquæ fluida plura commiscentur. Hinc plurimæ oriuntur aquæ thermales ac succi, qui propter aquæ naturam vaporabilem ex calore crassescunt, plurimaque inde veniunt mista seu confusa. Et hæc majorem quam prædicta latitudinem, quia non tantùm ratione mistionis, sed ratione majoris vel minoris fluiditatis.

Tertia Vaporosa est, quia ad modum aëris per vapores, halitus & fumos efficitur, quam nonnulli veram & optimam existimarunt mistionem, sibi persuadentes arctissimè ea commisceri, quæ vaporabiliter couniuntur, & hanc nec optimam esse inde liquet, quod nonnulla sic miscentur, quæ sensibus perfectissimè counita videntur, cùm tamen facili negotio deinceps iterum separentur. Quod evidens est in Cinnabari artificiali, Usitur Arabibus dicto, quod ex hydrargiro & sulphure simul igne compositis, & per sublimationem, ut vocant, in sublime delatis paratur, ut in amœnissimam rubedinem & intensissimam postea vertatur. Ex qua rursus hydrargyron currens, ut prius repeti potest, ut hinc clarè constet corpora fuisse commista, non elementa, quæ vel abiissent, vel in alienam formam à primis dissimilem commutata fuissent. In similibus ergo confusionibus, quia inde nova mista exorta creduntur illa non impura dicentur, quamvis revera impura vocari debuissent; singulæ namque partes ex admistione alieni impuræ fiunt, hidrargyron à sulphure, & sulphur ab hidrargyro, quamvis locutionis usus similes formas non admittat, sed pænes naturam, cui hæc accidentaliter occurrunt, rectè impuritatis appellatione indigitari patet.

Verum appendicis loco huc afferendum est, quod omnes prædictæ mistiones, & consequenter impuritates in unico etiam subjecto conjunctim inveniri possunt; potissimum in merallis, quibus propter homogeneitatem & subtilitatem, diversis temporibus, ut dictum est, plura possunt diverso modo adnecti eorum puritatem impedientia.

CAPUT II.

De Congelatione & Liquefactione Libri Secundi.

POstquam de merallorum natura, discussione, puritate & impuritate sermonem absolvimus, consequenter de Congelatione & Liquefactione peragendum, eo quod in merallorum purificatione, quod secundo observatur liquefactio est in igne, & in frigore congelatio.

Differt autem multùm congelatio à coagulatione: Congelatio etenim aquæ proprium est, & in mistis ab aqua procedit. Coagulatio mistorum est solummodo, non elementi. Cùm enim aqua frigore glaciatur, non certe coagulata dicetur, sed congelata. Sic pariter & hidrargyron, quod fluidum & liquidum est, non congelatum, ut meralla cætera, sed bene coagulatum pariter ac illa. Congelatio ergo pendet ab aquâ, coagulatio à terra: sic quoque fluiditas seu liquiditas opponitur congelationi, dissolutio coagulationi. Quamvis vocibus hujusmodi abuti sæpe soleant auctores, alterum pro altero confundentes.

Coagulatio igitur fit in generatione metallorum igne debili, terram cum reliquis commiscente; dum enim metallum gignitur, eousque dissolutum manet, quousque vis seminalis proprietates sibi debitas indat in materiam, ac integram sui curriculi periodum absolvat; tunc enim terra quasi clavis corpus metallicum terminando claudit, suaque siccitate omnia constringit, & hæc coagulatio est, quam in argento vivo fluido conspicimus. Hoc etenim fluidum est, at coagulatum non minus, quam cætera, ideoque in igne vulgari non dissolvitur, quia hic igni generanti non opponitur.

Dissolutio verò multiplex est, prout multipliciter mistum dissolvi potest, quinimò & ipsa liquefactio solutio interdum, at impropriè appellatur, cùm ibi elementa mistionis necessariò non aperiantur. At de congelatione, ac solutione in Ortophysicis, & in Orthochemicis plura; nunc de liquefactione, quæ congelationi adversatur.

Congelationem ergo diversimodè Philosophantes explicarunt, qua scilicet ratione contingat in metallis, dum in igne liquantur, quod tamen facilè indicassent, si ad aquæ naturam & proprietatem recurrissent; siquidem aqua sola est, quæ in metallis, & in aliis omnibus liquefactionem causat; hujus enim solius proprietas & frigore congelari, hoc est, igne recedente redire ad genium; monstratum est enim alibi aquam in primæva naturæ puritate, id est, omnimoda ignis absentia congelatam, seu glaciatam necessariò existere. In fluiditate igitur, qua ipsam præditam intuemur ex accidenti per ignem illi ab extrinseco intromissum constituatur, quod si augeatur ignis, eo usque liquescit, ut in raritatem aëris raritati æqualem, & in vaporem tenuissimum in sublime scandentem vectatur.

In misto igitur, quod præsertim forti ligaturâ constringitur, aqua naturam suam minimè deserit, licet moderetur ex commistone sociorum: fit enim unum quid cum terrâ, aëre, & igne; per ignem tamen & aërem consistentiam obtinere nequit: alterum siquidem illorum spirituale naturaliter, alterum tenuissimum est; per solam ergo terram, cujus sola est soliditas; consistentiam, quæ soliditatis in mistione moderate species est, suscipit. Hinc fit ut in igne metallum liquefactum tantum rarescere nequeat, ut in sublime feratur, quod alioqui per aquam fieret, à terræ namque vinculis constringitur, ut ad aliquem gradum solummodo rarescat, & non ultra, alioquin mistum dissolveretur, ut in mistis debili ligatura præditis evenit. Quod si aqua supra terræ

potentiam extollatur rareſcet metallum uſque ad volatilitatis, non diſſolutionis gradum, ideoque tunc terra ſequitur aquam quocunque ie it, non tamen ultra modum rareſcere ſinit, ac propterea igne paulatim recedente miſtum in priorem ſtatum redit, & nihil illi deperit, ut in Mercurio contingere videmus.

Cæterum ſi aqua ſua poteſtate non eo proceſſit, ut terram ſecum in altum ſublevet, tunc in igne violenter detinetur, & ipſa terra tantùm retinere nequit, ut ſuâ naturali proprietate quadantenus uti non valeat, quæ eſt ut in igne fluat, & hæc liquefactio eſt in metallis, quæ ſuos quoque gradus habet.

Quandoquidem pro diverſitate quantitatis aquæ dominantis ſupra terram diverſimodè contingit metalla in igne liquefieri, quod enim plus humoris habuerit, promptius & plus liqueſcit, & quo minus, minus. Hinc ferrum quod parum aquæ contineat, difficulter in igne liquatur, Plumbum verò facilitèr, medio modo argentum & æs.

Liquefactio igitur in miſtis eſt idem, quod ſolutio impropriè dicta in aqueo ſimplici elemento glaciato: vel dici poteſt rarefactio utcunque poſſibilis aquæ in miſto terreo ligatæ, & in ejus generatione coagulatæ.

Ex quibus quid de aliis liqualibus ſtatui debeat, non erit difficile intelligere, tum quæ de ſtirpibus, tum quæ de animalibus petuntur.

Notandum hic erit fluiditatem ſeu liquefactionem duplicem eſſe, alteram quæ fit in ſubjecto liquabili abſque additione rei extrinſecæ, quæ propriè liquefactio eſt, ut cum metallum in igne fluit. Alteram quæ per additionem rei liquidioris efficitur, quæ propriè corporis, ſeu corporea ſolutio poterit appellari, ut diſcrimen inter veram propriamque ſolutionem, quæ intimæ miſtionis reſeratio eſt, ponatur, ut cum metalla liquoribus acribus, & ſal aqua communi diſſolvuntur; ſolutorum enim corpora tunc in partes inſenſibiles conteruntur, ideoque humiditate ſolvente depulsâ, corpus iterum in priorem formam redit, miſtione interim nihil detrimenti patiente. Hæc igitur eliquatio magis propriè dicetur, illa liquefactio.

Hæc autem in metallis tam utilis ac neceſſaria, ut ſine illa ad extremum puritatis gradum artificialiter diduci minimè poſſint, quinimò plurimùm utilitatis illis deceſſiſſet ſi per ignem non liqueſcerent. Non patùm ergo naturæ Creatori debemus, quod metalla ſolubilia dederit, quoniam ſine tali proprietate metalla humanis neceſſitatibus inutilia penè forent.

Metalla porrò, quæ non penitus igne liqueſcunt, ut ferrum, tractabilia nihilominùs ita redduntur, ut in varias redigi queant formas. Hæc autem tractabilitas nihil penitus à liquefactione diſtat. Idem enim eſt in durioribus metallis emollitio prædicta, ac in humidioribus liquefactio: Cùm enim ignis ex humiditatis carentiâ illà colliquare nequeat, tractabilia ſaltem reddit. Differt nihilominùs à ductibilitate, ut proprio capite dicetur.

Quæ autem de liquefactione & ſolutione dicta ſunt, de Congelatione & conſolidatione vice verſa dicta ſimpliciter intelligantur.

CAPUT III.

De Fixione, Volatilitate, & Cremabilitate Libri Secundi.

PRimum quod Metallis, cùm fodiuntur accidiſſe conſpicimus, puritas vel impuritas eſt, quæ ergo ſtatim intuitu ſeſe cognoſcendam offert. Deinde cum igne examinantur, liquefactio eſt, & congelatio. 3. Verò ſtabilitas; fuga, & combuſtio fixionem volatilitatem, & cremabilitatem vocant, quæ liquefactione immoteſcunt. Quare poſtquam de puritate & impuritate, nec non de liquefactione & congelatione ſuperiori capite diſputatum eſt, nunc de tribus hiſce paſſionibus in præſentia ſumus etiam peracturi.

Tres autem prædictas proprietates principiorum ſecundariorum ex primis tribus corporeis elementis emanantes non ſemel oſtendimus, atque ex illis in cætera miſtorum genera, & potiſſimùm in metallica, utpote homogenea, derivantur, de quibus neminem ſingillatim, & exactè tractaſſe repetimus. De Cremabilitate, & ejus oppoſita proprietate, nonnulos aliquid pertractaſſe obſervavimus; ſed res eſt tot difficultatibus & dubiis implicata, ut quid certi in eâ ſtatuere oporteat, poſt diuturnum etiam ſtudium inquirentibus prohibeatur.

Quare ne fruſtrà tractationem hanc inutiliter ſuſcepiſſe videamur, diligentius ſpecialius, ac intimius hæc metallorum accidentia indagare expedit.

De fixione igitur prius eſt inquirendum quid ſit, qua causâ oriatur, & quid in rebus miſtis indicet, nominant autem vulgo auctores fixionem ſeu ſtabilitatem in igne, quicquid videlicet ignis actione non lædituꝛ, hoc eſt, nec incenditur, nec in fugam vertitur; ſed pertinaciter illi reſiſtit. Id autem non ſic ſimpliciter intelligendum eſt, quicquid enim eſt miſtum, reſolutioni pariter eſt obnoxium, quare nihil fixum diceretur, præter ſimplex elementum, quod prorſùs incorruptibile, & intranſmutabile eſſe in Orthophyſicis demonſtratum. Miſta vero altera plus minuſve ſive per naturam, ſive per artem experimento conſtat diſſolvi omnia poſſe, & conſequenter in elementa aut in principia ſaltem ſecundaria prius, & poſtea finaliter in elementa unde originem ſuam ſumpſere retrogradiuntur, hinc ſal quoque vulgare, quod cum ſale principio magnam analogiam habet per artem diſtillatur, & in fugam vertitur, totum pauca terreſtreitate excepta ex illo reſidua. Id ergò ſolùm in igne fixum dicetur, quod igne vulgari, naturæque poſſibili eſt indeſtructibile, cujuſmodi eſt aurum, talcum, aliaque quamplurima, præſertim cineres, ſive ſalia quæ alchalia Spagyris vulgò nominantur ex cinetibus extracta, licet hæc eadem poſſint furnis, vaſis, ignibus, ſimilibuſque artificiis per adjuncta potiſſimùm in diſſolutionem abire, quare fixa vocabuntur, quæcunque igni ſimplici reſiſtunt, in qua re magnam inveniri latitudinem apparet, prout res plus minuſve tali proprietate ſint præditæ.

Quæ igitur forti ligaturâ in miſtione ſtringuntur, fixa nuncupantur ex accidenti tamen, eo quod ignis externus corporeitatem ſolùm occupat, interiora petere nequit, ideoque quæ ſunt indiſſolubilia, conſequenter fixa dicuntur.

Quâ ratione Chemicæ Profeſſores argentum vivum puriſſimum magnoque artificio elaboratum fixum aſſerunt, licet fugax ſit magis, quàm vulgare, ſolum quia indiſſolubile penitus cognoſcatur; de hoc enim dictum illud verificatur, quod vel totum evolet ab igne, vel totum in igne permaneat. Aliud eſt ergo indiſſolubile eſſe, aliud fixum, quamvis hoc ex illo etiam pendere queat, ideoque pariter in elementis ſimplicibus illud fixum eſt, quod ab igne alterationem ullam non patitur, cujuſmodi eſt terra & aër, quæ duo ab igne ſi pura ſint nihil immutantur; At ſi aquæ humiditatis nonnihil habeant, vel partibus diſſolutis, quod aqueum eſt evolat, & quod terreum reſidet; vel ſi non ſint ſeparabiles partes, quod prævalet, ſocium retinet, & ſic aqua prævalens ſecum terram defert; terra verò dominans, aquam in igne ſiſtere cogit. Aër verò indifferens eſt ad utrumque, non enim fugit ab igne ut aqua, nec permanet in eodem ut terra: propter ſuam etenim levitatem, dum in ſua natura permanet, aſcendit ſupra alia corpora, non fugit, quoniam ab igne immutabilis

eſt, ut

est, ut probatum est alibi, & ideo cum aqua ligatus ab eadem extollitur; à terra verò inferius detinetur, quæ omnia in argento vivo vulgari & auro cognoscuntur; in his enim metallis plurimum aëris includitur, & hinc pondus, utraque verò indissolubilia penè sunt, attamen aër in auro fixus est in argento vivo volatilis.

Passio igitur hæc quæ fixio dicitur terræ propriè, & principaliter competit, unde in sal principium derivatur volatilitas aquæ, quamvis hic ideo competere videatur, quia per ignem tarescit, attenuatur & sic extollitur: Terra verò quia his passionibus non est subjecta, idcirco in igne stabilis permanet. Quod si per aquam dissolvatur, & cum ipsa uniatur ab eadem quasi violentia, contra suæ naturæ leges secum in sublime trahitur. At si terra eadem aëre attenuaretur, illique intimè connecteretur, non propterea ab igne in fugam verti possent, utrumque enim ab igne inalterabile est, non est igitur substantiæ tenuitas volatilitatis causa, sed aqua. Dici verò potest tenuitas conditio, sine qua nec aqua ipsa per ignem extolleretur.

Ex his porrò cognoscitur fortem coagulationem in metallis, strictamque mistionem causam esse fixionis per accidens; siquidem à terra prædominante fixa conspiciuntur, alioquin quantumvis strictissimæ sint ligaturæ per ignem evolant, ut hydrargyron, quod absque eo, quod aperiatur, in elementa sine aliqua sui amissione fugit, non semel sed pluries, ac pluries, ac nil penitus immutatur sine artificio. Ex his concludimus permanentiam in igne, quam fixionem appellant, ex terræ dominio pendere in metallis, ubicunque enim elementum terræ prævaleat super aquam, stabilitatem in igne parit: stabilitas verò illud specialiter indicat, terram videlicet in mistione suâ potestate super aquam dominari.

De volatilitate ex opposito est inferendum ab aqueo scilicet elemento causari, cùm in mistione terræ supereminet, nonnulla tamen, etsi ex propria natura fixissima per accidens evolat in igne, ut auro contingit, cùm in cementatione (quam dicunt) in vasis & furnis ad id aptis, per sal ac tegulatum pulverem ab impuritatibus purificatur. Salis etenim vapore nonnihil auri in vasorum coopercula surgens infigitur, quod ex coopertulis in pulverem actis repetitum fixissimum ut prius invenitur.

Volatile igitur propriè dicendum est, quod per se jure sibi naturaliter debito semper in igne vulgari evolat, cujusmodi est aqua principaliter, inter mista verò Mercurius principium secundarium.

Oppositæ ergo sunt fixum atque volatile, oppositæque rationes pariter illi competunt, quamobrem quæ de fixione dicta sunt, per oppositum de volatilitate intelligenda erunt, & id potissimum, quod ubicunque inveniatur, ibidem pro certo affirmari possit, aqueum elementum super terram vires possidere, & nihil ex adverso aquam in mistione terræ præcellentem obtinere, quod similiter ab igne non fugiat.

De Cremabilitate, seu combustibilitate, ejusque opposita passione non difficulter modum & causam indagabimus, si ea quæ alias de aëris proprietatibus disseruimus, memoriæ repetantur. Hoc videlicet elementum igni maximè affine, atque amicum dignosci, promptissimèque ab eodem penetrari, & illi cuniri, quam proprietatem, cùm in mistionem venit aër, non amittit, licet moderetur, ideoque nisi stricta cæterorum elementorum connexio restiterit, mistum redditur maximè inflammabile, ut ut oleosa, pinguia, & potissimum sulphur vulgare, quod fortissimæ sit elementorum ligaturæ, ac mistionis quia tamen aquæ ac terræ quantitas tanta non est, ut aëris maximam quantitatem intra sui dominii ac potestatis terminos retinere queat igne appositò; ipsum utpote amicum sinum aperit, secretiores aditus penetrare sinit, januasque reserat aquæ quæ de more fugiens secum aërem accensum defert, & sic flamma oritur. Interim in ruinam abit mistum quod si tanta aquæ terræque portio inesset sulphuri, ut immensam aëris copiam comprehendere terminis vinculisque constringere posset, nequaquam ignis mistionis interiora pervaderet, nec mistum ullatenus in igne cremaretur; cujusmodi est aurum, argentum, hydrargyron, aliaque metalla plus minusve, ideoque & hæc omnia per sulphur in igne comburuntur præter aurum, cujus recessus sulphur petere minimè valet. In ferro autem quamvis magna terræ portio insit, ob aquæ tamen defectum, paucis rotationibus conflatum est, ideoque facilè ac brevi ignitur, debilem tamen habet mistionem, cum extra naturæ fortis ligaturæ proportionem elementa contineat, & propterea facilè ab igne vulgari penetratur, ac dissolvitur partim in elementa, partim in secundaria principia; sed de his postea, cum de metallis in speciali, 3. lib. tractabimus.

Nonnulli tamen in metallis plures volunt humiditates includi, radicalem unam appellant, sine inflammatione, volatilem aliam, ac tandem adustivam aliam, & hanc solum cremabilem dicunt. Quare verò tres ejusmodi humiditates sint, cur adustiva solum cremabilis, unde sit adustiva, & quomodo tres insint humiditates, an actu vel potentia distinctæ non explicant; at si quis penitiori dictum illud scrutetur indagine, cognoscere clarè poterit prædicta tria humida actu distincta mistis haud inesse, sed in dissolutione progigni, dum videlicet mistum in tria principia secundaria exolvitur. Quid enim aliud est radicalis humiditas, quam salinosa? quid alia sine ustione volatilis, quam mercurialis? quid denique adustiva præter sulphureum principium? ex primis tribus elementis has humiditates oriri monstravimus ex ipso naturæ rei fundamento, ut sic patere cuilibet possit, quæ sit causa prædictorum metallicorum accidentium, quæ generatio, quis generationis modus, & cætera cuncta, quæ ad perfectam & integram rei cognitionem spectare existimantur.

Quamobrem non parum luminis ex natura sic explicata doctrina, metallorum naturæ scrutatoribus exoritur, cùm inposterum ex ipso rei fundamento intelligere queant, quid sit non solum in metallis, & subterraneis omnibus, sed & in plantis & animalibus, imò in totâ Universi serie, adustibilitas. Seu cremabilitas, ejusque apposita passio, scilicet incremabilitas, & quid in mistis indicet, duo scilicet, unum per se primò & principaliter, aliud per accidens. Primum indicatur eo quod ubicunque fuerit aër superabundans, dummodo ex forti ligatura, per duorum reliquorum elementorum justam proportionem facta non prohibeatur, adustibilitatem in mistis parit; si enim mistum forti ligatura donetur tunc per accidens incremabile conspicitur.

At hic dubitatio insurgit, quia si propter aërem res aduruntur, necessario & ipsum aërem magis aduri necesse esset, cùm tamen ipse inadustibilis dictus fuerit, & sensu ipso dignoscatur. At hæc dubitatio facillimè diluitur, eo quod id, quod in mistis est cremabilitas, in aëre est lucis ingressus, & adhærentia, ignis etenim vulgaris nihil aliud est, nisi lux in corporibus, quæ per accidens à luce dissolvuntur, ipsius enim natura est, ut subjectum, in quo residet, perficiat, purificet, & in unitatem redigat. Si ergo subjectum non perfectum, nec unum sit, in partes disjicit, ideoque cum elementum simplex in partes dissecari aliàs nequeat, licet à luce penetretur, non tamen crematur, sed ipsamet penetratio crematio est. Consimiliter & mistum si perfectum ita sit & unum, ut in membra secari propter fortem mistionis ligaturam nequeat, corpore tenus penetratur, & sic ignescit, sed non crematur, ut aurum, terra simplex & aër.

Ex his pariter constat, aliud esse cremabilitatem, seu adustibilitatem, aliud ignibilitatem: Ignitio siquidem non est, nisi lucis seu ignis penetratio, sive mavis præsentia plus minusve prout subjectum capax est, & causa igniens longiori vel breviori tempore ignem tribuit objecto, & hac ratione cuncta igniscere possunt, etiam aqua saltem in mistis indissolubilibus. Cremabilitas verò est per ignem dissolutio, quæ duplici ratione patratur, vel per flammam, vel per carbonem, cujus discrimen est, quia subjectum cremabile vel multum habet humiditatis, vel parum, vel nihil. Si multum habeat, cùm fumi & exhalationis plurimum emittat, flammam edit. Si nihil, sine flammâ crematur, & sic de mediis inter extremum utramque.

Concludimus itaque mistum quodlibet, sive sit ex subterraneis, sive stirpibus sive animalibus, si ad ignis examen exponatur, vel totum ibi manebit indissolubile, ut aurum, vel totum sine cremationè avolabit, ut hydrargyron, vel totum exardescet, ut pyrius pulvis, vel denique in partes diversas abibit, prout plus aut minus ad naturam trium principiorum alicujus accedet, vel recedet. Quod autem aduritur, quia naturam sulphuris participet, si humiditatem evaporabilem habeat, flammam edit, ut oleum; si siccum sit, sine flammâ comburitur, ut funiculus bombardicus, ex quo patet cremabile duplicis esse generis, vel per ignem exhalabile, & hoc flammam edit; quod vero non est exhalabile, sine flammâ uritur, in quibus si quid insit salinosum, residet inferius, si quid mercuriale, non facile animadverti potest, quia in vaporem resolutum sensim effugiens evolat: Et hæc omnia in metallis per se quisque poterit non difficulter observare, ex quibus natura eorum accuratius indagabitur.

CAPUT IV.

De Coloribus, Odoribus, & Saporibus.

NAturæ quodam ordine procedentes accidentia metallorum quæ omnibus sensuum organis cognoscuntur, examinare debemus. Hæc autem sunt color, perspicuitas, opacitas, splendor, quæ ad organum visus spectant; Sapor ad gustum, Odor ad olfactum, Sonus ad auditum. Et denique pondus seu gravitas vel levitas, duritiesque molliries, quæ ad tactum, quorum postrema sequenti capite discutientur, penultima, cùm de mollitie & duritie tractabitur: quare reliquum est priora tria nunc in examen ducamus.

De metallorum autem coloribus parum quidem superest explicandum, cum abundè satis genericè dictum sit de iis in Physicis. Metallorum enim colores, causas non habent ab aliis coloratis diversas, nec generationis modum, nec effectus indicant dissimiles, ideoque & illic metallicos præsertim colores descripsimus, ex quibus utpote homogeneorum subjectorum propriis pro dissimularium mistorum indagine rationes & exempla desumpsimus, nam in cæteris, quia jugiter ob alimentum, quo propter nutritionem necessariò uti debent, ac propter evaporationem, quæ perpetuo de illorum humido fragilique corpore transpirat, colorum transmutationis causas non ita firmiter observare, nec certum generationis modum statuere valemus. At in metallis, quia hæc non contingunt, de illorum causis certiores reddimur; nihil enim sæpè metallis deperit; colores tamen ex ignis duntaxat varietate, quam maximè variantur.

Hoc autem in Amausorum confectione visibiliter conspicuum redditur; dum enim hæc in vitriariorum fornacibus variâ invicem cum vitro vel sine illo permistione conflantur, ipsorum colores subinde crebras mutationes pati conspicimus.

Quod & in Chymicorum Sophorum decoctionibus quoque non obscurè fit manifestum. In his enim nulla rei additione, vel amissione, igne solum interiori ab exteriori aucto, immutantur.

Ex quibus duo ad hanc inquisitionem summoperè conducentia recolligi possunt. Primum est ignem tantummodo colorum varietatem parere; hic enim interiora mistionis ingrediens, intenditur perpetuò, si mistum terminatum ac exiccatum nondum fuerit, & congruum agens externum non defuerit, quousque sit elementa subtiliata constringantur, ut debitum naturæ seminali spiritui requisitum attingant, ac in perfectione quiescant, tunc enim eo quod elementa constricta maneant, colores nullatenus variari queunt, quod igni exteriori aditus non pateat, ut interiorem augeat, & colorem immutet.

Secundum quod inde poterit observari, est ordo quidam naturalis quem natura videtur exigere in coloribus gignendis; sicut enim mistionem inchoat ex simplicibus elementis, hoc ex nihilo mistionis, privationem vocat Aristoteles, ita ex nihilo colorum colorationem inchoat. Elementa etenim in sua puritate nihil coloris habent, quia nihil ignis. Cum autem illa perspicua naturaliter omnia sint, etiam terra, ex diaphaneitate color initium sumit; ex hac enim in albedinem igne invalescente proceditur, & inde in viriditatem majorem vel minorem, quæ aucta nigredinem parit, si postea digestio ignem adeat interiorem, in obscuriorem albedinem prius, postmodum ad fulgidum caudorem, & hinc ad flavedinem & denique ad rutilantem ruborem pervenitur.

Quæ omnia accuratiori lance librata sunt alibi, ibidemque in figuris colorum, mistionum, & rerum aliarum, graduum typum, ut oculis penè ipsis modum & differentias intueri quisque posset apposuimus. Insuper opacitatis generationem & causas conscripsimus, quare ne hic frustra idem repetatur, quod alioquin de illis desiderari posset, illinc petendum relinquimus.

Quod verò alterum altero splendidius appareat, ex majori vel minori densitate, ac perfectiori mistione oritur, uti postea dicetur, cùm de metallis in particulari in 5 libro disputabitur.

Odores nihil à saporibus differre certum est, nisi quod odores producantur à materia tenui, vaporabili, ut scilicet objectum organo proportionem habeat, sicuti sapores hac eadem ratione non in subjecto vaporabili, nec solido, nec fluido percipiuntur. Sicut enim halituosa olfactus organum petunt; ita fluida organum gustus; quare si odorabile sit solidum, ac etiam fluidum, ut pote naribus ineptum judicandum odorem non officiet: ita quoque gustabile si compactum, solidum ac exhalabile fuerit linguæ sentienti non erit idoneum. In hoc ergo ambo instrumenta conveniunt, quod si nempe objectum sensibile compactum exiterit, nec exhalabile, nec fluidum odoratus gustusve sensationes non patiet, ac propterea quæ sunt hujusmodi, ut aurum, nec odorem, nec saporem edunt, cum organa ipsorum efficere nequeant. Solum itaque aër ex propriâ naturâ odoratus organum ingredi valet, qui tamen nullum parit odorem, quia elementa omnia in suâ simplicitate inodora sunt; solum ergo mistum, & illud inexhalabile olere potest.

Hinc est ut non inter metalla tantùm, sed & inter subterranea cuncta vegetabilia & animalia ea plurimùm olere dignoscantur, quæ sulphuris naturam magis participant, eò quod aëris, plusquam cætera contineant, & quæ Mercurii sunt conditionis minus, & adhuc minus valdè quæ sunt salinosa.

Cùm ergo parum distent odores à saporibus, quæ de illis dicentur, de illis pariter dicta esse intelligantur.

Cæterùm

Cæterum sapores tres tantummodo extremos esse, atque unum inter illos medium ostendimus alibi, quamvis pro varietate specificarum substantiarum latitudinem maximam habere cognoscantur. At cùm ad hos prædictos omnes videantur accedere, jure statui debet à triplici solum fonte manare, prout scilicet mista plus minusve de natura trium principiorum participant. Amator siquidem sulphuris proportionem sequitur. Sicuti acedo Mercurii, salsedo verò salis. Dulcedinem medium esse inter prædicta tria manentem. Hinc est, quod inter metalla, quæ magis sulphureum, & amarum saporem præ se ferunt, ut æs, & liquores, & aquæ ab ære infectæ, quod mercuriale acidum, & quod salinosum salsum. Et quamvis in metallis ob eorum compactibilitatem & soliditatem non ita clarè percipi possit, in eorum tamen solutionibus, liquidò intelligi poterit, quò plus enim naturam alicujus ex tribus obtinent, ejus quoque saporem patefacit nec id quidem immeritò

Siquidem sapor non est nisi actio ignis in subjecto aliqualiter soluto existentis, quare amarus sapor non est nisi ignis leviter comburens organum gustus in subjecto aëreo modicè dissoluto, quoniam si prorsus ligatus intra elementa clauderetur, nullatenus comburere posset, etsi prorsus liber nimis comburendo organum destrueret: dum ergo ignis medius inter liberum & ligatum linguam ferit, si subjectum aëreum & sulphureum fuerit, amaritiem producit, & sic pariter si fuerit in subjecto mercuriali acidum, si salinoso salsum.

Si verò ad mediocritatem mistum vergat, dulcem edit saporem, hinc autum vera solutione fluidum redditum, dulcissimum est, eo quod ipsum nec sulphuris nec mercurii, nec salis; sed omnium proportionem & naturam habeat; at in suo statu naturali, quia nihil penitus evaporat, nec fluidum facile redditur, nec saporem, nec odorem aliquem exercere potest Et quamvis nonnulli sibi persuaserint diversimode illud attenuando in veram solutionem redigere, oleum tamen & operam perdidisse tandem experti sunt: corpus quidem quantumcunque attenuaretur, sapor tamen ipsius sentire nequit, quodiam interior ignis, utpote inter elementa captivus, ac nimis conclusus prædictam combustionem exercere prohibetur.

Ex quibus omnibus non solum intelligi possunt odorum & saporum differentiæ ac generationes, sed & generationum modi, non tantum in metallis, sed & in reliquis omnibus mistis, si commistiones eorundem variæ observentur; possunt enim invicem multiplici proportione commisceri, quorum gradus & ordines in nostris Orthophysicis per typos & figuras sensibus penè ipsis manifesta fiunt. De metallorum sono, qui sensu auditûs cognoscitur paulò pòst dicetur

Ex his similiter constare possunt effectus ab iisdem procedentes, quidque singuli naturam indagantibus medentibus præsertim indicent, ut ad humani corporis beneficium utiliter præfatas inquisitiones transferre queant.

CAPUT V.

De Pondere seu Gravitate & Levitate.

DE Pondere quod in metallis majus, quàm in cæteris sentimus consequenter dicendum est, ejusdem causas, generationes, circumstantias & effectus pro viribus scrutaturi; animadversione siquidem non vulgari digna censeri debent metallorum, ponderа quare gravissima sint, non solùm rerum omnium mistarum, sed & ipsorum quoque elementorum ponderibus graviora.

Cùm enim illa componentium naturam jure consequi debeant non minimam parere admirationem potest, quod magis valdè metallum ponderet, quam aliquod ex elementis, quinimò augetur admiratio, quod cum mistorum corpora compaginentur non ex terra tantum, & aqua gravibus existimatis elementis, sed ex aëre levissimo ac igne spiritualis prorsus naturæ, vix intelligi posse videtur, qui fiat ut mistum sit longe gravius, quam quælibet solida; compacta, & puriori quam haberi possit elementis terra, rationi siquidem consonum minimè videtur ex rebus minus gravibus, ac etiam levibus, ponderosissimum exoriri

Nihilominus nonnulli extiterunt, qui plura in medium attulerint, ut hisce difficultatibus sese exticarent, inter hos Helmontius, ubi de meteori progymnasmate num. 18. multis rem declarare admittitur, ac obscuritates nequaquam diluere apparet, ex dictis enim ignotum remanet, quæ causa, & generatio, & quis generationis modus in ponderibus metallorum, auri præsertim, quod rerum cæterarum omnium, quæ cognoscuntur, ponderosissimum est Physicochemico mercurio & Elixire excepis De hoc enim constat apud artifices auro ponderosius experiri, de illo testatur quoque Geber, inquiens, auro præponderare, dum est in natura sua.

Et quamvis hæc nobis fusè discussa fuerint in Physicis ut in proprio loco & ex demonstratis principiis, consequentia hæc tamen eadem aliquatenus repetere non existimari debet incongruum, cùm ad metallicæ naturæ intellectionem non parum conferre judicetur.

Supponendum autem erit primò ignem spiritualis esse substantiæ, hoc est, corporeis dimensionibus non esse subjectum, nisi per accidens, dum in corpus accipitur, at in suo naturali statu nullius dimensionis esse participem; demonstratum est in Physicis, ex quibus clarè liquet etiam ignem à calore nullatenus differre, nisi quod calor sit ignis inchoatus, nec ad ultimam intentionem progressus: ignis verò calor ad finale complementum auctus Quare ut spiritus in una eademque quantitate diversis gradibus multiplicari possit, quæ multiplicatio seu actio, quam intentionem caloris vocant, condensatio ipsius est; hanc vero nullà ratione fieri & excogitari posse asserimus sine proprietæ substantiæ in se ipsam penetratione, unde condensatio sive densitas oritur.

Supponimus secundò, densitatem hanc propriam & connaturalem solius ignis esse, nec ulli elemento competere dum in suâ naturâ consideretur, quod sensu etiam innotescit, nam terra & aër ab igne immutari nequeunt, cum illa in ultimo termino sit crassitiei, hic in ultimo tenuitatis, aqua medio modo, licet in suâ puritate ac simplicitate crassa aliquatenus dici possit, quia glaciata erit.

Supponendum est tertiò Crassitiem, licet quodammodo densitatem æmuletur, plurimùm distare, quoniam crassities terræ simplicis proprietas est connaturalis nulli alteri competens, nisi per ipsam, Densitas verò solius est ignis, & mistorum, propter ignem tantummodò, crassities non ex tenuitate procedit, nec ex ea tenuitas At densitas ex raritate, & raritas ex densitate provenit. Crassum verò dicimus, quod durum, solidum, impenetrabile alteri corpori, ac difficilis divisionis in particulas ab igne non eliquabile. Crassius autem terrâ nihil dari pò est, cum in quâlibet rerum naturalium specie oporteat ultimum inveniri; ex adverso autem tenuè oppositum esse crasso, sicut rarum denso. Cùm ergo aër ob suam tenuitatem terræ crassitiei opponatur, densitati à crassitie tam diversæ opponi haud poterit, sed ignis solus utriusque oppositionis subjectum erit, sicut enim ipsum densari videmus in sui

auctione; ita in sui diminutione rarescit. Quare ignis subjectum erit raritatis simul & densitatis, quorum elementorum trium corporalium nullum suæmet substantiæ additione simul capax est.

Itaque liquidò constat in mistione dum elementa conjunguntur, ita ut ex pluribus unum fiat, singula cum suis proprietatibus misti compositionem ingredi, ibique suam naturam ac proprietatem non amittere, sed moderari, ita ut nulla subinde possit inveniri cum integra sua proprietate, sed in misti beneficium refrangi, ac temperari, unum interim ab altero reciproca retributione de proprio largiri, ac recipere de alieno, ut omnia in misti necessitates conspirent.

Terra igitur soliditatem, stabilem constrictionem, ac mistum non faciliter dissolubile, suipsius ariditate molitur.

Aqua suâ humiditate cætera fluere, ac rectè plasmati facit.

Aër spongiositatem adducit, ut partes ultra debitum in sese non concidant, sed aliqualem spongiositatem tribuat, unde ductibilitas in metallis, ut dicetur.

Ignis denique plura efficit, sed præsertim pondus adducit; cùm enim ipse sit solus condensationis & rarefactionis subjectum (ut dictum) dum cæteris counitur, & fit unum & idem cum illis, necessariò suam condensationis ac rarefactionis naturam illis impertit, aëri primùm, utpote sibi affiniori, deinde aquæ, ultimò terræ. Aër igitur igni intimè conjunctus, atque unitus ejusdem proprietatis ex communione fit particeps. Cùm verò ignis in ultimâ misti perfectione terminati, constringi, ac solidari debeat, in sese penetrando densatur, & hinc pondus.

Aër itaque dum igni in mistione unitur ignis, spiritualitatem induit, ideoque sicut ille seipsum penetrare potest, sicut è converso ignis ex corporis connubio, corporeis dimensionibus subjicitur, quia mutua repassione uterque afficitur, & quid de aëre dicimus, hoc idem de cæteris intelligendum est.

Ex quibus patet densitatem in mistione conspicuam fieri: quamvis enim in simplici elemento, utpote terrâ vel aëre ignis ad ultimam adduci possit possibilem densitatem, densitas hæc illis non communicatur, quia intimè iisdem non counitur, sicuti fit in mistione omnium elementorum. Quare per ignem quantumcunque auctum, nec aër, nec terra condensatur aut rarescit. Cùm ergo densitas aliud quid sit à crassitie in ulteriorem gravitatem mistum redigit, quam crassities terram ducat, ideoque ex illa non simpliciter gravitas, quæ connaturalis terræ proprietas est, pariter, sed pondus quod ultra gravitatem multùm extenditur, ut in metallis patet, in quibus tamen nec ultimum naturæ possibile pondus observatur. In naturâ enim nihil auro ponderosiùs cognoscitur, adhuc enim aëris nonnihil elementalis inter minimas particulas interponitur unde opacitas. Quod si nihil interponeretur necessariò perspicuitas sequeretur, ut evenit in Elixire Physicochemico, ut hinc pateat ultimum naturæ soli possibile pondus illud esse, quod in auro observatur, at ultimum absolutè & simpliciter in prædicto elixire Diaphano inesse, quamvis & in eo gradu nonnulli secundum plus & minus distinguantur.

Ex prædictis aliud præterea sequitur licet necessarium vulgo tamen paradoxum, maximeque novum, primoque intuitu forsitan absurdum, quia cum ignis efficiat, ut cætera sese ipsa constringant, penetrent, & condensentur, fit ut quo subtiliora sint, & ad naturam spiritus redigi aptiora, eo quod constringi & condensari magis oporteat, indeque pondus exoriatur, quare quo plus mista terræ rarefactæ sunt continentia, eò rariora, & consequenter leviora reddentur: & quo plus aëris densati habebunt, ex opposito majoris densitatis erunt, & ponderis; Densitas enim seu condensatio efficienter ab igne subjectivè, ac materialiter ab aëre, cui affinior est ignis, quam reliquis exoritur, quod etiam experimento cognoscitur in mistis ponderosioribus & potissimùm in iis, quæ ob eorum facilem dissolutionem quasi autopsiâ eorundem componentia observari queunt, uti vulgare sulphur, quod valide ponderosum sentitur, & ferè totum nil aliud est, quàm aër, ideoque cùm comburitur, penè totum evanescit in fumum, qui ex humiditatis deficientiâ vix in liquorem recongelari potest, & hoc nonnisi humidis tempestatibus ac terræ modicum inde recolligitur.

Ad quorum omnium clariorem intelligentiam duo hæc adnotanda supersunt. Primum est, quod pondus in misto ex aëris densitate manans multò longius extenditur, quam sit gravitas à terræ crassitie producta, cujus gravitatis oppositum ex altero latere levitas est aëris à suâ raritate procedens, quo cùm ratius non sit in linea corporum, sequeretur ponderis extremi naturæ possibilis, quod in auro & in elixire prædicto reperitur, extremum oppositionis terminum non habere, quod inconveniens esse aperte cognoscitur, cum altero oppositorum dato, oporteat dari & alterum. Ignis ergo raritas erit ultimæ densitati prædictorum mistorum respondens. Hic enim utpote spiritualis naturæ corporeis dimensionibus non addictus, ultra raritatem aëris corporalis protenditur, & sicut in suâ naturâ rarissimam possidet substantiam, & nulla sit major, ita in subjecto corporeo, ubi suas tantum ostendere vires potest, ultimæ ac extremæ densitatis est particeps, cùm scilicet liber & solutus ultimatè augetur, quam densitatem in mistione ac unitate aëri communicans, ipsum densari cogit eousque, ut gravitatem terræ multum superet, unde pondus extremum exurgit. Alterum adnotatione dignum est, quod sicut ignis duplex in mistis cognosci potest, ligatus alter, atque constrictus in penetralibus mistionis, alter liber atque solutus, qui non misti pars est essentialis, sed accidentaliter superveniens, postquam mistum ex terræ crassitie ac siccitatis beneficio terminatum est; ita duplex consimiliter intelligi debet in misto aëer, alter qui pars est essentialis, cum reliquis omnium mistorum, & hic est, qui utpote igni sibi socio counitus, ejus participatione sese penetrando densitatem accidentalem ab igne recipit, unde mistorum pondus. Alter aër est liber, atque solutus qui inter corporis commisti particulas interponitur, à quo major minorve spongiositas eidem corpori contingit, & hic levitatem in misto producit; quod idem de aqua, & terra debet intelligi, at de aqua præsertim, quæ cum triplici diverso statu in suâ naturâ consp iciatur, sic pariter intra mistorum copora reperiri sæpe animadvertitur, vel in specie vaporis, unde porositates, vel in specie liquoris, unde foraminula, vel in specie glaciei, unde in metallis liquabilitas ad ignem: vel congelatio cùm frigescunt, acquirunt. Terra verò tantum abest, ut misto pondus impertiat, ut potius illud impediat; cùm enim ex densitate promanet, terra verò ultra suam crassitiem incrassari nullatenus possit, fit ut quantò illius misto portio major commiscetur, tantò minus condensationi aptum redditur, unde levitas procedit major. Id enim solum terra efficit, ut condensatio in misto stabilis ac forma perenniter sine ipsa esse non posset, sed facile diffluere t, ut in aqua glaciata perspicuum est, & in aëre violenter condensato, ut in fabulo sclopetario, ejusmodi siquidem condensationes, quia terræ soliditate ac constrictione non ligantur, facillimè quoque diffluunt ac evanescunt.

Ex his cuilibet liquidò patere potest, quam clarior metallorum cognitio habeatur, quanta præsertim ad illorum

illorum pondus spectare videtur, ex ejus cognitione plurima summoperè utilia illucescunt, & potissimum in eorundem ponderis varietate, quam ex Gastonis Dulconis experimento in Apologia, quam adversus Thomam Erastum edidit subsequentem esse colligimus: in corporis enim pari mole invenitur argentum ac plumbum dimidio minus auro ponderare, ut si aurum sexaginta duo grana pendat, argentum plumbumque triginta sex ponderibus, æs triginta, hoc est, parte sexta minus argento, & duodecima auri stannum, ferrum atque chalybs tertiam circiter auri ponderis partem æquant. Argentum vero vivum, seu vulgi, seu hidrargyron auro sexta parte minus ponderat, ut si aurum sex uncias pendeat hidrargyron quinque tantum pendebit.

Ad id non minimum difficultatis simul & admirationis vulgari cognitione parit, quod cum duo Metalla, uti aurum & argentum in bilance ponderata æqualis ponderis in dupla corporali mole inveniatur, si aquæ eadem filo appensa immergantur, quod minus imo dimidium est in mole, in pondere majus percipitur; quod quidem non aliunde procedit, nisi quod cum Metallum ideo mole majus altero sit, quod plus aëris interceptum habeat, intra sui ipsius corporeitatem fit ut supra in aëre ponderis discrimen non afferat, sed sub aqua quod plus aëris habet, plus corporale pondus sustentando levitatem majorem inducat, ac proinde pro diversitate portionis aëris liberi, & non commisti, corpoream densitatem impedientis, diversitas ponderis sub aqua conspicitur, quæ supra observari minimè potest, cum elementa propriis locis nec gravitent nec levitent.

CAPUT VI.

De Ductibilitate, Duritie & Mollitie.

EX præcedentibus concludi quoque poterit, quid de ductibilitate Metallorum statuendum sit. Ductibilitatem verò intelligimus non extensionem quamcunque simpliciter, sed eam, quæ propriè Metallorum est, & non aliorum; nihil enim est quod ita malleo extendi cum continuatione partium, sine partium in sese constipatione & condensatione possit, ut illa; cætera enim vel ictibus franguntur, vel condensantur, ita ut difficulter postea dilatari possint, vel instrumento percutienti nimis cedunt ad similitudinem aquæ, cùm aliquid in eam infigitur, quod idem in aëre concipi potest, partes enim cedendo immisso corpori ad latera confluunt foveamque aperiunt.

Hanc verò proprietatem in simplicibus elementis non advertimus; terra enim ob duritiem sic duci nequit, nec aër propter nimiam ipsius fluxibilitatem, nec aqua, sive in similitudine terræ glaciata, aut aëris vaporosa reperiatur, sive sub tertio statu liquitatis nimis fluxilis nec sibi consistentis. Quamobrem solius misti passio est. Inter hæc autem alimalia vel ipsorum partes ductibilitatem non habent, quamvis cera videatur aliquatenus Metallicam ductibilitatem æmulari, sed hæc facilè percutienti adhæret, faciliterque frangitur, quod Metallis non accidit: stirpium verò nulla ductilis observatur. Inter subterranea nullum, sive ea lapides sint, sive Mineralia, sive media dicta quanquam lutum ductibilitatis imaginem præ se ferat, ac in multis distat, à Metallicâ ductibilate, quare multa necesse est ad Metallicam ductibilitatem concurrere.

Terra enim primò requiritur, ut cæteris elementis consistentiam, ne diffluant, præbeat, deinde aër, ut suâ expansione terræ atque aquæ in Metallis glaciatæ duritiem moderetur & mollitiem inducat, sine qua duci minimè possent, Aqua enim in Metallis fluida non est, sed ex frigiditate glaciatur, ideoque per ignem moderatum mollescunt. Multò minus specie vaporis, nisi aëri communicetur, tunc autem aëris naturam induit. Postremò igitur aër necessarius est, non ille quidem, qui quarta pars est elementalium substantiarum, ad mistionem concurrentium; sed qui sive purus, sive aqueo vapori commistus inter corporeas particulas Metallorum interponitur, unde spongiositatem ac opacitatem oriri superiori capite ostendimus, alioquin si particulæ ita simul confluant, ut ad extremam unitatem perveniant, mistum diaphanum redditur, & cum opacitas ductibilitatem amittit, ut in vitro, gemmis, ac elixire prædicto succedit.

Ex hoc aëre intercluso procedit, ut cum malleo Metallum percutitur, ex violentia ultra naturæ debitum condensetur, Metallumque si malleationi reddatur ineptum, crudum vocant artifices, ideoque necesse est illud ad ignem remitti ut iterum rarescat, priorem que suam naturalem ductibilitatem recuperet.

Ex quibus liquet ductibilitatem requirere terræ quantitatem mediocrem, si enim multùm exuperet, duritiem inducit, ut in ferro conspicitur, quod non ità ut reliqua ductibile apparet, ob terræ superabundantiam Metallum nimis fluidum redditur, nec erit malleabile, ut hidrargyron, in quo patet aquam supra terram dominari ideoque malleo protrahi nequit.

Ex quo notandum est obiter ductibilitatem non ità esse propriam Metallorum passionem, ut in eâ formalis ratio ipsorum consistere judicetur, alioquin argentum vivum Metallum non esset, quod falsum est, eò quod essentialis ratio specierum ex uno accidenti non est accipienda, sed ex pluribus & principalibus illis generi convenientibus, unde fit, ut si quid occurrat cuidam etiam ignaro, statim dignoscere valeat, num illud in genere animalium, aut vegetabilium, aut fossilium, Metallorumve sit reponendum, aut minimè ex accidentium scilicet plurium syndrome formales rationes, si sint ignotæ colligere oportet, non autem ex unico. Quare cùm hidrargyron in pluribus cum Metallis cæteris conveniat, quamnis ductile non est, à Metallorum numero jure secludi dedecet. Non inconveniens tamen erit asserere specificam Metalli differentiam à cæteris subterraneis ductibilitatem esse, utpote illorum proprium & inseparabile, nec obstat, quod de hidrargyro dicitur. Hoc enim faciliter per artem ductile redditur, ut reliqua, & suo quoque modo ductile fit; licet enim malleo duci nequeat ob liquiditatem, ducitur tamen suo modo non minus, quam cætera leviori contactu quod satis est, alioquin nec plumbum ductile diceretur respectu durioris ferri, quod valde difficiliùs extenditur. Ductibilitas enim Metallica est extensio per rem comprimentem, sine interioris interpositi aëris exclusione, & hæc ipsa est in hydrargyro.

Cùm autem ductibilitas accidens sit separabile, fit ut hinc plus minusve Metallis insit, quoniam singula suam ductibilitatem possident, aurum cæteris majorem, post hoc argentum, deinde cuprum, hoc sequitur ferrum & ultimò stannum & plumbum.

In Metallis autem, sicut & in cæteris duplex observatur durities, altera quæ ex abundantia terræ procedit, altera ex coagulatione mistionis omnium elementorum. Hoc autem manifestum est, quia terra ex propriâ naturâ duritiem habat, ideoque duritiem misto confert. Aqua vero ex coagulatione duritiem acquirit, ut quando glaciatur, hanc tamen duritiem stabilem non esse liquet, cùm tantum terræ sibi abjunctum non habeat, quantum alioqui requireretur ad stabilem

permanentiam, utraque duritiei hæc in Metallis obſervatur; in ferro etenim duritiei major, quam in auro, non quia majorem coagulationem ſit nactum, ſed ex majori terræ abundantia, aurum vero majorem coagulationem ex meliori miſtione habuit, ideoque majorem denſitatem, quam ferrum, non majorem præ ſe fert duritiem.

Mollities autem in Metallis ex oppoſitâ ratione duplex erit, altera quæ terræ paucitati accepta referri debet, altera in debiliori coagulatione, ſicut in plumbo & hydrargyro, cujus mollities aquæ non eſt tribuenda, ſed debiliori coagulationi: aqua enim in triplici ſtatu ſeu forma conſpicitur glaciati, fluida & vaporoſa. Certum eſt autem in Metallis ſub ſpecie liquiditatis reperiri minimè poſſe, quoniam ex magnâ eorum frigiditate neceſſe eſt aquam congelari, ac proinde cùm ad ignem apponuntur, liqueſcunt, quod proprium eſt glaciei, ſi vero ſub ſpecie liquida foret in ipſis per ignem remota glaciatione non liquarentur; ſed ad ſimilitudinem aquæ fluidæ in vaporem magnoperè extenſum ac dilatatum verterentur, quod in Metallis non obſervatur; hæc enim nihil aut modicè ad ignem dilatari obſervamus; & licet in argento vivo ad ignem non ita clarè liquefactionem intueatur, nihilominus & ipſum pariter ſuam cum cæteris habet, quæ cognitu ignaris eſt difficilis, eo quod fluiditatem habeat naturalem ex liquefactione aquæ glaciatæ minimè procedentem, nam in ipſo ſic fluido non minus aqua glaciatur, quam in cæteris omnibus.

Mollities ergo hidrargyri non ex aquæ liquiditate provenit, quæ in ipſo frigidiſſimo eſſe nequit, nec ex debili miſtione ſicut in luto tenello, fortiſſimam enim habet miſtionem, quod ex difficili ejuſdem diſſolutione innoteſcit, ſed ex mediocri coagulatione, quod ex paucitate terræ contingit, hæc enim reſpectu aëris copioſiſſimi, & aquæ majori portione, quam terræ portio ſit: aër enim cum aquâ ad ipſius actualem fluiditatem concurrit, ideoque ſulphur, quamvis aër ferè totum ſit, quia tamen aquam tantam non habet; ut terram eliquet, propterea ſiccitſſimum apparet, alioquin fluidum eſſet, ut oleum naphta, bitumen liquidum, aliaque id genus quam plurima, quæ tametſi aëtea maximè ſint, ob terræ reſpectum aquei elementi paucitatem fluida plus minuſve remanſerunt.

Ex his colligitur aquam in Metallis ſub vaporoſâ formâ haud poſſe concludi, quoniam ſi ſub ſpecie liquoris non eſt, multò minus ſub forma vaporis erit, nam ſi liquida in illis reperiretur per ignem, non ad ſpeciem liquidam tranſirent, ſed ad vaporoſam; & hinc quam maxime rareſcerent cum periculo diſſolutionis elementorum; non inconveniens tamen videtur aliquid vaporoſi aëris intercludi inter ipſorum corporeitatem; aër enim, qui in ipſorum compoſitione, interponitur ita ſincerus eſſe nequit, quin aliquid aquæ admiſtæ non habeat.

Patet itidem aërem ad Metallorum mollitiem plurimùm facere, cùm enim ex terrâ, quæ naturaliter dura eſt, nec ex aqua glaciata, quæ quandam etiam præ ſe fert duritiem, non ex eadem liquida, quæ illic eſſe nequit, exoriatur, reliquum eſt, ut ex aëre vaporoſo, vel ex aëreo vapore mollities proficiſcatur.

Cùm vero aër in Metallis duplici modo inſit, uti dictum eſt; aut ligatus cum reliquis, aut liber interpoſitus; ex hoc duritiei potius, quam mollitiem procedere rationi conſonum eſt; ſi enim hic nimis denſetur, duritiem manifeſtam oſtendit, ut in pila majori, aut utre vento repleto, nihilominus Metallicam ductibilitatem plurimùm promovet: dum enim corpus Metallicum ictibus malleorum percutitur, non ſinit particulas minimas una cohærere, vel veluti ſuſpenſas manere cogit, ideoque ad latera expanditur ſine condenſatione aut ſaltem parva, quæ eruditatem artificibus inducit, quam etiam facile, dum Metallum igni apponunt, aëremque prædictum ex percuſſionum violentia condenſatum, iterum rarefactum tollunt.

Ex eodem aëre interpoſito, ex quo jam diximus opacitatem oriri, & ſonum etiam magis minuſque ſonorum progigni certum eſt; hinc argentum tinnulum eſt, aurum verò minimè; majorem enim hoc, quam illud denſitatem obtinet. Ita pariter & plumbum, quia denſius eſt quam ſtannum & ferrum, ſonorum non eſt; Æs verò ſi ſtanno admiſceatur, refractariam quandam miſturam parit, ideoque magis reſonat, quam ſi ambo ſingillatim ſeparata forent. Ad ſonum tamen edendum diverſimodè vehementem, ac variatum, aër triplici ratione concurrit, ambiens videlicet intra cavitatem figuræ clauſus, & qui inter Metallici corporis ſubſtantiam interponitur, uti dictum eſt, à quibus omnibus ſoni varietas enaſcitur. At nos hic eam tantùm recenſuimus, quæ ad Metallicæ naturæ cognitionem faciliorem aditum aperire poſſe judicavimus, atque hæc de Metallorum accidentibus dicta ſufficiant.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER III.

De Metallis in Speciali.

CAPUT I.

De Differentiis Metallorum.

CUm peractum jam ſit de his quæ ad Metallorum eſſentiam in primo Libro, & in Secundo, quæ ad eorundem accidentia ſpectare viſa ſunt, jam reliquum eſt, ut in hoc tertio tractentur ſpecies ac differentiæ particulares illorum ut ſic omnis naturæ Metallicæ diſquiſitio compleatur: antequam vero de ſingulis ſpeciebus diſſeramus, neceſſe eſt quæſtionem diſcutere de Metallorum differentiis, num ſcilicet ea differant eſſentiali ratione, vel tantummodo ex accidenti, eo quod ex utraque parte ſint auctores celebriores quamvis Albertus, qui ut mea fert opinio cæteris eruditior, clare concludat Metalla differre invicem ratione propriæ eſſentiæ ac interioris naturæ.

Ex oppoſito tamen ſunt alii, qui velint Metallorum diſcrimen ex accidentali quadam imperfecta digeſtione contingere, ſeu ex recrementis in eorum generatione illis advenientibus in ſubterraneis locis, pro quorum excrementorum diverſitate diverſas Metallorum ſpecies oriri putarunt.

Hujus ſententiæ Geber quòque, qui Magiſter magiſtrorum in Chemicis diſciplinis ſæpius dictus eſt ab Arnoldo Vilanovano, & aliis, eo quod clarè affirmet Metallorum excrementa accidentaliter ſuperveniſſe, ideoque ab illis ſeparabilia eſſe, quoniam accidentium ſeparatio non eſt impoſſibilis.

At falluntur maximè qui Gebrum alioquin doctiſſimum in tali erroneâ fuiſſe ſententia dictitant, eo quod ipſe arcanam Chemicæ operationem ſub talibus loquutionibus miſticis occultare nitatur, quare de Chemicis Metallis, non de vulgaribus intellexit.

Hanc autem quæſtionem acrius ventilare expedit; licet enim primâ fronte magni momenti non eſſe credatur, nihilominus aliud quid inde inferri queat non mediocris, imò maximæ utilitatis, ſi alterutro modo

modo accipiatur ; ut sequenti capite demonstrabitur.

Inter eos autem , qui apertè asserverunt Metallorum speciem essentialem unicam tantum esse , auream videlicet , Calistenes fuit apud Albertum , qui opinatus est Metalla ex accidenti solum differre , natura enim ad aurum solum tendebat , at ex debili, vel nimis vehementi calore aureum finem non attigisse , & ex commistione rei auri puritatem fœdantis , unde solum aurum perfectam Metallicam speciem constituet, cætera inferiora Metalla erunt velut auri rudimenta, fructusque vel maturitatem transgressi vel ad illam nondum accedentes.

Probat autem primò,quia quæ unicam communem habent materiam proximam , unumque commistionis modum unicam habebunt essentiam , nec potest ex iisdem,& uno modo commistum pluribus secundum speciem differentibus esse conveniens ; hujusmodi verò esse Metalla omnia liquet cum eorum commistio sit ex subtili terreo sulphureo,& ex radicali aqueo,quare omnia erunt species una.

Secundò experimento constat Metalla inferiora fuisse mutata sæpius per lapidem Chrysopæjum , quod esse minimè posset , si specie differens essentiali , cum speciem in speciem transmutare sit impossibile.

Tertiò nulla potest assignari differentia eorum essentialis sed solum accidentalis , uti sunt color , odor, pondus,aliaque superiori Libro enarrata.Igitur Metalla accidentaliter tantum distabunt ab invicem. Atque hæc sunt rationes potiores, quibus hæc eorum sententia innititur: at ejus oppositum sustinet Albertus , cum quo & nos constanter consentientes dicimus : Metalla invicem vi propriè essentiæ & interioris specificè naturæ differre quod sic probatur.

Primò ea quæ determinato numero stabilique natura perpetua videntur accidentaliter differre nequeunt; at ita sunt Metalla , quoniam sive ea septem vel plura constituantur,nunquam numerum ejusmodi, ac naturæ varietatem proferunt,quod in accidentalibus impossibile est. Hæc enim diversissimis gradibus secundum magis aut minus augentur, uti patet in albedine figura cæterisque omnibus.Quare.

Secundò quo plures sunt causæ differentiarum accidentalium , eo magis debet etiam multiplicari numerus , & modus subjectorum , ergo cum Metallorum differentiæ sint ex debilitate , vel vehementia caloris , & ex commistione elementorum , clarè patet numerum debere penè esse infinitum,quia pro majori aut minori calore, ac excrementorum mistione & pro variâ excrementorum specie & quantitate,ac proportione cum calore,aliisque modis consimilibus,Metallorum formæ deberent esse innumeræ, præter dictam superius instabilitatem , quod tamen absurdissimum esse,nemo non videt.

Tertiò Elixir argentificum , quo & adversarii Metalla inferiora in argentum mutare concedunt , magis differt ab argento , quàm argentum ab auro , quo uno tantum gradu distat , eo quod nihil transmutare potest. At Elixir prædictum multa ponderat imperfectioris Metalli in argentum transmutat attamen nunquam est aurum. Sed quâcunque perfectione auctum fuerit, nunquam argenteitatis lineam transgreditur,ergo ex majori vel minori perfectione Metalli ejusdem differentia non pendebit , & consequenter non ex accidenti.

Quartò,Ea quæ differunt secundum omnes proprietates & accidentia & passiones,essentialiter,& intrinseca natura rerum differre necesse est: at hujusmodi sunt Metalla, quæ omnibus & universis prædictis invicem discrepant,utpote fixione liquefactione,pondere,colore,sapore,odore,splendore, tenitu ductibilitate, duritie, examine,&c. ergo.

Quintò,Essentialis ratio,in quâ specifica rerum differentia consistit in rebus homogeneis,quæ nec generantur,nec nutriuntur , ut animalia & plantæ aliunde cognosci nequit, nisi ex diversitate passionum quibus subjiciuntur in operibus actis,at Metalla singula tales singulas possident affectiones , ut operantibus in ea liquidò constat,ergo essentialiter differunt.

Sextò,si Metallum per accidens ab alio differret,ab illo penetrari non posset,uti fit sine accidentis mutatione,quod tamen non accidit ; utrumque enim quamvis sentu optimè mistum videatur, iterum seorsim disgregatur sine accidentium mutatione.

Possent etiam & alia adduci idem probantia;at in re tam manifesta inaniter videri possit ulterius divagari cùm præsertim nullum afferri possit argumentum, quo contrarium credere cogamur ; quæ enim superius adducta sunt , vel afferri possunt , nullius prorsus momenti sunt,quod signum evidens est ejus sententiæ falsitatis.

Cùm enim dicunt primò unicam,communem, proximam materiam habere Metalla, unicumque mistionis modum , rationem nimia universalem promunt: Animalia etenim cuncta, & vegetantia consimilem habent mistionem,eandemque materiam,quæ vel remota est, & sunt elementa, in quibus cuncta mista conveniunt,vel proxima & immediata,& in hac species plures conveniunt , & in eadem idem reperitur discrimen essentiale, quia etiamsi animalia fiunt ex carne,ac stirpes è ligno; cato tamen à carne,& lignum à ligno non minus differt, quam materia Metalli à Metallo ; si quis enim crederet materiam aliquam præexistere proximam,utpotè argentum vivum Metallis omnibus commune, ex quo illa componerentur , maximè deciperetur , ut suprà probatum est, eâm de materia loquebamur. Cùm igitur animalia sicut & stirpes simili ratione generentur , nutriantur atque communem materiam subjectam possideant ; & nihilominus non per accidens , sed per essentialem naturam discrimentur , pari ratione de Metallis concludendum erit.

Ad secundam responsio patet ex cap.12.lib.1.præsentis hujusce Operis,& ex cap.seq.quamvis enim Metalla specie differant , & ut sic transmutari nequeant ; ratione vero seminalis potentiæ transmutantis potest unum in aliud commutari , sicut animal transmutat in seipsum aliud in nutritione, per quam generatur etiam, & semen ex eadem materia , unde corpus recentis fœtus conflatur ; quod idem succedit in plantis , cùm ex corrupta planta sibi nutrimentum aggregat planta,unde augeatur fructus, fœtus, & semina edat ; ita patiter & Metallum destrui debet virtute alterius potentioris, cui virtus seminalis ita sit aucta , ut in se suamque substantiam Metallum transmutandum vertere possit , & qui per aliam viam procedere nititur,insipienter hallucinatur.Quare cùm Metallum dicitur esse in aliud mutatum , respondemus id non probare eorum differentiam essentialem esse , unicâ siquidem tantùm ratione, uti dictum est : quod si per accidens Metalla differant, innumeris fere modis invicem transmutarentur, quod tamen experimento , quidquid nonnulli jactent , non respondere constat.

Ad Tertium respondemus rerum essentias & accidentia tantummodo investigari cum ergo omnia hæc in Metallis quamplurimum differant, eorum essentiale discrimen ostendunt. Si vero uno tantummodo vel altero accidente differrent, & magis principalibus minimè,

mè, inde specificum discrimen interea inferri non deceret: Sic enim & sæpe ejusdem speciei animantia, sicut & plantæ in unico vel altero accidente distant, at cùm in cæteris majoris momenti consentiant, jure consimilis speciei judicantur: Metalla ergo non in uno vel altero sic mutuò dissonant, sed in omnibus, ideoque si aurum esset, paulò plus minusve alio coloratum, tunc ea accidentaliter differre jure optimo dicuntur.

Verum multo magis discrepant invicem Metalla quam stirpes, & animantia; in his enim sive generationem sive nutritionem, instrumenta, modum, passiones & materiam intueamur, quam maximè convenire speciem cum specie observabimus. Cùm igitur Metalla longius inter se distent, quam prædicta, quidnì jure inferre possumus essentialem & specificam interea differentiam? Exemplo sit canis & ovis, utrumque carneam habet materiam ex fluido semine similibus circumstantiis præparato, generationis initia suscipit in utero matris, ibique similem auctionis progressum, & postquam in luce editum est, materno lacte pascitur, donec mediocrem cibum sibi suo nutu paret, illumque similibus instrumentis, modis & ordine conficiat, aliaque quamplurima convenientiæ signa manifesta, cùm interim nemo sit, qui duo illa specifice inter se differre non intelligat; Metalla vero quæ in omnibus ac singulis proprietatibus plurimùm inter se dissonant, solum accidentaliter differre, nulla prorsus ratio dictare poterit.

Cæterum si petatur, in quonam stet essentialis ratio ac specifica differentia Metallorum, nostra orthophysicorum principia, dicimus, tractationem hanc non hujus loci propriam esse, sed ad Physicam pertinere; ideoque & illic a nobis discussa sufficienter est. Breviter autem hic eandem repetere non gravabimur. Cùm ergo rerum omnium essentia juxta traditam doctrinam in seminis potestate consistat, hæc eadem vis erit, quæ Metallorum species distinguit; semen autem intelligimus non ipsius corpus, quod inchoatum mistum est, sed ipsius interiorem spiritualem substantiam, quæ ab astris, luce, seu igne & aëre veluti vehiculo in hæc inferiora deportatur, ibique suis circumstantiis circumscripta corpus, in qua habitet, sibi cudit; vis autem illa ne fluida ac inordinata vagans erraret à Creatore in creationis initio, seminibus & spermatibus coercita non ex unâ substantia spirituali; sed ex pluribus, uti corpus ex diversis elementis ob necessitatem conglomerata. Et hinc rerum propagatio perpetuo ordine & modo procedit.

Metalla verò non ex superioribus astris; sed ex Planetis singularibus gignuntur; ideoque nec semine opus habuere, sed ex ipsomet spiritu, immediatè in fodinis illorum defluxu proveniunt, quamvis & spiritus cœlicus Planetarum aliquam circumscriptionem suscipiat ex diversitate circumstantiarum quæ speciem invertere nequeunt, sed bene aliquatenus immutare ut hinc Metallorum abortus, monstra, & fœtus imperfectiores enascantur.

Quod idem ex debilioribus astris singulis Planetis adjacentibus originem trahere non est à ratione alienum existimare, quamvis ejusmodi Planetæ non sint in omnibus hactenus ob defectum forsan instrumentorum observati, ut in Jove stellæ mediceæ 4. à Galileo inventore sic dictæ, & in Saturno duæ, quæ cùm simul tertio astro coeuntur Ovalem figuram reddunt.

Pro numero igitur Planetarum totidem Metalla gignuntur, quinimò & ab iisdem nomina sortita sunt, ut aurum à Sole, argentum à Lunâ, cuprum vel æs à Venere, stannum à Jove, plumbum à Saturno, ferrum à Marte, & argentum vivum à Mercurio, ideoque aurum Sol dicitur, argentum Luna, & sic de reliquis, quamvis nonnulli fuerint, qui sic appellata Metalla dixerint, ob eorundem quandam extrinsecam cum Planetis similitudinem & convenientiam, nescientes extrinsecam rerum speciem interioris latentis spiritus in corpore habitantis, eidemque dominantis esse signum evidens ac indicium apertissimum.

CAPUT II.

Discussum

De Transmutationis Metallorum Impossibilitate.

PRæteritam quæstionem superiori Capite discussam, quanti referat tractasse, & quid in ea pro rei veritate statuendum sit, intelligere hoc præsenti clarè patere poterit, quoniam si Metalla per accidens differre cognoscantur, eorum mutua conversio facilis existimari debet, cum accidentium remotio non sit difficilis at si eadem specie, ac essentiali ratione differant, necessariò infertur mutuam & singularem eorum transmutationem unius in aliud esse omninò impossibilem, quam plerique bove stolidiores inaniter tentare præsumunt, nondum satis tot inanibus futilibusque periculis frustrà confectis, edocti. Existimant enim argentum posse in aurum, atque cuprum in argentum converti absque semine ab auro argentoque prolicito; cùm tamen hoc in nullo genere seu animalium seu stirpium cognitum fuerit ut unum in aliud commutetur, & huc argumenta universa tendunt eorum, qui transmutationis Metallorum impossibilitatem demonstrare nituntur, uti fuit imprimis Thomas Erastus Rudolphi Imperatoris Medicus percelebris, cui tamen responsum dedit Apologiâ doctissimâ Claveus nobilis Gallus Theatri Chemici vol. 2. insertus, ejusdem rationes 44. clarissimè optimèque dissolutas exhibens. Nemo siquidem non intelligit artem nullam seminalibus virtutibus, quæ spirituales sunt, sic dominari, iisque uti ut easdem in subjectam materiam pro libitu indere possit, in quam per naturam non sint inclusa. Hinc est ut in genere animalium bos in equum nequeat commutari: nec in genere stirpium pyrum in pomum, alioquin possent pari ratione rerum species produci ac generari sine semine: non enim major est ratio de generatione, quam sit de transmutatione, cùm in hâc, sicut in illa vis seminalis requiratur ad speciales rerum productiones.

Nec materiæ proprietatem atque accidentium convenientia quantumvis maxima quicquam efficere valet, ut ubicunque talis virtus non reperitur, ibidem artificialiter possit immitti.

Corrumpi sanè potest vis seminis ab arte, cùm materiam certis ac determinatis dispositionibus obstrictam dissolvit aut perturbat: at tandem semel universam iterum in priores amissas dispositiones reducere minimè valet. Imò tametsi easdem prorsus dispositiones materiæ afferret, seminalem adhuc spiritum, qui artificum manibus non substernitur semel evanidum revocare nullatenus posset.

Neque responsio quam tradit Arnoldus Villanovanus à Lullio aliisque recepta alicujus esse momenti cognoscitur, quâ dicitur Metallorum species, sicut & aliorum mistorum non transmutari, sed individua specierum, non enim argenteitas in aureitatem commutatur, sed individuum argenteum bene in aurum verti potest. Pace nihilominus tanti viri responsio dicta nihil adversariis negotium facessit, eo quod nemo est, qui nesciat, eo modo speciem unam in aliam vertere impossibile esse, nec id ratio superior concludit,

cludit, nec minoris impossibilitatis est argentum in aurum transmutari, quam bovem hunc individuum in aliud alterius speciei; vel pyrum hanc in pomum: si enim specialis differentia in diversitate seminalis potentiæ reponatur, uti superius est conclusum, cum illa indi nequeat, ubi non sit per naturam, non videtur quâ ratione unum individuum cujuscunque sit speciei, transeat realiter, ac verè in individuum alterius. Quare si unum individuum evaderet in transmutatione aliud, species utique transiret in speciem, ideoque nulla est Arnoldi responsio. Huc quoque pertinet dictum illud percelebre Avicennæ, quod nonnulli Aristoteli attribuunt, ita à plerisque citatur, quod etiam Albertus refert lib.3. de rebus Metallicis cap.9.his verbis: *Sciant artifices Alchymiæ species permutari non posse sed similia his facere non possunt, ut tingere rubeum citrino, ut aurum videatur, & album tingere, donec sit multum simile argento, vel auro, vel cui voluerit corpori, Caterum autem quod differentia specifica aliquo tollatur ingenio, non credo possibile, sed explicatio accidentium non, est impossibilis, vel saltem diminutio eorum.* Hæc Albertus attulit, ut eorum operationes rejiceret, qui conantur, licet nisu frustraneo Metallum unum in aliud commutare per remotionem accidentium non specialis naturæ interioris, qua manente Metallum sophisticè non verè ac realiter mutatum apparebit: quapropter & ipse asserit probasse aurum sic sophisticè mutatum, & post aliquas probationes ac examina per ignem in fæcem totum abiisse, eo quod specialis essentia non erat commutata ut dicebat, & ut ipse ibidem innuit hoc modo: *Alchymia vero (id est, vera & non sophistica) per hunc modum procedit, scilicet corrumpens unum à specie sua removendo, & cum juvamine eorum, quæ in materia sunt, alterius speciem inducendo, propter quod omnium operationum alchymicarum melior est illa, quæ procedit ex iisdem, ex quibus procedit natura, sicut expurgatione sulphuris per decoctionem, & sublimationem, & expurgatione argenti vivi, & bono permistione horum cum materia Metalli: in his enim ex virtutibus horum omnis Metalli species inducitur. qui autem per alba albificant, & per citrina citrinant, manente specie Metalli prioris in materia, proculdubio deceptores sunt, & verum aurum, & verum argentum non faciunt, & hoc modo fere omnes*, id est, operantes vulgariter, *vel in toto, vel in parte procedunt*, Propterea & Avicennas (inquit Albertus:) subjungit *non permutantur species, nisi forte in primam materiam, & proximam Metallorum reducantur, & sic juvamine artis deducantur in speciem Metalli, quod voluerunt hactenus illi.*

Ex quibus liquet etiam sententia eorum, qui veram transmutationem concedunt, species aut individua specierum impermutabilia invicem esse, quæ omnia ut apertius intelligantur.

Notandum est aliud esse generationem Metallorum, aliud permutationem, quamvis enim in utroque opere requiratur naturale agens, quod utrumque compleat, materialis tamen subjecti ratione quamplurimum differre dicimus: quoniam in generatione sive ex elementis & principiis secundariis ut Metalla, sive ex seminibus & spermatibus generatio sumat initium, in his omnibus exterius agens materiam sibi præparat, plasmat, & ad aliquem terminum redigit, quousque externum agens materiæ includatur, & reliquum generationis opus adimpleat. In transmutatione vero materia, quæ sub uno rectore in aliquo perfectionis gradu manebat, in alienum dominium transfertur, & quæ in una specie determinata erat, per transmutationem in aliam transire cogitur,. Quod tribus modis accidere potest, quos exemplo ovi explicare conveniens erit: hoc enim vel putrescendo in alienam speciem transit quia dum seminalis virtus ex putrefactione corrumpitur, vel perturbatur, cùm scilicet dispositiones priori rectori requisitæ invertuntur, in ejus locum statim succedit alter, cui sicuti priores dispositiones erant incongruæ, ita recentiores per putrefactionem advenientes sunt opportunæ & necessariæ, ideoque in qualibet rerum putrefactione, si materia non in prima elementa aut principia secundaria transeat, sed in aliud mistum, necessario in illud mutabitur, ad quod dispositiones subsequentes subjectam materiam præparando deducunt: Virtus autem hæc secunda non est necesse, ut ab extrinseco veniat, sed sufficiat ea, quæ jam in materia præexistebat, sed suas exerere vires ob carentiam circumstantiarum nequibat, alioquin in similibus putrefactionibus non observatur stabilis ordo, qui observatur, ut cum apes ex vitulo præfocato ac putrescente reparantur. Aliæque persimiles. Metalla ergò quia impossibilis aut saltem difficilis putrefactionis sunt, hâc ratione permutari nequeunt. Quod si etiam permutarentur, non quodlibet in quodlibet juxta voluntatem artis, sed determinate, quò natura in putrefactione illa traheret.

Secundo ovum in aliam speciem transire videtur, cùm in pullum transmutatur, at hæc verè atque realiter transmutatio vocari nequit: Materia siquidem sub eodem rectore seminali jacet perpetuo, ab initio ad finem usque, quare dici nequit species mutari, nisi quantum ad exteriorem figuram, & accidentia, penes quæ non residet specialis essentiæ differentia, & ideo tunc ad alium finem dirigere materiam, nisi ad quam vergebat ab initio, est impossibile. Metalla itidem hoc modo transmutari possunt, sed nec omnia, nec tantam præ se ferunt exterius mutationem, quantam animalia & stirpes: dicitur autem hæc rationabilius maturatio, in qua Metalli species non transmutatur, sed solum ad ulteriorem perfectionis gradum per artem ducitur, quam fecerit natura in prima operatione, sicuti de ovo dictum est.

Tertio permutatur ovum vere ac realiter, cùm ab animali cujuscunque sit speciei in alimentum assumitur, & in propriam substantiam vertitur, & hæc vera est transmutatio; quia non solum corporea substantia, sed spiritualis virtus seminis, quæ prius in ovo dominabatur, jam alienæ potestati subjicitur, & ad illius nutum obedire cogitur: Metalla ergo sic solum realiter ac vere transmutari valent, quamvis enim ipsa non nutriantur ut animalia & plantæ, nihilominus eorum transmutatio prædictorum nutritioni proportione certissime respondet, suoque modo nutritio jure merito nuncupari debet. Elixir enim Arabum aurificum & ratione Metalla omnia in sese convertit virtute sui seminis, qua pollet, & quæ aucta est ultra consuetum naturæ gradum, quia iguis ipsius, in quo seminis virtus ac potestas habitat, sic est auctus, ideoque cætera Metalla veluti pabulum sibi aggregando unit. Elixir vero prædictum, cum homogeneum sit, ac ejusdem naturæ Metallico hujusce igni augmenti capax est, cum cætera mista organorum ac subjectorum necessitati addicta, talem ignis excessum ferre nequeant, quamvis & illud sui augmenti determinationem habeat; quia infinite augeri nequit: sicut ergo in animalium nutritione sic in hac Metallica transmutatione requiritur vis activa seminalis rei transmutantis alimentum, quod sit idoneum & affine corpori, in quod convertendum est; Digestio convenienti calore patrata, partium divisio, utilium nempe ab inutilibus, ut his veluti fæcibus rejectis, reliquorum fiat alendo corpori assimilatio atque

que conjunctio. Et quod magis est, summaque notatione dignum, repassio est, quam similitudine ac proportione nutritionis animalium alendorum habet ab alimento, dum enim homo in aliti substantiam transit, aliquam reactionem molitur in illud, & quantum potest, nititur transmutare, & hinc ex ambobus fit tertium quoddam.

Ex quibus apparet veram ac realem transmutationem unicam tantum esse, unicum modum & artem, quæ procedit ex iisdem, ex quibus procedit natura, & cum iisdem vel similibus circumstantiis in qua species & essentia rei transmutandæ omninò perit quantum ad prædominium, & dominio alterius potentioris submittitur cæteras omnes falsas, sophisticas, ac impossibiles, frustraneosque conatus omnes illorum, qui circa eas occupantur, maximaque imperitia ac stoliditate laborare dicimus eosdem, qui Metallum quodcunque inferius aurea specie alio quovis extraneo medio nisi duntaxat aureo semine insignire nituntur. Cùm enim plumbum v. g. aurum evadere tentatur, vel ipsius seminalis virtus interior, in qua specialis essentia consistit, sospes & integris viribus permanet, & tunc aliud quid fieri nequit, quam plumbum, nec plumbi semites egredi potest, alioquin ordo naturæ inverteretur, si quid sine semine mistorum omnium conflaretur: vel seminalis virtus destruitur, quod facile fieri potest, & tunc aut in elementa, principiave secundaria abibit, aut quo putrefactionis genus illud deducet; tunc enim spiritualior inferior vis, quæ prius imporens ac labitans, superiori virtuti obedire cogebatur; ex illius absentia quasi vicem gerens viribus reparatis, imperii sedem occupat, & suo arbitratu mistum regit atque gubernat: quare sic ars nulla erit quæ pro suo nutu plumbum in aurum vertat, nec erit efficiens aliquod præter aurum, quod auri naturam & speciem indat.

Quoniam etiamsi species plumbea destruatur, hoc satis non est, ut aurum fiat, sed necesse est præterea & auri semen adesse quod suam præbeat essentiam, quam ab alia re, quæcunque ea sit, minime sperare potest.

Hinc nonnulli aurum suis sophisticis confectionibus addunt ut illis auream essentiam impertiant, at miselli non minus hic hallucinantur, dupliciter enim à spe cadunt. Primo quod aurum semen in se quidem possidet, at ita debile; ut sibi tantum sufficiat, quomodo ergo cæteris participabit, quod ne minimum quid superabundantis habet? Secundo quod naturale aurum ob sortissimam sui mistionem tam arcte ligatum est, ut impossibilis dissolutionis pene videatur. Si verò aurum se aperte jactitent, tunc dicimus hoc minimè satis esse, quacunque enim re aperiretur, nisi illa eadem sit, ex qua corpus ipsius ab initio suæ generationis conflatum fuit, in quam scilicet spiritualis substantia seminis recipi, convolvi, dilatari atque coniri queat, nihil inde fiet. Exemplo grani tritici, quod terræ injectum ab eodem prorsus succo aperitur, à quo fuit ab initio suæ generationis compositum, & in quem suas operationes seminalis ejusdem grani vis operationes cunctas exercuit. Quod Lullius non minus doctè quam fideliter docuit in Theo. sui Testam. cap. 26. sæpiùs citato ubi etiam Comitis Trevirensis verba hoc idem monentis attulimus.

Quod si talis materia habeatur aurei seminis susceptiva non in aurum tunc transmutabitur, eo quod in primâ naturæ operatione, non similis erat perfectionis: hæc enim non ex materia, perfecto atque completo auri semine prædita, primordiale generationis initium habuit, sed ex nudis elementis primis & principiis secundariis tantum, ut supetius dictum est. Arti verò conceditur soli ut magico Physico artificio, gamacicoque connubio mista naturæ simul jungat; ut in insertionibus plantarum, cum plantis fieri consuevit, unde fructus multiplici nomine lubliniores edantur.

Ex quibus omnibus colligi potest ex eo transmutationem Metallorum esse impossibilem, quia essentiali differentia invicem distent, nisi unica solum ratione, destructione scilicet prioris essentiæ ac speciei per vim seminalem alterius potentioris agentis, per quod ars naturæ famula, ejusque ministra valet unum Metallum in aliud quodcunque amiserit, pro varietate seminis commutare verè, realiter ac sine falso. Atque hinc patere potest responsio ad omnia, quæ contra possent objici, neque contradictorie oppositas esse proportiones illas, Metallorum nempe transmutationem veram ac certam esse, uti primo Libro patefecimus, & Metallorum transmutationem esse penitus impossibilem. Nec responsionem Arnoldi veritatem attingere, ut cuilibet, quæ hic revelavimus, intimè scrutanti bene petere potest.

CAP. III.

De Speciebus singulis Metallorum.

JAm consequens est, ut de singulis metallorum speciebus singillatim agatur, ut quæ universali sermone concluta sunt, in singulis metallis applicata clarius innotescant, indeque singularis cujusque natura & proprietas aperiatur, & quanquam id ex universali discussione à quovis facile recolligi posse viderur, particularis nihilominus examinatio non minimum utilitatis allatura judicabitur, cum universaliter dicentes facillime decipi possint, & cujusque rei veritas particularis lucidior eniteat.

In illorum autem examine ordinem servabimus ratione dignitatis & æstimationis mortalium, quorum mentes metallorum splendore obtenebrantur, illud plurimi faciunt, quod nullius usus humanis necessitatibus esse liquido experiuntur: cum vice versa illud maximè flocci faciant, quod sibi proficuum non tantum, sed penè simpliciter necessarium sentiunt, & quantum quodlibet ab utilitate recedit, tantò magis æstimatione ac pretio extollitur, cujus rationem inveniri aliam non credimus, nisi ut mystico arcano Dei, quanta nimirum hominis erga beneficiorum officia ingratitudo sit, manifestatur. Quid enim aurum humanis indigentiis commodi afferre dignoscitur, ut nihilominus ab iisdem tanti fiat, ut cætera omnia per ipsum metiri tacito quodam omnium populorum consensu voluerint.

Proximè sequitur argentum, quod sicuti nonnullos præbet usus tum ob duritiem, tum ob faciliorem dissolutionem qua Medici artificesque nonnulli uti solent, ita minus quàm aurum æstimatur.

Post hoc argentum vivum officia hominibus exhibet innumera, ideoque pari æstimatione rependitur: sicut enim commoda dat majora quàm argentum, ita vilius quam illud habetur.

Cuprum adhuc pluris utilitatis esse nobis appareret ex his, quæ ab ipso tum in integra sua natura, tum diversimodè alterato, vel destructo præparantur: quapropter & mortalibus quoque indignius reputatur.

Præterea stannum atque plumbum propter faciliorem eliquationem, & quia magis tractabilia sunt, ob mollitiem debilemque mistionem, quam maximè utilia humanis necessitatibus judicantur, indeque viliora quoque quàm cætera antedicta reputantur.

Quid

Quid ferro denique præstantius, cunctisque pene operibus laboribus hominum aptius ? ut unicus mortalium auxiliator famulatorque dici mereatur. At quid ex adverso abjectius pretio ac æstimatione inferius, ut in compitis & plateis pedibus conculcetur, nihilque tam nauci quam ipsum habeatur ? quod sicuti magnam sapientum animis admirationem parere debet, ita non minori videtur indignatione posse cogitari. Ordinem ergo prædictum servantes, aurum ante cætera in examen ducemus, alia verò subinde ordine prænarrato.

De singulis autem ea scrutabimur, quæ ad Physicam contemplationem spectant, unde scilicet sua specialis natura pendeat ; quæ mistio elementorum, quibus principiis secundariis proportione respondeat, quæ tandem sua completa perfectione proprietates, cæteraque ad eorum historiam, & alia extrinsecus illis accidentia pertinent, ab Auctoribus, quos in Præfatione recensuimus peti poterunt.

Priusquam verò specialem cujuscunque discussionem aggrediamur, operæ pretium existimavimus communem metalli descriptionem, juxta nostram doctrinam afferre, ut inde quid per metallum intelligi oporteat, cognoscatur, ne in singulis eadem sæpius repetere cogamur. Metallum ergo dicimus corpus mistum fossile, homogeneum à semine spiritualis substantiæ septem Planetarum immediatè genitum ex elementis per secundaria principia directè transeundo ad finale perfectionis complementum mercurialibus proprietatibus principaliter insignitum, non inflammabile, non distillabile, sed liquabile, ac ductibile : singularem autem particularum declarationem afferre non opus erit, cum earum aliquæ liquidò unicuique patere, nonnullæ verò ex iis quæ primò Libro tradita sunt, comprehendi queant. Illas verò (per principia secundaria directè transeundo) ad finale complementum ideò addidimus, ut à metallis abortivis, imperfectis atque corruptis distingueremus, jam ergo de unoquoque singillatim.

CAP. IV.

De Auri Natura & Proprietatibus.

AUrum ergo specialem suam naturam à Sole suscipit non solum efficienter, sed substantialiter, ideoque & Solis nomine jure meritò insignitur. Cùm enim specie ab aliis differre ostenderimus, nec de ipso dici possit, quod de homine vulgò fertur, Solem videlicet & hominem generare hominem, cùm illud ab auro non gignatur. Unde ergo suam specificam essentiam obtinebit ? cui semini accepta referri debebit ; id est, aureitas undenam erit ; solarem itaque substantiam non corpoream sed omninò spiritualem luci affinitate conjunctam per aërem prima corporis rudimenta recipientem in subterraneas cavitates delatam, ibique sibi elementa (uti opus est) in aurum efformare dicimus : id autem non subitò, sed sensim paulatimque per calorem disponi, ad principia secundaria procedere, tandemque in aureitatis perfectionem terminari, uti superius generali sermone fusius est ostensum.

Terram autem in auro suam potestatem exercere liquet ex ejusdem solido ac impenetrabili ligamine, atque in igne stabiliente non ea, quæ ex densitate, sed quæ ex terminatione provenit : quantumcunque enim densum esset, nisi per terram in densitate stabilite permanere cogeretur, diffluere-

ret. Aquam itidem suam virtutem in eo possidere, constat ex liquefactione per ignem. Aëreni denique ineſſe multis nominibus conjectari possumus, imò ipsius portionem multò magis abundare. At jam de virtutibus, non de materiæ quantitate intelligimus.

Ignis verò plurimùm habere creditur, & plus fortassis quàm cuprum, licet plerique ferè omnes contrarium asserant, quod tamen inde pendet, quia Cuprum vel Æs facile dissolvitur ; ideoque ignis inter elementa clausus sese patentiorem ostendit : at in auro ignis tam arcto elementorum carcere cohibetur, ut non facilè vires exolutus reparet, suique juris potestas ostendatur exterius, atque hinc est, ut ipsius vel tenuissimè triti sapor sentiri nequeat : in eo tamen ignem excedere probabile est ex hoc, quòd cùm pluribus rotationibus in suâ confectione opus habuerit, necesse est eo plus ignis ibi inclusum fuisse ; quinimò hoc idem patere potest ex eo, quòd cùm tenuissimam habeat substantiam, necessariò & causam adesse oportebit tenuitatis, hæc autem aliunde, quàm ex igne contingere nequit ; hic enim sicut elementa subtiliat, ita in tenuitate per suam præsentiam servat.

De principiis autem secundariis ipsius, id primò certum est aurum non sulphure atque mercurio componi ; ut non indigni Auctores insinuare nituntur, nisi metaphoricè locuti fuerint ; quod & superius rejecimus ; cùm demonstraverimus, aurum non minus ex una substantia constare, quam cætera omnia mistorum genera homogenea, imò magis ut ex arctissima ipsius mistione recolligi potest ; purissimum enim est, nec aliquid in illo fæculentiæ conjicitur, imò si proportione alicui ex principiis respondeat, nihil minus id erit, quàm sulphur ; cùm nihil minus igne petatur, quàm aurum ; ut propterea incorruptibile credatur, ideoque & vulgare sulphur, quod cætera metalla adustione combutit aurum non tangit, unde minor illius cum sulphure affinitas, & convenientia eluceſſit, salinosæ naturæ magis participare similitudinem apparet, quia ignis actioni resistit ; plurimùm autem cum Mercurio convenit, non solùm enim vulgari Mercurio facillimè conjungitur, sed & liquoribus accidit se quadantenus solvi permittit, licèt non interiores aditus ejusmodi solutiones permeent, sed corpus tantum illius, unde levi negotio ab iisdem omnibus separatur, & in pristinam formam redit.

Cùm nihil igitur in illo, sive id elementum sit, sive principium secundarium, nimis supra cætera dominari experiamur, optimâ ratione factum est, ut in eo æqua elementorum, ac principiorum proportio existere perhibeatur.

Hinc est ut incorruptibile prorsùs naturalibus substantiis permaneat. Cum verò Geber asserit : *Aurum ex subtilissima substantia argenti vivi & clarissima constare, & ex substantia parva sulphuris mundi & puræ rubedinis fixi, clari, & à natura sua mutati tingentis illud.* Nolim intelligatur illud ex argento vivo vulgari progigni, multoque minus ex eodem & sulphure tanquam ex duabus diversis componentibus substantiis : horum enim utrumque falsum in superioribus manifestè demonstratum fuit : ipse namque Auctor artificialem potius auri conflationem ibidem intellexit. Cùm enim videret tam ex argento vivo, quàm ex vulgaribus metallis, superfluitatibus exclusis per minimam quantitatem Lapidis Chrysopæi, quem sulphuris nomine sæpissimè describunt artifices,

aurum exurgere; ex argento vivo & ſulphure illud componi ſcripſit, cùm tamen per ſulphur illud aurum verè ſit in altiorem multò gradum elatum, quam ſit naturale; naturalis tamen generatio ſic non procedit, uti ſuperius ſufficienter oſtenſum eſt. Omnium verò non ſolum metallorum, ſed & miſtorum quorumcunque, atque ſimplicium ponderoſiſſimum eſt aurum, quia denſiſſimum, cùm aëris plurimum contineat; ideoque tenuiſſimum in ſua ſubſtantia; quoniam ignis in aëre clauſus, elementa per plures circulationes optimè plaſmata in tenuitatem redegit, ac proinde citrinitate illud tinxit, puriſſimum ac ſplendidum reddidit. Hinc pariter fit, ut maximè ſit ductile, & potiſſimum ſi ſuper aliud metallum extendatur, argentum enim auri bracteolâ vel tenuiſſimâ contectum latiſſimè diductum auro ſemper tinctum inſpicitur, uti notavit Albertus. Molliuſculum pariter eſt ob aërem, non tamen tinnulum ac ſonorum ob denſitatem, per quam peregrinus aër in ſua corporeitate incluſus minor eſt redditus. In igne liqueſcit, ſed poſt ignitionem, ut hinc appareat, quoſdam eſſe limites in metallorum paſſibilitate ab igne; nonnulla enim facile liquefiunt, antequam igneſcant, ut plumbum ac ſtannum, nonnulla difficulter etiam poſt ignitionem, ut cuprum, & adhuc difficilius ferrum, cujus cauſa aquæ abundantia eſt, ſicut ex adverſo terra difficilis liquefactionis eſt origo: Duplici quoque fixione præditum recognoſcitur, tum ea, quæ ex terræ ſuper aquam prædominio, tum ea, quæ ex denſitate miſtionis procedit. Hinc fit ut nihil ex illo reſolvi poſſit, ideoque nec odor, nec ſapor illius ullatenus percipi valet, nihilque ſui rebus quibuſcunque ſibi commiſtis communicat, nec aperiri quovis artificio illud eſt poſſibile, & propterea quodammodo indeſtructibile atque perpetuum, unde & divinitatis aliquâ ratione ſimulacrum eſt in terris, & hinc ab Altiſſimo ad ſui Tabernaculi ornamenta inter cætera electum virtutibus pluribus ſcatere conſonum eſt, non tamen in ſuâ naturali corporeaque denſitate, prius enim illud diſſolvere oportet, antequam interiores latentes vires exerere queat; ejuſdem vero diſſolutionis via unica eſt, ardua tamen ac perdifficilis ab Artificibus, qui illam ex voto poſſidere arctiſſimè contecta, atque tunc ſolummodò rubedinis tinctura, Gebro referente, dicetur, aliàs minimè.

Ex omnibus ergo quæ hactenus de auro ſunt dicta, talem ejuſdem deſcriptionem afferre poſſumus. Aurum metallum eſt ſolaris aſtri ſemine ſpirituali genitum, ponderoſiſſimum, tenuiſſimum, vitrinum, puriſſimum, ſplendidum, maximè ductibile, molle, mutum, cum ignitione liquabile, fixiſſimum, inodorum, & inſipidum, fere incorruptibile in examine cementi & antimonii perſiſtens.

Specialiter verò ac potior differentia veri auri eſt examina prædicta ſuſtinere poſſe; nihil enim hucuſque innotuit, quod verum aurum à Sophiſtico atque fictitio ſecernendum dederit, præterea duo, quibus artificialiter genuinum ac naturale aurum probatores explorant; cementi autem examen antiquiſſimum eſt, ſed aliud per antimonium paratum non multis abhinc ſæculis repertum conſtat. Utriuſque formulam qui cupit, Auctores in Præfatione citatos adeat, alioſque quamplurimos, qui illa diligentiſſimè deſcripſerunt.

Plura de auro cupienti Joannes Franciſcus Mirandulanus integrè ac pereleganti tractatu ſatisfaciet; id tamen hujuſce Auctoris prætereundum minimè viſum eſt, quod quinque modis genericè aurum generari queat, rationibus quippe ſupra deſcriptis ſatis liquere poteſt nonniſi unicam auri progignendi rationem & formam haberi poſſe per artem, naturam quoad poteſt æmulantem, naturæ modus in ſuperioribus luculenter eſt expreſſus; artis verò à naturali non abſimilis in quibuſdam non tamen in omnibus, cùm ars aurum in ulteriorem perfectionem ducat, quam fecerit ſuo primo actu natura. Cùm ergo ſeminalis illius virtus ſit maximè aucta, non mirum videri debet, ſi materiam idoneam ex metallis reliquis petita in ſe transferre queat, unde aurum per artem conficiatur omnibus prædictum differentiis, quibus naturale.

Cæterùm quod aurum inde extrahi poſſit, ubi per naturam licet, ſæpe inviſibiliter inditum fuerit, & majori quidem lucro ab uno artifice, quam ab alio, non eſt abnegandum, at quod aliâ ratione, quam prædictâ unicâ & ſingulari progignatur, hoc omni falſitate falſius eſt, nec in re tanti momenti ignarum vulgus ad impoſturas nimis proclive Chriſtiana pietas deceptionibus detinere ſinit.

Hinc quoque falſum cognoſcitur quod Geber cap. de Sole ſcriptum reliquit, æris nempe ramenta tenuiſſima ex minera illius cum aqua defluxa, ac diutiſſimè lota, & in avenæ calore per triennium decocta in aurum mutata, ſecundum partem: hoc enim ideo contingere potuit, quia in ære aurum admiſtum fuerat, deliteſcunt ſæpè metalla in metallis, quod ab ære lotura & calore depuratum prius abditum in propatulum ſeſe protulit, non autem quod ibidem vel alibi ullatenus, ſi non præextiterit, aurum confici poſſit. Quod itidem ſcribit Albertus Lib. Mineral. Cap. de Auro, ſuo nimirum tempore inventum eſſe auri pulverem & grana inter futuras capitis demortui hominis, ibidemque genitum virtute minerali, quâ pollebat, impoſſibile proteſtamur, non tamen hiſtoriam rejicimus, ſed generationis modum, ubi enim ejuſmodi generationis cauſæ & circumſtantiæ deſunt, effectus nullatenus ſequetur. Quare ſi verum quod auctor Pyrotechniæ aliique plures prodidere de auro inter ſegetum ſurculos ex terrâ in Hungaricis agris emergente, illiſque adhærente; pari ratione potuit ex ſubterraneis fodinis extrudi quicquid auri in calvariâ prænarrata inventum fuit. Auri nempe particulas facile eſt ſurſum impelli per calorem & ſpiritus ſalinoſos, uti fieri obſervatur in cooperculis vaſorum, ubi aurum depuratur; cementum enim ex tali ac tegularum polline paratur; pollinem enim ideò addunt, ne ſal liqueſcat, ſed diſcontinuatum ab igne penetrari poſſit, ſpiritus interim ſalinoſus quicquid auro ineſt extranei, ſecum in ſublime ducit, ſimulque auri tenuiſſimas particulas in teſtaceis cooperculis infixas relinquit, quibus in pulverem actis, quantum auri ibidem adetit, recuperatur.

CAP. V.

De Argenti Natura & Proprietatibus.

ARgenti naturam inquirentes methodum, qua in auro examinando uſi fuimus, adhibebimus; dicimus igitur illud ex Lunæ ſeminali ſubſtantia ſpiritualiter generari, ac propterea nobilioribus etiam proprietatibus donari, quam cætera metalla:

metalla: sicut enim aurum nobilioribus proprietatibus insignitur ob sui parentis magnitudinem, potentiam, atque præstantiam, super Planetas reliquos; ita pariter argentum propterea Lunæ nomine prænotatum, ac nobilibus proprietatibus exornatum, quia ex Luna terræ omnium propinquissima processerit, atque inde actione vehementiori sua virtute illam petere valuerit.

Terram ergo in Luna seu argento prævalere super aquam inde constat, quod ad ignem constans permaneat, quamvis non ita stabiliter, ac pertinaciter ut aurum, quod inde procedit: quòd non ita fortem nactum sit mistionem, ut aurum; in diuturniori siquidem ad ignem fluxu ejus portio diminuitur, qui enim experti sunt, viderunt ex libra una ipsius unciam periisse, & in vitrum cœlestinum migrasse spatio sex mensium, cùm ex auro puro nihil penitus decesserit, ex aliis verò plus minusve pro diversa eorundem mistionis perfectione. Hinc etiam oritur facilis argenti in calcem reductio, quæ in auro est difficillima. Duplex autem causa imperfectioris ejus mistionis cognoscitur, quæ tamen ad unicam redigi potest, paucioribus enim rationibus circumactum fuit, sic ipsius natura exigente, quod inde patet, quia elementa non ita sunt attenuata, nec tantum ignis habuit, ut illa attenuare valeret, ideóque album permansit, si enim ulterius fuisset ignis progressus, ac ipsius interioribus recessibus auctus, citrinitatem contraxisset, ut aurum quod calorem pariter multiplicatum rubore tingitur.

Minorem igitur ignis portionem obtinuit argentum, quàm aurum, & inde minus elementa subtiliata sunt, & mistio crassior, & imperfectior, unde pondus etiam dimidio minus est auri pondere, moles enim æqualis auri & argenti duplo magis pendere aurum invenitur argento.

Substantiam quoque rariorem inde obtinuit ex majori quantitate aëris in mistione interpositi. Duplex enim aër in metallis includitur, primus est qui mistioni essentialiter adhæret, & ab initio generationis mistis omnibus adjungitur, & est de intrinsecâ ratione mistorum, qui nec diminui, nec augeri potest, nisi elementa ipsa aperiantur, hoc est, nisi spiritualis mistio exolvatur. Alter est, qui inter particulas minimas misti corporeas intercluditur unde opacitas fit & levitas & hic alterari potest stabili mistione permanente; aërem verò hunc appello, licet aqueo vapore commisceri queat, quia aëris modo manet, hunc verò plurima extrinsecus supervenientia petere & variare possunt.

Inde fit, ut sæpè densius argentum reddatur per admista aërem prædictum alterantia, quod ignaris ac rudioribus ansam dedit erroneæ credulitatis; opinantur enim tunc perfectius auroque propinquius, quia naturali argento ponderosius, postea citrinitate inficiunt, ac pro vero auro jactitant, cum non sit ex rei veritate nisi falsum atque sophisticum: vera siquidem ac realis rerum transmutatio in seminis eorundem permutatione consistit, cùm itaque hæc permutatio in ejusmodi argento non fiat, utcunque accidentibus aurei palliatum semper argentum exit.

Ex prædictis etiam liquet quare argenti aurique par pondus sub aquâ impar inveniatur, quod & alibi in hoc tractatu declaravimus. Ex hoc eodem aëre interposito sonorum ac tinnulum argentum redditur; causa soni diversitatis semper est aër, sive is, qui intra misti corpus interponitur, sive qui exterius ex figurarum varietate proficiscitur, ideoq; pro campanis construendis non duntaxat figuratio ipsorum attenditur, sed & materiæ compositio, quamobrem ex ære multo paucoque stanno compositio paratur aptior, in hâc enim mistione utriusque metalli portione naturali elementorum intacta manente aër solum eorundem alteratur ac permutatur, licet ex ignis violentia plus minusve substantiæ deperdatur.

De secundariis argenti principiis illud hic memoria repetendum est, illud non ex tribus ita componi, quia natura prius tria aut duo fabrefecerit, ex quibus postea argenteum corpus extruxerit, hoc enim maximè foret erroneum, læpiusque sufficienter explosum; nec decipi quis se patiatur nonnullorum, & Alberti specialiter, qui capite de argenti naturâ scribit: *Nos autem per antedicta certificati sumus quod argentum vivum in compositionem argenti venit, quia secundum calorem ejus coloratur, & hacet activa illius, quando liquescit, tunc enim non adhæret tangenti, nec quiescit in superficie una, nec omninò diffunditur ut aqua, &c.* Et paulò post subdit, quod sicut cætera, quæ per ignem liquantur tres habeat humores, &c. nullum enim compositum naturale, unum, essentiale post elementa ex pluribus diversis corporeis substantiis construitur, quod liquet in singulis speciebus, cùm enim plantarum semina gignuntur ex unico terræ succo corpus assumunt, nec ex pluribus succis constare possunt, nisi illa per modum unius invicem commista concurrant; sicut & animalia, quorum tum principium, tum alimentum ex unico, non ex pluribus compaginantur, alioquin unum essentiale non essent, sed accidentale.

Cùm ergo dicitur argentum ex argento vivo fieri, nolim intelligatur argentum fieri ex argento vivo vulgi, nec ex argento vivo universali pluribus metallis communi, quamvis nonnulli sic voluisse videantur, eò quod metaphoricè fuerint loquuti, & ad Chemicam occultam operationem respexerint; in naturæ tamen operibus hoc falsum penitus cognoscitur; animal enim non ex alio animali specie dissimili compaginatur, nec planta ex plantâ, tametsi videatur animal quodcunque ex carne, & planta ex ligno constare; cùm verò animal inchoatur non ex carne alterius, nec ex carne communi materiam suam & compositionem accipit.

Consimiliter argentum ideo dicitur ex argento vivo componi quia ipsius corpus proprietates possideat plurimas earum, quæ argento vivo competunt, nec propterea quod argentum igne liquefactum tangenti non adhæreat, nec quiescat in superficie unâ, nec ut aqua diffundatur ex argento vivo componi sibi quis persuadere debet, quoniam proprietates dictæ diversimodè argento & mercurio conveniunt; oportet enim huic ut illi ex igne liquescere, postea frigore condensari, stabiliter in calore permanere, quorum nihil argento vivo competit; cum enim in pluribus & potioribus invicem distent, & in quibus conveniunt non eodem modo contingat, non illinc argumentari licet, argentum ex argento vivo fluere quare in quibusdam cum Mercurio dissentire concedimus, ideoque naturæ & proprietates illius particeps est argentum, at ex illo substantiam suam possidere negamus.

Consimiliter & sulphuris naturam redolet, & cum illo plurimum convenit, nam & tangentis manus inficit, in igne liquefactum fœtidum odorem expirat, minus tamen quam cætera, igne quin etiam

consumitur, & in calcem redigitur, licet difficulter, non ita tamen ut aurum à sulphure vulgari, si liquescenti superinjiciatur exuritur, maximéque deturpatur.

Salineas pariter proprietates continere liquet, ex eo quod in igne liquescat, stabiliter in eo constans spiritualibus liquoribus sese penetrari, & calcinari patiatur, cùm autem homogeneum sit, & unica ipsius sit substantia in partes se dividi non finit essentialiter diversas, nisi ex corruptione in principia secundaria migret, aut in elementa redeat. Qui ergo credunt ipsum ex sulphure purgationibus emundare, ut sic ejus residuum in aurum vel in perfectiorem argento naturam commutetur, quam maximè decipiuntur; cùm enim totum sit similare, si sulphur totum ex illo separare niteretur, totum pariter argentum amitteret, & quamvis quod tentant, perficerent, adhuc aurum esse non posset, nec aliud argento superius: nulla enim causa foret auream naturam afferens, aut extra lineam argenteitatis excludens.

Sunt præterea qui credant illud in argentum vivum commutari, quod diversis rationibus effici potest, quarum unam alibi manifestavimus, ipsum enim calcinatum, ac triplo salis armoniaci conjunctum pluries oleo tartari imbibitur, ac exsiccatur, atque inde volatile factum in sublime tollitur, fluidumque non aliter ac hydrargyron redditur, quin etiam argenteo colore cuprum, & alia non aliter ac illud superficialiter adhærendo tingit, quibus proprietatibus potioribus quam sint illæ, quibus Albertus probare adnititur argenti materiam ex hydrargyro constare, quia scilicet in igne fluidum, tangenti non adhæreat, nec in superficie una quiescat ut aqua. &c. posset quis adduci ut credat argentum hydrargyro non tantùm simillimum, sed idem cum illo existere, cum præsertim non igne, sed frigido sic transmutatum inspiciatur, nihilominus hoc quoque modo sophisticè palliatum, ita vivum argentum est, sicut Asinus leoninâ pelle contectus leo est, cùm enim extraneis ejusmodi liquoribus, quibus in tali specie detinebatur, liber evadit ac separatur in argentum verum ut prius regreditur, & hujus naturæ putaverim fuisse argentum sub formâ pultis inventum, de quo meminit Albertus ibidem; quanquam ille ex argenti vivi abundantiâ provenire scribit, non tamen argenti vivi nihil ibi adesse cognoscatur; consimilibus namque liquoribus salinosis naturaliter illi adhærentibus in tali mollitie detinebatur, quibus igne tandem separatis argentum solum, ut erat se prodidit.

Ductibile autem argentum est plus quidem, quam cætera sint, uno auro excepto, à quo longe superatum intuemur: quo enim tenuiori substantiâ præditum est metallum, eo etiam ductibilius, hoc est, longè lateque magis expansile apparet. Examen verò speciale argenti, quo artifices illud ab aliis illegitimis falsisque argentis dispescunt, cineritium, sive cuppellam appellant, in quo plumbo igne liquefacto argentum injiciunt, ibique fluere permittunt: nam quicquid argentum naturale, ac verum non existit absumitur, solumque illud, quod sincerum est, subsidit. In hoc vero examine & permanens est, hoc tamen alia quoque criteria patitur, quæ argentum ferre nequit.

Ex præhabitis igitur hanc argenti definitionem colligimus, quod argentum metallum sit ex spirituali Lunæ semine productum, album mediocriter ponderosum, splendidum, purum, fixum, cùm ignitione liquabile, sulphuris proprietates aliqualiter participans sonorum, & in plumbi examine perdurans.

De Argenti vivi Natura & Proprietatibus.

POst argentum æstimationis ordine sequitur hydrargyron cujus natura summe admiranda super cætera non solùm metalla, sed subterranea cuncta disquisitionis dignissima censeri debet, Genitor autem ipsius Mercurii sidus est, ex hoc enim spiritualis substantia per lucem & aëra in terram effunditur, ubi locum sibi propitium reperiens ex elementis corpus plasmat, & in liquidum metallum perficit, natura ulteriorem suæ perfectionis gradum arti adjutrici relinquente, siquidem in metallum nobilius se redigi patitur, cùm ob suam mollitiem magis quàm aliud sit obediens, & suis proprietatibus magis auro communicat quam cæteris, hoc est, perfectioni ac nobilitati aureæ magis appropinquat.

Nec ex eo quod actu fluidum sit, ex metallorum classe rejiciendum erit, ut visum est aliquibus, tum quia naturam & proprietates metallicas, & eas quidem sublimiores possidet, tum quia facilè in duritiem licet sophisticam sibique extraneam abeat, & per elixir aureum vel argenteum pauca substantiæ suæ diminutione auream & argenteam naturam veram & realem suscipit.

Terram autem ipsius ab aquâ separari ex eo liquet, quod velut aqua per ignem evolat, secumque terram trahit; non tamen ut aqua in vaporem rarescit, aërique commiscetur, imò refrigeratum idem ut prius aqua cæteris elementis inseparabiliter adhærente invenitur. Aëris verò plurimum continere ex pondere & densitate conjicitur: ab auri namque pondere sexta parte minus recedit, ut naturaliter habetur, at depuratum artificio auro præponderat. Ignis vero non tantum, ut aurum habuit, ideoque album remansit. Dictum tem est hydrargyron, id est, aqueum argentum, eò quod aquæ speciem præ se ferat, cùm etiam in frigido, & actu liquidum videatur, unde & hinc vivum etiam argentum est appellatum, quod nobilitate sua vitalem potentiam ostendat, quamvis & alia subsit occasio occultior, & ratio apud Chemicos artifices.

Fluxilitatis autem ipsius causam Scriptores omnes aquæ superabundantiæ referunt, at cui aquæ, & quomodo minimè explicare curarunt, cùm præsertim omnia, quæ aquæ plurimum habent, frigiditate glaciari conspiciantur, quod in Mercurio non accidit. Duplex enim in illo considerandæ venit aqua, prima est, quæ cum cæteris elementis, & igne radicaliter ab initio suæ generationis connita fuit, quam ab eodem removere, vel diminuere, sine mistionis ejus destructione possibile non est. Altera est, quæ sive vapor aëreus, sive aër aqueus dicatur, eidem corpori (ut alibi declaratum est) interponitur, unde corporis perspicuitas impeditur, & hæc licet de argenti vivi compositione corporali proportione sit, & ab eodem tolli nequeat, absque subtiliori artificio, non est tamen illi essentialis ut altera, ideoque diversimodè sine penitentioris seminis amissione separabilis, atque ex hâc potissimùm volatilitatis ipsius, & fluxibilitas pendet, non ex alia penitiori recessu mistionis inclusa, hinc effectus admirandus, quem alio nostro Tractatu de Liquore Alchaest Paracelsi cum Helmontio retulimus: liquor enim hic ab

hydrargyro

hydrargyro per ignem extractus ita illud figit, ut plumbi pati deinceps possit examen, cujus causa ab ipso non revelatam, dicimus prædictæ aquæ seu aëris ablationem esse; cùm cum liquor ille tenuissimus non interiorem ultimum penetret recessum, proximè tamen ad illum accedit, quo nulli alteri licet tenui corpori patet aditus, aquam prædictam aëream corpore tenus interpositam delet, & ita fixum redigit, quoniam illuc ingrediens, ulterior ingressus ad elementa spiritualia tenuiora inhibetur.

Hoc autem quod diximus verum esse manifestum huic quoque redditur, quod hidrargyron levi negotio, si non fixum, saltem consistens facilè reddatur multifariam, sed præsertim cùm super plumbi liquefacti vaporem suspenditur, statim namque liquiditatem deserit. Certum autem est vaporem illum profundam elementorum mistionem minimè pervadere, ideoque in idem hidrargyron plumbi ab eo detracto vapore iterum regreditur: Cùm ergo fluxibilitas tam leviter deperdatur, nullatenus interiori mistione variata, argumentum evidens est actualem fluxum hidrargyri non ex interiori essentia proficisci, sed ex extrinseca corporea conditione.

Hoc idem innotescit ex altero superiori capite proposito experimento de argento hidrargyri specie personato; ipsissimum enim argentum vivum quisque diceret, cùm tamen nil nisi argentum ab extraneo sibi adhærente hospite sic detentum sit hoc solùm discrimine, quod ab hoc levius quam ab argento vivo detrahatur: quod si mistionis interior compages dissolveretur, nulla deinceps in utroque proposito experimento spes supereesset novæ reparationis prioris misti, quinam fieri posset ut nova reproductio semel ablata resurgeret? Ne quis autem miretur, nos hic geminam in rebus mistionem recognoscere, alteram interiorem, & essentialem, quam spiritualem in Orthophysicorum opere nominamus; alteram exteriorem & accidentalem, quam corpoream nuncupamus, cum facile alterari possit, altera immutabili permanente, hoc modo liquescit argentum & hidrargyron aquis acribus, quas fortes & separationis aquas dicunt, ita ut aquea reddita videantur, cùm nihil penitus ex hujusmodi dissolutione sint passa, quantum ad essentialem & intrinsecam compositionem; aquis enim prædictis à metallis segregatis, metalla eadem prorsus ut prius apparent, sic pariter sal commune aqua elementali sic solvitur, ut in aquam migrasse credatur, cùm tamen igne pellitur in vaporem aqua, sal idem ut antea non mutatum reparatur. In his ergo similibusque dissolutionibus solum rerum corporeitas sive corporis ratio, status, atque conditio permutatur non interior mistionis quidditas; similiter & argentum vivum ob sui corporis rationem actu fluidum conspicitur, & idcircò corporis conditione, statuque mutato, mutatur & effectus, ab eo dependens.

Hinc pariter evenit ut metalla universa præter ferrum hidrargyri commistione speciem ac formam argenti vivi nanciscantur, licet unum magis quàm aliud, & huic inseparabilius, quam illi connectatur, commistionis fraude præsertim accident. At metalla sic dissoluta exteriorem adipiscuntur speciem hidrargyri, cùm tamen verè ac realiter non sint.

Dictum etiam est hydrargyron vulgari appellatione Mercurius ob astri sui patentis dignitatem, cui admirandas proprietates acceptas refert; hinc tertium ex principiis secundariis Mercurius est appellatum, propter rationes alibi allatas; ac vice versa hydrargyron mercurius nuncupatur, non tantùm ex genitore planeta, sed ex proportione ac similitudine, quam cum Mercurio principio participat, licet ab illo valde quoque distet ob seminis ipsimet soli specialem virtutem. Undè clarè liquet quàm stolidè hallucinentur qui credunt hoc metallum; vel aliud quodcunque mistum speciale suum semen habens aptam esse materiam sine alterius seminis potentioris interventu pro metallorum generatione. Cùm ergo Mercurium dicunt Scriptores nonnulli metallorum materiam, ejusdem proprietates, non corporalem materiam intellexere; sicuti cùm dicimus carnem materiam esse communem animantium, & signum stirpium, non intelligimus carnem aliquam communem esse, neque unam èx altera componi, sed proprietatum convenientia omnia dicimus ex carne fieri, & plantas ex ligno, cum singula singulas speciales materias requirant, prout ex vi seminis huc vel illuc ducuntur, placuit autem veteribus communem hanc metallorum materiam seu proprietates mercurii nomine insignire ob multas easque dignissimas rationes, sed specialiter eo quod in illo omnes colores observaverint, ut hinc in illo metalla cuncta existere prodiderint, & quod in ulteriorem perfectionem progredi queat, quamvis autem mercurialibus proprietatibus scateat, præsertim quia in igne non permaneat, nihilominus sulphuri quoque non minimùm proportionatur, cùm facilè per ignem inflammetur, ac sulphuri communi commisceatur, ex quibus sic multis per sublimationem cinnabaris factitia paratur, minus tamen sulphuri convenire indicatur ex eo, quòd minus hydrargyron quàm argentum per sulphur læditur, ex eadem namque cinnabari argento vivo segregato eadem ferè quantitas reassumitur, quæ fuit antea in compositione adhibita; sicut autem mercurialem sulphureamque naturam possidere constat; ita plurimum distat à salinola, & idcirco ferro quod cum sale maximam affinitatem habet nihil convenire observatur.

Ex prædictis verò duæ pulchræ quæstiones examinandæ exurgunt: Prima est; quare mercurius sulphuri adhæreat, & cum illo tantam convenientiam præ se ferat, cùm ex altera parte amicitiæ fœdus strictissimum cum auro junxisse videatur, nullum enim ex reliquis ita libenter auro connectitur ac Mercurius, cum tamen auro nihil necessitudinis cum sulphure intercedat. Cujus difficultatis dissolutio non difficilis existimabitur, si quæ superius dicta recolligamus. Duplex in mistis potissimum metallicis compositionis consideratio habetur, altera est mistionis elementorum in ipsorum profundo, quam spiritualem mistionem dicimus; Altera est corporis conditio & constitutio, multum autem refert hanc distinctionem mente firmiter retinere, tum in rerum naturalium cognitione, tum in medicis disciplinis, quamplurima enim invicem conveniunt ratione corporeæ affinitatis, quæ discordant ratione alterius penitioris mistionis: & vice versa plurima in hac conveniunt, quæ in ea dissonant, sic sal ab aqua, ac liquoribus aqueis dissolvitur, propter corpoream conditionem salis, ac propterea liquores prædicti ejusdem interiora minime permeãt, leviterq; segregantur, salq; remanet, quod prius fuerat; simili-

ſimiliterque aurum ab aqua regia nuncupata diſſolvitur in corpore, non autem in miſtione, nam perinde ab aqua diſſolvente, ſicut ſal ab aqua communi, ſic argentum ab hidrargyron à vulgari ſeparationis aqua, pleraque alia corpore tenus hoc modo connectuntur, ut poſtea facilè diſgregentur, ſic etiam metalla invicem, & media mineralia vocata, cùm tamen profundiora miſtionum ligamina intacta ſuperſint. Interim verò plura ſunt, quæ non tantum exteriori corporali cortice copulantur, ſed penitus in abditis penetralibus uniuntur, ut ex ambobus vel pluribus unum fiat nulla ratione amplius ſegregabile.

In genere autem animalium ac vegetantium infinita propemodum reperire eſt tali mutua counione liganda ſub liquorum ac vaporum forma; fermentatione præſertim intermedia, quo medio plurima fiunt unum. At in genere metallico ſimiles connexiones non ita promptæ contingunt, ob fortiſſimam interiorum miſtionum connexionem; quare ſubtiliori indagine inveſtiganda ſunt: quinimò propter gradus etiam innumeros, ſæpè contingit error, ut exiſtimentur duo, vel plura intimè juncta, quæ tamen facto periculo ſingula integra iterum reviviſcunt. Unam ex his maximè admirandam Chemiæ Profeſſores prædicant, in qua aurum mercuriali liquore occulto tali modo complicatur, ut cùm poſtea ritè ambo miſta cognoſcantur perenniter inſeparabilia maneant, nulloque ingeniorum ingenio disjungi poſſibile ſit, cùm tamen antea ſpecie penitus diſtantia forent.

Concordantia verò rerum, qua ſimul corporaliter conjunguntur conſideratur penes elementorum proportionem, generationis & compoſitionis modum, & præſertim ſubſtantiæ tenuitatem, quæ ex ignis majori vel minori quantitate pendet, hinc varii exoriuntur gradus ligaturæ, ut hinc quædam ad hunc, quædam ad alium pertingere tantùm poſſint, nec ultra terminum tranſire.

Aurum ergo intimè penetrari nequit à vulgi mercurio, niſi major accedat artis induſtria, ſed ſolum corpore tenus, quo tamen nequit contendere commune ſulphur, quod nihilominus mercurii corpus tangere valet, at intériorem miſtionem nequaquam. Sic oleum ſulphur diſſolvit, at non hidrargyron, ſic pariter in noſtris orthophyſicis demonſtravimus, inter principia rerum naturalium quædam eſſe invicem longè diſtantia, quæ ſimul conjungi minime valerent, niſi mediorum ope, quæ quia naturam extremorum in ſe continent, diſtantium principiorum conjugium moliuntur: hic igitur affinitatis gradus multiplex ut dictum in cauſa eſt, ut interiora corporum plus minuſve intimè petantur, & unum eo penetret, quo aliud penetrate nequit.

Inter elementa verò terra ob craſſitiem nihil eſt apta ſolvere, aqua mediocriter ad ſolutionem valet, non glaciata ſed fluida, magiſqūe in vaporem acta. Aër verò ob tenuitatem ſeſe rebus inſinuare aptior eſt. At ignis utpote ſpiritus, eſt univerſale rerum diſſolutivum, cujus potentiæ nihilominus plura plus minuſve reſiſtunt, ut inter cætera aurum, at de his alibi fuſius.

Altera diſcutienda quæſtio eſt de mercurii ſeu hidrargyri fluxibilitate, cùm enim omnia, quæ plurimum aquæ continent frigore glaciari obſerventur, ſolum argentum vivum, quod ab aquæ copia actu liquidum exiſtimatur regionibus ac tempeſtatibus frigidiſſimis nullatenus obdureſcit, admirationem itidem auget, quod videantur metalla cætera igne liquefacta non tantùm frigore, ſed in ipſomet igne aliquantiſper decreſcente ſtatim obdureſcere, cum hidrargyron nulla ratione frigore ſe congelari vel obdureſcere ſinat.

Credidere nonnulli id ex calore interiori proficiſci, quod à ratione minimè videri poſſet abſonum, cum eâ ratione aliqua videantur, ſic liquida frigoribus permanere, ut ardens aqua. At huic reſponſioni ſcrutatoris cauſarum mens acquieſcere nequit: aurum enim multò calidius eſt mercurio, cùm tamen non liqueſcat actu. Præterea mercurii calor interior tam arctè ligatus, ut corpoream mercurii fluxibilitatem extrinſecam nequeat attingere, ſicut ardens aquæ prædicta, ideóque facilè diſſolvitur, & in elementa per ignem rédigitur, quod mercurio non accidit, vulgare quoque ſulphur maximè calidum eſt interius, cùm tamen obduratum conſpiciatur.

Poſſet exiſtimare ex aëris copia mercurii liquiditatem oriri, ſolus enim aër fluidus eſt, nec quantumvis gelida conſtitutione glaciatur, nec id quidem immeritò ſapientiſſimi Creatoris judicio peractum exiſtimetur, cùm enim aër primum ſit propinquius & affinius ignis ſubjectum, ſi naturaliter, ut terra, vel accidentaliter ut aqua ex frigore in ſoliditatem abiret, difficulter admodum ab igne penetrari, eidemque connecti poſſet, hinc ardens aqua, tum quia ignis interior haud ſtrictè cohibetur, tum quia plurimo aëre abundat, qui ſedes eſt ignis, actu liquida manet. Verum hoc idem in argento vivo non eſt, quoniam aër non minus quàm ignis interiore miſtione conſtringitur, ut liquiditatem ſuam actualem parere, aut conſervare nequeat, imò ſulphur quod totum ferè nil aliud eſt, quàm aër, attamen liquidum non videtur.

Quare alterius ordinis apparet liquiditatem eſſe Mercurii, ac metallorum igne liqueſcentium: hæc enim per actualem ignem in fluxibilitate detinentur, ſed hidrargyron nec per actualem, nec per interiorem in miſtione ligatum liquidum reddit: ſola igitur corporeitas ipſius, ſive aër in ſuo corpore, uti ſuprà declaravimus interpoſitus ejuſdem fluxibilitatem producit; ideoque facilè illo aëre vel deleto, vel aliquo vapore ſicco conſtricto, ut in cinnabari ſublimato vulgari, vel in eo quod ſuper plumbum liqueſcens expoſitum fuerit, ac ſimilibus protinus hidrargyron liquiditatem amittit, nullam interim læſionem penitiori miſtione patiente.

Eſt autem fluxibilitas mercurii in genere mollitiei, idem enim eſt in metallis mollibus mollities, ac in mercurio liquiditas, eademque cauſa naſcitur mollities in iiſdem, unde in argento vivo liquiditas, quæ ſua eſt mollities gradu tantummodo differens à mollitie plumbi, quod ſi ulterius molle redderetur, flueret ut mercurius, & hic ſi paulò minus molleſceret, plumbi duritiem adipiſceretur.

Atque hic liquet non licere ex metallorum in igne fluxu, quamvis ſimilis argenti vivi fluxibilitati videatur, argumentari eorundem originem atque materiam ex mercurio eſſe, cùm unumquodque ſeorſim ſuam ſpecialem habeat materiam ex propria cujuſque ſeminis virtute procreatam.

Vocant nonnulli corpoream hanc conditionem ſuperficialem ad differentiam profundioris, quæ in intima miſtione jacet, quibus ſi per ſuperficialem non extima ſolum intelligatur cutis viſibilis,

visibilis, sed interior facile mobilis, & non reipsa; sed nomine tantummodò discrepent, non reluctabimur; licet aptiori vocabulo nominetur corporea constitutio seu dispositio, sicut à nobis sufficienter superius est declarata.

Unum hic summopere notandum præterire non possumus in sinceriorem philosophantium gratiam, ad argenti vivi naturam cognoscendam non minimum utilitatis præbens: scrutationis autem hujusce occasionem dat Geber, dum sic de mercurio loquitur: *Putarunt tamen aliqui non superfluam habere terram vel immunditiam, sed vanum est quod cogitaverunt, vidimus enim ipsum, &c.* quæ verba abstrusissima sunt, ac intellectu difficillima, imò falsa prorsus si superficialiter, ut verba sonare videntur, accipiantur, quamvis alioquin arcanum revelet pretiosum, ideoque à Gebero ejusmodi artificiosa locatione implicatum: innuitur enim ab ipso, non declaratur apertè, nec ita leviter exercetur, ut inquit, nec illud superficialiter insinuatum alicujus est momenti, sed aliud per illud indigitatum ac propterea non vanum judicari debet quod ab iis quos reprobat, asseritur, argentum scilicet vivum superfluam nullatenus habere terram, sicut nec aliquod aliorum, nec ipsius ratio quicquam roboris habet, id est quòd multæ sit leviditatis, alioquin plumbum plus terreæ fæculentiæ haberet, & adhuc magis ferrum, cùm tamen hæc & alia nihil superflui naturaliter contineant, post ipsorum ultimam purificationem, cum homogenea sint, & nihil superflui in illa natura indiderit.

Quare duplici ratione mistum hoc sub consideratione speculantium cadere potest, vel ratione suæ naturalis perfectionis, atque ita nihil in illo, sicut in cæteris, quæ non nutriuntur superfluitatis inveniri potest, vel ratione ulterius perfectionis, ad quã artificialiter deduci potest, atque sic verum erit aliquid in illo reperiri extranei, & hoc sic leviter retigisse atque intelligentibus indicasse sufficiat, licet ex præhabitis non pauca recolligi possint, ex quibus argẽti vivi natura & proprietates percipi valeant, quãtum ad Physicum, tum etiam, quantum ad Chimicum spectare videbitur, nec sine ratione cum Gebro, Cap. de Martis natura ad laudes Altissimi, qui illud creavit, convertetur ille, qui eas scrutari potuerit. Cujus auctoris verba hic recensere non erit à proposito nostro incongruum; sic igitur ille: Laudetur igitur benedictus & gloriosus Deus altissimus, qui creavit illud, deditque illi substantiam, & substantiæ proprietates, quas non contingit ex rebus ullam in natura possidere, ut in illa possit inveniri hæc perfectio per artificium aliquod, quod in illo invenimus potentia propinqua. Ipsum enim est, quod ignem superat, & ab igne non superatur, sed in illo admirabiliter requiescit, gaudens eo.

Postremò argentum vivum definiemus metallum album ex nimia sui mollitie fluidum omnium, præter aurum ponderosissimum, ab igne leviter evolans ex spirituali substantiæ astri Mercurii semine progenitum, ad ulteriorem perfectionem artificialiter ex propria natura ductibile.

CAP. VI.

De Cupri vel Aëris Natura atque Proprietatibus.

JAm notum esse potest propositæ doctrinæ fundamenta, Cuprum seu æs explanetâ Veneris, unde & Venus communiter nuncupari solet, originem suam sortiri, ideoque majoris perfectionis cæteris tribus subsequentibus metallis perhibetur, si perfectionem hanc ad aurum referamus, eò quod astrum ipsius iisdem potentius radios ad subterranea demittens, suam spiritualem vim generativam suæ fodinæ imprimit, unde cuprum, modo alias explicato gignitur.

In ipso autem terram superabundare inde constat, quod durius reliquis omnibus sit præter ferrum, ac difficile per ignem liquescat cum præcedente ignitione, ideoque & levius similiter invenitur, stanno ferroque exceptis: Terra enim superabundans ob crassitiem propriam densationem impedit; cùm è contra condensationem adjuvet aër ob substantiæ tenuitatem, liquescit tamen quod indicat, aquam in ejus mistione majorem vim possidere, quam in ferro. Cùm verò corpus ipsius (uti dictum est) terreum densari non valdè possit, aër continuationem supplet, & ideo raritatem parit. Dico autem aërem non in mistione profunda essentialiter ingredientem, sed aërem in corporeitate interpositum, quod opacitatem parere alibi ostendimus. Hinc fit ut facilè penetretur à sulphure & sulphureis, & per se solùm inflammetur, & calcinetur non difficulter. Ex colore verò ipsius videretur ignis in ejus mistione maximè prævalere; ignis tamen in eo profundus non est, sed superficialis, quod inde liquet, quia leviter de colore in colorem transit, præsertim per commista, ex arsenico namque albescit, per thutiam cadmiam, lapidem calaminarem, atque his congenera in citrinitatem commutatur: per aceti vaporem, ac uvarum acidos vinaceos pulchro virore suffunditur.

Quod vero hæc prædicta non in profundo cupro adhæreant, cognoscitur quia iisdem ab eo per ignem separatis, rursus in naturalem suum roborem redit, quare prædicti colores ex accidentali atque debili heterogeneorum adjunctione proficiscuntur. Ignis nihilominus in cupro tantus inesse nequit, quantus in auro, argento, hidrargyro & aliis, quod adversatur iis, quæ hactenus de cupro credita sunt, illud scilicet ex superabundanti calore creari. Vel enim hoc intelligitur de calore extrinseco æris mistionem non ingrediente, & hoc dici nequit, tum quia in mineris calor maximè debilis, teste Comite Bernardo Trevirensi, qui fodinas plures perlustraverat, tum quia metalla cuncta in eorum generationis exordiis cum humida sint, facillimè quoque exterminarentur per calorem aliquatenus mediocritatem excedentem: calor enim excedens corruptivus est, non generativus, si verò de calore intrinseco inter elementa ligato, nulla ratio afferri posse videtur, qua convincamur asserere calorem seu ignem cupri cæterorum calore majorem esse, sive mistionem sive vaporem & colorem illius fuerimus contemplati, mistio siquidem debilior est, saltem præcedentium trium, quæ omnium calculo minori calore prædita judicantur. Debilis vero mistio debilem caloris sive interioris sive exterioris actionem ostendit, quæcunque enim perfectioris mistionis observantur à calore saltem & instrumento perfectionem suam nanciscuntur; sine hoc enim attenuari elementa nequeunt, & nisi hæc ita sint, nunquam couniri simul intimè possunt.

Si saporem dein attendere velimus, ille in Physicis inquisitionibus nimis fallax Judex habebitur, quoniam ea sæpe calidiora creduntur, quæ validiorem instrumento gustus inferunt actionem, quod tamen non ex ignis quantitate superexcedente proveniet, sed ex debilitate, facilique resolutione

connexorum elementorum, hinc fit, ut auri quamvis calidiſſimi, quia reſolubile non eſt, calor comprehendi minimè poſſit. Et ècontra arſenicon vehementer adurit, quia leviter exolvetur, quinimò æris nullus fere ſapor percipitur, niſi per admiſta, vel per ignem in calcem redigatur; tunc autem ſapòr alteratur ita, ut nec ſolius cupri videatur, vel per ignem empireũ concipiens naturalem ſaporem invertit, ſpurius redditur; hinc diverſi ex cupro ſapores eliciuntur per artificium; interdum etiam dulces, quare admodum incertum erit judicium, quod ex cupri ſapore afferri poteſt. Viride quin etiam æs redditum ſaporem ſtipticum, & calcanthinum, quem ponticum vocant, præ ſe fert qui juxta medentum regulas frigoris eſſe perhibetur.

Ex colore tandem adhuc incertius judicium erit pro cupri calore, cum varietati maximè ſit obnoxius, & ſi quis æris color naturalis haberi debeat, viridis certè naturalior quam alius dicetur, cùm in hunc etiam ſponte vergat ac tendat; imò calchantum ex cupri corruptione proficiſcens viride conſpicitur: viriditas autem debilis potius caloris, & cruditatis indicium exiſtimatur, quam ſuperabundantis, ex quibus omnibus deficientis ignis quam ſuperabundantis conjecturam elucere fas erit.

Pars vero cupri colorativa ſuperficialis non in profundo contenta judicatur ex occulto liquore admirabili, qui ex cupri vitriolo totam diſcerpit viriditatem, cujus reſiduum in album metallum commutatur, nunquam impoſterum revireſcens, quod nullum ex ſeptem erit, ſed novum ex æris corruptione reſurgens.

Si vero cuprum ad principiorum ſecundatiorum examen ducamus, cum omnibus non mediocrem affinitatem habere cognoſcemus, extrinſecè tamen, ac ſuperficialiter cum ſulphure majorem analogiam, quam cum Mercurio potius, deinde cum ſale convenire patebit. Quo fit ut difficilius quam argentum liqueſcat in igne: at facilius evolet, ideoque nec plumbi trutinam ſuſtinere valet, ut illud: durius tamen cùm ſit difficiliuſque fluat, magis terreum ac ſalinoſum apparet.

Ex arſenici commiſtione corporeitas cupri variatur, ſiquidem comburitur quodammodo, ac in calcem redigitur, ideoque albeſcit quidem, ſed malleo frangitur, nec ut prius ductile permanet: per ſulphur vero potius nigricat eò quod ignis in ſulphure clauſus; dum exteriori flammâ comburitur, evaneſcit, & idcircò in carbonem quadantenus verſum nigrore cuprum inficit; ex lapide verò calaminari, tutiâ, & ſimilibus flaveſcit, unde aurichalcum (latonem vulgo nominant) paratur, hæc enim non ita ut arſenicon & ſulphur patiuntur ab igne, & propterea ſtabiliori nexu cum aëre complicantur, fulgoremque cupri potius auget quam imminuat, non ob aliam rationem niſi quia æs ſulphureorum vaporum actioni minus eſt obnoxium: ſicut enim ſulphureis inficitur & obtenebratur, ita mercurialibus prædictis defenditur: hinc aurichalcum ſplendorem obtinet ſtabiliorem, quam cuprum, ſi prius ambo expolita atque nitentia exiterint.

Cæterum æs plurimos uſus pro humanis neceſſitatibus exhibet, & in arte vitrorum diverſæ tum gemmæ finguntur, tum amauſa, quæ vitro-metalla vocari queunt, non tantum viriditatem præbentia, ſed & alios etiam colores cum aliis admiſtis producentia, de quibus Altiſſimo concedente ſpecialem tractationem mente multis jam ab hinc annis præconceptam promere intendimus.

Ex his ergo liquet Cuprum eſſe metallum Veneris Planetæ ſeminalibus radiis exortum cum ignitione fuſibile, rubrum, facileque vireſcens, ponderе, liquefactione, ſplendore, ductibilitate ſicut æſtimatione inter metalla medium, cementi ac cineritii examina refugiens.

CAP. VII.

De Stanno.

JAm ab initio aſſumpti ordinis ratio poſcit, ut Stannum in examen ducatur. Hoc vero Jovis appellatione vulgariter prænotatur, quamvis nonnulli album plumbum nuncupent, exiſtimantes à plumbo parum differre, uti Albertus, quinimo Geber cap. de Jovis eſſentia ſcribit alterutrum artificio in alterum commutari. Differt nihilominus ſtannum à plumbo quàm maximè, ſi proprietates utriuſque metalli acrius attendantur, non tantùm quę ſe produnt extrinſecus, quemadmodum ſunt liquefactio, fixio, ſplendor, color, odor, pondus, durities, ſonus & ductibilitas, ſed etiam quæ in ipſius operibus inveniuntur, uti ſunt ſtridor, calcinatio, in cæteris commiſtio, aliæque conſimiles. Ex quibus omnibus manifeſtè indicari poterit quam magnum inter utrumque diſcrimen interjaceat. Ex his enim omnibus penitioris eſſentiæ conditio intelligi poterit, ut hinc alterius in alterum tranſmutationem quocunque artificio, niſi alterutrius ſeminis virtute impoſſibilem argumentari liceat, non tamen aliquatenus invicem concordare negaverim, concordantiæ cujus rationem cæteris omnibus & ſingulis æque competere dignoſcitur. Stannum ergo virtute ſpirituali Jovis Planetæ tanquam ſemine corpus ſibi plaſmante procreatur in fodinis, ac propterea Jovis appellatione indigitari ſolitum eſt. Cùm autem hoc aſtrum diſtet à terra, & ſole, cujuslumine in ſua ſpirituali poteſtate juvatur magis quam cetera præter Saturnum, hinc fit ut præter hunc debilius metallum pariat; Diſtat quin etiam ſtannum à ſtanno ſanè non minimùm, Anglicum enim nobilius quàm Germanicum, aut aliud primo intuitu conſpicitur, ſiquidem argenti præſtantiam æmulari judicabitur, tametſi ab eo longiſſimè diſcrepet, Cauſa verò diſcriminis inter prædicta genera ſtanni multiplicitas eſt aliarum ſtellarum, quæ circa Jovis aſtrum obſervantur, à quibus debilior vis aut fortior emanare poteſt, quę tamen diverſitatem non ſpeciei, ſed accidentium duntaxat operetur.

Ut autem ipſius miſtionem intimius rimari poſſimus, operæ pretium eſt memoriâ repetere, quæ aliàs me probaſſe memini, duplicem nempe in miſtis compoſitionem inſpiciendam, alteram corpoream exteriorem, vel artificialem, interiorem alteram, quam Geber profundam vocat. Corporalis non difficulter mutari poteſt, cum ſal, aqua, ſeu metallum metallo admiſcetur, tunc enim apertè liquere poterit metallum extrinſecus ſolum eſſe ſolutum, interim ſoſpite & illæſa manente, quæ penitior eſt, ejuſdem compoſitione: hæc enim ſemel diſſoluta nulla ſpes reparationis ſuperſtes erit amplius, niſi forte per naturam ſolutio inſtituatur, cùm in ulteriorem prolificationem ſponte vel arte movetur. Hoc autem non perfunctoriè tranſeundum ſuadeo, cùm ſit conſideratio magni momenti, nec fas eſt ab extrinſecâ corporali compoſitione mutata interioris alterationem perpetuò inferre, ſicuti videre eſt in ſuperius allatis diſſolutionibus, in quibus

quibus dissolvente liquore à dissolutis remoto, nihil damni alteram intimius existentem sensisse observare licebit.

Stannum itaque sicut & cætera plurima utrique destructioni subjicitur multifariam, tum per adjuncta, tum etiam per varias super ipsum patratas operationes, quibus interdum ignari se aliquid præstitisse autumant; cùm tamen in veritate nihil. Multa quidem illi commiscentur intimius, atque ideo majorem illi alterationem inferunt, quibus nihilominus digregatis remanet, quod prius erat stannum, nisi facta fuerit aliqua mistionis interioris corruptio, tunc enim in aliud quid tertium abit, nec facile in priorem amissam formam revertitur. Multum ergo aëris seu aquei vaporis in sua corporali mistione interpositi habuisse dignoscitur, eò quod minimum habere ponderis experimur, & valdè minus quam plumbum, quod in cæteris stanno inferius est. Cùm enim plumbum auri dimidium, argenti par pondus, stannum tertiam tantummodò partem aurei ponderis æquet. Per calcinationem verò ipsius densatur substantia excluso aëre vel etiam halitu, atque sic pondus augetur; aquæ verò plurimum habere; Terræ parum inde conjicitur, non quia facilè igne liquescat, quod ei ex corporea humidiori mistione contingere potest, sed quod in fugam facilè vertatur, totum per sublimationem post calcinationem. Ex quo liquet in interiori quoque mistione, sive in radice ut Geber loquitur, plus aquæ obtinuisse quàm terræ, quod ex majori etiam albedine, quam sit in plumbo & ferro conjicitur, eamque etiam cæteris, quibus admiscetur, impertitur. Atque hinc non multum ignis illi adhæsisse liquet, alioquin non albo colore inficeretur, quamvis color ipsius lividus non nitidus sicut in argento apareat, In profundiori verò mistione aquam non valde terræ supereminere ac modicum aëris includi ex ipsius corporis raritate declaratur. Et idcircò parum quoque ignis inesse, & consequenter paucioribus rotationibus circumductum, unde debilem mistionem obtinuerit.

Mercurio præterea magis assimilari, quam sulphuri, aut sali, & idcirco calcinatione flammam non edit, licet sulphur aliquatenus redoleat. Hoc autem inde fit, quia cum raram habeat in corpore substantiam, facilè per ignem destruitur, & in secundaria principia transmutatur, quæ tamen priorem misti naturam, unde processerunt, redolent. Cùm verò primum quod separatur, sulphur sit, utpote levius ideo conditionem præfert in suarum substantiarum divisione. Nec quis credat has prædictas partes & substantias separatim præextitisse ante Jovis mistionem, ex quibus subinde processerit Jovis corporeitas, ut alioquin primâ fronte voluisse videtur Geber, qui non sic intelligi debet, sed quod existimaverit sic illius metalli essentias facilius inquirentibus insinuari. Naturæ siquidem opera quæcunque suas producet species, seu mavis individua specierum, non ex aliis prioribus mistis, post primam elementorum simplicium conjunctionem, ideoque unum ex uno, non ex pluribus naturaliter procedit, nisi fortè per accidens aliquid extraneum intermisceatur.

Stridet vero stannum, si dentibus comprimatur, cujus causa est ipsius prædicta substantiæ raritas cum aliquali mediocri mollitie, si enim durum rigidumque foret ut ferrum, haud comprimi posset. Si verò sic molle, ut facilè in se concideret, non sonum stridoris edere valeret, uti constat in globo laneo vel consimili, in quo stridor comprimenti nullus percipitur, qui tamen sensibilis est in serico, si colore ex charmesi infectus fuerit ob duritiem ex illius coloris siccitate provenientem. Ideoque plumbum tum quia mollius, tum quia densius comprectum minimè stridet; in calcinatione tamen exterior corporeitas mutatur. Per ignem enim calcinantem vapor aëreus excluditur reliquum attenuatur magis & densatur, ideoque stridorem tribus calcinationibus Gebro experiente deserit.

Ex hac eadem causa provenit ut argento æri que commistum eorundem auferat ductibilitatem, quod non pariter contingit auro, nec plumbo, quibus eorum corpoream mistionem non nimis invertit, eò quod aurum propter maximam densitatem non sinit per stannum rarefieri. Plumbum verò quanquam aliquatenus rarescat, non tamen eatenus ut ductibilitatem amittat cùm maximè sit humidum. Argentum verò atque cuprum, quia rariora sunt, ac propterea tinnula ac sonora ut propter admistionem stanni magis in substantia rarescant, & hinc sonora quoque magis redduntur, at ductibilitatem relinquunt. Propter eandem rationem stannum sonorum est, plus quam sit aurum, & plumbum, minus tamen quam argentum, cuprum, imò & ferrum. Ad sonoritatem verò multum quoque confert substantiæ durities, quoniam quæ mollia sunt, percutienti cedunt, in sese comprimuntur, atque ita resonare nequeunt.

Ex ejusdem corpotis compositione fit consimiliter, ut in igne diutius permanere nequeat, & multò minus in cementi examine ac cineritii, quamvis in plumbi probatione difficillimè recedat, & difficilius quidem, quàm cuprum, eò quod per substantiæ raritatem combibit metallorum corpora, ut ab iis leviter secerni minimè patiatur.

Ex prænarratis ergo colligitur stannum metallum esse per spiritum seminalem Jovis Planetæ prognatum, album, leve, fuscum, mediocriter purum molle non fixum, sine ignitione liquabili, stridens, mercurialibus proprietatibus insignitum æri & argento ductibilitatem auferens, nec in examinibus perfectorum consistens.

CAP. VIII.

De Plumbi natura & Proprietatibus.

SAturnus Planeta à solo & sole cæterorum Planetarum distantissimus, seminales influxus in terræ cuniculos projiciens, ibique materiam prædispositam cum cæteris naturæ suæ debitis circumstantiis inveniens, illam plasmat, ac dirigit, quousque in plumbum convertat, quod inde Saturni nomine Scriptoribus prænotari solet. Debiliorem quam cætera suprascripta metalla mistionem sortitum est, ex radiorum suorum nimis distantium debilitate, licet ponderosum valdè sentiatur, quod non ex perfectione mistionis procedit, sed quia multum aëris in ejus compositionem est ingressum, & consequenter plurimum ignis: aquæ verò minus, sed valdè minus terræ, quamvis aliqui crediderint ex pondere plurimum elementi ejusdem obtinuisse, at falsò uti superius ostensum est, cùm de pondere disceptavimus, quod hic repetere non est opus. Hinc factum est ut molle corpus obtinuerit, sicut argentum vivum, à cujus mollitie parum recedit. Ex mistionis verò debilitate fit ut in penitiores ipsius recessus facilè pertingere possimus, & ipsum vel solum, vel per adjuncta plus minusve destruere, quod de iis quæ fortiorem, magisque constrictam

mistionem

miſtionem habuerunt, non contingit. Ea ſiquidem difficilius in deſtructionem abeunt, & propterea facilius quam ſtannum calcinatur, & plurimum ſubſtantiæ deperit, quam plurima quin etiam inde parantur ob tractationis & apertionis facilitatem. Etenim in arte medicâ & chirurgicâ pharmaca in vitraria, vitrometalla & Amauſa, in pictoriâ colores atque in aliis conſimiliter innumera parantur ad humanas neceſſitates non parum conducentia, quemadmodum ſuperius innuimus. Et propterea in penultimâ cæterorũ metallorũ ſede ac pretio locatur.

De eodem verò Geber profundius quàm Albertum meminiſſe liquet, & quod hic mercurii proprietatibus minus quam ſulphuris exornatius ſcripſerit: at de ſubſtantia plurimum habuiſſe mercurii, ſulphuris minimum, eò quod eliquatum videatur argentum vivum, quaſi ex exteriori facie interioris eſſentiæ conditionem integrè haurire poſſimus. Aliud vero ſimilitudo eſt, aliud natura rerum, ut hinc Geber non immerito reprehendat eos, qui ex plumbi quibuſdam accidentibus ejuſdem perfectionem, & cum auro convenientiam argumentabantur, eò quod viderint, utrumque ponderoſum miſtum & non putreſcere. Verum quam maximè decipiuntur, eò quod ſulphuris naturam longè magis æmulatur, quam Mercurii, quod non ſolum ex præfata plumbi miſtione indicatur, ſed ex eo quod ſubdit Albertus, quia ipſius aliter atque ſulphuris halitus argenti vivi fluxilitatẽ tollit, & conſiſtere facit. Hic etiam eſt, ut ignitionem pati nequeat, ſicut ſulphur, quod non tantum eliquatur non ignitum, ſed ferro alioqui ignibili ſuperinjectum liquefactionem eidem tribuit, ſed ignitionem denegat: facilis enim in rebus quibuſcunque per ignem liquefactio non ex aquæ ſuperabundantia quomodocunque pendet, uti voluiſſe videtur Auctor quarti Meteor. tex. 1. ſive is Ariſtoteles, ſive Avicennas fuerit, ſed ex aquâ præcisè terram ſuperante, etiam ſi aër ſuper utrumque prævaleat. Oleum etenim, cera, pinguedo, in quibus aër copioſus exiſtit, terræ portio & aquæ valdè modica; quia tamen terra ſuperatur ab aqua admodum facilem liquefactionem produnt. Quod ſi terra aquæ ſuperemineat, liquefactio vel nulla penitus, vel difficillima erit, ut in lapidibus quibuſdam, & ferro; ſic pariter vulgare ſulphur, quod totum penè aëreum eſt, ac minimum aquæ continet, quia tamen terræ adhuc minimum cæterorum, facilem dat liquefactionem. Plumbum ergo pari modo licet aëreum valdè dixerim, ideoque ſulphureum; quia terræ poteſtas aquæ ſubjicitur facillimæ liquefactionis, at ſine præcedenti ignitione videtur.

Ex hac eadem causâ provenit ut pro examine argenti & auri in cineritio adhibeatur; cùm enim ſit facilius liquefactionis, reſolutionis, volatilitatis, dum per ignem evolat, ac ſecum cuprum & ſtannum, quamvis hoc difficilius ducit, auro, argento, quorum miſtionem interiorem pervadere nequit intactis reſidentibus.

Calcinatur autem multipliciter nec difficulter, eo quod facillimè aperiatur ob terræ paucitatem, quoniam aër ſine ſufficienti portione terræ diſſolventi cautè reſiſtere nequit, & hinc ſulphure vel arſenico, cum quibus non parum convenit, calcinatum ſublimatur in calorem rubicundum non nimis clarum, quinimo ſolum etiam in furno reverberationis continuo agitatum, in minium ſic vulgo dictum vertitur quod in vitriariorum furno horis duodecim decoctum in vitrum vertitur, at valde fluidum, nec operibus omnibus oportunum, ſi tamen tribus partibus minii, una Silicis vitrarii ſuperaddita fuerit, ex quo innumera conficiuntur amauſa diverſorum colorum, quæ nihilominus in plumbum, ut prius facili artificio redeunt, quia niſi ſeminalis vis interior penitus evicta moriatur, promptè ſibi corpus prius alteratum recudit, amiſſamque formam priorem induit. Sunt enim calcinationum modi non plumbi tantum, ſed reliquorum omnium calcinabilium multiplices, quibus alter altero magis in penitiora miſtorum penetrat, & ſeminales ſpiritus necat, qui ſi quãdo ſuperſtites non ex toto pereant, prorumpunt iterum in priores effectus, cui eis circumſtantiarum opportunitas exhibita fuerit, ſunt enim calcinationes nonnullæ, quæ plumbi exteriora duntaxat occupant, unde illud levius quoque alterant, ſicuti cum ſuper aceti vapores locatum ab iiſdem penetratur, calcinatur & in ceruſſam commutatur. Hinc eſt ut per calcinationem etiam multiplicem nitidius mimimè reddatur, quod in ſtanno non accidit, hoc enim etiã per argentum vivum pluries calcinatum nitidius ac ſolidius evadit, nihilominus in hoc ſtanno prævalet, quod leviori artificio propter cauſas ſuperius allatas in calcem tranſeat. Hoc tandem de plumbo reticendum non eſt, quod nonnullis non levis admirationis exiſtit, quod in quibuſdam ſuis calcinationibus augeatur ſenſibiliter in pondere, ut cùm ex ipſo minium conficitur, non ſolum per ignem non imminuitur, verum notabiliter augetur, quod inde contingit, quia per halitus igneos ex lignorum combuſtione ſulcitatos corpus ejuſdem penetratur & calcinando ſeu partes corporeas dividendo, ſic aperitur, ut prædicti vapores cum illo commiſceri, cohærere, & amiſſam corporeitatem rurſus aſſumere queant, unde & ponderis augmentum exurgit. Ex combuſtis verò fuligines corporis adhæſione condenſabiles, liquidò cognoſcere eſt in omnibus, quæ in domeſticis focis uruntur indies. Ex quibus non tantum aquei vapores, ſulphurei, mercurialeſque halitus; ſed lalinoſi quoque ac terreſtres elevantur, qui poſtodum in ſuperioribus camini conclavibus exſiccati, coagulatique reperiuntur. Hoc idem ſub dio exiſtens accidit, per diuturnas ſiquidem evaporationes quandam calcinationem ſuſcipit, & cum iiſdem ſibi connitis majorem corporeitatem acquirit, & hinc pondus.

Ex plumbi ſua ſic declarata temperie ſulphurea provenit, ut pro varia alteratione diverſos præferat ſapores, ad quandam dulcedinem vergentes omnes, quinimò & acres quoſdam liquores præſertim acidos, per ipſum dulceſcunt, dum ex iis interim quod mercuriale acidum adeſt ſeparat, ſibique adjungit.

Plumbi ſpecies juxta recentiores Riſemutum ſive plumbum cinereum exiſtimatur: non hinc tamen ſequitur metallorum ſpecies multiplicari, ſicut enim plumbum per aſtrum Saturni proditur in lucem, ita poterit per minores ſtellas eidem aſtro modo junctim modo ſejunctim adjacentes Gallileo Theleſcopio viſibiles, hæc plumbi ſpecies gigni, ſicut non dubio plures etiam miſtiones ſub terram condi, quæ fiant per debiliores aſtrorum inviſibilium influxus, uti de ſtanno diximus, cujus plures obſervantur ſpecies propter ſtellas mediceas à doctiſſimo Galileo primum inventas, & à ſereniſſimâ Mediceorum Proſapiâ hoc nomine inſignitas.

Plurima porrò de plumbo huc afferri potuiſſent, quæ tamen hujus loci propria minimè viſa ſunt, cùm ex dictis ſatis ſuperque natura plumbi & proprietates intelligi poſſint.

Reliquum ergò erit ut ſummatim omnia in definitione unâ colligantur. Plumbum igitur metallum eſt Saturni Planetæ ſeminali ſpiritu in terræ cuniculis genitum, imbecillis miſtionis, ſulphureum, lucidum, ponderoſum

ponderosum, volatile, molle, sine ignitione liquabile, mutum, cineritii examen reliquis omnibus minus tolerans.

CAP. IX.

De Ferri natura & Proprietatibus.

JAm reliquum est, ut ferri naturam præscriptâ methodo ut in aliis requiramus. Producitur autem hoc in suis fodinis seminali virtute substantiæ spiritualis Martis Planetæ, ex quo Martis nomine à Chemicæ professoribus præsignatur, si debitas præparationes in præjacéti materiâ invenerit, quas tamen facilè adesse inde liquet, quod ipsius generatio brevi tempore compleatur; siquidem perhibent in Ihea Insula post viginti quinque annos ita denuò jam exhaustas fodinas repleri, ac si nihil inde metalli fuerit extractum, quod signum est ipsius corpus non multis circulationibus agitatum ac circumductum, ideo que terram in eo prædominari, aquam verò paucam inesse, & aëris licet non modicum in exteriori corporea mistione, interitus tamen parum aëris, & consequenter ignis. Hinc inter frigida numerari consueverit, ex quâ commistione ponderis carentia procedit, cæteris enim omnibus ponderat minus juxta Gastonis Clavei probationem, tertiam namque partem ponderis auri solummodò æquare scribit in Apologiâ adversus Thomam Crastum: licet enim ex terra salis naturam participare dignoscatur, attamen cùm aër ex aquæ defectu non fuerit nimis in gyrum circumactus, non potuit multum densari, & idcircò debilis mistionis remansit, tametsi ex terrâ duritiem ac soliditatem sit nactum: ex quo factum est etiam ut valdè sonans percipiatur. Salinosum ergo apparet, & consequenter ex propriâ naturâ maximè fixum, at quia rarum & spongiosum, dissolutioni fortiter non valet resistere. Aliud enim est volatile seu fugitivum ab igne propter mistionis elementorum proportionem; aliud verò propter partium ex dissolutione resultantium proprietatem. Argentum enim vivum volatile est ex propriâ naturâ, at quia non resolubile ex mistione ex utroque capite, sicut aurum fixũ. Vulgare sulphur è contra licet non debilis mistionis esse dignoscitur, quod etiam per ignem exustum non in elementa, sed in oleosum mercurialem liquorem abeat, & ob terræ super aquam dominium fixum esse debuisset; quia tamen ob aëris copiã ignis dissolutioni est obnoxium, inter volatilia collocatur; ita similiter ferrum ex proportione mistionis elementorum igni adversati debuisset, cùm in eo terra prævaleat, super aquam, quia tamen propter aëris interlusi copiam ignem facilè dissolventem admittit, volatile secundum partes redditur. Ex prædicto aëre sic interpositio in ferri corporali mistione, fit etiam ut sanè comburatur, & in scoriam abeat. A sulphure consimiliter & arsenico penetratur, ut inde liquefactionem adipiscatur, tunc autem ignibile non erit amplius. Hinc etiam est, ut à pinguibus, uti sunt sævum, pix & similia, teste Alberto aperiatur, ut stanno ingressum præbeat, per quod etiam frangibile mox reperitur. Ex aquæ paucitate difficilis tractationis existit, nec liquescit propriè, & vera fusione ut reliqua, verùm igne valida mollescit, malleoque se duci sinit. Ex corporeis ejusdem spongiositate fit, ut sonorum sentiatur magis quàm stannum, quia illo durius est, at illo obscurius, licet expolitum, splendida satis albedine niteat, quæ tamen alteratur ex aëris exhalationibus, præsertim sulphureis, hinc est ut odoribus ac fœtoribus, sicut & alia præter aurum maximè lædatur & in fuscam nigredinem, persæpè in rubiginem ducatur. Quapropter innumeris rationibus calcinationi subjicitur, tum solum, tum per adjuncta quamplurima, sicca, & fluida, imò & aërem ipsum, si præsertim is halilitibus abundet, ut totum ferè in scoriam transeat, unde in sal & atramentum seu vitriolum nigrore inficiens commutatur, & plures etiam inde medicinæ pro humani corporis ægritudinibus abigendis parantur. Sæpè nihilominus juxta interiorem compositionis mistionem incorruptum reperitur, ut facilè in priorem formam redeat, ut cæteris plus minusve contingere solet, tametsi hoc facilius, quàm cætera prænarrata, & quod iis omnibus promptius in suis penetralibus aperiatur, quoniam pro cujusque metalli majori vel minori in intima penetrationis facilitate, aut difficultate facilius, vel difficilius seminis interioris vis extinguitur, ideoque ferrum, eò quod sit ejusmodi, facillimè destruitur, ut essentialis natura penitus intermoriatur.

Sicut ex adverso aurum ex oppositâ causâ per quascunque operationes super ipsum expertas, nil penitus detrimenti sentit, in abditis quantumcunque in exteriori corporis materiâ funditus devastatum, eversumque videatur. Ex omnibus enim idem subinde resurgit, ut prius illæsum omnino.

Cætera verò metalla prout magis minusve auri vel ferri naturæ approximant, sic pariter ex formæ exterioris corruptione seminis in profundo existentis internecioni reperiuntur obnoxia.

Cæterum ferrum à Chalybe nullatenus differre sciatur, nisi quod hic magis per artem sit elaboratus, & in puriorem nitorem deductus, & idcirco dẽsior, & paulò plus plonderis, quam rude ferrum possidet. Hujus verò metalli durities tantam mortalium necessitatibus utilitatem exhibet, ut sine ipso non tantum incommodè, sed nec illorum vita diutius trahi prorsus potuisse videatur. Nulla enim ars est quæ sine instrumentis ex ferro petitis exerceri valeat, tametsi sceleſtorum hominum paucitas ferri beneficio in sui ipsius perniciem sæpenumerò abuti soleat.

Unum in calce hujus capitis non vulgari adnotatione dignum haud prætermissum velim, cui ansam dat Geber, dum Capite de Marte asserit illud esse rubedinis tinctura de facili, sunt enim qui putent hanc rubedinis tincturam debere illic intelligi rubeum elixir metalla cætera in aurum transmutans, & quod vulgare ferrum Arabs ille doctissimus intellexerit, ita namque nonnulli decoctores autumant, cum ex philosophorum turba, aliisque primæ notæ scriptoribus audiant sublimioris Chemicæ artis labor vocari opus martis, quod idem voluisse videtur, at perperam Joannes Bracescus in mystico suo libello, cui titulũ fecit lignum vitæ, nihil enim minus Auctorem illum, ac reliquos Chemiæ professores quisque voluisse sciat, quam vulgare ferrum arcanum illud opus pretiosissimum exigere. At mos est Auctoribus iis admodum usitatus, ut digniora, momentique majoris artis opera sub ejusmodi locutionum involucris tegant & occultent, ne impii innotescant; ac simul interim peritioribus quid velint, exprimant: non enim verbis utuntur quibuscunque, sed quæ similitudinem, convenientiam, proportionem & analogiam admirabilem habeant cum re, quam revelare nituntur, sic itaque intelligunt, cum metalla cuncta ex una prima radice pendere scribãt, quâ enim ratione hoc verum erit, si de metallis vulgaribus hoc interpretari quisque velit? nam perinde esset, ac si diceretur, animalia cuncta vel plantas universas ex unâ primâ & immediatâ radice proficisci

ciſci, quod ſuperius falſum penitus eſſe demonſtratum eſt ſufficienter. Verum cum in operatione colores plurimi ſeſe prodant cum metallis proportionem habentes & ſubjecta materia una, unica ſimplex & ſingularis, jure optimo dicuntur omnia metalla ex una radice oriri, metalla ſubintellige phyſicochemica non vulgaria. Geber itaque ſcribens materiâ chemicam martialem ſemel naturam allumere, atq; tunc rubedinis eſſe tincturam, de ferro ea verba protulit, quod tamen de chemico, non de vulgari, eſt intelligendum. Hinc eſt ut non facilè quis auctoritate ſcriptorum uti poſſit in probationibus & argumentis, niſi prius optimè perpenderit de quibus metallis ii locuti ſint. Igitur propter hanc eandem rationem cum materia phyſicochemica arduæ admodum ac difficillimæ fuſionis, ſeu diviſionis inveniatur ſine qua tamen nequaquam opus perfici, nec ad finale complementum deduci poterit, opus martis vocarunt eſt. Mars enim ſive dixeris ferrum difficulter tractatur, ſolvitur, ac funditur: Chemicum enim opus eandem, imo valde majorem difficultatem in ſui tractatione, fuſione, diviſione, vel ſolutione experitur, in ſolutione verò, quæ totius artificii caput eſt, & principium univerſæ operationis cardo vertitur. Præterea cùm idem vulgare ferrum diverſimodè calcinatum, diverſos præ ſe ferat colores, rubrum præſertim, flavum & viridem, ut in ſubjectæ phyſicochemicæ materiæ ſolutione per expertum artificem ingeniosè tractatæ inſpiciuntur. Hinc ſimiliter imperitiores ex ferro, ſeu ferri ſcoriâ & excremento Elixir illud pretioſiſſimum deſumi crediderunt, quod totum erroneum ac impoſſibile proſus exiſtit, myſticæ ſolum à poſſeſſoribus artis prolatum ob incredibilem occultæ veritatis cum literali falſitate ſimilitudinem. De quo tamen in aliis noſtris de hac re tractatibus fuſius atque clarius ſcribitur.

Ex prædictis omnibus ferri definitionem haurire convenit, metallum nempe eſſe ſidere martis parente, in ſubterraneis ſoliis conceptum, & partum impurum, igne non fuſibile, ex propria natura fixum, ſalinoſum, durum, ſonorum, livida albedine tinctum, leve, ratum, per ignem facilè diſſolubile, malleo ductibile, examen cineritii non ſufferens.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER IV.

De Metallicis ſeu mediis Mineralibus.

LIcet ex eis quæ ſuperioribus libris declarata ſunt de metallis, metallorum ſeu mineralium, quæ media vocantur, etiam natura recolligi potuiſſet; attamen cum eorum in ſpeciali examinatio plurimum mihi viſa ſit conducere ad perfectiorem miſtorum omnium cognitionem, non erat hæc tractatio ullatenus omittenda. Ideoque ſcriptores, qui de metallis egerunt, de mediis quoque inquiſitionem tradiderunt, media namque dicta fuere, quod naturam extremorum participent. Extrema verò ſunt in genere ſubterraneorum, & foſſilium, lapides & metalla, inter quæ ſunt media prædicta: mihi verò quia non ſic exiſtimatur horum metallorum, ſeu mineralium eſſentia, idcircò nec nomine mediorum utendum erit in præſentia, niſi quantum ad ſtudioſorum ſpectare cognoſcatur intelligentiam. Rerum etenim differentiæ tradendæ ſunt, quæ majus inter ea diſcrimen oſtendant, ut diſtinctiori & clariori methodo procedatur. Non videtur autem ſufficiens diſtinctio metallorum à mediis vocatis, quod illa liqueſcant igne, vel ponderoſa ſint, vel colorata, vel aliâ quavis proprietate dotata, quam hæc; niſi forte dicatur eſſe ductibilitas, quæ tamen inſufficienter pariter cognoſcitur ex eo, quòd hæc ſit corporalis quædam metallorum proprietas exterior, & accidentalis ex interiori eſſentia minimè profluens, ideoque facile ſeparabilis, quod inde clare liquet, cùm videlicet metallum metallo adjungitur, ut æs ac ſtannum, cujus quoque odore, ut ajunt levi nempe halitus ipſius contactu metalla pleraque ductibilitatem amittunt.

Quamobrem cùm proprietates ejuſmodi vel facile immutentur, vel etiam mediis vocatis competant, non ſufficiens erit ratio diſtinctionis extremorum participatio, nec per conſequens nomen hoc mediorum. Diverſa ergo methodo nobis procedendum erit in mineralium & metallicorum examine. Cùm enim elementa prima principia corporea ſint, unde cuncta naturaliter cõponuntur per cauſas effectrices, qui ſpiritus aſtrales ſunt, & hæc non immediatè ad metalla ducantur, ſed per ſecundaria principia, quæ magnam habent latitudinem, unde miſta primo meteorologica procedunt, quorum terminus eſt cùm per ignem univerſalem miſtionum omnium rectorem ſufficienter præparata diſpoſitaque ſunt ad ſpiritum Aſtralium, quæ ſemina ſunt functiones incipiendas: Tunc enim terminus alter incipit, in quo ſpecificæ proprietates in materiam prædictam induntur, nec id fieri poteſt in inſtanti, ſed per gradus, cùm natura non per ſaltus procedat, ſed per omne poſſibile medium, quouſque ad metam perveniat prædeſtinatæ ab initio perfectionis; in qua ubi actio ceſſat, & miſtum quieſcit. De gradibus ergo in quibus ignis tanquam miſtionis gubernator & dominator elementa tuo nutu dirigit hîc non eſt differendum, cùm illi pertineant ad meteorologicas miſtiones. Metallica ergo de quibus in præſentia, ſunt ipſamet metalla, ſed inchoata non à primis initiis, neque in ſuis finibus completa, ſed ab eo tempore, quo ſeminales cauſæ materiam ſubjectam plaſmare cœperunt, atque adeo mediorum nomine congruâ ratione inſigniuntur. In quibus gradibus jam notum eſt, plures abortivos fœtus in lucem prodire poſſe; ſi enim ex accidenti miſtum illud in curſu ſiſtatur, tunc metallicum non metallum fiet; nec id ſolum, ſed in tali curſu natura ſæpius unum cum altero confundit, & ſæpè cum pluribus quæ cùm nondum conſtricta ſint, facilè in radicibus miſceri poſſunt, ut non abortivi fœtus, ſed monſtruoſi enaſcantur, quæ cùm in multiplici differentia eſſe non poſſint, non mirum erit, ſi horum metallicorum miſtorum innumeræ ſpecies conſpiciantur, quas omnes exquirere impoſſibile eſſet. Verum nos de notioribus & communioribus diſcuſſionem habituri ſumus, ut hæc tractatio ſuis numeris abſoluta, quantum per nos licuerit, habeatur.

CAP. I.

De Sulphure vulgari & ſulphureis.

QUæ de ſulphure principio ſecundario propoſita fuere, hîc translata claram exhibere poſſunt de ſulphure vulgari notitiam: non enim abſque ratione hoc miſtum ſulphuris nomine indigitatum eſt à Scriptoribus, qui priores hac appellatione uſi ſunt, quamvis hoc ab illo non minimum diſſet, quoniam hoc non in via eſt ad ulteriorẽ miſtionis perfectionem, ſed in ultimo ſuæ perfectionis termino locatum, ita ut naturaliter ulterius progredi nequeat. At principium ſecundarium, ſulphur dictum in via

eſt

est ad majorem perfectionem tendens, nisi ex accidenti impertinenter occurrente prohibeatur.

Si enim vapores salinosi, ac exhalantes fumi alterius generis intermisceantur, à directo cursu exorbitans ad aliud compositum quasi violenter ducitur atque interdum à priori, ad quem vergebat, fine sic distrahitur, ut in aliam diversam speciem commutetur. Atque hinc plurima fiunt non tantùm sulphurea mista subterranea, sed etiam mercurialia, & salinosa redduntur-ea, quæ ab initio sulphurea erant. Principiorum namque secundariorum hoc proprium est, ut invicem facillimè transmutentur.

Cùm enim ipsa sint media, per quæ transeunt elementa in primordiali mutua permistione; ac nondum stricto ligamine connexa per additionem alterius elementi, vel per subtractionem ejus, quod ab initio dominabatur in aliud proximum convertitur. Horum omnium mistionum gradus & puncta quasi oculis ipsis subjecta tradidimus per figuram in circulo triangularem in nostris Orthophysicis.

Sulphur ergo vulgare non principium est secundarium, sed illi pluri nùm affinitate conveniens; ad mercurium enim aliquatenus vergit, & sal magis tamen ad mercurium, quod inde patet, quia sublimatione in vasis aptis ascendit; quod signum est aquam per terram inferius sisti non posse, sicut alioqui debuisset, si talis natura in eo prævaleret: & quamvis & minima aquæ portio contineatur, ideoque nec distillatione ex ipso quicquam humoris proficitur, totum enim ferè aër est condensatus. Tantum igitur aquæ terræque in ejus compositionem ingressus est; quantum ad stabilem fortemque mistionem opus fuerat. Ignis verò plurimum includit, sine hoc enim adeò strictam elementorum ligaturam hanc obtinuisset. Alibi verò demonstratum est aërem proprium, immediatum, & magis amicum ignis domicilium, indeque magnum ipsius pondus exoritur. Aër enim sicut in proprio ac naturali statu levitatem subjecto inexistenti tribuit, ita cùm densatur, pondus acquirit, quod patet in aqua quæ liquida vel glaciata ponderosa est, in vaporem adacta levis. Hoc pariter & in mistis animadvertere licet. Hydrargyron liquidum gravissimum ignis actione rarescit, ac leve redditur, rursusque refrigeratum in priorem densitatem redit, a nullamque gravitatem recuperat. Ex quibus clarè liquet, levitatem ac pondus accidentaliter corporibus inesse ideoque separabile. Hinc aër ex mistione densatus pondus infert, sicut ex adverso terra mistione rarescens, levis efficitur.

Quòd verò sulphur totum penè sit aër, non inde solùm declaratur, quòd ex eo per destillationem aqua prolici nequeat, sicut ex mistis omnibus igne dissolubilibus; sive ea sint animalia, sive vegetantia tantùm, seu fossilia. At ex sulphure licet igne dissolubili aquam distillari est impossibile. Verum etiam ex eo, quod facile ignem concipiat, quicquid enim terram vel aquam in mistione prædominantem habet, flammam non concipit. At sulphur carbone quoque ignito absque ulla flamma illico flammam exhibet; proprium enim aëris est ignem, seu lucem in instanti suscipere.

Quod si Helmontius aquam vitæ objiciat oleosam totam ardentem, licèt ferè tota vertatur in aquam elementalem ex tactu salis tartari, ut scil. hinc ostendat mistum quodcunq; ex aqua tantummodò constare seminibus in varias species efformata, id nobis non adversatur, tum quoniam aqua, quæ in ardenti liquore non dominabatur, ejusmodi salis contactu segregatur quodammodo; sal enim aquam imbibit, ut hinc primo distillatione ardens spiritus priore potentior expellatur, & postmodum aqua sincerior insipida sequatur; tum etiam, quia probari adhuc nequit, aërem non fuisse hoc modo partim insensibiliter exclusum, partimque in spiritu prolicito condensatum iri; nec tamen aqua residua, quæ putatur elementaris, erit absque aëre terráque, tametsi aquam prævalere non inficias ierim.

In aqua igitur ardente aër dominium occupat, licet multum aquæ insit, dominium etenim non penes quantitatẽ existimari cõvenit, sed juxta proprietates & virtutes, quæ validiores debiliores ve sunt pro diversa millionis ratione spiritus interioris seminalis agentis & ignis. In mistis præterea elementa ponderare juxta quantitatẽ est impossibile: cùm enim probatum sit illa rarescere atque condensari, ut pro tali alteratione variari quoque pondus & molem quomodo poterunt in dissolutione illorum quantitates exactè ponderari? Igitur non ex materiæ quantitate sive in pondere, sive in mole singulorum dominium demetiri possumus, sed ex virtutibus & effectibus, qui utpote ex primis elementorum simplicium proprietatibus fluentes in mista derivantur. Cùm enim aër plus minusve densatur, molẽ amittit, sed acquirit pondus. Terra verò si rarescat, gravitatem amittit, sed molem valde majorem adipiscitur. Quamobrem non poterit ullatenus elementorũ superabundantia ex illorũ materiali quantitate cognosci, cùm quantitas considerari nequeat, nisi juxta pondus aut molem, quæ cùm in misto ex varia condensatione & rarefactione pendeat, atque passiones hæ suscipiant magis & minus, & innumerabiles gradus obtineant, nunquam consequenter quantitas haberi certa poterit. Cùm ergo dicitur in misto prædominari aliquod ex elementis non de quantitate ipsius intelligi poterit, ut cùm mistum ignem facilè corrumpit aëris dominium non juxta quantitatem imperceptibilem, argumentamur, sed juxta proprietatem illam aëris propriam, quæ est, ignem vel lucem illico in sinum admittere, & si aqua dominetur, necessariò mistum volatile reddit, quia hæc est aquæ proprietas, ut sine flamma fugiat ab igne, sic pariter si terra vincat cætera, necessariò mistum ab igne stabile reddat, cùm terræ proprietas sit ab igne non fugere, sed pertinaciter in ipso manere.

In sulphure itaque, ut etiam in aqua vitæ aërem supra cætera prævalere quis posset ex quantitate ipsius dimetiri? cum nec pondere, nec mensura, cum cæteris æquiparari queat. Posset quidem aër in sua natura per mensuram forsan quandam definiri, sed quomodo terræ eadem mensura comprehensæ proportionari posset? etsi terra ponderetur, quomodo ponderabimus aërem, & cum ipso terram proportione respondeat?

Ex eo igitur solum in his aëris dominium comprehendimus, quia per ignẽ flagrant, flagratio enim, ut in Orthophysicis probatum est, aëris proprietas est.

Sed consideratione dignius videtur, num scilicet sulphur à suo speciali semine producatur, uti cætera sunt mista specifica, & metalla præsertim. Num videlicet sit spiritus astralis, ex quo sulphuris generatio succedat, si enim sulphur semen suum habere dicatur, necessariò sequitur speciem à cæteris distinctam constituere, & sui generationem regularem obtinere, alioquin abortus esset alterius causæ generantis. Quod autem hic de sulphure dicimus, idem quoque debet intelligi de mercurialibus, & salinosis & quod hic determinabitur, de aliis quoque statuim esse intendimus; doctrina enim hæc ad duo reliqua intelligenda inserviet. Hæc autem consideratio à nemine hactenus mihi videtur discussa, cum tamen non levis momenti esse existimari debeat: ut

discrimen cognoscatur inter ea, quæ abortivam habent generationem, & alia quæ juxta naturæ ordinem & regulam producuntur, uti sunt metalla. In hoc autem potissimùm invicem differunt, quod ea quæ abortiva dicuntur, non habent stabilem ubique modum, nec easdem semper circumstantias, sed nunc hoc, nunc illo modo variantur secundum plus & minus: cujusmodi non sunt metalla, ubi supra satis probatum existimamus. At cùm hæc tria sæpè diversa inveniantur inter abortiva recensenda viderentur. Sulphuris enim species quamplurimæ sunt, non tantùm juxta colores discernendæ, sed etiam juxta plures alias proprietates & accidentia: non solùm in uno genere mistorum trium, sed in singulis: inter sulphurea namq; recensentur in genere metallicorum non tantum sulphura sic vulgò nuncupata, sed & bitumina, glagates, carbones fossiles, & quædam liquidiora, ut petroleum, naphtha, similesque id genus in subterraneis genitæ pinguedines. In vegetantibus olea itidem Resinæ, pices, & id genus quamplurima igne flagrantia, imò ligna ipsa sulphuris naturam ex proprietate magis participare videntur: sicut animalia Mercurii, & metallica Salis; in animali quoq; genere sunt oleabutyra, sæva, adipes, aliæque consimiles mistiones pingues, naturamq; sulphuris æmulantes.

Ex quibus argumentari licet non esse semen aliquod speciale sulfuris generativum, siquidem unius generis proprietates, principalesque præsertim non inveniuntur in duobus aliis generibus, ut metallorum, in vegetantibus & animalibus nec vegetantium in metallis & animalibus, nec animalium in illis. Sulphuris verò metallici principalis proprietas etiam in vegetantibus & animalibus cognoscitur, singula enim pari modo flagrant, & ignis flammâ dissolvuntur Verum nec abortus jure dici poterunt, fœtus enim abortivi sunt, quorum productio est à vi seminis exorbitante, cum totam materiam alio ducit, quam sit naturæ seminis intentio. At sulphurea prædicta sunt partes homogeneæ mistorum, à quibus disgregantur: quamvis negari nequeat à virtute seminis progigni quodammodò, quatenus virtute spirituali consimili gignantur. At virtus hæc seminalis ignis est, qui cùm sit universale agens, dispositivum, & præparator cujuscunque seminis specifici, cum materiam subjectam ad semen recipiendum disponit, illam vel in sulphuream, vel in mercurialem, vel in salinosam speciem redigit juxta elementi prædominantis rationem in mixto formando vel corrupti dissolutione. Quod ut clarius explicetur, & sulphuris vulgaris natura & generatio intelligatur, operæ pretium erit modum enucleare præcisè, quomodo id contingat, unde & quamplurima fossilia intelligi poterunt.

Ignis ergo qui tanquam instrumentum universale præparans, disponens ac digerens in subterraneis ut semina specierum in subjectam materiam suas proprias figuras, & speciales proprietates imprimere possint, eousq; in elementa operatur, quousq; in mistionem aliquam illa ducat, uti superius declaratum est, ubi de generatione metallorum in universali. Cùm verò elementa sic præparata sint, ut ad semen introducendum reddita sint idonea, tunc semen ipsum suas functiones exercere incipit, & ignis non ut principale agens, sed ut seminis minister & famulus mistum inchoatum perficit, quamobrem usque ad punctum quo semen suo nutu materiam dirigere potest, mistum nomine principiorum secundariorum indigitatur: est enim vel sulphur, vel mercurius, vel sal, pro diversitate proportionis elementi, ut dictum est, & tunc meteorum est, & facilè dissolubile, quod si hoc contingat in aëre, tunc necesse est ut ordine quodam procedat.

Primò enim fit sulphur, deinde mercurius, & postea sal: nam in aëre diversa ratio est, quam sit in subterraneis, ibi enim nec tanta copia terræ, atque aquæ inveniri potest, ut sufficere possit ad principia hæc secundaria inordinatè gignenda. Sicut in terræ specubus, ideoque in aëre sulphur densum solidum & compactum produci nequit, sicut nec etiam in aquis; requiritur enim major terræ abundantia, quam possit in aëre libero reperiri, & in aquâ.

In terræ verò cavernis, cum ignis mistionem præparaverit, ut jam spiritus seminalis debeat successivè mistionis residuum adimplere si non inveniat mistum suis necessitatibus opportunum juxta proportionem sibi naturaliter injunctam, ulterius progredi nequit, ignis tamè actio ab incepto itinere digestionis & mistionis non cessat, sed eò usque procedit, quousque mistum sit ita ligatum, terminatum & clausum, ut igni interiori operanti potestas prohibeatur, tunc mistum illud non erit meteorum, cùm non sit in via mistionis, sed sit jam finaliter completum juxta subjecti naturam, & circumstantias, quare nec principium erit secundarium, neque minus erit in aliquâ regulari specie à virtute seminali procedête, nec jure dicetur abortus, cùm sit in termino mistionis sic possibilis; neque minus monstrum, hoc enim sit à specifico semine á fine sibi naturę, lege, præscripto deviante, neque spurius conceptus, cò quod non sit à seminalibus spiritibus specie differentibus directus. Erit ergo productum quoddam ignis universale, & hujus generis sunt sulphur vulgare, & pleraq; alia sulphurea, mercurialia, & salinea; & sic innumera quoque generantur fossilia, in quibus nil prohibet quædam inesse seminum specialium rudimenta, eaque nonnulla eorum specimina præbuere, quia spiritus seminalis materiam quantùm potest, dirigit, cùm verò defectu alicujus necessariæ conditionis terminum attingere prædestinatum nequeat subjectum inficit quodammodò, non perficit; ideoq; mistum fit quodammodò abortivum, seu monstruosum, nisi quod ignis reliquum mistionis complet, usque ad stabilem ligaturam, seu connexionem, quod in homogeneis tantummodò metallicis accidit; in instrumentariis verò & organicis non similiter fierè potest, eò quod nunquam ignis est principale generationis directivum, sed in ipso statim exordio seminales virtutes generationem inchoant, in spermatibus & ovis, ac proinde si fiant abortus, vel monstra, sic remanent, nec ignis supplere valet, quadantenus defectum.

Hinc provenit ut tot sint genera sulphurum, & sulphureorũ: cùm enim inchoatur mistio per ignem in subterraneis, si fuerit in ea aër prædominans, sulphur quippe fiet, sed hic associari poterit vel aquæ abundantiori, vel terræ, & huic vel alteri semini, & hoc in pluribus diversisque admodum gradibus; sic fiunt sulphura diversorum colorum, & proprietatum plus minusve solida, vel fluida, & hâc ratione generantur olea, bitumina, carbones fossiles, ambaria pinguedinesque consimiles quamplurimæ, eo quod in iis sit terræ defectus, & nequeant ad sulphuris vulgi compactionem & soliditatem provenire.

Non dissimiliter evenit in plantis, quarum partes non tantùm pro necessitate seminis naturaliter, quam disgregatione partium artificialiter solutarum; nonnullæ enim naturam & proprietatem salis, aliæ mercurii, aliæ sulphuris liquido repræsentant. Sulphureæ sunt olea, resinæ, vel liquidiores vel solidiores, aliæq; consimiles succi pingues, plus minusve

concreti

concreti pro ratione subdominantis elementi : uti declaratum est ; quinimò & universa penè stirpium corpora sulphurea liquidò cernuntur, cùm facillimè ignem concipiant ; alterum tamen altero magis ob eandem rationem ; sicuti animalia mercurialem potius æmulantur compositionem ; & metallica salineam, ut in Orthophysicis satis est enarratum.

In animalibus quoque idem porrò accidit, ut tam ex naturâ, quàm ex arte plura sulphura, vel sulphuris mistionem æmulantia reperiantur, quemadmodum sunt oleosa quamplurima, pinguia, ut adeps, sevum, cera, excrementa nonnulla, suecique plures tum fluidi, tum concreti, uti notum est.

Unum tamen hic quam maximè notandum superaddere visum est, quod ad naturam non tantùm metallorum, sed omnium in universum compositorum corporum intelligentiam plene comprehendendam mirum in modum conferre crediderim, tota namque metallica Respubl. non divisim in partes dissecta considerari debet, sicut idem fieri nequit in singulis individuis stirpium & animalium, quorum cognitio non ex partibus invicem separatis habenda erit, sed ex omnibus simul junctis, ex quibus singulare individuum constat, cùm tamen partes nonnullæ sulphur, aliæ mercurium, vel sal præ se ferant, & pleræque aliæ quandam ex his mediocrem temperiem; sicpariter in universâ naturâ metallicâ succedit, hæc enim uti unica individualis compositio intelligi debet, quæ pluribus constet partibus similaribus sulphureis, mercurialibus salineis, vel ex his plùs minusve commistis. Ubi quoque cernantur stirpium radices, trunci, stipites, rami, folia, & flores cum suis corticibus, succis & excrementis cujuscunque generis metallicorum proportione respondentibus, quod idem dicèdum erit de animalium partibus tam utilibus quàm inutilibus. Tota ergo metallica congeries unicum erit individuum, in quo necesse est partes reperiri quamplurimas, ut in individuis duorum reliquorum generum, nulla enim ratio est, cur de uno diversimodè disputetur, quam de alio. Ex hac verò proportione cognoscetur, quam in omnibus natura similis, imò eadem esse velit juxta Pythagoræ monitum in aureis carminibus, sic enim ait: atque cognosces quâ fas est naturam in omni re similem. Quod autem diximus de corporeâ compositione, idem quoque dicere oportet de interiori seminali virtute à quâ corporea mistura, dirigitur, & quamvis in unico metallo unicum sufficiens sit semen ab unico Planetâ profluum, in totâ nihilominus mistione subterraneâ omnes operatas esse spirituales virtutes dicere rationi consonum ex, sicut in uno etiam speciali individuo stirpium, & animalium, in quo tot complicantur spiritualia semina, quot sunt effectus necessarii à seminibus procedentes, qui omnes in totâ metallicâ universitate dignosci poterunt. Quod si posset idem in individuo Plantarum & animalium perfici, quod in metallicis, ex iisdem effodi possent omnia seorsim, ac membratim, aurum nempe, argentum, ferrum, sulphur, lapides & reliqua cuncta etiam excrementitia, abortiva, & monstruosa suo modo illis respondentia. Non tamen in his par operatio permittitur, tum quia sine alimento degere nequeunt, nec simili generatione inchoantur, tum quia stabilem corporis ligaturam compactam, & solidam non obtinuerunt.

Ex prædictis omnibus sulphuris definitionem elicere non erit incongruum. Est ergo sulphur universale naturæ mistum homogeneum, ab igne vice seminis cum aëre dominante productum, per terram in ultimâ suâ densitate stabiliter constrictum, unde maximè ponderat, & facilè flagrat.

CAP. II.

De Mercurio & Mercurialibus, ut Arsenico, Auripigmento.

MErcurii nomen nimis æquivocum apud auctores inveniri, jam alibi in hoc tractatu sufficienter à nobis demòstratum esse credimus, à Chemistis potissimùm latissimè extensum observari licet, nec occultationis tantùm gratiâ plura hoc nomine indigitare illos voluisse quis putet ; sed potius è contra, ut per mercurii proprietates descriptarum rerum naturas doctioribus clarius insinuarent, eodemque actui ignaris arcani operis mysteria occultarent, cùm non liceat ea promiscuè, ac indistinctè omnibus offerre, hinc triplicem sæpè dixere mercurium, dum quamlibet prædicti operis partem, licet valde diversam, mercurium nuncupant, quanquam non ita propriè, cum uni convenientius aptetur, quam aliis, hoc tamen iis tantùm innotescit, qui praxis ordinem inspexere cæteris difficillimum, ne dicam absurdum existimari.

Primam enim partem non mercurii vocabulo, sed sulphuris explicare deceret, cùm materia tunc sulphuris potius, quàm mercurii proprietatibus induatur; etenim facilè inflammatur, unde & difficilius redditur opus, quod innuere voluit Bernardus Trevirensis in parabola, cum interroganti senex respondit plus in principio laboris, quam in fine sustineri, ex eo quod fons inflammetur.

Secundam verò partem cùm post regenerationem & puritatem in perfectiorem gradum producitur, mercurium appellare convenit, ob sui facilem volatilitatem, & aqueam, quam ostendit, speciem, quæ tanta est, ut perfectum etiam corpus secum in fugam trahere cognoscatur.

Tertiam denique salis appellationem potiùs meretur, quam Mercurii, cum igne stabiliter tunc permanere materia cernatur. At cùm subjectum unum ubique, idemq; mercuriale sit, quis non jure asserere queat, opus universum in singulis gradibus vocari mercurium? Hoc verò totum non ita vulgò per vivum existimetur, sed iis duntaxat cognitum, qui universæ praxis ordinem experimento tetigerunt, quinimò, & primam etiam prædictam in tres alias diversas particulas dissecant auctores, quas omnes mercurii nomine indigitare solent, cùm additione tamen aliquâ, ut unam ab aliis distinguant.

Quod ideo hic nos recensere voluimus, ut manifestum apertumq; fiat, quam sæpe nominibus abuti soleant Scriptores rerum metallicarum, ut non mirum sit, quam facilè quisque hallucinari possit, nisi prius ab hujusce vocis æquivocatione caverit.

Nos igitur hic Physicam primariò non Chemiant agentes distinctiori processu opus esse opinamur, ut metallicorum doctrina clarior studiosis omnibus habeatur, quare dicimus hoc Mercurii nomine, non argentum vivum vulgi (uti communiter solet) nos intelligere; hoc enim inter metalla superiori libro recensimus, quamvis mercurii titulo ob sui proprietates non immeritò appellatum fuerit. Non ergo poterit imperfectioribus mediis adnumerari, quanquam non est ad integrum complementum per naturam adactum, à metallorum tamen numero immerito sejùgi putamus ob rationes superius allatas; neque minus intelligi volumus principium secundarium hic in primo libro & alibi declaratum, at de mercurialibus cæteris, quæ finalem cursum absolverunt, atque ita per terram coaluêre, ut per naturam

ulterius progredi nequeant, ſicuti de ſulphure diximus, ac de ſale dicemus: cujuſmodi plurima ſunt, vel ab igne ut principali rectore producta, vel per ſeminales etiam virtutes à recto tramite aberrãtes, & abortivos monſtruoſos, aut quomodolibet extraneos, & excrementitios partus edentes, imò & artificialia nonnulla, ut ſal armoniacum, quod Mercurius dici potius, quàm ſal debuiſſet. Tunc verò cum mercuriali corpore ac natura nonnihil eriam ſeminalis vis, unde miſtum proceſſit, illuceſcet. Ita ſunt arſenicum, auripigmentum & id genus alia, quæ in metallorum purificatione ab igne fugiunt, ut cadmia, tutia, ſpodium, pompholix. Valde autem hic demiror Geberum & Albertum, qui eum ſectatus eſt, cùm ſcribant hæc duo ſulphuris ſpecies eſſe, ac inter ſulphura connumerent; à ſulphure tamen non parum diſtant, quamvis utrumque ab igne recedat, at ſulphur flagrat & comburitur, Arſenicum & auripigmentum nequaquam; ſulphur oleo diſſolvitur non aqua, at arſenicum è contrà aquâ non oleo. Quamobrem ratio, nobilius eſt inter mercurialia ſine combuſtione ab igne fugientia, quam inter ſulphurea arſenicum recenſere: ſicut & auripigmentum, ex quo aurum excoxit Caius Plinio teſtante, quod non credatur id ex tranſmutatione aliqua proceſſiſſe, ſed extractione, ideoq; diſcrimen rum ſenſit, ut idem ſubdit, eo quod ex multo auripigmenti pondere parum auri collegerit, tantum ſcilicet, quantum ibi deliteſcens in particulis & atomis inſenſibilibus diſperſum occludebatur. Non me tamen latet ſæpiſſimè Chemiſtas vocabulis communibus abutentes hoc nomine aliud quid occultius innuere voluiſſe, quam vulgare arſenicum, tametſi (uti pluries aperuimus) non abſq; ratione ſic fecerint, quod & Sibillam Chimicam nuncupatam ſimiliter egiſſe poterit obſervari in carmine, quod ex Græco Cardanus attulit, & interpretatus eſt; Cùm enim Sibilla ſub ænigmate protulerit eum fur ipſius ſapientiæ futurum participem, qui quod in ænigmate continebatur, aſſequi potuiſſet, nil aliud inde retrahi poſſe videtur, quam arſenicon, quod ad ſapientiam poſſidendam minimùm conferre, nemo non cognoſcit, quoniam Sibila uſum & morem ſophorum veterum ſequuta, arſenici nomen ſub ænigmate occultavit, & aliud quid eo nomine ſignificare præſumpſit, quod is paſſim inveniet, qui in Chemiſtarum libris evolvendis verſatus fuerit.

Nos verò in hoc tractatu, quem ad Orthophyſicorum libros adnectere volumus, ſincerâ fide ſcribere proteſtamur, exiſtimantes Chemicas obſcuritates inter Phyſicas diſcuſſiones inſerere minimè decere.

Arſenicum ergo idem eſt inter mercurialia, ſicut vulgare ſulphur inter ſulphurea, per ignem ſcilicet tanquam per principale agens in condenſationem ultimam ductum, & proportione quadam ſublimato, quod vocant, vulgari reſpondet, niſi quod illud artificiale hoc naturale compoſitum eſt, utrumque tamen venenum eſt, non ob aliam rationem, niſi quia plurimùm ignis contineat, qui cùm in ſubjecto ſit tenuiſſimo, ac humiditate diſſolubili, facilè ad ingenium redit, & liber juxta naturam ſuam comburit; ideoque ſi præſertim per os animalis aſſumatur, ventriculum & inteſtina rodendo corrumpit, & mortem infert.

Ex quibus liquet arſenicum nonnihil ſatis naturam participare ita, ut dici jure queat mercurius ſalinoſus, quemadmodum vulgare compoſitum ex argento vivo, & quibuſdam ſalibus, nitro videlicet, ſale communi & Chalchanto, quod ſublimatum vocant, quamvis hoc in vulgare hidrargyron non difficulter poſſit redigi: at non ſic evenit de arſenico, in quo majori connexione ligantur elementa.

Inter mercurios verò difficile eſt invenire nullum adeò compactum, & ſolidum, quod proportione reſpondeat vulgari ſulphuri, & ſali communi, præter argentum vivum fluidum, quod inter metalla collocavimus, eò quod non ſit compoſitum ſimpliciter ab igne, ut principali agente, ſed à ſemine ſpeciali ab altro Mercurii defluxo. Ratio verò quare mercurialia fluida penè omnia ſint, eſt, quia per elementum aquæ dominantis gignuntur, quod ſi debeant in ſoliditatem promoveri, id per majorem terræ portionem contingere neceſſe erit; unde ad naturam ſalis accedet, eòque magis, quò majori terræ dominio ſubjiciuntur, adeò ut mercurioſitate amiſsâ in ſalineam naturam totaliter commutentur, & mercurii ſalia fiant, ut infrà de ſale clariùs dicetur.

Quidquid ergo in altum per ignẽ tollitur, & ad acidum ſaporẽ vergit, inter mercurios collocabitur, cũ mercurii proprietatibus ſit inſignitũ, & in ſubterraneis quamplurima ſunt, quæ magnam tamen poſſident latitudinem, quamvis nonnulla quibuſdam ſeminalibus virtutibus tincta videantur, alia verò inter principia ſecũdaria mercurialia latius reponi debeant. Huc tamen omnia quodammodo pertinebunt, cùm in multis invicem conſentire appareant. Secundaria tamen principia mercurialia dicimus, quæ ignis actionem ultimam nondum paſſa fuêre, ſed in viâ ſunt, vel ad ulteriorem vi ſeminis alicujus perfectionem obtinendam, in quo differunt à meteoris, quod hæc non ſicut prædicta principia ad ſpecificam prolem eſſentialiter dirigantur, vel ab eádem recedendo ad elementa reſolvenda ſint. Præter hæc ſunt porrò alia quæ vi ſeminis ſpecialis ad complementum extremi termini pro diverſa ſeminis prædeſtinatione pervenêre, quantum quidem per naturam eſt poſſibile, cujuſmodi ſunt hydrargyron cõmune. Tertia demum ſpecies eſt mercuriorum qui nec in viâ prædictâ conſiſtunt, nec in termino ſpecifico jacent, per ſemen, ſed per ignem, uti de ſulphure dictum eſt, & de ſale dicetur. Inter plantas plurimi ſunt liquores ſucci acidi, & volatiles, ut eſt etiam acetum vulgare, quæ naturam poſſident mercurialem, vini quoque Tartarus mercurius eſt ſolidior, ideoque mercurius Salincus appellandus. Conſimiliter in animalibus obſervari licet, quorũ partes uti cerebra, ſpermata, ova, imò & excrementa quædam mercurii proprietatibus donantur. Quicquid autem in his reperitur, quod igne non utitur, mercurius eſt; ſalis enim fixi nihil habetur, licet aliter ſentiant aliqui.

Sicut autem ſal per aquam ſolvitur, ſic mercurius, & præſertim communis, per aërem, ſulphur per ignẽ. Quomodo verò mercurius aëre diſſolvatur, non eſt hujus loci diſſertatio, ſed in Orthochymicis quantum licet aperietur: eſt enim arcanum non ita vulgò proſtituendum, ne impiis, ſceleſtis, ac infidelibus Chriſtiani nominis hoſtibus pateat; & panis filiorum canibus degu ſtandus obtrudatur. Hoc innuere voluit Hermes in Tabulâ Smaragdinâ, ubi ſic ait: portavit illum ventus in ventre ſuo, ubi ventus interpretatur aër, cujus vis tanta eſt, ut aurum etiam vulgare, vel penè indiſſolubile unico hoc duntaxat aëre, ſeu vento diſſolvi ſe levi negotio patiatur, quod alio quovis medio aſſequi eſt prorſus impoſſibile.

Ex prædictis mercurii præfati definitionem hanc damus: mercurius eſt univerſale naturæ miſtum homogeneum ab igne pro ſemine cum aqua dominante productum. Per terram in ultimâ ſuâ poſſibili denſitate ſtabiliter conſtrictum, unde mediocriter ponderat, & ab igne ſine combuſtione fugit.

CAP.

CAP. III.

De Sale communi.

DE Sale in universum, ejusque nominis æquivocatione suprà disputavimus in primo Libro, cùm de principiis secundariis dictum fuit. At hic necessariò aliquid de illo dicere convenit, cùm sit unum ex iis, quæ metallorum cognitionem dilucidiorem possit reddere in quo etiam plurimum dubitatum est, tum de naturâ, tum etiam de generatione. Quod dictum est de sulphure, & mercurio, idem proportionaliter, & de sale debet intelligi, sal scilicet appellari, quicquid ex mistis in igne stabiliter permanet, nec in ipso comburitur, nec ab ipso recedit in fugam, quod additur, ut ab elemento terræ, unde proprietas hæc pendet distinguatur, ideo namque sal ignis ustioni resistit, quia in ipso non aër, nec aqua elementalis, sed terra dominium exercet, non tamen terra pura sal existimari debet, tum quia quandam in igne liquefactionem habet, quam sine aquâ terra obtinere nequit: dico autem terram in sui simplici ac sincerâ naturâ intellectu comprehensa, cùm ariditas quæ propriissimè terræ convenit, liquefactioni penitus adversetur.

Sapor ipsius quoque compositionem patenter ostendit, elementa siquidem in suo primordiali statu sinceritatis, sapida esse nequeunt, eo quod sensu ipso percipitur, quod quantò elementum magis ad puritatem accedit, tantò minus saporis est particeps. Cùm verò ab elementis tribus corporeis non fiat, necesse erit ab igne patrari saporem omnem: hic enim suo calore cùm dissolutus est comburit in suâ plenitudine, vel calefacit in suâ diminutione, at cùm inter elementa constringitur, quasi compedibus præligatur, ut exercere potestatem hanc non valeat, sicut nec aqua per mistionem madefacit. Quod si penitus occludatur, nihil illius sensu gustus comprehenditur, at cùm in Mediocritate quadam inter penitus occlusum ac dissolutum fuerit, tunc levem quandam combustionem exerit, & hæc sapor est, qui in aëris superabundantiâ amaror est. In aquæ dominio aciditas, & in terra salsedo; quod si quandam habeant elementa cum igne mediocritatem, dulcedo paritur, quæ omnia in Orthophysicis etiam ad oculum in suo schemate demonstrantur.

Nunc quæ ad salis compositionem pertinent, persequi oportet, in ipso enim non tantùm terram cum igne necesse est inesse, quoniam diu stabiliter illa duo ligata permanere non possent; quare aquam, etiam & aërem ibidem existere convenit, & præterea necessariò requiritur firma omnium dictorum elementorum compaginatio, quæ fieri nequit sine vaporosa omnium elevatione, nec unica sed pluribus circulationibus repetitis: perfecta siquidem mistio non fit, nisi vaporabiliter, alioquin facilè ab invicem disgregantur, & ideò lapides in igne valido plurimùm humiditatis amittunt, eo quod illa non sit cum terra, & reliquis pluribus rotationibus circumacta; sal verò difficulter, & igne vehementissimo suam humiditatem deserit, quæ acida sentitur, cùm non sit humiditas simplex, sed mista ex ipso sale prolecta per remotiorem terræ dominantis. Est enim transmutatio quædam salis in mercurium, in aciditate siquidem salis, non terra, ut prius, sed aquæ prævalet, at mista est non minus quam prius fuerit sub specie salis, tunc terrea & fixa, nunc acida & volatilis. Ex quibus apparet sal gigni non posse unico actu, eò quod non tam strictam elementorum connexionem obtinuisset, imò nec vaporabiliter tantummodò, sed spiritualiter: ignis enim ad sui naturam elementa suo nutu movet, digerit, attenuat, & in sui naturam spiritualem quadantenus redigit.

Cùm verò sal ineptum sit huic dictæ in altum sublimationi specie salis permanente, nisi hoc fiat possint generationem per aliena corpora illud violenter extollentia. At in generatione salis, cum elementum terræ dominium obtinere oporteat, non poterit ipsum sub specie salis extolli. Sal igitur in actu generationis nequit esse sal, sed postquam genitum est, & hinc nonnulli post sui creationem sal non amplius gigni putarunt, quod sal non conspiciant, nisi genitum, quia cùm generatur sal non est, & sal omne ab initio creationis tantùm fuisse productum, nullumq; deinceps per naturam fieri, quod tamen absurdum esse liquet, tum ratione, tum sensu; & ratione quidem, quia mista universa reliqua generantur & propagantur; ergo sal quoque à propagationis benedictione minimè prohiberi debet, nec ratio ulla erit, quare id non fiat. Ipsum porrò destrui potest, igitur & reparari. Per ignem similiter ad lucem venit, sicuti sulphur & mercurius. Cùm illa igitur duo generentur jugiter & sal consimiliter gigni necesse erit.

Sensu quoque observatur, quia pluribus in locis, unde sal effoditur, vel quomodocunque extrahitur, perenniter aliud novum succedit.

Quod verò sal per ignem, non per semen generationem suam possideat, liquet ex eo, quod ex universis naturæ mistis non minùs quam mercurius & sulphur artificialiter extrahi potest; hoc autem fieri haud potest, si à seminali virtute aliqua penderet: quoniam quæ à semine procedunt, suas obtinere proprietates impossibile est in abjecto subjecto, quàm in suo specifico, ubi seminalis potestas viget, ne confusio in speciebus oriatur: & hæc ratio etiam est, quare hæc tria nomine principiorum secundariorum insigniantur, quia in omnibus persistere universaliter inveniuntur, quamvis nihil impediat, posse in talibus etiam aliquid specificæ proprietatis elucescere, cùm enim diutius associatum specificis proprietatibus, illisque substratum fuerit, non poterit priorem naturam penitus exuere, & priorem non redolere virtutem; verum salis proprietates communes & primariæ in salibus omnibus à quocunque subjecto extracta fuerint, sentientur, & inprimis est fixio, salsedo, modica gravitas, compactio, & per aquam solutio.

Ut autem generatio salis dilucidior innotescat, necesse est huc referre, quæ alibi probata sunt, mistionem scil. quamcunque non promoveri, nisi per ignem, hunc verò actionem suam exercere immediatè in aërem, dein in aquam, & postea in terram: terra verò & aër nullam ab igne motionem sentire, quod sensu percipitur, sed solùm aquam, quæ per ignem attenuatur, rarescit, & in aërem tollitur, qui cùm in sua sphæra inveniatur, aquam in sinum recipit, sed illi dominatur, & per aërem in aquam inditur, tum quia igni convenientior aër est quam aqua, tum etiam quia ille copiosus aquam obruit, ac vincit, & hæc peregrina quodammodo est in aëris hospitio, & hinc sulphuris rudimenta meteorica fiunt; cùm verò aqua refrigerata rursus densetur, & in imum recidat, non solum aquæ alteri adjungitur, sed propter adeptam ex aëre & igne societatem, attenuata terræ portionem solvere apta evadit, quam secum aqua iterum calefacta deferens, sublimatur in aërem, atque inde major in misto aquæ quantitas adjungitur, quod repetitione aucta sit aqua prior, ut hinc reddatur mistum ex sulphureo mercuriale. Quod si iteratis circuitionibus sæpiùs ac sæpiùs

elevetur, & deprimatur, ſemper terræ aliquid ſolvitur & Mercurio conjungitur, quouſque terra ipſa in eo dominatur, ex qua productum conſtringitur, figitur, & elevationi ineptum redditur: atque tunc ſal effectum apparet, cùm antea in productionis curſu ſal non eſſet. Ex quo conſtat ſalis generationem non ex ſemine quodam ſpeciali pendere, ſed ab igne duntaxat, principaliter agente compleri.

Conſtat hinc etiam ſal in aëre, nec etiam in aquâ non fieri, ſed in terrâ, & ſi nihil impedit in utriſq; regionibus aëris & aquis reperiri, ſed alunde ex terrâ ſcilicet depromptum in qua ſalis generatio ſpecialiter exercetur, in mari verò tantum ineſt ſalſedinis, non quia ibi ſit genita, ſed per aquæ perennem alluvionem illuc adducitur, unde poſtmodum per aquæ maris exſiccationem multifariam retrahitur, ex quo itidem apparet ſalis productionem continuatim fieri, quoniam ſi ab initio tantummodo creationis ſemel foiſſet ſal creatum per tot ſecula aquarum ab alto cadentium, ac ſolum univerſum alluentium affluxum totum ſal in mare præceps ruiſſet, unde nonniſi rarò, & in modica portione in altum extollitur, ita juges fontes, cæteraque ſalis vomicæ hactenus conſervari minimè potuiſſent. Non tamen quis putet ordinem hunc ita eſſe inviolabilem, ut aliquoties inverti nequeat, quoniam ex defectu requiſitæ circumſtantiæ, vel quia deſit calor, vel ſuperabundet, vel aliquod ex elementis non ſit ſufficiens, vel locus fuerit ineptus, utpote clauſus, tunc patet ordinem præſcriptum poſſe plurimùm variari. Verum juxta rerum proprietates & naturas conſueto jure ſic diſponi rationi conſonum eſt. Ex quibus colligitur ſal miſtum eſſe perfectiſſimum, eò quòd difficulter in elementa remeare videatur, quod ſignum eſt in eo cõponentia, non corporaliter, ſed ſpiritualiter uniri, nec unico actu, ſed pluribus, quare ſalis productio non erit in inſtanti, ſicut quibuſdam creditum fuit, cùm in generationis progreſſu percipi nequeat, ſed ſolùm poſt ſui complementi terminum, quicquid enim gignitur, ſive animal, ſive planta, ſive metallum tenuiſſimum prius vaporem eſſe oportet. Sal verò ſub ſalis forma vapor eſſe nequit, cum ejus proprietati adverſetur, antequam ergo ſal ſit, ſulphur, & mercurium extitiſſe neceſſe eſt. Quod ſi videatur interdum ſal ſublimari, tunc violentiâ adjunctorum accidere conſtat, experimentis variis ac diverſis rerum ſublimandarum compoſitionibus per artem, quod naturaliter etiam fieri oportet, cum natura ab extremo ad extremum tangat omnem poſſibilem gradum, quare plurima ſunt ſalia ad mercurii naturam vel ſulphuris accedentia, & illa ſalia dicentur mercurialia, vel ſulphurea, ſicut vice versâ cum ſulphuris ſive mercurii proprietates excedunt ſulphur ſalineum vel mercurius ſalineus appellabitur, ut nomina rebus congruenter aptentur.

Ex præfatis igitur omnibus ſalis communis definitionem colligere decet, quod illud ſit univerſale naturæ miſtum homogeneum, ab igne loco ſeminis cum terra dominante productum, per quam etiam in ultimâ ſuâ denſitate conſtringitur, unde parum ponderat, & in igne ſtabiliter ſine combuſtione permanet.

CAP. IV.

De Atramentis, Alumine & Nitro.

QUanquam ex iis, quæ ſuperiori capite de ſale in communi declarata fuêre non ſit difficile, quæ de cæteris pariter ſalibus determinandum ſit, intelligere; attamen quia plurimæ ſunt non tantùm ſpecies, ſed genera ſalium, non abs re debebit exiſtimari, ſi nonnihil de ſalibus cæteris huc aff[illegible], ſicuti ſunt inprimis Atramenta cum ſuis ſpeciebus, miſii, chalcithis, ſorii, ac melanthmia, quæ per naturam & artem ex metallorum corruptione parantur, ac proinde eorundem ſubjectorum, unde deſumpta ſunt, plurimùm redolent. Hoc autem in metallicis potiſſimùm accidit ob eorum arctiſſimam ligaturam. Hinc forſan etiam fit, ut in animantibus, vel nihil, vel parùm ſalis fixi reperiatur, quia debilem admodum miſtionem ſunt nacta, ſicut mediocriter etiam accidit in plantis, ex quarum aliquibus plurimùm ſalis educitur, ex aliis verò plus minuſve, prout fortiorem aut debiliorem elementorum connexionem habuerunt, ideoque in his ſalia non inveniuntur ſenſibiliter ſaltem ſpecificas ſubjectorum proprietates retinere, quemadmodum in metallis, in quibus priorem miſtorum naturam ac ſeminalem virtutem prodi liquidò cernitur; per deſtructionem etenim non ita diſſolvi poſſunt eorum conſtricta ligamina, ut ſpirituales ſeminum poteſtates evanidæ amittantur. Hinc fiunt varia diverſaq; atramentorum genera, præter quam quod poſſunt, quin etiam inſimul componi, quod enim difficulter contingeret, cum eorum miſtio, licet valdè fortis, attamen quia ex corruptione proceſſerunt, jam ſunt quodammodò aperta, ideoque nullum cum alio commiſceri, quod non accidit in metallis, quæ non ita commiſcentur, quin unum ab altero per propria examina iterum ſegregari nequeat.

Et propter hanc rationem fit, ut ex auro nullum educi poſſit atramentum, vel vitriolum, quia deſtrui nullâ ratione nec per artem nec per naturam valet, licet in actu ſuę operationis non difficulter à fine deviare poſſit, & in corruptionem dilabi. Hunc exiſtimaverim produci lapidem, quem lazuli vocant, ex quo multum auri ſæpe colligitur. Productus autẽ eſt hic lapis ex aureo vapore nimis terreſtri, qualis ad auri perfectionẽ ineptus exiſtit, ac propterea citius coagulatus cõſtrictuſq; fuit, quàm per neceſſarias rotationes in perfectionis terminum adduci potuerit.

Quod quidem de reliquis omnibus accidere poteſt, ut pro majori vel minori elemẽtorum portione inepta reddatur miſtio, & in aliud terminetur, quàm fuerit ſeminis deſtinatio. Hinc tot foſſilium, quæ mineralia vulgò dicuntur ſpecies exoriri ſolent, & potiſſimùm ſalium, quæ arctiorem connexionem in miſtione habuerunt, quàm ſulphura, & mercurii, unde horum non tot ſunt formæ, quot ſalium.

Inter ſalia præterea recenſentur Alumen, & Nitrum: Alumen tamen quamvis inter ſalia jure adnumerari debeat, mercurii proprietates aliquatenus participare cognoſcitur, quare ſal mercuriale nuncupari poterit laxioris veruntamen compoſitionis, ideoque facilius per ignem in alias diſcerpitur ſubſtantias; at Nitrum plurimum ſulphureæ conditionis exerit, utrumq; tamen ex corruptione metallorum, ſeu metallicorum corporum excipitur, per naturam quidem ut dictum eſt, per artem verò cum metallica miſta per ignem calcinata diſſolvuntur, & in diverſas novaſq; abeunt ſpecies, plureſq; fodinæ, quas plus minuſve ad trium prædictorũ naturã accedere cognoſcuntur, ex proprietatibus ſingulis connaturalibus.

In omnibus verò ſalis generibus id porrò expedit animadvertere, quod præter miſtiones prædictas, quas ſuperius explanavimus tertium etiam genus eſt reſpectu elementi prædominantis in ſuperficiali corpore à miſtione, ita ut ſuperare poſſit aliquod ex tribus corporeis ſupra reliqua, quaſi excrementitia unde & nomen deſumat; ſi enim ſal reperiatur, quod plurimum

plurimum terræ contineat terreum appellari consuevit, si aquæ vel aëris multum, sal aqueum vel aëreum dicetur, sicut idem quoque dictum est. De sale accedente ad proprietates vel salis, vel mercurii, vel sulphuris, veluti sal commune salis naturam magis ostendit, quàm alumen vel Nitrum.

Chalcanthum verò, seu Atramentum sutorium, aut vitriolum, ejusque species omnes non ab elementis tantùm, & secundariis principiis nomina desument, sed à speciebus metallicis prioribus, ex quibus natura & proprietates suscepisse observantur. Neque id dictum velim, ut nominum tam exactam rationem habeamus, sed ut per nomina interiorum rerum essentias enucleatius cunctis manifestamus.

CAP. V.

De Pyrite & Marchasita.

PYritem qui ex igne nomen habere dicitur, quod ex eo duri corporis collisione ignis excutiatur, nunc breviter examinandum duximus: est autem veluti spuria quædam compositio ex pluribus, ac ferè immeris metallicorum speciebus, cui etiam & metalla inhærent. Cujus inditium apertum est, quod metalla singula singulos habeant pyrites. Dum enim metallica materia quæcunque ea sit in eâ reperitur ad perfectionem, si extraneum quid impertinens offendat, in pyritem quasi in corticem & excrementum commutatur. Quare veluti matrix est, & uterus metallorum: Cùm enim vapor per ignem erit in sublime delatus, ut inde metallum procreetur, pro varietate seminalis virtutis vapori conclusæ, non totus abire potest in prædestinati metalli complementum, tunc degenerat in spurias quasdam corruptiones diversis seminibus respondentes. Hinc provenit ut ex pyrite non tantùm aurum, argentum, æs, & alia metalla educantur, sed sutorium atramentum, ejusque cognatæ species omnes: Natura siquidem cum vaporem in metalli perfectionem ducere non valuerit, trahit eundem in mistionẽ sibi possibilem, quare pro diversitate speciei, seminis secũdarii principii, sulphuris videlicet, vel mercurii vel salis, & pro superabundantia terræ, aquæ & aëris strictius aut laxius prioti vapori adjunctis omnes metallicorũ species gignuntur, quæ postmodum per artem non difficulter disgregatæ, ignis adjutorio in lucẽ prodirent.

Hujus lapidis quamplurimæ sunt species, pro diversitate colorum, duritiei, contentorum, quarum duæ præsertim adnotatione dignæ censentur. Altera quæ hoc vel illo, uno vel pluribus metallis dives plus minusve cognoscitur, quam etiam marchasitam vulgò dicunt, altera quam magis propriè marchasitam nuncupant, ne minimum quid imperfecti metalli continet. Ex hoc lapide aureo colore micante lapides minores anguloſi efformari solent, quibus in bellicis tabulis utuntur, ut ex eo ignis excutiatur, ad pulverem tormẽtarium in foraminulo inferiori positum igniendum. Hic combustus nigricat, & rursus ad ignem positus, totus penè evanescit, ut hinc liquidò conjectari quisque possit, cum sale nihil affinitatis habere, sed potius cum sulphure, ac mercurii portione, quare parùm flagrat, non sicut sulphur, sed sicut Cinnabaris evolat ab igne terræ paulò residente. Quod verò Mercurii naturam participet, inde liquet, quia Veneri (ut notavit Albertus) meri argenti albedinem præstat, cæteras alias pyritis tum species, tum corporum metallicorum, quæ mineralia vulgò dicuntur, & lapidum genera, quæ à pyrite conflantur huc inferere non est instituti nostri propositum, qui tamen eas singulatim exposcerit, Georgium Agricolam alioſque Auctores in principio hujus operis à nobis laudatos expetat. Ex his enim luculenter eorum historias, extractionis modos & species intelligere ad votum poterit.

CAP. VI.

De Stibio.

INter metallica corpora non inferiorem locum occupat illud, quod Antiquiores Græci stimmi, & stibi, Latini stibium, & vulgo Antimonium nominant; quamvis verò ipsius cognitio Veteribus quoq; Antiquioribus extiterit; aliquatenus ejus etiam mentionem Democritum in suo de arte magnâ libello fecisse constet; illius tamen proprietates non in re medicâ tantùm, sed nec metallicâ parum noviſſe verè suspicari possumus: quinimò Geber & Albertus rerum metallicarum doctissimi hoc tam singulare miſtum silentio præterierunt, quod minimè (ut opinor) fecissent, si facultatem ejus præcipuam in auri à cæteris metallis secretione noviſſent. Geber enim inter cæteras examinum metallorum species adnumerasset & Albertus inter alias mediorum species, quas persequitur reposuisset.

In dubium autem revocari non debet num inter metalla locari deceat, quod fecisse videtur Georgius Agricola, dum verbis Dioscoridis permotus stibium quartum plumbi genus asserit, quod ex stibio excoctio efficiatur. Nescio vero qua ratione ductus ut existimaverit; cum plumbo enim nonnisi similitudine quadam exteriori convenire potest, cùm in cæteris essentiæ proprietatibus longè dissideat, stibium enim malleo non extenditur etiam post decoctionem illam omnibus metallis etiam argento adversatur, & in igne consumit: intra corpus assumptum, vomitum & alvum ciet: in flores, ut vocant per sublimationem abit, aliaque plura efficit, quæ plumbo nullatenus competunt; major autem est similitudo stanni cum plumbo, quæ duo tamen superius invicem penitus differre monstravimus.

Unum vero adnotatione dignum habet Antimonium, à metallis omnibus diversum, quod semel calcinatum in priorem formam & naturam redigi nequit. Ex quo clarè liquere poterit illud in suo priori esse non constitui per aliquam spiritualem seminis virtutem, à quâ dirigatur, gignatur, & quoad fieri potest conservetur, nisi eam dixerimus errantem à suo naturalis propensionis scopo, quemadmoduni de pyrite declaravimus: nam corpus quodcunq; fossile suæ generationis causam effectricem aliam nullam recognoscit, quam vel ignem ut principalem rectorem, vel seminalem planetarum virtutem, quæ septupla tantummodò differentia existit, & ab his omnibus metallica species exoriatur. Ab igne quidẽ tres tantummodò simplices sulphurea, mercurialis, & salinea; à spirituali verò semine septem, juxta septem metallorum species; ridiculum enim existimari debet, quod Georgius Agricola cum Antimonio ab ipso laudato scripsit Libro primo de nat. fossil. multas esse metallorum species nobis ignotas, nisi putaverit inter proprias metallorum species connumerari quoque debere spurias, abortivas, monstruosas, & ex pluribus compaginatas miscellas, quas non dubitandum est innumeras per naturam componi. At si fuerit opinatus ignota illa metalla adhuc in fodinarum latebris occultari, & nondum in curiosorum inquirentium notitiam advenisse, hoc sanè magis erroneum videretur, quod etiamsi verum foret, cùm id nullâ ratione fulciatur, rejiciendum similiter erit, cum

en ia ex opinione absque ulla necessitate multiplicarentur, cum æque benè salvari cuncta queant per septem jam receptas metallorum species, juxta septem, à quibus producuntur planetarum seminales radios, uti supra sufficienter probatum esse credimus.

Verum tamen multiplices esse commistionis ex ipsis tribus ab igne pendentibus, nec non à præfatis virtutibus astrorum septem in dubium revocari non debet: tot enim mistiones esse possunt, quot sunt formæ, gradus, ponderis, numeri atque mensuræ componentium. Nec propterea species multiplicabuntur, nisi accidentaliter & extrinsecè, cujusmodi est Antimonium, quod ex prædictâ superius ratione non apparet ex alicujus seminis virtute procreari. Atque hinc est, ut facillimè per ignem in varias discerpatur substantias, quarum una magis conspicua Regulus vocatur ab artificibus, quod creditum est mercurii seu argenti vivi naturam participare ob quandam exteriorem cum illo similitudinem.

Pluribus tamen, sed duabus potissimùm rationibus ducor, ut credam ab argenti semine degenerante stibium suæ generationis exordium obtinere, ut scilicet per accidens aliquod impertinens sulphuris atque salis naturam habens, argenteus vapor apprehendatur in generationis cursu constringatur & coaguletur, ut in antimonialem speciem degeneret.

Prima est quod in argenti fodinis inveniatur interdum ita permistum argento, ut nonnisi vi ignis separetur, ut in Bermanno adnotavit Agricola.

Secunda est non minimum facienda, quod omnia metalla etiam argentum cum ipso igne liquefacta in fumum abigat, ut hinc ad auri purgationem adhiberi soleat, siquidem cum ipso commistum in tigillo liquefactorio quicquid auro alterius metalli adhæserit vel in vaporem secum rapit, vel in sese combibit, auro puro, puto in fundo permanente.

Hoc autem evenire non posset, nisi cum argento affinitatem haberet; hoc enim utpote perfectiori ligatura, quam cætera præditum præter auri penetrari interius haud posset, nisi cum ipso proportionem haberet, licet enim id provenire quoque possit à sulphureo sale antimonii compositionem ingrediente, ut in auri cæmentatione cum sale ac regulis: id tamen longo tempore succedit, horis nempe triginta sex non brevi: uti fit per antimonium, quod utpote argento affine ipsius interiora facile pervadit, aperit, & in vaporem vel redigit, vel sibi associat; quod si cætera metalla pariter absumat, id mirum esse non debet, cum ea laxiori prædita mistione per ignem etiam solum in fumum scorias & cineres abeant.

Quamobrem ex his quoque innotescit naturalis compositio stibii, quod nimirum sit spurius, quidam abortus, argentei seminis per sal sulphureum à finali perfectione prohibiti: splendet autem in albo fusco fibrarum instar extenso, ut rude aliquod organizationis initium præ se ferat; prima siquidem heterogeneitatis initia materialiter à salibus egrediuntur, sal enim quodvis suam ostendit in coagulatione figuram, quam tamen variari necesse est pro diversitate componentium. Atq; hinc est, ut duæ antimonii species videantur, mas altera, & altera fœmina, horridior autem scabriorque, at minus ponderosus, minusque radians & acenosior mas est; fœmina contra niter, friabilis, fissurisque dehiscens quod inde procedit, quia in mare salis plus, in fœminâ sulphuris inest cujus causa ex salis sulphurisque natura superius explicata exoritur, quam quisque facilè intelliget ex præhabitis ritè perceptis.

Hujus metallici corporis usus & vires veteribus ignotas hic enarrare non intendimus, tot enim sunt, ut magnum satis volumen non sufficeret; non in medicâ duntaxat arte, sed in fusoriâ, vitraria, cosmetica, chemicâ aliisque pluribus. Et in medicinâ quidè plurima præparari ex illo pharmaca docent passim Scriptores, inter quos Angelus Sala in suâ de antimonii anatomia plures descripsit illorum formulas.

Verum unum hic addere non pigebit, quod videlicet hoc nomine Auctores tum Veteres tum Neoterici aliud quid innuere voluerint, quam vulgare stibium. Sic Democritus libello de arte magna Basilius Valentinus in curru triumphali antimonii. Alexander à Suchten libello de secretis Antimonii. Theophrastus Paracelsus pluribus in locis, aliique quamplurimi, à quibus ita sæpè decipi solent imprudentiores, ut dum illi de arcano ac physico chemico antimonio scribunt, de vulgari putent intellexisse, sicut inter cæteros prafatus Angelus Sala, qui verba Paracelsi ad commune stibium detorsit, cùm ille aliud longe diversum indicare voluerit, ubi sic ait principio vide ne corrumpatur antimonium, sed totum hoc quantum est integrum maneat citra ullam amissionem formæ: sub hoc enim delitescit arcanum. Hæc ille lib. de vita longa cap. 6. quibus verbis præcipuum Chemicæ operationis præceptum innuere voluit, ne materia quam sophi tractant, in ipso statim operationis semine, quod facile contingere potest destruatur juxta huic uniformem Sendivogii sententiam, qui sic ait Tractatu de sulphure, quicquid in hac arte est notabile in præparatione amittitur à multis. Et alibi sicut hæc ars in præfatione occultatur; ita materia in principio projicitur à multis. De vulgari autem Antimonio id intelligi nequit, nihil enim refert an destruatur nec ne, quinimò in quâlibet sui operatione, si eo uti voluerimus, ut corrumpatur necesse est, nisi quis perperam existimaret vulgare stibium materiam esse lapide Chrysopæjo conficiendo à Chemicis Philosophis propositam. In quo quidem plurimi sunt hallucinati, sed nullâ ratione ducti; at qui fuerit intimius ea quæ superioribus libris à nobis candidè scripta sunt, scrutatus, in tam absurdam sententiam se protrahi minimè patietur.

CAP. VII. ET ULTIMUM.

De Artificiali Metallorum Generatione Multiplicatione, Transmutatione & Nutritione.

QUæ ad naturalem metallorum productionem spectare videbantur, prout ab initio proposuimus, & suscepti operis ratio exigebat, jam credimus si non integrè, magnâ saltem ex parte complevisse, iis præsertim philosophantibus, qui Theoricæ veritatis contemplatione gaudentes, ulterius progredi nolunt, sed intra speculativæ scientiæ cancellos præscriptos limites non egredientes, permanere statuerunt. At iis qui ulteriorem cognitionis terminum attingere nituntur, & quid in abditis naturæ secretioribus contineatur, omni labore scrutari pertentant, minimè satis feciisse videremur, nisi quid naturâ juvamine artis valeat in hoc metallico genere (quantum justa ratio permittit) apertius similiter explicaretur. In quâ re plurimùm cespitasse tanti arcani professores ei palam fiet, qui in eorum monumentis mediocriter versatus fuerit, ne in fidelibus, impiis, sceleristisque prædonibus hic thesaurus religiosis, piis, humilibus, proximi Deique inprimis amantibus tantummodò reservatus indignè communicaretur.

Hinc factum est ut Antiquiores Sophi sub desperatâ formâ traditionis artem illam scriptis tradiderint;

rint; posteriores verò parcè nimis, invidè, & datâ operâ inanem implicatamque doctrinam inquirentibus obtruserunt. Recentiores quoque paulò minus Patrum vestigiis insistentes paulò clariorem lucem dederunt. Quamobrem operæ pretium me facturum spero, si quid aliud adhuc ignotum in gratiam Hermeticæ Philosophiæ sectatorum coronidis loco hic præscripserim calamo candidiori, & quæ sparsim superius indigitavimus, hic in summam unà redigentes recollegerimus. Tametsi me non prætereat non defuturos ignaros sciolos, malignos, nebulones aliosque hujus farinæ blatherones, qui adversum ingenuas nostri conatus vigilias clam (ut mos illis esse convenit) mussitent. Eos tamen sic moramur, ut scopuli duriores æstuantis æquoris fluctus. Certò siquidem certiores sumus multò plures prudentiores, pios, probosque viros reperiendos, qui triticum à lolio secernere scient, ab his, quibus prodesse voluisse sat fuerit. Hoc meum non leve fraternæ dilectionis argumentum æqui bonique consultum iri non dubito, At de his satis.

Quod igitur attinet ad artificialem metallorum generationem satis percipi nequit, quin prius quo nomine ea operatio nuncupatur, declaremus, modò enim generatio, vel multiplicatio, modò transmutatio dicitur, imò & nutritio jure optimo appellari meretur respectu diversorum tum finium & subjectorum, tum etiam operationum, quoniam alia est operatio, per quam materia disponitur, alia per quam perficitur & multiplicatur, & alia per quam metalla viliora virtute prædictæ materiæ ad cõplementum perductæ in nobiliorem speciem vertuntur.

Ad cujus majorem elucidationem adnotandum est artem propriè nil generare posse, & consequenter nec multiplicare, quod sine verâ generatione fieri nequit, & ratio est, quia cum omnis generatio fiat virtute spiritualis seminis, ab astris profluentis, cum hoc arti non substernatur, ab eodem suo arbitrio dirigi minimè poterit, quare nec animal propriè, nec plantam nec metallum ars generat, nec multiplicat. Dicitur tamen abusivè ars generare aliquid, cum naturæ subjecta ita disponit, ut suo nutu novos fœtus producat, vel tempore, vel numero, vel quantitate, vel perfectione tali, quâ natura sola sine artis adminiculo non produxisset. Duplex autem modus est, per quem sensu ipso videmus hanc generationẽ per artem patrari, quorum ambo in plantis ferè omnibus exercetur. Primus est, cùm per semina, seu potius ova in plantarum cacuminibus præsertim producta, ut commodius sponte in solum decidentia novam prolem naturaliter subinde reparent, nova generatio instituitur, quibus seminibus ars quoque utitur, ut inde plantas, unde desumpta fuêre, multiplicet. Hic verò modus fit per semen in totum plantæ corpus diffusum, novum duntaxat corpus tenellum rursus per alimentum & instrumenta, in propriis ac determinatis locis ab initio componens. Secundus modus est, cùm per surculos, malleolos, bulbos, similesque plantarum partes fit veteris plantæ quædã continuatio virtute antiquioris per totum illarum corpus dispersi seminis, quod utpotè instrumentis pluribus non addictum, statim atque alimentum sibi requisitum exugere valeat, vel per insertionem intortam, vel per insitionem in alias affines, & concordantes plantas inceptum prolificationis munus persequitur in infinitum; quemadmodum si rectè observemus à priori non dissimilẽ esse intelligemus: quoniam uterque virtute seminali ab initio Creationis ab Altissimo in primam plantam indita proficiscitur, verum hic ratione corporis veteris dici potest antiquæ vegetationis continuatio, ille cùm per corpusculum de novo inchoatum procedat, nova generatio dici solet.

Ex his duobus modis alterum sibi proprium assumpsêre sententia, alterum metalla, plantæ verò utpote inter utrumque genus medium obtinentes utrũque modum exercere potuêre, prior enim modus qui est per semina, seu ova necessariò instrumenta & alimentum exigit, ut hoc per illa digeratur, emundetur, & eousq; perficiatur, quousque in proprium locum à naturâ institutum perveniat, ad novi corpusculi fabricam moliendam, ut hinc recens iterata prolificatio continuetur. Cùm itaque animalia pluribus quam stirpes instrumentis utantur, perfectiori etiam modò talem suæ prolis conservationẽ, seu reparationem edere potuere; aliâ verò ratione animalia uti est impossibile: licet enim hæc, sicut & vegetantia & metalla antiquum semen habeant, per universum corpus dispersum, à quo ipsa fuerunt genita, nihilominus nulla pars animalis à trunco decisa nedum vegetare, sed nec vivere potest, eò quod statim beneficio nutritionis, vitæ ac sensus privatur, ideoque nec pes, nec alia pars ulla poterit artificio ad priora munera viventium propria impelli, non enim ubiqùe idem exercetur officium, sed suis locis determinatis, ex quibus quicquid necessarium est ad reliquum per suos ductus derivatur. Metalla ex adverso cum instrumentis & alimento careant, cùm per totum homogenea sint, priorem modum pullulationis exercere nequeunt, at secundum proprii corporis portionem vel insertam, vel insitam sibi corpus affine quis vetat obtinuisse? si enim plantæ idem efficere possunt, cùm tamen quorundam instrumentorum legibus sint obstrictæ, cur illud idem metalla nullis addicta instrumentis, maximéque homogenea operari nequibunt? ideò namque vegetantia utróque modo funguntur, quia utramque naturam participant; licet enim instrumentis nonnullis insigniantur, attamen illa non item sunt aliunde pendentia ut in singulis plantarum partibus facili negotio quantum sibi opus fuerit construere non valeant, quoniam undique radiculæ protuberantes alimentum requisitum exugere incipiunt, alimentum itidem ubique ferè obvium reperiunt, quod si eo destituantur apto, vel radices & fibras emittere prohibeantur, & illæ quoque continuato vegetationis progressu carere coguntur; hoc autem in metallis contingere timendum non est, cum illa nullis penitus instrumentis indigeant, sed consimili tantum, & affini, humidiore tamen corpore, quod illis velut consanguinea planta, seu terra est, unde metallicum perfectum corpus, quidquid sibi opus est assumit, assimilat, ac vicissim sese adjuvant, quod Lullius exemplo grani tritici clarissimè optimèq; indigitavit in Theor. test. & Bernardus Trevirensis clarius in Epistola ad Thomam de Bononia Medicum relevavit his verbis superius quoque allatis: *Amen dico tibi, quod nulla aqua naturali reductione speciem metallicam dissolvit, nisi illa quæ permanet in eis in materia & forma & quam metalla ipsa soluta possunt recongelare.* Ex quibus patet discrimen quoque illud inter metallicum genus & vegetabile, seu animale, quod hæc duo cùm non solum per calorem sed per instrumenta operentur, possunt alimentum illis opportunum exugere, coquere, defæcare, ac perficere, quantum illorum exigentia requisierit: ac metallicum, majorem concordantiam similitudinem, ac perfectionem in suo nutrimento poscit; nisi enim tale fuerit, ad penitiora metalli nutriendi attingere haud poterit, & consequenter seminalis potestas reagere

non

non valebit in alimentum, & aliud sibi assimilare ob nimiam distantiam. Ex iisdem verbis liquet, & jam ex hujusmodi concordantia & affinitate alimenti cum re alendâ & augendâ duo necessariò consecutura. Primum est, quod alendi corpus quo veluti carere seminalis potestas cohibetur, sufficienter & usq; ad terminum requisitum recluditur. Secundum quod ita aptum est, ut in illud activa seminis vis operari possit, suas proprietates indere sibique integrè ac penitus counire, ut ex duobus unum fiat ejusdem speciei, & rationis cum eo, quod prius nutriendum seu multiplicandum fuerat.

Quæ omnia clariora fient, si quid in hoc opere artifex industrius assequi tentet, explicemus. Est autem finalis ejus intentio possidere metallicum subjectum, in quo sit ignis interior ita multiplicatus, ut gradus auri naturales in infinitum propemodũ transcendat, qui calor sive ignis quia sedes est, in qua spiritualis substantia seminis habitat, cùm fuerit in mercuriali aureo metallo constrictus super metalla cætera liquefacta projectus, eo usque dilatatur, ac extenditur, quousque vis ipsius remittatur, & ad gradum perveniat, quem naturale aurum exigit, tunc enim ex quocunque metallo aurum resultabit. Ea vero materia, in qua fuerit, sic ignis multiplicatus diversis nominibus insigniri solet, dicitur enim ab Arabibus Elixir; ab aliis auri semen, sive tinctura, à nonnullis medicina, eo quod nulla inventa sit hactenus, ac ipsa potentior ad humani corporis morbos abigendos, sanitatemque tuendam, atque innumeris propemodùm appellationibus, præcipua tamen est Sapientum Lapis, eò quod sapientum ingenio ac manibus perficiatur.

Hæc igitur medicina ad similitudinem stirpium & animalium ignis externi beneficio aggregat sibi de metallis, quicquid aptum est ad sui nutrimentum, in quod scilicet superabundantem ignem suum effundat, sibique assimilet, cæterum tanquam excrementum inutile rejiciat, & quia homogenea substantia est, instrumentis non indiget, ut alimentum aliquatenus disponat, sed sufficit ut requisitam dispositionem à metallicâ naturâ possideat; & idcircò quod metallicam naturam in se non continet, nullâ ratione per hanc medicinam in aurũ commutabitur; quia præcedentes dispositiones ad semen aureum requisitas obtinere nequit per ignem violentum, qui solùm corpus metallicum liquefacit, ut in sua interiora medicinam admittat, per hunc enim cætera cuncta, seu vegetantia, seu mineralia sint, corrumpuntur; quia verò medicinale semen hoc licet in specie sit aureitatis, cum multo plures ignis gradus contineat, quam requirat naturale aurum, ideo per additionem consimilis materiæ, sed pauciorem ignẽ possidentis, remittitur calor illius, usque ad terminum, quem auri natura exigit, & sic transmutatur; ignis enim utpote universale subjectum cujuscunque spiritus seminalis, cùm in hoc subjecto sit auri specie infectus, aliam nullam speciem inferre valet, quam auream, etsi argenti argenteam. Tota igitur transmutationis potestas, ab igne interiori multiplicato procedit, non à seminis virtute, quæ tamen per ignẽ transfunditur, ideoque magis propriè nutritio dicetur, quàm generatio seu multiplicatio, hæc prædicta operatio, quam projectionem vulgò appellitant. Imò nec etiam transmutatio dici poterit, nisi transmutatio dicatur, cum alimentum in aliti substantiam vertitur.

Verum quidem est in hâc operatione etiam agens ipsum quodammodo à priori statu mutari, cùm gradus priores igneitatis amittat, quia tamen semper in specie aureitatis permanet, nutritionis appellatione indigitari meretur; animalia etenim & plantæ aliquam similiter alterationem ab alimentorum & succorum diversitate suscipiunt, non tamen propterea non nutriri dicuntur, eo quod ab alimento aliqualiter immutentur.

Generatio quoq; dici minimè poterit, in hâc enim requiritur spirituale semen ab altris (ut dictum est), profluens, & in materiam elementalem per ignem tantum præparatam introductum, quæ omnia artifici denegantur; nec enim ars in hoc metallorum opere semen habet, nec ignem sibi obsecundantem, nec elementa dirigere valet, ut requiritur. Quod Geber optimè monuit, cum ait artificem in omnibus naturam imitari non posse, sed eam sequitur, in quantum est possibile. Verumtamen quocunque nomine explicare libeat hanc metallorum metamorphosim, nullo hic opus est ingenio, cùm facilè perfici possit ope viri cujuscunque simplicis. At medicinam prædictam procreare, qua metallorum species omnes aureanĩ propriâ deletâ naturam recipiant, hic labor, hoc opus, cùm ad hoc aurum requiratur, cum aliundè auri semen elicere sit impossibile. Verum difficultas tota cõsistit in multiplicatione prætactâ, graduum ignis naturalis in quâ re opus est ingenio ac industria penè supernaturali. Ignis etenim sicut nec aliud quodcunque principium nec generatur, neque corrumpitur, ut manifestè monstratum est in nostris Orthophysicis, quare necesse est, ut de subjecto in subjectum transfundatur, nec loquor nunc de igne vulgari soluto, à quo tamen alter inter elementa mistorum coërcitus pendet, sed de interiori, qui inter elementa constringitur, cùm in via sunt mistionis, quâ completâ nihil ultra ignis mistis ita constrictis superaddi potest. Aurum ergo aperiendum erit & in elementalem quendam priorem mistionis progressum retroducendum erit, ut ignis ipsius naturalis augeri possit, quod tamen difficillimum est, cùm nihil id queat, nisi aliud substantia corporea per naturã semicompleta & mista, ut in nullo penitus ab auri corpore discordet, præterquam in semine & humiditate, quam præparare totis viribus conantur artifices, sed in hoc cardo totius artis vertitur; at etiamsi fuerit sic aurum apertum usque ad elementa, requiritur ignis exterior ita temperatus, ut corpus prædictum sic dissolutum non exterminetur, cùm sit nimis in becillum, faciliſque corruptionis, in ipso præsertim lumine quod in diem validius, firmiusque redditur, ut periculum quoque subinde imminuatur.

Materia quin etiam ea, per quam sic aurum solvitur perfimili cautione tractatur, & idcirco ignem hunc occultant Scriptores omnes, nec invenire illum est possibile, nisi vel divinitus per amicum, vel per usum diuturnum, sine quo licet materia certa, & optima in quibusliber circumstantiis cognoscatur, nisi per ignem suavem, & miro artificio directam tractetur, nihil prorsus ex eadem cõsequitur, sed potius destruatur & oneratur in perfectione, quod tetigit Morienus dicens: *Considera si potes rem puram atque mundissimam dirigere rectè, alioqui operatio tua inefficax reperietur*, in puncto enim destrui, atque perfici potest, itaque per hunc ignem exteriorem à sagaci artifice administratum interior naturalis ignis debilis paulatim non excitatur, ut falsò quidam docent, sed substantialiter augetur, ut exterior evadat interior, & accidentalis extrinsecus, & peregrinus fiat naturalis, proprius & essentialis, usque quò perveniat ad terminum naturæ permissum, ultra quem procedere nequit: Operator tamen industrius iterum materiam solvit, & aperit, iterumque per eundem cursum ducit eandem ad terminum suum, atque adeò pluries repetit, ut ad tot gradus igneitatis

mercurialem

mercurialem hanc auream naturam perducat, ut ipsa majoris sit incapax, quia elementa per ignem superabundantem sic attenuantur, ut ignis tenuitatem adæquent, & propterea corpore aliquo se cohiberi non sinat, sed evanida fiat.

Operationem hanc Geber in fine summæ perfectionis summatim, obscurissimè tamen tractat, atq; parcissimè proponit, & in tres partes distribuit, quas ipse gradus appellat. Non credat autem quis per Gebrum artem se assequi posse ipsomet testante, verum artis totius universaliter acceptæ ordines & fines verâ methodo doctrinali describit, & propterea illum nunc assumpsimus ducem, clariorem tamē explicationem tradentes. Ait igitur ipse: *Sumatur lapis in capitulis notus, & cum operis instantia assiduetur super illum opus primi gradus, quod dicitur sublimatio, ut per hoc mundetur à corrumpente impuritate; & est scilicet sublimationis perfectio, per quam lapis ita sublimatur, ut in ultimam puritatem deveniat, & ultimo volatilis fiat.*

In hoc primo gradu duo tangit, materiam scilicet & operationem; materiam vocat lapidem notum in capitulis, quia clarè satis illum indicavit; vocat autem lapidem materiam, quam artifex per naturam compositam, & in dimidio complementi relictam accipere debet, ut in eam operetur; hæc autem unica tantum est & singularis radicitus, quamvis in substantiâ duplex, vel etiam triplex, sulphur enim, mercurius & sal est. In medio mercurius, quia sine inflammatione volatilis redditur, attamen est quoque sulphur & sal. Et in fine sal unde sal sapientiæ à terreis fæculentiis liberatus appellatur. Dicitur etiam ea materia auri mercurialis, tum quia maximè affinis est auro, at volatilis, quod Gebet tetigit cùm dixit: *Et ultimò volatilis fiat.*

Secundò tangit operationem, quam mysticè sublimationem vocat. Non est autem sublimatio aliqua vulgaris, sed est simplex decoctio per ignem lentissimum, per quam in sublimiorem redigitur, naturam, & proprietatem, ad quam sola natura illam redigere non potuit, ideoque artis auxilio perfectius opus adimplet. Quare jure merito sublimatio vocatur.

Secundum gradum operis fixionem appellat, & sic eam proponit: *Ab hinc verò cum fixionis modus figatur, donec in ignis asperitate quiescat.* Et hic secundus præparationis gradus appellatur; licet autem hic gradus secundus fixio vocetur, ex fine, aliis tamen appellationibus indigitari solet à Scriptoribus, scilicet perfectio communiter, quia per hunc gradū ad aliquod complementum adducitur, quod ipse etiam Geber indicat his verbis: *Et in hoc quidem una perfectionis, præparationis meta consistit.* Brevissimâ verò in eâ describendâ, loquutione utitur, quia si eam, uti fit, enarrasset, utrumque opus nimis dilucidè manifestasset. At qui fusius allatam cupiat, adeat Bernardum Trevirensem, qui eam concinnè in parabolâ proponit, difficillimum etiam præparationis opus in ea complectens.

Tertium denique gradum addit ita: *Sed & tertio similiter lapis administratur gradu, qui in ultimo consistit præparationis complemento, & est scilicet, ut jam fixum lapidem cum modis sublimationis volatilem facias, & volatilem fixum, & fixum solutum; & solutum iterato volatilem, & iteratò volatilem fixum; quousque fluat, & alteret in complemento solifico vel lunifico certo. Ex reiteratione igitur præparationis hujus gradus tertii in medicina resultat bonitatis alterationis multiplicatio, &c.* Quibus verbis multiplicationem insinuat, quæ per operis antedicti reiterationem perficitur, & in hâc thesaurus rei consistit, cùm per hunc virtus medica naturalis, quæ est in materiâ per artem naturæ ministrantem sic augeatur, ut ignaris incredibilis existimetur. Hanc ergo clariorem reddere non est opus, cùm aliud non requiratur, nisi opus iterum, iterumq; repetere sicut prius, quare de hoc nil ultra.

Idem hoc opus universum sub eodem lacon ismo traditum invenire est in plerisque aliis Auctorum tractatibus, verum neminem adhuc reperire potuimus, qui sub tam mirabilis locutionis brevitate clariorem doctrinam exhibuerit, quam Sibillam apud Virgilium, cujus enodationem in Oedipo nostro contolatorio cùm pluribus aliis similibus explicationibus attulimus, ex quo loco huc transferendam duximus existimantes id non injucundum tum artis illius indagatoribus, tùm cæteris etiam humanioris literaturæ professoribus. Credimus autem per hanc interpretationem superiora Gebri verba quadantenus clariora evasura; ait igitur Sibilla.

Accipe quæ peragenda prius. Accipe dicit non manu tantum, sed mente, per quam comprehendat & materiam, & operandi modum super eandem ab ipso statim initio; ideo prius peragenda; non dicit autem agenda, sed peragēda, quia perfectè opus compleri oportet, seu potius opera, quia plura quamvis eodem modo, & ad eundem finem. Quare Morienus unicam quam ante dixerat operationem duplicem appellat deinceps, quia una subdit est sicut & alia, sequitur: *Latet arbore opaca Aureus & foliis & lento vimine ramus.* Hic materiam simul & operationem insinuat, materiam aureum ramum appellat; Ramum non arborem, quia non tota arbor accipienda, sed quod ex arbore naturali, quasi per artis culturam procedit ramus. Est autem hic ramus aureus, non quod sit aurum, sed quia sit auro affinis, & auream naturam æmulatur, aurique pabulum gratissimum, cum quo vegetat. Dupliciter autem Ramus hic occultatur; tum ab ipsa natura mortalibus invidente, ac miris tegumentis eundem cælante, tum ab artis possessoribus non minori zelo tegentibus. Primam occultationem signat verbo *latet*, per alteram verbo sequenti *tegit*. Latet autem naturaliter in tribus substantiis, quarum quælibet suam habet operationem propriam. Has Geber vocat ordines. Senior Philosophus nobilis Arabs terras, quas terram margaritarum, terram foliorum & terram auri nominat; & Lullius in Theorica Test. vocat tria fermenta, tres mercurios, tres terras cap. 62. Hoc omnes mirificè tangit Sibilla sub iisdem pene verbis dum ait: Latere Ramum arbore opaca, & foliis, & lento vimine. Arborem opacam, quia tenebrosa tota & virescens, ex qua exeunt margaritæ, folia propter colores, & specialiter viridem. Lentum vimen vocat denique terram auri, quia flexibilis terrea superfluitate mollior efficitur.

Junoni infernæ dictus sacer. Id est Ramus hic subterraneæ dicatus est naturæ scilicet metallicæ, non vegetanti, nec animali. Ex quolibet metallicam esse materiam, quia sola hæc infernæ sacratur naturæ, non supernæ lucidæ, nec cælesti. Ab hinc subditur occultatio scriptorum sic: *Hunc tegit omnis succus & obscuris claudunt convallibus umbræ.* Omnis succus, id est, omnis liber ac tractatus artem illam tegit miris involucris, locutionibus mysticis, parabolis symbolicis, Cabalisticis, ænigmaticis, omnique alio genere obscuritatis, ipsis etiam magistris asserentibus: Geber enim sic: *Sermonis modo eam asscripsimus, quem solius Dei Altissimi Benedicti, sublimis & glorioſi, & nostri, qui illam scripsimus mentē recolligi accidit, aut divinæ gratia bonitatis infusi, & paulo post, quia nobis solis artem per nos solos investigatam tradimus, & non aliis, verissimam tamen & imo certam: sed non ante datur telluris operta subire, auricomos quam*

quis

quis decerpserit arbore fœtus, quod paulò antè Ramum aureum dixerat, nunc auricomos fœtus appellat, ut scilicet ostendat partum esse arboris, non arboreum, ut dictum est, & hunc quidem auricomum, ut affirmet quod attulimus, aurum non esse, sed auricomam, id est proprietates quam maximè consimiles gerentē materiam. Tangit etiam satis clarè operationem sub verbo *decerpserit*, sicut & infra non dissimili verbo *avulso*. & iterum infra *carpe* quæ tria verba idem sonant, debere scilicet hunc fœtum per obstetricem manum evelli, naturâ tamen ipsâ sponte præbente, atque volente, ut infra docebit. Nisi verò hic ramus habeatur omnis naturæ cognitionis aditus prorsus occludetur: non enim fas est arcana, quæ sub terrâ per naturam fiunt, penetrare, nec alia mirabiliora sublimioraque non minùs operta, incerta & occulta, quæ suprà terram per artem & naturam patrantur pertingere, nisi totum hoc opus integrè atque perfectè sciatur absque dubio, & hæsitatione, opinio namque ad hanc artem nihil valet, sed scientia infallibilis experimento cognita, non fallaci requiritur. Sequitur postea: *Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus instituit*, quasi dicat fatali divinitatis decreto exigi hanc materiam & operationem, quæ omnia munus vocat, juxta dictum Sapientis: *Hanc rem non emendam pretio Deus posuit*. Sed gratis levi manuum labore, ac ingenii virtute prorsus Herculea. Est autem speciale donum Dei omnibus Auctoribus id confirmantibus. Sic etiam Orpheus de hac arte loquens vocat sæpius donum & munus. Hoc verò munus addit esse *suum*, id est, Proserpinæ, seu naturæ ut ostendat non artis opus aliquod existere, sed unicæ solius naturæ, arte tamen obstetrices manus præbente. Proserpinam verò nominat divitiarum Deam Ethnicis creditam, & Plutonis uxorem, hanc autem pulchram dicit, ut alluderet ad materiam ipsam, & operationem, quæ tali pulchritudine donatur, ut si eam moribundus æger inspiceret, à languore facilè convalesceret, ut asserit Joannes de Lusnioro. Potest etiam innuisse munditiem, nitorem, ac puritatem quæ operi rectitudinem præsignant, juxta Morieni dictum considera si potes rem puram, atque mundissimam dirigere rectè, alioqui operatio sua ineficax reperietur. Qui igitur ad Proserpinam, id est, ad pulcherrimam, ac propè divinam hanc artem accedere tentat, necesse est hoc prædicto munere esse præmunitum. Sequitur: *Primo avulso non deficit alter aureus & simili frondescit virga metallo*. Hic non multiplicationem, sed primam fermentationem (ut vocant artifices) declarat. Duo enim sunt Rami quorum primus quasi arborea cortex inutilis, & abjicienda, quæ primo egreditur. Alter aureus, qui etiam ineptus foret, Proserpinam adeundo, nisi animâ exornaretur auri, nonnulli sulphura nuncupant, quorum alterum incombustibile autifermentatione roboratur, alioquin deficeret, & idcircò ait: *Non deficit alter aureus*, si primus avulsus fuerit, sed metallo consimili vegetat, sobolem parit digniorem, speciemque propagat, quod indicat per verbum *frondescit*. ad similitudinem virgæ, id est, plantæ. Ex eo verò quod dicat simili metallo id fieri, non monstrat Ramum aureum prædictum aurum non esse, sed vegetare simul cum illo, quod ideo nomine metalli donatur.

Denique concludit: Ergò altè vestiga oculis, & ritè repertum carpe manu. Per verbum altè vestigia difficultatem insinuat, quam ut Geber tetigit superius ibid. *Et cum operis instantia assiduetur super ipsum opus &c.* quoniam assiduâ instantique defatigatione indiget hæc operatio; ergò altè, id est, profunde, diu, & laboriosâ indagine scrutandum & esse ac manibus oculisque simul mentis & corporis, quia per signa demonstrativa dirigitur, & per oculare intuitum ejusdem perfectio vel imperfectio declaratur. Quare sic optimè Geber libro primo summæ perfectionis capite secundo. Dicimus igitur quod si quis non habuerit sua completa organa, non poterit ad hujus operis complementum pervenire, velut si cæcus fuerit, vel in extremis detruncatus, quoniam non juvatur à membris, quibus ars ita perficitur, tanquam naturæ ministrantibus. Hæc ille, ideoque subdit: *Et rite reperium*, id est, mentali, longâ, continuâ, & ærumnosâ investigatione ramus ille indagandus erit, & postea ritè quoque manuali aprehensione ex arbore carpendus suaviter, & cum magno ingenio eliciendus, illecebris ac blandimentis naturæ suæ convenientibus. Verbum ergo illud *rite* addendum est tam verbo *reperium*; quam *carpe manu*, & reddit in fine rationem, *namque ipse volens facilisque sequetur, si se fata vocant, aliter non viribus ullis vincere, nec duro poteris convellere ferro*. Quibus verbis operis facilitatem incredibilem indigitat iis, qui artem sciverint; quod & Comes Bernardus confirmat inquiens: *Facilis admodum, & usque adeò, ut si claris enarrarem verbis aut ad oculum demonstrarem, vix credere posses*. Ipsa enim spontaneo penè conatu à compedibus & involucris, quibus ex naturâ suâ detinetur, & ab effectu prohibetur, sese cupit extricare, & ideo ipsa erit vult, & exultat ut gigas ad cutrendam viam si fata secunda habeantur, hoc est, si Deus primò, fortuna deinde propriaque minerva non reluctata fuerit, secùs enim quocunque conatu ac violentiâ nunquam perfici poterit: hæc enim res per vim non acquiritur, ut ait Sapiens, sed ad veritatem, mansuetudinem & justitiam deducet te mirabiliter dextra tua, & sic lux orietur justo, & rectis corde lætitia.

Appendix Symbolicæ Crucis aliqualem illustrationem exhibens, *In gratiam* Hermeticæ Orthochemiæ *ac* Voarcademicæ Studiosorum, *Ad Præclarissimum & Excellentissimum Virum ac Dominum*. D. Joannem Martinum Waibel *Philosophiæ ac Medicinæ utriusque Doctorem*.

Præclarissimo & Excellentissimo Viro ac Domino, D. Joanni Martino Waibel, *Serenissimæ Celsitudinis Ducis Neoburgensis &c. Consiliario & Archiatro*,

Amico meo plurimum honorando S. P. D.

Duæ potissimùm fuere rationes Vir Præstantissime quibus ad hanc Appendicem tuo nomine condecorandam sum impulsus, Altera tui Animi dotes, ac virtutes insignes non unica mihi ratione perspectæ, sed præsertim ex tuis non paucis ad me conscriptis literis. Altera fuit tuâ in me vel è longinquo notum immensa Benevolentia, Fides atque Gratia. Et de virtute tua quidem, nisi virium mearum tenuitas obsisteret, & morum tuorum probitas permitteret, nec id præsentis instituti cancellos egredi videretur, plurima scribere oportet. Ampla namque mihi seges exhiberetur ad tui laudes calamo percurrendas. Quis enim posset magnam in Deum pietatem, & in ejus providentiam humilem atque

atque devotam subscriptionem scripto comprehendere, meritisque honoribus extollere? Prudentia item, morumque suavitas mira est, & incomparabilis in omni re dexteritas, in omnes verò non vulgaris humanitas. Ingenii præterea tanto præcellis acumine, ut nulla sit artium scientiarumque sublimiorum doctrina, quæ tuæ mentis amplitudinem latere queat, in medicâ præsertim facultate, quâ nemini secundus existis, ut hinc Serenissima Celsitudo Ducis Neoburgensis, qui nostri ævi splendor ac decus est fulgidissimum pro sua suorumque valetudine dirigenda, tua in re medica præstantia uti voluerit, nec est aliquis doctrina, nec non sapientia percelebris, qui te tot virtutibus præclarum non admiretur atque veneretur; sicut ex adverso tu eos, qui nomen profiteri suum in re literaria possunt, honoribus & gratiis cumulare non cessas, quod si quis est, qui hoc in seipso fuerit expertus, ego quanquam inter Scriptores minimus, non minimum sensi ejusdem benignitatis ac favoris argumentum, cui cùm mihi non liceat gratæ propensionis aliud exhibere testimonium, non mihi visa est occasio prætermittenda, hanc Symbolicæ Crucis illustrationem tui nominis gloriâ illustriorem reddendi, simulque rei metallicæ, ac Ortho-Chemiæ, seu Voarcadumiæ studiosos juvandi; neminem enim habui, cui & magis obligationibus sim obstrictus, & à quo acris judicii sinceriorem, nec non peritiorem sententiam de meo hoc labore possim exspectare. Tu interim candidè erga te meæ observantiæ specimen non rei parvitatem inspicias, & me, ut soles ama, vale. Venetiis.

A. M. D. G.

SYMBOLUM ADEPTORUM.



FINIS PRINCIPII

EST

PRINCIPIUM FINIS.

Auctor ad Sophochymicos.

Abdita naturæ quisquis pertingere curat,
Perlegat, & vivam præparet artis avem.
Tunc ne prætereat fugientis signa volucris
Prænitidæ & Viridis, servet ubique modum.
Excutiat repetens ter rite quaterque laborem,
Donec ab impuro candida fonte volet.
Hora transacta carum igni adjungat amicum,
Ignis ut hinc fiat cælica fontis aqua.
Sic superans auget solares Cinthia vires:
Indè repurgatus solque resurgit aquis.
Crescit in immensum miranda potentia Fœtus
Rursus, ut ante, brevi si peragatur opus.
Semine solari superadditur aurea tandem
Virtus, atque hic est totus in Arte labor.

Lectori Benevolo.

EDideram, benevole Lector, tractatum de liquore Alchaest in gratiam præsertim Serenissimi Archiducis Austriaci GUILIELMI LEOPOLDI æternâ recordatione dignissimi, eâ simul intentione, ut errores, quos in multorum hominum mentes irrepere intellexeram, quantum per me quidem fieri posset, abstergerem. Existimabant enim plerique Ortho-Chemiæ Voarcadumiæque indagatores liquorem illum ad hujusmodi arcanum consequendum necessariò requiri: quô errore Helmontium quoque ipsum priorem liquoris illius, si non repertorem, saltem propalatorem correptum fuisse apparet ex pluribus magni sui operis locis, cùm tamen toto cælo invicem duo illa opera discrepent, licet in pluribus convenire mysticè tamen tantùm videantur, ut fusiùs in eo tractatu disputantes ostendimus. Necesse ergo fuit utriusque operis aliquatenus magisterium reserare, quantum videlicet ad instituti præfati scopum obtinendum sat visum fuit, quod quidem fecimus, & specialiter de majori Physico-Chemico nuncupato processu tum scripto longiori soluto, tum carmine contractiori, nec non mysticæ Crucis haud negligendo symbolo juxta consuetum cunctorum de hac re scribentium morem atque consensum; at cùm non liceat præscriptos ab iisdem Patribus terminos transgredi, nec τῆς ἱέρας τεχνῆς arcana mysteria nimia loquacitate profanare, & imperitorum at improborum vulgus ab eo studio arceatur; Doctiores quam plures vel viva voce, vel literis me instanter petierunt, ut præpositæ saltem crucis aliqualem illustrationem dignioribus Ortho-Chemiæ Voarcadumiæque scrutatoribus offerrem, quorum petitionibus doleo sanè integrè plenariéque satisfieri non posse justis de causis cuicumque vel mediocriter in sophorum monumentis versato cognitis. Verùm nè videar omnibus, id est, candidioribus dignioribusque pariter invidisse, nolui præterea quæ superioribus libris ultimo potissimùm capite plus æquo forsan revelavimus, hanc quæcunque ea sit quoque declarationem adjungere.

Crucem autem ad opus illud enucleandum assumpsimus consueto more quorundam, Arnaldi præsertim Villanovani lib. de secretis Naturæ Cap. 5. nec non Joannis de Londinensis in doctissimâ suâ hieroglyphicâ Monade, ut scilicet materiæ passio, quam ab artifice ferre debet, ostendatur, quod alius his versiculis innuit:

Ensem, ignem ut martyr patitur
Suspensus ab alto
Aëre, vivus adhuc clauditur in tumulo.
Martyrio tandem surgit diademate fulgens.
Multò quam fuerat fortior, & melior &c.

Quæ verò arcana per crucem explicentur, ex eodem Auctore Theoremate 16. peti poterunt, illa enim in præſentiâ, ne actum agamus, reſcribere non intendimus. Satenim erit indicaſſe opus illud arduum per crucem aptiſſimè declarari ad ejus paſſionem demonſtrandam, quàm per artificis manus ſubire debet hoc naturæ ſubjectum. Addidimus verò radios in crucis angulis, ut ejus nitorem ac fulgorem, quæ rectæ diſpoſitionis inditia ſunt certiſſima, & neceſſaria, ſicut è contra ejuſdem corruptionis inditium evidens eſt fæditas, impuritas, & immundities, à Lullio in codicillo limoſitas appellata. Hinc & tota area, in qua crux delineatur, viridis eſſe debet non abſimili myſterio, ac Triſmegiſtus ſua tabula ſmaragdina operis illius revelationem reliquit velle, vel relictam eſſe poſteris intelligi voluit, viriditas enim maximè neceſſaria eſt ad operis perfectionem, unde materia dicta eſt Leo viridis, vitriolum Veneris, lacerta viridis pratum vireſcens, ſimilibuſque à virore deſumptis appellationibus. De hac eadem ſcribitur ô benedicta viriditas quæ cunctas res germinare facis, cum lumine venis, & cum lumine genita es, & benedicta tua operatio, quia de imperfecto facis perfectum cum tua viriditate &c. Ab hoc virore dicta eſt materia prædicta vitriolum, & ſub vitrioli operationibus deſcripta, quanquam ab illo longiſſimè diſtet, neque cum illo quicquam affinitas, niſi e longinquo poſſideat. Joannes Baptiſta Porta Neapolitanus in ſuo quem de magia inſcripſit libello, quanquam ipſe attem non calluerit, pulcherrima parabola ab alio forſan mutuata ejuſdem rei circumſcriptionem dedit ſub figura pugnæ Phœbi & Pythonis his verbis: removeatur ſuo loco ingentis corporis Python cæruleis ſquamis, rutilis criſtis, maximoque veneno minax &c. & Neotericus admodum eleganter in arcano Hermeticæ Philoſophiæ opere ſub horti appellatione propter eandem rationem indigitavit, & alibi Can 85. ſic habet: Tria pulcherrimorum florum in horto ſapientum genera perquirenda, imò invenienda ſunt, puniceæ violæ, candens lilium, & purpureus immortaliſque amaranthus. Non longè à fonte illo liminari vernantes violæ ſibi primum occurrent, quæ largo flumine aureo per rivalos irrigatæ nitidiſſimum ſapphiri ſubobſcuri colorem induent &c. Sibilla quoque apud Virgilium arboris & rami uſa eſt metaphora, ut in fine ſuperioris tractatus retulimus non ad coloris tantummodò neceſſitatem inſinuandam, ſed etiam vegetantis, quâ pollet, energiam, quâ corruptâ, debilitatâ, aut quomodocunque confuſâ, nil inde procedit. quod Morienus particulâ illâ *ſi potes*, pariter manifeſtavit ibi: Conſidera ſi potes rem puram, atque mundiſſimam dirigere rectè alioquin operatio tua inefficax reperietur.

Per Crucem verò materiam eandem oſtendi liquet ex Joanne Dee præcitato, eò quod ex uno puncto quatuor lineæ ad diverſa tendentes procedant, ex quibus quatuor elementa ſubjecti Philoſophici componentia præſignantur, ut mos fuit antiquiſſimis Authoribus. Triſmegiſtus enim quatuor elementorum ſcientiam appellat, & Pythagoras in aureis carminibus τετρακτὺν, id eſt, Quaternionem perennis naturæ fontem dixit ob eandem rationem. Licet enim omnia ex quatuor elementis conſtent, nihilominus potiori quodam jure ſubjectum illud ex quatuor elementis conflatum dicitur, quæ per vices etiam ſucceſſivè dominium habent, & præ ſe ferunt, quamvis hoc allegoricè debeat intelligi, eò quod ignis tantum ſeminali poteſtate directus opus dirigat, compleat, atque perficiat.

Per duas quoque Crucis lineas ſeſe mutuo in puncto ſecantes, operatio inſinuatur unica, & duplex. Etenim Morienus cum pluribus conatus eſſet probare operationem unicam penitus fore, poſtmodùm interroganti Regi reſpondit duas eſſe confectiones, quibus opus perficitur. Sed unam ſicut & aliam, & ubi una deſinit alteram immediatè incipere, quod nos quoque per lineam occultam ab unâ Crucis lineâ ad alteram protenſam, ac per verba cruci ſuppoſita: Finis principii eſt principium finis innuimus, quod & Author rei Tractatus in Muſæo Hermetico primo loco locati revelare non deſtitit hoc modo: Ideircò per amorem Dei adhuc unum myſterium revelabo, ſcitoque namque licet una unica ſolutio ſit, quod tamen illa ſecundùm prius & poſterius, uti in ſcholis loquuntur, dividatur Prima &c. & Neotericus ſimiliter Can. 83. circulationem elementorum per duplicem rotam exerceri ſcribit, majorem ſcilicet & minorem, hanc contractum, illam extenſam, contracta prior eſt in Crucis linea verbo ΠΡΟΤΕΡΟΝ alteram extenſam verbo ΥΣΤΕΡΟΝ prænotata non abſque ratione, eò quod Scriptores ſæpè figura hujuſmodi utantur à Græcis ὕστερον πρότερον dicta, ut in tabula Philoſophorum dicitur, mirum eſt invidos finem ante principium poſuiſſe, quod & Merlinus, quiſque ille fuerit in profundiſſimâ ſuâ mirabile ſimul allegoria obſervavit, ubi finem in principio principium in fine recenſuit. Primæ huic rotæ tres circuli inſunt, qui motu quodam erratico & intricato materiam jugiter & varie agitant, ac pluries ſpecies ad minus unum quodque elementum circumagunt ſibi invicem, & ordinatè ſuccedentes quod totum etiam in Cruce deſcriptum eſt per numeros tres ſupra lineam, & ſeptem infrà prænotatos, ubi notandum eſt obiter, modum erraticum & intricatum vocari, non quod ita ſit apud naturam, nec ita exerceri debeat ab artifice, qui diſtinctiſſimè atque diligentiſſimè obſervare cuncta tenetur, ſed ratione doctrinæ traditæ rem illam arcanam contegi obſcurationibus & erroribus à poſſidentibus implicati, & ſtudioſos cautiores reddant, & indignos ab arte pretioſiſſima omni conatu arceat, vel quia pleroſque præſertim Ethnicos Arabeſque invidos fuiſſe conſtet, ipſiſmet aſſerentibus Dei judicium eſt (ajunt) myſterium invenientes, invidiam invenire Hoc idem à pleriſque Scriptoribus pondus dicitur, & ponderis nomine indigitatur, & à prædicto Neoterico potus metaphora indigitatur. Can. 52. ita: Horti Philoſophorum ingreſſum Heſperius cuſtodit Draco, quo patefacto fons aquæ limpidiſſimæ ex ſeptemplici ſcaturigine emergens in limine ſeſe undique effundit, in quo ter ſepteno magico numero Draconem pota, bibaſque, donec &c totum autem magiſterium in pondere conſiſtere non eſt dubitandum, licet hoc idem de igne affirmetur, ab eo nimirum totum pendere arcanum quæ duo tamen invicem non adverſantur, in pondere ſcilicet totius rei cardinem verti, & in igne ſimiliter. hæc enim duo ita inter ſeſe invicem affinitate connectuntur, ut unum ſine altero nec haberi nec intelligi queat, quoniam juſtum pondus ab igne benè directo procedit, & ignis à pondere ſeu menſura inæquali ſua temperie conſervatur ac regitur, quinimò cuncta quæ ad hujus operis perfectionem concurrunt, & quæ modò pauciora à ſapientibus proponuntur, mutuo adeo nexu complicantur, ut unum tantùm illa omnia jure merito dici poſſint, ut cuilibet diligenti lectione illorum ſcripta ſcrutanti liquidò patere poterit Hinc eſt ut nonnulli in materiæ cognitione, quidam in ignis temperie ac moderamine, alii verò in vaſe ſeu loco & tempore totum artis fundamentum conſiſtere dictitent.

Priori ergo lineæ per planum extenſæ à dextra ad ſiniſtram Characteres adjecti ſunt, in ſiniſtro latere ſulphuri

obſcur

obscuti & nigredine conspersi, in dextero verò Lunæ in sua plenitudinis claritate splendentis, quæ à philosophorum Mercurio nullatenus differre cognoscitur, ideóque per lineam occultam ad eundem Mercurium protensam est indicata, quod de Mercurio vulgi neutiquàm intelligi velim, qui tantùm à Philosophico distat, quantùm ovum à pullo perfecto ad prolem edendam idoneo. Lunæ verò charactere in sua plenitudine consistentis prænotatur propter defectum, cui ipsa singulis mensibus est obnoxia, à quo quasi à sulphureo combustibili obscuritatis ac nigredinis recremento liberata in suam plenitudinem candidam lucentemque redigitur: Sulphuris itaque fex atra combustaque sub charactere indigitari debebat, & suo pariter Philosophorum Mercurius, quem tamen manifestiùs in altera linea ab alto ad imum protracta, sua propria ficie expressimus in superiori loco, ut par erat ad sui volatilitatem insinuandam.

Verumtamen cum ille nihil ultrà per se possit absque solaris animæ robore atque potentia, idcirco in inferiori loco solis configurationem adjecimus, quod & rectè factum esse putamus, ad sui stabilem in igne permanentiam ac fixionem ostendendam.

Quæ omnia cum sic rectè dispositа ac ordinata videantur, nec sint ità omnibus, sed tantùm adeptis pervia, & cognitu possibilia, propterea jure merito Adeptorum symbolum appellari meruerunt, & cum eo universa dirigi debeant, ut ad divini Numinis majorem sanctificationem, proximique utilitatem tendant, ideò per literas A. M. D. G. exprimi decebat, Ad majorem nempe Dei Gloriam.

Plura porro de Symbolicæ Crucis occultis arcanis huc afferri potuissent, & præsertim quæ de numerica sua potestate loco monadis præcitato examinantur: ingeniosa quippe atque notatione dignissima, utpotè quæ ad opus illud alioquin obstructissimum reserandum plurimi facientia, verum non ea nobis fuit intentio, ut quæ de Cruce mysticè indagari possunt, discuteremus, sed ea dumtaxat, quæ ad symboli nostri elucidationem spectare potuissent, ut curiosis amicis aliqualiter satisfactum esset.

Ad majorem autem prædictorum omnium comprehensionem pro præsentis operis coronide Scholiasten me gerere non gravabor in carmen illud antiquissimum unà & obscurissimum, quod in tertio Theatri Chemici volumine reperiri, & à Nicolao Barnaudo commentatiis interpretatum vidi, licet ille cum opus re ipsâ non viderit, quanquam doctissimus, Authoris mentem non est plenariè assecutus, quarè cum illud omnia, quæ ad artem pertinent, comprehendat, non abs re fuerit clariorem illorum versiculorum interpretationem subnectere, ut per hæc etiam cum superioribus omnibus collata diligens inquisitor, ac industrius operator scientiæ hujus pretiosissimæ adeptionem spetare tandem queat, sic ergo titulus habet.

Arcanum Philosophorum per Virum doctissimum olim versu hexametro conscriptum in Nomine Dei viventis & vivificantis.

I.

Terra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis;
Alta domus quæro, sedes est semper in imo,
Et me perfundit, qui me citò deserit humor.

More poëtarum Philosophicum subjectum de se ipso loquitur, proprietates, quas in diversâ suâ operationis parte subire debet, ænigmaticè referans, cum enim est in sui præparationis complemento, ait se à terrâ corpus habuisse, potestatem autem ab igne: seminalis vis non meminit, tùm quia non est in artis potestate ipsam dirigere, tùm quod non sit ad finalem plusquam perfectionem deducta: ignem itaque suæ virtutis auctorem recognoscit, licet & seminis ratio non fuerit neglecta; hac enim quomodolibet læsâ nihil ignis amplius operatus esset; sed velut cadaver si igne calesceret, remansisset; corporeitatem verò licet dicat terræ acceptam referre; hoc tamen non sic simpliciter est intelligendum, aqua enim magis, & aër adhuc magis magisque ad suum corpus confluxerant, sed terram duntaxat nominat ob majorem sui sensibilem corpulentiam; quod verò non sit adhuc in sua finali perfectione patet ex iis, quæ subdit. Alta domus quæro &c. ut scilicet ostendat volatilitatem, qua nunc præditus est, quæ tamen ad fixionem tendit. At non tam citò, sicut citò asserit ab humore suo deseri, licet idem super eundem refundatur juxta Merculini dictum, & sic ascendat, ut rursus ad infima tendat, hoc autem evenit statim atque ignem senserit, ut clarius in sequenti.

II.

Sed mihi sunt lacrymæ, sed non est causa doloris,
Est iter ad cælum, sed me gravis impedit aër;
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

In modum enim lacrymarum ascendit & descendit; per rivulos maximè splendentes, si vas optimè clausum extiterit, & res fortiter fuerint contritæ, ut dicitur in turba, nisi res igne fortiter conterantur Etelia non ascendet, & ipsa non ascendente, nihil facitis fortiter, id est viriliter animoque forti atque constanti: figuratè verò dicit non esse causam doloris, lacrymæ namque solent ex dolore ut plurimùm procedere; sed jam lætitiæ potiùs est causa. Indicium enim est ex hac pluvia segetis fertilitatem copiosam expectandam, hanc etiam concinnè describit Augurellus in Chrysopæja:

At proprio quondam species madefacta liquore
Aurea quis credat? tamen hæc videre periti.
Solvitur, & spondæ paulatim vasis adhæret,
Mox petere hic sensim vitri convexa videtur,
Duraque quæ quondam fuerat, & densa gravisque
Mollis hebet volitatque levis, & rara fatiscit.

Et Alphidius similiter pluries idem repetit cap. 7. sed clare ibi: nisi hic vapor ascendat, nil habes, eò quod ipse est opus, & per ipsum & in ipso absque quo nihil fit; & paulò post iteraturus sum tibi in descriptione fili hujus lapidis, neque dicas quod invidiæ causâ aquam nuncupavi ipsum &c. hanc vaporis ascensionem iter ad cælum appellat, & à gravi aëre prohiberi; nisi enim gravis hic aër deleatur, non iter ad superiora habebit, quod innuere voluit Author tractatus de sulphure, in fine inquiens non ascendit, qui non descendit, hoc enim est, quod Trismegistus docet, separabis terram ab igne, subtile à crasso suaviter, & cum magno ingenio, & sic ascendit à terra in cœlum &c. Hoc itaque impedimentum est præfatæ viæ ad superiora, aër nempe gravis, quem si dixeris terram, non errabis, nec malè tamen dictus est aër, eò quod ex aëreo corpore, cujus essentialis pars fuerat, est extractus, sine hoc autem per naturam non gignitur, ideò subdit: qui me genuit, sine me non nascitur ipse, nam sive partem materiæ naturalis, sive totam intelligas, sine filio, qui ab illa egreditur, per naturam non generatur. Hunc eundem Pythagoras in aureis carminibus tristem litem nuncupat illic; tristis enim lis latenter nocet congenita sequitur deinceps.

III.

Pulvis aquæ tenuis modico cum pondere lapsus,
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus totas prius occupo terras.

Quem superius gravem aërem dixerat, nunc pulverem cum modico pondere vocat; aër namque gravis

idem eſt cum terra levi diverſo reſpectu, tùm quia verè pulvis eſt levis, tùm quia de corpore aëreo ſeparatus gravis jure dici non debuerat; lapſus autem eſt, id eſt eductus de tenui aqua, vel ipſe tenuis de aqua elapſus; ſole madens, id eſt repido calore diſponitur, ac præparatur, ut æſtivo majori fluat, & in fine ſiccus inſpicitur, cum opus in frigido terminaverit ex hoc autem ſequuntur flumina, id eſt rivuli ſupra deſcripti, qui de terra prædicta, ſeu pulvere ſcandunt, cum tamen ille priùs totam terram, id eſt materiam in ſua natura conſiſtentem occuparet; ab hac una vili re omnes theſauri fluunt, ut paſſim legere eſt apud ſcriptores.

IV.

Mira tibi referam noſtræ primordia vitæ
Nondum natus eram, nec eram tum matris in alvo,
Jam poſito partu, natum me nemo videbat.

Ænigmatibus primordia generationis orditur, qui *mira* optima ratione vocantur, cum enim idem ſit natus, & genitrix diverſo tempore, cum ergò genitrix eſt, natus eſſe non poteſt, nec in manus alvo manere, at cum in lucem proditur, natus non conſpicitur, eò quod non ſit in promptu genitrix, quæ puerpera ſit enixa filium, ſic alius in verſiculis:

Fœmina, vir, neutrum, ſibimet pater atque creatrix
Et ſe concipiens, ſe quoque parturiens.
Idcirco ſubdit.

V.

Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem,
Occidi matrem, ſed me manet exitus idem,
Id mea mors patitur, quod jam mea fecit origo.

Cum igitur ſit mater & filius vario tempore, certum eſt filium in lucem prodire non poſſe ſine matris obitu; at cum nondum ad ultimam pluſquam perfectionis metam pervenerit, ad quam neceſſariò ducendus eſt, per conſimilem vitæ ſuæ deſtructionem liquet eandem ſortem ipſum ſubiturum, quàm matri ſuæ dederat.

VI.

Vita miki mors eſt, minor ſi capero naſci,
Sed prius eſt fatum lethi, quam lucis origo,
Sic Solus manes ipſos mihi duco parentes.

Cum verò ex occaſu reſurgere glorioſior debeat, majorem ſit inde perfectionem conſequuturus, vivit dum moritur, & quia non fit in inſtanti, ſed per gradus ſucceſſivè, idcirco mori incipit, quando incipit oriri, itaque ſi perfectio ex occaſu pendet, prior erit lethi quam lucis origo, atque ita per neces parentum ad vitalis auræ fruitionem aſcendet, ſequitur.

VII.

Magna quidem non ſum, ſed ineſt mihi maxima virtus.
Spiritus eſt magnus quamvis in corpore parvo,
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

Exigua corporis mole præditus exterius conſpicitur, at interius potentia latitat, non exigua, dum ſpiritualis vis maxima experienti manifeſtatur, hoc autem in priori ſtatu non accidit, ſed cùm per regenerationis lavacrum ab originali maculâ fuerit mundatus, tunc enim in minori corpore ſpiritus poteſtas valdè magis aucta cognoſcitur, quod & Neotericus explicavit carmine ſub amici nomine ab ipſomet exarato:

Sed lavat, & vitam calica reddit aqua.
Nobilior tandem exurgit genitoribus infans.

Spiritualis ergo poteſtas interior maxima eſt in corpore parvo, cum dimidio minus, quam priùs, at denſius ſit redditum. Ex radice autem venenosâ germen procedit innoxium rubore ſuffuſum, non criminis alicujus culpâ, unde verecundari debeat, ſed ex igneo nutrimento, ex cujus auctione rubedinis tinctura infectus eſt.

VIII.

Ambo ſumus lapides, imà ſumus, ambo jacemus,
Quam piger eſt unus, tantùm non ſegnis & alter,
Hic manet immotus, nec deſinit ille moveri.

Spiritus & corpus ex una ſola radice procedit, corpus autem inſtar cadaveris vitâ functi nullam per ſe poſſidet energiam, ſed tota vis & poteſtas è ſpirituali ſemine provenit, cui ſoli omnis motus facultas, quæ corpori denegatur, referenda eſt, hæc autem in igne naturæ velut in plauſtro reſidet, ſine quo ſemen nihil operari valeret, ignis verò naturæ cùm adhuc imbecillis exiſtat, nec ipſe aliquid efficeret, niſi ab exteriori ſuppetias acciperet, totum ergò negotium ab igne pendet exteriori, qui non tantùm excitat, impellitque interiorem, ſed per ſuimet ſubſtantialem ingreſſum fovet & auget, uſque ad terminum ſubjecti naturæ debitum, quo malum recedit, atque tunc valde magis homogeneum redditur, quàm prius fuerit, ideoque ab Hentico Kunrat aptiſſimo vocabulo mentigneum appellatur, & propterea infert:

IX.

Findere me nulli poſſunt, præcidere multi,
Sed ſum verſicolor, albus quandoque futurus,
Malo manere niger, minùs ultima fata verebor.

Cùm ergò maximè ſit homogeneum, & ex pluribus unum penitus effectum ſit, non poterit in partes diverſas ulterius dividi, nec in ſubſtantias diſſimiles ut priùs ampliùs diſſecati, rectè à nemine findi poſſe dicitur, ſed tantùm corpore tenùs in quantitativas particulas; hoc verò non illi contingit dum verſicolor, ſed cùm ad candorem perductus fuerit, anteà verò per nigredinem tranſeat neceſſe eſt, in quâ ſi permanſiſſet, hanc perfectionis metam non attigiſſet, & idcircò à priori vitâ non defeciſſet, nec ad extremum pluſquàm perfectionis gradum pertingere valuiſſet.

X.

Nulla mihi vita eſt, nulla eſt peregrina figura.
Fulgor ineſt intus radianti luce coruſcus.
Qui nihil oſtendit, niſi ſi quid viderit ante.

Figuram pro colore accipit, quoniam homogeneitatis ratione figuram poſſidere nequit, ſed color eſt pro figurâ cujus nulli certæ addictum eſſe pronuntiat hoc ſubjectum juxtà verſiculos:

Nominibus cunctis, cunctiſque coloribus aptus,
Sicca & lympha fluens, Rex, Geta, flamma, lapis.

De hoc fulgore radiosâ luce corruſcante, qui latet interiùs, jam alibi ſuperiùs facta eſt mentio, in abditis verò penetralibus reconditur, nec apparet in propatulo, niſi periti artificis juvamine, ideoque addidit nihil oſtendere niſi quod prius obſtetricantis artis manibus illi adminiſtretur, quæ res maximè ſilenda, ut Kuntat præcitatus admonet, ſic perhibens: ſal antiquiſſimum lapis, cujus nucleus in denario philoſophicè fulgens, ſile. Quæ verba Delirus quidam ſenex antigoniſta ſilex interpretatus eſt, ſi enim X denarius nimirum verbo ſile addatur, ſit ſilex, quanquàm nec malè nominetur ſilex, ſi difficilem ejus ad ſolutionem duritiem reſpexeris, vel quia ſilicis more ex eodem ignis excutiatur forti chalybis colliſione, ut ſufficienter eſt indicatum.

XI.

Non ergo continuò morior, dum ſpiritus exit,
Nam redit aſſiduè, quamvis ni ſæpe recedat,
Et mihi nunc magna eſt animæ nunc nulla poteſtas.

Jam ſæpius prænonuimus arcanam illam operationem non unico actu compleri, ſed pluribus iteratis vicibus, ut in turbâ coque, coque, & iterum coque; tere, tere, & iterum tere, & Comes Trevirenſis in Epiſtola: ſunt quædam Mercurii ſublimationes ab ejus propriis corporibus, quæ illi per intima amalgamando conjunguntur, & commiſcentur, à quibus plaries relevatus

& recon-

& reconjunctus &c. rectè verò, nec sine mysterio dixit corporibus in plurali, licet sit unum tantummodò. Caveas autem ab his verbis, nec vulgares sublimationes intelligas, cùm opus hoc à vulgaribus quibuscunque sit longissimè diversum, quamvis illis universis & singulis quadantenùs similitudinariè possit adaptari. Absque præactâ occultâ sublimatione nihil valet, & instar fici putrefacti Lullio testante æstimari debet; attamen impretiabilis thesaurus post illam evadit, ideoque subditur & mihi nunc magna est animæ, nunc nulla facultas.

XII.

Plus ego sustinui quàm corpus debuit unum,
Tres animas habui, quas omnes intus habebam
Discessere duæ, sed tertia pene secuta est.

Sæpius repetitum est corpus hoc admirabile unicum tantummodò esse, quare non videtur tales tantasque subire potuisse passiones, cùm tamen expediat, imò potiùs oporteat id fieri, alioquin ad ultimam quò tendit metam percurrere, non valeret, ubi illi moriendum est, & animam à corpore separari, & propterea dictum est tertiam animam fuisse penè secutam alias duas antecedentes, quæ deletæ penitùs recessêre. De hoc ternario animatum numero plura in medium afferri potuissent, quæ tamen percipi jam non erit difficile non ex aliis magistrorum tractatibus, tum ex iis, quæ à nobis satis apertè declarata sunt; cætera in aliis nostris voluminibus Altissimo annuente declarabuntur.

Author ad Sopho Chemiæ Candidatos.

Qui miram lapidis virtutem ignorat, ab arte
Difficili abstineat, ne malè tangat opus.
Ergo quid est, dicam, allatis cum nomine signis
Est herba, est animal, cum peritigne volans,
Femina masque simul, nihil est quoque & omnia rursus:
Est cœlum & limus, Rex, fimus, ignis, aqua.
Dicitur & Sal, Mercurius quoque, sulphur & aurum,
Quicquid & in toto sensibus orbe patet.
Hoc tamen est unum semper, sed plura meretur
Nomina, quod fiat tempore multicolor.
Explicat arcanum, sed vox nulla aptior ovo,
Quod non materiam sed bene pandit opus,
Spiritus interior totam est qui complet opellam
Exterius quamvis postulet ignis opem.
Vim tamen inferri nullam sibi sustinet unquam,
Fulgida nam tristis corripit ora color.
Dulcibus alepedi blanditi convenit ignis
Non minus illecebris, quam reparare manu.
Sunt ibi ter septem præstandæ in pondere partes,
Tunc medium hoc numero quilibet artis habet.
Frigida terrestris, combustaque fex levis, atræ
Proditur, & posthac viva resurgit avis.
Nox prius allatis signat vestigia plantis
Cynthia post aperit clarius imbre viam.
Ducit in optatas, felices denique lymphas
Signifer ignipotens luce ferente diem.
Inditur infanti major vis ignea nato
Postquam sic fuerint cuncta peracta prius.
Conditur intereâ caco massa incola cæli.
Carcere quo repetat roscidus astra puer.
Grandior hic factus, cursuque per aëra ductus
Concidit, & quamvis fortior insit humi.
Principio senior, puer est in fine lapillus:
Impiger estque senex, cùm juvenescit iners
Est humilis primò servus, post ordine fit Rex.
Funere conceptus, vitaque finis erit.
Vique venena huic dant vitam, sic ipsamet augent,
Gloria, pax, & opes unde salusque fluunt.

FINIS.

SUBSECTIO IX.

Varios complectitur Tractatus, *scilicet* CLAUDII GERMANI Philosophiæ Occultæ Iconem, CHRISTIANI ADOLPHI BADUINI Aurum Auræ; MELCHIORIS FRIBEN Brevem Enumerationem à se hactenus in Chemicis actorum; Anonymi de spiritu mundi Positiones *aliquot*; ANDREÆ CNOFFELII *ad easdem* Responsum, *& tandem alterius* Anonymi Transitum facilem & planum ad Auream Hermetis Arcem.

ICON PHILOSOPHIÆ OCCULTÆ, *sive* vera Methodus componendi Magnum Antiquorum Philosophorum Lapidem, *Auctore Magistro* CLAUDIO GERMAIN; *Parisino, Doctore Medico Vniversitatis Parisiensis.*

Nihil est tam absconditum quod non aliquando manifestum fiat.

IOANNI CASIMIRO, Gothorum, Vandalorumque REGI Hæreditario, & Polonorum Electo.

MAGNVM illud Opus & vere Regium, me pene invito ac repugnante, & de illius veritate dubitante, in Aula tua Sarmatica susceptum, jussu Serenissimæ Reginæ Ludovicæ Mariæ Mantuanæ, conjugis olim tuæ dilectissimæ, piæ fœlicisque memoriæ, & sub tuis augustis auspicis ad finem primâ & potiore sui parte fœliciter deductum, facem lucidissimam in tantis & tam opacis Philosophorum tenebris mihi præferente Nobili illo Sendivogio Equite Polono, ingeniosissimo Lapidis Physici elaboratore, patiaris quæso sub tuo illustrissimo Nomine prodire in lucem, & publici fieri juris, REX GENEROSISSIME;

SIME; *ut Litterati omnes intelligant, quam nobili, quam honeſto, ſimulque utili, Magiſtræ Artis promovendæ & inveſtigandorum, nec non recludendorum præcipuorum Naturæ myſteriorum deſiderio, Heroina tua exarſerit; ac inter Poolnos tuos, quos plerique ſummâ cum injuriâ barbaros appellant, repertos fuiſſe homines, qui hanc reconditiorem naturalis Philoſophiæ partem, fœliciter & utiliter excoluerunt: dum Noſtrates, illam etiam paratam non ſolum non audent agnoſcere, ſed hanc ex omnium artium & ſcientiarum numero, omnibus ingenii viribus proſcribere conantur. Quare non indignum, ut auguror, plane munus erit quod ſacræ tuæ Majeſtati nuncupetur, illiuſque aris conſecretur, appendaturque, hæc ſapientiæ occultioris imago atque brevis pictura: quæ Naturæ, (quam Deus Optimus Maximus rerum omnium parens atque conditor, ex ſubtili quadam inviſibili & ſpirituali eſſentia creavit, illamque Imperatricem atque Reginam totius ſublunaris mundi conſtituit, ut quæ in illo ſinuu generationum & corruptionum viciſſitudines, præfixis ſibi legibus regeret, atque moderaretur:) Quæ Naturæ inquam, ſanctuarium, penitioraque illius adyta; intimoſque receſſus, profano vulgo inacceſſos, curioſis & perſpicacibus mentis oculis undequaque perluſtrans, inaudita illius opera, eorumque cauſas ſedulo & diligenter inveſtigat, exprimit ac repræſentat. Regum potentia nonnullarum Provinciarum exiguis limitibus atque cancellis, & paucorum annorum ſpatio circumſcribitur; Naturæ verò nullis, & in ævi conſummationem perennabit ubique diffuſa, ſuâ præſentiâ cuncta recreans atque reficiens: Cum verò nutu Dei aliquando defecerit; tunc dolor, luctus, confuſio, tenebræ & anarchiæ apparebunt. Quis ergo bonæ mentis, ô* REX! *potentiſſimæ iſtius Dominæ virtutem ſummâ cum Majeſtate & venuſtate conjunctam non admirabitur? quis illius noſcendæ, colendæ & amandæ deſiderio non effervebit; quæ ſuis cultoribus religioſis bonorum omnium tam animi, quam corporis uberrimum proventum promittit, & mentem ſanam in corpore diu ſano ac longævo; nec ſuis unquam deficiet promiſſis, ſi peritum & patientem invenerit artificem? Vnde illius ad Artiſtam exclamatio:* Protege me & ego te defendam. *Quare non mirandum, ſi Reges olim & Principes viri in hac Philoſophiæ parte, & Chymicorum arena fœliciter inſudarint. De illius veritate non dubitans Philippus Secundus cognomine Bonus, utriuſque Burgundiæ Dux, & totius fere inferioris Germaniæ Dominus potentiſſimus, in illius honorem & æternam memoriam, Nobiliſſimum illum Equeſtrem Ordinem Velleris Aurei inſtituit voluit. Auſtriaca domus, ſtirpi Burgundiacæ fœliciter inſerta, & ex eâ oriundi Hiſpaniarum Reges, eandem adhuc morem in ſuorum Equitum inauguratione retinent. Tu vero,* REX GENEROSISSIME, *cum ab hac Imperatrici & Regia familia, maternum genus ducas, ut paternum ex fortiſſimis, & invictiſſimis Gothorum, Vandalorumque Regibus; & in illorum Nobiliſſimorum Equitum ordinem aſcriptus ſis; Tuâ intereſt adinſtar Majorum tuorum, iſtius Artis veritatem, contra imperitæ multitudinis, ac Pſeudo-Philoſophorum calumnias defendere, ut quæ, in obſcuro hucuſque delituit Scientia nobiliſſima, ab omnibus pene contempta, & ludibrio habita, antiquæ ſuæ famæ & exiſtimationi in hac noſtra Europa reſtituatur: illiuſque pene viva atque ſpirans imago, eo quo decet cultu religioſe tuis Tholis mea manu affixa, ſi non apud iſtius ætatis homines, ſaltem apud Poſteros, extincto omni livore, & depoſito iniquo veritatis odio, aliquo modo veneretur. Interim vale,* REX GENEROSISSIME, *& diu vive, multumque fœlix, quod omnibus votis exoptat.*

SACRÆ TUÆ MAIESTATIS,

Humillimus & obſequentiſſimus ſervus, CLAUDIUS GERMAIN Pariſinus, Doctor Medicus Univerſitatis Pariſienſis.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

INTER Scientias poſt Theologiam & Medicinam, omnium nobiliſſima, utiliſſima, & veriſſima eſt ea, quæ docet modum convertendi Mercurium vulgarem, & imperfecta metalla, in aurum vel argentum. Hæc enim dum artificem fortunæ bonis, non vi, non fraude, non rapinis, ſed legitime, & ſine proximi diſpendio paratis beat; illum probis ornat moribus, ditat beneficiis, animi tranquillitatem, inculpatam corporis valetudinem, & longævitatem conciliat. Quare non poſſum ſatis indignari hujus Scientiæ Profeſſoribus, qui inhumanâ moti invidiâ, illam in ſuis monimentis adeo obſcure deſcripſerunt, ut omnem pene ad illam inveſtigandam & aſſequendam nobis præcluſerint aditum. Quantitas autem calamitates ubique gentium, à pluribus retro ſæculis, ejuſmodi libri induxerint, omnibus compertum eſt: dum patum cauta juventus, quamvis in aliis etiam ſcientiis erudita, ſpe tantæ fœlicitatis ſibi comparandæ ineſcata, poſt infinitos labores exantlatos, factâ omnium bonorum & temporis jacturâ, quod ſummè deplorandum, ad extremam miſeriam & infœlicitatem redacta fuit, atque etiamnum hodie reducitur. Non me latet Philoſophos, præmeditate iſtius obſcuritatis multas reddere cauſas; quarum præcipua eſt, non oportere omnes ex æquo diteſcere, ne agricultura, negotiatio, omneſque aliæ artes ad vitam & ſocietatem civilem tuendam neceſſariæ pereant. Sed quam frivola ſit ejuſmodi ratio, quis non novit? Lapis quippe noſter, non eſt lapis ruſticorum, ſed Philoſophorum, & doctum in naturali ſcientia, peritum, ſapientem, ſollicitum, & induſtrium requirit artificem, non de vulgi fæce, & Bœotum in craſſo ære natum. Verendum ergo non eſt, ne hæc divina Scientia, quamvis clare, dilucide, ordine & methodo, more aliarum ſcientiarum doceatur, ad indignos & infimæ plebeculæ homunciones deveniat. Diocletiani tempore, teſte Suida in ſuis Collectaneis, apud Philoſophos & Theologos Ægyptiorum, non minus nota erat, & ad praxim reducta, quam apud ruſticos agricultura, ſine aliarum artium diſpendio. Ne ergo in poſterum Chymiæ ſtudioſi, in hoc periculoſo mari navigantes, inter ſyrtes & ſcopulos Philoſophorum naufragium faciant: ecce, Lector, quæ frequenti librorum lectione, aſſiduâ & profundâ meditatione, ac laboriosâ experientiâ, artium omnium magiſtrâ, vera eſſe deprehendi, tibi bonâ fide communico ſine ullis ambagibus ac Sapientum ſophiſmatibus: ſic veteſtis novitas, faſtiditis gratia, obſoletis nitor, dubiis fides, confuſis ordo conciliabitur. Commodum ergo prodeat in lucem omni detracto velamine, ſuis veris ac genuinis, non fucatis adornata coloribus, hæc Scientia præſtantiſſima: quæ quoniam Naturæ ſecretiores motus atque techinas, quibus utitur in metallorum generatione, artiſque illius æmulæ,

æmulæ,in illorum ad invicem transmutatione,toti pene mundo huc usque incógnitas, & omnium etiam oculatiorum fidem superantes,fideliter aperit, & demonstrat; tota naturalis est. Quare non mirum,si nihil aliud prædicent Philosophi, quam Naturam: Juxta illud : *Natura naturâ lætatur, Natura naturam continet, Natura naturam vincit ac superat, & tamen unica est Natura.* Sedulo ergo investigare debet artifex,quid per Naturam intelligant Philosophi. Lullius Chymicorum Philosophorum,post Gebrum,facile princeps;Libro de Arte intellectiva,Naturam sic definit.

" Natura est una fortis compositio de materia subtili & uniformi, humida & viscosa, animata calore ; per suam " claritatem quæ virtus est cœlestis: quæ Natura non indiget compositione , vel multiplicatione alicujus alterius " naturæ, quia ipsa continet in sua compositione totum illud quo indiget de quatuor elementis in sua perfectio- " ne, & extra ipsam nihil continetur quod sit necessarium suo composito : quare si aliam rem illi imponas, non " cognoscis Naturam;nec optatum operis finem assequeris. Quod si eam cognoveris , tu scies omnia sua opera: " quia cum nostra Medicina debeat esse de pura natura , & natura pura non sit alia res nisi talis compositio, ne- " cessarium est ut unitas suæ operationis æquipolleat uniformitati suæ compositionis.

" Hinc colliges,quod opera nostræ Medicinæ,quæ ipsa facit,cum fuerit excitata per calorem extrinsecum,non " sunt nisi opera Naturæ: cum dicta Medicina sit de istamet Natura, quæ non est aliud nisi vera compositio puræ " naturæ: & hoc scimus per veram experientiam:nam in sua sublimatione, illud quod non est de essentia sui com- " positi, segregat & separat ut convenit: puras vero, splendidas,cœlestes & immaculatas partes unit & ligat, ut " ex iis faciat substantiam coagulatam , & in igne permanentem. Ex iis effectibus concludere licet Naturam " solam sibi sufficere, ut sui operis finem consequatur , sine ullius naturæ adminiculo , modo à calore externo " excitetur.

" Natura componitur ex quatuor Elementis & ignis fortior est omnibus elementis existentibus in naturæ " compositione,& ignis existens in illius compositione,est quarta pars naturæ; & alia quarta pars est aqua , alia " terra, alia aër,& quodlibet quatuor istorum elementorum elementatur in magnâ puritate; sicque de quatuor puris " naturis Natura est composita; per talem proportionem quam requirit forma & species nostri argenti vivi, quæ " est natura composita de quatuor elementis, sine transgressu mensuræ æqualitatis,per quam resultat nobilis pro- " prietas, quam debes custodire ab omni igne combustibili: quoniam,si aliquid prædictorum elementorum, ma- " xime ignis,resolvatur & dissolvatur,ac separetur à compositione naturæ per aliquem ignem extraneum , forma " compositi corrumperetur, cum suis proprietatibus: quod etiam fieret, si illi admisceas terram extraneam.Qua- " re necessarium est,ut unum non resolvatur sine alio,& hoc sine admixtione rei alicujus diversæ naturæ.

Hæc Naturæ definitio, nulli rei in toto modo potest convenire quam nostro argento vivo, quod ex arsenico per sublimationem à suis sordibus repurgato, extrahitur. Hic enim fortis est compositionis , de materia subtili & uniformi, viscosa & humida auro ipso ponderosiore , in qua quatuor elementa adeo firmiter uniuntur, & ad tantam æqualitatem sunt perducta mixtionis, ut nunquam humidum à sicco id est aqua à sua terra separetur:& cum in aqua aër contineatur, in terra ignis, hinc fit , ut quatuor illa elementa nunquam possint à se invicem separari. Nam aut tota illa substantia avolat in fumum,cum sit volatilis;aut remanet,ignis vehementiam sustinens,si artificis industriâ fixa fuerit.

Hæc admirabilis substantia,cui parem in mundo non licet invenire,omnia in se continet necessaria ad omnium Metallorum generationem, & Lapidis nostri Physici compositionem:Unde illud Philosophorum effatum. *Est in Mercurio quidquid quærunt sapientes.*

Sed Lullius in hac Mercurii Philosophici descriptione subticuit,de industriâ,ut auguror,præcipuam causam efficientem admirabilis istius mixtionis,qua elementa inter se sic uniuntur, ut nunquam possint à se invicem separari:quod nec in animalibus,nec in plantis,nec in omni mineralium familia,excepto auro,& argento,licet reperire: in iis enim semper humidum à suo sicco , & alia duo elementa , ignis & aër , vi ignis externi facile separantur.

Nam cum mixtio sit actio & motus,quo elementa inter se miscentur & uniuntur,& motus necessario supponat motorem,cujus jussu ac imperio hæc inter se coëant & uniantur,ad mixti sive animalis,sive vegetabilis,sive mineralis,productionem: motor ille, aut erit agens universale increatum,nempe Deus, qui ut omnia de nihilo condidit , sic creatis in ipso generationis actu vires impertit formas & spiritus architectonicos , quibus rerum sibi agendarum fines, atque scopos possint assequi; quod ab omni ratione est alienum; sola enim anima rationalis extrinsecus advenit,in fœtu omnibus suis partibus absoluto infusa. Quare alii,inter quos Fernelius familiam ducit, omnium rerum formas de Cælo deducunt;Peripatetici verò de sinu & potentiâ materiæ,ope dispositionum præviarum : quasi vero accidentia ad formæ substantialis generationem , aut eductionem possint aliquid conferre: Chymici vero unà cum Hippocrate, veteribusque aliis Philosophis , longe profundiùs Naturæ mysteria perscrutantes, observarunt in omnium animalium & plantarum seminibus,quæ visu & tactu deprehenduntur, inesse spiritum quemdam artificem,qui quamvis non noscat, nostro more, quæ sunt sibi peragenda , nesciatque quid faciat,ut cum Hippocrate loquar, libro primo de Diæta; rerum tamen sibi agendarum typos,characteres , notiones sigillares, easque invisibiles continet, infallibili & vitali scientiâ instructas , quarum ope nisi à potentioribus causis impediatur , materiamque suo operi convenientem & sequacem invenerit , nunquam à suo fine frustrabitur. Quod si nec locus nec aliæ omnes causæ ad perfectam atque absolutam generationem necessariæ concurrant , illius vice fiet transplantatio,quæ est generationis accidens. Sic triticum infœlici terræ commissum, in lolium degenerat , sisymbrium in mentam, angelica in imperatoriam;rursusque lolium in solo uberi ad tritici dignitatem assurgit.

Quæ vero ex putredine generantur,æquivocâ, ut ajunt, generatione,quia illorum semen, & spiritus genitor , in lenta quadam & viscida materia continetur, quæ magnâ vi impressionibus externis resistit, suas vires integras & inviolatas servat.Cum verò hic spiritus per rei putrescentis dissolutionem à suis liberatur compedibus,ex materia sibi substrata novum corpus architectatur,suis officiis accommodatum.Sic mures ex sterquilinio putri generantur; sic ex anate corrupto in vase optime clauso,ranæ,bufones, aliaque ejusmodi animalia, quibus victitare solebat, soboleseunt.Sunt & aliæ generationes,quæ nullo visibili semine,nec putredine sensibili fiunt. Talis est plurimarum plantarum generatio spontanea:quippe solo Natura subest. Talis est mineralium,& Metallorum productio:quorum semina, initio creationis, in thesauris aquæ invisibilibus collocata, destinato sæculorum lapsu,è suis fontibus pro-

deuntia, terræ penetralia ſubeunt; ubi potiſſimum in rupes & ſaxa indurui: inibique convenientibus,& juſto pondere attractis & libratis elementis ac mixtis,aquâ nempe,terrâ,aëre,& igne mineralibus,varias mineralium, Metallorumque ſpecies,noſtrumque Mercurium Philoſophicum componunt.

Hæc rerum corporumque principia inſenſibilia,ſunt ſeminales rationes,quibus Platonibus,Mercurius componitur,poſttonicorum, veterumque Patrum Eccleſiæ, qui illorum doctrinam ſectati ſunt; nec non Paracelſi atque Chymicorum Philoſophorum ſchola triumphat: De quibus, cum ne per ſomnium unquam cogitaverint Peripatetici,non mirum,ſi illorum doctrina de rerum naturalium principiis,mixtione elementorum & generatione, dubitationibus indiſſolubilibus hucuſque referta fuerit.

His jactis fundamentis, aſſero ad omnis operis naturalis atque etiam artificialis, quod cum Natura ab arte adjuta perficitur,compoſitionem;tria ſolum requiri:materialem cauſam,efficientem, & adjuvantem vel coagentem, quæ externa eſt,& efficientem ad actum promovet. At in noſtro Mercurio duæ illæ cauſæ internæ continentur, materialis nempe & efficiens.Efficiens eſt ſpiritus ille genitor & artifex in eo inviſibiliter contentus, qui ad inſtar fabri cujuſdam ſapientiſſimi, elementa miſcet juſtis ponderibus materiamque convenienter diſponit ad Metallorum generationem. Materia ſunt quatuor elementa ineuarrabili inter ſe unione permixta, quorum duo fœminina appellantur,aqua & terra,qui temperamento frigida & humida;alia duo maſculina,quia calida & ſicca;ignis & aër.

Ratione quatuor iſtorum elementorum, ex quibus noſter quam à ſuis ſordibus exactè fuerit repurgatus, duas in illo partes,viſu & facultate diverſas,peritus artifex deprehendet:quarum una frigida & humida,cryſtalli lucidiſſimi perſpicuitatem exactiſſime æmulatur; & quia genita eſt ex humore aqueo in vaporem reſoluto, ſecundum Ariſtotelis opinionem, & rei veritatem, videtur in formam glaciei concreviſſe; & cum ſummo, ſtupente,ac penetrabili frigore ſit prædita,jure à Baſilio Valentino Draco frigidus appellatur,qui diu in rupibus habitationem habuit: altera vero calida eſt atque ſicca,& maſculina appellatur;à nonnullis ſulphur,ab aliis oleum incombuſtibile,ad inſtar rubini colore ſuo igneo & flammeo oculis adblanditur: generatur ex exhalatione puriſſima,ſicca & terreſtri:in ea præcipue hoſpitatur ſpiritus noſter artifex, & naturæ ignis,qui eſt præcipuum iſtius ſpiritus inſtrumentum, cooperante causâ externâ,calore nempe convenienti, quo utitur ad Metallorum generationem in terræ viſceribus, atque in noſtro Philoſophico vaſe ad operis noſtri compoſitionem.

Pars illa noſtri Mercurii frigida & humida,quæ,ut dictum eſt,fœmina appellatur,ſecundum artis terminos,primo tam in Metallorum generatione,quam in noſtri lapidis compoſitione, dominatum obtinet in partem calidam ſiccam & ſulphuream: ſed tandem aliquando coctione diuturnâ, per varios mutationum gradus, alteratâ noſtrâ materiâ,pars calida atque ſicca,ſulphur vel ignis,ſuum vincit Mercurium, illumque in aurum convertit,ſi loci aptitudo cæteræque cauſæ conſentiant; quod etiam contingit in noſtro opere Philoſophico. Totum ergo opus noſtrum ſit ex ſolo Mercurio à natura animato. Ratione igitur ambarum iſtarum cauſarum, materialis nempe & efficientis, quæ Mercurii noſtri eſſentiam conſtituunt, merito naturale appellari debet; nec non ratione operationum,quibus utitur artifex ad illum perficiendum: nam ut natura in venis terræ mineralibus per continuas ſublimationes, circulationes & digeſtiones,ſuam materiam à ſordibus repurgat, concoquit, tandemque ope ſulphuris Metallici, & ſpiritus artificis,adjuvante calore minerali atque ſolis, in aurum convertit; ſic illud idem noſtra ars perficit adjuvante calore externo: proprium eſt enim ſulphuris ſuum coagulare Mercurium. Naturæ finis eſt atque ſcopus aurum producere;quo acquiſito ab omni ceſſat opere,nec ad majorem efficaciam & dignitatem illud poteſt promovere: ars vero ulterius procedit; nam ex ſuo Mercurio primum aurum producit, poſtea vero ſuam tincturam & lapidem Philoſophicum;aurum enim ſuum juſto pondere miſcet cum ſuo Mercurio, & diſſolvit in vaſe exacte clauſo,tandemque per varios alterationum gradus in lapidem Philoſophicum citiſſime fluentem, penetrantem tingentem & fixum tranſmutat: qui Mercurium vulgarem & imperfecta Metalla, prius à ſuis ſordibus repurgata,convertit in aurum naturali omnino ſimile:nam impura ſulphura altius in illorum Mercurio immerſa: citiſſime ſeparat, Mercurium vero crudum & indigeſtum maturat; quia ratione ſuæ maximæ tenuitatis & fluiditatis facile in illorum ſubſtantiam penetrat, ſuâ affinitate illis adhæret, qualitate ſiccâ, igneâ, illorum humidum ſuperfluum diſſipat,nativum radicale & Mercuriale maturat,concoquit,terminat,figit,tingit eâ quam poſſidet ſuperabundanti tincturâ,ſicque aurum producit.

Hæc tinctura ſimilis eſt aquæ rubicundiſſimæ, fixæ, contra omnem pugnam, etiam vehementiſſimi, frigore concreſcit in modum vitri rubicundiſſimi, & lucidiſſimi, calore levi facile liqueſcit, & in Mercurii vulgaris ſubſtantiam penetrat, priuſquam in fumum avolet, illumque figit, tingit, & in aurum convertit.

Quamvis lapis noſter ex quatuor elementis, artis beneficio ſumme depuratis & digeſtis, componatur: attamen duo ſolum in opere noſtro ſunt viſibilia, aqua & terra in terra ignis hoſpitatur, in aqua aër, ſed dubitatur, quodnam ſit primum in arte elementum,ex quo alia procedant, an aqua,an terra. Paracelſus ultimam Metallorum ut & omnium mineralium materiam eſſe aquam aſſerit, in qua illorum ſemina continentur, quæ in terram velut in matricem effuſa,in ea creſcunt,augentur & perficiuntur,aquæ ſolius beneficio; ſed quæ omnia alia elementa tria in ſe contineat potentiâ,& in aquæ ſpeciem reſoluta.Sic Thales Mileſius,& ante eum Heſiodus, primam compoſitionis,& ultimam reſolutionis rerum omnium materiam,aquam eſſe aſſerunt. Et ut omnis generatio incipit ab humido,ſic corruptio tandem humido terminatur,teſte Job,*Homo bulla*. Hanc ſacri textus veritatem quotidiana comprobat experientia. Quid enim, amabo, ex infinitis pene cadaveribus, à tot retro ſæculis in noſtris ſarcophagis tumulatis;quid,inquam,ex iis terræ vel cineris ſupereſt:nihil prorſus:omnis illorum moles, etiam ſolidiſſima atque oſſea,primo in terram vel cinerem converſa fuit,terra in vapores, qui inviolabili lege naturæ in aquam convertuntur.

Quemadmodum ergo plantæ creſcunt in aëre, & ſuas habent radices defixas in terra, ex cujus ſubtili aqueo terræ inviſibili & impalpabili permixto nutriuntur, & omnia vitæ vegetantis munia peragunt; ſic etiam Metalla ſua habent principia,ſemina & radices in aqua,quæ ex eadem aqua in terræ venis mineralibus creſcunt,nutriuntur & tandem Metalla generant.

Quare non immerito cum Lullio aſſerunt Philoſophi, ex ſolis aquis Metallicis omne Metallum coaleſcere, & quo puriores ſunt ejuſmodi aquæ,eo puriora,ſplendidiora & fulgentiora fieri Metalla:perſpicuum enim condenſatum nitet & fulget.

Quod

Quod vero Metalla ex sola aqua minerali concrescant, sed in qua ut dictum est, alia tria elementa in potentiâ & resoluta contineantur; hinc manifestum est, quod Metalla etiam perfectiora, artis beneficio, & sedulî artificis industriâ, in aquam Metallicam puram & nitidam reducantur; quæ aquâ est sola atque proxima lapidis Philosophici materia.

Magna certe est aquæ dignitas atque præstantia, nec minor illius necessitas: quis enim non videt illam esse rerum omnium, quæ generationi aut corruptioni subjiciuntur, materiam; postquam varias subierit mutationes? Ex semine generatur homo, semen ex sanguine, sanguis ex chylo, chylus ex alimentis, alimenta ex animalibus aut vegetabilibus desumuntur; vegetabilia ex aqua vegetant, nutriuntur, crescunt, fructus & semina producunt, quibus suas species conservant. Mineralium & Metallorum eadem sors atque conditio, & inter mineralia sæpius lapides ex solis aquis semine petrificio impræguatis generantur immediate; nullâ intervenient alî mutatione, ejusmodi aquæ, res omnes quas attigerint in lapidem convertunt.

Sit ergo aqua, unica rerum omnium materia, quæ seminalium rationum beneficio, in varias atque diversas immutata formas, admirabilem hanc in rebus omnibus generatis parit diversitatem. Semina sint adinstar fermentorum, aqua velut pasta, spiritus architectonici in seminibus contenti, opifices, qui materiam sibi substratam subigunt, coagulant, figurant, & infinitas corporum species constituunt, nec visu, nec facultate sibi similes. Tota ergo rerum generatarum varietas non tam ex materiæ diversitate, quàm ex seminalium rationum varietate specifica pendet; quæ initio creatæ à Deo Optimo Maximo, in elementis collocatæ fuerunt. Hospes est in rerum naturalium cognitione atque scientia, qui hæc solida atque inconcussa naturæ fundamenta ignorat.

Cum ergo nullum sit individuum in totâ rerum natura, cujuscunque illud sit speciei, quod non ex aquâ & semine sibi proprio & specifico generetur; variis intercedentibus mutationibus; quis non sibi facile persuadebit, ex aquâ nostra Mercuriali, semine aurî ico, eoque crudo, nec satis à naturâ digesto, turgente, posse aurum generari, & lapidem Philosophicum produci?

Quidquid enim ad aliquem finem destinatum est, & imperfectum remansit propter digestionis defectum, potest ulterius digeri & artis beneficio maturari.

At Mercurius noster & aqua Metallica ab eo & auro extracta tales sunt.

Ergo possunt ulterius perfici, maturari, & in aurum ac lapidem Philosophicum converti: qui lapis verum est & maturum ac omnibus numeris absolutum auri semen, ideoque potens ex Mercurio vulgari & imperfectis Metallis aurum producere.

Natura in visceribus terræ aurum generat, quod quidem sterile est; nec per se & proprio motu aurum generare potest; idque triplici de causa.

Prima est, quia abundanti & sibi superfluâ non est dotatum tincturâ, quam possit aliis communicare Metallis.

Secunda, quia illius semen & spiritus geniter in denso, solido, atque compacto corpore incarceratus, &, ut quidam dicunt, incantatus, sui non est juris; nisi prius per dissolutionem liberetur à suis compedibus.

Tertia, quia convenientem, ad generationem, & tuæ similitudinis in generato effusionem, in terræ visceribus assequi non potuit maturitatem; quibus defectibus ars succurrit, dum illius tincturam mirum in modum auget, flavumque colorem in rubicundissimum convertit: dum aurum in aquam Metallicam dissolvit, quam longa & diuturnâ coctione digerit, maturat, illamque ad aurifici seminis dignitatem promovet. Sic plantæ nisi fœlici solo cœloque fruantur, fructus ad maturitatem producere non possunt, nec suis seminibus vim generandi impertire: quos defectus peritus atque industrius hortulanus resarcit, naturæ laboranti & languidæ opem ferens. Hac arte circurantur agrestes, mitigantur sapores, mutantur colores, maturitatis tempora accelerantur, totaque natura arbitriis mortalium se submittens, utili delectabilique varietate nos recreat.

Si Philosophi, qui sua, de hac scientia, monimenta posteritati reliquêre, clare & aperte magnæ istius artis præcepta exposuissent; jam hæc apud eos omnes qui Philosophorum titulo, & rerum naturalium, si diis placet, peritia superbiunt, non male audiret, nec illius artifices, quamvis probi & periti, falsitatis aut vesaniæ insimularentur. Sed quoniam ad illorum allegorias, ænigmata, metaphoras, parabolas & emblemata, cœcutiunt, nec tantorum mysteriorum intelligentiam sibi comparare valent, ingenii tarditate aut ignavia; in artem stolide debacchantur, & ad solius lapidis Philosophici nomen exhorrescunt, veluti serpente viso aut exaudito illius sibilo. Sed quid iniquius illis hominibus, qui naturæ, quæ Dei est ars, Majestatem lumenque coruscans lippis & caligantibus oculis excipere non valentes, de re sibi incognita, imperantium Tyrannorum more, decernere volunt? quid injustius quam ex nebulonum quorumdam fraudibus ac impostoris; qui se falso Chrysopeiæ & Argyropeiæ peritos olim jactitarunt, atque etiamnum hodie jactitant apud Magnates, hanc artem vere Divinam, tot Philosophorum magni nominis auctoritatibus, experientiis, rationibus, & uno omnium gentium consensu, à pluribus retro sæculis comprobatam, calumniari? quæ procul à suis focis & laribus hos veteratores arcet, soloque admittit probos, prudentes, ingeniosos, & in Naturæ mysteriis reconditioribus abunde initiatos. De quibus sic canit Augurellus lib. 2. Chrysopeiæ.

At sapiens superos imprimis qui colat, & qui
Noscendis penitus causis modo gaudeat, huc se
Conferat, & hanc' tetis secletur viribus artem.
Huic comes hærebit gravis exploratio rerum,
Intima naturæ passim vestigia servans.

Sed ut probos eximius ille Poëta ad artem invitat, sic ab illa arcet malos & indignos, dum ait eodem loco:

Hanc non impuris manibus fraudator avarus
Attingat, decoctor item, quique fabrili
Arte valet, mollisve etiam cui perdita cordi
Otia, mercatorve vagus, vel deditus urbi
Civis, & incumbens telluri, arvisque colendis.

Sileant ergo ejusmodi homines malevoli, & impostorum meminerint, scientiam non habere inimicum, nisi ignorantem, agnoscantque una cum Comico:

Homine imperito nunquam quicquam injustius,
Qui nisi quod ipse facit rectum putat.

Icon Philosophiæ Occultæ.

CANON I.

QUi de possibilitate transmutationis Metallorum imperfectorum, & Mercurii, in perfecta dubitat; rationibus, experientiis, at autoritatibus tot probatissimorum Philosophorum, Hermetis, Arnaldi Villanovani, Lullii, Morieni, aliorumque plurimorum, quorum nomina recensere esset inutile, fidem non adhibens, is in meridianâ luce lucentem solem non videt: nam ut ait Avicenna Chymicus, *Qui accipit quod debet, miscet ut debet, regit ut debet, necesse est ut fiat quod debet.*

II.

Quæ scientia docet modum quo admirabilis illa transmutatio potest fieri, pars est naturalis Philosophiæ occultissima, à veteribus Philosophis probe cognita, exculta, ac in usum fœliciter revocata, sed ad nos transmissa, tot ænigmatibus, allegoriis, parabolis & figuris obumbrata, ut difficile sit admodum ad illius cognitionem pervenire; illam partem asse Cabalæ Judæorum asserit Arthephius: sic ramum suum aureum miro artificio occultavere.

III.

Duplex est: Theorica, & Practica. Ratione theoriæ, inter scientias numerari debet, ratione praxeos, inter artes; sed artium aliæ subjectis materiis dominantur, illasque ad artificis solius arbitrium, variis formis, & figuris vestiunt & exornant, ut statuaria, figulina, pictoria &c. aliæ vero naturam requirunt adjuvantem, ut Medicina, Agricultura. Inter illas est nostra scientia; quæ (quoniam in prioribus Metallorum & mineralium succis investigandis, secernendis, & excoquendis, donec depositâ cruditate & feritate mitescant, occupatur) Chymia, & ars Spagirica, vel Pyrotechnica appellatur. Nam quemadmodum, nisi vis generans inesset frumento, vana essent omnia opera agricolæ; sic nisi in lapidis materia, tum volatili, tum fixa, vel Mercurio, & auro, inesset spiritus quidam Metallicus seminis naturam obtinens, producere aurum, vel argentum philosophicum, vel Elixir tam album quam rubrum, in vanum laboraret artifex. Ut natura in mineris ex proprio semine generat aurum vel argentum; sic ars extra mineras ex eadem materia suum lapidem philosophicum: quare artis opus mere est naturale.

IV.

Natura est vis quædam rebus insita, ex similibus similia procreandi. Vel natura est ignis invisibilis, vel igneus quidam vigor, aut spiritus rebus omnibus creatis insitus, quo cunctæ res se multiplicant. Hanc naturam in rebus omnibus corporis agnoscit D. Augustinus, lib. de Trin. *Rebus omnibus corporeis, inquit, seminaria quædam rationes insunt, quæ cum data iis fuerit opportunitas, prorumpunt in causas debitas, & species suis modis & finibus.* Hos spiritus, & seminarias rationes, in Metallis crassiori cohiberi materia asserunt Philosophi; à qua si rite secernantur, secretique in sua sede naturali, & loco convenienti conserventur, sibi simile poterunt generare. Quare Augurellus de auro sic philosophatur lib. 2. Chrysopeiæ.

Sed purum atque omni purgatum sorde è Metallum
Accipies, cujus secretâ in parte recessit
Spiritus, & crassâ pressus sub mole latenter
Vitlitat, ac solvi vinclis & carcere cæco
Emitti expectat, tenues effusus in auras.

Et alio in loco.

In auro
Semina sunt auri, quamvis abstrusa recedant
Longius, & nobis multo quærenda labore.

Denique lib. 1. Chrysopeiæ, postquam asseruit res omnes creatas sibi insito spiritu sese multiplicandi facultatem habere; ne de auro concludit:

Denique sic etiam fulvo detentus in auro
Ipse manum cupit artificis, qui vincula solvat,
Et qui se propriâ reddat virtute potentem.
Quod si quis properans hunc artis viribus unquam
Explicet, atque diu tepido post incoquat igni,
Continuo aspicies visu mirabile, vitam
Auro impertiri longo cum semine usu:
Nec deerit, quin ex auro sibi procreet aurum.
Quod cum ita constiterit, durate, & credite dictis
Intenti artifices, & res sperate secundas.

Aurum vita frui vegetativa, sed occulta, & aliquando non modo occulta, sed etiam sensibili comprobat experientia. In Hungaria vinetum est, quod vulgo vocant *Tokaie*, vinis quotquot sunt in Europa, delicatissimis, suavissimis, & salubertimis abundans; è cujus fundo, aurum in tenuissima filamenta ductum emergit, & viribus clavicularum instar annectitur; nonnunquam etiam racemorum acinos undequaque obvolvit, adeo ut toti aurei appareant: quod ludentis naturæ miraculum Augurellum non latuit, illudque graphice descripsit, lib. 2. Chrysopeiæ, his versibus:

Pullulat interdum proprii virtute vigoris
Auri perpetuum germen, ferturque sub auras,
Non secus ac summâ fruticis tellure cacumen
Exit, & inde suâ vi, sese extollit, ut Istri
Accola fœlicis sæpe illud stirpibus hærens,
Capreoli in morem vati circumdare truncos,
Implicitumque etiam saxis invenit obesis.
Usque agiles serpunt hederæ, lateque pererrant,
Amplexæ lateres circum, pariesque fatiscit.
Diruitus, ingressis rimas radicibus, atque
Frondibus, ac prætermissis latera obvia ramis.
Sic topho inseritur crescentis vividus auri
Surculus, atque intus partes explorat inanes.
Egreditur que illuc, & se diffundit in auras,
Aut varie illius summas complectitur oras,
Quasque tenet solide conspersas purus inaurat.

V.

Theorica, naturam spirituum ex quibus corpora componuntur, investigat; nec non etiam corporum, quæ sunt effectus spirituum. Spiritus in hac arte appellantur minerales substantiæ, quæ ope ignis sublimantur, & abeunt in fumum; corpora autem, quæ in igne fixa manent. Illa autem sunt sex, aurum, argentum, cuprum, stannum, ferrum & plumbum. Mercurius vulgaris ambigit inter corpora & spiritus: non est omnino spiritus, quia imperfectam accepit à natura coagulationem, defectu sulphuris coagulantis, quo illum privavit: nec corpus, quia sub malleo non potest in omni dimensione extendi: nec fusile & ductile, quod in Metallis requirunt artis periti.

VI.

De varia corporum compositione, perfectione, & imperfectione, cruditate, maturitate, ac adustione, vanum esset hic differere, & hanc crambem toties à Philosophis excoctam, iterum recoquere: super hac re consule Gebrum lib. 3. summæ perfectionis.

VII.

Duo sunt solum spiritus, qui corporum, & postea Elixiris compositionem ingrediuntur: Mercurius & sulphur. Ne credas Mercurium philosophorum esse eum, qui vulgo venalis reperitur; quocunque enim artificio ille præparetur, ad Elixiris compositionem est inutilis;

lis : Idem sentias velim de sulphure vulgari.

VIII.

Mercurius Philosophorum in sua prima radice compositus est ex terra alba,subtili,nimium sulphurea,cum aqua clara fortiter admixta,& unita tali unione per minima, donec humidum temperetur à sicco , & siccum ab humido æqualiter ; quousque fiat substantia viscosa, non quiescens in superficie plana , nec adhærens tangenti , propter siccitatem quæ alteravit aquositatem in ipso: hic, est toties celebrata Philosophorum aqua sicca, homogeneus est in natura sua,& ex partibus undequaque similaribus constans;quia si fixus est, totus remanet in igne;si volatilis, avolat in fumum;cum sit incombustibilis , & aëreus , quod est perfectionis signum.

IX.

Hic Mercurius densam habens substantiam , qui ex subtilissimis partibus componitur , & auro præponderans,cum est in sua natura , & repurgatus ab omnibus heterogeneis substantiis , est totius operis Physici fundamentum;sine ipso nihil fit,& cum eo totum,juxta illud Philosophorum effatum. *Est in Mercurio quidquid quærunt sapientes* Hinc Geber. *Si cum solo Mercurio perficere poteris , pretiosissimæ perfectionis eris investigator,& ejus operis summâ lætaberis,quæ natura vincit opus: mundare enim intime poteris,ad quod non pervenit natura:sic ars naturam aliquando superat. Hic Mercurius est amicabilis ,& Metallis placabilis , ac medium conjungendi tincturas:nihil in eo submergitur nisi sol,sine ipso aliquod Metallum deaurari non potest, id est in aurum convertit:est tinctura rubedinis & fulgidi splendoris, non recedit à commixto,si fixus fuerit.* Et alio loco Geber. *Laudetur,inquit,benedictus & gloriosus Altissimus, qui creavit illum,deditque illi substantiam & substantiæ proprietates,quas non contingit ex rebus ullam possidere, ut in illa possit inveniri hoc perfectionis , per artificium aliquod quod invenimus potentiâ propinqua:ipse enim est qui ignem superat,& in ipso ac ab ipso non superatur,sed in illo amicabiliter gaudet quiescens,si nempe fixus fuerit.*

X.

Sulphur est pinguedo terræ ,per temperatam decoctionem inspissata in minera,quousq; indurnerit,&cum indurata fuerit,sulphur vocatur. Duplex est;vivum,purum,incombustibile;& adurens,atq; impurum. Purum duplex est;album &rubrum:rubrũ ingreditur compositionem auri,album vero argenti . Impurum autum duplex;fixum,& volatile atque inflammabile.Quæ Metalla plus habent de sulphure fixo, & immundo,difficilius liquantur, & vehementem ignitionem requirunt ; ejusmodi sunt æs & ferrum:quæ vero plus habent de volatili & inflammabili , ante ignitionem funduntur, & liquantur. Sed hæc dicta sint obiter, & per transennam. Qui plura de particulari Metallorum natura,& compositione scire voluerit, consultat Gebrum lib.3. summæ perfectionis; ars enim hæc transmutatoria, cum sit subalternatata tractatui de Metallis,in explicanda illorum natura,proprietatibus & differentiis, quibus inter se distinguuntur , non occupatur: solum investigat modum quo possint imperfecta in perfecta transmutari.Sed redeo ad propositum ; sulphur vivum & incombustibile auri & argenti compositionem ingrediens, est exhalatio calida & sicca,genita ex purissima siccitate terrestri, in qua omnibus modis dominatur ignis;cujus proprium est tandem successu temporis suum coagulare Mercurium;in argentum,si sulphur fuerit album,vel in aurum, si fuerit rubrum: Sicque perfecta Metalla ex solo Mercurio,purissimo,subtilissimo,& defœcatissimo,coagulato à pauco sulphure albo vel rubro generantur. Plura de theoria commentari vetant compendii leges.

XI.

Practica docet modum conficiendi lapidem Philosophorum, vel eorum tincturam. Lapis autem philosophicus, est aurum vel argentum, per varia & multiplicia artis regimina ad supremum subtilitatis , fusilitatis , puritatis, fixitatis, & tincturæ gradum perductum , tantisque pollens viribus , ut Mercurium vulgarem & imperfecta Metalla transmutet in aurum vel argentum ; in omnibus examinibus constans & verum.

XII.

Hunc artis finem & scopum non assequetur artifex, nisi aurum vel argentum per analysim, & methodo resolutivâ destruantur,& in sua principia reducantur;postea vero per varia artis regimina,& methodo compositivâ perfectiora fiant: Metalla enim sic destructa, artis beneficio,& sedduli artificis industriâ, depurantur ab omnibus excrementis terrestribus,& aqueis,nec-non à sulphurum pinguedine, & fuligine,ac ad summam puritatem & subtilitatem deducuntur;ut ex iis tandem fiat & coaguletur aurum vel argentum Philosophorum,aut lapis fixus & tingens,sive albus,sive ruber

XIII.

Ut omnia opera naturæ posita sunt in vicissitudine resolutionis & coagulationis,sic ars fidissima illius imitatrix,perfecta Metalla in sua resolvit principia;sulphur nempe & Mercurium,ex quibus sunt composita; vel in aquam Metallicam sulphure & Mercurio constantem; illaque denuo, ut dictum est, componit , & perfectiora reddit.

XIV.

Hæc solutio,quæ clavis est totius artis transmutatoriæ, difficilis est admodum; quia hæc corpora sunt fortissimæ compositionis , & pauci artifices norunt materiam , illiusque præparationem, qua ars uritur ad dissolutionis opus perficiendum. Philosophi jubent corpora dissolvi in Mercurium,vel aquam mineralem,ope Mercurii quem dissolventem vocant; qui cum componatur ex Mercurio & sulphure crudis ac volatilibus,perfecta corpora à natura digesta,concocta, & terminata, novit reincrudare , & in Mercurium convertere , qui dicitur Mercurius corporum: sicque Mercurius, qui in aurum vel argentum longâ annorum serie coagulatus fuerat in terræ venis à pauco sulphure albo,vel rubro ac fixo, à sulphure ejusdem naturæ & essentiæ , sed contrariæ dispositionis,volatili & corrodente destruitur;& in mineralem aquam resolvitur.Quare non immerito auctor libri cui titulus est, *Lilium inter spinas* , quique Scoto attribuitur,asserit aurum & argentum,non ab aliis vinculis solvi , quam iis quibus ligata & compacta fuerant.

XV.

De Mercurii dissolventis natura, & proprietatibus,& unde is veniat extrahendus,inter se dissentiunt Chymici vulgares; & ipso Mercurio inconstantiores & mobiliores,nihil certi definiunt & veri.

XVI.

Probatiores Philosophi, clavem hanc seras metallicas, ut aiunt,aperientem, omni studio occultavere; ne ad indignos pervenirent suæ artis secreta.Auctor Rosarii majoris , Mercurium philosophorum extrahendum esse jubet ex sua crassa substantia , & ponderosa mole. Auctor anonymus dialogi Auri Mercurii,& Lapidis,lapidem hunc,crassam & venenatam bestiam appellat,& omnium hominum ac Metallorum hostem. Hermes illum esse quærendum asserit in suis latebris deauratis: quod etiam verissimum ; nam in sua sublimatione illum vidi radiis modo argenteis, modo aureis nitentem, & fulgentem. Lullius illum effodit ex suis cavernis vitreis : quod etiam verissimum; nam illum vidi sublima-

tum

tum adinſtar vitri, vel cryſtalli ſplendidiſſimi, partim albi, partim ſuavè rubentis: unde à Philoſophis vitriolum azoquæum appellatur. Hinc illud Philoſophorum effatum, atque præceptum, *Viſitabis, Inferiora, Terræ, Rectificando, Invenies, Occultum, Lapidem, Veram, Medicinam* Primæ namque litteræ novem illorum verborum componunt illud nomen Vitriolum: ſed ne credas eſſe vitriolum commune. Denique hæc admiranda ſubſtantia, Prothei cujuſdam inſtar, varios induit vultus, figuras, & colores: quaſi vero natura in ea prima jeciſſet fundamenta, vel delineaſſet ſtamina totius regni mineralis, atque forſan vegetabilis; vegetabilia enim ex mineralium reſolutione nutriuntur. Longum eſſet & inutile recenſere varia nomina huic admirabili materiæ à Philoſophis impoſita.

XVII.

Sed in tantis tenebris atque rerum obſcuritate audiant artis Tyrones Philoſophum, Gebrum nempe; nam ut Ariſtoteles apud Peripateticos per antonomaſiam Philoſophus appellatur, ſic Geber apud Chymicos. Audiant ergo Gebrum, illis cæcutientibus facem lucidiſſimam præferentem. *Ex ſpiritibus, inquit, fiunt & componuntur corpora, ideoque prater res alias omnes ſpiritus corporibus magis aſſimilantur, illiſque unione firma & conſtanti uniuntur, quando cum illis fixi fuerint; quare in tota rerum natura nihil invenimus, quod poſſit corpora alterare præter ipſos ſpiritus; ſed quoniam in mineris multas contraxerunt impuritates, à quibus corpora inficerentur, niſi priuſquam iis admiſcerentur, per præparationem omnino ſublatæ eſſent; ideo ars per ſublimationem eos præparat, ut poſtea facilius corporibus miſceantur.* Primum ergo artis opus, eſt Mercurii ſublimatio: Sic Ariſtoteles Chymicus. *Primum opus eſt, inquit ut Mercurium ſublimes, & in Mercurium mundum corpora munda mittas.*

XVIII.

Mercurius ergo Philoſophorum ex ſpiritibus eſt extrahendus; ſed tres à Gebro numerantur ſpiritus, qui ſunt corporum principia: Arſenicum, Sulphur, & Mercurius vulgaris, qui ut jam dictum eſt, quocumque artificio præparetur, non poteſt fieri Philoſophorum Mercurius: nec ſulphur commune, ſulphur Philoſophorum; quia ſemper inficit & corrumpit; *Ideoque, inquit Avicenna Chymicus, non intrat in noſtrum Magiſterium; ſi non fuerit calcinatum, adurit atque denigrat; ſi calcinatum, pulvis eſt mortuus omni carens ingreſſu.* Supereſt ergo, ut ex arſenico hic Mercurius Philoſophorum extrahatur: quod quidem arſenicum compar ſulphuris appellatur, quia in manifeſto naturam ſulphuris redolet; in occulto verò ex omnium Philoſophorum conſenſu & experientia teſte; Mercurialem, auream, & argenteam naturam poſſidet. Extrahe ergo ex arſenico Mercurium diſſolventem philoſophorum, qui eſt Metallorum omnium ſemen; ſic natura pretioſum voluit occultari ſub vili; ſic adamas omnium lapidum pretioſiſſimus, involucro terreſtri & lapideo obvolvitur: Denique in tota rerum natura, mala bonis permixta reperiuntur. *De hac prima artis materia, ſic loquitur Baſilius Valentinus, lib. de occulta Philoſophia, ſapientia ſtudioſus inveniet in una re, & una materia, radicem, quod vix milleſimus credat, quia vera radix contemptibilis eſt, populo rudi ignota, & abſque multiplici examine hominibus in abſcondito latet; totus mundus videt, & non cognoſcit. Et alio in loco; Mercurius Philoſophorum latet in re admodum vili, & cum materia in lucem prolata eſt, non eſt cara, ubique reperitur, & pueri illâ ludunt; habet odorem corporis mortui, duobus florenis poteſt emi ad opus.*

XIX.

Ut voti tui fias compos, & Mercurium Philoſophorum tibi compares, accipe arſenici quantum volueris; teratur in mortario ferreo, donec in pulverem tenuiſſimum redactum fuerit; trajiciatur per ſeraceum, & ſublimetur ſecundùm artis leges, ut ab omnibus impuritatibus terreſtribus, nigricantibus, volatilibus & corroſivis, ac ſulphureis ſpolietur, & ad extremam luciditatem deducatur; quod ſeptena, nona & decima ſublimatione continget. Sublimationis modum te docebunt Geber c. 44. l. 2. ſummæ perfectionis, & Iſaac Hollandus lib. 1. de minerali. Arſenici impuritates terreſtres impediunt ingreſſum in corpora; nigricantes & ſulphureæ opus noſtrum corrumpunt & inficiunt, quod debet eſſe puriſſimum; ſubtiles & corroſivæ, ſi remanſerint, lapidis coagulationem impediunt: ſola ergo media illius ſubſtantia quæ eſt temperata, & inter fixum & volatile ambigit, nobis utilis eſt: Sic quæ in noſtro Mercurio ſunt ſuperflua, tolluntur.

XX.

Quoniam hic Mercurius à natura deſtinatus eſt ad Metallorum generationem, quæ ſub malleo in omni dimenſione extenduntur, & ductilia ſunt; ideo viſcoſam, lentam, tenacem, ductilem, nec inflammabilem habet ſubſtantiam, & ponderoſam admodum, quod in ejus præparatione mihi licuit obſervare: nam cum illam propriis manibus contrectavi, hæc omnia vera eſſe deprehendi. Ex ejuſmodi Mercurio, in terræ viſceribus & mineris compoſito à natura, duplex exoritur fumus; Mercurialis & ſulphureus: qui fumus eſt propinquior Metallorum materia, cum longa annorum ſerie figitur, & coagulatur in Metallum.

XXI.

Antiqui Philoſophi adeo fuere induſtrii, ut ex ſolo Mercurio, ſine additione auri & argenti ſuum lapidem conficerent: *Nam*, ut ait Geber, *ſi mineralium & Metallarum principia noveris, non oportet tua bona conſumere ut artis finem aſſequaris; vili enim pretio omnia ad tantum opus neceſſaria tibi comparabis.* Solus ergo ſufficiet Mercurius, ſi bene præparatus fuerit, quod admodum difficile eſt, ut ait Augurellus Chryſopeiæ lib. 2.

....neque enim quid debes ſumere, magnum
Inveniſſe adeo eſt, habilem ſed reddere maſſam:
Hoc opus, hic labor eſt, hic exercentur inanes
Artificum curæ.

XXII.

Cum paratus fuerit Mercurius, & ad ſummam puritatem deductus, cum auro miſcendus eſt ad opus rubrum, cum argento ad opus album; ea proportione ut pars una ſit corporis fixi, ſeptem vero volatilis, vel Mercurii, ut tandem aliquando igne convenienti adhibito ſimul ſublimentur, & fixum fiat volatile: nam cum ſumma volatilis ſuperat ſummam fixi, neceſſe eſt ut fixum fiat volatile. In hac auri ſublimatione cum Mercurio, Mercurius adhuc perfectius depuratur, propter auri fixum ſulphur, quod omnis extraneæ ſubſtantiæ impatiens, ſoli Mercurio eoque puriſſimo amat uniri; ideoque ſeparat ab eo exactius quod inutile remanſerat, & de ſua natura non erat.

XXIII.

Modi operationum quibus pervenit artifex ad operis complementum, & materia noſtra ad majorem dignitatem aſſurgit; tandemque aliquando in lapidem Philoſophorum, lapidem ignis, ſumme penetrantem, & tingentem tranſmutatur, ſunt octo: ſublimatio, deſcenſio, fixio, calcinatio, ſolutio, diſtillatio, putrefactio & ceratio.

XXIV.

Sublimatio definitur à Gebro rei ſiccæ per ignem elevatio cum adhærentia vaſis. Per hanc, ut jam dictum, eſt Mercurius mundatur à ſuis impuritatibus, ut poſtea mixtus cum corpore fixo, auro nempe, vel argento, longo tractu temporis ſublimentur; ſicq; fixum ex ponderoſo fiat

leve,

leve, ex crasso gracile, & volatile. Sed priusquam fiat volatile, in vase emollitur, & in gummosam substantiam flavi coloris ad instar ceræ convertitur; & hæc est prima solutio fixi corporis: postea forti ignitione sublimatur una cum mercurio, in sublimatum, nivem albedine & luciditate superantem; sicque absconditur altitudo, & manifestatur corporis fixi profunditas; quod in arte necessarium esse norunt periti.

XXV.

Hic materiæ nostræ splendor, & summa luciditas, provenit ex corporum perfectorum sulphure purissimo; quod quidem, cum sit de natura ignis lucentis, & non urentis, lumen est, splendor, & tinctura corporum. Hanc eximiam luciditatem nemo poterit satis admirari: & cum illam propriis oculis vidi:

Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.

Istius sublimati sola media substantia nobis utilis est, relictis crassioribus atque fœculentioribus partibus, atque etiam volatilibus, quæ figi non possunt. Hæc appellatur succus lunaris, quia Mercurius Luna Philosophorum nuncupatur; qui exuperat in hac compositione, sicque à potiori parte fit denominatio. Dicitur etiam mercurius corporum, mercurius duplicatus, *rebis*; quia ex re bina compositus est, volatili nempe & fixa.

XXVI.

Hæc media mercurii nostri sublimati, & autò imprægnati substantia, debet in vase igne convenienti ex volatili fieri fixa. Hæc est descensio Philosophica, quæ incipit à coagulatione, quam excipit fixio, juxta illud:

Si fixum solvas, faciasque volare solutum,
Et volucrem figas, faciet te vivere tutum.

Fixio autem definitur à Gebro, *Rei fugientis ab igne conveniens ad ignem adaptatio, ut perpetuetur tinctura in alterato.* Et bene quidem; nam nisi tinctura fixa fuerit, non remanebit in corpore alterando, sed ad ignis asperitatem & vehementiam aufugiet. Hæc fit igne moderato, qui sensim augendus est, ut igni vehementiori, tandemque fortissimo nostra materia assuescat. & fixa remaneat in fundo vasis. Interea si quid illius fuerit sublimatum, ad fundum vasis detrudendum est, donec omnia simul figantur.

XXVII.

Fixionem sequitur calcinatio, quæ adeo necessaria est, ut sine ea, opere sapientum potiri non liceat: nam cum materia nostra tenuissima esse debeat, & calidissima, illud assequetur per calcinationem. *Definitur autem à Gebro calcinatio, Rei per ignem pulverisatio, cum privatione humiditatis partes connectentis & ferruminantis.* Finis autem calcinationis, est mercurii nostri duplicati in cinerem conversio. Quod fieri non potest nisi aquosa, elementaris, & crassa humiditas, quæ illius partes inter se colligatas tenebit, per ignem consummatur, ut & sulphura pinguia atque unctuosa quæ illi visciditatem & lentorem conciliabant: præterea cum humiditas illa crassa & elementaris, sit temperamento frigidissima, vim prolificam germinis tum fixi, tum volatilis impedit, quapropter illa per calcinationem, in vase patente & aperto factam necessario annihilari debet, alias nulla fieret generatio: & hæ sunt rationes propter quas calcinamus. Signum perfectæ calcinationis, est materiæ calcinatæ solutio in aqua ad instar salis, ejusdemque coagulatio per aquæ evaporationem. Quæ sunt calcinata, fixa sunt, & ad naturam salis accedunt, & hic sal principium est artis. Ut Philosophi in viventibus tres agnoscunt humorum species: primus est alimentarius, secundus elementaris, tertius radicalis & primigenius; sic Chymici has tres humorum species in metallis, & suo lapide agnoscunt, & reperiunt. Elementaris frigidissimus, humidissimus, & crassus, glutinis instar partes inter se conjungit: alimentarius, qui est proprie illorum mercurius, alimentum suppeditat metallis in terræ visceribus, & lapidi in vase Philosophico; radicalis vero est totius mixti pars præcipua & illius humidum primigenium, in quo germen & totius generationis futuræ fundamentum continetur. Corpora, ut perbelle & erudite annotat Lullius, sunt germinum pabula; quod in bulbis licet observare.

XXVIII.

Hic cinis sive sal, nihil est aliud quam aqua metallica coagulata, humidum radicale & primigenium metallorum, multo calore & spiritu perfusum, in quo residet multiplicandi facultas, & principium, basis atque fundamentum totius naturæ metallicæ; Ideoque hic sal facile in aquam metallicam resolvitur: & hæc est solutio Philosophica, quæ definitur à Gebro, Rei siccæ in aquam mineralem solutio. Hæc fit in Balneo Mariæ, vase optime clauso, ubi paulatim & tractu temporis cinis noster solvitur in aquam, auri colorem referentem, & hæc est vera & genuina auri solutio: per quam ita destruitur, ut nunquam possit amplius in metallum coalescere, & redire. Quod belle novit. Augurellus, cum de metallis dissolutis, & in aquam mineralem conversis sic loquitur lib. 2. Chrisopeiæ:

Quin etiam ut sensim madeant & mollia persint,
Magnum opus, & quo non credas operosius ullum
Esse aliud: nec quo se magis ars maxima jactet.

Quare asserunt omnes Philosophi, facilius esse aurum construere quam destruere, & eum artificem, qui aurum ita destruxit, ut non sit amplius aurum, pervenisse ad maximum secretum.

XXIX.

Hæc aqua, quamvis ad visum pura & nitida appareat, tamen fœces adhuc retinet mercurio nostro altius immersas, quæ per tot prædictas operationes non potuere secerni: aqua autem per distillationes sæpius repetitas, & præcedentes digestiones, tandem ad summum puritatis & tenuitatis gradum deducitur, & mutato colore alba apparet, ad instar aquæ fontanæ sæpius distillatæ, nullo sapore præditæ: quæ verò ex argento iisdem præparationibus extrahitur, acido sapore linguam ingrate ferit, quia argenti vitriolum absolutam à natura non accepit concoctionem ut vitriolum auri, quod temperata decoctione summam dulcedinem acquisivit.

XXX.

Distillatio aquæ nostræ toties iteranda igne lentissimo, donec nullæ amplius in fundo vasis appareant fœces, quas observavi esse colore nigerrimo, & igne vehementiori abiisse in fumum fœtentem, & arsenicalem: his artibus materiæ tuæ summam puritatem & nitorem conciliabis. Si vero in mundatione tui mercurii fueris negligens, lapidem parabis qui mercurium transmutabit non in aurum vel in argentum; sed in plumbum, stannum aut aliud metallum. Sic aurum suum magna cum admiratione, & se nihil tale cogitantem, in plumbum mutatum fuisse narrat Glauberus. Ratio portentosæ istius transmutationis; est quod metalla inter se non differant specie ut homo ab equo, sed accidentibus solum, quæ non mutant speciem: illa si per artem separentur, imperfecta metalla mutantur in aurum & argentum. Quare non inconcinne Alanus Philosophus ait: *Nostra Medicina metallis demit rubedinem, æternamque dat tincturam.* Si vero lapis, vel medicina infecta fuerit impuritatibus plumbeis, vel stanneis, aurum vel argentum convertet in plumbum, vel stannum.

Quoniam ergo metalla ex una eademque materia, quoad eſſentiam componuntur, perfectius vel imperfectius depurata, maximam habent inter ſe affinitatem & ſymbolum; & ea ratione facilis eſt illorum ad invicem tranſmutatio, ad inſtar Elementorum: ex terra enim fit aqua, ex aqua aer, ex aere ignis rurſuſque, mutata rerum vice, ex igne fit aer, ex aere aqua, ex aqua terra.

XXXI.

Aqua noſtra ad ſummam puritatem deducta; quia compoſita eſt ex mercurio & corpore fixo, vel ex ſulphure & mercurio, & Mercurius contineat ſemen fœmininum, ſulphur vero maſculinum; hæc aqua, hic mercurius duplicatus, hermaphroditus appellatur; eſtque toties decantata Venus hermaphrodita antiquorum, utroque ſexu pollens: hæc ſola ſufficit ad opus perficiendum. Tritum eſt illud Philoſophorum axioma, Ignis & aqua nobis ſufficiunt.

XXXII.

Philoſophi duplicem corporum ſolutionem conſtituunt, quatum una eſt ſolutio corporum in mercurium: hæc ſolutio perficiendis operationibus particularibus convenit, ſi mercurius fixus fuerit calcinatus & in cinerem converſus; de qua hic nulla fiet mentio. Alia vero in aquam mineralem, quæ ad opus univerſale neceſſaria eſt. Quare dicunt Philoſophi; Niſi materia tua fiat aqua decurrens omnia ad nihilum devenient: cum aquam ſumme puram & nitidam paraſti, reduxiſti mercurium, & cum eo conjuncta corpora in materiam primam mercurium nempe & ſulphur: nam mercurius antequam coagularetur in metallum, fuit aqua, primo compoſita ex quatuor elementis: ſecundo ex tribus naturæ principiis, ſale nempe, ſulphure, & mercurio: Denique metalla perfecta in viſceribus terræ fiunt ex ſolis aquis metallicis, puriſſimis, ſubtiliſſimis, longa annorum ſerie coagulatis in metallum, ope ſulphuris non urentis in iis contenti; quia, ut aiunt Philoſophi, omne ſiccum naturaliter ebibit ſuum humidum: ſic terreſtris & lapidifica exhalatio aquam in ſaxum aliquando momento temporis coagulat.

XXXIII.

Quemadmodum natura, ex aquis metallicis ſumme depuratis generat metalla perfecta, ſic ars, ex iiſdem & ſimilibus aquis primo ſuum aurum, poſtea ſuum Elixir producit, nec alio modo poteſt procedere: nam cum generationem debeat præcedere corruptio, & ſicca non putreſcant; materia noſtra quæ ſicca eſt, & in cinerem converſa, neceſſario per prædictum artis regimen debuit in aquam converti metallicam, ut in ſuo vaſe exacto clauſo putreſcet: nam vitium capiunt ni moveantur aquæ, & quæ ſunt calida & humida, calidoque in loco concluſa, niſi diffluentur prompte putreſcunt. Hujus aquæ coctionem incæpi in vaſe optime clauſo, igne lento ut moris eſt: incipientem, ſolum vidi illius coagulationem, nec ulterius licuit progredi, inopina & acerba morte Ludovicæ Matiæ Mantuanæ Sereniſſimæ Polonorum Reginæ, cujus imperio laborioſum illud opus ſuſceperam, ac pluribus aliis plurib aliis de cauſis [quas hic recenſere inutile eſſet & ſuperfluum] à propoſito evocatus conſilio & opere; (quod ni fallor ad optatum finem perduxiſſem:) nam natura, ſola, id eſt ſpiritus prolificus in utroque germine, fixo & volatili contentus, totum opus complet; modo ignis illi mitis atque blandus non deficiat, nam ſi vel momento temporis refrigeretur, nihil fiet: quoniam continuo motu naturaſua peragit opera, qui ſi interrumpatur, defectu caloris illam excitantis, à quiete ad laborem, quaſi ſui officii immemor, non poteſt revocari. Hæc ſunt quæ de methodo reſolutiva, & corporum ſolutione mihi licuit obſervare, quæ vera eſſe deprehendes, ſi manum operi adhibueris.

XXXIV.

Dictum fuit Canone XII. lapidem Philoſophorum duplici methodo abſolvi, reſolutiva & compoſitiva. Per methodum reſolutivam, mercurium præparantem, & aurum cum illo indiſſolubili nexu conjunctum in aquam mineralem, quam aquam permanentem vocant, reduximus: reſtat jam ut methodo compoſitiva illam in Lapidem Philoſophorum coagulemus, quod difficile non erit, ſi fides eſt adhibenda optimæ notæ auctoribus: nam una materia, quæ eſt aqua noſtra; uno regimine, quod eſt indefinenter coquere, noſtrum opus completur, lento igne ut jam dictum eſt; quod veteres appellavere opus mulierum, & puerorum ludum: quia magnum illud opus ſemetipſum coagulat, putrefacit, ſublimat, fixat, albefacit, rubefacit, ſemetipſum in modum ceræ liquefacit, tandemque omnibus modis perficit. Utinam mihi licuiſſet illud ad finem perducere, illius cognitionem tibi non invidiſſem, Lector. Cum autem poſtrema pars illa operis bona fide ab auctoribus deſcripta fuerit, ſi ſedulo & diligenter illorum libros legeris, & perlegeris, nunquam à propoſito fine aberrabis.

XXXV.

Attamen ut te ab illorum lectione ſalebroſa ſublevem, clare & aperte ſine ullis allegoriis, omnes naturæ ab arte adjutæ motus, & mutationes materiæ aperiam. Cum illa in ſuo vaſe, duplici adhuc operculo munito, incluſa fuerit, igne ut dictum & lento incipiet coagulari, & tandem intra quadraginta dies converteretur in terram obſcuram, vel in infinitos atomos nigricantes. Hic eſt primus color qui in materia apparebit, indicans illam putreſcere; nam ut dictum eſt, generationem debet præcedere corruptio neceſſario. Eſt autem putredo, corruptio proprii nativi coloris uniuſcujuſque rei in humido, ab extraneo calore: corrupto autem per putredinem rei putreſcentis calore nativo, qui partes mixti inter ſe ligatas tenebat & unitas, illius compago diſſolvitur, & ultimò res corrupta in terram, vel cinerem nigricantem convertitur. Hic eſt finis putredinis quæ in noſtro opere contingere debet, alias incaſſum laboraremus; hic eſt pretioſus cinis, de quo dicunt Philoſophi, Ne contemne cineres, quia in eis pretioſus latet adamas.

XXXVI.

Expecta calore miti atque bando materiæ tuæ corruptionem, cujus ſignum erit niger color: tunc nulli exorientur venti, nullum vitæ ſymbolum apparebit. Aliquando undequaque videbis tuum compoſitum ſiccatum, aliquando inſtar picis nigræ ebulliens; cumque inſtar paſtæ fermentatæ turgebit, gaude; nam ſignum eſt ſpiritum intus concluſum eſſe vivificum, qui ſtatuto tempore è ſuo ſepulchro reſurget, longe glorioſiori & ſplendidiori corpore veſtitum. Hæc nigredo appellata fuit Eclypſis ſolis; à quibuſdam corvus ambulans in tenebris vel caput corvi.

XXXVII.

Quemadmodum ovum omnia in ſe continet neceſſaria ad pulli generationem, ſoloque calore externo indiget, ut ſpiritus genitor in eo contentus, de potentia ad actum deducatur; illud idem de materia tua in ſuo vaſe contenta credas velim, quæ una cum ſuo vaſe ovum Philoſophicum conſtituit, quia omnia ad avis Hermeticæ generationem requiſita, id eſt, lapidis Philoſophici, continet; ſemen nempe maſculinum atque fœmininum, necnon menſtruum, quo utrumque ſemen poſſit vegetare, nutriri, creſcere & aptum ad ſui ſimilis generationem fieri. Sed ut ovum, ſi

calore

calore nimio induretur, inutile evadit ad pulli generationem; quia germinis calor & spiritus prolificus omninò dissipatur; sic, & vehementiori igne ovum tuum Philosophicum induraveris materiam tuam convertes in pulverem rubrum inutilem, & spiritum prolificum in utroque germine, & fixo & volatili contentum, extingues: sic major & potentior ignis minorem destruit.

XXXVIII.

Perfectâ & consummata putredine sensim materia vapores de se emittet, & circulabitur, ac imbres multiplicabuntur, quorum ope abluetur nigredo, & tandem aliquando post tres à nigredine menses, vel centum dies, lunæ candor apparebit, qui sensim ad Albissimum assurget, & materia instar argenti vivi liquidi fiet; tandemque post varias solutiones, & coagulationes sæpius repetitas albissima evadet, & granulabitur tenuissimè instar aromorum solis: sic tincturam ad album perfecisti, sed exiguæ virtutis, quæ reiterata ejusmodi operatione, cum eadem aqua mercuriali, stupendas acquiret vires.

XXXIX.

Hic lapis perfectus ad album vocatur flos auri, nam sub illa albedine occultatur auri tinctura. Continuato ergo igne eodem gradu, materia iterum liquescit & solvitur, atque blande sublimatur, datque colores novos; primò viridem, postea cæruleum, cui succedit pallidus, demumque obscure purpureus. Color viridis indicat materiam nostram se disponere ad vegetationem & generationem, quare cave, ne igne immodico, vitor ille in turpe nigrum vertatur, vel materia vasis lateribus adhærens vitrificetur: nam cum spiritus factus sit spissior & corporalior, sic ad summitatem vasis fuerit clarus inibi concrescet, & quod est in fundo comburetur. His coloribus succedit flavus, lutea quasi brunnitie diffusus; tunc apparent etiam transitorii colores, similes iis qui in Iride, & cauda pavonis videntur, tandemque citrinus & solis color apparebit.

XL.

Jam omnia instar auri obrysi apparent, & hæc virginis, ideſt mercurius, quo materia imbibitur, citrinescit valdè; postea vero violaceo tingitur, interdum obscura purpura, tandem incipiet siccari materia, & tum liquescet, & coagulabitur, reliquescetque centies in die, usque quo granulari incipiet & debiturque totum velut granis discontinuum, iterumque coalescet, infinitasque de die in diem formarum larvas induet, & hoc dudurabit per septimanas duas aut circiter: Tandemque favente divino numine granulabitur instar aromorum solis, eritque color tam intense ruber, ut nigrescat instar sanguinis coagulati. Hæc omnia fœliciter succedent, si in igne regendo cautus fueris.

XLI.

In toto opere duplex est solum ignis: unus qui violentæ competit arti, & ut ait Augurellus lib. 3. Chrysopeiæ;

Nititur hic operum immensa vi trudere semen,
E solido nexum miris compedibus auro.

Hoc utitur artifex ad auri sublimationem Alter vero tranquillæ naturæ æmulus, est mitis atque blandus, qui in usum revocatur cum materia in suo vase triplici inclusa est, tuncque nullo modo vas aperiendum; & eodem semper tenore ignis est continuandus. Ne credas Philosophis qui asserunt illum esse augendum; hic latet anguis in herba, nam illud non est intelligendum de igne externo, sed de interno, qui insscio artifice semper augetur, ille enim naturæ ignis, qui in materia continetur, continuo fit vegetior; illaque calidior semper in dies evadit; quare igne externo vehementiori non indiget, imò veto si in eo regendo prudens non fueris, aut materia lateribus vasis adhærens, vitrificabitur, aut ad superiorem partem delata, non residet in fundum, sicque siccior materia comburetur, ut jam dictum est, & totum opus peribit.

XLII.

Ultimum illud opus, quo materia nostra in aquam mineralem soluta, in vase optime clauso & lento igne, concrescit in lapidem Philosophorum, non male assimilatur humanæ generationi: nam in materia nostra utrumque semen continetur, masculinum & fœminium, atque etiam menstruum: vas habet rationem uteri in quo semen concipitur, & per varias alterationes tandem in fœtum Hermeticum transmutatur: calor externus coagens est, qui vim illius sopitam, spiritum illum generantem, & artificem per totam materiam nostram diffusum excitat ad generationem promovendam [quæ mistione perficitur] idem enim est generari quam misceri, & interire quam secerni. Is spiritus artifex ubi à potentia ad actum incipit deduci à tota sua materia videtur decidere; cum in illius medio unitur & coalescit in punctum nigricans non parvam habens similitudinem cum puncto saliente; quod in ovis incubatu fotis initio pullificationis contingit Punctum illud nigrigans propriis oculis vidi, quod magnam mihi movit admirationem. Quemadmodum ergo semen in coitu ab universo utriusque parentis corpore decisum utero concipitur; inibique loci tempore vis illius sopita excita ut, & spiritus genitor ab utriusque seminis masculini & fœminini corporea mole separatur, & in unum coalescit punctum, ut perficiendæ generationi incumbat, sic illud idem in nostro opere videtur fieri: & ut mulier sanguinem suppeditat ad fœtus nutritionem, sic mercurius qui in nostro opere fœmina appellatur, (ut sæpius dictum est) menstrui vices gerit, quo fœtus noster, lapis nempè, possit vegetare, crescere & nutriri. Quis non mirabitur vires atque facultates spirituum, quibus generationes fiunt, sive in regno minerali, vegetabili, vel animali? qui, ut ait, Hippocrates l. 1. de diæta, nesciunt quid faciunt, scire tamen videntur, & omnia illis ex necessitate divina contingunt. Hic spiritus est in sua materia veluti faber in officina, qui materiam suam disponit, format & figurat secundum artis suæ leges ad opus suum perficiendum.

XLIII.

Cum lapis perfectus fuerit, hic è suo vase est eximendus: videbis illum paulò supra fæces elatum illæ sunt relinquendæ, & quidquid volatile superius adhæserit, solaque media pars est sumenda, quæ nihil est aliud quam purum humidum radicale, metallicum & verum sulphur non urens, genitum ex puriotibus utriusque materiæ volatilis & fixæ partibus: fixum nempe fixi corporis sulphur sibi puriorem mercurii assimilans substantiam, & in suam convertens naturam, inutilem relinquit. Sola ergo media pars est sumenda; & iterum coquenda, ea conditione ut lapidis sit pars una, duæ vero aquæ mercurialis. In hac secunda decoctione videbis tui compositi putredinem longe perfectiorem, quam vocant *ignem nigro nigrius*, cui succedet albedo splendidissima, cæterique demum suo ordine colores longe perfectiores quam in prima decoctione apparebunt.

XLIV.

Quamvis lapis vel sulphur tuum absoluta hac secunda decoctione summum perfectionis gradum acquisiverit, non est tamen capax faciendæ transmutationis, nisi prius fermentetur ac postea incereretur. Fermentatio fit additis ad unam lapidis aut sulphuris tui partem tribus auri partibus, opus illud facillimum est & dicitur opus trium dierum, de quo consule Auctor-

res. Facta autem fermentatione ad carcerationem devenire oportet. Ceratio autem à Gebro definitur, Rei duræ non fuſibilis ad liquefactionem mollificatio. Ea autem inventa eſt, ut quod ingreſſum ex privatione ſuæ liquefactionis non habebat in corpus, ad alterationem mollificaretur: ceramus autem ad imitationem naturæ, quæ cerat humiditate, quæ eſt ſuper omnes humiditates, expectans ignis calorem: in nullis autem rebus melius hæc humiditas reperitur quam in ſulphure & arſenico propinque, propinquius autem & melius in argento vivo: quia in prædictis ſpiritibus nunquam eorum humiditas ſeparatur à ſua terra. Modus autem cerationis, eſt ut ſuper lapidem cerandum multiplicetur eorum ſublimatio; quouſque in illo cum ſua humiditate metallica manentes, fuſionem bonam præſtent. Sed prius mundandi ſunt & reducendi in aquam mercurialem; quæ, ut jam ſæpius annotatum eſt, nihil eſt aliud quam mercurius Philoſophorum; qui in operis noſtri initio corpora ſolvit ſolutione Philoſophica, in fine vero lapidem iecerat, ſummamque fluiditatem conciliat, illumque reddit inſtar aquæ rubicundiſſimæ fixæ contra omnem ignis pugnam & vehementiam. Ex ſolo ergo mercurio totum opus noſtrum conficitur, qui ut initio ſeras metallicas aperuit, ſic in fine illas fœliciter claudit.

XLV.

Ultimum denique artis opus, eſt examen auri vel argenti arte chymica elaborati. In hunc finem hæc ars invenit omnes probandi & examinandi modos, quibus utuntur hodie aurifabri ad bonitatem vel falſitatem auri vel argenti deprehendendam: unde certo certius conjicere licet, illam eſſe veriſſimam, cum opus ſuum omni examini ſubjicit: modum autem projiciendi lapidem ſuper Mercurium & imperfecta metalla, repete ex Lullio aliiſque auctoribus.

Concluſio totius operis.

Non mirandum ſi ex mille artificibus vix unus hucuſque optatum operis finem aſſequutus fuerit: quis enim illorum in debita operatur materia, quam natura, à potentioribus cauſis impedita, imperfectam relinquens, arti præparavit, atque artifici abſolvendam reliquit? quis omnes illas operationes enumeratas ab auctoribus aut diminute, aut ſuperflue, falſa veris miſcendo; aut confuſe, nullo, vel præpoſtero ordine deſcriptas, & plus quam tenebris Cimmeriis involutas, ad opus noſtrum abſolute neceſſarias, probe unquam intellexit, &, intellectas convenienter ſecundum artis leges ad praxim deduxit? Summis, quod ajunt, labris vix deguſtatis Philoſophorum libris credunt (Ariadnes quamvis filo deſtituti) poſſe ſe ex eorum dædaleo labyrintho extricare. Sed in caſſum laterem lavant, oleum & operam perdunt: Vellus illud aureum non tondetur, Mala illa Heſperidum non decerpuntur, Ramus ille aureus Junoni infernæ ſacer non avellitur, niſi herculeis laboribus. Tu vero quiſquis es Lector, ſi magnæ & prædivitis illius artis amore tenearis, quam tibi brevibus abſolvi, componendi lapidis methodum attento animo lege & perlege: hæc enim tibi facilem viam ſternet ad auctorum Chymicorum intelligentiam; quam cum tibi comparativa, mirabis certe illorum in celando ſuo aureo Ramo ſubtilitatem, & doctam ac ingenioſam varietatem: & una cum omnibus Philoſophis agnoſces & fatebetis, nihil aliud requiri ad opus noſtrum quam mercurium Philoſophorum à natura animatum, & ſuo ſulphuri proprio deſponſatum, ac à ſuis impuritatibus per ſublimationem mundatum: ut illius beneficio fixum fiat volatile, & volatile fixum, toties que iterandas eſſe ejuſmodi operationes ſublimationis, coagulationis & ſolutionis, donec materia tua inſtar ceræ fluat, ut ait Geber, in omni complemento ſolifico & lunifico vero. Sic divinæ iſtius ſcientiæ dignitas, quæ triſti fato & nequiſſimorum hominum fraudibus ac impoſturis hucuſque apud eviluit, antiquæ ſuæ famæ atque auctoritati in hac noſtra Europa reſtituetur in honorem & æternam memoriam antiquorum illorum ſapientum, qui primi illam invenere, inventam nobis reliquere, ſub ænigmatum & fabulatum larvis perſonatam, more olim uſitato apud omnes Philoſophos. Faxit Deus ut diſcuſſis ignorantiæ tenebris, & revocata ad meliorem frugem hominum iſtius ævi mente, qui noſtram ſcientiam odio pluſquam Vatiniano proſequuntur, illius veritas probis omnibus & doctis innoteſcat. *parum*

Sepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

FINIS.

Aurum Superius & Inferius Auræ ſuperiores & Inferioris Hermeticum CHRISTIANI ADOLPHI BALDUINI, S.R.I. *Acad. Nat. Colleg. Cognom.* Hermetis.

Hermes.

In ſuperiori Sphæra eſt in medio fontis
Vena, quæ eſt Philoſophorum Regula prima.

Conſummatiſſimâ Doctrinâ, Acerrimo Judicio, incomparabili Experientiâ & rerum Uſu Illuſtribus S. R. Imp. Academiæ Naturæ Curioſorum Statoribus. Magnifico Dn. Præſidi, *Ac Excellentiſſimis Dn.* Adjunctis *& Collectoribus Ephemeridum, cæteriſque graviſſimis Dnn. Collegis, Patronis, Collegis & Fautoribus honoratiſſimis. S. P.*

HERMETUM TRISMEGISTUM eſſe illum, quem Latini *Mercurium*, *Taautum* Phœnices, Ægyptii Θωὺθ, Alexandrini Thoth, Ἑρμῆν Græci olim dixerunt; Imo *Hermetem* omnium mortalium eâ ætate, ſivè immenſam ingenii capacitatem, ſive denique propagandæ ad poſteros gloriæ, beneque de humano genere merendi deſiderium ſpectes, primum fuiſſe, doctiſſimi ævi omnis voce conſonâ approbavere. Vid *Stenchus Eugubinus, Epiſc. Kiſam. ſedis Apoſt. B. bliothec. Tom. 3. lib. 11. 4. c. 3 Samuel. Bochart. in Geograph. Sacr. ſive Phaleg. p. 68.*

Cæterùm, ut Linguarum inſanarum tanta fuit ſemper temeritas, ut nec ipſi Numini parcant: ſic fortunam quoque iſtam expertus, quem prædicamus. HERMES eſt, negantibus illis, (in quibus, quod primus eam fabulam edidiſſet in vulgus, quaſi *Georg. Becanus* familiam ducit) interfuiſſe unquam rebus humanis: contra ea aſſerentibus his, (quibuſcum facit *Dn. Herm. Conring. de Hermet. Ægypt. Medic. cap. 3.*) Chemiam à primis artificibus non *Hermeti*, ſed aliis Inventoribus attributam eſſe. Quas eorum animadverſiones ut probare non poſſumus certe; ſic peculiari nuper ſcriptò vindicavit egregiè celeberrimus Vir, *Olaus Borrichius*: non literarum tantùm, ſed & diſciplinarum artiumque Inventorem extitiſſe HERMETEM, *Platonis Philoniſque, Byblii, Tullii* item & *Diodori Siculi*, aliorumque complurium authoritatibus prolixè oſtendens.

De familiâ autem ejus minimum eſt, quod ſcimus; & ſunt poſita in incerto, quæ memorantur. (Vid. *P. Scherlog. S.I. in Antiquit. Hebr.*) niſi, quòd in *Aſclepio*, libro à ſe confecto, de ſe ipſa fatetur: Avum ſibi fuiſſe *Mercurium Mœrem*. E monumentis autem rerum geſtarum, Veruſtatiſque exemplis imprimis probare

bare satagit *Wilh. Christoph. Krigsmannus in Taaut p. m. 6 Noachi* nepotem, *Chamique*, filium, *Canaanem*, Progenitorem illum Phœnicum Ægyptiorumque eundem fuisse. Sed relinquimus nos ista meritò Autoribus suis. Fuit tamen Auditor *Noachi*, *Chusi* Præceptor, ejusq; liberorum *Isis Osiridisq;* Præfectus ac Consiliarius, ref. *Dn. Otth. Heurnio Profess. Leydens. in Barbar. Phil. Antiqu. lib. 2. cap. 27.* Τετσμέγις&, qui ob triplicis regni Mineralis, Vegetabilis, Animalis; imò ob triplicis in una creata essentia subsistentiæ indagationem, in qua vim omnem Vegetabilis, Animalis & Mineralis Naturæ exploravit, Pater Philosophorum dici meruit, *Aphor. Basil. sive Can. I. Herm. Nicol. Nig. Hapel*: vel, ut *Gelaldinus Arabs de Sapientibus Ægypti* explicat, qui Propheta, Rex & Philosophus fuit.

Quàm autem insatiabilis in Homine commentandi cupido, quanta industria? Nam, si fides *Iamblicho, l. 6.* ex *Seleuco* referenti, *do Mysteriis Ægyptiorum* tricies sexies mille libros ille confecit. (Quos, quem nominavi, *Bochartus p. 68.* tamen Versus interpretatur:) utut, eorum accuratè numerum iniens, XLII. omninò recenseat *Clemens Alexandrinus, Stromatũ 6.* è quibus duo tantùm hodie extant, *Pymander* alter, alter quem & suprà adduxi, *Asclepius*. Vid. *Aur. Vell. Guilielm. Mennens. p. m. 12.* Fertur & hujus esse *Tabula*, illa, *Smaragdina* dicta: Cujus initium: *Verum est, & ab omni mendacio rum involucro remotum; quodcumque inferius est, simile est ejus quod est superius &c.*

Equidem sunt, qui in dubium vocent; eamque *Bernardo Canesio*, Alchymistarum primo, velint assertam quum in sententiam ipse pedibus ivit *P. Kircherus in Oedip. Ægypt. class 10. c. 7.* At enim, ne latum illa quidem quod ajunt, unguem ab inscriptione istâ abit; Characteribus Copticis propè Memphim, Saxo insculptâ (quemadmodum *Schatia Copta Memphitanus* scribit. *Cœlum sursum, Cœlum deorsum: Astra sursum, Astra deorsum; quod sursum, omne id deorsum. Hæc cape & beaberis*, & deinde, quod nec ipse diffiteatur *Kircherus*, est hæc *Tabula* Theoria Thesauri totius Naturæ. Ægyptii igitur quod Chemiam *Hermeticam* ipsi *Sapientiam* vocent, ex eo minimum videbitur posse confici hoc; Eundem *Hermetem* esse, quem & Principem ponant, fontemque existiment, unde ea ad alios postea scientia demanavit.

Ac, (ut ingenuè istud dicam,) ad me quidem. Neque enim eam laudem, tam futurus ingratus nunquam tum, qui & *Tabulæ* isti, *Virisque* qui tapientissimis Commentariis illustratunt, detraxero. Quamvis juxta idem consuetrim patiter: non tam circum Aurum merall. versari, quod elaboraret, quam Medicinam: quæ non Auri tantum, sed & aliorum omnium, tam superiorum, quam inferiorum, corporum vires complectitur atque concludit.

Ac Annus jam admodum est ex quo de AURO AURÆ nonnulla luci publicæ committenda existimavi. Primitias voco, quod id scripti genus antea non dedissem. Nomen, ut laterem, sponte occultaveram, nisi quod Anagramma id continet, quod tum legi in fronte voluissem:

Sic (infra, supra,) *Sol duplus abundat in Auris.* Sed non passus est ille, INCLYTA ACADEMIA! favor, quamquè optare facilius, quam petere, mihi ausus fuissem, major solito, Humanitas tua. Tantinè enim tantillum TIBI laborem fieri! qui & tantùm Autori suo pareret Decus ac nomen, ut ad Consortium tantæ Societatis alliceres verò humanissimis verbis pertraherèsque! quemque *Ephemeredibus* Tuis, Credo dignis, auctum à me inseri cuperes! Ipsa manu ac stylo SIRII, Interpretis Tui. Patere, Excellentissime Vir, HENRICE VOLLGNAD, immortale nomen Tuum à me profanari velut, leveque hinc chartas famam sibi auctoritatemque alliquàm polliceri.

Nec indignaberis legi hîc quidem æternis in Nobilissimum Ordinem meritis semper victure,

Magnifice PRÆSES ac ARGANAVTA,
JOHANNES MICHAEL FEHR!

Sic est enim in me meritum Tuum. Per TE honores ac ornamenta ista sum consecutus! TU, ex auctoritate Tibi singulariter concessa, me addidisti Tantæ huic *ACADEMIÆ* membrum! TU proclamasti! TU quo non sustinuisses perare unquam, invidendo *HERMETIS* Cognomento auxisti! Denique hoc egisse videris, ut, quem beneficiis certaturum credidisti fortasse, istum hoc modo animum superares, unâ, quam auferre non posses, memoriâ tanti beneficii mihi relicta, quam vel sic gratus, quam diu superero, depositurus nunquam etiam sum.

Quemadmodum unum id itaque hactenus contendi, ut, cum desperarem Filii nomen; *HERMETIS*, saltim me Imitatorem probarem ac discipulum: sic, quas relictas mihi cernerem, horas collocandas ita existimavi, ut resumpto in manus de *Auro Auræ superioris* vi Magnetis universalis attracto, isto scripto *Auræ inferioris*, h. e. Materiæ nostræ universalissimæ, adderem *Aurum*. Quod utrumque mihi *Hermeticum* est.

Sed jam reddenda & de *EMBLEMATE* mihi non minus videtur ratio esse. Nam & alatum ibi videris Circulum Hieroglyficum, & Cistam & Solem, & Lunam, & si quæ alia occurrunt. Nempe notat Duplicem Mundi Spiritum Circulus, Liquidum alterum, seu *Hermetis* quam vocant, *Aviculam*; alterum Coagulatum. Includit, in se latens, ille *Aurum superius*, circumque in aëre volitans, perinde ut Avicula, à Magnete Philosophico jacente in Cista, attrahitur. Per hunc autem Magnesiam nostram facilem *Auri inferioris*, innuere libet. Sol cum igneo Trigono, & cum aqueso Luna, Spiritus Mundi & utriusque *Auri Auræ* sunt Parentes atque designant.

Nec mutum idem voluì esse hinc ut *SVRSVM* inscripsi, sic *DEORSVM* curavi subscribendum. Quò ipsò cum *Hermetica* mihi *Tabula* significatur: *Quæ est superius, est sicut inferius, &c.* tum verò Philosophicum istud Ægyptiorum: *Cœlum supernum, Cœlum infernum, Astra superna, Astra inferna. Hæc accipe* vel *RETRORSVM*; vi Magnetis universalis ex Aura superiore, (vel *EORSVM & SEORSVM* ex Aura inferiore.) *Beabitur* enim, qui contentos ibi Trigonos △ & ▽ gemino noverit includere.

Age itaque, cum sit mihi decretum *Hermetis* nomen, & Honori Mercurii Philosophi nostri, velut *Hermam*, sacrum jubeo esse istum Tractatum.

Statuo *Hermam* istum, annuente *Serenissimo Electore Saxon. Domino meo Clementissimo*: Cui & Ipsi *pro Hermetico* Symbolo: SVRSVM DEORSVM. Utut piè, intelligat magis & Christianè. Statuo *Hermam* istum; ammonitu Inclutæ Academiæ Vestræ

O HERMETICÆ *Veteris Sapientiæ*,
LUMINA *atque* ATLANTES!

Erant Statuæ *Hermæ*, *Mercurii* imaginem referentes, quas Eidem olim sacras, in publicis itineribus ponebant, quarumque permutari poterant Capita. Et ambiguæ sunt viæ, in quibus positus meus dedicatusque *Hermes* hic est. Cui, quod magis idoneum Caput, id est; principium ac fundamentum Mercurii nostri Hermetici, sit, applicare qui volent, faciant age per me liberum esto.

Ad *Hermas*, conjectis ex tempore lapidibus ab his, qui prætererent, acervi fiebant, qui & ipsi Mercurio sacri.

VIRI Magni, Incomparabiles COLLEGÆ: Constituite & Ipsi ad *Hermam* meum *Hermacas.* Quisque lapidem conferat, id est mutet, demat, addat, sed amicè, sed candidè, Philosophiceque, quod Lex nostra Academica XII. jubet.

Quod si, præter opinionem fuerint tamen, quæ invidiosè detrahant de eo, aut contaminent manus; Sunt sacratia Vobis: *Ephemerides* sunt. Hùc inlatus insertusque non timebit, quæ aut volent turbare, aut dejicere manus, intra istum Sapientiæ velut sinum, sine offensâ tutus atque tranquillus. Cui, quo debeo, animo committo consecroque.

Est Homo Homini *Deus.* Estis Vos *Dii*, quia *Æsculapii* atque *Apollines.* Sinite, in posterum Nuncius Vobis, aut, si vultis, *Hermes* atque *Mercurius* sim. Perscrib. Haynæ, è Museo, die natali meo XXIX. Jun. qui (*Cælio secundo Curione de Bell. Mel. p. m.* 430. referente,) à Melitensibus olim Mensis *Hermeti* sacer habitus est. Anno clo Ioc LXXIV.

Inclytæ S. R. Imp. Academiæ Naturæ-Curiosorum

Cultor & Collega ad quævis servitia devinctissimus

Christianus Adolphus Balduinus, d. Hermes.

In Librum de Auro Auræ & Appendicem de Philosophoro Hermetico.

C. A. Lib. Bar. à F.

Viderat Hermetis *nostri modò Musa labores*
Et mirata, suo talia verba refert:
Iam Tua, docte senex, *gemmata tabella recedat,*
Hic liber, in parvô, nobiliora docet:
Aurum hic immensi fluitans per limina Olympi
Exhibet, & flores, & sine nocte diem.

In Auræ Aurum.

Detulit ad Divos, Librum hunc conspexit ut HERMES.
In partes varias atque Helicona trahit.
Præside res eguit, poscitque ab Apolline Nomen.
Qui tandem variè sic meditatus ait:
VIRGULA, parve Liber, mihi DIA vocaberis: AURUM
Indice Te, Tellus quod nequit, AURA dabit.
Flora aderat, memoransque suum decus addit honores:
Nunc mihi perpetuum Ver, nisi fallor adest.
Sic Dea læta refert. Cui cætera turba Deorum;
Ergone mors etiam Floribus inquit, abest?
Imo Homini meditamur idem, superaddidit Hebe.
AURI sacra fames, nunc mihi, sit ne refer.

De Phosphoro Hermetico.

Desine Perpetui mirari Luminis usum:
Perpetui Liber hic Luminis instar erit.

Aurum Auræ ut & Phosphorum Hermeticum ceu Laborem verè Hermeticum & studium merè Curiosum commendare debuit

Melchior Friebe; Phil. & Med. Doctor, Præfecturæ Haynensis Physicus. S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum Collega.

PROEMIUM.

AGnoverunt prisci Philosophi, agnoscimus & nos libenter, & in infimis suprema, & in supremis infima: in Cœlo quidem terrena, secundùm causam, modóque cœlesti: in terris verò Cœlestia, modo terrenô. Vid. Proclus de Sacrificio & Magiâ. *Undè in terrâ intueri quidem licet Solem, Lunam ac cæteras Stellas, sed pro qualitate terrenâ: in Cælo autem plantas, lapides, metalla, mineralia; pro cœlesti naturâ. Lumine itaque Hermeticæ Philosophiæ omnia naturalia superiora cognoscuntur per inferiora & inferiora per superiora. Hæc Harmonia est illa catena aurea, qua inferiora superioribus connectuntur, gubernantur, imò mutuò attrahuntur. Annon, vides, quàm mirabilis sit Elementorum lusus? Quam contraria etiam, mediante alterô, ambiant se? Quomodò ignis aquæ, aqua igni, terra aëri, aër terræ conjungantur? Et quomodo Mundus hac discordi rerum velut concordia conservetur? Motus* Antonius Mizaldus Monlucianus Gallus *his, superiori seculo, rationibus est, ut Harmoniam superioris Naturæ Mundi & inferioris una cum admirabili fœdere & sympathia rerum utriusque* Parisiis *ederet: Moti & juxta mecum his sunt Scrutatores omnes Naturæ, ut Catenam hanc superiora inferioribus connectentem amplecterentur. Quam enim qui sciverit, vel,* Agazielis Arabis *testimonio, Mysteriorum maximum penetrabit.*

Quod cùm Hermetis *Patris nostri Tabula illa, dicta Smaragdina perfectissimè doceat, eamque ego scripto isti, de Auro Auræ, meo fundamentum esse voluerim; operæ me facturum precium duxi, si, qualem, ex contextu Phœnicio, delineavit* Kriegsmannus, *eam ego huic loco, sic se habentem, insererem:* 1. Verè, non fictè, certò, verissimèque ajo. 2. Inferiora hæc cum superioribus illis, istaque cum iis vicissim vires sociant, ut producant rem unam omnium mirificissimamque. Ac quemadmodum cuncta educta ex uno fuere verbo DEI unius: sic omnes quoque res perpetuò ex hac una regenerantur dispositione Naturæ. 4. Patrem ea habet Solem, matrem Lunam: ab aëre in utero quasi gestatur, nutritur à terra. 5. Causa omnis perfectionis rerum ea est per Universum hoc. 6. Ad summam ipsa perfectionem virium pervenit, si redierit in humum. 7. In partes tribuito humum, ignem passam, attenuans densitatem ejus, re omnium suavissima. 8. Summa ascende ingenii sagacitate à terrâ in Cœlum, indeque rursum in terram descende, ac vires superiorum inferiorumque coge in unum, sic potiere gloriâ totius homo ampliùs non habere. 9. Isthæc jam res ipsa fortitudine fortior existet: corpora quippe tàm tenuia, quàm solida penetrando subiget. Atque sic quidem, quæcunque mundus continet, creata fuere. 11. Hinc admiranda evadunt opera, quæ ad eundem modum instituuntur. 12. Mihi verò ideò nomen Hermetis Trismegisti impositum fuit, quòd trium mundi Sapientiæ partium Doctor deprehensus sum. 13. Hæc sunt, quæ de Chymicæ artis præstantissimo opere consignanda duxi.

Cæterum Literato ego sistam hîc Orbi Aurum superius & inferius Auræ superioris & inferioris Hermeticum.

PEr Auram superiorem intelligo aërem simplicem, ut Elementum: per Auram inferiorem aërem coagulatum; ut Elementatum. Utrisque extrahi Aurum Philosophicum potest. Utrumque Aurum est, illud superius & remotum, hoc inferius & propinquum. Unum tamen Aurum Hermeticum nostrum!

CAP.

CAP. I.

De Aurâ in genere.

VEluti Aër vel Aura Instrumentum illud Mundi & delator universalis nostri Spiritus est : Unde *Trismegistus* : Ventum, id est, Aërem, inquit, portasse illum in ventre suo : sic in Capite isto. 1. Auræ, vel Aëris superioris nomine, Elementum illud intelligimus, primigenium, transparens, tamque levitatis, quàm ponderis expers, impermutabile ac perpetuum, frigore præditum naturali, nisi situum & commistorum robore impediatur : Poris autem ubivis refertum, & hactenus extensionem aut compressionem sui tolerans : *Io. Bapt. Helmontius, in Tum. Post.* infra cœlum ac supra aquam retramque existens : uti loquitur *Scaliger, de Subtilit. Exercit.* 27. non obstante quod *Isac. Vossius de Mot. Mar. & Ventor. c.* 21. *p.* 49. in Macrocosmo fabellam vocet quatuor Elementorum recensionem Aërem verò nil aliud, quàm aquam seu humorem dilatarum, ad legem æquilibri quaqua versum se extendentem ; Maria autem præcipuum aëris fontem esse & tantò quidem magis Soli subjecta ; moverique aërem secundùm dictos Maris diversos Motus.

Neque tamen Elementaris hic aër Orbibus inclusus cœlestibus est, *Tych. Brahe l.* 1. *Ep. Astr. p.m.* 100. sed in tribus suis regionibus, suprema videlicet, mediâque atque infimâ movetur, ac à superficie terræ & aquæ ad summitates usque nubium currit. Ac licet verissima illa *Scaligeri* sint : Aërem nostrum aquâ esse mistum : quod ni fieret, occideret utique : uti hinc non ineptè concludit *Magnus* ille *Albertus* : non exinde tamen aquæ dici merebitur species : utut *P. Lamb. Danæus Phil. Christ. tr.* 1. *c.* 9. *p.m.* 34. diversum ab aquâ elementum esse Aërem neget. Quo nomine *Andr. Libavio, de Univers. & Orig. Rer. Concl. l.* 1. merito ille vapulat.

Vivit Aër in igne, hic in aëre ; in Terra Aqua, in Aqua Terra, & denique Aqua in Aëre. Purgat Aërem Ignis, Aquam Aër, Terram Aqua ; quolibet, ignis beneficio, cætetis claritatem sui communicante, Cúmque, Elementa qui quæsierit pura in Mundo, oleum perditurus juxta & operam sit, quid, quò credere minùs liceat, impedit : esse id, quod Aërem dicimus, Aquam tenuem, Ignem item Auram tenuem, similiter Aquam Terram tenuem, istam autem, Ignem crassum ? Et è contrario : terram coagulatam aquam, aquam aërem congelatum, aërem ignem addensatum ? Vid. *Alphonsi Regis Clav. Sap. in Theatr. Chem. Vol.* 5. *p.m.* 861. Hic aër fit Lympha, ex Lymphâ fit terra, & ex terrâ fit aqua. Quæ singula exemplis probat *Drebbelius, de Natur. Element. Tractatu.* Igitur : cum vel Aura, vel Æther nihil quiquam ab aëre differant, nisi, quod *Eman. Magnanus* statuit, *c.* 16. *Phil. Nat. prop.* 2. sicut limpidissima aqua ab impurâ, & ex consequenti Aura ac superior Æther nihil, nisi aër subtilissimus, sint ; nihil, opinor, omnino peccabimus hic si pro una eademque re ista quidem ubivis sumamus.

2. Per Auram inferiorem, vel aërem coagulatum, ut elementatum, intelligimus subjectum nostrum catholicum. (Quo de *Cap.* 3. quidem in specie) Unde rectissimè *Sendivogius in Epilogo Tract. Aër*, inquit, *veterum Philosophorum materia*, cujus & in se aerius, id est, color candidus est. In hac autem nostrâ coagulatâ Aura siccum & frigidum dicitur Sal vel corpus ; in eâ verò quod calidum igneumque est ; sulphur audit, seu anima, frigidum autem & humidum Mercurius sive Spiritus, vocatur. Sed enim coctione continuâ ac perenni tria illa convertuntur in unum, hac ratione : Frigidum & humidum convertitur in calidum & humidum, & tandem in calidum & siccum. Sic quæ in Materiâ nostrâ reperiuntur confusa ea distinctaque convertuntur Elementa fiuntque unum aliquod Elementum igneumque & siccum. De quo quidem subjecto in cæteris ordine omnibus nonnulla annexuri Capitibus sumus.

CAP. II.

De Aurâ, Effluviis variarum rerum repletâ.

OBservandum itaque 1. Auram, superiorem putà, posse considerari dupliciter : vel, ut Corpus simplex & purum putum Elementum ; de quo in Cap. præcedenti : vel, prout varios vapores & exhalationes in se continet *D. Dan. Sennert. de Febr. l.* 4. *cap.* 2. *pag.* 382. de quo hic sermo nobis instituetur. Pori, vel porositates, quibus refertum aërem esse diximus, vel planè hiant expertes corporis, in sui integritate manentes, vel replentur vaporibus alienisque exhalitibus, & veluti uteri sunt, quibus aporrhœæ fructuum aquæ resolvuntur denuò in ultimam aquæ simplicitatem, undè proveneruntur, spolianturque quibuscunque primorum seminum signaturis. Vid. *Helmontius in Tum. Pestes* §. *Forma.* Nam è rebus sublunaribus duplex seu spiritus, sive halitus, vi caloris solis vel stellarum, aut etiam ignium subterraneorum, ut & calore rebus ipsis innato extrahitur atque in altum elevatur *P. Casp. Schot. in Phys. Cur. l.* 9, *c.* 1. §. 1.

Ejusmodi autem in Aurâ peregrina Effluvia sunt &, per accidens varia ; juxta indolem, unde exalarunt, concreti. Hinc Terra Virgo, sponte suâ herbas producit, si idoneo conditam vasi libero aëri exponas noctu diuque, congruo tempore imprimis. Quod est signum, terram illam sola aura ejusmodi herbarum seu seminâ sive spiritus continente, fuisse impræginatam. Terra saltem permanens matrix existit, non Corporum Mater ; quod probè tenendum. Sic Nitri & Vitrioli Spiritus per aërem volitant. Si enim, postquam è Vitriolo vel Nitro spiritum extraxeris Colcotar ejus [uti vocant] ponas sub dio, ibique dimittas paucis diebus, & mox in Retorta reponas, adhibitis ignis gradibus novum eundemque efficaciorem spiritum elicies. Quæ experimenta *Magnanus* adfert *in Philos. Nat. c.* 16. & ex eo causam colligit, cur quibusdam in locis salubris aër, alibi verò minimè sit, cur item alibi gratos, alibi tetros efflet effectus odores : nimirum, quia vel salubres & gratos, vel insalubres ingratosque ille spiritus continet.

Scilicet, redolent ventri, quæ prætervexeris, corpora illa. Dum Rosæ florent, è locis *Fontenau & Vaugirard*, qui circa *Parisiorum* urbem sunt, aër mira odoris suavitate delibutus naribus affertur, referente *D. Kenelm. Digbæ. in Theatr. Simpath. p.m.* 48.

E contra *Matriti in Hispania* tam est tenuis aër, uti, nisi aliarum rerum effluviis identidem inspissetur, minus aptus hic respirationi hominum atque animalium sit.

Londini in *Angliâ* quod in tota vasta illa urbe ignibus incolæ utuntur, ex eo carbonum genere, quos solent fossibiles vocare, totus aër velut sale & fuligine repletur : unde lecti, aulæa, & quævis utensilia alia, quantumvis nitida ac splendentia ante, brevissimo tempore obfuscantur.

Drepani in *Siciliâ* urbe maritima ex Salinis celebri, aër est adeò corrosivus, ferrum ut excedat. *P. Casp. Schott. in Techn. Curios. l.* 4. *c.* 1. *præl*, 1. §. 44.

Varias igitur ob causas constitutio aëris variatur, quatenus pendet à locorum situ, terræ natura, maris.

& lacuum vacuitate, fordinis metallicis, temporibus annituti latè deſcribitur à *D. Dan. Senn. Inſtit. Medic. l. 4. part. 2. c. 2.*

Quemadmodum ergo variarum in aëre rerum permiſta varia continuo effluvia, ſive omnis generis ſpiritus ſunt, terrei puta, aquei atque ignei, è terra, aqua, igne, mineralibus quoque, plantis item, animalibus, adeoque hominum corporibus, magna ſemper copia coloris ſeu extrinſeci, ſeu intrinſeci reſoluti & ob levitatem aſcititiam in altum evecti, ita à corporibus homogeneis vi magnetica attracti iidem corporificantur.

Utor Minera Martì-Solari, (quam ex *Haſſiâ* adferunt, tribuſque diobolis libram *Lipſiæ* æſtimant, non cariûs) flava intus, aureæ inſtar Marcaſitæ, cæterum planè inſipida. Quam enim ſi in pulverem redactam in aqua aliquandiu coquas, ne colorem quidem mutabit, nec ſaporem alium, quam qui aquæ eſt, habebis. Hujus Unias duodecim, per integros quatuordecem dies, non ita pridem aëri frigido expoſui. Quò facto peculiarem illa humidumque atque dulcem, talemque, qui Vitrioli eſt, ſaltem attraxit continuo. Quid? Quod duabus unciis aucta & ipſa pondere eſſet. Qui extractus Sal pluvia aqua forma viridi, purgatuſque, mirum, quantum morbis iſtis reſiſtat, qui ex Tartari abundantiâ oriuntur: ſicut nec minus aliis. Dicitur & *Hauſenſis* Terra Minera hæc, quam & ad vitrificaturas ſuas adhibent figuli, continetque ea Spiritum, metalla omnia ſolventem. Ref. *D. Ioh. Tileman. Exper. 3. p. m. 8.* Eſt eadem *D. Ioh. Hiskiæ Cardalucio, in Aula ſubterr. Lazari Erckkeri, l. 5. p. m. 327.* Magneſia Vitriolata, *Arnſtadii, Aquiſgrani*, alibi item, non infrequens, *Glauberus in Furn. Philoſ. part. 2. c. 11.* Vitrioli dulcis Mineram vocat, inventam à ſe copioſiſſimam *Almanrothi* (eſt is *Haſſiæ* pagus, unum *Caſſellis* lapidem diſtans) Virtutem ſi ſpectes, qua attractiva prædita eſt, pari ac Biſmuthi illa Minera, eſt, & ipſa ſanè ex aere, viridi admodum, attrahens Vitriolum; creditur que Chymicorum pleriſque immaturum *Paracelſi* Electrum, niger Saturnus, albumque Philoſophorum Antimonium eſſe. Cujus, opinio, tactus invidia, verum reticere maluit nomen *Ioach. Polemannus de ſulphure Philoſ. Tractatu p. m. 114.* quod verò ut dicerem, domi habui cauſas.

Monſtro ſimile eſt, quod *Dn. Kenelmum Digbæum* autorem habet, experimentum. Hic namque *Arcevilenſi*, quam vocant, terra aëri libero expoſita, ſingulisque diebus aqua pluvia humectata, poſt primum menſem, in eadem vitriolum: ſecundo ſulphur: tertio plumbum, ſtannum quartò: quintò ferrum: æs ſextò menſe repeſit, in quo ramenta argenti tenuia eſſent. Quod idem *D. de l'Oborie & D. Locques*, Galliarum Regis Spagyricus, & ipſi feliciſſimè tentarunt. De quo qui volet cognoſcere, is prolixiſſimè diſſerentem adeat N. *Olaum Borrichium, diſſertat. de Ort. & progreſſ. Chym. p. m. 149.* Hôc pactô exhauſtas & auri, argentique & ferri, ac lapidum fodinas creſcere denuò docet *Athanaſ. Kircher. in Mundo ſubterr. lib. 4. cap. 8. p. m. 215.*

Dn. Marcus Antonius de Caſtagniâ. Mineratum Reip Veneræ ſupremus Præfectus & ſocietatis Pancteticæ Fundator coram quovis atteſtabitur, eſſe arti poſſibile, in quavis domo & laboratorio, variis modis perpetuam mineram inſtruere, unde ſtatutis temporibus metallum verum, non ſecus ac ex minera, exerui poſſit. *D. Ioh. Ioach. Becher. in Exper. Chym. nov. p. m. 62.*

Cernis opinor, auna quid præſtet, quid Cœlorum influxus, ut ad fictos ingenio e cortices deſcendere non ſit adeò neceſſum. Rectè ergò dictum à ſenſatioribus Philoſophis *πανσπερμίαν* quandam, ſeu rerum omnium ſeminarium & Cornu-Copiæ Auram eſſe vel aërem.

2. In noſtra auta inferiore coagulata, ſeu ſubjecto Univerſaliſſimo, mox nominando, dantur etiam effluvia ex aere & terra attracta, ſed diverſæ naturæ; quæ cauſa eſt cur, fœces ac ſuperflua cum ſint, per ſolutionem, quam vocant filtrationem, deſtillationem, putrefactionem & ſublimationem ſeparari neceſſe habeant.

CAP. III.

In Aurâ etiam Materia Hermetica, ſive Spiritus Mundi volitat.

Carteſius part. IV. Princ. Phil. n. 48. Lipſiorpius p. 3. ſpecim. Philoſ. Cart. c. 2. aſſerere videntur: aërem nihil aliud eſſe, quam congeriem particularum terreſtrium, tam tenuium, & a ſe mutuo disjunctarum, ut quibuslibet motibus globulorum cœleſtium obſequantur. Licet *Dn. Robertus Boyle, in Experimentis de Aere, Exper 1. Carteſium*, aliter interpretetur. Credendum tamen eſt, naturam, cui peculiaris ſemper fuit cura, ut indefeſſum Cœli ac Terræ commercium, velut admirabilis harmonia totius mundanæ machinæ perduraret, à primò mundi ortu etiam cœleſtem quandam ſubſtantiam vel materiam per univerſum orbem diffeminaſſe. Præcipuè vero 1. in Auram vel Aërem ſuperiorem, ut indigniſſimum Elementum, in quo ſemen & vitalis Spiritus, ſeu domicilium animæ omnis creaturæ lateat. *Mich. Sendivogius Tract. de Sulph. p. m. 152.* Hinc Hebræorum Doctores Aërem numero Elementorum eximunt, eundem velut medium quoddam atque glutinum, diverſa ſimul conjungens & tanquam Spiritum mundani inſtrumenti reboantem, habentes. Vid. *Templum Naturæ Henr. Kornmann. pag. m 72. & D. Marcel. Vrankheimi ἐπίκρισιν ad Archill. πανυπερτατέρμαχ. pag. m 3*

Docet id indies Experientia, quod hoc Elemento non ſolum mineralia, animalia, vegetabilia, verum etiam alia Elementa vivant. *Ioh. Sper. Inſt. Phyſ. l. 4. c. 2. ad præc. 1.* ſiquidem ſpiritus quidam aſtralis in hæc inferiora influens, metallis, lapidibus ac plantis ſe accommodat, imo in eorundem ſubſtantiam occulte ſe ingerit. *Goclen. in Synarthroſ. Magnet. pag. 102.* Ipſe ubique viget, in omnibus generationibus omnis proximus author atque motus. *Marſil. Ficin. de vita lib. 3. cap. 3.*

Hanc ſubſtantiam Ætheriam *Helmontius* vocat Magnale Magnum, *lib. de Magnet. Vuln. cur. §. 151.* Eſt, qui eandem, Aquis tribuit ſupra cœleſtibus, *Kircherus in Itiner. Eſtatico.* Quas natura illa ſua roris inſtar, comminiſcitur, luce propria contentas, pellucidas, atque in ſublunaria hæc influentes, quibus, velut nutrimento aliquo vivant, quæ ullibi in mundo corpora extent. Cui opinioni fidem aſſenſumque præbet *Henr. Nollius*, ex Cabala & ſecretiori Philoſophia, *in Phiſ. l. 2. c. 2.* Eſt ejuſdem, inquit, aqua, cujus perpetuò & continuò influxu in hæc inferiora omnia animantur & diſponuntur ad ſuſcipiendam exaltationem Primum ſe communicat aſtris viſibilibus per aſtra aëri, per aërem aquæ & terræ &c. Sed hanc ego opinionem, non facio meam; & album adjicio ſententiæ, calculum *Petr. Palmarii D. Pariſ. de Lap. Phil. dogm. p. m. 64.* (utut præguantibus de cauſis, id ſcripti factum ſit, ab Academiæ Pariſienſis Collegio Medico 1690. obeliſco ut jugularetur) Cor mundi Sol, non Oculus, eſt. Diffundit vivificum nectar (per aërem) in ſubjecta omnia. Ergo quædam permanens ſubſtantia, cœlectis, divina ab Elementorum concretione alieniſſima; quæ ſingulorum ortui ut acceſſit, ſic

per

per eorundem dissolutionem, cur non educetur? Fundata est in subjecto tenaci, plus minus, pro rerum conditione. Cum illo manet, abit, dispirat, redit, recedit, inducitur, extrahitur. Neque enim pura consistit & omni subjecto nudata. Ut non nuda nascitur, sic nuda non extrahitur.

Deinde nominatur hæc materia cœlestis, de qua jam loquimur, spiritus & anima Mundi, ab *Avicenna* & Platonicis, ros de nocte; aqua ratefacta de die spiritus invisibilis congelatus, semen omnium rerum, spiritus vivus omnium creaturarum, vita cœlestis, spiritus universalis cunctis rebus inclusus & per aërem ingrossatus. *D. Frid. Hoffm. in Method. med. l. 1. c. 19.* Semen universale Naturæ, Spiritus Salino-Sulphureo-mercurialis, una substantia triplici virtute distincta, proximum rerum omnium principium. *Athan. Kircher. lib. 12. cap. 5. p. m. 332. Mund. subterr:* Lumen, Vitæ Balsamus, Mumia vitalis, Calidum naturale, Humidum congenitum, vis & vigor universæ naturæ, principium motus, Entelecheia, Sperma mundi, Aqua magni Oceani, Aqua vitæ purissima, Ignis universalis, Chaos naturæ ac Penuarium, ex quo calor vitalis ac spiritus, tanquam ex sperm te, prodeunt, Quinta essentia & Mercurius vitæ, præter millena nomina. *D. Petr. Ioh. Faber, in Comp. Secret. Chym. lib. 1. cap. 2. Damian. de Campis in Enucleat. Nov. Lum. Chym. Mich. Sendivog. §.* wir können es *Spirituosum vitæ Balsamum* nennen, *& ejusdem Enarrat. Somni si non Pansophici, tamen Philo-Polymathici* §. 34.

Dicitur & Leo viridis propter robur, quo cuncta movere potest & penetrare: quod *Trismegistus* docuit, appellando illum, in Tabula Smaragdina, totius fortitudinis fortitudinem fortem. Dicitur superius, & Avis seu Avicula Hermetis, imo Mercurius universalissimus; qui, aquæ siccæ nomine clarus, in communi superioris & inferioris mundi cœmiterio ad parranda totius mundi miracula circumvolvitur & occultus vitæ nostræ cibus à *Cosmopolita* appellatur. Hic enim levi digestione debitè captus, rubescit, magnatumque refectionum patet est, si virtus ejus conversa sit in terram, dicti *Hermetis* testimonio. *D. Ioh. Tracz. in Epist. ad D. Ioh. Dan. Majoris Chir. infus. p. m. 5.*

Possum hic nominare complures, qui istius Humidi radicalis Mundi in scriptis suis passim meminerunt non tantùm: è quorum sanè numero non postremus occurrit *Bernhardus G. Penotus. deindè Gerh. Dorn. Papinius in dissert. de pulv. Symp. Osvvald. Crollius, in Basil. Chym. Mich. Sendivogius in X. I. I. tract. D. Petrus Ioh. Faber, in Pall: Spagyr. Hydrogr. Spag. in Myroth. Spag. Hercule Pio-Chym. & Comp. Secret. Chym. Corn. Drebbelius de Nat. Elem. Robert. de Fluctibus c. 5. l. 1. de Vromantia. Cæsar. Reviera in suo, de Mundo magico, Tractatu, Italicè confecto, lib. 1. Ioh. Poppius in Hodog. Chym. D. Olaus Borrichius de Ortu & Progr. Chym. Ioh. Verem. Rhumel Basil. Chym: Ioh. Rodolph. Glauberus in Pharm. Spag. Ioh. Lud.* Gottfried *in Archontol, Chosmica*, atque alii: sed & integrum hac de re Commentarium dedit *Ioh. Rohtmannus*, cui, de Anima mundi & Spiritu Universi, titulum fecit.

Est & *Dni. Nuysement.* liber confectus de Spiritu Mundi universali & vero Sale secreto Philosophorum, *D. Andreæ Nitneri* item de Eodem Mundi Spiritu, attracto ex aëre nec non *Tractatus de Calo terrestri Venceslai Lavinii Moravi.* Quare studiosos istius ad illa volumina delegamus.

Dominus Petrus Borellus; Cent. 1. Obs. 6. sub tit: Curat. febr. malign. auro soluto curate, rationem docet præparandi Magnetis, quo essentia hæc attrahi ex astris; destillarique atque eâ durum solvi queat.

Ac, ut de me ipsemet hoc afferam, anni sunt admodùm septem, quum Magnetis Philosophici ope præparati ex Nitro fixo, spiritum aliquem sive aquam Mercurialem ex aëre attrahebam, quâ, uti loqui amant, rectificatâ, residuum phlegma, utut planè insipidum, instar aquæ communis, tincturam ex Corallis rubram extraxit, mutato horum colore in album; cujus causam haut temerè alii, quàm volatili aëris Sali, ducimus assignandam.

Extra igitur aleam dubitationis positum id quàm longissimè est, esse Sal corpus primum, per quod materia cœlestis palpabilis & visibilis redditur. Est Sal enim Terra, Virgo, quæ nihil adhuc produxit, in quam Spiritus Mundi primò convertitur per vitrificationem, hoc est, extenuationem humoris. Quo sensu fuit haud dubie *D. Ioël Langelotius (Epistola ad Præstantissimos Naturæ Curiosos p. m. 191.)* cùm Sal aëris unicum solvens indigitaret Catholicum rectissimè, meo animo quidem.

Cæterùm existimo ego cum *Nollio*: Hunc divinum thesaurum, ne frustrà descendere & se humiliare videretur, sui perfectam imaginem cuidam quoque mineræ coram mundo abjectæ, quæ Magnesia sapientum dicitur, impressisse, illamque sic disposuisse, ut facilè negotio, DEO singulariter benedicente, & industriâ humani ingenii, inde erui possit.

Est autem, ut apertiùs dicam. 2. Aura inferior coagulata, vel Magnesia illa, Nitrum nostrum, sive Sal Petræ, in quo ætheria illa substantia copiosissimè dilemmata. Nam est nullus omninò Sal, qui sit, illo, magis catholicus, quin adeò diffusum est Nitrum per universam rerum naturam, itaque actuosum in concretionibus saturque mistorum sublunarium, ut operæ pretium factutus sit, quisquis ad vestigandam ejus indolem animo sese & cogitatione attentissima converterit. *Rob. Boyle Nob. Anglus in Tentam. Phys. Chym. p. m. 1.* Non est è numero Salium, appellari vivens quod possit, uno Nitro excepto nostro Virgineo, quod & ipsum tamen antea, carens vitâ ex aëre eam receperit. Est Subjectum Philosophorum universalissimum hoc; cui non Mercurius tantùm, sed & ipsum aureum Sulphur ac Mundi Sal copiosissima insint.

At enim, quantum est, quæso, contradicentium! quos ego contrà asserentes omnes mihi audio hic: Redolere hæc *Ioh. Rudolph. Glauberi* novam illam primâque specie blandientem opinionem: Esse Nitrum Philosophorum, illum Mercurium. Menstruumque universalissimum, statuentis. Quam, assertam à se aliquamdiu, Mundi Miraculo, in cæteris scriptis suis postea ille explosum, atque in alia omnia ire potius cœpit, extremùm Antimonium ipsi arrisit; quo de in *Igne Secreto suo, p. m. 20.* exsertis verbis: Esse Mundi Spiritum; Antimonium ait, animas mortuorum orco educens: esse pariter Alkaest, ex quo *Pontani Artephiique* secretus ignis confici possit, confer ejusdem *Glauberi Proserpinam p. m. 49.*

His ego opinionibus respondeo, nihil inesse, quod quem possit offendere, imprimis cum sibi invicem non repugnent. Nam, quod ad istam attinet, Spiritum Mundi metallicum latere in antimonio, non me fallit, unde Menstruum universale metallicum possit erui. Quod ad illam autem: equidem Mercurii Philosophorum conficiendi ex Nitro modum ignorasse *Glauberum*, in confesso est, ex *pag. 91. Mirac. Mund.* cæterùm, non id materia esse illa propterea definit, ex qua universalissimum Menstruum extrahi, cujusque posteà beneficio, præparari Menstruum universale metallicum queat. Extra ea constanter asserimus adhuc, à nostro opere excludendum Argentum vulgi vivum cum Antimonio esse, nec id injuriâ quidem: Hoc propter impotentiam, illud autem, quod jam in corpus metallicum

licum

licum à ſulphure ſuo interno ſit coagulatum. Corpora autem in corpora non agere, notum eſt. Pauci, ſcio, verbis meis fidem habebunt: Sed ſi æquè ac Philoſophi, experientiâ edocti, ſcirent, quomodò ejuſmodi Sal petræ in omnibus reperiretur, ex iiſdemque omnibus artificioſè extrahi poſſet: tùm & ſibi ipſis, tanquam teſtibus oculatis, fidem ſine dubio non derogarent: & tàm pretioſum Salem, qui ab ignorantibus tantùm vilipenditur, (vilis propterea à Philoſophis dictus,) non tam leviter cum ſordibus, quiſquiliis & ſimo abjicerent, ſed ex omnibus potiùs mundi angulis collectum haberent ſanctiſſimè. Quanquam obtervari juxtâ *Raim. Lullii de Quint. Eſſ. diſt. 3. p. m. 95.* & hoc velim; Licet, omni in elementato, quem dixi, Mercurius reperiatur, tamen in aliquibus tam longè, ut vita hominis, anticiparet, antequam Artiſta hujus artis ipſum, prout expedit, à ſe abſtractum poſſideret. Imò dicitur in omnibus eſſe ratione primi moventis in rebus naturalibus, qui ſpiritus vegetabilis nuncupatur, quo noſtra materia præ cæteris abundat. *Bern. Penot. à Portu Præf. Apolog. in Tract. Ariſtai p. m. 92. Sendivog. in Tract. de Sulphure p. m. 185. & D. Ioh. Tark in Chryſog. de Quinta Eſſ. vini p. m. 32.*

Interim non mirati non poſſumus vim ac virtutem illam, qua omninò ſtupenda, divina bonitas Mundi Spiritum ſalemque aëri inhærentem iſtum donavit. Tot enim in mundo millibus, quibus aut jungitur attrahiturvè magnetico more exiſtentibus ſubjectis, non illa mutat tamen efficitque, ut, quod non eſſent, jam ſint aliud: ſed, ut idem cum ipſis fiat, id verò unicè agat, Quod profectò unum eſt tanti, ut, qui penetrarent, nondum viderim ego, nec, qui penetrabunt, videre forſan unquam contigerit. Unam itaque, eamque Univerſalem, ab *Hermete* ſtantes materiam ut concludimus eſſe: *Sic, ab hac unare natas, omnes fieri.*

Ac utut hujus loci ac inſtituti non ſit authoritates Philoſophorum Veterum cumulare roborandis iſtis, quæ diximus, credere enim cuivis integrum ſit, non poſſum nunc facere tamen, quin *Baſilium Valentinum* accerſam, & unum hunc quidem: ſic autem ille, *libr. de Reb. Natur. c. ult.* abundè interioris radicis materiem oculis exponens: Quæ materia, inquit, manifeſta eſt coram oculis omnium hominum. Verùm, quia virtus ejus, potentia atque vis in profundo valdè ſepulta eſt, adeoque pleriſque incognita, eò fit, ut materia hæc pro nihilo etiam & inidonea ex ignorantia cenſeatur ac reputetur. Nomen ejus vocatur *Hermes*, qui ſerpentem volantem pro inſigni geſtat, & pro uxore habet, quæ dicitur Aphrodita, quæ omnium mortalium corda novit: & tamen omnia, unum & una res unicè, & unica eſſentia eſt, quæ communis eſt in omnibus oris & cognita in omnibus locis. Quivis eam prehendit manibus, & uſurpat ad res viles. Vile exiſtimat pretioſum & pretioſum rejicit. In ſumma, nihil eſt aliud (dicit) præterquam aqua & ignis, undè terra cum additamento aëris eſt orta etiamnum conſervatur. Cum quo paria facit *Ejuſd. de Magno Philoſophorum Lapide, Tractatus*, ubi ſub finem, Omne in omnibus, quid ſit, explicat.

At enim; Quis me, inquis, iſta docebit, *Hermetis* vocabulo voluiſſe Nitrum innuere *Valentinum*? Ego verò, cui nihil unquam facto fuit facilius. Imò mecum *Schroderus*. Date mihi parumper, &, ne tantillæ te opere, Lector, pigeat, adi mecum Ejuſdem *Schroderi D. Pharmacopœiam Medico-Chymicam, lib. 3. c. 23.* ubique inter nomina illa, quibus nitrum mactarunt Veteres, *Hermetis* quoque oſtendam vocabulum. Hæc materia eſt Virgo illa, cui nomen *Uranogææ*, aut Cœli tertificati, tribuitur, quia licèt terra (i. e. Sal) exiſtat, virtutes tamen cœlorum continet; & indiſſolubili vinculo connexas, ſibi habet, quarum admirabiles operationes exhiber videndas.

Quod ſi autem adhuc Genealogia ejuſdem te anium habet, deſiderio tuo, eſt, qui iterum ſatisfaciat, *P. Kircherus. Tom. I. Mundi ſubterr. L. 6. Sect. 2. c. 3.* Cui *Quercetanum* addas licet, in *Pharmac. Spagyr. pag. 578. ſeqq. & L'Hiſtoire de la Societé Royale des Londres, p. 2. poſt Sect. 39. p. m. 319. Willelm. Clarkius in Hiſtoria Naturali Nitri Lond. 1670. Ioh. Rud. Glauber in Mirac. Mundi de Menſtr. Univ.* De Experimentis verò circa varias atq; multiplices partes Nitri lege *Tentam. Phyſ. Chym. Dn. Robert. Boyle Nob. Angl. p. m. 181.*

Et quid tàm evidenti ego rei facem accendo? Cùm quæ in *Paracelſo* habentur: *reperiſſe in Nitro Alchymiam*: inluſtriora Solis utique radiis ſint. Nec non *Geberi* ita; Petra, quæ non eſt Petra, quæ invenitur in fimis, illa eſt Petra Philoſophorum. Quibus ſuccinit *Dominicus Gnoſius Belga in Herm. Triſmeg. cap. 3. p. m. 167.* Lapis noſter Sal Petræ eſt, quo ☿ currens in optimum & perfectiſſimum metallum, & ſilex in duriſſimum Adamantem tranſmutatur. Et *Opus Petri de Silento* dicit: Optimum Sal Nitri eſt Mercurius noſter, vid. *Theatr. Chem. Vol. 4. p. m. 1117.*

Equidem novi, quantum nonnulli Sali tribuant Roris Majalis, cui & ipſi natales Philoſophici Nitri, credunt, deberi. (Qui habetur pro aere coagulato à fratre *V. Manno* expreſsè Nihilum Philoſophorum dicitur) cujuſmodi Sal, ab Equite Anglo, *Henshau*, ſingulari artificio paratum, cum Microſcopio conſpectum, angulorum numero & figura Nitri æquavit angulos; uti, ex *Ephemerid. Anglicis, Gallicæ* referunt, *T. 11. p. m. 23.* imò rorem dulci ſaccharo eſſe divitem edoctus eſt *Ioh. Bapt. van Helmont de Imag. ferment p. m. 73.* & ex Sale Roris Majalis (imò aquæ pluvialis) *D. Ioh. Dienheimius* medicinam ſuam elaboravit univerſalem; ejuſdemque *Borellus* Spiritu Aurum radicaliter ſolvit. Jungimus his *Detargium*; cujus *in ſuo, de Auropotabili, Tractatu* conſtans aſſertio eſt: Mediante ſe Sale volatili roris majalis diſſolviſſe Aurum, non ſecus ac in aqua calida glacies diſſolvitur.

Verùm, uti, quod res eſt, fatear, fruſtra id quidem in Germaniâ obtinueris ex Rore illo, minùs videlicet Salis Mundi feraci, quàm in cæteris Regionibus, Ægypto præſertim. Quod teſtabitur *P. Bellon. in Obſ. ſing. & memor. rer. lib. 2. cap. 77.* nec non *Autor de la Chambre in diſſert. ſua. de cauſa inundationis Nili:* in Rore, quem Ægyptii Guttam vocant, vim fermentantem latere, quæ maſſa aeri expoſita ipſum Nilum; ſeu Nitrum, quod in Nilo eſt, fermentet. Sic Ros Braſilianus, teſte *Geographo Varenio*, Europæo tùm pinguior & Nitrò multo impregnatus, fœcundior, tùm multò penetrantior tenaciorque, præcipuè æſtate exiſtit. Sic eſt in Inſulis Ferroenſibus multa fœcunditas ex Nive, quæ Nitrum ſecum vehit. ref. *D. Thom. Bartholin. in Act. Med. & Phil. Hafnienſ. ann. 1671. & 1672. p. m. 87.* Ego ſententiam meam interponens, profiteor liberè: Nitrum noſtrum, obvium ubivis, utut impurum, tamen cœleſti materia referti ſſimum idemque verum Subjectum Catholicum miraculoſumque eſſe Sal; è quo liquor non tantùm & diſſolvens univerſale Philoſophicum, ſive Mercurii Spiritus, ſed & propinquiùs Medicina ſapientum antiquorum præparari atque confici poteſt. Notandum hic interim fuerit: Licèt ex eo aqua, forti igne, eliciatur, & Spiritus ejus, ſimul in illâ aquâ miſcens ſe & inhabitans: Spiritus tamen ille craſſus & corporalis, ſive terrenus, nondum eſt Spiritus ille ſecretiſſimus & vivificus cœli, (cujus Pater Sol igneus & Luna humida Mater, juxta *Hermetem* noſtrum) ſed eſt hic Elementaris Spiritus habitaculum illius cœleſtis, qui anima & vita

vita omnium Creaturarum est & vocatur, atque hic imaginem DEI gerit proximè. Ergo, sicut DEUS in igneâ habitat essentiâ & ignis consumens est: sic & iste Spiritus, qui, ut anima vivificans omnia, in igneo ardentissimoque Spiritu occultè habitat, & etiam ignis consumens est omnia terrestria: purgans autem ad summum Cœlestia. Et sic aqua ex Nitro destillata tres habet partes: Corpus, quod est aqua: Spiritus ille igneus elementaris crassus: & tandem anima occulta vivificans, quæ in debito subjecto incorporatur.

Modi autem hujus ignari, cœlesti materiâ attractâ ex aëre, sint contenti norintque: Quantumvis, *Dom. Nunero Hoffmannoque* testibus, circulata eadem atque in Spiritum destillata confortando cum maximè cordi faciat, omnisque generis febres morbosque ex scoriis fæculentis, ortos, alios curet; fieri tamen haud posse, uti secretissimus ille Spiritus, sive ex aura attractus, sive Magnesia quoque sua erutus, in morbis curandis ea efficiat, quæ cuivis admirationem possint injicere: nisi vel suo corpore i. e. Sale purissimo, vel Auro Auræ, vel Auro ipso metallico conjunctus idem fixusque. Quæ de re jam, in sequentibus, sumus acturi.

CAP. IV.

De Auro in Aura.

PEtspicuum est autem, ex Philosophia adepta & Naturæ thesauro, constatque inter omnes, qui de Auro memoriæ prodiderunt, omninò tria distincta ejus genera dari: Astrale primum, deinde Elementale, tandemque Metallicum. Conf. hanc in rem *D. Ioh. Tackii Trip. Phasi. Med. de Auro p. m.* 11. Nos sepositis istis, de Astrali nunc tantùm loquimur. Miraberis autem non injuria, scio; quare i. in Aura, sive superiore id aëre quæram? & unde inventum modusque iste attrahendi, de quo ne verbulo quidem ullus, quod sciam, Autorum, expositum hactenus innotuerit mihi: sed non longæ ambages sunt, adverte, brevibus docebo.

(I.) Considerabam, quòd Creator altissimus præcipuè in Sole, qui est tanquam Cor Cœli collocaverit virtutem multiplicis potestatis, quæ ignis est invisibilis & calor vivificus, omnes res creatas permeans, in quo omnia tàm cœlestia, quàm terrestria, vegetantur & in suo esse conservantur: imò quòd Sol sit Patet Spiritus mundi, seu materiæ cœlestis, imò & Sulphuris universalis, nam per radios suos agit in aquam Sol, quam attenuat atque attenuando in aërem vertit. Nec hoc in opere quidem subsistit, sed pergit, vertitque vapores aereos in ignem, fovendo eos, coquendoque continuò, indeque in subtilissimam convertendo naturam, ita ut si deinceps Sulphur nativum, (calorem intellige) in aquâ Sulphure seu calore Solis incendatur, ex istius materiæ coagmentatione ignes varii generis prodeant. Sic Sulphur commune priùs fuit aqua, cujus natura erat frigida, quæ posteà circulando per calorem Solis vertitur in aerem, cujus natura est calida & sicca, cum quo posteà se temperat terra; & sic efficitur Sulphur: *Egid. de Vadis in Dial. Natur. & Fil. Philos. c. V.*

(II.) Sciebam: Aurum naturale Solis esse Filium, siquidem illud est cum ætheria materia ejusdem naturæ, aut potiùs nihil aliud, quàm cœlestis Materia, quæ priùs puro quodam in loco naturam corporis induit, quàm in perfectam fixionem reduceretur. Cujus *Raimundus Lullius, in Tractatu suo, de Intentione Operantium*, elegantissimè Genealogiam contexuit. vide nunc *D. Ioh. Christ ph. Steeb Elix. Solis & vitæ §. 7.* quibus de Generatione Solis, nihil doctius.

(III) Incideram in *Dn. Kenelmi Digbæi Demonstr. Immortal. Anim. ration. c. 7. p. m.* 62. locum illum: Varietorum vitreorum ope, peculiari quodam modò factorum & artificiosè dispositorum, collectos Solis radios in pulverem fusci coloris, aut purpurei in rubrum vergentis, præcipitatos fuisse. Quibus postmodò subjungit: Fraus nulla huic operationi subesse potuit; nil enim in vale, antequam disponerentur, continebatur; peragi etiam debet in calidioti anni tempestate, ut effectus iste sequatur. Hinc porrò operatione aliquibus diebus duæ ferè unciæ colligi potuerunt &c. Ex his omnibus ego cœpi conjicere; licèt verò sit alienum, quod apud eundem *Digbæum, Theatr. Sympath. p. m.* 27. proditum legimus: Esse substantiam Lucem materialem atque corpoream: (cui sententiæ, *Opere, de Medic. Ort. & Prog. §. Magnum n.* 35 non invitus accedit, *Helmontius*, lucentisque exemplo eam silicis probat. Quæ, quòd lucet, à sole utique habet demumque addit: esse lumen revera ens extra lucem) Quæ si, inquam, à vero abessent longius, Solis tamen calori, fieri non posse, quin sulphur præstantissimum insit, ad nos per aera devectum. Statuere enim *Tackium de Genealogia Auri, Tractatu:* Spiritum illum, quem quotidie una cum aere, maximo nostro bono, haurimus imbibimusque, rubra illa Tinctura refertissimum esse. Nam est in Sole Balsamum omnium præstantissimum, expers omnis corruptionis, quod si è Sole emere scieris atque humano didiceris Balsamo applicare, nobilissimam tibi omnium medicinam acquires: *Henr. Nollii in Prod. Phys. Herm. 6. cap. p.* 37. cum quo tandem cœpi concludere: Calor Solis seu Balsamum ejus, beneficio radiorum, inferioribus corporibus impertitur. Quod si Magnete creato illud comprehendere atque ex eò prolicere poteris, thesaurum, millies auro & argento preciosiorem, tibi compatabis, cujus robori omnes cedere morbi coguntur. In quam sententiam *Osvaldus* & ipse *Crollius in Præfat. Admonit. suæ Basil. Chym. præfix.* Volentibus, inquit, vitam hominis ad summam sanitatem adducere, opus erit, quærere Solem non Elementalem, sed calorem illum cœlestem Solis & Lunæ, habitantem in incorruptibiliori substantia sub Lunæ globo reperibili: hunc calori vel spiritui nostro similem, quod fit, cùm in medicinam & cibum suavissimum præparatus fuerit.

Quæ cùm sic præcepissem mecum atque ante animo peregissem: cœpi porrò in eam descendere cogitationem: Annon,

(IV.) Quem dixi, Magnetismus, qui, in aere potius; tempore æquinoctiorum imprimis, (quo aer atomis ætheriis Ballamicisque quasi redundat,) cœlestem illam materiem forma humida attrahit, per auram è solaribus radiis Sulphur aureum sicca forma itidem attrahat?

Supposito igitur igne isti, cujus jam aliquoties mentionem facimus, Magneti, idque, sereno cœlo, in aere maximè libero, extemplo ille, quod sumerat, agere atque operari cœpit. Tot tantisque experimentis atque laboribus Aurum istud Auræ fieri investiganti.

Hoc igitur voco solare Balsamum, seu vivificum Sulphur, vi magnetis universalis ex aere attractum, sanitatem cum primis conservans, nostri corporis cùm partes, tùm humores à corruptione atque putredine vindicans mirè tuensque.

Nam, quia hoc sulphur, haud dubiè à Sole Cœlesti, (Lucis ac vigoris vitalis fonte illo aureo,) emanat juxtà ac influit, Aurum ausus sum appellasse, præferente facem, *Hortulano*, Philosopho; qui in Tabulam *Hermetis* Commentaria scripsit & per Solem

Aurum

Aurum intelligit Philoſophicum : quod Lapidis Parentem, & verè quidem nominat.

Nec 2. in inferiore coagulaque hac Aura, i.e. Nitro noſtro , Hermeticum Aurum quærentis tuus hic quidem fruſtra erit conatus. Gaudet enim Subjectum id Vniverſale internâ ſuâ rubedine , (quam illi vitam eſſe dixeris,) tractâ ex aëre. Imò Sal Nitri eſt Aurum ſpirituale & Philoſophicum, & ipſe Rex , undè Regis, i. e. Auri vulgaris dependet fortitudo , fortuna & Sanitas , ut philoſophatur *Baſilius*. Hoc Aurum Auræ, ſive Sulphur Philoſophi. Eſt calidum innatum Mercurii Philoſ. ab eo nunquam ſeparabile ; quo ſolo Mercurius maturitatem & perfectionem acquirit. Illa autem duo corporificantur à Sale ipſo putiſſimo , in quo concluſa & captiva fuerunt, figunturque in verum Aurum Hermeticum , i. e. Sulphur rubeum atque permanens ; quòd vero demùm perfectum & numeris ſuis omnibus abſolutum opus eſt.

CAP. V.

De Magnete Vniverſali , Aurum ex Aurâ attrahente.

MUlti multos modos excogitarunt , quibus Spiritum, ſive , (cujus cap. 3. meminimus ,) Mundi Sal ,

1. Ex aëre ſuperiori ſibi acquirerent. Superſtitioſè quidem, quantum ego judicare poſſum, diligentes nonnulli : à contrario mediâ viâ incedentibus cæteris , quos ſequi tutiùs liceat.

Eſt penes me vetus liber MSC. Germanicus quidam, à *Ludovico Gothefrido Outhmaro* quondam mihi communicatus. Exiſtimat , quiſquis eſt, ille inter alia Autor , poſſe, ſi fuerit ſudum , materiam iſtam cœleſtem, per commendatiſſimæ venuſtaris puerum aliquem, duodecim, aut ad ſummum ſedecim annorum, in planis iiſdemque ſuavitate odorum refertis ſitiſque adversùs Solem orientem locis colligi , ore aërem attrahendo, emittendoque ſubinde in ampliſſimum aliquod vitrum, quantum ſatis eſt , animam ſive Spiritum illum, quem *Baſilius Valentinus* modum , *in Imagine ſuâ Clavis* 5. optimè innuit.

Quàm mirum autem rarumque inſtrumentum iſtud eſt , cujus , Cucurbitæ inſtar , è poroſo Balenæ oſſe, (rationem conficiendi, in *Phœnice Philoſophicâ*, præſcripſit J. R. H. *Iohan. Riſtius*, ex communicatione *D. Ioach. Morſii Bibliothec.*) attractarum haud dubiè ſpiritum magneticâ vi , ſi chalybis ſcobe ſilicibus in pulverem redactis , extractoque è gammaris fluvialibus ſucco, antè maceres probè.

Sed ſunt Anonymi iſta alterius , quæ nunc pariter producenda. Includi is vitro , quæ nonnunquam æſtate cadunt criſtallinæ , miſtas Ammoniaco Sale, grandines jubet: Futurum enim, uti materies, utpotè Magnetica, hæc ex aëre Salem eruat , extrinſecus Vitro circumcircà adhæreſcentem. Injiciatur hic eliquato argento, fiatque ex. imprægnato eodem, metallo concavus cum epiſtomio Globus. Quòd ſi incluſum iſti jam ore extraxeris aëra , habiturum te idoneum, ait, quo, quæ forma, Mundi Spiritum prolicias Inſtrumentum.

Advocandus nunc quoque in partes *Orthelius* eſt; qui, in *Mich. Sendivogii Lumen Chymicum* , *p. m.* 43. vidiſſe ſe: ait, ex auro, argento, ære, orichalco, elaboratos variæ magnitudinis globos hydraulicos , quibus ſine morâ , in hypocauſto licet calefacto, frigidiſſimæ naturæ raræque admodum virtutis atque indolis aquam attrahere reddereque è veſtigio in proclivi fuerit.

Succedat *Barnerus* , cujus modus hic eſt : Vitrum pyriforme in cuſpide clauſum , in baſi autem apertò foramine non largo , glacie minutim confractâ vel nive adimpletum , radiis ſolaribus magis ferientibus ſub Caniculâ præcipuè , ubi Solis calor intenſior , expone , ſic Sal nitroſum lateribus per ἀντιπερίστασιν , adhæreſcit, referente *D. I. Dav. Portz. in Anatom. Chym. Vin. Rhen. p. m.* 5. Fera illa quibuſdam Hermetis Avicula Speculo Parabolico expoſito Solaribus radiis , capta & ipſa cicuratur. Nonnullis ſpeculi item concavi margo magneticâ materia aliqua illinitur. Cui porrò aëri per noctem libero ſiccoque commiſſo, penua manè abradi Naturæ Sal , nullo negotio, potuit.

Peculiaris quoque conficiendi ahenei vaſis, flammæ in modum, ratio eſt, quò præſertim ſi impoſueris cum marmore ſpongiam , hauriri & ipſum poſſe *Staricius* aërem putat. Prolixiora ſunt quàm quæ hic repeti debeant. Adeundus ergo, in *Heroum*, quem vocat, *Theſauro* conſulendusque auctor ipſemet eſt.

Notiſſimus per Germaniam *Barrus* , equeſtris Vir, aquam ex aere ſequenti modò piſcatus fertur : Accepit vitrum in ſummitate patulum inſtar pateræ , inſrà verò pedetentim acuminatum & clauſum. Vitro iſti magnam Argenti vivi indidit copiam , ſive glaciem, ref. *D. Frid. Hoffman. in Op. de Method. Med. lib.* 1. *cap.* 19, inferiori autem cacumini ſupponens vitrum aliud pro excipulo , in æſtate ſummâ in terræ caverna profundiori id collocavit, quo facto ex frigiditate Argenti vivi (vel glaciei) calidus aer , reſolutus in aquam, exteriùs, per vitri latera, defluere in ſubjectam phialam cœpit.

Quid porrò ? Silices calcinatos nigros, dum adhuc calent , aeri committe & humiditatem repagulis ſolutis abundantiſſimè attrahent , quam per Retortam deſtilla & caput denuò aeri committe ad attrahendam humiditatem , in qua ſi Sal Nitrum ſolvas & coagules, coagulatum tantas acquiret vires , ut duplo vel triplo plus fulminet , quàm ante imprægnationem , quæ tamen ſæpius repeti debet. *D. Frid. Hoffmann. in Diſſert. de Method. Medend. p. m.* 267. Memorantem *Londini* Anno à N. C. 1658 & *Kiffterum*, D. duos , accepimus , fuiſſe , qui, ſpeculi cauſtici operâ , Solis radiis ſic ſilices calcinarent; quas cum in edito ſive monte ſive turre aeri pariter libero, infundibulo contentas expoſuiſſent , & ipſas copioſiſſimam, virtute magnetica, aquam attraxiſſe ex aere , rubeam illam quidem , ante Solem exortum ; orto , albam. Quod experimenti *Doct. Frid. Clodio* literis communicavit *Iohann. Morian* , *Arnheimenſis*, ſcriptis d. 20. April. 1658. quarum, præcipuam partem excerptarum facta nobis copia eſt.

Invenit *Fabricius Bartholetti* Pneumatolabium , (cujus & ipſam oſtendere effigiem habeo) Hujus inſtrumenti vitrei inferior tubulus vitrei medio propendens in nivis acervo eſt ſepeliendus. Poſtmodùm ex ore hominis ſani & benè nutriti per alterutrum roſtrum , ſeu per vitream arteriam, intromittendus non expirando, aut efflando ſed ſimplici thoracis contractione Spiritus eſt. Igitur per vitreos circulos intruſus halitus circulatuſque , frigido magiſterio in aquam deſtillatur. Hanc in Urinali vitreo aperto concluſam ſub dio reponimus, quæ lentè evaporans in criſtallos albicantes, capillorum modò diſpertitos , concreſcit , vide dict. *Bartoletti librum de Diſpnœa.*

De Camera Martiali ignita attrahente lege dict. *Ioh. Chriſt. Steeb D. Elixir. Solis & vitæ* §. 42.

Aliter autem multò *Eglinus*. Qui ingentem è Vitro Retortam fervido ſabulo imponens ac folle aſſiduè inflans, id conſecutus demùm eſt , ut conſita velut undique guttulis videretur , Obſtructa iſta arctiſſimè os , ac diu noctuque, in Balneo Mariæ, per integram ſeptimanam conſtituta, tenue dedit hydrargyrum.

Fertur


PHÆNOMENON MAGNETIS VNIVERSALIS
Die 15 Sept Anno 1677.

Fig. 2.


PHÆNOMENON MAGNETIS VNIVERSALIS
Die 19 Marty Anno 1674



Fertur & nostrâ memoriâ fuisse, qui, citante *Wilh. Christoph. Kriegsmanno in Taaut. p. m.* 75. Machinâ animata Mercurium sibi compararet.

Non indignaberis, Lector, quod de Globo sulphureô, proximô à me annô, ex præscripto *Dn. Ottonis Guerickii, Patrit. & Cons. Magdeb.* confecto, paucis hic moneam.

Non is unâ tantùm virtute præditus est, præterquam enim, quòd impulsivâ & conservativâ expulsivâ item sonantque atque calefaciente, nec non lucente denique polleat, peculiare id quoque habet, ut cœlo frigido, humente aurâ attracta, ambabus manibus prehensus, maximum; velut è vestigio rupturus, edat fragorem.

Ex his igitur, quos non unos jam allegavimus, modis, uter utri præferendus, Lector æquus judicet velim. Neque enim sic comparati singuli sunt, ut se omnibus probent juxtà atque commendent. Ego, si, quod sentiam, expromendum nunc liberè fatendumque absque ullius præjudicio sit, quantum quidem ad verum Magnetem Universalem, non repugnaverim, si quis *Polon. Nobili, Sendivogio*, tulerit primas. Sivè *Sethonio* verius, cui omninò asserendum videtur *Novum Chymicum Lumen*: cui & ipse fidem non derogo, in Ænigmate, scribenti, quod annexuit: *Aër est veterum Philosophorum materia. Hic est aqua roris nostri, ex qua retrahitur Sal Petræ Philosophorum, quô omnes res crescunt & nutriuntur. Estque Magnes noster, quem in præcedentibus, Chalybem esse dixi: N. B. Aër generat Magnetem. Magnes verò generat vel apparere facit aërem nostrum.*

Nam scimus Chymica doctrina, Salem produci in omnibus mundi partibus calore ipsius mundi naturali, qui dum agit in ipsum suum humidum, cum depascendo, ut nutriatur côo, humidum ipsum deficcat, quod autem in ipso naturali humido deficcatum est, Sal est naturale & naturale rei cujuscunque; cum in id resolvi nihil non possit. Hoc expertus ratione modoque sum, quòd in Sale quasi spiritu universali terrificato, incombustibile quoddam, sive secretum ignis sit elementum, qui easdem cum primitivo igne actiones habet.

Hinc non impossibilis utique Vegetabilium in Mineralia transmutatio statuenda; sicut neque jam Vegetabilium, jam Mineralium ab uno eodemque fermentali principio, pro diversâ tantùm dispositione, productio. Quam *Dn. Phil. Talducci à Domo, Generalis Architecturæ militaris per Regnum Bohemiæ præfectus, in Observatione Physico-Metallurgicâ*, & demonstrat necessariisque confirmat experimentis. Referente *Dn. Phil. Sachs à Lewenheim in Schol. ad Observ.* 115. *Miscell. Curios. Ann.* 2. Neque enim Vegetabilia à Mineralibus differunt, nisi quòd illa sunt volatilia, hæc fixiora & fixissima, ut Sol & Luna. *Georg. Horn. in Arca Mos. p. m.* 29.

Ex his jam omnibus concluso: quod, si cujusvis corporis quælibet externa forma mortificetur, & deindè ad universalitatis formam, quæ salina est reducatur, Magnes fiat, qui nihil est aliud, quàm Sal fixum, seu Alcali, summè purificatum.

Quemadmodùm autem Salia omnia, per ignem & aurum, in Nitrum ardens convertere licet: imò ipsum Nitrum ardentem vitam suam, sublatam igne, perpetuò ex aëre consequitur: ita, ac quùm Regia velut idem Solis progenies, si etiam Solis Ales Ægyptius sit, omnium optimum, si sit mei arbitrii res, subjectum id censeo, unde, ope carbonum pulveris, vel per se figi Nitrum in igne, paratique universalis ille Magnes facillimè queat. Quanquam si non præferendos, certè neque secundos illi existimem Cineres clavellatos, quorum & vis manifesta, fixosque esse igne jam, omnium testimoniô, constat. Possunt hi enim post fusionem & depurationem, in purissimum nitidissimumque Salem converti, imò quô de ipse testari habeo, non semel expertus, non multò tempore, naturale in Nitrum aëris beneficio mutari. Videntur enim Alcalia omnia quodammodo typum repræsentare Philosophorum Chaos, in quô, ajunt, revivisceret eorum Mercurium; quod de Tartari Alcali habet *Tachenius, ad Hippocr. Chym. p. m.* 60.

Quæ & hujusmodi Salia Magnetica, ad universalitatis formam redacta, non ex aere tantùm suavissimi saporis aquam attrahunt, in qua Spiritus & Sal mundi; sed ex Minera quoque illa, quam suprà Hassiacam memoravi, Magnesia Piemontana, Antimonio, Sulphure communi, carbonibus cùm vulgaribus, tùm bituminosis &c. Tincturam purissimam ac, non alienum istum cum maximè illi, quem intendimus scopo, sive Aurum, seu Sulphur, quod quotidiè, beneficio solarium radiorum, ad nos defertur.

Sed neque 2. inferior Aura, i. e. Nitrum, non inferius tantùm Aurum, sed & noster insimul universalissimus Magnes est, ex aere cùm (1) superiore, tùm (2) inferiore, i. e. ex se ipso, Aurum attrahens occultum Hermeticum. Cujus causa Aureus idem Magnes *Basilio* audit; quod (3) uni omnium Metallorum resolutio, coagulatio item fixatioque, & præterea nulli alii, adscribenda. Equidem plerorumque, quos quidem scimus, involucris suis tecta parùmque obvia ea de re commentatio est. Studebimus nos perspicuitate, quantum licet, nihilque, quod ad nos, Lectorem morabimur, dignum quidem; de indigno soliciti parùm. Quem, ut vindex DEUS est, aut, confidimus planè, non intellecturum, quæ legat, aut si intellecta quæ fuerint adhibere jam velit, minùs felicitate esse usurum.

Igitur, (*primùm*) Nitro in genere insignis inest ac notabilis aliqua vis quæ res efficit, ut non Magnesia tantùm, (4. *Tractatu*) *Sendivogio*, sed & jam Magnes, jam Chalybs eidem dicatur, nullo habito discrimine [*Tract. 6. & in Epilogo.*] Oritur enim initio è saxeo quodam sive fossili Sale, qui Magnes ipsi, sive attrahens: nascitur & ex aerio atque igneo sale: qui comparatè ferrum & Chalybs atque attractum ipsi est. Testes non fodinæ tantùm, unde Nitrum eruitur, sed ubi & ipsum gignitur insuper loca quædam saxea sunt. Possum & ego meam, si sit opus interponere fidem. Qui, nuper admodùm est, cum ex martiali quodam lapide, eruto & ipso *Haynæ*, ardens quoddam Nitrum, idque copiosissimum, extraxi, quod solutum coagulatumque in aere fluxi, flavo oleo non absimile. Cujusmodi, spontè in rupibus lapidibusque quibusdam efflorescens, Aphronitum vocitari, *Encelius* notat, *l. 2. de re metall. c.* 15. nec *Andreas* tacuit *Cæsalpinus l.* 1. *de Metall c.* 20.

Inventus & è Spiritu Nitri, in forma Salis non corrosivi, volatilis mihi Magnes, cui conficiundo peculiaris terra adhibita fuit. Non, in attrahendo ex aere Mundi Spiritum, alterius præsentior fides. Nec, quod idem exhibuit, intueri Phœnomenon alias licuit. Contigit hoc A. Æ. C I ↀ D C LXXIII. d 15. Sept. quem excipiebat, hora 11. noctis, plenilunium. Effusus, quô dixi, post meridiem, die, Magnes meus aeri committebatur, cùm effluxis omninò tribus horis, exactissimè respondens Circulo, margine & ipso orbiculari albo notabilis, se figura exeruit [*vid Tab.* XI *Fig.* 1] Durissimum corpus, colore luteo, stellam referens, radiis intùs distinguebatur. Comitatæ post paulò istam aliæ tres, quibus indoles, forma, color, omnia eadem, nisi essent minores. Duæ, sed quæ & ipsæ magnitudine impares his, elapso tot horarum spatio ferè, conspiciebantur. Secuta tandem minima

eſt, prioribus, formam ſi ſpectes, ſimillima. Objectum inter hæc diſcrimen & molle erat atque ſubflavum Noctu, ſeptem hæc corpora ſtellarum; in unum aliquod ingens coëuntia, induruerant, ita tamen, ut diſtinctas nempè, cum ſuis radiis, figuras in his quatuor majores, utut circuli experites, notare eſſet. Aggreſſus poſt hæc Mundi Spiritum attrahere Magnes, fermè biduo, in ſubflavum converſus totus Oleum eſt. Quale autem hic vides, Phœnomenon fuit. Extat ibi duplici circulo (digno utroque, cui, quod Schemati ſuo, de Magno Lapide, Tractatui præmiſſo, inſerendum curavit *Baſilius Valentinus*, pari jure inſcriberetur: MIRABILITAS NATURÆ!) Extat, inquam hoc duplici Circulo ☉ri, notata antiquitus tantùm ſimplici, ſignatura.

Sed jam *alterum* etiam quod propoſuimus nobis videamus: Nempè attrahit univerſaliſſimus Magnes hic & ex ſe ipſo, in ſe latens, Hermeticum Aurum, efficiturque cum ipſo ſulphur rubeum, permanens. Conjuncta enim in ipſo inſeparabili, tria, ☉, ♃ & ☿ Philoſ. fœdere ſunt: quæ ſola coctione perenni figuntur coagulata. Quinimò ☉ centrale principium eſt, ♃ & ☿ attrahens, quibus perficiatur.

Tertio: Univerſaliſſimus hic Magnes & materia audit, unde Liquor ille *Alkaheſt Paracelſi Helmontiique* confici queat; qui eſt purus Naturæ ignis, non elementaris, ſed cœleſtis penitus & centralis ac incorruptibilis, omnia reducens, ſine deminuta ſui actione, in materiam rerum primam, & nullis ferè fœcibus relictis, verè diſſolvens. Diverſam à nobis viam inſiſtunt qui *Alkaheſt* præparaturi ex minerali juxtà ac animali, vegetabili quoque regno conquirunt auxilia: fixis volatilibus horum ſalibus, (e. g. ☿, ✳ &c.) cum Acido minerali noſtro ☉ conjunctis inque liquorem deſtillatis. At quid infinitis opus ambagibus eſt, tendere, quò rectà poſſis: laboribuſque te fatigare, quibus queas ſuperſedere? Habes, ſi cupias, minerale, vegetabile atque animale imò in omnibus iſtis regnis latè dominans ſubjectum Catholicum noſtrum. Quanquàm, ſi verum volumus fateri, tale non ſit, ſed Mereororum veriùs Mineraliumque Materia, quoddamque Vegetabilium Animaliumque omnium fomentum. Quæ cauſa eſt, cur confecturi noſtrum Menſtruum, τῶν ἀμφοῖν, idem, quod dicitur, amplectamur. Eſt hoc una res ſive Monas illa *Hermetis*; Spiritus Vini *Arnoldi*, Lunaria *Lulli*; Spiritus; Liquor immortalis Univerſale ſolvens, Arcanum ignis, ignis-Aqua *Helmontii*; Aqua-ignis Mercurialis *Kovul. ſci*, Draconis *Alberti* ſanguis; Aqua Saturnina & Spiritus Mercurialis *Baſilii*; Acetum acerrimum, Virginis Lâc, Pontica Aqua, ſicca *Sendivogii* aqua; Aqua Paradiſi *Iſaaci Hollandi*; Alkaheſt *Martin. Ruland. Mich. Toxitis & Paracelſi*; Latex ætherius (i. e. in acriſicuriaes Waſſer) *Kunradi à Khunrad*; Aqua vitæ, non vitis, *Dom. de Nuyſement*; Ens primum *Flamelli* ex Abrahamo, Judæo, & ſine dubio Oleum Salis Mercuriale putrefactum alembicatumque in *Tumbâ Semiramidis Hermeticè ſigillata*. Cujus Libri quicunque is fuerit, in hunc uſque latere diem maluit Autor. Sacrum hunc tamen Naturæ Curioſorum incluſæ eſſe Academiæ volens, cùm Collegas omnes, celebertimos Viros tùm me ſibi ipſum mirè devinxit. Quo & nomine publicè, maxima gratia eſt; Illi quam habeam. Conſecutuſque mihi videbor voti ſummam, ſi (quod augurer eſſe J. H. C. D.) denique & Nomen noſſe contigerit.

Equidem rejicit ille, (cap. 1.) Mineralia media ac Nitrum imprimis; fieri tamen potuit, ut, æquior iſti, crudum ac commune intelligeret: Cœterùm cùm ipſemet fateatur (c. 9.) Aquam noſtram fuiſſe in potentiâ Minerale, eſſe non ea aliud poteſt, niſi primum Ens ſalium. Sal nempe Naturæ unde Nitrum minerale, utpote catholicum Sal incunabula habet, Nitrum mihi, ſuprà, Virgineum dictum. Nec invitô *Helmontiô*; cui & ipſi *Alkaheſt* primum conſtituit Salium Ens, *Tract. de Medic. m. p.* 312. ſummum item atque feliciſſimum Salium: §. *poteſtas*. Liquorem, porrò, ſuum Anonymus Aureo, ignem vocitat Philoſophicum; c. 6. qui, c. 7. Menſtruum ipſi igneum, &, meô animo, rectè quidem. Quùm & ipſe *Helmontius* ſit, qui, (d. l. p. 481) Gehennæ ignem indiget. Sal autem, ſecundum *Alphidium*, non eſt, niſi ignis, nec ignis, niſi ſulphur, nec ſulphur, niſi Mercurius. Et ſpecialiter in Nitro noſtro eſt ſumma caliditas, id e. Spiritus infernalis, quô non datur in totâ rerum natura calidior: teſte *Baſilio*. Quòd ſi verò, quem laudamus jam toties, nobiliſſimus Autor, præter ſpem, intellectum quid aliud velit, ac ✳ fortaſſe, (quod à multis Sal Mercuriale dicitur,) nil equidem de ſubjecto iſto, quod defendendum ſuſcepi, in poſterum mutuo: Cœterum (pace tanti Viri quod dixerim,) ſcire aveo: utrum ex materiâ illâ ſua elaboraverit ipſemet *Alkaheſt*, hujuſque ope confecerit, quæ de virtutibus ejus commemorat; (ſilentio enim præterire iſta omnia maluit.) Quod ſi ſic: tantis auſis gratulor meritò, in felicitatis aliquâ parte numerans, contigiſſe mihi, quem hîc ſequi liceat, Præceptorem: ſin, non minimam mihi conſecutus laudem videbor, ſi è noſtris fructum in ipſum hac in re aliquem, intellexero, redundaſſe. Eundem autem, maximè miror, tacuiſſe omninò, quô præparari modô nobiliſſimum ſuccum illum oporteat. Quâ in re ne inſtitiſſe quidem veſtigiis Veterum, nonnullis videbitur. Quibus (quod ille diſcipulos ſuos jubebat aſſiduè) τὸ σκέπτον quidem cordi curæque, ſed non nimiùm, fuit. E quorum numero in præſentiarum occurrit *Baſilius Valentinus*; quem unum iſta apertiſſimè proſecutum eſſe, negare nec poſſum, nec debeo certè. Sic enim, quem dixi, in *Clave* 5. Materia, inquit, prima in principio operis noſtri optimè & perfectiſſimè eſt purificanda, deindè abſque ulla additione ſeu admixtione ſolvenda, deſtruenda, in cinerem & pulverem redigenda, undè poſtmodùm expellendus eſt Spiritus volatilis, albus utî nix, & adhuc alius Spiritus volatilis rubeus, inſtar ſanguinis, qui duo tertium in ſe continent, & ſunt tantùm unicus ſpiritus, qui largitur vires & vitam &c. Cui comitem *Sendivogium* addam, qui & ipſe in *Tract. de Sulphure*. Vidit, inquit, Alchymiſta fontem aquæ plenum, circa quem deambulabant ☉ cum ♃ inter ſe altercando: donec ultimò cœperunt pugnare: & intulit Sal Sulphuri vulnus incurabile, ex quo vulnere loco ſanguinis aqua quaſi lac candidiſſimum effluxit &c. Quorum cur me exempli pigeat, cauſa non eſt. Nonnulla igitur, eam in rem, ſequenti ſum Capiti annexurus.

CAPUT VI.

De Modo attrahendi Aurum ex Auro.

PHiloſophis Metallorum Regem, Aurum, Solem appellare placuit, eò quod Solis radii viſibili ac modô infinitô diſperſi, in uno Auri corpore inviſibiliter coadunati eſſent. Hoc Solis effluvium Scriptura Sacra appellare videtur שמן נטף תזוזאת pinguedinem ſeu florem ſtillantem Solis? Deut. xxxiii. 14.

Equidem extant, ſuper Sulphure Solis terreſtris, diverſa autorum ſcripta; ſed, qui de attrahendi id modò ex primò fonte, aurâ ſcilicet, Solis radiis repletâ

verbulum

verbulum ullum fecerit, non memini quenquam. Sive id ignorantiâ forsan, seu, quod suspicari & ipsum liceat, invidia factum. Et quanquam, separatis & ipsos temporibus, de acquirendo ex aëre, Magnetum operâ, quos nonnulli sibi peculiares excogitarunt, dò-cuisse, nulli unus negatum, nondum vidimus tamen, qui de Sulphure universali, quâque indipiscendum id ratione commentarus hactenus aliquid sit, aut cum literatò communicaverit, Orbe. Præter unùm *D. Fabrum Monspelien sem*, cujus ista, ex *Hydrograph. Spagyr. c. XIV.* legi hîc volumus; in quibus videlicet suam apertè ille sententiam prodit; dum: *In fonte*, ait, *Chymicorum esse partem juxta rubeam & albam in duplici differentiâ, rubea quæ sit, Aurum Philosophorum, & quæ alba sit Argentum eorundem.* Cæterùm videtur hic, fontem suum de duabus substantiis, Salis habentibus naturam, ex unâ tamen eâdemque radice ortis, velle elicere. (*Vid. c. XIII.*) quô nomine non possumus nos facere cum ipso, & rejicimus meritò, quàm ille fovit, opinionem; nihil quicquam in *Nolliana* desiderantes: quod Calor & Balsamum Solis Magnete creato comprehendi possit: (*in Prodr. Phys. Herm.*) Quibus enim quid apertiùs, procul omni obscuritate; dici poterat? Sed aut Magnetem ille modumque attrahendi penitùs ignoraverit, aut, ut solent plerumque isti arcanorum suorum retinentissimi esse, in vulgus noluit propalare.

Quod & ipsemet factitare continereque intra scrinia adeoque supprimere ob ninò poteram Inventum hoc meum; sed non id, inserviendi aliis, proprium ac solenne mihi, tum ardor quoque atque, ad idem illos studium excitandi, contentio sane improba à me impetrari permiserunt, qui subinde in animo versabat *Gallianum* scitè admodùm dictum: Qui loqui vult, quod nemo intelligat, magnam rem præstat, si taceat.

Age itaque i ad attrahendum Aurum Auræ Hermeticum ex aurâ superiore, compara tibi sis Magnetem, album illum eundemque purissimum; quô de præcedens tibi Caput, si voles loquetur. Sint deindè decocti lateres quatuor quos intra, Crucibulum, cui continetur ille, suppositô igne, cœlô serenô, ne corruat, coerceatur. Quô factô, istum, quem dixi, Magnetem, brevi admodùm tempore, reviviscere velut moverique atque minutorum quasi centum spatio; Sulphur aureum, Aurum Auræ mihi dictum, ex Aura videbis attrahere: intùs & extrà Magnete calorem herbeum, eumque summum, posteaquam autem fuerit refrigeratus, cœruleum, qualisque esse E ranis solet, assumente. Quod non sine summo videntium stupore fieri consuevit.

Cæterùm, experiri volentibus non inutile fuerit, uti mediis quibusdam, cùm Magnete maximè disponendo, tùm regendo cumprimis igni idoneis, quæ sanè operosiùs describuntur, quàm exhibentur. Quòd si manum tamen ipse admoveris, secutus velut indicem, illa, quibus te instruximus satis hactenus, cognituram te media, perventurumque illuc via multò faciliori, quam nos in ipsam Modi velut arrem penetravimus, nulli dubitamus.

2. Quantum, deindè, ad attractionem ex Aurâ inferiore, nostro scilicet Nitro, Auri inferioris Hermetici: non id tantùm subjectum in se esse Magnetem; sed & in se ipsum etiam Hermeticum Aurum continere, suprà meminimus. Quæ cum ita sint, non jam utique deest Magneti, sive corpori Salis purissimo, Spiritum suum in quo Aurum Hermeticum latet, attrahendi, retinendique, sua vis: unumque cum his fieri volatile, ac demum, repetita conjunctione atque attractione, verus Liquor *Alkaheſt* destillari non nequit.

Quod ipsum, subjecturi quæ sumus, *Trismegistus* verbis his docet: *In hoc à terra ascendit in cœlum, hoc à terra & à Cœlo rursùs in terram descendat, & e quod omnia subtilia & crassa penetrare & subigere potest.* Ac in partes hîc iterum ascisendus nobis *Basilius* est. Quid aliud enim volatilis ille albusque, nivis instar, Spiritus ipsi, *Clave* 5. nisi sublimatus quidam Sal? quidvè Spiritus volatilis rubeus, nisi ipsissimus Nitri spiritus? (quì dum destillatur, vapori puniceo similis, transcendit.)

Nec in Experimentis, *Lullius* contradicit ubi, sub velamine Salis Tartari volatilis, plenissimè tradidit hunc laborem. Unô verbô: *In nostro magisterio primò facimus de grosso gracile, i. e. de corpore Spiritum, de humido siccum, de aqua terram, & sic naturas convertimus & facimus superius inferius: quod fit, quùm Spiritus efficitur corpus & è converso corpus fit Spiritus.*

Ita igitur habeo, itaque animum induco meum, Liquorem *Alkaheſt*, præparati ritissimè, si Ni rum, (vel materia illa nostra, summô studio purificata,) peculiari modo regeneratum: cum iterum iterumque rectificato spiritu suo, certa quantitate unitum putrefactumque in Balneo, destilletur, cohobetur ac sublimetur: cum novo deinde Spiritu cohobetur, iteratisque subindè cohobationibus, dum butyri instar, coagulabilis frigido, aqua lactea fiat, destilletur tandemque rectificetur.

Non hæc autem facta facilia sunt, & expertum artificem insignemque Philosophum sibi volunt. Quam in rem *Dn. Joh Baptistæ van Helmont in Tract. de Ortu Medic. p. m.* 5. hæc verba apprimè tenenda: *Cùm Liquor Alkaheſt sit tadiosissimæ præparationis, nemo, & si artis gnarus fuerit, ad ejus consecutionem perveniet, quem Altissimus speciali donô non eô deduxerit.*

Potest &, imprimis hôc nomine, Menstruum nostrum vocari Universalissimus Magnes, quòd cum ☉, tum cætera Metalla omnia attrahendo, ea radicaliter, nullâque vi solvat; cæterum perfectis cum metallis conjunctionem unicè amet.

CAPUT VII.

De Tempore attrahendi Aurum Auræ.

AUctor in libris suis *de triplici vitâ*, *Marsilius Ficinus Canonicus Florentinus*, (qui solius Platonis imaginem in cubiculo habebat & ante eandem dies noctesque lampadem ardentem perpetuô suspendebat: referente *Hatting in Dryad. Eccles. c. 12. p. 75.*) in eoque multus maximè est: *in conciliandis cœlestibus Gratiis sive pro materia metallorum, sivè herbarum &c. ante omnia Lunam esse considerandam, ut sit in mansione suâ, operi optato, convenienti, nec non in signo & aspectu ad illam gratiam, quam tibi contendis expetisque. Deindè, ut Sol sit benigno aspectu copulatus Lunæ, & in domo istius Planetæ & in benigno aspectu istius gratiæ, cujus influxum procuras.* & quæ sequuntur.

Quid? quod *P. Schottus* (*in Technicâ Curios. l. 9. propos. 26.* Chronometricis instrumentis applicaturus Indicem Spagyricum est, materiæ Hermeticæ eligendæ tempora determinaturum.

Neque tacendum h l. & istud videtur, haud ità multò antè, Ænigma communicatum mihi secretò fuisse, in quo est hæc sententia: *Quæ. Quale Animal? In cœli plagâ Septentrionali conspicitur Animal septem lucidis stellis inter alias signatum, quod habet correspondentiam cum terrestri ejusdem naturæ. Sumatur, Marte existente in domo Solis, cujus filia cibetur sanguine fratrum suorum: unoquôque existente in proprio Domicilio, ut crescat: hocque Sole existente in domo Martis. Hæc juvencula submergitur à sorore suâ habitante in propriâ mansione per numerum maternæ cœlestis signaturæ.* Sed

religioni ducimus, ſcrupulum iſtum tàm dignorum, quàm indignorum pariter, autibus exponere, profanareque, quàm tectam eſſe cumprimis, quiſquis eſt Autor hîc ille, voluit, Arcan. profectò non vulgaris & momenti maximi rem.

Non poſſum non tamen, cum *Galil. Galilæi Nob. Florent. in ſuis Nov-Antiquis Sanctiſſ. Patrum p.m.56.* iſtud dicere: Non credo, che ſara lontano dal ben' filoſofare, il dire, Che egli, come Miniſtro maſſimo della Natura, & in certo modo, Anima è cuore del Mondo, infonde a gl altri corpi, che lo circondano, non ſolo la Luce, ma il Moto ancora, &c Nam ſolo lumine & motu Cœlum influere, multis rationibus probavit *Alexandrus Vincentius, de Cœli influxu in ſublunaria, c.V.* Imprimis mirandam vim & energiam ſolis deſcripſit latius *Dionyſ Areop. in libr. de Divin. Nominibus.*

Itaque Sphæta Solis duplici ratione vivificum excitat calorem, primò quidem & principaliter Sole, Aſtrorum maximo, ſuis radiis illuſtrante omnia, deinde perenni ac continuâ motione corpora intercluſa diſtrahente.

Quantumvis autem 1. Aura vel Aër ſuperior à Sole quotidie accendatur, unde Lux diem faciens, ortum ducit, multò ſubtilior, quam quæ ex aquâ vitæ accenſa. *Petr. Borell. Obſ. Medico-Phyſ.* 3. quam tamen temporis calor non eodem modo & ſemper vigeat (nam Autumno & Hieme ferè languet, extinguiturque; Vere autem æſtateque creſcit ille ac intenditur:) adhæc natura non tam ſigni cœleſtis, quam propinquitas, & rectitudo Solis ſuprâ noſtros vertices, cauſa eſſe caliditatis non hodiè demum credita ſit, copioſiſſimè rectiſſiméque ſolare Sulphur, ſive Aurum Auræ, Sole Cancrum; ſive Virginem, ſive, omnium optimè Leonem ingrediente, quovis, ſeu matutino, ſeu meridiano quoque tempore, attrahitur. Quod meomet probatum exemplo ire hic poſſum iterum, ſi ſic poſtulet res. Die enim X. Martii anni 1673. Sole Arietem ingreſſo, meum uſitatò ponens Magnetem, vix volam, quod ajunt, vel veſtigium Leonis viridis reperi, ac vix de colore ſuo, quem album ab initio habuerat, quicquam ille mutavit. Utut, per duas ferè horas igni fuerat domitus. Die XXIX ejuſd. Menſis experimentum idem iterum cepi, majoremque Auri Auræ conſecutus ſum vim. Unde quis non advertit, quantum momenti ad eam rem cum apricitas diei, tum calidior anni pars afferant.

2. Sed de Tempore quoque attrahendi Aurum Auræ inferioris tenendum hoc fuerit, momenti rem eſſe, quo putiſſimum corpus ſalinum Nitri Spiritum attrahit. Ne quid autem, quô minus conjungantur, impediat, ſeparandæ ſunt fæces. Quod non, niſi putrefactionis ſublimationiſque, Veris tempore, i. e. calore modico, ſuſceptæ opera, rectiùs obtinebis. Tempus enim vernale convenit ſublimationi: *Platon Quartorum Comment. l. 3. §. nunc erit.* Cui rei bimeſtre minimùm, aut plus etiam temporis, tribuendum.

Quo verò tempore coctionis Liquoris vel Magnetis noſtri Aurum Argentumve addenda ſunt illi? Placet, conducereque non parùm exiſtimatur concoctionis principium. Quia in his Metallis perfectis ſunt radii tingentes & ♃ rubeum & album, quæ reperiuntur & ſunt in ☿ noſtro. Unum enim alterius ſemper Magnes exiſtit, manetque ſolvens cum ſoluto, propter ſubſtantiæ ſimilitudinem. Et quemadmodum antiquiſſimi Philoſophorum, in initio & medio, univerſalitatis ſemper rationem habentes, in fine tantum Univerſale ſcopo particulari deſtinarum determinarunt: Sic, ex ſolo liquore *Alkaheſt*, Lapidem Philoſophicum confici poſſe, curandis ut morbis faciat, conſtanter aſſerimus; *qui ultimò cum Auro vulgi, ad ſcopum tranſformatorium connectitur & permiſcetur, non ut perficiatur ab Auro, ſed ut Aurum perficiatur ab ipſo Lapide noſtro, fœcundum & vivum reddatur, ita ut procreet ſibi ſimile & propaget progeniem ſuam in infinitum.* Quam in rem *Petri Ioh. Fabri, Conſil. & Medic. Reg Gall.* non inutiliter legi poteſt *Tractatus*, (quem, FRIDERICO, Holſatiæ DUCI, gratificaturus d. 15. Maii A. O. R. CIↃ ICↃ LIII. confecerit:) *cap.* 12. & 30. Utut dubium mihi fiat, utrum ſcriptum hoc, cujus ſimile forſan non extat, & ob id rariſſimum, lucem unquam aſpexerit.

CAPUT VIII.

De Coloribus Auri Auræ.

VOcârunt &, inter cætera, Leonem Philoſophi viridem, Materiem univerſaliſſimam ſuum. Quo plerique Chymicorum moti, ſubjectum, quod ad externum colorem & ipſum viride quæſiverunt. Arripuerunt nonnulli avidis oculis manibuſque hìc ſpumam viridem illam, primo Vere aquis non fluentibus innatantem. Hanc Aviculam (Waſſer Boy.) Terramque Adamicam nuncupare placuit. Spiritum indè volatilem, ⊖ volatile, fœtoriſque - malè oleum, Materiam Lapidis videlicet Philoſophici, præparatunt.

Communicavit jam mecum *Dn. D. Chriſtoph. Bauzmannus, Regiminis Surc. apud Bremenſ. Medicus Ord.* Situlæ cujuſdam in ſummo opertæ pluvi que refertæ, Effigiem. Follibus, qui omninò appoſiti ſunt Duo, meridianô, fervidiſſimô diei tempore, Sole Leonem ingreſſo, putiſſima quædam pinguiſque, eademque materia viridis, (quam & ipſe, *Bauzmannus* Aurum Auræ exiſtimat, plurimumque in eâ momenti poſitum habet,) ex aëre attrahitur. Cujus autem cùm periculum nondum fecerim, neque judicium hic meum interponere audeo: Servans interim inſtar operis illius, quod dixi, cum Proceſſu; quem, non ita pridem VIR ſummus mihi munus dedit habendum.

Si quicquam credimus *Henrico Khunrado*, offendiſſe ſe ille, *in Theatr. Æternæ, Sapientiæ, p. m.* 147. apud quendam, Leonem viridem; univerſalis qui eſſet, ejuſdemque ſanguinem, h. e. non vulgare Aurum, memorat, ſed vidiſſe ſe ſuis oculis, ait, contrectaſſe etiam manibus, linguâ porrò guſtâſſe atque ad extremum Sapientum Aurum percepiſſe odore. Idem etiam 1. de idhoc, quod jure meo mihi vendico, Auro Auræ ſuperioris, ſeu Leone viridi affirmare habeo profectò. O benedicta Viriditas, gyrans per univerſam, cujus Centrum ubique, peripheria verò diffuſa per omnes naturæ abyſſos!

Quod nec ipſum diffitebitur, opinor, *Ioh. Agricola, in Popp. Commentario*, ſic ſcribens, *p. m.* 15. Vertitur hæc ritiſſimè in Aurum noſtrum Viriditas. Sed non abs re ignoraſſe mihi ille videtur, quonam præparari iſtud debeat modô. At enim experimento verba hæc noſtro apprimè conveniunt.

Nam & primò ille viriditatem; colorem deinde cœruleum, ad ultimum autem purpureum induit. Ubi notes velim: ſi viridi in Magnete Leoni paulò fortiorem ignem ſuppoſuerimus, repetere eundem chaos ſuum linquereque, quem occupaturus aliàs fuerat, nidum, i. e. Magnetem vacuum priſus, qualiſque antè erat, quod non parùm miteris, album. Maturè igitur & dum calet adhuc, imbutum Leone viridi Magnetem, mortatio infuſum, contunde. Quod ſi ſolvi fontanâ hunc aquâ patiare, viridis fiet, ſic tamen, uti mox in pulverem Leo ille purpureum præcipitetur, quî abluitur. Pari ratione, ſi redacto in pulverem Magnete vini Spiritum infuderis, digerique iſta permiſeris leniter, viridis, quem jam aliquoties nominamus;

Leonis

Leonis hic sanguinem, sive Sulphur aureum formâ rubra extrahet, præparando Auræ Auro potabili, asservandum probe; de quo sermo in sequentibus nobis instituetur.

2. Habet & colorem suum Aurum Auræ inferioris, i. e. Nitrum nostrum. Ac albô quidem roscoque Antiquorum ac *Dioscoridis* illud fuit, in Ægypto quod nascitur, plerumque rubrum fertur *prosper Alpin. de Medi in. Ægypt. l. 4. p. m. 148. a.* Nobis in usu quod est, sese albô commendat, animâ intus purpureâ, (Auro Auræ Hermeticô, latitante; sed quæ Vulcani artificio expelli potest, nec, nisi ipsissimus Draconis aureus Cruor, in Salamandram, igne vivacem, mutabilis, quicquam aliud est. Quicquid *Robertus Boyle, in Tentam. Physiol. p. m. 199.* obscurando isti, afferat. Et quid opus est verbis? Nonne Sal Nitri (*Lexic. Chemic. Gulielm. Iohnsonii*, Londini, A. C. c1o 1oc lii excusum typis,) Sanguinea illa? Nonne suffragio nitimur *D. Ioh. Becheri?* qui, *Phys. subterr. l. 1. s. 5. c. 2. n. 109.* Sulphur Nitro tingens adscribit. Ne autifabros accersamus: quibus certius nihil, quàm crudum etiam Nitrum Tincturam, Auroque familiarissimum & gratissimum in se Spiritum continere, eò, quòd Auro pallido cum aquâ illitum, in parvo igne illud amicabili tincturâ sanguineoque rubore profundere potest.

Sic &, quando *Alkaest* noster per se coquitur, tùm & colores perfectos acquirit, inter quos est albedo & ultimò rubedo; ut clarissimum est per omnes Autores, qui Lapidem nostrum noverunt, ejusque confectionem perfecerunt, ratione & arte Chymicâ conducti.

CAPUT IX.

De Auro Auræ potabili.

DUplicem *Hornius (Dedic. in Berhard. innov.)* Medicinam Philosophorum statuit: Materiam verè & simpliciter universalem alteram, (vulgò, Lapidem Catholicum magnum universalissimumque:) alteram ferè & secundum quid universalem, alio nomine Lapidem Catholicum parvum & Tincturam metallicam; hujusque, ex quibus præparetur, diversas materias esse: Illius Inventorum *Hermetem* Ægyptium: hujus *Geberem* Arabem celebrari. Materiam illius Solem cœlestem: terrestrem hujus, sive Aurum gaudere utramque suo Magnete, cujus illa auxiliis, de potentiâ, uti loquuntur, in actum vimque multiplicativam reducatur.

Non faciunt hæc ad palatum *Iohanni Reschio in experiment. Osiandr. de Sole p. m. 119.* eoque illam ille sententiam respuit. Verùm enim verò; qui, suô quodam respectu, fundamento careat, sanè ego non video. Nam Mercurio nostro cum Auro arcta adeò cognatio intercedit, ut magni nominis Philosophus de eo scriptum reliquerit, *Aurum nihil aliud esse, quàm Mercurium istum æthereum, in puro quodam loco summè coagulatum & ad perfectam fixationem redactum. Vid. præf. D. Ioel. Langelott. in D. Ioh. Tilmanni Experimenta.* Et si nondum horum oblitus, Lector optime, es, quæ, de attractione prodita hactenus; nec dum excidere illa animo potuisse, credibile est.

1. Solis Sulphur & Aurum Auræ superioris sponte sequi Magnetem. Inde igitur paratum potabile Aurum, præcipitatum Sulphur Aureum adhibens; ablue, sociatumque cum Mundi Spiritu, ex præscripto artis, sustine figere. Aut, si rudis horum ignarusque omnium est, destilla tinctum Auræ Auro Vini Spiritum, quoad ejus quarta quidem superfuerit pars, habebisque residuum Aurum videlicet potabile, gratissimi ob rubedinem aspectûs. Quod quamvis initiô salsedinem aliquam præferat, quam, qui gustarit, linguâ perceptarus facilè est, fidit tamen, interpositis diebus aliquot, limpidæ instar, Magnes, Tincturâ innatante, quam depletam, à Solis radiis in vitro munieris probè. Ad Solem enim expositum Aurum istum, paucos intra dies, decolor redditur. Unde, Solem Aurum hoc Auræ retrahere, Sole clariùs patet meridiano.

Ac veluti *Cap. 3.* quâ, destillatâ ex Nitro, Animam astruxi esse vivificantem, quæ in debito subjecto incorporetur: ita cum eâdem Aurum Auræ, meum quod dixi, conjungi figique, atque ex utroque, præstantius, efficaciusque quod sit, Aurum effici potabile queat.

2. Pari ratione Aurum ex Aurâ inferiore, seu Nitro nostro, fieri potabile potest: si scil. *Alkaest* in summam rubedinem per se figas, aut, initio statim, cum metallicô Auro purgato conjungas, inque perficias Lapidem: quod in omnibus Liquoribus, Medicinæ in usum, solvi posse, non hodiè demum credi cœpit. Nam *Alkahest*, in quo, (uti dictum superiùs,) illa anima Nitri latitat, quæ etiam appellatur Sol & Luna abscondita Spiritualis; Sulphur naturæ invisibile, & Aurum Philosophorum vivum, resolvit potenter Aurum corporale metallicum, & tunc Aurum, cum Auro mixtum, in naturâ subjecti, aurum illud spirituale corporale hoc vivificat; & aurum hoc corporale illud spirituale ingrossat & sic fit Spiritus Corpus, & Corpus fit Spiritus, & ambo simul unum spirituale & inseparabile &c.

Quæ si verò videntur abesse: num &; Nitri nimirùm crudi purgati, (vel veriùs peculiari modô regenerati,) ope, Sulphura ex Metallicô auro, horæ unius motulâ, nulloque pene negotio extrahi posse; num, inquam, & istud, Lector, tale videbitur? Multò magis, opinor. Nihilominùs res, uti dixi, se habet. Neque enim hodiè demum istud, aut heri, expertus multoties sum. Et vix septimana una aut altera labitur, cùm, præsentibus nonnullis Amicis meis, metalla ex ordine singula sic probo, efficioque, uti, extractis ex uno quolibet, injecto seorsim Crucibulo patulo, Sulphuribus suis, interposito horarum aliquot spatio, potabilia jam essent, iisdemque, inter alia, Lunæ purpureum quoque exhibeo Sulphur ac tale prorsus, quale vel Solis unquam, sive Veneris porrò, seu & ipsum Martis denique queat deprehendi, ut sic rectè scripserit, qui se *Philalethæ* nomine Orbi commendare literario voluit: In omnibus Metallis vulgi Solem nostrum; ut in Auro Argentoque propinquiùs contineri.

Ergò ô felix terque felix ille Artifex, qui consequitur à clementissima summi Jehovæ benedictione artem conficiendi præparandique S A L istud quasi divinum, cujus efficaci operatione corpus metallicum sive minerale corrumpitur, destruitur, demoritur: anima tamen ipsius interim revivificatur & gloriosam corporis philosophici resurrectionem! uti exclamat *D. Ioh. Frid. Helvetius in Vitulo Aur. p. m. 15.*

CAPUT X.

De Virtutibus Auri Auræ in Regno Animali.

QUibus vitalem in juvenibus Spiritum (qui est humidum & calidum radicale, mumia innata, & sedem in medio hominis corde habet, tanquam sustentaculum omnis vitæ nostræ) conservare in senibus verò languentem restaurare & eos velut ad juventutem reducere;

reducere, quoad vires, neque vitam hominis in ſummam adducere ſanitatem volentibus eſt, opus his etiam quærere non Elementalem, ſed calorem illum cœleſtem Solis & Lunæ, habitantem in incorruptibiliori ſubſtantiâ, ſub Lunæ globo reperibili, hunc calori vel Spiritu noſtro ſimilem reddere, quod fit, cùm in medicinam & cibum ſuaviſſimum præparatus fuerit; ita ut per os aſſumtus ſtatim in humanum penetret corpus, rem omnem, maximè carnem, ſibi unitam teneat incorruptam, virtutem & ſpiritum vitæ nutriat, augeat & reſtauret, omne crudem digerat, omnem exceſſum cujuſcunque qualitatis amputet, humidum naturale faciat abundare, & calorem vel ignem naturalem debilem confortandum inflammandumque atque augmentandum procuret. *Vid. Oſvv. Croll. in Præfat. Admon. ſuæ Baſilicæ Chymicæ præfix. p. m.* 101.

Hujuſmodi Medicinæ *Petr. Poterius* meminit, *Conſil. & Medic. Regis Chriſtian. in Pharm. Spagyr. l.* 3. *Append. p. m.* 602. Hoc ſi univerſale, inquit, deſideras (medicamentum) fac ut ſolis ſplendore illuſtretur, cujus influentiâ non tantùm ejus tenebræ removentur, verum & ejus beneficio calore illius compacta materia attenuatur & verè fermentatur.

Quemadmodum ergo Aurum Auræ hoc meum Solis calori natales velut ortumque debet: ita ſi cum Spiritu vel Sale Mundi, non ex Magneſiâ tantùm ſuâ, ſed ex radiis quoque Lunæ erutum, atque ob id Lunaria à Philoſophis cognominatum, conjungendum figendumque id ſit, quis dubitet verò, omnium, quotquot ſunt eruntvè præſtantiſſimam Mundo Medicinam, promitti reque ipsâ fieri poſſe? Conſ. *Robert. de Fluctibus cap.* 5. *lib.* 1. *de Vromantiâ, & Minſichtium, in deſcriptâ Vnicorni mineralis præparatione*, cui imprimis Sal aërium nitroſum adhibet.

Annus jam non ampliùs unus prætetlabitur, ex quo, conſervantis cujuſdam ſaporis dulciſſimi Salis ope, ex ſanguine meo confeci Thermometrum. In quo hodieque nihil ille ſanguis meus fuit mutatus ſivè naturam ſeu colorem etiam ſpectes, duraturuſque ad ultimum uſque vitæ meæ halitum eſt. Ecquid verò tibi videtur? Mihi hîc quidem nullum dubium fit, ſi, tantò extra corpus temporis intervallo, ſanguis poteſt humanus ſervari, in ipſo præſtari id corpore potiùs, unito cum primis cum Sale, ut ſuperius dicebamus, Mundi univerſali, Auræ Auro ſive ſulphure aureo.

Sed jam contemplabimur mentis acie 1. Auri Auræ ſuperioris in Regno Animali virtutes, quibuſque præſertim fugandis morbis faciat id. Invento enim non à me tantum Auro Auræ potabili; ſed & Spiritu Mundi: Mundique cum primis, denique, Balſamum præparandi via cognita, cum publicè facere Medicinam, perſona, quam gererem, alienum noviſſem; commodè animo meo occurrit Excellentiſſimus VIR. *Dn. Melchior* Fritſche / *Præfecturæ Electr. Sax. (mihi demandata) Medicus juratus, Collega honoratiſſimus meus*, cui & darem iſta rectius, quæ paraſſem, medicamenta, quique, in deſperatiſſimis quibuſque morbis, referret, quem præcipuè fructum eorum cognoviſſet. Quod, cùm annuum intra ſpatium, diligentiſſimè & cum curâ præſtitit hactenus, tùm non pauca etiam conſignavit. E quibus, indiſcriminatim & nullo ordine, Lector, haud indignaberis, quòd nonnulla, ipſius Medici verbis, legi hîc velim:

Uxor Electoralis Præfecti Zabeltizenſis, *Dni. Chriſtiani Polingii*, Menſe Aprilis, ſexto poſt partum die, febre acutâ Lochiis indebitè fluentibus, corripitur, cum horrore inſigni, quem excepit calor intenſiſſimus, ſitis, Lipothymia, capitis dolor, cordis angustia, mammillarum inflammatio, tibiæ utriuſque pungens dolor & vomitus. Morbi periculum tùm ex ſymptomatum cumulo, tùm themate Geomantico cum in finem erecto cùm cernerem, ſtatim venam Saphænam dextri, altero die ſiniſtri tali ſecandam curavi, propter Lochia ſuppreſſa & indè ſubſecuta ſymptomata. Dolor pungens tibiarum, educto ſanguine, ſtatim remiſit, reliqui affectus perdurarunt. Recrudiit omne malum horis pomeridianis ad delirium uſque. Adhibebantur Bezoardica, Julapia & varia ad rem pertinentia, tandem etiam Spiritus Mundi, cujus beneficio pectoris anguſtia, difficultaſque reſpirandi & reliqua ſymptomata ità benigniora apparebant, ut jam optima fruatur valetudine.

Menſe Junio hunc Spiritum Prægnanti in reſpirationis difficultate ex uteri aſcenſu orta, cum calore præternaturali, adhibui, ſumptô eô, reſpiratio mox erat facilior & calor remiſſior.

In febre Hectica Phthyſi conjuncta cum difficultate reſpirandi, reſpirationem facilitaſſe Spiritum Mundi, Menſe Julio, adhuc profitetur vidua hujus urbis paupercula.

Filiæ trium annorum, *Matthæi Hermanni*, Civis hujus urbis, diuturnam tuſſim expertæ, quater de die, & quidem ſingulis vicibus octo guttulas Tincturæ Auri Auræ, in pauca dedimus cereviſia, quia alia medicamenta reſpuebat, ea nocte, à tuſſi immani non amplius adeò vehementer divexata, dormiebat. Nec ſequentibus diebus uſum Tincturæ hujus omiſimus cum melioti ſucceſſu.

In Febre tertiana nonnullis, finito nempè horrore, & calore jam invadente, dedi Cochl. dimid. Spiritus Mundi, ut experimentum facerem, quid valeret. Mox ſumptô eô calor remiſit intenſior ad multas aliàs perdurans horas.

Nobiliſſimi & Strenui *Dni. à Milkavv*, *Hæreditarii* in Merzdorff Filia ſedecim annorum, Menſe Auguſto incidit in itinere in febrim acutam, cum ſiti vehementiſſima, linguæ intumeſcentia ardore faucium intolerabili, anhelitûs difficultate, delirio & omnium virium jactura. Sexies adhibitô Spiritu Mundi cum Tinctura Auri Auræ, non neglectis inſuper Julapiis, pulveribuſque Bezoardicis, omnia remiſerunt Symptomata periculoſiſſima. Et fatebatur poſt reſtitutionem nobiliſſima Virgo, Spiritum Mundi optimum fuiſſe medicamentum ad debellandum morbum.

Illuſtris Baroniſſa merè ſcorbutica & ab hujus mali Symptomatibus, capitis nimirum & oculorum dolore, ruboreque, cordis palpitatione, hypochondriorum tenſione & inde enato anxio volarum manus utriuſque madore ſæpius divexata, quotieſcunque Spiritus Mundi cochlear ſemis, etiam gravida, delibaret, non ſolum prædicta Symptomata, & ſomnia Phantaſtica, ceſſabant, verùm etiam noctes, quas aliàs inquietè conſumſit, nunc placidè tranſigat. Huic tertio poſt partum die Lochia ſubſiſtebant, inde calor & ſitis, intenſius, vigiliæ nocturnæ & Lipothymiæ ſæpius recurrentes, vires frangebant. Reliquis prius parùm juvantibus, tandem Spiritui huic locum conceſſimus & magnum dictorum Symptomatum levamen percepimus, ita ut ſeptimo die Lochia debitè iterum fluerent.

In Serpigine, Impetigine ſeu Lichene Spiritus Mundi extra adhibitus, ſuum illinendo facit officium, exſiccat enim, calorem præſentem tollit, dolorificum lenit pruritum, & ita hoc agendo, omne opus perficit. Quod verum deprehendit *Dn. Gahlerus* Pharmacopœus & Senator Haynenſis, in digito.

Honeſta vidua in labiorum Serpigine ex ſæpius reiterata illinitione effectum, multis aliis aliàs expertis, ſed hic

sed hic in cassum adhibitis, vidit mirabilem.

Et quod in hisce præstitit, id & in scabie posse, ipse sum expertus. Quotiescunque enim diu noctuque manum scabiosam aliquoties illinivi, toties etiam deprehendi, pustulas ita subsequentibus diebus fuisse exsiccatas, ut sine damno descalpere potuerim.

Civis nunc temporis primarius Haynensis, in bello Hungarico miles, febre Hungaricâ laboravit, finitô bellô rediit in patrium nondum integrè restitutus. Pro incolumi, post medicamentorum usum, habebatur: Sed inito conjugio podagrâ & Chiragra laborare cœpit. Per varios annos varia adhibuit medicamenta. In cassum. Ad Spiritum tandem Mundi & Tincturam Auri Auræ refugium, nostrô consiliô, sumsit. Usus hujus cottidianus non solùm dolorem coërcuit immanem; tempore paroxysmi, & calorem aliàs intensiorem lenivit; sed & arenulas, rubras ab initio, posteâ calculos croceos & materiam albam Tartaream, viscosamque cottidiè per urinam excrevit, sæpius copiosiusque, quod aliâs, in tanta copia non factum, mixit. Inde Spiritum hunc cum Tinctura, pro diuretico lithontriptico habeo non contemnendo. Et ab eo tempore, quo hôc Spiritu utitur; pessimùm malum, quamvis menstruatim, uti aliàs ingruere solebat, pulsaret fores leviter, vires intolerabiles exserere nunquam valuit. Mira narrabo, quæ Spiritum Mundi sudoriferum esse affirmabunt. Quodam tempore Insessum calidæ suadebam, ante ejus ingressum sumsit suprà dictam quantitatem Spiritus Mundi cum Tinctura Auri Auræ, post egressum apparebant per totius corporis ambitum pustulæ albæ granorum milii magnitudine, aqua plenæ levique scalpu rupribiles. Ex indiciis hisce conjunctim sumtis magna restitutionis spes effulget. Continuabimus usum Spiritus Mundi cottidiè ut, quid possit, videamus, quæ omnia seculo nostro & futuris candidè, Deo volente, observationibus curiosis inserendis, fideliter communicabimus.

Vidua nostræ Civitatis, nimiô præ mœrore, d. 5 Febr. in Febrem hecticæ consimilem incidit cum horrore & subsecuta Phlogosi sæpiùs de die redeûntibus. Vigiliæ nocturnæ diurnæque ita per 5. dies defatigaverant eam, ut nulla ad somnum, multô minùs dejectiones, adesset pronitas. Appetitus erat prostratus, sitiebat semper. Die sexto morbi malum increbuit, maximè circa vesperam, ob nuncium valdè molestum. Summum virium decrementum cordisque sequebatur languor. Recusabat medicamenta, mortis cupida: die verò morbi octavo, horam circa decimam antemeridianam, animi deliquium, oculorum obtenebratio, auditus, ratiocinationis & loquelæ eam molestabat imminutio, cum capitis dolore acerbissimo. Motus convulsivi, strangulatio uteri, dolorque manuum ac pedum, morti vicinam eam ostentabant. Expergefacta paululùm, per pulveres Bezoardicos cum Castoreo, reliquaque medicamenta ad debellandum morbum necessaria, sumpsit Clysterem uterinum, nocte insequente paulò melius habere cœpit, ut & die nono Die decimô horam circa decimam insultus rediére citati. Ad exstirpantidos hos adhibui ab initio Spiritum C. C. cum Essentia Castorei, in vini potiuncula, remisit leviter, mox rediit vehementius omne malum. Quid Spiritus Mundi cum Balsamo Mundi in tam desperato posset casu, tentavi. Præbui pro dosi Cochlear. 1. Spiritus, cum guttis sex Balsami prædicti, cessaruntque symptomata. Repetii qualibet hora dictam medicinæ dosin, summo cum patientis levamine & adstantium admiratione. Circa decimum undecimi diei, hostis mœnia sanitatis iterùm invadebat furore superiori: Spiritus verô & Balsamum, ut defensores hoste fortiores è vestigio eum profligarunt, excepta cordis debilitate.

Die 12. circa tertiam pomeridianam rediit, sed post hujus medicinæ delibationem mox abiit. Die 13. typum observabat matutinum, uti & sequentibus quatuor diebus, debellatus verò, ut anteâ dictum, terga dedit.

Spiritus & Balsami Mundi efficaciam sequens commandabit casus. Puerpera, Diaconi hujus loci optimè meriti uxor, nono post partum die, in febrem incidit acutam, cum horrore insigni & subsecuto calore intensissimo, capitis dolore, difficili respiratione aliisque symptomatibus. Dedi hujus Spiritus Unciam unam cum triginta guttis Balsami Mundi, pro quatuor præbiis, spatio duarum horarum sumendis, mox restitutam, Deo sit laus, eam vidimus.

Ancillam in pago Waldâ, (quam rumor impræguatam dixit) febris acuta lecto affigebat d. 6. Martii. Nil nisi Balsami Mundi drachmam unam, ad scrupulos quatuor transmisi omni nimirum horæ spacio duodecim guttas in cochleari cerevisiæ calidæ ut sumeret. Ad majorem effectus fidem conciliandam, ipsissima Electoriissæ Saxoniæ Præfecti, Dn. Johannis Martini Richteri: verba apponere placuit: Ancillam nostram primò morbus cum horrore & subsequente calore insigniti invasit, symptomata fuerunt Capitis dolor, Cardialgia, respiratio difficilis, hypochondriorum dolores punctorii. Post usum Balsami Mundi, successivè omnia ita remiserunt, ut tertio die ad consueta munia se conferre potuerit.

Spiritus Mundi, præprimis cum Balsamo ejus conjunctus, in morbis desperatis, Febribus acutis, aut ejusmodi aliis, respirationem impedientibus & calorem præternaturalem inducentibus, si non momentaneo, repurgato priùs corpore & ab omni fæculentia crassitieque superfluâ liberato, Dosi infra datâ, delibatus, levamen pariat, respirationem faciliter, flammam seu incendium mitiget, viresque deperditas aliquô modô restauret, mortem in propinquo esse judico, quod in multis hactenus sum expertus. In quibus autem spes reconvalescentiæ est, illis è vestigio opitulatur, quod heri horâ nonâ vespertinâ adhuc factum vidi: Dn. Johann. David. Fischeri uxorem repentina pectoris angustia, respiratio difficilis & suffocativa infestabat, pedes & brachia præprimis sinistri lateris erant rigida & frigida, ita ut pro apoplecticâ haberetur. Dedi Spiritus Mundi drachmas sex cum guttis triginta Balsami Mundi, pro quatuor dosibus. Delibata primâ dosi levamen percepit liberalioremque respirationem, paulò pòst & secundam hausit, sequebatur sudor, hunc excepit somnus, manè restitutam inveni. Die 28. Augusti 1674. Hucusque Experimenta prælaudati *Dn. D. Fritii.*

Fecit idem, admonitû meô, complexusque scripto est *Clarissimus Dn. Johann. Engelhardus, Medicinæ Cand. amicus per multos mihi probatissimus annos*, quæ observârat. Ea & ipsa, rem me facturum non inutilem duxi, si hûc notarem:

Die 2. Septembr. ann. 1673. horis pomeridianis *Dn. Emanuel Quentarius*, Præfecturæ Haynensis à re Actuariâ, ex improviso, intolerabilibus affligitur alvi torminibus, per 3. integras horas, non sine horrore, urinæ item suppressione vomituque. Exhibeo ipsi in Spiritu Mundi, sex guttas Tincturæ Auri Auræ, suavissima inde capit eum somni appetentia, quô dum per semihoram circiter fruitur quietô; evigilans dolorum sentit remissionem, cibum capit, optimeque se habet. Surgens manè urinam contemplatus, maximè dilutam turbidamque eam deprehendit, sedimenta verò seorsim effusa ipsum colorem sanguineum referunt, lu-

culentumque virtutis; medicinæ hujus antinephriticæ teſtimonium exhibent.

Idem 22. Auguſt. anni currentis, repentinô obruebatur; ex frigore febrili, horrore, quem ſumma ſtatim membrorum delaſſatio viriumque defectus excipiebat, undè lectum petere coactus, *Nobiliſſimum Dn. C. A. Balduinum, Patronum ac Evergetam meum maximum*, de medicamentis ſuis ut impertiret ſibi, ſollicitabat, quô, ejus petito locum haud gravatè concedente, duas ipſi doſes Spiritûs Mundi, inſtillatis aliquot Auri Auræ Balſamique Mundi guttulis, transmittebam, quarum altera ſumta, ſomnum è veſtigio capiens, per tres integras horas placide quieſcebat, his tranſactis, expergiſcens, enormes capitis dolores ſentiebat, idque haud dubiè ex operatione ipſius medicamenti, quod circa camarinæ, quâ corpus oppletum quàmmaximè, commotionem ejectionemque erat occupatum, teſte eventu; viginti namque,& ultrà, ſedibus, alvus ſeſe exoneravit. Unde fractæ non parùm vires, ſomnô, quô ſubſequentem diem patiens penè integrum confecit, recolligere ſeſe evidenter allaborarunt, ſucceſſu haut ſecundô: die quippe unô alterove elapsô, ad officii priſtinam functionem ſanus incolumiſque rediit: Alterius doſeos ſumptionem, ex metu, ne, uti priùs, alvus laceſſendo, ipſum enervaret, in quartum uſque diem differre, ei viſum eſt, aſt nihil, quod metuit, evenit, quin meliùs ex eo habere indies cœpit.

Ejuſdem Dn. Parens, calculô veſicæ, ipſo Menſe Martiô afflictus miſerrimè, laudati Dn. Autoris opem anxiè implorabat; hic vicem ejus dolens, de Spiritu Mundi, intermiſtô ejuſdem Balſamô, ipſi offerri concedebat, cujus exhibitâ unicâ doſi, elapſis duabus vel tribus horis, calculum, fabæ magnitudinem aliquantùm excedentem, excernebat, ſequentibus paulò poſt nonnullis minoris quantitatis, quibus excluſis, priſtinæ ſanitati per DEI gratiam reſtitutus eſt.

Eodem Martio Menſe, vidua paupercula, fermè ſeptuagenaria, *Urſula*, præternaturalem patiebatur narium hæmorrhagiam, quæ ipſam, viribus jamdum, ob decrepitam ſenectutem, exhauſtam, adeò enervabat, ut in caſſum nobiliſſimis etiam adhibitis medicamentis de vita ejus deſperaretur: In tertium & ultrà, diem, fluxus is dum perdurabat, conveniebat fortè *Nob. Dn. Balduinum*, aniculæ hujus Hoſpes, *Dn. Andreas Uſchnerus Haynenſi Senatui ab Actis & epiſtolis* de ſtatu ejus deſperato, inter reliqua, mentionem faciens, nil niſi præſentaneam mortem ſupereſſe & jamjam imminere aſſerebat. Ego, qui tùm colloquio huic intereram,hæc audiens,quid, ajo ſi de Balſamô Mundi,detrimenti parùm, ſi non levamenti quid allaturô, ipſi propinetur? annuens *Dn. Balduinus*, aliquot illi doſes exhiberi jubet: quibus per vices à me propinatis, Hæmorrhagia remiſſam facere cœpit, & licèt non ſemel rediret malum hoc, vires tamen, quas antè exerere haudquaquam valuit, tandemque nobiliſſimo huic medicamento palmam relinquens, cedere omninò coactum fuit, ſalva jamdum ac ſana, DEO clementer benedicente, præter omnium expectationem, fœminâ ſuprâ dictâ ſuperſtite.

Quàm inſignis denique, & laudibus nunquam ſatis deprædicandæ virtutis,in Odontalgiâ, Balſamus Mundi ſit, in ſemet ipſo experimentum capere voluit *Nobiliſſ. Dn. Bald.* Is cùm præteritâ hyeme ex dentibus graviſſimè laboraret, in Balſamum Mundi ſortè incidit, periculum facturus, in hoc affectu numquid valeret,ex eodem gargariſmum ſibi paravit,quem parti affectæ applicans, præſentaneum ſenſit levamen, dolores namque, utut vehementiores primùm, poſt horæ unius decurſum, præter omnem ſpem, evanuêre penitûs, nec rediére hactenus. Finis Obſervationum Engelhardian:

Obſerves hic velim tàm Auri Auræ,quàm & Balſami Mundi ortum & incunabula velut Mundi Spiritum eſſe. Itaque, ut ad Medicinam præparatus, Mundi Spiritus hic nihil aliud eſt, quàm ſimplex ex ſubtilis eſſentia quinta à corpore ☉ tanquam à materia craſſâ & groſſa, ſive à quatuor Elementorum ſuperfluitatibus ſeparata: ſic, quid impedit, quô minùs, è *Tractatu, de Verô Sale ſecreto, Philoſ. Domini Nuyſement*, 4. *Cap.* vocitem eum generalem Lapidem Phyſicum & Elixir à natura compoſitum, quo mediante omnia ſua miracula facit; atque multò magis admiratione dignum eſſe, quàm Chemicorum Lapidem, cui ſolummodò per hunc ipſum Spiritum conceſſum eſt, ut ad introducendum id quod deeſt, in ſuum ſimile agat.

Eſt memoratus mihi totiens Mundi Spiritus hic Eſſentia penetrabilis omninò atque volatilis odore ſuaviſſimo,guſtumque amygdalarum præ ſe dulcium ferens. Vel paucula guttulæ, dici vix poteſt, ſi hauſeris quàm cor recreent, reſpirandique vias recludant. Uti Spirituum Nutrimentum Alimentumque Pulmonum æſtimare non injuria poſſis. Poteſtque tantum iſtius,quantum cochlear capit,abſque vehiculo,aut,ſi morbus pertinacior ſit, Auro Auræ potabili, vel, ſi placet, Mundi Balſamo miſtum,præſervandæ conſervandæque imò & reſtaurandæ ad extremum valetudini adhiberi: Quod ſi Medicamentis tribus iſtis crudis, ut ſic dicam, adhuc, necdum perfectionem eam, quam adſpirante DEO propitio conſecutus, tantum licet: nihil non profectò ex

(2.) Auro Auræ inferioris Hermetico perfectiſſimo,i.e. ipſo Lapide Medicinali, ex *Alkaheſt* (eô, quô commemoravimus,modô) præparando,pollicitura ſibi Natura Humana impoſterum eſt! Eò enim omnis labor hic tendit, ut & refocillerur ea tueaturque in multos annos, quantumque poteſt, vindicetur à morbis.Cæterùm cùm in manu id Ejus poſitum ſit, qui ſuper nos negotium curat, exorandus calidiſſimis nobis precibus Ille:acquieſcendumque interim eſt in univerſaliſſimæ Mæteriæ noſtræ Medicamentis. Pro quibus & ipſis,Glorioſiſſimum Numen,uunquam,faxit ingrati ut ſimus!

CAPUT XI.

De Virtutibus Auri Auræ, in Regno Minerali.

NOn interturbanda vitæ officia, nec imponenda imbecilli puerorum ætati, quæ adultorum illorumque propria ſunt, quos firmata Viros jam fecerit ætas;ut de ſuo Poëta Princeps mihi iſtud hîc largiatur. Hujus ego præcepti memor.

1. Auro Auræ ſuperioris, hic velut partui meo, non tribuo,quæ robuſtos,eoſque decent,qui plus pueris poſſunt. Nondum enim iſtud infantiæ velut annos exceſſit. Quod ſi viribus ultrà procurrerit, tùm de eò demum & benè ſperare, & confidere optimè licebit. Quandoquidem autem Solare id Sulphur; Tincturaſque jam eſſe ſulphura omnia, apud Philoſophos in confeſſo, opinor, eſt, fixa ſcilicet aliiſque Metallis unita, nullum, jam iterùm mihi dubium ſurgit: plus utique, in cætera, imperfecta utpote Metalla, licituturum Auræ huic Auro, poſtquàm de perfectione fermentationeque cum Auro Metallico ſua ipſi conſtiterit,

rit, quàm Vegetabilia Mineraliaque illa sulphura possunt. Tenendum istud tamen etiam atque etiam est, in stupendo hoc opere, primas omninò Sali universalissimo volatili tribuendas deferendasque esse. Quod ex Nitro uti facillimè obtineueris, si, quæ superiùs sunt prodita, ea hîc recorderis: sic te, exemplo, quô volatile Tartarum redditur, maximè observare præparandi modum etiam velim. Qui ut non parùm paucos tuleris: In his *Johan. Baptist. Helmontium, lib. de Febr. Ludovicum de Comitibus, in discept. 6. p. m. 38. Danielem Ludovici, in Dissert. de Volatil. Tart. Discept. 9. p. m. 66.* è contrario extitere tamen, qui nihil quicquam ferè laborandum sibi hîc ducerent. Adeas, sodes *D. Joel. Langelott in Epistola ad præcell. Naturæ Curiosos p. m. 10 & Dav. von der Becke/ in Epist. ad Langelot. D. Georg. Wolffg. Wedel. in Specim. Exper. Chym. p. m. 55.* Alios. *Idem von der Becke in Experim. & Meditat. circa Rer. Natur Princ. p. m. 130. & seqq.*

Cæterùm, paucis abhinc septimanis, multò ego faciliorem inveni viam, quî non Tartarum modò atque Vitriolum, & Sal commune, atque alia hujusmodi, sed & Nitrum ipsum, paucis admodùm horis, in Mundi Spiritum, seu gratissimi planè saporis aquam, alembici vitrei beneficio, destillare & sic porrò in volatile Sal album transformare liceat. Unde verum *Alkahest* (beneficio Spiritus concentrati ☿, de quo suprà) prodit. Quid? quod in se ipsum etiam præsentissimi esse initat remedii queat, ardentibus febribus pellendis. Sed de eo hic obiter tantùm.

Sic 2. Inferius Auræ inferioris Hermeticum aurum regno in mineral plus, confidimus, posse. Neque enim tantùm *D. Petr. Joh. Faber. in Panchymico suo c. 40. l. 4.* vix dicenda scripsit de Nitro: nempè, *in intimis naturæ visceribus ignem vitæ clausum contineri, quem si quis coagulare & fixum facere, eique tincturam dare auream vel argenteam possit, eum possidere Arcanum*; sed & per Nitrum *Ganfandus* opus suum & incepit pariter; manumque ei feliciter ultimam imposuit.

Quemadmodum igitur dubitamus nulli, Lapidem, è nitroso Liquore *Alkahest* (per se vel cum auro vulgi conjuncto) præparari; sic Metalla imperfecta transformaturus, eo uti si velis, projiciendum tibi fuerit Elixir super aurum in tigillo liquatum; ac ita Sal demum istud, ☉ ingressum, in Sal frangibile & friabile mutatur, solubile tamen & liquabile, levissimo calore. Quod quidem (ut ego puto,) dum est auro impræguatum, projectum super Metalla imperfecta, ipsum in Aurum transmutat.

Equidem jam olim suspecta, nec sine causa, Metallorum illa in Aurum plerisque transmutatio fuit; ostentantibus, fucum ut facerent nonnullis, nummos, eosque in aurum versos, dimidiatos, aciculas item & ipsas factas aureas, Traditur hic modus *Glaubero* (*in Purgat. Philos. p. m. 38.*) quem, si animus sit, consulas licet. Hinc etsi *Bartholinus in Phys. spec. p. 4. c. 2. Florentiæ*, vidisse se, inter res preciosas *Hetruriæ Ducis* clavum continuum testetur, cujus media pars aurum esset, media ferrum; aurum, quousque tincturæ immersus erat; transmutatusque olim diceretur à Thurneussero; sunt vicissim alii tamen, qui pro adulterino habentes post id tempus visum, rejiciunt planè atque evertunt.

Nobilissimus *Dn. Augustus, Heyland/* non ita pridem est, quòd ad me viseret. Sermo varius nobis, Nec, quòd ille has terras non obiter inspexisset, de Gallicis tantùm, Italicisque atque Anglicis rebus, sed & aliis erat tandem, ut est in omni Naturæ opere curiosus, in Chymiam incidimus commodè; cùm Ensiculus; quô scripturi pennas temperare solemus, ipsi quoque memoraretur: Servare se eum, inquit, magni nominis Chymici donum; dum Venetiis esset. Cætera, aciem & nucleum ferri; cuspidem auream esse, tincturæ cujusdam vi atque efficaciâ opinantibus, qui vidissent, mutatum in Aurum. Statim incessit in animum tàm rari muneris, fateor, visendi cupido, petereque ex eo adeò cœpi, ut ne mittere gravaretur. Annuere ille, hâc conditione tamen, uti, mihi quid videretur, literis significarem, si remitterem. Quod me facturum, etiam compromisi. Igitur quamprimùm illius mihi facta copia est, ne mirari illum quidem poteram satis. Cuspis dimidium digiti articulum longitudine æquans: Aurum, quale Coronati aurei esse solet. Et ad Lydium lapidem revocatum, respondebat exactè. Ad extremum, ne indicium quidem ullum solidaturæ, ut nec affirmare planè de Tinctura liceret, nec de arte & combinatione conjicere tamen. Cæterùm erat, cur illuc inclinarem potissimùm. Nec mora; Cultellô, mucronem fractô, ex auro & ipse ferruminandum alium curavi. Cui cùm lima ab Aurifabro (ei enim istud negotii dederam) accessisset, aut insigniter fallor, aut ornatius nitidiusque haud paulò prodiit opus. Venetiano illi minimum par videbatur: Ei omninò labor erat quinque horarum. Nec me fingere quicquam hic credas. Amat enim ferrum aut chalybs, imò justo calore cupidè attrahit Aurum. (Quô Experimentô refellitur opinio *Otton. Tachenii in clave antiq. Hippoc. Medic, cap. 8. quod Aurum ferro conglutinari nequeat, priusquam cupream induat naturam.*) Sic perpetuò arte vincitur Ars. Nec tàm ingeniosa fuit fraus, quam si labora it, non ingenium aperuerit pariter ac detexerit.

Manet interim hoc, Chalybem, quem diximus hactenus, aliaque imperfecta Metalla, Lapidis Philosophici beneficio (dummodò obtineri is possit,) transmutari in Aurum verissimè posse.

Qui autem *cum Dn. Thom. Moresino Aberdonato Scoto de Metall. Caus. & transubst. Dn. Nicol. Guiberto. Lotharing*, nec non *P. Athanas. Kirchero in Mundi sui subterr. Tom. II. lib. 11. sect. II. cap. XI.* rotundè negat, possibilem esse arte purè naturali confectionem Tincturæ Philosophorum, quæ omnia Metalla in Aurum Argentumque substantialiter tingat ac projectione suâ finite in infinitum multiplicet; ille legat *Lancem Peripateticam Valeriani Bonvicini Professoris Paduæ, Interpellat. brev Salomonis de Blauenstein*; imprimis verò *Mantissam Spagyr. Pharmac. Reg. Dn. Joan. Zvvelferi, p. 1. cap. 1.* & quæ ibi contrà dictum *Kircherum*, pro Chrysopœiæ veritate & possibilitate, adstruxit; nec non *Albertum in libro suo 30. de Mineralibus M. Petri Roni Lombardi de Ferrariâ Tract. ann. 1330. compositum. Heinr. Salmuth. lib. 2. tit. 2. p. 340. Joan. Fr. Mirandul. de Auro lib. 3. c. 2. Marsil. Ficin. lib. 2. de vitâ Cœl comp. c. 3. D. Adam à Bodenstein Isagog. in Arnold. de Villanova Rosar. Epist. præfix. ad Enggeros ex Basilea p. m. 46. Bernard. Penot. à Portu Præfat. Apolog. contra Guibertum in Tract. Aristai de L. P. p. m. 91.* qui suô tempore ab *Edoardo Kellæo* Pragæ in ædibus *Dn. Thaddæi* libram integram argenti vivi in purissimum Aurum conversam, guttulâ unicâ liquoris rubicundissimi, vidit. *Fernel. de abditis rerum causis lib. 2. c. 18. D. Joh. Wolfg. Dienheim de Medic. Universf. cap. 24. & 25. Matth. Unzer. Anatom. Mercur. Spag. lib. 1. cap. 18. M. Georg. Froberg. Histor. de Alchym. pag. 78. D. Mich. Mayer. in Symb. aur. Mens. p. p. 219. 471. 80. 523. & 557. I. B. Helmontium*, qui in scriptis suis tei publicè fatetur, se projectionem feciſſe. *p. m. 743. 793. & 671. §. 58. Miscell. Curios. Med. Phys. Acad. Nat. Curios. Ann. 1. Obs. 16. D. Jo. Tackii Chrysogoniam animalem & mineralem p. m. 3. & D. G. Morhof. de Metall. Tranjmut. ad D. Langelott. Epistolam p. m. 87. & seqq.* Quam Tincturam licet perpauci obtineant, è

terum

rerum tamen naturâ proſcribere minimè decet. Habet enim & illa quemadmodum arbor ſcientiæ boni & mali Proto-Parentum noſtrorum, ſuum de cœlo genium, qui rhomphœa bis acutâ eam protegat & curioſos ac indignos arceat; cùm pauci ſint, qui virtutem & divitias affluentes jungere novêre.

De hac Medicina apud antiquum *Autorem Gallicum* ipſa Natura, in Querela ſua, ita introducitur:

Que guerrit toute maladie,
Et qui l'a jamais ne mendie:
Qui en a une once & un ſeul grain,
Toujours eſt riche & toujours ſain:
En fin ſe meurt la Creature
De Dieu contente & de Nature.

CAPUT XII.

De Virtutibus Auri Auræ, in Regno Vegetabili.

AUtor *Sendivogius* eſt, in *Epil. Tract. Quò radii Solares copioſiùs feriunt, eò major Salis Nitri quantitas fit & per conſequens major frumenti copia creſcit.* Veriſſimè, ſi quicquam aliud. Nam, non à terra tantùm, aut ab aqua; & à certo quodam, eoque nitroſo ſale nutrimentum Plantis eſt. Experientiam, age, quâ unâ omnium optimè docebimur, accerſamus. Nonne, quo plus ſalis habent, hòc feracioribus agris utimur? Quos, (exemplum ut demus,) quòd in animalium excrementis plurimum Nitri inſit, fimus hinc lætos efficit pingueſque. Imò ipſa hominis Urina nihil eſt aliud, quàm merum Nitrum, (ſed non animatum,) doc. *Theophraſt. Paracelſ. Tract. 1 de Peſtilitate p.m.* 376. ſic ex terra, ubi pecudes mingunt, fit & coquitur Sal Nitri, *Id. in Fragm. Tract. p.m.* 449. Et ſanè, multiplicandarum frugum, peculari è Nitro lixivia, nonnullorum indè eſſe Secretum, inducimur facilè; ut credamus. Vid. *Recueils, Memoires & Conferences ſur les Arts, & les Sciences preſentées à Monſeigneur Le Dauphin pendant l'Année MDC LXXII. par Jean Baptiſte Denis Conſeiller & Medecin Ordinaire du Roy. Premiere Conference touchant la Vegetation des Plantes. p.m.* 216.

Nimirùm tenet & communis Philoſophorum ſententia, poſſe materiâ ipſorum univerſaliſſimâ, arborum ſteriles fœcundari, herbas, floreſque atque radices mediâ hyeme produci, quamlibet arborem, quater & amplius annô, maturos ex ſe fructus edere, ex arefacta etiam tenerum inſtitui ſurculum, amaroſque quantumvis fructus omnes dulceſcere. *Jo. Walchio, in Tract. Philoſ. & Chym. Germ p.m.* 252. referente.

Obtinebat ex eo Magni nomen *Albertus Magnus*, quòd in ipſa frigidiſſima Brumâ omnia genera fructuum, ope hujus ætherei Balſami, ad plenam & perfectam maturitatem producere poſſet, *Dn. Kenelm. Digb. diſſert. de Plant. Veget. p.m.* 72.

Equidem non evertimus nos fidem horum verborum, neque, qui ambigat, facile eſt: Mercurium univerſalem flori cuivis plantiſque augmentum aliquòd odoremque conciliari: quin tamen, unius ☉ cum Auro Auræ ſuperioris noſtro fixuſque in lapidem, majores ſibi vires acquirat, dubium & ipſum eſſe mihi non poteſt.

Sed quid Aurum 2. Auræ inferioris perfectiſſimum, i. e. Lapidem ipſum Philoſoph. ex Nitroſo *Alkaheſt* præparatum? Nonne, ante fermentationem Auri, in Regno Vegetabili plus poſſe fatebimur? Quis neget? Nam, ſi *Walchium* iterum audimus (p. 53.) Tinctura ex hoc Lapide fit, ſi, quantum granum mihi eſt, diſſolvas in aqua, quâ in ipſum poſtea vitæ velut cor ſive medium infuſâ, non illa è veſtigio virgam tantum foliaque atque flores, contra communem naturæ curſum; ſed, quod omnibus admirabile videatur fructus etiam maturos nobileſque protrudet. vide *Paracelſ. in Apocalypſ. Herm. de Elix. vitæ.*

Revocat hoc mihi in memoriam Arcanum iſtud plantarum reſuſcitatarum, quo plantas jam cinefactas & demortuas quaſi calore, velut divina Mercurii virgula, animatas in vitam revocati, novaque veſtiri forma adferunt. Primus, quod ſciam, *Quercetanus* in ſcenam publicam hoc Secretum produxit, à Polono Medico ſibi monſtratum, non communicatum id tamen: Exinde plures ejus rei mentionem fecere; ſed qui deſcriptionem eam publico daret, præter *Roſenbergium, in Rhodologiâ*, qui tamen obſcuro verborum velo omne texit: & *Spontonum*, Italum quendam, *Tractatu de Vipera*; ſed eodem, imò obſcuriore modò, quo *Roſenbergius*, non memini ullum. Crediderim ſane, ejus rei experientiam nunquam cepiſſe, ſed vel ex proprio conceptu, vel aliorum malefidâ communicatione retuliſſe, quæ ſcriberent; Adducti inde *Billichius & Georgius Kirſtenius*, hic quidem *in Adverſariis Germanicis*, contra *Jo. Agricolam, in Theſſalo* ille, omnem toti negotio fidem atque aſſenſum derogarunt.

Cæterùm, conſpexit *Petrus Servius Rom. Med.* Roſam ex cineribus uſtis ſolerti & ingenioſo artificio excultis elaboratiſque XXIV. horis natam, adultam perfectamque. *Tract. de Nat. & Art. Mir.*

Ex Oratione *D. Comitis Digbæi*, Angli *de Vegetatione Plantarum* habemus, *P. Athan. Kirch.* miraculum reſtitutionis feciſſe, modumq; operâdi communicaſſe eidem *Digbæo*. At non è cineribus ipſis *Kircherus*, ſed è ſemine plantarũ reſuſcitationem eam inchoaſſe videtur, quippe quem de *Regerminatione Plantarum*, Proceſſum ſuum; deſcribere è cujuslibet ſemine comperimus. Require, quæ idem *Mundi ſubterr. L. 12. ſect. 4. c. 5. p.m.* 414 Quæ &, quæ *P. Gaſpar Schott. in Mechanicâ Hydraulico-Pneumatica part. 2. claſſ. 1. Mach* 8 Etſi itaque *Dn. Petrus Borellus in Hiſtor. & Obſerv. Medico-phyſ Obſerv. 62. ſcribit: Crederem, hæc fieri poſſe, ſi calcinentur plantæ in vaſe clauſo, ne ſal volatile, in quo latet vis reſurrectiva, evaporetur, deinde illud colligendum eſſe cenſeo & fixo ſali miſcendum, ope aquæ vitæ optimæ, vel roris majalis, & vaſe ſigillato, calore mediocri hæc circulari debere per aliquod tempus, ut probè uniantur principia parificata:* non tentata tamen unquam mihi illa ſunt, fateor; Utut loco roris majalis, convenientiorem huic operi efficacioremque Mundi Spiritum putem, Cauſas dixi ſuperiùs.

Obſervationem merentur & iſta *Dn. Petr. Jo. Fabri, Palladio ſpagyrico c. 2.* Per humidum radicale Mundi luce imp. ægnatum in Phialis vitreis poſſe flores, poſſe plantas plantari & nutriri, creſcere & germinare, poſſe & arbores & plantas è longinquis terræ plagis impunè & incorruptè deportari; poſſe & quater in anno germinare, florere, ferreque fructus, modò ne ſtigus ambientis aëris externum pepaſinum fructus impediat & retardet, poſſe ſemimortuos reſuſcitari ſeu potius renovari. Sed ſunt, qui Autoris experientiæ hîc diffidunt, imò eam planè volunt ſublatam. Suſtinui tamen annô proximè elapſô, nec refugi eum ego laborem, interim neque juſta laude debitaque *Borellum* hîc fraudans, qui, quà eundum, digito velut monſtravit, *Hiſtor. & Obſerv. Medico-Phyſ.* Ita enim is, *Obſ.* 37. Aqua ſola, inquit, nutriri & augeri poſſe plantas, vix credidiſſem, ni, per ſex menſes, in Phiala aquæ plena Ocymi & Baſilici plantæ ſurculum vidiſſem & ſervaviſſem, ubi radices multas, imò innumeras egit, ſurculos & flores; ſed aqua renovanda ſæpe eſt. Obſervari etiam arbores magna ſatis imô tibiæ craſſitiem æquantes, in terrea par-

va olla vegetasse, sola irrorationè, terra ejusdem ponderis remanente. Quare credendum est, ab aëre & aqua nutrimentum capere.

Quod idem *Petr. Poter.* cum Nobilissimo *Boyleo* observavit, dum in Oxoniensi Anglorum Academiâ degeret; summitates Menthæ, Pulegii & Melissæ, probe immissas in vitreas Phialas aquâ fontanâ, quæ nunquam mutabatur, repletas, explicasse se in radices numerosas & luxuriantia folia. Vid. Ejusd. *Præf. Oper. Medic. & Chym. p. m 9.* Quod Autores laudati sine dubio ex *Theophr. Paracels. Metamorph. l. 3. de Conserv. p. m. 17.* petierunt.

Historiam Plantæ, sub ipsa aqua germinantis in Vitro, ex alterius Medici relatione, recenset *Libavius in Syntagm. Arcan. Chym. lib. 1. c. 22.* cujus figuram ibidem depictam habet. Idem narrat apud *Rosenbergium* in *Rhodologia D. Frey*, qui idem in Tulipa se vidisse adserit; nec non *D. Jacob. Dobrzenzki de Nigroponte, in Amœnitori Philosophia, de Fontibus Part. 1 pr. 1.* Sed longè admirabilius *Autor* memorat *Gallus* in Tract. Gallico, *La petite Chirurgie*, dicto, *c. 22.* qui totum Mundum arboribus, plantis, floribus, pratis, fluminibus, montibus, aquis, animalibus &c. exornatum, parvô vitrô spectandum proponit. Cæterùm, id ego tantùm Phœnomenon credo cujusmodi repræsentasse se aliquando Excellent. *Tackius* prodit, *Mysteriô Resur. Rer. p. m. 65. seqq.*

Observarum & à me idem Vegetabile est in Magnete, quem, de quo indicium feci ipsô hoc annô, Universalem posuissem. Cùm enim, decimo nono Martii die, rotundis se ille circulis ostendisset, siccior ob solares radios circa meridiem aëre, equidem Magnes hic meus nonnihil in oleum demutatus conspiciebatur, quod id autem spississimum esset, concrescere mox, (*vid. Tab. xj. fig. 2.*) arbusculatumque atque fruticum formas, (jucundissimum oculis spectaculum) induere cœpit.

Quum igitur ex me satis nossem non tantum, Spiritum copiosum esse in aëris elemento & aquæ pariter, imò plus vigere, quàm in aliis elementis; sed & ex Mechanicis percepissem abundè: Salem in aëre & aquâ cristallinum fixum & volatilem contineri, imò flores, v. g. Tulipas, Anemones, Lilia &c. lixivio, ex iisdem, si efflorruerint, combustis in cinerem, scapis & caulibus facto, affuso singularum plantarum appropriatarum radicibus, mira fœcunditate & nitore propullulare: in ipsam rem cogitatione descedens altius, concludi: si fieri posset, ut aqua, quam *C. Philipp. Sachs à Lewenhein* (*in Oceano Macro-microcosm p. m 16*) Mundi menstruum vocat, cum Catholico Sale, seu terrificato Mundi Spiritu augeatur, conservandi ipsius vim potiorem multo esse futuram. Universale enim Sal aquæ balsamum est. Et si aqua non est suo igne imbuta, plantas non multum reddet fructiferas; aliquid igitur, cui aqua tantum vehiculi loco servit, intus necessario continetur, nihilque aliud est, quam omnibus rebus fœcunditatem tribuens Sal. Huic Sali (rectè cognito vel intellecto;) non tantùm omnia Mineralia suam originem debere, docet *Dn. Kenelm. Digb. de Plantar. Veget. p. m. 62.* Imò *Dn. Panorol. Arcan. fascic. II. p. 218.* omnia ex aquâ & igne, velut ex sulphure & Mercurio oriri, adeoque semen esse vim illam vivificantem, conflatam ex igne & aquâ, in spermate residentem, ostendere satagit.

His innixus fundamentis, rem ipsam aggressus feliciter sum; Balsamique naturæ universalis fixi cum ♃ vegetabili, beneficio, conservare flores herbasque dedici. Quod ne putes me thrasonicè magis profiteri, quam verius, ecce tibi variæ magnitudinis, eosque innixos columinibus, globos vitreos, quos, quocunque libuerit tempore, multiplici florum varietate, à me, anno superiore, refertos, non sine insigni oculorum animorumque delectamento, apud me cernere est. Quod si vires vitamque Deus Opt. Max. concesserit, Vitreum Musæo nostro Viridarium annus futurus sistet, exhibiturum & ipsum rerum istarum Studiosis Violas, Rosas, Narcissos, Tulipas, Caryophylla, aliasque id genus herbas, cum rarissimi usus, tum præstantiâ colorum secundas nullis. Idque quacunque anni tempestate. Quibus qui paria fecerit, nondum vidi. Imò visurus vix aut ne vix quicem etiam sum præstiturus qui sit. Nisi Flora nostra inspecta, quæ, rogatu non obscuri nominis complurium Amicorum, Semper-Viva lucem publicam visura forsan propediem est.

Equidem, injici nonnullas mihi remoras, video; At enim differre ista utì possunt, ita auferre promissa non possunt.

Tu verò, quisquis es, benevole *Lector*, cuicunque aliquid in hoc meo Tractatu non perspectum intellectumve est primô intuitu; quæso, suspende in his; de quibus tibi non liquet, judicium tuum; & de iis, quæ tibi videntur satis liquere, ne quid pronuncia temerè. Nec alium ferto in re arcanâ calculum, quàm de tua fama à bono Viro velis apponi.

Interim Majestatem Naturæ Naturantis nondum adoravit, neque Naturæ Naturatæ decessit satis, qui divini operis Hermetici possibilitatem non credit, realitatem ignorat vel contemnit. *Hurin. à Parma Paris.*

Verissimè enim à *Senecâ* istud proditum olim est: Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: multum adhuc restat operæ, multumque restabit; neque ulli nato post mille sæcula præcidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.

Quærit in abstruso, divisa Cupido meatu
Aurum, & vel scorias, vel nisi grana legit.
Infima plebs sapiat: sapiens quid abundet in Auro
Novit, & hoc Auri nomine jure vocat.
En Tibi cèu duplâ, monstrantes, lampade Soles,
Quam calcant alii, non sine mole viam!
Ut mira virtute trahat Cœlestia Magnes!
Conspirant Salia & Sulphura Sulphuribus.
Sic jam Magnes amat non ferrum; Vescitur Auro:
Depluit in Danaës Jupiter igne sinum.
Aurea nunc etiam comitari ferrea dicas
Secula. Vix pretio grande venit pretium.
Nil melius posset Votis impunè precari
Tangere & Ascadici Regis iniqua Fames.

MELCHIORIS FRIBEN, M.D. *Naturæ Curiosorum* Cleandri, *ad* Collegas Epistola, *sive* Brevis Enumeratio hactenus à *se* Actorum.

Du filui *Illustres & Honoratissimi* Collegæ, silentium autem meum non fuit otium, sed labor perpetuus. Postquam enim studium chimicum incepi, multum me temporis legendo & meditando trivisse confiteor, eam præprimis ob causam, ne illotis, ut dicitur, manibus opus philosophicum aggrederer, aut aliquid eruditissimo seculo propone rem, quod aut sanæ rationi, aut experientiæ doctissimorum Virorum contradiceret, aut ullum scrupulum movere posset. Fuit, ut dixi, silentium hocce perpetuus indefessusque labor.

Omnia metalla, variæque minetæ, ad hanc vel illam septem metallorum speciem directæ, sub incude chimicâ fuerunt saltem ut viderem quia Autores probatissimi aut nihil, aut obscurè saltem de materia lapidis fuerunt locuti. Quæ nullam speciem metallicam agnoscunt, sicco pede prætereo, ceu inutilia ad rem tam arduam, referam saltem pauca huc pertinentia.

Isaac Sperberus in Isagoge, requirit pro materia lapidis, terram Adamicam rubram, dum *pag.* 17. ait:

Tinctura

Tinctura nihil eſt aliud, quàm terra rubra, vel pulvis terræ rubræ, ex aquâ, terra & animâ ſeu igne interno coagulatus, qui totius mundi vires ac proprietates in ſe continet. *Kuricela* major (groſſe Baver) in aperta arca, mineram Lunæ pro verâ habet Lapidis materia, Jacobus Bohnius, Philoſophus Teutonicus, in Pſychologia ſeu libro 4. quæſtionum, de quo *D Jo. Waltherus*, citante *Lucerna Salis Philoſophici p.* 13 & 138. affirmat, quod in hujus Idiotæ ſcriptis omnia ſummatim reperiſſet ad lapidem neceſſaria, Solem & Lunam pro materia lapidis agnoſcit, quapropter etiam in Libro de triplici vita, è ſex partibus Lunæ, & unâ, ſcilicet ſeptimâ, parte Solis lapidem fieri ſtatuit. *pag.* 247. §. 14. 15. 16. Proceſſus *Bohmii in Pſychologia p.* 138. habetur, quem ibi vide ſis. Obſcurus valde quidem eſt, interim apertè ex Sole & Luna eum eſſe conficiendum, & ad crucem uſque perducendum, docet. Per crucem Nitrum intelligi, *Hermes* noſter non ſine ratione autumat. Nuper lucem viſus *Autor Particularis ex Univerſali* ad terram rubram in monte quodam Tirolienſi inventam, cum *Sperbero* collimat. Alii vero aliter de vero lapidis ſubjecto diſſerunt, quos recenſere ſupervacaneum duco, nec juvat cumulum Autorum diſſidentium acervare. Labor & ejus filia probatiſſima, nunquamque fallax Experientia filio artis materiam veram omnium optimè monſtravit. Quærite ergo quocunque vultis modo, filii artis eam, præeunte natura & forſan invenietis.

Nondum quidem pro certo affirmo me illam invenisse, eo quod nondum adhuc veri lapidis poſſeſſor exiſto: interim tamen, quia *Comes Bernhardus*, & ejus aſſeclæ Solem & Lunam, ut propinquiſſimam materiam, prout adhuc in mineris & ignem nondum experti ſunt, ubique commendant, judicare poſſum, me, quoad materiam, non procul à vero tramite abeſſe.

Dictam materiam ſola mihi monſtravit vitrificatio, & inde orta Colorum Varietas, tàm in Metallis quàm in mineris & aliis. Prout autem materia Vitrorum varia eſt, ita etiam ex unico Metallo ſeu minera varii producuntur colores. Vitrum vulgare, aut Venetum alium, alium item vitrum cum Nitro aut alio Sale commixtum oſtendit. *Chriſtophorus Grummel* in tractatu germanico de Nitro & ejus colore ex parte docuit. *Sol*, uti *Illuſtriſſimus* JASON II. ſæpius mecum, ceu Collaborator in vitrificatione, expertus eſt, dat aureum & amethiſtinum, *Luna* variegatum & citrinum ſive luteum, interdum quoque cæruleum & ſmaragdinum, Venus & Marchaſita ſapphyrinum vel cyaneum, Mars & Antimonium hyacinthinum, *Saturnus*, *Rubinus*, *Granatus*, *Corallia & Creta* ſmaragdinum, *Tutia* aquamarinum; Zinkium luteum, *Talcum Moſcovvinicum* & glacies Mariæ album vel cryſtallinum. *Terra talcoſa Miſnica*, viridem colorem, & ſic porro. Conjuge per Nitrum Solem & Lunam & non procul aberis à colore carbunculi, granati aut rubini. Experientiâ hoc dico, & mecum omnes affirmabunt, qui Amauſa mea & lapides artificiales viderunt. Quàm egregiè Sol è nubeculâ inſtar Jaſpidis luceat, ocularitèr cuilibet, poſſem demonſtrare. Vitrificatio quoque mihi ſola & unica præluxit, ut eò facilius è *mineris immaturis ſolaribus Sileſiacis*, quarum copiam *Dn. Sirtus* mihi fecit, perfectum aurum producere potuerim, & ita antea impoſſibile permutaverim in poſſibile.

Affirmant Philoſophi materiam lapidis eſſe lapidem & non lapidem, & quidem talem materiam in qua ſimul lateat *ſanguis Leonis*, & *gluten Aquilæ albæ*; mas & fœmina; ſulphur & Mercurius; fixum & volatile, forma & materia, corpus & fermentum &c. Juveniuntur Mineræ in Hungariâ, Bohemiâ, Sileſiâ, & aliis regionibus, è quibus ſanguinem Leonis ſive Sulphur auri, non autem gluten Aquilæ ſeu Mercurium ſimul: reperiuntur etiam è quibus Mercurium ſeu Lunariam, minimè autem Sulphur ſeu ſanguinem elicere poſſumus. Neutra horum ſufficit ad lapidis formationem, ſola illa tantum prò vera habetur, in qua ambo latent requiſita, & quæ ſub nomine Magneſiæ venit.

Hæc *benedicta terra foliata nigra* ex aurifodinis provenit, & arida eſt, hanc calcina leniter & reſplendet ut aurum; calcina igne fortiſſimo & acquires terram rubram. Quòd ſi ſuperfuderis huic mineræ ſpiritum ſalis aut aquam regis, nanciſceris tincturam aurei coloris, & remanebit terra ſummè alba foliata, inſtar argenti finiſſimi. Præcipita tincturam auratam, mox reſidebit in fundo pulveris intensè ruber, ſeu ſulphur, æquè ac illum ſupra citatus Autor *Particularis ex Univerſali*, deſcribit, aſt Metalla non tingit nec ingreditur propter Mercurii carentiam. Exinde liquet Mineram hanc unicam eſſe quoad materiam, quoad verò ejus formam intrinſecam duplicem, nimirum marem & fœminam, Sulphur & Mercurium vel Solem & Lunam eſſe, quam differentiam vitrificatio & colorum diverſitas manifeſtavit.

Largietur hæc materia, ſi rectè illam tractaveris, utrumque Sulphur & Mercurium. Sulphur auratum obtinni inſtar cinnabaris, non per præcipitationem, ſed calcinationem ſublimatoriam. Mercurium autem vivum & verè currentem per calcinationem humidam, quæ tamen, quod probè notandum, abſque Nitro vix procedit. Liquor, addo inſuper, quem pro calcinatione humida, ut aquam ſolventem adhibeo, non eſt ſpiritus corroſivus; ſed oleum quoddam aurei quaſi coloris. Extrahit hoc ſine ulla ebullitione ſenſim & ſenſim è Mineris Solis & Lunæ tincturam rubram, quam aliàs Luna denegat. Interdum has tincturas miſceo, interdum ſolarem ſolùm ægrotantibus porrigo, & egregia eſt Medicina in affectibus cerebri & cordis, utpote quæ de Sole æque ac de Luna participat, & loco auri potabilis ægrotis inſervire potis eſt. Calcinatio iſta humida non denegat tincturam rubini colori æmulam, ſi illa cum ſpiritu vini extrahatur. Abſtracto iterum ſpiritu ad oleitatem ſi collocetur in loco frigido per aliquot dies, ſeparabit ſe & ſpiritui reſtanti ſupernatabit oleum rubrum in colore rubinum fermè ſuperans. Tincturæ ſublimatæ nondum conſtant vires, vitra vero aureo colore inficit.

Præſuppoſitis hiſce, terram ſupradictam eſſe veram, unicam & genuinam lapidis Philoſophici materiam, & aureum iſtum libellum *Comitis Bernhardi & Fratris Alberti* ſpiritum conjunctum, quem vide in Lucernæ Salis Philoſophici *Appendice p.m.* 138. *ſeqq.* affirmare audeo, citra tamen ullius aliter ſentientia præjudicium.

Hæc hâc vice ſufficiant, impoſterum cum Deo & die plura & lucidiora. Numini interim & Lumini cœleſti maximas ago gratias pro hac illuminatione, humillimis precibus devotè rogans, ut ad ulteriorem illuminationem paternâ ſuâ gratiâ mihi adveniat, ac ſua dona in me coronet. Valete.

[*Haynâ, ad Collectores Vratislariam.*]

De Spiritu Mundi Poſitiones Aliquot.

D. J. B.

1. Magnale eſt Creatura omnium excellentiſſima, media inter corpus & non corpus, in aëre à Creatore

Creatore posita, sine qua neque firmamentum, neque elementum, neque homo ipse aut ulla alia creatura vivere aut conservari potest. *Paracelf. Paramir. d. Ente Astror. c. 6. 7. Fragm. ad Param. p. m.* 233.

Propter hanc prærogativam dicitur etiam *Magnale Magnum* apud Paracelf. *primum ens creatum*, ortum habens à summo bono, Chaos omnia sustentans, quod continetur in aëre, ut habet T. 2. d clem. aeris l. 1. propter hoc magnale l. d pestilitate p. m. 339. de conserv. ter. natur. c. 4. aër dicitur spiritus vitæ, imò ipsa vita majoris mundi, quæ nihil aliud est, quàm essentia quædam spiritualis, res invisibilis, media inter corpus & non corpus, cujus est conjungere animam cum corpore, quam Platonici animam mundi, & Cornelius Agrippa mavult dicere quintam essentiam, cujus spiritus juxta Philosophos solus potest aurum magistraliter corrumpere & in sui primam materiam transformare, hoc est, perfectissimè, volatilisare, & in spiritualitatem transmutare.

Clangor Buccinæ.

2. Quod Paracelsus, id Basilius Valentinus intelligit & exprimit per spiritum ☿ij.

Quia huic spiritui ☿ij. easdem proprietates, idemque subjectum seu habitaculum attribuit. In eo namque reperiri omnia, quæ Philosopho sunt necessaria, asserit de nat. & supernat c. 3. de spir. ☿ij. & ibid. c. 2. Quod natura dona sua profundissimè occultata concredidit spiritibus supernaturalibus igneis, qui continenter in aëre ac in aqua & terra naturaliter quiescere & operati desiderant Quo ipso cum Paracelso accuratissimè consentit.

3 Est autem spiritus ☿ij essentia spiritualis, in aëre hinc inde circumvolitans prima radix metallorum & mineralium, quâ omnia metalla & mineralia in suam primam materiam resolvuntur hominis & animalia renovantur, omnesque omninò morbi curantur Basil. c. 3. l. c. & p. m. 34. 35. 44.

Hic spiritus ☿ balsamicus aliàs dicitur ignis naturæ, ignis spiritualis ac invisibilis, & Ciceroni de Nat. Deor. vitalis ac salutaris, qui omnia conservat, alit, auget, sustinet, dum mediante aëre per totum universum dispersus ac diffusus tanquam occultus vitæ cibus (ut ait Sendivogius) ab inferioribus attrahitur. Hic spiritus est res una sive monas illa Hermetis, à quâ omnes res natæ sunt adpratione (συναφεία) hoc est, attractione magneticâ, & veluti nexû quodam connubiali ex vi Græcæ vocis. Atque in hoc nec Paracelsus, nec Basilius quicquam ab Hermete veridico discedunt.

4. Spiritus ☿ij. Avicula Hermetis, etsi in aëre invisibiliter circumvolat in aqua & terra naturaliter quiescit, tamen in elementis quærendus non est, quia elementa jam eum produxerunt & visibiliter ob oculos posuerunt, in una tantùm re valdè cognita Basil. de nat. & supernanat. c. 2. 3. d. Magn. Lap. p. m. 37.

Basis ac fundamentum totius operis Philosophici consistit in cognitione subjecti visibilis & corporalis, quod hic spiritus invisibilis, incomprehensibilis ac cælestis sibi tanquam domicilium elegit. Multis placuit ros maialis, qui habetur pro aëre coagulato, & à fratre Ulmanno expressè dicitur nihilum Philosophorum. Sic Nollius in rore majali deprehendit diversa salia, suavissimum spiritum & oleum flagrantissimum, quod solo odore infirmos, ac morti vicinos mirabiliter recreare potuit. Dotardingus in suo de auro potabili tractatû, constanter affirmat, se mediante sale volatili roris maialis dissolvisse ☉m, non secus ac glacies dissolvitur in aqua calida. D. Johannes Wolfangus Dienheim ex aqua pluviali præparavit medicinam Universalem, qua sibi egregiam laudem & dona ampla comparavit, uti testatur proprio Tractatû. Nonnulli cum Drebelio visitarunt interiora terræ, quod didicissent ex Alstedio, omnem terram & aquam continere in se igniculos illos, quos quærunt veri Philosophi; Sed, quia, ut audivimus à Basilio, alia reperitur visibilis materia, & aliud subjectum, quod præ omnibus aliis maximè est imprægnatum ætheris igniculo, qui cornu copiæ habetur, hâc in parte præeuntem sequamur Basilium.

5. Principium animæ, spiritus & corporis ☿ii Philosophici, seu prima materia magni lapidis, non est argentum vivum vulgi, neque antimonium, sed est & dicitur Magnes & aureus Magnes, in quo latet resolutio omnium metallorum, coagulatio & fixatio, omniumque morborum curatio, & est spiritus & corpus, qui corpus solis tingit in medicinam plusquàm perfectam. Basil. repet. p. m. 128. Curt. triumph. p. m. 220. de nat & supernat. c. 3. 4 6.

Ab hoc opere meritò excluduntur argentum vivum vulgi & ☿, hoc propter impotentiam, illud verò, quod jam in corpus metallicum à ♃ suo interno fit coagulatum. Corpora autem in corpora non agere, notum est, nec resolvuntur mineralibus, quæ à Basilio pro immaturis habentur metallis. Unde facilè apparet, Mercurium Philosophorum, cujus spiritum hactenus Basilius ita commendavit, nil esse aliud, quàm *Sal* quoddam *minerale*, dictis proprietatibus a creatore dotatum, quoniam Sal est principium solutionis, coagulationis, & fixationis metallorum, quæ proprietates inter alias tribuuntur ☿o. Philosophorum. Idem monere voluit Sendivogius in epilogo, dum inquit: Omnes eos errare à via veritatis, qui extra hoc Sal nostrum, quod ☿ est, operantur in vegetabilibus & animalibus. Hinc quoque non sinè causa Avicenna in Rosario inquit: Sales sint radices operis tui. Immò omnes alchymiæ sapientes antiqui (ut est in Rosario) postquam de solutione corporum multa dixerunt concludere de Sale (non quidem de quolibet, sed de eo) quem dicunt *saponem sapientum* (eo ipso exprimentes naturam ejus ♃ream, sapo enim constat ex Sale & oleo, seu pinguedine) & *claviculam*, quæ claudit & aperit, & iterum claudit & nemo aperit, sive quâ clavicula dicunt neminem posse pervenire ad perfectionem scientiæ. Pone igitur mentem tuam (inquit Rosar.) super Salem nec cogites de aliis, nam in ipso solo continetur & occultatur scientia, & arcanum præcipuum & secretissimum omnium antiquissimorum Philosophorum.

Quare & Paracelsus universali suo solventi, non potuit magis conveniens, magisque appropriatum imponere nomen, quàm si sal circulatum diceret. Patet ergò ex dictis, Basilium in hoc aphorismo saltem desiderare Sal quoddam Sulphureum & penitus ☿riale, atque vi magneticâ solari præditum, quod sit verè ☿ij Philosophorum natura. Quale vero istud sit Sal, mox patebit, ubi nonnihil de ejus proprietatibus ex Basilio hinc inde collectis sumus dicturi.

6. Visibile subjectum seu domicilium Mercurii Philosophici, sive aureus ille magnes Basilii est.

1. Una tantùm, vilis, omnibusque nota materia, à natura producta, non verò arte Composita.

2. In ſe continens notabilem ac inſignem vim attractricem & magneticam.

3. Summam caliditatem, ſummamque frigiditatem.

4. Albedinem & rubedinem.

5. Et eſt rex & leo.

6. Draco & aquila.

7. Reſolubilis in liquorem ſuæ naturæ, in quo latet omnium metallorum reſolutio, coagulatio, & fixatio, omniumque morborum curatio.

8. Atque in Clave 3. à Baſil. occultatâ & tacitè configuratâ Baſil. de nat. & ſupernat. c.3.4.6. & magn. lap. Clav.10. p.m. 122.& Cl.5. p. 77. &c.

In præcedenti aphoriſmo dixi & demonſtravi, quod Magnes ille aureus nihil aliud eſſe poſsit, quàm Sal quoddam, quod habeat naturam ☿ij, ex quo tandem liquor ſuæ naturæ, id eſt, ☿lis, prima metallorum & mineralium radix, ab ingenioſo artifice ſit præparandus. Reſtat jam ut dicam, *quale illud ſit Sal.* Nam in quocunque Sale poſſunt demonſtrari omnes hæ octo proprietates, illud neceſſariò erit Magnes ille aureus, & ſpiritus ☿ij domicilium. Dantur verò tria ſaltem Sal a in regno minerali, quæ ſunt maximè activa. Sal commune nempe, vitriolum & nitrum. Sal armoniacum verò, quoniam factitium eſt, atque ſic primam proprietatem & notam nullatenus ſuſtinet, meritò excluditur: & ſi ſuſtineret, atque ſic verum & nativum ✳ ad manus noſtras perveniret, eaſdem tamen juxta Baſil. cum Sale communi poſſideret vires. Præcipua vero proprietas eſt ſolvere omnia metalla, quod per ſe & ſine admixtione ſpiritus ♁tri, neque Sal commune, neque ✳ ♁lum unquam præſtare potuerunt. Nunquam enim adducar, ut credam vitriolo communi tantum ineſſe vim ac efficaciam, illudque per Veneris ſtatuam à Baſilio Clav. 5. repræſentatum eſſe, intelligendum: Sed, quoniam Baſilius eſt Philoſophus & Poëta excellens, eo ipſo non communem, ſed Philoſophicam Venerem, tanquam hujus noſtri Magnetis aurei matrem, ex veterum Poëtarum monumentis in ſcenam producere voluit, ut infra patebit ex Explicatione hujus Clavis. Reſtat ergò tertium, nempè Sal nitrum, cui uni, ſoli & ſemper omnes has proprietates, quàm exactiſſimè convenire ſequentibus demonſtrabo.

1. Nitrum eſſe rem unam, vilem, omnibusque ferè notam, à natura productam, extra omnem eſt controverſiam, ideoque nullâ eget probatione.

2. Hinc ſi quis vellet negare vim magneticam, is contradiceret rationi & experientiæ. Sendivogius *tr.9. Epil. & Panb.* nitrum vocat metallum & chalybem (fortè quia in tenuiſſimas lamellas fuſum, inſtar metalli tinnit) quod reliqua metalla conſumit, & veluti eorum ſit aqua & mater. In Parab. dicitur magnes, qui reperitur in ventre arietis (per ventrem arietis ſubintelligens terram pinguem ac fertilem tempore veris, ut ipſe explicat l.c. clementiâ cœli impræ͡gnatam, ad gignendum mille fœtus) Talis terra fertilis veteribus dicta fuit Venus hortorum ac veris Dea. [quod notare voluit Sendiv. in parabola tr. de ♁r. & poſt Marſilium Ficinum Pierius in Hieroglyphicis:]Venerem quoque eandem eſſe Deam cum Cerere affirmat Ptolomæus in ſua de Oſiri & Plutone diſputatione. Hoc ipſum & nihil aliud Baſilius Val. Cl.5. per] Veneris ſtatuam repræſentare voluit, nempe terram atque fæcundam. Uti enim meretrix omnium virorum concubitus appetit, & admittit, ita & hæc terra omnium rerum ſemina & formas, præcipuè tamen fæcundos imbres tempore veris concupiſcit, atque ita ad generandum excitatur. Ex hujus corde, tanquam officina ſpiritûs vivifici ac ſalutaris, id eſt, ex ſale nitro terræ omnis fertilitatis cauſæ, beneficio Vulcani ſufflantis propellendus eſt ſpiritus ille vitalis, non ſolùm 7. 10-ratum, id eſt, vegetabilium, ſed & mineralium, i emque & leonis apprehendentis, id eſt, animalium genuinum ſuſtentaculum ac nutrimentum, quod leo, id eſt, aurum elevato pede quaſi præhendere, innataque & magneticâ proprietate ſibi aſſimilare intendit. Unde nitrum à Baſilio non immeritò dicitur Aureus Magnes. In officinis enim aurifabrorum didici, nitrum etiam crudum in ſe continere tincturam ac ſpiritum auro familiariſſimum atque gratiſſimum, eo quod auro pallido cum aqua illitum in parvo igne illud amicabili tincturâ ſanguineoque rubore perfundere poteſt. Hanc meam ſententiam confirmare videtur Baſilius, quoniam in explicatione Clav. 5. omnino nihil dicit de venere communi aut vitriolo, cujus ♁ alias ad aſtra uſque extollit, ſed totus ejus ſermo eſt de Terra, ejuſque ſpiritû vitali, qui reſidet in corde ejus, hoc eſt, in ſale nitro terræ, ex quo omnia, quæ extra terram & in terra naſcuntur, tam vegetabilia quàm mineralia, ſuam hauriant virtutem, augmentum & nutrimentum. Ipſe verò ſpiritus ſuum nutrimentum, quod merè eſt ſidereum ac cæleſte, ſibi haurit & attrahit ex rore cæleſti, ut habet Baſil. Cl.5. Hinc Sendivog. tr. 4. nitrum dicit Magneſiam, quæ attrahit ſibi Mercurium aëris, qui ipſi in omnibus eſt ſimilis. Hoc nutrimentum ſidereum ac cæleſte, ſive Mercurius aëris eſt alter ille Magnes ſeu Chalybs [eſt enim unum & idem in epilogo] qui ſummè volatilis, aureus ac inviſibilis eſt, & portatur in vente ventri, ejuſdem tamen eſt naturæ & originis cum eo, qui continetur in ventre arietis, & Sendivogio dicitur Sal nitrum Philoſophorum, quod modo mirabili ac magneticâ virtute attrahit ex Sole & Luna id quod noſtri operis eſt initium, ſcilicet ſpiritum & ignem vivificantem) atque mediante aëre humido, rore ac etiam pluviâ, deſcendit in terram, & quærit Sal nitrum terræ, à quo etiam, ut fit in Sale Tartari, attrahitur, quia Sal nitrum terræ ante ſui congelationem etiam fuit aër (ſeu Sal aëreum & aſtrale) ſicque Sal à Sale magneticè attrahitur, viſcoſitati terræ admiſcetur, omniſque fertilitatis cauſa habetur. Terra namque fertilis aliàs, ſemel aquâ calidâ elixiviata, ſuoque Sale nitroſo ſpoliata, nullos profert fructus, donec longo tempore aër, roti ac imbribus expoſita novam ſalis nitri Philoſophici ſibi attrahat copiam. Terra quoque nitroſa, etiamſi à nitri coctoribus ſit omni Sale ſpoliata, tamen poſt certum tempus liberio aër expoſita, inviſibile ac volatile. Sal nitrum ex aëre iterùm attrahit, coagulat, ſicque ſuis poſſeſſoribus theſaurum inexhauſtum præbet, quod hac vice erat demonſtrandum.

3. In nitro eſſe ſummam caliditatem, id eſt, ſpiritum infernalem, quo non datur calidior in tota rerum natura, ut teſtatur Baſilius, ipſumque ignis arcanum, quòd Helmontius deſiderat, ad leproſorum venenum glaciale, reſolvendum, l. d. Lithiaſi, omniaque mixta diſſolvenda: ſummumque frigiditatem, ut etiam Saturni, excedat imò penitùs glacialem, ut expreſſis fatetur verbis Baſilius de Mag Lap. p. m. 164. 259. ita ut etiam aquam moderatè calidam, intra dimidium horæ ſpatium mediâ æſtate congelare queat in glaciem, unde non immeritò Sal miraculoſum nominatur. Idem quoque videre eſt Clav. 2 ubi jubet ex frigido draconе, id eſt, nitro expellere, ſpiritum volatilem igneum, atque ſic duas has proprietates luculenter exprimit.

4. Albedinem nitri nemo unquam negavit, Depuratum enim ſplendeſcit inſtar Alabaſtri, & in figuras varias formatum, non minus nitidas ac puras exhibet, ac ſi ex albiſſima cera forent. De rubedine teſtabuntur omnes Chymici, ſpiritus enim ejus dum deſtillatur,

ad

ad modum flammæ penetrat, in suppositum vas recipiens, facitque inibi reflectionem, qualem Sol, quando vesperi ad occasum properat, rubicundissimo colore cœlum tingit.

5. Regis ac leonis nomine Philosophi denotant omne illud, quod in suo regno est præ cæteris excellentissimum ac fortissimum. Quo sensu in Chymicorum officinis circumfertur aqua minetalis, & propter præeminentiam ac fortitudinem insignem aqua Regis dicta, quod ad nutum suum omnia metalla regat ac domet, etiam metallorum Regem, i. e. Aurum, unde & aqua stigia & infernalis, propter igneam suam naturam appellatur. Sed longè aliud hoc nomine Philosophi occultârunt. Dicitur enim Aqua Regis, non propterea tantum quòd metallorum Regem, id est, aurum corrodat & dissolvat, sed quod sit revera Aqua Regia, i. e. omnium aquarum excellentissima, atque ex ipso auro Philosophico composita. Assertionem hanc probat Basilius Cl. 3. ubi ait: Aurum vulgare non destruitur, nisi Rex, i. e. Aurum, suæ aquæ solventi, aquæ Regis scilicet, fortem vim ac potentiam, suique proprii clavem addicarit: Quasi diceret: Aurum non posse solvi, nisi proprio dissolvente, hoc est, aureo, seu auro spirituali ac Philosophico, in quo consistit fortitudo, forsan & sanitas Regis, i. e. Auri, quam desiderat & requirit. Basilius, in sua aquâ dissolvente Regiâ. Hanc autem aquam componere docet ex duobus pugilibus seu materiis invicem contrariis, Sale nitro scilicet, & Sale armoniaco. Quia verò Sal armoniacum superius ab hoc opere omninò tanquam artificiale exclusimus, etiam propter suam debilitatem, necessariò sequitur, Sal nitri esse illud, quod aquæ Regis vulgari tribuit clavem proprii coloris Regii, fortemque vim ac potentiam, atque ideò sit fortitudo fortis seu leo, solvens aureum, aurum spirituale & Philosophicum, & ipse Rex, unde Regis, i. e. auri vulgaris dependet fortitudo, fortuna & sanitas, ut Basilius philosophatur.

6. Et si Philosophi suo subjecto infinita propemodum imposuerunt nomina, tamen Basilius non digniora & magis appropriata nomina invenire potuit, quibus nitri dignitatem, potentiam atque virtutem exprimeret, quàm *Draconis & Aquilæ*. Quemadmodum enim *aqua Regis vulgaris* componitur ex Dracone & Aquila, i. e. ex nitro & Sale armoniaco, tanquam Sale fixo & volatili, ita & *aqua Regis Philosophica* in se continere debet naturam fixi, i. e. Draconis in terræ speluncis habitantis & volatilis, i. e. Aquilæ, sed utramque Mercurialem, sitque revera *Mercurius duplicatus & Hermaphrodita*. Quod verò Draco sit substantiæ Mercurialis, patet ex *Basil. in Repetit. p. m.* 147. Utraque verò hæc substantia Mercurialis datur & demonstratur in nitro, quidni ergò ipsi jure imponendum est Nomen Draconis & Aquilæ. Idem dixisse digeroque demonstrasse videtur Basilius in Schemate, quod præfixit tractatui de magno Lapide p. 24. ubi mirabilitatem naturæ ob oculos ponens nitrum, associavit Mercurio, nullam certè aliam ob causam, quam ut doctrinæ filii naturam nitri Mercurialem serio inculcaret, imò quod Basilius per figuras docuit, id nitrum de se ipso loquens *l. c. p. m.* 105. expressis verbis fatetur, dum inquit: *Cum Mercurio in omnibus conmento: Rationibus si quis non est contentus ad experientiam & fornacem is accedat, ibidemque discat, quomodo ex crudo nitro, sine additione post separatum aquosi spiritûs particulam, ex cucurbitâ terrâ sublimetur Sal quoddam albissimum volatile, omnis corrosionis expers, & fusionis celerrimæ*; Quæ operatio etsi Philosophica, non sit, sufficiens tamen est ad id, quod hâc vice erat demonstrandum, nempe in nitro contineri substantiam, seu Sal volatile & Mercuriale seu armoniacum, quod dicitur Aquil. *De figendi potentia*, quæ est in nitro nemo mihi, ut spero, movebit litem, cum omnibus jam sit cognita, quoniam ejus beneficio antimonium, Mercurius, arsenicum &c. ita curantur, ut igni assuescant, & tandem maximam ignis procellam sustineant.

7. Quoniam sufficienter demonstratum, totum *Nitrum esse Mercurium*, non potest non in ejus analysi se iterum manifestare liquor suæ naturæ, nempe Draconis & Aquilæ, i. e. Mercurii, de cujus proprietatibus nullatenus dubitandum: Juxta *Basil. enim in repet. p. m.* 165. nulla absque nitro datur solutio metallica; in eodem quoque omnibus nota est fixatio. Deinde & contra pestem ab *eodem citato loco* morbum aliàs pernicioso pernicioissimum, commendatur, unde meritò concludere licet, *Nitrum esse verum subjectum catholicum, unde præparandus liquor & dissolvens universale Philosophicum & Mercurii spiritus.*

8. *Clav.* 3. *Basilius* agit de solutione Sulphuris Solis jam præparati, quæ in beneficio alicujus menstrui solventis, absque ulla violentia vel corrosione, quod se tacite consignasse in eadem *hac clave* fatetur. *Item in Repetit. p. m.* 150. in hâc Clave omnem totius picturæ ferè absolvit & occupat Draco quidam alatus, i. e. Nitrum volatile, cujus tamen in explicatione ne verbo fit mentio. Tacitè aliquid consignare nihil aliud est, quam depingere. Nitrum verò multis in locis ab ipso Autore dicitur Draco. Nitrum ergò est illud, quod totum facit in hoc artificio. Hanc explicationem Basilii menti esse conformem patet *ex tract. d. magn. Lap. sub finem p. m.* 122. ubi de prima materia Lapidis tractans, velut in speculo ostendit, Draconem alatum quidem, & repentem, i. e. duplicem substantiam, Mercurialem duobus circulis denotatam, quorum superior tingit partem volatilem, inferior verò pedes, seu partem fixam; ex quo peractâ duplici circulatione emergit Trigonus Philosophicus, omnis perfectionis character, i. e. tria principia insepabiliter iterum unita, ac Paracelsi Sal circulatum, in formam liquidam seu aqueam reducibilia. Trigonus namque inversus aquæ est nota Hieroglyphica, uti & serpentes teste *Pierio*. Serpentes tamen non omnem, sed tantum Mercurialem aquam denotant, quod solus Mercurius suo caduceo circumvolutos habeat. In his autem, quæ jam dicta sunt, mihi non solùm favet *Basilius*, sed & *Raimund. Lullius libro d. Intent. Alchymistar. c.* 4. ubi de aqua solvente agens, quàm ex ☉lo & ☽tro componere docet, in hæc erumpit verba; uti vitriolum, ita & nitrum formatum & creatum est per naturam, ex propria specie Mercurii, i. e. quatuor elementis mineralibus, ita ut est Mercurius. Et ex his spiritus separatus & extractus, & in corporibus metallorum colligatus & conjunctus, dicitur propriè Mercurius. Et ideò ex illis separemus spiritum, qui valde est tumidus, qui est de natura cœli & ignis, & spiritus quintæ essentiæ, quia omnia corpora dissolvit & corrumpit, & facit volare & ascendere in aërem, in materiam & substantiam fumi & aquæ, ob suam magnam vim & naturam, quam tenet à cœlo, unde creatus & genitus est, in natura & specie minerali, & ex forti Dracone calido, & toleranter compressus & illuminatus, per quem omne corpus metallicum & spiritus componuntur, dissolvuntur & digeruntur. *Hæc Lullius.* Quamvis verò eadem videatur affirmasse de ☉lo, quod etiam ingreditur suam aquam solventem, factum tamen est id, pro more Philosophorum ad seducendum incautos ac indignos. Non enim in ☉lo reperitur natura Draconis & omnium corporum solutio sed in solo nitro, ergò jure merito hoc encomium;

nitro unicè esse tribuendum firmiter teneas.

Ad laborem.

9. Ex materia prima educendus est spiritus, visibilis quidam, aut impalpabilis, qui iterum materialis factus & per media certa ab infimo ad summum gradum redactus, est radix nostrorum corporum & ☿ philosophorum, unde paratur liquorosâ aqua in nostra arte. *Basil. cl.* 5. & paulo aliter.

Materia prima in principio operis nostri optimè est putificanda, deinde absque ullâ additione seu admixtione solvenda, destruenda, in cinerem & pulverem redigenda, unde postmodum expellendus est spiritus volatilis albus, ut nix, & adhuc alius spiritus volatilis rubeus instar sanguinis, qui duo tertium in se continent, sunt tantum unicus spiritus, qui largitur vires & vitam. Si scivetis hunc separare, habebis Sal Philosophorum & oleum incombustibile verissimè, de quo ante me plura sunt scripta *Clar.* 4 5.8

Paucis hic quidem Basilius absolvit secretum, quod facit Philosophum cujus sensus est, ut prima materia seu nitrum ante omnia à superfluitatibus mundetur, & ex eo substantia eliciatur, in qua non est superfluum invenire, nec terrestrem combustibilem, hoc est, substantia unctuosa & aërea, seu Sal volatile, in quo latet spiritus quintæ essentiæ, ut habet Clangor Buccinæ, idque fiat juxta præscriptum Lullii in experimentis, ubi, omnium, qui unquam scripserunt, sub velamine Salis Tartari volatilis, plenissimè hunc laborem tradidit.

Postquàm enim terra cum aqua erit inspissata & coagulata sublimatione iterùm poterit ascendere, ut habeamus terram, aquam & aërem, sive tres istos spiritus de quibus Basilius, id est, ☉ ♃ & ☿, aviculam & cinerem Hermetis, terram foliatam & verum Sal circulatum Paracelsi, quod nuda resolutione, calore balnei solutum iterumque exaltatum, transeat in liquorem clarum, seu aquam nostram Philosophicam, quæ vocatur aqua sapientiæ, in qua requiescit spiritus quintæ essentiæ, qui facit totum, ex eo enim & de eo sunt omnia necessaria, Nam ipsa corpora solvit solutione verâ Philosophicâ, ut convertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt, ut dicit Socrates.

Alterum *volatile* spirituosè volitans per omnes mundi angulos, ut præstet alimentum eis rebus, quæ fotû, irrigatione & alimento indigent, verus *spiritus* ☿ii *Basilii* in aëre volitans. Hoc magnale ita constitutum ex spiritû luminis, virtute cœli, astrorum & reliquorum elementorum, an rectè vocetur spiritus mundi vel non, nil refert. Posset tamen hoc magnale aliqua ex parte comparari cum annulis Platonicis, catena Homerica Synesii, divino latice & divinis illicibus. De quibus plura invenies apud Corn. Agrippam in libro de occult. Philosoph. præprimis titulo de Elementis terræ. Est etiam ignis secretus Philosphorum, ut patet ex Artefio & Pontano.

Quomodo autem illud sit divisum aut distributum in tot varias species, & variis subsecutis fermentationibus & conjunctionibus, item mixtionibus species rerum exinde conserventur & producantur pauciissimis in sequentibus, quantum scopo meo inservit, attingam.

Spiritus hic luminis est NATURA, à multis quæsita, originali nomine paucis cognita. Natura est, dico, vera Dei amanuensis, quâ Deus in inferioribus & superioribus agit, quæ vult, & est verum motûs & quietis principium, *vera substantia* corporalis, aut quia invisibilis & impalpabilis, ideò dicitur spiritus. De quibus plura invenies apud Fabrum in Panchymico.

Debet autem natura omninò corpus esse, utpote quæ ad fabricanda corpora naturaliter destinata est. Ut autem hic spiritus corporaliter perspici aut cognosci possit, adjunxit ei Deus corpus, in quo, tanquam in clarissimo speculo pricipi & videri queat. Hoc *corpus est Sal centrale* rerum omnium, vel cujuslibet rei, & est incorruptibilis nec aqua nec ignis illud destruendi vim habent.

Propterea verò nihil impedit, etsi dicam, *corpus naturæ esse incorruptibile & per consequens ipsam naturam*, etsi individua & mixta corpora sint alterabilia, hoc enim fit propter concreta accidentia, quæ mutantur, illæso tamen Sale centrali; quod probat acervus graminum putrefactorum, ubi factâ totali alteratione & subsecuta combustione in fundo, cinerum manet Sal fixum & immutabile. Neque ignis id destruit; quò enim magis comburitur Sal, eò magis clarificatur, & spiritus ei inhærens elucescit: Neque aqua; nam si in ea dissolvatur & coaguletur, clarior fit, & subsidentes crystalli, sufficientissimè insiti in se luminis inexistentiam ob oculos ponunt.

Habet autem natura in se tria, quibus quidem distinguitur, sed absq; manifesta differentia. In ea enim est I. *humiditas* quædam, quam antiqui nomine ☿ii indigitant, sicuti declarat *Sendivogius Tract. 3. d. prima materia metallorum*. II. *Caliditas*, quam nomine Sulphuris insigniverunt, & III. Copula amborum, de qua antiqui parvam aut ferè nullam mentionem fecerunt, quæ est *Sal*, de quo *Paracelsus in Thesauro Tom. I. pag.* 934. omnia tamen in Sale quasi concentrata conspiciuntur. In his tribus consistit generationis, nutritionis & conservationis principium. Hoc Sal à *Nuysement in Tr. de Spiritû & Sale mundi pag.* 99. *& Fabro Panchym. pag.* 80. vocatur terra pura in centro terræ. Centrum autem terræ quæri potest in qualibet particula terræ.

Maximè autem hic notandum ut mille objectionibus obviam eatur, etsi naturam ita definiverimus propterea nos non excludere Principia activa spermatopoëtica, quæ neque calor & frigus sunt, aut contemperatio istarum qualitatum inter se pignantium, aut influentiæ Solis & Lunæ, & cæterorum siderum, solùm, nam aliàs quodlibet fieret ex quolibet, neque esset distinctio inter principium & principiatum, sed cum quodlibet

---

Dn. ANDREÆ CNŒFFELLII Responsum ad Positiones *de* SPIRITU MUNDI *quod in se continet* Reserationem Tumbæ Semiramidis.

I.

AD Positionem I. de MAGNALI, quoad definitionem, stet ea ad mentem Paracelsi. Helmontio magnale est *theca in aëre, creatura inter corpus & non corpus media*; plura qui vult adeat Helmontium ipsum Tract. Vacuum naturæ §. 21. & 28. Magn. Oport. §. 18. De Magn. Vula Cur §. 151. Exactior descriptio posset esse sequens: quod sit *tenuissima pars omnium elementorum*, & cœli seu lucis solaris; & reliquorum astrorum, quæ in terræ visceribus simul unita transit & mutatur in semen mundi, è quo prodeunt omnia, quæ naturaliter in ea fiunt.

Istud verò Magnale est duplex

Unum *Fixum* & permanens quod terræ ita est confermentatum, ut etiam ejus toti corpori inhæreat & partibus omnibus.

quodlibet compositum constet è spiritu, Sulphre Sale, aqua & terra, sive ex materia, formâ & fermento, nec formæ rerum in se specie differant, sed numero, (quam differentiam ex fermentis constare *Ratray lib. de sympath. & VVillis lib. d. Ferment.* sufficienter probarunt) itaque paucis pro majori tantum elucidatione, actionis fermentorum, notanda sunt sequentia.

1. Fermentationis origo in materia elementari est *humida & calida natura*, influentia astrorum & cœli imprægnata. *Materia Fermentationis est Sal* pro diversitate materiam dispositum & specificatum, *illud verò volatile & fixum* sicut apparet in tartaro, hâc de causâ notentur quatuor qualitates unius elementi, & quod unum mutari possit in aliud scilicet quod jam jam est specificatum in specie certâ; e. g. si spiritus terræ examinetur, ex eo obtinebis forti igne *Aquam*, sed nebulosam chaoticam: hâc separatâ *Aër*, sive subtilis spiritus; eô parum putrefacto, *ignis* prodit, sive Sal quoddam igneum, veram ignis in se continens naturam; reliqua *terra*, est cinerum terra sicut regulatum.

Procede cum aëre, præparato secundum ductum Sniricii in Thesauro Heroum & Burggravii in lampade vitæ & mortis, instrumento. Sic cum aqua pluviali omnia ad unum scopum rendunt. Hoc attento constat, quid voluerit *Basilius Valentius*, quando elementa sic dicta indivisibilia esse, unumquodque verò eorum alterius primam esse substantiam, asserere voluerit. Ubi obitet notandum, diversitatem eam substantiarum ex qualitatum alteratione exoriri. Quomodo verò chimicè intelligendum, quod quidam Philosophi quadraturam, trigonum & centrum, sive circulum in unitatis numero collocata esse affirmarunt, partim ex allatis, partim ex sequentibus patebit.

Unitatis numerus divisus in tria regna, triplicem compositionem exponit: ad eum autem compositionem requiruntur iterum tres gradus, *animalia*, *vegetabilia & mirabilia*, quodlibet horum singularem gradum obtinet.

Hæ tres differentiæ in duobus finiuntur, nempe in resolutione & coagulatione, quæ iterum in tribus gradibus consistunt, *aliter nempe solvuntur & coagulantur animalia*, *vegetabilia aliter*, *aliter mineralia*; generalis autem eorum *solutio* in sicco, & humido, *coagulatio* verò in frigido & calido: quomodo autem deveniant ad unitatis numerum, consuli possunt Willis de Ferment. Becherus de Metallurg. & in Oedip. & Faber in Panchym.

Notanter etiam dixi *Fermenti intrinsecam essentiam esse naturæ salinæ*, non tamen excludendo reliqua chimicorum principia, spiritum nempè, sive mercurium & Sulphur, nam in Sale continentur, sic neque aquam & terram, tanquam materialia principia, exclusas volo, sed propter excellentiam agentis hoc facio, siquidem benè scio, quod pro diverso horum in mixtis motû & proportione, rerum ortus & interitus, ac inprimis fermentationis rationes & varietates exoriantur.

II. Actio Fermentorum: agunt itaque res in se invicem, 1. *se mutuo adiuvant*; ut, si rosis allium applantetur, odor fit flagrantior.

2. *Se mutuo ligant & solvunt*: ut succus brassicæ vini potentiam inebriandi ligare dicitur.

3. *Se mutuo per ferménta destruunt*; uti in vite & brassica apparet.

4. *Se mutuò transmutant*; ubi notandum transmutationem omnem fieri tripliciter.

I. *Qualitates tantum mutantur* manentibus figura & forma externa, ut, si napellus & mezereon in vineto inplantantur, vinum suppressâ qualitate vini fit participeps, earum qualitatum, uvis primò communicatarum & venenatam inducit.

2. *Transmutatio fit mutando formam & figuram externam, remanentibus quibusdam qualitatibus secundum magis & minus*, ut quando anseres fiunt ex abietes, confer. *Conr. Gesneri Hist. Anim. l. 3. p. 107.* de Branta, & *p. 153. Olaum Magnum in Histor. Septentrional. p. m. 481. lib. 19. tit. de mirab. generatione anatum Scotiæ*, forma & figura abietis perit, remanente sapore & odore.

3. Transmutatio fit totalis; tam quoad formam & omnes qualitates tam quoad figuram externam, ut quando cibus & potus mutantur in stomacho.

Notandum autem est, quando dicitur, *formâs mutari*, non intelligendum formas in se mutari, ut una ab alia specie differat, sed diversificari actiones unius ejusdemque formæ ratione diversorum fermentorum supervenientium. Dantur enim diversa loca fermentorum in oriente, occidente, austro & septentrione, in terra, in aqua, in vegetalibus, animalibus & mineralibus.

Sic in particularibus locis dantur particularia fermenta; *Drepani in Sicilia fertur aër esse adeò corrosivus, ut ferrum corrodat*, Schott. id Techn. Curios l. 4. c. 1. præl. 1. §. 44. *Sassafras in Florida*; *Radix China in China &c. crescit*: sic in homine pediculi, & lendes, in vallibus lilium convallium, in tectis & tegulis sedum, inter segetes frumentorum cyanus inveniuntur, neque omnia loca dispósita ad formanda metalla *Ungaria* aurum, *Saxonia* argentum, *Silesia* auri & argenti grana, *Septentrionales regiones* ferrum & cuprum, prout fermentum loci est dispositum, producunt. De his omnibus pleniorum informationem subministrant incomparabiles Præceptores *Ratray in l. c. & Becherus in metallurgia.* Quibus omnibus præsuppositis, respondendum esse ad Positiones porrectas existimo, & quidem ad primam & secundam affirmativè: Conveniunt enim Basilius & Paracelsus in descriptione Magnalis. Ad tertiam distinctè ac cautè respondendum existimo: Negatur enim *Spiritum Mercurii Basilii simpliciter esse primam radicem metallorum*, sed si quando ordinariis & competentibus fermentis spiritus iste imprægnatus & succis minetalibus insitus reperiatur, tum demum acquirit nomen primæ rádicis metallorum, uti patet ex *Basilio Valentino de reb. supernat. & natural. c. 3. p. 40.* in verbis *Vapor subtilis à sideribus excitatus si conjungitur cum mercuriali substantia mineralium fit metallum, si autem spiritus Mercurii dispositus est ad animalia vel vegetabilia &c.* Ex quibus exacta & specifica fermentatio rerum eluceffit, & quod prius debeat spiritus Mercurii confermentari aut conformari in metallicam naturam, antequam dici possit materia metallica.

Admodum autem circa hanc positionem à recta declinant via plerumque horum seculorum Philosophi, primam metallorum materiam quærentes, cùm nescio quam non sibi persuadeant, non obstantibus tot genuinorum L. P. possessorum admonitionibus, qui unâ ore clamant eorum mentem, & si loquantur de prima metallorum materia, quæ tantùm vapor est, non esse, ut chimiæ operator sit sollicitus de acquisitione primæ materiæ, sed secundæ vel potius tertiæ ex prima ortæ & speciali modo ad metalla dispositæ. *Confer. Sendivog. Tract. 4. & 7. Comit. Trevisan. l. 2. Bas. Valent.* quando dicit: *in elementis ne quære lapidem, eo usque eum natura non reposuit.* Plura infra.

Modo dicta his exemplis illustro! Ad hominem procreandum requiritur omnimodè semen humanum. *Cibus & ex eo chylus sunt prima materia hominis*, verùm si aliquis vellet recipere chylum vel etiam chymum

vel ipſum ſanguinem, exſiccato tamen nunquam procreabit hominem quicquid artis naturalis operam ad id collocaret, ſed requiritur, ut in vaſis ſpermabilis ſanguis diſpoſitionem ſeminis recipiat, tunc ex ſemine rectè diſpoſito poteſt progenerari homo. Sic ex nitro, aut etiam terra ſimplici, aut etiam ſpiritû univerſali, nemo, cujuſcumque artificii magiſter ſit, *producet triticum vel avenam*, ſed requiritur ſpeciale à natura fermentatum & diſpoſitum ſemen, quod benè cultæ terræ in ſeminatum ſuos fructus edit.

Ita etiam procedit cum metallis; Et ſi quis habeat *mercurium & Sulphur antiquorum, primam nempe humiditatem & caliditatem*, qui concitarunt vapores operatione naturali, ex quibus aquæ minerales, & ex illarum vapore (qui eſt duplicis naturæ) prima magneſiæ fundamenta GUR, ex GUR Matheſii primordium mineralium minorum, mediorum & majorum nempe metallorum, producuntur, neque tunc poſſet metallum conſtruere, quoniam & hoc opus eſt opus ſolius naturæ, ut affabrè exhibet *Cœllius in Cabala Chymica*, & *Becherus in perdocta* ſua metallurgia; ratio eſt, nam artifex, *dicente Flamello & Chortolaſſeo* in libro Von groſſe und kleine Bon r neſciret modum naturæ, num marcaſitam, num Talcum, aut aliud metalli vel minetalis genus exinde efformati velit, an vero ita materia eſſet diſpoſita, ut omninò metallum vel non minerale aliquod aliud exinde fiat; ad quod autem pertinet, ut ignis montanus vulgo Von Schmeltzer und Eſtimmer materiam diſponant ad id, quod natura requirit. Huc pertinet monitum generale Philoſophorum omnium, quando ſatis vehementer monent *ne ſemen in elementis neque in vegetabilibus*, neque in animalibus, ſed in metallis quærant.

Non in vegetabilibus; nam quicquid ſeminaveris ſeminis, tale germen metieris, ex homine non fiet triticum, ſic nec ex vegetabili, qua tale, metallum.

Non in mineralib.; nam mineralia nondum ſunt metalla, neque ſcies, inquit Flamellus, *quantum natura mineralibus ſuccis opus habet ad formandum metallum*; neque, etſi eris ſupremus artifex, ita evades prudens, ut edoceaſ recipere ſufficientes liquores mineralium & ex iiſdem facere ſemen metallicum. Itaque metalla tanquam ad opus à natura perfectum quærentes ablegant; *nam ſemen in metallis, non in particulari loco inquirendum eſt, ſed per totum ſubſtantiam metalli eſt diſſeminatum*, ex quo poterit naturaliter produci catholicus rex ſive aurum, & non ex alio; *ſi itaque ad aurum inclinus, ſemine*, inquit Augurellus, *Auri opus eſt*, vel tali corpore potentiali auri, quod mercurium & ☿ metallicum jam jam incluſum in ſe continet. Nec obſtat quod ab aliquibus menſtruum hoc vocetur vegetabilis aqua: *non enim propterea dicitur vegetabilis, quod ex regno vegetabili ſit*, ſed quod habeat vim vegetandi, quæque aurum vegetare facit.

Tale autem ſemen metallicum requirit matricem convenientem, in quæ germinare poſſit.

In Animalibus eſt matrix animalis: in *vegetabilibus*, ad ſemen promovendum terra. Tu ad procreationem hominis nihil magis confers, quàm ut ſemen in matricem conjicias, reliquum relinquis naturæ humeris bajuland um.

Sic agis cum vegetabilibus. Semen projicis in terram, terreus liquor ſale volatili impregnatus, ſolvit corpus ſeminis; natura autem in ſemine incluſa operatur & mediante terræ ſucco & pluvia, quæ ſibi naturali inexiſtente ſimpre fermentatione in ſuccum & ſanguinem convertens, ſuum ſibi ſimile producit.

Sic matrix metallica eſt mercurius Philoſophicus, in metallis quidem adhuc liber, in forma ſalis volatilis (*Vid. lucerna ſalis Philos. Fil. Sendivog.*) progrediens, in quem inſeminatur aurum commune vel naturale. De cætero nihil debes adderej, ſed videbis eundem in aurum agere, illud reſolvere, & ſemen ejus nullo alio, niſi blando ignis calore opitulante frugiferum reddere Ad inveniendam verò talem matricem. *Baſil. Valent. l. d. Pratern. & Natural c. 3. p. m.* 41. exhibet medium; quanquam ſecretiores adhuc proximius ſciunt. Flamellus ex omnibus metallis hoc poſſe obtinere, ſe autem illud ex auro elaboraſſe teſtatur *Plura vide in Roſario Philoſoph. Tom. 2. artis aurif. p. m.* 181. 182. 185. tota ibi legitur operatio.

Autor Tumbæ Semiramidis octavum ponit, & dicit, eſt adhuc unum in regno metallico mirabilis originis, in quo aurum noſtrum proximius eſt, quàm in communi auro & argente, ſi illud in hora nativitatis ſuæ (ſive ſphæræ) naturali quæras c. 2. p. 5. Explicat hoc *Becherus in metallurg. p. m.* 09, 10 & *Coroph. p.* 11. & *Paracelſus l. Vexat. regula 5 p.* 928. *L. B. & Libro de vita longa latinè conſcripto p.* 850. *c. 6. L. B.* integer proceſſus apud *Batsdorf.*

4. Ex his præmiſſis ſponte ſua cadit propoſitio quarta, Nam omnes citati iſti Philoſophi potuerunt obtinuiſſe ex pluvia, rore ſpiritu terræ, medicinam univerſalem, ſed non ſequitur, eos ex iiſdem confeciſſe L. P. nam ad corpus humanum ea nominata medicamenta, ut à fermento ſtomachico facilè poſſint commutari, ſunt diſpoſita ſed commutare metalla, in eorum potentia non eſſe ſitum, ſuperius demonſtravi. Plenius hoc deducit *Batsdorf. in filo Ariadn. p.* 2. *p.* 143. & 160. iſti Domini non obſervaverunt, quod dicit *Ber h. p* 2 *p m.* 136. quod nulla res quæ ex non metallis compoſita ſ. ortu, potens eſt, ipſa perficere ſeu eorum tranſmutationem facere novam & *p.* 89. rationem ſubjungit: quicunque enim ignorat radices minerarum & ſimplices & compoſitas ignorat principia naturæ, ergo & artis, & *p.* 94. & 99. Quia dam no meo experimentum feceram, materiam Lapidis in metallis quærendam eſſe: quæ de ſeipſo loquitur Bernhardus majoris momenti informationem invenies P. 2. ejuſdem libri *p. m.* 94. in verbis. Darumb folget aus dem menn nun die Natur; & *p.* 130. verba Magiſtri Johannis de Mænu probe obſervanda. Nullum enim, quod metalla non ingreditur, eiſque commiſcetur, & quod cum eis in igne & fluxu non permanet, illud non poteſt ea alterare vel corrigere ei eſſe eorum naturæ. Obſtat enim Geber, qui dicit; nihil vidimus in igne perſiſtens, *niſi viſcoſam humiditatem metallorum* (N. B. quæ a natura uſque ad formam metallicam eſt reducta) v. g. viſcoſa humiditas auri manet cum aura in fluxu & ei commiſcetur; è contra requirit nitrum, pluvia, ros, varios gradus antequàm ad metallicam naturam & auri formam transformentur vel fermententur.

Etſi verò objiciatur, aurum mediante ſale roris majalis inſtar glaciei eſſe ſolutum [quod tamen non conceditur] quæritur tamen 1. an ſolvens & ſolutum ita manſerint unita, ut in ævum nulla ſeparatio fieri potuerit, quam tamen requirit L. P.

2. *Solvens & ſolutum debent eſſe homogeneæ naturæ.* Qualis ſit hic homogeneitas, indicent, qui ſciunt, tria diviſa regna. Ipſe Nuyſement tra . de ſpir. & ſale mundi medici am univerſalem ſe acquiſivi e ex terræ ſpiritu gloriatur, ſed id projectionem perti gere non potuiſſe, ſatis apertè affirmat, ut taceam quid mihi obtigerit.

3 Porrò ſi quæratur, quæ ſit forma L. P. reſpondetur eſſe formam auri exaltatam magiſque perfectam. Poſſe autem nitrum vel pluviam aut rorem aurum eouſ-

que

que in perfectiouem redigere cum nulla nota ſulphuris aut mercurii metallici eis inſit, valdè dubito, quid, quod nitrum & ſpiritus terræ coagulatus in fluxu etiam auro ſuperuatet, non verò commiſceatur, quod norunt illi, qui viderunt, ſed de his poſtea.

4. His præſuppoſitis nego poſitionem quattam, nempe baſin totius operis conſiſtere in cognitione ſubjecti viſibilis & corporalis. Nam allegati autores quidem de univerſali corpore ſpiritus mundi vel naturæ, quod putant eſſe ſal aëreum, locuti ſunt, propterea verò ejus cognitio fundamentum artis nunquam fuit; quin potius à via regia in bivium collocati ſunt, non attendentes rerum variam digeſtionem vel fermenta, unde univerſaliter progrediendo, amiſerunt particulare, quod eſt SPIRITUS MUNDI IN METALLICAM FORMAM TRANSMUTATIO.

Matrix verò mineralis S. ſal metallorum, vel vapor potentialis metalli Riphæi, ſunt baſis & fundamentum. Baſi Valentini verò materia viſibilis igniculo ætheris impægnata videri poteſt *L. 1. d. generat. metallor. c. 1. de liquore æthereo c. 2. de ſemine in elucidatione clavium part. 3. p. m. 179. item Lit. DD. in concluſionibus.*

Sed quid juvat noſſe ſubjectum viſibile, cum præparatio ita ſit difficilis, ut nulli, niſi ex parte Dei, reveletur, teſte Avicenna. Bernhardus comes allegat ſe noviſſe, qui materiam benè cognitam habuerunt, nec tamen propter defectum præparationis potuiſſe ad Elixir pervenire, citante Batsdorfio.

Nimis multum prædicti Autores confidunt nitro, cum tamen expreſſe Paracelſi & aliorum textus eos refutent. *In tinct. Phyſ.* nominat leonem rubeum, *p. 522.* in *Theſaura Theſaur.* minerale invenitur in viſceribus terræ, in externa facie cum figura mundi inſignitum, in prima coagulatione rubeum. *In ſecreto magico T. 2. p. 619.* vocat ſpiritum mercurii, ſolis, *in tract. lumen naturæ p. 683. ſpecialitatem* diſpoſitionis mercurialis deſcribendo: Mercurium ſolis, pro fundamento transmutationis ponit. *p.* 984. totum proceſſum candidè deſcribit & materiam mineras ſolis & lunæ ſpecificat. *Baptiſta Groſchedel* aliam facilè parabilem materiam deſcribit, quæ in ejus tractatû videnda & legenda. Sed nunquam *Paracelſus* nitro illa tribuit, quanquam in *Apocalypſi Hermeticis p. 668.* ſpiritum mundi generaliter nominet fundamentum artis, attamen *p. 669.* quinque ſpecificationes ejus diſtinctè deſcribit, prout L. c. pluribus patet, quomodo verò ſpiritus hic mercurii ex minera obtineri poſſit, reticet Paracelſus; Groſſchedel verò explicat, & roſarium Philoſoph.

Ad quintam Poſitionem reſpondetur affirmando: ſi modo magnes intelligatur, ſicut explicatur *Baſilio lit. D.D. L. C.* in verbis; ſal metallorum eſt corpus imperfectum, quod fit Mercurius Philoſophorum, ſive aqua permanens, vel benedicta, Philoſophum Magnes. Is autem eſt Mercurius aurificatus, in naturam vel formam auri à natura efformatus Nolo tamen alium niſi omnium metallorum unicum Mercurium intelligere.

Diſcat hic quilibet fugere Mercurium vulgi ex monitû *Baſilii c. 2. d, Metallor. generat. & Paracels. d. ſecr. Magic. p. 684. Tom. 2. in fol. L. C.* quoniam, cum is ſit corpus perfectum per ſe certo reſpectû, non poteſt eſſe ſemen, quia ad ſemen metallicum acquirendum, opus eſt electro minerali immaturo, ſcilicet tali metallo, quod natura quidem in formam metallicam efformavit, ſed adhuc imperfectam vel non exactè excoctam reliquit.

Ad allegatam rationem in verbis: *cùm corpora non agant in corpora*, reſpondeo hic loci in L. P. operatione non requiri corpora, agere in corpora, cum tantum fiat correctio ſulphurum in metallis.

Sal qua tale, etiam corpus eſt, ſed non quolibet ſal habet prædictas virtutes, nempe ſolvere, coagulare, & fixere metalla. v. g. ſal commune, vitrioli, ſalia fixa plantarum partim ſunt præcipitantia, partim adſtringentia &c.

Neque Mercurius Philoſoph. propriè eſt ſal minerale, ſed propter ea dicitur ſal, quod à formâ ſeparatâ non rarò in ſua accidentali forma glaciei aut ſalis inſtar coagulatus appareat. Hoc ſal vocatur ſapo ſapientum, quoniam dealbat Latonem; neque ſal circulatum Paracelſi eſt ſolvens illud univerſale, quoniam prædictus Autor nullibi ei hanc Spartam obtulit, ſed pro extrahendis tincturis deſtinavit.

6. Ad ſextum notandum, maximè intereſſe, ut Baſilius cum judicio & obſervantia legatur.

1. *Quatenus deſcribit ſpiritum univerſalem ſive ſpiritum Mundi Avicennæ, ſub nomine ſpiritus mercurii*, qua talem & abſolutum, abſque participante materia aliqua è regno aliquo, vel animali, vel vegetabili, vel minerali, qualem quidem moderni ſeculi Philoſophi in rore, pluvia & centro terræ, ſive putiori terra reſidere exiſtimant. *Vid. Nuyſement de ſpir. & ſale Mundi Tract. 2. c. 2. p. m. 65. Drabbelium de Element. Natura cap. de Terra. Baſil. Tract. d. L. P. p. m. 16. & 17.* in verbis: QUI VULT OMNIA IN OMNIBUS &c. *item Clav. 5. p. m. 33. item l. 2. d. Generat. Metall. c. 13. de eſſentia Auri*; *in verbis*: EGO ☉. SAPIENTIÆ ESSENTIALIS.

2. *Quatenus ſpiritus mercurii ſive univerſalis ex digeſtionibus obtentam compoſitionem explicat*, & vitriolum commendat in verbis: *Viſita interiora Terræ Rectificando Invenies occultum Lapidem Veram Medicinam. Item in Elucidat. clav. parte 3. p. 189. 200. 204. 205. 207. 208.*

3. *In quantum docuit magnum Opus Philoſophicum ex Auro communi præparato conficere*, ad quod pro Mercurio commodius ſuſcipiendo aquam Regiam ex ſale armon. & nitro conficere docet. *p. 3. Elucid. Clar. p. 166.*

4. *Quando univerſale opus ex minera ſolari, ſive ex electro præparari docuit*, ubi iterum notandum num. 3. ubi aurum commune præparat pro compoſitione fiendæ tincturæ, mentionem eum facere Aquilæ & Draconis.

Hic ne ſaltus fiat in proceſſu attendendum magnam eſſe differentiam inter *Aquilam & Draconem Baſilii*, quæ ſunt ſal armon. & nitrum, teſtante ipſomet *l. 3. in Elucid. Clar. p. m. 171. & Paracelſi* reliquorumque Philoſophorum, nam ſal armoniac. & nitrum ſunt tantum diſpoſitiva ad ſubtiliſandum autum vulgare pro extractione tincturæ, uti ſuperius innui, ſive ad præparationem ſeminis in utero metallico perfectionandi.

Sed *Paracelſi aquila* eſt viſcoſa humiditas metallica, ſpiritus Mercurii verus ſive aureus, volatilis, radix auri & ejus uterus, auri fermentum, ex qua & cum qua fit nova generatio filii regis, prout *L. C. d. Tinct. Phyſicor.* ſcribit. *Recipite gluten aquilæ* & ſanguinem leonis & conjungite.

Reliqua puncta 1. 2. 3. 4. 5. 6. ſi de ſubſtrata materia loquuntur, ſunt vera.

Stet Poſitio ſeptima in verbis, reſolubilis in liquorem ſuæ naturæ, hoc eſt, metallicæ.

Negatur Baſilium aliter ſcripſiſſe, quam quod aurum debeat putrefieri cum ſuo compari vid. clav. 8. p. m. 49. in verbis: *ita intellige de metallis* &c.

Ad objectionem ergo ut reſpondeam, dico omninò dividenda, quæ debent dividi. Magnes enim Philoſophicus qua talis, non eſt album & rubeum, non draco & aquila; Rex verò & leo ſunt ſynonyma, in

eo etiam omnium morborum curatio, subintellige ante coniunctionem & fixationem, non est quærenda.

Subsumtio iterum dividenda, sicut prima positio, & quidem quod attinet locum Balsi: Et si per Veneris statuam non intelligatur vitriolum, *Sed Veneris lucida, non tamen ea est nitrum*, sed linea viridis Cabalistarum cuncta gyrans, vel benedicta illa viriditas, omnes res germinare faciens: Vis vegetabilis mercurii sive spiritus mundi, quæ encomia nitro nunquam poterunt adscribi, prout inferius patebit, sed paulò exactiùs rationes allatas pensitabimus.

1. *Est res vilis*: sed terra longè vilior, ex qua verum sal terræ paratur. Quid autem sit res vilis, explicat *Clangor Buccin.* in verbis: L. P. ex re vili consurgit preciosissimus: id est, ex spermate auri in matricem mercurii projecto percoctum.

2. *Est magnes sive chalybs Sendivogii*: Magnes sive chalybs Sendivogii aureus idem est ac aqua mercurialis metallica duplicata, internum suum sulphur in se inclusum gerens solare, vocatur magnes, ratione formæ, quòd solare sulphur ad se trahat, illud aggluttinet, & se ei adjungat & æque ea est, quæ Fontina Bernhardi, probatur ex Sendivogii ænigmate asserentis (1) ei duas fodinas unam auri, alteram chalybis, exhibitas esse *p. m.* 59. (2) quando dicit omnes aquas corrosivas esse inutiles, præter eas, quæ ex tadiis solis (sc. philosophici) quod est aurum, præparentur. Nitrum autem non est tale, itaque non est magnes sive chalybs Sendivogii.

I. Hoc quidem nitro non negatur, quod ex aëre sibi simile attrahit, quando nimirum intra poros sui corporis, humiditatem aëris admittit, & deindè in ea dissolvitur, sed quam communionem eam ob causam habent metalla cum nitro?

II. Notandum *mercurium aeris & metallorum* differre specie.

III. Negatur nitrum, esse magnetem, quia multis nitri naturam ignorant, & eos latet, *quid sit sal terræ & nitrum.*

Nitrum quidem commendatur à Paracelso, quòd sit utile ad alchimiam, sed secreta, quæ in eo jacent nondum ad bonum finem esse perducta. *Lib. 2. chirurg. magn. tract. 2. c 6. p. m.* 85. *Paracelsus* nitrum speciosissimis verbis, excrementum salis terræ demonstrat. Repetit hoc *Tom. 1. oper. par. d. morb. terrar. cap. 21. p. m.* 314. *lit. c. & seqq.* Itaque sal terræ & nitrum differunt: (1.) sal terræ est balsamus terræ, à quo omnia vegetabilia conservantur p. 1035. Nitrum autem est excrementum. (2) sal terræ fundit spiritum album urinosum, qui digestus albicantissimum salem, sidum super lamina, figuras arborum in alembico repræsentantem, exhibet, Nitrum verò spiritum rubeum corrosivum, qui color fit *ex commixtione salis communis.* Nitrum fixum fluit in igne & urinosum est, metalla tamen parum opis ex eo sentiunt. (3) *Nitro summa caliditas non inest*, sed corrosio quæ talem facit motum; neque spiritus infernalis, nam ad ignis arcanum Helmontii appositivè quidem concurrit, sed non est ipsum arcanum. *Neque in eo est summa frigiditas*, nam quam frigiditatem communicat, hanc habet ex sale communi, quod in ejus recessu sive centro est, uti hoc ex Paracelso de sale mirabili probat Glauberus.

IV. *Album & rubeum esse iterum malè componitur.* Non loquuntur Philosophi de solo externo colore, sed de intrinseca essentia. Sal vitrioli est album, si calcinatur fit rubeum; ergo esset nitrum, quod tamen non sequitur.

V. *Regem & Leonem.* Nitrum nemo præter *Glauberum* (quod tamen ipse correxit *l. ignis & Proserp.* 1. quantum ego scio, nominavit, nam omnes seniores Philosophi Regem dicunt esse aurum; sed nimium iniquius esset Regis filius. Non unitur cum eo indivisibiliter, sed comburitur in igne potentiore (suo tamen sensû hæc intelligenda) aut cum aliis levioribus metallis & mineralibus junctum fit amausum vitrum, aut aliqua alia calx. Aqua stygia non est *menstruum naturale*, *quod est aqua blande solvens* sed opponitur naturali solutioni. Itaque non est magnes, sed destructor. *Aqua Regis non potest vocari*, nam quod Regem, hoc est, solem corrodat & diminuat hoc habet ex commixtione & gratia salis urinosi vel armoniaci. Nullus autem Philosophorum hanc auri corrosionem, solutionem naturalem vocavit; *neque dici potest aurum Philosophicum, seu materia ex auro Philosophorum*, quoniam non ex minera solari, ex qua verum menstruum elicitur, sed ex terræ classis mineali eruitur. *Basil. Clar, 3.* malè allegatur. Nitrum quidem aurum non destruere, sed tamen corrodere, quicquid autem agat, naturaliter resolvere non potest.

VI. *Draconis & aquilæ nomen* simul, soli nitro, Basilius nunquam nitro apposuit, quod tamen fecit *Glauberus*, qui nunquam possessor veræ artis fuit lib. 2. Sed norunt illi, qui hujus Gryphi vires probarunt, quales fuerunt, de quibus tamen supra egimus.

Mercurium duplicatum ex eo quærere, est miseriam ex speluncis extrahere. Non negatur, ad medicos usus multum conducere, quibus ego tot experimentis confirmatus, laudes reticere nolo, de quibus infra paucis agam, sed miser hermaphroditus posset quidem habere Demogorgonem patrem initialem, sed in consanguinitatem Regis suscipi nimis rusticæ est naturæ.

Nitrum de se loquens, se quidem *apud Basilium* comparat mercurio, ratione qualitatum, non verò essentiæ. Interim se accidentaliter ad metallorum destructionem concurrere gestit. Quid de se dicat nitrum, legantur verba *Basil. in repetit. L. P. m.* 93. Fundamentaliter nihil possum perficere, nisi mihi læta mulier (quæ est Venus) conjungatur, hoc autem desse non dicit Mercurius Philosophicus, qui etiam per se potest fieri metallum sive aurum plus quàm perfectum, uti dixerit *Raym. Lullius.*

Figendi potentiam soli nitro potest nemo adscribere. Abusive quidem dicitur mercurium figere suo spiritu acido, non vera autem est fixatio. Nam cùm sal nitri se poris mercurii communis insinuaverit, in iisdem cum mercurio conjunctum permanet donec fortiori igne totus mercurius elevatus evanescat, remanente sale fixo, quod in aqua dissolutum verum sal culinare exhibet; spiritum autem volatilem in sale fixo figi posse, plures experimentum, pauci finem fecerunt.

VII. Nullam absque nitro dari solutionem gravis est saltus. Nam sal metallorum non est sal commune vel nitrum commune, sed specificatum in specie metallicæ, & tamen solvit Aurum sine corrosione & strepitu, unit se cum eo, & unum corpus glorificatum, constituit. Quod cum nitro non procedere, quis non videt; nunquam enim nisi violenter nitrum aurum corrodere potest, in fluxu autem supernatat.

VIII. *Malè iterum explicatur locus Basilii*; Draco enim alatus & repens significat mercurii substantiam in peripheria volatilem, ex corpore fixato à natura, arte extractum quæ facilè, figendam in centro gerens naturam imagine duorum serpentum insignitur. *Trigonus Philosophus est ☉ volatile metallicum*, quod si cum sulphure auri conjunctum est, Duplicatum Trevisani Mercurium constituit, ex quo deinceps terrium nascitur perfectum, nempe monas Hermetis, verus Trigonus Philosophicus. uti asserit *Basil. in conclus. I. L. L. de Sulph. Mercurii c. 5.* in verbis;

in verbis; Sed Mercurius Philosophorum & non vulgi, si in aquam est redactus, & sal Philosophicum cum pallio purpureo per putrefactionem & destillationem solvit tunc est Mercurius duplicatus.

Hic autem notandum, per AQUAM MERCURIALEM non intelligi aquam simplicem, vel elementarem, vel pluviæ, aut dissoluti nitri, sed talem quæ corpori metallico convenit, quæ est Mercurialis, non madefaciens manus, in peripheria volatilis, in centro fixæ naturæ, quæ etiam per se posset figi in naturam metallicam & cum metallis in igne & fluxu naturaliter & verè se commiscere.

Tandem iterum negatur verba Lullii de ☉ esse intelligenda, Nam loquitur de ☉ astrali & minerali, quod homogeneas vires & proprietates cum metallis radicaliter se commiscendi possidet, quâ ratione etiam sal metallorum centrale vocatur, à Basilio in Concl. 5.2. L. B B. Malè præterea explicatur sententia Lullii, nam aqua præparans aurum eadem est, quæ Basilii, sed (N B) non est ad solutionem composita, sed ad præparationem calcis solis, quâ tamen opus non esse, demonstrat *Batsdorfius in filo Ariadnes & Trevisanus in parabola de libello aureo & Fontina.*

IX. De materia prima supra fusius locutus sum, hic paucis repetam, materiam primam à quibusdam vocati *informem, Basil. clav.* 5. scilicet talem, quæ à forma separatâ aliquomodo retrocedit, non tamen totaliter eâ privatur: à quibusdam *uniformem*, scilicet accidentalem; tandem etiam ab aliis *omnis formem*, quod successivè capax sit omnium formarum, si modo cum distinctione intelligantur, nemini relinquetur dubium.

Materiam autem primam arte patari posse, non est impossibile, si modò intelligatur non prima Aristotelica, sed Chymicorum, quæ est tertia vel quarta; *Vide Sendivogium c.* 4. *d. prim. mat.* non quæritur prima materia, sed secunda, & quidem talis, quæ, quando nata est, in aliam mutari non potest, ubi tamen obiter apponendum duco ex informatione Excellentissimi Beccheri, materiam Chymicorum esse triplicem, sed cum distinctione.

Una enim est generalis, quæ omnibus inest corporibus; *altera specifica*, eaque *vel cum forma*, & sic quodlibet corpus, suam specialem materiam & formam habet, inde tot materias esse, quot corpora, constat: *vel sine forma* sive causæ formantis vinculo. Et tunc triplex est: animalis, ut menstruum; vegetabilis, ut aqua pluvialis vel ros; mineralis, ut aqua mercurialis. Sicuti etiam semina sive formæ formantes æquè in tales classes dividi possunt, verum cum hac cautione quod tot inde nitis modis, quot corpora in quolibet regno sunt, differunt. Et subest ratio; cum enim quædam corpora *unione* tantum, ut animalia; quædam *coagulatione*, ut vegetabilia; quædam *fixatione*, ut metalla constent, opus etiam est, tres tales dari materias, quæ unicuique appropriari possunt. Nam aqua pluvialis non convenit metallis, sicuti nec aqua metallica animalibus &c. nos itaque quando loquimur de materia, *hic tantum intelligimus metallicam*: hæcque est vel fixa vel volatilis; ita tamen inter se conveniunt, ut non fixa figi, fixa autem volatilisari queat; hæcque iterum dividitur, alia est remota, alia media, alia propinqua, alia propinquissima.

1. Remota, vapor est, in lapidosis terræ locis inclusus.

2. Media, sive *materia secunda* est mutatus vapor in viscosum novum vaporem, ex quo potest fieri alumen, sal petræ, cinabaris, sulphur & vitriolum, de his notetur hic Rupecissa in verbis: Vitriolum est medium & proprium semen generandi metalla, tanquam eorum omnium principium remotissimum; in eo differt à quarta, quòd nullam coagulationem obtinere possit, & quòd secundùm qualitatem sulphuris & salis alteretur.

3. *Propinqua*, viscosa essentia mercurialis, sive Gur & ex eo deinde.

Propinquissima, ut plumbum rubeum, Saturnus Philosophorum, auri vel argenti electrum immaturum. Quæ quatuor dictæ materiæ tamen unicum spiritum mercurii conferunt.

Hæc ultima est vera chymicorum materia, ex quâ subjectum catholicum in forma volatili extrahendum quoniam ea non est penitus fixata. Nemo etiam in mineris omnem penitus materiam à metallicis formis actu esse fixatam & coagulatam probabit, obstat enim augmentatio & generatio metallorum cum itaque talis detur materia, quæ in aliquibus metallis plus, in aliis minus, formæ est confermentatæ, sequitur etiam ex iisdem corporibus, ubi minus est fixata, facili negotio erui posse *Et quidem ex auro*; quod habet formam omnimodè fixatam, per putrefactionem, ex reliquis autem; ubi tantum primis gradibus; forma quasi est impressa vel ut Philosophi loquuntur; *granum fixi est inoculatum*; & natura quasi primum fundamentum posuit; frequenti sublimatione & purgatione obtinetur. Notentur verba Basilii in repet. Lass. Hoc locò valete dico quære materiam in substantia metallica *p. m.* 72. *& p.* 6. *D. L. P.* hoc in veritate omnis veritatis dico, si metallica anima, metallicus spiritus & forma metallica, corporis adsit, sequi debere, metallicum mercurium sulphur & sal.

Idem p. 166. *part.* 3. *Elucid. Clav.* Ex sale & sulphure auri purificati præparatur Lapis, beneficio spiritus mercurii, qui ex minerâ, ignem nondum expertâ aut fusâ expelli debet. *Filius Sendivogii c.* 2. *de sale, pag.* 3. omnem tuam intentionem dirige ad essentiam metallicam, qua natura quidem ad talem formam disposuit, sed imperfectam reliquit.

Sendivogius cap. 1. Si metallicam naturam vis exaltare recipe metallicam naturam. *Idem Tract.* 9. propterea datur unum metallum, quod vim habet reliqua consumendi, quoniam est quasi eorum aqua & mater *c.* 11. *de praxi Lapid.* Ea aqua debet esse menstruum mundi, ex sphæra (N B) Lunæ, quæ debet esse rectificata, eousque ut solem calcinet Unde etiam ipsi Helmontio placuit dicere, Philosophos calcinare corpora aqua, seu igne humido, cum vulgus ea igne communi calcinet, comburat & destruat: Suffultus autoritate *Auroræ consurgentis c.* 13. in verbis: ignis noster est aqua.

Hic inquirendum, an nitrum fixum dissolutum habeat eandem vim, *ut humidum apud calidum*, quæ est calcinatio Philosophica, conservetur; sive quod sulphur in centrum redactum, rursus in peripheriam educatur, ut capax fiat humiditatem figere, ex qua nova oriatur generatio. *Calidum autem hoc nihil aliud est, quàm ignis Philosophicus*, de quo Artephius; qui est ignis corporum sive sulphur naturæ, quod humectat & nutrit suum corpus naturale.

Paucula subjiciam de aëre Philosophico; quando *Sendivogius* de aëre & ejus rarefacto spiritû loquitur, *Item Basilius* &c. Notandum duco, aërem communem esse subjectum aëris Philosophici, & quando Philosophi loquuntur de aëre suo, esse hoc intelligendum de aqua corporum rarefacta, uti *Beccherus* docet in Oedipo.

Tandem concludendo oppono decantatissimo nitro,

1. *Monitum Bernhardi*: Amen dico tibi, quòd nulla aqua naturali reductione speciem metallicam dissolvit, nisi illa, quæ permanet eis in materia & forma, &

quæ

quam metalla ipsa soluti possint recongelare. An nitrum habeat formam metallicam, valdè dubito.

9. *Ki hirdi*: Si corpus non resolveris in mercurium cum nostro mercurio, occultam virtutem ex eo habere non potes, scilicet sulphur digestum & decoctum *per opus naturæ in minera*. An in nitro sit sulphur decoctum minerale non audeo affirmare.

2. *Riphæi*; hic Lapis, audeo tibi dicere est vapor potentialis metalli, id est, in se gerens metallum, & extrahitur *ex subtili nostro rubro flumbo*. Nitrum nunquam fiet metallum, itaque non poterit de se vaporem potentialem metalli emittere.

4. *Clangoris buccinæ*; *Tom. 2. Art. aurif. p. m* 305. Si quæris medicinam metalla generantem, de metallis erit ejus origo, cum species à suo genere tingatur, etiam in habentibus symbolum facilis est transitus.

5. *Scala Philosophorum*; mineralia mineralibus, vegetabilia vegetabilibus conveniunt, ut nulla contrarietas sit, imo maxima convenientia: quoniam spiritus iste est minetæ aureus, nec ab auro differt, nisi in hoc quod ipsum est fixum, spiritus verò non fixus.

Fateor quidem, me parum esse injurium in excellentissimum alias minerale, nitrum, quod inter alia non minoris conditionis medicamenta facilè primum sibi locum vendicat, sicut est *verè aurea ejus Tinctura*. Oleum, quod à quibusdam Practicis magnes vocatur, & in Lithiasi diureticum bonum audit, præprimis si cum salibus fundatur; herbis etiam & earum radicibus cum ☿ri ☉le appropriativum esse, magni nominis medici statuerunt, sed auri tincturam realem extrahendi facultatem habere, ego non possum satis concipere. Hoc quidem possibile, quod oleum nitri, salia calcibus solis & lunæ adhærentia possit imbibere, & deinde cum iisdem circulatum prævia digestione in rubeum colorem mutari. sicuti etiam nitrum fixatum cuilibet spiritui vini facile obsecundat, & se cum eo colorat, an verò auro colorem naturalem eximat, ita ut cum antimonio reduci nequeat, nunquam mihi adhuc videre licuit. Hoc enim pacto, aurum fiet anonymum metallum, quod tamen pugnat cum veris Philosophis, Sic enim monet Alexander von Suchten in sua vera medicina impressa Argentor. An, 1608 *p. m.* 42. & c. 43. Spiritus auri vulgaris est sicuti compositi & sibi soli sufficiens propter quod etsi cum aliquo alio metallorum permisceatur, non plus potest illa digerere vel plus de sua digestione illis impertire, quam in seipso habet: est enim forma extensa non intensa, non exuberans ideò ultra suam mensuram imperfectum corpus in perfectum mutare non potest. Cum enim omnis res composita sit ex materia & forma, & aurum vulgare tantum habeat de forma (spiritum opinor) quantum de materia, ergo tantum etiam de virtute, tantum de entitate, tantum de operatione & non plus. Hæc ille. Hoc simul observavi, quod nitrum solum in morbis chronicis nimis segniter operetur in malignis parum, vel nihil, nisi in quantum præcipitando acres humores & refrigerando agit: in febribus autem intermittentibus sit præsentaneum remedium, si lupi fauces est ereptum.

☞ Hæc sunt, quæ volanti & tenui adumbrare calamo volui, nullius autoritati vel judicio præjudicando, sed sicuti hæc mea est sententia ita, & cuilibet liberum & alvum relinquo arbitrium statuendi quid velit.

Trames Facilis & Planus *ad* Auream Hermetis Arcem *recta perducens*.

Serenissimo Principi Maximiliano Henrico, *Electori & Principi Coloniensi utriusque Bavariæ Duci*, &c.

Serenissime Princeps,

Mirabitur, Serenissima Celsitudo Tua, *quod Anonymus ego & ignotus, Augusto ipsius Nomini non impetratâ prius facultate librum inscribam. Mirabuntur etiam Philosophi, quod terræ Principi Philosophicum opus dicare audeam, cum ipsi omne cum Principibus commercium interdicant. Verum & à Tuâ Clementiâ, & ab eorum æquitate gratiam spero: Nec enim eam mihi licentiam tribuo, quod libello meo gloriosum Principis patrocinium quærere affectem; sed quod revera toto in orbe neminem inveniam, cui potiori jure ejus generis opus ullum inscribam, quàm* Serenissimæ Celsitudini Tuæ, *quæ Magni Hermetis. Philosophorum Principis imaginem sola exprimit. Fuit Hermes noster Regiâ magnus Dignitate, magnus Sacerdotio ac Pontificatu, absolutioris Philosophiæ scienti â magnus, atque ideò Ter magnus sive Trismegistus appellatus. An non jure dicam*, Serenissime Princeps, *præclara Excellentis illius Principis ornamenta, Tibi inter homines uni convenire? quippè qui eximiò Augustæ Familiæ Tuæ Splendore, Reges ac Cæsares exequas; qui divinum Sacerdotii & Pontificii characterem, cum superborum Natalium honore & summæ Potestatis gloriâ, solus inter Principes sociasti; qui denique Reginam scientiarum Philosophiam, tot olim à Regibus summo in pretio ac honore habitam, hujus quoque inter ætatis Principes propè solus, Principes studio dignam censes, Pati itaque dignare*, Serenissime Princeps, *ut hunc Tractatulum quem, magno Hermeti, si in vivis ageret, inscriberem*, Serenissimæ Celsitudini Tuæ, *summo illi Satum Coriphæo, tot titulis non absimili, venerabundus offeram, ac singulari illo meæ in ipsam observantiæ monumento palam tester, me esse.*

Serenissime Princeps,

Celsitudinis Tuæ

Humillimum atque Observantissimum famulum
Anonymum Philosophum.

LECTORI.

Divinis fretus auspiciis Opusculum hoc Chymicum in lucem edo. Scio quod incertæ admodùm fortunæ quod ipsum committo, quodque malignæ Criticorum, fatuæ imperitorum, ac rigidæ intelligentium censuræ expono: sed nihil interest, si id ipsi accidat infortunii, ut à quibusdam contemptam patiatur, inutilisque existimetur post tot excellentium virorum scripta toto terrarum orbe promulgata, sperare licet quod apud alios fœliciorem forsitan sortem experietur. Non sum, is fateor qui omnibus probari me posse putem, & si te Lector, vanæ vulgarium Philosophorum argutiæ pascunt ac delectant, congruum in eo propensioni tuæ campum non invenies; at si solida piorum Hermeticæ Philosophiæ cultorum dicta, sacrataque divinæ illius scientiæ mysteria tibi arridebunt, hîc faventibus Superis, reperies, quod cupiditati tuæ explendæ sufficiat. Id verè dico, & sine ostentatione

ostentatione dico, quod quamvis & antiquiores & recentiores inter Authores plerique dilucidè admodum scripsisse se asseruerint, ab insolitâ tamen quam hic profiteor ingenuitate, longissimo omnes spatio distant. Lectissimas quasque & efficacissimas insignium Scriptorum sententias datâ operâ collegi, & quæ ipsi maximè involverunt, quanto mihi licuit candore retexi, ut veritatem tibi apertè demonstrarem; si oculos habes ad videndum & aures ad audiendum; id est, si ingenio ad penetranda Sapientum mysteria tantisper idoneo polles, vel potius si æterni Numinis constitutione fruendo cœlesti horum mysteriorum dono destinatus es. Denique tanta hoc tractatulo arcana patefeci; ut egomet ipse cùm eum relegerem, talia me patefecisse obstupuerim, sed hanc mihi mentem, ut id agerem, à Deo injectam putavi, non quod mihi misero & indignissimo homini, divinum afflatum arrogare velim (illam à me Deus vanitatem avertat) sed id, ipso ita volente, & misericorditer pro suâ fortè gloria disponente, factum fuisse mihi persuasi, ex eo præsertim ratione, quod calamo manum scripturus nunquam admoverim, quin Sancti Spiritus opem singulariter invocarim. Quidquid autem de meâ in detegendis Philosophorum secretis ingenuitate prædicarim, nè existimes eo me stoliditatis progressum fuisse, ut margaretas porcis & lactucas asinis sparserim, scias oportet quod præscriptas à magistris leges optimè calleo, quodque eas infringere nec volui, nec potui. Si cogites itaque vulgari planè modo omnia me tibi tradidisse, ita ut primâ fronte vel altera hujus tractatuli lectione, magisterii nostri laurea donandum te arbitreris, toto sanè cœlo aberras: sperare noli (dum hominum genus erit) id mortalium cuiquam eventurum. Quicumque sacra divinæ hujus artis adyta ingredi cupit, eum orare, legere, meditari, sudare necesse est, omnesque præclariorum scriptorum libros & oculis & mente sæpissimè ac sedulò percurrere, quos eo fine hoc in opusculo citavi, & citationum singularia loca nominatim designare consulto omisi, ut iis perlegendis investigatores eo accuratius incumberent. Si igitur, Lector, tractatuli hujus, quem tibi ex animo offero, jucundos decerpere fructus exoptas, Deum nostrum Optimum Maximum ora ardenter, adeptorum libros lege diligenter, quod legisti perpende frequenter, & manum operi adhibe indesinenter, Vale.

Trames Facilis & Planus *ad* Auream Hermetis Arcem *recta perducens.*

HErmeticæ Philosophiæ studiosiores Alumni, qui conscriptos à sapientibus libros perlegerunt, dubio procul animadverterunt duplicem tyronibus indicari viam, per quam ad Auream Hermetis Arcem perveniri potest: alteram difficilem admodum atque arduam, laboriisque ac dispendii plenam; alteram longè faciliorem, simplicem, naturæ magis consentaneam, & modicis expensis contentam. Utriusque veritatem asseruerunt Rosarium Philosophorum, Riplæus, Cortolassæus, Basilius, Philalethæ, Pantaleon, & alii. Faciliorem Philalethæ laudavit, difficiliorem descripsit: Ego verò utramque approbans, faciliorem quantùm mihi secretæ hujus Philosophiæ, sacratæ leges permittent, aperire decrevi. Jesu Bone & adorabilis, spes mea, nè derelinque me in hoc gravissimo & maximi momenti Opere quod divinis tuis sub Auspiciis aggredior, calamum meum pro gloriâ tuâ dirige, easque mihi expressiones inspira, per quas, fratribus meis Catholicis piis ac te diligentibus, necessaria lux accendi valeat, ad ingrediendam & fœliciter insequendam auream quam illis monstro viam; impii verò & carni ac sanguini addicti homines, possint ab hac veritatis via qua indigni sunt averti, & perpetuis tenebris detineri.

De hac viâ loquens Pantalæon in suo Bifol. metall. *Sincerè dico*, inquit, *quod ad hoc mysterium tantummodò requiratur res unica, quæ tamen etiam multiplex est, habita illa & cognita procedendi methodo, nil additur extranei, sed superfluum saltem demitur, & reliquum igni committitur.* Et paulò post, Belli sive duelli equestris, hæc verba refert; *Deus nobis creavit hanc mineram metallicam, quam unicè accipimus, corpus durum corrumpimus, superflua abjicimus, nucleum seligimus, & ex veneno alexipharmacum paramus.*

Illa profectò & Pantalæonis & Duelli equestris dicta, planè aurea sunt, & tanta eorum est efficacia, ut integris voluminibus prævalere, naturæque scrutatori tantisper ingenioso, sat esse dici valeant, ad penetrandum secretum mirabile secretorum. Sed quia hæc brevitas quantumvis nervosa, omnibus artis aurifetæ cultoribus, nec satisfacere, nec sufficere posse videtur, libet rem paulò fusius explanare, ad ferendam parvulis atque imbecillioribus opem.

Sciendum igitur id verissimum esse, & à Rosar. Philosoph. Lud. puer. Arnald. Vogel. aliisque præclarioribus Philosophis passim doceri, materiam nostram, quæ res unica & multiplex esse dicitur, Mercurium, Solem, & Lunam in se continere debere; cujus rei veritatem indubitatam esse asserit Basil. testam. sui lib. 3.

Et id certè naturalis convincit ratio; si enim lapis Philosophorum testibus adeptis, nihil aliud est, quàm aurum summè exaltatum, & si ipsum inter & aurum, nullum aliud discrimen intercedit, nisi quod ille variis perfectionis gradibus, quos per exuberantem & sæpiùs repetitam digestionem acquisivit, hoc longè vincit & superat; indè consequitur ad ejusmodi lapidis compositionem trinam omninò naturam desiderari; Mercurium scilicet, tanquam auri materiam cum aliis metallis communem; aurum tanquam subjectum necessarium, quod exaltetur & ad plusquam perfectionem perducatur, argentum verò, tanquam aurum immaturum, per mediam cujus albedinem à nigredine Saturni ad rubedinem auri transitus fieri valeat.

Sciendum insuper materiæ nostræ tres inesse proprietates, quas Philosophi asam fœtidam, leonem viridem, & fumum album appellant.

Id nobis insinuat, his verbis Riplæus: *De materia hujus lapidis tria potissimum dicuntur: quod est Leo viridis: Asa fœtida, & Fumus albus; hoc tamen à Philosophis ex composito fit ut stultos decipiant, illique ea nominum multitudine hallucinentur. Tu verò intelligе unum semper & realiter significare, quamvis accidentaliter & nominatim tria dicantur; nam Leo viridis, Asa fœtida, & Fumus albus, de uno eodemque prædicantur subjecto, in quo omninò & semper latent, donec arte manifesta fiant.*

Quod confirmat Eduardus Kellæus in quadam epistolâ; *Aurum & argentum*, inquit, *Sol & Luna, agens & patiens nostrum, non est illud quod manibus palpatur, sed aqua quædam argentea & aurea hermaphrodita, quam si à corpore perfecto & imperfecto metallico à natura extraxeris, aquam vitæ* (quam Morienus & alii fumum album vocant) *asam fœtidam, & viridem habebis leonem, in quo omnes sunt colores, &c.*

Adlabora Frater & sedulam da operam ut substantiam tibi seligas, in quâ triplicem hanc proprietatem deprehendas, id si assequaris, dico tibi cum Riplæo, quod veram Lapidis philosophici materiam præ manibus habes,

mous habes, ſi minùs, tempus & locum perdidiſtis.

Per Aſam autem fœtidam intelligunt Philoſophi, odorem acrem & fœtidum ex corpore noſtro immundo in primâ ejus præparatione emergentem, licet enim hoc corpus, cor mundum, & ſplendidum habeat, pretioſum que in centro ſuo argenti & auri ſemen abſcondat, ipſius tamen humidum radicale copioſa obſidet corruptio, duro ſcilicet & ponderoſo preſſum ſub cortice vix non opprimitur, fœdo & putido ſulphure heterogeneo inficitur, graveolenti & mortiferæ immerſum aquæ penè ſuffocatur, ſterili denique & maledictæ immerſum terræ propè ſepelitur, quarum ab impuritatum ſtrictis quibus detinetur vinculis, cùm Philoſophus ar ifex ipſum liberare conatur, terrum ac vehementem in hoc operoſo labore ſubindè pati cogitur odorem, & in aliquâ operationis parte Aſæ fœtidæ omninò ſimilem, quam ob cauſam Philoſophi Aſæ fœtidæ nomen ipſi non inepte indiderunt, merito que pronuntiarunt gravem ſui lapidis antequam præparatus ſit, eſſe odorem, magnumque in ipſo conficiendo perſentiri fœtorem.

Neque etiam incongruenter Philoſophi materiam noſtram fumum album appellarunt, ex qui nimirum, ſi rectè præpateret, fumus niveus prodire conſpicitur, qui lacteum quaſi rivulum egrediendo producit, & per receptorium ſeſe effundendo, lacteâ illud offuſcat inſpiſſatque nube.

Hoc eſt lac Virginis de quo toties Philoſophi mentionem fecerunt

Hæc eſt lactiformis Pantalæonis aquoſitas, ſub quâ radix metallica mercurialis continetur.

Hic eſt denique Niveus Baſilii ſpiritus tetribili vento ſive exhalationi non abſimilis, quem teſtamenti ſui lib. 3. ex vitriolo diſtillandum admonet & exſiccandum donec totus exierit, in quo vento ſive ſpiritu, tria Philoſophorum principia Sal nempè, Mercurius, & Sulphur includuntur, quæ proindè rebus in pretioſis perquirere non eſt neceſsè.

Per Leonem verò viridem, Philoſophi deſignant auri ſui mirabilem fortitudinem, vimque illius vegetativam.

Solem ſuum Leonem vocant, quia fortis eſt ut leo, & quemadmodum leo, magno ſuo robore & fortitudine cuncta alia animalia præcellit, ita Sol eorum, quælibet alia mineralia atque metalla, immensâ ſuâ & propè divinâ virtute longiſſimo exſuperat intervallo.

Viridem nuncupant, quia eſt aurum viride, crudum, & à ſuperfluitate ſua nundum ſejunctum ac ſeparatum; *Proindéque* (ut dixit quidam Anonimus) *magis aptum eſt atque idoneum ad regenerationis opus, quia ſpiritus ejus adhuc ſunt liberi, nullâque forti corporum coagulatione detenti, adeóque promptius agunt & velocius tinctura præparationem, accelerant, quàm ſi corpus auri prout vulgo habetur accipiatur.*

Et ſecundùm probatiſſimos omnes Philoſophos eſt aurum ſpermaticum, immaturum, à naturâ incompletum, ſpiritu creſcente & ſemine fructifero abundans, ſuâque vim vegetativam totam & integram poſſidens.

Quas ſanè qualitates auro communi nullatenùs convenire planum eſt:

Quod nempè juxta Hapel. in ſua Cheiragog. Helian. *In declinatione ſeu expiratione ſui ſeminis jam potius eſt, quam ut ad progenerandum alium Solem fructiferum eſſe poſſit.*

Quod juxta Mayer. de montib. planet. *Nullam ſui multiplicationem admittit, nec vim generativam, ad ſui ſimile procreandum idoneam habet.* In quo juxta Ripleæum, *vis vegetativa omnis incrementi mater pro majori parte jam dudum eſt extincta.*

Vides itaque Frater, ad lapidem noſtrum aurum commune non requiri, ſed aliud longè diverſum, illud ſcilicet mirum quod ab obcæcato impoſito fallaciis volgo ſupenditur, à veris autem naturæ ſectatoribus maximi æſtimatur. Quapropter dicit Clopinell.

Mon fils je ne diray qu'un mot
Ce ſçait le Createur qui m'ot,
C'eſt que l'œuvre ſe fait entiere,
D'une ſeule & vile matiere.

Et Lamſprink, *In hac unicâ vili rerum Philoſophis opus invenietis & perficietis.* Et Guid de Mont. *Nolite diſſolvere marſupia veſtra propter magnas expenſas quas ars noſtra requirit; quoniam lapis unus eſt vilis, cui nihil alienum introducimus, nec primo, nec ultimo; ſed ſolùm in præparatione ſuperflua ſeparamus.*

Sed ubi quæſo aurum illud pretioſiſſimum vili ſub amictu vix agnoſcendum reperiri poſſe arbitraris.

Quidam eò dementiæ progreſſi ſunt, ut totum regnum vegetabile & animale, illius inveſtigandi gratiâ percurrerent, at ſtupenda eſt illorum ſtupiditas, & inſulſi hi inveſtigatores, Philoſophorum iram adverſòs ſe, jure meritiſſimo concitant, quorum nempè recta & ſincera conſilia reſpuunt, & indicatam ſibi à fidis illis ducibus veritas ſemitam & aſpernati, ad Sapientiam, per per fatuorum viam pervenire ſtolidè tentant.

Illi perfectò quibus in perſcrutantibus myſteriis noſtris tantilla lucis ſcintillula affulſit, ignorare nequeunt quod ſubjectum noſtrum proximum & adæquatum, ſit certo certius humiditas unctuoſa homogenea & incombuſtilis.

Quare Raymund & Ripl. dixerunt *humidum unctuoſum eſſe materiam propinquam argenti vivi noſtri phyſici.*

Et Geber. Arnald. Trevizan. Vogel & alii: *Neque nos,* inquiunt, *neque Philoſophi omnes invenerunt unquam aliquid in igne permanens, excepta unctuoſa humiditate, aqueam de facili videmus evaporare, aridæ remanente.*

Quæ autem amabo naturæ convenientia inveniri poteſt inter vegetabilia aut animantia, lapidemq; noſtrum fixiſſimum, quæ incombuſtibilitatis apparentia eſſe valeat in rebus minimo ignis examini cedentibus, & ab eo quamprimùm avolantibus.

Diſcant itaq; fatui animalium & vegetabilium anatomiſtæ à Richardo Anglico fatuorum correctore; *Omne ſeminatum ſemini ſuo correſpondere debere, & omne genus in ſuo genere, omnem ſpeciem in ſua ſpecie, omnem naturam in ſuâ naturâ, naturaliter virtutis effectare augmentum, & fructus juxta ſuam naturam producere:* ac pro comperto habeant, à vegetabilibus aut animantibus æquè impoſſibile eſſe lapidem noſtrum procreare, quàm è lapide noſtro hominem aut arborem.

Alii, noſtrum aurum perquiſituri, regnum minerale perluſtrant: neque dicere licet devium illos inter ſuſcipere; quia ſcilicet cùm aurum hoc, omnem in ſe cunctorum mineralium vim excellenter contineat, palam eſt ad illud adipiſcendum nullum alium quàm per minerale regnum aditum patere. illiſq; proindè, qui mineris penitùs perſcrutandis operam navant, earumque principia diverſos generationis ac mixtionis modos perfectè cognoſcere nituntur, ſpes relinquitur votorum ſuorum apicem attingendi, ſi naturâ & ratione ducibus facemque præferentibus opus ſuum inſtituant.

Sed quàm vaſtum eſt ſpatioſum illud minerale regnum! quàm periculoſis fallacium & ſophiſticatarum viarum anfractibus implexum! quamque tyronibus incautis metuendum eſt, nè per infœlicem funeſtarum ejuſmodi viarum ingreſſum à recto virtutis tramite deflectant, atque in præcipitium miſerè dilabantur, niſi peritus ac benevolus ipſis adjutor in promptu ſit, qui periclitantibus manum porrigat, & aberrantes ad facilem & expeditam Sapientum ſemitam officioſè reducat.

Differentes de minerali regno Philoſophi, tres illud

illud in partes distribuunt: quarum unam minoribus, ut vocant, mineralibus, alteram, mediis; tertiam, majoribus, sive metallis assignant.

Qui in minoribus, spei suæ fundamentum collocant, admodum hallucinantur, atque inani mentem studio, & corpus labore fatigant: Ea siquidem neque à Mercurio ortum traxisse, neque Mercurii quidpiam in se continere, & Sapientes & experientia testantur.

Quo posito, humanas proculdubio superat vires, ex iis magisterii nostri subjectum elicere, ad quod nimirum, juxta Avicennam & alios; purissima Mercurii substantia desideratur.

Et cum substantia ejusmodi Mercurialem, quæ nostri lapidis principium est, non habeant; consequens est, ut neque ad metalla perfecta, quæ sunt lapidis medium; neque ad pretiosam auri plusquam perfecti tinctutam (quæ ejusdem finis existit) pertingere valeant. Uti rectè argumentantur Richard. Anglic. & Auctor Tractatus Aurei de lap. Philosoph.

Ad veritatem paulò propriùs accedere videntur, qui mediis mineralibus animum applicant: Attamen à nostri tramitis introitu, longo adhuc spatio distant, nec supremo bonorum omnium largitori visum fuit, id donum mediis mineralibus impertiri, ut Philosophorum Mercurium producere possint.

In eo quidem, minoribus præcellunt mineralibus, quòd Mercurio & sulphure, metallorum lapidisque principiis non careant, verum in horum principiorum proportione & mixtionis modo à metallis summoperè differunt, quapropter nec fusionis sunt capacia, nec mallei patientia quemadmodum metalla.

Imò juxta Chortolassæum, principiorum philosophicorum tertio, sale videlicet nostro ad magisterium planè necessario, destituuntur. Quomodò igitur, attentâ hac illorum naturæ, à metallis diversitate, fieri posset, ut lapidis subjectum nobis subministrarent, quod nihil aliud est quam humiditas mercurialis metallica & homogenea.

Patet ex his Frater, rectum tibi ad AUREAM HERMETIS ARCEM aditum, nec per minora nec per media permitti mineralia: perpendamus nunc utrum Mercurii vulgaris ope fœlicem hunc aditum penetrare liceat.

Dico cum Riplæo & manuductionis ad rubinum cœlestem Authore, quod Mercurius communis est omnium alchymistarum deceptor, quodque veram sapientum semitam insequi cupienti impossibile sit optatum finem adipisci, quamvis in eo suam operam ad extremam usque diem impenderet.

Enimverò argentum vivum vulgare crudioris ac frigidioris est temperamenti, quam ut Solem nostrum nobis progignere valeat: Ipsum scilicet natura tanquam indignam glorioso regii nostri infantis partu fœminam contemnans, nullum ipsi in terræ viscetibus agens proprium, nullum marem adjunxit, cum quo auream generationem perficeret, ut ex Zachario colligitur.

Unde ipsum, ovo galli semine destituto, adeoque ad pulli Philosophici procreationem prorsus infidoneo appositè admodum æquiparavit Bonus Ferrar. Margar. pretios. cap. 25.

Verum quidem est, quod in iisdem terræ viscetibus, ex solo absque ullâ additione, Mercurio quantumvis crudo frigido, atque indigesto, aurum natura per lentissimam plurium sæculorum decoctionem producit.

Ex eâ nimirum ratione quod Mercurius, quandam sulphuris incombustibilis portiunculam sibi ingenitam, in suo gerit, cujus auxilio & virtute, suam paulatim cruditatem ac frigiditatem vincit, digestionem acquirit, & longissimi temporis decursu regium tandem auri solium adipiscitur.

Ar, tantam cruditatem ac frigiditatem tantillo sulphuris calore superare, soli naturæ conceditur, arti verò, tùm ob humanæ vitæ brevitatem, tùm alias ob causas Sapientibus notas, denegatur.

Quocirca Arnald. Rosar. part. 1. *Si in prima*, inquit, *naturæ materiâ vellemus incipere, opus nostrum esset longissimum & impossibile; & magna ac infinita ad hoc perficiendum requirerentur expensæ, & cùm per difficillimum artificium lapis factus esset de naturâ metallorum, opus Physicum nondum esset inceptum.*

Quibus ex Arnaldi verbis sufficiens elicitur ad Mercurii vulgaris condemnationem argumentum, qui cùm à metallorum naturâ longè adhuc absit, nec fixum auri nostri granum in se contineat, certum est, quod ad induendam ipsi naturam metallicam granumque fixum inserendum; nec homo labori, nec vita homini sufficeret.

Ita ut satius multò sit de & rationi magis consentaneum, brevius expeditiùs iter carpere, materiamque à naturâ jam provectam & incombustibili grano ditatam, ad opus nostrum eligere.

Quod nobis aperit Mayer. in Symb. mens. aur. lib. 8. dicens: *Quod ars non utitur naturali processu incipiendo à principio usque ad finem, quia licet inciperet ubi natura reliquit, & sic ad finem pervenire.*

Accedunt Albert. Lull. Richard. Sendivog & alii tradentes; *Quod in adjutorium naturæ inchoandum sit, ubi natura defecit, ibi ars proficere incipiat, quod denique ibi natura desinit in metallicis videlicet coram oculis nostris perfectis corporibus, ibi arti incipiendum sit.*

Examinata Mercurii vulgaris necnon minorum ac mediorum mineralium natura, demonstrataque eorundem ad auri nostri procreationem inhabilitate, reliquum est modò, ut majorum mineralium sive metallorum quæ nobilissimam regni mineralis partem constituunt, naturam exploremus, dispiciamusque an requisita ad ejusmodi generationem habilitate polleant.

Metallorum alia imperfecta, alia perfecta existere nemo est qui nesciat; inter quæ minima licet naturæ atque essentiæ diversitas esse videatur; omnes tamen fatentur Philosophi, unam & eandem omnibus materiam primam unum & idem semen inesse apparentemque oculis nostris inter illa differentiam oriri ex solâ eorundem decoctione majore vel minore locorum, quibus ejusmodi semen in terræ viscetibus adhæret. Unde pulchrè Augurell.

Namque unum cunctis natura semen inhæret,
Nec distant alio, nisi quod fœlicius illud
Exiit, hoc secum miserè sordentia traxit
Principia.

Et Sendivog. *Sunt*, inquit, *qui opinentur Saturnum habere aliud semen, aurum aliud, & sic consequenter metalla reliqua, sed vana sunt ista, unicum est tantum est semen, idem in Saturno quod in auro invenitur, idem in Lunâ quod in Marte, sed locus terræ diversus fuit si me rectè intelligis, quamvis in Luna citius naturæ quam in Sole defecerit, & sic de aliis.*

Consentiunt pariter Philosophi non solum cunctorum metallorum unam esse, sed nec ullam dari metallorum imperfectorum mineram, quæ aliquam metalli perfectioris particulam in se non contineat, quam particulam Flamellus in suo Summar. Philosoph. granum fixum, Mayer. de montib. planet. perfectionis embrionem, Vogel. verò corpotum imperfectorum humidum radicale, & quoddam velut auri argentiq; semen appellat.

Hæc autem aurea portiuncula quantumvis suaptè natura, Vulcano validè resistat, cum tamen immundi corporis profundo immersa, & per totam ejus substantiam diffusa sit; inde fit, ut dissipatis suis viribus, ignis

violentiæ cedere cogatur; quem proculdubio vinceret, ſi collectas ac uniras ſervare poſſet. Adeoque à combuſtibilibus quibus miſerè agglutinatur impuritatibus, abripi ſe patiens, turpiter cum iis fugit, & in fumum avolat.

Quod cum ita ſit, ſeriò expende Frater utrum volatile hoc & fugitivum aurum, pro fixiſſimi lapidis noſtri ſemine ſeligere tibi conveniens ſit, & eâ de re modernum de Metallorum metamorphoſi tractatulum conſule, qui poſtquam dixit: *Omnibus metallis imperfectis in eſſe ſemen aureum ad perfectionem tendens, at in itinere per accidens impeditum*; Subjicit, *quod in auro dicto idem ſit ſemen proximè incluſum in perfectione triumphans, quodque proinde velle hoc ſemen ex metallis imperfectis educere labor futurus ſit fruſtraneus.*

Et certè veriſſimum eſt perfecta dumtaxat metalla aureum lapidis noſtri ſemen progignere poſſe, quanquam inficias ire nolim quod metallorum imperfectorum Mercurius & ſulphur elici & ita præparati queant, ut quam, admodum exiguam habeant, copioſiorem poſtea auri argentique tincturam ſuſcipiant.

Per hæc quæ hactenus diximus, ſat apertè ut arbitror materiam declaravimus, ex quâ Solis Philoſophici ſemen educatur. Quod ut clarius adhuc intelligas, verba mea auribus percipe & menti tuæ altius infige.

Non ignoras, credo, in Armeniâ ſitum eſſe montem fortunato quondam arcæ Nohemicæ appulſu celebrem, hunc quamprimum luſtra, in eo terram mollem ac fœcundam reperies, quam ſi rectè ac prudenter infoderis, occultum ſub eâ rivulum deteges, cujus ad pellucidam abſque ullo cœno ſcaturiginem ſi pervenire poſſis, exoptatum auri ſemen tibi protinus apparebit, & rectâ ſapientum ſemita patebit.

Quod ſi hunc ſermonem nondum intelligis tuam ſanè vicem doleo, quod oblatam tibi lucem intueri non valeas.

Ea propter tamen animum non deſponde, nec ſpem abjice, ſed Sapientum libros lege, & decies & quinquageſies, uti feci indefeſſâ mente pervolve, naturam & rationem in eorum dictis ſemper inquire, concordes eorum ſententias ſemper ſequere, ardentibus inſuper precibus ac ſuſpiriis DEUM NOSTRUM OPTIMUM MAXIMUM humiliter ſollicita, ac DIVINÆ MATRIS auxilium implora. Hæc ſi facias, & Divinæ Majeſtati cor rectum, fidele, in tegendo arcano noſtro religioſum, chriſtianâ in pauperes liberalitate affectum, & à vanâ mundi gloriâ averſum oſtendas; promitto tibi quod obductas menti tuæ tenebras brevi diſſipatas animadvertes, ac divitem Philoſophorum Mineram, pretioſumque Solis noſtri ſemen cum tempore poſſidebis.

Semen hoc vulgaribus oculis percipi poſſe, ne tibi perſuadeas. Eſt etenim immortalis inſtar ſurculi, ſuam à cœlo ducentis originem, quem ſubjecto noſtro divinus omnium Opifex inſeruit, ut ejus beneficio fœcundati, & ad ſecundam generationem perduci; perpetuæque ſucceſſioni idoneum fieri valeret. Adeoque cum cœleſtis ac ſpiritualis naturæ ſit, vulgi ſub oculos & aſpectum non cadit, ſed in aqua ſua homogenea abditum delitеſcit; quia nempè in aqua, ſpiritus ſedem ac habitaculum natura conſtituit, eique rerum omnium ſemen tanquam ſpirituale ſpeciei conſervandæ & propagandæ medium indidit.

Vnde ſecretorum noſtrorum inquiſitori, omnibus viribus totoque pectore in id incumbere neceſſe eſt, ut aquam noſtram homogeneam haurire poſſit, ſi aureo noſtro ſemine potiri deſiderat.

Myſticâ ſcilicet hac in aquâ, tota divini noſtri ſecreti clavis conſiſtit, & ſi cui aliquando mortali ea contingit fœlicitas, ut illam à Deo obtinere mereatur, id de ſe vera cum gloria prædicare poteſt; quod poſſidet ſuperius & inferius Hermetis; primam & ſecundam aquam Artephii; humidum unctuoſum, vitriolum azoquæum, & menſtruum fœtens Lullii celebrem fontem Trevizani; magnetem Baſilii, duplicem chalibem Sendivogii; mediocrem ſubſtantiam Gebri, cujus proprietas eſt non aduri, ſed ab aduſtione defendere; leonem viridem, azam fœtidam, & fumum album Riplæi; acetum acerrimum, & aquam ponticam Sapientum, quæ ex Solis ac Lunæ radiis elicitur, & in Sole ac Lunâ congelatur; verum denique & germanum Philoſophorum Mercurium, imò & Mercurium de Mercurio, ac ſulphur de ſulphure.

Rectam verò mirabilis illius Aquæ præparationem callere, non eſt exiguæ difficultatis negotium, ſed ſingularis artificii, & magiſterii noſtri laureâ dignum opus exiſtit.

Quamobrem Alchind. in Specul. luc. lib. 2. cap. 1. *Scitote*, inquit, *viri ſapientes à Philoſophis nihil celatum eſſe præter initium & ſecretum artis, quod eſt difficillimum rerum, & nihil aliud ſignificat, quam corpus deſtruere & in ſpiritum vertere.*

Et Augurell. in ſuâ Chryſop.

Neque enim quam debes ſumere, magnum
Inveniſſe, adeo eſt, habilem ſed reddere maſſam;
Hoc opus, hic labor eſt, hic exercentur inanes
Artificum curæ.

Et ſanè cum ſpiritus noſter aureus, uti ſuperius adhuc diximus, duro corporis immundi carcere concluſus detineatur, & ita quidem ut languentem rudi ſub pondere vitam ægrè ſuſtentare valeat: ipſum fœdo hoc & arcto carcere vivum, & incolumen educere, res eſt quæ laboris & ſudoris requirit plurimum, nec mortalium cuiquam eò pertingere poſſibile eſt, niſi totum ſolutionis noſtræ myſterium perfectiſſimè complectatur.

Solutionem, inter præcipua Hermeticæ Philoſophiæ arcana numerari, unâ Sapientes voce conclamant, duaſque ejus potiſſimum ſpecies à divinæ hujus artis cultoribus indagandas deſignant; quarum alteram priorem ſeu particularem; alteram poſteriorem ſeu univerſalem appellant, prout videre eſt apud Richard. Roſar. Philoſoph. tract. aur. & alios.

Prior, quam ita vocant, quia ordine aliam præcedit, eſt crudæ materiæ noſtræ in aquam mineralem, ſeu Mercurium & ſulphur: ſivè viſcoſam humiditatem reductio.

Particularis dicitur, non eo, quo ſtolidi particulariſtæ intelligunt ſenſu, quaſi nimirum particulare quoddam aut ſophiſticum opus ad ſui perfectionem exigat, ſed ex eo dumtaxat quod particulares aliquas artis operationes, univerſali naturæ operationi præmittendas neceſſario requirat, per quas mineralis forma tollitur, craſſum corpus attenuatur, duruſque cortex deſtruitur, ita tamen ut humidum ſubjecti noſtri radicale illæſum planè conſervetur.

Quiſquis ſolutionem hanc addiſcere cupit, totam in id induſtriam conferat, ut hermaphroditum quendam Duenech vocatum, ſuâ ſub poteſtate teneat, quem examinet, urgeat, imò & torturæ ſubjiciat; & ſic ab eo quantumvis admodum taciturno & ad ſilentium proclivi veritatem eruet, dummodò ita non cruciet ut animam & ſpiritum in tormentis exhalare cogatur.

Corporum metallicorum fortiſſimam eſſe compoſitionem conſtat, adeoque difficillimam eorundem eſſe reſolutionem conſequens eſt.

Quod plerique conſiderantes, ſummam ad ſolutionis opus violentiam requiri arbitrantur, illudque adimpleri non poſſe exiſtimant, niſi adhibito quarundam aquarum auxilio quas validas ſeu fortes vocant, quibus miſera quæ contrectant corpora crudeliter torqueut.

Verùm

Verum in via erroris cœci versantur, nec Philosophorum mentem ullatenus assequuntur, inter quos licet aliqui scribant quod natura in suo corpore tincturam occultet quam ars manifestat, corpus torquendo & cruciando, modo per aquam, modo per ignem, ex iis tamen elicitur, fortes & acutos vulgarium Chimicorum liquores, ad id penitus ineptos ac inutiles esse; quippè qui, juxta Lullium, Trevizan. & alios, & naturæ, & Philosophorum intentioni adversantur necnon corpora, violentâ suæ actimoniæ mordacitate corrodunt, & à metallicâ specie alienant; ita ut quæ per eos videtur induci solutio, longe distet ab eâ quam natura postulat, & Sapientes deprædicant.

Verum quidem est quod solutionem nostram violentia omninò carere dici nequeat, sed vis quam per eam corpori nostro inferimus, benigna, officiosa; & naturæ amica est; & corpus nostrum non ad perniciem sed ad generationem, non ad destructionem, sed ad perfectionem perducit.

Scias itaque Frater, & pro certo tibi proponas, quod mirabilis hæc solutio cunctas aquas fortes, acutas & corrosivas vulgares respuit quodque *Aquarum fortium regiarum, aliarumque similium pontecitatem, & solvendi vel potius atterendi facultatem habentium præparatio, ab arte nostra adeo aliena est, ut major sit similitudo inter Æthiopem & Danum; quam inter sophisticam illam & veram Philosophorum præparationem*, quemadmodum quidam Anonymus rectè animadvertit.

Chymicum, nempè *chaos nostrum quod durum corpus metallicum est, semetipsum, per se, & in se solo absque ulla omninò rei alterius additione, instar glaciei per calorem solutæ in Mercurialem humiditatem, seu aquam naturaliter ei insitam sese resolvit, quod tamen à vulgaribus Philosophis haud facile intelligi potest, ex quo id perfici non valeat absque ingeniosis admodum & quasi imperscrutabilibus multiplicationibus ad subjecti nostri commotionem & præparationem requisitis*: prout testificatur eximius Cortolassæi discipulus in suo Tractatu de Occulto Naturæ Mysterio.

Cui consonant celebris, Duelli equestris Autor, dicens: *Quod sicut glacies in sicco super ignem posita solo calore in aquam convertitur, ita accidit in lapide nostro, qui nulla alia re indiget, quam artificis labore & & igne naturali.*

Solutionem ejusmodi quam mirabilem jure dixi, plurimi Philosophi in aquam siccam fieri asserunt, & id profecto in suo sensu rectè perficiuntur à veritate alienum non est.

Ut tamen ingenuè loquar, majori cum veritatè pronuntio corpus nostrum, in aquam Mercurialem planè humidam & liquidam, juxta viam quam sequimur & monstramus resolvi.

Hinc quidam Author; *Via universalis*, ait, *est aqua madefaciens manus, paucis cognita.* Et Bonus Ferrariensis, verè bonus & benevolus Philosophus; *Nostrum argentum vivum*, inquit, *quando oritur in magisterio, terminatur termino alieno propter partes aqueas vincêtes tunc: sic igitur ipsum velis retinere & facere ut terminetur termino proprio, oportet necessario ut ipsum coagules cum suis partibus terrestribus, & non cum alienis. Sua autem partes terrestres* (ut ipse subjicit) *sunt aurum nostrum occultum, sive corpus, sive fermẽtum, aut venenũ.*

Ex quo colligere licet, Philosophos illos in suo sensu non ineptè locutos fuisse, qui aquam nostram solutionis ope nobis comparatam, siccam esse, & manus non madefacere asseveratunt. Quia scilicet post coagulationem verè sicca est, nec tãgentes ipsam digitos humectat.

Quod aperit Ventut. dicens: *Argentum vivum in arsenicum coagulatum esse aquam siccam.* Et Augustin. Panthæus dum scribit; *Aquam siccam per viam putrefactionis fieri.* Qua nimirum mediante in pulverem siccum & pretiosos cineres convertitur, ex quibus Avis Hermetis, Pullus Hermogenis, & omnium Philosophorum Phœnix progignitur.

Primæ solutioni de quâ jam diximus secunda succedit, quæ est terræ nostræ physicæ in aquam Mercurialem conversio.

Utramque verò solutionis speciem, quanquam Philosophi, ad celandam indignis veritatem, mitis ex professo tenebris involvant, imò & ita passim confundant, ut unica eademque esse videatur; certum est tamen, quod maximum inter eas discrimen intercedat, quodque ab iis diversi planè effectus in opere nostro producantur.

Per illam, Artificis industria simplex fit reductio crudi corporis nostri in Mercurium, unde ortum traxit, nulla præcedente corruptione, per hanc de corporis nostri Physici Mercurio, natura operante fit Mercurius & Sulphur de Sulphure, prævia corporis & spiritus in calido & humido putrefactione.

Unde Rosar. minor; *Corpora*, inquit, *in Mercurium immersa per convenientem putrefactionem revertuntur in argentum vivum quod prius fuerant.*

Per illam, crassiora superflua demuntur; per hanc absentia necessaria supplentur.

Per illam, operationes naturæ contrarias ab artifice exerceri necesse est. qui retrogrediendo, rectum mirabiliter à natura subjectum nostrum retegit, & illud instar cujusdam filorum globi deglomerat: per hanc nil naturæ contrarium molitur artifex, sed adjutricem duntaxat ipsi manum porrigit, materiam extrinsecus sufficienter disponendo, super qua ipsa intrinsecus ad illius perfectionem operatur.

Illa denique ut iterum diximus & explicuimus, particularis est; hanc verò universalem esse constat, quia nempe cunctas naturæ operationes ad divini nostri operis complementum requisitas, sub se sola revera complectitur, quandoquidem protestentur ubique Sapientes totam magisterii summam in sola solutione & coagulatione sitam esse.

Solvite, ajunt, *& congelate, facite fixum volatile, & volatile fixum, corpus efficite spirituale & spiritum vice versâ corporalem, & sic Dei gratiâ totum obtinebitis magisterium.*

Audiatur hic si lubet Duelli equestris Author, sincerè affirmans, *totum Opus nostrum ex unâ re tantùm oriri, in se ipsa perfici, neque ulla re egere quam solutione, & coagulatione.*

Quàm mirabilis est hæc res, inquit, *quæ in se omnia habet quibus opus est nobis, se ipsam occidit, & se ipsam resuscitat; seipsam impregnat, & se ipsam parit; solvit se in sanguine suo, & in eodem seipsam coagulat, ex se ipsâ albescit & rubescit.*

Quod pariter inculcat Dausten. in suo Rosar. dicens: *Quod natura seipsam dissolvit & coagulat, seipsam albefacit & rubore decorat, seipsam croceam facit & nigram, seipsam desponsat & à seipsâ concipit; quousque finem operis inducat.*

Ne mireris autem, Frater, dixisse me, solutionem nostram secundam, universas naturæ operationes ad opus nostrum divinum necessarias sub se complecti; neque idcircò existimes, in eo, me Sapientibus contradicere, asserentibus magisterii perfectionem non in solutione duntaxat, sed & in congelatione consistere: Scias enim oportet quod qui veram facit solutionem, veram profectò pariter facit congelationem.

Docent siquidem inanimiter Calid. filius Jasichi Scala Philosoph. Ludus puer. Avicenn. Arnald. Vogel. & alii omnes; *Quod solutio corporis & congelatio spiritus licet sint duo, unam tamen habent operationem,*

quia ſpiritus non coagulatur niſi cum ſolutione corporis, & ſimiliter corpus non ſolvitur, niſi cum coagulatione ſpiritus; quodque inter Solutionem corporis & coagulationem ſpiritus non eſt differentia temporis, neque opus diverſum, ita quod ſit unum ſine alio, ſed eorum eſt unus terminus & unum factum, & una eadem operatio circuit ſuper illa duo.

Et ſicut terra mixta aquæ non ſubtiliatur niſi eodem tempore inſpiſſetur aquâ, nec inſpiſſatur aqua niſi ſubtilietur terra; multò potiori ratione id accidit reſpectu corporis & ſpiritus noſtri, quæ omninò homogenea ſunt, & in ipſâ homogeneitate reſpectivè ſolvuntur, congelantur, ac inſimul conjunguntur nec unquam poſtea disjungi poſſunt eodem ſcilicet modo quo impoſſibile eſt aquam aquæ miſtam ſeparari.

Divinum illud Opus ſolutionis corporis & coagulationis ſpiritus, quod per intimam ac radicalem auri noſtri cum Mercurio noſtro conjunctionem completur, multi ſeſe perficere poſſe confidunt, auri corpus cum Mercurio variis ſophiſticarum operationum modis commiſcendo, Verum omnes quotquot ſunt, ſpe prorſus frivolâ paſcuntur.

Dicit namque Raymund. *Decipiuntur qui exiſtimant ſpiritus poſſe jungi cum corporibus in eorum craſſitie & & diverſitate naturæ, quoniam id fieri non poteſt donec ad unam formæ deducantur æqualitatem.*

Ejuſmodi ſane commiſtio quam facere tentant eſt ſophiſtica duorum inter ſe corporum confuſio non radicalis & alterativa conjunctio, qualem Philoſophi exigunt.

Hæc item commixtio eſt manualis operatio: at ſi Sapientum libros pervolviſſent, intelligerent conjunctionem noſtram; non eſſe manualem operationem, ſed eſſe naturarum mutationem, & frigidi cum calido ac humidi cum ſicco amicabilem & admirabilem connexionem.

Diximus ſupra ſolutionem noſtram per quam generatur Mercurius de Mercurio & Sulphur de Sulphure, fieri per putrefactione n corporis & ſpiritus in calido & humido, neque id abſque ratione diximus.

Quia cum corpus & ſpiritum per minima natura copularit, eorumque elementa inter ſe, indiſſolubili nexu colligarit. Fieri nequit, ut ad radicalem illorum ſolutionem & perfectam elementorum, quibus conſtant, ſeparationem deveniatur, niſi putrefactionis viâ.

Putrefactio quippe: teſte Correctore fatuorum & Roſario Philoſophorum, *eſt omnium naturarum ſolutio & ſeparatio, & per eam partes ligatæ ab invicem ſeparantur, & unaquæque pars ab aliâ per ſeparationem ac ſolutionem elementorum in generatione Mercurii connexorum.*

Et ſi quæris diviſionem partium quas natura junxit, putrefactio ad eam diviſionem, via eſt. Vogel.

Et ſicut juxta Democrit. Ferrar. Monach. & alios; *Miſtio eſt miſcibilium ſive elementorum per minima, id eſt indiviſibilia ſibi junctorum unio, ita putredo eſt eorundem diſſolutio.*

Quiſquis igitur perfectam ſolutionem, & Philoſophicam elementorum ſeparationem perficere deſiderat curam adhibeat ut nigrum ac nigro nigriorem, in opere ſuo colorem imprimis conſpicere valeat.

Quoniam *denigratio eſt operis initium, putrefactionis indicium, certumque commixtionis, & ſolutionis corporis ſignum.* Scal. Philoſoph. Lud. puer. & alii.

Et cum videris nigredinem in aquæ ſuperficie apparentem ſcias pro certo lapidem tuum in parte eſſe diſſolutum; ut inquit Ariſtotel. tractatul. *Et tota fortitudo hujus magiſterii non eſt niſi poſt putredinem; ſi enim putridum non fuerit, ad nihilum revertetur.* Morien. Arnald aliique innumeri.

Denique *ſi nulla appareat nigredo nulla ſubſequetur albedo.* Alan.

Hinc itaque colligant infauſti artiſtæ quibus ſeſe erroribus miſerè ſeduci patiantur, dum è corporibus ſumum, aquam, oleum, relictis in fundo fœcibus diſtillatione excipiunt, & eâ ratione noſtram elementorum ſeparationem, nullâ præcedente putrefactione, perfeciſſe ſe exiſtimant & ex his, quæ tradidimus, velanos errores ſuos deponere ac emendare conentur.

Quando de elementis à Sapientibus ſermo habetur; ne quis putet eorum dicta intelligi debere de confuſâ omnium elementorum chymicum chaos componentium maſsâ quandoquidem exploratum ſit omnia Lapidis noſtri elementa, æquali ad generandum elixir proprietate non eſſe prædita, imò & conſtet quædam ex iis omninò ſuperflua, atque operis deſtructiva exiſtere.

Quocirca operantem profundius meditari expedit, ut vera elementa à falſis, Mineralia & Philoſophica à Sophiſticis, necnon incorruptibilia a corruptibilibus ſecernere queat, hiſque rejectis, illorum duntaxat auxilio opus perficere.

Præclaram illam & ſingularem diſcernendorum elementorum artem edocet Raymund Lull his verbis: *Si mineralia velitis elementa accipere, nolite accipere de primis quia ſunt nimis ſimplicia, neque de ultimis quia ſunt nimis groſſa & fœculenta, ſed accipite de mediis.*

Et alibi idipſum innuit dicens; *Notificamus quod argentum vivum noſtrum, non eſt argentum vivum commune per totam ſuam ſubſtantiam groſſam & terreſtrem, luulentam & phlegmaticam, ſed in mediâ ejus ſubſtantia conſiſtit, quam oportet benè cuſtodire & ab igne proprietatem ejus defendere.*

His itaque mediis elementis inveſtigandis, totam mentem applica, Frater, & illa ſi dignoſcere, ſi ſeparare, ſi circulariter rotare ac convertere valeas, gratulor tibi cum omnibus adeptis, de obtento artis noſtræ divinæ faſtigio.

Dicunt namque omnes prorſus Philoſophi, *Converte elementa, & quod quæris invenies.*

Convertuntur verò elementa; quando humidum fit ſiccum, & volatile fixum.

Humidum & volatile, ſunt Mercurius noſter: ſiccum & fixum, ſunt Sulphur noſtrum.

Mercurius noſter eſt lapidis noſtri humiditas & frigiditas, humiditas tamen quæ cum igne paululum ſeſe unire cœpit, ut tradit via veritat. unic.

Sulphur noſtrum, eſt ejuſdem lapidis caliditas, & ſiccitas, ſive digeſtiſſima Mercurii noſtri portio, ſive purus ignis qui in Mercurii ventre occultus, & ſub ejus forma abſorptus latet, & per cujus vaporem Mercurius noſter in Philoſophorum Lapidem congelatur; juxta Trevizan. Tractat. aur. Vogel. Lull. & alios.

Quo autem pacto deſideratam illam argenti vivi congelationem perficere, queas, paucis accipe.

Cum Mercurium noſtrum, arcto quo concluditur carcere exemeris, ei in libertatem vindicato, contractoque gelidis in vinculis frigore obrigeſcenti, externum ignem ſubminiſtra, qui neceſſarium ipſi calorem ſenſim reſtituat, ignique ipſi innato excitando, idoneus ſit.

Il, ſi ea qua per eſt induſtriâ exequare, innatus ille ignis benigna ignis externi actione ſtimulatus illicò expergiſcitur, & ſtuporem quo ſopitus hebeſcebat excutit, illeque ipſe qui patitur, activam patiendo virtutem acquirit: Et quamvis puſillus admodum ac debilis ſit, cum tempore tamen augeſcit & incrementum capit, fraternoque in dies magis ac magis roboratus auxilio, mirum quantum tandem invaleſcit.

Auctis porro eâ ratione viribus, activam ſuam in Mercurium poteſtatem ſtrenuè exercet, nec non illius frigiditatem ac humiditatem vi ſuâ igneâ impetit, &

pedetentim

pedentim vincit atque in se convertit, vel potius caliditatem & siccitatem suam in Mercurium introducit.

Atque ita, activis his qualitatibus, cum Mercurii frigiditate & humiditate (quæ qualitates passivæ sunt) justâ & æquali inter se proportione coalescentibus ex perfectâ illâ atque indissolubili qualitatum contrariarum conjunctione nascitur Aurea Philosophorum tinctura, quæ repetitis crudi Mercurii additamento digestionibus in immensum crescit, tantamque vim tandem adipiscitur, ut obryzum & purgatissimum quodlibet aurum plurimis imò infinitis gradibus antecellat.

Quoniam vero ante monuimus ad obtinendum Mercurium nostrum non esse capiendum argentum vivum commune per totam suam substantiam, hic pariter in sinceritatis nostræ testimonium significamus, ad obtinendum ignem nostrum de quo jam locuti sumus, & per quem Sulphureæ qualitates in Mercurium nostrum dissolutionis beneficio intromittuntur, non esse capiendum argentum vivum secundum totam suam naturam.

Illud siquidem quo utimur argentum vivum, & ex ignem nostrum elicimus, *jam mutatum est in Sulphur*, ut ait Clangor. Buccin. & secundum Lull. *ad terminum digestionis venit, per quem de natura in naturam mutatum est.*

Et juxta eundem; *Pars ejus naturæ jam alterata fuit per coactionem sive restrictionem, quam subtiles ejus partes acceperunt viâ colligationis Sulphuris.*

Illud præterea significare expedit, duplicem præsertim ignis gradum, ad operis nostri perfectionem desiderari.

Quod his versibus de Arthice loquens exponit Augurell.

Nosse gradus primum varios ne spreverit ignis,
Sunt plures etenim per quod procedat oportet.
Sed duo præcipuè, tranquilla est æmulus alter
Naturæ; est alter violentæ convenit arti.

Amicâ scilicet hujus violentiâ corpus diruitur, terra invertitur, pura substantia nostra ab immundis fœcibus purgatur, Mercurius noster & sulphur nostrum carcere liberantur, ac pretiosum denique auri nostri semen elicitur.

Unde sic prosequitur Augurell.

Nititur hic operum immensâ vi, trudere semen
Et lido innexum mirum compagibus auro.

Blandâ verò ac suavi illius actione frigidus Mercurii torpor depellitur destructiva operis, ac fixionis impeditiva humiditas segregatur, dispersæ Sulphuris vires uniuntur, inimicas inter qualitates pax æterna componitur, facies terræ renovatur, nec non exoptanda materiæ nostræ corruptio, quæ necessarium glorioſæ generationis principium est, inducitur.

De illo tractans Isacus; *Quidquid agas*, inquit, *pusillum semper adhibeas ignem & sic errare non poteris, quamvis aliquanto tardius ad operis finem perventurus sis.*

Et Autor. conjug. Sol. & Lun. *Melius est cum moderatione prorogare, quàm cum excessu irreparabiliter peccare.*

Et Morien. Roger. Baco & alii. *Sit ejus ignis mitis & blandus qui per suos ardendo æqualis perduret.*

Eodem ignis blandi calore fermentum nostrum spirituale perficitur, cujus naturam à Bono Ferrar. & Zachario addiscere poteris.

Quod ad corporale fermentum spectat, paulò alium requirit ignis gradum fortiorem nimirum, qui tamen ab artifice pro ejus industria ac procedendi methodo vel remittitur, vel intenditur.

Hujus fermentationis mysterium à Philosophis non occultatur, nec ullis tenebris involvitur, sed à Valentin. Isaac. & aliis vulgaribus omnino verbis ingenuè retegitur, nec absque argenti & auri vulgaris auxilio completur.

Lapidem nostrum absolutâ hac fermentatione elixit demum appellat Riplæus, ideoque dicit quod *lapis simplicitate, elixir autem pluralitate gaudet.*

Et alibi adjicit quod *in principio lapis noster res una tantum & communis est, sed antequam fiat perfectum elixir, componitur è pluribus & diversis rebus.*

Cæterum cum viam facilem & planam quæ ad AUREAM HERMETIS ARCEM recta perducat; hoc tractaculo indicandam subiecimus, suscepiæ à nobis ad divinam gloriam provinciæ penitus explendæ gratiâ, lubet de Philosophorum ponderibus nonnulla præmissis adjicere, ne aliquid intactum nos reliquisse dici valeat.

Legitur apud Valentin. *Decem ab hominibus heroem nostrum magnanimum prosterni.* Apud Sendivog. *Decem aëris partes cum unâ fructus solaris ad opus nostrum accipiendas esse.* Apud Joannem Despagnet, & alios plures, *septem vel novem aquilas valido cum lecne, carcere includendas, pugnamque inter eos excitandam esse.*

Quæ dicta plerosque summopere turbant novitios, qui his celebrium scriptorum authoritatibus moti Mercurium & Sulphur vulgari expendunt ac librant trutinâ, necnon quodam, (quod præfatorum Philosophorum præscripto accommodare conantur) pondere mixta, ovo Philosophico committunt, atque eâ ratione Sapientum intentioni perfectè se satisfecisse existimant.

Sed consultius profectò agerent si hanc trutinam hocque pondus naturæ ad quam solam pertinet relinquerent: Neque enim ponderis eiusmodi confectio arti, sive manuali operationi tribuitur.

Unde Roger. Bac. in Specul. Alchim. *Excusamur*, inquit, *à receptione argenti vivi & sulphuris prout sunt in naturâ suâ, quia oporteret nos ipsa commiscere secundum debitam proportionem quam humanum ingenium ignorat.*

Et præclarè Laurent. Ventur. *Sicut natura duo habet principia, unum quod tenet naturam patientis alteram agentis; sic etiam ars: & sicut natura hæc duo principia simul componit in certis mensuris & determinatis ponderibus; sic etiam ars componere debet; sed ars non potest scire debita pondera, ergo oportet quod tanquam ancilla accipiat à naturâ composita: erit ergo una materia à naturâ ponderata, in quâ ars operari debet, & illa sufficit.*

Idem non inconcinnè declarat Augurell. his versibus:

Nec quoque scire opus est quanquam id sit nocere pulchrum,
Quæ quibus extiterint gignendis ultima rebus
Principia, aut quali fuerint ea lance recepta
In numerum & pondus. Neque enim si farrea tractes
Semina, constituant quæ far primordia quæris:
Farra sed ipsa puri mandabis condita terræ,
Virtutem latitantem intus sesequè moventem
Irritans tantum, naturæ cætera linques.

Alterum Philosophi pondus operi necessarium designant; de quo Avicenn. Aristotel. Chymic. & alii sic loquuntur.

Pondus ubique notandum est nè nimia siccitas aut superfluus humor opus administrando corrumpat, ideoquè tantum assando decoquas quantum dissolutio adjecit: & inhumando dissolvas quantum assando defecit, & aquam terræ superfundas temperatè, nec multum videlicet, nec parum: quia si multum, fiet pelagus conturbationis; si verò parum, comburetur in favillam.

Hujus quoque ponderis doctrina non paucos artis nostræ investigatores angit quorum aliqui dictam à peritis legem ritè observaturi, ut primum materiam

ſuam ad ſiccitatem ſeu congelationem diſpoſitam conſpiciunt, eam novi ſuffuſione liquoris humectant, totiesque vas ſuum aperiunt, quoties ejuſmodi humectationem materiæ ſuæ neceſſariam arbitrantur.

Verùm devio & irreparabili illos errore labi planum eſt.

Dicunt namque Arteph. Danſteu. & plerique omnes, *Vas ſemel claude, & ſemel aperi, quod amplius eſt, à malo eſt.*

Et Riplæus *Cave nè vitrum vel aperias, vel moveas unquam ab initio uſque ad finem, ſi ſecus feceris opus tuum nunquam poterit perfici.*

Et quemadmodum in omni animalium generatione occluſus ſemel fœminæ uterus; ante partus emiſſionem nunquam recluditur; idem in Philoſophica regii infantis noſtri progeneratione evenire neceſſe eſt.

Præfati itaque ponderis compoſitio, ut ſincere loquamur, ad naturam adhuc potius ſpectat, quàm ad artem, quamvis ad illius perfectionem, artificis operam atque induſtriam admodum conducere fatendum ſit; quippe qui naturæ intrinſecus operanti, eum extrinſecus calorem ſubminiſtrat, per quem materiæ Philoſophicæ ſiccitas & humiditas alternis ſibi vicibus in debitâ proportione & menſurâ ita ſuccedant, ut lapis neque humoris abundantia ſuffocetur, neque ſiccitatis exceſſu contabeſcat, vimque ſuam generativam amittat.

Tertium pondus ſupereſt quod enixè commendant Philoſophi, pondus ſanè longè præſtantiſſimum & ſingulari illorum commendatione ac præconio dignum; quod ſcilicet veram Sapientum proportionem, totamque operis noſtri perfectionem complectitur.

Eximia hujus ponderis compoſitio in perfectâ elementorum conjunctione conſiſtit; ac proinde quiſquis eo eruditionis provectus eſt ut lapidis noſtri elementa, digeſtionis beneficio penitùs mundare, in terræ noſtræ ſinu fixare, & nexu indiſſolubili inter ſe colligare noverit; illi, veræ Sapientum ponderis ſcientiæ gloria jure tribuitur, nec aliud ipſi expetendum reſtat, niſi quod admirandæ illius elementorum conjunctionis, quam Philoſophi divinam appellant, definitum tempus cognoſcere poſſit, ut regium noſtrum infantem tum temporis in lucem prodeuntem, opportunè excipere, & ſuccoſa lactis noſtri ſubſtantia nutrire valeat; cujus virtute robur vegetum, acquirat, atque in heroem validiſſimum & inſuperabilem adoleſcat.

Hæc ſunt, Frater, ſacrata abſtruſiſſimæ artis noſtræ myſteria, quæ tibi quantùm nobis licuit aperuimus, ſi nos intelligis, id eſt, ſi te fata vocant.

Hic eſt TRAMES FACILIS ET PLANUS AD AUREAM HERMETIS ARCEM RECTA PERDUCENS, quem tibi quaſi digito monſtravimus.

Si tibi Superi largiantur, ut, prælucente quàm accendimus face, tramitem hunc jucundum ac divitem ingrediaris; non aliam à te mercedem expoſcimus, quàm ut noſtri, noſtrorumque tuis in precibus quandoque memineris, integram Deo noſtro Optimo Maximo fidelitatem ſerves, commiſſum tibi à nobis ſecretum nulli mortalium indigno declares, ac denique pretioſo hoc ſecreto ad Divinam in primis gloriam, proximi egentis auxilium, afflictorum ſolatium prudenter utaris.

Id ſi præſtiteris, tua conſilia, Majeſtas divina fortunabit, tuaque in cœlo vota fœlicius complebit. Sin aliter utare; vel divinum lapidis noſtri donum fato tibi neſcio quo ſubtrahetur, & è manibus tuis Deo permittente, teque obſtupeſcente evaneſcet (prout cuidam non ita pridem eveniſſe ſcio) vel te infortuniis graviſſimis Numen offenſum affliget, vel quod longè peſſimum eſt æternis animam tuam infœlicem cruciatibus ob conceſſi tibi doni abuſum addicet. Utramvis Frater, fortunam elige, & dicta mea animo tuo altius imprime. Vale.

FINIS.

SUBSECTIO

SUBSECTIO X.

HORTULUS HERMETICUS *Flosculis Philosophorum cupro incisis conformatus, & brevissimis versiculis explicatus, quo Chymiatriæ Studiosi pro Philotheca uti, fessique Laboratoriorum ministri recreari possint.* Authore M. DANIELE STOLCIO de Stolcenberg Bohemo, Med. Cand. Poëtâ, Lau: Cor.

AD LECTOREM PHILOCHYMIATRVM.

Vt releves animum proles Vulcania fessum;
Hortulus ecce tibi noster apertus erit:
Invenies in eo flores fontemque perennem,
Quod juvet hinc oculis nare vel ore bibes.

Magnificis Viris Nobilitate, virtute & eruditione præstantissimis, DN. MARCO CONRADO à RECHLINGA, &c. S. Cæs. Maj. & Illustriss. ac Celsiss. Ducis Virtembergici Consiliario; Nec non DN. PHILIPPO HAINHOFERO, Illustrissimi Ducis Pomeraniæ à Consiliis, Patronis & amicis suis perpetua observatione colendis & honorandis. S. P. D.

Singularis vestræ erga me Benevolentiæ Nobilissimi & Clarissimi Viri, non immemor perpetuo gratitudinis vinculo me vobis obstrictum lubens fateor. Quamprimum enim augustam vestram Augustam attigeram, vobis antea nunquam notus, tum illico virtutis vestræ immortali laude dignæ fructus eximios deprehenderam. Inprimis verò tu Nobiliss. & Clarissime D. Marce Cunrade me tuis ædibus splendidissimis exceperas; omnia humanitatis officia præstiteras, adhæc Occasionem qua facilius & fœlicius Italiam visitarem suppeditaveras. Tu verò Nobiliss. D. Hainhofere me amore & favore tuo erexeras, colloquiis suavissimis exhilaveras, adhæc celeberrimam illam tuam Philothecam, (cui parem in meâ Peregrinatione non vidi neque unquam visurus sum) ad perlustrandum exhibueras.

Quare cum nunc non liceat prò meritis vestris parem referre gratiam; aliquod saltem debitæ meæ gratitudinis vobis publicè offerre volui testimonium. Accipite igitur hoc præsens exiguum grato animo Opusculum, meque vobis etiam in posterum bene commendatum habete. Ego daturus sum operam, ut vestræ erga me Benevolentiæ nunquam vos pœniteat. Valete. Dabam Longenavia.

VESTRÆ NOBILITATIS

Ad officia prompus ac paratus
D. STOLCIUS.

AD CANDIDOS LECTORES.

SOlis illud eximium jubar, Lectores Candidissimi, à veritate Temporis filia magis ac magis in apricum producitur. Quamvis Avari Oculorum caligine laborantes ob nebulas in quibus perpetuo morantur id videre nullo modo possint. At fidelissimi rerum naturalium Indagatores hoc lumine ceu numine gaudent, & ad laudes Conditori decantandas per id excitantur.

Hinc etiam ij, quibus olim risui & ludibrio Chymiatri fuere, jam tot testimoniorum multitudine victi, tantoque Convalescentium numero adacti, imò propria Experientia edocti & adducti, Vulcano palmam date, eique votivam hederam suspendere coguntur. Vulcanus itaque jam ubivis colitur, ei aræ quamplurimæ eriguntur, & non tantum à tenuioris sortis hominibus, sed etiam à Principibus & Monarchis eidem litatur.

O fælicem Hygeiam tanto Patente ! ô fælicem Æſculapium tanto Patrono ! At vos ſactatiſſimi tanti miniſtri

Queis meliore luto finxit præcordia Titan

Huc huc adeſte , utque laborum veſtrorum aliquod levamen , Phœbique obnubilati ſolamen habeatis in hunc noſtrum Hortulum exſpatiamini. Hunc quidem Mylianum agnoſcite. At meludentem & cantillantem, quantum negotia patiuntur abſque moleſtia audite. Mea enim hæc Ætas neſcio quo pacto magis ad luſus quam ad labores prona videtur. Verum enim vero ſi noſtri inveniles luſus vobis placuerint, dabo operam ut poſthac ſeria tractem, animoſque veſtros non tam inanibus ſpectaculis quam profundioribus Apollinis noſtri myſteriis exhilarem. Valete.

Ad Ornatiſſimum & Humaniſſimum VIRUM *Dominum* Lucam Jenniſium, Amicum meum chariſſimum

ANAGRAMMA.

LUCAS IENNISIUS
IN SINU LUCIS EAS.

Lux oritur mundo : Tu Chriſti dilige luſum,
Quod facis, Inq; SINU ſic bene LUCIS EAS.
Lux ea te pariter radiis luſtrabit amœnis ,
Et dabit optatum tangere poſſe bonum.

I.

Hermes Triſmegiſtus Ægyptius.
Vid. Tab. VIII. Fig. 1.

Quicquid in æthereo clauſum reperitur Olympo,
Illud humus proprio ferique foveique ſinu.
Quicquid Terra terit, Cælum tenet id quoque: Verum,
Cœlum cal.ſti, ſed proprio illa modo.

II.

Adfar Alexandrinus Præceptor Motieni.
Vid. Tab VIII. Fig. 2.

Cynthius eſt noſtri thalami Pater atque Maritus ,
At Conjunx niveis Cynthia cincta comis.
Filius hocce toto tenera generatur in auga ,
Effigie Matris prædituſ atque Patris.

III.

Cleopatra Ægypti Regina.
Vid. Tab. VIII. Fig 3.

Enthea vis Sophiæ eſt, quam ſummi lar. Tonantis
Dexţera præcipuo ponit in Orbe loc.
Hanc tamen occultat ne fiat præda malorum.
Rara datur raris tanta Corolla viris.

IV.

Medera Fœmina Alchymiſtica
Vid. Tab VIII. Fig. 4.

Quiſquis Alithiæ novit Regna beata ,
Neſcius Hermetis vaſcula mira Senis.
Verum Naturæ lento veſtigia paſſu
Qui ſequitur, veras vaſe videbit opes.

V.

Calid Rex Ægypti Saracenus Morieni Diſcipulus.
Vid Tab. VIII. Fig. 5.

Ut tener optatas Infans generetur ad auras ,
Et poſſit vitæ ducere fila ſuæ :
Terti o ecce Patri magno Matrique tenellæ
Succedit , flammas qui regit Ignivomas.

VI.

Maria Hebræa Moyſis Soror.
Vid Tab VIII. Fig. 6.

Fumus amat fumum , rurſuſque adamatur ab illo.
Nam ſimili quodvis gaudet ovatque ſuo.
Candida ſed celſis quæ creſcit montibus herba
Hunc fumum foliis haurit utrumque ſuis.

VII.

Thaphuntia Fœmina Philoſophica.
Vid. Tab. VIII. Fig. 7.

Eſt geminum gummi , primum cujus color albet
Alterius rubeo ſic velut Igne micat.
Hæc duo junge ſimul, thalami primordia noſtri
Adſpicies, fœtus creſcat ut inde bonus.

VIII.

Euthica Fœmina Philoſophica Arabica.
Vid. Tab. VIII. Fig. 8.

Contra flammivomum quod pugnam ſuſcipit Ignem
Noſtrum (ceu fas eſt)ſulphur id eſſe puta.
Sed tamen illius vires quod ſuſtinet in ſe,
Id tu Mercurii nomine noſſe potes.

IX.

Calid Hebræus Filius Gazichi.
S. Vid. Tab. VIII. Fig. 9.

Summa Magiſterii noſtri myſteria quæris?
Acquires vano nulla labore tuo.
Si tamen illa roges fundendo vota Iehovæ
Gata exoptati meta laboris erit.

X.

Muſa Calidis à Diſciplina.
Vid. Tab. VIII. Fig. 10.

Ut carpas gratos Sophiæ Puer Optime fleres
Ad ſtudium fac Cor ardeat Igne tuum.
Nam Præceptores tibi erunt velut organa quædam,
Per quæ larga tibi munera Iova dabit.

XI.

Anaxagoras Chazomenius Philoſophus.
Vid. Tab. VIII. Fig. 11.

Igne micant Aurum quid ſit, ſi forte requiras?
Aut Anima Argenti quid tibi ſignificet ?
Vel ſi ſcire cupis medius quid Spiritus ille ?
Omnia ſunt noſter nil niſi Mercurius.

XII.

Xamolxis Pythagoræ Comes.
Vid Tab. VIII. Fig. 12.

Auxiliante Deo re um cui ſumma poteſtas.
Continues animo Delphica capta pio.
Sic ex anguſtis poſthac anguſta videbis
Et reſeres ſtudii præmia digna tui.

XIII.

Democritus Græcus Alchymiſta.
Vid. Tab. VIII. Fig. 13.

Non ignota tibi ſint primo pharmaca noſtra
Ignita, ut cœptum ritè ſequatur opus.
Hæ etenim denſi ſpoliabis Corporis umbram,
Ut pateant oculis interiora tuis.

XIV.

Pythagoras Græcus Philoſophus.
Vid Tab VIII. Fig. 14.

Qui vis magnorum penetralia ſcire Sophorum,
Sæpius hæc animo volve revolve tuo :
Quæ ſit Materies, ex qua Deus omne creavit ;
Hanc poſtquam poteris noſcere, doctus eris.

XV.

Heraclitus Philoſophus.
Vid. Tab VIII. Fig. 15.

Principium primum cunctarum denique rerum
Ignis Apollineus fons & origo fuit.
Hoc ſine non poteris noſtrum ſpectare laborem,
Atque tuus pariter furnus inanis erit.

XVI.

Apollonius Tyanæus Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 16.

In Patria propria qui magnus quæso Propheta?
Agricola at Plantas transfitione juvat.
Tusi Latonem vis reddere splendidiorem
Huncce peregrinis transfer ad alta locis.

XVII.

Michael Psellus Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 17.

Mens cum Natura Terram deducit ad imam
Principiumque sibi reddit ab Axe Deum.
Sic Animus noster Natura intus ab ipsa
Detrahit è Cœlo corpus Apollineum.

XVIII.

Morienus Romanus Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 18.

Materiam nostri quam quæris in Arte Laboris,
Putridus in vili stercore fimus habet.
Ejus enim varias licet hinc cognoscere vires,
Quod vegetans Terram germina ferre juvet.

XIX.

Artephius Arabs Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 19.

Naturæ Lumen Sapientiaque integra Mundi
Per triplicem numerum cuncta creata fovet.
Est Anima, est corpus, tum jungens Spiritus illos.
Sic tria sunt: Sal, cum Sulphure, Mercurius.

XX.

Alphius Arabs Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 20.

Noster Apollineos qui Falcifer augeat artus
Ut crescant, pretio venditur exiguo.
Ante Coronatus Regni quam Scepira gubernet,
Divitibus pariter pauperibusque patet.

XXI.

Avicenna Arabs Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 21.

Aereis tollens pennas Iovis ales in oris,
Bufoque terrestris, quod cupis illud habent.
Tu Cœlum Terræ, fixum conjungi volanti:
Sic Aquilæ Bufo ritè jugatus erit.

XXII.

Geber Arabs Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 22.

Omnia Sol radiis illustrat ab axe benignis,
Vique sua suavi cuncta vigere facit.
Omnia Sal servat, segetes, animalia, & undas.
Hic tibi Sol solus cum Sale sufficiet.

XXIII.

Gilgil Maurus Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 23.

Nunquam Terra suis generat tepefacta cavernis
Absque, metalla, suo Sulphure, Mercurio.
Sic tu Tincturam poteris producere nullam,
Hæc duo ni jungas qua decet arte simul.

XXIV.

Hamuel Philosophus.

Vid. Tab. VIII. Fig. 24.

Quæ facilis Ratio tibi & Experientia dictat,
Hæc sequere, optatum ritè sequetur opus.
More Aquilæ ad nitidum vertas tua lumina Solem;
Quamprimum ad Terram cygnea colla cadent.

XXV.

Senior Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 1.

Luna tuum Natum splendentia tollit ad Astra
Spiritus, ut vires hauriat æthereas.
Ergo ita stelliferis sublatus ad alta cothurnis,
Naturam excedet Mater amanda tuam.

XXVI.

Rasis Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 2.

Gumen lac cogit, Lac nostrum gumina solvit,
Hinc Orientalis Sanguis in Arte rubet.
Est Aquila atque Leo, Solis cum Sulphure Luna.
Auxilium præsens hæc tibi juncta debunt.

XXVII.

Mitigo Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 3.

Quamvis concu rent homines Animalia & ipsa
Hanc Lapidem hos omnes negligit ille tamen.
Nam tantum manibus tractatur Philosophorum;
Hos amat imprimis diligiturque ab iis.

XXVIII.

Malus Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 4.

Divinus Lapis hic subtus te est, imo & apud te,
Circa te, & supra teque tuumque caput.
Ergo oculos aperi, lustrando dona Jehovæ
Naturæ lumen jam loca cuncta vident.

XXIX.

Rosinus Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 5.

Ignarus rerum feriit Colocinthida telo,
Inde putans Sortis mella futura bonæ.
Tu quoque ne pariter Pomum cogaris amarum
Mandere, prudenter felleà mella fuge.

XXX.

Massarai Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 6.

Cum Lapis immundus Terræ generetur in antris,
Spernitur à vulgo negligiturque nimis.
Hunc tamen impurum purgat bene turba Sophorum
Corporis ut spreto carcere ad Astra volet.

XXXI.

Dantes Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 7.

Sole in humorem bene Corpora nostra parata;
Imbibite atque illo germina Spirituum.
Sic Juvenis blandæ jungetur amore puellæ,
Illorum incendet dum modo pectus Amor.

XXXII.

Galienus Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 8.

Corpora purgando reparate & solvite, tandem
Cogite, tumque super corpora projicite.
Illinc Conjugibus surgent nova gaudia mille
Dum cernent thalami pignora grata sui.

XXXIII.

Mahomet Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 9.

Noster in Arte Lapis trahit ex Animalibus ortum;
Namque capit radios pulcher Apollo tuos.
Hinc Homo sydereus, camporum lilia, Cervus
Nota tibi trino lumine Solis erunt.

XXXIV.

Hercules Rex sapiens ac philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 10.

Principio noster Natus procedit ab uno,
Spargitur in plures sed tamen ille modos.
Ipsius rami finem solvuntur in unum.
Sic redit ex illo quod fuit ante chaos.

XXXV.

Ethices Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 11.

Ablutum Corpus Salibus produximus album.
Accensum nostrum tum quoque lumen erat;
Id per Borracem Corpus post fiximus album.
Aurea Saturni munera dextra dedit.

XXXVI.

Adarmath Philoſophus.

Vid. Tab. I X. Fig. 12.

Ut pariat plures noſtra Leo in Arte Leones
Fac ut ad Aſtra volet, rurſus & ima petat.
Principio finis ſic conjungetur, & ipſum
Principium fini qua decet Arte ſuo.

XXXVII.

Atſianus Philoſophus.

Vid. Tab. IX. Pig. 13.

Inſula ab æquoreis conſurgens prominet undis
Qua Leo terribili cæſus ab Enſe cadit.
Confluite huc Volucres, vobis hic potus & eſca.
Eſca caro, at potus lucida lympha ſatis.

XXXVIII.

Datin Philoſophus & Chymicus.

Vid. Tab. IX. Fig. 14.

Auroram roſeo ni Sol producat ab Ortu,
Perpetuis tenebris omnia vincta forent.
Sic rubeus Lato ni convertatur in album,
Tum rubor illius prorſus inanis erit.

XXXIX.

Azinabam Philoſophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 15.

Bos Apis Ægypti tulit olim materiei
Symbola, cum celebres Iſis, Oſiris, erant.
At tu ſume caprum Lunæ vel Apolline plenum.
Auxilio illius lata brabæa feres.

XL.

Elbo Interfector Philoſophus.

Vid. Tab. I X. Fig. 16.

Quotquot ad hanc Artem curſu properatis anhelo,
Curate ut Laton candida membra gerat.
Sufficit his vobis. Modo cuncta volumina veſtra
Rumpite, ne rumpat pectora veſtra dolor.

XLI.

Ademarus Philoſophus.

Vid. Tab. I X. Fig. 17.

Qui Lapidem quærit fundendo Metalla per Ignem,
Inveniet Vitri nil niſi fruſtra levis.
Sic queiſcunque modis Cyllenia membra repurges,
Nil niſi vitrificæ pulvere plenus erit.

XLII.

Belinus Philoſophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 18.

Sol Genitor noſter, cui tota Potentia Mundi
Tradita, jam curru fertur in æthre ſuo.
Illum ires Cælo volucres terræque remiſcent.
Qui ſunt hi? Sal enim Sulphure Mercurius.

XLIII.

Plato Chymicus.

Vid. Tab. I X. Fig. 19.

Semina terreſtri ni corrumpantur in alvo,
Nec fructus tibi, nec germina graia ferent.
Ovaque ni primo putreſcant, pullus ad auræ
Non ſurget, tali noſce Metalla modo.

XLIV.

Joſid Conſtantinopolitanus.

Vd. Tab. I X. Fig. 20.

Terram Mercurii quæ ſurgit plantula noſtri
Non tetigit radiis ignita flamma ſuis.
Huic tamen indiderant propriæ vaga ſydera vires,
Inprimis radios Cynthia ſolque ſuos.

XLV.

Albugazal Præceptor Platonis Philoſophus.

Vid. Tab. I X. Fig. 21.

Ecce vorax noſtri Saturnus Apollinis artus
Corripit, & rabido ceu Lupus ore vorat.
Non tamen illius Naturam deſtruit omnem.
Nam multo poſthac clarior inde redit.

XLVI.

Heliſardes Philoſophus.

Vid. Tab. I X. Fig. 22.

Noſtra Magiſterii via devia non erit ulli,
Nomina cui Lapidis nota colorque patet.
Nomina ſunt Akoth color eſt niger albus & ardens
Hos tu dum cernes error abibit iners.

XLVII.

Galud Rex Babiloniæ.

Vid. Tab. I X. Fig. 23.

Putris Apollineos Saturnus inebriet artus,
Fiat ut ex illis quod fuit ante chaos.
Quatuor hinc redeant propriis Elementa figuris,
Claudetur fini tum rota tota ſuo.

XLVIII.

Seneca Philoſophus.

Vid. Tab. I X. Fig. 24.

Purius egreditur perfectum Corpus ab Igne,
Virtutiſque ſuæ commoda multa refert.
Aſt imperfectum tenues vaneſcit in auras,
Quamprimum flammas ſenſerit Ignivomas.

XLIX.

Albertus Magnus Epiſcopus & Chymicus.

Vid. Tab. IX. Fig. 1.

Sum Draco, quod genero, non noſtra Scientia præſtat
Sint licet in gremio cuncta metalla meo.
Scilicet in me ſupremi gratia Jovæ,
Iſthæc qua per me ſingula ſola facit.

L.

Bernhardus Comes Treviſanus.

Vid. Tab. X. Fig. 2.

Sperma metalliferum, tibi quod nova germina mõſtret,
Natura maris eſt famineaque ſimul.
Huic ſi tu imponas ſtellati membra Leonis,
Illa triceps anguis ritè ſolùtà dabit.

LI.

Arnoldus de Villa Nova Chymicus.

Vid. Tab. X. Fig. 3.

Montibus in noſtris conjungitur ignis & Unda
Exurgit blandis hinc roſa pulchra comis.
Hæc poterit varios è corpore pellere morbos,
Nam Cæli radios floſculus ille tenet.

LII.

Petrus de Villa Nova Arnoldi Frater.

Vid. Tab. X. Fig. 4.

Quæris opes Mundi varias, certaſque medelas
Illud utrumque juvans hæc Medicina tenet.
Hanc igitur primo poſt dogmata ſacra requiras
Adſpicies Jovæ quam ſit amica manus.

LIII.

Baſilius Valentinus Monachus.

Vid. Tab. X. Fig. 5.

Tinctura Pater eſt Phœbus ſed Cynthia Mater,
Fons tamen illius nonniſi Mercurius.
Hunc cautè quæras jungendo Corda duorum
Proferet illorum quod modo quæris Amor.

LIV.

Alanus de Indis Philoſophus.

Vid. Tab. X. Fig. 6.

Qui duo, qui ſeptem, qui quodvis ſcibile novit,
Ille Chymiſtarum pondera nota tenet.
Huic Draco cui geminum caput eſt facili arte patebit,
Virque ferens fructus Cinthia Solque tuos.

LV.

Vincentius Monachus Bellovacenſis.

Vid. Tab. X. Fig. 7.

Non lapis atque lapis eſt cui nomen Elixir.
Miraris quod ſit non lapis atque lapis?
Non lapis eſt quoniam liquefit nec peritur Igne,
At lapis eſt ſundi quod queat atque teri.

LVI.
Joannes de Padua Philosophus.
Vid. Tab. X. Fig. 8.

Sunt variæ Undarum vires miraque per Orbem,
Quas humus è proprio trudit ad alta sinu.
His tamen est cunctis multo præstantior illa,
Corpus ubi tenerum nostra Diana lavat.

LVII.
Iodocus Greverus Chymicus.
Vid. Tab. X. Fig. 9.

Mercurius Soli comes it seu fidus Achates.
Cynthia splendorum nonnisi Solis habet.
Mercurius noster si Marti Cyprida jungat,
Consperget radiis Phœbus utrumque suis.

LVIII.
Author Rosarii Magni Philosophotum.
Vid. Tab. X. Fig. 10.

Unus Apollineum noster Leo currit ad Ortum,
Alter ad Hesperios tendit abitque lacus.
Hisce locis ambos revocando junge Leones,
Tum Lunæ & Solis latus habebis opes.

LIX.
Isaac & Arnoldus Philosoph.
Vid. Tab. X. Fig. 11.

Larga satis gratis supremi dextra Tonantis
Philosophis lapides donat in orbe duos.
Candidus est primus, gerit & tria colla, sed alter
Splendidior rubei membra Leonis habet.

LX.
Philippus Theophrastus Paracelsus.
Vid Tab. X. Fig. 12.

Vt medicamen ages, tua sic tingentur in aurum
Corpora: quæ sparges semina falce metes.
Phœnicem quæras Pelicani sanguine cretum
Hunc (mihi si credis) proferet albus Olor.

LXI.
Author Dialogi Germ: Inter ☉ & Lapidem.
Vid. Tab. X. Fig. 13.

Est lapis ex Auro plenus flagrante veneno,
Auri Mercurius quod tibi nosse dabit.
Vt tamen ex illo fiat Medicina salubris,
Arte tua corpus divite Apollineum.

LXII.
Author Rhytmorum Philosophicorum.
Vid. Tab. X. Fig. 14.

Qui quæris lapidem, Terræ interiora requiras,
Invenies illic quæ Medicina latet
Multorum Capitum cognosces inde Draconem,
Percipies nostra quis sit in Arte Leo.

LXIII.
Isaac Hollandus Pater.
Vid. Tab. X. Fig. 15.

Materies Lapidis res est quæ Sulphure constat
Fulgureo nostro, Mercurioque simul.
Hanc cupis? excelsos properanter scandito montes,
Quid Leo, perquirens; liliaque alba notent.

LXIV.
Isaac Hollandus Filius.
Vid. Tab. X. Fig. 16.

Innumeros inter tribulos spinasque feroces
Conduntur flores splendide Phœbe tui.
Dum redeunt grate projecta Cadavera vitæ.
Istis floridior Vita manere solet.

LXV.
Joannes Pontanus Philosophus.
Vid. Tab. X. Fig. 17.

Ardet, at haud flammas tenues eructat in auras
Sin minus, occultum tum tibi prorsus erit.
Hunc facile invenies, si te DEUS ipse juvabit:
Sin minus, occultus tum tibi prorsus erit.

LXVI.
Nicolaus Flamellus Gallus.
Vid. Tab. X. Fig. 18.

Qui bene laudatam potuit traducere Vitam,
In senio casu non cadet ille malo.
At si membra Senis lacerentur ab Ore Leonis,
Posthuma promeritum fama rependet opus.

LXVII.
Guilielmus Parisiensis Philosophus.
Vid. Tab. X. Fig. 19.

Abditæ qui quærit Lapidis mysteria nostri;
Philosophus verus sit tamen absque dolo.
Ignarus teneros cupiet si carpere fructus,
Frondibus avulsis protinus inde cadet.

LXVIII.
Johannes Mehuni Philosophus.
Vid. Tab. X. Fig. 20.

Ardua divinæ qui vult miracula dextræ
Scrutari, haud propriis viribus illud agat.
Est etenim æthereum numen quod cuncta gubernat
Id petat, id veram pandet ad alta viam.

LXIX.
Dionysius Zacharias Philosophus.
Vid. Tab. X. Fig. 21.

Hanc Artem magnam divina potentia servat,
Ne pateat populo forsan in Orbe malo.
Ergo si invito properas huc numine Divum.
Accipe quod proprium est suauis Amice, & abi.

LXX.
Iohannes Fernelius Ambiensis.
Vid. Tab. X. Fig. 22.

Antra caduca soli pecudum ne more pererres,
Lumen ad æterni verte theatra poli.
Hoc Sapientis opus, Sic Vita lætus in hacce
Percipies gustum numinis ætherei.

LXXI.
Christophorus Parisiensis Chymicus.
Vid. Tab. X. Fig. 23.

Hic cum Fratre Soror cumulo tumulata incumbit.
Hic quoque Mas propriæ Conjugis ossa fovet.
Hic etiam blanda Natus cum Matre quiescit.
Inde resurgendi postea tempus erit.

LXXII.
Guido de Montanor Philosophus.
Vid. Tab. X. Fig. 24.

Quatuor ut proprio junges Elementa rotatu,
Quadrupla vis Lapidis Spiritualis erit.
Quatuor ac numero poteris comprehendere trino,
Si modo principii nomina trina notes.

LXXIII.
Philippus de Ravilasco Philosophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 1.

Quod putrefit Corpus, vegetatum tempore certo;
Clarius ad vitam splendidiusque redit.
Vt surgant cupiunt sic Corpora cuncta resolvi;
Accipiunt vitam nam resoluta novam.

LXXIV.
Gratianus Philosophus Chymicus.
Vid. Tab. XI. Fig. 2.

Vulcani auxilio cineres corpore quovis
Efficies: hinc Sal, quod tibi fundet Aquam.
Ast Aqua Mercurium pariet Cyllenium Aurum,
In mare sic nostri fluminis Unda fluet.

LXXV.
Stephanus Philosophus Chymicus.
Vid. Tab. XI. Fig. 3.

Quodque suo simili generatur planiula planta
Ex Animali Animal sic Homine ipsum homo.
Sic etiam simili mineralia germine gaudent,
Inde metallorum semper metalla virent.

LXXVI.

Daniel in Retractationibus Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 4.

Quo magis æs noſtrum coquitur, tanto magis atrum
Redditur, atque in Aquam vertitur aeream.
Sic tres Cornices poſt certam temporis horam
Ornantur pennis blanda Columba tuis.

LXXVII.

Raymundus Maſſilienſis Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 5.

Occulit occultum Divum prudentia Semen.
Viſcera nam Terræ multa profunda tenent.
Ergo animo prompto Terræ mineralia luſtra,
Invenies vitro ſplendida dona tuo.

LXXVIII.

Johannes Auſtri Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 6.

Quid in immenſo generatum cernitur Orbe;
Quatuor inprimis hoc Elementa tenet.
Vranie hinc, tandem Iuno, Proſerpina, Doris
Reginæ magni quatuor Orbis erunt.

LXXIX.

Valerandus de Boſco Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 7.

Quo magis Igne coques Venerem, magis illa rubeſcet,
Et tinget rubeo cuncta colore ſuo.
Hinc quas quæris aves, triplici duplicata rotatu
Arbore conſpectas hæc tibi Stella dabit.

LXXX.

Johannes de Sacro Boſco Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 8.

Quo mage cocta Venus fuerit, tanto mage ſpiſſa
Fiet, & inceptum ceu nive tinget opus.
Cognoſces igitur Serpentes atque Leones,
Inde coronati quis ſit Oloris honor.

LXXXI.

Thomas Aquinas Italus Chymicus.
Vid. Tab. XI. Fig. 9.

Sulphur Mercurio junctum producere novit
Naturæ certo cuncta metalla gradu.
Tu ſi Naturæ curſum Chymica Arte ſequaris
Quod parit illa etiam progenerare pores.

LXXXII.

Petrus Bonus Ferratienſis.
Vid. Tab. XI. Fig. 10.

Principium motus, cunctarum Operatio rerum
Eſt Anima, abſque illa creſcit in Orbe nihil.
Quod jubet illa tamen tanquam Domina omnib⁹ horis
Exequitur prompto Corpus id Officio.

LXXXIII.

Marcellus Palingenius Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 11.

Arcadium puerum celerem nimiumque fugacem
Prendite & in ſtygiis mox quoque mergite aquis.
Tunc ſepelite utero calido & diſſolvite putrem,
Inſtar Phœnicis Spiritus ejus erit.

LXXXIV.

Johannes de Rupeſciſſa Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 12.

Flebilis omnigenas Paupertas excitat Artes
Atque diu quondam quæ latuere docet.
Dicitur Ingenii Venter largitor acuti;
Nam ſtudii varias cogit inire vias.

LXXXV.

Petrus de Zalento Philoſophus Chymicus.
Vid. Tab. XI. Fig. 13.

Tu ſine fermento nihil acceptare memento:
Vt duo conjungas, hoc quoque junge ſimul.
Sive opus incipies, ſeu continuabis, id ipſum
Adiice, perficies auxiliante DEO.

LXXXVI.

Johannes Aurelius Augurellus.
Vid. Tab. XI. Fig. 14.

Æquoreis memet quicunque reducet ab Vndis,
Cautus & in ſicco littore conſtituet:
Hunc ego divitiis gratus donabo Paternis,
Atque avibus poſthac condecorabo meis.

LXXXVII.

Auguſtinus Pantheus Venetus Sacerdos.
Vid. Tab. XI. Fig. 15.

Sol Pater eſt primus, prudens, Operator at alter,
Vulcanus numero tertius eſſe poteſt.
Primus eum generat, verâ alter at Arte gubernat,
Tertius educat. Tres habet ergo Patres.

LXXXVIII.

Aloyſius Marlianus Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 16.

Sulphur & Argentum vivum tibi proferet Aurum
In flamma, ſpatio tempore exiguo.
Ne tamen ignarum Vulgus, ſed dicta Sophorum
Mente vide, Hermogenes ſic tibi notus eris.

LXXXIX.

Janus Lacinius Philoſophus.
Vid. Tab. Tab. XI. Fig. 17.

Si reliquas Artes Chymicæ aſſimilaveris Arti,
Sunt velut Ancillæ, quas Hera ut illa regit.
Et merito: Nam poſt divini dogmata verbi,
Hoc ſtudio nullum majus in Orbe datur.

XC.

Johannes Chryſippus Fanianus.
Vid. Tab. XI. Fig. 18.

In latebris Terra vis occultatur Olympi,
Philoſophi hinc mineram compoſuere ſuam.
Hanc cape, poſt blandi Vulcani conſtrue turrim.
Atque calorifico ceu decet Igne rege.

XCI.

Efferarius Monachus Philoſophus Chymicus.
Vid. Tab. XI. Fig. 19.

Nos imperfectum volumus mutare metallum,
Perfecti ut cunctas det teneatque probas.
Non curamus enim noſtra quid tenet in Arte
Turba Sophiſtarum. Vera metalla damus.

XCII.

Gilbertus Cardinalis Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 20.

Deſtruere oblatos qui neſcit Apollinis artus,
Illos non etiam conſtruere ille poteſt.
Qui tamen inveniet lucum fontemque Dianæ,
Ne canibus, caveat, præda ſit ipſe ſuis.

XCIII.

Johannes Theobanus Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 21.

Fuſcus in Arte color Terram, ſed diſcolor Vndam,
Aerea tranſparens at ruber æthra notat.
Hinc Corvos Aquilamq; levem roſeamq; columbam
Sanguine condecoras ô Pelicane tuo.

XCIV.

Ludovicus Lazarellus Philoſophus.
Vid. Tab. XI. Fig. 22.

Naturæ auxilio quod nos produximus olim,
Vidimus & proprio lumine, Elixir id eſt.
Ergo coronatur Iovis ales Apolline plena,
Nec metuit vires improba flamma tuas.

XCV.

Johannes de Aquino Philosophus.

Vid. Tab. IX. Fig. 23.

Non tam difficile est fulvum generare metallum,
Quam genitum ignaris destruere hocce viris.
Est Draco flammivomus, robur qui negligit ignis,
Nec timet hinc membris ulla pericla suis.

XCVI.

Raymundus Lullius Philosophus.

Vid. Tab. XI. Fig. 24.

Infantis tenerum Corpus generatur ad auras
A mare fuerit femina juncta toro.
Tandem prudenter materno est lacte cibandum,
Vt citius nostro crescere in Orbe queat.

XCVII.

Ægidius Magister Hospitalis Hierosolymitani.

Vid. Tab. XII. Fig. 1.

Infans progenitas nutritur fomite vili,
Non secus ac fœtum menstrua mater alit.
Ipse rapit quoniam quæcunque sibi apta videntur,
Ceu rapiunt celeres putre cadaver aves.

XCVIII.

Author Rosarii Abbreviati.

Vid. Tab. XII. Fig. 2.

Bis duo principia hic sunt quatuor atque colores,
Quatuor & flammæ sed medium inde triplex.
Hoc triplex medium postquàm cognoverit aptè,
Tum facilè ex illo cætera nosse potes.

XCIX.

Hugo Apostolicus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 3.

Mortalem amoveas radiis Solaribus umbram
Ille magisterii sit tibi summus apex.
Hinc morietur avis, rursusque resurget ad auras,
Seque sciet vita multiplicare sua.

Petrus Monachus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 4.

Hic radius Cæli Terræ occultatur in antris,
Hunc tamen extingui non madida unda potest.
Quærere vis illum, totum orbem mente voluta
Non secus ac Atlas: Forsitan invenies.

C I.

Prior Alexandriæ Philosophus Chymicus.

Vid. Tab. XII. Fig. 5.

E radiis Solis nitidus deducitur Ignis:
Igni Elementorum dixeris esse parem.
Hic tibi cuncta dabit, tua mens quæcunque requirit,
Fortiter instabiles & retinebit aves.

C II.

Garsia Cardinalis Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 6

Anni forma mei Cælo ceu flamma Promethei
Fertur optati blanda theatra soli.
Lætantur tanto mortalis munere divum,
Quando vident tantum Regis ab æthre bonum.

C III.

Durandus Monachus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 17.

Alba Senis primo juvenescant membra Parentis
Et rubeo posthac cincta colore micent.
Sanguineusque puer postremo surgat ad auras,
Signaque det Vitæ splendidiora novæ.

C IV.

Androicus Episcopus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 8.

Ecce necant nostrum diversa Animalia Regem.
Quo ruis his ausis improba turba tuis?
Qui tacet ad vitam rursus de morte resurget,
Tuque feres sceleris præmia digna tui.

C V.

Dominicus Episcopus de Ponderibus.

Vid. Tab. XII. Fig. 9.

Fac capiat Vitam sublatus ad æthera Phœbus,
Inde Sale mixtus ritè putrescat humo
Hinc rosa pulchra simul candentia lilia surgent,
Cumque suo occultus Sulphure Mercurius.

C VI.

Dominicus Apostolicus Chymicus.

Vid. Tab. XII. Fig. 10.

Sunt duo quæ tria sunt, sed sunt tria quæ duo tantum:
Cuncta sed hæc uno nomine nosse potes.
Quod ferat ingressum simul indurare metalla
Quod queat, arte tua junge beatus eris.

C VII.

Hortulanus Philosophus Chymicus.

Vid. Tab. XII. Fig. 11.

Solus qui lapidem novit producere nostrum,
Percipit occulti mystica verba chori.
Hinc Elementorum miro varioque rotatu
Hermogenis cupidas cernit & ambit opes.

C VIII.

Richardus Anglicus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 12.

Ignarus ne sis studiis animum excole nostris,
Ingenium vires exeret inde suas,
Sis prudens, falsis ne seducare libellis,
Simplex, naturæ quo gradiare viis.

C IX.

Joannes Dastinus Anglus.

Vid. Tab. XII. Fig. 13.

Quod DEVS instituit, Natura id protinus omne
Exequitur, sed quod non jubet ille, negat.
Et Soli & Lunæ Deus ac Natura meatus
Disposuit certos, te decet hosce sequi.

C X.

Rogerius Bacon Anglus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 14.

Fac fera membra feri reddantur blanda Draconis,
Æqualique suo stent Elementa gradu.
Sceptra coronatus tunc proferet omnibus inde
Hermogenes, operis meta erit illa tui.

C XI.

Thomas Nortonus Anglus Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 15.

Materies nostri Lapidis res vilis habetur,
Vt terra inventam tollere nemo velit.
Huic tamen imposuit supremi dextra Tonantis,
In propriis latebris quicquid hic Orbis habet.

C XII.

Georgius Riplæus Philosophus.

Vid. Tab. XXII Fig. 16.

Tres sunt Mercurii, quos si cognoscere mens est.
Lunæ unum & Solis lumine cerne Patrem.
Tres sunt diversi nostra quoque in Arte colores,
Vnicus hoc omnes fons tibi nosse dabit.

C XIII.

Abbas Westmonasterienſis Philosophus.

Vid. Tab. XII. Fig. 17.

Perspicuus Lapis est, si quis spectaverit illum,
Atque refert radiis Sidera clara suis.
At velut in speculo, sese speculatur in illo,
Vestibus & nitidis Nympha superba comis.

C XIV.

Edoardus Kellæus Philosophus dubius.

Vid. Tab. XII. Fig. 18.

Purpurea est primum, rubro permixta colore
Materies, cupidum quæ tibi præstat opus.

Hæc dum Pavonis pennas albamque Columbam
Proferet, inceptum continuato tuum.

CXV.

Johannes Duns Scotus Philoſophus.
Vid. Tab. Fig. 19.

Noſtra lythargyrii fucato nomine gaudet
Materies, juſto rite parata modo.
Mercurius volitans clauſo eſt figendus in Ovo
Ne veluti volucris rurſus ad alta volet.

CXVI.

Michael Scotus Philoſophus.
Vid. Tab. XII. Fig. 20.

Præ manibus nobis bona quæ Deus ipſe locavit,
Illa fugat ſcelerum pernicioſa cohors.
Tu ſine mandato noſtros ne tangito fructus
Nam tranſgreſſores pœna parata manet.

CXVII.

Scotus Philoſophus Doctiſſimus.
Vid. Tab. XII. Fig. 21.

Ecce magiſterii tanta eſt præſtantia noſtri,
Si ſemel id facias hoc tibi ſufficiet.
Non iterabis opus: quia Rex ditiſſimus ille
Servat inexhauſtas quas tibi tradet opes.

CXVIII.

Ægidius de Vadis Philoſophus.
Vid. Tab. XII. Fig. 22.

Non lapis apparet, quamvis Lapis ille vocetur,
Viſus id & tactus dicere namque vetat.
Terra ſed rubei ſat purpureique coloris,
Quam capiunt clauſtris cuncta metalla ſuis.

CXIX.

Melchior Cibinenſis Ungarus Philoſophus.
Vid. Tab. XII. Fig. 23.

Hic lapis ut parvus (magnorum Cura Sophorum)
Infans virgineo lacte cibandus erit.
Hinc ſumet vires, tandemque ætate favente
Auſpiciis tantis regia ſceptra geret.

CXX.

Bauran Philoſophus Egregius.
Vid. Tab. XII. Fig.

Filius en noſter tanquam Rex ſplendidus ortu
Tincta ſua è flammis membra decuſque refert.
Gaudete ô cuncti qui nuper morte cadentem
Spectaſtis, nullam jam timet ille necem.

CXXI.

Frater Albertus Bayer Monachus Philoſophus.
Vid. Tab. Fig. i.

Luſerat ut fortis blanda cum Cypride Mavors,
Clauſerat hos vinclis Lemnius ecce ſuis.
Illorum nitido decoratus munere noſter
Mercurius, Phœbo par erat æthereo.

CXXII.

Rhodianus Philoſophus Excellens.
Vid. Tab. XXIII. Fig. 2.

Quamprimum in Terra mortalia membra recondam,
Naſcitur tumuli filius inde mei.
Immortalis erit, noſtro quia ſanguine paſtus,
Exercet & regni ſplendida Sceptra ſui.

CXXIII.

Arda Diſcipulus Ariſtotelis Philoſophus.
VIII. Tab. XIII. Fig. 3.

Sapius optato granum conſpergitur Imbre
Ut citius vegeto ſurgat ad alta gradu.
Poſſit ut excludi pullus nutritur in novo.
Tu tali quævis paſce metalla modo.

CXXIV.

Alexandri Epiſtolæ dictum.
Vid. Tab. XIII. Fig. 4.

Qui fugit ætherei blandum Draco lumen Olympi,
Ecce fugat tenebras mortiferamque necem.
Vique Oleo & vino ſanantur vulnera prompte,
Laſa metalla ſua ſic Lapis Arte juvat.

CXXV.

Rachaidibi Philoſophus Chymicus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 5.

Nutritur minimis quodvis augetur & illis,
Nutritur parvo ſic puer ille cibo.
Dum tamen exurget, clareſcet lumine bino,
Sumet & Imperii ſplendida ſceptra ſui.

CXXVI.

Ariſtoteles Alchymiæ Philoſophus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 6.

Principium noſtri Vita eſt atque eſca laboris,
Ut grata Infantis membra juventur ope.
Nec ſatis id tamen eſt vitam tantum dare proli,
Hanc opibus decora Mater amanda tuis.

XXVII.

Setapio Philoſophus Diligentiſſimus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 7.

Tempus adeſt tumulis manes revocare ſepultos
Ægraque jam mediis membra levare novis.
Ergo mari noſtro Phœbo ſplendente Dracones
Certantes Cali rurſus ad aſtra volent.

CXXVIII.

Liber Saturni Philoſophorum.
Vid. Tab. XIII. Fig. 8.

More Columbarum junguntur amore Parentes,
Illis optatus ſurgat ut inde torus.
Infans materna vitam dum ſumit in alvo,
Deſinit id poſthac eſſe quod ante fuit.

CXXIX.

Dumbeleius Philoſophus Chymicus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 9.

Noſter Apollo Aquila generatus in Orbe Draconis
In ſeſe ut centro cuncta metalla tenet.
Ut poſſint fundi præſtat dum jungitur illis,
Illorum numero non tamen ipſe venit.

CXXX.

Bernhardus de Gravia Philoſophaſter.
Vid. Tab. XIII. Fig 10.

Filius ad Vitam noſter jam à morte reſurgit,
Quo fuerat clauſus Rex etiam Igne redit.
Gaudet & occulto thalamo, flagranteque amore
Proſequitur Sponſam qua licet arte ſuam.

CXXXI.

Aranus Medianus Philoſophus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 11.

Ni primo agnoſcas ſpecies, benè poſtea jungas
Ut generare queant, tum nihil efficies,
Sit tibi fons igitur Solem ſimul atque Dianam
Qui lavet, & propriis ſolvat & intret aquis.

CXXXII.

Palmarius inter Philoſophos.
Vid. Tab. XIII. Fig. 12.

Servus odorifera conjunctus amore Sorori,
Illius optato plaudat ovetque toro.
Filius ad ſuperas illine generabitur auras
Diſſimilis Matri diſſimiliſque Patri.

CXXXIII.

Melchior Cardinalis & Epiſcopus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 13.

Caudivorum caute gladio trucidate Draconem,
Ipſius ut melius membra patere queant.
Dum morietur enim tum cognoſcetis eundem,
Atque in eo magnas invenietis opes.

CXXXIV.

CXXXIV.
Malchamech Philosophus Chymicus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 14.

Inquiras geminum gummi quod jungere possis,
Ut fluat humidulo sic velut Unda pede.
Aut cum viroso conjunge Dracone Leonem,
Et junctos vinclis Mercurioque tene.

CXXXV.
Anonymus Sarmata Chymicus.
Vid. Tab. XIII. Fig. 15.

Candidus æquoreis ut primum surget ab undis
Cygnus, ei flores pulchra Diana dabit.
Si non Phœnicem vis expectare rubentem,
Floribus his albis te recreare potes.

CXXXVI.
Author Cymbali Aurei.
Vid Tab. XIII. Fig. 16.

Tu qui magnarum quæris miracula rerum,
Adsis dum flores fert rosa pulchra suos.
Adspicies illam splendente rubescere Sole,
Id quod fit spatio temporis exiguo.

CXXXVII.
Author Rosarii Minoris.
Vid. Tab. XIII. Fig. 17.

Vermen Apollineum viridante colore nitescit,
Et superat quamvis candor in Orbe nivem.
Hinc corpus corvus sed spiritum amœna Columba
Mumiam Phœbi post Salamandra dabit.

CXXXVIII.
Scala Philosophorum.
Vid. Tab. XIII. Fig. 18.

Mercurium parum quem nunquam ladere possit
Flamma vorax, nostrum nosce magisterium.
Hic alios coget, secumque tenebit in Igne,
Dabitque opibus cuncta metalla suis.

CXXXIX.
Testamentum Pythagoræ Philosophicum.
Vid. Tab. XIII. Fig. 19.

Nil sine flammivomo Phœnix operabitur Igne,
Sic velut absque armis nil quoque miles agit.
At si flamma juvet, Leo tunc Aquilam ore vorabit,
Quorum ope rebus opem Lunaque solque ferent.

CXL.
Turba Philosophorum ac Sapientum.
Vid. Tab. XIII. Fig. 20.

Fac coeat, tum concipiat, prægnansque marito
Proferat, & natum nutriat illa suum.
Inde Mathematicas solves Physicasque figuras,
Re bina ex Ovo tum quoque latus eris.

CXLI.
Ludus Puerorum Philosophorum.
Vid. Tab. XIII. Fig. 21.

Materiam nostri Lapidis cognoscere promptè
Quisque potes, nullus sed tamen hancce videt.
Querentum pedibus calcatur scilicet illa,
Et puerorum illa ludere turba solet.

CXLII.
Aurora Consurgens Philosophica.
Vid. Tab. XIII. Fig. 22.

Quæ mare, quæ tellus, vel quæ fovet aeris aura
Omnibus his vegetans Spiritus intus inest.
Ergo mari nostro Sirenem quære maritam,
Ubera quæ cupido lacte referta gerat.

CXLIII.
Author Speculi Chymicæ Artis.
Vid. Tab XIII. Fig. 23.

Cespite gramineo sub aperto lumine Cœli,
Gaudenti thalamum cernere mente decet.
Qui cupidos fructus nostri expectatis amoris,
Ornabit vestrum pulchra corolla caput.

CXLIV.
Author viæ Universalis Sapientiæ,
Vid. Tab. XIII. Fig. 24.

Ecce novem Musæ pulchram de flore Coronam
Purpureo, natis imposuere meis.
At Charites illis blandum adiecere decorem.
Turba Deum illo gaudet ovatque bono.

CXLV.
Author de Quinta Essentia Vini.
Vid. Tab. XIV. Fig. 1.

Ludit Apollo chely, flores fert Luna rosarum,
Saturnus Corvo concomitatus ovat.
Mirum est tristitiam semel hunc posuisse malignam,
Illud ne videas arbor opaca facit.

CXLVI.
Author Lucis Lucentis in tenebris.
Vid. Tab. XIV. Fig. 2.

Jupiter hic niveo, rubeo Mars fortis ut Heros,
Nigro Mercurii lympha colore nitet.
Si vis Naturam rerum cognoscere rectè,
Fac pateant oculis interiora tuis.

CXLVII.
Author Tractatus de Aurelia.
Vid. Tab. XIV. Fig. 3.

Sancta Trias hominem similem sibi quandò creavit,
Exemplum Lapidis fecerat hancce sacri.
Scilicet è limo postquam formaverat illum,
Spirando vitam contulit huicce suam.

CXLVIII.
Author Splendoris Solis Philosophici.
Vid. Tab. XIV. Fig. 4.

Ex Sole & Luna nascetur Filius ille
Quærere quem semper millia multa solent.
More Aquilæ tandem sublatus ad alta volabit,
Effugietque oculos turba maligna tuos.

CXLIX.
Author Horti Divitiarum Sapientiæ.
Vid. Tab. XIV. Fig. 5.

Purpurea orna ut Cypris pulcherrima veste,
Reginam ut jures & facile esse putes.
Hæc urens ursum perfundens atque Leonem,
Sulphur Mercurio jungere rite docet.

CL.
Author Processus de Tinctura Philosophorum.
Vid. Tab. XIV. Fig. 6.

Flammivomo quoniam Rex sceptriger Igne resurgit,
Illius pulchrum fert diadema caput.
Ergo jam nostro felix dominabitur Orbi,
Tutus ab Insidiis mors truculenta tuis.

CLI.
Author Tabulæ Seniotis Philosophi.
Vid. Tab XIV. Fig. 7.

Percutiamus eum semel, & repetamus idipsum,
Donec post obitum mollia membra gerat.
O Draco qui fuerâs vivendo durus & asper
Jam melior tumulo mollior atque redis.

CLII.
Allegoria Merlini Philosophica.
Vid. Tab. XIV. Fig. 8.

Saturnus lethi dominus Corvique Patronus,
Balneo in hoc calido frigida membra lavet.
Non orietur enim Rex, ni moriatur in illo,
Principium vitæ nam tenet ille suæ.

CLIII.

Allegoria Ariſtei Parabolica.

Vid. Tab. XIV. Fig. 9.

Cum Draco crudeli diſcerpſerit ore Parentem,
Progeniem noſtram ſemina jacta dabunt.
Namque putreſcendo dum concipientur in alvo,
Excreſcent oris jam genita aereis,

CLIV.

Author Ænigmatum Chemiæ.

Vid. Tab. XIV. Fig. 10.

Quiſquis es auriferi qui quaris ſperma metalli,
Argentum vivum noſce, beatus eris.
Scilicet id noſtræ, poterit ſi jungere Terræ,
Aufugiet celeri non magis hocce pede.

CLV.

Clangor Buccinæ Philoſophicæ.

Vid. Tab. XIV. Fig. 11.

Inventum corpus liquidam ſolvatur in undam,
Hæc tibi quæſitum Semen in Orbe dabit.
Pulchricomam parienti ſic membra Senilia nympham,
Tractatu facilis tum Leo noſter erit.

CLVI.

Author de Lapide Philoſophorum in duodecim Capitibus.

Vid. Tab. XIV. Fig. 12.

Quæ tibi cauſa fuit vitæ ni ſuſceperis auram,
Cauſa eadem pariter jam tibi mortis erit.
Ne tamen hanc metuas, nam quod te morte necabit,
Te rursus propria vivificabit ope.

CLVII.

Summa Textualis Philoſophica.

Vid. Tab. XIV. Fig. 13.

Argentum vivum niſi mortificetur in illo
Corpore quod ſummi dextra Tonantis habet.
Tum nihil efficies, Aquila quoque non Leo blandus
Iungetur, nec quas quaris habebis opes.

CLVIII.

Codex Veritatis de Sapientia Philoſophica.

Vid. Tab. XIV. Fig. 14.

Viperea primum Natus cum Matre tenellus
Concumbet, ſævo Matris ab enſe cadet.
Ne metuas mortem puer optime, quæ tibi vitam
Suſtulit, hanc rurſus Mater amanda dabit.

CLIX.

Oſwaldus Crollius Veteranus Philoſophorum diſcipulus.

Vid. Tab. XIV. Fig. 13.

Eſt ſecreta nimis Sapientia ſumma Sopherum,
Et tenet occultas totius Orbis opes.
Si cupis hanc, ora prudens & in Arte labora,
Offeret optatum tum tibi Iova bonum.

CLX.

Joannes Daniel Mylius Veteranus Sapientiæ Philoſophicæ Diſcipulus.

Vid. Tab. XIV. Fig. 16.

Alta magiſterii myſteria quærere, Chriſto
Auſpice, divinas eſt reputare vias.
Sic poteris magni compendia cernere Mundi,
Principium & finis ſic tibi notus erit.

FINIS.

